CRITICORUM SACRORUM

TOMUS SEPTIMUS,

EXHIBENS

ANNOTATA

AD

ACTA APOSTOLORUM

ET

EPISTOLAS PAULI.

TRACTATUS

INSERTI

Sequenti Folio recenſentur.

ANNOTATORES
IN
ACTA APOSTOLORUM
ET
EPISTOLAS PAULI
SUNT,

LAURENTIUS VALLA.
JACOBUS REVIUS in VALLAM.
ERASMUS ROTERODAMUS.
FRANCISCUS VATABLUS.
SEBASTIANUS CASTALIO.
ISIDORUS CLARIUS.
NICOLAUS ZEGERUS.
LUCAS BRUGENSIS.
HENRICUS STEPHANUS.
JOHANNES DRUSIUS.
JOSEPHUS SCALIGER.
ISAACUS CASAUBONUS.
JOANNES CAMERO.
OTHO GUALTPERIUS.
JACOBUS CAPPELLUS.
LUDOVICUS CAPPELLUS.
HUGO GROTIUS.
JOHANNES PRICÆUS in Acta, XII. cap. Epistolæ 1. ad Corinthios, utramque Epistolam ad Timotheum, ut & ad Titum & Philemonem.
ABRAH. SCULTETUS in Epist. ad Timotheum, Titum & Philemonem.
SCIPIO GENTILIS in Epist. ad Philemonem.

TRACTATUS Inserti.

JOH. ANTONII vander LINDEN Exercitatio *Vini pleni* Actor. II. 13.
LUD. CAPPELLI Historia Apostolica, Actis affixa.
PROLOGUS in XIV. Epistolas Pauli, Epistolæ ad Romanos præfixus.
* CLAUDII SALMASII sub ficto nomine JOANNIS SIMPLICII, Notæ in H. Grotii Commentationem ad 2 Thessal. II.
JACOBI GOTHOFREDI Sacræ Exercitationes de Ecclesia & Incarnatione Christi, 1 ad Tim. III. 14, 15, 16.
PHILIPPUS CODURCUS de Testamento ad Hebræos IX.

ANNOTATA
AD
ACTA APOSTOLORUM.

CAP. I.

VALLA.

CYprianus Græcum vocabulum hoc πράξεις transfert *Acta*, quod magis usitatum est quàm *actus* in hunc sensum, ut *acta Cæsaris*, *acta Pompeii*. Lucanus de Cæsare in illius persona loquens ait,

Licèt ingentes abruperit actus.

Hieronymus aliquando *actiones*, aliquando etiam *acta*.

1. *Quæ cœpit Jesus facere & docere*] Deest apud nos una conjunctiva, quæ apud Græcos eleganter usurpatur, apud nos minùs usitata illum in modum, ut dicatur, *facereque & docere*, usitatior sic, *& facere & docere*, ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν. Fuit autem, ut aiunt, Lucas scriptor elegans. Itidem in sequentibus, v. 8. *Eritis mihi testes in Hierusalem*, ἔν τε Ἱερουσαλὴμ quod aliis in locis fit; sed minor videtur res quàm ut ejus toties fiat mentio.

3. *Apparens eis, & loquens de regno, & convescens præcepit eis*]] Ex participio *apparens* videtur significari quòd Jesus subinde se subtraheret ab oculis Discipulorum, & rursus se offerret. Græcè est participium præsentis passivum, quod per participium præteriti licet transferre, vel per ablativum præsentis, sic, *conspectus eis*, vel *conspicientibus eis*, ὀπτανόμενος. Neque legere debemus *convescens*, sed *conversans*, συναυλιζόμενος, sive, ut quidam codices habent, unà literâ exemptâ, συναλιζόμενος, i. *conveniens*, sive *congregans se*, cum eis videlicet conversans.

7. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta*] Græci duo vocabula *tempus* significantia habent, quibus nunc Euangelista utitur, χρόνους καὶ καιροὺς, quorum prius fuit illud, v. 6. *Si in tempore hoc restitues Regnum Israel?* sequens illud posterius, Act. 3. 19. *Cum venerint tempora refrigerii à conspectu Dei.* Quomodo ergò nunc transfertur *momenta*? Ego certè non sic ausim transferre illud simile Demosthenis in Olynthiacis, τίνα γὰρ χρόνον, ἢ τίνα καιρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε; Videtur tamen apud Græcos propriè secundum esse primi species, ut Æstas, Hyems, Nox, Dies; ideóque nonnunquam illud prius pro ipso Anno capitur, qui in se partes eas habet quas nominavi. Fortè non potuit transferri meliùs: ego tamen hoc quod dixi dissimulare non debui.

14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus*] Deest *& obsecratione*, καὶ τῇ δεήσει, ut sit, *in oratione & obsecratione.*

15. *Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti*] *Nominum* legendum est, ὀνομάτων, non *hominum*: quod, tanquam error librarii fuisset, ab audacibus correctoribus immutatum, quasi *nominum* nihil significaret, *hominum* autem esset aperta sententia.

24. *Ostende quem elegeris ex his duobus*] Idem hîc verbum *ostende*, ἀνάδειξον, & illic in Euangelio Lucæ 10. 1. *Designavit & alios septuaginta*, ἀνέδειξεν. Unde olim dicebatur *Consules designati.*

26. *Et annumeratus est* XI *Apostolis*] Ego dixissem *cooptatus est*, ut olim augures & alii quidam in collegia cooptabantur. Nam aliud verbum est illic, *Quia connumeratus erat in nobis*, v. 17. κατηριθμημένος hic autem est κατεψηφίσθη, i. *per suffragia electus*: quidni, ut dixi, *cooptatus*?

REVIUS in VALLAM.

3. ΣΥναλιζόμενος] Vide quæ de hac voce ab Erasmo & Beza disputantur.

7. *Secundum esse primi species*] *Non est* καιρὸς *species hujus ceu generis* χρόνε, *quemadmodum judicat Valla: diversum magis est quàm pars. Et omnino plus quiddam* καιρὸς *quàm* tempus, *nempe* articulus ipsúmque momentum *ac* punctum, *ut aiunt*, in quo res sit agenda; *unde nonnunquam* articulum *vertit: neque dubito quin illud Terentianum*, Ut in ipso articulo oppressit *Græcis sit* καιρῷ. Erasmus; quem sequitur Beza. Addo, quæ Valla καιροὺς putat, æstatem, hyemem, &c. potiùs ὥρας à Græcis nuncupari.

14. Καὶ τῇ δεήσει] Trajectum erat.

15. Ὀνομάτων] Ut & hoc.

26. *Cooptatus.*] Non displicet hoc Erasmo: sed Beza aliquid amplius hac voce denotari existimat, nempe sortis eventum communibus calculis fuisse comprobatum: ideo vertit, *communibus calculis allectus*; quod fateor melius esse quàm alterum illud Vallæ, *per suffragia electus*: non propter τὸ, *communibus calculis*, sed propter τὸ, *allectus*, quod unum consignificat τὸ, σὺν in συγκατεψηφίσθη neque enim simul potest & communes calculos eligentium, & accensionem ad reliquos significare. Jam & hoc notet lector, apud Vallam non esse συγκατεψηφίσθη, sed tantùm κατεψηφίσθη, quòd rectè vertit *per suffragia electus est.*

ERASMUS.

ACTA APOSTOLORUM] Πράξεις. Quod Cyprianus vertit *acta*, Hieronymus interim *actiones* interim *acta* vocat. Cæterùm *actus* masc. genere reperitur quidem, sed in carmine, ut apud Lucanum,

Licèt ingentes abruperit actus.

Verùm *acta* magis vocantur quæ judiciis aut testamentis aut consimilibus modis transiguntur. Proinde ego *Gesta* malim quàm *Acta*, si utrumque sit ex æquo liberum.

1. *Primum quidem sermonem*] Equidem cupiebam hunc librum Lucæ cum priore conjungere, quandoquidem ille historiam Euangelicam duobus est complexus voluminibus, quorum utrumque ad eundum scripsit Theophilum, & posterius auspicans prioris facit mentionem: Cæterùm verebar nè non ferendum videretur Euangelia distrahere. Quanquam hæc historia quid aliud est quàm Euangelii pars, eáque, meo judicio, non minima? Siquidem illic describitur granum frumenti solo conditum; hic describitur enatum, suásque paulatim aperiens ac proferens opes. Quod ni per Lucam cognovissemus quibus modis Christus reliquerit terras, ubi, quo loco, quibus modis advenerit promissus ille Spiritus, quibus initiis cœperit Ecclesia, quibus rebus pollnerit, quibus creverit rationibus, nonne bonam Euangelii partem ignorassemus? Atque utinam S. Lucas, quemadmodum exorsus erat hanc narrationem, ità longiùs fuisset prosecutus, ac cæterorum item Apostolorum gestis nonnihil attigisset. Quò magis admiror apud Græcos hunc librum tam varium haberi, neque quenquam extitisse apud Latinos ex antiquis scriptoribus qui tam præclarum opus ac prorsus Euangelicæ tum majestatis tum fidei suis Commentariis illustrarit. Nihil enim exstat quod sciam in hoc præter aliquod Locorum vocabula quæ Hieronymus annotavit, verùm ea non solùm pauca, sed etiam paucis, si tamen hoc ipsum opusculum Hieronymi censendum est: certè docti hominis est, nec indignum Hieronymo, nisi quòd ibi citatur Hieronymus. Serò recepta est Epistola ad HEBRÆOS; de Epistola JA-

COBI nonnihil est addubitatum; APOCALYPSIM verò recepit Italia, Græcia nè nunc quidem satis approbat: cæterùm de ACTIS nulla unquam dubitatio. Nam quòd hic liber non receptus fuerit à Manichæis, quemadmodum indicat Augustinus libro quo refellit Adamantium Manichæum, hoc plus etiam ponderis apud Orthodoxos habere convenit, si displicuit hæreticis non minùs ridiculis quàm impiis. Atque hoc sanè majore studio convenit ut Christiani suæ gentis incunabula studeant cognoscere, quò posteaquam cognitum habuerint quibus rebus adoleverit, iisdem intelligant collapsam religionem instaurandam esse. Cùm quartam adornarem editionem, fortè nactus sum Græcos commentarios Joannes Chrysostomi titulo, verône an falso nondum pronuncio. Ex his tertiâ editione quædam retuleram schedis per amicos suppeditata. Is exordiens testatur hoc opus adeò non fuisse celebre apud Græcos ut non autor modò plerisque fuerit ignotus, verùm nè id quidem sciretur An exstaret liber hic De gestis Apostolorum. Hoc opinor illum de vulgo fuisse locutum, non de doctis. Cæterùm exemplaria declarant hunc librum non perinde fuisse tritum apud Græcos ut Euangelia aut Epistolas Pauli: nec enim in ullo volumine (de Sacris loquor) major erat lectionis varietas. Ex fragmentis quæ truncatim adferuntur in *Glossa* quam vocant *ordinariam* apparet exstitisse tum in hoc opus Commentarios neutiquam indoctos, quos ego ab istis rhapsodis studio suppressos fuisse suspicor, quò pluris fierent quæ collegerant. Idem suspicor de veteribus quos citari videmus in Catena Aurea. Quæ enim occasio tot volumina sic exstinxisset ut nullum usquam superesset, vel casûs incolume beneficio? Apud me certè nulla est dubitatio quin Spiritus S. ad fidei nostræ certitudinem hoc opus superesse voluerit, nec ultrà tamen proferri rerum gestarum historiam, partim nè nobis incerta essent Ecclesiæ crepundia, partim nè varietate narrationum à Christo paulatim delaberemur ad humana. Et erat semel finienda Scripturarum inviolabilis autoritas, nè turbâ voluminum elevaretur. Etenim si legas ea quæ cæteri qui feruntur fuisse vicini temporibus Apostolorum literis prodiderunt, vel ut ab ipsis audita conspectáque vel ab iis qui viderant accepta, videberis tibi fabulas, ut ità dixerim, legere, si conferas cum gravitate fideque hujus historiæ. Et in his esse constat qui, quòd in dialogis fieri solet, ex his quæ S. libris continentur narrationes fictas contexuerint, aut certè veris falsa miscuerint; rursum, qui vel ob ingenii tarditatem vel ob memoriæ debilitatem ea tradiderint quæ vel non audierant vel non intellexerant. Hujus generis esse puto scripta Clementis & Papiæ, fortassis & Dionysii. Certè Papiam notat Eusebius in Historia Ecclesiastica, quasi qui quæ à Joanne audierat ingenio non sit assecutus, unde & scriptis suis præbuerit multis ansam erroris. Homines erant, & humanis affectibus obnoxii. Quòd si statim in his qui vixerant cum Apostolis reperta est suspicio vel erroris vel vanitatis, quid futurum arbitraris fuisse si talium narrationum aut scriptorum autoritas longo successionis ordine transisset ad posteros? Summâ curâ parique fide contexuit Ecclesiasticam Historiam Eusebius Cæsariensis: at quàm multa illic referuntur quæ nihil habent gravitatis Ecclesiasticæ?

1. *Primum quidem*] Sæpius admonuimus apud Græco πρῶτον usurpari vice comparativi; *primum* pro *priorem* sive *superiorem*. Nam *sermonem* haud dubiè librum Euangelicum vocat: neque enim ea dixerat, sed scripserat. Et Isocrates suos libellos λόγους appellat. Deinde haud scio satisne Latinè dicatur *facere sermonem* pro eo quod est *verba facere*. Unde nos, quò dilucidior esset sensus, non veriti sumus ad hunc transferre modum, *Superiore quidem volumine diximus, Theophile, de omnibus quæ cœpit Jesus tum facere tum docere.* Poterat & sic, *& facere & docere*, sive *vel facere vel docere*. Nam *faceréque & docere* Poeticum est apud Latinos, apud Græcos secùs, ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν. Partitus enim est omnem Christi Vitam in duo, in Facta & Doctrinam. Fecit is admiranda, sed non minùs stupenda docuit. Facta constant miraculis, doctrina decretis. Porrò quod huc adducunt quidam, Prius esse *facere*, deinde *docere*, id argutius est quàm accommodatius: & tamen ad exhortandum non inutilis est argutatio. ¶ *De omnibus*] Annotavit & hoc Chrysostomus, quòd non dixit *omnia* sed *de omnibus*, nimirum ordinem ac seriem rerum indicans potiùs quàm nihil esse prætermissum. Alioqui dissentiret à Johanne, qui negat *mundum fore capacem voluminum si singula quæ Dominus dixit fecitve scriberentur.* Quòd autem de ordine loquitur arguit quod sequitur *usque ad diem illum.* Exorsus est à nativitate Præcursoris, prosecutus est narrationem usque ad ascensionem Domini. Quoniam autem Ambrosius tribuit Lucæ *stilum historicum*, multum lucis adferunt rerum transitiones ejusmodi, seu commissuræ partium, quæ paucis repetendo quod dictum est refricant lectoris memoriam, & proponendo quæ dicenda sunt reddunt auditorem ad ea quæ restant magis docilem: *Euangelicam*, inquit, *historiam ab initio prosecutus sum usque ad tempus Ascensionis: quod superest, absolvam hoc libro.* Annotavit & hoc Chrysostomus, quòd modestiæ causâ suum opus *sermonem* vocat, non *Euangelium*.

2. *Præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum*] Ἐντειλάμενος, Præteriti temporis est, h. e. *cum præcepisset.* Et hunc locum, quoniam alioqui videbatur obscurior, paulo fusiùs explicuimus ad hunc modum, *ad eum usque diem quo, postquam impartitus in hoc ipsum Spiritum Sanctum mandata dedisset quos delegerat Apostolis, sursum assumptus est.* Sensit hic nonnihil incommodi etiam Beda: nam meminit Hyperbati. Cæterùm illud *per Spiritum Sanctum* ità positum est ut ambigi possit utrò sit referendum, ad superiora, an ad sequentia. Verùm sensus magis exigit ut ad superiora referatur: siquidem impartiit illis Spiritum S. à resurrectione, & ità mandavit prædicandi munus. Nisi malumus accipere quòd ipse Christus in Baptismo Spiritum S. in se descendentem acceperit, quo facto postea delegerit Apostolos. Cæterùm prior lectio mihi magis probatur; præsertim cùm huic assentiatur Chrysostomus, διὰ πνεύματος, inquiens, ἐντειλάμενος, τῦτ᾽ ἔςιν, πνευματικὰ πρὸς αὐτὰς ῥήματα, ὐδὲν ἀνθρώπινον. Neque enim perinde arridet, quòd additur *per Spiritum Sanctum* quasi illius essent quæ mandasset: nam & hunc sensum proponi: Chrisostomus. Et quod ait *præcepisse* idem Chrysostomus non refert ad id quod sequitur, *ab Hierosolymis ne discederent*, sed ad illud potiùs, *Ite & docete omnes gentes*, &c. ut intelligamus eam doctrinam non esse Mosaicam neque mundanam sed spiritualem ac cœlestem. Hoc admonere visum est quòd videam interpretes Latinos hoc in loco torqueri nonnihil & variare. ¶ *Quos elegit*] Οὓς ἐξελέξατο. Hoc interjecit ut appareat Christum non omnibus mandata dedisse, sed iis duntaxat quos ad hoc muneris delegerat, nempe XII Apostolis & LXX Discipulis. ¶ *Assumptus est*] Ἀνελήφθη, quod magis sonat *receptus est*, videlicet in cœlum unde venerat. Nam *assumi* dicitur qui in consortium adjungitur: quod Græci dicunt παραλαβεῖν, Matth. 1. 20, 24. & προσλαμβάνεσθαι, Rom. 14. 1. Et hanc ipsam vocem ἀνελήφθη, vertit *receptum est*, Act. 10. 16.

3. *In multis argumentis*] Τεκμηρίοις. *Argumentum* hic vocat signum aliquod per quod fides fit rei alioqui dubiæ. Et *in multis* Hebraico more dixit pro *per multa argumenta.* ¶ Ὀπτανόμενος] Participium est passivum præs. temporis. Proinde Interpres, dum, quod non solet, conatur exprimere rationem temporis, nimis diluto usus est verbo. Siquidem *apparet* id quoque quod non est. Nos itaque maluimus circumloqui, *dum conspicitur*.

4. *Et convescens præcepit*] Laur. Valla putat perperàm in Latinis cod. legi *convescens*, sed scriptum fuisse *conversans*, non dissimulans interim in aliquot Græcis cod. haberi συναυλιζόμενος, in aliis συναλιζόμενος. Prius illud interpretatur *conversans*, posterius hoc *conveniens*, sive *conjungens se cum illis*; sic tamen ut velit utriusque dictionis eandem esse vim. Ac satis apparet συναυλίζομαι dictum ab αὐλὴ, quod *stabulum* sonat aut *diversorium*. Cæterùm unde dicatur συναλίζεσθαι non perinde liquet; nisi quòd Hesychius συναλιζόμενος interpretatur συναχθεὶς, καὶ συναθροισθεὶς, i. *congregatus & conglomeratus.* Nec aliò vergunt quæ scribit Suidas: licèt apud hunc addatur υ, συναυλίσας, inquit, συνάξας, συναθροίσας ac paulò pòst συναυλίαν interpretatur συμφωνίαν. Quanquam autem fere consequens est ut qui sub eodem tecto versantur unà nonnunquam cibum capiant, tamen id nec ex ipsa vocis ratione nec ex Græcis quos citavi autoribus liquere potest. Jam in acervo vocabulorum ad Convivium pertinentium, quæ congerit Julius Pollux, nulla hujus vocis mentio. Tametsi non inficior Hieronymum in Quæstione ad Hedybiam 7. videri legisse *convescens*, cùm scribit hunc in modum, *In altero autem tanta familiaritas erat & perseverantia ut cum eis pariter vesceretur. Unde & Paulus Apostolus refert eum quingentis simul apparuisse discipulis. Et in Johanne legimus quòd piscantibus Apostolis in littore steterit, & partem assi piscis favúmque comederit: quæ vera resurrectionis indicia sunt.* Et Chrysostomus in commentariis qui feruntur in hunc librum eo nomine, palàm interpretatur de cibo sumpto. Ejus verba subscribam, Διά τοι τῦτο καὶ τότε τεσσαράκοντα ἡμέρας ἔμεινεν ἐπὶ τῆς γῆς μετὰ τὴν ἀνάστασιν, ἔλεγχον διδὺς ἐν τῷ μακρῷ χρόνῳ τῆς ὄψεως τῆς οἰκείας, ἵνα μὴ φάντασμα εἶναι νομίζωσι τὸ ὁρώμενον καὶ ὐδὲ τύτῳ ἠρκέσθη, ἀλλὰ καὶ τράπεζαν προσετίθει, ὅπερ ὖν καὶ προϊὼν λέγει, καὶ συναλιζόμενος αὐτοῖς·

τῦτο

τοῦτο δὲ καὶ καὶ αὐτοὶ οἱ ἀπόστολοι τεκμήριον ἐποιοῦντο τῆς ἀναστάσεως, λέγοντες, Οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ, i. *Atque hac sanè de causa & ipse diebus* XL. *commoratus est post resurrectionem in terris, nimirum longo temporis spatio per argumenta certa declarans & comprobans conspectum suipsius, nè spectrum & inane phantasma crederent quod videbatur. Ac nè his quidem contentus fuit, sed mensam etiam addidit. Nimirum hoc est quod deinceps dicit, Et convescens simul cum illis. Nam hoc argumento ipsi quoque Apostoli semper astruxerunt resurrectionis fidem: ut cùm aiunt, Qui quidem cibum unà sumpsimus & bibimus cum illo.* Hæc si cui probantur, ut mihi sanè non improbantur, expendat num *συναλίζεσθαι* dicatur à *salis communione*, juxta proverbium, *Salem & mensam nè prætereas.* Alioqui ex hoc loco non liquet fuisse convivium Christo cum Apostolis. Certè Cyrillus opere quo exposuit dictiones S. Scripturarum *συναλιζόμενος* interpretatur *συναθροιζόμενος*, à voce *ἁλίη*, sive *ἁλία*, quæ *concilium* sive *congregationem* sonat. Ità Herodotus lib. 1. *Κῦρος γράψας εἰς βιβλίον τὰ ἐβούλετο, ἁλίην τῶν Περσέων ἐποιήσατο.* Apud eundem frequenter obvium est *συναλίζεσθαι* pro *congregare*. Nec dubito quin *ἁλία* dicta sit à *sale*, juxta illud, *Salem & mensam nè prætereas.* Et Etymologicon indicat *ἁλίαν* dici *vas in quo tunditur sal*, aut *ubi reponitur.* Rursum variat & ipsa sermonis distinctio: nam quidam hoc participium referunt ad superiora; ut & hoc censeatur inter argumenta Resurrectionis quòd *domesticam cum illis ac diutinam egerit consuetudinem:* nam id est, ni fallor, *συναυλίζεσθαι* alii rursus ad sequentia, ut *sub eodem tecto commorans apud illos* intelligatur *mandasse nè discederent Hierosolymis:* id quod mihi probatur quod quidem ad distinctionem attinet. Alioqui duriusculè cohæreant cum superioribus quæ sequuntur. Cæterum si legamus *συναλιζόμενος*, juxta Vallam, i. *congregans se cum illis*, sive *congregans illos in idem loci*, id magis congruit cum eo quod aliquantò pòst sequitur, *Illi igitur cùm convenissent, interrogabant eum, dicentes, Domine*, &c. Apparuit enim illis nunc paucioribus, nunc pluribus; cæterùm conscensurus in cœlum omnes voluit adesse, ut ultima ederet mandata. Augustinus aliquot locis legit *conversatus.* ¶ *Quam audistis, inquit, per os meum*] *Ἣν ἠκούσατέ μου quam audistis ex me.* Hilarius allegans hunc locum lib. De Trin. 8. non addit *inquit.* Cæterùm haud malè Interpres addidit *inquit* de suo, nè durior esset sermo ob repentè mutatam personam loquentis. Et ubi sunt interim qui clamitant esse sacrilegium vel Jota addere S. voluminibus?

5. *Baptizabimini Spiritu sancto*] *Ἐν πνεύματι ἁγίῳ in Spiritu Sancto*, h. e. per Spiritum Sanctum. Rectè igitur præpositionem omisit Interpres. Augustinus epist. 108. admonet in nonnullis Latinis cod. scriptum fuisse, pro *baptizabimini*, *incipietis baptizari.* Verùm hanc lectionem ut mendosam rejicit ex autoritate Græcorum codicum, cùm hic interpres subinde verterit ad consimilem modum.

6. *Si in hoc tempore*] *Εἰ* apud Græcos frequenter est interrogantis. Rectiùs itaque vertisset, *Num in tempore hoc*, sive *An in tempore hoc.* ¶ *Restitues Regnum Israel*] *Τῷ Ἰσραὴλ Israeli.* Sic enim vocant gentem Judaicam. Somniabant enim adhuc nescio quod Regnum Hebræorum.

7. *Tempora vel momenta*] *Χρόνους ἢ καιροὺς tempora & articulos*, sive *opportunitates.* Quanquam apud Græcos *καιρὸς* nonnunquam pro *χρόνος* usurpetur, at non contrà. Est autem propriè *χρόνος* quoties de genere seu modo spatióve temporis agitur, velut Seculum, Annus, Mensis, Dies, Hora: *Καιρὸς* autem cùm sentimus opportunitatem rei gerendæ. Nam utrumque refertur à Rhetoribus inter argumenta conjecturalia. Annotat, hanc vocum differentiam & D. Augustinus epist. 78. ad Hesychium. Quin apud Græcos *καιρὸς* Deus est, quem Ausonius vertit *Occasionem.* Neque verò *καιρὸς* species est hujus seu generis *χρόνου*, quemadmodum indicat Valla: diversum magis est quàm pars. Et omnino plus quiddam *καιρὸς* quàm *tempus*, nempe *articulus ipsùmque momentum ac punctum*, ut aiunt, *in quo res sit agenda.* Unde nonnunquam *articulum* vertit. Neque dubito quin illud Terentianum, *Ut in ipso articulo oppressit*, Græcis sit *καιρῷ*. Duabus dictionibus Græcis respondet unica Latina, *tempus.* Augustinus locum hunc adduxerat hoc pacto, *Nemo potest cognoscere tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.* At Hesychius ex autoritate veterum exemplarium nobiscum legit, *Non est vestrum.* ¶ *Quæ Pater posuit in sua potestate*] *Ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ in propria*, sive *sua ipsius, potestate.*

8. *Accipietis virtutem*] *Δύναμιν*, i. *robur ac fortitudinem:* nè quis accipiat *ἀρετὴν*, quæ *Probitas* est *Vitio* opposita. ¶ *Supervenientis Spiritus*] *Ἐπελθόντος*, præt. temporis participium est, sed quod verbo futuri temporis adhæreat. Vertere poterat *illapsi in vos*, sive, ut nos vertimus, *Postquam Spiritus S. advenerit super vos.* Nam & illud ambiguum est apud Græcos, an genitivi casus ponantur absoluté. Sic enim refert Hilarius in libris De Trinitate, *Superveniente Spiritu S. in vos.* ¶ *Testes in Jerusalem*] Gemina est conjunctio Græcis, *Ἔν τε Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ Ἰουδαίᾳ.* Cæterùm quòd subjunxit *Judæam Jerusalem*, totum parti, non potuit reddi neque per geminum *&*, neque per *tum:* proinde nos reddidimus, *non solùm Hierosolymis, verùm etiam in universa Judæa.* Nam hic *Judæam* arbitror non pro tota regione Judaicæ gentis quæ 12 tribus complectitur, sed pro ea provincia cujus metropolis est Hierosolyma, quanquam ipsa quidem est in tribu Benjamin. His enim gradibus propagatum est Euangelium; Ab Hierosolyma velut à fonte dimanavit ad omnes Judææ partes, deinde ad Samaritanos semipaganos & semijudæos, mox in Syriam, hinc in totam Asiam Minorem, hinc in Græciam, postremò in Italiam, denique in universum terrarum orbem.

10. *Cùmque intuerentur in cælum*] *Καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν*, i. *Cùm essent intenti*, sive *defixis, in cælum oculis.* Id enim Græcis est *ἀτενίζειν*, *fixis & immotis obtueri oculis*, amantium more. *In cælum* autem ità positum est ut utróvis possit referri, vel ad *intuentes*, vel ad *euntem:* nisi quòd mox velut explicat, *Quid statis aspicientes in cælum?* Annotarat hoc nescio quis in Glossa quam vocant Ordinariam. Nam quod *veste alba* vertit *vestibus albis* nihil refert ad sensum. ¶ *Ecce duo viri*] *Καὶ ἰδού.* Admonuimus esse peculiare Lucæ *καὶ* conjunctionem ex superfluo addere: proinde Interpres rectè omisit.

11. *Quemadmodum*] *Ὃν τρόπον*, ut *quem ad modum* tres sint dictiones.

12. *Sabbati habens iter*] *Σαββάτου ἔχον ὁδόν.* Sentit spatium bis mille passuum. Longius iter facere Judæis fas non erat Sabbatis. Hoc enim indicat Hieronymus scribens ad Algasiam quæst. 10. nimirum Judæis religiosè observatum nè Sabbatis ambularent supra bis mille passus, ex institutione Barachibæ, Simeonis, & Helis RR. quos illi *Magistros nostros* vocare soliti sunt, ut inibi docet Hieronymus. Præterea apud Joh. 11. 18. *Bethaniam abfuisse ab Hierosolymis stadiis fermè quindecim.* Ea conficiunt paulò minus quàm passuum duo millia. Erat autem Bethania in latere montis Oliveti. Testatur hoc idem Chrysostomus enarrans convivium Simonis Leprosi. Proinde miror unde apud Lyranum cæterósque recentiores interpretes legamus, *Iter Sabbati non habere plus quàm mille passus:* nisi forte hoc accidit vitio librariorum. Proinde nos vertimus, *abest ab Hierosolymis iter Sabbati.*

13. *In cænaculum ascenderunt*] *Ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον ascenderunt in cænaculum:* h. e. *Ingressi civitatem, conscenderunt cænaculum.* Nostra lectio perinde sonat quasi *ingressi cænaculum conscenderint eò ubi manebat Petrus.* Lyranus putat esse *ὑστερόπρωτον* [*πρωθύστερον*]. In Glossa Ordinaria nescio quis admonet Græcæ lectionis. Quanquam nec in Latina lectione opus erat illà figurà. Siquidem hypostigme addita dictioni *introissent* excludit amphibologiam. In aliquot vetustis nostræ linguæ cod. habebatur *ascenderunt in superiora, ubi manebat Petrus.* Et fieri potest ut supra cænaculum fuerit locus altior, quod capite hujus operis decimo vocat *δῶμα*, quò Petrus ascendit oraturus. Hìc *cænaculum* non significat *eum locum in quo cænatur*, sed *superiorem domûs partem:* id quod Græca vox indicat. ¶ *Petrus & Johannes*] Suspicor incuriâ librariorum accidisse quòd hìc perpetuò non distinguantur Apostolorum juga. Nos tamen nihil ausi sumus immutare, cùm neque suffragerentur exemplaria nec interpretes idonei. Nec ordo quidem satis congruit. Apud nos enim *Petrus* copulatur cum *Johanne*, apud Græcos cum *Jacobo.* Apud nos *Jacobus & Andreas*, apud Græcos *Johannes & Andreas.*

14. *Perseverantes*] *Προσκαρτεροῦντες perdurantes:* quod Augustinus alicubi vertit *asservientes.* ¶ *In oratione*] Deest in Latinis cod. *καὶ τῇ δεήσει, & obsecratione.* Congeminat hæc ad eum modum sæpenumero & Paulus. ¶ *Cum mulieribus*] *Σὺν γυναιξί.* Accipi potest & *cum uxoribus*, propterea quòd separavit Mariam à mulieribus. ¶ *Cum fratribus ejus*] *Ejus* ad *Jesum* refertur, non ad *Mariam*, *αὐτοῦ.* Annotavit & hoc Glossa Ordinaria. Citatur autem nomine Bedæ, cùm in illius Commentariis nihil tale reperiatur. Id cùm mihi compertum sit & aliis aliquot locis, suspicor hos quos Badius nobis dedit esse decurtatos.

15. *In diebus illis*] *Ταύταις his:* nec enim est *ἐκείναις*. Est autem Historicum referre rem quasi jam geratur. ¶ *In medio fratrum*] *Μαθητῶν Discipulorum.* ¶ *Simul*] *Ἐπὶ τὸ αὐτό*, i. *collecta*, sive *congregata, in eodem loco.* ¶ *Erat autem turba homi-*

hominum] Ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων, *eratque turba nominum.* Quod quidem palam est non accidisse culpâ Interpretis, sed ab audaculo quopiam fuisse depravatum qui putarit *nominum* hoc loco nihil significare, cæterùm *hominum* probè quadrare. Adeò præceps est judex inscitia. Porrò *nominum* dixit quòd nominatim homines censeri soleant quoties exquiritur numerus. Hæc orationis pars, quoniam per parenthesim est interjecta, suis notulis est utrinque semovenda: quæ tamen aptior erit si legamus ἦν δέ.

16. *Oportet impleri*] Ἔδει *oportebat*, sive *oportuit*. De re peracta loquitur. ¶ *Quam prædixit*] Ταύτην ἣν *hanc quam prædixit.* ¶ *Qui fuit dux*] Ὁδηγοῦ. Is propriè dicitur *qui commonstrat viam:* nè ductorem exercitûs intelligat aliquis, cui apud Græcos aliud est nomen, *στρατηγός.*

17. *Qui connumeratus est*] Ὅτι *quia*, non *qui*. ¶ *In nobis*] Σὺν ἡμῖν *nobiscum.*

18. *Et possedit agrum*] Ἐκτήσατο, quod verti poterat etiam *paravit*. Neque enim Judas possedit hunc agrum, verùm eâ pecuniâ paratus est is ager. ¶ *De mercede iniquitatis*] Allusit, ni fallor, ad cognomen *Ischariota*, quòd שכר Hebræis *mercedem* sonet. ¶ *Et suspensus crepuit*] Καὶ πρηνὴς γενόμενος *pronus factus*, sive *declivis:* πρηνὴς enim Græcis dicitur *qui vultu est in terram dejecto*. Expressit autem gestum & habitum laqueo præfocati. Alioquin ex hoc sanè loco non poterat intelligi quòd Judas suspenderit se. Augustinus lib. 1. contra Felicem Manich. c. 4, & 5. hunc adducens locum legit, *Et dejectus in faciem diruptus est medius.*

19. *Et notum factum est*] Cùm Petrus hæc loquatur & Hierosolymis & Hebraicè, tamen ita sonant Lucæ verba quasi Petrus alibi diversâ linguâ loquatur. Etenim qui dicit *eorum* videtur de absentibus loqui; & qui dicit *lingua eorum*, videlicet Hebraicâ, videtur aliâ linguâ loqui quàm Habraicâ. Proinde quidam voluerunt totam hanc sermonis partem, *Et notum factum est*, usque ad *scriptum est enim*, Lucam Græcè scribentem intertexuisse de suo. Sunt qui *linguâ eorum* referant ad discrimen linguæ Galilææ & Hierosolymitanæ, quæ tam variabant ut hinc Petrus fuerit deprehensus. Sed meâ sententiâ simplicius est ut intelligamus Lucam Græcè scribentem ad majorem rei fidem addidisse vocem Hebraicam, & hanc particulam *linguâ eorum* ad Theophili Lucæque personam esse referendam, quorum alter Græcè scriberet, alter legeret. Probabile est enim hoc ipsum agri vocabulum Hebræum diversæ linguæ hominibus innotuisse, quemadmodum aliquot exoticarum rerum vocabula, nonnulla etiam proverbia, suâ linguâ demigrant ad alienigenas. ¶ *Acheldamach*] Græci scribunt Ἀκελδαμὰ, propiùs accedentes ad vocem Hebraicam quàm nos. Hebræis חקל *fundus* est sive *facultas*, דם *sanguis*, etiamsi D. Hieronymus indicat nomen esse Syrum.

20. *Fiat commoratio*] Ἔπαυλις. Compositum ab eadem dictione unde συναυλιζόμενος, de quo dictum est paulò antè. Augustinus eo quem modò citavimus loco legit, *Fiat villa ejus deserta.* ¶ *Episcopatum*] Ἐπισκοπὴν, quod Hebræis est פקדה. Id inter alia *præfecturam* quoque significat. Græca vox ab *inspiciendo* dicta. Audivi quendam Hebræum qui quod interpres Græcus ac Latinus vertit *Episcopatum* affirmaret Hebræis sonare *uxorem egregiè charam*, quæ non prolis gignendæ gratiâ sed animi causâ haberetur in deliciis semota ac seclusa. Hoc an verum sit nescio. Hoc testimonium è duobus Psalmis sumptum est, *Fiat commoratio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*, sumptum est è Psalmo 69. &, *Episcopatum ejus accipiat alter*, sumptum est è Psalmo 109. 8. Prius testimonium, quod pertinebat ad omnes Judæos qui Christum persecuti sunt, accommodavit ad Judam. Porrò cùm uterque Psalmus inscriptus sit *Ipsi David*, aut non est verum quod quidam annotant de Titulis, aut hi Psalmi non sunt scripti per David; & tamen Petrus ait *Spiritum S. locutum per os David*. Cæterùm quod Beda queritur, per imperitum lectorem contextum Psalmorum esse corruptum, hodie nihil tale reperimus in codicibus nostris. Queritur enim priorem testimonii partem, quæ exstat Psalmo 69. fuisse additam Psalmo 109. Qua de re nec Augustinus nec Hieronymus queritur in Commentariis. Et tamen probabile est Bedam hoc alicunde hausisse: nam adduntur hi versus in Psalterio quod dicitur *Romanum*. Verùm interim dum hæc sector in aliud incidi. Aliàs admonui Commentarios quos habemus in Psalmos Hieronymi titulo mihi videri decurtatos alicubi, contrà locis aliquot seu pannis assutis dilatatos. Quod enim in hunc versiculum, *Et episcopatum ejus accipiat alter*, additum est commenti, potest credi Hieronymi: est autem tale, *Hoc & in Actibus Apostolorum manifestiùs interpretatum est.* Quod sequitur ambiguum est, *Non solum autem in illo tempore de Juda dictum est, sed usque hodie dicitur, & usque in diem judicii. Si ipse Judas Apostolatum perdidit, custodiant se Sacerdotes & Episcopi, ut non & ipsi suum Sacerdotium perdant. Si Apostolus cecidit, faciliùs Monachus potest cadere.* Hæc ille. Nè quid hic exagitem sermonis ineptiam minimè congruentem Hieronymo, *usque hodie dicitur, & usque in diem judicii*, subaudi *dicetur*. Quid refert dici? quid fiat refert. Præterea, *si ipse Judas*, quasi is fuerit Apostolorum Princeps: non satis erat dicere *Judas*: &, *custodiunt se* pro *caveant sibi*; & *ut non* pro *ne*: ut hæc, inquam, non excutiam, quid sibi volunt quæ sequuntur? *Si Apostolus cecidit, faciliùs Monachus potest cadere.* An idem est Apostolus & Monachus?

Amphora cœpit
Institui; currente rota cur urceus exit?

Ad hæc qui cohærent quæ adjicit, *Virtus non perit, licèt homo cadat & pereat. Tamen Dominus denarios suos dat sub fœnore. Si ille non duplicaverit, accipietur pecunia ejus & dabitur habenti. Pecunia Domini otiosa esse non potest.* Quis non videt hæc esse non Hieronymi sed hominis ineptè loquacis, qui similibus emblematis totum hunc Psalmum contaminavit, & utinam hunc solum? Qui videri volunt custodes Scripturæ Divinæ hæc æquis animis ferunt, & indignantur admonentibus, haudquaquam eâdem usuri lenitate si quis ad eundem modum istis imponat in vino aut panno, & si quis monitor ibi depulerit imposturam, magnas habituri gratias. ¶ *Alter*] Ἕτερος. Rectius erat *alius:* nam Græci frequenter usurpant ἕτερος pro ἄλλος. Cæterùm quòd quidam *alter* refert ad duos designatos electioni, quorum alter succedat in locum Judæ, coactius est.

21. *Intravit & exivit*] Pro eo quod est *perpetuam vitæ consuetudinem habuit*. Dictum est autem figurâ proverbiali. Cæterùm hic sermo totus nonnihil habebat obscuritatis, non solùm in lingua Latina, verùm etiam Græca: Proinde nos quantum potuimus conati sumus dilucidiùs vertere.

23. *Qui cognominatus est Justus*] Ἰοῦστος nomen Romanum. Quod cognomen olim inditum fuit Aristidi apud Athenienses. Glossa Ordinaria dubitat Latinúmne sit an Hebræum, & interpretatur tanquam Hebræum: quasi novum sit Judæos Græcorum ac Romanorum designari cognominibus. *Andreas* Græcum est, quemadmodum *Barptolomæus: Marcus* & *Lucas* Latina vocabula sunt: *Nicodemus* Græcum est. Et hoc citatur nomine Bedæ, cùm in Bedæ Commentariis non habeatur. Paulò antè refertur opinio cujusdam qui putarit hos duos de quibus fit sortitio fuisse è numero Discipulorum septuaginta, cùm Beda numeret septuaginta duos. Et tamen hic erat adscriptum *B.* quid indicans nescio.

24. *Qui corda nosti*] Græcis est dictio unica composita, *καρδιογνῶστα cognitor cordium.* ¶ *Ostende*] Ἀνάδειξον *designa.* Sic enim vertit, *Designavit Jesus & alios septuaginta.*

25. *Accipere locum*] Λαβεῖν τὸν κλῆρον *ut accipiat sortem*, sive *hereditatem* aut *successionem*. ¶ *Ut iret in locum suum*] Ἴδιον *proprium:* velut antè occupasset alienum.

26. *Et dederunt sortes ejus*] Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν *Et dederunt sortes eorum*, nimirum duorum de quibus sortiebantur. Sors enim illius dicitur cujus nomine mittitur. ¶ *Et annumeratus est*] Καὶ συγκατεψηφίσθη *suffragiis*, sive *calculis*, *additus est*. Vallæ placet *cooptatus est*, neque mihi sanè displicet. Superiùs erat diversum huic verbum, κατηριθμημένος σὺν ἡμῖν *numeratus nobiscum.* Totum hoc caput ac sequentis bonam partem recitat Augustinus libro cujus paulò antè meminimus, videlicet contra Manichæum Felicem 1. c. 4, & 5. sed nonnulla secus quàm nos legimus, quæ qui putabit operæ pretium cognoscere, quò commodiùs liceat conferre, nos hic ascripsimus; *Et recitavit in Actibus Apostolorum, Primum quidem sermonem feci de omnibus, O Theophile, quæ cœpit Jesus facere & docere, in die quo Apostolos elegit per Spiritum S. & præcepit prædicare Evangelium: Quibus præbuit se vivum post passionem in multis argumentis diebus, visus eis dies quadraginta, & docens de regno Dei, & quomodo conversatus sit cum illis. Et præcepit eis ne discederent ab Hierosolymis, sed sustinerent pollicitationem Patris, quam audistis, inquit, ex ore meo. Quoniam Joannes quidem baptizavit aquâ; vos autem Spiritu S. incipietis baptizari, quem accepturi estis non post multos dies, usque ad Pentecosten. Illi ergò convenientes interrogabant eum, dicentes Domine, si hoc tempore præsentabis Regnum Israel? Ille autem dixit, Nemo potest cognoscere tempus quod Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem Spiritûs S.*

super-

supervenientem in vos, & eritis mihi testes apud Hierosolymam, & in toto Judæa & Samaria, & usque in totam terram. Cùm hæc diceret, nubes suscepit eum, & sublatus est ab eis. Et quomodo contemplantes erant eum euntem in cælum, ecce duo viri astabant illis in veste alba, qui dixerunt ad eos, Viri Galilæi, quid statis respicientes in cælum? Iste Jesus qui assumptus est in cælum à vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tunc reversi sunt Hierosolymam à monte qui vocatur Eleön, qui est juxta Hierosolymam, Sabbati habens iter. Et cùm introissent ascenderunt in superiora, ubi habitabant Petrus Johannes, Jacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Judas Jacobi. Et erant perseverantes omnes unanimes in orationibus, cum mulieribus & Maria quæ fuerat mater Jesu, & fratribus ejus. Et in diebus illis surrexit Petrus in medio fratrum & dixit, (Fuit autem turba in uno hominum quasi centum viginti) Viri fratres, oportet adimpleri Scripturam istam quam prædixit Spiritus S. ore sancti David de Juda, qui fuit deductor illorum qui comprehenderunt Jesum, qui annumeratus erat inter nos, qui habuit sortem hujus ministerii. Hic igitur possedit agrum ex mercede injustitiæ suæ, & collum sibi alligavit, & dejectus in faciem diruptus est medius; & effusa sunt omnia viscera ejus. Quod & cognitum factum est omnibus qui habitabant Hierosolymam, ità ut vocaretur ager ille ipsorum linguâ Acheldemach, id est Ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat villa ejus deserta, & non sit qui inhabitet in ea: &, Episcopatum ejus accipiat alter. Oportet itaque ex his viris qui convenerant nobiscum in omni tempore quo introivit inter nos & excessit Dominus Jesus Christus, incipiens à à Baptismo Johannis, usque in illum diem quo assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum esse. Et statuit duos, Joseph qui vocatur Barsabas, qui & Justus, & Matthiam: & precatus dixit, Tu Domine cordium omnium intellector, ostende ex his duobus quem elegisti ad suscipiendum locum hujus ministerii & annunciationis à quo excessit Judas ambulare in locum suum. Et dederunt sortem; & cecidit sors super Matthiam: & simul deputatus est cum undecim Apostolis duodecimus. Tempore quo suppletus est dies Pentecostes, fuerunt omnes simul in uno. Et factus est subitò de cælo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, & implevit totam illam domum in qua erant sedentes. Et visæ sunt illis linguæ divisæ quasi ignis, qui & insedit super unumquemque illorum. Et impleti sunt omnes Spiritu S. & cœperunt loqui variis linguis, quomodo Spiritus dabat illis pronunciare. Hierosolymis autem fuerunt habitatores Judæi, homines ex omni natione quæ est sub cælo. Et cùm facta esset vox, collecta est turba & confusa est, quoniam audiebat unusquisque suo sermone & suis linguis loquentes eos. Stupebant autem & admirabantur, ad invicem dicentes, Nónne omnes qui loquuntur natione sunt Galilæi? & quomodo agnoscimus in illis sermonem in quo nati sumus? Parthi, & Medi, Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, & Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiámque, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenen, & qui advenerant Romani, Judæique & Proselyti, Cretenses & Arabes, audiebant loquentes illos suis linguis magnalia Dei. Citatur hic locus ab eodem libro contra epist. Manichæi c. 9.

CASTALIO.

ACTA APOSTOLORUM] Quoniam etiam *acta* pro *gestis* Latinè interdum dicuntur, & hoc nomine liber hic vulgò vocari solet, nolui mutare titulum.

1. *Quæ Jesus & facere & docere instituit*] Ad verbum, *quæ Jesus cœpit facere & docere*, h. e. quæ fecit & docuit. Ut 4 Esd. 4. *Quàm magnam aream incipient facere?* & 6. *Cœperunt dominari nostri:* & 9. *Inchoavi dicere coram Altissimo:* &, *Initium verborum Esdræ*, h. e. *Sequuntur verba Esdræ quorum initium hoc erit.* Tale videtur illud Mar. 1. *Initium Evangelii.*

12. *Sabbati viam abest*] Duo millia passuum.

15. *Capitum*] Gr. *Nominum.*

CLARIUS.

1. PRimum *quidem sermonem feci*] Appellat *sermonem* pulcerrimam illam Euangelicam historiam quam uno volumine complexus est. Omnem enim fucum & pompam aversantur veritatis amatores. Et addit *de omnibus*, non *omnia*, sed quasi summatim & in genere : nam *si omnia singillatim* (ait Johannes Euangelista) *scriberentur*, *nè ipse quidem mundus eorum librorum qui scriberentur esse capax.* ¶ *Facere & docere*] Intelligi volens miracula & doctrinam, simul & quòd Jesus faciendo docuerit: nam qui verbis tantùm philosophatur, non doctor est, sed histrio.

2. *Præcipiens Apostolis per Spiritum S.*] Ut ostenderet doctrinam hanc non humanam sed Divinam atque è cœlo allatam. Vel sic intellige; quemadmodum ipse Dominus ait, *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Sed quid præcepit? *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, docentes illos servare omnia quæcunque præcepi vobis.*

3. *Per dies quadraginta*] Non *diebus quadraginta*, sed *per dies quadraginta.* Non enim perpetuò, sicut ante resurrectionem fecerat, versabatur cum illis, ut eorum animos paulatim ad altiora subduceret, præparabátque ut & resurrectio crederetur, & ut posthac major humanâ conditione haberetur. Sed cur Quadragesimo die ascendit in cœlum? Ut responderet numerus dierum illi annorum numero quo filii Israel in deserto commorati pòst in Terram promissam intráverunt.

5. *Baptizabimini Spiritu sancto*] Nam & in baptismate Aquæ præcipua pars est Spiritûs, per quem & aqua fit efficax. Sic & Dominus dicitur *unctus fuisse*, non oleo, sed *Spiritu sancto.* Creduntur tamen etiam aquâ baptizati fuisse Apostoli. Appellat autem *Baptismum* hoc loco illud munus datum in Pentecoste ob copiosiorem effusam in Apostolos gratiam Spiritûs sancti. Nam videtur apertè hoc significare cùm adjecit *non post multos hos dies*; & quod præmittitur, *nè discederent, sed exspectarent promissionem Patris*, &c. In hunc sensum interpretatur hunc locum Petrus infrà c. 11.

6. *Si in tempore hoc restitues Regnum Israeli?*] Videtur nondum cognitum illis fuisse quale tandem illud Regnum esset.

7. *Non est vestrum*] Nihil hoc ad vos pertinet tanquam scitu necessarium. Optimi autem est Magistri docere discipulos, non quæ ipsi volunt, sed quæ ipse judicet illis utilia. ¶ *Quæ Pater posuit in sua potestate*] Non in potestate cœlorum & siderum, ut putant qui toti ab eorum pendent observatione. Refert autem de more ad Patrem majora quæque, quamvis eadem & ipse norit. Nam si, cùm operandum est, eàdem cum Patre potestate operatur, ut idem ipse dicit, ubi scire quicquam oportet, non cum eadem scit potestate? & qui novit Patrem, non novit quid faciat? quando & *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.*

9. *Nubes suscepit eum*] Ut par honore Patri videatur, de quo conscriptum est, *Nubes & caligo in circuitu ejus.*

12. *Sabbati habens iter*] Quantum scilicet Sabbato ire licebat. Et hunc morem initium habuisse ferunt cùm populus Israel in deserto esset, ubi castra ponebantur per circuitum Tabernaculi Domini, & ab extremis castrorum ad illud Tabernaculum spatium intercedebat passuum circiter duorum millium, quod ob invisendum Tabernaculum conficere licebat die Sabbati.

20. *Fiat commoratio ejus deserta*] Intellige agrum illum: quid enim desertius esse possit sepulcro? nam in sepulturam peregrinorum datus est.

21. *Oportet ergò*] Jam aperuerat illis Dominus mentem ut intelligerent Scripturas, ex quibus colligunt oportere sarciri numerum illum Duodenarium.

22. *Testem resurrectionis*] In qua præcipuè majestas ejus claruit: alioquin & cæterorum ejus factorum testis erat.

24. *Ostende quem elegeris*] Omnia enim priùs à Deo sunt destinata. Quòd si electio est Dei, permittamus ei curam nostri, qui novit solus cui rei quis sit idoneus.

25. *In locum suum*] Si ad Judam referas, videtur intelligere laqueum quo se dignum judicavit ob proditionem. Sin ad Matthiam, intellige Episcopatum cui successit.

26. *Et dederunt sortes*] Quoniam nondum datus erat Spiritus, rem sortibus peragunt.

ZEGERUS.

2. USque in diem quâ (*præcipiens Apostolis per Spiritum S. quos elegit*) *assumptus est*] Hæc verba, *præcipiens Apostolis per Spiritum S. quos elegit*, per parenthesim interjecta sunt; ut hic sit ordo verborum, *Sermonem feci de omnibus quæ cœpit Jesus vel facere vel docere, ad eum usque diem quo assumptus est rursus in cælum: assumptus est, inquam, sed non prius quàm per Spiritum S. mandata dedisset Apostolis suis quos delegerat.* Siquidem *præcipiens*, h. e. ἐντειλάμενος, præteriti temporis est: ut intelligas *per Spiritum S. præcepisse* quemadmodum

dum *in digito Dei* legitur *dæmonia ejecisse.* Illud autem *præcepit Apostolis*, nempe ut *profecti docerent omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus S. docentes illos servare quæcunque ipsis mandasset*, Matth. 28. 19, 20. Vel, *cùm præcepisset Apostolis per Spiritum S.* h. e. cùm spiritualia illis verba fuisset, non humana, locutus. Hanc autem utramque interpretationem ex Chrysostomi hausimus commentariis, si quis fortè nobis diffidit.

3. *In multis argumentis*] h. e. Variis indiciis, per quæ fides conciliaretur rei alioqui dubiæ.

4. *Et convescens*] Putant ex recentioribus nonnulli pro *convescens* legendum *conversans*, vel *congregans*, haud sanè perperàm vertentes, ut sonat Græcorum sermo, *συναυλιζόμενος*, sive, quod alias legitur, *συναλιζόμενος*. Verùm huic sententiæ refragantur ferè veteres, nominatim Hieronymus quæst. ad Hedybiam 7. Chrysostomus, & Hesychius in Levit. 8. quorum nobis autoritas pluris esse debet quàm recentiorum. Quandoquidem Chrysostomus legens *συναλιζόμενος* palàm de *cibo* interpretatur. Unus Augustinus adducens hunc locum contra Felicem Manichæum scribit, *& quomodo conversatus sit cum illis, & præcepit.*

12. *Sabbati habens iter*] Aberat enim mons Olivarum ab Hierosolyma stadiis plùs minùs 15, h. e. duobus millibus passuum, quantum itineris spatium fas erat Judæis emetiri Sabbatis. Sic enim dicere solent, ut refert Hieronymus ad Algasiam, quæst. 10. *Rabbi Akiba & Simeon & Hillel Magistri nostri tradiderunt nobis ut bis mille pedes ambulemus in Sabbato.* Et Oecumenius, *Unum*, inquit, *milliare, quod erat iter Sabbati, ut ait Origenes 5. Στρωματέων*, sive *Miscellaneorum*, *bis mille cubitorum erat; idque potissimùm quod sanctum Tabernaculum & Arca tanto interstitio castrorum ordinem præcedebat, & à tanto intervallo tentoria figebant, quo spatio licebat iis qui castrametati erant sanctum Tabernaculum accedere Sabbato.* Hactenus ille. Quòd autem Hieronymus dicit *duo milliaria*, Oecumenius verò *unum* tantùm, intelligendum puta duo esse milliaria Italica, sed unicum Gallicanum, illúdque perbreve, h. e. iter mediæ horæ, sicuti nobis retulit quidam qui in ea regione aliquot annos exegit, & quemadmodum etiam colligi potest ex eo quod Hieronymus dicit *bis mille pedes*, i. passus, Oecumenius verò *bis mille cubitorum*.

13. *Et cùm introissent, in cœnaculum ascenderunt*] Animadverte distinctionem; *Et cùm introissent*, sub. *Hierosolymam*, *ascenderunt in cœnaculum*, h. e. *in superiorem partem domûs*, sive *tabulatum*: id enim Græca vox *ὑπερῷον* declarat.

14. *In oratione*] Hic Græca editio adjicit *& obsecratione*, sicuti habet & Chrysostomus, sed dissentientibus Hieronymo lib. contra Helvidium, Augustino, Beda, & editione Latinâ, denique & his omnibus antiquiore Cypriano, tract. De Simpl. Prælatorum.

15. *Turba nominum*] Rectiùs *nominum* legeris, h. e. *ὀνομάτων*, quàm *hominum*, quòd certius quiddam illud exprimat, nempe homines propriis designatos nominibus, aut nominatim (ut fieri consuevit) recensitis. Et nè putes absurdum quod dico, huic simile est illud Apoc. 3. 4. *Habes pauca nomina in Sardis.* Ad hæc, *nominum* legit Hieronymus in epist. ad Paulinum cujus initium est *Frater Ambrosius*, & exemplar quoddam juxta adnotationem Lovaniensium.

18. *Possedit agrum de mercede iniquitatis*] Annotavit hoc Beda, *possedit* more sacri eloquii dictum esse pro *possidere fecit*, nimirum ex Hebraici idiomatis imitatione. Nec enim ipse Judas iniquo pretio emptum agrum *possedit*, aut pretio illo iniquo sibi *ἐκτήσατο paravit*, sed relatis pecuniis aliis emendi occasionem præstitit. ¶ *Suspensus crepuit medius*] Πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος etiam esse potest, *pronus & declivis factus*, i. vultu dejecto in terram, *diruptus est medius.* Expressit autem gestum & habitum laqueo præfocati. Sed diversa sunt & Latinis hactenus inaudita quæ hac de re Oecumenius refert, ità scribens, *Judas suspendio è vita non decessit, sed supervixit. Dejectus est enim priusquam præfocaretur: idque Apostolorum Acta indicant,* QUOD PRONUS CREPUIT MEDIUS. *Hoc autem planius scripsit Papias Johannis Apostoli discipulus, dicens, Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Judas. Intantum enim corpore inflatus ut progredi non posset, cùm currus levi cursu pertransiret, curru compressus est ità ut effunderentur ejus intestina.* ALIO MODO. *Corpore enim adeò inflatus est ut neque posset progredi quando currus levi cursu pertransibat; imò ne solùm quidem capitis tumor: siquidem & palpebras oculorum ejus adeò intumuisse ferunt ut lumen omnino videre non posset; oculi verò illius neque διόπτρας, nempe instrumenti medicorum, adminiculo apparere possent; tantâ profunditate ab exteriori aspectu erant separati. Genitale verò illius membrum omnem excedebat obscœnitatem ac magnitudinem. Porrò sanies ac vermes contumeliosè confluentes ex toto ipsius corpore ferebantur, egredientes per sola loca secretiora. Post multa verò tormenta & ultiones cùm in suo prædio, ut aiunt, mortuus esset, præ fœtore prædium illud desertum permansit, & non habitatum usque in hodiernum diem. Sed neque ad hoc usque tempus locum quisquam præterire potest nisi obturatis manu naribus.* Hæc ille. Quomodo hæc non pugnent cum Euangelio Matth. 27. idem docet ante hæc verba Oecumenius: quod brevitatis causâ omitto.

20. *Scriptum est in libro Psalmorum*] Respiciendum est ad superiora ubi scriptum est, *oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus S. per os David de Juda, qui fuit dux*, &c.

25. *Ut abiret in locum suum*] Sentit de Judæ loco, ni fallor, in quo præfocatus est.

L. BRUGENSIS.

4. E*T convescens, præcepit eis, ab Jerosolymis nè discederent*] Id quod nos *convescens* legimus, quidam *conversans* legendum putat: quòd *συναυλιζόμενος*, sive, ut quidam codices habent, unâ literâ exemptâ, *συναλιζόμενος*, sit *conveniens*, sive *congregans* aut *conjungens se*, cum eis videlicet conservans. *συναυλίζεσθαι conversari ὁμολογουμένως* significat: sed *συναλίζεσθαι*, quod hîc in omnibus nostris Græcis antigraphis est, non solùm *congregare*, *conjungere*, aut *convenire*, verùm etiam *συνεσθίειν convesci* denotat. Sic namque, *convesci* inquam, vocem istam hoc loco à se lectam, Græci tractatores, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, sunt interpretati. *συναλιζόμενος*, ait inter eos Theophylactus, *τουτέστι, κοινωνῶν ἁλῶν, καὶ κοινωνῶν τραπέζης*, h. e. *communi utens sale, communique utens mensâ.* Præterea, qui Acta Apostolorum in Syriacam transfudit linguam, וכד אכל עמהון לחמא *Et cùm edisset cum eis panem*, vertit. Quare quod uno consensu habent Latini codices *convescens*, rectum germanúmque Interpretis esse censendum est: id quod legunt D. Hieronymus Hedibiæ quæstioni 7ª respondens, Beda, Autor Glossæ, Lyranus, Richelius, Apostolorum Acta enarrantes.

15. *Erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti*] Multorum sententia est pro *hominum*, *nominum* legendum esse; nempe correctorum imperitiâ hoc cum illo commutatum fuisse. Græci enim libri *ὀνομάτων nominum* constanter habent, quibus non ea est *ὀνομάτων* cum *ἀνθρώπων* affinitas quæ Latinis *hominum* cum *nominum*. Hujus sententiæ est Epanorthotes noster; *Item b.* Turba hominum simul; *Græcus* nominum. *Puto vitiosè n mutatum in* h, *ut pro* nominum *dicatur* hominum. Nicolaus Zegerus *nominum* etiam in textum Testamenti à se castigati retulit. Manuscriptum unum, Germani latum, signarunt Parisienses, atque ex iis alii, *nominum* legêre: verùm id ejusmodi esse comperi ut ei soli fidendum haud facilè sit. Nullum verò alium codicem sive inter nostros sive ab aliis annotatum, consentire invenimus; *hominum* omnes scribunt. Autor Glossæ adhæc, Carensis & Richelius, ut alios prætereâm, manifestè *hominum* legunt. Quare ex Latinorum librorum concordia quidam, Gagneius nominatim, *hominum* ab Interprete versum esse, ut clarior esset oratio, existimant. Certè qui Apostolorum Acta ex lingua Græca in Syriacam olim transtulit, ità vertit, *Erat autem illic turba hominum*, איתיה הוא דין תמן כנשא דאנשא. Plenè autem Latinéque redderetur, quomodo Theophylacti interpres reddidit, *Et erat simul numerus capitum.*

H. STEPHANUS.

1. TON *μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην*] *Priorem librum confeci.* ¶ Ὧν ἤρξατο ποιεῖν] *Quæ jam indè ab initio fecit.*

2. Ἐντειλάμενος] *Cùm mandata dedisset.* ¶ Ἀνελήφθη] *Sursum receptus est.*

3. Παρέστησεν] *Exhibuit.* ¶ Τεκμηρίοις] *Signis indubitatis.* ¶ Δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος αὐτοῖς] *Cùm conspiceretur ab illis per dies* XL.

4. Συναλιζόμενος] *In cœtum eorum veniens.*

6. Ἀποκαθιστάνεις] *Restituis*: vel, *Instauras.*

7. Καιροὺς] *Ipsos temporum articulos.*

9. Ἐπήρθη καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν] *In altum sublatus est: & nubes exceptum eum abstulit ab oculis eorum.*

13. Ὑπερῷον] *Cœnaculum.*

14. Ἦσαν προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ] *Assiduam operam navabant unanimiter orationi.*

15. Ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν] *In ea autem turba numerabantur ad* cxx: vel, *recensebantur.*

16. Τοῦ γενομένου ὁδηγοῦ τοῖς συλλαβοῦσι τὸν Ἰησοῦν] *Qui dux via fuit iis qui comprehenderunt Jesum.*

17. Ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης] *Sortitus erat partem ministerii hujus.*

18. Πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος] *Cum se pronum dejecisset, crepuit medius.*

25. Ἀποστολῆς, ἐξ ἧς παρέβη] *Apostolatûs, à quo descivit.*

26. Συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων] *Communi sententiâ est allectus Apostolis* xi.

DRUSIUS.

ACTA APOSTOLORUM] In lib. veteribus ed. Vulgatæ, *Actus Apostolorum:* &, *Incipit liber Actuum Apostolorum B. Lucæ Evangelistæ.* Ità codex impressus anno Dom. 1512. quo usus olim fuit Alardus Amstelodamensis. Severus quoque in Historia sua *Apostolorum Actus* dixit: &, *Esther & Judith Actus.* Cyprianus Græcum vocabulum πράξεις transfert *Acta:* quod magis usitatum esse quàm *Actus* in hunc sensum asserit Valla. Budæus tam *Actus* quàm *Acta* rectè dici tradit. Lucanus de Cæsare.

Licèt ingentes abruperit actus.

Plinii Junioris ætas *actum rerum* dixit: quam vocem usurpat & Suetonius. Vide Budæum p. 226.

1. *Quæ cœpit Jesus & facere & docere*] Sensus est, *quæ Jesus fecit & docuit.* Sic Plautus dixit *inficias ire cœpit* pro *inficiatus est*; & Petronius, *cursim Ascylton persequi cœpi*, pro *persecutus sum.* Idem, *per medium lupanar fugere cœpi*, i. fugi. Ezras aliquoties ita locutus est.

5. *Baptizabimini*] Augustinus epist. 108. admonet in nonnullis cod. Latinis scriptum fuisse, *incipietis baptizari* Quàm lectionem ut mendosam rejicit. Non fecisset, si scivisset interpreti huic familiare esse ut dicat *cœpit ejicere* pro *ejecit*, *cœpit docere* pro *docuit.* Sic *incipietis baptizari* idem cum illo *baptizabimini.* Etiam profani scriptores ità loquuntur. Vide quæ notavimus ad v. 1.

6. *Si in tempore hoc*] Hic *si* valet *an* aut *num*, ut apud Terentium, *Si domi est rogas?* Sic אם usurpatur apud Hebræos, sed tunc ferè præcedit ה nota interrogandi.

7. *Non est vestrum nosse tempora*, &c.] Medras Mechiltha, *Septem sunt hominibus occulta*; I. *Dies mortis*; II. *Dies consolationis*; III. *Profunditas judicii.* IV. *Nescit homo quo præmio donandus sit*; V. *Neque scit quid in corde proximi sui*; VI. *Quando regnum domûs David redibit in locum suum*; VII. *Regnum improbum quando eradicabitur.* Habentur hæc fol. 20. col. 1. Vide, si placet.

12. *Distans itinere sabbati*] De spatio quod continebat iter sabbati variæ opiniones sunt: Quanquam in numero duorum millium plerique omnes conveniunt. Sed *cubitos* alii, alii *passus*, Hiero. *pedes*, Origenes *ulnas* memorat περὶ ἀρχῶν l. 4. c. 2. Verba Hiero. sunt, *Tradiderunt nobis ut bis mille pedes ambulemus in sabbato.* Fortè in mente habuit *bis mille cubitos. Ulnam* verò interpres Origenis *cubitum* vocat. Servius in Virg *Ulna propriè est spatium in quantum utraque extenditur manus: licet Suetonius unum cubitum tantùm esse velit.* Ecce sentit cum Suetonio: ità videtur mihi. Passus autem intellige mediocres, quæ פסיעות בינוניות Hebræis. In lib. Mandatorum 23. 2. *Samuel ambulabat per vallem, & nesciebat terminum sabbati. Iter duorum millium passuum mediocrium est terminus sabbati.* Eadem habentur in lib. Collectitiarum spicarum, tract. 22. cap. de sabbato. Eucherius non addit *mediocres*, De quæst. p. 229. *Sabbati habens iter, i. mille passus.* Quod spatium est unius milliaris. Quò proximè accedit Syrus. Nam qui mensuras accuratiùs exquisiverunt, tribuunt mille passibus stadia septem & dimidiatum. Sed in ed. illa, *quasi septem stadia.* Id minus est quàm *septem stadia* simpliciter. Theophylactus ex Josepho laudat *stadia septem*, sed in 20. Antiq. πέντε tantum legitur, i. *quinque*: melius. *Nam cùm cubitus sit sesquipes, stadium verò pedum* DC. *quinque stadia calculo exacto duo millia cubitorum efficiunt*, ait Beza in Annot. ad hunc locum. Ut ut sit, Hebræi ferè omnes terminum sabbati definiunt bis mille cubitis. Vide Quæst. & Observ. meas, Salomonem Jarium Exod. 18, 29. Mosen de Kotsi lib. Præcept. 23. 2. & 67. 4. Medras Mechiltha, 20. 1. Ilmedenu, 65. 2. Preces Hebraicas, 17. 2. *Bis mille cubiti faciunt milliare unum.* Liber Misvoth, 100. 2. *Mensura milliaris continet duo millia cubitorum.* In eodem lib. 281. 3. *Mille cubita suburbium, duo millia cubitorum terminus sabbati. Verba sunt R. Aquiba. Nostri autem Doctores opinantur mille cubitos esse suburbium* (מגרש Hebraicè) *& duo millia vineas & agros.* Ex his omnibus concludo iter sabbati fuisse spatium milliaris aut præterpropter: quod iter licebat facere iis qui peregre proficiscebantur extra urbem. Nam in urbe, etiam amplissima, qualis erat Ninive, nullum certum spatium definitum lego. Nec refert fueritne muro cincta & munita ea urbs, an muro caruerit: perinde erat. Vide Mosen memoratum 23. 2. *De itinere sabbati Hiero. ad Algasiam, qu.* 10. citante Erasmo, *Judæis religiose observatum ne sabbato ambularent supra bis mille passus ex institutione Barachiba, Simeonis & Hellis Rabbinorum, quos illi Magistros nostros vocare soliti sunt, ut sibi docet Hieronymus.* Hæc Erasmus, qui miratur unde apud Liranum cæteròsque recentiores legamus *iter sabbati non habere plusquam mille passus*, ac suspicatur hoc accidisse vitio librariorum. Consului his diebus locum illum Hieronymi, ubi offendi non *bis mille passus*, sed *bis mille pedes.* Hoc primum. Deinde *Rab. Aquiba* ibi scriptum, non *Baraquiba*; & *Hille*, non *Hellis.* R. Aquiba vixit diu post Christum; unde non potest esse autor hujus institutionis: nam in bello Chozibæ periit. Hille sive Hellis est Hillel, qui ante Christum floruit, nec fuit Rabbinus, sed Princeps Synedrii magni, quem Josephus *Pallionem* appellat. Magna is in autoritate fuit apud Herodem M. unà cum Samæo sene, qui erat pater domûs judicii. Filium habuit Simeonem, quem hîc significari putarim: Tamen non adfirmo. Nam plures fuerunt eo nomine. Suspicor traditionem hanc antiquiorem esse, quæ originem habuit ex situ castrorum in deserto. Nam extrema castra aberrant à Tabernaculo tanto intervallo. Christus probasse videtur cùm ait, *Orate ne fuga vestra fiat in sabbato.* Ut ut sit, Ebræi definiunt spatium illud bis mille cubitis. Vide libellos meos.

13. *Judas Jacobi*] *Frater* an *filius*? Si frater, quomodo mox ait, *cum uxoribus & Maria matre Jesu, & cum fratribus ejus*? Nam Judas ille frater Jesu erat. Vide Mar. 6. 3. An de aliis fratribus ibi loquitur? Plures enim habuit, videlicet Jacobum, & Jose, & Simonem.

14. *Cum mulieribus & Maria matre Jesu*] Locutio est, ut, *Dicite discipulis & Petro.* Sic, *Rex Salomo amavit mulieres alienigenas & filiam Pharaonis.* Qui vertunt *cum uxoribus* excludunt Mariam Magdalenam: sed mihi non persuadent. ¶ *Et fratribus ejus*] Jesu videlicet; h. e. cognatis & consanguineis: Judæi enim appellant tales *fratres*; & Jud. 9. 3. *Frater noster est.* Augustinus contra Faustum l. 22. c. 35. *Fratres DOMINI vocantur in Evangelio, non utique quos Maria virgo pepererat, sed ex ejus consanguinitate omnes propinqui.* Beda, & ex eo Zacharias Chrysopol. Episc. *Fratres DOMINI intelligere debemus Consobrinos ejus, scilicet liberos materteræ ejus, i. matris Jacobi Minoris & Joseph & Judæ. Quidam sequentes deliramenta apocryphorum suspicantur Fratres DOMINI foris stantes esse filios Joseph de quadam mulsercula.* Anselmus Matth. 13. *Fratres apud Judæos solent dici cognati, non solum ex gradu cognationis, sicut fratrum & sororum, qui etiam usitatissimè apud nos Fratres dicuntur; sed etiam avunculus & sororis filius, sicut erant Jacob & Laban, Fratres appellari inveniuntur.* Rursum Augustinus in 1. Locut. QUIA HOMINES FRATRES NOS SUMUS, *dixit Abraham ad Lot. Unde intelligitur morem esse Scripturæ ità loqui ut Fratres appellentur unius cognationis, etiam si gradu sanguinis differant, ut alter sit in superiore, alter inferiore, sicut hoc loco. Nam patruus erat Abraham.* Alius recentior, *Fratres DOMINI sunt cognati, nimirum alterius Mariæ filii quatuor, nempe Jacobus & Joses, Simon & Judas, de quibus Matth. 13. 55. & Mar. 15. 40. nisi Jacobum placeat unum fuisse ex Undecim, eum nimirum qui Minor, & Alphæi filius dicitur: à quo tamen non desunt qui Jacobum fratrem DOMINI distinguant.*

15. *Turba nominum*] Imperitia vertit *nominum* in *hominum.* Nam quid non audet? Quæ non intelligit, corrupta esse putat. *Nominum*, i. *capitum*, ut Apoc. 3. 4. ὀλίγα ὀνόματα *pauca nomina*, i. *capita.* Legimus etiam ὀνόματα ἀνθρώπων *nomina hominum*, Actoc. 11. 13.

19. *Propriâ ipsorum linguâ*] Aut *dialecto.* Nam in fonte τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν. Jerosolymitani autem propriam dialectum habebant, in qua scriptum est Thargum Jeros. item Thalmud quod ab ea urbe nomen habet. Forsan hâc dialecto sonabant *Hacel* pro *Hacal*, quod Chaldæum & Syrum est, Quanquam in Syriaca hic חקל. Sic R. יוסי in linga Jeros. יוסה vocatur. Sic לעזר *Lazarus* in eadem lingua est אלעזר *Eleazar.* Vide Juch. 96. 2. & 81. 1. ¶ *Aceldama*] *Aceldema* an *Aceldama*

dama scribas parùm refert. Sed *Haceldema* quis dubitat scribendum esse, cùm sit H Heth, h. e. adspiratio duplex in capite. Melior ergò scriptura Latina quàm Græca. Nam Græci scribunt Ἀκελδαμὰ, quod tamen aspirandum est putarem. Licet etiam scribere *Hacaldema*. Nam Syriace חקל *ager*. Id factum ex Ebræo חלק per metathesin. Fortè Jerosolymitani dicebant חקל *Hacel*, ut בעל *Beel* dicimus, & טעם *Teem gustus*: Id Hebræi legunt *Baal*, & *Taam*. Syra igitur lectio est: aut *a* cum *e* permutatâ, ut in *Malchisedec* & *Melchisedec*: quod crebrum in antiquitate. Sic *Beth* sonabant pro *Bath*, quod scribunt בת *filia*. Sic *Geth* pro *Gath* nomen urbis. Esset ergò חקל דמא: id sonat *ager sanguinis*. Superest difficultas. Nam τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, i. *propriâ ipsorum dialecto* (potest verti *linguâ*. Nam *dialectus* aliquando latiore sign. pro *lingua* sumitur, ut Act. 2. 8. vide Theodorum & Erasmum ad hunc ultimum locum) hoc Apostolus Petrus dicit, qui Galilæus erat. Habebant autem Galilæi dialectum diversam à Jerosolymitana. Res certa ex historia passionis Dominicæ: Nam sermo Petrum prodidit. Sunt qui putant hæc ab Euangelista Luca inserta esse. Potest etiam accipi dictum esse à Petro, ut alibi Christus ait, *in lege vestra*. Ut ut sit, pronomen non potest referri aliò quàm ad incolas Jerosolymæ: Qui sanè omnes conscii non erant hujus sceleris. Quocirca parùm solidum est quod ad hunc locum vir doctus annotavit. Hieronymus, sive quis alius deorum hominumve, ad Psal. 108. *Ipsam pecuniam non mittunt in Corbonam, sed emunt ex ipsa agrum, & appellant eum Aceldema, quod interpretatur Pretium sanguinis*: heu pravam interpretationem! Vel ex hoc loco potest argumentum peti contra eos qui contendunt commentarios illos Hieronymi esse. Nam Hieronymus rectè intepretatur hanc vocem lib. De nominib. Ebr. *Aceldema, Ager sanguinis*: ubi perperàm *Acheldema* scriptum, & pejus in aliis libris *Acheldemach*: scribendum *Aceldema*, aut *Haceldema*. Magis placet *Haceldema* cum adspiratione, quoniam est Heth in Ebræo. Græcè Ἀκελδεμά· ὥςε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, Ἀκελδαμά· τουτέςι χωρίον αἵματος. Ἀκελδαμὰ δεμὰ, חקל דמא. clarum est. In lingua Chaldæa חקל *ager*, דמא δεμὰ, & sono antiquo δαμὰ, *sanguis*. Quod autem ait τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, capiendum ut illud Joh. 8. 17. ἐν τῷ νόμῳ τῷ ὑμετέρῳ, vel intelligendum de Jerosolymitana. Fortè in ea urbe *Acel* dicebant cum Tsere aut Segol pro *Acal*: tamen hoc non possumus affirmare. Illud affirmo, quòd Jerosolymitana propria olim dialectus fuerit diversa aliquantum à Syra & Babylonia, in qua lingua *Acal* dicimus, non *Acel*. Quòd dico diversam fuisse eam linguam à Babylonia clarum ex translatione ea quæ *Thargum Jerosolymitanum* vocatur. Vide Eliam Præfat. in Methurgeman. Concludam de *Aceldema*, si addidero Syri interpretis inpretationem. Pro χωρίον αἵματος Syrus habet קורית דם, i. χωρὶθ δάμ *ager sanguinis*. Nam קוריא *ager*: Dicunt & קוריתא eodem significatu. Hanc vocem si quis dicet Galilæos usitasse pro *Acal*, fortasse dicet quod res est. Certè χωρὶθ non repertum adhuc mihi apud quenquam interpretem Chaldæum. Videtur corruptum esse ex Græco χωρίον. Sic ex ἀγρὸς dictione Græca fecerunt אגורסא *Agursa*. Esset autem *Agrosa*: Nam Aleph additum ex consuetudine gentis. In eadem edit. τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν redditum בלשנא דאתרא *linguâ loci illius*. Nam *dialectus* pro *lingua* ponitur: unde etiam Vulg. interp. *linguâ eorum*; & alius, *propriâ ipsorum linguâ*. Contrà *lingua* interdum idem quod *dialectus*. Est autem *dialectus* propriè in eadem alioqui lingua peculiaris loquendi modus, veluti apud Græcos cùm una sit lingua quinque tamen sunt dialecti. Sed latiore significatione sumitur Act. 2. 8. & alibi. Sic dico, Suus & proprius cujusque gentis sermo, i. diversorum populorum discrimen loquendi, sive sint ejusdem linguæ sive non, vocatur διάλεκτος. Agro Haceldama adjacebat mons qui à vicinitate *Haceldama* vocatur. Vide Masium in Josuam, p. 283.

20. *In libro Psalmorum*] Hinc Hilarius & Hieronymus colligunt unum tantùm esse librum Psalmorum. Debile argumentum. Nam ab Ebræis nuncupatur *Liber laudum*, & tamen tribuitur in libros quinque. Id Hieronymus quidem negat; sed audiendus non est. Vide Luc. 20. 42. & Quæst. nostras l. 2. qu. 57.

23. *Joseph*] Antea diximus *Joseph* & *Jose* & *Joses* unum idémque nomen esse. In *Jose* aufertur litera ex *Joseph*, quæ deinde in *s* mutatur in *Joses*; ut *Jesua*, *Jesus*; aut ut *Annibal*, Ἀννίβας. Vide Observ. meas. *Jose*, *Joses*, ut *Ause*, *Auses*. Vide Juch. 61, & 62. 1. Hinc disces quid sit *Abba Jose*, & *R. Jose Galilæus*. ¶ *Barsabas*] Cognomentum Josephi Justi, qui *Joses* vocatur Act. 4. 36. item Judæ illius qui missus fuit Antiochiam cum Paulo & Barnaba Act. 15. 22. Syrus utrobique habet בר שבא. In lib. Nominum, *Barsaban*, *Filium revertentem, vel Filium quietis; ex Syro & Ebræo sermone nomen compositum*. Is est obliquus casus. Nam in Græco τὸν ἐπικαλούμενον Βαρσαβᾶν. שב *redut*; item *quievit*. Posset etiam exponi, *Filius captivitatis*. Nam שבא *captivum abduxit*. *Bar* non tam Syrum est quàm Ebraicum. Nam legitur Psal. 2. & Prov. 30. ¶ *Justus*] Latinum est à Judæis Græciensibus usurpatum, qui Ἰοῦςος scribunt. Alioquin in lingua Ebræorum *Justus Saddic* dicitur, quod est cognomen Simonis Pontificis ejus qui Alexandrum excepit, quem alii *Jadduam* appellant. Quin autor Lex. Thalmudici R. Nathan *Saddic* cognominatur. Erasmus ait *Justum* nomen Romanum esse; cui assentior. Illud miror cur eum qui vulgò *Jodocus* vocatur, i. *Joos*, nunc appellet *Justum*. Certè Justus Lipsius, cùm Lovanii agerem, à popularibus suis vocabatur *Magister Jodocus*. Cur id mutavit? *Bartholomæus* non est Græcum nomem, ut opinatur Erasmus, sed Syrum aut Ebraicum; in quibus linguis *bar* significat *filium*: & *Tholomæus*, qui & *Ptolomæus*, *Thalmai* dicitur; unde, *Thalmai vertit legem Græcè*, i. *Tholomæus* Rex Ægypti, qui *Ptolomæus* vulgò audit: & *vertit*, i. curavit verti. *Nicodemus* Græcum videtur; tamen Ebræi usurpant: dicunt enim נקדימון *Nacdimus*. ¶ *Matthiam*] Ματθίᾳ vel Ματθίας, unde obliqui Ματθίου *Matthia*, & Ματθίαν *Matthiam*. Unus ex LXX discipulis. Syriacè מתיא cum א in fine: Ebraicè verò מתיה cum ה in fine. Meminit Eusebius Hist. Eccles. l. 1. c. 13. *Matthia*, *Matthias*, ut *Judâ*, *Judas*. Mathathias vel Matthathias מתתיה Luc. 3. 25. τοῦ Ματταθίου, *qui fuit Mattathiæ*. Sed vers. 26. in edit. Latina est *Matthathiæ*: idem nomen cum superiore. Quod sic doceo. Josepus in Græco textu vocatur υἱὸς Ματθίου, & apud Rufinum *Matthathiæ filius*. Item Matthathias sacerdos pater Judæ Macchabæi, cognomine Hasamonæus, in Josephi Antiquitatibus lib. 12 c. 8. nominatur Ματθίας. Sic etiam vocatur in codice Aldino 1 Macchab. 2. 1. Hoc nomen occurrit in Juchasin fol. 62. pag 2. מתיא בן שמואל *Matthias filius Samuelis*: liber alius מתתיה h. e. *Matthathias*; pro quo & מתתיהו invenitur. Quæ ità firmant sententiam meam ut aliâ probatione non sit opus. Makˢ apud Suidam, Ἰώσηπος τοῦ Ματθίου. Nam id aliud nomen est.

CASAUBONUS.

1. ΩΝ ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν] De hoc loquendi genere diximus ad prioris Lucæ libri caput primum. Exstat multis locis apud Græcos Bibliorum interpretes quos usus obtinuit ut vocaremus *Septuaginta*, Gen. 2. 3. ut exprimerent loquendi genus Hebraicum, quod est maximè emphaticum, dixerunt, κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιῆσαι. Lucas iterum, libro priore 11. 29. Τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων ἤρξατο λέγειν.

2. Ἐντειλάμενος τοῖς ἀποςόλοις διὰ πνεύματος ἁγίου] Est quidem Syri & Arabis interpret. commodissima: verùm quia non videtur trajectio hic quidem esse necessaria, existimo etiam isto modo locum posse commodè explicari ut in Græcis scholiis exponitur: videtur enim ità locutus ut ostendat ὅτι πνευματικὰ τὰ ἐντάλματα, οὐδὲν κοσμικὸν ἐπιφαίνοντα. Quam interpretationem sequitur ferè Calvinus. Puto atem ἐντολὰς hic intelligi quas commemorat Matthæus cap. ult. in fine. ¶ Ἀνελήφθη] Nimirum εἰς οὐρανὸν, quod est subaudiendum: interdum autem exprimitur, ut mox ver. 11. & Mar. 16. 19. & in alia re infrà 10. 16. καὶ πάλιν ἀνελήφθη τὸ σκεῦος εἰς τὸν οὐρανόν.

4. Ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, ἣν ἠκούσατέ μου] Quæritur in Græcis scholiis quænam sit ista τοῦ πατρὸς ἐπαγγελία, & ubi Pater hoc promiserit. Deinde sequitur ad hanc quæstionem hujusmodi responsio, Vel cum trajectione & ellipsi præpositionis ἀπὸ, τὸ ῥητὸν ità esse explicandum quasi esset scriptum περιμένειν ἀπὸ τοῦ πατρὸς τὴν ἐπαγγελίαν ἣν ἠκούσατέ μου vel hæc esse referenda ad illa quæ ipse de se Christus ait apud Johannem, ἃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἀκήκοα ταῦτα ἀπαγγέλλω ὑμῖν. Paulò aliter Theophylactus in Lucæ cap. ultimum.

5. Ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ] Etsi non improbo ut hic quoque retineatur verbum *baptizare*, quò plena sit ἡ ἀντίθεσις, tamen habendam hoc loco propriæ significationis rationem senseo; βαπτίζειν enim tanquam *ad tingendum mergere* est: atque hoc sensu verè dicuntur Apostoli βαπτισθῆναι. Domus enim in qua hoc peractum est Spiritu S. fuit repleta, ut in eam tanquam in κολυμβήθραν quandam Apostoli demersi fuisse videantur. Vide infrà 2. 2.

6. Εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιςάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ;] Ἀποκαθιςάναι est quod Latinè dicimus *restaurare*. Non dicunt

dicunt autem Apostoli, *Quando restaurabis?* sed, *An hoc tempore?* ut ingens suum videndi ejus diei desiderium exprimerent: quod Oecumenius non ineptè observat.

7. *Χρόνους ἢ καιρούς*] *Χρόνος* generaliter omne *tempus* dicitur; *καιρὸς* est *ὁ προσφυὴς καὶ ἁρμόδιος ἑκάστῳ χρόνος tempus unicuique rei aptum & commodum.* Syrus interpres proprietatem harum vocum neglexisse videtur: vertit enim *tempus vel tempora.*

10. *Καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτοῦ*] Verba hæc *εἰς τὸν οὐρανὸν* & cum *ἀτενίζοντες* & cum *πορευομένου* censeo esse conjungenda, quasi bis essent posita: cujusmodi multa reperiuntur apud optimos scriptores. Alioquin *πορευομένου αὐτοῦ* durius dictum videtur. At ℣. 11. utrumque exprimitur clariùs: nam & Apostoli dicuntur *ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανὸν*, & Christus *ἀναληφθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν.* ¶ *Ἄνδρες δύο παρειστήκεισαν αὐτοῖς ἐν ἐσθῆτι λευκῇ*] Hoc loquendi genere alii quoque Græci auctores passim utuntur. Similiter Plutarchus in Gracchis, *Φεύγειν ἐν τοῖς χιτῶσιν, ἐσφάλη.* Sic apud Athenæum *ἐν ἱματίῳ fabulam docere.*

15. *Ἦν δὲ ὄχλος ὀνομάτων*] Sic utitur voce *ὄνομα* Johannes Apoc. 3. 4. & 11. 13. *Καὶ ἀπεκτάνθησαν ἐν τῷ σεισμῷ ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες ἑπτά.* Latini simile quid habent: dicunt enim *nomen Romanum*, h. e. Romani: sicut & Æschines *τὸ Θηβαίων ὄνομα* dicit pro *Thebanis.*

23. *Ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος*] *Justi* appellatio, etsi Romana erat, tamen inter Judæos usurpata fuit tunc temporis. Aliquot enim in his libris *Justi* commemorantur. *Justus* quidam fuit Τιβεριεὺς qui Belli Hierosol. historiam scripserat, cujus Stephanus meminit, & Diogenes Laertius.

GUALTPERIUS.

EPIGRAPHE. *Πράξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων*, *Acta Sanctorum Apostolorum*] *Syrus*, כתבא דפרכסס דשליחא Scriptum Actorum Apostolicorum.

12. *Σαββάτου ὁδὸν iter Sabbati*] Apud Syrum P. hoc ità exprimitur, כירה אין כבמא אסטדין שבע פריק *Et distat abea (Urischelem) ferè septem stadiis.* Tremellius locum hunc observatione dignum existimat; *quippe ex quo manifestè colligi queat quæ sit apud Hebræos ratio itineris quod Sabbato emetiri ex veterum traditione concessum esset. Hic enim definitur esse stadiorum circiter septem. Stadium autem sciunt omnes CXXIV passus continere, atque octavam milliaris Italici partem constituere. Disertè itaque Syrus P. docet iter Sabbati ultra milliare unum non excedere. Quam sententiam Hebræi clariùs etiam explicant atque confirmant in Thalmud tract. 1.* עירובין *c. 4, &c. ubi magno consensu tradunt spatium quod emetiri licebat die Sabbati fuisse bis mille cubitorum. Cubitum autem metiuntur Palmis minoribus, quos Græci vocant παλαιστὰς, quorum quilibet continet quatuor Pollices: sex autem simul Cubitum unum efficiunt. Cubitus Passum minorem constituit, qui Geometrici pars est media. Unde necessario colligitur Sabbati iter duobus quidem mille passibus definiri, sed minoribus, qui milliare unum duntaxat conficiant, non duo, ut perperàm Latini ferè interpretes putarunt, qui non observarunt discrimen inter minores passus, qui totidem sunt cubiti, & majores sive Geometricos, qui illis duplo sunt longiores.* Ità Tremellius. Carolus Sigonius lib. 5. De Repub. Hebræorum cap. ult. de *δευτερώσεσι* seu *traditionibus Pharisæorum* disserens, super hoc loco S. Eucherium citat his verbis, *Sabbati iter significare mille passus, quia Sabbato usque ad montem Oliveti ire Judæis licuerit, vel certè, sicubi fuissent, tanto spatio deambulandi licentiam præsumpserint.* Vide ibidem de fermento Pharisæorum, Sadducæorum & Herodianorum, adeóque totum caput quod de septem Judæorum hæresibus inscribitur. D. Hieronymus ad Algasiam tom. 4. pag. 77. *Quanta*, inquit, *traditiones Pharisæorum sint; quas hodie vocant δευτερώσεις, & quàm aniles fabulæ, evolvere nequeo. Neque enim libri patitur magnitudo; & pleraque tam impia sunt ut erubescam dicere. Dicam tamen unum in ignominiam gentis inimicæ. Præpositos habent Synagogis sapientissimos quosque, fœdo operi delegatos, ut sanguinem virginis sive menstruatæ, mundum vel immundum, si oculis discernere non potuerint, gustu probent. Præterea, quia jussum est ut diebus Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur neque ambulet de loco in quo habitat; si quando eos juxta literam cœperimus arctare, ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare, solent respondere & dicere, Rab Akiba & Simeon & Hillel, Magistri nostri, tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbato, & cætera istiusmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei: non quòd dicamus sedendum semper esse in Sabbato, & de loco in quo quis fuerit occupatus non recedendum, sed quod id quod impossibile Legis est, in quo infirmatur per carnem, spirituali observatione complendum sit.* Hæc Hieroymus. D. Osiander hæc habet, *Distabat iste mons Oliveti ab Hierosolymis circiter duo millia passuum. Tantum enim spatii tum judicabatur die Sabbati confici posse, ne Sabbatum violaretur; quia tantillum itineris hominem valentem non defatigat sed potius recreat. Etsi autem jam tum Pharisæi nimis superstitiosè observabant Sabbatum, & Sabbatum institutum est propter hominem, tamen peccant qui negligunt diebus festis sacras conciones, & interim profectiones quas in aliud differre & rejicere tempus poterant suscipiunt.* Ità Osiander. Quòd si Legem spectemus Divinam, simpliciter Quietem in ea Dominus diebus Sabbaticis mandaverat. Sed quia non facilè continebantur Judæi quin etiam Sabbato ad sua negotia excurrerent, ideo credibile est, ad cohibendam ejusmodi lasciviam communi Sacerdotum Concilio edictum fuisse nè ultra duo millia passuum Sabbato conficere liceret. Syrus P. (ut dictum) interpretatur *per septem ferè stadia.* Est autem *στάδιον* vox Græca simul & Latina: quam etiam Syrus retinet, אסטדותא & אסטדין. Suidas, *Στάδιον, ὁ τόπος τοῦ ἀγῶνος, καὶ μέρος τι τοῦ λεγομένου μιλίου. ἑπτὰ γὰρ ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον· λέγεται στάδιον, καὶ τὸ ἀπλῶς ἵστασθαι, καὶ ἀκοντίζειν.* Et paulò pòst, *Ἑπτὰ ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον ἕν. καὶ τὰ δέκα μίλια ἔχουσι στάδια π'. τὸ στάδιον ἔχει πόδας χ'. τὸ μίλιον, πόδας δσ'. τὸ δὲ πλέθρον, πόδας ρ'. ἡ ἄρουρα, πόδας ν'. ὁ ποῦς, δακτύλους ις'. ὁ πῆχυς, πόδας α𐅵'.* Hen. Stephanus, *Στάδιον* ου, *τὸ* & *στάδιος* ου, ὁ. *Stadium, mensura pedum sexcentorum, ut Budæus tradit ex Herod. lib. 2.*
" *Justæ orgyiæ centum stadium implent sex plethrorum; ità ut*
" *orgyia senum sit pedum & quaternum cubitorum cubitum verò*
" *senum palmorum, & pes quaternûm. Plinius autem,* " *Sta-*
" *dium, inquit, centum & viginti quinque nostros efficit passus.*
" *h. e. pedes sexcentos viginti quinque. Auctor fori Romani,*
" *Stadium, ait, Latinè Curriculum dicitur, sive locus in quo*
" *equi hominésve currunt, & certant athletæ. Dictum Stadium ἀπὸ τῆς στάσεως, i. à Statione, quod Hercules eo spatio uno spiritu confecto constitisset. Institutum quippe ab Hercule Stadium tradunt, eúmque pedibus suis metatum esse id Stadium quod est Pisis apud Jovem Olympicum, fecisséque id longum pedes sexcentos. Inde postea cætera stadia terris Græciæ ab aliis instituta pedum quidem simili modo sexcentorum, veruntamen aliquantulum breviora, Gell. l. 1. c. 1.* Derivata vide in Lexicis Græcis & Latinis.

19. *Ἀκελδαμὰ, τουτέστι Χωρίον αἵματος*] Voces sunt Syriacæ חקל דמא, quarum interpretatio est קירה דם *Ager sanguinis.* Chald. חקלא Jos. 8. Idem quod Hebræis שדה, *ager*, tam cultus & sativus quàm qui habitationi hominum inservit: unde pro *terra* aliqua seu *regione* ponitur. Syrè חקל & חקל, ut h. l. In plur. חקלין *agri, campi.* 1 Reg. 22. דמא & דם *sanguis* Jos. 20. Posterius etiam Hebræum est. Chald דמא. *Monstratur ille ager hodie in Ælia ad Australem plagam montis Sion*, Hieron. De locis Hebr.

20. *Τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος*] *Ἐπισκοπὴ*, vox Græca; *Inspectio; Munus τοῦ ἐπισκόπου* seu *Episcopi.* Sic & 1 Tim. 3. *εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, Si quis Episcopatum desiderat*, seu *Si quis cupit fungi ἐπισκόπου munere.* Usurpatur etiam pro *visitatione quâ Deus aliquem visitare dicitur ad pœnas ab eo sumendas, vel etiam ad opem ei ferendam & misericordiam exhibendam.* 1 Petr. 2. Luc. 2, & 7. Synesius *ἐπισκοπὴν τοῦ Θεοῦ* pro *animadversione in improbos* accipit: sicuti & Hesychio *ἐπισκοπὴ* est *ἐκδίκησις*, i. *ultio Divina.* Latini Scriptores etiam hanc vocem *Episcopam* pro *Episcopatu* usurpant. Sic dicunt *Episcopam Lubecensem*, *Episcopam Magdeburgensem*, &c. Apud Syrum habetur תשמשתה *ministerium ejus.* Radix est שמש & שמש *ministravit, servivit*, Dan. 7. משמש *serviens, minister*, 1 Reg. 1. Et forma nominis משמשנא *minister*: In fem. משמשניתא *ministra*, quæ famulabatur in ministerio Ecclesiæ & piis officiis, Rom. 16. Item שמש & שמשא, & Syrè תשמשתא, *ministerium, ministri officium & actio*, ut hoc loco.

GROTIUS.

ΠΡάξεις τῶν Ἀποστόλων. *Acta Apostolorum*] Græcam vocem retinuere Syrus & Arabs, ut sæpe in vocibus quæ transfusæ in sermonem alium vim non eandem habituræ putabantur. Perinde autem est, sive *Acta* vertas, ut hic Interpres, sive *Actus*, ut Veterum nonnulli. Idem enim significant *actus* & *acta*, ut *effectus* & *effecta*, *eventus* & *eventa*, *jussus* & *jussa*, multaque alia ad eam formam. Est quidem re-

ceptius ut *Acta* dicantur quæ in publicas tabulas relata ſunt. Sed etiam Cicero quicquid quiſquam egit, id modò *acta*, modò *actus* vocat. Et leges Sempronias ait eſſe *acta Gracchorum*. Neque *actus* hôc ſenſu Poëtarum tantùm vox eſt: nam & Cicero primo Legum dixit, *non ſolùm in rectis, ſed etiam in pravis actibus inſignem eſſe humani generis ſimilitudinem.* *Apoſtolorum*, id eſt, Petri & Pauli. Nam cæterorum ferme obiter tantùm fit mentio, & poſtquam Paulum ſectatus eſt Lucas, de eo ſolo pergit loqui. De cæterorum Apoſtolorum actibus vix tenuis ad nos fama manavit. Lucæ nomen unde, ipſe quis qualiſve fuerit, diximus ad librum ejus priorem, qui vulgò *Euangelium* dicitur. ¶ Τὸν μὲν πρῶτον λόγον, *Primum quidem ſermonem*] Id eſt πρότερον [*priorem.*] Vide quæ ad Johan. Euang. 1. 15. & 30. λόγον [*ſermonem*,] id eſt, *librum*; ſic ἕβδομον λόγον [*ſeptimum librum*] dixit Galenus. ¶ Ὦ Θεόφιλε, *O Theophile*] Vide quæ dicta ad anteloquium Euangelii Lucæ. ¶ Ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, *quæ cœpit Jeſus facere & docere*] Id eſt, ἐποίησε καὶ ἐδίδαξε [*fecit & docuit.*] Sic Geneſ. 2. 3. ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιῆσαι [*quæ cœpit Deus facere.*] Sic ἤρξαντο τίλλειν [*cœperunt vellere*,] Matth. 12. 1. μὴ ἄρξησθε λέγειν [*ne cœperitis dicere*,] Lucæ 3. 8. adde & quod infra 2. 4. Hæc verba brevem Euangelii deſcriptionem continent.

2. Ἄχρι ἧς ἡμέρας, *Uſque in diem*] Sic ſolent Hiſtoriarum Scriptores libros poſteriores cum prioribus connectere. Sic Herodotus Thaliæ principio, Ἐπὶ τοῦτον δὴ τὸν Ἄμασιν [*adverſus hunc verò Amaſin.*] principio Eratus, Ἀρισταγόρης μέν νυν Ἰωνίην ἀποστήσας, οὕτω τελευτᾷ [*Ariſtagoras quidem Jonicæ rebellionis auctor ita oppetiit.*] Initio Uraniæ, Ταῦτα μὲν οὕτως λέγεται γενέσθαι [*Atque hæc quidem ita geſta eſſe dicuntur.*] Thucydides Peloponneſiacôn 2. ἄρχεται δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη Ἀθηναίων καὶ Πελοποννησίων [*incipit porro hinc jam Athenienſium & Lacedæmoniorum bellum*,] qui pari modo & ſequentes libros præcedentibus connectit. Sic & reſpicit Lucas hic apertè finem libri ſui prioris. ¶ Ἐντειλάμενος τοῖς Ἀποστόλοις, *præcipiens Apoſtolis*] Multa illis præcepta dans quæ brevitatis causâ hic reticentur. Simile dicendi compendium habes 2 Sam. 18. 2. ¶ Διὰ πνεύματος ἁγίου, *per Spiritum Sanctum*] Eſt & hæc compendioſa locutio: vult enim dicere, *Mandavit quæ agere deberent per Spiritum Sanctum*, poſtquam ſcilicet eum accepiſſent. ¶ Οὓς ἐξελέξατο, *quos elegit*] Vocum Trajectio: nam hoc membrum refertur ad id quod præceſſit Ἀποστόλοις [*Apoſtolos.*] Frequentes ſunt tales in Sacris Scriptis Trajectiones. ¶ Ἀνελήφθη *aſſumptus eſt*] Vide quæ dicta ad Marcum 16. 19.

3. Ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, *in multis argumentis*] Ἐν [*in*] hîc valet *cum*. *cum multis miraculis* quorum quædam referuntur à Johanne in Euangelio. ¶ Καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. *& loquens de regno Dei*] Quomodo ad omnes Gentes perventurum eſſet Euangelium, per quod Deus in hominibus, etiam Regibus, regnat.

4. Καὶ συναλιζόμενος, *Et congregans*] Supple αὐτοὺς, *ipſos* in unum recolligens, qui diſperſi fuerant: Vide Johan. 21. 2. Eſt Attico more paſſivum ſono, ſenſu activum. Herodotus Euterpe, τὰς γυναῖκας συναλίσαντος, *Cum in unum locum feminas omnes congregaſſet.* ¶ Τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Πατρὸς, *promiſſionem Patris*] Lucæ 24. 49. ¶ Ἣν ἠκούσατέ μου. *quam audiſtis à me*] Tranſitus à ſermone indirecto ad directum, qui in hiſtoriis frequens. ἠκούσατέ μου [*audiſtis à me*,] Bene Græca locutio, quales multæ in hoc Scriptore, qui & Medicos & Hiſtoricos legerat. Ita Xenephon: τοῦτο πολλῶν ἔφη ἀκούειν [*hoc dixit ſe à multis audire.*]

5. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, *Joannes quidem baptizavit aquâ*] Vide Matth. 3. 11. ¶ Ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *Spiritu Sancto*] Satis fuerat dixiſſe Πνεύματι ἁγίῳ, quomodo Latinus hic *Spiritu Sancto.* Sed Helleniſtæ ad modum Hebræi ב addunt ἐν [*in*,] quomodo ἐν ὕδατι [*aquâ*] dicto Matthæi loco. βαπτίζεσθαι hîc eſt *largiter profundi*, non *leviter aſpergi.* Multò plus accepére Apoſtoli quàm olim Prophetæ. Vide Euang. Johan. 3. 34. Hic Spiritus erat πνεῦμα κρίσεως καὶ πνεῦμα καύσεως [*Spiritus judicii & Spiritus ardoris*,] Eſaiæ 4. 4.

6. Εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ; *ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?*] אם, quod ſæpe *an* ſignificat, ut Græci Interpretes per εἰ, ita Latinus per *ſi* ſæpe vertit. Reſpiciunt Apoſtoli locum Danielis 7. 27. *Reſtituis*, id eſt, *reſtituere paras in veterem dignitatem.*

7. Οὐχ ὑμῶν ἐστὶ γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς, *Non eſt veſtrûm noſſe tempora vel momenta*] In Daniele 7. 12. עד־זמן ועדן vertitur ἕως χρόνου καὶ καιροῦ [*ad tempus & occaſionem.*] Eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*,] quo ſignificatur *tempus certò conſtitutum.* Id verò tempus fuit trecentis ferme poſt hæc verba annis. Tunc enim Chriſtus Davidis ſtirps in terris regnare cœpit per Conſtantinum, ac deinceps per alios & alios, non Imperatores tantùm, ſed & Reges, qui regnum ſuum Chriſto ut Regi Regum ſubjecére. Chriſtiani populus Dei, atque ideo verus *Iſrael*, Galat. 6. 16. Chriſtus eorum caput *Iſraelita* etiam ſecundùm carnem. *Occultum eſſe hominibus, quando Regnum rediturum ſit ad domum Davidis*, ajunt & Hebræi. καιροὺς *tempeſtates* vertit Auguſtinus, epiſtola 78. ¶ Οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, *quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*] Mos eſt Chriſti arcanas diſpenſationes ad Patrem referre, Matth. 20. 23. Marci 13. 32.

8. Ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν, *Sed accipietis virtutem*] אזרו חיל [*accincti ſunt robore*] 1 Sam. 2. 4. ¶ Καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. *& eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*] Summam hic proponit tot ſermonum Apoſtolicorum, quos hic liber exhibebit. Confer Marci 16. 20.

9. Ἐπήρθη, *elevatus eſt*] Ἀνεφέρετο [*ſurſum ferebatur*,] Luc. Euang. 24. 51. ¶ Καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν, *& nubes ſuſcepit eum*] Elias in cœlum vectus in turbine, 2 Regum 2. 1, 11. Chriſtus in nube placida. Vide Lucæ 9. 54. 55.

10. Ἐν ἐσθῆτι λευκῇ. *in albo veſtitu*] Vide quæ dicta ad Matthæi 17. 2. Manuſcriptus vetuſtiſſimus habet ἐν ἐσθήσεσι λευκαῖς [*in veſtibus albis*,] ſed parùm id refert. Eſt autem loquendi genus etiam Latinis uſitatum; ſic, *in auro*, *in purpura*, Cato apud Gellium.

11. Οὕτως ἐλεύσεται, *ſic veniet*] Καταβήσεται [*deſcendet*] 1 Theſſal. 4. 16. Reſurrecturos in monte Olivarum Iſraëlitas ſentit Chaldæus in Canticum, & alii ad Joel 3. 2. Zach. 14. 4.

12. Σαββάτου ἔχον ὁδόν, *Sabbati habens iter*] *Iter Sabbati* plerique Judæi definiunt bis mille ulnis, id eſt, mille paſſibus; nam paſſus duplex ulna. Stadium Plinio octava pars mille paſſuum lib. 2. cap. 23. Ergo *iter Sabbati* eſſent ſtadia octo, quod non longè abit à Syri ſententia, qui hic poſuit *ſtadia ſeptem.* In Joſepho explicatur per *ſtadia quinque:* ſed ſuſpecta eſt lectio, cùm Theophylactus Joſephum citet de *ſtadiis ſeptem.* At ex Bethania ſublatum Chriſtum colligimus ex Lucæ 24. 50. à Bethania verò ad urbem *quindecim ſtadia* ponit Johannes 11. 16. Videtur Johannes in animo habuiſſe Judaïcam quandam menſuram, quam *ſtadium* vocat, quanquam Græci ſtadii ferme dimidium tantùm continebat. Sic leucæ alibi majores, alibi minores. Vide quæ habet doctiſſimus Seldenus, libro 3. cap. 9. De Jure naturali & Gentium ſecundùm Hebræos, poſt Druſium & Bezam hoc loco.

13. Εἰς τὸ ὑπερῷον, *in cœnaculum*] Vide ex quantillo loco, & hominibus cxx; quantæ rei factum ſit exordium; & confer quæ habuimus Matth. 13. 31. ¶ Ὅ, τε Πέτρος, *Petrus*] Qui primus hic bono jure nominatur, utpote à Chriſto deſignatus non obſcurè προστάτης [*Præſes*] Apoſtolici cœtûs: unde & loquendi exordium facit, ut hic notant Græci Interpretes. Oecumenius de Petro: τὴν προστασίαν τῶν μαθητῶν ἐγκεχειρισμένος [*cui primus inter Apoſtolos locus commiſſus fuit.*] Theophylactus: ὡς κορυφαῖος [*tanquam præcipuus.*] ¶ Καὶ Ἰούδας Ἰακώβου. *& Judas Jacobi*] *Frater*, quod hic addit Arabs. At Syro eſt *Jacobi filius.* Fieri potuit ut pater filium haberet ſibi cognominem.

14. Σὺν γυναιξὶ, *cum mulieribus*] De ſexu, non de matrimonio hanc vocem rectè cepere Syrus & Arabs. Intelliguntur mulieres illæ quarum mentio Matth. 27. 55. & cum iis Hieroſolymitanæ quædam. ¶ Καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρὶ τοῦ Ἰησοῦ, *& Maria matre Jeſu*] Quæ ut eximia ſingulariter memorari merebatur. Vide quæ diximus ad Marcum 16. 7.

15. Ὄχλος ὀνομάτων, *turba hominum*] *Nomina* dicere pro *hominibus* receptum fuiſſe inter Judæos loquendi genus ex Apocalypſi apparet. ¶ Ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν. *fere centum viginti*] Tanquam Satrapæ novi Regni, quod multò majus exſtiturum quàm Nabonidi regnum, cui cxx fuerunt Satrapæ, Dan. 6. 1.

16. Ἔδει πληρωθῆναι, *oportet impleri*] Par erat Judæ ſimile quid evenire quale Achitopheli evenerat, cujus perfidiam Judas erat imitatus. Sic πληρωθῆναι [*impleri*] ſæpe ſumi diximus ad Matth. 1. 22.

17. Τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης, *ſortem miniſterii hujus*] Κλῆρος [*ſors*] dicitur quicquid alicui obvenit, ſicut hereditaria ſola ſorte dividebantur. Sunt quidam κλῆροι ἁγίων [*quædam ſortes ſanctorum*,] ad quos omnes pertinent Chriſtiani, Coloſſ. 1. 12. 1 Petr. 5. 3. Sunt & κλῆροι διακονίας [*ſortes miniſterii*,] ad quos Paſtores: inde natum nomen *Clericorum.*

18. Ἐκτήσατο χωρίον, *poſſedit agrum*] Id eſt, *monumentum ſceleris ſui reliquit*, ut explicavimus ad Matth. 27. 6. Non tamen obſtem, ſi quis putet fundi ad ſepulchra externorum deſti-

stinati usum quendam concessum Judæ, & ibi eum exspirasse. Vide quæ hic habet Theophylactus. ¶ *Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, & suspensus crepuit medius*] Vide de hac re quæ diximus ad Matth. 27. 5.

19. *Τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, linguâ eorum*] Vocem διαλέκτου [*dialecti*] non tam arctè sumi à Luca, ut *discrimen* aliquod *in lingua* significet, quomodo Græci hac voce uti solent, sed pro ipsa *lingua*, apparet ex locis aliis infra 2. 6, 8. & 21. 40. & 22. 2. 26. 14. ¶ *Ἀκελδαμὰ, Haceldama*] חקל דמא [*Chakeldama*] quomodo hic scribit Syrus. Hierosolymitana ejus temporis lingua prope ad Syriacam accedebat.

20. *Ἔρημος, deserta*] In Lxx. est ἠρημωμένη [*desolata.*] Citavit hæc Lucas memoriter ex Lxx. Id qui faciunt sæpe verbum verbo commutant. ¶ *Τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ, episcopatum ejus*] Et hoc ex Lxx. In Hebræo פקדתו. Est autem פקדה Hebræis quodvis *officium* sive *munus*, sive perpetuum, sive temporarium: ut videre est Num. 3. 32. & 4. 16. & 7. 2. & 14. 29. & 16. 29. & 26. 23. 1 Paralip. 23. 11. & alibi.

21. *Ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ Κύριος, quo intravit & exivit inter nos Dominus*] Id est, *coram nobis vixit*. *Intrandi* & *exeundi* vocabulo omnes vitæ actus, quà publici quà privati, significantur. Vide Zach. 8. 10.

22. *Ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, Incipiens à baptismate Joannis.*] Id est, *ex quo ab Johanne fuit baptizatus*: id enim initium ei fuit auspicandi muneris. Et inde incipit Euangelii historia, cui quædam alia præfationis vice inserviunt, ut diximus ad inscriptionem libri Matthæi.

23. *Τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν, qui vocabatur Barsabas*] בר שבע *filium juramenti*. ¶ *Ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος, qui cognominatus est Justus*] Fortè à Romanis id nomen acceperat ob morum integritatem. ¶ *Καὶ Ματθίαν, & Matthiam*] Ματθίας [*Matthias*] idem nomen quod pleniùs scribitur Ματταθίας [*Matathias*,] ut notavit Drusius, & nos ad Maccabaica.

24. *Σὺ Κύριε καρδιογνῶστα, Tu Domine, qui corda nosti*] בחן לב [*scrutans cor*] Jerem. 18. 10. De animis hominum certò judicare solius est Dei. ¶ *Ἀνάδειξον ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα, ostende quem elegeris ex his duobus unum*,] *Utrum magis ames*. Sic enim בחר sæpe sumitur apud Hebræos.

25. *Λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, Accipere sortem ministerii hujus & Apostolatus*] Λαβεῖν [*accipere*,] id est, *ut accipiat*. Κλῆρον τῆς διακονίας [*sortem ministerii*] habuimus & supra 17. Hic additur ἀποστολῆς [*Apostolatus*,] nimirum ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*,] pro ἀποστολικῆς [*Apostolicæ*] In manuscripto illo, τὸν τόπον τῆς διακονίας [*locum ministerii*.] ¶ *Ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας, de quo prævaricatus est Judas*] סרח [*defecit.*] *Cujus officii Judas desertor fuit*. ¶ *Πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. abire in locum suum*] Pro εἰς τὸ πορευθῆναι [*ut abiret.*] Significatur eventus scelera ipsius justo Dei judicio consecutus. *Proprium*, id est, qui ipsi meliùs conveniebat, quàm Apostolica functio. Manuscriptus ille quem dixi, habet εἰς τὸν τόπον τὸν δίκαιον [*in locum justum*,] non malè. ¶ *Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν, Et dederunt sortes eorum*] Id est, conjecerunt nomina eorum in urnam, & in alteram urnam alteram schedam inscriptum habentem nomen *Apostolus*, alteram schedam vacuam; deinde ex utraque urna pariter eduxere binas schedas, ut in divisione terræ. Ad eum modum David Sacerdotum functiones sortibus distribuerat, 1 Paralip. 24. 5. Josephus 4 de bello Judaïco, Κληρωτοὺς ἐπεχείρησαν ποιεῖν τοὺς ἀρχιερεῖς [*Sorte Pontifices creare aggressi sunt.*] Deinde ἦν δὲ πρόσχημα μὲν τῆς ἐπιβολῆς ἔθος ἀρχαῖον [*Huic autem incepto mos antiquus obtendebatur.*] Virgilius 2 Æneidos,

Laocoon ductus Neptuno sorte Sacerdos.

ubi Servius ex Euphorione, *Laocoon Thymbræi Apollinis Sacerdos sorte ductus est: ut solet fieri cum deest Sacerdos certus.* Plato de Legibus 6, Τὰ μὲν τῶν ἱερῶν τῷ Θεῷ ἐπιτρέποντα αὐτῷ τὸ κεχαρισμένον γίγνεσθαι, κληροῦν οὕτω τῇ θείᾳ τύχῃ ἀποδιδόντα [*Quod autem ad Sacerdotum electionem spectat ea Deo committenda est, ut quemadmodum ei placuerit, ita sortium eventum Numine suo moderetur.*] ¶ *Ἔπεσεν ὁ κλῆρος, cecidit sors*] Nomen ejus cum nomine Apostolatûs exiit. ¶ *Καὶ συγκατεψηφίσθη, & annumeratus est*] Συγκατεψηφίσθη, נמנה [*annumeratus est*,] quod alibi vertitur ἐλογίσθη [*computatus est*,] alibi ἠριθμήθη [*enumeratus est.*] Vide supra 17. ubi pro eodem dicitur κατηριθμημένος ἦν [*connumeratus erat.*] ¶ *Μετὰ τῶν ἕνδεκα Ἀποστόλων. cum undecim Apostolis*] Vide Matth. 28. 16. Marc. 16. 14. Luc. 1. 9. & 22. 14. & 24. 33.

PRICÆUS.

Com. 2. *Ἐντειλάμενος τοῖς Ἀποστόλοις διὰ πνεύματος ἁγίου, οὓς ἐξελέξατο, ἀνελήφθη*] Hæc verba ut subobscurè prolata locum variis conjecturis dederunt. Beza eorum ordinem voluit talem esse οὓς ἐξελέξατο διὰ πνεύματος ἁγίου quod postea jure merito improbavit Vir summè eruditus. Nuperrimus, Immortalisque memoriæ Expositor sermonem compendiosum putavit, ut sensus sit, mandasse Christum quæ discipuli, post Spiritum sanctum acceptum scilicet, per Eundem deberent agere. Sed nec sensum cum ex aliis horum Librorum locis confirmat, nec verò talis compendii ulla exempla profert. Fuit cùm putarem hujusmodi connexionem esse, ἐντειλάμενος τοῖς Ἀποστόλοις οὓς ἐξελέξατο, διὰ πνεύματος ἁγίου ἀνελήφθη, Sic infrà 8. 39. πνεῦμα Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον nunc probabilior videtur mihi hujuscemodi constructio, διὰ πνεύματος ἁγίου τοῖς Ἀποστόλοις οὓς ἐξελέξατο ἐντειλάμενος, ἀνελήφθη ad diem usque quâ, postquam Apostolis à se electis mandata per Spiritum sanctum dedisset, in coelum assumptus est. Διὰ πνεύματος ἐντέλλεσθαι, ut 2 Tim. 1. 14. διὰ πνεύματος φυλάττειν infrà 11. 28. σημαίνειν διὰ πνεύματος, & 21. 4. διὰ πνεύματος λέγειν. Πνεῦμα ἅγιον autem heic (quod & 2 Pet. 1. 21. Luc. 4. 1. & alibi, etiam ubi de eodem Jesu occurrit) non aliud quàm Luc. 4. 18. & citato Act. 8. 39. loco Κυρίου πνεῦμα. Per hoc verò dedisse iis mandata dicitur, quia ῥήματα, id est, ἐντολὰς, à Patre accepta immediatè communicavit iis. Joh. 15. 15. & 17. 8. Vide & Joh. 6. 63. Nam nec Lucam hîc, nec Marcum 16. 19. de præceptis tantùm sub ascensum ejus relictis existimamus loqui, (quod vel Matth. 28. 20. ex voce ἐνετειλάμην patet) sed & cæteris quæ per totum magisterii tempus inculcavit iis.

Com. 4. *Ἣν ἠκούσατέ μου*] Id est, *παρ' ἐμοῦ*. Plena locutio 2 Tim. 1. 13. & 2. 2. occurrit. Et est Elleipsis bene Græca, ut ex Xenophonte Vir summus annotavit: adde & hunc locum Demosthenis in de Corona, Παρελθὼν εἶπον πρὸς ὑμᾶς ἃ μου ἠκούσατε. Transitus porrò qualem heic habes ab obliqua ad directam orationem, est etiam Gal. 1. 23. infrà 23. 22. 17. 3. 19. 21. 25. 8, & 15. & 5. 14. in Euangelio.

Com. 7. *Οὐχ ὑμῶν ἐστι γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ*] q. d. Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως, Luc. 17. 20. Illam καιροῖς ἰδίοις δείξει ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης, 1 Tim. 6. 15. Confer Judith. 8. 13. Matth. 24. 36. 1 Pet. 1. 11. Sophocles,

——— Οὐκ ἐστι
Πλὴν Διὸς οὐδεὶς τῶν μελλόντων Ταμίας.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus.

χρόνους ἢ καιροὺς est ἓν διὰ δυοῖν sic Sophocles χρόνου καιρὸν apud Suidam.

Com. 8. *Ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς*] Ità Angelus Luc. 1. 35. ad Mariam, πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. De illa autem δυνάμει quæ heic Apostolis promissa, vide infrà ad 4. 33. annotata.

Com. 10. *Ἄνδρες δύο, &c. Ἐν ἐσθῆτι λευκῇ*] Idem loquendi genus infrà 10. 30. & Jacob. 2. 2. & id Græcum satis. Lucianus Philopseude, Ἱερὸν ἄνδρα, ἐξυρημένον, ἐν ὀθονίοις sic Heliodori 1. Ἐν ὅπλοις ἄνδρες pro quo Apuleius *in ferro esse*.

Com. 11. *Ἄνδρες Γαλιλαῖοι, τί ἑστήκατε, &c.*] Virgilius 2.

Festinate viri ——

ubi Servius, VIRI *increpantis est*. Aristophanes Pace;

Τί πάσχετ' ἄνδρες; ἕστατ' ἐμπεπληγμένοι;

Confer infrà 2. 14. 17. 22. 19. 35. 21. 28. & 27. 26.

Ibid. *Ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν*] Vulgatus, *qui assumptus est à vobis in cælum*. *A vobis*, i. à conspectu vestro.

Ibid. *Ὃν τρόπον*] Sic Matth. 23. 37. & 2 Tim. 3. 8. in Græco Daniel. 1. & alibi. Gloss. Ὃν τρόπον, *Quemadmodum*. Hesychius, Ὃν τρόπον, καθάπερ, ὥσπερ, καθ' ὃν τύπον.

Com. 13. *Εἰς τὸ ὑπερῷον*] *Cœnaculum* bene vertunt. Gloss. *Diæta*, τὸ ὑπερῷον, *Cœnaculum*. Suetonius in Vitell. *meritorium cœnaculum* vocat. Apuleius 9. *superius cœnaculum*: & 3, & 4. *superius cubiculum*.

Com. 14. *Προσκαρτεροῦντες τῇ προσευχῇ*] Sic infrà 6. 4. Rom. 12. 12. & Col. 4. 2.

Com. 17. *Κατηριθμημένος ἦν σὺν ἡμῖν*] Nonnus ad cap. 13. Joannis,

—— δυοκαιδεκάριθμος Ἰούδας.

Com. 18. *Ἐκτήσατο χωρίον ἐκ τοῦ μισθοῦ τῆς ἀδικίας*] *Agri proditionis pretium* etiam apud Tacitum Annal. 13. occurrunt.

Ibid. *Καὶ πρηνὴς γενόμενος*] Virgil.

—— Pronúsque magister
Volvitur in caput.——

Cernuus corruens 9. Apuleius dixit. In Glossis Isidori dictis, *Cernuus*, (sic legendum) *in caput ruens.* Servius ad Æneid. 10. *Cernuus dicitur qui cadit in faciem, quasi in eam partem quâ cernimus.*

Ibid. *Ἐλάκησε μέσος*] In Glossario, *Λακῶ*, *Crepo.* Suidas, *Ἐλάκησε, ἐσχίσθη.* Aristophanes Nubibus, *διαλακήσασα* ubi Scholia, *διαῤῥαγεῖσα, λακὶς γὰρ τὸ σχίσμα.* De hoc loco autem, & quomodo cum Matthæi 27. 5. conciliandum putamus, ad dictum Matthæi locum fusè & luculenter egimus.

Ibid. *Καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ*] 2 Sam. 10. 10. *καὶ ἐξεχύθη ἡ κοιλία αὐτοῦ·* metonymicè pro *σπλάγχνα.* Ælianus 4. 52. de Animal. *Ἤδη δὲ καὶ ἵππων πλευραῖς ἐμπεσόντες, διέσχισαν, καὶ τὰ σπλάγχνα ἐξέχεαν.* Quintilianus in Declamationibus, *Stabat ante oculos laceratus, & adhuc cruentus pater, ostendebátque effusa vitalia.*

Com. 19. *Καὶ γνωστὸν ἐγένετο*, &c. Ità infrà 9. 42. & 19. 17.

Com. 20. *Τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος*] Apud Senecam in Apocol.

Dede neci, melior vacua sine regnet in aula.

Com. 22. *Ἀπὸ Ἰωάννου βαπτίσματος*] Id est, Ab eo tempore quo à Joanne baptizatus est: de qua loquendi forma ad Marcum dicemus.

Com. 24. *Σὺ, Κύριε, καρδιογνῶστα πάντων*] Apoc. 2. 23. *ὁ ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας.* In Græco Jobi 7. 20. *Ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν τῶν ἀνθρώπων.* Philo in *περὶ Φιλανθρωπ.* *Τὸν ἀοράτου ψυχῆς ἔφορον, ὃς διάνοιαν ἀκριβῶς θεωρεῖ.* Nazarius in Panegyrico, *Quamvis humanæ mentes profundos gerant cogitationum recessus, insinuat tamen se totam scrutatura divinitas.* Vide 1 Cor. 4. 5. 1 Joh. 3. 20. Rom. 8. 27. 1 Paralip. 28. 9. 1 Thess. 2. 4. infrà 15. 8. & quæ ad Matth. 9. 4. dicta.

Ibid. *Ἀνάδειξον ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα*] Orarunt Deum, ut quem ex duobus illis successorem Judæ elegerat, indicare dignaretur. Plinius ad Jovem suum pro Trajano, *In consilio sis eligenti, monstrésque aliquem quem adoptari in Capitolio deceat.*

Com. 25. *Εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον*] In Institut. Tit. de rer. divis. *Dum mortuum infert in locum suum.* *Τόπος ἴδιος* est *ὃν λαμβάνειν ἔμελλε τόπος*, ut Heb. 11. 8. nimirum qui Luc. 16. 28. *βασάνου τόπος.* At heic est Euphemismus. Ignatius ad Magnesios, *Ἕκαστος εἰς τὸν ἴδιον τόπον χωρεῖν μέλλει.* In MS. Regis mei est, *τὸν τόπον τὸν δίκαιον* quæ certè lectio minimè posthabenda est. Sic apud Comicum Latinum, *I hinc quo dignus es.* Polycarpus ad Philippenses de beatis loquens, *Εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ Κυρίῳ* id est, *εἰς τὸν δίκαιον τόπον* Sic apud Philonem lib. *Ὅτι τὸ θεῖον ἄτρεπτ.* *Ἀπάγεσθαι εἰς ἀποδεδειγμένον κακούργων τόπον.*

Com. 26. *Καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν*] Jonæ 1. 7. *Καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ἰωνᾶν.*

CAP. II.

VALLA.

1. ET *cùm complerentur dies Pentecostes*] *Compleretur* legendum est: nam *dies* numeri est sing. *καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν.* Unus enim dies Pentecostes, i. *quinquagesimus*, non plures: neque à Pascha usque ad quinquaginta dies vocatur *Pentecoste*, sed ultima dies ex quinquaginta. Hæc dixi propter pertinaces, cùm satis esse deberet autoritas Græca.

3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedítque super singulos eorum*] Ego ad tollendam ambiguitatem sic transtulissem, *Et visæ sunt dispertitæ illis linguæ tanquam ex igne, καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός.* Nam cùm in aliis tum in hoc quidam errant quòd putant *ignis* casûs esse nominativi, & ob id *sedisse ignem super capita eorum*; cùm dicatur de *spiritu* quòd *sederat super eos.* Erant autem linguæ eorum & multifidæ & velut igneæ, ad significandam idiomatum, quæ *linguæ* vocantur, varietatem: non igneæ linguæ super vertices eorum, ut quidam volunt.

4. *Et cœperunt loqui variis linguis*] Legendum est *aliis linguis*, non *variis*, *ἑτέραις* quod convenit cum illo loco Marci 16. 17. *Linguis loquentur novis:* nam *novæ* linguæ & *aliæ* idem sunt.

9. *Et qui inhabitant Mesopotamiam*] Interpretis fuit incuria, qui transferre debebat per primam personam, *qui habitamus*, cùm dicatur superiùs v. 8. *Et quomodo nos audivimus linguam nostram in qua nati sumus?* & mox v. 11. *Audivimus loquentes.* Quòd si per participium transtulisset, *habitantes*, non errasset, ut habetur Græcè, *κατοικοῦντες.* In utroque horum locorum quæ in argumentum attuli legendum est *audimus*, non *audivimus*: de præsenti loquebantur, non de præterito, *ἀκούομεν.*

46. *Frangentes circa domos panem*] *Κατ' οἶκον* poterat transferri *circa singulas domos*, ut illud *καθ' ἡμέραν per singulos dies*, sive *quotidie:* fuisset enim sensus apertior.

47. *Augebat autem Dominus qui salvi fierent quotidie in idipsum*] Gr. *addebat*, non *augebat.* Deestque apud nos *Ecclesiæ*, quòd videlicet *Dominus addebat istos Ecclesiæ*, *προσετίθει τοὺς σωζομένους καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ.*

REVIUS in VALLAM.

3. KAI *ὤφθησαν*] Et hoc totum trajectum erat. ¶ *Ὡσεὶ πυρός*] Scriptum est *ὡσεὶ πῦρ.* Contra textum & auctoris observationem. Negat enim *Ignis* esse casûs nominativi, quod negare non posset, si legisset *πῦρ.*

4. *Loquentur*] Scriptum erat, *loquentes*, quod è textu emendavi.

ERASMUS.

1. DIes *Pentecostes*] *Dies* sing. est numeri; itaque *compleretur* legendum est: atque ità sanè recitat Augustinus lib. adv. Felicem 1. c. 5. *ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν*, quòd ultimus ille dies *Quinquagesimus* sit dictus. Quanquam vulgò tempus hoc universum *Quadragesima* & *Quinquagesima* dicitur. ¶ *Erant omnes pariter*] *Ὁμοθυμαδὸν*, *unanimiter:* quod ità paulo antè vertit, *Perseverantes unanimiter in oratione.* Interpres legisse videtur *ὁμοῦ*, quam lectionem suspicor esse veram: aliquis interpretatus est *ὁμοθυμαδὸν* ea vox, quoniam magis arrisit, obtinuit. Augustinus contra Epist. Manichæi legit *eâdem animatione.*

2. *Advenientis spiritûs*] *Φερομένης πνοῆς flatûs qui fertur:* quod proprium est venti impetu citato euntis: id quod propemodum expressit Augustinus lib. De origine animæ ad Renatum 1. *Factus est subitò de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens.* Item epist. 102. ad Euodium. Rursum serm. De verbis Apostoli 6. Iterum adv. Felicem l. 1. c. 5. Item contra Epist. Manichæi c. 9. *Φορὰν* Græci vocant *impetum.* ¶ *Vehementis*] Magis est *violenti*, *βιαίας.* *Et replevit totam domum*] Dubium est an verbum referatur ad *flatum* sive ad *sonitum* an ad *ignem*, quæ vox proximè præcessit. Is cujus Græca Commentaria titulo Chrysostomi feruntur in Acta Apostolorum putat *totam domum sic fuisse impletam igni (licet invisibili, quemadmodum piscina impletur aquâ.* Simplicius est ut domus *impleta* dicatur quòd in eadem essent permulti, & linguæ singulorum verticibus insidebant.

3. *Et apparuerunt illis*] *Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς visæ sunt illis*, seu potiùs *conspectæ.* ¶ *Dispertitæ linguæ*] *Διαμεριζόμεναι*, præs. temporis, i. *quæ dispartiebantur.* Potest autem geminus intelligi sensus, ut vel accipiamus ipsas linguas fuisse sectiles, vel ut intelligamus eas è cœlo delapsas sese in singulos Discipulos fuisse dispartitas. ¶ *Tanquam ignis*] *Ignis* hoc loco genitivi casûs est, non nominativi, *ὡσεὶ πυρός*, i. *velut ex igni.* Nos vertimus *igneæ*, quò vitaremus amphibologiam.

4. *Variis linguis*] *Ἑτέραις*, i. *aliis linguis.* Ità citat & Hieronymus in Quæst. ad Hedybiam, juxta vetustos codices, ut conveniat cum illo Evangelico, *Linguis loquentur novis.* Nam quod *aliud* est, idem *novum.*

5. *Ex omni natione quæ sub cœlo*] *Τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν*, *earum quæ sub cœlo sunt*, sive *eorum qui sub cœlo sunt*, ut referatur ad *homines.* Lubens rogarim istos qui non recipiunt Hyperbolen in S.

vo-

voluminibus, an in hoc conventu fuerint etiam Angli aut Scoti.

6. *Factâ autem hâc voce*] Γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης. Quidam interpretantur de sonitu flatûs, quidam de voce quâ cœperunt Apostoli loqui; quod mihi non displicet. Mihi videtur *vox* dictus rumor rem peractam divulgans, quemadmodum alias indicavimus *sermonem* aut *verbum* pro re gesta poni quæ rumore dissipatur. Augustinus non addit pronomen *hâc*, sed Interpres videtur expressisse articulum. ¶ *Et mente confusa est*] *Mente* non lego in Græcis cod. tantùm est συνεχύθη *confusa est*: ità legit Augustinus: quod tamen ad Perturbationem vel Admirationem pertineat, non Pudorem, quomodo solet hic vertere.

7. *Et mirabantur, dicentes*] Addunt Græci πρὸς ἀλλήλους *alius alii*, sive *inter sese*: *adinvicem* legit Augustinus.

8. *Et quomodo nos audivimus*] Ἀκούομεν *audimus* præs. temporis; id quod à librariis est depravatum. Pro *audimus* Augustinus legit *agnoscimus*. ¶ *Linguam nostram*] Ἰδίᾳ διαλέκτῳ *propriâ linguâ*, sive *sermone*, ut subaudiamus *loquentes eos*. Græcis *dialectus* est linguæ proprietas aut species, velut apud Græcos cùm una sit lingua, quinque tamen sunt dialecti; ut qui Græcè calleat, mox possit agnoscere Atticus sit qui loquitur an Doricus, Jonicus an Lacedæmonius. Probabilius est autem Apostolos suâ linguâ fuisse locutos, & miraculo factum ut nemo non intelligeret, perinde ac si suam quisque linguam audisset. Nec unquam legimus hoc miraculi accidisse aliàs, nisi fortè semel atque iterum: veluti Act. 10. de familia Cornelii, *Audiebant illos loquentes linguis*: & Paulus scribens Corinthiis gloriatur quòd *omnium illorum linguis loqueretur*. Dubitandum non est quin Apostoli fuerint diversis locuti linguis quoties id postulabat Euangelii negotium. Verùm eundem hominem eodem tempore diversis loqui linguis implicat contradictionem. Restat ille scrupulus, An Cretenses & Medi cæterique procul à Judæis dissiti noverint Syriacè, an suam tantùm linguam. Nunc enim Judæi incolentes Germaniam præter vulgi linguam & suam habent; itidem qui incolunt Hispaniam & Italiam. Cæterùm illud ἡμῶν Latinè commodè reddi non poterat.

9. *Et qui habitant*] Καὶ κατοικοῦντες *habitantes*. Alioqui si per verbum libuit transferre, dicendum erat *qui habitamus*, propter verbum quod præcessit, *audimus*.

10. *Et partes Libyæ*] Pro *Libyæ* Augustinus legit *Africæ*. Nec temere additum est *circa Cyrenen*. Hieronymus in Locis hujus operis indicat duas esse *Lybias provincias*, alteram *Cyrenaicam*, de qua hic sensit Lucas, *juxta Cyrenen*. *Hæc*, inquit, *porta Ægypti in parte Africæ prima est, & mari Lybico cognomen dedit*. Alteram post hanc ponit, *Libyam Æthiopum, quæ usque Meridianum pertingat Oceanum*. ¶ *Advenæ Romani*] Non est προσήλυτοι, quo mox utitur, sed ἐπιδημοῦντες, h. e. *illic versantes*. Cæterùm Hebræi *Proselytos* Hebraicè גרים vocabant, qui diversæ factionis nati in jus Mosaicæ legis reciperentur. Hic sentit Judæos quidem religione verùm Romæ domicilium habentes. ¶ *Judæi quoque*] Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι *Judæique & Proselyti*, ut sit gemina conjunctio. Videntur hæ duæ particulæ referri ad id quod præcesserat, *Romani*; *Romani, sive Judæi genere, sive Proselyti*, h. e. non gente sed adoptione Judæi. Rursus quod sequitur, *Cretes & Arabes*, incertum est utrùm referendum sit ad generalem partitionem gentium, an ad *Proselytos* tantùm, quorum alii sint Cretenses, alii Arabes. Beda putat hoc loco *Judæam* accipi non pro tota regione Judæorum sed pro ea duntaxat quæ complectitur tribum Judæ & Benjamin. Verùm id verisimile non est: nam addidisset & *Galilæos* & *Samaritanos* & *Decapolitas*: nunc harum nullam commemorat, sed alias regiones in quas Judæi suis finibus pulsi confugerant. Porrò quod in fine repetit, *Judæique & Proselyti*, *Judæi* non ex gente dicuntur sed ex religione & origine, à quibus distinguit *Proselytos*, natione paganos religione factos Judæos. Verùm *Cretes & Arabes* sic adjecti sunt ut ad priorem recensionem referri possint, ut accipiamus, ex cæteris quoque nationibus venisse Proselytos admixtos Judæis, ex Creta verò & Arabia nullos venisse Judæos, quòd eò non profugissent, sed tantùm Proselytos. *Cretes* Interpres Græcè dicere maluit quàm *Cretenses*.

11. *Audivimus eos*] Rursus ἀκούομεν *audimus*, ut superiùs admonuimus.

12. *Stupebant autem omnes & mirabantur*] Καὶ ἐξίσταντο. Id verbum significat eos *animo hæsitasse ac perplexos fuisse*: quo verbo usus est de Herode cùm crederet Johannem revixisse; διηπόρει, quod illic vertit *hæsitabat*. Et Augustinus hìc pro *mirabantur* legit *hæsitabant*. Cæterùm aliquis mutavit hunc locum ex superiori, quem tamen puto corruptum ἐξίσταντο καὶ ἐθαύμαζον, quòd plus sit prius illud quàm hoc posterius. ¶ *Ad invicem dicentes*] Ἄλλος πρὸς ἄλλον λέγοντες *alius ad alium dicentes*, sive *inter se dicentes*.

13. *Musto pleni sunt isti*] Μεμεστωμένοι, i. *impleti sunt*. Augustinus legit *musto onerati sunt*. *Isti* redundat, nec habetur in emendatioribus Latinis.

15. *Cum sit hora diei tertia*] Tempus erat Pentecostes, quo Sol exoritur ante quintam, ni fallor. Quam igitur *tertiam* vocat Petrus, nobis esset octava. Atqui prodigium non sit apud nationes quasdam hominem esse temulentum horâ octavâ: Verùm in illis regionibus, juxta Pauli dictum, *qui erant ebrii, nocte erant ebrii*.

16. *Per Prophetam Johel*] Testimonium quod citat est apud eum Prophetam c. 2. Ac mirè declarat largitatem Divini muneris, quod solis Judæis antea videbatur deberi, jam in omnes orbis nationes redundantis. Cæterùm Lucas nonnihil discrepat & ab Hebræis & à Septuaginta, quibus hoc loco cum illis est ferè concordia. Nec est apud Hebræos *in diebus novissimis*, sed *post hæc*. Et

17. *Dicit Dominus*] Lucas, aut certè Petrus, addit de suo, quòd ea clausula Prophetiis omnibus soleat apponi. Deinde. ¶ *De Spiritu*] Juxta LXX dixit, cùm Hebræis sit *Spiritum meum*. Porrò quòd priori loco posuit *juvenes*, deinde *senes*, cùm & apud Hebræos & LXX diversus sit ordo, librariorum errore factum suspicor. Præterea quod Latinus interpres vertit,

18. *Et quidem super servos meos*] Legisse videtur καίτοι. Hieronymus vertit, *Sed & super servos meos*. Rursus post hæc verba, ¶ *In diebus illis effundam Spiritum meum*] Lucas addidit de suo *& prophetabunt*, quod nec apud Hebræos est nec apud LXX, si bonâ fide recensentur apud Hieronymum ab his versa. Verùm ut hoc huc translatum est ex initio hujus vaticinii, ità ex hoc loco translata sunt in initium illa verba *in diebus*; nisi fortè lectori malumus hoc imputare.

19. *Dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum*] *Sursum*, ac *deorsum*, & *signa*, tria verba de suo adjecit Lucas quæ nec apud Hebræos sunt nec apud LXX. Denique,

20. *Dies Domini magnus & horribilis*] Pro *horribilis* Lucas posuit ἐπιφανῆ *manifestus*, sive *illustris*, cùm Hebræis sit *horribilis*. Ut intelligere liceat id quod frequenter admonuimus, Apostolos & Euangelistas non fuisse anxios in reddendis verbis Prophetarum, sed ipsam sententiam bonâ fide reddidisse. Quanquam potest aliquoties fieri ut lector eruditus nonnihil corrumpat, dum corrigere nititur ad editionem LXX. Cæterùm quò lector ipse faciliùs hæc conferat, Hebræa sic vertit Hieronymus, *Et erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem; & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas meas in diebus illis effundam Spiritum meum. Et dabo prodigia in cælo & in terra, sanguinem, & ignem, & vapores fumi. Sol convertetur in tenebras & Luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* Juxta LXX legimus ad hunc modum, Καὶ ἔσται μετὰ ταῦτα, καὶ ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν καὶ θυγατέρες ὑμῶν, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται, καὶ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄψονται. Καὶ ἐπὶ τοὺς δούλους μου καὶ ἐπὶ τὰς δούλας μου ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου καὶ προφητεύσουσι· καὶ δώσουσι τέρατα ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, αἷμα, καὶ πῦρ, καὶ ἀτμίδα καπνοῦ· ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος, καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα, πρὶν ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ· καὶ ἔσται πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου σωθήσεται, i. *Et erit post hæc, effundam de Spiritu meo super omnem carnem; & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Et super servos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: Et dabunt prodigia in cælo & super terram, sanguinem & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras & Luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus & illustris. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* Illud obiter admonendum, quod apud Hieronymum non refertur, *& prophetabunt*, haberi tamen in hac editione quam nobis nuper dedit officina Asulani. Et quod illic redditum est *dabo* Græci legunt *dabunt*, cùm Lucas habeat δώσω. Annotavit Hieronymus hoc verbum אשפוך, quod LXX verterunt ἐκχεῶ *effundam*, ostendere *muneris largitatem*. *Effundimus* enim, non quod dispensamus ac parcè damus, sed quod ampliter & effusè largitérque.

22. *Virum approbatum*] Interpres legisse videtur ἀποδεδεγμένον, ab ἀποδέχομαι, quod nonnunquam sonat *approbo*. Nostri cod. habebant ἀποδεδειγμένον *demonstratum*, *declaratum*, sive *exhibitum*. Utraque lectio tolerabilis est. Laudatur hîc Petri prudentia, qui apud rudem multitudinem Christum magnificè laudat, sed *virum* tantùm nominat, ut ex factis paulatim agnoscant Divinitatem.

23. *Praescientiâ Dei traditum*] Variant hîc Graeci cod. à nostris, ἔκδοτον λαβόντες, *traditum accipientes*. Id annotavit & Rabanus. Caeterùm sermo non caret amphibologiâ. Potest enim intelligi *Deum tradidisse* Filium, & potest accipi *iniquos tradidisse*. Prior sensus mihi magis arridet: consentit enim cum verbis Pauli, *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Caeterùm adverbium ἅτως in cod. Graecis quos hodie videmus non additur, cùm tamen non caret emphasi, *Sic traditum quemadmodum à Deo fuerat praescitum ac decretum*. Quibus verbis Petrus ostendit in Christo nihil temere gestum, sed immutabili Dei consilio facta omnia; simúlque mitigat Judaeorum facinus, qui licèt imprudentes subservierunt Divino consilio. Simili orationis formâ Lucas dixit hujus operis c. 27. 17. *& summisso vase sic ferebantur*. ¶ *Affigentes interemistis*] Cùm Graecè sit προσπήξαντες, dubitari non potest quin Interpres verterit *affigentes*. Sic & Irenaeus citat, ac germana scriptura adhuc exstat in vetustis exemplaribus.

24. *Solutis doloribus*] Λύσας. Unde necesse est intelligere *Deum solvisse dolores*. Porrò quod admonet Beda in Graecis cod. haberi *solvens per ipsum*, in nostris cod. non additur δι' αὐτῦ. ¶ *Inferni*] Interpres legisse videtur ᾅδου, cùm nostri cod. habeant θανάτυ. Unde *ab ea*, non *ab eo*, vertendum erat, ut *mortem* referat. ¶ *Juxta quod*] Καθότι *quatenus*, sive *propterea quòd*. ¶ *Teneri ab illo*] *Teneri* est Graecis κρατεῖσθαι, quod sonat *vinci* sive *captum esse*.

25. *Nè commovear*] Ἵνα μὴ σαλευθῶ quod est propriè *loco moveri*.

29. *Liceat audenter dicere*] Ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας *cùm liceat liberè loqui*. Est enim participium impersonale positum absolutè casu nominandi, quod alioqui fit in genitivis apud Graecos. Sed Interpres arbitratus est sermonem parùm fore concinnum nisi participium mutasset in verbum. Praemollit enim hoc prooemio Petrus sermonem, qui durior erat futurus auribus Judaeorum, si nudè dixisset *hoc non fuisse praedictum de David, sed de Christo*. Sic nimirum interpretatus est Chrysostomus, praedicans Petri modestiam, qui non apertè negarit hoc esse dictum de David, sed de Christo; verùm praefatus multum honorem Prophetae David, praemollierit sermonem, nè quid offenderentur orationis libertate. ¶ *Quoniam defunctus est*] *Quod & defunctus est*. Graecè Ὅτι καὶ ἐτελεύτησε.

30. *Jurejurando*, &c.] Graeca plus habent quàm Latina, ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς ἐκ καρπῦ τῆς ὀσφύος αὐτῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριςὸν, καθίσαι ἐπὶ τῦ θρόνυ αὐτῦ, *Quod jurejurando jurasset sibi Deus, ex fructu lumbi sui, quantum ad carnem, suscitaturum Christum ut sederet in throno ejus*: tametsi variant hoc loco Graeci codices. Et suspicor adjectum ab eruditulo quopiam, cui alioqui sermo videbatur parùm absolutus. Caeterùm in his verbis *jurejurando juravit* non est apud Graecos ea vocum affinitas, ὅρκῳ ὤμοσεν. Ad haec, *de fructu lumbi ejus sedere*, supplendum erat *aliquem*. Rursum in Graecis verbis ambiguus est sensus. Nam καθίσαι sonat & *sedere* & *collocare*, & ἀναςήσαι sonat *excitare* & *resurgere*. Sensus activus magis convenit Prophetiae, quae promittit *futurum ut Deus excitaret illum & collocaret in throno David*. Is est thronus Regni Euangelici.

31. *Providens*] Προϊδὼν *pravidens*: quanquam in nonnullis erat προειδὼς *praesciens*. ¶ *Neque derelictus est in inferno*] Ὅτι ὐκ ἐγκατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτῦ *quoniam non est derelicta anima ejus*.

33. *Effudit hunc*] Ἐξέχεε τῦτο. Graecus sermo est anceps: potest enim intelligi *effudit hunc spiritum*, quòd πνεῦμα apud Graecos sit neutri generis. Nam quod Glossa Ordinaria admonet in Graeco esse *hoc donum*, δῶρον in Graecis cod. non reperio.

36. *Certissimè sciat*] Ἀσφαλῶς ὖν *certò igitur*.

37. *His autem auditis*] Ἀκύσαντες δὲ *cùm audissent autem*. Laudo tamen Interpretem, qui feliciter recessit à verbis, cùm nulla necessitas compelleret.

38. *Poenitentiam agite*] Μετανοήσατε *Poeniteat vos*, sive *Resipiscite*.

39. *Vobis enim est promissio*] Addendum erat *facta*, sive *ad vos*.

40. *Aliis etiam*] Ἑτέροις τε *Aliisque*.

41. *Qui ergò receperunt*] Οἱ μὲν ὖν ἀσμένως ἀποδεξάμενοι *Qui libenter receperunt*. ¶ *In die illo*] Τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ *diei illi*: nisi subaudias praepositionem ἐν.

42. *Fractione panis*] Καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτυ *& in fractione panis*: ut sint quatuor, *Doctrina*, *Communio*, *Fractio panis & Precationes*. Ità quidem constanter habent Graeci cod. & ità interpretatur Chrysostomus. Fortasse *communicationem* vocat communionem facultatum. Illud animadvertendum, quòd primo loco posuit Doctrinam, sed Euangelicam; proximo, mutuam Charitatem, quae faciebat inter eos omnia communia; tertio, Symbolum illud sacrum Christianae conspirationis; quarto, Praecationes. Nostra lectio tria duntaxat ponit, *doctrinam*; *fractionem panis*, quam vocant *communionem*; & *preces*. Qui mos diu perduravit apud veteres, ut Episcopi aut hospites alioqui graves cum Episcopo primùm orarent, deinde sumerent fracti panis partem, postremò colloquerentur. Ità dicebantur *ejusdem communionis*, quòd ad eam communionem non admitterentur haeretici. Incertum an hîc loquatur de pane consecrato, cùm nulla fiat mentio calicis.

43. *In Hierusalem*] Haec duo verba non reperio in Graeco codice: nec adduntur apud Chrysostomum. ¶ *Et metus erat magnus in universis*] At nè haec quidem ascripta reperi.

44. *Omnes etiam*] Πάντες δὲ *Omnes autem*. Opinor Interpretem legisse πάντες τε. ¶ *Erant pariter*] Ἐπὶ τὸ αὐτό. Quod antea vertit *in eodem loco*. ¶ *Possessiones*, &c.] Graecè est, *Et possessiones & facultates*, geminatâ conjunctione, καὶ τὰ κτήματα καὶ τὰς ὑπάρξεις.

46. *Circa domos*] Κατ' οἶκον *per singulas domos*, sive *domesticatim*. Quemadmodum κατὰ πόλιν, & καθ' ἡμέραν, *oppidatim*, & *quotide*. ¶ *Sumebant cibum*] Μετελάμβανον quod est *ab alio sumere*, & *participem esse*. Nos vertimus *invicem sumebant*.

47. *Ad omnem plebem*] *Omnem* pro *totam* dixit, & *plebem* pro *populum*, ὅλον τὸν λαόν. ¶ *Dominus autem augebat*] Graeca sic habent, ὁ δὲ Κύριος προσετίθει τὺς σωζομένυς καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ, *Dominus apponebat eos qui salvi fiebant quotidie Ecclesiae*. Suspicor Interpretem scripsisse *addebat*, idque Scribam depravasse in *augebat*. Annotavit & hoc nescio quis in Glossa Ordinaria, Graecos codices à nostris dissrepare: quanquam ridiculo lapsu Scribarum pro *Ecclesia* positum est *ecce*. ¶ *In idipsum*] Id Latini referre videntur ad superiora; contrà Graeci referunt ad ea quae sequuntur, Ἐπὶ τὸ αὐτὸ δὴ Πέτρος, *Simul autem Petrus* ut ἐπὶ τὸ αὐτὸ non solùm pertineat ad locum, verùm etiam ad tempus. Certè Chrysostomus ab his ἐπὶ τὸ αὐτὸ orditur novum caput Commentariorum. Distinctionem vitiatam annotavit nescio quis in Glossa Ordinaria.

VATABLUS.

1. *Complerentur dies Pentecostes*] *Compleretur*: i. cùm compleretur tempus Pentecostes, h. e. septem hebdomadarum à resurrectione. Hîc Pentecoste significat tempus 50 dierum quod à Pascha computabatur. ¶ *Pariter*] *Unanimiter*, *uno animo*.

2. *Tanquam advenientis spiritûs vehementis*] Vel, *similis flatui violento qui fertur*. August. *quasi ferretur flatus vehemens*.

3. *Apparuerunt illis dispertita linguae*] *Conspecta sunt illis dissecta*: i. quae dividebantur. Ut hîc Apostoli per linguas igneas acceperunt Spiritum S. ità Esaias per carbonem ignitum, quo purgata fuerunt labia ejus, Esa. 6. ¶ *Tanquam ignis*] Genit. casûs: vel, *similes igni*.

4. *Variis*] *Aliis*. sub. *quàm Galilaei*.] ¶ *Spiritus* *] * *Ille*. ¶ *Eloqui*] Vox Graeca significat *praeclare & sententiosè loqui*.

5. *Natione* *] * *Earum*.

6. *Factâ autem hac voce*] i. Hoc rumore divulgato. ¶ *Confusa est*] Ad perturbationem animi & admirationem refertur, non pudorem, ut aliàs.

7. *Dicentes* *] * *Inter sese*. ¶ *Ecce*] More Hebraeorum vacat.

8. *Audivimus*] *Audimus*, Vet. ¶ *Unusque linguam nostram*] *Propriâ quisque linguâ*: sub. *loquentes*.

9. *Qui habitant*] *Habitantes*: q. d. Nos Judaei qui apud Parthos & Medos habitamus, &c. ut hi omnes sint Judaei aut Proselyti. Judaei tot nationum incolae Jerusalem convenerant Pentecostes causâ.

10. *Partes*] *Partium*.

11. *Proselyti*] Vel, *peregrini*, qui natione erant ex Gentibus & Judaei religione. ¶ *Audivimus*] *Audimus*, Vet. ¶ *Ma-*

¶ *Magnalia Dei*] *Magnifica*: i. de Deo magnificè loqui: vel, quæcunque præclarè fecit Deus, Hebr.

15. *Enim*] *Certè*. ¶ *Æstimatis*] *Existimatis*.

17. *Dominus*] *Deus*. ¶ *Prophetabunt*] i. Fungentur munere prophetico. ¶ *Somnia somniabunt*] i. Senioribus vestris per somnia voluntatem meam aperiam.

18. *Et**] **Super*.

19. *Fumi*] i *Fumidum*, Hebr.

20. *Dies**] **Ille*. ¶ *Manifestus*] Vel, *illustris*.

21. *Et**] **Erit*; Vet.

22. *Approbatum*] Vel, *exhibitum*, *designatum*, *demonstratum*: i. quem Deus ab ipso ad vos missum ostendit signis. ¶ *In vobis*] *Erga vos*, vel, *apud vos*. ¶ *Sicut**] **Et vos*, Vet.

23. *Affigentes*] Cùm accepissetis, crucifixum, &c.

24. *Solutis doloribus inferni*] i. Destructâ morte æternâ, quæ sine summo dolore esse nequit. ¶ *Puxta quod*] *Propterea quòd*. ¶ *Ab eo*] *Ab ea* [sub. *morte*] *Perpetuò*.

25. *In eum*] *De eo*. ¶ *Providebam Dominum in conspectu meo semper*] i. Videbam Deum ità solicitum mei, ut semper in promptu mihi esset auxilii causâ.

26. *Requiescet in spe*] Vel, *requiescit securè*.

27. *Dabis*] *Sines*. ¶ *Videre corruptionem*] Hebr. pro, *corrumpatur*.

28. *Notas mihi fecisti vias vitæ*] Hebr. *In vitam me revocasti*: ib. *Et*] Vet. ¶ *Cum facie tua*] Hebr. præsentiâ tuâ: vel, præsentem te mihi exhibendo.

29. *Liceat*] *Licet*. ¶ *Quoniam**] Quòd, * &, Vet.

30. *De fructu lumbi ejus sedere*] Futurum ut de fructu lumbi sui, quantum ad carnem, Christus exoriretur ac sederet.

31. *Providens*] *Præscius*. ¶ *Quia neque derelictus est.*] *Quoniam non est derelicta anima ejus*. ¶ *Inferno*] *Sepulcro*.

33. *Hoc donum quod*] *Hunc quem* [sic vetera] vel, *hoc quod*.

36. *Certissimè sciat*] *Certò cognoscat*. ¶ *Christum*] i. Regem, Hebr.

38. *Autem*] Verò, Vet. ¶ *In nomine Jesu Christi*] i. Adhibito nomine Christi, ut sciatis & publicè fateamini Jesum esse cujus beneficio peccata deleantur.

39. *Repromissio*] Sub. *facta*.

40. *Aliis*] *Aliisque*. ¶ *Testificatus est*] *Testabatur*. ¶ *Salvamini à generatione ista prava*] i. Segregate vos ab hominibus perversis hujus ætatis, qui negant Jesum esse Christum.

41. *Receperunt**] **Libenter*. ¶ *Animæ*] i. Homines, Hebr.

42. *Communicatione*] Vel, *bonorum communione*. ¶ *Fractionis*] *Et fractione*.

44. *Etiam*] *Autem*. ¶ *Pariter*] *Conjuncti* [vel, *in eodem loco*; aut, *simul*] ¶ *Communia**] **Et*.

45. *Substantias*] *Facultates*.

46. *In templo*] i. In atrio. ¶ *Circa domus*] *Per singulas domus*. ¶ *Sumebant*] *Invicem sumebant*. ¶ *Exultatione*] *Gratulatione*. *Ad omnem plebem*] *Apud totum populum*. ¶ *Augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum*] *Addebat qui salvi fierent quotidie congregationi*.

CASTALIO.

1. **Q***uinquagesima*] Gr. *Pentecostes*.

3. *Quædam quasi ignis linguæ*] Mollius esset *igneæ linguæ*: sed quia verbum sequens, quod ad *ignem* refertur, est sing. numeri, si dixissem *igneæ*, aut *insederunt* fuisset dicendum, aut *insedit* ad nomen ignis referendum, quod in *igneæ* tacitè subesset: quomodo in Johanne dicitur Diabolus *mendax, & ejus pater*, scilicet *mendacii*: sic hoc loco dictum esset *igneæ linguæ, qui insedit*, scilicet *ignis*: sed id obscurius esset.

4. *Et diversis loqui linguis cœperunt*] Hoc loco tenere me nequeo quin eos redarguam qui putant Discipulos *suâ linguâ locutos, sed miraculo factum ut nemo non intelligeret, perinde ac si suam quisque linguam audiret*: ut si diceret Discipulus, v. g. *Elohim*, audiret alius Ζεὺς, alius Θεὸς, alius Gott, alius *Deus*, alius *Deiu*, alius *Dio*. Qui ita dicunt, quæso quid aliud dicunt quàm mentitum esse Lucam, qui disertis verbis dicat eos *loqui diversis linguis*? id quod fore promiserat Christus; At id non esset *loqui linguis*, sed *linguâ*: & tamen subditur, *Prout eis Spiritus fari dabat*. Quid est *fari*? estne idem quod *audiri*? Deinde non esset in loquentibus miraculum, sed in auditoribus. Itaque non essent ebrietatis accusandi loquentes, sed Judæi, qui ea audirent quæ non dicerentur. Præterea mentitus esset Paulus 1 Cor. 14. 2. qui dicit, *Qui linguâ* (scilicet peregrinâ) *loquitur, non homines alloquitur, sed Deum: nemo enim audit*, h. e. intelligit. Huic enim responderi posset, audire omnes suum vernaculum sermonem, nec ullâ opus esse interpretatione; quam tamen adhiberi jubet. Linguam enim Divinitus inspiratam (de cujusmodi loquitur) ab omnibus intelligi. Ad hæc imperfectum mancúmque foret hoc Discipulis tributum munus, minúsque eis quàm auditoribus datum esset. Non enim tantùm loquendum erat, sed audiendi etiam qui interrogare colloquique vellent. Quòd si Petrus, exempli causâ, cum aliquo Partho colloqueretur, Parthus Petrum intelligeret: quid Petrus? Parthum non intelligeret? quomodo ergò interroganti Partho responderet? Necesse esset ut aut Parthus Hebraicè loqueretur, (ità Parthus, non Petrus, linguam ex tempore didicisset) aut Petrus Parthicè loquentem intelligeret: (ità fieret ut Petrus Parthicè & sciret, &, quia posset, loqui deberet) aut ut Parthicè loquens Parthus Hebraicè loqui putaretur (ità nihilo plus in Petro quàm in Partho foret) aut ut interpres adhiberetur; ità inutile linguarum munus esset. Neque video quæ res hunc errorem pepererit, nisi quòd non putant eundem hominem eodem tempore diversis posse loqui linguis, neque videant se, dum monstrum fugiunt, in monstrum incidere. Nec enim minùs est monstrosum, te, cùm ego dicam, *samajim*, audire *cœlum* aut οὐρανὸν, quàm me eodem momento utrumque sonare. Sed neutrum horum monstrorum invehere necesse est. Non scribit Lucas aliquem uno tempore tot linguis locutum esse; id quod fieri non potest; sed diversis linguis locutos esse, ut cujuscunque nationis homines nacti essent, eos ipsorum sermone affarentur: ut hic Petrus Asianos nactus Asiaticè alloqueretur; illic Johannes Ægyptios, Ægyptiacè; aut idem quosvis quovis sermone, prout in quosque incidisset. Ita quòd diversis loquuntur linguis Discipuli, id contra naturam non est; sed quòd ex tempore didicerunt linguas, id Divinum contráque naturam est: quemadmodum Lazarum in vitam revocatum vivere, mirum non est; sed in vitam revocari, mirum fuit. Quòd nisi hæc sic interpretemur, faciemus ex Divinis operibus præstigias, ut res non agatur, sed agi videatur; ut si quis circulator ensem devorare videatur, cùm non devoret. Certè non aliud esset si Discipuli peregrinis loqui linguis & dicerentur & viderentur, cùm id non ita esset. Hoc loco mirabitur non nemo cui hic locus primo aspectu fuerit apertissimus, me tantum chartæ in explicanda re tam perspicua impendere: & sanè eum totum intactum prætermisissem, nisi veritus essem nè rudibus imponeret alicujus autoritas.

29. *De summo patre Davide*] Quomodo ἀρχιερεὺς *summus sacerdos* dicitur, & ἀρχίατρος *summus medicus*, & cætera denique ab ἄρχειν composita, sic πατριάρχης Latinè *summus pater* appellari potest: & dignitatis vocabulum.

CLARIUS.

1. **C***UM compleretur dies Pentecostes*] Quo videlicet die & Lex data fuerat Judæis: ut plenè veritas figuræ responderet: idcirco & sonitus factus est è cœlo, & species ignis visa, pro tonitruis ac fulguribus montis Sinai.

2. *Replevit totam domum*] Domus illa mundi typum gerebat, qui & ipse implendus esset totus Euangelicâ philosophiâ.

3. *Dispertitæ linguæ*] Cùm omnium linguarum genera colligenda in unam essent fidem.

4. *Dabat eloqui*] Ἀποφθέγγεσθαι, quasi apophthegmata quædam essent quæ variis illis linguis proferebant.

13. *Musto*] Γλεύκος quidem *mustum*, h. e. *vinum novum*, significat, sed hic pro *dulci vino* ponitur.

15. *Non enim, sicut vos existimatis, hi ebrii sunt*] More Oratorum ante omnia malam suspicionem tollit.

19. *Et dabo prodigia*] Sicut hic multa bona promittuntur credentibus in Christum, sic incredulis Judæis grave hîc prædicitur exitium, perditio scilicet Civitatis & Gentis. Per *sanguinem* igitur intellige necem Judæorum, & per *ignem* incendium Civitatis. Ubi autem est incendium, ibi est & *fumus*. Per *versionem* verò *Solis in tenebras* intellige insignem calamitatem: frequens enim est in Hebraismo hæc figura loquendi. Judæi quoque hæc verba referunt ad tempus Messiæ: Et putant quidam eorum omnia quæ hic scribuntur ad literam intelligenda; nempe quòd Sol & Luna amissuri sint lumen suum, quo indicio Dominus demonstraturus sit ingentem cladem adversariorum Messiæ: non quòd Luna vertenda sit in sanguinem, sed quòd ex amissione lucis formam habitura sit sanguinis, qualis etiam à nobis videtur cùm luce suâ, quam à Sole recipit, destituitur. Sed hæc, inquit, sunt procemia quædam eorum quæ in

in magno die illustrissimi adventûs Domini futura sunt. Prædicit ergò pœnas quas propter ignoratum adventum priorem Christi sunt perpessuri, & posterioris præterea ejusdem adventûs commonefacit.

23. *Definito consilio & præscientiâ Dei traditum*] Quasi illa Joseph verba diceret quæ ille quoque ad fratres dicebat, *Ne timeatis quod prodidistis me: non vos, sed Deus huc me misit.*

24. *Solutis doloribus mortis*] Quasi etiam ipsa Mors illum detinens doluerit & gravia passa sit.

29. *Viri fratres, liceat audenter dicere*] Vide ut in media etiam oratione iterum excitet attentionem. Petit autem licere sibi liberè loqui: nam si nihil præfatus dixisset, *Hæc non sunt de David dicta*, potuisset asperior videri.

30. *Sedere super sedem ejus, quantum ad carnem*] Ergò erat in Christo alia quàm carnis & humanæ naturæ consideratio, nempe Divinitatis, cujus his verbis latenter mentionem facit, sed nusquam apertè: non enim auditores capaces erat.

31. *Neque caro ejus vidit corruptionem*] Idcirco tertiâ die resurrexit. Nam ferunt Physici mortuorum corpora ante tres dies non corrumpi.

34. *Dicit autem ipse*] Quòd David non ascenderit ad cœlos, ipse, inquit, testatur, id scilicet Christo reservatum, quem *Dominum suum* vocat.

36. *Dominum eum & Christum fecit Deus*] Hoc est quod Paulus ad Philippenses ait, *& omnis lingua confiteatur quòd Dominus est Jesus Christus in gloriam Dei Patris.*

39. *Et omnibus qui longe sunt*] Et hic latenter indicat Gentes credituras. Et vide quàm circumspectè agit in iis quæ potuissent eos offendere, nec veritatem tamen prodit.

ZEGERUS.

3. T*Anquam ignis*] Πυρὸς paterni casûs est.

4. *Variis linguis*] Græcis quidem est ἑτέραις *aliis*; sed pro *variis* positum juxta veterum interpretationem, nisi fortè aliud illis lectum sit.

15. *Hora diei tertia*] Quæ Germanis est octava, aut inter septimam & octavam.

22. *Virum approbatum à Deo in vobis*] Ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς verti potest *virum à Deo vobis demonstratum virtutibus*, &c. Nisi fortè legendum sit ἀποδεδεγμένον *probatum & commendatum.*

23. *Hunc definito consilio & præscientiâ Dei traditum*] *Divinâ ordinatione ac dispositione traditum* dicit, ostendens nil illos potuisse adversùs eum nisi ità decretum fuisset Altissimi consilio. Græca nonnihil discrepant à nostris, sed in sensu minimum est discrimen. Ea si quis fortè desiderabit, sic habent, τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε quæ ità sonant, *Hunc decreto consilio ac præscientiâ Dei exhibitum accipientes per manus exlegum affigentes interemistis.* ¶ *Affligentes interemistis*] Lege *affigentes*, juxta Græca & Latina exempl. vetustiora, & Irenæum lib. 3. cap. 12. & Gregorium in Job, in fal. lor.

30. *De fructu lumbi ejus sedere*] Sub. *aliquem.* ¶ *Super sedem ejus*] h. e. super thronum David. Quod adnectitur in Græcis duntaxat, τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, nimirum *quòd secundùm carnem Christus exsurgeret*, ab adnotatore quopiam adjectum apparet, hâc fortasse occasione, quòd Chrysostomus idem ferè, sed diverso convenientiorique ordine, explanando interserat, ità inquiens, *Non dixit*, PROMISIT *simpliciter, sed, quod majus erat*, JUREJURANDO JURAVIT, EX LUMBO EJUS QUOAD CARNEM ORITURUM CHRISTUM, UT SEDEAT SUPER THRONUM ILLIUS. Quem ordinem in uno tandem atque altero exemplari reperimus, his verbis, Ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, προϊδὼν ἐλάλησε. Pro nostro interprete facit Irenæus, qui hæc verba non legit, l. 3. c. 12.

31. *Providens*] *Prospiciens* ac *prævidens.* Corripit autem mediam: quanquam hoc minutius fortasse quàm ut admoneri oportuerat.

33. *Effudit hoc donum quod vos videtis*] *Donum* ab aliquo adjectum est, quò sensus redderetur evidentior. Beda legit, *hunc quem videtis, Spiritum S.* intelligens. Atque id sanè magis quadrat, quòd *Spiritus* Græcis sit neutri gen. ut commodè subaudiri possit in τοῦτο ὅ. Hieronymus in Didymi De Spiritu S. l. 3. vertit ut nos vulgò legimus, itidem & Cyprianus, vel Ruffinus potiùs, in Expositione Symboli. Sed hoc neque cum Græcis consonat, neque cum Chrysostomo, si ipsius diligenter verba trutines.

34. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis*] h. e. Deus Pater dixit Filio suo Christo ut ascendens rursus in cœlum sederet à dextris sibi. Quod autem nos dicimus *Dominus Domino*, apud Hebræos diversa sunt nomina, quorum prius est tetragrammaton illud יהוה soli Deo proprium, alterum אדני *Adonai*, quod etiam in hominem competit.

41. *Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia*] *Appositæ sunt cœtui*, videlicet discipulorum Christi, *animæ*, h. e. homines per synecdochen, *circiter ter mille.* Quòd autem putant quidam hanc loquendi formam, *animæ circiter tria millia*, illatinam esse ac barbaram, falluntur: nam & apud probatissimos autores reperiuntur hujusmodi elocutiones; ut Cicero in Verrem *tritici modios quinque millia* dixit. Et apud Plinium, *Martius rex salis modios sex millia in congiario dedit populis.*

43. *In Jerusalem: & metus erat magnus in universis*] Hæc in Græcis prætermissa videntur hâc occasione, quòd eadem ferè præcedant, *fiebat autem omni animæ timor.* Certè Valla non meminit discrepantiæ, sicuti nec Beda, qui aliàs ferè hujuscemodi admonere in hoc opere consuevit. Nec desunt hæc verba exemplari D. Donatiani, quod aliàs ferè cum Græcis consentit. Codici quoque refectorario Cœnobii Affliginiensis tantùm deest *magnus.* Habentur item & in cod. Gembl. ut alios sileam.

47. *Augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum*] Putant nonnulli depravatè scriptum *augebat* pro *addebat*: sed falluntur: nam προστίθημι non solùm *addo*, verùm etiam τὸ εἰς αὔξησιν non rarò declarat. Et magis quadrat nostræ lectioni *augendi* vocabulum propter absentiam verbi *Ecclesiæ*, τῇ ἐκκλησίᾳ, quod Græcus continet contextus, consonante Chrysostomo, sed qui secùs distinguat atque Latini, nimirum ad hunc modum, Ὁ δὲ Κύριος προσετίθει τοὺς σωζομένους καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ δὲ Πέτρος. *Dominus autem addebat qui salvi fierent quotidie Ecclesiæ. In idipsum autem*, vel (ut aliis placet) *Simul autem, Petrus & Joannes.* Probabile tamen est illud τῇ ἐκκλησίᾳ ab explanatore quopiam additum in margine fuisse, ac deinde à scriba traductum in contextum.

H. STEPHANUS.

5. Ε*ὐλαβεῖς*] *Religiosi*: vel, *Timentes Dei.*

6. Διαλέκτῳ] *Linguâ.*

7. Ἐξίσταντο] *Obstupescebant.*

10. Οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι] *Romani qui huc advenimus.*

11. Τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ] *Ea in quibus majestas Dei elucet.*

13. Χλευάζοντες] *Irridentes.*

14. Ἐνωτίσασθε] *In aures admittite.*

17. Ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται] *Somnia somniabunt*: vel passivè.

22. Ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι] *Quem Deus vobis approbavit factis potentibus.*

23. Τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες] *Hunc, cum certo Dei consilio & providentiâ in potestatem vestram venisset.*

25. Ἵνα μὴ σαλευθῶ] *Nè concutiar.*

29. Ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας] *Liceat liberè dicere.*

32. Ἀνέστησεν] *Vitæ restituit.*

33. Τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ Θεοῦ ὑψωθεὶς] *Potentiâ igitur Divinâ evectus.*

36. Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω] *Certò sciat ergò.*

37. Ἀκούσαντες δὲ κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ] *Audita hac animos eorum stimularunt ac pupugerunt.*

40. Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης] *Servamini ex perverso isto hominum genere*: q. d. Eripite vos ex isto hominum genere.

42. Ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες] *Assiduè autem operam dabant.*

46. Προσκαρτεροῦντες ἐν τῷ ἱερῷ] *Permanentes in templo.* ¶ Ἀφελότητι] *Simplicitate.*

47. Ἔχοντες χάριν] *Obtinentes gratiam.*

DRUSIUS.

1. C*UM complerentur dies Pentecostes*] Τὰς ἡμέρας ità prisci codices, & omnino sic legendum esse docet Scaliger in Canon. Isagogicis 217. in extremo. Hoc solenne vocabant πλήρωμα τῶν ἡμερῶν τῆς πεντηκοστῆς καὶ σύναξιν. Pentecoste dies erat quinquagesimus à Paschate. Vocatur ab Hebræis

bræis *festum hebdomadarum*; & *festum messis*, quia tunc messis incipiebat; & *festum primitiarum*, eò quòd primitias fructuum suorum tunc Deo in signum gratitudinis offerrent. Consule Synag. Jud. p. 350, &c.

4. *Cœperunt loqui*] Locuti sunt; vel tunc primùm locuti sunt. Nam videtur diversum quid ab illo, *cœpit docere & facere*. Ut ut sit, Augustinus contra Manichæum Felicem citat ex 1. cap. hujus libri, *incipietis baptizari*, cùm in libris editis sit *baptizabimini*. Vide quæ notavimus ad illum locum. ¶ *Aliis linguis*] Alibi est *novis linguis*. Nam hæc duo se invicem explicant: Sic *rex alius*, & *rex novus*; *sacerdos alius*, & *sacerdos novus*; *Dii novi*, & *dii alii*. Moneo apud interpretem nostrum esse *variis linguis*. Novæ linguæ memorantur Mar. 16. 17.

9. *Parthi, & Medi, & Elamitæ*, Πάρθοι, καὶ Μῆδοι, καὶ Ἐλαμῖται] Syrus habet, *Parthi, Medi & Elanai*. *Parthos* vocat פרתיא, *Medos* מדיא, *Elanaos* autem עילמיא. Hebraicè מדי *Medus*. Chaldaicè מדיא Dan. 5. 31. Appellatio à *Madai* filio Japheth Gen. 10. 2. quod nomen sæpe pro ipsa regione ponitur, quam nos *Mediam* nuncupamus, ut Esth. 1. 3. & Dan. 5. 28. Per *Medos* quandoque Persæ significantur, & contrà. Nam hosce populos propter vicinitatem antiqui confundebant. Catullus, *Cum Medi irrupere novum mare*, i. Persæ. Josephus, Μαδαίους eos appellat. Dicebant etiam *Medes*: Ausonius,

Triptolemus ille, sive Medes, quem vocant.

Medem dicit, quem alii *Medum*, eúmque Medeæ filium: & ab eo *Mediam* regionem vocatam nugantur Græci. *Elamitæ*, absque diphthongo, non *Ælamitæ*. Quanquam in scriptura Hebr. עילם, quod antiquitas legebat etiam Αἰλάμ. Sæpe dixi, & nunc iterum dico, in talibus *αι* non esse diphthongum Græcam, quâ Hebræi carent. Imò nullas habent diphthongos. Quod satis superque probavi in libello De recta legendi ratione, quem fortasse aliquando edemus, ut nostros Zoilos, quorum hic magna turba est, ad suspendium, quo digni sunt, adigamus. Jam olim id conantem aut nostra desidia, aut fatum aliquod iniquum, aut à barbaris excitatæ turbæ retardarunt. Græcè est Ἐλαμῖται. Videtur autem significare Persas. Sanè Jes. 21. 2. *Elam & Madai* Hebræi *Persas* interpretantur. LXX ibi habent Ἐλαμῖται. Jonathan עילמאי, *Elamas* sive *Elamitas*. In quodam Onomastico legi, *Elam, filius Sem, à quo orti sunt Persæ*. Paulò aliter Hieron. in Quæst. Hebr. *Elam, à quo Elamitæ principes Persidis*. Et in Locis ex lib. Actorum, *Elamitæ, principes Persidis, ab Elam filio Sem appellati*. Quod hausit è Josepho Ant. hist. l. 1. c. 14. *Elam*, inquit, *Elamitas, qui Persarum sunt principes, dereliquit*. Olympiodorus, Αἰλάμ, ἡ τῆς Βαβυλῶνος, ἢ καὶ πάσης χώρας ἧς ἦρξε Κῦρος. Quod tale est quale illud Hesychii, Ἐλαμῆται, Πάρθοι: & paulò pòst, Ἐλαμῖται, Πάρθοι. Nam Elamitæ à Medis & Parthis persæpè distinguuntur. Fortè per *Parthos* Persas intellexit. Fuerunt & Elamitæ Arabiæ populi mare accolentes, de quibus Plinius lib 6. cap. 28. & Origenes Jer. 25. Αἰλάμ, ἔθνος Ἀραβικὸν πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ κείμενον θαλάσσῃ. Item *Elamitæ* dicebantur etiam Samaritani, si credendum Græco scholio quod Jes. 22. in edit. Romana, Ἐλαμίτας τοὺς Σαμαρείτας καλεῖ· ἐκ γὰρ τῆς Περσικῆς μετῳκίσθησαν χώρας· ἀπεχθῶς δὲ διακείμενοι πρὸς τοὺς Ἰουδαίους, συνεμάχουν κατ᾽ αὐτῶν ἀναγκαίως Ῥωμαίοις. Porrò autem in Genesi magno, qui Hebraicè vocatur *Bresith rabba*, עילם exponitur *Græcia*, i. יון, quod nomen latissimè patet in ea lingua.

10. *Partes Libyæ quæ sunt secundùm Cyrenem*, τὰ μέρη τῆς Λιβύης τῆς κατὰ Κυρήνην] Duplex Cyrene, una Libyæ, Assyriæ altera. De priore capiendus hic locus. Syrus Libyam appellat לוביא & Cyrenem קורינא. Augustinus Hom. De pastorib. c. 17. *Cyrene, Libyæ pentapolis contigua Africa ad Orientem magis pertinet. Nam Imperator Orientalis mittit judicem ad Cyrenem*. De altera intelligendum quod Amos 9. 7. *& eduxi Aramæos* מקיר *ex Cir*: quod Symmachus interpretatur, *ex Cyrene*, quem deinde secutus est Hieronymus. Hujus urbis mentio 2 Reg. 16. 9. ubi codex Hebræus habet קירה, cui æquivalet לקיר. Jonathan verò לקירני *in Cyrenem*. De *Corus, Crocus*, & *Cyminum* dicam in Cadmo anatolico, ubi de vocibus quæ ex Oriente in Occidentem demigrarunt. ¶ *Judæique & proselyti*] Hic *proselytos* dicit non quosvis advenas, quomodo nomen hoc sumitur Exod. 22. 21. sed eos qui ab Hebræis vocantur גרי צדק *advenæ justitiæ* & *advenæ filii fœderis*; quos absolutè *proselytos* vocamus. Tales non religione sed genere tantùm distinguuntur à Judæis, qui jam inde à majoribus filii fœderis fuerunt. R. Levi Lev. 16. 29. *Non recipimus advenam justitiæ nisi admiserit Legem totam*. Ergò *proselyti*, qui ex Gentibus in fidem & consortium populi Dei transierunt. Hi ante omnia circumcidi debebant: unde dicunt, *Proselytus non est proselytus nisi circumcisus fuerit: debet autem circumcidi tribus præsentibus*. Talis erat Herodes M. à majoribus Gentilis, sed religione factus Judæus. Qui propterea *proselyti* vocantur, & regnum eorum dicitur מלכות גרים *regnum proselytorum*. De quo aliàs.

11. *Cretes & Arabes*] i. ערבים. Syriacè ערביא & ערבי. Gal. 4. 25. *Sina mons est in Arabia*, בערב. Dicti *Arabes*, ut quidam opinantur, παρὰ τὸ ערב ἑσπέρα: unde & *Erebus*. Ergò *Arabes* q. ἑσπέριοι, qui & ab eadem re ἐρεμβοὶ. Sanè origo nominis eadem. R. S. appellatos putat ab eo quòd in solitudine, quæ *Araba* Hebræis dicitur, plurimùm habitarent. Verba ejus habentur ad locum Jeremiæ בערבי במדבר, *Arabes*, inquit; *habitabant tabernacula, & perpetuò erant foris in solitudinibus sive desertis: propterea vocatur Arabs vel Arabus, q. habitans in Araba, h. e. in solitudine vel deserto*. Hucusque R. ille.

24. *Doloribus mortis*] חבלי מות & *dolores* & *funes* sign. *mortis*. Sed cùm *dolores* sign. tunc legunt חֵבֶל, cùm *funes* autem חֶבֶל. Quæ tamen confundi scias. Nam Psal. 116. 3. חבלי מות Hiero. *funes mortis*, & rectiùs, meo judicio, quàm LXX ὠδῖνες θανάτου: siquidem in morte nulli dolores. Similiter Psal. 18. 4. Hiero. *funes mortis*, & LXX ὠδῖνες θανάτου, ubi in Hebreo fonte חבלי מות. Pro quo versu proximè sequenti חבלי שאול, h. e. interprete Hiero. *funes inferni*. Sed in LXX est ὠδῖνες ᾅδου. Quod noto, quia Vulg. interpres hic habet, *solutis doloribus inferni*. Nec aliter Syrus, nisi quòd חבליה דשיול in eo potest exponi *funes ipsius sepulcri*. Nam שיול etiam *sepulcrum* denotat. Sic ᾅδης de *sepulcro* dici certum est: propriè tamen *inferos* sign. Porrò autem *solvendi* verbum meliùs convenit *funibus* quàm *doloribus*: ut versio illa, *solutis funibus mortis*, si Græca id permitterent, in omnes partes melior sit.

27. *Non relinques animam meam in inferno*] Vel, *apud inferos*. Ineptè faciunt qui hunc locum aliter enarrant quàm de Sepulcro. Nam ipsum Apostolum habent sibi adversantem, qui Davidem *præscium futurorum* hic *locutum esse* ait *de resurrectione Christi*, qui *non fuit relictus in sepulcro* quando resurrexit: *David* autem *& obiit & sepultus fuit*; *& ejus monumentum*, inquit, *est hodièque apud nos*: Ac proinde non de se locutus est, sed de alio quem *Deus ex fructu lumbi ejus excitaturus esset*. Omnia hæc folia farfari sunt & nugæ meræ, si nomine *inferni* vel ipsos inferos accipias, vel cruciatus animi quos moriens pertulit in cruce. Tunc enim locus commodissimè potest etiam exponi de Davide, qui neque apud inferos relictus fuit, nec etiam in cruciatibus illis quos *inferni* vocabulo denotari putant. Sed quid? etiamne *anima* de corpore mortuo dicitur, & ᾅδης de sepulcro? Omnino: & qui hoc negant, negant quod hodie apud eruditos controversiâ caret. Adhibe libellos meos. ¶ *Videre corruptionem*] i. corrumpi. Sic *videre mortem* pro *mori*. *Videre periculum* etiam dicitur qui versatur in periculo, aut qui periculum aliquod subit. Δώσεις autem valet *sines* ex Ebraismo. Verbum enim נתן, quando cum gerundio construitur, talem significationem habet. Ebræa sunt, לא תתן חסידך לראות שחת, *sanctùm tuum*, τὸν ὅσιόν σου, i. *pium tuum*. Nam *sanctus* etiam ἅγιος sig. qui Ebræis קדוש. Ὅσιος autem *qui pietatem ac religionem colit*, i. חסיד.

28. *Vias vitæ*] Quæ ducunt ad vitam. ¶ *Cum facie tua*] Apud te. Idem dicit *cum vultu tuo*. In fonte את פניך quod malè interpretantur *in conspectu tuo*: Nam id potiùs diceretur לפניך. Particula את hic idem valet quod עם *cum*, & pro *apud* usurpatur. ¶ *Replebis me*] Hanc versionem in viam reduces, si deleto pronomine legas πληρώσεις εὐφροσύνης *repletiones lætitiæ*. Hoc Ebræus dicit *satias lætitiarum cum vultu tuo*, i. πλήρωσιν. Nam πλήρης idem quod *satur*: unde *satur dierum*, quod reddunt *plenus dierum*.

31. *Caro ejus*] i. corpus, suprà v. 26. *insuper & caro mea requiescet in spe*. Sic, *erunt in carnem unam*, i. una caro, unum corpus. Sic, *resurrectio carnis*. Quippe anima non resurgit nisi cum corpore. Non enim certè moritur. Huc retulerim quod v. 30 τὸ κατὰ σάρκα, *quod ad carnem attinet*. Quanquam alii aliter enarrant. In eodem versu καθίσαι est quod Ebræi dicunt להושיב, *quem sedere faceret*, sive *collocaret*; non להשית, *quem poneret*. Quanquam David eo usus est Psal 132. 11. אשית לכסא לך, quod Græci convertunt, θήσομαι ἐπὶ τῷ θρόνου σου, *ponam super thronum tuum*.

40. *Salvamini*] הושעו *Servamini*, non השמרו, quod magis *cavete vos* designat. Verbum *salvandi* non est barbarum: Siquidem eo usi sunt Cicero in 2. De nat. Deor. & Quintilianus.

42. *Et fractione panis*] Infrà 46. *frangentes panem*. *Frangere*

gere dicunt פרס, unde nomen פרוסה *fragmentum*, *frustum*. De ritu frangendi panem in convivio vide lib. Musar, 122. 1. Non frangebant nisi finitâ benedictione. Frangebant autem quod erat pulcerrimum & optimè coctum: nec minus quàm frustum sicut oliva, nec amplius quàm frustum sicut ovum. Nam qui prehendit frustum quale est ovum, ecce hic est vorax. Magister convivii, qui בעל סעודה dicebatur, frangebat panem, & ponebat quod fractum erat ante discumbentes; non dabat in manu eorum. Vide sequentia.

44. *Habebant omnia communia*] Ut olim Essæi: de quibus Eusebius Προπαρασκ. l. 9. c. 1. Quos propterea quidam Christianos fuisse conjiciunt, sed levi nimiùm conjecturâ.

CASAUBONUS.

1. ΗΣαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτὸ] Sic apud Herodotum συλλέγεσθαι ἐπὶ τοῦτο. Sed ἐπὶ hic est pro ἐν. Vocem ὁμοθυμαδὸν Syrus vel neglexit vel pro ὁμαδὸν accepit, ut ἐκ παραλλήλου dictum sit ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό· vide infrà ad c. 15. 25.

2. *Καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον οὗ ἦσαν καθήμενοι*] Notanda Græcorum hæc observatio, ἐπλήρωσε τὸν οἶκον ὅλον ἡ πνοὴ, κολυμβήθρας τάξιν ἀναπληροῦσα, ἐπεὶ καὶ ἐπήγγελτο αὐτοῖς ἐν πνεύματι βαπτισθήσεσθαι, h. e. *Replevit domum totam flatus, ut esset piscina similis; quandoquidem Apostolis promissum fuerat, fore ut baptizarentur Spiritu sancto:* unde apparet quod superiori capite notavimus, v. 5. observandam esse propriam vocis βαπτίζειν significationem. Alioquin impropriè βαπτίζεσθαι ibi positum videbitur, ut esset plena antithesis: sicut impropriè Paulus *legem fidei* dixit, ut opponeret *legi operum*: quæ est summi Theologi Joh. Calvini sententia.

12. *Τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι;*] Eleganter verbum θέλειν de rebus inanimatis loquens usurpavit: quod reperitur quidem etiam apud Herodotum, Platonem, atque alios: Aristoteles verò omnium maximè eo videtur delectari. Ἠθικῶν μεγάλων lib. 2. Διὸ καὶ ἀνώνυμος ἡ ἀρετὴ ἡ τῇ κακίᾳ τῇ θηριότητι ἀντικειμένη· θέλει δὴ τῇ τοιαύτῃ ἀντικεῖσθαι ἡ θεία καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον. Nicomachiorum lib. 4. βούλεται γὰρ ὁ τοιοῦτος εἶναι ὁ ἔν τι κακὸν ἔχων.

21. Καὶ ἔσται, Πᾶς ὃς ἂν] In Scholiis est ὃς ἐὰν, quod est usitatius his quidem in libris. Sic apud Athenæum lib. 4. ὅσοι ἐὰν πίωσιν. Idem lib. 9. ἵνα τοὺς δασύποδας οὓς ἐὰν λάβωμεν ἀλλὰ διαπάττειν ἔχῃς. Falluntur enim qui proprium hoc auctoribus N. T. existimant ut ἐὰν pro ἂν usurpent; quod alii quoque sæpe faciunt.

23. *Διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε*] Vetus Int. neglectâ temporis significatione vertit *affigentes*: quod propter Latini sermonis inopiam sæpe est necesse. Nam etsi non malè hæc per participium passivum exprimuntur, est tamen ubi verbo activo malis uti. Sæpe etiam per verbum hujusmodi participia rectè expresseris. Nec malè, opinior, hunc locum ità cum Syro interprete veteris, *quem manibus sceleratis cruci affixistis & interemistis.* Idem Syrus legisse videtur βαλόντες, non λαβόντες.

36. Ὅτι Κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε] Notat Scholiastes, τὸ Ἐποίησεν ἀντὶ τοῦ Κατέταξε καὶ Κατέστησεν, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ Οὐσίωσε quod adversùs τοὺς Ἀρειανίζοντας est observ.

39. *Καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν*] Probo doctissimi viri interpretationem, *& omnibus longè post futuris.* Veruntamen & Græcus Scholiastes & Syrus interpres opponi putant τῷ ἐγγύς, & sine præpositione legisse videntur.

43. Ἐγένετο δὲ πάσῃ ψυχῇ φόβος] h. e. πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις. Nam vocem ψυχὴ ità alii quoque Græci auctores usurpant. Polybius lib. 16. τὸ γὰρ φάσκειν ἔνια τῶν σωμάτων ἐν φωτὶ θέμενα μὴ ποιεῖν σκιὰν, ἀπηλγηκυίας ἐστὶ ψυχῆς, h. e. *hominis deplorati.*

46. Κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον μετελάμβανον τροφῆς] Frangere panes suos solebant Judæi potiùs quàm cultris secare: unde toties in istis libris κλᾶν τὸν ἄρτον quod loquendi genus etiam apud Xenophontem reperio Ἀναβάσεως lib. 7. καὶ πρῶτος τοῦτο ἐποίει Σεύθης ἀνελόμενος τοὺς παρακειμένους αὐτῷ ἄρτους διέκλα κατὰ μικρὸν καὶ διερρίπτει οἷς αὐτῷ ἐδόκει.

47. Καὶ ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν] Ἔχειν χάριν accipitur h. l. ut in illo carmine proverbiali.

Ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει τρυγώμενα.

GUALTPERIUS.

1. ΚΑΙ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς] Πεντηκοστὴ ἡ, sc. ἡμέρα, *quinquagesima*, sub. *dies.* literis Divinis πεντηκοστὴ *quinquagesimam* significat *diem à festo Paschatis*; vel *festum ipsum quod eo die agitur.* Scriptores Ecclesiastici vocem Græcam eandem in Latinis retinent, ut & Syrus, פנטיקוסטי & פנטיקוסטא *pentikusti.* Apud scriptores profanos πεντηκοστὴ sig. *quinquagesimam partem*, vel simpliciter *quinquagesimam.* Aliis, *tributum quinquagesima bonorum partis.* Hinc πεντηκοστεύομαι *quinquagesimam solvo*, seu *quinquagesima à me exigitur*: πεντηκοστολόγος, *qui quinquagesimam partem colligit vel exigit*: & verbum πεντηκοστολογέω, *quinquagesimam colligo*: πεντηκοσταῖος, *qui quinquagesimâ die aliquid facit*: πεντηκοστὺς ύος, ἡ, *ordo militaris qui constat ex viris* 128. De his Suidas ità, Πεντηκοστὴ μετὰ, τὸ τέλος ὃ τελοῦσι· πεντηκοστολόγοι δὲ, οἱ τοῦτο ἐκλέγοντες· πεντηκοστεύεσθαι δὲ, τὸ πράττεσθαι τὴν πεντηκοστὴν, &c.

4. Ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, *cœperunt loqui aliis linguis*] In Syro est *incipiebant loqui* בלשן לשן *linguâ linguâ*, i. diversis linguis. Hebraismus admodum familiaris. Græcis ἑτερόγλωσσοι 1 Cor. 14. 21.

10. Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι] Vox προσήλυτος Græca est ex προσελεύθω *accedo*, *advenio.* Latinè igitur *advenam* vel *peregrinum* sig. Peculiari autem significatione apud Ecclesiasticos scriptores dicti sunt *proselyti* qui ex paganismo ad Judaismum erant conversi; seu qui ex Ethnicis, legibus Mosis & ceremoniis initiati Judaismum profitebantur, non illi quidem gente sed adoptione Judæi. Apud Syr. est vox גיורא *peregrinus*, ex radice גיר *peregrinatus est.* In Ithpael אתגיר vocetur *proselytum fieri.* Indè מתגיר *qui à Judaismo ad Christianismum transit*, vel *à Christianismo ad Judaismum deficit*: προσηλύσεως χρόνος *tempus accessûs ad Christum*, i. accedendi ad Christum. Suidas, Προσήλυτοι, οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες, καὶ κατὰ τοὺς θείους πολιτευόμενοι νόμους.

29. Περὶ τοῦ πατριάρχου Δαβὶδ] Πατριάρχης vox Græca, q. d. *primus*, seu *princeps*, *patrum*: sed non eodem semper initio. Abraham enim dicitur *Patriarcha populi*, cùm ad Abraham usque genus populi deducitur. Itidem Israel, cùm ab eo populus Israel denominatur. Sic & XII filii Jacobi dicti *Patriarchæ*, quòd singulæ tribus ab iis tanquam auctoribus generis nomen acceperint. Ad David non tam generis quàm præstantiæ ratione *Patriarcha* vocatus putatur; necnon quoniam Sanhedrin, i. summus Senatus, erat ex familia David. Scimus autem Senatores Patrum quodammodo haberi loco, adeò quidem ut etiam à Romanis hoc appellati fuerint nomine. Postea verò in Ecclesia, tanquam in spirituali familia, Episcopi quidem πάππαι, i. πατέρες *Patres*; Archiepiscopi verò πατριάρχαι, i. *inter Patres primi*, seu *Principes*, appellati fuerunt. Sed horum crescente ambitione, præcipui Archiepiscoporum, quos vocabant *primæ sedis Episcopos*, hoc nomen ad se rapuerunt; donec quatuor primùm hoc nomen præ cæteris obtinuerunt, videlicet Romanus, Hierosolymitanus, Antiochenus, Alexandrinus. Quibus accessit postea Constantinopolitanus, ex Quinto propter Novæ Romæ dignitatem factus Secundus. Tandem verò tribus illis abolitis, factus est πάππας universalis Romanus, eâ exceptâ prædæ portiunculâ quam ad hunc usque diem retinet Constantinopolitanus patriarcha. Hæc ex Thesauro H. Steph. Syrus habet vocem אבהתא. Significat autem אבא idem quod Hebræis אב *Pater*, *Abbas*: & sic κατ' ἐξοχὴν de Principe Patrum accipitur.

GROTIUS.

EN τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, *Cum complerentur dies Pentecostes*] Optimè & Syrus & Latinus hic legêre τὰς ἡμέρας [*dies*;] agitur enim non de una die, sed de toto dierum ambitu. Et familiare Hebræis id loquendi genus. Sic ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι [*impleta erant dies*] habemus Gen. 25. 24. Levit. 12. 4. & pro eodem ἐπλήσθησαν ἡμέραι [*consummati sunt dies*] Luc. 2. 21. Πεντηκοστὴ [*Pentecoste*] Hellenistis vocatur non semper dies ultima, sed sæpe totum illud tempus dierum quinquaginta à Paschate, שבועות [*Septimanæ*] Hebræis. Sic & Tertullianus Idololatria, *Excerpta singulas solennitates nationum, & in ordinem exsere, Pentecosten implere non poterunt.* Sic Canon Nicænus vetat genua flecti ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις [*diebus Pentecostes.*] Dies ultimus septem septimanarum erat dies latæ Legis, ut colligitur Exodi 19. 1. 11. vocabaturque ob id מתן תורה *festum Legis.* Eodem die cœpit prædicari ab Apostolis Lex nova, complementum veteris. ¶ Ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό. *erant omnes pariter in eodem loco*] Deus dona sua promisit unitati. In Manuscripto veteri, πάντες ὁμοῦ [*omnes simul*,] *omnes illi* CXX. *in uno loco*; & sic accepit Hesychius, ἐπὶ τὸ αὐτό. ὁμοῦ εἰς τὸν αὐτὸν τόπον [*eòdem: simul, in eundem locum.*]

2. Ὥσ-

2. Ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, *tanquam advenientes Spiritûs vehementis*] Πνοὴ [*ſpiritus*] ſignum Divini adventûs, Gen. 3. 8. at addita voce βιαίας [*vehementis*] magnitudo donorum ſupra Prophetica ſignificatur. ¶ Καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον οὗ ἦσαν καθήμενοι *& replevit totam domum ubi erant ſedentes*] Præſagium ſic etiam implendi totius orbis, per quem Eccleſia diffuſa eſt.

3. Διαμεριζόμεναι γλῶσσαι, *diſpertitæ linguæ*] Pœna linguarum diſperſit homines, Geneſ. 11, Donum linguarum diſperſos in unum populum recollegit. ¶ Ὡσεὶ πυρός, *tanquam ignis*] Summa efficacia & ſplendor prædicationis ſignificatur. Vide quæ dicta Matth. 3. 11. Philo ad Decalogum, Ἐπειδὰν τοῦ πυρὸς τὸ μὲν φωτίζειν, τὸ δὲ καίειν πέφυκεν, οἱ μὲν τοῖς χρησμοῖς ἀξιοῦντες εἶναι κατακειθεῖς ὡς ἐν ἀσκίῳ φωτὶ τὸν ἀεὶ χρόνον βιώσονται, τοὺς νόμους αὐτοὺς ἀστέρας ἔχοντες ἐν ψυχῇ φωσφοροῦντας· ὅσοι δ' ἀφηνιασταὶ, καιόμενοι καὶ κατακαιόμενοι διατελοῦσιν ὑπὸ τῶν ἔνδον ἐπιθυμιῶν, αἳ φλογὸς τρόπον πορθήσουσι τὸν σύμπαντα τῶν ἐχόντων βίον [*Quoniam ignis habet vim geminam, illuſtrandi urendique; præcepta hæc obedientibus erunt per totam vitam pro lumine, legibus ceu ſideribus animæ prælucentibus: quotquot autem contumaces fuerint, æſtuabunt urenturque inteſtinis concupiſcentiis, more flammæ totos homines ſemel occupatos depaſcentibus.*] Confer 2 Cor. 2. 16. & quem ad primum caput citavimus Eſaiæ locum 4. 4. ¶ Ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν. *ſeditque ſupra ſingulos eorum*] Significabat hæc ſeſſio perpetuò illis hoc donum adfuturum, quoties negotium ipſis eſſet cum Gentibus linguæ alterius. Prophetis Prophetia rarò aderat cùm Deus vellet, neque certi erant Prophetæ quando eam eſſent habituri. Exempla habemus in Nathane, Samuele, Eſaia.

4. Ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, *cœperunt loqui aliis linguis*] Aliis, quàm quas didicerant. Quod hîc eſt ἑτέραις [*aliis*,] id eſt, καιναῖς [*novis*] apud Marcum 14. 17. Noli iis credere, qui miraculum in auribus audientium factum aſſerunt. Manifeſtè omnia eis reſiſtunt quæ ſunt 1 Cor. 12. 10. & 12. 28, 30. & 14. 2, 4, 5, 6, 9, 13, 14, 18, 19, 22, 23, 26, 27, 39. ¶ Ἀποφθέγγεσθαι. *eloqui*] Solet de Prophetis uſurpari hæc vox, reſpondens Hebræis נבא [*prophetare*,] קסם [*divinare*,] פתר [*explicare*] & ſimilibus. Vide infra 14.

5. Ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες, *Erant autem in Jeruſalem habitantes*] Verbum κατοικεῖν [*habitare*,] hic reſpondet Hebræo ישב, quod & κατοικεῖν [*inhabitare*] & παροικεῖν [*inquilinum eſſe*], verti ſolet, interdum & διατρίβειν [*commorari.*] Itaque dicitur non tantùm de iis qui ſedem fixerant, ſed & de iis qui ad Paſcha aut ad Pentecoſten celebrandam in Urbem venerant, ad tempus aliquod ibi ſubſtituri. Id oſtendunt ſequentia: nam Hieroſolymis qui domicilium habebant, eos credibile eſt linguam noviſſe Hieroſolymitanam; non item cæteros. Adde quòd ſub hoc nomine veniant & quibus domicilium in Meſopotamia, & qui Romanorum in Judæa peregrinabantur, infra 9. 10. ¶ Ἄνδρες εὐλαβεῖς, *viri religioſi*] אנשי יראה. Frequens apud Hebræos loquendi genus. Sic vocantur non hi tantùm qui ſe Legi ſubjecerant, verùm etiam viri pii qui idololatria deſerta puriùs vivere inſtituerant: nam tales quoque ad Templum veniſſe apparet, 1 Regum 8. 41. Joh. 12. 20. ¶ Ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν *ex omni natione quæ ſub cœlo eſt*] Id eſt, de ſexdecim nepotibus Noæ, unde propagatæ gentes cæteræ.

6. Γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης, *Factâ autem hac voce*] Φωνὴ [*vox*] pro *fama*, ut Num. 16. 34. 1 Regum 1. 40. & alibi. ¶ Καὶ συνεχύθη. *& mente confuſa eſt*] Id eſt, συνεταράχθη, ἐμερίμνα, *animo fuit turbido ac ſollicito*. Omnibus his vocibus reddi ſolet Hebræum חרד, & hoc explicant ſequentia verſu 7. 12.

7. Οὐκ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι; *Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilæi ſunt?*] Id eſt, homines indocti. Vide Johan. 1. 46.

9. Πάρθοι, *Parthi*] ארפכשד [*Arphaxad*,] Gen. 10. 23. ¶ Καὶ Μῆδοι, *& Medi*] מדי [*Madai*,] ibidem 2. ¶ Καὶ Ἐλαμῖται, *& Elamitæ*] עילם [*Ælam*,] ibidem 22. *Elymæi* vicini Perſis & Medis. Vide Strabonem, Livium, Plinium, noſtra ad Danielem 8. 2. ¶ Καὶ οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, *& qui habitant Meſopotamiam*] ארם [*Aram*] dicto commate 23. ¶ Ἰουδαίαν τε, *Judæam*] Quæ olim terra כנען [*Canaan*,] Gen. 10. 15. ¶ Καὶ Καππαδοκίαν, *& Cappadociam*] משך [*Mazach:*] urbs præcipua *Mazaca*. In omni hoc Aſiæ tractu populos paucos fuiſſe Græcos, Barbaros pleroſque docet nos Strabo libro 12. Illorum Barbarorum erant linguæ illæ duæ & viginti, quas didicerat Mithridates. ¶ Πόντον, *Pontum*] תירס [*Thiras*] 2. ¶ Καὶ τὴν Ἀσίαν, *& Aſiam*] גמר [*Gomer*] 2.

10. Φρυγίαν τε, *Phrygiam*] אשכנז [*Aſchenaz*] 3. Vide Annotata noſtra ad librum 1. de Veritate Religionis Chriſtianæ. ¶ Καὶ Παμφυλίαν, *& Pamphyliam*] ריפת [*Riphat*] 3. ¶ Αἴγυπτον, *Ægyptum*] מצרים [*Miſrajim.*] 6. Κόπτος [*Coptus*] Urbs mercatu jam olim celebris cum articulo & levi mutatione Αἴγυπτος, *Ægyptus*.] Inde terræ & flumini nomen apud Græcos. Ipſi ſe Μεσορὶ [*Meſori*] vocabant. Vide noſtra quæ jam diximus Annotata. ¶ Καὶ τὰ μέρη τῆς Λιβύης τῆς κατὰ Κυρήνην, *& partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen*] Nomen quidem *Lybium* reſpondet Hebræo להבים [*Lehabim.*] Sed Græci ſic totam Africam vocant quæ פוט [*Phut*] Gen. 10. 6. & Auguſtinus hunc locum citans, *Africam* nominat. ¶ Καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, *& advenæ Romani*] Orti ex יון [*Javan.*] ¶ Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, *Judæi quoque & Proſelyti*] Romæ multi erant Judæi ut nos docent Cicero & Horatius. Multæ etiam fœminæ & Libertini ſe eis addebant. Teſtes Tibullus, Ovidius, Philo & alii.

11. Κρῆτες, *Cretes*,] Pars יון [*Javan*,] cujus mentio ibidem 2. ¶ Καὶ Ἄραβες, *& Arabes*] Pars poſterûm כוש [*Chus*] ibidem 6. ¶ Τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *magnalia Dei*] *Dei potentiam*, quæ Jeſu reſuſcitato apparuit: id enim præcipuum argumentum fuit, quo converſus eſt Mundus, ſuprà 1. 22. infra 24. & 3. 33.

12. Διηπόρουν, *Stupebant*] *Hæſitabant* vertit Auguſtinus rectè. ¶ Τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι; *Quidnam vult hoc eſſe*] מה [*quidnam*,] Hebræis admirantium vox.

13. Ἕτεροι δὲ χλευάζοντες, *Alii autem irridentes.*] מלעבים [*ſubſannantes*] ut eſt 2 Paral. 36. 16. ubi Græci μυκτηρίζοντες [*deridentes.*] ¶ Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. *quia muſto pleni ſunt iſti*] מלאי עסיס [*pleni muſto.*] Eſt autem γλεῦκος [*muſtum*] hic, γλυκασμὸς [*dulcedo*] Joel 3. 18. Amos 9. 13. *ſapa*, vel *defrutum*, vinum ex muſto decoctum, eoque perpetuam dulcedinem retinens.

15. Ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτοῦ, *levavit vocem ſuam*] Ut gregis non Chriſtiani tantùm, ſed & Apoſtolici paſtor. Hic incipit nominis ſui à *rupe* dicti meritum implere. ¶ Καὶ ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου. *& auribus percipite verba mea*] Ἐνωτίζειν [*auribus percipere*] vox eſt Helleniſtica confecta ad exprimendum Hebræum האזין. Ἐνωτίζετε τὰ ῥήματά μου [*verba mea auribus percipite*] habes Job. 32. 10. Pſal. 5. 1. & alibi.

15. Ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας. *cum ſit hora diei tertia*] Id eſt, tempus precum matutinarum, ad quas homines, vel mediocriter pii, non ibant niſi jejuni. Imò diebus feſtis ad ſextam uſque horam jejunatum docet nos Joſephus de vita ſua.

16. Ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ Προφήτου Ἰωήλ. *Sed hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Joel*] Iterum evenit quod Joel de temporibus ſibi propioribus prædixerat. Antequam Deus judicia ſua per Nabuchodonoſorem exerceret in Judæos, Eſaiam, Jeremiam, Ezechielem, feminas etiam nonnullas donavit prophetiâ. Sicut verò judicia, quæ per Romanos Deus erat exerciturus, multò futura erant atrociora, ob diſſipationem Gentis ſine ſpe reſtitutionis, par erat ut majora etiam beneficia præcederent ad convincendam Judæorum duritiem; id nunc eveniebat. Itaque monet Petrus ſingulos ne tantum beneficium negligant, ut ſic Gente pereunte ipſi ſerventur, ſicut olim illi per ת ſignati apud Ezechielem.

17. Ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις, *in noviſſimis diebus*] In Hebræo eſt אחרי כן, id eſt, *poſt iſta*: Sed idem ſolere ſignificari per באחרית הימים, quod eſt ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις [*in noviſſimis diebus*,] notavimus ad Gen. 49. 1. & alibi: LXX hoc loco, ἔσται μετὰ ταῦτα [*erit poſthac.*] Sequitur Lucas in hujus loci, ut & aliorum productione, LXX Interpretes, non tamen ad amuſſim, verbis interdum mutatis aut tranſpoſitis, quod & Moſes fecit Decalogum in Deuteronomio recitans. ¶ Ἐπὶ πᾶσαν σάρκα. *ſuper omnem carnem*] *In diverſæ ſortis homines.* ¶ Καὶ προφητεύσουσι, *& prophetabunt*] *Afflatum ſentient*, ut Philippi filiæ, Agabus. ¶ Ὁράσεις ὄψονται, *viſiones videbunt*] Ὀπτασίας, *viſa divinitus excitata*, quale eſt quod Petro obvenit de animalibus immundis, & Ananiæ infra 9. 10. ¶ Ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται. *Somnia ſomniabunt*] *Viſa nocturna à Deo accipient*, ut Paulus infra 16, 9.

18. Ἐπὶ τοὺς δούλους μου, καὶ ἐπὶ τὰς δούλας μου, *ſuper ſervos meos & ſuper ancillas meas*] In Hebræo eſt, *Super ſervos & ancillas*, ſupple *etiam*: contra dictum Hebræorum, *Spiritus Sanctus non requieſcit ſuper animam pauperis.* ¶ Ἐκχεῶ, *effundam*] Significatur larga donatio.

19. Καὶ δώσω τέρατα, *Et dabo prodigia*] Reſpondet Hebræo מופתים, quod & hic & alibi per τέρατα [*prodigia*] vertitur. ¶ Καὶ σημεῖα, *& ſigna.*] Id non eſt hic in Hebræo: ſed valet idem quod aliis in locis Hebræum אותות, quod cum מופתים [*prodigiis*] ſæpe junctum invenitur. Sic & τέρατα

 [*pro-*

{*prodigia*} & σημεῖα, {*signa*} conjunguntur Joh. 4. 48. hic infra 4. 30. & 7. 36. Roman. 15. 19. & in Estheris capite ultimo. ¶ Αἷμα, *sanguinem*] Multas cædes. ¶ Καὶ πῦρ καὶ ἀτμίδα καπνοῦ. *& ignem & vaporem fumi*] Multa incendia oppidorum, vicorum, villarum.

20. Ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος, *Sol convertetur in tenebras*] Per fumum qui cœlum obtidebit. ¶ Καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα, *& Luna in sanguinem*] Propter aërem qui multum sanguinem attrahet. ¶ Ἐπιφανῆ. *manifestus*] Bene vertit נורא, quomodo & LXX; est enim à ירא *Videre*. vertitur eodem modo Jud. 13. 6. 1 Paralip. 17. 21. Hab. 1. 7. Malach. 1. 14. alibi μέγας {*magnus*,} χαλεπὸς {*difficilis*,} θαυμαστὸς {*admirabilis*,} θαυμαζὸς {*admirandus*,} φοβερὸς {*terribilis*,} κραταιὸς {*potens*,} ἔνδοξος {*illustris*.} Dixit hoc Joël de die excidii per Nabuchodonosorem, Petrus de die excidii per Romanos: omnes enim dies beneficiis aut pœnis illustres *dies Domini* vocantur, ut bene notavit Maimonides Ductore dubitantium 2. 29.

21. Καὶ ἔσται, Πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται. *Et erit, Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*] Pii eripientur communi exitio. Vide quæ diximus ad Matth. 24. 16. & sequentibus. Idem in altero excidio evenerat, Ezechiel 9. imo & in ipsa captivitate pii in honore fuerunt, ut Daniel & socii ejus. Sic & Apollos, Timotheus & alii Apostolorum discipuli. ἂν pro ἐὰν usurpant, & alii, & Dionysius Halicarnassensis.

22. Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, *Jesum Nazarenum*] Appellant eum eo nomine quo vulgò vocatus fuerat. Matth. 26. 71. Marci 1. 44. & 10. 47. & 14. 67. & 16. 6. Lucæ 4. 34. & 18. 37. & 24. 19. Johan. 18. 5, 7. & 19. 19. hoc libro infra 3. 6. & 4. 10. & 6. 14. & 22. 8. & 26. 9. ¶ Ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς, *approbatum in vobis*] *Conspicuum vobis*. Sic κοράσιον ἀποδεδειγμένον, Esther. 2. 9. נערה ראויה, *puella spectabiles*. ¶ Δυνάμεσι, *virtutibus*] גבורות. ¶ Καὶ τέρασι καὶ σημείοις, *& prodigiis & signis*] De his vocibus jam diximus. Hæc tria junctim habes & 2 Corinth. 12. 12. Mos est Hebræorum res magnas pluribus vocibus eloqui.

23. Τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες, *definito consilio & præscientia Dei traditum*] Deus constituerat ut *Christus per perpessionem in gloriam intraret*, Lucæ 24. 26. hoc est, τὸ ὡρισμένον {*definitum*} de quo egimus ad Luc. 22. 22. idem est πρόγνωσις hic, & 1 Petri 1. 2. nam προγινώσκειν in his libris *decretum* sæpe significat, sicut & Latinum *sciscere*, unde *scita*. Roman. 8. 29. & 11. 2. 1 Petri 1. 20. Ut hoc decretum ad exitum perveniret permisit Deus Judæos de Christo agere quæ vellent, cùm id impedire facillimè posset. Matth. 24 53, 54. ἔκδοτον {*traditum*} idem est quod alibi sæpe παραδοθέντα, *permissum ipsis*. Matth. 17. 22. & 20. 18. Vide & Lucæ 22. 53. ἔκδοτοι sunt propriè *qui deduntur hostibus*. Sic Deus Christum dedidit hostibus. ¶ Διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε. *per manus iniquorum affigentes interemistis*] *Interfecistis eum crucifigendo per Romanos*, qui ἄνομοι {*iniqui*,} quòd Dei legem nullam observarent: eodem sensu ἁμαρτωλοὶ {*peccatores*,} Matth. 26. 45. Marci 14. 41. Lucæ 24. 7. In manuscripto veteri est διὰ χειρὸς ἀνόμων, non male, ביד רשעים {*per manum impiorum*.} Dicuntur per Romanos hoc fecisse Judæi, quòd à Romanis importunis flagitationibus ac minis extorsere. Facit, qui facit ut fiat. Προσπήξαντες {*Affigentes*} dictum breviter pro προσπήξαντες σταυρῷ {*affigentes cruci*.} Sic προσηλώσας σταυρῷ {*affigens cruci*} dicitur Coloss. 2. 14. *Cruci affigere* dixit Curtius: *Cruci suffigere* Suetonius.

24. Λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, *solutis doloribus mortis*] חבלי מות, ὠδῖνες θανάτου {*dolores mortis*} Græcis Interpretibus non est *mors*, aut *status post mortem*, sed *gravissimi dolores, quales solent esse mulierum in partu morientium*. Apparet 2 Samuel. 22. 6. Psalmo 18. 5. & 116. 3. Ab his doloribus Deus Christum liberavit, resuscitando eum ad vitam nullis doloribus obnoxiam. Λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου {*solvens dolores inferni*} ait Barnabas. ¶ Καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ᾽ αὐτοῦ. *juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*] Arabs legit ὑπ᾽ αὐτῶν {*ab illis*} nempe τῶν ὠδίνων {*doloribus*} Οὐκ ἦν δυνατὸν, id est, *non erat par, non erat æquum*, quomodo δύναται {*potest*} sumitur Matth. 11. 15. & alibi. Non erat æquum ut vir innocens diu subjaceret alienæ malitiæ.

25. Δαβὶδ γὰρ λέγει εἰς αὐτὸν *David enim dicit in eum*] *De ipso*. Rectè hoc dicit, quia Judæis persuasum erat, res Davidis esse typos Regis Messiæ. Habent quæ sequuntur sensum suum in Davide, sed magis figuratum. Voluit autem Deus in Messia eadem impleri magis κατὰ πόδας {*verbotenus*,} ne quid causari posset populus voculaum anceps. ¶ Ἐκ δεξιῶν μου ἐστὶν, *A dexteris est mihi*] Id est, *opitulatur mihi* tanquam παραστάτης {*adstes*.} ¶ Ἵνα μὴ σαλευθῶ. *Ne commovear*] Ne dejiciar de regni promisso.

26. Καὶ ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσά μου *Et exultavit lingua mea*] LXX sic posuere, quia in eorum codicibus fuit לשוני {*lingua mea*,} pro כבודי {*gloria mea*,} quales in libris veteribus varietates multæ fuere. ¶ Ἔτι δὲ καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ᾽ ἐλπίδι, *Insuper & caro mea requiescet in spe*] Hoc dixit David Saulis metu latebras ex latebris quærens: Christus ante crucem & in cruce.

27. Ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*] De Davide sensus, Non patieris me interfici à Saule, 1 Samuel. 22. 1. de Christo, Non relinques me diu sub regno mortis. ψυχήν μου {*animam meam*,} id est, *me*: frequens Hebraismus. ¶ Οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθορὰν, *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*] δώσεις, *permittes*. נתן Hebræum vertitur per ἀφιέναι {*dimittere*,} ut Genes. 20 6. Exod. 12. 23. & per ἐᾶν {*permittere*} interdum, sæpe & διδόναι {*dare*,} ut Genes. 31. 7. & hic infra 27. τὸν ὅσιόν σου, חסידך {*sanctum tuum*} id est, *servum tuum pium*. ἰδεῖν διαφθορὰν {*videre corruptionem*} est μεταφορὰ {*Translatio*} ab animato ad exanime, id est, *perdi, interire*. Sensus idem qui in priori membro. Est enim ἐξήγησις {*explicatio*.}

28. Ἐγνώρισάς μοι ὁδοὺς ζωῆς. *Notas mihi fecisti vias vitæ*] De Davide, Eximes me his malis quæ morti comparantur: de Christo, Exımes me morti. ¶ Πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σου. *replebis me jucunditate cum facie tua*] De Davide intellige in templo; de Christo in cœlo.

29. Ὅτι καὶ ἐτελεύτησε καὶ ἐτάφη, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν, *quoniam & defunctus est & sepultus est, & sepulchrum ejus est apud nos*] Id est, in hac urbe, quod soli Davidi concessum. Non negat verba illa de Davide ullo modo posse intelligi, sed neque tam magnificè, neque tam κατὰ κυριολογίαν {*propriè*,} quàm de Jesu. Unde sequitur eum esse Messiam in Davide præfiguratum. David in sepulchro manet: Jesus non manet.

30. Ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, *De fructu lumbi ejus*] Verba sunt ex Psalm. 132. 2. ubi in Græco, Ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας σου {*de fructu ventris tui*,} Sensus eòdem recidit. ¶ Τὸ κατὰ σάρκα, *quod ad carnem attinet*] Hoc ideo addidit Petrus, quia Christum pro certo habebat conceptum ex Spiritu Sancto. ¶ Τὸν Χριστὸν, *Christum*] In hoc missum ut Rex esset populi Dei. ¶ Καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, *Sedere super sedem ejus*] Davidis regnum fuit super populum Dei: sic & Christi. Nec refert quod in Christi regno plures sint è Gentibus; Nam in his impletum est quod in Israële erat adumbratum.

32. Οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμὲν μάρτυρες, *cujus omnes nos sumus testes*] Non ex fama, sed ex iis quæ visu, auditu, tactuque percepimus. Hoc testamur omnes pariter, nihil inde lucraturi, nisi odia, verbera, carceres, mortes: quare nulla est causa cur nostro testimonio fidem derogetis.

33. Ὑψωθεὶς, *exaltatus*] In cœlestem regiam sublatus, Johan. Euang. 20. 17. ¶ Τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν, *& promissione Spiritus Sancti accepta*] Id est, impetrato à Patre jure mittendi Spiritum Sanctum, quod Pater ei promiserat. Vide Joh Euang. 14 26. & 15. 26. & 16. 13, 14, 15. ¶ Τοῦτο, ὃ νῦν ὑμεῖς βλέπετε, *hunc quem vos videtis*] Id est, *auditis*. Hebræi omnem sensum & internum & externum *videndi* vocabulo exprimunt. Agitur hic de subito linguarum usu.

34. Οὐ γὰρ Δαβὶδ ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς *Non enim David adscendit in cælum*] David in sepulchrum descendit, 1 Regum. 2. 10. non autem evectus est in cœlum ut Elias; quare verba Psalmi 110. in ipsum congruere non possunt. De eis Psalmi verbis vide quæ diximus tam ad ipsum Psalmum, quam ad Matthæum 22. 44.

36. Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ, *Certissimè sciat ergo omnis domus Israel*] ידע ידע {*sciendo sciat*} *Certo norit*. ¶ Ὅτι Κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε, *quia & Dominum eum & Christum fecit Deus*] *Dominum* rerum omnium, magis quàm Adamus fuerat: *Christum*, id est, Regem populi Dei.

37. Κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ, *compuncti sunt corde*] Sic vertitur יתעצבו, Genes. 34. 7. *dolorem sensere*. ¶ Τί ποιήσομεν; *Quid faciemus?* Quærunt an aliqua spes restet, & quæ.

38. Μετανοήσατε, *Pœnitentiam agite*] שובו, *emendamini*. ¶ Καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν *& baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum*] Non satis est Christo

cre-

credere, sed oportet & Christianismum profiteri, Roman. 10. 10. quod Christus per baptismum fieri voluit. Qui hæc præstat, certus sit de remissione peccatorum. Sic Constantino dixit Ægyptius quidam, *Πάσης ἁμαρτάδος ἀναιρετικὴν εἶναι τὴν τῶν χριστιανῶν δόξαν, καὶ τοῦτο ἔχειν ἐπάγγελμα, τὸ τοὺς ἀσεβεῖς μεταλαμβάνοντας αὐτῆς πάσης ἁμαρτίας ἔξω παραχρῆμα καθίστασθαι* [*Religionem Christianorum habere vim abolendi quodcunque peccatum, & id ipsum adeo polliceri, nimirum acceptantes eam homines impios mox omni delicto liberari,*] ait Zosimus. *Ἄφεσις ἁμαρτιῶν* [*remissio peccatorum,*] סליחה. ¶ *Καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος & accipietis donum Spiritus Sancti*] Per impositionem manuum Apostolicarum, infra 19. 6.

39. *Ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, Vobis enim est repromissio & filiis vestris*] Nempe remissionis peccatorum. Apparet id Jerem. 31. 34. Zachar. 13. 1. ¶ *Καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν, & omnibus qui longè sunt*] Jam dedicerant à Christo per eum remissionem peccatorum etiam Gentibus dari, Matth. 28. 19. supra 18: sed quibus legibus eam adepturæ essent Gentes, id necdum sciebant. ¶ *Ὅσους ἂν προσκαλέσηται Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster*] Id est, quicunque vocati paruerint. Nam sæpe in vocibus beneficium significantibus tacitè subintelligitur beneficii acceptatio. Sic nomen *vocatorum* sumitur, 1 Corinth. 1. 24. & Judæ 1. 1. Sic *revelari* sumitur Esaiæ 53. 1. Sic Deus *dare pœnitentiam* dicitur, 2 Timoth. 2. 25. *dare panem de cælo*, Joh. 6. 32. *dare cor*, Deuter. 29. 4. multaque sunt alibi pari sensu posita.

40. *Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης. Salvamini à generatione ista prava*] Id est, deserite hujus improbæ gentis mores. *Γενεὰ σκολιὰ* [*generatio prava*] dicitur ex Deuter. 32. 20. Respondet Hebræo עקש [*perversus*].

41. *Προσετέθησαν, appositæ sunt*] Nempe discipuli Jesu Christi, cœtui illi 120 hominum.

42. *Προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν Ἀποστόλων, perseverantes in doctrina Apostolorum*] Vide supra 1. 14. infra 46. & 6. 4. & 8. 13. & 10. 7. Roman. 12. 12. & 13. 6. Coloss. 4. 2. Hebræi dicerent שוקדים [*sedulò instantes.*] ¶ *Καὶ τῇ κοινωνίᾳ, & communicatione*] Cùm de *communione bonorum* infra demum agere incipiat, videtur hic vox *κοινωνίας* [*communicationis*] rectè intelligi pro *colloquio*, quo modo *κοινωνεῖν* [*communicare*] sumitur, Galat. 6. 6. ¶ *Καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, & fractione panis*] Frugalibus conviviis, quæ *Eucharistiæ* sumptione claudebantur: quare *Eucharistiæ* mentionem hic fecit Syrus. Vide quæ diximus ad Matthæum 26. 21. *κλᾶν ἄρτον*, פרס לחם [*frangere panem,*] Jerem. 16. 7. Hebræorum panes tales erant, qui manu facilè frangerentur; inde *fragmenta*, *μερίδες*, פתותים Hebræis. ¶ *Καὶ ταῖς προσευχαῖς, & orationibus*] Supra 1. 14. Tertullianus Apologetico, *Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus: Hæc vis Deo grata est.* Chrysostom. 2 Sermone, Cur obscurum sit Vetus Testamentum, *Ἐπειδὰν γὰρ καθ' ἑαυτοὺς εὐχόμενοι, καθὼς ἔφθην εἰπὼν, ἀσθενεῖς ἐσμὲν, ἀπὸ τοῦ συνδέσμου τῆς ἀγάπης δυσωποῦμεν τὸν θεὸν δοῦναι ἡμῖν τὰ αἰτούμενα* [*Cum enim singulorum, ut ante dixi, parùm valeant preces, charitatis vinculo flectimus Deum, & quæ poscimus extorquemus.*]

43. *Ἐγένετο δὲ πάσῃ ψυχῇ φόβος. Fiebat autem omni animæ timor*] Reverentia magna Apostolorum omnes tenebantur, propter sermonis vim & accedentia signa. Vide infra 5. 5, 11. *Ψυχὴν* [*animam*] pro *homine* & alii usurpant, & Epiphanius. ¶ *Πολλά τε τέρατα καὶ σημεῖα, multa quoque prodigia & signa*] Habes hæc duo & in Græco Estheris 10. 10. & infra 4. 30.

44. *Καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά. & habebant omnia communia*] Nempe quomodo Esseni, de quibus erat bona pars Christianorum, quorumque instituta Christus nunquam reprehenderat. De illis loquor Essenis qui conjuges ac liberos habebant. Philo, *Ἐστὶ ταμεῖον ἓν πάντων καὶ δαπάναι, καὶ κοιναὶ μὲν ἐσθῆτες, κοιναὶ δὲ τροφαὶ, συσσίτια πεποιημένων* [*una est omnium arca, una impensa, victus denique & amictus communis: cibum nec sumunt ferè nisi unà capiant.*] Hos idem Philo in libro de præmiis & pœnis dicit, *Τὰ ἴδια προφέρειν εἰς μέσον ἀγαθὰ εἰς κοινὴν μετουσίαν καὶ ἀπόλαυσιν* [*quæ cuique propria sint bona, ea in medium conferre, communi & usui futura & fructui.*] Idem de eis tradunt Josephus & Zachuth. Theophrastus de iisdem, *Θαυμάσιον καὶ αὐτοῖς τὸ κοινωνικὸν, οὐδ' ἔστιν εὑρεῖν κτήσει τινὰ παρ' αὐτοῖς ὑπερέχοντα· νόμος γὰρ, τοὺς ἐς τὴν αἵρεσιν εἰσιόντας, δημεύειν τῷ τάγματι τὴν οὐσίαν, ὥστε ἐν ἅπασι μήτε πενίας ταπεινότητα φαίνεσθαι, μήθ' ὑπεροχὴν πλούτου* [*Mirère & communionis eorum studium, nec qui plus reliquis possideat apud eos invenias. Lege enim hâc utuntur, ut, qui se eorum sectæ dant, bona ordini conferant, ut in universo cœtu nemo aut ob inopiam despectior aut ob divitias elatior appareat.*] Par vita Pythagoristarum, quorum multa instituta ab Essenis, aut eorum auctoribus. Jamblichus de iis, *Ἴδιον οὐδεὶς οὐδὲν ἐκέκτητο* [*nemo proprii possidebat quidquam.*] id *κοινόβιον* [*cœnobium*] vocat Gellius 1. 9. & explicans ait, *quod quisque familiæ pecuniæque habebat, id dedisse in medium, & coitam societatem inseparabilem.*

45. *Καὶ τὰ κτήματα, καὶ τὰς ὑπάρξεις ἐπίπρασκον, Et possessiones & substantias vendebant*] Rerum suarum venditarum pretia dabant Apostolis in usus communes. Infra 4. 37. ¶ *Καὶ διεμέριζον αὐτὰ πᾶσι, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε. & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*] Nempe ægrotis ad medicamenta, & alias res necessarias, item ad alimenta infantium. Nam cæteri viri fœminæque de publico vestiebantur, de publico mensam habebant communem *κατὰ φρατρίας* [*per sodalitates.*]

46. *Ἐν τῷ ἱερῷ, in templo*] Quamquam cœtus habebant peculiares, tanquam Synagogas, tamen communes in templo populi cœtus non deserebant. Vide infra 3. 1. ¶ *Κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, & frangentes circa domos panem*] Deni aut viceni simul ad mensam conveniebant in ædibus ad id commodissimis. ¶ *Ἐν ἀγαλλιάσει, cum exsultatione*] Ob tanta Dei beneficia. ¶ *Καὶ ἀφελότητι καρδίας, & simplicitate cordis*] Corde puro. Quod Paulus dixit *ἐν ἁπλότητι* [*in simplicitate,*] Rom. 12. 8. 2 Cor. 1. 12. Coloss. 3. 22. Ephes. 6. 5. Sic *καθαρὰ καρδία* [*cor purum*] Genes. 20. 5. *ὁσιότης καρδίας καὶ εὐθύτης* [*simplicitas cordis & æquitas,*] 1 Reg. 9. 4. *τελειότης* [*integritas*] secundùm quosdam interpretes Græcos, Proverb. 11. 3. *ἁπλότης καρδίας,* [*simplicitas cordis,*] 1 Paralipom. 29. 17. *ἀλήθεια* [*veritas,*] Prov. 28. 6.

47. *Καὶ ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν. & habentes gratiam ad omnem plebem*] Erant gratiosi etiam apud *τοὺς ἔξωθεν* [*extraneos,*] ob bonitatem, modestiam, patientiam, quarum virtutum ea vis est, ut amorem etiam à disparis vitæ hominibus extorqueat. ¶ *Προσετίθει τοὺς σωζομένους, augebat qui salvi fierent*] *Τοὺς σωζομένους* hic intellige eos, qui se segregabant à communi Judæorum impietate. Vide supra 40. Hebræis פליטים [*evadentes*] *quicunque malum aliquod effugiunt*, dicunturque ii Græcè *σωζόμενοι, ἀνασεσωσμένοι, ἀνασωθέντες, ἐξαιρούμενοι, διαπεφευγότες.* Prius est vitia fugere: sequitur addiscere virtutes, quod fit in Ecclesia.

PRICÆUS.

Com. 1. *Ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν*] Suprà 1. 14. infrà 5. 12.

Ibid. *ἐπὶ τὸ αὐτὸ*] Gloss. *ἐπὶ τὸ αὐτὸ, Ibidem. In id ipsum. In unum.* Utitur Ignatius ad Ephes. & ad Magnesios. Plutarch. *λόγ. παραμυθ.* & Justin. 2 Apologet. Occurrit infra etiam com. 44. 1 Cor. 7. 5. & 11. 20.

Com. 3. *Διαμεριζόμεναι γλῶσσαι*] Vulgat. *dispertitæ linguæ.* In Glossario, *Διαμερίζω, dispertio,* &c.

Com. 4. *Καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου*] *Ἕκαστος ὡς ὁ Κύριος ἔδωκεν,* ut 1 Cor. 3. 5. Bene autem *ὡς τὸ πνεῦμα ἐδίδου· Οὐ γὰρ* (quod de Prophetis Petrus 2. 1. 21.) *θελήματι ἀνθρώπου, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν.* Confer quod & infrà 10. 44, & 46.

Com. 5. *Ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν*]

Tam variis linguis, habitu quam vestis, ——

ut apud Poetam præcipuum.

Ibid. *ἄνδρες εὐσεβεῖς*] Vulgat. *religiosi.* In Glossis, *Religiosus,* &c. *θεοσεβής.*

Com. 6. *Ἤκουον εἷς ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλούντων αὐτῶν*] Scholiastes ad Nubes Aristophanis, *διάλεκτος, φωνῆς χαρακτὴρ ἐθνικός.* Servius ad Æneid. 3. *Habet unaquæque gens incessum ac vocem propriam.* Tertullianus contra Marcionem, *Si hominem alterius gentis probare voluisses, utique de proprietate loquelæ probares.*

Com. 7. *Ἐξίσταντο δὲ πάντες, καὶ ἐθαύμαζον*] Id est, ut Marc. 7. 37. *ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο.* Est autem plus *ἐξίστασθαι* quam *θαυμάζειν.* Theophylactus ad Act. 10. *Ἔκστασις δηλοῖ καὶ τὴν ἐπὶ θαυμασμῷ ἔκπληξιν* & apud Martialem, *Admiror, stupeo.* —— Debebat id verbi itaque posteriùs poni: sed crassiùs & populariùs loquuntur Scriptores illi. Est itaque *ἐξίσταντο καὶ ἐθαύμαζον*, ut infrà 8. 13. apud Vulgatum Interpretem, *stupentes admirabantur.*

Com. 9. *Πάρθοι, καὶ Μῆδοι, καὶ Ἐλαμῖται,* &c.] Boetius Consol. lib. 2. *Hoc brevis habitaculi septum plures incolunt nationes, linguâ, moribus, totius vitæ ratione distantes.*

Com. 11. Τὰ *μεγαλεῖα τῦ Θεῦ*] Sic fine 3 Maccabaici, Τὰ *τοῦ μεγίςυ θεῦ μεγαλεῖα.* Utitur & Tobiæ Scriptor cap. 11. Artemidorus non semel posuit pro *μεγαλειότης*, ut lib. 3. Præfat. Τὸ *τῆς τέχνης* (*ὀνειροκριτικῆς*) *μεγαλεῖον*, & Procemio lib. 1. Τὸ *τῶν ἐν αὐτῇ θεωρημάτων μεγαλεῖον.* E converso Lucæ 9. 43. pro *μεγαλείᾳ*, *μεγαλειότητα* habemus.

Com. 12. Ἐξίσταντο *δὲ πάντες*] Id est, *πλεῖστοι.* Sequitur enim, *ἕτεροι δὲ*, &c. sic Hebr. 12. 8. Philipp. 2. 21.

Com. 13. Ἕτεροι *δὲ χλευάζοντες ἔλεγον, ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσίν*] De se inter salutandum lapso Lucianus, Οἱ *παρόντες, οἱ μὲν παρεπαίειν, οἱ δὲ ληρεῖν ὑφ' ἡλικίας, οἱ δὲ χθεσινῆς κραιπάλης ἀνάμεςον ἔτι ᾤοντό με εἶναι.* Apud Terentium, *Quid ais? Peris. Temulenta es.* Τοὺς *θεοφορήτους τοῖς ἄφροσι μεθύειν δοκεῖν*, etiam Philo dixit. Vide 1 Sam. 1. 14, 15. Paulus 1 Cor. 14. 23. de hoc ipso Spiritùs sancti dono agens, verbum *μαίνεσθαι* posuit. Ab irrisoribus hujusmodi etiam Baptistes *οἰνοπότης* dictus. Γλεῦκος hìc non est *mustum*, (quod nullum illâ anni horâ erat) sed, ut rectè notatum aliis, *perdulce vinum.* Virgil. 5 Eclogâ,

Vina novum fundam calathis arvisia nectar.

Ubi Servius, *Quæ vina sunt novum nectar: id est, magna dulcedo.*

Com. 14. Πέτρος *σὺν τοῖς ἕνδεκα*] Sic infrà 5. 29. Ὁ Πέτρος, *καὶ οἱ* Ἀπόςολοι & com. 37. hujus capitis, Τὸν Πέτρον, *καὶ τοὺς λοιποὺς* Ἀποςόλους. Sic in Euang. 5. 9. 8. 45. 9. 32. & Marc. 16. 7. ubi Petrus seorsim à reliquis ob eminentiam nominatur. Sic Petronius, *Pindarus, novémque Lyrici.* Aristophanes, Ὦ Ζεῦ *καὶ θεοί* & Cicero Catil. 1. *Magna diis immortalibus habenda gratia est, atque huic ipsi Jovi*, &c. Plinius Panegyr. *Præsides custodésque imperii deos*, &c. *ac te præcipue, Capitoline Jupiter*, &c. Vide & Hebr. 11. 32. Servius ad Æneid. 11. *Est hac consuetudo apud Poetas, ut à plebe segregent duces.*

Ibid. *ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου*]

Accipite hac animis, atque hac advertite dicta.

Scholiastes ad Pacem Aristophanis, ex Archilocho,

Πολῖται, *τἀμὰ δὲ ξυνίητε ῥήματα.*

Luc. 9. 44. Θέσθε *εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους.* Vide & infrà com. 22. In Plauti Asinar.

Auscultate, atque operam date, & mea dicta devorate.

Fulgentius in Virgil. Allegoriis, *Vacuas fac sedes aurium tuarum quò mea commigrare possint eloquia.*

Com. 15. Οὐ *γὰρ*, &c. Οὗτοι *μεθύουσιν· ἐςὶ γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας*] Argumentatur vel ab hora diei non esse ebrios eos. Eodem in contrariam partem argumento utitur etiam apud Plautum ille,

Diei tempus non vides? quid illum putes
Naturâ illâ atque ingenio? jam dudum ebriu'st.

Τρίτην *ὥραν* intellige à Solis ortu, qui in illis terræ regionibus diei principium dabat.

Com. 21. Πᾶς *ὃς ἂν ἐπικαλέσηται*, &c.] Vide Rom. 10. 13. ubi & *ἂν* pro *ἐάν*.

Com. 22. Ἄνδρα *ἀπὸ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις.*] In Glossis, Ἀποδεδειγμένος, *Designatus:* & ità hæc Lucæ citans Budæus Notis ad Pandectas vertebat: quo sensu & Philo suprà ad 1. 25. adductus. Erasmus *exhibitum.* Beza & Vetus *approbatum.* Interpres ultimus & accuratissimus *conspicuum.* Enallagen *τοῦ ἀπὸ* pro *ὑπὸ* rectè alii notàrunt. Vocem *ἀποδεδειγμένον* itaque puto hoc velle, Testimonio irrefragabili & incontradicibili honoratum: ornatum ejusmodi testimonio de quo nullus dubitandi locus relictus, tam certo ut nulla certior sit *ἀπόδειξις.* Arrian. 3. 23. in Epictetum, Εὐφυὴς *νεανίσκος, καὶ λόγου ἀκουςικός.* Πόθεν *τοῦτο;* Ἐμὲ *θαυμάζει.* Εὕρηκας *τὴν ἀπόδειξιν.* Idem. 4. 7. Τί *χαίρω ἄν μοί* Φιλανθρώπως *καλέσῃ, καὶ ἀποδέξηταί με, καὶ ἄλλοις διηγοῦμαι πῶς μοι ἐλάλησε; μὴ γὰρ* Σωκράτης *ἐςί; μὴ γὰρ* Διογένης*; ἵν' ὁ ἔπαινος αὐτοῦ ἀπόδειξις ᾖ περὶ ἐμοῦ;* Philostratus 1. 23. Eunucho quodam cum muliere deprehenso. Ὁ *μὲν* Ἀπολλώνιος *ἐς τὸν* Δάμιν *εἶδεν, ὡς δὴ τοῦ λόγου ἀποδεδειγμένου ὃς ἐφιλοσοφεῖτο αὐτοῖς περὶ τοῦ καὶ* Εὐνούχων *τὸ ἐρᾶν εἶναι.* Testimonium autem de quo hic agitur, erant signa, virtutes, &c. quibus palàm faciebat omnibus se à Deo missum, Joh. 3. 2. Nicodemus, Οὐδεὶς, &c. Vide & Joh. 5. 36. Εἰς *ὑμᾶς* est *ἐν ὑμῖν*, *inter vos:* nec aliud hîc dicitur quàm quod infra 6. 8. de Stephano; Ἐποίει *τέρατα καὶ σημεῖα ἐν τῷ λαῷ.* Lucas 24. 19. de eodem Domino nostro, Δυνατὸς *ἐν ἔργῳ καὶ ἐν λόγῳ ἐναντίον τοῦ* Θεοῦ, *καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ.*

Com. 23. Τῇ *ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες*, &c.] De sensu confer infrà 4. 28. Apud Euripidem Ione, ——— Ἔκδοτος *δὲ γίνομαι.*

Glossarium, Ἔκδοτος *εἰς κόλασιν*, *Dediticius.* Syrus *βαλόντες* hîc legit: quæ si vera scriptura, exprimitur hîc quod Marc. 8. 31. & Luc. 9. 22. in voce *ἀποδοκιμάζεσθαι* & sic *τὸ ἔκδοτον* ad Judæorum malitiam, non Dei consilium, referendum. Sed alteram lectionem firmat locus Rom. 8. 32. ab Erasmo citatus. Quin & eadem loquendi forma apud Josephum, Λαβὼν *αὐτὸν ἔκδοτον ὑπὸ τοῦ ὕπνου*, Antiq. 6. 14. ubi de Saule & Davide agit.

Com. 24. Οὐκ *ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ*] Paulus ad Rom. 6. 9. Θάνατος *αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει.* Vide & infrà 13. 34.

Com. 29. Ἐξὸν *εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας πρὸς ὑμᾶς*] Beza *licet: ἐξὸν* pro *ἔξεστι.* Erasmus *quandoquidem licet.* Neuter ad sensum Lucæ. Ἐξὸν hic valet *ἐξὸν ἔστω.* Ipsissima est apud Virgilium elleipsis,

Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura.

Ubi Servius, *subaudi* SIT. Qui quid liberiùs dicturi sunt (ut hîc Petrus) ità molliter præfari solent. Petronius, *Pace vestrâ liceat dixisse*, &c In Epistolis Salviani, *Parentes reverendissimi, interrogari vos quæsumus liceat.* Tale & illud,

Det libertatem fandi: ——

& illud,

Sit mihi fas audita loqui: ———

& Minucii in Octavio, *Sustinebitis me impetum orationis liberiùs exserentem.* Vidit hîc sensum Vetus, qui *liceat* vertebat.

Ibid. Ἐτελεύτησε *καὶ ἐτάφη*] Cato apud Priscianum, *Mortuus est, sepultus est.* Infrà 13. 36. de hoc eodem Davide, Ἐκοιμήθη, &c. *καὶ εἶδε διαφθοράν.*

Com. 30. Ἐκ *καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ*] In Græco Ps. 132. 11. est *ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας σου*, ut Luc. 1. 42. Apuleius 5. *Cùm primùm prægnationem tuam plenus maturaverit uterus, opimiore fructu præditam devoraturum.* Hesychius *καρπὸν* (inter alia) *τέκνα* exponit.

Com. 36. Ὃν *ὑμεῖς ἐςαυρώσατε*] Infrà 7. 52. *οὗ ὑμεῖς προδόται καὶ φονεῖς γεγένησθε.* & 3. 13. *ὃν ὑμεῖς παρεδώκατε καὶ ἠρνήσασθε.*

Com. 37. Ἀκούσαντες *δὲ, κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ.*]

Τὸ *κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις*

Ἔνυξε *τὴν διάνοιαν* etiam Themistius 14. Orat. dixit. Basilius, Οἱ *τοῦ* Θεοῦ *λόγοι νύττοντες καὶ τιτρώσκοντες τὴν ψυχήν.* Simplicius in Præfatione de Epicteti sermonibus, Πολὺ *τὸ δραστήριον καὶ κινητικὸν ἔχουσιν, ὡς τοὺς μὴ πάντα νενεκρωμένους νύττεσθαι ἐξ αὐτῶν.* Vide Hebr. 4. 12. Luc. 24. 32. Ecclesiastes 12. 11. Λόγοι *σοφῶν ὡς τὰ βούκεντρα.*

Ibid. Τί *ποιήσομεν;*] Supple *ἵνα σωθῶμεν*, ut Luc. 18. 18. Plutarchus, Ἀρχὴ *ἀπαλλαγῆς νόσου αἴσθησις εἰς χρείαν ἄγουσα τοῦ βοηθοῦντος.* Idem affectus infrà 10. 33. Ἐνώπιον *τοῦ* Θεοῦ *πάρεσμεν ἀκοῦσαι πάντα*, &c.

Com. 40. Σώθητε *ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης*] Ὧν *αἱ τρίβοι σκολιαὶ, καὶ καμπύλαι αἱ τροχιαὶ αὐτῶν.* Prov. 2. 13. vide Philip. 2. 15. Ecclesiastes 7. 29. Ἐποίησεν *ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον εὐθῆ καὶ αὐτοὶ ἐζήτησαν λογισμοὺς πολλούς.* Ait, *σώθητε ἀπὸ*, &c. In Plautina Menechmo,

Concede, mea nata, ab isthoc quàm potest longissimè.

Paulus 1 Tim. 6. 5. Ἀφίςασο *ἀπὸ τῶν τοιούτων.*

Com. 41. Ἀσμένως *ἀποδεξάμενοι τὸν λόγον*] Vide infrà ad 21. 17. & ad Matth. 13. 20. notata.

Com. 43. Πολλά *τε τέρατα καὶ σημεῖα διὰ τῶν* Ἀποςόλων *ἐγένετο*] Infrà 19. 12. & adde quæ ad Matth. 20. 28 dicta.

Com. 44. Ἦσαν *ἐπὶ τὸ αὐτὸ*] Vulgat. *erant pariter:* i. e. unà. Sic Idem Matth. 14. 9. *Eos qui pariter recumbebant.*

Ibid. Καὶ *εἶχον ἅπαντα κοινά*] Vide infrà ad 4. 32. dicenda.

Com. 45. Καθότι] Pro *καθὼς*, quod infrà 11. 29. simili argumento occurrit.

Com. 46. Κατ' *οἶκον*] Multis hîc agit Recentior ut *κατ' οἶκον* pro *οἴκοι* positum evincat: at cur Veterem cum Erasmo damnemus, qui pro *κατὰ τοὺς οἴκους* accipiunt? Sic infrà 15. 21. 20. 23. & Tit. 1. 5. *κατὰ πόλιν* sic Luc. 2. 41. *κατ' ἔτος* infrà 14. 23. *κατ' ἐκκλησίαν.* Hesychius, *κατ' οἶκον*, *κατὰ τὸν οἶκον* ubi forsan *κατὰ τοὺς οἴκους* legendum.

Com. 47. Ἔχοντες *χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν*] *Grati & accepti populo*, ut non malè hîc recentior Interpres. Παντὶ *τῷ λαῷ τίμιος*, ut infrà 5. 34. de Gamaliele. Vide & ibid. com. 13. Ὑπὸ *πάντων δοξαζόμενος*, ut Luc. 4. 15. Sic de Davide 1 Sam. 18. 5. Ἤρεσεν *ἐν ὀφθαλμοῖς παντὸς τοῦ λαοῦ.* De Daniele in Historia Susannæ com. ult. Ἐγένετο *μέγας ἐναντίον τοῦ λαοῦ.* Salustius, *In ore agens gentibus, populo, civitati.* Jamblichus 1. 6. de Pythagoræ discipulis, Παρέμεινον *ὁμονοοῦντες ὅλῳ τῷ τῶν ὁμιλητῶν ἀθροίσματι, εὐφημούμενοι, καὶ παρὰ τοῦ πέριξ πόλεων μακαριζόμενοι.*

Ibid. Ὁ *δὲ* Κύριος *προσετίθει τοὺς σωζομένους καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ*] Infrà 11. 24. & 16. 5. Beza legendum proponit, Καὶ *προσετίθει τινὰς σωζομένους*, *Ecclesiæ indies addebat aliquos qui salvi fierent.* Quam malè autem, evincat hic locus ex Cebetis Tabula, Οἱ *μέντοι σωζόμενοι ὁπόταν βούλωνται εἰς τὴν ἀληθινὴν παιδείαν ἐλθεῖν, ὧδε* (id est ad *ψευδοπαιδείαν*) *πρῶτον παραγίγνονται.* Sic 2 Cor. 2. 15. & Luc. 13. 23. *οἱ σωζόμενοι.*

JOAN-

Joannis Antonidæ Vander Linden

EXERCITATIO X.

VINI PLENI.

S. Lucas Actor. 2. 23.

Ἕτεροι δὲ χλευάζοντες ἔλεγον, Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. | *Alii verò subsannantes dicebant, Quia vini pleni sunt.*

COMMENTARIUS.

§. 1.

Asserebam pronuper Veteres etiam manè Merum non modò gustare cum buccellà panis solitos, sed & bibere seorsim, & quidem liberaliùs, ac sæpe ad ebrietatem usque. Cui assertioni fidem uti apud te facerem plenam, post varia à Gentilibus mutuata loca produxi insuper hunc, quem proposui. Qui quia intentioni meæ directò non favebat, promisi consequentiæ rationem me proximo in discursu demonstraturum. Quod ità nunc constitui facere ut primò Argumentum exponam, seu rationem quâ abutebantur Judæi ad calumniam, quam evomebant in Apostolos: deinde Argumentationem, seu modum potiùs quo illam profitebantur & objectabant.

§. 2. Argumentum erat, *Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί* Pro quibus Vulgata & Erasmus reddidere, *Quia musto pleni sunt.* Summus vir D. Heinsius Exerc. facr. p. m. 269. *Hoc in loco recentioribus vox musti non placet. Et certè cum primitiarum festo mustum propriè sic dictum nondum esset, cujus mense Tisri, sive vindemiæ, qui & ab eo dictus, primus usus; vix potuisse fieri videtur ut musto essent pleni, sive γλεύκους potius, ut ipsam vocem servemus.* In recentioribus illis vel primi nominis est magnus Beza noster, qui notationibus in eumplè locum ità scribit, *Mustum fateor à Græcis γλεῦκος dici: sed cùm hæc gesta sint ipso die Pentecostes, quo tempore nullum est mustum, malo in genere pro vino dulci & præstanti accipere: præsertim cùm mustum rarò & multò minùs quàm vinum inebriare testentur Philosophi.* De hoc problema habet Plutrachus Sympos. 3. 7. quod examinat Andr. Baccius in Hist. vinor. 1. 18.

§. 3. Itaque apparet dubium esse, quid Γλεῦκος significet. Si enim *mustum* seu Vinum novum dicas, major exsistit difficultas. Qui namque *mustum* Vere fuerit, quod Autumnus vel dederat vel daturus erat? De *hoc* quidem cogitari non potuit. *Illud* verò quemadmodum in septimum mensem servaverint, ut etiam tunc fuerit in deliciis & quidem matutinis seu incorrupti palati, nec non aptum inebriando, non dicitur. Sin vox non Mustum significet, sed aliud quid, quid fuerit dicendum erat. Nescimus fecisse hactenus quenquam. Theologos non miror hoc sui studii non facere. Non facit enim ad fidem historiæ. Referebat, ebrios esse, aut non: non, si essent, quo vino. Quare autem Physicus nihil hic, nihil Medicus tentavit? cùm illius sit Veritatem scrutari; hujus ad Utilitatem omnia dirigere? Criticorum nonnemo tentavit: sed quàm feliciter, malo te institutâ collatione discere, quàm dicendo videri cornicum oculos confixisse. Nostræ curæ erit miscuisse utile dulci.

§. 4. Vinorum genera numero comprehendi posse nemo facilè existimet: sunt enim innumera atque infinita. Quamobrem nec omnia dicentur, sed quæ à sapore sumuntur tantùm; nec omnia rursus, sed ad rem facientia: *quippe totidem penè sunt, quot agri*, inquit verissimè Plinius 14. 2.

§. 5. Hippocrates 2. de Diæt. t. 13. triplex Vinorum genus à Sapore agnoscit: dulcia, austera, acida E quibus nunc non nisi primum considerabimus: cætera enim non esse ad voluptuandum, facilè quis experiatur. Medicinæ loco quod quis sumit, eo se nemo inebriabit.

§. 6. De *acidis* quid exspectes Hippocrates dicit eodem t. 13. 237. *οἱ δὲ ὀξέες οἶνοι ψύχουσι, καὶ ἰσχναίνουσι, καὶ ὑγραίνουσι· ψύχουσι μὲν καὶ ἰσχναίνουσι, κένωσιν τοῦ ὑγροῦ ἀπὸ τοῦ σώματος ποιεύμενοι· ὑγραίνουσι δὲ, ἀπὸ τοῦ ἐσιόντος ὕδατος σὺν τῷ οἴνῳ, Acida vina refrigerant, attenuant, humectant. Refrigerant quidem & attenuant, vacuationem humidi à corpore faciendo: Humectant verò per subeuntem cum vino aquam.* Sunt enim aquosa valde. Hoc verò visum est dignum addi ad ea quæ habet Hofmannus 5. Inst. 25. 3. disputans, Num quod vinum refrigeret. Sic enim Baccio. Hist. vin. 2. 2. licuit Galeni verbis, quæ sunt l de Cibis 12. in fine, ut tanquam decisoriis; quantò amplius ponderis inesse putabimus his quæ ratione stabiliuntur, eàque infallibili? Tale autem ad nos rarò non Mosella mittit, nisi uvam Sol continuus & ardentior excoxerit valde.

§. 7. Quod ad austera, præterquam quòd nulla se gustui probent, etiam rarò se sanitati commendant. Si enim simul nigra fuerint, *ξηρότεροι, καὶ οὐ διαχωρεῦνται, οὔτε οὐρέονται, οὔτε πτύουσι, Sicciora sunt, & non secedunt, neque mejere faciunt, neque sputare.* Sin alba, *θερμαίνουσιν, οὐρέονται δὲ μᾶλλον ἢ διαχωρέουσιν, calefaciunt, redduntur que per urinam magis aut per secessum*, inquit Hippocrates t. eod. 225. 228. Utraque adstringunt: sed potentiùs nigra. Unde iterum noster l. de Hum. usu t. 9. 10. *ὅσα δὲ ψύξιος*] lege, *στύψιος*] *δέονται, ὁ μέλας οἶνος καὶ εἰρία καταρῆναι, quæ verò adstrictione indigent, nigro vino cum lana irrigare oportet.*

§. 8. Igitur ad dulcia adeamus, quò nos ipsa vox vocat cujus in gratiam hoc omne scribimus. Est autem dulcium Vinorum duplex genus: unum, quod Naturâ tale; alterum, quod Arte est.

§. 9. Quod naturâ Dulce vinum est, vel Excellenter tale est, ve Remissè. Illud genus propter excellentiam puto simpliciter *οἶνος γλυκὺς vinum dulce* Græcis vocari solitum. Etiam de illo Galeni accipio quod scribit cùm alibi tum l. de Att. vict. 12. *nullum album dulce reperiri.* Nisi enim hanc *παραμυθίαν* admittimus non potest exculpari. Quæsivit mantelum tamen Andr. Baccius in Hist. vin. 2. 7. Vult de Italiæ vinis Galenum locutum. Mirum! Cùm ea regio nunc alba multa habeat, eaque generosa simul & egregiè dulcia, quæ gustavi non semel; quin & ante paucos dies, unde illa? Quemadmodum vinum nigrum mutetur in album, & vicissim, modum unum Varro tradit in Geop. 7. 21. alium Apitius 2. de Re cul. 1. 7. Sed vitem nigram in albam quemadmodum mutes, docet nemo: nec versimile est posse id naturâ vel arte fieri. De capnia Theophrastus testatur de Caus. plant. 5. 2. uvas ferre quandoque albas, quandoque nigras Sed hoc ità refert, ut videatur ipse dubitasse. Itaque dixit, *καθάπερ φασὶ τινες ut aiunt.* Fortè objecerit quis è Plinii 14. 2. *etiam è nigris vina vetustate in album colorem transeunt:* iterùmque è cap. sequenti, *Prusinia, nigro acino, intra quadriennium albescente vino.* Sed vel puer viderit, non ista nos tangere. Neque enim dubium, an vina, posito per ætatem quo colorabantur, albescere possint. Hæc credimus expertis. Sed vitem quis vidit, vinum dare nigrum solitam, dedisse postea album?

§. 10. Sed neque hoc prætendit Baccius: sed esse advectitia: Ergò, si alibi fuere, nimis liberaliter fuit locutus. Hippocrates l. de Affect. t. 49 *γλυκὺς οἶνος κομιστικὸς, καὶ διουρητικὸς, καὶ φλεγματώδης, Dulce vinum refectivum, diureticum, & pituitosum est.* Quæ conditiones certè non cadunt in dulce nigrum.

grum. Quod cùm, fatente Galeno, omne sit crassum; quænam sunt *tenuia dulcia*, λεπτοὶ γλυκέες, 11. de Diæt. 13.232. si alba non sunt? de quibus sermo tamen est in proximè præcedentibus. Sed, ut concludam, nullius momenti istam esse caussationem, nemo non perspiciet, cui modò vacat inspicere loca quæ ipsus profert ex Galeno. Imò, si placet, confer autorem sibi ipsi lib. 5. p. 224. D. & vide quam fuerit antea scriptorum non satis memor.

§. 11. Cæterùm absolutè Dulcia dicuntur vina, quæ isthuc maturitatis pervenere, ut controversiam quasi facere videantur his quæ ars fecit ex musto dulci dulcissima. Hæc esse arbitror quæ Poeta in Georg. 1.241. vocat *mollissima vina*. Nam *molle* idem quod *maturum* esse, notius est præut moneri debeat. Nostrates etiam, si quod se vinum amabile gustui præbet, id hac ferè consuerunt laude prosequi, *'t is een mollige wijn*, *Molle vinum est*. Ea autem mollitudo, ut maturitatis, ità & ætatis argumentum est. Sic *merum molle* dicitur Venusino 1. Carm. 7.19. quod quamprimum bibendo est. Aliàs quippe merum, & omne vinum generosum, acre fit & amarum ab annis.

§. 12. De illo Hippocrates 11. de Diæt. 13. 252. ὁ δὲ γλυκὺς οἶνος διαχωρέει μᾶλλον τοῖσι Φλεγματώδεσιν, *Dulce vinum alvo promptius secedit pituitosis*. Quamobrem Galenus ergo de San. tu. 6. 2. biliosis ventribus præscribit? præsertim si sitim facit, ut ipse dicit de Vict. acut. 3. 2.

§. 13. Alterum genus est remissè Dulcium. Id οἶνος γλυκάζων *vinum dulcescens* Dioscoridi dicitur in 6. 17. ubi ei qui Mandragoram bibit, præmisso vomitu conferre ait nitrum & apsinthium σὺν γλυκεῖ ἢ οἴνῳ γλυκάζοντι, *ex vino dulci aut passo*, Ruellius: *cum passo aut vino dulci*, Cornarius. Neuter rectè: minùs tamen ille. Nam neque γλυκὺς *vinum dulce* significat, neque οἶνος γλυκάζων, *passum*. Ad verbum, *cum dulci aut vino dulcescenti*. De isto mox. *Vinum dulcescens* autem non id dicitur propriè quod suavitatem tempore acquirit: sed quod, suo licèt in genere sit optimè à Sole & solo coctum, attamen non pervenit ad illum dulcoris excessum quem in alteris agnovimus. Hujuscemodi sunt, quotquot ex albis meliora nobis Gallia mittit.

§. 14. Quæ arte Dulcia sunt, eorum duplex quoque genus est: unum, Vinum est revera, alterum, Mustum sive ex musto potiùs.

§. 15. Vinorum si quod olim non satis esset sapidum, conditurà dulcabant. Hanc aromatis alii, alii musto aut ex musto coctis faciebant. Aromatis condire vinum Pamphilus docet in Geop. 6. 20. & ibidem Cassianus 7. 13. ut & Columella 12. 20. 28. A musto Vinum dulce faciendi modum ostendit Didymus in eisdem Excerptis Geop. 7. 19. Sed & quæ fiebant ex musto, dulcandis vinis serviisse cognoveris ex his quæ postea adducemus è Columella. Hóccine verò sit quòd à LXX interpretibus redditur γλυκασμὸς apud Joelem 3. 18. aut γλύκασμα dicitur Phavorino, ex origine vocum suspicamur quidem, sed affirmare non possumus.

§. 16. Hodie in hunc usum ferè Saccharum, & quæ è saccharo veniunt. Oenopolæ vinorum acidiuscula & aquosiora facere dulcia & pinguia solent syrupo, quem post se relinquit Saccharum, cùm crystallizatione fit καντὸν ἢ καντίον, *angulosum*. Quod verbum medii seculi Græcorum esse, seu à puritate veteris elegantiæ abeuntium, Salmasius te Exerc. Plin. p. 1022. D. & Meursius in Glossario docebunt. Meminerint ergò Medici, primùm in suis Recipe, scribere *Saccharum* non *candum* aut *candidum*, sed *cantum* aut *cantium*. Quemadmodum scriptum est in Pharmacopœa Amstelædamensi, & ut sic scriberetur obtinui in ejus olim in confectione & Clariss. Medicis, quibuscum fui ad hoc negotium deputatus. Meminerint deinde Belgæ mei, queis adeò est Orthographia curæ, uti deinceps quoque scribant *Suiker-kant-ys*. Quo aliud rei vocabulum convenire magis non potest. Est enim, quod dicitur, instar glaciei & mire angulosum.

§. 17. Ad extemporaneos in mensa usus plerique utuntur Sacchàro purissimo & in panes, quos vocant, formato. Delicatiores etiam nobile vinum & ferè ultimâ mensâ edulcant *Sacchàro* quodam *spumeo*, cui *canto* nostri nomen, cognomen autem dederunt à parte quâ sedemus. Ecce quàm iniqua gula in Naturam, serva in dominam fit. Miror sæpe in conviviis, cùm quotidie nos ipsa Natura cujusque nostra admoneat, quàm paucis, quàm parvis rebus, quàm vilibus egeat ad vitam atque sanitatem: nisi interea homines non quò Natura aurigatur, cui se sapiens accommodat; sed quò gula, sanitatis corruptrix & interemptrix vitæ. Quot enim quotidie non necat? Plures certè quàm gladius.

§. 18. Ex musto Dulcia multa sunt, & multivaria. Quæ commodè ad duo itidem genera reducimus: unum eorum quæ ad Potandum parantur, alterum verò eorum quæ ad Usus præcipuè alios. De his dicam primo loco, quia abeunt ab intentione nostra longiùs: de cæteris deinde.

§. 19. Hujus itaque generis fiebant Carœnum, Defrutum, & Sapa. De quibus Palladius Octobr. 18. *Cum omnia uno genere conficiantur ex musto, modus his & virtutem mutabit, & nomina.* Hoc est, quod aliàs diximus & firmiter tenendum est, In artibus, quæ differunt substantiæ modo, differre specie. Speciem quippe forma constituit. At forma quid aliud quàm substantiæ modus est? Quo variato variari virtutem simul necesse est. Hanc varietatem Artifex ut dignosci faciat, nomen rei à se factæ aliud atque aliud imponit.

§. 20. Sed quomodo Virtutem variat Substantiæ modus Dispositivè. Quatenus nempe ἡ δύναμις ἔνυλος, *potestas materialis*, non se potest exserere aliter quàm permittit materiæ dispositio. *Dispositio* autem hæc in particularum minimarum inter se coordinatarum figura consistit potissimùm. Quid enim, si partium sensilium figuram variare dispositionem corporis ceu instrumenti concedimus, non idem fatebimur de figuris particularum insensilium? præsertim cùm ἐκ τῶν ἐλαχίστων τὰ μέγιστα, *ex minimis maxima* fiant? ceu docet Hippocrates 1. de Diæt. t. 18. 204.

§. 21. Quæ vero isthæc nova Philosophia est? inquis. Falleris, amice Doctrina est ipsius Hippocratis l. de Vet. med. 39.146. En! δεῖν δέ μοι δοκέει καὶ ταῦτ' εἰδέναι ὅσα τῷ ἀνθρώπῳ παθήματα ἀπὸ δυνάμιων ἔρχεται, καὶ ὅσα ἀπὸ σχημάτων. λέγω δὴ τί τοῦτο, δυνάμιν μὲν εἶναι, τῶν χυμῶν τὰς ἀκρότητάς τε καὶ ἰσχὺς σχήματα δὲ λέγω, ὅσα ἔνεστιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, *Oportere autem mihi videtur & hæc novisse, qui affectus homini à facultatibus veniant, & qui à figuris. Quod dico hoc est. Facultatem scilicet esse humorum summas vires: Figuras verò intelligo, quæ insunt in homine.* Exemplis deinde aliquot dilucidatà hàc propositione, tandem concludit t. 40. 157. f. ταῦτα δὲ πάσχει διὰ τὴν Φύσιν τοῦ σχήματος, *Hæc verò patitur ob naturam figuræ.*

§. 22. Cujus varietatem quoque esse causam varietatis in effectibus, etiam cognoveris ex his quæ scribit Plinius 22. 24. *Est & ratio subtilitatis immensæ à Platone descendens, corpusculis rerum lævibus, scabris, angulosis, rotundis magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus: ideo non eadem omnibus amara aut dulcia esse. Sic & in lassitudine proniores esse ad iracundiam, & in siti: ergò & hæc animi asperitas, se potius anima, dulciore succo mitigatur.*

§. 23. Quæ ego non ideo tantùm adscripsi, quia de consensu antiquorum in hoc placito testantur: sed vel imprimis, ut discant præcipites quidam non statim ceu nova damnare quæ in suis libris non legunt; quin scrutari Veteres primùm, & ex his cognoscere quam verè cecinerit Caspar Barthius, ille Varro Germanus, Zod. Christ. 10. p. 224.

> —*Eadem toto diludit fabula mundo.*
> *Immutata parùm persona, sed immutata*
> *Orbe redit patulo: scena una est, histrióque idem,*
> *Gens eadem, casus iidem. Variabile saltim*
> *Effigies alternat opus. Nil fingere factu*
> *Aut dictu valeas mirum invisumque.*—

Si feceris, etiam hæc vetera esse perspicies quæ hodie Cartesio auctore reddita luci aspicis ut nova, & despicis propterea, quia intuere illa per conspicilium præjudicio viridicatum. Sed satis, si fortè non nimiùm, de re aliena, non tantùm ab instituto, sed & communi sensu.

§. 24. *Carænum* Palladius scribit, itemque Marcellus Empiricus cap. 26. circa finem: at *carenum* Isidorus Orig. 20. 3. & Cæl. Apitius 9. de Re cul. 8. 3. ac sæpe alibi. Sed pro illis est origo vocis. De qua Adr. Turnebus Adver. 13. 23. *vocabuli origo ità obscura est, ut à Grammaticis nullis sit perscripta. Ego autem vinum velut caricum esse ferè crediderim: etsi nihil prater conjecturam adferre possum.* Ac mox, *vinum caricum* dictum opinatur, *quod primi id Cares decoxere, & nomine de se affecere.* Sed ista quidem verè conjectura est: & hàc ineptior Brasavoli, qui in Syrup. exam. *calenum* dici à *Caleno* oppido contendit. *Vini caleni* Deipnosophista meminit in 1.21. & præfert Falerno toties auctoribus laudato: vide Plinium 23. 1. Isidorus verosimiliùs fortè, *Carenum, eò quod fervendo parte careat.*

§. 25. Sed miror, neque huic, neque Turnebo, viris Græcè doctissimis, suboluisse, vocem Græcam esse τὸ κάροινον præsertim

settim cùm Turnebus meminerit exstare apud Nic. Myreplum de Antid. f. 5. & Fuchsius in notis jam id monuisset.

§. 26. Videtur autem nata Vox ex effectu & modo substantiæ. Conficiebatur quippe *caroenum*, Palladio auctore, *cùm, tertiâ perditâ, duæ partes remanserint.* Isidorus, *Tertiâ parte musti amissâ, quod remanserit carenum est.* Quæ amissio non tanta est, ut propterea vinum non sit quod superest. Hoc ipsum τὸ κάρα καρῶν *caput gravare* magis quàm vinum merum, Ratio & in simili Experientia docent.

§. 27. Ratio primùm; quia vinum musteum est. *Mustum vero inflat & fervet in ventre*, inquit Hippocrates 2. de Diæt. 10. 3. 233. Perinde vinum musteum venis & sanguini infusum. Inflatus verò fervénsque sanguis non potest non gravem capiti dolorem adferre, dum in transitu exilia vasorum, per meninges discurrentium, distendit, & crassæ membranas velut à se divellit. Ista cùm surgit nebula, ebrietas primùm, mox cùm urget, sopor obrepit. Hic est quem propriè Græci κάρον nominant. Nam & improprie Medici appellant *carum*, qui isti omnia similis est, exceptâ causâ. Mecum facit Casaubonus ad Athen 11. 9. Verùm de hoc aliàs.

§. 28. Experientia deinde ostendit in Vino novo & vetere saccharato. Novum vinum Dioscorides 5. 7. δυσόνειρον dicit, seu quòd quietem inquietam reddat & perturbet insomniis dirisque visis. Pro quo Hippocrates dixit l. de Vet. med. 19. 55. δυσκοιτέειν καὶ ἐνυπνιάζεσθαι τεταραγμένα καὶ θορυβώδεα. Pro his Celsus 2. 2. in notis adversæ valetudinis futuræ; *si gravior somnus pressit, si tumultuosa somnia fuerunt, si sæpius expergiscitur aliquis quàm assuevit, deinde iterum soporatur.* Vide quàm multa Anazarbæus uno verbo comprehenderit. Similiter qui Vinum saccharatum bibunt insueti vel aliquantò largiùs, vix dici potest quanta ipsis obveniat καρηβαρία sive *gravatio capitis*, ut appellat Cæl. Aurelianus Tard. 4. 3.

§. 29. Quemadmodum verò rari usûs Caroenum erat: ità è contrario vulgatissimi quod ἕψημα Græci, *defrutum* Latini nominabant. In quibus primum Vocabulis quædam necessaria annotabimus antequam Rem definiamus.

§. 30. Quod ad nomen Græcum, scire licèt primùm, Non esse confundendum ἕψημα cum οἴνῳ ἑφθῷ, *Hepsema* cum *Vino cocto.* Dalechampius, quod mirere, facit tamen apud Athenæum 1. 24. Dicit hic; ἄπυρον δὲ εἶπε, τὸν ἐκ ἑψημένον· ἐχρῶντο γὰρ ἑφθοῖς οἴνοις. Vertit ille, *ἄπυρον autem is vocat, quod decoctum non est. Nam sæpè etiam ac defruto quondam usi sunt.* Reddendum erat, *Crudum dicit, quod non est coctum. Nam & coctis vinis utebantur.* Τὸ ἄπυρον id dicitur propriè quod est expers ignis sive hujus vim non sensit. Ità Hesychius ἄπυρα σκεύη interpretatur τὰ ἐ παρέχοντα χρῆσιν ἐν πυρί, *quæ usum non exhibent ad ignem.* Sic & apud Suidam, ἄπυρος τροφή, ἡ δι' ὀπώρας καὶ λαχάνων, *Crudus victus* dicitur, *qui intra poma & olera est.* Hæc enim igne non indigent quo coquantur antequam edantur. Cruda quippe sumere ea licet. Talibus victitasse Zenonem memorat Laertius p. m. 452. D. Sic quoque *crudum vinum* est, quod super igne non fuit. Solebant quippe veteres, cùm pluviosus annus, aut aliàs mustum esset à vindemia imbecillius, decoquere aliquatenus vinum. Democritus in Geop. 7. 4. scribit fecisse id alios usque ad vigesimæ partis, alios ad quintæ consumptionem. Haut dubiè ut arte vino sapiditatem atque durabilitatem conciliarent, quæ Natura dare nequiverat.

§. 31. Deinde, ἕψημα strictiùs quandoque, quandoque latiùs dici. Hoc modo ἑψήματα appellabant Cocta olera aut legumina vel alia. Clem Alexandrinus Pædag. 2. 1. p. m. 148. C. inter tenuis mensæ cibos enumerat ἑψήματα παντοδαπὰ, ζωμῶν ἄνευ, *pulmenta omnigena, sine juribus.* Dicit *omnigena*, respiciens ad materiam ex qua coquebantur. Forma quippe uniusmodi erat.

§. 32. Materiam præbebant ferè legumina: vide ad Theophrastum Hist. 4. 5. Etiam fructus alii. Aristoteles de Part. 2. 7. τὰ τῶν χεδρόπων ἑψήματα καὶ τῶν ἄλλων καρπῶν, *pulmenta leguminum aliorúmque frumentorum.* Hesychius, καρπὸς, σῖτος. In his & milium erat, è quo hodiéque nobile fit pulmentum. Hesychius, κεγχρίνη, τὸ ἐκ κέγχρε ἕψημα, *Cenchrine, pulmentum de milio.* Dicebam verò etiam ex oleribus fieri, & frequenter admodum ruri. Plato de Republ. 2. p. m. 601. A. καὶ λάχανα, οἷα δὲ ἐν ἀγροῖς, ἑψήματα ἑψήσονται, *atque olera, quemadmodum ruri, in pulmenta coquent.* Hippocrates ea ξυμφορὰ ἐς ὑφόδεν *mollire ventrem* ait l. de Aff. t. L. Hæc Materia fuit.

§. 33. Forma verò, ut coquerentur tamdiu, donec frigescentibus superficies in tenuem crustam concresceret. Cognoveris è Philosopho de Gen. anim. 2. 3. f. τοῖς δ' ὑγροῖς μὲν, σωματώδεσι δὲ, θερμαινομένοις περίζεται, καθάπερ ἐν τοῖς ἑψήμασι ψυχομένοις τὸ περίζηον, *Humidis quidem, sed corpulentis, ubi incaluere, in superficie concrescit, velut in pulmentis frigescentibus crusta quædam.* Ea γραῦς Græcis dicitur, quasi dicas *anum* aut *vetulam:* vide Galenum de San. tu. 4. 4.

§. 34. Strictiùs verò ἕψημα vocabant Mustum decoctum ad consistentiam, minorem majorémve. Hoc me credere facit, primùm, Quòd Lexica videam promiscuè τὸ ἕψημα interpretari *defrutum* & *sapam.* Glossarium, *Defrutum*, ἕψημα. Iterum, *Sapa*, ἕψημα. Similiter Onomasticum & alii. Deinde, Facultatum, quas ei adscribit Hippocrates, communitas. Ἕψημα, inquit 2. de Diæt. 13. 242. θερμαίνει, καὶ ὑγραίνει, καὶ ὑπάγει. θερμαίνει μὲν, ὅτι οἰνῶδες· ὑγραίνει δὲ, ὅτι τρόφιμον· ὑπάγει δὲ, ὅτι γλυκύ. *Hepsema calefacit, & humectat, & subducit. Calefacit, quia vinosum. Humectat, quia alit. Subducit; quia dulce.* Ultimo huic videtur contrariari Dioscorides in 5. 9. sed sine ratione. In altero notes, Alimenti præcipuum munus esse, ut humectet. In primo autem, Hepsemata fieri ex generosis vinis solita, quæque ferendo essent ignem. Qui cùm plurimum vinosi digerat, si nihilominus Hepsema futurum est vinosum, oportet Mustum sit perquam generosum.

§. 35. *Hepsema* in Latinitatem prior intulit Plinius 14. 9. Dicebatur vero sic ob prærogativam quam habet supra cætera omnia ejusdem artificii. Prærogativam verò ipsam habet partim à Materia, partim ab Utilitate. Quâ materiam nihil est eorum quæ fert tellus Vino præcellentius, quo meritò Poetas scribit Athenæus 2. 3. vocasse εὔφρονα καρπὸν ἀρύρης, *jucundum fructum terræ*; vide ad Homerum Iliad. γ'. 246. Certè vinum ipsum bonum est, & quidquid ex eo: vide in quo Vitis glorietur Jud. 9. 13. & confer Psalm. 104. 15. Utilitas tanta est, ut hinc quidam Græcorum dictum οἶνον ἀπὸ τῆς ὀνήσεως existimaverint. Testis iterum mihi Deipnosophista in 2. initio. Quibus speciatim usibus *Hepsema* servierit, paulò pòst dicam.

§. 36. Quod ad nomen Latinum suprà propositum, obscuræ hactenus originis est. Quo ipso invitamur aliquid meditari Grammaticis ex usu quod fiet. *Defrutare vinum* Columellæ 2. 22. est, decoquere mustum ad spissitudinem. *Decoctum* communiore vocabulo dicebatur *defructum.* Quod verbum si cui arcessere à Græcis libet, fortasse licet. Φρύγειν, *frigere* (pro quo Attici Φρύττειν) est Coquere quid in sartagine ex oleo aut butyro, quod ferè præferunt nostrates βατυροφάγοι. Belgarum verbum, *fruiten*, liquidò Græcum est. Quod sicuti videtur fictum sumptúmque à strepitu quem edunt pinguia cùm torrentur: similiter Latinos suum arbitror formasse ad sonum quem spissescente materià vapor edit erumpens. Sæpe in culina, cùm pulmenta coquunt, audire est, *pbrut, pbrut*, pro quo nostrates *prut.* Unde cùm plumentum eò devenit, ut illum edat sonum, dicere solent, *de bry pruttelt*, q. d. *pulmentum defrutat*, seu sono ostendit usque quò sit coctione redactum.

§. 37. Indè *pruttelen* nobis est γογγύζειν, *murmurare.* Quod ipsum verbum fictum est ad imitationem soni quem murmurantes ità proferunt, ut loqui audias, verùm quid dicant non intelligas. Hoc enim murmurantium est, indignationem neque premere, neque promere. Premere eam non potentes loquuntur, quæ non audent promere. Loquuntur ergò, sed verbis obscuris, sensu presso, nec impresso voci vestigio iræ, nedum exsecrationis. Hoc verò est efflare verba potius quàm pronunciare.

§. 38. Perottus à *fruor* deducit, cujus præteritum sit *frutus.* Sed *frutus* non dicitur, inquit purè dicendi maximus autor Vossius de Arte Gramm. 3. 32. Est verò, addit, *defrutum* ex *defruitum:* quia ex eo omnis musti fructus præcipitur. Nam, ut Festus ait, *Defrui dicebant antiqui, ut deamare, deperire, significantes omnem fructum percipere.* Si ista negem placere mihi, audiam fortasse, Sus Minervam. Nego tamen, & tamdiu donec ostendatur quemadmodum omnis musti fructus percipiatur in defruto. Etiamne dotes Vini habet, seu musti defæcati, quod fæcum plus quàm vini habet? Verosimiliùs Isidorus Orig. 30. 3. *Defrutum dictum est, quod defrudetur, & quasi fraudem patiatur.* Non credo.

§. 39. Quod ad usum Vocis, quandoquidem non ad eandem semper spissitatem decoquere Mustum solerent, sed aliquando ad dimidiam, aliquando ad tertiam: hinc est quòd *defrutum* significaret modò quodvis Hepsema, modò quod esset maximè decoctum. Apud accuratiores propriè dicebatur *defrutum*, quod ad tertiam: *Sapa*, quod ad dimidiam decoctum erat. Quid ergò ista Plinii volunt? *quod alii hepsema, nostri sapam appellant, musto usque ad tertiam partem mensura decoctis:*

sto: quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus. Error memoriæ est, quæ amanuensi *tertiam* dictavit, ubi *dimidiam* debuit, & contrà *dimidiam* ubi *tertiam* dicere oportebat. Hoc verò dilucebit clarè ex consideratione singulorum.

§. 40. *Defrutum* Latinis *à defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit, effectum est*, inquit, Palladius Oct. 18. Nota, cùm *defrutum* ait à *defervendo* dictum, respicere ad originem rei potiùs quàm nominis. Præterquam enim quod *defervitum* non dicatur, etiam violentum esset hinc *defrutum* formare.

§. 41. In re ipsa non modò consentit Columella in 12. 20. sed & quò spissius fuerit decoctum, eò melius ait, *Si naturâ tenue mustum erit, cùm ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis subtrahendus est, & forma protinus aquâ refrigeranda: quod si fecerimus, nihilominus defrutum infra tertiam partem vasis consedit. Sed id quamvis aliquid detrimenti habeat, prodest tamen: nam quantò plùs decoquitur (si modò non est adustum) meliùs & spissius fit.*

§. 42. Quibus è verbis observes, primùm, *Mensuram decoquendi.* Ea erat vel ad tertiam vel intra. Si mustum decoqueretur ad tertiam, refrigescens considebat infra eam. Quamdiu enim calet decoctum, plenum vaporibus tumet: quibus evanidis sidit. Qui considere ad tertiam volebant, ad dimidiam decoquebant. Hoc licebat in mustis crassioribus; illud verò expediebant in tenuibus, quò nè situm ducerent; cui magis sunt obnoxia quæ sunt aquosiora magis. Valde hoc Pharmacopœi experiuntur in Sambuci *rob*, quod vocant.

§. 43. Deinde, *Modum decoquendi.* Quem pleniùs tamen exponit capite præcedente, *Uvas*, inquit, *sereno siccóque die quam maturissimas legemus, quibus proculcatis mustum, quod defluxerit antè quàm prælo pes eximatur, satis de lacu in vasa defrutaria deferemus, levique primùm igne, & tenuibus admodum lignis, quæ cremia rustici appellant, fornacem incendemus, ut ex commodo mustum ferveat. Isque qui præerit huic decoquendo, cola juncea vel spartea ex crudo [id est, non malleato] sparto præparata habeat. Itemque fasciculos fœniculi fustibus illigatos, quos possit utique ad fundum vasorum demittere, ut quidquid facis subsederit, exagitet & in summum reducat: tum colis omnem spurcitiam quæ redundaret expurget. Nec absistat id facere, donec videbitur eliquatum omni fæce mustum carere: tum sive mala cydonia, quæ percocta sublaturus sit, seu quoscunque voluerit convenientes odores adjiciat, & nihilo minus subinde fœniculo peragitet, nè quod subsederit quod possit plumbum perforare. Cum deinde jam acriorem poterit ignem vas sustinere, id est, cùm aliquâ jam parte mustum in se fervebit, tum codices & vastiora ligna subjiciantur, sed ita nè fundum contingant. Quod nisi vitatum fuerit, vel vas ipsum, quod aliquando contingit, pertundetur; vel, si id factum non erit, utique aduretur mustum, & amaritudine conceptâ conditurisfiet inutile.*

§. 44. Tertiò, *Cautelam decoquendi.* Cavendum quippe nè aduratur. Ad hoc, præter id quod jam audivimus, necessarium est eodem monitore ut *ipsa vasa, quibus sapa aut defrutum coquitur, plumbea potius quàm ænea sint. Nam in coctura æruginem remittunt ænea, & medicaminis saporem vitiant.* Hodie ad ejuscemodi usus vasa adhibent ænea, seu quæ perforationi non sunt exposita. Quò nè verò æruginem remittant, obducunt intus fuso stanno.

§. 45. Denique, *Terminum decoquendi.* Nam quantò plùs defrutum decoquitur, tantò fit melius, cùm ad Penum, tum ad Usum. Illius rationem jam intelleximus: spectare nempe præcautionem situs, quo facilè obducitur, si quid remansit aquei seu potiùs pituitosi: quomodo nunc appello, quod substantiâ aqueum, substantiæ modo lentum est. Purè aquea enim, cùm evaporant, difflantur. At mucida lanugo illa quæ superficiei obhærescit, vaporis lentitudinem ac tenacitatem arguit. Ad usum verò Poeta allusit in Georg. 4. 268.

—— igni pinguia multo *Defruta.* ——

Pinguia vocat, quia sunt spissa & dulcia: nam *pingue* pro *dulci* rectè dici, autor nobis Galenus est 6. Epid. 5. 14. & alibi. A multo autem igne spissitudo est: à spissitudine, dulcedo: à dulcedine, gratia usus. Ab utraque verò est, quòd

Dulci defruta sint lutosa cœno,

ut satis ingeniosè Papinius lusit in 4. Silv. 4. 708.

§. 46. Inter *defrutum* verò & *caræmum* erat quæ *sapa* Latinis, *σίραιον* Græcis fuit nominata. Heic iterum necesse habeo aliquid præliminiò dicere de vocibus istis, antequam ad rem deveniamus. Dicam verò primùm de Græco.

§. 47. Hesychius, Ἕψημα, ὅπερ ἔνιοι σειραῖ καλοῦσιν, ἄλλοι γλυκύ. *Scribe*, inquit Vir magnus, ὅπερ ἔνιοι σείραιον καλοῦσιν, ἄλλοι γλεῦκος. Scribes, ὅπερ ἔνιοι σίραιον καλοῦσιν, ἄλλοι γλυκύ, siquidem audis non me, sed ipsum Hesychium: Σίραιον, τὸ ἀπὸ τῆς σαφίδος ἕψημα· οἱ δὲ γλυκὺν καὶ ἑψημένον οἶνον. Phavorinus, Σιραίῳ, τῷ γλυκεῖ ἑψήματι, παρὰ τῷ Ἱπποκράτει. Desumpsit è Galeni glossis, aut Erotiani. Apud illum præterea sic scribitur l. α'. γόνῃ 3. 2. p. 346. l. 46. & l. de Atten. vict. 12. ac alibi. Apud Hippocratem reperitur 1. Muliebr. t. XCI. iterùmque 2. t. LXIII. Ubi tamen utroque loco legitur non σίραιον, sed οἶνος σιραιος. de quo mox. Etiam σίραιον scribunt Aristophanes & Scholiastes Vespis p. m. 493. B. F. Unde rectè Dalechampius & Casaubonus pro τῷ σισίραιον, quod Athenæo 4. 21. subrepsit, rescribunt σίραιον, præeunte mss. Videtur hæc non vidisse Sebetus: alioqui confidentiùs apud Pollucem 6. 2. idem restituisset prò σειρσίραιον, quod planè mendosum est.

§. 48. Cæterùm quod alteram emendationem attinet, apud Hesychium non esse in locum τῶ γλυκὺ reponendum γλεῦκος, vel unum Eustathii illud evicerit, quod est Odyss. δ. p. m. 1385. l. 14. καὶ τὸ γλυκὺ ἐκ τοῦ γλεύκους. Si enim *dulce* est *ex musto*, non est mustum. Neque est qui σίραιον & γλεῦκος pro synonymis habuerit. Quæ eapropter debui paulo pleniùs proponere, ut nè obsiet mihi auctoritas Exercitatoris laeri.

§. 49. Latini quoque *siræum* dixere. Plinius 14. 9. *Nam siræum, quod alii hepsema, nostri sapam appellant.* Distinguere autem quod ex musto fiebat Siræum oportet ab eo quod ex caricis aut palmulis. Nam ex his quoque Siræum confecisse scribit Ægineta 7. 14. σιραιὸν (libri σιρεόν, vitiosè) ἐςι, τό τε ἀπὸ τοῦ γλεύκους ἑψόμενον, καὶ τὸ ἀπὸ τῶν ἰσχάδων καὶ φοινίκων καὶ αὐτὸ τὸ γλυκὺ γλεῦκος σὺν τῷ μέλιτι, *Siræum dicitur, non tantum quod ex musto coctum fit; sed & quod ex caricis atque palmulis; & ipsum hoc dulce, mustum cum melle.* Quod ex ficubus coquebatur, id Galenus l. de Att. vict. 12. assimilat corrupto melli. Credibile verò est & hoc & ex dactylis pinguibus (τὸ τῶν λιπαρῶν φοινίκων ἀφέψημα, ut Paulus ait 3. 28. quà de curatione Arteriacorum) quod fiebat, venisse potissimùm tenuioris fortunæ hominibus in usum.

§. 50. Etiámne verò mustum cum melle decoquebant ad consistentiam ceu speciem Siræi novam? Ita quidem videtur ex istis Æginetæ. Hóccine verò fuerit quod Græci appellabant μελιηδὲς, quasi ἐκ μέλιτος ἡδὺ *dulce ex melle*? Suspicor id quidem: affirmare tamen præter auctoritatem non ausim. Quæ conjectura tamen si vera est, *melitites* non debet, quam *mellinam* vocat Plautus Pseud. act. 2. sc. 4. 51. unde *melilla*, ὑποκορισμὸν, Casinâ act. 1. sc. 1. 47. *Militites* quippe erat οἰνόμελι ἀπὸ γλεύκους *mulsum è musto* factum. Faciendi modum tradidit Dioscorides 5. 16. alium Beritius in Geop. 8. 25. At hoc quia homines comperiebantur inflationibus obnoxium & ventriculo incommodum esse, seculis jam fieri desiit. *Solebat tamen inveteratum alvi causâ dari in febre*, ut Plinius notat 22. 24.

§. 51. Sapa verò quemadmodum conficeretur, intelligas etiam è Palladio; *Sapa*, inquit, *ubi ad tertias redacta descenderit.* Plinius 23. 2. *Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit.* Quibus videtur (ut iterum hoc moneam) Columella contrarius l. 12. 19. *Quidam partem quartam musti, nonnulli tertiam decoquunt. Nec dubium quin ad dimidiam si quis excoxerit, meliorem sapam facturus sit, eóque usibus utiliorem, adeò quidem ut etiam vice defruti, sapâ mustum, quod est ex veteribus vineis, condire possit.* Non. Marcellus 17. 14. Sapa, *quod nunc* mellaceum *dicimus, mustum ad mediam partem decoctum.* Probat è Varronis 1. de vita P. R. *Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant.*

§. 52. Quæ quo concilies modo, nisi quem suprà innui? dicendo nempe, ad dimidiam excoxisse quod refrigescens volebant ad tertiam considere. Revera enim hinc dictum Græcis σίραιον fuit, quòd esset ἐς σιρὰν *ad dimidiam* coctum. Cyrilli glossæ; Σιρὰ, *Civisa:* pro quo Vulcanius, *Simissa:* uti mox apud illum Σιρωτὴς οἴνου ἢ ἄλλου τινὸς ὑγροῦ, *Simissator* exponitur, sive *qui decoquit ad dimidiam.* Rectum puto, *semissa* & *semissator:* prorsus ut *semissarius heres* dicitur Florentino is *qui ex parte dimidia institutus* est, l. Legatum 116. §. 1. ff. de Leg. & fideic. itémque *semissalis usura* Modestino l. Septicia 10. ff. de Pollicitationibus.

§. 53. Sapa igitur, quà formam seu consistentiam, spissior Caræno fuit, mollior Defruto. Quod ad materiam verò, sapa fit ex musto vel albo vel nigro. *Ex albo melior*, inquit Plinius 23. 2. non tantùm quia sapidior; sed & quia μαλακτικὸς

τῶν

τῶν ἄλλων μᾶλλον, *ventrem præ aliis mollit.* Ità Dioſcorides 5. 9. Ex nigro enim muſto Sapa haut dubiè adſtringit.

§ 54. Erat autem ſapa per ſe ſapida admodum. Sapidiorem tamen qui volebant, optimi vini ſextarios C. ad muſti 8. adjiciebant. Hanc præparationem ſeu optimam commendat Leontinus in Geop. 8. 31. Alii aromatis condiebant: vide ad Columellam 12. 20.

§ 55. Patet itaque, ingenii hæc, non naturæ opera eſſe: & eſſe non ab bibendum comparata, ſed *omnia in adulterium mellis excogitata*, uti Plinius ait 14. 9. Ariſtophanes loco quem modo laudabam disertè *σίραιον ἀντὶ μέλιτος ſapam pro melle* ſubſtituit. Inquies, quemadmodum Sapa ſaltem ad bibendum non ſit facta, cùm referente Plinio 22. 2. *Fabianus autor ſit, venenum eſſe, ſi quis jejunus à balneis eam bibat?* Fortè quis recèns à balneo & antequam ibi inſudaſſet, æſtuante corpore & onuſto pravis humoribus, dilutam vino ſapam bibens ſubitò fuit extinctus cum talibus ſymptomatis, quæ potionatis aliàs accidere eſſet obſervatum. Id ſi accidit, ut ſanè potuit accidere, non miror veneni inſtar habitam eo in caſu ſapam. Quàm facile enim eſt ut ſapa ferveat & inſtar mellis fermentet humores pravos & ſeceſſionem (quam *putredinem* appellat vulgus) faciat in ſanguine, ſpiritúmque enervet enecétque.

§ 56. Sed verò, potui iſta, ſaltem mera, non fuiſſe, colligi & equidem haut obſcurè poteſt è Galeni l. de Att. vict. 12. *Vina*, inquit, *quæ dulcia admodum ſunt, omnia ſanguinem craſſum gignunt: nigra namque hæc ſunt, & conſiſtentia craſſâ, & iis adhuc magis Siræum quod vocant, id eſt, ſapa. Eſt autem id muſtum plurimùm coctum.* Ecce, craſſiora erant præut bibi indiluta poſſent; & talem gignebant ſanguinem, qualem nemo cupiat, ideóque cavet quæ materiam ei præbere queunt. Cùm enim *τὸ αἷμα τὸ ἐν ἀνθρώπῳ πλεῖστον ξυμβάλλεται μέρος συνέσιος, Sanguis qui in homine eſt potiorem partem contribuat ad prudentiam*; uti ex vero dicit Hippocrates 1. de Morb. t. 28. & l. de Flat. 20. 209. conferat verò hoc quod ad eam confert puritate ſuâ & pelluciditate: nemo equidem non obſcurare hanc cavebit, quiſquis vel experimento didicit quàm Spiritus noſter oderit tenebras, amet autem habitare in lucido.

§ 57. Ut jam non dicam, matutino potui id expeti potiſſimùm, quod ipſum coctione non egeat, quin ſerviat pridianæ cœnæ reliquiis conficiendis & digerendis. At verò *ςυπτικὸς πᾶς σείριος, adſtringit omne ſiræum*, monente Dioſcoride 5. 9. unde nec facilè confert ulli qui conſuevit alvum habere obedientem.

§ 58. Accedit tertium, quòd *intùs facilè vitientur defrutum, paſſum, & quidquid nimis dulce eſt*, auctore Celſo 2. 28. Cauſam aperiet Hippocrates tibi, ſi audire libet, l. de Vet. med. t. 24. 76. Sed exſcribamus verba in gratiam eorum quibus ad manum liber non eſt; *ἀλλ᾽ ὅ, τι ἰσχυρὸν ἑκάςυ, καὶ τὸ κρέσσον τῆς Φύσιος τῆς ἀνθρωπίνης, ὃ μὴ ἠδύνατο κρατέειν, τῦτο βλάπτειν ἡγήσαντο, καὶ τῦτο ἐζητήσαντο ἀφελέειν· ἰσχυρότατον δέ ἐςι τῦ μὲν γλυκέος τὸ γλυκύτατον. Sed quod in unoquoque forte eſt, & potentius Naturâ humanâ, quod non potuit ſuperare, hoc lædere arbitrati ſunt, atque hoc ſtuduerunt auferre. Potentiſſimum verò eſt inter dulcia dulciſſimum.* Quid autem *melle dulcius?* Jud. 14. 18. Certè nihil in his quæ ſponte nobis Naturæ ſuppeditantur. Quid autem ſapâ potentius? quæ & in adulterium mellis fuit excogitata, & excocta è muſto plurimum omnino retinet in ſe vini. Cujus ſi *Aſclepiades*, autore Plinio 23. 1. *utilitatem æquari vix deorum* (gentilium nempe, quæ per Dei gratiam *idola ſcimus nihil eſſe in mundo, & nullum Deum alium niſi unum*, 1 Cor. 8. 4.) *potentiâ poſſe pronunciavit*: quanto meliore nobis jure licet de Vino affirmare, non habere æquipollens ſibi in humanam naturam? Effecta teſtantur quam nè robuſtiſſimus quidem Vinum impunè laceſſat: confer ad Prov. 23. 29. & deinceps.

§. 59. Ergò igitur ſi potui non fuere, cui uſui erant? Ad condimenta & medicamenta.

§ 60. Medicamenti loco ſæpe ſapam ac defrutum veniſſe olim, clarius eſt è Medicorum libris præut oſtendi loca debeant: imò jam oſtendimus in Hippocrate & Galeno, principibus viris: adde interim Dioſcoridem 5. 9.

§. 61. Serviebant autem potiſſimùm condiendis cùm Vinis tum Cibis. Vinis primùm. Columella 12. 20. *memineris anniculo defruto, cujus jam bonitas explorata eſt, vinum condire: nam vitioſo medicamine fructus, qui perceptus eſt, vitiatur.* Et mox cap. 21. *Poteſt tamen etiam poſt dies novem quam refrixerit, adjici in vinum: ſed melius eſt ſi anno requieverit.* Præmittit autem cap. 19. monitum egregium, quod utinam hodie audirent Oenopolæ, *Quæcunque vini nota ſine condimento valet perennari, optimam eam eſſe cenſemus, nec omnino quidquam permiſcendum, quo naturalis ſapor ejus infuſcetur. Id enim præſtantiſſimum eſt quod ſuâpte naturâ placere poterit.* Quidquid ſit, ſaltem, ut ex eodem pergamus loqui, *cavendum eſt, nè conditus ſapor intelligatur: nam ea res emptorem fugat*, cap. 20. Me certè, qui nihil æquè odi ac vinum adulteratum. Naturâ dulce & maturitate bonum amo, non arte. Interea etiam veriſſimum eſt hodie, quod ſuo jam tempore queſtus fuit Plinius in 23. 1. *Jam verò nec Proceres uſquam ſinceris utuntur. Eò venere mores, ut nomina modo cellarum veneant, ſtatimque in lacubus vindemia adulterentur: ergò, mirum dictu, innocentius jam eſt quodcunque & ignobilius.* Hodie nè hoc quidem expers manet fuci.

§. 62. Vinum verò quod admixtum ſibi Hepſema haberet, dicebatur priſcis *γλεῦξις ἢ γλύξις*. Athenæus 1. 24. *καὶ γλύξις δ᾽ οἶνος καλεῖται, ὁ τὸ ἕψημα ἔχων, Glyxis verò id vinum dicitur, quod mixtum ſibi hepſema habet.* Euſtathius ad Odyſſ. *α᾽.* p. m. 1385. l. 14. *καὶ γλεῦξις κατὰ Παυσανίαν, οἶνος πολὺ ἕψημα ἔχων ὁ νῦν Φησι σίραιος, Gleuxis ſecundum Pauſaniam eſt vinum habens multum hepſematis admixtum ſibi: quod nunc dicitur Sirinum.* Tale fuiſſe arbitror quod *οἶνος σίραιος vinum ſiræum* dicebatur Hippocrati ſuprà §. 47. Solum namque *ſiræum* infuſionibus non ſatis aptum. Diluebatur itaque vino. Hoc *ſiræum* aut *ſirinum* aut *ſirium*, ut Dioſcorides. Heſychius inter *γλεῦξιν* & *γλύξιν* facere diſcrimen videtur. *Γλεῦξις, οἶνος, ἕψημα* Revera, ut jam audivimus, fuit *οἶνος σὺν ἑψήματι*, non *vinum* aut *hepſema*, ſed *vinum cum hepſemate*.

§. 63. Iterum, *Γλύξις, ὁ ἀνειμένος οἶνος καὶ ἄγονος, οἱ ἔνιοι ἀπαλόςομεν, οἱ δὲ γλεῦξιν, Glyxis, effœtum vinum atque infœcundum, quod quidam ori-molle, alii gleuxin vocant.* Priore colo quid velit, non aſſequor ſatis. Utrúmne intelligit, quod Plautus Pœnulo act. 3. ſc. 3. 87. vocat *vinum edentulum*, ſive quod ſine dentibus, quaſi nimiâ vetuſtate, eſt? vide Lipſium Antiq. lect. 2. 19. An verò tale quod ſterilitatem adferret? cujuſmodi Herea, oppidum Arcadiæ, dicitur habuiſſe, quod infœcundas redderet mulieres. Athenæus de Trœzenio 1. 24. *ὁ δὲ Τροιζήνιος οἶνος ἀγόνυς, Φησὶ, ποιεῖ τὺς πίνοντας, Trœzenium vinum infœcundos dicitur facere bibentes.* Suſpicor tamen pro *ἄγονος* legendum eſſe *ἄτονος*. Sanè hoc malim, dicique *vinum ἀνειμένον*, quod ætate, *ἄτονον* quod naturâ infirmum eſt. Hoc genus vini ſalubre non eſſe cognoſcimus è Dioſcoride, 5. 9 *Οἱ δὲ καλέμενοι ἀπαράχυτοι*, inquit, *ἔχοντες δὲ ἕψημα μεμιγμένον, κεφαλῆς εἰσι πληρωτικοὶ, μέθης γεννητικοὶ, δυσδιάπνευςοι, κακεςόμαχοι* hoc eſt; *Vinorum quotquot maris expertia ſunt, habent autem hepſema permixtum, caput implent, temulentiam gignunt, difficile tranſpirant, aliena ſtomacho ſunt.* Heſychio *οἶνος ἀπαράχυτος* exponitur *ᾧ ὐ προςίθεται θάλασσα, cui non eſt additum mare.* Eodem modo interpretatur Galenus Meth. med. 12. 4. Cui verò admixta eſſet *marina*, id Celſus modò *ſalſum* ſimpliciter vocat, ut lib. 1. cap. 6. modò *ſalſum Græcum*, ut 3. 6. 24. & alibi. Græcorum namque id inventum erat, vinorum ſola ignobilia condientium mari. Quomodo? docet Dioſcorides 5. 27. itemque Columella 12. 25. Quare? docet Plutarchus in Quæſt. nat. 10. Species ſalſi ſeptem recenſet Plinius 14. 8. Quod verò eſſet *ἀθάλασσον, maris expers*, diximus cum Horatio 2. Sat. 8. 15.

§ 64. Etiam cibis Sapam atque defrutum condiendis veniſſe, multis autorum locis teſtatiſſimum eſt. Præ aliis videri Cæl. Apitius poteſt, qui ſæpeſæpius eorum meminit omnibus penè in libris de Re culinaria. De talibus Cibis accipio Celſi judicium l. 1. 2. *Condita omnia duabus de cauſis inutilia ſunt, quoniam & plus propter dulcedinem aſſumitur, & quod modo par eſt, tamen ægrius concoquitur.* Verè ità eſt, ut medici ſentiunt, *Cibus ſimpliciſſimus, cibus optimus.* Præterquam enim quòd minoris conſtet, fructûs eſt majoris. Nam & parvo ſaturat, & facile coquitur, & plùs alit. Martialis ea propter rectè.

Convictum facilem, ſine arte menſam.

recenſet inter

Vitam quæ faciunt beatiorem. l. 10. Epigram. 47. v. 1. 8.

§. 65. Præcipuè verò nigrandis juribus Sapa faciebat. Jam non contineo me, ut non aliquantùm de propoſito decedam & aperiam aliquid veteris hiſtoriæ. Namque hæc ſunt curarum noſtrarum delinimenta.

§. 66. Olim frequenti in uſu fuit Jus duplex, album & nigrum. *Ζωμὸς λευκὸς, jus album* quódnam diceretur, quâ ratione conficeretur, intelligi è duobus Galeni locis poteſt. Unus

est l. de Alim. fac. 3. 30. Quæ quia ab Oribasio sunt exscripta in Conlect. 2. 51. suffecerit mihi Latina indè desumpsisse, prout Rasarius exhibuit, *Piscium molli carne præditorum apparatus ad concoctionem optimus est is qui ex albo jure conficitur, quod quidem parant hoc modo. In aquam copiosam olei quod satis sit effundito, paŕumque anethi & porri addito; cùm pisces semicocti fuerint, tantum salis adjicito ut totum jus nondum salsum videatur. Hic apparatus vel ipsis ægrotis est accommodatus.* Non suaserim tamen nostris palatis apponi.

§. 67. Hoc interim modo non conficiebatur album jus, nisi quoties carnes æger cuperet. Simpliciter enim olera tantùm admittebat. Oribasius disertè Conlect. 4. 1. §. 13. *Album jus atque simplex ex sola aqua & oleo, pauco anethi & porri, & sale modico injecto post idoneam coctionem, conficitur.* Plinius 32. 9. *pisces* ad alvum emolliendam jubet *coqui cum anetho, apio, coriandro, porro, additis oleo & sale.* Subnotat Dalechampius, *Tale est album jus, toties à Galeno memoratum.*

§. 68. De carnibus quod dixi, id verò clarum est ex altero Galeni, quem intendebam, loco. Is est, Ὑγιεινῶν 4. 10. *εἰ δὲ σαρκὸς βούλοιτο γεύσασθαι, τὴν τῶν πετραίων ἰχθύων ἢ ὀνίσκων ἐν λευκῷ ζωμῷ καλῶς ἑψήσαντα διδόναι. προσαγορεύω δὲ λευκὸν ζωμὸν, ὅταν ἄνευ σαρκός τε, καὶ πολὺ μᾶλλον τῆς ἄλλης καρυκείας, σκευασθῇ, ἀνήθου τε καὶ ἁλῶν ἐμβληθέντων εἰς ὕδωρ σὺν ἐλαίῳ καὶ πράσῳ βραχεῖ.* Pro quibus Linacer nobis ista dedit, *Quòd si carnem quoque gustare velit, saxatiles pisces vel oniscos in albo jure bene elixos dabis. Voco jus album, cùm sine garo, magisque etiam sine supervacua conditura, cujusmodi καρυκείαν Græci vocant, præparatur, anetho saléque cum oleo & porri exiguo in aquam conjectis.*

§ 69. Quibus in verbis tria iterum se offerunt consideratu digna. Primùm, Quid ὀνίσκοι, *aselli*, fuerint antiquis. Deinde, Quemadmodum sine carne Jus album fieri dicatur, si Oniscos aut similes pisces admitteret. Deinque, Quid fuerit καρυκεία. Primum, quia nequit tribus, quod aiunt, verbis expidiri, reservabimus in proximam exercitationem.

§. 70. Quod ad alterum, Linacer, *sine garo* reponens pro eo quod nostris in libris est ἄνευ σαρκὸς, *sine carne*, videtur usus manu exarato codice. Interea editos exhibere quod rectum est ostendant verba proximè præcedentia & præscripta. Ad quæstionem ergò.

§. 71. Apostolus 1 Cor. 15. 39. ἄλλη δὲ σὰρξ κτηνῶν, ἄλλη δὲ ἰχθύων, ἄλλη δὲ πτηνῶν, *alia est caro pecorum, alia piscium, alia volucrium.* Hoc adeò certum est, ut vulgus nè admittat quidem pisces in censum carnium. Medici admittunt, ceu videre in Galeni istis: sed ità ut in æstimatione nutrimenti, quod præbent, planè distinguant, & pro Carne habeant non nisi eam, quam præbet *omne animal quadrupes domi natum, omnis fera, omnis avis*, quemadmodum hæc digerit Celsus 2. 18. Qui & propterea cùm ibidem dicit, *plus alimenti est in carne quàm in ullo alio*, pisces omnino secludit à valore & censu carnium. Confer ad Hippocratem l. de Affect. t. 46. ubi *ἰχθύες κοῦφον ἔδεσμα, pisces leve edulium* dicuntur. Ubi *leve* dici, quod & facilè concoquitur & parùm nutrit, resciveris ex collatione horum Celsi, *Levior piscis inter saxa editus*, &c. cum textu 11. lib. 2. de Diæta.

§. 72. Quando itaque *Pisces* Carnibus non adnumerabant, rectè *Jus sine carnibus* dicebantur, quod nihil earum recepisset quæ propter excellentem vim nutriendi ceu prærogativâ quadam singulari appellantur *caro*. Ut adeò etiam Galeni ista quæ proposuimus planè evincant appelatum fuisse *Jus album*, in quo olera tantùm, vel præterea pisces fuissent cocti: at non item carnes. Modum Juris albi faciendi varium tradit Cæl. Apitius de Re cul. 7. 6. novum verò & nostri seculi ac suæ præsertim gentis hominibus vel aptiorem vel sapidiorem, Jul. Alexandrinus Salubr. 19. 15.

§. 73. Præter hæc quærebamus. Quid καρυκεία fuerit. Propriè, Conditura quæ cum caryca fiebat: impropriè, Conditura quælibet ad imitationem illius facta. Itaque ut qualis esset ea conditura intelligamus, sciendum est quid Caryca fuerit.

§. 74. Τῆς καρύκης inventum Athenæus 12. 3. refert ad Lydos, hominum mollissimos: memorátque suis ibi nominibus Auctores septendecim, qui ejus conficiendæ rationem tradidissent. Propterea verò, fortasse & quòd appararent illi suavissimam, in proverbium abiit καρύκη Λυδῶν. vide sis ad Erasmum p. m. 193. 446. 510. Quantivis verò pretii esset, nihilominus ei Timon Pyrrhonius Sillorum 2. non comparare tantùm, sed & præferre ausus est *concham* Græcorum, vilem cibum & facilem paratu: idque propterea quòd ἡ πᾶσα περισσοτρύφητος ὀϊζὺς, *ærumna sit quasi perpetua comes ambitiosarum cupediarum.* Verè enim ità est, ut Parœmiographus sacer ait Prov. 23. 21. *comessator depauperabitur.*

§. 75. Ex quibus *caryca Lydorum* verò conficeretur, Athenæus non dicit. Materia præcipua fuere Sanguis & Hedysmata, ceu ex Hesychio paret, & inprimis Phavorino. Hesychius; καρύκη, βρῶμα λύδιον, ἐξ αἵματος καὶ ἄλλων ἡδυσμάτων συγκείμενον. Prima ergò materia, Sanguis. Cujus animalis? Quo quisque maximè delectaretur. Scribit Galenus de Alim. fac. 3. 18. leporinum celebrari ut jucundissimum: etiam suillum edi; quo & hodie passim Belgæ delectamur in farciminibus, Homero laudatur caprinus. Eadem & Ægineta habet lib. 1. 85.

§. 76. *Hedysmata* Galenus *aromata* exponit in glossis. Per quæ intelligi putem non ea duntaxat quæ aut India mittebat, aut felix Arabia: sed quidquid domi natum conciliare potest conditura & odorem suavem & gratum saporem. Videre id apud Aretæum est de Cur. diut. 1. 2. ubi exponens quæ καρυκεία Cephalææ conveniat, ait; καλοὶ γὰρ οἱ ἐν τῇ καρυκείᾳ καρποὶ, κάρυ, κορίαννον, ἄνισον, σελίνου δὲ τουτέων κρέσσων, ἢ ἡδύοσμος ἢ βοτάνη, καὶ γλήχων, *Bona namque in conditura sunt semina cari, coriandri, anisi, quibus melius est apii, mentha herba, ac pulegium*: confer & Platinam de Tuenda valet. 3. 7. 10. in initiis.

§. 77. Etiámne verò alia Materia fuerit adhibita, non possum dicere. Suspicamur tamen ex eo, quòd pro succo sufficere sanguis non videtur. Videtur enim non absimilis fuisse Carycarum compositio à compositione Unguentorum. Qua de Plinius 13. 1. *Ratio faciendi duplex: succus & corpus; ille olei generibus fere constat, hoc odorum. Hæc stymmata vocant, illa hedysmata.* Ubi *stymmata* vocat, quæ consistentiam seu corpus darent unguentis: *hedysmata* vero succos quibus ea exciperentur. Sic quoque in Carycæ confectione præter sanguinem credimus addidisse sapam aut defrutum aut quid simile.

§. 78. Forma Carycæ quæ fuerit, nusquam expressè docetur. Phavorinus, cùm eam modò βρῶμα *edulium*, modò ὑπότριμμα *intritum*, modò ἕψημα *decoctum* vocat, videtur variam indigitasse, ac consistentiorem aliquando, aliquando molliorem fuisse. Hoc verò certum est, nigricante colore fuisse, sive à Sanguine eum, sive aliunde haberet. Phavorinus causam reddens quare λύδιον βρῶμα dictum esset καρύκη, disertis ait, ἐπειδὴ μέλαν ἐςὶ, *quia nigrum est.* Unde & ipse &, è quo pleraque sua desumpsit, Hesychius, τὸ καρυκεύειν exponunt per συνταράττειν καὶ ἀναδεύειν, *infuscare & immiscere.*

§. 79 Non arbitror autem verè ac simpliciter nigram Carycam fuisse, sed ex russo nigricantem, sive phœnicio colore, *castanaium* quem nuncupamus à cortice castaneæ quem refert. Huc nos ducunt Hippocratis illa quæ referuntur 4. Epid. t. 13. de duobus fratribus, qui Cecropis erant domestici, *οἷσι τὰ μέλανα κατ' ἀρχὰς διῄει, ὑπότρυγα καρυκοειδέα, ἐκ κατακορέων ἀφρωδέων χολώδεα ἦσαν, His nigra ab initio exibant, quasi fæx, carycæ similia: ex saturatis spumosis biliosa erant.* Hâc gradatione meliorari consuerunt excreta, & sæpe est hæc observare in evadentibus à gravi morbo & colluvie pancreatis.

§. 80. Et ista mihi ratio videtur, quare quodvis Conditum deinceps, modò Jus sapidum facere & infuscare adinstar Lydiæ posset, καρύκη fuerit appellatum. Tale est quo nostrates coqui profundunt artocreas ex bubula carne: *bruine sausse.* Tale verò vel inprimis est, quod pro intinctu superfunditur asso lepori: *hase-sausse.* Tale est in quo Carpiones elixant; cujus formulam exhibet Jul. Alexandrinus Salubr. 20. 13.

§. 81. Galenus itaque per καρυκείαν intellexit omnem talem Conditaram, quâ deliciosum Jus & fuscum fieret. Ferè enim jurium in gratiam fiebant. Quæ ratio est quare Hesychio etiam καρύκη exponatur περίεργος ζωμός. Pro quo si quis, Linacrum secutus, reddere velit, *Caryca est supervacuum jus*, non sonabit bene. Concinnius, si dicas; *Caryca est jus ambitiosum.* Ità enim appellant Græci pariter ac Latini ea quæ fiunt affectato studio, enixâ operâ, ingenti sumptu, cuique omnino liceret parcere & nihilominus satisfacere non tantùm necessitati, sed & voluptati.

§. 82. Ità οἶνοι περίεργοι Dioscoridi 5. 19. dicuntur vina quæ sunt majore curâ & operâ confecta, ut exponit ibi Marc. Vergilius, cujus hîc sectiones sequebamur: nam cæteris in libris reperies cap. 27. Talis fuit Amminæi confectio, quam Didymus tradit in Geop. 8. 21. & aliorum, quæ haut opus recensere. De quibus Plinii penè simile judicium est in 23. cap. 1. quale est Plutarchi Symp. 4. 2. in fine, de Aburtacis, Candulis, Carycis, atque id genus eduliis: esse nempe περίεργα καὶ σπερμολογικὰ, *supervacua atque inutilia.* Quæ omni in mensa desiderare, cupediorum est. *Cupedii* dicuntur κομψοὶ, fastidiosi illi, qui attingere nihil eorum in mensa solent quo populus utitur;

tur; quin & in omni delitiarum affluentia, nisi quid novum atque inexspectatum, & ad ambitionem, non utilitatem comparatum apponatur, consueti electilia lectari nihil inveniunt quod faciat ad palatum.

§ 83. Quando itaque Galenus jus album fieri absque ulla καρυκείᾳ dicit, etiam sapam & defrutum excludit. Horum enim si quid suffunditur juri, nigrescit. Ità scribit Galenus 1 Prorrh. 1. 13. *dejectiones sæpe sequi colorem eorum quæ quis comedit: & hoc apparere manifesto in his, qui ederunt decoctum leporinum sanguinem, vel jus nigrum eorum, quæ cum multa conficiuntur sapa.*

§. 84. Nigri juris inventionem Lampriæ tribuere videtur Euphron in Adelphis,

Ζωμὸς μέλας ἐγένετο πρώτῳ Λαμπρίᾳ.

Ad quæ Casaubonus in Animadv. ad Athen. 9. 6. *Nugatur hic coquus, juris nigri inventum Lampriæ tribuens, cùm Lacedæmonios ab antiquissimis temporibus eo usos constet; aut ità accipe hunc versum, Excelluisse Lampriam in parando eo jusculo, & primas tulisse.*

§. 85. Sed tempus est redeundi unde sumus digressi, ac progrediendi ad illud Dulcium genus quod suprà § 18 primo proposui loco, & Potui potiorem partem inservire, atque ad intentionem nostram spectare propiùs dixi.

§ 86. Hoc ipsum verò genus Dulcium, quia non uniusmodi est, digeremus etiam, ordinis clarioris & doctrinæ causâ, in duas velut classes: quarum alterea Passum cum suis speciebus contineat, altera Non-passum.

§ 87. Latinis *passum* quod dicebatur, id Græcis modò γλυκὺς, modò γλυκύ. Neutro genere reperies apud Dioscoridem in 6. 2. ubi Cantharides habenti in intestinis, infundi ex melicrato nitrum jubet, & superdare οἶνον ἢ γλυκὺ, *vinum aut passum*. Onomasticon, γλυκύ. Sic verò etiam masculo genere reperies cùm alibi tum lib. 5. 9. Eodem etiam apud Athenæum 14. 18. ubi ex Theopompo festivam narrat historiam: nempe Amithrochatem regem Indorum literis ab Antiocho postulasse emi suo sumptu ac mitti sibi Passum & ficus ac Sophistam. Rescripsit urbanè Antiochus, *ἰσχάδας μὲν καὶ γλυκὺν ἀποστελοῦμέν σοι, σοφιστὴν δ' ἐν Ἕλλησιν οὐ νόμιμον πωλεῖσθαι, Caricas & passum mittemus tibi, Sophistam verò apud Græcos leges non sinunt vendi.*

§ 88. Nosse si quis velit qui illo tempore fuerint *Sophistæ*, resciet è Plutarcho in Themistoclis vita, p. m. 112. D. quem ibi ait fuisse sectatorem Mnesiphili Phrearii, *οὔτε ῥήτορος, οὔτε τῶν φυσικῶν κληθέντων, ἀλλὰ τὴν καλουμένην σοφίαν, οὖσαν δὲ δεινότητα πολιτικὴν καὶ δραστήριον σύνεσιν ἐπιτήδευμα πεποιημένου καὶ διασώζοντος, ὥσπερ αἵρεσιν ἐκ διαδοχῆς ἀπὸ Σόλωνος, qui neque Rhetor erat, neque ex e Philosophis qui dicebantur Physici, sed studii sui faciebat eam quæ Sapientia dicitur, quæque est solertia politica ac negotiosa prudentia, eámque tenuit ceu sectam ex traditione Solonis.* Quo de Agellius 11. 18. *fuisse ex septem illis inclytis sapientibus.* Cum illis Plutarchi confer egregium Protagoræ promissum apud Platonem p. m. 222. D.

§ 89. Aliàs verò etiam *Sophistæ* dicebantur, qui se sapientes videri magis quàm esse studebant, pecuniarum honorisque gratiâ. Quales hodie si quæsitum Diogenes redivivus iret, etiamne inveniret? Etiam sine lucerna; etiam nostro in ordine. Hippocrates tibi, si nosse vis, notas dicet l de Eleg. 1. 16. *ἀγορὴν ἐργαζόμενοι, μετὰ βαναυσίης ἀπατέουσι, καὶ ἐν πόλεσιν ἀνακυκλέουσι, ὑπερηφανέως κεκοσμημένοι* multitudini studentes, & auræ populari atque ad se concursui, cum ambitione & prædicatione sui non tantùm adulantur magnatibus divitibusque, sed & obsequiosè colunt, quemcunque sperant posse se apud alios commendare: & hæc propter in urbibus frequenter obeunt salutatum atque se suúmque servitium oblatum, nitidè ac muliebriter sæpe compti quo scilicet in æstimationem ac fiduciam sui admirabundum & facilè ad splendentia stupens vulgus adducant istis velut illiciis, nihil in dictis factísque omnibus habentes prius quam ut quæstui placendo serviant.

§. 90. Contra tales excellenter olim Socrates disputavit, ceu videre in Hippia. Quo fructu autem? ut cicutam bibere sit coactus. Hujus enim hanc causam dicit Laertius p. m. 113. C. *ὅτι διήλεγχε τοὺς μεγαλοφρονοῦντας, quod redargueris magna de seipsis sentientes.* Idem illud cùm nostri non possint hodie, hoc adimere tamen sophis sophistæ satagunt, quod ex pari cum vita procedere ait Pratensis ad Decretum c. 11. q. 1. C. nolo: verbo, famam, sive Nomen bonum, quod omnibus divitiis est potius, Prov. 22. 1. Sed hæc velut ἐν παρενθέσει.

§. 91. Porrò, quemadmodum à sapore Græci hunc uvæ fructum nominabant γλυκύ: ità *passum* Latini, à *patiendo*. Servius ad Georg. 2. 93. *Passum dicitur à patiendo; nam mustum decoquitur, & inde fit passum.* Fallitur: hoc enim, ceu vidimus, *Sapa* dicebatur, aut *Defrutum*. Varro in 1 de vita P. R. *Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eámque passi essent in sole aduri.* Non. Marcellus tamen cap. 1. 38. *uvam passam* dictam putat, quòd sit rugis implicata. Nam *passum est propriè rugosum vel siccum*, inquit: additis è Plauto & Lucillio locis quibus id doceatur. Sed stare ista simul queunt, aduri in sole, siccari æstu, siccatione rugescere, atque ità simul hæc omnia pati.

§. 92. Sed videamus potiùs quid esset *passum*. Atque heic primum occurrit ratio faciendi. Hanc strictissimè Dioscorides proponit in 5. 9. *ὁ δ' ἐκ τῆς θειλοπεδευθείσης σταφυλῆς, ἢ ἐπὶ τῶν κλημάτων ὀπτηθείσης καὶ τριβομένης γινόμενος, γλυκύς. Passum fit ex insolata uva, aut in palmitibus adusta, & conculcata.* Locus ubi hæc insolatio atque exsiccatio fiebat, θειλόπεδον dicebatur. Vide sis ad Hesychium & Eustathium ad Odyss. η. p. m. 1573. l. 23.

§ 93. Plinius vero fusiùs ista persequitur in 14. 9. *Fieri certum est ex uvis diutius in vite sole adustis, aut fervente oleo. Quidam siccantes sole, donec paulò amplius dimidium pondus supersit, tusásque leniter exprimunt: deinde, quantum expressere, adjiciunt vinaceis aquæ puteanæ, ut & secundarium passum faciant. Diligentiores eodem modo siccatis eximunt, ac sine sarmentis madefactos vino excellenti, donec intumescant, premunt: & hoc genus ante cætera laudant: ac simili modo, aquâ additâ, secundarium faciunt.*

§ 94. Observa in his Passum Veteribus duplex fuisse: primarium & secundarium. Primarium oportuit vinosissimum fuisse, simul & dulcissimum. Vinosissimum quidem, propter evaporatum fervore Solis aqueum omne, quod acinos turgidiores facere quàm vinosiores solet. Dulcissimum verò, propter excoctum magis vinosum. Quæ coquuntur enim, uti usque & usque crassescunt, ità dulcescunt. Nullus autem ignis delicatiùs coquit quam Solis. Neque ulla coctio jucundior quàm humidi atque in humido est. Secundarium contrà dilutum valde, & turbidum haut dubiè fuit. Dilutum, propter aquam: Turbidum, propter crassamentum, quod majore vi exprimebatur.

§. 95. Palladius Octobr. 19. *Passum nunc fiet ante vindemiam. Leguntur ergo uvæ passæ quamplurimæ, & in fiscellis clausæ junco factis aliquatenus rariore contextu, virgis primò fortiter verberantur. Deinde ubi uvarum corpus vi contusionis exsolverit, cochleâ supposita sporta comprimitur. Hinc passum est quidquid effluxerit, & conditum vasculo, mellis more, servatur.* Si rectè attendis, modus iste à Plinianis diversus est, facitque passum mellaceum magis & culinæ accommodatius.

§. 96. Columella denique in 12. 39. optimum Passum sic fieri ex Magone præcipit, ut & ipse fecisse se testatur. *Uvam præcoquam bene maturam legere, acina arida aut vitiosa rejicere, furcas vel palos, qui cannas sustineant, inter quaternos pedes figere, & perticis jugare. Tum insuper cannas ponere, & in sole pandere uvas, & noctibus tegere, nè irrorentur. Cùm deinde exaruerint acina decerpere, & in dolium aut in seriam conjicere, eodem mustum quàm optimum, sic ut grana submersa sint, adjicere: ubi combiberint uvæ, séque impleverint, sexto die in fiscellam conferre & prælo premere, passúmque tollere. Postea vinaceos calcare adjecto recentissimo musto, quod ex aliis factum fuerit, quas per triduum insolaveris: tum permiscere & subactam brisam prælo subjicere, passúmque secundarium statim vasis oblinitis includere, ne fiat austerius: deinde post viginti vel triginta dies, cùm deferbuerit, in alia vasa deliquare, & confestim opercula gypsare & pelliculare.* Atque hoc quidem modo è quacunque uva, dulci dum, præcoctâ albâ faciebant passum.

§ 97. Quo tamen nobilius erat quod fiebat *ex uva quam sticam vocant, nos apianam, item scirpulam*, inquit Plinius 14. 9. Cogendi ratio diversa à priore. Columella iterum, *Passum si ex uva apiana facere volueris, uvam apianam integram legito, acina corrupta purgato & secernito. Postea in perticis suspendito, pertica uti semper in sole sint facito. Ubi satis corrugata erunt acina demito, & sine scopionibus in dolium conjicito, pedibúsque bene calcato. Ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito postea alterum supercalcato, item vinum conspergito. Eodem modo tertium calcato, & infuso vino ità superponito ut supernatet, & sinito dies quinque: postea pedibus proculcato, & in fiscina nova uvas premito.*

§ 98. Et hic sumptuosior modus fuit. Qui autem sumptui parcere, & necessitati tamen prospicere satagebant alium excogitarunt. *Quidam*, inquit, *aquam cœlestem veterem ad hunc*

usum præparant, & ad tertias decoquunt: deinde cùm sic uvas, ut suprascriptum est, passas fecerunt, decoctam aquam pro vino adjiciunt, & cætera similiter administrant. Hoc, ubi lignorum copia est, vilissime constat, & est in usu vel dulcius quàm superiores nota passi.

§. 99. Inter apianas uvas Columella 3. 2. magnis dotibus tres commendat, omnes feraces. In his *venuculas* Plinius. Hæc enim eadem est quæ *scirpula* atque *fticula* dicebatur. Disertis hoc columella. Quare hinc emendandus Plinius 14. 2. *Venuculam Campani malunt scirculam vocare, alii staculam*: lege, *scirpulam vocare, alii sticulam*. Hodie eam *moscatellam* nominamus. Indicat hoc Dalechampius Annot. in hoc caput lit. *e*.

§. 100. Cæterùm judicio Poetæ Georg. 2. 93. *passo Psythia utilior* est. Hesychius, ψυθία, εἶδος ἀμπέλου· *Speciem vitis albæ* fuisse Florentinus dicit in Geop. 5. 2. Eam *vitem Graculam* dicit Columella 3. 2. Cæl. Rhodiginus Ant. lect. 15. 19. eandem cum Pramnia facit. At hoc qui verum sit, non video. Vinum namque pramnium austerum: Psythium dulce est. De illo paulò pòst liquebit.

§. 101. De hoc testantur Eubuli versus apud Athenæum 1. 22.

> Οἴνου γάρ με ψυθίου γεύσας ἡδὺν ἄκρατον,
> Δεψῶντα λαβὼν ὄξει παίει πρὸς τὰ στήθη.

Quemadmodum aliarum rerum venalium exemplar proponi, ita vini & id genus gustus solet præberi. Sed sæpe admodum fieri videas ut alius gustus præbeatur, aliud exemplar ostendatur, alia deinde merces tradatur. Id nunc conqueritur iste sibi apud cauponem contigisse: datum enim *Psythium vinum* quàm optimum gustandum, deinde verò ὄξος *acetum* sitienti esse propositum, quod graviter læderet stomachum. Ubi per ὄξος intelligi non *acetum* propriè dictum velim, sed οἶνον ὀξώδη quod vocat Pollux 6. 2. Latinè possis *acetum nativum* dicere. Vide ad Hofmannum 5. Inst. 25. 4. ubi Scipionem suum refert lusisse Ratisbonâ reducem, fuisse se

> *Hic ubi nativum colles lacrymantur acetum.*

§. 102. De *Surrentino* Tiberius Cæsar dicebat consensisse medicos, ut nobilitatem ei darent, alioquin esse *generosum acetum*: auctor Plinius 14. 6. Cave putes tamen hoc fuisse *crucium vinum*, quod in extremis porrigebant sitienti Salvatori. Verè *acetum* fuit. Hoc enim potui etiam fuisse veteribus, non ex historiis tantùm scimus, verùm etiam ex libris Juris Civilis Romanorum l. 3. §. 5. ff. De penu leg.

§. 103. Ex vite Psythia passum, *Psythium* & *Melampsythium* vocat Plinius 14. 9. De hoc dioscorides 5. 9. γλυκὺς μέλας, καλούμενος δὲ μελαμψίθιος, παχύς ἐστι καὶ πολύτροφος, *Passum nigrum, quod vocatur Melampsithium, crassum est & multi nutrimenti.* Hinc si corrigere Hesychium voles, pro Μελαντψίθιος lege Μελαμψίθιος, οἶνός τις. Laudantur ibidem Dioscoridi γλυκὺς κρητικός, καὶ πρότροπος, καὶ πράμνιος. De quibus vide an placeant quæ scribit Cornarius in com. ad Gal. de Comp. κ. τόπ. lib. 3. cap. 1. pag. 360.

§. 104. *Passum Creticum*, inquit Andr. Baccius Hist. vinor. 1. 9. *adhuc habetur in Candia, quod more antiquo uvis in vite passis, vel contortis pediculis, ac exemptis pampinis, vel conspersis in suspensa crate pertenui gypso, septem dierum spatio, comprimunt excipiuntque electissimum vinum, quam Malvasiam dicunt.* Confer ad eundem lib. 10. p. 331. & seqq.

§. 105. *Passum protropum* nisi sit cum *primario* idem, non dixero quid sit. Nam ex uva passa passum suâ sponte effluere posse, non videtur. Rectè enim Nonius 4. 364. *Passum dicitur genus liquoris, quod ex uva passa cogitur.* Nam & pellicula uvæ contractior est præut transmittat liquorem, lentior præut sine pressu majore rumpatur, & succus denique ipse pinguior præut etiam cute ruptâ effluat sponte.

§. 106. *Pramnium* à vite dicatur, an aliunde, incertum est. Didymus à vite dictum arbitrabatur. Alii verò nigrum sic propriè appellari, alii quodcunque πρὸς παραμονὴν ἐπιτήδειον, *aptum durare*: alii denique, quòd πραΰνει τὸ μένος *leniat animum*: vide ad Athenæum 1. 24. Confer Plinium 14. 4. Quidquid sit, hoc certum est, fuisse nigrum atque durum. Hesychius, Πράμνιος οἶνος, ὁ ἀπὸ τῆς πραμνίας ἀμπέλου. ἔστι δὲ καὶ ἐγχώμιον οἴνου, καὶ σκληρὸς οἶνος. *Vinum durum* dici quod austerum validùmque est, multis docet Salmasius Plin. exercit. pag. 345. Nobis unus ille locus sufficit qui apud Athenæum est 1. 24. cujusque Vir illustris non meminit; Πράμνιος οἶνός ἐστι οὔτε γλυκὺς οὔτε παχὺς, ἀλλ' αὐστηρὸς, καὶ σκληρὸς, καὶ δύναμιν ἔχων διαφέρουσαν. οἷῳ Ἀριστοφάνης οὐχ ἥδεσθαι Ἀθηναίους φησὶ, λέγων, τὸν Ἀθηναίων δῆμον οὔτε ποιηταῖς ἥδεσθαι σκληροῖς καὶ ἀστεμφέσιν, οὔτε πραμνίοις σκληροῖσιν οἴνοις, συνάγουσι τὰς ὀφρῦς τε καὶ τὴν κοιλίαν; *Pramnium vinum est neque dulce, neque crassum, sed austerum, & durum, & insigniter validum. Quali Aristophanes scribit non delectari Athenienses. Populo, inquit, Atheniensi non placent asperi & horridi Poetæ, neque Pramnia vina dura, quæ contrahunt & supercilium & alvum.*

§. 107. Hujus gratiâ tamen dare Hippocrates solebat: ceu videre 1 de Morb. mul. t. 81. quin & ad fluxum rubrum mulieribus præscribit 2 de Morb. car. t. 76. Et quia austeritate suâ etiam siccat egregiè, eluere eo naturam feminæam jubet, cùm ulceratur ex partu, 1 de Morb. mul. t. 126. Ex eodem Hecamede cum caseo & polenta *cyceonem* parat apud Homerum Iliad. λ'. 623. 638. Hunc ipsum Hippocrates sorbendum puerperæ dabat, si diarrhœo prehendisset à partu, 1 de Morb. mul. t. 112. Quando igitur in 2. de Diæt. 6 69. ait, κυκεὼν ἐπ' οἴνῳ μὲν θερμαίνει, καὶ τρέφει καὶ ἵστησι, *Cyceon ex vino calefacit, & nutrit, & sistit*: accipiendum hoc inprimis est de eo qui ex duro austeróque vino fiebat. Cujuscemodi hodie est quod *vinum tint* appellamus.

§. 108. Superest nobilissimum Passi genus, quod *Vinum dulce* vocat Columella 12. 27. Cujus faciendi modum proponit talem; *Uvas*, inquit, *legito, in sole per triduum expandito, quarto die meridiano tempore calidas uvas proculcato, mustum lixivum (hoc est, ante quàm prælo pressum sit quod in lacum musti fluxerit) tollito, cùm deferbuerit in sextarios quinquaginta irim bene pinsitam nec plus uncia pondere addito, vinum à facibus eliquatum diffundito. Hoc vinum erit suave, firmum, corpori salubre.* Egregiæ dotes! quibus quid requiras in vino majus?

§. 109. Dos prima, magna; *suavitas*. Id verò vinum *suave* dicimus, quod visui jucundum, olfactui gratum, gustui molle est; omnibus autem istis amabile spiritui, magnóque hoc merito suo expetendum est.

§. 110. Dos altera, major; *firmitas*. Græci εὔτονον vocant, cui unus velut & perpetuus tenor atque constantia virtutis ac mollitudinis est. Plinius hoc expressurus, quà de Maroneo, *vis ei*, inquit, *vigórque indomitus*, 14. 4.

§. 111. Vini vim æstimare ex potestate non tam inebriandi oportet, quàm ferendi aquam. Quod facilè & potenter inebriat, Latini *vehemens* vocant, Græci καρωτικόν. Celsus 2. 18. *vinum vehemens valentissimi generis est.* Hesychius, Καρωθεὶς, τὴν κεφαλὴν οἰνωθεὶς, (lege, σεισθεὶς,) μεθυσθεὶς, ἢ βιασθεὶς. Quod verò aquæ multum sustinet, Latini *generosum*, Græci πολυφόρον appellant: vide ad Galenum de Vict. ac 3. 20. Pollux 6. 2. ἐπῄνουν δὲ οἶνον τὸν τρία φέροντα, τουτέστι τὸ τριπλῶν τοῦ ὕδατος, *Commendabant vero vinum quod tria ferebat, hoc est, triplum aquæ.* Hoc ordinarium puto. Nam quod *maroneum* vicies tanto aquæ miscendum Homerus prodidit, singulare est. Si facere *polyphorum* velis, ostendit artificium Paxamus in Geop. 7. 23.

§. 112. Athenæus 4. 27. ex fama refert Amphictyonem regem primùm docuisse Athenienses τὴν σύμμετρον κρᾶσιν τοῦ οἴνου, *vini temperationem convenientem*, uniuscujuslibet naturæ scilicet. Naucratites Deipnosophista, ἐὰν ὑπερβάλλῃς τὸν ἐν τῷ κράματι οἶνον, εἰς ὕβριν φέρει· ἐὰν δὲ ἴσον ἴσῳ προσφέρῃς, μανίαν ποιεῖ· ἂν δ' ἄκρατον, παράλυσιν σωμάτων. διὸ σχαζέον τοῦ συμμέτρου, *Si aqua in cramate superet vinum, ad contumeliam ducit. Si parem pari addas, insaniam facit. Sin vero immixtum bibas, resolutionem corporum. Quamobrem conjicere, quid conveniat, oportet*: citat Eustathius Odyss. ι'. p. m. 1624. l. 34 Quod tamen præceptum non amant οἰνόφλυγες: id est, expositore Hesychio, οἱ κατεπίθυμοι οἴνου, *qui vinum vehementi desiderio prosequuntur* (quos eleganter mei populares nuncupant *wijn-vliegen.*) Solent enim in ore habere illud Diphili in Pæderastis,

> —— τὸ μὲν,
> Ὕδωρ ἐς ἅπαν τοῦτ' ἔστι τῇ ψυχῇ κακόν.
> *Est anima nocuum vinum quodcunque adaquatum.*

§. 113. Vini vigorem duratio arguit. Firma vina sint oportet, quæ ætatem ferant. Memorabile quod Plinius refert. 14. 4. *Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio Consule, cum C. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus: ea cæli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere, natali urbis 634. duránque adhuc vina ducentis ferè annis, jam in*

in speciem redacta mellis asperi: etenim hac natura vinis inve- tustate est; nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita: sed ceteris vinis commendandis minima aliqua mistura medicamenta sunt.

§. 114. Notat verò etiam Plinius 23. 1. *Quò generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescere, & in amaritudinem corpori minimè utilem coire.* Quare autem hoc fiat, causam reddit Theophrastus de Cauf. plant. 6. 10. τοῦτό γε συμβαίνει, διότι τὸ πότιμον ὁ ἀὴρ ἐξάγει καὶ τὸ περιέχον. ἀπιόντος γὰρ τούτου, καταλείπεται τὸ γεῶδες καὶ πικρόν. *Hoc verò accidit, quia potabile exigit aer ambiens. Abeunte enim illo, relinquitur terreum & amarum.* Meritò dubitatur, an ignavus in subterraneis cellis aer penetrare vasa, subire in vinum, & attenuare ejus τὸ πότιμον, atque educere possit. Crassius hoc philosophema est prætut intelligas.

§. 115. Neque sanè hoc vult Philosophus: quanquam velle videatur. Neque vis illa potabilis vini sponte exhalat suâ. Exigitur, ab interno Igne, per se; ab externo Frigido, per accidens. Exhalatio fit à frigido Ambientis, per ἀντιπερίστασιν à calido Vini, per irrequietam agitationem. Circumsitat vini calorem frigus, atque obsidet & cogit. Idcirco est ἀντὶ, quia contrarium: περὶ, quia cohibens: στάσις, quia indomitum & validum. Obsessione ignis unitur, unione roboratur, roboratus invalescit, & subigit atque attenuat particulas substantiæ terreas pariter ac aqueas. Hæ quia progrediente motu redduntur perquam subtiles, non est mirum evadere per ligni poros & commisceri aeri. Atque ità perit τὸ πότιμον Vini, seu id propter quod usui erat ad potandum.

§. 116. Terreæ, quæ remanent, dum motu continuo atteruntur magis magisque, itidem valde tenues & aculeatæ fiunt. Atque hinc est, quòd degustatæ videantur amaræ. Tenuitate quippe suâ facilè se ingerunt in linguæ poros & penetrant in altum, ubi offendentes spiritum, primum sensitivum, suos illi aculeos infigunt, atque ità is πικροῦται seu *amarescit* & exacerbatur. Πικρότης enim vini revera non *amaritudo*, sed *acrimonia* est. Sic πικρὸν piper. Sic & Galli *vin picquant*, vinum acre vocant, quódque spiritum acutiùs stimulat. Hanc quam dixi etiam Philosophi mentem fuisse non est dubium. Ideo enim dixit, ἀπιόντος quod significat *abitum spontaneum*, seu motum ab intrinseco. Nam si τὸ περιέχον *ambiens* extraheret τὸ πότιμον *potabile*, alio id verbo debuisset dicere.

§. 117. Dos tertia, maxima; *salubritas.* Autor l. de Sectis ad eos qui introducuntur, cap. 1. ait. *Salubria ab antiquis dicta fuisse, quæ & præsentem sanitatem conservant, & collapsam redintegrant.* Utrovis modo salubre Passum hoc si fuit, neque tam consentientibus Medicis ut nobilitatem ei darent, quàm experientiâ eorum qui sumerent; nemo quisquam mirabitur, vel hoc nomine solo fuisse hominibus expetitum atque in illo se non tantùm oblectasse multos, sed & corrupisse.

§. 118. Huic passo affine est quod ὑπόχυτον Græci, aut διάχυτον, vocant. Athenæus 1. 24. Timachidas Rhodius ὑπόχυτόν τινα οἶνον ἐν Ῥόδῳ καλεῖ παραπλήσιον τῷ γλυκεῖ. *Hypochytum quoddam vinum Rhodi esse dicit assimile passo.* Plinius in 14. 9. pleniùs, *His adjiciunt aliqui quod vocant diachyton, uvis in sole siccatis loco clauso per dies septem, in cratibus totidem pedes à terra altis, noctibus à rore defensis, octavo die calcatis. Ità fieri optimi odoris saporisque.* Faciendi modum hunc si compares cum præcedente, videbis non rectè pro eodem haberi à Dalechampio in Annot. ad hunc locum.

§. 119. Priusquam hinc discedam, aliquid etiam de *murina* dicendum: nam & hanc inter Dulcia habebant antiqui & in deliciis. Agellius 10. 23. *Qui de victu atque cultu pop. Romani scripserunt, mulieres Roma atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est, vino semper, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt: institutumque ut cognatis osculum ferrent, reprehendendi causâ ut odor indicium faceret si bibissent. Bibere autem solitas ferunt loream, passum, murinam, & quæ id genus sapiant, potu dulcia.* Quod ad primum vide Plinium 14. 13. & Dalechampium ibi lit. a. & quos citat Elmenhorst. Observ. in Arnob. l. 11. p. 102. noviss. edit.

§. 102. Dulcibus *loram* cur accensuerint, ex confectione ejus patet, quæ de Coclumella 12. 40. *Quantum vini uno die feceris, ejus partem decimam quot metretas efficiat considerato, & totidem metretas aquæ dulcis in vinacea, sed quibus mitius vinum expressum erit, addito: eodem & [nota] spumas defruti sive sapæ & facem ex lacu confundito & permisceto, eámque intritam macerari unâ nocte finito, postero die pedibus proculcato, & sic permistam prælo subjicito: quod deinde fluxerit aut doliis aut amphoris condito, & cùm deferbuerit, obturato. Hanc ipsam loram M. Columella ex aqua vetere faciebat, & nunquam plus biennio innoxiam servabat.* Vide præterea ad Dioscoridem. 5. 13.

§. 121. Cæterùm dulcibus *Murinam* quoque veteres adstituisse etiam Plinius affirmat in 14. 13. Ubi productis è Plauti Pseudolo act. 2. sc. 4. 50. his versibus.

> Ps. *Quòd si opus ut dulce promat, id ex se ecquid dabit?*
> Ca. *Rogas? Murinam, passum, defrutum, mellam;*

protinus subjicit, *Quibus apparet non inter vina modò murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatum. Inter dulcia,* intelliga non Vina, sed quæ fiebant ex vinis.

§. 122. Sed *murrina* quæ fuit? De ea namque magna est à veritate aberratio; quanquam in quærenda illa multi & multùm laborarint. Quo ipso exstimulamur ad symbolam conferendam.

§. 123. Ante omnia igitur distinguendum est inter *murinam* & *murrhinam*, tanquam diversissima vina, & quod confectionem commune nihil prorsus habentia. Certam nobis distinguendi rationem faciunt Hesychianæ glossæ, omnium quæ ad nos veterum venerunt doctissimæ; Μυῤῥίνην, ἔνιοι μὲν, οἶνον μυῤῥίνην καλοῦσιν οἱ δὲ ποτὸν ἐσκευασμένον οἱ δὲ πόσιν Φασὶν, ᾧ ἐνεχεῖτο μύρον, *Myrrhinam aliqui vinum aromaticum dixere: alii potum factitium: alii denique potionem cui affusum est unguentum.* Vides ejusdem ibi nominis triplex Vinum; de quibus necessariò singulis aliquid nos commentari oportet, si volumus ex hac controversia evadere.

§. 124. Sed antequam eò descendamus, observandum est primùm, Quam σμύρναν Græci, διὰ τὸ μυρίζον, καὶ εὐῶδες, Æoles μύῤῥαν dixisse: & hinc Latinos, *myrrham* aut *murram.* De hoc quidem liquebit in locis postea citandis. Prioris verò autor nobis est Athenæus 15. 11. μύῤῥα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολεῦσι, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο, καὶ ἥ γε στακτὴ καλουμένη διὰ μόνης ταύτης. Locum istum cùm non intelligeret interpres, necessariò malè vertit. Verba enim hoc sonant, *Pro smyrna myrrha dicebatur Æolibus, quia complura unguenta cum myrrha fiebant, & quæ stacte dicebatur ex sola ista.* De *stacte* videlis egregia in Salmasii Plin. exerc. p. 520. seqq & alibi locorum, quæ index indicabit. Brevibus Theophrastus l. de Odorib. 2. 48. καὶ ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ· στακτὴ δὲ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. *Et myrrha contusa oleum fluit. Stacte dicitur, quia minutatim stillat.* Confer Furlani commentarium. De hac intelligendi veniunt autores, cùm myrrham unguentis adscribunt. Varro de L. L. 5. p. m. 62. l. 8. *Ubi lucet, censor, scribæ, magistratus, murrhâ, unguentis unguntur.* Locus illustris, & qui auctario esse Dempstero possit Antiq. Rom. 7. 10. docet enim, quo ritu lustrum conderent Censores.

§. 125. Observandum secundò, Myrrham propriè Lacrymam arboris in Arabia nascentis dici: quâ de porrò videre licet Dioscoridem 1. 78. Quod ad nobis hic contemplabiles facultates, Myrrha amara, acris, odorata est. Amarore meruit inter salubria haberi, intérque antidota, neque ultimo sanè loco. Salubritatis persuasio è re amara dulcem fecit usui. Quòd antidotus est, eo se non parùm commendat, temporibus præsertim suspectæ malignitatis. Flagrata præterea spiritu saporis acri & odoris boni. Et indè habet quòd non tantùm inter Aromata adscribatur, sed & *aroma* pro Myrrha ponatur simpliciter.

§. 126. Aromatis adscribi, notum est. Do testes tamen. Græcos duos. Alterum, S. Johannem 19. 39, 40. Nicodemus ibi dicitur attulisse μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατὸν, *mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum,* At quid? Ad ungendum & pollincendum corpus Christi. Sequitur enim protinus, ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν, *Acceperunt igitur corpus Jesu, & pollinxerunt illud fasciis cum aromatis, sicut mos est Judæis sepeliendi.* Ubi quæ possunt *aromata* intelligi præter *myrrham* & *aloem*, de quibus præcessit? Addo alterum, Dionysium Periegeseos v. 936.

> —— ὄδωδεν
> Ἢ θύῃ, ἢ σμύρνης, εὐώδεος ἢ καλάμοιο,
> Ἢ καὶ θεσπεσίοιο τεταινομένα λιβάνοιο,
> Ἢ κασίης.

Latinum denique addo, Marcellum Empir. cap. 23. *Tus, costum, folium, myrrham, styracem, crocomagma.*

§. 127. Etiam simpliciter positum *aroma* Myrrham significare clarum est à duobus Plinii locis. Alter est 37. 10. *Aromatites,* inquit, *& ipsa in Arabia traditur gigni, sed & in Ægypto circa Pyras* [lege, corrigente Salmasio, *Philas*] *ubique*

bique lapidosa, myrrha coloris & odoris, ob hoc reginis frequentata. Locus alter, 16. 16. *Aromatiten quoque invenio factitatum tantum non unguentorum compositione, primo ex myrrha, ut diximus* (cap. 13.) *mox & nardo Celtico, calamo, aspalatho, offis in mustum aut dulce vinum dejectis.* Vides hic *vinum*, ibi *gemmam* vocari *aromatiten* ab odore, quem spirant: myrrhæ. Neque quadraret ea denominatio, nisi *aroma* Myrrham significaret absolutè. Quibus præhabitis, venio nunc ad species Myrrinæ propositas.

§. 128. Quarum *prima* Hesychio est: *Vinum myrrhinum.* Μυῤῥίνην, inquit, ἔνιοι μὲν οἶνον μυῤῥίνην καλοῦσι. Reddidi, *Myrrhinum aliqui vinum aromaticum dixere.* Præsenti glossâ nullus dubito, quin nativum Vinum intelligat Grammaticus: vel proterea quòd illi *potum factitium* opponat in sequenti. Cyrilli glossæ, Ἀρωματεῖον, *Murina.* Græco si quis fuit usus, dictum puto de *taberna speciaria* sive quæ promercales habet species aromaticas: prorsus ut ἰατρεῖον est *officina medica.* Glossis itaque rescripserim, ἀρωματίζων, subintellige οἶνος· ut jam *Murina* sit *aromatizans vinum*, hoc est, odoris suavitate atque fragrantiâ excellens, idque beneficio Naturæ.

§. 129. *Saprian* laudat hoc nomine Hermippus Deipnos. 1. 23. & ipso nectare, qui deorum est potus, nobilius esse non obscurè declarat. Versus sunt venusti;

Ἔςι δὲ τις οἶνος, ὃν δὴ σαπρίαν καλέουσι·
Οὗ καὶ ἀπὸ σόματος σάμνων ὑπανοιγομενάων
Ὄζει ἴων, ὄζει δὲ ῥόδων, ὄζει δ᾽ ὑακίνθυ,
Ὀσμὴ θεσπεσίη· κατὰ πᾶν δ᾽ ἔχει ὑψιρεφὲς δῶ
Ἀμβροσία καὶ νέκταρ ὁμοῦ. τοῦτ᾽ ἐςὶ τὸ νέκταρ.

Latinè hoc dicunt,

Est aliud vinum, Saprian quod nomine dicunt:
Hujus, aperta cadi leviter cum labra patescunt,
Admirandus odor, spirans violásque, rosásque,
Purpureósque hyacinthos: quin simul omnia replet
Ambrosiâ cum nectare. Nectar hoc arbitror ipsum.

Casauboni hîc videsis Animadv. & disce, οἶνον σαπρίαν vulgò Græcis appellatum τὸν πρὸς τῷ τέλει, ut exponunt Grammatici; sive id vinum, quod inibi est, ut desinat & destituat Oeconomum.

§. 130. Eustathius ad Hom. Odyss. β'. p.m. 1449. l. 10. ex Athenæo etiam exscriptis his verbis subscribit, τὸν δὲ τοιοῦτον οἶνον, ὑπονοητέον ἀνθοσμίαν εἶναι, *Hoc vinum sciendum est anthosmiam esse.* Si ità est, confecta res est. Pollux 2. Onom. 4. 14 οἶνος ἀνθοσμίας, εὐώδης. Est hoc ex Aristophanis Scholiaste, Ranis act. 5. sc. 1. 32. Hesychius, Ἀνθοσμίας οἶνος, εὔοσμος, ἢ ἄνθος ἔχων. Quibus, ut paret, *Anthosmias* idem est quod *Vinum odoratum, fragrans, aut florem habens.*

§. 131. Aliud est Vinum florem habens, aliud Flos vini. *Flos vini* tenuissimè significat tenuem vini in summo natantem spumam. Ità doctissimus Turnebus 29. 34. accipit in illo Plinii 14. 21. *Flos vini candidus probatur: rubens triste signum est, si non is vini color sit.* Ubi longè tamen aliud significat. Nempe id quod doliari vino in superficie efflorescit & concrescit: Belgis *kaem* aut *kiem*. Planum hoc cùm è Cæcilii illo apud Nonium 2. 354. *Ego neque florem, neque floces volo mihi, vinum volo:* tum è Columella 12. 30. *Si vinum florere cœperit, sæpius curare oportebit nè flos ejus pessum eat, & saporem vitiet. Quantò major æstus erit, eò sæpius convenit vinum nutriri, refrigerarique, & ventilari: nam quamdiu frigidum erit, tamdiu rectè manebit.* Ubi *florere* est in summo velut pelle obduci. Oenopolæ dicunt, *pand setten.*

§. 132. Efficaciùs cùm significat, *flos* odor est & fragrantiæ vini. Lucretius de Rer. nat. 3. 222.

Quod genus est Bacchi cùm flos evanuit, aut cùm
Spiritus unguenti suavis diffugit in auras.

Una res *flos* & *spiritus*. Uterque subtilissimum corpus, imò corporis effluvium est; ille Vini, hic Unguenti: adeò etiam ut dicat & constet, licèt vel hic vel ille suo.

—— de corpore cessit,
Nihil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quidquam.

§. 133. Denique *flos vini* significat ipsum vinum, sed egregium & purum. [illegible]autus Cistell. act. 1. sc. 2. 8. *adeo me complevi flore Liberi*, id est, nobili & suavi vino. Eodèm trahitur & illud, Curcul. act. 1. sc. 2. 1.

Flos veteris vini meis naribus objectus est.

Verùm hic *flos vini* idem est & *odor veteris vetusti*, quem hoc potenter spirare ac latè solet diffundere. Ità exponere & antecedentia pariter ac consequentia jubent. Quæ confer sis. Denique postea audiemus, *florem vini* significare partem ejus optimam & ex uvis antequam calcentur effluentem. Ità *flos olei* dicitur Plinio 15. 6. *salis* Catoni de Re rust. 88. *ignis* Mart. Capellæ 6. initio. Et hæc quidem *flos vini* significat.

§. 134. Dicitur verò *florem habere* Vinum, quod & uvam recentem resipit, & odoris boni velut moschi spiritu fragrat. Tale nullum vinum est nisi sit ἡδὺ καὶ ἁπαλόν, *suave & molle*, ut exponit Aristophanis Scholiastes eodem loco. Indè est quòd Hesychio ἄνθινος οἶνος, ἡδυσμένος ἀπὸ βοτρύων exponatur. Libri, ἀπὸ βοτανῶν. Si rectè; ἄνθινος οἶνος erit potiùs *medicatum vinum*, sive quod gratiam acquirit ab herbis odoriferis. Cujusmodi plura conficere docemur à Dioscoride lib. 5. cap. 35. ad 63. & à Cassiano Basso Geop. 8. 2. ac sequentibus aliquot. Nostræ interea conjecturæ favet Phavorinus, cùm ἀνθοσμίας exponit ἡδέος, εὔοσμος ὥσπερ τὰ ἄνθη, ἢ ὡς ἀπὸ εἴδους ἀμπέλου. Confer & Suidam ibi, & Foelium in Ἄνθινον οἶνον.

§. 135. Non semper verò adjectivum est ἀνθοσμίας, interdum etiam substantivâ formâ usurpatur. Xenophon Hist. Græc. 4. ὥς᾽ οὐκ ἐθέλειν πίνειν, εἰ μὴ ἀνθοσμίας εἴη. Simili phrasi τὸν ἀρωματίζοντα dici, & subaudiri οἶνον, quid vetat? Quidquid sit, satis clarum ex istis quæ proposui, puto, eundem esse οἶνον μυῤῥίνην καὶ ἀρωματίζοντα, *myrrhinam & aromaticum vinum*, seu quod à vite suavissimè fragrat. Hoc enim ἄρωμα significare itidem Cyrilli glossæ indicant, cùm exponunt, *Odoramentum, Suavitas odorum.*

§. 136. Quæ quia excellentissima est in Vino odorato vetere, idcirco illud lena vinosissima comparat cuivis optimæ speciei aromaticæ, & simul egregiè ostendit quòd vinum verè aromaticum sit. Lepidi versus, & qui eâdem operâ exhibeant characterem mulieris οἰνόφλυγος seu *vino cupidæ* nativum & luculentum,

Flos veteris vini meis naribus objectus est.
Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi, ubi est? prope me est. euax habeo. Salve animæ mi,
Liberi lepos: ut veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocum & casia es; tu bdellium; nam ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed cùm adhuc naso odos obsecutus est meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium.

§. 137. Non potest elegantiùs describi *anthosmias*, sive οἶνος ἡδὺς καὶ περίοσμος *vinum suave & longè latéque fragrans*, ut interpretatur Suidas. Hoc itaque *vinum myrrhinum* vel *myrrhina* simpliciter dicebatur à præcellentia odoris, quem liquidæ myrrhæ instar gratissimè fundit. Intellige ejus Myrrhæ quâ Veteres gaudebant; cujúsque σακτὴ seu *liquor expressus* ut erat fragrantissimus, ità & pretiosissimus. Nunc non fit: sed neque Myrrha ipsa satis sincera ad nos advehitur. Eapropter Arabes & recentiores Medici *storacem liquidum* vel *storacis liquorem* potiùs pro *stacte* passim accipiunt.

§. 138. Species altera Myrrhinæ dicitur Hesychio *potus factitius* fuisse. Prior ergò, ut inferebam, naturalis. Venit autem hâc appellatione Potio omnis myrrhæ odore condita. Plinius 14. 13. *Lautissima apud priscos vina erant, myrrhæ odore condita.* Ità scripsisse Plinium ipsemet clamare videtur in paulò pòst sequentibus cap. 16. verbis quæ exhibui § 127. Ubi tamen *myrrha* in locum, *pomorum* restituit Salmasius Exerc. Plin. p. 710. volente loco, quem ipse è Plauti Persa citat.

§. 139. Quam emendationem uti facilè pro indubitatissima possumus admittere; ità nobis duriusculè dictum videtur illud, *mirificè nugatur Plinius, qui murrinam veterum putet à myrrha dictam, aut ullum vinum myrrhâ conditum in usu communi ac deliciis apud priscos fuisse.* Etiamne posteris nugari videbitur, si quis hodie scribat, in communi usu & jejunorum deliciis esse Vinum quod *apsinthites* vocant, quodque conficiunt immaceratione apsinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, similium in amaricando potentium? Frisii in hoc potu usque adeò luxuriantur, ut constet mihi uno in diversorio Leovardiæ, provinciæ

vinciæ metropoli, aliquot supra quinquagenos cados fuisse consumptos uno anno. Cados voco, quos vulgus *Oxhoofden*, Æstimatur quisque amphoris octoginta: amphora, libris octo seu unciis nonaginta sex.

§. 140. Sed attendamus verba autoris; Ait, *lautissima vina* fuisse, quæ *myrrhæ ordore condita* essent. Non eadem ratio odoris, quæ saporis est. Unde est quòd utplurimum τὰ εὔοσμα *odorata* sint δύσχυλα, καὶ στρυφνὰ, καὶ ὑπόπικρα, *sapore ingrata*, *& acerba*, *& subamara*, inquit Theophrastus l. de Odorib. n. 2. Hoc in numero myrrha est: cujus ut sapor amarus, ità odor gratissimus. Quem qui detestantur, digni sunt quorum naribus subjiciatur quod rustici deficientis ante pharmacopolion. Odorem myrrhinum verò vinis conciliabant vel conditu vinorum vel suffitu vasorum. Plinius 14. 21. *dolia abstersa myrrhâ suffiri*, *ipsáque sæpius cellas* jubet: hoc quidem ad conservationem; illud verò etiam ad conditurani. Quam quia suavem deprehendebant, fugacem verò, ea propter myrrhæ aliquid vinis infungebant. Verùm quantitate tam parvâ, quæ odorem dare, saporem non posset. Videbimus mox exemplum, & in eo veritatem quam urgemus. Vulgò dolia & cados thure suffiri consueverant, ut ostendit Diophanes in Geop. 6. 12.

§. 141. Plinii sententiæ præter hæc favet Festus, *Murratâ potione usos antiquos indicio est*, *quòd etiam nunc Ædiles per supplicationes diis addunt ad pulvinaria*, *& quòd duodecim tabulis cavetur*, *ne mortuo indatur*, *ut ait Varro in Antiquitatum lib.* 1. Ejusceemodi potio fuit ἐσμυρνισμένος οἶνος, *vinum myrratum*, quod Christo nostro tantùm non animam ob immensas anxietates, vigilias, jactationes, verberationes, sanguinisque profusiones, deficienti dederunt Judæi, cùm jamjam crucifigendus esset.

§. 142. Notant viri docti, Hebræos homini ad suplicii locum perducto exhibere vinum thure aut myrrhâ mixtum solitos; eo fine, ut eriperetur noxio horror mortis dolorúmque sensus. Beza in Annot. ad Marci 15. 23. ex Galatino, sive potiùs Judæorum Sanhedrin, hæc adfert, *Editâ confessione*, *potatur reus vino thure condito*, *ut inde mens ejus turbetur*, *& vehementiùs inebrietur*, *juxta illud quod dicitur*, *Date siceram perituro*, *& vinum iis qui amaro sunt animo*. Mirum est *thus* heic nominari, cùm nullæ tales ejus memorentur facultates. *Myrrham* καρωτικὴν *soporiferam* Dioscorides scribit 1. 78.

§. 143. Quod verò illum morem attinet potandi reos, sive exhilarandi causâ, sive quadantenus soporandi, similis quidam fuit apud Athenienses. Heic enim promulgatâ capitis damnatione, cùm è loco judicii exibant rei ducendi ad supplicium, habebant facultatem largius sumendi cibum vinumque: simul etiam tria, quæ modò cunque vellent, proloquendi. Quod ad prius, simile quid apud nos obtinet. Horis etiam ante exsecutionem viginti quatuor minimùm denuntiatur reis, uti se ad audiendam mortis sententiam mortémque adeundam præparent. Ab eo tempore è squalido carcere in meliorem locum deductis conceditur quidquid cibi potûsque rogaverint. De altero Suidas ad Τὰ τρία. Τοῖς ἐπὶ θάνατον ἀγομένοις ἐξῆν σίτου καὶ οἴνου πληρωθεῖσι τρία λέγειν, ἃ βούλοιντο, μεθ' ἃ φιμωθέντες ἀπήγοντο τὴν πρὸς θάνατον. i. *His*, *qui ad mortem ducebantur*, *licebat cibo atque vino repletis tria dicere quæ vellent*, *iisque dictis ore obturato abducebantur viâ ad mortem*. Adagium erat, εἰπεῖν τὰ τρία. Cujus usum negat se Erasmus apud quenquam reperisse.

§ 144. Ejusceemodi potio autem quæ facit oblivisci malorum, νηπενθὴς dicta fuit à Poeta Odyss. δ'. 220.

—— εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθές τ', ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

Plinius 25. 2. *Nobile illud nepenthes oblivionem tristitiæ veniámque afferens*, Qualis ea potio fuerit, incertum. Poetam volunt hoc dicere: Helenam aliquod medicamentum somniferum vino immiscuisse, & bibendum marito atque Telemacho dedisse. Quod equidem verisimile non est. Hoc enim agebat, ut exhilararet ipsos; tristitiámque animis depelleret.

§. 145. Constantinus, Gorrhæus, Martinius, alii putant fuisse νεκταρίτην οἶνον, *nectarites vinum*, quod vocat Dioscorides in 5. 66. Ὁ δὲ νεκταρίτης σκευάζεται ἐκ τῆς ἑλενίου. ὃ ἔνιοι μηδικὴν, οἱ δὲ ἰδαῖον φλόμον, οἱ δὲ ὀρέστιον, οἱ δὲ νεκτάριον καλοῦσιν. ἑλενίου ῥίζης < ε' ἐνδήσας εἰς ὀθόνιον, κάθες εἰς χόας ς'. γλεύκους, καὶ μετὰ γ' μῆνας ἀπόχει *Nectarites fit ex helenio. Quod alii Medicam*, *alii Symphytum*, *alii Verbascum Idæum*, *alii Orestium*, *alii Nectarium vocant*; (totam hanc synonymiam Ruellius interpres prætervidit.) *Helenii radicis siccæ drachmas quinque liga in linteo*, *mitte in congios sex musti*, *atque post tres menses diffunde*. Sed huic non eæ vires, saltem prætignes: quidquid etiam scribat Plinius 21. 21. *Helenium ab Helenâ*, *ut diximus*, *natum*, *favere creditur formæ*. *Attribuunt & hilaritatis effectum eidem poto in vino*, *eùmque quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero*, *quod eo tristitia omnis aboleatur*. Dioscorides nihil tale. Et si quid habet ejus virtutis Nectarites, habere à vino potiùs credendum, quàm ab helenio.

§. 146. Longè vero est similius, fuisse Vinum aliquod Aromatices huic usui paratum. Habet ejusceemodi geminam descriptionem Dioscorides 5. 64. Quibus hoc laudis tribuit, καὶ τοῖς διὰ κρυμὸν ὁδεύουσιν ἁρμόζει πινόμενος, καὶ πρὸς τοὺς πάχος γεννῶντας· περιποιεῖ δὲ καὶ εὐχροιαν, ὑπνωτικός τε ἐστὶ καὶ ἀνώδυνος. Pro quibus Ruellius, *atque iis qui per frigora iter faciunt*, *potum convenit*: *pituitæ crassitiem extenuat*: *colorem alit*, *somnum conciliat*, *dolorem finit*.

§. 147. Ineptè, *colorem alit*. Ergóne fovet, quem invenit? εὐχροιαν περιποιεῖν est *bonum colorem conciliare*, sive *coloratiorem facere*, ut Celsus loquitur 2. 2.

§. 148. Ineptiùs verò, *pituitæ crassitiem extenuat*. Græcè quod est, ἁρμόζει καὶ πρὸς τοὺς πάχος γεννῶντας, planè alium sensum habet. Πάχος γεννᾶν est *corpulentiam acquirere*, sive *habitior fieri*, ut ibidem Celsus loquitur. Conducit itaque his qui fiunt, nè fiant. Plinius 11. 54. *Augescunt corpora dulcibus atque pinguibus & potu*: *minuuntur siccis & aridis*, *frigidisque ac sitis*. Hippocrates l. de Sal. diæt. t. 2. Τοῖς δὲ εἴδεσι τοῖσι σαρκώδεσι καὶ μαλθακοῖσι καὶ ἐρυθροῖσι, ξυμφέρει δὴ τὸν πλείονα χρόνον τοῦ ἐνιαυτοῦ ξηροτέροισι διαιτήμασι χρῆσθαι. ὑγρὴ καὶ ἡ φύσις τῶν εἰδέων τουτέων, *Habitu carnosis ac mollibus atque rubicundis*, *convenit potiore parte anni sicciore victu uti*. *Humida enim constitutio eorum habituum est*. Confer & ad Galenum l. de Atten. vict. cap. 1. ubi *acria* in illum finem singulariter conferre testatur. Unde & apud Plinium pro *aridis* fortè *acribus* legendum: præsertim cùm constet variare ibi codices.

§. 149. Porrò si ea fuit Hebræis consuetudo quam notavimus, etiam probabile est Judæos cæteris quidam reis potionem myrrhinam melioris notæ dedisse, seu tale aliquod aromatites vinum, quod & gustatu suave esset & in stuporem quodammodo mentem daret: Christo autem ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον *acetum cum felle mixtum*, uti appellat Matthæus 27. 34. Vide & Lactantium de Vera sapient. 4. 18. Quæ verba non posse in propria significatione accipi, neque de vero Aceto aut genuino Felle, prorsus consentio doctissimo Bezæ. Claret ex omnibus circumstantiis, fuisse unam & eandem potionem quam uterque Euangelista, aliter atque aliter licèt, describit.

§. 150. S. Marcus ait obtulisse Domino οἶνον ἐσμυρνισμένον, hoc est, ut ego interpretor, *vinum cum admixta myrrha*. Planè enim persuadeo mihi, fuisse extemporaneam mixturam myrrhæ cum vino. Judæi enim & quorum proterviæ atque ludibrio traditus erat Salvator, ut nihil non, ità & hoc in contumeliam ipsius excogitarunt. Volebant videri nihil de solennibus remittere, & ob id etiam ipsi de more *myrrhinam* ceu nepenthes offerre. Offerunt itaque *vinum*: sed quale? Vappam. Philoxeni glossæ, *Vappa*, ὀξίνης nempe in ὄξος cœptum mutari vinum. Unde, & meritò, ὄξος vocat Sp. S. apud Matthæum. Offerunt *murrhatum*: sed quale? Non odore myrrhæ conditum lautissimo; sed sapore ejus amaricatum ingratissimo, sive in quo recens myrrham diluissent. Quàm verò ingrata talis potio fuerit, facile cogitare est. Et hac propter *fellis* loco habuit ILLE qui per Spiritum suum prædixerat fore *ut darent sibi in refectione sua venenum*, *& in siti sua acetum*, Psa. 69. 22. Prius colon spectat præsens factum; posterius, quod pendenti in cruce contigit in extremo agone angoréque: Matth. 27. 48. Marc. 15. 36. Joh. 19. 29, 30.

§. 151. Atque ex his, nisi fallor, satis constat, fuisse olim in usu *myrrhatam potionem*. Verùm id præterea liquet cùm ex Dioscoridis de Mat. med. 5. 65. tum ex Plutarchi Iside p. m. 383. E. & 384. B. Et ille quidem expressè vinum conficere ex myrrha, pipere, iride, atque aniso docet. Alter verò Ægyptios ait τῷ κῦφι χρῆσθαι καὶ πόματι καὶ κράματι, *Cyphi uti in potu & vino*. Erat autem *cyphi* Confectio quædam aromatica ex sedecim rebus religiosè concinnata. Ingredientia erant, Mel, vinum, uva passa, cyperus, resina, myrrha, aspalathum, seseli, juncus odoratus, bitumen, thyum (quo de consule Cl. Salmasii Plin. exerc. p. 953. A.) lapathum, juniperus major ac minor, cardamomum, & calamus. Forma erat solida, & fortè non absimilis quâ conficitur hodie *Chocolata*, quam vocant: de qua habes Ant. Colmeneri libellum à M. Aur. Severino editum Latinè. Usus Cyphi erat ad alterandum aerem pestiferum, temperan-

perandum corpus, recreandum spiritum & à pravis miasmatis vindicandum, animum denique ab hominum carnificibus curis liberandum. Has enim tot dotes odoratu præstabat. *Confectionem* hanc vino diluisse etiam & bibisse, idem testatur. Ab Ægypriis eam didicisse Romanos, & funeribus suis respersisse olim, sed propter sumptum vetitam 12 tabulis arbitratur Dion. Gothofredus in Notis ad earum fragm. l. Nè sumptuosa aspersio h.

§. 152. Sed fortè excipies, utrumque illud Medicamentum potiùs ducendum dicendùmque quàm vinum. Quippe prius Dioscorides πρὸς κατάῤῥους, βῆχας, ὠμότητας, ἐμπνευματώσεις καὶ πλάδον στομάχου, *ad catarrhos*, *tusses*, *cruditates*, *inflationes*, *atque flacciditatem ventriculi* condiri scribit. Et *cyphi* Plutarchus *potum* scribit τὰ ἐντὸς καθαίρειν, κοιλίας μαλακτικόν, *interiora purgare*, *quoniam alvum emollit*. Aliæ hæ quæstiones: Fueritne myrrhata potio in usu? &, Cui usui fuerit? Quanquam quid vetat, ut nè nimiùm solliciti de valetudine, etiam in secunda frequentent adversæ præsidia? Quod meritò tamen vetat Celsus lib. 1. cap. 1.

§. 153. Extra controversiam verò iterum hoc Festus ponit, *Myrrina genus potionis*, *quæ Græcè dicitur nectar. Hanc mulieres vocabant murriolam*, *quidam murratum vinum*. Propterea nempe quòd murra ingrederetur confectionem ejus. Quam sane nobilissimam nobis, ex antiquitatis reliquiis servatam, prodidit Cassianus Bassus in Geop. 8. 24. Quam ecce, vel hoc fructu, ut videas, quò primum intenderit Festus, & constet non ipsum fuisse auctorem errandi doctis, sed suam inadvertentiam: Ἄλλοι δὲ οὕτως ποιοῦσι. σμύρνης γράμματα ς΄. κασίας γρ. ιβ΄. κόστου γρ. β΄. νάρδου γρ. δ΄. πεπέρεως γρ δ΄. μέλιτος ἀττικοῦ ξέσ. ς΄. οἴνου ξέσ. κδ΄. μίσγουσι καὶ ἀποτίθενται ἐν ἡλίῳ, ὑπὸ τὴν τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴν, ἐπὶ ἡμέρας μ΄. τοῦτο καλοῦσι νέκταρ. *Alii verò sic faciunt. Myrrhæ scrup. 6. Casiæ scrup. 12. Costi scrup. 2. Nardi scrup. 4. Piperis scrup. 4. Mellis Attici sextarios 6. Vini sext. 24. commiscent & exponunt ad Solem, sub Canicula ortum, ad dies 40. Hoc nectar vocant.*

§. 154. Equidem meritò: suavissima enim confectio est. Neque dubito fuisse inter veterum lautitias. Etiámne verò feminarum? Nihil vetat. Imò illud quod ex Agellio audivimus, vino erat interdictum. Adeóne strictè ut nullo modo gustare liceret? De hoc non constat. Si constet tamen, nihil prohibet suspicari, pro *vino* confectioni *mustum* adhibuisse. Nam & œnomeli ex musto fecisse constat. At cùm experirentur hoc φυσῶδες εἶναι, καὶ ἀκατάλληλον στομάχῳ, *flatuosum esse*, & *inconveniens ventriculo*, condire deinde aromatis solitos, quæ illud vitii corrigerent. Ideo autem semper dulce mansisse, speciebus aromaticis τὴν γλυκύτητα ei suam servantibus.

§. 155. Potuere etiam ad *murrina* confectionem adhibuisse aquam cœlestem, & fecisse hydromel pro œnomeli. *Hydromelitis* suavis admodum compositio est, quam idem Bassus tradit in Geop. 8. 26. Alias præparationes exhibet Dioscorides 5. 17. ubi & convenire μικροσφύκτοις καὶ ἀσθενέσιν ait, *pulsu parvis & debilibus*. Qualis cùm magna pars feminarum sit, non facilè credam abstineri potuisse iis, quæ valetudinis prætextu negari non poterant.

§ 156. Vix etiam dubito quin *myrrhina* appellatione Plautus vel istud Nectar vel simile intellexerit loco quem proposui. Sed objicit Hadr. Junius Animadv. 5. 19. *amarorem* Myrrhæ: ceu qui pro gratis ingratas potiùs potiones faciat. Facilis responsio. Quæsitus in confectione Nectaris non sapor Myrrhæ, sed odor: est enim εὐώδης. Illud verò quantitas docet. Sextariis quippe triginta, scilicet vini 24. seu unciis trecentis, mellis autem 6. seu unciis centum & quinquaginta, adduntur *myrrhæ* scrupuli 6, seu grana centum quadraginta quatuor. Ut adeò quotquot ternæ Oenomelitis unciæ recipiant granum unum & alterius partem duodevigesimam. Quasi verò hoc obscurare dulcedinem mellis possit, & amaricare potionem. Si quis, non obstante illo, justus tamen metus est, eum insolatio discutit omnino. Quin hæc penitissimè pervadens omnia, omnia subtilissimè solvens atque exactissimè miscens, incredibile quid addit deliciarum, etiam præcipitando si quid mixtioni ineptius repererit. Nota in transitu, Sextarium pendere vini Uncias sedecim totidémque scrupulos: mellis Uncias vigintiquinque.

§. 157. Sed ecce etiam aliam, cámque singulari elogio commendatam, descriptionem *myrrhinæ* ex Vindanionio Geop. 7. 36. *Iridis optimæ drachm. 4. Feniculi seminis tryblium unum. Farinæ tantùndem. Piperis dr. 1. Myrrhæ troglitidis dr. 2. Seselis dr. 1. ß. Mel. dr. 1. ß. Apii dr. 2. His contusis affunde vini odorati albi quod satis, & tere atque in massas formato, eásque linteolo denso involutas mitte in vas, ac superaffunde vinum optimum, & obtura; post dies quatuor aperiens, bibe calicem jejunus. Præstat verò cum musto fieri.* Elegans elogium verò est, quod inscriptio præ se fert his verbis, prout ea Palatinus olim codex exhibebat, Οἶνοι μέχρι γήρως ὑγιείαν φυλάττοντος ἀδιάπτωτος σκευασία· h. e. *Vini usque ad senectam conservantis sanitatem firma confectio*. Quo si quis semper utatur, ἄνοσος διαμένει *incolumis perdurat*, addit in textu. Nota verò, *tryblium* fuisse mensuram trium unciarum totidemque drachmarum capax.

§. 158. Plinius ergò rectè, qui *myrrhinam* Plauti inter Vina simul & Dulcia adscribit. Charini etiam responsio promittit nobile quid & deliciosum. *Rogas*, inquit, *ecquid daturus sis? Dabit myrrhinam*, *passum*, *defrutum*, *mellam*, meras delicias. Et par erat optima quæque potionum reperiri apud eum, qui instruxerat *thermopolium*, sive tabernam; ubi confectæ dulcesque potiones venibant, quas bibere calidas solitos testatur Turnebus Advers. 20. 10. Non ideo, quia potari non poterant nisi dissolutæ, quod videtur Andr. Baccius innuere Hist. vin. 4 p. 176. sed quia plus est suavitatis in calido potu. Confer ad Hier. Mercurialis Var. lect. 1. 8. & Joh. Preinshemium de Cal. potu, cap. 1. §. 2, 4.

§. 159. *Myrrhina* hæc procul dubio fuit in pretio: & testatur hoc Posidippus Comicus apud Athenæum 1. 23. cujus hæc sunt verba; μυρτίτης δὲ ὁ μυῤῥίνης οἶνος κεῖται παρὰ Ποσειδίππῳ·

Δειφρὸς ἄποτος, ὁ μυρίνης ὁ τίμιος.

Sed perperàm, inquit Cl. Salmasius Plin. exerc. p. 711. B, *legitur in Athenæo* μυρτίτης *pro* μυῤῥίνης *quæ fortasse error est Abbreviatoris censentis* τὸν μυῤῥίνην οἶνον ἀπὸ τῆς μυῤῥίνης *aut* μυρσίνης *dici. Sic enim myrtum appellant veteres. Sed* μυῤῥινίτης *dicendus esset* (aut μυρσινίτης, ut apud Dioscoridem 5. 37. *non* μυῤῥίνης) nempe id vinum, quod ex Myrti nigræ virgultis cum foliis & baccis in musto ad dimidium decoctis conficitur. Verùm hoc nè bibendo quidem erat. Erat μυρτίτης quo de Dioscorides 5. 36. Verùm hoc, quamvis stomacho utile, nihil minus quàm deliciosum erat.

§. 160. Quæ ratio sola satis est ad eundem errorem eodem modo corrigendum in Artemidori Oneirocrit. 1. 68. Verba sunt, οἰνόμελι μὲν καὶ μηλόμελι καὶ ὑδρόμηλον καὶ μυρτίτην, καὶ πάντα τὸν ἐσκευασμένον οἶνον πίνειν, πλουσίοις μὲν ἀγαθὸν διὰ τὸ τρυφᾶν πένησι δὲ, μοχθηρόν. οὐ γὰρ πρότερον ὀρέγονται ἐπὶ τὰ τοιαῦτα πόματα, εἰ μὴ ὑπὸ νόσου ἀναγκάζοιντο. Restituo primùm, ὑδρόμηλον καὶ μυῤῥίνην. Verto deinde, *Oenomeli aut melimeli aut hydromeli aut myrrhinam, aut quod aliud confectum vinum bibere, divitibus quidem bonum propterea quod in deliciis vitam transigant: egenis verò malum. Neque enim prius appetunt ejuscemodi potus, nisi à morbo cogantur.* Ὑδρόμηλον, pro ὑδρόμελι, recentiorum est. Reperies etiam apud Cassianum in Geop. 8. 26.

§. 161. *Melimelum* quid sit, videre apud Columellam 12. 45. ubi tradens rationem conservandi Cydonea, ait, *nihil certius aut melius expertum se, quàm ut cydonea maturissima, integra, sine macula, & sereno cœlo decrescente lunâ legantur, & in lagena nova quæ sit patentissimi oris, detersâ lanugine, quæ malis inest, componantur leviter & laxe, nè collidi possint: deinde cùm ad fauces usque fuerint composita, viminets surculis sic transversis arctentur, ut modicè mala comprimant, nec patiantur ea cùm acceperint liquorem sublevari: tum quàm optimo & liquidissimo melle vas usque ad summum itá repleatur, ut pomum submersum sit. Hac ratio non solùm ipsa mala custodit, sed etiam liquorem mulsei saporis præbet, qui sine noxa possit interdum dari fabricantibus: isque vocatur melimeli.* Turnebus Advers. 17. 13. *meloméli* scribendum existimat. Ità quidem analogia vult. Tum verò *melimelum* pomorum in genere est. Plinius 15. 14. *quæ nunc melimela dicuntur*, *à sapore melleo*. Aliter ergò olim. Varro de Re rust. 1. 59. *pomorum quæ antea mustea vocabant*, *nunc melimela appellant*. Confer ad Stapelii com. in Theophr. hist. plant. 4. 6. p. 399.

§. 162. Species tertia Myrinæ dicitur Hesychio fuisse *Potio*, *cui superfusum erat unguentum*. De hoc planissimè constat ex Polluce 6. 2. ἦν δέ τις καὶ μυρίνης οἶνος, μύρου κεκραμένος· οἱ δὲ τὸν γλυκὺν οὕτως οἴονται κεκλῆσθαι, *Erat & myrinum vinum*, *myro permistum. Sunt autemqui eo nomine passum vocari existimant.* Rectum est, οἶνος μύρινος, *Vinum myrinum*, i. unguento temperatum. Rectum quoque μυρίνης· ut enim à voce φύλλον, ὁ φυλλίνης. itá à μύρον est ὁ μυρίνης &, geminatâ caninâ literâ, μυῤῥίνης Latinis *murrina* est à murra. *Murra* autem unguentum significat, idem quod μύρον. Cyrilli glossæ, μύρον, Un-

Unguentum, *Murra*. Quòd enim (ut suprà §. 124. notabamus) compluria unguenta non sine myrrha fierent, & ipsa pretiosum esset unguentum, propterea non tantùm *μύρον* de *Myrrha* Græci absolutè *κατ᾽ ἐξοχὴν* dixerunt; sed & *myrrham* Latini de unguento quolibet aromatico.

§. 163. Achmeti in Oneirocrit. 196. 2. dicitur *ὄινος συγκεκερασμένος* *vinum adulteratum*, & significare, si quis se bibere illud somniet, *θλῖψιν εἰς τὸν πλοῦτον αὐτοῦ ἀνάλογον τῆς ζέσεως*, *jacturam bonorum pro modo fervoris*, quo bibi scilicet somniatur. Namque, ut est apud Juvenalem Sat. 6. 302. oportet bene calida esse,

Ut perfusa mero spument unguenta Falerno.

§. 164. De *passo* Myrrhinam qui interpretetur, non cognovi. Rectè interim de *vino* Hadr. Junius Animadv. 5. 19. accipit hoc Sutrii Comici, ubi Glyceram meretriculam ità loquentem introducit,

Myrinum mihi adfer, quò virilibus armis occursem fortiuncula.

Nam & mulierum libidinosiores vino, præsertim aromatite incalescere in complexum, vulgare nostras adagium innuit, *Femina subebria, Venus in lecto*. De eodem Dalechampius illud Diphili in Deficiente interpretatur ad Athenæum 4. 4. ubi coquus ait, artis suæ principale atque palmarium esse

Τὸ τῶν ἐδομένων τὰ ςόματα προειδέναι.
Οἷον, Ῥοδίους κέκληκας; εἰσιοῦσι δὸς
Εὐθὺς ἀπὸ θερμοῦ τὴν μεγάλην αὐτοῖς σπάσαι
Ἀποζέσας σίλουρον, ἢ λεβίαν, ἐφ᾽ ᾧ
Χαρῇ πολὺ μᾶλλον, ἢ μυρίνην προσεγχέας.
Prænosse linguam & ora convivantium.
Rhodios vocasti fortè? quando intraverint,
Magnum e camino præbeas ipsis statim
Silurum elixum, Lebiámve, quo magis
Facto placebis, quàm queas murinâ datâ.

Dissentiunt Mercurialis Var. lect. 5. 1. & Brodæus Miscell. 4. 20. uterque sine ratione tamen, saltem ad quam respondeti sit opus, aut responsum non sit.

§. 165. Frisiorum gulonibus expetitum valde laudatúmque est, aliis Absinthite vino, aliis Hamburgensi birà cum butyro thermopotare gutturem, ut Plautus loquitur Trinummo act. 4. sc. 3. 7. Qui hoc sæpius vidi, causam non habeo dubitandi etiámne verum sit, Veteres unguenta Vinis superfudisse, & bibisse. Sed verò res est multorum auctoritatibus testatissima.

§. 166. Theophrastes l. de Odorib. p. 183. Furlanæ edit. *οἱ τὰ μύρα κεραννύντες, ἢ τῷ οἴνῳ ἐπιχέοντες*; *Qui unguenta miscent, aut vino superfundunt.* Plinius 13. 3. *At hercule jam quidam etiam in potus addunt: tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis.* Si rectè hæc assequor, vult eos qui unguenta bibunt, hoc consequi luxuriâ, ut sive ructent sive vissent, semper fruantur odore unguenti ceu teste & exprobratore prodigalitatis. Confer ad Clem. Alexandrinum Pædag. 2. 8. p. m. 177.

§. 167. Luxuriæ argumentum fuisse etiam notat Ælianus Var. hist. 12. 31. *Τί δέ, οὐκ ἐκεῖνα τοῖς Ἕλλησι τρυφῆς ἀπόδειξις; μύρῳ γὰρ οἶνον μιγνύντες οὕτως ἔπινον, καὶ ὑπερηγαχάζοντο τὴν τοιαύτην κρᾶσιν. καὶ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος μυῤῥινίτης* (lege, *μυῤῥίνης*) *μέμνηται δὲ αὐτοῦ Φιλιππίδης ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητής.* *Quid autem, nónne hæc in Græcis luxuriæ indicium sunt? Unguento enim vinum miscentes bibebant, eáque mixturâ prorsus abutebantur. Vocabatur hoc vinum myrrhina. Meminit vero ejus Philippides Comœdiæ scriptor:* de quo vide sis ad Suidam. Quid sit ibi *ὑπεραγαχάζεσθαι τὴν κρᾶσιν τοῦ μύρου*, fortean Plinii hæc dicent, *Hæc est materia luxûs e cunctis maxime supervacui. Excedúntque quadringenos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena.*

§. 168. Uti verò luxuriæ erat argumentum, ita & libidinis incitamentum. Huc spectat illud meretriculæ quod modò citabamus. Fulgentius Mytholog. 3. 9. quà de Myrrha & Adonide, *Ideo Venerem amasse Adonin dicunt, quòd hoc genus pigmenti* (id est, unguenti: loquitur enim de succo Myrrhæ, seu potiùs myrrha stacte) *sit valde fervidum. Unde & Petronius Arbiter ad libidinis concitamentum, Myrrhinum se poculum bibisse refert.*

§. 169. Quare meritò fuere *omnia ista*, ut Plinius memorat 14. 17. *ab Themisone summo autore damnata. Et hercule coactus eorum usus videri potest, nisi si quis naturæ opus esse credit aromatiten, & ex unguentis vina composita.*

§. 170. Quænam vero unguenta in compotationibus adhiberentur, abunde docet Athenæus in 15. 12. ubi magnum eorum offendes catalogum: quem nihil attinet hic recitare.

§. 171. Sed de *passo* Vino satis. Transeamus ad genus alterum, quod appellabam *Non passum*, propterea quòd fiat ex Uva matura quidem, sed integra, nullámque sui diminutionem passa ab exquisito Solis ardore aliáve insolita violentia. Plinius *medium inter dulcia vinúmque* dicit 14. 9. Neque enim meretur haberi in numero aut Dulcium aut Vinorum. Non *dulcium*; quia ex musto est: Non *vinorum*; quia prohibetur fervere.

§. 172. Hoc genus autem triplex est; *γλεῦκος*, & *ἀειγλευκὲς*, & quid inter hæc medium.

§. 173. Γλεῦκος *mustum* significat in communi, sive, ut olim scribebatur, *mostum*. Ità quippe nominabant Latini *οἶνον μόσχον* *vinum novellum*, seu potiùs liquorem illum qui recèns ab uvis effluit, & quamdiu non ferbuit, seu vinum mistum fæcibus est. Dicebam, *potius*; quia Vinum novum propriè est quod nuper ferbuit, fæcésque suas recèns defæcavit. Esse enim diversa, Mustum & Vinum novum, ex utriusque facultatibus cognoveris. De *musto* Hippocrates 2 de Diæt. 13. 233. *γλεῦκος φυσᾷ, καὶ ὑπάγει, καὶ ἐκταράσσει ζέον ἐν τῇ κοιλίῃ, καὶ διαχωρέει*, *Mustum inflat, & subigit, & perturbat fervens in ventre, alvúmque subducit.* De *vino novo* Dioscorides 5. 7. *ὁ δὲ νέος ἐμπνευματικός, δύσπεπτος, δυσόνειρος, οὐρητικός*, *Novum vero inflat, ægre concoquitur, insomniis inquietat, urinam ciet.*

§. 174. *Mustum* verò duplex est: lixivum & vulgare.

§. 175. Mustum *lixivum* dicitur: quod lixæ seu aquæ instar effluit ex uvis ante expertam vim. Columella 12. 41. *Mustum lixivum de lacu statim tollito. Hoc autem erit, quod distillaverit antequam nimium calcetur uva.* Corrige, *quod sponte distillaverit antequam nimirum calcetur uva.* Plinius 14. 9. *protropum appellatur à quibusdam mustum sponte defluens, antequam calcentur uvæ.* Columella iterum cap. 40. *mustum lixivum (hoc est, antequam prælo pressum, quod in lacum musti fluxerit) tollito.* Ubi quæ in parenthesi dicuntur, haut dudiè glossema sunt. Confer ad Cæl. Rhodiginum 28. 34.

§. 176. Græcis hoc genus Musti *πρόχυμα* dicebatur. Florentinus Geop. 6. 16. *πρὶν θλιβῆναι τοὺς βότρυας τὸ ἐξ αὐτῶν αὐτομάτως ἀποςάζον γλεῦκος, ὃ πρόχυμά τινες καλοῦσι*, *Quod, priusquam calcentur uvæ, ex his sponte exstillat mustum, quod prochyma quidam vocant.*

§. 177. Frequentius erat *οἶνος πρότροπος ἢ πρόδρομος*. *Vinum protropum* aut *prodomum*. Pollux 6. 2. Πρότροπος δὲ ἦν τις οἶνος, ὁ πρὶν ἀποθλίβεσθαι (scilicet, τοὺς βότρυας) ἐκρυείς, *Protropum erat vini species, quod citra pressuram effluit*, adeóque prælum prævertit. Belgæ dicerent *voorloop*. Quod verbum usitatissimum est *Destillatoribus*, quos vocamus. Hesychius, Πρότροπος, οἶνός τις, τοῦ γλεύκους τὸ πρόρυμα. Rescribo, οἶνός τις, ἢ τοῦ γλεύκους τὸ πρόχυμα. Reddo, *Protropum, vinum quoddam, aut musti quod sponte profluit.* Revera enim hoc nominis conveniebat etiam speciei Vini certæ. Athenæus 1. 24. *οἱ Μιτυληναῖοι τὸν παρ᾽ αὐτοῖς γλυκὺν οἶνον πρόδρομον καλοῦσιν ἄλλοι δὲ πρότροπον ἢ πρόδρομον*, *Mitylenæi vinum suum dulce Prodromum vocant, alii vero Protropum aut Prodromum.* Hujus generis est quod hodiéque *lacrymam* Itali cum Hebræis appellitant.

§. 178. Quin & Passi *lixivum* dicebatur *protropum*. Athenæus, 2. 7. *λαμβανέτω, τὸν καλούμενον πρότροπον, γλυκὺν Λέσβιον*, *sumat, quod vocant protropum, passum Lesbium.* Ælianus Var. hist. 12. 31. *καὶ ἐπὶ τούτοις* (*τοῖς Λεσβίοις*) *γλυκύς τις ἐκαλεῖτο, τρέπων τῷ ὀνόματι καὶ τὴν γεῦσιν.* Interpres, *& præter hæc aliud Dulce vocabatur, sapore etiam referens.* Corrige primùm, *πρότροπος τῷ ὀνόματι καὶ τῇ γεύσει* tum redde, *& apud hos* (Lesbios scilicet) *Passum quoddam celebratur, Protropum nomine saporéque.* Unde & apud Vitruvium Archit. 8. 3. rectè Philander, pro *vinum protyrum*, restituit *protropum*. Loquitur enim de Lesbio vino.

§. 179. Hujus generis *scybelites* erat, quod toties Galenus commendat: vide Meth. med. 6. 31. de Dign. puls. 1. 1. & in l. de Comp. med. sæpissimé. Fuisse verò è *genere* Protropi passi, ex Aëtio liquet, nec non Myrepso. Aëtius 3. tetr. 1. 24. *Σκυβελίτης δὲ οἶνός ἐςιν ὁ αὐτομάτως ἀποςάζων ἐκ τῶν τεθεισῶν ςαφυλῶν, καὶ τὸν οἶνον ἀποβαλλουσῶν*, *Scybelites vinum est quod sponte destillat ex uvis passis, vinúmque ultrò fundentibus.* Myrepsus de Antid. c. 145. *ἐςι δὲ σκυβελίτης οἶνος, ὁ μετὰ τὸ πατηθῆναι ςαφυλὰς ἀποςάζων οἶνος*, *Scybelites vinum est quod exstillat posteaquam uvæ passæ sunt* solem, & conjectæ in torcular se mutuò premunt.

§. 180. Mustum *vulgare* appello, quod vi expressum est. Vim præstat vel Pes vel Prælum. Pes primùm, deinde prælum. Unde mustum licet distinguere in Primarium & Secundarium.

§. 181. *Primarium* nuncupo, quod uvis calcatis seu pede pressis effluit. Ex hoc musto Vina *pressa* vocat non semel Horatius: ceu videre 4. Carm. 12. 14. & Epod. 13. 8, 9. Græcis, *τρατητοὶ ὄινοι.* Hesychio *τραπεῖν* est *ληνοπατεῖν*, *calcare torcular.* A Græco habent suum *trappen* Germani.

§. 182. *Secundarium* verò, quod pressiore pede aut prælo etiam exprimitur aut extorquetur. Hoc quia quandoque circumciso pede, quandoque non circumciso fiebat; indè est, quòd alii *tortivum*, à pressuræ modo, illud appellarent, alii *circumcisitium*, à cura acinis quam adhibebant post primam pressuram. Hoc rursus aliquando exprimebant in eundem lacum, aliquando servabant seorsum. Quæ sanè notanda sunt antiquarum lectionum studioso. Sed inspiciamus quædam huc facientia.

§. 183. Varro de Re rust. 1. 54. *Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prælum, ut si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum. Cum desiit sub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt: & rursus, cùm expressum, circumcisitium appellant, ac seorsum, quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eòque aqua additur: ea vocatur lora, quòd lota acina, ac pro vino operariis datur hieme.* Quibus quia exhibetur ratio tota exprimendi uvas & in varios usus, non debet mihi vitio esse, quòd paulùm rursus de via digressus subnotem quæcunque lucem istis, quà rem, quà verba, queunt dare.

§. 184. *Quæ calcatæ uvæ erunt.* Semper antè calcabantur uvæ, quàm prælo vinacea subderentur. Eò alludunt Prophetæ, Jesaia 53. 3. & Johannes Apoc. 14. 20. Cæterùm cùm constet facilè vitiari mustum, & infici fœtore, & disponi ad corruptionem, ea propter Apuleius in Geop. 6. 11. jubet *εἰσιέναι εἰς τὸν ληνὸν τὰς πατοῦντας, εὖ μάλα τὰ περὶ τὰς πόδας κεκαθαρμένους, καὶ μηδένα αὐτῶν ἐν τῷ ληνῷ μήτε ἐσθίειν, μήτε πίνειν, μήτε εἰσιέναι καὶ ἐξιέναι πολλάκις· καὶ εἴ τις ἀνάγκη γίνοιτο τοῦ ἀπελθεῖν, μὴ γυμνοῖς τοῖς ποσὶν ἀπιέτω. δεῖ δὲ καὶ ἠμφιέσθαι καὶ διαζώματα ἔχειν τὰς πατοῦντας, διὰ τοὺς ἐπειγομένους* [lego, *ἐπιγινομένους*] *ἱδρῶτας· ingredi in torcular calcatores, valde bene pedes purgatos, neque quenquam ipsorum in torculari vel edere vel bibere, neque ingredi vel exire sæpius. Et siqua necessitas incidat exeundi, ne nudis pedibus abeat. Oportet verò etiam indutos esse calcatores & subligaribus tectos propter sudores obortos.* Quos consultò admodum misceri musto prohibet, ut & omne quod vino malum saporem odorémve dare potest. Rationem dat Columella 12. 28. *quia nulla res alienum odorem celeriùs ad se ducit, quàm vinum.* Quod & Plinius observat in collocatione doliorum, & monet 14. 21. *doliis etiam intervalla dari, ne inter sese vitia serpant, contagione vini semper ocyssimâ.*

§. 185. *Earum scopi.* Quos Varro *scopos*, Cato *scopiones* vocat cap. 112. Sed depravatus est locus. Legendum quippe, emendatore Jos. Scaligero, *Tum acina de uvis miscellis decerpito de scopione, inde in dolium:* confer ad Ausonii Popmæ Notas. Apud Columellam bis perperàm legitur *scipiones*, 12, 39. & 43. Est autem *scopus*, ramosum id ligneúmque quo dependent acini. Ità Ruellius in 1 de Stirpib. 11. Cælius Rhodiginus Antiq. lect. 12. 14. cum *scapo* confundit; admodum inconsideratè: *Nam ut in papavere*, inquit, *pars semen continens vocatur scapus, sic & in uvis quo grana continentur, eodem censetur vocabulo.* Quibus in verbis cùm rectè non habeat antecedens, quid speres de consectario? In isto enim nimis securè sequutus fuit Plinium 19. 8. cujus ibi verba sunt, *papaveris nigri scapo inciso lacteus succus excipitur.* Rectum est, *scaphio inciso.* Nam *σκάφιον* est *caput*, autore Polluce 2. Onum. 4. 1. & autoritate Aristophanis, cujus hunc versum (unde? incertum quippe,) citat;

> *Ἵνα μὴ κατεαγῇς τὸ σκάφιον πληγεὶς ξύλῳ,*
> *Tibi ne dolatum fuste frangatur caput.*

Quemadmodum igitur *caput* Poetæ *κωδείαν* vocabant: ità Plinius vicissim *τὴν κωδείαν τὴν τῆς μήκωνος κεφαλὴν*, *papaveris caput*, appellavit *scaphium.* Ità pro eo quod Theophrastus Hist. plant. 4. 10. de Loto dixerat, *ἐν δὲ τῷ Εὐφράτῃ τὴν κωδίαν φασὶ καὶ τὰ ἄνθη δύνειν*, reddidit 13. 18. *Hoc amplius in Euphrate tradunt & scaphium & florem mergi:* ità enim & heic legendum; siquidem respexit ad illum Philosophi locum quem proposuimus. Si verò ad illum qui legitur de Caus. plant. 2. 26. ubi non *κωδίαν caput*, sed *τὸν καυλὸν* ait *ὁτὲ μὲν ἀναβαίνεσθαι, ὁτὲ δὲ δύεσθαι, caulem quandoque emergere, quandoque mergi:* rectè *scapum* reddidit. Nam *scapus* idem qui *caulis.* Ità *asphodeli scapum* Columella dixit 9. 4. *ferulæ scapum* Plinius 13. 22. Hinc ob similitudinem *scapus columnæ* dictus, qui est inter spiram & capitulum: de quibus consule Bernardini Baldi Lexicon Vitruvianum. At *scopus* est, quod dixi. E quo quia acini dependent, hinc *κρεμαστῆρας* vocat Florentinus Geop. 5. 17.

§. 186. *Cum folliculis.* Plinius *acinorum* modò *corium*, modò *corticem*, interdum *cutem* vocat: ubivis metaphoricé. Propriè enim *vinacea* dicuntur Latinis, *στέμφυλα* Græci. Quanquam posteriores id nominis tribuerint *gigartis* seu granis carni inclusis, ut videbimus postea.

§. 187. *Subjiciendi sub prælum.* Servius Georg. 2. 242. *prælum* esse trabem propriè scribit, quâ uva jam calcata premitur. Quod ideo notandum, quia Literatores pro eodem usurpant torculare, lacum, & prælum. Vide ad Grapaldum de Part. ædium 1. 3. De structura Torculari adi sis ad Catonem cap. 18. & ad Vitruvium 6. 9. Nota interim torculare Catonianum esse diversum à Vitruviano, atque etiam à nostræ ætatis torcularibus. *Quod ego*, inquit ad Catonem Popma, *cùm instituissem apertius & fusiùs describere, animadverti vix posse verbis illustrari, & si maximè illustretur, nullam utilitatem habere, sanè non magnam: itaque omisi.* Utinam hoc saperemus omnes, & in hac vitæ brevitate studeremus non nisi utilia discere atque docere! Totius interim machinæ partes prosequitur L. de Instr. fundi n. 11.

§. 188. *Ut si quid reliqui habeant musti.* Scilicet expresso succo seu sanguine uvarum, superest caro; qui & *callus* Plinio in uvis duracinis. Illam gravior pressura conterens velut in succum resolvit. *Sanguinem uvæ* Moses vocavit primus Deut. 32. 14. deinde plurimi, quos citat Casaubonus Animadv. in Suet. 2. 24. Adi & ad Salmasii Plin. exerc. p. 12. 84. C. Dictus vero *sanguis* propriè, qui ex nigris uvis: compara Prov. 23. 31.

§. 189. *Exprimatur in eundem lacum.* Hoc mustum alios in alium lacum expressisse & seorsim servasse conjicio ex illis quæ præcipit Cato cap. 23. *Tortivum mustum circumcinaneum suo cuique dolio dividito, additóque pariter.* Intercidisse copulam, & scriptum fuisse, *Tortivum mustum & circumcidaneum*, clamat quod sequitur præceptum; *suo cuique dolio dividito*, hoc est, seorsim reponito, & alio in vase Tortivum, in alio Circumcidaneum. Quin & alterum; *addito pariter*, hoc est, utrique pari mensurâ modóque admisceto defrutum, aut marmor, aut resinam, quo misceri hæc jusserat cum musto *prælegoneo.* Fiebat hoc ex uvis miscellis. Varro 1. 53. *nam & præcox, & miscella, quam vocant nigram, multò antè coquitur, quò prior legenda.* Fortè & ex *uvis pretiis* quas nominat Maro Georg. 2. 95. & *citò maturescere* Columella 3. 2. & *ollis utilissimas* Plinius dicit in 14. 2. Vinum istum *prælegoneum* operarii bibebant.

§. 190. Confirmat porrò me in proposito Columella 12. 37. ubi Vinum simile Græco facere docens ait, *Uvas præcoquas quàm maturissimas legito, easque triduum in Sole siccato, quarto die calcato, & mustum, quod nihil habeat ex tortivo, conjicito in seriam, diligentérque curato ut cum deferbuerit faces expurgentur. Deinde quinto die, cum purgaveris mustum, salis cocti & cribrati duos sextarios, vel quod minimum, adjicito unum sextarium in sextarios undequinquaginta. Quidam etiam defruti sextarium miscent: nonnulli etiam duos adjiciunt, si existimant vini notam parum esse firmam.*

§. 191. Græci *marinam* suffundere vinis solebant quæ travehebantur in titulum, præterquam Chiis. De hoc more etiam Athenæus 1. 25. Species aliquot refert Plinius 14. 8. Modos aliquot faciendi Dioscorides 5. 28. Confer & ad Catonem cap. 25, & 105 atque Columellam 12. 21. Quare fecerint, Plutarchus quærit in Quæst. nat. 10. *Græca* ergò *vina* dicebantur quotquot essent suffusa mari. Plautus Rudentib. act. 2. sc. 7. 30.

> *Quasi vinis Græcis Neptunus nobis suffudit mare:*
> *Itaque alvum prodi speravit nobis salsis poculis.*

Dicitur *alvum prodere*, quod ipsam cogit ex inopinato se profundere. Parabantur autem *salsa vina καὶ πρὸς κοιλίας ὑπαγωγὴν ad ventris subductionem*, inquit Anazarbæus dicto loco.

§. 192. *Cùm desiit sub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt.* Columella 12. 36. *Mustum tortivum est, quod post primam pressuram, vinaceorum circumciso pede, exprimitur.* Nisi fallor, *cremasterum* in uvis triplices sunt partes, Pes, scopiones pediculi. Pes est, è quo uva dependet a sarmento. Scopiones, qui ramorum instar è pede ceu stipite exsurgunt. Pediculi denique, summitates scoporum, quibus appendent acini. Uti verò pedes uvarum *κρεματῆρες* appellantur Florentino Geop. 5. 17. ita pomorum *πέδιματα* Democrito Geop. 10. 25. *ficuum* verò *πείσματα* Africano Geop. 10. 56.

Pal-

Palladius, uno in omnibus nomine, *tenaces* aut *tenacia* nominat. Pes ergò velut radix racemi eſt. Pro qua etiam ſumitur apud Columellam 12. 43. Latiùs ſignificat id totum ramoſum ligneúmque quòd acinos inter & ſarmenta eſt. Ità hîc ſumi argumento eſt, quod pro *pede* Cato dixerit *extrema*. Quæ uterque *circumcidere* jubet, priuſquam denuo vinacea prælo ſubjiciantur. Apuleius Geop. 6. 11. etiam *grana extrahi* jubet; ἐμβληθείσας δὲ, inquit, τὰς σταφυλὰς εἰς τὰς ληνούς, εὐθὺς τοῖς ποσὶν ἀποθλιβέτωσαν οἱ πρὸς τοῦτο τεταγμένοι, πᾶσάν τε ῥᾶγα ὁμαλῶς πατήσαντες ἀνασυρέτωσαν τὰ στέμφυλα, τουτέστι τὰ γίγαρτα, ὥστε τὸ πολὺ τοῦ ἀποῤῥυῆναι εἰς τὸ ὑπολήνιον, δεύτερον δὲ πατήσαντες, ἀπαλλαττέσθωσαν, *Injectas in torcularia uvas ſtatim pedibus conterunto quibus hoc demandatum eſt, omnibuſque acinis æqualiter compreſſis extrahunto vinacia, hoc eſt, grana, quo poſſit quamplurimum liquoris defluere in lacum, atque ubi denuo calcarunt, deſcedunto.* Τὰ στέμφυλα etiam Anatolius in Geop. 6. 13. per γίγαρτα interpretatur: uterque nové. Sunt enim propriè *vinacia* ſeu *folliculi*, ut dicebam modò. Interea etiam Latini *vinacia* dicunt pro nucleis. Palladius Sept. 11. *vinacia, quæ in acinis celantur, hoc eſt, grana:* gloſſema hoc. Quia namque auctore Varrone 1. 48. *granum dicitur, quod eſt intimum ſolidum*, viſum fuit lectori non incommodè *vinacium* per *granum* exponi. Sed & illud novum eſt. Eſt & illud, ληνὸν exponere *Lacum*: facit interpres Apocal. 14. 19, 20. At hoc eſt ὑπολήνιον ſicuti ληνός, *torcular*.

§. 193. *Et rurſus, cum expreſſum, circumciſitium appellant.* Ità enim ſcribendum, poſtulante analogiâ & veſtigiis priſcæ ſcripturæ. Libri edunt, *circumſitum:* membranæ, *circumciſicitum*, natante Pet. Victorio in Explan. ſuarum in Varronem caſtigationum. Cato, ut audivimus, *circumcidaneum* appellabat. *Circumcidere* hîc eſt amputare & auferre inutilia.

§. 194. *Ac ſcorſum, quod expreſſum eſt, ſervant.* Cui uſui? Non dicit. Credibile inter vina *operaria* habita, quæ ex iſto genere muſti fierent. Plinius 14. 19. notat, *nefaſtum habitum, prolibare diis vinum, quod circumciſis vinaceis profluxerit.* Num in hoc etiam & ſimilibus Gentiles verarunt dictum Apoſtolo Rom. 2. 14. *Gentes non habentes Legem, ſibi ipſis ſunt lex, & naturâ faciunt quæ ſunt Legis?* Nempe natura ipſos docebat, haut fas eſſe offerre Deo quid vitioſi, Levit. 22. 20. aut quod offerre Præſidi ſuo non auderent, Malach. 1. 8. Tale verò fuiſſe id vinum, notat quod ſequitur apud Varronem.

§. 195. *Quod reſipit ferrum.* Joſ. Scaliger hic, *reſipit ferrum dixit; ut Dioſcorides,* ὑπόβρωμον ἔχει. An ſcriptum fuit, *reſipit fæcem?* quæ procul dubio plurima huic muſto.

§. 196. *Expreſſi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eóque aqua additur: ea vocatur lora, quòd lota acina operariis datur hieme.* Quod ad potùs hujus *appellationes*, Latinis non alio quod ſciam, quàm *lora* nomine venit. Nonius. 17. 11. *Loram dicebant in vindemia, cùm expreſſiſſent acinis muſtum, & folliculos in dolium conjeciſſent.* Aliquando tamen dicebant *loriolam*, diminutivè. Varro 1 de Vita pop. Rom. *Loriolam nominabant cùm ex uvis expreſſum erat muſtum, & ad folliculos ſeu vinacea adjiciebant aquam.* Hotomannus & ex eo Gothofredus ad l. Si quis 9. ff. de Tritico leg. etiam *acinaticium* Ulpiano dictum, loram eſſe exiſtimant. Quæ cùm fieret non ex acinis, ſed acinorum folliculis, non poteſt lora eſſe. Sciendum enim, monitore Dalechampio Hiſt. gen. plant. 5. 24. *acinum* non pro uvæ vinaceo, ſed fructu toto accipi, qui ex ſucco, & parte quæ veluti caro eſt, & ex vinaceis, & ex ambiente cute conſtat. Ità eſſe liquet è Catone cap. 113.

§. 197. Sed eſto, *acina* ſint hoc quod putant: ità dicendum eſſet *Vinum acinaceum*; prorſus ut *acinus vinaceus* dicitur, ad differentiam aliorum. Nam & ebulo & ſambuco aliiſque ſuus eſt acinus. Vide Turnebum Adverſ. 4. 6. Mercurialis Var. lect. 5. 1. contendit *protropi* quoddam & nobile genus fuiſſe. Sententiæ auctorem facit Caſſiodorum in Var. 12. 4. qui tamen ſuum *Acinaticum, cui nomen ex acino eſſe* dicit, adeò deſcribit ambitioſe, ut ſtudio obſcuraſſe rem, non explicaſſe videatur. Exſcripſit, locum Lud. Nonnius de Re cibar. 4. 13. & dimiſit cum hac ſuſpicione, *ſpeciem Paſſi protropi eſſe.*

§. 198. Sed cùm Juriſconſultus dicat initio legis, *Si quis vinum legaverit, omne continetur quod ex vinea natum vinum permanſit*, & verò nemo non *protropum* in vinis habeat: quid dici poteſt ineptius, quàm appellatione *vini* Vinum contineri? Viderint ergò periti annon ſcripſerit Ulpianus *concinaticium*. Non. Marcellus 1. 207. *apud veteres* cinnus *potionis genus ex multis liquoribus confectum dici ſolet.* Rurſus 295. *Cinnus eſt commiſtio plurimorum, unde &* concinare *dicitur.* Ut adeò *concinnaticium vinum* Juriſconſulto ſit idem qui σκευαστὸς οἶνος Dioſcoridi 5. 45. *factitium vinum* Plinio 14. 16. Clarum hoc conſideranti & verba legis & ſeriem rerum eâ propoſitarum. Proponit enim quæ oporteat *appellatione* Vini continere, quæ non. Non *mulſum*, non *zythum*, nec *camum*, nec *cerviſiam*, nec *hydromeli*, nec *conditum*, nec *paſſum*, nec *defructum*. Etenim priora ex vinea non fiebant; poſteriora fiebant, ſed potiùs conditura loco quàm ad bibendum. Continetur verò *paſſum*, niſi contraria ſit mens teſtatoris: itémque *œnomeli* planè, id eſt, dulciſſimum vinum. Quibus ità digeſtis, tandem ſubjicit, *Concinnaticium planè vino continetur.* Quid enim aliud eſt quàm vinum variorum additione concinnatum & medicatum? Græcis variè nominabatur. Vulgatius nomen, δευτερίας, pro quo alii, δευτερίναρ. Heſychius, Δευτερίναρ, ὁ μετὰ τὸ ὕδωρ ἐπιχεθῆναι εἰς τὰ στέμφυλα οἶνος. Joh Meurſius in Notis ad Caton n. 25. pro δευτερίναρ reſcribit δευτερίας. Sed oſtendit Caſaubonus Animadv. ad Athen. 8. 11. probum eſſe δευτερίναρ, atque uſurpatum Spartanis, qui caninam literam plurimùm adamabant & frequentabant: quemadmodum & Dores. Si vacat adire, reperies id genus magno numero. Heſychius iterum, Δευτερεῖα, κάλλιστος οἶνος, εὐτελής. *Deuteria, reſiduum vinum, vile.* Cyrilli gloſſæ δευτερεῖον *ſecundarium* exponunt. Unde & Plinius 14. capiti 10. inſcripſit, *De deuteriis & ſecundariis.* Dicebatur & πότιμος. Dioſcorides 5. 13. Ὁ δὲ καλούμενος δευτερίας, ὃν ἔνιοι πότιμον καλοῦσι, *Deuterias dictus quem aliqui loram vocant.*

§. 199. Loræ genera Plinius tria facit. Primum, *Decimâ parte aquæ additâ, quæ muſti expreſſa ſit, & ità nocte ac die madefactis vinaceis, rurſúſque prælo ſubjectis.* Alterum, *quomodo Græci factitavere, tertiâ parte ejus quod expreſſum ſit additâ aquæ, expreſſóque decocto ad tertias partes.* Dioſcorides, præterea *ſalem* addit. Tertium eſt, *fæcibus vini expreſſum, quod fæcatum Cato appellat* cap. 153. Græci, τρυγηφάνιον. Pollux. 6. 32. τὸ δ' ἐκ τῶν στεμφύλων πιεσθέντων ἀποῤῥεῦσαν, τρυγηφάνιον. Interpres, *Cæterum quod ex fracibus uvarum effluit,* [illegible] *dicitur:* ineptè. Nam *fraces*, expoſitore Plinio 15. 6. ſunt *carnes olivarum*; & indè *faces olei.* Agellius 11. 7. *floces audierat priſcâ voce ſignificare vini fæcem è vinaceis expreſſam, ſicuti fraces ex oleis.* Reddendum erat, *quod è vinaceis preſſis effluit, fæcatum vinum* vocant: nempe quia pura puta τρὺξ φαίνεται *fax videtur.* Pollux iterum 6. 2. ὁ μὲν δευτερίας, καὶ τρυγηφάνιος ἐκαλεῖτο. Quartum addit Columella 12. 40. quam & *loram optimam* dicit. Dioſcorides *loris* adſtituit ἀδύναμον, quod vocabant & faciebant ex pari menſura aquæ ac muſti, ferventibus donec excoqueretur aquæ menſura. Plinius 14. 16. *aquæ dimidium* duntaxat addebat.

§. 200. *Loram* bibebant feminæ, familia, operarii, rurales. De *feminis* nuper ex Agellio audivimus. Quod ille videtur omnino habere ex Varronis 1 de Vita pop. Rom. *Antiquæ mulieres majores natu*, inquit, *bibebant loram, aut ſapam, aut defrutum aut paſſum, quam murrhinam quidam Plautum appellare putant.* Nempe, *non licebat vinum feminis Romæ bibere*, inquit Plinius 14. 13. & teſtantur plures auctores. Quorum catalogum exhibet Elmenhorſtius ad Arnob. p. 102. edit. noviſſimæ. Interim natu majoribus, ætatis reſpectu, concedebatur aliquid eorum quæ præter vinum fiebant ex uva. *Familiæ* datam loram, è Catone ſcimus. Cap. 25. *vinaceos, ſi voles*, ait, *lavito paululùm, & lora erit familiæ, quod bibat.* Iterum cap. 57. *Vinum familiæ, ubi vindemia facta erit, loram bibant menſes tres. Menſe quarto heminam in dies.* Familiæ verò in uſus veniſſe credo, quòd eſſet notæ melioris. *Operariis* contrà datam viliorem. Plinius 14. 10. *Non poſſunt jure dici vina, quæ Græci deuteria, Cato & nos loram, maceratis aquâ vinaceis: ſed tamen inter vina operaria numerantur.* Eodem potu etiam ſe *ruſticos* oblectaſſe patet ex Anatolii Geop. 6. 13. ἡ γὰρ, inquit, ἐκ στεμφύλων τρὺξ, ἣν ἐπιχωρίως καλοῦσι θάμναν, οὐκ ἀηδὲς πόμα τοῖς ἀγροίκοις γίνεται. Interpres, *Etenim fax ex vinaceis, quàm vernaculâ linguâ Thamnam appellant, non injucundus potus ruralibus fit.* Sed occurriſſe non videtur Cornario, quod Feſtus notat; *Tryga antiqui vinum dicebant.* Theocriti Scholiaſtes Idyll. 7. 70. Τρὺξ δὲ ὁ κυρίως νέος οἶνος λέγεται, καταχρηστικῶς δὲ, καὶ ὁ παλαιός. *Tryx propriè novum vinum dicitur: abuſivè verò, etiam vetus.* Heſychius, Τρύγα, οἶνον ἀδιύλιστον, ἀπὸ ληνοῦ. *Tryga* vocabant *vinum non defæcatum*, quale recens à *torculari* eſſe ſolet. Iterum, Τρὺξ, ὁ νέος οἶνος, καὶ γλεῦκος ἀδιύλιστον, *Tryx, novum vinum, & muſtum non defæcatum.* Quara vertendum fuit, *Quod è vinaceis fit vinum, patrio nomine Thamna haut injucundus potus eſt ruſticis.* Sed ſatis de eo, quòd non erat noſtri propoſiti: ad hoc ergò revertamur.

§. 201. Erat ergò duplex Muſti potioris genus: *lixivum* ſive

ſpon-

spontaneum, & *calcatum* sive pedibus expressum. Dixi, *potioris*; quia Musta cætera villioris erant, præut ulibus nunc dicendis servire possent. Ex illis enim industriâ & curâ faciebant quid medium inter Dulcia dicta & Vinum. Faciebant namque ex *lixivo*, Γλεῦκος, ex *calcato*, Aigleuces.

§. 202. *Τὸ ἀειγλευκὲς*, quod è Græcis appellat Plinius, unde habuerit, nescitur hodie. Quippe vocis Græcæ nè vestigium quidem reperire est apud autores quos habemus. Hoc verò me quærere, non magis ad rem pertinet, quàm Ulysses ubi erraverit: quo de vide sis ad Senecam Epist 88. & confer correptionem illam Bionis apud Stobæum Serm. 8. Nota interea res est? quod sufficit.

§. 203. Quemadmodum namque fiat, ità exponit Plinius, *Quod Græci aigleuces vocant, hoc est, semper mustum, id evenit curâ, quoniam fervere prohibetur: sic appellant musti in vina transitum. Ergo mergunt è lacu protinus in aquam cados, donec bruma transeat, & consuetudo fiat algendi.* Ante Plinium reperimus Catonem docuisse etiam ejus conficiendi modum. Ait cap. 121. *Mustum si voles totum annum habere, in amphoram mustum indito, & corticem oppicato, demittito in piscinam, post trigesimum diem eximito, totum annum mustum erit, & dulce.*

§. 204. Quale cur permanere compressu frigoris obsidentis queat tam longo tempore, quæsitum fuit à Plutarcho olim in Quæst. nat. 27. *Causa duplex*, inquit. *Una*, quòd prohibeatur fervere. Fervor enim à calore est. Interno quidem, sed qui se promovere nequit in illum actum, quamdiu cogendo frigus incrassandóque potest plus quàm calor movendo & attenuando. *Altera*, quòd calidum, obsidio frigoris impeditum evadere, invadat magis & subigat musti crudiora, & subacta contemperet vinosis, atque ità in longum tempus conservet dulcedinem, qui proprius musti sapor est.

§. 205. Huic vi coacto manere musto simile est quod no[str]ates Oenopolæ appellitant *stomme*, q. d. *mutum* Vinum. Hoc [es]t, musto è lacu in dolia infuso, quæ priùs fumo sulphuris sint suffumigata, donec non ampliùs ardere in ipsis sulphur queat. Hoc ceu adulterio inficiuntur & emolliuntur hodie vinorum asperiora quæque. Etiámne per se bibatur, nescio. Hoc scio, reddere vina valde insalubria & gravedinosa.

§. 206. Ab isto diversum est, materiâ pariter & formâ, quod γλεῦκος Græci recentiores appellabant, ob excellentiam suam & dulcedinis prærogativam singularem. Vetustissimis namque temporibus notum fuisse, saltem hoc nomine, nuspiam comparet. Dixi verò, *excellenter Γλεῦκος* appellatum, propter rationes scilicet allatas jam suprà §. 173.

§. 207. Utramvis ibi propositam significationem Varinus conjungit in hisce verbis, *Γλεῦκος τὸ ἀποστάλαγμα τῆς σταφυλῆς, πρὶν πατηθῇ· ἢ γλεῦκος, ὁ νέος οἶνος, ὁ λεγόμενος μοῦστος.* Reddidero, *Gleucus dicitur destillamentum uvæ, priusquam calcetur: aut novum vinum quod vulgò dicitur mustum.* Prius etiam habet Hesychius, etiam Suidas, & totidem verbis: nisi quòd ille *ἀπόσταγμα* habeat, pro *ἀποστάλαγμα*, pari sensu. Dixi, *gleucus*, autoritate eorum qui *gleucinum* Oleum hinc & fecere & dixere: Columellæ, inquam, 12. 51. & Plinii 23. 4. aliorúmque. Plinius 14. 19. itemque Vitruvius 8. 3. *protropum* appellant, & quod erat Græcis nomen, civitate donatâ, retinuerunt: quò nè excogitato novo novam rem designare viderentur.

§. 208. Nomina cum rebus accipere sapientium est. At rebus admissis, peregrinitatis damnare nomina, revera est *γλωσσομανεῖν*, seu eorum qui maternæ linguæ amore vesano capti malunt non intelligi in conversatione civili, quàm peregrinis in sermone vocibus uti, quantumvis receptis. *Mania* quippe dicitur omne vehemens desiderium atque studium cujuscunque rei. Sic *insanire* Cornificio Rhet. ad Herenn. 4. p. m. 125. & frequens aliàs verbum ostentatione contenti studii déque rebus magnificis, solâ libidine contra rationem sæpe institutis: compara Venusinum 2. Serm. 3. 64, 224. Qua de causa Eunapius in vita Proæresii p. 143. volens desiderii quod aliquando Anatolium corripuit videndæ Græciæ, cùm magnitudinem tum laudabilitatem commendare, dixit, *χρυσῆς τινος αὐτὸν μανίας ὑπολαβούσης*, *aureâ quadam ipsum insaniâ subeunte.* Nempe *aurea* tum vocabant Latini quæ sunt amabilia & laudabilia. Exempla videsis plura apud C. Barthium Adverf. 49. 8. Cæterùm quam vim habeat τὸ *μανία* in compositis, cùm quosdam vocamus *γυναικομανεῖς* aut *χρυσομανεῖς*, edisserit Galenus de Decr. 4. §. quem consule, & confer ad Athenæum 11. 11. atque Casaubonum ibi: nobis quippe hæc indicasse nunc satis. Aliquid etiam in hanc rem dixi 2 Physiolog. 6. 36. & dicam postea.

§. 209. Materia quæ fuerit, ex qua gleucus fieret, dixi: *Mustum protropum* nempe. Faciendi modus alius & alius. Ignobilior est, quem proponit Florentinus in Geop. 6. 16. *Πρὶν θλιβῆναι*, inquit, *τοὺς βότρυας, τὸ ἐξ αὐτῶν αὐτομάτως ἀποστάζον γλεῦκος, ὃ πρόχυμά τινες καλοῦσι, βάλε αὐθήμερον εἰς ἀγγεῖον πεπισσωμένον ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν, ὥστε ἡμίσεα εἶναι τὰ ἀγγεῖα, καὶ πώμασον ἐπιμελῶς γύψῳ· ἐπὶ πολὺν γὰρ χρόνον διαμένει τὸ γλεῦκος σφόδρα γλυκύ· πολὺ δὲ μᾶλλον φυλαχθήσεται, ἐὰν τῷ ἀγγείῳ πωμασθέντος δέρματι, εἰς φρέαρ τοῦτο ἐμβληθῇ ἐπὶ ἡμέρας λ΄. διὰ γὰρ τὸ μὴ ἀναζέεσθαι, ἔσται διὰ παντὸς γλεῦκος·* hoc est, *Quod, priusquam calcentur uvæ, ex his sponte exstillat mustum (quod prochyma nonnulli nominant) conde eodem die in vas picatum intus, ità ut dimidia tantùm impleantur vasa, & obtura accuratè gypso. Sic enim ad longum tempus perseverat mustum valde dulce. Multò verò magis servabitur, si vas vesicâ obturatum dimittatur in puteum ad dies triginta. Propterea enim quod non ferveat, erit semper mustum.*

§. 210. Quæ si compares cum superioribus, censebis & hoc esse *aigleuces* potiùs quam *gleucus*. Certè est & hoc & illud; sive potiùs medium quid inter utrumque. *Gleucus* est, quà materiam: est enim ex Musto lixivo. *Aigleuces* est, quà formam: prohibetur enim fervere, seu transire in vinum. Causa etiam eadem prohibens, frigus, sive piscinæ, sive putei. Videtur interim differre ab Aigleuce, quòd hoc Amphoris mergeretur, illud Picatis conderetur vasis. Unde ut saporem non ingratum, ità & salubritatem accipiebat longè gratiorem. De *picatis* Vinis, quæ cum pice multa condiebant, Dioscorides testatur 5. 48. quòd calefaciant, concoquant, abstergant, & purgent per superiora. Quas ob dotes credibile est expetita fuisse ad usus etiam matutinos. Quippe jejuni vini-potores enumeratarum necessitatum obtentu plerumque solent excusare factum præter naturam & publicam consuetudinem initum.

§. 211. Verùm *gleucus* quemadmodum fieret, brevibus Plinius, verùm sic satis accuratè tamen, exponit in 14. 9. *Sed inter hæc genera potuum ponere debeo & Protropum*, inquit. *Ità appellatur à quibusdam mustum sponte defluens, antequam calcentur uvæ. Hoc protinus diffusum lagenis suis defervere passi, postea in Sole quadraginta diebus torrent æstatis secutæ ipso Canis ortu.*

§. 212. Miretur quis, quare *protropum* Dulcibus adstituat, cùm Vinum sit. Si enim fervore musta in vinum transeunt, quidni vinum sit, posteaquam deferbuit hoc mustum? Patiebantur autem defervere lagenis suis, in quas protinus è lacu diffuderant. Igitur quid dicendum? Nisi fallor, hoc: vinum esse, tenuitate & puritate substantiæ: dulce verò, dulcedine & mixturâ pinguioris fæcum.

§. 213. Etenim ratio suadet, mustum Protropum habere & minus fæcis & minus fæculentiæ, præsertim quod ex uva matura atque lecta stillavit. Credibile quippe in hanc rem diligentiùs uvam non solùm legi solitam, sed & eligi. Quò maturior autem uva fuerit, hoc est, coctior à Sole, eo & generosius mustum fundit, & minimè turbidum. Sed & quo dulcior uva fuerit, eò oportet fæcem esse & pinguiorem & pituitosiorem, si huc transferre hoc verbum claritatis gratiâ licet.

§. 214. Quæ verò fæx talis est, eadem & idonea est tostione Caniculæ velut excoqui & permisceri exactiùs cum vino, & permixtum reddere vinum mollius atque suavius palato, præsertim integro. Solem sub Canicula ardere vehementiùs, res est cunctis notissima terris. Is æstus quid possit, multarum rerum insolationes docent. Chymici æmulari eum volentes excogitârunt Ignem *circulatorium*, quem vocant. Quô sicuti perfectiùs omnia excoquunt, & miscibilia miscent subtiliùs, & heterogenea depurgant exactiùs, atque ità mirum in modum exaltant virtutem medicinæ: ità Sol vinum naturâ optimum in lagenis percoquens reddit suâ virtute multimodis prestantius, quódque se omnibus gratiis commendet gustanti.

§. 215. *Γλεῦκος* igitur, quod nomine proprio sic vocabant, & Vinum erat, & Protropum nobile. *Vinum* fuisse constat vel ex eo, quòd fervore in hanc naturam ex musto transiret. *Protropum* cur appellarent, Plinius causam dicit, quòd fieret ex musto spontaneo seu præveniente pressuram. Ergóne idem fuit cum Vino *protropo*, quod Mitylenæi vocabant? Negare non possum: nec possum affirmare. Ut fuerit, necesse non est. Ut enim mustum protropum fieret vinum opus solo fervore erat: ut fieret *gleucus*, curâ insuper; nempe musti diffusione in lagenas, & vini coctione ad solem, quæ brevi facit quod ætas tempore. Olympiodorus ad Meteorolog. 4. 34. *ἃ σύνεισιν τῷ γλεύκει πνεύματα παχέα καὶ φυσώδη τινά, τῷ χρόνῳ διαφορεῖται*, *Qui insunt musto spiritus crassi atque flatulenti, tempore digeruntur.* Ubi fortè rectiùs φλέγματα legeris: namque

que quid vetat hoc nomine vini τὸ ὑδατῶδες, *aquosum*, appellare? Destiliatrix ars non aliter appellat hodie.

§. 216. *Nobile* denique à qualitatibus fuit: inprimis à facultatibus. Non solùm qualitatibus enim, sinceritate, tenuitate, saporis odorisque gratiâ se commendabat, sed & facultatibus egregiis, potissimùm verò salubritate. Plistonicus apud Athenæum 2. 6. εὐστόμαχον *ventriculo convenire* ait. Hæc culina corporis est. Cui si bene est, bene est & toti. Toti namque ventriculus operatur. Illi igitur ut bene sit, vel inprimis operam dare satagunt sanitatis studiosi. Galenus præterea l. de Atten. victu 100. 12. multùm Protropo juvari ait omnes Affectus Thoracis ac pulmonis, qui diuturni sunt & sine febre, præsertim qui per sputa purgari debent. Arteriacis præscribit l. de Comp. κ. τοπ. 7. 2. Hæmoptycis l. eod. 4. Hepaticis, 8. 8.

§. 217. Hier. Mercurialis in Var. lect. 1. 17. *Ipse enim puto vinum, quod Amos Propheta* 6. 6. in phialis *vocavit*, & *quod Tertullianus l. Adv. Marcionem* 4. p. 524. C. liquatum *dixit, hoc ipsum Protropum fuisse.* Ego puto in neutro ipsum bene putare.

§. 218. Non in primo: quia ad scopum prophetæ nihil faciebat, cujuscemodi Vinum biberent principes utriusque domûs Israelis, quibus *Va* denunciat: faciebat bibere ipsos *ex pateris vini* (ità enim Sacri sermonis gratissimus interpres vertit) hoc est, crateribus capacioribus vinum ingurgitare, cóque se quovis die proluere. Scopus scilicet Prophetæ erat, exprobrare primoribus securitatis culpam. In hanc facilè incidimus homines, cùm abundantia omnium rerum est: faciliùs, cùm vino se & deliciis dant. Erant illa in Israele. Ideo *seponebant diem mali*, qui timendus erat. Illius securitatis verò argumenta erant, 1. Lecti eburnei sive in accubitu sive in decubitu & somno. 2. Somnus profundus & multus; ut in spondis suis computrescere & diffluere viderentur. 3. Cibus opimus & deliciosus. 4. Musicæ studium, idque ad pruritum aurium & effeminandum animum. 5. Οἰνοφλυγία seu temeti sectatio. 6. Prodigalitas ac luxus in optimis unguentis, quibus se delibuebant. 7. Inadvertentia ad fractionem Joseph fratris, quasi ad se non spectaret, neu res esset dolenda. Ea verò stupidissima est & inexcusabilis securitas. non putare quòd,

Tunc sua res agitur, paries cùm proximus ardet.

§. 219. Non in altero. Paret enim conferenti, Septimium versione Græcâ usum, & hanc voluisse exprimere. Lxx interpretes dixerant, οἱ πίνοντες τὸν διυλισμένον οἶνον. Tertullianus verbo ad verbum, *qui bibunt vinum liquatum.* Quod διυλίζειν aut σακκίζειν Græci, id *liquare* aut *saccare* dicebant Latini.

§. 220. Transcolabant verò vinum tribus potissimùm de causis. Una erat, ut depurarent, relictis in sacco fæcibus. Ità Dioscorides in 5. 49. de Apsinthite, ἀψίνθιον ἐπιμελῶς μίξαντες κατεγγίζουσι. καταστάντα δὲ διυλίζουσι. *apsinthium accuratè miscentes diffundunt in vas: ubi subsedit, eliquant.* Columella 12. 27. *vinum à fæcibus eliquatum.* Martialis 12. Epigr. 61. 3.

Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco.

Egregia metaphora est, quâ verbum transfert hoc sensu ad animam Clemens in Pædag. 1. 6. p. m. 96. B. οἱ διυλισμὸν μὲν τοῦ πνεύματος τὴν μνήμην τῶν κρειττόνων εἶναί φασιν. διυλισμὸν δὲ νοοῦσι τὸν ἀπὸ τῆς ὑπομνήσεως τῶν ἀμεινόνων, τῶν χειρόνων χωρισμόν. *Qui transcolationem spiritûs memoriam meliorum esse dicunt. Transcolationem verò intelligunt, quæ fit, recordatione meliorum, deteriorum segregatio.*

§. 221. Altera erat, ut vini vim sacco frangerent. Hoc dicitur Plutarcho Probl. 6. 7. ἐξευνουχίζειν οἶνον ut Plinio 19. 4. *castrare vinum.* Confer ad Cæl. Rhodiginum 28. 26. Non minùs eleganter hoc *vitiare* dixit Horatius: ità 2. Sat. 4. 64. de Massicis vinis,

Integrum perdunt lino vitiata saporem.

Sacci ergò linei: hodie lanei. Scribonius Largus de Comp. med. 29. 122. *vinum Falernum non saccatum* commendat ad remedia colica. Theophrastus de Caus. plant. 6. 9. *myrtum* dicit habere *vinosum succum* talem, ὡς ἀφίεται τῷ οἴνῳ σακκιζομένῳ ac est *qui innatat vino cum saccatur.*

§. 222. Porrò οἶνος σεσακκισμένος, *vinum saccatum*, aliquibus Græcorum etiam σακκίας, simpliciter dicebatur. Pollux 6. 2. σακκίας δὲ, ὁ διυλισμένος οἶνος. Quod additur, καὶ σάκτος παρ' Εὐπόλιδι, vult, *Eupolidem* eo nomine etiam appellasse *saccularium*, hoc est, eum *qui vetitas in sacculo artes exercens, partem subducit, partem subtrahit:* uti explicat Ulpianus l. Saccularii 7. D. de Extraord. criminib. ubi videsis Gothofredi notas. Intelligit autem quos *guichelaers* & *beurse-snijders* Belgæ vocant. Plautus *peremicidam* Epid. act. 3. sc. 2. 13. dixit jocans fictóque nomine eum, qui peram incidit & exenterat marsupium. Cæterùm illuc pertinet quæstio apud Plutarchum in Sympos. 6. 7. an Vinum saccandum sit? Nobilis ea, neque prætervehenda medico: reperiet quippe quæ suos transferre ad usus queat.

§. 223. Tertia erat, ut vino conciliarent vel Odorem peregrinum, vel Saporem peculiarem, vel Potestatem medicinalem. Quod vini genus hodie *Hippocraticum* nuncupamus, Il saccis Aromata sunt addita, & colato Saccharum. Nostrates *sponsæ lacrymam* appellant: quia exhiberi solet venientibus ipsi. Plinius 20. 17. de Aniso, *Saccis quoque additur:* quibus scilicet vina eliquantur. Quod addit, *Cum amaris nucibus vina commendat:* id fortean respicit morem amygdalis tritis oblinendi labra sacci.

§. 224. Cæterùm varia quæ saccis adderentur olim erant in usu Florentinus Geop. 7. 37. quà de Vinis saccatis, Τὸν ὑλιστῆρα εἰς ἅλμην καθ' ἑαυτὴν, ἢ εἰς θαλάττιον μετὰ ποτίμου ὕδατος μιχθὲν ἔμβαλε ἐπὶ β. ἡμέρας, καὶ μετὰ τοῦτο οἴνῳ διάβρεχε, καὶ ὅταν χρεία αὐτοῦ ᾖ, ἔκπιεσον αὐτὸν, εἶτα τὰ χείλη τοῦ ὑλιστῆρος ἀμυγδάλοις ἢ καρύοις τριφθεῖσι διάχριε. τοῖς δὲ διυθεῖσιν οἴνοις, οἱ μὲν ἄνισον ἢ αἰθάλης, οἱ δὲ γύψον, ἢ ἕψητον, ἢ μέλιτος, ἢ οἴνου καλοῦ τρυγὸς, ἢ ὀρόβου ἄλευρα μιγνύουσι. *Saccum in marinam seorsim, aut in marinam potabili mixtam ad biduum immitte, posteaque vino perfunde. Cùm voles uti, exprime, ac mox labra sacci amygdalis aut nucibus tritis obline. Saccatis autem vinis alii anisum aut fuliginem, alii gypsum, aut defrutum, aut vini boni fæcem, aut orbaceam farinam miscent.* Pro διυθεῖσιν οἴνοις legerim διυθησομένοις οἴνοις, ut rubrica habet. Addebantur quippe hæc *vinis saccandis*, non *saccatis:* pars, ut odorem saporémve darent; pars, ut limpidiora transmitterentur.

§. 225. Hinc jam perceperis διυθητοὶ οἶνοι quæ dicantur Theophrasto de Caus. plant. 6. 24. ἡ αὐτὴ δ' αἰτία, inquit, καὶ τοῦ θᾶττον πυρίζεσθαι τοὺς διηττικοὺς (vetus ἠθικοὺς, malim διυθητικοὺς) τῶν οἴνων. Gaza, *Hac eadem causa est, & quamobrem genus vini quod morale vocatum est, celerius purgetur consistátque.* Mirum est tam absonam atque ridiculam interpretationem tolerasse, qui se *Gazæ interpretationem, cum aliàs autoris Græci mentem non rectè exprimeret, aliàs obscurè admodum Latinè offerret, passim castigasse* scribit Lectori. Reddendum erat, *Hac ipsa causa est, quare saccata vina citiùs afficiant*, sensus pariter ac mentem.

§. 226. Hactenus, ni fallor, liquidò satis manifestavi, quid Γλεῦκος in propria significatione fuerit. Dico *propria:* nam quòd γλεῦκος *mustum* significet, id per translationem factum dicit eruditissimus Barthius in Adversf. 5. 2. Superest quæstionis, num id præcisè heic sit intelligendum. Ratio dubitandi verò gemina se mihi offert.

§. 227. Una, Quòd non videtur eâ quantitate potuisse haberi quæ sufficeret multorum usui, nedum abusui. Imò vero quid non hominum industria machinatur in paranda affluentia ejus rei quæ in pretio est, & lucrum dare potest? Polyænus Strateg. 4. Alex. 32. ex ænea columna, cui inscriptus erat catalogus eorum quæ Persarum reges in apparatum prandii atque cœnæ consumerent quotquot diebus, memorat fuisse ubi γλεύκους ἐξ οἴνου πέντε μάρεις, *gleucus è vino quinque maries.* Qualis mensura esset μάρις, jam antè dixerat: μάρις ἐςὶ δέκα χοεῖς ἀττικοὶ, *Maris valet decem choas Atticos.* Secundùm meum verò Anonymum *Chus Atticus* capiebat vini libras 8. cum unciis. 4. *Maris* itaque mensura fuit librarum 83 & unciarum 4. Demensum ergò quotidianum erat librarum 416. unciarum 8. Nota vero locutionem, γλεῦκος ἐξ οἴνου Nam γλεῦκος simpliciter dictum expressum ex uvis mustum erat. At illud nobile, ex liquore protropo, qui proximè & quasi vinum censebatur.

§. 228. Altera, Quòd præterea habuerint in quibus se oblectare jejuni & corrumpere possent. Præter enim *concinnaticia* Vina varia, varia itidem in Dulcibus erant, quæ satis illecebrarum in qualitatibus, causarum satis in facultatibus habebant, ad persuadendum sui jejunis usum etiam liberaliorem.

§. 229. Erant, ut vidimus, *aigleuces* Plinii, & *vinum dulce* Columellæ. In priùs inclinat Exercitationum sacrarum autor eruditissimus: sed ità, ut neget se velle acriter cum iis contendere qui *musti* voce hic utuntur. Neque sunt tanti res crisios, ut & alibi scripsi, ut propterea quis artes fideliter doctus debeat ἁμιλλᾶσθαι ταῖς μούσαις, *certare cum musis*, ut Galenus ait Meth. med. 1. 9. fine. Non est hic animus mihi. Sed neque

quæ alterius in sententiam eundi non prælucente ratione. Quam nisi quis ferat, frustrà me declare non potest.

§. 230. Contrà, rationem Plutarchus nobis in Symp. 3. 7. suppeditat, quare minimè assentiamur his qui dictant voce γλεύκος heic *mustum* intelligi, sive naturâ tale, seu arte esset: quique cum seculi moribus congruisse existimant, ut se musto etiam manè inebriarent, seu recens illud, seu perenne esset. Quæ propterea non admittimus, quòd compertum sit τὸ γλεῦκος ἥκιστα μεθύσκειν, *mustum minimè inebriare*.

§. 231. Cujus ibi quatuor exponuntur causæ. Primam Hagiæ tribuit, qui dicebat, *dulce usquequaque offendere & satie capere. Epropter non facile quem musti bibaciorum, quod satis sit inebriando. Appetitionem quippe fastidio reprimit.* Quare verò? Causam dicit, eámque egregiam, Hippocrates 2 de Diæt. 19. 366. τὰ γλυκέα, inquit, πληρωτικά ἐςι, διότι ἐξ ὀλίγου ὄγκου πολύχροά ἐςι. θερμαινόμενα δὲ καὶ διαχεόμενα, πληροῖ τὸ θερμὸν ἐν τῷ σώματι, καὶ γαληνιάζειν ποιεῖ. *Dulcia replent* [aut *satiant*,] *qui ex parva mole multùm se diffundunt. Calefacta verò & diffusa, replent* [ac *satiant*] *calidum in corpore, & quiescere faciunt.* Quæ lucis etsi egere sciam apud sermonis Hippocratici non satis gnaros, cogor abstinere tamen, quia res est & profundioris meditationis & prolixioris tractationis, prævt sine longa aberratione expediri heic queat. Patere igitur, amice, differri. Interea confer ad Philosophum Probl. 22. 2, 3. & Macrobium Saturn. 7. 7.

§. 232. Alteram Aristænetus Nicæus in quibusdam se libris legisse aiebat, idque memoriâ recolere, ὅτι γλυκὺς μιχθεὶς οἴνῳ παύει μέθην. Xylander, *Dulcia vino admixta reprimere ebrietatem.* Non hoc dicunt Græca: sed, *Quòd passum mixtum vino sedet ebrietatem.* Quibus autem in libris hoc legerit Nicæus, quis dicet? Philosophus in Probl. 3. 13. habet quid tale. Quærit enim, quare τοῦ γλυκέος ἐπιπολάζοντος ὄντος, ἐάν τε μεθύων ἤδη ἐπιπίῃ γλυκὺ, καταπέττεται ὁ ἐντάρχων οἶνος, καὶ ἧττον ἐνοχλεῖ; *cum passum fluitet, si quis ebrius jam superbibat passum, concoquatur hausum vinum, minusque infestet?* Nam & heic τὸ γλυκὺ *passum* significare, prorsus assentior Mercuriali Var. lect. 1. 17. siquidem vel ad hoc problema respexit, vel ad præcedens duodecimum: quo quæritur, quare ὁ γλυκὺς, καὶ ἄκρατος, καὶ ὁ κυκεὼν μεταξὺ διαπινόμενοι ἐν τοῖς πότοις νήφειν ποιοῦσι, *passum, idque merum, & cyceon mixta potibus, impediant ebrietatem?*

§. 233. Quòd verò etiam de passo accipiat locum, qui est Meteor. 4. 9. non probo; imò placet judicium Lud. Septalii & Jul. Guastavinii in com. ad probl. jamjam citatum. Miror interim quare Aristotelem maluerint argumentis à Galeno potiùs quàm ipsomet petitis defendere. Si quis enim verba ipsa consulit, non potest non fateri sermonem in iis de quolibet Vino dulci esse. Comparat enim inter se oleum, aquam, vinum. Ἔλαιον, inquit, θυμιατόν ἐςιν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀτμιστόν. ὕδωρ δ᾽ οὐ θυμιατόν, ἀλλ᾽ ἀτμιστόν. οἶνος δ᾽, ὁ μὲν γλυκὺς, θυμιᾶται· πίων γὰρ καὶ ταυτὰ ποιεῖ τῷ ἐλαίῳ. οὔτε γὰρ ἀπὸ ψύχους πήγνυται, καίεταί τε· ἐςι δὲ ὀνόματι οἶνος, ἔργῳ δ᾽ οὐκ ἔςιν. οὐ γὰρ οἰνώδης ὁ χυμός· διὸ καὶ οὐ μεθύσκει. Reddo, *Oleum exhalat, non evaporat. Aqua non exhalat, sed evaporat. Vinum, siquidem dulce sit, exhalat: nam pingue est. Eadem quippe facit cum oleo. Neque enim à frigore coit, uritur etiam. Nomine vinum est: effectu non est. Non enim vinosus ei sapor; ideo nec inebriat.*

§. 234. Si nescis quid intersit inter *exhalare* & *evaporare*, exponet tibi Philosophus eodem capite & paulò præcedentibus ea quæ exhibuimus. Vinosus sapor suavis est, non dulcis. Quorum discrimen & Plutarchus heic & Macrobius laudato loco edisserunt accuratiùs: ubi vide, si libet.

§. 235. Cæterùm τὸ γλυκὺς non absolutè in verbis Philosophi poni, sed relativè, consentit mihi Alex. Aphrodiseus in com. p. 138. l. 17. λέγει δὲ καὶ τῶν οἴνων, τὸν μὲν γλυκὺν θυμιᾶσθαι· *Dicit autem vinorum dulce quidem exhalare.* Grammaticus sic integre hoc efferret, *Ex numero vinorum, vinum dulce quidem exhalat:* consule Vossium de Arte Grammat. 7. 10. confer ad Hippocratem l. de Affect. t. 44. ubi similem loquendi modum offendes. Sed nè quidem absolutè cùm ponitur ὁ γλυκὺς, præter *passum* aliud non significat, ceu ostendimus §. 87. Denique *vinum protropum* Plinii (quod & agnoscit heic Mercurialis & urget maximè) cui appellatum *dulce* fuerit, neque dicit, neque dicere potuit.

§. 236. Porrò aliud quam passum Aristænetum non intellexisse, argumento etiam est, quod protinus sequitur præceptum nonnullorum medicorum, quos ait *consulere ebriis, ut dormituri panem melli intinctum edant.* Facultates enim si compares, Passo nihil melli vicinius est.

§. 237. Præceptum ipsum quod attinet, ejus fortè rationem intellexeris ex ejusdem Philosophi Probl. 3. 35. ubi quærenti, *Cur oleum contra ebrietatem valeat?* respondet, *Quia urinas ciet, & lavat viam potus.* Ejusdem quoque potestatis esse mel, testantur Dioscorides 2. 101. & Galenus de Comp. κ. τόπ. 8. 8. ut & alibi, alique.

§. 238. Quòd si passum Vino intermixtum, aut melli buccea panis intincta resistat ebrietati, conjicere licet etiam alia eam dulcia arcere. Quod & reverà comperiuntur, quotquot sacchara dulcatum bibunt. Bellè itidem procedit argumentatio Aristæneti quam subjicit, εἴτ᾽ οὖν αἱ γλυκύτητες ἀμβλύνουσι ἄκρατον, εἰκότως ὁ νέος οἶνος οὐ μεθύσκει πρὶν ἂν ἡ γλυκύτης μεταβάλῃ· *Siquidem igitur dulcia hebetant merum, verisimile est mustum non inebriare priusquam dulcedo abierit*, hoc est, in vinum transierit.

§. 239. Neque potest aliter esse, si consideres illud Hippocratis l. de Affect. t. 49. τὰ γλυκέα ὑγρασίην μὲν καὶ φλέγμα παρέχει· *Dulcia aquam atque pituitam faciunt:* hoc est, augent in corpore non modò æquum illud quod, ut rectè Fœsius in Oecon. notat, pars potior sudorum est; sed & pituitam, quæ ψυχρότατον τῇ φύσει *frigidissima naturâ* dicitur 1 de Morb. 1. 22. & l. de Nat. hom. t. 12. His verò auctis in corpore segnitiem oboriri, torporémque necesse est. Ita enim est in statu etiam sanitatis, uti scribit Hippocrates l. de Morbo sacro t. 8. ὁκόταν τὸ φλέγμα ψυχρὸν παραῤῥυῇ εἰς τὸ αἷμα, θερμὸν ἐὸν, ἀποψύχει καὶ ἵςησι τὸ αἷμα· *Cum pituita, quæ frigida est, confluxerit in sanguinem, qui calidus est, refrigerat & sistit sanguinem.*

§. 240. Atque hæc jam causa est ejus quod Hippocrates de Vict. acut. 3. 2. dicit: ὁ μὲν γλυκὺς (οἶνος) ἧσσον ἐςι καρηβαρικώτερος τῶν οἰνωδέων, καὶ ἧσσον φρενῶν ἁπτόμενος· *Dulce vinum minùs inebriat quàm vinosum, minùsque mentem ferit.* Suidas, καρηβαρία· ἡ μέθη. Iterum, καρηβαρῶν· τὴν κεφαλὴν καρώμενος ἐξ οἴνου. Hesychius, καρηβαρεῖ· βαρύνεται κεφαλὴν ἐξ οἴνου μεθύων. Vino qui inebriebantur, his caput rarò non gravatur. Causa gravedinis est fervor sanguinis. Sanguis qui fervet, tumet & urget. Tumet, propter vaporem: urget, propter æstum. Æstum verò vaporémque plurimum intra se concipere ebrios nimiò certius est. Tumescens sanguis magis magisque vasa implet & distendit. Dum verò vi majore impellitur in angusta vasorum & instat transire ex arteriis in venas, ipse sibi transitum facit usque & usque difficiliorem. Inde altiùs altiusque stagnat in visceribus. Ea stagnatio atque distentio cùm accidunt arteriis inter duræ matris meninges discursantibus, omnino has necesse est à se quodammodo divelli, & dolore ob hanc quasi divulsionem [Confer quæ in simili casu scripsi ad Aristippum 4. 24.]

§. 241. Inquies, Si ista Causa gravedinis est, si ista Pars affecta est, quare gravativus dolor, non acutus est, cum membranarum proprius dolor sit acutus? Non dicam, quisquis hoc novisti, novisse etiam discrimen quod in dolendo evenit membranarum crassioribus & tenuioribus, carnosioribus & exsanguibus. Potior ratio est in stupore spiritûs. Nam & calidum frequentiore usu aut immoderatiore invehit νάρκωσιν γνώμης *torporem mentis*, Aph. 5. 16. Stupet autem spiritus multis de causis. Quia vaporum multitudine disjungitur obruitúrque. Quia succenditur plus justo, nec refrigeratur satis. At in temperato Sensus melior: ut Motus in fervido fortior. Quia denique dissipatur: cui attestatur vel imprimis νεύρων ἀκράτεια *nervorum impotentia.* Οἱ γὰρ μεθύοντες (inquit Etymologici magni auctor in μέθη) ἀκίνητοί εἰσι μέχρις ἂν ἀπομεθυσθῶσιν. *Ebrius enim, donec exhalarint crapulam, dubu stántque labántque pedes*, ut è Poetæ Fast. 6. 676. mihi sic liceat παραφράζειν illud ἀκίνητοί εἰσι. Neque enim immobiles ebrii, nisi soporati, sunt. Hinc, quia

Pedes captat primùm, luctator dolosus

Vinum dicitur in Pseudolo act. 5. sc. 1. 6. Utriusque imaginem videris in districho, quod Magno hujus Academiæ lumini olim, cum aspersior flore Liberi non satis per plateam gressus firmaret, excidisse sæpius ex patre & patruo HERBERTO, studiorum tunc causâ hic commorantibus intellexi. Ipsi versus ingeniosi sunt.

Sta pes, sta mi pes, sta pes, nè labere mi pes.
Sta pes: aut lapides hi tibi lectus erunt.

§. 242. Cæterùm, quæ suprà dixi de gravitate capitis, tibi poterunt in commentarium esse eorum quæ de eadem scribit Hippocrates l. de Flat. 13. 140. πόνει τῆς κεφαλῆς ἅμα τῷ

ξυ-

γίνονται, διὰ τόδε. στενοχωρίη τῇσι διεξόδοισιν ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ αἵματος γίνεται. πεπλήρωνται γὰρ ἠέρος. πλησθεῖσαι δὲ καὶ πρησθεῖσαι, τὸν πόνον ἐμποιέουσι ἐν τῇ κεφαλῇ. βίᾳ γὰρ τὸ αἷμα βιαζόμενον διὰ στενῆς ὁδοῦ θερμὸν ἐὸν, οὐ δύναται περαιοῦσθαι ταχέως· πολλὰ γὰρ ἐμποδών ἐστιν αὐτῷ κωλύματα καὶ ἐμφράγματα, Dolores capitis unà cum febre fiunt hac de causa. Angustantur via quâ transit in capite sanguis. Implentur enim aere. Impletæ verò & inflata, dolorem efficiunt in capite. Vi namque sanguis coactus per angustam viam, cùm sit calidus, non potest transire celeriter. Multa enim ei impedimento sunt obstacula atque obturamenta. Non debet autem te offendere; quod quæ sunt ex ebrietate, comparem his quæ sunt ex febri. Etenim si rectè putes, ebrietas est febris diaria. Quò magis cavendum est, ut nè *sine mensura bibatur vinum, quod cum mensura emitur*, ut sapienter monet Petr. Chrysologus serm. 174 p. 433. D.

§. 243. Causam teriam quare Mustum non inebriet, Aristoteli acceptum Plutarchus refert. Eam minoris facit, quod sit obvia & facilis intellectu. Est autem, *βαρύτης τοῦ γλεύκους ἡ διακόπτουσα τὴν κοιλίαν, gravitas musti interpellans alvum.* Quid hoc sit, intellexeris ex Hippocrate iterum 2. de Diæt. 13. 234. *Γλεῦκος φυσᾷ μὲν, ὅτι θερμαίνει· ὑπάγει δὲ ἐκ τοῦ σώματος, ὅτι καθαίρει· ταράσσει δὲ, ζέον ἐν τῇ κοιλίῃ καὶ διαχωρέει. Mustum inflat, quia calefacit: subducit è corpore, quia purgat: turbat denique, fervens in ventre, & secedit.* Hoc si non facit, facile est, ut lienosis præsertim, faciat aquam intercutem. Qua de additis ad eundem l. de Affect. int. t. 28. & Jo. Martinum ibi sect. 26. 6.

§. 244. Unde autem musto ea gravitas sit, docet Philosophus Meteorolog. 4 10. *Quia novum vinum plus terra habet quàm vetus.* Sed id unde constat? *Quia & incrassatur calido maximè, & cogitur minus à frigido.* Incrassari verò à calore probat exemplo cujusdam Arcadici vini, quod *οὕτως ἀναξηραίνεται ὑπὸ τοῦ καπνοῦ ἐν τοῖς ἀσκοῖς, ὥστε ξυόμενος πίνεσθαι, ità exsiccatur à fumo in utribus*, insensibiliter transpirante humido, *ut rasum bibatur*: certo argumento, habere plurimum terreni. Fumo autem excoquere & condire vina familiare fuit priscis: vide sis ad Andr. Baccium, Hist. vinor. 1. 16.

§. 245. Non arbitror fore, qui ex Olympiodori com. ad Meteorolog. 4. 34. opponat, *τὸ γλεῦκος, καθὸ μὲν γλεῦκος, λεπτότατόν ἐστιν· Mustum, quà mustum, tenuissimum est.* Neque enim contradictoria sunt, dilutu tenuissimum esse, &, habere plurimum limosi. Hoc certè, *διὰ τὸ μὴ εἶναι εὔπεπτον, propterea quod nequeat concoqui*, ut Philosophus ait in Probl. 1. 48. idcirco causa purgationis est, quam Natura gravata illo pondere & irritata molitur ad præcautionem mali majoris.

§. 246. Quarta seu ultima cujus sit, non dicitur. Est autem hæc, *quòd musto insit plurimum flatulenti atque aquosi.* Illud scilicet à pressura, hoc à natura. Uti verò illud citò digeritur, ità hoc non nisi fervore & ætate. A quibus priusquam digeratur, obtundit vinum & impedit quò nè queat suam vim ostentare. Hic enim sensus verborum est. Quæ cùm mendosè admodum edantur (quod & Parisina bis indicat appositis asteriscis) operæ fuerit emendasse. Lege igitur, *καὶ τὸ πολὺ συμμένειν πνευματῶδες καὶ ὑδατῶδες. ὧν τὸ μὲν εὐθὺς ἐκπίπτει βιαζόμενον· τὸ δὲ πέφυκε, τὸ ὑδατῶδες, ἀμβλύτερον ποιεῖν τε οἴνου παλαίωσις καὶ ἐπίτασιν λαμβάνει, ἐκκρινομένου τοῦ ὑδατώδους, καὶ γίνεται μέτρῳ μὲν ἐλάττων ὁ οἶνος, δυνάμει δὲ σφοδρότερος.* Redde; *tum quòd multum* musto *insit flatulenti atque aquosi. Quorum alterum quidem statim evolat, vi factâ: alterum verò (aquosum nempe) hebetare solet vini ætas; & vires* vinum *accipit, cùm excernitur aquosum. Et fit mensurâ quidem minus vinum, at potestate potentius.*

§. 247. Atque ex istis vel solis rationibus omnino constat mustum inebriando non esse. Quibus etiam tenentur respondere qui *aigleuces* supponunt. Quod optimis rationibus quoque ostendi potest minùs aptum fuisse ad reddendum ebrios, si qui biberent: nam venisse in potum nemo docet. Quin persuadeo mihi condiendis potiùs vinis adhibitum, prorsus ut hodie illud *aigleuces* sive *semper mustum*, cujus faciebam mentionem.

§. 248. Quæ quidem placere haut facilè ulli queunt, quin cogatur fateri *γλεῦκος* quod designatur verè illud fuisse quod non modò vinum esset, sed verè flos vini seu optimum uvarum; quódque se excellenti cum suavitate tum salubritate insinuaret in palatum & desiderium bibentium; quódque satis idoneum quoque deprehenderetur ad feriendam mentem iis qui & jejuni biberent, & bibendo modum nonnihil excederent. Hujus testem habemus Hedylum in Epigrammatis,

Ηὖλει δὴ γλεύκους μεμεθυσμένα παίγνια Μουσέων,
Ebria cantabat Musarum ludicra gleucu.

Is. Casaubonus Animadv. in Athen. 4. 24. *aut omnia me fallunt, aut verissimè ita emendamus: nam γλαύκης ineptum est multis modis; nostrum γλεύκους planè confirmat vox μεμεθυσμένα.* Non est dubium, consentiente præsertim Ms. Non consentio tamen exponenti *τὸ γλεῦκος mustum.*

§. 249. Etiamsi vero hæc ratio, ex ipsa rei natura desumpta ostensâque, meritò debebat sufficere iis qui nullum pro sua sententia constabilienda adferunt momentum: momentosam tamen addo aliam. Non possumus non credere, Spiritum S. optimè novisse & genus & nomen Potionis, quam & innuebant Irrisores illi, & bibebant jejuni, sive valetudinis causâ, sive deliciarum. Si ità est, quæ causa est cur non suo nomine, eóque publicè noto, nominaverit rem notissimam? Talem quippe nominare Irrisores adstantibus erat necesse, nisi ipsi vellent irrisui esse. Dicere enim, ebrium quem esse ex eo ex quo inebriari nemo solet aut potest, non est calumniantis. Ipsius enim novit ejuscemodi tela ferire aures, non animos nec hærere posse, aut nocere ei in quem jaciuntur. Fident mendacium ut inveniat, oportet sit simile vero. Irrisores itaque si scapham dixerunt (qui mos est maledicorum) quidni Sp. Sanctus scriptori sacro rem gemino vulgatóque nomine dictaverit?

§. 250. Quod vero illud virus erat quod in S. Apostolos evomebant Judæi irrisores? *Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί.* Jeremias Propheta consideratione malorum quæ imminebant Prophetis & Sacerdotibus hypocritis, ità se conturbatum ait 23. 9. ut esset *ὡς ἄνθρωπος συνεχόμενος ἀπὸ οἴνου tanquam vir qui agitatus à vino*; non potest se continere quin loquatur & operta recludat. Fusiùs hoc Eratosthenes apud Stobæum Serm. 44. 3. nisi mavis Callimachus; in cujus Epigr. n. 5. totidem exstat verbis.

Οἶνός τε πυρὶ ἴσον ἔχει μένος. εὖτ᾽ ἂν ἐς ἄνδρας
Ἔλθῃ, κυμαίνει δ᾽ οἷα Λίβυσσαν ἅλα
Βορρῆς ἠὲ νότος· τὰ δὲ καὶ κεκρυμμένα φαίνει
Βυσσόθεν, ἐκ δ᾽ ἀνδρῶν πάντ᾽ ἐτίναξε νόον.
Vis eadem vino & flamma. Vini ignis inerrans
Pectoribus, Libycum ceu mare circumagit,
Quod Notus aut Boreas jactatis commovet alis,
Et sinit in toto corde latere nihil.

§. 251. Hesychius, *Μεμεστωμένοι, πεπληρωμένοι.* Cyrilli Lexicon, *Μεμεστωμένος, Fartus, Confertus.* iterum, *Μεστὸν, Cumulatum. Μεστός, Onustus.* Belgæ dicerent, *opgepropt vol, overladen van wijn, overstalligh droncken.*

§ 252. Cl. Heinsius, *Quia autem creber usus τοῦ γλεύκους delicatioribus ac mollibus placebat, aut reddebat tales eo qui uterentur, γλευκίσαι dicebantur. Hesychius, Γλευκίσας, ὑπὸ τοῦ γλεύκους γενόμενος ἔκλυτος καὶ παρειμένος, καὶ ἀπὸ τῶν οἴνων. Scribe, καὶ ἄτονος.* Imò scribe, ut libri edunt, etiam Phavorini, qui verbotenus sua solet ex illo describere, *καὶ παρειμένος ἀπὸ τῶν οἴνων* Grammatici enim volunt ità appellari non modò eum qui speciatim hoc vini genere, sed & quovis alio sit solutus atque effeminatus.

§. 253. Fœdum crimen & gentibus ipsis abominatum. Fœdius verò, si luce committeretur, etiamsi à servo. Plautus Pseudolo act. 5. sc. 2. 6.

SI. *Quid tu, malum, ergò in os mihi ebrius irructas?*
Ps. *Molliter siste nunc me, cave nè cadam: non vides me ut madidè madeam?*
SI. *Quæ isthæc audacia est, te sic interdiu cum corolla ebrium incedere?* Ps. *lubet.*

Neroni dat vitio Tacitus in Annal. 14. 1. quòd *medio per vinum & epulas incalesceret*: adeò turpe erat de die potare.

§. 254. Proinde veteres seriò cavebant ebrietatem hoc tempore. Accius, poeta vetus,

Nemo unquam vidit ebrium ire interdiu.

Ea propter de vespere convivabantur, ut noctu essent ebrii: quem morem atro carbone notat etiam Apostolus 1 Thes. 5. 7. Scilicet nocturnam pro ebrietate seu vitio non habebant. Quæ Satanæ persuasio utinam non audiretur ab iis etiam qui nominant nomen Christi, & quos omnino ab omni injustitia oportet recedere, 2 Tim. 2. 19. & meminisse, omnia esse nuda & patentia oculis ejus quicum nobis est negotium, Hebr. 4. 13. Psal. 33. 13, 14. & 139. 2, 3, 8, 12. Confer & Diphili quæ citat Clemens Alexandrinus Strom. 5. p. 606. B.

§. 255. Etiam ulteriùs provehebantur Gentiles (scilicet ut in-

intelligas dictum Apostolo Rom. 1. 24.) & tantùm non laudabant ebrietatem, modò intempestiva esset; prorsus ut Lacedæmonii furtum, teste Agellio 11. 18. aliisque. De ebrietate Quinctilianus Declamat. 331. *nec ebrietatem facit illa potio, postquam concidendum est; sed tempestivum convivium, & aviditas nimia.* Dicebantur *tempestive* epulari & convivari, qui præveniebant horam diei nonam, quæ erat cœnæ ordinaria. Vide Lipsium Excurs. ad 14. Annal. A. Discas verò licet indè, fugisse diurnam ebrietatem non amore virtutis, non valetudinis, sed nè existimationis suæ jacturam facerent apud populum. Rari quippe à conviviis surgebant non ebrii. Nolebant igitur videri redeuntes, & titubantes, & fieri *spectacula vulgi*, uti Naso ait Fast. 3. 539.

§. 256. Istis fœdius crimen erat ante diem medium deprehendi in vino. Serò hæc lues Romanos invasit, Israelitas multis antè seculis. De illis Seneca Epist. 123. *Isti non videntur sibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii transeunt? Atqui frequens hoc adolescentium vitium est qui vires excolunt. Post prandium aut cœnam bibere vulgare est. Hoc patres familiæ rustici faciunt, & vera voluptatis ignari. Merum illud delectat quod non innatat cibo, quod liberè penetrat ad nervos. Illa ebrietas juvat quæ in vacuum venit.* Apparet sic rem pessimam detestari tanquam recentis moris. Id verò clariùs elucescit ex Plutarchi Sympos. 8. 9. οὐδὲ γὰρ ὕδωρ οἱ παλαιοὶ πρὶν ἐντραγεῖν ἔπινον. οἱ δὲ νῦν ἄσιτοι προμεθυσθέντες, ἅπτονται τῆς τροφῆς διαβρόχῳ τῷ σώματι καὶ ζέοντι, λεπτὰ καὶ τομὰ καὶ ὀξέα προσφέροντες, ὑπέκκαυμα τῆς ὀρέξεως, εἶτα οὕτως ἐμφερόμενοι τῶν ἄλλων hoc est, *Nè quidem aquam Veteres bibebant antequam cibum sumpsissent. Nunc vero ante cibum sumptum inebriati, accipiunt illum madido corpore & fervente: tenuiáque & acria atque acuta, succendiculum appetitùs, ingerentes, sic demum feruntur ad alia.* De *antiquis* quod ait, id vel de Plauti ævo prioribus intelligendum est, vel de ejus ævi frugalioribus. Quàm bene enim jam tum Plutarchi secula græcari didicerint Romani, obvium est vel in nostri monumentis.

§. 257. De Israelitis quod dixi, dilucet ex Propheta Jesaia 5. 11. ubi queritur & denunciat, *Væ surgentibus summo mane, ut sectentur potum inebriantem, & prorogantibus usque ad crepusculum, donec vinum incendat ipsos.* Hoc turpissimo more, & quem nè nominari quidem oportuit inter eos se gloriabantur Dei populum, nitebatur verisimilitudo atrocis illius calumniæ, quâ non tam innocentiam atque famam sanctorum hominum homines impurissimi lacerabant, quàm præsentem Spiritum Sanctum dæmones incarnati incessebant.

§. 258. Profectò, si fuisset prorsus inusitatum, Merum bibere jejunis, quæ demum impudentia vel ausa fuisset sine ulla specie veri tantum & tam splendidum mendacium coram tot testibus eructare, vel non metuere redargutionem publicam? Gentes ipsæ norant, nullâ se injuriâ magis lædi, quàm si quis mendacium sibi diceret, teste Demosthene de Falsa legat. p. m. 321. E. Unde Cicero de Offic. 3. 20. ait, *non cadere in virum bonum mentiri, aut criminari.* Nec dubium voluisse, qui id dicebant, Judæos videri viri boni; quâ specie non semel ipsum Dominum adire & aggredi consueverant. Fateor itâ esse, ut Quinctilianus Declamat. 11. ait, *nullus innocens huc usque felix, ut diligentia fingentium par sit.* Sed & hoc me Tragicus Troad. v. 167. docuit,

Majora veris monstra vix capiunt fidem.

Cujuscemodi certè hoc fuisset, si nihil ejus populo innotuisset ante id temporis.

§. 259. Quibus de causis uti non dubito invaluisse tunc temporis illum manè bibendi & vinum in vacuum admittendi morem pessimum atque inimicissimum cùm naturæ tum moribus bonis; itâ valde suspicor quòd hæc non effuderint infandi homines, nisi ipsi ἅλις βεβαρηότες οἴνῳ *satis onusti vino*, uti loquitur Apollinaris in Psal. ξγ'. Extremum verò infortunium est homini sobrio, ebriorum esse ludibrium.

§. 260. Atque hactenus expendimus argumentum, quod servire sibi scurræ isti voluerunt ad improperandum convicium hoc ignominiosum, quod audivimus, mortalium sanctissimis. Superest, ut paucis consideremus quoque modum quo id ipsum objectabant; Ἕτεροι δὲ χλευάζοντες ἔλεγον, *Alii verò subsannantes dicebant.*

§. 261. Inquit, *alii:* quia erant qui in stuporem æque in admirationem dati hæsitabant quid judicare deberent de eo; quòd homines Galilæos illiteratos & idiotas (Act. 4. 13.) audirent tot linguis loqui τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *magnalia Dei*, ut reddit Interpres vetus. Cujus translationem perperàm mutari vel hoc ostendit, quòd efficaciùs designet quod debet, quàm quæ reponitur vox *magnifica.* At non est illa Latinitatis purioris: Non sit; recepta tamen usu, & ab egregiis atque antiquis Ecclesiæ scriptoribus civitate donata. Onomasticon vetus, cui nemo non doctus tribuit plurimùm *Magnalia*, μεγαλεῖα. Tertullianus ad Uxor. 2. 7. *Sensit magnalia, vidit experimenta.* Epicorum autor adv. Mariconem 1. 54.

Dat dextram mancus, loquitur magnalia mutus.

Iterum 3. 54.

Armatus virtute Dei magnalia gessit.

§. 262. Græcum etiam in D. Virginis Cantico reperitur Lucæ 1. 49. ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα ὁ δυνατός *fecit mihi magnalia ille Potens:* h. e. fidem, misericordiam, potentiam suam declaravit in me. Fidem, adimplendo promissum Gen. 3. 15. & specialiùs Jes. 7. 14. Misericordiam, respiciendo ad se *humilem ancillam suam*, hoc est, hominem & conditionis abjectæ in oculis hominum. Compara 2 Sam. 7. 12, 18, 19. Potentiam denique, inumbrando se virtute suâ & impprægnando Virginem superventu Spiritûs sui, Lucæ 1. 35.

§. 263. Quemadmodum verò isti attoniti præstolabantur quò tandem evaderent miracula quæ stupebant: itâ alii non itidem silentio illa transmittebant, sed apertâ sannâ excipiebant, hoc est, contemnebant ignominioso ludibrio & condemnabant impudentissimo mendacio. Mendacium quippe, quod audivimus, χλευάζοντες ἔλεγον, *subsannantes dicebant*, & irructabant Apostolis in os, & additâ sannâ seu gestu petulante reddebant probrosius.

§. 264. Ut hoc propiùs intelligamus, observandum est, *irridendi* modum esse triplicem: unum, qui Verbis, alterum, qui Gestibus, tertium, qui fit Utrisque.

§. 265. Irrisio quæ Verbis fit, quædam modestior est, alia dicacior. Modestior est, quæ verum dicit, sed itâ ut *exspectationibus*, inquit Cicero in Orat. 2. p. m. 425. *decipiendis, & naturis alterum irridendis, ipsarum ridiculè indicandis, & similitudine turpioris, & dissimulatione, & subabsurda dicendo, & stulta reprehendendo, risus moveantur.* Huic locus in facetiis est datus: sed quæ dedecent revera pium; neque enim expertes sunt mali, à cujus etiam specie abstinere nos jubemur 1 Thes. 5. 22. Interea sæpe cogimur illo modo tentare emendationem ejus qui se non patitur apertè moneri. Probi votum est & verbum probum, *Tundat me Justus; gratia est: & redarguat me; unguentum capitis*, Ps. 141. 4. De improbis scriptum est, *Qui erudit derisorem, recipit sibi ignominiam: qui corripit improbum, parat convitium sibi*, Prov. 9. 7. Quare *nè corripito irrisorem, quò nè odio prosequatur te: potiùs corripe sapientem, & amabit te*, ibid. vers. 8.

§. 266. Dicacior irrisio est, quæ, ut acriùs mordeat, speciem sæpe convicianti subit. Hæc iracundi est, aut maligni. Etiam deterioris commatis cavillatio est: genus facetiæ (scilicet!) quod fit mentiendo. In foro *cavillari* propriè dicitur patronus imperitus, qui, cùm verè clienti suo cavere non possit, comminiscitur tamen aliquid & se simulat prospicere illi nè decipiatur, cùm revera nihil agat nisi ut circumveniat judicem, aut si hoc non succedat, fallat clientem, vide l. quid enim, 1. ff. de reg. Caton. l. natura 177. ff. de verb. signif. l. 12. §. 3. C. de ædific. privat. Quibus vice commentarii adde Scaligeri Castigationes ad Festum, ibi. Unde rectè Valla ait in Elegant. 6. 49. *cavillationem* esse subdolam rationem, quam quis, mendacii sibi conscius licèt, vincendi tamen causâ profert. Ea boni habet speciem. Mali verò, etiam apertè, quæ mendacium fingit in opprobrium. Philoxenus glossis, *Cavillatio*, κακοήθεια, εἰρωνεία, ἐνέδρα, ἀπάτη, παρεγχείρησις. Sanè prægnans vitium, & quo vix aliud hominem dedecet magis.

§. 267. Maligna irrisio est, quando quis alteri mendacium improperat verbis non tantùm acutis & quæ sicarum instar transfodiant cor ejus quem feriunt; verumetiam probrosis, hoc est, objectantibus crimen infame, horrendum, ingens, idque tam impudenter, tam vafrè, tam callidè, ut facilè hæreat animis præsentium & imprudentiorum.

§. 268. Irrisio quæ Gestibus fit, Latinis *sanna*, Græcis χλεύη & μῶκος dicitur. Onomasticon, *Sanna*, χλεύη. Cyrilli Lexicon Græcalat. vetus, χλεύη, *Illusorium, Ludibrium.* Iterum, Χλευάζω, *Seduco, Increpo, Derideo.* Revera simul ista facit subsannator. Mendacio *seducit* ad stantes, saltem seducere tentat. Vitii accusatione *increpat*, hoc est, cum clamore

re conviciatur & maledicit quem arguit. Plenis denique buccis *deridet* ipsum ceu indignum qui probos inter & honestos versetur. Invenio pro *subsannatore* Latinos etiam *gannatorem* dixisse. Philoxeni glossæ, *Gannator*, χλευαστής. itidem, *Gannat*, χλευάζει.

§ 269. Eâdem notione vox μῶκος ponitur: quanquam & pro *subsannatore* ponatur. Cyrilli Lexicon, Μῶκος, *hæc Sanna*. Philoxeni glossæ, *Sanna*, *Subsannator*, Μῶκος. Ubi vides utramque significationem conjungi. Atenimvero, aut fallor, aut hæc accentu olim fuere discriminata. Quare legerim, *Sanna*, Μῶκος. *Subsannator*, Μωκός. Disertè sic Etymologici autor, Μωκὸς, χλευαστής, μωρὸς, σκώπτης. Stephanus etiam, oxytonos se in veteri suo Lexico reperisse scriptum testatur. Quare non vereor hinc emendare Grammaticos, Hesychium, Phavorinum, Suidam: & ubicunque demum de persona dicitur, accentum retrahere ad ultimam; relicto, ubi rem significat. A μῶκος est μωκᾶσθαι, & hinc haut dubiè Galli habent suum *mocquer*, quod & ipsis significat *subsannare* seu contumeliosè irridere.

§. 270. Definitore autem Simplicio ad Epictetum, μῶκός ἐστι ὁ μυκτηρισμὸς καὶ ὁ διὰ τοῦ σχήματος εὐτελισμός· *Sanna est derisio cum certo gestu, contemptus indice.* Hic gestus pro cujusque lascivia & fuit olim & est hodiéque multiplex. Commodè retuleris ad duo genera. Sunt enim irrisorii, ut dentium anteriorum monstratio, oris & labiorum in alterum latus distortio, & si quis præterea tali est nequitiæ ostentus.

§. 271. Sunt etiam & his nequiores, obscœni. Apex omnium est, ostensio partium, quas ut honestè nominare non licet, ità nudari natura sine pudore non sinit. Hâc contumeliâ miles Romanus universos publicè Judæos affecit, idque die quartâ Paschatis, festorum primi & maximè solennis, & quidem stans supra porticum templi. Memorat Josephus Antiq. Judaic. 20. 4. Quod ipsis evenisse nè dubites citra singulare Dei judicium; apud quem justum est reddere, ut afflictionem affligentibus, 2 Thes. 1. 6. ità & irrisionem irrisoribus, Psal. 109. 17.

§. 272. Usitatiores sunt & fuerunt semper modi isti, quos adfert Persius Satyrâ 1. 58.

> *O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,*
> *Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,*
> *Nec lingua, quantum sitiat canis Appula, tantum.*

Quos modos etiam Hieronymus in Epist. ad Rusticum monachum, sed aliter, exprimit; *Nè credas laudatoribus tuis: imo irrisoribus autem nè libenter accommodes: qui cùm te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint; si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi lingam.* Quæ sannæ quàm turpes sint ut liqueat magis, dicemus de singulis aliquid.

§ 273. Primus sannæ modus est, quæ *ciconia* dicitur. Fit indice digito in eum directo quem ridebant, & crebrà ejusdem curvari motitatione, atque sic ad imitationem ciconiæ rostro pinsentis. Ità eruditissimus Casaubonus ad Persium. Dicitur autem *pinsere*, quoties, ut Ovidius Metamorph. 6. 97. canit,

> *Ipsa sibi plaudit crepitante ciconia rostro.*

Unde & *crotalistria* dicta Petronio fuit in Satyrico cap. 37. quòd rostri collisu sonum ceu *crotalo* efficiat: quo de adisis Turnebum Advers. 8. 18. & Salmasii Notas in Vopiscum p. 492. C. & Georg. Erhardi Symbolas in Petronium h. l.

§ 274. Cæterùm quòd *pinsere* dicatur tunc, transsumptum est non à sono, sed motu quo sonum edit. Uti enim is creber est & concitatus: ità qui aut adulatores à tergo aut contemptores ante oculos hoc modo illudunt, crebrò, quem intendunt atque incurvant, digitum motitant, prorsus ut *pinsentes*, hoc est, tundentes far aut subigentes farinam frequenti agitatione vel comminuunt vel dant in massam. Quo facto an significare volunt dignos esse qui in pistrinum tradantur, ceu inutiles rebus momenti gerendis & solùm aptos negotiis operosis & corpus fatigantibus viréisque ejus requirentibus tantùm?

§ 275. Illius *ciconiæ* etiam Hieronymus meminit præf. in Sophoniam Prophetam, ubi cùm respondendum videretur his qui se irridendum existimabant, quòd omissis viris ad feminas scriberet potissimùm, ait, *si scirent Holdam viris tacentibus prophetasse, & Deboram hostes Israel, Barach timente, superasse, nunquam post tergum meum manus incurvarent in ciconiam.* Ergóne hâc sannâ *effeminatum* significare voluerunt?

§. 276. Itali hodie digitorum impudico quidem protenso, indice verò & annulari sic juxtà complicatis ut exstent primi nodi, pollice autem minimóque absconditis *ciconiam* faciunt, Sodomitam quoties indigitare aut Androgynon volunt: an & significare *ciconiâ* dignum? Ità verò appellant βασάνε seu *gabuli* genus, ex quo unus tantùm potest suspendi; vide Georg. Pachymerium Mechanic. 12. 16.

§. 277. Nisi fallor, *ciconiam pinsere* Græcis erat τὸ σιφνιάζειν. Hesychius enim exponit καταδακτυλίζειν, addens, διαβέβληνται γὰρ οἱ σίφνιοι ὡς παιδικοῖς χρώμενοι. σιφνιάσαι οὖν τὸ ἐκπαιδῆσαι. De hoc videri possunt ad Rob. Constantini Lexicon quæ conjecturam nostram confirmant. Aliò tendit Erasmus in Adagio, σιφνιάζειν ut & Hadr. Junius in Adagiis, ad illud, *Siphnia arrisa*.

§. 278. Altera sannæ species est *auricularum affixio*. Qua de Casaubonus, *quos esse asinos significare volebant, opposito temporibus pollice, & manu commotâ sannam eis faciebant. Ratio autem est, quia solus ferè ex animalibus homo aures à natura accepit immobiles: asinus contrà mobiles.* Addit mox, *huic sannæ affine esse, quòd ad contemptum rei alicujus declarandum, caput movebant, quia aliter non poterant.* Vocat in testimonium Galeni illud l. de Diff. puls. 2. 3. ἐπὶ τούτοις ὁ γέρων ὥσπερ ὄνος ἐσείσεν ἤδη τὰ ὦτα, *his auditis senex instar asini movere cœpit aures.* Non ut illuderet Galeno, sed applauderet potiùs. Ex sequentibus enim liquet, voluisse senem, quamvis eorum quæ diceret Galenus revera nihil intelligeret, tamen perinde quasi nihil non intelligeret & probaret, ità hoc nutu alludere. Est enim asino naturale subinde movere auriculas; quasi significet se jam intelligere, cùm nihil etiam audierit. A nostra hac mente stat Erasmus in Adagio, *Asinus ad lyram.*

§. 279. Revera autem huic sannæ affinis est illa, quâ pollice & minoribus digitis complicatis & fronti admotis, duo reliqui eriguntur divaricati velut in furcam; *cornua* vocant. Hâc sannâ sanniones illudunt, cui sua conjux illudit.

§. 280. In foro *furcam* appellant homines nefarii & nullo jure alios in jus vocantes, & ab aliis summâ injuriâ se vocari volentes, sempérque hoc omni in lite omni vafritie agentes, ut Judex cogatur se admittere ad juramentum sive judiciale sive suppletivum aut necessarium JCtis dictum. Quò rem adducere si queunt, victoriam in furca gerunt scelestissimi homines & innocentium in oppressionem nati. His quia idem est jurare & ludere linguâ digitísque, jactare illud Euripidis solent, quod est Hippolyto versu 611.

> Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος·
> *Juravi linguâ, mentem injuratam gero.*

Ità enim Cicero vertit lib. de Offic. 3. 29. Pia est in hanc rem & seriò audienda admonitio Poetæ cujusdam Christiani apud Hincmarum Remensem Archiepisc. in de Hlotharii regis & Tetbergæ reginæ divortio, exhibitum in Bibliotheca Patrum tom. 9. p. 179.

> *At si jurandi te causa perurget & arctat,*
> *Id paris verbis, id gere mente piâ.*
> *Nec verbi arte putes te fallere posse Tonantem,*
> *Cui nihil abstrusum est, cui tua corda patent;*
> *Qui non ut juras, sed ut is jurasse putavit,*
> *Cui juras, audit: sicque es utrique reus:*
> *Nempe Deo, in vanum cujus vis sumere nomen;*
> *Et socio, quem atrâ fallere fraude paras.*

Certè ità est, ut Isidorus ait in 2 de Summo bono, *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, sic illud accipit, sicut ille cui juratur intelligit.* Sed in viam.

§. 281. Ultimus sannæ modus est, *linguam exertare* ad alicujus contumeliam. Qui mos unde sit desumptus, nemo ignorat. Fessorum canum est, cùm sole fervente & fervidâ præsertim regione (qualis Apulia est) currunt, ex ore patulo linguam projicere & frigidum haurire anhelantes. Idem de tauro testatur Nonnus Dionysiac. 11. 157. Quàm vetus hæc sanna sit, apparet ex historia illius Galli, qui cum T. Manlio Torquato pugnavit apud Livium lib. 7. & Agellium 9. 13. Quid obscœni ea sanna notet, si scire licet, dicere non licet. Nobis dictum est, πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω, *Nullus sermo putidus ex ore vestro egrediatur*, Ephes. 4. 29. Compara ibidem 5. 3, 4. Coloss. 3. 5, 8. Matth. 12. 36.

§ 282. Ex his jam satis intelligitur, quid sit *irridere* Verbis & Factis simul, & esse hanc gravissimam contumeliam. Cæcilius Fallacià,

> *Facilè ærumnam ferre possum, si indè abest injuria:*
> *Etiámque injuriam, nisi contrà constat contumelià.*

Citat Nonius 5. 32. & ex eo Lipsius ad Senecam de Const. 5. 53. Confer ad Demosthenem Orat. adv. Midiam, p. m. 614. E.

§. 283. Judæi itaque quando notantur illud virus, quod vidimus *χλευάζοντες cum sanna* evomuisse in Apostolos, procul dubio verbis injuriosis addidere gustum contumeliosum. Nam qui in ipsum Dominum illusisse satis non habuerant, nisi inspuissent insuper, Matth. 27. 29, 30. cur pepercisse Discipulis credamus, & quos sciebant cum Jesu fuisse? Act. 4. 13. *Neque enim discipulus supra magistrum, neque servus supra dominum suum*, Matth. 10. 24, 25. Joh. 15. 20.

§. 284. Sed ad hæc Apostoli quid? quidni enim etiam de hoc verbum addemus, mantissæ loco? Illi non (ut ferè mos est hominum, tarò non fœnum in cornu iràsque promptas habentium) contumeliam pro contumelia reponere: imò nè dicere quidem,

> *Non soles respicere te, cùm dicis injustè alteri?*

verùm memores dictorum Domini Matth. 5. 11, 44. contumeliam & contemptum contemnere; ac injuriam paucissimis respondere necessaria eximendo cùm scandalo tum scrupulo, quem teneris conscientiis & animis stupore miraculi suspensis injecerant; denique bonum pro malo rependere, & bene agendo ceu capistro frœnare illorum amentium ignorantiam, 1 Pet. 2. 15.

§ 285. Profectò magnum est, & magni animi, *spernere se sperni*, utì pio olim, nec invenusto, carmine demonstravit meus b. m. avus HENRICUS ANTONIDES VANDER LINDEN, SS. Theol. Doct. & Profess. in Acad. Frisiorum, quæ Franekeræ est: sumpto sibi argumento, *Disce contemnere & contemni.* Philemon apud Stobæum Serm. 92. 2.

> Ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον
> Ἔς', ἢ δύνασθαι, λοιδορούμενον φέρειν.
> Ὁ λοιδορῶν γάρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
> Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται ὁ λοιδορῶν.
> *Jucundius vel erudito dignius*
> *Nihil est quam ferre posse contumeliam.*
> *Convitio si te petentem negligis,*
> *Convitium ad convitiatorem redit.*

§ 286. Nam, utì non malè Seneca de Const. cap. 17. *Genus ultionis est, eripere ei qui fecit contumelia voluptatem. Solent dicere, Miserum me, puto non intellexit! adeò fructus contumeliæ in sensu & indignatione patientis est.* Tertullianus de Patientia cap. 8. *Omnis injuria, seu linguâ seu manu incussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissima duritia libratum & obtusum. Concidit enim ibidem irrità operâ & infructuosâ, & nonnunquam repercussum in eum qui emisit, reciproco impetu sæviet. Nempe idcirco quis te læsit, ut doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergò cùm fructum ejus evertis non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.*

287. Sed plus illo præstitere Viri sancti. Exemplo docuere se discipulos Christi esse & didicisse ab eo *mites esse & humiles corde.* Matth. 11. 29. Eph. 4. 2. & *non reddere malum pro malo, aut convitium pro convitio, sed contrà, benedicere: ut qui sciebant se ad hoc vocatos esse ut benedictionis hereditatem possiderent*, 1 Pet. 3. 9. Atque eà demum verà ratione ostendêre se & *spiritu vivere, & spiritu incedere*, Gal. 5. 25. Nam *fructus Spiritûs est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, probitas, fides, mansuetudo, temperantia*, Gal. 5. 22. Eph. 5. 9.

§. 288. Interea, nè qui fortè ostenderent in hoc scandalum, quem velut offendiculi lapidem ponebant impii, duobus verbis respondet Apostolus, sed adeò efficacibus, ut nebula citiùs discuti à Sole non possit, quàm Veritati cesserit hoc mendacium. Οὐχ, ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, οὗτοι μεθύουσιν· ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας. *Non*, inquit, *ut vos suspicamini, isti ebrii sunt: est enim hora tertia diei.* Verbo primo Factum negat: altero Negationis reddit rationem.

§. 289. Factum negat, non simpliciter, sed ità ut simul ipsos coarguat præcipitis judicii.

§. 290. Negatio facti est, *Non sunt isti ebrii.* Ad quæ Cl. D. Heinsius, *Ex eo loco patet, quàm ingeniosè nonnunquam indulgeant sibi, & acumen aliquod novum ament, etiam antiqui. Quemadmodum cùm ista verba sic acceperunt, ac si dictum esset, fuisse quidem, neque tamen ut existimarent ipsi, ebrios. Sanctam enim ebrietatem fuisse.* Cui deinde confirmando adducit Cyrilli Hierosolymitani è Cat. 17. verba, quæ non recito. Post quæ meritò miratur argumentum: *Hi, non, ut vos existimatis, sed, spiritualiter, ebrii sunt.*

§. 291. Quod ad alterum, Cunctator esse debet, qui judicabit de salute aut fama alterius. Thucydides l. 1. quà de Pausaniæ condemnatione, δεῖ μὴ ταχεῖς εἶναι περὶ ἀνδρὸς, ἄνευ ἀναμφισβητήτων τεκμηρίων, βουλεύσασθαί τι ἀνήκεστον. *Oportet minime festinos esse ad decernendum quid gravius de homine sine testimoniis meridianà luce clarioribus.* Cicero pro Cæcina. p. m. 579. *ea res de qua existimationis periculum est, tardissimè judicatur.* Apostolus itaque cùm respondet, *non est ità, ut vos suspicamini*, hoc apertè satis significat, se contra humanitatis jura omnia damnari priùs, quam cognovissent maledici & præcipites isti nequam. Gentili placuit dixisse, *Si judicas, cognosce.* Vide ad Senecam Medeà vers. 194. & confer Sarisberiensem Policrat. 5. 6.

§. 292. Cæterùm, cùm ea, *quæ quidem sunt criminum, plerumque inficiatione defendantur*, ut Cicero ait de Orat. 2. p. m. 371. Apostolus tamen maluit in ipsa herba calumniam opprimere & prævenire, nè quod pravæ suspicionis virus adspergeret animorum tenerioribus & qui ejus quod audirent caussam mirarentur, nec assequerentur tamen, ideóque suspensi & sollicitì avebant videre, quid esset eventurum ex illo miraculo.

§. 293. Quà se suósque defendit, ratio est, *est enim hora tertia diei.* Cujus autem? Sanctæ: de qua dictum erat, *Et lætaberis coram Jehova, Deo tuo*, Deut. 16. 11. Eà tamen lege, ut *prius sacrificia offerrent*, Lev. 23. 17, 18. *ac convenirent*, Deut. 18. 26. & cæteris vacarent sacris, ut his peractis, tum se darent conviviis atque exhilarationi animorum cum gratiarum actione pro liberatione ex Ægypto, domo servitutis. Neque enim voluit Deus *quæ fecisset in terra Ægypti Pharaoni & omnibus servis ejus & toti terræ ejus, tentationes illas magnas quas viderant, signa & prodigia illa magna, recedere ab animo ipsorum ullo dierum vitæ suæ, quin nota ea facere filiis suis & nepotibus suis*, Deut. 29. 2, 4, 9.

§. 394. Illius autem diei *hora* erat ab orto sole *tertia*, eáque destinata offerendo Agno, Exod. 29. 39. Num. 28. 4. videlicet in typum Agni illius Dei qui tollit peccata mundi, Joh. 1. 29. & in consummatione seculorum semet ipse obtulit pro peccatoribus super ligno, ceu altari, crucis: Hebr. 9. 14, 26. Phil. 2. 7, 8. Hebr. 7. 27. Rom. 5. 6. Coloss. 2. 14.

§. 295. Eà itaque horà cùm & ipsi convenissent ad Festi celebrationem & facienda sacra quæ jusserat Lex, optimè omnino negat Apostolus illà ratione niti suspicionem ejus, de quo accusati essent. Quasi dicat, Turpe est inebriari nocte: turpius, die profesto: turpissimum, manè. Quemadmodum ergò in nos, quorum vitam inter vos actam novistis, cadere suspicio potest, nos ebrios esse die festo, & quidem ineunte, atque eà horà quà prima sacra sunt facienda? Atqui ità malo & ego hæc accipere, quàm cum vulgo, quasi Apostolus hoc voluerit, esse neminem, qui vino eà horà daret operam: cujus jam contrarium docui in præcedentibus.

§ 296. Non satis vero habuit Apostolus insigni argumento ostendisse, quàm non esset hoc mendacium in damnum potens: etiam bonum rependis pro malo, & docere ipsos atque instruere incipit interpretatione Prophetiæ, quæ ultimis ista temporibus fore prædixerat, ejúsque applicatione ad conscientias auditorum. Unde factum est ut compuncti fuerint corde, & resipuerint, & baptizarentur in nomine Jesu Christi, quotquot erant ordinati ad vitam æternam, Actor. 2. 37, 38. 13. 48.

§. 297. Da, Domine JESU, ut quoties de hoc miraculo missionis & dono Spiritûs tui vel legimus vel audimus, non sit in nostrûm ullo cor malum & infidele; quin contrà & hunc & omnem tuum tuorúmque Apostolorum sermonem accipiamus corde aperto, animo erecto, desiderio flagrante, amore sollicito, studio denique indefesso atque obsequio prompto; quò qui sumus in tuo nomine baptizati, in tua fide vivamus, tuásque laudes celebremus & nunc & in secula seculorum. AMEN.

CAP.

CAP. III.

VALLA.

1. ET *exsiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in Templum, ambulans, & exsiliens, & laudans Deum*] In hoc secundo legendum est *saliens*, non *exsiliens*. Semel enim exsiliit, cùm sanus factus est, postea verò identidem salit atque saltavit. Græcèque illud dicitur ἐξαλλόμενος, hoc ἁλλόμενος.

22. *Moyses autem dixit, Quia Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis* Ego transtulissem *eum* non *ipsum*, ad tollendam ambiguitatem; nè legentes conjungerent *me*, quod est casûs accusativi, ἐμὲ, & *ipsum*, quod est genitivi apud Græcos, αὐτῦ. Præterea transtulissem *sicut* non *tanquam*: nam Græcè ambiguum est, ὡς. Qui enim suscitandus erat, non erat futurus *tanquam*, sive *velut*, sive *quasi*, sed *sicut Moyses*.

REVIUS in VALLAM.

22. TAnquam me] Hæc perperàm distincta erant.

ERASMUS.

2. AD *portam*] Πρὸς τὴν θύραν *ad januam*.

3. *Incipientes introire*] Μέλλοντας εἰσιέναι *ingressuros*. ¶ *Rogabat ut eleemosynam acciperet*] Græcè tantùm est *rogabat eleemosynam*, ἠρώτα ἐλεημοσύνην. In nonnullis tamen additur λαβεῖν, ut cum nostris consentiant.

4. *Intuens*] Ἀτενίσας *Defixis in eum oculis*. ¶ *Respice in nos*] Βλέψον εἰς ἡμᾶς *Aspice in nos*, sive *Aspice nos*.

7. *Et apprehensâ manu*] Καὶ πιάσας αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς Pro πιάσας in nonnullis erat κρατήσας, h. e. *Apprehensâ manu illius dextrâ*. ¶ *Consolidatæ sunt bases*] Βάσεις Græcam vocem reliquit Interpres. Vertere poterat *gressus*, sive *pedes*; aut, quoniam sequitur σφυρὰ, vox penè idem pollens, *plantæ ac tali*, ut *basis* sit infima pedis pars. Irenæus pro *bases* legit *gressus*.

8. *Ambulans & exsiliens*] Καὶ ἁλλόμενος *saliens*, ut significaret non solùm incessum more vulgari, verùm etiam alacrem & gestientem. Ità refert Irenæus. Ac paulò antè verbum erat compositum, καὶ ἐξαλλόμενος ἔστη *& exsiliens stetit*.

10. *Ad eleemosynam sedebat*] Ὁ πρὸς τὴν ἐλεημοσύνην καθήμενος *ille ad eleemosynam sedens*, sive *qui sederat*. ¶ *Et ecstasi*] Καὶ ἐκστάσεως quod alias vertit *stuporem*. Verùm quia sic reddidit θάμβος, deerat quo redderet *ecstasin*. Poterat θάμβος, vertere *admiratione*: sic enim usurpatur apud Homerum,

θάμβος μ' ἔχει εἰσορόωντα.

Deduci putant à verbo θάω, quod est *admiror*.

11. *Cum viderent autem*, &c.] Græca diversa sunt, Κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην, συνέδραμε πρὸς αὐτοὺς πᾶς ὁ λαὸς, *Cum teneret autem is qui sanatus fuerat claudus Petrum & Joannem, concurrit ad eos totus populus*. Quin & in nostris cod. aliquot scriptum visitur, pro *viderent*, *tenerent*: unde satis constat scriptum fuisse *teneret*. Chrysostomus hoc interpretatur argumentum amoris erga Apostolos, à quibus non poterat avelli qui claudus fuerat. ¶ *Ad porticum*] Ἐπὶ τῇ στοᾷ *in porticu*.

12. *Videns autem*] Ἰδὼν participium præt. temp. verti poterat, *Id cùm vidisset Petrus*, sive *Eo viso Petrus*. ¶ *Nostrâ virtute aut potestate*] Ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ *propriis viribus aut religione*, sive *pietate*. Apparet Interpretem legisse ἐξουσίᾳ pro εὐσεβείᾳ. atque ea sanè lectio mihi magis probatur. Irenæus non meminit *potestatis*. In pervetusto cod. Constantiensi erat *pietate*.

13. *Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob*] Græci tantùm semel ponunt *Deus*; *Deus Abraham & Isaac & Jacob*. Apud Chrysostomum quater repetitur ὁ Θεὸς atque ità sanè frequenter nominatur in S. literis. Sciolus aliquis offensus quòd ex uno Deo viderentur fieri plures, sustulit bis ὁ Θεός. ¶ *Judicante illo*] Κρίναντος, præt. temp. *cum judicasset*, sive *cùm statuisset ille*, *absolvere*.

14. *Virum homicidam*] Graphicè sanè majestatem illam Apostolicam expressit, quam illi fuisse in dicendo vel una ejus testatur epistola. Retulit inter se contraria non minùs graviter quàm festiviter; *Homicida eripit vitam*, *huic Judæi donarunt vitam*, & *Autorem vitæ traxerunt in mortem*.

16. *Et in fide nominis ejus*] Καὶ ἐπὶ τῇ πίστει τῦ ὀνόματος αὐτῦ, τοῦτον ὃν θεωρεῖτε καὶ οἴδατε ἐστερέωσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Sermo Græcus multum habet ἀμφιβολογίας, quòd incertum sit, quid referat αὐτοῦ, & quis sit nominativus verbi ἐστερέωσε, & ὄνομα rectus sit casus an accusativus. Mihi videtur hoc sensisse Petrus, *Deus patrum nostrorum confirmavit suum nomen, per fiduciam de nomine Jesu, quam hic habuit, quem videtis ac nostis*. Quòd si hæc duo verba amputarentur ὄνομα αὐτοῦ, tum sensus esset; *Deus consolidavit hunc quem conspicitis ac nostis fuisse claudum, ob fiduciam quam habuit* vel ipse vel Petrus *in nomine Jesu*. Quòd si ὄνομα sit rectus casus, hic sensus erit, *Nomen Christi confirmavit hunc quem videtis ac nostis per fiduciam nominis ipsius*. ¶ *Hunc quem vos vidistis*] Τοῦτον ὃν θεωρεῖτε *quem videtis*; verbum præs. temporis. ¶ *Nomen ejus & fides*] Apud Græcos alia est distinctio; *nomen ejus* refert ad superiora, *fides* ad ea quæ sequuntur. ¶ *Quæ per eum est*] Rursus incertum an αὐτῦ referat *Christum* an *nomen*, *per illum* an *per illud*. ¶ *Dedit*] Ἔδωκεν αὐτῷ *dedit illi*. ¶ *Integram sanitatem istam*] Ὁλοκληρίαν ταύτην *integritatem hanc*, cui opponitur *debilitas*, quæ propriè significat vitium membrorum. Irenæus pro ὁλοκληρίαν legit *incolumitatem*.

18. *Deus autem qui*] Non est *qui* Græcè, sed *quæ*, ἃ, *Deus ea quæ priùs nunciarat fore, idque per omnium Prophetarum ora, sic implevit ut prædixerat*.

19. *Pœnitemini igitur*] Μετανοήσατε. Demiror cur hic suo more non dixerit, *Pœnitentiam agite*. Verti poterat, *Resipiscite* quemadmodum legit Tertullianus lib. De carnis resurrectione: quanquam excusi primùm codices habebant *Respicite* pro *Recipiscite*, sive *Pœniteat vos vitæ prioris*, aut aliud simile. ¶ *Ut cum venerint tempora*] Apparet hoc anapodoton esse: nec enim explet quod cœpit. Aut igitur aliquid subaudiatur oportet, *ut salvi sitis cùm venerint tempora refrigerii*, &c. aut ὅπως ἂν positum est pro *utcunque*, & ἂν accipiendum est ut sit conjunctio expletiva, *utcunque veniant tempora refrigerii*. Nam Interpres legisse videtur ὅπως ὅτε alioqui vertendum erat, *ut si venerint tempora refrigerii*. Tertullianus lib. De resurrectione carnis tollit hoc incommodum sublato vobulo ὅτε, *ut tempora vobis superveniant refrigerii ex persona Dei*. Nec aliter legit Irenæus, *ut deleantur peccata vestra, & veniant vobis tempora refrigerii Domini*. Cæterùm illud *à facie Domini* referendum est ad dictionem *refrigerii*, ut intelligas aspectum eum fore formidabilem malis, piis tamen fore refrigerium. Hoc admonendum duxi quòd videam recentiores interpretes secùs interpretari.

20. *Qui prædicatus est vobis*] Opinor errore scribarum accidisse quòd pro *prædicatus* in quibusdam Latinis habebatur *prædicaturus*. In nonnullis Græcorum exempl. pro προκεκηρυγμένον scriptum erat προκεχειρισμένον *præparatum*: nam hoc verbo semel atque iterum usus est c. 22. 14 & 26. 16. Nec tamen est simpliciter *prædicatus*, sed *antè prædicatus*.

21. *Tempora restitutionis*] Ἀποκαταστάσεως, pro quo miror quid secutus Irenæus legit *dispositionis*. ¶ *Per os sanctorum*] Græci cod. hic repetunt *omnium*, πάντων, quemadmodum & apud nos additur in iis quæ præcedunt ac sequuntur, 18, & 24.

22. *Moyses quidem dixit*] Μωϋσῆς μὲν γὰρ πρὸς τοὺς πατέρας εἶπεν, *Nam Moyses quidem ad patres dixit*. Exponit enim quare dixerit προκεκηρυγμένον. ¶ *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus*] Testimonium quod adducit exstat Deut. 18. 15. Petrus sententiam reddidit non verba. ¶ *Tanquam meipsum*] Dividenda est hæc dictio: ut *me* referatur ad *suscitabit*, *ipsum* ad *audietis*. Id enim indicat sermo Græcus, προφήτην ἀναστήσει ὡς ἐμέ· αὐτῦ ἀκούσεσθε, *Prophetam excitabit Deus mei similem: vos illum audietis*. Porrò *tanquam meipsum*, paulò pòst dicit *similem tui ὥσπερ σέ*.

23. *Exterminabitur*] Ἐξολοθρευθήσεται. Græca vox non sonat *ejectionem* sed *exitium*, ab ὄλεθρος. Verùm ut salus est ex adjunctione ad Ecclesiam, ità exitium est in discessu ab Ecclesia.

24. *Et omnes Prophetæ à Samuele & deinceps*] Græci addunt conjunctionem καὶ, quæ sermonem reddit inabsolutum; ea apud Latinos omittitur. Verùm quoniam videmus in oratione Petri, seu potiùs in sermone Lucæ, frequenter hujusmodi incidere, haud scio an aliquis offensus eam sustulerit. Proinde cui videbitur addenda is subaudiat oportet aliquid, ut sit sensus, *Non solùm Moyses, sed & omnes Prophetæ hujusmodi quiddam polliciti sunt, quotquot*, &c. Nec est simpliciter, *Et omnes*

omnes Prophetæ, sed καὶ πάντες δὲ, *Sed & omnes*; ut pertineat ad *Moysen*, qui præcessit.

25. *Omnes familiæ terræ*] Pro *familiis* Græcè est πατριαί quod aliàs vertit *paternitates*; *Ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur*: aliàs *familia*; *De domo & familia David*. In nonnullis exemplaribus habebatur Φυλαὶ *tribus*.

26. *Vobis primum Deus suscitans*] Ἀναστήσας præt. temp. *excitatum* sive *productum*. Nam *suscitari* dicit Exoriri non Resurgere à mortuis. Respexit Petrus ad verba Moysis *Suscitavit vobis Deus Prophetam*. ¶ *A nequitiis suis*] Ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν *malitiis vestris*: tametsi rectè mutavit Interpres sermonis formam, ut peregrinam Latinis auribus. Etiamsi Græca non carent amphibologiâ. Potest enim & hic sensus accipi, *In hoc quòd unumquemque vestrûm avertat à vitiis suis*. *Benedictionem* enim vocat favorem ac beneficium Dei. Id situm erat in hoc quòd avocavit nos à peccatis ad innocentiam. Qui superstitiosiùs observant elegantiam linguæ Latinæ, docent nequitiæ vocem propriè congruere flagitiis quæ luxu libidinéque committuntur. Quanquam hanc præceptiunculam negligit aliquoties Seneca.

VATABLUS.

1. J*Ohannes* *] * *Simul.*

2. *Speciosa*] Porta hæc una erat è portis Atrii populi, ad Orientem.

3. *Incipientes introire*] *Ingressuros.*

4. *Intuens autem in eum*] *Defixis autem in eum oculis.*

7. *Bases*] i. Crura & plantæ quibus nititur ipsum corpus, ut domus fundamento. ¶ *Plantæ*] *Tali.*

10. *Cognoscebant autem*] *Agnoveruntque.* ¶ *Sedebat*] *Sederat.* ¶ *Stupore & extasi in eo*] *Admiratione & stupore propter illud.*

11. *Videret*] *Teneret*, Vet, vel, *retineret.* ¶ *Autem* *] * *Qui sanatus fuerat claudus.* ¶ *Cucurrit*] *Simul cucurrit.* ¶ *Salomonis*] Porticum Salomonis appellabant Judæi temporibus Apostolorum, quæ Atrium populi, sive Basilica grandis dicebatur.

12. *Virtute*] *Pietate*, Vet. ¶ *Potestate*] *Religione.*

13. *Negastis*] Ad verbum *negastis* referendum, *negastis dimitti*, i. negastis dimittere ipsum esse æquum & justum. Quidam vertunt, *Cum judicasset esse absolvendum.*

16. *Nominis ejus*] i. Christi. Heb. Christus consolidavit hunc quem videtis & nostis, propter fiduciam quam habuit in ipsum: vel quia persuasum haberemus quòd ipse posset præstare huic sanitatem, invocavimus eum & protinus eum consolidavit. ¶ *Vidistis*] *Videtis*, Vet. ¶ *Confirmavit*] *Consolidavit.* ¶ *Per eum*] *In eum.* ¶ *Dedit* *] * *Ille.*

18. *Qui*] *Quæ*, Vet. ¶ *Prophetarum* *] * *Suorum.* ¶ *Pati*] *Passurum.* ¶ *Sic implevit*] Sub. *ut prænunciaverat*,

19. *Pœnitemini*] Vel, *pœniteat vos facti*, vel, *vitæ prioris.*

20. *Ut cum venerint*, &c.] i. Obvenire possint vobis scil. quæ quantum ad Christum jam venerunt: sed non vobis, quatenus eum non admittitis: Vel, *ut veniant*, die videlicet novissimâ. ¶ *Refrigerii*] *Refrigerationis*, *refocillationis* à peccatis & ira Dei. ¶ *A conspectu Domini*] i. quæ refrigeratio erit cùm rursus conspectus erit Christus; vel propter fidem in Christum: vel, *à conspectu Domini*, i. à Domino qui dator est salutis per Christum, Heb. ¶ *Miserit eum*] i. Patiatur vobis & saluti vestræ missum esse; nam etiamsi missus sit, vobis tamen perinde est acsi missus non esset: quamdiu eum per fidem non recipitis: Vel, ut remittat etiam vobis & saluti vestræ in die novissimo: Aut ut remittat per prædicationem nostram; nam ità mox sequentia videntur postulare exponendum. ¶ *Qui* *] * *Ante.* ¶ *Prædicatus*] *Præparatus*; Sic quædam exemplaria Græca.

21. *Cælum recipere*] i. in cœlo manere. ¶ *Restitutionis omnium*] Tempus judicii intelligit; i. quo creaturæ in pristinum honoris statum restituentur, quæ nunc sceleribus impiorum contaminantur. ¶ *Suorum* *] * *Omnium.* ¶ *A seculo*] i. qui jam olim fuerunt, vel, vetustissimorum. ¶ *Prophetarum* *] * *Nam.*

22. *Quidem* *] * *Ad patres.* ¶ *Quoniam*] *Certè.* ¶ *Tanquam me*] Vel, *similem mei.* ¶ *Juxta omnia*] Vel, *in omnibus.*

23. *Omnis anima*] Heb. *omnes homines.*

24. *Et*] *Sed &.* ¶ *Qui*] *Quotquot.* ¶ *Sunt* *] * *Et*, Vet. vel, *etiam.*

25. *Disposuit*] *Testatus est*, Heb, pro, *Ad vos in primis pertinent prophetiæ & promissiones de Christo quas promisit Deus patribus nostris.*

26. *Suscitans*] *Excitatum*, vel *productum*; nam *suscitari* dicit, *exoriri*, non *resurgere à mortuis*. Respexit autem Petrus ad verba Moysi, *suscitavit vobis prophetam.* ¶ *Filium suum* *] * *Jesum.* ¶ *Eum*] Vocat *eum* more Hebræorum. ¶ *Benedicentem*] Heb. *felices ac beatos reddentem.* ¶ *Ut*] *Ita ut*, vel *ut tandem.* ¶ *A nequitia sua*] Ab iniquitatibus suis.

CLARIUS.

4. A*Spice in nos*] Prævenit eum, ut attentè animadvertat quid sit faciendum; nè magnitudine postea facti perterritus obliviscatur quo id pacto acciderit. Sic Mosen Deus interrogat *quid esset quod manu teneret*, nempe Virgam, ut cùm versa postea fuisset in Colubrum, recordaretur principium rei.

6. *Quod autem habeo*] Quasi non longè majus esset hoc sanitatis pretium omni auro. Ità viri sancti à fastu atque ostentatione alieni sunt.

11. *Cum teneret autem*] Tenebat is qui sanatus fuerat Petrum & Joannem, vel quòd ob tantum beneficium vehementer erat erga eos affectus, vel fortasse quòd metuebat nè ab illis sejunctus amitteret quod acceperat.

13. *Deus Abraham*] Subinde progenitores refert, nè videatur novum quoddam dogma inducere. ¶ *Et negastis*] Dicentes, *Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

15. *Autorem vero vitæ*] Hoc loco fidem Resurrectionis apparat.

21. *Quem oportet*] *Oportet* pro *oportuit*. Et hîc illos secundi adventûs admonet. Pulcre autem appellavit *tempora refrigerii* illum Judicii diem, post æstum videlicet laborem & ærumnarum. Hoc autem ad servandos pertinet: nam mali, qui non erunt defatigati, refrigerio non erunt digni.

15. *Vos estis filii Prophetarum*] Arbitrari potuissent se ob admissum facinus alienos esse factos; nec rationi consentaneum videbatur ut quem dudum in crucem egerant, is eos nunc tanquam suos curaret: idcirco hic illos erigit.

ZEGERUS.

7. B*Ases*] Hic ipsos pedes dicit, quibus ceu basibus nititur totius corporis pondus. *Plantæ* propriè imi pedes sunt.

11. *Cùm tenerent autem Petrum & Johannem*] Cùm emendatiores codices Latini habeant *tenerent*, omissis iis quæ in Gr. adjiciuntur, Κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ, *Cum teneret is qui sanatus fuerat claudus*, suspicor Interpretem nostrum hoc pacto legisse, κρατούντων δὲ τὸν Πέτρον, etiam non ignorem quid scribat Chrysostomus, addens *sanatus*. Et tamen in nonnullis haud malæ fidei codicibus reperio *teneret*; atque adeò in uno quodam membranaceo adjectum ostendo, *is qui sanus fuerat effectus*: verùm quia hoc hactenus vulgò lectum non est, non puto germani esse contextûs, sed adjectum à studiosis ad tollendam sermonis obscuritatem. In hoc autem declaratur sanati erga ipsos Apostolos vehemens amoris ac benevolentiæ adfectus, quem etiam tactu atque complexu testaretur.

12. *Nostrâ virtute aut pietate*] Ità scribendum, juxta codices aliquot vetustæ scripturæ, & Græcos, non *potestate*: nam *virtute* positum est pro *potestate*: est enim δυνάμει. *Pietatem* intelligit religionem sive cultum Divinum, quasi hoc ipso digni haberentur Divino favore ad hujusmodi opus perficiendum: quod ità haudquaquam esse ingenuè testantur.

18. *Deus autem qui prænunciavit*] Nonnulli cod. cum Græcis habent *quæ prænunciavit*.

19. *Ut cùm venerint tempora refrigerii à conspectu Domini*] Sermo anapodoton habet, & subaudiri debet, *ut solatio perfruamini cùm venerint tempora refrigerii*, h. e. consolationis, aut aliquid simile. Quod autem additur, *à conspectu Domini*, intelligendum est eam consolationem à vultu & conspectu Domini proficisci. Possunt tamen Græca & aliter intelligi, pro quibus Tertullianus De resur. carnis, suppresso τῷ ἂν (ut sæpe id ad sensum parùm aut nil habet momenti) legit, *ut tempora vobis superveniant refrigerii ex persona Dei, & mittat præsignatum vobis Christum*, &c. Vide locum. Cui consentit & Irenæus, *uti deleantur*, inquiens, *peccata vestra, & veniant vobis tempora refrigerii Domini, & mittat præparatum vobis Jesum*, l. 3. c. 13.

22. *Moyses quidem dixit*] Et hic locus glossæ commistione adauctus apparet apud Græcos; Μωϋσῆς μὲν γὰρ πρὸς τοὺς πατέρας εἶπεν, *Moyses namque ad patres dixit*. Exponit autem qua-

re dixeris, *qui prædicatus est vobis*, &c. ¶ *Tanquam me ipsum audietis*] Græca nil habent amphibologiæ, necessarioque postulant constructionem *Prophetam de fratribus vestris sicut me suscitabit vobis Dominus: illum audietis.*

H. STEPHANUS.

4. Ἀτενίσας εἰς αὐτὸν] *Cùm defixisset in eum oculos.*

5. Ἐπεῖχεν αὐτοῖς] *Intentus in eos erat.*

7. Ἐστερεώθησαν αὐτοῦ αἱ βάσεις καὶ τὰ σφυρά] *Roborati sunt pedes ejus & malleoli*: vel, *Roborata sunt crura & malleoli.*

11. Ἔκθαμβοι] *Expavefacti.*

13. Κρίναντος ἐκείνου ἀπολύειν] *Cùm ille judicasset absolvendum esse.*

14. Χαρισθῆναι] *Condonari.*

15. Ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς] *Autorem vitæ*: vel, *principem.*

16. Ὁλοκληρίαν] *Integritatem* sui corporis.

17. Κατὰ ἄγνοιαν] *Per ignorantiam.*

19. Εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας] *Ut deleantur peccata vestra.*

21. Ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων] *Eum autem cœlum capiat oportet, donec omnia instaurentur.*

22. Ἀναστήσει] *Suscitabit.*

23. Ἐξολοθρευθήσεται] *Disperdetur.*

DRUSIUS.

1. AD *horam precationis nonam*] Horæ precationis tres erant, Tertia, Sexta, & Nona. Tertia vocatur תפלת שחרית *precatio matutina*: quam Abrahamum instituisse perhibent. Sexta dicitur תפלת מנחה *precatio muneris*, & תפלת צהרים *precatio meridiana*, instituta, ut aiunt, ab Isahaco: quæ incipiebat à sexta hora & dimidia: Manahem 52. 3. Nona vocatur תפלת ערבית *precatio vespertina*: quam Jacob instituit. Vide Manahemum loco citato, & lib. παιδείας 28. 1. & 47. 2. Hiero. in Danielem, *Tria tempora quibus Deo flectenda sunt genua, hora tertia, sexta, & nona. Horâ tertiâ descendit Spiritus S. super Apostolos: sextâ Petrus ad orationem ascendit in cœnaculum: nonâ Petrus & Johannes pergebant ad Templum.* R. D. Psal. 55. 17. *Vespera finis est diei cùm præteriit, & initium noctis; manè, initium diei; meridies, medium diei. Hæc sunt precandi tempora. Nam debet homo laudare Deum cùm dies mutatur. Itaque dixerunt Doctores, Debet homo Deum precari ter in die, nempe cùm is mutatur, quod ter fit, manè, meridie, & vespero.* Cassander in Annot. ad hymnos ecclesiasticos, *Orabant flexis genibus, vesperè, manè, & meridie, Psal. 55. 17. Sed hic dies intelligitur cum nocte, quod est spatium* XXIV *horarum. Sunt qui noctem excludant, & orandi tempora definiunt horas tertiam, sextam & nonam: Quas horas in Ecclesia veteri observatas esse scio, idque haud dubiè ex legitima Israelitici populi disciplina. Sanè Apostolus Petrus hora sextâ in cœnaculum orandi causâ conscendisse legitur & cum Johanne in Templum ascendisse ad horam orationis nonam.* Vide illum p. 53. & Isidorum l. 6. col. 145. R. Juda compositor libri Musar, *Precatio muneris tempus habet ab hora sexta & dimidia usque ad horam nonam & dimidiam, & hoc est quod vocatur* מנחה גדולה *Munus, aut Sacrificium, magnum. Munus autem parvum tempus habet ab hora nona & dimidia usque ad vesperam.* Vide sequentia, c. 4. 47. 2.

3. *Incipientes introire*] *Introeuntes*: quod valet *mox intraturos.* Simile Jon. 1. 2. *invenit navem euntem*, mox ituram. In fonte Græco est μέλλοντας εἰσιέναι, *ingressuros.*

6. *In nomine Jesu*] Virtute Jesu. Sic, *In nomine tuo dæmonia ejecimus*, autoritate aci virtute tuâ. Paulò aliter accipitur in illo, *Quicquid petieritis in nomine meo.* Nam sensus, Meâ causâ; aut, Per nomen meum. Quia verò multi abutuntur nomine Divino, ut hæretici & hypocritæ, ideo quidam dixit, *In nomine Domini fit omne malum.* Sensus est, Prætextu nominis DOMINI. Nam quis hodie non prætexit hoc nomen etiam ad scelera sua? Loquor de religionibus: quæ nunquam plures fuerunt in Christianismo quàm nunc sunt. Si causam quæris, non alia mihi videtur quàm libido damnandi fratrem hæreseos si duntaxat leviter à te dissentiat. Quin illi qui cerebrum habent plenum erroribus, Tyria maria movent si alium viderint semel errantem; quod tamen humanum est. Talia sunt tempora. Ferendum est quod corrigi nequit.

7. *Bases ejus*] i. pedes ejus: ità Syrus: *Ikdec* ergò *pes.* Hoc vocabulo Ebræi utuntur, sed pro basi; quam בסיס & בסיסא vocant etiam Chaldæi. Plu. בסיסין & בסיסיא *bases.*

12. *Nostrâ virtute aut pietate*] In libris mss. *aut potestate*: quæ lectio in omnes partes melior est: quam etiam Syrus interpres confirmat, referens בשלטנן, quod valet ἐν ἐξουσίᾳ ἡμῶν. Vis in his verbis ut si diceret, Non nostrâ potestate, sed potestate Jesu Nazareni, quem vos crucifixistis. Expende, lector, an tam bene dicatur, *Non nostrâ pietate, sed Jesu Nazareni.* שלטן & שלטנא nomina sunt in Daniele, quæ significationem habent ἐξουσίας καὶ κυρίας *potestatis & dominationis*: unde & *Sultani* vox usurpata ævo sequiori. Consule Lex. Ebraicum.

24. *A Samuele*] שמואל *Samuel*, ut כנען *Chanaan.* שלמה *Salomo*, רפאים *Raphaim*, & alia sexcenta. Syrus habet שמויל, quod legunt *Samuil.* Nam in eorum dialecto איל est אל. unde Ἴλος *Deus* apud Sanchuniathonem compositorem historiæ Phœnicum. Reperio & *Smuel*, unde δεσμουήλ in Epiphanio περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων, i. [שמואל השמואל Smuel, ut שמות Smoth, בראשית Bresith, & alia ejus generis.] Variè interpretantur. In lib. Nom. *Nomen ejus Deus*, שמואל. Orig. in lib. Regum, *Ubi ipse Deus*: i. שם. Josephus Ant. lib. 5. cap. 15. *Quasi à Deo postulatum significat.* Eusebius Hist. Eccles. l. 6. c. 25. Σαμουήλ, θεόκλητος.

25. *Filii prophetarum*] Tob. 4. 12. *Quia filii prophetarum sumus, Noe, Abraham, Isahac & Jacob*: qui & *justi* vocantur: unde Tob. 13. 9. *Misericordiam faciet filiis justorum.* Hinc Genesis audit *liber Justorum* aut, quod idem, *Rectorum*, i. εὐθέων *Recti* enim in metaphora qui *justi* sunt, & εὐθύτης *justitia, æquitas.* Aliàs *filii prophetarum* dicuntur ipsorum discipuli. *Prophetarum* autem nomen de Patriarchis usurpat etiam David hymnographus, cùm ait, *& prophetis meis ne malefecerit is.* Psal. 105. 15. ¶ *Et pacti*] Vel *fœderis*, quod in lingua Græciensi διαθήκη, i. *testamentum*, dicitur: siquidem Hellenistæ διαθήκην usurpant pro συνθήκη. *Filii fœderis* dicuntur etiam proselyti, unde *advena filius fœderis*, qui & *advena justitiæ.* ¶ *Omnes familiæ terræ*] Πατριαὶ *familiæ.* Sic interpretantur LXX Exod. 6. 15. item 1 Sam. 9. 22. Psal. 22. 30. & alibi. Tob. 5. 13. φυλὴν καὶ πατριὰν *tribum & familiam.* Non est ἐξήγησις. Nam in una tribu plures familiæ: Jos. 7. 14. Sic Lev. 25. 10. εἰς τὴν πατριὰν αὐτοῦ aliàs πατρίδα. Nam etiam πατρὶς redditur *familia* 1 Par. 5. 7. Scire licet quædam exemplaria habere πᾶσαι αἱ φυλαὶ *omnes tribus.* Non ponitur *familia*, i. משפחה, etiam pro *tribu* Jos. 7. 14. Hinc *domus πατριῶν patriarum*, i. familiarum. Nam in quaque familia plures erant domus patrum quæ simpliciter *domus* vocantur, Jos. 7. Hesychius, Πατριὰ, φυλή. Exod. 12. 3. κατ' οἴκους πατριῶν, h. e. interprete Cypriano l. 2. adv. Judæos, *per domos tribuum.* Augustinus in lib. Locutionum, *Quas dicat Patrias non facile est intelligere: utrùm civitates in quibus commanebant? an potius numerosas familias à cujusque veluti paternitate propagatas? hoc enim magis in Græco significari perhibetur.* Cæterùm πατριὰς vocat Josephus *familias* XXIV Sacerdotum quarum principes πατριάρχαι dicebantur. Hoc sensu fortasse sumitur cùm Huillus Judæus, qui tempore Origenis vixit, vocatur *patriarcha.* Aut sig. ibi *Principem synagogæ*: Nam & hi quandoque ità nuncupantur.

CASAUBONUS.

7. KAΙ πιάσας αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς] Πιάσας, h. e. κρατήσας, quæ vox in quibusdam libris reperitur in contextum admissa alterius loco.

8. Καὶ ἐξαλλόμενος ἔστη] *Exsiliens*, videlicet è grabbato in quo jacens ad januam Templi solebat deferri.

11. Κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ τὸν Πέτρον] Κρατεῖν videtur esse h. l. quod Latinè dicitur *detinere*, Gallicè *entretenir.*

12. Πεποιηκόσι τοῦ περιπατεῖν αὐτόν] Notandus secundi casûs usus hic; cujus exempla vide infrà 27. 1.

15. Οὗ ἡμεῖς μάρτυρές ἐσμεν] Si conferas similem locum infrà 5. 32. videbis τὸ, οὗ, non tantùm verti posse *cujus rei*, sed etiam, nec minùs fortasse rectè, *cujus*, videlicet *Christi.* Nam similiter μάρτυρας αὐτοῦ se dicunt, ore Petri, Apostoli illo loco.

19. Ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως] Tertullianus legit ὅπως ἂν ἐπέλθωσιν· vertit enim *ut superveniant tempora refrigerii.*

21. Ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως] Oecumenius τὸ ἀποκατεστάσθαι h. l. interpretatur εἰς πέρας ἐλθεῖν, quam interpretationem sequi Syrus Interpres videtur.

24. Καὶ πάντες δὲ οἱ προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ καὶ τῶν καθεξῆς ὅσοι ἐλάλησαν] Hæc verba variam constructionem admittunt: puto autem ità esse construendum, Πάντες οἱ προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ, καὶ ὅσοι τῶν καθεξῆς ἐλάλησαν. Alii distinguunt post vocem

cem καθεξῆς, quod minùs rectum videtur. ¶ Καὶ προκατήγγειλαν] Vetus Int. *annunciarunt*, h. e. κατήγγειλαν, quæ lectio est apud Oecumenium, & fuisse videtur in Syri Interpretis codicibus.

LUD. CAPPELLUS.

1. ΕΠΙ' τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην] Quoniam hoc loco & alibi non semel mentio fit temporis precum ex Judæorum consuetudine, visum est ad locorum & illorum rei ipsius illustrationem huc adferre ea quæ à Judæis traduntur de Precum suarum institutione & earum tempore definito. Sic ergò eà de re habet Maimonides in Misna, lib. 2. אהבה, Tract. De Oratione & Benedictione Sacerdotum, cap. 1. §. 1. *Præceptum est*, inquit *affirmativum*, *ut preces ad Deum singulis diebus concipiantur: dictum est enim*, SERVIETIS DOMINO DEO VESTRO. *Ex traditione autem docuerunt cultum illum esse Preces. Ad dictum enim illud*, UT SERVIATIS EI TOTO CORDE, *Dixerunt Sapientes*, *Quis est iste cultus cordis? Preces. Cæterùm neque numerus Precum, neque obligatio ad hanc vel illam Precem, nec tempus certum & definitum Precum est de Lege.* Deinde §. 4, & 5. ejusdem capitis; Cùm Israelitæ à Nabuchodonosore abducti sunt captivi, & commixti Persis, Græcis cæterisque nationibus, secuta est indè corruptela sermonis eorum, ità ut non posset amplius unusquisque linguâ sanctâ vel Deum celebrare vel necessaria ab eo postulare: ideo Esdras & Synagoga magna instituerunt decem & octo formulas εὐλογιῶν, quæ conceptis verbis fierent. §. 7. Numerum Precum instituerunt numero Oblationum Lege præscriptarum: binas enim constituerunt Preces singulis diebus, quæ responderent jugi Sacrificio Lege præscripto quod manè & vesperè offerebatur; diebus autem quibus Lege singularis aliqua oblatio duabus illis quotidianis superadditur, tertiam instituerunt Precem quæ illi Oblationi responderet. Oratio quæ respondet matutinæ Oblationi vocatur שחרית *Matutina*; quæ vespertinæ respondet, dicitur מנחה *Mincha*; quæ denique additiis (ut ità dicam) oblationibus ἀντιστοιχεῖ, ea dicitur מוסף *Addita*. §. 8. Constituerunt etiam ut homo oret nocte orationem unam, quoniam victimæ (quæ oblatione vespertinâ offertur) artus sive membra totâ nocte super altare ardent, paulatimque consumuntur. Ita fit ut numerus Precum sit juxta illud Davidis; *Vesperè, manè & meridie meditabor, & fremam audieturque vox mea.* Cæterùm non est tam arcta obligatio ad vespertinam (vel nocturnam potiùs) Orationem, quæ sub noctem habetur, quàm est arcta ad matutinam & ad *Mincha*: omnes tamen Israelitæ ubique terrarum etiam nocturnam illam usurpant. §. 9. Constituerunt item Orationem aliam post *Mincha*, cùm Sol jam occidit; idque die tantummodo Jejunii: hanc vocant נעילה, q. d. *Occlusoriam* (cui respondere videtur illud quod in Ecclesia Pontificia *Completorium* vocatur: nam alii ad aliorum imitationem horarias suas Preculas constituerunt) propterea quòd tum occluduntur & veluti obserantur cœli portæ super Solem, qui absconditur: ideòque Orationis illius tempus est circa Solis occasum. §. 10. Ita fit ut quotidie tres sint Preces, nempe 1. שחרית *Matutina*, 2. מנחה *Mincha*, 3. ערבית *Vespertina*. Sabbatis autem, Calendis seu Noviluniis, & festis diebus quatuor sunt Preces, nempe tres præcedentes unà cum מוסף; die denique Jejunii sive Propitiationum, quinque, nimirum quatuor præcedentes una cùm נעילה. Cap. 3. §. 1. sic ille habet; Legitimum Precis matutinæ tempus est ab ortu Solis usque ad horam diei quartam. Siquis tamen eam protrahat usque ad Meridiem, non peccat in præceptum De orando, sed peccat in constitutionem De Precum tempore definito. Porrò quomodò Lex præcipit ut oremus, ità Sapientes orandi tempus definiverunt. §. 2. Quoniam Oblatio vespertina quotidiana fiebat horâ nonâ cum dimidia; oratio autem quæ מנחה dicitur Oblationi illi respodet, ideo tempus Orationis quæ dicitur מנחה definiverunt esse horam nonam cum dimidia: atque ea est quæ dicitur מנחה קטנה *Mincha minor*. Quoniam autem cùm vespera Paschatis incidebat in vesperam Sabbathi, mactabatur juge Sacrificium vespertinum horâ sextâ cum dimidia, dixerunt Sapientes quòd qui orat post horam sextam & dimidiam insons est: & simulatque venit tempus illud, venit etiam tempus חיובה *obligationis ejus*, h. e. quo quis tenetur orare. Atque hæc est Oratio quæ dicitur מנחה גדולה *Mincha major*. §. 4. Hujus tempus est ab hora sexta & dimidia usque ad nonam cum dimidia, illius verò quæ קטנה *minor* dicitur est à sesquinona ad horam unam cum quadrante ante finem illius diei, h. e. ante occasum Solis: licet tamen eam protrahere usque ad Solis occasum. §. 5. Precis quæ מוסף dicitur tempus est post precem matutinam ad horam usque diei septimam. Siquis tamen eam protrahat post horam septimam, etsi transgrediatur, tamen non est reus, quia oratio illa fieri potest per totum diem. §. 6. Precis quæ ערבית dicitur tempus est ab initio noctis usque ad primum Auroræ radium. Precis verò quæ נעילה dicitur tempus ità debet institui ut ea perficiatur cùm Sol occidit. Atque hæc Maimonides. Ex quibus videre est, Orationem cujus causâ Petrus & Joannes petebant Templum fuisse eam quæ a Judæis dicitur מנחה קטנה, quæ respondet Oblationi vespertinæ Lege præscriptæ, quæ fiebat, uti loquitur Scriptura, בין הערבים *inter duas vesperas* h. e. ut illi exponunt, medio tempore inter Meridiem (quando Sol incipit inclinare & recedere à Meridiana linea) & Solis occasum: tempus autem illud medium erat hora nona completa. Cùm enim diem ab ortu ad occasum Solis duodecim horis metirentur, prima hora incipiebat ab ortu Solis, sexta finiebatur in Meridie, duodecima claudebatur in occasu Solis: nonæ ergò horæ finis erat tempus præcisè medium inter meridiem & occasum Solis; atque hoc est בין הערבים.

GROTIUS.

ΕΠΙ' τὸ αὐτὸ, *Circa idem tempus.* ¶ Ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην. *ad horam orationis nonam*] Quæ hora precationis erat diei nona. Ea precatio *vespertina* dicebatur, quia vesperi incipiebat Sole declinante. Exempla habes ex Genes. 24. 63. Judith. 9. 1. infra 10. 30. Vide quæ diximus ad Matth. 14. 15. & 27. 45. Et solebat fieri addito מנחה [*oblatione addita*] ut apparet Dan. 9. 21. vocabaturque id מנחה [*Mincha*] sive μαναὰ [*Manaa*,] *parvum*, quia matutina dicebatur אור [*or*,] meridiana צהרים [*Zoharim*,] vespertina ערבית [*Arabith*.] Nihil hac in parte mutarunt Christiani. In Clementis Constitutionibus 7. 24. τρὶς τῆς ἡμέρας οὕτω προσεύχεσθε [*ter quotidie ità orate.*] *Orationes nona hora concludi* ait Tertullianus de Jejuniis. Idem eodem libro, *Porro cum in eodem commentario Lucæ & tertia hora orat onis demonstretur, sub qua Spiritu Sancto initiati pro ebriis habebantur, & sexta, qua Petrus adscendit in superiora: & nona quâ Templum sunt introgressi; cur non intelligamus, salvâ planè indifferentiâ semper & ubique & omni tempore orandi, tamen tres istas horas, ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publicè resonant, ita & solenniores fuisse in orationibus diurnis: Quod etiam suadet Danielis quoque argumentum ter die orantis, utique per aliquarum horarum exceptionem, non aliarum autem quam insigniorum; exinde Apostolicarum Tertiæ, Sextæ, Nonæ.* Ibidem & libro De Oratione nos docet quarta & sexta a Sabbato *stationes*, id est, semijejunia protracta ad nonam; quod & Judæorum religiosioribus factum notat Maimonides.

2. Πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ, *ad portam templi*] Solent plerumque in descriptione Templi πύλαι [*portæ*] dici, sed interdum & θύραι [*januæ*,] ut 2 Paralipom. 4. 22 Ezech. 40. 13. Vocesque Hebrææ פתח & שער modò vertuntur πύλη [*porta*,] modò θύρα [*janua*. ¶ Τὴν λεγομένην Ὡραίαν, *quæ dicitur Speciosa*] Quia facta ex ære Corinthio. Josephus de Bello Judaico 7. 12. ubi vir doctissimus Ludovicus Capellus ἐξωτέρα [*exterioris*] pro ἐνδοτέρα [*interioris*] legendum putat, non levibus de causis. ¶ Τοῦ αἰτεῖν ἐλεημοσύνην, *ut peteret eleemosynam*,] *Ad petendam stipem.* Sic loquuntur Cicero, Seneca, & Latinorum alii.

5. Ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς, *At ille intendebat in eos*] Vox est bene Græca, quales multæ apud Lucam. *Intentus os tenebat.*

6. Ἔγειραι, *surge*] Vide quæ diximus ad Matthæi 11. 11.

7. Καὶ πιάσας αὐτὸν, *Et apprehendens eum*] Πιέζειν, sive πιάζειν est *manu premere*: quod fieri solet inter bene volentes sibi mutuò. ¶ Αἱ βάσεις, *bases*] כפים sive פעמים, βῆμα [*vestigium*,] Deut. 2. 5. nam & Latinis *solum*, & *pedis infimum* significat, & *id cui pes imprimitur.* Sic & Hebrais. ¶ Καὶ τὰ σφυρά, *& planta*] קרסלים. Sic dicitur *pars* illa *circum talos*.

8. Καὶ ἐξαλλόμενος, *Et exsiliens*] Respicitur vaticinium Esaiæ 35. 6. Τότε ἁλεῖται ὡς ἔλαφος ὁ χωλός [*Tunc saliet claudus sicut cervus.*]

11. Ἐπὶ τῇ στοᾷ τῇ καλουμένῃ Σολομῶντος, *ad porticum quæ appellatur Salomonis*] Vide Joh. 10. 23. Quidam viri eruditi putant eam porticum appellari שלכת [*Schallechet*] 1 Paralipom. 26. 16. Adde 1 Regum 10. 5, 12. 2 Paralip. 9. 11. & Esaiæ 6. 4.

12. Ὡς ἰδίᾳ δυνάμει, *quasi nostra virtute*] Medica facultate. ¶ Ἢ εὐσεβείᾳ, *aut pietate*] Aut quasi Deus nobis hoc ob nostram pietatem largiretur. Hoc ideo ajunt quia donum hoc acce-

ceperant non in suo, sed in Jesu nomine, ut ejus discipuli & testes. Vide quæ sequuntur 15, 16. ¶ Πεποιηκόσι τοῦ περιπατεῖν αὐτόν; *fecerimus hunc ambulare*] In hujusmodi locutionibus subauditur, τὸ πρᾶγμα, *rem hanc*, nempe *ut hic ambularet*. Sic & infrà 28. 1.

13. Τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν, *puerum suum Jesum*] Id est, υἱὸν [*filium*,] quomodo Deus eum appellaverat Matth. 3. 17. Id enim magis hic respicitur quàm admirabilis conceptio, paucis adhuc nota. παῖδα, cùm de Jesu dicitur, *filium* vertunt etiam Ambrosius & Hilarius, ut notat Erasmus infra 4. 27. ¶ Παρεδώκατε, *tradidistis*] Pilato. Hoc propriè ad Senatores pertinet, Matth. 15. 1. Joh. 18. 30. ¶ Καὶ ἠρνήσασθε, *& negastis*] Hoc ad populum. Sensus est, *noluistis eum pro Christo agnoscere*. Simile loquendi genus de Mose infra 7. 35. ¶ Κρίναντος ἐκείνου ἀπολύειν. *judicante illo dimitti*] Est ἔλλειψις *defectus sermonis*.] Sensus *cùm Pilatus æquum judicasset eum dimittere*. Idem est, quod Syrus his significat per זכיה [*justum pronunciavit*.]

14. Ἄνδρα φονέα, *virum homicidam*] Auctorem seditionis, unde cædes erat orta. Luc. 23. 19, 25. ¶ Χαρισθῆναι ὑμῖν. *donari vobis*] Id est, *in vestram gratiam dimitti*. Contra χαρίζεσθαί τινα [*donare aliquem*] dicitur & qui in gratiam alterius aliquem damnat, Actor. 25. 11, 16.

15. Τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, *Auctorem verò vitæ*] Respicit ad locum Esaiæ 9. 6. ubi typus Christi vocatur אביעד [*Pater æternitatis*] quod LXX vertunt πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος [*Pater futuri seculi*.] Jam ostenderat Jesus hunc sibi titulum competere mortuos excitando. Et est manifestum ἀντίθετον [*oppositio manifesta*] in vocibus φονέα [*homicidam*,] & ἀρχηγὸν ζωῆς [*auctorem vitæ*.] ¶ Ἀπεκτείνατε, *interfecistis*] Occidit qui necis causam dat, ut Judæi clamando *Crucifige*.

16. Τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, *fide nominis ejus*] Sequitur mox ἐστερέωσε τὸ ὄνομα [*confirmavit nomen*.] Mos est Hebræorum Nomen bis repetere etiam diverso casu ut parcant Pronominibus, ut Gen. 14. 24 & 20. 12. & 23. 18, 19. & 24. 1, 2. Num. 10. 29. Psal. 82. 1. 1 Sam. 12. 1. Zach. 1. 6. Psal. 13. 4. & 114. 44. *Nomen* hic est vis ac potestas. ¶ Ἐστερέωσε, *confirmavit*] הכין, quod alibi per στερεοῦν [*confirmare*,] alibi per ἀνορθοῦν [*erigere*] vertitur. Vide supra 7. ¶ Τὴν ὁλοκληρίαν ταύτην, *integram sanitatem istam*] Sic Esaiæ 1. 6. מתם vertitur ὁλοκληρία; benè Latinè vertitur *integritas*: nam *integrum* corpus *vitioso* opponit Cicero.

17. Ὅτι κατὰ ἄγνοιαν ἐπράξατε, *quia per ignorantiam fecistis*] בשגגה quod κατ' ἄγνοιαν [*per ignorantiam*] vertitur Levit. 22. 14. alibi ἀκουσίως [*involuntariè*.] Remiserat Deus interdum & graviora crimina ut Davidi. Sed multò erat facilior ad ea condonanda quæ aliquid trahunt de involuntario, propter admixtam ignorantiam quantumvis crassam ac supinam, quæ culpam non tollit, sed minuit. Vide 1 Cor. 2. 8. Philo de Abele & Caino, Ἀμαθία ἀκούσιον ὂν καὶ κοῦφον πάθος, θεραπείαν δ' εὐεργὸν ἔχει, διδασκαλίαν [*Ignorantia leve malum, quod invitis obrepit, facile habet remedium, nimirum, ut quæ nescias, doceare*.] ¶ Ὥσπερ καὶ οἱ ἄρχοντες ὑμῶν. *sicut & Principes vestri*] Quorum major erat culpa quàm plebis Senatorum auctoritatem sequentis. Vide supra 13.

18. Ἃ προκατήγγειλε, *quæ prænuntiavit*] נבא [*prædixit*] Idem verbum infra 3. 24 & 7. 52. ¶ Παθεῖν τὸν Χριστὸν, *pati Christum*] Vide quæ diximus ad Euangelium Lucæ 24. 26. infra 26. 23. Subdubitari potest, an hæ voces sint pars sensûs, an glossema additum: quia desunt in vetere illo Manuscripto. ¶ Ἐπλήρωσεν οὕτω. *sic implevit*] Vos in malum hæc excogitastis: ille in bonum direxit. Gen. 50. 20.

19. *Μετανοήσατε οὖν, Pœnitemini igitur*] Animo. ¶ Καὶ ἐπιστρέψατε, *& convertimini*] Factis. ¶ Εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας, *ut deleantur peccata vestra*] Sic ἐξήλειψα τὰς ἀνομίας [*delevi iniquitates*] est Esaiæ 44. 22. ubi in Hebræo מחיתי. Similitudo sumpta ab iis quæ in tabulis scripta delentur. ¶ Ὅπως ἂν ἔλθωσι, *ut quum venerint*] *Ut veniant*. Sic ὅπως sæpissimè sumitur in his libris: & rectè sensum assecuti sunt Syrus, Arabs. Tertullianus De resurrectione carnis citat, *Ut tempora nobis superveniant refrigerii*. ¶ Καιροὶ ἀναψύξεως, *tempora refrigerii*] Exod. 8. 15. הרוחה vertitur ἀνάψυξις [*refrigerium*.] Sicut calamitates æstui comparantur, ita ab iis liberatio auræ refrigeranti. Sensus est, *ut imminenti excidio gentis eximamini*.

20. Καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστὸν, *& miserit prædesignatum vobis Jesum Christum*] *Mittat*, quamprimùm scilicet, ad tollenda omnium piorum mala. Tertullianus, *Si ad Dei voluntatem & ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repræsentatio, quomodo quidam protractum quendam seculi postulant, cùm regnum Dei quod ut adveniat oramus ad consummationem seculi tendat? optamus maturius regnare, & non diutius servire. Etiamsi præfinitum in oratione non esset, de postulando regni adventu, ultro eam vocem protulissemus, festinantes ad spei nostræ complexum. Clamant ad Dominum invidiâ animæ Martyrum sub altari, Quonam usque non ulcisceris, Domine, sanguinem nostrum de incolis terræ? Nam utique ultio illorum à seculi fine dirigitur. Imò quàm celeriter veniat, Domine, regnum tuum, votum Christianorum, confusio nationum, exsultatio Angelorum, propter quod conflictamur, imò potius propter quod oramus*. προκεχειρισμένον quod Tertullianus vertit *prædesignatum*, habet etiam vetus ille in Anglia codex. Vide infra 22. 14. & 26. 16. Exod. 4. 13. Josuæ 3. 12.

21. Ὃν δεῖ μὲν οὐρανὸν δέχεσθαι, *Quem oportet quidem cælum recipere*] Nihil redditur ad μὲν [*quidem*] illud: sed ea ἀποσιώπησις [*reticentia*] facilè suppletur ex verbis ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως [*usque in tempora restitutionis*.] quasi dicat, Ubi illud tempus venerit, ex cœlo in terras redibit, Supra 1. 1. ¶ Ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς, *usque in tempora restitutionis omnium quæ locutus est Deus*] Ἀποκατάστασις Plutarcho, Columellæ, Numenio apud Eusebium, Servio ad Eclogam quartam, Gnosticis apud Irenæum 1. 33. & aliis, est *revolutio sideris in pristinum locum*. Historicis, *quies reddita rebus turbidis*. Sed cùm ἀποκαθίστασθαι etiam *ostendere* significet, sicuti ἀποκαταστατικὸν [*ostensivum*] numerum Capella vocat *quinarium*, quia cum aliis imparibus sive cùm suo genere sociatus, se semper ostendit, hunc sensum hîc præferam. *Adusque tempus*, inquit, *illud*, *cùm exhibita rebus erunt ea quæ Prophetæ verbis prædixerant de excidio Judæorum, de vocatione gentium*. Sic ἀποκαταστήσατε pro καταστήσατε [*constituite*,] Amos 5. 15. Nec aliter sumitur ἀποκαθιστῶν [*qui restitues*] Psal. 16. 5. & Oecumenius sic explicat, ἀποκατασταθῆναι, εἰς πέρας ἐλθεῖν ἅπαντα [*restitui, ad finem omnia perduci*.] ¶ Ἀπ' αἰῶνος. *à seculo*] Id est, *jam olim*, מעולם, Jerem. 28. 8. Esaiæ 63. 16. 19.

22. Προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει ὁ Κύριος, *Prophetam suscitabit vobis Dominus*] Generaliter hæc Dei lex eò pertinet, ut quicunque Propheta in populo Dei surrexerit miracula faciens, aut futura incognita certò prædicens, nec abducens populum ad deos falsos, ei pareatur, etiamsi quid contra legem præcipiat. Eximiè autem pertinet ad Jesum quo nullus illustrior, illis signis, per quæ Prophetas cognosci Deus voluit. Vide quæ diximus ad citatum hic locum Deuteronomii 18. 15.

23. Ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ. *exterminabitur de plebe*] Morte violenta aut immatura: sed mysticè etiam Rabbini hoc ad pœnas post hanc vitam referunt.

24. Τῶν καθεξῆς ὅσοι, *deinceps qui*] Hæc ita connectenda sunt. ¶ Κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας, *annuntiaverunt dies istos*] Adventum, miracula & regnum.

25. Ὑμεῖς ἐστε υἱοὶ τῶν προφητῶν, *Vos estis filii Prophetarum*] Id est, *Vos estis ii ad quos missi sunt Prophetæ illi à Samuele deinceps*. Sic υἱοὶ νυμφῶνος [*filii Sponsi*] apud Matth. 9. 15. Marc. 2. 19. Luc. 5. 34. ¶ Καὶ τῆς διαθήκης, *& Testamenti*] *Filii pacti* dicuntur Hebræis, ad quos pactum pertinet. Promiserat Deus Abrahamo, Isaaco, Jacobo nunquam defecturam posteritatem ipsorum. Hæc causa fuit, cur in maximis excidiis aliquos semper Deus servaverit: inter illos aliquos nunc esse poterant illi quos alloquitur Petrus. Dicere poterant,

Quid vetat in paucis nomen inesse meum?

¶ Καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς. *Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*] Vide quæ dicta ad Gen. 12. 3. Si ille Abrahamo promissus benefaciet omnibus Gentibus, quantò magis consanguineis suis, si modò hi impedimenta auferant.

26. Ὑμῖν πρῶτον, *Vobis primùm*] Nam Christus primùm Judæis verbum suum proposuit per se: deinde Gentibus per Apostolos. Vide Matth. 10. 5. & 15. 24. ¶ Ἀναστήσας τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν, *suscitans Filium suum Jesum*] *Excitare* hic non est *è mortuis ad vitam revocare*, sed *conspicuum facere Prophetiâ aliisque donis*. Respiciuntur enim ea quæ præcessere, προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει [*Prophetam vobis suscitabit*.] Sic & *surgere* tribuitur Prophetis, Deut. 13. 1. & 34. 10. Sirach. 47. 1. & 48. 1. ¶ Ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογοῦντα ὑμᾶς, *misit eum benedicentem vobis*] Id est, benefacientem populo vestro per tot sanationes. ¶ Ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν. *ut convertat se unusquisque à nequitia sua*] Ostendit quò illa beneficia spectaverint, nempe ut auctoritatem Jesu conciliarent,

rent, & per eam quisque ad vitæ emendationem, qualem Jesus præcipiebat & præmonstrabat, perduceretur. *ἐν τῷ* pro *εἰς τό*. Sæpe enim nostri Scriptores istas particulas permutant. Et sic accepit Latinus. ¶ *Πονηριῶν, nequitia*] רעה. Ea vox modò generaliter *omnem vitiosam consuetudinem* significat, modò specialiter *malitiam*: ut Marc. 7. 22. Luc. 11. 39. Rom. 1. 28. 1 Cor. 5. 8. Cicero in Tusculanis, *Virtuti contraria est vitiositas: sic enim malo quàm malitiam appellare, quam Græci κακίαν vocant. Nam Malitia certi cujusdam vitii nomen est. Vitiositas omnium.*

P R I C Æ U S.

Com. 2. Χωλὸς ἐκ τῆς κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ] Sic infrà 14. 8. sic Joh. 9. 1. *τυφλὸν ἐκ γενετῆς* quæ addita ad exaggerandum miraculum secutæ sanationis.

Ibid. *Πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ*] Ad stipem (ut statim additur) petendam. Sic Luc. 16. 20. describitur Lazarus *πρὸς τὸν πυλῶνα βεβλημένος*. Guntherus 3.

——Sic pauper ad ostia clausa
Sæpius implorans querulo vocat ore potentem.

Com. 3. *Ἠρώτα ἐλεημοσύνην λαβεῖν*] *Λαβεῖν* abundat. Sic infrà 7. 46. *ᾐτήσατο σκήνωμα εὑρεῖν*. Et hoc Græcæ elegantiæ est. Eunapius in Excerptis Legat. *Χαρίζεται τὴν εἰρήνην. καὶ ὅμηρα ᾔτει λαβεῖν.* Aristophanes ipse,

Αἰτῶν λαβεῖν τι μικρὸν ἀργυρίδιον.

Imò & Latinæ: Virgilius 10. *Donat habere.* Apuleius 8. *Dum fortè passerem incantantem sepicula consectatur arripere.* Idem 3. *Telum aliquod quærens invenire.* Fulgentius Serm. 55. de Zacharia, *Quia loqui non poterat, pugillares ut accipiat postulat.*

Com. 4. *Ἀτενίσας δὲ Πέτρος πρὸς αὐτὸν*, &c.] Virgil. *—— Intentique ora tenebant.* Hesychius, *Ἀτενίζειν λέγουσι τοὺς συντείνοντας καὶ ἐπερείδοντας τὴν ὄψιν.* Apuleius 1. *Eumque aliquantò intentiore acie aspiciens*, &c.

Ibid. *Βλέψον εἰς ἡμᾶς*] Apud Euripid. in Herc. fur.

Βλέψον πρὸς ἡμᾶς. ——

Apud Plautum Capt.

—— Agedum, aspice ad me.

Com. 5. *Ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς, προσδοκῶν τι παρ' αὐτῶν λαβεῖν*] *Ἐπέχειν* hîc (quod & infrà 8. 10. *προσέχειν* dicitur) est quod 38. 22. Sirachides *εἰς χεῖρας ἐμβλέπειν* dixit. *Κρεῖσσόν ἐστι* (inquit Sapiens ille) *τὰ τέκνα δεηθῆναί σου, ἢ σε ἐμβλέπειν εἰς χεῖρας υἱῶν σου.*
——Ἐς δὲ τὰς χεῖρας βλέπει etiam apud Euripidem est. Hoc faciunt qui ab alio se quid accepturos sperant. Psalmista, *Πάντα πρὸς σε προσδοκῶσι, δοῦναι τὴν τροφὴν*, &c. Idem, *Οἱ ὀφθαλμοὶ πάντων εἰς σε ἐλπίζουσι.* Vide & Jobi 31. 16. Horatius,

—— De te pendentis, te respicientis amici.

ubi *amicum respicere*, est, *αὐτῷ ἐπέχειν, προσδοκῶν τι παρ' αὐτοῦ λαβεῖν*, ut in Contextu nostro.

Com. 6. *Ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐχ ὑπάρχει μοι*] Hoc est præcepto Domini Matth. 10. 9. Leo Magnus, *Non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona naturæ. Quem debilem edidit mater ex utero, sanum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæsaris in nummo non vidit, imaginem Christi in homine reformavit.*

Com. 7. *Πιάσας αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς, ἤγειρε*] Vid 2 Reg. 10. 15. Marc. 5. 41. infrà 9. 41. Matth. 12. 11. & 14. 31. Theseus apud Euripidem ad Herculem humi cubantem,

Παῦσαι, (luctum scil.) *δίδου δὲ χεῖρ' ὑπηρέτῃ φίλῳ.*

Ibid. *Παραχρῆμα δὲ ἐστερεώθησαν αὐτοῦ αἱ βάσεις*]

———— Mox robora nervis,
Et vires rediere ———— Lucan. 4.

Com. 8. *Ἐξῆλθε σὺν αὐτοῖς εἰς τὸ ἱερὸν*, &c. *ἁλλόμενος, καὶ αἰνῶν τὸν θεὸν*] Scriptor Sapient. 19. 9. de Israelitis, *Ὡς ἀμνοὶ διεσκίρτησαν, αἰνοῦντές σε, Κύριε, τὸν ῥυσάμενον αὐτούς.* De patre Tobiæ recèns è cæcitate liberato, cap. 11. *Ἐξῆλθεν εἰς συνάντησιν τῆς νύμφης αὐτοῦ χαίρων, καὶ εὐλογῶν τὸν θεόν*, Adde Josephi locum infrà ad 8. 39. adductum.

Ibid. *Περιπατῶν, καὶ ἁλλόμενος*] Sic infrà de altero illo 14. 10. *Ἥλλετο καὶ περιεπάτει* Compositè incedere non sustinuerunt præ gaudii excessu. Apuleius 10. *Gaudens & hilaris lætitiam suam saltando professa est.* Longus ποιμεν. 2. *Ἥλλετο, κοῦφα βαδίζων ὡς ἔριφος.* In Pluto Aristophanis,

Ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ βούλομαι χορεῦσαι
Ὑφ' ἡδονῆς. ——

In Euangel. 6. 23. *Ὑπὸ χαρᾶς σκιρτῆν* dicitur: eò loci enim ἐνὸς διὰ δυοῖν σχέσιν intelligo. Virgil. 3. Georg.

Altiùs ingreditur. ——

Servius, *Cum exsultatione quadam incedit.* Idem ad 4. Æneid. *Ferebatur quasi cum quodam gestu.* Lactant. 5. 15. de Christo (per quem hic sanatus est) *Claudis ac pedum vitio affectis non modò gradiendi, sed etiam currendi dabat facultatem.*

Ibid. *Ἁλλόμενος*] Hinc contrà apud Hesychium, *Ἀνάλλητος, ὁ τοῖς ποσὶ μὴ ἁλλόμενος, ἤτοι χωλός.*

Com. 9. *Καὶ εἶδεν αὐτὸν πᾶς ὁ λαὸς*, &c.] Simile infrà 9. 35. vide.

Com. 10. *Ἐπεγίνωσκόν τε αὐτὸν ὅτι οὗτος ἦν ὁ πρὸς τὴν ἐλεημοσύνην καθήμενος*, &c.] Vide Joh. 9. 8. infrà 4. 13.

Com. 11. *Κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην*] Non dubito ego de veritate istius lectionis. *κρατεῖν* hîc est quod in Euang. 4. 42. *κατέχειν*, adeò præ affectu tenere quem, ut non dimittas. Glossarium, *Περικρατῶ, detineo.* Theophrastus in Character. *Καὶ θαυμάσας ἱκανῶς, ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ μὴ ἀφιέναι.* Sic, *complecti & tenere* Plinius in Panegyrico: &, *tenere* pro *morari*, *amplecti* apud Virgilium, Servio annotante.

Com. 12. *Τί ἡμῖν ἀτενίζετε ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκόσι τοῦ περιπατεῖν αὐτόν*] Apud Virgilium,

Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ
Proveniunt, neque te, Ænea, mea dextera servat:
Major agit Deus. ——

Vide & infrà 9. 34. & 40. *ὡς ἰδίᾳ δυνάμει*, &c. ut apud Polyb. *Ὡς δι' αὐτὸν καὶ τὴν ἰδίαν πρόνοιαν κατωρθωκώς.*

Com. 14. *Τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον ἠρνήσασθε, καὶ ᾐτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν*] In Excerptis Dionis, *Ἔσωσεν ὡς ἡμᾶς ἐχρῆν, καὶ ἐκόλαζεν ὡς οὐκ ἄν τις προσεδόκησεν.* In Historia Susannæ, *Τὸν ἀθῷον κατακρίνοντες, τὸν αἴτιον δὲ ἀπολύοντες.* *Ὁ ἅγιος* hîc & infrà 4. 27. est *ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε*. Joh. 10. 36. *ἠρνήσασθε*, ut 2 Pet. 2. 1. *τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι.*

Com. 15. *Τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε*] Id est, vestrûm impulsu Pilatus: sed *Unicuique imputari scimus quod alter in ejus gratiam fecerit*, Servius ad Virgilium. *Ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς* hîc est qui Hebr. 2. 10. *τῆς σωτηρίας ἀρχηγός* & 12. 2. *Ἀρχηγὸς τῆς πίστεως.* Ibidem 3. 1. *ἀρχιερεύς* & 1 Pet. 5. 4. *ἀρχιποίμην* & meliùs Recentiore Vetus, *autorem.* Gloss. *Autor, ἀρχηγὸς, αὐθέντης.*

Com. 16. *Καὶ ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ*, &c.] *Καὶ*, ut infrà 7. 5. & alibi pro *& tamen*, ità enim sequentia poscunt, *ἐπὶ* ut ad Philem. com. 4. pro *ἐν*. *πίστει τοῦ ὀνόματος* pro *εἰς τὸ ὄνομα πίστει.*

Ibid. *Τὴν ὁλοκληρίαν ταύτην*] Gloss. *Integratio* (sic legendum enim) *ὁλοκληρία*. Aliud Glossarium, *Ὁλόκληρον ποιῶ, integro.* Onomast. vetus, *Integer, ὁλομελής.* In 3 Achillis Tatii, *Ὁλόκληρον τὴν Λευκίππην ὁρῶ.*

Com. 17. *Κατ' ἄγνοιαν ἐπράξατε*] Hoc ait ut spe veniæ eos excitet. Vide infrà 13. 27. & Luc. 23. 34. Idem Glossarii Autor *Κατ' ἄγνοιαν, per ignorantiam*: ex hoc loco, & Latino Interprete, ut alibi sæpissimè.

Com. 22. *Αὐτοῦ ἀκούσεσθε κατὰ πάντα ὅσα ἂν λαλήσῃ πρὸς ὑμᾶς*] De hac loquendi forma vide ad Matth. 23. 3. dicta.

CAP.

CAP. IV.

VALLA.

27. *Convenerunt enim fere in civitate ista adversus sanctum Puerum tuum Jesum*] Contumeliosus est nunc Interpres in Jesum, quem *servum* appellat. Nam ipsa vox Græca παῖς sig. propriè *puerum*, sed absolutè: non enim dicitur *Puer meus*, aut *tuus*; quem in sensum nunc accipi nequit, cùm præsertim non fuerit puer tempore necis suæ Dominus. Significat etiam *filium*, & *servum*: quarum significationum non reddam nunc causam, satis sit earum esse insita exempla. Latini tamen vix unquam appellavere *puerum* Filium, sed frequentissimè Servum. Ergò videntur Apostoli appellare Jesum *servum Dei*, eodem modo quo paulò antè v. 25. appellaverunt David, dicentes, *Per os patris nostri David pueri tui*, παιδός. Meliùs igitur superiùs 3. 13. *Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum*, παῖδα. Et iterum 26. *Vobis primum Deus suscitans Filium suum Jesum*, παῖδα. Et paulò post v. 30. *Per nomen sancti Filii tui Jesu*, παιδός.

30. *In eo quod manum tuam extendas & signa & prodigia fieri*] Durè translatum est: quod ego sic transtulissem, *In extendenda manu tua ad sanitatem & signa & prodigia facienda*, ἐν τῷ τὴν χεῖρά σου ἐκτείνειν σε εἰς ἴασιν καὶ σημεῖα καὶ τέρατα.

36. *Joseph qui cognominatus est Barnabas*] Legendum est *Joses*, Ἰωσῆς, *non Joseph*. Alter qui vocabatur *Barsabas* dictus est *Joseph*.

REVIUS in VALLAM.

27. *Quem servum appellat.*] Non directè, ut loquuntur, sed obliquè, quia dicit, *puerum tuum*. *Puer* autem cum adjunctis *meus* aut *tuus*, non filium sed servum notat: hæc Vallæ mens est: mirum tamen, contumeliosum hoc in Christum ei videri, ut & Erasmo, cùm passim scriptura ità loquatur. Jes. 42. 1. & 53. 11. alibique.

Insita exempla] *Infinita*, legendum, ni fallor.

36. Ἰωσῆς] Positum erat post *Joseph*, perversè.

ERASMUS.

1. *Et magistratus Templi*] Καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, i. *princeps*, sive *dux*, *templi*. Nam *magistratus* hic sing. est numeri, & hominem quempiam significat cui commissa fuerit tutela Templi.

4. *Virorum quinque millia*] *Ferme quinque millia*, ὡσεὶ χιλιάδες πέντε, quod ante vertit *circiter*.

6. *Et Caiphas*] Καὶ Καϊάφαν & *Caiapham*, quatuor syllabis, & Hebræâ desinentiâ, sicut & *Annan*.

8. *Et Seniores Israel, audite*] *Audite* non additur apud Græcos; verùm id aliquis adjecit de suo. In codice Const. nec erat *audite* nec *Israel*.

9. *In benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est*] Primùm, quis unquam dixit *benefactum* illius qui beneficio sit adjutus? Deinde, quid est hoc, *in quo iste sanus factus est?* nisi fortè Petrus hoc interrogat, & ipse sibi mox respondet. Sanè Græca sic habent, εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, ἐν τίνι οὗτος σέσωσται, γνωστὸν ἔστω πᾶσιν ὑμῖν καὶ παντὶ τῷ λαῷ Ἰσραὴλ, ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου: quæ quidem sic fuerant reddenda, *Si nos examinamur hodie de hoc quòd benefecerimus homini infirmo*, (sive *quod benefactum sit homini infirmo*) *in quo* (sive *per quem*, aut *quid*) *hic salvus factus sit, notum sit omnibus vobis & toti populo Israel, quod in nomine Jesu Nazareni*, &c. h.e. Si hac de re quæstio est, & si hoc à nobis cupitis cognoscere, cujus virtute & cujus nomine hic claudus restitutus sit sanitati, scitote id esse factum nec arte magicâ neque nostris viribus, sed in nomine Domini Jesu.

11. *Qui reprobatus est*] Ἐξουθενηθεὶς *qui contemptus fuit*, sive *pro nihilo habitus*.

12. *Datum hominibus*] Τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις *quod datum sit inter homines*, h.e. quod contigerit audire inter homines. *Jesus* enim hominis est nomen. *Inter homines* addidit ob Mosen, cui fidebant Judæi.

13. *Petri constantiam*] Πέτρου παῤῥησίαν *Petri in dicendo audaciam*, sive *libertatem*. ¶ *Et cognoscebant eos*] Et Latiniùs & apertiùs ad Græca exprimenda vertisset, *& agnoverunt*, ἐπεγίνωσκόν τε.

14. *Hominem quoque*] Gr. τὸν δὲ ἄνθρωπον *hominem autem*; Interpres legisse videtur τόν τε ἄνθρωπον.

16. *Quoniam quidem notum signum factum est*] Dilucidius fuerat si vertisset ad hunc modum, *Etenim manifestarium signum factum esse per illos palam est omnibus habitantibus Hierosolymis, nec possumus negare*; γνωστὸν enim refertur ad *signum*; & φανερὸν ad ὅτι & ea quæ huic adhærent.

17. *Ne amplius divulgetur in populum*] Διανεμηθῇ. Maluissem *serpat*: & sic vertit alicubi, *ut cancer serpet*, νομὴν ἕξει. 2 Tim. 2. 17. ¶ *Comminemur eis*] Ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα *minando minemur illis*: idque Hebræorum more, quo vehementem & acrem significant interminationem. ¶ *In nomine hoc*] Hic sermo nobis frequenter obvius est in S. libris; & aliquoties *in* propositio non ineptè vertitur in *per*, aliquoties meliùs omittitur. Hîc quoniam neutrum satis quadrare visum est, reliquimus id quod erat, petentes à lectore ut hic nobis det eam veniam quam aliis pauculis excepimus. *Sub nomine* non placet quibusdam, quòd fictionem sonare videatur: quod tamen non est illi perpetuum.

18. *Et vocantes eos denunciaverunt*] Quomodo *denunciamus* præsenti? proinde παρήγγειλαν maluissem *præceperunt*: siquidem παραγγέλματα *præcepta* dici constat. Atque ità vertit ipse cap. 5. 28. *Præcipiendo præcepimus.* ¶ *Ne omnino loquerentur*] Μὴ φθέγγεσθαι, quod plus est quàm *ne loquerentur*; q. d. *ne hiscerent, aut ullam vocem ederent de Jesu.*

19. *Si justum est*] Εἰ δίκαιον *an justum sit*, sive *Justumne sit*.

21. *At illi comminantes*] Προσαπειλησάμενοι *additis minis*. Priùs enim tantùm *præceperant*. Quâ viâ cùm parùm profecissent, addidere *minas* supplicii capitalis ni parerent. ¶ *Clarificabant id quod factum fuerat*] Ἐδόξαζον τὸν Θεὸν ἐπὶ τῷ γεγονότι, *glorificabant Deum super eo quod factum fuerat*. Alioqui videtur idem bis dictum, *id quod fuerat factum in eo quod acciderat*.

23. *Quanta*] Ὅσα *quæcunque*: alioqui dixisset πόσα.

24. *Domine*] Apud Græcos plusculum est, Δέσποτα, σὺ ὁ Θεὸς, *Domine, tu qui es Deus*, sive, *tu es ille Deus*. Nisi enim subaudieris verbum substantivum sermo non erit absolutus. ¶ *Tu qui fecisti*] Σὺ ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας, *Tu es Deus, qui fecisti*.

25. *Qui Spiritu*] Hoc quoque loco Græca nonnihil discrepant; sic enim habent, ὁ διὰ στόματος Δαβὶδ παιδός σου *qui per os David pueri tui*. ¶ *Quare fremuerunt Gentes*] Hos duos versus ad verbum reddidit juxta editionem LXX. Cæterùm illud συνήχθησαν non est simpliciter *convenire*, sed *in concionem* aut *concilium, congregari, ac veluti conspirare*; quod Hebraica quoque vox indicat נוסדו. Item illud *fremuerunt* ἐφρύαξαν Hebræis est רגשו, quod sign. *cum tumultu fremituque conglobati sunt*.

27. *Vere in civitate ista*] *In civitate ista* non reperio in Græco codice, & additum videtur ab interprete quopiam. ¶ *Adversus sanctum Puerum tuum Jesum*] Stomachatur hoc loco Valla quòd Jesu Filio Dei *servi* cognomen tribuerit Interpres. Quanquam & *puer* apud Latinos *filium* significat, sed infrequenter, *servum* frequentiùs; frequentissimè *ætatis primæ hominem*. At Christus cùm salutem adferret puer non erat, siquidem morte suâ nos servavit, de qua loquitur hic. Et fortasse *servi* appellatio in hunc non convenit, etiamsi obedivit & subditus fuit Patri juxta assumptum hominem, sed ut filius, non ut servus. Proinde vertendum erat hic παῖδα *filium*, non *puerum*. Licèt non sim nescius id quod est apud Paulum, *formam servi accipiens*, à quibusdam referri ad naturam humanam assumptam, ut verè fuerit servus; at mihi magis probatur ut dicatur *inanitus*, non quòd esset homo, sed quòd ut servus, & servus flagitiosus, flagris afficeretur & cruce. Nam quòd paulò antè David *puerum*, h.e. famulum, *Dei* vocat, rectè facit. Si nusquam Interpres παῖδα vertisset *filium*, videri poterat in hac opinione fuisse, non licere secùs vertere. Nunc cùm aliàs sæpenumero sic transtulerit, atque adeò paulò pòst, mirum cur hoc loco variarit. Certè Ambrosius locum hunc adducens l. 2. De vocatione Gentium, c. 5. *Filium* legit, non *Puerum*: nè quis mihi moveat atrocem tragœdiam. Præterea S. Hilarius in Commentariis quibus hunc enarrat Psalmum *Filium* legit, non *Puerum* aut *Servum*; ac rursus l. 11. Trin. atque his omnibus recentior Cassiodorus. Et Chrysostomus enarrans hunc locum ex epistola ad Hebræos, *Sedes tua, Domine*, negat Filium appellari *servum*, cùm Angelos dixerit *ministros*. Neque tamen me fugit Hieronymum multis locis contendere, in Christum competere *servi* vocabulum. At interim non video cur aut ille laboret in

hoc,

hoc, ut Christus alicubi dicatur *servus*, aut alii tantopere abhorreant à *servi* vocabulo Jesu ut homini tribuendo. Etenim si *servus* est qui bonâ fide obedit jussis domini, Christus ut homo cur non dicatur *servus*? Sin *servus* est qui malo coactus suum officium facit, non competit in Christum *servi* cognomen. Hic cùm recensuerim in prima editione sententiam Vallæ, tamen locus hic fuit acriter à duobus impetitus, quorum alteri respondi edito in hoc ipsum libello. Alter non contentus impigisse imperitiam S. Scripturarum, fugillat me quasi cum Apollinari sentiam, qui detraham aliquid humanæ naturæ: nam id auguror illum sentire. Jam atrociorem etiam suspicionem colligit ex his verbis meis, *Etiamsi obedivit & subditus fuit Patri, sed ut filius, non ut servus*, quasi cum Arianis sentiam Filium non esse æqualem Patri. Quid impudentius hâc calumniâ? Qui fatetur Christum *subditum Patri*, nonne fatetur Hominem? Porrò *Filius Dei* dicitur juxta naturam utramque. Nec alio sensu negant Filium Dei *servum* nisi quo Christus negat suos Discipulos vocandos *servos*, sed potiùs *amicos*. Si *servi* appellatio rectè adimitur Apostolis, hæresis est eam in Christo non admittere? Et non pudet homines qui sibi videntur absolutè docti hujusmodi nænias literis prodere, atque ex vanissimis somniis impingere geminam hæresim? Atque hujusmodi periculosos errores pollicetur se quamplurimos indicaturum. Si hæc lues habet literas Theologicas, multò præstat aut in Poeticis Philosophicisque literis consenescere, aut fiscellam hibisco texere. Postremò non agitur hic an *servi* cognomen tribui possit Christo, sed an tribui soleat in S. literis. ¶ *Herodes & Pontius Pilatus*] Ἡρώδης τε καὶ Πόντιος. Græcis gemina conjunctio, *&* *Herodes & Pontius*, aut, *Herodes simul & Pontius*. Delectatus videtur hâc congeminatione Paulus quoque. Et omnino ambobus nonnihil est affinitatis in ratione sermonis. ¶ *Et populis Israel*] Nonnulli cod. habebant καὶ λαὸς *&* *populus*. Magis probatur καὶ λαοῖς. Interpretans enim Psalmum *gentes* refert ad cohortes Herodis ac Pilati, *populos* ad Judæos.

28. *Facere quæ manus tua*] Vertit Græcam figuram Interpres, quam vitasset si dixisset *ut facerent*. ¶ *Decreverat fieri*] Προώρισε γενέσθαι, *præstituerat ut fierent*, sive *præfinierat futura*.

30. *In eo quod manum tuam extendas*] Ἐν τῷ τὴν χεῖρά σου ἐκτείνειν σε *in extendendo manum tuam*. Sentit enim ità futurum ut liberè & intrepidè loquantur verbum Dei apud populum, si ille porrigat manum, & adjuvet loquentes, additâ virtute signorum. ¶ *Ad sanitates*] Εἰς ἴασιν *ad sanationem*. ¶ *Filii tui Jesu*] Παιδός. Eadem vox est Græca quam modò vertit *pueri*, haud scio quo consilio varietatem hanc affectans.

31. *Cum fiducia*] Μετὰ παῤῥησίας *audacter & libere*.

32. *Multitudinis autem credentium*] Τῶν πιστευσάντων *eorum qui crediderant*. Augustinus adducens hunc locum epist. 8. ad Lætum, addit duo verba, *Dictum est*, inquit, *Erat illis in Deum cor unum & anima una*: licèt stilus hujus epistolæ magis sapiat Paulinum quàm Augustinum.

35. *Ante pedes*] Παρὰ τοὺς πόδας *juxta pedes*.

36. *Joseph*] Ἰωσῆς *Joses*. ¶ *Quod est Filius consolationis*] *Barnabas*. Est enim vox Hebraica. בר *filius* est. נבא præter alia *recreare* significat & *refrigerari*, ac *consolari*. Etiamsi Hieronymus variè interpretatur, *Filius Prophetæ*, *Filius venientis*, sive *Filius consolationis*: quod extremum significat plurimis placuisse. Est qui putet hanc vocem in Paulo depravatam, ac pro *Barnaba* legendum *Barnabum*, ac vocem esse Syram non Hebraicam: quod ut ego in tanto codicum consensu divinare non audeo, ità non est animus acriter refellere. Hoc autem honoris habere voluit illius pietati, qui sincerè obtulerit sua, quò detestabilius redderet exemplum diversum quod sequitur. In nonnullis Græcorum cod. additum erat μεθερμηνευόμενον *quod est interpretatum*, sive, *si quis interpretetur*.

VATABLUS.

1. *Supervenerunt**]* *Illis*. ¶ *Magistratus*] Sing. numero hominem quempiam significat cui commissa erat tutela Templi.

2. *JESUM*] *JESU*, Vet. Græcè legitur, *in nomine JESU*.

3. *Autem*] *Enim*, Vet

4. *Eorum**] *Virorum*, Vet. * *ferme*: Vet: legit *quasi*.

5. *In crastinum*] *Postero die*.

7. *Virtute*] *Potentiâ*.

8. *Seniores**]* *Israel*, Vet.

9. *Dijudicamur*] Vel, *vocamur ad rationem*, i. examinamur de hoc quod benefecerimus homini infirmo, per quem, vel quâ ratione iste salvus factus sit.

10. *Quia in nomine*] *Quòd in nomine*, i. virtute, potentiâ & ope. ¶ *In hoc*] *Per hunc*.

12. *Nec enim aliud nomen est*, &c.] Heb. pro, *non est alius datus*. ¶ *Hominibus*] *Inter homines per quem*, &c. i. quem contigerit audiri inter homines.

13. *Petri**]* *In docendo*. ¶ *Constantiam*] *Audaciam*, *libertatem*. ¶ *Cognoscebant*] *Agnoscebant*.

14. *Quoque*] *Autem*.

16. *Conferebant*] *Contulerunt*.

16. *Quoniam quidem notum signum factum est*] *Etenim manifestarium* [vel, *conspicuum*] *signum editum est*.

17. *Divulgetur*, Vel, *serpat*. ¶ *Comminemur*] Vel, *etiam atque etiam interminemur*: nam *minis minemur* Hebr. pro est, *minaciter interminemur*.

18. *In nomine Jesu*] i. Tanquam Apostoli & legati Jesu.

19. *Si justum est*] *An justum sit*. ¶ *In conspectu Dei*] i. Deo judice, vel, apud Deum.

21. *Comminantes*] *Additis minis*. ¶ *Quomodo*] Vel, *propter quod*. ¶ *Clarificabant id*] *Glorificabant Deum ob id*.

23. *Quanta*] *Quæcunque*.

24. *Tu es**] * *Deus*, Vet.

25. *Pueri*] *Servi*.

26. *Convenerunt in unum*] i. In concilium congregati sunt, vel conspiraverunt.

27. *Puerum*] *Filium*. ¶ *Unxisti**] * *Prius*: sic quædam exemplaria Græca ¶ *Et populis*] Vel, *&* *populus*.

28. *Facere quæ*] *Ad faciendum quæcunque*. ¶ *Manus*] i. Potentia, juxta Hebraismum. ¶ *Decreverunt*] *Decreverant*.

29. *Fiducia*] *Audacia*.

30. *In eo quod manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri*] *Manum tuam porrigendo in hoc ut sanatio & signa & prodigia edantur* [*manum* intelligit potentiam & auxilium.

31. *Cum fiducia*] *Audacter*.

33. *Virtute*] *Potentiâ*: i. miraculis. ¶ *In omnibus illis*] Vel, *super omnes illos*.

34. *Vendebant*] *Vendebantur*: vel, *vendita fuerant*.

35. *Ante*] Vel, *ad*, sive *juxta*. ¶ *Dividebatur*] Vel, *dividebantur*, Vet.

36. *Joseph*] *Joses*. ¶ *Barsabas*] Barnabas, Vet. ¶ *Filius consolationis*] Hebr. pro *plenus consolationis*, i. ad consolandum maximè idoneus.

CLARIUS.

4. *Et factus est numerus virorum quasi quinque millium*] Vide Christianæ Philosophiæ & Veritatis efficaciam. Cernunt Magistros conjici in carcerem, & tot millia tamen adhæserunt eis.

9. *Si nos hodie dijudicamur*] Prudenter ac modestè perstringit eos, quòd in hoc tanto facto laudari non reprehendi debuissent. Et omnes hæ Petri orationes plenæ majestatis sunt atque artis, & ejus quam non ab hominibus sed è cœlo acceperant. Impletur enim jam quod pollicitus illis fuerat Dominus, *Dabitur*, inquiens, *vobis in illa hora quod loquamini*.

11. *Factus est in caput anguli*] Nempe anguli illius domûs quæ ex fide construitur: de qua alibi Petrus: *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis*. Hic ergò Lapis utrumque parietem conjunxit, & Judæorum & Gentium, in unam fidei conspirationem. Quàm verò sibi essent conscii veritatis Apostoli, verba indicant illa magnifica profectò & quæ nunquam quisquam protulisset qui in Veritatis penetralia non fuisset admissus, hæc scilicet, *Non est in alio ullo salus: neque enim nomen est aliud sub cœlo datum hominibus in quo oporteat salvos nos fieri*.

16. *Quid faciemus hominibus istis?* Sic & in Domini causa fecerunt: dicebant enim, *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit*. An non erat utrobique concludendum, hæc ejusmodi signa esse consideranda, & cavendum nè odio atque invidiâ decepti aberrarent? Sic mens, ubi semel à veritatis lumine deflexit, majoribus semper se obruit tenebris.

27. *Cum gentibus*] Hoc est quod prædixerat Dominus, *& tradent eum gentibus*.

28. *Facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri*] Non dixit, *facere quæ voluerunt*: nam cùm impiè quis agit, nun-

nunquam Divini consilii potest limites transilire. *Hucusque*, inquit, *collides tumentes fluctus tuos.*

29. *Et nunc, Domine, aspice in minas eorum, & da servis*] Quid? ut eos ulciscatur? non. Sed da, inquiunt, nè eorum furor impedimento sit huic promulgandæ veritati.

ZEGERUS.

8. *Seniores Israel, audite*] *Audite* subdititium est, utpote quod nec Græcis legitur, nec Cypriano lib. contra Judæos 2. c. 15. nec Irenæo, nec in cod. nostris antiquis.

9, 10. *Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis*] Apud Euangelistam ità legimus, Εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, ἐν τίνι οὗτος σέσωσαι, γνωστὸν ἔστω πᾶσι καὶ τὰ ἑξῆς. Quibus verbis cùm D. Petrus rationem reddat Principibus sciscitantibus quànam virtute cujúsque nomine opus illud curationis fecisset, fortasse magis quadrabit si hoc pacto interpretentur, *Quia nos hodie examinamur* [vel *interrogamur*] *ob beneficium homini infirmo collatum, per quid quáve ratione hic salvus factus sit, notum sit omnibus vobis, simul & universo populo Israel, quòd per nomen Jesu Christi*, &c. ¶ *In hoc iste astat*] Non est ἐπὶ τούτῳ, ut nè Causa significari putetur; nec ἐπὶ τούτῳ, ut Tempus vel Locus intelligi possit; sed ἐν τούτῳ, i. *per hunc*, ut subaudias *Jesum*, vel *per hoc*, ut subintelligas *nomen Jesu*.

11. *Factus est in caput anguli*] Utrumque populum, Judæos videlicet & Gentiles, quasi duos parietes connectens. Quod autem nobis est *caput* Hebræis est ראש, quod illis nunc *caput*, nunc *summum*, nunc *initium* declarat.

13. *Petri constantiam & Johannis*] Παῤῥησία certius aliquid declarat, nempe *in dicendo constantiam*.

23. *Annunciaverunt eis quanta*] Pro *quàm multa* posuit, sicut & aliás. Refertur enim ὅσα propriè ad numerum. Et frequenter etiam *quæcunque*, sicuti hic significare potest, significat. Quòd autem ὅσα rectè *quanta* interpretatur, maximè si de quantitate accipias discreta, perspicuum fit ex illo Luc. 4 23. ὅσα ἠκούσαμεν γενόμενα ἐν τῇ Καπερναούμ.

24. *Domine, tu qui fecisti*] Sic habet Bedæ glossema, & Biblia antiqua, absque *es*, & absque *Deus*, quod in Græcis est. Ambrosius tamen lib. De vocatione Gent. & Hilarius in Psal. 2. addunt *tu es*; id quod non facit Hieronymus Comm. in Job 39.

27. *Verè in civitate ista*] In Græcis adjiciendum ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, sicuti cum Interprete nostro legit Irenæus, Ambrosius, & Hilarius locis suprà citatis, & Chrysostomus.

30. *In eo quòd manum extendas*] i. *Extendendo manum tuam.* Id enim est ἐν τῷ τὴν χεῖρά σου ἐκτείνειν σε. ¶ *Ad sanitates & signa & prodigia fieri*] Græcam phrasim reliquit Interpres, pro eo quod est, *ut sanitates, signa & prodigia fiant.*

36. *Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum, Filius consolationis*] *Barnabas* juxta Hieronymum interpretatur *Filius prophetæ*, vel *Filius venientis*, aut, ut plerique (inquit) putant, *Filius consolationis.* Atque hinc in suspicionem vocor Euangelistam *Barnabas* aut *Barnachum* scripsisse, נחום, quod interpretatur *consolatio* (unde נחום *Nachum* Propheta dictus est, i. *Consolator*) atque id successu temporis depravatum esse in *Barnabas*, ob vicinitatem literarum, aut ob cognitionem hujus vocis vulgatiorem; quâ occasione & alia nonnulla corrupta reperias: Quemadmodum *Joseph*, quod paulò antè præcessit, probabile est à Latinis mendosè scribi, cùm Græcis Ἰωσῆς *Joses* scribatur, uti scriptum cernitur in epistola Urbani Papæ. Nonnulli codices habent *Barsabas*: sed Beda adnotat sic non habere exemplaria emendatiora.

H. STEPHANUS.

1. Ἐπέστησαν] *Supervenerunt.*

2. Διαπονούμενοι] *Ægre ferentes.* Respondet omnino ei quod Gallicè dicitur, *Estant en peine de ce que*, &c.

3. Ἔθεντο εἰς τήρησιν] *Tradiderunt servandos.*

6. Ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ] *Ex genere pontificio.*

9. Ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς] *Inquiritur in nos super beneficio in hominem ægrotum collato.*

11. Ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς] *Lapis pro nihilo habitus.*

13. Καὶ καταλαβόμενοι] *Et cum comperissent.* ¶ Ἦσαν] *Fuerant.*

15. Συνέβαλλον πρὸς ἀλλήλους] *Conferebant sermones inter se: vel, consultabant.*

17. Ἐπὶ πλεῖον διανεμηθῇ] *Amplius disseminetur.*

25. Ἐφρύαξαν] *Fremuerunt.*

34. Κτήτορες χωρίων] *Possessores prædiorum.* ¶ Πωλοῦντες ἔφερον τὰς τιμὰς τῶν πιπρασκομένων] *Vendebant, & afferebant pretia venditorum.*

DRUSIUS.

1. *Præfectus templi*] Priùs erat in ed. Vulgata *magistratus templi.* Hebraicè diceretur פקיד ההיכל. Sic enim certè Elias interpretatur אסטרטגא, quod στρατηγὸν sonat: Quippe hanc Græcam vocem Hebræi suam fecerunt. Baal Aruch citat ex Talmud אילי אסטרטיגי, & interpretatur שרים *principes, duces*: אילי autem, *divites*. In Genesi magno, *duo* אסטרטיגין στρατηγοὶ, sive *præfecti*, *unus dominatur in diem, & alter in noctem.* Interpretes Chaldæi eâdem utuntur in voce quæ *stationem* notat; quam Hebræi נציב dicunt 1 Sam. 13. 3. & Aquila ὑπόστημα convertit, i. *stationem militum.* Similiter 1 Sam. 10 4. נציבי פלשתים interpretantur στρατηγοὶ τῶν Φυλιστιαίων *præfecti Philistæorum.* Alibi *principes regis*, שרי המלך, convertunt אסטרטיגין דמלכא στρατηγὸς τοῦ βασιλέως. Etiam interpretamentum est apud eos τῶν הסגנים, de quibus diximus in Annot. nostris ad Estheram. Hinc perspici potest cur David de Pomis & alii אסטרטגא *stationem* interpretentur. Nam נציב *statio*, ut in Chronico templi secundi נציב רומיים *statio Romanorum.* Sed aliud אסטרטגא, aut ego vehementer hallucinor. Si נציב etiam *præfectum* significaret, posses hic vertere נציב של ההיכל; quem Syrus vocat ἄρχοντα τοῦ ναοῦ *principem templi.* Hoc enim sonat ארכונא דהיכלא *archona dehechla.*

5. *Seniores*] Quos הזקנים *senes* vocant Hebræi, videlicet Judices synedrii majoris: quorum princeps, i. נשיא, Herodis M. tempore nominabatur *Hellel senex*; & pater domûs Judicii, *Sammaus senex.* Etiam reliqui minores Judices *senes* vocabantur, q. *senatores.* Sed de majoribus accipiunt in libro Aboth, *Josue tradidit senibus*, sub eodem nomine Judices, i. Rectores ac Præsides, comprehendentes, à quibus nomen accepit *liber Judicum.* Vide Jucha. 158. 1, & 2. Aut *senes* dicit *Sapientes*, qui & *Pharisæi.* Quo sensu nomen hoc interdum accipitur. *Principes* autem *dici, quos postea Sanhedrin, i. συνέδριον, vocarunt, qui erant ex tribu Juda, antequam Herodes crudelissimè in Davidis genus sæviret*: quod vir doctus hic annotavit, mihi nullus persuadet. Nam ut demus aliquos fuisse ex Davidis genere, non omnes tamen fuerunt, si credendum Hebræis, qui scribunt ex unaquaque tribu fuisse senes: de quo mihi adhuc dubium. Illud certum, Principem eorum, quem נשיא vocabant, fuisse ex posteritate Davidis genere materno, sicut ille qui in Babylonia *caput deportationis* vocabatur, erat ex eadem posteritate quoad genus paternum. Quod observatum in Johasin, & alibi.

6. *Annas princeps sacerdotum*] Scribendum *Hannas* cum aspiratione, vel ex ed. Syriaca, in qua חנן *Hanan.* Nomen hoc legitur in Juchasin, *Hanan F. Absalom, & Admon, duo judices*, &c. & in fine במשנה, *Hanan Ægyptius judex collega ejus*, videlicet Admonis, de quo R. Jochanan F. Zachæi, *Video ego verba Admon*, &c. Ambo tempore templi secundi vixerunt, & Sapientes magni fuerunt. Cæterùm Græca scriptura Ἄννας eadem est cum Hebraica, si adspiratio addatur. In Latina *Annas* versa est ultima nominis barbari, ut fit, in *s*. *Annan, Annas*; ut *Annibal*, Ἀννίβας. Hoc tamen interest, quòd Hebræi hoc nomen scribunt חנן unicâ *n*. Græci verò & Latini *Annas*, cum duplici *n*. ¶ *Caiphas*] Syrus קיפא scribit. Nomen hoc nondum mihi lectum apud autores Hebræos: unde nescio utra scriptura melior sit. Nam in cod. Græcis Καϊάφαν *Caiaphan*, quod nomen est tetrasyllabum, cùm *Caipha* sit dissyllabum. Vers. 1. ἱερεῖς videtur positum esse pro ἀρχιερεῖς quod novum & insolens non est in his literis. Nam & *Angelus* reperitur pro *Archangelus*, & ποιμὴν pro ἀρχιποίμην. Qui hoc nescit, parùm omnino scit. ¶ *Ex genere sacerdotali*] Sic loquendo fortè intellexit genus pontificum. Nam *Sacerdos* aliquando idem quod *summus sacerdos*, i. Pontifex Max. & *sacerdotium*, h. e. ἱερωσύνη, pro ἀρχιερωσύνη ponitur, quod est *summum sacerdotium.* Nos *Pontificatum* dicimus. Interdum tamen *Pontifex maximus* diversus est ab eo qui כהן הגדול *sacerdos magnus* appellatur, ut alibi observavimus. Syrus, *ex genere* דרבי כהנא *principum sacerdotum.*

9. *Si nos hodie dijudicamur*] i. Cùm: ut, *Si erit Jubilans*: &, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Si hoc significatu reperitur etiam apud autores Latinos.

11. *A vobis ædificantibus*] i. בונים aut בנאים. Sic olim Sapientes vocabantur, qui ædificant super ædificium Legis. Vide

de quæ notavimus Matth. 21. 42. *lapidem quem reprobaverunt ædificantes.* Nam eadem ibi sententia.

13. *Homines sine literis*] h. e. illiterati: quia videlicet non erant instituti in schola Pharisæorum. Sed quantò melior schola Christi, qui eos instituerat & erudierat per triennium, aut eo plus? Non ergò simpliciter ἀγράμματοι, ut nec illi sunt qui annos aliquot consumpserunt in studio sacrarum literarum, licèt exoticarum disciplinarum penitus expertes atque ignari sint. ¶ *Et idiotæ*] הדיוטות quod est nomen plurale à sing. הדיוט *idiota* sive *idiotes.* Utuntur pro *homine privato*, & pro *vili abjectóque*; item pro *vulgari*: unde כהן הדיוט pro qui non est Pontifex max. vel summus Sacerdos: & pro *indocto rerumque imperito.* Vide sis Eliam in libro ubi dictionum Rabbinic. sensa explicat, quem *Thesbi* vocat. Eusebius ei σοφὸν opponit: alii, eum qui ab Hebræis מומחה dicitur, qui est homo autoritate præditus & probatæ fidei: unde רופא מומחה *medicus expertus & probatus.* Usurpatur etiam de re; ut cùm dicunt, דבר מומחה *res probata & authentica præstánsque.* In lib. Præcept. 186. 2. *Judices justi* מומחין לדון *& apti*, sive *idonei*, *ad judicandum.* Lex Chald. Munsteri, מומחה *bonum valde*, *authenticum*: quod autoritatem habet videlicet.

18. *In nomine Jesu*] Aliquantò post, v. 30. *per nomen sancti filii tui Jesu*, διὰ τοῦ ὀνόματος. Vide Mar. 9. 37, 38. Bezámque ad eum locum. Psal. 63. 4. *In nomine tuo levabo manus meas*, R. D. explicat, *ope tuâ*, sive *auxilio tuo.* Sic alibi, *In nomine tuo conculcabimus eos qui contra nos insurgunt.* Nam illud, *In nomine tuo levabo manus*, exponunt, *Invocato nomine tuo.* Sermo iste passim occurrit, & est ubi præpositio commodè omitti potest. *Sub nomine tuo*, inquit Erasmus, *quibusdam displicet, quòd Fictionem significare videatur: quod tamen non est illi perpetuum.*

25. *Spiritu sancto per os David pueri tui dixisti*] Sic Mar. 12. 36. *David dixit in Spiritu sancto*: & Matth. 22. 43. *in Spiritu vocavit eum DOMINUM.* Vide quæ ibi scripsimus. Sed quid? an non alii etiam in Spiritu locuti sunt? Hoc peculiariter dicitur de Hagiographis, qui כתובים appellantur, *quia scripti sunt* ברוח הקדש *in Spiritu sancto.* Nam Prophetæ in excellentiore gradu fuerunt, licèt etiam in Spiritu sua scripserint.

27. *Puerum tuum Jesum*] Παῖδά σου ambiguum est ad *filium tuum* & ad *servum tuum.* Nam παῖς utrumque sign. Sane v. 30. *per nomen sancti* παιδός σου Ἰησοῦ noster habet *per nomen sancti Filii tui Jesu.* Nomen Hebræum עבד propriè *servum* denotat. Id Græci interpretes tam sæpe παῖδα reddunt quam δοῦλον. Ut ut sit, עבד vocatur non tantùm qui servitutem servit, sed etiam qui Deum colit. Nam עבד *colere.* Sic David vocatur *servus Domini*: & legimus v. 25. *Qui per os David pueri tui dixisti*, i. servi tui. ¶ *Et populis Israel*] i. Tribubus. Gen. 48. 4. *Ponam te in cœtum populorum*: & apud Davidem, *Cœtus populorum circumdabit te.* Juch. 156. 2. & Camium Hebræum Psal. 7. 7. Contrà *tribus*, i. φυλὴ, pro *populo* ac *gente* ponitur. Dicunt autem promiscuè *populus Israel* & *populi Israel*, ut *populus terræ* & *populi terræ.* Sic, *appositus est ad populum suum*, & *ad populos suos*, eàdem sententià. Hinc lux Davidi Psal. 2. 1. *Quare tumultuatæ sunt gentes, & populi meditati sunt inania?* quâ illustratus facilè confutabit Petrum Galatinum ità scribentem, POPULUS *in plurali numero Scriptura semper pro iis qui Judæi non sunt accipit.* Vide illum l. 8. c. 3. & 6. De arcanis cathol. veritatis.

36. *Joses*] Qui & *Joseph*, & יוסי *Jose*, unde *Joses* Græcà terminatione; ut *Mose*, *Moses*: de qua re antea vos monuimus. ¶ *Barnabas*] Ex interpretatione quæ subjicitur conjicio (sed conjicio tantùm) legendum *Barnamas*, μ charactere, ut fit, in β mutato propter affinitatem. Contrà Σενναχηρείμ lectum pro Σενναχηρείβ. Vide Castig. meas in Tobiam. Hinc *Abana* & *Amana*, *Bethamara* & *Bethabara.* Certè *Barnama*, qui Græcà declinatione *Barnamas*, est *Filius consolationis.* *Nama* נחמא, ut *Nas* dicebant pro *Nahas*, i. *serpens.* *Barnabas* aliud sign. Sic hoc arbitrarium. Error iste, si error est, natus fuit ex antiquo charactere literarum β & μ, qui talis est ut vix una litera ab alia dignosci & discerni possit. Sciunt qui veteres libros triverunt. Vide Act. 9. 27. ¶ *Filius consolationis*] Hoc Syrus dicit בר נויחא, quod à verbo Syriaco נוח deducunt. Id sign. *consolatus est.* Sed ab eo non potest esse *Barnabas*, nisi admodum coactè. ¶ *Cyprius genere*] Syrus, *ex loco Cypri.* Vult dicere, *ex Cypro insula.* Nam *locus* & pro *urbe* & pro *regione* sumitur: Cur non pro *insula*?

CASAUBONUS.

3. KAI ἔθεντο εἰς τήρησιν εἰς τὴν αὔριον] Τήρησιν vocat & hic & infrà *locum ubi rei asservabantur.* Qui puriùs Græcè loquuntur Φυλακὴν dixissent, ut infrà 12. 4.

10. Ἐν τούτῳ οὗτος παρέστηκεν ἐνώπιον ὑμῶν ὑγιής] In quibusdam libris posita est στιγμὴ post vocem νεκρῶν· quod si sequimur, sequentia ità fuerint accipienda ut *per hunc* vertendum sit cum Erasmo, non *per hoc* cum aliis; quæ lectio mihi videtur elegantior.

21. Μηδὲν εὑρίσκοντες τὸ πῶς κολάσωνται αὐτούς] More suo Lucas τὸ πῶς dixit pro ὅπως. Sic in priori libro, c. 22. 4. καὶ ἀπελθὼν συνελάλησε τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς στρατηγοῖς τὸ πῶς αὐτὸν παραδῷ αὐτοῖς.

32. Ἦν ἡ καρδία καὶ ψυχὴ μία] His verbis summus animorum declaratur consensus. Sic apud Poetam ὀδ. γ. ἕνα θυμὸν ἔχειν.

33. Καὶ μεγάλῃ δυνάμει ἀπεδίδουν] Ὡς ἐγχειρισθέντες, inquit Scholiastes. Itaque non malè V. Interpr. *reddebant.* Facit huc illud Pauli ad Timotheum scribentis, Ὦ Τιμόθεε, τὴν παρακαταθήκην φύλαξον. ¶ Χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς] Hoc loquendi genus per verbum *sequi* vel *comitari* commodè posse exprimi existimo. Est enim quod Græci dicere solent ἕπεται χάρις, vel ἀκολουθεῖ· neque aliud, opinor, his verbis significatur quam quod dictum est suprà 2. 47. *Apostolos apud populum totum gratiam habuisse.* Itaque ἐπὶ non aliter hic vertendum quàm ut in seq. cap. v. 5.

GUALTPERIUS.

1. OI Σαδδουκαῖοι] De Sectis & hæresibus Judæorum hæc scripsit Carolus Sigonius lib. 5. c. 11. De Republ. Hebræorum. *Locus inde admonet, quoniam de Legis interpretibus diximus, ut de doctrina quoque Judæorum agamus, quæ ultimis celebrata temporibus, in septem partes divisa fuit, quas septem Hæreses appellarunt. Fuerunt autem, teste S. Epiphanio, hæ,* Sadducæi, Scribæ, Pharisæi, Hemerobaptistæ, Nazaræi, Osseni, & Herodiani. *De quibus primùm sigillatim deinde conjunctim edisseremus.*

SADDUCÆI *nomen à* Sadoc *accepere, Antigoni discipulo, qui cum defecisset ad templum montis Garizin à Manasse inter Samaritas constructum, Alexandro Magno regnante hæresin intulit Sadducæorum, teste R. Abraham in Cabala historica. Hi verò, ut inquit Josephus, fatum negarunt, atque omnia nostro arbitrio subjecerunt; animas mortales esse, & propterea resurrecturas non esse, dixerunt: Deum mala omnia videre negarunt; & inhumani ac longè ab omni communione aversi fuerunt. Et, ut addit S. Epiphanius, Angelos & Spiritum S. ignorarunt, atque omnia æqualiter cum Samaritis observarunt, cùm tamen Judæi essent, & Hierosolymis sacrificium facerent.*

SCRIBÆ *verò, inquit S. Epiphanius*, Legis expositores fuere, velut Grammaticam quandam scientiam exponentes, reliqua quidem, velut Judæi facientes, verùm superfluam quandam & sophisticam interpretationem inducentes, non solùm secundùm Legem viventes, sed etiam abundantiùs; ut qui urceorum demersiones ac purificationes servarent, poculorum item ac patinarum & aliorum ministerii vasorum; & tanquam videlicet ad sinceritatem ac sanctitatem dispositi, crebrò manus lavarent, crebróque purificationes quasdam per lavacra abhiberent. Habebant autem fimbrias quasdam significantes politiam ipsorum ad ostentationem elationis & laudem spectantium: & phylacteria apud seipsos palliis addebant, h. e. latas notas purpuræ. Expositiones autem apud ipsos quatuor erant; una in nomen Moysis Prophetæ, secunda in præceptorem ipsorum Acibam appellatum, sive Baracibam; tertia in Andan, sive Annan, qui Judas; quarta in filios Assamonæi. *Neque verò dubium est quin hi ex eorum numero fuerint quos* Legis Doctores *diximus.*

PHARISÆI *porrò, auctore Josepho*, certiorem legalium rituum cognitionem professi sunt, vitam abjectam egerunt, nihil molle, nihil delicatum adhibentes. Fato omnia tribuerunt, nec tamen liberum hominis arbitrium sustulerunt. Judicium Dei futurum censuerunt, quo homines pro meritis præmia pœnásque consequerentur. Animas immortales duxerunt, earúmque post mortem alias æterno carceri destinandas, alias in vitam reversuras, ità ut bonorum animæ in corpora hominum remigrarent, malorum autem in pecudum. *De his sic S. Epiphanius*, Pharisæi eadem cum Scribis sentiebant; conversabantur enim cum eis. Virginitati & continentiæ studebant; frequen-

quenter orabant, caventes nè quâ se labe corporis macularent. Durissimis stratis cubabant. Bis in Sabbato jejunabant, secundâ & quintâ die. Decimabant decimationes, dabant primitias, trigesimas & quinquagesimas. Sacrificia ac vota exactissimè persolvebant. In prædicto verò Scribarum habitu incedebant, & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis, & calceamentorum ligulis procedentes. Dicebantur autem *Pharisæi*, eò quòd separati essent ab aliis propter spontaneam superfluam religionem apud ipsos receptam. PHARES enim Hebraicâ linguâ *Separationem* significat.

HEMEROBAPTISTÆ autem eadem cum Scribis & Pharisæis senserunt, & cum Sadducæis resurrectionem mortuorum abnuerunt. Præcipuum verò illud habuerunt, quòd se quotidie baptizarunt; unde nomem etiam acceperunt.

Jam verò NAZARÆI à Galaaditide & Basanitide regione & locis ultra Jordanem originem trahentes, in omnibus instituta Judæorum servabant, circumcisionem, Sabbatum, festivitates omnes. Victimas autem non mactabant, neque animatis vescebantur. Patres accipiebant de quibus scribitur in quinque libris Moysis; ipsos autem libros Moysis non probabant; dicebántque Moysen fuisse, sed aliam legem quàm quæ tradita esset accepisse.

OSSENI originem duxerunt à Nabatica regione, Ituræa, Moabitide, & Areilitide, quæ est ultra mare Mortuum; Judæi quidem genere, sed moribus hypocritæ, mentis industriâ versuti. *Hi à Josepho* Essæi *dicuntur, atque secundo Belli his verbis describuntur*, Essæi nuptias respuerunt, alienos verò liberos adoptarunt, divitias spernentes. Haud certas urbes quas incolerent habuerunt; & bona sua cum sociis communicarunt, nec vestitum nec calceum novum, nisi veteribus attritis, sumpserunt. Commerciorum nullus inter eos usus. Egentibus prestò fuerunt, eandem ab illis beneficentiam relaturi. Religionem mirificè coluere, frigidâ aquâ se quotidie abluentes. Inter vescendum summum silentium adhibuere. Non nisi probatâ continentiâ homines in societatem recepere; receptos autem magnis exsecrationibus obstrinxere, se Deum, fidem, justitiámque culturos. Deprehensos in peccatis societate deturbavere, ac nè cibum delatum caperent vetuere. Judicia severissimè exercuere; mortem & cruciatus contempsere. Animas bonorum ad fortunatas insulas abire, malorum ad loca inferna, putavere. *In libro autem Antiquitatum* 18. *ità*, Essæi cuncta ad Deum referunt. Immortalem animam censent. In templo anathemata prohibent. Sacrificia cum populo non celebrant, quòd se putant munditiâ & sanctitate illis præstare. Moribus optimis sunt. Agriculturæ student; omnia habent communia; neque uxoribus neque servis utuntur. Sacerdotes viros optimos eligunt. Cibum simplicem atque habitum parcum & mundum adhibent. *Plinius lib.* 5. Ab occidente litera Esseni fugitant usque qua nocent, gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla femina, omni Venere abdicatâ, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renascitur, largè frequentantibus quos vitâ fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ità per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est in qua nemo scitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est. Infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis fertilitate palmetorúmque nemoribus, nunc alterum bustum. Inde Masada castellum in rupe, & ipsum haud procul Asphaltite. *Sed multò præclariùs Philo in eo libro quem inscripsit*, OMNES PROBOS ESSE LIBEROS, In Syria, *inquit*, & Palæstina, quæ partes Judæorum sunt haud modicæ, dicuntur quidam nomine *Essæi*, numero ultra quatuor millia, à voce Græca *Essæi*, quasi ὅσιοι, id est, *Sancti*, vocati, quoniam Dei cultores præcipui sunt, nulla animalia sacrificantes, sed mentes suas sacras efficiendas existimantes. Hi vicatim habitant, urbes vitantes propter eorum qui tractant civitates improbitates. Eorum alii agriculturæ student, alii artes exercent quæ pacis sociæ sunt. Neque aurum neque argentum sibi condunt: neque agros latos parant cupiditate redditum, sed necessitate victûs. Nemo bellicorum armorum apud eos est opifex. Sed neque in pace ullum mercaturæ genus attingunt. Servos non habent, sed liberi omnes sunt, mutua ministeria suppetentes. Rationalem & naturalem Philosophiam respuunt, Divinam amplectuntur. Morali maximè student, patriarum legum auxilio usi; quas præcipuè septimâ die docentur. Imbuuntur autem sanctitate, justitiâ, cæterísque virtutibus, tres regulas adhibentes, Dei, Virtutis, Hominúmque amorem. Quòd Deum diligant, illud est indicio, quòd perpetuam castitatem adhibent, jusjurandum & mendacium non dicunt, & quòd bonorum omnium nullius verò mali auctorem esse Deum arbitrantur. Quòd Virtutis studiosi sint, ex eo perspici potest quòd pecuniam & gloriam negligunt, quòd voluptates respuunt, & constantiam præstant. Quòd Hominum charitate flagrent, indicat amor & societas inter eos. Una enim est omnibus domus, una vestis, unum ærarium, unus sumptus, communis victus & vita. Quin etiam quæstus in commune conferunt, ægrotantes communiter curant, & seniores loco parentum habent.

HERODIANI *verò*, *ut inquit Epiphanius*, omnino Judæi erant, sed vani atque hypocritæ. Verùm Herodem putabant Christum Dominum qui in omnibus Scripturis Legéque ac Prophetis exspectatur; & ob ipsum decepti Herodem jactabant, inducti ex dicto hoc, NON DEFICIET PRINCEPS EX JUDA, ATQUE DUX EX FEMORIBUS IPSIUS, DONEC VENERIT CUI RESERVATUR: huic reservatum esse dicentes, qui erit alienigena. *Item Tertullianus De Præscriptionibus*, Pharisæi additamenta quædam Legis astruendo à Judæis divisi sunt. Herodiani Christum Herodem esse dixerunt.

Ex his autem omnibus præcipuè floruere ante Christi adventum Pharisæi & Sadducæi. Itaque Hierosolymis, ut inquit Josephus, populares Pharisæis, optimates Sadducæis se adjunxerunt. Pharisæorum autem extraordinarias in Rep. opes ægrè inde ferens Johannes princeps leges ab eis allatas (hæ novæ traditiones erant præter antiquas Mosaicas) sustulit, & ad Sadducæos se contulit. Pharisæi tamen adeò potentiâ valuerunt, ut post auxilio Demetrii Eucæri Syriæ Regis bellum Alexandro Regi Judæorum intulerint, & Moabitide ac Galaaditide terrâ ipsum cedere compulerint. Indè mortuo illo Alexandram Reginam sibi obsequentem adepti leges suas recuperarunt, ac multò vehementiùs sævire in Urbe & Regno toto instituerunt, quousque res ad duos fratres regios recidit, Hyrcanum & Aristobulum, quorum alter Pharisæus, alter Sadducæus fuit. Cùm autem Christus Evangelium suum pandere populo cœpit, Scribæ, Pharisæi, Sadducæi & Herodiani præcipuè viguerunt, ac propterea soli in Evangelio memorantur, ut qui Christo novam doctrinam prædicanti se præcipuè objicerent. Atque ut ipsi sæpe illum tentandi causâ variis interrogationibus fatigarunt, ac verbis irritare conati sunt, sic & ipse illos insectatus, & hypocrisim ac doctrinam eorum ut parùm vitæ congruentem detegere nixus est. Recitabo ordine ipsa Evangelii loca, ut res clarissimè agnoscatur. S. Marcus cap. 3. Exeuntes Pharisæi cum Herodianis consilium faciebant adversùs eum, quo modo perderent eum: & 7. Pharisæi & quidam de Scribis, cùm vidissent quosdam de discipulis Domini communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt. Pharisæi enim & omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum. Et à foro venientes, nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum S. *Lucas* 11. Vos Pharisæi, quod de foris est calicis & catini mundatis. S. *Matthæus* 15. Tunc accesserunt ad Jesum Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes, Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum? non enim lavant manus suas cùm panem manducant. Ipse autem respondens ait illis, Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, Honora patrem tuum & matrem; &, Qui maledixit patri vel matri, moriatur: Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. *Quas traditiones declarant S. Hieronymus epist.* 151. *sic*, *inquit*, Quantæ traditiones Pharisæorum sint, quas hodie vocant δευτερώσεις, & quam aniles fabulæ, evolvere nequeo. Neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia sunt ut erubescam dicere: dicam tamen unum in ignominiam gentis inimicæ. Præpositos habent Synagogis sapientissimos quosque, fœdo operi delegatos, ut sanguinem virginis, sive menstruatæ, mundum vel immundum, si oculis discernere non potuerint, gustu prælibent. Præterea quia jussum est ut diebus Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco in quo habitat, si quando eos juxta literam cœperimus arctare, ut non jaceant, nec ambulent, non stent, sed tantùm sedeant, si velint præcepta servare, solent respondere & dicere, Rabakiba & Symeon & Hylle Magistri nostri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbato; & cætera hujusmodi, doctrinas hominum præferentes Doctrinæ Dei. *Hinc scripsit S. Eucherius super primum Actuum*, SABBATI HABENS ITER, Sabbati iter significare mille passus, quia Sabbato usque ad montem Oliveti ire Judæis licitum erat, vel certè, sicubi fuissent, tanto spatio deambulandi licentiam præsume-

mebant. *Jam verò S. Marcus* 8. Cavete à fermento Pharisæorum, Sadducæorum, & Herodianorum. *S. Matthæus* 16. Accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis. Itaque dixit, Intuemini, & cavete à fermentis Pharisæorum & Sadducæorum. Tunc intellexerunt quia non dixit, Cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum: *&* 12. *cap.* Pharisæi videntes discipulos legere spicas Sabbato, dixerunt ei, Ecce discipuli tui faciunt quæ non licet facere in Sabbatis. *Item*, Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, Magister, volumus à te signum videre: *&* 12. Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogaverunt eum, In resurrectione cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam: *& post*, Pharisæi autem audientes quòd imposuisset silentium Sadducæis, convenerunt in unum, & interrogavit unus ex eis Legis doctor, tentans eum: *& S. Marcus* 12. Mittunt ad eos quosdam ex Pharisæis & Herodianis, dicentes, Licet tributa dare Cæsari, an non? *His ergò tentationibus irritatus Christus mores eorum ac vitam demonstravit, inquiens* 23. *S. Matthæi*, *& S. Lucæ* 20. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergò quæ dixerint vobis servate & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera graviora & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis & primas cathedras in synagogis, salutationes in foro & vocari ab hominibus Rabbi. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, oratione longâ orantes; Quia circuitis mare & aridam ut faciatis unum proselytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos; Quia decimatis, mentam & anethum & cyminum, & reliquistis quæ sunt graviora Legis, judicium & misericordiam & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ: Quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitiâ. Væ vobis quia ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum. *Quas autem fimbrias & phylacteria Pharisæorum nominavit, de iis sic mandarat DEUS Num.* 15. Loquere filiis Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas. *Consuetudinem verò totam Pharisæorum sic explicuit S. Epiphanius*, Habebant fimbrias quasdam significantes politias ipsorum, ad ostentationem elationis & laudem spectantium: & phylacteria palliis suis addebant, hoc est, latas notas purpuræ. Fimbriæ enim oræ & margines sunt; phylacteria verò, signa ac notæ ipsius purpuræ, quæ inquit Dominus dilatata fuisse. Nam fimbrias prætextus quosdam in quatuor alis amiculi unusquisque habebat ex ipso stamine illigatas, quo tempore continenter agebant ac virginitatem exercebant. *In Actis indè horum etiam mentio celebratur; ut cap.* 4. Loquentibus Apostolis Hierosolymis ad populum supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus Templi & Sadducæi, dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in Jesu resurrectionem ex mortuis: *&* 5. Exsurgens Pontifex, & omnes qui cum eo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo: *&* 24. Sciens Paulus quia una pars erat Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in concilio, Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe & resurrectione mortuorum ego judicor. Et cùm hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos. Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utrumque confitentur. *Hactenus de septem Hæresibus dictum sit.*

Pharisæis autem adjuncti sunt Gaulonitæ. Hi Herode Magno regnante suborti sunt. Ea verò res ab hoc fonte profecta est, *Cæsar Augustus, sublatis vectigalibus, tributa ordinaria in caput & agros indixit, atque ob id totum censeri orbem Romanum instituit, ità ut Judæam etiam, quam Herodi Regi se appellato subjecerat, censeri, ac tributum in caput pendere jusserit. Quo facto, Judas quidam exstitit qui, adjuncto Sadoco Pharisæo, negavit populum Dei alium dominum quàm DEUM agnoscere debere, nec censum Augusto solvendum esse, qui servitutem ostenderet. Hunc vero qui sectati sunt, populum, ne tributum Cæsari daret solicitarunt, mortem vero & supplicia contempserunt, in vestitu & cæteris cum Pharisæis consenserunt. Unde Pharisæi quoque aliquando Christum tentandi gratiâ sciscitati sunt num dandum esset tributum Cæsari, quòd ea res per ea tempora varie jactaretur. Christus autem respondit*, Dandum esse, quod esset Cæsaris, Cæsari; & quod Dei, Deo; *atque ipso quoque in censum didrachma pro se & pro S. Petro pependit. Præcipue autem Judas sicarios & zelotas concitavit, qui gladio & sicâ eam opinionem tuebantur, & vitam repugnantibus adimebant, nec ullis suppliciis deduci de sententia poterant, adeò ut pueri illâ opinione imbuti pertinaci tormentorum patientiâ spectatores obstupefacerent. Hæc S. Lucas 2. S. Matthæus 17. Josephus lib. Antiq. 18. & Belli 7. Isidorus lib. Etymologiarum 5. c. 36. Atque hoc quidem modo cultus qui Deo ab hominibus sancta in civitate debetur, est constitutus: cujus summa eò demum refertur, ut vita rectè instituatur, atque ex illius præscripto & voluntate formetur. Quod quidem facile obtinebitur, si assiduè lex ejus in ore, pectore manibúsque versabitur, id est, si dicta, consilia factáque nostra cum ea consentient; atque ea demum diligentia adhibebitur, ut & Deum diligamus, & Deo dilecti esse conemur, prout ille se velle ostendit, cum fœdere cum Hebræis icto se illis futurum in Deum, Hebræos verò sibi in populum demonstravit.*

13. Ἰδιῶται *Idiotæ*] Ἰδιώτης vox Græca ex voce ἴδιος interpretatur *privatus, privatam vitam degens*: quà ratione opponitur ei ὁ πολιτευόμενος *qui in Civilibus vel forensibus negotiis est occupatus.* Βίος ἰδιώτης *vita privata* Interdum ἰδιώτης opponitur τῇ πόλει, in significatione generaliori. Item, ἰδιώτης *unus è vulgo, plebeius.* Sic ἰδιῶται opponuntur τοῖς πεπαιδευμένοις, i. *hominibus doctis* seu *literatis*; H. Steph. Syrus retinet hanc vocem in sua paraphrasi.

GROTIUS.

Ἐπέστησαν αὐτοῖς οἱ ἱερεῖς, *Supervenerunt illis Sacerdotes*] Vide Luc. 20. 1. ¶ Καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *& Magistratus templi*] Cujus erat munus cavere, ne quis tumultus in templo oriretur, qualem videri volebant timere ex nova hac prædicatione. Vide quæ diximus Matth. 26. 47. Luc. 22. 4. ¶ Καὶ οἱ Σαδδουκαῖοι, *& Sadducæi*] Rigidi admodum in pœnis exigendis, ut Josephus nos docet, qui Pharisæos ait fuisse in iis rebus leniores. Nimirum qui omnem spem in hac vita collocatam habebant, severè occurrendum putabant omnibus iis quæ turbare poterant quietem populi, in qua & ipsorum quies continebatur. Adde quod si Jesus à mortuis resurrexisset, in eo controversia quam habebant cum Pharisæis maximam, penes Pharisæos erat victoria. Vide infra 23. 6, 7.

3. Καὶ ἔθεντο εἰς τήρησιν, *& posuerunt in custodiam*] Sic & infra 5. 18. τήρησις [*custodia*] vocatur quæ plerumque φυλακή [*carcer.*] Vide Jerem. 20. 2.

3. Τοὺς ἄρχοντας, *Principes*] Id est, eos quibus constabat בית דין sive συνέδριον [*Synedrium*,] infra 15. Vide Luc. 14. 1. Joh. 3. 1. supra 3. 17. ¶ Καὶ πρεσβυτέρους, *& Seniores*] Senatores urbis. ¶ Καὶ γραμματεῖς, *& Scribæ*] Adsessores utrorumque, viros legis peritos.

6. Καὶ Ἄνναν τὸν Ἀρχιερέα καὶ Καϊάφαν, *Et Annas Princeps Sacerdotum & Cajaphas*] Vide Euang. Lucæ 3. 2. ¶ Ἰωάννην, *Joannes*] יוחנן כהן [*Joannes Sacerdos*] in Rabbinorum scriptis. ¶ Καὶ ὅσοι ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ, *& quotquot erant de genere Sacerdotali*] Quorum Majores summo sacerdotio non ita pridem functi fuerant, quæ magna nobilitas fecerat ut Synedrio magno adscriberentur.

7. Ἐν ποίᾳ δυνάμει, *In qua virtute*] Arte medica an magica? Nam & hæc inquisitio erat Synedrii. ¶ Ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι, *aut in quo nomine*] *Qua auctoritate?* Si fortè se id Prophetico jure fecisse dicerent.

9. Εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα, *Si nos hodie dijudicamur*] *Interrogamur.* Sic Tacitus, *Ne cujus facti in posterum interrogaretur.* Cicero pro domo, *Quis me unquam lege ulla interrogaverit?* Ἀνακρίνεσθαι [*dijudicari*] hoc sensu habes apud Platonem 6 de Legibus, Plutarchum & alios. Vide infra 12. 19. & 25. 26. & 28. 18. *Si hic sumo in sensu vulgari; Si de hac re quæstio est, parata est nobis responsio.* ¶ Ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, *in benefacto hominis infirmi*] Genitivus modò Causam efficientem, modò Rem aut Personam recipientem notat, ut hic. ¶ Ἐν τίνι, *in quo*] *Per quem.* Simile loquendi genus Psal. 108. 14. 2 Samuel. 22. 30.

10. Ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, *quia in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis*] Verba ut libera, ita plena gravitatis: unde mox videbimus παῤῥησίαν [*loquendi fiduciam*] tribui Apostolis. Quid enim hoc erat aliud quàm summum Senatum arguere summi par-

particidii? ¶ Παρέστηκεν, *adstat*] *Adstat erectus*, ut infra 14.

11. Ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑφ' ὑμῶν τῶν οἰκοδομούντων, *lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus*] Vide 21. 42.

12. Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία. *Et non est in alio aliquo salus*] *In nullo*, nempe hominum, ut indicant sequentia: neque enim Deum excludit Petrus. ¶ Ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, *sub cælo*] Eorum qui in terris conspecti sunt: non Patriarchæ; non Prophetæ; non Sacerdotis; non Regis.

13. Ἀγράμματοι, *sine literis*] Id est, non versati in doctrinis Thalmudicis quales לא יודעי ספר [*illiterati*] Hebræis. Nam Scripturas Sacras Apostoli & legerant & memoriâ tenebant. ¶ Καὶ ἰδιῶται, *& idiotæ*] הדיוטים [*idiotæ*] sunt Hebræis qui neque Magistratus sunt, neque Legisperiti. Sic 1 Cor. 14. 16, 23, 24. opponitur *ei qui docet*: & 2 Cor. 11. 6. ἰδιώτης τῷ λόγῳ, *homo in sermone nihil supra plebeium habens*. ¶ Ἐπεγίνωσκόν τε αὐτοὺς ὅτι σὺν τῷ Ἰησοῦ ἦσαν. *Et cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant*] Non mirum, cùm Senatorum quidam interdum Jesum suis discipulis comitatum adiissent & allocuti essent, Matth. 21. 23. Luc. 18. 18. Joh. 22. 42.

14. Οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν. *nihil poterant contradicere*] אין מענה בפיהם [*non potuissent respondere*] Job. 32. 5.

15. Ἔξω τοῦ συνεδρίου, *extra concilium*] Vox συνεδρίου [*Synedrii*] alibi *collegium* significat, alibi *locum*, *quò collegæ conveniebant*: sic & *Ecclesia* interdum *homines*, interdum *locum*. ¶ Συνέβαλον πρὸς ἀλλήλους, *conferebant ad invicem*] נועצה יחדו [*ineamus consilium pariter*] Nehem. 6. 7.

17. Ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα, *comminemur*] *Districtè interminemus*.

18. Τὸ καθόλου μὴ φθέγγεσθαι μηδὲ διδάσκειν, *ne omnino loquerentur neque docerent*] Neque privatim, neque publicè docere id dogma.

19. Εἰ δίκαιόν ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ Θεοῦ, κρίνατε. *Si justum est in conspectu Dei nos potius audire quam Deum, judicate*] Provocant Apostoli simpliciter ad κοινὴν ἔννοιαν [*communem notionem*,] ut & infra 5. 29. Est hæc sententia frequens apud Rabinos. Herodotus, πρεσβύτερα ποιεῖν τὰ τοῦ Θεοῦ ἢ τὰ τῶν ἀνθρώπων] *divina humanis potiora putare*.] Non repetam, hic quæ de hac re collegimus 2 libro de Jure Belli ac Pacis cap. 26. §. 3. & in Annotatis ad eum locum.

20. Οὐ δυνάμεθα γὰρ ἡμεῖς ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν μὴ λαλεῖν. *Non enim possumus quæ vidimus & audivimus non loqui*] Hic quoque δυνάμεθα [*possumus*] sumitur sensu non Physico sed morali, ut supra 2. 24. Si quis homini testimonium veri denegat, peccat: quanto magis qui Deo?

21. Ἀπέλυσαν αὐτοὺς, *dimiserunt eos*] Apud Hebræos nulla absolutio erat peremptoria: semper repeti poterant rei ex novis probationibus. ¶ Μηδὲν εὑρίσκοντες τὸ πῶς κολάσωνται, *non invenientes quomodo punirent*] Est ἔλλειψις [*defectus sermonis*] non dissimilis ei quam supra notavimus 3. 15. & Lucæ 22. 4.

24. Δέσποτα, σὺ ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, *Domine, tu es Deus qui fecisti cælum & terram*] Est locutio Hellenistica, per σὺ [*tu*] interpositum significans vocativum, ut Genes. 49. 8. Psalm. 2. 7. Sensus est, *O tu, Domine, opifex cæli, terræ & maris, & omnium quæ in iis*. Vniversum hoc apud Hebræos modò tribus nominibus ut hic, modò duobus ut *cæli* & *terræ* exprimitur.

25. Δαβὶδ τοῦ παιδός σου, *David pueri tui*] Παιδός σου hîc valet *servi tui*: id apparet ex collatione Hebræi cum Græco Psal. 18. 1. & aliis locis. In veteri illo Manuscripto est, Ὁ, τοῦ πατρὸς ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου στόματος Δαβὶδ παιδός σου, εἰπών [*Qui, Patris nostri per Spiritum Sanctum oris Davidis pueri tui, dixisti*,] ubi transpositæ à scriba voces videntur, pro, ὁ διὰ πνεύματος ἁγίου στόματος Δαβὶδ τοῦ πατρὸς ἡμῶν παιδός σου [*qui, per Spiritum Sanctum oris Davidis, Patris nostris, pueri tui.*] *Spiritus Sanctus oris Davidis*, est is qui per os Davidis futura pronuntiabat. ¶ Ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη, *Quare fremuerunt Gentes*] Hæc omnia Lucas κατὰ λέξιν [*ad verbum*] descripsit ex LXX.

26. Οἱ βασιλεῖς, *Reges*] מלכים Hebræis non tantùm illi qui propriè *Reges*, sed & *Reguli*, & *Præsides*, ut sæpe notavimus.

27. Ἐπ' ἀληθείας, *verè*] In Manuscripto illo additur hîc. Ἐν τῇ πόλει σου ταύτῃ [*In hac civitate tua.*] ¶ Τὸν ἅγιον παῖδά σου Ἰησοῦν, *sanctum puerum tuum Jesum*] Vide supra 3. 13, 26. ¶ Ὃν ἔχρισας, *quem unxisti*] Quem tanta potestate ornaveras, sanandi morbos, expellendi dæmones, mortuos resuscitandi. Unctio Christi, ut & Davidis, suos gradus habuit. Σὺν ἔθνεσι, *cum Gentibus*] *Cum Romanis*, qui in consilio aut ministerio erant Pilati. ¶ Καὶ λαοῖς Ἰσραὴλ, *& populi Israel*] Juda & Benjamin, & qui ex aliis tribubus in Judæa habitabant.

Pari modo ἔθνη [*gentes*] & λαὸν [*populum*] opposita habes Tobiæ 14. 8.

28. Ὅσα ἡ χείρ σου, καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι. *quæ manus tua & consilium decreverant fieri*] Vide supra 2. 23. Deus quia omnipotens est, ideo quod vult effectum dat: ideo *manus*, id est Potentia præponitur hic *consilio*. Hominum, quia talem potentiam non habent, consilia sæpe fallunt. προορίζειν [*decernere*,] Hebræis גזר קדם.

29. Καὶ τὰ νῦν *Et nunc*] ועתה, quod per νῦν [*nunc*] vertitur, apud Hebræos est excitantis, Genes. 20. 9. & 22. 12. & 26. 22, 29. & 31. 13. & alibi sæpe. ¶ Μετὰ παῤῥησίας, *cum fiducia*] Sine metu.

30. Ἐν τῷ τὴν χεῖρά σου ἐκτείνειν, *In eo quod manum tuam extendas*] Explicatur ratio per quam Deus maximè illam in Apostolis fiduciam loquendi augere possit.

31. Ἐσαλεύθη ὁ τόπος, *motus est locus*] Signum Dei efficaciter agentis. Infra 16. 26. Vide Hebræor. 12. 26.

32. Ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία. *erat cor & anima una*] Citat Plutarchus in Catone Uticensi versum veterem:

> Δύο φίλοι, ψυχὴ μία,
> [*Amici duo, animus unus*,]

Eòdem respicit Aristoteles Nicomach. 9. 8. Erant ut Hebræi loquuntur כאיש אחד [*sicut vir unus*.] ¶ Καὶ οὐδ' εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, *nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat*] Explica ex iis quæ supra 2. 44.

33. Χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς. *& gratia magna erat in omnibus illis*] *Magni ab omnibus fiebant*. Vide supra 2. 47.

34. Τῶν πιπρασκομένων *eorum quæ vendebant*] Nempe agrorum & domuum, ut præcedentia ostendunt.

35. Καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας, *Et ponebant ante pedes*] Quod signum erat pecunias illas subjicientium Apostolorum arbitrio. Ab eo more sumpta locutio, Psalm. 8. 7. ¶ Διεδίδοτο δὲ ἑκάστῳ καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν. *dividebatur autem singulis prout cuique opus erat*] Expone ut supra 2. 45.

36. Ἰωσὴφ δὲ, *Joseph autem*] Sic & vetus ille Manuscriptus. Alii Ἰωσῆς [*Joses*] eodem sensu. Nam Hebræa vocabula in Græcum transferuntur, aut planè qualia sunt, ut Ἰωσὴφ [*Joseph*,] aut addendo, ut Ἰώσηπος [*Josephus*,] aut detrahendo, ut faciliùs recipiatur declinatio Græca, quale est Ἰωσῆς [*Joses*,] Ἰωσῆτος [*Josetus*.] Vide quæ diximus ad Matth. 1. 16. ¶ Ἐπικληθεὶς Βαρνάβας ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, υἱὸς παρακλήσεως, *qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum, Filius consolationis*] Apostoli ei hoc nomen dederant in omen doni Prophetici. Vide infra 9. 24. itaque dictus fuit Hebraïcè בר נביאה [*filius prophetiæ*,] Græco sermone contractè Βαρνάβας [*Barnabas*.] Nihil mutandum: nam Hellenistis mos *prophetiam* vocare παράκλησιν [*consolationem*.] Sic accipe infra 13. 15. ¶ Λευΐτης, *Levites*] Ex tribu Levi. Quomodo autem Levitæ res aliquas soli habere potuerint, diximus id quod nobis videtur ad Jerem. 32. 7. potuit etiam fundus hic pertinuisse ad uxorem Barnabæ, quomodo Rabbini explicant loca Josuæ 24. 33. & 1 Paralip. 2. 21. Κύπριος τῷ γένει, *Cyprius genere*] *Ortus parentibus qui in Cypro habitaverant*. Vide infra 13. 5.

37. Ἤνεγκε τὸ χρῆμα, *attulit pecuniam*] Id est, τὴν τιμὴν [*pretium*] ut modò est locutus. Sic כסף [*argentum*] Job 27. 17. vertitur χρήματα *pecunias*.] Oportet autem magnam fuisse possessionem Barnabæ, quod ejus speciatim hic fit mentio.

P R I C Æ U S.

Com. 2. Διαπονούμενοι] Hesychius, διαπονηθεὶς, λυπηθείς. Ibid. Καὶ καταγγέλλειν ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν] Non *in nomine Jesu*, ut Beza voluit, sed *per Jesum*, virtute & efficaciâ resurrectionis ejus, qui τῶν κεκοιμημένων ἀπαρχὴ, 1 Cor. 15. 20, 23. Vide & infrà 17. 31. Sic infrà heic com. 10. Luc. 11. 29. Ἐν particula & passim in his libris occurrit.

Com. 3. Ἔθεντο εἰς τήρησιν εἰς τὴν αὔριον, ἦν γὰρ ἑσπέρα ἤδη] Gloss. Εἰς τὴν αὔριον, (sic legendum) *In crastinum*. Præfectus vigilum apud Apuleium 3. Miles. *Priusquam iste clandestinis itineribus elaberetur, manè præstolatus, ad gravissimum judicii vestri sacramentum curavi produci*. Ibidem 7. *Ad casas suas vinctum perducunt, quoad renascente die sequente deductus ad Magistratum, pœna redderetur*.

Com. 7. Ἐν ποίᾳ δυνάμει, &c.] Ut antea ad Magistrum eorum. Vidde Matth. 21. 23.

Com. 9. Ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς] i. e. *ἐπὶ εὐεργεσίᾳ εἰς ἀσθενῆ ἄνθρωπον κατατεθείσῃ*. Plusculas hujus formæ locutiones ad Marcum, præcipue ex his Scriptoribus desumptas, in unum congessimus.

Com. 11. Ὁ *γενόμενος εἰς κεφαλὴν γωνίας*] Vide ad Matt. 21. 42. notata.

Com. 13. Καὶ καταλαβόμενοι ὅτι *ἄνθρωποι ἀγράμματοί εἰσι καὶ ἰδιῶται, ἐθαύμαζον*] Non sunt ἀγράμματοι hic qui Græcis ἀναλφάβητοι, *οἱ παιδείας* nempe *παντάπασιν ἀμαθεῖς καὶ ἀμυήτως ἔχοντες, ὡς μηδὲ τὰ πρῶτα παρὰ τοῖς γραμματιςαῖς ςοιχεῖα ἐκμεμαθηκότες*, ut de Vetranione Joannes Antiochenus loquitur: sed in legibus aliisve disciplinis eruditi minùs. Tertullianus in de Animæ testimonio cap. 1. *Non eam te advoco quæ scholis formata, bibliothecis exercitata, Academiis & porticibus Atticis pastam sapientiam ructas: te simplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello, qualem habent qui te solam habent: ipsam illam de compito, de trivio, de textrino totam.* Et in Glossis, Ἰδιώτης, ὁ *μὴ νοήμων*, *rusticus*, *rudis*. Scholiastes ad Ranas Aristophanis, Ἰδιώτης, &c. *ἀμαθής* & ibidem, Ἰδιῶται *καὶ ἄγροικοι*. Sed nec tam strictè hoc loco ea vox sumenda. Opponuntur hic *ἰδιῶται*, ut 1 Cor. 14. 16. peritis ac docentibus. Apud Gellium 1. 2. Herodes Atticus, *Permitte, Philosophorum amplissime, quoniam respondere nos tibi quos idiotas vocas non quimus, recitari ex libro*, &c. Epict. cap. 36. Φιλοσόφου *τάξιν ἔχειν ἢ ἰδιώτου*. In Eundem 3. 7. Arrianus, Ἄξιον *τοὺς ἰδιώτας ἡμᾶς παρ' ὑμῶν τῶν φιλοσόφων πυνθάνεσθαι*, &c. Idem apud Plutarchum etiam in περὶ Φιλαδελφ. & Sympos. 4. 2. discrimen occurrit. Sic & in Luciani Lexiphane, *ἰδιῶται τοῖς πεπαιδευμένοις*, & apud Ciceronem Verr. 6. *ingeniosis & intelligentibus* oppositi. Καταλαβόμενοι, Vulgat. *comperti*. In Glossis (ut de re, non persona.) *Comperti*, *γνωσθέντος* (i. e. *καταληφθέντος*) Bene autem in Contextu *ἐθαύμαζον*, quia de illiteratis sermo. Gellius 5. 3. *Democritus animi aciem solertiamque non docti hominis demiratus*, &c. Guntherus 8.

> *Talia facundo regaliter ore sonantem*
> *Spectabat studio miratrix Curia vultu,*
> *Quod neque doctrina studiis imbutus, & ævo*
> *Pene puer, canos Scripturarumque peritos*
> *Sensibus & blandâ præcederet arte loquendi.*

Vide Matth. 13. 53, 54. Joh. 7. 15. Luc. 2. 47.

Ibid. Ἀγράμματοι *καὶ ἰδιῶται*] Lucilius eadem copulâ apud Nonnium, *Illiteratum me atque idiotam diceret*. In Glossis, *Sine literis*, *ἀγράμματος* Plutarchus in Apophtheg. Regum, &c. Ἀγράμματος *καὶ ἄγροικος*.

Ibid. Ἀγράμματοι] Vulg *sine literis*; quâ formâ & in Glossario, *Sine literis*, *ἄτεχνος*.

Ibid. Ἐπεγίνωσκόν *τε αὐτοὺς ὅτι σὺν τῷ* Ἰησοῦ *ἦσαν*] Suprà 3. 10. Ἐπεγίνωσκόν *τε αὐτὸν ὅτι οὗτος ἦν ὁ πρὸς τὴν*, &c. Ὅτι *σὺν τῷ* Ἰησοῦ *ἦσαν*, fuisse Christi discipulos, illius partes sectatos. Vide Matth. 26. 69. infra 14. 4.

Com. 14. Οὐδὲν *εἶχον ἀντειπεῖν*] Ità, *μηδὲν ἀντειπεῖν*, apud Aristophanem in Ecclesias.

Com. 15. *Κελεύσαντες δὲ αὐτοὺς ἔξω τοῦ συνεδρίου ἀπελθεῖν*] Ut commodiùs sententiæ rogarentur. Vide & infrà 5. 34. Hoc moris apud Græcos etiam quoties de reis consultabatur. Lucianus Veræ Histor. 2. de Rhadamantho, Μεταςησάμενος *ἡμᾶς, ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐσκέπτετο καὶ τοῖς συνέδροις ἐκοινοῦτο περὶ ἡμῶν*. Lucianum eundem peractâ defensione suâ, in Reviviscentibus, Philosophia Judex quæstionis alloquens, Μετάςηθι *ποῤῥωτέρω ἔτι* & statim, *τί ποιῶμεν ἡμεῖς*; planè ut hic com. sequente, *τί ποιήσομεν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις*; Gellius 7. 3. de Rhodiensium Legatis, apud Romanos læsæ Majestatis reis, *In Senatum intromissi, verbis pro sua causa suppliciter factis, de Curia excesserunt: sententiæ rogari cœptæ.* Salustius de Adherbale & Jugurthæ legatis, *Deinde* (utrinque scilicet causâ oratâ) *utrique Curiâ egrediuntur, Senatus statim consulitur.* Curtius lib. 4 *Alexander Legatis excedere tabernaculo jussis, quid placeret ad consilium refert.* Συνέδριον hîc locum potiùs quàm in loco cœtum denotat. Sic *Civitas*, *Senatus*, *Tribus*, *Concio*, &c. Utramque significationem accipiunt. Videndus 18. 7. A. Gell. Apul. 10. *Interim convivium summo risu personabat.* Συνέβαλον (quod statim hic sequitur) bene *conferebant* vertunt. Idem Apuleius, *Capita conferunt, in meámque perniciem illico consentiunt.*

Com. 16. Λέγοντες, Τί *ποιήσομεν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις*;] Vide Joh. 21. 47.

Ibid. Γνωςὸν *σημεῖον*,] i. e. *Olox ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον*, ut infra 26. 26. ubi dicta vide.

Com. 17. Ἵνα *μὴ ἐπὶ πλεῖον διανεμηθῇ εἰς τὸν λαὸν*, &c. Nè ulterius tanquam ulcus vel cancer depascat. Sic enim vertenda erat vox *διανέμεσθαι*. Cicero Catalin. 4. *Manavit hoc malum non solùm per Italiam, verùm etiam transcendit Alpes & obscurè serpens, multas jam provincias occupavit.* Paulus 2. 2. 17. ad Timoth. Ὁ *λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει*.

Com. 18. Καλέσαντες *αὐτοὺς, παρήγγειλαν αὐτοῖς*, &c.] Infrà 5. 40.

Ibid. Καθόλου *μὴ φθέγγεσθαι*] Gloss. Καθόλου, *Haudquaquam, prorsus, omnino, penitus.*

Com. 19. Εἰ *δίκαιόν ἐςιν*, &c. *ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ θεοῦ*, &c.] Vide infra ad 5. 29. dicta.

Ibid. Κρίνατε] Paulus 1 Cor. 11. 13. *ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε* dixit.

Com. 20. Οὐ *δυνάμεθα γὰρ ἡμεῖς ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν μὴ λαλεῖν*] Plato citatus Clementi Stromat. 5. Ψεῦδος *συγχωρῆσαι, καὶ ἀληθὲς ἀφανίσαι ὅυ μοι θέμις*.

Com. 21. Μηδὲν *εὑρίσκοντες τὸ πῶς κολάσωνται αὐτοὺς*] i. e. Nullam ansam, colorem, prætextum invenientes. Ità Syrus, *Non inveniebant occasionem quam imponerent capiti ipsorum*: secutus Hellenistas, qui Deuter. 22. 13. *προφασιςικοὺς λόγους ἐπιτιθέναι* dixerunt. *Cum causa* (id est, *προφάσει*) *occidere* Capitolinus in Albino dixit. Sic Matth. 26. 60. Joh. 18. 38. & 19. 4. & infrà hic 13. 28. *μηδεμίαν αἰτίαν εὑρίσκειν*. Luc. 23. 14. *οὐδὲν αἴτιον εὑρίσκειν*. Infrà 23. 9. *μηδὲν κακὸν εὑρίσκειν*. Vide & Marc 14. 55. Nil opus ergò cum Recentiore *μηδὲν* adverbialiter pro *μὴ* accipere. Τὸ *πῶς* hic valet *ὅπως*. Nec tantùm Lucas, sed & Paulus 1 Thess 4 1. eo modo loquitur.

Com. 22. Ἐτῶν *γὰρ ἦν πλειόνων τεσσαράκοντα*, &c.] Hoc ad miraculi augendam magnitudinem. Vide Matth 9. 20. Marc. 5. 25. Luc 13. 11. Joh. 5. 5.

Com. 25. Παιδὸς *σου*] Servi tui. Servius ad 6. Eclog. *Ministros & familiares solemus communiter pueros vocare.*

Com. 28. Ποιῆσαι *ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι*] Ὁ *θεὸς ἔδωκεν εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ*. Apoc. 17. 17. Vide suprà 2. 23.

Com. 31. Καὶ *δεηθέντων αὐτῶν ἐσαλεύθη ὁ τόπος*, &c.] Interveniente divinâ efficaciâ. Et nota illud *δεηθέντων*, *dum adhuc orarent*. Æneid. 3.

> *Da, Pater, augurium, atque animis illabere nostris.*
> *Vix ea fatus eram, tremere omnia visa repentè:*
> *Liminaque, laurusque Dei. ——*

Apud Ovidium Metam.

> *Vix bene desierat, cùm cristis aureus altis*
> *In serpente Deus prænuncia sibila movit,*
> *Adventuque suo signumque aráque foresque*
> *Marmoreúmque solum fastigiaque aurea movit.*

Infrà 16. 25. Προσευχόμενοι *ὕμνουν τὸν θεὸν*, &c. *ἄφνω δὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας*.

Com. 32. Τοῦ *δὲ πλήθους τῶν πιςευσάντων ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία*] Ἐν *τῷ αὐτῷ νοῒ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ κατηρτισμένοι ἦσαν*, ut 1 Cor. 1. 10. *ὁμόφρονες*, ut 1 Petr. 3. 8. *σύμψυχοι, τὸ ἓν φρονοῦντες*, ut Philip. 2. 2. vide & ibid. 1. 27. Καρδία *καὶ ψυχὴ μία* proverbiale est. Andronicus, vel quisquis fuerit Nicomachiorum Interpres, Τοὺς *σφόδρα φίλους δηλοῦντες, μία ψυχή φασι*. Plutarchus in περὶ Πολυφιλίας, Τῆς *φιλικῆς συμφωνίας καὶ ἁρμονίας οὐδὲν ἀνόμοιον, οὐδὲ ἀνώμαλον μέρος, ἀλλ' ἐξ ἁπάντων ὁμοίως ἐχόντων, ὁμολογεῖν καὶ ὁμοδοξεῖν*, &c. *ὥσπερ μιᾶς ψυχῆς ἐν πλείοσι διῃρημένης σώμασι*. Cyprianus de duplici martyrio, *Quos arctissima jungit amicitia, propter summum animorum consensum unus animus esse dicuntur.* Suidas, Ἕνωσις, *διὰ τὸ εἰς ἓν συνδεδέσθαι τὰ πράγματα. γίνεται δὲ κατὰ δέκα τρόπους. κατ' οὐσίαν, ὡς ἐπὶ ψυχῆς καὶ σώματος· κατὰ σχέσιν, ὡς ἐπὶ τῶν γνωμῶν, ὡς ἓν θέλημα*, &c. Cassianus Collat. 1. 1. de S. Germano, *Ut cuncti ad significandam sodalitatis sensûsque nostri paritatem pronunciant unam mentem atque animam duobus inesse corporibus.* Vide & Ezech. 11. 23. Jerem. 32. 39. 2 Paral. 30. 12. Virgil. 3. Æn. *Omnibus idem animus*; —— ubi Servius, *Idem plus est quàm si diceret Similis*. Apud Philostratum 4. 12. Ἐπειδὰν *ὁ λόγος ἁρμόσῃ πολεμικοὺς ἄνδρας, μία μὲν κόμης γίγνονται, μία δὲ ἀσπίς*.

Ibid. Καὶ *οὐδεὶς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινὰ*] Ephraem Syrus Tract. περὶ ἀρετ. καὶ

καὶ καρ. Ὁ ἔχων ἀγάπην οὐ λέγει ἑαυτοῦ ἴδιον οὐδὲν, ἀλλὰ πάντα ὅσα ἔχει κοινὰ τοῖς πᾶσι προςίθησι. Tertullianus in Apologetico, *Qui animo animâque miscemur, nihil de rei communione dubitamus.* Lucianus de Christianis loquens in De Peregrini morte, Καταφρονοῦσιν ἁπάντων ἐξ ἴσης, καὶ κοινὰ ἡγοῦνται. Paulinus Epist. 31. *Non enim sibi habentes habebant, sed nemo quidquam dicebat suum.* Philo de Essæis lib. Ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. Οὐδενὸς οἰκία τις ἐστιν ἰδία, ἣν οὐχὶ πάντων εἶναι συμβέβηκε & post, Ὅσα ἂν μεθ' ἡμέραν ἐργασάμενοι λάβωσιν ἐπὶ μισθῷ, ταῦτ' οὐκ ἰδίᾳ φυλάττουσιν, ἀλλ' εἰς μέσον προτιθέντες κοινὴν τοῖς ἐθέλουσι χρῆσθαι τὴν ἀπ' αὐτῶν παρασκευάζουσιν ὠφέλειαν. De apibus Theodoretus 5. περὶ προν. Οὐδὲν παρ' ἐκείνοις ἴδιον, ἀλλὰ κοινὸς ὁ πλοῦτος, ἀμέριστος ἡ κτῆσις. De iisdem Declam. 13. Quintilianus, *Non humano vitio in proprios quaque usus lucrum ducit: in publicum vivitur, & communes opus congeruntur in medium.* & 4. Georg. de apibus Virgilius, —— *Mens omnibus una est:* ubi Servius, *Concorditer operantur, & vivunt.* Hieronymus de formicis, *Laboratur in medium, & cum nihil cuiquam proprium sit, omnia omnium sunt.*

Com. 33. Καὶ μεγάλῃ δυνάμει ἀπεδίδουν, &c.] Id est, vel ἐν σημείοις καὶ τέρασι, vide infrà 5. 12. 6. 8. 8. 13. 19. 11. (unde & Luc. 5. 17. δύναμις Κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς. & Rom. 15. 19. ἐν σημείων καὶ τεράτων δυνάμει) vel ἐν δυνάμει intellige ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ut 1 Cor. 2. 4 κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου ἐνέργειαν τὴν ἐν αὐτοῖς ἐν δυνάμει ἐνεργουμένην, ut Col. 1. 29. Adimpletur hic quod suprà 1. 8. promissum. Vide & Luc. 24. 49. Ἀπεδίδουν bene versum *reddebant*, quasi depositum nempe eorum fidei ac dispensationi creditum. Æn. 2.

—— *Illos patefactus ad auras*
Reddit equus ——

Servius, *Quasi debitos vel creditos.*

Ibid. Χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς] Non putàverim (cum bona eruditiorum venia) hîc dici quod suprà 2. 47. de iisdem, Πρὸς λαὸν χάριν ἔχοντες, sed potiùs divinæ gratiæ præsentiam significari: per eas nimirum res de quibus suprà proximè. Sic Luc. 2. 40. de Domino nostro, χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτόν, id est, σὺν αὐτῷ, vel μετ' αὐτοῦ. Sic infra hîc 10. 38. de eodem, Ὁ Θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ. Paulus 1 Cor. 10. 15. Περισσότερον πάντων ἐκοπίασα, οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. Vide ad Matth. 28. 20. notata.

Com. 35. Καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας τῶν Ἀποστόλων] Ex more alieno arbitrio ac voluntati submittentium quid.

—— *Zephyrique tepentia ponunt*
Ante meos sua flabra pedes ——

Cicero, etiam de pretio loquens, Orat. pro Flacco, *Ant pedes Prætoris in foro expensum est auri pondo centum.* Idem 3. Offic. *Pro se quisque quod ceperat afferebat: ante pedes Pythii pisces abjiciebantur.*

Com. 37. Ὑπάρχοντος αὐτῷ ἀγροῦ, πωλήσας ἤνεγκε τὸ χρῆμα] Valerius 4. 8. de Fabio Maximo, *Fundum quem unicum possidebat, vendidit, ejúsque pretium Hannibali protinus numeravit.*

CAP. V.

VALLA.

3, 4. CUR *tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de precio agri? Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?*] Græcè non legitur *tentavit*, sed implevit ἐπλήρωσε. Nescio an Interpretis oculos decepit quòd Græcè scriptura horum verborum nonnihil est similis. In illo certè genus vocis Græcæ à nostro differens eum decepit. Κτῆμα enim sive χωρίον generis neutri est, *ager* verò masculini: ergò dicendum erat *venundatus* non *venundatum*, ut est Græcè πραθὲν

15. *Ità ut in plateis ejicerent infirmos*] Durum est dicere *ejicerent infirmos*, nec Græcæ necessitati respondet, ubi dicitur ἐκφέρειν, i. *efferrent.*

ERASMUS.

1. V*Endidit agrum*] Ἐπώλησε κτῆμα *vendidit possessionem*, h. e. domum aut prædium.

2. *Et fraudavit de pretio*] Ἐνοσφίσατο *seposuit & avulsit*: quod tamen rectè vertit Interpres. ¶ *Adferens partem quandam*] Ἐνέγκας μέρος τὶ *allatam partem aliquam.*

3. *Ad Ananiam*] Hæc duo verba nec apud Græcos habentur nec in vetustis cod. Latinis. ¶ *Cur tentavit*] Διὰ τί ἐπλήρωσεν *implevit.* Ità legit Augustinus in libello De tempore Barbarico, cap. 3. Annotavit hic diversam apud Græcos lectionem nescio quis in Glossa Ordinaria. Chrysostomus legit ἐπλήρωσεν. Opinor Interpretem legisse ἐπείρασεν. ¶ *Mentiri* [illegible]] Rursus vertit Græcam figuram *ut mentireris.* ¶ *Spiritui sancto*] Gr. *Spiritum Sanctum*, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον sive quòd ità loquantur Græci, *mentior te*, sunt *Euangelizote*, & *benefacio te*; sive quòd sensus sit, Eum mentiri Spiritum S. qui fictè simulet & imitetur quod cæteri instinctu Spiritûs S. faciebant. Non *mentitur* non solùm qui falsum dicit, verùm etiam qui simulat, ut,

—— *Faciem mentita Creusæ.*

&, *Æs mentitur aurum.* Augustinus in libello quem modo citavi legit *mentiri apud Spiritum sanctum*, quasi Græcè fuerit πρὸς τὸ πνεῦμα. Chrysostomus legit quidem nobiscum, cæterùm ex interpretatione non solvitur ambiguitas lectionis.

4. *Manens tibi manebat*] Rursum Hebræorum more congeminatione vocis expressit epitasin, μένον ἔμενεν, h. e. *vere ac prorsus manebat, nemine ullo pacto cogente.* Accusat autem eum Petrus duobus gradibus; Primùm, *manebat*, cùm nemo cogeret vendere; deinde, si vendere libuit, nemo cogebat adducere pretium. ¶ *Et venundatum erat in tua potestate*] Καὶ πραθέν. Interpres diversas apud Græcos dictiones per eandem Latinam reddidit. Illis est κτῆμα *possessionem*, & χωρίον *prædium* aut *villam*, hic utrumque vertit *agrum*, & tamen oblitus sui subjecit *venundatum*, respondens ad Græcam vocem, oblitus Latinæ, cùm dicere debuerit *venundatus.*

7. *Horarum trium spatium*] Διάστημα *intervallum.*

8. *Dixit autem ei Petrus*] Ἀπεκρίθη *Respondit*, cùm nihil sit interrogatum. Atque ità scriptum comperi in exempl. vetustioribus Latinis aliquot.

9. *Convenit vobis*] Τί ὅτι συνεφωνήθη, *Quia conspiratum est à vobis, & in hoc consentitis, ut tentetis Spiritum Domini?* aut, *Quæ est inter vos conspiratio!*

10. *Ad virum suum*] Πρὸς τὸν ἄνδρα. Cur non potiùs *juxta virum?*

14. *Magis autem augebatur credentium in Domino*] Græcè paulò diversius est, μᾶλλον δὲ προσετίθεντο πιστεύοντες τῷ Κυρίῳ, πλήθη ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, h. e. ut verbum verbo reddam, *Magis autem apponebantur credentes Domino, multitudines virorúmque & mulierum.* Cæterùm illud, *Ità ut in plateas ejicerent*, aliquantò duriùs cohæret cum his quæ præcedunt, nisi subaudias unà cum turba famam item Apostolorum crevisse. Utinam hæc attentè legant isti qui toti addicti commodis hujus mundi Christi paupertatem & humilitatem vel contemnunt vel irrident etiam. Quod regnum, quas opes, quam potestatem cum hac Apostolorum gloria conferant? Omnia sunt in Christo multò splendidiora quàm hic mundus præbere possit; cæterùm alio modo. Nec ea communicat nisi qui contemptis cæteris huic Regno toto pectore sese addixerit. Ipse spectavi primùm Bononiæ, deinde Romæ, Julium Pontificem Romanum ejus nominis secundum splendidissimos agentem triumphos, ac prorsus tales ut cum Pompeianis aut Cæsarianis triumphis conferri possent. Verùm quid illi ad hanc Petri majestatem, non armis, non copiis, non machinis, non auro, sed solâ fide totum orbem in sui miraculum convertentis? Atque eadem magnificentia & hodie sequeretur Apostolorum successores si pares essent spiritu.

15. *Ejicerent infirmos*] Ἐκφέρειν *educerent*, sive *exportarent*: inhumanum enim *ejicere.* Nec Græcè ἐκβάλλειν, ut coactus fuerit ità vertere ¶ *Et grabatis*] Καὶ κραββάτων Græca vox est, recepta tamen apud Latinos, mutatis duabus literulis. ¶ *Quemquam illorum* Latinius *aliquem.* ¶ *Et liberarentur ab infirmitatibus suis*] Non est in Græcis exempl. sed adjectum apparet à quopiam qui voluerit interpretari. Græcæ lectioni suffragantur vetustissimi codices S. Donatiani.

21. *Et omnes Seniores*] Τὴν γερουσίαν *ordinem Seniorum.*

24. *Ambigebant de illis*] Διηπόρουν. Plus quiddam dixit, *perplexum esse, & ancipitis animi, consiliique inopem.*

28. *Præcipiendo præcepimus*] Οὐ παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν, *Annon præcepto præcipimus*, h.e. acriter præcepimus; ut antè dixit *minis comminemur*.

29. *Obedire oportet Deo*] Πειθαρχεῖν quod propriè *parere Princip* aut *Magistratui*, dictione compositâ à πείθειν *obedire* & ἄρχων *princeps*. Ac paulò pòst, τοῖς πειθαρχοῦσιν αὐτῷ *obedientibus sibi*.

30. *Quem vos interemistis*] Διεχειρίσασθε quod est *manibus violentis occidere*: hinc enim dicta vox Græca. Nam *interimitur* & qui jure meritóque plectitur.

31. *Principem & Salvatorem*] Ἀρχηγὸν, *ducem & autorem*: quanquam non reprehendo quod vertit Interpres.

32. *Et nos sumus testes*] Græci addunt genitivum αὐτοῦ *ejus*, quem Latinus poterat vertere in dativum *ei*. Nec est simpliciter. ¶ *Et Spiritus sanctus*] Sed, καὶ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, *quin & Spiritus sanctus*; ut sit veluti correctio superioris dicti. q. d. *Non tam nos testes summus illi, quam ipse Spiritus sanctus, cujus virtute hæc fiunt.*

33. *Et cogitabant interficere illos*] Ἐβουλεύοντο *consultabant ut interficerent*. Interpres ἐβούλοντο legit, aut certè somniavit.

34. *Homines fieri*] Gr. *Apostolos*, non *homines*. Nec est *fieri*? sed *facere*, ποιῆσαι, h.e. emittere forás.

36. *Exstit Theodas*] Eliganter vertit *exstitit*, ἀνέστη, i. *surrexit*, sive *exortus est*. Græci cod. habent Θευδᾶς *Theudas*, non *Theodas*. Hos Chrysostomus putat ob id sublatos è medio quòd vetuerint censum dari Cæsari, fuisséque Pharisæos. Vide Eusebium Hist. Eccles. l. 2. c. 11. ¶ *Cui consensit*] Προσεκολλήθη, quòd aliàs vertit *adhæsit*, rectius & hìc ità versurus. Non solùm enim consenserunt sed & conspirarunt cum illo & eadem docebant.

37. *In diebus professionis*] Ἀπογραφῆς quam in Euangelio vertit *descriptionem*. ¶ *Avertit populum*] Græci addunt ἱκανὸν *multum*.

38. *Consilium hoc aut opus*] Ἡ βουλὴ ἢ τὸ ἔργον τοῦτο *consilium aut opus hoc*.

39. *Ne forte*] Μήποτε *ne quando*. ¶ *Et Deo repugnare videamini* [Καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε *& cum Deo pugnantes reperiamini*. Græcis est dictio composita, derivatáque à verbo θεομαχεῖν. Cæterùm recte vertit Interpres, nisi quòd Græca plus habent emphasis, habitum significantia, non tantum actione; q. d, *hostes Dei*, aut *rebelles Deo*.

40 *Consenserunt autem illi*] Ἐπείσθησαν *Paruerunt*, sive *Obtemperarunt*. ¶ *Ne omnino loquerentur*] *Omnino* non invenio in Græcis cod. tantùm est μὴ λαλεῖν *ne loquerentur*. Suffragabantur vetusti codices.

42. *Et circa domos*] Κατ' οἶκον *per singulas domos*, sive *domesticatim*. ¶ *Docentes*] Ἐπαύοντο διδάσκοντες. Vertendum erat *cessabant docere & euangelizare*, participio commutato in infinitum.

VATABLUS.

1. AGrum] *Possessionem*; i. domum, vel prædium.

2. *Fraudavit*] *Seposuit*. ¶ *Afferens partem aliquam*] *Allatam partem aliquam*.

3. *Tentavit*] *Implevit*. Vetus interpres ἐπείρασεν legisse videtur; i. *tentavit*. ¶ *Mentiri te Spiritui S.*] *Ut mentireris Spiritum S. & seponeres*, &c. i. ut præ te ferres habere Spiritum S. cùm res aliter haberet: Vel, ut ludificareris sive fucum faceres Spiritui S. & seponeres, &c. Postea dicit, *tentaretis Spiritum Domini*.

4 *Manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?*] i. Prorsus tibi manebat, nemine ullo pacto cogente neque ut venderes, neque ut eo vendito pretium offerres? ¶ *Posuisti in corde tuo*] Heb. *cogitasti*: i. quare concepisti corde tuo? ¶ *Non es mentitus hominibus, sed Deo*] i. Non studuisti ut hominibus imponeres sed Deo.

5. *Audierunt*] *Audiebant*.

7. *Spatium*] *Intervallum*.

8. *Dixit*] Heb. pro *compellavit autem eam*; vel intelligitur eam priùs dixisse aliquid. *Respondit*, Vet. ¶ *Si*] *Num*.

9. *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?*] Cur convenit inter vos ut tentaretis: vel, quæ est inter vos conspiratio, ut, &c. ¶ *Ad ostium*] Sub. *adsunt*. ¶ *Et*] *Et* pro *ut*, Heb. *ut efferant*.

10. *Ante*] *Juxta*. ¶ *Intrantes*] *Ingressi*. ¶ *Ad virum*] *Juxta maritum*.

11. *Audierunt*] *Audiebant*.

12. *Per manus*] Heb. i. ministerio Apostolorum, per Apostolos.

15. *Ejicerent*] *Exportarent*. ¶ *Lectulis*] *Lectis*. ¶ *Venientis Petro saltem umbra illius obumbraret*] *Venientis Petri vel (saltem) umbra obumbraret*.

16. *Concurrebat*] *Conveniebat*.

17. *Hæresis*] *Factio*. ¶ *Zelo*] *Æmulatione*.

18. *Manus**]* *Suas*.

19. *Angelus*] *Sed Angelus*.

21. *Cum**]* *Hac*. ¶ *Omnes seniores*] *Universum seniorum ordinem*. ¶ *Ut adducerentur*] *Qui adducerent eos*.

23. *Cum omni diligentia*] Vel, *cum summa fide*] *fidelissime*] vel *securitate*. ¶ *Custodes**]* *Foris*.

24. *Sermones**]* *Et sacerdos &*. ¶ *Magistratus*] Sing. num. i. præfectus & custos Templi. ¶ *Quidnam fieret*] *Quidnam hoc futurum esset*: aut, *quinam factum esset hoc*.

26. *Magistratus*] Vel, *custos*.

27. *Dicens**]* *An non*.

28. *Præcipiendo præcepimus*] Heb. *Etiam atque etiam præcepimus*. ¶ *Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius*] i. Datis operam populum concitando, ut tandem de nobis sumat pœnas ob hominem hunc interfectum.

30. *Interemistis*] Vel, *violentâ manu occidistis*.

31. *Ad dandum pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum*] Heb. pro, *ut conversis à se Israelitis condonaret peccata*.

32. *Sumus**]* *Ei*. ¶ *Verborum**] i. Rerum istarum quæ dicimus, quas oportet à nobis promulgari. * *Insuper autem*.

33. *Hæc**]* *Autem*. ¶ *Cogitabant*] *Consultabant*.

34. *Honorabilis universæ plebi*] *In pretio habitus apud totum populum*. ¶ *Foràs ad breve homines fieri*] *Pusillum foràs Apostolos secedere*, Vet. vel, ut *paulisper* secederent foràs Apostoli.

35. *Attendite vobis*] Vel, *circumspectè consultate apud vos*.

36. *Theodas*] *Theudas*. ¶ *Consensit*] *Adhæsit*. ¶ *Qui credebant*] Vel, *quicunque parebant*.

37. *Professionis*] Vel, *descriptionis*, de qua Luc. 2. a. ¶ *Populum**]* *Multum*. ¶ *Consenserunt*] *Consenserant*.

38. *Et*] *Et* pro *itaque*, Heb. ¶ *Hoc aut opus*] *Aut opus hoc*.

39. *Dissolvere**]* *Illud*, Vet. ¶ *Ne forte*] *Ne quando*. ¶ *Videamini*] *Inveniamini*, Vet.

41. *Et illi quidem*] *Illi igitur*. ¶ *Sunt*] *Fuissent*.

42. *Circa domos*] Vox Græca significat quod vulgò dicitur *de domo in domum* vel etiam *domi*: i. per domos non in singulis dominibus. ¶ *Docentes & Euangelizantes*] *Docere & annuntiare*.

CASTALIO.

4 *NOnne tibi manebat, & venditum in tua potestate erat?*] Nemo te vel vendere vel pretium afferre cogebat.

24. *Summus sacerdos, & fani antistes*] Τὸν ἱερέα vocat, quem paulò ante vocavit ἀρχιερέα. sicut Hebræis הכהן idem sæpe dicitur qui כהן הגדול. Non habent enim Hebræi nomen unum quo Summum sacerdotem à Sacerdote distinguant. Itaque Pontificem *sacerdotem summum* appellant, nonnunquam etiam *sacerdotem*: quemadmodum Latini summum poetam appellant *Poetam*.

42. *Jesum Christum nunciare*] Est quidem εὐαγγελίζεσθαι propriè *lætam rem nunciare*, sed aliquando pro *nunciare* dicitur, sicut בשר, quod, cum idem declaret, ponitur aliquando etiam in re tristi: ut 1 Reg. 4.

CLARIUS.

3. *MEntiri te Spiritui sancto*] Quem paulò pòst *Deum* appellat, cùm ait, *Non mentitus es hominibus, sed Deo*.

8. *Cecidit & exspiravit*] Hoc exemplo admonemur, multa peccare homines, quæ non facile quivis dijudicet, nè an peccata quidem sint: ut verè dixerit Propheta, *Delicta quis intelligit?* Examinanda igitur facta omnia nostra sunt diligentissime & elimanda. Nam nisi hàc pœnâ declaratum esset peccati pondus, quis esset arbitratus scelus hoc esse, ex eo quod offerre in mea sit potestate aliquid detrahere? Magnus verò Basilius de hoc facto loquens sic ait oratione De judicio Dei, *Quid verò ille in Actis Ananias? Quid aliud mali fecisse invenitur quam illud ipsum? Cur ergò invenitur tantâ irâ dignum scelus? Propriam possessionem vendiderat, attulerat pecunias, & posuerat ad pedes Apostolorum, partem pretii detrahens; ob hoc ipsâ horâ simul cum uxore morte damnatur, nè dignus quidem judicatus qui verba pœnitentiæ pro peccato disceret, non saltem ut compunge-*

retur

retur opportunitatem nactus, non præfixum ad pœnitendum tempus accipiens. Hæc ille.

13. *Cæterorum autem nemo audebat*] Vel ob metum Judæorum, vel etiam ob stuporem illorum magnificè factorum. Illud ad eos qui nondum crediderant, hoc ad jam fideles magis pertinet.

28. *Vultis inducere super nos*] Videntur significare se metuere nè, excitato in seditionem populo, ipsi tanquam autores Domini interficerentur.

32. *Quin & Spiritus sanctus*] Qui scilicet per eos tanta faciebat.

ZEGERUS.

2. F*Raudavit de pretio agri*] h. e. Partem pretii subtraxit.

3. *Dixit autem Petrus ad Ananiam, Anania, cur tentavit*] *Ad Ananiam* neque in Græcis est neque in Latinis vetustis, adstipulante Chrysostomo. Beda quoque legit, *Anania, cur tentavit*; admonens interim in alia translatione juxta Græcos haberi, *Anania cur implevit Satanas*, sicuti scribit Cyprianus ad Quirinum. Quidam tamen libri habent *ad Ananiam*, sed omittentes *Anania* vocativi casûs. Augustinus ser. De Trinit. 6. habet *tentavit*.

4. *Et venundatum in tua erat potestate*] i. Pretium venditæ possessionis nónne tibi servare poteras?

8. *Dic mihi, mulier*] *Mulier* in Græcis & nonnullis Latinis non adscribitur.

9. *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?*) i. *Quid est quod in hoc consentitis ut tentetis Spiritum Domini?*

15. *Et liberarentur ab infirmitatibus suis*] Hæc verba neque in archetypo reperiuntur, neque apud Chrysostomum; neque in antiquioribus cod. nostris, nè quis ea ad contextum credat pertinere Apostolicum. Unus Beda addit hoc tantùm, *& liberarentur*: & in nonnullis impressis inseritur etiam, *liberarentur omnes*. Quæ nimirum varietas arguit esse notha. Consultius tamen fuerit propter scrupulosos ad marginem hujuscemodi adscribere. Augustinus in serm. De Petro & Paulo verba adducens precedentia ista non adjungit.

17. *Et omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo*] Perinde est ac si dicat, *Et quotquot cum illo erant, qui factionis erant Sadducæorum, invidiâ efferbuerunt. Hæresis* ab αἱρεῖσθαι, h. e. ab *eligendo*, dicitur, quando scilicet aliquis, spretis aliorum sententiis, sibi pro suo arbitratu eligit quod sequatur: Quemadmodum Sadducæi, citra aliorum opinionem corporis negantes Resurrectionem, animam simul cum carne perire dicebant; spiritum, aut Angelum nullum esse credebant; deinque, spretis Prophetarum vaticiniis, Pentateuchum Moysi tantùm recipiebant.

24. *Ambigebant de illis quidnam fieret*] Græcè est, *ambigebant de illis, quidnam futurum esset hoc*, i. quorsum hæc res esset evasura.

33. *Dissecabantur*] Præ ira scilicet & furore.

34. *Jussit foràs ad breve homines fieri*] Ità in vulgaribus cod. antiquis scriptum cernitur. Sed quod in uno quodam haud malæ fidei codice reperi, *jussit foràs modicùm Apostolos secedere*, & quod editio Lovaniensium adnotat in 5. visum esse, *jussit pusillùm foràs Apostolos secedere*, & dilucidius est & magis respondens Græcis & Chrysostomo; an verò germanius sit equidem non ausim adserere, quòd videatur demutata scriptura propter obscuritatem.

36. *Theodas*] Chrysostomus & Hieronymus lib. De voc. Hebr. Act. Apost. legunt *Thendas*, si modo non fallit scriptura: alii ferè *Theodas*; inter quos est Rufinus l. 2. Eccl. hist. 2. c 11. *Theodos* item reperi tandem apud Hieron. in Comm. in epist. ad Tit. c. 3. ¶ *Aliquem magnum*] Nescio an *magnum* appositum sit ab ipso Interprete explicandi gratiâ: nam idem factum est & à B. Hieronymo scribente in epist. ad Tit. 3. & invenitur in libris antiquis. ¶ *Et redacti ad nihilum*] Latini aliquot codices habent *redactus est ad nihilum*.

37. *In diebus professionis*] *Dies professionis* vocat *dies descriptionis*. De quo habes apud eundem hunc scriptorem Euangelii sui c. 2.

39. *Non poteritis dissolvere eos nè fortè & Deo repugnare inveniamini*] Cave hic legas *videamini* contra Græcos & codices emendatos. Pro *eos* Græcè est *illud*: sed quia in multis Latinis nec hoc nec illud est, videtur in utroque textu subditium esse.

40. *Nè omnino loquerentur*] Illud *omnino* non est in Græcis modernis, nec item in nonnullis nostris antiquis.

H. STEPHANUS.

2. ἘΝοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς] *Intervertit* aliquid *ex pretio*.

3. Ψεύσασθαί σε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον] *Ut mendacio falleres Spiritum sanctum.*

5. Ἐξέψυξε] *Animam efflavit.*

6. Συνέστειλαν] *Composuerunt*: ut dicitur, *Componere mortuum.*

8. Εἰ τοσούτου ἀπέδοσθε;] *An tanti vendidistis?*

9. Τί ὅτι συνεφωνήθη ὑμῖν πειράσαι τὸ Πνεῦμα Κυρίου;] *Quid sibi vult quod convenit inter vos tentare Spiritum Domini?*

13. Κολλᾶσθαι] *Adhærere*: vel, *Se adjungere.*

15. Κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν] *Umbra saltem aliquem eorum inumbraret.*

16. Ὀχλουμένους] *Eos qui vexabantur*: vel, *agitabantur.*

17. Ἡ οὖσα αἵρεσις] *Quæ est secta* ¶ Ἐπλήσθησαν ζήλου] *Repleti sunt invidiâ.*

21. Τὸ συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν] *Concilium & totum Senatum.*

23. Ἐν πάσῃ ἀσφαλείᾳ] *Quàm tutissimé.*

28. Οὐ παραγγελίᾳ ὑμῖν παρηγγείλαμεν;] *Nónne vobis etiam denunciavimus?* ¶ Ἐπαγαγεῖν ἐφ' ἡμᾶς τὸ αἷμα] *Inducere in nos sanguinem*: i. sanguinis effusi crimen in nos derivare.

30. Διεχειρίσασθε] *Interfecistis.*

31. Ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσε] *Evehens constituit vitæ autorem & servatorem.*

33. Οἱ δὲ ἀκούσαντες διεπρίοντο] *At his ista audientibus cor findebatur.* Vide cap. 7. v. 54.

34. Ἐκέλευσεν ἔξω βραχύ τι τοὺς ἀποστόλους ποιῆσαι] *Jussit ut paulisper foràs abducerent Apostolos.*

36. Προσεκολλήθη] *Adhæsit.*

37. Τῆς ἀπογραφῆς] *Descriptionis.* ¶ Ἀπέστησε λαὸν ἱκανὸν ὀπίσω αὐτοῦ] *Fecit ut populus multus defectione factâ & ipsum sequeretur.* ¶ Διεσκορπίσθησαν] *Dispersi sunt.*

38. Ἀπόστητε] *Absistite.*

39. Οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτὸ, μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε] *Non potestis eversionem ejus moliri, ne & cum Deo bellare comperiamini.* Utitur autem voce quæ de Gigantibus dicta fuit.

DRUSIUS.

1. S*Apphira*] Σὺν Σαπφείρῃ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ. In edit. Syra est שפירא, quod legunt *Saphira*. Sic legas שפירא, tum significat *pulcram, formosam*. Hiero. in Nom. Actor. *Saphiram, Narrantem, sive Literatam, aut Librariam* (ספרתא) *vel certè Syro sermone, Formosam*. Partim librorum *Saphira*, unicâ *p*. Id scribi posset צפירא, quæ vox inter alia *capram* denotat. Sign. etiam *coronam*, *diadema* vel *vittam caput cingentem*. Sed *capra* nomen magis quadrat mulieri, ut טביתא *Tabitha, dorcas*, & יעלה *rupricapra*, & רחל *ovis*. Vide quæ notavimus ad Matth. 1. 18.

2. *Fraudavit de pretio*] Alius *intervertit*. Sic Jos. 7. 1. ἐνοσφίσαντο ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος, *clàm usurparunt de anathemate*; *surripuerunt*, vel *suffurati sunt*, & *clàm subduxerunt, inque usum suum converterunt*. Verbum factum ex νόσφι sive νόσφιν, quod *seorsim* vel *seorsum* denotat. Reperitur cùm alibi tum Tit. 2. 10. μὴ νοσφιζομένους *nihil intervertentes*, & 2 Mach. 4. 32. νοσφισάμενος χρυσώματα *aurea vasa suffuratus*.

13. *Adhærere*] κολλᾶσθαι, h. e. familiariter uti, & se jungere arctiùs. Tralatio ab iis quæ visco aut glutine juncta sunt: Nam ea firmissimè adhærent. Id Ebræi enuntiant per verbum דבק, quod à nomine דבק *gluten* significante derivatum. 1 Reg. 11. 2. בהם דבק שלמה לאהבה *eis adhæsit Salomo ad amandum*. Pro *cominus aggredi* aut *cum aliquo congredi* non memini legere Prov. 18. 24. *Est amicus adhærens magis quàm frater.*

17. *Saducæorum*] *Saducæi* an *Sadducæi* scribendum ambigere est ex antiquitate, in qua reperitur δεγγλμ *pisces*, cùm analogia postulet δαγλμ aut δεγιμ. In Comment. Hieronymi MS. super Isaiam *Saducæi*, per unum *d*, quod placet. Vide quæ ad Matth. 7. 6. & 22. 23.

24. *Sacerdos*] Ἱερεὺς pro ἀρχιερεὺς, qui *summus sacerdos*, & *pontifex*, ut 1 Mach. 15. 1. Σίμωνι ἱερεῖ paulò pòst, ἱερεῖ μεγάλῳ. Sic ἱερωσύνη pro ἀρχιερωσύνη in eadem historia. *Sacerdos* quoque hoc significatu sumitur in hist. Sulp. Severi, lib. 1. *Eli sacerdos erat*, i. pontifex. Nec aliter accipies cùm Christus vocatus *Sacerdos* simpliciter. Nam Pontifex erat. כהן quoque eo sensu usurpatur, ut cùm Aharon dicitur כהן *sacerdos*. Vide

 Lev.

Lev. 4. 3. ed. Græcam & Tharg. Jonathæ. Sed exemplum indubitatum 2 Par. 24. 2. *in diebus Jojadæ sacerdotis*, quod & 2 Reg. 12. 2. Ut hic *sacerdos* pro *pontifice*, sic alibi *Angelus* ponitur pro *archangelo*, & *pistor* pro *principe pistorum*, *pincerna* pro *pincernarum principe*, & *pastor* pro ἀρχιποίμην. Nota hæc doctis & iis qui libellos meos legerunt.

29. *Obedire oportet Deo potius*, &c.] Hominibus parendum esse, nisi cùm aliquid præcipiunt contra Legem & præcepta, exemplo Hananiæ, Misaelis & Azariæ, docet R. Tanchuma, fol. 5 col. 1. & 2. Vide, si vacas, & si vis. Huc refer illud Herodoti, *Ea quæ Dei sunt*, sive *quæ ad Deum pertinent*, *debere nobis esse antiquiora quàm quæ sunt hominum.*

34. *Nomine Gamaliel*] Quis iste *Gamaliel Legis Doctor?* An filius Simeonis, nepos Hellelis? Nam filium habuit Simeonem, qui vixit Joannis Zachæi F. tempore; Juch. 159. 2. Aut fortè Gamaliel senior, in cujus funere Oncelos combussit LXX mnas resinæ, i. נרד, cui successit filius Rabban Simeon, in cujus diebus destructa fuit Ædes, Juch. 164. 1.

36. *Theudas*] Græci scribunt Θευδᾶς *Theudas.* Id contractum existimant ex Θεόδωρος, ut Δημᾶς ex Δημήτριος, & Μηνᾶς ex Μηνόδωρος. Syrus edidit, [illegible] quod legunt *Theuda*, unde factum *Theudas.* Reperio & [illegible] nomen inter nomina Doctorum, qui [illegible] vocantur, Juch. 105. 2. Meminit etiam Josephus Antiq. l. 20. c. 2. cujusdam Theudæ Magi, quem à Cuspio Fado interfectum scribit. Hunc Euseb. Hist. Eccl. l. 2. c. 11. confundit cum Theuda Gamalielis; sed malè. Nam inter utrumque intersunt minimùm anni duodecim, ut ait Scaliger De emend. tempor. p. 252. Vide & Cl. Theodori ad hunc locum annotationem.

37. *Judas Galilæus*] יהודה הגלילי Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος, de quo Salmanticensis Judæus Abraham ità scribit, *Autor fuit Judæis rebellandi contra Romanos, dicens, Neminem imperare debere hominibus, neque dominum vocari nisi Deum solum*, Johas. 139. 1. Alius à Juda Gaulonite, cujus bis meminit Josephus, Scaliger De temp. emend. p. 504. Sunt tamen qui hos duos Judas confundunt ex verbis Josephi, quæ Eusebius Hist. Eccl. l. 1. c. 5. & utrumque *Simonem* appellari censent, De bello Jud. l. 2. c. 7. Judicent docti. Mihi nunc non vacat, ad alia properanti. ¶ *Temporibus descriptionis*] Hæc erat altera descriptio. Prioris mentio Luc. 2. 2. Vide Scalig. Animadv. Euseb. 160. 2. & 602. 1.

38. *Si est ex hominibus*, &c.] In eandem sententiam exstat dictum quod tribuitur Johanni Sutori quem *Sandalar* cognominant. Vide Sententias quæ in Alphabeto veteri p. 46. Liber Aboth. c. 5. *Omnis contentio quæ fit propter Deum, tandem stabilis erit; & quæ non fit propter Deum? non erit stabilis. Quænam est contentio quæ fit propter Deum? Contentio Hillelis & Sammai. Quæ non fit propter Deum est contentio Core & cœtûs ejus.* Consule commentarium. *Propter Deum* Ebraicè dicitur לשם שמים *in nomine cœli*, i. Dei. Hic perspicuè *cœlum* pro *Deo* ponitur. Sic vulgò dictitant hodie, *In nomine DOMINI fit omne malum*, nempe quoniam multa mala patrantur sub prætextu religionis & pietatis. Talium ineptiarum fœcunda nimium hæc ætas.

CASAUBONUS.

4. **T**Ι' ὅτι ἔθου ἐν τῇ] Quidam legunt τίς ὅτι ἔθου. non rectè. Nam hoc loquendi genus τί ὅτι passim apud Bibliorum interpretes, & N. Fœderis scriptores legitur. Johannes. 14. 22. plenum extulit, Τί γέγονεν ὅτι ἡμῖν μέλλεις ἐμφανίζειν σεαυτόν;

6. Ἀναστάντες δὲ οἱ νεώτεροι συνέστειλαν αὐτόν] Vetus interpres *amoverunt eum*: alii *corripuerunt eum*. Optimè verò Syrus interpres accepit pro *componere ad sepulturam*: nam στέλλειν cum compositis id interdum sign. In Epigrammatum Græcorum lib. 1. —— ἥν με θανοῦσαν Στείλης. Homerus περιστέλλειν dicere solet, quod idem est cum συστέλλειν.

—— οὐδὲ ἑ μήτηρ
Κλαῦσε περιστέλλασα.

Sophocles dixit eodem sensu συγκαθαρμίζειν, quod Scholiastes explicat περιστεῖλαι.

15. Ἵνα ἐρχομένου Πέτρου] Ἐρχομένου accipio pro περινοστοῦντος, *incedentis per urbem*, vel *ingredientis*.

17. Ἀναστὰς δὲ ὁ ἀρχιερεὺς] h. e. διεγερθεὶς, κινηθεὶς ἐπὶ τοῖς γινομένοις, ut rectè Scholiastes interpretatur. ¶ Καὶ πάντες οἱ σὺν αὐτῷ, ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων] Syrus interpres ità accepit quasi esset scriptum, καὶ πάντες οἱ σὺν αὐτῷ οἱ ὄντες τῆς αἱρέσεως τῶν Σαδδουκαίων. Sed verba Lucæ omnes Sadducæos videntur complecti.

31. Τοῦτον ὁ Θεὸς ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα] Videtur esse figura ἓν διὰ δυοῖν, & dictum pro ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, ut suprà locutus est cap. 3. in simili loco. Nam ἀρχηγὸν sine casu minùs est elegans aut usitatum.

32. Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν αὐτοῦ μάρτυρες τῶν ῥημάτων τούτων] Hæc verba variam interpretationem admittunt: nec displicet mihi eorum sententia qui ῥήματα hic *res* potiùs quàm *verba* putant significare ex usitata apud Hebræos loquendi consuetudine. Porro vocem αὐτοῦ nec Syrus interpres nec Veteres videntur in suis cod. habuisse; quam tamen vel maximè censeo retinendam.

41. Ὅτι ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι] Observatu dignum est elegantissimum hoc oxymorum; quale est illud, *Insipiens sapientia*, & *Concordia discors*: nam ἀξιοῦσθαι & ἀτιμάζεσθαι sunt contraria. Pertinet huc maximè locus Pauli ad Philippenses 1. 29.

LUD. CAPPELLUS.

36. **Π**ΡΟ` γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς, Hujus Theudæ meminit Josephus l. 20. Antiq. Jud. c. 2. quem dicit à Cuspio Fado Claudi Imperatoris in Judæa Procuratore interfectum fuisse. Cuspius autem Fadus non fuit in Judæam (secundùm Josephum) missus nisi post Agrippæ Magni mortem, quæ narratur infrà cap. 12. hujus libri Actuum Apostolicorum, quæque contigit circa initium anni quarti Claudii: at hæc à Gamaliele dicta sunt circa initium imperii Caii Caligulæ, cui Claudius successit. Quare intercedunt, ut minimùm, septem vel octo anni inter istam Gamalielis in Synedrio Judæorum orationem & Theudæ mortem. Itaque laborat doctissimus Interpres in conciliando Luca cum Josepho. Summa conciliationis huc redit, ut velit geminum esse Theudam, geminum item Judam, alterum Gaulonitem, cujus meminit item Josephus, alterum Galilæum cujus hic Lucas meminit, & utrumque eorum quos hic commemorat Lucas diversum esse ab illis quorum Josephus facit mentionem. Sed durum videtur duo facta sic dissimilia gemina pro arbitrio confingere. Ego potiùs existimarem *Judam Gaulonitem* Josephi & *Judam Galilæum* Lucæ eundem esse, sed *Gaulonitem* dici à Josepho quia Gaulone erat oriundus, Galilæum autem à Luca, Primò, quia etsi Gaulon non pertinebat ad Galilæam propriè & strictè sic dictam, tamen de Galilæa censeri poterat, quatenus in N. T. paulò latiùs sumitur *Galilæa* pro iis omnibus Judæorum locis quæ non erant de Judæa propriè & strictè dicta: & sanè Gaulon Galilææ contigua & contermina erat. Deinde Judas dici potuit à Luca *Galilæus* quòd sic vulgò crederetur, quia tumultus suos in Galilæa potissimùm excitaverat, indéque cœperat: unde etiam ab ipso Josepho Γαλιλαῖος vocatur l. 18. Ant. c. 2. cujus motuum tempus assignat in morte Archelai filii Herodis, h. e. annis circiter decem vel duodecim post natum Christum. Potest & hic Lucæ Theudas idem esse cum Josephi Theuda, etsi tempus non congruat, si dicamus lapsu μνημονικῷ à Luca conjuncta esse duo facta vicina & affinia Judæ & Theudæ, quòd utrumque ad Gamalielis propositum faceret: qui lapsus μνημονικοὶ facilè obrepunt cùm propositum nobis non est rerum gestarum seriem ordine narrare & accuratè notare, sed obiter & ex occasione data aliquid quod ad rem nostram facit commemorare verbulo; quod hic à Luca fit. Atque hujusmodi lapsuum μνημονικῶν exempla nonnulla ab aliis notata sunt in Sacris Scriptoribus; & mox infrà 7. 16. unum notabimus. Quòd si cui hæc conciliandi ratio durior videtur, poterit σφάλμα μνημονικὸν Josepho tribui, qui factum Theudæ in Claudii Imperatoris tempus assignavit, quod secundùm Lucam Christi nativitatem videtur præcessisse. Sed neque istud facilè persuaseris ei qui Josephi historiam & rerum gestarum seriem apud eum legerit. Itaque &: sic fortè componi atque conciliari possit ejus narratio cum Luca, si dicamus, I. hîc esse in Lucæ narratione verborum metathesim; ità ut ista sic legi debeant, Πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος, &c. deinde, Μετὰ τοῦτον δὲ ἀνέστη Θευδᾶς, λέγων, &c. II. si dicamus ista verba, Μετὰ τοῦτον ἀνέστη Θευδᾶς, &c. includi parenthesi, & verba esse non Gamalielis in Synedrio sententiam dicentis, sed Lucæ scribentis, & velut interfantis, factúmque Theudæ cum illo Judæ Galilæi ob similitudinem conjungentis.

38. Ἀπόστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων, &c.] Verba hæc Gamalielis animum videntur arguere si non propensum & bene affectum erga Christi doctrinam at saltem non valde aversum, aut certè ingenium mite & moderatum non sævum & immite. Interim

terim discipulus ejus Paulus mox acerbissimè sævit in Ecclesiam Christi, eámque depopulatus est. Et Maimonides Misnæ suæ Tom. 1. lib. 2. תפלה tract. De Oratione & Benedictione Sacerdotum, c. 2. §. 1. factum Gamalieli tribuit ab hoc consilio satis (uti videtur) alienum. Dicit enim quòd cùm Gamaliel videret multiplicari in diebus suis מינים *Hæreticos*, (Christianos autem hoc nomine intelligit; neque enim alii tum erant inter Judæos qui eo nomine censeri possent præter Christianos) composuisse formulam Precationis quâ à Deo exterminium Hæreticorum petebatur; quam Precationem reliquis precum formulis in Liturgia Judaica tum temporis usurpatis adjunxit. Verba ejus sunt, *In diebus R. Gamalielis multiplicati sunt in Israele Hæretici qui Israelitas urgebant & sollicitabant ad defectionem à Deo. Quod cùm ipse videret maximi esse momenti supra reliquas res omnes humanas, obstitit ipse,* ובית דינו *ejusque assecla, composuitque* תפלה אחרת *precationem aliam in qua à Deo postulat ut perdere velit* המינים *Hæreticos: eámque reliquis adjunxit in Liturgia, ut ea esset prastò in omnium ore.* Hoc factum (si verum est) infensum in Christianos animum Christianæque Religionis odium in eo homine arguere videtur: quod non satis quadrat cum hoc consilio quod à Luca hîc narratur. Nisi fortè quis Lucam cum Maimonide hâc ratione velit conciliare, ut dicat Gamalielis hanc fuisse mentem & animi sententiam, Apostolos eorúmque sectatores, etsi Hæreticos & quidem perniciosos, non vi tamen & consiliis prudentiæ humanæ esse opprimendos, sed Dei consilio & providentiæ ejus arcano regimini rem totam esse permittendam; à Deo eorum exterminium esse exspectandum, non humanis consiliis præcipitandum: Ideóque eum in hunc finem Precationem illam composuisse, cæterisque in Liturgia quotidiana adjunxisse, quâ à Deo hominum illorum, si modò impii & hæretici essent, exterminum petebatur, ut, si à Deo non essent, ipse viâ & ratione convenientissimâ, quam Dei providentiæ & sapientiæ permittebat, conatus eorum dissiparet everteretque. Ad Paulum autem Gamalielis discipulum, acrem Ecclesiæ Christi persecutorem, quod attinet, duo responderi possunt; nempe, vel Gamalielem quidem ipsum eodem fuisse initio cum Paulo animo in Apostolos Apostolorúmque sectatores, acri nimirum & infenso, sed tum mutavisse sententiam, Deo sic animum ejus flectente; quod non rarò accidit; vel Paulum à Magistro suo dissensisse postea, quòd ingenio esset fervidiore, ac proinde animo infensiore magisque hostili adversùs eos à quibus πατροπαράδοτον Judæorum Religionem everti existimabat, cujus ipse erat maximus zelotes.

GROTIUS.

ANανίας, *Ananias*] Idem nomen quod habemus Jerem. 28. 1. ¶ Σαπφείρη, *Sapphira*] שפירה *pulchra*, ut Ps. 26. 6. Jod interpositum more Syriaco. ¶ Κτῆμα· *agrum*] אחוזה, κτῆσις (*possessio*) vertitur: שדה (*ager*) κτῆμα (*prædium*] Proverb. 23. 10.

2. Ἐνοσφίσατο, *fraudavit*] Est idem verbum 2 Maccab. 4. 32. Tit. 2. 10. in Glossis νοσφίζομαι, *peculor*, *usurpo*.

3. Διατί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν σε, *cur implevit Satanas cor tuum*] Id est, *cur sivisti à Satana impleri cor tuum?* Sic & in Judam intrâsse dicitur Satanas Lucæ 22. 3. Johan. 13. 27. Grave crimen est rem votam non solidam Deo persolvere, Levit. 27. 10. Deut. 23. 21, 22, 23. Voti species est חרם [*anathema*,] cujus violati pœnam vide in Achanis historia Josuæ 7. 15, 25. ¶ Ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *mentiri te Spiritui Sancto*] Ψεύδεσθαι quod respondet Hebræo כזב [*mentiri*,] modò cùm dativo construitur, ut Job 34. 6. Psalm. 78. 3. & 89. 35. modò cum accusativo, ut Proverb. 14. 5. Sic & διαψεύδεσθαι [*mentiri*] cum accusativo reperitur 2 Reg. 4. 16. itâ hic constructionem cum accusativo habemus, sequenti commate cum dativo. Pari modo εὐλογεῖν [*benedicere*] modò dativum post se, modò accusativum habet. Sed & Græci sic loquuntur ut Aristophanes, ὁ ψεύσει γέ με [*non me falles.*] Idem est *mentiri Deo* vel *Spiritui Sancto*. Vide quæ diximus ad Matth. 22. 32. *Mentiri Deo* aut *Spiritui Sancto* dicitur is qui sperat se Apostolos fallere posse Spiritu Sancto instructos: quod mox dicitur πειράσαι [*tentare*,] ut in Psalm. 78. 41. וינסו *tentarunt*: quod paulò ante 36 יכזבו *mentiti sunt*. Sic duplex figura: nam & conatui datur nomen actus, & possidens designatur ex re possessa.

4. Οὐχὶ μένον σοὶ ἔμενε, *Nonne manens tibi manebat*] Licebat tibi per nos non vendere prædium & ejus proprietatem retinere. ¶ Καὶ πραθὲν ἐν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ὑπῆρχε; *& venundatum in tua erat potestate?* Nempe ἡ τιμή [*pretium.*] Etiam postquam vendideras fundum, pretium totum retinere tibi licebat ac de eo nihil Deo vovere. ¶ Τί ὅτι, *quare*, Id est, *quid fuit causa cur hoc in animum tuum induceres?* Sic & infrà 9. Loquitur sic & Pollux. Plena locutio τί γέγονεν ὅτι [*cur factum est, ut*] Joh. 14. 22.

5. Ἐξέψυξε *exspiravit*] Sic vertitur ויעף Judicum 4. 21. Vide hoc capite infra 10. & 12. 23. Quia deerant Ecclesiæ Magistratus, Tutores & injuriarum Vindices, ideo Deus prodigiosam puniendi potestatem attribuit Apostolis.

6. Συνέστειλαν αὐτὸν, *amoverunt eum*] Περιστέλλειν est *mortuum fasciis involvere*, Ezech. 29. 5. Tobiæ 12. 14. Usurpat sic & Euripides Iphigenia in Tauris & Troadibus, & Homerus sæpe: item Plutarchus. In glossario, *Pollingo*, περιστέλλω νεκρόν, unde περιστολὴ (*pollinctura*) apud Dionysium Halicarnassensem. Pro eodem ponitur συστέλλειν. Sic Euripides ibidem Troadibus.

> —— ὁ δάμαρτος ἐν χεροῖν
> Πέπλοις συνεστάλησαν.
> [—— non per uxorum manus
> Peplo involuti. ——]

Bene ergo vocem hanc accepit Syrus. Hebræi dicerent אספו [*collegerunt.*]

8. Τοσέτε *tanti*) Expressa nempe pretii quantitate, quam dixerat Ananias.

9. Συνεφωνήθη ὑμῖν, *convenit vobis*] נועדתם, *in hoc conspirastis.* ¶ Καὶ ἐξοίσουσί σε. *& efferent te*] Hebraïsmus, pro *iidem te efferent.*

10. Πρὸς τὸν ἄνδρα, *ad virum*] Unà cum viro, in eodem sepulchro. Hoc sensu προβάλλειν (*projicere*) dixit Poëta Græcus in epigrammate.

12. Διὰ δὲ τῶν χειρῶν τῶν Ἀποστόλων, *Per manus autem Apostolorum*] ביד, (*per manum*) id est, *per Apostolos.* Hebraïsmus frequens. ¶ Ἐν τῇ στοᾷ Σολομῶντος. *in porticu Solomonis*] Vide supra 3. 11.

13. Τῶν δὲ λοιπῶν, *Cæterorum autem*] Eorum qui extra Ecclesiam erant. ¶ Οὐδεὶς ἐτόλμα κολλᾶσθαι αὐτοῖς. *nemo audebat se conjungere illis*] Metu ne mali aliquid ipsis eveniret ab Apostolis. Simile vide 1 Regum 17. 18.

14. Μᾶλλον δὲ προσετίθεντο, *Magis autem augebatur*] Multò etiam magis quàm ante. Respicitur enim hîc id quod dictum est supra 4. 4.

15. Καὶ κραββάτων, *ac grabbatis*] Vide Marci 2. 4. ¶ Κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν. *ut saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum*] Christus fimbriæ tactu sanavit morbos, Petrus etiam umbræ contactu. Ita impletum est quod dixerat Christus Joh. 14. 12.

17. Ἀναστὰς δὲ ὁ Ἀρχιερεὺς, *Exsurgens autem Princeps Sacerdotum*] Exiens è Synedrio, ut videret quid ageretur. ¶ Ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων, *quæ est hæresis Sadducæorum*] In magno Senatu erant & Pharisæi & Sadducæi, infra 23. 6. Sed summus Sacerdos & consanguinei ejus, sectæ erant Sadducæorum; ut procerum pars magna. Αἵρεσις ut Latinè *secta*, vox est media. Vide infra 24. 5. Ciceronem lib. 15. Epist. 16. L. si duas §. 2. D. de Excus. Tutorum. ¶ Ἐπλήσθησαν ζήλου· *repleti sunt zelo*] קנאה quod ζῆλον (*Zelum*) vertunt LXX sæpe *iram* significat. Causam iræ Sadducæorum indicavimus supra 4. 1.

18. Ἐν τηρήσει, *in custodia*] Vide supra 4. 3. idem infra δεσμωτήριον 21, 23. & Φυλακή [*carcer*,] 22.

19. Ἤνοιξε τὰς θύρας τῆς Φυλακῆς· *aperuit januas carceris*] Ut Matth. 28. 2. & infra 12. 10. ¶ Σταθέντες, *stantes*] Id est, *constanti animo.* Qui tales sunt *stare* dicuntur Hebræis, ut 1 Cor. 7. 37. & 10. 12. 2 Cor. 1. 24. Ephes. 6. 14. Coloss. 4. 12. Philo de Cherubinis, στῆναι [*stare*] explicat ἄτρεπτον κτήσασθαι διάνοιαν [*immutabilem obtinere mentem.*]

20. Πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης. *omnia verba vitæ hujus*] Est μετωνυμία [*transnominatio.*] nam *vitæ* nomine intelligit doctrinam quæ ad vitam æternam ducit. Sic & Johan. 12. 50. & 17. 3.

21. Καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ· *& omnes Seniores filiorum Israel*] Id est, Senatores urbis Hierosolymorum, & si qui Senatores ex aliis oppidis ad festum diem convenerant. Vide supra 4. 3. & quæ dicta ad Matth. 10. 17. idem est γερουσία [*Senatus*] quod supra πρεσβύτεροι, זקנים [*Seniores.*]

24. Ὅ τε ἱερεὺς, *& Sacerdos*] Nempe ὁ μέγας [*magnus*,] הכהן [*Pontifex.*] ¶ Καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *& Magistratus Templi*] De quo supra 4. 1. ¶ Καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, *& Principes Sacerdotum*] Principes Sacerdotalium familiarum. Vide Matth. 2. 4. & ibi dicta. ¶ Τί ἂν γένοιτο τοῦτο. *quidnam fieret*]

ret] Γένοιτο [*fieret*] pro εἴη [*esset.*] Mirabantur quid hoc esset rei. Ita accepit & Syrus.

26. Οὐ μετὰ βίας. *sine vi*] Non ligatos: ut alioqui fieri solebat. Matth 27. 2.

28. Παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν, *præcipiendo præcepimus*] Locutio qualis supra 4. 17. Justinus Apologetica 2, Οἱ Ἀπόστολοι αὐτοῦ ἐξελθόντες πανταχοῦ ἐκήρυξαν, καίπερ θανάτου ὁρισθέντος κατὰ τῶν διδασκόντων [*Egressi Apostoli ejus, statuto licet in eos qui docerent mortis supplicio, ubique prædicarunt.*] Notat qui responsa ad Orthodoxos scripsit, hoc jam non ignorantiæ sed malitiæ fuisse. ¶ Καὶ βούλεσθε ἐπαγαγεῖν ἐφ' ἡμᾶς τὸ αἷμα τοῦ ἀνθρώπου τούτου, *& vultis inducere super nos sanguinem hominis istius*] Id est, *Vultis nos onerare crimine interfecti hominis istius. Sanguis* Hebræis cædes, & crimen cædis, & pœna cædis.

29. Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*] Vide quæ supra 4. 19. Πειθαρχεῖν [*obedire*] vox est bene Græca, quâ & infra utitur Lucas 32. & 27. 21. & ad Titum Paulus 3. 1. Respondet Hebræo שמע [*auscultare.*]

30. Ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, *Deus Patrum nostrorum*] Providè hoc addidit, ne quis alium Deum ab Jesu prædicatum crederet, quàm eum quem coluerant Abraham, Isaac, Jacob, de quo præceperat Moses, contrà quàm sibi persuasit Marcio. Sic & supra 3. 13. & infra 7. 32. & 22. 14. ¶ Ὃν ὑμεῖς διεχειρίσασθε, *quem vos interemistis*] *Trucidastis.* Sic enim vox hæc sumitur & infra 26. 21. Lucas, ut eruditus, multis utitur vocibus purè Græcis, qualis hæc est, quæ eodem sensu apud Herodotum, & Plutarchum reperitur. Hebraïcè est קטל, quod χειροῦν [*occidere*] vertitur Jobi 13. 15. ¶ Κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου. *suspendentes in ligno*] Ita maluit dicere quàm ἐπὶ σταυροῦ [*in cruce,*] ut alluderet ad locum Deuteronomii 21. 23.

31. Ἀρχηγὸν, *Principem*] נגיד, ἡγούμενον [*Ducem*] Dan. 9. 25. Vide supra 3. 15. ¶ Δοῦναι μετάνοιαν τῷ Ἰσραὴλ, *ad dandam pœnitentiam Israeli*] Ut resurrectione ipsius & adscensu in cœlum intellectis, incatis eam viam quam incundam dixit. *Christi sanguis*, ut inquit Clemens, παντὶ τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπήνεγκεν [*universo hominum generi pœnitentiæ gratiam obtulit.*] ¶ Καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *& remissionem peccatorum*] Quæ pœnitentiam fide animatam sequitur.

32. Τῶν ῥημάτων τούτων, *horum verborum*] *Harum rerum*, more Hebræo, הדברים אלה. ¶ Καὶ τὸ Πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, *& Spiritus Sanctus*] Non nos tantùm, sed & Spiritus Sanctus, virtus divina Matthæi 10 20. ¶ Τοῖς πειθαρχοῦσιν αὐτῷ. *obedientibus sibi*] Vide supra 29.

33. Διεπρίοντο, *dissecabantur*] *Dirumpebantur animis.* Sic infra 7. 54.

34. Φαρισαῖος, *Pharisæus*] Quod genus hominum lenius erat circa pœnas. ¶ Γαμαλιὴλ, *Gamaliel*] Credibile est fuisse illum quem Thalmudici ajunt magistrum fuisse Simeonis ejus, cujus ætate destructum fuit Templum. Frequens fuit hoc nomen inter Hebræos, & Patriarcha quidam ejus nominis fuit Honorianis temporibus, cujus meminit lex Honorii in Codice Theodosiano, Hieronymus ad Pammachium, Marcellus Empiricus cap. 23. ¶ Ἔξω βραχύ τι τοὺς Ἀποστόλους ποιῆσαι. *pusillum foras Apostolos secedere*] Ut moris erat fieri reis, ubi de eorum negotio consultabatur, supra 4. 15. Est autem locutio satis Græca. Sic Aristoteles Oeconomicôn 2 dixit, τοὺς ἀποσταλέντας εἰς Φυλακὴν ποιήσας [*conjectis in carcerem qui missi erant.*] *Huc te fac* apud Terentium, Donatus interpretatur *accede.* Sic & Apulejus, *Intra tamen sese facit.*

36. Πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη, *Ante hos enim dies exstitit*] Politici in deliberationibus multùm utuntur exemplis, præsertim patriæ suæ, & quorum recens memoria. ¶ Θευδᾶς, *Theudas*] Est nomen non Græcum sed Hebræum, תודה [*Thoda*] quod Syri enuntiant per diphthongum *Theuda*, quomodo Thomam *Thaumam* vocant, & Josephum *Jausephum.* Frequens erat id nomen apud Hebræos. Itaque non mirum est diversis temporibus plures exstitisse factiosos homines ejusdem nominis. De quo hic agitur is exstitit paulo ante finem Herodis, ut notat Casaubonus Exercitatione 17. ostendens ita sensisse & Origenem. ¶ Λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν, *dicens se esse aliquem*] Addit Manuscriptus ille in Anglia, ut & alii quidam μέγαν [*magnum,*] ut infra 8. 9. ¶ Διελύθησαν, *dissipati sunt*] Dispersi sunt duce amisso. ¶ Καὶ ἐγένοντο εἰς οὐδέν. *& redacti ad nihilum*] Id est, *omnes illorum conatus evanuere*, juxta proverbium Hebraïcum, de quo diximus ad Matth. 16. 18.

37. Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος, *Judas Galilæus*] Puto esse Gaulonitem. Hujus Judæ meminit Salmanticensis, & Rabbini alii. ¶ Ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς, *in diebus professionis*] Relegato Archelao. ¶ Διεσκορπίσθησαν. *dispersi sunt*] Idem quod modo dixerat διελύθησαν [*dissipati sunt.*] In Hebræo esset נפצו (*dispersi sunt*) ut Ezech. 28. 25. & alibi.

38. Ἀπόστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων, *discedite ab hominibus istis*] Id est, *nihil vobis sit cum illis negotii*, ut Matth. 27. 19. ¶ Ἐξ ἀνθρώπων, *ex hominibus*] *Ex humano commento.* Καταλυθήσεται. *dissolvetur*] לא תקום [*non stabit,*] ut est in Hebræo proverbio paris sensûs.

39. Μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε. *ne fortè & Deo repugnare inveniamini*] Ante μήποτε [*ne forte*] hic subintelligitur *cavendum est.* Symmachus רפאים [*gigantes*] vertit θεομάχους [*Deo repugnantes*] Job 26. 5. Prov. 9. 18. & 21. 16. Verbum θεομαχεῖν [*Deo repugnare*] habes 2 Macc. 7. 19. γλώσσας θεομάχους [*linguas blasphemantes,*] in expositione fidei, quæ additur operibus Justini.

40. Ἐπείσθησαν δὲ αὐτῷ. *Consenserunt autem illi*] Nempe ne Apostolos occiderent, non autem ut intactos dimitterent: quod tamen æquum fuerat & congruens iis quæ dixerat Gamaliel. ¶ Δείραντες, *cæsis*] *Cum loris eos cecidissent*, more Hebræo. Confer quæ infra 22. 19. 2 Cor. 11. 24. Prædictum id Matth. 10. 17. & 21. 35. & 23. 34. Marci 12. 5. & 13. 9. Luc. 12. 11.

41. Ἐπορεύοντο χαίροντες ἀπὸ προσώπου τοῦ συνεδρίου, ὅτι κατηξιώθησαν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Ἰησοῦ ἀτιμασθῆναι. *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*] Memores præcepti herilis, Matth. 5. 11. 12. Magna virtus ipsam contumeliam honori ducere ob bonam causam. In Manuscripto illo vetere non additur τοῦ Ἰησοῦ [*Jesu*] parique modo in Epistola Johannis 3. 7. Legitur in eodem Manuscripto, ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος [*pro nomine enim,*] nimirum ἀντονομαστικῶς [*eminenter.*]

PRICÆUS.

Com. 2. ΣΥνειδυίας καὶ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ] Gloss. Συγγιγνώσκω, σύνοιδα, *conscio.* Servius ad Æn. 2. CONSCIENTIAM *in insidiis bene nominavit.* In l. 16. F. de pœnis Latronum conscia.

Com. 4. Οὐχὶ μένον σοὶ ἔμενε;] Hieronymus ad Lætam, *Offerre necne filiam potestatis tuæ fuit, &c. ut autem oblatam non negligas ad periculum tuum pertinet.*

Com. 6. οἱ νεώτεροι.]

——— Famuli comitúmque animosa juventus:

quæ nempe Petro & Apostolis, non Ananiæ apparebat. In Glossis, *Juvenis*, νεώτερος. Infrà Com. 10. νεανίσκοι dicuntur. De hujusmodi Virgilius,

——— Vos ô quibus integer ævi
Sanguis adest, solidaque suo stant robore vires;

id est, οἱ τῆς ἥβης ἄνθος ἔχοντες, —— ὅτε κράτος ἐστὶ μέγιστον, ut apud Homerum Iliad. ψ'. de Hectore loquentem. Diodorus Siculus l. 11. νέους ταῖς ἡλικίαις ἀκμάζοντας, καὶ τοῖς σώμασιν εὐρωστοῦντας dixit; Apuleius *Juvenes vegetes corporibus.* Sic νεώτεροι Plutarchus in Apophthegm. Reg. & Aristophanes in Equit. Nec de aliis intelligendus Suetonius de ægroto Augusto agens, *Subitò pavefactus, à quadraginta se juvenibus abripi questus est:* aut Herodianus qui, Παρεσκευάκει ὁ Σεβῆρος νεανίας τῶν περὶ αὐτοῦ σωματοφυλάκων, οἳ συλλήψονται αὐτὸν εἰσελθόντα.

Ibid. Συνέστειλαν αὐτὸν] *Involverunt eum:* idem quod περιστέλλειν. Euripides,

Δὸς τοὺς δὲ τύμβῳ καὶ περίστειλον νεκρούς.

Apuleius 4. *Corpus lineâ veste diligenter convolutum.*

Com. 7. Ὡρῶν τριῶν διάστημα] Gloss. Διάστημα, *Spatium, intervallum, intercaptio:* lege *intercapedo.* Ibidem, Διάστημα χρόνου, *Laxamentum.*

Com. 9. Ὁ δὲ Πέτρος εἶπε πρὸς αὐτὴν] Vulgatus, *Petrus autem ad eam.* Eâdem Ellipsi & Apuleius noster, *Denique sic ad illum.* Vide ad Miles. 4 pag. 234. annotata.

Ibid. Ἐπὶ τῇ θύρᾳ] Locutio rem statim insecuturam notans. 2 Reg. 6. 33. Gen. 4 7. Jac. 5. 9.

Com. 10. Ἔπεσε δὲ παραχρῆμα] Virgilius,

Genua labant, gelidus concrescit frigore sanguis.

Ovidius,

Poplite deciduo genua intremuere, fugitque
Et color & sanguis, visúmque reliquit euntem.

Seneca

Seneca in Controversiis, *Oborta sunt subitò tenebræ, diriguit animus, sublapsum est intercepto spiritu corpus.*

Ibid. Παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ἐξέψυξεν] Apuleius 10. *Ante ipsos Præsidis pedes, exanimis corruit:* & 2. *Quoad tandem ante vestigia mea, &c. spiritum efflaverint.*

Ibid. Ἔθαψαν πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς] Tobias cap. 4. ad filium de uxore sua, Ὅταν ἀποθάνῃ, θάψον αὐτὴν παρ' ἐμοί. Apuleius 8. *Unitâ sepulturâ marito perpetuam conjugem reddidere.* Valer. 4.6. *Quem amici, sicut erat, togatum & calceatum, corpori conjugis junxerunt.*

Com. 13. Τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς ἐτόλμα κολλᾶσθαι αὐτοῖς, ἀλλ' ἐμεγάλυνεν αὐτοὺς ὁ λαός,] Etsi verum sit τοὺς λοιποὺς alibi ἐπὶ τὸ χεῖρον sumi, (ut plusculis ad Luc. 18. exemplis indicavimus) hic tamen, propter oppositum illud λαός, εὐσχήμονας istâ voce demonstrari putem: eos scilicet quos aut ordo aut vitæ autoritas insigniores fecerat. Sic τοὺς λοιποὺς, id est, sapientiores, τοῖς πολλοῖς, vulgo, idiotis, Simplicius in cap. 45. Epicteti opponit. Sic ὄχλος & ἄρχοντες ex adversum positi apud Joannem: cujus cap. 7. com. 48, & 49. huic loco sensum simillimum vide. Suprà heic de his iisdem Apostolis, Ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν, ubi bene ad nostrum sensum Camerarius, *mentione populi excluditur Pontificia factio.* Ἐμεγάλυνεν αὐτοὺς, est *laudibus & non vulgaribus præconiis efferebant eos.* Utitur hâc voce etiam 1.46 in Euang. Et est hoc sensu vocabulum bene Græcum illud. Dio in Excerptis, de Fabio Juniore, Οἱ Ῥωμαῖοι ἐκεῖνον ἐμεγάλυνον. Plutarchus in Lacæn. Apophthegm. Μεγαλυνόντων ἐκεῖνον (Brasidam nempe,) καὶ λεγόντων ἄριστον ἐν τοιούτοις ἔργοις ἁπάντων Λακεδαιμονίων εἶναι. Et, τὴν τύχην μεγαλύνειν, Idem in De Roman. fortuna. Glossæ, Μεγαλύνω, *amplifico, magnifico.*

Com. 14. Μᾶλλον δὲ, &c] *Magis ac magis indies*, ut loquuntur Latini Scriptores: vel μᾶλλον forsan (ut Phil. 1. 12. & infrà 9. 22.) pro μάλα.

Ibid. Προσετίθεντο, &c.] Subaudi ex Com. præced. αὐτοῖς. Est hic προστίθεσθαι quod ibi κολλᾶσθαι. Sic προσετέθησαν, subintellecto, ut hic, dativo habuimus suprà 2. 41. Bene Græca autem est & ista Lucæ locutio Herodianus lib. 2. Τῷ Σεβήρῳ πάντες ἤδη προσετίθεντο.

Com. 15. Ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν] E diverso in veteri Tragœdia apud Ciceronem Atreus,

—— Nolite hospites adire ad me:
Ilico isthinc, ne contagio mea umbrâve obsit:
Tanta vis sceleris in corpore hæret.

Com. 16. Συνήρχετο δὲ καὶ τὸ πλῆθος τῶν πέριξ πόλεων, &c. Φέροντες ἀσθενεῖς] Vide ad Matth. 4. 24. dicta. Hesychius, Πέριξ, κύκλῳ.

Ibid. Ὀχλούμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων] Ità & 6. 18. in Euang. Herodianus simili formâ ὑπὸ νόσου ἐνοχλεῖσθαι dixit.

Com. 17. Ἀναστὰς δὲ ὁ ἀρχιερεὺς, &c.] Non puto (cum eximio Grotio) exiisse Pontificem, cùm nulla coacti Synedrii mentio præcesserit. Græci hic, ἀναστὰς, κινηθεὶς ἐπὶ τοῖς γενομένοις. Et ità hanc vocem accepit Vir summus Casaubonus. Habemus quidem apud Senecam *de Tribunali Consulem ab ira desilientem*; & Luc. 4. 29. item 23. 1. id verbi sensu non in speciem absimili. Sed & ibi, suprà hic Com 6. & multis aliis horum librorum locis attentiùs perpendenti patebit idiotismum esse.

Ibid. Ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων] Vox media αἵρεσις, ut & infrà 15. 2. & 26. 5. Servius ad Virgil. 10. *Sectas dicimus habitus animorum, & instituta Philosophorum circa disciplinam.*

Com. 18. Ἐν τηρήσει δημοσίᾳ] Δημοσίαν Φυλακὴν Diodorus in Excerptis vocat. Apuleius lib. 10. *publicum carcerem.* In l. 48. de V. Sig contractè *publicum* appellatur. Sic δημόσιον Scholiastes Thucydidis δεσμωτήριον exponit. In l. 5. ff. De custod. & exhibit. reorum, Scriptore Illustrium Vitarum in Pausania, Pelopida, & Miltiade, *publica vincula.* Et hinc in Plautina Amphitr. *publicitus excipi.*

Com. 20. Τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης] Hypallagen (quod nonnulli volunt) hic nullam esse probant vel illa ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης, quæ infrà 13. 26. occurrunt.

Com. 24. Διηπόρουν περὶ αὐτῶν, τί ἂν γένοιτο τοῦτο] Rectissimè Syrus, γένοιτο pro εἴη accepit. Infrà 10. 17. Ἐν ἑαυτῷ διηπόρει ὁ Πέτρος τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα Simile suprà 2. 12. Ἐξίσταντο καὶ διηπόρουν, &c. λέγοντες, τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι;

Com. 26. Ἤγαγεν αὐτοὺς οὐ μετὰ βίας] Οὐ μετ' ὄχλου, οὐδὲ μετὰ θορύβου, infrà 24. 18. Contra apud Euripidem,

———— εἷλε Κασσάνδραν βίᾳ,

& in 3 Maccabaico, μετὰ βίας ἕλκεσθαι.

Com. 28. Ἐπὶ τῷ ὀνόματι τούτῳ;] Contemptim, ut infrà 9. 21. Τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομα τοῦτο & 28. 22. τῆς αἱρέσεως ταύτης. Vide & 6. 14. & 24. 5. & quæ ad 16. 35. notanda. Terentius, —— *Cum milite isto:*

ubi Donatus, ISTO *bene additum, quasi odisse, ut alibi. Jam verò mitte, Demea, tuam istam iracundiam, &c. Hæc enim pronomina spernentis sunt, odiúmque monstrantis.*

Com. 29. Πειθαρχεῖν δεῖ τῷ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις] Apud Suidam ex Veteribus quis, Μὴ γὰρ ἂν ἐκπλεύσειν ποτὲ τῶν φρενῶν ἐς τοσοῦτον ὡς ἀνθρώπους προτιμῆσαι Θεοῦ. Arrianus 1. 30. in Epictetum, Ὅταν εἰσίῃς πρός τινα τῶν ὑπερεχόντων, μέμνησο ὅτι καὶ ἄλλος ἄνωθεν βλέπει τὰ γιγνόμενα, καὶ ὅτι ἐκείνῳ σε δεῖ μᾶλλον ἀρέσκειν ἢ τούτῳ. Idem ex persona Socratis suos judices alloquentis, Ἄν μοι λέγητε νῦν ὅτι ἀφίεμέν σε ἐπὶ τούτοις, ὅπως μηκέτι διαλέξῃ τούτους τοὺς λόγους οὓς μέχρι νῦν διελέγου, μηδὲ παρενοχλήσῃς ἡμῶν τοῖς νέοις, μηδὲ τοῖς γέρουσιν (confer com. præced. & infra 40, 41, & 42.) ἀποκρινοῦμαι ὅτι γελοῖοί ἐστε, οἵτινες ἀξιοῦτε εἰ μέν με ὁ στρατηγὸς ὁ ὑμέτερος ἔταξεν εἴς τινα τάξιν, ὅτι ἔδει με τηρεῖν αὐτήν, καὶ φυλάττειν, καὶ μυριάκις πρότερον αἱρεῖσθαι ἀποθνήσκειν ἢ ἐγκαταλείπειν αὐτήν· εἰ δ' ὁ θεὸς ἔν τινι χώρᾳ καὶ ἀναστροφῇ κατατέταχε, ταύτην δ' ἐγκαταλείπειν δεῖ ἡμᾶς; Idem apud Eundem 3. 1. Ἄν μ' ἀφῆτε ἐπὶ τούτοις ἵνα μηκέτι ταῦτα πράσσω ἃ νῦν, οὐκ ἀνέξομαι, οὐδ' ἀνήσω, ἀλλὰ καὶ νέῳ, καὶ πρεσβυτέρῳ, καὶ ἁπλῶς ἀεὶ τῷ ἐντυγχάνοντι προσελθὼν, πεύσομαι ταῦτα ἃ καὶ νῦν πυνθάνομαι. Apud Sophoclem Antigone ad Creontem qui humari Polynicen vetaverat,

Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ' ὥς τ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα. ———

Apud Philostratum 4. 12. Apollonius, Πρὸς τὰ Νέρωνος κηρύγματα, &c. ἐστὶν ἡμῖν τὸ τοῦ Σοφοκλέους ἰαμβεῖον,

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε.

Æsopus apud Plutarchum Solonem in convivio alloquens, Τίς δ' ἂν σοι τοῦτο πεισθείη ἢ τῷ Θεῷ φράσαντι, &c. Adde Exod. 1. 17. Histor. Susan. com. 23. & in Maccab. 2. 22.

Com. 30. Ὃν ὑμεῖς διεχειρίσασθε κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου, τοῦτον ὁ θεὸς ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσε] Infrà 7. 35 Τοῦτον τὸν Μωϋσῆν ὃν ἠρνήσαντο, &c. τοῦτον ὁ θεὸς ἄρχοντα καὶ λυτρωτὴν ἀπέστειλεν.

Com. 31. Δοῦναι μετάνοιαν] Supple εἰς ζωήν infra 11. 18.

Com. 32. Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες τῶν ῥημάτων τούτων] De veritate harum rerum. Apud Lucianum in Bis accus. Καὶ ταῦτα ὅτι ἀληθῆ μάρτυρες Ἀθηναῖοι πάντες. Infrà 10. 39. Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες πάντων, &c. Apud Xenophontem 1. Ὑπομνημ. Κἀγὼ μαρτυρῶ τούτοις

Com 34. Τίμιος παντὶ τῷ λαῷ] *Unus è curia senior, præ cæteris comperta fidei, atque autoritatis præcipuæ*, ut est apud Apuleium. Εὐσχήμων βουλευτής, ut Marcus de Josepho Arimathæensi.

Ibid. Ἐκέλευσεν ἔξω βραχύ τι τοὺς Ἀποστόλους ποιῆσαι] De hoc more vide supra ad 4. 15. notata. Ἔξω ποιεῖν satis Græcè. Sic Philostratus ἐκποιεῖν τοῦ δικαστηρίου. Vide ad Apuleii l. 5. p. 248. annotata.

Ibid. Ἔξω ποιῆσαι τοὺς Ἀποστόλους] Vulgatus τοὺς ἀνθρώπους legebat.

Com. 35. Προσέχετε ἑαυτοῖς, &c. τί μέλλετε πράττειν] Terentius Eunuch. *Vide quid agas:* ubi Donatus, *Sic dicitur magna aggredientibus.* Infrà hic 19. 36. Δέον ἐστὶν ὑμᾶς κατεσταλμένους ὑπάρχειν, καὶ μηδὲν προπετὲς πράττειν. Est autem hic σχέσις λέξεως, pro προσέχετε ἑαυτοῖς τί μέλλετε πράττειν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις. Loquendi non dissimile genus suprà hic com. 26 & 3. 9. habuimus.

Com. 36. Πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς, &c.] *Exempla pro negotiorum qualitate sumere debemus*, Servius ad Æn. 1. Illa πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν verterim *non ita pridem.* Eadem locutio infra 21. 38. occurrit. Gloss. Πρὸ τούτου *antehac:* opponitur infra 15. 7. ἀπ' ἀρχαίων ἡμερῶν.

Ibid. Λέγων εἶναί τινα ἑαυτόν] Seneca in de Ira, *Nunc iste aliquem se putat.* Vide infra ad 8. 9. dicta.

Ibid. Διελύθησαν] Dispersi ac dissoluti sunt Ductore è medio sublato.

—— Duce incolumi fors omnibus una,
Amisso rupere fidem. ———

Claudianus,

—— Conjuratique recedunt,
Procumbit pariter cum Duce tota cohors.

Ovidius,

Diffugiunt Tyrii quà quemque agit error, ut olim
Amisso dubia Rege vagantur apes.

Salustius in Jugurthino, *Postquam in Hispania Hercules, sicut Afri putant, interiit, exercitus ejus compositus ex variis gentibus, amisso Duce, &c brevi dilabitur.* Simplicius in cap. 37. Epicteti, Στρατηγοῦ πεσόντος, οἱ στρατιῶται, &c. Ἄλλοι ἀλλαχοῦ πρὸς φυγὴν διαχειροῦνται. In Excerptis Diodorii Siculi, τὸ σύστημα τῶν Λυσιτανῶν διελύθη, στερηθὲν τῆς τούτου (Viriathi) προστασίας. Curtius lib. 5. *Barbari Ducibus destituti, quà quemque aut spes ducebat, aut favor, dissipabantur.* Quibus adde quæ ad Matth. 26. 32. notata. In verbis Diodori nota διελύθη, quo & Lucas usus: in verbis Curtii *dissipabantur*, quo hic Vetus usus.

Ibid. Καὶ ἐγένοντο εἰς οὐδέν] Vulg. *redacti sunt ad nihilum: Ad nullum redire numerum*, ut Apuleius locutus.

Com. 37. Ἀπέστησε λαὸν ἱκανόν] Est quod in Euang. 23. 14. τὸν λαὸν ἀποστρέφειν infrà hic 19. 26. μετέστησεν dixit.

Ibid. Ἀπέστησε λαὸν ἱκανὸν ὀπίσω αὐτοῦ] Vulgat. *avertit populum post se.* Ità, *avertere in se populum*, Macrobius 2. 5 dixit: ibi de oculis autem, hic de animis agitur.

Com. 38. Καὶ ἐάσατε αὐτούς] Apud Diog. Laert. Μὴ, &c. ἀποκτείνετε τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐμοὶ πεισθέντες ἄφετε.

Ibid. Ἐάσατε αὐτούς] *Patimini liberos homines ferre quò destinant*, ut locutus Petronius.

Ibid. Ὅτι ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη, ἢ τὸ ἔργον τοῦτο, καταλυθήσεται] Suâ sponte corruet. Sic ἐφήμερον, καὶ ἐξ ἑαυτῶν εὐδιάλυτον Philo in de Temulent. dixit. Memmius Trib. Plebis in eodem Salustii Jugurthino, *Neque vos ego hortor*, &c. *uti contra injurias armati eatis: nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est suomet ipsi more præcipites eant.* Adde locum Vulcatii Gallicani jam statim adducendum.

Com. 39. Εἰ δὲ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν, οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτό] Συντέλειαν γὰρ αὐτὸς ποιήσεται, ut Nahumi 1. 9. Joseph. Antiquit. 2. 5. Κρατήσειε δ' ἂν οὐδεὶς τῆς τοῦ Θεοῦ γνώμης, οὐδὲ μυρίας τέχνας ἐπὶ τούτῳ μηχανησάμενος. Proverb. 21. 30. *Contra Deum non est sapientia, non prudentia, non consilium.* Estheris 6. 13. amici ad Hamanem, Εἰ ἐκ γένους Ἰουδαίων Μαρδοχαῖος, καὶ ἦρξαι ταπεινοῦσθαι ἔμπροσθεν αὐτοῦ, πεσὼν πεσῇ, καὶ οὐ μὴ δύνῃ αὐτὸν ἀμύνασθαι, ὅτι Θεὸς ζῶν μετ' αὐτοῦ. Marcus Antoninus ad Verum de Avidio Cassio, *Si ei divinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi tui dictum, Successorem suum nullus occidit: sin minus, ipse sponte, sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit.* Euripides simili non sensu, sed loquendi modo,

> Γάμος δ' ὅσοις σταθεῖσι μὴ πεπρωμένος,
> Μάτην πονοῦσιν· ᾗ δὲ τὸ χρεὼν πόσει
> Μένουσα, κ' ἀσπούδαστος ἦλθεν ἐς δόμους.

Ibid. Μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε] Sic infrà 23. 9. μὴ θεομαχῶμεν. Etiam Tigillinus Apollonium apud Philostratum 4. 15. absolvens, eodem verbo utitur, Ὥσπερ θεομαχεῖν φυλαττόμενος, χώρει, ἔφη, οἷ βούλει· σὺ γὰρ κρείττων ἢ ὑπ' ἐμοῦ ἄρχεσθαι. Infrà 11. 17. τὸν Θεὸν κωλῦσαι dicitur, & 9. 5. (ubi vide Euripidis locum) πρὸς κέντρα λακτίζειν. Τῇ θείᾳ προνοίᾳ ἀντιτείνειν Pythagoras apud Jamblichum dixit. *In cœlum pugnis invadere* Lucilius. Apud Virgilium,

> —— *Quæ tanta animum dementia cepit?*
> *Non vires alias, conversaque Numina sentis?*
> *Cede Deo.* ——

Philostratus 6. 10. Θεοῖς ἀντινομοθετεῖν μανίαν οἶμαι. Euripides, Iphig. in Taur.

> —— Τί γάρ;
> Πρὸς τοὺς σθένοντας θεοὺς ἁμιλλᾶσθαι καλόν;

Quibus adde quæ & infrà ad 11. 17. dicta. Et hæc ad locutionem illustrandam, jam de loci connexione videamus. Turbelas multas creavit hic vox μήποτε, cujus nullam cum proximè antecedentibus cohærentiam Expositores viderunt. Non jam agimus de antiquioribus, qui hoc genus salebras & moramenta ut plurimùm levi plantâ transilire solebant, & in stadio vel didascalico vel allegorico libentiùs exercuerunt se, sed de nuperis, qui morosiùs ista & attentiùs pensitarunt, quasi ad limam & lineam certam pro se quisque redegerunt, ea cum torno & cothurno iterum ac sæpius compararunt. Versio vulgata, *Ne fortè Deo repugnare inveniamini.* Erasmus, *Ne quando Deo*, &c. quod eodem cadit. Glossarium, Μήποτε, *Ne quando, ne fortè, ne unquam.* Camerarius paulò operosiùs, *Ne si facere hoc conemini, inveniamini ii qui cum Deo bellum gerant.* Sed hæc apparens ἀνακόλουθον non tollunt nobis. Beza interpolando mederi voluit: vertit enim, *Et videte ne cum Deo*, &c. In quem fermè sensum nuperrimus & sagacissimus Annotator. *Ante* μήποτε (inquit) *subintelligi hic debet, Cavendum est.* Certè Rom. 11. 21. non soni sensûsque similis vox tantùm, sed & simili ellepsi ponitur: cujus loci doctissimos homines demiror non autoritate usos. Sed nec illo, nec alio, ni fallor, ejusmodi heic exemplo opus: omnino enim hoc membrum κατὰ σύνταξιν jungendum videtur non continuò præcedentibus, sed verbis καὶ ἐάσατε αὐτούς paulò altiùs occurrentibus. Jam illo verò ὅτι ἐὰν, usque ad καταλῦσαι αὐτό, ὡς διὰ μέσου omnia interjecta sunt. Series & ordo naturalis ad hunc modum haberet se Καὶ τανῦν λέγω ὑμῖν, ἀπόστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων, καὶ ἐάσατε αὐτούς, μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε. Ὅτι ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη, ἢ τὸ ἔργον τοῦτο, καταλυθήσεται· εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστιν, οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτό. Ἐπείσθησαν δὲ αὐτῷ, &c. Vide quàm plana jam omnia, quàm offendiculo expedita.

Com. 39. Ἐπείσθησαν δὲ αὐτῷ]

> —— Ἀσφαλέως ἀγορεύων
> Αἶψά τε καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσε,

ut est apud Hesiodum. Apuleius 10. *Ad istum modum senatore adorante placuit.* Curtius lib. 7. *Hac locutio universa concio assensa est.*

> *Ille animos regit dictis, & pectora mulsit.*

Com. 41. Ἐπορεύοντο χαίροντες, &c. ὅτι ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι] Vide Matth. 5. 12. & ad eum locum notata. Paulus 2 Cor. 12. 10. Ἐν ὕβρεσιν, ἐν ἀνάγκαις, ἐν διωγμοῖς ὑπὲρ Χριστοῦ εὐδοκεῖν dixit. Ignatius ad Ephesios, Ἥλυθον εἰς Θεοῦ τιμὴν φορέσαι ταυτασὶ τὰς ἁλύσεις. Arrianus 1. 29. ubi de Deo quem in adversis constituente, Ὅτι σε ἐτίμησε τοιαύτην τιμήν, καὶ ἄξιον ἡγήσατο προσαγαγεῖν εἰς μαρτυρίαν τοσαύτην. Et Seneca lib. Cur bonis viris, &c. *Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur*, &c. Tertullianus in Apologetico, *Neque de Christo erubescimus, cùm sub nomine ejus deputari & damnari juvat.* Ibidem ipso fine, *Sententiis vestris gratias agimus*, &c. *cum damnamur à vobis, à Deo absolvimur.* Ἀτιμασθῆναι bene Vetus *contumeliam pati.* Glossarium, Ἀτιμάζω, *contumelior, dehonesto.* Ammonius, Ἀτιμάζεται ὁ ὑβριζόμενος ἔν τινι πράγματι.

Ibid. Κατηξιώθησαν] Glossarium, Καταξιοῦται, *dignus judicatur.* Aliud Glossarium, *Meruit*, κατηξιώθη.

CAP. VI.

VALLA.

3. QUOS *constituamus super hoc opus*] Ego dixissem *super hanc necessitatem*, ad tollendam ambiguitatem: Nam quoties *necessitatem* sig. non sic usurpari solet, sed illo modo, *Non est opus sanis medico*, Matth. 9. 12. Nunc omnes accipiunt *ad hoc ministerium*, quod Græca vox non sentit, χρείας.

5. *Et Nicolaum advenam Antiochenum*] Ego maluissem uti voce Græcâ *proselytum*, qui de Gentibus ad circumsionem Hebræorum venit: qualis erat Nicolaus, non quales dicti sunt superiùs 2. 10. *Romani advenæ*, ἐπιδημοῦντες, cùm utique essent Judæi, & ille qui dicitur *factus advena in terra Madian*, πάροικος, infrà 7. 29.

REVIUS in VALLAM.

3. NAM *quoties necessitatem*] Lege, *Nam quoties* OPUS *necessitatem significat.* Cæterùm *super hanc necessitatem* Vallæ magis blanditur: Erasmo non item, qui *usum* vel *functionem* magis quadrare existimat. Beza habet, *huic usui præficiamus.*

ERASMUS.

1. CRescente *numero discipulorum*] Πληθυνόντων τῶν μαθητῶν *cum Plures fierent discipuli.* Quanquam periphrasin Interpretis probo. ¶ *Murmur Græcorum*] Non est Ἑλλήνων sed Ἑλληνιστῶν *Hellenistarum.* Nam Judæi *Græcos* appellabant omnes paganos & alienos à lege Mosaica. Et probabile est in hoc numero nondum fuisse quenquam Gentium; pro-

proinde non Ἕλληνας dixit sed Ἑλληνιςὰς Judæos qui nati fuerant aut vixerant inter Gentes, ejúsque gentis ubi vixerant linguâ loquebantur. Itaque qui nati erant in regionibus Judæorum Judæos alibi natos aliâque loquentes linguâ pro semipaganis ducebant, quos hic non appellat *Judæos*, quod religionis erat nomen, sed *Hebræos*, quod magis indicat gentem & nationem. ¶ *Eo quod desprcerentur*] Et hic sensus anceps est, utrùm ideo viderentur despici quòd non admitterentur ad ministerium, ceu non verè Judææ, an quòd gravarentur onere sordidioris ministerii. Et ideo videntur electi septem Diaconi, non ut ipsi ministrarent omnibus, sed ut dispensarent ministrandi vices & ordines, ne similibus querelis interpellarentur Apostoli.

2. *Convocantes autem Duodecim*] Obscure explicuit. Potest enim accipi ut fuerint ab aliis advocati duodecim Discipuli: unde nos dilucidè vertimus. ¶ *Non est æquum* Οὐκ ἀρεςὸν *Non est placitum*, sive, *Non est gratum*, aut, *Non est ejusmodi ut nobis placere debeat.*

3. *Boni testimonii*] Μαρτυρουμένους q. d. *testimoniatos*, h. e. spectatæ probatæque integritatis, de quibus alii bene testentur. Alioqui *boni testimonii* dici videtur qui bonâ fide fert testimonium. ¶ *Super hoc opus*] Ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης *in hoc usu*, sive *super hanc necessitatem*, id quod magis blanditur Vallæ, mihi non item; quanquam *functio* magis quadrat.

4. *Instantes erimus*] Quid opus erat paraphrasi?

5. *Et Nicolaum advenam*] Rectiùs dixisset *proselytum*, annotante Vallâ; ut intelligamus ad legem Mosaicam receptum, utpote patriâ Antiochenum, religione Judæum. Hic post habitus est Hæresiarches, quanquam Clemens apud Eusebium ipsum diligenter excusat.

6. *Et imposuerunt illis manus*] Rabanus, opinor, admonet hunc esse modum in conferendis S. Ordinibus, ut populus eligat, Episcopus ordinet. Ea certè consuetudo diutissimè perseveravit in Ecclesia, verùm ob tumultus populares rectè mutata est.

7. *Multa etiam turba*] Τε est, i. *que*: nec aliud est ad quod respondeat *etiam*.

10 *Spiritui qui loquebatur*] Ὧ, ἐλάλει. Quod sic accipi potest ut sit sensus, *Non poterant resistere spiritui qui loquebatur.* Quanquam & altera lectio probè habet, ut ᾧ positum sit pro ὅ, propter dativum præcedentem πνεύματι. Hic in vetusto cod. asscriptum comperi, *propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia:* idem habebat editio Hispaniensis: verùm in Græcis non additur, nec in Lat. nisi paucis.

13. *Non cessat loqui verba*] Ῥήματα βλάσφημα *verba blasphema*, sive *maledica*. Quanquam opinor *blasphema* additum: quorsum enim opus cùm sequatur *adversus locum sanctum?* Certè Chrysostomus hunc enarrans locum nullam facit mentionem *blasphemorum:* nec additur usquam in Latinis cod. vetustioribus.

14. *Et mutabit traditiones*] Τὰ ἔθη *consuetudines*, aut *instituta*.

VATABLUS.

1. Discipulorum] i. Eorum qui postea Christiani appellati sunt. ¶ *Græcorum*] Græca dictio significat Judæos qui nati fuerant aut vixerant inter Gentes, ejúsque Gentis ubi vixerant linguâ loquebantur, q. d. Græcizantium Judæorum. ¶ *Despicerentur*] Vel, *negligerentur*.

2. *Convocantes autem Duodecim*] *Cæterùm duodecim illi cùm jussissent adesse.* ¶ *Æquum*] *Placitum*, *gratum*; i. tale ut placere, laudari & commendari queat.

3. *Boni testimonii*] *Bono testimonio comprobatos.* ¶ *Super hoc opus*] *In hoc negotio*; vel, *super hanc necessitatem*; aut, *quibus delegabimus hoc negotii*, sub. *ministrandi mensis*.

4. *Instantes erimus*] *Incumbemus.*

5 *Coram omni multitudine*] Heb. pro, *omni multitudini*. ¶ *Advenam*] *Proselytum.*

6. *Conspectum Apostolorum*] *Apostolos.*

7. *Domini*] *Dei*, Vet. ¶ *Multa etiam*] *Et multa.*

8. *Gratiâ*] *Fide.*

9. *Surrexerunt*] *Exorti sunt.* ¶ *Appellabatur*] *Appellatur*, Vet.

10. *Qui*] *Quo.*

11. *Submiserunt*] *Subornaverunt.* ¶ *Verba blasphemiæ*] *Verba contumeliosa.*

12. *Commoverunt itaque plebem*] *Commoveruntque vulgus.* ¶ *Concurrentes*] *Cùm adstitissent*; vel, *invadentes.*

13. *Verba*]* *Contumeliosa.* ¶ *Locum sanctum*]* *Hunc.*

14. *Traditiones quas*] *Instituta quæ* [*statuta quæ.*]

CLARIUS.

1. Græcorum] Erant inter eos qui crediderant Judæi qui inter Gentes nati illâ Gentium seu Græcorum linguâ utebantur; quos hic Evangelista Ἑλληνιςὰς vocat.

4. *Plenos Spiritu sancto & sapientiâ*] Discamus hinc quanta sit adhibenda solicitudo cùm de ministerio erga indigentes tractandum est, cùm hic non contenti sint septem ex credentibus eligere, nisi essent etiam *pleni Spiritu sancto & sapientiâ.* Adhibuerunt præterea *orationem* & *manuum impositionem.* Quòd si in hoc ministerio tanta sit observatio, multò profectò majus studium in eligendis Sacerdotibus requiritur, quibus animarum cura credenda est.

5. *Advenam Antiochenum*] Προσήλυτον *proselytum* ἀπὸ τοῦ προσελεύθω *accedo*. Vocabantur *proselyti* qui ad Judæorum religionem accedebant. Is ergò Judæorum antea Proselytus in Christum crediderat.

ZEGERUS.

1. Murmur Græcorum adversùs Hebræos] *Græcos* sive Ἑλληνιςὰς *Hellenistas* appellat Judæos inter Hellenistas, h. e. Gentiles natos, & ob id Græcâ linguâ loquentes, vel fortè Gentiles Hierosolymæ agentes, sed ad Judaismum conversos. ¶ *Eò quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*] Variè exponi potest præsens locus. Potest enim sic accipi quasi viduæ Græcorum indigniores haberentur quæ ministrarent Apostolis aliisque Discipulis; sive, quòd ipsis non prospiceretur de necessario victu ad sufficientiam, quemadmodum & cæteris Hebræorum viduis; vel, quòd viduæ Græcorum ad sordidiora aut etiam molestiora ministeria destinarentur.

5. *Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam*] *Timonem* quia per ω scribitur, penultimam producit, cæterea autem nomen corripiunt. Hoc admonere visum est propterea quòd usus alia malè producat, rursus alia malè corripiat. Nè putes *Timotheum* esse legendum, juxta exemplaria quædam etiam antiqua. Scias id esse contra Græca, contra Chrysostomum, & contra Hieronymum, qui *Timonem* recenset in Catalogo Nominum Hebr. ex Actis Apostolorum. ¶ *Nicolaum advenam*] Προσήλυτον, i. ex Gentili Judæum effectum.

10. *Spiritui qui loquebatur*] Cùm Græcè sit ᾧ ἐλάλει, fortè ab Interprete *quo loquebatur* scriptum fuit.

H. STEPHANUS.

1. Γογγυσμὸς] *Murmuratio.* ¶ Ὅτι παρεθεωροῦντο αἱ χῆραι αὐτῶν] *Quod non haberetur ratio viduarum.*

2. Οὐκ ἀρεςόν ἐστιν] *Non probatur*: q. d. Non videtur æquum.

3. Μαρτυρουμένους] *Testimonio publico ornatos*: vel, *idoneo.*

4. Προσκαρτερήσομεν] *Adhærebimus*: vel, *Assidui erimus.*

9. Ἀνέςησαν] *Prodierunt.* ¶ Συζητοῦντες τῷ Στεφάνῳ] *Disceptantes cum Stephano.*

11. Ὑπέβαλον] *Subornarunt*: vel, *Submiserunt.*

12. Συνεκίνησαν] *Commoverunt.*

14. Ἀλλάξει τὰ ἔθη] *Mutabit ritus.*

DRUSIUS.

1. Græcorum] *Græciensium* potiùs. Nam *Græcorum* est Ἑλλήνων. De Judæis Græciensibus vide Scalig. Animad. Euseb. 124 1. ubi hunc locum citat; & in Can. Isagog. 278. Judæi sic distinguebantur; *Judæi Palæstini*, qui hic *Ebræi* vocantur, διασπορὰ Βαβυλῶνος, & διασπορὰ Ἑλλήνων, qui hic *Hellenistæ* sive *Græcienses*. Hi Græca Biblia in Synagogis legebant, & Græcè sciebant, peculiari dialecto utentes, quam *Hellenisticam* vocant, cujus frequens mentio in his libris. Fallitur enim vir doctus qui Hellenistas hoc loco dici putat *genere quidem profanos, sed in Judæorum gentem per circumcisionem adscitos.* Tales enim nusquam Ἑλληνιςαὶ, quod sciam, sed ubique *proselyti* nuncupantur; & quia hoc nomen latiùs patet (nam quemvis advenam sig.) addere solent *justitiæ*, aut *filius fœderis*, ut dictum est.

9. *Libertinorum* Syrus hic nihil variat à Græcis & Latinis cod. nisi quòd in eo דליברטינא *delibertino*. Apud Suidam Λιβερτῖνοι, ὄνομα ἔθνους. Idem scribit Ortelius in Synonymia sua Geographica. Quidam corruptum esse suspicantur ex Λιβυςίνων.

Non

Non temerè discedendum à libris, præsertim cùm inter se mirè consentiant. Moltherus vir egregiè doctus aliam conjecturam mihi suppeditavit, quæ non est ad manum: Alias eam publicabo. Ego causam nullam video cur non Libertini, qui medii erant inter servos & ingenuos, ibi synagogam habere potuerint separatam ab aliis à quibus conditio ipsos separabat.

15. *Angeli*] מלאך aut אלהים, quod verti etiam potest *Dei*. Sanè Gen. 33. 10. כראות פני אלהים Jon. reddit מלאכא אפי *faciem Angeli*. Sic etiam Santes. Nec aliter Syrus hoc loco. Vide quæ scripsimus in Annot. ad Genesin. אלהים ergò *Angelus*. Sed & Angeli sic vocantur: unde fortè *lingua Angelorum*, לשון אלהים, q. *Divinam* dicas. Hinc variant editiones Psal. 8. 5. Nam quod in his *à Deo* παρὰ Θεοῦ in illis legitur *ab Angelis* παρ' ἀγέλων. Ut alios prætercam, prius Th. posterius LXX interpretati sunt.

SCALIGER.

2. **M**Inistrare mensis] i. Cœnis quas ἀγάπας vocabant; quarum nomine Diaconi instituti, nè Apostoli, si ministeriis τῶν ἀγαπῶν danda illis esset opera, à ministerio verbi Dei avocarentur.

CASAUBONS.

2. **O**ΥΚ ἀρεστόν ἐστι] Probo Theodori Bezæ sententiam, existimantis commodè à Veteri sic esse hæc verba expressa, *Non est aequum*: nam & Syrus interpres ità ferè vertit; nec rectè, meo judicio, verteris, *Non placet*: ἀρεστὸν enim vocat Lucas, non *quod placet*, sed *quod debet placere*: q. d. Οὐ δεκτόν. *Non debet admitti*.

7. Πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει] Mihi quoque mirum & insolens hoc videtur, ut dicatur *Sacerdotum multa turba* doctrinam Christi veram propter hoc factum esse amplexa; præsertim cùm nusquam alibi tale quicquam narretur. Atque hanc puto causam esse cur Syrus interpres in alia omnia ire maluerit. Mihi etsi tot codicum fidem suspectam habere ferè religio est, venit tamen interdum in mentem, unicà voculà commodè fortasse posse locum hunc restitui, si ita nimirum legerimus, πολύς τε ὄχλος, καὶ τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει, ut sit hæc sententia, *multam populi turbam credidisse*, & *aliquos etiam è Sacerdotibus*. Nam καὶ τῶν ἱερέων interpretor καί τινες τῶν ἱερέων, subaudita voce τινὲς cujus ellipseos passim in his libris occurrunt exempla. Sic infra 21. 16. συνῆλθον δὲ καὶ τῶν μαθητῶν ἀπὸ Καισαρείας σὺν ἡμῖν, h. e. καί τινες τῶν μαθητῶν.

9. Τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτίνων] Suidas nescio quo auctore fretus ait Λιβερτίνος esse ὄνομα ἔθνους. ¶ Καὶ Κυρηναίων] An hoc ad Cyrenaicos Philosophos quicquam pertinet? Non puto; nam hæc sunt gentium, non sectarum, nominia.

GROTIUS.

ΓΟγγυσμός, *murmur*] Sic verti solet vox Hebræa pluralis תלנות Exodi 16. 7, 8. & alibi. ¶ Τῶν Ἑλληνιστῶν, *Græcorum*] Judæorum religione, sed qui cùm Alexandriæ & vicinis in locis vixissent antea, morem inde retinuerant sacra scripta legendi *Græcè* יוונית, Ἑλληνιστί, ut ajunt hac de re Thalmudici; qui mos mansit ad Justiniani tempora, ut cognoscimus ex Novella 146. Talem Alexandrinam Synagogam fuisse Hierosolymis notatur in Glossis ad caput 2 Estheris; & Cæsareæ, in Thalmude Hierosolymitano, & infra 9. 29. Syrus Ἑλληνιστὰς [*Hellenistas*] interpretatur *Judæos qui noverant Græcè*: Chrysostomus, Oecumenius & Theophylactus τοὺς Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους [*Græcè loquentes*.] Horum plerique Hebraïcè non intelligebant, quorum fuit & Philo, quamquam Judæus ex Judæis ortus. In talium gratiam librum avi sui transtulit Nepos Sirachides. ¶ Παρεθεωροῦντο ἐν τῇ διακονίᾳ, *despicerentur in ministerio*] Nempe aut ægrotæ aut infantibus oneratæ minus accipiebant quàm mulieres in Judæa natæ. Hæc distributio vocatur hìc διακονία [*ministerium*.] Sic διακονεῖν [*ministrare*] Marci 1. 31. Luc. 4. 39. & 8. 3. Joh. 12. 2. Rom. 15. 25. Hebr. 6. 10. Διακονίαν τραπέζῃ [*administrationem mensæ*] hoc sensu dixit etiam Julianus Imperator. Id accidebat quia non certis hominibus, sed modò his, modò illis Apostoli ad hanc rem utebantur & quidem Judæis in Judæa natis. Id correctum instituto Diaconorum collegio & allectis etiam Hellenistis.

2. Οἱ δώδεκα, *duodecim*] Propriè, quia Matthias numerum impleverat. ¶ Τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, *multitudinem discipulorum*] Erat enim eo tempore Ecclesiæ regimen tale, quale olim Athenis fuisse dicit Plato ἀριστοκρατίαν μετ' εὐδοξίας πλήθους [*Optimatum cum quadam dignitate populi gubernatio*.] Adde & cum principatu. ¶ Οὐκ ἀρεστόν ἐστι, *Non aequum est*] יש לא. Nam יש, ἀρεστὸν vertitur & significat id *quod placere debeat*. Alibi vertitur δίκαιον, εὐθύ, ὀρθόν [*justum*, *rectum*, *aequum*.] ¶ Ἡμᾶς καταλείψαντας τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *nos derelinquere verbum Dei*] Hoc ideo dicit, quia quod aliis negotiis datur, id decedit prædicationi. Itaque καταλείψαντας, hic est, *minùs curantes*, quàm fieret, si eo onere levaremur. ¶ Διακονεῖν τραπέζαις, *ministrare mensis*] Dare singulis sodalitiis quæ ad victum & vestitum sunt necessaria. Ita διακονία hæc [*ministerium hoc*] à majore parte describitur. Vide quæ diximus supra 2. 44.

3. Ἐπισκέψασθε οὖν, ἀδελφοί, *Considerate ergo fratres*] ברו לכם [*eligite ex vobis*,] 1 Sam 17. 8. ubi Græci, ἐκλέξασθε ἑαυτοῖς ἄνδρα [*eligite vobis virum*.] ¶ Ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους, *ex vobis boni testimonii*] Formam dat Ecclesiæ, ut qui ad ministeria eliguntur testimonium habeant eorum quibuscum vixere. Sic infra 16. 2. ¶ Πλήρεις Πνεύματος ἁγίου, *plenos Spiritu Sancto*] *Donis eximiis præditos*. Vide infra 8. ¶ Καὶ σοφίας, *& sapientia*] *Et in Sacris literis institutos*, ut si opus esset ex iis disputare possent, sicut fecit Stephanus. ¶ Ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης, *super hoc opus*] *Ad hunc usum*. על הצורך הזה: exemplo scilicet illorum, qui in Synagoga dicebantur חזנים [*ministri*,] Epiphanio Ἀζανῖται [*Azanitæ*] Totum primæ Ecclesiæ regimen conformatum fuit ad formam Synagogæ: Quæ bene se habebant, nihil opus erat mutari. Habuere tales & Esseni, de quibus Philo, ἐλεύθεροι δὲ ὑπηρετοῦσι τὰς διακονικὰς χρείας ἐπιτελοῦντες [*ministrant verò ingenui*, *& quicquid opus est faciunt*.] Tales Josephus ἀποδέκτας [*apodectas* sive *pecuniarum coactores*] & χειροτονητοὺς ἐπιμελητὰς [*lectos curatores*] vocat.

4. Ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν. *Nos verò orationi & ministerio Verbi instantes erimus*] *Assidui erimus tum in præeundo plebi in precibus ad Deum, tum in plebe instituenda*. Quod sic tamen intelligendum est, ut inspectionem in Diaconos Apostoli à se non abdicaverint, sicut nec Episcopi postea fecere, sed ea inspectio minus exigebat temporis, quàm quotidiana administratio. Ignatius ad Trallenses, Τί δὲ διάκονοι, ἀλλ' ἢ μιμηταὶ τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων, λειτουργοῦντες αὐτῷ (nempe Episcopo) λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον [*Quid verò aliud sunt Diaconi, quàm imitatores Angelicarum virtutum, qui purum et & inculpatum ministerium exhibent*.]

5. Στέφανον, ἄνδρα πλήρη πίστεως καὶ πνεύματος ἁγίου καὶ Φίλιππον, καὶ Πρόχορον, καὶ Νικάνορα, καὶ Τίμωνα, καὶ Παρμενᾶν, καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα. *Stephanum, virum plenum fide & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Permenan, & Nicolaum advenam Antiochenum*] Nomina hæc omnia sunt Græca, quod non mirum in Alexandrinis: in Judæis verò in Judæa natis, credo nomina fuisse Hebræa, quæ Lucas Græcè extulerit. Sic Apostolum *Philippum* credo Hebræis vocatum פה לב *os cordi congruens*, aut פלא *os admirabile*. Nicolaus cùm dicitur fuisse *ab Antiochia proselytus*, intellige גר צדק [*advenam justitiæ*,] id est, *circumcisum*, & *Legi sua voluntate subditum*. Nam tales quin in Ecclesiam recipi possent nunquam dubitavere Apostoli; sed an idem fieri deberet de iis qui erant גר תושב [*advena incola*] gravior erat quæstio, & oraculi indigens. Hic est *Nicolaus* à quo nomen traxere *Nicolaitæ* in Apocalypsi & Patribus memorati. Alii ipsum accusant; alii verba ejus in pravum detorta malunt.

6. Ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας. *Imposuerunt eis manus*] Signum mandati ministerii, 1 Timoth. 5. 22. Sic populus eligebat Regem, Prophetæ ungebant Dei nomine. Quod hic fecere Apostoli, idem Episcopi postea, tum in Presbyteris, tum in Diaconis ordinandis, etiam nunc cùm electio esset penes ordinem ac plebem.

7. Πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων, *multa etiam turba Sacerdotum*] Id est, *multi ex familia & comitatu Sacerdotum*. Vide similem historiam Joh. 7. 46, 47. ¶ Ὑπήκουον τῇ πίστει, *obediebat fidei*] Per fidem obedivere Christi præceptis: baptizati sunt.

8. Πλήρης πίστεως καὶ δυνάμεως, *plenus fide & fortitudine*] In Manuscripto quem sæpe dixi, & in aliis manuscriptis est, πλήρης χάριτος [*plenus gratiâ*.] & sic legêre Syrus & Latinus.

9. Λιβερτίνων, *Libertinorum*] Libertini Romæ multi Judaïcæ religionis. Eorum fuit Cæcilius ille in quem est divinatio Ciceronis, ut nos Plutarchus docet. Tacitus Annalium 2. ait, *quatuor millia Libertini generis superstitione Judaicâ infecta missa in Sardiniam*. Meminit & Josephus. Hic partim erant pro-

proselyti, partim Judæi origine & bello capti ac manumissi. Philo in Legatione, Πῶς οὖν ἀπεδέχετο τὴν πέραν τοῦ Τιβέρεως μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀποτομὴν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων. Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους, ἀπελευθερωθέντες· αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν, ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν [*Quomodo ergo passus est magnam illam Romæ partem quæ trans Tiberim est habitari & teneri, se sciente, ab Judæis, quorum plerique adepti libertatem erant cives Romani: quippe bello captos in Italiam advectos, qui emerant, manumiserunt.*] Horum sumptu structa Hierosolymis hæc Synagoga, & positi in ea Magistri eruditi. Narrant Judæi Hierosolymis fuisse Synagogas 480. ¶ Καὶ Κυρηναίων, *& Cyrenensium*] Multi in Cyrenaica Judæi. Josephus 16. 10. ¶ Καὶ Ἀλεξανδρέων, *& Alexandrinorum*] Ubi etiam jus par cum Macedonibus erant adepti. Vide quæ ad Maccabaïcum tertium notavimus. ¶ Καὶ Ἀσίας, *& ex Asia*] Plurimi & in Asia Judæi. Josephus 12. 3. & 14. 17. & 16. 4. Vide & infra 9.

10. Τῇ σοφίᾳ, *sapientia*] Propter Scripturas quas noverat. ¶ Καὶ τῷ πνεύματι ᾧ ἐλάλει. *& Spiritui quo loquebatur*] Propter Divinam vim verba ejus dirigentem, ex promisso Matth. 10. 20.

11. Τότε ὑπέβαλον, *Tunc submiserunt*] *Subornarunt.* Sic de testibus loquuntur Cicero pro Roscio, & in Panegyrico Plinius. ¶ Ῥήματα βλάσφημα, *verba blasphemiæ*] גדופים [*opprobria,*] Ezech. 35. 12. ubi in Græco φωνῆς βλασφημίας [*vocem contumeliosam.*

12. Συνεκίνησάν τε τὸν λαὸν, *Commoverunt itaque plebem*] קשר [*factionem fecerunt,*] quod Græcè verti solet συστρέφειν. ¶ Καὶ τοὺς πρεσβυτέρους καὶ τοὺς γραμματεῖς. *& Seniores & Scribas*] Synedrium, ut ostendunt sequentia. ¶ Ἐπιστάντες, *concurrentes*] *Concursu facto.*

13. Μάρτυρας ψευδεῖς, *falsos testes*] Vera falsis miscentes, ut ii qui in Christum dixerant. Volebant enim credi ea quæ dixerat Stephanus dicta ab eo cum abominatione Templi & Legis. Contra tales testes est Psal 52.

14. Ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος οὗτος καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον, *Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum*] Id est, *Templum.* At idem prædixerat Daniel 9. 26. Olim cùm similia prædiceret Jeremias in periculum venit, sed immeritò, ut sapientiores & æquiores judicabant: ut videre est Jerem. 26. 16. & sequentibus. ¶ Καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς. *& mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*] Hoc non dixerat Stephanus, sed fortè allegaverat locum Malachiæ 1. 11. & similes alios.

15. Ὡσεὶ πρόσωπον ἀγγέλου. *tanquam faciem Angeli*] Id est, habebat gravitatem cum summa suavitate conjunctam. Vide supra 8.

PRICÆUS.

Com. 1. Παρεθεωροῦντο] Vertunt, *despiciebantur*: præstitit, nec minùs commodè, *prætervidebantur* vertas.

Com. 3. Μαρτυρουμένους] Id est, ut 1 Tim. 3. 7. καλὴν μαρτυρίαν ἔχοντας. *Honesta & inculpata vita,* ut in l. 3. de Testib. Josephus. 15. 13. Καλοκἀγαθίᾳ μαρτυρούμενος. Eunapius in vita Prisci, Ἐμαρτυρεῖτο καλὸς καὶ ἀγαθὸς εἶναι.

Ibid. Ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης] Quos huic curæ præficiamus: eam enim vim habet illud ἐπὶ, ut infrà 8. 17. & 12. 20. & alibi.

Com. 4. Ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν] Ministerium illud non ut humile quid aut molestum refugientes, sed ut his magis necessariis officiis attentiùs incumbere volentes. Origenes ad Celsum Christianis quòd muneribus se publicis subtraherent objicientem, Οὐ φεύγοντές γε τοῦ βίου λειτουργίας τινῶν ταῦτα περιέχαντες, ἀλλὰ τηροῦντες ἑαυτοὺς θειοτέρᾳ καὶ ἀναγκαιοτέρᾳ λειτουργίᾳ. Sic Philosophum, aliàs αὐτουργὸν, Simplicius ait δοκεῖν δεῖσθαι, ἢ τοσοῦτον, ἢ τῆς χρείας δεομένης συλλήπτορος, ἢ καὶ δι' ἀσχολίαν ἐνίοτε τὴν πρὸς καλλίονα, in cap. 46. Epicteti.

Com. 5. Ἤρεσεν ὁ λόγος ἐνώπιον παντὸς τοῦ πλήθους] Καλῶς ἔδοξε ταῦτα λέγειν, ut apud Lucianum est. Πᾶσιν εὖ λέγειν ἔδοξεν, ut apud Heliodorum. Vide Deut. 1. 23. & quæ suprà ad 5. 40. dicta.

Com. 10. Καὶ οὐκ ἴσχυον ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ καὶ τῷ πνεύματι ᾧ ἐλάλει] Οὐκ ἐδύναντο ἀντιπαλαίειν, ut in simili re Luc. 21. 15. οὐκ ἴσχυον ἀνταποκριθῆναι, ut ibid. 14. 6. Σοφίας ἐν κατηχήσει καιῶν dixit olim 7. 30. Sap. Scriptor. Æmilius Probus in vita Alcibiadis, *Tanta erat commendatio oris ut nemo ei dicendo posset resistere*: & apud Eunapium post secundam Proæresii defensionem οἱ ἀντίτεχνοι ἐκείνου. Ὡ ἐλάλει est, cujus vi & instinctu loquebatur. Vide Matth. 10. 20. & quæ ibi annotata. In verbis Probi Æmilii nota vocem *resistere*: tum Veterem an rectè Recentior notaverit judicium ferto.

Com. 11. Ὑπέβαλον ἄνδρας] *Subornarunt.* Glossæ, Ὑπόβλητος μάρτυς, *subornatus testis.* Interpres vetus, *submiserunt*: Recentior, *subjecerunt.* At verò *mittendi* verbum, præfixâ præpositione *in*, frequentiùs his & similibus argumentis ponitur. Gell. 4. 18. *Petilius quidam Trib. Plebis à Marco, ut aiunt, Catone inimico Scipionis in eum comparatus atque immissus.* Salust. Catil. *Alii Tarquinium à Cicerone immissum aiebant.* Plin. lib. 6. Epist. 13. *Inde invidia, & ab dissimilimis dissimilis delator immissus.* Capitolinus de Maximino, *Quòd delatores evocaret, accusatores immitteret.* Spartianus de Hadriano, *Circumiens Provincias, Procuratores & Præsides pro factis supplicio affecit, ità severè, ut accusatores per se crederetur immittere.*

Com. 12. Συνεκίνησαν τὸν λαὸν] Quod infrà 17. 5. ἐθορύβουν 21. 27. Συγχέειν τὸν ὄχλον 13. 15. παροτρύνειν Marc. 15. 11. ἀνασείειν

Ibid. Συνήρπασαν αὐτὸν] Est quod infrà 8. 3. & 17. 6. σύρειν Jacob. 2. 6. ἕλκειν.

Com 13. Κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου τούτου, καὶ τοῦ νόμου] Vox τόπος hic potest *templum*, potest & *civitatem* denotare. Ut *urbem* intelligamus suadet appositum epitheton. Vide & Matth. 4. 5. 24. 15. 27. 53. & sæpius in Vet. Instrumento. Sic infrà etiam 7. 7. 21. 17. & Joh. 11. 48. ea vox ponitur, ità & Latini,

> ——*Non illa loco, neque origine gentis*
> *Clara, sed arte fuit.*—— Et
> ——*Sic toties versa est fortuna locorum.*

Ut *templum* designari putemus suadet infrà 21. 28. locus, & alter ille 25. 8. ubi simili argumento ἱερὸν & νόμος junguntur: suadet & vox καταλύσει seq. commatis. Vide Matth. 26. 51.

Com. 14. Ὁ Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος οὗτος] Οὗτος despicienter, ut infrà 25. 19. περί Ἰησοῦ τινος·

Ibid. Καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον] *Destruet.* Scholiastes ad Plutum Aristophanis, Καταλύω, τὸ ἀφανίζω. In Glossario, *Destrictum*, καταλελυμένον lege *destructum.* Sic statim ibidem, *Destruit*, καταλύει.

Ibid. Καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη, &c.] Apud Virgilium,

> *Bellum ingens geret Italiâ, populósque feroces*
> *Contundet, moresque viris & mœnia ponet.*

Tacitus, *Rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare annixus.* Vide Daniel. 7. 25.

Com. 15. Εἶδον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς πρόσωπον ἀγγέλου] Locutio reverentiam notans non sine tremore incussam. Genes. 33. 10. & in Estheris Historia. Hic puto denotari fulgorem hominis paulò pòst cœlesti gloriâ illustrandi. Prudentius de Laurentio jam martyrium passuro,

> *Illi os decore splenduit,*
> *Fulgórque circumfusus est.*

Nec abhorrent quæ de Julio Proculo habet Vitarum illustrium Scriptor, *Affirmavit Romulum à se in colle Quirinale visum augustiore formâ cùm ad deos abiret.*

CAP. VII.

VALLA.

5. NEC *passum pedis*] Nusquam legi *passum pedis*: ac nec Græcè quidem sic est, sed *vestigium pedis*, i. tantum terræ quantum est vestigium pedis, βῆμα ποδὸς

6. *Quia erit semen tuum accola in terra aliena*] Non rectè pro *incola* posuit *accola*, quod nomen idem quod modò posui, πάροικος.

34. *Nunc veni, mittam te*] Secundæ personæ est modi imperativi illud *veni*, non primæ præteriti temporis modi indicativi, desque quod ego ob vitandam obscuritatem transtulissem *venito.*

REVIUS in VALLAM.

6. *Quia eris semen*] Præpositus erat versui 5.

ERASMUS.

1. *Si hæc ità se habent*] Εἰ ἄρα ταῦτα οὕτως ἔχει; *Num hæc ita se habent?*

2. *Qui ait*] Obsecro, quæ tandem est hæc supinitas in vertendo? Quomodo cohæret cum proximo sermone *Qui ait?* præcessit enim, *Dixit autem Princeps Sacerdotum, Si hæc ità se habent?* Atqui Græcè est ὁ δὲ ἔφη *At ille ait.* ¶ *Priusquam habitaret in Charram*] Videbatur nonnihil discrepare Stephani narratio cum historia Gen. 12. quòd illic factâ mentione Tharæ patris Abraham, pòst refertur cum illo collocutus Deus. Neque satis convenit de numero annorum. Verùm hac de re nodum explicuerunt Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis, & Augustinus lib. Dei 16. c. 15. rursus in Quæstionibus super Genesim l. 1.

5. *Nec passum pedis*] Οὐδὲ βῆμα ποδὸς *nè vestigium quidem pedis.* Nam Passus aliquot Pedes complectur, nec potest unius Pedis esse Passus. Tolerabilius igitur est quod legit Augustinus Quæst. super Gen. l. 1. *nec spatium pedis.* Quo quidem loco simul illud excutit, Qui fieri potuerit ut qui priùs legatur emisse agrum circa Puteum Jurisjurandi, nunc nè pedis quidem vestigium illic possideret. Non possedit nec tantillum ex munere Divino, de cujus pollicitatione illic agit Stephanus: nam pecuniâ licebat ubivis parare agros.

6. *Locutus est autem ei*] Οὕτως *Locutus est autem sic*, est Græcè; & non additur *ei* ¶ *Quia erit semen ejus accola*] Ὅτι ἔσται τὸ σπέρμα αὐτοῦ πάροικον. Ut conniveamus quòd *quia* abusus sit pro *quod*, quòd *accola* posuit genere neutro; certè aliud est *incola* quàm *accola*. Siquidem *accolæ* dicuntur finitimi, ut *accolæ Rheni*; *incola*, qui non sit αὐτόχθων. Quanquam Græcis est πάροικος *qui aliunde profectus alibi domum habet.* Nos vertimus *inquilinum*, ad hunc modum, *Locutus est autem Deus sic, quod futurum esset semen ejus inquilinum in terra aliena, quódque servituti illi subjecturi essent*, &c. Mollius erat *posteri ejus incolæ: semen* enim posteros appellat. ¶ *Male tractabunt*] Κακώσουσι *affligent*, sive *cruciabunt.* ¶ *Annis quadringentis*] In ed. pervetusta legebatur *quadringentis triginta*; atque ità legit Rabanus ex supputatione temporum. Beda indicat Hyperbaton ex supputatione temporum. Beda indicat Hyperbaton, *erit incola annis quadringentis*; ut quod in medio intercessit, *& servituti eos subjicient, & male tractabunt eos*, non impediat contextum præcedentium & sequentium. Quanquam meâ sententiâ non est opus ad hoc Hyperbaton confugere.

7. *Dicit Dominus*] Εἶπεν ὁ Θεὸς *dixit Deus.*

8. *Et sic genuit Isaac*] Interpres, nisi mendum est, legisse videtur οὕτως, cùm in Græcis cod. sit οὗτος *hic*, sive *iste*. Si legas οὕτως, sensus est, Illum non genuisse Isaac nisi circumcisum, cùm Ismaelem suscepisset incircumcisus. Suspicor factum ut Græci odio circumcisionis mutarint οὕτως in οὗτος tametsi variabant Græci codices. Chrysostomus & Hispaniensis ed. habebant οὕτως, mei cod. Aldina ed. οὗτος. ¶ *Et Isaac Jacob*] Τὸν Ἰακὼβ, ut subaudias *genuit.*

11. *Non inveniebant cibos*] Χορτάσματα Vox est à *saturando* dicta.

13. *Et in secundo*] Καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ, *Et in secundo*, ut verbum verbo reddatur, *Alterâ vice*, sive *Cum iterum misisset eos.*

14. *In septuaginta quinque animabus descendit Jacob*] Gen. 46. 27. D. Hieronymus juxta veritatem Hebraicam vertit *Septuginta* tantùm: & tamen Lucas secutus videtur autoritatem LXX tum ubique receptam, sive quòd apud Hebræos detracti sunt à librariis *quinque*, sive quòd non existimarit numeri rationem ad id quod tum agebatur pertinere.

16. *Quod emit Abraham pretio argenti à filiis Emor filii Sichem*] Et hunc locum annotavit Hieronymus in libro ad Pammachium De optimo genere interpretandi, qui secùs habeatur in Genesi, ubi legitur *quòd Abraham emerit ab Ephron Ethæo filio Saar, juxta Hebron quadringentis drachmis speluncam duplicem, & agrum circa eam, sepelieritque in ea Saram uxorem suam. Atque in eodem legimus libro, Postea revertentem è Mesopotamiâ Jacob cum uxoribus & filiis suis posuisse tabernaculum ante Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, & habitasse ibi, & emisse partem agri in quo habebat tentoria ab Emor patre Sichem centum agnis, & statuisse ibi altare, & invocasse Deum Israel. Proinde Abraham non emit speccum ab Emor patre Sichem, sed ab Ephron filio Saor: nec sepultus est in Sichem, sed in Hebron, quæ corrupè dicitur Arboch. Porrò duodecim Patriachæ non sunt sepulti in Arboch, sed in Sichem, qui ager non est emptus ab Abraham, sed à Jacob.* Hunc nodum illic nectit Hieronymus, nec eum dissolvit hoc sanè loco, sed eum eleganter explicat in Quæstionibus Hebraicis.

17. *Quam confessus erat*] Ἧς ὤμοσεν *quam juraverat.* Interpres legisse videtur ὡμολόγησεν.

18. *Qui non sciebat*] Ὃς οὐκ ᾔδει *qui non noverat.*

19. *Ne vivificaretur*] Εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι, i. *ad hoc ut partus non essent vitales.*

20. *Gratus Deo*] Ἀστεῖος τῷ Θεῷ· ἀστεῖος aliàs sonat *festivus*, sive *urbanus.* Abusus videtur hâc voce pro χαρίεις, quod *gratum* significat, & item *urbanum.*

25. *Existimabat autem intelligere fratres*] Hic *fratres* vocat suæ gentis homines: quod pòst translatum est ad Christianos. Augustinus Quæst. in Exod. dubitat utrùm homicidium Moysi duntaxat indolis specimen sit, an laudi dandum, quòd ex hac oratione Stephani videatur id fecisse Numinis admonitu.

26. *Litigantibus*] Μαχομένοις *pugnantibus.* Rectè tamen vertit Interpres.

30. *In igne flammæ rubi*] Græcè est contrarius ordo, Ἐν φλογὶ πυρὸς *in flamma ignis*, tametsi & alioqui sermo duriusculus est nobis ob proprietatem sermonis Hebraici.

34. *Videns vidi*] Hebræum est schema pro eo quod est *Attente vidi.* ¶ *Et nunc veni, & mittam*] Καὶ νῦν δεῦρο, *& nunc venito*, sive *nunc adsis*: ut secundæ personæ sit verbum, non primæ. Jubet enim Moysen adesse.

37. *Tanquam meipsum audietis*] *Audietis* hoc loco in nonnullis exempl. Græcis non scribitur. Donatiani codices suffragabantur Græcæ lectioni, in quibus erat *de fratribus vestris tanquam me.* Apud Chrysostomum nec in contextu nec in enarratione fit hujus clausulæ mentio. Quod autem dictum est *tanquam me* Chrysostomus exponit *contemptum & insidiis appetitum: quòd ut Christo puero insidiatus est Herodes, ità Pharao Mosi in Ægypto, & uterque salvus evasit.* Superiùs demonstratum est *ipsum* pertinere ad verbum *audietis*, non ad *me*, quod pertinet ad verbum *suscitabit*; *Suscitabit vobis Prophetam ut me*, i. similem mei, & velut alterum me: *ipsum audietis.* Quanquam apparet Interpretem legisse ὡς ἐμαυτοῦ, nisi (quod probabilius est) hoc aliquis assuit de suo.

38. *In Ecclesia & in solitudine*] *Et* apud Græcos non est, sed Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in congregatione, in deserto*, citra conjunctionem, consentientibus Latinis emendarioribus. ¶ *Verba vitæ dare vobis*] Nonnulli cod. habebant λόγον ζῶντα *sermonem vivum*: nonnulli, λόγια ζῶντα *eloquia viva*: sic enim solitus est vertere λόγια.

39. *Patres vestri*] Utroque loco Græcis est ἡμῶν *nostri*, primæ personæ.

40. *Mosi enim huic*] Ὁ γὰρ Μωϋσῆς. *Nam Moyses iste*: & sic habet exemplar Constantiense. Quanquam id rectè mutavit Interpres.

43. *Quas fecistis adorare*] Interpres non notavit Græcam figuram loquendi, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς, *quas fecistis ut adoretis eas.* Sed mirum non addi articulum verbo infinito. ¶ *Et transferam vos trans Babylonem*] In nonnullis exempl. reperi mutatum *trans* in *in*. Locus sumptus est ex Amos Prophetæ c. 5. quanquam illic pro *trans Babylonem* legitur *trans Damascum*, ex autoriate veritatis Hebraicæ simul & LXX. Hieroymus sic excusat Stephanum, ut dicat *eum magis sensum reddidisse quàm verba, quod Judæi trans Damascum ducti sunt in Babylonem*, sive *trans Babylonem.* Sunt qui malunt scripturam esse depravatam, & pro *trans Damascum* scriptum fuisse *tras Babylonem.*

44. *Cum patribus*] *Cum* redundat. ¶ *Deus loquens*] Ὁ λαλῶν, i. *ille qui loquebatur.*

45. *Patres vestri*] Ἡμῶν Græcè est, *nostri*, quemadmodum admonuimus modò.

48. *Sed non Excelsus in manufactis*] Græcus addit *templis*, Ἐν χειροποιήτοις ναοῖς. Et *manufactis* unica illis dictio est.

51. *Durâ cervice*] Græcis epitheton est compositum σκληροτράχηλοι, q. d. *duricervicos*, ut Pacuvius apud Quintilianum, & hunc imitatus Politianus dixit, *in curvicervicum pecus.* Cæterùm apparet orationem Stephani clamoribus obstrepentium Judæorum interruptam fuisse. Neque enim satis alioqui respondet hic finis tam altè repetito principio, præsertim cùm in ea multa sint quæ non ità multùm pertinere videantur ad quod instituit. ¶ *Restitistis*] Ἀντιπίπτετε *resistitis.*

52. *Et*

52. *Et homicidæ*] Φονεῖς occisores.

53. *In dispositione*] Εἰς διαταγὰς *in dispositiones*, sive *ad dispositiones*, à διατάττω, quod est *ordino*. Augustinus lib. De civitate Dei. 10. citat aliquoties, *in edictis Angelorum*, pro eo quod nos legimus *in dispositione Angelorum*.

55, 56. *Virtutis Dei*] *Virtutis* in Græco codice non reperio: tantùm est *à dextris Dei*, suffragantibus & Latinis vetustioribus.

60. *Obdormit in Domino*] *In Domino* non additum est in Græco exemplari: tantùm est ἐκοιμήθη *dormivit*, suffragantibus vetustis exemp. Latinis.

VATABLUS.

1. HAberent] *Habent*, Vet. 2. *Qui ait*] *At ille ait*. ¶ *Gloriæ*] Heb. pro *gloriosus*.

3. *Quam*] *Quamcunque*.

5. *Hereditatem*] i. Possessionem, Heb. ¶ *Passum*] *Vestigium*. ¶ *Sed*] *Et*, Vet. ¶ *Semini*] i. *Posteritati*.

6. *Et*] Græcè legitur adverbium similitudinis, *sic*. ¶ *Quia erit semen ejus accola*] *Quòd esset semen ejus inquilinum*; vel *posteros ejus incolas fore*. ¶ *Subjicient & male tractabunt*] *Subjicerent & affligerent*.

7. *Judicabo*] i. Sumam pœnas de gente cui servierint, Heb. ¶ *Dixit Dominus*] Vel, *dixit Deus*.

8. *Testamentum circumcisionis*] Hypallage est Hebræis familiaris, i. circumcisionem pacti, h. e. quæ esset signum pacti: vel pactum circumcisionis, periphrasticè, i. circumcisionem signum fœderis initi. ¶ *Et*] *Hic*. Alii legunt οὕτως i. *sic*, scilicet circumcisum.

9. *Æmulantes*] *Invidiâ moti*.

10. *Ægyptiorum*] *Ægypti*, Vet.

13. *In secundo cognitus*] *Cum iterum misisset eos, agnitus*. ¶ *Manifestatum est*] *Innotuit*.

14. *Animabus*] *Animas* posuit pro hominibus, more Hebræorum.

15. *Et descendit*] *Descendit autem*.

16. *Translati sunt*] Plur. pro singul. *translatus est*, sub. *Joseph*. Vide Josue 24. 32. ¶ *Emit*] *Emerat*. ¶ *Abraham*] *Abraha*, sub. filius: Genitivus est; Jacob enim emit locum illum, ut vides Genes. 33. 19. & Jos. 24. 32. ¶ *Pretio argenti*] *Pecuniâ*. ¶ *Filii*] *Patris*.

17. *Quam confessus erat*] *De qua juraverat*.

18. *Sciebat*] *Noverat*.

19. *Circumveniens genus nostrum*] *Cùm circumvenisset gentem nostram*. ¶ *Patres nostros*] Heb. pro, *afflixit eam*, sub. *nationem*. ¶ *Vivificarentur*] Heb. *viverent*.

20. *Eodem tempore*] *Quo temporis articulo*.

21. *Exposito autem illo, sustulit eum*] Heb. pro, *expositum autem illum sustulit*. ¶ *In filium*] Vel, *vice filii*.

22. *Erat potens in verbis & in operibus suis*] Heb. Erat eloquens & dictis facta æquabat.

23. *Cùm autem impleretur ei*] *Ut verò impletum est ei*, &c. Heb. *Cum autem esset quadragenarius, deliberavit invisere*.

25. *Fratres**]* *Suos*. ¶ *Per manum ipsius daret salutem illis*] Heb. operâ suâ opem ac suppetias ferret illis; aut, ipso interprete & internuntio.

26. *Apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace*] *Visus est illis inter se dimicantibus, & redegit eos in concordiam*.

29. *In verbo isto*] Heb. his auditis; vel, propter hunc rumorem.

30. *Apparuit*] *Visus est*. ¶ *Angelus in igne flammæ*] *Angelus Domini in flamma ignis*.

31. *Consideraret*] Vel, *attenderet*. ¶ *Domini*] i. Angeli; q. d. *allocutus est eum angelus*.

43. *Deus*] *Dominus*, Vet.

34. *Videns vidi*] Heb. *attentè vidi*; vel *haud dubiè vidi*. ¶ *Et nunc veni*] *Itaque nunc veni ut mittam*.

35. *Negaverunt*] *Negaverant*. ¶ *Cum manu angeli qui apparuit*] Heb. angelo internuntio qui apparuerat. Hebræi *manum* vocant quicquid vice instrumenti est ad aliquid conficiendum, sive animatum id est, sive inanimatum, ideóque *per manum angeli* nihil aliud est quàm per angelum. ¶ *Apparuit*] *Fuerat*.

36. *Faciens prodigia & signa in terra Ægypti*] *Editis prodigiis & signis*.

37. *Vobis**]* *Dominus*. ¶ *Deus**]* *Vester*. ¶ *Tanquam me*] Vel, *similem mei*. ¶ *Audietis*] Fut. pro imperat. more Heb.

38. *Ecclesia*] *Congregatione*; i. qui præfectus fuit toti populo Israelitico in ipsa solitudine. ¶ *Verba vitæ*] i. Legem, cujus præceptis qui obedierit, vivet. ¶ *Daret*] *Ut daret*.

39. *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum*] Heb. desiderio Ægyptio flagrarunt.

40. *Moysi enim huic*] *Moses enim hic*, Heb. pro, *nescimus quid acciderit huic Moysi qui*, &c.

42. *Convertit autem**]* *Se*: i. avertit se ab eis. ¶ *Tradidit*] i. Permisit. ¶ *Servire militiæ cœli*] *Ut colerent militiam cœli*, i. astra. ¶ *Aut*] *Et*.

43. *Et*] *Imò verò*, Heb. ¶ *Adorare*] *Ad adorandum*. ¶ *Et*] *Propterea*. ¶ *Trans Babylonem*] i. In Assyriam

44. *Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris*] i. Majores nostri habuerunt tabernaculum. ¶ *Disposuit*] *Ordinaverat*, *præceperat*; vel *designarat*, aut *descripserat*. ¶ *Deus, loquens*] *Ille qui loquebatur*.

45. *Quod & induxerunt, suscipientes patres nostri*] Vel, *quod intulerunt exceptum patres nostri*, &c. i. quasi per manus ipsis traditum. ¶ *Jesu*] Qui & Josue dicitur. ¶ *In possessionem gentium*] Heb. *cùm occuparent terram gentium*, vel in terram quam occupabant gentes. ¶ *A facie*] Heb. *sub adventum*.

46. *Invenit gratiam ante Deum*] Heb. gratus fuit Deo. ¶ *Tabernaculum*] i. Locum in quo ædificaret templum.

47. *Domum*] i. Templum. Heb.

48. *Manufactis**]* *Templis*. ¶ *Per prophetam*] *Propheta*, Vet.

49. *Quam*] *Quantam*: q. d. si tam procerus & magnus sum, quantâ esset mihi opus domo? ¶ *Quis*] *Quantus*.

51. *Incircumcisi corde*] *Incircumcisis*, Vet. i. homines vitiis madentes & immorigeri, qui nihil salutare audire vultis. ¶ *Restitistis*] *Resistitis*, Vet.

52. *Et*] Heb. *etiam*. ¶ *Prænunciabant de adventu*] *Prænunciaverant adventum*.

53. *In dispositione*] *Per dispositiones*, i. legem ab angelis constitutam, vel ministerio angelorum traditam, sive per angelos & prophetas legatos ejus: nam prophetæ etiam dicuntur *angeli*, internuntii Dei.

58. *Ejicientes*] *Ejectum*.

59. *Invocantem*] Sub. *Jesum*.

60. *Statuas*] *Imputes*.

CASTALIO.

25. EIS *per ipsum salutem dare*] Eos defendere, cæso illo Ægyptio.

38. *In multitudine*] sc. Israelitarum.

52. *Justi*] Christi.

CLARIUS.

2. DEus *gloria apparuit patri nostro Abrahæ*] Etsi altiùs videtur repetere rerum historiam Stephanus, non idcirco tamen *gemino bellum Trojanum orditur ab ovo*, ut ille ait; sed in hac tota narratione jacit quædam semina quæ omnia ad propositam rem facerent, è quibus aliqua tanquam digitum ad fontem intendentes commonstrabimus. Ut cùm ait *non dedisse Deum Abrahæ hæreditatem in ea terra, ne vestigium quidem pedis*, hoc faciebat ad declarandum, promissiones illas non esse carnaliter corporeè accipiendas, sicut & ad Hebræos dicitur cùm de horum Patrum fide mentio fit. Et quòd spatiatur in historia Joseph, in qua typi Christi multi sunt; multóque magis in Mose, in primis ubi ait, *Putabat fratres suos intelligere quòd Deus per illius manus daret eis salutem, ac illi non intellexerunt*: & infrà, *Hunc Mosen quem negaverunt, dicentes, Quis te constituit principem & judicem? hunc Deus principem & redemptorem misit*. Illud verò manifestissimum, prædictio illa Mosis, quòd *Dominus suscitaturus esset Prophetam illis*, nempe Christum. Itáque texit totam orationem ut demum aperiret eis quo niteretur fundamento Apostolorum prædicatio: sed videtur noluisse eos exspectare orationis finem, ut coactus fuerit intercisâ oratione increpare eos & dicere, *Durâ cervice & incircumcisi corde & auribus* &c.

6. *Annis quadringentis*] Numerus hic annorum numeratur ab Abraham usque ad exitum de Ægypto: nam in Ægypto non fuerunt ampliùs quàm ducentis & decem annis; sed compendiosus loquendi mos parit obscuritatem.

14. *In animabus septuaginta quinque*] Videtur secutos Lucas editionem LXX interpretum in hoc numero: nam in Hebræo sunt tantùm *septuaginta*.

22. Et

22. ***Et eruditus est Moses omni sapientiâ Ægyptiorum***] Hoc in Mosis præconium dictum est. Ex quo significatur, Non esse omnino abjiciendam externam Philosophiam: nam & de Daniele ac Tribus pueris dictum est *quòd superarint omnes in Philosophia Chaldæorum & scientiis reliquis*. Non est tamen illis consenescendum, sed in Divinis Scripturis immorandum potiùs. Neque enim Moses & illi alii leguntur usu disciplinis illis, nisi forte ad evertendos errores adversariorum.

31. *Facta est ad eum vox Domini*] Dudum appellaverat *Angelum*; nunc *Dominum* vocat. Ipse ergò est qui & *magni consilii Angelus* est & *Dei Filius*.

33. *Solve calceamentum pedum tuorum*] Oportet mortalem omnem carnalémque cogitationem, q. calceamenta quædam, exuere eam mentem quæ ad Divina speculanda ascendere conetur & Christi intelligere mysterium. Inaccessus est igitur Christus ei qui adhuc in Lege versatur & illo cultu qui pædagogi officio fungebatur (nam Legis personam gerit Moses) nisi & maculam omnem peccati absterserit, & cultum illum umbrarum & figurarum antè rejecerit.

42. *Numquid victimas*] Habetur hoc testimonium Amos 5. ubi videtur objicere Judæis quòd eo tempore quo, omni humano destituti auxilio, nutriebantur à Deo in deserto, pro veri Dei cultu serviebant simulacris.

57. *Continuerunt aures*] Auditis verbis illis, *Video Filium hominis stantem à dextris Dei*, occluserunt aures perinde quasi blasphemiam audivissent, Hominem scilicet *stare à dextris Dei*, & æquatum Deo.

60. *Ne statuas illis*] In medio lapidantium furore non est oblitus pro hostibus precari, ut verus Domini imitator, qui & ipse dum cruci affigeretur dixit, *Pater ignosce illis*.

ZEGERUS.

2, 3. E*XI de terra tua & de cognatione tua, & veni in terram quam monstravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorum*] *Terram & cognationem Abrahæ*, ut scribit Beda, Chaldæorum patriam genúsque appellat; unde jampridem exierat qui nunc in Mesopotamia degebat. Sed quia quaslibet ob causas egrediens spe redeundi & desiderio tenebatur, audit à Domino, *Exi de terra tua*; non ut corpus inde trajiceret, quod jam fecerat, sed ut amorem mentis evelleret. Idem super hac re sentit Augustinus Quæst. super Gen. num. [illegible]

6. *Erit semen ejus accola in terra aliena; & servituti eos subjicient, & male tractabunt eos annis quadringentis*] Sentit posteros Abrahæ quadringentis annis futuros incolas terræ alienæ, & à gentibus in servitutem redigendos multisque malis affligendos. Itaque in eo quod dicitur *annis quadringentis* hyperbaton est, ut referatur ad *erit semen ejus accola in terra aliena*. Isti autem anni numerandi sunt à nato Isahac usque ad exitum filiorum Israel ex Ægypto. Rabanus autem in Glossa Ordinaria legit *annis quadringentis & triginta*, & incipit numerationem à promissione Dei facta Abrahæ, admonens interim in Gen. 2. tantum esse *quadringentis*, sed ex consuetudine Scripturæ minorem numerum prætermitti. In codice quodam membranaceo reperi *quadringentis triginta*, sicuti testatur Erasmus & in editione quapiam pervetusta scriptum se vidisse, & a Rabano ità lectum esse ex supputatione temporum.

7. *Judicabo ego, dicit Dominus*] Novi cod. habent *dixit Deus*, juxta Chrysostomus & ed. Græcanicam

14 *In animabus septuaginta quinque*] Tot numerantur Exod. 1. 5 adjunctis videlicet quinque consanguineis Joseph, & item Gen. 46. 27. juxta LXX duntaxat, quorum versionem ut vulgatiorem frequentiùs sequuntur Scripturæ Apostolicæ. Nam apud Hebræos septuaginta tantùm numerantur. Cæterùm *in animabus septuaginta quinque* per Synecdochen positum est pro *cum hominibus* LXXV. Et *in* pro *cum* usurpare Hebræis est non infrequens.

17 *Cùm autem appropinquasset tempus promissionis quam confessus erat Deus Abrahæ*] Ex historia ipsa & simul editione Græca facilè deprehendi potest *confessus erat* hic impropriè usurpari ac poni pro *pollicitus erat*, vel *promiserat*. Est enim ἧς ὤμοσεν *quam juravit*, aut, quod legisse videtur interpres, ὡμολόγησεν *responderat*, *pactus erat*, vel *confessus erat*. *Tempus* autem *promissionis* sive *promissio* hæc ea est de qua in Genesi scribitur c. 15. quâ promiserat Deus Abrahæ quòd ipsius semen seu posteritas multiplicaretur sicut stellæ cœli, quódque præfinito tempore è mancipatu Ægyptiaco per Mosen reducerentur in terram lacte & melle manantem, suo famulatura liberatori Deo.

30. *In igne flammæ rubi*] i. *igne flammeo*: vel ἐν φλογὶ πυρὸς, i. *in flamma ignis*, sive etiam *in flamma ignea*.

37. *Tanquam meipsum*] Quod in vulgatis tum Græcorum tum Latinorum Bibliis additur *audietis* apud antiquiores commentatores non invenio, sed neque in edit. Compl. unde liquet ab adnotatore quopiam huc translatum esse ex hujus operis cap. 3. v. 22. ubi idem locus adducitur.

38. *Hic est qui fuit in Ecclesia*] *Ecclesiam* vocat congregationem illam Hebræorum transmigrantium.

40. *Moyses enim hic qui eduxit*] Hoc rectius est quam *Moysi enim huic*

42. *Servire militiæ cœli*] *Militiam cœli* dicit Solem, Lunam, Stellas, Martem, Mercurium, Venerem, Saturnum, quibus Gentiles Divinitatem tribuebant, excolebántque ea veluti Numina. ¶ *In libro Prophetarum*] Sub. *Duodecim*, qui *Minores* vocantur. Legitur enim hoc testimonium quod subjungitur apud Amos cap. 5. v. 25. juxta distinctionem verò Hebraicam in fine c. 4. *Numquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch & sidus Dei vestri Remphan, figuras quas fecistis adorare eas. Et transferam vos in Babylonem* Hunc locum, qui est Amos 5. 26. 27. B. Stephanus recenset juxta LXX, hoc ipso tamen dissentiens quòd loco *Damascum* substituit *Babylonem*, & pro τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς dixit τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς nec minùs etiam discrepans à verbis Hebræis, quæ ad hunc habent modum, הזבחים ומנחה הגשתם לי במדבר ארבעים שנה בית ישראל ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם והגליתי אתכם מהלאה לדמשק: *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? Et portastis tabernaculum Moloch vestri, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. Et migrare vos faciam trans Damascum.* Hæc autem de re & aliis nonnullis quæ remorari lectorem poterant quoniam B. Hieronymus hæc verba apud Amos pertractans disseruit, ipsius hic commentum adscribere visum est. *Non putandus est*, inquit, *primus Martyr errasse, qui pro eo quod in Propheta scriptum est* TRANS DAMASCUM *dixerit* TRANS BABYLONEM. *Magis enim intelligentiam quàm verbum posuit, quia trans Damascum ducti sunt in Babylonem, sive trans Babylonem. In eo autem loco ubi Lucas posuit* MOLOCH, *& in Hebræo scriptum est* מלככם, *Aquila vertit* Μελὸχ, *Sym. & Th.* REGIS VESTRI. *Pro eo quoque quod in LXX legitur* Ῥαιφάν, *Aq. & Sym. ipsum Hebraicum transferentes posuerunt* כיון, *Th.* ἀμαύρωσιν *i. Obscuritatem. Rursum pro* סכות *Aq.* συσκιασμοὺς, *i. Umbracula, Sym. & LXX* τὴν σκηνὴν *Tabernaculum, Th. transtulit Visionem. Et hoc in omnibus Scripturis S. observandum est, Apostolos & Apostolicos viros in ponendis testimoniis de V. T. non verba considerare sed sensum, nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo à sententiis non recedant.* Hactenus ille. *Moloch* & *Remphan* nomina erant idolorum, illud Ammonitarum, hoc Saracenorum: & interpretatur illud *Rex vester*, hoc *Lucifer* sive *Venus*.

43. *Transferam vos in Babylonem*] Quanquam in Græcis sit ἐπέκεινα *trans Babylonem*, uti & in Latinis penè omnibus legitur, tamen res ipsa postulat ut ἐπέκεινα hic pro *in* accipiamus. Constat enim non trans sed in Babylonem Judæos fuisse translatos.

44. *Tabernaculum testimonii fuit patribus*, &c.] Hactenus B. Stephanus demonstravit nec in Deum nec in Mosen blasphemum se fuisse: hic nec adversùs sanctum veríimque Dei Templum se quicquam locutum fuisse ostendit. ¶ *Sicut disposuit illis Deus loquens*] *Illis Deus* nescio an adscriptum fuerit ab ipso Euangelista, proptereà quòd non habeatur in antiquis, & *Deus* absit etiam Græcis.

51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ità & vos*] Ex vicinitate vocum factum apparet ut vulgò *restitistis* pronuncietur pro *resistitis*, id quod extat in vetustis, & Apud Augustinum tract. super *Ego sum qui sum*: nam Græcè est ἀντιπίπτετε. Et ex adnotatione marginali adjectum videtur illud *ità & vos*, quod non invenio in quibusdam antiquis, nec apud Hieronymum in Isa 46. Augustinus loco citato & in sermone quodam de B. Stephano etiam illud omittit, *sicut patres vestri, ità & vos*, nescio tamen an studio.

55. 56. *A dextris* virtutis *Dei*] Bis repetitur hoc verbum, sed in utroque abest *virtutis*, tam in Græcis quàm in Latinis vetustioribus, quibus respondent Irenæus l. 3. c. 12. Augustinus, Gregorius hom. 29 Didymus, Maximus in sermone De Pentecoste, (qui tamen alio quodam loco addit) & Smaragdus.

H. STE-

H. STEPHANUS.

3. **E**Κ τῆς γῆς σου] *E tua regione.* ¶ Δεῦρο εἰς γῆν] *Veni in regionem.*

4. Μετῴκισεν αὐτὸν] *Sedes ejus transtulit:* vel, *Fecit ut migraret.*

5. Κληρονομίαν οὐδὲ βῆμα ποδὸς] *Possessionem nè vestigium quidem pedis.* ¶ Δοῦναι εἰς κατάσχεσιν] *Dare obtinendam*, vel, *possidendam.*

6. Πάροικον] *Inquilinum.*

8. Διαθήκην] *Pactum.*

9. Ζηλώσαντες τὸν Ἰωσὴφ ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον] *Invidiâ accensi adversus Joseph vendiderunt* cum abducendum *in Ægyptum:* vel, iis qui abducturi erant.

10. Ἐξείλετο] *Eruit.* ¶ Ἡγούμενον ἐπ' Αἴγυπτον] *Præfectum Ægypti.*

11. Χορτάσματα] *Alimenta.*

13. Ἐν τῷ δευτέρῳ ἀνεγνωρίσθη] *In secunda* profectione *agnitus est.*

14. Ἀποστείλας δὲ Ἰωσὴφ μετεκαλέσατο] *Misit autem Joseph qui accerserent.*

16. Μετετέθησαν] *Translati sunt.*

19. Κατασοφισάμενος τὸ γένος] *Calliditate usus adversus genus.*

20. Ἀστεῖος τῷ Θεῷ] *Venustus Divinitus:* q. d. non sine Dei providentia.

23. Ἀνέβη ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτοῦ ἐπισκέψασθαι] *Subiit animum ejus* desiderium *invisendi.*

24. Ἐποίησεν ἐκδίκησιν τῷ καταπονουμένῳ] *Vindicavit ab injuria eum qui vexabatur:* vel *opprimebatur.*

29. Ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ] *Audito hoc sermone.* ¶ Πάροικος] *Advena.*

34. Τὴν κάκωσιν] *Vexationem.*

35. Ἐν χειρὶ ἀγγέλου] *Ductu angeli.*

38. Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ] *In congregatione.* ¶ Λόγια ζῶντα, δοῦναι ἡμῖν] *Eloquia viva, ut traderet nobis.*

41. Ἐμοσχοποίησαν] *Vitulum fecerunt.*

42. Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς] *Vertit autem* eos *Deus: i. mentes eorum:* ut dicitur etiam *mens versa.*

44. Καθὼς διετάξατο] *Ut injunxerat.*

45. Ὧν ἐξῶσεν] *Quas expulit.*

51. Σκληροτράχηλοι] *Duricervice.* ¶ Ἀντιπίπτετε] *Obnitimini:* vel, *repugnatis.*

53. Εἰς διαταγὰς ἀγγέλων] *Interveniemtibus ejus sanctioni angelis.*

54. Ἀκούοντες δὲ ταῦτα, διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν, καὶ ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας] *Audientibus autem hæc findebatur cor, & dentibus frendebant.*

57. Συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν] *Obstruxerunt aures suas.*

60. Ἐκοιμήθη] *Sopitus est:* vel, *Obdormire cœpit.*

DRUSIUS.

2. **C**UM *esset in Mesopotamia*] Ergò Ur Chaldæorum quæ ei patria erat, in Mesopotamia? Videtur. Sanè mox ait, *Tunc exiit è terra Chaldæorum.* Quod non rectè diceretur si Mesopotamia non esset pars Chaldææ, aut è contrario Chaldæa pars Mesopotamiæ. Cui firmando quod in lib. Juch. 135. 2. Mesopotamia vocatur מלכות חרן *Regnum Harad.* Nam Haran vixit in Ure Chaldæorum, in qua & natus & mortuus fuit, Gen. 11. 28. Cur autem *Regnum Haran* potiùs dicatur *Regnum Thare* aut *Nachor*, sicuti Carræ nuncupantur *civitas Nachor*, fateor me ignorare. Nam imperitiæ Judæorum hoc adscribere temere non ausim. Citò eum pœnitet qui temere aliquem condemnat. Mesopotamia Hebraicè vocatur פדן ארם, quæ vox latè interdum sumitur, & per abusionem pro *Assyria*, quæ Chaldæam & Mesopotamiam superiorem continet, ponitur. Hoc aliàs probabo: nunc non vacat mihi. Omnia uno tempore dici non possunt.

4. *E terra Chaldæorum*, ἐκ γῆς Χαλδαίων] De Chaldæorum terra, quam Græci Χαλδαίαν vocant, non omnes eadem sentiunt. Quidam scribunt regionem esse in Babylonis ditione inter ipsam Babylonem & Arabiam Desertam & inter Tigrim & Euphratem sitam; aut secundùm Ptolemæum, inter Euphratem & Regium flumen, quod *Naharmalcha* vocant. Hieron. in Locis ex Actis Apost. *Chaldæorum regio inter Babyloniam & Arabiam, Tigrim & Euphratem.* Quæ si vera, ergò etiam Mesopotamiam comprehendit: Quo nomine Stephanus protomartyr Chaldæam appellat, è qua egressus fit Abraham, antequam Carras venisset, vers 2. Quin etiam Plinius l. 6. c. 27. ei Babylonem attribuit. Unde & illud sequitur, Babyloniam esse partem Chaldææ, quod video quosdam opinari, contrà ac alii sentiunt, quibus Chaldæa regio est Babyloniæ, aut, ut eorum verbis utar, Babyloniæ pars. Syrus edidit ארעא דכלדיא. Sunt autem כלדיא *Chaldæi*, quos etiam Hebræi כשדים vocant, & à כשדים distinguunt. Sanè simul hæc duo nomina leguntur in epistola Mosis Maimonis filii cognomento Ægyptii. Glossarius Philonis, *Chaldæi*, *Quasi dæmonia.* In mente habuit vocem Hebraicam כשדים, quâ Chaldæos significant, quos alii dictos volunt à *Chased* quarto filio Nahor de Melcha, vel certè ab *Arphaxad* Semi filio; Quam opinionem sequitur Josephus, qui etiam eos antiquitus appellatos scribit Ἀρφαξαδαίους *Arphaxadæos.* Sed R. Saadias in comment. Dan. 1. *Chaldæi omnes*, inquit, *sunt præstigiatores. Vocatur terra eorum terra Chasdim, eò quòd præstigiis imponunt aliis perinde ut dæmones.* Hebræa sunt כשדים כמשדים עין. Qua de re disputavimus alibi. ¶ *Transtulit eum*] *Fecit ut esset μέτοικος in ea terra in qua nunc vos habitatis.* Nam in Græco μετῴκισεν αὐτὸν. Μέτοικος autem propriè qui ex una regione vel urbe in aliam migrat, non ad tempus, ut hospes & peregrinus, sed habitandi causâ, ut Abraham, qui habitationem fixit & q. ἐπῴκησε κατεκτήσατο in terra Chanaan, cùm emisset agrum speluncæ Machphela. Tunc ergò primùm μέτοικος fuit in ea regione, quo tempore & pater ejus obierat. Proinde aliquot annis ante mortem patris migravit ex urbe Charan. Deus autem μετῴκισεν αὐτὸν post ejus mortem, h. e. dedit ei stabilem & fixam ibi sedem. Quidam intervallum ponunt LXX annorum, in queis Josephus Scaliger Animadv. Euseb. p. 17. Ad hanc interpretationem nos adigit illud Stephani, *postquam mortuus est pater ejus.* Sunt qui aliter nodum solvunt. Nam rejiciunt natalem Abræ ad annum Thare CXXX, ità ut mortuus fuerit pater ejus antequam è Carris discederet: Quod hic Stephanus disertè adfirmat. Relinquamus hoc in medio. Nam in tanta obscuritate non est temere aliquid statuendum. Dies fortassè certiora nos docebit. Suspendamus interea judicium nostrum. Super hac quæstione aliquid Masius in Jos. 24. 3. qui magis propendet in Hebræorum sententiam, cùm etiam Augustini & Lyræ ibi recenseat.

5. *Nè vestigium quidem pedis*] Ante emptum agrum Ephronis. Pòst habuit quidem in quo pedem figeret, sed pecuniâ comparatum, non datum à Deo. Quamvis Deus etiam illa dat quæ ære nostro comparamus nobis. Sed hæc dicuntur respectu eorum quæ pòst secuta sunt, cùm gentes illas viribus humanis invictas & inexpugnabiles ope Divinâ vincerent, expugnarent & internecione delerent.

6. *Accola*] Alius, *inquilinum.* Nam πάροικον in Græco. Πάροικος autem & *accolam* & *inquilinum* sign. Interdum idem est quod μέτοικος, *qui sedem fixit in aliquo loco*, *incola.* Lexicon vet. Μέτοικος, *accola*, *incola*, *colonus.* *Inquilinus* propriè qui habitat in alieno conducto. Sic interpretantur Hebræum תושב. Hic est גר apud Mosen, quod magis denotat *advenam & peregrinum*, qui Græcè προσήλυτος καὶ παρεπίδημος. Simul hæc duo leguntur Gen. 23. 4. & Ps. 39. 12. Sunt qui תושב eum dici aiunt *qui domicilium habet in aliquo loco.* LXX & Hieronymus eum גר *advena* confundunt: *Advena* verò vocatur sive domicilium habeat sive non. Qui domicilium proprium habet πάροικος & μέτοικος appellatur: de quo aliàs. ¶ *Annis quadringentis*] Alibi est *quadringentis triginta.* CD anni putantur à nato Isahaco, CDXXX ab exitu ex Ure Chaldæorum. Abraham enim creditur commoratus in Charan annis v. XXV. pòst genuit Isahacum: à quo usque ad exitum ex Ægypto anni sunt CD: quod sic doceo. Isahac cùm ageret annum LX genuit Jacobum: Jacobus quando venit in Ægyptum erat annorum CXXX. His adde CCX, quibus Israelitæ fuerunt in Ægypto, habes numerum quem dixi. Moses Haggaon annos CDXXX numerat ab eo tempore quo servitus decreta fuit, cùm Abraham staret inter segmenta sive fragmenta, quod Hebræi dicunt בין הבתרים. Nam tum agebat annum LXX. Vide Juch. 156. 2.

14. *Septuaginta quinque*] Tantùm ingressæ sunt Ægyptum animæ septuaginta, quem numerum habent LXX Deut. 10. 22. & Hieronymus agnoscit, iisque tribuit, Quæst. in Gen. Superat ergò vox πέντε ut apud Josephum Orig. Jud. l. 1. c. 20. ubi scribit Isahacum vixisse annos CLXXXV, cùm in Mose tantùm sint CLXXX. Quinque igitur annos adjecit Josephus, quo autore incertum. Dico, Josephus, aut alius qui eum exscripsit: nam hujusmodi menda potiùs librariis imputanda quàm ipsis autoribus.

16. *Sichem*] Græcè Συχὲμ, & Συχέμ. Vocatur & Σίκιμα in numero multitudinis, quod ex obliquo τῶν Σικίμων manifestum.

ftum. Τὰ Σίκιμα, ut τὰ Σόδομα, τὰ Ἱεροσόλυμα. Hodie *Naplozam* appellant, quod corruptum ex Græco *Neapolis*. Nam ita post dictam fuisse testis est Hieron. in Quæst. Idem De locis Actor. *Sichem, civitas Jacob, nunc, Neapolis dicta, juxta sepulcrum Joseph*, &c. Euseb. De locis Hebr. *Sichem & Salem, quæ Latine & Græcè Sicima vocata est, civitas Jacob, nunc deserta. Ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos juxta sepulcrum Joseph, quam subvertit Abimelech, & seminavit in ea salem, sicut in libro Judicum scriptum est. Postea verò instaurata est à Jeroboam, ut Regum narrat historia: & sita est in finibus tribus Ephraim. Sed & filius Hemmor appellabatur Sichem, à quo & locus nomen acceperat. Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim, civitas fugitivorum.* Alexandri ævo metropolis erat Samaritanorum, quam Josephus ait fuisse πόλιν κειμένην πρὸς τῷ Γαριζὶν ὄρει, καὶ κατῳκημένην ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους. Unde lucem facies Sirach. 50. 30. *populus habitans in Sicimis*, ἐν Σικίμοις, quem ibi appellat *populum non populum*, sive *gentem non gentem*, nempe quia omnes hæretici erant, i. מינים, unde *Minæi* vocabulum; de quo aliàs. Apud Josephum Antiq. l. 1. c. ult. εἰς Σικιμόν. Rufinus interpres, *in Sichimam*. Vide ad Joh. 4. 5. ¶ *Quod emit Abraham*] Sunt qui opinantur bis hunc agrum emptum fuisse, primùm ab Abrahamo, deinde, cùm elienatus esset, à Jacobo. Sed placet conjectura mea, *Abraham* pro *Israele Abrahami F.* ut cùm legimus *semen Abrahæ* Joh 8. 33. i. *Jacobi* aut *Israelis*. Sic Amos 7. 9. *excelsa Isahac*, i. Israelis. בני אהרן *filiis Aharonis* למשה Ps. 90. 1 *filiis Mosis*, qui cantores erant in domo sanctuarii. Sic Saadias enarrat. Vide D. Camium. Videtur aliquando scriptum fuisse, *quod emit ipse*, videlicet Jacobus: in cujus locum *Abraham* surrepsit, culpâ, ut credibile est, manûs imperitæ. Ut ut sit, locum hunc corruptum esse, simulque quomodo emendandus sit, docet Masius in Jos. 24. 32. Syrici etiam cod. à Græcis nonnihil variant: nam in iis *ipse Abraham*, & *argento*, non *pretio argenti*. Desideratur quoque *filii Sichem*, i. τοῦ Συχέμ, quod alii convertunt *patris Sichem*. Nam Hemmor pater erat Sichemi, non filius. Fortè patrem habuit eodem nomine. ¶ *Hemor*] Cum adspiratione, i. חמור. Græcè Ἑμμὸρ, vel Ἐμμὸρ, variantibus libris. Pro Ἐμμὸρ malim Ἑμμώρ *A filiis Hemor filii Sichem*, sic interp. vetus. Græcè est, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ, quod alii reddunt *patris Sichem*, & melius. Nam Sichem filius fuit Hemor. Scire licet in articulo non *filium* tantùm, sed etiam *patrem* subintelligi, ut etiam *uxorem*. Ab hoc Jacob emit sepulcrum, non Abraham: licèt in libris vulgatis omnibus Ἀβραὰμ legatur: Quod accidisse putarim culpâ manûs aberrantis. Ut ut sit, error ille non est recens, sed pervetus quem etiam Syrus secutus sit, qui tamen illud τοῦ Συχέμ omittit. Nodus facilè posset expediri si scriptum esset ὁ Ἀβραάμ. Nam tum υἱὸς intelligeretur. Aut est *Abraham*, ut alibi *David* pro *filius David*. Sed hoc durum videtur. Nam Christus *David* vocatur & *filius David*, sed aliâ atque aliâ ratione.

19. *Circumveniens genus nostrum*] Chrysostomus hom. 16. in acta, *Insinuat clandestinam cædem*. Rectè: nam jusserat obstetricibus ut clàm occiderent filios Hebræorum. Id cùm non succederet, apertam vim adhibuit, & in rivum eos projici mandavit. Sic dico, Initio conabatur eos callidè ac dolosè circumvenire; postea, cùm ea consilia non succederent, apertam vim adhibuit. Psal. 105. 25. *Vertit cor eorum ut odio haberent populum suum, ut callide agerent cum servis suis.*

20. *Gratus Deo*] Malim *pulcer*, aut *elegans*, *Deo*: quippe ἀστεῖος est in Græco, quæ vox non sign. *gratum*, sed *formosum* & *pulcrum*, qui Exod. 2. 2. טוב in Hebræo, i. *bonus*, *pulcer*; ut formam dicimus *bonam*, quæ venusta & pulcra est. Sic Amphilochius Iconii Episcous ἀστεῖον φυτὸν dixit λόγῳ εἰς τὴν ὑπαπαντὴν τοῦ Κυρίου, pro *arbor pulcra*: & Judith. 11. 23. legimus, καὶ νῦν ἀστεία εἶ σὺ ἐν τῷ εἴδει σου, quod interpretantur *venusta es*. *Deo* autem additum ad majorem emphasin; ut alibi Ninive dicitur *civitas magna Deo*. Quem sermonem de Carthagine usurpat compositor Hist. Hebraicæ. Deo enim tribuitur quicquid in suo genere excellit. Vocabulo ἀστεῖος usi sunt LXX in loco Exodi quem supra citavi. Ergò ἀστεῖος *venustus*, *bellus*, *festivus*: & ἀστείως *festivè*, 2 Mach. 12. 43. Lex. vetus, Ἀστεῖος, *festivus*, *lepedus*, *luculentus*, *scitus*, *bellus*, *comis*. Ἀστειότης, *festivitas*, *eloquentia*. Ἀστειότητες, *facetiæ*. Ἀστείως, *festivè*. Num. 22. 32. οὐκ ἀστεία ἡ ὁδός σου ἐναντίον μου, *non est bona*. Vide nunc quæ scripsimus Observ. l. 4. c. 12.

29. *Advena*] Ergò πάροικος *advena*, i. προσήλυτος καὶ παρεπίδημος; Suprà hæc distinximus: Nam πάροικος *accola*, vel *incola*, vel etiam *inquilinus*; *Advena* est גר, quod apud Mosen, nisi fallor. ¶ *In terra Madiam*] Scribi debet hoc nomen cum n in fine. Nam Μαδιάμ, quod in codicibus Græcis est, mendum est quale in Ἐδὲμ pro Ἐδὲν. Hoc primum. Deinde antiquum est *Madian* pro *Midian*. Nam Hebraicè מדין. Quanquam in ed. Syra *Median*. *Midian*, *Mediam*, *Madian*, ut *Nimrod*, *Nemrod*, *Namrod*: & מדין *Madian*, ut מרים *Mariam*, מגדל *Magdal*, unde *Magdalene*: Sic dialectus Chaldaica pro חדש dicit חדת, Zain in Daleth mutatâ.

30. *Sina*] Montis nomen in deserto Arabiæ: unde Gal. 4. 25. *Sina mons est in Arabia*. Græcè Σινᾶ. Sic perpetuò scriptum in N. T. Sed & alibi, ut Exod. 19. in LXX, τὸ ὄρος τὸ Σινᾶ· & mox, εἰς τὴν ἔρημον τοῦ Σινᾶ· & Sirach. 48. 7. ἐν Σινᾷ· item 4 Esræ 3. 17. & 14. 4. & Judith. 5. 14. Quæramus caussam hujus scripturæ. Nam Hebræi & Syri perpetuò scribunt סיני *Sinai*. Videtur ex Σινᾶι primùm Σινᾷ factum, subscripto Ἰῶτα: deinde Σινᾶ sive Σινᾷ (nam anceps lectio) omisso puncto quod pro Ἰῶτα scribebatur & ponebatur sub Alpha. Ità conjicio: puto autem conjecturam meam non omnino vanam esse. *Sina* etiam legitur in antiqua edit. Latina Jos. 15. 3. sed alio significatu. Nam ibi codex Hebræus habet צנה, quod alii reddunt *in Sin*. Vide nè confundas cum Sina monte: de quo in hunc modum Hieron. De locis Actor. Apost. *Sina, mons in regione Madian super Arabiam in deserto, qui alio nomine Choreb appellatur. Unde dicitur*, ET FECERUNT VITULUM IN CHOREB, *cùm hoc Moses in Sina factum scripserit*. Et Severus Dialogo 1. c. 2. *Et Oriente reversus* (verba sunt Postumiani) *Rubrum mare vidi: jugum Sina montis ascendi, cujus summum cacumen cælo pene contiguum nequaquam adiri potest*. Cæterùm Sigonius negat esse nomen montis: de quo aliàs. Vide illum, si vacas, in Hist. sacram Sulpitii, p. 768.

35. *Redemptorem*] גואל *vindicem*: alii *liberatorem*, i. מציל quod non damno. Nam *redemit* qui liberat nullo accepto pretio. Gen. 48. 16. *Angelus qui redemit me ab omni malo*. LXX ὁ ῥυόμενος. Hier. *qui emit*, Psal. 119. 154. *Litiga litem meam, & redime me*, i. libera. Hinc פרוקין *liberatores*, de Mose & Aharone, qui Israelitas ex Ægypto eduxerunt, Gen. 50. 25. in Jonatha. *Redimo*, q. iterum accipio. Nam *emo*, antiquitus accipio. ¶ *In manu angeli*] i. Per Angelum, aut ductu Angeli. Num. 20. 16. *Misit Angelum suum, & eduxit eos ex Ægypto*. Cave aliter intelligas quam de hoc Angelo. Nam ut demus *Angelum* dici qui Propheta est, ut Mal. 2. 7. *Quoniam Angelus Domini exercituum est*: & Hag. 1. 13. *Angelus Domini in legationibus Domini*: tamen in his locis non significat Mosen, qui non solùm Propheta erat, sed Dominus Prophetarum, gradu uno reliquos omnes quotquot unquam fuerunt post ipsum superans. Nam populus eductus fuit ex Ægypto per Angelum alium à Mose. Vide si Abenezram ad hunc locum Numerorum. Nam R. S. in alia omnia it. Sic Isa. 63. 9. *Angelus facierum servavit eos* Exod. 23. 20. *Ecce ego mitto Angelum qui præcedat te, ut introducat in locum quem præparavi*. Rursum Exod. 33. 2. *Mittam ante te Angelum præcursorem*, &c.

38. *Verba vitæ*] Quæ vitam dant. Sic *panis vitæ*. Hìc mirè variant codices: nam in quibusdam λόγια ζῶντα, quod reddunt *eloquia viva*; in aliis λόγον ζῶντα *sermonem vivum*. Syrus, *verba viva*. *Sermo vivus*, ut *panis vivus*, cujus suprà mentionem fecimus, & exposuimus *panis perennis*, qui nunquam deficit. Sed quid si *panis qui vitam largitur*; ut *pallida mors*, quæ homines pallidos reddit? Sic *panis vivus*; ut idem sit quod *panis vitæ*.

43. *Tabernaculum Moloch*, τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ] סכות est in Hebræo. Senes autem legerunt סכת *tabernaculum*, non סכות, quod *tabernacula* sign. Moloch autem, qui & *Melchom*, est Saturnus, q. βασιλεὺς· unde & *Malchus*. Syrus habet מלכום i. *Melchom* sive *Molchom*, quod Græci scribunt Μολχὸμ, τουτέστι βασιλέως αὐτῶν. Ἐκδεδώκασι γὰρ ἑαυτοὺς ὁ Ἀμμὼν καὶ Θεοδοτίων. Hebraicè מלכם & מלך. Reperias & מלכם versum Μολὸχ αὐτῶν. מלך *Moloch*, ut משך *Mosoch*. Glossarius Philonis *Moloch*, *Rex*. Hieron. in Nom. de Act. Apost. *Moloch*, *Rex vester*, *quem & Melchom solent dicere*. Interpretatur non *Moloch*, sed *Malchechem*, מלככם, *Rex vester*. Oecumenius Act. 8. Μολὸχ, ἤτοι, Μελχόμ· εἴδωλον δὲ τοῦτο Μωαβιτῶν. Lego, Ἀμμανιτῶν. [Etiam Moabitæ Moloch colebant, ut alibi doceo.] Nam Deus erat filiorum Ammon, cui humanas hostias immolabant. Moabitarum idolum *Chamos* dicebatur. Hæc non sunt confundenda. De Moloch R. S. *Idolum erat quod vocabatur Moloch, cujus cultus hoc modo fiebat. Tradebant filios suos sacerdotibus, qui duas ingentes pyras exstruebant, inter quas puerum traducebant. Hoc est quod dicitur, Non transire facies per ignem filios tuos*, Lev. 18. למלך LXX ἄρχοντι, cæteri τῷ Μολόχ. Theodoretus, Τὸ Ἑβραϊκὸν ἔχει τῷ Μολὸχ, καὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ τοῦτο τεθείκασιν. Malim

lim Μολὸχ, ultimâ brevi. Idem ad Gen. Quæst 60. pag 47. τῷ δὲ Μελχὼ (leg. Μελχὼμ) ἐδούλευον Ἀμμανῖται. *Ammanitas* vocat filios Ammon, quorum numen erat Melchom, ut diximus. Vel hinc manifestum in Oecumenio reponendum Ἀμμανιτῶν pro Μωαβιτῶν, sive sit memoriæ lapsus, sive erratum librariorum. Dixi humanas hostias huic Deo immolatas fuisse. Quod de pueris intelligendum. Nam ei filios suos immolabant. Quem morem didicere à Phœnicibus, ut credibile est, Carthaginenses eorum coloni: de quibus Plutarchus De superstitione in extremo, *Qui liberis*, inquit, *carebat*, *à pauperibus emptos sacrificabat pueros*, *ut agnos*, *aut avium pullos. Adstabat autem mater rigida*, *& absque gemitu: si autem ingemuerat aut lacrymaverat*, *oportebat eam honore privari: puer autem nihilominus sacrificabatur. Præterea quoque ante statuam plena erant tibiis canentium & tympana pulsantium*, *ne videlicet clamor exaudiretur.* Nota diligenter. Nam locus erat prope Jerusalem in quo hujusmodi sacrificia fiebant, qui *Thopheth* sive *Thophthe* dicebatur, à sono *tympanorum*, ut quidam volunt, i. תפים, cujus loci & Esaias meminit c. 30. 33. Sumitur autem ibi pro loco cruciandis improbis destinato; quem Jonathan *Gehenna* vocabulo significat. Id sonat *vallis Hennom* sive *Hennam*: de qua suo loco. In hac valle locus erat qui *Thopheth* dicebatur παρὰ τῶν τυπάνων, quæ & τύμπανα vocantur, ut Thalmudici censent. Satis de Thopheth. Quod Moloch attinet, dicitur fuisse facie vituli, & corpore humano. Videatur Porphyrius apud Eusebium, pag. 57. Statua ejus ærea, manus extensas habens, pag. 96. ubi ex Diodoro consimilia iis quæ Hebræi de Moloch scribunt. Loquitur autem de Saturno. Sunt quibus Moloch est Saturnus planeta, quem שבתי indigitant. De Saturno Eusebius Προπαρ. pag 25, 26. In Ilmedenu, *Dicunt doctores*, *Quanquam omnia fana idolorum Jerosolymæ fuerunt*, *tamen Moloch colebatur extra Jerusalem. Erat autem statua septem antiquitus cubicula sive cameras habens*, *facie vituli*, *manibus protensis*, *quales sunt hominis parati accipere aliquid à socio suo: quam igne succendebant sacerdotes*, *acceptóque infante ponebant inter manus ipsius Moloch: infans autem efflabat animam*, &c. Similia habes Deut. 12. 31. in Nicolao à Lira Brabantino ad locum, *Offerentes filios*, &c. Munsterus in Dictionario suo Hebraico, *Moloch erat imago concava*, *habens septem conclavia. Unum aperiebant simulæ offerendæ; alterum turturibus; tertium ovo; quartum arieti; quintum vitulo; sextum bovi: Qui verò volebat offerre filium, huic aperiebatur septimum cubiculum. Et facies hujus idoli erat ut facies vituli: manus plana disposita ad recipiendum ab adstantibus: & saltabant interim dum puer in idolo succenso igne cremabatur percutientes tympana.* Hæc Hebræi. *Moloch*, inquit Scaliger ad Manilium l. c. est *Saturnus planeta*, *videlicet* מלך, *q. βασιλεύς* & *Remphan*, i. רעם פנים, *Jupiter βροντεὺς*, *sive* Ζεὺς βροντιαῖος. Sed fallitur de postrema voce. Nam in textu Hebræo est כיון, quod olim, cùm apices abessent, legi poterat *Chevan*, indè *Revan* & *Rephan*, & cum epenthesi *Remphan*. De facili autem ר in כ mutatur, & contrà. Sanè apud Gorionidem טרנטו lectum per Caph pro *Tarento*, i. טרנטו. Confer historiam illam cum Josephi Antiq. l. 17. c. 3. & verum esse deprehendes quod dico. Similiter 4 Reg. 5. 19. Δεβραθὰ legitur in edit. Romana pro Χαβραθὰ, h. e. δ pro χ, vel certè ר (cujus maxima affinitas cum ד) pro כ. Ex *Rephan* factum deinde *Remphan*, quod in plerisque libris, ut ex מף dicimus *Memphis*, & ex מפים Μαμφεὶν & *Memphon* Gen. 46. 21. Hoc ultimum exstat in lib. de nom. Hebr. ¶ *Remphan*] Locum hunc difficilem faciunt voces aliquot corruptæ, quæ mirandum torquent interpretes. In iis est *Remphan*, καὶ τὸ ἄςρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν. Quid *Remphan*? Non magis chamæleon in colore quàm hoc nomen variat in scriptura, ut vel indè jure merito quis colligat locum à librariis corruptum esse; Quare frustrà se torquent viri in eo explicando. Nam constat Græcos ignaros linguæ Hebraicæ multas hujusmodi voces depravasse. Mihi in tam varia scriptura placet Ῥεφὰν ità legunt Justinus in Disput. cum Tryphone, & Theodoritus sive Theodoretus (nam anceps scriptura) in Levit. Quæst. 25. Estque vitium, ut conjicio, à librarii pro Κεφὰν nisi potiùs ipsos interpretes decepit similitudo quæ est inter literas ר & כ, ut legerint ריון absque punctis vocalibus pro כיון. Postremum non caret exemplo. Nam manifestè legunt Resch pro Chaph. Nah. 1. 5. videlicet ראש, quod transferunt ἀρχὰς, pro כאש, i. ὡς τὸ πῦρ. docti expendent. Est autem Chijun sive Chevan Saturnus planeta, quem Arabes & Persæ כיון indigitant: quæ appellatio nonnihil adjuvat conjecturam meam: næ argumento mihi est ut credam veteres dixisse *Chevan*, non *Chijun*. Dicam de hac re plura, aut potiùs jam dixi Amos 5. 26. in Conjectaneis meis ad translationem Græcam.

45. *In possessionem Gentium*] In terram à VII gentibus possessam. Gr. ἐν τῇ κατασχέσει pro εἰς τὴν κατάσχεσιν, ut Num. 32. 5. δοθήτω ἡμῖν ἡ γῆ ἐν κατασχέσει *detur nobis terra in possessionem*: sic v. 22. quod Deut. 32. 39. εἰς κατάσχεσιν. ut & Gen. 48. 4. *in ipsa occupatione Gentium*, i. cùm inciperent obtinere Gentes. Prius verius, meo judicio.

52. *Justi*] h. e. Christi: qui hic peculiariter *justus* vocatur, fortè quia insons erat cùm occideretur. צדיק enim vocabulum est forense *reum insontem* significans, cui opponitur רשע ὑπόδικος *reus sons*: ut in illo Davidis, *Cùm judicabitur*, i. judicio contendet, *exeat improbus.*

56. *A dextris Dei*] Lectio varians *à dextris virtutis.* Hic duo notanda. Primùm, *à dextris* pro *à dextera*: Nam una tantùm dextera. Deinde, *virtutis*, i. τῆς δυνάμεως, i. אל *Dei.* Nam אל, teste Eusebio, κατ' ἀκρίβειαν ἰσχὺς καὶ δύναμις. Dicitur etiam à Magistris הגבורה. Erasmus legit, *virtutis Dei.*

58. *Deposuerunt vestimenta sua*] Nam ab iis primi lapides projiciebantur, juxta illud Deut. 13. 9. *Sit primùm manus tua super eum*, *& post te omnis populus mittat manum.* Vide & Deut. 17. 7.

60. *Nè statuas illis hoc peccatum*] Condones & remittas eis. Institutum erat veterum piorum, qui *primi* sive *priores* appellantur, ut dicerent, *Remitte & condona iis qui vexant & affligunt nos. Pios* voco, qui & *Hasidæi*, quos Hebræi חסידים appellant. ¶ *Obdormivit*] שכב, i. *mortuus est.* Hinc שכבים *mortui*: de quo aliàs.

CASAUBONUS.

9. KAI' οἱ πατριάρχαι ζηλώσαντες, τὸν Ἰωσὴφ ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον] h. e. *Vendiderunt abducendum in Ægyptum.* Atque hæc est servorum venditio quam veteres vocabant ἐπ' ἐξαγωγῇ, cùm mancipia eâ lege vendebantur ut in longinquas terras deportarentur. Porrò manavit hoc loquendi genus, ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον, à fonte linguæ Hæbraicæ, quæ hâc brevitate sermonis valde delectatur. Veruntamen etiam Græci ità loquuntur sæpe: & Homerus ità planè loquitur, Ὀδ. ο.

Τὴν μὲν ἔπειτα Σάμηνδ' ἔδοσαν.

& iterum Ὀδ. ρ'.

Αὐτὰρ ἐμὲ εἰς Κύπρον ξείνῳ δόσαν ἀντιάσαντι.

42. Ἔςρεψε δὲ ὁ Θεὸς] Vet. interpres *Convertit autem Deus*, parùm Latinè. Itaque doctissimi viri interpretatio recta est & vera. Nam ἔςρεψεν ὁ Θεὸς est dictum pro ἔςρεψεν ἑαυτὸν, vel pro ἐςράφη. Est autem constructio quam vocant Græci κατὰ ἀντιπάθειαν. Nam quod docti viri dubitant posśitne hoc verbum ità accipi, certissimum est, cùm dixerit Poeta Ἰλ. ε'.

——— μετὰ δ' ἔςρεφον ἡνιοχῆες,

simillimâ constructione, pro μετέςρεφον ἑαυτούς. Et apud eundem Poetam μεταςρέφειν dicuntur *qui avertunt se ab aliqua re & consilium prius relinquunt*; ut Ὀδ. β'. de Diis loquens ait,

Μή τι μεταςρέψωσιν ἀγασσάμενοι κακὰ ἔργα.

Alibi autem μεταςρέφειν νόον pro eodem dicere solet. Quare non est dubium hîc ità esse vertendum.

LUD. CAPPELLUS.

14. EN ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε] Sunt qui putant legendum hic esse (sed contra omnium codicum fidem) πάντας pro πέντε, ut sic Stephanus ab Hebræo non videatur discessisse. Sed jam ab aliis post Hieronymum in Tradit. in Genesim notatum est, Stephanum non textum Hebræum sed LXX Interpretum translationem secutum esse; quæ in hodiernis codicibus Græcis tam Gen. 46. 27. quàm Deut. 10. 22. habet ἑβδομήκοντα πέντε, etsi Hieronymus loco citato notet LXX Interpretes Deut. 10. 22. habere ἑβδομήκοντα, non verò ἑβδομήκοντα πέντε. Quòd autem LXX Gen. 46. 27. habent ἑβδομήκοντα πέντε, videtur hinc factum, quòd scilicet eo capite Geneseos in Josephi progenie quam in Ægypto suscepit ante Jacobi patris adventum recensenda additur in eorum translatione integer versiculus qui in Hebræo non habetur, insertúsque est inter v. 20, & 21. Versiculus ille insititius sic habet, Ἐγένοντο δὲ υἱοὶ Μανασσῆ, οὓς ἔτεκεν αὐτῷ ἡ παλλακὴ ἡ Σύρα, τὸν Μα-

χὶθ. Μαχὶρ δὲ ἐγέννησε τὸν Γαλαάδ. Υἱοὶ δὲ Ἐφραὶμ ἀδελφοῦ Μανασσῆ, Σουταλαὰμ, καὶ Ταάμ· υἱοὶ δὲ Σουταλαὰμ, Ἐδέμ. Unde liquet, in Jacobi stirpe recensenda notari & nominari isthic quinque plures quàm sunt in textu Hebræo, nempe illos quinque ex Josephi stirpe qui versiculo insititio comprehenduntur: unde factum ut v. 28. in numeri summa quinque plures in Græca LXX Interpretum translatione numerentur quàm in textu Hebræo. Hieronymus in Tradit. Hebraicis in Genesium ad versum illum insititium dicit hæc esse dicta per anticipationem, quia scilicet quinque illi Josephi posteri non sunt nati ante adventum Jacobi in Ægyptum, sed postmodùm. Ego verò existimarim potiùs illa desumpta ex 1 Chron. 7. 14, 20, 21. ubi posteri Ephraim & Manasse recensentur satis perturbatè: quæ cum fuissent adscripta in margine ad locum Gen. 46. è margine irrepserunt intra textum, atque ità diffusa sunt in omnes translationis τῶν LXX codices.

16. *Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ*] Illud non de omnibus Jacobi filiis sed de uno Josepho notat Scriptura. Hieronymus tamen vult XII Patriarcharum corpora fuisse illuc translata & Sichemi condita sepulcro. Verùm cur id tacuisset Vet. Instrumenti Scriptura? cur de Josepho id singulariter notasset? Porrò enallagæ numeri frequentes sunt. Potuit ergo hic plurale pro singulari esse positum. Sequitur, *καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ*, &c. Certum est hoc loco vel legendum esse ὁ τοῦ Ἀβραὰμ, subaudiendùmque ἔγγονος, ut hic dicatur non ipse Abraam sed ejus nepos Jacob emisse monumentum illud; vel dicendum est Stephanum lapsu μνημονικῷ duo similia facta confudisse, emptionem nempe ab Abrahamo factam, de qua Gen. 23. cum ea quæ à Jacobo facta est, de qua Gen. 33. 19. Syrus interpres translatione suâ partem unam hujus versiculi correxit, at non alteram: sic enim reddidit, *Et descendit Jacob in Ægyptum, atque illic mortuus est, ipse & patres nostri; & translatus est in Sichem, positusque est in sepulcro quod emerat Abraham à filiis Emor.* Nam primò pluralem verbi numerum vertit in singularem: deinde omisit illud τοῦ Συχὲμ, veritus scilicet nè sic Emmor statuatur hic filius Sichem, cujus contrà pater fuit. At sine necessitate tamen id ab eo factum: nam in Græco potest commode suppleri vox πατρὸς, vel ἄρχοντος, *Dominus*, sive *Princeps*, quomodo alibi suppletur interdum vox ἀνὴρ, vel γυνή. At in eo fallit ejus translatio, quod juxta eam *Jacob* dicitur *translatus in Sichem*: quod (ut rectè annotat) Scripturæ repugnat, quæ docet eum translatum esse Hebronem, atque illhic sepultum. Masius, vir doctiss. Comm. suo in Josuam, putat mendosos esse Græcos cod. atque pro *Abraham* scribendum esse *Jacob*, & expungendum illud τοῦ Συχὲμ, aut verò scribendum πατρὸς Συχὲμ, ut conveniant ista cum iis quæ narrantur Jos. 24. 32. *Non sum*, inquit ille, *nescius, quibus alii hunc locum rationibus à mendo vindicare conentur. Sed ego nefas non esse puto iis mendis admovere manus quæ S. literis apertè testata & velut digito indicata sunt.*

43. *Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ*, &c.] Certum est Stephanum hoc loco, ut & reliquâ concione, secutum esse non hodiernum Hebræum textum, sed Græcum LXX Interp. qui eodem planè modo etiamnum hodie in cod. Græcis se habet quomodo à Stephano citatur, nisi quòd in quibusdam cod. Ῥαιφὰν legitur (quæ videtur melior lectio) pro Ῥεμφάν: tum à Stephano hic additum est προσκυνεῖν: denique & Βαβυλῶνος positum hic est à Stephano pro Δαμασκοῦ, quod in Græcis ipsis cod. non minùs quàm in Hebræo comparet. Textus Hebræus sic habet Amoz 5. 26. ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם: LXX autem Interpretes sic omnino videntur legisse, ונשאתם את סכות מלכם ואת כוכב אלהיכם ריפן צלמיכם אשר עשיתם לכם, transpositis per metathesim quibusdam vocibus, & aliis leviter immutatis, ità ut pro סכות legerint סכת vel סכות, punctis tantùm mutatis, deinde מלכם legisse videntur, extrito priore Caph, aut eo in ו commutato: Notum est autem ex historia Regum, מלכם Deum fuisse Ammonitarum, qui Μολὸχ à LXX redditur. Denique legerunt ריפן pro כיון ex literarum כ Caph & ר Resch affinitate figuræ, uti jam à Drusio & Buxtorfio notatum est. Stephanus autem de suo addidit προσκυνεῖν, quia simulacra illa non alio sibi fine exstuxerant Israelitæ quam ut ea adorarent. Βαβυλῶνος item dixit pro Δαμασκοῦ, quia notior erat captivitas Babylonica. Rem itaque ipsam potiùs spectavit Stephanus quàm verba quibus in Hebræo codice usus est Propheta Amoz. Cæterùm quis sit Deus ille Ῥεμφὰν obscurum est & incertum, variántque hic & sudant plurimùm Interpretes. Ego cum illis conjecturam meam adferam, quamvis nec mihi ea satisfacit. Diodorus Siculus lib. 1. historiarum suarum, Regem Ægypti quendam nomine *Remphis* commemorat filium Κέτου (quem Græci dicunt fuisse Proteum) circa illud tempus quo videtur Jacob cum familia tota descendisse in Ægyptum. Regem illum dicit colligendis & congerendis totum fuisse deditum, ità ut post se reliquerit XL. myriadas talentorum. Unde quis conjicere non ineptè possit illum fuisse Pharaonem qui Josephum Ægypto præfecit, quique ex annonæ copia quam divendebat omnem Ægypti & vicinarum regionum pecuniam corrasit. Octavum ab illo Regem idem Diodorus dicit fuisse Χέμβιν, à quo vult primam, eámque reliquarum omnium maximam, Pyramidem exstructam fuisse: ut propterea videatur is fuisse Pharao qui Israelitas postremus afflixit, eorúmque operâ vastam illam molem extruxit: nam tempus non malè quadrat, siquidem à Josephi Præfectura in Ægypto ad Israelitarum ex Ægypto exitum anni sunt CCXX. Ille ergò Remphis (siquidem is est qui Josephum Ægypto præfecit) videtur ab Ægyptiis ob servatam Ægyptum cultus fuisse pro Deo (quomodo Apim & Osirim coluerunt) idémque fortè ab Israelitarum idololatris nonnullis cultus fuit, ad Ægyptiorum imitationem, quorum idololatriam Israelitæ in Vitulo Aureo procul dubio imitati sunt. Et fortè ille Remphis fuit Ægyptiorum Apis, quem Bovis figurâ coluisse videntur Ægyptii ob somnium Vaccarum, quo monitus fuit Divinitus de annonæ copia & penuria quæ in Ægypto & vicinis regionibus contigit sub ipsius Regno, cujus somnii occasione Josephus est præpositus, & ab eo tota Ægyptus servata est. Ista ergo Israelitarum in deserto ad Ægyptiorum imitationem conformata Idololatria in Vitulo aureo (qui Apim sive Remphim illum Regem referebat) videtur hic Judæis, eorum posteris, in os à Stephano objici & exprobrari quòd videret eos tam præfracto & averso à Deo esse animo quam olim fuerant in deserto Majores eorum idololatræ. Atque hæc dicta sunto si cum Stephano sequamur hic LXX Interpretum translationem Græcam. At juxta hodiernum Hebræum textum mens Prophetæ Amoz hæc videtur fuisse, Deum per os ipsius Israelitas sic compellare, *Sacrificia illa quæ vos in deserto obtulistis*, ea non *mihi*, sed idolis vestris Diisque fictitiis, quos occultè animo fovebatis & colebatis, obtulistis. *Tabernaculum* illud quod vos ibidem humeris *bajulastis*, non meum fuit, sed *Molochi vestri*, h. e. non me in eo Tabernaculo coluistis, sed idolum quod vos taciti animo agitabatis, & totam illam *imaginum* (quibus Sanctuarium intus erat decoratum) *structuram* (nam כיון à כן deformatum *structura stabilis* reddi potest) eo loco & numero habuistis quo hodie *Astrorum*, quæ à vobis Ethnicorum more coluntur, simulacra & imagines habentur. h. e. Vos non me sed idola vestra coluistis. Cor nempe vestrum à me semper alienum fuit; animo vestro idola & fictitii Dii, quibus in Ægypto assueveratis, obversabantur; eáque vos potiùs quàm me cogitabatis cùm externo illo cultu à me vobis præscripto defungebamini. Itaque totum illum cultum externum censeo ego à vobis Diis potiùs fictitiis quàm mihi esse exhibitum. Hæc videtur esse simplicissima tum Prophetæ Amoz tum Stephani ipsius mens atque sententia.

GUALTPERIUS.

16. Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ, *Emmor, patris Sychem*] In Syro est, *quod* sepulcrum *emerat Abraham argento à filiis Chamur.* Subnectit Tremellius, *Omittit Paraphrastes quod in Græco ascribitur*, τοῦ Συχὲμ, *quod eam lectionem tanquam absurdam repudiet; quia constat ex historia, Chamur patrem fuisse Sechem, & non è converso. Sed quod in Græco legitur commode potest exponi ex Hebr. ut subaudiatur nomen* PRINCIPIS, *hoc modo*, A FILIIS CHAMUR PRINCIPIS SECHEM. *Sic enim Hebræi nonnunquam duo propria nomina construunt, ut posterius à priore regatur.*

GROTIUS.

Εἰ ἄρα ταῦτα οὕτως ἔχει; *Si hæc ita se habent?*] *Suntne vera quæ isti de te testantur?* εἰ ἄρα הכן (*num igitur.*)

2. Ὁ δὲ ἔφη. *Qui ait*] Cùm de duabus rebus accusaretur Stephanus, quòd Templi excidium prædixisset, & quòd vocationem Gentium ad Deum, ut ostendat nihil in eo esse iniqui, omnem historiam veterem ad sua tempora percurrens insinuat κατὰ κρύψιν (*tectè*) Dei favorem nunquam adstrictum fuisse loco ulli, ne Tabernaculo quidem aut Templo: deinde Judæos, si gentis suæ & sua facta bene expenderent, nihil habere cur se alienigenis præferrent. ¶ Ἄνδρες ἀδελφοὶ, *Viri fratres*] Hoc populo dicit. ¶ *Καὶ πατέρες, & Patres*] Hoc Senatoribus. Sic & Romani Senatores vocabant *Patres*. ¶ Ὁ Θεὸς τῆς δόξης, *Deus gloriæ*] מלך הכבוד (*Rex gloriæ*) Psal. 24. 9. ¶ Ὤφθη

appa-

apparuit] Hoc est ex traditione Hebræorum, non ex Scripta historia. Meminit hujus traditionis Abarbaniel. ¶ Ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, *quum esset in Mesopotamia*] Videtur ergo *Ur* fuisse in Mesopotamia: nec repugnat Ammianus libro 25. ubi *Urs* facit mentionem: nam eo tempore Mesopotamiæ possessio inter Romanos & Persas disceptabatur armis. Fieri tamen potest ut ארם נהרים [*Mesopotamia*] Hebræis latiùs patuerit, & omnia illa continuerit quæ non Euphrate tantùm & Tigride, sed & eorum divergiis irrigantur. ¶ Ἐν Χαῤῥάν *in Charran*] *In Carris*, quæ & ipsæ in Mesopotamia.

3. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτόν· Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου, *Et dixit ad illum, Exi de terra tua*] Qui hæc conciliant cum Mose, Genes. 12. 1. existimant in Mose ויאמר (*& dixit*) esse plusquamperfectum, & per ἐπάνοδον [*Retrogressionem*] ibi referri id, quod in Ure dictum fuerat: qualia ὑστερόπρωτα (*præpostera*) multa sunt & in sacris & in profanis historiis. Laudo qui omnes nodos tollunt. Neque tamen si in veteris loci aut temporis exacta designatione memoria Lucæ titubaverit, ideo historiæ quam scripsit peribit auctoritas. Spiritus Sanctus Apostolos & Euangelistas confirmavit in doctrina Euangelica: in cæteris rebus, ut hominibus, reliquit quæ sunt hominum. ¶ Εἰς γῆν ἣν ἄν σοι, *in terram quam tibi*] Longè ergo erat adhuc à Cananæa cùm Deus hæc ei diceret. Amabat ipsum Deus, non locum quò eum ducebat.

4. Μετῴκισεν αὐτὸν, *transtulit illum*] Gen. 12. 4.

5. Οὐδὲ βῆμα ποδός· *nec passum pedis*] Sic Deuter. 2. 5 transfertur כף רגל ¶ Οὐκ ὄντος αὐτῷ τέκνου. *quum non haberet filium*] Hoc obiter inspergit, ut fidei commendet.

6. Ὅτι ἔσται τὸ σπέρμα αὐτοῦ πάροικον, *Quia erit semen ejus accola*] *Liberi ejus incolæ erunt.* Ita enim loquuntur Latini. ¶ Καὶ δουλώσουσιν αὐτὸ καὶ κακώσουσιν ἔτη τετρακόσια. *servituti eos subjicient & male tractabunt eos annis quadringentis*] Sic in Hebræo Genes. 15. 13. in Græco paulò ampliùs, καὶ δουλώσουσιν αὐτοὺς καὶ κακώσουσιν αὐτοὺς, καὶ ταπεινώσουσιν αὐτοὺς τετρακόσια ἔτη [*Et servituti eos subjicient, & male tractabunt eos, & humiliabunt eos annis quadringentis.*] Theophylactus hoc loco, καὶ δουλώσουσιν αὐτὸ ἔτη τετρακόσια (*& servituti subjicient illud annis quadringentis.*) Hæc nata sunt ex diversis versionibus inter se permixtis. Est autem hic in Hebræo brevis locutio, non bene percepta ob Interpretibus. Sensus enim est, Duraturam eam calamitatem usque ad annum fermè quadringentesimum ex quo oraculum Abrahamo obtigerat: ut diximus ad illum Geneseos locum, ubi quæ prædicuntur omnia ad Ægyptum pertinent.

7. Καὶ μετὰ ταῦτα ἐξελεύσονται καὶ λατρεύσουσί μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ. *& posthac exibunt & servient mihi in loco isto*] Hoc magis sensu congruit quàm verbis. Nam in Genesi est, ἀποστραφήσονται ὧδε [*revertentur huc.*]

8. Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ διαθήκην περιτομῆς· *Et dedit illi testamentum circumcisionis*] Nempe post illa eximia promissa. Hoc quoque ad propositum Stephani pertinet, ne crederetur circumcisionis obedientia causa fuisse promissorum. ¶ Καὶ οὕτως ἐγέννησε τὸν Ἰσαὰκ, *& sic genuit Isaac*] Non propter Isaacum data sunt promissa: sed Isaacus propter promissa datus, in umbram gratiæ per Euangelium dandæ. ¶ Τοὺς δώδεκα πατριάρχας *duodecim Patriarchas*] *Tribuum auctores*, ut & cominate sequente. Sic & Abraham πατριάρχης [*Patriarcha*,] Hebr. 7. 4. Confunduntur voces φυλῆς [*tribus*] & πατριᾶς [*familia.*] Illi quos diximus propriè φύλαρχαι vel φύλαρχοι [*Principes tribuum,*] David propriè πατριάρχης [*Patriarcha*,] ut supra 2. 27. quia auctor erat familiæ regalis, quæ πατριὰ [*familia*] Lucæ 2. 4.

9. Ζηλώσαντες, τὸν Ἰωσήφ, *æmulantes, Joseph*] Est κρύψις [*tecta locutio.*] Vult enim dicere, *Vos pari modo Jesum ex invidia tradidistis extraneis.* ¶ Ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον. *vendiderunt in Ægyptum*] מכרו אתו אל מצרים [*vendiderunt in Ægypto*,] quod de Madianitis dixit Moses, Genes. 37. 36. hic rectè ad Patriarchas transtulit, qui causa ejus mali fuerant: in Græco ibi est ut hic, ἀπέδοντο τὸν Ἰωσὴφ εἰς Αἴγυπτον [*vendiderunt Joseph in Ægyptum*,] Pari fermè modo ἀγοράζειν εἰς ἀγρὸν [*emere in agrum*] dixit Aristophanes, id est, *emere ut feratur in agrum.* ¶ Καὶ ἦν ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ *& erat Deus cum eo*] Καὶ (*&*) hic valet *tamen*, quasi dicat, Non est sine exemplo, quòd Deus benefacit iis quibus vos nocetis maximè.

10. Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ χάριν καὶ σοφίαν, *& dedit ei gratiam & sapientiam*] Ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo.*] *gratiosum eum fecit apud Regem sapientiæ nomine*, Genes. 41. 39. ἐξέλαμψε [*eluxit*] in ipso, ut Philo loquitur, καλοκἀγαθίας ἐμπύρευμα [*honesta probitatis igniculus.*] ¶ Ἡγούμενον ἐπ' Αἴγυπτον, *præpositum super Ægyptum*] *Vice Regis cuncta regentem*, Genes. 41. 43. ¶ Καὶ ὅλον τὸν οἶκον αὐτοῦ, *& super omnem domum suam*] Fecit illum etiam *aulæ suæ Magistrum*, quales *Majores domus* Francis olim, Græcis Constantinopolitanis κουροπαλάται, *à cura Palatii.*

11. Χορτάσματα, *cibos*] Sicut verbum χορτάζειν [*saturare*] etiam de *hominum alimonia* usurpatur, Matth. 5. 6 & 14. 20. & 15. 33, 37. Marci 6. 42. & 7. 27. & 8. 4, 42. Lucæ 6. 21. & 9. 17. & 16. 21. Joh. 6. 26. Philipp. 4 12. Jacobi 2. 16. ita & χόρτασμα quod hic respondet Hebræo שבר [*annona*,] quod est Genes. 42. 2, 26. & 43. 2. & 44. 2. & 47. 14. & illico vertetur σῖτα [*frumentum.*]

12. Πρῶτον. *primùm*] Id est, πρότερον [*priùs*] ut supra 1. 1.

13. Καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ, *Et in secundo*] Supple χρόνῳ [*tempore.*] id est, *cum altera vice eos mitteret.* ¶ Ἀνεγνωρίσθη Ἰωσὴφ, *cognitus est Joseph*] התודע [*cognoscendum se præbuit*] Gen. 45 1. ubi Græci ἀνεγνωρίζετο [*cognoscebatur.*] ¶ Ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. *in animabus septuaginta quinque*] Vetus satis est hæc lectio, ut ex Syro, Arabe, Latino apparet. Et hinc factum, ut, sicut in *Cainanis* nomine repetito, libri Græci etiam hic mutationem reciperent à Christianis exscriptoribus. Nam Genes. 46. 27. ubi in Hebræo *septuaginta animæ* nominantur, quomodo habet & Josephus & Chaldæi Interpretes, Græca nunc habent ἑβδομήκοντα πέντε [*septuaginta quinque*,] additis & vocibus quibusdam, quæ in Hebræo desunt, & ad explendum hunc numerum pertinent. Quin & in Deuteronomio 10. 22. ubi eadem refertur historia, eadem mutatio in Græcis libris facta post tempora Hieronymi: nam is eo in loco extitisse numerum *septuaginta* apertè significat quæstionibus ad Genesim. Sicut autem in nomino *Cainani* ex uno exemplari Lucæ malè scripto error in omnia fluxit quæ habemus, ità & hic factum arbitror: originemque erroris fuisse quòd post O, id est, *septuaginta*, annotatum fuit E, ad significandam quintam particulam sectionis ad Stephanum pertinentis.

16. Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ. *Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem*] Postrema illa τοῦ Συχὲμ [*filii Sichem*] male hic adscripta docent nos & Syrus & Arabs. Optima erit sententia, si pro Ἐμμὸρ [*Hemor*] vicinâ voce scribas Ἐφρὼν [*Ephron.*] Ab Ephrone enim est quod monumentum emit Abrahamus, Genes. 23. 17. & in eodem monumento sepultus fuit Jacob, Genes. 50. 13. Josephus autem sepultus fuit in Sichem, Jos. 24. 32. Hoc ergo dicit, eos de quibus erat locutus, partim in Sichem, partim in agro, qui Ephronis fuerat, sepultos. *Fratres Josephi in Sichem sepultos* ait Hieronymus in Paulæ Epitaphio: at Josephus, *in illo qui Ephronis fuerat agro*, Antiquæ historiæ 2. 4. Optimam conciliaturam nobis hic locus suppeditat, si dicamus partim eos cum Jacobo, partim cum Josepho sepultos, quod ipsum argumentum est, nullam eis certam fuisse sedem.

17. Ὁ χρόνος τῆς ἐπαγγελίας, *tempus promissionis*] Finis annorum aliquanto supra quadringentos. Vide Exodi 12. 40. ¶ Ἧς ὤμοσεν ὁ Θεὸς, *quam juraverat Deus*] Omnem vehementem Dei affirmationem *juramentum* dici ait Moses Maimonides. Tale est, *Certo cognosce*, Genes. 15. 13. At codex ille, qui in Anglia, hic habet ὡμολόγησεν [*confessus erat*,] quomodo legit & Latinus.

18. Ἀνέστη βασιλεὺς ἕτερος, ὃς οὐκ ᾔδει τὸν Ἰωσήφ· *surrexit alius Rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph*] Verba sunt LXX Interpretum, Exodi 1. 8.

19. Κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν, *circumveniens genus nostrum*] Sic LXX Exod 1. 10. κατασοφισώμεθα αὐτοὺς [*sapienter opprimamus eos*,] ubi in Hebræo נתחכמה לו, *prudenter adversus eos agamus.* Pertinet autem hæc vox etiam ad labores eis impositos, ut historia ostendit, & Judith 5. 9. κατεσοφίσαντο αὐτοὺς ἐν πόνῳ καὶ ἐν πλίνθῳ [*circumvenerunt eos in labore & latere*] Eundem sensum in eadem historia habes Ps. 105. 24. להתנכל בעבדיו, ubi Græci, τοῦ δολιοῦσθαι ἐν τοῖς δούλοις αὐτοῦ [*ut dolum facerent in servos ejus.*] Ezechiel Tragicus,

Δόλον καθ' ἡμῶν πολὺν ἐμηχανήσατο
Βασιλεὺς Φαραώ· τοὺς μὲν ἐν πλινθεύμασιν,
Οἰκοδομίαις τε βάρεσιν αἰκίζων βροτοὺς,
Πόλεις τε πύργους σφῶν ἔκτισε δυσμόρων.
Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένει
Τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν εἰς βαθύῤῥοον.
[At Rex Pharao texta multiplicis doli
Orditur in nos: plurimos mortalium

Dum laſſat operis coctilis molimine
Urbes labore muniens miſeri gregis.
Poſt hæc Hebræis imperat, ſexûs maris
Natum quod eſſet, amnibus rapidis dare.]

Sic de Antiocho Daniel 8. 23. συνιῶν προβλήματα [*verſutiarum intelligens.*] ¶ Τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν, *ut exponerent infantes ſuos*] Ita ut ipſi cogerentur exponere infantes ſuos mares, ne à regiis ſatellitibus interficerentur. Hunc ſenſum ſuggerit nobis vox eadem ἐκτεθέντα [*expoſitum*] quæ reperitur mox 21. ¶ Εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι *ne vivificarentur*] Hoc refertur ad illud ἐκάκωσε [*afflixit.*] Propoſitum Pharaonis erat gentem exſtinguere. ζωογονεῖν [*vivificare*] Helleniſtæ uſurpant pro *in vita relinquere*, החיה, ut videre eſt Jud. 8. 19. 1 Sam. 2.6. & 27. 9, 11. 2 Regum 7. 4. id hic ad totam gentem refertur. Nam interemptis aut diſperſis infantibus, neceſſe erat gentem perire. Contrarium hujus verbi eſt Exodi 1. 17. de obſtetricibus, ותחיין את־הילדים, ubi in Græco, καὶ ἐζωογόνουν τὰ ἄρσενα [*& conſervabant mares.*]

20. Καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ, *& fuit gratus Deo*] Illud ἀστεῖος [*gratus*] eſt ex Græco Exodi 2. 2. ubi in Hebræo טוב [*elegans,*] illud τῷ Θεῷ [*Deo,*] quod hic additur eſt Hebraiſmus, לאלהים [*Deo*] id eſt, *valde.* Sic Νινευὴ ἦν πόλις μεγάλη τῷ Θεῷ] *Ninive erat civitas magna Deo,*] Jon. 3. 3. Sic & in Genitivo נפתולי אלהים נפתלתי [*luctationibus Dei luctata ſum,*] Geneſ. 30. 8. ſic *cedri Dei*, & ſimilia.

21. Ἐκτεθέντα δὲ αὐτόν, *Expoſitum autem illum*] Meliùs manuſcriptus; ἐκτεθέντα δὲ αὐτῷ [*expoſito autem illo*] ob id quod ſequitur. ¶ Ἀνείλετο αὐτόν, *ſuſtulit eum*] Terentius,

Quicquid peperiſſet, decreverunt tollere.

id eſt, *non pati interire.* ¶ Ἀνεθρέψατο ἑαυτῇ εἰς υἱόν. *nutrivit eum ſibi in filium*] Exodi 2. 10. Hebr 11. 24.

22. Καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum*] Non ſcripſit hoc de ſe Moſes: ſed res per ſe eſt credibilis & traditione firmata. Ezechiel Tragicus,

Τροφαῖσι βασιλικαῖσι καὶ παιδεύμασιν
Ἅπανθ' ὑπισχνεῖθ' ὡς ἀπὸ σπλάγχνων ἑῶν.
[*Sic diſciplinis imbuit regaliter*
Alitque, tanquam natus ex ipſa foret.]

Certè Aſtrologiæ & Medicinæ peritia paſſim in ejus legibus apparet. Quæ fuerint Ægyptiorum diſciplinæ, diſcere eſt ex Clemente Alexandrino Strom. 6. Adde quæſtionem ad Orthodoxos 25.

23. Ὡς δὲ ἐπληροῦτο αὐτῷ τεσσαρακονταετὴς χρόνος, *Quum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus*] Hoc non eſt in Sacra Scriptura, ſed hauſtum eſt ex traditione, quæ reperitur in Midraſch Rabba Bereſchit.

24. Καὶ ἰδών τινα ἀδικούμενον, *Et quum vidiſſet quendam injuriam patientem*] Durè tractatum verberibus. ¶ Ἠμύνατο, *vindicavit*] Tutatus eſt innocentem. ¶ Πατάξας τὸν Αἰγύπτιον, *percuſſo Ægyptio*] Ad mortem uſque, ut apparet infra 28. Jus naturæ & innocenti & innocentem tutanti jus dat adversùs nocentem. Vide quæ diximus libro 2. de Jure Belli ac Pacis cap. 20. 8.

25. Ἐνόμιζε δὲ συνιέναι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ *Exiſtimabat autem intelligere fratres*] Ex tam prompto ipſius animo ad eos tutandos.

26. Μαχομένοις, *litigantibus*] Διαπληκτιζομένους [*pugnantes*] habent hic Lxx Senes: in Hebræo נצים [*rixantes*], quod & alibi per μάχεσθαι [*pugnare*] vertitur, ut Exodi 21. 22. Levit. 24. 10. Deut. 25. 2. 2 Sam. 14. 6. ¶ Καὶ συνήλασεν αὐτοὺς, *& reconciliabat eos*] Conatui datur nomen effectus: deinde vox quaſi vim ſignificans agentis inſtantiam ſignificat, ut ἀναγκάζειν [*compellere*] Luc. 14. 23. & παραβιάζεσθαι [*cogere*], Luc. 24. 29. ¶ Εἰπών· *dicens*] Non ipſa verba poſuit quæ ſunt in Exodo, ſed ſenſum bene expreſſit. Nam ibi ὁ πλησίον [*proximus*], qui hic ἀδελφὸς [*frater*], *popularis*, *eiſdem ortus Majoribus.*

27. Ὁ δὲ ἀδικῶν, *Qui autem injuriam faciebat*] Sic & Lxx verterunt in hac hiſtoria Hebræum רשע. In Euangelio eodem ſenſu dicitur ὁ πονηρὸς, *is qui injuriam facit*, ὁ ἀρξάμενος χειρῶν ἀδίκων] *qui non jure aggreſſus eſt*], ut Græci loquuntur. Vide lib 3. de Jure Belli ac Pacis, cap. 11. 4. ¶ Τίς σε κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστὴν ἐφ' ἡμᾶς; *Quis te conſtituit Principem & Judicem ſuper nos?*] Eadem verba ſunt in verſione Lxx, niſi quod ibi eſt ἐφ' ἡμῶν, ſenſu eodem.

29. Ἔφυγε δὲ Μωσῆς, *Fugit autem Moſes*] Nempe ſatis intelligens cædem illam Ægyptii malum ſibi creaturam, quod Ægyptii Hebræos ſervorum, imò pecudum haberent loco, in quos nullam cadere injuriam credi volebant. ¶ Ἐν γῇ Μαδιὰμ, *in terra Madiam*] Semper urget propoſitum. Deus ſicut in Meſopotamia & Ægypto, ita & in terra Madianis adfuit piis. Eſt ubique idem.

30. Καὶ πληρωθέντων ἐτῶν τεσσαράκοντα, *Et expletis annis quadraginta*] Et hoc eſt ex traditione. ¶ Ἄγγελος Κυρίου, *angelus Domini*] Verè Angelus, ſed divinis mandatis & extraordinaria poteſtate inſtructus. Vide quæ diximus ad initium Decalogi. ¶ Ἐν φλογὶ πυρὸς, *in flamma ignis*] Manuſcriptus ille ἐν πυρὶ φλογὸς [*in igne flammæ*], quomodo legit Latinus. Tam φλὸξ πυρὸς, quam πῦρ φλογὸς 2 Theſſalon. 1. 8. eſt *ignis flammans.*

31. Ἐθαύμασε τὸ ὅραμα· *admiratus eſt viſum*] Breviter ſignificat, quod non exprimit, rubum arſiſſe, nec uſtum tamen: quæ imago erat populi Hebræi in ſummis calamitatibus futuri ſuperſtitis. ¶ Ἐγένετο φωνὴ Κυρίου πρὸς αὐτόν· *facta eſt ad eum vox Domini*] Hic quoque aliqua eſt ordinis inverſio, ſed ad ſummam rei nihil pertinens. Nam in Exodo Moſes priùs jubetur *calceos ſolvere*, quàm Deus ei dicit *ſe Deum eſſe Abrahami, Iſaaci, & Jacobi.*

32. Οὐκ ἐτόλμα κατανοῆσαι. *non audebat conſiderare*] Id eſt, *inſpicere*, ut eſt in Hebræo Exodi, ubi Græci κατεμβλέψαι [*inſpicere*]. Sed κατανοεῖν eodem ſenſu, pro verbo נבט [*inſpicere*] quod hic in Hebræo eſt, ſæpe ponitur, ut Exodi 33. 8. Pſ. 10. 14. & 22. 18. & 91. 8. & 94. 9. & 119. 15. 18. & 142. 5. Simili modo Exodi 19. 21. לראות [*ad videndum*] in Græco vertitur κατανοῆσαι [*ad conſiderandum.*] Nimirum ſenſuum internorum & externorum vocabula inter ſe commutari ſolent.

33. Λῦσον τὸ ὑπόδημα, *Solve calceamentum*] Vide quæ ad hunc Exodi locum attulimus.

34. Ἰδὼν εἶδον τὴν κάκωσιν τοῦ λαοῦ μου τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ, *Videns vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto*] Eadem verba ſunt in Græco Lxx *Videns vidi*, id eſt, penitus pervidi. ¶ Καὶ τοῦ στεναγμοῦ αὐτῶν ἤκουσα, *& gemitum eorum audivi*] In verſione Lxx eſt τῆς κραυγῆς [*clamorem.*] צעקה plerumque κραυγὴ [*clamor*] vertitur: at Jobi 27. 9. δέησις [*precatio.*] ¶ Καὶ κατέβην ἐξελέσθαι αὐτούς *& deſcendi liberare eos*] Hoc quoque ex verſione Lxx Senum. Dicitur Deus *deſcendere*, ubi aut protegit ſuos, aut hoſtes ulciſcitur; *adſcendere*, ubi id facere deſinit. ¶ Καὶ νῦν δεῦρο, *& nunc veni*] Sic quoque eſt in Græco Lxx in Hebræo לכה, id eſt, *adesdum.*

35. Ὃν ἠρνήσαντο, *quem negaverunt*] *Quem noluerunt agnoſcere.* Vide ſupra 3. 13. ¶ Καὶ λυτρωτήν, *& redemptorem*] גאל hac voce verti ſolet uſurpaturque & de hominibus & de Deo, etiam cùm nullo pretio accepto aliquem liberat, ut videre eſt Pſal. 19. 14. & 78. 35. Nec durior erit metaphora, ſi Latinè *redemptorem*, hoc ſenſu dicas, quàm ſi Græcè λυτρωτήν, quod venit ἀπὸ τοῦ λύτρου [*à pretio.*] Nimirum ad tranſlationis elegantiam ſufficit par effectus. ¶ Ἐν χειρὶ ἀγγέλου, *cum manu angeli*] Hoc referendum eſt ad ἀπέσταλκε [*miſit.*] *Mandata ei per Angelum dedit.*

36. Οὗτος ἐξήγαγεν αὐτοὺς, *Hic eduxit illos*] Latè prædicat & beneficia quæ Moſes populo præſtitit, & honores quos à Deo accepit; ut eò turpior ſit populi in ipſum contumacia, minusque mirum, ſi talibus orti parentibus in Jeſum ingrati & immanes fuerint.

37. Ὁ εἰπὼν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ· Προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει Κύριος, *qui dixit filiis Iſrael: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus*] Ille vobis Jeſum commendavit, verbis ad Prophetas quidem alios aliquatenus, ſed ad Jeſum eximiè pertinentibus. Vide quæ ad locum Deuteronomii dicta, & quæ ſupra 3. 22.

32. Οὗτός ἐστιν ὁ γενόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν τῇ ἐρήμῳ, *Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine*] Qui in omni iſto perdifficili itinere adfuit populo Iſraelitico, qui קהל Hebraicè, Græcè ἐκκλησία [*Eccleſia.*] ¶ Μετὰ τοῦ ἀγγέλου τοῦ λαλοῦντος αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ, *cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina*] Nempe Dei nomine & mandato ſpeciali. Vide quæ diximus ad initium Decalogi. ¶ Ὃς ἐδέξατο λόγια ζῶντα, *qui accepit verba vitæ*] Reſpicitur locus Deuter. 32. 47. ubi Lex dicitur eſſe *vita*, id eſt, cauſa vitæ felicis, quæ eximiè vita Hebræis. Hic ζῶντα [*viva*] eſt ζωοποιοῦντα [*vivifica:*] ſicut βασιλεύειν [*regnare*] *facere regnare.* Frequens hoc Helleniſtis.

39. Καὶ ἐστράφησαν ταῖς καρδίαις αὐτῶν εἰς Αἴγυπτον, *& averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum*] Rediére ad mores quos in Ægypto didicerant.

40. Ποίησον ἡμῖν θεοὺς, *Fac nobis deos*] Ægyptii, ut ex Jamblicho & aliis diſcimus, ſtatuebant deorum gradus; &

per

per minores deos etiam majores attrahi in simulacra: ideo pluralis ponitur hic & in Exodo. ¶ Οἳ προπορεύσονται ἡμῶν *qui praecedant nos*] *Qui nobis iter monstrent ac prosperent.* ¶ Ὁ γὰρ Μωσῆς οὗτος ὃς ἐξήγαγεν ἡμᾶς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, οὐκ οἴδαμεν τί γέγονεν αὐτῷ. *Moses enim hic qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei*] Est Hebraica locutio, pro τῷ γὰρ Μωσῇ τούτῳ οὐκ οἴδαμεν τί γέγονε [*Mosi enim huic nescimus quid contigit.*] Sic & in versione LXX. sed ibi amplius est Μωσῆς οὗτος ὁ ἄνθρωπος [*homo ille Moses,*] & in Hebraeo זה משה האיש [*vir ille Moses:*] quasi dicerent, *Mortalem Ducem nolumus, immortalem volumus.*

41. Ἐμοσχοποίησαν, *vitulum fecerunt*] Hanc vocem Lucas confinxit ad exemplum multarum quas ad eum modum finxere LXX. Respondet Hebraeis duabus עשו עגל [*fecerunt vitulum.*] Fecere autem juvencum ad imitationem Ægyptiorum, apud quos *Apidis* cultus valde est vetus. Vide Tacitum historiarum 5. & Herodotum libro 2. Τῷ εἰδώλῳ, *simulacro*] *Isti juvenco fusili*, tanquam in quem deducti essent Divini spiritus. ¶ Καὶ εὐφραίνοντο ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν. *& laetabantur in operibus manuum suarum*] Laeti saltarunt ejus rei causâ ויקמו לצחק, ἀνέστησαν παίζειν [*surrexerunt ludere*] Exod. 32. 7.

42. Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς, *Convertit autem Deus*] *Aversans eos.* Sic Virgilius dixit,

——— *Aversa deae mens.*

& est verbum activum pro reciproco. ¶ Παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ· *tradidit eos servire militiae caeli*] Permisit eos ab uno malo cultu in alterum delabi: nec uni aut alteri sed plurimis diis se prosternere. Hoc autem non est referendum ad illud tempus in deserto, sed ad tempora posteriora. Nam, ut jam videbimus, propter haec peccata frequentia & diuturna traditi sunt in manus Chaldaeorum. Vide 2 Regum 17. 16. & 21. 3. & 23. 5. ¶ Μὴ σφάγια, *Numquid victimas*] Verba sunt ex LXX quae ad Amosum sic interpretati sumus, *Nonne in deserto quotidie mihi sacra obtulistis, & tamen vos aversatus sum, propter contumaciam? quantò magis nunc, cùm ad contumaciam adjeceritis hos novos cultus novorum deorum?* ¶ Καὶ θυσίας, *& hostias*] מנחה [*oblationes.*] Vide quae dicta ad Marci 9. 49.

43. Ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, *suscepistis tabernaculum Moloch*] Σκηνὴν [*tabernaculum*] ad Amosum diximus esse ναΐσκον [*formulam templi*] in quo sedebat imago Regis quondam Ammonitarum, ex quo nomine Ammonitae *Saturni stellam* nominabant. ¶ Καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν, *& sidus Dei vestri Remphan*] Sic habent multi codices. Et lectio videtur restituenda etiam in libris LXX. Nam Ῥεμφὰν [*Remphan*] est רמן *Ramuan*, Syriaca pronuntiatione, pro quo Masoritae legunt רמון Ῥεμμὼν [*Rimmon*] 2 Reg. 5. 18. Sic *Saturnum* vocabant Syri, colebantque non in forma Regis, sed in forma stellae. Nomen inde sumptum, quod ea stella sit *altissimo orbe*, ut Tacitus loquitur. In Hebraeo est כיון [*Kiun*] quod eandem *Saturni stellam* significat, sed Arabibus: res eadem. ¶ Καὶ, *&*] id est, *propterea.* ¶ Μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος. *transferam vos trans Babylonem*] In Amosi Hebraeo & Graeco, ἐπέκεινα Δαμασκοῦ [*trans Damascum;*] Sed sensus bene expressus est: minus enim dixit Amosus, plus significavit. Assyria & Media quae ultra Babylonem sunt, multò magis sunt ultra Damascum. Sic Esaïae 10. 9. ubi in Hebraeo est, כרכמיש [*Carchemisch*], LXX vertunt, ἐπάνω Βαβυλῶνος [*ultra Babylonem*].

44. Ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου, *Tabernaculum testimonii*] Redit ad alteram partem argumenti sui, quod est de loco cultûs: & ostendit eum variasse. Eodem argumento pugnat Jerem. 7. 12. ¶ Κατὰ τὸν τύπον, *secundum formam*] Sic in versione LXX, Exodi 25. 40. ubi in Hebraeo תבניתם [*exemplar.*]

45. Διαδεξάμενοι, *suscipientes*] Acceptam ab iis qui cum Mose vixerant. ¶ Ἐν τῇ κατασχέσει τῶν ἐθνῶν, *in possessionem Gentium*] Frequens Hellenistis permutare ἐν [*in* cum ablativo] & εἰς [*in* cum accusativo,] quia Hebraei pro utraque, ב [*Beth*] literam ponunt. κατάσχεσις ἐθνῶν [*possessio Gentium*] est *terra à Gentibus possessa.* Sic vox κατασχέσεως [*possessionis*] plerumque sumitur, respondens Hebraeo אחזה. ¶ Ὧν ἐξῶσεν ὁ Θεὸς, *quas expulit Deus*] הוריש [*possessione expulit,*] ut Exodi 34. 24. Num. 21. 32. Deuter. 11. 23. ubi in Graeco ἐκβάλλειν [*ejicere.*] ¶ Ἀπὸ προσώπου τῶν πατέρων ἡμῶν, *à facie Patrum nostrorum*] *Ad eorum adventum.* Est hoc loquendi genus Deut. 2. 21, 22. & alibi saepe. Imitati sunt hanc locutionem ii qui inscriptionem eam fecere, quam in Africa vidit Procopius, Ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ [*Nos sumus illi qui adventum Jesu latronis, filii Nun, fugimus.*]

46. Ὃς εὗρε χάριν, *qui invenit gratiam*] מצא [*consecutus est.*] Vide Lucae 1. 30. ¶ Ἠτήσατο εὑρεῖν σκήνωμα τῷ Θεῷ Ἰακώβ. *petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob*] *Permanentem sedem.* Illud εὑρεῖν [*invenire,*] est sumptum ex Psalmo 132. 5. ἠτήσατο, שאל, id est, *desideraverit.* Sic שאל per ἐπιθυμεῖν [*desiderare*] vertitur Deuter. 14. 26. σκήνωμα, Hebraeis משכן est *qualibet habitatio.*

48. Ἀλλ' οὐχ ὁ ὕψιστος ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ, *Sed non Excelsus in manufactis templis habitat*] Depromptum ex Solomonis verbis, 1 Regum 8. 27. ubi κατοικήσει, in Hebraeo ישב, significat *contineri poterit.* Euripides,

Ποῖος δ' ἂν οἶκος τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο
Δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς;
[*Quae posset aedes structa fabrili manu*
Tenere vim parietibus inclusam Dei?]

Zeno citante Clemente Alexandrino & Origine, Ἱερά τε οἰκοδομεῖν οὐδὲν δεήσει· ἱερὸν γὰρ μὴ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οὐδὲν χρὴ νομίζειν· οὐδὲν δὲ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οἰκοδόμων ἔργον καὶ βαναύσων [*Nec aedes sacras exstruere attinebit. Nec enim quicquam sacrum esse putandum est quod non idem & magni pretii & sanctum sit. Sanctum porro magnive pretii nihil est quod quidem à fabris atque operariis factum sit.*] Habes ναὸν χειροποίητον [*templum manufactum*] etiam Marci 14. 58. & ἐν χειροποιήτοις ναοῖς [*in manufactis templis*] infra 17. 24. Manuscriptus tamen quem dixi, vocem ναοῖς [*templis*] hic non habet. Origenes contra Celsum 3. 7, 8. pari loco ponit *simulacra* & *templa*: dicitque ea primùm dicata daemonibus, qui aut carminibus inducti, aut per se locis quibusdam assueti, ob nidores iis adhaeresceret. Sic & Caecilius de Christianis, *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?* & agnoscit M. Octavius, *Templum quod ei exstruam, cùm totus hic Mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit?* & Arnobius *templorum constructionibus Deum à Christianis honorari* negat. Apparet eos Christianorum conventuum loca *templa* dici noluisse; quod *templum Christianis* sit corpus purum, *altare* animus sanctus, *simulacra* verò omnis generis virtutes. Sensit Origenes Deum, cùm Templum sibi fieri permisit à Solomone, pari id fecisse proposito, quo & Altare & Victimas indulsit, nempe ut se populi ingenio aptaret ac eos ritus sibi vindicaret, quos alioqui populus falsis diis erat impensurus. Loca Origenes ea de re digna sunt lectu, & ab his quae hic dicit Stephanus, non aliena. Imperatores etiam Christiani *templorum* non usurpant ubi de paganis agitur, ut C. de paganis, sacrificiis & templis, non ubi de Christianis. Sic & Zeno Veronensis, *Quò tibi Ecclesia, si aedificanda sint templa?* Hieronymus adversùs Vigilantium, *Basilicas aut destrueret aut in templa converteret.* Vocabant ergo Christiani suorum conventuum loca, modò *Ecclesias* κατὰ συνεκδοχὴν [*per Complexionem,*] modò *basilicas*, & eodem sensu *domos Dei*: *Templi* autem appellatione destinatò abstinebant. ¶ Καθὼς ὁ Προφήτης λέγει· *sicut Propheta dicit*] Esaïas 66. 1.

49. Ὁ οὐρανός μοι θρόνος, *Caelum mihi sedes est*] Ex LXX. ¶ Ἢ τίς τόπος τῆς καταπαύσεώς μου; οὐχὶ ἡ χείρ μου ἐποίησε ταῦτα πάντα; *aut quis locus requietionis meae est? Nonne manus mea fecit haec omnia?*] In LXX verbis paulùm diversis, Καὶ ποῖος τόπος τῆς καταπαύσεώς μου; πάντα γὰρ ταῦτα ἐποίησεν ἡ χείρ μου [*Et qualis locus requietionis meae? haec enim omnia fecit manus mea*]

51. Σκληροτράχηλοι, *Dura cervice*] Hoc elogium Hebraeis datur, Exodi 33. 3. & 34. 9. Deuter. 9. 6, 13. Nehem. 9. 16. Adde Bar. 2. 30. ¶ Καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ, *& incircumcisis cordibus*] Cor habentes plenum vitiosis affectibus. Levit. 26. 41. Jerem. 9. 26. ¶ Καὶ τοῖς ὠσὶν, *& auribus*] Quibus pruriunt aures ad ea audiendia quae vitiis favent. Jerem. 6. 10. ¶ Ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε, *semper Spiritui Sancto resistitis*] Id est, *Dei monitis per Prophetas transversos vos opponitis*, ut qui iter impediunt: quod est הלך קרי, πορεύεσθαι πλάγιον [*ambulare ex adverso alicui*, Levit. 26. 21, 23, 24, 40, 41. ¶ Καὶ ὑμεῖς. *& vos*] Est hic geminatio vocis ὑμεῖς [*vos,*] quales multae apud Hebraeos.

52. Τίνα τῶν προφητῶν οὐκ ἐδίωξαν οἱ πατέρες ὑμῶν; *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri?*] Matth. 5. 12. & 21. 35. & 23. 31. 37. Lucae 13. 34. ¶ Τοῦ δικαίου, *justi*] Jesu, cui eximiè hoc nomen competit. Vide supra 3. 14. ¶ Οὗ νῦν ὑμεῖς προδόται καὶ φονεῖς γεγένησθε· *cujus vos nunc proditores & homicidae fuistis*] Vestrûm fuerat eum tueri, quia Prophetae vestrae tutelae commissi sunt: contra verò nihil omisistis, quo ejus mors procurari posset. Vide supra 3. 13.

53. Εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *in dispositione Angelorum*] Εἰς

[*In*]

[*In*] pro *inter*. Ostendit quàm magnificè data sit Lex inter multas Angelorum turmas. Respicitur enim locus Deuter. 33. 2. διατάσσειν [*disponere*] vox est militaris, ut patet Judicum 3. 23. in Græco: 1 Maccab. 6 35. 2 Maccab 13. 20.

54 *Διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν, dissecabantur cordibus suis*] Vide supra 5. 33. ¶ *Καὶ ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας ἐπ' αὐτόν & stridebant dentibus in eum*] חרקו שנימו [*frenduerunt dentibus suis*,] Psalm. 35. 16. & 37. 12. & 112. 10. Thren. 2. 16. Gestus vehementer irascentium.

55. *Δόξαν Θεοῦ, gloriam Dei*] Fulgorem quendam quo Dei Majestas repræsentabatur. Vide Exodi 24. 17. & 33. 18, 22. Ezech. 2. 1.

56. *Καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, & Filium hominis*] Vide quæ diximus ad Matth. 8. 20 ¶ *Ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ Θεοῦ· stantem à dextris Dei*] *Non sedentem*, quomodo alibi describitur ad ostendendam regiam dignitatem, sed *stantem*, quasi paratum in opem suorum. Nam & *auxiliatores* Græcis παραστάται [*adstites*,] & עמד [*stare*] apud Hebræos sæpe eum habet sensum.

57. *Κράξαντες δὲ φωνῇ μεγάλῃ, Exclamantes autem voce magna*] Hæc intellige non de Senatoribus, sed de adstante plebe. Facta enim hæc omnia per seditionem, quam comitari solet clamor. ¶ *Συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν, continuerunt aures suas*] ¶ *Συνέσχον* [*continuerunt*.] id est, ἔφραξαν [*obturaverunt*,] אטמו [*retraxerunt*.] ¶ *Καὶ ὥρμησαν ὁμοθυμαδὸν ἐπ' αὐτόν. & impetum fecerunt unanimiter in eum*] Quasi ex judicio zeli, quod stante Republica usurpare solebant, sed tantùm in eos qui Judæis auctores essent ad falsos cultus. Solebant autem tales lapidari Deuter. 13. 6. Vide quæ diximus ad eum locum & de Jure belli 2. cap. 20. § 9. Exempla habes aliquot in Maccabaicis & infra 23. 13. Meminit ejus juris Josephus Albo. Philo de Monarchia, *Καὶ ἐπιτετράφθαι δὲ καλὸν ἅπασι τοῖς ζῆλον ἔχουσιν ἀρετῆς, ἐκ χειρὸς ἀναπράττειν ἀνυπερθέτως τὰς τιμωρίας, μήτ' εἰς δικαστήριον, μήτ' εἰς βουλευτήριον, μήτε συνόλως ἐπ' ἀρχὴν ἄγοντας, ἀλλὰ τῷ παραστάντι μισοπονήρῳ πάθει καὶ φιλοθέῳ καταχρῆσθαι πρὸς τὰς τῶν ἀσεβῶν ἀπαραιτήτους κολάσεις, νομίσαντας αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ καιροῦ τὰ πάντα γεγενῆσθαι, βουλευτὰς, δικαστὰς, στρατηγοὺς, ἐκκλησιαστὰς, κατηγόρους, μάρτυρας, νόμους, δῆμον, ἵνα μηδενὸς ὄντος ἐμποδὼν, ἄφοβοι σὺν ἐξουσίᾳ πολλῇ προαγωνίζωνται ὁσιότητος* [*Est vero hoc quoque præclarum, omnibus qui virtutem ardentiore studio prosequuntur, licere, statim nulla injecta mora pœnas sumere, non in jus, non ad Senatum non ad magistratum ullum ducto reo: sed affectui, quem & erga Deum amor & vitiorum odium excitat, in hoc indulgere, ne supplicia evadant impii: sibi denique, si quando acciderit ut ita necesse sit, omnia delata putare, se senatum, se judices, se duces, concionem, accusatores, testes, legem, populum denique existimare, ne quid impediat quominus intrepide ac frequentes pro pietate decertent*]. Solebant autem Sacerdotes, etiam cùm sub Romanis essent, ad talia connivere: Vide Josephum 15. 8. qui & alibi hujus moris meminit. Verùm duplici modi hic peccabant isti homines: primùm in Legem, quæ etiam liberâ Republicâ judicium illud populare exerceri noluit, nisi in auctores idololatriæ, qualis non erat Stephanus; deinde in Romanos, qui ipsis ademerant jus omne capitalium suppliciorum. Atque istorum hominum, quos ζηλωτὰς [*Zelotas*] Josephus vocat, crescens in dies audacia tandem & iram excitavit Romanorum, & urbi temploque exitium attulit.

58. *Καὶ οἱ μάρτυρες, & testes*] Quanquam per seditionem hæc, ut diximus, agebantur, tamen aliquid de legitimo more retinebant. Testium enim erat primos jacere lapides, ac sic semet, si quid falsi subesset, sontes facere cædis; populum verò, qui ipsorum auctoritatem sequebatur, absolvere. Vide Deuter. 17. & Mosem de Kotzi præcepto jubente 99. ¶ *Ἀπέθεντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν, deposuerunt vestimenta sua*] Nempe quò expeditiores essent. Ingentia enim saxa jaci à testibus solebant. ¶ *Καλουμένου Σαύλου, qui vocabatur Saulus*] Qui tum scholam Gamalielis frequentare studiorum causâ solebat, Actor. 22. 3. Sed æstu abreptus, à lenitate Magistri ad atrociora multorum exemplis patiebatur se trahi, Philipp. 3. 6.

59. *Ἐπικαλούμενον, invocantem*] Nempe τὸν Ἰησοῦν, [*Jesum*,] quod ex sequentibus hîc subintelligitur. ¶ *Καὶ λέγοντα, Κύριε Ἰησοῦ, & dicentem, domine Jesu*] Non dubium est quin *Jesu* hic sit vocativus; quomodo Apocalypsi 22. 20. *Δέξαι τὸ πνεῦμά μου, suscipe spiritum meum*] Magistrum discipulus imitatur, Lucæ 23. 46.

60. *Θεὶς δὲ τὰ γόνατα, Positis autem genibus*] Ut solebat fieri in precibus intensioribus, maximè in periculis. ¶ *Μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην. ne statuas illis hoc peccatum*] Et hoc Domini exemplo, Lucæ 23. 34. Μὴ στήσῃς, ad verbum, *ne appendas*. Sic Esdræ 8. 25, 33. Job. 28. 15. Jerem. 32. 9, 10. Zachar. 11. 12. Est verbum hoc *ἱστάναι* [*statuere*] pro Hebræo שקל quod 1 Reg. 20. 39. vertitur *τίειν* [*pendere*, Exodi 22. 17. *ἀποτίειν* [*reddere*] Esaiæ 55. 2. *τιμᾶσθαι* [*appendere*] Olim pecuniæ erant æs grave, quod pendi & sic solvi solebat. Inde σταθμὸς Græcis, Romanis *libripens*, *impendia*, *expensa*, *pendere pensiones*, & similia. Quia autem in rationibus æquandis, quod alteri imputo id non minùs me liberat quàm si penderem, id est, solverem, hinc factum est ut ἵστασθαι sit *imputare*. Et propter similitudinem quam crimina cum debitis pecuniariis habent, (qua de re egimus libro 2 de Jure Belli ac Pacis cap. 20. § 2.) sicut *solvere* dicitur *pœnas* qui eas patitur, ità *imputare* qui eas exigere vult, *non imputare* qui exigere non vult. Hic autem, *ne impendas* aut *imputes*, hoc valet, Ne tanti hoc crimen facias, ut viam illis ad conversionem obstruas, quemadmodum & in dicto Christi, de quo ad Lucæ locum modò à nobis indicatum, egimus. ¶ *Ἐκοιμήθη obdormivit*] Hebræorum est שכב [*dormire*] dicere pro *mori*, ut Esaiæ 14. 1. ubi in Hebræo שכבת [*dormisti*,] in Græco *κεκοίμησαι* [*obdormivisti*] Sic & Matth 27. 52. Joh. 11. 11. infra 13. 36. 1 Corinth. 7. 39 & 11. 30. & 15. 6, 18, 20, 51. 1 Thessal. 4. 13, 14, 15. 2 Petri 3. 4. Vide quæ diximus ad Matth. 9. 24.

P R I C Æ U S.

Com. 1. *Εἶπε δὲ ὁ ἀρχιερεύς, εἰ ἄρα ταῦτα οὕτως ἔχει;*] Cicero Academ. 1. *Sunt, inquam, ista, Varro? Estne hoc quod dico?*

Com. 3. *Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου*, &c. *καὶ δεῦρο εἰς γῆν ἣν ἄν σοι δείξω*] In fragmentis Petronii,

> *Linque tuas sedes, alienáque litora quære,*
> *O juvenis, major rerum tibi nascitur ordo.*

Com. 5. *Οὐδὲ βῆμα ποδός*] Locutio proverbialis, quâ nec tantulum, vel pondus nihil significari solet, Gen. 8. 9. Deut. 2. 5. Agapetus cap. 16. *Καὶ οἱ μὲν (πλούσιοι) κατέχουσι τοῦ κόσμου τὰ πέρατα, οἱ δὲ (πένητες) οὐκ ἔχουσί που στῆσαι τὰ βήματα.* Cicero in Philippicis, *Vestigium ubi imprimam non habeo.* Ibidem, *Quid erat in terris ubi in tuo pedem poneres?* Idem ad Atticum 13. 2. *Quomodo nunc est, pedem ubi ponat in suo, non habet.*

Com. 6. *Ζηλώσαντες*, &c] Invidiâ efferati. Sic de Christo (cujus ille typus) contra Demetrianum Cyprianus, *Accensi irâ & indignatione, Pilato tradiderunt.* Vide ad Matth. 27. 18. notata.

Ibid. *Καὶ ἦν ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ, καὶ ἐξείλετο αὐτὸν ἐκ πασῶν τῶν θλίψεων αὐτοῦ*] His planè similia habet Paulus 2. 4. 17. ad Timotheum. *Καὶ* hic, ut sæpe, valet *& tamen*.

Com. 19. *Κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν*] Obliquis artibus & consiliis exstinctionem generis moliebatur nostri, *φορτία δυσβάστακτα* imponendo nobis, imò graviora quam quæ ferre potes eramus, ut sic sine vi aperta ad perniciem redigeremur. Ità περιφραστικῶς illud *κατασοφίζεσθαι* exposuerim. Suidas, *Κατασοφισόμεθα, τεχνασόμεθα, μηχανῇ τινι κακώσομεν.* Ezechiel Tragicus apud Clement. Alexandr.

> *Ἄλλως καθ' ἡμῶν πολλὰ ἐμηχανήσατο*
> *Βασιλεὺς Φαραώ.* ——

Philo in hac eadem historia, de eodem, *Τὴν ἰσχὺν αὐτῶν ἀφαιρεῖν ἐπινοίαις ἀνοσιουργοῖς ἐμηχανᾶτο.* Terent. Heautont.

> *Hujusmodi mihi res semper comminiscere*
> *Ubi me excarnifices.* ——

Apuleius lib. 7. *Nec quidquam videbatur aliud excogitare puer ille nequissimus quàm ut me quoquo modo perditum iret.* Sic Venus Psychen (puellam simplicem) apud Eundem *κατασοφίζεται*, dum hoc, tum illud, rursus aliud præcipit ei, quæ pleraque adeò immania jussa erant ut mortem minitarentur.

Ibid. *Ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν*] Beza, *male accepit patres nostros*: at cur Vetus (qui *afflixit*) respuendus? Hieronymus ad Amandum, *Κακία apud Græcos duo significat, & malitiam, & afflictionem.* Onomast. Vet. *Affligo*, *ταλαιπωρέω*, *κακόω*.

Ibid. *Τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι*] Glossarium, *Ἐκτιθέμενον βρέφος, Expositum.* Suidas, *Ἐκτιθέναι τὰ βρέφη, ἀντὶ τοῦ, εἰς βορὰν, θηρίοις, ἢ καὶ ἄλλως ἐκ*-

διαφθορὰν παρατιθέναι ἐπ' ἐρημίαις. Vide & Heliodori locum paulò infra adductum. Ἐκάκωσε τ. π. η τ. π. α. locutio est Hellenistica. 1 Reg. 17. 20. Σὺ ἐκάκωσας τοῦ θανατῶσαι τὸν υἱὸν αὐτῆς pro ὥστε θανατῶσαι. Vide Rom. 7. 3. 1 Cor. 10. 13. Hebr. 11. 5. εἰς τὸ μὴ heic, ut & 2 Thess. 2. 2.

Com. 20. Καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ] Est quidem Græcis ἀστεῖος, πιθανὸς καὶ χαρίεις, ἡ καθόλου ἐν πολιτικῇ ὁμιλίᾳ ἐπιδέξιος ait Ammonius. Hinc ἀστείους & χαρίεντας Plutarchus junxit. Ejusmodi *urbanas animas* Apuleius dixit, ni fallor, Græcum ἀστεῖον exprimere volens. Unde putet quis non de specie Stephanum, sed de moribus loqui. Sed rectiùs, me judice, referas ad formæ elegantiam ejus. Glossarium, *Elegans*, ἀστεῖος, &c. Suidas, Οὐδεὶς ἦν ἀφιλότιμος οὕτως ὡς Μωϋσῆν θεασάμενος μὴ ἐκπλαγῆναι τῆς εὐμορφίας. Quæ tamen propriè huc non spectant, ut de Mose adulto dicta: cùm hic, ob sequentia ea, ἀνετράφη & ἐπαιδεύθη, intelligenda sit venustas oris quæ vel in recèns nato eminebat. Philo in Ejusdem vita de eodem, Γεννηθεὶς εὐθὺς, ὄψιν ἐνέφηνεν ἢ κατ' ἰδιώτην ἀστειοτέραν Idem, sed figuratè, in De ling. confus. Ἀστεῖος ἀπὸ γενέσεως ἀρχῆς φυτευθεὶς καὶ προσαγορευθεὶς τρόπος, ὄνομα Μωϋσῆς, &c. Quid τῷ Θεῷ hic velit jam dudum docuerunt eruditi, à quibus longiùs hoc quidem loco puto Camerarium discessisse.

Ibid. Ὃς ἀνετράφη] Pronomen hoc habet vim copulæ, ut suprà 5. 36. infra 13. 31. Luc. 8. 13. 1 Cor. 2. 16. & alibi.

Com. 21. Ἀνείλετο αὐτὸν ἡ θυγάτηρ Φαραὼ] Heliodorus (qui & vocem ἀναιρεῖσθαι posuit) Ταύτην ὦ φίλη ἡ μὲν τεκοῦσα ἐν σπαργάνοις ἐξέθετο, τύχης ἀμφιβολίᾳ τὰ κατ' αὐτὴν ἐπιτρέψασα, ἐγὼ δὲ προστυχὼν ἀνειλόμην.

Ibid. Καὶ ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ εἰς υἱὸν] Apud Plautum ille,

—— Educavi magnâ industriâ,
Quasi esset ex me nata, non multò secus.

Longus de Cloë exposita & à pastore ad uxorem allata, Παραινεῖ λέγεται θυγάτριον νομίζειν, λανθάνειν ὡς ἴδιον τρέφειν. Plutarchus in Parallelis, Ἀναλαβὼν τοὺς παῖδας, ὡς ἰδίους ἔθρεψεν. Simplicius cap. 46. de Epicteto, Γυναῖκα προσελάβετο παιδὸς τροφὸν, ὅπερ ἐκτίθεσθαι μέλλον ὑπό τινος, &c. αὐτὸς λαβὼν ἀνεθρέψατο.

Com. 22. Καὶ ἐπαιδεύθη Μωϋσῆς ἐν πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων] *Quod genus hominum constat & in reperiendis artibus solertes exstitisse, & in cognitione rerum indaganda sagaces.* Sunt verba 11. ult. A. Gellii. Lucianus Philopseude, Θαυμάσιος τὴν σοφίαν, καὶ τὴν παιδείαν πᾶσαν τῶν Αἰγυπτίων εἰδώς. Apuleius 11. *Priscâque doctrinâ pollentes Ægyptii.* Idem 1. Florid. *Ægyptios eruditos, & Judæos superstitiosos.* De Mose nostro Philo in Ejusdem vita, Ἀριθμοὺς καὶ Γεωμετρίαν, τήν τε ῥυθμικὴν, καὶ ἁρμονικὴν, καὶ μετρικὴν θεωρίαν, καὶ Μουσικὴν τὴν σύμπασαν, διά τε χρήσεως ὀργάνων, καὶ λόγων τῶν ἐν ταῖς τέχναις καὶ διεξόδοις τοπικωτέραις Αἰγύπτιοι οἱ λόγιοι παρέδοσαν, καὶ πρὸς ἔτι καὶ διὰ τῶν συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις γράμμασιν ἐπιδείκνυντο, &c. Nec his tantùm, sed & aliarum gentium scientiis locupletatus. Τὴν δὲ ἄλλην ἐγκύκλιον παιδείαν Ἕλληνες ἐδίδασκον, οἱ δ' ἐκ τῶν πλησιοχώρων τά τε Ἀσσύρια γράμματα καὶ τὴν τῶν οὐρανίων ἐπιστήμην, Philo ibidem.

Ibid. Ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις,] Id est, ἀνὴρ τὰ πάντα μέγιστος καὶ τελειότατος, ut Philo jam dicto loco. Luc. 24. 19. Ἀνὴρ προφήτης, δυνατὸς ἐν λόγῳ καὶ ἐν ἔργῳ. Apuleius de Pythagora, *Vir ingenio ingenti, & profectò supra captum hominis animi augustior.* Diodorus Siculus de Alcibiade, Ἦν γὰρ καὶ λόγῳ δυνατώτατος.

Com. 23. Ἐπισκέψασθαι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ] Sic 15. 36. ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν] Glossarium, Ἐπισκέπτομαι, *reviso.*

Com. 24. Καὶ ἰδών τινα ἀδικούμενον, ἠμύνατο] Artemidorus 2. 42. de Hercule, Τοῖς ἀδικουμένοις ἐπήμυνε.

Ibid. Ἰδών τινα ἀδικούμενον, ἠμύνατο] Servius ad Æneid. 8. *Ad curam viri fortis & boni pertinet, ne quid injuriosi fiat alicui homini.*

Ibid. Ἐποίησεν ἐκδίκησιν τῷ καταπονουμένῳ] Vulgatus, *fecit ultionem ei qui injuriam sustinebat*: ubi *ei* est, *in gratiam ejus.* Sic idem Luc. 15. 30. *Occidisti ei vitulum.* Utroque loco Latinè & eruditè. Virgilius,

——tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager——

Servius, *In honorem tuum exsultat.*

Ibid. Πατάξας τὸν Αἰγύπτιον] Satis eruditè vertitur *percusso*. Sic Latinis sed sensu sequiore] *Percussores*, σφάκται, ut in Glossario.

Com. 25. Ἐνόμιζε δὲ συνιέναι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, ὅτι ὁ Θεὸς διὰ χειρὸς αὐτοῦ δίδωσιν αὐτοῖς σωτηρίαν· οἱ δὲ οὐ συνῆκαν] Aristophanes Pace, Ὦ μέλεοι θνητοὶ καὶ νήπιοι &c. uno interjecto versiculo,

Οἵ τινες ἀφραδίῃσι θεῶν νόον οὐκ ἀΐοντες.

Ubi Scholia, Οὐ νοοῦντες, ἢ τινες διὰ τὴν ἀβελτηρίαν τὴν ἑαυτῶν τῆς τῶν θεῶν οὐ συνίενται προνοίας.

Com. 26. Τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ] Onom. vet. *Crastinus*, ὁ ἐπιών.

Ibid. Ἀδελφοί ἐστε ὑμεῖς. ἵνα τί ἀδικεῖτε ἀλλήλους; Fabianus Papyrius in Senecæ Controversiis, *Quæ tanta vos fert ira, cum una stirps idemque sanguis sitis!* ubi meliùs *effert ira* legas. Lucilius,

———— Atque odio illius efferor irâ.

Potest ferri tamen & *fert ira*: l. abripit. Nota & in Contextu, ἀδελφοί ἐστε. Simplicius in cap. 37. Epicteti, Εἰ κοινὴ μήτηρ ἡ πόλις, μητρὶς οὖσα καὶ πατρὶς, δῆλον ὅτι κατὰ τοῦτο ἀδελφοί τινες εἰσὶν οἱ πολῖται.

Com. 27. Τίς σε κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστὴν ἐφ' ἡμᾶς;] Sic Genes. 19. ad Lothum Sodomitæ, Εἰσῆλθες παροικεῖν, μὴ καὶ κρίσιν κρίνειν; Vide & Luc. 12. 14.

Com. 28. Μὴ ἀνελεῖν με σὺ θέλεις ὃν τρόπον ἀνεῖλες χθὲς τὸν Αἰγύπτιον;] Apud Ciceronem 2 de Orat. *Mihi valedicturus es ut cæteris fecisti?*

Com. 29. Ἔφυγε δὲ Μωϋσῆς ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ] Id est, (ut suprà 5. 5. & 24) ἀκούων τοὺς λόγους τούτους vel, (ut Joh. 19. 8) ὅτι ἤκουσε τῶν λόγων τούτων quod Marc. 10. 22. ἐπὶ τῷ λόγῳ.

Com. 31. Ἐθαύμασε τὸ ὅραμα] Infrà 10. 17. διηπόρει τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα.

Com. 32. Ἔντρομος γενόμενος] Sic infrà 16. 29. pro quo 24. 25. ἔμφοβος. Scriptor ad Hebræos 12. 21. in hac eadem re utrumque junxit.

Com. 38. Λόγια ζῶντα] ζωῆς ῥήματα Joh 6. 68. Et sic hoc loco Latinus, qui, *verba vitæ.* Servius ad Æneid. 4. de Agathyrsis, *Colentes Apollinem Hyperboreum, cujus λόγια, id est, responsa, feruntur.* Aristophanes Equit.

—— Ἀλλὰ μὴ τυρὸς
Ἄ σοι δίδωσ' ἐν τοῖς λογίοισιν οἱ θεοί.

Onom. Vet. *Eloquium*, Λόγιον. Gloss. Λόγιον, ὁ χρησμὸς, *oraculum.*

Com. 42. Ἔστρεψεν δὲ ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς, &c.] Similia Rom. 1. 23, & 24 vide, ubi & Com. 28 παρέδωκεν habes.

Com. 48. Ἀλλ' οὐχ ὁ ὕψιστος ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ] Dicemus infrà ad 17. 24.

Com. 49. Ὁ οὐρανός μοι θρόνος, ἡ δὲ γῆ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν μου] Psal. 10. 5. Κύριος, ἐν οὐρανῷ ὁ θρόνος αὐτοῦ. Orpheus,

Αὐτὸς δ' ἂν μέγαν αὖθις ἐπ' οὐρανὸν ἐστήρικται,
Χρυσέῳ ἐνὶ θρόνῳ, γαίη δ' ὑπὸ ποσσὶ βέβηκε.

Com. 50. Οὐχὶ ἡ χείρ μου ἐποίησε ταῦτα πάντα] Vide Jer. 23. 24. & quæ infrà ad 17. 27. dicta.

Com. 51. Σκληροτράχηλοι καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν, ὑμεῖς ἀεὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ ἀντιπίπτετε] Sic Paulus σκληρότητα καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, Rom. 2. 5. junxit. Τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν ἀπερίτμητοι sunt de cujusmodi ad Matth. 13. 15. diximus. Ἀντιπίπτετε Vetus, *resistitis*, Recentior *obnitimini* vertebat: malè neuter. Plutarchus in περὶ πολυφιλ. Οἱ τῶν πράξεων καιροὶ καθάπερ τὰ πνεύματα τοῖς μὲν φέρουσι, (legerim συμφέρουσι) τοῖς δὲ ἀντιπίπτουσι. Est autem hic τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἀντιπίπτειν, quod Luc. 7. 30. τὴν τοῦ Θεοῦ εἰς ἑαυτοὺς βουλὴν ἀθετεῖν· Rom. 1. 28. οὐκ ἐδοκίμασαν ἐν ἐπιγνώσει ἔχειν Joh. 12. 48. ἀθετεῖν αὐτὸν, καὶ τὰ αὐτοῦ ῥήματα μὴ λαμβάνειν· infrà 13. 46. Θεοῦ λόγον ἀπωθεῖσθαι, καὶ τῆς αἰωνίου ζωῆς ἑαυτοὺς οὐκ ἀξίους κρίνεσθαι. Pythagoras apud Jamblichum τῇ θείᾳ προνοίᾳ ἀντιτείνειν dixit. Hesychius, Ἀντέπιπτεν, ἐναντιοῦτο.

Ibid. Ὡς οἱ πατέρες καὶ ὑμεῖς] Est proverbiale. Ezech. 16. 44. Καθὼς ἡ μήτηρ καὶ ἡ θυγάτηρ.

Com. 52. Καὶ ἀπέκτειναν τοὺς προκαταγγείλαντας περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ δικαίου, οὗ νῦν ὑμεῖς προδόται καὶ φονεῖς γεγένησθε] Illi servos, vos filium vineæ interfecistis. Ignatius ad Trallianos, Τῶν θεομάχων, τῶν Χριστοκτόνων, μικρὸν γὰρ εἰπεῖν προφητοκτόνων.

Com. 53. Καὶ οὐκ ἐφυλάξατε] Καὶ hîc est *&* *tamen.*

Com. 54. Ἀκούοντες δὲ ταῦτα, διεπρίοντο] *Insignis indignatio totos audientium pertentavit animos*, ut lib. 9. Apuleius locutus. Confer infrà 22. 22.

Ibid. Διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν, καὶ ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας.] Immaniter excandescentium gestus. Lucianus Dial. Meretr. Τί με ὑποβλέπεις, καὶ πρίῃ τοὺς ὀδόντας; Idem in de vita sua, Τὼ χεῖρε συνεκρότει, καὶ τοὺς ὀδόντας ἐνέπριε. Seneca 3. 4. de Ira, *Adjice dentium inter se arietatorum, & aliquem esse cupientium sonum.* Hesychius, Βεβρυχότες, θυμοφονοῦντες quo fortè loco meliùs θυμοφοροῦντες legas. Basilius Homil. 21. in divers. Scrip. loca, Ἐὰν ἴδῃς τὸν θυμούμενον τοὺς ὀδόντας παραθήγοντα, ἐνθυμήθητι ὅτι συὶ ἔοικεν ὁ τοιοῦτος, τὸν ἔνδοθεν θυμὸν διὰ τῆς τῶν ὀδόντων παρατρίψεως ὑπεκφαίνων. Apud Nonnium Accius;

—Cui si potestas detur, tua
Cupienter malis membra discerpat suis.

Seneca 1. 25. de Clement. *O quàm cuperes tibi potiùs ungues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capacem!*

Com. 56. Ἰδοὺ, θεωρῶ τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους] Apud Virgilium.

—vide medium discedere cælum.

Apoc. 4. 1. Ἰδοὺ, θύρα ἀνεῳγμένη ἐν τῷ οὐρανῷ. Infrà 10. 11. Θεωρεῖ τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον.

Ibid. Καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ Θεοῦ] *Stantem* inquiunt Viri magni, quasi in suorum opem paratum: & alii, *stantem* emphaticè, id est, paratum ad me in confessione veritatis confirmandum. Quod an hic Stephanus voluerit, ex iis quæ ad Matth. p. 37, & 38. annotavimus, qui volet, inquirat.

Com. 57. Συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν] Vehementer aversantium mos. Siracid. 27. 15. Apuleius 9. *Exhorruit Myrmex inauditum facinus, & occlusis auribus aufugit protinus.* Sic apud Philonem in de Temul. οἴχεσθαι ἑκατέρᾳ τῶν χειρῶν τὰ ὦτα προσαποτεινομένους ubi rectiùs προσαποκλειομένους legas. Theodoret. 9. Therapeut. γελᾶτε καὶ κωμῳδεῖτε, καὶ τὰς ἀκοὰς βύετε.

Ibid. Ὥρμησαν ὁμοθυμαδὸν ἐπ' αὐτὸν] Longus in Poimenicis, Ὑπ' ὀργῆς ὁρμήσαντες ἦγον τὸν Δάφνιν πάλιν, καὶ συνδεῖν ἤθελον. Infrà 18. 12. ὁμοθυμαδὸν κατεπέστησαν.

Com. 60. Μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην] Μὴ αὐτοῖς λογισθείη, ut 2 Tim. 4. 16. Arnobius 1. *Da veniam, Rex summe, tuos persequentibus famulos, (quod tuæ benignitatis est proprium) fugientibus ignosce tui nominis cultum.* Philostratus de Palamede, hoc eodem mortis genere, ut fabulantur, sublato, Σοφὸς ὢν συνεγίνωσκέ που αὐτοῖς τῆς ἀπάτης id est, *erroris*, ἀγνοίας ut suprà 3. 17. κατὰ ἄγνοιαν Petrus locutus. Plutarchus de Phocione jam statim morituro, Τῆς κύλικος αὐτῷ προσφερομένης ἐρωτηθεὶς εἴ τι λέγει πρὸς τὸν υἱόν Ἐγώ σοι (εἶπεν) ἐντέλλομαι καὶ παρακαλῶ, μηδὲν Ἀθηναίοις μνησικακεῖν.

Ibid. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἐκοιμήθη]

Ὣς ἄρα μιν εἰπόντα τέλος θανάτοιο κάλυψε.

κοιμᾶσθαι, ut passim in his libris, pro *mori*. Prudentius de sepulcris,

—Res creditur illis
Non mortua, sed data somno.

CAP. VIII.

VALLA.

7. MUlti enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ, exibant] Quinam *exibant*? homínésne? at hoc absurdum est. An *dæmonia*? at hoc non dicitur. Ergò sciamus Græcè dici, *Multorum enim habentium spiritus immundos*, πνεύματα ἀκάθαρτα βοῶντα.

9. Vir autem quidam nomine Simon fuerat in civitate, magus, seducens gentem Samariæ, dicens se aliquem magnum.

10. Cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes; Hic est virtus Dei quæ vocatur magna.

11. Attendebant autem in eum propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos.

12. Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.

13. Tunc Simon & ipse credidit: & cùm baptizatus fuisset, adhærebat Philippo: videns etiam signa & virtutes fieri, stupens admirabatur] Idem est Græcè vocabulum pro *seducens*, ἐξιστῶν, quod pro *dementasset*, ἐξεστακέναι, & pro *stupens admirabatur*, ἐξίστατο. Quomodo sibi tantum permittit Interpres ut idem verbum tam diversè transferat, præsertim uno in loco? Est autem hoc verbum unde dicta est *ecstasis*, quam qui habet, Latinè dicitur *mente captus*, qui est major quidam stupor. Qui enim mente captus est (non dico cùm de *insano* loquimur, sed qualis ille apud Quintilianum, qui ad insperatum amici subitúmque conspectum dicitur *stetisse mente captus*) is majorem in modum stupefactus est. Ergò quomodo transferendum erat apparet. Illud quoque διὰ τὸ ego transtulissem *propterea quod*, non *propter quod*, si modò est culpa interpretis, quod non opinor; ut in illo *magicis suis*, quod legendum est *magiis*, μαγείαις unde Apuleii Apologia *de Magia*. *Auscultabant* quoque & *attendebant* idem est verbum Græcè, προσεῖχον. Nec legitur Græcè *quæ vocatur magna*, sed tantùm *virtus Dei magna*, ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη. Quod si quid momenti habet articulus, non id momenti habet ut transferatur per verbum *vocatur*, quod nonnunquam contemnit Interpres; ut in hoc, *evangelizanti de regno Dei*, cùm Græcè sit *evangelizanti quæ sunt de regno Dei*, τὰ περὶ τῆς βασιλείας. Ergo per verbum substantivum transferri articulus potest, non per verbum *vocatur*.

16. *Nondum in quenquam illorum venerat*] Græcè non est *venerat*, sed *deciderat*, sive, ut ad verbum transferam, *erat delapsum*, sive *erat illapsum*, ἦν ἐπιπεπτωκός.

26. *Surge, & vade contra Meridianum*] Græcè non est *Meridianum*, sed *Meridiem*, & potiùs *versùs* quàm *contra*: ut fuerit transferendum *Meridiem versus*.

27. *Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candaces Reginæ*] Non sic intelligendum, quòd fuerit *potens eunuchus Candaces Reginæ*, sed quòd erat *eunuchus*, quòdque *potens Candaces Reginæ*. At hunc in modum barbarè dicitur aliquis *potens Reginæ*. Ergò non propriè transfert *Potens*, sed aut *Prætor*, aut *Præses*, aut *Magistratus*, aut *Præfectus*, quale est illud in Luca 1. 52. *Deposuit potentes de sedibus*, δυνάστας. Certè qui in sedibus collocantur, non tantùm potentiam sed etiam dignitatem habere significantur. Hoc ergò vocabulo tum alii quidam tum verò Cicero utitur Philippicâ 10. inquiens, *Tetrarchæ & Dynastæ.* Ob quandam Reginam Æthiopum nomine *Candacem*, de gente illa optimè meritam, ferè sic vocatas illorum Reginas quidam autores tradunt.

30. *Putásne intelligis quæ legis?*] Græcè potiùs sic est, *Numquid intelligis quæ legis?* Ἆρά γε.

31. *Qui ait, Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?*] Sic est ad verbum Græcè, *Ille autem ait, Quonam modo possim nisi quis duxerit me?* Ὁ δὲ εἶπεν, Πῶς ἂν δυναίμην, ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ με.

REVIUS in VALLAM.

13. MΑγείαις] Incommodam sedem obtinebat.

16. *Erat delapsum, sive, Erat illapsum*] Dicendum est *delapsus* & *illapsus*. *Spiritus* videlicet: neque enim est neutri generis, ut πνεῦμα.

ERASMUS.

1. IN *Ecclesia*] Ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν *in Ecclesiam*, sive *adversùs Ecclesiam.*

2. *Curaverunt autem Stephanum*] Συνεκόμισαν δὲ, *Simul autem curaverunt.* ¶ *Viri timorati*] Εὐλαβεῖς, *religiosi*, sive *pii.*

3. *Per domos intrans*] Κατ' οἴκους *domesticatim*, ut ità loquar, sive *per singulas domos*: ut ostendat ingens studium perdendi.

4. *Igitur qui dispersi erant*] Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες, *Igitur illi quidem dispersi*: jam enim dispergebantur.

5. *In civitatem Samariæ*] Videtur appositivè dictum *civitatem Samariæ*: ut *Samaria* sit nomen non regionis, sed civitatis, unde tota regio nomen est sortita. Eadem autem dicta est *Sebaste.*

7. *Multi eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant*] Quæso, quinam exibant? num ipsi homines? Nec Græca reddidit ut habent, nec ità vertit ut possit sensus percipi. Quod genus est illud quod canitur in laudibus Deiparæ Virginis, *Cujus Dominus humilitatem respiciens, An-*

gelo nunciante concepit Redemptorem mundi. Ex his verbis quid aliud Latinus intelligat nisi Dominum factum esse gravidum? Usque adeò nihil interesse putant quomodo loquamur, modò ipsi intelligamus quid loquimur. Sed quod ad hunc attinet locum, Græca sic habent, *Πολλῶν γὰρ τῶν ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα, βοῶντα μεγάλῃ φωνῇ ἐξήρχετο.* Ea quoniam ad verbum reddi non poterant, nos sensum expressimus in hunc modum, *Spiritus enim immundi à multis qui ab illis tenebantur, clamantes voce magnâ, exibant.* In duobus cod. Donatiani non addebatur hæc particula, opinor, quòd eam scriba prætermiserit offensus absurditate sermonis: nam Græci cod. consentiunt.

9. *In civitate*] *Magus*] Ἐν τῇ πόλει *μαγεύων artem exercens magicam.*

10. *Cui auscultabant*] Hoc *auscultabant* & quod mox sequitur *attendebant* Græcis idem est verbum, *προσεῖχον.* ¶ *Quæ vocatur magna*] *Quæ vocatur* non additur in Græco codice, *ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη Dei virtus magna.* Interpres studuit explicare vim articuli Græci *ἡ μεγάλη.*

11. *Propter quod*] Διὰ τὸ, i. *Propterea quòd:* & tamen hanc sermonis formam video fuisse familiarem priscis Christianis, cùm longè aliud significet. ¶ *Magicis suis*] *Ταῖς μαγείαις Magus*, sive *magicis artibus.* ¶ *Dementasset*] Ἐξεστακέναι *αὐτοὺς stupefacti essent & velut à mente alienati.*

12. *De regno Dei in nomine Jesu*] Gr. *& nomine.*

13. *Stupens admirabatur*] Ἐξίστατο. Interpres unam Græcam vocem duabus Latinis reddidit. Stomachatur hoc loco nonnihil Laurentius, nec sanè prorsus abs re, quòd Interpres tantum sibi permiserit ut eandem dictionem Græcam eodem in loco trifariàm reddiderit: siquidem quod paulò ante vertit *seducens* Græcis est *ἐξιστῶν*, quod *dementasset* est *ἐξεστακέναι*, quod *stupens admirabatur* est *ἐξίστατο.*

15. *Et rogabant pro eis*] Dubium est an ipsi Apostoli rogarint Deum pro eis, an Philippus & qui cum illo erant rogarint Apostolos. Posteriorem sensum sequi videntur Interpretes quòd Græcè sit *προσεύξαντο*, quâ voce Scriptura solet uti pro *deprecatione ad Deum.*

16. *In quenquam illorum venerat.*] Ἦν *ἐπιπεπτωκὸς erat illapsus*, sive *delapsus.*

18. *Manûs Apostolorum*] Χειρῶν *manuum.* Sed Interpres offensus concentu genitivorum variavit.

22. *Si forte*] Εἰ ἄρα. Conjunctionem expletivam suo more vertit in *forté.*

23. *In felle amaritudinis*] Εἰς χολὴν πικρίας *in bili amaritudinis*, i. amara bili. Non irascebatur Magus, sed vitiatum animum expressit per *bilis amaritudinem.* ¶ *Et in obligatione*] Καὶ *σύνδεσμον in colligatione*, h. e. in vinculis.

24. *Quæ dixistis*] Ὧν *εἰρήκατε.* Articulus postpositivus congruit cum casu antecedentis, dividens à suo verbo. Annotandum quòd uni Petro respondens multitudinis utitur verbo *dixistis:* unde probabile est, quod Petrus admonuit, cæteros item admonuisse.

25. *Et multis regionibus*] Πολλάς τε κώμας, *vicis*, sive *pagis.* Apparet interpretem legisse *χώρας*

26. *Contra Meridianam*] Κατὰ μεσημβρίαν *Meridiem versus*, sive *ad Meridiem.* ¶ *Quæ descendit ab Hierusalem*] *Καταβαίνουσαν.* Quòd Hierosolymorum urbs in monte Sion sita sit ex parte. Nonnulli cod. habebant *Φέρουσαν quæ ducit.* ¶ *Gazam*] Civitas est insignis Palæstinæ, destinata in sortem tribûs Juda, licèt obtineri non potuerit. *Desertam* addit, quòd vetus illa Gaza (de qua Sophonias, *Gaza destructa erit*) sic fuerit diruta ut vix urbis extet vestigium: pro qua exstructa est alia, sed non eodem loco.

27. *Et ecce vir eunuchus*] Annotavit Hieronymus *virum* dici qui sit eunuchus, cùm pugnent inter sese *virum esse & eunuchum esse:* unde & *evirati* dicuntur. Verùm in Christo neque sexus est, neque conditio, sed nova creatura. ¶ *Potens*] Δυνάστης, i. *Magistratus*, sive *Præfectus.* Græcâ voce usus est & Cicero, *Tetrarcha & Dynasta.* Non enim dicitur *Reginæ Eunuchus*, sed *Reginæ Præfectus*, nimirum Gazophylax. ¶ *Candacis*, Κανδάκης *Candaces*, à nominativo *Candace:* quod nomen ità videtur commune fuisse Reginis, ob quandam Reginam Æthiopiæ nomine *Candacen* de gente illa optimè meritam, ut apud Ægyptios *Pharao & Ptolemæus* Regibus. ¶ *Venerat adorare*] Προσκυνήσων *adoraturus.*

30. *Putásne intelligis*] Ἆρά γε *Num*, sive *Numquid, intelligis quæ legis?*

31. *Et quomodo*] *Et* non est apud Græcos, sed tantùm *πῶς γὰρ ἂν δυναίμην. Qui enim possim* aut, *quinam possim*, Subauditur enim negatio, *Non intelligo.* ¶ *Ostenderit mihi*] Ὁδηγήσῃ *με duxerit me.*

32. *Locus autem Scripturæ*] Ἡ δὲ περιοχή. quod *continentiam* possis dicere. Nos vertimus *argumentum.* Poterat dici & *sententia.* ¶ *Tanquam ovis ad occisionem*] Locus est apud Esaiam 53. 7. Verùm apparet Eunuchum hunc non ex Hebræo libro sed ex Græco hæc legisse, quòd omnia adamussim consentiant cum editione LXX. & Ægyptus id temporis Græcissabat ob commercium cum Romanis, & ante hoc cum Alexandro. Nam Hebræa Hieronymus ità vertit, *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente obmutescet & non aperiet os suum. De angustia & de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium.* Juxta LXX legimus hunc in modum, *Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος ἄφωνος, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ· ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη· τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ, Sicut ovis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem illius quis enarrabit? quia tollitur de terra vita ejus.* Porrò pro *tollitur* *αἴρεται* perperàm habetur in nostris cod. *tolletur*, verbum fut. temp. quemadmodum & pro *aperit* legimus *aperuit.*

34. *Dicit hoc*] Λέγει τοῦτο, i. *dicit hoc*, quasi jam loquatur tibi cujus scripta legis.

36. *Quis prohibet*] Τί κωλύει *quid prohibet*, seu potiùs *quid vetat*, aut *quid obstat, quo minus baptizer?*

37. *Dicit autem Philippus, Si credis*, &c.] Usque ad eum locum, *Et jussit stare currum*, non reperi in Græco codice: quanquam arbitror omissum librariorum incuriâ: nam & hæc in quodam cod. Græco ascripta reperi, sed in margine. Cæterùm apud interpretem Chrysostomi hæc non adduntur; nec in ed. Hispaniensi. In Aldina fuit additum.

38. *Uterque*] Ἀμφότεροι *ambo.* ¶ *Philippus & Eunuchus*] Ὅ, τε Φίλιππος καὶ ὁ εὐνοῦχος *& Philippus & eunuchus*, conduplicatâ conjunctione.

39. *Spiritus Domini rapuit Philippum*] Rabanus in Glossa Ordinaria videtur annotasse diversam lectionem, quasi *Spiritus* dictus sit *irruisse in eunuchum, & rapuerit Philippum:* verùm hujusmodi nihil reperio vel in Græcis vel in Latinis codicibus.

40. *Inventus est in Azoto*] Quis quærebat illum, ut illic fuerit inventus? *Repertus est* erat tolerabilius. Est enim sensus, Philippum subitò fuisse Azoti. Ea civitas est Palæstinæ una è quinque civitatibus Allophylorum, Hebræis dict אשדוד *Aschdod.*

VATABLUS.

1. *IN Ecclesia*] *Adversus Ecclesiam.*

2. *Timorati*] *Pii, religiosi.* ¶ *Et fecerint planctum magnum super eum*] Vel, *planctúque magno prosecuti sunt eum.*

3. *Per**] * *Singulas.*

4. *Pertransibant evangelizantes*] *Peragraverunt annuntiantes.*

5. *Philippus*] Hic diaconus est de quo suprà cap. 6. ¶ *Descendens*] *Perveniens.*

6. *Signa*] Vel, *miracula.*

7. *Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos*] Græcè ad verbum sic legitur, *Multorum enim habentium spiritus immundos*, &c. Clariùs sic vertetur hic locus, *Spiritus enim immundi è multis qui illos habebant, clamantes*, &c.

9. *Seducens*] *Dementans.*

11. *Propter quod*] *Propterea quòd.* ¶ *Magicis suis dementasset eos*] *Magiis stupefacti essent;* vel, *magicis artibus veluti à mente alienati essent.*

12. *In nomine Jesu Christi*] *Et nomine Jesu Christi*, Vet. i. docenti ea quæ ad cognitionem regni Dei pertinerent, & ad illustrationem nominis Jesu Christi.

13. *Tunc Simon*] *Simon autem.*

15. *Venissent*] *Descendissent.*

16. *Venerat*] *Supervenerat*, Vet. vel, *illapsus fuerat.* ¶ *Domini**] * *Christi.*

18. *Manûs*] *Manuum.*

20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*] i. Utinam pereas tu & pecunia tua tecum.

21. *Sors*] Vel, *hereditas;* i. prædicatio nostra nihil ad te pertinet, neque enim es ex eorum numero qui credunt: vel, non es dignus qui admittaris in consortium Euangelistarum. ¶ *Coram Deo*] Vel, *erga Deum.*

23. *In felle enim amaritudinis*] i. Video te vehementer iratum esse, & ità conjunctum esse cum iniquitate, ut ab ea divelli non queas. ¶ *Obligatione*] *Colligatione.*

25. *Et illi quidem*] *Illi igitur.* ¶ *Dei*] *Domini*, Vet. ¶ *Redibant*] *Redierunt.* ¶ *Regionibus*] *Vicis, pagis.* ¶ *Evangelizabant*] *Evangelizaverunt.*

26. *Contra Meridianum*] *Meridiem versus.*

27. *Potens Candaces*] *Præfectus*, sub. potiditie Candaces, vel qui autoritate plurimùm valebat apud Candacem. ¶ *Adorare*] *Adoraturus.*

30. *Putásne*] *Numquid.*

31. *Et quomodo*] *Quinam.* ¶ *Ostenderit*] *Dux viæ fuerit*; i. interpretatus fuerit.

33. *In humilitate**]* *Sui*, sub. *fuit*; i. humiliatus est. ¶ *Judicium ejus sublatum est*] *Judicium ejus* sub. *fuit*, *sublatus est*, i. sententia capitis contra eum pronunciata fuit, & tandem sublatus de medio. ¶ *Generationem*] *Generatio* pro hominibus ætatis ipsius; q. d. Quis verbis consequi poterit improbitatem hominum qui ipsius ætate vivent, cùm sint illum, tametsi justum, interfecturi? ¶ *Tolletur*] *Tollit*, præs. temp. Vet.

36. *Quis*] *Quid*, Vet.

38. *Aquam**] * *Et.*

39. *Ascendisset*] *Ascendissent.* Vet.

40. *Inventus*] *Repertus est*, Heb.

CASTALIO.

23. NAM *tibi*] Ingenio contumaci. ¶ *Acerbam imminere bilem*] Gr. *χολὴν πικρίας bilem acerbitatis*: quem Hebraismum Latinè sic reddere licet ut nos reddidimus, aut inversione dicere *bilis acerbitatem*, quomodo Latini dicunt *montium proceritatem* pro *montibus proceris*, quod Hebræo more diceretur *montes proceritatis*. Quod autem *imminere* interpretatus sum, animadvertendum est præpositionem *εἰς* aliquando futurum aliquid notare, ut Luc. 2. 34. *οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν*, *Hic multis vel casui vel resurrectioni futurus est*, h. e. Ab hoc multis vel casus imminet, vel resurrectio futura est. Et quod paulò pòst interpretor, *Te scelere constrictum esse*, cùm sit eadem præpositio *εἰς σύνδεσμον ἀδικίας ὄντα*, alius tamen est præpositionis usus, sicut in eodem quem modò adduxi Lucæ loco, ubi sequitur, *εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον*, quod non jam licet per verbum *imminendi* convertere. Est autem hæc Petri sententia, *Video tibi acerbam bilem*, h. e. graves à Deo pœnas, *imminere propter tuum scelus*: ut patet ex sequenti Simonis responsione, qui eas deprecatur minas. *Bilem* autem, sive *iram*, pro *pœnis* & *Dei in homines animadversione* dici, notissimum est ex S. literis.

CLARIUS.

15. ORaverunt *pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum*] Videtur ergò fuisse peculiare Apostolorum munus dare Spiritum sanctum.

20. *Pecunia tua tecum sit*] Cur Petrus eum sententiâ mortis, quemadmodum Ananiam, non damnavit? Respondetur, Et in veteri Lege unum interfici jussum qui ligna collegerat Sabbato, in cæterorum correctionem. Deinde, ut ostenderetur neminem ad fidem cogi; atque ut ratio pœnitentiæ introduceretur. Sufficit enim ad correctionem redarguisse, & revelasse occulta cordis, quódque ille confessus fuerit se deprehensum.

22. *Si fortè remittatur*] Non dubitat Petrus remittendum ei peccatum quem verè pœnituerit: sed usus est hoc loquendi modo ad terrendum eum, atque ostendendum quàm grave hoc fuerit scelus; tum quòd eum cernebat, ut ipse ait, *in felle amaritudinis & ligatione iniquitatis esse*, à qua verebatur eum non discessurum.

26. *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum*] Non ipse Angelus accessit ad docendum Eunuchum, fortasse quia obstupuisset potiùs Eunuchus quàm credidisset: erat enim is sicut & Cornelius.

27. *Præfectus Candaces*] Theologus Nazianzenus censet *Candacem* nomen esse ipsius Eunuchi.

28. *Legénsque Esaiam Prophetam*] Cernis ut quærentes inveniant? Non ergò Scripturæ idcirco negligendæ sunt quòd eas non intelligamus, sed legendæ sunt; neque desperandum, Divinum aliquando aliquo modo lumen affuturum. Locum autem hunc Esaiæ etiam Judæi fatentur de Christo loqui. Quod verò ait, *In humilitate judicium ejus sublatum est*, videtur acceptum à LXX: ut sit sensus, Dum videtur humilis & abjectus, non fuit qui ejus causam ageret, ut pro eo judicaretur. Hebraica veritas habet, *De angustia & de judicio sublatus est*: ubi post memoriam Passionis, transit Propheta ad Christi gloriam describendam, dum *de judicio* damnationis *sublatus* crevit in ingentem posteritatem fidelium. Et hoc est quod subdit, *Generationem ejus quis enarrabit?* idque postea quàm *vita ejus* videbatur & memoria omnis *sublata è terra*.

39. *Ibat enim*] Reddit causam cur eum non ultrà viderit Eunuchus, quòd scilicet, contentus eo quod à Philippo didicerat, rectà profectus sit.

ZEGERUS.

2. CUraverunt *autem Stephanum*] Pro *extulerunt ac sepulturæ tradiderunt*: nam hoc & ipse sermonis tenor & archetypi verbum *συνεκόμισαν* postulare videntur, à *κομίζειν*, quod interim *ferre*, interim *curare*, interim *mortuum efferre*, & alia quædam declarat.

4. *Evangelizantes verbum* Dei] *Dei* non est in prototypo, nec apud Chrysostomum, nec in quibusdam exempl. antiquis, nominatim in cod. quodam Gallicano.

7. *Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ, exibant*] Quia hic sermo absurditatem habet, in recentioribus cod. ità commutatus cernitur, *Multorum enim habentium spiritus immundi clamantes voce magnâ exibant*; quam tamen scripturam in vetustis necdum vidimus.

16. *Contra Meridianum*] Non est temere mutandum quod omnia occupavit exempl. in *contra Meridiem*. *Meridianum* enim dixit pro *Meridianam partem*, vel ut subaudias *solem*.

27. *Potens Candaces*] *Potens* hic substantivè ponitur pro *eo qui potestate fungitur*, h. e. pro *Præfecto* & *Primate*, quem Lucas *δυνάστην* vocat. *Candaces* genitivi casùs est à *Candace*. ¶ *Super omnes gazas*] *Gaza pecunias* & *thesauros* Persis signat; quorum hic Eunuchus custos erat & præpositus.

32. *Tanquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus*, &c.] Rursus LXX secutus est B. Evangelista, cùm Hebræa aliquantò secùs habeant, verùm in sensu minimum discrimen est. Quod dicitur, *In humilitate judicium ejus sublatum est*, vel, ut Hebraica sonant verba, *De angustia & de judicio sublatus est*, illud significat, explanatore Hieronymo, *quod de tribulatione atque judicio ad Patrem victor ascenderit*; *sive quod Judex omnium judicii non reppererit veritatem; sed absque ulla culpa seditione Judæorum & Pilati voce damnatus sit.*

36. *Quis prohibet me baptizari?* &c.] Beda hic adnotat dissonantiam pariter & consonantiam translationum cum Græcis, ut quidem tum habebant; sed nihil interim dicit de *quis* & *quid*: ut hinc colligi possit olim etiam in Græcis non *τί quid* sed *τίς quis* scriptum fuisse, uti habetur in nostris antiquis (nam recentioribus, etiamsi cum Græcis consentiant, non semper fidendum) aut certè codices variasse: nam Chrysostomus *quid* habet, & similiter Cyprianus ad Quirinam c. 43. Augustinus verò hom. 23. *quis*.

H. STEPHANUS.

1. HΝ *συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει*] *Fuerat assensus cædi*: vel, *Consenserat in cædem.* ¶ *Διωγμὸς*] *Persecutio*, vel *vexatio*. i. Exagitata fuit gravibus injuriis.

2. *Συνεκόμισαν τὸν Στέφανον*] *Composuerunt Stephanum*: vel, *Unà curarunt funus Stephani.*

3. *Ἐλυμαίνετο*] *Labefactabat*: vel *vastabat.*

4. *Διῆλθον, εὐαγγελιζόμενοι τὸν λόγον*] *Evangelizabant sermonem Dei in iis locis per quæ transibant.*

6. *Προσεῖχον*] *Attendebant*: vel, *Attentos se præbebant.*

9. *Μαγεύων καὶ ἐξιστῶν*] *Magicâ utens arte*, vel, *artibus magicis, & mente emovens.*

10. *Προσεῖχον*] *Commodabant aurem*: vel, *Auscultabant.*

11. *Διὰ τὸ ταῖς μαγείαις ἐξεστακέναι αὐτούς*] *Quòd suis artibus magicis emovisset eos mente.*

13. *Ἦν προσκαρτερῶν τῷ Φιλίππῳ*] *Assiduè versabatur cum Philippo?*

20. *Σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν*] *Tecum abeat in malam rem.*

21. *Οὐκ ἔστι σοι μερὶς οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ*] *Non potes esse particeps neque consors hujus doctrinæ.*

22. *Μετανόησον*] *Resipisce.*

23. *Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα*] *Video enim te in amaritudine fellis plena versari, & iniquitatis vinculis constrictum esse.*

27. *Ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς*] *Qui præerat universis illius opibus.*

29. *Κολλήθητι τῷ ἅρματι τούτῳ*] *Adjunge te ad currum istum.*

31. *Ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ με;*] *Nisi quis mihi præeat?*

32. Ἡ

32. Ἡ δὲ περιοχὴ τῆς γραφῆς ἣν ἀνεγ.] *Illo autem Scripturæ loco hæc continebantur.*

DRUSIUS.

1. *Saulus*] Qui postea *Paulus*. Nam Christianus factus nomen Ebræum cum Romano commutavit. Sic Diocles, ubi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen, teste Victore, in Romanum morem convertit, & *Diocletianus* appellatus fuit. Vide infrà 13. 9. *Saulus*, dissyllabum: pro quo in editione Syra legitur שאול *Saul* Græcè Σαῦλος, Σαύλη. Augustinus De verbis Apostoli, serm. 15. *Saulus à Saule nomen derivatur. Qui fuerit Saul nostis. Ipsius electa est statura procera. Sic enim describit Scriptura, quod supereminens esset de omnibus quando electus est ut ungeretur in regem. Non fuit sic Saulus, sed factus Paulus. Paulus enim parvus: ideo Paulus modicus.* ¶ *Consenserat in necem ejus*] In his verbis Syrus claudit caput septimum: Octavum autem inchoat ab illo, *Facta est autem in illa die*, &c. fortè meliùs.

5. *In urbem Samariæ*] Duobus modis exponi potest. Primùm, *in urbes Samariæ*: nam *Samaria* regionis nomen est. Sic alibi *in medio arboris paradisi*, pro *arborum*. Tritum hoc in lingua Sancta. Alio modo exponitur, *in urbem Samariæ*, ut sit locutio qualis est cùm dicimus *urbem Romæ*, *urbem Patavii*. Sic *herba lapathi*, *arbor fici*, *fluvius Euphratis*, & alia consimilia à me observata. Vide libellos meos. Hæc sententia potior videtur, quia mox ait, *Factum est autem gaudium magnum in illa urbe*. Igitur de una urbe sermo est, non de pluribus.

22. *Cogitatio cordis tui*] מזמת לבך, quæ Græcis interpretibus ἔννοια καὶ ἐπίνοια. Ἔννοια legitur Prov. 1. 4. & est vocabulum medium: unde ἔννοια ἀγαθὴ Prov. 5. 2. Sic מזמה, quod à cap. 10. Proverbiorum ad finem usque semper sumitur in malam partem, ut hic ἐπίνοια accipitur. Sanè איש מזמות est *vir malarum cogitationum*, vel potiùs *machinationum*. Nam solers & vafrum commentum hoc nomine significatur, tam in laude quàm in vitio. Sic in bonam partem sumitur ἐπίνοια 2 Mach. 12. 45. ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια.

23. *In felle amaritudinis*] i. amarissimo. Deut. 29. 18. ראש ולענה. LXX ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ, quod idem cum illo ἐν χολῇ πικρίας. Hic invenies εἰς pro ἐν nam in fonte εἰς χολὴν πικρίας, &c. Thren. 3. 19. ἐκ διωγμῶ πικρίας μυ καὶ χολῆς. Hic est לענה וראש in Ebræo. Jer. 9. 15. ὕδωρ χολῆς, *aqua fellis*. 23. 15. ὕδωρ πικρὸν, *aqua amara*. Utrobique ראש in fonte. Igitur ראש *fel*. Alii *venenum* interpretantur. Est etiam ubi ἄγρωστις exponitur, videlicet Hos. 10. 4. ¶ *Fel* Ebræis dicitur מררה dicitur Job 16. 13. & מרורה 20. 14. ab amaritudine quâ inter humores exsuperat. Unde adagium, Πικρότερον τῆς χολῆς, *Felle amarius*, sicut vulgò dicimus, **bitter dan galle**. Alexis Comicus apud Athenæum,

Ταῦτ' οὐχὶ πικρότερ' ἐστὶν αὐτῆς τῆς χολῆς;

Sanè Latini autores *fellea* vocant amara: & Plautus dixit, *Corda in felle sunt sita aut acerbo aceto*. Hinc *fel* pro *animi amaritudine* ponitur. Et Plato τὸ θυμικὸν in felle collocabat, Hieronymus in comment. Matth. 13. *Putat ille Philosophus rationabile nostrum in cerebro, iram in felle, desiderium in jecore commorari.* Lactantius De opificio hominis, *Fellis amarissimus liquor est unde quidam putant affectum Iracundiæ in felle constitutum.* Glossæ veteres in Persium, *Physici tradunt homines splene ridere, felle irasci, jecore amare, corde sapere, pulmone jactari.* Propriè χολῆς voce non *fel* intelligitur, sed *amaror cujusmodi est myrrha genuina lentior*, inquit Plinius, *amara*.

26. *Gazam*] *Gaza* modò proprium urbis est, ut hic; modò nomen appellativum, ut v. 27. Cùm est proprium scribitur Ebraicè עזה per Ain, & apud Stephanum Γάζα. *Sed vocatur*, inquit, *etiam* Ἄζα. Quin hodie Syri *Azan* eam nuncupant. Cùm appellativum est, tum scribitur גזה per Gimel. Id antiqui legebant *Gaza*. Interpres utrumque scribit גזא, etiam nomen urbis. Quæ scriptura imposuit multis veteribus, inter quos Mela De situ orbis. Stephanus quoque, *Quidam tradunt*, inquit, *à Jove exstructam fuisse, qui ibi gazam suam reliquerit; unde & nomen habuit.* Nam putarunt dictam ἀπὸ τῆς γάζης quam ibi Jupiter reposuerit: frustrà. Verum etymon עז *valida*, *munita*, ut si *Valentiam* appelles. Gorionides Hist. Ebra. c. 76. eam vocat *dominam omnium urbium Edom*. Idem ait esse *primam in termino Idumææ quæ respicit Jerosolymam*. Nicolaus Amos 1. 6. *Nomen est urbis regiæ*. Strabus autor Glossæ ordinariæ, *Metropolis civitas Philistinorum, qui nunc Palæstini vocantur*. Stephanus, *Civitas est Phœnicia, nunc Palæstina*. Eusebius in Locis, *Terminus Cananæorum juxta Ægyptum, & est usque hodie insignis civitas Palæstinæ*. Cui subnectit, *Quæritur quomodo in quodam propheta dicatur*, GAZA FUTURA IN TUMULUM SEMPITERNUM. *Quod solvitur ità, Antiqua civitatis locum vix fundamentorum præbere vestigia; hanc autem quæ nunc cernitur in alio loco pro illa quæ corruit ædificatam.* Nunc vulgò *Gazara* dicitur. Vide Masium in Jos. ¶ *Hæc est deserta*] Ad *viam* referunt alii, & alii ad *Gazam*. Sed de Gaza controversiam movet non nemo, in dubium vocans quod scribant de Nova & Veteri Gaza, propterea quòd alterius cujuspiam scriptoris autoritate non sit confirmatum. Atqui legimus disertè in libro Locorum *Quæritur quomodo in quodam Propheta dicatur*, GAZA FUTURA EST IN TUMULUM SEMPITERNUM. *Quod solvitur ità, Antiqua civitatis locum vix fundamentorum præbere vestigia; hanc autem quæ nunc cernitur in alio loco pro illa quæ corruit ædificatam.* Quid evidentius? Autor illius libri Eusebius an Hieronymus; Uterque fide dignus καὶ ἀξιόπιστος. Eversa fuit ab Alexandro Macedone, teste Strabone, qui pòst *desertam remansisse* scribit: verba sunt, κατεσκαμμένη ὑπ' Ἀλεξάνδρου, καὶ μένουσα ἔρημος, *convulsa ab Alexandro Magno, & manens deserta*: quod de veteri Gaza capiendum, non de nova, quæ diu pòst *condita in alio loco*, ut scribit Eusebius.

27. *Vir Æthiops*] Quomodo *vir*, si *eunuchus*? nam eunuchi evirati. *Vir* hoc loco non est nomen sexûs, sed est locutio ut *vir Ægyptius* in Genesi, *vir Judæus* Zach. 8. 23. in quo sermone Pleonasmus est: satis enim erat *Ægyptius*, *Judæus*. Talis Pleonasmus in *vir Israel*; qui etiam *Israel* vocatur: diciturque & de uno singulari & de pluribus: nam & *Israelitam* significat & *Israelitas*: sic *vir Abiezer*, Abiezritæ. Talia sunt, *mulier ancilla* in Sallustio, ἀνὴρ ἁλιεὺς *vir piscator* apud Herodotum, *homo sacerdos*, &c. Theodorus hic retulit *quidam Æthiops* איש כושי. Sic enim Ebræi potiùs loquuntur. Dicunt etiam איש חד pro quidam, & איש כוש *vir Æthiopiæ* pro *Æthiops*: ut Salustius dixit *duæ mulieres Galliæ*. ¶ *Dynastes Candaces reginæ Æthiopum*] Δυνάστης Κανδάκης βασιλίσσης Αἰθιόπων. Nomen hoc in editione Syra scribitur קנדק, in historia Ebraica קנדקי. Est autem *Candaces* obliquus à recto *Candace* nomen commune Reginarum Æthiopiæ ut *Ptolemæus* Regum Ægypti. Nam de *Pharaone* dubitari video, cùm Josephus scribat in lingua Ægyptiaca *Pharao regem* significare. Paulò aliter Oecumenius Act. 12. Ἱστέον δὲ ὅτι Κανδάκην Αἰθίοπες πᾶσαν τὴν τῦ βασιλέως μητέρα καλῦσι, ἐπειδὴ πατέρα Αἰθίοπες ἐκ ἀναφέρουσιν, ἀλλ' ὡς ὄντας υἱὸς Ἡλίου παραδιδόασιν ἑκάςῳ δὲ τὴν μητέρα καλῦσι Κανδάκην. Quæ sic versa repperi, *Traditur à Græcis Æthiopiæ regum matres omnes hoc nomen habuisse, illâmque gentem communes patres non nominasse, quæ se communem omnium habere Solem diceret.* Nostræ sententiæ accedit Plinius lib. 6. c. 29. in fine, *Regnare feminam Candacem, quod nomen multis jam annis ad reginas transiit.* Et Alexander ab Alexandro Genial. dierum l. 1. c. 2. *In Meroe quod Candaces præcipua mulier regnum tenuisset, reginas in posterum Candaces cognominarunt.* Vide sis Erasmi annotationem ad hunc locum.

32. *Locus Scripturæ quem legebat*] Quam hoc loco Lucas vocat περιοχὴν τῆς γραφῆς, putant esse Sectionem quam Ebræi פרשה appellant: de quo ego adhuc dubito. Nam integra Sectio hic non citatur: deinde Sectiones sunt Legis, non Prophetarum Sunt autem in Pentateucho Sectiones hujusmodi LIII, quas in *clausas* & *apertas* dividunt. Clausas indicat litera ס, quæ idem valet quod סתומה; apertas innuit litera פ, quæ פתוחה significat. Quin etiam libros quinque Davidis appellant חמשה *Sectiones*. Unde concludo *locum* omnem *Scripturæ* non esse *sectionem*, licet omnis *sectio* sit *locus Scripturæ*. Nam Sectio major & prolixior est. Ideo Syrus hic usus fuit voce פסוקא, quæ potiùs denotat *locum Scripturæ integrum*; cujusmodi hic est quem nunc laudat. *Versum* interpretantur, & *integram sententiam* quæ pausam facit: unde in ejus fine accentus pausans quem vocant *Siluc aut Soph pasuc*. Olim nulli erat accentus adscripti, ut nec apices vocalium: ideo dicunt *Legem universam unum duntaxat* פסוק *esse*. Quo nomine utuntur etiam cùm significant ipsum textum Scripturæ. ¶ *Non aperuit os suum*] *Aperire os* dicitur qui loquitur; & *loqui*, qui causam suam agit aut defendit in judicio. Sic passim *loqui* sumitur, Job 37. 20. *An narrabitur ei cum loquar?* & alibi. Sic in libro Hymnorum Davidicorum, *Ut justus sis cùm loqueris*, i. cùm causam tuam ages in judicio sive per te sive per alium. Christus certè aperuit os & locutus est in judicio, sed reliquit causam suam indefensam, non defendit se.

36. *Venerunt ad quandam aquam*] Quænam fuerit hæc aqua incertum. Si Fullero credendum, *fons* erat *juxta Bethsoron ad radices montis ebulliens, qui ab eadem in qua gignitur absorbetur humo.* Paulò aliter Brochardus. Vide Fulleri Miscellanea l. 2. c. 8.

40. *Inventus est*] Fuit, aut exstitit, ut Esth. 1. 5. הנמצאים *qui sunt inventi*, i. fuerunt, aut exstiterunt. Exod. 35. 23. *apud quem inveniebatur*, i. erat. Mal. 2. 6. *iniquitas non est inventa in labiis ejus.* Alibi, *non est inventus dolus in ore ejus*, non fuit. Sirach. 20. 5. ἔςι σιωπῶν εὑρισκόμενος σοφὸς, *qui est sapiens.* Sic Latinè dicimus, *Hic unus inventus est qui id posset*, pro *exstitit.* ¶ *Azoti*] *Azotus* dicta, non ab *Aza* uxore conditoris, ut quidam opinantur, sed ex Ebræo *Asdod*, pro quo in lib. Nominum legitur *Esdod.* Primum Daleth in Thau mutavit, quod Chaldæis familiare; deinde literæ *SD* versæ sunt in *Z.* contrà factum in *Esdras*, quod Ebræi scribunt *Ezras* per Zain. De hac urbe Herodotus, Αὕτη δὲ ἡ Ἄζωτος ἁπασέων πολίων ἐπὶ πλεῖστον χρόνον πολιορκεομένη ἀντέσχε τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. Nam obsessa legitur à Psammiticho rege Ægypti annos undetriginta continuos. Posterior ætas eam *Palmin* appellavit, ait Benjamin in Itinerario, pag. 49. Azoti olim Venus Palæstina, h. e. quarta Venus sive Astareta, singulariter colebatur Hieron. De locis Actor. *Azotus, opidum insigne Palæstinæ, quod Ebraicè dicitur Asdod, & est una de quinque olim civitatibus Allophylorum.*

SCALIGER.

27. ΠΡοσκυνήσων εἰς Ἱερουσαλὴμ] Gentiles non solùm in atrio Templi adorabant, sed etiam victimas immolabant. Exempla non semel apud Josephum.

CASAUBONUS.

26. ΑὙΤὴ ἐστὶν ἔρημος] Non improbo ut de *via* hæc interpretemur, quæ dicatur *esse deserta.* Cæterùm quod negant docti viri duas fuisse Gazas quo tempore hæc sunt gesta, de eo diximus quid nobis videretur ad Strabonem nostrum, lib. 16.

27. Καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ Αἰθίοψ] Planè est ridiculum quod quidam hoc loco observant, *dici Virum eum qui sit Eunuchus:* & tamen etiam apud Hieronymum in epistola quadam ad Cyprianum id legere memini.

32. Ἡ δὲ περιοχὴ τῆς γραφῆς ἣν ἀνεγίνωσκεν, ἦν αὕτη] Miror nondum à quoquam, quod equidem sciam, annotatum esse hanc vocem in eadem significatione apud Ciceronem legi quam habet hoc loco. Ciceronis verba sunt, lib. epist. ad Atticum 13. *At ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas περιοχὰς persequi solet, sed Spintharo syllabatim.* Est autem περιοχὴ quod Græci interpretes solent χωρίον appellare, Latini *locum:* Quanquam cùm dicit M. Tullius, lib. 2. De legibus, *Et hunc locum satis in iis libris quos legisti expressit Scipio*, *locum* vocat non quod hic περιοχὴ dicitur, sed quem Græci quoque, præsertim Stoici, τόπον appellant: unde illa apud Strabonem, Plutarchum & Laertium, ὁ φυσικὸς τόπος, ὁ μαθηματικός. sive λογικός. Vide Laertium in Zenone. Porrò quod hic περιοχὴ appellatur, solet ab aliis περικοπὴ dici, ut apud Hieronymum, & Justinum πρὸς Τρύφωνα καὶ ἀπετόρησα ἣν προέγραψα ἀπὸ τοῦ Ἡσαΐου περικοπήν· & alibi passim. Gallicè *passage* dicimus.

GUALTPERIUS.

11. ΤΑῖς μαγείαις; *Magicis artibus*] De voce τῶν μάγων suprà dictum, Matth. 2. 1. Prolixè etiam eandem explicat H. Stephanus in Thesauri Appendice. De præsenti verò hac voce sequentia subnectit: Μαγεία, ας, ἡ (idem quod μάγευμα) *Magica ars, Magica scientia.* Interdum in bonam partem accipitur, ut & μάγος veluti cùm Suidas scribit μαγείαν fuisse ἐπίκλησιν δαιμόνων ἀγαθοποιῶν πρὸς ἀγαθοῦ τινος σύστασιν; qualia fuerint Apollonii Tyanei θεσπίσματα· γοητείαν autem ἐπίκλησιν δαιμόνων κακοποιῶν περὶ τοὺς τάφους γινομένην· φαρμακείαν verò ὅταν διά τινος σκευασίας θανατηφόρου πρὸς φίλτρον ἢ ἄλλως δοθῇ τισι διὰ τοῦ στόματος indicans, Magos bonorum geniorum invocationibus vel futura prædixisse vel miracula aliqua edidisse. Ut & Plato in Alcibiade Majore scribit τὴν μαγείαν Persicam fuisse θεῶν θεραπείαν. Sed quoniam posteriores Magi γόητες etiam erant & φαρμακεῖς atque præstigiis portentosis & veneficiis utebantur, ideo infame etiam τῆς μαγείας vocabulum esse cœpit, ac poni pro *arte præstigiatrice, incantatrice, venefica.* Vide Plin. l. 24. c. 17. & l. 30. c. 1. & 2. Syrus utitur voce חרשותא, quæ *veneficium*, γοητείαν & *magiam damnatam* notat, Gal. 5. Suidas, Γοητεία, inquit, μαγεία, φαρμακεία, διαφέρουσι· ἅπερ ἐφεῦρον Μῆδοι καὶ Πέρσαι· μαγεία μὲν οὖν ἐστιν ἐπίκλησις δαιμόνων ἀγαθοποιῶν δῆθεν πρός ἀγαθοῦ τινος σύστασιν, ὥσπερ τὰ τοῦ Ἀπολλωνίου τοῦ Τυανέως θεσπίσματα· γοητεία δὲ ἐπὶ τὸ ἀνάγειν νεκρὸν διὰ ἐπικλήσεως, ὅθεν εἴρηται ἀπὸ τῶν γόων καὶ τῶν θρήνων τῶν περὶ τοὺς τάφους γενομένων· φαρμακεία δὲ, ὅταν διά τινος σκευασίας θανατηφόρου πρὸς φίλτρον δοθῇ τινι διὰ στόματος· μαγεία δὲ καὶ ἀστρολογία ἀπὸ Μαγουσαίων ἤρξατο, οἱ γάρ τοι Πέρσαι Μάγοι ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων ὀνομάζονται· καὶ Μαγουσαῖοι οἱ αὐτοί. h. e. *Goetia, Magia, Pharmacia differunt; quæ sunt Persarum inventa. Magia quidem est invocatio Dæmonum scilicet beneficorum ad aliquid conficiendum bonum; cujusmodi erant Apollonii Tyanei prædictiones. Goetia verò fit per coactionem mortuorum etiam invocatione. Hinc enim dicta est à planctu qui fit circa sepulcrum. Pharmacia verò fit, cùm aliquid alicui porrigitur sumendum ore quod mortem sit allaturum, certis incantamentis præparatum. Magia & Astrologia à Magusis originem duxerunt. Persæ verò Magi ab indigenis quibusdam nominantur: iidem & Magusi.* Vide August. in lib. 10. De civit. Dei, c. 9. de illicitis artibus erga Dæmonum cultum; & cap. 10. de Theurgia.

27. Αἰθίοψ εὐνοῦχος] Αἰθίοψ *Æthiops*, vox Græca, composita ab αἴθω & ὤψ, ὠπὸς, quasi qui sit *ustâ*, seu *ustulatâ, facie*, ἡλιόκαυστος, ut vult Etymologus. Henricus vero Stephanus mavult componi ab αἴθομαι, τουτέστι καίομαι, *uror*, non αἴθω, καίω, *uro:* quoniam Αἰθίοψ concinnè dici nequit ὁ καίων τὴν ὦπα, sed rectiùs ὁ κεκαυμένος τὴν ὦπα. *Tostam faciem* dicit ibidem: ut Tibullus,

Illi sint comites fusci, quos India torret.

Vel sit adject. αἰθὸς, *ardens, ambustus:* quæ notatio eidem Stephano haud displicet. Αἰθιοπεὺς, idem. Αἰθιοπία, & Αἰθιοπὶς, *Æthiopia*, regio quam inhabitant populi qui *Æthiopes & gentes Nigritæ* vocantur. Duæ autem sunt Æthiopiæ, annotantibus Servio, Plinio & Eustathio, una circa Solis ortum, altera circa occasum in Mauritania. Terram hanc universam cum mari Rubro patere in longitudinem semel & vicies centena LXX M. pass. in latitudinem cum superiore Ægypto duodecies centena XCVI M Agrippa existimavit. *Universa gens*, ait Plinius l. 6. c. 30. *Ætheria appellata est, deinde Atlantia, mox à Vulcani filio Æthiope Æthiopia. Animalium hominùmque effigies monstriferas circa extremitates ejus gigni minime mirum, artifici ad formanda corpora effigiésque cælandas mobilitate ignea. Ferunt certe ab Orientis parte intima gentes esse sine naribus, æquali totius oris planitie; alias superiore labro orbas, alias sine linguis. Pars etiam ore concreto & naribus carens, uno tantum foramine spirat, potúmque calamis avenæ trahit, & grana ejusdem avenæ sponte provenientis ad vescendum. Quibusdam pro sermone nutus motúsque membrorum est. Regnare aiunt feminam Candacen; quod nomen multis jam annis ad Reginas transiit. Delubrum ibi Ammonis, & toto tractu sacella. Cæterùm cum potirentur rerum Æthiopes, insula ea* (Meroe) *magnæ claritatis fuit. Tradunt armatorum CCLM dare solitam, artificum CCCCM alere. Reges Æthiopum XLV & hodie traduntur. Proceres* eorum *minio tingi, hincque ibi Deorum simulacris colorem esse* tradit idem Plin. l. 32. c. 7. Porrò, secundùm eundem, variæ sunt Æthiopum pro ratione amplitudinis illius terræ & aliarum circumstantiarum appellationes. Sic sunt Æthiopes *Atabuli, Hesperii, Doratuæ, Perorsi, Arrhoterræ, Taroles*, &c. De monstris Æthiopiæ ut & de situ atque aliis, recensent varia Julius Solinus Polyhistor atque Pomponius Mela, Eustathius item in Ulyssea Homeri & Comment. in Dionys. Afrum. Versus apud Afrum Libyæ terminos describentem sunt,

Οὖρον δ' Ἀρράβικῆς τεκμαίρεται ἄχρι θαλάσσης
Εὐρύτερον, τόθι γαῖα κελαινῶν Αἰθιοπήων.
Τῶν ἑτέρων, τῶν ἄγχι τιταίνεται οὖδας Ἐρεμβῶν.
Παρδαλέῃ δέ μιν ἄνδρες ἐπικλείουσιν ὁμοίην
Ἡ γὰρ διψηρή τε καὶ αὐχμήεσσα τέτυκται,
Τῇ καὶ τῇ κυανῇσι κατάστικτος φολίδεσσιν.

h. e. *Limitem verò Arabicum terminat prope mare latiorem, ubi terra Nigrorum Æthiopum* alterorum, quos juxta porrigitur solum Eremborum. Pelli pantherinæ autem ipsam homines perhibent similem: arida enim & squalida est, hinc & indè nigris distincta squamis. Erembos; Troglodytas esse docet Eustathius in Commentariis, ubi & hæc ex Herodoto refert, Ἡρόδοτος δὲ καὶ τοὺς Τρωγλοδύτας Αἰθίοπας ἱστορῶν, φησὶν, Οἱ Τρωγλοδύται Αἰθίοπες τάχιστοι τῶν ἀνθρώπων εἰσὶ πάντων· σιτῶν-

τα

ται δὲ καὶ ὄφεις καὶ σαύρας τῇ δὲ διαλέκτῳ τετρίγασι καθάπερ αἱ νυκτερίδες, i. *Troglodytæ Æthiopes omnium hominum sunt celerrimi. Vescuntur serpentibus & lacertis. Vocem emittunt tristem instar noctuarum.* Idem Dionysius v. 217. & seqq.

——— Ἐν δὲ μυχοῖσι
Βόσκοντ' ἠπείροιο πανύστατοι Αἰθιοπῆες
Αὐτῷ ἐπ' Ὠκεανῷ, τυμάτης παρὰ τέμπεα Κέρνης.

In secessibus autem pascuntur continentis omnium extremi Æthiopes, ipsum ad Oceanum, prope Tempe [loco amœna] *Cernæ.* Ubi iterum Commentator, Τῶν δὲ Αἰθιόπων, inquit, Ἡρόδοτος τοὺς Μακροβίους ἱστορεῖ μεγίστους καὶ καλλίστους εἶναι πάντων ἀνθρώπων· σιτεῖσθαι δὲ κρέα ἑφθὰ, καὶ πίνειν γάλα, καὶ ζῆν ἔτη εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τινὲς, φησὶν, ὑπερβάλλουσι καὶ ταῦτα· σπανιώτατος δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ τιμιώτατος ὁ χαλκός· πολὺς δὲ ὁ χρυσός· καὶ οἱ δεσμῶται παρ' αὐτοῖς χρυσέαις πέδαις δέδενται, *Herodotus Æthiopas illos Longævos esse maximos & pulcerrimos ex omnibus hominibus commemorat; edere ipsos carnes elixas, & bibere lac, vivere annos CXX, quosdam etiam hunc annorum numerum superare. Rarissimus apud ipsos est atque pretiosissimus usus æris; auri copia magna. Captivi etiam eorum aureis vinculis ligantur.* Et rursum v. 559.

———θεουδέες Αἰθιοπῆες,
Μακροβίων υἱῆες ἀμύμονες, ———

Pietatem in Deos colentes Æthiopes, Macrobiorum filii inculpati, &c. Ubi denuò commentator, τοὺς δὲ ἐν Ἐρυθείᾳ Αἰθίοπας Μακροβίους μὲν ὁ Διονύσιος λέγει πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν Ἀκριδοφάγων Αἰθιόπων, οἳ βραχύβιοί εἰσιν· σπανίως ὑπερτιθέντες ἔτη μ. *Illos qui in Erythea habitant appellat Dionysius Longævos, ad differentiam illorum qui locustis vescuntur: hi namque brevioris sunt vitæ & raro* XL *annos superant.* Pomp. Mela. l. 3. c. 13. de Æthiopibus narrans, *Pars:* ait, *illorum, quia vitæ spatium dimidio ferè quàm nos longius agunt, Macrobii; pars, quia ex Ægypto advenere, dicti sunt Automolæ, pulcri formâ, atque corporis, pariùmque veneratiores, veluti optimarum alumni virtutum. Apud hos plus auri quàm Persis est: ideo quod minus est pretiosius censent. Ære exornantur; auro vincula sontium fabricant. Est locus apparatis epulis semper refertus: & quia ut libet vesci volentibus licet* ἡλίου τράπεζαν, *Solis mensam, appellant: & quæ passim apposita sunt, affirmant innasci subinde Divinitus. Est lacus quo perfusa corpora quasi uncta pernitent: bibitur idem; adeò est liquidus, & ad sustinenda quæ incidunt aut immittuntur infirmus, ut folia etiam proximis decisa frondibus non innatantia ferat, sed pessum & penitus accipiat. Sunt & sævissima feræ, omni colore variæ Lycaones, & quales accepimus Sphingas. Sunt miræ aves, cornutæ Tragopemones, & equinis auribus Pegasi.* Et paulò pòst, *Super eos grandis litteris flexus grandem insulam includit, in qua tantùm feminas esse narrant, toto corpore hirsutas, & sine coitu marium suâ sponte fecundas, adeò asperis efferisque moribus ut quædam retineri vix vinculis possint. Ultra hunc sinum mons altus* (*Gr. vocant* θεῶν ὄχημα, *Deorum vehiculum*) *perpetuis ignibus flagrat. Ultra montem viret collis longo tractu, longis littoribus obductus, unde visuntur patentes magis campi quàm ut prospici possint, Panum Satyrorumque.* Consule Pomponium ipsum. Jul. Solinus Polyhistor in Africæ descriptione inter cætera mira narrat de Hiæna, *Primùm,* inquit *quòd sequitur stabula pastorum, & auditu assiduo addiscit vocamen, quod exprimere possit imitatione vocis humanæ, in hominem astu accitum nocte sæviat. Vomitus quoque humanos mentitur, falsisque singultibus sollicitatos sic canes devorat: qui fortè si venantes umbram ejus dum sequuntur contigerint, latrare nequeunt, voce perditâ. Eadem Hyæna inquisitione corporum sepultorum busta eruit. Præterea promptius est marem capere: feminis enim ingenita est callidior astutia. Varietas multiplex inest oculis colorùmque mutatio; in quorum pupillis lapis invenitur, Hyænium dicunt, praditum illâ potestate ut cujus hominis fuerit linguæ suppositus, prædicat futura. Verùm Hyæna quodcunque animal ter lustraverit, movere se non potest: quapropter Magicam scientiam inesse ei pronunciaverunt. In Æthiopiæ parte coit cum Leæna, unde nascitur monstrum cui Crocotta nomen est. Voces hominum & ipsa pariter affectat. Nunquam conibet aciem orbium, sed in obtutu sine nictatione contendit. In ore gingiva nulla, dens unus atque perpetuus, qui ut nunquam retundatur, naturaliter capsularum modo clauditur.* De Basilisco vide in ejusdem capitis tractatione pag. 67. Ibidem, *Omne,* inquit, *latifundium quod inter Ægyptum, Æthiopiam, Libyámque diffunditur, quacunque lucis opacum est, varium implevit Simiarum genus. Vulgus Simiarum in his est quas passim videmus, non sine ingenio æmulandi: quò faciliùs in manus veniunt. Nam dum avidè vénantium gestus affectant, relictâ consultò visci unguillâ, quod mendacio factum vident, oculos suos oblinunt: ita visu obducto, pronum est eas corripi. Exsultant novâ Lunâ, tristes sunt cornuto & cavo sidere. Immoderatè fœtus amant, adeò ut catulos faciliùs amittant quos impendiò diligunt & ante se gestant, quoniam neglecti ponè matrem semper hærent. Cercopitheci caudas habent: hæc sola discretio est inter priùs dictas. Cynocephali & ipsi sunt è numero Simiarum, in Æthiopia partibus frequentissimi; violenti ad saltum, feri morsu, nunquam ità mansueti ut non sint magis rabidi. Inter Simias habentur & Sphinges, villosæ comis, mammis prominulis ac profundis, dociles feritatis oblivionem. Sunt & quas vocant Satyros, facie admodum gratâ, gesticulatis motibus inquieta. Callitriches toto penè aspectu à cæteris differunt: in facie barba est, lata cauda. Has capere non est arduum, sed proferre rarum: neque enim vivunt in altero quàm in Æthiopico, hoc est, suo, solo.* Hactenus Polyhistor. De Æthiopia & gentis ejus priscis moribus hæc habet Johannes Boemus Aubanus Teutonicus. *Æthiopia duplex regio est, Asia, & Africa, Altera, quæ & hodie India dicitur, ad orientem Solem Rubro & barbarico mari alluitur, ad Septentrionem Libyæ & Ægypto contigua, ad Occasum interiorem habet Libyam; ac reliqua parte, quâ Austro jacet obversa, alteri jungitur Æthiopia, quæ major est & Australior, sic appellata ab Æthiope Vulcani filio, qui illi præfuit, ut Plinius ait, vel à Græco* αἴθω *cremo &* ὤψ *aspectus, quòd Solis vicinitate torreat. Est enim jugis æstus. Quicquid ejus est, sub Meridiano cardine est, Montuosa est circa Occiduum, arenosa in medio, ad Orientem deserta. Plurimas habet gentes diverso vultu & monstruoso, specie horribiles. Primi omnium mortalium creduntur, verissimique indigenæ, & servitutem nunquam experti. Semper genti libertas incolumis mansit. Primò Deorum cultum apud eos institutum memorant, primásque sacrorum ceremonias. Duplicem habent literarum usum, ut quæ sacra dicerentur Sacerdotibus duntaxat nota essent; alterum eorum quæ vulgo paterent. Fuerunt tamen literarum figuræ haud tales ut ex illis syllabæ coalescerent, sed animantibus extremisque hominum partibus variisque instrumentis artificum perquam similes: singulisque sua inerat figuris significatio, ut in Accipitre celeritas, in Crocodilo malum, custodia in Oculo, sicque alia in aliis. Ex Sacerdotibus quem fanatico cursu circumferri viderint, omnium sanctissimum judicant: Quem ubi Regem creaverint, veluti Numen sit, aut sit ad munus Divinâ providentiâ eis datus, vulgò adorant. Vitam is agere statutam legibus debet, omniáque facere juxta patrios mores; neminem neque præmio neque pœnâ afficere. In quem autem animadversum volet, lictorem signum mortis habentem ad eum mittit, quo inspecto confestim, quisquis ille est, domum reversus sibi mortem consciscit. Tantus Regibus honor tantùmque studium ab his tribuebatur, ut si quando aliqua corporis parte ex quavis causa debilitaretur Rex, domestici homines sponte suâ eandem partem debilitarent, turpe existimantes, Rege claudo aut monoculo, & non amicos omnes claudos aut unoculos esse. Ferunt quoque consuetudinis esse, amicos ultro in Regis morte vitâ defungi, existimantes eum interitum gloriosum veræque amicitiæ testem. Plures sideris propinquitate nudi agunt: ovillis caudis pudenda obtegunt: pauci omnino pecorum vestiuntur pellibus. Alii subligacula capillis contexta ad medium corpus induunt. Pecuariam rem vulgò exercent. Pecora pusilla admodum, duri hirtique velleris. Canes & ipsi nihilo majores, cæterùm asperi & pugnaces. Milii Hordeique frequens usus; unde potum etiam conficiunt: cæteris carent frugibus, præter Palmulas, eásque perraras. Quidam herbis victitant tenerioribúsque arundinum radicibus, carnibus, lacte, caseo vescuntur. Meroe fuit olim Regni caput. Clypei figuram ea insula imitatur, ad tria millia stadiorum cum Nilo protensa. Accolunt pastores eam, qui passim venantur: & agricolæ aurifodinas habent. Herodotus autor est, apud Macrobios Æthiopes æs pluris æstimari quàm aurum, cujus tam vilis sit usus ut Cambysis Legati eò profecti fontes viderint aureis catenis in custodia vinctos. Quidam Sesamum, alii Lotum serunt. Hebeno abundant, & Siliquastro. Elephantes venantur & comedunt. Leones habent, Rhinocerota, Basiliscos, Pardales, Dracones que qui multiplici nexu implicitos Elephantes haustu sanguinis conficiunt. Hyacinthus ibi & Chrysoprasus reperiuntur. Colligitur & Cinnamomum. Arcubus utuntur quadricubitalibus ligneis & perustis. Instruuntur bello & mulieres, quarum pleræque oris*

labium

labium aneo trajectum habent circulo. Venerantur eorum quidam orientem Solem, occidentem diris supplicationibus insectantur. Mortuos nonnulli in profluentem dejiciunt, alii fictilibus condunt doliis, quidam etiam vitreis conditos domi in annum asservant, religioseque interim colunt. Primitias offerunt. Sunt qui tradant Regem ab his potissimum declarari qui forma & alendorum pecorum peritia roboreque & opibus cæteros antecellat. Fuisseque jus olim (ut Memphiticis Sacerdotibus) mortis per internuncium imperandæ, alteriusque in demortui locum cum libitum esset constituendi. Deum alterum immortalem credere, cum qui rerum sit Princeps atque universi Conditor, mortalem alterum, eumque incertum. Regem, ut dictum est, & eum qui de civitate meritus sit secundum post Regem, ut Deos venerantur. Et tales fuit ab initio & jam ante multa secula Æthiopiæ status, hi gentis ritus, & mores. Hodie vero, ut se Marcus Antonius Sabellicus (ex quo majorem partem eorum quæ hic & in sequentibus a nobis dicuntur accepimus) ab ipsis locorum illorum indigenis cognovisse ait, Æthiopiæ Rex (quem nostri Pretojanem *vocant ac* Sacerdotem Joannem *sive Janem, illi* Giam, *id est,* potentem) *tam potens est ut duobus & sexaginta aliis Regibus imperitare prædicetur; magnorum Antistitum desideria ad ipsum omnia referri atque Sacerdotia impetrari. Quod Romanus Pontifex Regum Majestati dedit. Sacerdos tamen ipse non est, nec ullis sacris initiatus. Primorum Antistitum ingens numerus: atque cuique horum, ut aiunt, viginti obediunt Episcopi. Principes atque alios majoris dignitatis Antistites, cum in apertum exeunt, crux præcedit, & aureum vas terra refertum; ut hoc inspectum mortem suæ admoneat mortalitatis, illo Dominicæ passionis. Sacerdotes procreationis causa ducunt uxorem, quam si morte amiserint, nefas est aliam superducere. Magna Divorum templa ac nostris opulentiora, plurimumque fornicato opere ad summum educta. Multa piorum ordinum familiæ, Antonii, Dominici, Calagiritani, Augustini, Macarii. Colore amiciuntur indiscreto Antistitum permissu. Secundum Deum optimum Deiparamque Virginem summa in his terris veneratio Thomæ cognomento Didymo. Regum ille maximus, quem Giam vocant, à David procreatus, stirpe unius gentis in tot ætates (ut ipsi persuasum habent) propagata. Isque non atro, ut plerique Æthiopum, sed candido colore. Gueraman urbs regia, quæ non muris, non parietibus constat, sed tabernaculis in ordinem digestis, ex serico, bysso, purpura intextis. Veteri instituto Rex in aperto agit, nec se intra mœnia plus biduo continet, aut quia id turpe ducunt & molle, aut quod lege quadam non liceat. Decies centum millia hominum ad bellum instruit, quingentos elephantes, equorum ad hæc & camelorum ingentem numerum; & hæc vel mediocri rerum motu. Suntque in tota gente familiæ stipendiariæ, ex quibus orti signo Crucis velut cauterio insigniuntur, cute leniter incisa. Arcu in bello utuntur, conto, lorica, galea. Sacerdotium in summa dignitate. Secunda dignitas Sapientum, quos* Ballamatos *&* Tenquatos *vocant. Tribuitur non parum Innocentiæ & Probitati, quam primo Sapientiæ gradu collocant. Nobilitati tertius habetur honos: sequuntur stipendiarii. Judices de vita hominis decernunt, decretum ad Præfectum urbis deferunt, quem* Licomegiam *vocant; locum Regis tenet. Legibus nullis ex scripto utuntur; ex bono & æquo judicant. Si quis adulterii sit convictus quadragesima bonorum omnium pars mulcta est: de adultera domestica ultio, illi quorum interest puniunt. Viri dotem constituunt iis quas sibi matrimonio jungunt, non aliunde quærunt. Mundus muliebris ex auro, (quo gens plurimum abundat) margaritis & serico. Viri & feminæ vestitu utuntur ad pedes demisso, manicato, nec usquam adaperto, indiscreto colore, præterquam nigro, qui in ea gente luctuosus est. Defunctos lugent quadraginta dies. Lautioribus conviviis secunda mensa crudæ inferuntur carnes, quibus affabre conspersis respersisque aromatis avidissime vescuntur. Lanificio carent: sericum aut linum vestit totam gentem. Non unus omnibus sermo, sed varia loquendi ratio, variisque distincta nominibus. Agriculturam exercent & rem pecuariam. Bina messis est illis, bina etiam æstas. Quicquid Libycarum gentium ab Æthiopia hac seu India usque ad occidentem Solem, omnes Mahometi impietatem colunt, utuntque eodem fere cultu quo & Barbari qui in Ægypto sunt hodie, & Mauri appellantur, ab ipsa, ut creditur, Maurorum evagatione: nam ea quoque gens Libyæ non minus infesta fuit quam Saraceni diris illis temporibus quibus magna in humanis rebus facta est mutatio, mores gentium, pietatis cultus, terrarum nomina passim immutata.* Hactenus Joannes Boemus Aubanus. Cæterum quod fidem, religionem moresque Æthiopum sub Imperio Pretiosi Joannis (quem vulgo *Presbyterum Joannem* vocant) degentium attinet, ut & commemorationem confederationis ac amicitiæ inter ipsos Æthiopum Imperatores & Reges Lusitaniæ initæ, copiose describuntur illa peculiari quodam libello à Damiano à Goes, Equite Lusitano. Cui etiam operi insertæ sunt epistolæ aliquot lectu dignæ, Helenæ aviæ Davidis Pretiosi Joannis, ac ipsius etiam Davidis ad Pontificem Romanum, & Emanuelem ac Joannem Lusitaniæ Reges, interpretibus eodem Damiano à Goes ac Paulo Jovio: quo lectorem remitto.

Problemata duo de Æthiopibus.

I. *Ad promontorium Bonæ spei*, ait Ortelius in Theatro Mundi ad Africæ descriptionem, *incolæ sunt nigerrimi, quod nimium ardenti ducimus, quæ causam nigredinis calorem propinquitatemque Solis omnes esse opinentur, atqui hic non magis Sol torret quam ad fretum Magellanicum (si cœli respectu loci calorem metiri velimus) ubi tamen candidissimi esse perhibentur. Quod si hanc nigredinem Solis adustioni tribuere velimus, videndum unde Hispanis Italisque ille corporum candor, cum æque distent ab Æquinoctiali cum dictis Bonæ spei incolis, hi scilicet versus Austrum, illi vero versus Boream. Qui sub Presbitero Joanne degunt subfusci sunt, in Zeilan & Malabar habitantes nigerrimi existunt, sub una eademque ab Æquatore distantia, eodemque cœli parallelo. Sed hoc mirari magis quis possit. In tota America nusquam nigros inveniri, præter paucos in loco Quareca illis dicto. Quæ ergo hujus coloris causa efficiens? an cœli aut terræ ariditas? aut forsasse soli quædam inoculta proprietas? an ipsorum hominum quædam naturæ [illegible] vitio? aut omnia? Sed hæc arcanorum naturæ indagatoribus consideranda relinquimus.*

II. *Alterum ex Aristotele, 3. 10. Problematum numero 65, & 66. Cur Æthiopum dentes candidi, & candidiores quam cæterorum, ungues autem non dentibus in candore respondeant? An ungues ideo nigrescant quia cutis etiam nigra est, & nigrior [illegible] cæterorum: ungues autem ex cute proveniunt? Sed cur dentes candeant quænam sit ratio? An quod albescere illa solent quibus vis Solis humorem detrahit, dummodo nihil superinficiatur? quomodo etiam ceram albescere novimus. At enim superinficit calor, dentes minime: sed totus eorum humor in vaporem a calore convertitur atque exhalatur.*

G R O T I U S.

Σαῦλος δὲ ἦν συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, *Saulus autem erat consentiens neci ejus*] Probabat hoc Zelotarum facinus, animo, verbis, factis, infra 22. 20. Hoc & alia quæ sequuntur de Saulo non temere referuntur, sed ut cogitemus, οἷος ἐξ οἵου [*qualis è quali.*]

2. Συνεκόμισαν δὲ, *Curaverunt autem*] Vox est sepulchralis. Sophocles Ajace,

> Οὗτος, σὲ φωνῶ, τόνδε τὸν νεκρὸν χεροῖν
> Μὴ συγκομίζειν. ——
> [*Heus, te alloquor, manibus tuis hunc mortuum*
> *Ne componas.* ——]

Respondet Hebræo אסף [*collegit.*] ¶ Ἄνδρες εὐλαβεῖς, *viri timorati*] Vide supra 2. 5. ¶ Καὶ ἐποιήσαντο κοπετὸν μέγαν ἐπ᾽ αὐτῷ] *& fecerunt planctum magnum super eum*] Verba desumpta ex Genes. 5. 10. Vide & Zach. 12. 10. 1 Macc. 2. 70. & 4. 39. & 9. 20. Erat id genus honoris habiti mortuo apud illas gentes. Majorem ei Deus honorem habuit, cum post ad ipsius, ut Martyrum primi, reliquias plurimos morbos sanari voluit, qua de re si quis dubitet, legat Augustinum de Civitate Dei 22. 8. ubi conspicua reperies ejus quod dico documenta, quare nec mirum si eas reliquias pii convenienter honoraverint, ut loquitur idem Augustinus Epistola 103. Ab hoc experimento ad aliorum quoque Martyrum reliquias concurri cœpit pari successu, eaque pars est regni ejus quod Martyribus tribuit Apocalypsis 20. 4. ubi qui memorantur *mille anni* à Constantino incipiunt.

3 Κατὰ τοὺς οἴκους εἰσπορευόμενος, *per domos intrans*] *Irrumpens in ædes.* ¶ Σύρων τε ἄνδρας καὶ γυναῖκας, *trahens viros & mulieres*] Quasi bello captos. Tale illud in Troadibus Euripidis,

> Οἶδ᾽ ἡνίκ᾽ Αἴας εἷλκε Κασσάνδραν βίᾳ.
> [*Cum Phœbadem vi traxit Ajacis manus.*

Virgilius Æneidos 2,

> *Ecce trahebatur passis Priameia virgo*
> *Crinibus.*

Seneca Thebaide.

Matres

Matres ab ipso conjugum raptas sinu
Savus catenâ miles impositâ trahes?

Ideo Paulus horum facinorum postea se damnans, ait se fuisse non διωκτὴν [*persecutorem*] modò, sed & ὑβριστὴν [*contumeliosum*] 1 Timoth. 1. 13. ¶ Παρεδίδου εἰς φυλακήν. *tradebat in custodiam*] In carcerem templi. Vide supra 4. 3. & 5. 18, 19, 22, 25. jussu nimirum Synedrii, quod in Judæos non prehensionem tantùm, sed & verberum jus habebat.

4. Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες διῆλθον, *Igitur qui dispersi erant pertransibant*] Id est, non subsistebant in Judæa & Samaria, sed longiùs etiam ibant ut à periculo abessent. Vide infra 11. 19.

5. Φίλιππος δὲ, *Philippus autem*] Diaconus, ut censent veteres, rectè. Nam si Apostolus fuisset, imposuisset & manus baptizatis. Vide infra 14. In tali circumstantia Euangelium prædicare non Diaconorum tantùm est, sed & privatorum. Infra 11. 20. ¶ Κατελθὼν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας, *descendens in civitatem Samariæ*] Σαμαρεία [*Samaria*] eo tempore de regione sæpissime dicebatur, Luc. 17. 11. supra 1. 8. infra 8. 9. & 15. 3. Itaque rectè hic & Joh. 4. 5. dicitur πόλις τῆς Σαμαρείας [*civitas Samariæ*] urbs *Sebaste*, olim anathemate devota per Esdram & Nehemiam, nunc in communem gratiam recepta.

6. Ἐν τῷ ἀκούειν αὐτοὺς, *audientes*] Quia audiebant tam seriò ac constanter asseverantem res actas. ¶ Καὶ βλέπειν τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει. *& videntes signa quæ faciebat*] Quæ ipsi auctoritatem conciliabant maximam.

7. Βοῶντα, *clamantes*] Nempe αὐτὰ τὰ πνεύματα [*ipsi spiritus.*] Frequens enim est Hebræis ut subintelligatur novus casus nominis quod præcessit. Solent impuri spiritus non exire sine clamore, Matth. 8. 29. Marc. 1. 26. & 3. 11. & 5. 7. & 9. 26. Luc. 4. 41.

9. Λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, *dicens se esse aliquem magnum*] Potentem & efficacem. Scholiastes Horatii ad epistolam 1. libri 2, *Quasi magus promittat se agere magna.* Vide supra 5. 36.

10 Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη, *Hic est virtus illa Dei magna*] In Manuscripto cujus sæpe memini, ἡ καλουμένη μεγάλη [*quæ vocatur magna.*] Quomodo legit Latinus. Justinus, Καὶ σχεδὸν πάντες μὲν Σαμαρεῖς, ὀλίγοι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἔθνεσιν, ὡς τὸν πρῶτον Θεὸν ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες προσκυνοῦσι [*Ac Samaritani prope omnes, ex aliis autem nationibus etiam perpauci, illum, quasi primum Deum esse confitentes, adorant.*] *Dicebat Simon se esse sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater*; Irenæus 1. 20. Tertullianus, aut quisquis est scriptor ejus particulæ quæ subjici solet libro Tertulliani De præscriptione adversùs hæreticos, de Simone hoc agens, *Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum.* Sensus est, Dicebat Simon se esse id Numen quod in quaque gente summum creditum variis vocabulis appellaretur; ut apud Samaritanos אדני [*Adonai,*] apud Græcos Δία, apud Latinos *Jovem*, & ita deinceps.

11. Ταῖς μαγείαις, *magiis*] Satanæ præstigiis.

12. Τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, *de regno Dei*] De regno illo quod hic inchoatur, consummabitur post resurrectionem. ¶ Ἐβαπτίζοντο ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες. *baptizabantur viri & mulieres*] Nisi baptismus aquæ creditus fuisset præcepti esse Divini, abstinuissent ab eo feminæ.

13. Αὐτὸς ἐπίστευσε, *ipse credidit*] Credidit Christum fecisse miracula & resurrexisse à morte: non autem propositum addidit vivendi secundùm Christum, quæ fidei est perfectio. ¶ Ἦν προσκαρτερῶν τῷ Φιλίππῳ, *adhærebat Philippo*] *Assiduus apud eum erat.* Vide supra 1. 14. & 2. 42, 46. & 6. 4. infra 10. 7. Rom. 12. 12. Coloss. 4. 2.

15. Προσηύξαντο περὶ αὐτῶν, ὅπως λάβωσι πνεῦμα ἅγιον. *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum*] Promissus quidem erat Spiritus Sanctus iis qui baptizabantur, sed non ilico atque baptizati essent, sed ubi Deo id videretur. Voluit autem Deus ordinariè non contingere baptizatis dona illa admiranda, nisi per Apostolos, ut ea ratione testibus suis auctoritatem quàm maximam conciliaret, quod ipsum simul ad retinendam Ecclesiæ unitatem pertinebat.

16. Οὔπω γὰρ ἦν ἐπ' οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκὸς, *Nondum enim in quenquam illorum supervenerat*] Vide Joh. 7. 39.

17. Τότε ἐπετίθουν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτοὺς, *Tunc imponebant manus super illos*] Vide quæ diximus ad Matth. 9. 18.

20. Τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν, *pecunia tua tecum sit in perditionem*] In hoc commate & quatuor sequentibus est περίφρασις [*circumlocutio*] ejus devotionis quæ fiebat per חרם חרם [*anathema*] sine definitione temporis: Sensus autem est, *pecunia ista tibi maneat tuo cum malo.* ¶ Ὅτι τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. *quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*] *Sperasti comparare pecuniis id quod donum est Dei.* Vide Matth. 10. 8.

21. Οὐκ ἔστι σοι μερὶς, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto*] Vitæ illius æternæ, quam nos prædicamus, *Tibi neque pars neque ministerium debetur.* μερὶς [*pars,*] ut 2 Cor. 6. 15. κλῆρος [*sors*] nempe διακονίας [*ministerii,*] ut supra 1. 17. ¶ Ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *cor enim tuum non est rectum coram Deo*] Tu enim non Dei honorem quæris: & id Deus videt.

22. Μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς κακίας ταύτης, καὶ δεήθητι τοῦ Θεοῦ, εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου. *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*] Hæsitanter loquitur, ut Joel. 11. 14. Jon. 3. 9. Dan. 4. 27. Poterat Deus vitam illi statim post crimen abscindere: poterat & dare dolorem aliquem sine vera animi emendatione. Philo allegoriis, Πολλαῖς γὰρ ψυχαῖς μετανοίᾳ χρῆσθαι βουληθείσαις οὐκ ἐπέτρεψεν ὁ Θεὸς, ἀλλ' ὥσπερ ὑπὸ παλιρροίας εἰς τοὔμπαλιν ἀνεχώρησαν [*Multis enim animabus pœnitentiam expetentibus non concessit Deus, sed tanquam æstu resiluo abreptæ sunt retrorsum.*] Eadem est sententia Mosis Maimonidæ De pœnitentia cap. 6. §. 4. Christiani primorum sæculorum in gravissima crimina post baptismum lapsos non restituebant communioni, neque tamen desperare jubebant de Dei misericordia ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου, [*cogitatio cordis tui*] Consilium quod cepisti. Habes vocem ἐπινοίας [*cogitationis*] Sap. 6. 16. & 9. 14. & 14. 12. & 15. 4. Sir. 40. 3. 2 Macc. 12. 46.

23. Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας, καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα. *In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse*] Εἰς [*in* cum accusativo] pro ἐν [*in* cum ablativo] χολὴ πικρίας [*fel amaritudinis,*] quæ χολὴ καὶ πικρία [*fel & amaritudo*] Deut. 29. 18. est *fel amarissimum.* Id verò significat animi constitutionem perquam vitiosam, & talem, quales sunt cibi felle corrupti. Idem est σύνδεσμος ἀδικίας, *nodi vitiorum vix extricabiles.* σύνδεσμος ἀδικίας [*obligatio iniquitatis*] est in Hebræo Esaiæ 58. 6.

24. Δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Κύριον, *Precamini vos pro me ad Dominum*] Sensit se talem esse intus, qualem Apostoli dixerant. Itaque cùm ipsos judicet Deo charos, eorum deprecatione uti vult, ut Jobi deprecatione qui eum læserant. ¶ Ὅπως μηδὲν ἐπέλθῃ ἐπ' ἐμὲ ὧν εἰρήκατε. *ut nihil veniat super me horum quæ dixistis*] Respicit ad illa verba Petri supra 20.

25. Πολλάς τε κώμας τῶν Σαμαρειτῶν εὐηγγελίσαντο, *& multis regionibus Samaritanorum euangelizabant*] Εὐαγγελίζεσθαι [*euangelizare*] cum accusativo personæ ad quam defertur nuntius, habes etiam in Græco Joel 2. 32. Luc. 3. 18. Apoc. 14. 16.

26. Εἰς Γάζαν· αὕτη ἐστὶν ἔρημος. *in Gazam; hæc est deserta*] Hebraismus, pro, *quæ est deserta.* Gaza vetus ab Alexandro disjecta, adhuc Strabonis tempore erat μένουσα ἔρημος, quæ sunt ipsius Strabonis verba. Sed alia sub ejus nomine ædificata est in proximo, ut ex libro locorum, qui Hieronymi esse creditur, notavit Drusius.

27. Ἀνὴρ Αἰθίοψ, *vir Æthiops*] Eunuchi *viri* dicuntur, quòd virorum habeant speciem. ¶ Εὐνοῦχος, *Eunuchus*] Terentius,

Eunuchum porrò dixti velle te,
Quia solæ utuntur his Reginæ.

Nempe ad evitandas suspiciones. Impletum hîc mysticè id quod dixit Esaias 56. 4. 5. & quod est in Psal. 72. 10. ¶ Δυνάστης Κανδάκης τῆς βασιλίσσης Αἰθιόπων. *Potens Candaces Reginæ Æthiopum*] Meroes quæ Æthiopiæ accensetur, & erat γυναικοκρατουμένη [*feminarum imperio subjecta.*] Nomen *Candaces* ab Augusti ævo ad Vespasiani ævum ad Meroes Reginas transiit, ut discimus ex Strabone 17. Plinio 6. 29. ¶ Ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς, *qui erat super omnes gazas ejus*] Dynastæ vocem generalem specialiùs explicat, significans fuisse Γαζοφύλακα [*Gazæ custodem,*] quod inter præcipua est munera ¶ Ὃς ἐληλύθει προσκυνήσων εἰς Ἱερουσαλήμ. *qui venerat adorare in Jerusalem*] Tempore Pentecostes. Venit autem ut proselytus. Nam incircumcisorum primitiæ Cornelius.

28. Ἦν τε ὑποστρέφων, *& revertebatur*] Sacris confectis redibat ad Meroen. ¶ Καὶ καθήμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος αὐτοῦ, *sedens*

dens super currum suum] Ut mos viris magnis, Esaiæ 22. 18.

29. *Κολλήθητι τῷ ἅρματι, adjunge te ad currum*] Tam propè accedit, ut illum in curru sedentem alloqui possit. Sic *κολλήθητι* [*adjunge te*,] Ruth. 2. 8.

30. *Ἀναγινώσκοντος τὸν Προφήτην Ἡσαΐαν, legentem Esaiam Prophetam*] Clara voce. ¶ *Ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; Putasne intelligis quæ legis?*] Allusio qualis in illo *ἀνέγνων ἔγνων* [*postquam legissem intellexi.*] *Satisne percipis quò tendant quæ legis?*

31. *Πῶς γὰρ ἂν δυναίμην, ἐὰν μήτις ὁδηγήσῃ με; Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*] Non putabat tam perspicuam ubique esse Scripturam & expositum omnibus habere sensum, ut nunc faciunt non sellularii tantùm, sed & feminæ: qui rectiùs facerent, si duce sibi opus esse agnoscerent. ¶ *Παρεκάλεσέ τε τὸν Φίλιππον ἀναβάντα καθίσαι σὺν αὐτῷ, Rogavitque Philippum ut adscenderet & sederet secum*] Impletum & hîc mysticè quod dixit Esaias 66. 20.

32. *Ἡ δὲ περιοχὴ τῆς γραφῆς, Locus autem Scripturæ*] Περιοχὴ [*Periocha*] idem est quod *περίοδος* [*periodus:*] nec quicquam commune habet cum Hebræo פרשה [*Parascha,*] præter fortuitam soni vicinitatem. Cicero ad Atticum, *Ne Tironi quidem dictavi, qui totas periochas persequi solebat.* ¶ *Ὡς πρόβατον, Tanquam ovis*] Locum hunc totum ex LXX protulit Lucas; nisi quod in LXX est *κείροντος αὐτὸν* [*tondente se,*] & post *στόμα* [*os*] non adscribitur *αὐτοῦ* [*suum,*] nec post *ταπεινώσει* [*humilitate,*] & *τὴν γενεὰν* [*generationem*] ibi est sine *δὲ* [*autem;*] sed hæ duæ postremæ varietates non sunt in Manuscripto, qui hîc consonat versioni Græcæ. Utitur eodem loco, sed longiùs producto Clemens in epistola. Ipsum Eunuchum puto Prophetæ locum legisse in sermone Hebræo, quem faciliùs addiscere potuit à multis Judæis qui in Æthiopia erant, à quibus & religionem acceperat.

33. *Ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη. In humilitate judicium ejus sublatum est*] Legerunt LXX בעצר משפטו לקח [*in angustia judicium suum accepit.*] Sensus tunc esset, *Postquam depressus fuit, ablata est ab eo pœna.* ¶ *Τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; generationem ejus quis enarrabit?*] Γενεὰ Græcis, ut דור Hebræis *durationem* significat sive *tempora*, quæ mensuræ sunt durationis. Vide Esaiæ 34. 10, 17. & 51. 8. Explica ex Hebr. 7. 24. ¶ *Ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ. quoniam tollitur de terra vita ejus*] Propter mala tolerata honorabitur summis illis præmiis.

34. *Περὶ ἑαυτοῦ, de se*] Nam & Esaias multa pertulit mala Manassis tempore. ¶ *Ἢ περὶ ἑτέρου τινός; an de aliquo alio?*] Fortè de Jeremia cogitavit.

35. *Εὐηγγελίσατο αὐτῷ τὸν Ἰησοῦν, euangelizavit illi Jesum*] In quem omnia ista verba congruunt, eximio modo.

36. *Κατὰ τὴν ὁδὸν, per viam*] *Per viam stratam.* Sic כברת Gen. 35. 16. vertit Aquila *καθ' ὁδὸν τῆς γῆς* [*per viam terræ.*] Meminit Hieronymus in locis Hebraicis & ad Genesin, interpretaturque *in itinere*, & *juxta viam.* ¶ *Ἦλθον ἐπί τι ὕδωρ venerunt ad quandam aquam*] Ad fontem qui est in vico Bethsora, in tribu Juda, euntibus ab Ælia ad Hebron in vigesimo lapide. Ita Ado in Martyrologio. ¶ *Τί κωλύει με βαπτισθῆναι; quid prohibet me baptizari?*] Hinc intelligimus Eunuchum etiam de Baptismi necessitate institutum. Sic multa præcedentium ex subsequentibus supplentur.

37. *Εἶπε δὲ Φίλιππος, Dixit autem Philippus*] In Manuscripto illo, cujus sæpe memini, deest hoc comma, non minùs quàm in aliis tum codicibus, tum versionibus antiquissimis: quare nihil probabilius, quàm ab aliquo additum; ex eo quod gestum credi par erat.

38. *Καὶ ἐβάπτισεν αὐτόν. & baptizavit eum*] Ergo & Diaconis jus baptizandi, nempe quia Apostoli ipsis id permiserant, ubi ipsi non adessent. Ignatius ad Smyrnenses, *οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε προσφέρειν* [*nec baptizare licet sine Episcopo, nec offerre.*] Tertullianus de Baptismo, *Superest ad concludendam materiolam, de observatione quoque dandi & accipiendi Baptismum commonefacere. Dandi quidem habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. Alioqui etiam Laicis jus est: quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi Episcopi jam aut Presbyteri aut Diaconi vocantur discentes. Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde & Baptismus, æquè Dei census, ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis Laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit? Cum ea Majoribus competant, ne sibi adsumant dicatum Episcopis officium Episcopatûs. Æmulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cùm urget circumstantia periclitantis.*

39. *Πνεῦμα Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον, καὶ οὐκ εἶδεν αὐτὸν οὐκέτι ὁ Εὐνοῦχος. Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus*] Manuscriptus ille vetus sic habet, *πνεῦμα ἅγιον ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν Εὐνοῦχον, ἄγγελος δὲ Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον καὶ οὐκ εἶδεν* [*Spiritus Sanctus cecidit super Eunuchum; Angelus autem Domini rapuit Philippum & non vidit,*] &c. quomodo & alios quosdam habere codices notatum Erasmo & Bezæ: & sic citat ipse Hieronymus Dialogo Orthodoxi & Luciferiani. Difficile est dicere utra lectio sit verior, cùm receptam sequantur & Syrus & Arabs. Si Manuscriptos, quos dixi, sequimur, sensus erit, Ante ullam manuum impositionem anticipatum in Eunucho donum Spiritûs Sancti, planè ut in Cornelio Centurione & domesticis ejus ante Baptismum infra 20. 44. Philippum autem ab Angelo fuisse aliò deportatum, quale quid Abacuco evenisse credidit Scriptor accessionis ultimæ ad Danielem. ¶ *Ἐπορεύετο γὰρ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ χαίρων. ibat autem per viam suam gaudens*] Illud *ἐπορεύετο γὰρ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ* [*ibat autem per viam suam,*] causam reddit cur Philippum Eunuchus ultra non viderit, quia suam viam insistebat Eunuchus: Philippus aliò auferebatur. Illud autem *χαίρων* [*gaudens*] obiter tantùm additur, significatque tranquillitatem animi quam Eunuchus ille ex Euangelii notitia erat consecutus.

40. *Φίλιππος δὲ εὑρέθη εἰς Ἄζωτον. Philippus autem inventus est in Azoto*] Rursum *εἰς* [*in* cum accusativo] pro *ἐν* [*in* cum ablativo,] ut supra 23. *εὑρέθη* [*inventus est,*] id est, *conspectus fuit.* Sic מצא pro *conspicere* habemus Gen. 4. 14, 15. & alibi sæpe. Itaque & per *ἰδεῖν* [*videre*] vertitur Jerem. 23. 2. Thren. 2. 9. ¶ *Εὐηγγελίζετο τὰς πόλεις πάσας, euangelizabat civitatibus cunctis*] Eadem constructio quæ supra 25. ¶ *Ἕως τοῦ ἐλθεῖν εἰς Καισάρειαν. donec veniret Cæsaream*] Cæsaream quæ Stratonis dicitur, & non longè abest ab Azoto. Vide Ptolemæum.

PRICÆUS.

Com. 1. Ἦν *συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ*] Atque ità ejusdem culpæ cum cæteris affinis.

—— *Facinus quos inquinat, æquat.*

Tertullianus in de Idololatr. *In nullo necessarius esse debeo alii, cum fecit quod mihi non licet.* Lactantius, Epit. cap. 4. & de spectaculis gladiatoriis, *Non potest esse immunis à sanguine qui voluit effundi: aut videri non interfecisse qui interfectori favit.* Cyprianus, *Non est immunis à scelere qui ut fieret imperavit: nec alienus est à crimine, cujus consensu, licèt non à se, admissum crimen publicè legitur.* Συνευδοκεῖν (quæ vox etiam infrà 22. 20. in hac ipsa narratione occurrit) est quod 26. 10. *ψῆφον καταφέρειν.* Luc. 23. 51. *Τῇ πράξει συγκατατίθεσθαι.* Lucianus in Dial. mort. *συνελάμβανεν ἐπὶ θανάτῳ* dixit. Glossarium, *Concentit*, *συνευδοκεῖ.*

Com. 2. *Συνεκόμισαν δὲ τὸν Στέφανον ἄνδρες εὐλαβεῖς*] Εὐσεβεῖς, *καὶ τὸν θεὸν φοβούμενοι*, ut infrà 10. 2. de Cornelio dictum: vel *τὴν τοῦ θεοῦ βασιλείαν προσδεχόμενοι*, ut Marcus in re non absimili 15. 43. Et forsan sectatores ejus. Vide ad Matth. 27. 58. dicta. *Συνεκόμισαν* qui *extulerunt* vertebant, exponebantque *humeris exportaverunt*, videntur dupliciter falsi: nam nec Lucas *ἐκκομίζειν* dixit, nec hic *συγκομίζειν* aliud quàm *curare* est, ut rectè & eruditè accepit Vetus Interpres. Terent. *Curabat unà funus* Lactant. 1. 11. *In Creta vitam commutavit, &c. eumque Curetes filii curaverunt.* Hesychius, Κόμιζε, *ἐπιμελείας ἀξίου.*

Com. 3. *Ἐλυμαίνετο τὴν ἐκκλησίαν*] *Devastabat*, ut bene Vulgatus. Gloss. *Λυμαίνομαι, devasto.* Vide Galat. 1. 13, & 23. Cato apud A. Gellium, *Succidias humanas facis, decem funera facis, decem capita libera interficis. Lanienam civium exercere* 3. Apuleius dixit.

Ibid. *Κατὰ τοὺς οἴκους εἰσπορευόμενος*] Vetus *per domos intrans*, Recentior *domatim iens*; at meliùs vir summus, *irrumpens in ædes:* nimirum ut solent ii qui jussa Magistratuum exsequuntur. *οἱ μετ' ἐξουσίας καὶ ἐπιτροπῆς πορευόμενοι*, ut infrà 26. 12. hic idem de seipso loquitur. Apuleius 3. *Nec mora, cum magna irruptione patefactis ædibus, magistratibus eorumque ministris, &c. cuncta completa.*

Ibid. *Σύρων τε ἄνδρας καὶ γυναῖκας*] In Excerptis Joannis Antiocheni, *ποικίλαις τιμωρίαις αἰκίζων ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας.* Notetur autem in hac re verbi *σύρειν* concinnitas. Arrianus 1.

29.

29. in Epictetum, Σύρη εἰς τὸ δεσμωτήριον. Vide & infrà 17. 6. Seneca cap. 14. de Tranquill. *Centurio periturorum agmen trahens.* Apuleius ubi suprà, *Statimque lictores duo de jussu Magistratuum immissâ manu trahere me non sanè renitentem.* Seneca Controvers. 2. 5. *Trahebantur matronæ, rapiebantur virgines.* Ammianus lib. 29, *Ex præjudiciis variis (quæ diebus ac noctibus exercebantur) plures à disjunctissimis regionibus trahebantur.*

Ibid. Παρεδίδου εἰς φυλακὴν] Infrà 26. 10. in hoc eodem argumento, φυλακαῖς κατέκλεισα.

Com. 5. Εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας] Id est, *in urbem Samariam.* Virgil. 1.

Venturum excidio Libyæ. ——

Servius, *Carthaginis, & provinciam pro civitate posuit.* Idem ad initium libri, *Plerumque Poetæ pro civitate vel Regionem vel Provinciam ponunt.*

Com. 6. Προσεῖχόν τε οἱ ὄχλοι τοῖς λεγομένοις ὑπὸ τοῦ Φιλίππου ὁμοθυμαδὸν, ἐν τῷ ἀκούειν αὐτοὺς καὶ βλέπειν τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει] Credebant ob miracula quæ ab eo edi videbant. Vide infrà com. 13. & adde Joh. 2. 23. & 4. 39, 53. & 7. 31. & 10. 14, 42. & 11. 45. & Scriptorem Judithæ 14. 6.

Com. 9. Μαγεύων] *Miracula præstigiis circulatoriis ludens* Tertullianus diceret. Glossarium, *Circulo*, μαγεύω. Simile Apoc. 20. 3. πλανᾷν τὰ ἔθνη.

Ibid. Καὶ ἐξιστῶν τὸ ἔθνος, &c.] *Obstupefaciens.* Virgil.

—— *Stupet inscia turba.*

Erasmus non ità malè, *dementans.* Plaut.

Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum;
Qui perversè perturbavit familiæ mentem meæ.

Obstupidos autem eos variis modis detinebat Simon, nunc artis nefandæ ludibria pro miraculis venditans; nunc [illegible] religiones objiciendo; nunc ambiguè consulentibus respondendo: nunc susurris, & nominum formidabilium sono circumstantes percellens. Horatius,

—— *Falsis terroribus implet,*
Ut Magus. ——

Apuleius 2. *Chaldæus quidam hospes miris totam civitatem responsis turbulentat.* Lucianus de Alexandro Pseudomante, Φωνάς τινας ἀσήμους φθεγγόμενος, &c. τοὺς ἀνθρώπους ἐξέπληττε. Epiphanius in hac historia φαντασιάζειν dixit, τῶν Σαμαρειτῶν γένος μαγγανείαις ἐφαντασίαζε.

Ibid. Λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν] Scholiastes vetus Horatii ad lib. 2. Epist. ult. *Magos dicimus, quasi magnos, à magnis rebus quas se perficere posse jactant.* Et nota hic, λέγων ἑαυτὸν, &c. Virgilius 9.

—— *Ingentem sese clamore ferebat:*

ubi Servius, *Non erat ingens, sed se esse ingentem clamabat.* Sic & Apoc. 2. 20. τὴν λέγουσαν ἑαυτὴν προφῆτιν. Suidas, Κατωδμενός, ὀνομάζων ἑαυτὸν μέγαν, καὶ φυσῶν, ὑπερήφανος. Simplicius in cap. 48. Epict. Ὡς μεγάλων ὄντων τινῶν, ἀπὸ τῆς δόξης αὐτῶν ἠρτήμεθα. Hippolitus in Homil. περὶ κόσμ. συντελ. ex Antichristi persona, Τίς δυνάστης μέγας ὡς ἐγώ; τίς θεὸς μέγας πλὴν ἐμοῦ; & pòst de eodem, ὅτι βασιλεὺς μέγας ἐπὶ τῆς γῆς γέγονεν.

Com. 10. Ὧ προσεῖχον πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου] Προσέχειν (nec id ineptè) exponas, *intenti ora tenebant*; nimirum quoties ad aliquod artis suæ se specimen accingeret. Apuleius ubi suprà, *Venerabili schemate facies ac studia præsentium ad miraculum tantum certatim arrexit.* Quo sensu & Hesychius, Ἐπικεχήνασι, προσέχουσι. At rectiùs ᾧ προσεῖχον hic vertas, *cujus præceptis responsisque attendebant.* Τοῖς ὑπ' αὐτοῦ λεγομένοις, ut suprà com. 6. & infrà 16. 14. Vide & 1 Tim. 1. 4. & 4. 1. Tit. 1. 14. Hebr. 2. 1. 2 Pet. 1. 19. Josephus Bell. Jud. 7. 31. de Jonatha factionariorum Duce, Οὐκ ὀλίγους τῶν ἀπόρων ἀνέπεισε προσέχειν αὐτῷ, καὶ προήγαγεν εἰς τὴν ἔρημον. Quod verbi omnibus his locis cum effectu (sequendi nempe & obediendi) intellige. Onomasticon vetus, *Obtempero*, προσέχω. Ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, ut infrà 26. 22. Heb. 8. 11. Apoc. 11. 18. & 13. 16. & 19. 5, 18. & 20. 12. Plautus,

Interminatus est à minimo ad maximum.

Latini *ad unum omnes* dicunt.

Ibid. Λέγοντες, Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη] Non summum Numen (ut Viro insignissimo visum) se jactabat Simon, ἀλλὰ μέγαν τινὰ, suprà com. 9. nec verò se Θεοῦ δύναμιν, sed eum stolida multitudo prædicabat; quod vel ex voce λέγοντες manifestum: quin eam tamen se credi voluerit dubitandum non est. Οὗτός ἐστι δύναμις τοῦ Θεοῦ valet, ἐν τούτῳ ἡ τοῦ Θεοῦ δύναμις ἐνεργεῖται nam hic μετάληψις est. Vide suprà ad 4. 33. notata. Sic de Christo Justinus Martyr, Λόγος αὐτοῦ (Θεοῦ) ὑπάρχων, καὶ πρωτότοκος, καὶ δύναμις. De eodem ad Luc. 1. Theophylactus, Δύναμίς ἐστι καὶ βασιλεία τοῦ πατρός. Vide & 1 Cor. 1. 24. Lactantius 4. 15. sine sermonis figura, *Maximas virtutes cœpit operari, non præstigiis magicis, &c. sed vi ac potestate cælesti.* Idem Justinus, Οὐ γὰρ σοφιστὴς ὑπῆρχεν, ἀλλὰ δύναμις Θεοῦ ὁ λόγος αὐτοῦ ἦν. Iterum, Ταῦτα ἀνθρώπου οὐ δοκεῖ τὰ ἔργα, ταῦτα δύναμίς ἐστι τοῦ Θεοῦ· id est, *per Dei summi vim ac potentiam effecta.* Cicero 2. de Nat. Deorum, *Quicquid magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud quod erat à Deo natum nomine ipsius Dei nuncupabant, (ut cùm fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum, &c.) tum autem res ipsa in qua vis inest major aliqua sic appellatur, ut ex ea ipsa vis appelletur Deus: ut Fides, Mens, Virtus, Honor, Salus, Concordia, quorum omnium quia vis tanta erat ut sine Deo regi non posset, ipsa res Deorum nomen obtinuit.* Illustris ad hunc Lucæ illustrandum locus, & quo vocabulum *vis* bis ter repetitum habemus.

Ibid. Ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη] Hàc ipsâ loquendi formâ & Virgilius,

Nate, meæ vires, mea magna potentia ——

Com. 11. Ταῖς μαγείαις ἐξεστακέναι αὐτοὺς] Vulgatus *quod magiis suis dementasset eos*: i. e. à recto mentis statu dimovisset, vel deturbasset. In vetere Onomastico, *Demento*, ἐξιστῶ· ubi *quem* vel *aliquem* supplendum. *Demento* autem intransitivæ significationis est (ut in eodem Onomastico) παραφρονῶ. Lucretius,

—— *Dementit enim, deliràque fatur.*

Apuleius in Apologia, *Et ex eo sacro* (magico) *cœpisse dementire.*

Com. 13. Ἦν προσκαρτερῶν τῷ Φιλίππῳ] Sectabatur eum, jugiter & assiduè attendebat prædicationi ejus. Et est inter bene Græcas locutiones ista. Posidonius 5. Athenæi, Ἐν τῇ Ἑρμείας τοῦ Περιπατητικοῦ σχολῇ διέτριβε, προσκαρτερῶν τοῖς λόγοις.

Com. 20. Τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν, ὅτι τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων κτᾶσθαι.] *Neque enim pretio ulla res Dei constat*, Tertullianus in Apologetico. Δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε, Matth. 10. 8. Apud Achillem Tatium, ille, Τὰς χρυσᾶς ἔχε, καὶ φύλαττε τὰς χάριτας πιπράσκουσι. Non hic abludunt Menandri apud Stobæum ista,

Τ' ἀργύριον εἶναι, μειράκιον, σοὶ φαίνεται
Οὐ τῶν ἀναγκαίων καθ' ἡμέραν μόνον
Τιμὴν παρασχεῖν δυνατὸν, ἄρτων, ἀλφίτων,
Ὄξους, ἐλαίου, μείζονος τούτων δ' ἔτι·
Ἀθανασίας δ' οὐκ ἔστιν, οὐδ' ἂν συναγάγῃς
Τὰ Ταντάλου τάλαντ' ἐκεῖνα λεγόμενα.

Σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν est, *maneat tecum*, vel *penès te*, *in tuam perditionem.* In Eclogis Virgilianis,

—— *Quod nec bene vertat* ——

Servius, *Quæ res in perniciem vertatur ejus.*

Com. 21. Οὐκ ἔστι σοι μερὶς οὐδὲ κλῆρος, &c.] Locutio nullum jus in re qua de agitur notans. Josuæ 22. 25. Joh. 13. 8, & alibi. Apud Euripidem,

—— *Τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, ὧν σοι*
Κληρὸν βιότου μέρος ἐστίν.

Adde quæ infrà ad 20. 32. adducta.

Ibid. Ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ] Jer. 22. 17. Οὐκ εἰσὶν οἱ ὀφθαλμοί σου ὀρθοὶ, οὐδὲ ἡ καρδία σου καλή. Hinc Psal. 78. 8. γενεὰ ἥτις οὐ κατεύθυνεν τὴν καρδίαν ἑαυτῆς. Vide & locum Ecclesiastæ suprà ad 2. 40. allatum. Contrà

trà de Josia Rege Sirachides 49. 9. Κατεύθυνε πρὸς Κύριον τὴν καρδίαν αὐτοῦ.

Com. 22. Μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς, &c.] Apoc. 2. 5. Μνημόνευε οὖν πόθεν ἐκπέπτωκας, καὶ μετανόησον suprà 3. 19. Μετανοήσατε, καὶ ἐπιστρέψατε.

Ibid. Εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου] *Cogitatum cordis tui*, quo vel ipso æternæ pœnæ te obnoxium reddidisti. Servius ad Æn. 6. *Illic* (in Erebo) *sunt & qui fecerunt, & qui conati sunt*, Varro, *Actionum trium primus, cogitatus mentis, quod primùm ea quæ sumus facturi cogitare debemus: deinde tum dicere, ac postremo facere. De his tribus minime putat vulgus cogitationem actionem esse: tertium, in quo quid facimus, id maximum. Sed & cùm hoc agimus, & quod in eam rem cogitamus, in mente agimus*, &c. Εἰ ἄρα dubitantis est, nec omnem tamen spem veniæ præcidentis. Dan. 4. 22. Ἴσως ἔσαι μακρόθυμος τοῖς παραπτώμασί σου ὁ θεός. Ignatius ad Smyrnenses, Οὓς οὐ μόνον δεῖ ὑμᾶς μὴ παραδέχεσθαι, ἀλλ' εἰ δυνατόν ἐςι, μηδὲ συναντᾶν· μόνον δὲ προσεύχεσθαι ὑπὲρ αὐτῶν ἐάν πως μετανοήσωσιν, ὅπερ δύσκολον.

Com. 23. Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας, &c. ὁρῶ σε ὄντα] Pro ἐν χολῇ πικρίας, ut jampridem aliis animadversum. *Es* (inquit) *in felle amaritudinis*, id est, obrutus penitúsque immersus sepultúsque. Quam vehementem δεινότητα rectissimè hic agnovit non nemo ex Interpretibus. Eadem efficacia prorsus in Plautinis istis,

> *In melle linguæ sunt sita atque orationes*
> *Lactéque: corda felle sunt sita atque acerbo aceto.*

Quam emphasim cùm non perciperent illius Comici Expositores, pro *sita*, *lita* voluerunt (id est, *oblita*) substitui: sed nil mutandum putamus jam manifestum esse. Sic 1 Joh. 5. 19. ἐν τῷ πονηρῷ κεῖσθαι. Sic Seneca, *Ego in alto omnium vitiorum sum*: χολὴν πικρίας poteris per circuitum sermonis capere. Sic Virgilius sagittas Parthicas *veneni felle armatas* dixit. Ubi Servius, *Amaritudine veneni: aut περιφραστικῶς dixit venenum*. Sed major Lucæ verbis vis aderit, si simpliciter acceperis.

Ibid. Καὶ σύνδεσμον ἀδικίας] Sic Oseæ 13. συστροφὴ ἀδικίας. Sic olim Accius item in Agamemnone. *Animus quorum atroci vinctus est malitiâ*. Contrà Ephes. 4. 3. εἰρήνης σύνδεσμος. Potest hoc velle autem ista Petri locutio; Video te quasi lolium aut inutilem sarmentorum fasciculum jamjam igni destinatum. Subintellige, ni bonâ fide pœnitentiam emendares. Poscunt hunc sensum Simonis subsequentia verba, Δεήθητε, &c. ὅπως μηδὲν ἐπέλθῃ ἐπ' ἐμὲ ὧν εἰρήκατε. Vide & Matth. 13. 30. ubi & vox δήσατε. Nec alienum est quod de sacculo obsignato Job 14 17. habemus. Sic è converso ψυχὴ ἐν τῷ ζωῆς δεσμῷ ἐνδεδεμένη, 1 Sam. 29. 29.

Com. 24. Δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Κύριον, &c] Ad quæ ità apud Photium Eulogius, Οὐκ ἦν μετανοίας, οὐδὲ ἐνδιαθέτου φωνὴ, ἀλλὰ χλευῆς καὶ ἀπάτης· quibus minimè adsentiendum putamus. Eorum, ut piorum, preces Simon impetrare voluit. Vide locos quos ad Jacob. 5. 16. adduximus.

Com. 27. Εὐνοῦχος, δυνάστης Κανδάκης τῆς βασιλίσσης, &c.] Apud Reginas & primates feminas Eunuchorum frequens ministerium. Hieronymus ad Eustochium de Virgin. serv. *Quas Eunuchorum greges sequunt, in quarum vestibus attenuata in filum auri ramenta texuntur*. Idem ad Demetriadem, *Inter gemmas & sericum, inter Eunuchorum & puellarum catervas*. Et de Paula cùm jam seculo valefecisset, *Femina nobilis quæ prius Eunuchorum manibus portabatur, asellο sedens profecta est*, &c. Apuleius, ubi de mirifica matrona illa concubina sua, *Quatuor Eunuchi pulvillis ventosè tumentibus plumâ delicatâ terrestre nobis cubitum prasternunt*. Lampridius in Alexandro Severo, *Tertium genus hominum Eunuchos esse dicebat, nec videndum, nec in usu habendum à viris, sed vix à nobilioribus feminis*.

Ibid. Ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς] *Gaza regia custos*, ut loquitur Vitarum illustrium Scriptor in Datame. *Custodem regiæ pecuniæ*, Curtius lib. 5. dixit. Non alius 2 Maccab. 3. 7. ὁ ἐπὶ τῶν χρημάτων. Suidas, Καθεσάμενος, ἐπὶ τῆς γάζης τεταγμένος. Virgilius, *Troia gaza*: ubi Servius, *Persicus sermo est, & significat divitias*. Hesychius, Γάζαν, πλοῦτον.

Com. 30. Γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις;] 2 Cor. 3. 2. Γινωσκομένη καὶ ἀναγινωσκομένη.

Com. 31. Πῶς γὰρ ἂν δυναίμην ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ με;] Non abhorrentia Esai. 29. 12. vide. Lucianus cum Hermotimo suo disserens de Virtutis civitate, Ἀνάγκη ζητεῖν ὁδόν τε τὴν ἐπ' αὐτὴν, καὶ ἡγεμόνα τὸν ἄριστον· ἢ οὐκ οἴει σὺ ὄντα χρῆναι ποιεῖν: Hermotimus, καὶ πῶς ἂν ἄλλως ἔλθοι τις; Cicero Famil. 7. ad Trebatium suum, *Nunc jus civile vestrum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt, doctorem tamen lumenque desiderant*. Hinc de se A. Gellii ista 14. 2. *Libros utriusque linguæ de officio Judicis scriptos conquisivi, ut, & c. rem judiciariam, quoniam vocis, ut dicitur, vivæ nimia penuria erat, ex mutis, quod aiunt, magistris cognoscerem*. Ante πῶς hic quidam negantem particulam subjiciunt, quibus haud gravatè assentior. Euripides apud Plutarchum,

> Τὰ θνητὰ πράγματ' οἶδας ἣν ἔχει φύσιν;
> Δοκῶ μὲν, ὂν πόθεν γάρ; —— ubi plenam locutionem

habes. Contrà Luciani jam adducto loco inest affirmationis elleipsis. Si quis tamen potiùs γὰρ heic abundare dixerit, nec me adversantem habebit, nec in his libris exempla desiderabit.

Ibid. Παρεκάλεσέ τε τὸν Φίλιππον ἀναβάντα καθίσαι σὺν αὐτῷ] 1 Reg. 20. 33. Ἀναβιβάζουσιν αὐτὸν πρὸς αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα. Vide & 2 Reg. 10. 15.

Com. 32. Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη] Tacitus Annal. 4. *Pecorum modo trahi, occidi, capi*, &c. In vita Æsopi, Τὸ πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἐλκόμενον οὐ βοᾷ. *Ovem injuriæ patientem* etiam Phædrus dixit.

Ibid. Καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείραντος αὐτὸν, ἄφωνος, &c.] Virgil. 9.

> *Molle pecus, mutúmque metu* ——

Philo in De Mundi opificio Κριοὶ βρίθοντες βαθέσι μαλλοῖς ἀθόρυβοι κατὰ τὴν ἔαρος ὥραν, ὑπὸ ποιμένος κελευσθέντες ἵστανται μετ' ἠρεμίας, καὶ ἡσυχῇ κατακλίνοντες ἐμπαρέχουσιν ἀποκείρασθαι τὸ ἔριον.

Com. 36. Τί κωλύει με βαπτισθῆναι;] Tale illud,

> *Quid prohibet muros jacere, & dare civibus urbem?*

Com. 39. Πνεῦμα Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον] Vide 1 Reg. 18. 12. Ezech. 3. 14.

Ibid. Καὶ οὐκ εἶδεν αὐτὸν οὐκέτι] Ipsa verba LXX seniorum in non dissimili argumento 2 Reg. 12. 12.

Ibid. Ἐπορεύετο γὰρ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ χαίρων] Apud Josephum Antiquit. 8. 2. Τὴν πορείαν ἐποιοῦντο μετὰ χαρᾶς καὶ παιδιᾶς, ὕμνους εἰς θεὸν ᾄδων.

Com. 40. Φίλιππος δὲ εὑρέθη εἰς Ἄζωτον] Vide & 2 Reg. 12. 16. Suetonius de Augusto, *Infans adhuc repositus vesperâ in cunis à nutricula loco plano, posterâ luce non comparuit, & diu quæsitus, tandem in altissima turre repertus est*.

Ibid. Καὶ διερχόμενος] Hesychius, Διερχόμενος, περιερχόμενος, τεμνόμενος.

CAP. IX.

VALLA.

4 *Saule, Saule, quid me persequeris?*] Gr. *Saul*, *Saul*, Σαούλ, Σαούλ, & ratio dictat; quia sic Hebraicè vocabatur, quâ linguâ Dominus ad eum loquebatur. Nam de progenie forsitan Regis Saul erat; & ei Dominus exprobrabat nomen, quòd sic eum iste persequebatur ut Saul persecutus fuerat David, unde Christus oriundus. Et ità appellavit eum postea Ananias v. 17. inquiens, *Saul frater*, Σαοὺλ ἀδελφέ.

5. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

6. *Qui tremens & stupens dixit, Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum, Surge*] Non hic, sed inferiùs legitur, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*: quod est Gentilium quoque proverbium; ut apud Terentium, *Adversus stimulum calces*. Cætera verba nusquam inveni; sed hoc tantùm, *Surge*, &c.

7. *Viri autem qui comitabantur cum eo*] Nimis inculta oratio, nec planè Græco vocabulo respondens, συνοδεύοντες, quod dicendum erat, *qui cum eo iter faciebant*.

8. *Apertisque oculis nihil videbat*] *Neminem videbat* est Græcè. ¶ *Ad manum autem trahentes, introduxerunt Damascum*) Durum est verbum *trahere manibus*, quasi invitum & reluctantem: nec unâ tantùm *manu*, sed *manibus*, quasi multorum. Ego intelligo de una manu Pauli, quâ illum ducebant, vel unius doctoris. Græcè est hoc nomen cum verbo *duco* compositum, χειραγωγοῦντες: ergò transferendum erat, *manu autem illum ducentes*. Interpres videtur reformidasse geminationem ejusdem verbi, quia sequitur *introduxerunt*. Sed poterat transferri per verbum *ago*, quod etiam Græcum est.

Non

Non enim tam nunc dicitur *duco* quàm *ago*, ut ipsa vox indicat. Etiam magis dicendum erat *adduxerunt* quàm *introduxerunt*, εἰσήγαγον. *Introduci* autem is dicitur, non qui per iter ducitur, sed qui intromittitur quasi de janua vel porta in domum vel urbem. Id quod dixi de *trabo* etiam hic apparet durum esse, quod paulò antè dicitur, v. 2. *ut si quos invenires hujus viæ viros, vinctos perduceret in Hierusalem.* Cur non *pertraberet*, cùm sit idem verbum ? ἀγάγῃ. Meliùs igitur longè pòst 22. ... ubi hæc eadem res gesta narratur, *Ad manum deductus à comitibus veni Damascum*, χειραγωγούμενος.

31. *Ecclesia quidem per totam Judæam & Galilæam & Samariam habebat pacem & ædificabatur ambulans*, &c.] Plerique cod. habent, *Ecclesiæ habebant pacem, & ædificabantur ambulantes*, & item in sequente numero plurali, αἱ μὲν ἐκκλησίαι εἶχον, οἰκοδομούμεναι. καὶ πορευόμεναι.

32. *Factum est autem cùm transiret per fines illos universos*] Meliùs in his libris legitur ubi abest *fines illos*. De hominibus enim Euangelista loquitur, non de finibus, διὰ πάντων

36. *Quæ interpretata dicitur Dorcas*] Cur Græcum nomen posuit, non Latinum? Lucas Græcè loquens dixit *Tabitha*, quod est Hebraicum, transferri videlicet in Græcum *Dorcas*, quod Latinè dicitur *Caprea*, Δορκάς. Nisi fortè sic est hic factum ut in illo c. 10. 5. *Simonem qui cognominatur Petrus*, cùm *Petrus* sit Græcum nomen, non à Christo impositum, sed *Cephas*. Forsitan *Petrus* dici Latinum potest, sicut & *petra*, etsi à Græco deducta sint.

39. *Vestes quas faciebat illis Dorcas*] Gr. *quas faciebat dum erat cum illis Dorcas*, μετ' αὐτῶν οὖσα.

42. *Et multi crediderunt in Domino*] Gr. *in Dominum*, ἐπὶ τὸν Κύριον. ut appareat nihil interesse apud Interpretem inter *credere in Deo* & *credere in Deum*.

REVIUS in VALLAM.

4. SAUL, *Saul*] Hæc trajecta erant.

5. *Non hic, sed inferiùs legitur*, Durum est] Aliter in nostris cod. qui pro Vulgata faciunt: docebit Beza.

8. *Ad manum*] Lege *ad manus*. Ità enim habet Vulg. & hoc (pluralem dico numerum) Valla reprehendit.

36. *Dorcas, quod Latinè dicitur Caprea*] Martialis tamen ex his diversa lemmata facit Xenio 99. & 100. Viderint quibus otium est, inter alios, Bellonium, Observ. l. 1. c. 54. Hieronymus in Ezech. 12. p. 530. *damulam* interpretatur. Tralatitium *Dorcadis* nomen etiam est apud Josephum De bell. l. 4. c. 5. Ἰωάννην τινὰ πέμπουσι. Δορκάδος ἔτος ἐκαλεῖτο ταῖς κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶσσαν.

ERASMUS.

1. ADhuc *spirans*] Ἐμπνέων. Fortè pro ἔτι mutatum est ἐμ. In aliis habetur utrumque, ἔτι ἐμπνέων *etiamnum spirans*. Sed unde *minarum*? Neque enim ut dicimus, *Cupit te*, &, *Cupiens est tui*, ità dicere licet, *Vox non sonat hominem*, &, *Vox non est sonans hominis*; &, *Sapit vinum*, &, *Est sapiens vini*. Proinde meo judicio vertendum erat *spirans minas ac cædem*. ¶ *In discipulos Domini*] Apertius erat *adversùs discipulos Domini*.

2. *Hujus viæ viros*] Τῆς ὁδοῦ ὄντας *qui ejus essent sectæ*. Articulus enim pronominis vice fungitur hoc loco. Et pro *viæ* multi cod. habebant *vitæ*. ¶ *Viros ac mulieres*] Ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας *& viros & mulieres*, aut *seu viros seu mulieres*.

3. *Circumfulsit*] Περιήστραψεν *circumfulguravit*, si sic liceret loqui. Subitam enim lucem *fulgur* appellat.

4. *Saule, Saule*] Σαοὺλ, Σαοὺλ, *Saul, Saul*. Cùm Lucas alibi *Saulum* vocet ac *Paulum*, hic Hebræam vocem integram reliquit, quòd Christus illum Hebraicè compellarit, ut & ipse postea testatur: atque item Ananias, Σαοὺλ ἀδελφὲ, *Saul frater*. De quo nonnihil attingemus in Paulinis epistolis.

5. *Durum est tibi*] In plerisque Græcis cod. id non additur hoc loco, cùm mox sequatur, *Surge*, sed aliquantò inferiùs, cùm narratur hæc res. Neque rarò contigit ut scriba doctulus aliunde addat aliquid in spatiis quod pòst alius indoctior referat in contextum. Certè Chrysostomus hoc loco nullam mentionem facit hujus particulæ. Est autem Ethnicis in proverbio Πρὸς τὸ κέντρον λακτίζειν, *Adversùs stimulum calcitrare*. Translatum à Bubus aut aliis jumentis quæ stimulo incitantur, ut Equi calcaribus. In vetustioribus cod. nè hæc quidem habebantur, *Et tremens ac stupens dixit, Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum*. Tantùm est, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Surge, & ingredere*, &c.

7. *Qui concomitabantur cum illo*] Οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ, *qui iter faciebant cum illo*, sive *comites itineris*. Interpres nec Latinè locutus est nec Græco verbo respondit. ¶ *Stabant stupefacti*] Ἐνεοί. Græca vox indè facta est quòd *rei novitas hominem reddat attonitum*.

8. *Nihil videbat*] Οὐδένα ἔβλεπεν, *neminem videbat*. Apparet Interpretem legisse οὐδὲν ἔβλεπεν. ¶ *Ad manus autem illum trahentes*] Χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν, *manuducentes illum*. Quorsum enim opus erat *trahentibus* cùm spontè iret? Atque ità vertit ipse paulò pòst, *Ad manum autem deductus à comitibus*, c. 22. 11.

11. *In vicum qui vocatur Rectus*] Ἐπὶ τὴν ῥύμην. *Vicus* hoc loco non est pagus aut oppidulum (nè quis in hoc erret: nam id est Græcis κώμη) sed pars urbis. Civitas enim distinguitur in vicos, vici in vias, viæ in domos.

13. *Quanta mala fecerit sanctis*] Ὅσα *quot*, sive *quæcunque*. Item paulò pòst, *Quanta oporteat illum pro nomine meo pati*.

14. *Et hic habet*] *Hic* hoc loco adverbium est, non pronomen, ὧδε, i. in hac civitate.

15. *Vas electionis*] Σκεῦος. Ego maluissem *organum electum*. Quanquam *vasa* vet. omnis dicebatur supellex.

17. *Saule frater*] Σαοὺλ ἀδελφὲ, *Saul frater*: quòd consentaneum sit Hebraicè fuisse locutum Ananiam. *Ut videas*] Ὅπως ἀναβλέψῃς, *ut visum recipias*. Sic enim idem verbum paulò antè traduxerat.

18. *Ceciderunt ab oculis ejus*] Ἀπέπεσον *deciderunt*.

21. *Qui expugnabat*] Græcè militari est usus verbo: πορθεῖν enim Græcis est *urbem exscindere ac depopulari*. ¶ *Ut vinctos illos duceret*] Ὡς ἀγάγῃ, i. *ducat*, sive *pertrahat*, id quod mavult Valla.

22. *Et confundebat*] Non est hìc *pudefaciebat*, ut aliàs solet uti, sed συνέχυνε, h. e. *commovebat ac perturbabat, confirmans Jesum esse Christum*.

23. *Consilium fecerunt in unum*] *In unum* non reperio in libris Græcorum, quos ego sanè viderim; tantùm est συνεβουλεύσαντο. Nisi forte voluit exprimere vim præpositionis σύν.

25. *Submittentes in sporta*] Χαλάσαντες quod est *funibus ex alto pensilem demittere*, ut aliàs indicavimus.

28. *Intrans & exiens*] In Græcis exempl. tantùm reperio εἰσπορευόμενος *intrans*, ἐκπορευόμενος non invenio. Quanquam *ingrediens & egrediens* Hebraicà figurà dictum est pro *versans*, quomodo Latini dicunt *domi ac foris*. Itaque ex Commentariis qui Chrysostomi titulo leguntur adjeci καὶ ἐκπορευόμενος, quanquam hoc ad sensum minimum habet momenti. Arbitror autem alteram lectionem esse germanam.

29. *Fiducialiter agens*] Παῤῥησιαζόμενος, *liberè*, sive *cum fiducia*, *loquens*, aut *agens*: sed magis ad *sermonem* pertinet, unde & Græca dictio composita est. ¶ *Et disputabat cum Græcis*] Συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς, *disputabat adversùs Græcos*. Rursus usus est verbo *Hellenistæ*: significat enim Judæos ibi natos. Nondum autem erat tempus disputandi cum Gentibus. Cæterùm illud quod præcessit, *cum Gentibus*, in Græcis cod. non invenio, nè in Latinis quidem vetustioribus. ¶ *Quærebant eum occidere*] Græcis est ἐπεχείρουν, i. *conabantur*, sive *aggrediebantur*.

31. *Ecclesia quidem*] Αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι, *igitur Ecclesiæ quidem*, numero plurativo, quòd tum omnes congregationes Christianorum dispersæ dicerentur *ecclesiæ*, quæ tamen omnes in unam recidunt Ecclesiam.

32. *Dum transiret universos*] Quidam addunt hoc loco *fines*, sed perperàm, quandoquidem de hominibus sentit Lucas, non de locis.

34. *Sanet te Dominus*] Ἰᾶται. Poterat accipi & *sanat*, Indicandi modo, non Imperandi.

35. *Lydda & Assarona*] Λύδδαν καὶ τὸν Ἀσσάρωνα. Haud scio an hæc sit quam in Hebraicis Nominibus corruptè legimus *Accaron*, quam eandem quidam putarunt esse turrim Stratonis, postea *Cæsaream* nominatam. Vero proximum est, hanc esse regionem quam Hieronymus in Nominibus locorum appellat *Saronas*: id Hebræis sonat *campestrem regionem*. Est autem à Cæsarea Palæstinæ pertingens usque ad oppidum Joppen. Testatur suâ etiamnum ætate illic agrum fuisse pascendis gregibus aptum. Porro Joppe non longè aberat à Lydde. Quanquam est & altera ejusdem nominis regio inter montem Thabor & stagnum Tiberiadis, cujus meminit Esaias, *In paludes versus est Saron*. Verùm priorem fuisse eam de qua hic sentit Lucas, indicat Hieronymus.

36. *Nomine Tabitha*] Hoc certè loco *Tabitha* non potest esse verbum. Johannes Capnion *Thabiam* legendum esse pu-

tat; vocem enim Assyriam esse, quæ illis *capream* significat. Certè qui literas callent Hebraicas, fatentur hoc puellæ vocabulum nonnihil habere cognationis cum verbo *videndi*, quod illis dicitur חזה. Et Græcis item δορκὰς *caprea* à δέρκομαι *video* deducta est, quòd id animal acri oculorum acie putetur esse. Unde & qui sunt perspicacibus oculis ὀξυδερκεῖς vocantur. Cæterùm Laurentius maluit ab Interprete Latinam vocem fuisse redditam, nempe *Capream*. Nam Lucas *Dorcadem* interpretatur, sed Græcè scribens.

37. *Quam cùm lavissent*] Glossa Ordinaria submonet in quibusdam cod. scriptum fuisse *lavissent unguentis*. Sed more veterum primùm lavabant corpus, deinde ungebant. Quanquam probabile non est hic tantum sumptûs fuisse factum in Dorcade.

38. *Miserunt duos viros*] In plerisque Græcis cod. tantùm est ἀπέστειλαν *emiserunt*. In uno reperi δύο ἄνδρας ascriptum, sed in spatio marginali. ¶ *Nè pigriteris*] Sine causa mutavit personam, μὴ ὀκνήσῃ διελθεῖν ἕως αὐτῶν, *nè pigritaretur*, sive *nè gravaretur*, *pertransire usque ad sese*, sive *ad ipsos*.

39. *Quas faciebat illis Dorcas*] Ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα ἡ Δορκάς, *quas faciebat secum vivens Dorcas*, sive *quas faciebat dum cum ipsis esset Dorcas*.

42. *Et multi crediderunt Domino*] Ἐπὶ τὸν Κύριον, *in Dominum*. Unde apparet Interpreti nihil retulisse utrùm dicas *credere Domino* an *credere in Dominum*.

43. *Apud Simonem Coriarium*] Βυρσεῖ quod opificium non solùm plebeium verùm & sordidum habetur. O quantus hospes & Apostolici culminis Princeps apud cujusmodi diversatur hospitem? Nunc in immensum creverunt opes Ecclesiæ. Gratulandum est felicitati, si modò verè sita est in hoc Ecclesiæ felicitas, & si felicitati respondet pietas.

VATABLUS.

1. **M***inarum & cædis*] *Minas & cædes.*

2. *Hujus viæ*] i. Hujus doctrinæ & rationis vivendi.

3. *Et cùm autem*; vel, *inter proficiscendum autem*. ¶ *Circumfulsit*] *Circumfulguravit*; i. lux eâ celeritate cœlitus demissa quâ fulgur per aërem decurrit, circumdedit eum.

4. *Cadens*] *Cùm cecidisset*. ¶ *Saule, Saule*] *Saul, Saul*.

5. *Et ille*] *Dominus autem dixit*. ¶ *Stimulum*] *Stimulos*; q. d. calamitosum & damnosum erit tibi stimulanti te resistere.

7. *Comitabantur*] *Iter faciebant*. ¶ *Audientes quidem vocem*] Quidam putant sic scriptum fuisse à Luca, *Videntes autem lumen, neminem autem audientes*, ut concordet locus cum eo qui infrà cap. 22. scribitur, *Lumen quidem*, &c. Fortasse vocem Pauli hic intelligit, quem audierint quidem loquentem cum Jesu, vocem autem Jesu loquentis non audierint.

8. *Nihil*] *Neminem*. ¶ *Ad manus autem illum trahentes*] *Sed manu ducentes illum*.

12. *Vidit* *] * *Per visum*. ¶ *Recipiat*] *Reciperet*.

13. *Quanta*] Vel, *quot*, *quæcunque*, & infrà.

14. *Hic*] *Hoc loco*. ¶ *Invocant nomen tuum*] Heb. *colunt te*.

15. *Vas electionis*] Heb. Organum electum, vel homo selectissimus & præclarissimus.

17. *Saule*] *Saul*. ¶ *Ut videas*] *visum recipias*.

19. *Confortatus*] *Corroboratus*. ¶ *Fuit autem* *] * *Saulus*.

20. *Ingressus in Synagogas*] *In Synagogis*, Vet. ¶ *Jesum*] *Christum*, Vet.

21. *Expugnabat*] *Depopulatus est*, i. perdidit.

22. *Convalescebat*] *Corroborabatur*. ¶ *Confundebat*] *Commovebat ac perturbabat*. ¶ *Affirmans*] Ex collatione locorum docens ac probans. ¶ *Est*] *Esset*.

24. *Custodiebant autem &*] *Custodiebántque*.

26. *Cùm autem* *] * *Saulus*.

27. *Est*] *Esset*. ¶ *Fiducialiter egerit*] *Fortiter egisset*; i. magnâ fiduciâ ac loquendi libertate probasset Jesum esse Christum.

28. *Et erat cum illis intrans & exiens*] Heb. *Tunc cœpit versari cum illis*. ¶ *Fiducialiter agens*] *Et cum fiducia loquens*, i. liberè & intrepidè loquens de Jesu. Vetera legunt &. ¶ *Domini* *], *Jesu*.

29. *Cum Græcis*] Adversùs Græcos, i. Judæos ibi natos. Vide cap. 6. in principio. ¶ *Quærebant*] *Conabantur*, *aggrediebantur*.

30. *Deduxerunt*] *Emiserunt*.

31. *Ecclesia*] *Igitur Ecclesia*. ¶ *Habebat*] *Habebant*. ¶ *Ædificabatur ambulans*] *Ædificabantur ambulantes*; i. promovebant in Euangelio, Deum reveriti, Heb. ¶ *Replebatur*] *Replebantur*.

34. *Sanet*] *Sanat*, Vet. præs. pro præt.

35. *Sarona*] *Assarona*.

36. *Dorcas*] i. Caprea.

38. *Prope*] *Vicina esset Lydda Joppe*. ¶ *Nè pigriteris venire usque ad nos*] *Nè gravaretur pertransire usque ad sese*.

39. *Illis*] *Cùm esset cum ipsis*.

40. *Oculos* *] * *suos*, Vet.

41. *Assignavit*] *Exhibuit*.

CASTALIO.

7. **V***ocem audientes*] scil. Sauli: nam Christi quidem vocem non audiverunt, ut patet in cap. 22. 9.

31. *Religione*] *Domini metu*.

32. *Sanctos*] Christianos.

CLARIUS.

2. **H***Ujus viæ viros*] Nondum nomen habebat hæc Christi professio: nondum enim appellabantur *Christiani*. Antea ergò quàm vocarentur *Christiani*, cùm de hac professione sermo erat, appellabant *viam*. ¶ *Vinctos perduceret in Jerusalem*] Ut ubi initium acceperat hæc prædicatio, ibi acrior ultio exerceretur.

4. *Saul, Saul, quid me persequeris?* Priùs *Saul* vocabatur, deinde inclinatâ voce *Saulus*, ut à *Jacob*, *Jacobus*; demum ex consuetudine Romanæ vocis, *Paulus*.

5. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*] Proverbium est, q. d. Fortior te sum multò, si certare mecum libeat.

7. *Audientes quidem vocem*] *Audientes vocem* Sauli loquentis, *neque videntes* quicum loqueretur. Nam infrà 22. 9. dicitur *illos vocem non audisse ejus qui cum Paulo loquebatur*.

12. *Et vidit per visum virum*] Ut cùm veniret Ananias, certior fieret Paulus illum à Christo missum, quemadmodum Christus ei dixerat, *Surge, & ingredere civitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere*.

15. *Vas electionis*] Hebraismus est pro *vas electum*. Mos enim est Hebrææ linguæ uti denominationibus pro denominatis. Signum autem, inquit, quòd *vas mihi* quoddam *electum sit*, hoc esto, quòd *multa ei perferenda pro nomine meo proponam* ut aliquando dicat *se plus omnibus laborasse*.

18. *Tanquam squama*] Ingentem fuisse cæcitatem declarantes; nè quis putaret cæcitatem illam phantasiam fuisse. Et videtur cæcitas hæc illi immissa, à qua deinde sit liberatus, ut magis intelligeret Christi potestatem.

25. *Accipientes autem eum discipuli*] Jam discipulos habet Paulus: quæ res declarat ejus vehementiam & alacritatem prædicandi nominis Jesu.

26. *Cùm autem venisset Saulus Jerusalem*] Dubitatur hoc loco quomodo in epistola quidem ad Galatas dicit, *Non abii Jerosolymam, sed in Arabiam & Damascum*, & quòd *post tres annos ascenderit ut videret Petrum*, & quòd *alium neminem Apostolorum viderit*; hic verò contrarium dicit, quòd *Barnabas* scilicet *duxerit illum ad Apostolos*. Quod variis modis & Chrysostomus & alii Græci autores solvere conantur. Aut, inquiunt, hoc ait in epistola ad Galatas, *Se non abiisse ut conferret*: ait enim, *Non contuli, neque abii Jerosolymam*. Aut si non hoc, apparet has insidias in Damasco non continuò postea quàm credidit esse factas, sed post reditum ex Arabia, post annos tres. Quòd si nè hoc quidem, ipse quidem non abiit ad Apostolos, sed discipulis hærere tentabat ob modestiam, tanquam discipulus esset, non magister: Barnabas autem eum ad Apostolos ducit, & narrat quæ vidisset, ac quo pacto liberè prædicaret. Idcirco, inquit, *abii ut eos qui ante me erant Apostolos adirem: nihil tamen ab eis didici*. Vel hunc ascensum accipe hoc modo, Quòd abierit in Arabiam, deinde venerit Damascum, deinde Jerosolymam, deinde in Syriam. Sin neque hoc, Quòd rursus ascenderit Jerosolymam, postea Damascum sit missus, deinde in Arabiam, pòst Damascum iterum, indè Cæsaream, & tunc post quatuordecim annos ascenderit rursus Jerosolymam, fortasse cùm fratres duxit cum Barnaba. Vel certè aliud dicit tempus. Etenim Historiographus multa amputat, & multa congerit tempora. Ex eo autem quòd *Barnabas eum duxerit ad Apostolos*, videtur antea illi fuisse amicus. Erat enim dulcis: & facillimis moribus; quocirca & cognomen habebat, ut vocaretur *Filius consolationis*: & ob hanc causam facilem habuit ad eum accessum Paulus.

31. *Et*

31. *Et consolatione sancti Spiritûs replebantur*] Pulcrè. Nam ideirco *Paracletus* est appellatus Spiritus S. h. e. *Consolator*.

32. *Petrus dum transiret per universos*] Quemadmodum dux in exercitu obambulans considerat quæ pars sit coadunata, quæ ornata & instructa; quæ suâ præsentiâ egeat.

34. *Sanet te Jesus Christus*] Non exspectavit fidem viri, neque interrogavit num curari vellet: nondum enim suæ virtutis ostenderat signa. Jure igitur non exegit à viro fidem, sicut neque à claudo: maximè verò & ad multorum solatium factum est miraculum hoc; insignis enim erat vir. Sicut ergò Christus in signorum principio non exigebat fidem, sic neque isti. Hic verò primum hoc contigerat signum fieri: at signa alia fiebant attrahendi ad fidem gratiâ, alia ad credentium consolationem.

ZEGERUS.

1. SPirans minarum & cadis in discipulos] Tantundem est q. d. *anhelo spiritu ad exterrendos interimendósque Christi discipulos exæstuans*; vel ut Græca sonare possunt, *efflans iram & homicidium in Discipulos*.

7. *Audientes quidem vocem*] Non de Domini sed de Pauli duntaxat voce intelligendum hoc est, alioqui contrarium erit ei quod infrà 22. 9. dicitur, *Vocem autem non audiebant ejus qui loquebatur mecum*.

9. *Et erat ibi tribus diebus*] *Ibi* non habet Chrysostomus, nec Beda, nec Smaragdus, nec editio Græca, nec aliquot exempl. Latina.

12. *Et vidit per visum*] Ipse Paulus scilicet. Nam quod postea re ipsâ accidit, id priùs, loquente ad Ananiam Christo, per visum Paulo ostensum est. Illum *per visum*, sive ἐν ὁράματι *in visione*, invenio apud Chrysostomum & in Græcorum Bibliis, at non item in nostris, nisi in paucis recèns recognitis.

14. *Et hic habet potestatem*] Græcè est ὧδε vox Loci significativa. Videtur tamen hæc vox tacitè & Locum & pariter Personam indicare.

20. *Et continuò ingressus in synagogas prædicabat*] Plerique cod. habent *in synagogis*, & Græci non addunt *ingressus*, quod nescio an subditium sit.

22. *Confundebat Judæos*] *Commovebat*, *perturbabat*, id enim est συνέχυνε, nè putes hîc esse *pudefaciebat*. Nihil tamen vetat quò minùs sic accipiamus, cùm utraque vox sic usurpetur à Theologis priscis, Irenæo, Cypriano, Hieronymo, &c. Vide Hieronymum in illud *Confundor in vobis*, Gal. 4.

23. *Consilium fecerunt in unum Judæi*] *In unum* plerique omittunt, tam recentes cod. quàm antiqui; additum tamen videtur ad explicandam vim præpositionis σὺν in συνεβουλεύσαντο

25. *Accipientes autem eum discipuli ejus*] Beda admonet *ejus* non esse in Græco, hoc ipso indicans, fuisse in Latino. Et *discipulos* intelligit non Pauli, quem putat tum needum habuisse discipulos, sed Christi sive Ecclesiæ. Verùm cùm in præcedentibus dicat Lucas quòd *multi dies completi fuerint*, h. e. tres anni (ut exponit Hieronymus in Gal. 1.) antequam insidiæ Paulo pararentur de quibus hic agitur, vix dubium est quin interim discipulos fecerit: ut sileam interim quòd *discipuli Pauli* per anticipationem dicti accipi possint, quòd tunc fuerint discipuli cùm hæc Lucas scriberet.

27. *Et quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu*] Sic lego in exempl. membranaceis.

29. *Loquebatur quoque cum Gentibus, & disputabat cum Græcis*] *Cum Gentibus* abest Græcis, atque item Latinis antiquis, suffragante lectione Chrysostomi simul & Bedæ. Sed nec additur à B. Hieronymo adducente hunc locum in Comment. ad Gal. 1.

36. *Tabita quæ interpretata dicitur Dorcas*] Chaldaicam vocem *Tabita* vel, ut aliis placet, *Tabia* (scribitur enim טביא) Euangelista Græcè interpretatur Δορκάδα, h. e. *Damam*, vel *Capram*.

H. STEPHANUS.

1. Ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου] *Spirans minas ac cædem*.

2. Τῆς ὁδοῦ ὄντας] *Hujus sectæ*.

3. Περιήστραψεν αὐτὸν φῶς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ] *Lux fulguri similis eum ambiit*: vel, *Lux tanquam fulguris eum circumdedit*.

5. Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν] *Durum est tibi contra stimulos calcitrare*. Est tibi malo tua contra stimulantem contumacia: vel, Hâc contumaciâ malum tibi quæris. Alioqui *Durum* pro *Difficile*.

7. Ἐνεοὶ] *Sic attoniti ut muti essent*: vel, *Muti præ stupore*.

8. Χειραγωγοῦντες] *Manu ducentes*.

10. Ἰδοὺ ἐγὼ] *Ecce me*: q. d. Præstò sum.

11. Ἐπὶ τὴν ῥύμην] *In vicum*.

12. Ὅπως ἀναβλέψῃ] *Ut visum reciperet*: vel, *recuperaret*.

15. Σκεῦος ἐκλογῆς] *Vas*, sive instrumentum, *electionis*] i. electum.

19. Ἐνίσχυσεν] *Vires recepit*.

21. Ὁ πορθήσας] *Qui grassatus est adversùs eos*.

22. Μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο] *Magis ac magis invalescebat*. ¶ Συνέχυνε] *Consternabat ità ut confusi animo essent*. ¶ Συμβιβάζων] *Astruens quasi ex quadam locorum Scripturæ coagmentatione inter se*.

25. Καθῆκαν διὰ τοῦ τείχους, χαλάσαντες ἐν σπυρίδι] *Demiserunt per murum, submissum in sporta*.

26. Κολλᾶσθαι] *Consociare se*: vel, *conjungere*.

27. Ἐπαῤῥησιάσατο ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ] *Liberè locutus esset in profitendo nomine Jesu*. Sic & v. 29.

28. Ἦν μετ' αὐτῶν εἰσπορευόμενος, καὶ ἐκπορευόμενος] *Cum illis assiduus erat*. Vel simpliciùs, *Cum illis versabatur*.

30. Ἐπιγνόντες δὲ] *Cùm autem id animadvertissent*.

31. Εἶχον εἰρήνην] *Quietæ erant*: vel *Tranquillitate fruebantur*.

34. Στρῶσον σεαυτῷ] *Sterne tibi lectum*.

38. Μὴ ὀκνῆσαι] *Nè gravaretur*: vel, *Nè cunctaretur*.

41. Ἀνέστησεν] *Erexit*.

43. Παρά τινι βυρσεῖ] *Apud quendam coriarium*.

DRUSIUS.

2. HUjus viæ] Τῆς ὁδοῦ ὄντας. Hic τὴν ὁδὸν appellat Christianismum, ut infra 19. 9. & alibi. Plenum esset *via DOMINI*: sic enim certè Lex olim vocabatur: nam ea ducit ad DOMINUM. Idem facit Euangelium; quocirca rectè *via* vocatur. Ut hic *via* pro *via DOMINI*, sic alibi *sermo* pro *sermo DOMINI*. Hoc sensu accipies Act. 22. 4 ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα *hanc viam persecutus sum*. Quidam *sectam* interpretantur. Act. 18. 26. vocatur *via Dei*, ἡ τοῦ Θεοῦ ὁδὸς

26. *Tentabat se adjungere discipulis*] Κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς, *firmiter iis adhærere, ut quæ glutine juncta sunt*. De quo dictum est supra 5. 13. Vide si placet, & si vacat.

27. *Barnabas*] Act. 4. 36. Ἰωσῆς ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας ὑπὸ τῶν ἀποστόλων, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, υἱὸς παρακλήσεως. Hic perspicuè *Barnabas* interpretatur *Filius consolationis*. Fumus in oculis meis hæc interpretatio. Nam potiùs sonat, ut Hier. interpretatur, *Filius prophetæ*. נביא enim certè *propheta*. Quid igitur dicemus? An mendum esse ex antiquo charactere, quale in Σεναχερείμ pro Σενναχηρείμ; Quis ausit hoc affirmare? Maximè cùm in codice Syro sit נבא. Jam verò ibidem exponitur ברה דבויאא quod idem cum illo, υἱὸς παρακλήσεως. Id antiquiore lingua diceretur נחמא בר, & per syncopen נמא בר Βαρναμᾶ, unde fortè *Barnabas*. Nam à נבא derivare alienum est, nè dicam coactum. NAMA ità eò trahitur ut alibi *Nas* pro *Nahas*, i. *serpens*. Nam esset *Nehama*, *consolatio*, tam Syrum quàm Ebræum, nisi quòd Ebræi dicunt נחמה cum He in fine. Quod sequitur, Κύπριος τῷ γένει, & vulgò redditur *Cyprius genere*, posset etiam reddi *Cyprius natione*. Nam γένος aliquando *gens*, *populus*, *natio*. Sic Aquila dicitur Ποντικὸς τῷ γένει, *natione Ponticus*. Vide quæ notavimus ad illum locum. Quæ autem hic scripsi, ea arbitraria esse volo, non certa. Nam nè mihi quidem satisfaciunt. Sum enim naturâ timidior. Quin religio mihi receptam lectionem mutare. Quanquam non sum nescius B & M alternare. *Barnabas*, *Barnamas*, ut *Abana*, *Amana*. Sic *Berodach*, *Merodach*. Adhibe Quæst. meas. *Nabba* pro *consolatione* non memini legere. Accedit quòd in libris quos vidi scriptum sit *Barnabas*, unicâ *b*, non duabus. Si cui hæc non sapiunt, accedat sanè viro doctissimo, qui scribit *prophetandi munus positum esse ἐν παρακλήσει, i. doctrina applicatione ad auditores, sive consolando sive exhortando, quod utrumque nomine παρακλήσεως declaratur*. Vide nunc, si placet, Erasmum.

28. *Intrans & exiens*] Εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος. Speciem proverbii habet. Sanè *ingredi & egredi cum aliquo* dicitur qui cum eo conversatur. Act. 1. 21. *quo Jesus ingressus est & egressus inter nos*. Zach. 8. 10. *Ingredienti & egredienti non erat pax ab hoste*. Jes. 37. 28. *Et sedere tuum & exire tuum & ingredi tuum novi*. Vide Adagia mea Clas. 2. lib. 3. ad 97. Psal. 139. 2. *Tu cognoscis sedere meum & surgere meum*. Sic Latini dicunt, teste Erasmo, *domi ac foris*.

29. *Cum*

29. *Cum Græcis*] *Cum Græcienſibus*, ſive *cum Helleniſtis*, qui religione Judæi erant; non *Græci*, h.e. Gentiles aut Pagani. De his alibi. Si Ἕλληνες uſpiam vocantur, tamen hîc dicuntur Ἑλληνισταί. Non temere mutata forma nominis.

30. Εἰς Ταρσόν] Syriacè לטרסוס, *Tarſum*. Eſt autem Tarſus urbs Ciliciæ haud ignobilis, Pauli Apoſtoli patria, qui propterea Ταρσεὺς *Tarſenſis* dicitur Act. 21. 39. Nam ubi vulg. Latina, *Ego homo ſum quidem Judæus à Tarſo, Ciliciæ non ignotæ civitatis municeps*, Græci codices habent, Ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι Ἰουδαῖος Ταρσεὺς, τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης, *Ego quidem ſum Judæus Tarſenſis, non obſcuræ Cilicum urbis civis*. Stephanus etiam Θαρσὸς ſcribit, cum τ aſpirata; quod propiùs accedit ad nomen Ebraicum תרשיש *Tharſis*; unde urbem eam appellatam cenſet Joſephus Antiq. l. 1. c. 2. *Tharſis Tharſos vocavit eos, quorum princeps fuit. Sic enim antiquitus Cilicia vocabatur. Tarſos enim apud eos maxima civitatum metropolis appellatur, T literâ pro Θ mutatâ.* Huc uſque Joſephus. Reperio & Τέρσος. *Tarſus, Terſus*, ut *Malchi, Melchi*: Sic *Melchom, Malchom*. Aliam rationem nominis adfert commentator vetus in Juvenalem lib. 1. Sat. 3. ità ſcribens, *Apud Tarſon civitatem Ciliciæ, quam præterfluit amnis Cydnus: cujus urbis conditor Perſeus, qui nomen civitati ex facto dedit, quia ibi una ex talaribus pinnis ei excidit.*

35. Καὶ τὸν Σάρωνα] *Sarona*, vel *Saronem*. Vetus, *Sarona*. Syrus, ובשרונא *& in Sarona*. Ebraicè השרון Jeſ. 33. 9. *Saron, Sarona, Saronas*, ut *Satan, Satana, Satanas*. *Saron* forma eſt Ebraica, *Sarona* Syra & Dorica, *Saronas* autem Græca. Græci enim nominibus in α deſinentibus addere ſolent σίγμα, ut *Juda, Judas*, Ἰούδας. Cant 2. 1. *Roſa Saronis*. Euſebius De locis Ebraicis, *Saron, cujus & Eſaias meminit, uſque in præſentem diem regio eſt inter montem Thabor & ſtagnum Tiberiadis, quæ Saronas appellatur. Sed & à Cæſarea Palæſtinæ, uſque ad oppidum Joppe omnis terra quæ cernitur dicitur Saronas.* Hieron. De locis Actorum, *Saronas, quod interpretatur Campeſtris, regio eſt Cæſareæ Palæſtinæ, uſque ad oppidum Joppe pertingens. Eſt & hodie locus paſcendis gregibus aptus. Sed & inter montem Thabor & ſtagnum Tiberiadis regio Saronas appellatur.*

36. Ἐν Ἰόππῃ] Vet. interpres, *In Joppe*; alius, *Joppa*. *Joppa, Joppa*, neſcio an defendi poſſet. Nam dicimus *Joppe*, unde obliquus *Joppes*. Ebraicè יפו *Japho*. Syrus habet יופי, quod legunt *Juppe*: malim *Juphi*. Italis hodie *Jaffo* & *Zappho*. A *Joppe* τὸ ἐθνικὸν *Joppites*, & *Joppita* in edit. Vulgata 2 Mach. 12. 3. Hinc etiam *Joppenſe mare* apud Joſephum. ¶ *Tabitha*] Nunc טביתא *Tabietha*, quod olim ſonabant *Tabitha*, ut *Talitha* dicebant pro *Thaleitha*, *puella*. Syrum eſt ex Ebræo צבי *caprea*, mutatione Sade, ut fit, in Teth. Occurrit aliquoties apud interpretes Chaldæos. Vocatur caprea alio nomine דיצא, quæ vox exſtat in Jeroſolymitana Prov. 5. 19. unde Græcum, δίζα. Heſychius, Δίζα, αἴξ. Tranſlatio Lat. Compluti impreſſa, *exſultatio*; imperitè. Lex Chald Munſteri דיצא *camelopardalis*, ex hac nota corrigendum eſt. In lib. Nom. *Tabitha, Damna, aut Caprea*; Leg. *Dama, aut Caprea*: correctio tam certa quàm quæ ad Sagram: ità Gloſſ. Vet. Levia hæc in quibus hærere pudet pigétque. טביתא *Tabitha*, ut דלילה *Dalila*. Chryſoſt. apud Theophylactum ad illud ὀνόματι Ταβιθὰ, &c. Τέθεικε δὲ τὸ ὄνομα αὐτῆς, δεικνὺς ὅτι Φερώνυμος ἦν, οὕτως ἐγρηγορυῖα καὶ νήφουσα ὥσπερ δορκάς. Si hoc verum ſit, Deus novit; dixerim aliud. Eſt *capra* vocabulum inter amatoria. Quid ſi indè nomen mulieris? Apud Salomonem *Caprea gratiæ*, & *Cerva amorum*, ſicut apud Arabes *Corat alain*, i. קרת עלין *pupilla oculi*, voces ſunt blandè compellantis uxorem aut amicam. ¶ *Plena bonis operibus*] מליא מעשים טבים, ut apud Jeſaiam *civitas plena judicio*. Sic *plenus benedictione*. Apud Prudentium *virgo Deo plena*, i. gravida. Et abſolutè πλήρης eſt *prægnans*; item *quæ maritum habet & liberos*. *Domus plena*, h.e. referta bonis ac facultatibus. Hæc omnia Ebræi dicunt per מלא & מלאה.

LUD. CAPPELLUS.

5. Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν] Similis eſt phraſis apud R. Jonah in libro Timoris, ואל תבעט ביסורין, *neque calcitres adversùs correctiones*.

GROTIUS.

Ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου, *Adhuc ſpirans minarum & cædis*] Ἐμπνέων, נושם [*reſpirans*.] ¶ Προσελθὼν τῷ Ἀρχιερεῖ, *acceſſit ad Principem Sacerdotum*] Qui eo tempore erat נשיא, id eſt, *Princeps Synedrii*.

2. Ἠτήσατο παρ᾽ αὐτοῦ ἐπιστολὰς, *petiit ab eo epiſtolas*] Ab ipſo ut Synedrii principe. Patet id infra 22. 5. ¶ Εἰς Δαμασκὸν πρὸς τὰς συναγωγὰς, *in Damaſcum ad Synagogas*] Romani Synedrio permittebant jus prehenſionis & verberum, non tantùm in Judæos Palæſtinæ, verùm etiam extra Palæſtinam, ubi erant Synagogæ quæ ſponte ſua juriſdictionem Synedrii in rebus ad religionem ſpectantibus agnoſcebant. ¶ Τῆς ὁδοῦ ὄντας *hujus viæ*] בדרך הוא [*de via illa*,] *illius inſtituti*.

3. Περιήστραψεν αὐτὸν, *circumfulſit eum*] ברק עלוי [*fulguravit ſuper illum*.] ¶ Φῶς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. *Lux de cælo*] Vide infra 22. 6 & 26. 13. Adde infra 12. 7.

4. Καὶ πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν, *& cadens in terram*] Ut Daniel 8. 17. & 10 9. ¶ Σαοὺλ, Σαοὺλ, *Saul, Saul*,] Ipſam vocem Hebræam hic poſuit ſine caſu Græco. ¶ Τί με διώκεις; *quid me perſequeris?*] Quia Chriſtus & Eccleſia unum faciunt corpus: & qui regnum lædit, lædit Regem.

5. Ὁ δὲ Κύριος εἶπεν, *Dominus autem dixit*] In Manuſcripto illo Ὁ δὲ, ἐγώ εἰμι ὁ Ἰησοῦς ὁ Ναζαραῖος ὃν σὺ διώκεις· ἀλλὰ ἀνάστηθι [*Ille vero, Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris: At ſurge.*] Quomodo & multos alios habere codices obſervatum eſt ab aliis, qui non malè notarunt à librariis hæc ad hunc locum addita ex eo quod infrà eſt partim, 22, 10, partim 26, 14. quibus in locis hæc ipſa hiſtoria pleniùs recitatur. ¶ Εἰς τὴν πόλιν, *in civitatem*] Damaſcum. ¶ Καὶ λαληθήσεταί σοι τί σε δεῖ ποιεῖν. *& dicetur tibi quid te oporteat facere*] Sicut Sauli olim Regi dictum והודעתי לך את אשר תעשה, γνωρίσω σοι ἃ ποιήσεις [*cognitum tibi faciam, quid facies.*]

7. Οἱ δὲ ἄνδρες οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ εἱστήκεισαν ἐνεοὶ, *Viri autem illi qui comitabantur cum eo ſtabant ſtupefacti*] Ita attoniti ut vocem perderent: quomodo accepit Syrus. Simile vide Gen. 45. 3. Præ ſtupore primùm defixi, deinde delapſi ſunt, ut diſcimus infra 26. 14. ¶ Ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, *audientes quidem vocem*] Sonum confusè audientes, non autem intelligentes verba; planè ut illi Joh. 12. 29. quod & populo ad montem Sinai eveniſſe putat Maimonides ex loco Exodi 19. 9. collato cum Deut. 4. 12 & 5. 23. Infra 22. 9. Φωνὴν οὐκ ἤκουσαν [*vocem non audiverunt*] eſt, *non intellexerunt*. Nam שמע Hebræum ſæpe ponitur pro *intelligere*. ¶ Μηδένα δὲ θεωροῦντες. *neminem autem videntes*] Planè ut illi qui cum Daniele erant, Dan. 10. 7.

8. Ἠγέρθη δὲ ὁ Σαῦλος ἀπὸ τῆς γῆς. *Surrexit autem Saulus de terra*] Ut Daniel 8. 18. ¶ Ἀνεῳγμένων δὲ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, οὐδὲν ἔβλεπε, *apertiſque oculis nihil videbat*] Sic legit Syrus, non οὐδένα [*neminem*,] multique libri ſic habent. Senſus eſt, *quanquam oculis erat apertis, nihil tamen conſpiciebat*: & is ſenſus clarè exprimitur infra 22. 11. ubi eadem hiſtoria refertur, Ὡς δὲ οὐκ ἐνέβλεπον ἀπὸ τῆς δόξης [*& quum non viderem præ claritate.*] Ea fuit imago Sauli qualis antehac fuerat, ſpeciem habens hominis eruditi in Lege, cùm planè animo cæcus eſſet. ¶ Χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν, *ad manus autem illum trahentes*] Ut cæcis fieri ſolet. Sic Antigone ποδηγὸς Oedipodis in Phœniſſis, *cæci parentis regimen* apud Senecam.

9. Καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲ ἔπιεν. *& non manducavit neque bibit*] Pœnitentiam ſic oſtendens ſævitiæ in Eccleſiam exercitæ. Hoc eſt quod Hebræi dicunt, ταπεινοῦν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, [*humiliare animam ſuam*.]

10. Ἀνανίας, *Ananias*] Tam amicus Saulo futurus, quàm alter Ananias fuerat Danieli, Dan. 1. 6. & ſequentibus. ¶ Ἐν ὁράματι *in viſu*] Apparuit illi non in ſomnio, ſed ἐν ἐκστάσει [*in viſione*] Angelus aliquis Chriſti ſpeciem referens. Viderat ergo antehac Chriſtum Ananias, quippe unus Diſcipulorum Lxx, ſi Veteribus credimus. ¶ Ἰδοὺ ἐγὼ, Κύριε, *Ecce ego Domine*] Id eſt, *paratus ſum juſſa accipere & facere*. De hoc loquendi genere diximus Matth 21. 30.

11. Τὴν ῥύμην. *vicum*] Sic Eſaiæ 15. 3. vertitur רחוב quod alibi πλατεῖα [*platea*.] & Pollux illam vocem per hanc exponit. In Gloſſario ῥύμη, *vicus*] Ἐν οἰκίᾳ Ἰούδα, *in domo Judæ*] Cum quo vetus hoſpitium Saulo videtur fuiſſe. ¶ Θαρσέα *Tarſenſem*] Myſticè impletum quod eſt Eſaiæ 66. 19. ubi in Hebræo תרשיש [*Tharſchiſch*,] in Græco Θαρσὶς [*Tharſis*]

12. Καὶ εἶδεν ἐν ὁράματι, *Et vidit in viſione*] Syrus accepit ut continuata Dei verba: nec obſtat quod ſequitur *virum nomine Ananiam*; quia Paulo, qui illum non noverat, in viſo id ipſum nomen indicatum fuit. ¶ Καὶ ἐπιθέντα αὐτῷ χεῖρα, ὅπως ἀναβλέψῃ. *& imponentem ſibi manus ut viſum reciperet.*] Vide dicta ſupra 8 17.

13. Τοῖς ἁγίοις σου, *ſanctis tui*] Veris Nazarenis. Sic & infra 32. & 41.

14. Καὶ ὧδε ἔχει ἐξουσίαν, *Et hic habet poteſtatem*] Oſtendit

Ananias

Ananias quàm non tutum sibi sit, eum accedere qui potestatem acceperat in ipsa urbe Damasco capiendi homines ejus professionis, cujus erat Ananias. ¶ Παρὰ τῶν ἀρχιερέων, *à Principibus Sacerdotum*] Est συνεκδοχὴ [*Complexio.*] Ex parte enim nobilissima designatur totum Synedrium. ¶ Ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου *qui invocant nomen tuum*] Sicut Stephanus fecerat 7. 58. Plinius de Christianis sui temporis, *Quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem.*

15. Σκεῦος ἐκλογῆς μοι ἐστὶν οὗτος, *vas electionis est mihi iste*] Hebraismus. σκεῦος ἐκλογῆς [*vas electionis*] pro σκεῦος ἐκλεκτὸν, *instrumentum exquisitissimum. Vas utile Dei* ait Rabbi Israel ad Psal. 51. nec aliter vocem σκεῦος [*vas*] usurpat Polybius de Damocle loquens, Ὁ δὲ ἦν ὑπηρετικὸν σκεῦος καὶ πολλὰς ἔχον ἀφορμὰς εἰς πραγμάτων οἰκονομίαν [*erat autem ille vas ministerio perutile, tractandisque negotiis peropportunum.*] Ἐνώπιον ἐθνῶν, καὶ βασιλέων, υἱῶν τε Ἰσραήλ, *coram Gentibus & Regibus & filiis Israel*] Respicitur ad locum Jesaiæ 49. 6. & Jerem. 1. 10.

16. Ὅσα δεῖ αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν. *quanta oporteat eum pro nomine meo pati*] Odia popularium, furorem Gentium, carcerem, flagra, famem, sitim, naufragia, mortem. Hæc illi ostendam, & tamen prædicabit nomen meum: quæ aliis fecit, libenter feret.

17. Εἰς τὴν οἰκίαν. *in domum.*] Illius Judæ de quo supra 2. ¶ Σαοὺλ ἀδελφὲ, *Saul frater*] *Fratrem* eum vocat ut fidei consortem. Sic supra 6. 3. ¶ Καὶ πλησθῇς Πνεύματος ἁγίου. *& implearis Spiritu Sancto*] Quod ei evenit simul atque visum recuperavit, ut ad externum signum res interna accederet. Hæc fuit anticipatio gratiæ, qualem supra notavimus 8. 39. & habebimus infra 10. 44.

18. Ὡσεὶ λεπίδες, *tanquam squamæ*] Adumbrantes velum illud de quo agit Paulus 2 Cor. 3. 14. ¶ Ἐβαπτίσθη. *baptizatus est*] Usus est pari jure Ananias, quo ante Philippus Diaconus.

19. Καὶ λαβὼν τροφὴν ἐνίσχυσεν. *& quum accepisset cibum confortatus est*] Est sono activo, sensu reciproco ויתחזק [*confortavit se*] Gen. 48. 2. Sic & ἰσχύειν [*validum esse,*] ἐνισχύειν [*invalescere,*] κατισχύειν [*roborari*] sæpe in Interpretibus Veteris Testamenti, & Sirach. 48. 25. & 1 Macc. 1. 38. & 7. 25. Sic & ἐπίσχυον [*invalescebant,*] Luc. 23. 5. ¶ Μετὰ τῶν ἐν Δαμασκῷ μαθητῶν, *cum discipulis qui erant Damasci*] Μαθηταὶ [*Discipuli*] hic ut supra 1. 15. qui Jesum Magistrum agnoscebant, non Hillelem, aut Sameam, aut alios. Damasci autem tales aliquam multi erant à tempore dispersionis illius de qua supra 8. 1, 3.

20. Ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *in Synagogis*] Semper enim Apostoli primùm Judæos adlati sunt, ut aut eos converterent, aut omnem eis excusationem adimerent. ¶ Ἐκήρυσσε τὸν Χριστὸν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *prædicabat Christum quoniam hic est Filius Dei*] Melius in Manuscripto, ἐκήρυσσε τὸν Ἰησοῦν ὅτι [*prædicabat Jesum quoniam:*] nam *Christus* & *Dei Filius* pro eodem ponitur, ut diximus. Quæstio erat, An Jesus Nazarenus esset ille *Christus* sive *Dei filius.*

21. Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ πορθήσας ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομα τοῦτο. *Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud*] Quasi dicerent, *An etiam Saul inter Prophetas,* 1 Sam. 10. 11. πορθεῖν hic est *vexare.* Utitur eodem vocabulo in eadem hac historia Paulus Gal. 1. 13, 23. ¶ Καὶ ὧδε εἰς τοῦτο ἐλήλυθεν, *& huc ad hoc venit*] Ὧδε [*huc*] Græcis etiam motionem ad locum significat. Matth. 8. 29. & 14. 8. Luc. 14. 21. Joh. 20. 21. Apoc. 4. 1. ¶ Ἐπὶ τοὺς ἀρχιερεῖς; *ad Principes Sacerdotum?*] Vide supra 14.

22. Ἐνεδυναμοῦτο, *convalescebat*] *Fortior fiebat in dies.* Sic Rom. 4. 20. Eph. 6. 10. 2 Timoth. 2. 1. Hebræor. 11. 34. Respondet Hebræo אמץ [*corroboratus est,*] ut apparet Psalm. 52. 9. ¶ Καὶ συνέχυνε τοὺς Ἰουδαίους, *& confundebat Judæos*] *Pudefaciebat argumentis.* ¶ Συμβιβάζων, *affirmans*] *Docens eos:* respondet enim Hebræo הודיע [*cognitum fecit,*] Exod. 18. 16. Deut. 4. 9. Esaiæ 40. 13. sic & infra 16. 10. 1 Cor. 2. 16.

23. Συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν αὐτόν. *consilium fecerunt in unum Judæi ut interficerent eum*] Velut judicio zeli, de quo diximus supra 7. 57. Vide quàm citò impletum sit quod Saulo Deus prædixerat supra 16.

24. Παρετήρουν τε, *custodiebant autem &*] Nempe Judæi, quod nomen, quanquam ex remotiore loco, hîc subauditur, ut sæpe alibi. ¶ Τὰς πύλας, *Urbis portas* ne elabi posset.

25. Καθῆκαν διὰ τοῦ τείχους χαλάσαντες, *per murum dimiserunt eum submittentes*] Ut olim Rahab exploratores κατεχάλασε διὰ τῆς θυρίδος [*dimisit de fenestra,*] Josuæ 2. 15. Apostoli corda explorant, ut illi urbes. Sic & David dimissus per fenestram. 1 Sam. 19. 12. χαλᾶν vel χαλάζειν, *funibus dimittere,* ut Jeremiæ 38. 6. ¶ Ἐν σπυρίδι. *in sporta*] Sic Sallustius, *E muris carnes sportis dimittebant.* Sporta à sparto.

26. Ἐπειρᾶτο κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς *tentabat se jungere Discipulis*] *Familiariter cum illis conversari,* ut infra 10. 28. ubi κολλᾶσθαι [*jungere se*] id est, quod συγχρᾶσθαι [*conti* dicit, Joh. 4. 9.

27. Βαρνάβας δὲ, *Barnabas autem*] De quo supra Actor. 4. 36. Fortè Barnabas Saulum ante conversionem noverat, credebatque ei ut minimè mendaci. ¶ Καὶ διηγήσατο αὐτοῖς, *& narravit illis*] Hæc Græci ad Barnabam referunt, & rectiùs, ni fallor, propter illa quæ sequuntur de Damasco. Conveniebat enim id potius narrari ab aliis qui id scirent, quàm ab ipso Saulo prædicari. ¶ Ἐπαῤῥησιάσατο, *fiducialiter egerit*] *Apertè & palàm locutus est.* Joh. 7. 13, 26. & 11. 54.

28. Εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος, *intrans & exiens*] Coram eis vivens, ut supra 1. 21.

29. Πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς *cum Græcis*] *Etiam cum Judæis Græco sermone utentibus,* ut hîc Syrus. Vide supra 6. 1. & quæ ibi dicta. ¶ Οἱ δὲ ἐπεχείρουν αὐτὸν ἀνελεῖν. *illi autem quærebant occidere eum*] Nihilo meliores Judæis Damascenis.

30. Εἰς Καισάρειαν, *Cæsaream*] Eam de qua supra 8. 40. ¶ Εἰς Ταρσόν. *Tarsum*] Ubi inter multos sibi propinquos, & notos tutior ab insidiis esse posset.

31. Εἶχον εἰρήνην, *habebat pacem*] Multis in exsilium egressis deflagraverat vexatio; id est, quod Christiani *pacem* vocabant. Vide annotata nostra ad 1. librum de Jure Belli ac Pacis, cap. 2. circa finem. ¶ Οἰκοδομούμεναι, *ædificabatur*] Est hæc vox simili modò translata, quo Latinum *instruere.* Vide 1 Corinth. 8. 10. & 10. 23. & 14. 4. ¶ Καὶ πορευόμεναι τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου, *ambulans in timore Domini*] Similis constructio 1 Maccab. 6. 23. πορεύεσθαι τοῖς ὑπ' αὐτοῦ λεγομένοις [*ambulare in præceptis ejus*] & 59. πορεύεσθαι τοῖς νομίμοις αὐτῶν [*ambulare in legitimis suis.*]

32. Τοὺς κατοικοῦντας Λύδδαν. *qui habitabant Lydda*] Est is vicus Palæstinæ ad occasum Jordanis. Vide Plinium & Ptolemæum. In Syriaco לוד [*Lod*] ut & in Hebræo 1 Paral. 8. 12. Josephus Antiquæ historiæ 20. 5. vocat κώμην πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσαν [*vicum nihilo minorem oppido.*] Vide quæ dicta ad Marcum 1. 38.

33. Αἰνέαν ὀνόματι, *Nomine Æneam*] Idem est nomen Αἰνέας [*Æneas*] & Αἰνείας [*Æneas,*] sed illud genuinum, ut hic est oppositum, hoc poëticum; quia aliter ea vox Heroïcum intrare non poterat. Ideo in Jambicis scribitur Αἰνέας [*Æneas*] Sophocles Laocoonte,

> Νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνέας ὁ τῆς θεοῦ.
> [*Nunc autem in portis Deâ natus Æneas.*]

Et hinc etiam Heroïci dicunt Αἰνεάδας, & Latini *Æneadas*; secundâ correptâ. Æneas, de quo hic agitur non dubito, quin fuerit Judæus, dictus inter Græcos, quibus Lucas hic se accommodat, Αἰνέας [*Æneas*] Hebræis הלל *Hillel,* ut ille Hierosolymis nobilis Magister.

34. Ἰᾶταί σε ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστός *sanat te Dominus Jesus Christus*] Ἰᾶται [*sanat*] habet & Manuscriptus ille, & sic legit Syrus. Non precatur: sed certò promittit. ¶ Ἀνάστηθι, *surge*] קום זיל [*surge, vade.*] ¶ Στρῶσον σεαυτῷ. *sterne tibi*] *Lectum,* quem antehac tibi straverunt alii, *tute tibi sterne,* in signum restitutæ valetudinis. Simile, non idem, habes Marci 2. 9. Johan. 5. 8.

35. Καὶ τὸν Σαρωνᾶν, *& Sarona*] In Manuscripto τὸν Σάρωνα [*Sarona.*] Neutrum malè; hoc est Hebræum, illud Syriacum. *Saron* est ager pascuus latè patens. Vide 1 Paral. 5. 16. & 27. 29. Esaiæ 33. 9.

36. Ταβιθὰ, *Tabitha*] In Syriaco טביתא [*Thabitha.*] Rectè monent eruditi Syris sæpe ט poni ubi in Hebræo est צ. Hebræis צבי est δορκὰς [*caprea,*] Deuteron. 12. 15, 22. & 14. 5. & 15. 22. 2 Samuel. 2. 18. 1 Regum 4. 23. 1 Paral. 12. 8. Proverb. 6. 5. Cantic. 2. 9. & 4. 5. & 7. 3. & 8. 14. ¶ Ἣ διερμηνευομένη λέγεται Δορκάς. *quæ interpretata dicitur Dorcas*] Sic vocabatur inter Græcos, quomodo Thomas Δίδυμος [*Didymus,*] Cephas Πέτρος [*Petrus.*] Vide infra 39. ¶ Πλήρης ἔργων ἀγαθῶν, *plena operibus bonis*] Locutio Hebræa, qualis Esaiæ 1. 21. Johan. 1. 14. infra 13. 10.

37. Λούσαντες δὲ αὐτὴν, *quam quum lavissent*] *Lavare cadavera proximis concedebatur:* Servius ad 4. Æneidos, ad illud Virgilii,

— *Date, vulnera lymphis*
Abluam. ———

Idem Virgilius 4,

— *Corpusque lavant frigentis & ungunt.*

38. Ἐγγὺς δὲ οὔσης Λύδδης τῇ Ἰόππῃ, *Quum autem prope esset Lydda ab Joppe*] Apparet id ex Ptolemæo.

39. Κλαίουσαι, *flentes*] Ut Marci 5. 38. ¶ Ἐπιδεικνύμεναι χιτῶνας καὶ ἱμάτια, ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα ἡ Δορκάς. *ostendentes ei tunicas & vestes quas Dorcas faciebat, cum una cum ipsis esset*] Vides verum esse quod dixit Euripides,

Ἀρετὴ δὲ, κἂν θάνῃ τις, οὐκ ἀπόλλυται.
[*Post funera virtus permanet, nec interit.*]

Χιτὼν interior vestis, ἱμάτιον exterior.

40. Ἐκβαλὼν δὲ ἔξω πάντας ὁ Πέτρος, *Ejectis omnibus foras Petrus*] Ne famam aucupari videretur. Didicerat & hoc à Magistro Marci 5. 40. ¶ Θεὶς τὰ γόνατα, *ponens genua*] Vide supra 7. 60. ¶ Πρὸς τὸ σῶμα, *ad corpus*] Proprié. Nam Homerum σῶμα [*corpus*] non usurpare nisi de *corpore mortuo* observant Veteres. ¶ Ἀνάστηθι, *surge*] קוּם ut Marci 5. 41. ὁμοιώθητι τῇ δορκάδι [*similis esto capreæ,*] Cantic. 8. in fine. ¶ Ἡ δὲ ἤνοιξε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς *At illa aperuit oculos suos*] Signum reviviscentis.

41. Παρέστησεν αὐτὴν ζῶσαν. *assignavit eam vivam*] *Exhibuit.*

42. Γνωστὸν δὲ ἐγένετο καθ' ὅλης τῆς Ἰόππης *Notum autem factum est per universam Joppen*] Celebratus Joppe Barjonas plusquam Jonas. Jonas è ceto resuscitatus, Barjonas Tabithæ ex orco resuscitator. ¶ Καὶ πολλοὶ ἐπίστευσαν ἐπὶ τὸν Κύριον. *& crediderunt multi in Domino*] *In Christo fiduciam suam posuere.*

43. Παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ. *apud Simonem quendam coriarium*] In Glossario, βυρσεὺς, *coriarius*. Græci elegantiores βυρσοδέψην dicerent.

PRICÆUS.

Com. 1. ΕΤι, &c.] Nondum satiatus, imò ut canis degustato sanguine avidior & truculentior factus.

Ibid. Ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου]

— *Collectum volvens sub naribus ignem.*
Irritans acuénsque famem, portánsque rapina
In vultu speciem. ———

Ἀπὸ φονῶν, αἱματηρὸν ὄμμ' ἔχων, ut est apud Euripid. *Attonito efferatóque vultu nihil aliud quàm cadem & sanguinem cogitans*, ut apud Petronium. Scriptor Maccab. 2. 9. 7. de Antiocho, Πῦρ πνέων τοῖς θυμοῖς ἐπὶ τοῖς Ἰουδαίοις. Virgilius 10.

— *Quinquaginta oribus ignem*
Arsisse ———

ubi Servius, *Asper dicit, per ignem hunc nimium calorem intelligendum venientem ex ferocia: ut fit, cùm vim sua crudelitatis efflaret.* Theocritus 23.

— Φόνον ἀλλάλοισι πνέοντες.

Apud Philonem in De Josepho, Τραχύτατος ὀργὴν, καὶ ἀπαραίτητος, καὶ πνεῖ λαμπρῶς ἔτι ἐν ἐνδέχῳ θυμὸς Hesychius, Πνεύσας, ὀργισθείς & Suidas, Πνεύσας, σφοδρῶς ὀργισθείς. Auctor ad Herennium, *Spumans ex ore scelus, anhelans ex infimo pectore crudelitatem.* Sic apud Senecam Thyeste, *sanguinem spirare.* Amm. Marcellinum lib. 16. *Cruenta spirantes Reges.* Eundem lib. 19. *Funesti furoris & anhelitûs plenus*: & 28. *Efflantem ferino rictu crudelitatem.* Cicero 2 Catilin. *Eructans sermonibus suis cadem bonorum.* Idem Philip. 13. *Ora vobis eorum ponite ante oculos, & maximè Antoniorum: incessum, aspectum, vultum, spiritum, &c. quam vim anhelitûs! quas contumelias fore censetis animásque verborum!* Latro in Catilinam, *Utinam deorum immortalium munere, Judices, mentem atque animum hujus introspiceremus, &c. videretis mentem anhelantem tristissimum genus minarum,* (ἐμπνέουσαν ἀπειλῶν, ut hic Paulus) *mentem debacchantem inauditâ feritate, furentem incredibili vesaniâ, sitientem cruoris,* &c.

Com. 3. περιήστραψεν αὐτὸν φῶς, &c.] Stat. Theb.

——— *Majórque repentè*
Lux oculos ferit ———

Luc. 2. 9. non absimili loco περιέλαμψεν.

Com. 4. Καὶ πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν] *Consternari transcursu fulgoris*, Suetonius in Augusto dixit. Omnino confer Ezech. 3. 23.

Ibid. Ἤκουσε φωνὴν λέγουσαν αὐτῷ, Σαοὺλ, Σαοὺλ, τί με διώκεις;] Iliad. χ Apollo ad Achillem,

Τίπτε με Πηλέος υἱὲ ποσὶν ταχέεσσι διώκεις,
Αὐτὸς θνητὸς ἐὼν θεὸν ἄμβροτον; ———

Æneid. 3.

— *Gemitus lacrymabilis imo*
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures,
Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto,
Parce pias scelerare manus. —

Com. 5. Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν]

— *Contendere durum est*
Cum victore —

Theocritus,

Οὔτω Τυνδαρίδαις πολεμιζέμεν ἐκ ἐν ἐλαφρῷ.

Quintilian. 6. 5. *Nocet pugnare in iis quæ obtinere non possis: ubi vinci necesse est, expedit cedere.* In Bacchis Euripidis,

Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον, ἢ θυμούμενος
Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι, θνητὸς ὢν, θεῷ.

Com. 6. Λαληθήσεταί σοι τί σε δεῖ ποιεῖν] Infrà 10. 6. Οὗτος λαλήσει σοι τί σε δεῖ ποιεῖν.

Com. 7. Οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ εἱστήκεισαν ἐνεοί] Tanquam fulmine percussi. Hesychius, Ἐμβροντηθέντες, ἐνεοὶ γενόμενοι. Idem, Ἄνεοι, ἐννεοὶ, καὶ ἐκπλήξει ἥσυχοι. Τοὺς συνοδεύοντας bene Vetus *qui comitabantur* vertebat. Virgil.

Ille meum comitatus iter —

Glossarium, *Comes*, σύνοδος & , Συνοδεύω, *comitor*. Quæ ergò causa novam hic versionem reponendi?

Ibid. Ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, μηδένα δὲ θεωροῦντες] Job. 4. 16. Οὐκ ἦν μορφὴ πρὸ ὀφθαλμῶν μου, ἀλλ' ἢ αὔραν καὶ φωνὴν ἤκουον. Scriptor Sapient. 18. 1. Φωνὴν ἀκούοντες, μορφὴν δὲ οὐχ ὁρῶντες. Apuleius 5. *Nec quidquam tamen illa videre poterat, sed verba tantum audiebat*, &c. Ovidius,

Respicio, nec corpus erat quod cernere possem,
Verba tamen sunt hac aure recepta meâ.

Com. 8. Οὐδένα ἔβλεπε]

Sunt oculis tenebræ per tantum lumen obortæ.

Basilius, Τὸ ἄγαν λαμπρὸν ἀμαυροῖ τὰς ὄψεις. Sed Syrus & Latinus Interpres hic οὐδὲν legerunt: quam quidem & nos scripturam præ vulgata amplectimur.

Ibid. Χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν, &c.] Vide infrà ad 13. 11. notanda.

Com. 11. Ὁ δὲ Κύριος πρὸς αὐτὸν] Subaudi, εἶπεν. Vulgatus, eàdem elleipsi (satis Latinè) servatâ, *Et Dominus ad illum.* Apuleius 3. *Denique sic ad illam.*

Com. 12. Καὶ εἶδεν ἐν ὁράματι ἄνδρα ὀνόματι Ἀνανίαν, &c.] Ἐν ὁράματι, *In visione* optimè vertas. Macrob. Somn. Scip. 1. 3. *Aut enim est ὄνειρος secundùm Græcos, quod Latini somnium vocant: aut est ὅραμα, quod visio rectè appellatur, &c.* Et pòst, *Visio est autem cùm quis id videt quod eodem modo quo apparuerat eveniet*: quæ quam sit bona definitio probat historiæ in qua versamur progressus. Suetonius in Augusti vita, *M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus fortè narrabat: puerum facie liberali demissum cœlo catenâ aureâ, ad fores Capitolii constitisse, eique Jovem flagellum tradidisse: deinde repente Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque avunculus Cæsar ad sacrificandum acciverat,*

verat, affirmavit ipsum esse, cujus imago secundùm quietem sibi obversata sit. Ibidem paulò antè de Q. Catulo, *Ac die proximo obvium sibi Augustum cùm incognitum aliàs haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero de quo somniasset.* Ovidius,

> —— *Qualésque ex ordine somni*
> *Visus eram vidisse viros, ex ordine tales*
> *Aspicio agnoscóque* ——

Apuleius 11. *De Pastophoris unum conspexi statim, præter indicium pedis, cætero habitu atque statu nocturnæ imagini congruentem.* Qui loci, quanquam ex Ethnico penu deprompti, percommodè hanc narrationem illustrant: nam etsi nominis manûsque tantùm impositæ Lucas meminerit, credibile est ità Paulo Ananiam visum ac si eum oculis usurpasset: nimirum vultum, staturam, totamque reliquam habitudinem ejus Pauli animo obversata fuisse; eáque singula ab eodem paulò pòst inter videntes numerato, secundum ὁράματος veritatem fuisse agnita.

Com. 13. Κύριε, ἀπὸ πολλῶν ἀκήκοα, &c] Πολλῶν ἐτῶν intelligemúsne? ut Rom. 15. 23. Paulus loquitur, & Lucianus Reviviscent, ἀπὸ πολλοῦ φίλος: an verò ἀνθρώπων; Glossæ, *De multis*, ἀπὸ πολλῶν. Cicero Famil. 13. 52. *Ex multis cognosco meam commendationem apud te plurimùm valere.* Ammianus lib. 22. *Accepi hoc dictum relatione multorum.*

Com. 14. Καὶ ὧδε ἔχει ἐξουσίαν παρὰ τῶν ἀρχιερέων δῆσαι πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου] Venit huc cum potestate, &c. Vide infrà 22. 5. 26. 10. Joh. 18. 3. Τοὺς ἐπικαλουμένους τ. ὄ. σ. *qui tibi nomen dederunt.* Sic infrà com. 21. sic 1 Cor. 1. 2. Jacob. 2. 7. 1 Pet. 1. 17. 2 Tim. 2. 19. τὸ τοῦ Χριστοῦ ὄνομα ὀνομάζειν dicitur. Illud ὧδε cum emphasi pronunciandum. Ut de cæteris (inquit) ejus flagitiis taceam, etiam nunc cum potestate advenit, &c. Apud Terentium,

> *Nam ut alia omittam, pitissando mod[illegible] mihi*
> *Quid vini absumpsit?* ——

Apuleius 7. *Me præter cætera flagitia nunc etiam novis periculis angit.*

Com. 15. Πορεύου] Subaudit, (ut infrà 10. 29.) ἀναντιῤῥήτως.

Ibid. Σκεῦος ἐκλογῆς] Id est, ἐκλεκτόν. Σκεῦος nempe εἰς τιμήν, ἡγιασμένον, καὶ τῷ δεσπότῃ εὔχρηστον, ut 2 Tim. 2. 21.

Com. 17. Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῇ ὁδῷ] Pressior & propior personæ designatio, ut Joh. 19. 39. 1 Thess. 1. 10. 1 Joh. 5. 20.

Com. 18. Ἀπέπεσον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ ὡσεὶ λεπίδες] Scriptor Tobiæ 11. 10. Διέτριψε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐλεπίσθη ἀπὸ τῶν κανθῶν αὐτοῦ τὰ λευκώματα

Com. 19. Λαβὼν τροφὴν, ἐνίσχυσεν] Vide infrà ad 27. 34. annotata.

Com. 21. Ἐξίσταντο δὲ πάντες] Vulgatus, ut & suprà 2. 12. *Stupebant autem omnes.* Seneca in Apocol. *Stupebant omnes novitate rei attoniti.*

Ibid. ὁ πορθήσας, &c.] Πορθεῖν hic est quod suprà 8. 3. ubi de eodem Paulo, λυμαίνεσθαι. Vulgatus hic, *qui expugnabat*, &c. quasi nempe ageretur de domo, aut civitate, quibus non impropriè assimilari Ecclesia poterat. In Glossariis, *Expugnatio*, ἐκπόρθησις.

Ibid. Τὸ ὄνομα τοῦτο] Hîc τοῦτο neque in laudem nec in vituperium ponitur: sic 5. 38. τὸ ἔργον τοῦτο.

Com. 22. Συμβιβάζων, Id est, ut infrà 17. 3. διανοίγων καὶ παρατιθέμενος. Hesychius, Συμβιβασθέντες, διδαχθέντες.

Com. 23. Συνεβουλεύσαντο, &c.] Infrà 29. ἐπεχείρουν. Vide ad Matth. 27. 1. notata.

Com. 24. Ἐγνώσθη δὲ τῷ Παύλῳ ἡ βουλὴ αὐτῶν] Ut infrà 23. 17.

Ibid. Παρετήρουν τὰς πύλας]

> ——— *Omnémque aditum custode coronant.*

Cornelius Nepos de Cathorata Dionis necem moliente, *Domum custodibus sepsit, à foribus qui non discederent certos præfecit.* Ammianus lib. 20. *Ingenti fremitu Palatium petiverunt, spatiis ejus ambitis nè ad evadendi copiam quisquam perveniret.* Confer 2 Cor. 11. 32, 33.

Com. 25. Νυκτὸς καθῆκαν διὰ τοῦ τείχους, χαλάσαντες ἐν σπυρίδι] Ἐν σαργάνῃ, dicto ad Corinthios loco: hoc solitum elabentium præsidium. Vide Artemidorum 2. 73. contrà apud Amm. Marcellinum, *Ad pinnas muri fune sublatus.* Scholiastes ad Aves Aristophanis, Τῇ ἀνάγκῃ ἐχθρῶν συνωθούμενοι, μηχανάς τινας σοφωτάτας εἰς ἑαυτῶν φυλακὴν ἐπινοοῦσιν οἱ ἄνθρωποι. De licitis hujusmodi effugiis ad Matth. 10. diximus. νυκτὸς non temere additur. Vide Matth. 2. 13. suprà hîc 5. 19. infrà 12. 6. 17. 10. & 23. 13.

Com. 26. Κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς] *Applicare se*, vel *adjungere*: id est, *eorum societati uti.* Sic infra 10. 28. & 17. 34. vide & Luc. 15. 14. Sic Plutarchus in De lib. educ. τοῖς ἐντυγχάνουσι μὴ ῥᾳδίως κολλᾶσθαι· & lib. De proficiendo in virtut. ἑαυτὸν συναρμόττειν καὶ συγκολλᾷν τινι· Plautus,

> *Extemplo se applicant, agglutinant.*

Com. 27. Ἐπαῤῥησιάσατο] Id est, ut infrà 26. 26. παῤῥησιαζόμενος ἐλάλει. Vide ad 18. 26. dicta.

Com. 31. Οἰκοδομούμεναι καὶ πορευόμεναι τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου] Nimirum quia εἰρήνην εἶχον. Julianus in Epistolis, Πέφυκε τὰς ἔν τινι μερίμνῃ ἐξεταζομένας περιδεῖσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ μὴ τοσοῦτον εἰς τὴν προσευχὴν τὰς χεῖρας ἀνατείνειν τολμᾷν. τοὺς δὲ πανταχόθεν ἔχοντας τὸ ἀμέριμνον, ὁλοκλήρῳ ψυχῇ χείροντας ἱκετηρίας λατρείας ποιεῖσθαι τῷ μείζονι.

Com. 32. Διερχόμενον διὰ πάντων] Sic infrà 18. 23. simili argumento καθεξῆς διερχόμενος.

Com. 33. Ἰᾶταί σε Ἰησοῦς ὁ Χριστός] Nos autem nequaquam. Vide suprà 3. 6, & 16. item 4. 20.

Com. 36. Αὕτη ἦν πλήρης ἀγαθῶν ἔργων] Μεστὴ καρπῶν ἀγαθῶν, ut Jacob. 3. 17. μεστὴ ἀγαθωσύνης, ut Rom. 15. 14. πεπληρωμένη καρπῶν δικαιοσύνης, ut Philip. 1. 11. Sic *plenus datorum* Ausonius de Deo loquens. Vide quæ in sensum contrarium infrà ad 13. 10. dicta.

Com. 37. Ἀσθενήσασαν, &c.] Vulgat. *infirmatam.* In Glossis, ἀσθενῶ, *ægroto*, *langueo*, &c. *infirmor.*

Ibid. Λούσαντες αὐτήν] Longus Ποιμεν. β΄. Ἐλούσατο τὸ σῶμα. Apuleius 8. *Tunc propere familiares miseræ Charites accuratissimè corpus ablutum, unitâ sepulturâ ibidem marito perpetuam conjugem reddidere. Ultimo lavacro procurare* Idem. 9. dixit.

Com. 38. Μὴ ὀκνῆσαι διελθεῖν, &c.] In vetere Onomastico, *Pigrio* ὀκνῶ. & in Glossis, Ὀκνῶ, &c. *pigro* (*sc. pigrio*) *pigror.* A *pigror* diminutivum *pigritari*, quo hoc loco Vulgatus utitur.

Com. 39. Πᾶσαι αἱ χῆραι κλαίουσαι, &c.] Simile Job. 11. 33. Apparet Tabitham autem exercuisse illam καθαρὰν θρησκείαν de qua 1. 27. Jacobus.

Ibid. Χιτῶνας καὶ ἱμάτια ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα ἡ Δορκάς] *Textilia manuum ejus monumenta*, ut Virgilius loquitur. Idem alibi,

> *Iliadúmque labor, vestes.* ——

Iterum,

> —— *Vestes ostróque auróque rigentes;*
> *Extulit Æneas, quas illi læta laborum*
> *Ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido*
> *Fecerat:* ———

ubi Servius, *Suis manibus, ut Heroides solebant.* Symmachus lib. 6. Epist. 67. *Domina filia, honoratum me opimo lanificii tui monumento satis gaudeo, unà quippe & amor in parentem tuum, & industria matronalis inclaruit. Sic priscæ feminæ vitam coluisse traduntur.* Vide 1 Sam. 2. 19. 1 Esdræ 4. 17. Proverb. 31. 24. Tobiæ Scriptorem 2. 11. & Clement. Alexandr. Pædag. 3. 11. In l. 18. § 2. De auro, argento, &c. *Mulier testamento, & postea codicillis multas species vestis, argenti, quas vel ipsa se confecisse, vel habere significavit, specialiter per fidei commissum reliquit.* Ergò illa ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα sic cape ac si diceret, ὅσα ὑπὲρ αὐτῶν ἐποίει· nam & Vetus Interpres hoc loco, *Quas faciebat illis Dorcas*: & ità in hac historia Cyprianus, *Circumsteterunt eum viduæ flentes & rogantes: pallia & tunicas, & omnia illa quæ prius sumpserant indumenta monstrantes: nec pro defuncta suis vocibus sed ipsius operibus deprecantes.* Et pòst, *Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari.*

Com. 40. Ἐκβαλὼν δὲ ἔξω πάντας ὁ Πέτρος, θεὶς τὰ γόνατα, προσηύξατο] De Elisæo Sunamitidis filiam ad vitam suscitaturo, *Ingressus clausit ostium super se; & oravit ad Dominum*, 2 Reg. 4. 33. De Medea a senectutis morte ad juvenilis vigoris vitam Æsonem reductura Ovidius,

Hinc procul Æsonidem, procul hinc jubet ire profanos,
Et monet arcanis oculos removere profanas.

Ibid. Πρὸς τὸ σῶμα] Propriè. Hesychius, Σῶμα, πτῶμα, δέμας. Apuleius 2. *Hac vox audita de corpore.*

Com. 41. Παρέστησεν αὐτὴν ζῶσαν] Ità suprà 1. 3. παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα· quo loco Vulgatus, *præbuit se*: heic autem (quia in re alia) *assignavit* (i. e. tradidit) *eam*.

CAP. X.

VALLA.

1. C*Enturio cohortis quæ dicitur Italica*] Meliùs Græcè *ex cohorte*, ἐκ σπείρης. Non enim dicitur *Centurio cohortis*, quæ constat ferè ex mille militibus, sed *Tribunus*; nec *Tribunus legionis*, sed *Legatus*; nec *Legatus exercitûs*; sed *Imperator*. *Legatus* autem dicitur *legionis*, & *Tribunus cohortis*, quia toti illi præest; ut *Imperator exercitûs*, & item in cæteris. Cicero 6. De Republ. *Cum in Africam venissem Tribunus ad quartam legionem, ut scitis, militum.*

Quis es Domine?] Græcè non est, *Quis es?* sed, *Quid est?* quod Angeli responsio declarat: τί ἐστι;

15. *Quæ Deus purificavit, tu ne commune dixeris*] Incuria Interpretis pro plurali ponere singularem, ob id decepti quia Græcè nullus casus est, sed, ut sic dicam; *ne communices*, i. *ne communia putaveris*. μὴ κοίνυ. Idem dico de sequenti loco ubi idem à Petro refertur.

16. *Hoc autem factum est per ter*] Obsoleta vox, nec Latina, *per ter*, quia Græcè ἐπὶ τρίς.

28. *Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungere aut accedere ad alienigenam*] Gr. *nefas* potiùs quàm *abominatum*, & *ut* potiùs quàm *quomodo*, & *adhærere* potiùs quàm *conjungere*; ὡς ἀθέμιτον κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι.

30. *A nudiusquarta die, usque ad horam hanc, orans eram horâ nonâ in domo mea*] Et barbara translatio, & à librariis corrupta. Videtur jam quatuor diebus perstitisse in oratione Cornelius: quod fieri non potest. Ego sic transtulissem, quantum ad prima verba pertinet; nam cætera reddam pristinæ translationi; *Nudiusquartus*, vel *quarto ab hinc die, usque ad hanc horam eram jejunans, & nonâ horâ orans in domo mea*, Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐνάτην ὥραν προσευχόμενος.

31. *Et ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait, Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei*] Non est Græcè *candidâ* sed *clarâ*, λαμπρᾷ. *Commemoratæ* pro *narratæ* ferè accipi solet, at hic sign. *in memoria habitæ sunt*, ἐμνήσθησαν.

32. *Accersi Simonem, qui cognominatur Petrus*] *Accerse* dicendum fuit & hic, & superiùs v. 5. & posteriùs c. 11. 13. tertiæ enim est, non quartæ conjugationis. Decepit autem Interpretem (si tamen ejus culpa est) quòd sic dicitur ab hoc verbo *accersitus*, ut ab *accio accitus*: quanquam posteriùs reperio *accersiam* & *accersiens* c. 24. 25, 26. tanquam putet Interpres dici *accersio*, non *accerso*.

36. *Annuncians pacem per Jesum Christum*] Gr. *euangelizans*, εὐαγγελιζόμενος, ut posteriùs quoque c. 11. 20. *Loquebantur ad Græcos, nunciantes Dominum Jesum*, εὐαγγελιζόντες, & aliis nonnullis in locis.

REVIUS in VALLAM.

1. C*Enturio*] Postpositus erat versui 4. ¶ Ἐκ σπείρης Trajectum erat.

16. Ἐπὶ τρίς] Imò ἐπὶ τρίς, in nostris quidem libb. & hoc vertit Vulgata, licèt barbarè.

36. Εὐαγγελιζόντες] Εὐαγγελιζόμενοι in nostris: & hoc puto auctorem voluisse, sed memoriâ lapsum.

ERASMUS.

1. C*Enturio cohortis*] Minùs ambiguum erat *ex cohorte*. Neque enim is erat princeps totius cohortis, quæ circiter mille milites continet, sed unus ex ea cohorte. Atque ità est Græcè ἐκ σπείρης. *Spiram* autem Chrysostomus, aut quisquis is fuit, interpretatur ποίμνιον, & hîc Latinè loquens.

4. *Quis es, Domine?*] Τί ἐστι, Κύριε; *Quid est Domine?* h. e. Quid rei est? Atque ità legendum arguit ipsa etiam Angeli responsio, *Orationes tuæ* &c.

6. *Hic tibi dicet quid te oporteat facere*] Hoc non habebatur in edit. Hispaniensi, & videtur ascriptum ex capite quod proximè præcessit, & in hoc ipso mox repetitur inferius.

7. *Duos domesticos*] Δύο τῶν οἰκετῶν *duos famulorum*. ¶ *Et militem timentem Dominum*] Στρατιώτην εὐσεβῆ *militem pium*. Quid hic opus erat periphrasi? Cæterùm nè lector offenderetur quòd Cornelius ad pietatis negotium uteretur milite, addidit *pium*. ¶ *Qui illi parebant*] Τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ, *qui illi assistebant*, sive, ut alibi vertit, *inserviebant*. *Parebant* & cæteri milites, verùm hi semper aderant ministerii gratiâ.

9. *In superiora*] Ἐπὶ τὸ δῶμα quod in Euangeliis vertit *tectum*. Apparet enim Petrum conscendisse tectum, in quo soliti sunt inambulare quidam, ut oraret sub dio, ceu vicinior Deo, tum etiam semotior ab hominum strepitu.

11. *Et vidit*] Καὶ θεωρεῖ *videt*, præs. temporis. ¶ *Vas quoddam velut linteum*] Hieronymus in Esaiam citat, *vas quoddam linteum*, nec id uno sanè loco: ut accipiamus ipsum *linteum* fuisse *vas*: atque ità mox appellat absque ὡς. ¶ *Quatuor initiis summitti*] Græci legunt *quatuor initiis alligatum, ac demissum è cœlo*, τέσσαρσιν ἀρχαῖς δεδεμένον, καὶ καθιέμενον.

12. *Quadrupedia*, &c.] Gr. Τετράποδα τῆς γῆς, καὶ τὰ θηρία, καὶ τὰ ἑρπετὰ, *quadrupedia terræ, & bestiæ, & reptilia*. Porrò θηρίον Græcis propriè *noxiam bestiam* sig. veluti Viperam aut Lupum.

13. *Occide & manduca*] Θῦσον καὶ φάγε, *sacrifica*, sive *macta, & ede*.

14. *Absit, Domine*] Μηδαμῶς, *Nequaquam*.

15. *Iterum secundo*] Πάλιν ἐκ δευτέρου, *rursus iterum*. ¶ *Tu commune ne dixeris*] *Communia* vertendum erat: quanquam Græcè verbum est μὴ κοίνυ, *ne communica*, h. e. *ne feceris communia*. Sic enim Hebræi vocant impura & nefasta.

16. *Per ter*] Ἐπὶ τρὶς, *ad ter*: quamquam satis erat dicere *ter*. Novum sermonis decus commentus est Interpres. Quidam hunc locum sic defendit à solœcismo, quòd *Interpres reddidit Græcam formam*. At dicendum erat *ad ter*. Et Latini dicunt *ad calendas Januarias*, pro *circiter*. Quanquam reddere figuram Græcam Latinè frequenter est σολοικίζειν. Atqui ex hoc solœcismo natus est, opinor, Apologus qui vulgò fertur non infestivus. Sacerdos quispiam, rusticanæ plebis rusticior pastor, cùm primùm esset baptizaturus infantem, ac in libro, unde solennia verba pronunciabat, minio ascriptum offenderet, *Salta per ter*, quibus verbis librarius admonebat tres retro paginas esse revolvendas, mox jussit ut æditusus adduceret hastile quo crux imposita circumfertur. Eo accepto, *Bene sit*, inquit, *antehac nunquam idem expertus sum, sed ità res postulat*: & hastili innixus, apsidem saxeam ter transiliit; atque ità recepto codice reliqua peregit. ¶ *Et statim receptum est*] Καὶ πάλιν ἀνελήφθη, *& rursus receptum est*: nimirum quòd inde venisset.

21. *Descendens autem Petrus ad viros*] Post hæc verba in nonnullis Græcorum exempl additum erat, Τοὺς ἀπεσταλμένους ἀπὸ τοῦ Κορνηλίου πρὸς αὐτὸν, *qui missi fuerant à Cornelio ad se*.

22. *Accersire te*] Rursum vertit figuram Græcam. Latinè dixisset *ut accerseret te*.

23. *Introducens ergò*] Εἰσκαλεσάμενος, *Introvocatos*, sive *Invitatos*

28. *Quomodo abominatum sit*] Ὡς ἀθέμιτόν ἐστι, *ut nefas est*. Nam parùm erat civile ut Petrus apud Ethnicum dicat *abominandum esse cum eo colloqui*. Verùm ait ex consuetudine suæ gentis *sibi non esse fas cum illo congredi*. ¶ *Conjungi*] Græcis est κολλᾶσθαι *adhærere*, sive *adglutinari*.

29. *Sine dubitatione*] Ἀναντιῤῥήτως, *citra contradictionem*, sive *incunctanter*.

30. *Nudius quarto die*, &c.] Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐνάτην ὥραν προσευχόμενος, *Quarto ab hinc die, usque ab hanc horam, sedebam jejunans: & horâ nonâ orans*. Ex verbis Interpretis apparet Cornelium jejunasse & orasse totum quatriduum. Sentit autem se jejunasse & orasse die quodam qui quartus esset ab eo quo colloquebatur cum Petro. Siquidem *usque ad hanc horam* dixit pro *usque ad hoc tempus*: & pro ἤμην *sedebam* nonnulli legunt ἤμην *eram*, primâ vocali attenuatâ. ¶ *In veste candida*] Λαμπρᾷ, *splendidâ*.

31. *Eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt*] Ἐμνήσθησαν, *in memoria habitæ*. Nam *memoratur* quod narratur.

32. *Simonis coriarii juxta mare*] Sub hæc addunt Græci cod.

cod. quod in nostris omnino non habetur, ὃς παραγενόμενος λαλήσει σοι, *qui adveniens loquetur tibi.*

33. *In conspectu tuo*] Græci legunt *in conspectu Dei*, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Est autem sermo confirmantis animi simplicitatem, cujus Deum facit testem. Annotat hic nonnihil & Glossa Ordinaria. ¶ *Adsumus audire*] Græcanici sermonis formam reddidit, πάρεσμεν ἀκοῦσαι, pro eo quod est, *adsumus ut audiamus*, sive *ad audiendum.*

35. *Sed in omni gente*] Ἐν παντὶ ἔθνει, *in quavis gente.*

36. *Verbum misit filiis*] Τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλεν, *Verbum quod misit.* Offensus lector oratione inabsolutâ sustulit *quod.* Aut enim anapodotos est oratio; aut accusativo abusus est loco nominativi, *Hoc est verbum quod misit filiis Israel:* aut, quod mihi maximè probatur, accusativus hîc λόγον referendus est ad verbum quod sequitur, οἴδατε, *scitis.* Deinde quia intercessit Hyperbaton, & item Parenthesis, quod antè dixerat λόγον, aliâ voce repetiit ῥῆμα, ut legamus ad hunc modum, *Verbum quod misit filiis Israel annuncians pacem per Jesum Christum:* deinde per Parenthesim interjiciatur (*hic est omnium Dominus*) móxque sequatur, *ipsi nostis, verbum, inquam, quod factum est per omnem Judæam.*

37. *Incipiens enim*] *Enim* adjecit aliquis de suo, cùm non sit in Græcis exemplaribus. Et *incipiens* ἀρξάμενον hoc loco neutri generis est, ut referatur ad *verbum.* Porrò *verbum* hoc in loco nihil aliud dicit quàm *rem populari sermone jactatam: Eum rumorem* ait *ortum ex Galilæa post Baptisma Joannis.* Deinde ponit argumentum rumoris, videlicet *de Jesu Nazareno.*

38. *Quomodo unxit eum*] Quidam codices habebant ὡς ἔχρισεν αὐτὸν *quomodo unxerit eum.* Quidam ὃν ἔχρισεν αὐτὸν, *quem unxit eum.* Cæterùm illud pronomen omittendum erat Interpreti, quòd ex idiomate sit sermonis Hebræi. Incertum Petrus hæc Hebraicè dixerit an Græcè. Tamen etiam cùm Græcè scribunt Apostoli, multùm referunt ex proprietate suæ linguæ; quemadmodum & hodie qui Latinè loquuntur, parùm alioqui literati, nonnihil admiscent ex sermone vernaculo, vel imprudentes, putà Gallus è sermone Gallico, Britannus è Britannico, Germanus è Germanico. Nam Apostoli Græcitatem suam non è Demosthenis orationibus sed è vulgi colloquio didicerunt. Sic enim visum est sapientiæ Divinæ, nullis eloquentiæ mortalis adminiculis orbem in suam sententiam pertrahere. Neque enim donum illud linguarum oportebat esse perpetuum: satis erat adesse quoties usus postulabat. Ut non semper excitabant mortuos, non semper sanabant ægrotos, sed tum demum cùm ad religionis & Euangelii negotium pertinebat. Semel duntaxat legimus Apostolos novis linguis loquentes miraculo fuisse. Et hujus voluminis cap. 19. narrantur qui baptizati Spiritum S. acceperant, *linguis locuti & prophetasse.* Quanquam vero propius est Apostolos id temporis unicâ linguâ fuisse locutos, ac virtute Divinâ factum ut æquè ab omnibus intelligerentur. Neque verò necesse est, opinor, quicquid fuit in Apostolis, protinus tribuere miraculo. Homines erant; quædam ignorabant, in nonnullis errabant. Etiam post acceptum Spiritum S. objurgatur ac docetur Petrus à Paulo; Paulus à Barnaba dissentit, usque ad divortium. Et haud scio an hoc magis congruerit Euangelio Christi, ut simplici inconditóque sermone proderetur in vulgus, ac talis esset Apostolorum oratio qualis cultus, qualis victus, qualis omnis vita, exceptis iis quæ sunt pietatis & animi, nè quid in hoc negotio sibi vindicare posset humanæ facundiæ supercilium. Sæpe relinquebat Discipulos suos Christus humanis viribus: esuriebant, sitiebant, fatigabantur corporis laboribus, animi curis, sentiebant ingravescentem ætatem, aliáque fragilitatis humanæ incommoda. Sed idem aderat quoties majestatem suam mundo voluit innotescere: atque ità temperabat organa suorum quibus ad Euangelii propagationem utebatur, quatenus intelligebat ad Divini sui consilii rationem ádque mortalium salutem maximè conducere. Neque verò mirum, si cùm Ægyptus ac Syria, Cilicia, totáque penè Minor Asia, primùm ob imperium Alexandri, mox Romanorum, vulgò Græcè loquer[illegible]ur, Apostoli citra miraculum Græcè novissent, præsertim cùm postea tot annis inter Græcè loquentes versarentur. Neque enim statim ab iis conscriptum est Euangelium. Qui inter Gallos vivit, uno protinus anno Gallicè loquitur, etiamsi priùs nihil ejus sermonis tenuerit: & miramur Apostolos tot annis mediocrem sermonis facultatem fuisse consecutos? Jam verò non sum nescius à Paulo commemorari *genera linguarum & interpretationem sermonum* inter dona Spiritûs. Et ipse gloriatur quòd *plus cæteris omnibus loquatur linguis:* verùm id cujusmodi fuerit non est fortassis hujus loci persequi. Sed ut donemus interim fuisse ei quod accidit à Spiritu S. in Apostolos effuso, addamus & illud, Non contigisse illis hoc dono politam & exactam linguarum peritiam, sed catenus duntaxat quatenus maximè conducebat ad negotium Euangelicum. Sicut cui contigerat Prophetiæ donum ut hunc aut illum locum explanaret, non continuò quovis tempore quemvis Scripturæ locum poterat explicare; quòd eas dotes *Deus singulas impartiret ad mensuram fidei*, teste Paulò; ità si cui contigerat pro re nata linguarum peritia, non statim apud quosvis in quovis argumento idem potuisse videtur. Siquidem existimamus & Augustino Prophetiæ donum adfuisse in explicandis S. literis, & tamen alicubi non assequitur sensum Scripturæ germanum. Neque Hieronymo defuit, opinor, donum Linguarum, & tamen in nonnullis dissentiunt ab eo qui literas Hebræas profitentur. Quòd si quis omnino contendat Apostolis infusam cœlitus omnium linguarum peritiam, atque hoc donum illis fuisse perpetuum, cùm [illegible] quæ fiunt virtute Divinâ perfectiora sint iis quæ fiunt juxta naturæ ordinem aut per humanam industriam, autore Chrysostomo; qui fit ut Apostolorum sermo non solùm impolitus sit & inconditus, verùm etiam imperfectus, perturbatus, aliquoties planè solœcissans? Neque enim id negari potest quod res ipsa clamitat: Placebat Spiritui S. sermonis simplicitas, [illegible] pura tamen & integra, atque iis vacans incommodis quæ solent auditorum intelligentiam impedire. Atque in his passim desudant interpretes Græci, quibus Demosthenes & Plato facilis erat ac perspicuus. Quoties Origenes in Paulo desiderat Græcanici sermonis integritatem? Quoties Hyperbatis, Anantapodotis & Amphibologiis offenditur? Neque id negat Chrysostomus, & fatetur compluribus in locis Hieronymus, apertè Paulo tribuens Græcanici sermonis imperitiam. idem Lucæ plus tribuit in literis Græcis quàm Hebræis, non ob aliud nisi quòd in his magis esset institutus, quippe Antiochenus. Idem fatetur Paulum disertiorem in lingua Hebræa quàm Græca, quòd in illa natus esset, in hac institutus. Rursus alicubi, quòd posterior epistola Petri dissideat à phrasi prioris, hanc adducit caussam, quòd in ea sit alio usus interprete. At quorsum opus interprete si perfectam omnium linguarum peritiam dabat Spiritus sanctus? præsertim cùm extra controversiam sit Apostolos omnes Græcè duntaxat scripsisse, excepto Matthæo, juxta quorundam opinionem. Cur ausi sunt interpretari veteres quod Paulus ob id Titum desideraret quòd is in Græci sermonis facultate esset promptior? Hæc non multùm absint à blasphemia si quis hanc sententiam de dono linguarum mordicus teneat: & tamen ea non veriti sunt Ecclesiæ probatissimi Doctores libris suis prodere. Atque hæc pluribus à me disserta sunt quàm fortassis annotationum argumentum postulabat, nè quis impiè aut temere à me dictum existimet Apostolos sermonem Græcum non ex orationibus Demosthenicis sed ex populari colloquio didicisse. Neque enim ex orationis sed ex mentis habitu metienda est Apostolorum autoritas. Neque magis pium hominem debet offendere in Apostolis sermo incultus quàm corpus illorum, aut vestis plebeia. Quin ipse Christus, ut multis, vulgatissimo maximéque populari sermone est usus, Syriacè loquens, & fortassis aliquando Chaldaicè, & haud scio an Græcè nonnunquam, ut erat id temporis populi sermo variis linguis corruptus; quandoquidem & Apostoli Græcè scribentes Romanorum multis vocibus utuntur. Atque hanc de Apostolorum sermone opinionem ipsa res nobis persuadet, etiamsi non suffragaretur summorum virorum autoritas. Mihi tamen non est animus, neque pro hac neque pro ulla alia digladiari si diversum sentit Ecclesia. Lectorem admonemus, non proponimus oracula, nusquam non parati cedere melioribus. Addam ridiculum quiddam. Cùm alicubi scripsissem sermonem quo Dominus est usus fuisse non purè Hebraicum sed Syrâ Chaldæâque linguâ corruptum, quidam trismegistus Theologus è Sorbona libro vulgato vociferatus est μαλακτρηγμῶς, quòd Domini & Apostolorum sermonem dixerim *corruptum.* Idem clamaret, opinor, si scripsissem Dominum non bibisse sincerum vinum, sed aquâ dilutum. Huc reciderunt Rabbinorum quorundam judicia. ¶ *Omnes oppressos*] Καταδυναστευομένους Rectè vertit Interpres, modo intelligamus hic *oppressos* dici qui tyrannide & potentiâ cujuspiam opprimuntur: id enim sonat Græca vox.

39. *In regione Judæorum*] Ἔν τε τῇ χώρᾳ *& in regione Judæorum*, conduplicatâ conjunctione.

41. *Præordinatis à Deo*] Προκεχειροτονημένοις quod magis sonat *delectis ut fit per suffragia.* Græca vox dicta est à *porrigendis digitis:* quo gestu suffragabatur olim populus. ¶ *Qui manducavimus & bibimus*] Glossa Ordinaria monet in Græcis scriptum fuisse, *qui quadraginta dies*, &c. quanquam id in nostris cod. non reperitur.

43. *Re-*

43. *Remissionem peccatorum accipere*] ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν, *consequi remissionem peccatorum*, sive *remissionem peccatorum accepturum esse.* ¶ *Omnes qui credunt*] Πάντα τὸν πιςεύοντα, *omnem qui credit*, aut *quisquis credidisset.*

45. *Ex circumcisione*] Οἱ ἐκ περιτομῆς, *qui erant ex circumcisione.* ¶ *Et in Nationes*] Καὶ ἐπὶ τὰ ἔθνη, *& in Gentes.* Nec est *gratia* χάρις, sed δωρεὰ *donum.* Et *quia effusa est* dictum est pro *quod effusum esset.*

47. *Numquid aqua*] Græci legunt in hunc modum, Μήτι τὸ ὕδωρ κωλῦσαι δύναταί τις, τοῦ μὴ βαπτισθῆναι τούτους. Et apparet hunc esse sensum, *Num quis vetare potest quò minùs aquâ baptizentur ii qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?* Veluti plus sit Spiritus quàm aqua; cùmque ille contigerit, nihil esse magni si hoc accesserit. Cæterum τὸ ὕδωρ accusativus aut pendet à præpositione subaudita κατὰ, aut adhæret verbo βαπτισθῆναι, eâ forma quâ dicimus βαπτίζομαι βάπτισμα.

VATABLUS.

1. COhortis] *Ex coborte.*

2. *Religiosus ac timens Deum*] Vel, *pius & religiosus erga Deum.*

3. *Quasi horâ diei nonâ*] i. Circiter tertiam pomeridianam.

4. *Quis es*] *Quid est.* ¶ *Ascenderunt in memoriam coram Deo*] Heb. pro, Deus recordatus est orationum & eleemosynarum tuarum.

5. *Et*] *Itaque*, Heb.

7. *Domesticos*] *Famulos.* ¶ *Metuentem Dominum*] *Religiosum, pium.* ¶ *Parebant*] *Inserviebant, adhærebant*, apparebant ei, & continuò præsto erant.

9. *Superiora**] * *Domûs*: vel *supra domum.* ¶ *Horam sextam*] i. Meridiem.

10. *Mentis excessus, Abstractio, abductio*, i. abductus fuit spiritus ejus à corpore.

11. *Vidit*] *Videt*, Vet. ¶ *Initiis**] i. Angulis, * *ligatum.*

12. *Omnia*] i. Omnigena. ¶ *Serpentia terræ*] *Terræ, & bestiæ, & reptilia.*

13. *Occide*] Vel, *macta.*

14. *Absit*] Vel, *nequaquam.* ¶ *Omne*] Heb. *quicquam.* ¶ *Et*] *Vel.*

15. *Iterum secundò*] *Rursus iterum*: elegantia Græca. ¶ *Quod*] *Quæ*, Vet. ¶ *Commune nè dixeris*] *Nè communica*: Hebraismum doctè reddidit Interpres.

16. *Hoc**] * *Autem*, Vet. ¶ *Per ter*] *Tertiò, ter.* ¶ *Statim*] *Rursum.*

17. *Inquirentes domum*] *Percontati de domo.* ¶ *Januam*] *Vestibulum.*

21. *Ad viros**] * *Qui missi erant à Cornelio ad ipsum*; Sic quædam exemplaria Græca.

22. *Responsum accepit*] Vel, *admonitus est.* ¶ *Accersiri*] *Accersire*, Vet. ¶ *Et audire verba abs te*] Heb. *ut instituetur à te ad Euangelium.*

23. *Introducens ergò*] *Intrò vocatos igitur.* ¶ *Surgens*] *Petrus.* ¶ *Joppe*] Vel, *Joppensibus.*

24. *Alterâ autem die introivit*] *Postridie autem introierunt.*

25. *Adoravit eum*] i. Advolvit se ad genua ejus.

28. *Quomodo abominatum sit*] *Ut nefas sit.*

29. *Sine dubitatione*] *Sine contradictione.*

30. *Nudiusquartana*] *Nudiusquarta*, Vet. Vel, *quarto abhinc die.* ¶ *Horam**] * *Sedebam jejunus*, &c. ¶ *Candida*] *Splendida.*

31. *Commemoratæ*] *In memoria habitæ.*

32. *Juxta mare**] * *Qui ubi advenerit, loquetur tibi.*

33. *In conspectu*] Dei; i. conscio Deo, Heb.

34. *In veritate*] Vel, *reipsâ*, aut *reverâ.*

35. *Omni*] *Quavis.*

36. *Verbum**] *Verbum* hoc loco significat rem populi sermone jactatam: * *quod.*

37. *Vos scitis quod factum est verbum*, &c.] Vel, *ipsi scitis de quo sermone famâ divulgatum fuit in tota Judæa, rumore primùm orto à Galilæa, post baptismum quod prædicavit Johannes, quomodo Jesum Nazarenum unxerit.*

38. *Eum*] Abundat *eum*, more Heb. dilucidiùs vertas, *Quomodo Jesum illum Nazarenum unxerit Deus*, &c. ¶ *Oppressos à Diabolo*] Vel, *Diaboli potentiâ & tyrannide pressos.*

39. *Fecit**] * *Et.*

40. *Dedit eum manifestum fieri*] *Exhibuit eum ut manifestus fieret.*

41. *Præordinatis*] *Delectis.* ¶ *Bibimus**] * *Unà.*

43. *Remissionem peccatorum accipere per*, &c.] Vel, *quid remissionem peccatorum accepturi sint per*, &c.

45. *Obstupuerunt**] * *Qui erant.* ¶ *Ex circumcisione fideles*] i. Judæi ad Christum conversi. ¶ *Qui*] *Quotquot.* ¶ *Nationes gratia Spiritûs S. effusa est*] *Gentes donum Spiritus S. effusum est.*

46. *Respondet*] Heb. pro, *cœpit dicere.*

47. *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur*] i. Num quis vetare potest quo minùs aquâ baptizentur.

CASTALIO.

15. POllue] Polluta dicito, aut putato.

30. *Ad hanc horam*] Ad horam nonam, quota nunc est.

45. *Qui erant à circumcisione fidentes*] *A circumcisione esse* est *ex circumcisis esse*: quomodo dicit Cicero, *Qui sunt ab ea disciplina*: πιςοὶ autem qui dicuntur eos malo *fidentes* dicere quàm *fideles*: nam πιςὸς in utraque notione dicitur ut πιςὸς ὁ Θεὸς rectè *fidelis* aut *fidus* dicetur: sed πιςὸς cùm de Christiano dicitur, *fidentem* significat, non cui habenda sit fides, qui *fidelis* Latinè dicitur, sed qui fidem habeat, scilicet Christo. Volo autem *fidens* nomen esse, sicut κλητὸν in Paulo, qui *vocatus* aut *evocatus* ità dici potest, ut sit nomen non participium, quasi tu dicas *vocativus.* Atque hujusmodi nominibus utuntur etiam Latini, cùm *accensos*, & *evocatos*, & *legatos* dicunt, nè nobis idem, urgente necessitate, facere nefas putemus.

CLARIUS.

4. ORationes tuæ & eleemosynæ tuæ] Duabus vocibus complectitur omnia, & Pietatem in Deum, & Charitatem in proximum quemque. Hoc exemplo colligere possumus, Deum nulli unquam hominum generi defuisse, quippe qui, si desint homines, ministerio Angelorum subveniat.

6. *Hic dicet tibi quid te oporteat facere*] Sequenti capite dicitur explicatiùs, *qui loquetur tibi verba in quibus salvus eris tu & universa domus tua.*

15. *Quæ Deus purificavit, communia nè dixeris*] Hoc videtur quidem ad illum dici: sed totum Judæis dicitur: nam si Magister increpatur, multò magis ii. *Linteum* autem *quatuor initiis alligatum* tota terra est; *bestiæ* autem, Gentes; quod ait, *Macta, & comede*, ostendit omnes esse admittendos; *tertiò* autem *id fieri* significat Baptismum.

28. *Vos scitis quomodo non liceat viro Judæo*] Prudens dicendi principium & quod utrisque, & Judæis & Gentilibus, satisfaceret.

30. *Die abhinc quarto usque ad hanc horam*] h. e. *Nunc est quarta dies, cùm hâc horâ eram jejunans*, &c.

36. *Verbum quod misit*] Hebraismus est, pro *re quæ sermone vulgi jactabatur.* Textus autem sic est ordinandus, *Vos scitis verbum quod misit Deus filiis Israel*, &c. *Scitis, inquam, quod factum est verbum.*

38. *Unxit eum Deus*] Cùm alii Reges & Sacerdotes ungerentur oleo, *hunc Deus unxit Spiritu sancto & virtute*; h. e. Factis ipsis & potestate quam ostendit, declaratus est à Deo esse verus Rex & Sacerdos summus.

45. *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles*] Magis nos nunc obstupescimus, hos *qui ex circumcisione jam fideles erant miratos gratiam Spiritûs sancti in Nationes effusam*, perinde quasi Judæorum tantùm esset Deus. Ità parùm nota erat hæc Dei bonitas, & in omnes liberalitas.

48. *Et jussit eos baptizari*] Neque dixit, *Quid opus est aquâ, cùm Spiritus S. in eos delapsus sit?* Sciebat enim quòd Divina in ea symbola perficerentur, Sepultura, Mortificatio, & Resurrectio & Vita. Sicut enim facile nobis est mergi & emergere; sic facile est Deo sepelire veterem hominem & excitare novum. Tertiò autem fit ista lavatio, ut intelligamus id virtute Patris, & Filii & Spiritûs S. fieri, vel in memoriam illius Domini post tertium diem resurrectionis, quæ idem in nobis agat.

ZEGERUS.

1. CEnturio cohortis quæ dicitur Italica] Gr. *ex coborte*: quo datur intelligi hunc non totius cohortis (quæ plus minus mille milites continet) principem, sed inter cæteros cohortis Centuriones unumquempiam fuisse. Ni. Perottus diversè commemorans cohortium genera, tria tantùm ponit numero disparia

dispara; Quorum primum MCV peditibus constabat, equitibus loricatis CXLII. quod etiam *milliarium* seu *milliaria cohors* appellata est. Secundum, quod etiam à numero suo *quingentarium* dictum est, DLV pedites, equites verò LXVI habebat. Tertium similiter pedites quidem DLV, equites verò LVI tantùm continebat. Testatur quoque idem Perottus primum cohortis genus signum habere solitum Aquilam, quod præcipuum est imperii Romani insigne: ut hinc suspicer ejusmodi cohortem hic indicari, atque ob id cognominatam fuisse *Italicam*.

4. *Quid est, Domine?* Cave legas, *Quis es, Domine?* quomodo vulgò passim legitur, contra archetypum & exempl. vetusta.

10. *Parantibus autem illis*] De servis seu domesticis ipsius loqui videtur, qui cibos appararent, nimirum sextà jam (quæ prandii est juxta quorundam supputationem) horâ currente. Unde Glossa Interlinearis, *Ministris*, inquit, *prandium parantibus*.

11. *Quatuor initiis submitti*] h. e. *Quatuor* lintei ipsius *finibus* sive *angulis*, vel, ut Augustinus legit, De Gen. ad lit. l. 12. c. 11. *linteis demitti*.

15. *Quæ Deus purificavit, tu ne commune dixeris*] Sic lego in antiquis, etiam apud Hieronymum in epist. ad Augustinum. Sed quia obstat ratio Grammaticalis Augustinus legit, *tu ne immunda dixeris*: & neoterici legunt *quod Deus*. Omne immundum seu interdictum Hebræi vocabant *commune*, propterea quòd pateret omnibus, se exceptis.

21. *Descendens autem Petrus ad viros*] Quòd hìc adscribitur, τοὺς ἀπεσταλμένους ἀπὸ τοῦ Κορνηλίου πρὸς αὐτόν, extra contextum habendum est: nam id neque Chrysostomus habet, nec exempl. quædam Græca vetustiora, nec ulla Latina.

25. *Et factum est cùm introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit*] Codex refectorarius cœnobii Affliginiensis (quem ex integro in hoc opere perlegi) propiùs ad Græcum accedens sermonem, sic habet, *obvius ei Cornelius procidens ad pedes ejus adoravit*.

30. *A nudiusquarta die usque in hanc horam, orans eram horâ nonâ in domo mea, & ecce vir stetit ante me*] Eam lectionem quæ hodie in Græcis cernitur, nimirum ἤμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐννάτην ὥραν, pro ἤμην τὴν ἐννάτην ὥραν, i. *sedebam jejunans, & horâ nonâ*, &c. itémque eam quam Beda indicat tam in Græcis exstitisse quàm in Latinis, nimirum, *usque ad hanc horam eram jejunans, & orans à sexta hora usque ad horam nonam*, aliquot videlicet verbis adjectis, & aliquot omissis; hanc, inquam, utramque lectionem à librariis aut explanatoribus profectam puto, qui noluerint Orationem à Jejunio esse separatam, quòd in Scriptura ferè conjungi soleant, quique sensum alioqui obscurum voluerint reddere dilucidiorem. Certè Chrysostomus neque *sexta hora* neque *jejunii* ullam facit mentionem, utcunque ipsius commentario contextus Lucæ sive à librario Græco sive ab ipsius interprete adscriptus est. Quin & ipse Angelus non *jejunium* sed *orationem* duntaxat & *eleemosynas in memoria apud Deum fuisse* annunciat. Lectionem itaque nostram, quam hic scripsimus, arbitramur saniorem, ut quam in vetustis atque emendatioribus invenerimus exempl. Latinis, nominatim in exempl. Brugensi & Gembl. & aliis. Sentit autem Cornelius *se orasse* non quidem totum *quatriduum* (ut verba ipsa indicare videntur) sed *die illo qui ad eam horam usque*, i. ad id usque temporis quo hæc cum Petro loquebatur, *quartus* fuerit; & illo eodem die *conspectum sibi Angelum*, *orantis* scilicet *circiter horam nonam*. Atque hunc esse sensum præcedentia Lucæ verba manifestant, ubi sub suo nomine hanc eandem historiam præmittit, & quatuor enumerat dies qui inter Angeli apparitionem & Cornelii cum Petro colloquium intercesserunt. Quare & in nonnullis cod. ita scriptum est, *Quarto abhinc die usque in hanc horam, orans eram horâ nonâ*.

32. *Simonis coriarii juxta mare*] Addenda hic particula est quam tum in Græcis, adstipulante Chrysostomo, tum in cod. Latinis pennâ descriptis additam reperimus, *is cùm venerit, loquetur tibi*. Respondet enim ei quod circiter capitis hujus exordium ponitur, *hic dicet tibi quid te oporteat facere*. Hoc ipsum & Correctorium cujusdam ante nos indicavit.

36. *Verbum misit Deus filiis Israel, annuncians pacem per Jesum Christum: hic est omnium Dominus. Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim à Galilæa post Baptismum quod prædicavit Johannes: Jesum à Nazareth, quomodo unxit illum Deus*] *Verbum* hic, præsertim secundo loco positum, juxta proprietatem sermonis Hebræi, *rem* seu *operationem* ipsam declarat. Ejus autem rei actum seu exhibitionem ait *sumpsisse à Galilæa post Baptisma Johannis*. Deinde ponit argumentum gestæ rei, nempe de *Jesu Nazareno*, &c. Jam ubi dicitur, *Hic est omnium Dominus*, illud *hic* relativi naturam habet, q. d. *qui est omnium Dominus*. Cæterùm Græci hunc locum aliquantò secùs legunt, atque distinguunt; *Verbum quod misit Deus filiis Israel annuncians pacem per Jesum Christum: hic est omnium Dominus: vos scitis factum verbum per omnem Judæam, incipiens à Galilæa*, &c. Quibus verbis Erasmus Hyperbaton & Parenthesim subesse putat, & accusativum λόγον pertinere ad verbum οἴδατε *scitis*: ut legatur ad hunc modum, *Verbum quod misit filiis Israel annuncians pacem per Jesum Christum*; deinde per Parenthesin interjiciatur (*hic est omnium Dominus*) moxque sequatur, *ipsi scitis verbum, inquam, quod factum est per totam Judæam*, &c. Verùm huic lectioni atque constructioni refragantur Chrysostomus & Irenæus, qui ab eo loco, *Vos scitis*, novum faciunt orationis caput: nisi quòd in Irenæo pro *quod prædicavit*, *quidem* scriptum sit, l. 3. c. 12.

L. BRUGENSIS.

41. **Q**ui *manducavimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis*] Beda in Retractationibus in Actâ scriptis, *In Græco*, inquit, *additum est, per dies quadraginta: & S. Augustinus in suo codice ità haberi declaravit, atque exponendo subjunxit, Non quod quotidie per dies 40 cum illo manducassent atque bibissent*. Nos id in Græcis nec codicibus nec Enarratoribus invenimus, ut neque in Syricis libris; tantùm in uno Latino scripto, M. N. Augustini Hunnæi, O notato, insigni sanè illo, at non admodum antiquo. *Qui manducavimus*, habet, *& bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis per dies quadraginta*.

H. STEPHANUS.

4. **A**Νέβησαν εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ] *Ascenderunt in conspectum Dei, tanquam mnemosynum illi futura*: i. te illi in memoriam revocaturæ.

6. Ξενίζεται] *Hospitatur*.

7. Τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ] *Eorum qui cum ipso assidui erant*.

9. Ἐπὶ τὸ δῶμα] *In interiorem domûs partem*: vel *superiorem*.

10. Ἐγένετο δὲ πρόσπεινος] *Factus est autem famelicus*. ¶ Ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις] *Contigit illi ut extra se raperetur*.

11. Σκεῦός τι ὡς ὀθόνην μεγάλην] *Vas quoddam* seu *linteum magnum*.

14. Μηδαμῶς] *Absit* ut hoc faciam.

15. Μὴ κοίνου] *Ne polluito*: i. Nè pro pollutis habeto: vel, Nè vocato polluta.

17. Ἐπὶ τὸν πυλῶνα] *Ad vestibulum*.

20. Μηδὲν διακρινόμενος] *Minimè dubitanter*.

22. Μαρτυρούμενός τε ὑπὸ ὅλου τοῦ ἔθνους] *Qui commendatur testimonio totius gentis*: Vel, *ornatur testimonio*. ¶ Ἐχρηματίσθη] *Divinum mandatum accepit*.

23. Ἐξένισε] *Hospitio accepit*.

27. Συνομιλῶν] *Colloquens*.

28. Ἀθέμιτόν ἐστιν] *Nefas est*.

29. Ἀναντιῤῥήτως ἦλθον] *Venire non recusavi*.

31. Ἐμνήσθησαν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ] Vide v. 4. hujus cap.

33. Ἐξ αὐτῆς] Gall, *Sur l'heure*. ¶ Καλῶς ἐποίησας παραγενόμενος] *Bene fecisti quod veneris*.

34. Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός] *Re ipsâ comperio* [vel, *deprehendo*: seu, *animadverto*] *nullum esse Deo personarum respectum*.

35. Δεκτός ἐστι] *Acceptus est*.

36. Τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε] Juxta *id quod exposuit*: vel, *significavit*.

37. Τὸ γενόμενον ῥῆμα] *Sermonem qui exstitit*: q. d. ea quæ audita sunt.

38. Ὃς διῆλθεν εὐεργετῶν καὶ ἰώμενος πάντας τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου] *Qui quacunque transibat, beneficus erat, & sanabat omnes qui in diaboli erant potestate*.

41. Τοῖς προκεχειροτονημένοις] *Antè designatis*.

43. Ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν] *Eum esse per cujus nomen*, &c.

45. Ἐξέστησαν] *Obstupuerunt*.

DRU.

DRUSIUS.

3. **H***orâ diei nonâ*] Tempus Sacrificii vespertini, & una ex tribus horis Precum: de quibus aliàs.

4. *In Dei conspectum*] לפני אלהים *coram Deo.* Nam על פי quod in Annotationibus Theodori, aliud significat.

9. *Circa horam sextam*] Tempus precationis quam vocant תפלת מנחה *precationem sacrificii*, sive *muneris*, quæ incipiebat horâ sextâ & dimidiâ, & durabat usque ad nonam & dimidiam. Erat etiam hora prandii: unde in libro qui *Principium sapientiæ* inscribitur *tempus refectionis* vocatur: siquidem סעודה *refectio*, *convivium*. Sic dico, Vocatur ibi tempus quo cibum sumebant discipuli Sapientum. Ante hanc precationem non gustabant quicquam: eratque in magno pretio apud veteres. Vide lib. Musar. c. 4. Tria erant precandi tempora, hora Tertia, Sexta, & Nona, sive *manè*, *meridie*, & *vespere*. Precatio matutina ab Hebræis dicitur תפלת בקר, meridiana תפלת צהרים, vespertina תפלת ערב. Hanc putant etiam dici *precationem muneris*, i. מנחה, quod ἀρχαϊκῶς legebant μαναά. Ejus mentio Act. 3. 1. *ad horam orationis nonam.* Hæc orandi tempora Ecclesia Romana hodièque observat; quibus hora *Tertia* Judæorum est hora nona; & *Sexta* hora, duodecima, quæ & *hora prandii*; & *Nona* hora, tertia pomeridiana.

10. *Cùm esuriret, voluit gustare*] i. edere, ut 1 Sam. 14. 24 Sic Jon. 3. 7. *ne gustent quicquam.* Rursùm Act. 20. 11. *frangens panem & gustans.* Cæsar de Britannis, *Leporem & gallinam & anserem gustare fas non putant.* In epistola Augusti apud Suetonium, *Palmulas & panem gustavimus.* Alioqui *gustare* minus est quàm *edere*. Nam qui gustat duntaxat in jejunio non violat jejunium. Sic dicunt, *Qui gustat, non benedicit.* Id fit ore, linguà, palato. Abenmelech Gen. 27. *Gustare dicitur qui gustat ore suo, nec edit ex eo, tantùm transire facit per guttur parùm quid. Ideo dixerunt οἱ μακαρῖται διδάσκαλοι ἡμῶν, Gustus non indiget benedictionis; &, Qui positus in jejunio gustat, nihil est. Fit autem gustatio ore vel linguâ tantùm, quando quis aliquid sumit extremâ linguâ suâ. Etiam palato cibos gustamus: unde Job 32. Palatum escam gustat sibi.* Hactenus Abenmelech in libro qui vocatur *Michal Jophi*, quem habeo ex Typographia Constantinopolitana Judæorum. *Gustare*, טעם: quod pleniùs diceretur *gustare panem.* Juch. 94. 2. *Non licet gustare horâ sacrificii* מנחה *dicti ante precationem.* Priùs ergò precabantur, deinde pransum ibant & cibum capiebant. Sed quid? an hæ preces durabant usque ad nonam & dimidiam? Non opinor: nam privatæ erant, non publicæ. De publicis ἐπέχω.

12. *Omnia quadrupedia terræ*] כל בהמת הארץ, vel certè כל הבהמה אשר על הארץ. Sic enim בהמה interpretantur LXX Gen. 1. 24. ubi & רמש ἑρπετὰ & חית ארץ θηρία τῆς γῆς. Sed & alibi בהמה reddunt τετράποδα aut τετράποδα. Infra 11. 6. additum, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ.

14. *Commune & immundum*] Κοινόν, i. *pollutum.* Id idem cum illo ἀκάθαρτον *immundum.* Vau ergò h. l. ἐξηγητικόν, *commune, hoc est, immundum.* Vide De literis Mosche Vecholeb. Copulantem & etiam Syrus legit. Quod noto, quia in Græcis edit. *commune aut immundum:* quod Theodorus in ultima ed. vertit *pollutum vel impurum.* Et ità distinguunt, ut κοινὸν sit *quod alioqui per se purum, tamen aliquo casu pollutum fuit. Impura verò sive immunda quædam erant per se, interdicto illorum usu.* Hæc ille. Hujus loci est,

Judicium Paridis spretæque injuria formæ;

nam sensus, *hoc est, spretæ injuria formæ.* Græcam lectionem firmat qui sequitur v. 28. ubi etiam Vulg. interpres, *neminem communem aut immundum dicere hominem:* & v. 8. cap. proximè sequentis.

22. *Ab Angelo sancto*] Qui & *Angelus Dei*, & *Angelus DOMINI*, & *Angelus cæli* sive *cælorum*, & *Angelus è cælo* Gal. 1. 8. & *Angelus lucis* 2 Cor. 11. 14. Nam est Angelus non sanctus, ut *Angelus Satan* 2 Cor. 12. 7. & *Angelus Satanæ*, qui & *Angelus Diaboli.* Cæterum *sanctorum Angelorum* mentio Matth. 25. 31. Marc. 8. 38. & Luc. 9. 27. Vocantur etiam *Angeli electi* 1 Tim. 5. 21.

30. *Horâ nonâ precabar*] Beda notat, teste Theodoro, *Græcos scriptum habuisse*, ἀπὸ τῆς ἕκτης ὥρας μέχρι τῆς ἐννάτης ὥρας, *ab hora sexta usque ad horam nonam.* Nam precatio meridiei, quæ & *precatio Manaa*, i. *muneris*, durabat ab hora sexta & dimidia usque ad nonam & dimidiam. Vide quæ notavimus ad v. 9. ¶ *Vir stetit*] Quomodo *vir* si *Angelus*, aut *Angelus* si *vir* erat? *Vir* erat in specie, *Angelus* in rei veritate. Sic in primo librorum Mosis *tres viri*, i. Angeli. Nam species appellantur de nominibus ipsarum rerum.

CASAUBONUS.

7. **T**ΩΝ προσκαρτερούντων αὐτῷ] Interpres Syrus aut hæc verba non intellexit, aut nescio quid hujusmodi legit, ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος, sicut loquitur idem Lucas de servo Centurionis scribens libro priore 7. 2.

9. Ἀνέβη Πέτρος ἐπὶ τὸ δῶμα] Jam admonuimus δῶμα *tectum* esse: quam interpretationem Syrus quoque interpres confirmat.

33. Σύ τε καλῶς ἐποίησας παραγενόμενος] Καλῶς ποιεῖν forma est dicendi elegans, quæ facti approbationem cum gratiarum actione continet. ¶ Νῦν οὖν πάντες ἡμεῖς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ πάρεσμεν, ἀκοῦσαι] Videtur Syrus interpres non tantùm σοῦ pro τε, sed etiam θέλομεν pro Θεοῦ πάρεσμεν, legisse.

46. Ἤκουον γὰρ αὐτῶν λαλούντων γλώσσαις] In his libris, ac præsertim in epistola ad Corinthios priore, passim occurrit λαλεῖν γλώσσῃ vel γλώσσαις quæ Latini interpretes non aliter quàm *loqui linguâ* vel *linguis* exprimunt: haud scio quàm rectè. Nam ex usu linguæ Græcæ λαλεῖν γλώσσῃ vel γλώσσαις cùm aliquem dico, non *loqui linguâ* simpliciter, sed *barbarâ & haud intellectâ linguâ uti* eum significo. Id, quemadmodum dixi, ex usu perpetuo Græcè loquentium certissimum est. Et Clemens Alexandrinus Στρωματέων lib. 1. quo loco de generibus linguarum disserit, annotat barbarorum linguas propriè γλώσσας] appellari, Ἀπερίληπτος δὲ ὥσας τὰς βαρβάρων φωνάς, μηδὲ διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσας λέγεσθαι. Hinc libri Grammaticorum veterum περὶ γλωσσῶν, quibus eas voces explicabant quas Græci auctores ex aliis linguis videbantur sumpsisse. Quare in hujusmodi locis fortasse non ineptè λαλεῖν γλώσσαις verteris *peregrinis linguis loqui:* nam hâc periphrasi opus est ut sententiæ vim exprimas. Syrus quidem interpres multis locis non simpliciter *loqui linguis* sed *variis linguis* vertendo dixit.

CAMERON.

34. **O**ΤΙ οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός] Scriptura N. Testamenti passim negat, ut videtur, Deum facere discrimen personarum; & Scriptura eadem, si rem propiùs intueamur, docet Deum inter personas magnum facere discrimen: neque enim omnibus vel eadem vel paria indulget; quæ agendi ratio nonnullis videtur redolere προσωποληψίαν. Itaque considerandum est quid sit *personam accipere*; unde facilè intelligi poterit quid sit *non accipere personam.* Ac sunt nonnulli qui *personæ acceptionem* sic definiunt ut eam velint in hoc esse sitam, ut paribus imparia tribuantur, vel imparibus paria: quorum utrumque cùm Deus faciat, omnino consequens est ut errarint graviter in definienda *personarum acceptione.* Nam paribus Deus imparia tribuit dum, v. gr. Israelitas prætulit reliquis gentibus, nullâ, ut ipse testatur, adductus ratione præter amorem & benevolentiam, quâ gentem & gentis illius patres prosecutus est. Et imparibus paria tribuit, cùm parabolâ Operariorum Christus docet idem Deo licere quod Hero illi, qui eandem dedit mercedem illis qui non pariter laboraverant. Quid igitur est *Personarum acceptio?* nempe, *Cùm ob rationem quandam quæ personæ inest aliquid tribuitur præter jus & fas*, vel etiam, *Cùm etsi id quod tribuitur personæ non sit tributum præter jus & fas, tamen habita est ipsius personæ ob peculiarem quandam conditionem ratio minimè congrua rei quæ tribuitur.* Quod ut faciliùs percipiatur, necesse est primùm teneamus unde sit orta hæc nomenclatura, *Acceptio personarum*. Est verò προσωποληψία dicta ἀπὸ τοῦ λαμβάνειν τὸ πρόσωπον. Porrò λαμβάνειν τὸ πρόσωπον est Heb. נשא פנים illud enim verbi significat *levare faciem, accipere faciem.* Nam priscis illis temporibus hic fuit salutantium gestus ut facie pronâ in terram peragetetur salutatio; quod & hodièque fit in Oriente, qui verò salutabatur is salutantem sublevabat; hoc est illud נשא פנים *levabat ejus faciem.* Quòd si accideret ut salutatio respueretur aut verò insuper haberetur, tum demum nulla erat faciei levatio aut personæ acceptio. Id ipsum aliâ locutione dicitur in Scriptura *agnoscere faciem*, ut Deut. 1. 17. *Non agnoscetis faciem personæ* Atque à salutantium gestu traductum est ad rem ipsam significandam. Nempe ii dicuntur *accipere personam* quibus persona non commendatur propter causam, sed contrà causa propter personam. Et verò id ipsum est quod linguâ Gallicâ dicitur *faveur*. Scriptura igitur Deo detrahit προσωποληψίαν duplici ratione; Primùm in Judicio. Deus enim judicat juxta Legem,

neque

neque cuiquam tribuit quod nefas est tribui, Rom. 2. 11. Deinde, cùm personæ aliquid tribuitur ob conditionem quandam personarum quod non convenit ei conditioni. Sic detrahitur Deo προσωποληψία Gal. 2. 6. Porrò προσωποληψία aliter in N. aliter in V. Test. ponitur; nam in N. semper in vitio ponitur, in Vet. non item: nam aliquando Deo tribuitur; ut Gen. 19. 21. Deus Lotum sic compellat, *In hoc*, inquit, *accepi personam tuam.* Uno verbo προσωποληψία est præpostera benevolentia & juris perversio. Itaque non pertinet ad negotium Prædestinationis; nam in danda vita æterna nulla est προσωποληψία. Etsi enim detur nonnullis vita æterna, denegetur aliis, id fit idonea de causa; nempe, crediderunt illi Euangelio, quod iis cum reliqua turba non convenit. Rursus, etsi non donentur omnes tantâ luce ut inde oriatur fides, hoc verò fit certis quibusdam hominibus donum peculiare, tamen quia id non fit ob certam quandam & singularem rationem inhærentem personæ, non est προσωποληψία, sed pertinet ad œconomiam liberam & solutam omni Lege; nempe, Deo licet de suo facere quod ei libet.

35. Ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐςι] Nil facit hic locus ad probandam Justificationem per opera. Nam aliud est *nos esse acceptos propter opera*, aliud *nos operantes acceptos esse*. Deinde notandus est duplex amoris Divini gradus; vel quo nos sicut pater filium, etiam nequam, diligit; vel quo nos jam à se gratiâ donatos prosequitur; qui amor non est justitiæ sed misericordiæ amor, quo suam in nobis amat imaginem.

41. Οἵτινες συνεφάγομεν, &c.] Videtur Petrus disertissimis verbis affirmare Christum unà cum Discipulis bibisse postquam resurrexit à mortuis. Sed hic illud primùm observandum est, quòd Petrus non dixit Christum comedisse ac bibisse cum Discipulis, sed Discipulos comedisse ac bibisse cum Christo; inter quas locutiones magnum sanè discrimen est. Nam si priori usus fuisset Petrus locutione, haud dubiè eam adhibuisset eo animo ut indè fidem astrueret resurrectioni Christi; quomodo Christus ipse dignatus est vesci cum Discipulis: nam bibisse eum post resurrectionem in historia Euangelica non legimus. Jam verò cùm diversâ locutione usus sit Petrus, haud dubiè eâ locutione designavit tantùm (eâ figurâ quæ dicitur *Consequens pro antecedenti*) convictionem & familiaritatem Discipulorum cum Christo; *Non*, inquit, *toti populo*, *sed nobis qui cum eo conjunctissimè viximus.* Itaque hæc verba, *qui unà cum eo edimus & bibimus*, distinguenda sunt à sequentibus, *postquam resurrexit à mortuis*, & jungenda sunt cum antecedentibus, *non toti populo*, *sed testibus quos antea designaverat:* illa verò, *postquam resurrexit à mortuis*, connectenda sunt cum fine versûs antecedentis, sic, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι μετὰ τὸ ἀναςῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.

GUALTPERIUS.

16. Ἔκςασις] Exstat hæc vox Marc. 5. 42. & 16. 8. Luc. 5. 26. Act. 3. 10 & 10. 10. & 11. 5. & 22. 17. Syrus P. in commemoratis locis dissimilibus utitur vocibus: Lucæ 5. Act. 3, & 10. vocabulum ἐκςάσεως exprimit per vocem תמהון cum Sæghol, vel cum Tseri, ex radice תמה *miratus est*, *demiratus est*. Inde Thargumicè תמהא & Syriacè תמהא *stupor*, *admiratio*, *mentis excessus:* in plur. תמהין *mirabilia*, *prodigia*, *portenta*, Psal. 135. Dan. 6. Apud Marcum verba Græca ἐξέςησαν ἐκςάσει μεγάλῃ *obstupuerunt stupore magno* reddit Syrus תמהו תמהא רבא *& admirabantur admiratione magnâ*, ex תמה *miratus est*, Matth 8. unde תמהא *admiratio*, & תמהונא *miraculum* Marc. 16. 8. εἶχε δὲ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκςασις *tenebat eas tremor & stupor* Syr. תמהא ורתתא *stupor & tremor*. Aliter Lucas in Actis 11. 5. καὶ εἶδον ἐν ἐκςάσει ὅραμα *visum in mentis excessu vidi*, Syr. חזית בחזוא *vidi in visione*. Idem c. 22. 18. easdem voces retinet: alioqui in Græco exemplari versus est 17. γενέσθαι με ἐν ἐκςάσει Tantum de Syro. Cæterùm ἔκςασις vox Græca est, & diversimodè ab Interpretibus redditur. Suidas θαυμασμὸν interpretatur καὶ ἀλλοίωσιν. H. Stephanus, primò ratione originis generaliter ἀπὸ τῦ ἐξίςαμαι *dimotionem* vocat *rei alicujus è statu in quo erat.* Deinde, ad mentis emotionem cùm refertur, pro *furore* accipitur, aut *alio casu quo à mente discedimus.* Apud Hippocratem & Galenum animi morbus est designans vehementem motionem & aberrationem mentis: quâ significatione μανία καὶ μελαγχολικὴ ἔκςασις non multum different. Quâ verò ratione ἔκςασις inter Melancholiæ species referatur à Medicis, & quomodo non ex sola Melancholia nascatur, explicat Peucerus in libro De Divinat. sub titulo θεομαντείας Dicitur etiam ἔκςασις cùm aliquis à se discedit, h. e. cùm animus ejus extra ipsum rapitur, quod ἀναγωγὴ etiam appellatur, ut iis accidit qui ad cœlestium & Divinarum rerum contemplationem abripiuntur. Interdum & ἔκςασις dicitur cùm mens partim admiratione partim timore quasi è statu suo dimovetur & discedere videtur, sicutide mulieribus quæ Christi sepulcrum visentes Angelum viderant perhibetur, Marc. 16. εἶχε δὲ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκςασις, *tremor & stupor cepit omnes.* Ita quoad Etymologiam Grammaticam. Ad rem ipsam si deveniamus, meritò distinguendum esse inter profanam & sacram ἔκςασιν existimo. Utriusque exempla complura commemorantur: placet autem pauca delibare. Insigne illud est quod de D. Paulo perhibetur 2 Cor. 12. Is in Apostolatu suo confirmatus, *raptus est usque ad tertium cœlum*, *utrùm in corpore an extra corpus*, *nescit*; *Deus novit: audivit arcana verba*, *quæ non licet homini loqui.* Hinc demum in illam prorupit vocem, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis dedit prior illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula.* Marul. lib. 2. c. 4. Simon Petrus hoc loco, cùm in cœnaculum circa horam sextam oratum ascendisset, cecidit super eum mentis excessus: & vidit cœlum apertum, & indè vas quatuor initiis submitti, immundis animalibus plenum sed quæ à Deo mundata dicerentur. Ex quo significatum est, Gentiles quoque, qui planè immundi errorum inquinatione erant, per fidem Euangelicæ veritatis mundandos & Ecclesiæ gremio excipiendos esse, sicuti & Judæos. Joannes Apostolus *Fui*, inquit, *in Spiritu Dominicâ die*, *& audivi & vidi*, utique quæ in Apocalypsi commemorat. Quorum præstantiam D. Hieronymus admiratus, ait, *Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba. Parùm dixi: In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ, & pro merito voluminis laus omnis inferior est.* Franciscus, ut referunt Marul & Sabellicus lib. 2. c. 6. in ecstasi vidit fulgentem Salvatoris nostri crucem; vidit sanctum Seraph, à quo *Seraphicus* dici meruit. Indè singulari quodam privilegio Dominicæ crucifixionis cicatrices corporaliter gessit. D. Thomas Aquinas jugi & assiduæ contemplationi ità sese assuefecerat ut frequenter in mentis ecstasin cadens astantibus mortuus videretur, interim tamen recondita Divinarum literarum mysteria hauriebat; & ad se reversus fructum hujus philosophicæ mortis docendo simul & scribendo aliis quoque communicabat. Tradunt quoque Joannem Scotum animo linqui solitum, ac velut exanimem, eodem quo deprehensus esset loco per diem interdum & ampliùs immobilem sedisse, mente & sensibus sopitis, aut certè procul à corpore aberrantibus: atque ità demum ab hominibus ejus rei ignaris pro defuncto elatum: SABELL. & Jov. Profanæ ἐκςάσεως exempla subjicere placet sequentia. Epimenides Cretensis, ut & Aristeas Proconnesius, Poetæ & Philosophi clarissimi, corpus quandocunque libitum esset relinquere, & animo liberè per orbem vagari, atque in corpus denuò redire potuerunt: quod tamen alii de contemplatione & ecstasi intelligi volunt. Aristeæ certè animam corvi effigie è corpore egressam narrant. Quam nacti occasionem inimici, *Cantharidæ* dicti, corpus ità affectum flammis concremarunt; ésque menti peregrè redeunti velut vagina gladio adempta: PLIN. lib. 7. c. 52. De Hermotini Clazomenii corpore itidem animâ absente cremato similem prodidit fabulam Apollonius in Historiis mirabilibus. *Fuit quidem Presbyter*, *nomine Restitutus*, *qui quando ei placebat* (*rogabatur autem ut hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coràm scire cupiebant*) *ad imitatas quasi lamentantis cujuslibet hominis voces*, *ità se auferebat à sensibus*, *& jacebat simillimus mortuo*, *ut non solum vellicantes atque pungentes minimè sentiret*, *sed etiam aliquando igne ureretur admoto sine ullo doloris sensu*, *nisi postmodum ex vulnere. Non autem obnitendo*, *sed non sentiendo*, *non movere corpus*, *eo probabatur*, *quod tanquam in defuncto nullus inveniebatur anhelitus. Hominum tamen voces*, *si clariùs loquerentur*, *tanquam de longinquo se audisse postea referebat*, August. lib. 14. De Civit. Dei, c. 24. Idem Augustinus lib. 19. De Civ. Dei c. 18. scribit, Præstantii patrem tantâ ecstasi sæpe abreptum fuisse, ut reverso spiritu se fuisse versum in equum affirmaret, commeatúmque in castra cum aliis equis importasse; cùm tamen ipsius corpus exanime jaceret domi. *Lamiæ non absurdè ἐκςατικοῖς possent assimilari*, scribit Wierus De præstig. Dæmon. lib. 2. c. 28. *qui velut rapti extra se*, *sensúque omni & motu privati*, *jacent exanimis similes*, *& post ceu ex profundissimo expergefacti somno*, *aut à morte ad vitam revocati*, *redeunt ad sese*, *& miras fabulas mirâque commenta narrant. Atque in has cogitationes se ingerens Dæmon*, *earum seriem texit*, *hancque variat mirâ arte & scenè repetitis præteritis*, *annexis præsentibus*, *& aspersis etiam* [illegible] *bus.*

busdam admonitionibus de futuris, nè in suspicionem anilium fabularum aut temere cogitatarum ineptiarum veniant; inductâ etiam persuasione, ut coram spectasse quæ Diabolus offudit imaginentur. Ita dementat eos quos ad talia usurpat ut sui prorsus non sint compotes, sed velut κατάδηλωθέντες ea agitent mente in eáque intueantur quæ Dæmon objicit; ex sese nihil faciant, nisi quantum aliquando permittitur, & id quidem ut plurimùm est ridiculum. Ità Wierus. Hieron. Cardanus de seipso scribit lib. 8. Var. rerum, c. 43. quoties velit, sese in ecstasin transire, ità ut voces quidem astantium leviter audiat, non tamen intelligat; vellicationem validam, & nè podagræ quidem dolores prorsus sentiat; idque solum sentiat quod fit extra seipsum. Hujus initium à capite fieri, maximè à cerebello, diffundique per totam dorsi spinam. Sentire se in principio quandam circa cor separationem, quasi anima absce̅deret, totique corpori communicari rem hanc, quasi ostiolum quoddam aperiretur. Addit & illud; Videre se omnia quæ velit, oculis, non vi mentis, & imagines illas perpetuò moveri, utpote lucos, animalia, orbes, & quæcunque cupit. Causam esse putat virtutis imaginatricis vim visûsque subtilitatem. Bodinus verò l. 2. c. 5. Dæmonom. eos qui voluntariè inter vigilandum patiuntur istud, Magos esse confirmat: præsertim cùm Cardanus ipse fateatur patrem suum triginta annos spiritum familiarem habuisse. Sic plerumque patres sortilegi informant liberos ut in mentis excessum rapiantur. Hæc ex Theatr. V. H. Theod. Zuing. Plura de Ecstaticis ut & Lycanthropis atque Pilappiis, cognoscere qui voluerit, legat Peucerum De divinat. sub titulo θεομαντείας.

GROTIUS.

1. Ὀνόματι Κορνήλιος, *nomine Cornelius*] Romanus Romano nomine, ex Scipionibus, aut Sullis fortè. ¶ Ἑκατοντάρχης, *Centurio*] In Glossario, *Centurio* ἑκατόνταρχος. ¶ Ἐκ σπείρης, *cohortis*] Σπεῖραν in his libris esse non *legionem*, sed *cohortem* apparet ex Matth. 27. 27. Marci 15. 16. Johan. 18. 3. 12. ubi qui ei præest χιλίαρχος [*præpositus mille hominibus*] vocatur, ut & infrà 21. 31. ¶ Τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς, Id est, *legionis Italicæ. Legio Italica* est in veteri lapide cujus meminit Lipsius ad Tacitum Histor. 2. & ipse Tacitus sæpe.

2. Εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν, *Religiosus ac timens Deum*] Incircumcisus, sed qui idololatriâ relictâ uni Deo se dederat, & quæ pietati consentanea judicabat, sequebatur, quales חסידי אומות [*pii ex gentibus*] dicuntur Thalmudicis, σεβόμενοι Ἕλληνες [*Græci religiosi*] infra 17. 4. Multum olim tales in Judæa vixerant, sed certis adstricti regulis, de quibus plurima lectu utilia prodidit vir maximæ eruditionis Seldenus. Postquam Judæi Gentium jugum ferre coacti, ægrè servat à sibi sacrorum libertate, juris dictionem in alienigenas secum habitantes amiserant, ideòque eos intra illas regulas coërcere non poterant, instituêre Sapientes ut Judæi planè alienigenarum commercium devitarent, quia aut idololatræ erant, aut certè Noæ præcepta non putabantur servare. Et hoc perpetuò secuti essent Apostoli, neque ullum non Judæum gente, aut proselytum Legis admisissent ad suam familiaritatem, nisi Deus disertè Petro primùm, deinde & Paulo ostendisset, id fieri sibi placere. Et cessabat causa instituti illius Sapientum: quia tales alienigenæ aggregantes se Ecclesiæ per Baptismum, eo ipso testabantur se non modò ab idololatria, sed ab omnibus flagitiis longè discedere, vitamque pollicebantur multò puriorem, quàm illa Noæ præcepta sequentium fuerat. ¶ Ποιῶν τε ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ, *faciens eleemosynas multas plebi*] Judæis, quos ideo amabat, quòd unum Deum colerent. ¶ Καὶ δεόμενος τοῦ Θεοῦ διαπαντός, *& deprecans Deum semper*] Assiduus in fundendis precibus ad unum & verum Deum.

3. Ὡσεὶ ὥραν ἐννάτην, *quasi horâ nonâ*] Circa tempus sacrificii vespertini. Vide supra 3. 1. ¶ Ἄγγελον τοῦ Θεοῦ, *Angelum Dei*] Vide quàm bonus sit Deus, qui tam bene utenti datis & Angelum mittit & Apostolum, ut eum doceat eam viam, quæ posthac unica erat ad salutem, verbum Crucis.

4. Τί ἐστι Κύριε; *Quid est Domine?* Sic eum appellat honorificè ut homine majorem. ¶ Ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον, *adscenderunt in memoriam*] Est similitudo sumpta à *suffitu legali*, nam is propriè vocatur אזכרה, Græcè μνημόσυνον Levitici 2, & alibi. Et de suffitu dicitur ἀναβαίνειν [*adscendere*] Apocal. 8. 4: is autem suffitus symbolum erat precum, Apoc. 5. 8. & 8. 3. Precationem subvehi alis duabus ajunt Veteres, Jejunio & Misericordiæ operibus. ¶ Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *in conspectu Dei*] Non malè sed nec malè, Manuscriptus, ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ [*coram Deo*].

5. Καὶ μετάπεμψαι Σίμωνα, *& accerse Simonem*] Major erat legatio Apostolica quàm Angelica. Angelus Apostolum monstrat, Apostolus Christum. Tantum honorem testibus suis habuit Christus.

7. Στρατιώτην εὐσεβῆ, *militem metuentem Dominum*] Rarum ἐπίθετον [*agnomen*]. ¶ Τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ, *ex iis qui illi parebant*] *Iis qui illi apparebant.* Et sic scripsisse puto Latinum Interpretem.

9. Ἐπὶ τὸ δῶμα, *in superiora*] Unde liber conspectus esset Templum versùs. Talibus enim in locis precari solebant Judæi, Daniel. 6. 11. Περὶ ὥραν ἕκτην, *circa horam sextam*] Quæ una horarum dicatarum precationi, ut diximus supra 3. 1.

10. Ἐγένετο δὲ πρόσπεινος, *Et cùm esuriret*] Esuriisse non mirum est meridie eum, qui manè summo, ut credibile est, surrexerat. ¶ Ἤθελε γεύσασθαι *voluit gustare*] Γεύσασθαι [*gustare*], non addito accusativo habemus & Jonæ, 3. 7. Infra 20. 11. γευσάμενος [*gustans*] potest eodem modo sumi, aut referri ad ἄρτον [*panem*], quæ vox præcessit. ¶ Ἔκστασις *mentis excessus*] Hæc vox interdum *horrorem*, interdum *insaniam* significat: Hoc loco *constitutionem hominis extra se rapti.* Sic de Apolline Lucanus.

> — — *mentemque priorem*
> *Expulit atque hominem toto sibi cedere jussit*
> *Pectore.* — — —

11. Τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, *cœlum apertum*] Vide quæ dicta supra 7. 56. & Matth. 3. 16. ¶ Σκεῦός τι ὡς ὀθόνην μεγάλην, *vas quoddam velut linteum magnum*] כלי Hebræis, quod σκεῦος vertunt Græci, Syri מאנא, significat *omne id quod in usu est domestico*, etiam *è lino* aut *lana*. Ὀθόνης vel ὀθονίῳ [*lintei*] vox satis generalis ut apparet Oseæ 2. 5, 9. *Sindonem* dixit Scriptor Responsorum ad Orthodoxos, & hoc loco Oecumenius. ¶ Τέσσαρσιν ἀρχαῖς δεδεμένον, *quatuor initiis devinctum*] Ἀρχὰς vocat *angulos*, ut explicat Syrus. Videbatur autem linteum illud à cœlo pendere, ut significaretur libertas cœlitus indulta.

12. Πάντα τὰ τετράποδα τῆς γῆς, *omnia quadrupedia terræ*] בהמה ubi nullo addito ponitur, significare solet *animantia ex Lege munda.* ¶ Καὶ τὰ θηρία, *& feræ*] חיות, quorum multa immunda, Levit. 11. 27. ¶ Καὶ τὰ ἑρπετὰ, *& serpentia*] שרץ, quo nomine etiam *pisces* comprehenduntur apud Hebræos. Horum multa immunda, ut dicto loco Levitici apparet. ¶ Καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, *& volatilia cœli*] עוף, cujus generis multa item immunda.

13. Θῦσον καὶ φάγε, *occide & manduca*] id est, *macta omnia ista & de omnibus ede.*

14. Μηδαμῶς Κύριε, *Absit Domine*] Sic verti solet חלילה, quod alibi μὴ γένοιτο [*ne fiat*], alibi ἵλεως [*propitius*;] de qua voce diximus ad Matth. 26. 22. ¶ Πᾶν κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον, *omne commune & immundum*] Alterum per alterum explicat, nam *sus* dicitur טמא quod vertitur ἀκάθαρτος [*immundus*], Levitic. 2. 7. Eadem inter κοινὰ [*communia*] 1 Maccab. 1. 50 65. *Commune* est quo vulgò utuntur Gentes, non etiam populus Deo sanctificatus. Narrat Seneca *Tiberii tempore vetita Romæ sacra externa. Signum fuisse, abstinentiam à certis animalibus.*

15. Ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου. *Quod Deus purificavit* [*tu commune ne dixeris*] Verbum טמא, quod hic vertitur κοινοῦν, propriè est *polluere*, impropriè *pro polluto habere.* Frequens id in verbis Hebræis. Potuerat credere Petrus hoc viso indicari tantùm, permitti jam cibos Lege vetitos, quos extra terram Judæam licitè sumi etiam Judæi quidam credidere, quia ratio valetudinis id in Judæa exigebat, & in vicinis quibusdam locis: unde & Ægyptii à sue abstinuere olim; & Æthiopes non Judaïzantes à cibis fermè illis omnibus, quos Lex vetat. Sed Petrus quòd *linteum illud de cœlo venisset, & in cœlum receptum esset*, primùm suspicatus est majus aliquid latere, infra 17. Deinde, cùm eodem tempore à Cornelio accerseretur, & à Deo juberetur ad eum ire μηδὲν διακρινόμενος [*nihil dubitans*,] intellexit quid hic esset mysterii. Nempe Judæis per suasum planè erat, per *animalia immunda* significari homines impios, ut ostiendit Barnabæ epistola, producta nobis ad 4 librum De veritate Religionis Christianæ, Clemens Stromatôn 2. 5. Eleazar apud Eusebium Præparatione Euangelica, Origenes contra Celsum & Josephus Albo; ac sicut de animali, ita de tali homine dicebant טמא הוא [*immundus hic est.*] Hinc intellexit *linteum illud de cœlo delapsum* esse Ecclesiam cœlitus collectam, Apocal. 21. 2. & in cœlum rediturum. In hanc Eccle-

siam

ſiam colligi debent non tantùm *animalia munda*, quomodo Judæi vocabant, ſed *immunda*, quo nomine Judæi appellabant alienigenas; ſed nempe poſtquam cœleſti ope ab idololatria & pravis moribus reſipuiſſent, ac pietati ſe dediſſent, quod fecerat Cornelius, ampliusque facturus erat, & poſt eum multi alii Euangelio fidem habentes. Hi ſunt quos Deus mundavit: nec in Eccleſiam involvuntur niſi jam mundati. Vide infra 34. 35. *occidere* eſt tollere in eis quod reſtat de veteri homine; *manducare*, ſibi adunare.

16. *Τῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ τρίς· Hoc autem factum eſt per ter*] Solent viſa & oracula quæ penitus animo infigi Deus vult, repeti. Ternarius autem numerus proprius Chriſtianorum infra 11. 10. 2 Corinth. 12. 8.

17. *Τὴν οἰκίαν Σίμωνος, domum Simonis*] Nempe *coriarii*, ut ſupra 6. Ideo in ſequenti commate dicitur, *Σίμων ὁ ἐπικαλέμενος Πέτρος* [*Simon qui cognominatur Petrus*]. ¶ *Ἐπὶ τὸν πυλῶνα· ad januam*] De hac voce ad Matthæi 26. 71.

19. *Εἶπε αὐτῷ τὸ πνεῦμα· dixit Spiritus ei*] Id eſt, Deus non per viſum, ſed per afflatum.

20. *Μηδὲν διακρινόμενος· nihil dubitans*] Sic & infra 11. 12. *Nihil haſitans*, nempe ideo quòd illi ad quos accerſeris, Judæi non ſunt. Ita *διακρίνειν* [*dubitare*] ſumitur Matth. 21. 21. Marc. 11. 23. Roman. 4. 20. Jacobi 1. 6. & 2. 4. ¶ *Ἐγὼ ἀπέσταλκα αὐτὺς ego miſi illos*] Activum pro duplici activo: id eſt, *feci ut mitterentur*.

21. *Πρὸς τοὺς ἄνδρας, ad viros*] Quæ ſequuntur, *ἀπεςαλμένυς ἀπὸ τῦ Κορνηλίυ* [*miſſos à Cornelio*], ſicut in multis aliis libris deſunt, ita & in Manuſcripto, nec habet Syrus. Articulus ſcilicet *τοὺς* [*illos*] ſatis indicat de quibus agatur.

22. *Ἀνὴρ δίκαιος, vir juſtus*] *Vir probus*. Vide quæ dicta ad Matth. 1. 19. ¶ *Καὶ φοβέμενος τὸν Θεὸν, & timens Deum*] Verum Deum, quem & vos Judæi colitis, non deos Gentium. ¶ *Μαρτυρέμενός τε ὑπὸ ὅλυ τῦ ἔθνυς τῶν Ἰυδαίων, & teſtimonium habens ab univerſa Gente Judæorum*] Ut alter ille Centurio huic non diſſimilis, Lucæ 7. 5. ¶ *Ἐχρηματίσθη, reſponſum accepit*] Vide quæ dicta Matthæi. 2. 12. *χρηματίζω* reſpondet Hebræo דבר [*dicere*] apud Jeremiam ſæpe.

23. *Ἐξένισε. recepit hoſpitio*] *Participes fecit hoſpitii ſui*, volente Simone coriario.

24. *Καὶ τοὺς ἀναγκαίυς φίλυς & neceſſariis amicis*] id eſt, *affines*: nam & hi dicuntur *neceſſarii*, teſte Feſto. Et ita hic ſumenda ea vox, cùm *cognatorum* mentio præceſſerit.

25. *Εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον, quum introiſſet Petrus*] *Cùm in eo eſſet ut fores intraret*. ¶ *Προσεκύνησεν. adoravit*] Judæi quidem & aliæ Gentes Orientis eum honorem exhibebant, non Regibus tantùm, ſed & aliis in dignitate poſitis. At Græcis & Romanis is mos deorum honori reſervatus. Unde intellexit Petrus ſe Cornelio Angelum putari, quomodo Lyſtrenſes pro diis habuere Paulum & Barnabam 14. 12, 13. ideo eum honorem Petrus averſatur, quod oſtendunt quæ ſequuntur ejus verba.

26. *Κἀγὼ αὐτὸς ἄνθρωπός εἰμι. & ego ipſe homo ſum*] Tibi *ὁμοιοπαθής* [*in affectionibus ſimilis*].

27. *Εἰσῆλθε, intravit*] In partem interiorem domûs.

28. *Ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰυδαίῳ, quomodo abominatum ſit viro Judæo*] Vocem *ἀθεμίτυ* [*nefas*] habes, 2 Maccab. 6. 5. & 7. 7. Reſpondet Rabbinico אסור, *illicitum*, non Lege Moſis, ſed decreto Sapientum, quod pari loco cum Lege habebatur. Sed præterquam quòd Deus non talium tantùm decretorum, ſed & ſuæ Legis eſt Dominus, ceſſabat hic ratio decreti. Decretum factum erat contra idololatras malæque vitæ homines, qualis non erat Cornelius. Et poſthac aggregatio ad Eccleſiam, apertiſſima futura erat nota, quâ alienigenæ boni à malis diſcernerentur. ¶ *Ἀλλοφύλῳ, ad alienigenam*] Sub hoc nomine non comprehendebantur proſelyti Legis (ii namque erant cives adſcititii), ſed alii omnes extra Judæos ortu & tales proſelytos. Vox *ἀλλόφυλος* [*alienigena*] reſpondet Hebræo נכרי [*extraneus*], Eſaïæ 2. 6. & 6. 5. 2 Maccab. 10. 2. 5. Unde *ἀλλοφυλισμός* [*vita ſecundùm inſtituta alienigenarum*] 2 Macc. 4. 13. & 6. 24. ¶ *Κολλᾶσθαι, conjungi*] *Familiariter convivere*, ut ſupra 9. 26. ¶ *Ἢ προσέρχεσθαι, aut accedere*] *Imò etiam adire*, extra neceſſarios uſus. *Προσέρχεσθαι*, נגש [*advenire*]. ¶ *Μηδένα κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον λέγειν ἄνθρωπον. neminem communem aut immundum dicere hominem*] Nempe à Deo mundatum, ut explicat infra 35. Hæc erat *ἀλληγορία* [*occultus ſenſus*] animalium.

29. *Ἀναντιῤῥήτως, ſine dubitatione*] בלא־פקפוק, Eccleſiaſtæ 8. 11. ¶ *Τίνι λόγῳ, quam ob cauſam*] באשר דבר, *qua de cauſa*.

30. *Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας, à nudiuſquarta die uſque ad hanc horam*] *Ἀπὸ* [*à*] hic eſt poſitum pro מ Hebræo. Sic ממחרת *poſtridie*, Levit. 23. 11. Senſus eſt, *die ante hoc tempus quarta jejunaveram*. ¶ *Καὶ τὴν ἐννάτην ὥραν προσευχόμενος, orans eram horâ nonâ*] Imitatus in hoc Judæos Vide ſupra 3. 1, & hoc capite 3, & infra 10. 30 ¶ *Ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ· in veſte candida*] Qui mos Angelis. Suprà 1. 10.

31. *Ἐμνήσθησαν, commemorata ſunt*] Quod ſupra dictum *ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον* [*adſcenderunt in memoriam*]. Simile loquendi genus, Geneſ. 8. 1. & 19. 29. & 30. 22, & ſæpe alibi.

33. *Ἐξ αὐτῆς, Confeſtim*] *Illico*. Hic uſurpatur hæc vox, & infra 9. 11. & 23. 30. Marci 6. 25. Philipp. 2. 23. Utitur & Philo De transnominatis, & Procopius Vandalicis. ¶ *Σύ τε καλῶς ἐποίησας παραγενόμενος, & tu bene feciſti veniendo*] Eſt gratias agentis, ut *benigne* apud Horatium, notante bis Scholiaſte ad Epiſtolam 1. 7. Sic *καλῶς ἐποιήσατε* [*bene feciſtis*], Philipp. 4. 14. *καλῶς ποιήσεις* [*bene facies*], Johan. Epiſt. 3. 6. Ariſtophanes Acharnenſibus,

> *Καλῶς ποιῶν ἔξεις περ ἦν.*
> [*Pulchre facit iſte, quiſquis eſt.*]

Utuntur & Architas apud Laërtium, Demoſthenes & Dionyſius Halicarnaſſenſis. Sic quod Ariſtophanes dixit Pluto,

> *Νὴ Δία καλῶς τοίνυν ποιῶν ἀπόλλυται.*
> [*Merito ergo, per Jovem, periit*]

Plinius dixit 6 Epiſtola, *Bene fecit Regulus quod eſt mortuus*. Notavit hoc genus loquendi etiam Donatus ad Terentium. ¶ *Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ πάρεσμεν, in conſpectu Dei adſumus*] Cùm & Syrus & Latinus legerint *ἐνώπιόν συ* [*in conſpectu tuo*], puto eam lectionem eſſe vetuſtiorem. *Ἐνώπιόν συ* [*in conſpectu tuo*], id eſt, *in tua ſumus poteſtate*. Idem loquendi genus Geneſ. 13. 9. לפניך [*ante faciem tuam*], ubi Græci *ἐναντίον συ* [*coram te*], eodem ſenſu.

34. *Ἀνοίξας δὲ Πέτρος τὸ ςόμα, Aperiens autem Petrus os*] Magni aliquid dicturus. Sic Matth. 5. 2. ¶ *Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, In veritate comperi*] Agnoſcas ex his verbis Petri ingenium promptum atque ſincerum. ¶ *Ὅτι ὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός. quod non eſt perſonarum acceptor Deus*] לא־ישא פנים, *οὐ θαυμάζει πρόσωπον* [*non accipit perſonam*], Deuter. 10. 17. אין עם יהוה אלהינו משא פנים, *Οὐκ ἔστι μετὰ Κυρίυ Θεῦ ἡμῶν θαυμάσαι πρόσωπον* [*Non eſt apud Dominum Deum noſtrum perſonarum acceptio*] 2 Paral. 19. 7. Non curat unde quis ortus ſit. Vide Ezech. 8.

35. *Ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει, Sed in omni Gente*] Etiam inter Romanos. ¶ *Φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστι. qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*] *Δεκτός*, רצון Proverb. 10. 14. לרצון Exodi 28. 38. Lucæ 4. 24. Philipp. 4. 18. *gratus, acceptus*. Senſus in illo Pſalm. 33. 18. Illud *ἐργαζόμενος δικαιοσύνην*, [*qui operatur juſtitiam*] eſt ex Pſalm. 15. 2. פעל־צדק [*operans juſtitiam*,] in deſcriptione ejus qui habitaturus eſt in tabernaculo Domini, quod myſticè ad Eccleſiam refertur.

36. *Τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ, ſermonem quem miſit filiis Iſraël*] Hebraïſmus pro *ὃν λόγον ἀπέστειλε* [*quem miſit ſermonem*], *quem nuntium nuntiavit Iſraëlitis* Deus per Jeſum; ut ſequitur. Olim quidem id innuerat exemplis Melchiſedeci, Jobi, Naamanis, Cyri: ſed per Jeſum decretum hoc ſuum generale aperuit ipſis Iſraëlitis. Apparet id Matth. 8. 12. Johan. 12. 32. quæ tamen verba ipſi Apoſtoli non plenè aſſecuti ſunt ante has revelationes. ¶ *Εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριςοῦ· annuntians pacem per Jeſum Chriſtum*] Quam Angeli prædixerant Luc. 2. 14. & Chriſtus dedit, Joh. 14. 27. Nempe Chriſti Diſcipuli inter ſe in ſumma pace, imò & dilectione debent vivere, & ad id Chriſtus dat Spiritum ſuum. *In uno linteo*, id eſt, in una Eccleſia eſſe debent. ¶ *Οὗτός ἐςι πάντων Κύριος. hic eſt omnium Dominus*] Matth. 28. 18. Oſtendit impletum Danielis vaticinium de imperio æterno.

37. *Ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα, Vos ſcitis quod factum eſt verbum*] *Ῥῆμα* vocat *famam de Jeſu*. ¶ *Μετὰ τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης· poſt Baptiſma quod prædicavit Johannes*] Vide ſupra 1. 22.

38. *Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ Θεὸς πνεύματι ἁγίῳ, Jeſum à Nazareth quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto*. Hebraiſmus pro *ὡς Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ ἔχρισεν ὁ Θεὸς πνεύματι ἁγίῳ* [*quomodo Jeſum à Nazareth unxit Deus Spiritu Sancto*]. Hæc eſt *ἐξήγησις* [*enarratio*] illius famæ, de qua loqui cœperat. Reſpicitur autem locus Eſaïæ 61. 1. citatus Lucæ 14. 18, ¶ *Καὶ δυνάμει, & virtute*] Eſt ἓν διὰ δυοῖν

[*unum per duo*] *Spiritu & virtute*, id est, Spiritu potentissimo. Similis Lucæ 1. 17. 35. Sic & alibi *δύναμις* [*virtus*] pro *Spiritu*, ut supra 1. 8. ¶ Ὃς διῆλθεν εὐεργετῶν, *qui pertransiit benefaciendo*] Pari sensu nomen εὐεργεσίας [*benefacti*] habuimus supra 4. 9. ¶ Καὶ ἰώμενος πάντας τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου, *& sanando omnes* oppressos *a Diabolo*] Ideo à dæmonibus corporaliter obsessos liberavit, ut intelligeretur etiam genus humanum à diabolo spiritualiter possessum liberaturus & verè futurus עשה משפט לעשוקים, ποιῶν κρίμα τοῖς ἀδικουμένοις [*qui facit judicium injuriam patientibus*;] ut est in Psalm. 146 7. Vide Matth. 12. 19. Lucæ. 10. 19. ¶ Ὅτι ὁ Θεὸς ἦν μετ᾽ αὐτοῦ *quoniam Deus erat cum illo*] Deus eum semper amabat, Matth. 3. 17. semper exaudiebat, Joh. 11. 42.

39. Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες πάντων ὧν ἐποίησεν, *Et nos testes sumus omnium quæ fecit*] Manuscriptus ille, ὑμεῖς μάρτυρες πάντων [*vos testes omnium*,] non malè: ut Petrus distinguat facta ante resurrectionem & facta post resurrectionem, & horum quidem Apostolos dicat esse testes, illorum verò populum omnem. ¶ Κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου *suspendentes in ligno*] Vide supra 5. 30. Eò minùs Judæi querendum habent de vocatione Gentium quod ipsi Jesum tam crudeliter tractaverint.

40. Καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι. *& dedit eum manifestum fieri*] *Fecit eum cognosci*, visu, auditu, tactu, Joh. 1 Epist. 1. 1. Hoc est quod ἐφανέρωσε [*manifestavit*] dicitur Joh 21. 1.

41. Οὐ παντὶ τῷ λαῷ, *Non omni populo*] Non illis crudelibus Judæis Joh 14. 22. ubi est verbum ἐμφανίζειν (*manifestare.*) ¶ Μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις, *testibus præordinatis*] Χειροτονεῖν [*ordinare*] vox est nata quidem in Græciæ civitatibus, ubi manibus sublatis fiebant electiones Magistratuum: sed cœpit paulatim produci longiùs ad quamvis electionem, ita ut Josephus ὑπάρχους [*Proprætores*] dicat χειροτονουμένους (*electos*) à Cæsare. Et Philo περὶ ἄθλων [*de Præmiis*,] Mosem dicit ὑπὸ Θεοῦ χειροτονηθέντα (*à Deo electum*.)

42. Ὅτι αὐτός ἐστιν ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν. *quia ipse est qui constitutus est à Deo Judex vivorum ac mortuorum*] Matth 25 31. Joh 5 27. 28. Actor. 1. 11. 2 Timoth. 4 1. 8. 1 Petri 4. 5.

43. Τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν, *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent*] Vide Lucæ 24. 25, 26, 27. supra 3. 18, 24. ¶ Ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν. *remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum*] Vide quæ dicta ad Matth. 26. 28 Joh. 3. 18.

44 Ἐπέπεσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας τὸν λόγον. *cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum*] Anticipata rursus gratia, ut supra 8. 39. & 9. 17. Erat autem hæc dispensatio planè necessaria, ut disceret Petrus & per Petrum Apostoli, non negandum illis aquæ baptismum, quibus etiam Spiritùs Baptismum Deus impartiret. Minori auctoritate res tam nova obtineri non poterat: docet id nos comma sequens. Ἐπιπίπτειν [*supervenire*] dicitur de Spiritu Sancto supra 8. 16. & 11. 15. dicitur περὶ ἐκστάσεως (*de mentis excessu*] ut supra 10. Sic & de timore, Lucæ 1. 12.

45. Οἱ ἐκ περιτομῆς, *ex circumcisione*] Περιτομὴ (*circumcisio*) per transnominationem *homines circumcisi*, Roman. 3 30 & 4 9. Gal. 2. 7, 8, 9. οἱ ἐκ περιτομῆς, *qui nati ex circumcisis*, Gal. 2. 12. Coloss. 4. 11. Tit. 1. 10. Sic Tryphon Justino, Εἰμὶ δὲ Ἑβραῖος ἐκ περιτομῆς [*Sum verò Hebræus ex circumcisis natus*.] ¶ Ἐκκέχυται *effusa est*] Eadem vox quæ supra 2. 17, & 33. respondet Hebræo שפך Joël. 2. 28. & copiam ingentem donorum significat.

46. Λαλούντων γλώσσαις, *loquentes linguis*] *Variis linguis*, ut Apostoli & alii in primo cœtu. Supra 2. 6, 11.

47 Τὸ ὕδωρ κωλῦσαι, *aquam prohibere*] Id sic dicitur, sicut *prohibetis aquas* apud Ovidium, κωλύειν ὕδωρ [*prohibere aquam*] apud Jobum 12. 15. Et κωλύειν (*prohibere*) hoc modo cum accusativo rei positum habes Genes. 23. 6 Sirach. 4 26. Lucæ 6. 29. *prohibet aquam* Deus cùm imbrem negat: *prohibet aquam* qui non sinit bibi, & qui non sinit lavari. De quali autem lotione hic agatur, exponunt sequentia.

48. Προσέταξέ τε αὐτοὺς βαπτισθῆναι, *Et jussit eos baptizari*] Apostoli ad baptizandos homines, etiam aliorum utebantur operâ. Facit & qui per alium facit. ¶ Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. *in nomine Domini Jesu*] Ex nomine *Christi* tacitè intelligitur, & *qui unxit* Pater, & Spiritus *quo unctus est*. Vide supra 2. 38. infra 19. 5. Roman. 6. 3. Galat. 3. 27. ¶ Τότε ἠρώτησαν αὐτὸν ἐπιμεῖναι ἡμέρας τινάς. *Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus*] Cornelius, & qui cum eo, Petrum rogarunt ut & hospes ipsorum & conviva esset. Qua in re obsecutus est eis Petrus infra 11, 3. Et sic ostendit Petrus se à Deo solutum præceptis illis Sapientum de vitanda familiaritate cum incircumcisis. Cibis tamen Lege vetitis eum usum non puto: neque enim id ei objicitur capite sequente. Nec puto quemquam Judæum ad Christum conversum id fecisse, dum patriâ illis frui licuit.

PRICÆUS.

Com. 1. Ἐκ σπείρης] Meliùs Recentiore Vulgatus, *ex cohorte*. Glossarium, Σπεῖρα, τάξις στρατιωτική, *cohors*. Hesychius (hunc Lucæ locum, ut videtur, respiciens) Ἐκ σπείρης, ἐκ τάγματος, ἐκ νουμέρου.

Com. 2. Εὐσεβὴς, καὶ φοβούμενος τὸν θεὸν] Benè φόβος & εὐσέβεια juncta. Servius ad Virgilium, *Connexa sunt Metus & Religio*.

Com. 3. Εἶδεν ἐν ὁράματι φανερῶς]

Præsentes tunc ecce domos invisere castas,
Sæpius & sese mortali ostendere cœtu
Cælicolæ nondum spretâ pietate solebant.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiámque omnes cupidâ de mente fugarunt,
Omnia fanda, nefanda malo permixta furore;
Amplius haud tales dignatur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Ibid. Φανερῶς, ὡσεὶ ὥραν ἐννάτην τῆς ἡμέρας] Hesychius, Ὕπαρ, τὸ μεθ᾽ ἡμέραν ὄναρ ἐν ἡμέρᾳ, ὅ ἐστι φανερῶς, ἐναργῶς ἀληθές· meliùs ἀληθῶς. Val. Maximus 1 8. *Multa etiam interdiu & vigilantibus acciderunt perinde ac tenebrarum somnique nube involutis: quæ quia unde manaverint, aut quâ ratione constiterint dignoscere arduum est, meritò miracula vocantur.*

Ibid. Ἄγγελον τοῦ Κυρίου εἰσελθόντα πρὸς αὐτὸν, καὶ εἰπόντα, &c.

—— Manifesto lumine vidit
Intrantem muros, ac voces auribus hausit.

Cicero, *Deorum sæpe præsentiæ*, &c. *declarant, ab his & civitatibus & singulis hominibus consuli: quod quidem intelligitur etiam significationibus futurarum rerum, quæ tum dormientibus, tum vigilantibus portenduntur*, 2 De N. D.

Com 4. Αἱ προσευχαί σου καὶ αἱ ἐλεημοσύναι σου ἀνέβησαν] Exod. 3. 9. 2 Reg 20. 5. Tobiæ 12. 12. Dan. 10. 10.

Com. 6. Ξενίζεται] *Hospitatur*, ut rectè Vetus Gloss. Ξενίζομαι, *diversor*, *hospitor*. Ibidem, Ἐπιξενοῦμαι, *hospitor*. Aliud Glossarium, *Hospitatur*, ξενίζεται

Com. 7. Φωνήσας δύο τῶν οἰκετῶν αὐτοῦ, καὶ στρατιώτην εὐσεβῆ τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ] *Qui apparebant ei* Id est, ad jussa exequenda ejus pro foribus adsistebant. Ovidius de amatore & milite loquens,

Ille fores Dominæ servat, at ille Ducis.

Glossæ, *Præstò sum*, προσκαρτερῶ, προσεδρεύω. Στρατιώτην εὐσεβῆ τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ, valet, στρατιώτην ἐκ τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ, ἄνδρα εὐσεβῆ: nam etsi tales toti famuli ejus, (suprà com. 2.) non tales ideo milites omnes qui sub imperio ejus. *Militum* porrò & *domesticorum* parallelismum similem habemus Matth. 8. 9. ubi de altero Centurione illo.

Com. 9. Ἀνέβη Πέτρος ἐπὶ τὸ δῶμα] *Ad superiora*: ut rectè Vetus. Scholiastes ad Juvenal. 3. *Superiora tecta & tristega*: ubi legerim, *quæ & tristega*. Qui quid sine arbitris volunt, solent editas domûs partes ascendere. In historia Estheris, Ἐποίησεν ἑαυτῇ σκηνὴν ἐπὶ τοῦ δώματος τοῦ οἴκου αὐτῆς. Sueton. de Augusto, *Si quando quid secretò ac sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis*, &c. Cornelius Nepos in Dione, *Cùm à conventu remotum se domi teneret, atque in conclavi edito recubuisset*, &c. De Maga Pamphile 3. Apuleius, *Tectum conscendit, quod altrinsecus aditum patore perflatili nudatum*, &c. *maxime his artibus suis commodum secretò colit*.

Com. 10. Ἐγένετο δὲ πρόσπεινος] Ἐπείνασε, Matth. 4. 2.

Ibid. Ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτὸν ἔκστασις] Ἐξίστασθαι hoc loco est, (ut in Apologia Apuleius) *ad oblivionem præsentium externari, & paulisper remota corporis memoriâ redire ad naturam suam quæ est immortalis & divina*. Augustinus Confess. 9. 11. de

matre

matre sua, *Defectum animæ passa est, & paulum subtracta à præsentibus.* Victorinus de Contemplat. lib. 5. *Mentis alienatio est quando præsentium memoria menti excidit.* Vide 2 Cor. 12. 2.

Com. 11. Καταβαῖνον ἐπ' αὐτόν] Illa ἐπ' αὐτὸν non agnoscit Latinus Interpres. Sed forsan contracta est hujus loci locutio, pro καταβαῖνον, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν, ut Matth. 3. 16.

Ibid. Σκευός τι ὡς ὀθόνην μεγάλην, τέσσαρσιν ἀρχαῖς δεδεμένον] Ἀρχὰς cujusvis rei extremitates satis Græcè dicas. Sic in Glossario, Ἀρχὴ ξίφους, *mucro.* Quod heic σκεῦος, Matthæo 13. 48. est σαγήνη ἡ διδασκαλία nempe τῶν Ἀποστόλων ἣ ἐκ παντὸς γένους συνέλαβε· Βαρβάρους, Ἕλληνας, Ἰουδαίους, πόρνας, τελώνας, λῃστάς, &c. ut ad dictum Matthæi locum Theophylactus. Vide infrà ad com. 34. notata.

Com. 13. Ἐγένετο φωνὴ πρὸς αὐτόν, Ἀνάστα, Πέτρε, θῦσον, καὶ φάγε] De Elia 1 Reg 19 7. Ἰδοὺ τις ἥψατο αὐτοῦ, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἀνάστηθι καὶ φάγε. Vide & ibidem 21. 7.

Com. 14 Μηδαμῶς, Κύριε] Simillimum Ezechiel. 4. 14. ubi & μηδαμῶς in Græco.

Ibid. Πᾶν κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον] Sic *cibos profanos ac nefarios* Apuleius dixit. Ex hoc, ut videtur, loco Hesychius, Κοινόν; βδελυκτὸν, ἀκάθαρτον.

Com. 15. Πάλιν ἐκ δευτέρου] Sic Matth. 26. 42. quod Joh. 4. 54. & 21. 16. πάλιν δεύτερον.

Ibid. Ἃ ὁ θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου] *Nè tu pollutum dicito.* Hesychius, Μὴ κοίνου, μὴ ἀφάνιζε, μὴ μίαινε, μὴ ἀκάθαρτον νόμιζε Non absimile ad Jeremiam Deus 1. 6, 7.

Com. 17. Ὡς δὲ ἐν ἑαυτῷ διηπόρει ὁ Πέτρος τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα] De eodem 24 12. in Euang. τὸ γεγονὸς θαυμάζων πρὸς ἑαυτόν. Heliodorus lib. 1. de Thyami post insomnium visum, Ταῦτα ὡς εἶδεν, ἀμηχάνως διῆγε, (Lucas διηπόρει) τῇ δὲ κἀκεῖσε δηλούμενον ὅ, τί ποτε ἐστι, ἀναστρέφων, Luc. 1. 29. in re simili διαλογίζεσθαι habemus. Infrà hic com. 19. ἐνθυμηθῆναι. *De eo quod viderat secum volvens* Hieronymus in Vita Pauli dixit. Apuleius 11. *Hanc experrectus imaginem diu diuque apud cogitationes meas revolvebam quid rei portenderet.* Ibidem, *Nec levi curâ sollicitus, sed oppido suspensus animi mecum ipse cogitationes exercitius consulebam, quorsus nova hæc & inaudita se cœlestium porrigeret intentio.*

Com. 21, Ἐγώ εἰμι ὃν ζητεῖτε]

——Coràm quem quæritis, adsum.

Apuleius ubi suprà, *Nec moratus conveni protinus eum, sanè nec ipsum futuri sermonis ignarum: quippe jamdudum consimili præcepto sacrorum ministrandorum commonefactum.*

Ibid. Τίς ἡ αἰτία δι' ἣν πάρεστε;] Dixi ad Matth. 26. 50.

Com. 22. Μαρτυρούμενός τε ὑφ' ὅλου τοῦ ἔθνους] Non unius & alterius, sed totius gentis laudibus ornatus. Est ergò illud ὅλου acutè pronunciandum. Solinus de Scipione Nasica, *Vir optimus judicatus est non privato testimonio, sed totius Senatûs Sacramento.* Suprà de Apostolis, Ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν. Apud Dionys. Halicarnass. ille, Ὑπὸ πάντων ἐμαρτυρεῖ τόμοι. Infrà 22. 12. de Anania μαρτυρούμενος ὑπὸ πάντων τῶν κατοικούντων. Joannes 3. Epist. com. 12. Δημητρίῳ ὑπὸ πάντων μεμαρτύρηται.

Ibid. Ἐχρηματίσθη ὑπὸ ἀγγέλου ἁγίου μεταπέμψασθαί σε, &c.] Æneid. 3.

Hæc sunt quæ nostrâ liceat te voce moneri:

ubi Servius, *Bene, cum præscriptione, nè falsidicus, &c. postea inveniretur.* Ibidem,

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi magnus Apollo
Prædixit ——

ubi Servius, *Tribuit auctoritatem, nè possint à se dicta contemni.* Ἐχρηματίσθη rectè Vetus *responsum accepit* (quomodo & Luc. 2. 26. & Hebr. 11. 7.) vertit. Vide ad Matth. 2. 12. allata.

Ibid. Καὶ ἀκοῦσαι ῥήματα παρά σε] Ῥήματα τῆς ζωῆς nempe, suprà 5. 20. & ῥήματα ζωῆς αἰωνίου, Joh. 6. 68. vel ῥήματα intellige Πάντα σοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ προστεταγμένα, infrà com. 33.

Com. 24. Ἀναγκαίους φίλους] *Propinquos*, qui & *necessarii* dicti. Gellius 13. 3. *Qui ob jus affinitatis familiaritatisve conjuncti sunt, necessarii dicuntur.* Onomast. vetus, *Necessarii*, οἱ προσήκοντες nulla hic copula interponenda, idcirco nec cum Arabe pro φίλους, ἀγίους legendum. Φίλους ἀναγκαίους Hesychius etiam in ἐπίσπειρον σχοινίον dixit.

Com. 25. Συναντήσας αὐτῷ ὁ Κορνήλιος, πεσὼν ἐπὶ τοὺς πόδας, προσεκύνησεν] Sic Gen. 19. 2. de Lotho, Ἐξανέστη εἰς συνάντησιν αὐτοῖς, καὶ προσεκύνησε.

Com. 26. Ὁ δὲ Πέτρος αὐτὸν ἤγειρε, λέγων, Ἀνάστηθι]

—— Haud equidem tali me dignor honore.

Invenisset religiosum Petrus si se adorari permisisset.

Ibid. Κἀγὼ αὐτὸς ἄνθρωπός εἰμι] Supple, ὁμοιοπαθής σοι. Vide infra 14. 15. & ad Jacobi 5. 17. dicta.

Com. 27. Συνομιλῶν αὐτῷ] A loco quo obviàm ei factus est, ad introitum domûs ejus. Luc. 24. 14. ὁμιλεῖν πρὸς ἀλλήλους Hoc solent unà ambulantes.

Com. 29. Ἀναντιῤῥήτως ἦλθον μεταπεμφθείς] In Plauti Aulularia Mercurius, *Ego jam Jovi dicto audiens, ejus jussu nunc huc me infero.* Auctor ad Celantiam, Hieronymus sive Paulinus, *Est ille prudentissimus qui non tam considerat quid jussum sit, quàm illum qui jusserit: nec quantitatem imperii sed imperantis dignitatem cogitat.* Vide ad Matth. 8 9. dicta. Ἀναντιῤῥήτως Erasmus *incontanter* vertit. Ità apud Gellium 2. 29. *Nihil cunctari, & dicto statim obedire.* Vetus, *sine dubitatione*: quod meliùs congruit iis Com. 20. Μηδὲν διακρινόμενος Ἀναντιῤῥήτως etiam ἀναμφιβόλως exponitur ab Hesychio.

Com. 31. Εἰσηκούσθη σου ἡ προσευχή] Idem, vel alius, Angelus ad Zachariam Luc. 1. 13, Εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου. 2 Reg. 20. 5. Ἤκουσα τῆς προσευχῆς σου.

Com. 33. Σύ τε καλῶς ἐποίησας, &c.] Laudantis vel approbantis locutionem potiùs quàm gratias agentis existimem. Vide 2 Pet. 1. 19. Plutarchus Consol. ad Apollon. Καλῶς ποιήσεις τῷ λόγῳ πεισθείς, &c. Philostratus, Καλῶς μὲν ποιοῦντες ὑμεῖς, εἶπεν, Sunt verba Apollonii 7. 12. Ubi nil ab Auctore remotius quàm quæ Latinus Interpres.

Com. 35. Ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν, καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστι] Hieronymus ad Paulinum, *Et de Hierosolymis, & de Britannia æqualiter aula cœlestis patet.* Ἐκ πάσης φυλῆς, καὶ γλώσσης, καὶ λαοῦ, καὶ ἔθνους ἠγόρασεν ἡμᾶς, Apoc. 5. 9.

——Lectos ex omnibus oris
Evehit, & meritum, non quæ cunabula, quærit;
Et qualis, non unde satus.——

Quod ille de equo,

Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis:

etiam inter vitæ spatia decurrentes habet locum suum. Vide ad Matth. 15. 17. dicta. Apuleius, *Non ubi prognatus, sed ut moratus quisque sit, spectandum: nec quâ regione, sed quâ ratione vitam vivere inierit.* Flavius Vopiscus, *Non enim summa sciendi est, ubi quisque magnorum Principum sit genitus, sed qualis in Republica fuerit.*

Com. 38. Ὃς διῆλθεν εὐεργετῶν, καὶ ἰώμενος πάντας, &c] Philo de Julio Cæsare in de Legatione, Ὁ τὰς κοινὰς Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων νόσους ἰασάμενος, &c. ὁ τὰ δεσμὰ οἷς κατέζευκτο καὶ ἐπεπίεστο ἡ οἰκουμένη, παραλύσας.

Com 39. Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες πάντων ὧν ἐποίησε, &c.] Habet quidem MS. Regis mei, ὑμεῖς μάρτυρες πάντων. Sic Luc. 24. 48. Ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες τούτων Et apud Isocratem sub persona Nicoclis, Ὑμεῖς δ' αὐτοί μοι μάρτυρές ἐστε πάντων τῶν εἰρημένων. Adde Paulum 1 Thess. 2. 10. At ego receptam hic lectionem sequendam arbitror. Supra 5. 32. hic idem Petrus, Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν αὐτοῦ μάρτυρες τῶν ῥημάτων τούτων. Ubi & Com. 32. habes quæ sequuntur hic, ἐπὶ ξύλου κρεμάσαντες In secunda eidem adscripta Epist. 1. 16. Οὐ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες, &c. ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος.

Com. 40. Καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ, &c.) Tertullianus in Apologetico, *Non in vulgus eduxit se, nè impii errore liberarentur, & ut fides non mediocri præmio destinata difficultate constaret.* Vide Marc. 16. 14. ubi & verbum ἐφανερώθη.

Com. 41. Οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ] Hæc & ut interiorem notam ipsorum cum eo convictûs addit, & ut majorem fidem dictis adstrueret suis. Vide Marc. 5. 43. Luc. 24. 41.

Com. 42. ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν] 2 Tim. 4. 1. 1 Pet. 4. 5. Rom. 14. 9. infrà 17. 31.

CAP. XI.

ERASMUS.

3. QUare introisti] Ὅτι πρὸς ἄνδρας, *ad viros praeputium habentes introisti*: nam ὅτι hoc loco confirmantis est. Nec interrogant, sed accusant, aut certè expostulant. Interpres legisse videtur τί pro ὅτι.

8. *Nequaquam, Domine*] Μηδαμῶς. Idem verbum quod superiùs verterat *absit*.

18. *Poenitentiam dedit*] Graeci cod. addunt εἰς ζωὴν *ad vitam*.

19. *Sub Stephano*] Ἐπὶ Στεφάνῳ, *in Stephano*, sive *adversùs Stephanum*. Nam *sub eo* res geri dicitur qui imperio potitur. Sed tum Graeci addunt paternum casum.

20. *Loquebantur & ad Graecos*] Rursus non est Ἕλληνας sed Ἑλληνιστάς. Significat enim religione & origine Judaeos, sed alibi natos, qui nondum crediderant Euangelio. Alioqui videri poterat exemplum baptizatis Cornelii tantum animi addidisse Christianis ut jam etiam Gentibus auderent praedicare Christum.

23. *Permanere in Domino*] Plusculum hic habent Graeci, sic, προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ Κυρίῳ, *proposito cordis adhaerere Domino*, sive *perseveranter adhaerere Domino*. Latini addidere bis praepositionem *in*. Quod autem dixit *proposito cordis*, perinde valet q. d. *ex animo & libera voluntate non metu neque pudore humano*.

26. *Ità ut cognominarentur*] Ἐγένετο δὲ αὐτοὺς ἐνιαυτὸν ὅλον συναχθῆναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ διδάξαι ὄχλον ἱκανόν, χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς, *Accidit autem ut annum totum consuetudinem agerent cum congregatione, docerèntque turbam multam & primùm Antiochiae discipulos vocarent Christianos*. Nam illi vocabant eos *Christianos*, sed Lucas appellat eos *discipulos*. Sensum explicat historia Ecclesiastica; *Ibi*, inquit, *primùm discipuli*, *veluti perenni fonte sumpto vocabulo*, *appellati sunt Christiani*. Usus est autem novo verbo χρηματίσαι pro ὀνομάζεσθαι, quod idem usurpavit Paulus Rom. 7. 3. Videtur autem indè dicta vox quòd cognomen ex officio quo quis fungitur addi solet; veluti *publicani* dicuntur quòd publica vectigalia colligunt, ità *Christiani* quòd Christum profiterentur. Porrò quòd activo verbo videtur abusus pro passivo, simile est ei quod Latini dicunt *audit Doctor* pro eo quod erat appellatur *Doctor*.

29. *In ministerium mittere*] Εἰς διακονίαν. *Ministerium* vocat subsidium sive suppeditationem. *Subministrat* enim qui necessaria suppeditat. Sic appellat & Paulus.

VATABLUS.

1. QUoniam & Gentes receperunt] *Quòd & Gentes recepissent*.

2. *Qui erant ex circumcisione*[i. circumcisi.

3. *Quare*] Graeca legunt ὅτι quod hoc loco est confirmantis, nec interrogant sed expostulant, *Tu introisti*, &c.

4. *Incipiens autem Petrus exponebat*] Vel, *rem autem ab initio repetens Petrus, exposuit*. ¶ *Ordinem*] *Ordine*, ablat.

5. *In excessu*] *In raptu*, vel, *in abstractione*, sub *spiritùs*, i. spiritus meus abductus à corpore meo vidit.

6. *Considerabam*] *Animadverti*.

7. *Occide*] *Macta*.

8. *Quia**]* *Omne*, Vet. vel, *nihil commune*, aut *immundum unquam*, &c.

9. *Autem**]* *Mihi*, Vet. ¶ *Commune*] *Communia*.

12. *Dixit*] *Dixerat*.

13. *Mitte**]* *Viros*.

14. *Verba*] Heb. pro *res*. ¶ *In quibus*] *Per qua*.

17. *Qui credidimus*] Vel, *cùm credidissemus*. ¶ *Prohibere Deum?*] *Obsistere Deo?*

*18. *His**]* *Autem*. ¶ *Ad vitam*] Heb. *ut vivant*.

19. *Sub Stephano*] *In Stephano*, vel *propter*, aut *post Stephanum*,

20. *Ad Graecos*] *Hellenistas*; i. origine & religione Judaeos, sed alibi natos, qui nondum crediderant Euangelio.

21. *Erat manus Domini cum eis*] Heb. Deus per eos virtutem suam exserebat, miracula in doctrinae confirmationem edendo.

22. *Barnabam**]* *Ut transiret*.

23. *Vidisset*] Heb. *cognovisset*. ¶ *Proposito cordis*] i. propenso corde, firmis animis. ¶ *Permanere in Domino*] *Adhaerere Domino*, vel *perseveranter adhaerere*.

24. *Apposita est multa turba Domino*] Heb. *Multi crediderunt Christo*.

25. *Profectus est autem**]* *Barnabas*.

26. *Et annum totum conversati sunt*, &c.] *Accidit autem ut annum totum consuetudinem agerent cum congregatione, docerèntque turbam multam, & primùm Antiochiae discipuli appellarentur Christiani*.

27. *Supervenerunt*] *Descenderunt*.

28. *Significabat*] Vel *significavit*. ¶ *In universo orbe terrarum*] i. per totam Judaeam: Synecdoche, quod verbis consequentibus declaratur. ¶ *Claudio**]* *Caesare*, Vet.

29. *Proposuerunt**]* *Singuli eorum*, Vet. ¶ *Ministerium*] *Subsidium*.

30. *Mittentes*] Vel *cùm misissent*. ¶ *Per manus Barnabae & Sauli*] Heb. *per Barnabam & Saulum*.

CASTALIO.

26. PRimùm Antiochiae discipuli nuncupati sunt Christiani] *Discipuli* antea dicebantur omnes Christiani: ii Antiochiae *Christiani* vocari coepti sunt.

CLARIUS.

5. EGO eram in civitate Joppe] Ostendit Petrus hâc apologiâ se nusquam in causâ fuisse, sed Deum, cui parendum sit: Ipse me, inquit, in ecstasim rapuit: vas ipse monstravit: ego ei adhuc resistebam. Rursus ipse dixit: & nè sic quidem obtemperavi. Spiritus jussit ut irem, & neque tum praeceps accurri. Dixi Deum misisse me neque confestim baptizavi: sed rursum Deus totum effecit; Deus ipse baptizavit, non ego. Adhuc enim me loquente eis, *cecidit super eos Spiritus sanctus*, quo Joannes dixerat Christum baptizaturum, atque adeò ipse Dominus; quod idem Petrus citat, fuisse dictum ab eo, *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto*.

21. *Erat manus Domini cum eis*] *Manum Domini* intelligit virtutem ad facienda signa.

26. *Ità ut cognominarentur primùm Antiochiae discipuli Christiani*] Pauli studio praedicationis hoc ascribitur, ut in tantam celsitudinem hoc nomen eveheretur, tanquam signum quoddam: nam in Judaea, cùm tam multi credidissent, nihil tale contigit, sed appellabatur haec praedicatio *via*.

ZEGERUS.

5. VIdi in excessu mentis meae visionem] Omittendum *meae*.

19. *Sub Stephano*] Interpres legisse videtur ἐπὶ Στεφάνῳ alioqui ἐπὶ Στεφάνῳ magis est *adversùs*, vel *propter*, *Stephanum*.

23. *Hortabatur omnes* in *proposito cordis manere*] Absque *in* legendum, ut *proposito* sit ablativus Instrumenti; *hortabatur ut per propositum manerent in Domino*.

28. *Sub Claudio*] Chrysostomus & contextus Graecus addit *Caesare*, sed refragantibus nostris.

29. *In ministerium mittere*] *Ministerium* hîc dicit subsidium & sustentationem, ob quam etiam *Ministri*, h. e. *Diaconi*, instituebantur. Est autem ecliptica oratio, ut subaudiatur *ad ministerium mittere eleemosynam, pecuniámve*.

H. STEPHANUS.

2. Διεκρίνοντο] *Disceptabant*.

3. Ἀκροβυστίαν] *Praeputium*.

10. Ἀνεσπάσθη] *Retracta fuerunt*.

17. Τίς ἤμην δυνατός] *Quis eram qui possem*.

18. Ἡσύχασαν] *Abstiterunt illâ disceptatione*.

23. Τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ Κυρίῳ] *Sic Domino adhaerent ut nullâ re à proposito deterrerentur*. Sive, *Cum animi firmitate permanerent in Domino*. Vel, *Ut eorum animi firmi essent in Domino*.

26. Χρηματίσαι] *Ut nominati sint*.

29. Καθώς ηὐπορεῖτό τις] *Prout quisque facultatibus instructus erat*.

DRU.

DRUSIUS.

6. **E**T *volucres cœli*] ופרחא דשמיא desideratur suprà 10. 12.

19. *Sub Stephano*] *Sub aliquo* fieri dicitur quod fit sub imperio ejus; ut v.g. *Sub Claudio nominati fuerunt primùm discipuli Christiani*: sic *sub Pontio Pilato*, cùm Pilatus esset Procurator Judææ. Igitur Syrus emendat *contra Stephanum*, quod ἐπὶ significat etiam quando cum dandi casu construitur. Beza maluit *ob Stephanum*. Nam propter Stephanum, qui libertinè professus fuerat Christianismum, orta fuit hæc persecutio, cùm metuerent nè hæc hæresis latiùs serperet. Sed quid si *post Stephanum*, sub. *lapidatum*? Nam ἐπὶ cum dativo etiam *post* significat. Sanè scholiastes Thucydidis ἐπὶ τύτοις exponit μετὰ ταῦτα, i. *postea*. ¶ Ἕως Φοινίκης] Interp. vetus, *usque Phœnicem*; alius, *usque in Phœniciam*; Syrus, לפניקי עדמא, *usque in Phœnicem*. Si fides Josepho Scaligero, פינחס, qui ab interpretibus *Phinees* vocatur, est *Phœnix*: Inde *Phœnice* & *Phœnicia*; item *Pœni* & *Punica* lingua, quæ & γλῶσσα τῶν Φοινίκων, quâ usus olim Sanchuniatho scriptor antiquissimus, cujus historiam Philo Bybliensis in Græcum sermonem convertit. Ejus meminit non semel Eusebius in libris De præparatione Euang.

20. *Ad Græcos*] Vel *Græcis*, i. fidelibus incircumcisis. Nam qui ex circumcisione erant *Judæi* vocantur versu qui hunc antecedit. Scilicet in fonte legi πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς *ad Hellenistas*, sive *Græcienses*: de quibus jam dictum est. Fortè alio significatu hic sumitur. Nam ut Judæi qui Græcâ linguâ utebantur in synagogis *Hellenistæ* dicuntur, sic fortè Gentes quæ Christo nomen dederant: nam & illæ Græcum sermonem usurpabant in Ecclesiis.

22. *Pervenit sermo*] Verbum è verbo *auditus fuit*, ἠκούσθη & est unum pro duobus, *auditus fuit & pervenit*: nam sequitur *in aures*. Pleonasmus non sine emphasi, qualis in illo,

——*vocémque his auribus hausi*.

Fortè εἰς τὰ ὦτα reddendum *in auribus*, ἐν τοῖς ὠσὶ, ut dicat, *auditum fuit auribus Ecclesiæ*.

26. *Ità ut discipuli nominarentur primùm Antiochiæ Christiani*] *Ungi* à Deo dicuntur quos ipse donis spiritualibus imbuit & exornat: hanc *unctionem spiritualem* vocant. Indè qui dictos existimant *Christianos*, toto cœlo aberrant, & vel ex hoc loco refelli possunt. Nam ab *unctione* hac non *Christiani* sed potiùs *Christi* vocantur; ut ibi, *Nolite tangere Christos meos*. Similiter errant qui à suo *chrismate* appellatos censent *Christianos*. Quid nodum in scirpo quærimus? Non aliunde sic dicti quàm à *Christo*, cui nomen dederant & cujus discipuli erant. *Christiani* à *Christo*, ut ab *Augustino Augustiniani* & ab *Hieronymo Hieronymiani*. Priùs nominabantur *Nazoræi*, sive *Nazaræi*, vel *Nazareni*: quod nomen hodiéque Judæi usurpant. Appellant enim נוצרים τοὺς Χριστιανούς. Unde Hieronymus de Judæis loquens, *Christianis sub nomine Nazaræorum ter in die maledicunt*. Posterior ætas quæ proximè Apostolos consecuta est accommodavit peculiariter ad eos qui Legem cum Euangelio ità copulabant ut etiam circumciderentur & alias omnes ceremonias Legis observarent. Sic accipies apud Hieronymum, ubi sic scribit, *Euangelium quod secundùm Ebræos lectitant Nazaræi, & Matthæi authenticum esse putant*.

28. Ὀνόματι Ἄγαβος] In Hieron. est *Agabus*; & apud Syrum אגבוס. Conjicio scribendum *Hagabus*, ut sit nomen Ebræum חגב obvium 1 Esræ 2.46. חגב *Agab*, ut חגי *Aggæus*. Inde Ἄγαβος Græcâ declinatione. In lib. Nominum, *Agabus*, *Nuncius tribulationis*: *sed & hoc violentum*. Verior interpretatio, *Agabus*, *Locusta*. Quæ valde firmant conjecturam meam. Nam חגב inter genera locustarum Lev. 11. & Num: 13. Reperio etiam *Agabus*, *Festivitas patris*. חג *festivitas*, אב *pater*. Nihil ineptius. Nam ità scribendum esset חגאב. In Collectaneis nominum quæ Plantinus excudit, *Hagab*, *sive Hagaba*, *nomen viri*. Sanè capiendum. Nam חגב alius à חגבה. Utriusque mentio 1 Esræ. 2. Unius memoria usurpatur in versu quem suprà citavi: alterius meminit versus qui proximè antecedit, h.c. 45. Plura de hoc nomine aliàs.

CASAUBONUS.

11. **A** Πεσαλμένοι ἀπὸ Καισαρείας πρός με] Syrus interpres legisse videtur, ἀπεσαλμένοι ἀπὸ Κορνηλίυ ἀπὸ Καισαρείας πρός με.

15. Ἐν δὲ τῷ ἄρξασθαί με λαλεῖν] Ex collatione hujus loci cum superiore qui huic respondet apparet hic quoque ἄρξασθαι λαλεῖν simpliciter esse accipiendum pro λαλεῖν. Neque enim cœperat tantùm loqui Petrus, sed fusè jam & copiosè de fide ac religione Christiana disputaverat, & auditores instituerat, cùm Spiritus S. in eos est delapsus; ut esset ejus oratio fini quàm principio propior. Ideo dixit Lucas illo loco ἔτι αὐτῦ λαλέντος, quod de eo non dixeris qui vix loqui inceperit. Vide suprà 1. 1.

GUALTPERIUS.

26. **P**Rimùm vocati sunt Antiochiæ discipuli Χριστιανοί] Vocem τῦ Χριςῦ, i. *Uncti*, descendere à verbo χρίω *ungo*, & peculiari ratione convenire Filio Dei & Servatori nostro, sensu eodem quo apud Hebræos vocabulum *Messias* ei tribuitur, notius est quàm ut prolixiore expositione hic sit opus. Est enim verè Sacerdos, Propheta & Rex; quæ tria hominum genera sola oleo sacro solebant inungi. Consule inter cæteros etiam Lactantium l. 4. c. 7. Χριστιανὸς igitur est *qui se discipulum Christi profitetur &c*: Χριςιανισμὸς, *professio religionis Christianæ*. Syrus eandem vocem retinet כריסטיא.

GROTIUS.

Tὰ ἔθνη, *Gentes*] *Homines incircumcisi*, quos Judæi גוים [*Gentes*] vocant.

2. Διεκρίνοντο, *disceptabant*] דנו *disputabant*.

3. Ὅτι, *Quare*] Subintellige, *Hoc querimur*. ¶ Εἰσῆλθες, καὶ συνέφαγες αὐτοῖς. *introisti & manducasti cum illis*] Contra decretum Sapientum. Petrus autem non spernit talium decretorum auctoritatem, sed disertum Dei mandatum opponit.

4. Ἀρξάμενος δὲ ὁ Πέτρος ἐξετίθετο αὐτοῖς καθεξῆς, *Incipiens autem Petrus exponebat illis ordine*] Ab initio revelationis, quæ sibi contigerat, omnia deinceps ordine exposuit.

5. Ἤμην, *eram*] Frequens vox huic Scriptori, ut supra 10. 30. infra 5. 17.

6. Κατενόουν καὶ εἶδον, *considerabam & vidi*] Κατανοεῖν hic est *conspicere*, ut supra 7. 31. ἰδεῖν, *diligentiùs contemplari*.

10. Ἀνεσπάσθη, *recepta sunt*] ונטלו. Sic העלה ἀνέσπασε, [*sublevavit*], Abac. 1. 15. supra 10. 16. pro eodem positum ἀνελήφθη, נטלו [*receptum est*.]

12. Καὶ οἱ ἓξ ἀδελφοὶ ὗτοι, *& sex fratres isti*] Qui testari poterant à Deo dona Spiritûs Sancti in Cornelium & domesticos ejus effusa.

14. Ἐν οἷς σωθήσῃ σὺ καὶ πᾶς ὁ οἶκός σȣ. *in quibus salvus eris tu & universa domus tua*] Post missum Christum noluit Deus aliam esse viam ad salutem quàm per ejus cognitionem. Ideo Cornelium in illo statu Noahidarum non reliquit. Et notâ non ipsi tantùm, sed & domui ipsius bene à Deo fieri. Sic Philo in historia Angelorum qui ad Abrahamum diverterant, Νομιςέον μέν τοι κατὰ τὴν εἴσοδον αὐτῶν ἔτι μᾶλλον ἐπιδοῦναι πάντα τὰ μέρη τῆς οἰκίας πρὸς τὸ βέλτιςον, αὔρᾳ τινὶ τελειοτάτῃ ἀρετῆς ἐπιπνευσθέντα [*Certè sic æstimandum est, ad eorum introitum partes omnes domûs profecisse in meliùs, afflatas aurâ quadam virtutis absolutissimæ*.]

15. Ἐν δὲ τῷ ἄρξασθαί με λαλεῖν, *Cùm autem cœpissem loqui*] Id est, ἐν τῷ με λαλεῖν, *dum loquor*, ut suprà 1. 1.

16. Τῦ ῥήματος Κυρίȣ, *verbi Domini*] Sunt propriè quæ sequuntur Johannis Baptistæ verba, Matth. 3. 2. Marc 1. 8. Luc. 3. 16. Joh. 1. 26. Sed quæ Johannes dixerat, probavit Christus, Matth. 11. 9.

17. Ἐγὼ δὲ τίς ἤμην δυνατὸς κωλῦσαι τὸν θεόν; *ego quis eram qui possem prohibere Deum?*] Pro ἵνα δύνατος ὦ [*ut possim*.] *quis ego eram, ut Deo possim obsistere?* Deus eos tales vocavit ad salutem, non ego.

18. Ἡσύχασαν, *tacuerunt*] Nihil ultra conquesti sunt, victi verò. ¶ Ἄραγε, *Ergo*. ¶ Τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν, *pœnitentiam dedit*] *Dare pœnitentiam*, hîc est velle ignoscere, dare effectum pœnitentiæ.

19. Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες, *Et illi quidem qui dispersi fuerunt*] Illi de quibus supra 8. 1. & 4. ¶ Διῆλθον ἕως Φοινίκης καὶ Κύπρȣ, καὶ Ἀντιοχείας, *perambulaverunt usque Phœnicem & Cyprum & Antiochiam*] Latiùs explicat, quod breviter dixerat dicto loco 8. 4. Ex his locis quosdam porrò Silæ & Timothei propinquos in Macedoniam venisse diximus in secundam ad Thessalonicenses. ¶ Μηδενὶ λαλοῦντες τὸν λόγον εἰ μὴ μόνοις Ἰȣδαίοις. *nemini loquentes verbum nisi solis Judæis*] Quia sermonem Græcum non didicerant.

20. Κύπριοι καὶ Κυρηναῖοι, *Cyprii & Cyrenæi*] Noti illis in locis in quibus frequens sermo Græcus. Nam Cyprus & Cyrene

ne connexa diu regno Ægyptio, in quo multus ille sermo, præsertim Alexandriæ ¶ Ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς, *loquebantur ad Græcos*,] Certò legendum πρὸς Ἕλληνας [*ad Græcos*,] quomodo habet ille in Anglia Manuscriptus. Et ita legit Syrus; vertit enim *cum Græcis*: non *cum Græcè loquentibus*, ut supra 9. 29. Legit eodem modo & Latinus & Arabs. Ἕλληνες [*Græci*] jam à tempore imperii Græci, id est, Macedonici, dicebantur Judæis omnes incircumcisi à parte prædominante. Sic sumitur ea vox 2 Mac. 4. 36. Et hinc Ἑλληνικὸς χαρακτὴρ [*insignia Græca religionis*] 2 Macc. 4 10. ἑλληνικαὶ δόξαι [*Græca gloria*] 15. τὰ ἑλληνικὰ, 2 Macc. 6. 6. & 11. 24. *instituta* scilicet *extranea*: & apud Paulum sæpe. Cæterùm hic propriè sumi rectè potest; nam Antiochiæ multi erant Græcæ originis. Vide 2 Macc. 6. & ibi dicta. ¶ Εὐαγγελιζόμενοι τὸν Κύριον. *annuntiantes Dominum*] Ejus res narrantes ut supra 5. 42.

21. Ἐπέστρεψεν, *conversus est*] *Converterunt se.* Activum pro reciproco.

23. Ἰδὼν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, *cùm vidisset gratiam Dei*] Per *gratiam Dei* intellige hic incrementum Ecclesiæ. ¶ Τῇ προθέσει τῆς καρδίας, *in proposito cordis*] *Firmo proposito*, quomodo πρόθεσις [*propositum*] sumitur etiam 2 Timoth. 3. 10.

25. Ἀναζητῆσαι Σαῦλον. *ut quæreret Saulum*] Amicum veterem & beneficio à se affectum. Supra 9. 27.

26. Χρηματίσαι τε πρῶτον, *ita ut cognominarentur primùm*] Χρηματίζειν pro *nominari* est vox melioris Græcitatis, quam & Polybius non semel usurpat, Scriptor Lucæ lectus, & Paulus Rom. 7. 3. ¶ Ἐν Ἀντιοχείᾳ, *Antiochia*] Ubi sedes fuerat regni ejus quod *Magog* Ezechieli, *Septentrionale* Danieli, & eversum erat ante adventum Christi secundùm oracula. ¶ Χριστιανούς. *Christiani*] Græcorum more qui à Magistris discipulos nominabant ut *Pythagoreos*, *Platonicos*, *Aristotelicos*, *Epicureos*.

28. Ἄγαβος, *Agabus*] עגב [*adamavit*] unde Græcum ἀγάπη [*amor.*] ¶ Ὅστις καὶ ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος. *quæ facta est sub Claudio Cæsare*] Meminère Suetonius & Dion Claudio, & Josephus 20 2.

29. Καθὼς ηὐπορεῖτό τις, *prout quis habebat*] כאשר תשיג ידו [*prout invenerit manus ejus sufficientiam*,] Levit. 25. 28. ¶ Εἰς διακονίαν, *in ministerium*] *Ad levamentum pauperum.* Διακονία (*ministerium*) dicitur supra 6. 1. Rom. 12. 7. 2 Cor. 8. 4 & 9. 1. & 12. 13. & 11. 8. ¶ Τοῖς κατοικοῦσιν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἀδελφοῖς. *habitantibus in Judæa Fratribus*] Qui pauperes fermè erant. Quare sæpe eos Paulus modò Achæis, modò Macedonibus commendat.

30. Πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους, *ad Seniores*] Hæc prima est *Presbyterorum* in Ecclesia mentio. Judæis זקנים [*Seniores*] dicti, non solùm qui judiciis publicis, sed & qui Synagogis singulis præerant. *Presbyteros* vertit lex secunda Codice Theodosiano de Judæis: in alia lege dicuntur *Patres Synagogarum.* Totum autem regimen Ecclesiarum Christi conformatum fuit ad Synagogarum exemplar. Sed & apud Græcos πρεσβυτέρους καὶ τοὺς ἀρίστους καὶ τοὺς γέροντας εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ λέγειν [*Presbyteros antiqui & optimates appellare soliti erant & Senes*] ait Halicarnassensis Dionysius libro 2. ¶ Διὰ χειρὸς Βαρνάβα καὶ Παύλου. *per manus Barnabæ & Pauli*] *Per Paulum & Barnabam eò missos.* Pro *per* Hebræi dicunt ביד [*per manum.*]

PRICÆUS.

Com. 4. Ἐξετίθετο αὐτοῖς καθεξῆς] Singillatim. Apuleius in Apologia, *Omnem ordinem rei gestæ summa cum fide ac veritate percensuit.* Ἐκ τῶν ποδῶν εἰς τὴν κεφαλὴν πάντ' ἐρῶ Aristophanes dixit: ubi Schol. Ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους ἐρῶ τὰ πράγματα. Glossæ Ἐκτίθημι, τὸ λέγω *Dissero*, *edissero*, Ibidem Ἔκθε, Φράσον. Sic infra 18. 26. & 28. 23.

Com. 12. Εἶπε δέ μοι τὸ πνεῦμα συνελθεῖν αὐτοῖς, μηδὲν διακρινόμενον] Simile suprà 8. 29. vide.

Ibid. Τοῦ ἀνδρὸς] Cornelii, de quo præced. capite. Sic initio 4. Æneid.

Multa viri virtus animó, &c. recursat.

Æneæ nempe, de quo in tertio libro.

Com. 17. Ἐγὼ τίς ἤμην δυνατὸς κωλῦσαι τὸν θεόν;] Plaut. Pers. 1. 1.

Diisne adverser? quasi Titani cum Diis belligerem,
Quibus sat esse non queam? ——

Genes. 50. 19. in Latino, *Num Dei possumus resistere voluntati?* Vide suprà ad 5. 39. notata. Cogitemus autem an ad hunc modum hic locus interpungi debeat, Ἐγὼ τίς ἤμην; δυνατὸς, &c. Sic 1 Cor. 10. 22. in non dissimili etiam sententia duplex interrogatio occurrit. Beza hic εἰμὶ maluit, nam ἤμην (inquit) Poeticum est. Ergò & Poeticè Plutarchus initio Convivii 7. Sapientum locutus.

Com. 18. Ἡσύχασαν] Οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν ut suprà 4. 14.

Ibid. Ἄρα γε καὶ τοῖς ἔθνεσιν ὁ θεὸς τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν;] Admirativè potiùs quàm interrogativè pronuncianda puto. Tale illud, *Est & Saul inter Prophetas!*

Com. 23. Παρεκάλει πάντας τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ Κυρίῳ] Id est, μὴ κλυδωνίζεσθαι, καὶ παντὶ διδασκαλίας ἀνέμῳ περιφέρεσθαι, Ephes. 4. 14. διδαχαῖς ποικίλαις καὶ ξέναις μὴ περιφέρεσθαι, Hebr. 13. 9. sed τῇ χάριτι Θεοῦ ἐπιμένειν, infrà 13. 43. τῇ παραδοθείσῃ πίστει ἐπαγωνίζεσθαι, Jud. com. 3. Vide infra 13. 43. τὴν τῆς ἐλπίδος ὁμολογίαν ἀκλινῆ κατέχειν, Hebr. 10. 23. Apud Plautum in Rudente,

Idcirco moneo vos ego qui estis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate & fide;
Retinete porro, post factum ut lætemini.

Seneca Epist. 16. *Perseverandum est, & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit quod bona voluntas est.* Et post, *Te moneo & exhortor ne patiaris animi tui impetum delabi & refrigescere: constitue illum & contine, ut habitus fiat quod est impetus.* Ibidem, *Plus operæ est in eo ut proposita custodias, quam ut honesta proponas.* Vide & Philip. 4. 1. Hebr. 6. 11.

Com. 26. Συναχθῆναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ] Vulgatus συναχθῆναι hic, non vulgari significatione, *colligi* aut *congregari* (nempe in unum) vertit: at multò aptiùs, *conversari*; quo modo & συνδιαιτῶμαι, συνδιατρίβω, συναναστρέφομαι, in Glossariis explicantur. De voce *conversari* dixi ad lib. 4 Apuleii.

Ibid. Χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς, Χριστιανούς] Suidas in Ναζωραῖος, ἐπὶ Κλαυδίου βασιλέως Ῥωμαίων, Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου χειροτονήσαντος Εὐόδιον ἐν Ἀντιοχείᾳ, μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζωραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, Χριστιανοί. Chrysostomus Homil. 3. ad Pop. Antioch. Καθάπερ Πέτρος ἐν τοῖς Ἀποστόλοις πρῶτος ἐκήρυξε τὸν Χριστὸν, οὕτως ἐν ταῖς πόλεσιν αὕτη (Antiochia) πρώτη ὥσπερ στέφανόν τινα θαυμαστὸν τὴν τῶν Χριστιανῶν ἀνεδήσατο προσηγορίαν.

Com. 28. Ἐσήμανε διὰ τοῦ πνεύματος λιμὸν, &c.] Utpote unus è Prophetis qui Hierosolymis Antiochiam venerunt, com. 27. Apuleius in de Mundo, *Velut Prophetæ quidam, qui dum deorum majestate completi sunt, effantur cæteris quæ divino beneficio soli vident*: lege, *velut Prophetæ, qui dum, &c.* τὸ *quidam* enim ex occasione continuò sequentium verborum odiosè insinuavit se.

Ibid. Ὅστις καὶ ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου] In Vulgato, *quæ facta est sub Claudio*, particulâ καὶ (quæ vim hoc loco habet) malè omissâ.

Com. 29. Καθὼς ηὐπορεῖτό τις] Pro modo facultatum suarum. Hoc Baruc. 1. 6. Καθ' ὃ ἑκάστου χεὶρ ἐδύνατο. Aristidi; ἀπὸ τῆς ὑπαρχούσης δυνάμεως. Luc. 11 41 τὰ ἐνόντα id est, ut ego accipio, κατὰ τὰ ἐνόντα. Virgilius *Quæ cuique est copia* dixit. Paulus 1 Cor. 16 2. ὅ, τι ἂν εὐοδῶται & 2 Cor 8. 11. ἐκ τοῦ ἔχειν quomodo in præceptis Delphicis, καθὼς ἔχεις, θυσίαζε. & apud Plutarchum in Apophthegm. θεοὺς ἀπὸ τῶν παρόντων τιμᾶν.

Ibid. Ὥρισαν ἕκαστος αὐτῶν εἰς διακονίαν πέμψαι τοῖς κατοικοῦσιν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἀδελφοῖς] Simillimum Rom. 15. 26. locum vide. Quod hic ὁρίζειν, ibi εὐδοκεῖν.

CAP. XII.

VALLA.

20. *ERAT autem iratus Tyriis & Sidoniis*] Gr. *iratè*, seu *acerbè*, *pugnans*, seu *impugnans*, θυμομαχῶν.

REVIUS in VALLAM.

20. *Iratè*, seu *acerbè*, *pugnans*] Hic Vallæ non assentitur Erasmus, *Nam dictio*, inquit, *Græca composita est ex* θυμὸς animus *&* μάχεσθαι pugnare: *quod nondum indixisset bellum, sed jam animo bellum agitaret, ni placassent iratum.* Beza habet *infenso animo erat*, &c.

ERASMUS.

1. **M***Isit Herodes Rex*] Ἐπέβαλεν *injecit*, sive *injiciebat*. Quem hîc Lucas vocat *Herodem*, Josephus *Agrippam* appellat, qui & *Major* dictus est ad discretionem filii Agrippæ. Videtur autem nomen *Herodis* multis fuisse commune, quemadmodum Herodes Antipater filius Herodis Majoris, & Philippus Herodes hujus frater. Hic autem Herodes Agrippa frater fuit Herodiadis, quæ fuit uxor Herodis Tetrarchæ, filius Aristobuli, qui fuit filius Herodis Majoris, frater Alexandri; quos ambos pater interfecit. Hunc Agrippam Tiberius Cæsar conjecerat in vincula, quòd in splendido convivio quo Caium Germanici filium excipiebat, palàm comprecatus est ut Tiberio maturè defuncto Caium videret Imperatorem. Fuit autem sex menses in carcere, usque ad mortem Tiberii, quem *Caius*, cui *Caligula* cognomen additum fuit, non solùm liberavit, verùm etiam tres illi Tetrarchias contulit, Philippi, Lysaniæ, & Herodis Junioris Lugdunum relegati: insuper & Regii nominis honorem concessit. Ità ferme Josephus l. 2. De bello Jud. c. 8. & l. 18. Antiq. Jud. c. 11.

3. *Quia placeret*] Ὅτι ἀρεστόν ἐστι, *placitum*, sive *gratum esse*. Idem nomen quod antè vertit *æquum est*; *Non est æquum relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*. ¶ *Apprehendere*] Συλλαβεῖν *comprehendere*. ¶ *Erat autem dies*] Ἦσαν *erant*, numero multitudinis.

5. *Sine intermissione*] Ἐκτενὴς, *prolixa*, ut vertit in Euangelio, sive *intenta*.

8. *Et calcea te caligas tuas*] Καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, *subliga sandalia tua*.

12. *Considerànsque*] Συνιδών τε, *Réque perpensâ*: nisi mavis ad *cognitam domum* referre.

13. *Ad ostium*] *Ad* redundat. ¶ *Januæ*] Πυλῶνος, non θύρας. Cùm enim dicat *ostium januæ*, τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, aut vestibulum ædium habebat ostium quemadmodum & hodie videmus in plerisque ædificiis aut *januam vestibuli* dixit primum ostium quod expositum erat vestibulo. ¶ *Ad videndum*] Ὑπακοῦσαι, *ut subauscultaret*. Sequitur enim *Et agnitâ voce Petri*.

17. *Annuens autem*] Κατασείσας δὲ, *Motâ manu innuens*.

18. *Quidnam factum esset de Petro*] Τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο, *quid Petrus esset factus*; sive quia sic permisit sibi loqui Lucas, ut quemadmodum Græci dicunt *fecit illum* pro *fecit illi*, ità per verbum passivum dixerit *quid factus esset*; sive quòd suspicarentur metamorphosi mutatum in aliud quiddam, juxta vulgi stultitiam, quâ creditum est magicis artibus homines verti in aves aut in genios.

19. *Jussit eos duci*] Ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι. Parùm liquet an Lucas Romano more dixerit *duci* eos qui ducuntur ad supplicium, an, *abduci à sese in carcerem*.

20. *Erat autem iratus Tyriis*] Θυμομαχῶν quod Laurentius vertendum putat *iratè*, sive *acerbè*, *pugnans*. Quanquam hic homini non assentior: nam dictio Græca composita est ex θυμὸς *animus* & μάχεσθαι *pugnare*: quòd nondum indixisset bellum sed jam animo bellum agitare ni placassent iratum. ¶ *Eò quod alerentur regiones eorum ab illo*] Διὰ τὸ τρέφεσθαι τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς, *eò quòd ipsorum regio aleretur à regia*, ut subaudias *annona*, *pecunia*, aut *alimonia*: sive hoc intelligendum est de commercio Judaicæ gentis, sive de salario.

22. *Dei voces*] Φωνὴ Θεοῦ, *Vox Dei*. Interpres legisse videtur Φωναί. Cùm in Græcis cod. constanter habeatur Φωνὴ, ultimâ gravi, tamen quidam contendit legendum Φωνῇ, ultimâ circumflexâ, & interpretatur *Dei vocem*, quâ Deo acclamamus, non homini. Imò cùm Lucas memoret eum fuisse concionatum, rectius est ut per adulationem acclamarint, *Vocem non hominem sonare, sed Deum*: quemamodum apud Virgilium Æneas ex voce cognoscit Venerem. In hanc certè sententiam narrat Josephus, & interpretatur Chrysostomus.

23. *Honorem Deo*] Δόξαν *gloriam*. ¶ *Et consumptus à vermibus*] Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος, *obnoxius factus morbo quo qui laborant exeduntur à vermibus*. Opinor eundem esse quem Medici *pedicularem* vocant, quo periit & Lucius Sylla, certè ibi non felix.

25. *Reversi sunt ab Hierosolymis*] Εἰς Ἱερουσαλὴμ] *in Hierusalem*. Ità legunt Græci: verùm haud scio an perperàm; tametsi consentit ed. Aldina.

VATABLUS.

1. **M***Isit*] *Ejecit*.

2. *Occidit*] *Occiderat*.

3. *Videns autem quia placeret*] *Cùm autem vidisset, quòd gratum esset*. ¶ *Apposuit*] Vel, *perrexit*.

4. *Tradénsque*] *Tradens*, Vet.

5. *Et Petrus*] *Petrus igitur*. ¶ *Sine intermissione*] Vel, *prolixa & intenta*.

7. *Ceciderunt* *] * *Ejus*.

8. *Calcea te caligas tuas*] *Subliga sandalia tua*, sive *soleas tuas*.

9. *Quia verum est*] *Quòd verum esset*.

10. *Exeuntes processerunt*] *Egressi venerunt*, vel *processerunt*.

11. *De omni expectatione plebis*] i. à supplicio expectato à plebe.

12. *Considerànsque*] *Réque perpensâ*.

13. *Eo*] *Petro*. ¶ *Puella ad videndum*] *Ancillula ut subauscultaret*.

14. *Cognovit*] *Agnovit*. ¶ *Januam*] *Vestibulum*, & infrà.

16. *Perseverabat pulsans*] Vel, *instabat pulsando*.

17. *Dixitque*] *Dixit autem*.

18. *Quidnam factum esset de Petro*] Vel, *quonam devenisset Petrus*.

19. *Inquisitione factâ de custodibus*] Vel, *postquam quæstionem habuit de custodibus*. ¶ *Duci*] Sub. *ad supplicium*. ¶ *Descendénsque*] *Et cùm descendisset*.

20. *Erat autem* *] * *Herodes*. ¶ *Iratus*] *Infensus*, θυμομαχεῖν autem significat *bellum nondum indictum animo meditari*. ¶ *Alerentur regiones eorum ab illo*] *Ipsorum regio aleretur à regia*, sub. *annona*, vel *pecunia*, aut *alimonia*: sive hoc intelligendum est de commercio Judaicæ Gentis, sive de salario.

22. *Voces*] *Vox*, sub. *est*.

23. *Honorem*] *Gloriam*.

24. *Crescebat*] scil. accessionibus.

25. *Saulus*] *Paulus*. ¶ *Reversi sunt*] Sub. *Antiochiam*. ¶ *Ab Hierosolymis*] *In Jerusalem*: i. cùm explevissent Jerosolymis ministerium: Lege suprà cap. 11. in fine.

CASTALIO.

20. **B***Lasto Regis cubiculario inducto*] Utentes Blasti operâ.

CLARIUS.

2. **O***Ccidit autem Jacobum*] Nequis diceret quòd sine periculo & metu contemnere auderent mortem, utpote eripiente illos Deo, idcirco occidi permittit etiam Principes Ecclesiæ.

3. *Erant autem dies Azymorum*] Causam dicit cur non eum confestim occiderit.

4. *Quatuor quaternionibus militum*] Fortasse ut per singulas vigilias noctis essent quatuor milites ut tutiùs servaretur. At Petrus interea securus horum periculorum, & totum in Deum rejiciens, ità profundo obruitur somno ut oportuerit Angelum percusso illius latere eum excitare.

7. *Lumen refulsit*] Ut apertiùs rem agnosceret, nè phantasiam arbitraretur. Nam si hoc facto *visum* tamen esse existimavit, multò magis, si hoc non fuisset factum, suspicatus fuisset illudi sibi. Ad hoc etiam pertinebat quòd præcepit ut *præcingeretur*, &c.

15. *Nuncius ejus est*] Suspicati sunt illam non satis intellexisse verba pulsantis, qui fortasse interroganti vel rectiùs subauscultanti dixerit, *Nuncius sum Petri*, at illa falsò crediderit Petrum fuisse: idcirco dicunt, *Nuncius ejus est*. Sin *Angelum* mavis accipere, nihil prohibeo: habebis & qui tecum sentiant viros doctissimos.

23. *Percussit eum Angelus Domini*] Cernis quàm scelera tum sit non solùm quærere, sed tantùm admittere assentationes?

ZEGERUS.

1. **M***Isit Herodes Rex manus*, Hic est Herodes quem Josephus De bell. Jud. l. 2. c. 8. *Agryppam* appellat, frater Herodiadis uxoris Herodis Tetrarchæ, filius Aristobuli, & frater Alexandri. Vide Suidam & Josephum. *Manus* positum est pro *potestate*, vel *exercitu*; quâ significantiâ & χεὶρ usurpatur.

8. *Calcea te caligas tuas*] *Caligas* dixit pro *sandaliis* quod est in archetypo, idque haud inepte. Nam *caligam* à *ligando calce*, i. imo pede, dici, q. *calciligam*, res ipsa clamat. Et cùm *calx* à *calcando* dicatur, sicut & *calceus* à *calce*, liquet *caligas* non esse propriè Tibialia, & genus hoc vestis quod etiam ilia tegit (quod sanè caligarum genus veteres nescierunt) sed Soleas esse, aut genus quoddam Calceorum quòd plantas modò aut calces muniat.

13. *Processit puella ad videndum*] Beda magis accedens ad vocem Græcam scribit *ad audiendum*: est enim ὑπακοῦσαι. Verùm hoc verbi aliàs in Latinis necdum inveni. Et *videndi* verbum accommodari solet & ad sensus alios, ut non malè alicubi docet Nic Lyra. In codice Gembl. quidam ex *videndum* fecit *audiendum*.

16. *Cum autem aperuisset ostium*] Omittendum *ostium*, juxta prototypum & lectionem veterum.

19. *Jussit eos duci*] Pro *duci* est ἀπαχθῆναι, ἀπὸ τοῦ ἀπάγειν, quod propriè *abducere* est. Verùm hic vel Romano more *ad supplicium abducere* vel *in carcerem ejicere* signat. Priorem sententiam attingit Chrysostomus, *Sed quid*, inquiens de custodibus, *simulne occultati fuerunt? Quare non ergò & ipsi effugerunt? Certè Herodem oportebat admirari, oportebat obstupescere: atqui postea manifestatum est omnibus per mortem illorum & Dei miraculum, & illius malitia.* Nec ineptè dixit Interpres *jussit eos duci*: nam & *ducendi* vox *ad pœnam agere* & *ad mortem rapere*, ἄγειν ἐπὶ θανάτῳ, nonnunquam declarat, ut apud Curtium ait Hermolaus ad Alexandrum, *Nos duci jube.*

20. *Persuaso Blasto*] Πείσαντες Βλάστον; *cum Blastum in suam sententiam adduxissent.* ¶ *Eò quod alerentur regiones eorum ab illo*] Pro *ab illo* in Græcis est ἀπὸ τῆς βασιλικῆς, *à regia*. Verùm haud scio an datâ operâ id commutatum sit ne, si legeretur ἀπὸ ἐκείνου, libera nobis esset ambigendi facultas an τὸ ἐκείνου referat ipsum *Herodem* an *Blastum*, qui non modò à Cubiculis verùm etiam & Thesauris Herodi fuisse creditur, ità ut non mediocriter Tyriis & Sidoniis potuerit commodare. Cùm legis itaque ἀπὸ τῆς βασιλικῆς *à regia*, scito *regiâ* hic esse adjectivum, & subaudiendum esse non *annonâ* aut *alimoniâ* (ut volunt nonnulli) sed *regione*, quæ vox proximè præcesserat: ut accipias de mutuo commercio quo regiones sibi mutuò succurrunt ac fulciuntur.

22. *Populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis*] Hoc encomium, *Dei voces*, sive, ut Græcis est, *Dei vox & non hominis*, populus Herodi adulando acclamabat propter eminentem in ipso eloquentiam. Quo encomio quia se dignum æstimavit, protinus ipsum Divina est ultio insecuta. In hanc sententiam Chrysostomus interpretatur, sed omittit interim clausulam illam *& non hominis*. Quidam pro Φωνὴ Φωνῇ scribendum putat, casu videlicet dativo, quasi *populus voci Dei acclamaverit* in ultionem Herodis, *non* autem superbæ *hominis voci* in adulationem. Quòd si Φωνῇ legamus, poterit & per ablativum resolvi, *Populus acclamabat Dei voce, & non hominis*, i. eâ voce quâ Deo acclamatur, non quâ homini. Quem utrumque sensum nec nostra sanè lectio repudiat.

25. *Reversi sunt ab Hierosolymis*] Hic in Græcis perperàm scriptum est εἰς Ἱερουσαλὴμ pro ἀπὸ Ἱερουσαλήμ. Nam ad finem capitis proximè præcedentis narratur quemadmodum *Saulus & Barnabas in Judæam fuerint destinati ad ministrandum fratribus*, unde, *expleto* feliciter *ministerio*, *Antiochiam* (ut apparet) commemorantur hic *reversi*. Siquidem mox post hæc verba refert B. Lucas quomodo *Antiocheia* iidem Discipuli delecti & *segregati sint ad munus cui fuerant à Spiritu S. prædestinati.* Unde & in Compl. editione ità scriptum cernitur, ὑπέστρεψαν ἐξ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἀντιόχειαν.

H. STEPHANUS.

1. ἘΠέβαλεν τὰς χεῖρας, κακῶσαί τινας] *Aggressus est mala inferre quibusdam.*

4. Τέσσαρσι τετραδίοις στρατιωτῶν] *Quatuor quaternionibus militum*: i. quater quaternis militibus.

5. Προσευχὴ ἐκτενὴς] *Precatio assidua*: vel, *intenta*.

10. Αὐτομάτη ἠνοίχθη αὐτοῖς] *Sponte patuit ipsis.* ¶ Ῥύμην μίαν] *Vicum unum.*

11. Γενόμενος ἐν ἑαυτῷ] *Reversus ad se.* ¶ Ἐκ πάσης τῆς προσδοκίας] *Ex omni exspectatione*: i. à supplicio quod exspectabat.

12. Συνιδὼν] *Cùm rationem secum iniisset.* Sive, *Re perpensâ.* Vel, *Cùm perpendisset quod facto esset opus.*

13. Ὑπακοῦσαι] *Ut audiret quis adesset.*

14. Ἀπὸ τῆς χαρᾶς] *Præ gaudio.*

16. Ἐπέμενε κρούων] *Perseverabat pulsare.*

17. Κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ σιγᾷν] *Indicto autem manu silentio.*

19. Ἀνακρίνας τοὺς φύλακας, ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι] *Quæstione de custodibus habitâ, jussit* eos *ad supplicium duci.*

20. Ἦν θυμομαχῶν] *Animo infenso*, vel, exacerbato, *bellum gerebat.* ¶ Πείσαντες Βλαστὸν ᾐτοῦντο εἰρήνην] *Pacem petebant, impetrato ad hanc rem favore Blasti.*

21. Τακτῇ δὲ ἡμέρᾳ] *Statuto die.*

23. Γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν] *Erosus à vermibus, animam efflavit.*

DRUSIUS.

8. C*Aligas tuas*] i. calceamenta tua, quæ Græcis σανδάλια. Hier. Jes. 20. *& calceamentis è pedibus, quæ* LXX *σανδάλια, i. Caligas vocant. Caligæ* igitur sandalia, quæ Judæis סנדלין.

13. *Rhode*, Ῥόδη] Si est nomen Ebraicum, scripserim libentiùs *Rode*, i. רודה. Id Latine sonat *dominans*, & Græcè κυριεύων. Syrus habet *Rauda*. *Rode*, *Rauda*; ut *Hose*, *Hause*. In lib. Nom. *Rhode*, *Videns*, vel *Fortis*: ראה *videns*, רו *fortis*, ἱκανός.

21. *Herodes*] Quem alii *Agrippam* appellant. Ex v. 1. hujus capitis editionis Syriacæ discimus cognomen hoc ejus fuisse: nam disertè ibi, *Herodes qui cognominatur Agrippas.* Nec aliter eum vocat Josephus quo in loco hanc historiam recenset quam memorat & Zonaras pag. 200. Autor libri Johasin 140. 1. *Agrippas*, inquit, *filius Aristobuli regnavit annos 7. Anno autem Regni ejus septimo elatum fuit cor ejus per superbiam*, &c. ¶ *Indutus veste regiâ*] *splendente ad lumen Solis, ità ut ex ea prodire viderentur Sol, Luna & stella*; ex eodem libro, Juchasin.

22. *Vox Dei, & non hominis*] In libro quem modò citavi, *Ferè Deum vocarunt, & ipse siluit.* Et mox, *Ecce Deus noster iste est in quo speravimus.* Verba sunt populi sequentis eum.

23. *Exspiravit*] *Avis quadam voce submissâ dixit adstantibus ei, Ecce Deus vester, quem dixistis, contemptui erit. Intra tres dies operiet eum pudor, & caput pulverem orbis. Et ità fuit: nam post dies tres mortuus est*, Ibidem. Avis hæc בוהו BUHO vocatur, i. *bubo*, quæ ei liberationem è carcere diu antè prædixerat. Vide Josephum Ant. l. 18. c. 8.

CASAUBONUS.

8. ΠΕρίζωσαι, καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου] Vet. interpres, qui Marc. 6. 9. vocem Græcam retinuerat, vertit h. l. *caligas tuas*, quam interpretationem comprobat auctor Glossarii: Σανδάλιον, inquit, *Caligula.* Juvat etiam Dio, qui *Caligulam* Imp. indè hoc nomen invenisse scribit in Vita Tiberii, ὅτι ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ πλεῖστον τραφεὶς, τοῖς στρατιωτικοῖς ὑποδήμασιν ἀντὶ τῶν ἀστικῶν ἐχρῆτο. Ergò *caligæ*, sunt ὑποδημάτων εἶδος.

CAMERON.

15. ὉἌγγελος αὐτοῦ ἐστι] Unus est in tota Scriptura Sacra hic locus qui videri possit favere illi sententiæ quâ singulis hominibus singuli Angeli custodes attribuuntur. Sed illi qui ex hoc loco id effici volunt primò sumunt pro confesso quod non est positum extra omnem controversiam, eo loco *Petri Angelum* non significare *nuncium eorum quæ Petro acciderant.* Certè qui sunt in vinculis & carcere solent nunciorum operâ uti qui significent quo in statu res suæ sunt: Itaque nihil est absurdi si statuamus *nuncium* eo loco ἄγγελον dici Græcè. Quod verò dicitur eo loco Rhode *agnovisse vocem Petri*, id Rhode si significavit non impetravit fidem: fieri autem potest ut non significarit, sed tantùm affirmarit *Petrum stetisse præ foribus*: at verò cùm perseveraret, eò tandem ventum est ut (quod solet accidere) Petri injectâ mentione à Petri nuncio, quibuscum Rhode res erat putarint Rhodem secius rem accepisse. Deinde, etiamsi demus eo loco *Angelum* intelligi propriè *custodem Petri*, non tamen peculiaris Angelus denotabitur; ut cùm dicimus *Medicum Regis*, *famulum Regis*, non certum quendam medicum aut famulum intelligimus. Sic per vices solent excubare milites, & qui excubat, quandiu excubat, *excubitor* dicitur, attamen non intelligitur certus quidam & peculiaris affixus semper huic curæ, nulli decedens, nec ulli

suc-

succedens. Certè cùm agitur de Lazari anima in cœlum subvehenda, non fit mentio unius Angeli, sed Angelorum, absurdè, si Lazarus peculiarem habuit Angelum. Sanè majorem affert consolationem à pluribus quàm ab uno Angelo custodiri. Huc & illud accedit, quòd si demus hunc fuisse singularem aliquem Angelum Petri custodem, necesse est etiam demus Angelos custodes figuram, vocem, gestum & reliqua eorum quorum custodes sunt assumere: quæ quorsum pertineant non facile est dispicere: etenim ista non simulantur nisi illudendi & decipiendi gratiâ. Itaque Diabolus sic solet illudere miseris hominibus, ut cùm Samuelis assumpsit figuram. Bonos Angelos non est credibile sic illudere.

GUALTPERIUS.

22. ΘΕοῦ φωνὴ, *Vox Dei*] Syr. *Hæ filiæ vocum Dei sunt.* Tremell. *Frequenter*, inquit, *invenias in antiquis Hebræorum scriptis* filiam vocis *pro* voce cœlitus demissa *poni*, quâ mortales de voluntate Dei admoneantur.

23. Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν, *Et erosus à vermibus animam efflavit*] Apud Syrum est vox רמתא : de qua sic Tremellius, *Invenitur interdum significare* panem, *interdum vero* animalium stabulum. Et paulò pòst, *Stabulum factus est cum vermibus, sive per vermes, h. e. stabuli instar sordibus & corruptione plenus: vel, Factus est panis cum vermibus, i. vermibus oppletus, factus est eorum cibus. Quod propiùs accedit ad Græca vocis significationem. Tritum enim est Scripturæ phrasi* panem *pro* omni cibo *accipi*.

GROTIUS.

ΕΠέβαλεν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς τὰς χεῖρας, *Misit Herodes Rex manus*] Hebræum est יד שלח, quod sæpe vertitur ἐπιβάλλειν χεῖρα; [*injicere manum*,] nonnunquam ἐκτείνειν [*extendere*,] & significat *studium alicui rei impendere*, Gen. 3. 22. Deut. 12. 7. & alibi. *Herodem* hic rectè Syrus explicat *Agrippam*, filium nempe magni Herodis, ex qua familia quotquot erant, communi nomine *Herodes* vocabantur. ¶ Κακῶσαί τινας, *ut affligeret quosdam*] Solet sic verti רעע Hebræum.

2. Ἀνεῖλε δὲ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν Ἰωάννου μαχαίρᾳ. *Occidit autem Jacobum fratrem Johannis gladio*] Filium Zebedæi, υἱὸν βροντῆς [*filium tonitru*,] id est, *eximium inter Apostolos*, eoque Herodi suspectiorem. Ita contigit ei calix ille de quo Christus erat locutus Matth. 20. 23. *Gladio* autem, quia antiquitus Reges hoc solo supplicio in sontes utebantur. Hæc Hierosolymis acta sunt. Nam præter alias tetrarchias etiam Judæam propriè dictam à Claudio Agrippa accepit, teste Josepho 19. 4. Vide infra 19.

3. Καὶ ἰδὼν ὅτι ἀρεστόν ἐστι τοῖς Ἰουδαίοις, *Videns autem quia placeret Judæis*] Herodis posteri, Herodis magni exemplo, omnes actus suos in id dirigebant, partim ut Cæsaribus, partim ut populo Judaïco grati essent, rectúmne esset quod agerent, an non, planè securi. ¶ Προσέθετο συλλαβεῖν καὶ Πέτρον· *apposuit apprehendere & Petrum*] Locutio Hebræa, qualis Lucæ 20. 12. & alibi. ¶ Ἦσαν δὲ ἡμέραι τῶν Ἀζύμων. *erant autem dies Azymorum*] Initium τῆς ἑορτῆς [*festi diei*] sive octo dierum. Azyma incipiunt ante Pascha, ut diximus ad Matth. 26. 18.

4. Τέσσαρσι τετραδίοις, *quatuor quaternionibus*] In Glossis, τετράδιον, *quaternio*. Quaterni per vices eum servabant. ¶ Βουλόμενος μετὰ τὸ Πάσχα ἀναγαγεῖν αὐτὸν, *volens post Pascha producere eum*] Post diem eum, quo agnus edebatur, qui ob lætitiam exemptus suppliciis. Vide quæ ad Matth. 26. 5. Ἀναγαγεῖν hic, & mox προάγειν, est *producere*, *publico ostendere*.

6. Κοιμώμενος μεταξὺ δύο στρατιωτῶν, *dormiens inter duos milites*] Vides quàm anxiè sit custoditus, ut cui ne cubare quidem soli licuerit, quique non unâ catenâ vinctus fuerit, sed duabus: & præter hæc ad fores aliis appositis custodibus.

7. Ἐπέστη, *adstitit*] Idem loquendi genus quod Luc. 2. 9. & 24. 4. ¶ Καὶ φῶς ἔλαμψεν ἐν τῷ οἰκήματι. *& lumen refulsit in habitaculo*] Ut supra 9. 3. ¶ Πατάξας δὲ τὴν πλευρὰν τοῦ Πέτρου, *percussoque latere Petri*] Ut solent qui aliquem volunt excitare.

8. Περίζωσαι, *Præcingere*, *Adstringe tunicam*, ut erat moris, Jerem. 13. 1. Cubaverat Petrus in tunica. ¶ Καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. *& calcea te caligas tuas*] Vide quæ diximus ad Marcum 6. 9. ¶ Περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου. *circumda tibi vestimentum tuum*] *Jam & pallium impone tunicæ*: ut exituri solent.

9. Οὐκ ᾔδει ὅτι ἀληθές ἐστι τὸ γινόμενον διὰ τοῦ ἀγγέλου· ἐδόκει δὲ ὅραμα βλέπειν. *nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum; existimabat autem se visum videre*] Admetus apud Euripidem.

> Ὦ θεοὶ, τί λέξω; θαῦμ' ἀνέλπιστον τόδε·
> Γυναῖκα λεύσσω τήνδ' ἐμὴν ἐτητύμως,
> Ἢ κέρτομός με θεοῦ τις ἐκπλήσσει χαρά;
> [*Di, quid profabor? hoc enim insperabile,*
> *Verène thalami video consortem mei,*
> *Aut fata fatuum gaudium objiciunt mihi?*]

Deinde,

> Ὅρα γε μή τι φάσμα νερτέρων τόδε.
> *Ne visa sint hæc sede ab æterna vide.*

10. Διελθόντες δὲ πρώτην φυλακὴν, *Transeuntes autem primam custodiam*] *Custodiam* Latinus, rectè: Suidas, Κουστωδία τὸ τῷ δεσμωτηρίῳ ἐπικείμενον στράτευμα [*custodia cohors est carceri servando præposita.*] Nec aliter Hesychius. ¶ Τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν, *quæ ducit ad civitatem*] E carcere in ipsam urbem Hierosolymorum. ¶ Ἥτις αὐτομάτη ἠνοίχθη αὐτοῖς· *quæ ultro aperta est eis*] Αὐτομάτως fieri dicitur quod fit *sine labore humano*. Vide Marci 4. 28. Levit. 25. 5, 11. 2 Reg. 19. 29. Sic αὐτοδίδακτον vocat Homerus eum, *quem Deus docuit*. Sic αὐτομάτη πυρὰ [*ortus sine causâ apparente rogus*] Sap. 17. 6.

11. Γενόμενος ἐν ἑαυτῷ. *ad se reversus*] *Ubi ad se redierat*, stupore excusso. ¶ Νῦν οἶδα ἀληθῶς, ὅτι ἐξαπέστειλεν ὁ Κύριος τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἐξείλετό με ἐκ χειρὸς Ἡρώδου, *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum & eripuit me de manu Herodis*,] Sentiebat in se impletum, quod dixerat Esaias 21. 14. ¶ Καὶ πάσης τῆς προσδοκίας τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων. *& de omni exspectatione plebis Judæorum*] Non eorum tantùm qui Hierosolymis habitabant, sed & qui Paschatis causâ eò convenerant.

12. Συνιδών τε, *Consideransque*] Considerato ubi locorum esset, quæsivit proximam domum fidorum sibi. ¶ Ἐπὶ τὴν οἰκίαν Μαρίας τῆς μητρὸς Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου, *ad domum Mariæ matris Johannis qui cognominatus est Marcus*] Mater hic à filio ut notiore appellatur. Sic Matth. 20. 20. & 27. 56. Marci 15. 40. Johannem autem hunc Marcum cur alium esse putem ab eo qui scripsit Euangelium, dixi ad initium illius Euangelii. ¶ Οὗ ἦσαν ἱκανοὶ συνηθροισμένοι καὶ προσευχόμενοι. *ubi erant multi congregati & orantes*] Multi enim cœtus & multis in domibus habebantur.

13. Τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, *ostium januæ*] Ostium illud quo area domui præjacens claudebatur. Vide supra 10. 17. Matth. 26. 71. ¶ Προσῆλθε παιδίσκη ὑπακοῦσαι, *processit puella ad audiendum*] Venit ut ex voce cognosceret quis esset, ne quem temerè admitteret. ¶ Ὀνόματι Ῥόδη. *nomine Rhode*] Hebraicè חבצלת Cant. 2. 1. Multa mulierum nomina à floribus, herbis, arboribus, ut *Susanna*, *à lilio*, *Hadessa*, *à myrto*. Græcum nomen Ῥόδη (*Rhode*) est etiam in Menandri fragmentis.

15. Ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν. *Angelus ejus est*] Ex opinione Magistrorum, de qua diximus ad Matth. 18. 10. Vide Gen. 48. 16.

17. Κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ, *Annuens autem eis manu*] Vox est bene Græca, quam & alibi Lucas usurpat 13. 16. & 19. 33. & 21. 40. Ovidius autem ita circumscribit,

> ---- *qui postquam voce manuque*
> *Murmura compressit.*

Persius,

> ---- *Calidæ fecisse silentia turbæ*
> *Majestate manûs.*

Heliodorus, τὴν χεῖρα προτείνας πρὸς ἡσυχίαν τὸ κλυδώνιον τοῦ δήμου κατέστελλε [*imperato manu silentio turbam populi compescuit.*] ¶ σιγᾶν, *tacere*] Id est, εἰς τὸ σιγᾶν [*ut tacerent.*] ¶ Ἀπαγγείλατε Ἰακώβῳ, *Nuntiate Jacobo*] Fratri, id est, *consanguineo Domini*, cujus est quam habemus epistola. Josephus hunc vocat, τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ [*fratrem illius Jesu, qui Christus dicebatur, Jacobus nomen ei*] Antiquæ historiæ 20. 8. ¶ Καὶ τοῖς ἀδελφοῖς, *& fratribus*] Iis qui in eo loco tunc non aderant. Multis enim in locis cœtus habebant, ne nimia multitudo

titudo in unum conglobata suspectiores eos faceret. ¶ *Καὶ ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον. Et egressus abiit in alium locum*] Ne fortè ibi, quò multi convenerant, quæreretur.

19. *Ἀνακρίνας τοὺς φύλακας, inquisitione facta de custodibus*] *Quæstione de eis habita.* Vide supra 4. 9. & infra 28. 18. & 25. 26. ¶ *Ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι. jussit eos duci*] Romano more hoc dixit Lucas: *duci jussit*, nempe *ad supplicium*. Seneca de Ira, 1. 16. *Confundit tribunal furens Piso, ac jubet duci utrumque.* ¶ *Καὶ κατελθὼν ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Καισάρειαν, descendensque à Judæa in Cæsaream*] Hujus itineris meminit & Josephus 19. 7.

20. *Θυμομαχῶν, iratus*] Hanc quoque vocem de Polybio sumpsit Lucas. Utitur & Diodorus Siculus, & aliis, significatque *pugnaturire.* ¶ *Τυρίοις καὶ Σιδωνίοις. Tyrus & Sidonius*] Quæ civitates tunc sub Romanis erant, sed cum umbra aliqua libertatis. ¶ *Ὁμοθυμαδὸν δὲ παρῆσαν πρὸς αὐτὸν, unanimes venerunt ad eum*] Legati ex communi utriusque civitatis decreto. ¶ *Τὸν ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος τοῦ βασιλέως, qui erat super cubiculum Regis*] Hoc officio fungentes Suetonius & in Nerone & in Domitiano *Cubicularios* vocat, quo nomine etiam de privata domo agentes utuntur Cicero & Juris consultus Alfenus. Dicunt & Græci posteriores κουβικουλάριον [*Cubicularium*,] ut Leontius Scholasticus in Epigrammate, Cedrenus, Menander Protector, Etymologici Scriptor. Codinus dixit κοιτωνάριον. ¶ *Διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. eo quod alerentur regiones eorum ex Regis agro*] Territorium Sidonis & Tyri angustius erat, quàm ut illas civitates populosas alere frumento suo & vino posset. Itaque opus habebant ex Judæa, Galilæa, & aliis regionibus quæ Herodis erant, talia coemere. Vide quæ diximus ad Esaiam 23. 18.

21. *Τακτῇ δὲ ἡμέρᾳ, Statuto autem die*] *Die ad hoc constituta*, secunda nempe ludorum, quos exhibebat in honorem Claudii Cæsaris. Ita Josephus 19 7. ¶ *Ἐνδυσάμενος ἐσθῆτα βασιλικὴν, vestitus veste regia*, Ex argento rara arte textam, quæ Solis radiis in eam incidentibus splendorem de se edebat admirabilem: idem Josephus ¶ *Καὶ καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, & sedens pro tribunali*] βῆμα hic est *suggestum positum in theatro*, ut ex Josepho discimus. *Omnis locus editior* βῆμα Græcis dicitur, ut & Syris בים, qua voce Syrus interpres hic utitur. ¶ *Ἐδημηγόρει πρὸς αὐτούς. concionabatur ad eos*] Singulari quadam facundia.

22. *Ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει. Populus autem acclamabat*] Principium facientibus aulæ assentatoribus. ¶ *Θεοῦ φωνὴ καὶ οὐκ ἀνθρώπου. Dei vox & non hominis*] Hebræi eam revelationem quæ per vocem fiebat, vocabant בת קול [*filiam vocis*,] qua voce hic Syrus utitur: id his verbis Herodi tribuunt assentatores, Θεὸν προσαγορεύοντες [*Deum appellantes*,] ait Josephus. Non erat Hebræis mos Reges deos appellare ob periculum vocis, cunctis ferme circum populis Reges, partim vivos partim mortuos, colentibus honore eo, qui diis erat proprius. In collegio toto Senatorum, non idem erat periculi. Itaque eos, non autem Reges, invenimus dictos אלהים [*deos.*].

23. *Παραχρῆμα δὲ ἐπάταξεν αὐτὸν Ἄγγελος Κυρίου, Confestim autem percussit eum Angelus Domini*] Gravi dolore circa cor & per ventrem omnem: sic Josephus. In morbis immittendis sæpe Angelorum ministerio Deus utitur, Exod. 12. 27. 2 Sam. 24. 16. ¶ *Ἀνθ' ὧν οὐκ ἔδωκε τὴν δόξαν τῷ Θεῷ. eo quod non dedisset honorem Deo*] Non reliquit Deo illibatum suum honorem. Non fecit quod Petrus supra 10. 26. & Paulus & Barnabas infra 14. 14, 15. ¶ *Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος, & consumptus à vermibus*] Ad exemplum Antiochi, 2 Macc 9.9. Ostendit sic Deus iis qui plus homine spirant, homines eos esse, id est, vermium escam. ¶ *Ἐξέψυξεν, exspiravit*] ut supra 5. 5.

24. *Ὁ δὲ λόγος τοῦ Θεοῦ ηὔξανε καὶ ἐπληθύνετο. Verbum autem Domini crescebat & multiplicabatur*] Multa hominum fruge: verbum enim Euangelicum *germini* comparatur.

25. *Πληρώσαντες τὴν διακονίαν, expleto ministerio*] Cùm subvenissent pauperibus Judææ ex pecunia Antiochiæ collecta. Supra 11. 29, 30. ¶ *Ἰωάννην τὸν ἐπικληθέντα Μάρκον. Johanne qui cognominatus est Marcus*] De quo supra 12.

PRICÆUS.

Com. 2. ANεῖλε δὲ Ἰάκωβον, &c. μαχαίρᾳ] Plutarchus in De adulat. & amici discrim. Ἀμφοτέρους τῷ ξιφιδίῳ παίων, ἀνεῖλε.

Com. 3. Προσέθετο συλλαβεῖν καὶ Πέτρον]

—— *Ὡς φόνῳ σβέσων φόνον*,

ut apud Euripidem. Apul. Apologià, *Peccatum semel ut bonus postea sollicitius cavet; ita qui ingenio malo est, confidentius integrat.*

Com. 4. Τέσσαρσι τετραδίοις στρατιωτῶν] Vegetius, *De singulis Centuriis quaterni equites & quaterni pedites qui excubitum noctibus faciant, eliguntur.* Philo in Flaccum, Στρατιώτην τινὰ τῶν ἐν τοῖς τετραδίοις φυλάκων καθ' ὁδὸν εὑρὼν, κελεύει δεικνύναι τὴν στρατάρχου οἰκίαν.

Com. 5. Προσευχὴ δὲ ἦν ἐκτενὴς, &c.] Sic Luc. 22. 44. ἐκτενέστερον προσηύχετο ubi homines eruditi vertunt, *intensius fervidius.* Sanè ita Glossarii Auctor, qui Ἐκτενέστερον, *enixius.* Vertebat autem Vetus *prolixius*: sic Hesychius, qui Ἐκτενίαν, (scribe Ἐκτείνειν) συνεχῶς ποιεῖν. Occurrit & infrà quidem 26. 7. ἐν ἐκτενείᾳ λατρεῦον 1 Pet. 4. 8. ἐκτενῆ ἀγάπην ibid. 1. 22. ἐκτενῶς ἀγαπήσατε & apud Chrysostomum τὴν εὐχὴν μετ' ἐκτενείας ἀναφέρετε. Quibus locis ut haud ægre concesserim utramvis significationem convenire posse, (posse autem etiam idem Hesychius docet, qui ἐκτενῶς, & προθύμως, & διατεταμένως exponit,) ita posteriorem quam priorem libentiùs intellexerim: nimirum quæ assiduitatem indicat, non intensionem. Paulus 2 ad Tim. 1. 3. ἀδιάλειπτον ἔχω περὶ σοῦ μνείαν ἐν ταῖς δεήσεσί μου dixisset Lucas, ἐκτενὴς ὑπὲρ σοῦ πρὸς τὸν Θεὸν ὑπ' ἐμοῦ προσευχὴ γίνεται. Quin & ἐκτενὴς (quod hic Vulgatus *sine intermissione* vertit) idem esse quod ἀδιάλειπτος, apparet vel ex loco Glossarii, ubi, *sine intermissione*, per ἀδιαλείπτως redditur.

Com. 6. Ἦν δὲ ὁ Πέτρος κοιμώμενος μεταξὺ δύο στρατιωτῶν] In l. 14. ff De custod. reor. *Nec uni, sed duobus custodia committenda est.*

Ibid. Δεδεμένος ἁλύσεσι δυσί] Nimirum ob nocturnum tempus. Lucianus Toxari, Τῆς ἡμέρας ὁ κλοιὸς ἤρκει, καὶ ἡ ἑτέρα χεὶρ πεπεδημένη· εἰς δὲ τὴν νύκτα ἔδει ὅλον καταδεδέσθαι. Catenas hic intellige non ossibus inhærentes manicas, prolixiores autem, *ut & cruciatû deesset, & custodia fida permaneret*, ut in lib. 1. Cod. Theod. d. tit. Imperator loquitur.

Com. 7. Φῶς ἔλαμψεν ἐν τῷ οἰκήματι] Adventante Angelo nimirum. Claudian.

> —— *Et clarum dispergere culmina lumen,*
> *Adventum testata Dei* ——

Apud Theocritum;

> ——— Νυκτὸς ἀωρὶ ἐοῦ, οἱ δέ τε τοῖχοι
> Πάντες ἀριφραδέες, καθαρᾶς ἅτερ Ἠριγενείας.
> —— *Nitor*
> *Percussit oculos lucis ignota, bonos*
> *Resumit animos vinctus,* ———

Seneca Herc. furente. Vulgato, ἐν τῷ οἰκήματι, *in habitaculo.* In Glossario, Οἴκημα, *cella*: Οἴκησις, *habitatio*, &c. *habitaculum.*

Ibid. Πατάξας τὴν πλευρὰν τοῦ Πέτρου, ἤγειρεν αὐτὸν] Molliter tacto latere ejus, excitavit eum. Seneca in de Benef. *Quidam ut expergiscantur, non feriendi, sed commovendi sunt.* Curtius lib. 4 *Intrat tabernaculum Rex, sæpiusque nomine compellatum, cum voce non posset, tactu excitavit.* Apuleius 6. de Cupidine, *Psychen innoxio punctulo suæ sagittæ suscitat.* Ἡδέως ἐπεγείρειν in Nubibus Aristophanes dixit. Vide & locum 1 Reg. 19. 7. suprà ad 10. 13. adductum.

Ibid. Ἀνάστα ἐν τάχει] Sic 19. 5. in Euang. Σπεύσας κατάβηθι. Hesychius, Ἄνα δὲ, ἀνέστη δέ scripserim, ἀνάστα δὲ, vel ἀνάστηθι δέ· suprà idem, Ἄνα, ἀνάστηθι. Est ἄνα his locis προτρεπτικὸν ἐπίῤῥημα. Homerus,

> Ἀλλ' ἄνα, μηδ' ἔτι κεῖσο, ——

Persius Sat. 5.

> *Manè piger stertis: Surge, inquit Avaritia, eja*
> *Surge: negas: instat, Surge, inquit: non queo: surge.*

Ἐν τάχει, hic, ut infrà 22. 18. & in Euang. 18. 8. Gloss. Ἐν τάχει, *In continenti, quàm citò.*

Ibid. Καὶ ἐξέπεσον αὐτοῦ αἱ ἁλύσεις ἐκ τῶν χειρῶν] Apud Ovidium,

> ——*Solidis Tyrrhenus Acœtes*
> *Clauditur in tectis, & dum crudelia jussa,*
> *Instrumenta necis, ferrùmque ignésque parantur,*
> *Sponte suâ patuisse fores, lapsásque lacertis*
> *Sponte suâ fama est nullo solvente catenas.*

Com.

Com. 8. Περίζωσαι] Aristoph. Thesmoph.

Σύζωσον ἀνύσας. ——

Ibid. Ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου] Contrà in Theocritzis,

Ἄνερ, μηδὲ πόδεσσι τεοῖς ὑπὸ σάνδαλα θείης.

Et sanè plerumque is mos est fugientium. Horatius,

Discinctâ tunicâ fugiendum est, & pede nudo.

Apuleius 9. *Raptim tunicam injectus, sed planè præ turbatione pedibus intectis.* At nullâ heic tali festinatione opus. Fretus hujusmodi Duce & eductore captivus noster, commodiùs potuit singula & ordinatiùs agere.

Com. 10. Ἦλθον ἐπὶ τὴν πύλην τὴν σιδηρᾶν] Calpurnius 4. Declam. *Video carcerem publicum saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem: in hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt, & quoties ferrati postis stridor excitat, exanimantur; & alienum supplicium exspectando, suum discunt* (Lipsius ad Tacitum, *aspectando.*)

Ibid. Τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν] In Tabula Cebetis, Ὁρᾷς τὴν ὁδὸν ἐκείνην τὴν φέρουσαν ἐπὶ τὸ ὑψηλὸν ἐκεῖνο; Sic πυλῶνες εἰς τὴν πόλιν εἰσελθόντες (id est, φέροντες) Apocal. 22. 14.

Ibid. Ἥτις αὐτομάτη ἠνοίχθη αὐτοῖς] Similia, ubi de Apollonio incarcerato, Philostratus fabulatur. Apud Virgilium,

Ostia jámque domûs patuere ingentia centum
Sponte suâ ——

Julius Obsequens, *Nocte, cùm valvæ cubilis clausæ essent, suâ sponte apertæ sunt.* Petronius, *Seræ, suâ sponte delapsæ, cecidit, reclusæque subitò fores,* &c. Dio Cassius lib. 63. ubi de Nerone, Αἱ θύραι ἀμφότεραι, αἵ τε τοῦ μνημείου τοῦ Αὐγουστείου, καὶ αἱ τοῦ κοιτῶνος τοῦ ἐκείνου, αὐτόμαται ἐν τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἀνεῴχθησαν. Adde Ovidii locum paulò superiùs adductum: & quæ infrà ad 16. 26. dicenda.

Ibid. Ἀπέστη] Quod suprà 10. 7. (identidem de Angelo) ἀπῆλθεν. Luc 24. 31. ἄφαντος ἐγένετο.

Com. 11. Γενόμενος δὲ ἐν ἑαυτῷ]

Ut primùm discussa umbra, & lux reddita menti est.

In Euang. 15. 17. εἰς ἑαυτὸν ἔρχεσθαι dixit. Plutarchus in Apophthegm. Reg. ἐφ' ἑαυτὸν γίνεσθαι.

Ibid. Καὶ ἐξείλετό με ἐκ χειρὸς, &c.] Nimirum hoc erat

Esurienti leoni ex ore exsculpere prædam.

Confer suprà 7. 9.

Ibid. Καὶ πάσης προσδοκίας τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων] Id est, καὶ προσδοκίας παντὸς τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων. Figurâ in his libris multoties occurrente.

Com. 12. Συνιδών] *Considerans.* Utitur & infrà 14. 6. Plutarch. in de Mul. virtut. Συνιδόντες τὴν ἀνάγκην οἱ Τρῶες, &c.

Com. 13. Κρούσαντος δὲ τοῦ Πέτρου τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, προσῆλθε παιδίσκη ὑπακοῦσαι] Apuleius, *Januam, &c. pulsare vocaliter incipio: tandem adolescentula quædam procedens, Heus tu, inquit, &c.* Aristoph. Acharn. Παῖ, παῖ. Τίς οὗτος; Scholiastes, Τοῦ Δικαιοπόλιδος κρούσαντος τὴν θύραν, Κηφισοφῶν (Euripidis servus) ὑπακούει. Arrianus 1. 18. in Epictetum, Ἀκούσας ψόφον τῆς θυρίδος, κατέδραμον.

Com. 14. Ἐπιγνοῦσα τὴν φωνὴν τοῦ Πέτρου, ἀπὸ τῆς χαρᾶς, &c.] Joh. 3. 29. Καὶ ἀκούων αὐτοῦ, χαρᾷ χαίρει διὰ τὴν φωνὴν, &c.

Ibid. Εἰσδραμοῦσα [illegible] εὐθέως] Ut Marc. 6. 25. μετὰ σπουδῆς εἰσελθοῦσα.

Com. 15. Μαίνῃ] Non opus interrogatione heic, quod non nemo voluit. Homerus,

Ἀφραίνεις, Μενέλαε ——

Vide & Joh. 10. 20. infrà 26. 24.

Ibid. Ἡ δὲ διϊσχυρίζετο οὕτως ἔχειν] Vulgatus, *affirmabat*; Recentior, *asseverabat.* Onom. vet. *Assevero*, διϊσχυρίζομαι. Eleganter ex Gellii 1. 21. *confirmabat & perseverabat* vertas. Nec aliter in Glossario, Ἐπιβεβαίωσις, *Perseverantia, confirmatio:* nam διϊσχυρίζεσθαι non aliud hic quàm ἐπιβεβαιοῦσθαι.

Com. 16. Ἐπέμενε κρούων] Sic Euang. 11. 18. Latinus, *Si ille perseveraverit pulsans.* At in Græco non inveniuntur, in iis quæ nunc exstant exemplaribus.

Com. 17. Κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ σιγᾷν, &c.] De hoc more vide infrà ad 21. 40. notanda. Vetus hic *manu annuens*, eruditè. At, inquit Recentior, *annuere tantùm capitis est.* Imò & *manu annuere* eleganter dicimur. Quintilianus 11. 3. de manibus loquens, *Annuendi quoque & renuendi ratione demittuntur aut elevantur.* Herodianus etiam in silentii argumento, Τῷ τῆς χειρὸς νεύματι τὸν δῆμον κατασιγάσας.

Com. 18. Τάραχος οὐκ ὀλίγος] Ità & 19. 23. Vulgat. *turbatio.* Glossarium, Ταραχὴ, *turbatio, tumultus.* Legimus & in alio Glossario, *Turba*, ὄχλος, ταραχή. scribendum autem putem hoc modo, *Turba*, ὄχλος. *Turbatio*, ταραχή.

Com. 19. Ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι] Ad mortem nempe. Hesychius, Ἀπάγεσθαι, εἰς θάνατον ἕλκεσθαι. In Epistola quæ dicitur Jeremiæ, ὡς ἐπὶ θανάτῳ ἀπηγμένοι. Vide & Philonis locum suprà ad 1. 25. & Aristophanis infrà ad 25. 11. adductum. In Historia Susannæ Ἀγομένης αὐτῆς ἀπολέσθαι.

Ibid. Καὶ κατελθὼν ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Καισάρειαν, διέτριβεν] Notabile est διέτριβεν hic cum elleipsi vocis ἐκεῖ vel αὐτοῦ poni: nec hic tantùm, sed & infrà 14. 3. Eâdem facie etiam 15. 33. ποιεῖν χρόνον dixit. Alioquin interpunctionem hic mutandam credidissem, & ad vocem Ἰουδαίας apponendam. Ità εἰς τὴν Καισάρειαν διέτριβεν valeret, ἐν τῇ Καισαρείᾳ δ. ut infrà 19. 22. εἰς τὴν Ἀσίαν χρόνον ἐπέσχε, id est, ἐν τῇ Ἀσίᾳ· & 18. 21. τὴν ἑορτὴν εἰς Ἱεροσόλυμα ποιῆσαι, pro ἐν Ἱεροσολύμοις. Tanti est quæ plerique in his libris transiliunt, expendere, & cum cura excutere.

Com. 20. Βλάστον τὸν ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος τοῦ βασιλέως] Arrianus 3. 7. ex verè liberi persona, Τίνα ἂν ἔτι φοβηθῆναι δύναμαι; τοὺς ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος; Ammianus lib 20. *Eusebius cubiculi tunc præpositus*, &c. Item lib. 22. *Cui erat Constantiani thalami commissa cura*, &c.

Ibid. ᾐτοῦντο εἰρήνην, διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς] Aut pace aut bello copias sibi stabiliendas viderunt. Armis se futuros impares timebant, itaque precum se præsidiis instruunt. Apud Curtium lib. 10. *Annunciatur equites qui sub Perdicca essent, occupatis circa Babyloniam campis, frumentum quod in Urbem invehebatur retinuisse. Itaque inopia primùm, dein fames esse cœpit. Et qui in Urbe erant, aut reconciliandam gratiam cum Perdicca, aut armis certandum esse censebant.* Post vocem βασιλικῆς omnino nil aliud quàm χώρας ἀπὸ κοινοῦ supplendum. Alebatur eorum regio ex Regis territoriis. Plinius Panegyrico, *Percrebuerat antiquitus Urbem nostram nisi opibus Ægypti ali sustentarique non posse: superbiebat ventosa & insolens Natio, quod victorem quidem populum, pasceret tamen; quódque in suo flumine, in suis manibus, vel abundantia nostra vel fames esset.* Cicero Verr. 5. de Sicilia loquens, *In cæteris rebus adjuvamur ex illa Provincia, hac verò* (re frumentaria nempe) *alimur ac sustinemur.* Plenam & omnimodam potestatem cùm Latini exprimunt, quod sciam, non *in manibus*, sed *in manu* dicunt. Propono itaque an in loco Plinii pro *manibus*, *navibus* legendum.

Com. 21. Τακτῇ [illegible] ἡμέρᾳ ὁ Ἡρώδης ἐνδυσάμενος ἐσθῆτα βασιλικὴν, καὶ καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, &c] Agathias 4. Ὁ Ἀθανάσιος ἐπὶ θώκου τινὸς ὑψηλοῦ καθῆστο, εὐπρεπῶς χλαμύδα ἐνειμένος Themistius 6. Orat. Ὑψοῦ προκαθήμενος, καὶ ἁλουργίδα ἠμφιεσμένος. Heliodorus de Arsace, Παρακαθήμενος ἐφ' ὑψηλοῦ, ἁλουργῷ καὶ χρυσοπάστῳ τῇ ἐσθῆτι φαιδρυνόμενος, ὅρμων τε πολυτελείᾳ καὶ τιάρας ἀξιώματι μεγαλαυχούμενος, καὶ πανσείᾳ κομματικῇ πρὸς τὸ ἁβρότερον ἐξηνθισμένος. Vide & 1 Reg. 22. 10. 2 Paralip. 18. 9. Ἐσθῆτα βασιλικὴν habemus in Diodori fragmentis, & βασίλειον στολὴν, 7. 1. in Variis Æliani. τακτὴ ἡμέρα est quam ῥητὴν Plutarchus dixit, & 2. Herodianus: ubi rectiùs *indictâ* quàm *dictâ die* politissimus Interpres posuisset. Καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, & hic, & Joh. 19. 13. *sedens pro tribunali*, (i. e. in tribunali) Vulgatus eruditissimè vertit. Plinius lib. 1. epist. 10. *Sedeo pro tribunali:* ad quem locum electissimi illius Scriptoris uberiùs eam locutionem illustravimus.

Ibid. Ἐδημηγόρει πρὸς αὐτοὺς] Vulgat. *concionabatur ad eos:* unde (ni fallimur) Glossarii illud, *Concionor*, δημηγορῶ. Legimus & in eodem Glossario, *Allocutus est*, ἐδημηγόρησεν at illa intelligenda putem de quovis Romano Duce ad exercitum verba faciente; quò & spectat, quod toties in veteribus nummis occurrit, ADLOCUTIO, &c.

Com. 22. Ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει, &c] Perculsus pompâ Satellitii, & inprimis vestium fulgore, de quo præcedente com. Videantur quæ ad Jacobi [illegible] haud ità pridem notavimus.

Ibid. Θεοῦ φωνὴ, καὶ οὐκ ἀνθρώπου]

Non vox hominem sonat. ——

Tacitus Annal. 4. *Hi dies ac noctes plausibus personare: formam Principis* (Neronis) *vocémque Deûm vocabulis appellantes.* Sic apud Suetonium assentatores Claudii dicuntur *cœlestem vocem ejus flagitasse.* Minucius in Octavio, *Etiam Principibus & Regibus, non ut magnis & electis viris, (sicut fas est) sed ut Diis adulatio falsa blanditur.*

Com. 23. Παραχρῆμα δὲ ἐπάταξεν αὐτὸν ἄγγελος Κυρίου, &c. καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν] Lucianus de Alexandro Pseudomante, Ἀπέθανε διασαπεὶς τὸν πόδα μέχρι τοῦ βουβῶνος, καὶ σκωλήκων ζέσας. Jobi 7. Φύρεται τὸ σῶμά μου ἐν σκωλήκων σαπρίᾳ. Suidas in Εὐλαὶ ex Babria, de Pheretima, Ἀνδ' ὧν ἔδρασε, δίκας ἔτισε· ζῶσα γὰρ ἐξέζεσεν εὐλαῖσιν, ὅ ἐστι σκωλήκων. Eadem in 4. Herodotus. Ibidem, apud Suidam dico, de Herode isto, Ἐπὶ ἡμέρας φθειρόμενος, καὶ σκώληκας ἐκβράζων, δεινῶς τὸν βίον κατέλυσεν. παραχρῆμα est, *illico*, dum nempe in suggestu sederet. Suidas (ut videtur ex aliquo Antiquorum) Καὶ ἀνεπήδησε τῆς καθέδρας, ἐκ τῶν σπαράττεσθαι δεινῶς τὴν γαστέρα αὐτοῦ.

CAP. XIII.

VALLA.

9. **S**Aulus autem (qui & Paulus) repletus Spiritu sancto, intuens in eum dixit] Ridiculi qui aiunt Paulum fuisse binominem, cùm Lucas eum nunquam antea *Paulum*, nec unquam postea *Saulum* vocet, ut palàm sit nomen unâ literâ fuisse mutatum, &, ut ex historiæ sensu datur intelligi, immutatum in Cypro, & ob Paulum Cypri Proconsulem: ut rectè dicere videtur Hieronymus, & in carmine Damasus, Nam Augustinus penè magis ridiculè quàm superiores, qui *Paulum* vult esse dictum à *paulùm* adverbio: quod de Romanis qui *Pauli* dicebantur affirmare ineptum sit, nedum de homine Græco. Græcus enim Paulus fuit, & Græcè locutus; & ab homine Græco, i. à Luca, id dicitur: ut taceam de Cypro, & ipsâ Græcâ. Præterea inerudìti fuit dicere id nomen ab adverbio *paulum* fieri, cùm ipsum adverbium fiat à nomine *Paulum*, ut *paulùm pecunia:* unde Terentius in Andria, *Cùm animus in dubio est, paulo momento huc vel illuc impellitur.* Et apud veteres *paulus, paula, paulum.*

11. *Et quærebat qui ei manum darent*] Gr. *Et quærebat manuductores*, i. qui manu ducerent, χειραγωγούς.

43. *Colentium advenarum*] Cur non dixit *religiosorum* potiùs quàm *colentium?* σεβομένων, ut fecit posteriùs v. 50. *Judæi autem concitaverunt religiosas mulieres & honestas*, σεβομένας & *proselytorum* quam *advenarum*, ut aliquoties facit, προσηλύτων;

46. *Et indignos vos judicastis æterna vita*] Quia Græcè genitivus casus est, oblitus est Interpres in ablativum mutare, quem illi non habent. *Indignus* enim *vitâ*, non *vitæ* dicitur.

REVIUS in VALLAM.

9. **Q**UI aiunt Paulum fuisse binominem] Id tamen vero propius esse arbitratur Erasmus: quem vide in Rom. 1.1. Quòd autem idem שאול ait Hebræis significare *petitum*, passivum à שאל, quòd ascitus fuerit ad munus Apostolicum, ut etymon non abnuo, ità rationem Erasmo indignam puto. Nomen enim illud ante Apostolatum maximè gessit. Nè hoc quidem omittam; *binominem* rectè dici à Valla & Erasmo, at *binomium*, quo Beza utitur; perperàm: licèt ea vox in Festum irrepserit, pro qua *binominis* legendum esse monuit Scaliger. ¶ *Id dicitur*] *Dicatur* perperàm scriptum erat.

ERASMUS.

1. **S**Imon qui vocabatur Niger] Mirum est Latinam vocem ab Euangelista esse positam, etiam formâ Latinâ. Nam ejusmodi nomina apud nos in *er* desinentia deflectere solent in ρος. Ad hæc pro *Simon* in nonnullis exempl. Græcorum scriptum erat *Simeon*, voce trisyllabâ. ¶ *Collactaneus*] Σύντροφος, *simul cum eo educatus:* quanquam sciremus *collactaneum* legi apud JCs Dig. novo tit. De manumissis vindictâ, ex Ulp. leg. 5. *Collactaneus.*

2. *Ministrantibus autem illis*] Λειτουργούντων. quod proprium est *operantium sacris.* Nullum autem sacrificium Deo gratius quàm impartiri doctrinam Euangelicam. ¶ *Segregate mihi Saulum*] Interpres omisit δή, Ἀφορίσατε δή μοι, *Separate jam mihi.* ¶ *Assumpsi*] Προσκέκλημαι *advocavi*, sive *accersivi.*

4. *Abierunt Seleuciam*] Si regionem accipias, rectiùs erat *in Seleuciam:* sin civitatem ejus nominis sic a *Seleuco* dictam, rectè locutus est. Est autem duplex Seleucia, una in promontorio Cœles Syriæ, quæ Syria dicitur *Antiochia*, altera in Pisidia. De priore hic loquitur.

5. *Et cùm venissent Salaminam*] Gr. γενόμενοι ἐν Σαλαμῖνι, *cùm essent Salamina.* Ea est civitas Cypri pòst dicta *Constantia*, autore Hieronymo: quam Judæi funditus demoliti sunt Trajani Principis temporibus, exstinctis omnibus accolis.

6. *Usque ad Paphum*] Ea est civitas Cypri quondam sacra Veneri. Ut autem Salamis extrema est Cypri ad Orientem, ità Paphus extrema est ad Occidentem: ut intelligas totam insulam peragratam. Hieronymus refert eam olim nobilem, suis temporibus frequenti terræmotu sic collapsam fuisse ut vestigiis duntaxat quid aliquando fuisset ostenderet. ¶ *Barieu*] Græci legunt Βαριησοῦν, quod sonat *filium Jesu*, dictione tamen compositâ. Ut appareat quod superiùs adjectum est ᾧ ὄνομα non fuisse scriptum à Luca, quæ vox explicuerit non ipsius hominis nomen sed patris duntaxat: ipsius nomen paulò pòst adjecit. Verùm cur addidit μεθερμηνεύεται, veluti translatum indicans? Aut quò refertur hæc interpretatio? Ad *Bariesum?* Non potest, cùm illud sonet *filium Jesu*, aut certè *filium Jeu*; *Elymas* idem sit quod *faciens pravaricari*, sive, ut Lyranus interpretatur, *mensura Dei mei*, sive *Dei mei census.* Nam אלי *Deus meus*, מס *census:* unde sunt qui *Missam* pro sacrificio Christianorum deductam putant; mihi non fit verisimile. An ad linguam diversam? Judæus erat, & *Elymas* neque Græcum est neque Latinum. Cur igitur dicit interpretari *Elymas?* nisi fortè *Bariesu* dictus sit à parentibus, deinde ob vitæ merita commutatum sit illi nomen *Elymas.* Beda indicat hanc vocem *Barichu* seu *Bariem* corruptè scribi pro *Barieu.* Suspicatur autem scripturam corruptam hâc occasione, quòd Βαρμηοῦ si superponas virgulam abbreviationis notam: significat idem quod Βαρμησοῦ plenè scriptum. Non patitur autem hoc sanctum nomen imponi Mago. Quasi Magus ille prior non habuerit nomen cum Petro Apostolo commune, dictus Simon.

8. *Resistebat autem illi*] Græci legunt *illis*, ut referatur ad *Barnabam & Paulum.* Nam *illi* refertur ad *verbum Dei.*

9. *Saulus autem, qui & Paulus*] Laurentius hoc loco litigat de nomine *Pauli:* de quo nonnihil attingemus cùm ad Paulinas epistolas ventum erit. Qui Laurentiana volet cognoscere, ex ipsius petat libris. Certè antehac perpetuò dictus est *Saulus.* Hic primùm admonuit de *Pauli* vocabulo.

10. *Et omni fallaciâ*] Ῥᾳδιουργίας. *Dolum* antè dixit; hic magis addendum erat diversum quiddam. Et Græca vox significat *propensionem ad quodvis facinus patrandum*, à ῥᾴδιον *facile* & ἐργάζομαι *operor.* Licèt Hesychius vocem existimet esse polysemon, significare eandem πλαστογράφον, ταχυγράφον, πονηρὸν, μηχανουργὸν, πολυμήχανον, i. *falsò*, aut etiam *celeriter, scribentem, versutum, artificem, versipellem.* ¶ Nec est propriè *subvertere*, sed διαστρέφειν, i. *invertere, depravare, ex rectis facere flexuosa.*

11. *Qui ei manum darent*] Χειραγωγούς, *manuductores*, ut verbum verbo reddam, sive *qui se manu ducerent.*

13. *Paulus & qui cum eo erant*] Οἱ περὶ τὸν Παῦλον. Ad verbum sonat *qui circa Paulum erant*, sed juxta sermonis Græci proprietatem sonat *Paulus.* Verùm nè abiret incomitatus, Interpres utrumque sensum reddidit, *Paulus & qui cum eo erant.* Arbitror enim hic eâdem figurâ dictum οἱ περὶ τὸν Παῦλον quâ Græci dicunt οἱ ἀμφὶ τὸν Πλάτωνα, *Platonem ipsum* sentientes. ¶ *Venerunt Pergen Pamphyliæ*] Provinciæ nomen adjecit, non ob discretionem, cùm non sit nisi una Perge, sed quòd oppidi vocabulum non perinde notum esset omnibus ut provinciæ. At paulò inferiùs discernendi causâ apposuit provinciæ nomen, *Antiochiam Pisidiæ*, quòd duæ sint Antiochiæ; altera Syriæ Cœles, autore Hieronymo, in qua Barnabas & Paulus Apostoli sunt ordinati; alterâ Pisidiæ, in qua prædicarunt.

14. *Pertranseuntes Pergen venerunt Antiochiam*] Græca nonnihil dissident, Αὐτοὶ δὲ διελθόντες ἀπὸ τῆς Πέργης παρεγένοντο εἰς Ἀντιόχειαν, *At ipsi cùm peragrassent, relictâ Pergâ, venerunt Antiochiam.* Siquidem *ipsi* discernit illos ab *Joanne*, qui rectà *reversus est Hierosolymam*, cùm ipsi *peragratis* quæ in medio erant oppidis *pervenerint Antiochiam.*

16. *Et manu silentium indicens*] Καὶ κατασείσας τῇ χειρὶ.

Idem

Idem hoc loco participium est quod superiùs verterat *annuens manu*. Sonat autem *motâ manu*: nam hoc gestu olim verba facturi pro concione silentium exigebant. Persius,

——— fecisse silentia turba
Majestate manus.

17. *Plebis Israel*] Τῦ λαῦ τέτυ, *populi hujus*.

18. *Mores eorum sustinuit*] Ἐτροποφόρησεν αὐτὺς. Græcis unica dictio est conflata è duabus, τροποφορεῖν, quod est *ferre ac tolerare mores alicujus*.

20. *Quasi post*, &c.] Græca nonnihil dissident à nostris, Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτάς, *Et post hac annis circiter quadringentis & quinquaginta*.

23. *Eduxit Israel Salvatorem*] Ἤγαγε τῷ Ἰσραὴλ σωτηρίαν, *adduxit Israeli salutem*. Est autem *Israel* hoc loco dandi casûs. Interpres legisse videtur σωτῆρα sive σωτήριον. ¶ *Jesum*] *Jesum* non additur apud Græcos in nonnullis exempl. sed tantùm *Servatorem*. Et fortasse nondum erat tempus explicandi nominis apud ejus sermonis admodum rudes. Etiamsi mihi probabile videtur apud Græcos ortum hunc scripturæ errorem ex illorum notulis. Fortassis enim ex σρᾶ ἰν parùm attentus scriba aut lusciosus etiam fecit σωτηρίαν. Hoc utcunque habet, certè Chrysostomus interpres non addit, legens in hunc modum, Τέτυ ὁ Θεὸς ἀπὸ σπέρματος κατ' ἐπαγγελίαν ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα, προκηρύξαντος Ἰωάννυ.

24. *Prædicante Joanne*] Προκηρύξαντος Ἰωάννυ, *Ut antè prædicarat Joannes*.

25. *Quem me arbitramini esse non sum*] Aut Lucas abusus est τίνα pro ὅν, aut secùs est distinguendum, *Quem me arbitramini esse?* ut hic sit interrogatio: deinde respondeat, *Non sum ego ille*. Nam Græcis est, Τίνα με ὑπονοεῖτε: Admonet & Glossa quam vocant Ordinariam, *Quem me esse dicitis?* per interrogationem legi posse.

26. *Et qui in vobis timent*] Mirè miscuit duas personas ità ut separari non queant, *vobis*, & *timent*.

28. *Ut interficerent eum*] Potest accipi *ut Pilatus occideret eum*: nam Græcus sermo anceps est.

32. *Adimplevit filiis vestris*] Τοῖς τέκνοις αὐτῶν, *filiis illorum*, nempe Patrum.

33. *Sicut in Psalmo secundo scriptum est*] Quidam cod. habebant *in Psalmo secundo*; quidam *in Psalmo*, omisso numero. At Hieronymus hunc edisserens Psalmum, palàm testatur in Actis hunc Psalmum, qui apud nos secundus est, *primi* titulo citari. Et hinc sumit argumentum, aut primum illum, *Beatus vir*, præfationis additum vice, aut illum & proximum, *Quare fremuerunt*, eundem esse Psalmum. Idem prodit ferme Hilarius, illud ingenuè testatus, hunc *primum* citari à Paulo. Quin & D. Augustinus in Comm. indicat hunc potiùs esse unum quàm primum. Proinde nos his autoribus germanam restituimus scripturam.

36. *Voluntati Dei*] Τῇ βυλῇ, *consilio Dei*. Sensus apud Græcos nonnihil habet ambigui, Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας, τῇ τῦ Θεῦ βυλῇ ἐκοιμήθη, *Nam David quidem, cum sua generationi ministrasset, Dei consilio dormivit*: ut accipiamus David non vixisse nisi suam ætatem, & rebus bene gestis obdormisse cum cæteris, cæterùm Christum esse immortalem. Interpres legit ἰδίᾳ γενεᾷ, subaudiens præpositionem ἐν & ὑπηρετήσας refert ad *consilium*, sive, ut ille vertit, *voluntatem*, Dei. Mihi prior lectio videtur sincerior.

40. *Quod dictum est in Prophetis*] Abusus est numero pro numero, cùm sit apud Abakuk cap. 1. Hoc quoque Paulus adduxit juxta ed. LXX. Siquidem Hieronymus juxta veritatem Hebraicam ità vertit, *Aspicite in Gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris quod nemo credet cùm narrabitur*.

41. *Et disperdimini*] Καὶ ἀφανίσθητε *evanescite*. Est enim *ità tolli è medio ut nusquam appareat*. Pro quo Hieronymus vertit *obstupescite*.

42. *Euntibus autem illis*] Et hoc loco nonnihil dissident Græca, Ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰυδαίων, παρεκάλυν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι, *Egressis è synagoga Judæis rogabant Gentes ut sequenti Sabbato loquerentur*. Quidam addunt αὐτοῖς τὰ ῥήματα, *sibi verba*. Quanquam sermo Græcus habet ambiguitatem: potest enim utrumlibet accipi, *Judæos egressos è cœtu*, & *Apostolos egressos è cœtu Judæorum*.

43. *Et colentium Deum*] Σεβομένων *religiosorum*. ¶ *Advenarum*] Προσηλύτων *proselytorum*. Sic enim aliquoties vertit.

45. *Contradicebant iis quæ dicebantur à Paulo, blasphemantes*] Græci adjiciunt verbum unum, haud scio an rectè, Ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημῦντες *contradicentes & blasphemantes*.

46. *Constanter*] Παῤῥησιασάμενοι, *sumptâ fiduciâ* aut *audaciâ*.

48. *Præordinati*] Τεταγμένοι, *ordinati ad vitam*.

49. *Disseminabatur autem verbum*] Διεφέρετο *differebatur*, *dispergebatur*. Apparet Interpretem legisse Διεσπείρετο.

50. *Mulieres religiosas*] Σεβομένας. Idem participium quod modò verterat *colentes Deum*, varietatis affectator. ¶ *Et honestas*] Καὶ εὐσχήμονας: quod ad cultum habitúmque corporis decorum ac probis dignum pertinet.

VATABLUS.

1. *Collactaneus*] i. simul cum illo educatus.

2. *Ministrantibus*] Vox Græca significat *publicum munus obire & administrare*. Hîc autem sumitur pro Euangelium Dei annunciare. ¶ *Assumpsi*] *Accersivi*, *advocavi*

3. *Jejunantes*, &c.] *Cùm jejunassent & orassent, imposuissentque*.

4. *Abierunt*] *Descenderunt*.

5. *Venissent Salaminam*] *Essent Salamina*. ¶ *In ministerio*] *Ministrum*.

6. *Invenerunt* *] * *Illic*. ¶ *Ber-Jeu*] *Bar Jesu*, Vet.

8. *Elymas*] Græca vox est quæ *præstigiatorem*, *incantatorem* & *impostorem* significat.

10. *Fallaciâ*] Vox Græca *propensionem animi* significat *ad quodvis facinus patrandum*. ¶ *Filii diaboli*] Heb. pro *qui deditus es diabolo*.

11. *Et*] *Itaque*, Vet. ¶ *Manus*] Heb. pro *plaga*. ¶ *Daret*] *Darent*.

13. *Navigassent*] *Solvissent*.

14. *Illi verò pertranseuntes Pergen*] *At ipsi cùm peragrassent à Perga*. ¶ *Psidia Pisidia*, Vet.

17. *Plebis Israel*] Populi hujus. ¶ *In brachio excelso*] i. maxima potentia.

18. *Per*] Circiter. ¶ *Sustinuit*] Vel *toleravit*.

20. *Quasi post quadringentos & quinquaginta annos*] *Et post hac annis circiter quadringentis & quinquaginta*, scil ab exitu terræ Ægypti.

22. *Regem*] *In regem*; vel, *ut esset rex*. ¶ *Cui* *] * *Et*. ¶ *Secundùm cor meum*] Vel, *qui mihi cordi est*.

23. *Eduxit Israel*] *Adduxit Israeli*.

24. *Prædicante Johanne*] *Cum autem prædicasset Johannes*. ¶ *Adventus*] *Introitus*.

25. *Autem* *] * *Johannes*, Vet. ¶ *Calceamenta*] *Soleam*.

27. *Ejus*] *Eorum*.

28. *Ut interficeret eum*] *Ut ipse interficeretur*.

30. *Autem*] *Verò*, Vet.

32, 33. *Eam quæ ad patres nostros repromissio facta est: Quoniam hanc Deus adimplevit*, &c.] *Quòd eam repromissionem quæ ad patres nostros facta fuerat Deus adimplevit*. ¶ *Vestris*] *Nostris*, Vet. Græca legunt *illorum*, i. nobis qui illorum sumus filii. ¶ *Secundo*] Quidam Græci codices legunt *primo*.

34. *Suscitavit*] *Suscitaturus esset*. ¶ *Ampliùs jam non reversurum in corruptionem*] Vel *nunquam post hac aditurum corruptionis locum*; i. sepulcrum. ¶ *Dixit*] Sub. *Deus per Esaiam*. ¶ *Quia*] *Certè*. ¶ *Sancta David fidelia*] Vel *firma*: i. promissiones factas Davidi de Christo reddam firmas; h. e. adimplebo.

35. *Aliàs*] i. Alio Psalmo. ¶ *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*] Heb. Non permittes sanctum tuum remanere in sepulcro in quo corrumperetur ejus corpus. Quasi dicat Paulus, Deus prædixit Davidi fore ut Christus non sentiret corruptionem. Præterea promisit futurum ut omnes promissiones factæ Davidi de Christo, impleantur. Igitur Christus non sentit corruptionem.

36. *In sua generatione cum ministrasset, voluntate Dei dormivit*] i. Decurso spatio ætatis suæ; vel, *cùm sua generationi ministrasset, voluntate Dei dormivit*, i. cùm populum suum rexisset, & hominibus suæ ætatis inservisset. ¶ *Appositus est ad patres suos*] i. Conditus est majorum suorum sepulcro. ¶ *Vidit corruptionem*] i. Cadaver ejus corruptum fuit in sepulcro.

38. *Annunciatur* *] * *Et*, Vet. pro *etiam*, & sub. *liberatio*. ¶ *In lege*] *Per legem*. ¶ *Justificari*] i. Liberari.

39. *Justificatur*] i. Remissionem consequitur & liberatur.

40. *Ne superveniat vobis*] i. Ne in vobis impleatur. ¶ *In Prophetis*] Heb. pro *in uno Prophetarum*.

41. *Videte*, &c.] Imperativi pro Futuris. ¶ *Disperdimini*]

ni] *Evanescite*; i. deleamini à Romania. ¶ *Creditis*] *Credetis*; futuri temporis, Vet.

42. *Illis*] Synagoga Judæis, vel è cœtu. ¶ *Rogabam* *] * *Gentes.* ¶ *Sequenti sabbato*] Græca sonant quasi dicas, *intermedio*, sive *intercurrente sabbato*.

43. *Dimissa esset Synagoga*] Solutus esse cœtus. ¶ *Et colentium Deum advenarum*] *Et religiosi proselyti. Proselytos* vocat qui cùm naturâ Gentes essent, Judæorum religionem amplectebantur. Ad verbum significat quasi *accedentes*; accedebant enim ad cultum Dei. Vetera non legunt *Deum*.

45. *Zelo*] *Æmulatione*, vel *indignatione*; i. invidiâ exarserunt. ¶ *Contradicebant*, &c.] *Contradicebant, his quæ à Paulo dicebantur reclamantes ac loquentes blasphemias*; i. de doctrina ejus maledicentes.

46. *Tunc constanter*] *Assumptâ autem fiduciâ.* ¶ *Judicastis*] *Judicatis*, Vet.

47. *Posui*, &c.] Præterita pro futuris; est enim prophetia: i. Efficiam ut tota terræ portio quam incolunt Gentiles, instituatur à te, ità ut agnoscat te salvatorem & liberatorem.

48. *Gavisi*] *Gavisæ*, Vet.

CASTALIO.

8. E*Lymas*] Hoc nomen ego non intelligo.

34. *Dabo vobis fidelem Davidis benignitatem*] Locus est ex Esa. 55. ubi חסדי, sicut & alibi sæpe, *beneficia* sunt sive *beneficentia* quæ hic minùs propriè ὅσια vocantur, quoniam illud idem verbum apud Hebræos *pietatem* sig. quæ in his libris ὁσιότης appellatur. Sic autem habet Esaiæ locus, *Feriam vobiscum fedus æternum, fideli Davidis benignitate* (sive *beneficentiâ*) *quem populorum monitorem, quem ducem præceptoremque populorum daturus sum.* Hunc locum rectè de Christi resurrectione citat Paulus. Cùm enim Christus hic *David* appelletur, necesse est ut sit homo, & porrò ut moriatur. Atqui hic promittitur, *ejus fidelem fore beneficentiam*, h. e. ratam, firmam, certam, durabilem: hoc enim declarat verbum *fidelis*, aut *fidus* etiam apud Latinos, cùm *fidam pacem*, aut *fidelem ad perpetuitatem materiam* dicunt. Quòd si durabilis futura est & æterna Davidis nostri benignitas atque fedus, necesse est ut sit ipse sempiternus: nam si desiisset ipse, ejusquoque fedus finem haberet. Quòd si sempiternus est, & tamen homo, h. e. mortalis, necesse est ut moriatur, deinde in vitam infinitam redeat, atque ità in suos Israelitas conferat beneficia sempiterna.

CLARIUS.

2. S*Egregate mihi Barnabam & Saulum*] Ordinatur hic Paulus in munus Apostolicum: cur ergò ille dicit, *non ab hominibus, neque per hominem?* Dicit, *non ab hominibus*, ut signet quòd non homo illum vocarit, neque adduxerit: dicit, *nec per hominem*, quòd non ab aliquo missus sit, sed à Spiritu sancto. Cùm autem dixerit Spiritus sanctus, non, *Segregate Domino*, sed *mihi*, ostendit unam esse potestatem ac virtutem.

3. *Tunc jejunantes & orantes*] Vide quanti sit eligere homines ad ministerium Dei & hominum curam. Jusserat Spiritus S. ut *segregarent sibi Barnabam & Saulum*: at illi addunt *jejunia & preces, imponunt eis manus*, docentes in ipsis Ecclesiæ exordiis quid posteris esset faciendum.

9. *Saulus autem, qui & Paulus*] Hic nomen illius mutatur cum ordinatione; id quod & Petro accidit; nè quid minus haberet quàm magni Apostoli.

11. *Eris cæcus, non videns Solem usque ad tempus*] Nè existimarent verba Pauli esse indignationis potiùs quàm medelæ noluit perpetuò eum cæcum esse. Hoc verò pacto invitatur ut agnito errore convertatur ad percipiendam veritatem.

30. *Deus autem suscitavit eum à mortuis*] Attemperant orationem pro audientium conditione. Non enim apertè Divinitatem Filii annunciant, neque dicunt *ipsum sese Divinâ virtute suâ excitasse*; quod fecit, & facturum se promiserat cùm dixit, *Solvite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud.* Quanquam & hic intelligi potest, cùm dicitur *Deum suscitasse illum*, ipse Filius, qui Deus est, humanam suam naturam revocasse à mortuis.

33. *Filius meus es tu*] Psalmum hunc Apostolus interpretatur de Christi humanitate: quæ verba fortasse in illum diem conveniunt quo baptizato Domino vox Patris è cœlo facta est.

34. *Dabo vobis sancta*] Habetur hic locus Esa. 55. ubi ait, *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles*, h. e. infallibiles & immotas, idcirco perpetuò duraturas: quod non esset factum nisi Christus verus David surrexisset à mortuis. Rectè ergò Paulus ad Domini resurrectionem pertinere hunc locum asserit.

45. *Videntes autem turbas Judæi repleti sunt zelo*] Intuere & hic invidiam Judæorum, quasi soli digni sint quibus veritas aperiatur. Et pulchrè impletur illud quod per Mosen prædixit Deus, *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis, & ego provocabo illos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.*

46. *Et indignos vos judicatis*] Non dicunt, *indigni estis*, nè sermonem facerent onerosum.

48. *Quotquot erant ordinati ad vitam æternam*] Non est necesse hic introducere prædestinationem ac distinctionem eorum quos Deus vel elegerit servandos, vel rejecerit, præsertim cùm hic non dicat *præordinati*, sed *ordinati*. Quare simpliciter intelligere possumus, eos credidisse qui voluerunt in eorum esse ordine qui adipiscerentur vitam æternam, & sese aptaverunt ad illam, acquiescentes Apostolorum prædicationi.

ZEGERUS.

1. E*T Simon*] Idem nomen esse puto quo & B. Petrus appellatus est, quod quia per Scheva mussans in medio Hebræis scribitur, factum est ut Græci, interjectâ literulâ, *Simeon* rectiùs pronuncient.

6. *Cui nomen erat Barjeu*] D. Hieronymus, & hunc secutus Beda, admonet pro *Berjeu* à nonnullis corruptè legi *Barjesu*; quomodo nunc in Græcis scriptum visitur, & à neotericis ex his correctum in Latinis reponitur. Interpretatur autem BERJEU *maleficus*, vel *in malo*, vel *magus*, ut ipse Euangelista paulò pòst interpretatur.

8. *Elymas magus* (*sic enim interpretatur nomen ejus*)] Illud *sic enim interpretatur* ad *magus* referendum est, illud verò *nomen ejus* ad *Berjeu*, quod paulò antè præcessit. *Berjeu* enim, ut modò diximus, *magus*, vel *maleficus*, interpretatur. Porrò *Elymas* proprium ipsius Magi nomen fuisse arbitror; quod Hieronymus *Ad transgressionem*, & *Transgredi faciens*, Lyranus verò *Dei mei census*, & *Dei mei mensura* interpretatur.

13. *Paulus & qui cum illo erant*] Aptè Hellenismum declinans sensum reddidit Interpres. Nam Græca οἱ περὶ τὸν Παῦλον ad verbum ità resonant, *qui circa Paulum.* Sic enim loquuntur, οἱ περὶ Ἀρίστιππον, & οἱ ἀμφὶ Σωκράτην, pro eo quod est *Aristippus cum suis*, & *Socrates cum suis.*

19, 20. *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit Judices*] Græci ità distinguunt ut illud *quasi post quadringentos & quinquaginta annos* ad sequentia pertineat, legentes in hunc modum, κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς, *sorte distribuit eis terram eorum. Et post hæc annis circiter* CDL *dedit Judices.* Sed huic lectioni refragatur Chrysostomus, ut liquet si quis non ad Lucæ verba ut ibi posita sunt sed ad Chrysostomi commentum respiciat, atque item Bedæ, qui etiam manifestiùs edisserit quo pacto hi anni computandi sint, scribens in hæc verba, *Dixerat Deus Abraham quia erit semen ejus accola in terra aliena annis quadringentis. Et iterum ait, Quia in Isahac vocabitur tibi semen. Ab exortu ergò Seminis usque ad exitum Israel ex Ægypto fuerunt, ut Exodus scribit, anni quadringenti & quinque. His adde annos* XL *in deserto, &* V *in terra Chanaan, quibus actis videtur terra quievisse à præliis & sors fuisse missa, & invenies annos quadringentos & quinquaginta.* Et tamen ex Eusebio & aliis Chronographis colligi potest idem penè tempus etiam sub Judicibus fluxisse, si à Josue numeres usque ad Saulem primum Regem Hebræorum: ut malim equidem hoc in loco Græcorum sequi lectionem. Et sanè juxta eandem magis cohæret sermonis contextus, ut liquet expendenti.

32. *Adimplevit filiis nostris*] In prima persona.

34. *Dabo vobis sancta David fidelia*] Idem quod quasi exponendo subdit, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Beda verò secùs edisserens, *Dabo vobis*, inquit, *sancta David fidelia*, i. *Quæcunque David promisi, eadem vobis certissime fidelis sponsor implebo, Christum videlicet de ejus esse stirpe nasciturum. Sic enim Jesaias Novi T. mysteria prægustans ait, Et constituam vobis testamentum æternum, sancta David fidelia quod in Hebraica veritate legitur, Et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles*, Isa. 55. 3.

36. *David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei dormivit, & appositus est ad patres suos*] Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη, καὶ προσε-

προσετέθη, &c. Idem quod dilucidiùs ità verti poterat, *Nam David quidem suo seculo ut inservivit voluntati Dei dormivit, & appositus est majoribus suis.*

37. *Quem verò Deus suscitavit à mortuis, non vidit corruptionem*] Expungendum hic illud *à mortuis*, juxta archetypum & cod. emendatiores.

40. *Quod dictum est in Prophetis*] h.e. In libro XII Prophetarum, nimirum Hab. 1. 5. quandoquidem hoc idem volumen & supra *librum Prophetarum* appellarat, 7. 42.

42. *Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti Sabbato loquerentur sibi verba hæc*] Hoc in loco transcribendo Græcorum librarios pro suo arbitrio lusisse, exemplarium inter se discrepantium varietas argumento est. Nam in vulgatis hodie cod. ità scriptum legimus, Ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα, *Egressis autem è Synagoga Judæorum* (ut subaudias *Paulo & Barnabâ*, vel: *Egressis è Synagoga Judæis*) *rogabant Gentes ut Sabbatho sequenti loquerentur eis*) nempe Judæis, vel sibi) *verba hæc*. In quibusdam verò desunt aliquot verba, nempe αὐτοῖς τὰ ῥήματα. Porrò Chrysostomi interpres præsentem locum ad hunc reddidit modum, *Egressis autem illis, orabant ut loquerentur eis interim usque ad Sabbatum verba hæc.* Verùm ex ipsa enarratione ferè subolet, non aliud Chrysostomum legisse nec sensisse quàm quod vulgatus legit ac vertit interpres. Proinde arbitramur ità esse legendum, Ἐξιόντων δὲ αὐτῶν, παρεκάλουν εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα. Sentit Apostolus *Paulum & Barnabam postquam egressi essent Synagogam, rogatos fuisse à principibus Synagogæ* (qui priùs eosdem Apostolos ad *exhibendum populo exhortationis verba* monuerant; aut certè *à multitudine*) *ut sequenti Sabbato eadem sibi verba proponerent.* Sic audientium animos affecerat sermo veritatis semel auditus. Quanquam nonnulli addubitant quonam adfectu ad id rogati sint Apostoli, præsertim ii qui à Principibus id rogatum fuisse intelligunt.

43. *Et colentium Deum advenarum*] *Deum* nupera est adjectio, utpote quod nec in Latinis paulò vetustioribus, nec cernatur in Græcis. Beda tamen, *Melius*, inquit, *legitur, Colentium Deum, sicut in Græco vidimus.* At hodie tantùm habetur (uti & veterem puto legisse interpretem) σεβομένων, i. *religiosorum*, sive *colentium*. Interpres autem non uno loco *colentes* posuit pro *religiosis*: ut infrà 17. 4. & *de colentibus Gentilibus*; & ibibem 17. *cum Judæis & colentibus.*

46. *Quoniam repulistis illud, & indignos vos judicastis*] Ità scribitur in Bibliis antiquis, atque ità citatur à B. Hieronymo in multis locis, præcipuè in Comment. in Jesaiam, & à B. Cypriano contra Judæos l. 1. c. 21. videlicet tempore præterito, non præsenti, *repellitis, judicatis.*

L. BRUGENSIS.

6. I*Nvenerunt quendam virum magum, pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Bar-iesu*] Latinorum codicum quidam *Bariesu* legunt, plerique *Barieu*; quanquam *Barieu*, *n* pro *u*, multi perperàm habeant. *Barieu* interpreteris *filium Jeu*, sive *Jehu* בר יהוא (Moguntina, Coloniensis & Nurenburgensis, primogeniæ Chalcographorum editiones, *Bariehu* scribunt) vel *filium Dei*, à nomine ἀνεκφωνήτῳ יהוה. Hieronymus, explicans Hebraica nomina, si tamen Hieronymus ejus libri est autor, *Berieu* legit, & *maleficum* sive *in malo* interpretatur: quâ ratione etsi *Barieu* efferas, non בר *filium* comprehendat, id quod Interlinearis Glossæ autor existimavit; sed à ב præpositione *in*, & רע nomine, quod *malum* signat, deducatur. Addit eo loco Hieronymus, corruptè à nonnullis *Bariesu* legi. Beda Hieronymum secutus, *Barieu*, non *Bariesu*, legendum putat; quòd indignum sit, magum *Jesu*, i. *Salvatoris*, *filium* dici, quem è contrario Paulus *filium Diaboli* nuncupat. Exemplaria Græca constanter, Βαριησοῦ aut Βαριησοῦν habent: eisque quæ apud Græcos Tractatores, Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium, est lectio, consonat. Suspicatur Beda depravationem accidisse quòd βαριῆ *Barieu*, si virgulam abbreviationis notam superponas, idem quod Βαριησοῦ *Bariesu* plenè scriptum significet. Cæterùm *Bariesu*, ut in Græcis omnibus, ità in Latinis libris MSS. fide dignissimis invenio, (nam quod Græcis est *Bariesus*, h.e. *filius Jesus*, mutato juxta sensum casu, redditum videtur *Bariesu*, h.e. *filius Jesu*) nostris, Brug. Lob. Leod. Parisiensium, Di. o. l. Lyrani correctis, Epanorthotæ antiquis. *Cui nomen erat Bariesu*, scribit Lyranus: *Sic est in Græco & in libris correctis, & tantum valet sicut* filius Jesu. Epanorthotes; *Item b.* Gui nomen erat Bariesu. *Græcus, antiqui, sic habent.* Hentenius etiam castigator textu hoc donavit, expulso *Barieu*. Neque verò absurdum videri debeat, magum *Jesu filium* dictum fuisse; erat enim *Jesus* vulgare tunc multorum nomen, tametsi suâ significatione soli Domino nostro convenerit debitùmque fuerit, ac deinceps ità sanctum habendum sit ut nec sanctissimo cuiquam imponi possit. Barabbam existimarunt quidam *Jesum* proprio nomine vocatum, atque hinc additum à Pilato, discriminis ergò, Matth. 27. 17. *qui dicitur Christus*; *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* Si igitur latro vocatus fuisse potuit *Jesus*, quamvis ità vocatum fuisse mihi non sit verisimile; potuit faciliùs magus filius patris qui *Jesus* fuerit dictus, fuisse. Verumenimvero incertum id relinquitur, ân nomen *Bariesu*, si quidem ea germana sit lectio (quanquam de *Barieu* simile sit judicium) à patris nomine magus acceperit, an sibi ipse imposuerit, tanquam Dei Servatoris filio. Deus enim noster, *Deus salvos faciendi* dicitur Psal. 67. 21. Cæterùm facilè possit, etiamsi Latinè & Græcè eodem utrumque modo efferatur, aliud patris magi esse nomen, aliud Domini nostri, unicâ in Hebræo literâ vel additâ, vel demptâ, vel immutatâ. Adde quòd quidam *Bariesu*, *adversarium Jesu* interpretentur, à Græco nomine βαρὺς: quod *gravem* ac *molestum* denotat. Editio Syriaca ברשמא *Barschoumo* scribit: id quod significat *filium nominis*, h.e. virum nominatum ac celebrem. Magiis, verisimile est, ac præstigiis nomen hic sibi fecerat.

33. *Et nos vobis annunciamus eam* [*ea* 2 MS.] *quæ ad patres nostros* [Hil. G.] *repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum* * [* *Christum Dominum nostrum* o.] Latinorum librorum multi *filiis vestris* legunt; plures, iique meliores, *filiis nostris*: quare hoc in textum Hentenius ac Zegerus referendum censuere. Verùm quia neutrum loco satis convenit, scripserunt quidam *filiis Israel*, quidam *filiis suis*: hoc enim est in codice A, illud in codice G signato. O signatum exemplar, *filiis eorum vobis* habet: quæ Græci enarratoris Theophylacti est lectio, probè loco congruens. Sed quæ apud Chrysostomum atque Oecumenium, & in Græcis ac Syricis N. Testamenti editionibus, lectio est, τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν, *filiis eorum nobis*, optimè quadrat. Duo ex nostris Latinis scriptis, E & I, habent, *Filiis vestris resuscitans vobis Jesum*; alia duo Plan: & Atr. *s. filiis nostris resuscitans nobis Jesum*. Unde videri certè possit, Interpretem quidem vertisse *filiis eorum nobis*, aut *vobis*; sed eos qui id non intellexerint, quosdam omisisse *eorum*, ac scripsisse *vestris* & *nostris* pro *vobis* & *nobis*, quosdam *nobis* & *vobis* cum *resuscitans* junxisse, ac *eorum* cum *vestris* & *nostris* mutavisse.

Sequitur, *Sicut & in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nonnulli codices, *Sicut & in Psalmo scriptum est*, legunt; & ex nostris quidem, alter scriptorum quos Atrebatensis Collegii Præsidens clarissimus, M. N. Cornelius Reineri Goudanus, commodavit: Nonnulli, Bedâ teste, *Sicut & in primo Psalmo scriptum est*, quibus hodie Quenteliana Biblia & Zegeri Testamentum Novum consonant. Postremo hoc modo, *Sicut in Psalmo primo scriptum est*, B. Hilarium aliosque ejus æquales legisse, ex commentariis ejus in Psalmum secundum claro clarius est. Quærit, quod multos ait fecisse ambiguos, quo modo Psalmum, *Quare fremuerunt gentes*, quem doctor Gentium primum esse hoc loco testatur, nos secundum habeamus? tandémque respondet, Apostolum Hebræum, Hebræis, secundùm Hebraicam cognitionem & fidem, Psalmum hunc primum esse dixisse, qui juxta LXX translatorum distinctionem nobis est secundus. Hilario Hieronymum legisse similiter ex enarratione Psalmi primi colligitur: ait enim, *Apud Hebræos & primus & secundus unus est Psalmus: quod in Apostolorum quoque Actibus comprobatur. Denique quia à beatitudine cœperat, in beatitudine desinit, dicens, Beati omnes qui confidunt in eum.* His conformiter textum Oecumenii commentariis adjunctum, & sex Græca N. Testamenti, exemplaria diversis locis excusa, legere notavimus, ὡς καὶ [γὰρ l.] ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ πρώτῳ γέγραπται. Cæterùm plerique Latinorum, pluresque Græcorum codicum, eorum quidem quos nos vidimus, Chrysostomi etiam, Theophylacti, & Syrorum textus, *Sicut &* [7 MS. Hil. Sy.] *in Psalmo secundo scriptum est*, habent. Hebræi quoque ità hodie Psalmos distinguunt, ut secundus sit hic, *Quare fremuerunt gentes*: & si primo hunc jungerent, 150 non essent Psalmi, nisi ut nonum Psalmum nostrum, ità 147 suum dividerent. Verumenimvero non est hæc *primi Psalmi* lectio facilè rejicienda, tantis fulta suffragiis: haud enim facilè Latinorum aut Græcorum quisquam pro *secundo primum* scripserit, aut

cùm nullus esset expressus numerus, *primum* addiderit: faciliùs, cùm *primum* legerent, quem secundum constanter habent, aut *secundum* substituerint, aut numerum omnem ademerint.

H. STEPHANUS.

1. Ἡρώδε σύντροφος] *Cum Herode educatus.*

2. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ] *Cùm autem suo fungentes munere, operam Domino darent:* vel, *rebus Divinis.*

10. Καὶ πάσης ῥᾳδιουργίας] *Et projectâ ad omne scelus audaciâ.*

15. Εἰ ἔςι λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως πρὸς τὸν λαὸν] *Si cui vestrûm suppetit sermo qui ad exhortandum populum valeat.*

17. Ἐν τῇ παροικίᾳ] *Dum erant incolæ.*

18. Ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς] *Mores eorum toleravit.*

19. Κατεκληροδότησεν] *Sorte distribuit.*

22. Μεταςήσας] *Cùm amovisset.*

26. Ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης] *Sermo hic salutaris.* Ad verb. *Sermo salutis hujus, i. Nuntius iste salutifer.*

32. Ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα, τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην, ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκε τοῖς τέκνοις αὐτῶν ὑμῖν] *Vobis faustum nuntium nuntiamus, Deum, quod patribus nostris promiserat, nobis filiis eorum præstitisse.*

36. Ἰδίᾳ γενεᾷ] *Suâ ætate.*

39. Δικαιωθῆναι] *Absolvi.*

43. Τῶν σεβομένων] *Religiosorum.*

45. Ἐπλήσθησαν ζήλυ] *Repleti sunt invidiâ.*

46. Παῤῥησιασάμενοι] *Sumptâ fiducia:* vel, *Libertate usi.*

50. Παρώτρυναν τὰς σεβομένας γυναῖκας καὶ τὰς εὐσχήμονας] *Instigarunt*, vel, *exstimularunt, mulieres religiosas & honestas:* vel, *honesto loco natas.*

51. Ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν] *Excusso pulvere.*

DRUSIUS.

1. Μαναήν τε Ἡρώδε τῦ τετράρχε σύντροφος] Vulgatus habet *Manahen.* Emendo *Manahem*, cum *M* in ultima, i. מנחם *consolator:* nomen tritum apud Hebræos. Hinc *Manahem de Racenati*, i. Ricinensis, qui scripsit in quinque libros Mosis. Id Græci scribunt Μαναήμ· nam voces in medio non adspirant: hoc necessitatis est. Sic *Abraam* scribunt pro *Abraham.* In lib. Nom. *Manaim, castrum*, i. מחנים, quod contrahunt, dicentes *Manem.* Nam η pro αι crebrum in Antiquitate. Sic *Ephrem* pro *Ephraim*, *Mesrem* pro *Mesraim.* In Syriacis מנאיל *Manael:* non se probat mihi. Suspicor legendum *Manahem*, i. מנחם, quod Græcè Μαναήμ. Contrà factum in Μαδιάμ. Nam esset Μαδιὰν, cùm ν in fine. *Manaen, Manael*, ut נשכה & לשכה. Sic לוז *nux.* Nam N & L alternant. Cæterùm in dictionario quodam Theologico disertè scriptum offendi *Manahem*, cum M in ultima. A quo Græcâ & Latinâ declinatione *Manahemus. Manaim* sive *Mahanem*, i. מחנים. Vide Gen. 32. 2.

6. *Barjesus*] De hoc nomine vide quæ habentur ad Luc. 6. 14. Addo nunc, nihil referre utrùm *Bariesu* scribas, an *Barjesus*, i. Βαρησοῦς, quod in vulgatis. Utrumque significat *Filius Jesu*, i. ישוע, cui nomini Græci, ut ipsorum mos est, Sigma addunt, ut cùm Ἰέδας dicunt pro *Juda.* Hieronymus nos admonet de alia lectione. Nam in lib. Nominum scribit *Barieu, quod nonnulli*, inquit, *Bariesu corruptè legunt.* Potest ità esse: tamen in libris quos vidi Βαριησοῦς, à qua scriptura recedere non ausim. *Barieu* Græcè Βαριηοῦ, quod Latinè sonat *Filius Jehu*, i. יהוא. Non temere spernendum. Syrum בר שומא valet ut si dicas, *Filius maculæ.* Nam שומא *nota, macula*, Gen. 30. 35. in Jonatha. Magistri dicunt שומה cum He in fine. Sunt qui legant *Soma. Filius nominis* qui vertunt, scire debent שֻׁם, cùm *nomen* significat, in emphasi mutare Kibbuts in Scheva. Dicimus enim certè שְׁמָא, non שׁוּמָא, nempe ex absoluto שֵׁם, qui etiam Chaldæis in usu. *Filius cæcus*, i. סמא per Samech. שום etiam *allium* denotat. Mirum autem quid viderit interpres ille cùm ità verteret. In lib. Nominum, *Barieu, Maleficium, sive, In malo. In malo*, i. ברע. Autor Collectaneorum quæ Plantinus excudit, *Maleficus, vel Magus, sive In nequitia.* Quis non rideat hæc legens? imò quis non pelvim poscat? Talibus ineptiis scatent interpretationes illæ, & tamen sunt qui eas admirantur. Sic est profectò, indocti omnia admirantur. Proprium docti est nihil admirari quod non sit admiratione dignum.

8. *Elymas magus*] Locus est subobscurus, cui lucem dabo de conjectura. Nam verba illa, Ἀνθίςατο δὲ αὐτοῖς Ἐλύμας ὁ μάγος, ὅυτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, mirè torquent quosdam interpretes, & nectunt, nodum quem si quis solvet dicendo quòd μάγος sit interpretatio nominis Ἐλύμας, campas loquitur, nisi idem ostendat Ἐλύμας magum significare. Hîc conjectura adfertur non ad meum gustum, ἐλύμας יעץ אל, i. *Dei consiliarius.* Melior est quam ponam, nisi fallor, ἐλύμας, i. עלימא, *magus, sapiens* (qui Hebraicè חכם) quæ significatio vocabuli adhuc hodie manet apud Arabes. Nam Arabicè עלם σοφία, unde אל עלם אלטביעי Φυσικὴ σοφία *ars Physica*, & אל עלם אלהי *Theologia.* Si qua alia conjectura in qua mihi placeo, ea est hæc, & puto veram esse. Usus fuit hoc vocabulo Saadias Haggaon in Arabica sua versione Pentateuchi, cujus fragmentum penes me habeo manu Francisci Raphelengii senioris descriptum. Nescio an ea sit quæ cusa Constantinopoli cum textu Hebraico, Chaldaico & Persico. *Magus* in lingua Persarum *sapiens.* Arabicè עאלם & עלים & עלאם *sapiens, doctus, sciens, prudens, literatus.* אלה עלים *Deus novit*, aut *scit.* Ergò Ἐλύμας ὁ μάγος nomen est cum interpretatione, ut Ἀββᾶ ὁ πατήρ. Quod exemplum rectiùs adduxisset Hiero. quàm *Aser, divitiæ*, & alia quæ nusquam exstant. Ἐλύμα & Ἐλύμας, ut Ἀκύλα & Ἀκύλας. Posterior terminatio Græca est, altera Chaldaica. עלימא Ἐλύμας *Elimas*, ut עקילא Ἀκύλας *Aquilas*, עקיבה Ἀκύβας *Aquibas.* Reperio etim Συμὼν pro שמון, quod contractum ex שמעון, & *Sior* pro שיחור in Hiero. manuscriptis, Jes. 23. Sic *Sichem* & *Sychem.* Nomen עלימא Theodorus derivat à verbo Arabico עלם, quod *cognoscere* significat. Sed quid si dicamus Sapientiam ità dictam παρὰ τὸ עלם verbo Hebraico, *abscondit, occultavit*, ut Græci quidam σοφίαν appellatam putant q. ζοφίαν, quòd esset res occulta & abscondita? Quò fortasse respexerit Jesus Sirach. c. 6. v. 19. ità scribens, σοφία κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐςι, καὶ ὁ πολλοῖς ἐςι φανερά, *Sapientia secundum nomen suum non multis est manifesta.*

9. *Saulus, qui & Paulus*] *Saulus* & *Paulus* ità differunt ut *Jesus* & *Jaso*, i. Ἰάσων, *Dosthai* & *Dositheus*, *Simeon* & *Simo*, i. Σίμων, *Tarphon* & *Trypho*, i. Τρύφων, quod est nomen merè Græcum. Major etiam pars Judæorum binomines erant, altero nomine Judaico & altero Græco, *Jannaus, Alexander*; *Joakimus, Alcimus*; *Onias, Menelaus*; *Johannes, Hyrcanus*; *Alexandra, Salome.* Vide quæ notavimus ad c. 8. 1.

11. *Manus Domini super te*] Vel *contra te. Manus*, i. plaga, ut Ruth. 1. 13. *exiit in me manus Domini:* manu enim plagam infligimus. Etiam passivè sumitur Psal. 77. 2. *Manus mea nocte effluxit*, i. plaga mihi inflicta. Hebraicè ידי לילה נגרה.

14. *Antiochiam Pisidiæ*] Nam erat alia Antiochia, Syriæ, quà Ciliciam spectat, quæ propter crebros & admodum sævos terræ-motus postea vocata fuit Θεῦ πόλις, ut esset melius omen nominis. Ejus mentio Act. 11. 19. Eusebius an Hieronymus De locis, *Antiochia, civitas Syriæ-Cœles, in qua Barnabas & Paulus Apostoli sunt ordinati. Est autem & alia in Pisidia provincia*, &c. Refert Appianus in Syriacis *Seleucum sedecim condidisse Antiochias, quas ità nominavit à patre suo Antiocho.* Vide Scaligeri Animadv. Eusebianas 120. 2.

17. *Brachio excelso*] בזרוע רמה brachio alto, quod etiam dicunt בזרוע נטויה *brachio extento. Brachium* usurpat pro *robore ac potentia:* ut Job 40. 9. *Si brachium sicut Deo tibi?* Sensus, An tam potens es quàm Deus? Igitur *in brachio excelso*, sive, ut alibi, *extento*, h. e. in potentia magna. Nam qui validè aliquem ferire vult, brachium extollit in altum.

18. *Mores eorum pertulit*] Hesychius, Ἐτροποφόρησεν, ἔτρεφεν. Videtur hunc locum in mente habuisse. Nam etiam Syrus סיבר, quod Tremellius interpretatur *nutrivit.* Vide Notas Theodori.

19. *Septem gentes in terra Chanaan*] Quæ propterea *Terra septem gentium* vocatur. Gentes autem illæ memorantur Jos. 3. 10. & alibi aliter: nam est ubi una ex septem omittitur, vel quia minima, vel quia minùs potens.

20. *Quadringentis*] Τετρακοσίοις. Chronologi quidam emendant τριακοσίοις *trecentis:* in queis Mercator & Temporarius. Sed vulgatam lectionem tuetur Beroaldus l. 3. c. 4. quam etiam Syrus agnoscit. Vide quæ scripsimus ad Sulpitium, pag. 149. in extremo.

21. *Saul*] *Saul*, dissyllabum. Inflectitur *Saulis, Sauli, Saulem*, &c. Græcè Σαύλ. Hebræis שאול, quod *postulatum* sive *petitum* sonat. Quanquam in lib. Nom. *Expetitum.* Ab eo *Saulus.* ¶ *Benjamin*] Primùm à matre Rachele *Benoni*, i. *Filius doloris mei*, deinde à patre Jacobo, boni ominis causâ, vocatus est *Benjamin*, i. *Filius dexteræ*; vel quòd tam charus ei esset quàm dextera, vel certè quia natus in terra Chanaan, quæ respectu Mesopotamiæ, ubi cæteri ejus filii editi, Australis

lis est. Sic est profectò. Qui solem orientem respicit, ad manum dexteram habet Austrum. Unde Auster *dextera* vocatur. Hinc illud, *Boream & dexteram tu creasti*, i. Austrum sive Meridiem. Procopius Gen. 31. *Benjamin sonat Filium virtutum. Sed Symmachus reddidit Filium dextræ. Virtutum*, i. δυνάμεων. Notum ut ימין *virtutem* sive *potentiam* denotet: Propriè tamen *dextram* significat. Unde melior interpretatio Symmachi, quæ habetur & in Glossario Philonis, & apud Hieron. in lib. Nominum. A *Benjamin* gentile est בנימיני, *Benjaminita*. ¶ *Annis quadraginta*] Vide commentarium nostrum ad Historiam sacram Severi, pag. 161. & Juch. fol. 11. p. 1. Sunt ex Hebræis qui Saulem regnasse putant post Samuelem annis duobus; in queis Abben Gorion. Sunt qui eodem anno mortuum esse scribunt, ut R. S. 1 Sam. 1. 22. quatuor videlicet mensibus post Samuelem. Quod notatum etiam à Judæo Salmanticensi his verbis, *Saul duobus annis post Samuelem: sed nostri Doctores dicunt eodem anno mortuos esse, & Samuelem quatuor mensibus ante Saulem vitâ functum.* Ibidem, *Gentes, h.e. Christiani, scribunt Saulem regnasse annos quadraginta.*

23. *Eduxit Israel*] Tolles ambiguitatem si legas *Israeli*: nam id sonat τῷ Ἰσραήλ. *Eduxit*, i. ἐξήγαγε. Hebraicè והקים. Lectio varians ἤγειρε *excitavit*, quam Syrus expressit, referendo אקים *surgere fecit*, vel, si mavis, *fecit ut surgeret*, i. exsisteret aut exoriretur: nam id *surgere* sign. in illo, *Surrexit Rex novus.* ¶ *Salvatorem Jesum*] A quibusdam libris abest *Jesum*; & sanè abesse potest salvâ sententiâ. Nam *Jesus* idem quod *salvator*. Erasmus laudat ex Græco *adduxit Israeli salutem*, i. σωτηρίαν nam ità Jesus vocatur in abstracto. Sic Jes. 45. 8. *germinet terra Salvatorem*; in fonte habetur ישע *salutem*. Syrus habet *Jesum Redemptorem*.

29. *Posuerunt in monumento*] *Qui posuerunt*: nempe Joseph Arimatheensis & qui cum eo; nam solus id non fecit. Licet etiam vertere, *detractus è ligno positus fuit in monumento*; ut sit verbum personale pro impersonali. Simile, *imputarunt ei pro justitia*, quod Apostolus interpretatur ἐλογίσθη *imputatum fuit*.

32. *Filiis illorum*] Patrum videlicet, h. e. nobis. Nam *patrum filii* eorum posteri. Sic dicunt. *Quicquid accidit patribus signum est filiis*: item, *Qui custodivit patres, custodiet etiam filios*.

33. *In Psalmo secundo*] Vetus lectio *in Psalmo primo*. Nam antiquitus qui nunc Primus & Secundus unus idémque Psalmus erat. Vide Quæst. meas.

34. *Amplius non reversurum in corruptionem*] *Corruptionem* appellat foveam, h. e. sepulcrum. Id quod שחת vox Hebræa, quam διαφθορὰν reddunt, etiam significat, nam in sepulcro corpus corrumpitur. Sed qui *foveam* interpretantur deducunt non à שחת *corrumpo*, sed à שוח, unde & שוחה *fovea*. Similiter נחת *vannus* originem habet à נוח, & נחת *quies* à נוח *quiesco*, *requiesco*. ¶ *Sancta David fidelia*] Hoc quovis ænigmate obscurius illustrandum nobis est. חסיד vetustâ interpretatione *sanctus*, i. ὅσιος unde חסדי דוד τὰ ὅσια Δαβὶδ *sancta David*; cùm potiùs denotet *benignitates David*, i. Davidi factas, aut promissas. Πιςά, i. βέβαια, interprete Hesychio, *firma*, *robusta*. Hebraicè נאמנים *fida*, *rata*. Quo significatu & ἀληθὴς usurpatur in illo, *Testimonium meum verum est*: &, *In ore duorum aut trium testium verum erit omne verbum*.

36. *Et vidit corruptionem*] Vel hic locus clarè docet Petri verba, ubi hunc locum citat, exponenda esse de Sepulcro, ac proinde ᾅδην ibi *sepulcrum* denotare, & *animam* ipsum corpus Christi, quod non fuit relictum in sepulcro; cùm Davidis relictum fuerit & corruptionem senserit, ut hic disertè Apostolus testatur.

40. *In Prophetis*] In uno aliquo Propheta. Simile, *pullus asinarum*, unius alicujus asinæ. Aut *in Prophetis*, in ea parte V. Instrumenti quæ נביא, i. *Propheta*, inscribitur. Tres enim sunt, & secunda hic laudatur.

42. *Sequenti Sabbatho*] Εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον. Dura locutio, & fortasse mendosa. Scaliger suspicatur legendum εἰς τὸ μεταξὺ σαββατῶν, ut sit forma nominis Hebraica שבתון. Vide Notas Casauboni ad hunc locum. Syrus *Sabbatho alio*. Recentior interpres *intra proximè sequens Sabbathum*.

CASAUBONUS.

8. Ἀνθίςατο δὲ αὐτοῖς Ἐλύμας ὁ μάγος οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ)] Qui existimant sensum horum verborum esse ut dicatur ille, qui proprio nomine *Barjesus* vocabatur, per antonomasian fuisse *Elymas* sive μάγος appellatus, non videntur animadvertisse fuisse id nomen apud illas gentes usitatum, ut sunt alia nomina virorum propria. Apparet id ex historiis Græcorum, in quibus aliquos legere memini qui ità appellabantur. Diodorus autem Siculus lib. 20. Regis Libyæ cujusdam meminit quem *Elymam* vocat: quem sanè verisimile non est ob singularem quandam magiæ peritiam ità fuisse nuncupatum: multò etiam minus (quod quidam de illo Elyma suspicantur) nomen invenisse ab *Elymaide* Persidis regione est consentaneum. Itaque de hoc loco ἐπέχω, præsertim cùm Syrus dissentiat interpres.

42. Παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα] Insolens sanè loquendi genus. εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον quod, si Græci sermonis consuetudinem spectes, nihil aliud significare possit quàm *medium aliquod Sabbatum*. Interpretes autem *proximè sequens Sabbatum* putant intelligi: sicuti sequitur mox τῷ ἐρχομένῳ σαββάτῳ. Syrus simpliciter de alio sabbato interpretatus est. At vir summus, quem honoris causâ nomino, Josephus Scaliger legendum putat εἰς τὸ μεταξὺ σαββατῶν, & ità locum hunc interpretatur, *Gentes obsecrabant ut sibi eadem verba in reliqua septimana exponerentur*. Nam σαββατῶν vocem esse Hebraicam meram, non genitivi pluralis formam Græcam: εἰς τὸ μεταξὺ positum esse pro ἐν τῷ μεταξὺ. neque Sabbatum hic intelligi, sed septimanam quæ proximum Sabbatum præcedebat. Hæc est summi viri interpretatio: quæ mihi quidem perplacet.

CAMERON.

33. Υἱός μου εἶ σὺ, &c.) Hæc non sunt ità accipienda quasi demum post resurrectionem suam Christus cœperit esse Filius Dei, & ab eo gigni, sed quia tum Deus potentissimè per resurrectionem declaravit Christum esse Filium suum. Hic enim est Scripturæ mos ut res tum dicantur fieri vel nasci cùm manifestantur & sese produnt: ut cùm Salomon Prov. 17. 17. ait, *Amicum nasci in die malo*, אח לצרה יולד, h. e. tum sese prodit cùm premit nos angustia. Nam licèt Pater etiam ante resurrectionem testimonium illi perhibuerit, tamen quoniam ad resurrectionem usque Christus infirmitate veluti circumvallatus fuerat, & morti obnoxius, vocatio ejus ad munus Mediatorium obscurior ad illam usque diem fuit; verùm ubi depositâ mortalitate gloriosè resurrexit & in cœlum ascendit, tum propriè palàm omnibus veluti declaravit Christum & Filium suum esse & ad munus Sacerdotale vocatum esse. Verùm ad illam usque diem Deus (prout videbat decere Sapientiam suam) apertam hujus mysterii notitiam differebat. Unde est quòd Paulus hoc loco dicit, Deum post resurrectionem demum Christo dixisse, *Tu es Filius meus: ego hodie genui te*.

46. Ἐπειδὴ ἀπωθεῖσθε αὐτὸν, καὶ οὐκ ἀξίους κρίνετε, &c.] Hinc Novatores liquere putant, Cur huic plus, illi minus vel etiam nihil detur, aut etiam quod habet auferatur, causam non esse quærendam in decreto præcisæ vocationis, sed in discrimine hominum, quorum alii quod offertur cum gaudio excipiunt, alii protervè respuunt. Verùm hic locus nil causam quam agunt juvat. His enim Pauli verbis denegationis absolutè consideratæ ratio redditur, non redditur ratio denegationis comparatè consideratæ. Nam tam Paulus ipse initio quàm isti restiterunt Euangelio; at verò restitisset pertinaciter nisi *Deus*, *qui* (ut ipse loquitur Gal. 1. 15.) *ipsum ab utero matris separaverat*, certo quodam tempore ei *revelasset Filium*: quam revelationem eodem loco *Vocationem* dicit.

48. Ἐπίςευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον] Novatores hunc locum sic eludunt, ut dicant participium τεταγμένοι hic nominascere, idémque significare ferme quod ἄξιοι, *digni*, *aptè dispositi*: ut hinc scilicet exsculpant prævias dispositiones quarum intuitu & respectu fides donetur. Sed I. Inspiciantur omnia Scripturæ loca in quibus hæc vox occurrit, nusquam sumitur ac si nomen esset. II. Quid hoc sibi vellet, τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, quà ratione verba illa verti possent? III. In lingua Græca ejusmodi participia non nominascunt si verbo substantivo jungantur. IV. Quæ nominascunt verbo substantivo non juncta, qualitatem quidem notant, sed ab agente aliquo profectam. Itaque & sic dignitas & dispositio, quæ hoc participio significaretur, à Deo tanquam ab agente externo esset. V. Si ea esset vera hujus vocis significatio quam illi volunt, cur potiùs Ethnicos Lucas appellet τεταγμένους quàm mulieres illas quarum meminit c. 17. 12. quásque vocat σεβομένας καὶ εὐσχήμονας; Eæ profectò potiùs videntur ità fuisse appellandæ & indigitandæ, τεταγμέναι εἰς ζωὴν αἰώνιον, quàm Ethnici à veri Dei cognitione prorsus alieni.

LUD. CAPPELLUS.

42. EIΣ τὸ μεταξὺ σάββατον] Scaliger libro De Emend. Temporum pag. 524 putat legendum esse σαββάτων, & εἰς τὸ esse pro ἐν τῷ, ut legatur ἐν τῷ μεταξὺ σαββάτων, quod Judæi dicerent בזמן שבין, h. e. *tempore intermedio inter duo Sabbata:* ut sensus sit, Gentiles rogasse Paulum ut diebus profestis Sabbatum illud insequentibus eadem sibi ab eo exponerentur quæ Judæis Sabbato ipso (quo solent in Synagogis & Proseuchis convenire) exposuerat. Sed repugnat primò lectio constantissima omnium codicum, qui habent σάββατον, non verò σαββάτων, deinde quod v. 44. *tota civitas* dicitur *convenisse sequente Sabbato ad audiendum verbum*, nempe quia postulationi Gentium Paulus annuerat. Itaque εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον est בשבת הבאה *in sequens Sabbatum*, ut μεταξὺ sit pro μετέπειτα, vel μετέπειτα. Hâc significatione accipitur μεταξὺ à Josepho De bello Jud. l. 6. c. 6. Πρὸς δὲ τῷ πλεονεκτήματι τῶ τόπου καὶ καρτερῶς ἐδεδόμητο, Δαβὶδ τε καὶ Σολομῶντος, ἔτι δὲ τῶν μεταξὺ τούτων βασιλέων, φιλοτιμηθέντων περὶ τὸ ἔργον. Sanè nulli intercesserunt inter Davidem & Solomonem Reges, sed multi eos secuti sunt: itaque planum est isthic μεταξὺ significare non *inter* sed *postea*, ut τῶν μεταξὺ τούτων βασιλέων reddi debeat *aliorum qui istos secuti sunt Regum*, quomodo hic εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον *in sequente Sabbato*.

GUALTPERIUS.

15. MEτὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, *Post lectionem autem Legis & Prophetarum*, &c.] Morem hunc recitandi Legem in Synagogis diebus Sabbathi introductum ab ipso Mose tradunt Hebræi, & deinde post reditum à Captivitate ab Esra in usum revocatum, & amplificatum adjunctâ Prophetarum lectione. Legem dividunt in lectiones totidem (quas vocant פרשיות) quot sunt in anno Sabbata, quò ità singulis annis tota Lex perlegatur finiatúrque in festo Tabernaculorum; rursúmque sequenti Sabbato ab initio repetatur. Ex Prophetis autem capita quædam (quæ appellant הפטרות) lectionibus Legis, tum numero, tum doctrinæ consensu, quatenus fieri potest, correspondentia, selecta constitutáque sunt, quæ simul legantur eo ordine quo descripta sunt ad finem Bibliorum Venetiis excusorum. Peractâ Legis & Prophetarum lectione demum assurgebant, acceptâ priùs veniâ à primario Synagogæ, qui de Scripturis apud populum volebant disserere. Hæc Tremellius.

GROTIUS.

KAτὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, *In Ecclesia qua erat*] *In ea quæ ibi erat Ecclesia Christianorum.* ¶ Προφῆται, *Prophetæ*] *Instructi Prophetico dono*, quod à Malachiæ temporibus ad tempora Christi cessaverat. Tales, qualis Cæsareæ Agabus. ¶ Καὶ διδάσκαλοι, *& Doctores*] Sicut in Synagogis primus Senum is erat, qui docebat populum & רב (*Magister*) aut ממנה (*Præpositus*) vocabatur, ita in Ecclesia Christiana τοῦ πρεσβυτέρου (*Præsidis*) idem erat munus: iidem sunt πρεσβύτεροι οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ (*Presbyteri qui laborant in verbo*,) 1 Tim. 5. 17. In magnis urbibus, qualis Antiochia, sicut multæ erant Judæorum Synagogæ, quia omnes in unum locum coire non poterant tantis spatiis divisi, ita plures Christianorum conventus: singulis suus Magister, qui & κατ᾽ ἐξοχὴν (*per excellentiam*) dictus ὁ ἐπίσκοπος (*Episcopus*,) sicut Hebræis זקן המגיד (*Senior magnus.*) In rebus magnis Magistri ex omnibus urbis regionibus coibant: ut hic. ¶ Συμεὼν ὁ καλούμενος Νίγερ, *Simeon qui vocabatur Niger*] Cognomen Latinum ei à Romanis datum. Habes nomen idem in Dioscoridis initio. Etiam imperii affectator quidam sic dictus. ¶ Μαναήν τε, *& Manahen*] מנחם (*Menachem*) in libro Juchasim. Græca vox nulla in μ terminatur. Non observarunt id LXX qui Judæis scribebant. At Lucas qui etiam ortu Græcis scribebat, μ mutavit in ν vicini soni literam. ¶ Ἡρώδου τοῦ τετράρχου, *Herodis Tetrarchæ*] Agrippæ minoris, qui, filius illius Agrippæ, cujus mors jam narrata, non Judææ, ut puto, sed Chalcidi primùm, deinde & aliis quibusdam regionibus præfuit, Tetrarchæ nomine. ¶ Σύντροφος, *collactaneus*] Σύντροφος hic *collactaneus* vertitur à Latino interprete, ut & in Glossis. Exstat vox *collactanei* apud Ulpianum in L. 51. *Collactaneus* D. de Manumissis vindicta. De femina, *collactaneam* dixere Juvenalis & Capella. At vocabulum συντρόφου latiùs patet, significatque *eum qui à prima ætate cum altero educatus est*, ut 2 Macc. 9. 29. Atque ita utuntur Plato, Plutarchus, & alii. Nec aliter hic accepit Syrus.

2. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν, *Ministrantibus autem illis*] Verbum λειτουργεῖν (*ministrare*) satis latè patet, sed cùm addatur *jejunium*, rectè puto Syrum & Arabem hoc loco hanc vocem sumpsisse in *precandi* sensu: conjungi enim solent *preces* & *jejunium*, Matth. 17. 21. Marci 9. 29. Lucæ 2. 37. infra 14. 23. 1 Cor. 7. 5. Ideoque צום Hebræum modò vertitur λειτουργεῖν (*ministrare*,) modò νηστεύειν (*jejunare.*) ¶ Εἶπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον *dixit Spiritus Sanctus*] Per Prophetas istos. ¶ Ἀφορίσατε δή μοι, *Segregate mihi*] Tanquam primogenitos. Nam in Lege de primogenitis Exodi 13. 12. est ἀφοριεῖς (*separabis.*) Εἰς τὸ ἔργον ὃ προσκέκλημαι αὐτούς. *in opus ad quod assumpsi eos*] Id est, πρὸς ὃ κέκλημαι αὐτοὺς (*ad quod vocavi eos.*) *Vocare* hîc est *destinare*.

3. Ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, *imponentes eis manus*] Invocantes Dei opem ad impositum ipsis ministerium. Vide supra 6. 6. ¶ Ἀπέλυσαν. *dimiserunt*] Id est, *vale illis dixerunt*. Sic Matth. 14. 15, 22, 23. & 15. 23.

4. Κατῆλθον εἰς τὴν Σελεύκειαν, *abierunt Seleuciam*] Ibi quoque visuri exstinctum regnum Magog. Ut supra diximus 11. 25.

5. Ἐν Σαλαμῖνι, *Salaminam*] In urbe quam Teucer ex patriæ suæ dixit nomine,

Ambiguam tellure nova Salamina futuram,

ut canit Horatius. ¶ Ἐν ταῖς συναγωγαῖς τῶν Ἰουδαίων *in Synagogis Judæorum*] Multi in Cypro Judæi. Hieronymus in Chronico Eusebii ad tempora Trajani, *Salaminam Cypri, interfectis in ea gentibus, subvertêre Judæi.* ¶ Εἶχον δὲ καὶ Ἰωάννην, *habebant autem & Joannem*] *Marcum* cognomine, de quo supra 12. 25. ¶ Ὑπηρέτην. *in ministerio*] Obeuntem munera minora, ut in Ecclesia Diaconi. Vide quæ ad Lucam 4. 20.

6. Διελθόντες δὲ τὴν νῆσον, *Et quum perambulassent insulam*] In Manuscripto ὅλην τὴν νῆσον (*universam insulam*,) quia ab Oriente ad Occidentem usque venerant. ¶ Ἄχρι Πάφου, *usque ad Paphum*] Destructuri Veneris cultum. ¶ ᾧ ὄνομα Βαριησοῦς, *cui nomen erat Bar-Jesu*] *Filius Jesu* sive *Josuæ* alicujus. Talia nomina sunt *Barjona*, *Bartholomæi*, aliaque facta πατρωνυμικῶς (*per denominationem à Patre.*)

7. Τῷ ἀνθυπάτῳ, *Proconsule*] est κατάχρησις (*Abusio.*) Propriè enim qui Cypro præerat vocabatur ἀντιστράτηγος (*Proprætor.*) Sed non mirum est Græcos ista permiscuisse, aut potiùs, ut egregii erant adulatores, nomen quàm honorificentissimum dedisse provinciarum Rectoribus. Generale nomen est *Præsidis*: quo & hic Latinè uti licet.

8. Ἐλύμας, *Elymas*] Hoc alterum erat nomen illi, qui modò dictus *Bariesus*. ¶ Ὁ μάγος, (οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ,) *Magus* (*sic enim interpretatur nomen ejus*)] Id est, Ἐλύμας (*Elymas*) significat μάγον (*magum*,) nempe Arabum linguâ: nam עלים, *magi*. Unde Arabem hunc fuisse non malè conjeceris. Vide quæ diximus ad Matth. 2. 1. ¶ Ζητῶν διαστρέψαι τὸν ἀνθύπατον ἀπὸ τῆς πίστεως. *quærens avertere Proconsulem à fide*] Impedire ne crederet Euangelio.

9. Σαῦλος δὲ ὁ καὶ Παῦλος, *Saulus autem qui & Paulus*] Id est, qui, ex quo cum Romanis conversari cœpit, hoc nomine à suo non abludente, cœpit à Romanis appellari. Sic qui *Jesus* Judæis, Græcis *Jason:* Hillel, *Pollio:* Onias, *Menelaus:* Jakim, *Alcimus*. Apud Romanos Silas, *Silvanus*, ut notavit Hieronymus; Pasides, *Pansa*, ut Suetonius in Crassitio: Diocles, *Diocletianus:* Biglinitza, soror Justiniani, Romanè *Vigilantia:* Sic & nomina Persica à Græcis nonnihil immutari dixit Strabo libro 12. idemque nunc facere Turcas Leunclavius. ¶ Καὶ ἀτενίσας εἰς αὐτὸν, *intuens in eum*] Vide supra 3. 12. & 6. 15.

10. Καὶ πάσης ῥᾳδιουργίας, *& omni fallacia*] In Glossario, ῥᾳδιουργία, *falsum*. Infra 18. 14. habemus ῥᾳδιούργημα (*facinus pessimum*,) quo nomine Plutarchus vocat *falsi testamenti fabricationem*. ¶ Υἱὲ διαβόλου, *fili Diaboli*] Diaboli ingenium referens. Vide Joh. 8. 44. ¶ Οὐ παύσῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας; *non desinis subvertere vias Domini rectas?*] *Transvertere* Tertullianus: id verò est ex *transverso aliquid objicere*, quò minùs iter peragi possit. Vide quæ diximus supra 8.

11. Ἡ χεὶρ τοῦ Κυρίου ἐπὶ σὲ *manus Domini super te*] *Manus Domini* quamvis potentem actionem significat in bonum vel malum; & sed hic in malum: ἐπὶ valet idem quod particula ב, Ruth. 1. 13. ¶ Ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτὸν ἀχλὺς καὶ σκότος *cecidit in eum caligo & tenebræ*] Duabus vocibus expressit Hebræam סנורים (*Sanverim*

verim] Gen. 19. 11. 2 Sam. 6. 18. ¶ Ἐζήτει χειραγωγούς, *quærebat qui ei manum darent*] Vide supra 9. 8. ¶ Ἐπίστευσε, *credidit*] *Credidit Evangelio*; neque tamen se abdicavit magistratu: quod si factum fuisset, non reticuisset id Lucas.

13. Εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας. *Pergen Pamphyliæ*] Celebrem Dianæ templo, ut Mela nos docet. Ita ubique manum cum idolis conserebant Apostoli. ¶ Ἀποχωρήσας ἀπ' αὐτῶν, *discedens ab eis*] Nempe laboris & periculorum fugiens, ut hic ajunt Græci scriptores. Vide infra 15. 38.

14. Εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας, *Antiochiam Pisidiæ*] Non illam Syriæ de qua supra. De hac vide Strabonem libro 12. Hic Apostolus intrare incipit eas partes in quibus Gog regnaverat & destructus fuerat.

15. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, *Post lectionem autem Legis & Prophetarum*] More recepto ab Esdræ temporibus, ut præter particulas de Lege, quod vetus erat, etiam de Prophetis particula aliqua Sabbatis singulis legeretur. ¶ Οἱ ἀρχισυνάγωγοι, *Principes Synagogæ*] פרנסים [*Pastores*] sive זקנים [*Seniores*,] quorum princeps κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*,] ὁ ἀρχισυνάγωγος, ראש הכנסת [*Princeps Synagogæ*] ¶ Εἰ ἔστι λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως, *si quis est in vobis sermo exhortationis*] Id est, *Prophetia*. Vide quæ diximus supra 4. 36.

16. Καὶ κατασείσας τῇ χειρὶ, *& manu silentium indicens*] Repete quæ dicta supra 12. 17. ¶ Καὶ οἱ φοβούμενοι τὸν Θεὸν, *& qui timetis Deum*] Id est, οἱ σεβόμενοι τῶν Ἑλλήνων [*religiosi ex Græcis*,] infra 17. 4.

17. Ὁ Θεὸς τοῦ λαοῦ τούτου, *Deus plebis hujus*] Hoc dicit Pisidis, Judæos digito monstrans. ¶ Ἐξελέξατο τοὺς πατέρας ἡμῶν, *elegit Patres nostros*] Non vulgaribus beneficiis affecit. ¶ Καὶ τὸν λαὸν ὕψωσεν, *& plebem exaltavit*] Id est, in gratia apud Regem eos constituit per Josephum. ¶ Ἐν τῇ παροικίᾳ, ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, *quum essent incolæ in terra Ægypti*] Durante incolatu ipsorum in Ægypto. παροικία Hebraice מגור [*peregrinatio*,] ut Genes. 28. 4. ¶ Καὶ μετὰ βραχίονος ὑψηλοῦ ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ αὐτῆς *& in brachio excelso eduxit eos ex ea*] Ex verbis Dei, Exodi 6. 6.

18. Τεσσαρακονταετῆ χρόνον, *per quadraginta annorum tempus*] Idem sensus Psalm. 95. 10. ¶ Ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς, *mores eorum sustinuit*] *Ingratos eorum mores pertulit*. Vox hæc est ex LXX. Deut. 1. 31. ubi Lucas rectè legit ἐτροποφόρησέ σε [*portavit te*,] & non τροποφορήσει σε [*portabit te*.] In Hebræo enim est נשאך, id est, *pertulit te*: in Chaldæo סברך [*portavit te*.] Est vox τροποφορεῖν bene Græca: Cicero ad Atticum 13. 29. *In hoc* τὸν τῦφόν μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον [*Per Deos perfer fastum meum*.]

19. Ἔθνη ἑπτὰ, *gentes septem*] Sex nominantur, Exodi 3. 8. *Cananæi, Hittæi, Amorrhæi, Perizæi, Hevæi, Jebusæi*. Sed addendi his *Gergazeni*, גרגשי ex Nehem. 9. 8. quos in Africam ivisse ajunt Hebræi. Et eos nominat in Africanis rebus Procopius Vandalicorum 2. ¶ Κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. *sorte distribuit eis terram eorum*] Sic habent libri antiquiores, etiam ille in Anglia. Alii κατεκληροδότησεν [*sorte dedit*.] Nihil refert. Nam נחל in Piel, aut הנחיל in Hiphil, modò vertitur κατακληρονομεῖν [*sorte distribuere*,] ut Deuter. 3. 28. Josuæ 14. 2. & alibi; modò κατακληροδοτεῖν [*sorte dare*,] ut Deut. 1. 38. Jos. 19. 51.

20. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, *& postea annis circiter quadringentis & quinquaginta*] Rectiùs codex ille in Anglia, & alii quibus usus est interpres Latinus, illa ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα [*quasi post quadringentos & quinquaginta annos*] connectunt cum præcedentibus: & deinde ponunt μετὰ ταῦτα [*posthac*.] Anni autem illi *ferme quadringenti & quinquaginta* incipiunt ab exitu ex Ægypto, desinunt in illud tempus quo David ex Sione ejecit Jebusæos. Tantum temporis impensum fuit ad collocandam gentem Hebræam in illis sedibus. Solomon anno ab exitu quadringentesimo octuagesimo Templum condidit, 1 Reg. 6. 1. Regnavit autem David per annos ferme quadraginta, 2 Sam. 5. 5. ¶ Ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ Προφήτου, *dedit Judices usque ad Samuel Prophetam*] Quasi dictatores cum potestate, non & cum pompa regia. Vide quæ ad librum Judicum diximus.

21. Κἀκεῖθεν, *Et exinde*] *Et inde*, id est, *ab ipso*. Sic Cicero, *fore unde discerem neminem*, pro *à quo discerem*: & Virgilius, *genus unde Latinum*, id est, *à quo*: apud Terentium, *unde petitur*, id est, reus *à quo petitur*. ¶ Ἠτήσαντο βασιλέα, *postulaverunt Regem*] Hoc voluerunt, idque cùm adhuc Prophetam haberent, id est, Deum ipsum, à quo regerentur. ¶ Ἄνδρα ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν, *Virum de tribu Benjamin*] Ex qua erat & hic, melior illo Saul, regnum sub Christo adeptus maximum, destructor mysticus Amalecitarum, mori paratus pro populo Dei, rejectus, non ut ille à Deo, sed à suis popularibus Dei nomen obtendentibus. ¶ Ἔτη τεσσαράκοντα *anni quadraginta*] Hoc referendum est ad id quod præcessit ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου [*usque ad Samuelem Prophetam*,] cæteris velut per parenthesim interjectis: ut intelligatur Samuel munere suo Prophetico functus, partim ante Saulis regnum, partim dum consiliis Saulem rexit, simul annis XL. nam quatuor tantùm ante mortem Saulis mensibus creditur Hebræis mortuus Samuel. Ita Samuel velut alter Moses curando populum Mosis æquavit tempora.

22. Καὶ μεταστήσας αὐτὸν, *Et amoto illo*] id est, *amoto è rebus humanis*: non enim ante Davidi regnum promissum tradere Deus voluit, quàm mortuus esset Saul. Sic μεταστὰς dicitur *qui obiit*, 2 Macc. 11. 23. & μετατίθεσθαι, *qui ex rebus humanis aufertur*, Heb. 11. 5. ¶ Ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαβὶδ, *suscitavit illis David*] הקים *erexit*, *conspiciendum dedit*. ¶ Εὗρον Δαβὶδ, *Inveni David*] Psalm. 89. 21. ¶ Ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου, *virum secundùm cor meum*] Id est, *mihi gratissimum*. Vide supra 7. 46. Aliis verbis exprimit quod in Psalmo præcesserat, *electum de populo*. ¶ Ὃς ποιήσει πάντα τὰ θελήματά μου. *qui faciet omnes voluntates meas*] Nempe in regendo populo. Idem est quod dicit Psalm. 78. 72.

23. Τούτου ὁ Θεὸς ἀπὸ τοῦ σπέρματος, *Hujus Deus ex semine*] Matth. 1. 1. Lucæ. 1. 32 ¶ Κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν, *secundùm promissionem*] 2 Samuel. 7. 12, 13. 14 Psalm. 79. 37. Jerem. 23. 5. Mich. 5. 2. ¶ Ἤγειρε, *suscitavit*] Hoc exscriptores posuere ex eo quod antecessit de Davide: at Manuscriptus in Anglia & alii libri perveteres habent ἤγαγε [*eduxit*,] quo modo Hebræum הביא est, *fecit venire*. ¶ Τῷ Ἰσραὴλ, *Israel*] Illis primo loco: quia inter eos vixit. ¶ Σωτῆρα, *Salvatorem*] Sic vocatur Lucæ. 2. 11. Johan. 4 42. supra 5. 31. & apud Paulum sæpe. Est autem explicatio ejus quod sequitur Ἰησοῦν [*Jesum*.] Vide Matth. 1. 21.

24. Προκηρύξαντος Ἰωάννου, *Prædicante Johanne*] Matth. 3. 1. ¶ Πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ, *ante faciem adventus ejus*] Id est, antequam Jesus munus suum auspicaretur. Sic *ingredi consulatum* dicunt & Jurisperiti. ¶ Βάπτισμα μετανοίας, *baptismum pœnitentiæ*] Marci 1. 4. Luc. 3. 3.

25. Ὡς δὲ ἐπλήρου ὁ Ἰωάννης τὸν δρόμον, *Cùm impleret autem Johannes cursum*] Id est, *cùm in cursu suo pergeret*. Sic *implere post aliquem*, in Hebraismo est *aliquem sequi*. ¶ Τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι, *Quem me arbitramini esse?*] *Quem me existimatis esse*. Subintelligitur, Messiam. Non verba ipsa, sed sensum retulit, qui est Joh. 1. 20. ¶ Οὐκ εἰμὶ ἐγὼ, *non sum ego*] *Is non sum*. ¶ Ἀλλ' ἰδοὺ ἔρχεται μετ' ἐμὲ, *sed ecce venit post me*] *Post me munus suum auspicabitur*. ¶ Οὗ οὐκ εἰμὶ ἄξιος τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι, *cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere*] Vide quæ ad Matth. 3. 11. Joh. 1. 27.

26. Καὶ οἱ ἐν ὑμῖν φοβούμενοι τὸν Θεὸν, *& qui in vobis timent Deum*] Vide supra 16. ¶ Ὑμῖν ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης ἀπεστάλη. *vobis verbum salutis hujus missum est*] Non alienum hic negotium agitur. Nuntius is quem adferimus tam ad vestram, ô Judæi, quàm ad vestram, pii Pisidæ, salutem pertinet.

27. Οἱ γὰρ κατοικοῦντες ἐν Ἱερουσαλὴμ, *Qui enim habitabant Jerusalem*] Plebs. ¶ Καὶ οἱ ἄρχοντες, *& Principes*] Senatores magni Synedrii. ¶ Τοῦτον ἀγνοήσαντες, *hunc ignorantes*] Nescientes illum Jesum esse Messiam promissum. Vide supra 3. 17. 1 Cor. 2. 8 ¶ Καὶ τὰς φωνὰς τῶν Προφητῶν τὰς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκομένας, *& voces Prophetarum quæ per omne Sabbatum leguntur*] Φωνὰς [*voces*] dixit הפטרות [*dimissiones*,] ita enim vocantur, partes Prophetarum in sua Sabbata distributæ, sicut Legis פרשיות [*sectiones*.] Vide infra 15. 21. Audiebant harum rerum vaticinia Sabbatis, inquit, & non intelligebant. Nam ἀγνοήσαντες [*ignorantes*] & ad *Jesum*, & ad *propheticas voces* sive *lectiones* refertur. ¶ Κρίναντες ἐπλήρωσαν *judicantes impleverunt*] Hoc ad Senatores refertur, qui præjudicio suo Jesum confoderunt, Matth. 26. 66. Lucæ 23. 2. Johan. 18. 30. & sic implerunt prædicta Esaïæ 53, & alibi. Est hic ἔλλειψις [*defectus*] duplex: κρίναντες [*judicantes*] nempe αὐτόν [*eum*.] & ἐπλήρωσαν [*impleverunt*] nempe τὰς φωνὰς [*voces*.] deinde κρίναντες pro κατακρίναντες [*condemnantes*,] ut Matth. 7. 1. Joh. 12. 47.

28. Καὶ μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου εὑρόντες, ᾐτήσαντο Πιλάτον ἀναιρεθῆναι αὐτόν. *& nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato ut interficerent eum*] Hoc jam ad plebem pertinet, Matth. 27. 22. Nullam causam veram habebant: neque enim in Legem, neque in ipsos peccaverat. Legem bene expli-

explicaverat, ipsos plurimis affecerat beneficiis.

29. Ὡς δὲ ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ περὶ αὐτοῦ γεγραμμένα, *Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant*] Possis exponere, *postquam finem habuere omnia*, ut respiciatur id quod dixit ipse Christus Johan. 19. 28, 30. Nam sæpe activa sensum habent passivum vel absolutum. Vide quæ dicta ad præceptum quartum Decalogi. ¶ Καθελόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου, *deponentes eum de ligno*] Deest articulus ut sæpe. Vult enim dicere, Οἱ καθελόντες ἀπὸ ξύλου, *qui eum de cruce detulerunt*, Josephus Arimathensis & comites ejus. Matth. 27. 58, 59. ¶ Ἔθηκαν εἰς μνημεῖον, *posuerunt in monumento*] Matth. dicto loco 27. 60. Marci 15. 46. Lucæ 23, 53. Joh. 19. 41.

31. Τοῖς συναβᾶσιν αὐτῷ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας εἰς Ἱερουσαλήμ, *qui simul adscenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem*] Non Apostolis tantùm, sed & mulieribus Galilæis, quæ cum ipso Hierosolyma venerant, Matth. 27. 55. ¶ Οἵτινές εἰσι μάρτυρες αὐτοῦ πρὸς τὸν λαόν. *qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem*, Supra 10. 41. Adde supra 1. 22, 32. & 3. 15. & 5. 32. & 10. 39.

32 Ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην, ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκε τοῖς τέκνοις, *vobis annuntiamus eam quæ ad Patres nostros repromissio facta est; quoniam hanc Deus adimplevit filiis*] Εὐαγγελίζεσθαι [*annuntiare*] hic rursum habemus cum accusativo personæ, ut supra 8. 25, 40. In sequentibus est Hebraica circumductio, pro qua liceat dicere, Ὅτι τὴν ἐπαγγελίαν πρὸς τοὺς πατέρας γενομένην ἐκπεπλήρωκεν ὁ Θεός [*Quoniam repromissionem ad Patres factam implevit Deus.*] *Hic est nuncius quem adferimus vobis, impleta illa promissa.* ¶ Ἀναστήσας Ἰησοῦν *resuscitans Jesum*] Id est, *exhibens*, ut supra 2. 30. & 3. 26. nam infra distinctè sequitur ἀναστήσας ἐκ νεκρῶν [*suscitans à mortuis.*]

33. Ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται. *Sicut & in Psalmo secundo scriptum est*] Vetus scriptum fuit τῷ πρώτῳ [*primo*,] ut plures ex Hieronymo monuere, additâ causâ, quia olim in Hebræis codicibus Psalmi, qui nunc primus & secundus dicuntur, cohærebant. Idem in aliis etiam Psalmis evenit. ¶ Υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. *Filius meus es tu; ego hodie genui te*] *O Fili mi, hodie te genui*, id est, *Regem te feci*, ut diximus ad Psalmum. Hoc in Christo impletum, cùm *ei data omnis potestas & in cælo & in terra*, Matth. 28. 18. Justinus colloquio cum Tryphone, Τότε γένεσιν αὐτοῦ λέγων γενέσθαι, ἐξότε ἡ γνῶσις αὐτοῦ ἔμελλε γενέσθαι [*Natum eum exinde dicens, ex quo futurum erat ut nosceretur.*] Rectè: nam sicut qui nascuntur nosci incipiunt, ita & qui in magnum honorem evehuntur. Similia similium occupant nomina. Judæos antiquitus hunc locum ad Messiam retulisse, apparet & ex eo ipso Justini loco, & ex Davide Kimchi.

34. Ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, *Quòd autem suscitavit eum à mortuis*] Retro redit ad id quod de resurrectione dixerat, ostendens & hoc vaticiniis congruere. ¶ Μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, *amplius non reversurum in corruptionem*] Non iterum moriturus, ut illi quos Elias & Elisæus suscitavére. Vide supra 2. 27. ¶ Ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά. *Quia dabo vobis sancta David fidelia*] Lxx in Esaiæ 55. 3. Διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον, τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά [*feriam vobis pactum sempiternum, misericordias David fideles.*] Sensus est, Misericordiam meam vobis tam constantem exhibebo, quàm exhibui Davidi. Genitivus hic est Δαβὶδ [*David*] significatque objectum, & subintelligitur ὡς [*tanquam.*]

35. Διὸ καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει *Ideoque & alias dicit*] *Alibi dicit*, *David* scilicet, quod ex remotiore loco repetitur, ut sæpe. ¶ Οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*] Est idem locus qui supra 2. 27.

36. Δαβὶδ μὲν γὰρ τῇ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ, *David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei*] *Cum per suam ætatem inservisset Dei consiliis*, nempe in populo regendo. Vide supra 22. ¶ Ἐκοιμήθη, καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ, *dormivit & appositus est ad Patres suos*] Sepultus est. Vide supra 2. 29. ¶ Καὶ εἶδε διαφθοράν. *& vidit corruptionem*] Aliquo tempore servatus fuit à morte, quæ via est ad dissolutionem corporis, non in perpetuum. Est ἐξήγησις [*explicatio*] præcedentium, eò tendens, ut pateat locum modò productum excellentiùs in Christum quàm in Davidem convenire.

37. Ὃν δὲ ὁ Θεὸς ἤγειρεν, *Quem verò Deus suscitavit*] Tertio scilicet die. ¶ Οὐκ εἶδε διαφθοράν. *non vidit corruptionem*] Mors eum effectum in eo non habuit, ut corpus dissolveret. Est duplex κατάχρησις [*Abusio.*] nam & *videre* ponitur pro *experiri*, & *experiri* de mortuo non nisi impropriè dicitur.

38. Διὰ τούτου ὑμῖν ἄφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται. *per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur*] Vide supra 10. 43.

39. Καὶ ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως δικαιωθῆναι, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται. *Et ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Moysis justificari, in hoc omnis qui credit, justificatur*] Non est idem quod præcessit, sed aliud beneficium. Nam הצדיק, quod plerumque Græcè est δικαιοῦν [*justificare*] significat & *purgare*: vertiturque יצדק καθαρὸς ἔσται [*purus erit*,] Job. 4. 17. καθαρισθήσεται [*purificabitur*,] Dan. 8 14. Purgatur à criminibus qui à peccandi consuetudine liberatur. Id ἐπὶ τὸ πολὺ [*ut plurimum*] per Legem non fiebat, Hebr. 10. 1, 2. Causa est quia lex promissa non habebat cœlestia. Hæc autem attulit Christus, ideoque corda purificavit.

40. Τὸ εἰρημένον ἐν τοῖς προφήταις. *quod dictum est in Prophetis*] In eo volumine quod ab Hebræis dicitur נביאים [*Prophetæ.*] Videte ne idem vobis eveniat, quod olim parentibus vestris Urbe & Templo exciso, ipsis deportatis ob contemptum beneficiorum Dei. Vide Abacucum & ibi dicta.

41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί, *Videte contemptores*] Abacuc. 1. 5. *Videbitis vos qui tot monita contemnitis*, quid sim facturus. Verum est quod conjecit Beza Lxx Senes pro בגוים [*in gentibus*] legisse בוגדים [*contemptores*:] nam & in eodem Abacuco 2. 5. בוגד vertitur καταφρονητής [*contemptor.*] ¶ Καὶ θαυμάσατε, *& admiramini*] Contraxit Lucas salvo sensu Græca quæ sic habent, Καὶ ἐπιβλέψατε καὶ θαυμάσατε θαυμάσια [*& inspectate & admiramini mirabilia.*] ¶ Καὶ ἀφανίσθητε. *& deformate*] Nempe τὰ πρόσωπα [*facies*,] ut Matth. 6. 16. *expallescite.* Quomodo Lxx Senes hic in Hebræo legisse videantur, diximus ad Prophetam ipsum. ¶ Ὅτι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι, *quia opus operor ego*] In Lxx pro ὅτι [*quia*] est διότι [*quoniam*] Apparet à Luca hæc non ex codice scripta, sed quantum memoria suppeditabat. ¶ Ἔργον, *opus*] Hæc repetitio vocis in Græco non est, sed rem efficaciter exponit. ¶ ᾧ οὐ μὴ πιστεύσητε, *cui non credetis*] Alii codices habent ὃ [*quod*,] quomodo & codex Lxx Interpretum.

42. Παρεκάλουν τὰ ἔθνη, *rogabant Gentes*] Pisidæ isti. ¶ Εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, *ut sequenti sabbato*] Omnino legendum εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων, *medio tempore inter duo sabbata.* Id ideo dicunt, quia videbant Apostolos per sabbata Judæis instituendis vacare, ut patet supra 13. 14. infra 44. & 16. 13. Olim o longum & o breve ad eandem aut supparem formam scribebatur.

43. Τῶν σεβομένων προσηλύτων, *colentium advenarum*] Non τῶν ἑλλήνων [*Græcorum*,] sed eorum qui Legi Mosis se subdiderant, גר צדק [*advenæ justitiæ.*] ¶ Οἵτινες, *qui*] Paulus & Barnabas. ¶ Προσλαλοῦντες αὐτοῖς, *loquentes eis*] Illis Judæis & Proselytis. ¶ Ἐπιμένειν τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ. *ut permanerent in gratia Dei*] Ita per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] vocatur doctrina Euangelica, quæ summo Dei beneficio nobis contigit. Sic Heb. 12. 15. 1 Petr. 5. 12.

44. Τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ, *sequenti verò sabbato*] Meliùs Manuscriptus, τῷ δὲ ἐχομένῳ σαββάτῳ, id est, *sabbato proximo.* Sic τῇ ἐχομένῃ [*sequenti*] infra 20. 15.

45. Ἰδόντες δὲ οἱ Ἰουδαῖοι τοὺς ὄχλους, *Videntes autem turbas Judæi*] Illos ex Gentibus, quibus ferre non poterant se æquari. Hoc est quod ζῆλον [*zelum*] vocat. ¶ Ἀντέλεγον τοῖς ὑπὸ τοῦ Παύλου λεγομένοις ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες. *contradicebant iis quæ à Paulo dicebantur contradicentes & blasphemantes*] Illa ἀντιλέγοντες καὶ [*contradicentes &*] sicut in multis aliis libris desunt, ita & in illo optimo Manuscripto. Pariter habentibus codicibus usi sunt Syrus, Latinus, Arabs.

46. Παῤῥησιασάμενοι, *constanter*] Nihil territi ipsorum contumeliis. ¶ Ὑμῖν ἦν ἀναγκαῖον πρῶτον λαληθῆναι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei*] Ἀναγκαῖον ἦν, id est, *oportebat*, ex Christi præcepto & exemplo, Matth. 10. 6. & 15. 24. Luc. 24 47. supra 1. 8. ¶ Ἐπειδὴ δὲ ἀπωθεῖσθε αὐτόν, *sed quoniam repellitis illud*] מאסתם *fastiditis.* מאס plurimis in locis Veteris Testamenti vertitur ἀπωθεῖν [*repellere*,] interdum ἐξουθενεῖν [*contemnere*,] φαυλίζειν [*flocci facere*,] aliisque verbis. Vide supra 7. 39. 1 Tim. 1. 19. ¶ Καὶ οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς, *& indignos vos judicatis æterna vita*] Est idem loquendi genus, L. Judices Cod. de dignitatibus libro 12. *Nec sibi posthac de eo honore blandiantur, quo se ipsos indignos judicaverunt.* id est, ostenderunt non minus clare, quàm Judex qui sententiam pronuntiat. Solent actionibus nomina tribui aliarum actionum, quarum pares sunt effectus. Vide quæ dicta libro 2. de Jure Belli ac Pacis 20. 2. Matth. 26. 12. Vide & Psal. 106. 24. Prov. 8. 36. & 17. 19.

47. Οὕτω γὰρ ἐντέταλται ἡμῖν ὁ Κύριος. *Sic enim præcepit nobis Dominus*] Christus dicto loco supra 1. 8. Matth. 27. 19.

Marc.

Marc. 16. 15. Luc. 24. 47. ¶ Τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν τοῦ εἶναί σε εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. *Poſui te in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ*] In verſione Lxx Eſa. 49. 6. Δέδωκά σε εἰς διαθήκην γένους εἰς φῶς ἐθνῶν τοῦ εἶναί σε, εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς [*Dedi te in teſtamentum generis, in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ.*] Hoc de Eſaia dictum, multò magis Chriſto convenit, qui feciſſe dicitur quod fecit per Apoſtolos. Eſt autem allegatio hæc abſolutè poſita, ita ut ante eam ſubaudiatur, *ſicut ſcriptum eſt*, quod rectè ſupplent Syrus & Arabs.

48. Ἀκούοντα δὲ τὰ ἔθνη, *Audientes autem Gentes*] Piſidæ, parem ſibi à Deo honorem haberi cum Judæis, qui ſe ſolos populum Dei vocabant. ¶ Καὶ ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ Κυρίου *& glorificabant verbum Domini*] Laudarunt Dei bonitatem in Euangelio apparentem. ¶ Καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. *& crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam*] Non eſt hîc προωρισμένοι, quod eſſet *prædeſtinati*, ſed nec προτεταγμένοι [*præordinati:*] verùm τεταγμένοι [*ordinati.*] Et manifeſtè hi τεταγμένοι [*ordinati*] *ad vitam æternam*, opponuntur eis, *qui ſe eâ vitâ indignos judicaverant*, id eſt, oſtenderant. Τάττειν valet שום, quod & per τιθέναι [*ponere*] ſæpe vertitur, & inter alia ſignificat *parare*. Tum verò frequens eſt Hebræis ut forma paſſiva ponatur pro reciproca, Niphal pro Hithpael: notant id Hebræorum Grammatici, Levit. 25. 29. 2 Sam. 20. 10. & ſequuntur Helleniſtæ. Sic 2 Macc. 14. 3. μεμολυμένος eſt *qui ſe polluerat*. Sic Rom. 10. 3. οὐχ ὑπετάγησαν, *ſe non ſubjecerunt*, & Heb. 12. 9. ὑποταγησόμεθα, *ſubjiciemus noſmet*, Jacobi 4 7. & 1 Petr. 5. 5. ὑποτάγητε, *ſubjicite voſmet*, & 10. ταπεινώθητε, *humilitate voſmet*, quod verbum pari ſenſu habes, 1 Petr. 5. 6. *Parant ſe vitæ æternæ*, qui, ſi ejus ſpes detur, graviſſima ob id velint facere ac pati. Tales ſunt εὔθετοι εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, [*apti regno Dei*,] ut Lucas loquitur 9. 62. & facilè credunt Euangelio, Joh. 7. 17. Cùm hæc dicimus, non excludimus prævenientem gratiam: facere enim homines dicuntur id quod faciunt per Dei gratiam excitati, ſicut ſe dicuntur *convertere*. Eſt enim quædam gratia etiam ante fidem, quæ *Patris tractio* vocatur. Nihil vident qui ad *prædeſtinationem*, & quidem *abſolutam*, ut loquuntur, hæc verba referunt. Nam neque *prædeſtinati* omnes unius loci credunt eodem tempore, neque omnes qui credunt, ſunt eo ſenſu *prædeſtinati*. Neque id arcanum de ſingulis, qui ad ſalutem perventuri eſſent, qui non, Lucæ erat revelatum.

49. Διεφέρετο δὲ ὁ λόγος τοῦ Κυρίου, *Diſſeminabatur autem verbum Domini*] Ille ſermo de quo locutus erat Lucas ſupra 48.

50. Τὰς σεβομένας γυναῖκας, *mulieres religioſas*] Proſelytas. Nam erant & proſelyti in ea urbe, ut audivimus ſupra 43. ¶ Καὶ τὰς εὐσχήμονας, *& honeſtas*] Illæ proſelytæ alias feminas honoratas, notas ſibi, concitabant. Nomen εὐσχήμονος [*honeſti*] hoc ſenſu habuimus & Matth. 15. 43. & habebimus rurſum de fœminis, infra 17. 12. Græci hoc loco εὐσχήμονας γυναῖκας [*mulieres honeſtas*] Romano vocabulo *matronas* interpretantur: non malè, Clemens de rebus Petri, Τῶν εὐγενῶν τὰς ἐπιφανεστάτας καὶ ἃς ὁ λόγος ματρώνας οἶδε καλεῖν [*Quæ erant inter ingenuas illuſtriores & quas matronas vulgò appellant*] Cedrenus, τὰς σώφρονας γυναῖκας ματρώνας ἐκάλουν [*honeſtas mulieres matronas appellabant.* ¶ Καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, *& primos civitatis*] Illæ matronæ maritos ſuos incitabant. Τοὺς πρώτους τῆς πόλεως [*Primos civitatis*] habes & in Novella Juſtiniani 123. Ita vocantur Decurionum primi, Latinè *Principales*, ut apud Tertullianum & Cod. Theodoſiano. Hi erant alibi quinque, alibi decem, alibi viginti. ¶ Καὶ ἐπήγειραν διωγμὸν, *& excitaverunt perſecutionem*] Vide Matth. 5. 10, 11, 12. & 13. 21. ſupra 8. 1. ¶ Καὶ ἐξέβαλον αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. *& ejecerunt eos de finibus ſuis*] Exire juſſerunt pro imperio. Sic verbum id ſumitur Matth. 9. 25.

50. Οἱ δὲ ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν αὐτῶν, *At illi excuſſo pulvere pedum ſuorum*] Non rem tantùm, ſed & rei ſymbolum obſervarunt, juxta Domini verba, Matth. 10. 14 ubi dicta vide. ¶ Ἐπ' αὐτοὺς, *in eos*] *Adverſus ipſos: in teſtimonium contra ipſos*, ut eſt Luc. 9. 5. ¶ Εἰς Ἰκόνιον. *Iconium*] Urbem Lycaoniæ. Strabo 12.

52. Οἱ δὲ μαθηταὶ, *Diſcipuli quoque*] Qui Pergis Euangelio crediderant. ¶ Ἐπληροῦντο χαρᾶς, *replebantur gaudio*] Ob acceptam peccatorum remiſſionem & promiſſa cœleſtia. ¶ Καὶ πνεύματος ἁγίου. *& Spiritu Sancto*] Donis ad obſignandam fidem.

PRICÆUS.

Com. 2. Εἰς τὸ ἔργον ὃ προσκέκλημαι αὐτοὺς] Vera lectio, nam eſt elleipſis particulæ εἰς, quæ viciſſim ſuprà 7. 4. abundat. Ἔργον autem, ut infrà 14. 26. & 15. 38. & 1 Theſſ. 5. 13. abſolutè. Philip. 2. 20. Χριστοῦ ἔργον. 2 Tim. 4. 5. εὐαγγελιστοῦ ἔργον. Epheſ. 4. 12. ἔργον διακονίας dicitur.

Com. 7. Ἀνδρὶ συνετῷ] Bene Latinus *prudente*. In Gloſſario, Συνετὸς, *prudens*.

Com. 8. Ζητῶν διαστρέψαι τὸν ἀνθύπατον ἀπὸ τῆς πίστεως] Gloſſæ, Διαστρέφω, *Perverto*, *diverto*. Sic Apulejus, *Suo arbitratu de via eum deflectit.*

Com. 9. Ἀτενίσας εἰς αὐτὸν] Auguſt. Confeſſ. 9. 11. *Quo audito, illa vultu anxio reverberans eum oculis quòd talia ſaperet*, &c. Idem affectus exprimitur in iis Marc. 3. 5. μετ' ὀργῆς περιβλεψάμενος & Matth. 16. 23. in voce στραφεὶς. Obtutus fixus hic, & Jobi 2. 20. (ubi in Græco ἐμβλέπων) eſt iræ ac deteſtationis: Marc. 10 21. Joh. 1. 36, & 43. ſuprà hic 3. 4. & infrà 14 9. benevolentiæ nota.

Ibid. Ἀτενίσας, &c.] Vulgatus *intuens*: in Gloſſario, *Intuens*, ἀτενίζων & meliùs fortè ità in Contextu noſtro legas quàm ἀτενίσας.

Com. 10. Ὦ πλήρης παντὸς δόλου καὶ πάσης ῥᾳδιουργίας] Apud Heſiodum.

> Ὦ πέπον, οὐκ ἄρα τι δολίης ἐπιλήθεο τέχνης.

Quæ legenda interrogativè putem. Ità Petrus ſtatim, οὐ παύσῃ; &c. Ariſtophanes Equit. Ὦ περὶ πάντ', ἐπὶ πᾶσί τε πράγμασιν, &c. ubi Scholia, Ὦ ἐπὶ πάσῃ προδοσίᾳ ἐξεταζόμενε καὶ κακίᾳ! Similis & illa compellatio in Suſannæ hiſtoria, ἡμερῶν κακῶν πεπαλαιωμένε. Ait πλήρης παντὸς δόλου. Sic Rom. 1. 29. ἀδικίᾳ πεπληρωμένους. Servius ad Æn. 11. *Falſa gloria plenus:* & ad 7. *Pectus plenum malitiæ efficaciâ.* Catullus, *Pleni ruris & inficetiarum.* Plautus,

> *Fraudis, ſceleris, parricidii, perjurii pleniſſimus.*

Ibid. Οὐ παύσῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας;] Id eſt, hominem rectâ Domini viâ incedere volentem non ceſſabis divertere? Vide ſuprà com 7. Plutarchus in De amici & adulat. diſcrim. Καθάπερ ξύλον, τὸ ἦθος ἐκ καμπῆς εἰς τοὐναντίον, ἀπειρίᾳ τοῦ κατορθοῦν διαστρέφουσι. Οὐ παύσῃ hic eſt παῦσον. Herodianus 2. Οὐ παύσῃ ἀνάξια σεαυτοῦ, &c. λέγων; & pòſt, Οὐ παύσεσθε χλευάζοντες πρεσβύτην; &c.

Com. 11. Ἔσῃ τυφλὸς, μὴ βλέπων τὸν ἥλιον] Sic 1. 20. in Euang. Ἔσῃ σιωπῶν, καὶ μὴ λαλῆσαι δυνάμενος. Sic infrà heic 14. 8. χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ, ὃς οὐδέποτε περιεπατήκει & 18. 9. λάλει, καὶ μὴ σιωπήσῃς. Vide & Luc. 9. 45. Sic Joh. 1. 20. ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο. Ejuſdem 1 Epiſt. 2. 27. ἀληθές ἐστι, καὶ οὐ ψεῦδος & Epiſt. 2. 9. ὁ παραβαίνων, καὶ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ, &c. Matth. 29. 14. ἄφετε, καὶ μὴ κωλύετε Marc. 14. 61. ἐσιώπα; καὶ οὐδὲν ἀπεκρίνατο & aliquoties apud Lxx Senes, ut Deuter. 9. 7. μνήσθητι, μὴ ἐπιλάθῃ 2 Reg. 9. 3. φεύξῃ, καὶ οὐ μενεῖς. Quæ, & alia id genus in his occurrentia, nec rectè illepidas geminationes, nec verò Hebraiſmos vocabimus, cùm & Græcia (diſertior & melior Græcia) ità loqui ſoleat. Homeri eſt,

> —— ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδὲ δίκαιοι.

Heſiodi,

> Γνῶ ῥ', οὐδ' ἠγνοίησε δόλον. ——

Platonis, Ἀπειθοῦντες, καὶ μὴ πειθόμενοι. Plutarchi, Ἐν τοῖς δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην αὐτῷ γεγραμμένοις. Ariſtophanes (eâdem ipsâ quâ hic Lucas formâ) Ἢν γὰρ ὁ Πλοῦτος νυνὶ βλέψῃ, καὶ μὴ τυφλὸς ὢν, περιοστῇ. Et Sophocles,

> Τυφλὸς γὰρ, ὦ γυναῖκες, οὐδ' ὁρῶν Ἄρης.

Præbent & Latini Scriptores ſimilium non infrequentem copiam. Virgilius,

> ——— *Non adverſata petenti*
> *Annuit.* ———

In l. 13. Cod. De his qui accuſ. non poſſ. *Si magnum & capi-*

pitale crimen admiserit, & non leve. Gellius 1. 23. *Respondit, tacendum esse, neque id dici licere.* Idem 14. 1. *Atque id maxime dissidere, neque convenire dicebat:* & 15. 22. *Jussit tacere, & ne cui palam diceret, interminatus est.* Apuleius in De Philosophia, *Quoniam qui est ignarus, osor quoque nec amicus virtutum sit, necesse est.* Hæc, inquam, & alia hujuscemodi nullam inanem repetitionem habent, sed fortiùs audientis aures feriunt, & loquentis efficaciam demonstrant.

Ibid. Παραχρῆμα ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἀχλὺς καὶ σκότος] De altero illo in Controversiis Senecæ, *Obortæ sunt subitò tenebræ,* &c. Apud Quintilianum 2. 9. ex ejusdem Senecæ fragmentis, *Non video, nox oboritur, & crassa caligo.*

Ibid. Καὶ περιάγων ἐζήτει χειραγωγούς]

Οἱ γὰρ βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα.

Scholiastes ad Plutum Aristophanis, Οἱ Ἀθηναῖοι ἡγεμόνιον Ἑρμῆν ἱδρύσαντο, παρὰ τὸ τοῖς τυφλοῖς τοὺς βλέποντας ἡγεῖσθαι. Notetur hic autem vocis χειραγωγοὺς proprietas. Electos, ut id fiat, locos aliquot in medium promemus. Plutarchus in De Fortuna. Τί δέ; ὃν μέλλομεν ὅταν ὥσπερ ὄμματα τὴν εὐβουλίαν ἐκκόψαντες αὐτῶν, τῷ βίῳ τυφλὴν χειραγωγὸν λαμβάνομεν; Artemidorus 1. 28. Ἀλλοτρίους δοκεῖν ἔχειν ὀφθαλμοὺς τυφλὸν γενέσθαι σημαίνει, καὶ ὑπ' ἄλλου χειραγωγηθῆναι. Ibid. cap. 50. Πολλοὺς δὲ τὸ ὄναρ τοῦτο (nempe, plures pedes habere) τυφλοὺς ἐποίησεν, ἵνα χειραγωγοῖς χρήσωνται. Et lib. 5. § 21. Τυφλὸς ἐγένετο, καὶ ὑπὸ τοῦ δούλου ἐχειραγωγεῖτο. Sic apud Max. Tyrium Dissert. 37. αἰτίζειν ἐν τῷ ἀφανεῖ τὴν χειραγωγίαν. Charite Thrasyllum excæcatura apud Apuleium, *Lumen certe non videbis, manu comitis indigebis.* Virgilius de Cyclope.

Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.

Servius, *Cujus cæcitatem manu pinus regit.* Περιάγειν hîc est *circumire, huc illuc ferri,* ut solent lumine orbati. Vide Genes. 19. 11. Iterum Scholiastes ad Plutum Aristophanis, Ὁ τυφλὸς πορείαν εὐθεῖαν οὐ ποιεῖ, i. e. περιάγει. Plutarchus de eodem Cyclope loquens, ῥέμβεσθαι, σφάλλεσθαι, τὰς χεῖρας πανταχοῦ ἐκτείνειν dixit. Aristophanes jam dictâ fabulâ, προσπταίων περινοστεῖν ubi Scholiast. ἀπὸ τόπου εἰς τόπον πορεύεσθαι καὶ μεταβαίνειν.

Com. 12. Ἐκπλησσόμενος ἐπὶ τῇ διδαχῇ τοῦ Κυρίου] Sic Matth. 7. 28. Ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. Quo Vetus utroque loco *admirandi* verbo usus. Διδαχὴν hîc apud Lucam intellige inhumanam potentiam quæ in doctrinæ promulgatione illius se tam insigniter & formidabiliter exseruit.

Com. 18. Ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς) Protervos ac varios mores eorum sustinuit. Apud Suidam in σκύμνος, Τοιαύτην τινὰ διάνοιαν, μὴ καταδέξασθαι, ἢ καταδεξάμενον τροποφορεῖν. Locutio videtur tracta à parentibus qui liberorum morositatem patienter ferunt. 2 Maccab. 7. de se mater illa ad filiorum ultimum. Ἐκθρέψασάν σε, καὶ ἀγαγοῦσάν σε εἰς τὴν ἡλικίαν ταύτην, καὶ τροποφορήσασάν σε. Macrobius Sat. 2. 5. in Augustini Apophthegm. *Dicebat necesse habere se ferre duas delicatas filias; Juliam. & Rempublicam.* Ubi *ferre* est τροποφορεῖν. Vide & Varronem apud Gellium 1. 17.

Com. 21. Κἀκεῖθεν] Id est, *Ab illius temporibus:* nec aliâ hîc interpretatione opus. Gloss. Ἐκεῖθεν, *Dein, exinde,*

Com. 22. Καὶ μεταστήσας αὐτὸν, &c.] Ità Hebr. 11. 5. de Enocho, μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεός.

Com 25. Τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι] Id est, τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος λῦσαι, ut Marc. 1. 7. Joh. 1. 27. Petronius *vincula calceamentorum resolvere* dixit. Vilissimum ministerii genus exprimere Baptistes voluit. Suetonius in Vitellio, *Pro maximo munere à Messalina petiit ut sibi pedes præberet excalceandos.*

Com. 31. Ὃς ὤφθη] Ὃς, ut alibi, pro καί. Vide suprà ad 7. 20. dicta.

Com. 41. Καὶ θαυμάσατε, &c. ὅτι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι, &c.] Non temere hic vox θαυμάσατε posita. Vide ad Matt. 21. 42. dicta.

Com. 43. Ἔπειθεν αὐτοὺς ἐπιμένειν τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ] Vide suprà ad 11. 23. & infrà ad 14. 22. notata.

Com. 45. Βλασφημοῦντες] Clemens Stromat. 7. Εἰσὶ γὰρ οἱ οὐδὲ ἀνέχονται τὴν ἀρχὴν ἐπακοῦσαι τῶν πρὸς τὴν ἀλήθειαν προτρεπόντων καὶ δὴ φλυαρεῖν ἐπιχειροῦσι, βλασφήμους τῆς ἀληθείας καταχέοντες λόγους. Infrà 19. 9. argum. isto, κακολογοῦντος.

Com. 46. Ὑμῖν ἦν ἀναγκαῖον πρῶτον λαληθῆναι, &c.] Marc. 7. 27. ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα. Vide suprà 3. 26.

Ibid. Ἐπειδὴ δὲ ἀπωθεῖσθε αὐτὸν, καὶ οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς, ἰδοὺ, στρεφόμεθα εἰς τὰ ἔθνη] *Nulli* enim *nisi audituro dicendum est,* Seneca Epist. 29. Quintilianus lib. 6. *Faciunt hoc medici, ut remedia perinde perseverent adhibere vel desinant, prout illa recipi vel respui vident.* Arnobius, *An tibi aspernanti fugientique infundenda in gremium est Divinæ benevolentiæ gratia? vis sumere quod offertur, atque in tuos usus convertere? consulueris tibi.* Leo Imp. Constit. 86. Οἱ τὴν παρὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος διδομένην αὐτοῖς τιμὴν περιυβρίζοντες, καὶ τὸ ἑαυτῶν μέρος τὸ ὕψος ταπεινοῦντες τῆς χάριτος, δικαίως, οἷα τῆς εὐεργεσίας ἀνάξιοι ἧς τὸ μέγεθος οὐκ αἰσθάνονται, τὴν ἀφαίρεσιν κατακρίνονται. Confer & Matth. 21. 43. & quæ ad Matth. 7. 6. dicta. Τὸν λόγον ἀπωθεῖσθαι hic, ut suprà 7. 51. τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἀντιπίπτειν. ubi & notata vide. Ἑαυτοὺς οὐ κρίνετε ἀξίους est Græcæ elegantiæ locutio. Arrianus 4. 11. in Epictetum, Σαυτὸν ἄξιον ἡγῇ τῶν ὄζειν. Idem 2. 20. Κάθευδε, καὶ τὰ τοῦ σκώληκος ποίει, ὧν ἄξιον ἔκρινας σεαυτόν. Ibidem. Ὧν ἄξιον ἔκρινας σεαυτὸν, ἔσθιε, καὶ πίνε, καὶ συνουσίαζε. Apud Aristophanem ille in Equit.

Οὐκ ἀξιῶ 'γὼ μ' αὐτὸν ἰσχύειν μέγα.

Scholiastes, οὐκ ἄξιον κρίνω. Imò nec ignota Latinis hæc loquendi venustas. Cicero Catil. 1. *Quàm longè videtur à carcere atque à vinculis abesse debere, qui seipsum jam dignum custodiâ judicavit?* E converso 1. 2. apud Quintilianum, *Optimus quisque præceptor frequentiâ gaudet, ac majore se theatro dignum putat.* Et Apuleium, *Sola Philosophia suum non despexit ingenium nec indignam se existimavit cui Divinarum & humanarum rerum disceptatio deferatur.* Parem potestatem habet utraque locutio: nam qui se turpia digna putat, hoc ipso bonis se indignum judicat. In l. 21. ff. De statu hom. *Homo liber qui se vendidit, manumissus ad statum non revertitur quo se abdicavit:* id est, οὐ ἄξιον ἑαυτὸν ἔκρινεν. Apud Ciceronem, in Pro Cecina est, *videri eum, qui cùm liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicasse.* Arrianus 1. 2. in Epictetum, Σὺ εἶ ὁ σαυτὸν εἰδὼς πόσου ἄξιος εἶ, καὶ πόσου σεαυτὸν πιπράσκεις.

Com. 48. Καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον] Τάττειν εἰς ζωὴν αἰώνιον heic, non est, ad æternam vitam prædestinare, sed ponere in eo statu qui capaces illius vitæ faciebat, donando fidem nempe. Matth. 20. 16. καλεῖν 1 Pet. 2. 8. τιθέναι 2 Tim. 2. 4. στρατολογεῖν nam & τάττεσθαι hic à militia desumptum putem. Salvatos fuisse hos omnes non est necesse credere.

Com. 50. Τοὺς πρώτους τῆς πόλεως] τοὺς κατ' ἐξοχὴν ὄντας τῆς πόλεως ut infrà 25. 23. Τοὺς ἐν τῇ πόλει πρωτεύοντας Artemidorus 3. 64 dixit. τοὺς ταῖς δόξαις καὶ τοῖς πλούτοις ἐν ταῖς πόλεσι πρωτεύοντας Dio in fragmentis. Paulus 2. 2. ad Galat. τοὺς δοκοῦντας. Infrà 25. 2. & 28. 27. simpliciter πρῶτοι vocantur. Latinis *principales,* ut præter Tertullianum & Jurisconsultos, Apuleio Miles. 8. & 4. Florid. nonnunquam *Principes.* Glossarium, *Princeps*, πρωτοπολίτης. Sic Plinius Epist. 3. 7. & Cicero in Familiaribus.

Ibid. Καὶ ἐξέβαλον αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν] Hieronymus in Epistolis, *Amos de Samaria pellitur. Cur, quæso? nempe ideo quia Chirurgici spirituales secantes vitia peccatorum, ad pœnitentiam cohortabantur.*

Com. 51. Ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν αὐτῶν, &c.] Matth. 10. 14. Sic κόνιν τῶν ὅπλων ἀποσείεσθαι Plutarch. in de Alex. fort.

C A P. XIV.

V A L L A.

14. **E***X silierunt*] *Insilierunt* est legendum, εἰσεπήδησαν.

15. *Et nos mortales sumus, similes vobis homines*] Optimè quidem translatum: tamen Græca sententia hæc est, *Et nos similes vobis passibiles homines*, ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι.

16. *Qui præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*] Legendum est *in viis suis.* Accipitur enim nunc *ingredi* pro *ambulare*, non pro *intrare*. Supervacuum est afferre exempla hujus vocabuli, quod dum dicitur *ingredior in viam*, sign. *introeo*; dum dicitur *ingredior in via*, significat *ambulo*: satis sit quòd ità se habet Græcè, ἐν ταῖς ὁδοῖς. Etiam meliùs diceretur *permisit* quàm *dimisit*, εἴασε.

REVIUS

REVIUS in VALLAM.

15. *Similes vobis patibiles*, ὁμοιοπαθεῖς] Beza, *iisdem obnoxii affectionibus.* Vulg. *Similes*, i. ὅμοιοι nec hoc malè. Sap. 7. 3. ἔσπασα τὸν κοινὸν ἀέρα, καὶ ἐπὶ τὴν ὁμοιοπαθῆ κατέπεσον γῆν. Josippus c. 12. ὅτι ἡδέως ἄνθρωπος ὢν, θηριωδέστατε, τοὺς ὁμοιοπαθεῖς καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν γεγονότας στοιχείων γλωττοτομῆσαι; Prior locus satis perspicue facit pro Vulgata.

ERASMUS.

1. *Factum est autem in Iconio*] Cùm Iconium civitatis sit nomen, non regionis, *Iconii* dicendum erat, non *in Iconio. Iconii* habebat exemplar Constantiense. Sunt autem hujus nominis, altera Lycaoniæ ad montem Taurum, altera Ciliciæ. De priore, ni fallor, hîc loquitur.

2. *Suscitaverunt & ad iracundiam concitaverunt*] Ἐπήγειραν καὶ ἐκάκωσαν, *concitaverunt & corruperunt.* Nam *afflixerunt* hîc non congruebat.

5. *Contumeliis afficerent*] Ὑβρίσαι. Potius est hoc loco, *ut vim facerent:* neque enim usque adeò timebant contumelias. Deinde quod sequitur de *lapidando*, velut interpretatur superius verbum ὑβρίσαι.

6. *Intelligentes fugerunt ad civitates Lycaoniæ*] Συνιδόντες. Aptius erat, *Re intellectâ*; sive, *Quod cùm animadvertissent.* ¶ *Et universam in circuitu regionem*] Καὶ τὴν περίχωρον, *& in circumjacentem regionem.* Quorsum autem hic attinebat addere *universam?* Hoc loco Latini cod. plus habent quàm Græci, nimirum hæc, *Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum: Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris.* Quæ verba Beda, ni fallor, in Glossa quam vocant *Ordinariam*, fatetur in nonnullis Latinorum cod. non haberi: & certè in hoc contextu non habentur. Nec hæc attingit Lyranus, cùm scribat commentarium perpetuum. Cæterùm in editione cui sunt adjecti commentarii Cartensis adjectum videmus in spatio marginali: aliàs non habet, sed est in Græco. Nè Chrysostomus quidem diligenter enarrans hunc locum, quicquam horum verborum attingit. Quin etiam paulò superiùs, post hæc verba, *& universam in circuitu regionem*, Beda notat in Græcis cod. plus esse, *Deus autem pacem fecit*; quod in nostris aliquot non habeatur: cùm hodie nec in Græcis nec in Latinis haberi videamus. Ac nè Chrysostomus quidem attingit quod indicavimus deesse, *Surge super pedes tuos rectus.* Et hîc Beda in Glossa quam vocant *Ordinariam* indicat in Græcis libris secùs haberi, nimirum hunc in modum, *Dixit magnâ voce, Tibi dico in nomine Domini nostri Jesu Christi, Surge super pedes tuos rectus.* Ac fieri potest ut tale quippiam repertum sit in aliquo Græco codice, cùm mirè varient in Actis. Certè in his quos ego viderim nihil hic discrepat à nostra lectione. Pòst additum comperi in ed. Hispaniensi, σοὶ λέγω ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ in Aldina non addebatur.

8. *Lystris*] Lystra civitas Lycaoniæ, quemadmodum & Derbe, ut tradit Hieronymus.

11. *Dii similes facti hominibus*] Ὁμοιωθέντες *adsimilati*, ut ità loquar, h. e. Dii specie humanâ.

13. *Ante januas*] Ἐπὶ τοὺς πυλῶνας *ad fores*, sive *ad vestibula.* ¶ *Cum populis*] Σὺν τοῖς ὄχλοις *cum turbis.* ¶ *Volebat sacrificare*] Nonnulli cod. habebant ἤθελον *volebant*, quod dictum sit *cum turbis:* nonnulli ἤθελε *volebat.* Id tamen nihil refert ad sententiam.

14. *Exsilierunt in turbas*] Εἰσεπήδησαν *insilierunt in turbam*, est enim ὄχλον.

15. *Mortales sumus similes vobis*] Καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμὲν *& nos iisdem obnoxii sumus passionibus*, sive malis, *homines.* Neque enim hoc ad mortem tantùm pertinet, sed ad omnia quæ possunt homini accidere.

16. *Omnes gentes ingredi vias suas*] Ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν *viis suis.* Nam *ingredi* posuit pro *vivere*, & *viam* pro *ratione vitæ.*

17. *Non sine testimonio*] Gr. ἀμάρτυρον, dictione compositâ, i. *non expertem testium*, sive *testimonii.* Et pro *sivit* Laurentius mavult *permisit.* Ego malim, *non passus est esse se expertem testimonii:* h. e. aliquo modo testatam esse voluit & illis suam Divinitatem.

18. *Nè sibi immolarent*] Sub hæc verba nonnulli Græcorum cod. hîc addebant, ἀλλὰ πορεύεσθαι ἕκαστον εἰς τὰ ἴδια· διατριβόντων δὲ αὐτῶν καὶ διδασκόντων, i. *sed iret quisque ad sua. Cæterùm cùm illic versarentur ac docerent, supervenerunt*, &c.

19. *Et persuasis turbis*] Καὶ πείσαντες τοὺς ὄχλους, καὶ λιθάσαντες τὸν Παῦλον, *& persuasis turbis, ac lapidato Paulo.* Verùm pro his longè secùs habebatur in nonnullis Græcorum exempl. καὶ διαλεγομένων αὐτῶν παῤῥησίᾳ, ἀνέπεισαν τοὺς ὄχλους ἀποστῆναι αὐτῶν, λέγοντες ὅτι οὐδὲν ἀληθὲς λέγουσιν, ἀλλὰ πάντα ψεύδονται. *Et cùm illi fortiter disputarent, persuaserunt turbis ut desciscerent ab eis, dicentes quòd nihil veri dicerent, sed omnia mentirentur.*

23. *Et cùm constituissent illis*] Χειροτονήσαντες, *Creatis*, sive *Delectis*, *illis Presbyteris:* ut intelligamus suffragiis delectos. Quanquam superius nonnihil abusus est eo verbo.

25. *Loquentes verbum Domini in Perge*] Λαλήσαντες ἐν Πέργῃ τὸν λόγον, *locuti Perga sermonem*; nec additum est *Domini.* Articulus indicat quem *sermonem* dicerent. ¶ *Descenderunt in Italiam*] Græci legunt εἰς Ἀττάλειαν *Attaliam.* Quidam vetustus codex habebat *Mattaliam* pro *Attalia.* Ea civitas est Pamphyliæ maritima, autore Hieronymo. Nam Stephanus eam ponit in Lydia. Siquidem procul aberant ab Italia.

28. *Morati sunt autem tempus* Græcis additur ἐκεῖ, *Commorati sunt illic tempus.*

VATABLUS.

1. *In Iconio*] *Iconii*, Vet.

2. *Et ad iracundiam concitaverunt animas Gentium*] Vel, *corruperunt animos Gentilium*, aut *concitaverunt animas Gentium*; i. Gentes contra fratres Judæos scil. Paulum & Barnabam.

3. *Fiducialiter*] Vel *fortiter*, aut *liberè prædicantes*, *nixi Domino*, *præsidio Domini*, aut *adjutore Domino.* ¶ *Dante signa & prodigia fieri per manus eorum*] Heb. *cùm faciebat signa & prodigia per eos.*

5. *Contumeliis afficerent*] *Vim afferrent.*

6. *Intelligentes*] *Re intellectâ.* ¶ *Universam*] *Finitimam.*

8. *Infirmus*] *Impotens.*

10. *Voce**] * *Tibi dico in nomine Domini Jesu Christi.*

11. *Similes facti hominibus*] *In specie hominum.*

12. *Erat dux verbi*] i. Soleret concionari ad populum quòd eloquentiâ præiret Barnabæ.

13. *Quoque*] *Autem.* ¶ *Civitatem**] * *Illorum.* ¶ *Ante januas*] *Ad vestibula*, vel *fores.* ¶ *Afferens*] *Cùm attulisset.* ¶ *Volebat*] Vel *volebant.*

14. *Exilierunt in turbas*] *Insilierunt in turbam.*

15. *Mortales sumus similes vobis*] *Iisdem quibus vos obnoxii sumus passionibus*, vel *malis.*

16. *In præteritis generationibus*] i. Olim ante Euangelii promulgationem. ¶ *Vias suas*] *Viis suis:* hic *ingredi* pro *vivere*, & *viam* pro ratione vitæ posuit; i. quæ ipsis recta videbatur.

17. *Et quidem*] *Quanquam.* ¶ *De cælo**] * *Nobis.* ¶ *Eorum*] *Vestra*, Vet. Græcè legitur *nostra.*

19. *Supervenerunt*] Quædam Exemplaria Græca legunt, *Cæterùm cùm illic versarentur ac docerent, supervenerunt ab*, &c. ¶ *Lapidantes Paulum*] *Et lapidato Paulo.* ¶ *Æstimantes*] *Existimantes*, Vet.

23. *Constituissent*] *Suffragiis delegissent.* ¶ *Per singulas Ecclesias.* ¶ *Presbyteros*] Vel *Seniores.* ¶ *Crediderunt*] *Crediderant.*

24. *Psidiam*] *Pisidiam*, Vet.

25. *Loquentes verbum Domini in Pergen*] *Cùm locuti essent verbum in Perge.* Vetera legunt *Perge.* ¶ *Italiam*] *Attaliam*, Vet.

27. *Fecisset Deus cum illis*] Gr. *gessisset Deus cum ipsis*, Hebr. ¶ *Et quia aperuisset Gentibus ostium fidei*] Vel *quod etiam Gentiles ad fidem admisisset.*

CASTALIO.

26. *Divina gratiæ commendati*] Cum precibus & faustis ominibus dimissi.

CLARIUS.

3. *Verbo gratiæ suæ*] Ordo hic est, *fiducialiter agentes in Domino*, *qui testimonium perhibebat verbo*, h. e. prædicationi, quam *suâ gratiâ* ac benignitate jusserat invulgari.

6. *Confugerunt*] Non enim debemus nos temere conjicere in pericula, nec nisi opus sit; sed cedere ad tempus: quod Apostoli fecerunt. Nam & hoc pars beneficii est, parcere sceleri hostium, nè innocentes interficiant: Et præcepit etiam Dominus, ut *si eos in una civitate persequerentur, fugerent in aliam.*

12. *Quoniam ipse erat dux verbi*] Nam Mercurium appellabant *eloquentiæ Deum & sermonis interpretem*: hunc ergo esse Paulum arbitrabantur, ob dicendi vim ac majestatem: Barnabam verò Jovem, fortasse ob vultûs gravitatem.

14. *Conscissis tunicis suis*] Mos erat Judæis, auditâ blasphemiâ aliquâ in Deum, scindere vestimenta: hoc & divini isti Apostoli fecerunt cùm Dii crederentur, ex animi affectu reprehendentes quæ fiebant, & luctûs præ se signa ferentes. Nam vere res digna luctu erat si Dii crediti fuissent, idololatriam introducere, quam ut dissolverent venerant. Tu verò contemplare Christianæ Philosophiæ virtutem, quæ Divinos honores veritatis tuendæ gratiâ aversetur.

17. *Non sine testimonio*] Nunquam tamen, inquit, prætermisit, quin se agnoscendum præberet volentibus, ex ipsis in eos collatis beneficiis.

19. *Lapidantes Paulum*] Hoc quoque videntibus proderat: *nequis*, inquit, *me existimet esse supra id quod videt me, vel audit aliquid ex me.*

23. *Per singulas Ecclesias Presbyteros*] Quia hæc loca longiùs aberant ab Jerosolymis & Antiochia.

ZEGERUS.

2. *Adversùs fratres*] *Fratres* dicit vel eos tantùm qui ex Judæis, vel eos etiam qui ex aliis nationibus crediderant. Quanquam Beda testetur clausulam hanc, *Deus autem pacem fecit*, post verba præscripta haberi in Græcis, in multis verò Latinis non haberi, ego tamen arbitror eandem in contextum apud Græcos irrepsisse ex adnotatione marginali, propterea quòd neque apud Chrysostomum inveniatur, neque in ullis exempl. nostris, quamvis antiquis; nisi quòd in uno atque altero exemplari Gallicano ejus loco sic scriptum ostenderim, *Dominus autem dedit cito pacem.*

3. *Fiducialiter agentes in Domino testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum*] Sermo alioqui ambiguus hoc pacto ordinari debet, *Fiducialiter agentes in Domino, qui testimonium perhibebat verbo gratiæ suæ, dando signa & prodigia quæ fierent per manus eorum.*

7. *Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum. Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris*] Eâdem occasione quâ clausula suprapositâ puto & hosce versus in contextum irrepsisse post illud *evangelizantes erant.* Nam neque Chrysostomus hos attingit, neque nostra Biblia habent antiqua emendatiora, (nisi quòd in nonnullis in spatio marginali adscripti sint) denique nec ipsi codices Græci; nisi quòd Beda admonet in Græcis fuisse. Proinde consuluerim ut uterque hic versus adnotetur duntaxat ad marginem. In codice Gembl. prædicta verba erasa cernuntur. Brugis non habentur.

10. *Dixit magnâ voce, Surge super pedes tuos*] Et hic quod interponitur in nonnullis Græcis duntaxat, Σοὶ λέγω ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀνάστηθι, vix dubito quin adsutum sit ab aliquo qui hoc, ni fallor, effinxerit ad similitudinem ejus quod est in operis hujus c. 3. Ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου ἔγειραι. Quod autem dixi insertum, lectum quidem Bedæ, at non item hoc longè antiquiori Chrysostomo: neque hactenus occupavit, quod equidem sciam, codices nostros.

11. *Dii similes facti hominibus*] h. e. Dii in specie hominum.

12. *Paulum verò Mercurium; quoniam ipse erat dux verbi*] Mercurius enim apud Gentiles Deorum nuncius & interpres habebatur, proinde & Deus eloquentiæ, qui linguam eloquiúmque præstaret mortalibus. Unde *Mercurius* juxta nominis etymologiam quasi *medius inter homines currens* dicitur, quòd sermo currat inter homines medius. Græci autem Ἑρμῆν, h. e. *Interpretem*, appellant.

17. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluvias*] Idem quod aliis verbis dici poterat hoc pacto, *Quanquam non sineret semetipsum illis intestatum esse, dum benefaciendo e cœlo pluvias daret*, & quæ sequuntur. ¶ *Corda nostra*] Aliàs *vestra*.

18, 19. *Ne sibi immolarent. Supervenerunt autem*] Adducta quoque & hic Græca sunt: hujusmodi enim interseruntur, διατριβόντων δὲ καὶ διδασκόντων, h. e. *Demorantibus autem illis & docentibus, supervenerunt.* In nonnullis etiam plus aliquid est, nimirum, ἀλλὰ χωρεῖσθαι ἕκαστον εἰς τὰ ἴδια· διατριβόντων, &c. h. e. *sed ires quisque in sua: Demorantibus autem*, At cùm hæc nec apud Chrysostomum nec in omnibus vetustis inveniantur, denique nec in vulgata ed. Romana, rectè in modernis prælo expressis omissa arbitramur: etiamsi Beda, aut quisquis ille est, in Glossa Doctorum seu Ordinaria illorum meminerit, sic habens, *Demorantibus eis & docentibus.*

25. *In Attalia*] Cave legas *Italiam.* Producit autem penultimam propter Græcam dipthongon, sicut & *Antiochia* & *Samaria.*

27. *Deus cum illis*] h. e. Deus pariter & illi.

H. STEPHANUS.

2. Ἐπήγειραν καὶ ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς] *Concitarunt & depravarunt animos*: i. malè affectos reddiderunt, vel, malevolos.

5. Ὡς δὲ ἐγένετο ὁρμὴ τῶν ἐθνῶν τε καὶ Ἰουδαίων ὑβρίσαι] *Cùm autem G. & J. animi incitati essent in inferendam vim.*

12. Ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου] *Quod primas partes sermonis sustineret*: vel, *in loquendo.*

13. Ταύρους καὶ στέμματα ἐνέγκας] *Cùm tauros & vittas*, vel, *coronas, adduxit.* quæ videlicet illis imponerentur. Vel, *Tauros vittatos*, seu *coronatos.*

15. Ὁμοιοπαθεῖς] *Iisdem affectionibus obnoxii*: vel, *eidem fragilitati.* ¶ Εὐαγγελιζόμενοι ὑμᾶς ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν] *Qui fausto quod afferimus nuntio vos docemus ut*, &c.

20. Κυκλωσάντων δὲ αὐτὸν] *Cùm autem latus ejus cinxissent.*

23. Χειροτονήσαντες] *Cùm per suffragia creassent.*

DRUSIUS.

2. *Animas Gentium*] i. animos. Sic *capit animas sapiens*, allicit, flectit animos. Aut *animas*, i. homines: & *animas Gentium*, i. Gentes, ut alibi *animas hominum*, i. homines. Sic alibi, *occidit animas hominum multas.* Videtur hoc ità dici ἐκ παραλλήλου, ut *lutum cœni*, *terra pulveris*: nam *anima* etiam hominem denotat. Idem sensus infrà v. 22. *confirmantes animas discipulorum*; i. animos eorum, aut ipsos discipulos.

6. *In civitates Lycaoniæ, Lystram & Derben*] Locus iste duobus modis exponi potest; uno modo ut dicat *Lystram & Derben civitates Lycaoniæ esse*, altero ut dicat eos *fugisse in civitates Lycaoniæ, & Lystram & Derben*; Quæ expositio verior videtur. Nam Derbe & Lystra Isauriæ urbes sunt: Quæ licèt vicina sit Lycaoniæ tamen à Lycaonia distinguitur. Priorem expositionem secutum putarim Hieronymum, cùm scriberet *Derben civitatem Lycaoniæ provinciæ* esse. Syra editio æquè ambigua est: Quanquam interpres reddiderit, *in civitates Lycaoniæ & Lystra & Derba*, ac si nomina regionum essent. Tu potiùs verte, *& Lystram & Derben*, κτλ. Dicebatur & *Delbia* Δέλβεια, *quæ vox*, ait Stephanus, *in Lycaonum lingua sig.* ἄρκευθον, *juniperum.* Ei affinis est דלב, quo *castaneam*, vel potiùs *platanum*, designant. Sanè in Arabum lingua *Dulb* est *platanus.* Quod sic probo. Dioscorides de Cataputia majore, *Frutex est arborosa sicut ficus, sed minor; folia habet similia platano.* Serapio de eadem, *Est arbor in magnitudine ficûs, habens folia similia Dulb.* Januensis in Clavi sanationis, *Dulb, platanus.* Stephanus Arabicarum vocum collector scribit *Dulbum.*

12. *Mercurium*] Græcè Ἑρμῆν. Hoc παρὰ τὸ מרמ *decipio*, illud à מכר deducunt, i. *vendo*, q. *Mecurius.* Contrà fit in *Babel.* Nam plenum esset *Balbel*, i. σύγχυσις. Sanè Mercurius Deus est lucri.

15. *A vanis istis*] i. ab idolis. Sic 1 Sam. 12. 21. *declinare post vana*, i. idola. Similiter *in vano* dixit Tertullianus pro *in idolo.* Jon. 2. 8. *Qui observant* הבלי שוא *vanitates vanissimas benignitatem suam deserunt*, i. Deum, qui est benignitas eorum. Nam nihil commune Deo cum idolis, quæ sint vanitates vanissimæ, imò ipsâ vanitate vaniora & prorsus inutilia. Quamobrem Aquila שוא, quod Hieronymus reddit *idolum*, interpretatur ἀνωφελὲς, *inutile.*

GROTIUS.

Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ Ἰκονίῳ, *Factum est autem in Iconio*] Hic Paulo adfuit Timotheus 2 Timot. 3. 10, etiam Paulo notus & sæpe itinerum ejus comes, adhuc puer aut adolescens cùm esset. Latinus interpres *in Iconio* hic dixit, Græcum secutus. Sic *in Berenice*, *in Hispali*, apud Plinium, sed ubi vox *urbis* aut *oppidi* sequitur. ¶ Κατὰ τὸ αὐτὸ, *simul*] Ut 2. 1. nempe Paulus & Barnabas & eorum comites, in quibus Timotheus, pariter ingressi sunt Synagogam.

2. Ἐπ'

2. Ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν, *ad iracundiam concitaverunt animas Gentium*, Κακοῦν [*ad iracundiam concitare*] dixit quod alii κακύνειν. Loquitur sic & Dioscorides aliquoties.

3. Τῷ μαρτυροῦντι τῷ λόγῳ, *testimonium perhibente verbo*] *Auctoritatem Deo dante sermoni.* Sic & infra 15. 8. Joh. 5. 37. ¶ Τῆς χάριτος, *gratiæ*] Sic & infra 20. 24. 32. εὐαγγέλιον χάριτος [*Euangelium gratiæ.*] Et breviùs διὰ τῆς χάριτος [*per gratiam*,] id est, *per Euangelium*, infra 28. 27. quòd ex summa Dei bonitate is nuntius processit.

4. Ἐσχίσθη δὲ τὸ πλῆθος τῆς πόλεως. *Divisa est autem multitudo civitatis*] Simile Joh. 7. 43.

5. Ὁρμὴ, *impetus*] Respondet Hebræo מהומה quod *tumultum* significat. ¶ Σὺν τοῖς ἄρχουσιν αὐτῶν, *cum Principibus suis*] Supra 13. 50. ¶ Ὑβρίσαι καὶ λιθοβολῆσαι αὐτοὺς, *ut contumeliis afficerent & lapidarent eos*] Simile illud Matth. 22. 6. ὕβρισαν καὶ ἀπέκτειναν [*contumeliis affectos occiderunt.*] Vide & 1 Thess. 2. 2.

6. Κατέφυγον εἰς τὰς πόλεις, *confugerunt ad civitates*] Non tam suæ vitæ causâ, quàm ne tempus inutiliter periret, quod alibi fructuosiùs impendi poterat. Vide Matth. 10. 23. ¶ Λύστραν καὶ Δέρβην, *Lystram & Derben*] Derbes meminit Ptolemæus. Λύστρα [*Lystria*] habet Stephanus in urbibus. Hic modò Λύστρα Λύστρας [*Lystra Lystræ*,] modò Λύστρα Λύστρων [*Lystra Lystrorum*] declinat.

8. Ἀδύνατος τοῖς ποσὶν, *infirmus pedibus*] Nihil peccavit qui vertit *debilis*. Mæcenas,

> *Debilem facito manu,*
> *Debilem pede, coxâ.*

Vide controversiam Senecæ, quæ inscribitur *Debilitans expositos.* ¶ Χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ, *claudus ex utero matris suæ*] Simile loquendi genus Matth. 19. 12. & supra 3. 2. Incurabilia sunt humanâ ope vitia quæ cum aliquo nata cum eo adoleverunt. ¶ Ὃς οὐδέποτε περιεπεπατήκει. *qui nunquam ambulaverat*] Manuscriptus περιεπάτησε [*ambulavit.*]

9. Ὅτι πίστιν ἔχει τοῦ σωθῆναι, *quia fidem haberet ut salvus fieret*] Nempe *à malo suo.* Vide Matth. 9. 28. & ibi dicta.

10. Ἀνάστηθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου ὀρθός. *Surge super pedes tuos rectus*] Similis locutio supra 3. 6. ¶ Καὶ ἥλλετο, *& exsilivit*] Vide supra 3. 8. ¶ Λυκαονιστὶ, *Lycaonicè*] Linguâ Cappadocum. ¶ Λέγοντες, οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς. *dicentes, Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*] Id interdum factum credebant Gentes. Homerus,

> Καίτε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
> Παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας.
> [*Sæpe etiam similes errantibus hospitibus dî*
> *Sub variis formis hæc atque illa oppida visunt.*

Catullus,

> *Præsentes namque antè domos invisere castas*
> *Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu*
> *Cœlicolæ nondum spretâ pietate solebant.*

Jupiter apud Ovidium primo Metamorphoseon,

> *Et deus humana lustro sub imagine terras.*

12. Τὸν δὲ Παῦλον Ἑρμῆν· *Paulum verò Mercurium*] Solebat enim Jupiter Mercurium secum ducere, ut vides in Amphitruone Plauti. Aristides de Demosthene, Ὃν ἐγὼ φαίην ἂν Ἑρμοῦ τινος λογίου τύπον εἰς ἀνθρώπους κατελθεῖν [*Quem ego dicere ausim facundi cujusdam Mercurii expressam imaginem ad homines descendisse.*] Themistius oratione 1, Ὡς ἄρα ὁ Ἑρμῆς καταλιπὼν τὸν Δία τε καὶ τὸν οὐρανὸν σαρκίῳ μικρῷ περιθέμενος ἐν τῇ πόλει ἡμῶν περινοστεῖ [*Non aliter ergo ac si Mercurius cœlo & Jove relicto exigua quadam carnalitate circumdatus in urbe nostra perambulat.*] ¶ Ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου. *quoniam ipse erat Dux verbi*] Id est, *plurimum loquebatur.* Allusum videri potest ad cognomen Mercurii, ἡγεμὼν [*Dux.*] Philo de Mercurio, Τὸν ἑρμηνέα καὶ προφήτην τῶν θείων, ἀφ' οὗ καὶ Ἑρμῆς ὠνόμασται [*Deorum internuncium atque interpretem, unde illi Hermetis nomen est.*] Justinus Apologetico secundo, Ἑρμῆν μὲν λόγον τὸν ἑρμηνευτικὸν καὶ πάντων διδάσκαλον [*Mercurium quidem sermonem interpretem ac doctorem omnium.*]

13. Τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως αὐτῶν, *Jovis, qui erat ante civitatem eorum*] More Gentium Jovis simulacro Jovis nomen dedit. πρὸ τῆς πόλεως [*ante civitatem*,] id est, *ad portam.* παρὰ τὴν θύραν τῆς πόλεως [*ad portam civitatis*,] 2 Reg. 7. 3. 10. Sic Venus *extra urbem*, in Rudente Plautina.

Ταύρους, *tauros*] — *Et maxima taurus*
Victima. — Virgilius.

¶ Καὶ στέμματα, *& coronas*] *Coronas*, quas ipsis diis imponerent. Epistola Jeremiæ 9. Κατασκευάζουσι στεφάνους ἐπὶ τὰς κεφαλὰς τῶν θεῶν αὐτῶν [*Fabricant coronas super capita deorum suorum.*] ad quem locum allata à nobis vide. Etiam Dianam Ephesiam fuisse coronatam testes sunt Pausanias & Dionysius Halicarnassensis. ¶ Ἐπὶ τοὺς πυλῶνας, *ante januas*] Ante fores ædium, in quibus Paulus & Barnabas diversabantur. ¶ Ἤθελε θύειν. *volebat sacrificare*] *Immolare, mactare, porricere*, quomodo diis fieri solebat.

14. Διαῤῥήξαντες τὰ ἱμάτια αὐτῶν, *conscissis tunicis suis*] Ut in summo dolore. Vide dicta ad Matth. 26. 65. ¶ Εἰσεπήδησαν εἰς τὸν ὄχλον, *exsilierunt in turbam*] Intrare cum illa pompa volentibus ivere obviam.

15. Ἄνδρες τί ταῦτα ποιεῖτε; *Viri quid hæc facitis?*] Non hoc fecisset Empedocles qui studuit, ut ait Horatius, *Deus immortalis haberi*, & de se scripsit,

> — Ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.
> [— *Sum immortalis Deus, & non morte peribo.*]

¶ Καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμὲν ὑμῖν ἄνθρωποι, *& nos mortales sumus similes vobis homines*] Sic Jacob. 5. 17. Ἠλίας ἄνθρωπος ἦν ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν [*Elias erat homo similis nobis passibilis.*] id est, *cibi & potûs indigi, morbis mortique obnoxii.* Sic ὁμοιοπαθῆ γῆν [*terram similiter factam*] dixit Sapiens Hebræus 7. 3. Utunturque eadem voce, Plato, Aristoteles, Theophrastus. ¶ Ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων, *ab his vanis*] Μάταια אלילים [*res nihili*] Zachar. 11. 17. הבלים [*vanitates*] 1 Reg. 16. 13. & alibi sæpe: כזבים [*mendacia*] Amos 2. 4. Quibus nominibus Hebræi deos Gentium vocant, quippe inania hominum commenta, deos sine re. ¶ Ἐπὶ τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα, *ad Deum vivum*] Qui non moritur, ut Reges illi in deos consecrati, sed semper vivit agitque. ¶ Ὃς ἐποίησε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς. *qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt*] Ut supra 4. 24. Hâc notâ Deus optimè distinguitur à diis falsis, Jeremiæ 10. 11. Egregiam hic habemus formam orationis, quam imitari debeant qui apud populos in idololatria educatos Euangelium prædicant.

16. Ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς, *Qui in præteritis generationibus*] Longo jam tempore, ex quo vixit Josephus Jacobi filius. ¶ Εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. *dimisit omnes Gentes ingredi vias suas*] Hoc comparatè dictum, ut sequentia ostendunt. Nec Legem illis dedit, quibus pravos cultus compesceret, nec Prophetas.

17. Καί τοιγε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit*] Dedit tamen unde discerent, quanquam non tanta quanta Hebræis. Scriptor egregius de vocatione Gentium, 1. 5. *Quamvis ergo hæc & multa similia veritatis Scriptura pronuntiet, secundùm tamen ipsam credimus & piissimè confitemur, quòd nunquam universitati hominum Divinæ Providentiæ cura defuerit: quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum Bonitatis suæ dona subtraxit, ut Propheticas voces & præcepta Legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse; unde & inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi dona fecerunt, & quæ creata sunt ad utendum, venerati sunt ad colendum*, & 2. 4: *Quamvis enim speciali curâ atque indulgentiâ Dei, populum Israeliticum constat electum, omnesque alias nationes suas vias ingredi, hoc est, secundùm propriam permissæ sunt vivere voluntatem, non ita tamen se æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret. Cœlum quippe ac terra ac mare omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur Auctoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur & sumus.* & 10: *Manifestarunt enim Divinorum eloquiorum multa auctoritates, & continua omnium seculorum experimenta docuerunt, justam Dei misericordiam misericordemque justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum nec docendis juvandisque eorum mentibus defuisse. Semper enim pluit super bonos & malos, semper Solem suum oriri fecit super justos & injustos, semper vitales auras præbuit, semper diei & noctis vicissitudines ministravit, u-*

bertatem agris, multiplicationem seminibus fœcunditatem generandis hominibus semper impendit. & 15: *Adhibita enim semper est universis hominibus quædam superna mensura doctrinæ: quæ parcioris occultiorisque gratiæ, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Ait Plotinus, *Si Mundi vocem audiremus, nihil aliud eum dicere, quàm Deus me fecit: non Cretensis Jupiter, aut Arcas Mercurius, sed Deus ille ἄγνωςος [ignotus,] de quo Paulus ad Athenienses.* ¶ Ἀγαθοποιῶν, *benefaciens*] מטיב. Nam היטיב vertitur per ἀγαθοποιεῖν [*benefacere*] Num. 10. 32. Jud. 17. 13. Extat idem verbum Tob. 12. 14. 1 Macc. 11. 33. 2 Macc. 1. 2. Marci 3. 4. Lucæ 6. 9, 33. apud Petrum etiam & Johannem. Pro eodem ἀγαθοεργεῖν [*bene agere*] 1 Timoth. 6. 18. & hìc Manuscriptus ille habet ἀγαθουργῶν [*bene agens*;] Optimè autem hæc vox connectetur cum superioribus. Satis enim memoriam sui insculpsit illorum animis, qui non cessat perpetuò eis benefacere. ¶ Οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς, *de cælo dans pluvias*] Aratus,

> Ὕδατος ἐρχομένοιο Διὸς παρά. ---
> [*Cum nobis imber venit ab Jove.* --]

¶ Καὶ καιροὺς καρποφόρους, *& tempora fructifera*] Ver æstatem, autumnum. ¶ Ἐμπιπλῶν τροφῆς, *implens cibo*] Frumento. ¶ Καὶ εὐφροσύνης, *& lætitia*] Id est, *vino*, Sirach. 31. 35. 36.

19. Ἀπὸ Ἀντιοχείας καὶ Ἰκονίου, *ab Antiochia & Iconio*] Ab Antiochia Pisidiæ & Iconio Lycaoniæ urbibus venére aliqui eorum qui jam hostilem animum in Apostolos induerant. Supra 13. 50. & 14. 2. Adde 2 Timoth. 3. 11. ubi hujus capitis historia attingitur. ¶ Καὶ λιθάσαντες τὸν Παῦλον, *& lapidato Paulo*] In Manuscripto, λιθοβολήσαντες. Perinde est utrum legas: nam & λιθάζειν [*lapidare*] & λιθοβολεῖν in usu est Græcorum, etiam in his libris. Quod hic narratur id est cujus meminit Paulus 2 Corinth. 11 25.

20. Ἀνας̀ὰς, *surgens*] De eo loco ubi pro mortuo jacuerat. ¶ Εἰς Δέρβην, *in Derben*] De qua supra 6.

22. *Καὶ ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*] Rom. 8. & 2 Cor. passim. Hoc præfiguraverant molestiæ itineris per desertum Mosis tempore.

23. Χειροτονήσαντες, *Cum constituissent*] Solet quidem χειροτονεῖν [*constituere*] sumi de quavis electione, etiam quæ ab uno vel paucis fit. Sed & electioni, de qua agitur, accessisse consensum plebis credibile est, ob id quod in re minori supra habuimus 6. 2, 8. ¶ Παρέθεντο αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ, *commendaverunt eos Domino*] Jesu optimo custodi.

24. Ἦλθον εἰς Παμφυλίαν, *venerunt in Pamphyliam*] Sua vestigia retro legentes. Vide supra 13. 13. ¶ Κατέβησαν εἰς Ἀττάλειαν *descenderunt in Attaliam*] Attaliam Ptolemæus in ora maritima Pamphyliæ ponit post Lyciam. Sic & Strabo Alii Lyciæ attribuunt. Sed provinciarum fines à Romanis sæpe mutati. Nomen habet ab Attalo uno Regum regni Gog, ut Hebræi loquuntur.

26. Εἰς Ἀντιόχειαν *Antiochiam*] Nempe *Syriæ*: ut sequentia ostendunt, collata cum iis quæ supra 13. 1, 2, 3, 4, 13, 14.

27. Ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς μετ' αὐτῶν, *quanta fecisset Deus cum illis*] Id est, quanto honore eos affecisset Deus per tot hominum conversionem. Similis locutio Psalm. 119. 123. Lucæ 1. 72, & alibi. ¶ *Καὶ ὅτι ἤνοιξε τοῖς ἔθνεσι θύραν πίστεως. & quia aperuisset Gentibus ostium fidei*] Id est, *occasionem dedit in se credendi.* Idem loquendi genus 1 Corinth. 16. 9. 2 Cor. 2. 12. Coloss. 4. 3.

PRICÆUS.

Com. 3. [Ἱκανὸν μὲν οὖν χρόνον διέτριψαν, παῤῥησιαζόμενοι, &c.] Similia de Paulo infrà 28. 30, & 31. vide. Ἱκανὸς διέτριψε χρόνους etiam Herodianus dixit. Sic Luc. 20. 9. ἱκανοὺς χρόνους ἀποδημεῖν. Sic infrà 18. 18. ἱκανὰς ἡμέρας προσμένειν & suprà 3. 43. ἡμέρας ἱκανὰς μεῖναι.

Ibib. Μαρτυροῦντι τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, καὶ διδόντι σημεῖα, &c.] Habemus simili argumento Hebr. 2. 4. συνεπιμαρτυρεῖν & Marc. 26. 20. συνεργεῖν. Vide ad Matt. 28. 20. dicta.

Com. 4. Ἐσχίσθη δὲ τὸ πλῆθος τῆς πόλεως] Sic infrà 23. 7. ἐσχίσθη τὸ πλῆθος. Lucianus in Asino, Τὸ θέατρον εἰς δύο γνώμας ἐσχίζετο. Vide Joh. 7. 43. 10. 19. & locum Dionis Cassii infrà ad 19. 32. allatum.

Ibid. Καὶ οἱ μὲν ἦσαν σὺν τοῖς Ἰουδαίοις] Terent. Phorm.

> *Ni hæc ità essent, cum illo haud stares, Phædria.*

Vulgatus hìc, *Et quidam quidem erant cum Judæis, quidam autem*, &c. Ità & infrà Idem 14. 32. *Quidam quidem irridebant, quidam verò*, &c.

Com. 8. Ἀδύνατος τοῖς ποσὶν, χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ὑπάρχων, ὃς οὐδέποτε περιεπεπατήκει] Locutio tripliciter variata, ut expressior fiat. Similes vide Luc. 18. 34. Joh. 3. 13. & 10. 12. Erasmum injuriâ notat Beza quòd ἀδύνατον *debilem* vertit. Seneca Suasor. 7. *Vives, sed eruentur oculi tui: vives sed debilitabuntur pedes tui.* Et ità non semel Apuleius. Adde Leonis locum suprà ad 3. 5. adductum.

Com. 9. Καὶ ἰδὼν ὅτι πίστιν ἔχει τοῦ σωθῆναι] Non frustrà hoc: ἐν ταῖς θαυματουργίαις enim χρεία καὶ τῆς τοῦ ποιοῦντος δυνάμεως, καὶ τῶν δεχομένων πίστεως, ut bene ad Marc. 6. Theophylactus.

Com. 10. Ἥλλετο καὶ περιεπάτει] Vide suprà ad 3. 2. notata.

Com. 11. Λέγοντες, Οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν εἰς ἡμᾶς] Non putârunt eos.

> *Pene deos, aut qui possent dii jure videri:*

sed deos sub humana imagine terras invisentes. Eunapius in vita Ædesii de Eustathio, Ὤιετο ξένοις μὲν ἀνδράσι, θεοῖς δὲ συντετυχηκέναι. Apuleius, ubi de inaccessa Psyches formositate, *Jámque proximas civitates & attiguas regiones fama pervaserat; Deam quam cæruleum profundum pelagi peperit, & ros spumantium fluctuum educavit, jam Numinis sui passim tributâ veniâ, in mediis conversari populi cœtibus, &c.* Præcipuè autem increbrescebat credulitas ista cùm quis præceptis vel factis publicè prodesset. Themist. 9. Orat. Ἀλλ' ἔοικε καὶ ὁ παλαιὸς λόγος ἀληθὴς εἶναι λίαν καὶ τῆς ἀρχαίας φιλοσοφίας, ὡς ἄρα κατὰ χρόνους τινὰς ὡρισμένους, ποτὲ μὲν ἀκήρατοι καὶ θεῖαι δυνάμεις ἐπ' ἀγαθῷ τῶν ἀνθρώπων ἐμβατεύουσιν τὴν γῆν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατιοῦσαι, οὐκ ἠέρα ἑσσάμεναι καθ' Ἡσίοδον, ἀλλὰ σώματα ἀμφιεσάμεναι παραπλήσια τοῖς ἡμετέροις, καὶ βίον ὑποδῦσαι ἥττω τῆς φύσεως, ἕνεκεν τῆς πρὸς ἡμᾶς κοινωνίας. Jamblich. Καὶ μετὰ τῶν θεῶν τὸν Πυθαγόραν λοιπὸν κατηρίθμουν ὡς ἀγαθόν τινα δαίμονα, καὶ φιλανθρωπότατον· οἱ μὲν τὸν Πύθιον, οἱ δὲ τὸν ἐξ Ὑπερβορέων Ἀπόλλωνα, οἱ δὲ τὸν Παιῶνα, οἱ δὲ τῶν τὴν Σελήνην κατοικούντων Δαιμόνων ἕνα. ἄλλοι δὲ ἄλλον τῶν Ὀλυμπίων θεῶν ἐφήμιζον, εἰς ὠφέλειαν καὶ ἐπανόρθωσιν τοῦ θνητοῦ βίου λέγοντες ἐν ἀνθρωπίνῃ μορφῇ φανῆναι τοῖς τότε. Vide & infrà 28. 6.

Ibid. Κατέβησαν] Plutarch. λογ. β'. de Alex. fort. Δημήτριος ᾧ τῆς Ἀλεξάνδρου δυνάμεως ἡ Τύχη σμικρὸν ἀποσπάσασα προσέθηκε, ΚΑΤΑΙΒΑΤΗΣ καλούμενος ἐτήκουε, καὶ πρέσβεις πρὸς αὐτὸν οὐκ ἔπεμπον, ἀλλὰ θεωροὺς αἱ πόλεις, καὶ τὰς ἀποκρίσεις χρησμοὺς προσηγόρευον.

Com. 12. Ἐκάλουν τε, &c. τὸν Παῦλον, Ἑρμῆν] Eunapius in Proæresio, Τὰ στέρνα περιλιχμησάμενοι καθάπερ ἀγάλματος ἔνθεν πάντες οἱ παρόντες, οἱ μὲν πόδας, οἱ δὲ τὰς χεῖρας προσεκύνουν· οἱ δὲ θεὸν ἔφασαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ λογίου τύπον. Lactantius 7. 13. de Trismegisto, *Quamvis in deos relatus Mercurii nomine ab Ægyptiis honoretur.* Repete & Jamblichi locum suprà proximè adductum.

Com. 13. Ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως αὐτῶν, &c.] Hesychius, Ἀντήλιοι, θεοὶ οἱ πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρυμένοι.

Ibid. Ταύρους καὶ στέμματα ἐπὶ τοὺς πυλῶνας ἐνέγκας, σὺν τοῖς ὄχλοις ἤθελε θύειν] Apud Hesiodum.

> Ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς ἱλάσκοντο.

Apud Plautum,

> ——*Pseudole, arcesse hostias,*
> *Victimas, lanios, ut ego huic sacrificem summo Jovi:*
> *Nam hic mihi nunc est multò potior Jupiter quàm*
> *Jupiter.*

Apuleius ubi suprà, *Puellæ supplicatur, & in humanis vultibus Deæ tantæ numina placantur: & in matutino progressu virginis, victimis & epulis Veneris absentis numen propitiatur.* Apud Ovidium,

> *Ibis Dardanias ingens regina per urbes,*
> *Téque novam credet vulgus adesse Deam.*
> *Quâque feres gressus adolebunt cinnama flammis,*
> *Cæsáque sanguineam victima planget humum.*

Con-

Confer Daniel 2. 46. Στέμματα hic qui taurorum, non deorum intellexit, non puto fefellisse. Minucius in Octavio, *Victimæ ad supplicium saginantur, hostiæ ad pœnam coronantur.* Plutarchus in Parallel. de Medullina Arantii filia, Μεθύσασα τὸν πατέρα, καὶ ςεφανώσασα, ἤγαγεν ἐπὶ τὸν βωμὸν, &c. Καὶ δακρύσασα ἀνεῖλε. Diod. Siculus lib 16. de Apolline Pythio, Ἐσήμανεν ἐν πανηγύρει καὶ θεῶν θυσίαις Φίλιππον ὥσπερ τὸν ταῦρον ἐςεμμένον σφαγήσεσθαι.

Com. 14. Διαῤῥήξαντες τὰ ἱμάτια αὐτῶν, &c.] Enixè vehementérque honorem nimium deprecantium mos. Suetonius de Augusto, *Dictaturam magnâ vi offerente populo, genu nixus, dejectâ* (malim *rejectâ*) *ab humeris togâ, nudo pectore deprecatus est.*

Com. 15. Ἄνδρες, &c] Commotiùs & subiratiùs loquentis sermo. Vide supra ad 1. 11. dicta.

Ibid. Τί ταῦτα ποιεῖτε;] Quasi dicerent,

> Θεῶν δὲ θνητοὺς κόσμον οὐ πρέπει φέρειν,

ut apud Euripidem. Tale & illud.

> Οὔ τοι ἐγὼ θεός εἰμι, τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις;

Apud Ovidium Metam. 14. Sibylla ad Æneam,

> *Nec Dea sum dixit, nec sacri thuris honore*
> *Humanum dignare caput, ne nescius erres.*

Sic Apollonius Lacedæmonios apud Philostratum 4. 10. ei sacrificaturientes prohibet.

Ibid. Καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι] Τρεπτοὶ, καὶ ἐμπαθεῖς τῇ εἰς κακίαν συμφορᾷ, οἷον εἰσιν αἱ ἀνθρώπιναι ψυχαὶ, ut alicubi Hierocles locutus. Vide quæ suprà Petrus 10. 26. Joannes Apocal. 19. 10. & 22. 9. & nos in Notis ad Jacobum 5. 17. diximus.

Ibid. Τούτων τῶν ματαίων] Sic sæpius in his libris, de Ethnica vanitate. Vide Rom. 8. 20. Ephes. 4. 17. 1 Pet. 1. 18.

Ibid. Ὃς ἐποίησε τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, &c.] Josephus ex persona Solomonis Deum alloquentis, Σὺ οἶκον μὲν αἰώνιον ἔχεις, καὶ ἐξ ὧν σεαυτῷ εἰργάσω γεγονότα τὸν οὐρανὸν οἴδαμεν καὶ ἀέρα καὶ γῆν καὶ θάλασσαν. Vide & suprà 5. 50. & quæ infrà ad 17. 24. dicenda.

Com. 16. Ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν] Permisit suis viis incedere eos, nimirum dum non patefaceret se. Paulus ipse ad Ephes. 3. 5. Ὃ ἐν ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, &c. Eorum nempe ingratitudine, & præcipuè Idolomaniâ, irritatus. Ad illa suprà 7. ὁ θεὸς παρέδωκεν αὐτοὺς, Theophylactus, Ἐμμένοντας τῇ ἀσεβείᾳ, εἴασε. Theodoretus 7. περὶ προνοίας, Τὰς ἡνίας ἐῶντα πολλάκις, καὶ φέρεσθαι τῶν ἀνθρώπων ὡς ἂν θέλωσι συγχωροῦντα τὸ γένος. Pro ἐᾶν, infrà 17. 30. hoc argumento ὑπεριδεῖν habemus. Vide & quæ notata ibi.

Com. 17. Καίτοιγε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν] In Epistolis Heracliti dictis, Ἐὰν μὴ ἱδρυθῇ Θεοῦ βωμὸς, οὐκ ἔςι θεός· ἐὰν δὲ ἱδρυθῇ μὴ Θεοῦ, θεὸς ἐςιν· ὥςε λίθοι θεῶν μάρτυρες· ἔργα δεῖ μαρτυρεῖν, οἷα ἡλίου· νὺξ αὐτῷ καὶ ἡμέρα μαρτυροῦσιν· ὧραι αὐτῷ μάρτυρες· γῆ ὅλη καρποφοροῦσα μάρτυς· quæ quàm his Pauli conveniant, quæ continuò hic sequuntur ostendunt.

Ibid. Ἀγαθοποιῶν] Philo in de Legat. Ὁ τοῦ κόσμου παντὸς εὐεργέτης, ὃς τῇ αὐτοῦ δυνάμει τοῖς μέρεσι πᾶσι τοῦ παντὸς ἀφθόνως πηγὰς ἀγαθῶν ἐπιδίδωσιν. Idem in Allegoriis, Ὁ θεὸς χαρίζεται τὰ ἀγαθὰ πᾶσιν. Et in De Decalogo, ἀφ' οὗ τρόπον πηγῆς ἄρδεται τῷ κόσμῳ καὶ τοῖς ἐν αὐτῷ τὰ ἐπὶ μέρους ἀγαθά. Theodoretus περὶ προν. 7. Μυρίοις ὅσοις ἀγαθοῖς τὸ ἡμέτερον γένος περικλύζοντα. Siracides 16. 30. Ἐνέπλησεν αὐτὴν (γῆν) τῶν ἀγαθῶν αὐτοῦ. De eodem Themistius, Τῶν ἀγαθῶν ταμίας. Athenagoras in Pro Christianis, Τέλειος ἀγαθὸς ὢν, ἀΐδιος ἀγαθοποιός ἐςιν. Et adde quæ plura infrà ad 17. 25. notanda.

Ibid. Οὐρανόθεν ἡμῖν διδοὺς, &c.] De eodem Ausonius, *datorum plenus*. De Jove in Pluti fabula Aristophanes,

> —— Τὸν πλοῦτον ἔχει, ταύτης δ' ἡμῖν ἀποπέμπει

Supplendum οὐρανόθεν.

Ibid. Ὑετοὺς] Hâc notâ & in additamentis Baruchi com. 53. à diis Gentium distinguitur. Apud Aristophanem Nubibus Ille, Οὐκ ἔςι Ζεύς· cui alter, Τί λέγεις σύ; ἀλλὰ τίς ὕει; Vide Maximum Tyrium jam statim adducendum. Matth. 5. 45. & quæ notata ibi. Nonnulli hic post οὐρανόθεν distinguunt, & id verbi cum ἀγαθοποιῶν jungunt: quos & locus è Siracide prolatus tueri posset. Ego positam receptámque interpunctionem sequendam putem. Euripides,

> Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
> Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν, &c. ——

Jacobus 5. 18. ὁ οὐρανὸς ὑετὸν ἔδωκε.

Ibid. Καὶ καιροὺς καρποφόρους] Cyprianus, *Videmus, &c. Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, &c.* Arrianus 1. 4. in Epictetum, Τεταγμένως, καθάπερ ἐκ προςάγματος Θεοῦ, ὅταν ἐκεῖνος εἴπῃ τοῖς φυτοῖς ἀνθεῖν, ἀνθεῖ· ὅταν εἴπῃ βλαςάνειν, βλαςάνει· ὅταν ἐκφέρειν τὸν καρπὸν, ἐκφέρει· ὅταν πεπαίνειν, πεπαίνει. Idem 3. 26. Τὸν ἥλιον τίς πεποίηκε; τοὺς καρποὺς δὲ τίς; τὰς δ' ὥρας τίς; ubi supplendum, οὐχὶ ὁ θεός; Et 2. 23. Ὑπὲρ καρπῶν ξηρῶν, ὑπὲρ οἴνου, ὑπὲρ ἐλαίου εὐχαριςεῖ τῷ Θεῷ. Claudianus,

> ——*Qui lege moveri*
> *Sidera, qui fruges diverso tempore nasci*, &c.

Maximus Tyrius Diss. 25. Τὸν ὡρῶν ταμίαν, τὸν καρπῶν τροφέα, τὸν γενέθλιον, τὸν ὑέτιον, τὸν ἐπικάρπιον. Philo in περὶ Φιλανθρωπ. Τὸν πρὸς γεωργίαν παρασχόντα πλεῖςα καὶ ἀναγκαιότατα· πρὸς καρποφορίαν καὶ εὐγονίαν καιροὺς, ὑετοὺς, ἀέρος εὐκρασίας, &c. Minucius in Octavio. *Quid cùm ordo temporum ac frugum stabili varietate distinguitur? nonne auctorem suum parentémque testatur? Ver aquè cum suis floribus, & æstas cum suis messibus, & autumni maturitas grata, & hiberna olivitas necessaria, &c.* Clemens ad Corinthios, Γῆ κυοφοροῦσα κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ τοῖς ἰδίοις καιροῖς τὴν παμπληθῆ ἀνθρώποις τε καὶ θηρσὶ, &c. τροφὴν ἀνατέλλει. Lactantius 7. 4. de animantibus loquens, *Ut vivere, ut constare possint, omnia his necessaria temporibus certis subministrantur.* Lucretius,

> *Crescunt arbusta, & fœtus in tempore fundunt.*

Pindarus,

> Ἐν σχερῷ δ' ὅτ' ὦν μέλαιναι καρπὸν
> ἔδωκαν ἄρουραι·
> δένδρεά τ' οὐκ ἐθέλει πάσαις ἐτέων
> περιόδοις
> ἄνθος εὐῶδες φέρειν πλούτῳ ἴσον,
> ἀλλ' ἐν ἀμείβοντι.

Boetius consolat. lib. 1.

> *Nec quæras avidâ manu*
> *Vernos stringere palmites:*
> *Uvis si libeat frui,*
> *Autumno potius sua*
> *Bacchus munera contulit.*
> *Signat tempora propriis*
> *Aptans officiis Deus;*
> *Nec quas ipse coercuit,*
> *Misceri patitur vices.*

Philo in περὶ κοσμουργ. Ἐν μέρει γίνεται τὰ γιγνόμενα· χρόνοις διαφέρουσιν, ἀλλ' οὐκ ἀθρόα καιρῷ ἑνί. Quod hic ἐν μέρει, Pindarus ἐν ἀμείβοντι vocat. Scholiastes Hesiodi, Φέρουσι τὰ δένδρα καρπὸν ἀπὸ τῶν ὡρῶν μετακυλινδουμένου γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ αἱ ὧραι τεθηλέναι ταῦτα ποιοῦσι. Apuleius de Sole, *Quatuor temporum vices mutat, &c. hinc alimenta nobis suppetunt earum rerum quas accedere his mundi partibus Deus voluit.* Horatius,

> ———*Variisque mundum*
> *Temperat horis.*

Vide Genes. 8. 22. Levit. 26. 4. Job. 5. 26. Psal. 1. 3. & 145. 15. Ezech. 34. 26, 27. Jer. 5. 24. Matth. 21. 34. Marc. 11. 13.

Ibid. ἐμπιπλῶν τροφῆς] De eodem 1. 11. Lactant. *Salutem tribuit, victum multiplicem subministrat.* Idem, *Ille nos innumerabilibus copiis alit, ille sustentat.* Seneca, *Unde hac innumerabilia oculos, aures, & animum mulcentia? unde illa luxuriam quoque instruens copia? neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in delicias amamur. Tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varie-*

 tates

tates ciborum per totum annum digesta, ut inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Jam animalia omnis generis, alia in sicco solidóque, alia in humido nascentia, alia per sublime dimissa, ut omnis rerum naturæ pars tributum nobis aliquod conferret. Iterum Lactantius in de Ira Dei cap. 13. *Ut clarum sit divinam providentiam rerum & copiarum abundantiâ vitam hominum instruere atque ornare voluisse: ob eámque causam & aerem volucribus, & mare piscibus, & terram quadrupedibus implevit.* Adde quæ plura infrà ad 17. 25. notata. Τροφῆς καὶ εὐφροσύνης ἐμπιπλῶν, est quod Jobi 22. 18. & Luc. 1. 53. τῶν ἀγαθῶν ἐμπλῆσθαι. Sirachidi 35. 14. ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν μεθύσκεσθαι.

Com. 19. Καὶ λιθάσαντες τὸν Παῦλον, &c.] Non Barnabam, sed Paulum, quia is, ut qui λόγε ἡγούμενος erat, multitudini magis erat invisus: ampliùs, itâ dispensante divinâ voluntate, ut ejusmodi supplicium ob prædicationem Dei filii ad aliquid pateretur, quale in Stephanum ipse eo nomine aut statuerat aut approbaverat.

Ibid. Νομίσαντες αὐτὸν τεθνάναι] Sic solet. Vide Plinii locum paulò infrà adducendum. Plutarchus in de lacon. Apophthegm. Πολλὰς πληγὰς λαβόντος, καὶ ἀπενεχθέντος οἴκαδε ὡς τεθνηκότος.

Com. 20. Κυκλωσάντων δὲ αὐτὸν τῶν μαθητῶν, ἀναςὰς εἰσῆλθεν εἰς τὴν πόλιν] Reversus ad præsentium sensum ab illata ex tot lapidum vulneribus animi exsternatione. Quanquam fieri potuit (si quod sentio eloqui licuerit) ut & mortuum se fingeret. Id summè periclitantes fecisse non semel legimus: promemúsque in eam mentem Autorum electiores locos nonnullos. Lucianus Asino, Ψεύδεται ὡς τεθνηκὼς ἐν ταῖς πληγαῖς. Apuleius 9. *Nec ille prostratus ac præventus vulneribus ullum reperire quiens salutis subsidium, quod solum restabat, simulat se mortuum.* In Fabulis Avieni,

> *Ille trahens nullo jacuit vestigia gressu,*
> *Exanimem fingens, sponte relisus humi.*

De patre suo Alexander apud Curtium, *Debilitatum vulnere quod in quadam consternatione acceperat, non aliàs quàm simulatione mortis tutiorem.* Florus 4. 10. *Deletæque reliquæ copiæ forent, nisi urgentibus telis in modum grandinis, & procubuissent in genua milites, & elatis super capita scutis cæsorum speciem præbuissent.* Plinius 3. Epist. 14 ubi de Largio Macedone, *Cum exanimem putarent, abjiciunt ut fervens (balnei) pavimentum, ut experirentur an viveret. Ille, sive quia non sentiebat, sive quia non sentire simulabat, immobilis & extentus fidem peractæ mortis implevit.* Quam nec animalia quædam solertiam ignorare legimus. Ælianus de echino terrestri 6. 54. Μέλλων ἁλίσκεσθαι, ἑαυτὸν συνειλήσας ἄληπτον ἐργάζεται, εἶτα μέν τοι καὶ πίεζει τὸ πνεῦμα, καὶ ἀκίνητος ἀτρεμεῖ, καὶ τὸν τεθνεῶτα ὑποκρίνεται. Conjecturam nostram faciunt probabilem & illa, τῶν μαθητῶν αὐτὸν κυκλωσάντων: quæ sic sumenda putamus ac si adscripta etiam vox μόνων foret. Ubi ex vocibus adstantium percepit nullos nisi amicos adesse, imbrémque qui in se saxeum devolverant, in diversa abiisse, tum verò oculos aperuit, & se humo levavit. Colorem suspicioni nostræ dant & verba ἀναςὰς εἰσῆλθεν, &c. quæ innuunt Paulum suis viribus, non adsistentium ope se in pedes erexisse: suísque non alienis pedibus in urbem intulisse se. Nec verò hujusmodi astutiam imputantes illi, peccare quidquam putamus nos in tam sancti viri pietatem, aut in vigorem constantiámque tam boni militis, quem nunc nocturnis itineribus, nunc corbibus per muros demissis insidiantium conatus evasisse comperimus: non lucis usuræ cupidine, at Christum prædicandi, plurésque ob tam excelsum nomen agones subeundi. Vide Rom. 15. 31. Illud κυκλωσάντων bene *circumstantium* verterunt. Apuleius Floridis, *Qui exequias ejus venerant circumstare.*

Ibid. Καὶ τῇ ἐπαύριον ἐξῆλθε, &c.] Nè per moram ab incolis loci illius agnosceretur, & se iterum in discrimen conjiceret. Vide suprà 12. 17. in fine.

Com. 22. Ἐμμένειν τῇ πίστει] Apud Suidam in Θεαγένης, Τῇ παραδοθείσῃ σεμνότητι τῶν φιλοσόφων ἐμμένων. Isocrates ad Nicoclem, Ἃ τοῖς παισὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἂν συμβουλεύσειας, τούτοις αὐτὸς ἐμμένειν ἀξιοῦ. Sic apud Plutarchum Instit. Lacon. ἐμμένειν ὅρκοις Josephum Antiq. 11. ἐμμένειν τοῖς πατρῴοις ἔθεσιν· Simplicium in cap. 27. Epicteti, τῇ τοῦ βελτίονος βίου αἱρέσει ἐμμένειν· Eundem in cap. 74. ibidem, ἀγαθῷ ἐμμένειν. Deut. 27. 26. ἐμμένειν τοῖς γεγραμμένοις· Heb. 8. 9. τῇ διαθήκῃ ἐμμένειν· & suprà 13. 43. τῇ χάριτι ἐπιμένειν.

Ibid. Καὶ ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ] Maximus Tyrius Dissert. 26. Πολλὰς δεῖ ἡδονὰς παραδραμεῖν, καὶ πολλοῖς πόνοις ἀντιβλέψαι, ἵνα κτησώμεθα κτῆμα ἡδοναῖς πάσαις ἰσοφάριον; καὶ πόνοις πᾶσιν ἀντίῤῥοπον. Lactantius de Opif. Dei, cap. 20. *Noluit Deus hominem ad immortalem beatitudinem delicato itinere pervenire.* Et Divin. Instit. 7. cap. ult. *Si beati esse volumus, cogitanda ac proponenda nobis sunt non tantùm Terentiana illa, molendum esse usque in pistrinum, vapulandum, habendæ compedes, sed his multò atrociora: carcer, catenæ, tormenta patienda, sustinendi dolores, mors denique ipsa & suscipienda est, & ferenda.* Marius apud Sallustium, *Ne illi falsi sunt qui diversissimas res pariter exspectant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis.* Hierocles, Οἱ ἀθληταὶ σέφανον οὐκ ἀγωνιζόμενοι οὐ λαμβάνουσι.

Com. 26. Εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν] Ἔργον εὐαγγελιςῶν nempe, 2 Tim. 4. 5. Ἐκπληρῶσαι τὸ ἑαυτοῦ ἔργον dixit & Epictetus cap. 31.

Com. 27. Ἀνήγγειλαν ὅσα ἐποίησεν ὁ θεὸς μετ' αὐτῶν] Infrà 15. 4. & 12. item 21. 19.

CAP. XV.

VALLA.

2. F*Actâ ergò seditione non modicâ Paulo & Barnabæ adversus illos*] Deest *& quæstione*, ut sit, *Factâ ergò seditione & quæstione*, ςάσεως καὶ συζητήσεως. Paulus enim & Barnabas quærebant & disputabant, non seditionem faciebant. ¶ *Statuerunt ut Paulus & Barnabas ascenderent, & quidam alii ex aliis ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem super hac quæstione*] *Et alii ex eis*, legendum est, ἐξ αὐτῶν.

4. *Cùm autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia & Senioribus.* Et paulò pòst, v. 6. *Convenerunt autem Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Et aliquantò pòst v. 22. *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia.* Et mox v. 23. *Apostoli & Seniores, fratres, iis qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, salutem.* Et aliis etiam in locis, quoniam Græcum vocabulum πρεσβύτερος factum erat Latinum, cur nunc transfert illud Interpres, nunc non transfert, præsertim in eadem re? Nam quos nuncupaverat *Presbyteros*, eosdem postea nuncupavit *Seniores*. Transfertur quidem *Presbyter*, Latinè *Senior*. Sed aliud intelligo cum dicitur *Presbyter*, aliud cùm dicitur *Senior*. Quare ut *Apostolus*, quod Græcum est, nunquam transfertur Latinè, sic *Presbyter* quoque in iis locis ubi dignitas quædam significatur, non est, ut censeo, transferendum. Ergò hîc dicendum fuit *ab Ecclesia & Presbyteris*; &, *Convenerunt Apostoli & Presbyteri*; & *Placuit Apostolis & Presbyteris*; &, *Apostoli & Presbyteri*. Item longè pòst c. 20. 17. ubi dicitur, *A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ*, idem est Latinè *Majores natu*, seu *Seniores accersivit*. Etsi ab initio, quia seniores seu majores natu eligantur, sunt dicti *Presbyteri*. Sed eos qui erant constituti ad alios regendos, quales ii erant de quibus ad Titum scribit 1. 5. *ut constituas per civitates Presbyteros*, non dixit *Seniores* aut *Majores natu*. Adeò autem erant dicendi *Presbyteri*, & non *Seniores*, ut iidem essent Presbyteri qui Episcopi, cùm sequatur statim infra 20. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* De hoc quòd iidem fuerunt Presbyteri qui Episcopi, non est pluribus agendum, quod ab Hieron. super epist. ad Titum probatur. Quare Epistolam quoque Petri in eo loco 1. 5. 1. *Seniores igitur qui in vobis sunt obsecro consenior*, puto fuisse transferendam, *Presbyteros qui in vobis sunt compresbyter.* Item Epistolas Joannis quæ incipiunt, *Senior electæ dominæ*, &, *Senior Caio charissimo.* Cujus rei index est Hieronymus ad Euandrum scribens, qui has Epistolas incipere facit, *Presbyter.* Illud omitto, quòd Græcè non dicitur *Syria & Cilicia*, quod Grammaticæ repugnat, sed *apud* sive *circa*, *Antiochiam & Syriam & Ciliciam*, κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν. Et *Hierusalem*, non *Hierosolymam*.

14. *Simon narravit*] Græcè non est *Simon*, sed *Symeon*. De Petro enim Jacobus loquebatur. Ergò ut Paulus Græcè vocabatur *Saulus*, Hebraicè *Saul*, ità fortè Petrus Græcè *Simon* Hebraicè *Symeon*: quod confirmat ipsius epistola altera, quæ incipit, *Symeon Petrus*; sic enim Græcè habet, Συμεὼν Πέτρος.

37. *Volebat secum assumere & Johannem*] Gr. *Consulebat ut unà assumeret & Johannem*, ἐβουλεύσατο συμπαραλαβεῖν καὶ τὸν Ἰωάννην.

REVIUS in VALLAM.

2. Στάσεως καὶ συζητήσεως] Transpositum erat.

14. *Simeon*] Hic infarctum erat nomen *Simeonis* Ebraicum שמעון, quod non potest esse ab Autore. Cur enim diceret *forte* si Hebræa vox ei cognita erat? cur Erasmus Vallam hic divinare ait, si adductâ in rem præsentem voce Hebræâ sententiam suam probavit? At Hebraismi inscitiam in Matth. 1. satis prodidit. Sustule ergo.

ERASMUS.

2. *Factâ autem seditione non minimâ*] Græcis pro una duæ sunt dictiones, στάσεως καὶ συζητήσεως, *seditione & disceptatione*. Alioqui non quadrat quod sequitur, *cum Paulo & Barnaba*. Nec est *non minimâ*, sed οὐκ ὀλίγης *non exiguâ*. ¶ *Et quidam alii ex aliis*] Pro *ex aliis* Græci legunt ἐξ αὐτῶν *ex eis*.

3. *Pertransibant Phœnicem*] *Phenicen* legendum est per *n*, à Φοινίκη, h. e. *Phœnice*, *Phœnices*, non à *phœnix*.

4. *Ab Apostolis & Senioribus*] Pluribus verbis agit hoc loco Laurentius, quoties Dignitas significatur, Græcâ voce fuisse utendum *Presbyteri*. Sic enim olim vocabantur Episcopi, teste non uno in loco D. Hieronymo. Quoties Ætas indicatur, Latinè dicendum erat *Seniores*. Nunc Interpres suo arbitratu, nè dicam absque delectu, modò *Presbyteros* vocat modò *Seniores*.

8. *Et qui novit corda*] Rursus est dictio composita καρδιογνώστης *cordis cognitor*.

9. *Fide purificans*] Καθαρίσας, præt. temporis, i. *cùm fide purificaverit corda eorum*. Agit enim de iis qui jam crediderant.

14. *Simon narravit quemadmodum*] Συμεὼν, *Simeon*. Haud scio utrùm errore perperàm scriptum, an quòd nihil intersit inter *Simonem* & *Simeonem*: nisi quòd fortè *Simeon* Hebraicè dicitur, Græcè inflexâ voce *Simon*, ut à *Saul Saulus*. Sic enim divinat Valla.

16. *Et diruta ejus*] Κατεσκαμμένα *diruta*: atque ità legitur & in Latinis emendatioribus. Cæterùm testimonium quod adducit est Amos 9. quanquam Jacobus ità adducit sensum Vaticinii ut nec LXX sit usus verbis nec ad Hebræorum lectionem per omnia responderit. Siquidem Hebræa sic habent, interprete Hieronymo, *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerant instaurabo, & reædificabo illud sicut in diebus antiquis, ut possideam reliquias Idumææ, & omnes nationes, eò quòd invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc.* Porrò juxta ed. LXX legimus ad hunc modum, Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ ἀνοικοδομήσω τὰ πεπτωκότα αὐτῆς, καὶ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀναστήσω, καὶ ἀνοικοδομήσω αὐτὴν καθὼς αἱ ἡμέραι τοῦ αἰῶνος, ὅπως ἐκζητήσωσί με οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων, καὶ πάντα τὰ ἔθνη, ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου, λέγει Κύριος ὁ ποιῶν πάντα ταῦτα, i. *In die illo suscitabo tabernaculum David quod occiderat, & reædificabo ea quæ corruerant, & quæ suffossa sunt suscitabo, & instaurabo ea sicut dies antiquos, quærant me reliqui hominum, & omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc omnia.* Primùm pro *in die illo* posuit *Et post hæc*: ac *revertar* addidit de suo. Cæterùm in hoc, *ut quærant me reliqui hominum*, LXX secutus est, non Hebr. libros. Denique quod nos *suffossa* citavimus, in vulgatis exempl. est *suffusa*, sed mendosè; respondet enim illi Græco κατεσκαμμένα, à κατασκάπτειν, quod est *suffossione demoliri*.

17. *Super quas invocatum est nomen meum*] Interpres rectè omisit ἐπ' αὐτοὺς, quod additum est ex idiomate sermonis Hebraici, cùm tamen non addatur apud LXX.

18. *Notum à seculo*] Gr. γνωστὰ, numero multitudinis, i. *Nota sunt Deo opera sua*: additur πάντα *omnia*.

19. *Ego judico*] Ἐγὼ κρίνω. Accommodatius erat *Ego censeo*. Deinde *non inquietari*, quod Græcis est μὴ παρενοχλεῖν, rectiùs vertisset *non obturbandum esse*, sive *non addendam molestiam*: id enim sonat παρὰ præpositio.

21. *A temporibus antiquis*] Ἐκ γενεῶν, i. *à generationibus antiquis*, si voluisset ad verbum reddere. Jam admonuimus aliquoties γενεὰν pro *ætate* poni.

22. *Viros primos in fratribus*] Ἄνδρας ἡγουμένους *præcedentes*, sive *præminentes*, h. e. *primarios* magis quàm *primos*.

23. *Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ*] Κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν. Opinor hic *Antiochiam* regionem esse, non civitatem, quòd jungatur *Syria* & *Cilicia*, quæ sunt utique regiones: unde addenda erat præpositio, *qui sunt in Antiochia & Syria & Cilicia*. Interpres neque Græca reddidit neque Latinitatis habuit rationem. Nam ut reperiatur alicubi *vixit Galliæ* pro *in Gallia*, certè insuitatus ac durus sermo est.

24. *Quibus non mandavimus*] Ante hæc verba Græci cod. addunt, λέγοντες περιτέμνεσθαι καὶ τηρεῖν τὸν νόμον, i. *jubentes vos circumcidi & servare Legem*. Indicavit hoc Beda.

25. *Collectis in unum*] Γενομένοις ὁμοθυμαδὸν, i. *consentientibus*, sive *communi consensu animorum*.

29. *Ab immolatis simulacrorum*] Τῶν εἰδωλοθύτων, *ab iis quæ immolantur simulacris*. Suspicor interpretem scripsisse *ab immolatitiis simulacrorum*: nam hoc verbo frequenter utitur Ambrosius. Hunc locum cùm aliquoties referat Irenæus, tamen non meminit *suffocatorum*, sed tantùm *idolothytorum*, & *fornicationis*.

32. *Verbo plurimo*] Διὰ λόγου πολλοῦ *sermone multo*, aut *multis verbis*. Quid autem est *verbo plurimo*? aut quid attinebat positivum nomen vertere in superlativum? ¶ *Consolati sunt fratres & confirmaverunt*] Καὶ ἐπεστήριξαν, h. e. *addiderunt confirmationem* jam confirmatis ipsâ epistolâ: ea vis est præpositionis ἐπί.

33. *Ad eos qui miserant illos*] Πρὸς τοὺς ἀποστόλους *ad Apostolos*. Apparet Interpretem legisse πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας.

34. *Manere ibi*] Ἐπιμεῖναι αὐτοῦ *permanere ibidem*. Cæterùm post hæc verba quod sequitur in nostris exemplaribus, *Judas autem solus abiit Hierusalem*, apud Græcos non reperio: imò nè hæc ipsa quidem, *visum est autem Silæ manere ibi*, reperi nisi in uno duntaxat codice, eáque adjecta in margine. Verùm id librariorum errore factum videri potest.

37. *Barnabas autem volebat*] Ἐβουλεύσατο *consulebat*, sive *cogitabat*. Interpres legisse videtur ἐβούλετο.

38. *Paulus autem rogabat*] Videtur Interpres mitigare voluisse dissidii suspicionem. Nam Græcè est ἠξίου, i. *censebat*, aut *æquum judicabat*. Nec est simpliciter *discessisset*, sed τὸν ἀποστάντα, i. *qui descivisset*, sive *defecisset*, participium ejus verbi unde dictus ἀποστάτης, *desertor* sive *defector*.

39. *Facta est autem dissensio*] Rursum studuit mitigare Græcam vocem quæ est παροξυσμὸς, quæ plus sign. quàm *dissensionem*, à παροξύνω *irrito*, *provoco*, *exacerbo*. Significat igitur illos usque ad commotionem hac in re dissensisse, & adeò ut divellerentur. Apostoli erant, sed tamen homines erant. Origenes ingenuè fatetur inter optimos quoque viros hujusmodi incidere dissidia, dum in suo quisque sensu abundat: quæ tamen non procedant eò ut Christiana scindatur charitas aut Christi religio labefactetur. Porrò stultum est, consentientibus exempl. Græcis, ad eum modum mederi velle incommodo. Nos vertimus, *Tam acris autem fuit inter eos disceptatio*.

41. *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum*] Hæc verba in Græcorum cod. non invenio. Videntur huc translata ex capite quod proximè sequitur, *tradebant eis custodire dogmata*.

VATABLUS.

2. *Seditione* *] * *Et disceptatione*. ¶ *Illis*] *Aliis*.

4. *Annunciantes*] *Annunciaveruntque*.

5. *Hæresi*] *Sectâ*. ¶ *Crediderunt*] *Crediderant*. ¶ *Circumcidi*] *Circumcidere*.

6. *Conveneruntque*] *Convenerunt autem*. ¶ *Videre de verbo hoc*] Heb. *ut dispicerent de hoc negotio*.

7. *Conquisitio fieret*] *Disceptatio facta esset*. ¶ *Ab antiquis diebus*] i. Ab initio nascentis Euangelii. ¶ *In nobis*] *Inter nos*. Loquitur de Cornelio & aliis quos docuerat Christum jussu Dei. ¶ *Verbum Euangelii*] Vel *sermonem*, aut *prædicationem*.

8. *Perhibuit* *] * *Ipsis*.

9. *Fide purificans*] *Cùm fide purificaverit*.

10. *Tentatis Deum*] i. Vertitis in dubium an Deus velit circumcidi Gentes quas jam elegit & vocavit, dato Spiritu sancto. ¶ *Discipulorum*] *Christianorum*.

11. *Salvari*] Vel *salvos futuros*.

14. *Simon*] *Simeon*. ¶ *Visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo*] Heb. i. rationem Gentium habuit, ut ex illis populum sibi sumeret, qui invocet nomen ipsius.

17. *Est*] *Fuerit*. ¶ *Hæc* *] * *Omnia*.

18. *Notum à seculo est Domino opus suum*] *Nota à seculo sunt Domino opera sua*. 19. *Ju-*

19. *Judico, non inquietari eos*] *Censeo, non addendam molestiam illis*; vel *non esse exhibendum negotium*, &c.

20. *A contaminationibus simulacrorum*] i. Ab iis quæ idolis immolantur. ¶ *Fornicatione*] *Scortatione*. ¶ *Suffocatis*] *Suffocato*.

21. *A temporibus*] *A generationibus*, i. ætatibus; q. d Moses Dei Propheta antiquissimus; vel, qui jam olim à priscis seculis legitur in Synagogis, omnes docet in suo Pentateucho hæc omnia fugienda esse. ¶ *Per omne Sabbatum*] *Per singulas hebdomadas*, vel *septimo quoque die*.

22. *Placuit*] Aut *visum est*, sive *decretum*. ¶ *Ex eis*] *Ex sese*. ¶ *Primos*] Vel *præcedentes* [*primarios*.] ¶ *Per manus eorum**] Heb. *per illos*. * *Hæc*.

23. *Seniores**] * *Et*.

24. *Evertentes*] *Labefactantes*. ¶ *Vestras**] * *Jubentes vos circumcidi & observare legem*.

25. *In unum*] *Unanimiter*.

26. *Qui tradiderunt animas suas pro nomine*, &c.] Hebr. *Jam exposuerant se vitæ discrimini propter Christum*.

28. *Necessaria*] Ut scil. alatur mutua benevolentia inter vos & Judæos.

29. *Ab immolatis simulacrorum*] *Ab his quæ immolantur simulacris*. ¶ *Fornicatione**] *Scortatione* * *Quæcunque vobis fieri non vultis, nec vos aliis facite*. Sic quædam Exempl. Gr.

30. *Descenderunt*] *Venerunt*.

32. *Plurimo*] *Multo*, vel *multis verbis*.

33. *Facto autem ibi aliquanto tempore*] Vel, *Cùm autem ibi aliquamdiu egissent*. ¶ *Eos*] *Apostolos*.

36. *Revertentes**] * *Jam*.

37. *Volebat*] *Consulebat*, vel *deliberabat*.

38. *Rogabat*] *Censebat*, aut *æquum judicabat*, *eum*, &c. ¶ *Discessisset*, *Deseruisset*, *defecisset*.

39. *Dissensio*] *Exacerbatio*, *disceptatio*.

40. *Traditus*] *Commendatus*.

CASTALIO.

14. SImeon] Idem qui *Simon*.

17. *A me denominatæ gentes*] Quæ *Domini gentes*, h. e. *meæ*, dicuntur.

CLARIUS.

2. STatuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas] Non hoc contrarium est ei quod Paulus ad Galatas ait, *non ascendisse Hierosolymam ad antecessores suos Apostolos, neque contulisse Euangelium quod prædicaret in Gentibus*. Nam non ipse spontè ascendit, quasi aliquid ipse ambigat, sed mittitur, & aliis obsequens proficiscitur. Nam ipse ab initio in hac erat sententia, quam & Apostoli postea confirmarunt, *Non oportere* scilicet *Gentes circumcidi*. Cùm ergò videret tunc sibi non credi, sed illos iis attendere magis qui erant Hierosolymis, ascendit, non ut quicquam disceret ipse, sed ut persuaderet contradicentibus quòd & ii qui Hierosolymis essent suæ sententiæ suffragarentur.

13. *Quid tentatis Deum*] *Tentare Deum* est nolle simpliciter verbis ejus credere. Ait ergò, Nondum creditis nos justificari per fidem in Christum, sicut ipse docuit, sed magis ceremoniis Judaicis.

14. *Symeon narravit*] Quidam censent eum fuisse qui infantem Dominum ulnis excepit. Sed rectiùs intelligitur de Petro, qui & *Simon* & *Simeon* vocatur: nam ipse in principio secundæ epistolæ dicit, *Simeon Petrus*.

16. *Reædificabo tabernaculum David*] Non Templum Hierosolymitanum, ut Judæi arbitrabantur, sed æternam illam instaurationem intelligit Prophetia, quæ per Christum facta est.

28. *Visum enim est Spiritui sancto & nobis*] Addunt *& sibi visum* qui cùm essent Judæi, tamen approbabant non debere aggravari Gentes ut servent Legem; tantùm ab iis abstineant quæ in mutua consuetudine possent offendere. Videtur autem ex hoc loco, apud Gentiles *fornicationem* creditum esse licere. Quòd autem præcipiant à reliquis abstinere ad evitandas offensiones declaratur per ea quæ sequuntur; Quia scilicet, cùm per omnes civitates legatur Moses, in cujus lege hæc notantur, ii qui *sanguinem* & *suffocatum* & *simulacris immolatum* comederent pararent dissensiones.

39. *Facta est autem dissensio*] Παροξυσμός, *irritatio* illa animorum non fuit inimicitiæ, neque odii: sed quod quisque utile esse judicabat, id curabat. At verò hoc & Ecclesiis profuit, atque ipsi Marco: nam severitas Pauli accuratiorem illum reddidit; benignitas verò Barnabæ id egit, ut nè omnino destitueretur. Invenimus & in Prophetis varios mores, neque tamen reprehensos. Moses mitis erat, Helias austerior. Hoc de Deo & Mose legimus; hic rogat, ille irascitur. Non ergò discesserunt inimici inter se: absit. Cujus rei hoc indicium est, Barnabam post hæc multis laudibus à Paulo in epistolis celebrari.

41. *Confirmans Ecclesias*] Non priùs transit ad alias civitates quàm eas quæ acceperant verbum Dei visitasset. Primos enim primùm instauramus, nè illi sint impedimento posterioribus.

ZEGERUS.

1. QUidam alii ex aliis] Sic constanter habetur in nostris: cùm Chrysostomus & Græcus contextus habebant *ex illis*. B. Hieronymus in Epist. ad Augustinum, hujus loci sensum, non verba, ut arbitror, efferens, ità scribit, *Statuerunt ascendere & ipsi qui accusabantur & hi qui accusabant ad Apostolos & Presbyteros*: quorum loco nos legimus, *Statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alii ex aliis ad Apostolos & Presbyteros*, Ex quibus Hieronymi verbis colligitur rectius esse *ex aliis*, h. e. ex parte adversa.

3. *Pertransibant Phœnicen*] A *Phœnice*, *es*, non à *Phœnix*. De hac regione plura infrà dicemus 27. 12.

5. *De hæresi Pharisæorum*] i. *de secta Pharisæorum*. Alioqui αἵρεσις *electio* interpretatur, ab αἱρῶ *eligo*.

7. *Vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis eligit per os meum audire Gentes verbum Euangelii*] Intelligendum est de prædicatione illa quando oraculo præmonitus Cæsaream periit, ubi Cornelio & aliis Gentilibus Euangelium deprædicavit, ut habes in hujus operis c. 10. Quod autem dicitur *in nobis*, Chrysostomus legit *in vobis*, & interpretatur *in Palæstina*, vel *præsentibus vobis*.

13. *Quid tentatis Deum, imponere jugum*] Hieronymus in Epist. ad August. non addit *Deum*: & videtur ità sermo esse commodior. August. verò & usus ubique addit.

14. *Deus visitavit sumere*] Juxta Græci sermonis proprietatem dictum est, ut & alia non pauca, pro eo quod est *visitavit*, vel potiùs *aspexit*, *ut sumeret*. Utrumque enim signat ἐπεσκέψατο, pro quo Iren. habet *excogitavit*, l. 3. c. 12.

16. *Post hæc revertar & reædificabo tabernaculum David*] *Tabernaculum David* Regnum ipsius accipere debemus, quod modò instauratum & in spirituale Regnum commutatum videmus, regnante Domino nostro Jesu Christo.

18. *Notum à seculo est Domino opus suum*] Ante mundum conditum definitum erat illi opus hoc quod modò in Gentium vocatione adimpletur.

20. *Ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine*] Hæc Gentilibus maximè conveniebat præcipere, ut qui ob venerationem idolorum hujuscemodi nefariis actibus essent obnoxii, nè videlicet deinceps simulacrorum sese cultibus contaminarent, nè corpus fornicationi traderent, nè suffocatis vescerentur carnibus, & nè sanguinem vel bibendum vel sumerent edendum. Vel, ut aliis placet, *ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum*, h. e. ut abstineant ab esu immolatitiorum: hunc enim sensum magis postulare videtur hoc idem in epistola pòst repetitum, ubi scriptum est ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων. Eucherius, omittens *suffocatis*, per *sanguinem* intelligit sanguinem suffocatum, non dissimulans tamen alios secùs intelligere, in Gen. cap. 8. Irenæus lib. 4. nec hic nec infrà in horum repetitione addit *suffocatis*; sed utrobique adjicit quæ hactenus nusquam nisi in uno exemplari calamo descripto offendi, loco duntaxat posteriori, *& quæ vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis*: pro quibus dictus Irenæus hic scribit, *& quæcunque nolunt sibi fieri, aliis ne faciant*: infrà verò, *& quæcunque non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis*. Et quia cum duobus prædictis concordat testis tertius Cyprianus lib. 3. ad Quirinum in fine, imò & quartus Rabanus in Glossa Doctorum, consultius videtur ut hæc deinceps adscribantur. Nec enim videntur adjecta explicandi gratià, ut alia pleraque. Adhæc Irenæus & Cyprianus scriptores sunt vetustissimi, quorum ætate minus erat in libris adjectiunculatum quàm tempore sequenti. Cæterùm in omittendo *suffocatis* cum Irenæo concordant Cyprianus, Eucherius in Gen. 8. & Augustinus; discordant verò Hieronymus lib. adversùs Jovin. 1. Hesychius in Levit. 13. Chrysostomus, Beda, & codices moderni tam Græci quàm Latini, qui addunt *suffocatis*: nisi quòd Græcè sit *suffocato*; & in nonnullis Latinis *suffocato sanguine* citra copulam. B. Augustinus in Speculo tria recitans loca in quibus eadem repetuntur, duo videlicet ex c. 15. tertium ex c. 21. nus.

nusquam omittit *suffocati* vocabulum, & nunc *suffocatis* scribit, nunc *suffocato sanguine*, nunc *suffocato & sanguine*. Sed hanc diversitatem à librariis profectam arbitror. Nam quòd ipse cum Irenæo & aliis non legerit *suffocatis*, aut certè quòd hæc duo sine copula conjunxerit, *suffocato sanguine*, atque adeò quòd ubique idem legerit, ipse tandem subindicat dum dicit *tria tantum* in prædictis verbis esse interdicta, nimirum *ut abstinerent sese ab iis quæ idolis immolantur, & à sanguine, & à fornicatione*. Tandem fortè in eum incidi qui certiora hac de re pronunciat. Ambrosius enim in Comment. ad Gal. 2. scribit *Sophistas Græcorum* præsentem locum *non intelligentes adulterasse*, ut qui *addiderint mandatum quartum*, nempe, *Observandum etiam à suffocato*.

21. *Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent*] Illud *enim* rationem reddere videtur cur decretum præmissum magis scripto voluerit quàm sermone transmittere, ut sic hæc verba jungantur præcedentibus: *Ideo ego* Jacobus *scripto tradendum* decretum hoc *censeo*, ut non minùs ratum habeatur quàm lex *Moysi*, quæ literis mandata *per singula Sabbata prælegitur*. Chrysostomus verò secùs continuat sermonis seriem: scribit enim apud suum interpretem ad hunc modum, *Et ne quis objiciat, Quare non & Judæis eadem scribimus? addit* MOSES AB ÆTATIBUS ANTIQUIS PER SINGULAS CIVITATES HABET EOS QUI IPSUM PRÆDICANT, *hoc est, Moses illis continuò loquitur. Hoc est enim quòd* PER OMNE SABBATUM LEGITUR.

23. *Scribentes per manum eorum epistolam continentem hæc*] *Manum* non *manus* lego apud Chrysostomum in edit. Græca, & in Latinis antiquis. Quod autem nonnulli subjiciunt, *epistolam continentem hæc*, nec Chrysostomus habet, nec contextus ipse Græcus, nec codices nostri nisi pauci, probabile est ex adnotatiuncula irrepsisse.

24. *Evertentes animas vestras*] Quæ rursus post hæc verba in Græcis leguntur, Glossâ id etiam indicante Doctorum seu Ordinariâ, λέγοντες περιτέμνεσθαι καὶ τηρεῖν τὸν νόμον, *dicentes, Circumcidi oportet, & servare Legem*, lecta quidem sunt à scriptore antiquissimo Irenæo, & Oecumenio, nisi quòd hæc collocent inferiùs post illud *quibus non mandavimus*; sed non à nostro Interprete, nec à Chrysostomo, qui diligenter præsentem edisserens locum horum nullam omnino facit mentionem. Et nescio an apud Irenæum & Oecumenium suo judicio usi sint librarii. Videntur enim mihi adsuta esse ex illo quod præmittitur, *dicentes oportere circumcidi*, &c. ex quo etiam facilè hic subaudiuntur.

33. *Facto autem ibi aliquanto tempore*] Dua illa verba *ibi aliquanto* ad evidentiam sermonis ab ipso, ni fallor, Interprete, aut certè ab eo qui Novum Instrumentum cum autoritate reparavit, adjecta sunt: cujusmodi adjectio & aliàs, ubi necessum fuit, facta est. Certè hanc licentiam permisit sibi etiam Erasmus exactissimus alioqui verborum consectator, dicens, *Commorati autem illic aliquantum temporis*, quod breviùs dici poterat *ad tempus*. Nec obstat si posterius, nempe *aliquanto*, non habeatur in aliquot vetustis, cùm verisimile sit erasum esse ab aliquo Græculo qui hoc putaverit redundare. Et ut ità non sit, tamen optarim manere, sicuti hactenus mansit illud *ibi*, quod Interpres aut certè Catholicus Castigator etiam alibi adjecit, nedum hoc loco. In exemplari Gembl legitur utrumque.

34. *Visum est autem Silæ ibi manere: Judas autem solus abiit Jerusalem*] Cùm duæ hæ clausulæ nuper non fuerint in Græcis, (nam nunc prior illa *visum est autem* adjecta est juxta Latina) nec cernantur apud Chrysostomum, nec item habeantur in multis antiquis Latinis, potissimùm clausula posterior, non videntur adscriptæ fuisse ab ipso Euangelista, sed à studioso quopiam ad corrigendum illud quod præmittitur, *dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos qui miserant illos*, h.e. ad Apostolos in Jerusalem; & ad declarandum unde sibi Paulus Silam adsumpserit comitem, ut infrà dicitur, *Paulus autem electo Silâ*, &c. Quanquam enim Silas & Judas in hoc dimissi fuerint ut regrederentur Jerusalem, Silas tamen voluit potiùs manere Antiochiæ; unde tandem à Paulo, qui tum illic agebat, comes delectus fuit: unde necesse fuit ut Judas regressus fuerit solus. Ad quod indicandum quidam dictas clausulas in margine scripsisse creditur, quæ deinde, quia ad historiam pertinere visæ sunt, traductæ sunt in contextum; sicuti ante nos docuit & Lyranus. Diligenter ergò scribentur hæc in margine, maximè clausula prior, quæ nescio an ab ipso fortè N. Test. Reparatore adjecta sit. Certè adnotationem esse antiquam antiqui nonnulli arguunt codices. Et utraque clausula lecta videtur ab ipso Rabano in Glossa Doctorum, qui claruit anno DO. DCCL. In codice Gemb. hæc verba non invenio, nec in cod. Gallicano.

38. *In opus quo missi fuerant, non debere recipi*] *Quo missi fuerant* adscriptum invenio in margine editionis Lovaniensis cum indice quinque exempl. sed nusquam alibi. In Gembl. additum reperi *recipi eum*, itémque in aliis nonnullis.

41. *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum*] Multa sunt quæ arguunt hæc esse tollenda ut adscititia; nimirum quòd non sint in Græcis; quòd non recitentur à Hieronymo in Epist. ad Augustinum, ubi tamen præcedentia & sequentia verba recitantur; quòd non attingantur à Chrysostomo; quòd parùm aptè cohæreant cum præcedentibus, junguntur enim duo participia citra copulam, *confirmans Ecclesias, præcipiens custodire*; quod eadem sententia de ipso Paulo, de quo & hic scribitur, ponatur paulò inferiùs c. 16. 4. *tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus*; denique quòd non enarrentur ab Hugone Card. commentatore alioqui perpetuo. Sed rursus sunt nonnulla quæ arguunt non esse tollenda; primùm consensus cod. Latinorum, paucis exceptis qui videri possint emendati juxta inemendatum exemplar Græcum; mox vetustiss codex Donatianicus qui aliàs ferè consentit cum Græcis; deinde suspicio de concisa scriptura per hæreticos, postremò, quòd non videantur adjecta explanandæ aut complendæ sententiæ gratiâ.

H. STEPHANUS.

2. Περὶ τοῦ ζητήματος τούτου] Scisciraturos *de hac quæstione*.

3. Ἐκδιηγούμενοι] *Narrantes*.

9. Οὐδὲν διέκρινε] *Nihil discriminis statuit*.

10. Τί πειράζετε τὸν Θεὸν, ἐπιθεῖναι ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον] *Cur tentantes Deum imponitis jugum cervici*.

14. Ἐπεσκέψατο λαβεῖν ἐξ ἐθνῶν λαὸν] *Dispensans suam beneficentiam, sumpserit ex Gentibus populum*. Vel, *Respexerit*, seu, *rationem habuerit Gentium, ut sumeret ex ipsis populum*.

19. Κρίνω μὴ παρενοχλεῖν] *Censeo non esse facessendum negotium*.

20. Ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων] *A pollutionibus idolorum*. Pro his duobus verbis dicit *idolothyta*, v. 20.

24. Ἀνασκευάζοντες] *Labefactantes*. ¶ Οἷς οὐ διεστειλάμεθα] *Quibus hoc mandatum non dederamus*.

26, Παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν] *Qui exposuerunt animas suas*: i. cuivis periculo objecerunt.

33. Ποιήσαντες δὲ χρόνον] *Cum aliquid temporis ibi consumpsissent*.

39. Ἐγένετο οὖν παροξυσμὸς] *Exacerbati sunt eorum animi*.

DRUSIUS.

3. *Faciebant gaudium magnum fratribus*] Alias *adferebant*. Sed *facere gaudia* tam Latinè dicitur quàm *facere lætitiam*. Cicero 1. De fin. *Recta & honesta quæ sunt, ea facere per se lætitiam*. *Facere gaudium magnum* Livius 8. Bell. Pun. dixit *facere lætitiam ingentem*. In Ebraismo *facit gaudium* etiam qui convivio aliquem excipit: unde *dies gaudii* Num. 10. 10. quo epulum habetur. Ità Hieronymus. Elias Thesbite, *Dies Bonus vocatur dies convivii & gaudii cum solennitatem*. Ergò *fecit diem bonum fratribus suis* idem cum illo, *fecit gaudium fratribus suis*, h.e. excepit eos convivio.

4. *Et Senioribus*] Hos paulò antè vocavit *Presbyteros*; qui olim & *Episcopi* dicebantur. Erant autem duo genera Presbyterorum. Nam alii laborabant in verbo, qui nunc in Ecclesiis Reformatis *Ministri* vocantur; alii gubernabant Ecclesiam unà cum illis, quos nunc *Seniores* appellant. Valla censet cùm est nomen dignitatis, rectiùs reddi *Presbyteros*; cùm ætatis, meliùs dici *Seniores*. Videndus hac de re noster Erasmus.

14. *Simon*] Non est corruptum ex *Simeon*, sed Græcum Σίμων, quod Ebræi etiam usurpant, scribentes סימון, ut *R. Juda F. Simon*. Id latinè rectè scribes *Simo*, ut Πλάτων, *Plato*. *Simeon*, Σίμων, ut *Tarphon*, Τρύφων, *Dosthai*, Δοσίθεος, *Jesus*, Ἰάσων, quorum nominum prius Ebraicum est, & posterius Græcum sive Hellenisticum.

17. *Ut requirant cæteri hominum*] Trifariàm hic peccatum ab interpretibus Græcis; primùm, quod interpretantur ידרשו, quod in Ebræo fonte יירשו, *hæreditatis jure possident*; deinde, quòd את שארית verterunt οἱ κατάλοιποι, cùm articulus evincat vertendum esse τοὺς καταλοίπους, i. *reliquias*, postremò, quòd

אנוש reddiderit *hominum*, i. אדם: nam ut demus puncta vocalia tunc temporis non adscripta fuisse, tamen Vau quod in אנוש omnem tollit omnino ambiguitatem, ut de lectione nunc recepta dubitare nemo possit aut debeat.

20. *Et suffocato*] Videtur abfuisse olim à nonnullis exemplaribus: quod colligo ex his verbis Hieronymi quæ habentur in Comment. ipsius Gal. 5. *In Actibus Apostolorum narrat historia, Cum quidam de circumcisione surgentes asseruissent eos qui ex Gentibus crediderant debere circumcidi & legem custodire Moysi, Seniores qui Jerosolymis erant & Apostolos pariter congregatos statuisse per literas ne superponeretur eis jugum Legis, nec amplius observarent nisi ut custodirent se tantum ab idolothytis & sanguine & fornicatione, sive, ut in nonnullis exemplaribus scriptum est, & à suffocatis*: ἀπὸ τῶν πνικτῶν, ἢ τοῦ πνικτοῦ.

22. *Viros primos in fratribus*] Erasmus mavult *primarios*; quem Beza secutus est: sed sciendum in Græco esse ἡγουμένους, quod est participium ab ἡγοῦμαι id non tantùm sig. *Dux viæ sum* aut *imperator*, sed *æstimo, puto, dico*: quod Ebræi dicunt חשב: unde apud Doctores חשוב *qui est in aliqua existimatione*. Elias Thisbite, *Vocant hominem honoratum* חשוב, *ex illo Jes.* 33. לא חשב *Non æstimatur mortalis*. Licet etiam vertere *non reputatur*, vult dicere *in nullo pretio est*. Hinc dictitant, *Pauper qui fuit in aliqua existimatione sicut mortuus est*, h. e. pro mortuo habetur. Elias ità explicat, *Vir ἡγούμενος æstimatus & honoratus reputatur pro mortuo; sed vir qui non æstimatur non reputatur sicut mortuus; quoniam non curat adeò paupertatem & tenuitatem suam*. Sit hoc arbitrarium, non certum.

23. *His qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus*] Ordo & constructio, *his qui sunt Antiochiæ*, sub. *fratribus*, quod repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex sequentibus: deinde, *Syriæ & Ciliciæ fratribus*. *Fratres Syriæ & Ciliciæ* vocat Discipulos qui erant in Syria & Cilicia. *Antiochiam regionem* quærat Erasmus; ego nusquam invenio eam. Quod autem sequitur *ex Gentibus* construendum est cum voce *fratribus*. *Frater ex Gentibus*, sive, ut Syrus habet, *ex populis*, i. frater Gentilis, qui ex Gentibus nomen dedit Christo. Sic *frater ex Judæis*, qui ex Judæo Christianus evasit; qualem nos unum fecimus in Frisia ex genere Sacerdotali, cujus patruus erat *Morenu*, i. *Doctor noster*, Francofurti. Hic & in vita & in morte declaravit falsum esse quod vulgò dicitur, *Nunquam Judæus bonus Christianus*: nam piè & Christianè vitâ functus est.

24. *Labefactantes animas vestras*] i. animos vestros, aut vosmetipsos.

26. *Tradiderunt animas suas pro nomine DOMINI*] Magnum signum amoris. Sic Apostolus 1 Thess. 2. 8. *Cupiebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam nostras ipsorum animas*. Vide lib. 3. Observat. c. 17. Dicunt etiam *dare animam suam*. Sir. 7. 21. *Ne malè tractes mercenarium dantem animam suam*. Sic alibi, *Ne dederis animam tuam mulieri*. Quid sit *animam dare mulieri* docet impurus adolescens apud Plautum Asinariâ,

> *Ego adii, & amans ego animum meum isti dedi.*

Hujus loci est quod Jes. 58. 10. *Et prompseris esurienti animam tuam*: ubi LXX *& dederis* τὸν ἄρτον ἐκ ψυχῆς σου *panem ex anima tua*. Quale illud, *Diliges DOMINUM ex tota anima tua*.

CASAUBONUS.

8. "Οτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωϋσέως] Ἔθος Μωϋσέως vocatur ἡ περιτομή, quæ apud Johannem *lex Mosis* 7. 23. dicitur. At Syrus interpres legisse videtur τῷ ἔθει τοῦ νόμου.

14. Συμεὼν ἐξηγήσατο καθὼς πρῶτον] *Symeon* hic vocatur qui alibi *Simeon* semper dicitur: quæ diversitas γραφῆς fecit ut magno errore existimarint quidam è veteribus non Petrum hic intelligi, sed Symeonem cujus præclarissimum canticum est à Luca relatum libro priore 2. 29. Et sanè facta est à Symeone illo cantico vocationis Gentium mentio, sicut paulò antè à Petro. Verum errasse eos qui ità senserunt notius est quàm ut longâ refutatione opus habeat.

20. Καὶ τῷ πνικτῷ] Non fit temere quòd moneantur isti ut *à suffocatis abstineant*: Nam apud veteres, ut ex Athenæi libro nono licet cognoscere, in deliciis erat τὸ πνικτὸν κρέας.

23. Γράψαντες διὰ χειρὸς αὐτῶν τάδε] Manifestissimum σολοικοφανὲς postulabat enim omnino ἡ σύνταξις ut esset γράψαντας, cùm præcedebat ἐκλεξαμένους. Sic prorsus Poeta Π. β́ nam cùm dixisset.

> Φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα,

subjicit in eadem sententia

> Ἀστράπτων ἐπιδέξια.

Ad quem locum plura diligentissimus Grammaticus Eustathius: quem consule.

25. Ἔδοξεν ἡμῖν γενομένοις ὁμοθυμαδὸν] Vetus interpres *Placuit nobis collectis in unum*: nimirum legit ὁμαδὸν, aut ὁμοθυμαδὸν accepit pro ὁμοῦ, ut etiam ab Hesychio exponitur. Sic accepit & Syrus Paraphrastes.

33. Ποιήσαντες δὲ χρόνον] Ποιεῖν pro διατρίβειν, & *alicubi commorari*, ut insolens est & inauditum Græcis disertioribus loquendi genus, ità apud recentiores scriptores, quorum oratio Ἀττικίζει sæpe magis quam Ἑλληνίζει, passim occurrit. Sic infrà 18. 23. καὶ ποιήσας χρόνον τινὰ, ἐξῆλθε· & iterum 20. 3. ποιήσας τε μῆνας τρεῖς. Paulus 2 Cor. 11. 25. νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα. Jacobus 4. 13. καὶ ποιήσωμεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα. Apud Eusebium & alios ejus seculi scriptores passim, ut dixi, occurrit hoc loquendi genus. Sic etiam auctor incertus apud Suidam in voce Βραχμᾶνες, Καὶ ποιήσαντες μετὰ τῶν γυναικῶν αὐτῶν ἡμέρας μ', πάλιν ἀντιπεραιοῦσι. Cui simile est quod in antiqua inscriptione legitur, quam doctissimi viri proferunt, MEMORIÆ C. F. L. PEDUCEÆ JULIANÆ MORIBUS NATALIBUS AC PUD. PRISCIS ILLUSTRIBUSQUE FOEMINIS COMPARANDÆ, QUÆ VIXIT ANNOS XIII. D. XLVII. CUM MARITO FECIT M. D. D. XX. Porro sic sæpe loquuntur Romani Jurisconsulti: ut non dubium sit Græcos hac In Periphrasi Latinos esse imitatos.

CAMERON.

28. Ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν] Hinc Pontificii sic disputant, Si sola Spiritûs authoritas valet, quorsum attinuit adjecisse illud, *Et nobis?* Profectò, inquiunt, causa dici non potest præter hanc unam, Quòd de Spiritûs testimonio fidelibus non potest constare nisi accedat etiam Ecclesiæ testimonium. At, inquam, quorsum attinet ut pater cum filiis, & Rex cum subditis sic agat, ut Divinæ primùm, tum suæ meminerit authoritatis? Deus, inquiet pius pater, hoc præcipit, & ego idipsum tibi præcipio. Et Regi pariter licet sic agere. An ex hoc effici contendent, nullam esse apud nos Verbi Divini authoritatem præter eam quæ à Regis & patris authoritate pendet? Nam certè eadem ferme locutio est. Nimirum ità se res habet; Duo sunt monentium genera: Unum eorum est qui monent nulla cum authoritate, in quo genere sunt omnes privati homines, seu cum iis agant qui & ipsi privati sunt, seu cum iis qui præsunt cum authoritate: Alterum genus eorum est qui monent cum authoritate. Illorum est illud *& nobis* reticere, solius Dei meminisse; horum verò meminisse etiam authoritatis suæ, sed quam præcedat veritas, non sequatur. Nam sine authoritate veritas valere & potest & debet, sine veritate authoritas in causa religionis & conscientiæ nulla valet; neque verò, nisi sit amens vel impius, quisquam id potest negare. Sanè qui sunt in aliqua constituti authoritate, eos necesse est authoritatis suæ aliquam facere mentionem, sed opportunè & loco idoneo, ut testentur quænam sit ipsorum authoritas, non autem ut pro Diis habeantur. Atque hic res ipsa poscebat ut Apostoli testarentur authoritatem suam. Constat enim ex eodem loco, fuisse qui fingerent se missos ab Apostolis, quique Apostolis doctrinam alienam affingebant: itaque caverunt diligenter nè hæc opinio hominum animis insideret, nè haberentur pro authoribus doctrinæ à qua abhorrebant. Itaque non dicendum erat simpliciter, *Visum est Spiritui sancto*, sed etiam *& nobis*. Deinde, loco idoneo hoc est factum: nam præcedit hic dictamen Spiritûs, *Visum est Spiritui*, sequitur mentio Apostolorum, *visum est nobis*: quo testantur, ea demum esse probanda si profecta sint à Spiritu, neque cæcâ obedientiâ ipsis esse parendum. Sed ut res tota fiat planior, considerandum hoc est, Duo esse quæ hominum animos in controversiis de religione conturbare solent, Rem ipsam quæ vocatur in disquisitionem, & Rei authoritatem. Et quidem Res ipsa, cùm intuemur rem qualis est in se, nempe cùm speciem habet veritatis, cùm sit tamen aliena à veritate; vel speciem habet falsitatis, cùm sit aliena à falsitate. Deinde & Rei authoritas perturbat, si sententia habet illustres authores & magni nominis, & consensum magnorum virorum,

qui-

quique in dignitate quadam constituti sunt in Ecclesia. Jam his malis non eodem modo occurritur. Nam cum agitur de rei ipsius veritate, ea probanda est rationibus: cùm de authoritate & consensu, hic solâ opus est declaratione seu professione veritatis ab his profectâ quibus contraria sententia est afficta. Atque hic ea fuit causæ ratio. Id quod constat ex iis primùm quæ dicta sunt in Concilio: nam propositis rationibus res acta est in Concilio: deinde in Epistola (quam licet nobis *Synodicam* appellare) disertis verbis dicitur. *Quia audivimus quòd quidam egressi perturbarunt vos sermonibus, quibus hoc non præscripseramus.* Tum argumentum Epistolæ est ejusmodi, fieri ut non possit ullâ ratione ut rerum quas Epistola commendat notitia pependerit à sola Concilii authoritate. Etenim fit mentio *fornicationis*, & vetatur *ne quis alteri faciat quod sibi nolit factum*; quæ cùm ipsa lux naturæ patefaciat, non potest statui illa credi atque in Ecclesia probari simpliciter ob Ecclesiæ authoritatem.

LUD. CAPPELLUS.

7. ΟΤΙ ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων, &c.] Phrasis ista, quâ aliud hic nihil significatur quàm *olim*, *antehac*, *non ità pridem*, illustrari potest simili quæ occurrit Jer. 28. 8. ubi Jeremias sic affatur populum & Sacerdotes & Pseudoprophetam Hananiam, *Propheta qui fuerant ante me & ante te* מן העולם, h. e. *antehac*, non verò *ab antiquo*, vel *ante multa secula*.

8. Ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς] Cujusmodi sit illud testimonium vide infrà quæ notamus ad Apoc. 19. 10. ubi phrasis ista illustratur.

GROTIUS.

ΚΑί τινες, *Et quidam*] Quidam ex Judæis Antiochensibus. Quidam Judæi, non omnes, ita sentiebant, *neminem hominum servari posse nisi circumcideretur*, *totique Mosis Legi*, *ut unica ad salutem via*, *se subjiceret*, quomodo hic locus explicatur in Constitutionibus quæ dicuntur Clementis 6. 12. Alii tamen sentiebant etiam eos qui erant חסידי אומות [*pii ex Gentibus*] posse servari, nimirum quia ipsa circumcisio non erat imperata, nisi Abrahami posteris, Genes. 17. 10, 11, 12. nec lex Mosis, nisi Israelitis. Ananias Judæus Izati Adiabeno apud Josephum 20. 2. δυνάμενον δὲ αὐτὸν ἔφη καὶ χωρὶς τῆς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν [*posse eum dixit & sine circumcisione Deum colere.*] Tryphon hæsitanter loquitur apud Justinum, Μένοντι γάρ σοι ἐν ἐκείνῳ τῷ τῆς φιλοσοφίας τρόπῳ καὶ ζῶντι ἀμέμπτως ἐλπὶς ὑπελείπετο ἀμείνονος μοίρας [*Nam si in illo Philosophiæ perstitisses genere atque extra reprehensionem vixisses, reliqua tibi esset spes sortis melioris.*] Ex his duabus sententiis leniorem Deus probavit. ¶ Τῷ ἔθει Μωϋσέως, *secundum morem Mosis*] כדרך משה, *secundum Mosis instituta*. Erat quidem circumcisio antiquior, sed à Mose etiam præcepta, Johan. 7. 22.

2. Γενομένης οὖν στάσεως, *Facta ergo seditione*] Exacerbatione animorum orta. Ita ריב modò στάσις [*seditio*] vertitur, modò παραπικρασμὸς [*exacerbatio.*] ¶ Καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ, *& disquisitione non minima Paulo & Barnabæ*] Hi dativi ad συζήτησιν [*disquisitionem*] pertinent, non ad στάσιν [*seditionem.*] Paulo & Barnabæ imposita necessitas cum illis hominibus disputandi. Uti potuit Paulus iis quæ Prophetæ dixerant Nehemani, Nabuchodonosori, Cyro. ¶ Ἔταξαν, *statuerunt*] nempe οἱ ἀδελφοὶ [*fratres*,] tota Ecclesia. ¶ Πρὸς τοὺς Ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους, *ad Apostolos & Presbyteros*] Apostoli, quanquam in se juris satis haberent & donorum Dei & auctoritatis, exemplo suo docebant Episcopos nihil agere sine Presbyterorum consilio, probantes laudabilem Synagogæ morem. ¶ Περὶ τοῦ ζητήματος τούτου. *super hac quæstione*] Si qua inter Judæos quæstio oriretur, unde justus erat schismatis metus, adibatur Synedrium instructum viris doctissimis, idque ex Lege quæ est Deut. 17. & sequentibus. Sic Christiani, ubi tale quid inter ipsos ortum esset, ibant consultatum Hierosolyma, ubi Petrus erat & Johannes & Jacobus, fortè & alii quidam Apostolorum & Seniores egregii. Quod tunc fuit urbs Hierosolyma, id destructis Hierosolymis facta est Roma, ubi magna copia eruditorum, tum qui in urbe habitabant, tum qui aliunde eò adventabant; ita ut Synodus Romana Concilii universalis (quale nisi sub Imperatoribus Christianis haberi non potuit, nec sub illis semper) vim aliquatenus in se contineret: eóque magis quòd ab ea Synodo etiam aliarum regionum Episcopi per epistolas consuli solerent.

3. Οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, *Illi ergo deducti ab Ecclesia*] Id est, *aliquousque deducti à fidelium quibusdam.* Nam προπέμπειν non est *comitem se dare itineri*: sed *honoris causâ aliquousque prosequi*, unde nomen habent carmina προπεμπτικά. ¶ Τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν *conversionem Gentium*] *Ad Deum:* nempe Cornelii, Antiochensium, Cypriorum, Pisidarum, Pamphyliorum, Lycaoniorum, Lyciorum. ¶ Καὶ ἐποίουν χαρὰν μεγάλην πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς. *& faciebant gaudium magnum omnibus fratribus*] Ob tanta Ecclesiæ incrementa.

4. Ὅσα ὁ Θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν. *quanta Deus fecisset cum illis*] Vide supra 14. 27.

5. Ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων τῶν πεπιστευκότων, *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum qui crediderunt*] Sicut Antiochiæ quidam è Judæis facti Christiani, ita & Hierosolymis quidam duriorem illam defendebant sententiam.

6. Συνήχθησαν δὲ οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι, *Conveneruntque Apostoli & Seniores*] Sedentes plebe adstante, qui & postea mos Christianis. Confer quod est infra 12.

7. Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων, *ab antiquis diebus*] Pari sensu Asaph usurpat ימים מקדם, ubi Lxx ἡμέρας ἀρχαίας [*dies antiquos*,] pro iis quæ ante annos aliquot evenerant. ¶ Ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο, *in nobis elegit*] Est Hebræa constructio, qualis 1 Sam. 16. 9, 10. 1 Reg 8. 16. 2 Paral. 6. 5. & 8. 6. *Nos ipsi placuimus. Nos*, modestè, id est, *ego:* ut,

> ... *Et nos aliquod nomenque decusque*
> *Gessimus.*

¶ Διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου, *per os meum audire Gentes verbum Evangelii*,] *Ut alienigenæ ex me discerent Evangelicam doctrinam.*

8. Καὶ ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς, *Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit illis*] *Testimonium ipsis reddidit corda illorum esse purgata*, ut jam sequetur; alioqui Spiritum Sanctum illis non daturus. ¶ Καθὼς καὶ ἡμῖν *sicut & nobis*] Qui circumcisi sumus, & Mosis instituta observamus.

9. Τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν, *fide purificans corda eorum*] Cùm ergo mundati sint, non debent ampliùs immundis accenseri, Vide supra 10. 15, 28. Justinus contra Tryphonem de Christiana Religione, διὰ ταύτης τῆς ὁδοῦ, δίδοσθαι παντὶ ἀνθρώπινον νοῦν [*per hanc viam, unicuique dari humanam mentem.*]

10. Νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν Θεὸν, *Nunc ergo quid tentatis Deum*] *Cur Deum offenditis?* ut supra 5. 9. Qui Deum offendit, patientiam ejus tentat: offendit autem qui voluntati ejus sufficienter revelatæ obstrepit. ¶ Ἐπιθεῖναι ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον, *imponere jugum super cervices*] Dicitur hoc de servitute, ut Jeremiæ 28. 14. Rabbini usurpant de doctrina quæ aliquid omnino faciendum inculcat. Vide quæ diximus ad Matth. 23. 4. Dicunt pro eodem Rabbini טרח, id est, βαρύνειν [*aggravare*,] cui contrarium est הקל, κουφίζειν [*allevare*,] pro *docere aliquid non esse necessarium.* ¶ Ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν, οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι; *quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?*] Id est, Tulimus, sed cum molestia, ob ingentem illum numerum præceptorum ritualium, quem videre potes apud Mosem de Kotzi. Dicimur *non posse*, quod perdifficile est, ut Matth. 6. 24. Marci 1. 45. Lucæ 11. 7. Johan. 6. 60. Ostendit quàm durum sit, onus tam molestum iis imponi, quos Deus velit ab eo esse liberos.

13. Ἀπεκρίθη, *respondit*] *Loqui cœpit*, ut supra 3. 12. & alibi. ¶ Ἰάκωβος, *Jacobus*] Quia non minùs Petrus ob Cornelium, quàm Paulus ob alios ad Ecclesiam admissos accusabatur: Jacobi, qui proximam Petro habebat auctoritatem, erat primam sententiam dicere.

14. Συμεὼν, *Symeon*] Hebræum nomen est שמעון [*Schimeon*,] Genes. 29. 33. Id Græcis litteris scribitur Συμεὼν [*Symeon*,] ut Lucæ 2. 25. posito υ, pro *Hiric* & ε pro *Scheva*. Græci verò pro eo usurparunt nomen Græcum soni similis Σίμων [*Simon*,] ut Sirach. 50. 1. Josephus & nostri scriptores. Sed hîc Lucas Hebraïcam pronuntiationem secutus est, quia Hebræum inducit loquentem Hebræis. Syrus & hîc & alibi eodem modo id nomen expressit. Errant qui de Simeone illo agi putant, cujus Lucas meminit dicto cap. 2. Breviter repetit Jacobus à Petro dicta. ¶ Πρῶτον, *primùm*] Nempe in persona Cornelii. ¶ Ἐπεσκέψατο λαβεῖν, *visitavit sumere*] Similis est locutio Jerem. 32. 41. Καὶ ἐπισκέψομαι τοῦ ἀγαθῶσαι αὐτοὺς [*Et visitabo ad benefaciendum eis*] ubi in Hebræo, ושׂשׂתי עליהם להטיב אותם, *gaudebo de ipsis, benefaciendo ipsis.* ¶ Ἐξ ἐθνῶν λαὸν ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. *ex Gentibus populum nomini suo*] Ante erant quidam in Gentibus, qui Deum invocabant, & Dei timentes dicebantur, sed cœtum non faciebant.

16. *Μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω, καὶ ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀνοικοδομήσω, Poſthac revertar & readificabo tabernaculum David quod decidit, & diruta ejus readificabo*] Locutio Hebraïca, quæ hoc ſignificat, *reponam domum Davidis collapſam.* Nam Hebræis omne habitaculum *σκηνὴ* dicitur, quia ea habitatio vetuſtiſſima. Clariùs explicare voluit quod ſic verterunt Lxx, Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀναστήσω [*In die illo ſuſcitabo tabernaculum Davidis collapſum, & diruta ejus ſuſcitabo.*] Καὶ ἀνορθώσω αὐτήν. *& erigam illud*] In Lxx eodem ſenſu, propiùs ad verba Hebraïca, Καὶ οἰκοδομήσω αὐτὴν καθὼς αἱ ἡμέραι τοῦ αἰῶνος [*& ædificabo illud ſicut dies antiquos.*] *Reſtituam eam, qualis olim fuit.* Deus minus promittit, plus facit. Reſtituit enim domum Davidis in Jeſu, & ad ſplendorem multò majorem

17. *Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον, Ut requirant cæteri hominum Dominum*] Addidit ἂν purioris ſermonis, & Κύριον [*Dominum*] majoris perſpicuitatis causâ ad verſionem Lxx Senum. Pro eo quod Maſoretici poſuerunt אדום [*Edom*, id eſt, *Idumæa*] Lxx Senes legerunt אדם [*Adam*, id eſt, *homo*] & ſumpſerunt ſingulare pro plurali: quod non rarum eſt ubi de genere toto agitur. ¶ Καὶ πάντα τὰ ἔθνη ἐφ᾽ οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ᾽ αὐτούς *& omnes Gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum*] Hæc verbotenus ex Lxx; apparet conſtructionem eſſe κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad ſignificatum relatam,*] ἔθνη, ἐπ᾽ αὐτοὺς [*Gentes, ſuper illos,*] quaſi dixiſſet ἀνθρώπους [*homines.*] *Qui vocantur de nomine meo*, id eſt, qui erunt σεβόμενοι Θεόν [*colentes Deum*]. Vide quæ ad Matth. 5. 9. ¶ Λέγει Κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα. *dicit Dominus faciens hæc omnia*] Hæc, ait Amoſus, ſunt Dei ipſius dicta, qui & ea dabit effecta.

18. *Γνωστὰ ἀπ᾽ αἰῶνός ἐστι Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. Nota à ſeculo ſunt Deo opera ſua*] Non mirum eſt Deum Amoſi temporibus prænoſſe quod facere decreverat, atque id præfiguraſſe, tum rebus illis de quibus agit Amoſus, tum ipſius verbis, eminentiùs implendis Meſſiæ temporibus, quam unquam ante. Deus cum exiguam terram dedit Jacobi poſteris, cùm primùm decem, deinde duas tribus ſpargi ſivit in oras longinquas, majus aliquid animo agitabat: Volebat latiùs & noſci & coli. In Manuſcriptis quibuſdam & illo in Anglia eſt γνωστὸν [*notum*] & ἔργον [*opus.*]

19. *Διὸ ἐγὼ κρίνω, Propter quod ego judico*] Id eſt, *itaceníeo*, quomodo Romani Senatores ſententiæ dictionem concludebant. Vide Philippicam Ciceronis, tertiam, quintam, octavam, nonam, decimam, undecimam, decimam tertiam, decimam quartam, omnes circa finem. ¶ Μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν *non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum*] Non imponendas illis moleſtias non neceſſarias, ne ſic multis aditus ad Chriſtianiſmum præcluderetur.

20. *Ἀλλ᾽ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς, Sed ſcribere ad eos*] Ea auctoritate, de qua diximus ſupra. ¶ Τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων, *ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulachrorum*] Non cenſet monendos pios ex Gentibus de iis, quæ ſatis didicerant: Deum colendum, unum, & verum, non falſos: ei omnem exhibendam reverentiam: abſtinendum a cædibus, rapinis, injuriis, adulteriis, & inceſtis jure Gentium cognitis: jus cuique reddendum: ſed de iis monet quæ diſputationem recipere videbantur, & quæ Judæos poterant offendere, & impedire quo minus pii ex Gentibus cum piis Hebræis in unam Eccleſiam coaleſcerent. In his primum locum obtinent τὰ ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων [*contaminationes ſimulachrorum,*] id eſt, ea quæ infra vocantur εἰδωλόθυτα [*res idolis immolata.*] Malach. 1 7. In Græco Lxx Senum eſt, ἄρτους ἠλισγημένους [*panes pollutos,*] ubi Aquila & Symmachus, μεμολυσμένους [*inquinatos.*] Sirach. 40. 31. Ἀλισγήσει τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν ἐδέσμασιν ἀλλοτρίοις [*contaminabit animam ſuam cibis alienis.*] Vide ad Daniel. 1. 8. Scriptor conſtitutionum, quæ Clementis nomen præferunt, 6. 12. ἀλισγήματα [*contaminationes*] exponit per εἰδωλόθυτον [*rem idolis immolatam.*] *Chriſtiani*, ut ait Juſtinus cum Tryphone diſputans, Πᾶσαν αἰκίαν καὶ τιμωρίαν μέχρις ἐσχάτου θανάτου ὑπομένειν περὶ τοῦ μήτε εἰδωλολατρῆσαι, μήτε εἰδωλόθυτα φαγεῖν [*Cruciatum & ſupplicium omne potius ad extremam uſque mortem toleraverint, quam vel ſimulachris immolata edant.*] Et cùm Trypho dixiſſet, *eſſe quoſdam qui Chriſtiani dicerentur, & ederent* εἰδωλόθυτα [*res idolis immolatas,*] *dicerentque ea re animum non obſtringi*, dicit *eos id quidem nomen uſurpare, ſed ea docere quæ ſunt à Spiritu ſeductore.* Εἰδωλόθυτα [*idolis immolata,*] à quibus abſtineri vult Jacobus, duûm ſunt generum: alia, ubi ad ipſam menſam pars de pane & extis in focum porricitur (ea enim vox huic rei propria) & vinum igni inſpergitur, dei alicujus nomine in id advocato: alia, ubi qui diis in templo ſacra fecit, id amicis ſignificans, eos vocat ad exta, cujus moris apud Plautum aliquoties eſt mentio. Theocritus iter facientibus,

> — — Καὶ τὺ δὲ θύσας
> Ταῖς νύμφαις Μύρσωνι καλὸν κρέας αὐτίκα πέμψον.
> (— — *ſacriſque peractis*
> *Tu Myrſoni bonam ne tardes mittere carnem.*)

Ovidius Metam. XII.

> *Sacra tulere ſuam: pars eſt data cætera menſis.*

Huc illud pertinet Juvenalis,

> *Et natalitium cognato ponere lardum*
> *Accedente nova, ſi quam dabat hoſtia, carne.*

Pars illa extorum quæ in aram vel focum dabatur, Græcis dicitur ἀπαρχή, Latinis *proſecta* aut *proſiciæ*: per eam partem cætera quoque diis ſacra erant. Utro horum modorum quis de immolatitiis edat, ea res idololatriæ deputatur. Tertullianus de Idololatria, *Si propter ſacrificium vocatus aſſiſtam, ero particeps idololatriæ.* Eodem libro, *Propterea Spiritus Sanctus conſultantibus tunc Apoſtolis, vinculum & jugum nobis relaxavit, ut idololatriæ devitandæ vacaremus.* Et de Corona, *Verbo nudo conditio* (id eſt, creatura Dei) *polluitur, ut Apoſtolus docet: ſi quis autem dixerit, Hoc idolothytum eſt, ne contigeris.* Idem de Spectaculis, *Neque de ſacrificato & parentato edimus.* Apud Minutium Cæcilius, *Præcerptos cibos & delibatos altaribus potus abhorretis.* Mox Octavius, *Sacrificiorum reliquias & pocula delibata contemnimus.* Clemens Alexandrinus Pædag. II. 1. Ἐνταῦθα ὑπομνηστέον καὶ περὶ τῶν εἰδωλοθύτων καλουμένων, ὅπως ποτὲ ἄρα παραγγέλλεται ἀπέχεσθαι δεῖν τούτων. μιαρὰ δοκεῖ μοι καὶ βδελυρὰ ἐκεῖνα ὧν ἐφίπτανται τοῖς αἵμασι

> Ψυχαὶ ὑπὲξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνειώτων.

Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς κοινωνοὺς δαιμονίων γίνεσθαι, ὁ Ἀπόστολος λέγει. Ἀφεκτέον τοίνυν τούτων οὐ δεδιότας· οὐ γὰρ ἐστί τις ἐν αὐτοῖς δύναμις· Διὰ δὲ τὴν συνείδησιν τὴν ἡμετέραν, ἁγίαν οὖσαν, καὶ τῶν δαιμονίων διὰ τὴν βδελυρίαν, οἷς ἐπικατωνόμασται, μυσαττομένους [*Hic autem de idolothytis quoque, hoc eſt, de iis quæ idolis immolantur, mentio facienda eſt, quonam modo præcipiat ab iis abſtinendum. Illa mihi videntur execranda & abominanda quorum ſanguinem ſupervolant*

> *Defunctorum animæ tetrico Plutonis ab antro.*

Nolo enim vos fieri participes dæmoniorum, dicit Apoſtolus. Ab his ergo abſtinendum eſt, non quòd pertimeſcamus, (non eſt enim in eis aliqua poteſtas) ſed quod propter noſtram conſcientiam, quæ ſancta eſt, & propter Dæmonum odium, quibus illa ſunt dedicata, averſemur.] Abſtineri ab immolatitiis, non ſimpliciter, quod res illæ malæ ſint factæ, ſed ob juſtas cauſas, dicit Origenes contra Celſum VIII. ¶ Καὶ τῆς πορνείας, *& fornicatione*] Inter præcepta Adamo & Noæ data Judæi non ponunt interdictum ſcortandi: & qui inter Gentes putabantur ſapientiſſimi, non negabant quidem *meretrices turpiter facere, quòd meretrices eſſent*, ut loquitur Ulpianus. L. idem D. de condict. ob turpem cauſam: & *pœnam eſſe in ipſa profeſſione flagitii*, ut loquitur Tacitus Annalium 2, attamen non putabant peccare, qui feminis ad hoc venalibus uterentur, ut apparet ex Catonis ſententia quæ apud Horatium eſt, & Solonis lege, quam Philemon laudat in Comœdia Delphis, iis verſibus quos in Excerpta retulimus, ut & Eubuli in Nannio verſus paris argumenti, quibus addi poteſt Argentarii Epigramma, in Anthologia 3, 6. Cicero pro M. Cælio hac de re agens, *Quando enim hoc factum non eſt? Quando reprehenſum? Quando non permiſſum?* At Lex Chriſti dilectionem in omnes fraternam imperans, non ſinit quenquam alienâ uti turpitudine, & ſic eam fovere: quippe cùm & lex Moſis omnibus Hebræis feminis id vitæ genus interdixiſſet. Lactantius 6, 23. *Nec tantum alienis toris, quos attingere non licet, verum etiam publicis vulgatisque corporibus abſtinendum eſſe præcepit.* Multum pertinebat ad illos ex Gentibus cum Hebræis conſociandos, ſi viderent Hebræi ipſorum puellas, caſtitatis laude Hebræis puellis nihil

nihil concedere, viros quoque, sibi ab omni Venere extra nuptias temperare. ¶ Καὶ τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος *& suffocatis & sanguine*] Fuere jam olim codices, in quibus deerat πνικτοῦ [*suffocatis*;] fuere & in quibus post αἵματος [*sanguine*] additum & hic & infra in epistola 29. *καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γενέσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν* [*& quæ nolunt sibi fieri, aliis non faciant.*] Sed in plurimis codicibus, inque versionibus omnibus & apud Origenem libro VII contra Celsum, aliosque hoc abest, illud verò adest. Et certè prius illud huc pertinet, ut mox ostendemus, non & alterum. Nam si quis dicere velit hâc verborum summâ comprehendi omnia Euangelii præcepta, fallitur, cùm præceptum de uno Deo colendo per Christum, de abnegatione sui, & subeunda cruce, non sint intra hunc ambitum: alia etiam non nisi obscurè admodum huc referri possint. Sed id quærebatur à quibus rebus, præter nota omnibus scelera, cavere sibi deberent incircumcisi, ut sine offensa Judæorum cum Judæis in unam Ecclesiam coalescerent. Legem quæ est Gen. 9. 4. post diluvium datam humano generi, quam vulgò nunc interpretantur Judæi de *membro animalis vivi non edendo*, vetustiores intellexere de *non edendo carne simul cum ejus carnis sanguine.* Manifestum id facit Josephus Antiquæ Historiæ 1. 4. & versiones LXX Senum, Aquilæ & Symmachi. Et sic sensisse Rabbinum Ananiam Gamalielis filium & alios quosdam, ait Gemara Babylonica ad titulum De Synedrio. Nec obstat quod incolæ incircumciso permittit Lex morticino vesci, Deut. 14. 21. Id enim fieri poterat, detracto sanguine, non minùs quàm in eis animalibus, quæ victus causâ occidebantur. Hanc Legem non minùs quam alias Adamo & Noæ datas observavêre diu populi alii extra Hebræum; donec ad idololatriam sunt prolapsi. Ideo Scriptor Constitutionum Clementis ait *pios hic remitti ad imitationem Melchisedeci, Jobi & similium.* Seriore ævo, Legis illius observatio redacta est ad incolas terræ Judææ, qui non nisi sub conditione ejus Legis inter cæteras observandæ jus hospitii & amicitiæ impetrabant: & ad paucos pios, qui, quamvis idololatris cohabitantes, ab idololatria tamen se abstinebant. Ex quo verò Macedones, deinde Romani summo imperio Judæam tenuere, aut Judæa Reges habuit Romanis obnoxios, Judæi sapientes cùm viderent sibi ultra jus non esse cogendi incolas ad observanda ea quæ Adamo & Noæ præcepta à Deo fuerant, non aliud remedium, ne ista licentia ad Judæos serperet, invenêre quàm ut ab omni propiore consuetudine cum incolis omnibus (neque enim pii ampliùs ab impiis distingui poterant) Judæos arcerent. Hinc illud μὴ συγχρῆσθαι [*non convi*,] μὴ συγκολλᾶσθαι [*non conjungere se*,] μὴ συνεσθίειν [*non manducare*] cum talibus: quæ sæpe habes in Sacris Scriptis, & apud Josephum. Postquam novam Ecclesiam ex Christi præcepto Apostoli colligere cœperunt, potuere jam iterum, ut olim, peregrini pii ab idololatris distingui, eo ipso quòd se illi addebant Ecclesiæ. Causa autem cur Jacobus voluerit, hos ex Gentibus vocatos *abstinere à sanguine*, hæc credita est à veteribus Christianis, quod illi Mosis quidem præceptis, quæ Israëlitis data erant, non tenebantur, neque circumcisionis Lege, quæ solos Abrahami obstringebat posteros, liberi autem non erant ab iis quæ Adamo & Noæ Deus præceperat, ad quæ addidit quædam Christus, demsit nihil. Tertullianus de Monogamia, *Et adeò in Christo omnia revocantur ad initium, ut & fides reversa sit à circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit: & libertas ciborum, & sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit: & matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit: & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit, & postremò totus homo in paradisum revocatur, ubi ab initio fuit.* Et in libro de jejuniis, *Æquè post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim Legem à sanguine abstinendi, permisso usu cæterorum.* Huc respiciens Leo Imperator, ubi vetat sanguinem edi intestinis velut tunicis infarctum, ait *tum veteris tum nova Gratia tempore, rem illam habitam nefariam.* Et certè præcepti illius, sicut observatio, non nimis superstitiosa, est facilis, ita causæ honestæ admodum. Nam si quod naturale est spectamus, solent quæ tali alimento utuntur Gentes efferari, quod in America maximè perspectum est: si verò id quod morale est, optima & apertissima significatio est, à vindicta abstinendum. Nam qui se vindicat, *pasci sanguine* dicitur. Addit Origenes aliam causam, quòd dæmones pasci sanguine crederentur. Neque verò Christiani Veteres hoc præceptum accepêre tanquam datum ea una ex causa, ut Judæorum offensa vitaretur. Nam si id esset, non observassent id præceptum cum certo vitæ periculo, etiam ubi non aderant Judæi: at hoc fecisse eos constat. Biblis, apud Eusebium, Historiæ v. 1. Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν; [*Quomodo infantes comederent illi, quibus ne brutorum quidem sanguinem comedere fas est?*] Testis & Tertullianus Apologetico, *Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus: qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porrò quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis?* Octavius apud Minutium, *Tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* In canonibus Apostolicis, qui liber antiquissimos Christianorum mores continet, legimus, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ φάγῃ κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, καθαιρείσθω· τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀπεῖπεν. εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω [*Si quis Episcopus, Presbyterve, aut Diaconus, aut quivis denique sacri ordinis, carnem in sanguine animæ ejus ederit, morticinumve à feris captum, deponitor; Lex enim hoc prohibuit: sin Laicus sit, communione excluditor.*] Neque verò initiis Christianismi inclusa fuit hæc observatio, sed magnâ sollicitudine ad sequentia secula transmissa est. Pro Oriente testis sit Gangrensis Synodus Canone 2, Εἴ τις ἐσθίοντα κρέα, χωρὶς αἵματος καὶ εἰδωλοθύτου καὶ πνικτοῦ, μετ᾽ εὐλαβείας καὶ πίστεως, κατακρίνοι ὡς ἂν διὰ τὸ μεταλαμβάνειν ἐλπίδα μὴ ἔχοντα, ἀνάθεμα ἔστω [*Si quis aliquem, qui cum pietate & fide comederit carnem sanguine, idolorum immolatione aut suffocatione non infectam, condemnaverit tanquam talem, qui post participationem spem non habeat, anathema sit.*] Renovavit hoc interdictum Synodus in Trullo, Canone 68, & Leo Imperator, ut modò cœpi dicere, Novella 58. Pro Occidente testimonium habemus Synodi Wormatiensis sub Ludovico Pio cap. 65. Et Papæ Zachariæ epistolam ad Bonifacium, Archiepiscopum Moguntinum: Adamum Bremensem cap. 20. & libros pœnitentiariorum complures, qui sanguine vescentibus pœnas imponunt canonicas. Et hæc quidem de sanguine. Sed cur πνικτὸν [*suffocatum*] additur? Nimirum quia solebant Græci, & Gentes aliæ, ut ex Athenæo duobus in locis discimus, in deliciis habere τὰ πνικτὰ [*suffocata*,] id est, carnes in quibus exactâ diligentiâ asservatus erat sanguis, ut ita cum eo sanguine intus retento, coquerentur, quod ipsum erat contra Legem de sanguine non edendo. Hac de causa & in Gangrensi Synodo πνικτοῦ [*suffocati*] disertè fit mentio, ut & εἰδωλοθύτου [*idolis immolati*,] ex hoc scilicet Apostolorum præcepto. Magis mirum videri potest quòd θνησιμαῖον [*morticinum*] additur in Apostolico qui dicitur Canone: & quod Justinus ait πλὴν κρέως ἐν αἵματι ὅπερ ἐστὶ νεκριμαῖον [*præter carnem in sanguine, quæ est morticina*,] cùm ut modo ex Deuteronomio ostendimus, pio incircumciso licuit edere נבלה, quod θνησιμαῖον vertunt LXX, quod idem est cum νεκριμαίῳ [*morticino*,] ita ut θνησιμαῖα apud Aristophanem Avibus Scholiastes interpretetur νεκριμαῖα [*morticina*.] Sed intelligenda est hæc prohibitio de *morticino* aut etiam *à feris rapto* (nam & θηριόβρωτα [*à feris adesa*] adjicit dictus canon) quibus adhæreret non deductus sanguis, ut plerumque fieri solebat. Tertullianus Apologetico cap. 4. cùm de sanguine locutus esset, *qui propterea quoque suffocato & morticinis abstinemus*: quæ duo ut paria ponit & Hebræus liber dictus *Cholin.* Quæ sunt de sanguine edicta in Lege per Mosem tradita, huc non adfero, quia ea nullos, nisi Israëlitas, aut qui sponte se Legi subjicerent, obligabat. Hunc Canonem si Ecclesia, Apostolorum & antiquitatis reverentiâ in usum revocare velit, non reluctabor, si absit superstitio, & id caveatur, ne de industria magna sanguinis copia, aut in carne aut extra carnem ad victus delicias asservetur. Nam rigidè illud de suffocato non observatum in Africa suo tempore testis est Augustinus contra Faustum 32. 13. Et Zonaras ad Gangrensem Canonem, sanguinem intepretatur ἐξεπίτηδες ἑψόμενον δὲ πηγνύμενον [*de industria coctum ac concretum.*] Balsamo, χωρὶς ἐπιτηδευτοῦ αἵματος [*absque sanguine dedita operâ asservato.*]

21. Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος. *Moses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*] Sensus mihi hic videtur esse ἀνθυποφορὰν [*Subjectionem.*] Nam quod ad Mosem attinet, non possunt qui ex Judæis sunt queri cum spernî ab alienigenis nostri gregis, quando in nostris non minùs quàm in Judaicis conventibus, Moses, ità ut ab antiquo factum est, legitur, & quidem Sabbatis. Συναγωγῶν [*Synagogarum*] nomine veniunt etiam Christianorum Ecclesiæ, ut & Jacobi 2. Theophilo Antiocheno, Συναγωγαὶ δὲ καλούμεναι ἐκκλησίαι [*Synagogæ, quas Ecclesias dicimus.*] Chri-

stia-

stianorum mos vetus, qui diutissimè mansit in Oriente, convenire non minùs Sabbati quàm Dominicis diebus. Clemens Constitutionum 7. 24. *Τὸ σάββατον μέν τοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε· ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, ἡ δὲ ἀναστάσεως* [*Diem Sabbati & diem Dominicam festas habete, quoniam illa Creationis, altera Resurrectionis memoria dicata est.*] Paria habet 8. 33, & 67. Asterius Amaseæ Episcopus in Homilia de repudio, *καλὴν συνωρίδα*, [*pulchram bigam*] vocat *τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς* [*Sabbati & Dominicæ diei.*] Gregorius Nyssenus *ἡμέρας ἀδελφάς* [*dies fratres.*] Balsamo, *παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐξισώθησαν δι' ὅλου σχεδὸν ταῖς κυριακαῖς τὰ σάββατα* [*à sanctis Patribus pene per omnia æquati sunt dies Sabbati Dominicis diebus.*] Ideo Constantinus Christianos non minùs in Sabbatum, quàm in diem Dominicam vadari vetuit, teste Eusebio. Hinc etiam ortum illud, ut sicut diebus Dominicis tanquam lætitiæ diebus non jejunabatur, sicut docet Gangrensis Synodus Canone XVIII: ita nec Sabbatis, excepto uno ante Pascha. Sic *ἑορτὰς* (*dies festos*) interpretatur Zonaras ad Canonem Apostolicum 53. Ignatius ad Philippenses, *Εἴτις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, χριστοκτόνος ἐστίν* [*Si quis aut Dominicâ aut Sabbato jejunet, excepto uno Sabbato, is Christum occidit.*] *Sabbatum nunquam nisi in Pascha jejunandum* ait Tertullianus De jejuniis: qui & adversus Marcionem IV, *Privilegium donatum Sabbato à primordio mundi*, dicit *veniam jejunii*. Quare cùm Justinus & Tertullianus Patres illos ante Mosem negant sabbatizasse, id intelligendum, non de conventibus, sed de rigido per totum diem otio. Ignatius ad Magnesios, *Μηκέτι οὖν σαββατίζωμεν Ἰουδαϊκῶς ὡς ἀργίαις χαίροντες* [*Ne igitur sabbatizemus Judaico more velut otio gaudentes.*] Sabbatis autem in illis primorum Christianorum conventibus, non Euangelia legebantur, sed Mosis פרשות [*sectiones*,] plane ut apud Judæos Judaizantes. Primò id mutavit Synodus Laodicena, voluitque Sabbatis Euangelia non minùs, quàm veteres scripturas legi, Canone XIX. Manet & nunc ex antiquo mos apud Christianas Ecclesias, ut in Sabbato ante Pascha legatur historia creationis, planè ut apud Hebræos. Dicit ergo Jacobus hac in parte non habere quod querantur Judæi, cùm in singulis urbibus, ubi conventus erant Christianorum, in Sabbatis legeretur Moses *ἐκ γενεῶν ἀρχαίων* [*à temporibus antiquis*,] id est, *ut olim*, nihil in hoc immutato more. Creditur à Mose fuisse institutum ut Lex in Sabbato legeretur. *Κηρύσσειν* [*prædicare*,] est *alta voce pronuntiare*, ut Exod. 32. 5. Math. 3. 1. & alibi sæpe. ¶ *Τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, Apostolis & Senioribus*] Vide supra 2. ¶ *Σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, cum omni Ecclesia*] Approbante Apostolorum & Presbyterorum sententiam. Sic Laïci Synodorum Actis subscribebant, hoc modo, *Consentiens subscripsi*. Vide infra 16. 4. ubi soli *Apostoli* cum *Presbyteris* nominantur. ¶ *Ἰούδαν τὸν ἐπικαλούμενον Βαρσαβᾶν, Judam, qui cognominabatur Barsabas*] Fratrem illius Josephi, de quo supra 1. 23. ¶ *Καὶ Σίλαν, & Silam*] Fuit hic inter primos Christianorum Hierosolymis, dictus & Silvanus, ut notavimus supra 13. 9. ¶ *Ἄνδρας ἡγουμένους ἐν τοῖς ἀδελφοῖς viros primos in fratribus*] Viros eximios. ראשים [*primarios.*]

23. *Γράψαντες διὰ χειρὸς αὐτῶν τάδε, Scribentes per manum eorum*] Est & hic rectus pro obliquo, de quo loquendi genere diximus ad Marcum 4. 40. ¶ *Τοῖς ἐξ ἐθνῶν, ex Gentibus*] Incircumcisis. Ad Judæos fideles nihil hæc pertinent. ¶ *Χαίρειν. salutem*] Ita vertit Lucas Hebræum שלום [*pacem.*]

24. *Ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν,* [*evertentes animas vestras*] *Ἀνασκευάζειν* [*evertere*] dixit, quod Hebræi הניא לב [*frangere cor*] quod LXX vertunt *διαστρέφειν διανοίας* [*subvertere mentes*] Num. 32. 7. *ἀφίστασθαι καρδίαν* [*subvertere cor*] Num. 32. 9. Sensus est, *labefactantes animos*. ¶ *Λέγοντες περιτέμνεσθαι, dicentes circumcidi*] Infinitivus pro gerundio, *dicentes circumcidendos*, nempe fideles. ¶ *Καὶ τηρεῖν τὸν νόμον, & servare Legem*] *Et observandam ipsis Legem*, id est, illa præcepta, quæ Moses addidit ad præcepta vetera: de iis enim solis querebantur. ¶ *Οἷς οὐ διεστειλάμεθα, quibus non mandavimus*] *Mandata talia non dedimus*. Auctoritatem Apostolorum falsò illi suis dogmatibus præscribebant. ¶ *Γενομένοις ὁμοθυμαδὸν, collectis in unum*] Vide supra 2. 1. & 5. 12. Non parum ponderis addit decreto concors sententia.

26. *Ἀνθρώποις παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi*] *Παραδιδόναι ψυχὰς* [*tradere animas*,] id est, מסר נפשו est *vitam periculis exponere*, quod *τιθέναι ψυχὴν* [*ponere animam*] dixit Johannes 13. 11. & alibi. Efficaciter commendant Paulum & Barnabam, ut qui nihil credendi sint facere sui causâ, cùm propter Christum & Ecclesiam tot pericula subierint & subeant quotidie.

27. *Καὶ αὐτοὺς διὰ λόγου ἀπαγγέλλοντας τὰ αὐτά. qui & ipsi vobis verbis referent eadem*] Præsens pro futuro. *Ἀπαγγέλλοντας* [*referentes*] pro *ἀπαγγελοῦντας* [*relaturos*:] ut verbis eadem vobis dicant quæ continet epistola, & certos vos faciant epistolam hanc non esse suppositam.

28. *Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, Visum est enim Spiritui Sancto & nobis*] Id est, *nobis per Spiritum Sanctum*, *ἓν διὰ δυοῖν* [*unum per duo.*] *Μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, nihil ultra imponere vobis oneris*] *Βάρος* [*onus*] hic dicitur quod *ζυγὸς* [*jugum*,] supra 10. Ubi dicta vide. ¶ *Πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων quàm hæc necessaria*] *Præter hæc quæ omnino opus est fieri.* Est *ἐπάναγκες* [*necessarium*] vox purè Græca: diciturque apud Demosthenem & Plutarchum de *iis rebus quæ Lege fieri oportet*. Subauditur *ὄντων* [*quæ sunt.*] Sic dicimus, *τὰ λίαν* [*ea quæ valde sunt.*]

29. *Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum*] Immolatitia ea vocant Christiani Latinè scribentes, Hebræi זבחי מתים [*victimas hominum.*] Vide supra 20. ¶ *Καὶ πνικτοῦ, & suffocato*] *Πνικτοῦ* [*suffocato*] hic non legit Irenæus, ut nec Cyprianus, & in multis exemplaribus defuisse testatur Hieronymus: fortè, quòd quantum ejus necesse esset, id sub vocabulo *sanguinis* satis intelligeretur. ¶ *Ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, à quibus custodientes vos*] Hebraismus. Nam apud Hebræos מ litera propriè valet *ἐξ* [*ex*,] nonnunquam *ἀπό* [*à.*] ¶ *Εὖ πράξετε, bene agetis*] *Rectè agetis.* Sic Tertullianus de Pudicitia. Vide quæ dicta supra 10. 33. ¶ *Ἔρρωσθε. Valete*] תחזקו [*vale.*] Sicut Latini epistolam claudunt verbo *vale* aut *valete*, sic Græci verbo *ἔρρωσο* vel *ἔρρωσθε*. Sed vetustissimi codices hoc loco sic non habuere, sed *φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ*, quod Irenæi interpres 3. 12. vertit *ambulantes in Spiritu Sancto*; Tertullianus De pudicitia rectiùs, *vectante vos Spiritu Sancto*. Simili modo *πνευματοφορεῖσθαι* [*Spiritu afflari*] dicunt Patres Græci.

30. *Οἱ μὲν οὖν ἀπολυθέντες, Illi ergo dimissi*] Paulus, Barnabas, Judas, Silas.

31. *Ἀναγνόντες δὲ, Quam cùm legissent*] Christiani Antiochenses. ¶ *Ἐπὶ τῇ παρακλήσει. super consolatione*] Multum ipsis placebat, quod viderent libertatem, quâ utebantur, ab Apostolis probari.

32. *Καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες, & ipsi cùm essent Prophetæ*] Donis Spiritûs instructi. ¶ *Διὰ λόγου πολλοῦ παρεκάλεσαν τοὺς ἀδελφοὺς, verbo plurimo consolati sunt fratres*] Sermone Prophetico. Vide supra 4. 36. & 13. 15. ¶ *Καὶ ἐπεστήριξαν. & confirmaverunt*] Supra 14. 22. infra 41. & 18. 23. [illegible]

33. *Ποιήσαντες δὲ χρόνον, Facto autem ibi tempore*] Nempe *τινὰ* [*aliquanto.*] *Ποιεῖν χρόνον* Ciceroni est *tempus ponere*. Vide quæ dicta ad Matth. 20. 12. & ad Apoc. 13. 5. ¶ *Ἀπελύθησαν, dimissi sunt*] Id est, *potestas eis facta abeundi*, si vellent. Abiit autem primùm Judas solus, postea cum Paulo & Barnaba Silas. ¶ *Μετ' εἰρήνης, cum pace*] *Cum faustis precibus.* Sic *εἰρήνη* [*pax*] sumitur Matth. 10. 13. ¶ *Πρὸς τοὺς Ἀποστόλους. ad Apostolos*] Manuscriptus ille, ut multi alii rectiùs, *πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας αὐτοὺς* [*ad eos qui miserant illos.*]

34. *Ἔδοξε δὲ τῷ Σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ. Visum est autem Silæ ibi remanere*] Hoc comma Manuscriptus ille non habet, ut nec interpres Syrus. Habent Latinus, Arabs & libri alii.

35. *Διέτριβον ἐν Ἀντιοχείᾳ, demorabantur Antiochiæ*] Aliquot dies post Judæ abitum substitère.

36. *Ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐν αἷς κατηγγείλαμεν τὸν λόγον τοῦ Κυρίου, πῶς ἔχουσι. visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant*] Hebraica locutio, pro *ἐπισκεψώμεθα πῶς ἔχουσιν οἱ ἀδελφοὶ* [*visitemus quomodo se habeant fratres*,] &c. Sic infra 16, 4. *Κατὰ πᾶσαν πόλιν* [*per universas civitates*,] per Syriam, Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, Lyciam.

37. *Βαρνάβας δὲ ἐβουλεύσατο συμπαραλαβεῖν τὸν Ἰωάννην τὸν καλούμενον Μάρκον Barnabas autem volebat secum assumere & Johannem qui cognominabatur Marcus*] Cognatum suum, ut censent Veterus ex loco Coloss. 4. 10. Manescriptus ille vetus ut multi alii, pro *ἐβουλεύσατο* [*consultum duxit*] habet *ἐβούλετο* [*volebat.*] quomodo legit & Syrus.

31. *Παῦλος δὲ ἠξίου, Paulus autem rogabat*] *Æquum judicavit.* Sic Lucæ 7. 7. ¶ *Τὸν ἀποστάντα ἀπ' αὐτῶν ἀπὸ Παμφυλίας, eum ut qui discessisset ab eis de Pamphylia*] Hominem qui labores & pericula defugisset, minùs aptum putabat tali itineri, & mores potiùs respiciendos quàm sanguinis cognationem, quæ multùm sæpe rebus sacris obstitit.

39. E-

39. Ἐγένετο οὖν παροξυσμὸς, *Facta est autem dissensio*] ϑυμὸς quod verti solet ϑυμὸς [*excandescentia animorum*, ὀργὴ [*iracundia*,] χόλος [*ira*,] item παροξυσμὸς [*exacerbatio*.] Culpa fuit penes Barnabam. Ὁ Παῦλος ἐζήτει τὸ δίκαιον, ὁ Βαρνάβας τὸ φιλάνθρωπον [*Paulo id quod erat justius, Barnabæ, quod benignius, placuit*,] ajunt hic Græci, qui & illud notant, Severitatem hanc Pauli profuisse Marco, qui per eam monitus, fortior in posterum sit factus, & ut talis, à Paulo salutetur dicto ad Colossenses loco. ¶ Ὥστε χωρισθῆναι αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων *ita ut discederent ab invicem*] Ut olim Abrahamus & Lothus, salvâ amicitiâ, Gen. 13. 9. ¶ Παραδοθεὶς τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν. *traditus Gratiæ Dei à fratribus*] *Commendatus Divino favori*, ut supra 14. 26.

41. Καὶ Κιλικίαν, *& Ciliciam*] Nempe ubi fratres erant aliqui, ex illa post Stephanum dispersione. Supra 11. 19. & 15. 23. Ex Syria scilicet in Ciliciam iverant quidam, ut alii in Cyprum & Macedoniam.

PRICÆUS.

Com. 1. KAί τινες, &c.] Ex Judæis fidem amplexis. Paulus 1. 10. ad Titum, Ματαιολόγοι, φρεναπάται, μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς· ubi & sequitur, διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ ut hic ἐδίδασκον, &c.

Com. 2. Γενομένης οὖν στάσεως, &c.] Vulgatus, *seditione*; Recentior, *repugnantiâ*; melius vir summus, *contentione*: poteris etiam *strepitu*, vel *tumultu*: nam στάσις heic ponitur pro opposito *quietis* vel *silentii*. Sic Plutarchus ancillas θορυβούσας καὶ στασιαζούσας inopino dominæ interventu cessare dixit.

Com. 9. Καὶ οὐδὲν διέκρινε μεταξὺ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν] Ποιήσας nempe τὰ ἀμφότερα ἓν, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας ut Eph. 2. 14.

Com. 10. Ἐπιθεῖναι ζυγὸν, &c.] Φορτίον δυσβάστακτον. Vide ad Matth. 23. 4. dicta.

Com. 12. Ἐσίγησε δὲ πᾶν τὸ πλῆθος, καὶ ἤκουε, &c.] Id est, ἐν σιγῇ ἤκουε. *Conticuere omnes*. Ecclesiastes 9. Λόγοι σοφῶν ἐν ἀναπαύσει ἀκούονται. Cicero ad Q. Fratrem, *Auditus est magno silentio*. Plin. 2. Epist. 10. *Imaginor qui concursus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat*. Μετὰ φρίκης καὶ σιωπῆς προσέχειν apud Plutarchum habemus. Musonii est apud Aulum Gellium, *Admirationem quæ maxima est, non verba, sed silentium parere*. Confer infrà 22. 2.

Com. 17. Λέγει Κύριος, ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα] Vide ad Matth. 21. 42. notata.

Com. 18. Γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ] Ità meliùs quàm in MS. Regis mei, γνωστὸν, & ἔργον. Siracides 23. 13. Πᾶσαι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ. Scriptor Judithæ 9. 6. Πᾶσαι αἱ ὁδοί σου ἕτοιμοι, καὶ αἱ κρίσεις σου ἐν προγνώσει. Philo in Allegoriis, Ὁ ζωοπλάστης θεὸς ἐπίσταται τὰ ἑαυτοῦ καλῶς δημιουργήματα, καὶ πρὶν αὐτὰ εἰς ἄκρον διατορεῦσαι, τάς τε δυνάμεις αἷς αὖθις χρήσονται, καὶ συνόλως τὰ ἔργα τούτων, καὶ πάθη. Simplicius in cap. 38. Epicteti, Καὶ γνῶσιν ἔχειν (τὸν θεὸν) ἀνάγκη τὴν ἀκροτάτην· οὐ γὰρ ἄν τι τῶν ὑπ' αὐτοῦ παραγομένων ἀγνοήσειε. Cicero 1. De Divinat. *Neque enim ignorant dii quæ ab ipsis constituta & designata sunt*. Seneca 4. 32. De Benef. *Nota est illis operis sui series: omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est, nobis ex abdito subit: & quæ repentina putamus, illis prævisa veniunt ac familiaria*. Qui loci Jacobi verbis eximiè & mirabiliter concinunt.

Com. 19. Διὸ ἐγὼ κρίνω μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπὶ τὸν θεὸν ἐπιστρέφουσιν] Imponendò tam grave jugum; suprà Com. 10. Gregor. Nazianz. Orat. in Baptism. Μὴ γενώμεθα Χριστοκάπηλοι καὶ Χριστέμποροι, μηδὲ φορτισθῶμεν πλέον ἢ δυνάμεθα φέρειν, ἵνα μὴ αὐτάνδρῳ τῇ νηῒ βαπτισθῶμεν, καὶ τὸ χάρισμα ναυαγήσωμεν. Illud ἐγὼ cum emphasi proferendum. Apud Terentium Eunuch. 5. 8.

Militem ego rivalem recipiendum censeo:

ubi Donatus, *Quòd EGO addidit, eo dicto usus est quo uti solent qui plus in negotio vident*.

Com. 20. Ἀλλ' ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων,] Seneca Epist. 94. *Imbecillioribus ingeniis necesse est aliquem præire: Hoc vitabis, hoc facies*. Suidas, Ἀλισγημάτων, τῶν μιασμάτων ἐκ μιαρᾶς τῶν εἰδώλων θυσίας.

Com. 22. Ἐκλεξαμένους ἄνδρας] Æneid. 2. *Delecta corpora*; Servius, *delectorum virorum*: & 9.

At vos ô lecti ———

ubi Servius, *Virtute lecti*. Sic *magnos & electos viros*, Minucius in Octavio dixit.

Com. 24. Ὅτι τινὲς ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντες, &c.] Ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντες, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἡμῶν· ut 1 Joh. 2. 19.

Ibid. Ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις, ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν] *Avertentes animos vestros*, à recto tramite nimirum. Virgilius,

Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus ———

ubi Servius, *Avertere, à sanitate mutare, aut avertere pro pervertere*: vel ἀνασκευάζοντες, ut ad Titum 1. 11. ἀνατρέποντες quo sensu hic Vetus, *evertentes*: figurâ ab ædificiis sumptâ. Onomast. vetus, *Destruo*, ἀνασκευάζω. Glossarium, *destruit*, καταλύει, ἀνασκευάζει. Ταράττειν est, in pace & tranquillitate ambulantes scrupulis turbare. Sic Galat. 1. 7. & 5. 10. Simile apud Apuleium 2. *responsis turbulentare*.

Ibid. Οἷς οὐ διεστειλάμεθα] Juvenalis,

——— *Hæc ego nunquam*
Mandavi, dices olim: nec talia jussi.

Com. 26. Ἀνθρώποις παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν ὑπὲρ, &c.]

Φειδωλὴν ψυχῆς οὐδεμίαν θέμενοι ———

ut in versiculis Soloni adscriptis. Hoc infrà 20. 20. τὴν ψυχὴν οὐ τιμίαν ἔχειν Philip. 2. 30. τῇ ψυχῇ παραβολευσάμενος Judic. 18. 25. ψυχὴν τιθέναι Tyrtæo veteri Poetæ, προτιθέναι 2 Maccab. 14. 38. ψυχὴν παραβάλλεσθαι Rom. 5. 7. ἀποθανεῖν τολμᾷν Rom. 16. 4. τράχηλον ὑποτιθέναι. *Pro qua non metuam mori*, Horatius dixit.

Com. 28. Ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν] Id est, Spiritui sancto per nos loquenti, & consilia nostra dirigenti. Vide Joh. 16. 13. suprà 13. 2. Porrò similem suprà copulam 5. 32. habemus.

Ibid. Μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος] Sic Apoc. 2. 24. Οὐ βαλῶ ἐφ' ὑμᾶς ἄλλο βάρος, πλὴν ὃ ἔχετε κρατήσατε. Philo in de Diris, Ἐβάρυναν ἀνθρώπους ἀσθενεστέρους οἱ δυνατώτεροι συνεχέσι καὶ ἀδιαστάτοις ἐπιτάγμασιν.

Ibid. Ἐπάναγκες] Gloss. Ἐπάναγκες, *necesse*. Onom. vet. *Necesse* Ἐπάναγκες.

Com. 29. Ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, εὖ πράξετε.

Hæc si faxitis, rectè gaudebitis semper.

Incertus apud Stobæum,

——— Ταῦτα δρῶν,
Κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί·

Plato in Alcibiade, Οὕτωγε πράττοντας ὑμᾶς ἐθέλω ἐγγυάσασθαι εὐδαιμονήσειν. Aristoph. Ecclesiaz.

——— Ταῦτα κἂν πείθησθέ μοι,
Εὐδαιμονοῦντες τὸν βίον διάξετε.

Petrus 2. 1. 10. Ταῦτα ποιοῦντες οὐ πταίσητέ ποτε.

Ibid. Ἔῤῥωσθε] Artemidorus 3. 44. Ἴδιον πάσης ἐπιστολῆς, τὸ Χαῖρε καὶ Ἔῤῥωσο λέγειν. Vide infrà 23. 10.

Com. 30. Καὶ συναγαγόντες τὸ πλῆθος, ἐπέδωκαν τὴν ἐπιστολήν] Vide 1 Thess. 5. 27. Coloss. 4. 16. Servius ad Æn. 2. *Hæc* (Epistola) *inventa, more militiæ Regi oblata est, & lecta principibus convocatis*.

Com. 32. Καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες] Sic suprà 27. καὶ αὐτοὺς διὰ λόγου τὰ αὐτὰ ἀπαγγέλλοντας. Utitur præ aliis Lucas hâc loquendi formâ. Vide in Euang. 2. 37. & 7. 12. & 8. 41. & 19. 2.

Com. 33. Ἀπελύθησαν μετ' εἰρήνης] Quod Euang. 2. 29. ἐν εἰρήνῃ ἀπολύειν.

Com. 36. Ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν, &c.] Similis locutio Plinii illa 9. Epist. 30. *Sustentantem foventemque orbe* (malim *quasi orbe*) *quodam socialitatis ambire*.

CAP.

CAP. XVI.

VALLA.

1. P*Atre Gentili*] Ego dixissem *Patris autem Græci*, πατρὸς δὲ Ἕλληνος. Sic enim semper Interpres superiùs transtulit hoc nomen.

4. *Custodire dogmata quæ erant decreta*] *Dogma* Græcum est, quod Latinè *decretum*. Sed nè diceretur *decreta quæ erant decreta*, ideo Interpres usus est Græco nomine δόγματα: quanquam Græcè dicitur *quæ erant judicata*, τὰ κεκριμένα. Et δόγμα solet transferri non solùm *decretum*, ut postea dicitur 17. 7. *Et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt*, ἀπέναντι τῶν δογμάτων, sed etiam *edictum*, in Euangelio Lucæ. 2. 1. *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, δόγμα.

13. *Egressi sumus foràs portam*] *Extra* non *foràs* dicendum erat, ut neque in Psal. 18. 38. *subtus pedes meos* pro *subter*. Sunt enim adverbia *subtùs* & *foràs*, ἔξω, ὑποκάτω, quæ non serviunt casibus, ut apud Græcos fit: quæ res fortasse decepit Interpretem.

16. *Puellam quandam habentem Phytonem*] Græcè non ætas mulieris significatur, sed conditio, quod erat *ancilla*, i. *pedissequa*, παιδίσκη. Nec *Phytonem* legendum est, sed *spiritum Pythonis*, πνεῦμα Πύθωνος.

25. *Adorantes laudabant Dominum, & hymnum dicebant*] Græcè est *orantes*, non *adorantes*: qui haud scio an *adorare* possent, quorum pedes adstricti erant ligno. Est autem *adorare* corpus incurvare in honorem alicujus. Nec legitur, *laudabant Dominum, & hymnum dicebant*, sed tantùm *dicebant Deo*, προσευχόμενοι ὕμνην τὸν Θεόν.

29. *Petitóque lumine introgressus est*] Non parùm ad gratiam & veritatem narrationis facit verbum *insiluit*, ut Græcè est, potiùs quàm *introgressus est*, εἰσεπήδησε.

REVIUS in VALLAM.

13. ἜΞΩ ὑποκάτω] Trajecta erant, & totus hic versus præpositus versui 4.

25. *Sed tantùm* dicebant Deo] Locus mendosus propter unius voculæ *tantùm* trajectionem. Restitue sic, *Nec legitur*, LAUDABANT DOMINUM, ET HYMNUM DICEBANT *tantùm*, *sed*, DICEBANT DEO: προσευχόμενοι ὕμνεν τὸν Θεόν. Porrò versus hic integer in sequens caput post v. 3. conjectus erat.

ERASMUS.

1. F*Ilius mulieris viduæ fidelis*] Apud Græcos ità legimus υἱὸς γυναικός τινος Ἰουδαίας πιστῆς, *filius mulieris cujusdam Judææ fidelis*. Et ad hanc lectionem respondet id quod sequitur, *patre verò Gentili*: nam *Gentilem patrem* opponit *Judææ matri*. At scriptor parùm attentus ex *Judæa viduam* fecit, transpositis literis aliquot. Atque adeò in nonnullis libris scriptum fuisse *Judæa*, submonuit & Rabanus in Glossa quam vocant *Ordinariam*. Nec rursum est *Gentilis* hic ἐθνικός, sed Ἕλλην, i. *Græcus*, quam vocem variè vertit Interpres, nunc *Græcum*, nunc *Gentilem*.

4. *Dogmata quæ erant decreta*] Κεκριμένα, i. *judicata*, rectè vertit in *decreta*. Cæterùm *dogmata* Græca vox est significans & ipsa *decreta* sive *placita*, non *doctrinam*, ut vulgus existimat. Interpres aliàs *decretum* vertit δόγμα, aliàs *edictum*.

6. *Loqui verbum in Asia*] Asiam eam sentit non quæ generali verbo dicitur *Minor*, undique mari cincta, præter eam partem quà spectat Orentem, quæque complectitur Phrygiam, Pamphyliam, Lycaoniam, Ciliciam, Galatiam, aliásque nonnullas, sed quà finitima est Epheso: nam hæc propriè *Minor Asia* dicitur, de qua hic videtur sentire.

8. *Descenderunt Troadem*] Nam ea civitas est Asiæ maritima, dicta eadem *Antigonia*.

11. *Recto cursu venimus*] Unum verbum Græcum tribus Latinis est circumlocutus, εὐθυδρομήσαμεν, i. *recto cursu contendimus*. *Cursus* enim & navigantium propriè dicitur. ¶ *Samothracem*] Ea est insula in sinu Pacusiaco, è regione Thraciæ, nomine composito ex *Samiis* & *Thracibus*. ¶ *Neapolin*] Non est ea quam nunc in Italia tenent Hispani, sed altera Cariæ in Asia. De hac sensisse videtur Hieronymus colligens Nomina locorum in Actis Apostolicis, sed falsus opinor. Sunt qui malint Neapolin esse Thraciæ sive Macedoniæ juxta Ptolemæum, non procul à Philippis. Et hæc opinio probabilior est: nam sunt hujus nominis complures. *Philippi civitas* est *in prima parte Macedoniæ*.

12. *Civitas Colonia*] Κολώνια. Usurpavit Lucas vocem Latinam, tum ut apparet & Græcis usurpatam. Addidit enim *coloniam*, quòd ea civitas ab aliunde deductis habitaretur. ¶ *Diebus aliquot consistentes*] Indicat Glossa Ordinaria in nonnullis libris fuisse *conferentes* pro *consistentes*. Nam διατρίβεται *qui commoratur*, & διατρίβονται *qui conferunt ac disputant*: unde Scholasticas disputationes Græci *diatribas* appellant. ¶ *Consistentes*] Διατρίβοντες, quod magis sonat, *commorantes*.

13. *Foras portam*] Ἔξω τῆς πόλεως *è civitate*, sive, omissâ præpositione, *egressi sumus civitatem*. Quod, quæso, sermonis schema est, *foras portam*? ¶ *Ubi videbatur oratio esse*] Οὗ ἐνομίζετο, i. *ubi putabatur futura precatio*, aut certè, quod ego malim, *ubi solebat esse precatio*: quandoquidem νόμος nonnunquam & *consuetudinem* sonat, & νομίζεσθαι *solitum esse*.

14. *Lydia, purpuraria*] Πορφυρόπωλις *purpurarum venditrix*, à nomine πορφύρα *purpura*, & πωλεῖν *vendere*. Nam *purpurarii* magis videntur dici qui colligunt purpuras, h. e. urinatores, aut qui tingunt. *Purpuræ venditricem* interpretatur Hieronymus in dictione *Thyatira*; quæ dictio multitudinis numero effertur genere neutro, civitas est Lydiæ in Asia. Unde quod dictum est *Lydia*, non videbatur esse nomen mulieris, sed regionis, nisi additum fuisset *nomine Lydia*.

15. *Et coegit nos*] Καὶ παρεβιάσατο ἡμᾶς. Magis est *Adegit nos* quàm *coegit*.

16. *Puellam quandam*] Παιδίσκην, i. *ancillam quandam*; quòd mox fiat mentio *dominorum*: ut intelligamus conditionem explicatam, non ætatem mulieris. ¶ *Habentem spiritum Pythonem*] Πύθωνος legunt Græci, h. e. *Pythonis*. Id erat nomen draconis quem jaculis suis confecit Apollo; unde & ipse *Pythius* dictus. Deinde spiritus ille quo afflati prædicebant futura *Pytho* vocari cœptus est.

18. *Dolens autem Paulus*] Διαπονηθεὶς, quod aliàs vertit *molestè ferre*, διαπονούμενοι.

20. *Magistratibus*] Τοῖς στρατηγοῖς, quod magis sonat *primores exercitus*, cùm tamen pro *magistratu* accipiatur, qui olim militum satellitio ministerióque utebatur.

21. *Morem quem non licet*] Ἔθη *mores*: sed rectè mutavit numerum, quòd *mores* aliud quiddam sonet quàm *morem*. Dicere poterat *alias consuetudines*, sive *alia instituta*: ut interim nè dicam quòd suo more ἱμάτια vertit *tunicas*.

22. *Scissis tunicis eorum*] Græcus anceps est sermo utrùm Magistratus lacerarint Apostolorum tunicas, an suas ipsorum.

24. *Strinxit ligno*] Ἠσφαλίσατο. Verbum est cognatum adverbio ἀσφαλῶς, quod modò vertit *diligenter*, aliàs *cautè*. Significat autem *tutò & sine periculo*.

25. *Adorantes, laudabant Deum*] Προσευχόμενοι ὕμνεν. Cur non potiùs *orantes* quàm *adorantes*? quandoquidem προσεύχομαι utrumque sign. imò *precari* potiùs quàm *adorare*, teste & Augustino. Et *laudabant* est ὕμνουν, i. *canebant & hymnis laudabant*.

29. *Introgressus est*] Εἰσεπήδησε *insiluit*, sive *introsiluit*, aut *irruit*, sive *irrupit*; ut impetum ac celeritatem ingredientis exprimas, quemadmodum Græca vox facit. ¶ *Procidit Paulo & Silæ ad pedes*] *Ad pedes* Interpres addidit de suo. Græcè tantùm est προσέπεσε τῷ Παύλῳ. Verùm rectè addidit Interpres, vitans amphibologiam.

33. *Et omnis domus ejus*] Καὶ οἱ αὐτοῦ, *Illius familiares*, sive *domestici*.

34. *Lætatus est*] Ἠγαλλιᾶτο *exsultavit*. Sic ferè solitus est vertere. ¶ *Cum omni domo sua*] Πανοικί. Græcum adverbium tribus circumlocutus est dictionibus. Est autem commodius ut πανοικὶ referatur ad participium proximè sequens πεπιστευκώς.

35. *Miserunt Magistratus lictores*] Ῥαβδούχους, à *virgis gestandis*. Nos *viatores* vertimus, quòd his quoque mos sit gestare virgas. Nam ii propriè dicuntur per quos Magistratus denunciant quid velint.

37. *Ipsi nos ejiciant*] Paulò antè *occultè nos ejiciunt* erat ἐκβάλλουσι, hìc diversum est verbum ἐξαγαγέτωσαν *educant*. Nam illud conveniebat clàm extrudendis, hoc convenit palàm educendis non sine satisfactione.

40. *Introierunt ad Lydiam*] Incertum an ad Lydiam mulierem paulò antè conversam, an in regionem. Verùm prior sensus mihi probatur. Nam Lydia in Minore est Asia, móxque pervenitur ad Amphipolim & Apolloniam, quæ minimùm absunt à Philippis. Nec arbitror hìc quicquam esse scrupuli, nisi quòd

si quòd præpositio Græca *eis* non perinde videtur congruere personæ ut πρὸς, nisi *Lydiam* accipiamus pro *domo Lydia*.

VATABLUS.

1. **M***Ulieris**] [*Cujusdam Judæa*.

4. *Tradebant eis custodire dogmata*] Vel *commendabant eis decretorum observationem*.

6. *Transeuntes*] *Cùm peragrassent*. ¶ *Vetati sunt*] *Vetatique essent*, Vet.

7. *Cùm venissent*] *Profecti*. ¶ *Et*] *Et* pro *sed*.

8. *Pertransissent*] Vel *præteriissent*.

12. *Civitatis*] *Civitas*. ¶ *Colonia*] i. Quæ ab aliunde deductis habitabatur. ¶ *Conferentes*] *Consistentes*, Vet. vel *commorantes*.

13. *Foràs portam*] *E civitate*. ¶ *Videbatur*] *Solebat*.

14. *Purpuraria*] *Purpurarum venditrix*. ¶ *Civitatis*] Vel, *oriunda è Civitate*. ¶ *Audivit*] Sub. *Paulum*; vel *audiens fuit verbis Pauli*.

15. *Fidelem Domino esse*] Vel *habere fidem in Domino*.

16. *Puellam*] Vel *ancillam*: Vox Græca hic magis conditionem ancillæ exprimere videtur, cùm mox dominorum meminerit. ¶ *Pythonis*] i. Apollinis.

19. *Quia exivit*] *Quod exisset*. ¶ *Perduxerunt in forum ad Principes*, &c.] *Rapuerunt in jus ad magistratus: & cùm adduxissent eos Magistratibus*, &c. Vox Græca pro qua vertitur *Magistratibus*, significat primores Exercitûs; hic autem pro Magistratu accipitur, qui olim multùm satellitio ministerióque utebatur: Et etiam pro Prætoribus.

21. *Morem quem*] *Mores quos*.

22. *Cucurrit*] *Concurrit*. ¶ *Eorum*] *Suis*.

24. *Strinxit ligno*] Vox Græca significat *diligenter tutéque strinxit*, quò de fuga illorum esset securior.

25. *Audiebant eos qui in custodia erant*] Vel *exaudiebant eos qui vincti erant*.

29. *Introgressus est*] *Erupit*, vel *irruit* sive *insiliit*.

32. *Locuti sunt*] *Annunciaverunt*.

33. *Omnis domus ejus*] *Omnes illius*, sub. *familiares* vel *domestici*.

34. *Cum omni domo sua credens*] *Quòd cum omni domo sua credidisset*.

35. *Lictores*] *Viatores*.

37. *Indemnatos*, *homines Romanos*] *Indictâ causâ*, *cùm simus Romani*. ¶ *Itá*] *Profectò*. ¶ *Ejiciant*] *Educant*.

40. *Ad Lydiam*] Ambiguè posita est vox Græca, ut incertum sit regionem significet, an mulierem: sed videtur dictum esse pro eo quod est, *in domum Lydiæ*.

CLARIUS.

1. **C***Ircumcidit eum*] Implet quod de se scribit, *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem; iis qui sub Lege erant quasi sub Lege essem, ut eos qui sub Lege erant lucrifacerem*. ¶ *Sciebant enim omnes quod pater ejus erat Gentilis*] Cùm illa dictio *enim* causalis sit, videtur aliquid esse subaudiendum, *quòd* scilicet *pater tantùm*, *& non etiam mater*, *esset Gentilis*. Nam si utrumque habuisset parentem Gentilem, non essent offensi Judæi illo non circumciso.

6. *Vetiti sunt à Spiritu sancto*] Quare? Non dicit: neque tu ergò curiosiùs inquiras quod Spiritus S. voluit latere.

16. *Habentem spiritum Pythonis*] Hæc idcirco appellabatur *Pythia*, quasi sacerdos Apollinis Pythii, qui ab interfecto serpente sic cognominatus est. Fertur Pythia solita in Apollinis tripode sedere, divaricatis cruribus, per cujus genitalia ingrederentur fœdus dæmon & impleret mulierem furore, quæ deinceps solutis crinibus debaccharetur, & spumaret ore, & in illa debacchatione insana sua verba proferret, quam pulchrè Poeta noster in sexto Æneidos describit. Gloria tibi, Christe, qui mundum his erroribus liberasti.

26. *Et universorum vincula soluta sunt*] Miram vinculorum Pauli virtutem, quæ vinctorum vincula solverent. Sic Dominus mortem nostram moriendo destruxit.

29. *Procidit Paulo & Sila ad pedes*] Quo pacto judicavit hoc ab eis factum Divinâ virtute, & non potiùs maleficis artibus? Audierat illos mediâ nocte orantes & laudantes Deum: quod malefici non consueverunt.

37. *Veniant ipsi*] Hoc facit nè nomen Domini blasphemaretur ob eos qui falsò detulerunt & traxerunt Paulum & Silam, tanquam sceleratos, ad Magistratus.

ZEGERUS.

1. **F***Ilius mulieris Judææ*] Legendum non *viduæ* sed *Judææ*: huic enim opponitur quod subditur: *patre Gentili*: id quod & Rabanus animadvertit. Et tamen *viduæ* offendi apud Augustinum alicubi, & Hieronymum in epist. ad Augustinum. Verùm editio Lovaniensis tria indicat exempl. quæ habuerint *Judææ*. ¶ *Fidelis*] Πιςῆς. Paterni casûs est, construitúrque cum *mulieris*.

2. *Huic testimonium bonum reddebant*] In nonnullis veteribus, & ab Hieronymo in epist. ad Augustinum juxta Græcos omittitur *bonum*. Probabile tamen est ab Interprete additum esse *bonum* ob ambiguitatem tollendam, sicuti idem verbum vertens fecit supra 6. 3. *viros boni testimonii*. Itaque, me consule, legetur *bonum*, juxtà non obstante quòd quidam expunxerint etiam in cod. Gemblacensi.

4. *Dogmata*] Græcum verbum est ἀπὸ τοῦ δοκεῖν *ab opinando* dictum, & propriè sig. *scita*, *instituta*, vel *placita*.

6. *Verbum Dei in Asia*] Quæ sit hæc Asia indicat in libro De locis hujus operis Hieronymus ità scribens, *Asia regio quæ cognominatur Minor*, *absque Orientali parte quâ ad Cappadociam Syriámque progreditur*, *undique circumdata est mari. Cujus provinciæ sunt Phrygia*, *Pamphylia*, *Cilicia*, *Lycaonia*, *Galatia*, *& alia multa*. *Sed specialiter ubi Ephesus civitas est* ASIA *vocatur*. Hic *Dei* adjectitium est, uti liquet ex Hieronymo lib. 2. contra Pelag. Chrysostomo, Beda; & lectione Græca pariter & Latina vetere.

11. *Sequente die Neapolin*] Non illam dicit Neapolin quæ in Italia est, sed aliam, aut Cariæ provinciæ, quæ est in Asia; aut (quod probabilius est) Thraciæ sive Macedoniæ haud procul à Philippis.

12. *Diebus aliquot consistentes*] Indicat Glossa Doctorum; in nonnullis libris fuisse *conferentes* pro *consistentes*: nam διατρίβεται qui *commoratur*, & διατρίβοντας qui *conferunt* & *disputant*. Unde Scholasticas disputationes Græci *diatribas* appellant.

13. *Ubi videbatur oratio esse*) Οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. Etiam esse potest, *ubi solebat esse precatio*, & *eo loco quo sancitum erat precari Deum*.

16. *Spiritum Pythonis*] Vel *Pythonem*, juxta alios codices; ut appositivè cohæreat cum *spiritum*. Nam spiritus ille cujus afflatu futura prædicuntur *Python* appellatur. De arte autem Pythonica sic scribit Beda hunc enarrans locum, *Quid Pythonica divinatio gerat artis* 1 Reg. 28. *invenimus*, *ubi rogante Sauli Pythonissa vel animam*, *vel pro ea potiùs spiritum immundum evocavit ab inferis*. *Quod magica phantasia genus ab Apolline Pythio repertum*, *atque ab ejus cognomine sic dicunt esse vocatum*. *Sed & Hebræum nomen congruit*, *qui* PHITONA *Oi abyssi dicunt*. ¶ *Dominis suis*] Quibus inserviebat. Hæc enim femina, quam modò *puellam* dixerat, B. Lucas vocat παιδίσκην, quod etiam *servam* sive *pedisse quam* signat.

22. *Et scissis tunicis suis*] Aliàs *eorum*. Græcus sermo anceps est utrùm Magistratus lacerarint Apostolorum tunicas ad suas ipsorum.

37. *Indemnatos*] i. *injudicatos*, vel *indictâ & incognitâ causâ damnatos*, ἀκατακρίτους. ¶ *Non ità: sed veniant*, *& ipsi nos ejiciant*] Vel potiùs ἐξαγαγέτωσαν, h. e. *educant*, in testimonium videlicet nostræ innocentiæ: nè si clanculùm fuerimus ejecti, quasi malè nobis conscii profugisse existimemur.

40. *Introierunt ad Lydiam*] Non liquet an sentiat Lydiam mulierem illam purpurarum venditricem hospitámque Apostolorum, an Lydiam regionem. Itaque utrum verius sit lectoris judicio relinquo.

L. BRUGENSIS.

22. **E***T cucurrit plebs adversùs eos*, *& magistratus*, *scissis tunicis eorum*, * *jusserunt eos* [* *&* o. - 1 MS. G.] *virgis cædi*.] Meliores libri, tum nostri tum Epanorthotæ, pro *cucurrit*, *concurrit* habent, id quod Græcæ voci συνέστη, quæ est *simul insurrexit*, propiùs respondet. Multi, sed ii minùs boni libri, conjunctionem *&* præmittunt participio *scissis*, *Et scissis tunicis eorum*, &c. ità ut *& magistratus* ad id quod præcedit referatur: quod idcirco à sciolis factum est, quia vocem *magistratus* pluralis numeri esse ignorarunt. Græcè sine ambiguitate est οἱ στρατηγοί. Tertia hoc loco varietas est, quòd quidam codices *suis* pro *eorum* scribant. Ex scriptis nostris unus, Plantini angustus, ex impressis similiter unus, Quentelianus, Græca & Syra ad utrumque ambigua sunt: utroque mo-

 de

doveni possunt, utrumque potest intelligi; & quòd magistratus lacerarint tunicas Apostolorum, & quòd suas ipsorum. Cæterùm cùm Latini libri plerique omnes, Latinis enarratoribus adstipulantibus, *eorum* legant; quin id Interpres dederit dubitari vix potest.

H. STEPHANUS.

1. K Ατήντησε] *Pervenit.*

2. Ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν] *Qui ornabatur testimonio fratrum.*

10. Συμβιβάζοντες] *Conjicientes ex ea re:* vel, *colligentes.*

13. Οὗ ἐνομίζετο εἶναι] *Ubi solebat esse.*

15. Παρεβιάσατο ἡμᾶς] *Nos adegit* precibus ad *manendum.*

16. Ἐργασίαν] *Quæstum.*

18. Διαπονηθεὶς δὲ ὁ Παῦλος] *Sed gravatus hoc Paulus.*

22. Συνεπέστη] *Unà insurrexit.*

24. Ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον] *Firmis compedibus astrinxit:* q. d. tutis. Respicitur enim hoc verbo ad illud adverbium quod est in fine ver. præcedentis.

26. Ὥστε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια] *Ità ut concussa sint fundamenta.*

33. Ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν] *Lavando mundavit à vibicibus.*

34. Πανοικὶ] *Cum universa familia.*

35. Τοὺς ῥαβδούχους] *Viatores.*

37. Ἀκατακρίτους] *Indictâ causâ.* ¶ Οὐ γὰρ] *Non ità fiet.*

DRUSIUS.

1. P*Atre Græco*] *Græcum* dicit quem Interpres noster *Gentilem* appellat, Syrus *Aramæum*, i. ארמיא. Est autem ARAM *Syria*: unde & illud consequitur, *Aramæum esse Syrum*. Juchas. 1. 35. 2. *Aramæi à Græcis Syri vocantur.* Verbum è verbo, *Aramæi in lingua Græca Syri*: eòdem recidit. Hoc notum: illud minùs, *Aramæum* dici qui non sit Judæus. Sic Act. 19. 10. *Judæi & Syri.* In fonte est Ἕλληνες, & apud nostrum *Gentiles*. Ergò *Syri* qui & *Græci*, *Gentiles*: nam qui non erant Judæi, olim ità nominabantur. Infra v. 3. *Sciebant enim omnes patrem ejus Gentilem Syrum esse.* Illud habetur in ed. Latina vulgò recepta, hoc in Syriaca quam Ferdinandus Imperator impensis suis excudi curavit: nam in fonte Græco est Ἕλλην *Græcus*. ¶ *Mulieris viduæ*] Quomodo *vidua* si maritum Gentilem habebat? Nam pòst ait, *Sciebant enim omnes quòd pater ejus erat Gentilis*; non dicit *fuerat*, sed *erat*. Melior ergò in omnes partes lectio quæ in libris Græcis & Syriacis, *mulieris cujusdam Judææ.* Mater enim *Judæa* erat, non *vidua*.

6. *Sermonem*] Τὸν λόγον, i. *sermonem Dei*, h. e. Euangelium. Sic *verbum* pro *verbum Dei*, *via* pro *via Dei*. Notavi aliàs. In uno cod. additum τοῦ Θεοῦ, quam lectionem Syrus fortè secutus fuit: nam in eo *verbum Dei*, מלתה דאלהא. Suprà 14. 25. idem edidit *verbum DOMINI*, ubi Græci cod τὸν λόγον, & duo manuscripti τὸν λόγον Κυρίου *sermonem DOMINI.* ¶ *In Asia*] *Asiam* vocat non tertiam orbis partem, sed eam quæ Epheso finitima. Vide quæ notavimus ad 1 Pet. 1. 1.

12. *Quæ prima partis Macedoniæ civitas*] i. regionis Macedoniæ. *Pars* pro *regione* notius est quàm ut probari debeat. Sic Matth. 15. 21. *in partes Tyri.* Interpres vetus Persii, *Herodes apud Judæos regnavit in partibus Syriæ.* Cicero, *Sine te non esse nobis illas partes tenendas propter Antonium:* ubi tamen aliam significationem habere potest. Nam *tenemus partes illas* quas sequimur, ubi populus in partes divisus.

13. *Ubi videbatur oratio esse*] Locus precationis, qui Ebraicè בית תפלה τόπος προσευχῆς, in quo ad preces convenire consueverunt. *Proseuchas* appellant: unde Juvenalis:

—— *In qua te quæro proseucha?*

& extra urbem erant. Vide sis Epiphanium in hæresi Massalianorum, unde disces proseuchas extra urbem etiam Samaritanos habuisse. *Sed & orationis locus*, inquit, *Sicimis, quæ nunc Neapolis vocatur, extra urbem est in planitie, distans quasi duobus lapidibus, formâ theatri, ità in aere & sub aperto cœlo paratus à Samaritis Judæorum per omnia æmulis.* Ab his diversa erant loca, ut apparet, in quibus conveniebant ad legendum & explicandum Mosen, h. e. Legem, quæ *synagogæ* dicuntur, & in urbibus erant; nescio an etiam extra urbes. Erasmus emendat, *ubi putabatur*, vel certè, *ubi solebat*, *esse precatio.* Quid si, *ubi solebat esse proseucha?* Sic mox v. 16. *euntibus nobis ad proseucham:* προσευχὴ *precatio*; unde *proseucha*. *Proseucharum* meminit Josephus in Vita sua his verbis, *Sequenti ergò die populus convenit in proseucham, quam vocant precationis domum:* item, *Eò* (Tiberiadem videlicet) *veniens offendi congregatum populum in proseucha:* &, *In proseucham ad precandum convenit:* & infra, *Factum est autem euntibus nobis in proseucham.* Luc. 6. 12. *Erat pernoctans in proseucha Dei.* Vide quæ notavimus ad h. l.

16. *Spiritum Pythonis*] i. Pythonicum. Tales πυθομάντεις dicuntur. In Syro est *spiritum divinationis:* nam divinabant per Pythonem: unde legimus, *Divina mihi* באוב *per Pythonem.* Non tamen omnis divinatio per Pythonem fiebat: unde Moses Deut. 18. 10, 11. *Divinum sive divinatorem* distinguit ab eo quem vocat שאל אוב *interrogantem Pythonem*, בעל אוב Doctoribus. Senes ἐγγαστριμύθους appellant: nam ex ventre responsa reddebat. Sequitur in Syro *divinationibus quas divinabat.* *Divinare divinationes* legitur apud Ebræos Deut. 18. 10. & 2 Reg. 17. quod ità dicitur ut *pugnare pugnam*, *gaudere gaudium*, & alia ejus generis. Voce πυθὼν, qui Dæmon erat cujus afflatu prædicebant futura, utuntur etiam Ebræi, unà literà immutatâ: nam dicunt פיתום *Phithom*, cum ם in fine. *Python*, *Phithom*, ut Πανεὰς *Phaneas*, i. פמיאס. Sic *Hispania* & *Isphamia*. Quibus adde, si vis, *Noph* & *Moph*, *Madian* & *Madiam*, *Satan* & *Satam*, *adversor*. Nam in *Madiam* potest mendum esse librariorum, quale in Ἐδὲμ pro *Eden*.

22. *Tunicas eorum*] Pauli & Silæ videlicet. De hoc more vide Fabrum Semestrium lib. 2. c. 10.

24. *Ligno*] *Lignum* dicit compedem ligneam, ut alibi *ferrum* compedem ferream: *numellam* reddunt. Id aliquando vinculum est quo pedes includuntur. Syrus סדא, quod originem habet ex Hebræo. Nam Job 13. 27. סד Aquila ξυλοπέδῃ, alius ἐν ποδοκάκῃ, Hieron. *in nervo*. Ποδοκάκη Synesio est *cippus*, h. e. lignum bipatens in quo sontium pedes includuntur. Thalmudicè סד. Moschopulus nos admonet scribendum esse ποδοκάκκη, per duplex κ.

CASAUBONUS.

10. E Υ̓θέως ἐζητήσαμεν ἐξελθεῖν εἰς τὴν Μακεδονίαν] Ex hoc loco & sequentibus multis apparet, Lucam Paulo adfuisse comitem, plerisque omnibus quæ deinceps ad libri finem usque narrantur: quod Græca Scholia rectè notant.

11, 12. Τῇ τε ἐπιούσῃ εἰς Νεάπολιν ἐκεῖθέν τε εἰς Φιλίππους] Macedoniam petentibus è Samothrace insula occurrit primùm insula Thasus, quam Ptolemæus *Thalassiam*, errore (ut puto) librariorum, vocat; deinde in littore τῆς Ἠδωνίδος, quæ est pars Macedoniæ, Neapolis è regione Thasi insulæ. Philippi autem urbs fuit in Mediterraneis, quam inter & Neapolin mons est qui non procul ab utroque oppido Pangæo monti conjungitur: unde loco illi nomen; Σύμβολον enim vocant. Diodorus Siculus lib. 16. & apud Stephanum Artemidorus testantur Κρηνίδας priùs huic urbi fuisse nomen, quam de suo nomine Philippus Alexandri M. pater *Philippos* vocaverit. Ego verò in eo tractu multis etiam pòst annis Crenidas fuisse reperio; quod ex Dionis libro 47. licet cognoscere. ¶ Ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις] Ait Philippos primam esse urbem τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας. An quòd Neapolis tunc Thraciæ ascriberetur, non Macedoniæ? an potiùs quia Neapolis, quæ prior occurrebat, non urbs sed pagus erat? An verò primariam urbem fuisse ejus Macedoniæ tractûs Philippos significat? Tunc fuerit interpretandum τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας, h. e. ταύτης τῆς μερίδος, *hujus tractûs Macedoniæ:* ut articulus vim habeat pronominis: quod in his libris novum non est. Sic suprà 9. 2. ὅπως ἐάν τινας εὕρῃ τῆς ὁδοῦ ὄντας, h. e. ταύτης τῆς ὁδοῦ. Atque hanc interpretationem Syrus Paraph. fere sequitur. Alioquin μερίδος verterem *provinciæ:* ut sit pro ἐπαρχίας, ut Ptolemæus vocat. Doctissimo autem viro Bertramo Cornelio, collegæ, dum staret hæc schola, meo, videtur vox πρώτη jungenda cum κολωνία ut significetur hanc *primam* fuisse *coloniam* quæ occurreret venientibus ex Asia. In coloniis autem ferè videas Paulum commorari. ¶ Κολωνία] Solet & Ptolemæus uti hâc voce: quam etiam Syrus Paraph. retinuit. Fuere autem Philippenses in provincia Macedonia juris Italici, ut testatur Paulus Jurisconsultus, leg. in Lusitania §. In provincia Ma. D. de censibus.

16. Παιδίσκην τινὰ ἔχουσαν πνεῦμα Πύθωνος] Vet. interp. legit Πύθωνα. Syrus interpretatur *Spiritum divinationis.* Quæri potest

potest, cùm Apollo intelligatur, cur ejus epitheto utatur Lucas potiùs quàm nomine proprio. Et ratio est, quia veteres τοὺς ἐγγαστριμύθους vocabant Πύθωνας. Plutarchus in libro De defectu oraculorum, Εὔηθες γάρ ἐστι καὶ παιδικὸν κομιδῆ, τὸ οἴεσθαι τὸν Θεὸν αὐτὸν, ὥσπερ τοὺς ἐγγαστριμύθους, Εὐρυκλέας πάλαι νυνὶ Πύθωνας προσαγορευομένους, ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι, τοῖς ἐκείνων στόμασι καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις.

21. Καὶ καταγγέλλουσιν ἔθη ἃ οὐκ ἔξεστιν παραδέχεσθαι, οὐδὲ ποιεῖν, Ῥωμαίοις οὖσι] Cur non ἔξεστιν; An quia Romanis in religione quicquam non licuit innovare? qua de re placet elegantem Dionis locum proferre, apud quem Mecænas Augustum ità sui officii admonet; Τὸ μὲν θεῖον πάντη πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε. Τοὺς δὲ δὴ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν Θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ᾽ ἄλλου ἄν τινος προτιμήσειεν, ἀλλ᾽ ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν.

22. Καὶ οἱ στρατηγοὶ περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια] Αὐτῶν, videlicet Pauli & Silæ. Erasmum verò ut ancipitem putaret esse sermonem non ineptè movit recordatio, ut arbitror, similis loci apud Marcum 14. 63.

GUALTPERIUS.

12. Κολωνία, *colonia*] Syr. קולניא *Kulaunia*. Vocem hanc Latinam esse intelligunt omnes. Græcis aliàs dicitur ἀποικία.

16. Πνεῦμα πύθωνος, *Spiritus Pythonis*] Syr. *cui erat spiritus divinationis*. Vox enim קוסם quæ habetur in Syro respondet voci Hebrææ קסם, quæ *divinationem* sig. mutatâ literâ ס in ס ejusdem organi literam. Vox πύθων Græca est, quam sic interpretatur Erasmus, Pytho *nomen erat draconis quem jaculis suis confecit Apollo, unde & ipse Pythius dictus est. Deinde spiritus ille quo afflati prædicebant futura, Pytho vocari cæptus est*. Inde πυθωνικὸς, ut πυθωνικὸν πνεῦμα *spiritus Pythonicus*: & πυθωνικοὶ, *qui correpti sunt eodem spiritu*, iidem qui πυθόληπτοι πύθιον in g. n. *Apollinis templum* significat *quod erat Delphis*: unde & *Delphica oracula*, cæterorum longè famosissima. *Ad radices Parnassi montis exstructum fuisse perhibent ab incolis supra specum oppido muróque cinctum.* Adduntque *Templum ipsum, ob nativam præcipitiem, aditu tam difficili & angusto munitum fuisse, ut incolæ objectâ lapidum mole accessum omnem undique præcluserint, exiguâ relictâ semitâ, quâ consulturi oraculum absque comitatu incederent. In medio templi exigua planities erat, & in ea hiatus, ex quo spiritus acer & vehemens terribili sonitu excussus vatem tripodi insistentem & afflatus exspectantem corripiebat, agitatámque & concussam in furorem vertebat statis diebus, quibus fari licebat. Religionem in consulendo Pythio oraculo eam servari oportebat, ut qui interrogaret brevi oratione Pythiæ quæ requireret significaret, & Græco sermone responsum exposceret, mactatâ simul & solenni ritu consecratâ victimâ. Pythia verò, quam mulierem esse oportebat, non promeret quicquam, nisi totam priùs victimam contremiscere ac micare cerneret. Quibus legitimè peractis, Dæmon ex obsessa Pythia ea, quæ conceperat, & ferè metris Græcis scitè admodum atque argutè, sed ambiguè nimis ac captiosè, illigata, responsa pronunciabat: cúmque in suam specum sese recepisset atque abdidisset Pythia, ceu exonerata spiritu & ad sese reversa, consistebat ac conquiescebat. Fuit autem templum hoc omnium templorum ethnicorum locupletissimum, statuis ex solido auro argentóque constatis immensi ponderis & aliis innumeris ac pretiosissimis donariis refertum. Hippocratem etiam sceleton æneum exquisitissimè ad figuram humani sceleti fabrefactum eò collocasse Pausanias auctor est; eâ fortè spe, ut religione templi defensum ad posteros conservaretur.* Et quanquam templum hoc *quinquies fuerit destructum, pluries verò direptum, communibus tamen semper sumptibus restitutum ac de novo locupletatum est. Imperante Constantino Christiani freti pii Principis defensione & consensu exspoliatum templum non sunt demoliti, sed tantùm devastarunt. Valvis enim januarum avulsis, destructis aris, & parietibus fœdè deformatis, tripodes aureos & argenteos Byzantium (hodie Constantinopolin) transtulerunt, cum universis templi opibus, quæ inde usque à Neronis ætate denuò in immensum excreverant. Tandem cùm iterum postremò instauratum esset sub Juliano Cæsare, qui ad sciscitandum de eventu belli Parthici eò miserat, fulmine cælitus incensum totum conflagravit.* Hæc Peucerus. Cæterùm ut ad Lucam revertamur, sequitur is receptam & communem secundùm vulgus loquendi consuetudinem, non quòd Pythonissam illam admiraretur, sed quòd præclarum esset allaturus miraculum, quo immundus ille spiritus è puella obsessa per nomen Jesu Christi à Paulo fuit ejectus. Quid verò aliàs de ejusmodi prædictionibus & divinationibus censendum sit, S. Scriptura graviter inculcat. Levit. 20. v. ult. *Vir*, inquit Jehova, *sive mulier, cum fuerit in eis Pytho, vel hariolus, omnino morte afficiuntor: lapidibus obruuntor: cædis eorum caussa est in eis.* Et iterum Levit. 19. 31. *Ne vos convertite ad Pythones & hariolos; ne consulitote polluendo vos eis: ego sum Jehova Deus vester.* Et denuò Deut. 18. 10, & seqq. *Ne inventor in te qui traducat filium suum aut filiam suam per ignem utens divinationibus, planetarius, aut conjector, aut præstigiator; Item utens incantatione, aut requirens pythonem, aut hariolus, & consulens mortuos. Nam abominationi est Jehovæ quisquis facit ista: & propter abominationes istas Jehova Deus tuus expellit istas gentes à facie tua. Integer esto cum Jehova Deo tuo.* Rectè his subjungit clariss. vir, D. D. Osiander in præclara sua paraphrasi, *Hodie quoque graviter impiâ curiositate peccant qui vel Magos & Necromanticos consulunt, vel etiam vagum istud genus hominum quod Germani* Zigeuner *vocant, quod pro accepto pretio audacissimè, sæpe etiam mendacissimè, divinat de rebus præteritis, præsentibus, futuris; & interim suffuratur quicquid subtrahere furtim potest.*

GROTIUS.

Κατήντησε δὲ εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν *Pervenit autem in Derben & Lystram*] Vide supra 14. 6, 8, 20, 21. ¶ Μαθητής τις ἦν ἐκεῖ ὀνόματι Τιμόθεος, *Discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus*] Lucæ non ante visus, Paulo autem à pueritia notus, 2 Timoth. 1. 5. & in multis itineribus ei comes, 2 Timoth. 3. 10. ¶ Υἱὸς γυναικός τινος Ἰουδαίας πιστῆς, *filius mulieris cujusdam Judææ fidelis*] Fœminæ ex illis quæ in Judæa primæ in Christum crediderant. Nomen ei *Eunice*, 2 Timoth. 1. 5. ¶ Πατρὸς δὲ Ἕλληνος *patre gentili*) Viri boni incircumcisi. Lex vetabat ex Judæis ducere extraneas Legi non subjectas: feminis autem Judæis non vetabat nubere extraneo pio, sicut Esther nupsit Assuero. Judæi multùm erant mulierosi.

2. Ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐν Λύστροις καὶ Ἰκονίῳ ἀδελφῶν, *Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant & Iconio fratres*] Bonæ vitæ testimonium habebat ab iis quibuscum vixerat. Id, quanquam in viro sibi noto, præire volebat Paulus, priusquam ei munus Euangelistæ mandaret, exemplum dans Episcopis, ne quid in Presbyterorum electione faciant suis affectibus ducti, sed sequantur normam.

3. Τοῦτον ἠθέλησεν ὁ Παῦλος σὺν αὐτῷ ἐξελθεῖν. *Hunc voluit Paulus secum proficisci*] Nempe in Macedoniam, ubi Timotheus & Silas propinquos quosdam habebant Judæos gente, fide Christianos, ex illis post Stephanum longè lateque dispersis. ¶ Καὶ λαβὼν περιέτεμεν αὐτὸν; *& assumens circumcidit eum*) Non fuerat circumcisus, quia, ut Thalmudici tradunt, non erat jus matri filium circumcidere patre invito: Patris enim potestas prævalebat. ¶ Διὰ τοὺς Ἰουδαίους τοὺς ὄντας ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις. *propter Judæos qui erant in illis locis*] In Macedonia quò ire volebat. Sperabat ipsius operâ multos ex Judæis nondum conversos ad Christum posse converti, quorum nonnulli rigidioribus illis sententiis occupati consuetudinem sermonemque ejus declinaturi fuerant, si scissent incircumcisum. Paulus circumcisionis & usum & omissionem ex temporum locorumque utilitate metiri noverat. Et in his rebus dijudicandis lumine fuit perfusus majore quàm alii Apostoli. ¶ ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες τὸν πατέρα αὐτοῦ ὅτι Ἕλλην ὑπῆρχεν. *sciebant enim omnes quòd Pater ejus erat gentilis*] Constructio Hebraïzans, qualem sæpe habuimus & proximè 15. 36. Cùm Græcum scirent parentem ejus fuisse, ipsum quoque suspicati essent religionis esse Græcanicæ. Manuscriptus simpliciùs habet, ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες ὅτι Ἕλλην ὁ πατὴρ αὐτοῦ ὑπῆρχε [*Sciebant enim omnes quòd Gentilis Pater ejus erat.*]

4. Παρεδίδουν αὐτοῖς, *tradebant eis*] De hac voce vide Matth. 15. 2. ¶ Φυλάσσειν τὰ δόγματα, *custodire dogmata*] *Decreta*. In Græco Danielis sæpe invenitur δόγμα pro *decreto regio*. Sic & Luc. 2. 1. infra 17. 7. Sumitur de *præceptis per Mosem datis* Eph. 2. 15. Colos. 2. 14. Apostolorum decreta erant quidem leniora quàm illa Mosis, & salutaria magis, quam quæ à Regibus solent proficisci, non minùs tamen obligantia. ¶ Τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ. *quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus in Jerusalem*] *Quæ constituta erant.* Sic κρίνειν sæpe sumitur, ut infra 20. 16. 1 Cor. 5. 3.

5. Καὶ ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ, *& abundabant numero*] [illegible] *multi fiunt numero.*

6. Δι-

6. *Διελθόντες δὲ τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν, Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem*] Hæ partes erant Asiæ minoris. ¶ *Κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ, vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum in Asia*] *A Spiritu Sancto*, id est, per afflatum. *τὸν λόγον* [*verbum*] id est *Euangelium κατ' ἐξοχὴν* [*per excellentiam*,] ut supra 8. 4. & 11. 19. in Asia, nempe minore. Erant provinciæ istæ vicinæ Bithynis & Pisidis, apud quos jam magnæ erant constitutæ ex Gentibus Ecclesiæ, unde facilè Euangelii cognitio per Asiam minorem spargi poterat.

7. *Ἐλθόντες κατὰ τὴν Μυσίαν ἐπείραζον κατὰ τὴν Βιθυνίαν πορεύεσθαι· Cum venissent autem in Mysiam tentabant ire in Bithyniam*] *Iter inire Bithyniam versus*, quæ & ipsa cum Mysia pars Asiæ minoris, regni Gog. In Manuscripto est *εἰς τὴν Βιθυνίαν* [*in Bithyniam.*]

8. *Κατέβησαν εἰς Τρωάδα. descenderunt Troadem*] Phrygiæ partem maritimam.

9. *Ὅραμα, visio*] חזון. ¶ *Ἀνήρ τις ἦν Μακεδὼν ἑστὼς, Vir Macedo quidam erat stans*] Angelus Macedoniam curans. Confer quæ sunt apud Danielem 10. 12, 13, 20, 21. ¶ *Βοήθησον ἡμῖν, adjuva nos*] Angelus curator Macedonum se Macedonibus accenset.

10. *Εὐθέως ἐζητήσαμεν ἐξελθεῖν εἰς τὴν Μακεδονίαν, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam*] Erat quidem Pauli jam ante consilium ire in Macedoniam, sed volebat eò ire longo ambitu, transeundo Bosphorum. ¶ *Συμβιβάζοντες, certi facti*] *Argumentum inde trahentes*: nempe ex illo viso nocturno.

11. *Εὐθυδρομήσαμεν εἰς Σαμοθράκην, recto cursu venimus Samothraciam*] Quæ insula non longè à Troade. Itaque à Samothrace Germanicus in Troada venit apud Tacitum Annalium 2, *εὐθυδρομεῖν* est *secundo vento navigare*, ut infra 21. 1. ¶ *Τῇ τε ἐπιούσῃ εἰς Νεάπολιν & sequenti die Neapolin*] Urbs est Edonidis partis Macedoniæ, in qua & Philippi. Sed Neapolis in ipso sinu Strymonico: introrsum Philippi. Vide Ptolemæum.

12. *Ἐκεῖθέν τε εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐςὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις κολώνια. Et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas colonia*] Ita hæc legenda, nec interstinguendum inter *πόλις* [*civitas.*] & *κολώνια* [*colonia.*] Hoc enim dicit, *venienti à sinu Strymonico primam urbem quæ sit coloniæ esse Philippos.* Paulus colonias maximè sequebatur, quod ibi & plus esset hominum & gentes variæ. Celsus in L. Colonia. D. de Censibus. *Colonia Philippensis juris Italici est.* Ulpianus in L. in Lusitania eod. titulo, *In Provincia Macedonia Dyrrachenì, Cassandrenses, Philippenses, Dienses, Stobenses juris Italici sunt.*

13. *Ἐξήλθομεν ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. egressi sumus foras portam juxta flumen ubi videbatur oratio esse*] Juvenalis.

> *Ede ubi consistas: in qua te quæro proseucha.*

ubi Scholiastes, *locus Judæorum in quo orant.* Philo Synagogas vocat *προσευχὰς*, quia in illis & legebatur Lex & orabatur. Sed etiam quibus in locis Synagogæ non erant, putà ob exiguum Judæorum numerum, aut quòd Magistratus non permitterent, habebant Judæi loca orationibus destinata, procul à turba, & maximè ad amnes aut mare. Vide infra 21. 5. Philippis non fuisse Synagogam colligimus & infra 17. 1.

14. *Ὀνόματι Λυδία. nomine Lydia*] Ita dicta à solo natali: nam Thyatira, unde hæc erat, Lydiæ adscribit Stephanus. Fœminæ è Lydia vestium textu nobiles. ¶ *Πορφυρόπωλις, Purpuraria*] In Glossis, *πορφυροπώλης, purpurarius.* ¶ *Ἧς ὁ Κύριος διήνοιξε καρδίαν, cujus Dominus aperuit cor*] Activæ voces interdum sic sumuntur, ut tacitè includant effectum, quanquam is effectus aliquatenus in humana est potestate. *Aperuit Deus*, illâ sinente aperiri, imò etiam aperiente suo modo, ut apparet Apoc. 3. 20. Sic *trahi* dicitur qui trahentem volens sequitur. Sic *dari* id quod accipitur. Vide quæ diximus ad Joh. 6. 37, 44. ¶ *Προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ Παύλου. intendere iis quæ dicebantur à Paulo*] *Ut fidem haberet Pauli dictis.* Est *μετωνυμία* [*Transnominatio.*] Nam *τὸ προσέχειν* [*intendere*] causâ credendi.

15. *Ὡς δὲ ἐβαπτίσθη, Cùm autem baptizata esset*] Vide supra 8. 12. ¶ *Εἰ κεκρίκατέ με πιςὴν τῷ Κυρίῳ εἶναι, Si judicastis me fidelem Domino esse*] *Si me putatis ex animo credere quod profiteor.* ¶ *Καὶ παρεβιάσατο ἡμᾶς. Et coëgit nos*] Habes hoc verbum, eodem sensu apud hunc ipsum scriptorem, Euangelio 24. 29.

16. *Πορευομένων ἡμῶν εἰς προσευχὴν, euntibus nobis ad orationem*] Illam de qua supra 13. ¶ *Ἔχουσαν πνεῦμα Πύθωνος, habentem Spiritum Pythonis*] Plutarchus de defectu oraculorum, *Ὥσπερ τοὺς ἐγγαστριμύθους Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας προσαγορευομένους* [*Ut ventriloquos, quos olim Eurycleas, nunc Pythones vocant.*] LXX Interpretes ubi in Hebræo nominantur אובות ab אוב quod est *uter*, vertunt, *ἐγγαστριμύθους* Latinus *Pythones.* Horum nominum eadem significatio, quam explicat Galenus in Glossis Hippocratis, *Ἐγγαστρίμυθοι οἱ κεκλεισμένου τοῦ σώματος φθεγγόμενοι, διὰ τὸ δοκεῖν ἐκ τῆς γαστρὸς φθέγγεσθαι* [*Ventriloqui, qui clauso ore loquuntur, quod è ventre loqui videantur.*] Aristophanes Vespis,

> Μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
> Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι.
> [*Simulque fatidici morem Euryclis mentemque imitatus,*
> *Aliena in pectora se insinuans diffudit comica multa.*]

Ubi Scholiastes ad illud *Εὐρυκλέους*, *Οὗτος ὡς ἐγγαστρίμυθος λέγεται Ἀθήνησι τ' ἀληθῆ μαντευόμενος διὰ τοῦ ἐνυπάρχοντος αὐτῷ δαίμονος* [*Euryclis. Hunc tanquam ventriloquum Athenis vera vaticinatum ferunt Dæmonis ope qui ei inerat.*] Deinde, *Ἐγγαστρῖται δὲ καὶ εὐρυκλεῖται ἐκαλοῦντο ἐντεῦθεν πάντες οἱ μαντευόμενοι, ἀπὸ Εὐρυκλέους, πρῶτον τοῦτο ποιήσαντος* [*Hinc ventriloqui & Euryclitæ dicti vates omnes, ab Eurycle primo ejus rei auctore.*] Pytho est urbs Delphorum ut ad Lucanum diximus. Qui ibi vaticinabantur vocabantur *πύθωνες* [*Pythones*,] *πυθόληπτοι* [*Pythonem habentes*] *πυθομάντεις* [*Pythonis vates.*] inde vox serpsit ad similia facientes. Manuscriptus tamen *πνεῦμα πύθωνα* [*spiritum Pythonem*,] quod non probem. ¶ *Ἥτις ἐργασίαν πολλὴν παρεῖχε τοῖς κυρίοις, quæ quæstum magnum præstabat dominis*] *Ἐργασία* propriè *opificium*, per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem*] *quæstus omnis*, ut infra 19.

17. *Λέγουσα, Οὗτοι οἱ ἄνθρωποι, δοῦλοι τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσὶν, οἵτινες καταγγέλλουσιν ὑμῖν ὁδὸν σωτηρίας dicens, Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis*] Vide similem historiam Marci 5. 7.

> *Malus bonum cùm simulat, tum est pessimus.*

18. *Διαπονηθεὶς δὲ ὁ Παῦλος, dolens autem Paulus*] Nolens testem sibi spiritum mendacem. ¶ *Παραγγέλλω σοι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριςοῦ ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς. Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea*] Utens jure dato, Marci 16. 17.

19. *Ἰδόντες δὲ οἱ κύριοι αὐτῆς, Videntes autem domini ejus*] Possunt unius plures esse domini, non tamen in solidum. ¶ *Εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν, perduxerunt in forum*] *Obtorto collo*, ut loquuntur Latini. ¶ *Ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας ad Principes*] *Ad duumviros coloniæ*, quos jam dicet *ςρατηγοὺς* [*Magistratus*] honoratiori vocabulo, sicut Capuæ duumviri *Prætores* se dici volebant. Pari modo supra qui erat *Proprætor* dictus est *ἀνθύπατος* [*Proconsul.*] Sic Decuriones, *Senatores.*

21. *Καταγγέλλουσιν ἔθη ἃ οὐκ ἔξεςιν ἡμῖν παραδέχεσθαι οὐδὲ ποιεῖν Ῥωμαίοις οὖσι. annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere neque facere, cùm simus Romani*] Cicero de legibus 2. *Suos deos, aut novos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum.* Tertullianus *vetus* ait *decretum fuisse, ne quis deus consecraretur, nisi à Senatu probatus.* Mæcenas ad Augustum, narrante Dione Cassio, *Τὸ μὲν θεῖον, πάντη πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε· τοὺς δὲ ξενίζοντας τί περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ' ἄλλου ἄν τινος προτιμήσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν· κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίαι, καὶ συςάσεις, ἑταιρίαι τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιςα μοναρχίᾳ συμφέρει* [*Divinum Numen prorsus & tu consueto more cole, & alios colere coge: & qui quid hac in re innovant, hos & odio habe & supplicio affice; non solum deorum ergo, quos qui contemnet, is nec hominis cujusquam rationem ullam habiturus sit, verùm eò quoque, quòd isti, dum novos deos in antiquorum locum subdunt, multis quò externis legibus vivant, auctores sunt. Atque hinc & conjurationes, & coitiones, & factiones oriuntur, quæ in Monarchiâ esse minimè expediat.*]

22. *Καὶ οἱ ςρατηγοὶ περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια ἐκέλευον ῥαβδίζειν, & Magistratus scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi*] Sic & Dionysius Halicarnassensis, *Τοῖς ῥαβδούχοις ἐκέλευσαν τὴν ἐσθῆτά τε περικαταῤῥῆξαι καὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ σῶμα ξαίνειν* [*Lictoribus demandabant & vestem discindere & corpus virgis cædere.*] Pro quo Livius libro 2. *Consules spoliari hominem & virgas expediri jubent.* Eodem modo loquitur idem Livius libro 7. pro eodem dixit Plutarchus in Cicerone

ἐσθῆ-

διαῤῥῆξαι χιτωνίσκον [*vestem scindere.*] in Publicola περιῤῥηγνύουσι τὰ ἱμάτια: in Camillo καταῤῥηγνύουσι τὰ ἱμάτια: in Mario περιῤῥῆξαι τὸν χιτωνίσκον. Valerius alibi ait, *nudari jussit*: alibi addit, *veste scissa spoliataque corpore.* Cicero septima Verrina *Hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari & virgas expediri jubet.* Seneca in controversiis ut verba legitima refert, *Summove lictor, despolia, verbera.* In historia de beato Apollinari, *Exuite eum & cadentes dicite.* &c. Livius 26. *lacerantibus vestem lictoribus.* Seneca de Ira 1. 16. lictorem describit vestimenta scindentem. Tacitus Historiarum 4. de Herennio, *Protractum è tentorio scissa veste, lacerato corpore.*

23. Τῷ δεσμοφύλακι, *custodi*] Paulus Jurisconsultus *carceri præpositum* appellat L. carceri. D. de custodia reorum: *optionem carceris* Ambrosius. *Commentariensem* vocat L. de his. C. de custodia reorum: & Græci ex Latino κομμενταρήσιον [*commentariensem*] in Novella Justiniani 13. & in edicto 13. Hunc commentariensem dictum fuisse *Stephanam*, & eundem esse cujus Paulus meminit 1 Corint. 1. 16. & 16. 15, 17. putant Græci ad hunc locum.

24. Ὃς παραγγελίαν τοιαύτην εἰληφὼς, *Qui cùm tale præceptum accepisset*] *Præceptum*: nam παραγγέλλειν inter alia *præcipere*, Matth. 10. 5. & alibi sæpe. ¶ Εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακὴν, *in interiorem carcerem*] Augustinus ad Johannem, *Alii mittuntur in carcerem, & in ipso carcere non omnes, sed pro meritis causarum in imo carceris detruduntur.* *Sedis intima tenebras* dixit L. 1. C. de custodia reorum. ¶ Καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον. *& pedes eorum strinxit ligno*] Scholiastes ad nebulas Aristophanis, εἶδος δεσμωτηρίου τὸ ξύλον, ἣν ποδοκάκην λέγουσι καὶ ποδοστράβην [*erat lignum ea custodiæ custodia species, quam ποδοκάκην & ποδοστράβην vocant.*] Fuit tamen discriminis aliquid inter ξύλον [*lignum*] & ποδοκάκην: nam in veteri lege Attica habemus, δησάντων ἐν τῷ ξύλῳ οἱ ἕνδεκα ἢ ἐν τῇ ποδοκάκῃ [*vinciant undecimviri in ligno aut podocacâ.*] Puto ποδοκάκην esse quas *ligneas soleas* appellat Cicero: ξύλον autem quod *ligneam custodiam* appellat Plautus. In L. Si hominem. D. depositi, legimus *vinctum vel ad malam mansionem extensum.* Hic Græci Scholiastæ *malam mansionem* exponunt, ξύλον εἰς ὃ ἐμβάλλουσι τοὺς πόδας [*lignum cui pedes induunt.*] Eusebius dixit τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν [*distensiones pedum in lignea custodia.*] quod Prudentius,

> *Lignoque plantas inserit*
> *Divaricatis cruribus.*

Lucianus, τὰ μέλη ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα, [*membra in ligneam custodiam conclusa.*] Jobi 33. 11. ubi in Græco, ἔθετο δὲ ἐν ξύλῳ μου τὸν πόδα. [*posuit in ligno pedem meum*, in Hebræo est סד, quod ejusdem libri 13. 27. alii κώλυμα, [*impedimentum*] vertunt, alii ταλαιπωρίαν [*miseriam*, alii ξύλον εἱρκτῆς [*lignum carceris*,] alii ξυλοπέδην [*pedicam ligneam*, Chaldæis סדא aut סד est *cippus*. Quod apud Cedrenum est κακουχία, id latiùs patet & omnia carceris incommoda complectitur. ἠσφαλίσατο hic est *custodiit*: μετωνυμία [*Transnominatio.*] custodia enim securos nos facit.

25. Κατὰ δὲ τὸ μεσονύκτιον, *Mediâ autem nocte*] Quod Varro dixit *noctis meridiem* audaci translatione. ¶ Ὕμνουν τὸν Θεόν *laudabant Deum*] *Laudes Deo canebant*, & gratias agebant pro honore sibi habito, in eo quod pro Christo pati possent. Supra 5. 41.

26. Ἄφνω δὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, *Subitò verò terræ motus est magnus*] Signum secuturæ rei magnæ, ut Matth. 28. 2. ¶ Ὥστε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια, τοῦ δεσμωτηρίου, *ita ut moverentur fundamenta carceris*] Simile loquendi genus Psalm. 19. 8. & 82. 5. Esaiæ 24. 18. ¶ Ἀνεῴχθησάν τε παραχρῆμα αἱ θύραι, *& statim apertæ sunt ostia*] Ut supra 12. 9. ¶ Καὶ πάντων τὰ δεσμὰ ἀνέθη. *& universorum vincula soluta sunt*] Non uni, ut supra 12. 7. sed vinctis omnibus, ut scirent Apostolos & sibi & aliis esse utiles, & per eos solvi animorum vincula.

27. Σπασάμενος μάχαιραν ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν, *evaginatô gladiò volebat se interficere*] Metu gravioris supplicii. Solebant enim commentarienses, si effugissent vincti, eandem pati pœnam quam vincti passuri fuerant, L. ad commentariensem. C. de custodia reorum. αὐτοχειρία [*interfectio sui ipsius*] autem frequens Græcis & Romanis, neque improbata aut Stoïcis aut Epicureis, ne Platonicis quidem & Aristotelicis, omnimodo & sine exceptione. Σπᾶν μάχαιραν, est *gladium de vagina educere.* Numer. 22. 23, 31. Jos. 5. 13. Jud. 8. 20. & 9. 54. & 20. 2, 15. & 25. 35. 1 Sam. 31. 4. 2 Sam. 24. 9. 2 Regum 3. 26. Ezech. 21. 28. & 26. 15. Psalm. 37. 14. 1 Paral. 10. 4. & 21. 5, 16. plena locutio est 1 Sam. 17. 51. Dixit & Aristophanes, ξίφος γ' ἐσπάσω [*eduxit enim ensem.*] Et Strabo 14. ἐσπασμένος τὸ ξίφος [*gladium cùm evaginasset.*]

28. Μηδὲν πράξῃς σεαυτῷ κακόν. *Nihil tibi mali feceris*] Inter Hebræos quæstionem fuisse dubiam, An se interficere liceret, diximus libro 2 de Jure Belli ac Pacis cap. 19. 5. Christiani majoris patientiæ debitores, & exempla Christi Apostolorumque ejus habentes ob oculos, pro certo semper habuere potiùs quamvis mortem exspectandam, quàm sponte sumendam, nisi quod de mulieribus, quarum pudor periclitatur, nonnihil dubitatum est. Justinus Apologetico 1, Εἰ οὖν πάντες ἑαυτοὺς φονεύσομεν, τοῦ μὴ γεννηθῆναί τινα καὶ μαθητευθῆναι εἰς τὰ θεῖα διδάγματα, ἢ καὶ μὴ εἶναι τὸ ἀνθρώπειον γένος, ὅσον ἐφ' ἡμῖν αἴτιοι ἐσόμεθα· ἐναντίον τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ καὶ αὐτοὶ ποιοῦντες ἐὰν τοῦτο πράξωμεν [*Quamobrem si ipsi nos occidemus cuncti, efficiemus, quantum quidem in nobis erit, ne quis nascatur, neve se in divinam disciplinam det, atque adeo ne sit humanum genus: quod si faciemus, consilio Dei ipsi quoque adversabimur*] Clemens Strom 4. Λέγομεν δὲ καὶ ἡμεῖς τοὺς ἐπιπηδήσαντες τῷ θανάτῳ· εἰσὶ γάρ τινες οὐχ ἡμέτεροι, μόνου τοῦ ὀνόματος κοινωνοί, οἱ δὴ αὐτοὺς παραδιδόντες σπεύδουσι. τῇ πρὸς τὸν δημιουργὸν ἀπεχθείᾳ, οἱ ἄθλιοι θανατῶντες· τούτους ἐξάγειν ἑαυτοὺς ἀμαρτύρους λέγομεν, κἂν δημοσίᾳ κολάζωνται· οὐ γὰρ τὸν χαρακτῆρα σώζουσι τοῦ μαρτυρίου τοῦ πιστοῦ, τὸν ὄντως θεὸν μὴ γνωρίσαντες, θανάτῳ δὲ ἑαυτοὺς ἀποδιδόασι κενῷ, καθάπερ καὶ οἱ τῶν Ἰνδῶν Γυμνοσοφισταὶ ματαίῳ πυρί [*Dicimus autem & nos, qui in mortem insiliere (sunt enim nonnulli non nostri, nomine tantum eodem, qui ipsi se properant tradere, suo in Creatorem odio, miseri, cupientes mori) hos e nos vita se, dicimus, absque martyrio subducere, etsi publice puniantur. Neque enim fidelis martyrii servant characterem, cum verum Deum ignorent, & vanam se in mortem dant, ut inanem in ignem Indorum Gymnosophistæ.*]

29. Αἰτήσας δὲ φῶτα, *Petitoque lumine*] *Plures lucernas.* φῶτα [*lumina*] in plurali usurpant Hellenistæ, ut Psalm. 136. 7. Hinc dies φώτων [*luminum,*] qui & ἐγκαινίων. Encæniarum ¶ Προσέπεσε τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Σίλᾳ. *procidit Paulo & Silæ ad pedes*] Mos hic ab Oriente in Macedoniam venerat cum aliis multis, ab Alexandri Magni temporibus. Vide Marci 3. 11. & 5. 33. & 7. 25. Lucæ 5. 8. & 8. 28, 47.

30. Καὶ προαγαγὼν αὐτοὺς ἔξω, *Et producens eos foras*] In locum aliquem carceris sub dio positum, ut liberiùs respirarent. *Vestibula carcerum & salubria loca* dixit L. 1. C. de custodia reorum. ¶ Κύριοι, *Domini*] Dominos vocare eos quos honorare velimus, receptum tum erat & apud Græcos & apud Romanos. Testis Martialis & alii. ¶ Τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ; *quid me oportet facere ut salvus fiam?*] Spem aliquam vitæ melioris ex antiqua traditione, aut ex Philosophorum doctrina acceperat.

31. Πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, *Crede in Dominum Jesum Christum*] Nempe ea fide, quæ ad obedientiam flectat animum. Sæpe enim generis nomina pro specie quadam eximia ponuntur. ¶ Καὶ σωθήσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου. *& salvus eris tu & domus tua*] *Vives*, hic Syrus: id est, *pervenies sic ad eam vitam quam expetis.*

33. Καὶ παραλαβὼν αὐτοὺς, *Et tollens eos*] Adductos ad κολυμβήθραν [*piscinam*] aliquam, quæ erat intra septa carceris. ¶ Ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν *lavit plagas eorum*] Abluit sanguinem virgis excitatum. ¶ Καὶ οἱ αὐτοῦ πάντες, *& omnis domus ejus*] Manuscriptus, Καὶ οἱ οἰκεῖοι αὐτοῦ πάντες [*Et domestici ejus omnes.*] ¶ Παραχρῆμα. *continuò*] Similia exempla dati sine mora Baptismi habemus supra 8. 38. & 10. 47. & 16 15.

34. Ἀναγαγών τε αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, *Cumque perduxisset eos in domum suam*] *In domum suam*] vicinam carceri, ut solent esse domus commentariensium. ¶ Παρέθηκε τράπεζαν, *apposuit mensam*] Παρατιθέναι [*apponere*] propriè dicitur de convivatore, Lucæ 10. 8. & 11. 6. 1 Cor. 10. 27. Cicero ad Atticum: *Hæc ad te scripsi appositâ mensâ secundâ.* Idem alibi dixit *apponere in vasis fictilibus: apponere quod satis est.* Helena Paridi,

> —*Appositâ quæ nunc facis improbe mensâ.*

Ἠγαλλιάσατο πανοικὶ πεπιστευκὼς τῷ Θεῷ. *lætatus est cum omni domo sua credens Deo*] Participium hic causam reddit. Ideo gavisus est quòd non ipse tantùm, sed & tota ejus familia tanta luce perfusa esset.

35. Οἱ στρατηγοὶ, *Magistratus*] De quibus supra vers. 19, 20, 22. ¶ Τοὺς ῥαβδούχους, *lictores*] Censeam in versione retinendam vocem *rabduchi.* Quanquam enim & Plutarchus & glossaria *lictores* Græcè ῥαβδούχους [*rabduchos*] vocant, ipsa tamen vox Græca quosvis *Magistratuum ministros* significat,

 quod

quòd bacillum, qui Græcè ῥάβδος dicitur, in ministerii sui signum gestarent. ¶ Λέγοντες. Ἀπόλυσον τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνους, *dicentes, Dimitte homines illos*] Subierat duumviros pœnitentia, quod in plebis commotæ gratiam, indictâ causâ, cædi jussissent homines advenas contra morem Romanum. Paulum autem jus habuisse civitatis Romanæ nondum videntur scisse.

37. Δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ, *Cæsos nos publicè*] Dicuntur Duumviri fecisse quod fieri jusserant. Et multum auget injuriam, quòd facta erat in publico. Vide L. Prætor in fine D. de injuriis. ¶ Ἀκατακρίτους, *indemnatos*] Contra jus Gentium & Romanorum. De jure Gentium audi Hesiodum,

> Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.
> [*Ni prius audieris ambos, ne judicium fer.*]

& Senecam Medeâ,

> *Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,*
> *Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.*

De jure Romano testis Cicero, *Causâ cognitâ possunt multi absolvi, incognitâ nemo condemnari potest:* & Tacitus Historiarum 1, *Inauditi atque indefensi tanquam innocentes perierant:* & Historiarum 3, *Quamvis invisum & nocentem, more tamen audiendum.* Testis & Tertullianus peritus sanè Romani juris Apologetico, *Inauditum si damnant, invidiam iniquitatis merebuntur.* Idem adversus nationes, *Quando non licet indefensos & inauditos omnino damnari.* Apulejus 9. Milesiarum, *Nec ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus.* Salvianus fine libri 8, *Sed in urbe illa non tam hominum fuerunt hæc beneficia, quàm legum: interfici enim indemnatum quemcunque hominem, etiam 12. tabularum decreta vetuerunt.* ¶ Ἀνθρώπους Ῥωμαίους ὑπάρχοντας, *homines Romanos*] Est Synecdoche, qualis Matth. 27. 44. Nam jus civitatis Romanæ solus habebat Paulus, ut videbimus infra 22. 25. Civem Romanum omnino virgis cædere non licebat per leges Porcias & Sempronias, quantò minus causâ indictâ? Notat Paulus ad innocentiæ & causæ bonæ præsidium etiam legibus uti ¶ Οὐ γὰρ, *Non ita*] Ἀποσιώπησις] *Reticentia.*] *Non enim ita agi rectum est.* ¶ Ἡμᾶς ἐξαγαγέτωσαν, *nos ejiciant*] Tanquam innoxios. Sic Magistratus Apulejum solatum veniunt, Milesiarum 3.

38. Καὶ ἐφοβήθησαν ἀκούσαντες ὅτι Ῥωμαῖοί εἰσι *timueruntque auditô quod Romani essent*] Simile vide infra 22. 29. Metuebent Majestatis crimen, quod Verri minatur Cicero circa finem Verrinæ ultimæ. Ita enim constituerant Leges, ut in cive Romano læso, ipsa Populi Romani Majestas læsa crederetur.

39. Παρεκάλεσαν αὐτοὺς, *deprecati sunt eos*] *Consolati sunt eos*, dicentes, indignos eos esse eâ, quam accepissent. injuriâ. Vide Terentium Adelphis Act. 2, Sc. 1. ¶ Ἠρώτων ἐξελθεῖν ἐκ τῆς πόλεως. *rogabant ut egrederentur de urbe*] Hoc obtentu, ne quid triste ab irata plebe paterentur.

40. Εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν *introierunt ad Lydiam*] Id est, *in Lydiæ domum.* Sic in Comœdiis, *Eamus ad me.* ¶ Παρεκάλεσαν αὐτοὺς, *consolati sunt eos*] Hortati eos sunt ut in fide constantes manerent, quanquam se abeuntibus. Καὶ ἐξῆλθον, *& profecti sunt*] Nempe tum ne periculis se ingererent non necessariis, tum quia Macedonia, quam ipsis Deus commendaverat latius patebat.

PRICÆUS.

Com. 2. ὋΣ ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ, &c.] Vide suprà ad 10. 22. notata.

Com. 10. Ὡς δὲ τὸ ὅραμα εἶδεν, εὐθέως ἐζητήσαμεν ἐξελθεῖν, &c.] Simile obsequium suprà 10. 29. vide.

Com. 11. Εὐθυδρομήσαμεν] *Recto cursu devenimus.* Philo in Flaccum, Ἐμπειρότατοι κυβερνῆται, &c. ἀπλανῆ παρέχοντες τὸν ἐπ' εὐθείας δρόμον. Servius ad Æneid. 6. *Navigatio non ab diverticulo sed ab intentione nomen accipit.*

Ibid. Τῇ τε ἐπιούσῃ, &c.] Subaudi ἡμέρᾳ. Sic & 20. 15. & 21. 18. Herodianus lib. 2. τῇ δὲ ἐπιούσῃ κατελθὼν ἐπὶ τὴν σύγκλητον.

Com. 12. Τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας] Id est forsan, τῆς Μακεδονίας. Sic Galat. 1. 21. εἰς τὰ κλίματα τῆς Συρίας, &c. pro, εἰς Συρίαν. Vide & Matth. 2. 22. & 15. 21. & 16. 13.

Com. 13. Ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν, οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι] Philo in Contra Flaccum, de Alexandrinis Hebræis, Διὰ πυλῶν ἐκχυθέντες ἐπὶ τὰς πλησίον αἰγιαλὰς, τὰς γὰρ προσευχὰς ἀφῄρηντο. Οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι, *ubi solebant preces fieri.* Plutarchus in Apophtheg. Reg. Τιμόθεος εὐτυχὴς ἐνομίζετο στρατηγὸς εἶναι. Et ut de re in loco facta, non ipso loco, accipiam, faciunt quæ infrà 16. sequuntur, ἡμῶν εἰς προσευχὴν πορευομένων. Onomast. vetus, *Usitor*, νομίζομαι. Aristophanes Pluto.

> Αὐτὸν τ' ἄγων τὸν Πλοῦτον, ὡς νομίζεται

Eunapius in Ædesio, Καὶ προσεκύνησεν αὐτὸν, ὥσπερ νομίζουσι Ῥωμαῖοι βασιλέα προσκυνεῖν.

Com. 14. Πορφυρόπωλις] Ex Isæo Suidas, Ἁλουργοπωλική, πορφυροπωλικὴ λεγομένη. Sic citato jam Onomast. *Piscaria*, ἰχθυόπωλις.

Com. 15. Εἰ κεκρίκατέ με πιστὴν] Sic Paulus 1. 12. ad Timoth. πιστόν ἡγήσατο dixit, & 11. 11. Scriptor ad Hebræos. Εἰ hic non verterim ut vulgò, sed *siquidem*, vel *quandoquidem*: nec alio sensu eam particulam Gal. 5. 25. 1 Pet. 1. 17. alibique existimem poni. Cicero 5. 14. ad Atticum, *Tu velim, si me nihilo minus nôsti curiosum in Republica quàm te, scribas ad me omnia, &c.* Cassius (in Ejusdem famil. epist.) ad Eundem 12. 253. *A te peto ut dignitatem meam tibi commendatam habeas, si me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegasse:* & pòst, *Milites tuere, si eos mirifice de Republica meritos esse animadvertis.* Virgil. 5.

> *Si concessa peto* ——

Ubi Servius, *Siquidem, nam modo SI confirmantis est.* Sic *si* pro *siquidem*, annotante eodem Servio ad Georg. 1. & 11. Æneid.

Ibid. Καὶ παρεβιάσατο ἡμᾶς] Quid sit hoc argumento παραβιάζεσθαι, & quam vim habeat, ex uno & altero loco Apuleii monstrabimus. Lib. 2. *Magnopere mecum Byrhena contendit apud eam cœnula interessem, & cùm impendio excusarem, negavit veniam.* Lib. 3. *Hospes meus Milo per hodiernò Dei præsentissimum numen adjurans, effecit ut hodierna ejus cœna pignorarer; nec ipse discedit, nec me digredi patitur:* plane ut 2 Reg. 4. 8. ἐκράτησεν αὐτὸν φαγεῖν ἄρτον. Vocem παραβιάζεσθαι hoc eodem sensu habemus & in Euang. 24. 29. & 1 Sam. 28. 23. pro quo Genes. 19. 3. & 2 Reg. 2. 17. καταβιάζεσθαι & Euang. 14. 23. ἀναγκάζειν.

Com. 16. Ἥτις ἐργασίαν πολλὴν παρεῖχε τοῖς κυρίοις αὐτῆς] Apuleius 10. *Nam tanta ibidem fama de me pervaserat, ut non mediocri quæstui præposito illi meo fuerim.*

Ibid. Μαντευομένη] Idem 9. *Ad istum modum divinationis astu captioso contraxerant non parvas pecunias.*

Com. 19. Ὅτι ἐξῆλθεν ἡ ἐλπὶς τῆς ἐργασίας αὐτῶν] Ἐργασία laxè quodvis genus quæstûs: sic δανειστικὴ ἐργασία apud Theophrastum in Charact. Ἐξῆλθεν non invenustè Vetus *exisse* vertit: at hic prætulerim Recentiorem, qui *abiisse*: sic è converso ἀπῆλθεν pro ἐξῆλθεν Matth. 4. 24. ubi dicta vide.

Ibid. Εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν) Sic εἰς τὴν ἀγορὰν ἕλκειν Arrianus 1. 29. in Epictetum. Addit hic Lucas, ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας. Sic infrà 17. 6. ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας σύρειν. In Acharn. Aristophanis est, ἐς τὸ βουλευτήριον εἰσέλκειν. Apud Eundem in Ranis, προσκαλούμενος. Ubi Scholia, Εἰς δικαστήριον ἕλκων κατηγορῶν.

Com. 20. Ἐκταράσσουσιν ἡμῶν τὴν πόλιν] Pacem ac quietem civitatis, stabilitas leges: quod infrà 17. 5. θορυβεῖν τὴν πόλιν. Aristoph. Equit. Βορβοροτάραξις Scholiastes, Ταραχώδης ὅστις ταράττων ἡμῶν τὴν πόλιν, ὡς βόρβορον· θορύβου πληρώσας τὴν πόλιν. Vide & 6. 32. Pollucis Onomasticon.

Com. 21. Καὶ καταγγέλλουσιν ἔθη ἃ οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν παραδέχεσθαι Ῥωμαίοις οὖσι] Servius ad Æneid. 8. *Cautum fuerat & apud Athenienses & apud Romanos, nè quis novas introduceret religiones: unde & Socrates damnatus est, & Chaldæi vel Judæi Urbe depulsi.* Vide l. 30. §. Si quis *de Pæn.* Paulum Recept. Sent. 5. 21.

Com. 22. Περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια, ἐκέλευον ῥαβδίζειν.] In voce αὐτῶν Erasmus parùm oculatè vidit: quid solennius enim quàm ut ῥαβδισμὸς, aut alia verberationis species, τὴν τῶν ἱματίων περίῤῥηξιν sequatur? Videantur quæ summæ eruditionis Vir P. Faber Semestr. 2. 10. & quæ nuper ad hunc ipsum locum] Vir maximus H. Grotius. Adde hunc locum Gellii 1. 26. *Tunicam detrahi jussit, cædique loro:* & istum Plutarchi libello de Mul. virt. Οὐ βουλομένης δὲ τὸ χιτώνιον περιῤῥήξας, γυμνὴν ἐμαστίγου· necnon Herodiani istum, Περιῤῥήξαντες ἃς εἶχον περὶ τοῖς σώμασιν ἐσθῆτας, &c. γυμνοὺς τῆς βασιλείου αὐλῆς ἐξέλκουσι, παίοντές τε καὶ ἀποσκώπτοντες τοὺς ἀπὸ συγκλήτου βουλῆς. Ἐσθῆτά τινος περιῤῥηγνύειν, habemus itidem simili sensu lib. 77. apud Diodorum Siculum. Com.

Com. 23. Ἐπιθέντες αὐτοῖς πληγὰς] Sic Euang. 10. 30. & Apocal. 22. 18.

Ibid. Ἀσφαλῶς τηρεῖν αὐτούς] Hesychius Καθείργεται, ἠσφάλισται. Plutarchus in de Mul. virtut. *ἰσχυρῶς φυλάττειν* dixit.

Com. 24. Εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακὴν] Livius lib. 34. *Pleminius in inferiorem deductus carcerem est, necatúsque*: quod in Joannem Augustinus *carceris imum* vocat: alias in Livio legendum *interiorem* putassem.

Ibid. Καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον] Accepto scilicet mandato eos tutò asservandi, supra com. 23. *Diligens custodia etiam vincire permittit.* l. 1. §. 7. ff. De fugit. Aristophanes Equit.

> *Ἐν τῷ ξύλῳ δήσω σε.* ———

Apud Scholiasten ejusd. in Ranas, *δεσμεύεσθαι ἐν τῷ ξύλῳ.* Pollux 8. 7. *εἰρχθῆναι ἐν ξύλῳ.* Themist. 2 Orat. Οὐδὲ ὅτε τῷ ξύλῳ ἦν, οὐδὲν ἀγεννὲς ἢ ταπεινὸν ἔπραξεν ἢ εἶπεν. Juvenalis,

> —— *Dabit in laqueum vestigia noster*
> *Perfidus.* ———

Numella, quod hîc recentior, non adeò probatur mihi: meliùs meo animo Hieronymus, qui *in nervum*. Cyprianus 34. Epist. *Quamvis ligati pedes in nervo essent.* Tertullianus, *Nil crus sentit in nervo cùm animus in cœlo est.* Ab ἀσφαλίζεσθαι forsan decurtatè venit σφαλὸς, quod & ξύλον, ποδῶν δεσμωτήριον Hesychius exponit.

Ibid. Τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο, &c.] Hinc in 3 Maccabaico, τοὺς πόδας ἀλύτοις πέδαις κατησφαλισμένοι & pòst, Τὰς τῶν ταλαιπώρων ἐδέσμευον χεῖρας, τήν τε λοιπὴν ἀμηχανίαν τὸ περὶ αὐτοὺς ἀσφάλειαν.

Com. 25. Κατὰ δὲ τὸ μεσονύκτιον Παῦλος καὶ Σίλας προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν θεὸν]

> —— *Τιμαὶ δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῷ,*

apud Theocritum 17. legimus. Et nota hîc, κατὰ τὸ μεσονύκτιον. Hinc de sui ævi fidelibus Tertullianus, *Ità saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.*

Com. 26. Σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ὥστε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια τοῦ δεσμωτηρίου] Non carcer tantùm, sed & ipsa carceris fundamenta concussa: quæ emphasis notanda. Claudianus,

> ——— *Sedibus delubra moveri*
> *Adventum testata Dei* ———

Seneca Thyeste,

> *Lucus tremiscit, tota succusso solo*
> *Nutavit aula.* ———

Ovidius,

> *Adventúque suo signúmque forésque ferásque*
> *Marmoreúmque solum fastigiáque aurea movit.*

Philo enarrans illud Exod. 19. 19. τὸ ὄρος τὸ Σινᾶ ἐκαπνίζετο ὅλον· Ἔδει Θεοῦ δυνάμεως ἀφικνουμένης μηδὲν τῶν τοῦ κόσμου μερῶν ἡσυχάζειν, ἀλλὰ πάντα πρὸς ὑπηρεσίαν συγκεκινῆσθαι.

Ibid. Ἀνεῴχθησάν τε παραχρῆμα αἱ θύραι πᾶσαι] Aristides, ubi nugatur se ut iter pergeret à suo numine admonitum, Καὶ ἅμα ταῦτα αἵ τε θυρίδες πνεύματος ἐμπεσόντος ἀνεῴγνυντο, εὖ καὶ καλῶς ἐσφηνωμέναι ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν, αἵ τε θύραι παρέσχον ψόφον. Viator ille Apuleianus interventum Magæ describens, *Repentè impulsu majore quàm ut latrones crederes, januæ reserantur: imò verò fractis & evulsis funditus cardinibus prosternuntur.*

Ibid. Καὶ πάντων τὰ δεσμὰ ἀνέθη] Vide Ovidii locum suprà ad 12. 7. allatum.

Com. 27. Σπασάμενος μάχαιραν ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν, νομίζων ἐκπεφευγέναι τοὺς δεσμίους.]

> —— *Animo nunc huc nunc fluctuat illuc.*
> *An sese mucrone ob tantum dedecus amens*
> *Induat, & crudum per costas exigat ensem.*

Sciebat enim cujusmodi pœna culpam maneret suam. Vide suprà 12. 19. & l. 12. ff. De cust. reor. Pacatus Panegyrico, *Quis idcirco fameт occidere noluit ut occideretur? nisi verò vel levior manus aliena quàm propria; vel fœdior mors privatà quàm publica: vel longior pœna ferro incumbere, & corpore vulnus onerare, & recipere statim totum, quàm supplicium dividere, poplitem flectere, cervicem extendere ad plagam fortasse non unam.* Hujusmodi, ut verisimile est, commentariensis hîc reputans secum, se ferro transigere voluit. Similis planè hîc Petronii locus in de matrona Ephesina narratione, *Miles circumscriptus dum residet, & postero die vidit unam sine cadavere crucem, veritus supplicium, mulieri quid accidisset exponit: nec se exspectaturum Judicis sententiam, sed gladio jus dicturum ignaviæ suæ.* Σπασάμενος τὴν μάχαιραν, ut Lucas, etiam Plutarchus in Reg. & Impp Apophthegm. dixit: & σπασαμένη τὸ ξίφος: Idem in Parallelis, Ἐσπάσατο ξίφος, *strinxit*, est in vetere Glossario.

Com. 29. Αἰτήσας δὲ φῶτα, &c.] Idem in iisdem Parallelis, Οἰκοδεσπότης ὁ πατὴρ ᾔτει φῶς. Phædrus.

> *Dum quærunt lumen, dum concursat familia.*

Ibid. Ἔντρομος γενόμενος] Ut solent in re inopina metu perculsi.

Com. 33. Ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν] Achilles Tatius lib. 5. Αὐτὴν (Leucippen) παραδίδωσι θεραπαίναις κελεύσασα λοῦσαι. Præcesserat de eadem, τὰ νῶτα διαγεγραμμένα δεσμοῖς. Virgil.

> —— *Date vulnera lymphis*
> *Abluam.* ———

Idem,

> —— *Tyberini ad fluminis undam*
> *Vulnera siccabat lymphis.* ——

Ubi Servius, *Fluxus sanguinis aquarum frigore continetur.* Alibi Virgilius,

> *Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit est,*
> *Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem.*

Ovidius,

> ——— *Crudelia vulnera lymphis*
> *Abluere.* ———

Statius,

> *Vulnera de lymphis Epidaurius eluit Idmon.*

Apuleius 8. *Ac dehinc vulneribus medelas varias adhibere festinant: hic cruorem præterfluentis aqua rore diluere, &c.* Nonnunquam & calida huic usui parata, ut initio Iliad. Ξ. Pertinet ad sensum loci hujus Onomastici illud, *Exgrumare*, ἀποθρομβοῦν.

Com. 34. Ἀναγαγών τε αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, παρέθηκε τράπεζαν] Magna hîc mutatio, ex rigido intentóque custode hospitem & convivatorem fieri. Non hinc abludunt Eunapii Sardiani ista, Τὸν Μάξιμον ἀνῆκε τῶν δεσμῶν, ἐπιμέλειάν τε ἐποιήσατο τοῦ σώματος, καὶ ὁμοτράπεζον ἔθετο. Τράπεζαν παρατιθέναι etiam Plutarchus in Τυ. παραγγελ. & Conviv. 7. Sapient. dixit. Idem in Apophtheg. Lacon. παραθεῖναι δεῖπνον. Sic ἄριστον παρατιθέναι in Vespis Aristophanes: & δεῖπνον παρατίθεσθαι, Idem in Ecclesiaz.

Ibid. Ἠγαλλιάσατο πεπιστευκὼς τῷ Κυρίῳ] Philo in Flaccum, Πανοικὶ, αὐτῇ γυναικὶ καὶ τέκνοις συναναιρεθείς. Infrà 18. 8. Ἐπίστευσε τῷ Κυρίῳ σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ.

Com. 35. Οἱ στρατηγοί] Qui suprà com. 19. οἱ ἄρχοντες. Vulgatus benè utrobique *magistratus* vertit. Vide insignissimum Casaubonum ad Athenæum pag. 234. Vox prior Græca illa, eodémque sensu etiam nunc apud Siculos manet: Prætorem enim, sive Præfectum, Messenensis urbis *Stradigo* appellant.

Ibid. Τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνους] Ἐκείνους contemptim: ut in Euang. 14. 24 & 19. 27. Joh. 8. 10. & 7. 11. Quâ formâ & Latini. Plautus Trucul.

> ——— *Illinc ut inimici mei*
> *Bona istæc comedant?* ———

Virgilius, 3.

> —— *Hæc ILLA charybdis.*

Ubi Servius; *Hoc pronomine & in venerativa & in vituperativa significatione Veteres utebantur.* Adde quæ suprà ad 5. 28. dicta.

Ibid. Δείραντες ἡμᾶς] Δέρεσθαι, καὶ δέρειν, ἐπὶ τῦ τύπτεσθαι, Scholiastes ad Vesp. Aristophanis. Glossarium, Δέρω, τύπτω, *Castigo.*

Ibid. Ὀυ γὰρ] Vim magnam, magnam venustatem habet locutio ista: cui gemina Scipionis hæc apud A. Gellium, *Sed enim id jam non faciam*, 4. 18. Æneid. 2.

> ——— *Troja arserit igni?*
> *Non ita* ———

q. d. ὀ γὰρ, ut in Contextu nostro.

CAP. XVII.

VALLA.

4. DE *colentibus Gentilibusque multitudo magna*] *Colentibus* ponit Interpres pro *religiosis*, σεβομένων, & *Gentibus* pro *Græcis* Ἑλλήνων. Timet appellare Interpres *Græcos* hujusmodi homines, & haud dubiè frequentissimè accipiuntur per hoc nomen hi omnes qui cum Græcis in religione sentiebant. Unde Paulus ad Romanos scribens, quotiens *Græcos* nominat, Romanos quoque sub eo nomine intelligit, quæ ambæ nationes inter Gentes ab Hebræis numerabantur. Sed tamen aliter Græcè *gens*, aliter *Græcus* nominatur. Græci autem ipsi à sese *Hellenes* vocabantur, à Latinis *Graii* dicti, ut olim à semetipsis dicebantur, sicut lingua Latina semper à Græcis *Romana* appellabantur.

15. *Ut quàm celeriter venirent ad eum*] Nec Latinæ nec Græcæ elegantiæ, nè dicam etiam Græcæ veritati, respondet quoniam dicendum erat *quàm celerrimè*, ὡς τάχιςα. Illud autem magis ad Græcam veritatem quàm ad Latinam rationem dicit vers. 11. *Hi autem erant nobiliores eorum.* Quale est illud etiam apud Paulum 1 Cor. 13. 13. *Major horum est charitas:* cùm Latinè de pluribus quàm duobus dicatur *nobilissimus* & *maximus*, ut in alio opere disseruimus. Nè illud quidem satis Latinè dicitur,

21. *Ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere aut audire aliquid novi*] Quod ego transtulissem *nisi aut ad dicendum aut ad audiendum aliquid novi*, sive *aliquid recentius* καινότερον.

22, 23. *Quasi superstitiosos vos video. Præteriens enim & videns simulacra vestra*] Gr. *superstitiosiores*, δεισιδαιμονεςέρες. Nec *idola* est Græcè, quod nomen transferre solet Interpres *simulacra*, sed σεβάσματα, quod posset transferri *cultus*, sive *culturas*, sive *delubra*.

26. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*] Ego transtulissem *ad inhabitandam universam faciem terræ*. Non enim hoc dicit, quòd *fecit inhabitare genus hominum*, sed *fecit genus hominum ex uno, ad hoc ut terram inhabitaret*. Interpres abusus est infinitivo Græco, quod solet transferri in gerundium, quo Græci carent.

34. *In quibus & Dionysius Areopagita*] Etsi hoc ad institutum hujus operis non attinet, tamen non absurdum fuerit pauca dicere de Dionysio. Primùm mirari me imperitiam illorum qui hunc volunt fuisse Philosophiæ Professorem, ex hoc quòd dicatur *Areopagita*, quòd videlicet Areopagus fuerit locus ubi Philosophi legerent ac disputarent: cùm apud omnes ferè autores, non tantùm Græcos sed etiam Latinos, constet *Areopagum* fuisse locum judicandi, & *Areopagitas* ipsos Judices, quos Solon instituit; quales Romæ erant Centumviri. Ergò sic Dionysius erat *Areopagita* sicut Romæ aliquis *Centumvir*. Deinde, hunc tanquam summum Philosophum in morte Domini cùm obscuraretur Sol, dixisse, *Aut rerum natura patitur, aut mundi machina destruetur*; quasi Athenas usque pervenerit illa obscuritas, cujus nemo neque Græcus neque Latinus meminit; ut etiam Hieronymus probat. Nam quòd dicitur *tenebras fuisse per universam terram* Mat. 27. 45. sic dictum est sicut dicitur in libro Regum *facta fuisse fames per universam terram*, nempe *terram illam*: non enim de Media, Persia, India, Italia, Gallia, Germania, Hispania intelligebatur. Quemadmodum etiam Ambrosius in illo loco Lucæ 2. 1. *Exiit edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis*, vult accipi *universum orbem Romanum*, non autem *universum orbem terrarum*, cujus minor pars erat Romanorum. Addunt his aliam ineptiam, ut quasi non fuerit in vicinis civitatibus illa eclipsis quam volunt fuisse Athenis, faciunt Dionysium de ea scribentem literas ad alium. Denique hic Dionysius an aliquid scripserit incertum est, cujus neque Latini neque Græci meminerunt. At nè ipse quidem Gregorius indicat fuisse illum Areopagitam qui hos libros qui in manibus versantur scripserit, quorum autorem quidam nostræ ætatis eruditissimi Græci colligunt fuisse Apollinarem.

REVIUS in VALLAM.

21. NIsi *aut ad dicendum*] Erasmus putat hoc extenuare vitium Atheniensium, *quasi ad quæcunque nova audienda fuisset illis otium.* Sed quomodo hæc ambiguitas magis in gerundi forma quàm in infinitivo inveniatur fateor me non capere.

22. *Superstitiosiores*, δεισιδαιμονεςέρες] Opponunt Theologi εὐσέβειαν & δεισιδαιμονίαν, illam in virtute, hanc in vitio ponentes. Philo De sacrif. Abel, p. 90. Εὐσέβειαν μὲν ἐκλιπόντων, δεισιδαιμονίας δὲ, πρᾶγμα ἀδελφὸν ἀσεβείᾳ κατασκευαζόντων. & lib. Τὸ χεῖρον, &c. p. 107. ὐδὲ δεισιδαίμονας εὐσεβεῖν (ἐπιτηδεύειν προσῆκεν) quam distinctionem sequitur & Clemens Alexandrinus Protrept. & Sozomenus lib. 11 cap. 2. Usus tamen significata harum vocum confundit, & tam hanc quàm illam in bonam partem accipit. Xenophon de Agesilao, Ἀεὶ δὲ δεισιδαίμων ἦν, νομίζων τὲς μὲν καλῶς ζῶντας ὅπω εὐδαίμονας, τὲς δὲ εὐκλεῶς τετελευτηκότας ἤδη μακαρίες. Et Regem Ægyptiorum summus Sacerdos solet cohortari ad δεισιδαιμονίαν καὶ θεοφιλῆ βίον, Diod. Sic. lib. 1. Josephus etiam de Manasse converso ait, καὶ πάσῃ χρῆσθαι περὶ αὐτὸν (τὸν Θεὸν) δεισιδαιμονίᾳ, Antiq. lib. 10. c. 4. Itaque non malè Beza, qui *religiosiores* hic vertit.

23. Σεβάσματα, *cultus*, *culturas*, *delubra*] Horum secundum sequitur Erasmus ex Hieronymo Comment. in epist. ad Titum, perperàm, ut judicat Beza; quem consulas licet.

34. *Areopagita*] *Areopagita*, Ἀρεοπαγίτης. ¶ *Rerum natura*] *Deus naturæ.* ¶ *Neque Græcus*] Imò Phlegon & Thallus apud Eusebium & Africanum. Vide ibid. Scaligerum, & De Emend. Temp. lib. 6. ¶ *Per universam terram*] Explicatio hæc, quæ & Bezæ est, controversiâ non vacat. Quomodo enim obtenebrationem hanc ἔκλειψιν μεγίςην τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον vocare potuit Phlegon si solis Judææ terminis, i. *uno orbis terrarum angulo*, ut Beza loquitur, continebatur? De Dionysio non laboro. ¶ *Facta fuisse fames per universam terram*] Ego hoc in libb. Regum non invenio. Fortè respexit ad Gen. 41. 54. *Et in universo orbe fames prævaluit.* ¶ *Faciunt Dionysium*] *Faciant* puto.

ERASMUS.

1. AMphipolis de qua hic sentit locus & *Apollonia* civitates sunt Macedoniæ, quemadmodum & *Thessalonica*. Quanquam est altera Amphipolis in Syria Apollonia item altera in provincia Africæ, quæ & *Pentapolis* dicta est.

2. *Secundùm consuetudinem autem*] Græcus sermo expressiùs dicit, κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς τῷ Παύλῳ, i. *Paulus, ut erat illi mos*, sive *ut solitus erat*, sive *pro sua consuetudine, ingressus est*.

3. *Et insinuans*] Καὶ παρατιθέμενος, h. e. *citans*, sive *allegans*. Nec est *de Scripturis*, sed ἀπὸ τῶν γραφῶν *è Scripturis*: hinc enim adducebat testimonia. Demiror autem quid secutus Interpres h. l. posuerit *insinuans*, cùm præcedat *adaperiens*. Nam *insinuare* est *latenter inducere*, pugnans cum *aperiendi* verbo: nisi fortè pro παρατιθέμενος legit παρεντιθέμενος, ut Judæis exposuerit Scripturas, sed obiter, ubi locus ferret, faceret mentionem Christi, quam illi laturi non fuerant nisi delinìti Scripturarum expositione. ¶ *Quem ego annuncio vobis*] Cùm subitò mutata sit persona, cur non & hic addit *inquit*? ut in initio hujus operis fecit, *Quem audistis, inquit, per os meum.*

4. *Et de colentibus Gentilibus*] Τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος, *religiosorùmque Græcorum multitudo magna.* Quis intellexisset *colentes* significare *pios ac religiosos*? Jam non semel admonui *Græcum* in literis Apostolorum aliquoties pro *gente*, aliquoties pro *ethnico* poni.

5. *Zelantes autem Judæi*] Græci nonnihil hic addunt verborum, ζηλώσαντες δὲ οἱ ἀπειθοῦντες Ἰεδαῖοι, καὶ προσλαβόμενοι, *Zelo autem commoti ii qui non credebant Judæi, & assumptis nonnullis circumforaneis.* Nam Græcè est ἀγοραίων; quod Interpres vertit *de vulgo*. Quanquam hoc in loco nonnihil variabant Græcorum exemplaria. ¶ *Et assistentes domui*] Quid audio? num defensabant domum Jasonis? Est autem ἐπιςάντες, i. *adorti*, sive *urgentes* & *imminentes*.

6. Et

6. *Et quosdam fratres*] Quoties *fratres* absolutè ponit, Christianos intelligit, quos eosdem aliquando *discipulos* vocat. Hic Beda, qui citatur in Glossa Ordinaria, notat in Græcis haberi, *Et quosdam aliòs fratres*, ex hoc colligens & Jasonem fuisse Christianum. Verùm ἄλλους apud Græcos non reperi. ¶ *Hi qui urbem concitant*] *Orbem* haud dubie legendum, τὴν οἰκουμένην, quod frequenter vertit *orbem terrarum*. Nec est *concitant*, sed ἀναστατώσαντες, *commoverunt*, h. e. *qui rerum statum conturbarunt*. Id quod fieri consuevit rebus novatis. Sensus est, Quod ubique fecerunt, hîc quoque facturi adsunt.

7. *Quos suscepit Jason*] Ὑποδέδεκται *clanculùm*, sive *furtim*, *excepit*, ob præpositionem ὑπό. ¶ *Contra decreta Cæsaris*] Τῶν δογμάτων quod paulò antè ut erat Græcè extulit *dogmata*.

10. *Dimiserunt Paulum, & Silam*] Ἐξέπεμψαν τόν τε Παῦλον τόν τε Σίλαν, i. *Emiserunt, tum Paulum, tum Silam*. Ac mox *Berrhœam* scribunt quidam, tametsi Stephanus Βεροίαν & Βερόην appellat, i. *Beroam*. Est autem civitas Macedoniæ non procul à Pella patria Alexandri Magni. ¶ *Qui cùm venissent in synagogam Judæorum introierunt*] Alius est ordo sermonis apud Græcos, οἵτινες παραγενόμενοι εἰς τὴν συναγωγὴν ἀπῄεσαν τῶν Ἰουδαίων, i. *Qui posteaquam advenerant, in Synagogam abierunt Judæorum*: ut prius referatur ad civitatem, proximum ad conciliabulum.

11. *Nobiliores*] Rectiùs vertisset in *nobilissimos*: tametsi video Catullum & Plinium, cúmque his Qu. Curtium, alicubi more Græcorum abusos comparativo vice superlativi, εὐγενέστεροι, i. *summo loco natos inter eos qui erant Thessalonicæ*. Quanquam Græci sermonis sensus prorsus anceps est, ac magis videtur hic esse, *Hi autem erant generosiores Thessalonicensibus*, ut *generositas* ad animum referatur promptiorem magisque docilem. ¶ *Cum omni aviditate*] Προθυμίας *animi promptitudine*, sive *libenter*, aut *propensis animis*. ¶ *Si hæc ita se haberent*] Εἰ vertendum erat in *an*.

12. *Mulierum Gentilium*] Ἑλληνίδων, *Græcarum*. ¶ *Honestarum*] Εὐσχημόνων quod, ut diximus, ad habitûs, cultûs & incessûs honestatem pertinet.

13. *In Thessalonica Judæi*] Ἀπὸ τῆς Θεσσαλονίκης Ἰουδαῖοι, *Thessalonicenses Judæi*. ¶ *Commoventes & turbantes*] Σαλεύοντες τοὺς ὄχλους *commoventes turbas*. *Turbantes* non offendi in Græcis exempl. præterquam in uno cod. Græco, idque ascriptum in margine, σαλεύοντες καὶ ταράσσοντες τοὺς ὄχλους. Opinor adjectum ab eo qui voluerit vocem voce simili explicare.

14. *Ut iret usque ad mare*] Ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν, i. *velut ad mare*. Interpres legisse videtur ἕως ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Incertum est autem an Paulus Athenas pervenerit navigio an itinere pedestri. Nisi quod probabilius est eum navigavisse, vel quia refertur deductus ad mare, vel quia nulla mentio fit eorum quæ Paulus in itinere gesserit, cui fuerant tot civitates peragrandæ; cùm ille non soleat ullam civitatem transire tacitus, nisi fortè solus & collegis destitutus tacuit.

15. *Accepto mandato ab eo*] *Ab eo* addidit Interpres, quò sensus esset explanatior, καὶ λαβόντες ἐντολὴν πρὸς τὸν Σίλαν, *cùm accepissent mandatum ad Silam*. ¶ *Ut quàm celeriter*] Latinius & Græco sermoni congruentius erat *quàm celerrimè*; siquidem Græce est ὡς τάχιστα.

16. *Incitabatur spiritus ejus*] Παρωξύνετο *irritabatur*, quemadmodum legit Augustinus lib. adv. Cresc. 1. c. 12. *Irritabatur Spiritu sancto intra se*. Idem est verbum unde deductum est nomen παροξυσμὸς quod paulò antè transtulit *dissentionem*. Hoc sanè loco meliùs reddidit. ¶ *In ipso, videns*] Græcis est θεωροῦντι *videnti*, sive *cùm videret*. Paulus enim videbat, deinde videnti commotus est animus. Interpres aut legit, aut certè somniavit, θεωρῶν pro θεωροῦντι. ¶ *Idololatriæ deditam*] Non malè circumlocutus est κατείδωλον, q. d. *obnoxiam simulacris*, quod præpositio κατὰ Subjectionem sonet.

17. *Et colentibus*] Τοῖς σεβομένοις *Religiosis & Divino cultui deditis*. ¶ *Ad eos qui audierant*] Πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας, *ad eos qui fortè accedebant*. Palàm autem hoc non Interpretis esse vitium, sed librarii, qui ex *aderant* fecerit *audierant*.

18. *Epicurei & Stoici*] *Epicurei* ab *Epicuro*, *Stoici* dicti à *Stoa* porticu. Rabanus hîc annotat, *Stoici*, inquit, *Græcè, Latinè Elementa*. Hoc quid sibi velit planè non intelligo, nisi quòd divino causam erroris. Quisquis is fuit, habebat Lexicum Græcarum dictionum malè Græcis scriptum literis: στοῖχοι ascriptum erat *elementa*. Is ex χ fecit, κ, ità in *elementa* versi sunt Στωικοί, jam facti στοῖχοι. ¶ *Disserebant cum eo*] Συνέβαλλον αὐτῷ *congrediebantur*, sive *committebant*, *cum eo*. Idem verbum quo significant *conserere manus in bello*. ¶ *Seminiverbius*] Pro quo Augustinus citat *seminator verborum*, atque adeò sic scriptum visitur in nonnullis nostræ editionis exempl. ὁ σπερμολόγος. Interpres effinxit Græcanicam compositionem. Mirum autem cur id magis libuerit in hac una dictione quàm in aliis multis. Sed quid tandem sign. Latinis *seminiverbius*? Fortasse feliciùs effinxisset si dixisset *verbisator*, pro eo qui novos rumores spargit in vulgus, sive *seminilegus*, pro *locutuleio* & ad quæstum quidvis garriente. Hesychius interpretatur Σπερμολόγος, ὁ φλύαρος, h. e. nugator, aut ὁ τὰ σπέρματα συλλέγων *qui semina colligit*. Atque hinc avem de genere graculorum dictam fuisse σπερμολόγον. Meminit & Athenæus Dipnosophistarum lib. 2. sed σπερματολόγος illic scriptum reperio, τέτρακές τε σπερματολόγοι, i. *tetraces seminum sublectrices*. Nam suspicor *tetracem*, sive *tetricem*, quando utrumque scriptum reperio, dici avem quam sentit Athenæus. Meminit idem avis σπερμολόγου lib. 9. Usus est hoc verbo & Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, *Καὶ εἰ μὴ ἡ βουλὴ ἐξ Ἀρείου πάγου τὸ πρᾶγμα αἰσθομένη, καὶ τὴν ὑμετέραν ἄγνοιαν ἐν οὐ δέοντι συμβεβηκυῖαν ἰδοῦσα ἐπεζήτησε τὸν ἄνθρωπον, καὶ συλλαβοῦσα ἐπανήγαγεν ὡς ὑμᾶς, ἐξήρπαστ' ἂν ὁ τοιοῦτος, καὶ τὸ δίκην δοῦναι διαδὺς ἐξεπέμπετ' ἂν ὑπὸ τοῦ σπερμολόγου τουτουί.* Qui *voculas* aliquot ex hoc *sublectas* interpretatur, ait hoc convitium dici solere in hominem nequam minimique pretii & pro nihilo habitum, addubitans etiam num conveniat in eum qui non ex suis alatur; sed alieno pascatur cibo. Metaphora sumpta ab avicula cujus modò meminimus. Cæterùm Demosthenes Æschinem σπερμολόγον appellat, contumelioso vocabulo, quòd ad quæstum quidvis diceret, quo convitio nos *rabulas* dicimus. Hujusmodi quispiam & Paulus, adhuc incognitus, visus est quibusdam Atheniensibus. Unde & σπερμολογεῖν pro *nugari*. Leonardus Aretinus pro *spermologon* vertit *rabulam*, h. e. intemperantis ac molestæ loquacitatis hominem. Porrò non potest accipi pro *seminatore verborum*, quod arbitratur Augustinus, cùm vox composita sit à σπέρμα & λέγω τὸ συλλέγω, h. e. à *colligendis seminibus*: σπειρολόγος magis exprimeret quod sentit Augustinus.

18. *Novorum dæmoniorum*] Ξένων δαιμονίων *peregrinorum Deorum*; maximè cùm hæc dicant ethnici, qui dæmonia Deos vocant. Porrò Ξένον ut sonat *peregrinum*, ità declarat & *novum & inauditum*, nonnunquam *absurdum*.

19. *Ad Areopagum*] Ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον *ad Martium pagum*. Sunt enim Græcis duæ voces. Est autem locus editus, ut vertex collis seu scopuli. Miror autem cur Hieronymus hoc loco pagum interpretetur *villam*; si tamen hoc opus est Hieronymi. Ego *vicum* maluissem, quandoquidem constat Martium vicum fuisse Athenis. Nec omnes erant Judices qui illic habitabant.

20. *Nova enim quædam*] Ξενίζοντα γάρ τινα. Participium verbi deductum ab eo nomine quod modò vertit *novorum*, ξένων.

21. *Et advenæ hospites*] Καὶ ἐπιδημοῦντες ξένοι, i. *& qui illic versabantur hospites*, sive *peregrini*. ¶ *Ad nihil aliud vacabant*] Εὐκαίρουν. Hoc bene reddidit, velut ad cætera occupati. Verùm illud, *aut dicere, aut audire*, Laurentianis auribus nimis Græcè transtulit, rectiùs dicturus *nisi ad dicendum aut audiendum aliquid novi*: quod tamen ipsum est καινότερον, ut extenuet etiam, quasi ad quæcunque novè audienda fuisset illis otium.

22. *Superstitiosos vos video*] Sermo Gr. paulò civilior est, ὡς δεισιδαιμονεστέρους *ferè superstitiosiores*. Certè *superstitiosiores* non *superstitiosos* habebant codd. Donatiani. Mitigavit enim odium dicti primùm adverbio ὡς, deinde comparativo. Hoc enim erat fieri omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret.

23. *Et videns simulacra vestra*] Ἀναθεωρῶν *considerans & inspectans*, velut ii qui rem diu non visam inspiciunt. Nec *simulacra* h. l. est εἴδωλα, quod verbum erat odiosius, sed σεβάσματα, quod verbum complectitur omnia quæ veneramur; nempe aras, delubra, statuas, monumenta, à verbo σέβομαι, quod propriè ad religionem pertinet. Hieronymus citans hunc locum in comment. in Epistolam ad Titum ἀναθεωρῶν vertit *contemplans*, & σεβάσματα *culturas*. ¶ IGNOTO DEO] Et hîc Hieronymus indicat Paulum piâ quadam usum vafritie, quòd nonnihil mutavit in titulo, non pauca omisit, quo commodiùs detorqueret ad exordium prædicandi Christum. Titulus enim sic habebat, autore, quem modò citavi, Hieronymo, DIIS ASIÆ, ET EUROPÆ, ET AFRICÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS. Ex *Diis ignotis* DEUM fecit IGNOTUM, & mentionem cæterorum omisit. Quam equidem civilitatem imitandam arbitror iis quibus studium est Ethnicos aut Principes malâ educatione depravatos ad pietatem adducere, nè protinus conviciis rem agant, & exacerbent quibus mederi volunt, sed multa dissimulantes, paulatim illos adducant

ducant ad mentem meliorem. Et fortassis reprehendi non oporteat, si boni viri hoc animo in Regum aulis agant, quò paulatim irrepant in Principum affectus, modò ne sint autores eorum quæ palàm sunt iniqua, licèt ad quædam conniveant inviti.

23. *Quod ergò ignorantes*] Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω, *Quem igitur ignorantes colitis, hunc ego annuncio.* Loquitur enim de DEO IGNOTO.

25. *Manibus hominum colitur*] Θεραπεύεται, pro quo Irenæus legit *tractatur*. Nam & famuli & medici Græcis dicuntur θεραπεύειν. ¶ *Vitam & inspirationem*] Ζωὴν καὶ πνοὴν *vitam & halitum*, velut exponens quid sit vita animantis. In Græcis vocibus est jucundus concentus.

26. *Fecitque ex uno omne hominum genus*] Græci legunt ἐξ ἑνὸς αἵματος *ex uno sanguine*: quod indicavit etiam Beda: verùm haud scio an perperam à librariis mutata scriptura. Deinde quod subjicitur, *inhabitare super faciem*, infinitum mutandum erat in gerundium, *ad inhabitandum super faciem terræ*: alioqui sensus erit, *Deum effecisse ut omne genus hominum habitaret in terra*. Imò condidit omnes, & in hoc condidit, ut agerent in terris. ¶ *Definiens statuta tempora*] Ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς *cùm definisset priùs statuta tempora. Tempora* non est χρόνους sed καιροὺς, ut accipiamus à Deo præfinitum quid quaque ætate fieret. Distinxit enim impêria ad certum tempus duratura, exsilia, migrationes; Item legem Naturæ, Mosi & Euangelii. Neque enim horum quicquam temere gestum est, sed suo quidque tempore. ¶ *Et terminos habitationis*] Καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν *præfixis terminis habitationis eorum*. Nam ὁροθεσία est *designatio terminorum*.

27. *Si fortè attractent eum*] Ψηλαφήσειαν *palpent*; quod est cæcorum manu vestigantium.

28. *Quidam vestrorum*] Τῶν καθ᾽ ὑμᾶς ποιητῶν *vestratium Poetarum*. Augustinus explicans quæstiones aliquot in Epist. ad Romanos legit, *Sicut & quidam secundum vos dixerunt.* Itidem legit & Irenæus, omissâ mentione *Poetæ*. ¶ *Ipsius enim & genus sumus*] Hemistichium est Heroicum ex Phænomenis Arati. Ac mirè quod dixit de Jove hic torquet ad verum Deum. Horum aliquot locorum patrocinio solet uti D. Hieronymus adversùs eos qui calumniabantur quòd Sacras literas Ethnicorum sordibus contaminaret. Verùm Paulus id uno aut altero fecit loco, idque penè cogente occasione prædicandi Euangelii. Quid hæc ad istos qui coactè & affectatè non solùm Poetarum & Oratorum, sed omnium Sophistarum, Philosophorum, Mathematicorum, denique & Magorum literas invehunt in doctrinam Christi, quam simplicissimam ac purissimam oportebat esse. In nonnullis Græcorum exemplaribus habebatur, Τοῦτο γὰρ καὶ γένος ἐσμέν· sed mendosè, ni fallor, cùm apud Aratum Poetico more τοῦ positum sit vice τούτου. Interpres Arati admonet dictum esse juxta illud quod apud Hesiodum & Homerum frequens est,

——— Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Nos hemistichium hemistichio reddidimus,

Nam hujus progenies etiam sumus.

29. *Non debemus æstimare*] Νομίζειν, *existimare*, sive *putare*. ¶ *Aut lapidis sculpturæ artis*] *Sculpturæ* dativus est, & appositivè refertur ad quodlibet illorum trium, *lapidi*, *argento*, *auro*. Nos igitur, quò planior esset sensus, ità vertimus, *Non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi arte sculpto, & invento hominis Numen esse simile.*

30. *Despiciens Deus*] Ὑπεριδών. Interpres intellexisse videtur *ex alto videns*: id enim dixit *despiciens*. At ὑπεριδεῖν est *veluti dissimulare*, *& cùm videas perinde te gerere quasi non videas*. Et temporis ratio erat Interpreti servanda in ὑπεριδών, h. e. *dissimulatis temporibus ignorantiæ*. Tum enim silebat, nunc omnibus denunciat, non dissimulaturus ampliùs. Lyranus interpretans *despiciens*, nempe *deos*, *quòd nollet eos ampliùs durare*, quid senserit ipse viderit.

31. *In viro in quo statuit*] Ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε, *in viro quem definierat, sive statuerat.* Græcis enim postpositivus articulus sæpenumero congruit cum eo nomine quod antecessit, non respondens sequenti verbo. ¶ *Fidem præbens omnibus*] Duo sunt participia præteriti temporis, quorum neutrum ut par erat vertit. Sensus autem est, *Deum jam fidem exhibuisse cunctis, Christum esse per quem statuerat innovare mundum, quod illum excitasset à mortuis.* Hoc unum nulli contigit mortalium, nec Mosi, nec Prophetæ.

34. *In quibus & Dionysius*] Ἐν οἷς. Laurentius hoc loco refellit eorum opinionem qui putant hunc Areopagitam fuisse autorem eorum librorum quos habemus De Hierarchiis ac Divinis nominibus, & eundem esse qui apud Lutetiam Parisiorum martyrio fuerit laureatus, è tribus, ni fallor, Dionysiis unum reddentes. Primùm, Areopagitæ Judices erant, non Philosophi. At isti Dionysium summum faciunt Philosophum, qui ex eclipsi Solis deprehenderit periclitari rerum naturam, cùm consentaneum non sit eas tenebras Athenas usque pervenisse. Nam quòd ait Euangelista *tenebras factas super universam terram*, ejus regionis terram intellexit, assentiente & D. Hieronymo, & asseverante Origene in homiliis quas scripsit in Matthæum; ubi planè negat eas tenebras è Solis accidisse deliquio, sed aut nubibus intercedentibus, aut alioqui aeris densitate coactâ. Quòd si hæ tenebræ tanto spatio contigissent per universum orbem, aliquis certè seu Latinus seu Græcus scriptor ejus rei meminisset. Jam epistolam super hac re velut Dionysii nomine confictam deridet Laurentius. Mihi non videtur priscis illis temporibus tantum fuisse Christianis ceremoniarum quantum illa describit. Deinde mirum si tam priscus autor fuit, & tam multa scripsit, à nemine veterum seu Græcorum seu Latinorum fuisse citatum, non ab Origene, non à Chrysostomo, nè ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit. Quin & Gregorius ipse vir probæ fidei, citans hujus literas, non indicat eum fuisse Dionysium Areopagitam. Porrò cùm in Ecclesiastica historia multa fiat mentio de libris Dionysii Corinthiorum Episcopi, non est probabile taciturum fuisse Eusebium de tanto Pauli discipulo si tantum voluminum reliquisset. Hieronymus in Catalogo scriptorum illustrium unum aut alterum Dionysium recenset, hujus libros non recenset. Laurentius indicat fuisse suæ ætatis doctissimos viros qui judicarint eos libros esse Apollinarii. Tametsi ejus nominis duos commemorat Hieronymus, alterum Hierapolitanum Episcopum, qui floruit sub M. Antonino secundo; alterum Laodicenum in Syria Episcopum. Neutri tamen hujusmodi quicquam tribuit operum: neque enim opinor hæc Apollinari hæretico tribuenda. Ante complures annos, ut memini, vir incomparabilis Gulielmus Grocinus, ut Theologus summus, ità in nulla disciplina non exquisitè doctus & exercitatus, auspicaturus Londini in æde D. Paulo sacra enarrationem cœlestis Hierarchiæ, meditatâ præfatione multùm asseveravit hoc opus esse Dionysii Areopagitæ, vehementer destomachans in eorum impudentiam qui dissentirent. At idem priùs quàm operis dimidium confecisset, ubi gustum attentiùs cepisset, ingenuè coram auditorio fassus est, sibi verso calculo non videri id opus esse Dionysii Areopagitæ. Demiror autem cur Beda putet hunc Dionysium factum Episcopum Corinthiorum, cùm Ecclesiastica historia palàm ostendat alium fuisse Dionysium Episcopum Corinthiorum, qui multa conscripserat. Atque hujus autoritas ibi citatur, qui in epistola quadam quam scripsit ad Athenienses, ostenderit Dionysium Areopagitam à Paulo conversum primum fuisse Athenis Episcopum, ab eodem Apostolo institutum. Nec aliud quicquam apud priscos scriptores comperitur de Dionysio Areopagita. Verùm hæc ceu πάρεργα paucis indicasse sat erit.

VATABLUS.

2. A*Utem* *] * *Suam*. ¶ *De Scripturis*] i. *è Scripturis*, illinc enim adducebat testimonia.

3. *Insinuans quia*] *Citans*, *allegans quòd*. ¶ *Quia hic est Jesus Christus*] *Quod hic esset Jesus Christus*.

4. *Et de colentibus Gentilibus*] *Religiosorúmque Græcorum*. ¶ *Nobiles*] *Primariæ*, vel *nobilium*.

5. *Zelantes autem Judæi*] *Invidiâ autem commoti Judæi ii qui non credebant*. ¶ *De vulgo viros*] Circumforaneos vocat eos qui in foris versari solent, cujusmodi quos Galli vocamus *Maneuures*. ¶ *Assistentes domui*] *Adorti domum*, sive *imminentes domui*.

7. *Urbem*] *Orbem*, Vet. ¶ *Concitant*] *Conturbarunt*, *commoverunt*; rerum innovatione scilicet. ¶ *Huc venerunt*] Vel *hìc etiam adsunt*. ¶ *Suscepit* *] * *Clanculum*.

9. *Acceptâ satisfactione*] *Acceptis fidejussoribus*, vel *cùm satisfecissent Magistratibus idoneâ excusatione aut aliâ ratione*.

10. *Dimiserunt*] *Emiserunt*. ¶ *Beroam*] *Berœam*, Vet. ¶ *Introierunt*] *Abierunt*.

11. *Nobiliores eorum qui sunt*] Vel *summo genere nati inter eos qui erant*. ¶ *Aviditate*] *Animi promptitudine*. ¶ *Scrutantes*] *Conferentes*, *expendentes*, *excutientes*.

12. *Et multi quidem*] *Multi igitur*. ¶ *Gentilium*] *Græcarum*.

13. *In Thessalonica*] *Thessalonicenses*. ¶ *Beroa*] *Berrhœa*, Vet.

Vet. ¶ *Est*] *Esset.* ¶ *Commoventes & turbantes multitudinem*] *Commoventes turbas.*

14. *Usque ad mare*] *Velut ad mare.*

15. *Quàm celeriter*] *Quàm celerrimè.*

16. *Incitabatur*] *Irritabatur.*

17. *Colentibus*] *Religiosis*, vel *divino cultui deditis.* ¶ *Audierant*, Vet. Gr. legitur, *in quos forte fortunà inciderat*, sive *incidisset.*

18. *Disserebant*] Vel *congrediebantur*, aut *committebantur cum eo.* ¶ *Seminiverbius*] *Seminator verborum*, Vet. Gr. est *Spermologus:* quasi tu dicas, *verbisator*, i. qui novos rumores spargit in vulgus, & ad quæstum quidvis garrit. ¶ *Novorum*] *Peregrinorum.* ¶ *Dæmoniorum*] Potest etiam *Deorum* legi; Ethnici enim dæmonia dicebant deos.

19. *Areopagum*] *Martiam viam*, vel *forum Martium*, sive *Martiam curiam*; non procul enim aberat templum Martis. Forum erat judiciale in summa urbis parte situm, in quo locum habebant peritissimi & gravissimi Atheniensium.

21. *Advenæ hospites*] *Qui illic versabantur peregrini.*

22. *Quasi*] *Ferè.* ¶ *Superstitiosos*] *Superstitiosiores*, Vet.

23. *Videns*] *Considerans*, *inspectans.* ¶ *Simulacra*] Vox Græca complectitur omnia quæ veneramur. * ¶ *Quod ergo*] *Quem igitur.* ¶ *Hoc*] *Hunc.*

24. *Deus*] *Dominus*, Vet.

25. *Colitur*] *Tractatur.* ¶ *Inspirationem &*] *Halitum per.*

26. *Ex uno**] **Sanguine.* ¶ *Inhabitare*] *Ad inhabitandum.* ¶ *Definiens*] *Cùm definisset.*

27. *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant*] *Ut quærerent Dominum, si fortè attrectarent eum, aut invenirent.* Vetera legunt, *& inveniant.*

28. *Quidam*] *De Arato intelligit.* ¶ *Vestrorum*] *Vestratium.* ¶ *Genus*] *Progenies.*

29. *Et*] *Aut*, Vet. ¶ *Sculpturæ*] Dativus est, i. arte sculpto & invento. ¶ *Cogitationis hominis*]. Græca vox significat non inventum modò, sed omne illud quod homo cogitatione, aut animi meditatione, aut etiam imaginatione concipit. ¶ *Divinum*] *Numen*, vel *Deum.*

30. *Et tempora*] *Tempora igitur.* ¶ *Despiciens*] *Cùm hactenus dissimularit.*

31. *In æquitate*] Heb. *Justè.* ¶ *In viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.*

33. **Sic*] **Et sic.*

33. *Areopagita*] i. unus de judicibus qui summâ integritate de capitalibus rebus judicant Athenis.

CASTALIO.

5. CIrcumforaneis] Sordidis, fœdis.

12. *Vicum Martium*] Ibi erant Areopagitæ, morum magistri.

25. *Omnia denique conferat*] Καὶ τὰ legitur, non κατὰ.

31. *Fidem exhibuit*] Spem resurgendi.

CLARIUS.

16. INcitabatur *spiritus ejus in ipso*] Παρωξύνετο, *excandescebat*, *irritabatur:* unde παροξυσμὸς quod verbum positum est in illo discessu Pauli à Barnaba. Non ergò ibi significat *iram*, sed *excitationem* quandam ac *zelum.*

18. *Qui vult spermologus hic dicere?*] Hi tanquam inflati scientiâ contemnebant Paulum, appellantes *spermologum*, quasi *seminilegum.* Est enim avis sic appellata, parva & vilis, neque esui apta, neque ad delectandum, solita in triviis cadentia semina legere. Ex hoc, nullius pretii homines *spermologos* appellare consueverunt.

22. *Quasi superstitiosiores*] Δεισιδαιμονεστέρους. Nam δεισιδαίμων dicitur q. δεδιὼς τὰ δαιμόνια, h. e. *metuens dæmonia*, & omnia colens, & lapidem, & lignum, & spiritum.

23. IGNOTO DEO] Duas causas memorant hujus inscriptionis. Aiunt enim, Philippidem quendam missum ab Atheniensibus ad Lacedæmonios pro ineunda societate cùm Persæ in Græciam moverent exercitum: huic in Parthenio monte occurrisse spectrum quoddam, Panis illius scilicet Gentilium Dei, qui quereretur se ab Atheniensibus negligi, cæteros autem Deos coli, & pollicitus est se opitulaturum. Partâ ergò victoriâ, huic templum erexerunt, & aram construxerunt; & caventes nè quid tale in posterum paterentur prætermisso à se aliquo Deo quem ignorarent, erexerunt & aram illam, ità inscribentes, IGNOTO DEO. Alii verò sic dicunt, Invasisse olim Athenienses pestilentiam, quæ ità illos incenderet ut nè tenuissima quidem lintea ferre possent; cùm autem consuetos Deos colerent, nihil juvabantur: Cogitarunt ergò esse aliquem fortasse Deum quem ipsi inhonorum reliquissent qui pestilentiam illam immisisset, quocirca ædificato altari & inscripto IGNOTO DEO, & immolantes ei, continuò liberati sunt. Ferunt autem totam aræ inscriptionem hanc fuisse, DIIS ASIÆ, ET EUROPÆ, ET LIBYÆ, DEO IGNOTO ET PEREGRINO. Arreptâ autem sapientissimè Paulus hâc occasione profitetur *sebunc ignotum illis Deum prædicaturum.*

24. *Deus qui fecit mundum*] Nè putarent unum è Deorum multitudine esse hunc Deum quem ipse prædicaret, corrigit hoc, & addit, *non in manufactis templis illum habitare:* habitat enim in templis quidem, sed non in istis, verùm in humanâ animâ, quæ propriè templum est Dei. Neque enim in Templo Hierosolymorum habitabat, sed signa tantùm quædam suæ virtutis in eo ostendebat. *Neque manibus hominum* apud Judæos *colebatur*, sed mente atque animo; quandoquidem & illâ non quærebat sacrificia tanquam illis *indigens*; ait enim, *Numquid vescar taurorum carnibus, aut sanguinem hircorum potabo?* Cogita verò ut unâ brevi oratione omnia quæ Philosophi tradebant evertit. Nam ingens erat inter eos controversia de Materia, de Mundo, déque iis quæ ad Mundi curam pertinent: & quæ nunc etiam plebei sciunt, ea ignorabant Athenienses atque Atheniensium sapientissimi. Ingratum Christianum orbem, qui suas divitias non novit! ¶ *Hic cœli & terræ cùm sit Dominus*] Non ergò sunt particulares quidam Dæmones qui partes ac provincias proprias sint sortiti.

26. *Præfinitique statuta tempora.*] Præparaverat, inquit, quasi theatrum quoddam *definitis temporibus ac locis circumscriptum*, per quod *quærerent Deum, si forte* aliquando *contrectarent*, ut cæci solent, *quamvis non longè à nobis sit, cùm vivamus in eo, moveamur, & simus*, &c. Sed *ignoraverunt* suâ inertiâ homines Deum: qui cùm cerneret eos in hac perdurare *ignoratione, decrevit nunc hominibus ipse denunciare ut pænitentiam agant*, &c. Quòd si novam hanc illorum verborum, h. e. *præfinitique statuta tempora*, &c. interpretationem negligis; accipe vetustiora. Sic *definivit*, inquit, *ut quærerent Deum*, sed non semper hoc definivit, sed *præstitutis temporibus:* indicans quòd nunc non quærentes invenerunt. Quoniam enim quærentes non invenerunt, ostendit eum tamen fuisse manifestum, sicut cùm quid in medio positum contrectatur. Non enim hic quidem erat Cœlum & alibi non, aut uno tempore quidem sed non alio, ut quovis tempore & quibusvis locis potuisset inveniri. *Quamvis*, inquit, *non longè ab unoquoque nostrûm sit:* nam ità propè est ut sine eo non vivamus: *in ipso enim vivimus & movemur & sumus*, tanquam in corporeo exemplo. Sicut non possumus ignorare aerem ità ubique diffusum ut in ipso spiremus, ipse nos circumstet, & intra nos etiam sit; sic habemus à Deo ut simus, ut vivamus, ut agamus. Et hemistichium Arati producit,

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, ———

h. e. *Nam & hujus genus sumus.* Et Paulus quidem interpretatur de artifice omnium Deo, quamvis illi de Jove dictum ferant; non idem quod ille dicens, sed hoc propriè in Deum convenire asserens. Sic *genus Dei* nos esse dicit Paulus, non eo sensu quo illi, sed alio, quod scilicet simus ei familiares ac proximi.

29. *Genus ergò cùm simus Dei*] Si *nos genus*, inquit, *sumus Dei*, *cur existimemus Numen ipsum Divinum* inferius aliquid nobis esse, aut *ab homine excogitatum?*

30. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ*] *Deus*, inquit, quâ est benignitate, *dissimulare* vult quæ hactenus homines egerunt, tantùm ut *nunc*, propositâ hâc veritate, *pæniteat eos ignorationis* hujus tantæ: *nam decrevit judicare orbem terræ per eum quem* vobis nunc prædico, *cujus rei hâc Deus fidem facit, quod suscitavit eum à mortuis.*

32. *Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum*] Hactenus permissum erat Paulo perpetuâ uti oratione. Nam in eo loco ubi dictum est Deum fecisse Mundum, nè verbum illi quidem; de Hominum origine, tantundem; de Providentia & Cura quâ de nobis cogitat Deus, aut cur tot seculis errare passus sit genus hominum, brevitérque de cæteris quæ apud illos prima sunt; perpetuum silentium. At verò ubi adjectum est, *cum excitarit illum ex mortuis*, quid? *Cùm audissent*, inquit, *resurrectionem mortuorum, alii quidem irridebant, alii verò dixerunt, Audiemus te de hoc iterum.* Perinde quasi majus hoc opus esset quàm totius mundi fabricatio, perinde sunt ad-

V 2

admirati. Ità abstrusa erat tum veritas & tenebris circumvoluta densissimis.

ZEGERUS.

1. **T***Hessalonicam*] Penultimâ productâ, teste Despauterio.

4. *De colentibus Gentilibus multitudo magna*] i. ex Gentibus probatæ religionis. Vel, *religiosorum Græcorum copiosa multitudo*, ut ad verbum sonat τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος. Sentit autem eos qui Gentilitatem Judaismo commutarant.

5. *Turbâ factâ*] Ὀχλοποιήσαντες esse potest *facto populi tumultu*. Nam ὄχλος nunc *multitudinem* sign. nunc *tumultum*, quemadmodum & *turba* Latinis.

6. *Hi sunt qui urbem concitant*] *Orbem* haud dubiè legendum, οἰκουμένην. Aliàs tamen lego, *Hi orbem concutiunt:* item aliàs, *Quoniam qui orbem concitant.*

9. *Acceptâ satisfactione à Jasone, dimiserunt eos*] Budæus in Græcæ linguæ Comment. in hunc incidens locum, ἱκανὸν λαμβάνειν, inquit, *dicitur Fidejussores in sponsionem exigere & accipere. Latinorum utique more dictum, qui satis accipere dicunt.* Et interpretans hæc verba subdit, καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυσαν αὐτούς, *& cum satis accepissent ab Jasone & ab aliis judicio sistendi sponsionis, ipsos abire jusserunt.*

15. *Ut quàm celeriter venirent ad illum*] Neoterici emendant, *ad se.*

17. *Cum Judæis & colentibus*] Rursus *colentibus* dixit Interpres pro *religiosis*, quibus Gentiles ad Judaismum conversos designat Euangelista. ¶ *Ad eos qui aderant*] Cave legas *audierant* pro *aderant:* hoc est enim παρατυγχάνοντας. Nonnulli tamen cod. habent *aderant*; sicuti scribit & Augustinus lib. De opere Monach.

18. *Seminiverbius*] i. *seminator verborum*, *locutuleius*, &, ut Plinius loquitur, *qui libens verba fundit*, σπερμολόγος.

19. *Ad Areopagum*] Areopagus locus erat Athenis in quo de capitalibus rebus judicabatur. Unde & ipsi Judices qui in eo loco considebant Ἀρεοπαγῖται appellati sunt. Sonat autem Ἀρειοπάγος, vel, ut hic est, Ἄρειος πάγος, *Martis saxum*, vel *Martius vicus*, ut alius appellat.

22. *Quasi superstitiosiores*] Sic habent Græci, & uterque codex Donatianicus, cùm in aliis veteribus ferè sit *superstitiosos.*

23. IGNOTO DEO] Sub. DEDICATA EST HÆC ARA. D. Hieronymus in comment. epist. ad Titum cap. 1. indicat Apostolum nonnihil immutasse in titulo, utpote qui ad hunc modum scriptus fuerit, DIIS ASIÆ ET EUROPÆ ET AFRICÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS. Vide locum modò indicatum. Cæterùm de tituli hujus ratione ità scribit D. Chrysostomus, *Athenienses, quia per multa tempora acceperant Deos etiam extraneos, utpote templum Minervæ, & Panem, & alios aliunde, timentes nè forsan & alius quispiam esset quem ignorarent, ipsis quidem nondum cognitus, qui tamen alibi colatur, propter majorem igitur securitatem etiam illi altare erexerunt: Et quoniam non erat manifestus Deus; inscriptum est*, IGNOTO DEO. Cæterorum hac de re sententias prætermitto, quòd minùs mihi videantur habere veri similitudinem.

26, 27. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare*, &c.] *Inhabitare* modo infinito dixit juxta Græcanicæ elocutionis formam pro *ad inhabitandum*, vel, *ut inhabitaret, super universam faciem terræ.* In eo autem quod dicitur *ex uno* subintelligi potest *homine*, nisi malis ἐξ ἑνὸς αἵματος *ex uno sanguine*, ut in Græcis & apud Chrysostomum legitur; ubi (si modò mendo vacant exemplaria) αἵματος pro *genere* positum videtur: quo significato etiam *sanguinis* vocabulum Virgilius usurpavit, dicens,

> ——*Trojano à sanguine duci*
> *Audierat.*

Præterea illud *inhabitare* poterit & Latino more positum accipi, ut pendeat à *fecit.* Nam causam cur hominum genus Deus in terris agere voluerit mox subjungit, dicens, *quærere Deum*, h. e. ut quærat Deum. ¶ *Definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm*] Græca nonnihil dilucidiora sunt, sicque habent, ὁρίσας προτεταγμένους καιρὸς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν, ζητεῖν τὸν Κύριον, εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν αὐτὸν, καὶ εὕροιεν, καίγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα. Quæ ita verti poterant, *Metitus præordinata tempora, & terminos habitationis eorum, ut quærant Dominum, si forte manu contingant eum & inveniant, utpote qui non longè sit ab unoquoque nostrûm.* Pro pleniori tamen horum intellectu scito illud *quærere*, vel *ut quærant*, *Deum* pendere ab illo *inhabitare*, aut a *fecit. Fecit*, enim inquit, *omne genus hominum habitare in terra, ut quærant Dominum*; vel, *ob id hominem fecit, ut quærat Dominum.* Præterea illud *si forte attrectent eum* Hebraicâ phrasi dictum puto pro *siquidem*, vel *quia certè, contingere eum poterunt.* Nam frequens est hujus particulæ *si forte* usus ubi magis adfirmatio esse videtur quàm dubitatio.

28. *Quidam vestrorum Poëtarum dixerunt, Ipsius enim & genus sumus*] De Arato loquitur, ex cujus Phænomenis hemistichium hoc Heroicum adducit,

> Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.——

Sed ille quidem de Jove dixeras, hic verò de omnium Opifice assumit. Et τοῦ more Poëtico positum est pro τούτου.

29. *Non debemus existimare auro aut argento aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum esse simile*] Id est quod aliàs traduci poterat, *non debemus putare* τὸ θεῖον, *quod Divinum est*, vel *Deum ipsum, similem esse auro, aut argento, aut lapidi, nimirum sculpturæ artis & humana excogitationis:* ut intelligas illud *sculpturæ* casûs esse dativi, & per appositionem referri ad quodlibet illorum trium, *lapidi, argento*, & *auro*. Vel λίθῳ χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, *lapidi per artem perque humanum inventum sculpto. Æstimare* videtur Interpres usurpasse pro *existimare:* nam & hic & suprà c. 14. & aliis lego *æstimandi* verbum, cùm sit νομίζειν.

30. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat*, &c.] *Deus*, inquit, *hujus* tam perniciosæ *tempora ignorantiæ* ὑπεριδὼν *dissimulans* (h. e. explanatore Chrysostomo, *non puniens*, vel ὑπεριδὼν, i. *detestans & abominans, nec amplius ferre volens:* nam id nostra versio velle videtur) *nunc* tandem *annunciat hominibus*, &c. *Tempora* autem *ignorantiæ*, Hebraico more, ni fallor, dictum est pro *temporibus ignorantibus* vel per metathesin pro *pristini temporis ignorantia. Ignorantiam* verò eam dicit quâ Athenienses ipsi Numen quoddam quod colebant inscriptione IGNOTI DEI sese testantur ignorare. Immoratur enim argumento de *Ignoto Deo.*

31. *In viro in quo statuit*] Ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε etiam esse potest *in viro quem definierat.* Græcis enim postpositivus articulus sæpenumero cum præcedenti nomine congruit, discrepans interim à verbo sequenti. Et *in viro* pro *per virum* positum est.

34. *Dionysius Areopagita*] h. e. *Judex qui in Areopago judicia ferebat.* Areopagitæ enim Judices quidam erant Athenis summâ integritate, qui de capitalibus rebus judicabant, quales Romæ erant Centumviri. Et locus in quo judicabant *Areopagus* dicebatur, h. e. *Martis vicus.*

H. STEPHANUS.

1. **Δ**ιοδεύσαντες δὲ τὴν Ἀμφίπολιν] *Cùm autem iter fecissent per Amphipolin.*

3. Διανοίγων καὶ παρατιθέμενος ὅτι ἔδει] *Aperiens eas, & testimonia ex illis afferens, quòd oportuisset.* Ad verb. *Allegans eas quòd oportuisset.*

5. Τῶν ἀγοραίων] *Ex circumforaneis.* ¶ Ὀχλοποιήσαντες, ἐθορύβουν τὴν πόλιν] *Tumultu excitato* (vel, *turbâ coactâ*) *perturbabant urbem.*

6. Οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες] *Qui statum rerum omnium in orbe perturbarunt.* Vel ut c. 22. 38.

7. Ἀπέναντι τῶν δογμάτων] *Contra decreta.*

8. Τοὺς πολιτάρχας] *Præfectos urbis.*

9. Τὸ ἱκανὸν] *Idoneam fidejussionem.*

11. Ἀνακρίνοντες] *Examinantes.*

13. Σαλεύοντες] *Concitantes.*

15. Οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν Παῦλον] *Qui Paulum deducebant ad eum locum ubi sistendus erat.* Alii, *Qui Paulum susceperant tuto loco constituendum.*

16. Κατείδωλον οὖσαν] *Idolis deditam:* id est, idololatriæ.

18. Συνέβαλλον αὐτῷ] *Congrediebantur cum eo:* vel, *conflictabantur.* ¶ Τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν; *Quid sibi velle blatero hic dici possit?* vel *fundiator verborum.* Potest etiam de vili & contempto intelligi.

20. Ξενίζοντα] *Peregrina:* i. valde mira, vel planè nova.

21. Εἰς

21. Εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν ἢ λέγειν] *In nulla re alia tempus à se bene collocari existimabant quàm in dicendo.* Vel, *ad nihil aliud temporis opportunitate & otio utebantur.*

22. Ὡς δεισιδαιμονεστέρους] *Paulò (ut ità dicam) superstitiosiores.*

23. Τὰ σεβάσματα ὑμῶν] *Ea quæ veneramini.*

26. Τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας] *Terminos habitationis.*

27. Εἰ ἄρα γε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν] *Siquo modo fieri posset ut velut in tenebris palpantes invenirent ipsum.*

31. Πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν] *Postquam fidem fecit omnibus, in eo quod excitarit.*

DRUSIUS.

1. *VEnerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum*] Hodie *Salonichi* vocatur: ubi etiamnum Synagoga est, in qua Rabbinum agit Nicolaus Vietor (ità perscriptum fuit ad me) Juris Licentiatus, quondam officio Academico fungens Marpurgi. Quid eum moverit ut eò concederet & ex Christiano Judæus fieret, nescio. Hoc scio, non fuisse tam doctum Hebraicè atque vulgus opinatur: nam si fuisset, nunquam auro æs prætulisset, nunquam ad vomitum quem veteres Christiani evomuerunt rediisset. Hodie qui semi docti sunt in hac lingua doctissimi habentur. Inter cæcos luscus rex est. Non est hominis eruditi verum cum falso permutare. Qui hoc faciunt, si non sunt imperiti, vel judicio destituuntur, vel commodum aliquod temporale affectant.

5. *Jasonis*] Nomen hoc Græcum est, non Hebraicum. Scire licet Hellenistas olim usos fuisse pro nomine *Jesus*. Unde Jason frater Oniæ vero nomine *Jesus* vocabatur; sed *Jason* apellari maluit, Eusebius in Chron. Josephus Orig. Jud. lib. 12. cap. 6. Sic reperias qui libentiùs audiunt *Janus* quàm *Johannes*, & *Justus* quàm *Jodocus*. Jesus ille primus gymnasium, in quo Græcæ disciplinæ tradebantur, Jerosolymæ instituit.

17. *Cùm Judæis & colentibus*] Innuit *colentes Græcos*, qui Mosis religionem ex profanis Gentibus amplexi fuerunt; quos supra v. 4. *colentes Gentiles* appellat. Cæterùm rectiùs eos dixisset *colentes religionis*: nam in fonte Græco σεβομένοις à σέβομαι *colo*. Sed verbum Latinum latiùs patet, *Colimus* enim terram, & arva, & hortos: σεβόμενοι dicuntur *qui pietatem & religionem colunt*. Cicero pro Plancio, *Qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam Diis immortalibus gratiam justis honoribus & memori mente persolvunt? Colens religionis*, i. religiosus: quod ità dicitur ut *appetens vini, fugitans litium, metuens Divûm matertera*. Sic *mulier timens Domini*. Mentio horum & cap. 13. 50. ubi & σεβόμεναι mulieres *colentes religionis*, sive *religiosæ*, sunt. Sunt qui ex his religiosis incircumcisos fuisse putant, in eorum numero ponentes Cornelium Centurionem ad quem Petrus missus fuit, quem Lucas εὐσεβῆ vocat.

21. *Ad dicendum aut audiendum aliquid novi*] Hanc levitatem suis civibus sæpenumero exprobrat Demosthenes. Plutarchus quoque illam notavit.

23. IGNOTO DEO] Paulus nullâ fraude hìc usus fuit si inscriptio erat DEO IGNOTO, & non, ut Hieronymus opinatur, DIIS IGNOTIS. Firmant hanc inscriptionem in numero singulari primùm Scholia Græca, deinde Lucianus in Philopatride bis meminens Θεῶ ἐν Ἀθήναις ἀγνώστω *Dei Athenis ignoti*. Hieronymus annotat in inscriptione fuisse DIIS IGNOTIS, Paulum autem de industria numerum mutasse: quod mihi non videtur. Verba ejus habentur in Comment. super epist. ad Titum lib. 1. *Inscriptio aræ non ità erat ut Paulus asseruit, sed ità*, DIIS ASIÆ ET EUROPÆ ET AFRICÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS. *Verùm quia Paulus non pluribus indigebat Diis ignotis, sed uno tantùm ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum quem Athenienses in aræ titulo prænotassent*, &c. Cæterùm pro Ἀγνώστω Θεῷ in Syra ed. legitur ܠܐܠܗܐ ܟܣܝܐ Θεῶ ἀποκρύφω *Dei occulti* sive *abditi*. Nam גנז *occulto, recondo*, ἀποκρύπτω unde libri *Apocryphi* גנזים dicuntur: & לגנז est *inter apocrypha referre*: ut in libro Musar. 120. 2. *Sapientes voluerunt librum Coheleth apocryphum facere, quoniam verba ejus destruunt se mutuò. Non fecerunt, quia initium ejus verba Legis, & finis ejus verba Legis.* Eadem ferè leguntur in Abenezra Cohel. 1.

26. *Fecit ex uno omne genus hominum*] *Ex uno homine, an sanguine?* Hoc habetur in editionibus Græca & Syriaca, & parùm refert hoc an illud dicas. Nam Homo est *caro & sanguis*: imò *sanguis* pro *homine* ponitur, ut Psal. 94. 12. *sanguinem innoxium condemnant*, i. hominem innoxium vel, si mavis, insontem. Sic Prov. 1. 11. *Insidiemur sanguini*, i. homini, ad effundendum sanguinem ejus: aut *sanguini innoxio*; nam sequitur, *abscondamus nos contra insontem gratis*: quod nos olim reddidimus *impunè*. Sic, *Impune tenditur rete ante oculos pennipotentis*: eadem dictio in fonte. Utut sit, in Belgica lingua *pauper sanguis* est homo miser, **een arm bloet.** Prov. 28. 17. *Vir opprimens sanguinem animæ*, i. hominem. Simile, *Occidit animas hominum multas*, i. homines multos. Fortè hoc dicit, *sanguinem animæ*, i. hominis, aut *sanguinem animæ*, i. vitalem: nam & in sanguine vita: & ipsa *anima* sæpe pro *vita* ponitur *corporis animati*: unde *occidere animam* dicitur qui vitam alicui adimit.

28. *Ipsius enim & genus sumus*] Hieronymus in epist. ad Gal. c. 4. *Hoc hemistichium fertur in Arato, qui de cælo stellisque conscripsit.* Idem in epist. ad Titum, c. 1. IPSIUS ENIM ET GENUS SUMUS: *quod hemistichium in Phænomenis Arati legitur, quem Cicero in Latinum sermonem transtulit, & Germanicus Cæsar, & nuper Avienus, & multi quos enumerare longum est.* Arati locum integrum laudat Eusebius Προπαρ. lib. 13. ex Aristobulo, & Clemens στρωμάτων lib. 5. citante Eusebio, ibid pag. 394.

CASAUBONUS.

16. Θεωροῦντι κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν] Latini interpretes putant πόλιν κατείδωλον esse quæ sit *idolis* sive *idololatriæ, dedita*. Mihi verò ea vox videtur potiùs *urbem idolis refertam* notare: quâ formâ dicuntur à Geographis locis κατάδενδροι ubi multæ sunt viteæ, & κατάδρυμος, q. d. *sylvosus* aliáque id genus quàm plurima. Et sanè videtur Paulo παροξυνθῆναι τὸ πνεῦμα, cùm incedenti per urbem Athenarum, tot locis tot occurrerent Deorum simulacra. Syrus P. mecum sentit.

18. Ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι] Malè audiebant eo nomine Athenienses quòd sacra peregrina admitterent. Strabo lib. 10. Ἀθηναῖοι δὲ ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς θεούς· πολλὰ γὰρ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο, ὥστε καὶ ἐκωμῳδήθησαν.

22. Κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ] Huc pertinet quod legimus in Græcorum commentariis, Δι' ὅλου τοῦ ἔτους θύουσιν οἱ Ἀθηναῖοι καθ' ἑκάστην πλὴν μιᾶς ἡμέρας· unde apparet religio sive δεισιδαιμονία ingens Atheniensium.

CAMERON.

11. OΥτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ] Hìc, inquiunt Novatores, apertè discriminantur Berœenses, sermonem Pauli alacriter suscipientes, à Thessalonicensibus, eodem repudiato, plebem adversùs Paulum concitantibus. Unde concludunt, Aliquam ergò in hominibus esse rationem discriminis quoad Dei vocationem, cur hi potiùs quàm illi à Deo vocentur. Verùm quòd εὐγενέστεροι *generosiores* dicuntur qui verbum Dei lubentissimè admiserunt, nihil hominum illorum causam juvat. Certè multò generosioris est animi amplecti Christum quàm aspernari. Apostolus eo probat *Berœenses fuisse Thessalonicensibus generosiores quia verbo Dei præbuerunt obsequium*, h. e. causam demonstrat ex effecto: nam obsequium verbo Dei præstitum effectum fuit illius generositatis. Sed hìc semper recurrit quæstio, Unde profectum fuerit ut generosiores fuerint, quando naturæ conditione Thessalonicensibus erant Berœenses pares. Certè nos Deo discriminis hujus causam tribuimus, cui omnis excellentiæ laus, cùm comparatio instituitur inter hos & illos, tribuenda est.

Probè memini D. Cameronem Lutetiæ cum Novatore quodam disputantem retulisse vocem εὐγενέστεροι ad conditionem civilem, non ad moralem animi statum, & negasse hoc ad animum referri, idque probasse ex Luc. 19. 12. Ἄνθρωπός τις εὐγενὴς *profectus est in regionem longinquam accepturus regnum*: & 1 Cor. 1. 26. οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς, tum etiam ex sequentibus, ubi Lucas mentionem facit feminarum quarundam τῶν εὐσχημόνων, v. 12. quod ad conditionem civilem pertinet. MESTREZAT.

GUALTPERIUS.

18. TΩN Ἐπικουρείων καὶ τῶν Στωϊκῶν φιλοσόφων] Qui & quales hi fuerint Philosophi, quæque illorum dogmata, prolixè recenset Diogenes Laertius lib. 10. & 7. necnon & alii, ad quos benignum lectorem remitto.

GROTIUS.

Διοδεύσαντες δὲ τὴν Ἀμφίπολιν, *Cùm autem perambulassent Amphipolim*] Urbem vicinam Philippis, ut ex Ptolemæo liquet. ¶ Καὶ Ἀπολλωνίαν, *& Apolloniam*] Eam quam *Mygdoniam* vocat Ptolemæus. Erat mari adsita, Corinthiorum & Corcyræorum Colonia: quam describit Cæsar III. Belli civilis, & Strabo libro VII. ¶ Ἦλθον εἰς Θεσσαλονίκην, *venerunt Thessalonicam*] Est urbs præclara Macedoniæ ad sinum Thermaicum, ut ex Strabone & Ptolemæo cognoscere est, condita à Philippo Amyntæ filio post victoriam de Thessalis, unde urbi nomen. ¶ Ὅπου ἦν ἡ συναγωγὴ τῶν Ἰουδαίων. *ubi erat Synagoga Judæorum*] Articulus additus significat Philippis, Amphipoli & Apolloniæ nullas fuisse Synagogas: sed si qui ibi essent Judæi, eos Synagogam adiisse Thessalonicensem.

2. Κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς τῷ Παύλῳ εἰσῆλθε πρὸς αὐτοὺς, *Secundùm consuetudinem autem Paulus introivit ad eos*] Hebraismus, pro ὁ δὲ Παῦλος κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ εἰσῆλθε [*Paulus autem secundùm consuetudinem suam introivit.*] Mos erat Paulo primùm adire Judæos & ipsis afferre Euangelii sermonem, supra 13. 46.

3. *Διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν, Διανοίγων καὶ παρατιθέμενος ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν, disserebat eis de Scripturis, Adaperiens & insinuans, quia Christum oportuit pati & resurgere a mortuis*] Puto rectiùs distingui, διελέγετο αὐτοῖς, ἀπὸ τῶν γραφῶν διανοίγων καὶ παρατιθέμενος [*disserebat eis, de Scriptura adaperiens & insinuans:*] *Multa cum illis disserebat, & ex Scripturis apertum faciebat, & ob oculos ponebat Christum debuisse pati.* παρατιθέμενος [*proponens*] intellige ἐνώπιον αὐτῶν [*coram illis,*] quæ plena locutio reperitur Exodi 19. 7. & 21. 1. Deut. 4. 44. Locis Scripturæ iisdem usus est Paulus, quibus Christus in eadem re, Lucæ 24. 26, 27. ¶ Ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *quem ego annuntio vobis*] Transitio ab oratione obliqua ad directam, frequens & aliis & nostris maximè Scriptoribus.

4. Καὶ προσεκληρώθησαν τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Σίλᾳ, *& adjuncti sunt Paulo & Silæ*] נלוו, *additi fuere Paulo & Silæ.* Sed in προσεκληρώθησαν [*adjuncti sunt*] plus aliquanto est, & significat planè illos addictos fuisse Paulo & Silæ, sicut res hæreditariæ apud Hebræos. Utitur hoc verbo & Lucianus: συγκληρωθῆναι pro eodem dixit Aristides. ¶ Τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος, *& de colentibus Gentibus multitudo magna*] Hic σεβόμενοι Ἕλληνες [*colentes Gentes*] sunt iidem quos Hebræi vocant חסידי אומות, *pii ex Gentibus*, qui legem quidem Mosis non susceperant, sed idololatria & pravis moribus relictis, unum colebant Deum & nemini faciebant injuriam; qui gradus erat ad Christianismum. ¶ Γυναικῶν τε τῶν πρώτων, *& mulieres nobiles*] *Ex Matronis.* Vide supra 13. 50.

5. Τῶν ἀγοραίων τινὰς, *de vulgo quosdam*] Ammonius, Ἀγόραιος ἐὰν προπαροξυτόνως, σημαίνει τὸν πονηρὸν τὸν ἐν ἀγορᾷ τεθραμμένον· ἐὰν δὲ προπερισπωμένως, σημαίνει τὸν ἐν ἀγορᾷ τιμώμενον [Ἀγόραιος, *cum antepenacuitur, malum hominem in foro educatum; penultimâ circumflexâ, eum cui in foro honor habeatur, denotat.*] Hi sunt quos *circumforaneos* vocant Latini, Livius libro 9. *forensem factionem*, Plautus *scurras* Trinummo, quos sic graphicè depingit,

> *Nihil est profectò stultius neque stolidius,*
> *Neque mendaciloquius, neque argutum magis,*
> *Neque confidentiloquius, neque perjurius,*
> *Quàm urbani assidui cives, quos scurras vocant.*

ἀγόραιοι σύρφακες, [*viles scurræ*] Clementi Alexandrino: ἤθη ἀγόραια [*scurrarum mores*] Theophrasto. ¶ Ὀχλοποιήσαντες, *turbâ factâ*] Ὀχλοποιεῖν est קשר, quod συστροφὴν ποιεῖν [*seditionem concitare*] vertitur apud Amosum. ¶ Τῇ οἰκίᾳ Ἰάσονος, *domui Jasonis*] Judæi, qui Hebraïcè ישוע [*Jeschua.*] Hic fuit ex Judæis illis Christianis, qui ex Judæa in Syriam, ex Syria in Macedoniam venerant.

6. Ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας, *ad principes civitatis*] Vox Græca eodem modo facta quomodo Βοιωτάρχαι illi *urbis Præfecti*, hi *gentes Bœotica.* ¶ Οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες, *qui orbem concitant*] *Qui terrarum orbem ad res novas excitarunt.* Sic ἀναστατοῦν [*concitare*] & infra sumitur 21. 38. Politici qui sæpe dogmata vera à falsis, salubria à noxiis non norunt distinguere, omnia nova suspecta habent: id Euangelio vehementer obstitisset, nisi Deus ingenti Spiritu difflasset ista consilia.

7. Οὓς ὑποδέδεκται, *Quos suscepit*] In Glossis ὑποδέχομαι, *suscipio, excipio.* Sic usurpatur hæc vox Tobiæ 7. 9. 2 Macc. 16. 15. Frequens vox hoc sensu & apud Poetas, & apud Historiarum scriptores Græcos. ¶ Ἀπέναντι τῶν δογμάτων Καίσαρος πράττουσι, *contra decreta Cæsaris faciunt*] Neque enim aut olim Populus Romanus, aut postea Cæsares permisêre in regionibus devictis quenquam Regem dici, nisi suo permissu. Livius commemorat à Masinissa gratias actas Senatui, quòd Scipio eum Regem appellasset: & Cicero pro Deiotaro, & in Aruspicum responsis, & in Epistolis, non semel Deiotarum ait à Senatu Regem appellatum. Sallustius in bello Jugurthino narrat Masinissæ nepoti a Metello non concessum ut sellam juxta eum poneret, quòd is honos eorum modò foret, quos Populus Romanus Reges appellavisset. Ariovistum à Populo Romano Regem appellatum docet nos in Commentariis suis Cæsar: in qua historia Dion, Τὴν κύρωσιν τῆς βασιλείας παρὰ τῶν Ῥωμαίων εἰλήφει [*Populus Romanus ratum ei regnum fecerat;*] qui & de Juba, βασιλεὺς προσηγορεύθη [*Rex appellatus est.* Valerius Maximus refert à Pompejo Ariobarsanis filium Regem appellatum. ¶ Βασιλέας λέγοντες ἕτερον εἶναι Ἰησοῦν. *Regem alium dicentes esse Jesum*] Non Judææ tantùm, de quo apud Pilatum accusatus Jesus fuerat, sed totius humani generis. Nam Christiani Jesum vocabant Κύριον [*Dominum,*] quod in hoc libro sæpe; sæpissimè verò in Paulinis literis occurrit. Hoc autem idem valet quod βασιλεὺς [*Rex,*] Apocal. 1. 8. & 15. 3. & 17. 14. Non magis quam Pilatus intelligebant isti Macedones regnum Christi ejus esse ingenii ut Regibus mundi hujus non obstaret, imò & illorum firmaret imperia multis modis. Simile vide Joh. 18. 36, 37. ἕτερον, id est *alium à Cæsare*, qui se κόσμου Κύριον [*mundi Dominum*] dicebat, ut est in L. Ἀξίωσις [*deprecatio*] D. ad legem Rhodiam.

8. Ἐτάραξαν δὲ τὸν ὄχλον καὶ τοὺς πολιτάρχας, *Concitaverunt autem plebem & Principes civitatis*] Id est, *animos & populi & Magistratuum non parum commoverunt*, metu ne quid in Imperium Romanum committerent.

9. Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος, *Et accepta satisfactione à Jasone*] Est vox Romani juris, *satis accipere*, cui respondet *satisdare*, unde *satisdatio*, ἱκανοδοσία Theophilo: sicut *satisfacere* ἱκανὸν ποιῆσαι, Marci 15. 15. Sunt enim hæc pari modo dicta. L. 1. D. qui satisdare cogantur. *Satis accipere* frequens in jure, ut initio L. 1. D. ut in possessionem legatorum. *Satis accipit*, cui cavetur, quantum Legi aut Judici aut viro bono satis est. Jason hic & amici ejus satis dederunt judicio sisti Paulum & Silam, si opus esset, quod non evenit. Ita interpretati sunt hunc locum rectè & Syrus & Arabs.

10. Εἰς Βέῤῥοιαν, *in Berœam*] Est urbs Macedoniæ non procul à Pella, Plin. 4. 10. Ptolemæus in *Macedonia.* ¶ Οἵτινες, *qui*] Paulus & Silas. ¶ Παραγενόμενοι, *cùm venissent*] Ubi Berœam venerant.

11. Οὗτοι δὲ, *Hi autem*] Nempe Judæi Berœenses: nam præcessit τῶν Ἰουδαίων [*Judæorum*] post *Berœæ* mentionem. Huc ergo refertur illud οὗτοι [*hi.*] ¶ Εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, *nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ*] Genitivus hic significat alterum membrum comparationis εὐγενέστεροι [*nobiliores*] autem Patres Græci interpretantur ἐπιεικέστεροι [*æquiores.*] Non æquè duro erant animo: audiebant patienter; cogitabant de re; inquirebant. Erant εὐθετώτεροι πρὸς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, [*magis apti ad regnum Dei.*] Erant magis τεταγμένοι πρὸς τὴν ζωὴν αἰώνιον [*ordinati ad vitam æternam.*] *Volebant facere voluntatem Patris*, eoque meliùs *cognoscebant de verbo*, Joh. 7. 17. In Glossario, εὐγενὴς, *ingenuus.* Utrumque primitivam significationem habet de origine translatam ad animum. Sic & Latini dicunt *ingenium liberale.* Josephus de iis qui Antiochi impiis jussis non obsequebantur 12. 7. Οἱ δὲ δοκιμώτατοι καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς οὐκ ἐφρόντιζον αὐτοῦ, [*Eminentissimi autem & qui generoso erant animo ipsum non curabant.*] Plutarchus in Homericis quæstionibus, Ἔστι δὲ τῶν αὐτῶν φιλοσόφων δόγμα, καὶ τὸ διδακτὴν εἶναι τὴν ἀρετὴν, ἔχουσαν μὲν ἀρχὴν τὴν εὐγένειαν, ὑπὸ δὲ παιδείας εἰς τὸ τέλειον προαγομένην [*Est porrò eorundem Philosophorum hoc quoque dogma, doceri posse virtutem: quam incipere à bonâ indole, a disciplinâ perfici volunt.*] ¶ Οἵτινες, *qui*] Qui Judæi Berœenses. ¶ Ἐδέξαντο τὸν λόγον, *susceperunt verbum*] Id est, *crediderunt verbo*, ut hîc explicant Græci. Eadem locutio supra 11. 1. ¶ Μετὰ πάσης προθυμίας, *cum omni aviditate*] בכל לבב, *animo alacri.* Sic προθυμία sumitur Sirac. 45. 32. 2 Cor. 8. 11, 19 & 9. 2. ¶ Ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. *scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*] Non quod dubitarent de veracitate Pauli & Silæ, sed ut Prophetica scripta cum illorum verbis conferendo, magis magisque in veritate confirmarentur, & haberent unde alios convincerent.

rent. Ἀνακρίνειν [*scrutari*] hic est quod ἐρευνᾷν [*investigare*,] Joh. 5. 39. חפש: nam id utraque illa Græca voce vertitur.

12. Πολλοὶ μὲν οὖν ἐξ αὐτῶν ἐπίστευσαν, *Et multi quidem crediderunt ex eis*] Ex Judæis alii aliorum exemplo. ¶ Καὶ τῶν Ἑλληνίδων γυναικῶν τῶν εὐσχημόνων, *& mulierum gentilium honestarum*] Quædam etiam ex Macedonicis matronis. Vide supra 13. 50.

13. Σαλεύοντες τοὺς ὄχλους. *turbantes multitudinem*] Σαλεύειν [*turbare*] multis vocibus Hebræis respondet: hic tantundem valet quantum σείειν הסית, *concitare*, *irritare adversus aliquem*.

14. Πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν *ut iret usque ad mare*] Habet quidem Manuscriptus ille & alii, ἕως [*usque*,] sed ὡς [*velut*] verius arbitror, & deductum quidem Paulum ad oram maris tanquam navigaturum, & famam ita sparsam; cæterùm reipsa properasse eum terrestri itinere Athenas. ¶ Ὑπέμενον δὲ ὅ τε Σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος ἐκεῖ. *Silas autem & Timotheus remanserunt ibi*] In Macedonia ubi consanguineos habebant.

15. Οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν Παῦλον, *Qui autem deducebant Paulum*] Qui Paulum deducebant mandatu Thessalonicensium. In Manuscripto est καθιστάνοντες. ¶ Καὶ λαβόντες ἐντολὴν, *& accepto mandato*] A Paulo.

16. Παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ, *incitabatur Spiritus ejus in ipso*] Commotus ei fuit animus, ישתומם לבי Psalm. 143, 4. ubi Græci ἐταράχθη ἡ καρδία [*turbatum est cor.*] Similis locutio Joh. 12. 27. & 13. 21. & 14. 1. ¶ Κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν. *idololatriæ deditam civitatem*] Vocem κατείδωλον [*deditam idololatriæ*] finxit Lucas, ad exemplum vocis κατάθεος, quod est interprete Polluce λατρεύων θεοῖς [*Deos colens.*] Quos deos vocabant Græci, eos Christiani εἴδωλα [*idola.*] Paulus Hebraïcè dixerit עובדי עבודה זרה [*servientem cultui extraneo.*] Athenæ urbs fanorum referta, teste Cicerone de Aruspicum responsis.

17. Καὶ τοῖς σεβομένοις, *& religiosis*] Nempe τῶν Ἑλλήνων [*Græcorum*,] ut supra 4. ¶ Καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, *& in foro*] Ubi res erant venales, & quò maximè populus coibat. Ἀγορὰ τόπος ἔνθα πιπράσκεται τὰ ὤνια [*Forum, locus ubi prostant res venales*,] ait Scholiastes ad Acharnenses.

18. Τινὲς δὲ τῶν Ἐπικουρείων, *Quidam autem Epicurei*] Duo genera Philosophorum nominat, maximè alienorum à Christiana religione: nam Epicurei neque Mundum conditum à Deo credebant, neque Deo curam esse rerum humanarum, neque ulla præmia aut pœnas post mortem, neque bonum aliud quam quod sensibus perciperetur. ¶ Καὶ Στωϊκῶν, *& Stoici*] Stoïci verò erant,

——κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί
——[*Vanis inflati fastibus utres.*]

Negabant *sapientem suum quicquam Jovi cedere: nihil enim Deo debere ob id quod saperet: Jovem plus non posse quam bonum virum: Jovem diutius bonum esse, at sapientem nihilo minoris se æstimare, quod virtutes ejus spatio breviori clauduntur*: quæ habes apud Senecam Epistola 73. *Manu quærendam mortem potius quàm ferendam servitutem, contumelias aut graves morbos.* ¶ Συνέβαλλον αὐτῷ *disserebant cum eo*] *Congressi sunt cum eo.* Translatio est de prœliis sumpta, ut apparet Luc. 14. 31. Utitur ita sæpe Polybius, quem sequi amat Lucas. Tertullianus De Hæreticorum præscriptionibus de Paulo locutus, *Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam, affectatricem & interpolatricem veritatis, de congressibus noverat.* ¶ Ὁ σπερμολόγος οὗτος, *seminator verborum hic*] Σπερμολόγοι propriè *aves quæ sata depascuntur*, ut ait Scholiastes ad aves Aristophanis. Cœpit hinc transferri ad eos, *qui aris imposita auferrent*, ut ait Ulpianus ad Demosthenis Orationem de Corona, ubi Æschini hoc nomen datur. Longiùs transferri cœpit ad omnes *inhonesto quæstu se sustentantes.* Hinc Σπερμολόγα ῥήματα [*futilia verba*,] & σπερμολογία ναυτικὴ [*nautica dicacitas*] apud Plutarchum. Eustathius ad E Odysseæ. Ἰστέον δὲ ὅτι ὥσπερ ἐνταῦθα τροπικῶς ἐῤῥέθη, Σπέρμα πυρός, οὕτω τέτραπται καὶ τὸ Σπερμολογεῖν ἐπὶ τῶν ἀλαζονευομένων ἀμαθῶς ἐπὶ μαθήμασιν ἔκ τινων παρακουσμάτων. Καθὰ ἐμφαίνειν Εὔπολις λέγεται, τὸν Φυσικὸν Πρωταγόραν διακωμῳδῶν ἐν τῷ· Ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει. Ὁ δὲ κυρίως, φασὶ, σπερμολόγος καὶ σπερμονόμος εἶδός ἐστιν ὄρνεου λαβόμενον τὰ σπέρματα, ἐξ οὗ Ἀττικοὶ σπερμολόγους ἐκάλουν τοὺς περὶ ἐμπόρια καὶ ἀγορὰς διατρίβοντας, διὰ τὸ ἀναλέγεσθαι τὰ ἐκ τῶν φορτίων, φασὶν, ἀποῤῥέοντα καὶ διαζῆν. Ἐκ τούτου δὲ τὴν αὐτὴν ἐλάγχανον κλῆσιν καὶ οἱ οὐδενὸς λόγου ἄξιοι [*Sciendum autem, ut hic figuratè dictum est, ignis semen*: *ita* τὸ σπερμολογεῖν *de iis quoque figuratè dictum, qui, cùm nonnihil fortè quod de scientiâ aliquâ aut arte desumptum sit inaudierint, neque idipsum tamen rectè perceperint, immodestè eruditionem suam jactant. Id quod Eupolis ostendere dicitur, dum Protagoram Physicum perstringit hoc scommate: Qui quæ in cœlo sunt jactas, scelus; at quæ humi sunt voras. Est autem* σπερμολόγος *&* σπερμονόμος *propriè, ut ajunt, avicula quædam quæ semina depascit: unde Attici* σπερμολόγους *vocabant eos, qui fora eaque ferè loca ubi res veneunt, pervagantur, quòd hi soleant ea quæ ex oneribus, ut vocant, decidunt colligere eaque re victum quærere. Hinc eadem voce appellati fuere & qui nullius pretii sunt.*] Tatianus conjungit φληνάφους καὶ σπερμολόγους [*nugatores & spermologes.*] ¶ Ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι. *Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse*] Non rarum id Athenis; publico scito extranea numina admittere. Strabo de Atheniensibus, πολλὰ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο [*multa extranea sacra admiserunt.*] Privatim id non licebat. Ideo Socrates accusatus, tanquam ἕτερα καὶ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος [*alios ac novos deos introducens*,] ut Laërtius loquitur. ¶ Ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῖς εὐηγγελίζετο. *quia Jesum & resurrectionem annuntiabat eis*] Sub *resurrectione* intellige etiam omnem potestatem in cœlo & in terra, & judicandi mortuos & vivos, quam Jesu Paulus tribuebat. Vide infra 31.

19. Ἐπιλαβόμενοί τε αὐτοῦ, *Et apprehensum eum*] Manu leniter prehensum. ¶ Ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον ἤγαγον, *ad Areopagum duxerunt*] Non ad judicium, sed quod ibi multi esse solerent homines eruditi, Senatores, Oratores & alii. Vide infra 34. ¶ Δυνάμεθα γνῶναι, *Possumus scire*] Licétne nobis per te discere, quod sit tuum dogma, cujus sis in Philosophia sectæ?

20. Ξενίζοντα γάρ τινα, *Nova enim quædam*] Non audita. Sic ξενιζούσαις συμφοραῖς βασανίσαντα [*qui novis cruciatibus torserat*] dixit Scriptor 2 Macc. 9. 6. ¶ Τί ἂν θέλοι ταῦτα εἶναι; *quidnam velint hæc esse?*] Idem loquendi genus habuimus supra 2. 12.

21. Καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι, *& advenæ hospites*] *Peregrini qui ibi ad tempus diversabantur*; facilè & hi imbibebant civium vitia. ¶ Εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν, *ad nihil aliud vacabant*] *Vacabant.* Sic & Marc. 6. 31. ¶ Ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον. *nisi aut dicere aut audire aliquid novi*] Demosthenes Philippica 4. Τοσοῦτον χρόνον σπουδάζετε, ὅσον ἂν κάθησθε ἀκούοντες ἂν προσαγγελθῇ τι νεώτερον [*Eousque operam navatis, dum audiatis ecquid annuntietur novi.*] Idem in responso ad Epistolam Philippi, Ἡμεῖς δὲ, εἰρήσεται γὰρ τ' ἀληθὲς, οὐδὲν ποιοῦντες ἐνθάδε καθήμεθα, μέλλοντες ἀεὶ καὶ ψηφιζόμενοι, καὶ πυνθανόμενοι κατὰ τὴν ἀγορὰν εἴτι λέγεται νεώτερον [*Nos interea, dicetur enim id quod res est, sedemus hic otiosi, cunctamur æternùm, decernimus, sciscitamur denique ecquid in foro novi.*] Vides illic dici νεώτερον, quomodo hic καινότερον, comparativum pro positivo. Sic & apud Platonem, Τί καινότερον, ὦ Σώκρατες; [*quid novi, ô Socrates?*]

22. Κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ *per omnia quasi superstitiosiores vos video.*] Δεισιδαίμων [*superstitiosus*] vox est media. Δεισιδαιμονία ἥψατο τῆς πόλεως, Plutarchus, *religio civitatem invasit.* Laudare voluit Athenienses, quòd pro copia cognitionis suæ religiosi essent, ut ea insinuatione aditum sibi pararet ad eos docendos rectiora. Erat autem hæc laus propria Atheniensium, religionis studio alios populos vincere. Josephus adversùs Appionem 2. Μιμεῖσθαι γὰρ οὐ προσῆκε τὴν Ἀπίωνος ἀπαιδευσίαν, ὃς οὔτε τὰς Ἀθηναίων τύχας οὔτε τὰς Λακεδαιμονίων ἐνενόησεν, ὧν τοὺς μὲν ἀνδρειοτάτους, τοὺς δὲ εὐσεβεστάτους τῶν Ἑλλήνων ἅπαντες λέγουσιν [*Non enim convenit stultitiam nos indocti Apionis imitari, qui neque casus Atheniensium neque Lacedæmoniorum animo suo concepit, quorum hos quidem fortissimos, illos religiosissimos Græcorum omnes affirmant.*] Sophocles Oedipode Coloneo,

Ὅθ' οὕνεκ' εἴτις γῆ θεοὺς ἐπίσταται
Τιμαῖς σεβίζειν, ἥδε τοῦδ' ὑπερφέρει.
[*Nam si qua novit terra venerari Deos*
Et honore colere, principem hæc laudis tenet.]

Lycurgus Orator adversùs Leocratem, Εὖ γὰρ ἴστε, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτι ᾧ πλεῖστον διαφέρετε τῶν ἄλλων ἀνθρώπων τῷ πρός τε τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς ἔχειν [*Scitis enim profectò Athenienses, vos, quâ re maximè reliquos mortales antevertitis, erga Deos quidem pietate.*] &c. Pausanias 1. Δέδεικται δέ μοι καὶ πρότερον, ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς [*Jam enim & suprà dixi, plus esse Atheniensibus circa divinum cultum quàm aliis studii.*] Philostratus 4. Ἐπειδὴ φιλοθύτας τοὺς Ἀθηναίους

ναοὺς εἶδεν [*Postquam Athenienses immolandis sacrificiis cognovit esse deditos.*]

23. *Διερχόμενος γὰρ, Præteriens enim*] *Transiens per urbem.* ¶ *Τὰ σεβάσματα ὑμῶν, simulacra vestra*] *Σεβάσματα* [*simulacra,*] Philoni *σεβασμοὶ*, sunt *ea per quæ dii coluntur*, unde *culturas* hic non malè vertit Latinus. Diximus de hoc vocabulo in alteram ad Thessalonicenses. ¶ Ἀγνώστῳ Θεῷ. *Ignoto Deo*] Lucianus, *νὴ τὸν ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις* [*per eum, qui est Athenis, ignotum.*] & *τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον per ignotum, qui Athenis est, Deum.*] Quare dubitari non debet quin fuerint inscriptiones quædam in singulari, *Θεῷ ἀγνώστῳ* [*Deo ignoto.*] sicut Laërtius originem hujus rei narrans dicit ab Epimenide monitos Athenienses, ut sacra facerent *τῷ προσήκοντι Θεῷ*, id est, *ei Deo ad quem ea res pertineret*, non addito nomine. Sic Romani, *Si Deus, si dea es*, Macrob. 3. 9. Cùm Pausanias ait aras Athenis fuisse *θεῶν ἀγνώστων* [*ignotorum Deorum,*] hoc vult, multas fuisse aras tali inscriptione, Θεῷ *ἀγνώστῳ* [*Deo ignoto.* quanquam potuere & aliæ esse pluraliter inscriptæ, aliæ singulariter. ¶ *Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, Quem ergo ignorantes colitis*] Nota *εὐσεβεῖν* [*colere*] activè. Sic apud Plutarchum ex Poëta vetere,

> *Οὐδεὶς κάματος εὐσεβεῖν θεούς.*
> [*Nullus est pietas labor.*]

Simili constructione, sensu paulùm inclinato, *εὐσεβεῖν τὸν ἴδιον οἶκον* [*regere domum suam*] dixit Paulus 1 Timoth. 5. 4. ¶ *Τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. hunc ego annuntio vobis*] Lucanus,

> ... *Et dedita sacris*
> *Incerti Judæa Dei.* —

id est, *Θεοῦ ἀγνώστου* [*ignoti Dei.*] Samaritani in Epistola ad Antiochum Epiphanem, *Ἱδρυσάμενοι δὲ ἀνώνυμον ἐν τῷ Γαριζὶν λεγομένῳ ὄρει ἱερὸν* [*collocavimus autem nomine non insignitum in monte Garizitano templum.*] Dion Cassius Judæorum Deum vocat *ἄῤῥητον καὶ ἀειδῆ* [*ineffabilem & invisibilem.*] Josepho Deus Judæorum *ἀγένητος* [*ingenitus,*] *ἀΐδιος* [*æternus,*] *ἄχρονος* [*temporis expers,*] *ἀναλλοίωτος* [*immutabilis,*] *κατ' οὐσίαν ἄγνωστος* [*quoad substantiam incognitus.*] Nullum habebat nomen cognitum gentibus: quo verò à Judæis appellabatur, id vulgo pronuntiare non licebat. Deum esse qui mundum creasset aut non credebant Gentes, aut quis is esset ignorare se fatebantur. Ovidius,

> *Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum*
> *Congeriem secuit.*

Vide quæ jam sequentur, & quæ supra 14. 15. Sicut illa, ita & hæc oratio egregiam præscribit formam iis quibus negotium est idololatras ad rectam viam revocare.

24. *Οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ. non in manufactis templis habitat*] Vide supra 7. 48. & ibi dicta.

25. *Οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται προσδεόμενός τινος, Neque manibus humanis colitur indigens aliquo*] Sensus est, Non ideo à piis colitur, quòd eo cultu ipse opus habeat, sed quia id nostri est officii. Idem sensus in Psalm. 50. 10, 11, 12, 13. Euripides Hercule Furente,

> *Δεῖται γὰρ ὁ Θεὸς, εἴπερ ἔστ' ὄντως Θεὸς*
> *Οὐδενός. ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.*
> [*Deus aut eget nullius, aut non est Deus.*
> *Quare ista vatum misera sunt mendacia.*]

¶ *Αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα. cùm ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia*] *Ζωὴν καὶ πνοὴν* [*vitam & inspirationem,*] id est, *πνοὴν ζωῆς* [*inspirationem vitæ,*] ut apparet ex Gen. 2. 7. & diximus ad Joh. 3. 5. Deus *Pater πνευμάτων* [*spirituum*] Num. 16. 22. id est, omnibus animantibus causa vivendi; eximiè verò hominum, ut qui & sui & aliarum rerum dominium ad instar Dei acceperint.

26. *Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος, Fecitque ex uno sanguine omne genus humanum*] Ex semine unius Adami, ut eo quoque modo nos omnes quodam naturalis cognationis vinculo colligaret. Misna præter hanc causam adfert & alias, Ut ostenderet Deus totum mundum posse esse in uno homine: Ut sic rectiùs Deum esse unum intelligeretur: Ut major esset admiratio in tanta formarum ac vocum diversitate. ¶ *Κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, inhabitare super universam faciem terræ*] Ex Gen. 11. 8. Est autem *πρόσωπον τῆς γῆς* [*facies terræ*] id quod vulgo dicimus *superficiem terræ*] cùm Juris consulti id quod inædificatur vocent *superficiem*, *τὸ πρόσωπον* verò *γῆς*, *solum.* ¶ *Ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς, definiens statuta tempora*] Magna quâdam providentiâ curavit, ut ubi gens aliqua cœpisset exundare terræ ei novæ patescerent, nemine prohibente. ¶ *Καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. & terminos habitationis eorum*] *Ὁροθεσίας* [*termini*] גבלת, Deut. 32. 9. ubi Græci *ὅρια* [*fines.*] Ita sufficientes cuique fines attribuit, ut non necesse haberent alienos fines invadere; neque verò id permissæ fuissent facere, nisi Deus populos quosdam ob gravia facinora punire voluisset.

27. *Ζητεῖν τὸν Κύριον, Quærere Dominum*] In Manuscripto *τὸν Θεὸν* [*Deum*] quia *Κύριος* [*Dominus*] in his libris plerumque est Jesus. ¶ *Εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν si forte attrectent eum & inveniant*] Iterum *ἓν διὰ δυοῖν* [*unum per duo,*] pro *ψηλαφήσαντες εὕροιεν* [*attrectantes inveniant.*] Fecit hæc omnia, ut occasionem illis daret *se inveniendi velut palpando.* Et per *εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν* [*si fortè inveniant,*] ostendit aliquam rei difficultatem: nam *palpare* aut cæcorum est, (vide Parietem palmatum Quintiliani) aut noctu incedentium. ¶ *Καίτοιγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα. quamvis non longe sit ab unoquoque nostrûm*] Nempe vi potentiæ suæ. Neque enim ad subtiles disputationes de præsentia essentiali Dei, de qua variæ fuere & Philosophorum & Judæorum & Christianorum sententiæ, Athenienses vocat Paulus, sed ad ea quæ rebus sentiebantur. Porphyrius oraculum citat,

> *Πάντα Θεοῦ πλήρη· πάντη Θεὸς ἐστι Φανήθη.*
> [*Omnia plena Deo, namque est is ubique Phanethe.*]

Josephus ubi verba Solomonis de templo explicat, *Σὺ γὰρ, εἶπεν, οἶκον μὲν αἰώνιον ἔχεις, ὦ Δέσποτα, καὶ ἐξ ὧν σαυτῷ εἰργάσω γεγονότα τὸν οὐρανὸν ἴδαμεν καὶ ἀέρα, καὶ γῆν καὶ θάλασσαν, δι' ὧν ἁπάντων, οὐδὲ τούτοις ἀρκούμενος κεχώρηκας* [*Tu quidem, inquit, sempiternam domum habes, Domine, nec ignoramus, te tibi ipsi hanc universi molem condidisse, quæ cœlo, aëre, terrâ & mari constat, quam totam imples nec tamen ab eâ caperis.*] Apud eundem Josephum Aristæus, *Τὸν γὰρ ἅπαντα συστησάμενον Θεὸν καὶ οὗτοι* (Judæi licet) *καὶ ἡμεῖς* (Græci) *σεβόμεθα, Ζῆνα καλοῦντες αὐτὸν, ἐτύμως ἀπὸ τοῦ σύμπασιν ἐμφύειν τὸ ζῆν, τὴν ἐπίκλησιν αὐτοῦ νοήσαντες* [*Conditorem enim hujus universitatis eundem quem illi nos quoque colimus, Jovem nominantes, nimirum quod juvet vitam omnium.*] Zenonis sententia apud Diogenem Laërtium, *Εἰς ἅπαν τοῦ κόσμου μέρος διήκειν τὸν νοῦν καθάπερ ἐφ' ἡμῶν* [*Mentem per omnes mundi partes æquè atque in nobis ipsis commeare.*] Seneca Epistola 41, *Prope est à te Deus: tecum est: intus est.* 73, *Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad homines venit: imò quod propius est, in homines venit.* 83, *Nihil Deo clusum est: interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.* Dion Chrysostomus, *Ἅτε γὰρ οὐ μακρὰν οὐδ' ἔξω τοῦ Θεοῦ διῳκισμένοι, ἀλλ' ἐν αὐτῷ μέσῳ πεφυκότες ἐκείνῳ* [*Quippe nec procul nec omnino extra Deum quasi domo ab eo disjuncti, sed in medio eo nati.*] Mox, *Πανταχόθεν ἐμπιπλάμενον τῆς θείας φύσεως* [*undique divinâ naturâ repletum.*] Proclus ad Timæum, *Οὐδενὸς γὰρ ἀφέστηκε τὸ θεῖον, ἀλλὰ πᾶσιν ἐξ ἴσου πάρεστιν* [*A nulla enim re abest Deus, sed omnibus ex æquo adest.*] Idem sensus apud scriptores Christianos. Minutius Felix, *Non solum in oculis Dei, sed & in sinu vivimus.* Idem, *Ubique non tantùm nobis proximus, sed infusus est.* Clemens Strom. 2. de Deo *ἐγγυτάτω βέβηκεν* [*proximè adiit.*] Arnobius 1, *Non quod incedimus, quod spiramus & vivimus, ab eo ad nos venit?* Idem 7, *Deo longum nihil omnino est, cui punctum terra est, & sub nutu omnia consistunt.* Salvianus 2, *Docens insitam inter virtutes sacras nostram esse substantiam.* Si quis plura velit, consulat Arrianum Epicteteorum 1. 14. Nazianzenum oratione 1, Ambrosium in Psalm. 18.

28. *Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*] Est Hebraismus. *In ipso*, id est, per ipsum, ipsius beneficio. *Per ipsum existimus*: ipse nobis *vitam* homini congruentem, & *motus* tali vitæ respondentes dedit. ¶ *Ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. sicut & quidam vestratum Poëtarum dixerunt*] Non mirum si Cilix Paulus Cilicem Aratum, vel in patriæ communis honorem, legerat. ¶ *Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Ipsius enim & genus sumus*] Animo scilicet. Loci hujus Aratei paraphrasin habes apud Festum Avienum, ubi hæc inter alia,

> *Hos & flamma animæ qui discurrente meatu*
> *Mentis primigenæ penetralia dia resolvens*
> *Implevit largo vitas operatus amore.*

Quod

Quod de Jove dixerat Aratus, id vero Deo aptat Paulus, quia & ſapientiores Græci per Jovem Deum ſummum intelligebant. Sic Ariſtæus apud Joſephum ait Deum Judæorum eſſe Deum univerſi, quem Ζῆνα [*Jovem*] vocant Græci.

29. *Γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ Θεοῦ, Genus ergo cùm ſimus Dei*] Accommodat ſe poëticæ locutioni Paulus. Significat autem nos mente potiſſimum ad Deum accedere, ac propter hanc ſimilitudinem filios ejus dici. Vide quæ diximus ad finem 3 Lucæ. In Novo verò Teſtamento graviore de cauſa filii ejus dicimur, quòd bonitatem ejus imitemur: rurſum aliter per reſurrectionem ejus filii erimus, beatitudinis conſortio. ¶ *Οὐκ ὀφείλομεν νομίζειν, χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον. Non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis Divinum eſſe ſimile*] Duo ſpectantur in ſimulacris: materia & opus. Materia etiam præſtantiſſima, ut aurum, argentum, marmor, multò inferiora ſunt homine. Opus non poteſt non ignobilius eſſe opifice. Multum ergo falluntur qui putant talia ad honorem Dei eſſe idonea, cùm puriſſimus Dei honos ſit in cultu abducto ab omnibus rebus ſub ſenſum cadentibus. Vide quæ de ea re attulimus ad Deut. 4. Λίθος [*lapis*] hic eſt *marmor*, ut Eſaiæ 37 19. Jerem. 2. 27. & 3. 9. De marmoreis ſimulacris vide Plinium. Χάραγμα, [*ſculptura*] eſt id *quod ſculpitur*: nam *χαράσσειν*, *ſculpere*, 2 Regum 17. 11. in Græco. Exprimere voluit Hebræum מסכה. Τέχνης [*artis*,] qualia opera Praxitelis vel Polycleti. *τέχνης ἐμμελέτημα* [*artis inventionem*] Sap. 13. 10. *ἔργον χειροτεχνίτου* [*opus manuum artificis*] Deut. 27. 15. *Καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου* [*& cogitationis hominis*.] Quædam non ex arte ad aliquod exemplar ficta, ſed facta pro libitu, quales illæ perſonæ ſine corpore, de quibus dicto loco Arnobius. Quod hîc *ἐνθύμησις* [*cogitatio*] dicitur, id in Græco Ezechielis *ἐνθύμημα* [*conceptus animi*] multis in locis, ubi in Hebræo גלול [*idolum*.] *Τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον* [*Divinum eſſe ſimile*,] Nam multæ gentes putabant tales in cœlo eſſe deos, quales ſimulacra exhibebant. Arnobius libro 6. *Simulacra hæc omnia ſuperiorum ſunt imagines Numinum: ergo & in cœlo habitare dicendus eſt Deus talis, ad cujus formam & ſpeciem ſimulacri hujus ſimilitudo directa eſt.*

30. *Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας, Et tempora quidem hujus ignorantiæ*] Sic vocat tempora priora, comparata ad lucem Euangelii. ¶ *Ὑπεριδὼν ὁ Θεός, deſpiciens Deus*] *Ὑπεριδεῖν* eſt *diſſimulare quaſi non videas*, התעלם, Deut. 22. 1, 3, 4. Dicitur Deus *diſſimulaſſe idololatriam*, quia eam ſectantibus non minabatur pœnam gehennæ, ut in Euangelio. ¶ *Τανῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν. Nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant*] *Diſtrictè omnibus denuntiat ut ſe corrigant.*

31. *Διότι ἔστησεν ἡμέραν, Eò quòd ſtatuit diem*] *Apud ſe conſtituit*: homines verò certos fecit aliquam diem judicii fore, etſi quando ea futura eſſet, etiam amiciſſimos celaverit. ¶ *Ἐν ἀνδρί, in viro*] *Per eum hominem.* ¶ *Πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, fidem præbens omnibus*] Quia res erat vix credibilis, argumentum adfert eximium. Sic הודיע אמונה [*oſtendi fidem*,] Oſeæ 5. 9. ¶ *Ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. ſuſcitans eum à mortuis*] Deus *Jeſum reſuſcitando è mortuis*, maximum quod potuit doctrinæ ejus teſtimonium præbuit. In ea autem doctrina & hoc erat, ſe fore judicem humani generis, Matth. 25. 31. & ſeq. Joh. 5. 25.

32. *Οἱ μὲν ἐχλεύαζον. quidam quidem irridebant*] Non dubium quin Epicurei. ¶ *Οἱ δὲ εἶπον· Ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου. quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum*] Nempe Stoici qui hominis mortui reſtitutionem non putabant impoſſibilem, ut oſtendimus ad librum 2. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

33. *Καὶ οὕτως ὁ Παῦλος ἐξῆλθεν ἐκ μέσου αὐτῶν. Sic Paulus exiit de medio eorum*] Dilatus in alium diem.

34. *Τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ, Quidam verò viri adhærentes ei*] Cùm in propiorem ſe ejus familiaritatem inſinuaſſent. Sic *κολλᾶσθαι* ſumitur ſupra 5. 13. & 9. 26. & 10. 28. ¶ *Ἐν οἷς καὶ Διονύσιος, in quibus & Dionyſius*] Non ille qui in Gallia martyrium paſſus eſt: id enim Decio Romanis imperante contigit, ut perſpicuum fecit vir doctiſſimus Jacobus Sirmondus. ¶ *Ὁ Ἀρεοπαγίτης, Areopagita*] Unus ex illo nobiliſſimo Senatu, qui & in republica multum habebat auctoritatis, & de cædibus & vulneribus judicabat. Græci vocant *σεμνότατον καὶ δικαιότατον δικαστήριον* [*graviſſimum & juſtiſſimum conſilium*.] *Sanctiſſimum conſilium* Valerius Maximus 2. 6. qui & ſapientiam ejus prædicat 8. 1. *Areum judicium* dixit Tacitus Annalium 2. Multùm procul dubio profuit Euangelio viri tam gravis & publico teſtimonio probati converſio. ¶ *Ὀνόματι Δάμαρις, nomine Damaris*] Dubito an legendum *Δάμαλις* [*Damalis*,] quod Atticum eſſe mulieris nomen diſcimus ex Anthologia 3. 12.

PRICÆUS.

Com. 1. **Δ**Ιοδεύσαντες τὴν Ἀμφίπολιν καὶ Ἀπολλωνίαν] Vulgatus, *cum perambulaſſent*, &c. Idem 1 Maccab. 12. 32. *Perambulabat omnem regionem illam*: ubi & in Græco, *διώδευσεν*.

Ibid. *Τὴν Ἀμφίπολιν*] Coloniam Athenienſium, conditam à Cimone. Auctor Cornel. Nepos in vita ejus.

Com. 2. *Κατὰ τὸ εἰωθὸς τῷ Παύλῳ*] Sic Euang 4. 16. *κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ*. Judithæ cap. 13. *κατὰ τὸν ἐθισμὸν αὐτῶν*. Daniel. 6. 10. *καθὼς ἦν ποιῶν ἔμπροσθεν*. Vide & Num. 24. 1. Luc. 22. 39.

Ibid. *Διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν*] Ità vulgò. Sed in voce *αὐτοῖς* hoc comma terminandum. Sequentia uno tenore ſic legenda, *Ἀπὸ τῶν γραφῶν διανοίγων*, &c. infrà 28. 23. ſimillimum loquendi genus habemus, *πείθων αὐτοὺς τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ ἀπό τε τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν* & cap ſequenti, com. 28. *ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν*.

Com. 3. *Καὶ παρατιθέμενος*] Sic Paulus 1 Tim. 1. 18. & 2 Tim. 2. 2. Idem Gal. 2. 2. ſimili ſenſu *ἀνατίθεσθαι* dixit: & 1 Tim. 4. 6. *ὑποτίθεσθαι* Lucas infrà 28. 23. *ἐκτίθεσθαι* & 18. 28. *ἐπιδεικνύειν*.

Com. 4. *Προσεκληρώθησαν*] Eſt quod infrà com. 34. *κολλᾶσθαι*. Senſu affini ſupra 13. 43. *ἀκολουθεῖν* habemus: & 8. 13. *προσκαρτερεῖν*.

Ibid. *Γυναικῶν τε τῶν πρώτων*, &c.] Ità 5 Achillis Tatii, *γυναῖκα Ἐφεσίαν πρώτην*. Sic *Feminas primates* 2. Apuleius dixit. Idem 4. *Virginem liberali filo, & ut matronatus ejus indicabat, ejus regionis ſummate*. Vide ſuprà ad 13. 50. notata.

Com. 5. *Καὶ προσλαβόμενοι τῶν ἀγοραίων τινὰς, ἄνδρας πονηρούς*] Heſychius, *Ἀγοραῖοι, οἱ ἐν ἀγορᾷ ἀναστρεφόμενοι*. Philo in De Princip. creat. *Ἔμποροι, καὶ κάπηλοι, καὶ ἀγοραῖοι*. Xenophon. *παιδ. δ*. *Οἱ ἀγοραῖοι, καὶ αἱ τούτων φωναὶ, καὶ ἀπειροκαλίαι*. Euſtathius ad Iliad. β. *Ἐκ δὲ τῆς ἀγοραίας πληθύος, καὶ ἀγοραῖος ἀνὴρ ὁ ὄχλος ἐπὶ σκώμματος λέγεται*. Suidas, *Ἀγοραῖος νοῦς, ὁ πανευτελὴς καὶ συρφετώδης*. Legendum his omnibus locis, *ἀγόραιος*, & *ἀγόραιοι*. Ammonius, *Ἀγόραιος ἐὰν προπαροξυτόνως, σημαίνει τὸν πονηρὸν, τὸν ἐν ἀγορᾷ τεθραμμένον· ἐὰν δὲ προπερισπωμένως, τὸν ἐν ἀγορᾷ πιπράμενον*. Ex nota hujuſmodi *ἀγοραίων* erant de quibus infrà 19. 25, & 29. mentio: & ille de quo Baſilius in De libris Gentil. legend. *Ἐλοιδόρει τὸν Περικλέα τῶν ἐξ ἀγορᾶς τις ἀνθρώπων*. Poſidippus apud Athenæum *ὄχλου βαναύσου* vocat. Tacitus *ſordidam plebem, circo ac theatris aſſuetam*. Cicero in pro Sylla *cœnum fæcémque civitatis*. Apuleius 8. *trivialem popularium fæcem*. Horatius,

—— Innatam in triviis, & penè forenſem.

Philo in Flaccum, *τὸν ἀκαθεστῶτα καὶ δημοτικὸν ὄχλον, ἀλλὰ τὸν τὰ πάντα θορύβου καὶ ταραχῆς ἀναπιμπλάναι εἰωθότα, διὰ φιλοπραγμοσύνην, ἀβιώτου βίου ζῆλον, καὶ τὴν ἐξ ἔθους σχολὴν καὶ ἀργίαν* quæ optimè Lucam illuſtrant, nam & ſequitur hic, *τὴν πόλιν ἐθορύβουν*. Cicero in pro Flacco, *Opifices, tabernarios, atque omnem illam civitatis fæcem, quid eſt negotii concitare!* & in Oratione pro Domo ſua, *Signifer ſeditionis, concitator tabernariorum*. Notatu indignum non eſt, in Ammonio, ut hic in Luca, *ἀγόραιον τῷ πονηρῷ παραλλήλως* poni. Sic & Seneca, *Hunc hominis MALO quem invenire in quolibet FORO poſſum*, (7. de Benef.) & Ariſtophanes, qui in Equit.

Πονηρὸς, κἀξ ἀγορᾶς εἶ. ——

Et pòſt, eàdem Scenâ,

—— Γέγονας κακὸς, κ' ἀγόραιος εἶ.

Sic Idem in Ranis *ἀγόραιον* cum *πανούργῳ* junxit. Dum tàntùm inter *ἀγοραίους ἄνδρας* detineor, *ἐπίῤῥητα, καὶ ἐξ ἀγορᾶς ἀνάρπαστα γυναικάρια* (quarum meminit in Eccleſiaſticis Euſebius) penè effugerunt me. Ait heic Lucas, *πονηροὺς ἄνδρας*, &c. *προσλαβόμενοι*. Apuleius 10. *Adſumpto nequiſſimo, & ad omne facinus emancipato ſervo.*

Ibid. *Ὀχλοποιήσαντες*] Gloſſarium, *Tumultuator, ὀχλοποιός*.

Ibid. *Ἐθορύβουν τὴν πόλιν*] Vide Ariſtophanis Scholiaſten ſuprà ad 16. 20. adductum.

Ibid. Ἐπιστάντες τῇ οἰκίᾳ τοῦ Ἰάσονος, ἐζήτουν αὐτοὺς ἀγαγεῖν εἰς τὸν δῆμον] Apuleius 9. *Veniunt ad diversorii nostri fores, claraque voce denunciant hospiti nostro, nos quos occultaret apud se certo certius, dederet potius quàm discrimen proprii subiret capitis.* Τῇ οἰκίᾳ ἐπιστάντες, ut suprà 10. 17. ἐπὶ τὸν πυλῶνα ἐπέστησαν. Vide & 6. 12. Herodianus lib 2. Ἐπιστάντες αὐτοῦ (Pertinacis) κεκλεισμένης τῆς οἰκίας ταῖς θύραις, &c.

Com. 6 Μὴ εὑρόντες δὲ αὐτοὺς, ἔσυρον τὸν Ἰάσονα καί τινας ἀδελφοὺς ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας] Chrysostomus Homil. 56. ad Antiochenos, Ἔθος τοῖς δυναμένοις ὅταν τοὺς αἰτίους μὴ λάβωσιν, εἰς τοὺς παρόντας ἀφιέναι τὴν ὀργήν. Σύρειν ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας heic, ut in Euang. 12. 58. πρὸς τὸν κριτὴν κατασύρειν Declamationis in Salustium Auctor, *Bis Judices ad subsellia attractus.* Vide suprà ad 8. 3. & 16. 19. dicta.

Ibid. Οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες, &c.] Aristophanes de Cleone, ταράττων τήν τε γῆν καὶ τὴν θάλατταν.

Com. 7. Ἀπέναντι τῶν δογμάτων Καίσαρος πράττουσι, λέγοντες βασιλέα ἕτερον εἶναι] Vide Joh. 19. 12.

Com. 8. Ἐτάραξαν δὲ τὸν ὄχλον καὶ τοὺς πολιτάρχας ἀκούοντας ταῦτα] Simile Matth. 2. 3. vide.

Com. 9. Καὶ λαβόντες ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος καὶ τῶν λοιπῶν, &c] Cùm Matth. 28. 12. occurrat ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν, & hic continuè sequatur, αὐτοὺς ἀπέλυσαν, illa ἱκανὸν λαβόντες putabam reddi posse, *acceptis nummis.* Sic infrà 24. 26. de Felice, Ἐλπίζων ὅτι χρήματα δοθήσεται αὐτῷ ὑπὸ τοῦ Παύλου ὅπως λύσῃ αὐτόν & 17. 18. apud Gellium de Salustio, *Loris bene cæsum, & postquam pecuniam dedisset, dimissum.* At quia λαμβάνειν ἱκανὸν hoc sensu nondum alibi inveni, puto tutiùs interpretari posse de *satisdatione judicio sisti* Plautus Persâ, *Nec satis à quoquam homine accepi.* Apud Philostratum 4. 15. Tigillinus ad Apollonium accusatum, Ἄπιθι, καταστήσας ἐγγυητὰς τοῦ σώματος.

Com. 11. Ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας] Sic μετὰ πάσης προθυμίας ὑποδέχεσθαι, Diodorus in Excerptis ὁμαλῶς τὸν λόγον ἀποδέχεσθαι, Plutarchus in Apophthegm. Reg μετ' εὐνοίας τὸν διαλεγόμενον ἀποδέχεσθαι, Idem in de Audiendo. Et in Laconicis Apophthegm. Φιλικῶς δέχεσθαι. Scriptor Tobiæ 7. 9. προθύμως ὑποδέχεσθαι. Vide suprà 2. 11. & quæ infrà ad 21. 17. notanda.

Ibid. Εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως] Suprà 7. 1. Εἰ ἄρα ταῦτα οὕτως ἔχει; infrà 24. 9. Φάσκοντες ταῦτα οὕτως ἔχειν.

Com. 12. Γυναικῶν τῶν εὐσχημόνων] Ut suprà 13. 50. sic εὐσχήμονας παρθένους Plutarchus in Parallelis. Non malè *speciosarum* vertas. Vide l. 100. de Verb. signif.

Com. 13. Σαλεύοντες τοὺς ὄχλους] Satis bene Recentior σαλεύοντες, *concitantes.* Apuleius 10. *Concitato populi tumultu.* Glossarium, *Concitat*, Συνσείει, ἀνασείει. Vide Ciceronis locos suprà ad Com. 5. adductos. Nec malè Vetus Interpres, *commoventes.* Idem Glossarium, Σαλεύω, *Moveo, commoveo, agito.* Ibidem, Παρασαλεύω, *dimoveo.*

Com. 14. Πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν] Ità rectiùs quàm ἕως, quod in vetustissimo mei Regis MS. est. 1 Maccab. 3. 8. Ἡλιόδωρος ἐποιεῖτο τὴν πορείαν, τῇ μὲν ἐμφάσει ὡς τὰς κατὰ κοίλην Συρίαν, &c. πόλεις ἐφοδεύσων πράγματι δὲ, &c.

Com. 15. Λαβόντες ἐντολὴν] Ut suprà 16. 24. παραγγελίαν λαμβάνειν.

Com. 16. Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις ἐκδεχομένου αὐτοὺς τοῦ Παύλου, παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ, θεωροῦντι, &c.] Similimè 2. 2. 8. de Loth Petrus, Ὁ δίκαιος ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν. Ex quibus obiter videmus etiam quid hic πνεύματι παροξύνεσθαι. Juvenalis,

——— Quis iniquæ
Tam patiens Urbis, tam ferreus ut teneat se?

Philostratus 4. 15. de Apollonio Romæ profligatissimis Neronis temporibus commorante, Ἐῤῥήγνυτο πρὸς τὴν τῶν πολλῶν ἄνοιαν. Lactantius in De ira Dei, cap. 17. *Necesse est bono ac justo displicere quæ prava sunt: & cui malum displicet, moveri cùm id fieri videat.* Et pòst, *Naturale est bono ad alterius peccatum moveri & incitari.* Sic cùm ad Regis ἀλλοφύλου jussum Hebræum Mattathias sacrificantem videret, ἐζήλωσεν, inquit Maccabæorum Scriptor, καὶ ἐτρόμησαν οἱ νεφροὶ αὐτοῦ, 1. 2. 24. Simile est Apoc. 2. 2. κακοὺς οὐ δύνασαι βαστάσαι. Apuleius adulterum videns quotidie ad suam dominam commeantem, *At mihi penitus præcordia carpebantur*, dixit.

Ibid. Κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν] Id est, *idolis scatentem* Sic in Glossario, Κατάκαρπος, *fructifera.* Sic *locus* κατάδενδρος, ut hic maximus Casaubonus notavit. Philo in περὶ εὐγενείας de Thamare, Γύναιον ἐν οἰκείᾳ πόλει τραφὲν πολυθέῳ, γέμουσα ξοάνων, καὶ ἀγαλμάτων, καὶ συνόλως ἀφιδρυμάτων. Apud Petronium ille, *Utique nostra regio tam præsentibus plena est Numinibus, ut facilius possis Deum quàm hominem invenire.*

Com. 17. Καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, &c. πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας.] Sic ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐντυγχάνοντας, Plutarchus in Apophthegm. Reg. Et benè ille qui hic vertit, *cum quibusvis obviis*: omnino enim hoc loco οἱ παρατυγχάνοντες sunt quos argumento persimili Arrianus ἐντυγχάνοντας dixit, Οὐδ' ἀνέξομαι, οὐδ' ἀνήσω ἀλλὰ καὶ νέῳ καὶ πρεσβυτέρῳ, καὶ ἁπλῶς ἀεὶ τῷ ἐντυγχάνοντι προσελθὼν, πεύσομαι ταῦτα ἃ καὶ νῦν πυνθάνομαι 3. 1. Loquitur ex persona Socratis, de promulganda doctrina sua.

Com. 18. Συνέβαλον αὐτῷ] Nonnulli ex recentioribus, *conflictabantur cum eo*; alii (& quidem dilutiùs) *conferebant*: cùm nemo interim rectiùs Vulgato, *disserebant.* Eodem sensu συνέβαλον Ἐπικτήτῳ dixit & 3. 9. Arrianus.

Ibid. Τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος;]

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Sunt autem hæc dicta irrisoriè, & ex loci Genio. Anacharsis apud Lucianum, Τοῦτο ἐκεῖνο ἦν ἄρα ὃ ἐγὼ περὶ ὑμῶν ἤκουον τῶν Ἀθηναίων, ὅτι εἴητε εἴρωνες ἐν τοῖς λόγοις. Citat Suidas, Σκωπτόλαι τε καὶ ὑβρισταὶ, &c. πάντες Ἀθηναῖοι, id est, Φιλοσκώμμονες. Auctorem, ut passim, tacet suum: at is est 1. 3. Philostratus. Vide item in Εὐθύδημος eundem Suidam. Quid sit σπερμολόγος nemo meliùs A. Gellio circumloquitur, *Loculeius, linguax, levis & futilis & importunus locutor, qui nullo rerum pondere innixus, verbis humidis & lapsantibus diffluit*: ἀμετροεπὲς, ἀκριτόμυθος cujus verba (*ut de Thersite Homerus*) *multa*, ἄκοσμα, *strepentium sine modo graculorum similia*, lib. 1. cap. 15. Clemens Στρωματ. 1. Τῶν δίκην κολοιῶν σπερμολόγων. Philo de Elicone quodam Caii assentatore, Δούλῳ σπερμολόγῳ, περιτρίμματι, &c. Plutarchus De Adulatore, Διαμιλλώμενος ὑπερβάλλεσθαι βωμολοχίᾳ καὶ σπερμολογίᾳ. Glossarium, *Fundito*, Σπερμολογῶ eruditè. Gellius, *Verborum volumina, vocumque turbas fundebat.* Onomast. vetus, *Loquacito*, σπερμολογῶ. Ibidem, *Loquax*, λάλος, σπερμολόγος. Iterum, *Vaniloquentia*, σπερμολογία. De etymo vocis hæc habet Harpocration, Λέγεταί τι μικρὸν ὀρνιθάριον κολοιῶδες, σπερμολόγος ὀνομασμένον, ὡς ἔοικεν, ἀπὸ τοῦ τὰ σπέρματα ἀναλέγειν, &c. λέγεται γοῦν ἀπὸ τούτου ὁ εὐτελὴς καὶ εὐκαταφρόνητος ἄνθρωπος, καὶ ἴσως ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων διαζῶν, σπερμολόγος præ quibus placent tamen quæ alii ex Eustathio adduxerunt.

Ibid. Ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι] Καταγγέλλειν hic est εἰσάγειν. Hinc & ξένους δαίμονας εἰσάγειν, apud Ælianum 2. 13. de Socrate loquentem. Ξένων δαιμονίων, *novarum, & usu incognitarum religionum*, ut Paulus Sentent. 5. 21. loquitur, quæ tamen publicâ autoritate nonnunquam susceptæ. Loco ab aliis è Strabone adducto adde Hesychiana ista, Θεοὶ ξενικοὶ παρ' Ἀθηναίοις τιμῶνται, ὡς καταλέγει Ἀπολλοφάνης, &c. Δοκεῖ εἶναι hic valet ἐστί.

Com. 19. Δυνάμεθα γνῶναι; &c.] Scopticè & hæc prolata, ut præcedentia. Solent & ità loqui per cavillum Latini. Terentius,

Possumne ego hodie ex te exsculpere verum?

Plautus,

Possum scire quo profatus, cujas sis, aut quid veneris?

Leno apud Eundem,

—— Possum à te exigere argentum?

Ibid. Τίς ἡ καινὴ αὕτη; &c.] Themistius 4. Orat. Ὁ σοφιστὴς, καὶ ἀλαζὼν, καὶ ὁ ΚΑΙΝΟΤΟΜΟΣ, πρῶτον μὲν Σωκράτους ὄνειδος ἦν, ἔπειτα Πλάτωνος, &c.

Com. 20. Ξενίζοντα γάρ τινα εἰσφέρεις εἰς τὰς ἀκοὰς ἡμῶν] Id est, ut Hebr. 13. 9. διδαχὴν ξένην. Hesychius, Ξενίζουσα, ἀλλόφυλος, ἀηθὴς, καινή. Eusebius Histor. Ecclesiast. 5. ex persona Gentilium, Ἐφ' ᾗ (ἀναστάσει scilicet) πεποιθότες, ξένην τινὰ καὶ καινὴν εἰσάγουσιν ἡμῖν θρησκείαν. Sic Plutarchus περιέργους θρησκείας, καὶ ξένας δεισιδαιμονίας dixit in Præcept. Conjugal. Pro εἰσφέρεις autem dum Syrus & Arabs σπείρεις legebant, fefellisse videntur. Euripides Bacchis,

—— Τοὺς λόγους γὰρ εἰσφέρεις καινοὺς ἀεί.

Aristophanes,

Χρείᾳ δὲ ποίᾳ τὸν δ' ἐπεισφέρεις λόγον;

Et

Et propiùs rem nostram Maximus Tyrius, Dissert. 32. Ἡ Σωκράτους κατ' Ἀθηναίων γραφὴ, Ἀδικεῖ ὁ Ἀθηναίων δῆμος, ὃς μὲν Σωκράτης νομίζει θεοὺς, ἐ νομίζων, ἕτερα δὲ τινα δαιμόνια ἐπεισφέρων. Sic & καινὰ δαιμόνια ἀντεισφέρειν, Dio Cassius dixit.

Com. 21. Ἀθηναῖοι δὲ πάντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι, &c. Notetur Atheniensium & τῶν ἐπιδημούντων discrimen. Posidonius Athenæi 5. Πλήρης δ' ἦν καὶ ὁ Κεραμεικὸς ἀςῶν καὶ ξένων. Apud Lucianum Nigrinus de Philosophis Atheniensibus, Οὔτε τῶν ἀςῶν, ὄτε τῶν ξένων τέρπονται ὁρῶντες, ὃς ἂν τρυφὴν εἰσάγειν αὐτοὺς βιάζηται. Et suprà hic 2. 14. non absimilem antithesin habemus. At quæ Atheniensium hic à peregrinis distinctio fit, magis peculiarem rationem habet. *Cives* enim ob αὐτοχθονίαν (quam jactitabant) se solos dici censerique volebant: alios ubicunque positos, indiscriminatim *inquilinos* existimabant: nec aliter cujusque loci cives à cæteris inibi commorantibus distinguebant, quàm illos priorum, hos posteriorum inquilinorum nomine appellando. Luculentissimum in eam mentem apponemus locum ex Aristidis Panathenaica, Ξένοι, inquit, καὶ πολῖται μόνῳ τῇ γῇ ταύτῃ τρίτωσι διῃρῆσθαι. Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι καθάπερ ὕδαν καταλαβόντες, ὄτω ταῦτα κρίνουσιν, ἐ τῷ μᾶλλον ἑαυτοῖς προσήκειν τῶν χωρίων τοὺς ἄλλως ἀφορίζοντες, ἀλλὰ τῷ φθῆναι κατασχόντες καὶ ξένως ὀνομάζουσι τὲς δευτέρως ἐλθόντας· ἀγνοοῦντες ὅτι πάντες ὁμοίως εἰσὶ ξένοι, μᾶλλον δὲ αὐτοὶ πρῶτοι ξένοι, καὶ τοσῦτον τῶν δημοποιητῶν ὧς αὐτοὶ ποιοῦνται διαφέρουσιν, ὅσον ἐ κριθέντες ἄξιοι τῆς πολιτείας, ἀλλ' εἰσβιασάμενοι προεβάλλοντο τὴν πατρίδα, ὥσπερ ὅπλων ἀπορίᾳ τῷ φανέντι χρησάμενοι. μόνοις δ' ὑμῖν (Atheniensibus) ὑπάρχει καθαρὰν εὐγένειάν τε καὶ πολιτείαν αὐχῆσαι καὶ δυοῖν ὄντοιν ὀνομάτοιν, ἑκάτερον κύριόν ἐςι τῇ χώρᾳ διὰ τὸ ἕτερον, εἰκότως. οὔτε γὰρ ξένοι διὰ τὲς ἄλλως πολίτας γνησίως ὄντας ἐνέχονται τῷ προσρήματι, οὔτε πολῖται βεβαιοῦσι τὴν ἐπωνυμίαν τῷ καθαροὶ ξένων εἶναι τὸ ἐξ ἀρχῆς.

Ibid. Καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι] Sic in vera Historia Lucianus τοὺς ξένες ἐπιδημοῦντας dixit. Simplicius in cap. 37. Epicteti τοὺς ξένες τοὺς ἐπιδημοῦντας ἡμῖν. Ælianus Var. 3. 14. τοῖς ξένοις τοῖς ἐνεπιδημοῦσιν & Diodorus Siculus in Excerptis ξένες παρεπιδημοῦντας. Scriptor ad Hebræos ξένοι καὶ παρεπιδήμοι. Dicæarchus, itidem de Athenis loquens, τῶν ξένων παρεπιδημούντας. Διατρίβουσι δέ τινες ἐν τῇ πόλει λογογράφοι, σείοντες τοὺς παρεπιδημοῦντας καὶ εὐπόρως τῶν ξένων. Theophrastus etiam in eadem Civitate inducit locutuleium quempiam hæc inter alias affanias garrientem, Ὡς ἄξιοι γεγόνασιν οἱ πυροὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ! καὶ, ὡς πολλοὶ ἐπιδημοῦσι ξένοι! Cùm vera sint quæ Seneca cap. 6. ad Helviam dixit, *Nulla civitas est ubi magnam partem peregrina multitudinis non invenias*; nil mirum ad Athenas, portûs inclyti Urbem, Musarum & artium domicilium, tot advenas confluxisse. Eunapius in Proæresii vita, de totius Græciæ eruditis, Πάντες Ἀθήνησιν ἦσαν διὰ τὴν ἐπιδημίαν.

Ibid. Εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον] Nimirum, ut 2 Tim. 4. 3. τὴν ἀκοὴν κνηθόμενοι vel, ut Gal. 3. 11. μηδὲν ἐργαζόμενοι, ἀλλὰ περιεργαζόμενοι. Plinius lib. 1. Epist. 19. *Aures hominum novitate lætantur.* Idem 5. 8. *Sunt enim homines naturâ curiosi, & quamlibet nudâ rerum cognitione capiuntur.* Ovidius,

—— Veniunt leve vulgus euntque,
Mixtáque cum veris passim commenta vagantur:
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures;
Hi narrata ferunt alio, mensuráque ficti
Crescit, & auditis aliquid novus adjicit auctor.

Quo vitio cùm humanum genus, ut nunc, ità & olim laboraret, præcipuè hac in parte notabilis vetus Græcia fuit, & inter Græcos, præcipuè Athenienses. Scholiastes Aristophanis, Δεῖγμα τόπος ἐςὶν ἐν Πειραιεῖ· ἔνθα πολλοὶ συνήγοντο ξένοι καὶ πολῖται, καὶ ἐλογοποίουν· ubi non tantùm sub voce λογοποιεῖν exprimitur quod Lucas καινὰ λέγειν καὶ ἀκούειν dixit; sed & civium advenarumque distinctio hoc loco designata occurrit. Videantur quæ ex Demosthene, Plutarcho, aliis, eruditi annotârunt: in primis quæ admirandæ doctrinæ Vir Casaubonus in luculentissimo Commentario ad Theophrasti characteres. Εὐκαιρεῖν heic est quod Plinius lib. 1. Epist. 13. vocat, *in stationibus sedere, tempusque audiendis fabulis conterere*: & ibidem Epist. 22. *gymnasia, porticus sectari, longisque disputationibus suum aliorumque otium delectare.* Seneca, Cur bon. viris, &c. *in circulis tempus terere.* Philo in Flaccum, de Alexandrina plebe, ἀργῶν ὄχλος, καὶ σχολάζων & statim, πλῆθος ἐπιτετηδευκὸς γλωσσαλγίαν, καὶ ἐνευκαιρεῖν (en vocem à Luca positam) διαβολαῖς καὶ βλασφημίαις· Εἰς οὐδὲν, hic est *fere nihil.* Vide infrà ad 27. 33. notata.

Com. 22. Κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεςέρους ὑμᾶς θεωρῶ] Quasi diceret,

—— Ignoti hanc Numinis aram
Vana superstitio verique ignara timoris
Induxit. ——— ——

Ζῆλον ἔχετε, ἀλλ' ὀυ κατ' ἐπίγνωσιν. *Multitudine demerendorum Numinum attoniti estis*, Tertullianus dixisset. Lucianus de Rutiliano quodam in Pseudomante, Ἀνὴρ τὰ μὲν ἄλλα καλὸς καὶ ἀγαθὸς, &c. τὰ δὲ περὶ τοὺς θεοὺς πάνυ νοσῶν, καὶ ἀλλόκοτα περὶ αὐτῶν πεπιςευκώς. Ammianus de Juliano Imperatore, *Superstitiosus magis quàm legitimus sacrorum observator.* Apuleius in De Deo Socratis, *Profana Philosophiæ turba imperitorum, vana sanctitudinis, priva veræ rationis, inops religionis, impos veritatis, scrupulosissimo cultu, insolentissimo spiritu deos negligit: pars in superstitionem, pars in contemptum timida vel tumida.* Maluit heic Recentior, *religiosiores.* Si prout debuit, accepit, parùm interest. Nigidius apud A. Gellium, *Religiosus is appellabatur qui nimiâ & superstitiosâ religione alligaverat sese.* Neque nescio tamen, esse ubi *religiones* notant non nimiam, sed veram; & *superstitiones* non anxiam, sed falsam λατρείαν. Hinc Plinius in Paneg. de Roma, *Civitas religionibus dedita*: & Tacitus Histor. 4. de Alexandrinis, *Dedita superstitionibus gens*: & pòst ibidem De Judæis, *Superstitioni obnoxia gens, adversa religionibus*: & Servius ad Georg. 1. *Religiosi dicuntur, qui faciendarum promittendarúmque rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant.* Apuleius modò citatis verbis, *Religionis inops*, &c. *in superstitionem timida.* Sed ad δεισιδαίμονας Athenienses redeamus. Aristophanes de Athenis loquens,

Οὗ &c. οὐρανίοις τε θεοῖς δωρήματα,
Ναοί θ' ὑψιφερεῖς καὶ ἀγάλματα,
Καὶ πρόσοδοι μακάρων ἱερώταται.
Εὐςέφανοί τε θεῶν
Θυσίαι, θαλίαι τε
Παντοδαπαῖσιν ἐν ὥραις.

Ubi Scholia, Οὐρανίοις θεοῖς ἐπήγαγεν, ὑπερβαλλόντως εὐσεβῆ θελόμενος ἀποδεῖξαι τὴν πόλιν. αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι πόλεις ἑνὶ κεῖνται, αἱ δὲ Ἀθῆναι πάντας ἀδιαφόρως τὲς θεοὺς τιμῶσι & pòst, παντοδαπαῖς ἐν ὥραις, τυτέςι, διηνεκῶς, παντὶ καιρῷ· διὰ τὸ θρησκεύειν πάντας θεοὺς, καὶ ἀεὶ πανηγυρίζειν. Sacerdos ille in Quintiliani Declamationibus, *Equidem ego omnibus nostris sacris inesse Numen crediderim: debetur hoc Atheniensium civitati, debetur vetustissimo generi, debetur solo, de quo contendisse deos immortales non sine causa creditum est.* Ibidem, *Si quis nobis hanc poneret conditionem, Athenienses, ut omnium potiremur eversis exustisque templis, non profectò acciperemus: pluris nobis pietas, pluris nobis opinio, pluris disciplina civitatis fuisset.* Salvianus 8. *Superstitiosissimus Atheniensium populus.* In lib. 4. Philostrati, Φιλοθύτας Ἀθηναίους. Scholiastes ad Vesp. Aristoph. Φιλοθύται εἰσὶν οἱ δεισιδαίμονες. Nonnus in Dionysiacis,

—— Θεσπήτων ἐπὶ μύθων
Ἀτθίδες ἀρχαίης φιλοπευθέες εἰσὶ πολῖται.

Demosthenes ad Athenienses suos, Πολὺ πλείους ἀφορμὰς εἰς τὸ τὴν παρὰ τῶν θεῶν εὔνοιαν ἔχειν ὁρῶ ὑμῖν, ἢ ἐκείνῳ (Philippo) ἐνούσας sacrorum & ceremoniarum Atticarum abundantiæ, ut videtur, innixus. Κατὰ πάντα *per omnia* Vetus cum Erasmo verterunt: & bene ille qui, *omnino*; est enim quod 1 Cor. 5. 1. ὅλως.

Com. 23. Ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν] Aristophanes ubi suprà, Οὗ σέβας ἀρρήτων ἱερῶν. Scholiastes, ὅπε σέβασμά ἐςι, καὶ ἄῤῥητα μυςήρια. Σεβάσματα qui *simulacra* vertit, nimis id angustè fecit: cùm quicquid religiosè colitur, eà voce includatur. Scriptor Sap. 14. 20. Τὸ πλῆθος ἐφελκόμενον διὰ τὸ εὔχαρι τῆς ἐργασίας (statuarii nempe) τὸν πρὸ ὀλίγου τιμηθέντα ἄνθρωπον, νῦν σέβασμα ἐλογίσαντο. Ad quæ efficta videntur Minucii in Octavio ista, *Dum Reges suos colunt religiosè, dum defunctos eos credunt in imaginibus vivere, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt* (σεβάσματα) *quæ fuerant assumpta solatia.* De vocis autem *solatia* in hujusmodi argumentis proprietate & elegantia, quædam non invenusta notavimus ad octavam Apuleii Milesiam: quam cum reliquis ingeniosissimi Scriptoris operibus in schedis uberiùs illustratam habemus, propediem annuente Deo in lucem edendis.

Ibid. Εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώςῳ Θεῷ]

Tertullianus contra Marcionem, *Invenio planè Diis ignotis aras prostitutas, sed Attica idololatria est.* Philostratus 6. 2. Σωφρονέστερον περὶ πάντων θεῶν εὖ λέγειν, καὶ ταῦτα Ἀθήνῃσιν, οὗ καὶ ἀγνώστων θεῶν βωμοὶ ἵδρυνται.

Ibid. Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, &c.] Joh. 4. 22. Προσκυνεῖτε ὃ οὐκ οἴδατε.

Com. 24. Ὁ ποιήσας τὸν κόσμον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ] Per eum, inquit Empedocles,

> Πάντ' ὅσα τ' ἦν, ὅσα τ' ἔστιν, ἰδ' ὅσσα τε ἔσται ὀπίσσω,
> Δένδρεά τ' ἐβλάστησε, καὶ ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες,
> Θῆρές τ', οἰωνοί τε, καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς.

Philo in de Mosis vita, Ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων, ὁ τοῦ κόσμου πατὴρ, γῆν καὶ οὐρανὸν, ὕδωρ τε καὶ ἀέρα, καὶ ὅσα ἐκ τούτων ἑκάστων συνέχων καὶ διακρατῶν. Tertullianus Apologet. *Qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione quâ disposuit, virtute quâ potuit, de nihilo expressit.* Lactant. 7. cap. ult. *Qui condidit firmavitque cœlum: qui Solem cum ceteris sideribus induxit: qui libratam magnitudine suâ terram vallavit montibus, mare circumdedit, amnibusque distinxit: & quicquid in hoc opere mundi, conflavit, ac e nihilo perfecit.* Vide suprà 4. 24. & 14. 15. Rom. 11. 36. Hebr. 3. 4. 2 Maccab. 7. 28. De Jove Aristides, Διὰ τοῦτον ἅπαντα γίγνεται, ὅσα τε οὐράνια, καὶ ὅσα ἐπίγεια. In loco Lactantii autem quid sit *mare amnibus distinguere*, negotii puto plus satis facessiturum sibi qui indicandum susceperit. Ego verba transposita existimo, & ad hunc modum reponenda, *Terram vallavit montibus, amnibusque distinxit: mare circumdedit, & quicquid in hoc opere mundi, conflavit, &c.* Amnibus à Deo terram distinctam ait: nimirum, inter alios usus, ad limites designandos. Ipse in de Ira Dei cap. 13. de homine loquens, *Utitur fontibus ad potum, & ad lavacra, fluminibus ad agros irrigandos, regionesque terminandas.*

Ibid. Οὗτος οὐρανοῦ καὶ γῆς Κύριος ὑπάρχων, &c.] 1 Cor. 10. 26. Τοῦ Κυρίου ἡ γῆ, καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. In Græco Josuæ cap. 2. Θεὸς ἐν οὐρανῷ ἄνω, καὶ ἐπὶ γῆς κάτω.

Ibid. οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ] Περιέχει γὰρ πάντα, πρὸς μηδενὸς περιεχόμενος, ut de eodem Philo in *Resipisc. Noe.* Lactantius, *Non indiget templo cujus domicilium mundus est: non indiget simulacro qui est oculis & mente incomprehensibilis.* Seneca eidem citatus, *Non templa ei congestis in altitudinem saxis struenda sunt, &c.* Minucius in Octavio, *Templum quod ei exstruam, cùm totus mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit? & cùm homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam?* Arnobius lib. 6. *Templum* (inquit) *hoc Martis est, hoc Junonis, & Veneris: Apollo hîc habitat, in hoc manet Hercules, illo Summanus. Ista non prima & maxima contumelia est, habitationibus deos habere destrictos? tuguriola iis dare? conclavia & cellulas fabricari? & iis existimare necessarias res esse quæ hominibus, felibus, quæ sunt formiculis & lacertis, quæ fugacibus, pavidis atque exiguis muribus?*

Com. 25. Οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται προσδεόμενός τινος] Hierocles, Ὅστις τιμᾷ θεὸν ὡς προσδεόμενον, οὗτος λέληθεν οἰόμενος ἑαυτὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι κρείττονα. Philo in de Ling. confus. Χρεῖος μὲν οὐδενός ἐστιν ὁ τοῦ παντὸς πατήρ. Idem in de Mundi opif. Ἄγει ᾗ ἂν ἐθέλῃ κατὰ νόμον καὶ λόγον ἕκαστα, μηδενὸς προσδεόμενος. Et in de Vita Mosis, Θεὸς ἡ ἀνωτάτη καὶ μεγίστη δύναμις, ὁ οὐδενὸς χρεῖος. In de Decalogo, Ἀγένητος, ἄφθαρτος, ἀΐδιος, οὐδενὸς ἐπιδεής. Lib. Quòd Deus immutab. Λαμβάνει παρ' οὐδενὸς οὐδέν· πρὸς γὰρ τῷ ἀνεπιδεεῖ καὶ τὰ σύμπαντα κτήματα ἔχει. Lib. Quis rer. divin. heres, αὐτὸς ἑαυτοῦ πλήρης, οὐ δεηθεὶς ἑτέρου τὸ παράπαν. In de Fortitud. Ἀνεπιδεὴς, οὐδενὸς χρῄζων, αὐτὸς ἑαυτῷ αὐταρκέστατος. Lib. de Cherubim. Οὔτε ἐπιδεὴς αὐτὸς, οὔτε τις τῶν γεγονότων ἱκανὸς χάριν ἀντιδοῦναι αὐτῷ. Josephus Antiquit. 8. 2. Ἀπροσδεὲς τὸ θεῖον ἁπάντων, ἀμοιβῆς κρεῖττον. Idem contra Appionem, Αὐτὸς αὑτῷ καὶ πᾶσιν αὐτάρκης. Cyrillus Homil. 22. de Fest. Paschal. Παναρκὲς τὸ θεῖον, καὶ ζωοποιεῖ μὲν πάντα· δεῖ δὲ ὅλως αὐτῷ τῶν τοιούτων οὐδενός. De eodem Athenagoras in pro Christianis, Ἀνενδεὴς καὶ ἀπροσδεής. Scriptor Maccab. 2. 14. 26. Τῶν ὅλων ἀπροσδεὴς ὑπάρχων. Scriptor Respon. ad Græcos in Justini operibus, Ἀνεπιγράπτου, καὶ ἀνενδεοῦς παντελῶς ὑπάρχοντος. Apud Lactantium Instit. 6. 25. *Omnium quæcunque sunt, plenus est, & omnium minimè indiguus.* Et in Epitomê, *Illis quæ in usum tribuit homini, Deus ipse non indiget.* In Dialogo Trismegisti, *Nihil deest ei qui est ipse omnia.* Seneca 4. 9. de Benef. *Nec ille collato eget, nec nos ei quidquam conferre possumus.* Ibid. cap. 9. *In omnia illis* (Diis) *natura sua sufficit, plenósque, &c. reddit.* Lucretius de divina natura,

> *Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostrî.*

In Epistolis Socrati adscriptis, Πολλάκις δὲ καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ κατ' ἐμαυτὸν ἐννοούμενος, καθ' ὅ, τι εὐδαίμων εἴη καὶ μακάριος, ὁρῶ τῷ μηδενὸς δεῖσθαι αὐτὸν ὑπερβάλλοντα ἡμᾶς. Apuleius in Apologia, *Equidem didici ea re præcedere* (*f. præcellere*) *maximè deos hominibus, quod nullâ re ad usum sui indigeant:* ad quem locum ex Xenophonte & Juliano Cæsare quædam olim adnotare meminimus. Apud Lucianum Demonax Philosophus accusatus Minervæ nunquam sacrificasse, respondet, Οὐ δεῖσθαι αὐτὴν τῶν παρ' ἐμοῦ θυσιῶν ὑπελάμβανον. Vide & eundem Lucianum initio de Sacrificiis. Est hic in verbis Pauli ἀνανταπόδοτον debet suppleri itaque, *sed quia nostri sic officii ratio requirit.* Causas alias, nec ineptas eas, Simplicius in Epictetum profert, Οὐ δεῖται (inquit) τούτων (ἀπαρχῶν nempe) ὁ θεός· οὐδὲ γὰρ τῆς εὐχῆς δεῖται τῆς ἡμετέρας, οὐδὲ τῶν ὀρθῶν περὶ αὐτοῦ ἐννοιῶν· ἀλλ' ἡμεῖς διὰ τούτων κατὰ τὸ ἐπιβάλλον αὐτοῖς μέτρον ἐπιτήδειοι πρὸς τὴν θείαν ἔλλαμψιν γινόμενοι, τὸν θεὸν ὑποδεχόμεθα. Et post, Τῶν εὐσεβούντων δῶρα πολλάκις ὁ θεὸς ὑποδέχεται, οὐκ αὐτῶν τῶν δώρων δηλονότι δεόμενος, ἀλλὰ τῶν προσαγόντων ὥσπερ ψυχικῶς, οὕτω καὶ διὰ τῶν ἐκτὸς πρὸς αὐτὸν ἀνατεινομένων.

Ibid. Αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοήν] Id est, (ut Gen. 2.) πνοὴν ζωῆς vel ut (Apoc. 11. 11.) ζωῆς πνεῦμα. Scriptor Sap. 15. 11. Ἠγνόησε, &c. τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ ψυχὴν ἐνεργοῦσαν, καὶ ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν. Ad filios Mater illa 2 Maccab. 7. 22. Οὐδὲ ἐγὼ τὸ πνεῦμα καὶ ζωὴν ὑμῖν ἐχαρισάμην supplend. ἀλλὰ ὁ Θεός. De Eodem ibidem, 14. 46. Τὸν δεσπόζοντα τῆς ζωῆς καὶ τοῦ πνεύματος. Prov. 24. 12. Ὁ πλάσας ζωὴν πᾶσιν. Clemens ad Corinthios, Οὗ ἡ πνοὴ ἐν ἡμῖν ἐστι. Esaiæ 42. 5. Ὁ στερεώσας τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, καὶ διδοὺς πνοὴν τῷ λαῷ ἐπ' αὐτῆς. Irenæus, *Cujus jussu homines nascuntur.* Lactantius Instit. 1. 11. *A quo fingimur, animamur, illuminamur:* & 2. 12. *Ipse corpus effinxit, ipse animam quâ spiramus infudit.* Idem in de Opif. Dei cap. 19. *Illius munus est quod spiramus, quod vivimus, quod vigemus.* In de Ira Dei cap. 13. *Ortum nobis ad lucem quâ fruimur, fabricinstrat, &c. per illum in hospitium mundi hujus intravimus.* Et in Epit. divin. Instit. *Is est qui nos genuit, qui vitali spiritu animavit.* Arnob. 1. *Non quod incedimus, quod spiramus, ab eo ad nos venit?* Seneca 4. 6. de Benef. *Unde tibi istum quem trahis spiritum? &c. unde sanguinem cujus cursu vitalis calor continetur?* supplendum, *nisi à Deo?* Idem 1. 5. de Clementia. *Quorum* (Deorum) *beneficio in lucem edimur.* Et alibi, ex persona Demetrii sui deos alloquentis, *Vultis spiritum? quidni? nullam moram faciam quo minus accipiatis quod dedistis.* Vide Jobi 33. 4. Themistii, Arriani, Ciceronis, & Nazarii locos paulò inferiùs adducendos. Ovidius,

> *Quòd loquor & spiro, cœlúmque & lumina Solis*
> *Aspicio, (possúmne ingratus & immemor esse?)*
> *Ipse dedit.* ——

Orpheus,

> Ζεὺς πνοιὴ πάντων. ——

Imò hinc Διὸς nomen Veteres deductum voluerunt. Aristides 1. Orat. Ζεὺς, ὅτι ζωῆς τε καὶ οὐσίας ἑκάστοις ἐστὶν αἴτιος κέκληται ἡμῖν. Apud Josephum Aristæus, Τὸν ἅπαντα συστησάμενον θεὸν, καὶ οὗτοι, (Judæi) καὶ ἡμεῖς (Græci) σεβόμεθα, ἑτοίμως ἀπὸ τοῦ συμπάντων ἐμφύειν τὸ ζῆν τὴν ἐπίκλησιν αὐτοῦ νοήσαντες. Hierocles, Τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, ἔθος ἦν τοῖς Πυθαγορείοις τῷ τοῦ Διὸς καὶ τοῦ Ζηνὸς ὀνόματι σεμνύνειν· δι' ὃν τὸ εἶναι καὶ τὸ ζῆν τοῖς πᾶσιν ὑπάρχει, τοῦτον δίκαιον ἀπὸ τῆς ἐνεργείας ὀνομάζεσθαι. Servius ad Æneid. 1. *Nihil aliud est vita quam reciprocus spiritus, unde & Jupiter, quo constant omnia, Ζεὺς vocatur, ἀπὸ τῆς ζωῆς.* Apuleius in de Mundo, *Quem Græci Ζῆνα, quòd vitæ nostræ auctor sit, rectissimè appellant.* Hæc non injucunda, ut speramus, nec importuna, adduximus de excellentissima creatura à Deo animata: ad quam tamen illud πᾶσι non putamus restringendum, sed de omnibus quæ in terra sunt universis intelligendum. Paulus 1 Tim. 6. 13. Τοῦ Θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα. In Dialogo ad Asclepium in scriptis Apuleianis, *Omnibus speciebus vel* (id est &) *generibus quæ in mundo sunt, distributor dispensatórque bonorum: id est, sensûs, animæ, & vitæ.*

Ibid. Καὶ τὰ πάντα] Non ergò ex nostro proveniunt quæ offe-

offerimus ei. Apud Diodorum Siculum ſocero neque pro filia neque pro magna dote Viriathus ſe obligatum dicit: imò, ὅτι μᾶλλον χάριν αὐτῷ ὀφείλει, δίδωσι γὰρ οὐδὲν ἴδιον τῷ πάντων Κυρίῳ. Πάντα hic in Luca intellige, *ad ſpiritum enim quem inſudit ſuſtentandum neceſſaria*. Philo lib. de Cherubim, Κέχρηκε τὰ γεννητὰ πάντα πᾶσιν. Ibidem, Δωρητικὸς ἁπάντων, ἀενάους χαρίτων πηγὰς ἀναχέων. Et in Moſis vita, Ὁ πάντα διὰ πάντων πεπληρωκὼς τῆς εὐεργετίδος αὐτοῦ δυνάμεως. Apuleius ex Platone, *Nihili indigens, ipſe conferens cuncta*. Prudentius,

> *Ipſe homini quia cuncta dedit,*
> *Quæ capimus dominante manu,*
> *Quæ polus aut humus aut pelagus*
> *Aëre, gurgite, rure creant, &c.*

Arrianus 2. 23. in Epictetum, Ὑπὲρ τοῦ ζῆν καὶ τῶν συνεργῶν πρὸς αὐτό, &c. τῷ θεῷ εὐχαριστεῖ. Vide & Eundem 1. 16. Cicero in pro Roſcio Amerino, *Commoda quibus utimur, lucem quâ fruimur, ſpiritum quem ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus.* Quæ ſic imitatus eſt Nazarius in Panegyrico, *Spiritum quem ducimus, tot commoda quibus alimur, divinum nobis numen impertit.* Adde quæ ſuprà ad 14. 17. notata. Nec tantùm vitæ uſibus, ſed & ornatui voluptatique inſervientia conceſſit. Paulus 1. 6, 17. ad Timoth. Τῷ παρέχοντι ἡμῖν πάντα πλουσίως εἰς ἀπόλαυσιν. Plutarchus in ὑγ. παραγγ. Πολλὰ οὐ μόνον πρὸς διατροφὴν ἄφθονα, ἀλλὰ καὶ πρὸς εὐπάθειαν καὶ ἀπόλαυσιν ἡ γῆ ἀποδίδωσιν. Philo in περὶ κοσμοπ. Ὡς οἰκειοτάτῳ καὶ φιλτάτῳ ζώῳ (ἀνθρώπῳ) τὰ ἐν κόσμῳ πάντα προητοιμάσατο, βουληθεὶς γενόμενον αὐτὸν μηδενὸς ἀπορῆσαι τῶν πρὸς τὸ ζῆν, καὶ τὸ εὖ ζῆν. Themiſtius 11. Orat. Ζωῆς χορηγός, εὐδαιμονίας πρύτανις. Arnobius lib. 1. *Nónne ab hoc effluunt cauſæ per quas noſtra fulcitur ſalus variarum munificentiâ voluptatum?* Seneca (2. 29. de Benef.) de Dei benignitate loquens, *Tot virtutes accepimus, tot artes, &c. tantum denique frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum ſuper alias coacervatarum.* Adde alium ejuſdem locum ſuprà & 14. 17. adductum. Cicero De N. D. *Hoc omnes mortales ſic habent, &c. vineta ſegetes, oliveta, ubertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem proſperitatémque vitæ à diis ſe habere.* Sic νόμους, τέχνας, τὴν τοῦ βίου σωτηρίαν, & quæ alia enumerat, à Jove hominibus præberi Ariſtides dixit. Et apud Lucianum, poſt Solis, Lunæ, ventorum, aliorúmque humano uſui paratorum commemorationem, additur, Ταῦτα πάντα ὑπὸ φιλανθρωπίας οἱ θεοὶ ποιοῦσι, καὶ πρὸς τὴν ἐπὶ τῆς γῆς βίον ἑκάστοις συντελοῦσι.

Com. 26. Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοι[illegible] ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς] Abeſt à Vetere Latino illud [illegible] αἵματος quaſi dixerit Paulus, *ex uno patre*, vel *homine*. Sic & Hieronymus contra Helvid. *Omnes homines ex uno patre nati:* & Lactantius 6. 10. *Ab uno homine quem Deus finxit, omnes orimur:* & pòſt, *Unus homo à Deo factus eſt, ab eóque uno omnis terra humano genere completa eſt.* Alcimus Avitus,

> *——Cuncti nam ſemine ab uno*
> *Prodiimus, patrémque omnis ſibi vendicat unum*
> *Poſteritas——*

Quibus adde Theodoreti iſta ex 7. περὶ προνοίας, Ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς μίαν εἰργάσατο πάντων τῶν ἀνθρώπων τὴν φύσιν, καὶ ἐξ ἑνὸς ἀνδρὸς καὶ μιᾶς γυναικὸς ἅπασαν τὴν οἰκουμένην τοῦδε τοῦ γένους ἐπλήρωσε. Et, quod caput eſt, eodem ſenſu ἐξ ἑνὸς bis Scriptor ad Hebræos poſuit; nimirum 2. 11. & 11. 12. Poteſt & ferri tamen recepta lectio, ſic enim *ſanguinem* ponunt & Latini. Virgil. 2.

> *——Quo ſanguine cretus.*

Ubi Servius, *Quibus ſit parentibus natus.* Et lib. 4.

> *Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.*

Servius, *Punici ex oſſibus dicunt oriri poſteros, quos nos ex ſanguine.* Iterum Virgil.

> *——Genus alto à ſanguine Divûm.*

Idem,

> *Sic genus amborum ſe ſanguine findit ab uno.*

Cui ſimile apud Joſephum (Antiquit. 12. 5.) Lacedæmoniorum ad Judæos illud, Ἐντυχόντες γραφῇ τινι, εὕρομεν ὡς ἐξ ἑνὸς εἶεν γένους Ἰουδαῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι. Et nota, in duobus ultimis è Virgilio adductis locis non tantùm *ſanguinis* vocem, ſed & *generis*, ut hic in Luca. Indè & agnoſces Veteris peritiam, qui *omne genus hominum:* moleſtam Recentioris diligentiam, qui maluit, *omnem gentem*. Ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, eſt, ἐπὶ πάσης τῆς γῆς πρόσωπον ut 21. 35. in Euangelio. Similis ſuprà 12. 11. Rom. 1. 18. & alibi, locutio.

Ibid. Ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς] Καιροὺς τοῦ βίου intelligo. καιρούς, ὁρίζειν, & προτάττεσθαι, ſaltem ἰσοδύναμοι voces, frequenter hac in re occurrunt. Sirachides 17. 2. Ἡμέρας ἀριθμοῦ, καὶ καιρὸν αὐτοῖς ἔδωκεν. Theophylactus ad Luc. 12. Ζωῆς μέτρα παρὰ μὲν Θεῷ, καὶ οὐκ αὐτός τις ἑαυτῷ ὁριστὴς τῆς ζωῆς. Baſilius Homil. de Morte, Θεὸς ἔδωκεν ἑκάστῃ ψυχῇ τὸν τοῦ βίου διαγωγήν, καὶ ἄλλοις ἄλλους ὅρους τῆς ἐξόδου ἔπηξε. M. Antoninus, Ὅρος ἐστί σοι προγεγραμμένος τοῦ χρόνου. Hierocles, Γινώσκει ὡς θανεῖν πέπρωται ἅπασι, καί τις ὡρισμένος ἐστὶ χρόνος πρὸς διαμονὴν τοῖς θνητοῖς σώμασιν. Arrianus 1. 12. in Epictetum, Ἐκεῖνος (Ζεὺς) τὴν γένεσίν σου ὥρισε καὶ διέταξεν. Philo in Cherubim, Ἕκαστος ἡμῶν ὥσπερ εἰς καινὴν πόλιν ἀφῖκται τόνδε τὸν κόσμον, ἧς πρὸ γενέσεως οὐ μετεῖχε καὶ ἀφικόμενος παροικεῖ, μέχρις ἂν τὸν ἀπονεμηθέντα τοῦ βίου χρόνον διαντλήσῃ. Plutarch. in Conſol. Ὃν (βίον) δέδωκεν ἡμῖν ἡ φύσις οὐκ εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον, ἀλλὰ καθ' ἕκαστον ἀπένειμε τὸν μερισθέντα, &c. Ibidem, Ἐκείνῳ τῷ μακαρισθέντι οὐκ ἦν κατὰ φύσιν περαιτέρω τοῦ νεμηθέντος χρόνου πρὸς τὸν ἐνθάδε βίον περιμένειν.

> *Stat ſua cuique dies.——* Servius, *Fixum eſt tempus vitæ.*

Seneca lib. Cur bonis viris &c. *Quantum cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit, &c.* Idem Conſol. ad Marciam, *Fixus eſt cuique terminus, manebit ſemper ubi poſitus eſt, nec illum ulterius diligentia aut gratia promovebit.* Apuleius in de Mundo, *Hic animalium natantium atque terreſtrium, pennigerorúmque cunctorum diſtinxit genera, ſpecies ſeparavit, fixitque leges vivendi & moriendi.*

Com. 27. Εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν αὐτόν, καὶ εὕροιεν] *Palpando invenirent.* ἓν διὰ δυοῖν. Scholiaſtes Ariſtophanis, Οἱ ἐν σκότει ζητοῦντες, τοῦ ζητουμένου τὴν ἀκριβῆ ὄψιν οὐχ ὁρῶντες, ψηλαφῶντες ἀνευρίσκουσιν αὐτό. Arnobius lib. 1. *Atque ut per umbram Te poſſit errans inveſtigare ſuſpicio, nihil eſt omnino mutendum.* Et alibi, hæc Pauli; ut videtur, reſpiciens, *Si modò Illum tentent, at meditentur agnoſcere:* de mentibus humanis agit. Tertullianus in Apologetico, *Semper humana mens malè de Deo meruit, &c. quem cum intelligeret ex parte, non requiſivit.* Ex parte autem intelligitur; imò ſe quaſi tangendum præbet, per admirandam operum ſuorum magnitudinem & varietatem. Manilius,

> *Atque adeò faciem cæli non invidet Orbi*
> *Ipſe Deus, vultúſque ſuos corpúſque recludit,*
> *Semper volvendo, ſéque ipſum inculcat & offert;*
> *Ut bene cognoſci poſſit, doceátque videndo*
> *Qualis erat, doceátque ſuas attendere leges.*
> *Ipſe vocat noſtros animos ad ſidera mundus,*
> *Nec patitur, quia non condit ſua jura, latere.*

Philo, Quis rer. divin. hæres, Νῷ ὁ θεὸς καταλαμβάνειν τὸν μὲν νοητὸν κόσμον δι' ἑαυτοῦ, τὸν δὲ ὁρατὸν δι' αἰσθήσεως ἀφῆκεν. Apuleius in de mundo, *Divinorum operum veſtigiis perſpicuus atque manifeſtus.*

Ibid. Καίτοιγε οὐ μακρὰν ἀφ' ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα] *Unde enim* (id eſt, *à quo*, *Deus longè eſt, cum omnia cæleſtia terrenáque, & quæ extra iſtam orbis Provinciam ſunt, Deo cuncta plena ſunt?* Minucius in Octavio. Simplicius in cap. 38. Epicteti, Αὐτὸς ἀεὶ πᾶσι πάρεστι. Iterum Minucius, *Non tantùm ſub illo agimus, ſed cum illo propè dixerim vivimus.* Themiſtius Orat. 13. Ἐκεῖ ἐστιν ἕκαστος οὐ μόνον ὁ θεὸς ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος ἤδη, ὅπου ἂν δύνηται ὠφελεῖν, καὶ ἔργον ἀγαθὸν ἐπιδείκνυσθαι. Arrianus 2. 8. in Epictetum, Θεὸν περιφέρεις τάλας δοκεῖς με λέγειν ἀργυροῦν τινα ἢ χρυσοῦν ἔξωθεν; ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτόν. Seneca, *Propè eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt.*

Com. 28. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν] Per illum, illius bonitate & permiſſu vivimus: id valet hîc ἐν particula. Οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ἐκπορευομένῳ. Matth. 4. 4. Lactantius ſuprà citatus, ad Com. 26. *Per illum vivimus: Dei eſt omne quod poſſumus: indè vivimus, indè pollemus*, De Jove Plautus,

> *——Per quem vivimus vitale ævum.*

Philo Deo vero, ζωῆς αἴτιος.

Ibid. Καὶ κινούμεθα] Arnobius, *Non quod incedimus, &c. ab eo ad nos venit?* Africanus in Somn. Scip. apud Ciceronem, *Deum igitur te scito esse: siquidem Deus est qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prævidet, qui tam regit & moderatur & movet id corpus cui præpositus est, quàm hunc mundum princeps ille Deus. Et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.* Plutarchus in Conviv. 7. Sap. Ψυχῆς μὲν ὄργανον τὸ σῶμα, Θεοῦ δὲ ἡ ψυχή· καὶ καθάπερ σῶμα πολλὰς μὲν ἐξ αὑτοῦ κινήσεις ἔχει, τὰς δὲ πλείστας καὶ καλλίστας ὑπὸ ψυχῆς· οὕτως αὖ πάλιν ἡ ψυχὴ τὰ μὲν ὑφ᾽ ἑαυτῆς κινουμένη πράττει, τὰ δὲ τῷ Θεῷ παρέχει χρωμένῳ κατευθύνειν καὶ τρέπειν ἑαυτὴν ᾗ βούλοιτο.

Ibid. Καὶ ἐσμεν] Arnobius ubi supra, *Nonne huic omnes debemus hoc ipsum quòd sumus? quòd esse homines dicimur?* quæ videtur ex his Curii ad Ciceronem hausisse, *Nos quod sumus, &c. quòd homines existimemur, id omne abs te habere*, Famil. 7. 24. Apulejus in de Mundo, *Vetus opinio est, atque cogitationes omnium hominum penitus insedit, Deum esse non originis habere auctorem.* Lactant. 1. 11. *Per illum sumus.*

Ibid. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν] q. d.

> *Igneus est nostris vigor & cœlestis origo*
> *Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,*
> *Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.*

Tyrtæus,

> ——Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ.

Servius ad Georg. 3. *Eurystheus Rex fuit Græciæ, Persei genus.* Fadilla apud Herodian. 1. ad Commodum fratrem, Ἡμεῖς δὲ τὸ σὸν γένος. Virgil. 1. Æn.

> *Nos tua progenies.* ——

Idem 11.

> ——*Cum gente deorum*, &c.

ubi Servius, *Qui à Diis originem ducunt.* Avienus,

> —— *Pubi genus ab Jove summo.*

At non Aratus de gente aliqua, sed humano genere: quam φησιν ex aliis τῶν ἔξω illustrare libet. Aristides dixit, Ἡ ἐξ ἀρχῆς γένεσις ἐκ Διὸς ἡμῖν. Manilius,

> *An quoquam genitos nisi cælo credere fas est*
> *Esse homines?* ——

Idem de humana anima,

> —— *Cælo scrutatur in alto,*
> *Cognatùmque sequens corpus se quærit in astris.*

De eadem Seneca cap. 6. ad Helviam, *Non ex terreno & gravi concreta corpore, ex illo cœlesti spiritu descendit.* Juvenalis,

> *Sensum ex cœlesti demissum traximus arce.*

Lucretius,

> *Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi,*
> *Omnibus ille idem pater est.* ——

Apud Euripidem,

> Ὦ τέκνον, οὐκ ἐξ ἄλλοθεν τὸ σὸν κάρα,
> Ἀλλ᾽ ἐξ ἐκείνου σπέρμα τῆς θείας φρενὸς
> Πέφυκας. ——

Arrianus 2. 14. in Epictetum, Τοῦ αὐτοῦ γεγόναμεν, ἔχομέν τινα ἐπιπλοκὴν πρὸς αὐτὸν καὶ σχέσιν. Idem 1. 14. Αἱ ψυχαὶ ἡμέτεραι οὕτως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι καὶ συναφεῖς τῷ Θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι καὶ ἀποσπάσματα. Et ibidem 13. Οὐκ ἀνέξῃ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ σεαυτοῦ, ὃς ἔχει τὸν Δία πρόγονον; ὥσπερ υἱὸς, ἐκ τῶν αὐτῶν σπερμάτων γέγονε, καὶ τῆς αὐτῆς ἄνωθεν καταβολῆς; Apud Ciceronem est in Catone majore, *delibatos ex divina nos mente animos habere.* Idem 1 De legibus, *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem, præclarâ quadam conditione generatum esse à Deo, &c.* Ibidem, *Quod in civitatibus, &c. agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius, tantòque præclarius, ut homines deorum agnatione & gente teneantur.* Et statim, *Ex quo* (animo) *verè vel agnatio nobis cum cœlestibus, vel genus, vel stirps appellari potest.*

Com. 19. Οὐκ ὀφείλομεν νομίζειν χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον] Xenophanes citatus Clementi Stromat. 5.

> Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
> Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος, οὐδὲ νόημα.

Josephus 2. contra Appionem, Πᾶσα μὲν ὕλη πρὸς εἰκόνα τὴν τούτου ἀλλότριος, κἂν ᾖ πολυτελὴς, ἄτιμός ἐστι πρὸς τὴν ἐκείνου δόξαν· καὶ πᾶσα τέχνη πρὸς μιμήσεως ἐπίνοιαν ἄτεχνος· οὐδὲν ὅμοιον οὐδ᾽ ἐπινοοῦμεν, οὐδ᾽ εἰκάζειν ἐστὶν ὅσιον. Origenes contra Celsum, Ἡ κοινὴ ἔννοια ἀπαιτεῖ ἐννοεῖν ὅτι θεὸς οὐδαμῶς ἐστιν ὕλη φθαρτὴ, οὐδὲ τιμᾶται ἐν ἀψύχοις ὕλαις, ὑπὸ ἀνθρώπων μορφούμενος. De eodem Maximus Tyrus agens, Ἐννόει μοι μήτε μέγεθος, μήτε χρῶμα, μήτε σχῆμα, μήτε ἄλλο τι ὕλης πάθος. Lucianus in de Imaginibus, Ἀλλ᾽ ὅρα μὴ ἄσεμνον ᾖ τὰ τοιαῦτα περὶ τῶν θεῶν δοξάζειν, ὧν τάς τε ἀληθεῖς εἰκόνας ἀνεφίκτους εἶναι ἀνθρωπίνῃ μιμήσει ἔγωγε ὑπολαμβάνω paulò antè locutus fuerat de Phidia & Praxitele. Apud Philonem in de Legatione ad Caium Agrippa, Γραφέων καὶ πλασμάτων ἔργα μιμήματα τῶν αἰσθητῶν εἰσιν, τὸ δὲ ἀόρατον εἰκονογραφεῖν ἢ διαπλάττειν οὐχ ὅσιον τοῖς ἡμετέροις προγόνοις ἐνομίσθη. Ibidem, Οὐχ ὥσπερ τὸ νόμισμα παράκομμα, καὶ θεοῦ μορφὴ γίνεται. Tacitus de Germanis, *Ex magnitudine corporum cœlestium manifestè probari dicebant, nec cohiberi parietibus deos, nec in ullam humani corporis effigiem assimulari posse.* Ἐνθύμησις hic est *imaginatio*, vel (si sic loqui licuerit) *figuratio artificis.* Philostratus eodem verbo eodem hoc argumento utitur, Δεῖ (inquit) Διὸς ἐνθυμηθέντα εἶδος, ὁρᾶν αὐτὸν ξὺν οὐρανῷ, καὶ ὥραις, καὶ ἄστροις, &c. Ἀθηνᾶν δὲ δημιουργήσειν μέλλοντα, στρατόπεδα ἐννοεῖν, καὶ μῆτιν, καὶ τέχνας, 6. 9. ubi vides & ἐννοεῖν, quod non aliud quàm ἐνθυμηθῆναι. Ibidem proximè antecedentibus vocem φαντασίαν, posuit, Ταῦτα (deorum simulacra nempe) εἰργάσατο φαντασία, σοφωτέρα μιμήσεως δημιουργός. μίμησις μὲν γὰρ μόνον δημιουργήσει ὃ εἶδε, φαντασία δὲ καὶ ὃ μὴ εἶδεν. Idem 2. 10. Οὐκ ἂν ἐπαινέσειέ τις τὸν γεγραμμένον ἵππον ἢ ταῦρον, μὴ τὸ ζῶον ἐνθυμηθεὶς ᾧ εἴκασται. Scriptor Sapient. 15. 4. hanc materiam persequens, κακότεχνον ἐπίνοιαν dixit: sic taurus Perilli Luciano ἐπινοίας κακίστης ὑπόμνημα. Glossæ, *Excogitatio*, Ἐπίνοια. Glossæ aliæ, Ἐπίνοια, *Excogitatio, commentum.* Repete & [illegible] hi locum paulò suprà adductum. Ibidem idem Josephus de [illegible]tis & pictoribus, Αὐτῶν ἕκαστος τινὰ μορφὴν ἐπινοῶν, ὁ μὲν ἐκ πηλοῦ πλάττων, ὁ δὲ γράφων. Lucianus in de Sacrificiis, de Polycleto, Phidia, cæterisque magni nominis statuariis, Οὐκ οἶδ᾽ ὅπη ἰδόντες, ἀναπλάττουσι γενειήτην μὲν τὸν Δία, παῖδα δ᾽ ἐς ἀεὶ τὸν Ἀπόλλωνα, καὶ τὸν Ἑρμῆν ὑπηνήτην, καὶ Ποσειδῶνα κυανοχαίτην, καὶ τὴν Ἀθηνᾶν γλαυκῶπιν. In Epistola quæ dicitur Jeremiæ, sive additamentis Baruchi, Ὑπὸ τεκτόνων καὶ χρυσοχόων κατεσκευασμένα εἰσίν (de deorum simulacris agit) οὐδὲν ἄλλο μὴ γένωνται ἢ ὃ βούλονται οἱ τεχνῖται αὐτὰ γενέσθαι. Post tot elegantes electósque locos non plura de ἐνθυμήσει ista. Θεῖον *Divinum* vertit hic Interpres vetus, quo nomine Barbarus audit à Recentiore. Atqui id fecit Vetus non sine exemplo. Apuleius 9. *Tunc saga illa, & Divini potens, &c.* Idem in Apologia, *Et fors fuat ne ob hanc Divini contumaciam, &c.* Glossarium, *Divinum*, θεῖον, καὶ μάντιν.

Com. 30. Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ θεὸς, &c.] Doctissimis viris qui cum Vetere ὑπεριδὼν *despiciens* verterunt, non facilè accesserim, Recentiori hic potiùs Interpreti, qui *connivendo dissimulans.* Sic non semel apud Tacitum *silentio* aut *dissimulatione transmittere.* Confer & locum suprà 14. 16. Quo sensu autem accipiendus uterque, non malè ex his Justini discas, Μέχρι τοῦ πρόσθεν χρόνου (inquit) εἴασεν ἡμᾶς ὡς ἐβουλόμεθα ἀτάκτοις φοραῖς φέρεσθαι, &c. οὐ πάντως ἐφηδόμενος τοῖς ἁμαρτήμασιν ἡμῶν, ἀλλ᾽ ἀνεχόμενος οὐδὲ τῷ τῆς ἀδικίας καιρῷ συνευδοκῶν, ἀλλὰ τὸν νοῦν τῆς δικαιοσύνης δημιουργῶν. Theophylactus ad Luc. 1. Παραβλεπόμενος (vides vocem τῷ ὑπεριδεῖν æquipollentem) τὰς πολλὰς ἁμαρτίας, καὶ μακροθυμῶν ἐπὶ τῇ εἰδωλομανίᾳ. Pro ὑπεριδεῖν, alibi παριδεῖν (etiam cum verbo ἀγνοίας) occurrit. Sirachides 28. 7. Καὶ πάριδε ἄγνοιαν. Idem 30. 11. Καὶ μὴ παρίδῃς τὰς αὐτοῦ ἀγνοίας. Sic ἁμαρτίας παριδεῖν, 11. 24. Scriptor Sapient. dixit.

Ibid

Ibid. *Τὰ νῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν*] Quasi diceret,

Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat.

Ὥρα ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι νῦν γὰρ, &c. ut ad Roman. 13. 11. loquitur. *τὰ νῦν*, est in hoc lumine Euangelii tam claro, tam fulgenti, per quod priorum temporum discussis tenebris, & *ματαιοπονίας πατροπαραδότου* caligine profligatâ, diriguntur pedes eorum in pacis ac salutis viam. Ephes. 3. 5. de mysterio Christi, *Ὃ ἐν ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη*, &c. *ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη*, &c. Vide & ad Titum 2. 11, 12. 1 Pet. 1. 14, 15. & 4. 3. Antithesim ætatum non dissimilem apud Senecam habemus, *Nec verò in ea tempora incidit* (de Catone agit) *quibus credi posset cœlum unius humeris inniti: excussâ jam antiquâ credulitate, & seculo ad summam perducto solertiam.*

Com. 31. *Ἔστησεν ἡμέραν*] Sic Hebr. 4. 7. *ὁρίζειν ἡμέραν.* Suprà 12. 21. & infrà 28. 23. *ἡμέραν τάττειν.*

Ibid. *Πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν*] Idem 14. 9. ad Romanos, *Εἰς τοῦτο Χριστὸς ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, καὶ ἀνέζησεν, ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ.* Vide & supra 10. 42. 2 Tim. 4. 1.

Com. 32. *Ἀκούσαντες δὲ ἀνάστασιν νεκρῶν, οἱ μὲν ἐχλεύαζον*, &c.] Ut solent rebus dictis nullam fidem adhibentes. Vide quæ ad Matt. 9. 24. diximus. Origenes contra Celsum, *Τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον θρυλλεῖται, γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων.* Minucius ex persona Pagani Christianos deridentis, *Nec hac furiosâ opinione contenti, aniles fabulas adstruunt & annectunt: renasci se ferunt post mortem, & cineres: & nescio quâ fiduciâ mendaciis suis invicem credunt: putes eos jam revixisse.* De iisdem Lucianus, *Πεπείκασιν αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι, καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον.*

CAP. XVIII.

VALLA.

9, 10. **L**Oquere, *& ne taceas: Propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate*] Eodem modo dicitur Græcè *propter quod* & *quoniam.* Quare ego sic transtulissem, *Ne taceas; quia ego tecum sum, & nemo invadet te ad tibi nocendum: quoniam populus est mihi multus in hac civitate*, sive *urbe*: *διότι ἐγὼ μετὰ σοῦ εἰμι, καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε· διότι λαός ἐστί μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ.*

REVIUS in VALLAM.

10. **E**T *nemo apponetur tibi ut noceat te*] Ridiculam hanc lectionem, quæ in veteribus Vulgatæ exemplaribus reperitur, posteriores sustulerunt: interim mutilarunt textum, dum verbum *ἐπιθήσεται*, quod stultè versum fuerat *apponetur*, prætermiserunt.

ERASMUS.

1. **E**Gressus *ab Athenis*] *Χωρισθεὶς*, i. *digressus Athenis.*

2. *Ponticum genere*] Pontus enim Asiæ Minoris pars est: non enim à *mari* hic dictus est *Ponticus.* Hunc salutat Paulus in epistola ad Romanos, nisi quòd illic uxor, pro *Priscilla*, *Prisca* nominatur, adnotante Origene. Hæc scribenti risus obortus est, quòd in voluminibus Origenicis primùm à Badio nostro excusis ità nescio quis scripturam depravarat, *Post hæc autem discedens Paulus ab Athenis, venit Corinthum: & invento ibi quodam Judæo nomine Aquila, de pontificio genere*, pro eo quod erat *de Pontico genere.* Offensus, opinor, quòd absurdum putaret *Pontici generis* dici qui *Judæus* esset. Quasi id temporis non habitarint per omnes fermè regiones sparsi Judæi. Certè Petrus nominatim scribit *ad eos qui in Galatia, qui in Bithynia, qui in Ponto habitabant* Judæos. Verùm hac de re nonnihil attingemus in epistola ad Romanos.

3. *Ejusdem erat artis*] *Ὁμότεχνοι* dicuntur Græcis, *ejusdem artificii*, sive *opificii*; velut pictori pictor, faber fabro, sutor sutori, nauta nautæ *ὁμότεχνος* est. ¶ *Scenofactoriæ artis*] *Ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην, erant enim aulæorum*, sive *tabernaculorum*, *texendorum artifices.* Interpres Origenis enarrantis epistolam Pauli ad Romanos interpretatur *σκηνοποιοὺς artifices tabernaculorum*, h. e. sutores; ob id opinor, quòd tabernacula apud priscos pellibus conficiebantur. Et nunc apud Hispanos fiunt aulæa. Idem testatur hom. in Numeros 17 O vere Pontificem, verè suisque dotibus maximum. Nos satellitio, copiis, censu, minis magni videri volumus.

4. *Et disputabat in synagoga per omne Sabbatum interponens nomen Domini Jesu: suadebatque Judæis & Græcis*] Totum hoc non habetur in quibusdam cod. etiam excusis. Unus cod. Donatiani consentiebat cum Græcis: qui cùm cætera habeant, non addunt tamen, *interponens nomen Domini Jesu.*

5. *Instabat verbo Paulus, testificans*] Græci longè secùs legunt quàm nos, *συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος διαμαρτυρόμενος, coarctabatur spiritu Paulus testificans Judæis:* ut intelligas illum invitum & animo reluctante id fecisse, ceu præsentiret se lusurum operam.

7. *Titi Justi*] *Titi* non reperio in Græcis cod. sed tantùm *Justi*: verùm, opinor, incuriâ librariorum prætermissum: quandoquidem Hieronymus, aut quisquis fuit is autor, hujus meminit *Titi* in Nominibus Scripturæ S. quanquam nec illic de *Justi* cognomine ulla mentio.

10. *Propter quod ego tecum*] *Διότι*, *propterea quod ego tecum sum.* ¶ *Et nemo apponetur tibi*] *Ἐπιθήσεταί σοι*, i. *nullus adorietur*, sive *invadet*, *te.* Quandoquidem id quoque significat *ἐπιτίθεσθαι.* ¶ *Ut noceat te*] *Τοῦ κακῶσαί σε ut affligat te*, sive *ad affligendum te.* ¶ *Quoniam populus est mihi multus*] *Διότι.* Cur non & hîc transtulit, *Propter quod*, ut modò fecit? aut cur non antè vertit, *quoniam?*

12. *Proconsule Achaiæ*] *Ἀνθυπατεύοντος τῆς Ἀχαΐας, cum ageret Proconsulem Achaiæ.*

13. *Persuadet hominibus*] *Ἀναπείθει suadet* potiùs quàm *persuadet*; atque adeò *resuadet*, si sic liceat loqui, quòd Paulus à veteri cultu Deorum revocaret.

14. *Incipiente autem Paulo*] *Μέλλοντος δὲ τοῦ Παύλου ἀνοίγειν τὸ στόμα, cùm autem aperturus esset os.* Quod tamen aliquoties datâ operâ sic vertit Interpres, nec id sanè perperam. ¶ *Iniquum aliquid aut facinus*] *Ἀδίκημα*, quod magis sonat *injuriam illatam*, aut *maleficium.* Deinde qui hic vertit *facinus ῥᾳδιούργημα*, cur huic cognatam vocem *ῥᾳδιουργίαν* superiùs transtulit *fallaciam?* Nec est *pessimum*, sed *malum*, *πονηρὸν* ¶ *Rectè vos sustinerem*] *Κατὰ λόγον probabiliter*, sive *meritò.*

15. *De verbo & nominibus legis vestræ*] Deest apud nos una conjunctio, *&*, *περὶ λόγου καὶ ὀνομάτων καὶ νόμου τοῦ καθ' ὑμᾶς, verbis & nominibus & lege vestrate.* *Verba* opposuit *factis.* Deinde quæstiones de communi & non communi, deque genealogiis, vocat *nomina.* Ceremonias Mosaicas vocat *legem.* ¶ *Videritis*] Futuri temporis est, *ὄψεσθε*, quemadmodum in Euangelio.

16. *Et minavit eos*] *Ἀπήλασεν.* Cur non potiùs *abegit*, sive *depulit?* nam *minare* sanè quàm insolens verbum est Latinis auribus.

18. *Fratribus vale faciens*] *Ἀποταξάμενος dimissis fratribus*, sive *Vale dicto fratribus.* ¶ *Navigavit*] *Ἐξέπλει abnavigavit.* ¶ *Qui sibi totonderat caput*] Ex ipso sermone Græco non liquet uter sibi raserit caput, Paulus an Aquila. Ad hæc, participium est præt. temporis, *κειράμενος τὴν κεφαλὴν*, i. *tonso capite.* Priùs enim tonsus est in portu, deinde navigavit. ¶ *Cenchreis*] Legendum est nomine trissyllabo *Cenchreæ*, sicut *Athenæ.* Portus est Corinthi.

21. *Iterum revertar ad vos*] In Græcis exempl. plus est quàm in nostris, *Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα· πάλιν δὲ ἀνακάμψω πρὸς ὑμᾶς Oportet me omnino festum quod instat, agere Hierosolymis: sed denuò conferam me ad vos.* ¶ *Profectus est ab Epheso*] *Καὶ ἀνήχθη* quod ego maluissem, *solvit Epheso.*

24. *Apollo nomine*] *Ἀπολλὼς Apollos:* cujus genitivus *Apollo*, non *Apollinis.* Meminit hujus Paulus in Epistolis. ¶ *Vir eloquens*] *Λόγιος*, quod & *eruditum* sonat & *prudentem.*

25. *Hic erat edoctus*] *Κατηχημένος*, participium ab eo verbo unde dicti sunt *Catechumeni.* Non igitur erat *edoctus viam Domini*, quam mox discit à Priscilla & Aquila, verùm erat utcunque *initiatus* Baptismo Joannis.

27. *Cùm autem vellet ire Achaiam*] Cùm Græcè sit *εἰς τὴν Ἀχαΐαν*, mirum cur Interpres omiserit præpositionem, reclamantibus Grammaticis, eò quòd *Achaia* regionis nomen est, non civitatis. ¶ *Contulit multum his qui crediderunt*] Hîc Græci cod. addunt *διὰ τῆς χάριτος per gratiam.* Hoc adjectum est ut intelligeremus muneris esse Divini quòd conduceret Christianis. Beda admonet in nonnullis cod. pro *contulit* scriptum fuisse *profuit.*

28. *Vehementer*] *Εὐτόνως acriter.* *Publicè*] Incertum utrò sit referendum; opinor ad superiora: nam id erat *gratia* quòd *publicitus* etiam ausus sit *refellere Judæos.* ¶ *Esse Christum Jesum*]

sum] Εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. Non negabant Judæi Jesum *esse*, verùm negabant *illum esse Messiam quem exspectabant*, unde *Christo* præposuit articulum, τὸν Χριστὸν, i. *illum Christum*, sive *ostendens quòd Jesus esset Christus*, sive *Jesum esse Christum*.

VATABLUS.

1. P*Ost hæc* *] * *Paulus.*

3. *Erant autem scenofactoriæ artis*] *Erat enim ars illorum texere tabernacula*, vel, *erant autem aulæorum*, aut *tabernaculorum*, *texendorum artifices.*

4. *Per omne Sabbatum*] Vel *unoquoque Sabbati die.*

5. *Instabat verbo*] *Coarctabatur Spiritu.*

6. *Sanguis vester super caput vestrum*] Heb. Sanguis vestris manibus fusus erit super vos, exitium vestrum vobis solis imputetur: vel, dabitis tandem pœnas, cujus rei non sum causa sed vos. ¶ *Ex hoc*] *Posthac.*

10. *Propter quod*] *Propterea quòd.* ¶ *Et nemo apponetur tibi ut noceat te*] *Et nullus nocere poterit tibi*; Vet Græcè est, *Et nemo adorietur te ut affligat te.*

13. *Persuadet*] *Suadet.*

14. *Iniquum aliquid*] *Injuria aliqua.* ¶ *Rectè*] *Meritò.*

15. *De verbo & nominibus legis vestræ*] Sermonem opposuit factis: deinde quæstiones de communi & non communi déque genealogiis vocat *nomina.* Ceremonias Judaicas vocat *legem.* Vetera legunt, *Et legis.* ¶ *Videritis*] q.d. Componite ipsi istas controversias. ¶ *Judex* *] * *Enim.*

16. *Minavit*] *Abegit.*

17. *Omnes* *] * *Græci.*

18. *Cùm adhuc sustinuisset*] *Deinde commoratus.* ¶ *Fratribus valefaciens*] Vel *dimissis fratribus.* ¶ *Habebat enim votum*] i. simulabat enim se Nazaræum, ut Judæorum imperitiæ consuleret, qui illi vitio dabant quòd legem nihili faceret.

20. *Maneret* *] * *Apud se.* ¶ *Dicens* *] * *Oportet omnino me festum quod instat agere in Jerusalem, sed.*

23. *Galatiam*] *Galaticam*, Vet.

24. *Natione*] *Genere*, Vet. ¶ *Eloquens*] Vel *eruditus & prudens.* ¶ *Potens in Scripturis*] Heb. Doctissimus librorum Vet. Testamenti. ¶ *Jesu*] *Domini.*

25. *Sciens tantùm baptisma Johannis*] i. Johannis tantùm baptismate, h. e. aquâ, baptizatus fuerat, vel baptizabat, nullo Spiritu sancto accepto per impositionem manuum, vel impetrato illis quos baptizabat.

26. *Fiducialiter agere*] *Liberè loqui.* ¶ *Domini*] *Dei*, Vet.

27. *Crediderunt*] *Crediderant*, Vet. Græcè additur *per gratiam*, i. iis qui gratiâ Dei crediderant Euangelio: aut, *Multum contulit illis per gratiam*, i. eloquentiâ & prudentiâ suâ.

28. *Vehementer*] *Acriter.*

CASTALIO.

18. E*T cum eo Priscilla & Aquila, cùm caput totondisset*] Paulus an Aquila caput totonderit certò affirmari non potest ex sermone Græco. Vero tamen propius videtur hoc de Aquila dici, ex eo quòd Lucas uxorem viro præposuit: cujus ordinis (cùm aliàs non solet) quæ causa fuerit non videò, nisi ut intelligeretur participium κειράμενος ad *Aquila* nomen, cui protinus conjungitur, referri; quod fieret si Aquilam anteposuisset.

CLARIUS.

6. S*Anguis vester super caput vestrum*] Quod ait, tale est; Unusquisque à Christo deficiens, qui Vita est, ipse se interficere videtur, à vita ad mortem transiens, & sanguinem suum quodammodo effundendo se ipse interficit.

24. *Judæus autem quidam Apollos nomine*] Quidam ferunt hunc esse Apellem Corinthiorum Episcopum, de quo Paulus alibi ait, *Ego plantavi*, *Apollos rigat*: factámque esse mutationem literarum.

ZEGERUS.

3. S*Cenofactoriæ artis*] h. e. *tabernaculorum opifices*, σκῆνος enim *tabernaculum* & *tentorium* sig. etymologiam ab *obumbrando* ducens, nam σκιὰ *umbra* dicitur, & σκηναὶ vel σκηνώματα *umbracula* sonant. Quæ, si Bedæ credimus, sagis lineis vel lineis aut ciliciniis sive ex arborum frondibus aut virgultis veteres componebant. Alii putant tempore Apostolorum ea ex pellibus fieri solita. Unde D. Hieronymus in traductione commentariorum Origenis in epist. ad Rom. cap. ult. hunc locum interpretatur, *Erant enim artifices tabernaculorum*] *h. e.* inquiens, *sutores*, *ut subaudias Tabernaculorum*, *ne sutorem calceariorum Apostolum fuisse existimes*, *ut nonnulli recentioribus perperàm arbitrantur.* Et Chrysostomi interpres in epist. ad Cor. 1. hom. 5. *& Paulus*, inquit, *tentoria faciebat.* Porrò *scenofactoria* dictio est ex Græco & Latino conflata; cujusmodi etiam apud probatos autores reperiuntur; ut *compresbyter* apud Hieronymum, & *monoculus* apud Perottum. In eo autem quod Gr. legitur ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην, κατὰ particula subaudienda; est ut sic accipiamus, *erant enim secundùm artificium tabernaculorum operatores.*

4. *Et disputabat in synagoga per omne Sabbatum*, interponens nomen Domini Jesu *suadebátque Judæis & Græcis*] Addubito an & hæc ad germanum contextum pertineant; primùm, quod antiquiores explanatores nihil horum attingant, deinde quòd in multis Latinis exempl. calamo descriptis non inveniantur; ad hæc quòd clausula hæc, *interponens nomen Domini Jesu*, non habeatur in Græcis saltem modernis, cujus neque Beda ipse ullam facit mentionem, qui tamen cætera indicat in Græcis fuisse & in multis etiam Latinis. Itaque judicaverim relinqui hæc debere in ipso contextu, sed cum nota aliqua; cæterùm, *interponens nomen Domini Jesu*, adnotari in margine: quod tamen invenio Gemblaci, at non Brugis.

5. *Instabat verbo Paulus*] Hujus loco in Græcis aliud est, nempe συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος, *coarctabatur spiritu Paulus*, suffragante quidem Chrysostomo, sed parùm aptè cohærente contextu.

6. *Sanguis vester super caput vestrum*] Hic *sanguis* pro *peccato* ponitur: aut certe pro *peccati ultione*; quemadmodum & Matth. 27. *Sanguis ejus super nos.* Desumpta sunt autem hæc Apostoli verba ex Ezech. 3. & Hebraismum resipiunt, quibus significatur Suâ culpâ perire ac mori quisquis perit ac moritur.

10. *Propter quod ego sum tecum*] Sic vertit Interpres, pro *Propterea quod.*

11. *Sedit autem ibi annum*] Nonnulli abjiciunt *ibi*, juxta Græcos: sed quia necessariò subauditur, ab ipso puto additum hoc esse Interprete, vel Ecclesiastico correctore; quæ suspicio & aliis in locis haberi potest, nam hæc vox non uno loco superaddita deprehenditur; ut suprà 15. 33. *Facto ibi aliquanto tempore.* Ad eundem modum & *ubi* adjectum est infra 20. 3. *Ubi cùm fecisset menses tres.*

18. *Cùm adhuc sustinuisset*] i. *exspectasset*, προσμείνας; ¶ *Qui sibi totonderat in Cenchreis caput: habebat enim votum*] De tonsione hac sic scribit Beda, *Juxta legem Moysi*, *qui se Deo voverant comam nutrire quamdiu Nazaræi fieri vellent*, *& postea eam tondere atque igni tradere*, *jubebantur.* *Hæc ergo fecit Paulus*, *non quidem oblitus quid de abolitione Legis cum cæteris Apostolis Hierosolymis statuerat*, *sed ne scandalizarentur qui ex Judæis crediderant: simulavit se Judæum*, *ut Judæos lucrifaceret.* *Judæorum enim imperitiæ consulebat* (ut inquit quidam ex recentioribus) *dum Nazaræum simulabat*, *qui ipsi vitio dabant quòd Legem nihili faceret.* Quòd autem tonsio hæc à Paulo facta accipiatur, primus autor Hieronymus est, quem sequitur Augustinus, Beda, & cæteri. Is enim in epistola quadam ad Augustinum de hoc Pauli facto & similibus differens, hunc locum his adducit verbis, *Paulus vero*, *cùm adhuc sustinuisset dies multos*, *fratribus valedicens*, *navigavit in Syriam*, *& cum eo Priscilla & Aquila*: *& totondit sibi in Cenchreis caput*, *votum enim habuerat.* Et de Paulo loquens ibidem sic sciscitatur, *Quare comam nutrivit ex voto*, *& postea eam in Cenchreis totondit ex lege*, *quod Nazaræi qui se Deo voverint juxta præceptum Moysi facere consueverunt?* Verùm Interpres noster, qui τὸ κειράμενος hâc vertit periphrasi, *qui sibi totonderat*, non ignarus quòd immediatè *Aquilæ* viri præcederet vocabulum, quod studio videtur uxoris nomini postpositum, scribénsque, *navigavit in Syriam*, *& cum eo Priscilla & Aquila*, *qui sibi totonderat in Cenchreis caput*, videtur *tonsionem* de *Aquila* intellexisse. Atque in hac sententia videtur fuisse Chrysostomus, scribens quòd *Paulus illos*, nempe Priscillam & Aquilam, *nondum à Judaica consuetudine abduxerat.* Huic etiam adstipulatur quod nonnulli codices habent, *qui sibi totonderant*; deinde etiam quòd infrà c. 21. 24. 26. simile scribitur de Paulo factum. Cæterùm de tonsione & lege eorum qui sese voto obstrinxerant habes Num. 6. Cenchreæ est portus civitatis Corinthiorum.

21. *Et*

21. *Et dicens, Iterum revertar ad vos*] Quæ his interseruntur apud Græcos, Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα· πάλιν δὲ ἀνακάμψω, *Oportet me omnino festum quod instat agere in Hierosolyma*, hactenus non inveni in nostris, nisi quod in uno quodam sic ferè legi, *Oportet me diem solennem venientem facere Hierosolymis.* Beda, qui hujusmodi consuevit admonere nihil omnino hic adnotat. Nicolaus Lyranus non modò negat hæc esse contextûs emendati, verùm etiam ivisse tunc Apostolum Hierosolymam, sed tandem non parvo tempore elapso. Ad hæc castigator quidam in suo Correctorio indicat, haberi quidem in Græco, non item in antiquis glossematibus. Sed his refragari Chrysostomus videtur, apud quem palàm est hæc exstare. Verùm cùm non enarrentur, in suspicionem adducor quòd ibi sint à librariis aut ab ipso interprete adjecta ex cod. vulgaribus, sicuti & aliàs factum est.

24. *Alexandrinus genere*] In Gemblacensi & aliis aliquot lego *Alexandrinus natione.* ¶ *Potens in Scripturis*] Præpollens peritiâ Scripturarum.

27. *Contulit multùm his qui crediderunt*] *Multùm contulit* dictum est pro *multam utilitatem attulit.* Unde & Beda, *Alia*, inquit, *translatio habet, Profuit multùm credentibus per gratiam.*

H. STEPHANUS.

2. Προσφάτως] *Nuper.* ¶ Διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον] *Quod edixisset Claudius.*

5. Συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος, διαμαρτυρόμενος τοῖς Ἰουδαίοις τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν] *Spiritus afflatu correptus testabatur doctrinam de Christo.* Alii, *Constringebatur spiritu Paulus pergens testificari Judæis Jesum esse Christum illum.*

6. Ἐκτιναξάμενος τὰ ἱμάτια] *Cùm excussisset vestimenta.*

7. Συνομοροῦσα] *Contigua.*

11. Ἐκάθισε] *Commoratus est.*

12. Κατεπέστησαν τῷ Παύλῳ] *Insurrexerunt adversùs Paulum.*

14. Κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν] *Rationi consentaneum fuisset me patientem aurem vobis commodare.* Vel, *esset*: ut sit tempus pro tempore.

18. Ἀποταξάμενος] *Cùm valedixisset.*

27. Συνεβάλετο πολὺ] *Adjuvit multùm.*

28. Εὐτόνως γὰρ τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο] *Validis enim argumentis apud Judæos utebatur, ità ut eos convinceret.*

DRUSIUS.

2. *Quendam Judæum* Videtur hic Judæus Christianus fuisse. Nam qui ex Judæis Christo nomen dederant *Judæi* vocabantur, licèt baptizati essent. Sulpicius Hist. sacræ lib. 2. *Quâ tempestate Hadrianus existimans se Christianam fidem loci injuriâ perempturum, in templo ac loco Dominicæ passionis Dæmonum simulacra constituit. Et quia Christiani ex Judæis potissimùm putabantur (namque tum Jerosolyma non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia Sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit quæ Judæos omnes Jerosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ fidei proficiebat, quia tum penè omnes Christum Deum sub Legis observatione credebant.* ¶ *Aquilam*] עקילה *Aquila*, & Græcâ declinatione *Aquilas*, Ἀκύλας. Id Syrus scribit אקולא, Ain in Aleph conversâ. Duo fuerunt hoc nomine; unus qui hic memoratur *Ponticus genere*; alter qui vixit sub Adriano Imp. quem *Aquilam Ponticum* appellant, qui V. Instrumentum in linguam Græcam convertit: de quo aliàs. Vide Rom. 16. 3. ¶ *Ponticum genere*] i. gente, aut natione. Sic infrà v. 24. *Apollo nomine, Alexandrinus genere*: ubi quædam manuscripta, *natione.* Nam *genus*, gens, natio. Lexicon vetus, Γένος, τὸ ἔθνος. Tob. 1. 10. οἱ ἐκ τοῦ γένους μου *qui ex genere meo*, i. gente, aut natione. Sic *genus humanum*, & *genus Trojanum*, i. natio aut gens. Gen. 19. 38. בן עמי *filius populi mei.* Senes interpretantur υἱὸς τοῦ γένους μου *filius generis mei. Mar.* 7. 26. Syrophœnissa genere, τῷ γένει. ¶ *Priscillam*] Videtur femina fuisse admodum pia, quam marito præponit Apostolus Rom. 16. 3. *Salutate Priscillam & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solùm ego gratias ago, sed cunctæ Ecclesiæ Gentium) & domesticam Ecclesiam eorum.* ¶ *Omnes Judæos*] Sub quo nomine & Christianos comprehendebant. Unde Tacitus, *Judæos duce Chresto tumultuantes Româ expulit*: nam primi Christiani ex Judæis.

3. *Ars illorum erat conficere tabernacula*] Sapientes olim artificium aliquod exercebant, nè gravarent alios. Sic R. Jose coriarius erat, h.e. מעבד עורות *confector pellium*, Juch. 43. 1. & 2. *Plerique sapientes alicujus artificii erant, ne utilitatem caperent ab aliis.* Ab eo quandoque cognomentum accipiebant; ut Nahum הלבלר *Librarius*, aut *Scriba.* Sic R. Meir erat לבלר, i. סופר *Scriba*, Juch. 41. 1. Sic Jochanan *Sandalar*, i. *Calcearius*, aut *Sutor*, qui סנדלין, i. *calceos conficit.* *Sandalphon*, qui facit coronam è phylacterio. R. Juda נחתום *Pistor*, cujus mentio in Juch. 44. 2. מעבד עורות *qui pelles*, aut *coria*, *concinnat*, *Pellio.*

7. *Titi Justi*] Hîc duæ lectiones coaluisse videntur. Nam in Græcis cod. Ἰούστου *Justi*, & in Syriacis *Titi*, non *Justi.* Hieronymus quoque in libro Nominum ejus meminit sub nomine *Titi* duntaxat. Utrum rectius veriusve sit, non decerno. ¶ *Colentis Deum*] Rectè addidit *Deum*] cùm etiam in Græco sit σεβομένου τὸν Θεόν. Nam *colens* pro *religioso*, qui Græcè σεβόμενος, nescio an defendi possit.

18. *Totonderat in Cenchris caput*] Ex voto, quale olim Nazaræi vovebant: de quo Num. 6. 18. Vide infrà 21. 24.

24. *Apollo nomine*] Græca exempl. habent Ἀπολλῶς *Apollos*: sed Syrus cum nostro consentit. *Apollos*, *Apollo*, ut *Joses*, *Jose*; *Tobis*, *Tobi*; *Thomas*, *Thoma*; *Judas*, *Juda.* Nomen est indeclinabile: nam & gignendi casu facit *Apollo*, 1 Cor. 1. 12. quod noto nè quis existimet Græcum esse *Apollo*, quod in genitivo facit *Apollinis.* Cave confundas.

GUALTPERIUS.

15. Ζήτημα, *Quæstio*] Vox Græca, & satis trita Syris retinet vocem Græcam זטמא *ztime*, Hebræis שאלה.

GROTIUS.

Χωρισθεὶς ὁ Παῦλος, *Egressus Paulus*] *Cùm abiisset.* Respondet Hebræo עזב [*discessit*,] ut apparet Jud. 4. 1. Sic & commate sequente & supra Actor. 1. 4. ¶ Ἦλθεν εἰς Κόρινθον. *venit Corinthum*] *Græciæ* quondam *lumen*, ut eam Cicero vocat, excisam quidem à Mummio, sed cum tempore reflorescentem.

2. Ὀνόματι Ἀκύλαν, *nomine Aquilam*] Hebræum nomen נשר [*nascher*] Latini vertêre *Aquilam*; scribitur & עקילס [*Aquila*] & עקילס [*Aculas.*] Quidam putant idem nomen fuisse nobili interpreti Chaldæo, qui interposito נ, quod frequens Chaldæis, dicitur אונקלוס [*Onchelos.*] ¶ Ποντικὸν τῷ γένει, *Ponticum genere*] *Ortum parentibus Ponticis.* Nam in Ponto multi Judæi. Vide Petrum 1. 1. ¶ Προσφάτως, *nuper*] *Recens*, בקרב [*proximè*] Ezech. 11. 3. ¶ Πρίσκιλλαν, *Priscillam*] Hebraicè קדמה [*priscam.*] ¶ Διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τῆς Ῥώμης, *eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Roma*] Meminit Suetonius, Josephus non meminit: unde apparet non diu Romæ observatum illud edictum, quod & ex fine hujus libri colligere est.

3. Καὶ εἰργάζετο *& operabatur*] Quem morem ab initio prædicationis Paulus sibi indixerat 1 Cor. 4. 12. 1 Thess. 2. 9. 2 Thess. 3. 8. ¶ Ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. *erant autem scenofactoriæ artis*] *Tentoriorum opifices in usum militarem.* Mos erat etiam doctissimis Judæorum opificium aliquod discere, unde, ubi res ferret, se sustentarent. Erant pelliones, sutores, ςεφανοπλόκοι [*sertorum textores*,] pistores, librarii: nimirum Hesiodeum illud cogitantes,

—— Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος.
—— [*Dedecus non est operari.*]

De Asinæo & Asilæo in Babylonia Judæis Josephus 18. 12. Αὐτοὺς ἡ μήτηρ προσέταξεν ἱστῶν μαθήσει, ποιήσεως οὐκ ὄντος ἀπρεποῦς τοῖς ἐπιχωρίοις, ὥστε τοὺς ἄνδρας ταλασιουργεῖν παρ' αὐτοῖς [*Eos mater ad textrini opificium discendum adhibuerat, quod non indecorum habetur illis gentibus, ubi & viri exercent lanificium.*] Sic Apostoli post resurrectionem Christi piscatores. Et Minutius de Christianis, *expertes artium nisi sellularum.* & de Octavio, *pistorum præcipuus.* Epiphanius hæresi LXXX. Πάντων τῶν τοῦ Θεοῦ δούλων τῶν εἰς δικαιοσύνην καμνόντων ταῖς ἰδίαις χερσὶν εἰς τὸ ἐπαρκεῖν καὶ τοῖς ἐνδεομένοις [*Omnium Dei servorum manibus justè operantium, ut habeant quo & egenorum sublevent necessitatem.*] Theodoretus sermone 7. Σκυτέας, καὶ ὑφάντας, καὶ χαλκοτύπους, καὶ τοὺς ἄλλους ὅσοι τὰς τέχνας μεταχειρίζουσι [*Cerdones, textores, ærarios fabros, aliosque artem mechanicam exercentes.*]

4. *Διελέγετο ἐν τῇ συναγωγῇ κατὰ πᾶν σάββατον, ἔπειθέ τε Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας. Et disputabat in Synagoga per omne sabbatum suadebatque Judæis & Græcis*] Nam etiam Græci sabbato disputare solebant, Suetonius Tiberio 32.

5. *Ὡς δὲ κατῆλθον ἀπὸ τῆς Μακεδονίας ὅ τε Σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος, Cum venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus*] Quos Paulus sequi se jusserat, 17. 15. Significaverat autem illis Paulus per eos, qui se Athenas deduxerant, quò porrò iter dirigeret. ¶ *Συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος, constringebatur Spiritu Paulus*] Plenus Divino Spiritur agitabatur. Sic *συνεχόμενος οἴνῳ* [*captus à vino*] Jerem. 23. 9. עבר, id est, *velut extra se positus. συνεχόμενος φόβῳ* [*coarctatus metu*] Job. 3. 24. Sic Plutarchus feminas superstitiosas *συνέχεσθαι* ait *τῷ βαρβαρικῷ* [*Barbarorum more quasi abripi*] in Solone. Rectius autem legi puto *πνεύματι* [*spiritu*] quàm *λόγῳ* [*verbo*,] quanquam *λόγῳ* [*verbo*] habet ille Manuscriptus. ¶ *Διαμαρτυρόμενος τοῖς Ἰουδαίοις εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. testificans Judæis esse Christum Jesum*] Sic habet & Manuscriptus. Est autem transpositio pro *τὸν Ἰησοῦν εἶναι Χριστὸν* (*Jesum esse Christum.*] Similis infra 28.

6. *Ἐκτιναξάμενος τὰ ἱμάτια, excutiens vestimenta*] Nempe ne quid pulveris adhæresceret. Vide suprà 13. 51. ¶ *Τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν. Sanguis vester super caput vestrum*] Sic 2 Sam. 1. 16. in Græco, *Τὸ αἷμά σου ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου* [*Sanguis tuus super caput tuum*,] id est, *luis pœnam debitam homicidio.* Propriè enim de homicidio dicitur, ut & Matth. 27. 25. impropriè de peccatis aliis. Sensus est, *Si quid vobis mali evenerit, scitote id vestrâ culpâ evenisse.* ¶ *Καθαρὸς ἐγὼ, mundus ego*] Steti in specula & clamavi. Respicitur locus Ezechielis 33. 4. ubi in Græco, *τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἔσται* [*sanguis ipsius super caput ejus erit.*] Et v. 9 *σὺ τὴν ψυχὴν σαυτοῦ ἐξῄρησαι*, [*tu animam tuam liberasti.*] ¶ *Ἀπὸ τοῦ νῦν εἰς τὰ ἔθνη πορεύσομαι, ex hoc ad Gentes vadam*,] Ut supra 13. 46.

7. *Τινὸς ὀνόματι Ἰούστου, cujusdam nomine Justi*] Τίτου [*Titi*] legére & Syrus & Arabs. Quidam codices habent utrumque nomen, Τίτου Ἰούστου [*Titi Justi*,] Romano more. ¶ *Οὗ ἡ οἰκία ἦν συνομοροῦσα τῇ συναγωγῇ, cujus domus erat conjuncta Synagogæ*] *Cujus Domus contigua erat Synagogæ.*

8. *Κρίσπος δὲ, Crispus autem*] Hebræum fortè nomen fuit קוץ רשע [*excisor mali.*] ¶ *ὁ Ἀρχισυνάγωγος, Archisynagogus*] ראש כנסת [*Princeps Synagogæ*] Vide quæ ad Matth. 9, 18

9. *Εἶπε δὲ ὁ Κύριος, Dixit autem Dominus*] Per Angelum in Christi figura. ¶ *Δι᾽ ὁράματος ἐν νυκτὶ, nocte per visionem*] Ut supra 16. 9. ¶ *Μὴ φοβοῦ, ἀλλὰ λάλει, καὶ μὴ σιωπήσῃς· Noli timere, sed loquere, & ne taceas*] Fac ut olim Esaias 62. 1.

10. *Διότι ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ, Propter quod ego sum tecum*] Id est, *sum tibi auxilio.* Vide quæ dicta Matth. 28. 28. Respicitur id quod Deus dixerat Jeremiæ 1. 16. *διότι μετὰ σοῦ ἐγώ εἰμι* [*quia ego tecum sum.*] ¶ *Καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι, & nullus imponet tibi*] Nempe *χεῖρας* [*manus.*] Sic Achilles apud Homerum Iliados A,

> *Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο*
> *Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.*
> [*Nemo, ego dum vivam, dumque in tellure videbo,*
> *Te duris manibus Danaum de Classe prehendet.*]

Τοῦ κακῶσαί σε nocere tibi] *Ut tibi noceat.* Simile dicto loco Jerem. 1. 18, 19. ¶ *Διότι λαός ἐστί μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. quoniam populus est mihi multus in hac civitate*] *Populus* hic dicuntur ii qui facilè Christi populus fieri poterant, ut *oves* Joh. 10. 16. Ut hic ex futuro, ita alibi ex præterito dantur nomina, ut Matth. 21. 31. Respici videtur vaticinium Esaiæ 54. 15.

11. *Ἐκάθισέ τε ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας ἕξ, Sedit autem annum & sex menses*] Id est, *moram fecit:* nam ita sumitur Hebræum ישב, cui respondet *καθίζω* [*sedeo*,] quod & alibi vertitur *διατρίβω* [*dego*,] *μένω* [*maneo*,] *διαμένω* [*permaneo*,] *καταμένω* [*remaneo*,] *παραμένω* [*commoro*,] *παύω* [*quiesco*,] *ἀναπαύω* [*requiesco.*] Habes hic vocem *ἐνιαυτοῦ* [*anni*] qua & alibi Lucas utitur, 4. 19. & Johannes & Paulus & Scriptor ad Hebræos & Jacobus. Exstat & sæpissime in Græcis versionibus Veteris Testamenti. Utuntur &, præter Poëtas, Plato, Xenophon, Aristophanes.

12. *Γαλλίωνος δὲ ἀνθυπατεύοντος τῆς Ἀχαΐας, Gallione autem Proconsule Achajæ*] Erat hic frater magni Senecæ dictus cùm junior esset *Novatus*, sed adoptatus postea à Junio Gallione. Statius de hoc nostro,

> *Et dulcem generasse Gallionem.*

Hic est frater, quem honores consecutum dicit Seneca ad matrem his ipsis temporibus scribens. Achaia erat provincia proconsularis sub Augusto. Tiberius Macedoniæ adjunxit, & Cæsarianam fecit. Sed Claudius has provincias *Senatui reddidit*, id est, rursus fecit proconsulares, teste Suetonio in vita Claudii 25. & Dione 40. ¶ *Κατεπέστησαν ὁμοθυμαδὸν, insurrexerunt uno animo*] Id est, *ἀντετάξαντο* [*contradixerunt*,] ut supra 6. ¶ *Ἐπὶ τὸ βῆμα, ad tribunal proconsulare*, ut gravis criminis reum.

13. *Παρὰ τὸν νόμον οὗτος ἀναπείθει τοὺς ἀνθρώπους σέβεσθαι τὸν Θεόν. contra legem hic persuadet hominibus colere Deum*] Hoc volunt, Judæis concessum est à Romanis etiam in Græcia vivere secundùm legem Mosis; hic verò neque vobis Romanis in religione se addit, neque legem Mosis sequitur, & turbat Judæos. Hæc accusatio inde obtentum sumebat, quòd Apostoli, qui Judæi erant, incircumcisos ad suum cœtum admittebant. Ideo autem Proconsulem accedunt Judæi, quia in Achaia animadversiones in populares suos non habebant, qualem habebant in Judæa & vicinis regionibus.

14. *Εἰ μὲν οὖν ἦν ἀδίκημά τι, Si quidem esset iniquum aliquid*] Puta homicidium, vulneratio, furtum, quæ veniunt sub nominibus רע, עול, פשע, רשע, quæ omnia per *ἀδίκημα* [*iniquitatem*] reddi solent. ¶ *Ἢ ῥᾳδιούργημα πονηρὸν, aut facinus pessimum*] Quale est falsimonium. Vide supra 13. 10. ¶ *Κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν. rectè vos sustinerem*] *Meritò vos ferrem.* Æquum esset ut vos paterer quantum velletis dicere: fuisset hoc mei officii. Usurpat sic ferme *κατὰ λόγον* Plato Epistola 7.

15. *Εἰ δὲ ζήτημά ἐστι περὶ λόγου, sin verò quæstiones sunt de verbo*] Id est, *de rebus quæ disputationem recipiunt.* Sic *λόγου* vocem usurpant Demosthenes, Theophrastus & alii. ¶ *Καὶ ὀνομάτων, & nominibus*] Putà an Jesus dicendus sit *Christus.* ¶ *Καὶ νόμου, & Lege*] An lex vestra omnes incircumcisos damnet. ¶ *Ὄψεσθε αὐτοί· vos ipsi videritis*] *Vos videritis.* Idem loquendi genus quod Matth. 27. 4. ¶ *Κριτὴς γὰρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι. judex ego horum nolo esse*] Bene responsum ut ab homine dulci: quasi dicat, Romani quidem libertatem religionis Judæis etiam in Græcia concessere, sed si quæ inter ipsos de religione oriuntur controversiæ, aut eas componant inter se, aut disputent quantum libet. Romanorum Magistratuum non est eis se immiscere, non magis quàm Stoïcorum & Epicureorum inter se disceptationibus.

16. *Καὶ ἀπήλασεν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ βήματος. Et minavit eos à tribunali*] *Removit eos à limine judicii*, tanquam nihil adferentes quod sui esset fori.

17. *Ἐπιλαβόμενοι, Apprehendentes*] Hæc vox media est. Hoc loco eam prehensionem quæ cum vi fiat, significat. ¶ *Πάντες οἱ Ἕλληνες, omnes Græci*] Non est Ἕλληνες [*Græci*] in illo Manuscripto: neque Latinus in suis legit. Puto esse additamentum alicujus interpretis, rei satis conveniens. Nam Corinthii homines qui tribunali adstabant, cùm viderent Judæos ideo à tribunali cum contemptu abigi, quòd suæ Legis quæstiunculis obstrepuissent Proconsuli aliis rebus occupato, ipsi quoque velut Proconsuli gratum facturi, verbera ingessere Judæis, quò abirent celeriùs. Ita mos erat provincialium, præsertim Græcorum, actus suos aptare ad ea quæ placerent Potentibus. Cicero in epistola ad fratrem, *Græcos* ait *diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditos.* ¶ *Σωσθένην τὸν ἀρχισυνάγωγον, Sosthenem Principem Synagogæ*] Nempe Synagogæ alterius ab ea cui præerat Crispus: nam in magnis urbibus plures erant Synagogæ (& singulis sui Archisynagogi. Eadem de causa olim Romæ, Antiochiæ & aliis magnis in urbibus, exceptâ Alexandriâ ubi morem alium semper obtinuisse ait Epiphanius, plures fuere Episcopi pro diversis urbium regionibus conventibusque Christianorum. Id in posterum vetuit Synodus Nicena. Sostheni nomen Hebræum videtur fuisse שוש [*sus*,] unde & feminæ nomen *Susanna.*

18. *Ἀποταξάμενος, valefaciens*] *Valedicto.* Habes hanc vocem Marci 6. 46. Lucæ 9. 61. 2 Corinth. 2. 13. ¶ *Καὶ σὺν αὐτῷ Πρίσκιλλα καὶ Ἀκύλας, κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν Κεγχρεαῖς· εἶχε γὰρ εὐχήν. & cum eo Priscilla & Aquila qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum*] Ideo Priscillam priùs nominavit, quia de Aquila aliquid addendum habebat; nempe *eum antequam iter aggrederetur voto se solvisse Cenchreæ, raso capite.* Votum intellige Nazaræatûs ex Lege Num. 6. 18. Cùm in deserto esset populus, capillus radi debebat apud tentorium, & post terram possessam Hierosolymis,

acce-

accedente victima: sed hæc præcepta ut alia de sacrificiis, eos non obligabant qui extra Judæam agebant. Εὐχὴ per excellentiam dicitur *votum Nazareatûs.* εὐχὴ μεγάλη [*votum magnum*] Philoni, ut diximus ad Matth. 2. 23. *Cenchrea* portus est Corinthiorum, ut *Piraeus* Atheniensium. Est autem is portus ad sinum Saronicum. Apparet ibi Ecclesiam fuisse Christianorum Rom. 16. 1. *Cenchris* pro *Cenchreis* contractè dixit Ovidius Tristium 1. 10.

19. *Κἀκείνους κατέλιπεν αὐτοῦ. & illos reliquit ibi*] Syrus rectè, ni fallor, hæc verba trajecit post illa ἀνακάμψω πρὸς ὑμᾶς [*revertar ad vos.*]

20. *Ἐρωτώντων δὲ αὐτῶν, Rogantibus autem eis*] Aquila & Priscilla.

21. *Ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην, diem festum qui instat*] Ubi ἑορτὴ [*dies festus*] simpliciter dicitur, intelligitur Pascha. ¶ *ποιῆσαι, agere*] Loquendi genus quale supra 15. 33. & infra 23. ¶ *Εἰς Ἱεροσόλυμα· Hierosolymis*] Εἰς pro ἐν Ἱεροσολύμοις [*Hierosolymis.*] ¶ *Πάλιν δὲ ἀνακάμψω, iterum revertar*] Πάλιν [*iterum*] abundat ut apud Platonem Timæo, *Πάλιν ἐπανελθεῖν* [*iterum redisse.*] ¶ *Τοῦ Θεοῦ θέλοντος. Deo volente*] Egregia cautio Christianorum, nihil futuri promittere nisi expressè addito, *Si Deus velit*, ut ita significarent omnibus rebus, sed piorum maximè, intervenire Dei providentiam. Sic & Paulus 1 Corinth. 4. 19. Et de eo omnes Christianos admonet Jacobus 4. 15. ¶ *Καὶ ἀνήχθη ἀπὸ τῆς Ἐφέσου. Et profectus est ab Epheso*] Ἀνήχθη hoc quidem loco est *navigavit*, quomodo explicat Syrus. Sic & Lucæ 8. 22.

22. *Καὶ κατελθὼν εἰς Καισάρειαν, Et descendens Cæsaream*] Nempe è navi. Est enim Cæsarea maritima urbs. Sic & infra 27. 5. sumitur *κατήλθομεν* [*venimus.*] ¶ *ἀναβὰς, adscendit*] Nempe Hierosolyma· quod semper intelligitur quoties de itinere per Judæam Hebræi loquuntur. Joh. 7. 8, 10. & 12. 20. ¶ *Καὶ ἀσπασάμενος τὴν Ἐκκλησίαν, & salutavit Ecclesiam*] Apostolos & fideles qui erant Hierosolymis. ¶ *Κατέβη εἰς Ἀντιόχειαν. descendit Antiochiam*] Syriæ ad Orontem.

23. *Τὴν Γαλατικὴν χώραν, Galaticam regionem*] Ubi aliquos jam discipulos fecerat Paulus 16. 6. ¶ *Καὶ Φρυγίαν, & Phrygiam*] Supra 16. 6, 11. ¶ *Ἐπιστηρίζων πάντας τοὺς μαθητὰς, confirmans omnes discipulos*] Suprà 14. 21. & 15. 32, 41. Etiam bene sata interdum irrigari utile est.

24. *Ἀπολλὼς ὀνόματι, Apollos nomine*] Idem nomen *Apella* apud Horatium: Ἀπελλῆς [*Apelles,*] Rom. 16. 10: & quod hic est Ἀπολλὼς [*Apollos,*] Hebraïce אפלא [*Apella.*] ¶ *Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει, Alexandrinus genere*] Cujus parentes aut Majores Alexandriæ habitaverant. Idem loquendi genus quod supra habuimus 4. 36. ¶ *Δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς. potens in Scriptura*] Par loquendi genus supra 7. 22. גבר [*validus.*

25. *Οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν Κυρίου Hic erat edoctus viam Domini*] Prima elementa Christianismi acceperat. Vide Lucæ 1. 4. & quæ diximus ad Matth. 28. 19, 20. Adde Galat. 6. 6. ¶ *Ζέων τῷ πνεύματι, fervens spiritu*] Idem loquendi genus Rom. 12. 11. ¶ *Καὶ ἐδίδασκεν ἀκριβῶς τὰ περὶ Κυρίου, & docebat diligenter ea quæ sunt Domini*] Nempe pro modo cognitionis quem acceperat. ἀκριβῶς [*diligenter*] *optima fide.* ¶ *Ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. sciens tantum baptisma Johannis*] Ἐπιστάμενος, id est, *expertus*, quomodo ab Hebræis sumitur ידע, Esaiæ 53. 3. Christiano more non fuerat baptizatus, ideoque nec Spiritûs Sancti dona acceperat.

26. *Ἤρξατο παῤῥησιάζεσθαι ἐν τῇ συναγωγῇ, cœpit fiducialiter agere in Synagoga*] *Liberiùs quàm ante etiam in publicis conventibus loquebatur.* ¶ *Καὶ ἀκριβέστερον αὐτῷ ἐξέθεντο τὴν τοῦ Θεοῦ ὁδὸν. & diligentiùs exposuerunt ei viam Dei*] Maximè de salute incircumcisorum.

27. *Εἰς τὴν Ἀχαΐαν, Achajam*] Corinthum. ¶ *Προτρεψάμενοι οἱ ἀδελφοὶ, exhortati fratres*] Ultrò hortantes ad implendum tam forte propositum. ¶ *Διὰ τῆς χάριτος. per gratiam*] Refert Syrus ad συνεβάλετο [*contulit;*] & rectè. Multum profuit Ecclesiæ per dona quæ post baptismum in nomen Christi sibi collatum acceperat, præveniente Dei gratiâ Apostolicas manus.

28. *Εὐτόνως γὰρ, vehementer enim*] Hanc vocem Lucas usurpat & in Euangelio 23. 10. Exstat & in Græco Josuæ 6. 8. rectè verteris *acriter*. Hesychius exponit per ἰσχυρῶς [*validè.*] ¶ *Διακατηλέγχετο, revincebat*] הוכיח quod vertitur per ἐλέγχειν [*arguere,*] διελέγχεσθαι [*convincere,*] ἐξελέγχειν [*refutare.*] ¶ *Ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν, ostendens per Scripturas*] Ἐπιδεικνὺς [*ostendens*] hic quod supra παρατιθέμενος [*ob oculos ponens,*] 17. 3.

P R I C Æ U S.

Com. 2. ΠΡοσφάτως ἐληλυθότα] Προσφάτως, ἀντὶ τοῦ νεωστὶ, Suidas. Utitur & Diodorus Siculus in Excerptis.

Com. 3. *Ὁμότεχνον εἶναι*] Glossæ, Ὁμότεχνος, *Ejusdem artis.* Ibidem, Συντεχνίτης, *Ejusdem artis consector.* Sic Gellii 9. 10. *ejusdem Musæ viri:* & 20. 11. *ejusdem Musæ æmuli.*

Com. 5. *Συνείχετο τῷ πνεύματι*] *Angustiabatur spiritu*, id est, animo: non potuit continere se. Ita apud Parthenium in Eroticis, cap. 10. ὑπὸ ἀνοίας καὶ ἀλγηδόνων συνέχεσθαι. Similis vel ardoris vel afflatûs nota suprà 17. 16. τῷ πνεύματι παροξύνεσθαι. Legit heic Latinus τῷ λόγῳ· ita & Codex Regius: quos si sequimur, τῷ λόγῳ συνέχεσθαι erit quod suprà 6. 4. τῇ τοῦ λόγου διακονίᾳ προσκαρτερεῖν· quod 1 Tim. 5. 17. ἐν λόγῳ κοπιᾶν. At nos priorem sensum & Scripturam amplectimur.

Com. 6. *Ἀντιτασσομένων καὶ βλασφημούντων*] Sic suprà 13. 45. βλασφημεῖν καὶ ἀντιλέγειν. Glossarium, Βλασφημῶ, &c. *maledico.*

Com. 7. *Συνομοροῦσα τῇ συναγωγῇ*] Hesychius, Ὁμοροῦσα, γειτνιῶσα, πλησιάζουσα

Com. 10. *Ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ,* &c.] Potentiâ & auxilio meo. Vide ad Matth. 28. 10. notata.

Ibid. *Οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε*] Paucioribus hic agi poterat à recentiore Interprete. *Οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι,* &c. est, οὐδεὶς ἐπιβαλεῖ τὰς χεῖρας κακῶσαί σε· quod cum sponte sensissem, firmatum vidi Homerico loco à Viro consummatissimo adducto. Tale & Comici illud,

—— Nunquam dum ego adero, hic te tanget.

Apud Suidam in Ὑπατία, Προσελθόντων κατὰ τὸ εἰωθὸς, ἐπιθέμενοι πολλοὶ ἀθρόοι θηριώδεις ἄνθρωποι, &c. ἀναιροῦσι τὸν Φιλόσοφον. De sensu vide & 1 Pet. 3. 13. ubi & vox κακῶσαι.

Com. 11. *Ἐκάθισέ τε ἐνιαυτὸν,* &c.] Bene & peritè Vetus *sedit:* ut & Matth. 4. 16. ubi Beza id verbi notione illâ apud idoneos Auctores nequaquam se reperisse ait, dicturus alia omnia si hæc Ciceronis inspexisset, *Iis ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus.* Famil. 16. 2. ad Tyronem.

Com. 14. *Εἰ μὲν ἦν ἀδίκημά τι ἢ ῥᾳδιούργημα πονηρὸν,* &c.] *Si magnum & capitale crimen admisisset;* ut in l. 13. Cod. De his qui accus. non poss. Impp. loquuntur. Neque cum Syro autem Φανερὸν legendum hic, nec redundat πονηρόν. Sic Judæ Com. 15. ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς· in l. 6. §. ult. de Offic. Præsid. *illicita avaritia:* apud Horatium *vetitum nefas:* Juvenalem *novum mustum:* Amm. Marcellinum *dolosas fallacias:* Apuleius lib. 4. *callido astu:* & multa id genus alia apud Græcos & Latinos Scriptores.

Ibid. *Κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν*] Initio putabam κατὰ λόγον hic esse quod in l. 11. §. 12. ad leg. Jul. de adult. *pro admissi criminis ratione.* Sic in Leonis Constit. 61. κατὰ λόγον τοῦ ἁμαρτήματος. Nunc sic vertendum putârim, *meritò vos interpellantes ferrem: pro muneris & officii mei ratione vestra postulata audirem.* (Vide infrà ad 24. 4. notanda.) Sic præter Platonem (quem unicum hic eruditi attulerunt) multoties Artemidorus loquitur, ut lib. 1. cap. 80, & 81. & 2. 26, 65. & 4. 31, 34, 82. Sic 5. §. 78. ὀρθῶς καὶ κατὰ λόγον quod 1. 82. & 3. 39. ὀρθῶς καὶ εὐλόγως dixit: nec aliter κατὰ λόγον Polybius in Excerptis. Plutarchus in Lacon. Apophthegm. Alcinous cap. 17. & Arrianus 2. 8. in Epictetum posuerunt.

Com. 15. *Εἰ δὲ ζήτημά ἐστι περὶ λόγου, καὶ ὀνομάτων, καὶ νόμου*] Quæ mei non sunt auditorii, quæque nugalia Romanis nobis. Vide infrà 23. 29. Similia quæ Paulus 1 Tim. 6. 20. κενοφωνίας vocat. Tit. 3. 9. μωρὰς ζητήσεις. & 2 Tim. 2. 23. μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις. *Minutiloquia & subtilitates circa quæstiones* 2. 19. Irenæus.

Ibid. *Αὐτοὶ ὄψεσθε*] Dixi ad Matth. 27. 4.

Ibid. *Κριτὴς γὰρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι*] Hermione apud Euripidem,

—— Οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

Ovidius,

Res est arbitrio non dirimenda meo.

Calpurnius Siculus,

—— Non ego vobis
Arbiter, hoc alius possit discernere Judex.

Com. 17. Ἔτυπτον ἔμπροσθεν τοῦ βήματος] Sic apud Josephum Bell. Jud. 2. 14. πρὸ τοῦ βήματος μαστιγῶσαι.

Ibid. Καὶ οὐδὲν τούτων τῷ Γαλλίωνι ἔμελεν] *Negligebat, insuper habebat.* Sic 1 Cor. 7. 21. μή σοι μελέτω. Vide & Luc. 10. 40. & Joh. 10. 13. Conniventiam vel oscitantiam non dissimilem isti memorat Philo, ubi de Judæis ab Alexandrinis plurifariàm vexatis agit, Τῷ ἐπιτρόπῳ τῆς χώρας (inquit) ὃς μόνος ἠδύνατο βουληθεὶς ὥρᾳ μιᾷ τὴν ὀχλοκρατίαν καθελεῖν, προσποιουμένῳ οὔτε ὁρᾷν μὴ ὁρῶν, καὶ ἂν ἤκουε μὴ ἐπακούειν. Solebant Præsides petulantias hujusmodi quæ Romani nominis majestatem directè non imminuerent, libentes prætervidere, ut Provincialium collo molliùs jugum sederet. Nec deerat quæ præ aliarum regionum Præsidibus causa Gallionem moveret: præesse nempe Achaiæ se, illi veræ (ut vocat eam Plinius 8. 24.) & meræ Græciæ, eóque libertatis simulacra umbrásque usquequaque captanti.

Com. 18. Τοῖς ἀδελφοῖς ἀποταξάμενος] Vetus *valefaciens:* sic & infrà 21. 6. ἀσπάζεσθαι vertit: eóque, ut sæpius, à nupero barbariei notatur. Plura tamen ejus commatis habemus apud Glossographos, *Ignifacio*, πυρόω *Sumptifacio*, καταναλίσκω & cætera ad eandem formam prolata.

Ibid. Ἐν Κεγχρεαῖς] *Quod oppidum audit nobilissima Corinthiensium Colonia: alluitur autem Ægeo & Saronico mari, ubi* (meliùs *ibi*) *portus etiam, tutissimum navium receptaculum, magno frequentatur populo.* Sunt ipsa Apuleii verba Miles. 10.

Com. 20. Ἐρωτώντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ πλείονα χρόνον μεῖναι παρ' αὐτοῖς, &c.] Suprà 10. 48.

Com. 21. Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα] Hæc absunt à Vetere Latino, omnino tamen recipienda arbitror, vel ob ea quæ infrà 21. 13. occurrunt: ubi idem hujus itineris instinctum & urget, & persequitur. Sed & Luc. 4. 42, 43. instantia non dissimilis simili responsione compescitur.

Ibid. Τοῦ Θεοῦ θέλοντος] Vide quæ ad Jacobi 4. 15. diximus.

Com. 23. Διερχόμενος καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν] Vulgat. *perambulans ex ordine*, &c. Ità & Luc. 1. 3. Illud καθεξῆς γράψαι, *ex ordine* vertebat.

Com. 26. Παῤῥησιάζεσθαι] Libere & fidenter loqui, ut suprà 8. 27. infrà 19. 8. quod 4. 31. τὸν λόγον μετὰ παῤῥησίας λαλεῖν 28. 31. μετὰ πάσης παῤῥησίας διδάσκειν Philipp. 1. 14. ἀφόβως λαλεῖν. Vulgatus heic (ut sæpe alibi) *fiducialiter agere.* Unde in Glossario, Παῤῥησιάζομαι *fiducialiter ago.*

Ibid. Προσελάβετο αὐτὸν, καὶ ἀκριβέστερον αὐτῷ ἐξέθετο τὴν τοῦ Θεοῦ ὁδὸν] Ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν, Luc. 1. 4. suprà hîc Com. 25. de eodem isto, κατηχημένος ἦν τὴν τοῦ Κυρίου ὁδόν. Similis porrò hujus loci locutioni est illa 9. 11. in Euangelio, Δεξάμενος αὐτοὺς, ἐλάλει αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. Ibi. δέχεσθαι, hic προσλαμβάνεσθαι dixit.

Com. 27. Διὰ τῆς χάριτος] Construenda hæc cum συνεβάλετο, non proximè antecedentibus. Absunt autem importunè & hæc à Latino Interprete: subintelligitur enim. δοθείσης αὐτῷ. Vide omnino Rom. 12. 3. 1 Cor. 3. 10. & 15. 10. Ephes. 3. 7, 8.

Com. 28. Εὐτόνως τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο] Sic Euang. 23. 10. εὐτόνως κατηγοροῦν. *Vehementer & acriter eorum errores redarguebat* Lactantius diceret. Affine Tit. 1. 13. ἀποτόμως ἔλεγχειν & 2. 15. μετ' ἐπιταγῆς ἔλεγχειν.

Ibid. Ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν, &c.] Id est ἀπὸ τῶν γραφῶν. Vide suprà ad 17. 3. notata.

CAP. XIX.

VALLA.

24. ARgentarius] Græci ab *argento* appellant ἀργυροκόπους, nos ab *auro*, *aurifices.* Nam *argentarios* ab *argento*, i. à pecunia, vocamus, quos quidam *numularios*, quidam Græcam vocem vertentes vocant *mensarios.* Græci namque mensam *trapezam* appellant, & inde *trapezetam*, quo nomine tum alii quidam tum Plautus in Curculione utitur.

39. *In legitima ecclesia poterit absolvi.* Et paulò post, *Dimisit ecclesiam*] Miror de Interprete, qui cùm sciat *ecclesia* Græcum vocabulum jam receptum esse pro *congregatione fidelium*, sic loquatur de infidelibus, & non potiùs, ut consuetius & Latinum elegánsque est, *dimisit concionem*; & *in legitima*, sive *in consueta*, *concione absolvetur. Sic enim est Græcè*, ἀπολυθήσεται, non autem *poterit absolvi.*

REVIUS in VALLAM.

24. TRapezetam] *Trapezitam.*

30. *In consueta concione*] Scriptum erat *in consueta ecclesia.* At hoc ipsum est quod hic impugnat auctor: itaque ab ipsius manu esse non potest. ¶ *Absolvetur*, ἀπολυθήσεται] Sic Vulg. *poterit absolvi:* at nostri libri habent ἐπιλυθήσεται *explicabitur*, sanè meliùs.

ERASMUS.

2. SI *Spiritum sanctum*] Et suo more vertit per *Si*, cùm vertendum fuerit per *Num*, aut *An*, aut *Ne.* *Num Spiritum sanctum accepistis?* aut *Accepistisne Spiritum sanctum?* ¶ *Si Spiritus sanctus est*] Pro eo quod erat, *sitne Spiritus sanctus.*

9. *In schola Tyranni cujusdam*] Ambigunt hic interpretes, *Tyrannus* hoc loco *primatem* ac *potentem* significet, an proprium sit hominis vocabulum. Sed quid Scholæ cum Tyranno? Deinde si nomen est proprium, cur addit τινός; Proinde suspicor fuisse secessum magnatis alicujus in quo solitus sit otiari, quandoquidem *schola* Græcis sonat *otium.* Hieronymus alludens ad voces magis quàm ad sensum, huc torquet alicubi, ut *scholam tyranni* vocet ubi res non agitur argumentis sed autoritate ac vi. Quod displicuit etiam Augustino, qui nec hæreticos vult cogi, nisi doceantur. Nunc satis esse judicamus si dicatur, *Hic error est, recanta; hæc hæresis est, abnega:* quasi qui alios insimulant hæreseos, ipsi non possint errare.

10. *Judæi atque Gentiles*] Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας, *tum Judæi, tum Græci*, quos hic Gentiles vertit.

11. *Virtutésque non modicas quaslibet*] Ità scriptum reperi in nonnullis exempl. Latinorum. Verùm ipsa res satis indicat id accidisse culpâ librariorum, qui dictionem *modicas*, quam quispiam interpretamenti vice adjecerat, retulerunt in contextum velut à scriptore prætermissam, δυνάμεις τε οὐ τὰς τυχούσας, *virtutésque non quaslibet*, sive *non vulgares:* ad verbum, *non contingentes.* In aliis scriptum habebatur *Virtutes quaslibet*, omissâ negatione. Carrensis putat utrumque posse legi; sed reclamat sermo Græcus.

12. *Sudaria & semicinctia*] Utramque vocem Latinam usurpavit, σουδάρια καὶ σιμικίνθια.

15, 16. *Dæmonium pessimum*] Τὸ πνεῦμα τὸ πονηρὸν *spiritus malus.* Cæterùm in eo quod proximè sequitur *& dominatus*, quidam Græci cod. habebant κατακυριεῦσαν, ut referendum sit ad *dæmonium*, *dominatum:* quidam κατακυριεύσας *dominatus*, ut pertineat ad *hominem in quo erat dæmonium.* Porrò quoniam nostri cod. habent *amborum*, Interpres pro αὐτῶν legisse videtur ἀμφοῖν.

18. *Confitentes & annunciantes*] Vel hinc colligi potest, Fuisse & antiquitus nonnullam confessionem malè actæ vitæ, sed apertam, ut opinor, & in genere; quam nec ipsam legimus exactam abs quoquam. Cæterùm quæ nunc recepta est clancularia & in aurem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata, quæ solent apud Episcopos fieri, si qui scrupulus urgeret animum. *Actus suos*] Τὰς πράξεις *facta*, sive *quæ fecissent.*

19. *Qui fuerant curiosa sectati*] Τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, *qui curiosas artes exercuissent.* Sic enim vocat artes magicas. ¶ *Pecuniam denariorum quinque millium*] Ἀργυρίου μυριάδας πέντε, *quinquagies mille nummûm.*

23. *Turbatio non minima*] Τάραχος οὐκ ὀλίγος *turbatio non exigua.* ¶ *De via Domini*] Περὶ τῆς ὁδοῦ *de via*, sive *de hac via.* Nam articulus additus facit ut certam accipiamus viam. Porrò *Domini* addiderunt, quò res esset explicatior, aut certè mollior.

24. *Demetrius quidam nomine, argentarius*] *Argentarius* aliàs Latinis & *mensarium* significat & *numularium:* verùm hoc loco sonat *opificem & sculptorem argenti*, quem nos *aurificem* seu *aurifabrum* vocamus, quandoquidem quicunque cudunt aurum, iidem cudunt & argentum. Est enim ἀργυροκόπος ab *elaborando argento* dictus: nisi mavis à κόπτω deducere, unde & monetam Græci κόμμα dicunt, πονηροῦ κόμματος. ¶ *Ædes argenteas*] Ναοὺς *templa*, Sentit enim ædiculas, seu thecas, effigie templi in quibus reponebantur statuæ. Nos vertimus *delubra.* ¶ *Non modicum quæstum*] Ἐργασίαν οὐκ ὀλίγην, *quæstum non exiguum.*

25. *De hoc artificio est nobis acquisitio*] Ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας,

σίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐστιν. Quod modò vertit *quæstum*, nunc vertit *artificium*, & εὐπορίαν *acquisitionem*. *Ex hoc quæstu nobis suppeditat rerum copia.*

26. *Non solùm Ephesi*] Non est ἐν Ἐφέσῳ, sed Ἐφέσου, ut referatur ad *multam turbam*. Unde quoniam nonnullos offendebat amphibologia, pro *Ephesi* vertimus *Ephesinæ civitatis*.

27. *Non solùm autem hæc periclitabitur*] Κινδυνεύει *periclitatur*. Quanquam totus hic sermo parùm commodè redditus est ab Interprete Latino, Οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἰς οὐδὲν λογισθῆναι, μέλλειν δὲ καὶ καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς, i. *Non solùm autem hæc pars* (sive *hâc parte*) *nobis periclitatur nè reprobetur* (sive *nè reprobemur*) *verùm etiam nè magnæ Dianæ templum pro nihilo habeatur*; *porrò autem nè fiat ut majestas quoque destruatur ejus, quam tota Asia & orbis colit.* ¶ *Et destrui incipiet majestas ejus*] Interpres legisse videtur μέλλειν τε, atque ità scriptum erat in plerisque Græcorum libris. In aliis rursus erat μᾶλλον δὲ *magis autem*, ut sit corrigentis, quasi gravissimum sit omnium futurum si majestas ac numen ipsius depereat apud vulgus. Hieronymus in prima præfatione Commentariorum quos edidit in epistolam ad Ephesios, indicat hanc Ephesiorum Dianam non fuisse jaculatricem illam; sed cognomento πολύμαστον, *multimammiam*; quòd eam omnium viventium nutricem haberi volebant.

29. *Comitibus Pauli*] Συνεκδήμους *socios peregrinationis*; qui & *comites* dicuntur.

32. *Erat enim ecclesia confusa*] Cùm de promiscua multitudine loquatur, magis conveniebat *concionem* dicere quàm *ecclesiam*.

33. *Detraxerunt Alexandrum*] Προεβίβασαν *priùs instruxerunt*. Nam id est προβιβάζειν. Et *instruimus* patronum causam nostram acturum. Interpres, ni fallor, legit προεβίασαν etiam si προβιβάζεσθαι dicitur qui *cogitur prodire, ac protruditur*. ¶ *Manu silentio postulato*] Mirâ varietate ludit in hoc sermone reddendo Interpres, Κατασείσας τὴν χεῖρα, *motâ manu*. Ità Persius;

> ——— *Et calida fecisse silentia turbæ*
> *Majestate manûs.*

35. *Et cùm sedasset scriba* Καταστείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, *Ubi verò scriba compescuisset turbam.* Verùm ex verbis Græcis parùm liquet uter sedatâ turbâ sit locutus, Alexander, an scriba. ¶ *Cultricem esse magnæ Dianæ*] Usus est peculiari verbo νεωκόρον, quæ vox composita est ex νεὼς, quod Atticè sonat *templum*, & κορῶ *purgo* sive *verro*, autoribus Hesychio, Etymologico & Suidâ, unde acuitur penultima νεωκόρος. Solent autem qui impensiùs dediti sunt alicui Divæ, aram illius variis ornamentorum generibus cohonestare, quemadmodum facit apud Apuleium Psyche. ¶ *Jovisque prolis*] Τῆς μεγάλης Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς, *magnæ illius Dianæ & è cælo delapsi*; ut subaudias *signi* aut *simulacri*. Siquidem articulus τοῦ facit nè possit Διοπετοῦς ad *Dianam* referri sed ad ἄγαλμα, h. e. *statuam Dianæ*. Nam *Diopetes* Græcis dicitur quòd *ab Jove delapsum sit ac è cælo venerit*. Porrò opifices simulacrorum, quò major esset superstitio, fingebant ea cælitus delapsa, h. e. esse Διοπετῆ. Idem vulgò creditum fuit de simulacro Dianæ Ephesiæ, ut testis est & Suidas in dictione Διοπετές. Pro nobis facit & conjunctio καὶ, quæ fuerat supervacanea si Διοπετοῦς pertineret ad *Dianam*. Sensus igitur est, *Apud Ephesios templum fuisse Dianæ, & hujus simulacri quod cælo delapsum putabatur.* Quod ipsum Numa persuasit Romanis de ancilibus. Homerus hoc cognomenti tribuit Regibus, velut *à Jove profectis*. Id secutus videtur Interpres, cujus liber fortasse non habebat additum articulum τοῦ.

36. *Contradici non possit*] Ἀναντιῤῥήτων ὄντων. Poterat accipi, *cùm his nemo contradicat*.

38. *Conventus forenses*] *Conventus* addidit explicandæ rei causâ, cùm Græcè tantùm sit ἀγοραῖοι ἄγονται, *forenses aguntur*; ut subaudiendum sit *cognitiones*, aut *lites*.

39. *In legitima ecclesia poterit absolvi*] Cùm de profano promiscuóque hominum cœtu loquatur, *concio* dicenda erat potiùs quàm *ecclesia*. Atque ita mox *dimisit ecclesiam*, pro *concionem*. Deinde *legitima* est ἐννόμῳ, h. e. quæ non tumultu sed legitimo more sit indicta. Nec est *poterit absolvi* sed *absolvetur*, ἐπιλυθήσεται.

40. *Cùm nullus obnoxius*] Μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος, *cùm nemo sit in culpa*, sive *cùm nemo fuerit auctor hujus concursûs*. Nam illud *de quo poterimus reddere rationem* per parenthesim interjectum est. Quanquam in nonnullis exempl. reperio scriptum περὶ οὗ οὐ δυνησόμεθα δοῦναι λόγον, *de quo non poterimus reddere rationem*; h. e. quod non sumus defensuri. Denique illud μηδενὸς αἰτίου incertum est ad hominem referatur ut sit masc. generis; an ad rem, ut sit neutri: itaque hic fuerit sensus, *Cùm nihil subsit causa per quam poterimus defendere hunc populi concursum.*

VATABLUS.

2. *SI*] *An* [*num.*] ¶ *Credentes*] *Posteaquàm credidistis?*

3. *In Johannis baptismate*] i. baptismo aquæ. Hic baptismus Johannis simpliciter ponitur pro baptismo aquæ.

5. *In nomine Domine Jesu*] i. Baptismo Christi baptizati sunt; h. e. baptismo Spiritûs non aquæ: q. d. Illis tantùm in nomine Christi manus imposuit, ut Spiritum S. acciperent quem illi precibus ejus acceperunt.

6. *Et*] *Et* pro *id est* positum. ¶ *Prophetabant*] i. Laudabant Deum: vide supra cap. 10. in fine.

8. *Cum fiducia*] Vel *liberé*.

9. *Viam Domini coram*] *Viæ coram*, Vet. i. malè loquentes de via, sub. *Domini*, coram, &c. vel de concione Christiana. ¶ *Tyranni*] Quidam suspicantur hoc loco *Tyrannum* significare magnatem & potentem aliquem. Præterea scholam, secessum ipsius magnatis in qua solitus sit otiari, quandoquidem Schola Græcis sonat *otium*.

10. *Domini**]* *Jesu*. ¶ *Gentiles*] *Græci*. Vet.

11. *Quaslibet*] Vel *non vulgares*.

12. *Et*] *Vel*, Vet.

13. *Adjuro*] *Adjuramus*; i. Imperamus vobis per Jesum, &c.

14. *Cujusdam Scevæ Judæi principis*] *Quidam Sceva Judæi principis*, Vet.

16. *Insiliens*] *Irruens*. ¶ *Dæmonium pessimum*] *Spiritus immundus*. ¶ *Amborum*] *Eis*. ¶ *Vulnerati*] *Dilacerati*, Vet.

19. *Curiosa*] Vel *curiosas artes*. Magicas artes intelligit, utpote quibus exercendis homines curiosiores sint quàm conveniat. ¶ *Pecuniam denariorum quinquaginta millium*] *Argenti myriadas quinque*. Rectè Vet. Int. transtulit verba Græca: Hæc summa, quinque millia aureorum nostrorum coronatorum valet.

20. *Confirmabatur*] *Confortabatur*, Vet.

21. *In Spiritu*] i. Per Spiritum; h. e. ductu Spiritûs.

22. *Remansit ad tempus in Asia*] *Exspectavit tempus in Asia*; sub. *proficiscendi*: de qua profectione vide infrà cap. 20.

23. *De via Domini*] i. Propter hanc doctrinam, scil. Euangelicam,

24. *Argentarius*] i. Opifex & sculptor argenti, quem aurificem, seu aurifabrum, vocamus. ¶ *Ædes argenteas*] *Templa argentea*.

25. *De hoc artificio est nobis acquisitio*] Vel *ex hoc opificio quæstus nobis est.*

26. *Ephesi*] *Ephesinæ civitatis*. ¶ *Suadens avertit*] *Persuasit & avertit.*

27. *Hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, & destrui incipiet majestas*] *Hæc pars nobis in periculum venit ne reprobetur*, vel *reprobemur*; *verùm etiam ne magnæ Deæ Dianæ templum pro nihilo habeatur, futurúmque sit ut etiam destruatur majestas*, &c. vel, *porrò autem nè fiat nè majestas quoque ejus*, &c. Græca quædam exempl. legunt, *magis autem nè fiat*, &c. ut sit corrigentis; quasi hoc longè gravissimum sit si Dianæ majestas concidat.

31. *Nè se daret in theatrum*] Vel, *Nè se committeret theatro.*

33. *Detraxerunt*] *Protraxerunt*, vel ut in quibusdam Græcis codd. legitur, *priùs instruxerunt*. ¶ *Autem*] *Ergò*, Vet.

35. *Quis enim*] *Quisnam*. ¶ *Jovisque prolis*] *Et à Jove delapsi*; sub. *signi*, vel *simulacri*.

36. *Temere*] *Præcipitanter*.

39. *In legitima ecclesia poterit absolvi*] *In legitima concione dirimetur*; i. quæ non tumultu sed legitimo more sit indicta.

40. *Periclitamur argui*] *Periculum est nè simus rei.* ¶ *Nullus obnoxius sit de quo possimus*, &c.] *Nulla causa subsit de qua possimus*, &c. vel, *cùm nemo sit in culpa sive autor concursûs istius.* Illud *de quo*, &c. interjectum est per parenthesim. ¶ *Ecclesiam*] *Concionem*.

CASTALIO.

19. *Illicita*] *Artes magicas.* ¶ *Nummorum quinquaginta millia*] *Ducati* 5000.

24. *Delubra*] *Delubri sigilla, sive simulacra.*

27. *Vel potiùs nè ejus*] Μᾶλλον δὲ, non μέλλειν τε, legendum est.

CLARIUS.

4. *Joannes baptizavit*] Hic ostenditur imperfectum fuisse Baptismum Joannis in iis qui non essent baptizati ejus nomine quem venturum prædicabat: idcirco ait *Baptismum pœnitentiæ* fuisse, non *remissionis.*

24. *Dianæ*] Non illius venatricis, sed quæ πολύμαστος vocabatur, q. *multimammia*; ut videretur esse naturæ educatrix.

35. *Cultricem esse magnæ Deæ Dianæ, & à Jove delapsi simulacri*] Simulacrum illud Διοπετὲς dicebatur, q. ἐκ τοῦ Διὸς πεπτωκὸς, h. e. *à Jove delapsum*, vel παρὰ τοῦ Διὸς πεμφθὲν, ἢ καταπτὰν, h. e. *à Jove demissum, aut devolans.* Sic fabulabantur Gentiles ad terrendos simpliciores, demissum è cœlo simulacrum.

ZEGERUS.

9. *Maledicentes viam Domini*] Quidam neoterici expungunt *Domini*, quòd non sic Græcè. Fortè tamen Interpres adjecit de suo ad exprimendam vim articuli. Certè vetusti cod. habent. ¶ *In schola Tyranni cujusdam*] *Tyrannum* hoc loco non *præpotentem* quempiam aut *magnatem* significare, sed nomen esse proprium viri illud τινὸς adjectum subindicat. Est enim Græcis usitatus hic loquendi modus, præsertim cùm is de quo agitur ignotus est. Sic infrà hoc eodem capite v. 24. *Demetrius enim quidam nomine, argentarius.* Et Marc. 15. 21. *Angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem.*

12. *Sudaria & semicinctia*] Eadem hæc vocabula & B. Lucas Græcè scribens usurpavit, nisi quod orthographia mutata sit in σιμικίνθια. Sunt autem *semicinctia* vel potiùs *semicincta* succinctoria seu ventralia, sic dicta quòd medium hominem cingant, ventrémque & cætera velanda tegant.

13. *Exorcistis*] *Exorcista* ἐξορκιστὴς, *adjurator* interpretatur, ἀπὸ τοῦ ἐξορκίζειν *adjurare.*

14. *Erant autem cujusdam Scevæ Judæi*] Beda subindicat ità scribendum esse in Græcis, Ἦσαν δέ τινος Σκευᾶ Ἰουδαίου, ἀρχιερέως, ἑπτὰ υἱοί· cùm hodie legatur ἦσαν δέ τινες υἱοὶ Σκευᾶ Ἰουδαίου, ἀρχιερέως, ἑπτὰ υἱοί. De voce autem *Sceva*, quinam scribi debeat, nil habemus comperti, propterea quòd vox sit barbara, & codices & vocum peregrinarum interpretes varient. Apud Hieronymum, in antiquis quibusdam exempl. & apud nonnullos alios invenio *Scena* per *n*: ità ut nonnulli *Tentorium* & *Tabernaculum* interpretentur, quasi vox sit Græca σκηνή. Apud recentiores verò per *u* scriptum cerno, & Græcè per *ευ*, Σκευᾶ, uti à σκευάζειν derivatum: & interpretantur *Præparatum*: cùm Hieronymus, cui magis crediderim, hoc quicquid est vocabuli declarare dicat *Vulpeculam clamantem*, vel *loquentem.* Si Hebræum esset, scribendum erat *Seva*, à שוע, vel *Scheva* à שוע *clamo.* In multis lego, *Erant autem quidam Schena Judæi principis Sacerdotum.*

16. *Et dominatus amborum invaluit contra eos*] Si *amborum* legamus, uti habet Vulgata ed. videtur *dominatus* accipiendum pro *dominatum*, h. e. pro κατακυριεύσαν, quod nonnulli habent cod. ut intelligas *dæmonium utrisque fuisse dominatum*, & septem Scevæ filiis exorcistis, & nihilominus homini ab ipso jam dudum obsesso, ità tamen ut *amplius invaluerit adversus illos.* Si verò κατακυριεύσας αὐτῶν legamus, intelligendum est *hominem ipsum dæmoniacum dominatum fuisse & invaluisse adversùs Scevæ filios.* Sensus tamen in idem recidit.

19. *Invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*] Idem quod Græcè ad verbum ità scribitur, εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε, *invenerunt argenti myriadas quinque.* Quam summam Budæus *quinque millia Aureorum suorum* valere putat.

21. *Transitâ Macedoniâ*] *Transitâ* media correptâ legendum.

23. *De via Domini*] *Domini* non est in Græcis, eóque & tollendum putatur: sed tu vide nè fortè ab ipso sit additum Interprete, ut suprà, *maledicentes viam Domini*, v. 9.

25. *De hoc artificio est nobis acquisitio*] *Acquisitionem* quæstum intelligit & lucrum: est enim εὐπορία, quod etiam *facultatem & abundantiam* declarat.

27. *Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum*] Græca ad hunc habent modum, Οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης, &c. quæ secundùm sensum ità reddi poterant, *Non solùm autem periculum est nè nobis hæc pars veniat in opprobrium*; vel, *Non solùm autem hanc partem in reprobationem nostri venturam necessariò consequitur.* Nam κινδυνεύειν non solùm *periclitari* sed etiam *concludi* & *necessariò consequi* signat. Cætera quæ sequuntur probè reddidit Interpres.

29. *In theatrum*] *Theatrum* est locus videndis spectaculis idoneus, à θεάομαι *video.*

33. *De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis*, Ἐκ δὲ τοῦ ὄχλου προεβίβασαν Ἀλέξανδρον, προβαλόντων αὐτὸν, &c.] i. *Ex turba autem instruxerunt Alexandrum, proscrentibus eum Judæis*, ut is videlicet redditâ ratione præsenti occurreret tumultui: προβιβάζειν enim dici potest *qui præmonet instruitque patronum causam acturum:* quanquam προβιβάζει etiam *qui producit.* Fortasse tamen Interpres legit προεβίασαν. Alii Alexandrum hunc è turba detractum volunt nè occideretur, aut nè Paulum defenderet: id quod Vulg. interpres sensisse videtur.

35. *Cùm sedasset scriba turbas*] Glossa ordinaria subindicat eundem hunc esse scribam qui modò *Alexander* proprio nomine designatus est. ¶ *Jovisque prolis*] In hujus ætatis codicibus & in Chrysostomo pro *Jovisque prolis* lego καὶ τοῦ Διοπετοῦς, *& ab Jove*, vel *è cœlo, delapsi*, ut subaudiatur *simulacri*, quemadmodum quibusdam placet; siquidem τοῦ articulus neutri gen. vetat quò minùs cum *Diana* cohærere possit Διοπετοῦς. Et statua Dianæ vulgò credita est cœlitus delapsa, ut testatur Suidas in dictione Διοπετές. Dicitur autem Διοπετὲς à Διὸς genitivo nominis Ζεὺς *Jupiter*, & ἔπετον, ἀορ. 6. verbi πίπτω *cado.* Porrò Interpretem nostrum Διοπαιδὸς legisse res ipsa indicat: constat enim ex Διὸς *Jovis* & παῖς παιδὸς, i. *proles.* Unde & ipsa Ἄρτεμις Latinis *Diana*, quasi *Jovinia*, dicta est, h. e. Jovis ex Latona filia juxta Poetarum fabulas.

38. *Conventus forenses*] A *foro* dicuntur, in quo judicia fieri consueverunt. Apud Lucam unica dictio est ἀγοραῖοι, & potest esse *causæ forenses.*

39. *In legitima ecclesia poterit absolvi*] *Legitimam*, inquit Chrysostomus, *ecclesiam*, sive *congregationem, vocat, eò quòd tres conciones juxta legem quolibet mense fierent. Illa autem (nempe conventuum forensium) erat præter legem.* Hæc ille. Vel *legitimam ecclesiam à conventibus forensibus* distinguit, quòd illa publica esset, ni fallor, hi privatiores.

40. *Cùm nullus obnoxius sit, de quo possimus reddere rationem concursûs istius*, Μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος περὶ οὗ δυνησόμεθα δοῦναι λόγον τῆς συστροφῆς ταύτης] i. *cùm nihil causæ subsit quâ poterimus defendere concursum hunc*: vel, *cùm nemo in causa sit*, sive *autor sit, concursûs istius, quem poterimus dicere obnoxium.* Atque ità illud *de quo poterimus dicere rationem* per Parenthesin accipiendum est. D. Chrysostomus dum hæc verba explanando resumit negative legit, *de quo non poterimus dare rationem*: itaque sensus hic erit, *Cùm nemo obnoxius sit*, vel, *cùm nemo in causa sit, concursûs hujus, pro quo non poterimus dare rationem.*

H. STEPHANUS.

9. Ἀφώρισε] *Segregavit*: vel, *separavit.* ¶ Τυράννου τινὸς] Quidam *tyrannum* hic proprium nomen putant.

11. Οὐ τὰς τυχούσας] *Non vulgares.*

12. Ὥστε καὶ ἐπὶ τοὺς ἀσθενοῦντας ἐπιφέρεσθαι ἀπὸ τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ σουδάρια] *Ità ut etiam ad ægrotantes deferrentur ab ejus corpore sudaria*, i. à contractu corporis ejus admoverentur ægrotis, vel imponerentur.

13. Ὁρκίζομεν ὑμᾶς τὸν Ἰησοῦν] *Adjuramus vos per Jesum.*

19. Τῶν τὰ περίεργα πραξάντων] *Qui curiosas artes exercuerant.*

23. Περὶ τῆς ὁδοῦ] *Ob viam* Dei, i. quòd Paulus doceret Euangelium.

24. Ναοὺς ἀργυροῦς] *Templa argentea*: i. In argento imaginem illius templi repræsentabat. Alii, *scriniola*, vel *ædiculas.* ¶ Ἐργασίαν] *Quæstum.*

25. Ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας] *Ex hoc opificio.*

26. Μετέστησεν] *Avertit.*

27. Κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν] *Periculum est nè pars hæc nobis ab ipso consutatis intercidat.*

28. Πλήρεις θυμοῦ] *Pleni irâ.*

29. Συνεκδήμους] *Socios peregrinationis.*

31. Τῶν

31. Τῶν Ἀσιαρχῶν] *Ex Asiarchis*, quorum munus erat ludos theatrales edere.

35. Καταστείλας] *Cum repressisset.* ¶ Τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος] *Quisnam est.* ¶ Νεωκόρον] *Æditaum.* ¶ Τῦ διοπετῦς] *A Jove delapsi simulacri.*

36. Προπετὲς] *Pracipiti consilio.*

38. Ἀγοραῖοι ἄγονται] *Forenses dies aguntur*: vel *conventus.*

40. Τῆς συστροφῆς ταύτης] *Turbulenti hujus concursûs.*

DRUSIUS.

1. P*Eragratis superioribus partibus*] Quæ *superiores regiones* appellantur 1 Mach. 3. 37. & 6. 1. & *loca superiora* 2 Mach. 9. 23. Jud. 1. 36. & *superiora regna* 2 Mach. 9. 29.

5. *His igitur auditis*] Verba sunt Pauli, non Lucæ, ut hactenus existimatum fuit. Id arguunt particulæ μὲν & δὲ. Vide quæ scripsimus Quæst. lib. 1. qu. ult. Siquidem Lucæ verba incipiunt à versu qui proximè sequitur. Res est, non conjectura.

9. *In schola tyranni cujusdam*] Scribi malim *Tyranni* charactere majusculo: nam eò labor ut credam nomen proprium esse. Cui firmando primùm edit. Syra, quæ hic legit, *in schola viri cui nomen erat Tyrannis*, vel *Tyrannus*: deinde lib. Nominum, ubi inter propria legitur. Fortè an est טורנוס nomen obvium in monumentis Magistrorum; quod alii legunt *Turnus*, alii *Turannus*, alii *Turannius*. Nec hallucinabitur qui scribet *Tyrannus*: nam u in y de facili mutatur. Pro exemplo sit *Syria*, quæ & *Suria*, h. e. סוריה. Cæterùm *schola* vox reperitur in Thanchuma אסכולה. Autor Lexici, quod *Aruch* vocant, interpretatur, dicens esse *synagogam in qua pueros docent.*

12. *Sudaria*] סודרין vox usitata tam Ebræis quàm Syris. Significat autem eis סודר non *id quo sudorem*, *lacrymas*, & *mucum narium abstergimus*, sed *velamen quo mulieres caput operiunt*: de quo alibi. Huc refer quod è Græcis cod. annotatum h. l. τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, *sudaria capiti injiciuntur.* Vide Theodorum.

19. *Denariorum quinquaginta millia*] Gr. ἀργυρίῳ *argenti*, aut *pecuniæ*: nam vox Græca utrumque sig. ut etiam Ebræa כסף. Vulg. interpres *pecuniam denariorum*. *Denarii* à Doctoribus דינרין vocantur; & propriè ex auro sunt דהב ex argento. Elias Thesbite, DINAR *moneta est idem ferè valens quod* zuz, *nisi quòd* zuz *argenteus sit*, DINAR *autem aureus. Sane legimus* 2 *Sam.* 7. 24. *in Jonatha* דינרין דהב *denarii aurei.* Gen. 37. 28. *Joseph venditus fuit* עשרים כסף *viginti argenteis*: ad v. εἴκοσι ἀργυρίων pro quo apud Josephum μνῶν εἴκοσι *minis viginti*, aut *pretio minarum viginti*, ut est apud interpretem Rufinum. Zach. 11. 12. שלשים כסף, LXX τριάκοντα ἀργυροῦς. Matth. 27. 9. τριάκοντα ἀργύρια. Jes. 7. 23. באלף כסף Hier. *mille argenteis.* LXX χιλίων σίκλων. Trem. *millenûm siclorum argenti.* Id pugnat cum traditione Magistrorum, qui dicunt nomine *argenti*, i. כסף, in Prophetis ליטרין *libras* denotari. Tamen. Jer. 32. 9. עשרה כסף Jonathan interpretatur *decem siclis argenti*: & Abenmelech ad eum locum annotat, הכסף הוא כלשים *Argentei nummi sunt sicli*: paulò antè, השקלים הם מנים *Sicli sunt minæ.* Quod si verum, rectè Josephus vertit apud Mosen *viginti minas.* Porrò argentum in Lege ad Tyriorum pondus exigi solet. R. Juda. *Omne argentum quod in Lege argentum est Tyrium*; & *quod in monumentis eorum* (*Magistrorum* videlicet) *est argentum provinciale.* De argento Tyrio consule librum Præceptorum 147. 1. ubi & illud, *Siclus provincialis*, vel certè *urbanus*, *est octava pars quæ in siclo Tyrio.* סלע מדינה, quæ vox & *urbem* & *provinciam* denotat: de מדינה loquor. Hoc interpretationem ambiguam facit.

27. *Magnæ Deæ*] Τῆς μεγάλης θεᾶς epitheton Dianæ. Unde quidam in Dionysio De situ orbis,

Παμφαλίην Ἔφεσον μεγάλης πόλιν ἰοχεαίρης,

legunt pro eo quod in vulgatis μεγάλην πόλιν. Vide Fabrum Semestrium l. 3. c. 3. ¶ *Templum*] Quod παρθενὼν dicebatur: nam & ipsa Diana παρθένος erat, h. e. *virgo*, Ibid.

29. *In theatrum*] Moris erat quondam in Græciæ urbibus ut turbatâ civitate ad theatrum confluerent de rebus publicis disceptaturi: Herald. Advers. pag. 130.

35. *Scriba*] Ὁ γραμματεύς. Sic interpretantur LXX שטר, qui est *Præfectus*: & Syrus hic habet *caput*, i. Præfectus urbis.

38. *Conventus forenses aguntur*] Beza emendat *agitur forum.* In fonte ἀγοραῖοι ἄγονται, & subintelligitur ἡμέραι. Glossæ veteres, *Cum res agitatur*, ὅτε ἡ ἀγοραῖός ἐστιν. Suidas, Ἀγοραῖον, *dies quo lites disceptantur.* Ἀγοραῖος etiam *circumforaneus* Act. 17. 5.

CASAUBONUS.

9. KΑθ' ἡμέραν διαλεγόμενος ἐν τῇ σχολῇ Τυράννυ τινός] Non dubito proprium viri nomen esse hoc loco vocem Τύραννος, ut rectè Syrus interpres existimavit. Tyrannus igitur Sophista fuit aliquis Ephesinæ scholæ; ille ipse fortasse de quo sic Suidas, Τύραννος, inquit, σοφιστὴς περὶ στάσεων καὶ διαιρέσεως λόγυ βιβλία δέκα. Neque obstat quod afferunt docti viri ex Strabone de regia familia apud Ephesios; qui non magis potuere *tyranni* appellari quàm qui apud Romanos *Rex sacrificulus* vocabatur: & apud Athenienses quoque fuit qui similiter βασιλεὺς diceretur. Nam hi omnes nomine tantùm *reges*, re autem sacrificuli fuerunt. Vide Plutarchum. Quæst. Roman. 63.

19. Ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων] Hujusmodi homines Ephesi fuisse semper plurimos, vel ea argumento sint quæ de magicis illis literis quas *Ephesias* vocant auctores veteres testantur, Hesychius potissimùm, & Clemens Alexandrinus, Strom. l. 5.

24. Ποιῶν ναὺς ἀργυρᾶς Ἀρτέμιδος] Existimat doctissimus interpres imagunculas seu nummos quosdam intelligi qui à figura Templi, quam repræsentabant, *Templa* appellarentur: cujus sententia etsi probabilis est, tamen quia horum nummorum qui ναοὶ appellarentur nemo veterum meminit, non dubito equidem ναὺς vocari hoc loco ædiculas ex argento vel auro factas, in quas recondebantur Dianæ parva simulacra, quæ vulgò ab aliis emebantur qui Dianam Ephesinam visebant. Et fortasse referebant istæ ædiculæ templi Ephesini artificium. Porrò autem ναῶν istiusmodi mentio apud Græcos auctores fit non semel. Strabo quidem lib. 14. ναΐσκυς & τινακοθήκας commemorat. Dionis autem verba sunt lib. 39. ἔν τε γὰρ τῷ Ἀλβανῷ νεὼς Ἥρας ἐπὶ τραπέζης τινὸς πρὸ ἀνατολῶν ἱδρυμένος, πρὸς τὴν ἄρκτον μετεστράφη.

31. Τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν] De Asiarchis vide Cujacium Observat. lib. 2. cap. 13. & ad leg. 2. Cod. De muneribus patrimoniorum, itémque ad tit. Cod. De periculo successorum.

GUALTPERIUS.

12. ΣΟυδάρια ἢ σιμικίνθια, *sudaria vel semicinctia*] Σουδάριον vox Latina est, explicata apud Lucam 19. 20. & Joan: 20. 7. Σιμικίνθιον, vel rectiùs σημικίνθιον per η, sic explicat Henr. Stephanus ex Suida, Φακεόλιον ἢ σουδάριον. Quia verò distinctæ voces sunt σουδάριον καὶ σημικίνθιον, idcirco in quodam antiquo exemplari hæc verba annotata fuisse tradit, Ἀμφότερα λινοειδῆ εἰσι· πλὴν τὰ μὲν σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σημικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσι πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τοῦ προσώπου, οἷον εἱδρῶτα, δάκρυα, πτύελον, καὶ τὰ ὅμοια, i. *Utrumque lintei genus quoddam est, nisi quòd Sudaria capiti injicerentur, Semicinctia verò manibus tenerent ad abstergendum humiditates faciei, utpote sudorem, lacrymas, sputum, & alia consimilia. Semicinctii* porrò vocem etiam Latinam esse ipsa compositionis forma satis videtur arguere. Dicunt enim Latini *Semicinctium* (ut Calepinus, For. Rom. & alii) esse *succinctorium, quod medium hominem cingat, i. vestiat: genus nempe brevissimæ vestis, Græcis* ὑπόζωμα. Syrus hunc locum ità reddit, דאיך דאף מן נחתא דעל פגרה מיתין הוו סודרא או חוקלא ממני גרמא: h. e. *Ità ut etiam à vestimentis ejus* (Pauli) *quæ erant super corpus ejus, sudaria, aut frusta panni deferrent.* Vocem *sudarii* retinet; alteram vero *semicinctii* interpretatur per vocem חוקלא, & in marginalibus Syriacis addit חלק בגדים בלויים, i. *portionem pannorum vetustate attritorum.* Radix בלא *corrupit, vetustate attrivit. Inde* בלוי מן *sacci veteres*, Jos. 9. & סחבות בלאות *vetera lacinia*, seu *detritus panni.* Matth. 9. 16. vox ejusdem cum hac radicis usurpatur à Syro, ענירא, *Nemo immittit assumentum panni novi in vestem veterem*: ubi in Græco est ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου *assumentum panni rudis*, vel *panniculum impexum.* Placet mihi interpretatio Clariss. viri Dn. D. Osiandri, qui in paraphrasi sua hunc locum ità exponit, *Sudaria & Semicinctia puto fuisse lintea bene lata, quibus Paulus circa femora cinctus fuit: cujusmodi lintea solent opifices gerere*, **Umbschurtz**: *fuit enim Paulus textor tabernaculorum.* Lutherus **Koller** reddidit. Franciscus Junius, *Lucas*, inquit, *Semicinctia Græcè appellat ex voce Latina. Sed Syrus generaliori voce interpretatus est. Nam* Semicinctium *Latinis olim nihil significavit quàm pannum præcingentem, ac velut partem anteriorem tunicæ, quâ tenuiores utebantur pro tunica,* cum

cum ex inopia tunicam integram habere non possent. Martialis de Semicinctio,

> *Det tunicam dives; ego te præcingere possum.*
> *Essem si locuples, munus utrumque darem.*

13. Ἰεδαίων ἐξορκιςῶν *Judæis Exorcistis*] Syrus reddit paraphrasticè, *Homines Judæi qui circumvagabantur*, ומומין על שאדא *& adjurabant Dæmones.* Radix est ימא *juravit* Exod. 20. & Syrè ימא. Inde מומתא *juramentum*, *jusjurandum*, Matt. 14. Et in Aphel אומי *adjuravit.* Et מומא *adjurans*, *Exorcista.* Et מומיותא *adjuratio*, *exorcismus.* Ἐξορκιςὴς vox Græca est, *adjurator*, *exorcista*, ut & ἐξορκισμὸς *adjuratio*, ex verbo ἐξορκίζω cujus simplex est ὁρκίζω, quod duplicem admittit Accusativum, alterum rei, alterum personæ, ut Marc. 5. 7. immundus Spiritus *voce magnâ exclamans dicit ad Jesum*, Ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν μή με βασανίσῃς, *Adjuro te per Deum ne me torqueas.* Orpheus,

> Οὐρανὸν ὁρκίζω σε ——

Cælo teste & conscio te sacramento obstringo. Distinguendum porrò hic erit inter exorcistas profanos & religiosos: Profani sunt tales circulatores & agyrtæ quales hic septem Scevæ principis Sacerdotum filii depinguntur. Religiosi sunt Apostoli & primitivæ Ecclesiæ Doctores, qui miraculis claruerunt, impositisque manibus energumenis, i. Dæmoniis obsessis, Dæmonia ejecerunt. Cæterùm quamprimum donum istud miraculorum, confirmatâ satis doctrinâ cœlesti, in Ecclesia desiit, desiit quoque miraculosa illa exorcizatio & Dæmoniorum ex obsessis ejectio. Ineptissimi igitur sunt hodie, & superioribus seculis sceleratissimi fuerunt exorcistæ Pontificii, qui quibus artibus quæstûs gratiâ fuerint usi & adhuc utantur, lippis & tonsoribus puto jam satis constare. D. Chemnitius *Exam. Trident. pag. 2. de Sacram ord. pag.* 245. cùm de Ordinibus variis Hierarchiæ Pontificiæ, & neglectu præcipuorum officiorum quæ in prima vigebant Ecclesia, disseruisset prolixè, etiam de Exorcistis inter cætera hæc adfert. *In sancta Romana Ecclesia Exorcistas transformarunt in Magicos incantatores. Olim enim fuit peculiare donum voce humanâ & potestate Divinâ flagellare, urere, torquere, & de corporibus exigere Diabolum, vel certè compescere. Fuisse donum illum suo adhuc tempore in Ecclesia, Tertullianus testatur in Apolog. Ambrosius l. 1. c. 44. Augustini etiam tempore donum illud adhuc fuisse colligitur l. 10. De civ. Dei, c. 22. Chrysostomi verò & Prosperi ætate obsessi in templum adducebantur, & sæpe communibus Ecclesiæ precibus liberabantur. Postea cùm donum illud desiisset, ut tamen Exorcistarum ordo retineretur, aliud excogitatum fuit quod ipsis tribueretur officium; ut scilicet Catechumenos baptizandos exorcismis & exsufflationibus pręparerent ad Baptismum; sicut testatur liber De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 51. Et Nazianzenus inquit,* Ne ægrè feras Exorcismi culturam longiorem, neque ob illius prolixitatem defatigeris. *Sed non fuit talis peculiaris exorcizandi actio in Apostolica Ecclesia; nec Exorcistarum veteris Ecclesiæ hoc fuit officium, & nunc illud nè apud Pontificios quidem servatur. Ostendit autem hoc exemplum quid faciat κακοζηλία. Cum donum ejiciendi Dæmonia desiisset, & tamen vellent ordinem Exorcistarum retinere, aliud & novum quod ipsis tribueretur excogitatum est officium. Quidam verò recitationem exorcismorum retinuerunt, cùm tamen dona ejiciendi Dæmonia non haberent. Inde tandem ad superstitiosos exorcismos & ad magicas veriùs incantationes κακοζηλία illa transiit. Cùmque ipsi Dæmones exorcismis illis jam illudant, nihil reliqui nunc est apud Pontificios de Exercistarum officio præter nudum titulum,* &c. Hactenus Chemnitius.

29. Ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον, *irruerunt concorditer in theatrum*] Vox Græca est, quam retinent Latini; uti etiam habetur apud Syrum Paraph. לתאטרון *Letheatrum.* Descendit ex θεάομαι *specto.* Significat autem locum in quo diebus festis ludi spectabantur, interdum etiam orationes audiebantur. Ponitur interdum pro ipso spectaculo. ut 1 Cor. 4 9. θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις, *spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus.* Ἀμφιθέατρον, *Theatrum rotundum.* Θεατρικός *theatralis.* Θεατρικὴ μουσική, Θεατρικὴ λέξις. Vide Henr. Stephanum in Thes. part. 1. pag. 1509. De Theatrorum quæ fuerunt apud antiquos magnificentia, sumptibus, amplitudine, & similibus, consule Theod. Zuingerum in Theatro vitæ humanæ.

GROTIUS.

1. TΟν Ἀπολλὼ, *Apollos*] Accusativus antiquus quartæ apud Græcos declinationis. Sic Theocritus ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπην. Et Virgilius ex eo,

> *Aut Atho aut Rhodopen:*

& Livius, *montem Atho.* ¶ Τὰ ἀνωτερικὰ μέρη, *superioribus partibus*] Septentrionaliora, Pontum & Bithyniam.

2. Εἰ Πνεῦμα ἅγιον ἐλάβετε πιςεύσαντες; *si Spiritum Sanctum accepistis credentes?*] *Spiritus Sanctus* hic & in sequentibus, ita ut Johannis 7. 34, sunt dona ista Ecclesiæ Christianæ reservata: quæ Paulus haud dubium quin pluribus vocibus descripserit. ¶ Ἀλλ' οὐδὲ εἰ Πνεῦμα ἅγιόν ἐςιν, ἠκούσαμεν. *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*] *Non audivimus dari nunc talia dona.*

3. Εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; *In quo igitur baptizati estis*] ? Εἰς τί [*in quid*] pro ἐν τίνι [*in quo.*] *quomodo baptizati estis?* ¶ Οἱ δὲ εἶπον, εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, *Qui dixerunt, in Johannis baptismate*] Id est, ἐν τῷ Ἰωάννου βαπτίσματι, *baptismate Johannis.*

4. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας, *Johannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ*] Non cohæret hoc μὲν [*quidem*] cum eo quod sequitur ἀκούσαντες δὲ [*his auditis*,] ut multi putarunt: sed positum est κατ' ἀποσιώπησιν [*per Subticentiam*] ut supra 3. 21. Sic contra apud Terentium Donatus notat, *sed tamen* poni, ubi *quidem* non præcessit. Sensus est, Baptizavit ille quidem in pœnitentiam, id est, hortatus est eos quos baptizavit, ut se emendarent, & sic mala imminentia evaderent, sed non in promissum Spiritûs Sancti: quæ distinctio inter utrumque baptisma innuitur & Matth. 3. 11. hoc libro 1. 5. Scriptor Responsionum ad Orthodoxos, Τὸ βάπτισμα τοῦ Ἰωάννου προοίμιον ἦν τοῦ εὐαγγελίου τῆς χάριτος [*Baptisma Johannis proœmium erat Evangelii gratiæ.*] ¶ Τῷ λαῷ λέγων, εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιςεύσωσι, *dicens populo, in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent*] Ut plena præcepta regni cœlestis acciperent ab eo qui post ipsum populo Israelitico apparituruss esset. Hac enim notâ Johannes Baptista Christum depinxerat, Matth. 3. 11. ubi dicta vide. Perfectius dogma perfectiorem exigebat baptismum. Vide Græcos Patres hoc loco, & Tertullianum de baptismo, ubi *baptismum Johannis* ait *nihil cæleste præstitisse, sed cælestibus præministrasse*, & addit, *Adeò postea in Actis Apostolorum invenimus, quoniam qui Johannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum Sanctum, quem ne auditu quidem noverant. ergo non erat cæleste, quod cælestia non exhibebat.*

5. Ἀκούσαντες δὲ, *His auditis*] Nempe illi ad quos Paulus loquebatur: sunt enim hæc Lucæ verba. Sic accepêre Latinus Syrus, Arabs, & veteres omnes ante Marnixium. ¶ Εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. *in nomen Domini Jesu*] Id est, *In nomen Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Vide quæ diximus ad Matth. 28. 19.

6. Καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας, ἦλθε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτούς. *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos*] Baptizati erant ab alio Christiano, sed Deus ad commendandum munus Apostolicum, non ante eis Spiritûs sui dona communicare voluit, quàm Apostolica manus eos tetigisset. Hoc plerumque ita factum est. Deus tamen illi legi non adstrictus, sicut Apollo illa dona ante impositionem Apostolicarum manuum contulerat, ita Cornelio ante ipsum baptisma. ¶ Ἐλάλουν τε γλώσσαις καὶ προεφήτευον. *& loquebantur linguis & prophetabant*] Non vulgaria dona, sed & complura & maxima accepêre, utiles futuri ad fundandas per Asiam Ecclesias. Vide Esaiam 54. 13, 14. & 62. 1.

8. Καὶ πείθων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. *& suadens de regno Dei*] Vide supra 18. 4. ubi idem verbum πείθειν [*suadere*,] sed cum accusativo personæ. Significatur multos tractos in assensum, etsi non omnes, ut ostendunt sequentia.

9. Ὡς δέ τινες, *Cùm autem quidam*] Judæorum. ¶ Κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν, *maledicentes viæ*] Dogma Christi 18. 25, 26. infra 23. & 22. 4. & 24. 22. ¶ Ἀποςὰς ἀπ' αὐτῶν, ἀφώρισε τοὺς μαθητὰς, *discedens ab iis segregavit discipulos*] Et ipse è Synagoga exiit & eos qui crediderant abduxit, eò quòd in Synagoga tuti non erant futuri. ¶ Ἐν τῇ σχολῇ Τυράννου τινός. *in schola Tyranni cujusdam*] Sophistæ sive Declamatoris, cui nomen *Tyranno.* ita Suidas. Fuit hoc nomen & cuidam satelliti Herodis, ut videre est apud Josephum 16. 16.

10. Πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν Ἀσίαν, *omnes qui habitabant in Asia*] Qui sacrorum causâ Ephesum venire solebant. Erat enim templum illud commune Asiæ, unde & nomen Ἀ-

σιαρχῶν

σιαρχῶν [*Asiarcharum.*] Judæi quoque ex aliis Asiæ urbibus sæpe eò veniebant mercatûs causâ aut judiciorum.

11. *Δυνάμεις τε ἐ τὰς τυχέσας, virtutesque non quaslibet*] Locutio bene Græca. Dionysius Longinus de Mose, *ἐχ' ὁ τυχὼν ἀνήρ* [*non vulgaris homo.*] Illud autem *δυνάμεις* [*virtutes*] est נפלאות [*miracula*] ut supra 2. 22.

12. *Σεδάρια, sudaria*] De hac voce diximus Luc. 19. 20. Joh. 11. 44. ¶ *Σιμικίνθια, semicinctia*] Est apud Martialem Lemma, *semicinctium*, cum hoc disticho,

Det tunicam dives: ego te præcingere possum:
Essem si locuples, munus utrumque darem.

In Glossis, *semicinctium ἡμιζώνιον.* Alibi, *semicinctium ὑπόζωμα.* Suidas, *σιμικίνθιον, Φακιόλια, ζωνάρια,* [*semicinctium, fasciola, zonaria.*] Illud *Φακιόλια* vult dicere *fasciolas.* Est vox *σιμικινθὶς* [*semicinctis*] & in Catechesi Cyrilli, & in Niceta Paphlagone. ¶ *Καὶ ἀπαλλάσσεσθαι ἀπ' αὐτῶν τὰς νόσυς, & recedebant ab eis languores*] Ita præstitum quod dixerat Christus, Joh. 14. 12. Vide & supra 5. 15.

13. *Ἀπὸ τῶν περιερχομένων Ἰυδαίων ἐξορκιςῶν, de circumeuntibus Judæis exorcistis*] De quibus vide quæ attulimus ad Matth. 12. 27. *Περιερχομένυς* [*circumeuntes*] autem vocat quod non uno in loco subsisterent, sed huc illuc cursitarent quæstui aucupando, quales apud Græcos *ἀγύρται*, apud Latinos *circulatores.* ¶ *Ὁρκίζομεν ὑμᾶς τὸν Ἰησῦν, ὃν ὁ Παῦλος κηρύσσει. Adjuramus vos per Jesum quem Paulus prædicat*] Simile vide Marc. 9. 38. Luc. 9. 49.

14. *Υἱοὶ Σκευᾶ, filii Scevæ*] שבעא, ut hic Syrus, *à jurejurando* dictum nomen. ¶ *Ἰυδαίυ ἀρχιερέως, Judæi principis Sacerdotum*] Filii principis familiæ alicujus sacerdotalis: nam & tales dici *ἀρχιερέας* [*Principes Sacerdotum*] ostendimus Matth. 2. 4.

15. *Ἀποκριθὲν δὲ τὸ πνεῦμα πονηρὸν εἶπε· Τὸν Ἰησῦν γινώσκω, καὶ τὸν Παῦλον ἐπίςαμαι· Respondens autem Spiritus nequam dixit eis, Jesum novi, & Paulum scio*] Deo cogente. Tertullianus in Apologetico. *Credite illis cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem.* Vide si placet totum locum. ¶ *Ὑμεῖς δὲ τίνες ἐςέ; vos autem qui estis?*] Quasi dicat, *Vos certè nihil ad illos pertinetis.*

16. *Καὶ κατακυριεύσας αὐτῶν, & dominatus eorum*] *Ἀμφοτέρων* [*amborum*] pro *αὐτῶν* [*eorum*] habet & ille Manuscriptus. Ergo de septem Scevæ filiis duo ibi adfuere. Mirè autem transit oratio ab homine ad ipsum spiritum, quia quod ille homo agebat, id agebat non sua sed Spiritûs impuri vi. Vide Matth. 8. 28.

17. *Καὶ ἐπέπεσε φόβος ἐπὶ πάντας αὐτοὺς, & cecidit timor super omnes illos*] Ut supra 5. 2. ¶ *Καὶ ἐμεγαλύνετο τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίυ Ἰησοῦ. & magnificabatur nomen Domini Jesu*] Solet de Deo dici *Μεγαλυνθείη τὸ ὄνομά συ* [*Magnificetur nomen tuum.*] ut 2 Sam. 7. 26.

18. *Ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι, veniebant confitentes*] Venerunt ad Apostolos, confitentes quàm malè vitam hactenus traduxissent, commemoratis etiam criminibus gravioribus, ut illi qui ad Johannem Baptistam venerant, Matth. 3. 6. ubi dicta vide. Græci hoc loco. *Δεῖ πάντα, πιςὸν λέγειν τὰς ἑαυτοῦ ἁμαρτίας, καὶ ἀποτάττεσθαι, διὰ τοῦ ἑαυτὸν διελέγχειν, τοῦ ἔτι μὴ ποιεῖν τὰ αὐτά. κατὰ τὸ εἰρημένον, Λέγε σὺ τὰς ἁμαρτίας σε πρῶτος, ἵνα δικαιωθῇς. καὶ τὸ, Δίκαιος ἑαυτοῦ κατήγορος ἐν πρωτολογίᾳ* [*Unumquemque fidelium sua ipsum peccata proferre oportet, seque ita arguere ut simul & peccato valedicat ne quid istiusmodi porrò committat, juxta dictum, Dic tu peccata tua prior ipse, quò justificere. & item hoc, Justus ipse sui primus ante alios accusator.*]

19. *Ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati*] *Περίεργα* [*curiosa*] quæ sint intelliges ex Irenæo 1, 2. de Simonianis, *Amatoria quoque, & agogima, & qui dicuntur paredri, & oniropompi, & quæcunque sunt alia periergα* (malè scribitur *parerga*) *apud eos studiosè exercentur.* Hæc Philosophi vocabant *περίεργα* & *γοητείας* & *τερατυργίας* [*artes præstigiosas & prodigiosas,*] ut Porphyrius 2. de abstinendo ab animatis, ubi & *Φίλτρα* [*pocula amatoria*] & *ἐρωτικὰ* [*venena amatoria*] ponit in hac classe. *Γοητικὰς βίβλυς* [*libros magicos*] habent hic Patres Græci. Christiani verò *Diabolica* hæc vocarunt. Sed Lucas recepta Ephesi voce uti contentus est. Ephesus ante alias civitates his pravis studiis dedita. Magorum qui erant Ephesi meminit Plutarchus Alexandro. Menander *παιδίῳ* [*Puero,*]

Ἐφέσια, τοῖς γαμοῦσιν ὗτος περιπατεῖ
Λέγων ἀλεξιφάρμακα.
[*Cantus Ephesios nuptias facientibus*
Hic averruncos cantat.]

quod interpretare ex Apuleio in Herbario, *Si quis devotus defixusque fuerit in ejus nuptiis eum sic resolves.* Anaxilaus apud Athenæum, *Καὶ πρὸς τούτοις ἐν σκυταρίοις ῥαπτοῖσι φορῶν Ἐφεσήϊα γράμματα καλά* [*literas præterea Ephesias, scitas sanè, in consutis pellibus gestans.*] Plutarchus Symposiacῶn 7, *Οἱ μάγοι τοὺς δαιμονιζομένυς κελεύουσι τὰ Ἐφέσια γράμματα πρὸς αὑτοὺς καταλέγειν καὶ ὀνομάζειν* [*Magi eos qui à Dæmone obsidentur Ephesias literas secum ipsis ordine recitare ac pronuntiare jubent.*] Clemens Alexandrinus Strom. 1. *Τινὲς δὲ μυθικώτερον τῶν Ἰδαίων καλυμένων δακτύλων, σοφούς τινας πρώτυς γενέσθαι λέγυσιν, εἰς οὓς ἥτε τῶν Ἐφεσίων λεγομένων γραμμάτων καὶ ἡ κατὰ μυσικὴν εὕρεσις ῥυθμῶν ἀναφέρεται* [*Quidam autem fabulosiùs ex iis qui Idæi appellantur dactyli, sapientes quosdam primos exortos esse dicunt, ad quos & Ephesiarum, quæ dicuntur, literarum, & eorum quæ sunt in Musica numerorum, refertur inventio.*] Et Strom. v, *Ἀνδροκύδης γ' ὖν ὁ Πυθαγορικὸς τὰ Ἐφέσια καλύμενα γράμματα, ἐν πολλοῖς δὴ πολυθρύλλητα ὄντα, συμβόλων ἔχειν φησὶ τάξιν· σημαίνειν δὲ Ἄσκιον μὲν τὸ σκότος, μὴ γὰρ ἔχειν τοῦτο σκιάν· Φῶς δὲ Κατάσκιον, ἐπεὶ καταυγάζει τὴν σκιάν. Λὶξ τέ ἐςιν ἡ γῆ κατὰ ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν· καὶ Τετρὰς ὁ ἐνιαυτὸς, διὰ τὰς ὥρας· Δαμναμενεὺς δὲ ὁ ἥλιος ὁ δαμάζων· τὰ Αἴσιά τε ἡ ἀληθὴς φωνή* [*Androcydes certè Pythagoricus literas, quæ vocantur Ephesiæ, vulgò autem valde sunt celebres, dicit locum tenere symbolorum; significare autem ἄσκιον quidem tenebras, eas enim non habere umbram: κατάσκιον autem lucem, quoniam illustrat umbram: λὶξ autem priscâ appellatione est terra: & τετρὰς, hoc est quaternio, annus, propter horas: δαμναμενεὺς autem Sol qui domat: & αἴσια, vox vera.*] Meminere & Eustathius ad Odysseæ Φ, qui etiam pedibus & zonæ & coronæ ipsius Dianæ Ephesiæ inscriptas ait fuisse litteras Ephesias *ἀσαφῶς καὶ αἰνιγματωδῶς* [*obscurè & ænigmaticè,*] & Hesychius & Suidas. ¶ *Συνενέγκαντες τὰς βίβλυς κατέκαιον ἐνώπιον πάντων. contulerunt libros & combusserunt coram omnibus*] Non satis est pœnitentiam animo concipere, factis quoque ostendenda est, Matth. 3. 8. ¶ *Καὶ εὗρον ἀργυρίυ μυριάδας πέντε & invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*] Puto Lucam hoc pretium non ad Romanum, aut Græcum, aut Asiaticum; sed ad Judaïcum redegisse, & *ἀργυρίυ* [*argenti*] respondere Hebræo כסף quod pro *siclo argenteo* ponitur. Atque ita vertitur Num. 7. 85. Deuter. 22. 19. 2 Regum 15. 20. Esaiæ 7. 23. Jerem. 32, 9. Usserunt isti fideles libros illos, non vendiderunt, ut pretium ad Apostolos afferrent: fuisset enim id velut pretium scorti, quod offerri non debet. Deut. 23, 18.

21. *Ἔθετο ὁ Παῦλος ἐν τῷ πνεύματι, proposuit Paulus in Spiritu*] Bene notant eruditi esse locutionem Hebraïcam שום על לב quod Græci vertunt *ἔθετο ἐν τῇ καρδίᾳ* [*proposuit in corde.*] Non mirum autem *πνεῦμα* [*Spiritum*] cum articulo poni pro *animo.* Vide 1 Cor. 2. 11. & 5. 5. & 6. 20. Eph. 4. 23. Hebr. 4. 12. ¶ *δεῖ με καὶ Ῥώμην ἰδεῖν. oportet me & Romam videre*] Quærebat eas urbes Paulus, ubi maximam sperabat messem.

22. *Καὶ Ἔραςον, & Erastum*] Non eum cujus mentio Rom. 16. 23, sed alterum cujus mentio 2 Timoth. 4. 20. Fortè Hebræus fuerit cui nomen *David.* ¶ *Ἐπέσχε χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν, remansit ad tempus in Asia*] Pro *ἐν τῇ Ἀσίᾳ* [*in Asia,*] quæ mutatio frequens Hellenistis.

23. *Τάραχος οὐκ ὀλίγος, turbatio non minima*] *Non levis tumultus. τάραχος* & *ταραχὴ* & *θόρυβος* poni solent pro Hebræo מהומה [*tumultus.*] ¶ *Περὶ τῆς ὁδοῦ. de via*] Occasione Euangelii.

24. *Ἀργυροκόπος, argentarius*] Hæc vox in Glossario rectè vertitur *faber argentarius.* ¶ *Ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος, faciens ædes argenteas Dianæ*] Id est, *exiguas ædiculas argenteas,* & in iis simulacrum Dianæ ad effigiem veri templi & simulacri. Talis ædiculæ Veneris Cnidiæ meminit Plinius 36. 5. *Ναΐδια* [*ædiculas*] vocat Polybius. Dion *Νεὼς μικροὺς* [*templa exigua,*] quorum fabros *ναοποιοὺς* [*templifabros*] vocat Aristotelis interpres, ut observavit Salmasius ad Solinum. ¶ *Παρείχετο τοῖς τεχνίταις ἐργασίαν οὐκ ὀλίγην. præstabat artificibus non modicum quæstum*] *Τεχνίτας* [*artifices*] hic vocat *operas* Demetrii quibus ille dabat quod agerent. *Filios artis suæ* dixit Syrus.

25. *Τοὺς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐργάτας, eos qui hujusmodi erant opifices*] Alios sibi similes & quæstûs ejusdem. ¶ *Ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐςι· quia ex hoc artificio est nobis*

nobis acquisitio] *Ex hoc opificio quæstus est nobis*: hinc ditamur. Nolebat falsum videri quod ipsi proderat.

26. *Λέγων ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοὶ οἱ διὰ χειρῶν γινόμενοι. dicens quoniam non sunt Dii qui manibus fiunt*] Negabat ullam esse vim Divinam in simulacris. Dicebat congruentia Psalmo 115. 4. & sequentibus, & Jeremiæ 10. 3. & sequentibus.

27. *Οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ὑμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire*] Omnino legendum est *ἡμῖν* [*nostra*] quomodo & Syrum & Arabem arbitror legisse. Sensus est, *Periculum est non modò ne id quod nos contingit* (id est, ars nostra) *in contemptum venias: τὸ ἡμῶν μέρος* [*pars nostra*,] *id quod nos tangit*; nota locutio. *Ἀπελεγμὸς* autem, idem quod *ἐλεγμὸς* [*reprehensio*] per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem*] *contemptum* significat: ideoque *ὀνειδισμὸς* [*probrum*] & *ἐλεγμὸς* [*reprehensio*] se mutuò interpretantur Esai. 37. 3. ¶ *Ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἰς οὐδὲν λογισθῆναι, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur*] Quasi dicat parum est de nostro quæstu: tota religio hic periclitatur. Templum Dianæ fuisse Ephesi ante Liberi Patris & Amazonum tempora, docent nos Ephesii apud Tacitum Annalium 3. Majus factum communiter ab Asiæ civitatibus Livius auctor est libro 1. Ideo Martialis,

Nec Triviæ templo molles laudentur Jones.

Aristophanes,

Ἡ τ' Ἐφέσου μάκαιρα πάγχρυσον ἔχεις οἶκον, ἐν ᾧ
Κόραι σε Λυδῶν μεγάλως σέβουσιν.
[*Quæque Ephesi beata habes ex solido tecta domus*
Obryzo; ubi Lydæ nurus te honorant.

Magna Diana hic dicitur illa Ephesia, ut Pausaniæ *πρωτοθρονία*. ¶ *Τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς, majestas ejus*] Bene Latinus *Majestatem*. Glossarium *μεγαλειότης*, *Majestas*. Posses & *Numen* vertere. ¶ *Ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ οἰκουμένη σέβεται. quam tota Asia & orbis colit*] Non falso hoc dicit. Nam & inter paucos deos qui à Romanis testatoribus heredes institui poterant, erat hæc Diana Ephesia, ut nos docet Ulpianus Institutionum tit. 22.

28. *ἔκραζον λέγοντες. Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων. exclamaverunt dicentes, Magna Diana Ephesiorum*] Quasi abominantes id quod Paulus efficere conabatur.

29. *Καὶ ἐπλήσθη ἡ πόλις ὅλη συγχύσεως. Et impleta est civitas tota confusione*] Idem quod supra *τάραχος* [*turbatio*.] nam מהומה sicut *τάραχος* [*turbatio*] vertitur, ita & *σύγχυσις* [*confusio*.] Et mox dicetur *ἐκκλησία συγκεχυμένη* [*Ecclesia confusa*] ¶ *Ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον, & impetum fecerunt uno animo in theatrum*] Quò concurrere populus solebat. Diodorus Siculus libro 16, *Ὁ δὲ δῆμος ἅπας ἅμ' ἡμέρᾳ συνέδραμεν εἰς τὸ θέατρον* [*Universus vero populus orto statim diluculo concurrebat ad theatrum*] Plutarchus Arato, *Κατέβαινεν εἰς τὸ θέατρον ἀπὸ τῆς ἄκρας, πλήθους ἀπείρου ἐπιῤῥέοντος, ἐπιθυμίᾳ τῆς ὄψεως αὐτοῦ καὶ τῶν λόγων* [*Descendebat ex arce in theatrum, confluente eodem infinitâ populi multitudine, videndi eum cupida orationemque ejus audiendi.*] Juvenalis de Demosthene,

— — Et pleni moderantem vela theatri.

Meminit ejusdem moris idem Plutarchus in Timoleonte, & is qui vitam scripsit Latinè. Vide & alia loca quæ in hanc rem congessit Heraldi diligentia in Adversariis. ¶ *Γάϊον καὶ Ἀρίσταρχον Μακεδόνας, Gajo & Aristarcho Macedonibus*] Cajus hic erat quidem Thessalonicensis sed origine Derbæus, ut discimus infra 20. 4. Mentio & aliorum hujus nominis inter Romanos perfrequentis Pauli & Johannis. Aristarchi hujus mentio infra 20. 4. & 27. 2. Coloss. 4. 10. Philem. 24. Nomen est apud Græcos celebre ac commune multis etiam scriptoribus.

30. *Οὐκ εἴων αὐτὸν οἱ μαθηταί. non permiserunt discipuli*] Precibus eum dimovebant.

31. *Τῶν Ἀσιαρχῶν, de Asiæ Principibus*] Sicut *Phœnicarchia* & *Syriarchia* sacerdotia fuere, Codice de Nat. lib. 50. 1: sic & *Asiarchia*, quod *sacerdotium Asiæ* vocatur L. in honoribus. D. de vacatione & excusatione munerum: ita ut Ulpianus in L. si duas. §. Gentium. D. de excus. dignitatem hanc *præsidatum Asiæ* vocet: & Asiarchas *πρωτεύοντας κατὰ τὴν ἐπαρχίαν* [*primores provinciæ*] dicat Strabo: qui & hoc docet, lectos in præcipuis Asiæ civitatibus inter quas fuisse & Tralles. Sic & Latinus interpres hoc loco *Asiarchas* vocat Asiæ principes. Postquam Christiani facti sunt Imperatores, mansit Sacerdotibus illis provincialibus, sine sacrificiis, honos & insignia vetera: functio autem unica eis mansit ludos edere suo sumptu; unde Asiarchas *munerarios* interpretatur Ruffinus in Polycarpi martyrio apud Eusebium. Horum impendia magna erant nec adstricta legibus ludorum aliorum sumptus ad modum redigentibus L. cunctos. C. Theod. de expensis ludorum. Et ideo patrimoniorum oneribus accensentur L. Nec protostasiæ. C. de muneribus patrimoniorum. & L. 1. Cod. de periculo successionum parentis. Dabaturque de eis excusatio artium professoribus L. si duas. § est autem. D. de Excusat. Tutorum. Est *Asiarcharum* mentio & in marmoribus Arundelianis. ¶ *Μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. ne se daret in theatrum*] Ne populi concitati ira ei noceret.

32. *Ἦν γὰρ ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, erat enim Ecclesia confusa*] *Ἐκκλησία* [*Ecclesia*] hîc קהל *cœtum* quemvis significat, cùm *concio* Latinè non sit nisi à Magistratu secundùm leges convocata multitudo. Plutarchus in Coriolano dixit *ἐκκλησίαν θορυβώδη* [*cœtum tumultuarium*,] & in Phocione *ἐκκλησίαν παμμιγῆ καὶ ἄτακτον* [*turbam miscellaneam & confusam*.]

33. *Ἐκ δὲ τοῦ ὄχλου προεβίβασαν Ἀλέξανδρον, De turba autem detraxerunt Alexandrum*] Subauditur *τινὲς* [*quidam*,] ut Matth. 23. 34. Johan. 16. 17. & alibi. *Προεβίβασαν* [*detraxerunt*,] id est, promoverunt eum extra turbam in eum locum, unde ab omnibus exaudiri posset. ¶ *Προβαλλόντων αὐτὸν τῶν Ἰουδαίων propellentibus eum Judæis*] Judæi eum proponebant tanquam idoneum Pauli accusatorem, ut qui ipsius dogmata nosset omnia, & ab iis descivisset. Videtur enim hic esse Alexander faber ærarius de quo queritur Paulus 1 Timoth. 1. 20. 2 Timoth. 4. 14. Hoc autem modo Judæi volebant odium omne hoc à se amovere, cùm scirent se quoque invisos esse tanquam inimicos deorum. ¶ *Κατασείσας τὴν χεῖρα, manu silentio postulato*] Vide supra 12. 17. & 13. 16. ¶ *Ἤθελεν ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ volebat reddere rationem populo*] Judæorum causam a Pauli causa segregare.

35. *Καταστείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, Et cùm sedâsset scriba turbas*] *Γραμματεὺς* est hic *scriba civitatis*, *ὁ εἰωθὼς ἐν τῷ δήμῳ τὰ τοῦ δήμου γράμματα ἀναγινώσκειν* [*qui scripta populi populo legere solebat*] ait Scholiastes Thucydidis. Apud Romanos, ut ait is qui vitas Imperatorum Latinè scripsit, *scribæ mercenarii* existimabantur: at apud Grajos nemo ad id officium admittebatur, nisi honesto loco & fide & industriâ cognitus. ¶ *Τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον εἶναι τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Deæ Dianæ*] De Enna Cicero, *Ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes Sacerdotes, omnes accolæ atque Antistites Cereris viderentur.* Est *νεωκόρος* vox hoc sensu etiam in Marmoribus Arundelianis, & in nummis sæpe; ut in illo *Μαγνήτων νεωκόρων Ἀρτέμιδος* [*Magnesiorum ædituûm Dianæ*.] In alio, *Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος* [*Ephesiorum bis & item Dianæ ædituûm*.] ubi bis *νεωκόροι* [*æditui*] vocantur Ephesii ob bis editos ludos in honorem Cæsaris, Dianæ autem perpetuos. ¶ *Καὶ τοῦ Διοπετοῦς. & à Jove delapsi*] Nempe *ἀγάλματος* [*simulacri*] Erat id ex vite factum, ut Muciano auctore tradidit Plinius: sed quia fabricatio ejus omnem memoriam excedebat, ideo facilè Sacerdotes plebi persuasêre esse de cœlo delapsum, ut Suidas notat in voce *Διοπετὲς* [*à Jove delapsum*.] Sic de Tauricæ Dianæ simulacro Euripides,

Λαβεῖν τ' ἄγαλμα θεᾶς ὅ φασιν ἐνθάδε
Εἰς τούσδε ναοὺς οὐρανοῦ πεσεῖν ἄπο.
[*Simulque magnæ capere simulacrum deæ*
Quod esse lapsum fama de cœlo refert.]

idem postea vocat *Διοπετὲς ἄγαλμα* [*simulacrum à Jove delapsum*.] Sic & de ancili Plutarchus, *Διοπετοῦς πέλτης* [*ancilis à Jove delapsi*.] Est & apud Herodianum *Διοπετὲς ἄγαλμα* [*simulacrum à Jove delapsum*.] *Jovem* pro *cœlo* dici frequens Græcis. Sic & Horatius, *Sub Jove frigido.*

36. *Ἀναντιῤῥήτων οὖν ὄντων τούτων. Cum ergo his contradici non possit*] Hoc vult. Qui *περὶ τῶν χειροποιήτων* [*de manufactis*] loquuntur, ii nihil lædunt hoc simulacrum quod constat esse non *χειροποίητον* [*manufactum*,] sed *Διοπετὲς* [*à Jove delapsum*.] ¶ *Κατεσταλμένους ὑπάρχειν, sedatos esse*] Bene Latinus *sedatos* vertit. Glossarium *καταστέλλω*, *sedo*, ut supra 35. sic Virgilius,

Olli respondit sedato corde Latinus.

¶ Καὶ

¶ *Καὶ μηδὲν προπετὲς πράσσειν. & nihil temerè agere*] Latinus, *nihil temerè agere:* bene. Sic, *προπετῶς μὴ ὄμνυε*, *temerè ne jura.* L. ſi dicit. D. de jurejurando. In Gloſſario *προπετὴς*, *temerarius.* Plutarchus Camillo, *προπετῶς μάχῃ χρησάμενος*, *cum temerè pugnaſſet.*

37. *Οὔτε ἱεροσύλους, neque ſacrilegos*] Quia ne intraverant quidem Templum. ¶ *Οὔτε βλασφημοῦντας τὴν θεὰν ὑμῶν. neque blaſphemantes Deam veſtram*] Quia Dianam Epheſiam ſpeciatim non nominaverant. Joſephus ſecundo contra Appionem, *Τὰ γὰρ αὐτῶν ἡμῖν φυλάττειν πάτριόν ἐστιν, οὐ τῶν ἀλλοτρίων κατηγορεῖν, καὶ περί γε τοῦ μήτε χλευάζειν, μήτε βλασφημεῖν τοὺς νομιζομένους θεοὺς παρ' ἑτέροις, ἄντικρυς ἡμῖν ὁ νομοθέτης ἀπείρηκεν* [*Eſt enim nobis, noſtra ſervare, non aliena accuſare, patrium: at ridere quidem quos alii Deos putant, iiſve maledicere, id verò expreſſè Legiſlator noſter vetuit.*] Nempe Judæi nominatim non maledicebant huic vel illi Gentium deo, quia nomina ipſa eorum deorum non pronuntiabant. Aliud tamen vult lex, aliud Joſephus Romanis perſuadere conatur, ut diximus 3. de Jure Belli ac Pacis 5. 2.

38. *Πρός τινα λόγον ἔχουσιν, habent adversùs aliquem cauſam*] Nempe *μομφῆς* [*querela.*] Sic, *Ἐάν τις πρός τινα ἔχῃ μομφὴν* [*Si quis adverſus aliquem habet querelam,*] Coloſſ. 3. 13. Sic דבר, quod propriè *λόγον* [*ſermonem*] ſonat, vertitur *ἀντιλογία* [*diſceptatio*] Exodi 18. 16. & *κρίμα* [*judicium*] Exod 18. 22. ¶ *Ἀγοραῖοι ἄγονται, conventus forenſes aguntur*] *Ἀγόραιοι* ſcribendum, ſi Suidam ſequimur & Gloſſarium, ubi legimus, *Cùm lex agitatur, ὅτε ἡ ἀγόραιός ἐστιν,* [*cum faſtus eſt,*] ubi ſubaudiri *ἡμέρα* [*dies*] notavit Caſaubonus. *Sunt,* inquit, *dies quibus lege agitur, quos faſtos Romani vocant.* ¶ *Καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν, & Proconſules ſunt*] Eſt *κατάχρησις* [*Abuſio.*] nam Proconſules cùm dixit, intelligit & eum qui verè Proconſul & Legatum ejus. Sic Magiſtratibus nomina data majora oſtendimus ſupra 13. 7. & 16. 20. de Legato Proconſulis vide L. omnes. §. apud Legatum. L. ſolent. §. Legatos, L. Legati. D. de officio Proconſulis. ¶ *Ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις· accuſent invicem*] *Lege inter ſe agant.* *Ἐγκαλεῖν* propriè de accuſatore dicitur: ſed hic valet *diſceptare*, quomodo & apud Plutarchum ſumitur Alcibiade.

39. *Εἰ δέ τι περὶ ἑτέρων ἐπιζητεῖτε, Si quid autem alterius rei quæritis*] Si quicquam deſideratis eorum, quæ ad civitatis regimen pertinent, ſub quo & templi cura comprehendebatur. Civitates multæ ſub Romanis habebant quandam reſtrictam *αὐτονομίαν* [*libertatem ſuis utendi legibus,*] ut ex Plinii epiſtolis videre eſt. ¶ *Ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ ἐπιλυθήσεται. in legitima Eccleſia poterit abſolvi*] *Ἔννομος ἐκκλησία* [*legitima Eccleſia*] *legitimus cœtus* eſt, qui à magiſtratu civitatis convocatur & regitur: *concio*, ut modò diximus.

40. *Κινδυνεύομεν ἐγκαλεῖσθαι στάσεως, periclitamur argui ſeditionis*] *Periclitamur omnes*, qui hic ſumus *rei fieri ſeditionis* apud Proconſulem P. Suilium. ¶ *Τῆς συστροφῆς ταύτης. concurſus iſtius*] Utitur & Seneca hac voce hoc ſenſu. Sulpitius Victor, *Secundùm legem illam, qui cœtum & concurſum fecerit capite puniatur.* Erant exceptiones quædam, ut in adventu hoſtium, incendio & rebus ſimilibus. Ideo dicit *nullam hujus concurſus cauſam poſſe reddi.* ¶ *Ἀπέλυσε τὴν ἐκκλησίαν. dimiſit Eccleſiam*] Juſſit quemque domum ire.

P R I C Æ U S.

Com. 2. *ΟΙ δὲ εἶπον πρὸς αὐτὸν, ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἔστιν ἠκούσαμεν*] In Trinummo Plautina,

——— *Quem ego qui ſit homo neſcio,*
Neque novi, neque natus néene is fuerit, id ſolide ſcio.

Apud Q. Curtium, *Interrogati quàm procul abeſſet mare, reſponderunt nullum ipſos mare nè famâ quidem accepiſſe.*

Com. 9. *Ὡς δέ τινες ἐσκληρύνοντο*, &c. *κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν*, &c. *ἀποστὰς ἀπ' αὐτῶν ἀφώρισε τοὺς μαθητὰς*, &c.] Sic Luc. 9. 10. de Domino noſtro Joannis Bapt. nece auditâ, *παραλαβὼν αὐτοὺς* (*ἀποστόλους*) *ὑπεχώρησε κατ' ἰδίαν εἰς τόπον ἔρημον*, &c. *Κακολογεῖν τὴν ὁδὸν* heic, ut 2 Pet. 2. 2. *ὁδὸν βλασφημεῖν.* Gloſſ. *Κακολογῶ*, *obtrecto.*

Ibid. *Ἐν τῇ σχολῇ Τυράννου τινός*] Ità dicti forſan, quòd vi eloquentiæ auditores ageret ferrétque. Eunapius de Juliano, *Εἰς τοὺς Λιβανίου χρόνους ἤκμαζε, καὶ ἐτυράννει γε τῶν Ἀθηνῶν.* Idem ubi de ſtatua Sophiſtæ Proæreſio erecta, *Ἡ βασιλεύουσα Ῥώμη τὸν βασιλεύοντα λόγων* id eſt, *τυραννοῦντα.* Imò & in Suidæ loco hic ab eruditis adducto, nos *Τύραννον* appellativum putamus, non proprium nomen. Sic apud Suetonium in de Grammaticis, *Sophiſta Princeps.* Sic nuper Irnerius, Azo, aliique cæteri, *Monarchæ Juris* appellati.

Com. 11. *Δυνάμεις οὐ τὰς τυχούσας*] Sic infrà 28. 2. *οὐ τὴν τυχοῦσαν φιλανθρωπίαν.* Nec tantùm ſic Dionyſius Longinus loquitur, ſed & alii Scriptores Græci. Plutarchus in De lib. educ. *τροφοὺς καὶ τιτθὰς οὐ τὰς τυχούσας* dixit. Herodianus 1. *οὐ τὸν τυχόντα ἀγῶνα.* Idem 3. *οὐχ ὁ τυχὼν ὄλεθρος*, & Clemens ad Corinth. *βλάβην οὐ τυχοῦσαν.* Artemidor. 2. 12. *οὐ τὸν τυχόντα κίνδυνον σημαίνει.* Ibid. cap. 13. *κινδύνους οὐ τοὺς τυχόντας ἐπάγει* & cap. 24. *οὐ τὸν τυχόντα κίνδυνον.* Iterum cap. 26. *ζημίας οὐ τὰς τυχούσας.* Sic libri 1 Præfat. *μετὰ κατασκευῆς οὐ τῆς τυχούσης·* & 3. 20. *οὐ τὰς τυχούσας φροντίδας.* Legimus in Gloſſario, *Ὁ τυχὼν quilibet:* unde è converſo hic Vulgatus, *τὰς οὐ τυχούσας*, *non quaſlibet* vertit.

Com. 13. *Ἀπὸ τῶν περιερχομένων Ἰουδαίων ἐξορκιστῶν*] Gloſſ. Iſidori, *Circitorum*, *circumeuntium.* Artemidorus 3. 20. *Οἱ μάντεις περινοστοῦσι.*

Com. 14. *Ἦσαν δέ τινες υἱοὶ Σκευᾶ*, &c.] Puto ità intelligenda eſſe ac ſi ſcriptum eſſet, *ἦσαν δὲ καί τινες*, &c. neque enim præter hos Scevæ filios, nullos circumforaneos exorciſtas fuiſſe crediderim, ſed in numero ejuſmodi præſtigiatorum etiam hos ſeptem fuiſſe. Pro *τινες* Vetus *τινος* ſenſu non inconcinno quidem, ſed nec neceſſario. *Ἑπτά τινες* hic, ut apud Mileſiarum Scriptorem, *ſeptem quibuſdam teſtibus.* Sic infrà 23. 23. & in Euang. 7. 18. *δύο τινάς.*

Com. 15. *Ὑμεῖς δὲ τίνες ἐστέ;*] Sirachides 13. 29. *Πτωχὸς ἐλάλησε, καὶ εἶπαν, τίς οὗτος;*

Com. 16. *Ὥστε γυμνοὺς καὶ τετραυματισμένους ἐκφυγεῖν*] 2 Maccab. 11. 12. *Οἱ πλείονες αὐτῶν τραυματίαι γυμνοὶ διεσώθησαν.*

Com. 18. *Ἐξομολογούμενοι*, &c. *τὰς πράξεις αὐτῶν*] Sic Simplicius *τὰ ἑαυτῶν κακὰ ἐξαγορεύειν* in cap 48. Epicteti dixit.

Com. 19. *Ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, συνενέγκαντες τὰς βίβλους, κατέκαιον ἐνώπιον πάντων*] Notentur voces poſtremæ *κατέκαιον ἐνώπιον πάντων.* In l. ult. Cod. Theod. De Malef. Mathem. *Codicibus erroris proprii ſub oculis omnium incendio concrematis.* Ammianus lib. 29. *Deinde congeſti innumeri codices, acervi voluminum multi ſub conſpectu Judicum concremati ſunt, ex domibus eruti variis, ut illiciti, ad leniendam cæſorum invidiam.* Qui loci apud Suetonium in Caligula nil mutandum evincunt: quod pluribus fruſtrà contendit Vir maximæ eruditionis, Semeſtrium 3. 23. Obiter hic ſtabiliatur etiam communis lectio legis 4. §. 1. Famil. hercilc. *Tantundem* (inquit Ulpianus) *debebit facere & in libris improbatæ lectionis, magicis forte, vel his ſimilibus: hæc enim omnia protinus corrumpenda ſunt.* Ramireſius Pentecontarchi cap. 36. *comburenda* maluit: at maneat illud *corrumpenda*, nimirum *igni.* Vide l. Neratius, de ſer. corupt. l. 13. de ſervit. & l. 30. de fideicom. Etiam verba ea, *magicis forte, vel his ſimilibus*, expendenda cenſuerim: nimirum, an à Juriſconſulti ipſius, an verò interpolatoris manu.

Ibid. *Συνεψήφισαν*, &c.] Bene Latinus, *computatis pretiis*, Gloſſarium, *Συμψηφίζω*, *computo.*

Com. 20. *Κατὰ κράτος ηὔξανε*] Sic 1. 80. in Euang. *ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο* & Coloſſ. 1. 11. poſt *αὐξανόμενοι*, ſequitur, *κατὰ κράτος δυναμούμενοι.* Heſychius, *Κατὰ κράτος*, *ἰσχυρῶς*, *τελείως.* Hinc Plutarcho in Apophtegm. Lacon. *κατὰ κράτος φίλος.* Suidas, *Κατὰ κράτος*, *κατὰ πολλὴν ἐξουσίαν*,

Com. 23. *Τάραχος οὐκ ὀλίγος*] Ut ſuprà 12. 18.

Com. 24. *Ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος*] Beza *ναοὺς ἀργυροῦς* expoſuit *nummos*, à Templi quam exhibebant figura nominatos. Meliùs alii *thecas* in templorum ſpeciem effigiatas, in quibus Dianæ icunculæ reponebantur. Dion, ubi de ſignis Romanis, *Ὁ ἀετὸς ὠνομασμένος, ἔστι δὲ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται.* & Herodotus jam ſtatim adducendus. Scriptor Sapientiæ *οἴκημα* dixit. *Καὶ ποιήσας αὐτῷ* (*εἰδώλῳ*) *ἄξιον οἴκημα, ἐν τοίχῳ ἔθηκεν αὐτό.* Hinc Latinis *ædicula.* Petronius, *Præterea grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant Lares argentei* Juvenalis,

——*Si quod ſpectabile ſignum,*
Si quis in ædicula Deus unicus.———

Tertullianus in de Idolol. *Si aram, ſi templum, ſi ædiculam ejus inſtruxeris,* Minuc. Octavio, *Et cùm homo laxiùs maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majeſtatis includam?* Apuleius 3. *In ipſo ferè meditullio, Hippona Deæ ſimulacrum reſidens ædiculæ:* ubi malè Vir ſummus Lipſius *ſedicula* reponebat. Arnobius. ſuprà ad cap. 17. adductus, *tuguriola, cellulas, conclavia* hoc argumento dixit. *Ἀργυροῦς* heic *διακριτικῶς*

ſume:

fame: fiebant enim etiam è ligno nonnunquam nugamenta ista. Herodotus, *Τὸ δὲ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξύλινον καταπεχρυσωμένον προσκυνέουσι.* Talis forsan & Hipponæ effigies, non inaurata tamen. In Græco Esaiæ 44. *οἰκίσκον κέδρους.*

Com 25. *Οὓς συναθροίσας, καὶ τοὺς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐργάτας,* &c.] id est, *ὁμοτέχνους,* vel *συντεχνίτας.* Confer quæ de zelotis Judæis suprà 17. 5. Non dubito autem veriorem hujus loci lectionem esse quæ in vetusto Bezæ exemplari erat, *Οὗτος συναθροίσας τοὺς τ. τ. τ. ἐργάτας.* Sic *οὗτος* post nomen proprium, Matth. 27. 58. Joh. 1. 6. & 3. 2. suprà heic 18. 25. & alibi.

Ibid. *Ἄνδρες*] Idem antiquus codex, *Ἄνδρες συντεχνῖται.* ut plenius, ità & forsan rectius quàm vulgati libri. Sic sæpius, cum adjuncto, *ἄνδρες,* in sermonis exordio. Vide suprà 1. 11. & 2. 14, 22, 29, 37. & 3. 12. & 5. 35. & 7. 2. & 13. 16, 26. & 15 7, 13. & 17. 22. & 21. 28. & 22. 21. & 23. 1. & 28. 17. & infra hoc ipso cap. com. 35.

Ibid. *Ἐπίστασθε ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐστι*] Quæ certè valde periclitabitur, nisi obsisterimus nebuloni isti, qui manu factos Deos non Deos prædicat. Apud Aristophanem, ubi in Senatulo fœminarum Euripides reus agitur, inter alias accusatrices ejus quædam procacior & petulantior surgit, cumque quàm contentè potest his dictis onerat. Hucusque (à morte mariti mei) coronis Deorum texendis meipsam cum quinque parvulis vix ægre alui:

> *Νῦν δ' οὗτος ἐν ταῖσι τραγῳδίαις ποιῶν*
> *Τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς·*
> *Ὥστ' οὐκέτ' ἐμπολῶμεν οὐδ' εἰς ἥμισυ.*

Simillimo hic scrupulo Demetrius vellicatur; quod illa detrimentum passa est, hic ne patiatur timet. Scitis, ô socii, inquit, hoc quæstu non victum tantùm suppetere nobis, sed & vitam nostram abundanter instrui: procul dubio vel omnis, vel magnam partem hic proventus evanescet, si exitialem doctrinam illam latiùs evagari patimur. Ergò pro lucro (quod Dea nobis) pugnemus fortiter. Ecce quàm verum quod olim Epictetus, *Ὅπου τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές.* Vide Jobi 1. 9 & supra 16. 19, 20, 21.

Com. 26. *Καὶ θεωρεῖτε,* &c.] Simile Joh. 12. 19. vide. Virgilius,

> *Anna, vides toto properari littore circum:*

ubi Servius, *Quasi diceret, ipsa tibi crede: & est major vis affirmantis cum dicit, Vides.* Confer quod infra 21. 20. Sic 1 Cor. 1. 26 *βλέπετε* & Hebr. 3. 19. *βλέπομεν.*

Com 27. *Οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἰς οὐδὲν λογισθῆναι, μέλλειν τε καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς*] Sub obtentu Dianæ numinis vellicatur lucro: aptè sanè, & ut *νομίζοντα πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν* decebat. Frequens secutis seculis fuit querela ista, invidiæ in Christiani nominis cultores concitandæ. Arnob. *Aruspices has fabulas, conjectores, arioli, vates, & nunquam non vani concinnavere fanatici: qui ne suæ artes intereant,* (qui metus hic Demetrium agitabat) *ac ne stipes exiguas consultoribus jam raris excutiant, &c. Negliguntur Dii, clamitant: atque in Templis jam raritas summa est. Jacent antiquæ derisui ceremoniæ, & sacrorum quorundam veterrimi ritus religionum novarum superstitionibus occiderunt.* Jupiter de Epicuro apud Lucianum, *Καὶ ὁ κίνδυνος* (nota vocem hic à Luca positam) *οὐκ εὐκαταφρόνητος, εἰ ταῦτα ἄνθρωποι πιστεύσουσιν αὐτῷ,* (Deorum nempe terras non regi providentiâ) *ἀλλ' ἀστεφάνωτοι μετὰ ἡμῖν οἱ ναοὶ ἔσονται, ἀκνίσωτοι δὲ αἱ ἀγυιαί, ἄσπονδοι δὲ οἱ κρατῆρες, ψυχροὶ δὲ οἱ βωμοί,* in Bis accus. Eandem Ejusdem querelam ibidem etiam in Icaromenippo habemus. Apuleius de Psyches formositate lib. 4. *Sacra Deæ* (Veneris) *deseruntur, templa deformantur, pulvinaria proteruntur, ceremoniæ negliguntur, & aræ viduæ frigido cinere fœdatæ.* In quibus omnibus locis videas clariùs & distinctiùs expressum, quod Lucas breviter dixit, *τὴν μεγαλειότητα καθαιρεῖσθαι.* *Μέρος* hic non malè accipias pro *κλῆρος.* Philo lib Quod deter. insid. pot. *Ζωγράφοις ζωγραφία, καὶ συνόλως τέχνη τῷ τεχνίτῃ λέγεται κλῆρος.* *Μεγαλειότης* bene à Veteri redditur *majestas.* Apuleius 11. *Cum tota Numinis sui majestate.* Justinus lib. 8. *Quod nihil sine majestate Numinis ejus, &c. gesserant.* *ἡμῶν* pro *ἡμῖν* legendum Vir maximus insinuavit nobis.

Ibid. *Ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται*] Pausanias Messeniacis, *Ἐφεσίαν Ἄρτεμιν πόλεις τε νομίζουσιν αἱ πᾶσαι, καὶ ἄνδρες ἰδίᾳ θεῶν μάλιστα ἄγουσιν ἐν τιμῇ,* cum seqq. Apuleius lib. 11. de eadem ista, *Cujus numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis.*

Com. 28. *Ἔκραζον, λέγοντες, Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων*] Aristides *ἱερ. λόγ.* 2. *Ἐβόων δέ,* &c. *Μέγας ὁ Ἀσκληπιός.* Bacchæ de Libero Patre apud Euripidem, *Θεὸς Φαίνη μέγας*

Com. 29. *Καὶ ἐπλήσθη ἡ πόλις ὅλη συγχύσεως*] A concitatione unius profligati nebulonis. Menander,

> *Τὸ πιθανὸν ἰσχὺν τῆς ἀληθείας ἔχει*
> *Ἐνίοτε μείζω, καὶ πιθανωτέραν ὄχλῳ.*

Vide suprà 17. 8. infrà 21. 27. Apud Quintilianum in Declamationibus ille, *Fallitur quisquis ullum facinus in rebus humanis publicum putat: persuadentium vires sunt quicquid civitas facit: & quodcunque facit populus, secundum quod exasperatur, irascitur.*

Ibid. *Ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον*] *Θέατρον theatrum* interpretari malim quàm metonymicè *turbam.* Posidonius 5. Athenæi, *Συλλαλήσαντες αὐτοῖς οἱ ὄχλοι, καὶ συνδραμόντες εἰς τὸ θέατρον, εἵλοντο τὸν Ἀθηνίωνα στρατηγὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων.* Apud Eunapium in Ædesio, *Ὁ δῆμος,* &c. *εἰς τὸ θέατρον συνῄεσαν.* Idem de Proæresio, postquam defensionem peregisset suam, *Ὁ δὲ ἀνθύπατος, καὶ δορυφόρων μετὰ πάντων ἡ τῶν δυνάμεων, ἐκ τοῦ θεάτρου παρέπεμψε.* Cornel. Nepos de Timoleone, *Veniebat in theatrum, cum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis junctis.* Apuleius 3. *Cuncti consonâ voce flagitant, propter cœtus multitudinem, quæ pressura nimiâ densitate periclitaretur, judicium tantum theatro redderetur.* Tacitus Histor. 2. de Vespasiano, *Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes, & in adulationem effusos alloquitur.* *Ὥρμησαν* hic Vulgato *impetum fecerunt,* Ita in Glossario, *Ὁρμῶ, impetum facio,* &c.

Ibid. *Συνεκδήμους τοῦ Παύλου*] Vetus, *comitibus Pauli,* Latinè, eruditè Recentior, *socios peregrinationis:* non enim (inquit) quisquis est *comes,* idem etiam *συνέκδημος* est. Verum hoc: at cum quisquis *συνέκδημος* est, rectè *comes* dicatur, quid opus hic sincerum vas incrustare? Maneat per me itaque antiqua interpretatio. Apuleianus ille de *συνοδοιπόρῳ,* vel *συνεκδήμῳ* suo, *Ecce janitor fidelissime, comes & pater meus, & frater meus, quem nocte ebrius occisum à me calumniabaris.* Glossarium vetus, *Συνέκδημος, comes.* Utuntur & Paulus hâc voce 2 Cor. 8. 19. Plutarchus, & Diodorus Siculus in Excerptis.

Com. 32. *Ἄλλοι μὲν οὖν ἄλλο τι ἔκραζον*] Infrà 21. 34. *Ἄλλοι ἄλλο ἐβόων.*

> *——— Undique clamor.*
> *Dissensu vario magnas tendebat in auras.*

Apud D. Cassium, *Διαιρεῖται καὶ περισπᾶται ὁ δῆμος καὶ οἱ μὲν ταῦτα, οἱ δὲ ἐκεῖνα προαιρούμενοι.* Themistius 12. Orat. *Εἷς οὐδεὶς τῷ τέλει τὰ αὐτὰ ὑπείληφεν, ἀλλ' ὁ μὲν τοδί, ὁ δὲ τοδί.* Plinius lib. 2. Epist. 20. *Non tempus loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur: magni undique dissonique clamores.* Bene Quintilianus, *Nulli cum coimus, sua cogitatio, sua mens, aut ulla ratio præsto est: aut habet ulla turba prudentiam singulorum.*

Com. 35. *Καταστείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον,* &c.] Apuleius 11. *Tunc unus ex his, quem cuncti γραμματέα dicebant, &c.* Et bene Interpres vetus, *cum sedasset turbam.* Idem Apul. 6. *Tunc unus, omnium sedato tumultu, placido sermone sic orsus est.* Salustius, Jugurth. *Sedare metus, animos eorum mollire.* Gloss. *Sedavit, κατέστειλεν.* In alio Glossario, *Καταστέλλω, Sedo.* Suidas, *Καταστείλας, ἀντὶ τοῦ κατασιγάσας.* *Ὁ δὲ τῇ χειρὶ καταστείλας τὸν θόρυβον αὐτῶν,* &c. Heliodorus, *Τὸ κλυδώνιον τοῦ δήμου κατέστειλε.*

Ibid. *Τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν:* &c.] Quasi diceret, *nemo planè:* sic. 12. 7. ad Hebræos Scriptor, *Τίς γάρ ἐστιν υἱὸς ὃν οὐ παιδεύει ὁ πατήρ;* Aristophanes Pluto, *Τίς ἄν,* &c. ubi Scholiastes, *Ἐπιμερτικὸν ἐστι σχῆμα, δι' ἐρωτήσεως ἀναντιρρήτως βεβαιούμενον. ἐν ᾧ τὸ ΤΙΣ ταυτόν ἐστι τῷ ΟΥΔΕΙΣ.* Talia illa,

> *Quis genus Æacidum? quis Trojæ nesciat urbem?*

Et illa,

> *——— Quis aut Eurysthea durum?*
> *Aut illaudati nescit Busiridis aras?*

Hesychius, *Τίς γάρ; τίς δή;*

Ibid.

Ibid. Καὶ τοῦ Διοπετοῦς Subaudiendum ἀγάλματος. Herodianus, Τὸ ἄγαλμα διοπετὲς, ὡς λέγουσιν. Plutarchus in Parall. Διοπετὲς Παλλάδιον. Cicero de Ennensis Cereris simulacro, *Erat tale, ut homines aut ipsam videre se Cererem, aut effigiem Cereris non humanâ manu factam, sed cœlo de lapsam arbitrarentur.* Virgil. 2. Æn.

Corripiunt sacram effigiem ———

ubi Servius, *Quasi cœlo lapsam.* Idem 4. Eclogâ,

Jam nova progenies cœlo dimittitur alto.

Servius, *Ut videantur homines non ex mortalibus nati, sed ex Numinibus, & quasi cœlo lapsi.* Vide & Apocal. 21. 10.

Com. 36. Δέον ἐστὶν ὑμᾶς κατεσταλμένους ὑπάρχειν]

——— *Motos componere fluctus,*

Sic apud Gregorium Nyssenum Orat. 3. in ultimum Christi adventum; κατεσταλμένη ἡσυχία.

Ibid. Καὶ μηδὲν προπετὲς πράττειν] Lucianus Piscat. Ὑμεῖς δὲ βίαιον οὐδὲν τολμήσητε Vide suprà 5. 35. & quæ ibi notata. Congruè autem tumultus comprimitur hic à Scriba. Poscebat ratio muneris ejus, (apud Græcos honesti, & inter magistratuum nomina non immeritò censendi) ut calidis incompositæ multitudinis postulatis aliquatenus adversaretur. Demosthenes 3. contra Aristogeit. Δεῖ τὸν πολιτευόμενον ὑπὲρ ἡμῶν, οὐχὶ ταῖς ἐξαίφνης μετ' ὀργῆς πάθεσιν ὑμῶν συμπίπτουσιν ἐπακολουθεῖν, ἀλλὰ τοῖς λογισμοῖς, καὶ τοῖς ὑπάρχουσι καιροῖς· τὰ μὲν γὰρ ταχὺ μεταπίπτειν εἴωθεν, τὰ δὲ διαμένειν. Adde Arriani locum ad Matth. 27. 23. citatum.

Com. 38. Πρός τινα λόγον ἔχουσιν] Id est, πρός τινα τὶ ἔχουσι. Cicero Famil. 13. 53. *Si quid habebit cum aliquo controversiæ.* Sic infrà 24. 19. εἴ τι ἔχοιεν πρός με. vel (quod eodem cadit) πρός τινα πρᾶγμα ἔχει. Sic 1 Cor. 6. 1. πρᾶγμα πρὸς τὸν ἕτερον ἔχων quod pòst, com. 7. κρίμα. Exodi. 24. 14. κρίσις vertitur.

Ibid. Ἀγόραιοι ἄγονται, καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν] Simillimè Horatius,

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est
Judiciumque ———

Et apud Quintilianum Declam. 13. *Damnum accepisti? erat lex, forum: nisi si vos jure vindicari pudet.* Quæ cùm in sermone citarem Amplissimo Bignonino, adjecit pro divini ingenii sui acumine (quod nil tantum, nil tantulum fugit) videri hunc modum loquendi proverbialem fuisse: ut & hodie inter suos dicitur, *en France il y a bonne Justice.* Ex his locis porrò, & verbo ἄγονται, (quod de hominibus sine ullo more, sine exemplo diceretur,) apparet quantum lapsus fuerit qui voce ἀγόραιοι, vel Judices vel Causidicos voluit intelligi. Idem & Veterem notat, qui ἀγοραίως *conventus forenses* vertebat. At Vetus forsan χρόνους vel καιροὺς subaudit. Virgil.

Indicitque forum. ———

Ubi Servius, *Tempus & locum agendorum negotiorum definit, qui Conventus vocatur.* Sic in 5. eadem. Instit. *Quibus ex caus. manum. non lic.* Theophilus *conventum* definit ῥητὸν χρόνον πρὸς δικῶν διάλυσιν ἐπιτεινομένον, ἐν ᾧ οἱ τε δικασταὶ καὶ οἱ δικαζόμενοι συνίεσαν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις. Strabo lib. 13. de Romanis, Ἀλλ' ἕτερον τρόπον διέταξαν τὰς διοικήσεις, ἐν αἷς τὰς ἀγοραίας ποιοῦνται, καὶ τὰς δικαιοδοσίας quanquam hi non de temporibus, sed diebus quibus lege agebatur: de quibus & Glossarii locus est, non semel ab Eruditis prolatus.

Ibid. Ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις] *Neque enim singulis concedendum est quod per magistratum publicè fieri possit, ne occasio sit majoris tumultûs faciendi.* l. 176. de reg. jur. Et in l. nulli. Cod. de Judæis, *Idcirco judiciorum vigor, jurisque publici tutela in medio constituta videtur, ne quisquam sibi ipse permittere ultionem valeat.* Quintilianus jam dicto loco, *Nos ideo magistratus legesque à majoribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris judex sit: & assidua scelerum causa se refellant, si ultio crimen imitabitur.* Apud Hesiodum est,

——— Διακρινώμεθα νεῖκος
Ἰθείῃσι δίκαις, αἵ τ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται.

Adde Apuleii locum jam statim allegandum.

Com. 39. Ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ] Ἔννομος (quæ & νόμιμος & κυρία) ἐκκλησία? opponitur (ut rectè hic Recentior monuit) non συστάσει tantùm, sed & συγκλήτῳ. Vide Scholiasten Aristophanis ad Acharn. Apud Lucianum in Deorum concil. Ἐκκλησίας ἐννόμου ἀγομένης, &c.

Com. 40. Καὶ γὰρ κινδυνεύομεν ἐγκαλεῖσθαι στάσεως περὶ τῆς σήμερον] Apuleius 10. *Magistratus interim metu periculi proprii, ne de parvis indignationis elementis ad exitium disciplinæ civitatisque seditio procederet, partim decuriones deprecari, partim populares compescere, ut rite & more majorum judicio reddito, & utrinque secus allegationibus examinatis, civiliter sententia promereretur; nec ad instar Barbaricæ feritatis vel tyrannicæ impotentiæ, damnaretur aliquis inauditus.* Similem & infrà 23. 10. providentiam vide.

Ibid. Τῆς συστροφῆς ταύτης] *Concursus.* Horat.

——— *Fit clamor utrinque,*
Undique concursus ———

Sic infrà 23. 12. συστροφὴν ποιήσαντες. Hesychius, Συστραφέντες, συνελθόντες. In Excerptis Diod. Siculi, Ἐξεχέοντο κατὰ συστροφὰς ἐπὶ τὴν χώραν.

Ibid. Ταῦτα εἰπὼν, ἀπέλυσε τὴν ἐκκλησίαν] Josephus Antiquit. 16. 5. de Agrippa, Ταῦτα εἰπὼν, διέλυσε τὸν σύλλογον. Achilles Tatius lib. 8. Ἐπὶ τούτοις διελύθη τὸ δικαστήριον Diodorus Siculus lib. 17. Τὸ συνέδριον διαλύσας. Plutarchus in Phocione, Διαλύσαντες τὴν ἐκκλησίαν.

CAP. XX.

VALLA.

5. *Hi cùm præcessissent, sustinebant nos Troade*] Quid vidit Interpres ut diceret potiùs *sustinebant* quam *exspectabant*; aut Græcum verbum, quod Latinum quoque est, conservaret, *manebant*, ἔμενον; Nam nos quoque *manere* pro *exspectare* accipimus, ut paulò pòst idem fecit illic; *Quoniam vincula me & tribulationes manent*, μένουσι, v. 23.

7. *In una autem Sabbati cum venissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum*] Gr. *Unâ Sabbatorum*, σαββάτων &, *cum convenissent discipuli*, συνηγμένων μαθητῶν. &, *disserebat*, διελέγετο. Non enim disputabat Paulus cum suis, cum quibus volebat panem frangere: neque enim dicitur *cum eis*, sed *eis*; i. dativus est casus Græcè, non ablativus cum præpositione, αὐτοῖς. Nec dicitur eleganter *in crastinum* de die qui non sequitur hodiernum, sed *postero die*, sive *postridie*.

16. *Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum*] Aliqui possent accipere quòd *Paulus proposuisset transire mare ut iret Ephesum*: atqui non ità est. Ergò ut Latinius ità clarius fuisset, *Proposuerat prætervehi Ephesum.*

29. *Lupi rapaces in vos*] Non est Græcè *rapaces*, sed *graves*, scilicet *graves in vos*, βαρεῖς.

35. *Beatius est magis dare quam accipere*] Et ratio jubet & veritas Græca probat dicendum esse *Beatum*, non *Beatius*, aut *Beatius* sine *magis*, μακάριον.

ERASMUS.

1. *Et exhortatus eos valedixit*] Græca dissonant à Latinis, προσκαλεσάμενος ὁ Παῦλος τοὺς μαθητὰς καὶ ἀσπασάμενος, ἐξῆλθε, *Paulus ad se vocatis discipulis, & complexus eos, exivit.* Interpres legisse videtur παρακαλεσάμενος pro προσκαλεσάμενος: atque id sanè mihi magis probatur.

4. *Comitatus est autem eum Sosipater Pyrrhi Berœensis*] *Pyrrhi* Græcis non additur. Sed ut hoc deest, ità supersunt hæc, *usque ad Asiam*, quæ apud Latinos non invenio: συνείπετο δὲ αὐτῷ ἄχρι τῆς Ἀσίας Σώπατρος Βεῤῥοιαῖος, *Consecutus est autem illum usque ad Asiam Sopater Berrhœensis.* Nam & *Sopater* habent Græci, non *Sosipater*. Beda subindicat in vetustis exempl. Latinis scriptum fuisse *Sosipater Pyrrhi*, quasi pater fuerit notior filio.

5. *Sustinuerunt nos*] Ἔμενον ἡμᾶς *exspectarunt nos*, sive, ut ad verbum, *manebant nos.*

7. *Unâ Sabbati*] Σαββάτων, i. *uno die Sabbatorum.* *Unâ* dictum apparet pro *primâ*. ¶ *Paulus disputabat cum iis*] Διελέγετο αὐτοῖς *disserebat illis*, sive *collocutus est cum illis.* Nec enim disceptabat cum eis qui venerant ad frangendum panem,

nem, verùm illic apud eos orationem habuit Paulus. Nam quod συνηγμένων τῶν μαθητῶν, i. *congregatis discipulis*, vertit, *cum convenissent*, tolerabile est. ¶ *Profecturus in crastinum*] Μέλλων ἐξιέναι τῇ ἐπαύριον *profecturus*, sive *discessurus*, *postridie*. Nam *crastinum diem* dicimus qui proximè sequitur hunc in quo jam loquimur. Porrò quoties ad præteritum aut futurum aliquem diem respicitur, non dicendum est *heri* aut *cras*, sed *pridie* aut *postridie*.

9. *Cum mergeretur somno*] Καταφερόμενος, *cùm deorsum traheretur*: id quod accidit ei qui sedens graviùs obdormiscat. Neque tamen hic est *somno gravi*, sed βαθεῖ, *alto*, sive *profundo*. Interpres legisse videtur βαρεῖ ¶ *Disputante Paulo*] Et hic malim *differente*; nè quis imaginetur inter illos purè Christianos disputationem fuisse Sophisticam. ¶ *Ductus somno cecidit*] Κατενεχθεὶς *deorsum tractus*, sive *depressus*, aut *devectus*. Et fortasse *devectus* scripserat Interpres. Cæterùm illud ἐπὶ πλεῖον, quod Interpres retulit ad superiora, Græcis sic est in meditullio positum ut utróvis possit accommodari, ad *diutiùs disserentem Paulum*, & ad *magis* etiam *depressum somno*. Ac meâ sententiâ, ad sequentem particulam referre satius est. Primùm enim nutabat deorsum vergente corpore, deinde magis depressus cecidit. ¶ *De tertio cœnaculo*] Ἀπὸ τοῦ τριστέγου. Verti poterat & *à tertia contignatione*. Id enim adjecit Lucas ut intelligeremus lapsum fuisse letalem, nimirum ex loco tam alto. Vox dicta est à τρὶς *ter* & τέγος *tectum*. Deum immortalem! quas nænias adducit autor Catholicón de hac voce *Tristegum*! O miserum illud seculum, cùm ex hujusmodi libris velut ex adytis petebantur oracula literarum! Cæterùm solum primæ contignationis tectum est infimæ partis ædium; rursum secundæ solum tectum est primæ; item tertiæ solum tectum est secundæ.

12. *Et consolati sunt non minimè*] Οὐ μετρίως *non mediocriter*. Quod equidem demiror cur Interpres putarit immutandum.

13. *Navigavimus in Asson*] Nonnulli cod. *Thasson* habebant pro *Asson*. Est enim & Thassus insula Thraciæ opposita, de qua natum est proverbium, Θάσσος ἀγαθῶν *Thassus bonorum*. Cæterùm complures sunt urbes hujus nominis *Assos*: una Lyciæ, in prærupto sita; altera in Æolide; tertia in Mysia; quarta in Lydia; quinta in Epiro minore, Cleanthis patria. D. Hieronymus hanc ponit in Asia, quæ eadem dicta sit *Apollonia*, suffragante & Plinio l. 5. c. 30. Cæterùm facit nobis liberum utrùm malimus Asson insulam esse an civitatem. ¶ *Ipse per terram iter facturus*] Οὕτω γὰρ ἦν διατεταγμένος, μέλλων αὐτὸς πεζεύειν, *sic enim ordinaverat*, *ipse pedestri itinere venturus*, sive *pedibus iter facturus*. Interpres vitasse videtur nè quis Paulum existimaret non equis aut vehiculis, sed pedibus eo venisse. Atqui hoc ipsum accedebat ad Pauli gloriam, quòd mallet iter laboriosius, modò majore cum fructu.

14, 15. *Mitylene* civitas est littoralis Lesbi obvia ad dextram navigantibus in Chium insulam. *Samos* insula è regione Cariæ. *Miletum* oppidum est littoralis Cariæ. ¶ *Et sequenti die venimus contra Chium*] Hoc loco Græca dissident ab iis quæ nos legimus, τῇ ἐπιούσῃ κατηντήσαμεν ἀντικρὺ Χίου τῇ δὲ ἑτέρᾳ παρεβάλομεν εἰς Σάμον καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, τῇ ἐχομένῃ ἤλθομεν εἰς Μίλητον, *Postridie devenimus contra Chium: altera vero die appulimus Samum; & commorati Trogylli, proximo die venimus in Miletum*. Cæterùm *Trogyllium* promontorium est è regione Sami, autore Ptolemæo & Strabone, tametsi sunt ejusdem nominis alia.

16. *Transnavigare Ephesum*] Παραπλεῦσαι τὴν Ἔφεσον, *præternavigare*, sive *prætervehi*. Quid enim est omnino *transnavigare* civitatem, nisi navis feratur in nubibus? Ephesus autem civitas littoralis prior occurrebat quàm Trogyllium. ¶ *Nè qua mora illi fieret*] Μὴ γένοιτο αὐτῷ χρονοτριβῆσαι, *nè contingeret sibi terere tempus in Asia*. Interpres elegantiùs reddidit quam veriùs. Neque enim Paulus timebat quamlibet moram, sed longiorem metuebat, nimirum properans Hierosolymam.

17. *Majores natu*] Πρεσβυτέρους, quos nunc *seniores* vocat, nunc *Presbyteros* Græcâ voce, nunc *majores natu*: cùm hoc loco magis quadraret Græca vox, honorem indicans potiùs quàm ætatem. Quandoquidem hic Episcopos intelligit & primores Ecclesiarum, qui nonnunquam juvenes erant, quemadmodum Timotheus.

19. *Cum omni humilitate*] Ταπεινοφροσύνης, quæ est *animi modestia nihil altum de se sentientis*. O vocem dignam verè magno Pontifice!

20. *Ut nihil subtraxerim vobis*] Nunc videtur id dicere, Se nihil subtraxisse ab illis bonarum rerum, h. e. in nullo fraudasse illos; cùm contrà sentiat Paulus, Se nihil detrectasse neque periculi neque laboris, qui modò ad illorum pertineret utilitatem. Ac paulò pòst idem verbum transtulit *subterfugi*, *Non enim subterfugi*, &c. ¶ *Publice & per domos*] Δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους *publicitus ac domesticè*, sive *per singulas domos*: quod respondere videtur ei quod Latini dicunt *privatim*. Hieronymus in præfat. Comment. in Epist. ad Ephesios vertit *publicè ac domesticè*.

23. *Vincula & tribulationes me manent*] Μένουσι. Idem est verbum quod aliquantò superiùs vertit *sustinent*.

24. *Nihil horum vereor*] Ἀλλ' οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι, *nihil curo*, sive *nihil me movet*. Quomodo non verebatur cùm sciret ventura? sed contemnebat. ¶ *Nec facio animam pretiosiorem quàm me*] Quid movit Interpretem ut neque sensum suum exprimeret neque verba redderet Lucæ? οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, *neque habeo* (sive *duco*) *vitam pretiosam mihi ipsi*. August. in Psal. 36. legit, *non facio animam meam pretiosam mihi*. Lyranus interp. *animam intellectivam*: at Paulus sentit *se contemnere vitam amore Evangelii*. ¶ *Dummodo consummem cursum meum*] Gr. addit μετὰ χαρᾶς *cum gaudio*.

27. *Omne consilium Dei*] Mirum quid secutus Irenæus pro *consilio Dei* legit *sententiam*: nam Græcè est βουλὴν, non γνώμην.

28. *Regere ecclesiam Dei*] Ποιμαίνειν, quod est *pastorum more gubernare & curare gregem*: nam mox mentionem facit *luporum*.

29. *Lupi rapaces*] Βαρεῖς *graves*, non *rapaces*. Suffragabatur unus codex Donatiani. Nec aliter refert hunc locum Irenæus l. 3. c. 14.

30. *Viri loquentes perversa*] Διεστραμμένα *distorta & obliqua*, h. e. minimè simplicia minimeque sincera. Nam *veritatis*, ut ait Tragicus, *simplex est oratio*.

31. *Non cessavi monens*] Et hic participium vertendum erat in verbum infinitum, *non cessaverim monere*.

32. *Qui potens est*] *Quod* erat potiùs quàm *qui*, cùm referat *verbum*. Cæterùm quia *verbum* Græcis est m. generis, id nimirum fefellit Interpretem. Nec est simpliciter *ædificare*, sed ἐποικοδομῆσαι *superstruere*, videlicet his fundamentis quæ jecerat Paulus.

35. *Oportet suscipere infirmos*] Ἀντιλαμβάνεσθαι, quod est propriè *porrectâ manu retinere lapsurum aliquo, aut abiturum*. Paulus nè ullius omnino jacturam faceret, cavebat nè quam ansam præberet infirmis & alienandis à Christo, quòd nollent gravari sumptu. Utinam hoc exemplo delectentur qui dum decimas tam non sacerdotaliter exigunt à populo, sui officii prorsus obliviscuntur; non quòd negem illas deberi, sed quòd cæteri Apostoli oblata duntaxat acceperint, Paulus nè oblata quidem, cùm *unus plus omnibus laborarit*.

36. *Beatius est dare magis quam accipere*] Neque Latinitatis ratio patiebatur comparativum, neque sermo Græcus habebat. Mirum itaque quid Interpreti venerit in mentem. Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν, i. *Beatum est dare magis quam accipere*. Cæterùm hoc testimonium negant usquam inveniri dictum à Domino. Utinam autem hunc animum Pauli tam excelsum & ab omni specie quæstûs abhorrentem imitarentur nostri temporis concionatores. Fuit aliquis qui sibi in omnem vitam interdixit esum carnium; inveniuntur qui imitentur: Fuit qui semper nudis incesserit pedibus; habet imitatores: Fuit qui fune se cinxerit; non desunt qui studiosè æmulentur: Fuit qui semper pullatus incesserit; reperit æmulatores: Solum hoc pulcherrimum exemplum Pauli non habet æmulos.

VATABLUS.

1. EXhortatus eos valedixit, & profectus] *Complexus eos, profectus*.

3. *Habuitque consilium*] Vel *habebántque in animo*.

4. *Eum**] * *Usque in Asiam*. ¶ *Sosipater*] *Sopater*, Vet. ¶ *Pyrrhi*] Quædam exemplaria Græca non legunt hoc loco, *Pyrrhi*, sub. *filius*. ¶ *Beroensis*] *Berrhœensis*.

5. *Sustinuerunt*] *Exspectaverunt*.

7. *Unâ autem Sabbati*] *Die Sabbatorum*: *unâ*, i. primâ, Heb. ¶ *Venissemus*] *Convenissemus*, Vet. Græcè legitur, *cùm convenissent discipuli*. ¶ *Disputabat*] *Disserebat*, vel *collocutus est cum illis*, aut *orationem habuit apud illos*, Vet. ¶ *In crastinum*] *Postridie*.

8. *Eramus*] *Erant*.

9. *Mergeretur*] *Deorsum traheretur*. ¶ *Gravi*] Vel *profundo*: sic quædam exempl. Græca. ¶ *Disputante*] *Disserente*. ¶ *Ductus*] *Deorsum tractus*, vel *depressus*, aut *devectus*.

¶ De

¶ *De tertio cœnaculo*] Vel tertia contignatione, quod Gallicè, *Du troisieme estage.*

11. *Allocutus*] *Collocutus*, Vet.

12. *Consolati sunt non minimè*] *Refocillati sunt non mediocriter.*

13. *Per terram iter facturus*] Vel potiùs, *pedibus iter facturus*, aut *pedestri venturus itinere.*

14. *Convenissemus*] *Convenisset nobiscum*, Vet. ¶ *Assumpto*] *Recepto.*

15. *Sequente die venimus contra Chium*, &c.] Postridie *devenimus contra Chium, alterâ verò die appulimus Samum, & commorati Trogyllii, proximo die venimus in Miletum.*

16. *Transnavigare*] *Praternavigare.* ¶ *Ne qua mora illi fieret*] *Ne tempus tereret.* ¶ *Festinabat enim, si sibi possibile esset*, &c.] Vel, *Festinabat enim Jerusalem, ut illic, si possibile sibi esset, die Pentecostes esset.* ¶ *Pentecosten*] *Pentecostes*, Vet.

17. *Majores natu*] *Presbyteros*: Episcopos intelligit & *primores Ecclesiarum*, ut paulò pòst dicit.

19. *Omni * humilitate & * *] i. *Animi modestiâ nihil altum de se sentientis.* * *Animi.* * *Multis.*

20. *Subtraxerim vobis utilium, quominus*] i. Nihil detrectarim neque periculi neque laboris, qui modò ad vestram pertineret utilitatem, quin, &c. ¶ *Per domos*] *Privatim.*

23. *Protestatur*] *Testificatur.*

24. *Vereor*] *Curo*, vel *movet me.* ¶ *Nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo*] *Neque vita mea chara est mihi ipsi, ut.* ¶ *Meum**] * *Cum gaudio.* ¶ *Testificari*] *Ad testificandum*: i. ad ferendum testimonium Euangelio, quod nobis sit communicata Dei gratia.

26. *Mundus sum à sanguine omnium*] i. Quòd nullius sum causâ exitii & perditionis.

28. *Attendite**] * *Igitur.* ¶ *Regere*] Vel potius *ad pascendum*: Hoc enim absolutum Episcopi officium comprehendit.

29. *Rapaces*] *Graves*, Vet.

30. *Perversa*] *Distorta*, vel *obliqua*; i. minimè simplicia, minimèque sincera.

31. *Monens*] *Monere.*

32. *Vos**] * *Fratres.* ¶ *Ædificare*] *Superstruere* ¶ *In sanctificatis omnibus*] *Inter sanctificatos omnes.*

33. *Argentum*, &c.] Hæc ferè eadem verba invenies dicta & à Mose & à Samuele Num. 16. & 1 Reg. 12. ¶ *Et*] *Aut.* Vet.

34. * *Sicut*] * *Imò.* Vet non legunt *sicut.*

35. *Suscipere*] Vox Græca significat *porrectâ manu retinere lapsurum alioqui*, aut *abiturum*: q. d. Per omnia ostendi vobis quòd oporteat ministros Euangelii, sic laborantes quemadmodum laboravi, infirmâ fide præditorum rationem habere, neque ab illis quicquam accipere. ¶ *Verbi*] *Verborum.*

38. *In verbo*] *Ob verbum.*

CASTALIO.

26. MEab omnium pernicie insontem esse] Neminem meâ culpâ perire.

CLARIUS.

18. VOS *scitis à prima die*] Qui ignorat quodnam sit Episcopi, & ejus cui credita sit animarum cura, munus, videat hic quid egisse se Paulus dicat; Inveniet non solùm *humilitatem*, sed *omnem humilitatem, multas lacrymas, tentationes, insidiarum* perpessionem, constantiam in eo quòd nunquam se *subduxit*, perpetuum docendi laborem *& publicè & privatim*; &c.

28. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos*] Ex hoc loco & ex Epistola ad Titum & ad Timotheum prima colligitur Episcopos eosdem esse qui appellantur Presbyteri. Cùm enim suprà dixisset jussisse Paulum *vocari Presbyteros*, nunc eosdem *Episcopos* appellat.

ZEGERUS.

1. EXhortatus eos, valedixit] Pro *ἀσπασάμενος complexus παρακαλεσάμενος* legendum h. e. *cùm consolatus*, aut *exhortatus, eos fuisset*: nam Chrysostomus palàm de *consolatione* id dictum interpretatur.

3. *Ubi cùm fecisset menses tres*] Non *fuisset*: est enim *ποιήσας*, h. e. *egisset.*

4. *Comitatus est autem eum (usque in Asiam) Sosipater Pyrrhi Berœensis*] Deest in Græcis *Pyrrhi*, incuriâ ut verisimile est, librariorum. Nam & B. Hieronymus in Nominibus Hebr. hanc vocem recenset; & Glossa Doct. *Antiqui*, inquit, *sic distinguebant*, SOSIPATER PYRRHI, *Aliter*, COMITATUS EST EUM SOSIPATER (*ut sit unum nomen*) PYRRHI, *sub.* FILIUS. Quod autem interponitur ἄχρι τῆς Ἀσίας non satis constat redundetne in Græcis an potiùs diminutum sit in nostris: nam editio Lovaniensis tria adnotat exemplaria in quibus fuerit adscriptum; quæ eadem quinque adnotat in quibus fuerit *Sopater*, sicuti est in prototypo. *Beroensis* vel *Berœensis* ut recentioribus placet, nom. casûs est; ut pertineat ad *Sosipater.* Est autem Σωσίπατρος *Sosipater* Græcum vocabulum, & interpretatur *Salvans patrem*, vel *Salus patris*: itèmque & Πυῤῥὸς *Pyrrhus*, quod *fulvus* dicitur. Quanquam D. Hieronymus aut siquis alius fuit, inter Hebræa recensens, illud *Narrans*, hoc *Dissolvens* interpretatur. *Sosipater Pyrrhi*, sub. *filius.*

7. *Disputabat cum eis*] Apud Euangelistam tantùm est διελέγετο αὐτοῖς. Verùm in dativo hujus nominis αὐτὸς sæpenumero τὸ σὺν subintelligi oportet: quanquam etiam non pessimè quadraret *disserebat eis.* Henricus Gravius in suis Castigationibus & alii quidam expunxerunt illud *cum*, an rectè non satis scio, quòd Latinè non dicatur *disputo tibi* pro *disputo &* *dissero tecum*; sed rectè ità Græci loquuntur. In cod. Gemblacensi & in alio quodam, absente *cum*, aliquid etiam superadditur quod vulgo non exstat, *disputabat cum eis, & confirmabat animas eorum, profecturus*, &c.

14. *Cùm autem convenissemus in Asson*] Ex mutato contextu Græco etiam noster demutatus imò corruptus est. Nec enim constare potest, *Cùm autem invenisset nos in Asson*, (quod hodie exstat cùm in libris paulò antiquioribus tum etiam in recèns recognitis) cum illo quod modò in Græcis est, Ὡς δὲ συνέβαλεν ἡμῖν εἰς τὴν Ἄσσον. Utrobique ergò juxta Chrysostomum verbo plurali legendum, *Cùm autem convenissemus.*

15. *Applicuimus Samum*] In Græcis subjiciuntur hæc, καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, *& commorati Trogylli*, quæ apud solum Chrysostomum versum invenio; quandoquidem neque Hieronymus hujus loci meminit lib. De locis Act. Apost. neque Beda vel in Expositione vel in Catalogo locorum.

16. *Transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia*] Ephesus enim in Asia sita est. *Transnavigare* dixit pro *prænavigare*: id enim est παραπλεῦσαι.

22. *Alligatus Spiritu vado*] *Spiritu alligatum se* dicit quia Spiritu S. revelante, non per se tantùm sed & per alios ex quibus erat Agabus, Hierosolymæ alligandum se cognoverat.

23. *Tribulationes Hierosolymis me manent*] *Hierosolymis* lectum non fuit à Chrysostomo, sicuti nec hodie exstat apud Græcos. Beda contrà legit, sed post *manent*: & idem continetur in plerisque exempl. Latinorum, at non in Gembl. ut alios sileam.

24. *Nec facio animam meam pretiosiorem me*] Græca simpliciora sunt οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχὴν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, *neque habeo*, sive *duco animam meam pretiosam mihi ipsi.* Chrysostomus tamen nobiscum *pretiosiorem* legit.

26. *Quapropter contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium*] Testificatur hoc sermone Apostolus se innoxium esse ab interitu eorum qui pertinaciter ad ipsius prædicationem in infidelitate persliterunt.

27. *Non enim subterfugi*] Sentit Paulus se nihil detrectasse neque periculi neque laboris qui modò ad illorum pertineret utilitatem. Idem autem est hic verbum quod paulò superiùs versum est *subtraxerim* ὑπεστειλάμην.

29. *Lupi rapaces*] Græcè est βαρεῖς, i. *graves, molesti, morosi, impudentes, duri.* Et nescio an sciolus quispiam, rem ipsam indicans potiùs quàm vocis sonum, ex *graves* fecerit *rapaces*, quòd hoc videretur magis congruere. Certè *graves* habet codex Donatianicus, & scriptores veteres, nominatim Irenæus lib. 3. c. 14. Hieron. in epist. ad Tit. 3. Opus imperf. hom. 19.

34. *Sicut ipsi scitis*] Sic est in ed. vulgaribus: in aliis verò juxta Græcos est, *Ipsi scitis quoniam*, ut hoc sit orationis exordium, omisso *sicut*, quod neque ponitur ab Augustino lib. De opere Monach.

35. *Omnia ostendi vobis*] Ὑπέδειξα, i. *præmonstravi vobis per exempla*, non modò videlicet doctrinæ inter pressuras & lacrymas insistendum, verùm etiam (nè quis infirmorum gravetur) *manibus esse laborandum.* ¶ *Quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quàm accipere*] Aut Discipulis referentibus à Christo id dictum esse accepit Euangelista, aut sensum enunciavit

ciavit ejus quod est apud Lucam 14 13, 14. *Cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos; & beatus eris: quia non possunt retribuere tibi:* quod posterius mihi videtur probabilius.

H. STEPHANUS.

7. Παρέτεινέ τε τὸν λόγον μέχρι μεσονυκτίου] *Produxitque sermonem usque in mediam noctem.*

9. Καταφερόμενος ὕπνῳ βαθεῖ] *Cùm opprimeretur somno profundo:* vel, *oppressus esset.* ¶ Κατενεχθεὶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου] *Abreptus illo somno:* vel, *somno illum agente præcipitem.* Vel, *cùm degravaretur præ somno.*

10. Συμπεριλαβὼν] *Complexus.*

11. Ὁμιλήσας] *Collocutus.*

13. Οὕτω γὰρ ἦν διατεταγμένος] *Sic enim mandaverat.*

14. Συνέβαλεν ἡμῖν] *Congressus est nobis.*

15. Παρεβάλομεν] *Appulimus.*

16. Χρονοτριβῆσαι] *Tempus terere.*

20. Ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην] *Ut nihil suppresserim.* Alioqui pro *subterfugerim:* vel *detrectarim.*

22. Δεδεμένος τῷ πνεύματι] *Vinctus Spiritu:* i. Spiritûs S. afflatu seu impulsu, ceu vinculo, me pertrahente.

27. Ὑπεστειλάμην] Vide v. 20.

28. Ἐπισκόπους] *Inspectores:* vel *excubitores.* ¶ Ἣν περιεποιήσατο] *Quam conservavit*, seu *tutatus est:* vel *periculo liberavit.* Alioqui pro *acquisivit*, seu *comparavit.*

34. Ὑπηρέτησαν] *Ministrarunt.* Vel *ministræ fuerunt ad suppeditandum.*

35. Ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων] *Sublevare infirmos:* seu *imbecillos.*

DRUSIUS.

3. *UBI cùm fecisset menses tres*] i. transegisset, aut peregisset. Ut hic *facere menses*, ita supra ποιεῖν χρόνον τινὰ 18. 23. & *facere dies* Cohel. 6. 12. *dies quos fecit in umbra.* Seneca epist. 67. *Quamvis paucos unà fecerimus dies.* Sic *facere annos.* In tabella marmorea *cum qua fecit annos* 9. Smetius notat *fecit annos* pro *vixit.* Apud Alfenum l. c. *Is servus fugerat, & annum in fuga fecerat.*

9. *Somno gravi*] i. βαρεῖ. Sic etiam legit interpres qui è Syria: nam יקיר est *gravis.* Ovidius 3. Metam. dixit *gravis somno.* Ei opponitur *levis somnus*, qui & *lenis.* Græci tamen habent βαθεῖ *profundo. Somnus profundus*, i. multus, aut magnus. Sic *profunda avaritia.*

32. *Qui potens est*] Refertur ad *Deum*, non ad *verbum:* alioqui constructio esset sensu congrua, non voce. Paulò pòst, *in verbo quod dixerat.* Quod observo propter Erasmum nostrum, cujus ad hunc locum nota est, QUOD *erat potius quàm* QUI, *cùm referat* VERBUM. *Cæterum quia* VERBUM *Græcis est masc. generis, id nimirum fefellit Interpretem.* Cur magis fefellit eum hoc loco quàm in eo quem modò citavimus ex v. 38?

GROTIUS.

KAὶ ἀσπασάμενος, *Et exhortatus*] Syrus transtulit, *& osculatus*, ex more illarum gentium, Luc. 7. 45. Rom. 16. 16. 1 Cor. 16. 20. 2 Cor. 13. 12. 1 Thess. 5. 26.

2. Εἰς τὴν Ἑλλάδα. *ad Græciam*] In illam partem ubi Athenæ. Vide Ptolemæum in Achaia.

3. Ποιήσας τε μῆνας τρεῖς, *Ubi cùm fecisset menses tres*] Locutio quæ supra 15. 33, & 18. 21, 23. ¶ Γενομένης αὐτῷ ἐπιβουλῆς ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων, *factæ sunt illi insidiæ à Judæis*] Ut sæpe evenit: supra 9. 22, & 13. 45. & 14. 2, 5. & 17. 5. 2 Cor. 11. 26. Impletum sæpe circa Paulum id quod dicitur Psalm. 27. 12, 13.

4. Ἄχρι τῆς Ἀσίας, *usque in Asiam*] Quidam & ultra: neque enim ἄχρι [*usque*] excludit ulteriora. Similia vide Matth. 1. 25. ¶ Σώπατρος Βεροιαῖος· *Sopater Berœensis*] Idem nomen est Σώπατρος [*Sopater*] & Σωσίπατρος [*Sosipater.*] Ac fuere hoc nomine etiam Historici, Rhetores, Grammatici. In Manuscripto illo vetere, ut in multis aliis, est hîc Σώπατρος Πύῤῥου Βεροιαῖος [*Sopater Pyrrhi Berœensis.*] *Pyrrhus* nomen est frequens in Thessalia & vicinis regionibus. Σώπατρος [*Sopater*] est אבישע [*Pater salutem adferens*] ut dicemus ad Rom. 16. 21. Berœa urbs Macedoniæ est, de qua supra 17. 10, 13. ¶ Θεσσαλονικέων δὲ Ἀρίσταρχος, *Thessalonicensium verò Aristarchus.*] De quo supra 19. 29. Hos duos tantùm Thessalonicenses fuisse putat Syrus: mihi videtur hoc ad quatuor quæ sequuntur nomina pertinere. Vide quæ supra 19. 22. ¶ Καὶ Γάϊος Δερβαῖος, *& Cajus Derbæus*,] Qui origine Derbæus, natus in Macedonia. ¶ Καὶ Τιμόθεος, *& Timotheus*] Hic Thessalonicensibus accensetur, quia majores ejus ex Judæis erant, qui Thessalonicæ quondam vixerant. Vide quæ diximus in Appendice de Antichristo.

5. Ἀσιανοὶ δὲ, *Asiani verò*] Id est, ex Epheso, ut infra de Trophimo dicitur, & de Tychico colligitur. 2 Timoth. 4. 12. ¶ Τυχικός, *Tychicus*] Qui nominantur non tantùm dicto ad Timotheum loco, sed & Ephes. 6. 21. Tit. 3. 12. Coloss. 4. 7. ¶ Καὶ Τρόφιμος. *& Trophimus*] Hujus mentio infra 21. 28. & 2 Timoth. 4. 20. ¶ Ἔμενον ἡμᾶς, *sustinuerunt nos*] Hîc obiter Lucas significat, quod non exprimit, se Paulo comitem fuisse hujus itineris & sequentium Romam usque. ¶ Ἐν Τρωάδι, *Troade*] Dubitari interdum potest, sitne nomen regionis an urbis: nam Τρωὰς [*Troas*] etiam urbs, Plinio teste. Ἐν Τρωάδι [*Troade*] ut ἐν Ἐφέσῳ [*Ephesi*] Ephes. 1. 1. 1 Timoth. 1. 3. 2 Timoth. 1. 18. ἐν Κορίνθῳ [*Corinthi*] supra 19. 1. 1 Cor. 1. 2. 2 Cor. 1. 1. 2 Tim. 4. 20.

6. Ἐξεπλεύσαμεν, *navigavimus*] Amne primùm, deinde mari. ¶ Μετὰ τὰς ἡμέρας τῶν Ἀζύμων, *post dies Azymorum*] Paulus vocatorum ex Gentibus libertatem tuebatur: Ipse tamen dies Judæorum festos observabat. Vide supra 18. 21. infra 16. 1 Cor. 16. 8. ¶ Ἀπὸ Φιλίππων. *à Philippis*] De qua urbe supra 16. 12. ¶ Ἄχρις ἡμερῶν πέντε, *in diebus quinque*] Subauditur πλεύσαντες [*navigantes*,] ex eo quod præcessit ἐξεπλεύσαμεν [*enavigavimus:*] ita sæpe constructio magis fit ad sensum quàm ad verba. ¶ Οὗ, *ubi*] *In qua urbe*, nempe Troade.

7. Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *Una autem Sabbati*] Vide Matth. 28. 1. Is dies conventûs Christianis proprius 1 Cor. 16. 1. dies κυριακὴ [*Dominica*,] Apoc. 1. 10. Justinus de eadem die Apologetico. 2. Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται [*Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit.*] ¶ Συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον, *cùm convenissent discipuli ad frangendum panem*] *Eucharistiam*, Syrus. Intellige *agapas*, quæ *Eucharistiâ* claudebantur. In Manuscripto συνηγμένων ἡμῶν [*cùm convenissemus*,] & mox, οὗ ἦμεν συνηγμένοι, [*ubi eramus congregati*,] non malè. ¶ ὁ Παῦλος διελέγετο αὐτοῖς, *Paulus disputabat cum eis*] Post cœnam, ut Christus Joh. 13. 31. & sequentibus. Marci 16. 14. Luc. 22. 33. ¶ Μέλλων ἐξιέναι τῇ ἐπαύριον *profecturus in crastinum*] *Postridie exiturus ex urbe Troade.*

8. Ἐν τῷ ὑπερῴῳ, *in cœnaculo*] In quo erat conventus: ut supra 1. 13.

9. Ὀνόματι Εὔτυχος, *nomine Eutychus*] Rectiùs & ἀναλογικώτερον [*regularius*] scriberetur Εὐτυχής [*Eutyches.*] id enim nomen non rarum in Græcia. ¶ Ἀπὸ τοῦ τριστέγου, *de tertio cœnaculo*] Τρίστεγον vocat *tertiam contignationem* incipiendo ab imo. Contra in Genesi à summo incipitur & imum vocatur τρίστεγον, ut diximus 6. 16.

10. Ἐπέπεσεν αὐτῷ, *incubuit super eum*] Sicut de Elisæo dicitur 2 Reg. 4. 34. συνέκαμψεν ἐπὶ τὸ παιδάριον [*incubuit super puerum.*] ubi alii interpretes ἐνεγύρισεν [*curvatus incubuit.*] ¶ Ἡ γὰρ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἐστιν. *anima enim ipsius in ipso est*] Id est, *jam nunc cùm loquor vita ei rediit.*

11. Καὶ γευσάμενος, *& gustans*] Vide supra 10. 10. Hic erat cibus matutinus.

13. Ἀνήχθημεν, *navigavimus*] Vide supra 18. 21. ¶ Πεζεύειν, *per terram iter facere*] *Pedare*, ut loquebantur veteres Latini: *peditare:* ut Glossarium.

14. Εἰς τὴν Ἄσσον, *in Asson*] Urbem Troadis, Strabo 13. Huc Troade urbe tam terrâ quàm mari breve erat iter. ¶ Εἰς Μιτυλήνην. *Mitylenen*] Lesbi insulæ urbem præcipuam, unde Pittacus, Alcæus, Sappho.

15. Ἀντικρὺ Χίου *contra Chium*] Nota est insula inter Lesbum & Samum. ¶ Εἰς Σάμον· *Samum*] Joniæ: nam est altera ejus nominis insula in Ambracio sinu, & alia apud Thraciam. ¶ Καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, *& cùm diversati essemus apud Trogyllium*] Quod Joniæ est promontorium, non longè à Samo. Testes Strabo & Ptolemæus. ¶ Εἰς Μίλητον. *Miletum*] Joniæ urbem, unde Thales, Anaximander, & alii. Hinc *Milesiaca*, de amoribus scripta.

16. Χρονοτριβῆσαι, *mora fieret*] Utitur hoc verbo Aristoteles. Hebræi dicerent התמהמה [*cunctari.*]

17. Ἀπὸ δὲ τῆς Μιλήτου πέμψας εἰς Ἔφεσον, *A Mileto autem mittens Ephesum*] Non ita longè distant hæ urbes, ut ex Ptolemæo apparet. ¶ Μετεκαλέσατο, *Ad se vocavit.* Sic supra

supra 7. 14. & 10. 32. & 24. 25. ¶ Τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. *Majores natu Ecclesiæ*] זקנים [*Seniores*] Vide supra 11. 30. & 14. 23. & 15. 4, 6, 22, 23. & 16. 4. Vocantur iidem & ἐπίσκοποι [*Episcopi*,] nempe quia *inspectores* erant *gregis*, ut infra dicitur 28. Sed is qui princeps erat, excellenter vocabatur ὁ ἐπίσκοπος [*Episcopus*,] cui respondebat Summus Sacerdos in Templo, in Synagoga verò Archisynagogus. Hic est Angelus Ephesi in Apocalypsi, quia Dei nomine verba faciebat ad populum, & pro populo ad Deum. Videtur autem hoc tempore Ephesini presbyterii princeps fuisse Timotheus, & cum Compresbyteris venisse ad Paulum.

18. Εἶπεν αὐτοῖς· *dixit eis*] Est hic egregia forma, quâ uti possit bonus Episcopus ex causis necessariis vale dicens Ecclesiæ suæ. ¶ Πῶς μεθ' ὑμῶν πάντα χρόνον ἐγενόμην *qualiter vobiscum per omne tempus fuerim*] Id est, *quomodo me erga vos gesserim.* Pari ferè modo habes ἐγενήθημεν [*fuimus*] 1 Thess. 2. 5. & 10. & sic γίνομαί σοι δι' ἔχθρας [*sum tibi hostis*] apud Thucydidem.

19. Μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης, *Cum omni humilitate*] Apostoli in tanto vocationis culmine politi nihil tamen grande præ se ferebant, sed cum minimis etiam æquabiliter versabantur. Ne hoc quidem de se prædicasset Paulus nisi successoribus formam vitæ relinquere debuisset.

20. Ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην τῶν συμφερόντων *Quomodo nihil subtraxerim vobis utilium*] Nihil eorum quæ ad vitam æternam parandam credi, sperari, fieri debent. ὑποστέλλειν hic & infra 27. est *subducere*: ponitur ea vox Græco pro Hebræo מנע & pro כחד. ¶ Τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν, *quo minus annuntiarem vobis*] *Ne id vobis annuntiarem.* De hac locutione diximus aliquoties. ¶ Καὶ διδάξαι ὑμᾶς δημοσίᾳ, *& docerem vos publice*] *In conventu.* Supra 18. 29. ¶ Καὶ κατ' οἴκους *& per domos*]. Singulos occasione data.

21. Διαμαρτυρόμενος Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι τὴν εἰς τὸν Θεὸν μετάνοιαν, *Testificans Judæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam*] Διαμαρτύρεσθαι [*testificari*] supra habuimus, modò sine adjuncto, modò infinitivo, aut ὅτι [*quod*] subsequente. Hic cum accusativo, ut & mox 24. & 23. 11. & 28. 23. & Exod. 18. 20. Ezech. 16. 2. & 20. 4. ubi in Hebræo הודיע [*notum facere.*] Sensus est; *Certò affirmavit illis esse locum pœnitentiæ*, (id est, pœnitentiam non fore inutilem. Sic διδόναι μετάνοιαν [*pœnitentiam dare*] 11. 18.) *& fidem in Christum esse veram ac salutarem.*

23. Δεδεμένος τῷ πνεύματι, *alligatus Spiritu*] *Spiritu vincula præsentiens.* Nam quæ futura sunt, ea Prophetis tanquam præsentia menti obversantur. Id in sequentibus fusius explicat. ¶ Τὰ ἐν αὐτῇ συναντήσοντά μοι μὴ εἰδώς *quæ in ea ventura sint mihi ignorans*] Quæ causa, qui modus, quis exitus futurus sit vinculorum, adhuc me latet. τὰ συναντήσοντά μοι, מה יפגע לי *quæ eventura sunt mihi*, nam פגע *evenire* Ruth. 1. 16.

24. Ἀλλ' οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι, *Sed nihil horum vereor*] Non tanti sunt mihi ista mala, ut ea me ab Euangelii prædicatione deterreant. ¶ Οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, *nec facio animam pretiosiorem quàm me*] Subauditur hic οὕτως [*tam*,] cui respondet quod sequitur ὡς [*quàm.*] Tantum abest vincula metuam, ne mortem quidem defugio. Hebræis *pretiosam habere vitam* dicitur qui ei parcit, 1 Regum 1. 13, 14 Contra *nullo pretio habere* qui non parcit, Ezech. 36. 5. ¶ Ὡς τελειῶσαι τὸν δρόμον μου, *dummodo consummem cursum meum*] *Non tam vitam curo quàm complere cursum.* Cursus laborem magnum & assiduum significat supra 13. 25, 1 Cor. 9. 24. τελεῖν τὸν δρόμον [*cursum consummare*] habes & 2 Tim 4. 7. ¶ μετὰ χαρᾶς *cum gaudio*] Sæpe Paulus hoc nomine appellat *animi ex bona conscientia tranquillitatem*, Rom. 15. 13. 2 Cor. 7. 4. Thess. 5. 16. & alibi. ¶ Καὶ τὴν διακονίαν ἣν ἔλαβον, *& ministerium quod accepi*] Vide supra 1. 17, 25. & 6. 4. ¶ Τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ. *Euangelium gratiæ*] Vide supra 14. 3.

25. ὅτι οὐκέτι ὄψεσθε τὸ πρόσωπόν μου, *quia amplius non videbitis faciem meam*] Quasi diceret.

—Extremum fato quod te alloquor, hoc est.

Ὑμεῖς πάντες, *vos omnes*] *Vos omnes Asiatici.* Hebraïsmus. *Non videbitis vos omnes*, id est, nemo vestrûm. ¶ Ἐν οἷς διῆλθον κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. *per quos transivi prædicans regnum Dei*] Vide supra 8. 12.

26. Μαρτύρομαι ὑμῖν *testor vobis*] id est, *coram vobis testificor.* Sic Gal. 5. 3. Μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ [*Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se.*] ¶ Ὅτι καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων. *quia mundus sum à sanguine omnium*] Vide supra 18. 6. & Math. 27. 24. & ibi dicta.

27. Οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν, *Non enim subterfugi quò minus annuntiarem vobis*] Subauditur τι [*quid*] Vide supra 20. ¶ Πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ *omne consilium Dei*] *Voluntatis* nomine μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] hic significat omne id quod à singulis præstari vult Deus, ut ad salutem perveniatur. Usus non dissimilis Lucæ 7. 30. Idem hic vocat τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ [*consilium Dei*] quod modò τὰ συμφέροντα [*utilia.*]

28. Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, *Attendite vobis & universo gregi*] Non potest gregi attendere qui non sibi attenderit. ¶ Ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*] Explicat nomen muneris, quod erat פרנסים [*Pastores*;] nam pastores sunt ἐπίσκοποι ποιμνίου, פקידי עדר [*inspectores gregis*] Dicit autem eos *constitutos à Spiritu Sancto*, quia constituti erant ab Apostolis plenis Spiritu Sancto, quanquam approbante plebe. Vide supra 14. 23. ¶ Ποιμαίνειν, *pascere*] Breviloquium frequens Hebræis pro εἰς τὸ ποιμαίνειν [*ad pascendum.*] ¶ Τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *Ecclesiam Dei*] Manuscriptus ille habet τοῦ Κυρίου [*Domini*;] ut & multi alii. Et Syrus sic legit qui vertit *Christi.* Facilis lapsus compendiosæ scriptionis θῦ pro κῦ. Apostoli plerunque Christum Κύριον [*Dominum*] vocant, Patrem verò *Deum.* ¶ Ἣν περιεποιήσατο, *quam acquisivit*] *Fecit ut existeret*, qui justissimus acquirendi modus. Vide Ephes. 1. 14. ¶ Διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος *suo sanguine*] Nam per mortem cruentam Christus illam potestatem colligendæ sibi Ecclesiæ adeptus est, secundum vaticinium Esaiæ 53. 10.

29. Μετὰ τὴν ἄφιξίν μου, *post discessionem meam*] *Post meam profectionem.* ἄφιξις, *profectio*, in Glossario. ¶ Λύκοι βαρεῖς, *lupi graves*] *Lupi vespertini*, Jerem. 5. 6. Abac. 1. 8. Sophon. 3. 3. Βαρεῖς [*graves*] hic idem valet quod חדים [*acuti*] dicto Abacuci loco, ubi LXX ὀξύτεροι ὑπὲρ τοὺς λύκους [*lupis acutiores.*] Vult dicere *rapaces.* Persecutio hic indicatur illa sub Nerone. Ob hanc laudatur Ephesiorum perseverantia, Apocal. 11. 2. ¶ Μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου *non parcentes gregi*] *Qui nulla ducentur gregis commiseratione.* Ita חוס & Græcè φείδεσθαι sumitur, 7. 16. & 13. 8. & 19. 13, 21. Dicit simpliciùs quod figuratè Sophonias, *Non rodent ossa usque ad mane.*

30. Καὶ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν ἀναστήσονται ἄνδρες, *Et ex vobis ipsis exsurgent viri*] Nicolaitæ, Apoc. 2. 6. Λαλοῦντες διεστραμμένα, *loquentes perversa*] *Docentes ea quæ à recto deficiunt.* Sic διαστρέφειν sumitur Lucæ 23. 2. supra 13. 8, 10: Sic γενεὰ διεστραμμένη [*generatio perversa*, Math. 17. 17. Lucæ 9. 41. Philipp. 2. 15. Dogma Nicolaitarum erat, Matrimonium institutum esse merè humanum, & tale quod conscientias non obligaret: Immolatitiis sine distinctione licere vesci. Vide Irenæum 1. 17. Tertullianum De præscriptione adversus Hæreticos: Clementem Alexandrinum Strom. 2, & 3. qui Nicolai Diaconi verba in pravum ab eis ait detorta: Epiphanium Hæresi 25: Theodoretum lib 3. ¶ Τοῦ ἀποσπᾷν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω αὐτῶν. *ut abducant discipulos post se*] Subauditur ἕνεκα, [*eum in finem.*] Ideo docent carni placentia, ut eos quos Ecclesiæ disciplina offendit, ab Ecclesia abductos sibi faciant sectatores. Ὀπίσω [*post*] est vox propria discipulis. Math. 4. 19. & 10. 38. & 16. 24. Marci 8. 34. Lucæ 9. 23. & 14. 27. & 21. 8. supra 5. 37.

31. Διὸ γρηγορεῖτε, *Propter quod vigilate*] Cavete vobis & facite ut & alii eos caveant. Non excidit illis hoc monitum, Apoc. 2. 5. ¶ Τριετίαν, *per triennium*] Vide supra 19. 10. ubi *biennii* mentio. Cum eo biennio conjungendum tempus prioris adventûs Paulini Ephesum 18. 19. & annus ille unus interpretandus *pars anni.*

32. Παρατίθεμαι, *commendo*] הפקיד. ¶ Τῷ Θεῷ καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, *Deo & verbo gratiæ ipsius*] Est ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo.*] Sensus enim est, *Commendo vos Deo per sermonem bonitatis ejus.* Itaque ad Deum oratio redibit, planè quasi illa καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, [*& verbo gratiæ ipsius*] interjecta non fuissent. ¶ Τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι, *qui potens est ædificare*] Supple *vos*, quod addit hîc Syrus. *Ædificare* est efficere ut in fide crescant, sicut domus quæ paulatim surgit: Ephes. 2. 20. Coloss. 2. 7. Judæ 20. ¶ Καὶ δοῦναι ὑμῖν κληρονομίαν, *& dare vobis hereditatem*] Sic vocatur vita æterna, quia firma est ejus possessio, ut rerum soli apud Hebræos. Vide ad Ephes. 1. 14, 18. ¶ Ἐν τοῖς ἡγιασμένοις πᾶσιν, *in sanctificatis omnibus*] Ἐν [*in* cum ablativo] hîc, ut sæpe apud Hebræos ב valet *inter.* *In societate omnium qui ad sanctitatem pervenêre.*

33. Ἀργυρίου ἢ χρυσίου ἢ ἱματισμοῦ οὐδενὸς ἐπεθύμησα. *Argentum aut aurum aut vestem nullius concupivi*] Præclarior de se præ-

prædicatio, quàm illa Samuelis 1 Sam. 12. 5. Samuel testificabatur nihil se judicandi causâ accepisse. Paulus nec laboris in docendo assidui repensationem ullam accipere voluerat.

34. *Ταῖς χρείαις μου καὶ τοῖς οὖσι μετ' ἐμοῦ ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται, ad ea quæ mihi opus erant & iis qui mecum sunt ministraverunt manus istæ*] Ut supra 18. 3. & 2 Thess. 3. 8. Adde 1 Cor. 4. 12. 1 Thessal. 2. 9. Idem loquendi genus apud Xenophontem, *αἱ χεῖρες ἑκάστῳ ὑπηρετοῦσι* [*manus unicuique ministrant*]

35. *Πάντα ὑπέδειξα ὑμῖν, Omnia ostendi vobis*] Id est, *πάντως* [*in omnibus.*] Observaverunt alii par loquendi genus 1 Cor. 9. 25. & 10. 33. Ephes. 4. 15. ¶ *Οὕτω κοπιῶντας, sic laborantes*] Etiam cum molestia aliqua. Sic *κοπιῶμεν* [*laboramus*] usurpat idem Paulus in eadem hac re, 1 Cor. 4. 12. Respondet Hebræis vocibus חלה [*infirmus fuit*] & יגע [*defatigatus fuit*] & עמל [*laboravit*] & aliis molestiæ significationem habentibus. ¶ *Δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων, oportet suscipere infirmos*] *Infirmos sustentandos*, ne cadant scilicet. *Infirmos* vocat qui suspicari poterant Paulum commodi sui causâ comminisci doctrinam Euangelii. Omnes tales ansas præcidere Paulus voluit. ¶ *Ὅτι αὐτὸς εἶπε· Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν. quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quàm accipere*] Hoc est inter illa quæ Paulus didicerat non ex scripto, sed relatu eorum qui Dominum noverant. Non dissimile dictum Aristotelis Nicom. 3. *Τῆς ἀρετῆς μᾶλλον τὸ εὖ ποιεῖν ἢ τὸ εὖ πάσχειν* [*Virtutis magis dare beneficium est quàm accipere.*] & Sallustii in Catilinario, *Magis dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant:* & in Jugurthino de Sulla, *Multis rogantibus aliis per se ipsa dare beneficia, invitus accipere.* Plutarchus ex Epicuro, *εὖ ποιεῖν ἥδιόν ἐστι τοῦ πάσχειν* [*dare beneficium jucundius est quam accipere.*]

36. *Θεὶς τὰ γόνατα αὐτοῦ, positis genibus suis*] Ut in tristi tempore. Vide quæ diximus ad Matth. 6. 5. Nondum ergo introductus erat mos genua non flectendi intra Pascha & Pentecosten: nam quæ hic narrantur, in id tempus inciderunt. Vide supra 20. 16.

37. *Καὶ ἐπιπεσόντες ἐπὶ τὸν τράχηλον τοῦ Παύλου, & procumbentes super collum Pauli*] Hunc morem habes Gen. 45. 14. & 46. 30. ¶ *Κατεφίλουν αὐτόν osculabantur eum*] Vide supra 1.

38. *Προέπεμπον δὲ αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον. deducebant eum ad navem*] *Prosecuti eum sunt ad navem usque.* Vide supra 15. 3. Talem *προπομπὴν* [*deductionem*] describit Ovidius,

> *Terra tibi, nobis adspiciuntur aquæ.*

Et,

> *Jamque ratem terris dimisit fune soluto*
> *Navita, & angustum dejecit in æquora pontem;*
> *Sævus ubi à puppi longo clamore Magister*
> *Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit,*
> *Non longum chara licet in cervice morari.*

PRICÆUS.

Com. 2. **Λ**όγῳ πολλῷ] Ἐν λόγοις ἱκανοῖς, Euang. 23. 9.

Com. 6. *Ἤλθομεν πρὸς αὐτοὺς εἰς τὴν Τρωάδα ἄχρις ἡμερῶν πέντε*] Achilles Tatius lib. 5. etiam in navigandi argumento, *Πέντε δὲ τῶν ἑξῆς ἡμερῶν διανύσαντες, τὸ λοιπὸν ἥκομεν εἰς τὴν Ἔφεσον.* Codex Vetus Cantabrigiensis (cujus variantes lectiones acceptas fero egregiæ comitatis, eximiæ eruditionis Viro Claudio Sarravio) habet, *εἰς τὴν Τρωάδα πεμπταῖοι.* Sic infrà 28. 13. *δευτεραῖοι.*

Com. 9. *Ὀνόματι Εὔτυχος*] Rectius magisque Analogicum Vir summus *Εὐτυχὴς* putat. Ego nil mutandum arbitror. Videtur hic juvenis fuisse è famulitio cujuspiam. In corpore Inscriptionum Vett. 179. 6. habemus *Eutychum Fontei.* & 335. 2, 3. *Eutychum Aug. Libertum.* Et apud Artemidorum 3. 39. inter servilia nomina, *Καρπὸν, Ἐλπιδοφόρον, Εὔτυχον.*

Ibid. *Καταφερόμενος ὕπνῳ*] *Εἰς ὕπνον καταφέρεσθαι* etiam Lucianus dixit. Plutarch. in Parallelis, *Εἰς ὕπνον κατηνέχθησαν* & Parthenius in Eroticis, cap. 10. *εἰς ὕπνον καταφέρεσθαι.*

Ibid, *Διαλεγομένου τοῦ Παύλου ἐπὶ πλεῖον, κατενεχθεὶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου,* &c.] Sic vulgò rectè distingui, & falli Erasmum, qui illa *ἐπὶ πλεῖον*, non ad *διαλεγομένου*, sed sequentia, *κατενεχθεὶς* &c. referri voluit, evincunt hæc infrà 28. 23. de eodem Paulo, *Πείθων αὐτοὺς τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ,* &c. *ἀπὸ πρωῒ ἕως ἑσπέρας.*

Ibid. *Ἔπεσεν ἀπὸ τοῦ τριστέγου*] Juvenalis 3.

> *—— Tabulata tibi jam tertia fumant.*

Scholiastes, *Superiora tecta, &* (lego *quæ &*) *tristega.* Glossæ Vindocinenses MS. in S. Script. *Tristega, tricamerata.* Artemidorus 4. 48. *τριστέγην* dixit. Servius ad Æn. 3. *Olim domus de tabulis fiebant: unde hodie in ædificiis surgentibus primum & secundum tabulatum dicimus: summum autem quod tectum sustinet.* Vetus heic, *de tertio cœnaculo.* Vide suprà ad 1. 17. dicta.

Com 11. *Ἐφ' ἱκανόν τε ὁμιλήσας ἄχρις αὐγῆς, οὕτως ἐξῆλθεν*] Post *ἱκανὸν*, supple *χρόνον* ut & 23. 8. in Euang. Plena locutio ibidem 8. 27. Τὸ *οὕτως* hoc loco ponitur, non ut Joh. 4. 6. sed nota est rei factæ. In Colloquiis veteribus, *Ἔγραψα ἐμὸν ὄνομα, καὶ οὕτως ἐξῆλθον.* Plutarchus Apophtheg. Reg. *Πάντων τὸ φρόνημα τοῦ ἀνδρὸς καταπλαγέντων, τοῦ τε Ἀντιόχου ποιήσειν ὁμολογοῦντος τὰ δοκοῦντα Ῥωμαίοις, οὕτως ἠσπάσατο καὶ περιέπτυξεν αὐτὸν ὁ Ποπίλλιος.* Simili acceptione occurit Joh. 8. 59. suprà hic 17. 33. infrà 27. 17. & 28. 14. quibus locis Recentior *ità*, & *ità demum* vertit: cùm interim *sic* particula Antiquiori satisfecerit. Servius ad Æn. 3. *Bono usus est ordine, ut priùs averteret mala,* SIC *optanda conciliaret.* Idem ad Æneid. 11. *Secundùm quem ritum Æneas inducitur ante operam dare sacrificiis &* SIC *ad sociorum, &c. sepulturam reverti,* Apuleius 9. *Atque ibi venditoribus tradita merce, dorsum meum insidens,* SIC *redire.*

Com. 15. *Παρεβάλομεν εἰς Σάμον*] *Appulimus, applicuimus.* Aristophanes Ranis, *Παράβαλλε.* Scholiastes, *Ἀντὶ τοῦ, ὅρμισον τῇ γῇ τὴν ναῦν.*

Ibid. *Καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, τῇ ἐχομένῃ ἤλθομεν εἰς Μίλητον.*] Quamvis Trogyllii diversati essent, postridie quàm à Samo solverant, Miletum appulerunt. Appositè in Floridorum fragmentis Apuleius, *Samos Icario in mari modica Insula est, exadversum Miletos, ad Occidentem ejus sita, nec ab ea multo pelagi dispescitur: utrumvis* (melius *utrovis*) *clementer navigantem dies alter in portum sistit. Diem* hic Scriptor *alterum*, Lucas *ἐχομένην* dixit.

Com. 18. *Ὡς δὲ παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν, εἶπεν αὐτοῖς, Ὑμεῖς ἐπίστασθε,* &c.] Ut proficiscendi Paulus heic consilio sumpto, ità e vita discedendi P. Atticus amicos suos apud Cornelium Nepotem & advocat, & alloquitur. Vacanti locus inspiciatur sub finem libri. Cum isto autem, & tribus proximè sequentibus versiculis, qui duodecim priora commata capitis 2 primæ ad Thessal. Epistolæ attentè curiosèque consuluerit, jucundam magnámque lucem videbit huic loco exoriri.

Com. 20. *Ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην τῶν συμφερόντων τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν*] Eorum quæ ad salutem vestram conducere arbitrabar, nil vos celavi. Sic Philo libris, Quis rer. divin. hær. Et, de ad Caium legatione, *Φράσαι μηδὲν ὑποστειλάμενος.* Suidas, *Ὑποστειλάμενος, ὑποκρυψάμενος.* Hesychius, *Ὑπεστειλάμην, παρῃτησάμην.* Josephus Bell. Jud 6. ut *Οὐκ ἂν ὑποστειλάμην εἰπεῖν ἅ μοι τὸ πάθος κελεύει.* Ait Paulus, *μηδὲν τῶν συμφερόντων.* Demosthenes Olynth. 1. *Οὐ μὴν οἶμαι δεῖν τὴν ἰδίαν ἀσφάλειαν σκοποῦντα, ὑποστείλασθαι περὶ ὧν ὑμῖν συμφέρειν ἡγοῦμαι.* Plutarchus, Quomodo adulator ab amico, &c. *Μηδὲν ὑποστέλλεσθαι μηδ' ἀποσιωπᾶν τῶν συμφερόντων.* Agrippa (apud eundem Josephum) ad Judæos. 2. 16. *Μαρτύρομαι*, &c *ὡς οὐδὲν τῶν σωτηρίων ὑμῖν καθυφηκάμην.* Philo ubi suprà, de Silano Imp. Caii monitore, *Μηδὲν ἐπικρυπτόμενος τῶν εἰς βελτίωσιν καὶ ὠφέλειαν ἠθῶν, καὶ βίου, καὶ ἡγεμονίας.*

Com. 22. *Δεδεμένος τῷ πνεύματι*] Tres video interpretationes locutionis istius. Una est Camerarii & Bezæ, qui *πνεῦμα* hic de *Spiritu sancto* accipiunt: nimirum ut illius impulsu se Paulus proficisci dicat. Altera est inclytissimæ memoriæ Viri H. Grotii, qui *πνεύματι δεσμεύεσθαι* exponit, *spiritu vincula præsentire:* futura nempe cernere quasi præsentia. Cui favet 1 Thess. 3. 4 ejusdem Pauli oratio similis. Tertia est Clariss. longèque doctissimi D. Heinsii, qui Paulum non tantùm vincula præsensisse concedit, sed & indè contristatum spiritu, & quasi constrictum fuisse; id enim illi sonat illa Græca locutio. Atque ego quidem, ut posteriores sententias illas laude prosequendas puto, ità primæ, saltem impræsentiarum, videor libentiùs accedere: sic enim suprà (præter locum 19. 21. ab aliis adductum) etiam 13. 4. video *ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἐκπεμφθέντες* occurrere; Matth. 4 1. *ἀνάγεσθαι ὑπὸ τοῦ πνεύματος* Luc. 2. 27 *ἐν τῷ πνεύματι ἔρχεσθαι* (quod ibid. 4 14. *ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος*) & Gal. 2. 2. *κατ' ἀποκάλυψιν ἀναβαίνεσθαι.* Quibus locis (de motu ac migratione itidem ut ille in quo versamur agentibus) impulsum sancti Spiritûs notari, mi-

Ei

hi clarum videtur. Apuleius *instingui* dixit, etiam de itinere loquens, *Paucisque post diebus, Deæ potentis instinctu, &c. Romam versus profectionem dirigo.* Quæ verba non leve fulcrum nostræ conjecturæ supponunt. Sic è converso supra hic 16. 6. κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ λαλῆσαι, & ibid. Com. seq. οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ πνεῦμα.

Ibid. Τὰ ἐν αὐτῇ συναντήσαντά μοι μὴ εἰδώς] Similis Heb. 11. 8. Abrahami obedientia, Καλούμενος, ὑπήκουσεν ἐξελθεῖν, &c. μὴ ἐπιςάμενος ποῦ ἔρχεται.

Com. 23. Κατὰ πόλιν διαμαρτύρεται, λέγον, ὅτι δεσμά με, &c.] Puto metathesim esse, pro λέγον, ὅτι κατὰ πόλιν δεσμά με; & ut sensus sit, Etiam nunc video me nullam ferè civitatem transiturum; in qua aut vincula aut vinculis prævia non exspectant me. Μένειν hic, ut Latinis *manere*, pro *exspectare*. Vide Servium ad Georg. 1.

Com. 24. Ἀλλ' οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι, &c.] Asinius Pollio apud Ciceronem Famil. 10. 31. *Nec periculum est quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer.* Suidas, Οὐδενὸς λόγον ἔχω, ἀντὶ τοῦ, Φροντίζω. Vide suprà ad 15. 26. dicta.

Ibid. Οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ ὥςε τελειῶσαι τὸν δρόμον μου μετὰ χαρᾶς] Neque vitæ dispendium æstimo, dum quod superest vitæ prout decet insumpsero. Vide infrà 21. 13. Luc. 22. 33. Rom. 8. 18. Phil. 2. 17. & 30. Cicero Famil. 7. 3. *Pudori malui famæque cedere, quàm salutis meæ rationem ducere.* Demosthenes de Philippo Macedone, Τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένον, τὴν κλεῖν κατεαγότα, τὴν χεῖρα, τὸ σκέλος πεπηρωμένον· πᾶν ὅ, τι ἂν βουληθῇ μέρος ἡ Τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι, ὥςε λοιπὸν μετὰ δόξης ζῆν. Interpres vetus heic vertit, acsi pro τιμίαν ὁμότιμον fuisset: at rectiùs cum Viro maximo subaudias ὥςε· Δρόμον, ut & 2 Tim. 4. 7. satis nota metaphora. Terentius,

—— Propè jam excurso spatio:

ubi Donatus, *Ad calcem, & prope ipsos decursus metásque vivendi.*

Ibid. Καὶ τὴν διακονίαν ἣν ἔλαβον] Locum à Duce acceptum meo, nullo vitæ discrimine derelinquam. Strenui boníque militis constantiam spondet. Salustius Catilin. *Quem quisque locum pugnando vivus ceperat, cum amissâ anima corpore tegebat.* Justinus lib. 9. *Adversis vulneribus omnibus omnes loca quæ tuenda à Ducibus acceperunt, morientes corporibus texerunt.* Διακονία dicto ad Philippenses 2. 17. loco est Χριςοῦ ἔργον 2 Tim. 4. 5. εὐαγγελιςοῦ ἔργον ubi & vocem διακονίας habemus.

Com. 26. Διὸ μαρτύρομαι ὑμῖν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ, ὅτι καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ, &c.] Formula profitendi innocentiam suam, Matth. 27. 24. suprà hic 18. 6. & in Susannæ historia. Apud Achillem Tatium lib. 6. Καθαρὸς εἰς ταύτην τὴν ἡμέραν Μελίττης Κλειτοφῶν. Habet & emphasin suam illud, ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ. Ità Latini.

Possúmne ego hodie ex te exsculpere verum?

Et,

—— Nunquam hodie moriemur inulti.

Glossarium, Τῇ σήμερον ἡμέρᾳ, *hodiernâ die.*

Com. 28. Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, &c.] 1 Pet. 5. 2. Sic idem Paulus 1. 4. 16. ad Timotheum, Ἔπεχε (i. πρόσεχε) σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ.

Com. 29. Λύκοι βαρεῖς, μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου] Quales de quibus Ovidius,

—— Vix sunt homines hoc nomine digni:
Quámque lupi sævæ plus feritatis habent.

De hujusmodi, (qui & forsan hunc locum in mente habuit) Orat. 3. Julianus, Ἀντὶ κυνῶν καὶ λυμεῶνες τοῦ ποιμνίου καὶ κυνῶν οἱ φυλακώτατοι, τῆς αὐτῶν φύσεως καὶ τροφῆς ἐπιλαθόμενοι, καὶ ἀντὶ σωτήρων καὶ προαγωνιςῶν, δηλήμονες. Maximus Tyrius Dissert. Quid sit scientia, Κῦρος μὲν ἡγεῖτο Περσῶν ὡς ποιμὴν θρεμμάτων, σώζων τὸ αἰπόλιον, καὶ τρέφων, &c. Καμβύσης δὲ ἦν, καὶ αὖθις Ξέρξης, ἐκ ποιμένων ἀγαθῶν πονηροὶ λύκοι. Bato Dux Pannonum rebellium Romanis cur defecisset interrogantibus, Ὑμεῖς τούτων αἴτιοι· ἐπὶ τὰς ἀγέλας ὑμῶν φύλακας οὐ κύνας, οὐδὲ νομέας, ἀλλὰ λύκους, ἐπέμπετε, (apud Dion. Cass. lib. 56.) Autor 4. ad Herennium, *Cùm canes funguntur officiis luporum, cuinam præsidio pecuaria credemus?* Μὴ φειδόμενοι puto μείωσιν esse nec aliud quàm quod Matth. 23. 14. κατεσθίειν jam & lupis quid proprium magis?

Com. 30. Λαλοῦντες διεςραμμένα] Ψευδοδιδάσκαλοι, οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας, ut 2 Pet. 2. 1. διχοςασίας καὶ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ἐμάθετε ποιοῦντες, Rom. 16. 17. ταράσσοντες ὑμᾶς, καὶ τὸ τοῦ Χριςοῦ εὐαγγέλιον μεταςρέψαι θέλοντες, Gal. 1. 7. Ἀδίκων ἀνδρῶν σκολιοὺς λόγους etiam Theognis dixit. In Græco Prov. 8. 8. σκολιὸν ῥῆμα· ubi Vetus, ut & hic, *perversum.*

Com. 31. νύκτα καὶ ἡμέραν, &c. νουθετῶν ἕνα ἕκαςον] Vide Col. 1. 28. Philo in de Ling. confus. Νουθετῶν, σωφρονίζων, οὐ μεθ' ἡμέραν μόνον, ἀλλὰ καὶ νύκτωρ· id est, ἀδιαλείπτως. Vide 2 Tim. 1. 3. ubi παραλλήλως junguntur. Virgil.

Noctes atque dies ——

Servius, *Omni tempore.*

Com. 32. παρατίθεμαι ὑμᾶς τῷ Θεῷ τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι] Supple ὑμᾶς. Vide & suprà 9. 31. Eâdem hàc metaphorâ video & Senecam usum, *Patientem laboris, voluptatibus alienum: quantúmque imponere illi avunculus, &c. ut ita dicam, inædificare voluisset,* Lævum [illegible] ad Marc. cap. 2. de Marcello Octaviæ filio. Παρατίθεσθαι τῷ Θεῷ hic, ut suprà 14. 23. Τῷ δυναμένῳ, &c. Beza ad τῷ Θεῷ refert, quod non displicet. Vide Judæ Epist. com. 24. Et hoc est quod 2 Cor. 9. 8. idem Paulus dixit, Δυνατὸς ὁ Θεὸς πᾶσαν χάριν εἰς ὑμᾶς περισσεῦσαι, pro quo hic ἐποικοδομῆσαι. Erasmus illa verba cum τῷ λόγῳ junxit: cui favent quæ 2 Tim. 3. 15. & Jacobi 1. 21. occurrunt.

Ibid. καὶ δοῦναι ὑμῖν κληρονομίαν ἐν τοῖς ἡγιασμένοις] Κληρονομία hic est quod suprà 8. 21. μερὶς καὶ κλῆρος. Vide Ephes. 5. 6. Apoc. 20. 6. Contrarium ejus quod hic dicitur est Matth 24. 51. τὸ μέρος μετὰ τῶν ὑποκριτῶν τιθέναι. Vide Euripidis locum suprà ad 8. 21. adductum. Hæc scripseram, cùm in mentem venit locus infrà 26. 18. ubi disertè in eadem qua hic locutione κλῆρος, non κληρονομία est.

Com. 33. Ἀργυρίου, ἢ χρυσίου, ἢ ἱματισμοῦ οὐδενὸς ἐπεθύμησα]

—— Non me ullius domus anxia culpat,
Aspexísseve truces obliquo lumine natis.

Οὐδένα ἠδικήσαμεν, οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν, 2 Cor. 7. 2. Solent autem qui post aliquod temporis intervallum alicunde discessuri sunt, sic testari abstinentiam suam. Hieronymus sub profectionem suam à Roma respondens obtrectatoribus suis, *Dicant, quid unquam in me aliter senserint quàm Christianum decebat? pecuniam cujuspiam accepi? munera vel parva vel magna non sprevi? in manu mea æs alicujus insonuit?* Gracchus apud Gellium Provinciâ discessurus, *Ità versatus sum in Provincia ut nemo posset verè dicere, assem aut eo plus in muneribus me accepisse:* & statim, *Itaque, Quirites, cum Româ profectus sum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex Provincia inanes retuli; alii vini amphoras quas plenas retulerunt, eas argento plenas domum reportaverunt.* Arrianus 3. 7. inter boni Rectoris notas ponit, ἀπέχεσθαι τῶν ἀλλοτρίων, καλὴν γυναῖκα αὐτῷ μηδεμίαν ἢ τὴν ἑαυτοῦ φαίνεσθαι, καλὸν ἀργύρωμα μηδὲν, μηδὲ χρύσωμα. Cicero Offi. 2. *Nulla in re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii qui Reipublicæ præsunt, quàm abstinentiâ & continentiâ.* Idem ad Q. Fratrem, *Præclarum est summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cujusquam, nulla conditio pecuniæ, &c. ab summa integritate continentiaque deduxerit.*

Com. 34. Ταῖς χρείαις μου ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται] Servum ad manus non habui, ipsæ manus meæ servierunt mihi. Cicero De N. D. 2. *Operis hominum, id est, manibus, cibi varietas invenitur & copia.* Vide 1 Cor. 4. 12. Eph. 4. 28. & 1 Thes. 4. 11. Αὗται heic δεικτικῶς. Apuleius 2. *Ego te, Luci, meis istis manibus educavi.* Idem 5. *Cum ejus comas, quas istis manibus meis subinde aureo nitore perstrinxi, derasérim.* Et 6. *Quódque inter istas meas manus creverit.* Item 11. *Per istas meas manus sacrorum arcanis insinueris.* Sed notabile est Abdolonymum pauperem illud apud Q. Curtium ipsissimo quo hic Paulus modo locutum. *Hæ manus suffecere* (inquit) *desiderio meo.* Alius Declam. 4 apud Quintilianum, *Ut hæ laudatæ manus nec ad quotidiana vitæ ministeria sufficiant.* Philostratus de Palamede, Εἰπόντος ποτὲ πρὸς αὐτὸν Ἀχιλλέως, Ἀγροικότερος τοῖς πολλοῖς φαίνῃ ὅτι τὸν θεράποντα μὴ κέκτησαι. Τί οὖν ταῦτα, ἔφη, ὦ Ἀχιλλεῦ; τὼ χεῖρε ἅμφω προτείνας. Notetur etiam de manibus quam propriè ὑπηρετεῖν dictum. Cicero ubi suprà, *Manus artium ministras.* Val. Maximus, *Pertæsus dexteram suam, quòd ejus ministerio in cæde Regis usi nequisset.*

quisset. Apuleius de νευροσπάστοις loquens, *Torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium præsto erunt.* Seneca cap. 24. ad Marciam, *Ossa circumvoluta nervis, & obductam cutem, vultúmque, & ministras manus.* Sic Arnobius lib. 2, & 3. *manus ministras* dixit. Repete Quintiliani locum jam proximè citatum. Victor Uticensis 2. *In quorum contubernio quidam fuit aridam manum habens, quæ per annos quamplurimos nullum ei obsequium præstiterat:* id est, *ministerium.* Hinc victum manibus comparantes, χειρογάστορες χειροβοσκοί, & ἀποχειροβίωτοι dicti. Hesychius, Χειρόβοσκον, τὸν διὰ τῶν χειρῶν ζῶντα. Idem, χειρογάστορες, οἱ διὰ τῶν χειρῶν ζῶντες. Onomast. vetus, *Mechanicus*, Ἀποχειροβίωτος. Addit hic Paulus, καὶ τοῖς μετ' ἐμοῦ οὖσι. Epiphanius Hæresf. 80. Πάντων τῶν τοῦ Θεοῦ δούλων τῶν εἰς δικαιοσύνην καμνόντων ταῖς ἰδίαις χερσὶν, εἰς τὸ ἐπαρκεῖν καὶ τοῖς ἐνδεομένοις. Vide & Eph. 4. 28.

Com. 35. Οὕτω κοπιῶντας δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων] Ἀντιλαμβάνεσθαι est, *ruiturum fulcire:* vel *quasi manu protentâ lapsurum sustentare.* Sic. 2. 6. Sirachides. Herodianus 2. Ἐκλιπαροῦντες (Nigrum scilicet) τῶν πραγμάτων ἀντιλαμβάνεσθαι. Ubi dilutè accuratissimus Interpres Politianus, *ut Rempublicam capesseret.* Vertas, *ut fessas labentésque res*, vel, *Rempublicam, sustentaret.* Metaphoricè ad inanima transfertur. Hinc salem τῶν ἐπὶ τὴν φθορὰν φερομένων ἀντιλαμβάνεσθαι, *subsidio esse, impedire ne corrumpantur*, Plutarchus in Symposiacis dixit. Est hic τῶν ἀσθενούντων ἀντιλαμβάνεσθαι, quod 1 Thess 5. 14. τῶν ἀσθενῶν ἀντέχεσθαι Simile Rom. 15. 1. τὰ τῶν ἀδυνάτων ἀσθενήματα βαστάζειν. Ἀσθενοῦντας (ut Rom. 4. 19. & 14. 1.) τῇ πίστει intellige. Videntur autem hæc Pauli verba ad antecedentes versiculos 28, 29, 30. ubi de periculis ex ψευδοδιδασκάλων tortiloquiis Christiano gregi impensuris agit. Κοπιῶντας, ad proximè antecedentia & subsequentia referenda.

Ibid. Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν] Artemidorus 4. 3. Τῷ περὶ τῆς προκοπῆς φροντίζοντι ἀφελέσθαι καὶ διδόναι κρεῖττον ἢ λαμβάνειν. Interpres optimus Nicomacheorum, 4. 1. Μᾶλλον δοκεῖ ἀρετῆ εἶναι τὸ εὖ ποιεῖν ἢ τὸ εὖ πάσχειν. Julianus 2 Panegyrico, Λαβεῖν τοῦ διδόναι πανταχοῦ καταδεέστερον. Eodem sensu Lagi filius Ptolemæus dixit ἄμεινον εἶναι πλουτίζειν ἢ πλουτεῖν, apud Ælianum, Var. Histor. 13. 13. In vet. Mimo,

Pulcrum est præstare cuncta, nihil exigere.

Salustius Jugurth. *Beneficia invitus accipere, sed ea properantius quàm æs mutuum reddere: ipse ab nullo repetere: magis id laborare ut illi quamplurimi deberent.* Et in Catilinario, de primævo Rom. populo, *Optimus quisque, &c. sua ab aliis benefacta laudari, quàm ipse aliorum narrare malebat.* Apud Plutarchum Lycurgus, quòd latrantem sycophantam argento objecto placasset, petulanter insectatus, Εἶτα (inquit) ποῖός τις ὑμῖν δοκῶ εἶναι πολίτης, ὃς τοσοῦτον χρόνον τὰ δημόσια παρ' ὑμῖν πράττων, διδοὺς μᾶλλον ἢ λαμβάνων ἀδίκως εἴλημμαι;

Com. 37. Ἱκανὸς δὲ ἐγένετο κλαυθμὸς πάντων] Ut in ejusmodi separationibus evenire amat. Achilles Tatius 5. Ὁ Μενέλαος μέχρι τῶν λιμένων ἐλθὼν, καὶ ἀσπασάμενος, &c. ἀνετρέπετο αὖθις, &c. ἅμα δακρύων ἐμπεπλησμένος· καὶ ἡμῖν δὲ καὶ πᾶσι κατεφέρετο δάκρυα. Paterculus 2. *Quæ digredientium à tanto Viro omnium lacrymæ!* Plin. Panegyr. *Quam ego audio confusionem tuam fuisse, cùm digredientem prosequereris!* & statim, *Nec sustinuisti recedentem non etiam atque etiam votis, lacrymis sequi.* Cornel. Nepos, ubi de Attico tranquillatis rebus Romam remigrante, *Quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrymis desiderii futuri dolorem indicaret.* Horatius,

Flentibus hîc Varius discedit mæstus amicis.

Virgilius,

Exoritur procurva ingens per littora fletus:
Complexi inter se noctémque diémque morantur.

Vide Scriptorem Tobiæ cap. 4. Heliodorum & Herodianum jam statim adducendos.

Ibid. ἐπιπεσόντες ἐπὶ τὸν τράχηλον τοῦ Παύλου, κατεφίλουν αὐτὸν] Ad sensum Plinius jam dicto Panegyrici loco, *Nec temperasti tibi quominus exeunti in littore amplexus osculum ferres.* Vide & infrà 21. 6. ad locutionem Genes. 34. 4. Προσέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Adde & quæ 15. 20. in Euangelio.

Com. 38. προέπεμπον δὲ αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον] Herodianus 6. Ἀλλ' οὐδὲ τῶν δημοτῶν ἦν τις ὃς ἀδακρυτὶ προέπεμπεν αὐτόν. Heliodorus 5. Προέπεμπον αὐτὸν ἄχρι τῆς νεὼς, ἐπιδακρύων πλεῖστα. Προπέμπειν hic (& infrà 21. 5.) est *comitari, deducere*: alibi (ut ad Titum 3. 13. & in Epist. Joannis tertia) valet, *quæ usui sunt itineri, sufficere: præsidiis ad viam commodis instruere*, quod infrà 28. 10. ἀναγομένοις τὰ πρὸς τὴν χρείαν ἐπιτίθεσθαι.

CAP. XXI.

VALLA.

14. ET *cùm suadere ei non possemus*] Græci non distinguunt *suadere* & *persuadere*, ut nos facimus. Est enim *persuadere* suadendo inducere hominem. Ergò non fuit Interpreti, si tamen ejus culpa est, sequenda lingua Græca, sed Latina: μὴ πειθομένου αὐτοῦ, quod propriè transfertur, *Cùm autem non persuaderetur.*

ERASMUS.

1. V*Enimus Coum*] Nonnulli cod. habent Κῶ, nonnulli Κῶν· utroque modo pronunciari fatetur Stephanus, quin & Κέως dictam, fuisse quondam: unde & Plinius admonet *Ceam* dictam, & Κόον, Insula notior est quàm ut sit explananda. ¶ *Et in Pataram*] Πάταρα Græci pronunciant n. genere numero plurativo: quanquam utroque modo reperio usurpari hujusmodi nomina, *Lystra* & *Lystram*, *Psyra* & *Psyram.*

3 *Cùm apparuissemus autem Cypro*[Suspicor interpretem ità vertisse *Cùm aperuissemus autem Cyprum:* nam Græcè est, Ἀναφάναντες δὲ τὴν Κύπρον. Porrò qui navigant nunc hanc nunc illam *terram* dicuntur *aperire* aut *celare*, cùm incipit in prospectu esse, aut secùs. Proinde vertimus, *Cùm autem cœpisset nobis apparere Cyprus.* Consimili figurâ dixit Virgilius,

——Terraque urbésque recedunt.

In cod. D. Donatiani *apparuissemus* erat depravatum; sed *Cyprum* relictum indicabat germanam lectionem fuisse, *Cùm apparuissemus Cyprum.* ¶ *Venimus Tyrum*] Civitas est maritima, metropolis Phœnices, quondam insula septingentis passibus divisa à continente mari prælto, sed vix credibili opere comportatis aggeribus per Alexandrum Magnum adjuncta continenti. Est in tribu Neptalim, vicesimo fermè milliario à Cæsarea Philippi.

6. *Valefecissemus invicem*] Ἀσπασάμενοι ἀλλήλους, i. *complexi alius alium*, sive *consalutatione mutuâ factâ.* Apparet Interpretem legisse ἀποταξάμενοι.

2. *Venimus Cæsaream*] Hæc est Cæsarea Palæstinæ, civitas litoralis, primùm dicta *Turris Stratonis:* deinde ab Herode instaurata, in honorem Cæsaris Augusti *Cæsarea* dicta est. Est altera, *Cæsarea Philippi*, ad radices montis Libani, in honorem Tiberii Cæsaris *Cæsarea* dicta. Est tertia Cappadociæ, quò Paulus Epheso delatus salutavit Ecclesiam. Autor Hieronymus.

10. *Per dies aliquot*] Ἡμέρας πλείους *dies complures.*

12. *Nos & qui loci illius erant*] Ἡμεῖς τε καὶ οἱ ἐντόπιοι, *tum nos tum ii qui erant illius loci.*

14. *Et cùm suadere ei non possemus*] Quid est hoc? An non dixerat modò illos *suasisse?* Verùm Interpres abusus est *suadere* pro *persuadere.* *Suadet* enim qui consulit, *persuadet* qui quò vult inducit hominem. Græca vox anceps est ad utrumque. Πείθειν insuper convenit non solùm *suadenti* aut *persuadenti*, verùm etiam *obtemperanti.* Μὴ πειθομένου δὲ αὐτοῦ *Cæterùm cùm illi non persuaderetur*, sive *cùm ille non obtemperaret, quievimus.*

15. *Præparati ascendebamus*] Ἀποσκευασάμενοι quod ego puto vertendum *sublatis sarcinis.*

16. *Jasonem quendam*] Græci legunt Μνάσωνί τινι *Mnasonem quendam.* Licèt apud Chrysost. in Rom. 16. legitur Ἰάσονα tametsi scribæ solent ejusmodi multa depravare.

20. *Magnificabant*] Ἐδόξαζον *glorificabant.*

21. *Audierunt autem de te*] Κατηχήθησαν. Idem verbum unde diximus dici *Catechumenos.* Eodem utitur paulò pòst, ὅτι ὧν κατήχηνται. ¶ *Discessionem*] Ἀποστασίαν, *defectionem.* ¶ *Eorum qui per Gentes sunt Judæorum*] Τοὺς κατὰ τὰ ἔθνη πάντας Ἰουδαίους, *eos qui in Gentibus sunt omnes Judæos.* Offendit Interpretem geminus accusativus additus verbo *docendi.*

¶ *Ne-*

¶ *Neque secundùm consuetudinem ingredi*] Μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν, *neque juxta consuetudines ambulare.* Nam *ambulare* vocat vivere, & *consuetudines* instituta & morem ejus gentis. Atque & hoc sanè loco Jacobus videtur tum adhuc in ea fuisse sententia ut existimaret Judæis aliqua ex parte servandam esse legem Mosaicam; cùm Petrus & Paulus Gentilium more vixisse legantur. Non quòd illam existimaret necessariam ad salutem, sed utilem ad vitandum offendiculum infirmorum, cùm Paulus putaret jam esse tempus negligendi eam superstitionem, utpote vergentem in magnum discrimen Euangelicæ doctrinæ.

24. *Sanctifica te*] Ἁγνίσθητι, *purifica te.* Et paulò pòst *purificatus*, ἁγνισθείς. ¶ *Falsa sunt*] Οὐδέν ἐστιν, *nihil sunt*

25. *Ab idolis immolato*, &c.] Nos quatuor habemus, quemadmodum & Græci: Augustinus in Speculo non commemorat nisi tria, *idolothyta*, *sanguinem*, & *fornicationem.* Et nè quis hunc casum interpretetur, addit quosdam ex his Lucæ verbis occasionem erroris arripuisse, ut dicerent *non esse nisi tria crimina letalia.*

27. *Concitaverunt omnem*] Συνέχεον *confundebant*, sive *conturbabant.* Et, *totum* potiùs quàm *omnem.* ¶ *Populum*] Ὄχλον, *turbam* sive *multitudinem.*

28. *Succurrite*, potiùs quàm *adjuvate*, βοηθεῖτε nam *adjuvat* qui est particeps operis. ¶ *Hic est homo*] Οὗτός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, i. *ille homo.* ¶ *Omnes ubique docet*] Periit apud nos gratia schematis, Πάντας πανταχοῦ, i. *omnes omni in loco* ¶ *Violavit sanctum locum istum*] Κεκοίνωκε *profanavit*, sive, ut Hebræi loquuntur, *communem reddidit.*

34. *Certum cognoscere*] Τὸ ἀσφαλές. Rectè sanè hoc: at cur non itidem transtulit in præfatione Euangelii τὴν ἀσφάλειαν *certitudinem?* ¶ *Jussit eum duci in castra*] Εἰς τὴν παρεμβολήν. Ità vocat locum communitum. Cæterùm quidam ex *castris* fecerant *carcerem:* & ob id admonendum duximus, nè serpat id mendi latiùs.

38. *Nonne tu es Ægyptius*] Ægyptii malè audiebant olim tanquam malarum autores artium; id quod non paucis locis indicat Juvenalis ac Lucianus. Quin & proverbiis aliquot hujus gentis mores notati sunt, quæ recensuimus in Chiliadibus nostris. ¶ *Sicariorum*] Græcè scribens usus est voce Latinâ, id quod jam novum videri non potest, cum toties sit obvium.

39. *A Tarso, Ciliciæ*] Ταρσεὺς, τῆς Κιλικίας, *Tarsensis, quæ est civitas Ciliciæ.* Est autem metropolis ejus regionis, ¶ Nec est *ignotæ*, sed ἀσήμου *obscuræ:* nisi quòd *ignotos homines* Horatius dixit obscuros & ignobiles. Testatur idem Stephanus De nominibus urbium, hanc ἐπισημοτάτην appellans, h. e. *primariam ac præter cæteras insignem*, olim dictam *Tersen*, per ε ψιλὸν sive quòd illic à Diluvio primum apparuerit *terra sicca*, sive quòd illic delapsus Pegasus *talo* fracto, quem illi ταρσὸν appellant, claudicationem contraxerit. Porrò quantumvis fuit celebris aliis nominibus, nullo tamen insignior quàm quòd illi Paulum debemus, usque adeò præcipuum Christianæ philosophiæ præconem ac propugnatorem ut, ni ille nobis Divino munere contigisset, periculum fuerit futurum nè Christiani omnes in servilem illam & humilem Moysi legem relaberentur. Quanquam nunc quoque ratione magis quàm numero ceremoniarum ab illis differimus: eò Christus progressu temporum recidit. Est & alia ejusdem nominis in Bithynia: Rursus alia quæpiam in India, ut indicat Hieronymus in Commentariis quos conscripsit in Jonam. Josephus putat Tarsum Ciliciæ esse in quam fugerit Jonas. ¶ Porrò quod quidam legunt *municeps*, quidam *civis*, Græcis est πολίτης, i. *civis.* Verùm opinor Interpretem offensum affinitate vocum *civitatis* & *civis*, quæ tamen eadem est in sermone Græco, πόλεως, πολίτης. Subest & amphibologiæ nonnihil: videtur enim πόλεως appositivè jungi *Ciliciæ*, cùm pertineat ad *Tarsum.*

VATABLUS.

3. CUM *apparuissemus autem Cypro*] *Cùm autem cœpisset nobis apparere Cyprus.* Vet. legunt *apparuissemus Cyprum.* Accus. *Cyprum* indicat interpretem scripsisse *aperuissemus:* tunc autem *terram hanc* aut *illam aperire* dicimur aut *celare*, cùm incipit in prospectu esse, aut secùs.

4. *Discipulis*] i. *Christianis.* ¶ *Per Spiritum*] *Admoniti à Spiritu.*

6. *Valefecissemus invicem*] *Complexi alius alium*; vel *consalutatione mutuâ factâ.*

7. *Explicitâ*] *Expletâ*, Vet.

8. *Aliâ autem die profecti*] *Postridie verò egressi qui cum Paulo eramus.* ¶ *Intrantes*] *Ingressi*; vel *ingressus*, sub. *Paulus.* ¶ *Septem*] Sub. *Diaconis.*

10. *Moraremur per dies aliquot*, *superveni*[illegible]] *Permaneremus dies complures*, *descendit.*

12. *Quod*] *Quæ.*

13. *Autem*] *Enim*, Vet. ¶ *Propter nomen*] *Pro nomine.*

14. *Suadere*] *Persuadere.*

15. *Præparati*] Vel *sublatis sarcinis.*

16. *Venerunt autem* *] * *Unà*, &c. ¶ *Jasonem*] *Mnasonem*, Vet.

18. *Seniores*] *Presbyteri.*

20. *Magnificabant*] *Glorificabant.* ¶ *Quot millia*] Gr. *Quot myriades.* Continet autem myrias decem millia hominum. ¶ *Æmulatores*] *Studiosi sectatores.*

21. *Eorum qui per Gentes sunt Judæorum*] *Eos qui in Gentibus sunt, omnes Judæos.* ¶ *Consuetudinem ingredi*] *Consuetudines ambulare:* i. non vivere secundùm ritus paternos.

22. *Utique*] *Omnino.*

23. *Votum habentes super se*] i. Nazaræi: h. e. se qui se voto purificationis, i. Nazaræatûs obstrinxerant. Pauperes erant isti, neque in promptu habebant oblationes quas offerrent.

24. *Sanctifica*] *Purifica.* ¶ *Impende in illis*] *Sumptus fac propter illos*, vel *cum illis.* ¶ *Scient*] *Cognoscant* ¶ *Falsa*] *Nihil.* ¶ *Ambulas*] *Vitam instituis.* Secunda persona.

25. *Judicantes*] *Decernentes ne quid hujusmodi observent, nisi*, &c. ¶ *Fornicatione*] *Scortatione.*

26. *Purificatus cum illis*] i. Simulans se cum aliis implevisse tempus Nazaræatûs. ¶ *Annuncians*] Sub. *Sacerdoti.* ¶ *Donec*] Sub. *neque discessit à templo, donec*, &c. ¶ *Offerretur*] Vel *oblata esset.*

27. *Consummarentur*] *Jam penè essent expleti* [ex quo scilicet Paulus Jerusalem fuerat ingressus.] ¶ *Concitaverunt omnem*] *Conturbarunt totam.*

28. *Hic est* *] * *Ille.*

29. *Quoniam*] *Quòd.*

31. *Autem* *] * *Illis.* ¶ *Nunciatum est*] Gr. *Ascendit fama*, vel *pervenit rumor.*

38. *Tu es* *] * *Ille.*

39. *Et dixit*] *Dixit autem.* ¶ *A Tarso Ciliciæ non ignotæ civitatis municeps*] Vel *Tarsensis, non obscuræ Cilicum civitatis civis.*

CASTALIO.

21. NEC *moribus vivendum*] Mosaicis.

CLARIUS.

2. ET *cùm invenissemus navim*] *Quod dicit hoc est, Non inventâ navi quæ iret Cæsaream, sed Phœnicem, ascendimus in eam, & reliquimus Cyprum & Syriam: nam reliquisse eam ad sinistram non simpliciter dictum est, sed nè vicini quidem Syriæ fieri curabant. Venerunt igitur in Lyciam, & relictâ Cypro, Tyrum adnavigaverunt.* Sic habent quædam Græca Scholia.

9. *Quatuor filiæ virgines*] Ostendit eas studio pietatis exercuisse virginitatem; alioqui non fuisset necesse addere *virgines:* sed hoc adjectum est in commendationem, quódque ab ipso initio prædicationis Euangelicæ cœpta est exerceri vita ἰσάγγελος.

24. *Et impende in illis*] h. e. allatas pro eis hostias secundùm legem tu offer, ut suspicionem dissolvas.

ZEGERUS.

3. CUm *apparuissemus autem Cypro*] Per Hypallagen dictum est pro eo quod est *Cum apparuisset nobis Cyprus:* nimirum simile illi, *Trade rati ventos*, pro *Trade ratem ventis*

7. *Nos vero navigatione explicitâ, à Tyro descendimus*] Illud πλοῦν διανύσαντες etiam esse potest *navigationem perficientes:* id quod magis quadrat, propterea quòd non antè expleverint navigationem quàm pervenissent Ptolemaidem. Et ἀόριστος nonnunquam pro rei exigentia præsens potiùs tempus indicat quàm præteritum, ut meritò ἀόριστος, h. e. *indefinitus*, appelletur.

8 *Qui erat unus de septem*] Vocabulum *unus* equidem non ausim abjicere, quòd æquè ab ipso Interprete videri possit adjectum ad leniendum sermonem ut ab alio quopiam. Codices variant.

14 *Cùm suadere ei non possemus*, μὴ πειθομένου δὲ αὐτοῦ] i. *cùm ipse persuaderi nollet*, vel *cum non obtemperaret*

16. *Venerunt autem quidam ex discipulis*] Interpres, quò leniret sermonem, adjecit, ni fallor, illud *quidam*, mutatâ

phrasi Græc[illegible] auribus insolitâ. Sic enim habet, Συνῆλθον δὲ καὶ τῶν μαθητῶν ἀπὸ Καισαρείας σὺν ἡμῖν. Itaque non puto *quidam* tollendum, etiamsi in antiquis nonnullis non legatur. Quod si quis tamen tergiversetur, de re tantilla non contendam: plures enim codices non habent; an tamen abjectum sit juxta Græcos dubitari potest. *Jasonem quendam*] Vel *Mnasonem*: nam utrumque reperias. In duobus exempl. scriptis inveni *Nasonem*. Producit autem penultimam propter ωμέγα.

20. *Æmulatores sunt Legis*] Sentit imitatores legis Mosiacæ, adversus Paulum.

21. *Quia discessionem doceas à Moyse eorum qui per Gentes sunt Judæorum*] h. e. *quòd apostasiam*, sive *defectionem, doceas à Moyse omnes qui apud Gentes sunt Judæos*. Sic enim Græca resonant. ¶ *Secundùm consuetudinem ingredi*] i. secundùm morem & instituta Judæorum.

23. *Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se*] h. e. (ut elucidat quidam Hebraicarum rerum non vulgariter doctus) Nazarei, i. qui se voto purificationis, i. Nazareatûs obstrinxerant. Quales autem fuerint Nazareorum ritus ex Num. 6. c. discere potes. Vide item locum illum, *qui sibi totonderat*, suprà 8. 18.

24. *Impende in illis*] i. offer hostias & munera unà cum illis, ut solet fieri in talibus: sic enim interpretantur. Vel δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς, i. *sumptus fac propter illos*. Testatur enim is quem modò citavi pauperes hos fuisse, nec habuisse in promptu oblationes quas offerrent. De ritu autem & oblationibus eorum qui se Deo devoverant habes Num. 6.

25. *A sanguine & suffocato*] Nonnulli interponunt *&* copulam: alii contrà. Vide suprà c. 15.

29. *Trophimum*] Mediam corripit.

34. *Alii autem aliud clamabant*] i. diversi diversa clamabant. ¶ *Duci in castra*] Εἰς τὴν παρεμβολήν. Ità vocat locum communitum, vel Tribuni arcem.

35. *Et cum venisset ad gradus*] *Gradus*, inquit Beda in Glossa Ordinaria, *descensionis de Templo, sed ascensionis in castra significat*. Supra enim è Templo protractum Paulum dixerat.

37. *Græcè nosti*] Hoc admirans sciscitatur Tribunus, propterea quòd Paulum Hebræum Græcè audiret loquentem.

38. *Nónne tu es Ægyptius qui ante hos dies tumultum concitasti?*] De hoc Ægyptio Josephus lib. Ant. Jud. 20. c. 6. scribit in hæc verba; *Venit, inquit, aliquis ex Ægypto ad Hierosolymam: dicens se esse Prophetam; & popularì multitudini suasit uti cum eo ad montem qui dicitur Olivarum, positum è diverso civitatis procul stadiis quinque consenderent; velle se dicens eis exinde monstrare quia eo veniente Hierosolymorum muri corruerent, unde ingressum eis faciendum esse promittebat. Felix autem cum hæc audisset, jussit militibus ut arma sumerent. Quo facto, cum multis equestribus impetu facto ab Hierosolymis irruit super eos, & quadringentos quidem eorum gladiis interemit, ducentos verò vivos cepit. Ipse autem Ægyptius lapsus fugâ disparuit.* Hæc ille. ¶ *Virorum sicariorum*] *Sicarius* Latinum vocabulum est, licèt ab Euangelista usurpatum, significatque *interemptorem*, à *sica* genere gladii brevioris. Diciturque *sica* quasi *seca*, à *secando*.

39. *Non ignotæ civitatis municeps*] h. e. *non ignobilis civitatis*, nimirum Tarsensis civis. Posset tamen & de Roma civitatum nobilissima id dictum accipi, cujus Apostolum municipem fuisse constat.

H. STEPHANUS.

3. Ἀποφορτιζόμενον τὸν γόμον] *Exoneraturum se mercibus*.

5. Ἐξαρτίσαι τὰς ἡμέρας] *Peregisse illos dies*.

6. Ὑπέστρεψαν εἰς τὰ ἴδια] *Reversi sunt domum*: vel *ad sua*.

12. Οἱ ἐντόπιοι] Gall. *Ceux du lieu*.

13. Τί ποιεῖτε, κλαίοντες καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν;] *Quid facitis, flentes & frangentes cor meum?* vel *molle & languidum reddentes*. q. d. *Quorsum fletis & frangitis*: Vel, *Quid prodest vobis flere & frangere?*

14. Ἡσυχάσαμεν] *Desiimus illum rogare*. Vel, *abstinuimus illis precibus*.

15. Ἀποσκευασάμενοι] *Depositis sarcinis* (ut videlicet expeditior esset navigatio) vel sequendo alteram lectionem, *collectis sarcinis*.

16. Τῶν μαθητῶν] Quidam *è discipulis*.

23. Εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν] *Voto obstricti*: vel, *obnoxii*.

28. Κεκοίνωκε] *Polluit*.

31. Ἀνέβη φάσις τῷ χιλιάρχῳ] *Pervenit fama ad tribunum*.

34. Γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς] *Cognoscere quicquam certi*. ¶ Εἰς τὴν παρεμβολὴν] *In castra*.

38. Ἀναστατώσας] *Ad seditionem concitasti*, vel *impulisti*.

39. Οὐκ ἀσήμου] *Non ignobilis*.

DRUSIUS.

1. *Pataram*] Græci cod. ut etiam Syrus Πάταρα quæ & *Pataris* vocatur ab Hesychio. Est autem Lyciæ maritima urbs. Erasmus annotat Πάταρα *Græcos pronunciare neutro genere numero plurali*. Sic τὰ Σόδομα dicimus & ἡ Σόδομα, item τὰ Ἱεροσόλυμα & ἡ Ἱεροσόλυμα, h. e. *Jerosolyma Jerosolymorum*, & *Jerosolyma Jerosolymæ*. *Quanquam*, inquit Erasmus, *utroque modo reperio usurpari hujusmodi nomina*, *Lystra & Lystram*, *Psyra & Psyram*.

7. Εἰς Πτολεμαΐδα] Interp. vetus, *Ptolemaidem*; alius recentior, *Ptolemaida*; Syrus, לעכו. Hebraicè est *Aco*. Stephanus scribit *Ace*. Strabo lib. 16. Πτολεμαῒς μεγάλη πόλις, ἣν Ἄκην ὠνόμαζον πρότερον. Rectiùs Ἄκην. Apud Gorionidem vocatur תלמידה, nisi mendum est pro תלמידה, i. *Tholemais*, unde *columnæ Tholemaidenses*. *Ptolomais*, *Tholemais*, ut *Ptolemaus*, *Tholemaus*; unde *Bartholomæus* aut *Bartholemæus*. Nam utraque scriptura in usu. Urbs hæc Phœnices antiquum nomen *Ace*, hodie adhuc retinet. In tertio Machabæorum cognominatur ῥοδοφόρος *rosifera*. Erat & alia urbs hoc nomine in Africa. Hieron. de Locis Actor. *Ptolemais, civitas in Judæa maritima prope montem Carmelum, quæ quondam à quodam Ptolemæo sic dicta est. Est autem altera Ptolemais in Pentapoli provincia Africæ, cujus supra meminit.*

14. *DOMINI voluntas fiat*] Videtur Dei voluntas fuisse ut iret Jerosolymam, cum toties eum monuerit per Spiritum suum. Sed de hoc facto Apostoli malo aliorum audire sententiam quàm meam dicere. Quis enim ego? Qui arcana cœli scrutantur, & sciunt quid Pater Filio in aurem dixerit, meliùs de eo judicabunt, censebunt. Fortè Spiritus, cùm eum admoneret, explorare voluit constantiam ipsius. Quis hoc negare ausit?

16. *Mnasonem*] Latina exempl. hic variant. Nam in plerisque *Jasonem*; quomodo etiam legit Chrysostomus in epist. ad Rom. c. 16. 21. nam Ἰάσων *Jason*. Syrus habet מנסון *Mnason*. Hoc nomen nondum mihi lectum in monumentis Doctorum quos appellant.

23. *Votum habentes super se*] Non perpetuum sed temporarium: qui *Nazirai dierum* vocantur, quorum ritus describuntur Num. 6. Erant alii Naziræi qui faciebant votum perpetuum, in queis Samuel & Samson: hi dicebantur *Nazaræi seculi*, i. perpetui. Vide Annot. nostras in Num. 6. & Liram ad eum locum.

24. *Sanctifica te cum illis*] Vel *sanctificator*, ἁγνίσθητι Allusit ad modum נזיר *Nazir*, quod *sanctum* reddunt, & *Naziræum* sig. vel *separatum*; quæ in idem recidunt. Sanè Num. 6. 2. *votum Nazirai* Hieronymus reddit *votum ut sanctificentur*, & Lxx ἀφαγνίσασθαι. Num. 6. 3. ἀπὸ οἴνου καὶ σίκερα ἁγνισθήσεται, i. *separabit se*. Ergò ἁγνίσθητι valet ut si dicas *esto Nazaræus cum illis*. Sanè Nazireatus ἁγνεία vocatur Num. 6. 26. הנזר *separato te*, i. esto Naziræus.

38. *Ægyptius ille*] De quo Eusebius Hist. Eccles. l. 2. c. 21. & Josephus Ant. l. 20. c. 6. & Belli Jud. l. 2. c. 12. Rursum Eusebius in Chronico, *Sub Felice Procuratore exstitere multi qui populum sua persuasione deceperant: in quibus & Ægyptius quidam pseudopropheta fuit, qui plurimos sibi associans in ipso magnarum rerum conatu per exercitum Felicis opprimitur*. ¶ *Sicariorum*] A *sica* sic dicti: quæ vox affinitatem habet cum Ebræo סכין *cultrum* denotante nomine. Sunt qui eos fuisse putant ex sectatoribus Judæ Galilæi, qui solum Deum Dominum agnoscebant; de quibus Josephus Orig. l. 18. c. 2. & l. 20. c. 7. Alii eosdem faciunt cum Hessæis; quorum è numero Theophylactus in Comment. ad hunc librum, pag. 179. Potest fieri ut aliqui ex hac secta sicarii fuerint. Nam Hessæi contra Romanos acerrimè dimicabant, & nè Cæsarem *Dominum* dicerent acerbissimos cruciatus tolerabant, imò vitam profundere mortémque oppetere non dubitabant. De his & Sicariis aliquid Scaliger Animad. Euseb. pag. 177. col. 1. Josephus autor, Judæ sectatores, excepto eo quòd neminem mortalium *Dominum* appellarent, cætera Pharisæos fuisse. Contrà legimus apud Salmanticensem in libro Johasin 139. 1. *autorem sectæ Essenorum* (quos *Naziræos* appellat, i. *sanctos*, & *Hasidæos*, i. *pios*) *fuisse Judam Galilæum*. Item, *Essenos illos in causa fuisse cur Judæi rebellarent contra Romanos, quòd dicerent æquum esse ut super homines dominetur solus DOMINUS, nec alium vocandum esse Dominum quàm Deum benedictum*, sive *laudandum*.

GUAL-

GUALTPERIUS.

25. Εἰδωλόθυτον, *idolothytum*] Vox Græca significans *idolis immolatum*; εἴδωλον namque *idolum* sive *simulacrum* est; item *effigies*, *spectrum*, *signum*. Apud profanos scriptores Græcos tam latè patet vox εἰδώλυ atque apud Latinos *imaginis* & *simulacri*; ut intelligatur id omne quo repræsentatur nobis forma rei alicujus vel fictæ, vel etiam veræ. Apud Ecclesiasticos scriptores peculiarem habet significationem, intelliguntur enim simulacra Numen aliquod repræsentantia quod honore & cultu dignamur. Exstat etiam hæc vox suprà 15. 29. in 1 Cor. aliquoties, in Apoc. bis.

38. Τῶν σικαρίων, *Sicariorum*] In Syro אלפא גברין עבדי בישתא i. *hominum facientium mala*, seu *facinorosorum*. Vox est Latina, & accipitur pro *eo qui sicam gerit maleficii alicujus gratiâ*; & pro *interfectore* accipitur. Cicero pro Rosc. *Vetus videlicet sicarius, homo audax & sæpe in cæde versatus.* Græcis alias dicitur ξιφήρης

LUD. CAPPELLUS.

23. Εὐχὴν ἔχοντες ἐφ᾽ ἑαυτῶν) Quale fuerit hujusmodi votum videtur posse intelligi ex consuetudine Judæorum tum temporis quam aperit Josephus l. 2. De Bello Jud. c. 15. ubi de Berenice Agrippæ Regis sorore, Ἐπεδήμει, inquit, ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις τότε, εὐχὴν ἐκτελῦσα τῷ Θεῷ. Τὰς γὰρ ἢ νόσῳ καταπονουμένους ἤ τισιν ἄλλαις ἀνάγκαις ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξεσθαι, καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας. Non videtur ergo votum hominum istorum fuisse Nazaræatûs votum (uti plerique existimant) sed votum conceptum ob liberationem vel à morbo vel ab alio aliquo periculo seu necessitate, prout tum temporis in more erat positum Judæis vovere vel precibus vacare, & abstinere à vino, & radere comam triginta diebus antequam victimas Deo cæderent. Sed videtur omnino apud Josephum legendum esse πρὸ τριῶν ἡμερῶν, non vero τριάκοντα: nam longum est tempus illud; neque commodum erat omnibus voventibus tam diu Jerosolymis hærere usque dum sacrificia pro iis peragerentur. Atque hinc nata videtur consuetudo quæ in Ecclesia Romana jampridem obtinet, Ut cùm quis votum à se conceptum reddit Sancto alicui à quo putat se accepisse beneficium, id solet facere novem dierum spatio, quod vernaculâ nobis linguâ vocant *faire sa neuvaine*.

GROTIUS.

Ἀναχθῆναι ἡμᾶς, *Ut navigaremus*] Sume ut supra 13. 13. & 16. 11. & 18. 21. & 20. 3, 13. ¶ Ἀποσπασθέντας ἀπ᾽ αὐτῶν, *abstracti ab eis*] Quasi vi avulsi. Significanter exprimit affectus mutuos. ¶ Εὐθυδρομήσαντες, *recto cursu*] *Vento secundo*, ut supra 16. 11. ¶ Εἰς τὴν Κῶν, *Coum*] *Con* dixit Aristoteles: *Coon* Plinius. Priores illas duas desinentias agnoscit Stephanus: Lucas eam prætulit quam & supra habuimus 19. 1. Insula est inter Cycladas celeberrima tum Æsculapii cultu tum Junonis æde, de qua scriptum Theodori librum memorat Vitruvius. ¶ Τῇ δὲ ἑξῆς εἰς τὴν Ῥόδον, *& sequenti die Rhodum*] Solis cultu & Colosso nobilem.

2. Διαπερῶν εἰς Φοινίκην, *transfretantem in Phœnicem*] Nempe Tyrum, ut mox dicet.

3. Ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον, *Cùm apparuissemus autem Cypro*] Est vox nautica, *Cùm detexissemus Cyprum.* Etiam nunc sic loquuntur nautæ cùm volunt dicere aliquem locum priùs latentem sibi in conspectum venisse. ¶ Καὶ καταλιπόντες αὐτὴν εὐώνυμον, *relinquentes eam ad sinistram*] Similis locutio,

---- At illi læva jacebat
Bellua.

¶ Ἐκεῖ γὰρ ἦν τὸ πλοῖον ἀποφορτιζόμενον τὸν γόμον. *ibi enim navis expositura erat onus*] Præsens pro futuro. *Ibi navis exponere debebat onus* Ephesi receptum.

4. Ἔλεγον διὰ τοῦ πνεύματος, μὴ ἀναβαίνειν εἰς Ἱερουσαλήμ. *dicebant per Spiritum, ne adscenderet Hierosolymam*] Brevis locutio, subintelligendum enim, *nisi vinciri vellet.* Eadem illi prædicebant, quæ mox Agabus.

5. Ὅτε δὲ ἐγένετο ἡμᾶς ἐξαρτίσαι τὰς ἡμέρας, *Et expletis diebus*] Ἐξαρτίσαι, id est, πληρῶσαι, מלא [*explere.*] ¶ Προπεμπόντων ἡμᾶς πάντων, *deducentibus nos omnibus*] Ut supra 15. 3. & 20. 38. ¶ Καὶ θέντες τὰ γόνατα ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, *& positis genibus in littore*] Ex occasione quidem itineris à Paulo suscepti, sed simul congruenter mori Judæorum. Tertullianus de Jejuniis, *Judaicum certe jejunium ubique celebratur, cum omissis templis, per omne littus, quocunque in aperto aliquando jam preces ad cœlum mittant.* Idem adversùs Nationes 1. *Judæi enim festi, sabbata & cœna pura, & Judaici ritus lucernarum, & jejunia cum azymis, & orationes littorales.* Philo adversùs Flaccum, Πάννυχοι δὲ διατελέσαντες ἐν ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς ἅμα τῇ ἕῳ διὰ πυλῶν ἐκχυθέντες, ἐπὶ τοὺς πλησίον αἰγιαλοὺς ἀφικνοῦνται [*Atque ita nocte tota exactâ in hymnis & canticis, summo manè portis se in proxima littora effundunt*] Vide quæ supra 16. 13.

6. Καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους, *Et cùm valefecissemus invicem*] Ut supra 20. 1. In Manuscripto est, προσευξάμενοι ἀπησπασάμεθα ἀλλήλους [*precati valediximus invicem.*] ¶ Εἰς τὰ ἴδια. *in sua*] Vide quæ diximus ad Lucæ 2. 49.

7. Κατηντήσαμεν εἰς Πτολεμαΐδα *pervenimus Ptolemaïdem*] Urbem Phœnices, quam Plinius dicit olim *Acen* dictam, id est עכו [*Aco*] Jud. 1. 31. In Manuscripto, κατέβημεν εἰς Πτολεμαΐδα [*descendimus Ptolemaidem.*]

8. Εἰς Καισάρειαν *Cæsaream*] *Stratonis*, quæ in Judæa, sive Syria Palæstina. Vide Ptolemæum. ¶ Φιλίππου τοῦ εὐαγγελιστοῦ, τοῦ ὄντος ἐκ τῶν ἑπτὰ, *Philippi Euangelistæ qui erat de septem*] Id est, qui cùm olim de numero 7. Diaconorum fuisset, factus erat Presbyter περιοδευτὴς [*circumiens.*] nulli certæ Ecclesiæ affixus: quales *Euangelistæ* vocabantur Eph. 4. 11. 2 Tim. 4. 5. Id est מבשרים [*Euangelizantes*] Esaiæ 40. 9. & 52. 7. Ita solebant promotiones fieri κατὰ βαθμὸν [*per gradus,*] 1 Timoth. 3. 13.

9. Θυγατέρες παρθένοι, *filiæ virgines*] Ex proposito & suo & Patris, ut credibile est. Vide quæ dicta ad Lucæ 2. 37. Matth. 19. 12. adde 1 Cor. 7. 37. ¶ Προφητεύουσαι. *prophetantes*] Vide hic impletum id quod habuimus supra 2. 18. ἐπὶ τὰς δούλας μου [*super ancillas meas.*]

10. Ὀνόματι Ἄγαβος. *nomine Agabus*] Is de quo supra 11. 28.

11. Καὶ ἄρας τὴν ζώνην τοῦ Παύλου, *tulit zonam Pauli*] Notus Prophetarum mos, ipsis etiam rebus conspicuis futura præsignandi. Sic zonam suam defodere jussus Jeremias 13. Imitati id & falsi prophetæ, ut apparet Jeremiæ 28, Dionysius Thrax, Ἐσήμαινον γοῦν οὐ διὰ λέξεως μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ συμβόλων [*Futurum quippe portendebant non verbis solum, verum etiam signis.*] ¶ Δήσας τε αὐτοῦ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, *& alligans sibi pedes & manus*] Sic Christus Petro dixerat, ἄλλος σε ζώσει [*alius te cinget*] Johan. 21. 18. ¶ Καὶ παραδώσουσιν εἰς χεῖρας ἐθνῶν. *& tradent in manus Gentium*] Ita discipulo eventurum erat quod olim Magistro, Matth. 20. 19.

12. Καὶ οἱ ἐντόπιοι, *& qui illius loci erant*] Cæsarienses Christiani, humano ducti affectu.

13. Καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν; *& affligentes cor meum?*] *Frangentes animum*, nempe quantum in ipsis erat: verba enim interdum intelliguntur etiam sine effectu. Est locutio eadem Num. 32. 9. ויניאו את לב, *fregerunt cor*, ubi Lxx ἀπέστησαν τὴν καρδίαν [*subverterunt cor.*] Paulò ante, ubi idem verbum est, διαστρέφετε τὰς διανοίας [*subvertitis mentes.*] ¶ Ἑτοίμως ἔχω, *paratus sum*] Eadem locutio 2 Cor. 12. 14. 1 Pet. 4. 5. & Dan. 3. 18.

14. Εἰπόντες Τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου γενέσθω *dicentes, Domini voluntas fiat*] Et hoc ad exemplum Magistri, Matth. 26. 42.

15. Ἐπισκευασάμενοι, *præparati*] Sic & Manuscriptus, non ἀποσκευασάμενοι [*sarcinas amoliti,*] quod hic locum non habet. ἐπισκευάζεσθαι hic est *sarcinas jumentis imponere.* Utuntur sic Xenophon & Aristoteles.

16. Συνῆλθον δὲ καὶ τῶν μαθητῶν, *Venerunt autem & ex discipulis*] Nempe τινὲς [*quidam,*] ut Matth. 23. 34 & alibi. ¶ Ἄγοντες παρ᾽ ᾧ ξενισθῶμεν, *adducentes secum apud quem hospitaremur*] Brevis locutio pro ἄγοντες ἡμᾶς πρός τινα παρ᾽ ᾧ ξενισθῶμεν, *ducentes* (id est *ducturi*, præsens pro futuro) *nos ad eum apud quem diverteremur.* Nam Mnason ille ex Cypro videtur habitatum ivisse Hierosolyma. Ei nomen Hebræum fuerit יששכר [*jisachar.*] ¶ Ἀρχαίῳ μαθητῇ· *antiquum discipulum*] Ex eo tempore quo Paulus & Barnabas in Cypro fuerant, supra 13. 4.

18. Πρὸς Ἰάκωβον. *ad Jacobum*] Absente Petro, primum Apostolici cœtûs. ¶ Οἱ πρεσβύτεροι. *Seniores*] Ut supra 15. 6. qui Apostolorum Hierosolymis erat, is munere fungebatur quo postea Episcopi, ideoque Presbyteros convocabat: nisi fortè Jacobus hic fuit frater Domini, non Apostolus, sed Episcopus.

19. Διὰ

19. *Διὰ τῆς διακονίας αὐτοῦ. per ministerium ejus*] Vide supra 20. 24. & ibi notata.

20. *Πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων, quot millia sunt in Judæis*] Vide quo modo auctum fuerit granum illud sinapis intra annos 25. ¶ *Καὶ πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπάρχουσι. & omnes æmulatores sunt Legis*] *Magno studio tenentur servandæ Legis*, etiam de sacrificiis, de cibus vetitis, aliisque rebus ejusmodi. Nec id mirum: nam decretum quod fecerant Apostoli, tantùm ex gentibus vocatos tangebat. Neque dum Paulus quicquam Judæos ea de re docere cœperat: quod fecit aliquantò serius, & quidem extra Judæam. Nam intra Judæam qui erant Judæi χριστιανίζοντες [*Christianam Religionem amplexi*,] hi ante dispersionem illam quæ per Adrianum evenit, libertatem ab Legis onere non percepére, ut intelligimus ex Eusebio & Severo Sulpicio circa illa tempora. Et ad tales scripta est epistola ad Hebræos.

21 *Κατηχήθησαν δὲ περὶ σοῦ, Audierunt autem de te*] *De te hoc intellexerunt*, nempe sermone & literis illorum in Asia Judæorum qui tot molestias Paulo exhibuerant. ¶ *Ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ Μωσέως τοὺς κατὰ τὰ ἔθνη πάντας Ἰουδαίους, quia discessionem doceas à Moyse eorum qui per Gentes sunt Judæorum*] Judæos qui erant ἐν διασποραῖς [*in dispersionibus*.] Ἀποστασία, סרה [*defectio*] Jerem. 29. 32. *defectio à Lege* 1 Maccab. 2. 15. ¶ *Λέγων μὴ περιτέμνειν αὐτοὺς τὰ τέκνα, dicens non debere eos circumcidere filios suos*] Id est, *suadens eis ne liberos circumcidant*: quod antiquissimum erat præceptum, omnes Abrahami posteros obstringens. ¶ *Μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν. neque secundum consuetudinem ingredi*] Ἔθη [*consuetudo*] hic sunt חקות *præcepta ritualia*: & περιπατεῖν [*ingredi*] respondet Hebræo הלך, ut Prov. 8. 20. & alibi. Pro eo mox habebimus στοιχεῖν [*ambulare*.]

22. *Πάντως δεῖ πλῆθος συνελθεῖν utique oportet convenire multitudinem*] In rebus majoribus, præcipuè ex quibus schisma metuebatur, Apostoli & successores eorum Episcopi, non Presbyterorum tantùm utebantur consilio, sed & plebem advocabant, ut vidimus supra 15. 23, 30. Vide Epistolam Cypriani 33, 34. 35. 40.

23. *Εὐχὴν ἔχοντες ἐφ᾽ ἑαυτῶν votum habentes super se*] Id ita dicitur, quia votum est velut onus quoddam, ut ad Num. 6. diximus. Votum intellige magnum, id est, Nazaræatûs.

24. *Ἁγνίσθητι σὺν αὐτοῖς, sanctifica te cum illis*] Ἁγνίζεσθαι in versione LXX, dicto loco Num. 6. verbo נזר, & ἁγνισμὸς nomini נזר respondet: significat autem *abstinere à vino, rebusque aliis quæ interdicta sunt Nazaræis*. Sic & infra 24. 18. ¶ *Καὶ δαπάνησον ἐπ᾽ αὐτοῖς, & impende in illis*] Id est, non ipse tantùm offer, quæ oportet, sed & illis aliis da pecunias, unde habeant, quæ offerant, agnum, agnam, arietem, placentas & lagana. Talem enim liberalitatem fuisse non insolitam, ex Maimonide discimus. Vult autem hoc Paulum facere Jacobus, quo plebi abundantiùs satisfaciat. ¶ *Ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλὴν ut radant capita*] Id est, *ut illi voti liberentur eò faciliùs*. Est μετωνυμία [*Transnominatio*] signi pro signato. Nam sicut obligatio votiva exprimebatur demisso capillo, ita liberatio comâ abrasâ, Num. 6. 18. quæ coma supponebatur urenda ollis, in quibus coquebantur carnes de sacro εὐχαριστικῷ [*ob gratias agendas*:] ita enim nos docent Hebræi. Diximus supra 18. legem hanc de victimis & de rasura in Templo facienda, vim habuisse in Judæa, non extra eam. Non longè abit hinc mos Græcorum comam libandi diis, de quo Homerus, Statius in Achilleide & Coma Earini, & Censorinus de natali. ¶ *Καὶ γνῶσι πάντες ὅτι ὧν κατήχηνται περὶ σοῦ οὐδέν ἐστι, & scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt*] *Falsam esse famam quæ de te sparsa est*, quasi Judæos à Legis observatione averteres. ¶ *Ἀλλὰ στοιχεῖς καὶ αὐτὸς τὸν νόμον φυλάσσων. sed ambulas & ipse custodiens Legem*] Στοιχεῖν, ut modò diximus, hic est הלך, & significat *vitæ institutum aliquod persequi*.

25. *Περὶ δὲ τῶν πεπιστευκότων ἐθνῶν, De iis autem qui crediderunt ex Gentibus*] Quasi diceret Jacobus, *Alia est ratio vocatorum ex Gentibus*: illos enim à Legis onere liberos communi decreto pronuntiavimus. ¶ *Κρίναντες μηδὲν τοιοῦτον τηρεῖν αὐτούς, judicantes nequid hujusmodi observent*] Infinitivus pro gerundio: *nihil tale servandum ipsis*, nempe eorum quæ Moses præscripsit. ¶ *Εἰ μὴ φυλάσσεσθαι αὐτοὺς τό τε εἰδωλόθυτον, καὶ τὸ αἷμα, καὶ πνικτόν, καὶ πορνείαν. nisi ut abstineant se ab idolis immolato, sanguine, & suffocato, & fornicatione*] Supra 15. 20. & 20. 9.

26. *Τότε ὁ Παῦλος παραλαβὼν τοὺς ἄνδρας, Tunc Paulus assumptis viris*] Se eis socians. ¶ *Τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ, postera die*] Postridiè quàm advenerat, ut colligimus infra 24. 1, & 11. ¶ *Διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ] annuntians expletionem dierum purificationis*] Omnibus edicens se castimoniam suscipere in dies septem, ita ut dies ipsius pariter exirent cum diebus aliorum, qui aliquanto ante, ac in majus tempus se obligaverant. Licebat enim cuique eum quem vellet votivæ obligationi præstituere terminum, Num. 6. 5. Sic Paulus in dierum hebdomada se obligavit: illi alii in duas, tres, aut quatuor hebdomadas. Illud ἐκπλήρωσις [*expletio*] verba Legis respicit. ἡ ἂν ἡμέρᾳ πληρώσῃ ἡμέρας εὐχῆς αὐτοῦ [*quacunque die impleverit dies voti sui*,] Num. 6. 13. ¶ *Ἕως οὗ προσηνέχθη ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν ἡ προσφορά. donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*] Aoristus hic significat rem quæ fieri debebat, *usque dum offerenda esset pro unoquoque* (eorum qui se obligaverant) *oblatio*: id est, ita tempus sumpsit, ut pariter cum illorum tempore desineret.

27. *Ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, Dum autem septem dies consummarentur*] Hinc colligimus, quod supra tacuit Lucas, Paulum castimonio suo præfinivisse dies septem. ¶ *Οἱ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι, ii, qui de Asia erant Judæi*] Ex Epheso & aliunde. ¶ *Συνέχεον πάντα τὸν ὄχλον, concitaverunt omnem populum*] Vide supra 19. 29. συνέχεον, רגשו [*tumultuati sunt*.] *Καὶ ἐπέβαλον τὰς χεῖρας ἐπ᾽ αὐτόν. & injecerunt ei manus*] Per seditionem, sine publica auctoritate.

28. *Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, Viri Israelitæ*] Ut Romæ dicebatur, *Porro Quirites*:] *Βοηθεῖτε adjuvate*] Ita Scipio apud Appianum, ἐπικουρεῖτε, ὦ Ῥωμαῖοι [*ferte opem, Quirites*:] *Adeste cives*, est duobus locis apud Livium. Et cùm fides Quiritium imploratur, opem atque auxilium fidei nomine significari ait Servius ad x. Æneidos. ¶ *Ὁ κατὰ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ νόμου καὶ τοῦ τόπου τούτου, qui adversus populum ac legem & locum hunc*] Eadem accusatio quæ in Stephanum intenta, supra 6. 14. ubi dicta vide. ¶ *Ἔτι τε καὶ Ἕλληνας εἰσήγαγεν εἰς τὸ ἱερόν, insuper & Gentiles induxit in templum*. Quod planè non licebat. Vide Mosem de Cotsi, præcepto jubente 21. Nempe intra septum illud lapideum, quod in tres cubitos attollebatur inscriptumque columnis habebat, Μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι [*in locum sanctum transire alienigenam non debere*,] Josephus Belli Judaici 6. 14. Si alienigena, etiam Romanus, in septum transgrederetur, is occidi poterat, teste eodem Josepho Belli Judaici 6. & Philone De legatione. ¶ *Καὶ κεκοίνωκε τὸν ἅγιον τόπον τοῦτον. & violavit sanctum locum istum* [*Eo facto Templum polluit*: id enim κοινοῦν Matth 16. 11. & 18. 20 Marc. 7. 15. & sequentibus.

29. *Τρόφιμον τὸν Ἐφέσιον, Trophimum Ephesium*] Quem illi Judæi Asiatici optimè noverant.

30. *Καὶ ἐγένετο συνδρομὴ τοῦ λαοῦ. & facta est concursio populi*] Exstat hæc vox Judith. 10. 19. Idem quod συστροφὴ [*concursus*] supra 19. 40. קשר [*seditio*.] ¶ *Καὶ εὐθέως ἐκλείσθησαν αἱ θύραι. & statim clausa sunt januæ*] Nempe à janitoribus Templi, metuentibus ne qua in Templo seditio oriretur, aliis Paulum malè tractare, aliis tueri volentibus.

31. *Ἀνέβη φάσις, nuntiatum est*] *Indicium*. Ita eam vocem usurpant Attici, Isocrates, Demosthenes & alii: μήνυσιν [*indicium*] interpretatur Pollux. ¶ *Τῷ χιλιάρχῳ τῆς σπείρης, Tribuno cohortis*] Præfecto ejus cohortis quæ temporibus festis, ac proinde etiam in Pentecoste, præsidium habebat in porticibus Templi ad prohibendos tumultus, si qui orirentur: quam *cohortem* σπεῖραν etiam Johannes dixit 18. 3. τάξιν Josephus ut ostendimus ad Matth. 26. 5. & 45. Eos qui cohorti præerant Tacitus modò *præfectos* vocat, modo *tribunos*: *præfectos* puto cùm in legione sua erant, *tribunos* ubi extra eam. Hoc addendum eis quæ diximus ad Joh. 18. 12.

32. *Ἐπαύσαντο τύπτοντες τὸν Παῦλον. cessaverunt percutere Paulum*] A vi abstinebant in conspectu Romani Præfecti.

33. *Ἁλύσεσι δυσί. catenis duabus*] Quibus manus ambæ stringerentur, ut supra 12. 6. 7. ¶ *Καὶ ἐπυνθάνετο τίς ἂν εἴη, καὶ τί ἐστι πεποιηκώς. & interrogabat quis esset, & quid fecisset*] Tum ex ipso, tum ex plebe.

34 *Μὴ δυνάμενος δὲ γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς διὰ τὸν θόρυβον, ἐκέλευσε, & cùm non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit*] In Manuscripto, Μὴ δυναμένου δὲ αὐτοῦ γνῶναι [*cùm non posset scire*,] quæ constructio & infra est 22. 17. ¶ *Εἰς τὴν παρεμβολήν. in castra*] Ad Maccabaica diximus παρεμβολὴν [*castra*] his scriptoribus dici *ipsam militum multitudinem*. Ea autem extra dies festos omnes, in diebus festis bona pars, erant in Antonia, ut & alii, & nos diximus.

35. *Ἐπὶ τοὺς ἀναβαθμούς, συνέβη βαστάζεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν διὰ τὴν βίαν τοῦ ὄχλου. ad gradus contigit ut portaretur à militibus propter vim populi*] Cicero ad Atticum, *Gradus templorum ab infima plebe completi erant*. Idem pro Cluentio *gradus concitatis hominibus completos* narrat

37. Ei

37. *Εἰ ἔξεστί μοι εἰπεῖν τι πρός σε, si licet mihi loqui aliquid ad te*] Plena honoris præfatio. Sic apud Livium, *Cum bona venia, quæso, audiatis, Patres conscripti.* ¶ *Ἑλληνιστὶ γινώσκεις; Græcè nosti?*] Curtata locutio, Subauditur enim *λαλεῖν* [*loqui.*] Plena locutio exstat Nehemiæ 13. 24. *Καὶ οὐκ εἰσὶν ἐπιγινώσκοντες λαλεῖν Ἰουδαϊστί* [*& nesciebant loqui Judaice.*] Lingua Græca post Macedonum imperium facta erat quasi communis populorum Asiæ & Ægypti. Vide quæ diximus Matth. 27. 37.

38. *Οὐκ ἄρα σὺ εἶ ὁ Αἰγύπτιος; nonne tu es Ægyptius?*] Hæc ostendunt gesta hæc sub Neronis imperio. Neque enim dubitandum quin Ægyptius de quo hic agitur sit ille de quo Josephus Veteris Historiæ 20. 6. & Belli Judaïci 2, 23. Hic Ægyptius Prophetam se dicebat. ¶ *Ἀναστατώσας, qui tumultum concitasti*] Vide supra 17. 6. ¶ *Εἰς τὴν ἔρημον, in desertum*] Solebant enim impostores illi, initia colligendæ multitudinis armatæ facere in locis desertis, ut diximus ad Matth 24. 26. Josephus Antiquæ Historiæ 20. 6. *ἔπειθον αὐτοὺς εἰς τὴν ἐρημίαν ἕπεσθαι* [*persuadebant illis ut se sequerentur in solitudinem.*] *Τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας, quatuor millia virorum*] Hæc, ut dixi, nebulonis illius initia fuere. Postquam multitudo illi ad triginta millia creverat, ex locis desertis ad Olivarum montem processit, ibique copiæ ejus per Felicem dissipatæ sunt: sed hæc iis quæ hic narrantur seriora sunt, legique possunt apud Josephum Belli Judaïci 2. 23. ¶ *Τῶν Σικαρίων. sicariorum*] Sic & Josephus vocat indicato jamjam loco illos homines publico injussu arma capientes. Qua de re diximus ad Matth. 27. 16, & 38.

39. *Ἰουδαῖος Ταρσεύς, Judæus à Tarso*] *Natus Tarsi, ortu Judæus.* ¶ *Τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως, Ciliciæ non ignotæ civitatis*] Imo *ἐπισημοτάτης* [*celeberrimæ,*] ut de ea loquitur Stephanus. Recte: erat enim Ciliciæ totius caput, teste Strabone, condita à Perseo, ut Lucanus vult, aut heroïbus, aut gigantibus, ut alii apud Dionem Chrysostomum. Tum verò facta urbs libera: de quo dicemus infra 22. 28. ¶ *Ἐπίτρεψόν μοι λαλῆσαι πρὸς τὸν λαόν. permitte mihi loqui ad populum*] Prudenter populum allocutus non est, nisi accepta potestate, ne seditionem accendere crederetur. Vide infra 26. 1.

40. *Ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν, in gradibus*] *In gradibus Antoniæ*, de quibus supra 35. ¶ *Κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ· annuit manu ad plebem*] Vide supra 12. 17. & 13. 16. & 19. 33. ¶ *Πολλῆς δὲ σιγῆς γενομένης, & magno silentio facto.*]

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, linguâ Hebræâ] Id est, linguâ Hierosolymitanâ, magna ex parte Syriacâ, quâ tum Judæi utebantur. Sic *διάλεκτον* posuit Lucas, & supra 1. 19. & 11. 6, 8. in Manuscripto est *τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ* [*propriâ eorum linguâ*] ut supra 1. 19. & 2. 6, 8.

PRICÆUS.

Com. 1. *Ἀποσπασθέντας ἀπ' αὐτῶν*] Quasi vi ab amicis avulsi, inquit Vir omnium celeberrimus: cui favent Ovidii ista,

Sævus ubi à puppi longo clamore magister
Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit.

Sed simplicem heic verbo *ἀποσπασθῆναι* separationem denotari, evincit ejusdem Scriptoris cujus ille 22. 41. in Euangelio locus. Cui addas licet & 2 Maccab. 12. 10. illum, *ἐκεῖθεν δὲ ἀποσπασθέντων σταδίους ἐννέα*, &c. Plinius Paneg. *Quantum amares eum, desiderio expertus es, distractus separatusque.*

Ibid. *Εἰς Πάταρα*] Vetus feminino genere, *Pataram:* nec aliter Servius ad 4. Æneid.

Com. 2. *Καὶ εὑρόντες πλοῖον διαπερῶν εἰς Φοινίκην, ἐπιβάντες ἀνήχθησαν*] Apud Achillem Tatium lib. 2. *Ὡς ἐπὶ τοῦ Βηρυτίων λιμένος ἤλθομεν, ἀναγομένην ναῦν εὕρομεν, ἄρτι τὰ πρυμνήσια μέλλουσαν ἀπολύειν· μηδὲν οὖν ἐρωτήσαντες, μετασκευαζόμεθα ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἐκ τῆς γῆς.*

Com. 3. *Ἀναφάναντες*, &c.] *Nauticum verbum, quoties cedente eo quo impeditur aspectus, aliquid patescit.* Sunt verba ejusdem Servii ad Æneid. 3. Idem ad ejusdem libri illa,

—— Et angusti rarescent claustra Pelori,

Quia venientibus de Ionio, propter curvaturam littorum clausæ videntur angustiæ, quæ paulatim propinquantibus aperiri videntur. Sic contra, *abscondere*, in eodem Virgilii libro,

—— Celsas Phæacum abscondimus arces.

Seneca Epist. 70. *Prænavigamus vitam*, &c. *primùm pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam*, &c.

Ibid. *Καταλιπόντες αὐτὴν εὐώνυμον*] Elegans loquendi genus, quale & apud Philostratum, *Ἐπορεύοντο τὴν ἐς τὰ ὄρη τείνουσαν, ἀριστεροὶ τοῦ Νείλου*, 6. 12. Apud Virgilium,

Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum.

Idem Æneid. 3.

Læva tibi tellus, & longo læva sequantur
Æquora circuitu ——

ubi Servius, *Venientis personam respexit; nam de Ionio navigantes, si fretum* (Siciliæ) *petunt, dextrum teneant littus necesse est: sin aliàs, sinistrum.*

Ibid. *Ἐκεῖ γὰρ ἦν τὸ πλοῖον ἀποφορτιζόμενον τὸν γόμον*] Ut locum novo oneri recipiendo faceret. In Cebetis Thebani Tabula, *Αἱ νῆες τὰ φορτία ἐξελόμεναι πάλιν ἀνακάμπτουσιν, καὶ ἄλλων τινῶν γεμίζονται.* Id genus navis illa cujus infra 27. 2. mentio.

Com. 6. *Ἀσπασάμενοι ἀλλήλους*, &c. *ὑπέστρεψαν εἰς τὰ ἴδια*] Catullus,

Ad se quisque vago passim pede discedebant.

Philostratus 3. 15. de Gymnosophistis, *Ἀσπασάμενοι τὸν Ἀπολλώνιον, ὑπέστρεψαν εἰς τὸ φροντιστήριον.*

Com. 12. *Οἱ ἐντόπιοι*] Id est, (ut Matth. 14. 35) *οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου.*

Com. 13. *Τί ποιεῖτε κλαίοντες καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν;*] Intempestivi affectûs increpatio. Ignatius ad Romanos, *Παρακαλῶ ὑμᾶς, μὴ εὔνοια ἄκαιρος γένησθέ μοι.* Tacitus Annal. 15. de Seneca morituro, *Simul lacrymas eorum* (adstantium) *modò sermone, modò intentior in modum coercentis ad firmitudinem revocat.* Horatius,

Quid me querelis exanimas tuis?

Psyche ad parentes suos ejus vicem dolentes, *Quid infelicem senectam fletu diutino cruciatis? quid spiritum vestrum, qui magis meus est, crebris ejulatibus fatigatis? quid lacrymis inefficacibus ora fœdatis? quid laceratis in vestris oculis mea lumina?* Apud Statium Priscilla moriens, ad maritum flentem,

—— Nec sævo concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram.

Ex istis vim intelligas *τοῦ συνθρύπτειν*, quod, nec incommodè ut puto, vertas *findere.* Plautus,

Heu cor meum & cerebrum, Nicobule, finditur,
Istius hominis ubi fit quæque mentio.

Bonâ heic autem emphasi *τὴν καρδίαν μου.* *Ἔστι γὰρ δεινὸν ὁ μὴ οὕτως ἐστὶ δεινὸν ὡς δάκνειν καὶ ταράττειν τὴν καρδίαν· ὅπερ δὲ τῇ καρδίᾳ ταραχὴν ἐμποιήσειεν ἄν, τοῦτο ἀναμφιβόλως δεινότατον νομίζοιτο ἄν*, Scholiastes ad Acharn. Aristoph. Simile 4. 18. in Euangelio *τὴν καρδίαν συντρίβεσθαι.* Suidas, *Συνετρίβησαν ταῖς ψυχαῖς· ἐθρύβησαν, συνεχύθησαν.*

Ibid. *Οὐ μόνον δεθῆναι, ἀλλὰ καὶ ἀποθανεῖν ἑτοίμως ἔχω ὑπὲρ*, &c.] Idem 1. 29. ad Philippenses, *Ὑμῖν ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ οὐ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν.* Vide & 1 Thess. 2. 8

Com. 14. *Μὴ πειθομένου δὲ αὐτοῦ, ἡσυχάσαμεν*] Curtius lib. 9. de Horata & Dioxippo, *Postero die, Rex, cum etiam acrius certamen exposcerent, quia deterrere non poterat, destinata exsequi passus est.* Brutus ad Ciceronem de Antonio, Famil. 11. 13. *Cœpit petere à militibus ut se trans Alpes sequerentur: succlamatum est, sibi aut in Italia pereundum esse, aut vincendum. Cum sustinere eos non posset, in posterum diem iter suum contulit.* Josephus Bell. Jud. 5. 10. de Vespasiano, *Πολλὰ πρὸς αὐτοὺς* (milites) *διατεινάμενος, ἐξ ὧν διωθεῖτο τὴν ἀρχήν, τελευταῖον, ὡς οὐκ ἔπειθεν, εἴκει τοῖς ὀνομάσασι.*

Com. 15. *Ἀποσκευασάμενοι*] Allentior lectionem *ἐπισκευασάμενοι* sequentibus. Sic Suidas, *ἐπισκευάσασθαι· ἐπιφορτίσασθαι* exponit.

Com. 17. Ἀσμένως ἐδέξαντο,] Sic δέχεσθαι ἀσμένως; Arrianus in Epictetum dixit, Diodorus non semel in Excerptis, Siracides 2. 4. Philostratus 2. 13. Cebes in Tabula sua: Plutarchus in compar. Vitis: Laconicis, & Lacon. Apophthegm. Idem lib. Quod Philosopho cum Princip. &c. *ἀσμένως προσδέχεσθαι*. Suprà 2. 41. *ἀσμένως ἀποδέχεσθαι* habuimus. Vide & quæ ad 17. 11. notata.

Com. 19. Ἐξηγεῖτο καθ' ἓν ἕκαστον Sic suprà 11. 4. *καθεξῆς ἐκτίθεσθαι* ubi dicta vide.

Com. 22. Τί οὖν ἐστι;] Sic 1 Cor. 14. 15. & 26. Paulus: & Athenæi 6. Nymphodorus. Ad quam formam Latini. Seneca sæpius, Petronius, & ad Ciceronem Vatinius, *Quid ergo est?* dixerunt. Apuleius in Apologia & Floridis. *Quid igitur est?*] Supplendum in his locutionibus videtur, *quod volo dicere*. Hoc ex Plutarcho elicere videor, apud quem plena exstat oratio, Τί οὖν (inquit) *ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν*; in de Lib. educ.

Ibid. Πάντως δεῖ πλῆθος συνελθεῖν] Cogitemus an (ut suprà 15. 23, & 30) ad consultandum; an verò, ut fieri amat, ad quid novum & insolitum. Sic suprà 2. 6. *συνῆλθε τὸ πλῆθος*. & 5. 16. *τὸ πλῆθος συνήρχετο*. Tale infrà hîc com. 30. *λαοῦ συνδρομὴ ἐγένετο*. Abest hîc etiam ante *πλῆθος* articulus: unde *concursum* potiùs quàm *convocationem* denotari conjicio.

Com. 23. Εἰσὶν ἡμῖν ἄνδρες τέσσαρες, &c. *τούτους παραλαβὼν*, &c.] Suggerit Beza ex uno veteri exemplari, *εἰσὶν ἐν ἡμῖν*, &c. eámque amplectendam lectionem existimat: at certum est receptam scripturam rectiorem esse. En è Virgilio simillimam locutionem, respondente etiam sequente membro, lib. 5.

Est tibi Dardanius divinæ stirpis Acestes,
Hunc cape consiliis socium.———

Ubi Servius, *id est, habes. Jam hoc consilium est.* At non cepit Poetæ mentem, quod & alter hic ejusdem locus lib. 1. ostendit,

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Harum, quæ forma pulcerrima, Deiopeiam
Connubio jungam.———

Com. 24. Ὅτι ὧν κατήχηνται περὶ σοῦ οὐδέν ἐστι] Eorum quæ de te rumor sparsit, nihil verum esse: supplendum enim *ἀληθές*. Sic sæpius apud Platonem vel in asseveratione vel in assensu *ἐστι ταῦτα*. Ita & Cebes Thebanus. Vide & infrà 25. 11. Lucianus Nigrino, Ὁ δὲ ἀκούων ἃ ἦν, (i. quæ vera erant) *μεταξὺ ἐπιδείκνυτο*. Sequuntur & hanc formam Latini. Cicero Acad. 1. *Sunt inquam, ista, Varro? éstne hoc quod dico?* Terentius.

Neque nihil, neque omnia hæc sunt quæ dicis.

Tibullus.

———*Cætera cernet?*
Omnia de me uno sentiet esse nihil.

Quintilianus 4. 2. *Si nil exponimus, ea esse quæ adversarius dixit, & talia qualia dixit, credat (Judex) necesse est.* Hodiéque apud Gallos in usu est idem modus loquendi.

Ibid. Στοιχεῖς καὶ αὐτὸς τὸν νόμον φυλάσσων] Id est, *στοιχεῖς κατὰ νόμον*. Sic 1. 1. Philostratus, *σοφίαν ταύτην βαδίζειν* & Plutarchus in Contra Stoicos, *τὴν τῶν δογμάτων ὁδὸν βαδίζειν*.

Com. 28. Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, βοηθεῖτε] In Vespis Aristophanis, Ὦ Μίδα καὶ Φρύξ, *βοηθεῖτε δεῦρο*. Simplicius in cap. 70 Epicteti, *Βουλόμενοι τὸ πλῆθος εἰς βοήθειαν ἐπικαλεῖσθαι*. Apuleius 2. *Per fidem vestram, Quirites, per pietatem publicam, perempto civi subsistite:* ubi & sequitur, *Hic enim, nec ullus alius*, &c. ut in Contextu Lucæ, *οὗτός ἐστιν*, &c.

Ibid. Οὗτός ἐστιν, &c.] Solennis concitandæ invidiæ exclamatio. Suprà 17. 6. Οἱ *τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες οὗτοι καὶ ἐνθάδε πάρεισιν* vide & suprà 6. 13. & infrà 24. 5. Milesl. 1. *Hic est qui diebus ac noctibus ætatulam meam illusit: hic est qui, &c.* Ibid. 8. *Hæc est illa dextra quæ meum sanguinem fudit: hoc pectus quod fraudulentas ambages in meum exitium concinnavit.*

Com. 30. Συνδρομὴ τοῦ λαοῦ] Athenæus 5. Καὶ *αὐτόκλητος εἰς τὴν ἐκκλησίαν τῶν ὄχλων συνδρομή*. Achilles Tatius lib. 5. Ἀκούεται *θόρυβος πολὺς, καὶ συνδρομή*. In Excerptis Diod. Siculi, *Συνδρομαὶ, καὶ λόγοι παρεκχύσεις*.

Com. 35. Ὅτε δὲ ἐγένετο ἐπὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς, συνέβη βαστάζεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν διὰ τὴν βίαν τοῦ ὄχλου] Estne hic sensus? levabatur à militibus nè vim ei multitudo inferret. Favent quidem ejusmodi expositioni quæ infrà 23. 10. habemus: facit autem *συνέβη* illud, ut potiùs hanc in mentem accipiam: Propter nimiam urgentis insequentísque multitudinis densitatem evenit, ut quem milites ducere volebant, etiam portarent eum. Non admodum dissimile Seneca Epist. 14. *Quid aliud quàm vociferatus est Cato cùm modò per populi levatus manus, & obrutus sputis, & deportandus, extra forum traheretur?* Ἀναβαθμοὶ *gradus*. Apuleius 11. *Exosculatus vestigia Deæ quæ gradibus hærebat, argento formata.*

Com. 38. Ἀναστατώσας, &c. *τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σικαρίων*] Scholiastes ad Juvenalis 8. Satyram, *Servus aut infamis, vel latro: nam latronum, aut perditorum collegit populum.*

Com. 39. Ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι Ἰουδαῖος, Ταρσεὺς, Κιλικίας *οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης*] Apud Achillem Tatium ille, Ταῦτα, ὦ ἄνδρες, *πέπονθα, ἐλεύθερός τε ὢν, καὶ πόλεως οὐκ ἀσήμου*. Philo de Thamare, Ἐλευθέρα, *καὶ ἐκ ἐλευθέρων ἴσως, καὶ οὐκ ἀσήμων*. Bene hanc Urbem autem vocat *οὐκ ἄσημον*. Ammianus 25. *Tarsum urbem Cilicum nobilem introiit.* Cæterùm verba illa *Ταρσεὺς τῆς Κιλικίας* nisi hypallagetice acceperimus, constructio implicatior erit. Ergò mens est, Κίλιξ, *Ταρσοῦ οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης*. Infrà 22. 3. *γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας*.

Com. 40. Κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ· πολλῆς δὲ σιγῆς γενομένης, &c.] Josephus bell. Jud. 7. 24. de Vespasiano, Τὸ τῆς *σιγῆς ἐποιήσατο σύμβολον*, (id est, *τῇ χειρὶ κατέσεισε*,) *καὶ πολλῆς ἐκ πάντων ἡσυχίας γενομένης*, &c. Ovidius,

——*Postquam voce manúque*
Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.

Claudianus,

——*Et sacrum dextrâ sedare tumultum.*

Tacitus Annal. 1. *Stabat Drusus silentium manu poscens.* Heliodorus, Τὴν *χεῖρα προτείνας πρὸς ἡσυχίαν*. Adde Herodiani locum suprà ad 12. 17. adductum. Ἄμεινον *οἶμαι τῇ χειρὶ σημαίνειν, καὶ παρακελεύεσθαι σιωπᾶν*. Virgilius de Turno,

Significátque manu, & magno simul incipit ore,
Parcite jam Rutuli: ———

ubi meliùs forsan *increpat* legas. Sic pòst ibidem de eodem,

——*Rutulos simul increpat omnes.*

Iterum de eodem lib. 9.

——*Animos tollit dictis, atque increpat ultro.*

Quadrigarius apud Gellium 9. 13. *Manu significare cœpit ut quiescerent pugnare:* ubi qui Græcismum subesse putârunt, & *pugna* reponebant, omnino falsi. Idem Gellius 2. 28. *Sed Dei nomen, &c. cui servari ferias oporteret, statuere & edicere quiescebant.*

CAP. XXII.

VALLA.

3. *Natus Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamalielis, eruditus juxta veritatem paternæ legis*] Dicendum erat *Tharsi*, vel *in Tharso*, ut est Græcè. Neque Græcè est *juxta veritatem*, sed *juxta diligentiam*, *κατὰ ἀκρίβειαν*.

9. *Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum*] Deest *& terrefacti sunt*, *καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο*. Verùm quomodo hic locus congruit cum illo superiori c. 9. 7. ubi dicitur eos qui Paulum comitabantur *audisse quidem vocem, sed nullum tamen vidisse?* Præterea illic dicitur, *Viri autem qui unà iter faciebant stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Posteriùs autem c. 16. 13, 14. *Die mediâ in via vidi, Rex, de cœlo supra splendorem Solis circumfulsisse me lumen, & eos qui simul mecum erant. Omnésque cum decidissemus in terram, audivi vocem mihi Hebraicâ linguâ dicentem, Saul, Saul.* Quomodo alibi dicuntur *stetisse*, alibi *decidisse*? Priori quæstioni

ſtioni quâ ratione ſatisfaciam neſcio, niſi ut putem primum locum, ubi Lucas ſuâ perſonâ loquitur, eſſe depravatum, permutatis locis duarum dictionum, *audientes* & *videntes.* Præterea Græcâ voce Φῶς, quæ ſign. *lumen*, in ſibi ſimilem, Φωνὴ, quæ ſign. *vocem*, ut putem ſic Lucam reliquiſſe ſcriptum, *Videntes quidem lumen, neminem autem audientes.* Poſteriori quæſtioni ſic ſatisfiat, Quòd poſtquam collapſi illi fuerunt, continuò ſurgentes ſteterunt. Nam etſi non dicatur quòd ſurrexerint, nihil obſtare debet, cùm videamus à Paulo multò plura referri apud Agrippam quàm apud Judæos ſibi dicta fuiſſe à Domino, qui ipſum circumfulſerat atque proſtraverat: quanquam non dicitur Græcè *ſtabant*, ſed *ſteterunt*, i. *ſurrexerunt*, me adhuc jacente, & verba audiente, εἱςήκεισαν.

12. *Ananias quidam vir ſecundum Legem teſtimonium habens ab omnibus Judæis*] In uno omnino codice reperi, *Ananias quidam vir timoratus ſecundum Legem:* & ſic Græcè habet εὐλαβὴς. [εὐσεβὴς.]

28. *Ego multâ ſummâ civitatem hanc conſecutus ſum*] Meliùs ii codices qui *civilitatem* habent, πολιτείαν.

REVIUS in VALLAM.

3. **D***iligentiam*] *Exquiſitam formam* Beza.

9. *Priori quæſtioni*] Vide Bezam. in Act. 9. 7. ubi nota, eum ſuæ explicationis auctorem laudare Scholiaſten Græcum; nequis eam cum Eraſmo arceſſat à Petro Comeſtore: *Petrus Comeſtor*, inquit, *per aliam rimam elabitur, In capite nono dicuntur audiſſe vocem loquentis, non Chriſti compellantis, ſed Pauli reſpondentis; hic autem cùm Paulus negat illos audiſſe vocem, de Chriſti voce ſentit.* Hæc ille, cum faſtidio quodam, ut vides: quæ tamen faciunt ſtatuminandæ ſententiæ doctiſſimi Bezæ, ſi cui ea arridet.

28. *Civilitatem*] Hìc puto Laurentiano operi accidiſſe quod ipſe ſuprà ſuſpicabatur de Luca, permutata videlicet loca duarum dictionum: i. eum in textu ſuo Vulgato inveniſſe *civilitatem* (& verum eſt in quibuſdam id extare) præ eo laudaſſe alios codd. qui habeant *civitatem.* Neque de hoc eruditio eius nos ſinit dubitare. Eraſmus tamen & ipſe hâc phraſi utitur in Eph. 2. 12. τῆς πολιτείας, i. inquit, *à civilitate, ſive à republica, Iſrael.* Ego *civilitatem* civilem morem eſſe puto, non civilem ſtatum: nec aliter uſurpatum memini.

ERASMUS.

22. **R***Eddo rationem*] Ἀπολογίας, quod & *defenſionem* & *excuſationem* ſignificat.

3. *Juxta veritatem paternæ legis*] Κατ' ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, *juxta exactam rationem patriæ legis*, ſive *juxta rigorem patriæ legis. Patriæ* potiùs quàm *paternæ*, cùm non de patre ſuo ſed de omnibus majoribus ſentiat. ¶ *Æmulator legis*] Ζηλωτὴς τοῦ Θεοῦ, *æmulator Dei*, legimus apud Græcos.

5. *Sicut princeps Sacerdotum*] Ὡς καὶ ὁ ἀρχιερεὺς μαρτυρεῖ μοι, *quemadmodum & Pontifex mihi teſtis eſt.* ¶ *Omnes majores natu*] Πᾶν τὸ πρεσβυτέριον *omnis Presbyterorum ordo.* Opinor enim hic de dignitate ſentiendum, non de ætate. ¶ *Ad fratres*] Πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς. Aut *fratres* hic dicit Judæos, aut πρὸς rectiùs vertiſſet *adverſus* ſi *fratres* dixit Chriſtianos. ¶ *Ut adducerem inde vinctos*] Ἄξων καὶ τοὺς ἐκεῖσε ὄντας δεδεμένους, *adducturus & eos qui illic eſſent, vinctos Hieruſalem.*

6. *Circumfulſit me lux copioſa*] Περιαστράψαι eſt *circumfulgurare* potiùs quàm *circumfulgere*, quemadmodum indicatum eſt & antè.

7. *Et decidens in terram*] Ἔπεσα δὲ εἰς τὸ ἔδαφος, *cecidique in ſolum.* Id enim ſonat ἔδαφος, etiamſi ſaxeum ſit aut ligneum. ¶ *Saule, Saule*] Græci legunt, *Saul, Saul*, Hebræorum more, cùm illi Chriſtus Hebraicè loqueretur, ut poſteriùs teſtatur ipſe Paulus.

9. *Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt*] His addunt Græci Καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, *& territi ſunt.* Deinde adjicitur, *vocem autem non audierunt qua loquebatur mecum.* Equidem non poſſum non vehementer probare diligentiam Laurentii Vallæ, qui cum homo Rhetoricus eſſet, ut vulgus exiſtimat, certè Theologiam non profiteretur, tamen vigilantiâ tantâ veſtigarit quid in Sacris literis aut diſſideret aut conveniret aut depravatum eſſet, cùm hodie tot ſint Theologorum, auſim dicere millia, qui uſque adeò non utantur hâc conferendi diſquirendique ſolertiâ ut nè id quidem cognitum habeant, quâ linguâ ſcripſerint Apoſtoli. Et cùm fortè fortunâ audiunt Marcum, Lucam, Paulum, Petrum ac Johannem Græcè ſcripſiſſe, velut ad rem inauditam & incredibilem obſtupeſcunt. Alius putat illos nihil niſi Hebr. ſcripſiſſe, cùm fuerint Hebræi: alius hæc ab illis edita credit quæ nos vulgò legimus: tanta eſt in re tam neceſſaria ſocordia. Rogat autem qui conſiſtere poſſit ut cùm Lucas ſuperiùs cap. 9. ſcripſerit *eos qui Paulo comites erant vocem quidem audiſſe, cæterum neminem vidiſſe*, hic neget *eos audiſſe vocem loquentis cum illo, ſed tantùm vidiſſe lumen.* Deinde qui conveniat ut cùm illic dicantur *ſtetiſſe ſtupefacti*, paulò pòſt, nimirum c. 26. hanc eandem rem exponens Agrippæ Paulus dicat *omnes fuiſſe collapſos in terram*; quod hic de ſe tantùm narrat. At illic *Die* inquit, *media in via vidi, Rex, de cælo ſupra ſplendorem Solis circumfulſiſſe me lumen, & eos qui ſimul mecum erant: omnéſque cùm decidiſſemus in terram, audivi vocem mihi Hebraicâ linguâ dicentem, Saul, Saul.* Quomodo factum eſt ut pugnantia ſcripſerit Lucas, & illic ſub perſona ſua referat *comites audiſſe vocem loquentis*, cùm Paulus hic rurſus ipſe narret *vocem uni ſibi fuiſſe auditam*? Nam quod differt de *ſtando* & *cadendo*, non ità magni negotii eſt diſſolvere: ſiquidem fieri poteſt ut ad primum pavorem collapſi, mox erexerint ſeſe, Paulo adhuc jacente. De *voce audita* & *non audita* durior eſt nodus. Recentiores utcunque tergiverſantur, cùm aiunt *vocem quidem*, h. e. ſonitum verborum, *auditum, cæterùm verba uni Paulo percepta*; ità factum ut audita fuerit vox, & eadem non audita. Valla magis exiſtimat ſuperiorem locum, in quo Lucas hanc hiſtoriam ſub ſua ipſius perſona recenſet, fuiſſe depravatum, tranſpoſitis duabus vocubis, iiſque inter ſeſe non admodum diſſimilibus, apud Græcos duntaxat, Φῶς & Φωνή. cæterùm à Luca ſic fuiſſe ſcriptum, *Videntes quidem lumen, neminem autem audientes.* Huic ſententiæ quantum tribuendum ſit alii viderint. Petrus Comeſtor per aliam rimam elabitur: *In capite nono dicuntur audiſſe vocem loquentis, non Chriſti compellantis, ſed Pauli reſpondentis: hic, cum Paulus negat illos audiſſe vocem, de Chriſti voce ſentit.*

10. *Quæ te oporteat facere*] In nonnullis ſic habebatur, Περὶ πάντων ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι, *de omnibus quæ ordinata ſunt tibi ut facias.* In aliis rurſus tantùm erat τί σε δεῖ ποιεῖν aut ποιῆσαι, *quid te oporteat facere.*

11. *Cùm non viderem præ claritate luminis*] Ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ Φωτὸς ἐκείνου, *præ gloria luminis illius.*

12. *Ananias quidam vir ſecundum Legem teſtimonium habens*] Græci cod. nonnihil addunt, Ἀνανίας δέ τις, ἀνὴρ εὐλαβὴς, κατὰ τὸν νόμον μαρτυρούμενος ὑπὸ πάντων, *Ananias autem quidam, vir pius*, ſive *religioſus, in Lege teſtimonio probatus omnium habitantium in Judæa.* Laurentius indicat ſe in uno Latino codice reperiſſe additum quod Græcæ voci reſponderet, *Ananias quidam vir timoratus. Timoratum* enim pro *religioſo* dixit. Cæterùm pro εὐλαβὴς in nonnullis exempl. erat εὐσεβὴς *pius.* Et quod hic vertit *ſecundum Legem* verti poterat & *in Lege.* Poteſtque ea particula utroque verſum referri; ad ſuperiora, ut ſit ſenſus, *religioſus*, ſive *pius, in Lege*, ſive *juxta legem*, non juxta Euangelium; aut ad ſequentia, *probatus omnium teſtimonio in Lege*, ſive *juxta Legem.* ¶ *Ab omnibus cohabitantibus Judæis*] *Habitantibus* eſt, ſive *inhabitantibus*, κατοικούντων. Et quidam Græcus codex habebat adſcriptum, ſed in ſpatio dirimente verſus, ἐν Δαμασκῷ, *ab omnibus habitantibus Damaſci Judæis.*

13. *Reſpice*] Ἀνάβλεψον, h. e. *recipe viſum*, ſive *attolle oculos.* Ut mox. ¶ *Et reſpexi*] Ἀνέβλεψα.

14. *Præordinavit te*] Προεχειρίσατό σε *preparavit te*, ſive *priùs apparavit te:* niſi quis malit προεκυρώσατο *priùs ſtatuit.* Cæterùm id non erat in ullis Græcorum exempl. Nec Ananias hìc agit de prædeſtinatione Divina, ſed de ruina ac cæcitate Pauli, quibus rebus Chriſtus jam agebat & aggrediebatur, ut hâc occaſione cognoſceret Euangelii fidem. Nec annotatio mea excludit *Prædeſtinationem*, ſed explicat proprietatem Græcæ vocis. Chryſoſtomus hunc enarrans locum nullam facit mentionem *prædeſtinationis.* ¶ *Ut videres Juſtum*] Τὸ δίκαιον *juſtitiam*, ſive *id quod juſtum eſt:* h. e. cernas id quod antehac zelo Legis excæcatus non videbas. Rurſum in aliis habebatur τὸν δίκαιον, h. e. *Juſtum illum*, videlicet Chriſtum: idque congruit cum eo quod ſequitur, *& audires vocem ex ore ejus.* Videtur enim ſentire de *luce* quam viderat, & *voce Jeſu* quam audierat: quanquam & mox narret quomodo viderit & audierit Dominum in Templo.

15. *Quæ vidiſti & audiſti*] Ὧν ἑώρακας. Articulus poſtpoſitivus juxta Græcorum idioma congruit antecedenti pronomini, quod ſubauditur, *eorum*, diſſidens à ſuo ipſius verbo. Interpres bene adjecit de ſuo *eorum.*

20. *Ego ſtabam, & conſentiebam*] Hic Græci addunt duo verba, τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, *morti ejus*, καὶ αὐτὸς ἤμην ἐφεστὼς

καὶ συνευδοκῶν, & ipse eram assistens, & comprobans interfectionem ejus.

22. *Tolle de terra hujusmodi*] Τοιοῦτον *talem*: ut ad *Paulum* referatur. Unde non male addidisset *hujusmodi hominem*. ¶ *Non est fas*] Οὐ καθῆκον, *non convenit*, sive *non decet*.

24. *Et flagellis cædi & torqueri*] Ἐκέλευσεν αὐτὸν ὁ χιλίαρχος ἄγεσθαι εἰς τὴν παρεμβολὴν, εἰπὼν μάςιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτόν, *Jussit eum Tribunus duci in castra, dato mandato ut flagris examinarent eum.* Nec aliud fuisse jussum indicant ea quæ sequuntur: ut illud interim dissimulem quod

25. *Si hominem Romanum* dixit pro *An hominem*: quandoquidem adeò constanter id facit ut suo jure videatur facere.

28. *Multâ summâ*] Πολλοῦ κεφαλαίου. Ità Græci vocant *supputationem ut summam subductam*. In nonnullis legimus *hanc civilitatem*, in aliis *civitatem* Græcè πολιτείαν. Laurentius magis probat *civilitatem*, ego contrà *civitatem*; quandoquidem *civitate donati* dicuntur Latinis quibus jus civitatis concessum: & ut Græcis à πολίτης πολιτεία, sic nobis à *cive civitas* dicitur. Beda subindicat in nonnullis cod. sermonem fuisse magis dilucidum, in quibus sic erat scriptum, *Dixit Tribunus, Tam facile dicis civem Romanum esse te. Ego enim scio quanto pretio civilitatem possedi istam.* Nec est. ¶ *Consecutus sum*, sed ἐκτησάμην *paravi*, quod antè vertit, *possedit agrum de mercede iniquitatis.*

30. *Volens scire diligentius*] Τὸ ἀσφαλὲς *certum*: ut & superiùs verterat *certius*, quod nunc vertit *diligentius*.

VATABLUS.

1. Rationem] Vel *defensionem*, *excusationem*.

2. *Loquitur*] *Loqueretur*, Vet.

3. *Eruditus juxta veritatem paternæ legis*] *Institutus juxta exactam rationem patriæ legis*, sive *juxta rigorem patriæ legis*; i. quam à majoribus accepimus. ¶ *Æmulator legis*] *Sectator Dei*, sive *æmulator Dei*.

4. *Hanc viam*] i. Religionem Christianam.

5. *Princeps sacerdotum mihi testimonium reddit & omnes majores natu*] *Et Pontifex mihi testis est & omnis Presbyterorum ordo.* ¶ *Ut adducerem inde*] *Adducturus & eos qui illic essent.*

6. *Mediâ die*] *Circa meridiem.* ¶ *Circumfulsit*] *Circumfulguravit*; i. velut fulgur circumdedit.

7. *Saule, Saule*] *Saul, Saul.*

9. *Viderunt**] * *Et exterriti sunt.*

10. *Quæ te oporteat facere*] Vel *quæ ordinata sunt tibi ut facias*: sic in quibusdam codicibus Græcis.

11. *Claritate*] *Gloriâ.* ¶ *Comitibus**] * *Qui erant mecum.*

12. *Vir**] *Timoratus*, Vet. vel *pius* aut *religiosus.* ¶ *Secundum legem testimonium habens*] *In lege testimonio comprobatus*; vel *testimonio omnium illic habitantium Judæorum probatus.* ¶ *Cohabitantibus*] *Habitantibus*, Vet.

13. *Stans*] *Astans*, Vet. ¶ *Saule*] *Saul.* ¶ *Respice*] *Recipe visum.* ¶ *Horâ**] * *Recepto visu.*

14. *Præordinavit*] *Præparavit.* ¶ *Justum*] i. Christum.

16. *Ablue*] *Abluere*, Vet. ¶ *Ipsius*] *Domini.*

17. *Revertenti mihi in Jerusalem*, &c.] *Cùm essem reversus Jerosolymam, & orarem in templo, ut raperer extra me, & viderem.*

20. *Ego**] * *Quoque.* ¶ *Stabam*] *Astabam*, Vet. ¶ *Consentiebam*] *Comprobavi interfectionem ejus.*

22. *Hujusmodi*] *Talem.* ¶ *Fas est*] *Convenit.*

24. *Est flagellis cædi & torqueri eum*] *Et imperavit eum flagris examinari.*

25. *Astrinxisset*] *Astrinxissent*. Vet. Græcè legitur, *Extendisset*, sub. *Centurio.* ¶ *Si*] *An.*

28. *Civilitatem*] *Civitatem*, Vet. ¶ *Comparavi*] *Consecutus sum.*

29. *Torturi*] *Examinaturi.*

30. *Diligentius*] *Certum.* ¶ *Sacerdotes*] *Principes Sacerdotum.* ¶ *Inter illos*] *Coram illis.*

CLARIUS.

9. *Vocem autem non audierunt*] Cur ergò superiùs ait, *audientes quidem vocem, neminem autem videntes?* Illic ait *eos audisse vocem*, scilicet Pauli, qui loqueretur quidem, at illi *neminem videbant* cum quo loqueretur: hic autem ipse se aperit, cum ait, *vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mihi.*

22. *Audiebant autem eum usque ad hoc verbum*] Perstiterunt dum hæc omnia narrarentur, in quibus tamen Christi majestas elucebat: at non potuerunt ferre verbum hoc, quòd *mittendus esset ad exteras gentes*, ad prædicandum Christi nomen, quamvis illud persequerentur. Cæcam profectò gentem & invidam!

ZEGERUS.

9. *Vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum*] Notanter adjecit *ejus qui loquebatur mecum*, distinguens videlicet, hanc ab ea quam B. Lucas suprà cap. 9. à comitibus Pauli auditam fuisse testatur, *audientes quidem*, inquiens, *vocem, neminem autem videntes*: quod non de Christi compellantis sed de Pauli voce intelligendum est. Quod autem de mutata scriptura quidam adferunt, frivolum plane mihi judicatur. Cæterùm ante illud *vocem autem* Græci præmittunt καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο *& exterriti sunt.* Videtur tamen adjectum à quopiam, ut hic locus magis respondeat ei qui est suprà c. 9. *Stabant stupefacti*, &c. Etiamsi haud nesciam idem & apud Chrysostomum haberi. Sed soli contextui ibi collocato absque commento, aut alia probabili causa, non soleo fidere. Dissonantiam de voce Eucherius aliter concilians, *Quantum ad sonum*, inquit, *pertinet, audierunt vocem; quantum ad verba, non audierunt*, lib. Quæst. N. T.

12. *Quidam vir*] Editio Lovaniensis ex uno exempl. in margine addit *timoratus*, cui adstipulatur Chrysostomus & Vulgati codices Græcorum: verùm si id legisset vertissetque Interpres, verisimile non esse quod tantâ constantiâ aliàs ubique prætermissum esset in nostris.

20. *Et consentiebam*] Subaudi *sublationi*, vel *morti, ejus*, id quod in Græco hodie contextu exprimitur τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ.

24. *Et torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei*] *Torqueri eum jubet* & μάςιξιν ἀνετάζεσθαι, i. *flagris examinari, ut ipse Tribunus sciret*, &c. *Cædendi* verbum Græcis abest, & additur εἰπὼν, an rectè ignoro.

25. *Si hominem Romanum*] *Romanum* se dicit quia Romanorum civium privilegiis potiebatur, tametsi natione Romanus non esset. Nam cùm dicit, *Ego autem & natus sum*, non Romæ natum sed ex cive Romano se natum insinuat, cujus gratiâ etiam hujusmodi privilegiis donabatur. Tarsensis ergò erat Paulus natione, Romanus autem privilegio & dignitate. Docet hæc eadem & multis & manifestis rationibus Oecumenius, si quis fortè pleniùs edoceri voluerit.

28. *Ego multâ summâ civilitatem hanc consecutus sum*] Sentit se multo pretio sibi comparasse ut civis esset Romanus. Valla magis probat *civilitatem*, Erasmus contrà *civitatem*. Græcè est πολιτείαν.

L. BRUGENSIS.

17. *Factum est autem*, &c. *fieri me in stupore mentis.*] Pro stupore mentis, annotat V. Beda, atque ex eo alii, *quidam codices habent* mentis excessum, *alii* pavorem, *alii* alienationem: *diversè enim interpretatur Latinè, quod Græcè dicitur* Ecstasis. Porrò illud, *in stupore mentis*, vulgatæ editionis esse vix dubium est. Quotquot nos vidimus Latini libri unanimiter id habent.

H. STEPHANUS.

1. Παρέσχον ἡσυχίαν] *Præbuerunt silentium.*

3. Πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου] *Institutus ad exactam formam patriæ legis*, Vel, *eruditus ad exactam patriæ legis disciplinam.* ¶ Ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ] *Zelo Dei accensus*, i. cultûs Dei. Vel, *zelo Legis*, sequendo lectionem V. Interpretis.

5. Μαρτυρεῖ μοι] *Testis mihi est.*

6. Περιαςράψαι φῶς ἱκανὸν περὶ ἐμὲ] *Ut lux multa fulguri similis me circumdederit*: vel *in morem fulguris.*

7. Ἔπεσόν τε εἰς τὸ ἔδαφος] *Et cecidi in solum.*

11. Ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς ἐκείνου] *Præ fulgoris illius gloria*: i. *Præ fulgore illo gloriâ & majestate pleno*; vel *glorioso.*

14. Προεχειρίσατο] *Designavit*: vel *delegit.*

14. Ἀπόλουσαι] *Ablue*: vel *elue.*

19. Φυλακίζων καὶ δέρων] *In carcerem conjiciens & verberans.*

24. Εἰπὼν μάςιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν] *Cùm dixisset inquirendum esse in eum flagris*: vel *habendam esse de illo quæstionem flagris.*

25. Ὡς δὲ προέτειναν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν] *Cùm autem objecissent eum loris* (ut dicitur, *objicere aliquem gladio*:) i. *Cum jam ei verbera intentarent.*

28. Πολ.

28. Πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην] *Magnâ summâ jus civitatis istius emi.* ¶ Καὶ γεγέννημαι] *Etiam natus sum* civis.

30. Γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς] *Scire certò.*

DRUSIUS.

3. **A** *PUD pedes*] In lib. Aboth, c. 1. *Esto pulverans in pulvere pedum ipsorum:* sub. *Sapientum.* Vide sis Commentarium qui ad hunc locum. *Pulvero* Plautus dixit pro *pulverulentus sum:* unde *esto pulverans*; quod alii transferunt *pulverizans.* Hoc de iis dici solet qui semper sedent ad pedes Magistri, assidui ejus auditores. ¶ *Gamalielis*] Erat *Pharisaeus Legis doctor*, c. 5. 34. apud cujus pedes institutus fuit Paulus Apostolus ad exquisitam formam patriae legis. Graecè Γαμαλιήλ. Ebraicè verò גמליאל & Syriacè גמליאיל dicitur. Petrus Galatinus (De arcan. cathol. verit. l. 1. c. 2.) autor hunc Gamalielem cognomento *Senem*, i. זקן, praeceptorem habuisse Simeonem illum qui Christum in ulnis suscepit, quem *Simeonem Justum* appellat. Quae an vera sint, nescio. Hoc scio, in lib. Genealogiarum memorari quendam Gamalielem Pollionis nepotem, quem *Hellel* nominant, & patrem R. Simeon, in cujus diebus destructa fuerit Jerosolyma. Gamaliel ille filius erat Ben Hellel, h. e. filii Hellel, qui vixit centum annis ante excidium Templi. De patre loquor. Nam filius Ben Hellel Christo coaevus fuit. Ipse Hellel apud Herodem Magnum in magna gratia & autoritate erat, Discipulos habuit octoginta, quorum summus Jonathan Uzielides, minimus omnium R. Johonan Zachaei filius, quem Vespasianus, quod Romanis faveret, in pretio habuit. Nam cùm ex urbe obsessa capulo inclusus (ità mos erat mortuos efferendi) in castra delatus esset, non solùm honorificè ipsum excepit, sed etiam certum opidum dedit in quo cum suis philosopharetur. Qua de re dicam aliàs, cùm plus otii nactus ero. ¶ *Paterna legis*] Quae non solùm à patre sed à patribus. Ebraei dicerent *lex patrum.* *Patres* autem appellant omnes majores. Alii maluerunt *patriae legis:* quod ut non improbo, ità excusatum hic eo Interpretem nostrum: rectè an secùs, judicent qui intelligunt. Lexicon vetus, Πατρῷος, *paternus.* Sic *mos paternus* Act. 28. 17. *paternae traditiones* Gal. 1. 14. *paterna traditio* 1 Pet. 1. 18. *paternum sepulcrum* 3 Esrae. 1. 31. πατροπαράδοτον *quod à patribus traditum.* Ex his liquet *paternum* usurpari ab Interprete nostro pro *patrio.* Vox Graeca utrumque sign. nisi quòd quidam *patrius* exponunt πατρικός, *qui est patris.* Terentius, *patria qui abligurierat bona.*

5. *Totum Presbyterium*] i. ordo senum quos vocant זקנים, & *Judices Synedrii magni*, i. *Sanhedrin.* Ipsum autem Synedrion appellant SANHEDRI GEDOLA, i. *Synedrion majus.* Falluntur enim qui τὸ συνέδριον à Magistris Ebraeorum סנהדרין appellari scriptis prodiderunt.

7. *Saule, Saule*] Verba sunt Interpretis, qui quod Jesus Ebraicè dixerat, *Saul, Saul*, interpretatur Graecè declinans, *Saule, Saule.* Repetitio autem fit more vocantium, ut *Abraham, Abraham; Jacob, Jacob; Moses, Moses.*

9. *Vocem non audierunt*] Dissentit (ità videtur) à seipso: nam suprà 9. 7. ait, *audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Vide sis Erasmum: nam ego quod addam non habeo. Dies certiora docebit. Praestat ignorantiam fateri quàm temere damnare quod non intelligis. Nota hic esse, *non audierunt vocem ejus qui loquebatur mecum:* hoc primum: deinde, si audierunt vocem Pauli, etiam viderunt eum. Nodum ergò non solvit qui haec ità conciliat. Alia solutio quaerenda; ad quod tempore opus & otio.

14. *Videres Justum*] Τὸν δίκαιον qui sic vocatur cùm alibi tum Act. 3. 14 sed & in libro Sapientiae. Vidit *Justum* oculis animi: nam vidisse illum Jesum oculis corporeis nusquam legimus, quod sciam. Varians lectio τὸ δίκαιον se tuetur ex more illo quo abstractum usurpant pro concreto. Nam ut Jesum vocamus τὸ σωτήριον, sic etiam dici posset τὸ δίκαιον, i. *Justitia.* Sic apud Davidem, *justitias amat*, i. justos. Sic *dolus* pro *doloso.*

25. *Si hominem Romanum*, &c.] *Si* pro *an:* quod pervulgatum huic Interpreti Terentius, *Si domi est rogas?* Ebraei hoc sensu usurpant אם *si*, maximè si praecedat ה.

28. *Multâ summa*] *Summam* dicit κεφάλαιον, quod usurpatur de spoliis Num. 31. 26. & de filiis Kaath Num. 4. 2. *Cape* τὸ κεφάλαιον *filiorum Kaath:* utrobique ראש in fonte. Vide quoque Levit. 6 4 & Num. 5. 7. ubi *summam* sign. *in re numaria sive pecuniaria*, quae & ראש *delictum* ibidem, & *sors* vel *summa capitalis.* Ab Interprete nostro vocatur *caput.* Vide annotationes manuscriptas. Alibi est *summa numeri*, & *summa in oratione.* Qua de re aliàs.

CASAUBONUS.

3. **Π** Επαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου] Existimo idem hoc loco significari & infrà 26. 5. ubi de se ait Paulus, ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος. Qui loci faciunt ut iis potius assentiar qui *Pharisaeos* dictos putant quasi ἀπηκριβωμένους, ut aiunt Graeci, & *separatos* à vulgo sanctimoniâ quadam vitae, quàm iis qui ab interpretatione Legis sic censent fuisse appellatos.

17. Ἐγένετο δέ μοι ὑποστρέψαντι εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ προσευχομένου μου ἐν τῷ ἱερῷ γενέσθαι με ἐν ἐκστάσει] Mira in eadem sententia constructionis varietas. Nam usitatius erat sic, Ἐγένετο δέ μοι ὑποστρέψαντι εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ προσευχομένῳ ἐν τῷ ἱερῷ, γενέσθαι ἐν ἐκστάσει.

CAMERON.

11. **A** Πὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς] De significatione vocis δόξης vide quae dicta sunt ad Matth. 6. 29. ubi de Salomonis gloria Christus loquitur.

GUALTPERIUS.

1. **A** Πολογίας *apologiam*] Vox Graeca est, satis trita, & in usum Latini etiam sermonis recepta, *defensionem* alioqui significans.

3. Ζηλωτὴς *zelotes*] Vox Graeca; cujus primigenium ζῆλος. Variae autem significationis est, ut praeter alios docet Henr. Stephanus in Thesauro L. Gr. 1. Primariam ponit, *Aemulationem.* 2 Stoicorum definitionem adfert, quae est, Ζῆλος λύπη ἐςὶ ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ καὶ οὐκ ἔχει, i. *Aemulatio, aegritudo est* (interprete Cicerone) *si eo quod concupierit alius potiatur, ipse careat.* 3. Ζῆλον καὶ Φθόνον saepe eâdem significatione usurpari tradit. 4. Ζῆλος, *Aemulationis stimulus*, Bud. 5. Ζῆλος est etiam *ejus qui quodam veluti aemulationis studio impulsus aliquem imitatur, aut aliquid affectat, summóque ejus assequendi desiderio tenetur.* 6. *Impetus mentis ad cultum Divinum & religionis amplectendae vegeta cupido*, Bud. 7. Denique ζῆλος *felicitas.* Ut autem quod res est dicamus, satis apparet ex scriptoribus cùm profanis tum sacris, vocabulum esse μέσον seu medium, quod nunc in bonam nunc in malam accipiatur partem: id quod vel unus ille Gentium Doctor in Epistola ad Galatas scripta edocere nos potest. Sic enim cap. 4. καλὸν δὲ inquit, τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε, *Bonum est aemulari in re bona semper:* & tamen cap. 5. refert inter *opera carnis*, ἔχθραι, ἔρεις, ζῆλοι, *inimicitia, lites, aemulationes.* Ex quo facilè colligitur duplicem esse zelum, *Spiritus*, & *carnis.* Ille ut ex fide proficiscitur ità certam moderationem habet: hic, ut carnalis est, caeco quodam impetu fertur, & saepenumero vix ac nè vix quidem coerceri potest: quò pertinet istud Apostoli 1 Cor. 3. *Quando inter vos zelus & contentio est, nónne carnales estis?* Hic zelus facit ut doleamus alios nobis praestare aut anteferri, quibus superiores esse optaveramus: nec multùm distat ab Invidia, quam veteres per hydrae quandam speciem depingere voluerunt. Ea verò palustris fingitur, & è sordido coeno pullulare; quòd non nisi in abjecto vilique animo reperiatur Invidia. Hinc ζηλότυπος, & ζηλοτυπία. Ille quasi ζήλῳ τυπεὶς *invidiâ percussus*, nempe qui prae fervore amoris rivalem pati nequit, sed aliis invidet ejusdem amoris societatem: Haec conjugalem maximè respicit societatem, qualis ut rivalem in amore mulieris pati non possimus: de qua gravissimè Jehovah multis verbis cum Moseh agit Num. 5. à v. 12. ad finem usque. Et Deus ipse dicitur אל קנא *Deus Zelotes*, q. d. *Talis sum Deus* qui, *ut honestus maritus in matrimonio non potest ferre ut uxor sua cum alio viro consuetudinem habeat, ità non possum tolerare ut quisquam alii Deo quàm mihi uni se subjiciat. Me solum ut colatis aut missum faciatis oportet. Et sum Deus severissimus in puniendis cùm aliis peccatis, tum praecipuè Idololatria.* Haec D. Osiander.

24. Χιλίαρχος] Eandem vocem retinet Syrus. Redditur *Tribunus, Tribunus militaris, qui mille viris praeest, mille militum Tribunus*, seu simpliciter *Tribunus militum.* Χιλιαρχία, *Imperium in mille viros*, seu equites; *Tribunatus militaris* Χιλιαρχέω, *sum Tribunus militaris.* Χίλιοι, χίλιαι χίλια, *Mille*, &c.

28. Ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην, *Ego multâ summâ civitatem istam* (i. jus civitatis) *acquisivi*] Lutherus, **Ich hab diß Burgerrecht mit grosser Summa zu wegen gebracht.** Syrus habet vocem ... *Larbumajutha*,

tha, i. *Romanitatem*: *Ego argento multo acquisivi Romanitatem*, i. jus civitatis Romanæ. Notatur autem, Unicum in textu Syro occurrere nomen substantivum à *Roma* formatum sonans *Romanitatem*.

LUD. CAPPELLUS.

9. THN δὲ Φωνὴν ὐκ ἤκυσαν, &c.] De conciliatione hujus loci cum iis quæ habentur cap. 9. 7. alii jam doctè disputarunt, tum Beza, tum Albericus Gentilis. Quibus & hoc addi possit, ἤκυσαν hic significare *intelligere*, non verò *audire*. Christus nempe Paulum allocutus est Ἑβραΐδι διαλέκτῳ (uti infra 26. 14. Paulus ipse testatur) quam Paulus quidem callebat, eruditus nempe in Lege ad pedes Gamalielis, sed comites ejus fortè nesciebant. Itaque *audiverunt* quidem *vocem* Christi *alloquentis* Paulum, uti id dicitur suprà c. 9. 7. sed quidnam illi diceret *non intellexerunt*, quòd Hebraicè nescirent, sed Græcè tantùm fortasse.

GROTIUS.

ANδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, *Viri fratres & Patres*] Vide supra 7, & ibi dicta. *Patrum* nomen addit, si qui fortè Senatorum adessent. ¶ Τῆς πρὸς ὑμᾶς νῦν ἀπολογίας *quam ad vos nunc reddo rationem*] Ἀπολογία rectè cum Cicerone dicetur *defensio*. *Defensio* est etiam, ubi factum negatur. *Purgatio* ejus est species, ubi facto concesso, culpa removetur. Latinus interpres hic non malè, *Reddo rationem*. In Glossario ἀπολογῦμαι, *rationem reddo*.

2. Παρέσχον ἡσυχίαν. *præstiterunt silentium*] *Fecere silentium*. Ita loquitur Plautus.

3. Ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, *in ista civitate*] Ubi præcipua sedes studiorum Legis. ¶ Παρὰ τὺς πόδας Γαμαλιὴλ, *secus pedes Gamaliel*] Ejus de quo supra 5. 34. *Ad pedes* dicit, ideo quod discipuli sedebant multùm infra Magistros: proximi verò Magistro ii quorum maximi profectus. Vide Deuter. 33. 3. & Philonem de Essenis. Scriptor commentariorum quæ nomen præferunt Ambrosii ad primam ad Corinthios, *Hæc traditio Synagogæ est, ut sedentes disputent, seniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellius, novissimi in pavimento super mattas*. Quod igitur est in Thalmudicis titulo מגילה [*Megilla*] *ad tempora Gamalielis stantes didicisse Legem*, interpretare stetisse omnes dum ipsa Legis verba legebantur. Vide quæ ad Lucam 4. 20. ¶ Πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τῦ πατρῴυ νόμυ, *eruditus juxta exquisitam formam paternæ Legis*] *Secundum sectam exquisitiorem*. Sic infra 26. 5, κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας [*secundum exquisitissimam nostræ religionis sectam.*] Josephus Belli Judaici 1. 4. de Pharisæis, Τάγμα τι Ἰυδαίων δοκῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ τὺς νόμυς ἀκριβέστερον ἀφηγεῖσθαι [*Quædam Judæorum factio, qui præter alios pietatem colere putarentur, & penitius Leges interpretari.*] Idem Veteris Historiæ 17. 3. Ἦν γάρ μόριόν τι Ἰυδαικῶν ἀνθρώπων ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονῦν τῦ πατρίυ νόμυ, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιυμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις Φαρισαῖοι καλῦνται [*Erat enim quædam Judæorum secta exactiorem Patriæ Legis cognitionem sibi vindicans, quibus tanquam Deo, ut videri volebant, charis, addictum erat hoc mulierum solatium. Hi Pharisæi vocantur.*] Et in sua vita, Τῆς δὲ Φαρισαίων αἱρέσεως, οἳ περὶ τὰ πάτρια νόμιμα δοκῦσι τῶν ἄλλων ἀκριβείᾳ διαφέρειν [*Pharisæus sectà, quæ quidem videtur exactius quam aliæ, tenere Leges patrias*] ¶ Ζηλωτὴς ὑπάρχων τῦ Θεῦ, *zelo accensus Dei*] Ex Numer. 25. 13. habebant quidem Pharisæi ζῆλον [*zelum*] Phineæ, sed non cum veri scientia conjunctum, Rom. 10. 2.

4. Ὃς ταύτην τὴν ὁδὸν, *Qui hanc viam*] Sectam hanc. Vide supra 17. 17. & 19. 9, 23. ¶ Ἐδίωξα ἄχρι θανάτυ, *persequutus sum usque ad mortem*] Quantum scilicet in me erat ¶ Παραδιδὺς εἰς φυλακὰς ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας. *tradens in custodias viros & mulieres*] Vide supra 9. 1, & 2.

5. Ὡς καὶ ὁ ἀρχιερεὺς μαρτυρεῖ μοι, καὶ πᾶν τὸ πρεσβυτέριον *Sicut Princeps Sacerdotum mihi testimonium reddit & omnes Majores natu*] Id est, *Synedrium magnum*. Vide quæ dicta ad dictum caput 9. ¶ Πρὸς τὺς ἀδελφὺς, *ad fratres*] Ita hic vocat Judæos ob communem ex Jacobo originem. ¶ Ἵνα τιμωρηθῶσιν *ut punirentur*] *Ut verberibus cæderentur*.

7. Ἔπεσόν τε εἰς τὸ ἔδαφος, *Et decidens in terram*] Hebraicè ארצה, quod χαμαὶ [*in terram*] reddi solet.

9. Τὴν δὲ φωνὴν ὐκ ἤκυσαν τῦ λαλῦντός μοι. *vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum*] Nempe distinctè. Sonum confusum audiebant, non ipsa verba: sicut diximus supra 9. 7.

10. Ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι. *quæ te oporteat facere*] *Quæ à me tibi imperantur ut facias*. Supra 9. 7: τί σε δεῖ ποιεῖν [*quid te oporteat facere*.

11. Ἀπὸ τῆς δόξης τῦ φωτὸς, *præ claritate luminis*] Δόξα כבוד *eximium quendam fulgorem* significat; supra 7. 55. 2 Corinth 3. 7

12. Ἀνὴρ εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον, *vir timoratus secundùm Legem*] Pius, non quovis modo, sed etiam secundùm Legis nostræ præscripta, ut Zacharias & Elizabet. Hoc multum pertinet ad rem de qua agebatur. In Manuscripto tantùm est ἀνὴρ κατὰ τὸν νόμον, *vir legi congruens*. ¶ Ὑπὸ πάντων τῶν κατοικύντων, *ab omnibus habitantibus*] Nempe Damasci.

13. Καὶ ἐπιστὰς, *& stans*] Ut Lucæ 4. 39. Stabat superior ut ei manus imponeret, quemadmodum narratum dicto capite 9.

14. Ὁ δὲ εἶπεν *At ille dixit*] Referens scilicet visum quod sibi divinitùs obtigerat. ¶ Ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, *Deus Patrum nostrorum*] Et hoc appositè, ne crederetur à Deo Abrahami, Isaaci, & Jacobi defectionem docere ¶ Προεχειρίσατό σε γνῶναι. *præordinavit te ut cognosceres*] Sic & infra 26. 16. Προχειρίζεσθαι [*præordinare*] habes pro שלח [*mittere*] Exodi 4. 13 pro לקח [*assumere*] Jos. 3. 12. Eodem sensu habuimus προχειροτονεῖν supra 10. 41 ¶ Καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον, *& videres justum*] Jesum illum summè innocentem ac bonum 1 Joh. 2. 1. & 3. 7.

16 Καὶ ἀπόλυσαι τὰς ἁμαρτίας συ, *& ablue peccata tua*] Fidei & professionis fidei, quæ per baptismum fit, simul conjunctis promittitur remissio peccatorum. Vide Marci 16. 16. Sicut ablutio facit ne maculæ appareant, ita remissio ne peccata, Esaias 1. 18. ¶ Ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τῦ Κυρίυ *invocato nomine Domini*] In Manuscripto illo & aliis, τὸ ὄνομα αὐτῦ [*nomine ipsius.*] quomodo & Syrus legit. Id alii ad *Jesum* referunt: ego rectiùs ad *Deum Patrem*. Sæpe enim demonstrativa & relativa respiciunt aliquid remotius. Cur ita censeam causam vide in iis, quæ diximus ad Matth. 28. 19. ubi agimus de precibus in baptismo.

17 Καὶ προσευχομένυ μυ ἐν τῷ ἱερῷ γενέσθαι με ἐν ἐκστάσει, *& orante me in templo fieri in stupore mentis*] Hæc est una revelationum de quibus agit 2 Cor 12. 1. Est autem constructio, qualis supra 21. 34 Rectus enim sermo fuerat, Καὶ προσευχομένῳ ἐν τῷ ἱερῷ γενέσθαι ἐν ἐκστάσει. [*& oranti in templo fieri in stupore mentis.*]

18. Καὶ ἰδεῖν αὐτὸν, *Et videre illum*] Angelum vice Christi, ut in Veteri Fœdere Dei vice. Vide supra 9. 10 & 18. 9. ¶ Ἔξελθε ἐν τάχει ἐξ Ἱερυσαλὴμ *exi velociter ex Jerusalem*] Tacitè hîc subintelligitur, *& abi aliò prædicatum*. Nam ad id respondet Paulus. ¶ Διότι ὐ παραδέξονταί συ τὴν μαρτυρίαν περὶ ἐμῦ. *quoniam non recipient testimonium tuum de me*] Quasi dicat Dominus, Sanabiles qui sunt, jam sanati sunt: cæteri jam obduruere, quos sua pœna exspectat. Vide supra 9. 29.

19. Κἀγὼ εἶπον Κύριε, αὐτοὶ ἐπίστανται, *Et ego dixi, Domine, ipsi sciunt*] Quasi non universaliter intelligendum esset quod Dominus dixerat. Ostendit Paulus sibi nonnihil esse spei, quod Hierosolymitæ qui se pridem novissent, tantam mutationem non possent nisi magnæ veræque causæ attribuere. ¶ Ἤμην φυλακίζων, *eram concludens in carcerem*] *In carcerem dabam*. Exstat hoc verbum in Βατραχομυομαχίᾳ [*ranarum & murium pugna*] item Sapient. 18. 4. ¶ Καὶ δέρων κατὰ τὰς συναγωγὰς τοὺς πιστεύοντας ἐπὶ σε *& cædens per Synagogas eos qui credebant in te*] Ex jussu Synedrii, cui ea coërcitio permissa intra Judæam & regiones quasdam vicinas. Vide supra 9. 2. & infra 26. 11. & quæ diximus ad Matth. 10. 17.

20. Καὶ συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, *& consentiebam interfectioni ejus*] Ipsa verba quæ supra habuimus 8. 1. ¶ Καὶ φυλάσσων τὰ ἱμάτια τῶν ἀναιρύντων αὐτόν. *& custodiebam vestimenta interficientium illum*] Nempe testium, qui primi ad lapidandum. Vide supra 7. 58.

21. Πορεύυ ὅτι ἐγὼ εἰς ἔθνη μακρὰν ἀποστελῶ σε. *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te*] Nempe in Arabiam, Syriam, Lyciam, Lycaoniam, Bithyniam, Mysiam, Asiam, Græciam, Macedoniam, Illyricum, & quidem magno cum fructu. Vide supra 9. 15. Rom. 15. 19.

22. Ἄχρι τούτυ τοῦ λόγυ, *usque ad hoc verbum*] Ut qui pati non possent Gentes fieri participes communis salutis. ¶ Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸν τοιοῦτον *Tolle de terra hominem hujusmodi*] Sic Lucæ 23. 18 αἶρε τοῦτον [*tolle hunc.*] supra 21. 36. ¶ Οὐ γὰρ καθῆκον αὐτὸν ζῆν. *non enim fas est eum vivere*] Οὐ καθῆκον, אין משפט [*justum non est.*]

23. Καὶ ῥιπτούντων τὰ ἱμάτια, *& projicientibus vestimenta*] Ut expeditiores essent ad vim faciendam. Simile habuimus supra

pra 7. 58. ¶ Καὶ κονιορτὸν βαλλόντων εἰς τὸν ἀέρα, *& pulverem jactantibus in aerem*] Nempe terrâ pedibus concussâ, ut ab iratis fieri solet. Ita accepit Syrus.

24. Ἄγεσθαι εἰς τὴν παρεμβολὴν, *induci eum in castra*] In partem interiorem Antoniæ ubi erant milites. ¶ Εἰπὼν μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν *dicens flagris cædi eum*] Mos Romanus quæstionem habendi per flagra de quo diximus ad Matth. 27. 19. Sed & ante is mos apud alias Gentes fuerat. Hinc factum ut ἐτασμὸς sumatur pro *flagris* 2 Macc. 7. 37. & ἐξετάζειν pro *torquere*, Sap. 11. 10. Sunt autem flagra virgis læviora. Cicero pro Rabirio. *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovet; hic misericors flagella retulit.* ¶ Ἵνα ἐπιγνῷ, *ut sciret*] Ex ipsius confessione. ¶ Δι' ἣν αἰτίαν οὕτως ἐπεφώνουν αὐτῷ. *propter quam causam sic acclamarent ei*] Qua re eos tam graviter offendisset.

25. Ὡς δὲ προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσι, *Et cùm adstrinxisset eum loris*] *Postquam eum* (præfectus cohortis) *exposuerat loris.* προτείνειν est προβάλλειν, *exponere.* ἱμάντες hic quod modò μάστιγες (*flagella*] In Glossario ἱμᾶς, *lorum.* *Loris cædi* apud Ciceronem & Comicos sæpe. Ea est *censio bubula* apud Plautum: cujus est & hoc alibi,

Ubi vivos homines mortui incursant boves.

¶ Πρὸς τὸν ἑστῶτα ἑκατόνταρχον, *adstanti sibi centurioni*] Alii codices habent ἐφεστῶτα (*adstanti*,] & sic legisse videtur Syrus. *Adstantem*, nempe quæstioni à Præfecto imperatæ. Vide quæ diximus ad Matth. 27. 31. ¶ Εἰ ἄνθρωπον Ῥωμαῖον καὶ ἀκατάκριτον ἔξεστιν ὑμῖν μαστίζειν; *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?*] Utrumque habuimus & supra 16. 37. Illud *Romanum*, est contra leges, Porciam & Semproniam: illud *indemnatum*, & contra Romanas & contra omnium bene moratarum Gentium leges, ut supra diximus. De Porcia lege diximus modò. Cæsar apud Sallustium, *Quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an quia lex Porcia vetat?* Cicero Verrinâ Quintâ, *O nomen dulce libertatis! ô jus eximium nostræ civitatis! ô lex Porcia legesque Semproniæ!* Et mox, *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberari.* Proclamavit Paulus itidem, ut ille de quo ibi Cicero, *Civis Romanus sum.*

26. Ὅρα τί μέλλεις ποιεῖν; *Quid acturus es?*] Vide ne in majestatem populi Romani pecces. Diximus ea de re supra 16. 38.

28. Ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. *Ego multâ summa civitatem hanc consequutus sum*] *Per avaritiam Claudianorum temporum*, ut loquitur Tacitus Historiarum 5. Et nominatim *jus Civitatis Romanæ ab eo venditum* dicit Dion. *Nomen civium Romanorum magno emptum* dicit Salvianus. Κεφάλαιον Græci ponunt pro *sorte* quæ *usuris* opponitur. At Hellenistæ pro *quavis pecuniæ summa* ponunt, ut Levit. 6. 4. Num. 5. 7. & 31. 26. 49. Syrus hic בסימא סגיאא, *multo argento.* ¶ Ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι. *Ego autem & natus sum*] Atqui Tarsus non colonia erat sed libera urbs, Plinio teste 5. 27. *Concessam Tarsensibus libertatem ab Antonio* dicit Appianus Civilium quinto. Et Dion Chrysostomus priore oratione Tarsensi multa privilegia recitat ab Augusto tributa Tarsensi civitati, non autem jus coloniæ aut municipii, qualibus jus civitatis Romanæ comperebat, ut diximus D. ad Municipalem: & Ulpianus inter Ciliciæ colonias Tarsum non nominat. Restat ergo ut aliquis Majorum Pauli bellis civilibus, quæ inter Cæsarem Augustum & Brutum Cassiumque, aut etiam inter eundem Cæsarem & Antonium intercessere, jus illud sibi comparaverit. Unde colligas ex opulenta familia fuisse Paulum, neque vana esse quæ veteres Græci ad hunc locum dixere.

29. Οἱ μέλλοντες αὐτὸν ἀνετάζειν, *qui eum torturi erant*] Quos Latini *lorarios* vocant, Græci μαστιγοφόρους. ¶ Ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι, καὶ ὅτι ἦν αὐτὸν δεδεκώς. *quia civis Romanus esset, & quia alligâsset eum*] Nam vel hoc solum, *vincire civem Romanum*, crimen erat, ut modò ostendimus.

30. Βουλόμενος γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς, *volens scire diligentius*] *Certi aliquid scire volens.* Sic & supra 21. 34. & infra 25. 26. ἀσφαλές τι γράψαι (*quid certum scribam.*] ¶ Τὸ τί κατηγορεῖται παρὰ τῶν Ἰουδαίων, *qua ex causa accusaretur à Judæis*] Τὸ τί similiter habemus Luc. 1. 62. τὸ est δεικτικὸν (*demonstrativum*] sensûs sequentis. ¶ Ἔλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δεσμῶν, *solvit eum è vinculis*] Ut sine præjudicio causam diceret. ¶ Καὶ ἐκέλευσεν ἐλθεῖν τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ ὅλον τὸ συνέδριον αὐτῶν. *& jussit Sacerdotes venire & omne concilium*] Meliùs Manuscriptus, συνελθεῖν [*convenire*;] non enim eos ad se vocavit, sed in loco Majorum eos convenire jussit: nam quia intellexerat de religione controversiam esse, explorare voluit Synedrii sententiam, cujus erat de religione cognitio. *Principes* autem *sacerdotalium familiarum* specialiter nominantur, quia in eo consessu dignitate eminebant, ut Matth. 26. 3. 59. & 27. 1, 3, 12. Marci 8. 31. & 14. 35. Luc. 24. 20. supra 4. 23. infra 23. 14. ¶ Ἔστησεν εἰς αὐτοὺς, *statuit inter illos*] Pro ἐν αὐτοῖς, *in medio eorum consessu.*

P R I C Æ U S.

Com. 3. Ἀνατεθραμμένος, &c. παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ] Ex more Hebræo. Vide 10. 39. in Euang. Hoc Romanis *apud Philosophos vel Rhetoras sedere.* Seneca Epist. 108. *Non novimus quosdam qui multis apud Philosophum annis persederint, & ne colorem quidem duxerint?* & Epist. 49. *Modo apud Sotionem Philosophum puer sedi.* Vide S. Consultum apud Gellium 15. 11.

Ibid. Πεπαιδευμένος κατ' ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου] De Camillo in Excerptis Dionis, Ἀνὴρ νόμιμος ἀκριβὴς τε.

Ibid. Ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ] Sic Gal. 1. 14. de seipso, ζηλωτὴς τῶν πατρικῶν παραδόσεων ὑπάρχων sic in Excerptis Diodori, ἀρετῆς πάσης ζηλωτὴς γενόμενος & contrà in Dionys. Halic. Excerptis, ἀθέων καὶ ἐξαγίστων δογμάτων ζηλωταί. Vetus hic, *legis*, νόμου ut & supra 21. 20. quod & Beza germanum putat. Communem ego lectionem retinendam censeo. Sic Θεοῦ ζηλωτὴν apud Arrianum 2. 14 in Epictetum. Sic Numer. 25. in Græco, Θεῷ ζηλοῦν.

Com. 4. Ὃς ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα, &c.] Philip. 3. 6. Gal. 1. 13.

Com. 10. Τί ποιήσω;] i. Τί θέλεις ποιήσω;

Ibid. Ἀναστὰς πορεύου εἰς Δαμασκὸν, κἀκεῖ λαληθήσεταί σοι, &c.] Sic multò antè Idem ad Ezechielem, Ἀνάστηθι, καὶ ἔξελθε πρὸς τὸ πεδίον, κἀκεῖ λαληθήσεται πρός σε, &c. 3. 22. De voce ἀνίστασθαι (quæ hic peculiari usurpatione occurrit) ad Matth. 2. dixi.

Com. 11. Ὡς δὲ οὐκ ἐνέβλεπον, ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ Φωτὸς, &c.] Servius ad Æneid. 9. *Humani oculi altiorem & nimium splendorem ferre non possunt.* Aristoteles 3. de Anima, Ἡ αἴσθησις ἐκ τοῦ σφόδρα αἰσθητοῦ οὐ δύναται αἰσθάνεσθαι.

Com. 12. Ἀνὴρ εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον] In MS. Regio est, ἀνὴρ κατὰ τὸν νόμον. Simile apud A. Gellium, *Ingenium ad amussim factum.* At præfero tamen receptam lectionem. Sic κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ ἄμεμπτος, Phil 3 6.

Ibid. Μαρτυρούμενος ὑπὸ πάντων] Vide suprà ad 6. 3. & 10. 22. dicta.

Com. 15. Ἔσῃ μάρτυς αὐτῷ πρὸς πάντας ἀνθρώπους] Apud Lucian. in Nigrino, Μάρτυρά σε παρασχέσθαι πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐθέλω.

Com. 16. Καὶ νῦν τί μέλλεις;] Apuleius 6. *Quid stas otiosus, téque ipsum demoraris?*

Com. 22. Ἐπῆραν τὴν Φωνὴν αὐτῶν, λέγοντες, Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸν τοιοῦτον] Achilles Tatius lib. 7. Οἱ Θερσάνδρῳ ῥήτορες, καὶ ὅσοι τῶν Φίλων συμπαρῆσαν, ἐπεβόων ἀνελεῖν τὸν ἀνδροφόνον. Philo in Flaccum, Ὡς ἅπαντας ὁμοθυμαδὸν μιᾷ Φωνῇ κεκραγέναι κτείνειν τὴν λυμεῶνα. Ait, ἐπῆραν τὴν Φωνὴν, Lucas. Seneca, *Quædam sunt iræ quæ intra clamorem consident, &c. quædam in verborum maledictorumque amaritudinem effusa.*

Ibid. Οὐ γὰρ καθῆκον αὐτὸν ζῆν] Atrocis odii ac detestationis proverbialis significatio. Chrysostomus ex persona Imperatoris, Homil. 20. Ad Antiochenos, Ὑπὲρ ἀνθρώπων μιαρῶν καὶ παμμιάρων, καὶ οὓς οὔτε ζῆν ἔδει, πρεσβείαν κομίζων ἥκεις. Idem Homil. περὶ γαστριμαργ. Τοῦτον δεῖ ὅλως ζῆν; τοῦτον δεῖ ἀναπνεῖν τὸν ἀέρα; In Avibus Aristoph.

—— Ὡς ζῆν οὐκ ἄξιοι ἡμᾶν
Εἰ μὴ κομιούμεθα, &c. ——

Apud Senecam Controvers. 9. 2. *Curabo sciant non deesse mihi sceleratum, quem videre lucem ultrà non oportet.* Cicero Catil. 4. *Punctum temporis frui vitâ, & hoc communi spiritu non putat oportere.* Idem Famil. 7. 3. *Sunt enim qui cùm meus interitus nihil fuerit Reipublicæ profuturus, criminis loco putant esse quod vivam.* Ibidem. 10. 31. Asinius Pollio, *Quem tametsi nemo est qui vivere velit, tamen nequaquam perinde ac dignus est oderunt homines.*

Com. 23. ῥιπτούντων τὰ ἱμάτια] Maximi nominis viri ῥίπτειν τὰ ἱμάτια putant esse quod suprà 7. 58. τὰ ἱμάτια ἀποτίθεσθαι. nempe ut ad inferendam vim expeditiores essent. Non ego heic abjecisse eos vestimenta existimem, sed argutis & impatientibus manibus hàc illàc jactavisse ea. Eunapius in Juliano, de Proconsule, Proæresio orante, Ἐπήδησεν ἐκ τοῦ θρόνου, καὶ

καὶ τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα ἀνασείων, &c. *ὥσπερ μειράκιον ἐκρίπτει* nimirum, à nimia delectatione, ut ab indignatione illi. Et nè quis hanc Lucæ esse mentem dubitet, addam ex Luciano locum, ubi & vox *ἀπορρίπτειν*. Agit de histrione Ajacem insanum saltante. *Τὸ βάκτρον ἅπαν συνεμαρμψεν, καὶ ἐπήδα, καὶ ἐβόα, καὶ τὰς ἐσθῆτας ἀπερρίπτειν.* Ab admirationis excessu nempe, ut hi ab iracundiæ. Vide doctissimi Cresollii Theatr. vet. Rhetorum 3. 20. §. 11. Sic hodie in Comœdiis & vitæ quotidiano usu, videmus imbecillæ mentis homunculos cùm irritati sunt, vibrare, & in plures modos sua pallia componere: dumque innocuas excutiant vestes, circumstantibus risum excitare. Non ergò abjecerant hi vestes malo inferendo, sed valde concitatem ostentumque ineptâ earum agitatione animum prodebant.

Com 24. *Ἐπιφώνουν αὐτῷ*] Sic 23. 21. in Euangelio. Apud Philonem in de Legatione, *Τρὶς, οὐκ ἅπαξ ἀνήρπασα ἄν, ἐπ' αὐτῷ ἱδρυμένη Φωνῆσας, εἰ μὴ δι' ἐμὲ καὶ τὰς ἐμὰς χορηγίας.* Arrianus 1. 21, & 29. dixit *ἐπικραυγάζειν τινί* In Glossis, *Ἐπιφώνησις*, *Exclamatio*. Vulgatus, *acclamarent ei*: est & infrà 25. 24 *acclamantes, non oportere eum vivere.* Male nec tamen, *inclamarent* vertas. Sic in citatis jam Glossis, *Ἐπιβοῶ*, *inclamo*.

Com. 25. *Ὡς δὲ προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσι*] Non puto *ἱμάντας* esse quod modo *μάστιγας* dixit: nec *προτείνειν*, ut quidam, *exponere*, ut alii, *admovere*; sed *distendere*. Loris ad equuleum aut simile quid alligabant eum, distentis membris, ut ita ad fluctuandum inhabilior factus, commodiùs flagris cæderetur.

Com. 26. *Ὅρα τί μέλλεις ποιεῖν*] Heliodorus 5. *Ὅρα δὲ σὺν, Φυλάσσε, καὶ λογίζῃ τί ἂν ποιῇς.* Plautus Trinummo, *Sed te moneo hoc etiam atque etiam reputes, quid facere expetas.* Apud Apuleium lib 6. *Quid agis? Vide. Quid facis? Cave.* Supra 5. 35. *Προσέχετε ἑαυτοῖς τί μέλλετε πράττειν.*

Ibid. *Ὁ γὰρ ἄνθρωπος οὗτος Ῥωμαῖός ἐστι*] Apud Lucilium,

> *Tu pietam indulges nimis, manum abstinere à muliere, melius est.*

Com. 27. *Λέγε μοι*] Ut suprà 5. 8. *εἰπέ μοι*.

Com. 28. *Ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην*] Ausonius Pareg. *Luitur multa nominibus, & est Roma pro merito.* Eodem tamen tempore Salvianus, *Nomen civium Romanorum aliquando non solum magno æstimatum, sed & magno emptum, nunc ultro repudiatur ac fugitur.* *Κεφάλαιον* non Hellenistæ tantùm, sed & alii pro quavis summa posuerunt. Artemidorus 1. 18. *Τὰ χρήματα κεφάλαια καλεῖται.* Glossæ, *Summam, ποσότητα, κεφάλαιον.* In cod. Cantabrig. est, *Ἐγὼ οἶδα πόσου κεφαλαίου*, &c.

Com. 30. *Ἔλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δεσμῶν*] Ut suprà 16. 33. *Ἔλουσεν* (*αὐτοὺς*) *ἀπὸ τῶν πληγῶν*.

Ibid. *Ἔστησεν εἰς αὐτοὺς*] In medio eorum. Vide suprà 4. 7.

CAP. XXIII.

ERASMUS.

3. **P***Ercutiat te Deus, paries*] In plerisque Latinis exempl. *Percutiet* mutatum erat in *Percutiat*, quasi Paulus imprecaretur Pontifici malum. At Græci legunt *τύπτειν σε μέλλει*, *Futurum est ut te percutiat Deus.* Atque ità citat Augustinus lib. 2. Commentariorum quos scripsit De sermone Domini in monte habito: rursum in Epist. 5. ad Marcellinum; ubi declarat & interpretatio quam subjicit quòd *Percutiet* legerit, verbo futuri temporis: succedit enim, *ut qui saperent, intelligerent destruendum esse adventu Christi parietem dealbatum, hoc est, hypocrisim Sacerdotii Judæorum.* Ad eundem modum legit & interpretatur Chrysostomus. Nec in his apud Græcos est facilis scripturæ depravatio, nisi quis locum hunc studio mutavit, ne Paulus videretur oblitus exempli Christi, qui similiter acceptâ plagâ mansuetè tranquilléque respondit, quique jussit ut *bene precaremur male precantibus*, benemereremur de malè merentibus. At si Paulus tantùm prædixit *futurum ut Deus illum feriret*, cur mox vocaet *maledictum?* & ipse veluti redarguens seipsum, *Scriptum est*, inquit, *Principi populi tui non maledices*: nisi co[illegible] animo prædicit eventurum, is malè dicit. Quanquam de convitio facile sit explicare, quandoquidem in *pariete dealbato* manifestum convitium est. Sed qui potuit fieri ut Paulus non agnosceret Primarium sacerdotem vel ex ipso ornatu, præsertim homo Judæus nusquam loci non versatus? Deinde cur recantat, non quòd homini maledixerit, sed quòd *Principi populi?* At sanè Judicem esse sciebat, etiam cùm convitium diceret, *Tu*, inquit, *sedens judicas me secundum legem.* An cæteris licet maledicere, soli Principi non licet? At Christus noluit cuiquam omnino maledici. D. Hieronymus adducens hunc locum in Dialogis adversus Pelagium, excusat quidem Paulum, attamen fatetur eum non præstitisse mansuetudinem eam quam prædicit Christus. Verùm hoc scripsit Hieronymus undecunque suam muniens causam, & in ipso quoque Christo aliquod imperfectæ pietatis vestigium inquirens. Nec ipse dissimulat, aliud esse colligere nodis adversarium, aliud docere discipulum. Aliud agit qui pugnat, aliud qui exhortatur, aliud qui deterret. Deinde ut sunt diversa hominum ingenia & instituta, ità sunt & diversæ sententiæ. At nos nullâ harum rerum habitâ ratione, ex quovis cujusvis operis angulo tria verba decerpimus, & inde contexto syllogismo novum edimus oraculum. Equidem non nego Paulum non caruisse prorsum humanis affectibus, cum ipse meminerit de *stimulo carnis*, & constet inter Barnabam & ipsum, nempe duos optimos viros, dissidium aliquod exstitisse. Cæterum hoc loco consentaneum est Paulum non ignorasse summum Sacerdotem, nec tamen illi malè precatum hoc animo quo vulgus irritatum solet, sed Apostolico spiritu incanduisse adversus eum, qui cùm optimi viri teneret locum, nè speciem quidem æquitatis præberet, quam præstabant etiam ethnici. Sic Petrus incanduit adversus Ananiam & Sapphiram: sic hic ipse Paulus adversus Elymam magum. Quid igitur est quòd excusat se, *Nesciebam quod esset Pontifex?* Nimirum cessit tumultui, & *se ignorasse Pontificem* dicit, qui se non Pontificem sed tyrannum re declarabat. Itaque gemino nomine concedit turbæ: Primùm agnoscens esse Pontificem qui re ipsâ non erat nisi *paries dealbatus*; deinde convitium esse non negat quod illis videbatur convitium, cùm non esset convitium sed libera objurgatio. Chrysostomus indicat quibusdam hoc per Ironiam videri dictum, *Nesciebam quod Pontifex esset.* Verùm ipse prorsus asseverat illum verè ignorasse: vel quòd diutiùs abfuisset à consuetudine Judæorum, vel quòd Ananiam in turba multorum non agnosceret. Beda non dissentiens à Chrysostomo addit argutam magis quam veram interpretationem, *Nesciebam eum esse Pontificem, quod per Euangelium jam cessasset Sacerdotium Mosaicum: & tamen ità corrigit se quasi peccasset, ut alios doceret deberi reverentiam iis in quorum potestate sumus.* Porrò testimonium quod adduxit extat Exod. 22. *Diis non detrahes; & Principi populi tui non maledices.* Siquidem illi Judices ac Magistratus *Deos* vocant.

5 *Nesciebam, fratres, quia princeps est*] *Quia* redundat Latinis; apud Græcos nonnunquam additur affirmandi causâ. Annotavit & Augustinus libro De Geneseos locutionib. 1. QUIA *superedundare in sacris libris*: velut illo loco, *Et dixit, Quia Dominus est in loco hoc, ego autem ignorabam.*

7. *Et soluta est multitudo*] *Καὶ ἐσχίσθη*, *secta est*. Interpres legisse videtur *ἐλύθη*.

9. *Quod si spiritus locutus est ei, aut Angelus?* Græci secus legunt, *εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν*, *Quod si spiritus locutus est illi, aut Angelus, ne pugnemus cum Deo:* quo verbo usus est antè Gamaliel. Hæc clausula, *ne repugnemus Deo*, non habebatur in nostris exempl. Latinis, & adscriptam apparet ex superioribus.

12. *Devoverunt*] *Ἀνεθεμάτισαν* quod tamen eleganter vertit Interpres. Demiror equidem quis hoc indicarit Carrensi, Græcis hoc loco scriptum *anathematizaverunt*. Et paulò pòst,

14 *Devotione devovimus*] *Ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν* Id est *exsecrari seipsum, ac diis manibus*, ut ethnici loquuntur, *devovere*.

15. *Notum facite Tribuno*) Græca nonnihil dissonant à nostris, *Νῦν οὖν ὑμεῖς ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ καὶ τῷ συνεδρίῳ, ὅπως αὔριον αὐτὸν καταγάγῃ πρὸς ὑμᾶς, ὡς μέλλοντας διαγινώσκειν ἀκριβέστερον τὰ περὶ αὐτοῦ*, *Nunc igitur indicate Tribuno & Concilio, ut cras eum producat ad nos, velut disquisituros exactius de causa illius.* Cum hac lectione concordat Chrysostomus & Aldina editio, tametsi nonnulli Græci cod. propemodum consentiunt cum nostris exempl. in quibus est *ὑμᾶς* vos pro *ἡμᾶς*, & *μέλλοντες* pro *μέλλοντας*. Atque ità sensus erit, *Nos planè decrevimus quocunque periculo Paulum occidere: vos adjuvate, ut tantum producatis eum ad populum, obtendentes hoc prætextu, quasi velitis exactius de causa disceptare.* Alioqui sciebant Tribunum non producturum Paulum cognitis insidiis. Atqui sic exponit Carrensis velut hoc ipsum voluerint nunciari Tribuno & Concilio quòd destinassent per tumultum occidere Paulum. Jam verò Lyranum apparet ità legisse,

Nun

Nunc autem vos notum facite Tribuno cum Concilio, quomodo legitur in nonnullis Græcis exempl. Id cùm idem valeat, sic interpretatur & ordinat, *Vos*, inquit, *cum Concilio*, *id est*, *vos simul conciliati Pharisæi & Sadducæi, nè per vestram dissensionem impediatis mortem Pauli.* Eamus nunc & negemus quicquam referre utrùm Græca quis conferat an non. Jam non satis intelligo cur quibusdam hîc magis arrideat ut *μέλλοντας* vertatur per *debet* verbum. Fingit enim hoc futurum, & ideo apponitur ὡς. Nec usquam comperi *μέλλω* sic usurpatum, nisi quòd indocti dicunt, *Vult venire*, & *Debet venire*, pro *Venturus est.*

20. *Quasi aliquid certius inquisituri de eo*] Si πυνθάνεσθαι refertur ad *Tribunum & Concilium*, fortasse congruentius erat *audituri.* Nam Græca vox anceps est, præsertim cùm præcesserit *διαγινώσκειν*, quod magis videtur ad Judicem pertinere quàm actorem. Atque ità in priore parte legendum *μέλλοντες*, non *μέλλοντας*· & nominandi casus accipiendus esset pro gignendi casu absolutè posito, tametsi Græci nonnunquam & accusandi casum usurpant absolutè. Jam πρὸς ὑμᾶς an πρὸς ἡμᾶς legendum sit expendendum.

22. *Quoniam hæc nota fecisset sibi*] Interpres bene mutavit personam secundam in tertiam: nam Græcè est, *παραγγείλας μηδενὶ ἐκλαλῆσαι ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρός με*, i. *jussitque nè cui efferret quòd hæc indicaveris mihi.* Nisi mavis infinitum modum positum vice imperativi, quemadmodum nos vertimus, *μηδενὶ ἐκλαλῆσαι nè cui patefacias.*

23. *Et lancearios ducentos*] Δεξιοβόλους, quòd dexterâ mitterent hastilia. Sive, ut in aliis legitur, δεξιολάβους. Nam olim ferè missilibus utebantur.

24. *Et jumenta præparate*] Κτήνη τε παραστῆσαι, *jumentáque exhibere.* Et hic usus est infinito pro imperativo. ¶ *Timuit enim ne forte raperent eum Judæi & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam*] Quæ hactenus recensui, omnia desunt in Græcis exempl. quæ quidem mihi videre contigit. Nec offendit hic locus Laurentium Vallam: unde apparet aut exemplar illius hæc habuisse, aut ipsum non animadvertisse. Certè Lyranus negat hæc haberi in libris emendatioribus, verùm hoc glossema adjectum fuisse in margine, quod inscius quispiam retulerit in contextum. Certum est autem hoc non somniasse Lyranum. Jam nec Chrysostomus enarrans hunc locum legit aut exponit, quæ nos ostendimus in Græcis non haberi.

26. *Optimo Præsidi*] Τῷ κρατίστῳ. Græca vox magis competit in *potentem* quàm in *bonum* virum, ut dictum est in præfatione Lucæ in suum Evangelium.

31. *Per noctem in Antipatridem*] Nihil opus erat præpositionem apponere, cùm *Antipatris* vocabulum sit civitatis Palæstinæ, ab *Antipatro* patre Herodis sortita nomen.

34. *De qua provincia esset*] Ἐκ ποίας ἐπαρχίας· quod sanè non ineleganter reddidit Interpres.

VATABLUS.

1. OMNI *conscientiâ bonâ*] i. Sine adulatione & hypocrisi. ¶ *Conversatus sum ante Deum*] i. Gessi quæ Dei erant, vel, functus sum munere meo Deo; i. ad Dei gloriam

3. *Et*] *Etenim.* ¶ *Sedens judicas*] *Sedes judicans*, Vet. præsens pro fut. *judicaturus.*

4. *Maledicis*] *Convitio afficis.*

6. *Pharisæorum*] *Pharisæi*, Vet. ¶ *Judicor*] *Accusor*; i. Propterea accusor quòd defendam & asseram sperandam esse omnium resurrectionem.

7. *Soluta*] *Scissa, dissecta.*

8. *Autem*] *Enim*, Vet.

9. *Exsurgentes*] *Surgentes*, Vet. ¶ *Quidam*] *Scribæ de secta.* ¶ *Pugnabant*] Vel *contendebant.* ¶ *Quid si Spiritus locutus est ei aut Angelus?*] *Quòd si spiritus locutus est ei aut Angelus, ne repugnemus Deo.*

11. *Constans esto*] *Bono animo esto, Paule.* ¶ *De me*] Vel, *ea quæ ad me spectant.*

12. *Devoverunt se*] i. Dixerunt se velle à Deo perdi & deleri instar anathematis, si edissent aut bibissent priùs quàm Paulum perdidissent.

14. *Principem*] *Principes*, Vet.

15. *Cum*] *Et.* ¶ *Ut**]* *Cras.* ¶ *Ad vos*] *Ad nos.* ¶ *Tanquam aliquid certius cognituri de eo*] Gr. *Tanquam certius cognituros causam illius*, vel *de causa illius.*

16. *Quod cùm*] *Cùm autem.*

17. *Abduc*] *Perduc*, Vet.

18. *Rogavit*] *Vocans*, Vet. vel, *accersitum.*

19. *Indicare*] *Annunciandum.*

20. *Judæis convênit rogare te*] Vel *convênit inter Judæos ut rogent te.*

21. *Credideris*] *Morem gesseris.*

22. *Quoniam hæc*] *Quòd hæc.*

23. *Vocatis*] *Convocatis.* ¶ *Duobus**] **Quibusdam.* ¶ *Præparate*] *Præbete.*

24. *Paulum**] * *Eum.* ¶ *Perducerent*] *Perducunt.*

25. *Scribens ei epistolam continentem hæc*] *Scriptis in hanc formam literis.* Vet. non legunt *ei.*

26. *Optimo*] *Potentissimo.*

27. *Incipientem interfici*] *Cùm jam interficiendus esset.* ¶ *Quia Romanus est*] *Quòd Romanus esset.*

28. *Volénsque*] *Volens autem.* ¶ *Quam objiciebant illi*] *Ob quam accusarint illum.*

30. *Perlatum*] *Indicatum.* ¶ *Quas paraverant illi*] Gr. *Quæ in virum hunc à Judæis eventura erant.* ¶ *Illi**] * *Judæi, statim.* ¶ *Ut**] * *Quæ habent adversùs eum.*

31. *Verò*] *Igitur.*

34. *Autem**] * *Præses.*

35. *Cùm**] * *Et*, Vet. vel, *quoquè.*

CLARIUS.

3. P*Ercutiet te Deus, paries dealbate*] Non hîc reddit malum pro malo, neque convitium pro convitio: non enim indignationis sunt verba: sed ad negotium prædicationis non pertinebat ut ità coram Tribuno & toto populo contemneretur.

5. *Nesciebam, fratres*] Neque id mirum, qui tot annis abfuerit. Nam etsi superiùs dixerat, *summum Sacerdotem sibi testem esse* eorum quæ diceret, intelligit eum qui tum erat cùm Paulus persequeretur Christianos.

6. *De spe & resurrectione mortuorum ego judicor*] Dum scilicet prædicaret Christum surrexisse à mortuis.

ZEGERUS.

3. P*Ercutiat te Deus*] Quod quidam *percutiet*, alii *percutiat* legunt, ex phrasi venit idiomatis Hebraici, quod tempore futuro frequenter abutitur pro imperativo: nisi fortè quis docere posset scripturam Græcam esse mutatam, & hinc mutatam etiam Latinam, quòd durum videatur si Paulus diceretur hoc imperando vel imprecando protulisse. Et tamen hoc postulare videtur sermo qui sequitur, *Summum Sacerdotem Dei maledicis!* ¶ *Et tu sedens judicas me*] Quidam ex Græca lectione moderna atque ex uno codice Latino corrigunt in hunc modum, *& tu sedes judicans me?* Verùm ego vulgatam lectionem probaverim, quam habet & Chrysostomus.

4, 5. *Et qui astabant dixerunt, Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus, Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum: scriptum est enim, Principem populi tui non maledices*] Quidam arbitantur Paulum non ignorasse summum Sacerdotem, sed per ironiam atque irrisionem dixisse, *Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum*, &c. aut, ut aliis videtur, hac ratione cedere voluisse tumultui, ut videlicet se ignorasse Pontificem diceret, qui non Pontificem sed tyrannum se ac *parietem dealbatum* reipsa declarabat. Verùm egò D. Chrysostomi, autoris ut vetustioris ità & probatioris, sententiæ potiùs subscribendum censeo. Ipsius itaque commentum subscribo: *Quidam*, inquit, *dicunt quòd sciens irriserit: mihi autem videtur quod neque omnino scierit quòd esset princeps Sacerdotum: alioquin & honorasset. Ideo & defendit, quasi accusatio sit, & addit, Principi populi tui non dices male. Quid igitur dicit? Nam si non princeps esset, aliúmne simpliciter contumeliâ notare oportuerat? Minimè. Sed etiam is qui contumeliâ afficit, magis ferendus est. Digna autem quæstio est, quomodo alibi dicens,* CUM MALEDICIMUR BENEDICIMUS, DUM PERSECUTIONEM PATIMUR SUSTINEMUS, 1 Cor. 4. 12. *hic sanè contrarium facit, & non solùm conviciis lacessit, sed etiam maledicit. Absit. Neutrum horum fecisse apparet; sed rem exactius considerantî magis verba sunt liberè loquentis quàm iracundi. Et aliter, non volebat contemptibiles videri Tribuno. Si enim ille quidem Tribuno pepercisset flagellari Judæis exposituro, quòd à servis cæderetur magis illum audacem fecisset. Propter hoc non ad ministrum sermonem vertit, sed ad eum qui jusserat adornans. Quod autem dicit*, paries dealbate & tu sedens, *&c. dicit quasi hoc ei dicens, Reus exsistens & multis plagis dignus.* Et paucis interpositis subjicit, *Et valdè credo quòd nescierit eum esse principem Sacerdotum, eò quòd post longum tempus redierit, neque con-*

continuò fuerit cum Judæis, sed viderit illum etiam cum multis. Non enim jam manifestus erat princeps. Hactenus ille. Beda Augustinum secutus hunc locum ad allegoriam refert, vultque Apostolum prophetando prædixisse typicum illud Sacerdotium quod erat in parietis dealbati similitudinem compositum, mox abolendum, nimirum adveniente jam novo Christi Sacerdotio: atque ità omnia hæc non perturbato sed leni tranquillóque animo protulisse, ut posteriora illa verba, *Nesciebam, fratres, quòd princeps esset Sacerdotum*, demonstrare videntur. Quibus subtiliter indicasse Apostolum putat jam Sacerdotium Judæorum esset reprobatum.

6. *Filius Pharisæorum*] Græca editio, adstipulante Chrysostomo & uno quodam cod. antiquo Latino, habet *filius Pharisæi:* ego tamen malo sequi quod vulgatius est; maximè cùm Beda hoc accipiat de discipulatu Pauli sub Gamaliele Pharisæo.

12. *Devoverunt se*] Ἀνεθεμάτισαν, h. e. *cum sui detestatione juraverunt.*

13. *Plus quàm quadraginta*] Omitte *viri.*

15. *Ut producat illum ad vos, tanquam aliquid certiùs cognituri de eo*, ὅπως αὔριον αὐτὸν καταγάγῃ πρὸς ὑμᾶς, ὡς μέλλοντας διαγινώσκειν ἀκριβέστερον τὰ περὶ αὐτοῦ] Ità utrobique legendum juxta veterum codicum fidem, & ut manifestant adolescentis verba quæ subduntur: quibus magis fido quàm Chrysostomo Latino habenti *nos cognituros. Cras*, i. αὔριον in Latinis non invenio. ¶ *Prius quàm appropiet*] Sic habet scriptura antiquior, juxta illud Luc. 10. *& appropians alligavit vulnera ejus.*

17. *Vocans autem Paulus ad se*] Quidam expungendum autumant *ad se*, mihi potiùs relinquendum videtur, quòd exprimat vim præpositionis in προσκαλεσάμενος Pro me faciunt exempl. vetusta. ¶ *Adolescentem huc perduc*] Novi castigatores pro *perduc* substituerunt *abduc:* verùm ego nihil mutandum suscepi sine certa ratione. Chrysostomi interpres *perduc* scribit.

18. *Vinctus Paulus vocans rogavit me*] *Vocans* non habent cod. vulgares, sed ed. Græca, consonante Chrysostomo, unà cum aliquot cod. Latinis. De vetustis semper loquor.

20. *Judæis convenit rogare*] h. e. *consenserunt Judæi ut rogarent te.*

21. *Exspectantes promissum tuum*] Προσδεχόμενοι τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν, *exspectantes à te promissionem.*

24. *Timuit enim ne fortè raperent eum Judæi & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret tanquam accepturus pecuniam*] Hæc omnia nec in antiquioribus nostris, nec inveniuntur in exempl. Græcis, nec apud Chrysostomum; ut Hugonem Cardinalem sileam: ideóque & è contextu submoveo, secutus Nicolaum Lyranum & alios: sed interim eadem ad marginem adnotanda censeo, sicuti & adnotata cernuntur in nonnullis exempl. antiquis. Ipse quoque sermo per hæc ipsa interruptus arguere potest esse subditiria. Et nè quis credat hæc à Rabano esse lecta in Glossa Doct. sciat ipsum Rabanum super illud, *Parate milites*, aliquid referre ex his verbis ut sua propria, non ut posita ab ipso Luca; uti liquere potest rem diligentiùs intuenti. Coacervata autem videntur hæc verba partim ex illo quod suprà dicitur, *Timens Tribunus nè discerperetur Paulus*, &c. partim ex illo quod infrà sequitur cap. seq. *sperans quòd pecunia ei daretur à Paulo.*

30. *Misi eum ad te*] Græcè est *confestim misi ad te:* sed nostræ lectioni suffragatur Chrysostomus & cod. antiquorum concentus.

31. *Milites ergò*] Potiùs *ergò* quàm *verò* legendum. ¶ *Antipatridem*] *Antipatris* nomen civitatis Palæstinæ, quam Herodes Rex Judææ ex patris sui *Antipatri* nomine vocaverat.

32. *Et posterâ die, dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra*] Sentit milites Antipatride rediisse Hierosolymam in castra unde erant emissi, équites autem (quoniam non longè aberant à Cæsarea, ad quam properabant, jámque minus erat periculi) solos illinc Paulum Cæsaream usque perduxisse.

H. STEPHANUS.

1. Πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ] *Modis omnibus conscientiam bonam exhibui Deo in iis quæ gessi.* Vel, *Ita me gessi erga Deum ut nullius mihi sim conscius.*

3. Καὶ σὺ κάθῃ κρίνων με κατὰ τὸν νόμον, καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι;] *Itáne sedes*, &c. *& contra Legem jubes.* q.d. *Itáne jubes me cædi contra Legem cùm sedeas*, &c.

9. Μὴ θεομαχῶμεν] *Ne Deo repugnemus.*

10. Μὴ διασπασθῇ] *Ne discerperetur.*

12. Ποιήσαντες συστροφὴν, ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς] *Cùm coitionem fecissent, devoverunt sese.*

13. Τὴν συνωμοσίαν] *Conjurationem.*

16. Τὴν ἐνέδραν] *Insidias.*

21. Ἐνεδρεύουσιν αὐτὸν] *Insidiantur illi.* ¶ Προσδεχόμενοι τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν] *Exspectantes ut pollicearis te hoc facturum.*

23. Δεξιολάβους] *Stipatores.*

24. Κτήνη παραστῆσαι] *Ut jumenta præberent.* ¶ Διασώσωσι] *Salvum perducerent.*

25. Περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον] *Cujus hæc erat forma.* Vel, *in hanc sententiam.*

27. Ἐξειλόμην] *Eripui.*

28. Τὴν αἰτίαν δι' ἣν ἐνεκάλουν αὐτῷ] *Causam cur eum criminarentur.* Vel, *Crimen quod ei objicerent.*

34. Ἐκ ποίας ἐπαρχίας] *Ex qua provincia.*

DRUSIUS.

4. *Summo Sacerdoti maledicis*] Quid vidit qui ex hoc loco probare conatur meros Sacerdotes *Deos* appellari? an respexit ad illud, *Dijs non maledices:* Sed illic *Dii* vocantur qui cum imperio aut in magistratu sunt. Quòd autem ait Christi ævo à Sacerdotibus ablatam fuisse politicam potestatem, in eo vehementer hallucinatur. Non enim adempta eis erat politica jurisdictio, sed tantùm jus capitale. Qui hoc nescit, nihil scit. Idem quod habetur Joh 10. 35. malè restringit ad Sacerdotes solos, cùm extendi debeat ad omnes fideles: nam ad eos *sermo Dei factus est.* Tales si *Dii* vocantur eo sensu, non sequitur propterea Ministros verbi simpliciter *Deos* appellari: id quod hodie in controversia est.

6. *Pharisæus filius Pharisæi*] Lectio varians *Pharisæus filius Pharisæorum*, docet non patrem tantùm sed majores quoque ipsius Pharisæos fuisse. Confirmando *Pharisæus ex Pharisæis. Pharisæi* dicti quòd Legem populo enarrarent. Iidem vocabantur חכמים, *sapientes*, aut *philosophi.* Gorionides Hist. Jud. l. 4. c. 25. וישב המלך על שלחן עם חכמי ישראל והמה הפרושים המפרשים את התורה, *Et sedit Rex ad mensam cum sapientibus Israel: ipsi sunt Pharisæi, qui Legem populo enarrant.* Reperio & חסידים de Pharisæis apud eundem autorem. *Sapientes* apud Apostolum: *Non multi sapientes:* manifesta allusio ad hanc appellationem. Iidem sunt οἱ διδάσκαλοι καὶ οἱ σοφοὶ, *magistri & sapientes.* Hieron. epist. ad Algasiam quæst. 10. *Videntur igitur observationes Judaicæ apud imperitos & vilem plebeculam imaginem habere rationis humanæque sapientiæ. Unde & doctores eorum σοφοὶ, h. e. sapientes, vocantur: & siquando certis diebus traditiones suas exponunt discipulis suis, solent dicere*, Οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, *i. Sapientes docent traditiones.* Οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, חכמים תנו. Docebant traditiones majorum religiosè servandas contra Saducæos. Gorionides in loco memorato, והנה הפרושים היו אומרים נשמור התורה אשר מסרו אבותינו בידינו מפורשת על פי החכמים אשר פרשו את התורה לקבלה, *Ecce Pharisæi dicebant, Servamus legem quam tradiderunt nobis patres nostri in manus nostras enarratam à sapientibus*, &c. Grave hac de re dissidium in populo: Pharisæis adhærebat plebs infima & vulgus, Saducæos ditiores ac potentiores sectabantur. Idem ibidem, ודלת העם ההוה ידם עם הפרושים והיו לעזרתם סלגר עשירי העם כי היו עם המלך והצדוקים והלך ולהם היו עוזרים, *Tenuis plebecula cum Pharisæis erat, eósque adjuvabat: divites ac potentes è populo erant cum Rege & Saducæis.* Jejunabant bis in septimana, videlicet diebus Lunæ & Jovis. Hoc significat Epiphanius his verbis, Ἐνήστευον δὶς τοῦ σαββάτου, δευτέραν καὶ πέμπτην ubi *in sabbato* positum pro *in hebdomade*, ut ibi, *Jejuno bis in sabbato.* Fato multum tribuebant. Astrologiæ operam dabant. Epiphanius vocabula recenset Hebraica quibus appellabant septem stellas & duodecim signa Zodiaca, quæ adducam boni illius Patris bono. Nam obscura pleraque apud ipsum, partim etiam corrupta.

Nomina septem Planetarum.

Ἥλιος, Ἡμακατέμες, *Sol*,
Σελήνη, Ἰερεκαιαλβανὰ, *Luna*,
Ἄρης, χωχὲβ, Ὀχμὰλ, *Mars stella*,
Ἑρμῆς, χωχὲβ Ὀχμὰδ, *Mercurius stella*,
Ζεὺς, χωχὲβ Βεὰλ, *Juppiter stella*,
Ἀφροδίτη, Σερὰα, ἤτοι Ἀβὴθ, *Venus*,
Κρόνος, χωχὲβ Σαβὴθ, *Saturnus stella.* [Σαββεταὶ, *Sabbethai.*] Ἡμακατέμες, חמה המשמש, duo vocabula Solis, qui חמה dicitur à *calore*, σέμες autem à *ministerio*, tanquam minister

nister & fax diei. In libris Astrologorum כוכב חמה *Sol stella.* ירח הלבנה Ἰερεχεαλβανὰ, lectio alia, ἰερεχεαλβανὰ, hoc an illo modo legas. Λαβανὰ antiquè pro Λεβανὰ, i. *Luna*, quæ etiam ירח vocatur. Ab hoc voce menses dicti sunt ירחין, qui lunares olim in Palæstina. Epiphanius, Ἱερὲς γὰρ ὁ μὴν λέγεται, μήνη δὲ ἡ σελήνη, ὡς καὶ παρ' Ἕλλησι διὰ τὸν μῆνα. Ὀυμιὰλ, hodie vocatur מאדים à *rubore*, de quo Abenezra in comment. Amos 5. 8. quem si rectè capio, dicit esse stellam magnam quæ Hebraicè כסיל vocetur, & in lingua Ismaelitarum מריך. Pro מאדים, quod reperio apud Lexicographos, malim scribi מאדים, q. πυῤῥός Hic planeta Ægyptiis Πυρόεις appellatur ab *igne*. Ejus character ♂ clypeus Martis cum hasta. Ὀχμὰδ, *Mercurius*; hodie מרקוליס, aut סרקולים, voce barbarâ; aut כוכב χωχὲβ, i. *stella sidusve* κατ' ἐξοχήν Ægyptiis Στίλβων. Χωχὲβ Βάαλ, כוכב בעל, q. κύριος καὶ δεσπότης, aliter צדק, ab *æquitate* & *justitia*: Ægyptiis Φαέθων. Hujus mentio apud Josephum Gorionis F. Λαὐτ, לוהט, hodie נוגה, à *splendore*: Ægyptiis Φωσφόρος, *Lucifer*. Gorionides Hist. Jud. l. 1. c. 2. היכל לזיבר והוא היכל כוכב הנוגה, *Templum Luciferi, h.e. templum Veneris.* Σαβὴθ, *Saturnus*; hodie שבתי, itâ dictus propter diem septimum. Idem ibidem, סגר היכל סטרנוס הוא כוכב שבתאי *Clausit templum Saturni: ipse est Saturnus stella.* Ejus character ♄ falx Saturni. Ab Ægyptiis Φαίνων nuncupatur.

Duodecim signa Zodiaca.

Κριὸς,	Τέλαα,	*Aries*,
Ταῦρος,	Σὼρ,	*Taurus*,
Δίδυμοι,	Θωμὶμ,	*Gemini*,
Καρκῖνος,	Σαρατὰν,	*Cancer*,
Λέων,	Ἀρι.	*Leo*,
Παρθένος,	Βεθιλὰ,	*Virgo*,
Ζυγὸν,	Μοζανὴ,	*Libra*,
Σκορπίον,	Ἀκρὰβ,	*Scorpio*,
Τοξότης,	Κεσὲτ,	*Sagittarius*,
Αἰγόκερως,	Γαδὶ,	*Capricornus*,
Ὑδροχόος,	Δαλὶ,	*Aquarius*,
Ἰχθύες,	Δεγγὶμ,	*Pisces*.

Τέλαα, טלה. Σὼρ, שור. Θωμὶμ, תאומים. Σαρατὰν, סרטן *Sartan*: hæc vera scriptura: malè apud Epiphanium Σαρατὰμ. Ἀρι, ארי. perperàm Ἀρτι apud eundem. Βεθιλὰ, בתולה, *Virgo*. Μαζανὴ, aut Μαζανὴμ. *Mosane*, Μωσανὴ, pro Μωσανὴμ, ut ῥγὲ pro ῥγὲμ. Simile planè est *Gehenna* pro *Gehennam*. Hic nota η pro αι diphthongo. Nam Hebraicè Μωσαναὶμ. Itâ *Jerusalem* pro *Jerusalaim*: quod tamen non statuo. In causa est quia apud Chaldæos reperio scriptum ירושלם ultimâ Tseri. À mala manu est Μωμαζανὴ. Μοζανὴμ, מאזנים. Ἀκρὰβ, vel Ἀκρὰβ, עקרב. itâ legendum, non Ἀκρὸ, quod est ab incuria scribarum. Κεσὲτ, קשת. Γαδὶ, גדי. Δαλὶ, דלי. in Epiphanio Δαδμὶ, heu pessimam scripturam! ἀναμφισβητήτως scribendum Δαλὶ, aut Δαλλὶ, דולי, more Chaldaico. Δεγγὶμ antiquè pro *Dagim* דגים, *Pisces*. Sagittarius à RR. בעל קשת vocatur, i. *Sagittipotens*; quomodo & Cicero eum vocat. Syrum est קשת, *Cесеt* pro *Ceseth* ex more eo quo Syri solent Thau mutare in Teth. In lingua sacra קשת *arcus*, קשת *sagittarius*.

8. *Dicunt non esse resurrectionem*] Saducæi hodierni, quos *Caræos* appellant, fatentur esse resurrectionem. Caræi veteres, quos hic Lucas vocat *Saducæos*, negabant esse resurrectionem: ad quod probandum argumentum sumebant ex verbis Job 7. 9. *Deficit nubes & abit, sic qui descendit in sepulcrum non ascendit.* Vide Tanchuma fol. 2. col. 4.

23. *Lancearios*] Emendant, *stipatores*: nam in fonte δεξιολάβους. Ergò δεξιολάβος est *stipator*, *qui alicui latus munit*: siquidem qui ad sinistram ibat, in tutiore loco erat; nam à stipatore tegebatur: ibat autem latere tecto & *interior*; contrà satelles qui ejus dexteram claudebat *exterior ire* dicebatur. Vide sis Aelium Antonium Nebrissensem. Qui alicujus latus claudebat à Latinis autoribus etiam *latero* vocatur.

CAMERON.

8. Μηδὲ ἄγγελον] Magnus vir Scaliger miratur Sadducæos id negasse, præsertim cùm quinque librorum Mosis autoritatem agnoverint, in quibus fit crebra Angelorum mentio. Sed Sadducæi non quidem negaverint esse Angelos; tantùm negaverint Angelos Spiritus esse immortales & per se subsistentes: quòd si quando urgeantur prolatis iis locis quibus agitur de Angelorum apparitionibus, respondebunt fortasse, fuisse ea spectra, quibus *Angelorum* nomen tributum est, quòd eorum spectrorum interventu Deo libitum fuit significare hominibus voluntatem suam. Hæc, inquam, responderint, sed frustrà.

GUALTPERIUS.

12. Ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς, *devoverunt sese*] החרימו עליהן *& anathemate obstrinxerunt se.* Nomen est חרמא *anathema*. In Aphel, Syre אחרם *anathemate se devovit*, ut h. l. Verbum Græcum est ἀναθεματίζω, i. *Anathema esse declaro*, vel *Pro anathemate habendum esse pronuncio*; *Exsecror*, *Pro exsecrabili habeo*; *Exsecrando & detestando extremis diris & exsecrationibus devoveo.* Hoc sensu & nomen ipsum ἀνάθεμα exsecrabile quippiam significat; & exponitur ab Hesychio ἐπάρατος, ἀκοινώνητος, *à communione cum aliis hominibus alienus*, vel *communione cum aliis hominibus indignus.* D. Apostolus Rom. 9. 3. ex insigni charitatis fervore erga fratres suos, Ηὐχόμην, inquit, αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, &c. *Optarem ego ipse anathema esse* (*separatum*) *à Christo pro fratribus meis.* En zelum Pauli, qui paratus etiam fuit abdicationem & rejectionem gentis Judaicæ redimere sui sempiterno exitio. 1 Cor. 12. 3. *Quapropter notum vobis facio, nullum per Spiritum Dei loquentem dicere Jesum anathema.* i. exsecrari, vel quocunque modo attentare ut honori & gloriæ ejus vel tantillum detrahatur. Et rursum c. 16. 22. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum*, ἤτω ἀνάθεμα, *maran-atha*, Gal. 1. 8, 9. ἀνάθεμα ἔστω, ut in loco paulò antè citato, Rom. 9. 3. Eodem sensu retinuerunt etiam hanc vocem Scriptores Ecclesiastici, *Si quis dicit alium esse Dei Verbum qui miracula fecit, & alium Christum qui passus est*, &c. *talis anathema sit*, Can. 3. Syn. V. Constantinop. Oecum. Item Can. 8. ejusdem Synodi, *Si quis ex duabus naturis*, &c. sub finem: æqualiter enim & eos qui per partem dividunt vel incidunt, & eos qui confundunt dispensationis mysterium Christi, rejicit & anathematizat Dei Ecclesia. In Synodo Matiscanensi 11. cap. 4. *Omnes autem qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur*: quanquam hoc caput de oblationibus aliquantò sit durius & tyrannidem aliquam sapiat. Hodie Pontificiorum anathematismi sunt fulgur ex pelvi & fulmen brutum. Budæus ἀναθέματα *sacros* interpretatur *homines, quorum capita Diis inferis dicata sint & devota*; *Hos nunc*, inquit, *Excommunicatos vocamus, quibus scilicet humanitatis jura vicissitudinemque officiorum vetamur exhibere. At quos majore exsecratione mulctandos Ecclesiastica censuit autoritas* Anathemata *appellant, ex eo quòd in cippis exposita est eorum detestatio & proscripta. Antiqui sacros homines sic vocitabant, tanquam quasi exsecrandos & detestandos.* Itâ Budæus. Quomodo & Paulus de se atque reliquis Apost. conqueritur 1 Cor. 4. ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι, *Veluti excrementa mundi facti sumus, omnium rejectamentum ad hunc usque diem.* Notandum autem, vocabulum hoc ἀναθέματος esse μέσον, siquidem in Scripturis V. T. in bonam quoque accipitur partem, ut Levit. 27. 21. *Sicut ager anathematis, Sacerdotis erit possessio ejus*: & v. 28. *Omne anathema, quod anathematizaverit quispiam coram Domino, ex omni quod habet, ab homine usque ad pecus, & usque ad agrum possessionis suæ, non vendatur neque redimatur. Omne anathema sanctum sanctorum est coram Domino.* Ibi P. Fagius, *Sicut ager Deo devotus ex manubiis, aut pro redimenda culpa, Sacerdos possidebit eum agrum jure hereditario. Vox Hebræa* חרם vel חרם Cherem, *quam ferè* anathema *vertunt, deducitur à verbo* חרם, *quod sicut etiam Kimhi in Radicibus scribit*, occidere, evertere, delere, perdere, ac nullam de re sic perdita percipere commodum *significat. Et hinc est genus voti, quando quis rem aliquam penitus à se abdicat, quam nec redimere potest nec per æstimationem recuperare: & illud hic vocatur* anathema *quod sic Domino est consecratum ut ad profanos usus nunquam applicari possit. Hoc votum ferè concipiebatur ab Israelitis cum ex pacto internecionis, aut ex conditione eversionis alicujus urbis, homines aut spolia devovebantur Deo, Num. 21. Deut. 13. Jos. 6. Et tale votum quidam putant fuisse Jephte dicentis*, Si Ammonitas devicero, eum qui mihi primus occurrerit, tibi offeram Holocaustum, *Judic.* 11. 30, 31. Hæc Fagius. Fiebat tamen talis devotio nunquam sine exsecratione aliqua, ut Num. 18. *Omne anathema* (seu *Deo consecratum*) *in Israel, id tuum erit*, i. Quicquid Domino devoverint Israel, vel in bello vel in pace, sub quadam adhibita exsecratione in eum qui id vellet in privatos suos usus convertere, id tuum erit. A Radice חרם in Hiphil est החרים *anathematizavit anathemate*, vel *ana-*

themati & internecioni devovit, *consecravit*, *devotum effecit*, Jos 11. 12. Mich. 4. 13. Apparet ex hisce, peccasse gravissimè Saulem: quòd Regem Amalekitarum devotum exitio conservare voluerit, 1 Sam. 15. 8. Differunt porrò ἀνάθεμα per ε, & ἀνάθημα per η. Hoc enim exponitur, *Donum quod dicatur*, seu *consecratur*, q. d. *dicamentum*, si Latinis in usu esset; *Denarium*, vel *Donum*. *Ornamenta fanorum*, inquit Macrobius, *sunt clypei*, *coronæ*, *& hujusmodi donaria: neque enim donaria dedicantur eo tempore quo delubra sacrantur.* Propriè autem volunt *anathemata* dici ea donaria quæ dicata Diis appendebantur parietibus & columnis templi, aut ex lacunaribus suspendebantur. Cicero ἀναθήματα vertit *dona* apud Platonem, 12. De Legib. & ipse Plato δῶρα atque ἀναθήματα conjungit. Dicuntur etiam ἀναθήματα *ornamenta urbis*; cujusmodi sunt Templa, Basilicæ, Porticus, ut ait Budæus. Quin etiam ἀναθήματα generaliter dicuntur interdum quælibet *ornamenta*: ut ἀναθήματα δαιτὸς *ornamenta convivii* vocat Homerus μολπὴν & ὀρχηστύν. Od. α΄.

Μολπή τ' ὀρχηστύς τε· τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.

Hesychius κοσμήματα exponit. Budæus scribit, posse exponi vel, *hæc enim sunt ornamenta convivii*; vel, *hæc sunt dicata convivio*: indè ἀναθηματικὸς *dicatorius*; item *ad ornamentum comparatus*, *ad ornatum pertinens*. Semel vox ἀνάθημα in T. N. usurpatur; Luc. 21. 5. Καί τινων λεγόντων περὶ τοῦ ἱεροῦ, ὅτι λίθοις καλοῖς καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται, *Et quibusdam dicentibus de Templo*, *quòd pulcris lapidibus ac donariis* (Erasm. *donis*) *ornatum esset*. Apud Syrum est בקורבנא *Vabhekorbana*, i. *oblationibus*. Præterquam enim quòd Templum illud magnificentissimè erat exstructum ex lapidibus nonnullis quindecim cubitorum in longitudine, multi magnas opes ad illud ornandum contulerant. Quidam hunc locum ità exponit, *Anathemata erant quæ de parietibus aut columnis suspendebantur*, *vel donaria quæ templorum ærariis consecrabantur*, &c.

30. Ἔῤῥωσο, *Vale*] Syrus exponit הוי שלים *Esto sanus*.

35. Πραιτωρίῳ, *Prætorio*] Hæc vox explicata est Matth. 27. 27. Et habetur præterea Marc. 15. 16. Joan. 18. 28, & 33. & 19. 9. item Phil. 1. 13.

GROTIUS.

Ατενίσας δὲ ὁ Παῦλος τῷ συνεδρίῳ, *Intendens autem in concilium Paulus*] De hoc verbo vide Lucam 4. 20. & 22. 56. supra 3. 4, 12. & 6. 15. & 11. 6. & 13. 9. & 14. 9. ¶ Ἐγὼ πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ, *ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum*] Nunc quidem secundùm Christum: ante verò quantum ex Pharisæis Magistris haurire potueram. Hoc illis opponit, à quibus pro impio Deique hoste habebatur. Πολιτεύεσθαι Græcis scriptoribus est *vitæ genus sequi*. Sic 2 Macc. 6. 1. & 11. 25. passivo sensu sumitur Canone 14. Sardicensis Synodi. Τῷ Θεῷ est *coram Deo*, ut vertit Syrus. Testem citat mentium introspectorem.

2. Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας, *Princeps autem Sacerdotum Ananias*] *Nebedæi filius* juxta Josephum Antiquæ Historiæ 8. 3. Fortè apud Josephum 20. 6. pro πρὸς τὸν Ἀρχιερέα τὸν Ἰωνάθην [*ad Pontificem maximum Jonathan*, [scribendum Ἀνανίαν [*Ananiam*.] Nam à Roma, quò cum Cumano missus fuerat, rediisse Ananias videtur. Alius ab hoc est Ananias qui Josepho Cabæi successit. ¶ Ἐπέταξε τοῖς παρεστῶσιν αὐτῷ, *præcepit adstantibus sibi*] *Apparitoribus*, qui שוטרים Hebræis. ¶ Τύπτειν αὐτοῦ τὸ στόμα, *percutere os ejus*] In hoc quoque par fortuna Discipuli cum Magistro, Joh. 18. 22.

3. Τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεὸς, *Percutiet te Deus*] Utitur jure Prophetæ. Vide quæ diximus ad Luc. 13. 32. & adde responsum ad Orthodoxos 125. Simile illud Esaiæ 50. 11. *In dolore cubabitis*. Vide & quæ Sobnæ prædicit Esaias 22. 17, 18. & quæ ibi à nobis notata, & quæ de Rege Jechonia Jerem. 22. 30. Ananiæ, incertum mortuo an amoto, non multò post hoc tempus suffectus est Ismaël Phabi. ¶ Τοῖχε κεκονιαμένε, *paries dealbate*] Egregia similitudo ad exprimendos homines impios, qui honoris aut commodi causâ pios se simulant,

Introrsum turpes, *speciosi pelle decora.*

Pari comparatione utitur Seneca, *Miseri sunt*, *sordidi*, *turpes*, *& ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti*. Etiam hoc Prophetarum est liberè reprehendere non viros tantùm Principes, sed & Reges. Exempla vide 1 Regum 18. 18. 2 Reg. 3. 13. ¶ Καὶ σὺ κάθῃ κρίνων με κατὰ νόμον, *& tu sedes judicans me secundùm legem*] Manebat lex judicialis quamdiu manebat Respublica: & secundùm eam judicare tenebantur Hebræi Judices intra eos cognitionis limites quos Romani ipsis concedebant. ¶ Καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι; *& contra legem jubes me percuti?*] Nondum dictâ causâ. Vide quæ diximus ad dictum Johannis locum & supra 16. 37. Παρανομῶν est חטא [*peccator*] Psalm 71. 4.

4. Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ λοιδορεῖς; *Summum Sacerdotem Dei maledicis?*] Acrem sui sensum relinquebat multum de vero trahens exprobratio. Similæ vide Luc. 11. 45. Hic λοιδορεῖς [*maledicis*] quod ibi ὑβρίζεις [*contumelia afficis*.]

5. Οὐκ ᾔδειν, ἀδελφοὶ, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς· *Nesciebam fratres quia princeps est Sacerdotum*] Benignis verbis lenire hominem ferocem voluit, ut Nathan apud Josephum, Ἀγαθὸς ὢν καὶ συνετὸς ἀνὴρ, λογισάμενος ὡς οἱ βασιλεῖς ὅταν εἰς ὀργὴν ἐμπέσωσι, ταύτῃ πλέον ἢ τῷ δικαίῳ νέμουσι [*Vir comis & prudens*, *hoc considerans*, *Reges*, *si quando irascantur*, *iram præ justitia sequi solere*.] Hæc Pauli verba Ananias & apparitores sic accipiebant, quasi excusaret Paulus quod sibi in illis malis constituto non satis in mentem venisset qui cum sibi res esset. Nam ידע sæpe est *considerare*, ἐπισκοπεῖν, ut Esther. 2. 11. Verùm latentior sensus suberat, *Non esse eum Sacerdotem aut principem Senatûs*, *qui eas dignitates pretio comparâsset*. Didicerat enim hoc à Gamaliele Paulus, *Judicem qui honoris consequendi causâ pecunias dederit*, *revera neque Judicem esse*, *neque honorandum*, *sed asini habendum loco*: ut est in titulo Thalmudico de Synedrio. Judæi peculiariter tales Magistratus vocant *deos aureos & argenteos*, eosque adorandos negant. Veram defensionem non attulit Paulus, *Prophetico jure se usum*, quia id ei non fuisset creditum, nec id quicquam isto loco profuisset. ¶ Γέγραπται γὰρ, *scriptum est enim*] Quasi dicat, Scio ex Scripturis in eo honore positis deberi hanc reverentiam, ne maledictis, etiam veris, lacessantur. Vide quæ diximus lib. 1. de Jure Belli ac Pacis 4. 7. ¶ Ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς. *Principem populi tui non maledices*] Verba ipsa LXX. Exod. 22. 28. ubi in Hebræo est נשיא, quomodo vocari solebat *princeps Senatûs*, quem locum illis temporibus plerumque occupabat Sacerdos Summus. Habes hic ἐρεῖς κακῶς [*maledices*] cum accusativo, ut & κακολογεῖν [*male loqui*] 2 Macc. 4. 1.

6. Γνοὺς δὲ ὁ Παῦλος ὅτι τὸ ἓν μέρος ἐστὶ Σαδδουκαίων, τὸ δὲ ἕτερον Φαρισαίων, *Sciens autem Paulus quia una pars esset Sadducæorum & altera Pharisæorum*] Pharisæos fuisse in Synedrio apparet, Matth. 21. 45. Sadducæos quoque supra 4. 1. & 5. 17. Non deerat Paulo humana etiam prudentia; quâ in bonum Euangelii utens, columbæ serpentem utiliter miscebat, & inimicorum dissidiis fruebatur. ¶ Ἐγὼ Φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς Φαρισαίου· *ego Pharisæus sum*, *filius Pharisæi*] *Accuratioris sectæ*, ut dixit supra 22. 3. In Manuscripto est υἱὸς Φαρισαίων [*filius Pharisæorum*,] id est, Ex patre & matre natus ejus instituti. Sic Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, κατὰ νόμον Φαρισαῖος [*Hebræus ex Hebræis*, *secundùm legem Pharisæus*,] Philipp. 3. 5. ¶ Περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι. *de spe & resurrectione mortuorum ego judicor*] Est ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*.] Rectum fuerat, περὶ ἐλπίδος ἀναστάσεως, [*de spe resurrectionis*,] *ob spem de resurrectione in judicium vocor*. Vide quæ diximus supra 17. 25. & Joh. 3. 5.

7. Ἐγένετο στάσις, *facta est dissensio*] Id est, *dissidium*, ut supra 15. 2. ¶ Καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος, *& soluta est multitudo*] Idem quod apud Johannem 7. 43. & 10. 19. σχίσμα ἐγένετο *dissensio facta est*.] Simili locutione Virgilius dixit, *Scinditur vulgus*. ¶ Πλῆθος [*multitudo*] hic est עדה, *ipse cœtus Senatorum* cum suis adsessoribus.

8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μηδὲ πνεῦμα· *Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem*, *neque Angelum*, *neque spiritum*] Deum esse credebant, sed præter eum nihil quod non sensibus perciperetur, non Angelos ὑφίστασθαι [*existere*,] non superesse corporibus animos, ideoque nec fore ἀνάστασιν [*resurrectionem*.] Vide quæ diximus ad Matthæum 22. 28. ¶ Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα. *Pharisæi autem utraque confitentur*] Conjunxit hic opinionem de Angelis & de spiritu tanquam unam.

9. Οἱ γραμματεῖς, *Scribæ*] Legisperiti adsessores Senatorum, Vide quæ ad Matth. 2. 4. ¶ Διεμάχοντο, *pugnabant*] *Contendebant cum aliis*, ריב. ¶ Εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, *quid si spiritus loquutus est ei*] Afflatus quidam in animum miro modo penetrans, qui & ἐπίπνοια Græcis. Vide supra 10. 19. & 11. 12, 28. & 16. 7. & 23. 20 ¶ Ἢ ἄγγελος, *aut Angelus?*] Ut Matth. 1. 20. & 2. 13. Luc. 1. 11. supra 5. 19. & 8. 26. & 10. 3. 7, 22. & 12. 7, 8, 9, 10. ¶ Μὴ θεομαχῶμεν, *ne repugnemus Deo*]

Deo] Vox est bene Græca quæ exstat & 2 Macc. 7. 19. Sic & nomen θεομάχος [*Deo repugnans*] supra 5. 39, ubi dicta à nobis vide.

10. Μὴ διασπασθῇ ὁ Παῦλος ὑπ' αὐτῶν, *ne discerperetur Paulus ab ipsis*] *Ne eum discerperent*, ut Orphea Threissæ, in qua historia vocem διασπασθεὶς [*discerptus*] usurpat Isocrates. Lucianus, Μικροῦ γεῦν με διεσπάσαντο [*Parum abfuit quin me discerperent*,] Atrocis iræ est hæc descriptio. ¶ Ἐκέλευσε τὸ στράτευμα καταβῆναι, *jussit milites descendere*] Totam militum manum ab Antonia deduxit in conclave illud apud Templum, in quo Senatus habebatur. ¶ Εἰς τὴν παρεμβολήν. *in castra*] *In Antoniam*, ut supra.

11. Ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος, *adsistens ei Dominus*] De hoc verbo vide Luc. 11. 9. & 24. 4. supra 12. 7. Dominus ei apparuit per Angelum, ut supra aliquoties. ¶ Θάρσει Παῦλε *Constans esto Paule*] Certum eum facit Dominus, omnem istam commotæ plebis violentiam nihil ipsi nocituram. *Cum improbus adversus justum cogitat frenditque dentibus, Deus eum irridet*, Psalm. 37. 12. *& mala consilia non provehit*, Psalm. 140. 9. *Sed pios tutatur contra insidiatores*, Psalm. 12. 6. ¶ Οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι *sic te oportet & Romæ testificari*] Δεῖ [*oportet*] illud rem futuram hic significat, ut Matth. 16. 21. ubi dicta vide. Nec aliter hic interpretatur Syrus.

12. Ποιήσαντές τινες τῶν Ἰουδαίων συστροφὴν, *collegerunt se quidam ex Judæis*] Συστροφὴ supra 19. 40 *concursus*, hic potius *coitio* est, sicut mox explicatur συνωμοσία [*conjuratio.*] Sic συστρέφεσθαι est *conjurare*, 2 Sam. 15. 31. 1 Reg. 16. 8, 16. 2 Reg. 9. 14. & 10. 8. & 14. 18. & 15. 10, 15, 25, 30. & 21. 22, 23. pro quo συστροφὰς ποιεῖσθαι [*seditionem concitare*] Amos 7. 10. in quibus locis in Hebræo est קשר. ¶ Ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς, *devoverunt se*] Voto addiderunt diras, id est, *pessima sibi imprecati sunt*, ni id implerent. Vide quæ ad Matth. 26. 74. impletum hic quod de se dixit David, insanientibus inimicis, Psalm. 102. 9. בי נשבעו, κατ' ἐμοῦ ὤμνυον [*adversum me jurabant.*] ¶ Μήτε φαγεῖν μήτε πιεῖν ἕως οὗ ἀποκτείνωσι τὸν Παῦλον. *neque manducaturos, neque bibituros donec occiderent Paulum*] Non fuisse sine exemplo talia inter Judæos juramenta, docet nos Philo de legibus specialibus, Εἰσὶ γάρ οἱ ὀμνύουσιν, ἐὰν τύχῃ, τραύματα καὶ σφαγάς [*Sunt qui jurant, si ita res tulerit, vulnera aut cædes.*]

14. Τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, *ad Principes Sacerdotum & Seniores*] Quibusdam ex Synedrio. Vide supra 22. 30. & 4. 5. Matth. 16. 21. & 21. 23. ¶ Ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτοὺς *Devotione devovimus nos*] בחרמה החרמנו.

15. Ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ, *notum facite Tribuno*] *Significate.* Nam הודיע vertitur ἐμφανίζειν [*notum facere*] Exod. 33. 13. Sic & infra 22. Hebr. 11. 14. Σὺν τῷ συνεδρίῳ, *cum concilio*] Id est, *Non vos soli, sed unà cum collegis vestris*, quò major significationi sit auctoritas. ¶ Ὅπως αὔριον αὐτὸν καταγάγῃ πρὸς ὑμᾶς, *ut cras producat illum ad vos*] Nempe ex Antonia in conclave in quo Senatus habebatur. ¶ Ὡς μέλλοντας διαγινώσκειν ἀκριβέστερον τὰ περὶ αὐτοῦ. *tanquam aliquid certius cognituri de eo*] *Exactius quàm in prima cognitione.* Solent enim rei per intervalla temporum sæpius audiri, sive quod novi aliquid Judici innotuerit, sive ut exploretur an sibi constent. ¶ Πρὸ τοῦ ἐγγίσαι αὐτὸν, *priusquam appropinquet*] *Antequam ad vos veniat*, Syrus. Sed amplius significatur, Velle se cædem perpetrare in via, satis longè ab eo loco, in quo Senatus habebatur, ne Senatus eo nomine argui posset. ¶ Ἕτοιμοί ἐσμεν τοῦ ἀνελεῖν αὐτόν. *parati sumus interficere illum*] Hic quoque τοῦ abundat, ut aliquoties: nam supra dixit, ἑτοίμως ἔχω ἀποθανεῖν [*mori paratus sum.*] Sic & infra 20. συνέθεντο τοῦ ἐρωτῆσαι [*constituerunt rogare.*]

16. Ὁ υἱὸς τῆς ἀδελφῆς τοῦ Παύλου, *filius sororis Pauli*] Paulum habens avunculum. ¶ Τὸ ἔνεδρον, *insidias*] Infra dixit ἐνέδραν 25. 3. Utrumque Græcum est, & apud interpretes Græcos sæpe reperitur. ἐνέδρα etiam 1 Macc. 1. 38. ἔνεδρον Sapient. 16. 2. 1 Maccab. 9. 40. & 10. 8. & 11. 8, 69. ¶ Παραγενόμενος, *venit*] *Ideo quod adfuisset consilio*, nimirum ignorantibus Judæis illis necessitudinem juvenis hujus cum Paulo. ¶ Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν παρεμβολὴν, *& intravit in castra*] In eum locum in quo Paulus asservabatur. Supra 10.

17. Ἕνα τῶν ἑκατοντάρχων, *unum ex Centurionibus*] Quales decem erant sub illo Præfecto, si cohors esset millenaria, alioqui pauciores. Vide supra 22. 26. ¶ Ἀπάγαγε πρὸς τὸν χιλίαρχον *perduc ad Tribunum*] Nihil petiit à Præfecto: sed credidit eum pro æquitate Romana facilè repperturum malo illi imminenti remedium.

18. Ὁ μὲν οὖν παραλαβὼν αὐτὸν, *Et ille quidem assumens eum*] Ipsum juvenem secum deduxit, ut Præfectus ex ipsius ore cuncta certiùs cognosceret.

19. Ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς αὐτοῦ, *Apprehendens autem manum illius*] *Manu prehensum*, ut iis solemus facere, quos ex turba abducimus.

21. Σὺ οὖν μὴ πεισθῇς αὐτοῖς *Tu verò ne credideris illis*] Hoc juvenis addidit, ex pio in avunculum affectu. ¶ Καὶ νῦν ἕτοιμοί εἰσι, *& nunc parati sunt*] *Parati sunt*, nempe *ad eum occidendum.* Supra 15. ¶ Προσδεχόμενοι τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν. *exspectantes promissum tuum*] *Nuntium abs te.* Sic ἐπαγγελία sumitur Esther. 4. 7. & Ezech. 7. 26. & ἐπαγγέλλειν, *annuntiare*, Sirach. 16. 26.

22. Ἀπέλυσε τὸν νεανίαν, *dimisit adolescentem*] *Dimisit à se juvenem.* ¶ Παραγγείλας μηδενὶ ἐκλαλῆσαι ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρός με. *præcipiens ne cui loqueretur, quoniam hæc nota sibi fecisset.*] Transitio ab indirecta oratione ad directam, frequens Hebræis, sed & aliis scriptoribus.

23. Δύο τινὰς τῶν ἑκατοντάρχων, εἶπεν, Ἑτοιμάσατε στρατιώτας διακοσίους, *duobus Centurionibus, dixit illis, Parate milites ducentos*] Quisque centum milites qui sub se erant. Martialis,

> *Vare, Paratonias Latiâ modò vite per urbes*
> *Nobilis, & centum dux memorande viris.*

Καὶ ἱππεῖς ἑβδομήκοντα, *& equites septuaginta*] Solent peditibus equites attribui qui eis præsidio sint. Hic numerus paulò plus quàm duas turmas facit. ¶ Καὶ δεξιολάβους διακοσίους, [*& lancearios ducentos*] Manuscriptus, δεξιοβόλους διακοσίους *jaculatores ducentos.*] Legionibus Romanis aderant auxilia è milite externo, armata leviùs. In iis præter funditores, erant *qui tela manu mitterent*; Hi videri possent dicti δεξιοβόλοι, nec aliter legêre & accepere Syrus & Arabs. Verùm Suidas & Etymologiæ scriptor δεξιολάβους interpretantur παραφύλακας [*stipatores.*] Putat Meursius intelligi eos qui carceri datos asservabant, & prehendebant eos qui prehendi jubebantur. Constantinus Prophyrogenneta, Οἱ δὲ λεγόμενοι τουρμάρχαι εἰς ὑπουργίαν τῶν στρατηγῶν ἐτάχθησαν· σημαίνει δὲ τοιοῦτον ἀξίωμα τὸν ἔχοντα ὑφ' ἑαυτὸν στρατιώτας τοξοφόρας πεντακοσίους, καὶ πελταστὰς τριακοσίους καὶ δεξιολάβους ἑκατόν [*Qui turmarum appellantur Præfecti ad exsequenda Prætorum jussa constituti sunt. Denotat autem hæc dignitas eum qui quingentos sub se sagittarios, trecentos peltatos, stipatores centum habet.*] Sed fieri potest ut ex hoc loco Lucæ malè lecto & intellecto id nomen in serioris ævi militiam penetraverit. ¶ Ἀπὸ τρίτης ὥρας τῆς νυκτὸς *à tertia hora noctis*] Frequens est in Syria noctibus iter facere ob calores diurnos. Verùm hic hoc consilium eò pertinebat, ne in ipso itinere insidiæ fierent, ante deducto Paulo quàm ad conjuratos ejus rei notitia perveniret.

24. Κτήνη τε παραστῆσαι, *Et jumenta præparate*] Contra quàm modo transit hic oratio à directa in indirectam, ¶ Ἵνα ἐπιβιβάσαντες τὸν Παῦλον *ut imponentes Paulum*] Vide Lucæ 10. 34. & 19. 35. Πρὸς Φήλικα τὸν ἡγεμόνα ¶ *ad Felicem Præsidem*] Felix hic Pallantis, qui apud Claudium omnia potuit, frater fuit, *Judææ impositus, & cuncta male facta sibi impunè ratus tantâ potentiâ subnixo*, ut ait Tacitus Annalium 12. qui de eodem Historiarum 5. *Antonius Felix, per omnem sævitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit.* Nihil minùs quàm Arcadiæ Regibus ortus, quod illorum adulatores plebi persuadere volebant. Et hic tamen homo, servili & ortu & ingenio, non *cohortibus* tantùm *alisque, & provinciæ Judææ præpositus* fuit, sed & *trium Reginarum maritus*, teste Suetonio in Claudii vita 28. quod intellige non eodem tempore, sicut quidam malè interpretantur illud μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα [*unius uxoris virum*] apud Paulum; sed aliâ mortuâ aliam: & *reginas* intellige Regum filias & neptes, quomodo Antigone & Electra ἄνασσαι [*Reginæ*] apud Tragicos. Harum Reginarum una fuit Drusilla infra nominata 24. 24. Agrippæ Regis soror, cui ad adipiscendam Cæsarum gratiam nomen datum ex ea familia quæ tum imperabat, unde & Agrippa ipse habebat nomen. ¶ Τὸν ἡγεμόνα. *Præsidem*] Judææ Procuratorem vice Præsidis. Vide quæ dicta ad Matth. 27. 2.

25. Περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον. *continentem hæc*] *Hoc tenore*, ut loquitur Cicero. Hinc τύπους pro *epistolis* usurpat Zonaras ad Canonem 39 Concilii in Trullo. In Glossario τύπος, *formata, forma.* Sumitur pro *exemplari* 1 Petri 7: 3.

26. Τῷ κρατίστῳ ἡγεμόνι, *optimo Præsidi*] Κράτιστος [*optimus*] titulus politorum in dignitate. Vide ad Luc. 1. 3.

27. Καὶ μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, *& incipientem interfici ab eis*] Id est, *cum jam prope esset ut ab eis interficeretur.*

Hoc sensu *μέλλειν* invênitur etiam apud Thucydidem, Demosthenem & alios. ¶ *Ἐπιστὰς σὺν τῷ στρατεύματι, superveniens cum exercitu*] Bene vertitur *superveniens*, ut supra 4. 1. ¶ *Μαθὼν ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι, cognito quia Romanus est*] Aoristus hic nullum certum tempus designat; & tantum valet quantum *καὶ ἔμαθον* [*& cognoveram.*]

28. *Εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν. in concilium eorum*] Vide supra 22. 30.

29. *Περὶ ζητημάτων τοῦ νόμου αὐτῶν, de quæstionibus Legis ipsorum*] Vide supra 18. 15. ¶ *Μηδὲν δὲ ἄξιον θανάτου ἢ δεσμῶν ἔγκλημα ἔχοντα. nihil vero dignum morte aut vinculis habentem crimen*] Nullius criminis reum quod Romanæ leges morte puniant aut vinculis coërceant: non signiferum rebellionis non, homicidam, non seditiosum.

30. *Μηνυθείσης δέ μοι ἐπιβουλῆς εἰς τὸν ἄνδρα μέλλειν ἔσεσθαι, Et cum mihi perlatum esset de insidiis quas paraverunt illi*] Sermonem ita incepit quasi dicturus esset *μελλούσης* [*eventuris.*] dixit autem *μέλλειν* (*evenire*) quasi præcessisset *μηνυθέντος δέ μοι ἐπιβουλὴν* (*cum verò indicatæ essent mihi insidiæ.*) Ita sæpe constructio fit ad sensum magis quàm ad verba, ut diximus Ephes. 1. 13. ¶ *Παραγγείλας καὶ τοῖς κατηγόροις λέγειν τὰ πρὸς αὐτὸν ἐπὶ σοῦ. denuntians & accusatoribus ut dicant apud te*] Ex more Romano. infra 35. & 25. 16. ¶ *Ἔρρωσο, vale*] Quæ solennis epistolarum clausula. Vide supra 15. 29.

31. *Εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα, in Antipatridem*] Urbs est Judææ ad Occidentem Jordanis. Vide Ptolemæum.

32. *Ὑπέστρεψαν, reversi sunt*] Pedites ducenti gravioris armaturæ, & totidem jaculatores. Neque enim opus tam multis erat, cùm jam longiùs abitum esset ab Hierosolymis, ubi erant conjurati. Adversùs vulgaria itinerum pericula sufficiebat equestre præsidium. ¶ *Εἰς τὴν παρεμβολήν. in castra*] In Antoniam.

33. *Οἵτινες, qui*] Hoc ad remotius, id est, ad equites referendum. ¶ *Εἰσελθόντες εἰς Καισάρειαν, cùm venissent Cæsaream*] Ubi tum forte erat Felix, ut solebant Præsides provinciam perambulare. *Cæsaream*, nempe *Stratonis*. ¶ *Παρέστησαν καὶ τὸν Παῦλον αὐτῷ. stiterunt coram eo & Paulum*] Bene vertitur *stiterunt*. Sic ubi in Digestis est *judicio sistere*, Græca Basilica habent *παριστᾶν*. Paulus non dixit Centurionibus aut equitibus illicitum esse quod agebant, sed usus est beneficio publicæ tutelæ. Patres in Africano Concilio cap. 83. *Quorum contra furorem possimus non insolita nec à Scripturis aliena impetrare præsidia; quomodo Apostolus Paulus, sicut in Apostolorum Actibus fidelibus notum est, factiosorum conspirationem militari etiam submovit auxilio.*

34. *Ἐκ ποίας ἐπαρχίας ἐστὶ, de qua provincia esset*] Ἐπαρχία est *provincia* etiam infra 25. 1. Nec aliter *provinciam* appellant Græci qui Romanas res scripsere. In Glossario quoque *ἐπαρχία, Provincia.*

35. *Διακούσομαί σου, ἔφη, ὅταν καὶ οἱ κατήγοροί σου παραγένωνται. Audiam te, inquit, cùm & accusatores tui venerint*] Juxta dictum vetus,

> Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.
> [*Ni prius audieris ambos, ne judicium fer.*]

Est autem *διακούειν* idem quod *ἀκούειν* [*audire,*] ut apparet Deut. 1. 16. Job. 9. 33. Utuntur sic & Plato & Plutarchus. ¶ *Ἐν τῷ πραιτωρίῳ τοῦ Ἡρῴδου, in prætorio Herodis*] Nempe quod erat Cæsareæ. Vide supra 12. 19. & sequentibus. *Prætorium* à *Prætore* Romano, id est, Imperatore nomen habet: sed, ut fieri solet, cœpit proferri latiùs ejus vocis usus ad *omnes domos virorum illustrium.* Vide Matth. 27. 27. Marc. 15. 16. Joh. 18. 28. 33. & 19. 9. Philip. 1. 13. Et apud rusticæ rei scriptores *prætorium* est pars villæ in qua dominus habitat.

P R I C Æ U S.

Com. 1. *Ἀτενίσας δὲ ὁ Παῦλος τῷ συνεδρίῳ*] Ut decebat hominem bonæ causæ & optimæ conscientiæ innitentem.

Ibid. *Πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ*] Suprà 20. 19. de seipso ibidem, *δουλεύων τῷ Κυρίῳ μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης.* Vide & infrà 24. 16. & ibidem notata. *Πολιτεύεσθαι* est, *vitæ tenorem gubernare*, vel *dirigere*. Vide Philip. 1. 27. Plutarchus de Aristide, *Καθ' αὑτὸν ἐπολιτεύετο.* Athenagoras in de Resurrect. *Καθ' ὅσον ἕκαστος ἔζησε χρόνον, καὶ καθ' οὓς ἐπολιτεύσατο νόμους* id est, ut Galat. 6. 16. *ῷ κανόνι στοιχήσουσιν.* Nec malè Vetus id vocis *conversari* vertit. Gracchus apud Gellium, *Ità versatus sum in Provincia, ut nemo posset dicere, &c.* Τῷ θεῷ autem in Lucæ verbis, *ἐνώπιον τοῦ θεοῦ*, cum viro maximo haud putem exponendum, at potiùs *κατὰ τὸν θεὸν, ut semper ejus cultum putavi postulare.* Sic *τῇ πατρίδι πολιτεύεσθαι* (i. e. *prout dignitati & utilitatibus conveniret*) apud Ælianum Var. Hist. 3. & *τοῦ θεοῦ νόμοις πολιτευόμενοι* in 3 Maccabaico.

Com. 2. *Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας ἐπέταξε τοῖς παρεστῶσιν αὐτῷ τύπτειν αὐτοῦ τὸ στόμα*] Offensus fortan vultûs ejus constantiâ, quod vox *ἀτενίσας* innuit: vel quòd liberiore quàm hominis falsus ferret exordio usus est. *παρεστῶτας* ex voce adjuncta intellige *ὑπηρέτας*, non quosvis ex adstantibus. Similis his locus Ciceronis ex Oratione quæ de Suppliciis inscribebatur, *Denique proximus lictor Sextius, bacillo converso oculos tundere misero vehementissimè cœpit.*

Com. 3. *Τοῖχε κεκονιαμένε*] Sic hominem exteriore apparatu tumentem & verè & eleganter appellavit. Edecumatum ex Seneca locum (quem & nos in Adversaria transcripseramus) adduxit hic recentissimus & summus Expositorum: tamen alterum hunc ejusdem Senecæ non minùs elegantem adde, *Miramur parietes tenui marmore inductos, cùm sciamus quale sit quod absconditur, oculis nostris imponimus, & cum auro tecta perpendimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? Scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantùm parietibus & lacunaribus ornamentum tenue prætenditur; omnium istorum quos incedere altos vides bracteata fœlicitas est: inspice & disce* (lego *disces*) *sub ista tenui membrana dignitatis quantum mali lateat;* Epist. 115. Lucianus sub persona medici ad Lexiphanem suum, *Ἐλελήθεις σεαυτὸν τοῖς ὑπὸ τῶν κοροπλάθων ἐς τὴν ἀγορὰν πλαττομένοις ἐοικὼς, κεχρωσμένος μὲν τῷ μίλτῳ καὶ τῷ κυανῷ, τὸ δ' ἔνδοθεν πήλινός τε καὶ εὔθρυπτος ὤν.* In Troade alterius Senecæ Agamemnon,

> *Ego esse quidquam sceptra nisi vano putem*
> *Fulgore tectum nomen!* ——

Ubi *tectum* est quod hîc Paulus *κεκονιαμένον*. Simile apud Persium *cretata ambitio*, & D. Augustinum in Psal. 103. *dealbata seculi via.* Matth. 23. 27. *κεκονιαμένοι τάφοι* ubi dicta vide. Lucianus in Amoribus, *Καὶ γυμνὴν τοίχων ἀμορφίαν ἐνανθέσι βαφαῖς χρωμάτων κατέγραψαν.* Contrarii *ἠφανισμένοι τοῖχοι, parietina*, ut in vetere Onomastico; *Rudes, inexculti, tectorio non praliti*, Gel. 13. 22.

Ibid. *Κάθῃ κρίνων με κατὰ νόμον, καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι;* Similem Rom. 2. 23. vehementiam vide. Quod hîc *παρανομεῖν*, ibi, *τὸν νόμον παραβαίνειν*. Pro *κρίνων* non malè poteris *κρινῶν* legere.

Com. 4. *Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ λοιδορεῖς* Josephus 2. in Appionem, *Ὁ τούτῳ (ἀρχιερεῖ) μὴ πειθόμενος ὑφέξει δίκην, ὡς εἰς τὸν θεὸν ἀσεβῶν.*

Com. 5. *Οὐκ ᾔδειν ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς*] Multa & varia afferuntur hic, quæ nescio an his Pauli illustrando sint. Ego simplicem ironiam putàrim, & *οὐκ ᾔδειν*, significare, *oblitus eram, minus animo recolebam meo.* Apud Arrianum 1. 19. in Epictetum ille, *Καλῶς λέγεις, ἐξελαθόμην ὅτι δεῖ σε θεραπεύειν.* Quem falsum respondendi modum & hodie multæ gentes retinent.

Com. 7. *Τοῦτο δὲ αὐτοῦ λαλήσαντος ἐγένετο στάσις*]

> —— *Postrema loquentis*
> *Verba viri mixto suscepit turba tumultu.*

Στάσις hic. eo sensu quo suprà, 15. 2. ubi notata vide.

Com. 9. *Μὴ θεομαχῶμεν*] Vide suprà ad 5. 39. dicta.

Com. 10. *Εὐλαβηθεὶς ὁ χιλίαρχος μὴ διασπασθῇ ὁ Παῦλος ὑπ' αὐτῶν, &c*] Ut inter diversa contendentium manus nonnullis evenisse legimus. Herodianus lib. 1. *Ἔνθα* (Pessinunti) *καὶ τὸν Γανυμήδην ἁρπασθέντα ἀφανῆ γενέσθαι λόγος, ἀνθελκόντων αὐτὸν τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τοῦ ἐραστοῦ.* Diodorus Siculus, ubi de Archia Corinthio, qui ut amatum à se puerum abduceret, ejus patris ædes irruperat, *Ἀντεχομένου τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων κατὰ τὴν οἰκίαν, παρ' ἀμφοτέροις φιλοτιμίας βιαιοτέρας γενομένης* (*πολλῆς γενομένης στάσεως* hic Lucas dixit) *ἔλαθεν ὁ παῖς ἐν ταῖς χερσὶ τῶν ἀντεχομένων τὴν ψυχὴν ἀφείς* Eunapius in Ædesia, *διασπάσασθαι ἀπειλοῦντες.* Florus 3. 19. *Dum circa deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est.*

Com. 11. *Τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος*] Sic suprà 12. 7. *ὁ ἄγγελος ἐπέστη.* Et nota hanc vocem propriè de inhumanis visis efferri. Achilles Tatius lib. 7. *τῷ Σωστράτῳ νύκτωρ ἡ θεὸς ἐπιστᾶσα, &c.* In veteri Epigrammate,

Ἀλλ'

Ἀλλ' ὁ Σάραπις ἔχρησε πάλιν διὰ νυκτὸς ἐπιςάς.

Eunapius de Ædesio per somnium divinationem optante, Ὁ δὲ θεὸς ἐφίςατο πρὸς τὴν εὐχὴν, καὶ ἔχρησεν τάδε. Demosthenes in de Corona, Ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐπὶ ταῦτα ἐπέςην ἐγὼ ubi Ulpianus, Ὥσπερ τινὸς δαίμονος ἐπιςασίαν λέγει τῆς αὐτοῦ κηδεμονίας τὴν παρουσίαν. Infrà 27. 23. hoc sensu παρέςη habemus.

Com. 12. Ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς, λέγοντες, μήτε φαγεῖν, μήτε πιεῖν ἕως ἄν, &c.] Locutio summum studium notans destinata exequendi. Genes. 24. 33. 1 Sam. 14. 24. Longus Poimen. 3. Μηδὲν πιὼν, μηδὲ φαγὼν, παρὰ τὴν χιόνα κατέδραμεν. Ἀνεθεμάτισαν, *devoverunt se nisi*, &c. Justinus lib. 24. *exsecrationibus se obligare* dixit. Idem lib. 3. de Lacedæmoniis loquens, *Gravissimâ se exsecratione obstrinxerunt non prius quàm Messeniam expugnassent reversuros.* Serv. ad Virg. *Aulis Insula est Ægeo in mari, in qua Græci conjuraverant se non antè reversuros ad patriam quam Troja caperetur.* Vide quæ ad Matth. 26. 74. dicta.

Com. 13. Ἦσαν δὲ πλείους ἢ τεσσαράκοντα οἱ ταύτην τὴν συνωμοσίαν πεποιηκότες] Apud Dionysium Halicarn. 5. Mutius ad Porsenam, Ῥωμαίων ἄνδρες τριακόσιοι, &c. ἐβουλευσάμεθα συνελθόντες ἀποκτεῖναί σε, καὶ τὸ πιςὸν ὅρκοις παρ' ἀλλήλων ἐλάβομεν. Aristoph. Equit.

—Ἐπὶ τῷ δήμῳ ξυνόμνυντον—

Scholiastes. Συνωμοσίαν ἐποιήσατε, τουτέςιν ὅρκους καὶ πίςεις ἀλλήλοις δεδώκατε. Et post unam alterámque Scenam, Συνωμοτῶν ubi Schol. Συνωμοσίαν πεποιημένων, τουτέςι, πίςεις δι' ὅρκων διδόντων, καὶ συνθήκας κατ' ἐμοῦ πεποιηκότων. Suidas, Ἐν κηρίον, ἐπὶ πολλῶν ὁμοφωνούντων, ἢ ςασιαζόντων, ἢ συνωμοτῶν.

Com. 15. Ἡμεῖς δὲ πρὸ τοῦ ἐγγίσαι αὐτὸν, ἕτοιμοί ἐσμεν τοῦ ἀνελεῖν αὐτὸν] Confer infrà 25. 3.

Com. 18. Ἠρώτησε τοῦτον τὸν νεανίαν ἀγαγεῖν πρὸς σε, ἔχοντά τι λαλῆσαί σοι] Sic 40. 11. Euangelio, ἔχω τί σοι εἰπεῖν. Apud Virgilium,

——— *Tunc Nisus & unà*
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiúmque moræ fore. ———

Com. 19. Ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς αὐτοῦ ὁ χιλίαρχος, καὶ ἀναχωρήσας κατ' ἰδίαν, &c.] Arreptâ manu ejus, ut mos est secretò colloqui cupientium. Achilles Tatius lib. 2. Ὁ Κλεινίας τῆς χειρός με λαβόμενος ἄγει, &c. μακρόθεν, καὶ λέγει, &c. Philo in de Mosis vita, Τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, μόνος μόνῳ συνελάλησε. Curtius lib. 3. *At is prehensam manu Barbarum rogat ut secum extra speciem prodeat.* Herodianus lib. 3. Λαβόμενος τῆς χειρὸς, εἰς τὸ δωμάτιον εἰσήγαγεν. Apuleius 9. *Hac talis manu pistori clementer injectâ, quasi quippiam secretò collocutura, in suum cubiculum seducit eum.* Glossarium. *Arripit*, ἀφαρπάζει. &c. χειρὸς ἐπιλαμβάνεται. In Græco Jeremiæ 31. 32. τῆς χειρὸς ἐπιλαβέσθαι occurrit. Vide & Scriptorem ad Hebræos 8. 9. Notentur & illa hoc loco, κατ' ἰδίαν. Hinc Hesychio Ἰδιάζει, μόνῳ προσφωνεῖν. Eidem, Ἰδιάζον, κατ' ἰδίαν ὁμιλοῦν & Ἰδιάσαι. κατ' ἰδίαν ὁμιλῆσαι. Glossæ, Κατ' ἰδίαν, *Seorsim*, *privatim*, *secretim*.

Com 22. Παραγγείλας μηδενὶ ἐκλαλῆσαι ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισάς μοι] Gellius 15. 22. de Sertorio, *Qui* (id est, *ei qui*) *nunciaverat, jussit tacere, ac nè cui palam diceret interminatus est.*

Com. 23. Ἑτοιμάσατε ςρατιώτας διακοσίους] Æneid. 9.

——*Illos centeni quémque secuti.*

Ubi Servius, *Centurionum scilicet, ex more Romanæ militiæ: nam ex numero militum qui eos sequuntur, gradus dignitatis apparet.*

Com. 26. Κλαύδιος Λυσίας τῷ κρατίςῳ ἡγεμόνι, &c.] In Epitome Lib. 19. Livii fit mentio *Claudii Glyciæ* Dictatoris: uter ex altero, an neuter emendandus locus, Eruditi dispiciant. Vox κράτιςος (de qua quæ Viri magni protulerunt, confiteor non usquequaque probari mihi,) non tantùm magnatibus tribuitur, sed & cujusvis ordinis hominibus quos amici ejusmodi elogio honestare voluerint. Significat autem, non, ut Recentior, *præstantissimus*, sed *optimus*, ut optimè heic, Luc. 1. 3. & infrà 26. 25. vertebat vetus Interpres: cujus eruditionem centenis aliquot locis ille alter nequaquam assecutus videtur. Chremylus Deo Pluto blandiens ut hospitium ejus succederet,

Σὺ δ' ὦ κράτιςε πλοῦτε πάντων δαιμόνων,
Εἴσω μετ' ἐμοῦ δεῦρ' εἰσίθ'. ——

Ubi Scholia, Τὸ κράτιςε ἢ ἐγκωμιάζων φησὶν, ἢ ὅτι προεδίδαξεν ὡς καὶ θεῶν ὁ Ζεὺς δι' αὐτοῦ βασιλεύει. Sed verum est quod priùs dixerat, vocem ἐγκωμιάζοντος esse. Sic in Theophrasti Characteribus, προσαγορεύειν, καὶ ἄνδρα κράτιςον εἰπεῖν. Sic κράτιςον τῷ κακίςῳ, Plutarchus lib. De in Virt. proficiendo, opponit, Ὥςε τὸν πρωὶ κάκιςον, ἑσπέρας κράτιςον γεγονέναι. Idem lib. Utrùm Athenienses, &c. Τῶν ἱςορικῶν κράτιςος.

Com. 35. Διακούσομαί σου ὅταν οἱ κατήγοροί σου παραγένωνται] Τοῖς Ῥωμαίοις γὰρ ἔθος οὐκ ἔςιν, &c. infrà 25. 16. ubi notata vide. Euripides Heraclidis,

Τίς ἂν δίκην κρίνειεν, ἢ γνοίη λόγον,
Πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν μῦθον ἐκμάθῃ σαφῆ;

Cassiodorus 7. 8. *Justitia non videtur quicquid non discutitur, nec examinatur.* Seneca,

Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

CAP. XXIV.

VALLA.

5. *AUtorem seditionis sectæ Nazarenorum*] Abest à Græco *seditionis*, sed tantùm *autorem* sive *præceptorem sectæ*, πρωτοςάτην αἱρέσεως.

14. *Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam quam dicunt hæresim, sic deservio Deo patri meo*] Quis nominaverat *hæresim* antea, ut nunc sic dicat Paulus? Non animadvertit Interpres se vocabulum Græcum *Hæreseos* transtulisse *sectæ*. Ergò nunc dicere debebat *quam dicunt sectam*. Idem est Græcè *hæresis* quod Latinè *secta*. Unde Cicero de Stoicis loquens ait de Catone, *Et est in ea hæresi quæ nullum sequitur florem orationis.* At quomodo dicet *secundùm sectam quam dicunt sectam?* Igitur sciamus Græcè esse *secundum viam*, ὁδόν. Itaque non fatetur se *sectam* sequi, sed *viam*: etsi postea c. 26. 5. dicit *secundum certissimam sectam religionis nostræ vixi Pharisæus.* Hic quoque Græcè est *hæresis*, αἵρεσις. Appellavit Paulus *hæresim* sive *sectam Pharisæorum* quia *secti* atque *sejuncti* sunt Pharisæi à Sadducæis. Verùm illa Sadducæorum hæresis falsissima erat, hæc autem Pharisæorum verissima atque certissima. Nec Græcè legitur *Deo patri meo*, sed *paterno meo*, i. Deo quem coluerunt patres mei, τῷ Θεῷ τῷ πατρῴῳ μου.

22. *Distulit autem illos Felix, certissimè sciens de via*] Quis hunc Latinorum intelligeret locum, nisi emendassem superiorem, ubi *sectam* in *viam* converti? quanquam nè sic quidem aperta satis sententia est. Græcè est, *Sciens quæ* (supple *sunt*) *de via*, h. e. de religione Pauli, τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ. Illud omitto, quòd Græcè non est *certissime*, sed *certius*, seu *exploratius*, ἀκριβέςερον, quemadmodum superiùs v. 10. *bono animo pro me satisfaciam*, quod ego transtulissem, *alacriùs quæ de meipso sunt rationem reddo*, sive *causam dico*, εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι. Multa alia hujusmodi prætereo.

ERASMUS.

1. *QUI adierunt Præsidem*] Ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ Παύλου. Sensum quidem probè reddidit Interpres. *Adeunt* enim *Judicem* qui deferunt reum. Cæterùm ἐνεφάνισαν sonat *significaverunt*, nisi subaudias ἑαυτούς. Quidam depravatè legebant *audierunt*.

3. *Et multa corrigantur per tuam providentiam*] Græcis est non διορθωμάτων sed κατορθωμάτων, quod *rem cum virtute & laude factam* significat, interprete Cicerone, quòd Latini vocant *officium*, à verbo κατορθόω, Sensus enim est, *Cùm per tuam providentiam multâ fruamur pace, multáque officia præstes huic populo.* ¶ *Suscipimus*] Ἀποδεχόμεθα. Quo verbo nonnunquam & Paulus usus est pro *approbare* & *amplecti*. ¶ *Optime Felix*] Græcè non est βέλτιςε sed κράτιςε, quod, ut modò dixi, magis sonat *potentissime*. Nos vertimus *præstantissime*.

4. *Ne diutiùs te protraham*] Ἐγκόπτω *impediam*, sive *moror*, aut *detineam*. ¶ *Pro tua clementia*] Ἐπιεικείᾳ, quod aliàs

aliàs *humanitatem*, aliàs *æquitatem* vertunt.

5. *Hominem hunc pestiferum*] Græcis non est *pestiferum*, sed λοιμὸν *pestem*: quemadmodum *exitialem* vocant ὄλεθρον, i. *exitium*. Nec est *hominem* sed *virum*. ¶ *Et autorem seditionis sectæ*] *Seditionis* abest in Græcis cod. πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, *autorem* (seu *præfectum*) *sectæ* (seu *factionis*) *quæ dicitur Nazarenorum*.

6. *Etiam Templum conatus est violare*] Βεβηλῶσαι *profanare*: nimirum quòd induxerit Græcos: nè quis imaginetur accusari Paulum quòd vim admoverit Templo. ¶ *Quem & apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare. Superveniens autem Tribunus Lysias cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, jubens accusatores ejus ad te venire*] Hæc omnia deerant in multis exempl. Græcis. In uno duntaxat reperi adscripta, sed minutissimis formulis, idque in spatio marginali: unde & adjecimus. Quin & Beda, ni fallor, in Glossa quam *Ordinariam* vocant, indicat in Latinorum cod. aliquot versus defuisse, qui Græcis legantur ad hanc sententiam, *Quem apprehendimus*, & cætera quemadmodum modò retulimus. Porrò non dissimile veri est, Bedæ fuisse commentariolos aliquos eruditorum qui nobis non exstent. In Præfatione fatetur se in hoc opere quorundam scriptorum commentariis fuisse adjutum, quorum tamen neminem nominat præter Aratorem, qui carmine contexuit hujus operis historiam; cùm in aliis soleat autorum nomenclaturam in marginibus annotare. Illud mirum, hæc quæ notat olim desiderata in Latinorum codicibus, nunc constanter in his haberi, & in plerisque Græcorum cod. desiderari. In pervetusto codice quem nobis exhibuit Constantia eadem desiderabantur. Fieri potest ut aliquis adjecerit è narratione capitis prioris ubi legitur, *Et cùm magna dissensio facta esset, timens Tribunus ne discerperetur Paulus, jussit milites descendere & rapere eum de medio eorum*: aut potiùs ex epistola Lysiæ, *Virum hunc comprehensum à Judæis & incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui.* Porrò quòd his è medio sublatis non videtur cohærere sermonis ordo, secùs habet: potest enim sic legi, *Quem & apprehensum voluimus secundùm legem nostram judicare, à quo poteris judicans ipse de omnibus istis cognoscere.* De Paulo comprehenso fuerat mentio, & illum hic repetit, *à quo poteris*: nec erit opus narrare illum deductum ad Felicem, cùm id ipsa res loqueretur. Pro *superveniens* quidam Latini cod. habebant *intercedens*.

8. *A quo poteris ipse judicans*] Cùm Græcè sit ἀνακρίνας magis hic quadrabat *interrogans*, sive *factâ interrogatione*, aut, ut nos vertimus, *inquisitione factâ*.

10. *Annuente sibi Præside*] Νεύσαντος αὐτῷ ἡγεμόνος, *cùm annuisset ipse Præses*. Interpres legisse videtur αὐτῷ. nec admodum refert. ¶ *Bono animo pro me satisfaciam*] Εὐθυμότερον τὰ περ' ἐμαυτοῦ, seu περὶ ἐμαυτοῦ, ἀπολογοῦμαι, *æquiore animo pro mea causa respondeo*. Est enim præsentis temporis ἀπολογοῦμαι, quod Interpres variè vertit. Est autem propriè *apologia* oratio quâ se defendit apud Judicem reus.

13. *Neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant*] Οὔτε παραστῆσαί με δύνανται περὶ ὧν κατηγοροῦσί μου, *nec exhibere me possunt in his de quibus accusant me. Exhibere* dixit pro *convincere*.

14. *Secundùm sectam quam dicunt hæresim*] Cùm *hæresis* apud Græcos nihil aliud sit quàm *secta*, quid venit Interpreti in mentem ut Latinam vocem interpretaretur per Græcam, sed idem significantem? An verebatur ne quis parùm intellecturus esset vocabulum *secta*, & ob id Græcâ voce ceu notiore explicuit? Quapropter sciat lector hoc loco Græcis non esse *sectam* (alioqui bis erat dicendum *secta* & *secta*) sed ὁδὸν i. *viam*, κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, *juxta viam quam dicunt hæresim*, sive *sectam*. Exponit Paulus quid dixerit *vitam*, h. e. vitæ institutum quod notiore verbo *sectam* vocant. Sentit enim, opinor, de secta Pharisæorum quæ cæteris antecellebat eruditione. Id ex eo colligitur quod addit, *Credens omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, quam & hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram justorum & iniquorum.* Dissimulat Apostolus odiosum nomen *Nazarenorum*, quod impegerat accusans Tertullus. Simili prudentiâ usus est & superiore capite, clamans, *Viri fratres, Pharisæus ego sum, filius Pharisæorum: de spe & resurrectione ego judicor.* Ceterùm *hæresis* apud veteres non erat tam odiosum vocabulum quàm est hodie apud Christianos. Quibus cùm summa competat concordia, utpote ejusdem corporis membris, jure videlicet optimo invisum est *sectæ* vocabulum *divisionem* sonans. Quod annotavimus de *via* & *hæresi* pòst comperimus à Beda notatum in Scholiis in hoc opus: refertur in Glossa Ordinaria. Quanquam illi non omnino assentior quod addit, *ab incredulis Hæresim appellari*, cùm eo seculo nondum esse infame vocabulum *hæreseos*; imò potiùs exponit notâ vulgò voce quod Hebraicè magis quàm Græcè dixerat *viam*. In his enim Pauli verbis, *quam hæresim dicunt*, subauditur *Nazarenorum*, quæ revera erat hæresis Legem cum Euangelio commiscentium. Hujus sectæ Paulus non erat, qui docebat Circumcisionem cum cæteris Legis ceremoniis per Euangelium antiquatam esse. *Pharisæum* autem se profitetur, quòd inter accusatores multi essent Pharisæi; nec is titulus laboraret simili invidia atque *Nazarenorum*. Quòd autem *hæreseos* vocabulum olim non fuerit tam invidiosum quàm nunc est, multis argumentis potest colligi. Primum quòd Josephus Judæorum sectas commemorans, *Essæis* & *Sadducæis*, annumerat *Pharisæos*, quibus quartam adjungit *Herodianorum*. At Pharisæis nullus error objectus est. Quin ipse Paulus hujus operis capite 26. hunc in modum loquitur, *Secundùm certissimam nostræ religionis sectam vixi Hierosolymis Pharisæus.* Quod hic Interpres vertit *sectam*, Græcis est *hæresis*, citra controversiam in bonam partem. Apud Judæos igitur nihilo invidiosius erat *sectæ* vocabulum quàm apud Græcos *Platonicum*, aut *Stoicum*, aut *Peripateticum* appellari. Et si voces ipsas excutiamus, odiosius est *sectæ* vocabulum, quod à *secundo* dicitur, quàm *hæreseos*, quod Græcis dicitur ab *eligendo*. *Secta* autem propriè dicitur via è multis una. Sic usus est Columella lib. 2. *Quam velut sectam legémque in proscindendis agris sequuntur agricolæ.* ¶ *Deservio Patri & Deo meo*] Primùm *deservio* est λατρεύω, quod est *cultum exhibere*, à quo verbo dicta est Theologorum *Latria*. Quo quidem in loco nescio quid sibi velit Hugo Carrensis, excusans Paulum quòd sese hic æquarit Prophetis, cùm nihil hujusmodi percipi possit ex verbis Pauli. Deinde non est, *Patri & Deo*, sed *patrio Deo*, τῷ πατρῴῳ Θεῷ. Quod tamen haud accidit Interpretis vitio, sed librariorum errore. Neque verò hoc loco dormivit Carrensis, addens quòd *Deum Patrem suum dixerit Paulus, cujus Filius demonstraretur, non Servus.* Quasi verò Paulus ullo titulo magis soleat gloriari quàm quòd *Servus esset Dei ac Jesu Christi*. Se nunquam vocat *filium*, nisi cùm de omnibus in genere facit verba; ut illic, *Quòd sumus filii Dei.* Porrò *patrium Deum* quòd idem esset cujus cultum à majoribus suis accepisset, nè videretur abrogare religionem Judæorum; quasi dixisset, *Deo Abraham, Isaac & Jacob.*

16. *Sine offendiculo conscientiam*] Ἀπρόσκοπον συνείδησιν, veluti dicas *inoffensam conscientiam*, sive *expertem offensæ*; h. e. quæ nusquam offendat.

18. *Et apprehenderunt me, clamantes & dicentes Tolle inimicum nostrum*] Hæc verba in duobus pervetustis exempl. S. Donatiani non addebantur, nec in Constantiensi quidem; quibus verbis submotis una cum conjunctione, *Quidam ex Asia* refertur ad *invenerunt me*. ¶ *Quidam autem ex Asia Judæi*] Non est absolutus sermo nisi subaudias aliquid. Et, quod demiror, sensit hoc Carrensis, ac supplendum autumat, *viderunt me in Templo*. Quasi verò id quicquam ad hujus causæ defensionem pertineat si visus est ab Asianis Judæis in Templo. Ego puto è proximo sarciendum quod deest. Nam cùm modò dixerit *se fuisse purificatum in Templo sed citra tumultum*, subjicit, *Cæterum quidam Asiani Judæi* subaudias, *concitarunt eum tumultum, non ego.* Ad hanc conjecturam facit id quod legimus cap. 21. *Cùm autem septem dies consummarentur, ii qui de Asia erant Judæi, cum vidissent eum in Templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus.* Chrysostomus in Commentariis Græcis non addit conjunctionem δὲ, nec erat in ed. Hispaniensi. Potest & sic accipi quasi Paulus interrogatus quinam essent illi à quibus fuisset inventus in Templo, quia tantùm dixerat *invenerunt*, non designatâ personâ, responderit *Quidam autem ex Asia Judæi: atque eos oportebat adesse.* Potest & sic intelligi, Non omnes fuisse Judæos Asianos, sed aliquot ex illis; qui hoc commodiùs poterant adesse quòd essent Asiatici, quemadmodum erat Paulus.

21. *Nisi de una hac solummodo voce*] Interpres pro ἢ legisse videtur εἰ μή. Quid autem? agnoscit Paulus hoc unum crimen, quòd *eâ voce concitarit seditionem*? Non opinor, ni fortè datâ operâ hoc admiscuit quo rursus Judæos inter se commissos à sese averteret. Rabanus in Glossa quam vocant *Ordinariam* indicat hoc dictum κατ' ἀντίφρασιν, quasi Paulus sensisset hanc vocem non posse videri causam seditionis, nec in crimen vocandam ab Asianis, quâ testatus est se idem prædicare quod ipsi crederent. Certè sic legunt Græci. ἢ περὶ μιᾶς ταύτης φωνῆς ἧς ἐκέκραξα ἑστὼς ἐν αὐτοῖς, *Aut de una hac voce quâ clamavi stans inter eos*: ut sit sensus, *Si nihil aliud habent, vel hoc objiciant crimen.* Potest ἢ accipi pro *quàm*, cum quo vim

eandem

eandem habet aliquoties *nisi*: ut, *Nihil aliud habent nisi verba*; *Nihil aliud quàm verba*. Ac tum quidem oportet supplere quod ultro videtur consequi quæ dicta sunt, *Aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis. Sed non habent quod objiciant, nisi de una hac solummodo voce.*

22. *Certissimè sciens*] Ἀκριβέςερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ, *Cùm exactè nosset eam viam.* Abusus est comparativo vice positivi, ni referas ad Lysiam Tribunum, ut intelligamus Felici notiorem fuisse eam sectæ rationem quàm Lysiæ; quòd diutiùs fuisset apud Judæos magistratu functus.

23. *Et habere requiem*] Ἄνεσιν *relaxationem*: h. e. nè duriùs haberetur. ¶ *Nec quenquam de suis*] Καὶ μηδένα κωλύειν τῶν ἰδίων αὐτοῦ ὑπηρετεῖν ἢ προσέρχεσθαι αὐτῷ, *Et nè quem familiarium illius vetaret inservire aut adire eum*: ἰδίες enim vocat Pauli vel amicos familiares, vel ministros, vel discipulos. In nonullis Græcis codd. pro ἰδίων, Ἰεδαίων *Judæorum*. At altera lectio vel hoc nomine mihi magis probatur quòd cum nostra consentiat editione.

VATABLUS.

2. *Citato*] Vel *vocato*. ¶ *Corrigantur*] *Rectè gerantur in populo hoc.*

3. *Suscipimus*] Vel *comprobamus*. ¶ *Optime*] *Potentissime*, vel *præstantissime*. ¶ *Cum omni gratiarum actione*] i. De his omnibus gratiam agentes.

4. *Protraham*] *Impediam, morer.* ¶ *Breviter*] *Paucis.* ¶ *Clementia*] *Æquitate.*

5. *Hominem pestiferum*] *Virum pestem.* ¶ *Seditionem*] *Seditiones.* ¶ *In universo orbe*] i. Qui per totum orbem sparsi sunt.

6. *Violare*] *Profanare.* ¶ *Quem apprehensum*, &c.] *Quem & apprehendimus, à quo poteris*, &c. Sic legunt Vet. Quæ autem interjecta sunt, nempe *volumus*, &c. usque ad hæc verba, *A quo poteris*, &c. in Vet. non leguntur, neque in Græcis.

8. *Judicans*] *Inquisitione factâ.*

9. *Adjecerunt autem & Judæi, dicentes*] Vel *convenerat autem apud Judæos ut dicerent.*

10. *Satisfaciam*] Vel *causam dicam, respondebo.*

13. *Probare possunt tibi*] *Exhibere me possunt in his*; vel *me convincere possunt eorum.*

14. *Secundùm sectam*] *Juxta viam, vitæ institutum*; i. *vivendi rationem*, Heb. ¶ *Sic deservio*] Sub. *ut quisquam alius*: vel *sic*; i. ad hunc modum sequentem. ¶ *Patri & Deo*] *Patrio Deo*, Vet. i. quem majores nostri coluerunt.

16. *Sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper*] i. Ut judicio & divino & humano nihil in me reprehendi possit: vel, Ut neque Deum neque homines offendam ulla in re.

18. *In quibus*] *Cum quibus.*

20. *Quidam autem ex Asia*] Imperfectus sermo, qui sic supplendus esse videtur, *Quidam autem ex Asia Judæi eum tumultum concitarunt, non ego; qui si causam haberent in me justam, adessent utique*, &c. Alii supplent, *Quidam autem ex Asia Judæi*, sub. *invenerunt me.*

21. *Hi ipsi*) Sub. *qui hic adstant.*

22. *Nisi de una hac solummodo voce*] *quâ clamavi inter vos stans, Quoniam*, &c.] *Nisi fortè accusare me volunt, quod dixerim in concione, me ideo vocari in judicium, quòd resurrectionem esse dicerem.*

23. *Distulit autem*] *Auditis autem his distulit.* ¶ *Certissimè sciens de via hac*] *Cùm exactè nosset eam viam.* ¶ *Audiam vos*] *Pernoscam causam vestram.*

24. *Requiem*] *Relaxationem.* ¶ *Ei* *] * *Aut adire eum.*

26. *Castitate*] *Temperantiâ.* ¶ *Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno*] *In præsentia, abi: cæterum opportunitatem nactus.*

27. *Simul & sperans*] *Simul autem sperabat.* ¶ *A Paulo* *] * *Ut solveret ipsum.* ¶ *Frequenter*] *Frequentiùs.*

28. *Volens autem gratiam præstare*] Vel, *Rem gratam facere: voléns que gratificari*, Heb.

CASTALIO.

22. *Amplius pronunciavit*] *Judicium distulit.*

CLARIUS.

25. *Tremefactus Felix*] Cernis ut futuri Judicii memoria ac mentio etiam Gentilem virum perterrefaciat? Sed nihilominus etiam illud observes, Pecuniæ cupiditas quanto ad salutem sit hominibus impedimento: *Sperabat*, inquit, *quòd pecunia ei daretur à Paulo*, nec quærebat instrui potiùs quo pacto intrepidus staret ante illud tribunal cujus appellatio ità eum perterrefecerat; & tantâ re neglectâ, *frequentius accersebat Paulum*, lumen illud orbis terræ, & cum eo versabatur ob solam accipiendæ pecuniæ spem.

ZEGERUS.

3. *Et multa corrigantur per tuam providentiam, semper & ubique suscipimus, optime Felix*] Græca, ut modò quidem habent, dissident à nostris: ità enim legimus, καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας, πάντῃ τε καὶ πανταχοῦ ἀποδεχόμεθα, κράτιςε Φῆλιξ, i. *cùm præclara opera fiant in gente hac* (vel *officia præstentur genti huic*) *per tuam providentiam, penitus & ubique recipimus* (vel *probamus*, vel *commendamus*: & subaudiendum *tuam providentiam*) *præstantissime Felix.* Verùm cùm rem ipsam pressiùs intueor, mihi videre videor, ἀνορθωμάτων primum scriptum fuisse, ídque à scribis depravatum esse in κατορθωμάτων, aliquot etiam voculis aliunde adjectis: ut admodum probabile mihi fiat Interpretem nostrum legisse ad hunc modum, καὶ πολλῶν ἀνορθωμάτων γινομένων διὰ τῆς σῆς προνοίας, πάντῃ τε καὶ πανταχοῦ ἀποδεχόμεθα, κράτιςε Φῆλιξ, h. e. ut ad verbum reddam, *Et cùm multa correcta* (vel *erecta*) *fiant per tuam providentiam, & penitus & ubique suscipimus, optime* (vel *potentissime*) *Felix.* Atqui quòd etiam Chrysostomus legerit ἀνορθωμάτων, ex ipsius deprehendi potest interpretamento, ubi ait, *Vide quomodo hic statim ab initio quasi rerum novatorem & seditiosum calumniari vult, & Judicem laudibus præoccupat.* Ubi dum dicit, *seditiosum calumniari vult*, haud dubium quin respexerit ad id quod Tertullus ipse præmiserat, *cum in multa pace agamus per te*: dum verò dicit *rerum novatorem*, non video quò respexerit, nisi eum legisse agnoscas ἀνορθωμάτων, quod *res quæ corriguntur* signat, non κατορθωμάτων, quod *opera virtutis* vel *præclara facta* indicat. Nam quod subdit idem Chrysostomus, *& Judicem laudibus præoccupat*, quid, ἀποδεχόμεθα, κράτιςε Φῆλιξ, sit manifestat. Revolve ipsum Chrysostomum, & clariùs perspicies quod dico. Jam quod nos legimus *suscipimus*, fortè ab Interprete rectiùs *suspicimus*, scriptum fuit, i. admiramur ac veneramur; quod propriè est ἀποδεχόμεθα. Quanquam idem ferè & *suscipimus* signare potest. *Nonnulli enim* (inquit Erasmus in epist. 1. Hieronymi) *Græcos imitati suscipere dicunt pro approbare, quod illi ἀποδέχεσθαι.*

5. *Hunc hominem pestiferum*] In Græcis est λοιμὸν *pestem*, sed positum pro *pestilens*, quemadmodum & 1 Mach. 15: ἐπειδὴ ἄνδρες λοιμοὶ κατεκράτησαν τῆς βασιλείας, *quandoquidem viri pestilentes obtinuerunt Regnum.* ¶ *Autorem seditionis sectæ Nazarenorum*] Necdum ullum vidi codicem, sive calamo descriptum sive typis expressum, qui non habuerit utrumque, & *seditionis*, & *secta*: & tamen cùm unica vox sit Græcè αἱρέσεως, quæ signet utrumque, admodum probabile est alterum adjectum à studioso quopiam indicante interpretationem Græcæ vocis alteram; vel fortè ab ipsomet Interprete, qui hæsitans utrum esset præferendum, eligendi arbitrium reliquerit lectori vel scribæ: quod scriba non intelligens transcripsit utrumque, atque ità ad nos usque pervenit. Sentit de secta Christianorum.

6. *Quem & apprehensum voluimus*, & quæ sequuntur usque ad illud, *ad te venire*] Hæc tametsi ante annos circiter LX aut LXXX in paucissimis reperta sint exempl. Græcis, quæ tum erant corruptissima, nimirum Græcâ linguâ ad id temporis usque propemodum sepultâ, non sunt tamen adulterina æstimanda, maximè cùm sublata sermonem ac sensum planè reddant concisum & mutilum. Præterea enarrat hæc verba Chrysostomus, & Beda palàm testatur se eadem legisse in Græcis, licèt non in omnibus Latinis.

8. *A quo poteris judicans*] *A quo*, sub. *Lysia Tribuno*, *poteris* ἀνακρίνας, i. *dijudicans*, vel *inquisitione factâ*, *de omnibus istis cognoscere.*

14. *Secundùm sectam quam dicunt hæresim sic deservio patri Deo meo*] Beda advertens dissonantiam Græci sermonis cum Latino, *Meliùs*, inquit, *legitur in Græco*, SECUNDUM VIAM QUAM DICUNT HÆRESIM SIC DESERVIO PATRIO DEO. Constat tamen Veterem Interp. scripsisse *sectam*,

sectam; an verò *patri Deo meo* scripserit, an *patrio Deo*, non item. Nam unus atque alter codex cum Græcis habet *patrio*; Chrysostomus & Vulgaris lectio, *patri Deo*. *Meo* abest in multis. *Sectam* hic dicit genus vitæ, quod Paulus ex Hebraico idiomate hic ὁδὸν *viam* appellat, *Juxta viam*, inquiens, *quam dicunt αἵρεσιν*. Quod ità interpretando Apostolus vel sectam Pharisaicam notissimo vulgò vocabulo, juxta illud 26. 5. *Secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus*, vel (quod probabilius est) sectam vitámque Nazarenorum, i. Christianorum, cujus paulò superiùs tanquam autor accusatur, quam increduli *hæresim* nuncupabant, designat. *Patrio Deo*, i. quem majores nostri coluerunt nobísque colendum tradiderunt.

18. *Et apprehenderunt me clamantes, & dicentes, Tolle inimicum nostrum*] Hoc totum nuperam esse adjectionem arguunt Chrysostomus, Oecumenius, Beda, codices Græci pariter & Latini vetustiores; denique Lyranus ipse, & Hugo Cardinalis, qui hoc prorsus non attingunt. ¶ *Quidam autem ex Asia Judæi*, &c.] Non omnino sine suspicione sum, locum hunc non vacare mendo, tum propter obscuritatem, tum propter lectionis dissonantiam. Chrysostomus omissâ particulâ *autem* conjungit hæc cum superioribus, *Invenerunt me purificatum in Templo quidam Asiatici Judæi*. Poterit etiam subaudiri aliquid quod orationem reddat perfectam & cohærentem, ut sic dicatur, *Quidam autem* (vel, ut Græca sonare possunt, *Quinimo quidam*) *ex Asia Judæi, qui in me populum concitarunt, quos oportebat apud te præsto esse & accusare si quid haberent adversùm me, illi dicant & accusent. Aut quia illi absunt, hi ipsi*, Ananias videlicet cum Senioribus & Tertullo, *dicant si quid invenerunt in me iniquitatis*. Est præterea qui hoc pacto farciendum sermonem autumet, *Cæterùm quidam Asiani Judæi concitaverunt eum tumultum, non ego*: quod ut rectè quadrat cum illo quod suprà dicitur 21. 27. *Hi qui de Asia erant Judæi, cùm vidissent eum in Templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus*, ità non video quomodo aptè cohæreat cum illo quod hic subsequitur, *Aut hi ipsi dicant*; ut sileam interim quòd nec præcedentibus magnopere congruat.

21. *Nisi de una hac solummodo voce quâ clamavi*] Pro *nisi* Græcè est ἢ, quod quia nunc *aut*, nunc *quàm* sive *nisi* interpretari solet, dupliciter poterit hic locus accipi: Primò, sic, *Ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis. Sed non habent de quo me accusent, nisi de una hac solummodo voce quâ clamavi inter eos stans, nempe, De resurrectione mortuorum ego judicor: quod utique causa damnationis mihi esse non potest.* Aliter sic, *Ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis: aut ipse ego libere meipsum accuso de una hac tantummodo voce*, &c. *contestans hanc unam & omnem esse accusationis meæ causam.* Subest autem sermoni Aposiopesis, his quibus diximus modis declinanda.

27. *Biennio autem expleto*] Quo Paulus scilicet Cæsareæ detentus est.

L. BRUGENSIS.

6,7,8. Q*uem &* [*etiam* 1 MS.] *apprehensum voluimus secundùm legem nostram judicare. Superveniens autem Tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, jubens accusatores ejus ad te venire. A quo poteris ipse judicans de omnibus istis cognoscere*, &c.] Duo eorum Latinorum MSS. quibus Parisienses sunt usi, Di. I. Ge. I. *Quem apprehendimus, à quo poteris*, legunt, & quæ intermedia sunt tollunt. Sustulerunt eadem Latinus pervetustus codex, quem exhibuit enarratori cuidam Constantia, & Græca exemplaria quæ ille consuluit, uno dempto, in cujus spatio marginali minutissimis formulis adscripta fuerant. Quidam etiam Latini Bedæ codices hæc ipsa transfixerunt; *Quem & apprehendimus: à quo poteris*, legit Beda. Verùm habita ea fuisse in Græco & Latinis aliis testatur. Parisienses nulli Græcorum suorum exemplarium deesse signarunt. Nos in omnibus, quos vidimus, & Latinis & Græcis libris ea invenimus; quin & apud Syros & Græcos interpretes, Chrysostomum, Theophylactum atque Oecumenium, reperimus. Chrysostomus disertè explicat, Porrò non paucas eorum quibus hæc leguntur, tum Græcorum tum Latinorum, observavimus varietates. Septem nostra Latina MSS. legunt *volumus*, pro *voluimus*; quatuor habent, *Quem apprehendimus, & volebamus eum judicare secundùm legem nostram. Superveniens autem cum vi magna Lysias Tribunus eripuit eum de manibus nostris*; unum, *Quem & apprehendimus, & volebamus secundùm legem nostram judicare. Superveniens autem Tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris.* Notat quidam quosdam codices habuisse pro *superveniens*, *intercedens*; id quod ex altera est versione Græcæ vocis παρελθών. Græcè est, ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. παρελθὼν δὲ Λυσίας ὁ χιλίαρχος μετὰ πολλῆς βίας ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀπήγαγεν, *Quem & apprehendimus, & secundùm nostram legem volumus judicare. Superveniens autem Lysias Tribunus cum multa vi ex manibus nostris eripuit.* Theophylacti textus & Complutensis editio habent κρῖναι pro κρίνειν Complutensis editio βίᾳ πολλῇ pro μετὰ πολλῆς βίας tertiò, Complutensis editio, & quæ eam sequuntur, octavúsque Parisiensium codex, ἀφείλετο pro ἀπήγαγεν, sive, ut, in aliis est, ἀπήγαγε, habent: adduntque dein, Syrico textu concinente, quod alii libri non agnoscunt, καὶ πρός σε ἀπέστειλε *& ad te misit*; id quod ex Lysiæ ad Felicem epistola Act. 23. 30. acceptum videri possit, ex qua totum quidam sumptum esse conjectat. Sequitur in Complutensi, & quæ ex ea sunt editionibus, κελεύσας καὶ *jubens quoque*; Syrico & hac in parte respondente. Alia antigrapha κελεύσας, duntaxat, vel κελεύων ut nos Latinè, scribunt; perguntque, τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι ἐπί σε. ἐπί σε, pro quo Theophylactus habet ἐπὶ σοῦ, iterum dissonæ Hispanorum editiones tollunt, contra Syricum textum. In fine Græcum Parisiensium exemplar, ια signatum, pro παρ' οὗ, παρ' ὧν nostrum Latinum scriptum G notatum, pro *à quo*, *à quibus* legunt. Quæ omnes varietates loci veritatem in dubium possint vocare.

H. STEPHANUS.

1. Ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τοῦ Παύλου] *Qui significarunt præsidi* quæ haberent *adversùs Paulum*: vel se aliquid habere. Sic cap. 25. 2, & 15.

3. Πολλῆς εἰρήνης τυγχάνοντες διὰ σοῦ, καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς προνοίας] *Cùm multa pace per te fruamur, & succedant huic nationi quæ tuâ providentiâ geruntur*: vel *administrantur*.

5. Λοιμὸν] *Pestilentem.* ¶ Πρωτοστάτην] *Principem*: q. d. *antesignanum*.

6. Βεβηλῶσαι] *Profanare.*

9. Συνέθεντο] *Assenserunt* illis Tertulli verbis.

10. Εὐθυμότερον] *Alacriùs.*

12. Ἢ ἐπισύστασιν ποιοῦντα ὄχλου] *Aut me adjungentem alicui turbæ factâ coitione.*

13. Παραστῆσαι] *Manifesta facere.* Vel *probare*.

16. Ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν] *In eo autem me exerceo* (vel *elaboro*) *ut habeam conscientiam offendiculi expertem*: seu *offensa*. Vel potiùs, *Interim autem elaboro ut habeam*, &c.

17. Δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων] *Interjectis autem pluribus annis.*

20. Ἢ αὐτοὶ οὗτοι εἰπάτωσαν] *Alioqui hi ipsi dicant.*

22. Ἀνεβάλετο] *Rejecit in aliud tempus.*

23. Ἔχειν τε ἄνεσιν] *Et laxaretur.* Vel, *Remissiùs cum eo ageretur.*

27. Διετίας δὲ πληρωθείσης] *Biennio autem expleto.* ¶ Χάριν καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις] *Gratiam inire à Judæis.* Sonat autem *beneficium collocare apud Judæos*: legendo potiùs in singulari, ut etiam c. 25. 9.

DRUSIUS.

5. S*ecta Nazarenorum*] *Sectam* sive *hæresin* Syri vocant יולפנא *Julphana*, h. e. *doctrinam*, non דיולפנא *Dejulpana*, ut est in Annotationibus Theodori: quippe Daleth hoc in loco articulus est genitivi Syriacus, רשא דיולפנא *caput sectæ*, sive *hæreseos*, *Nazarenorum*: pro quo in Græco exemplari Ναζωραίων *Nazaræorum*. Dicunt etiam *Nazaræorum*. Varietas hæc orta ex vario sono puncti Cametz, quod modo per *a* modò per *o* exprimebant. Hinc *Corbona* & *Corbana*, *Odom* & *Adam*, & alia ejus generis. Mirum autem cùm sit *s* Sade in Scriptura Syriaca & Ebraica, literam illam per ζῆτα expressam esse. Quæ scriptura errandi causam præbuit multis qui *Nazaræos* cum *Nazaræis* confundunt, quos נזירים appellant. Utrùm autem per ludibrium ità vocati sint Christiani, nescio: hoc scio, nomen *Nazaræorum* antiquius esse. Nam *Discipuli primùm Antiochia dicti sunt Christiani*; priùs *Nazaræi* vocabantur: quod nomen adhæsit iis qui Mosen cum Christo conjungebant; quos Hieronymus *Semichristianos & Semijudæos* appellat. Hodie Judæi Christianos vocant נוצרים *Notserim*, & גוים, i. *Gentes*: unde גוי *Christianus*, ut גויה *Christiana*: cujus loco aliquando substituunt כותי *Samaritanus*, & עו״ז, h. e. *cultor deorum falsorum*, *idololatra*.

14. *Sectam quam dicunt haeresin*] *Sectam* Ebraei כת vocant, *haeresin* מינות: quae sic differunt ut *haeresis* non ponatur nisi in vitio; ut cùm Saducaeos & Baithusaeos appellant מינים *haereticos*. Moses Aegyptius exstimat hoc nomen tantùm hisce sectis tribui: sed fallitur. Nam etiam Christiani vocantur ab iis מינים *haeretici*: unde *Minaeorum* nomen apud Hieronymum. Nam dicebant מינאי *Minai*, unde *Minaeus*, & pluraliter מינאי *Minaei*. Quibus ter in die sub nomine *Nazaraeorum* maledicunt. *Sectas* vocant כתות: quae olim tres fuerunt in ea gente, de quibus nos peculiarem librum edidimus. Proinde legimus in eorum monumentis *secta Pharisaeorum*, *secta Hessaeorum*, etiam *secta Saducaeorum*, quae aliis מינות *haeresis* dicebatur: nam talis habebatur à populo, qui Pharisaeos sequebantur. Nondum legi, quod sciam, *haeresis Hessaeorum*. In Novo quidem Federe invenies *haeresis Pharisaeorum*: sed tunc nomen illud non adeò erat odiosum ut nunc: deinde *haeresis* idem ibi est quod *secta*; nam Synonyma sunt. מינות de Pharisaeis non memini legere: erat enim exactissima sectarum Judaicarum, in qua & Apostolus noster institutus fuit ad pedes Gamalielis. *Secta* igitur erat, non *haeresis*, ut accipitur id nomen 1 Cor. 11. 19. *Oportet & haereses esse*: & Tit. 3. 10. *Haereticum post unam atque alteram admonitionem devita*, i. מין, aut מינ.

15. *Quam & ii ipsi exspectant*] Ergò Pharisaei eo tempore credebant *resurrectionem cùm justorum tum injustorum*, h. e. improborum. Quam opinionem posteriores Judaei in dubium vocarunt, aliis justos tantùm, aliis justos cum improbis quibusdam resurrecturos contendentibus: quod probant primùm ex Dan. 12. 2. ubi scriptum *multi*, non *omnes*; deinde ex Davide malè percepto & intellecto, Psal. 1. 5. *Ideo non resurgent improbi in judicio*, cùm sequatur, *neque peccatores in coetu justorum*. Aliud *resurgere* simpliciter, & aliud *resurgere in coetu justorum*. Nè dicam quòd locus ille transferri possit, *Ideo non consistent improbi in judicio*, q. d. *non stabunt*, *sed cadent causâ*. His accommodant dictum illud vetus, *Resurrectio non est omnium*, *sed justorum duntaxat*. Quod tamen eos parùm aut nihil juvat: nam ibi non est תקומה ἀνάστασις, sed תחיה ἀναβίωσις, quae propriè *resurrectionem ad vitam* designat. Intelligens intelligit quid velim.

GUALTPERIUS.

1. Ῥήτορος, *Rhetoris*] Vel *Oratoris*. Hanc vocem Graecam esse omnes norunt. Retinet autem etiam eandem Syrus רהטרא *Rehetara*.

5. Πρωτοστάτην τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, *principem sectae Nazarenorum*] Ut suprà 5. 17. ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων, & 15. 5. οἱ ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων· & hoc cap. v. 13. ἣν λέγουσιν αἵρεσιν & 26. 5. ἀκριβεστάτην αἵρεσιν Gal. 5. 20. διχοστασίαι, αἱρέσεις, &c. Est autem vox αἵρεσις Graeca, descendens ex verbo αἱρέομαι, quod in activa significatione accipitur pro *capio*, *sumo*, *capesso*; interdum *eligo*. Budaeus interpretatur etiam per *anteponere & pluris facere*, conjunctum cum ἀντὶ, ut Eth. 9. ἀντὶ πάντων αἱρούμενος τὸ καλὸν item cum praepositione πρὸς & genitivo, Herod. πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται; *bellum paci praefert*. Plut. ἡσυχίαν πρὸ τιμῆς αἱροῦμαι, *quietem honori antefero*. Reperitur etiam cum genitivo sine alterutra harum praepositionum, ut αἱροῦμαι ζωὴν θανάτου, *praefero vitam morti*. Exponitur etiam per *malle* constructum cum praepos. ἀντὶ & πρὸ, Xenoph. τόν δε καὶ πρὸ δέκα μνῶν ἑλοίμην, *hunc malim quam decem minas*. Interdum αἱροῦμαι capitur pro βούλομαι. Hinc αἵρεσις, quae sig. 1. *conditionem*, 2. *voluntatem & propositum*, 3. *sectam*. Cùm Philosophis tribuitur, exponunt *opinionem de aliquo dogmate firmatam*: quales αἱρέσεις à quibusdam decem solent enumerari, inter quas praecipuae fuerunt Academica, Peripatetica, Stoica, Epicurea. Apud scriptores Ecclesiasticos αἵρεσις sig. *dogma pravum de iis quae ad religionem pertinent*. Unde Αἱρετικοὶ *pravi alicujus dogmatis sectatores*. Αἱρεσιάρχης & Αἱρεσιάρχος, *haeresis*, vel *secta*, *autor*, seu princeps Αἱρεσιομάχος, *haeresis*, vel *secta propugnator*. Syrus h. l. habet ריש הו גיר דיולפנא דנצריא, *Princeps enim est doctrinae Natzaraeorum*.

LUD. CAPPELLUS.

24. Ὁ Φῆλιξ σὺν Δρουσίλλῃ, &c.] Fuit haec Drusilla Herodis Agrippae (cujus mors suprà descripta est cap. 12. 23.) filia, quam pater collocaverat Azizo Emessenorum Regi; sed cùm eam ob formae elegantiam Felix deperiret, ab eo per Simonem quendam Cyprium Judaeum Agrippae amicum solicitata & ad nuptias suas invitata priorem maritum deseruit, & calcatâ patriâ religione Felici Romano nupsit. Haec Josephus lib. 20. Antiqu. c. 5. Vide & sequentem annotationem.

GROTIUS.

Μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας, *Post quinque autem dies*] In Manuscripto, κατὰ δέ τινας ἡμέρας, [*post dies aliquot.*] ¶ Κατέβη, *descendit*] Ab Hierosolymis mare versùs qui eunt, *descendere* dicuntur. ¶ Ἀνανίας μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, *Ananias cum Senioribus*] Meliùs Manuscriptus, Μετὰ πρεσβυτέρων τινῶν, *cum aliquibus è Senatu*. Supra 23. 14. ¶ Καὶ ῥήτορος Τερτύλλου τινὸς, *& Tertullo quodam Oratore*] Homine Romano, qui & linguam Romanam & actionum formulas meliùs nosset. Ῥήτωρ Graecis est *Orator*: Latini eam vocem Graecam magis de *dicendi magistris* usurpant, quos Graeci σοφιστὰς vocant. ¶ Οἵτινες ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι. *qui adierunt Praesidem*] Ἐμφανίζειν, est *indicium facere*, ut vidimus supra 23. 15, 22. & Esther 2. 22. In Glossario, ἐμφανίζω, *allego*, *intimo*. Quare hic sensum esse arbitror, *Accusationem attulere*, *Reum egere Paulum*, *Inscripsere in criminis more Romano*.

2. Κληθέντος δὲ αὐτοῦ, *& citato eo*] Id est, *adduci jusso*. Nam sub militari custodia servabatur.

3. Πολλῆς εἰρήνης τυγχάνοντες διὰ σοῦ, *Cùm in multa pace agamus per te*] Inter praecepta Rhetorica est Judicem laudando sibi benevolum reddere, quod nec Paulus ignoravit, ut apparet infra 10, & 26. 2, 3. Vide Ciceronis exordia pro Roscio Amerino, pro Milone, & alia. Ambrosius libro 6. de Sacramentis capite ultimo, *Unde & Oratores isti sapientes hanc disciplinam, ut Judicem fautorem sibi praestent: incipiunt enim à laudibus ejus, ut benevolum sibi faciant cognitorem.* ¶ Καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας, *& praeclara opera fiant in Gente hac per tuam providentiam*] Meliùs Manuscriptus, διορθωμάτων. Κατόρθωμα apud Philosophos, ut Cicero nos docet, est *factum exactum ad perfectissimam sapientiae regulam*; sed voce διορθωμάτων significatur, *multa à Felice in rebus ad Judaeos pertinentibus fuisse in melius restituta*: nam hoc est διορθοῦν, Hebraeis תקן [*rectè disponere*] & ita accepit Syrus.

4. Ἵνα δὲ μὴ ἐπὶ πλεῖόν σε ἐγκόπτω, *Ne diutius autem te protraham*] In Glossario, ἐγκόπτω, *impedio*: & ita sumit Paulus Rom. 15. 22. Gal. 5. 7. 1 Thess. 2. 18. Impedit autem à negotiis Praesidem, qui diu alloquendo eum detinet. Est & hoc inter Rhetorica artificia, polliceri se brevem fore, praesertim apud occupatos. ¶ Τῇ σῇ ἐπιεικείᾳ. *pro tua clementia*] *Ea humanitate quâ soles*. Solent conjungi ἐπιείκεια [*aequitas*] & πραότης [*clementia.*] Intelligitur hic *facilitas & patientia in audiendo*.

5. Εὑρόντες γὰρ τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμὸν, *Invenimus enim hunc hominem pestiferum*] Sic Cicero dixit, *pestem civitatis*, pro Rabirio: *pestem patriae*, pro Sestio: *pestes imperii*, pro Deiotaro. Καὶ κινοῦντα στάσιν πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις κατὰ τὴν οἰκουμένην, *& concitantem seditiones omnibus Judaeis in universo orbe*] Idem sensus qui supra 17. 6. ¶ Πρωτοστάτην τε, *& auctorem*] In Glossario πρωτοστάτης, *princeps*. Sic vocantur qui in arte, qui in convivio, qui in judicio aut re quavis alia primatium locum obtinent. Sic Cyprianus in sententia proconsulari dicitur *auctor iniqui nominis & signifer*. ¶ Τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, *sectae Nazarenorum*] Ita in Judaea vocabantur qui extra Judaeam Christiani, nempe à Domino ipsorum Jesu *Nazareno*. Et sic hodie quoque Judaei & Mahumetistae Christianos appellant. Vide quae diximus ad initium Matthaei.

6. Ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι, *Qui etiam templum violare conatus est*] Introductis alienigenis. Falsum crimen. ¶ Ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, *& apprehensum*] Recta locutio fuerat, αὐτὸν ἐκρατήσαμεν, *ipsum apprehendimus.*] Alioqui est ἀνακόλουθον [*inconsequens*,] nec illud εὑρόντες [*invenimus*] verbum habet quod ei respondeat. Sed similia passim apud bonos auctores reperiuntur, maximè verò apud nostros. Simile quid notavimus Eph. 1. 13. ¶ Καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. *voluimus secundùm legem nostram judicare*] Nempe tanquam eum qui alienigenas in Templum induxisset: in quo crimine capitalis poenae ipsis permissa erat executio, ut diximus supra 21. 28.

7. Παρελθὼν δὲ Λυσίας, *Superveniens autem Lysias*] Idem quod ἐπιστὰς supra 23. 27. Scholiastes Thucydidis, Ἐπελθόντες, ἐπὶ ξένων παρελθόντες, ἐπὶ ἰδίων [*Advenientes*, *de hospitibus*; *accedentes*, *de suis dicitur.*] Alibi, Ἐπέρχεται ὁ ξένος. παρέρχεται ὁ πολίτης [*Advenit peregrinus*, *accedit civis.*] Idem, Τὸ παρελθεῖν, τὸ αὐτίκα δηλοῖ [*Accessisse*, *hoc denotat extemplo accessisse.*] Sic & Athenaeus, Αὐλῳδοὶ δὲ παρῆλθον [*Ingressi sunt autem*

autem tibicines.] ¶ Βίᾳ πολλῇ ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀφείλετο. *cùm vi magna eripuit eum de manibus nostris*] Vim vocant o-[pe]rem vim prohibentis.

8. Κελεύσας καὶ τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι, *Jubens accusatores ejus venire*] Supra 22. 30. ¶ Παρ᾽ οὗ, *à quo*] Nempe Paulo. ¶ Δυνήσῃ αὐτὸς ἀνακρίνας, *poteris ipse judicans*] *Quæstione habita per tormenta:* ita rectè accepit hic Syrus.

9. Συνέθεντο δὲ καὶ οἱ Ἰουδαῖοι, *Adjecerunt autem & Judæi*] Ananias & Senatores Oratoris sui dicta approbabant. in Glossario συντίθημι, συναινῶ [*approbo.*] Pausanias, Ἀῤῥιανῷ μὲν οὖν ἔγωγε οὐδαμῶς κατά γε τοῦτο συνθήσομαι [*Arriano equidem hac in parte nullatenus assentior.*]

10. Νεύσαντος αὐτῷ τοῦ ἡγεμόνος λέγειν *annuente sibi Præside dicere*] Potestate loquendi ei facta. Vide supra 21. 39. & 26. 1. ¶ Ἐκ πολλῶν ἐτῶν, *Ex multis annis*] Gesta enim hæc sub finem procurationis hujus Felicis: ut patet infra c. 26. ¶ Ὄντα σε κριτὴν, *te esse Judicem*] Id est, *Rectorem.* Nam שפט, κρίνειν Hebræis est etiam *regere.* ¶ Τῷ ἔθνει τούτῳ, *genti huic*] Judææ, Galilææ, Samariæ, Perææ, Josephus Belli Judaïci 2. 21. Nam Agrippa habebat Batanæam, Trachonitidem, Gaulonitidem, & regnum Lysaniæ & præfecturam, quam Varus addiderat. ¶ Εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι *bono animo pro me satisfaciam*] Reo convenit, vultu ac verbis præ se ferre fiduciam.

11. Δυναμένου σοῦ γνῶναι, *Potes enim cognoscere*] Ex testibus. ¶ Ὅτι οὐ πλείους εἰσί μοι ἡμέραι ἢ δεκαδύο, *quia non plus sunt mihi dies quàm duodecim*] Vide supra 21. 27. ¶ Ἀφ᾽ ἧς ἀνέβην, *ex quo adscendi*] Ab hac urbe Cæsareæ. ¶ Προσκυνήσων εἰς Ἱερουσαλήμ. *adorare in Jerusalem*] Non profanaturus Templum, sed Deum veneraturus cum Judæis cæteris.

12. Καὶ οὔτε ἐν τῷ ἱερῷ εὗρόν με πρός τινα διαλεγόμενον, *Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem*] Non hoc dicit, quod crimen esset in Templo, postquàm à sacrificiis vacabatur, aut in Synagogis, aut inter eundem per vias publicas de Legis & Prophetârum sensu disputare: sed quò longius omnem criminis speciem à se amoveat. ¶ Ἢ ἐπισύστασιν ποιοῦντα, *aut concursum facientem*] *Concursum*, contra Leges Romanas. Συστροφὴν supra 19. 40: nam קשר vertitur συστροφή, Jud. 14. 8. & ἐπισύστασις, Num. 16. 40. Sic & Num. 26. 9. בהצתם vertitur ἐν ἐπισυστάσει αὐτῶν [*in conjuratione eorum.*]

13. Οὔτε παραστῆσαι δύνανταί περὶ ὧν νῦν κατηγοροῦσί μου. *Neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant*] Παρίστασθαι propriè est, *hominem exhibere*, ut supra 9. 41. & 23. 33. Impropriè ad res transfertur, & significat *ostendere.* Sic ἀνδρίαν παρίστασθαι apud Plutarchum: δόξαν παρίστασθαι apud Platonem. *Non possunt probare quod intendunt*, nempe aut *seditionem à me excitatam*, aut *alienigenas deductos in Templum.* Quod hic est παραστῆσαι [*probare*] infra est ἀποδεῖξαι [*demonstrare.*] 15. 7. Accusatore autem non probante, reum absolvi necesse est.

14. Ὁμολογῶ δὲ τοῦτό σοι, *Confiteor autem hoc tibi*] Id fatetur quod ad Dei honorem maximè pertinebat, & apud æquum Judicem nocere ei non poterat, Nempe *esse se secta ejus quæ Nazaræorum dicebatur*, non tamen contemptorem aut Dei, aut Legis, aut popularium. ¶ Κατὰ τὴν ὁδὸν, *secundum viam*] דרך [*institutum vitæ.*] Ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, *quam dicunt hæresin*] Est enim hæc vox non minùs quàm illa Hebræa significationis mediæ, ut apparet supra 5. 17. & 15. 5. & infra 26. 5. Ita Josephus usurpat de *Judæorum sectis:* de *Philosophorum* Græci: de *Medicorum* Galenus. ¶ Λατρεύω, *deservio*] עבד. ¶ Τῷ πατρῴῳ Θεῷ, *patrio Deo*] Deo Patrum, Abrahami, Isaaci, Jacobi, & cæterorum à quibus ortum duco. Vide supra 3. 13. & 5. 30. & 7. 32. & 22. 14. ¶ Πιστεύων πᾶσι τοῖς κατὰ τὸν νόμον καὶ ἐν τοῖς Προφήταις γεγραμμένοις· *credens omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt*] Vide infra 26. 22.

15. Ἐλπίδα ἔχων εἰς τὸν Θεὸν, ἣν καὶ αὐτοὶ οὗτοι προσδέχονται, ἀνάστασιν μέλλειν ἔσεσθαι *Spem habens in Deum, quam & ii ipsi exspectant, resurrectionem futuram*] Vide supra 23. 6. Ἐλπὶς Hellenistarum respondet sæpe Hebræo בטח vel מבטח [*fiducia;*] ideoque post se recipit εἰς vel ἐπὶ [*in*] cum accusativo. *Fiduciam hanc in Deo habeo, futuram resurrectionem eam quam & isti exspectant.* ¶ Δικαίων τε καὶ ἀδίκων, *justorum & iniquorum*] Quæ melior erat inter Judæos sententia, à Christo probata Joh. 5. 29. Matth. 25. 31. & sequentibus. Nota præcipuum hoc esse fidei objectum.

16. Ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ, *In hoc & ipse studeo*] *Propter hoc*, est propter hanc fiduciam. Ἀσκῶ, *exerceo*, nempe *memetipsum:* quod apud Hellenistas sæpe subauditur, quia Hebræi sæpe pro reciprocis usurpant modò activa, modò passiva. ¶ Ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχων πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους, *sine offendiculo conscientiam habens ad Deum & ad homines*] Meliùs alii codices ἔχειν [*habere.*] *Exerceo me propter illam spem, ut conscientiam servem eam quæ nec Deum nec homines offendat.* Vide supra 23. 1. Vox ἀπρόσκοπος [*sine offendiculo*] est & apud Sirachidem 32. 22. apud Paulum 1 Cor. 10. 32. Philip. 1. 10. πρόσκοπή & πρόσκομμα respondent Hebræis נגף & מכשול quæ id significant, quod Latinum *offensa.*

17. Δι᾽ ἐτῶν δὲ πλειόνων, *Post annos autem plures*] *Post annorum aliquot absentiam:* sic διὰ [*post*] habemus Galat. 2. 1. & alibi. ¶ Παρεγενόμην, *veni*] *Veneram Hierosolyma.* ¶ Ἐλεημοσύνας ποιήσων εἰς τὸ ἔθνος μου, *eleëmosynas facturus in gentem meam*] Tantum abest ut nocere, ultro prodesse ipsis volui. ¶ Καὶ προσφοράς. *& oblationes*] Tantum abest ut Deum aut Legem contempserim, obtuli victimas & alia legitimo ritu.

18. Ἐν οἷς, *in quibus dum occupor.* ¶ Εὗρόν με ἡγνισμένον, *invenerunt me purificatum*] נזיר, *in casto*, abstinentem à vino aliisque rebus à quibus Nazaræi abstinent. Vide supra 21. 24, 26. ¶ Οὐ μετὰ ὄχλου, *non cum turba*] Sine concursu. Vide supra 12. ¶ Οὐδὲ μετὰ θορύβου, *neque cum tumultu*] Sine vi. In Glossario, θόρυβος, *tumultus, turba.* Vide Matth. 26. 5. & 27. 24. Marci 5. 38. & 14. 2. Act. 21. 24. Respondet Hebræo מהומה & שאון. *Nec de vi publica, nec de privata teneor.* ¶ Τινὲς δὲ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι, *quidam autem ex Asia Judæi*] Supra 21. 27.

19. Οὓς ἔδει ἐπί σου παρεῖναι καὶ κατηγορεῖν εἴ τι ἔχοιεν πρὸς με· ἢ αὐτοὶ οὗτοι εἰπάτωσαν, *Quos oportebat apud te præsto esse & accusare, si quid haberent adversùm me; aut hi ipsi dicant*] Hæc postrema per parenthesin legenda.

20. Εἴ τι εὗρον ἐν ἐμοὶ ἀδίκημα, *si quid invenerunt in me iniquitatis*] In Manuscripto, τί εὗρον [*quid invenerunt,*] interrogativè. Optimè sic sensus cohæret, *Quid maleficii*, inquit, *in me probarunt, cùm apud Synedrium res acta est?* ¶ Ἢ περὶ μιᾶς ταύτης φωνῆς, ἧς ἔκραξα ἐν αὐτοῖς· Ὅτι περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι σήμερον ὑφ᾽ ὑμῶν. *Nisi de una hac solummodo voce quâ clamavi inter eos stans, Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis*] Nisi hoc crimen esse volunt, quod palàm professus sum credere me mortuos à Deo posse resuscitari.

22. Ἀνεβάλετο αὐτοὺς, *distulit illos*] Optimè vertunt qui vertunt, *Ampliavit eos.* Loquitur sic Cicero pro Cæcina, & tertiâ Verrinâ. Livius libro 4. Sollennis vox Judicis diffindentis erat *Amplius*, supple *cognoscendum.* Meminit Cicero Bruto, Asconius ad tertiam Verrinam, Donatus ad Eunuchum. ¶ Ἀκριβέστερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ, εἰπών· Ὅταν Λυσίας ὁ χιλίαρχος καταβῇ διαγνώσομαι τὰ καθ᾽ ὑμᾶς. *Certissimè sciens de via hac dicens, Cum Tribunus Lysias descenderit audiam vos*] Sequor eos qui εἰπὼν hic inter media verba censent interponi, hoc sensu, *Ubi exactiùs didicero quid sit de hac secta, & ubi Lysias venerit, causam istam terminabo.* Nam διαγνώσκειν est *definire causam;* διὰ enim in compositione sæpe *consummationem* significat. Statum hujus controversiæ videbat Felix partim esse legalem, partim inficialem. Legalis erat, An secta Nazarena esset contra Legem Judæorum: Inficialis, An Paulus concursum aut tumultum concitâsset. De priore audiendi erant complures viri eruditi, præter accusatores: at de altero testis certus erat ipse Lysias. Quare meritò interlocutus est Felix.

23. Διαταξάμενός τε τῷ ἑκατοντάρχῃ, *Jussitque Centurioni*] Alicui centurioni ex Cæsareensibus. ¶ Τηρεῖσθαι τὸν Παῦλον, *custodire Paulum*] Neque enim ante absolutionem planè dimitti poterat. L. Neque. D. de custodia reorum. ¶ Ἄνεσιν ἔχειν, *& habere requiem*] Nempe à vinculis. In Glossario ἄνεσις, *laxatio.* ¶ Καὶ μηδένα κωλύειν τῶν ἰδίων αὐτοῦ ὑπηρετεῖν ἢ προσέρχεσθαι αὐτῷ. *nec quenquam de suis prohibere ministrare ei*] Hoc pro dignitate personæ constituit, quia civem Romanum esse intellexerat. L. 1. D. de custodia reorum, dicto jam titulo.

24. Παραγενόμενος ὁ Φῆλιξ, *veniens Felix*] Nam exierat ad uxorem accersendam. ¶ Σὺν Δρουσίλλῃ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ οὔσῃ Ἰουδαίᾳ, *cum Drusilla uxore sua quæ erat Judæa*] Hæc soror Agrippæ, relicto contra Legem marito Azizo Emesenorum Rege circumciso, Felicem hominem incircumcisum, sui amore tactum, secuta, nuptias cum eo fecerat. Josephus 20. & Annalium 6. Erat autem hæc ipsa Drusilla neptis Antonii & Cleopatræ, teste Tacito Historiarum 5. Vide quæ dicta supra 23. 24. ¶ Μετεπέμψατο τὸν Παῦλον, *vocavit Paulum*] *Adduci jussit*, ut supra 2. ¶ Περὶ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως *fidem quæ est in Christum*] Ut priorem partem sui in hac re officii exsequeretur.

25. Διαλεγομένου δὲ αὐτοῦ περὶ δικαιοσύνης καὶ ἐγκρατείας, *Dispu-*

Disputante autem illo de justitia & castitate] Quæ duo, præter Dei cultum, Religio Christiana exigit in summo gradu, Tit. 1. 8. & 2. 12. ¶ Καὶ τοῦ κρίματος τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι, *& judicio futuro*] Etiam in malos: supra 15. ¶ Ἔμφοβος γενόμενος ὁ Φῆλιξ, *tremefactus Felix*] *Metuens sibi*, si res sic se haberet: conscius sibi vitæ flagitiosæ, ut Tacitus nos docet Annalium 12. Non erat justi hominis, *servili ingenio*, id est, *per omnem sævitiam ac libidinem exercere jus regium*: quod de eodem Felice dicit Tacitus Historiarum 5: non erat continentis, à marito nolente uxorem abducere. ¶ Τὸ νῦν ἔχον πορεύου *Quod nunc attinet, vade*] Id est, *ut nunc se res habent, abeas*. Non vaco nunc ejusmodi dissertationibus.

26. Ἅμα δὲ καὶ ἐλπίζων ὅτι χρήματα δοθήσεται αὐτῷ ὑπὸ τοῦ Παύλου, *Simul & sperans quòd pecunia ei daretur à Paulo*] Nempe quia & civem Romanum esse intellexerat, & principem sectæ multorum millium. Pertinebat & hoc ad servile illud ingenium, eratque contrarium tum Hebræis legibus, Exod. 23. 8. Deut. 16. 19. tum & Romanis, Lege 1. 3. & 4. D. ad Legem Juliam Repetundarum. ¶ Διὸ καὶ πυκνότερον αὐτὸν μεταπεμπόμενος, *propter quod & frequenter accersens eum*] *Sæpius ad se adduci jubens*: ut supra 24. 24. infra 25. 6. ¶ Ὡμίλει αὐτῷ. *loquebatur cum eo*] *Colloquebatur cum eo*. מלל אליו.

27. Διετίας δὲ πληρωθείσης, *Biennio autem expleto*] *Biennio reatûs Pauli expleto*. ¶ Ἔλαβε διάδοχον ὁ Φῆλιξ Πόρκιον Φῆστον *accepit successorem Felix Porcium Festum*] Vide Josephum Antiquæ Historiæ 20. 7. & Belli Judaïci 2. 24. ¶ Θέλων τε χάριτας καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις ὁ Φῆλιξ, *Volens autem gratiam præstare Judæis Felix*] *Gratificari volens Judæis*, ut innocentis incommodo iras populi redimeret. Qua de causa Pilatus quoque Christum supplicio affecit. Multa sæva & iniqua in Judæos patraverat Felix, quorum accusatus apud Neronem, per fratris Pallantis potentiam pœnæ ereptus est, teste Josepho Antiquæ Historiæ 20. 7. χάριν καταθέσθαι [*gratiam præstare*,] locutio est bene Græca, Demostheni quoque usitata & Xenophonti: quales locutiones non paucas habet Lucas, ubi non alios inducit loquentes, sed ipse loquitur, & quidem de rebus ad religionem non pertinentibus.

P R I C Æ U S.

Com. 1. ΟΙ τινες ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι] Beza, *qui comparuerunt coram Præside*: bene longè à Lucæ mente. Meliùs Vulgatus, *qui adierunt Præsidem*. At certum est ἐμφανίζειν hîc μηνύειν esse, vel, *indicium facere*: & hinc apud Græcos φανοὶ, *delatores criminum*, *sycophantæ*. Scholiastes ad Aristophanis Equites, Φανὸς ὁ καταγγέλλων καὶ φανερὸν ποιῶν τὰ πράγματα, καὶ μηνύων. ἢ ἀπὸ τοῦ φαίνειν, ὅ ἐστι συκοφαντεῖν.

Com 3. Πολλῆς εἰρήνης τυγχάνοντες διὰ σοῦ] Εἰρήνην significatione suâ (id est, communi) hîc sumendum existimem: neque de pace Romano orbi ab ipso Cæsare conciliata hîc Paulum loqui, sed de tranquillitate illarum regionum procurata à Felice, quem hoc elogio Tertullus iste non incongruè aucupabatur; quæ enim boni Præsidis vel laus vel nota illustrior? Ulpianus l. 13. de Off. Præsid. *Congruit bono & gravi Præsidi ut pacata Provincia sit.* Symmachus 9. 67. *Quiete Provinciæ, & vigoris tui laude delector.* Cælius ad Ciceronem Bithyniæ Proconsulem, Famil. 8. *Quâ tu curâ sis, quod ad pacem Provinciæ tuæ finitimarùmque regionum attinet, nescio. Ego quidem, &c.* Et Cicero ad Q. Fratrem idem munus obeuntem, *Sublata Mysiæ latrocinia, cædes multis locis repressas, pacem totâ Provinciâ constitutam.* Philo in de Legat. Τί ἄμεινον εἰρήνης; εἰρήνη δὲ ἐξ ἡγεμονίας ὀρθῆς φύεται. Et Paulus 1. 2. 2. ad Timotheum, ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον, non tantùm Regum beneficium agnoscit, sed & ἐν ὑπεροχῇ ὄντων quâ locutione Præsides, Proconsules, &c. comprehendi dubitandum non est. De tranquillitate publica Principibus Potestatibusque summis immediatè adscripta, diximus (Dei veniâ) ad Pauli prædictum locum: quò multa hujus materiæ prudentes scientésque rejecimus, non ut hîc locum ineptè, sed minùs propriè habitura.

Ibid. Καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας] Τῷ ἔθνει τούτῳ est *genti Judæorum*. In MS. Regio est διορθωμάτων ut sensus sit, *multa in melius restituta*: cui proximè accedunt quæ hîc Vetus, *per te multa corrigantur*: & hæc Trajani ad Plinium 10. 31. *Meminerimus idcirco te in istam Provinciam missum, quoniam multa in ea emendanda apparuerint.* Nec tamen quæ obtinuit lectionem inquietari velim: nam & πρόνοιαν cum voce κατορθοῦν Polybius junxit, Ὡς δι' αὐτὸν (inquit) καὶ τὴν ἰδίαν πρόνοιαν κατωρθωκώς· & κατορθώματα heic laxè forsan pro *beneficiis* ponuntur. Apuleius in Floridorum fragmentis, itidem Proconsulem alloquens, ab hac non multùm abeunte compellatione utitur, *Bonitatis tuæ diligunt plerique fructum, ego studium: id quod facere adorsus sum,* (hoc est, *id quod facio*) *dum moderationem tuam in Provincialium negotiis contemplor: quâ effictim amare te debent experti propter beneficium, expertes propter exemplum: nam & beneficio multis commodasti, & exemplo omnibus profuisti.* Πρόνοιαν Recentior hîc *prudentiam* vertebat; quod & hoc Athenagoræ loco aliquà defendi posset, Ἡ οἰκουμένη ... τῇ ὑμετέρᾳ συνέσει (Impp. M. Aurel. & Commodum alloquitur) βαθείας εἰρήνης ἀπολαύει. At quid opus recedere à Veteri, qui *providentia*? quâ voce nec alia rectior, nec in proclivi magis: imò quam & Seneca posuit simillimo argumento, *Confitebitur*, inquit, (Philosophus nempe) *multum se debere ei cujus administratione ac providentiâ contigit illi pingue otium, & arbitrium sui temporis.* Epist. 74. Agit Seneca ibi de beneficiis Principum & Magistratuum. De Hannibale Diodorus Siculus in Excerptis, Τὸ στράτευμα, &c. διὰ τῆς ἰδίας προνοίας ἐν ὁμονοίᾳ καὶ συμφωνίᾳ διετήρησεν.

Ibid. Καὶ κατορθωμάτων γινομένων, &c. διὰ τῆς σῆς προνοίας, πάντῃ τε καὶ πανταχοῦ ἀποδεχόμεθα μετὰ πάσης εὐχαριστίας] Simillimè apud Josephum illi, Εὐχαρίστησαν καὶ Δαβίδῃ περὶ πάντων ὧν αὐτῷ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος ἀπέλαυσαν. Πάντῃ καὶ πανταχοῦ etiam Idem 2. in Appionem dixit. At Vetus πάντοτε hîc legit, quod non spernendum, *Semper* (inquit) *& ubique agnoscimus, &c.* Sic alii locuti. Petronius, *Ego sic semper & ubique vixi, ut, &c.* Guntherus Ligur.

——Semper cunctis, & ubique timetur.

Apuleius 3. Florid. *Semper adeò, & ubique vos celebro.* Ibidem, *Duplam ergò gratiam vobis debeo, imò enimvero multijugam quam equidem ubique & semper prædicabo.* Iterum, *Laudes benefacti tui ubique gentium semper annorum repræsentes.* Gellius 13. 27. *Semper, atque in omni loco* dixit. Sic ἀεὶ καὶ πανταχοῦ Simplius in cap. 38. Epicteti, & Aristoph. in Equitibus,

* Πανταχοῦ νικῶντες ἀεὶ τήνδ' εὐδαιμονεῖν πόλιν

Ausonius Panegyrico, *Usque gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in cœtu hominum, tum ipse mecum & cùm voce patui, & cùm meditatione secessi: omni loco, actu, habitu, & tempore.* Quid πάντοτε καὶ πανταχοῦ μετ' εὐχαριστίας ἀποδέχεσθαι nemo unquam exactiùs circumloquutus.

Com. 4. Ἵνα δὲ μὴ ἐπὶ πλεῖόν σε ἐγκόπτω]

—— Nè te longis ambagibus ultrà
Quàm satis est morer. ——
—— Nè te sermone molesto,
Néve per ambages & longa exorsa retardem.
—— Nè in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora. ——

Æneid. 2. *Quidve moror?* Servius, *Vestram festinationem scilicet.* Philo Judæus, Ἵνα μὴ μακρηγοροῦντες ἐπὶ πλεῖον ἐνοχλεῖν δοκῶμεν.

Ibid. Παρακαλῶ ἀκοῦσαί σε ἡμῶν] Apud Arrianum 4. 13. in Epictetum, Παρακαλῶ σε ἀκοῦσαι τὰ ἐμά. Apud Livium, *Cum bona venia audiatis quæso, P. Conscripti. Prima Oratoris impetratio est in mala causa audiri meruisse*, inquit Donatus ad Terentium; & ibidem, *Mirâ insinuatione agit, qui non ut consentiant, sed ut audiant paucis, petit.* Quid expressius? quid ad Tertulli istius astutias accommodatius?

Ibid. Συντόμως] Scholiastes ad Acharn. Aristoph. Οὐ λέγουσιν ὅτι τοὺς μὲν μακροὺς λόγους οὐ προσήσομαι, ἀκούσομαι δὲ τοὺς διὰ συντομίας λεγομένους· ἀλλ' ὅτι, &c. Terent. Adelphis,

Ausculta paucis, ni molestum est, Demea,

Et Eunuch.

Audite paucis. ——

Ubi Donatus, *Paucis, quò attentiores existant. Paucis quæ postulamus expediemus*, Plautus in Rudente dixit. Æneid. 11.

—— Et paucis, animos adhibete, docebo.

Servius, *Aut paucis docebo, aut, animos paucis adhibete.* Callidè hîc, συντόμως autem, ut ad hominem multis negotiis districtum,

strictum, (Αἱ ἐμβολαὶ τῶν λόγων πρὸς τοὺς μὴ σχολὴν ἄγοντας ἀδολεσχίαι καὶ λῆρος, Philostratus in Heroicis) & ut meliorem iniquæ causæ colorem superduceret.

> Τοῖς ἀναιδέσι βοηθεῖ γὰρ λόγοις τοῦθ' ἓν μόνον,
> Ἂν βραχεῖς αὐτοὺς ποιῇ τις, τόν τε καιρὸν εὖ λάβῃ,

ut non malè Menander. Veritas compendio agit, ità & nonnunquam Calumnia, ut quò simpliciùs narrat, cò speciosiùs fallat.

Ibid. τῇ σῇ ἐπιεικείᾳ]

> ——*Facilis mea,*
> *Parumper aure verba patienti excipe.*

Vide infrà 26. 3. Bene autem ἐπιείκειαν tribuit Provinciam administranti. Juvenalis,

> *Expectata diu tandem Provincia cùm te.*
> *Rectorem accipiet, pone iræ fræna, modúmque:*

id est, ἐπιεικὴς ἴσθι. Heic autem, ex negotio subjecto, *audiendi facilitatem* intellige; quæ nos vel quemvis Judicem non exiguè commendat; (Plinius lib. 6. Epist. 2. *Primùm religioni suæ Judex patientiam debet, quæ pars magna Justitiæ est*) eximiè autem quorum toti populi regimina agnoscunt. Cicero ad Q. Fratrem, Bithyniæ Proconsulem, *Adjungenda est etiam facilitas in audiendo, lenitas in discernendo.* Vid. & l. 9. §. 2. de Offic. Procons.

Com. 5. Τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμὸν] Demosthenes in Aristogeitonem, Ὁ Φαρμακὸς, ὁ λοιμός. Cicero Famil. 10. 28. *Tuóque beneficio vivit adhuc hæc pestis:* & sæpe alibi. Adherbal apud Salustium de Carthaginiensibus, *Postquam illa pestis ex Africa ejecta est.* Apuleius de accusatoribus suis, *Ad istas pestes oratio convertenda est.*

Ibid. Πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως] Principem, sive signiferum. Sic Cicero Orat. post reditum suum, *seditionis signifer:* & in pro Muræna, *Dux & signifer calamitosorum.* Apuleius 3. *Ipse denique dux & signifer cæterorum, &c.* In Glossis, Ὁ τάγματος ἡγούμενος, *factionarius.*

Com. 6. Τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι] Id est, *profanavit:* vide omnino suprà 21. 18. Sic 1. in Euangel. ἐπεχείρησαν διήγησιν ἀνατάξασθαι, *narrationem composuerunt:* ut pluribus ad eum locum eum loquendi modum accipiendum demonstrabimus.

Com. 7. Βίᾳ πολλῇ ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀπήγαγε] Monent in quibusdam legi, ἀφείλετο· at per me maneat communis lectio: est enim elleiptica loquendi forma, pro ἐκ χ. ἡμῶν ἁρπάζων, vel ἐξαρπάζων, ἀπήγαγε· quem sensum respexit Latinus, dum vertebat, *eripuit eum.* Glossæ, *Eripit*, ἁρπάζει. Onom vet. *Eripio*, ἐξαρπάζω. Nec nos prætereant ea πολλῇ βίᾳ. Euripides,

> ——Εἷλε Κασσάνδραν βίᾳ.

Æneid.

> ——*Primâque oriens erepta juventâ est.*

Ubi Servius, *Ereptam quasi per vim dixit.*

Com. 9. Συνέθεντο δὲ καὶ οἱ Ἰουδαῖοι, φάσκοντες ταῦτα οὕτως ἔχειν] Τοῖς λεγομένοις συνεπιγράφεσθαι, Philo in Flaccum dixit.

Com. 10. Νεύσαντος δὲ αὐτῷ τοῦ ἡγεμόνος λέγειν] Quintilianus 11. 2. *Non manus solum, sed & nutus declarant voluntatem nostram.*

Ibid. Εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμοῦ ἀπολογοῦμαι] Budæus, *alacriùs pro meipso causam dico.* Mallem ego, *animæquius.* Ità in Glossario, *Animæquus*, εὔθυμος· quin & blandum est, si orans reus imperturbatus sit; nec facilè enim evenit aut exspectatur ut se alacrem præbeat. Hoc & hic vidit Vulgatus, qui *bono animo* vertit, non solùm mentem loci assecutus, sed & usum linguæ Latinæ secutus. Vide quæ ad Apuleii lib. 10. p. 592. annotavimus. Quin & illud ἀπολογοῦμαι sat bene *satisfacio* reddidit, ut & 1 Pet. 3. 15. ἀπολογίαν, *satisfactionem.* In Glossario, Ἀπολογία *excusatio, purgatio satisfactio.* Hinc & *mentes satis factione lenita*, in Petronii Satyrico.

Com. 12. Ἐπισύστασιν ποιοῦντα] *Concursum, coitionem.* Philo in Flaccum, Μιγάδων καὶ συγκλύδων ἀνθρώπων ὄχλον ἐκώλυεν ἐπισυνίστασθαι.

Com. 13. Οὔτε παραστῆσαι δύνανταί περὶ ὧν νῦν κατηγοροῦσί μου] Eorum quæ objiciunt mihi nil probare possunt. Paupertas causam suam apud Aristophanem agens.

> Καὶ σύ γ' ἐλέγξαι μ' οὔπω δύνασαι περὶ τούτου,
> Ἀλλὰ φλυαρεῖς καὶ πτερυγίζεις,——

Socrates de inimicis suis apud Platonem, Λέγουσιν ὡς Σωκράτης τίς ἐστι μιαρώτατος, καὶ διαφθείρει τοὺς νέους· κἀπειδάν τις αὐτοὺς ἐρωτᾷ ὅ,τι ποιῶν, καὶ ὅ,τι διδάσκων, ἔχουσι μὲν οὐδὲν εἰπεῖν, ἀλλ' ἀγνοοῦσιν. Adde Josephi locum infrà ad Com. 20. adducendum. Optatus Milevitanus, *Livore interveniente facile est iratis jactare: sed semper dum intenditur crimen, necessaria probatio est.* Improprium hic vocis παραστῆσαι usum ex Plutarcho & Platone Vir Insignissimus indicavit. Adde si placet Philonis è contra Flaccum illa, Ἵνα αὐτοῦ τὴν μοχθηρίαν ἀριδηλοτέραν παραστήσω. Plutarchum, qui in De Lib. educ. Ἔχω δὲ τὴν ἐμαυτοῦ γνώμην δι' εἰκόνος παραστῆσαι· & Artemidorum, qui σαφῶς τὰς ἀποδείξεις παραστῆσαι 2. 33. dixit.

Com. 14. Ὁμολογῶ δὲ τοῦτό σοι] Aristophanes Pluto, Ὁμολογῶ σοι. Scholiastes, Συμφωνῶ σοι· ὅμοιά σοι λέγω ἐν τούτῳ.

Ibid. Κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, &c.] Infrà 28. 22.

Ibid. Οὕτω λατρεύω τῷ πατρῴῳ θεῷ] Paulus 2. 1. 3. ad Timoth. Θεῷ ἀπὸ προγόνων λατρεύω. *Felix conversatio in qua inimici nullam reperiunt occasionem, nisi forte in legitimis Dei*, Hieronymus ad cap 6. Danielis.

Com. 16. Ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ, ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους] Ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν, est quod 2 Cor. 6. 3. μηδεμίαν ἐν μηδενὶ προσκοπὴν διδόναι· 1 Tim. 5. 14. μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι. Hesychius, Ἀπρόσκοπον, ἀσκανδάλιστον. Addit hic Paulus, πρὸς τὸν θεὸν καὶ ἀνθρώπους. Hoc est quod 2 Cor. 4. 2. vocat ἑαυτὸν ἐν τῇ τῆς ἀληθείας φανερώσει πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ συνίστασθαι & ibid. 8. 21. καλὰ ἐνώπιον Κυρίου καὶ ἀνθρώπων προνοεῖσθαι. Hæc καύχησις illa de qua 2 Cor. 1. 12. mentio: hæc πολιτεία illa de qua suprà heic 23. 1. hæc πεποίθησις illa de qua ad Hebræos Scriptor 13. 18. Veniamus postremo loco ad prima illa, ἐν τούτῳ ἀσκῶ. Beza, *Interim vero me exerceo:* subaudito χρόνῳ. Post hunc Vir maximus, *propter hoc*, id est, *propter hanc fiduciam*, ἐλπίδα, de qua præced. commate. Placent præ his quæ Vetus, *in hoc, &c.* nimirum πράγματι. Sic ἐν τούτοις ἀσκούμενός τις, Simplicius in cap. 37. Epicteti: & 2. 16. in Eundem, Arrianus Ἤσκησας ἐν ταύταις ταῖς ἀποκρίσεσιν. Quæ exempla non leviter transeunda, cùm ἀσκεῖν, vel ἀσκεῖσθαι ἔν τινι, perrarò occurrat. Ponitur tamen (nec vel id solenter adeò) nonnunquam intransitivè: sequente etiam, ut heic in Luca, infinitivo. Sic Plutarchus in de Fort. vel. virt. Alex. ἤσκει μὲν διὰ τῶν ὅπλων δεινὸς εἶναι· & in lib. de Oracul. defectu, γλώσσαις πολλαῖς ἤσκετο χρῆσθαι, Sed ut plurimùm cum accusativo, nunc rei nunc personæ, ponitur. Erat cùm putarem pro ἐν τούτῳ heic, posse ἓν τοῦτο legi: quasi mens esset, *Hoc unum præ omnibus meditor, huic uni incumbo.* Sic Petri 2. 3. 8. ἓν τοῦτο, &c. & Phil. 3. 14. ἓν δέ· ubi supplendum, ἀσκῶ, vel quid simile.

Com. 19. Οὓς ἔδει ἐπὶ σοῦ παρεῖναι, &c.] Vide infrà 25. 16.

Com. 20. Ἢ αὐτοὶ οὗτοι εἰπάτωσαν εἴ τι εὗρον ἐν ἐμοὶ ἀδίκημα] Regis MS. mei, sinceræ vetustatis liber, habet, τί εὗρον, &c. illo εἰ omisso: atque ità debere legi Vir summus arbitratur: faventque tam Latina quàm Græca illa quæ ad Matth. 27. 23. adduximus, quæque statim ex Apuleio & Hieronymo in medium afferemus. Nil tamen hic velim innovari, nam & multa exempla occurrunt alterius locutionis. Apud Lucianum in Dial. meretr. Εἴ τι ἐγκαλεῖς, εἰπέ. Infrà 25. 5. Εἴ τί ἐστιν ἐν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ, αὐτοῦ κατηγορείτωσαν. Joh. 18. 23. Εἰ κακῶς ἐλάλησα, περὶ τοῦ κακοῦ μαρτύρησον. Galba apud Augustum orans, *Corrige in me si quid reprehendis.* Αὐτοὶ οὗτοι, ut infrà 25. 25. αὐτοῦ τούτου. Illud εἰπάτωσαν est ex fiducia causæ illa quam reis solet sufficere bona conscientia. Hieronymus in Epistolis, *Dicant quid unquam in me aliter senserint quàm Christianum decebat.* Apuleius in Apologia, *Dicat hic pius filius quid in eo tempore matrem secius agentem vel loquentem viderit.* Herodis filius defendens se apud Josephum, Οὐ τὸ ὕποπτον πρὸς τὴν τοιαύτην ἀσέβειαν ἀρνητόν, εἰπάτω δέ τις ἡμῶν εἰ τετόλμηται τοιοῦτον. Cicero in pro Plancio, *Etiam atque etiam insto atque adeò flagito crimen.*

Ibid. Στάντος μου ἐπὶ τοῦ συνεδρίου] Στῆναι hìc propriè, ut & 25. 10. & 26. 6. Vide ad Matth. 27. 11. notata.

Com. 21. Ἐκέκραξα ἑστὼς, &c.] Joh. 7. 37. εἱστήκει, καὶ ἔκραξε.

Com. 22. Ἀνεβάλετο αὐτοὺς] Plutarchus Apophtheg. Lacon. Ὑπερτιθέμενος πολλάκις συντυχεῖν, ἀνεβάλλετο. Bene Recentior Interpres *ampliavit:* nec malè Vetus *distulit.* Onomast. vet. *Differo* ἀναβάλλομαι. Ibid. *Crastino*, ἀναβάλλομαι.

Com. 23.

Com. 23. *Τηρεῖσθαι τὸν Παῦλον, ἔχειν τε ἄνεσιν, καὶ μηδένα κωλύειν τῶν ἰδίων αὐτοῦ ὑπηρετεῖν, ἢ προσέρχεσθαι αὐτῷ*] Asservari eum, sed liberaliter & laxè asservari: nam non vinculis tantùm, sed & rigidiori custodiæ vox *ἄνεσις* opponitur: & ità hic Lucam debere accipi patebit ex luculentissimo Josephi loco jam statim citando. Seneca Epist. 70. *in aperto custodire* dixit: quod in Excerptis Diodori Φυλακὴ *ἐλευθερία*. Cicero de Philosophia loquens, *Domi teneamus eam septam liberali custodiâ*. In l. 1. Cod. de exact. tribut. *Contineantur in aperta, & libera, & in usum hominum instituta custodia militari.* Custodiæ non dissimilis exemplum in Plautinis hisce,

——Istos captivos duos,
Heri quos emi de præda, de Quæstorib. &c.
Sinito ambulare si foràs, si intus volent:
Sed uti asserventur magnâ diligentiâ.

Et his Josephi de Agrippa, qui intervenientibus Antoniæ precibus, obtinuit etsi non integram libertatem, *σρατιῶτας μετρίους* tamen, *λουτρά τε καθ' ἡμέραν, καὶ ἀπελευθέρων καὶ Φίλων εἰσόδους, τήν τε ἄλλην ῥᾳςώνην ἣ τῷ σώματι γένοιτ' ἄν*. Antiquit. 18. 8. Ibidem paulò post de Eodem post Tiberii excessum in carcere non ampliùs, sed suis ædibus custodito, Φυλακὴ *μὲν τήρησις ἦν, μετὰ μέν τοι τῆς περὶ τὴν δίαιταν ἀνέσεως*. Habemus verbis postremis hisce, *μετ' ἀνέσεως τήρησιν* ut in superioribus, *ἀπελευθέρων καὶ Φίλων εἰσόδους* quod Lucæ est *μηδένα κωλύειν τ. ι. α. υ. η. π. αὐτῷ*. Confer & infrà 27. 3.

Com. 25. *Καὶ ἐγκρατείας*] Vetus *castitate*: cujus contrario vitio iste Felix famosus. Laxiùs tamen eam vocem hic sumendam putem: & meliùs alios *continentiam* vel *temperantiam* vertisse. Clemens Στρωμ. 2. Ἡ *ἐγκράτεια διάθεσίς ἐςιν ἀνυπέρβατος τῶν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον Φανέντων. ἐγκρατεύεται δὲ ὁ κατέχων τὰς παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ὁρμάς· ἢ ὁ κατέχων αὐτὸν ὥςε μὴ ὁρμᾷν παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον*. Et ibidem 3. Ἐ*γκράτεια τοίνυν σώματος ὑπεροψία παρὰ τὴν πρὸς θεὸν ὁμολογίαν· οὐ μόνον γὰρ περὶ τὰ* Ἀ*Φροδίσια, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰ ἄλλα ἃ ἐπιθυμεῖ ἡ ψυχὴ κακῶς, οὐκ ἀρκουμένη τοῖς ἀναγκαίοις, ἡ ἐγκράτεια ἀναςρέφεται. ἔςι δὲ καὶ περὶ τὴν γλῶσσαν, καὶ περὶ τὴν κτῆσιν, καὶ περὶ τὴν χρῆσιν, καὶ περὶ τὴν ἐπιθυμίαν*. *Modestiam* Latinè vertas. Auctor ad Herenn. *Modestia est in animo continens moderatio cupiditatum.* Ibidem, *Modestiâ utemur si nimias libidines honoris, pecuniæ, similiùmque rerum vituperabimus; si unamquamque rem certo naturæ termino definiemus; si denique quid cuique satis sit ostendemus, & nimium progredi dissuadebimus, & modum unicuique rei statuemus.*

Ibid. Τὸ *νῦν ἔχον, πορεύου*] Lucianus in de Gymnas. Τὸ δὲ *νῦν ἔχον, ἀπίωμεν*. Onomast. vet. *Nunc*, *τὸ νῦν ἔχον*. Max. Tyr. Diss. 6. Ἀλλ' *ἐπισχεῖν τὸ νῦν ἔχον*. Scriptor Tobiæ cap. 7. Ἀ*λλὰ τὸ νῦν ἔχον ἡδέως γίνου*.

Ibid. *Καιρὸν δὲ μεταλαβὼν μετακαλέσομαί σε*] Caius ad Judæos apud Philonem, Τῆς *ὑμετέρας ὑποθέσεως ἀκούσομαι προσευκαιρήσας*. Plautus Trucul.

Otium ubi erit, de istic rebus tum ampliùs tecum loquar.

Polycarpus apud Eusebium, Hist. Eccles. 3. 37. Ἐ*ὰν λάβω καιρὸν εὔθετον*. Paulus 1 Cor. 16. *ὅταν εὐκαιρήσῃ*.

Com. 27. Θ*έλων χάριν καταθέσθαι τοῖς* Ἰ*ουδαίοις*] Philo, ubi de Flacco in Judæos Alexandrinos sæviente, Ο*ὐδένα ὡς αἰτίας ὅπερ ἐβούλετο, κολάζων· ἀλλ' ἔσπευδε καὶ κατήπειγεν ἕνεκα τῆς πρὸς τὸν ἐναντίον ὄχλον ἀρεσκείας*. Vide & suprà 12. 3. Sic *plebi volentia facere* apud Salustium: pro quo Herodianus 3. *τῷ δήμῳ κεχαρισμένα ποιεῖν*. Χ*άριν καταθέσθαι* habes & infrà 25. 9. apud Herodianum 2 lib. & Xenophontem *παιδ*. 8. *εὐεργεσίας καταθέσθαι* Herodianus citato libro: *κλέος καταθέσθαι* Plato & Herodotus.

CAP. XXV.

VALLA.

16. H*Ominem aliquem damnare*] Quidam cod. habent *damnare*, quidam *donare*. Græcè est *donare*, sive *gratificari*, *in perditionem*, sive *in interitum*, *χαρίζεσθαί εἰς ἀπώλειαν*.

ERASMUS.

1. A*Dieruntque eum Principes Sacerdotum*] Ἐ*νεΦάνισαν* [illegible] *αὐτῷ*, *significarunt ei*, idque privatim. Superiùs vertit *notum facere*, ac mox *adire*. Interpres legisse videtur *ἐνετύχησαν* nec mihi displicet præsertim cùm aliquantò pòst, ubi res narratur Agrippæ, rursus editio vetus habeat *adierunt*.

3. *Postulantes gratiam adversùs*] Ἀ*ιτούμενοι χάριν*. *Gratiam* hoc loco vocat favorem Judicis.

5. *Potentes*] Δ*υνατοὶ*, h. e. *Qui possunt, & quibus commodum est, eò nos consequantur.*

6. *Dies non ampliùs quàm octo aut decem*] Græci legunt *πλείονας ἢ δέκα*, *plures quàm decem*.

11. *Si enim nocui, aut dignum*] Ἐ*ι μὲν γὰρ ἀδικῶ*, i. *si lædo*, aut *si injuriam facio*. Repentè mutavit tempus: sequitur enim *πέπραχα* unde *ἀδικῶ* hic sonare videtur actum *ἐμμένοντα*, *Si sum injurius*, aut *sum in noxa*.

15. *Postulantes adversùs illum damnationem*] Δ*ίκην* quod *causam* ac *litem* sive *jus* significat, nonnunquam & *pœnam*. Nos vertimus *sententiam*. Verti poterat *cognitionem*. Quis enim postulat *damnationem* à Judice indictâ causâ? Sed postulabant ut fictâ specie cognitionis Paulus videretur jure damnatus. Id enim indicant verba Festi, *Non est consuetudo Romanis donare aliquem hominem*, &c. Et tamen qui malunt *δίκην* verti *pœnam* aut *damnationem*, verbo magis à nobis dissident quam sententiâ: nec enim in aliud postulabant cognitionem nisi ut damnaretur ficto juris prætextu. Proinde in horum gratiam posuimus *sententiam* pro *cognitione*.

16. *Aliquem donare priùs quàm*] In nonnullis scriptum erat *damnare* pro *donare*, quòd præcesserit de *postulata damnatione*. Cæterùm Græcè est *χαρίζεσθαι εἰς ἀπώλειαν donare in perniciem*, sive *interitum*. Est autem *χαρίζεσθαι in gratiam alicujus donare*.

18. *Nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar malum*] Locus hic apud Latinos nonnihil est corruptus, cùm apud Græcos sincerus habeatur, *οὐδὲ μίαν αἰτίαν ἐπέΦερον ὧν ὑπενόουν ἐγὼ, nullum crimen intentabant super hisce rebus de quibus suspicabar ego*. Suspicabatur enim eos accusaturos Paulum de aliis rebus quàm de quæstionibus Legis, quas ut superstitiosas negligebant Romani.

23. *Cum multa ambitione*] Μετὰ *πολλῆς Φαντασίας cum multa ostentatione*. Nos *strepitum* sive *apparatum* dicere possumus. Annotavit hoc ante nos Beda.

24. *Interpellavit me*] Ἐ*νέτυχόν μοι adiit*, sive *convenit*, *me*. Quanquam hoc sane rectè vertit Interpres.

26. *Adduxi eum ad vos*] Ἐ*Φ' ὑμῶν, καὶ μάλιςα σοῦ* quod magis sonat Græcis *ad cognitionem* sive *judicium tuum*, quàm *ad te*, aut *ad vos*.

27 *Sine ratione mihi videtur*] Ἄ*λογον iniquum*: quod vulgò vocant *irrationabile*.

VATABLUS.

1. C*UM venisset in provinciam*] *Susceptâ provinciâ*; i. Judæâ.

2. *Audieruntque eum*[Vel, *Significaruntque illi*, [*idque privatim.*] ¶ *Adversùs Paulum*] *De Paulo.*

4. *Maturiùs*] *Brevi illò.*

5. *Potentes sunt*] i. Qui possunt, & quibus commodum est.

6. *Alterâ*[*Postero.*

8. *Rationem reddente*] *Pro se respondente.*

9. *Gratiam præstare*] Hebr. *Gratificari.* ¶ *Respondens Paulo*[*Alloquens Paulum*, Hebr.

10. *Ibi*] *Ubi*, Vet. ¶ *Non nocui*] *Nullam injuriam feci.*

11. *Quæ*] *De quibus.* ¶ *Cæsarem*] More Hebr. sub. *proinde.*

14. *Morarentur*] *Demoraretur*, sub. *Agrippa*, Vet. ¶ *Regi indicavit de Paulo*] *Retulit causam Pauli*; i. quæ erga Paulum acta essent.

15. *Adierunt me*] Vel, *Significarunt mihi.* ¶ *Postulantes adversùs illum damnationem*] i. Postulabant ut fictâ specie cognitionis Paulus videretur jure damnatus: hoc enim ex sequentibus Festi verbis colligitur.

16. *Consuetudo* *] * *Ob gratiam.* ¶ *Hominem* *] * [illegible] *pereat.*

18. *Nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar malum*] *Nullum crimen intendebant super hisce rebus de quibus ego suspicabar.*

21. *Augusti cognitioni*] *Ad Augusti cognitionem*, Vet. ¶ *Mittam*] *Mitterem.*

22. *Volebam*] *Volebam* pro vellem hic positum est more Græcorum.

23. *Multa ambitione*] *Multo apparatu.*

24. *Interpellarunt me Jerosolymis, petentes & acclamantes*;

Conve-

Convenit [*adiit*] *me & Jerosolymis & hic, acclamantes*; Vet. legunt. *& hic*.

26. *Perduxi*] *Produxi*, Vet.

27. *Sine ratione*] *Iniquum, contra rationem*. ¶ *Causas ejus*] Vet. *crimina de quibus accusabatur*.

CLARIUS.

10. *AD tribunal Cæsaris sto*] Meminerat se à Domino admonitum, oportere ut & coram Cæsare testimonium de ipso proferret; cujus rei implendæ nunc opportunitatem oblatam intelligens, nihil cunctatus, Cæsarem appellavit.

ZEGERUS.

1. *IN provinciam*] De Palæstina sentit, cui subinde novi ab Imperatore Romano destinabantur Præfecti, ut testis est Rabanus.

4. *Se autem maturiùs profecturum*] *Maturiùs* abusus est Interpres pro *celeriùs*: est enim ἐν τάχει, h.e. *celeriter*.

5. *Qui ergò in vobis, inquit, potentes sunt*] *Potentes* incertum est an *primores* dixerit, an *eos qui citra suum incommodum possent ipsum comitare*.

6. *Non ampliùs quàm octo aut decem*] In Græcis nonnullis tantùm est ὀκτὼ, in aliis tantùm δέκα· atque hinc factum puto ut in nostris utrumque scriptum sit. Chrysostomus legit *octo*.

11. *Nemo potest me illis donare*] In gratiam videlicet ipsorum, & ad meam condemnationem. Nec enim est simpliciter *donare*, sed χαρίσασθαι, quod est *ad gratiam conferre*: quod utique fecisset Festus si illis Paulum condemnasset.

13. *Bernice*] De hoc nomine varia est apud scriptores sententia Alii *Beronice* scribunt; voluntque sororem fuisse Herodis. Josephus De bello Jud. lib. 7. *Beronicen* scribit *Aristobuli fuisse uxorem*. Alii *Bernice* scribunt; hujusque Herodis uxorem fuisse tradunt; alii rursus cognatam. Alii viri nomen existimant: quod postremum magis habet veri rationem, quòd *Bernice* in sequentibus *in auditorium cum Tribunis & primatibus civitatis introisse* commemoretur v. 23. deinde & post Præsidem inter eos qui consederant primus annumeretur infrà 26. 30. Producit autem penultimam, teste Despauterio.

16. *Donare aliquem hominem*] *Donare* dixit, ut suprà, pro *ad gratiam alicujus tradere, ut sic traditus pereat*. Quo factum est ut nonnullis etiam cod. *damnare* legatur pro *donare*. Unde & in Græcis (si modò id Lucæ est) adjectum visitur *donare aliquem* εἰς ἀπώλειαν *in interitum*. ¶ *Quæ ei objiciuntur*] Ad marginem adnotari hoc poterit; non autem contextui inserendum est, ut in nonnullis videre licet.

23. *Cum multa ambitione*] Μετὰ πολλῆς φαντασίας, *cum multa ostentatione*, vel *cum multo strepitu*.

24. *Videtis hunc hominem*] *Hominem* nuperam esse adjectiunculam arguunt multa, quæ pertranseo. Hoc tantùm admoneo; apud Chrysostomum ab ipso interprete Erasmo τὸ *hominem* adjectum esse; sicuti idem & in versione fecit N. Instrumenti. ¶ *Petentes & acclamantes*] Loco *petentes*, Chrysostomus & Græca editio habet *& hic*. Nostri tamen cod. constanter habent *petentes*: & quatuor quidam juxta editionem Lovaniensem cum hoc etiam *& hic*. Nihilominus tamen suspicor esse adjectitium.

27. *Sine ratione enim mihi videtur*] Pro *sine ratione* est ἄλογον, h.e. *Stultum & irrationale mihi esse videtur*.

H. STEPHANUS.

2. *E*Νεφάνισαν] Vide cap. 24. v. 1. & hujus cap. v. 15.

5. Οἱ ἐν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν κατηγορείτωσαν αὐτοῦ] *Qui ex vobis sunt idonei, eum accusent*: i. qui facere id possunt: qui nimirum instructi sunt quà opus est dicendi facultate.

7. Πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιάματα] *Multas & graves criminationes*.

9. Χάριν καταθέσθαι] Vide v. ult cap. præcedentis.

11. Οὐ παραιτοῦμαι τὸ ἀποθανεῖν] *Nihil causæ dico quin moriar*. Vel, *non recuso mori*. ¶ Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι] *Cæsarem appello*: vel, *Provoco ad Cæsarem*.

14. Τῷ βασιλεῖ ἀνέθετο τὰ κατὰ τὸν Παῦλον] *Regi communicavit de iis quæ ad Paulum spectabant*.

15. Ἐνεφάνισαν] Vide. v. 2.

16. Χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν] *Concedere ullis ut quenquam perdant*.

18. Οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον] *Nullum crimen objiciebant*.

19. Περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας] *De sua superstitione*.

21. Ἐπικαλεσαμένου τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν] *Appellasset ut servaretur cognitioni Augusti*: i. appellando postulasset, seu provocando.

23. Μετὰ πολλῆς φαντασίας] *Cum magna pompa ostentatione*.

24. Ἐνέτυχόν μοι] *Convenerunt me*.

DRUSIUS.

13. *BErnice*] Quæ & *Beronice*, & *Beronice*, ε in ο versâ. Erat autem Bernice cujus hìc mentio Agrippæ soror, quæ patrem habuit Agrippam Seniorem Aristobuli filium; Josephus Antiq. l. 19. c. 5. & l. 18. c. 11. ubi Rufinus *Beronice* habet, ut etiam Gorionides compositor Historiæ Hebraicæ, c. 64. ברוניקי אחות אגריפס הצעיר *Beronice soror Agrippæ Junioris*. Eodem modo nominata fuit soror Ptolemæi Regis Ægypti, Juvenalis Sat. 6.

> ———— Berenices
> *In digito factus pretiosior*.

Commentator ejus vetus, *Beronice soror Ptolemæi dicitur & Beronica*. Vide Justinum lib. 27. ubi MS. *Beronice* & *Berenice*. Vide, si placet. Græcè est Βερενίκη. Latini autem E cum O permutarunt, ut in Πτολεμαῖος, quod scribunt *Ptolomæus* cum O in antepenultima. Sic pro Κέρκυρα dicunt *Corcyra*. In lib. Interpretationum. *Bernice, Eleganter, vel Electe commota, vel Filius innocens, ex Syro Hebræóque compositum*: בר *electus*, item *filius*, Syrus est; נקי *innocens* tam Syrum quàm Hebræum. Falluntur autem qui putant nomen Syrum esse aut Hebraicum, cùm Græcum sit Φερονίκη. Id Macedones dicunt Βερονίκη. Mutant enim ex communi lingua φ aut π in β. Autor Plutarchus in Hellenicis. Sic βικρὸς in ea dialecto valet πικρός, & Βίλιππος est Φίλιππος, & βαλακρὸς in communi lingua dicitur φαλακρός. Quinetiam βατεῖν pronunciant pro πατεῖν. Reperio & *Veronica*, quod Græcè scriberetur Βερονίκα. Contrà factum in *Vespasianus, Veteranus, Vestiarium*: quæ scribunt Βεσπασιανὸς, βετεράνος, βεστιάριον. Vide Suidam.

23. *Agrippa & Bernice*] Soror ejus, ut diximus. Hæc Bernice in defectione Judæorum literis Jerosolyma missis ad fratrem conata est eum in rebellium partes pertrahere.

CASAUBONUS.

23. *E*Λθόντος τοῦ Ἀγρίππα καὶ τῆς Βερνίκης μετὰ πολλῆς φαντασίας] Polybius lib. 16. de Publio Scipione loquens Romam ex Africa redeunte ὥσπερ δὲ τῆς προσδοκίας τῶν πολλῶν ἀκόλουθα τῷ μεγέθει τῶν πράξεων, μεγάλην φαντασίαν περὶ τὸν ἄνδρα, καὶ τὴν τοῦ πλήθους εὔνοιαν πρὸς αὐτὸν εἶναι συνέβαινε. Usus est & alibi.

GUALTPERIUS.

8. *K*Αίσαρα, *Cæsarem*] Syrus retinet eandem vocem Latinam לקסר *in Cæsarem*. Vide Matth. 22. 21. Habetur in N. T. vicies sexies.

21. Τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν, *ut servaretur Augusti cognitioni*. Σεβαστὸς (ἀπὸ τοῦ σέβομαι ἢ σεβάζομαι *veneror*) *venerabilis, veneratione*, seu *adoratione, dignus*. Aptissimè redditur *Augustus*, quòd ut hoc in Latino sermone ità illud in Græco Imperatoribus Romanis tribueretur. Infrà similiter, ἐπικαλεσαμένου τὸν Σεβαστὸν, *& is ipse appellasset Augustum*. Syrus vertit *ut servaretur ad judicium Cæsaris*. In Imperio igitur Romano omnes Cæsares vocantur *Augusti*, sicut olim apud Ægyptios omnes Reges *Pharaones*, apud Persas adhuc dum hodie PRETOIANES, *Pretiosus Johannes*, apud Æthiopas Reginæ *Candace*, &c.

LUD. CAPPELLUS.

13. *A*Γρίππας ὁ βασιλεὺς καὶ Βερνίκη, &c.] Agrippas iste abnepos erat Herodis Magni sub quo natus est Christus, filius autem Agrippæ Magni, qui *Herodes* simpliciter toto hoc Actuum Apostolicorum libro dicitur, cujus mors narratur suprà 12. 23. Hujus, inquam, Herodis (qui *Agrippa Magnus* à Josepho aliisque dicitur) filius fuit Herodes iste Agrippa, qui ab eodem Josepho dicitur *Agrippa Junior*, Magnâ is fuerat apud Claudium Imperatorem gratiâ, (ut & pater ejus Agrippa Magnus) à quo Herodis Chalcidis Regis, patrui hujus Agrippæ Junioris, Regnum acceperat anno octavo Imperii

rii Claudii: deinde ejusdem Claudii anno duodecimo, Chalcide illi ablatâ, Claudius eum donavit Tetrarchiâ Philippi, cum Batanæa, Trachonitide, & Abilena, quæ priùs fuerat Lysaniæ, Luc. 3. 1. Nero etiam postmodum partem ei dedit Galilææ, cum Tiberiade, Tarichæa & Juliade trans Jordanem, cum pagis XIV. Porrò hæc Berenice, cujus hic fit mentio, non fuit ejus uxor (uti fortè primâ fronte posset quis ex hoc loco suspicari) sed soror, Agrippæ Magni filia, Herodis Chalcidis Regis vidua, quæ (uti verisimile est) post mariti obitum ad fratrem Agrippam se receperat. Hæc sunt manifesta ex Josepho, ex cujus Antiquitatum libris breve hoc stemma in eam rem construxi.

Herodes Magnus, sub quo Christus natus est. | Mariamne, Alexandri filia, Aristobuli & Hyrcani Assamonæorum neptis.

Aristobulus, à patre per calumniam fratris Antipatri oppressus & necatus. | Berenice, Salomes sororis Herodis filia.

Agrippa Magnus, qui *Herodes* simpliciter in Actibus Apostolicis dicitur, qui Jacobum interfecit, Petrum in vincula conjecit, cujus mors describitur Act. 12. 23. | Cyprus, Phaseli fratris Herodis M. filia. | Herodes, Chalcidis Rex.

Mariamne, Josephi patruelis Herodis M. & Olympiadis ejus filiæ filia. | Agrippa Junior, sive Herodes Agrippa, qui hoc loco, Act. 25. 13. commemoratur. | Drusilla, quæ Felici Judææ Præsidi nupsit, Act. 24. 24. | Berenice, cujus hoc loco fit mentio, Act. 25. 23.

GROTIUS.

Ἐπιβὰς τῇ ἐπαρχίᾳ, *Cùm venisset in provinciam*] *Cùm in provinciam pervenisset*, ut loquitur Trajanus ad Plinium 27. *ingressus fines provinciæ*, ut Ulpianus L. observare. §. aliquam. D. de officio Proconsulis: *ingressus provinciam*, ibidem §. post hæc. ¶ Ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα ἀπὸ Καισαρείας. *adscendit Jerosolymam à Cæsarea*] Nam & hoc observare debebant Præsides in quam primùm civitatem venirent vel applicarent, d. L. §. ingressus.

2. Ἐνεφάνισαν δὲ αὐτῷ ὁ ἀρχιερεὺς καὶ οἱ πρῶτοι τῶν Ἰουδαίων κατὰ τοῦ Παύλου, *Adieruntque eum Princeps Sacerdotum & primi Judæorum adversus Paulum*] Id est, *accusationi in Paulum captæ insistere*. ut 24. 1. οἱ πρῶτοι [*primi*] hic, qui supra πρεσβύτεροι [*Seniores.*] ¶ Καὶ παρεκάλουν αὐτόν. *& rogabant eum*] In Glossario, παρακαλῶ, *oro*, *obsecro*, *rogo*.

3. Αἰτούμενοι χάριν, *Postulantes gratiam*] Χάρις hic est *beneficium*, ut apud Græcos sæpe, ut

Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις —
[*Gratia quæ tarda est ingrata est gratia* —.]

¶ Ἐνέδραν ποιοῦντες ἀνελεῖν αὐτὸν κατὰ τὴν ὁδόν. *insidias tendentes ut interficerent eum in via*] Clandestinâ sicariorum usuri operâ, ita, ut auctoritatem possent defugere. ¶ Ἀπεκρίθη τηρεῖσθαι τὸν Παῦλον ἐν Καισαρείᾳ, *respondit servari Paulum in Cæsarea*] Id est, Bene eum ibi servari, nec quicquam causæ esse cur transferretur, cùm ibi non minùs, quàm Hierosolymis accusari possit. Romani Præsides non semper in una urbe jus dicebant, sed ubicunque erant. ¶ Ἑαυτὸν δὲ μέλλειν ἐν τάχει ἐκπορεύεσθαι. *se autem maturiùs profecturum*] Hierosolymis nempe Cæsaream.

5. Οἱ οὖν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν, *Qui ergo in vobis potentes sunt*] *Quibus commodum erit*. Ita hic accepit Syrus. Sic dici solebat, *Queis commodum est*, *exsequias*, οἱ δυνατοί, דיכול [*qui possunt.*] ¶ Συγκαταβάντες, *descendentes simul*] *Mecum descendentes*. Ita loquitur, quia Cæsarea est ad mare. ¶ Εἴ τι ἐστὶν ἐν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ, *si quid est in hoc viro*] Nempe quod accusare velint, ex sequentibus. Nam vox ἄτοπον [*crimen*] non est in plerisque libris, & videtur adscripta ex Glossemate. Sic Latinè dicimus, *Si quid habes*.

6. Διατρίψας δὲ αὐτοῖς, *Demoratus autem inter eos*] Ἱεροσολύμοις [*Hierosolymis*] scilicet. ¶ Ἡμέρας οὐ πλείους ἢ ὀκτώ, *dies non ampliùs quàm octo*] Alii libri οὐ πλείους ἢ δέκα [*non ampliùs quàm decem:*] At Manuscriptus, οὐ πλείους ὀκτὼ ἢ δέκα [*non ampliùs quàm octo vel decem*,] quod verum puto. Nam & Latinus sic legit, & Syrus, & Arabs. Solemus sic loqui ubi ad numerum exactè definiendum notitia aut memoria non suppetit. Sic ὡσεὶ [*fere*] sæpe usurpant sancti Scriptores: ut Matth. 14. 21. Marci 6. 44. Luc. 9. 14. & 22. 41. & 23. 44. Joh. 6. 10. supra 2. 41. & 5. 36. & 10. 3. ¶ Καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, *sedit pro tribunali*] Erant quæ de plano fieri poterant, majora non nisi pro tribunali. Hæc enim inter se opponuntur apud Suetonium, Paulum & Papinianum. ¶ Ἐκέλευσε τὸν Παῦλον ἀχθῆναι. *& jussit Paulum adduci*] *Ad se duci*.

7. Περιέστησαν, *circumsteterunt*] *Circumstetêre tribunal*. ¶ Οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβεβηκότες, *qui ab Hierosolymis descenderant*] Legati à Senatu. ¶ Αἰτιάματα, *causas*] Rectè sic, non ut alii libri habent αἰτιώματα. Dicitur αἰτίαμα [*causa*] eâ formâ quâ θέμα [*thema*,] ἀκρόαμα, [*acroama*,] & similia. ¶ Ἃ οὐκ ἴσχυον ἀποδεῖξαι. *quas non poterant probare*] Supra παραστῆσαι [*probare*] 24. 13. Vetus est dictum, *Si accusasse sufficiet, quis innocens erit?*

8. Ἀπολογουμένου αὐτοῦ, Ὅτι, *eo rationem reddente*, *Quoniam*] Illud ὅτι [*quoniam*] hic abundat Hellenistarum more. Sequitur enim directa oratio. ¶ Οὔτε εἰς τὸν νόμον τῶν Ἰουδαίων, *neque in legem Judæorum*] Legem enim perpetuò observavi. ¶ Οὔτε εἰς τὸ ἱερὸν, *neque in Templum*] Templum piè adii, nec quenquam in eo induxi alienigenam. ¶ Οὔτε εἰς Καίσαρά τι ἥμαρτον. *neque in Cæsarem quicquam peccavi*] Non docui rebellionem: nihil feci dixive contra Cæsaris imperium.

9. Θέλων χάριν καταθέσθαι, *volens gratiam præstare*] Eadem locutio, quæ supra 24. 27. ¶ Ἀποκριθεὶς τῷ Παύλῳ, *respondens Paulo*] *Alloquens Paulum*: nam sic ἀποκρίνεσθαι [*respondere*] sæpe ponitur & apud hos & apud alios Scriptores. Vide supra 3. 12. ¶ Ἐκεῖ περὶ τούτων κρίνεσθαι ἐπ' ἐμοῦ; *ibi de his judicari apud me?*] *Visne a Synedrio judicari me præsente?* Sic ἐπὶ & infra sumitur 26. 2. Habebat Synedrium jurisdictionem quandam in Judæos, sed civitatis Romanæ jus validius erat jure Synedrii. Itaque invitus cogi non poterat illos agnoscere Judices. Solebant Præsides interdum adesse ordini civitatis. L. 1. §. sed etsi. D. quando appellandum sit. ¶ Εἶπε δὲ ὁ Παῦλος. *Dixit autem Paulus*] Et Judices illos, & urbem, & iter ipsum reformidans.

10. Ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρος ἑστώς εἰμι, *Ad tribunal Cæsaris sto*] *Rectè Tribunal Cæsaris* vocat id quod Procurator habebat nomine ac mandato Cæsaris. Vide ad Matth. 27. 2. Ulpianus L. 1. D. de officio Procuratoris Cæsaris, *Quæ acta gestaque sunt à Procuratore Cæsaris, sic ab eo comprobantur, atque si à Cæsare gesta sint*. ¶ Οὗ με δεῖ κρίνεσθαι *ubi me oportet judicari*] Nam de cive Romano Præsidum Romanorum erat cognoscere. ¶ Ἰουδαίους οὐδὲν ἠδίκησα, *Judæis non nocui*] Ideo judicium tuum non reformido, quia certus sum nihil à me læsos Judæos; iniquè eos de me queri. ¶ Ὡς καὶ σὺ κάλλιον ἐπιγινώσκεις. *sicut tu meliùs nosti*] *Meliùs nosti*, scilicet *quàm ut opus sit me ea de re te docere* Scis id ex Felice & ex eis qui Felici in cognitione adfuerunt.

11. Εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ, *Si enim nocui*] Si id institutum quod sequor Judæos injuriâ afficit. ¶ Καὶ ἄξιον θανάτου πέπραχά τι, *aut dignum morte aliquid feci*] Et si ea injuria talis est quæ secundùm leges Romanas mortem mereatur. ¶ Οὐ παραιτοῦμαι τὸ ἀποθανεῖν· *non recuso mori*] Simile illud Demetrii apud Livium libro 50. *Ego si quid impiè in te Pater, si quid sceleratè in fratrem admisi, nullam deprecor pœnam*. ¶ Εἰ δὲ οὐδέν ἐστιν ὧν οὗτοι κατηγοροῦσί μου, *si verò nihil est eorum quorum hi accusant me*] *Si nihil in re est eorum, de quibus me accusant*. ¶ Οὐδείς με δύναται αὐτοῖς χαρίσασθαι. *nemo potest me illis donare*] *Nemo jus habet ut me illis donet*. Sic Herodes apud Josephum Belli Judaïci 2. 5. accusatur, Τὸ τῆς Ἰουδαίας αἷμα κεχαρίσθαι τοῖς ἔξωθεν δήμοις [*populis alienis Judææ sanguinem condonasse.*] Philo eundem sensum sic eloquitur, Παρεκλογτεύετο δὲ

τυχοῦσά τινος παρὰ σοῦ δωρεᾶς· μεῖζον δ' ἀγαθὸν οὐδὲν αὐτῇ παρέξεις, ἢ τοὺς Ἰουδαίους ἐνδοὺς καὶ προϊέμενος [*Suscipiet autem advocationem consecuta à te aliquod beneficium: sed nihil potes illi gratius facere, quàm si Judaeos dedas ipsiusque arbitrio permittas.*] Δύναται [*potest*] enim hîc ad *facultatem legitimam* refertur. Donat reum inimicis, qui eum ipsorum judicio tradit. ¶ Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. *Caesarem appello*] Id est, *Si me vis Synedrio judicandum tradere* (id enim videbatur agere Festus) *ad Caesarem Neronem appello.* Licebat hoc Romanis legibus in tali casu: nam ante sententiam appellari potest, si quaestionem in civili negotio habendam Judex interlocutus sit, vel in criminali contra leges hoc faciat. L. Ante. D. de Appellationibus recipiendis. Erat autem contra leges Romanas civem Romanum provincialibus hominibus judicandum tradere, & id nolentem. Plinius in Epistola de Christianis, *Fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos.*

12. Τότε ὁ Φῆστος συλλαλήσας μετὰ τοῦ συμβουλίου, *Tunc Festus cum consilio loquutus*] Ut mos erat Romanis Praesidibus agere res magnas de consilii sententia. Vide quae diximus ad Matth. 27. 19. μετὰ συμβουλίου, vertendum est *cum consilio*, ut vetus interpres fecit; non ut alii, *cum concilio.* ¶ Καίσαρα ἐπικέκλησαι, ἐπὶ Καίσαρα πορεύσῃ. *Caesarem appellasti, ad Caesarem ibis*] Non opus est hîc interrogatione: meliùs enim procedit sermo, *quandoquidem ad Caesarem provocasti, ad Caesarem ibis.* Provocatio non erat simpliciter facta, sed sub conditione: verùm Festus libenter arripiebat occasionem, quâ se ab hoc molestia & invidia liberaret.

13. Ἡμερῶν δὲ διαγενομένων τινῶν, *Et cum dies aliquot transacti essent*] *Cum dies intercessissent aliquot.* Eadem locutio, Marci 16. 1. infra 27. 9. ¶ Ἀγρίππας ὁ βασιλεὺς, *Agrippa Rex*] Filius ejus Herodis Agrippae cujus mors supra recitata est c. 12. Fuit autem hic Rex Chalcidis primùm deinde Batanaeae, Trachonitidis & Gaulonitidis, quibus addidit Nero Abilam, Juliada, Tarichaeas & Tiberiada. Josephus Bello Judaïco 1. 21, 22. Meminit hujus Agrippae etiam Thalmud Hierosolymitanum. ¶ Καὶ Βερνίκη, *& Bernice*] Soror Agrippae illius, nupta (quod per legem licebat) patruo suo dicto Herodi, & post ejus mortem Polemoni Ciliciae Regi. Vide Josephum Ant. hist. 19. 7. de Bello Judaïco 2. 26, & 28. Βερνίκη est nomen Macedonicum pro Φερενίκη [*Pherenice*;] nam Macedones Φ in β mutabant. Sic & Βρύγας [*Bryges*] dicebant pro Φρύγας [*Phryges.*] Ita quae *Berenice* Valerio Maximo 8. 6. eadem Plinio *Pherenice* 7. 41. Fuit haec femina infamis in fratre, ut nos docet Josephus 20. 5. eóque referendum illud Juvenalis,

> *—— Deinde adamas notissimus & Berenices*
> *In digito factus pretiosior: hunc dedit olim*
> *Barbarus, incestae dedit hunc Agrippa sorori.*

Falluntur enim Scholiastae, qui aliò haec trahunt.

14. Ἀνέθετο, *indicavit*] Graeca vox facta ad modum Latinae *retulit.* Hebraei dicerent [illegible].

15. Ἐνεφάνισαν, *adierunt me*] *Accusationem attulere.* Vide supra 24. 1. hoc capite 2. ¶ Αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην. *postulantes adversùs illum damnationem*] In Manuscripto est καταδίκην [*condemnationem.*]

16. Ὅτι οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, πρὶν ἢ ὁ κατηγορούμενος κατὰ πρόσωπον ἔχοι τοὺς κατηγόρους, τόπον τε ἀπολογίας λάβοι περὶ τοῦ ἐγκλήματος. *Quia non est Romanis consuetudo aliquem hominem in exitium donare, priusquam is qui accusatur praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*] Quid sit χαρίζεσθαι supra vidimus v. 11. Est autem curtata locutio: plena esset, *Non est Romani moris quenquam in exitium donare alteri, damnando eum antequam & accusator contra constiterit, & ipse sui defendendi acceperit copiam.* Idem de Romanis Appianus, Οὐ πάτριον σφίσιν ἀκρίτους καταδικάζεσθαι [*Non solent illi inauditos damnare.*] Philo de Praesidibus Romanis, Τότε γὰρ κοινοὺς παρέχοντες ἑαυτοὺς δικαστὰς, ἐξ ἴσου καὶ τῶν κατηγόρων καὶ τῶν ἀπολογουμένων ἀκροώμενοι, μηδενὸς ἀκρίτου προκαταγινώσκειν ἀξιοῦντες, ἐβράβευον οὔτε πρὸς ἔχθραν, οὔτε πρὸς χάριν, ἀλλὰ πρὸς τὴν φύσιν τῆς ἀληθείας τὰ δόξαντα εἶναι δίκαια [*Tum enim illi, auditis ex aequo & accusatore & reo, aequi judices, cum ante causam cognitam praejudicandum nil putarent, nihil odio aut amore, sed quod verius & aequius sibi videretur, id judicabant.*] Attulimus plura huc pertinentia ad titulum Digestorum de requirendis vel absentibus damnandis. κατὰ πρόσωπον est *in conspectu*: ita vertitur [illegible] Exodi 30. 6.

17. Ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος, *sine ulla dilatione*] Ἀναβολὴν ποιεῖν est aliquoties apud Plutarchum pro *moram interponere.*

18. Οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον, ὧν ὑπενόουν ἐγὼ· *nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum*] De rebellione, de vi armata, de seditione.

19. Ζητήματα δέ τινα, *Quaestiones verò quasdam*] Vide supra 23. 29. ¶ Περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας, *de sua superstitione*] Sic Quintilianus 3. 8. *Primus Judaicae superstitionis auctor.* Sic Ulpianus in Lege qui ad tempus. D. de Decurionibus, *Eis qui Judaicam superstitionem sequuntur Divi Severus & Antoninus honores adipisci permiserunt, sed & necessitates eis imposuerunt, quae superstitionem eorum non laederent.* ¶ Ὃν ἔφασκεν ὁ Παῦλος ζῆν. *quem affirmabat Paulus vivere*] Resuscitatum esse.

20. Ἀπορούμενος δὲ ἐγὼ εἰς τὴν περὶ τούτου ζήτησιν, *Haesitans autem ego de hujusmodi quaestione*] Cùm ego in rei istius inquisitione haererem, ignarus scilicet disputationum quae sunt inter Judaeos, & ex quibus normis eae sint dijudicandae. Manuscriptus non habet εἰς. Et solet ἀπορῶ [*haesito*] saepe construi cum accusativo. ¶ Κἀκεῖ κρίνεσθαι περὶ τούτων. *& ibi judicari de istis*] A Synedrio, ut supra diximus.

21. Ἐπικαλεσαμένου τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν, *appellante ut servaretur ad Augusti cognitionem*] Est ἔλλειψις [*defectus*] pro εἰς τὸ τηρηθῆναι [*ut servaretur.*] *in hoc appellavit ut Caesaris cognitioni servaretur. Caesar* & *Augustus* principatûs vocabula Tacito Histor. 2. ¶ Ἐκέλευσα τηρεῖσθαι αὐτὸν, ἕως οὗ πέμψω αὐτὸν πρὸς Καίσαρα. *jussi servari eum, donec mittam eum ad Caesarem*] Manere debebat Paulus in custodia donec Caesar cognosceret. Nihil enim novandum appellatione interposita. Vide quae ad titulum ejus argumenti in Digestis diximus. Pro πέμψω [*mittam*] Manuscriptus habet ἀναπέμψω [*transmittam.*]

22. Ἐβουλόμην καὶ αὐτὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι. *Volebam & ipse hominem audire*] Curiositate ducebatur, quali olim Herodes, Luc. 23. 8.

23. Μετὰ πολλῆς φαντασίας, *cum multa ambitione*] Utitur hac voce eodem sensu & Polybius, & Hipparchus, & Chronicon vetus, & Chrysostomus aliquoties: Sopater quoque, πομπικῶς καὶ μετὰ πολλῆς φαντασίας. [*cum apparatu solemni & fastu.*] Bardesanes apud Eusebium de Bactrorum mulieribus, Ὑπηρετούμεναι ὑπὸ παιδισκῶν καὶ νεανίσκων μᾶλλον ἢ οἱ ἄνδρες προέρχονται μετὰ πολλῆς φαντασίας ἔφιπποι, κοσμοῦσαι πολλῷ χρυσῷ καὶ λίθοις βαρυτίμοις τοὺς ἵππους [*Pluribus, quàm viri, ancillarum ac puerorum obsequiis officiisque coli solent, prodeunt in equis, quos multo auro gemmisque pretiosissimis phaleratos habent, ingenti specie atque pompâ.*] Hinc φαντασιοσκοπεῖν [*torvum ac superbum intueri,*] Sir. 4. 30. ¶ Καὶ εἰσελθόντων εἰς τὸ ἀκροατήριον, *& introissent in auditorium*] Graeca vox facta ad exemplum Latinae. Est enim in jure Romano frequens hoc sensu vox *auditorii.* Syrus bene vertit [illegible] [*praetorium.*] ¶ Σύν τε τοῖς χιλιάρχοις, *cum Tribunis*] *Cum Praefectis cohortium.* ¶ Καὶ ἀνδράσι τοῖς κατ' ἐξοχὴν οὖσι τῆς πόλεως, *& viris principalibus civitatis*] *Caesareensium primis.* τοῖς κατ' ἐξοχὴν οὖσι, pro τοῖς ἐν ἐξοχῇ οὖσι. Quomodo Paulus dixit τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων [*qui in sublimitate sunt,*] 1 Timoth. 2. 2. ¶ Ἤχθη ὁ Παῦλος. *adductus est Paulus*] Ut supra 6.

24. Ἐνέτυχόν μοι, *interpellavit me*] Bene Latinus interpres *interpellavit me.* Glossa, ἐντυγχάνω, *interpello.* ¶ Ἐπιβοῶντες μὴ δεῖν ζῆν αὐτὸν, *acclamantes non oportere eum vivere*] Ut *hominem pestilentem.* Vide supra 24. 5.

25. Ἐγὼ δὲ καταλαβόμενος, *Ego verò comperi*] Καταλαμβάνειν & Atticè καταλαμβάνεσθαι, inter alia est *invenire, deprehendere.* Ita supra 4. 13. & 10. 34. ¶ Ἔκρινα πέμπειν αὐτὸν, *judicavi mittere eum*] *Constitui eum mittere.* Sic habuimus κρίνειν [*judicare*] & supra 20. 16.

26. Τῷ Κυρίῳ, *Domino*] Domini nomen ab Augusto & Tiberio recusatum posteriores Imperatores recepere. ¶ Προήγαγον αὐτὸν, *produxi eum*] In publicum produxi. Ut supra 12. 6. ¶ Ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης, *ut interrogatione facta*] Ἀνάκρισις [*interrogatio*] hic est *praevia quaedam inquisitio, non judicandi sed judicis edocendi causâ.* Sumitur eo sensu ἀνάκρισις à Marciano L. Divus Hadrianus, D. de custodia & exhibitione reorum, cap. 2. Novella de his qui Eunuchos faciunt. Hanc ἀνάκρισιν, *elogium* appellat Marcianus eadem lege, & Tertullianus ad Scapulam: *notoria*, lex Ab accusatione. D. ad Sc. Turpillianum. L. ea quidem C. de accusationibus L. Siquis in hoc. C. de Episcopis & Clericis, & Augustinus Epistola 159. & 160. Marcianus etiam *interrogationes.*

27. Ἄλογον γάρ μοι δοκεῖ, *Sine ratione enim mihi videtur*] *Absurdum mihi videtur.* ¶ Μὴ καὶ τὰς κατ' αὐτοῦ αἰτίας σημᾶναι. *& causas ejus non significare*] *Et non significare crimina ipsi objecta.* Ut aliquid certi exploratique possit scribere, vult praesente Rege A-

grippa

grippa Judaïcarum legum ac quæstionum non ignaro audire quid illud esset, de Jesu Nazareno quod ei pro crimine objiciebatur. Ἀιτίας [*causas*] hic dixit quod supra 7. *αἰτιάματα*.

P R I C Æ U S.

Com. 5. Οἱ οὖν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν, &c.] Syrus, & nuper Viri magni *Quibus commodum est Cæsaream venire:* quâ interpretatione admissâ, saltem suppleri debuit, *ἐπὶ συγκαταβαίνειν*. At interim quis ferat sic loquentem? è Græco quovis Scriptore quis quid simile potis proferre? imò si Lucas hoc voluit, *οἱ οὖν εὐκαιροῦντες*, vel *οἷς οὖν ἐν ὑμῖν εὔκαιρόν ἐστι*, dixisset: non, *οἱ δυνατοὶ ἐν ὑμῖν*. Commodiùs *τοὺς δυνατοὺς* exponamus, *τοὺς ἄριστα κατηγορῆσαι δοκοῦντας* quasi dicat, Turbæ confusæ voces nil significant, tollit faciem ac formam judiciorum incondita multitudo: seligantur ergò cæteris instructiores ad accusandi munus obeundum. Apud Lucian. Piscat. *Ἡμεῖς μὲν ὑμῖν καθήμεθα ἕτοιμοι ἀκούειν τῶν λόγων ὑμεῖς δὲ προελόμενοί τινα ἐξ ἁπάντων ὅστις ἄριστα κατηγορῆσαι ἂν δοκῇ, ξυνείρετε τὴν κατηγορίαν οὐ γὰρ οἷόν τε πάντας ἅμα λέγειν.* Possumus & *δυνατοὺς* simpliciter exponere *τοὺς δυναμένους*, supple *κατηγορῆσαι*. *Qui possunt accusare, &c. accusent eum.* Cicero Divin. in Verrem, *Accusatorem firmum verùmque:* ubi Asconius, *Firmum, ut possit;* (*ἵνα δυνατὸς ᾖ*) *verum, ut velit.* Sic infrà 27. 43. nave tempestate quassâ, jubentur *οἱ δυνάμενοι κολυμβᾷν ἀποῤῥίψαντες*, &c. *ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι* qui sermo, si quis attendat, persimilis isti. Est & tertius exponendi modus, quem video hic Latinum secutum. Placebat illi vertere *qui inter vos potentes sunt:* id est, ut ego quidem accipio, qui cæteris honestiores sunt, qui magis auctoritate pollent. Sic apud Thucydidem, Plutarchum, Josephum, Philostratum, alios, & Apoc. 6. 15. *τῶν δυνατῶν* vocem reperias. Talibus autem accusationem permittere videtur, ut quos libentiùs auditurus esset, & quorum allegationibus faciliùs crediturus. Quo sensu non ità ineptè hic Vetus ac Recentiori visum.

Com. 6. *Διατρίψας ἐν αὐτοῖς ἡμέρας πλείους ἢ δέκα, καταβὰς εἰς Καισάρειαν.* &c.] Legitur in quibusdam, *ἡμέρας πλείους ἢ ὀκτώ.* in aliis, *οὐ πλείους ἢ δέκα.* Vetustissimus Regis mei MS. habet, *οὐ πλείους ὀκτὼ ἢ δέκα·* quæ lectio non immeritò probatur in comparabili Viro. Sic 7. 12. Philostratus, *ὀκτὼ ῥήματα ἢ δέκα.* Fuit cùm pro *πλείους ἢ δέκα, καταβὰς*, &c. legendum haud licentiosè crederem, *ἡμέρας πλείους ἤδη καὶ καταβὰς*, &c. Sic Joh. 11. 17. *τέσσαρας ἡμέρας ἤδη* *πλείους* autem pro *τινὰς*, ut suprà 21. 10. *ἐπιμενόντων ἡμῶν ἡμέρας πλείους*. Quæ si cui placuerit conjectura, etiamnum maneat. Vide & infrà hîc Com. 14.

Com. 7. *Πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιάματα φέροντες κατὰ τοῦ Παύλου*] Sic *κρίσιν κατά τινος φέρειν*, 2 Pet. 2. 11. Infrà heic Com. 18. *ἐπί τινος αἰτίαν ἐπιφέρειν* dicitur. *Πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιάματα*, ut apud Apuleium ille, *Hunc ego, Domine, reum apud te facere institui plurimorum maleficiorum & manifestissimorum.*

Ibid. *Ἃ οὐκ ἴσχυον ἀποδεῖξαι*] Nil dignum tanto hiatu ferebant promissores isti. Vide suprà ad 24. 13. dicta. Bene Apuleius, *Insimulari quivis innocens potest, revinci nisi nocens non potest.*

Com. 8. *Ἀπολογουμένου αὐτοῦ*, &c.] Vulgat. *Paulo rationem reddente*, ut & suprà 22. 1.

Com. 10. *Ἰουδαίους οὐδὲν ἠδίκησα*] Ælianus Var. 3. 47. de Phocione, *Οὐδὲν ἀδικήσας τοὺς Ἀθηναίους*. Apostolus 2 Cor. 7. 2. *Οὐδένα ἠδικήσαμεν.*

Ibid. *Ὡς καὶ σὺ κάλλιον γινώσκεις*] 2 Tim. 1. 18. *βέλτιον σὺ γινώσκεις*.

Com. 11. *Εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ, καὶ ἄξιον θανάτου πέπραχά τι, οὐ παραιτοῦμαι τὸ ἀποθανεῖν*] In Ranis Aristophanis,

> *Κἄν ποτε μ' ἕλῃς ἀδικοῦντ', ἀπόκτεινόν μ' ἄγων.*

In Ejusdem Acharnens. Dicæopolis,

> *Μηδαμῶς πρὶν ἄν μ' ἀκούσητέ γε ——*

ubi Scholia, *Οὐ τὸν θάνατον παραιτεῖται, ἀλλὰ πρῶτον εἰπεῖν ἀξιοῖ, καὶ τότε ἐὰν ᾖ δίκαιον, ἀποθανεῖν.* Apud Lucianum Piscat. *Εἰ μέν τι ἀδικῶν φαίνομαι, καὶ τοῦτο περὶ ἐμοῦ γνῷ τὸ δικαστήριον, ὑφέξω δηλαδὴ τὴν ἀξίαν*, &c. Athenagoras in pro Christianis Apologia, *Καὶ εἰ μέν τις ἡμᾶς ἐλέγχειν ἔχει ἢ μικρὸν ἢ μεῖζον ἀδικοῦντας, κολάζεσθαι, οὐ παραιτούμεθα· ἀλλὰ καὶ εἴ τις πικροτάτη καὶ ἀνελεὴς τιμωρία, ὑπέχειν ἀξιοῦμεν.* Terent. Phorm.

> *Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit, &c.*
> *Non causam dico quin quod meritus sit ferat.*

Ubi Donatus, *Rhetoricum theorema, quo uti solet qui propositæ causæ fiduciam gerit. Si hoc aut illud, non oro veniam, non deprecor pœnam.* Philetas apud Q. Curtium lib. 6. *Si insidiatus, pœnam non deprecor.*

Ibid. *Εἰ δὲ οὐδέν ἐστιν ὧν οὗτοι κατηγοροῦσί με*, &c.] Lucianus ibidem, *Ἢν δὲ τὰς εὐθύνας ὑποσχὼν καθαρὸς ὑμῖν καὶ ἀνυπαίτιος εὑρίσκωμαι, ἀφήσουσί με οἱ δικασταί, ὑμεῖς δὲ εἰς τοὺς ἐξαπατήσαντας ὑμᾶς, καὶ παροξύναντας καθ' ἡμῶν, τὴν ὀργὴν τρέψετε.* De locutione *εἰ οὐδέν ἐστι* suprà ad 21. 24. diximus.

Com. 12. *Ἐπὶ Καίσαρα πορεύσῃ*] Romano civi concedit quod non concedens se vis publicæ reum fecisset: vide l. 8. d. tit. & Pauli Sentent. 5. 26.

Com. 13. *Ἡμερῶν δὲ διαγενομένων τινῶν*] Bene Græcè, ut & infrà 27. 9. Ælianus Var. 3. 19. *Τριῶν δὲ μηνῶν διαγενομένων.*

Com. 14. *ἀνέθετο*] *Communicavit:* sic 1 Maccab. 3. 9. eodem sensu *ἀνέθετο*. Gal. 1. 16. *προσανατίθεσθαι* habemus. Vide & ibid. 2. 2.

Com. 15. *δίκην*] Damnationem, sententiam mortis, ut clarè ex responso subjuncto patet.

Ibid. *Αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην*] i. *Καταδίκην*, & ità bene Vulgatus *damnationem*.

Com. 16. *Οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις*, &c.] Romanæ (inquit) civilitatis non est, sed Barbaricæ feritatis. Vide Apuleii locum suprà ad 19. 40. adductum. Simillimè apud Eunapium Proconsul ille ad inquietos & procaces accusatores quosdam, *Ἀλλ' οὐ τοῦτό γε Ῥωμαῖοι δοκιμάζουσιν.* Athenagoras ad Impp. Antoninum & Commodum, *Οὐ πρὸς τῆς ὑμετέρας δικαιοσύνης τοὺς αἰτίαν λαβόντας ἀδικημάτων, πρότερον ἢ ἐλεγχθῆναι κολάζεσθαι.*

Ibid. *Εἰς ἀπώλειαν*] Absunt à Veteri. Vide & suprà com. 11.

Ibid. *Πρὶν ἢ ὁ κατηγορούμενος κατὰ πρόσωπον ἔχοι τοὺς κατηγόρους*] Cicero Verr. 3. *Si præsens Sthenius reus esset factus, si manifesto in maleficio teneretur, tamen cùm accusator non adesset, Sthenium condemnari non oporteret.*

Ibid. *Τόπον τε ἀπολογίας λάβοι*] Vulgat. *locum defendendi habeat:* nimirum & verba Lucæ Latinismum sapiunt; ut & illa Heb. 12. 17. *μετανοίας τόπον εὑρίσκειν* (quem librum etiam eundem Lucam scripsisse nonnulli probabiliter affirmant.) Boetius Consolat. lib. 2. *Dabimus dicendi locum:* pro quo apud Senecam de Clement 1. 9. *Dabitur tibi loquendi liberum tempus, λήψεις τόπον ἀπολογίας.*

Ibid. *Τόπον τε ἀπολογίας λάβοι περὶ τοῦ ἐγκλήματος*] *Nec enim prohibendus reus quominus cuncta proferat quibus innocentia ejus sublevari possit*, ut apud Tacitum 2. Annal. Lactantius 5. 1. *Sacrilegis, proditoribus & veneficis potestas defendendi sui datur: nec prædamnari quenquam incognitâ causâ licet.* Max. Tyrius Dissert. 6. *Εἰ δίκην ἐφεύγομεν, ἠχθόμεθα ἂν τῷ δικαστῇ μὴ παρέχοντι ἑκατέρῳ ἐκ τῆς ἴσης τὴν ἀπολογίαν.* Lucianus in de Calumn. *Οὐδὲν ἀδικώτερον ἢ ἀκρίτους τινὰς καὶ ἀμοίρους λόγων καταδεδικάσθαι.* Apud eundem in Piscat. *Βαδίζωμεν ἐπὶ τὸ δικαστήριον, καὶ τὴν φιλοσοφίαν παραλαβόντες, ἀκούσωμεν ὅ, τι δὲ ἀπολογήσεται· τὸ πρὸ δίκης καταδικάζειν γὰρ οὐχ ἡμέτερον*, (Romanus Præses hic, *Ῥωμαίοις οὐκ ἔθος ἐστὶν*) *ἀλλὰ δεινῶς ἰδιωτικὸν ὀργίλων τινῶν ἀνθρώπων, καὶ τὸ δίκαιον ἐν τῇ χειρὶ τιθεμένων.* Et statim, *Παρέξομεν ἀφορμὰς τοῖς κατηγορεῖν ἐθέλουσι, καταλύσαντες ἄνδρα μηδὲ ἀπολογησάμενον.* In Senecæ Apocol. *Dic mihi, &c. quare quenquam ex his quos quásque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires, damnâsti.* Philo de Flacco, *Μηδὲ λόγου μεταδοὺς, ἀλλ' ἀκρίτως καταδικάζων.*

Com. 17. *Ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος*] Vulgatus, *sine ulla dilatione*. Glossarium, *Ἄνευ ἀναβολῆς*, *Sine dilatione, sine procrastinatione.* Ibidem, *Sine intermissione*, *χωρὶς ὑπερθέσεως*.

Ibid. *Ἐκέλευσα ἀχθῆναι τὸν ἄνδρα*] Vulgat. *adduci hominem:* i. e. *induci*; quæ vox hîc propria. Vide ad Luc. 10. 11. annotata. *Ἀχθῆναι* ergò hoc loco est *εἰσαχθῆναι*.

Com. 18. *Οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον ὧν ὑπενόουν ἐγὼ, ζητήματα δέ τινα*, &c.] Nil graviorum criminum ad meam cognitionem spectantium, sed frivola nescio quæ ad propriam superstitionem pertinentia. Similia in contrariam partem Martialis ista,

> *Non de vi, neque cæde, nec veneno,*
> *Sed lis est mihi de tribus capellis.*
> *Vicini queror has abesse furto:*
> *Hoc Judex sibi postulat probari.*
> *Tu Cannas, Mithridaticúmque bellum,*
> *Et perjuria Punici furoris,*

Et Sullas, Mariósque, Mutiosque,
Magnâ voce sonas manúque totâ.

Αἰτίαν ἐπιφέρειν inter locutiones melioris Græciæ est. Dio in Excerptis, & Achilles Tatius lib. 6. ἐγκλήματα ἐπιφέρειν dixit. Herodianus 2. ἔγκλημα ὑποφέρειν pro quo Diodorus Siculus, lib. 14. & in Fragmentis, αἰτίας ἐπιφέρειν. Pollux 3. 29. cap. περὶ τοῦ ἐγκαλεῖν, Αἰτιᾶσθαι, αἰτίαν ἐπάγειν, προσφέρειν. Imò, ut Lucas, αἰτίας ἐπιφέρειν, Plutarchus in Arato, item Eunapius in Ædesio dixit. Sic Philo in de Linguis confusis, ζημίαν ἐπιφέρειν. Paulus Philip. 1. 16. ἐπιφέρειν θλῖψιν.

Com. 19. Περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας] Propriè hoc loco δεισιδαιμονίαν dici, ex Ulpiano & Quintiliano memoriæ Vir æternæ indicavit. Addantur & hi loci eodèm pertinentes. Tacitus Histor. 2. *Ob ingenium gentis, & pervicaciam superstitionis.* Ibid. 4. de iisdem, *Gens superstitioni obnoxia.* Apuleius Floridis, *Ægyptios eruditos, & Judæos superstitiosos.*

Com. 23. Μετὰ πολλῆς φαντασίας] Id est, (ut 1 Maccab. 9. 37.) μετὰ παραπομπῆς μεγάλης ubi Vetus, ut & hoc loco, *cum multa ambitione*, i. e. pompa & exteriore apparatu. Plinius lib. 1. Epist. 14. *Honestam quietem prætulit huic nostræ ambitioni dicam, an dignitati?* Hoc sensu vocem παραπομπῆς 1. 79. Artemidorus posuit. Idem ejusdem lib. Præfat. μετὰ κατασκευῆς ἐκ τῆς τύχης. 1 Maccab. 10. 58. μετὰ δόξης μεγάλης dicitur. Matth. 24. 30. & Luc. 21. 27. μετὰ πολλῆς δόξης. Ἐντίμῳ καὶ περιδόξῳ πομπῇ δορυφορούμενος apud Photium Olympiodorus dixit. Hieronymus in vita Hilarionis, *cum ingenti honore & comitatu.* Virgilius, *Ingenti mole.*

Interea Reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru:———

ubi Servius, *Ingenti pompâ, ambitu: nam modò hoc significat.* Talis & Reginæ Punicæ quam in 4. describit,

Tandem progreditur magnâ stipante catervâ,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem:
Nec non & Phrygii comites.———

Apud Suetonium in Caligula hoc sensu *scenam* habemus. Apud Salustium in de Repub. ord. *superbiam*, *Neque divitiis aut superbiâ*, inquit, *sed bona famâ factísque fortibus nobilis ignobilem anteibat:* apud Paulum 1 Cor. 7. 31. σχῆμα. Nec cùm *rerum urbanarum ostentationem* Ammianus dixit, videtur aliud expressisse quàm quod Lucas hic φαντασίαν vocavit. Vocem φαντασίας autem, præter Auctores jam aliis notatos, usurpârunt hâc eâdem notione apud Athenæum 5. Callixenus Rhodius, & Posidonius Apamæensis: nec non Diodorus Siculus in Excerptis. Notabile est & hoc sensu quasi παράλληλον vocem ὑπονοίας Eunapium posuisse, Μετὰ βασιλικῆς ὑπονοίας (inquit) καὶ δορυφορίας ἐφοίτα. Sunt verba ejus in vita Maximi de Juliano loquentis.

Com. 24. Ἐνέτυχόν μοι] Bene hîc ἐνέτυχον. Hesychius, Ἔντευξις, ἀπάντησις κατὰ τῶν πλημμελησάντων, δέησις εἰς ἐκδίκησιν. Supra com. 1. αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην. Sic 1 Maccab. 8. 32. & 11. 25. ἐντυγχάνειν occurrit.

Com. 25. ἔκρινα] Vulgatus *judicavi*: i. e. statui, ut infrà 27. 1. ἐκρίθη *judicatum est.*

CAP. XXVI.

VALLA.

17, 18. **E***Ripiens te de populis & gentibus, in quas ego nunc te mittam, Aperire oculos eorum*] *De populo* legendum est, h. e. Judæorum. Nam & quidam Græci cod. habent *Judæorum*; & *quos*, non *quas*, ut Græcè est: & illud indicat, *Oculos eorum*, videlicet *ut aperias oculos eorum, in quos*, sive *ad quos, mittam te.* Neque *nunc* apud Græcos est: ἐκ τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἐθνῶν εἰς οὓς ἐγώ σε ἀποστέλλω.

28, 29. *In modico suades me fieri Christianum. Et Paulus, Opto apud Deum, & in modico & in magno*] Jam superiùs admonui istius verbi, non *suades* sed *persuades* dicendum fuisse. Quem locum, qui parùm eleganter transfertur, sic ego transtulissem, *Parùm abest quin persuadeas me fieri Christianum. Cui Paulus dixit, Optarem apud Deum*, sive *Votum facerem Deo, sive parùm sive multùm abest*, Ὁ δὲ Παῦλος εἶπεν, Εὐξαίμην ἂν τῷ Θεῷ.

REVIUS in VALLAM.

29. **S***IVE parum sive multum abest*] Videantur Erasmus & Beza.

ERASMUS.

2. **Æ***Stimo me beatum*] Ut nè quid causemur quòd pro *existimo* dixit *æstimo*, cùm Græcè sit ἥγημαι. quod, *cum sim defensurus* pro *quod sim defensurus.* Cæterùm ἐπὶ σοῦ *apud te* bellè vertit, cùm antea verterit *ad te.* Jam cùm præcesserit *apud te*, vide quàm concinnè cohæreat, *Maxime te sciente.* Verùm illud omnium suavissimum quod addit, *omnia quæ apud nos sunt consuetudines & quæstiones:* ceu fas sit ità loqui, *omnia consuetudines & quæstiones.* Atqui Hieronymus in libro quem scripsit ad Pammachium De optimo genere interpretandi, citans hunc locum, vertit ad hunc modum, *De omnibus quibus accusor à Judæis, ô Rex Agrippa, existimo me beatum, cum apud te sim hodie defendendus, qui præcipuè nosti cunctas quæ in Judæis sunt consuetudines & quæstiones.* Atque hujus loci per Hieronymum restituti meminit Beda. Nos vertimus hunc in modum *Super omnibus de quibus accusor à Judæis, Rex Agrippa, existimo me beatum, qui causam dicturus sim hodie apud te, quòd tu maximè sis gnarus earum quæ apud Judæos sunt & quæstionum & consuetudinum.* Græca sic habent, Περὶ πάντων ὧν ἐγκαλοῦμαι ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, βασιλεῦ Ἀγρίππα, ἥγημαι ἐμαυτὸν μακάριον, μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ σήμερον, μάλιστα γνώστην ὄντα σε πάντων τῶν κατ' Ἰουδαίους ἐθῶν τε καὶ ζητημάτων. Quanquam durè congruit ὄντα σε, nisi fortè scribendum erat ὄντος σοῦ, aut nisi placet accusandi casum prò genitivo poni absoluté. Hic Beda refert aliam editionem quæ sic habuerit, *Æstimo meipsum beatum apud te, incipiens reddere rationem hodie.* Libens rogarim istos qui contendunt hanc translationem esse Hieron. & afflatu Spiritûs S. proditam, & hæreticum esse quicquid ab ea diversum est, cur Hieronymus ausus est eam immutare? Aut si post hæc emendavit, cur delectatus est inutili solœcismo, præsertim cùm Græcus sermo tale nihil habeat? In ὄντα consentiunt Græci codices, nec video solutionem, nisi subaudiamus ἰδὼς *sciens.*

4. *Quæ ab initio fuit in gente mea*] Bis est hoc loco ἄνωθεν, quod Interpres vertit *ab initio.* Significat autem *vitæ seriem ab initio usque ad finem*

5. *Secundùm certissimam sectam*] Κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν. Pharisæorum sectam *hæresim* vocavit, haud dubiè quin in bonam partem. Deinde quod hic vertit *certissimam*, Græcis est ἀκριβεστάτην *exactissimam ac diligentissimam*; quòd esset eruditior ac rigidior quàm Sadducæorum, proximéque ad verum accedens.

6. *Et nunc in spe quæ ad Patres*] Ἐπ' ἐλπίδι· Melius erat *de spe*, sive *ob spem.*

7. *Duodecim Tribus*] Τὸ δωδεκάφυλον. Græcis una dictio est, quæ significat non unam aut alteram sectam, sed universam gentem Judæorum in duodecim Tribus distinctam. Cui respondet participium λατρεῦον, quod, ut sæpè jam diximus, *cultum Numinis* significat: unde nos vertimus *colentes Deum.* Cæterùm apud nos desunt duo verba ἐν ἐκτενείᾳ i. *acriter*, sive *assiduè*: ut legas, *Duodecim Tribus instanter noctu ac die serviimus.*

10. *Detuli sententiam*] Κατήνεγκα ψῆφον. Incertum an sentiat illum adduxisse decretum à Synagoga factum, an ipsum quoque suo suffragio damnasse Christianos. Nam *fert sententiam* Judex, *fert suffragium* qui dicit in concilio sententiam, & *defert* minister aut executor. In posteriore sententia est Lyranus; in priore Rabanus.

12. *In quibus dum irem*] Ἐν οἷς, h. e. *in his versans, & hæc agens:* quâ figurâ sermonis & antea semel est usus.

16. *Ut constituam te ministrum*] Προχειρίσασθαί, *ut præparem:* quod antè vertit *præordinare.*

17. *Eripiens te de populis & gentibus, in quas*] Græcis est ἐκ τοῦ λαοῦ *de populo:* sentiens nimirum de Judæis. Et nonnulli Græci cod. pro *populo* habebant *Judæis.* Repetit ad eundem modum paulò pòst τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι, *populo & Gentibus.* Verùm apud illos non est *in quas*, ut respondeat *gentibus*, sed οὓς, i. *ad quos*, rei magis habitâ ratione quàm vocis.

20. *Digna pœnitentiæ opera*] Si *digna* sumis absolutè, bene habet oratio; sin minùs, *opera digna pœnitentiâ* (sive *pœnitentiæ*)

tia) sunt quorum jure pœniteat: de quo nonnihil dictum est nobis Matth. 3.

21. *Volentes me interficere*] Διαχειρίσασθαι quod magis sig. *injectâ manu violare* quàm *interficere*.

23. *Si passibilis Christus*] Εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς, *an pati deberet Christus*. Sic enim disputabat ex Prophetis ut ostenderet illorum Vaticinia competere in Christum. Siquidem hæc referenda sunt ad *prædictionem Prophetarum*, non ad *Christum passum*: alioqui parùm aptè cohærebit, *Lumen annunciaturus sit populo*.

26. *Neque enim in angulo quicquam horum gestum est*] Non displicet quod legit Interpres; Græci tamen aliquantò secùs habent, οὐ γάρ ἐστιν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο, *neque enim hoc in angulo factum est*.

28. *In modico suades*] Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Primùm *modicum* pro *paulo* suo more usurpat. Deinde inter *suadere* & *persuadere* non sentit esse discrimen apud Latinos, etiamsi apud Græcos unicum verbum nostris duobus respondet. Cæterùm haud erat in proclivi commodè locum hunc vertere. Valla putat ità reddi potuisse, *Parùm abest quin persuadeas me fieri Christianum. Cui Paulus dixit, Optarim apud Deum, sive parùm sive multum abest.* Arbitror & ità reddi potuisse, *Aliquantulùm mihi persuades ut fiam Christianus. Et Paulus ait, Optarim à Deo, ut non solùm aliquantùm, verùm etiam multùm, neque te tantùm sed & omnes qui audiunt me hodie*, &c. Neque enim opinor id sensisse Agrippam, Parùm abesse quin cuperet fieri Christianus, sed Aliquantulùm huc propensum esse redditum oratione Pauli.

VATABLUS.

2. COEpit rationem reddere] *Pro se causam dicere*, *causam suam dicebat*.

2. *Cùm sim*] *Quòd sim*.

3. *Omnia*] *Omnes*, Vet.

5. *Præscientes*] *Qui priùs noverant*. ¶ *Certissimam*] *Exactissimam, diligentissimam*.

6. *In spe*] *De spe*, vel *ob spem*, sive *fretus spe*.

7. *In qua*] *In quam*, Vet. ¶ *Nostra* *] * *Instanter*. ¶ *Rex*] *Agrippa*.

8. *Quid*] *Cur*.

9. *Existimaveram*] *Existimabam*. ¶ *Debere*] *Oportere*.

10. *Et*] pro *nam*.

11. *Persequebar* *] * *Etiam*.

12. *In quibus*] Vel *Quarum rerum studio*, aut *In his versans, & hæc agens*. ¶ *Media in via*, &c.] *Media, ô Rex, in via vidi e*, &c.

13. *Supra splendorem solis*] i. Lumen sole splendidius. ¶ *Erant*] *Iter faciebant*.

14. *Mihi* *] * *Et dicentem*. ¶ *Saule, Saule*] *Saul, Saul*, Vet.

15. *Dominus*] *Ille*.

16. *Constituam*] *Præparem*. ¶ *Quibus*] *Per quæ*.

17. *Populis*] *Populo*, Vet. ¶ *In quas*] *Ad quos*, sub. *populos*.

18. *Sanctos*] Vel *eos qui sanctificati sunt*.

19. *Incredulus*] *Inobediens*.

20. *Annunciabam*] Vel *annunciavi*. ¶ *Digna pœnitentiâ*] Vel *quæ decerent pœnitentiam*.

21. *Interficere*] Vel potiùs, *violentâ manu violare*.

23. *Si passibiles Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo & Gentibus*] Vel, *Quod passurus fuerit Christus, quod primus ex mortuis resurrecturus, quod, inquam, annunciaturus lumen populo & Gentibus*.

24. *Loquente eo & rationem reddente*] *Cùm pro sui defensione diceret*.

25. *Optime*] Vel *potentissime*.

26. *Ad quem* *] * *Et*, Vet.

28. *Ad Paulum* *] * *Ait*. ¶ *Opto apud Deum & in modico & in magno*] *Optarim à Deo, ut non solùm aliquantulùm, verùm etiam multùm. In modico*; i. paucis verbis, vel aliquantulùm: q. d. parùm abest quin mihi persuadeas, vel ut alii aliquantulùm mihi persuades.

29. *Et in modico & in magno*] Vel *& paucis & multis verbis*; aut *non solùm aliquantulùm sed etiam multùm*. ¶ *Hodie* *] * *Me*.

30. *Et* *] * *Cùm hæc dixisset*.

31. *Fecit*] *Facit*: præs. temp.

CLARIUS.

6. ET nunc de spe] Prædicare Christum nihil erat aliud quàm annunciare spem quæ ad Patres facta erat esse impletam, cujus summa est Resurrectio mortuorum, cui inimici Judæi, dum ei resistunt, manifestò adversantur. Cernis quàm sapienter rem tractet?

8. *Quid incredibile judicatur apud vos si Deus mortuos suscitat?*] Dignum Paulo verbum. Nam profectò ità est. Si Deum omnia posse confitemur, quod & Ethnici prædicant, ut quidam eorum dixerit,

> ——— *Immensa est finémque potentia cæli*
> *Non habet; & quicquid superi voluere peractum est*:

Si ergò id credimus, cur & hoc non credamus? Sed nos metimur Deum nostris viribus nostrísque cogitationibus, & res consuetudine potiùs quàm ipsâ naturâ consideramus. Quasi non æquè mirum sit homines quotidie ex informi semine procreari! quod procul dubio non minùs difficile judicaremus si nunquam quisquam nostrùm id fuisset expertus.

25. *Sobrietatis verba*] Contra id quod Festus dixerat, *eum furere*.

28. *In modico suades me Christianum fieri*] Ἐν ὀλίγῳ. Brevi, inquit, oratione & compendiosâ doctrinâ ac sine multo labore mihi persuasisti. Cui ille respondet, Optare se, sive paucis sive multis verbis opus sit, omnes agnoscere Christum: fortasse significans, exiguum esse quod hactenus audierat præ iis quæ dici de ea re possent; qui si vellet & plura audire, & uberiori hâc frui doctrinâ, se non defatigari, sed promptum & alacrem ad dicendum accessurum. Potest etiam illud, *In modico suades*, sic intelligi, Parùm abest quin mihi persuadeas, & nihil propiùs factum est quàm ut me feceris Christianum.

29. *Exceptis his vinculis*] Hoc dixit Paulus, non ut qui aversaretur vincula pro Christo, aut erubesceret; hoc enim, si quicquam aliud erat quo maximè gloriabatur; verùm ad illorum opinionem loquebatur, & se ad eorum infirmitatem demittebat.

ZEGERUS.

2, 3. CUM sim defensurus me hodie, maximè te sciente omnia, &c. Quanquam D. Hieronymus lib. De optimo gen. interp. pro *omnia* vertat *cunctas*, & unum quoddam vetustum exemplar habeat *omnes*, vix tamen addubito quin Interpres scripserit *omnia*, ut substantivè accipiatur, & per appositionem construatur cum *consuetudines & quæstiones*. Cæterùm de *sim*, vel *sis*, major mihi dubitatio est, quòd codices hîc magis varient. *Sis* tamen magis postulat tenor ipse sermonis. Videtur enim Paulus dicere, *Sperare se ab Agrippa defensionem, quòd ipse non ignoraret consuetudines Judaicas.* Sed rursus huic obstat ratio Grammaticalis. Non constat enim sermo, *cùm sis defensurus me, maximè te sciente omnia.* Probè autem constat, *cùm sim defensurus me, te sciente omnia.* Unde Beda alias duas citat versiones paulò commodiores; quarum prior hæc est, *Æstimo me beatum apud te, incipiens rationem reddere hodie.* Altera quæ est Hieronymi, loco citato, hujusmodi est, *Æstimo me beatum, cùm apud te sim hodie defendendus, qui præcipuè nosti cunctas quæ in Judæis sunt consuetudines & quæstiones.*

9. *Et nunc in spe quæ ad patres nostros repromissionis facta est*] De spe loquitur, futuræ Resurrectionis, ob quam potissimùm in jus accitus fuerat. Eam *spem* vocat *repromissionis*, i. promissam, utpote quæ *Patribus* promissa sit. De hac enim resurrectione scriptum est Soph. 3. 8. *Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum: quia judicium meum ut congregem Gentes*: item apud Job in multis locis. Pro illo autem *in spe* commodius est ἐπ' ἐλπίδι *propter spem*; siquidem ἐπὶ juncta dandi casui Causæ nota est.

12. *In quibus dum irem Damascum*] Ἐν οἷς esse potest *In quibus negotiis versans*, vel *hæc agens*, *dum irem Damascum*.

21. *Tentabant volentes me interficere*] Sunt codices qui, teste editione Lovaniensium, juxta Chrysostomum & archetypum, tantùm habent *tentabant interficere*: id quod & nos in quodam offendimus codice Gallicano.

23. *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione*] *Si* pro *Siquidem* vel *Quia* dictum est. Et Christus primus ad vitam immortalem resurrexit.

H. STEPHANUS.

1. Ἀπελογεῖτο] *Ab objecta sibi respondebat.* Vel, *defensione utebatur.* Vel, *causam dicebat.*

3. Μακροθύμως] *Patienter.*

5. Αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας] *Sectam nostra religionis.*

7. Τὸ δωδεκάφυλον] *Duodecim tribus.*

10. Ὃ καὶ ἐποίησα ἐν Ἱεροσολύμοις, &c.] Suprà 8. 3.

11. Περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς] *Et magis ac magis insaniam in illos exercens:* vel, *Et supra modum insaniens.*

12, Ἐν οἷς] *Inter qua:* i. Quæ dum à me fiunt. Vel, interim autem dum hæc à me fiunt. ¶ Μετ' ἐξουσίας καὶ ἐπιτροπῆς] *Ex autoritate & mandato.*

16. Ὧν τε ὀφθήσομαί σοι] *Et eorum in quibus à te videbor:* vel, *tibi apparebo.* Sive, *Eorum ad qua:* vel, *propter qua*, &c.

20, Ἀλλὰ τοῖς ἐν Δαμασκῷ] Suprà 9. 10, 29.

21. Διαχειρίσασθαι] *Interficere.*

22. Ἐπικουρίας οὖν τυχὼν] *Sed auxilium nactus.*

23. Εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς] *Nónne futurum esset ut Christus pateretur.*

24. Περιτρέπει] *Redigunt:* vel *adigunt.*

25. Σωφροσύνης] *Mentis sana.*

26. Οὐ πείθομαι] *Non credo.* Vel, *persuasum non habeo.*

28. Ἐν ὀλίγῳ] *Brevi temporis spatio.* Alii, *Propemodum.*

29. Καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ] *Et brevi & longo temporis spatio.* Alii, *Et propemodum & admodum.* ¶ Γενέσθαι τοιούτους] *Fieri tales.* Vel, *factos esse tales.*

CAMERON.

5. Κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν] Allusio est ad nomen ipsum *Pharisei*, quod non quamlibet *segregationem* significat, sed *accuratam* quandam & *exactam*, qualis eorum est quos Hebræi מדקדקים vocant, qui anxiè & scrupulosè sibi cavent ab iis quæ sunt κοινά. Itaque profanum vulgus sic notant, עם מדקדק, h. e. οὐκ ἀκριβοῖ. Hanc autem esse vim hujus nominis hinc patet, quòd verbum פרש, etsi *divisionem* & *separationem* notat, haud notat tamen *quamlibet divisionem*, sed *eam qua fit subtili quadam ratione.* Id quod hinc colligere cuivis liceat, quòd Hebr. דרבן Chaldaicè פרש *stimulum* significat, & *quod pungit*, ut Esa. 28. 28. ubi de rastro agitur, ופרשיו לא ידקנו *& dentes rastri ejus non comminuent illud: dentes rastri* dicuntur פרשים: unde & פרשים *equites à stimulis seu calcaribus* dicuntur, quomodo Græcè ἱππο κεντηταί. Et Prov. 23. 32. כצפעני יפרש *sicut aspis qua pungit*, h. e. dividit, sed subtiliter & punctim. Atque hoc verbum פרש id significare, præter ea quæ jam attulimus, satis ostendit quòd Hebraicum נקב verbo פרש Chaldaicè redditur Levit. 24 quo loco de blasphemo agitur: dicitur de blasphematore illo ויקב השם, Chald. vertit ופרש ית שמא, h. e. *argutè, distinctè nomen Domini protulit*, putà cum indignatione. Non erat itaque idonea causa cur Munsterus illud פרש interpretaretur *maledixit:* non fuit ea Paraphrastæ mens: voluit duntaxat נקב illud (quod significat *perforare*) exprimere. Sunt igitur Pharisæi (ut diximus.) מדקדקים: nam מדקדק est *qui omnia comminuit;* adeò subtilis est: unde etiam *Grammaticum* significat illud vocabulum.

LUD. CAPPELLUS.

7. Τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν] Cùm decem tribus Regni Israelitici ab Assyriorum Rege longè sint deportatæ, neque in historia Esdræ & Nehemiæ legantur unà cum Judæis, sub Cyro aliisque Persarum Regibus, rediisse in terram Chanaan, videri possunt tribus illæ ità cum Gentibus fuisse commixtæ ut à Dei cultu ad Ethnicorum idololatriam & mores defecerint. Nam si non defecerunt, cur sub Cyro non redierunt in patriam? cur non se reliquis Judæis reducibus adjunxerunt. Itaque mirum videri possit quòd Paulus hic meminit δωδεκαφύλε. Sed responderi potest, primò, Non omnes omnino Decem tribuum homines abductos fuisse captivos ab Assyriorum Rege, sed præcipuos duntaxat & nobiliores urbium & oppidorum cives: fæx plebis & miserum vulgus (quod Scriptura vocat דלת הארץ) relicti sunt in terra, ut essent agricolæ & vinitores: imò verò & alii non pauci in toto Israele relicti sunt, quorum magna pars (ut nè dicam omnes) sub Josia Rege Judæis in iis quæ ad Religionem spectant se adjunxit, uti planum est ex 2 Chron. 34. 7, & 9. & 35. 3, & 17. Horum posteri etsi forte tempore captivitatis Babylonicæ, póstque eam solutam, per multos annos Samaritanis, non verò Judæis, quoad religionis cultum sese conjunxissent, tamen postmodum sub Assamonæorum Regno, cùm ferme tota terra Chanaan, imò verò & Idumæa, subiisset jugum Judæorum, atque ab Hyrcano Simonis Judæ Machabæi fratris filio Samaria fuisset expugnata funditúsque deleta, Templúmque Samaritanorum in monte Garizim exstructum eversum ab eo fuisset, paucíque admodum superessent Samaritæ qui pertinaciter perstarent in cultu Templi illius, certum est plerosque eorum Israelitarum qui erant de sobole & posteris plebeculæ illius, cæterorúmque qui in terra Israelis relicti fuerant à Rege Assyriorum, adjunctos tum fuisse Judæis in Religione, uno atque altero seculo ante Christum natum. Quare Pauli tempore multi proculdubio ex illis oriundi Judæis erant commixti in toto Galilæa Inferiore & Superiore, totâque Peræâ, Galaad, Trachonitide & Batanæâ. Deinde, etsi Decem tribus abductæ non redierint φυλήδὸν in terram Israel, sub Cyro & Persarum Regibus, unà cum Judæis, tamen verisimile est multos ex iis Judæis commixtos diversis temporibus rediisse in Judæam. Quicquid sit, decem illas tribus non omnino defecisse ad Ethnicismum, sed adhuc exstitisse tempore Esdræ & Nehemiæ, liquet ex Esdr. 6. 17. ubi in dedicatione Templi à Judæis reducibus exstructi dicuntur oblati לחטאה *in oblationem pro peccato pro toto Israele, duodecim hirci, pro numero tribuum Israelis:* quod proculdubio factum non fuisset si plerique omnes Decem tribuum homines ad Gentilismum defecissent, & solæ duntaxat tribus Juda, Benjamin & Levi perstitissent in Dei cultu. Idem rursus habetur c. 8. 35. Illi nempe qui cum Esdra Babylone venerunt Jerosolymam, dicuntur *obtulisse juvencos* XII *pro toto Israele & hircos similiter* XII לחטאת *pro peccato, in holocaustum.* Et sanè non fit verisimile eos omnes Judæos qui sub Assuero per universum Persarum Imperium dispersi erant in CXX Imperii illius Provinciis, fuisse de solis duabus tribubus, Juda & Benjamin: nam tota tribus Levi proculdubio in Judæam se receperat ut isthic cultui Divino ministraret. Videtur itaque vero consentaneum ut tota illa διασπορὰ constiterit ex omnibus Israelitarum Tribubus.

GROTIUS.

1. Ἐπιτρέπεταί σοι ὑπὲρ σεαυτοῦ λέγειν.] *Permittitur tibi loqui pro temetipso*] Ut supra 24. 10. ¶ Ἐκτείνας τὴν χεῖρα. *extenta manu*] Ut solent dicturi.

2. Ἐπὶ σοῦ, *apud te*] *Te præsente:* non enim judex erat Agrippa. Vide supra 25. 9.

3. Μάλιστα γνώστην ὄντα σε, *Maximè te sciente*] Attici pro genitivis absolutè positis usurpant accusativos. Frequens id apud Thucydidem. ¶ Ἐθῶν τε, *& consuetudines*] An Gentes teneantur nostris institutis. ¶ Καὶ ζητημάτων. *& quæstiones*] Ut de Divino afflatu, de Resurrectione, de Messia.

5. Προγινώσκοντές με ἄνωθεν, *Præscientes me ab initio*] Idem est ἄνωθεν, quod modò ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio,*] nos [*abinde.*] ¶ Ἐὰν θέλωσι μαρτυρεῖν, *si velint testimonium perhibere*] Si modò quod norunt testari velint. ¶ Κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν, *secundùm certissimam sectam*] Vide quæ allata supra 22. 3. ¶ Τῆς ἡμετέρας θρησκείας, *nostra religionis*] Vox hæc à *Thracibus* venit, ut nos docet Plutarchus. Est autem significatio ejus media, Jac. 1. 26, 27. Coloss. 2. 18.

6. Ἐπ' ἐλπίδι τῆς πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίας γενομένης, *in spe qua ad Patres nostros repromissionis facta est* Intelligit spem resurrectionis, ut supra 23. 6. & 24. 15. Promisit Deus *se futurum Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi;* illi autem in hac vita nihil supra cæteros habuere, nec res soli possederunt præterquam ad sepulturam: inde colligebatur majora illis bona post hanc vitam reservari. Vide quæ dicta ad Matth. 22. 32. ¶ Ἕστηκα κρινόμενος. *sto judicio subjectus*] Quasi dicat *ob id reus sum:* ut supra 23. 6. & infra 7. *Stare* est reorum.

7. Τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν, *duodecim tribus nostra*] Græca libertate novam vocem finxit Lucas, concinnè admodum; quomodo & δωδεκάσκηπτρον [*duodecim sceptra*] de re eadem dixit in epistola Clemens. Josephi autem tribum bipartitam pro una Paulus sumpsit, ne præteritos putemus Levitas. ¶ Ἐλπίζει καταντῆσαι. *sperant devenire*] Id est, *pervenire*, ut supra 16. 1. & 18. 19, 24. & 20. 15. & 21. 7. & 25. 13. Est vox apud Polybium frequens. ¶ Τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν, *Quid? incredibile judicatur apud vos*] מה פלא בעיניכם [*an hoc mirum in oculis vestris?*] Habes id loquendi genus apud Zach. 8. 6. ¶ Εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει; *si Deus mortuos suscitat?*] Εἰ [*Si*] pro ὅτι [*quòd*] ad modum Hebræi אם. Gen. 47. 9. Psalm 63. 7. 139. 10. Num 3. 30. Esaiæ 4. 5.

9. Ἐγὼ μὲν οὖν ἔδοξα ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου

μὲν ἔδοξα ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου δεῖν πολλὰ ἐναντία πρᾶξαι *Et ego quidem existimaveram me adversùs nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere*] *Videbar mihi debere multa hostilia facere adversùs religionem Jesu Nazareni.* ὄνομα [*nomen*] pro *religione* habuimus aliquoties. ¶ *Καὶ πολλοὺς τῶν ἁγίων ἐγὼ φυλακαῖς κατέκλεισα τὴν παρὰ τῶν ἀρχιερέων ἐξουσίαν λαβὼν* & *multos sanctorum ego in carceribus inclusi à Principibus Sacerdotum potestate accepta*] Supra 9. 2. & 22. 5. ¶ *Ἀναιρουμένων τε αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον.* & *cùm occiderentur detuli sententiam*] ψῆφον φέρειν [*sententiam ferre*] per *κατάχρησιν* [*Abusionem*] etiam Æschines usurpat pro *comprobare*, a re fori ad alias translato significatu. Hoc dicit *se Stephani interfectionem toto animo, verbis gestisque approbâsse.* Vide supra 22. 20. & est plurale pro singulari, ut sæpe. Vide ad Matth. 9. 8.

11. *Καὶ κατὰ πάσας τὰς συναγωγὰς πολλάκις τιμωρῶν αὐτοὺς, Et per omnes synagogas frequenter puniens eos*] *Faciens eos flagris cædi.* Supra 22. 19. ¶ *Ἠνάγκαζον βλασφημεῖν* *compellebam blasphemare*] *Cogebam eos Christo maledicere.* ¶ *Περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς*, & *ampliùs insaniens in eos*] *In eos velut furore accensus.* ¶ *Ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις. usque in exteras civitates*] Pro *ἐν ταῖς ἔξω πόλεσι* [*in exteris civitatibus.*] *in urbibus extra Judæam*, qualis erat Damascus.

12. *Καὶ ἐπιτροπῆς*, & *permissu*]. In Glossario, *ἐπιτροπὴ, πραγμάτων φροντὶς, procuratio.*

13. *Ἡμέρας μέσης*, *Die media*] Supra 22. 6. ¶ *Ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου*, *supra splendorem Solis*] Si Christi in terris agentis vultus ut Sol luxit, Matth. 17. 2. æquum fuit magis eum lucere jam in cœlo regnantis. Et si *justi ut Sol splendebunt*, Dan. 12. 3. Matth. 13. 43. quantò magis omnium justorum Princeps?

14. *Τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ* *Hebraïcâ linguâ*] Sume ut supra 21. 40. & 22. 2. ¶ *Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. durum est tibi contra stimulum calcitrare*] Pleniùs historiam recitat, quàm supra capite 9. recitata fuerat. Proverbium autem hoc, de his qui res sibi malè cessuras moliuntur, ad Judæos à Græcis venerat. Primus Æschylus Agamemnone,

> *Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, μὴ πταίσας μογῇς*
> [*Ne calce stimulum incesse: nam vanus labor.*]

Idem Prometheo,

> *Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς*
> [*Stimulum lacessas calce.*]

Euripides Bacchis,

> *Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον, ἢ θυμούμενος,*
> *Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ*
> [*Sacra facere melius, calce quàm stimulum velut*
> *Si verberem, certare mortalem Deo.*]

Idem Peliasi,

> *Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε τοῖς κρατοῦσί σου*
> [*Stimulis potentum ne recalcitres cave.*]

Zenobius in Proverbiis, *πρὸς κέντρα λακτίζειν* [*contra stimulum calcitrare.*] Julianus ad Sallustium, *μηδὲ, ὅ φησιν ἡ παροιμία, πρὸς κέντρα λακτίζειν* [*neque, quod ait proverbium, contra stimulum calcitrare.*] Secuti Latini. Terentius Phormione 1. 2.

> *— nam quæ inscitia est,*
> *Adversùs stimulum calces?*

Habet & Sosipater Charisius libro 4. Ammianus Marcellinus libro 18. *ne contra acumina calcitraret.* Hebræi dicerent בעט על קוץ. *recalcitrare in excidium.*] Syrus hîc לבעטו לעוקסא [*calcitrare in stimulos.*]

16. *Καὶ στῆθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου* & *sta super pedes tuos*] Ut Dan. 12. 1. ¶ *Προχειρίσασθαί σε*, *constituere te*] Id est, *ἵνα σε προχειρίσω* [*ut te constituam.*] Vide supra 22. 14. ¶ *Ὧν τε ὀφθήσομαί σοι* *quibus apparebo tibi*] Id est, *eorum per quæ tibi apparebo.* Respiciuntur visa Pauli plurima, supra 18. 9. & 23. 11. 2 Cor. 12. 2.

17. *Ἐξαιρούμενός σε*, *Eripiens te*] Præsens pro futuro, [illegible] est, *exempturus te manibus Judæorum & Gentium.* Ita verbum hoc habuimus supra 7. 10, 34. & 12. 11.

18. *Ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν*, *Aperire oculos eorum*] Præstabis in ipsis spiritualiter, quod tibi corporaliter eveniet. ¶ *Τοῦ ἐπιστρέψαι*, *ut convertantur*] Subauditur *ἕνεκα* [*ut.*] ¶ *Ἀπὸ σκότους εἰς φῶς*, *à tenebris ad lucem*] Quod illo Christi fulgore significatur. ¶ *Καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ*, & *de potestate Satanæ*] Sic vocat idololatriam. Vide Luc. 10. 18. ¶ *Τοῦ λαβεῖν αὐτοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*, *ut accipiant remissionem peccatorum*] Vide supra 10. 43. Significat peccata ipsorum priora, quamvis gravia, nihil obstitura ipsorum saluti. ¶ *Καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις*, & *sortem inter sanctos*] *Jus ad vitam æternam cum piis cæteris.* ἐν pro *inter*, ut Matth. 20. 26. ¶ *Πίστει τῇ εἰς ἐμέ. per fidem quæ est in me*] Per quam purgantur corda.

19. *Οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς*, *non fui incredulus*] Tam potens illa vocatio, tamen non adimebat ei obsistendi potentiam. Deus libera vult obsequia, non coacta. *οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς* [*non fui incredulus*,] *non obstiti contumaciter:* ita hîc Syrus. Respicitur locus Esaiæ 50. 5. *ἡ παιδεία τοῦ Κυρίου ἀνοίγει μου τὰ ὦτα, ἐγὼ δὲ οὐκ ἀπειθῶ, οὐδὲ ἀντιλέγω* [*Doctrina Domini aperit mihi aures, ego autem nec diffido nec contradico.*] ¶ *Τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ*: *cœlesti visioni*] *Ὁράσει Θεοῦ* [*visioni Dei*,] Ezech. 8. 3. nam *cœlum* pro *Deo* poni notum est. Danielis interpres Theodotion ubique ponit *ὀπτασίαν*, alii *ὅραμα* aut *ὅρασιν*.

20. *Καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν*, & *converterentur ad Deum*] Rectè: nam Gentes falsos coluerant deos; Judæi verum Deum, sed non sicut oportebat. ¶ *Ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας. digna pœnitentia opera facientes*] Vide Matth. 3. 8.

21. *Ἐπειρῶντο διαχειρίσασθαι* *tentabant interficere*] Ut ante Dominum, supra 5. 30. ubi idem verbum.

22. *Ἐπικουρίας οὖν τυχὼν τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ*, *Auxilio autem adjutus Dei*] Psalm. 18. 18. *καὶ ἐγένετο Κύριος ἀντιστήριγμά μου* & *factus est Dominus protectio mea.*] ¶ *Μαρτυρούμενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ*, *testificans minori atque majori*] Instituens omnis generis homines. Genus loquendi Hebraïcum Deut. 1. 17. 1 Sam. 5. 8. & 30. 2, 19. 2 Reg. 23. 2. & 25. 26. ¶ *Ὧν τε οἱ Προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι καὶ Μωσῆς. quæ Prophetæ loquuti sunt futura esse* & *Moyses*] Vide Luc. 24. 26.

23. *Εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς*, *Si passibilis Christus*] Duplex improprietas; nam & *εἰ* [*si*] pro ὅτι [*quod*,] ut supra 18. & *παθητὸς* [*passibilis*] pro eo *qui debebat pati*, ut apparet dicto loco Evangelii Lucæ. Vide Dan. 9. 2. Tryphon Judæus cum Justino disputans planè agnoscit quod nunc Judæi negant: ait enim *παθητὸν μὲν τὸν Χριστὸν, ὅτι αἱ γραφαὶ κηρύσσουσι, φανερόν ἐστι* [*Scripturam prædicare passurum Christum, patet.*] ¶ *Εἰ πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν*, *si primus ex resurrectione mortuorum*] *Primus resuscitatus ad vitam immortalem.* Ideo dictus *πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν* [*primogenitus ex mortuis*] Col. 1. 18. Apoc. 1. 5. ¶ *Φῶς μέλλει καταγγέλλειν τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι. lumen annuntiaturus est populo* & *Gentibus*] Ex Esaia 42. 6. Lux est doctrina apertissima ad salutem. Luc. 2. 32.

24. *Τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει. multa te litera ad insaniam convertunt*] Sic Theognetus Comicus,

> *Ἐπαρίστερ' ἔμαθες, ὦ πόνηρε, γράμματα.*
> *Ἀντέστροφέν σου τὸν βίον τὰ βιβλία*
> [*Miser, perversas edidicisti literas,*
> *Vitam corrupit tibi librorum lectio.*]

Eruditus erat Paulus non in Lege tantùm, sed & in traditionibus, quæ resurrectionem & bona vitæ alterius apertiùs docebant. Norat linguas, Hebræam, Syriacam, Græcam, Latinam; legerat & Poëtas.

25. *Κράτιστε Φῆστε*, *optime Feste*] Ut supra 24. 3. ¶ *Ἀλλ' ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. sed veritatis* & *sobrietatis verba loquor*] Quæ dico, ea dico & sincera fide & bene animi compos. Sic Homerus,

> *Ἀλλὰ σαοφροσύνῃσι νοήματα πατρὸς ἔκευθεν.*
> [*Sed prudente animo genitoris sensa tegebat.*]

Et convenit origo; nam *σώφρων* [*sobrius*] est *ὁ σώζων τὰς φρένας* [*qui mentis est compos.*]

26. *Ἐπίσταται γὰρ περὶ τούτων ὁ βασιλεὺς*, *Scit enim de his Rex*] De miraculis factis per Jesum & discipulos ejus. ¶ *Πρὸς ὃν καὶ παῤῥησιαζόμενος λαλῶ* *ad quem* & *constanter loquor*] *Cum fiducia loquor.* ¶ *Οὐδὲ γὰρ ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτό ἐστι. neque enim in angulo quicquam horum gestum est*] Id est, in locis occultis, ut hîc interpretatur Syrus. Sic Terentius Adelphis,

> *Interea in angulum aliquò abeam.*

27. *Πιστεύεις βασιλεῦ Ἀγρίππα τοῖς προφήταις; οἶδα ὅτι πιστεύεις. Credis Rex Agrippa Prophetis? scio quia credis*] Non Oratores tantum, sed & Paulus hunc habet morem, ut sæpe alios interrogent, & mox sibi respondeant.

28. *Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν γενέσθαι. In modico suades me Christianum fieri*] *Parum abest quin mihi persuadeas ut fiam Christianus.* Est locutio bene Græca. Nam & Plato dixit in Apologetico, *ἔγνων ἂν καὶ περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο. prope*

pe idem de Poëtis cognovi: in Manuscripto, Χριστιανὸν ποιῆσαι, *ut me Christianum facias.*

29. *Καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ, & in modico & in magno*] Id est, *non propemodum tantum sed plane.* Ideò addit ἐν πολλῷ [*in multo,*] quia alter ἐν ὀλίγῳ [*in modico*] dixerat. Servat enim idem dicendi genus. In Manuscripto, *ὀλίγῳ καὶ μεγάλῳ* [*modico & magno*] sine ἐν [*in.*] ¶ *Ὁποῖος κἀγώ εἰμι, παρεκτὸς τῶν δεσμῶν τούτων, qualis & ego sum, exceptis vinculis his*] Omnia illis opto, quæ in me sunt, præter incommoda. *Vincula* autem vocat custodias sibi circumdatas. Popularis enim sermo *vincula* non tam strictè sumit quàm Jurisconsulti. L. Verum est, D. de verbor. signif. Tale est illud Virgilii,

—— *Et vinclis innaret Clælia ruptis.*

non enim obsides unquam ligantur, ait Servius.

30. *Καὶ ὁ ἡγεμών, & Præses*] Festus. Vide supra 23. 24. ¶ *Καὶ οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς, & qui assidebant eis*] Consilium Præsidis. supra 25. 12.

31. *Ἀναχωρήσαντες, cùm secessissent*] *Cùm in suas domos se recepissent.* ¶ Πράσσει, *Agit de vitæ instituto.* Tale & illud supra 25. 11: *εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ* [*si enim nocui.*]

32. *Ἀπολελύσθαι ἐδύνατο, Dimitti poterat*] Potuisset absolvi. ¶ *Εἰ μὴ ἐπεκέκλητο Καίσαρα. si non appellâsset Cæsarem*] Nam appellatione potestas Judicis à quo appellatum est, cessare incipit ad absolvendum, non minùs quam ad condemnandum. Crimina enim integra servanda sunt cognitioni Superioris.

P R I C Æ U S.

Com. 1. *Ἐπιτρέπεταί σοι ὑπὲρ σεαυτοῦ λέγειν*] Q. Curtius, *Tum dicere permissus*, &c. de Philota capitis reo, lib. 6.

Ibid. *Ἀπελογεῖτο, ἐκτείνας τὴν χεῖρα*] Ut solent orationem habituri, vel prolixiorem sermonem. Themistius 16. Orat. *Εἰ δὲ ἀνατεινόμενος τὴν χεῖρα*, &c. *πρὸς τὸ πλῆθος δημηγορείη* &c. Polyænus 4. *Ἀνέτεινε τὴν δεξιὰν ὡς δημηγορήσων.* Aristoph. Ecclesiaz. *τὰς χεῖρας αἴρειν.* Scholiastes, *Ὥσπερ οἱ ῥήτορες οἱ κρινόμενοι.* Quintilianus 6. ult. *Non enim cogitandum, sed dicendum est: & propè sub conatu adversarii manus erigenda.* Apollonius Rhodius,

Δεξιτερὴν ἀνὰ χεῖρα τανύσσατο, φώνησέν τε.

Com. 2. *Ἥγημαι ἐμαυτὸν μακάριον μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ σήμερον*] Apuleius etiam, initio Apologiæ suæ ad Maximum Proconsulem, *Gratulor quòd mihi copia & facultas te Judice obtigit, purgandæ apud imperitos Philosophiæ, & probandi mei.* Vide & supra 24. 4.

Com. 3. *Δέομαί σου μακροθύμως ἀκοῦσαί μου*] Suprà 24. 4. ubi notata vide.

Com. 4. *Τὴν μὲν οὖν βίωσίν μου*, &c.] Id est, (ut apud Lucianum in Cataplo ille) *οἷόν τινα τρόπον ἐβίωσε. Vitæ, victûsque consuetudinem*, Cicero in Familiaribus vocat. Non interim malè illi qui heic *vitam* verterunt. Apuleius Apolog *Quem laudatorem locupletiorem? quem testem vitæ meæ sanctiorem producam?* τῆς βιώσεώς μου. Plin. lib. 3. Epist. 20. de candidato quodam, *Dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat:* τὴν αὐτοῦ βίωσιν.

Ibid. *Τὴν βίωσίν μου τὴν ἐκ νεότητος*] Macrinus apud Herodianum, *Τοῦ βίου μου τὴν ἐξ ἀρχῆς προαίρεσιν.* Cicero, *Rationes vitæ meæ ab ineunte ætate susceptæ*, in Pro lege Manil.

Ibid. *Τὴν ἀπ' ἀρχῆς γενομένην ἐν τῷ ἔθνει μου*] Cotta ad Pop. Rom. in Salustii fragmentis, *A prima adolescentia in ore vestro, &c. egi.* Apul. ad Carthaginienses in Floridorum Excerptis, *Sum vobis nec Lare alienus, nec pueritiâ invisitatus, nec magistris peregrinus, nec sectâ incognitus.* Et statim, *Pueritia apud vos, & magistri vos: & secta licèt Athenis Atticis confirmata, tamen heic inchoata est.* Confer quæ de secta sua Paulus seq. commate.

Ibid. *Ἴσασι πάντες οἱ Ἰουδαῖοι*] Cyprianus, *Plebs singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Sopater apud Achillem Tatium, sed amarè, *Τὸν δὲ Θερσάνδρου βίον ἴσασι πάντες, καὶ τὸ ἐκ τῆς πρώτης ἡλικίας μετὰ σωφροσύνης κόσμον.*

Com. 5. *Ἐὰν θέλωσι μαρτυρεῖν*] Imò etsi testari nollent tamen vitæ ejus inprimis gnari erant: sed vide quæ de hoc loquendi genere ad Matth. 11. diximus. Non temere à Paulo autem hoc interpositum videtur: *χρημάτων γὰρ ἕνεκα ἢ χάριτος πολλοὶ πείθονται ἢ ἀμνημονεῖν*, &c. *ἢ ἑτέραν πρόφασιν εὑρεῖν*, ut bene in Orat. contra Leocratem Lycurgus dixit.

Ibid. *Ἀκριβεστάτην αἵρεσιν*] Vulgat. *certissimam sectam.* Id est, fortasse, *verissimam.* In Glossis, *Ἀκριβέστατος, verissimus.*

Com. 6. *Ἐπ' ἐλπίδι τῆς*, &c. *ἕστηκα κρινόμενος*] Infrà 28. 20.

Ibid. *τῆς ἡμετέρας θρησκείας*] Vulgat. *religionis.* In eodem Glossario, *Θρησκεία*, &c. *religio, ritus.*

Com. 8. *Τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν*, &c.] Non dubium quin hoc modo rectissimè distinguatur. Otho apud Tacitum 2 Histor. *Quid? vos pulcerrimam hanc Urbem domibus & tectis & congestu lapidum stare creditis?* Apud Petronium ille, *Quid? vos me jumentum putatis esse aut lapidariam navem?* Sic Rom. 3. 3. *τί γάρ;* sequente aliâ interrogatione. Vide & Euripidis locum suprà ad 5. 39. adductum.

Com. 9. *Ἐγὼ μὲν οὖν ἔδοξα ἐμαυτῷ*, &c.] Putavi me rem laude etiam dignam fecisse, ut alter apud eundem Petronium loquitur: *κατορθώματος φαντασίαν λαβὼν ἐποίουν*, ut apud Arrianum 2. 26. in Epictetum. Impletum hîc quod Joh. 16. 2. Dominus Jesus prædixerat.

Com. 11. *ἠνάγκαζον βλασφημεῖν*] *Cogebam eos maledicere:* supple, *quantum in me erat.* Vide quæ de *ἀναγκάζειν, παραβιάζεσθαι*, & *καταβιάζεσθαι*, suprà ad 16. 15. dicta. Eusebius Histor. Eccles. 6. 34. de plebe Alexandrina, *Πρεσβύτην, Μητρᾶν ὀνόματι, συναρπάσαντες, καὶ κελεύσαντες ἄθεα λέγειν ῥήματα, μὴ πειθόμενον*, &c. *ἀγαγόντες εἰς τὸ προάστειον ἐλιθοβόλησαν.* Ibidem, *Θαυμασιωτάτην τότε παρθένον πρεσβῦτιν Ἀπολλωνίαν διαλαβόντες, κόπτοντες τὰς σιαγόνας, ἐξήλασαν· πυρὰν δὲ νήσαντες πρὸ τῆς πόλεως, ζῶσαν ἠπείλουν κατακαῦσαι, εἰ μὴ συνεκφωνήσειε τὰ τῆς ἀσεβείας ῥήματα.* Hippolytus Homil. *περὶ συντελ. κοσμ.* *Τοῖς μάρτυσι τοῦ Χριστοῦ προέτρεπον οἱ ἄνομοι, ἀρνήσαι τὸν θεὸν σὺ τὸν ἐσταυρωμένον.* Apud Simplicium in cap. 13. Epicteti, habemus *ἁρπαγὰς, καὶ τυραννικὰς βίας μέχρι καὶ τοῦ ἀσεβεῖν ἀναγκαζούσας.* Vide & 1 Maccab. 2. 15. ubi *καταναγκάζειν.*

Ibid. *περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς*] Iræ ac furoris igne in eos accensus. Est quod Philip. 3. 6. in hac eadem re, *κατὰ ζῆλον τὴν ἐκκλησίαν διώκειν. Captis immanibus efferus* Virgilius diceret. Ergò bene hîc *ἐμμαινόμενος.* Philo ex persona Flacci in Insulam relegati, *Ὅσα κατεμάνην τῶν Ἰουδαίων, αὐτὸς πέπονθα.* Achilles Tatius 6. *Ὁ ἀκούων* (*διαβολὴν*) *ταχὺ πείθεται, καὶ ὀργῆς αὐτῷ πῦρ ἐξάπτεται, καὶ ἐπὶ τὸν βληθέντα μαίνεται.* Hesychius, *Μαίνεται, ὀργίζεται*, &c. Contra apud Suetonium in Caio, *ad insaniam favere alicui.*

Ibid. *ἐδίωκον ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις*] Scriptor Maccabaicorum 1. 3. 5. de Juda Maccabæo, *ἐδίωξεν ἀνόμους, ἐξερευνῶν.* Planè & Christiani Paulo tunc temporis pro *ἀνόμοις* habiti. *Εἰς τὰς ἔξω πόλεις*, Usque ad urbes extra Judæam positas. *ἔξω τῆς χώρας*, ut Marc. 5. 10. Plutarchus de Theogene Thebano, in de Mul. virtut. *Ἐκεῖνος ἦν ὁ πρὸς τὸν ἐμβοήσαντα, Μέχρι ποῦ διώκεις; ἀποκρινάμενος, Μέχρι Μακεδονίας.* Polybius de Asdrubale apud Suidam, *Ἐβουλήθη τούτῳ συμμίξας καὶ φιλανθρωπηθεὶς, ἀπελθεῖν εἰς τοὺς ἔξω τόπους.*

Com. 13. *ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου περιλάμψαν με φῶς*] Justinus lib. 7. *Fulgore suo Solis nitorem vicerat.*

Com. 14. *Καταπεσόντων ἡμῶν εἰς τὴν γῆν*] Horrore perculsi nempe. Lucret. 3.

Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines. ——

Suidas, *Καταπεσών, ἀντὶ τοῦ, φοβούμενος.* Vide Numer. 16. 45. & 22. 31. Judic. 13. 20. Ezech. 3. 23. & 44. 4. Tobiæ Scriptorem 12. 16. Matth. 17. 6. Luc. 24. 5. & suprà hîc 9. 4.

Com. 16. *ὧν τε ὀφθήσομαί σοι*] Vetus, *eorum quibus apparebo tibi.* Recentior, *in quibus.* Nuper Vir summus, *per quæ apparebo tibi.* Vertendum forsan, *propter quæ, &c.* *ὧν τε*, pro *ὧν χάριν τε.* Subintelligo autem afflictiones, pericula, &c. Suprà 9. 16. ex persona Christi istius, *ὑποδείξω αὐτῷ ὅσα δεῖ ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν.*

Com. 17. *ἐξαιρούμενός σε ἐκ τοῦ λαοῦ*, &c.] Mirari subit incomparabilem Virum vertisse, *exempturus te manibus*, &c. quasi hîc de liberando eum à periculis ageretur. *ἐξαιρεῖσθαι* hîc planè idem est quod *ἐκλέγειν* unde apud Hesychium, *ἐξαίρετον, ἐπίλεκτον*, & in Glossis, *ἐξαίρετος, egregius, eximius*, &c. Sensus autem idem qui supra 9. 15. in iis, *σκεῦος ἐκλογῆς* * hoc & poscunt quæ com. 18. hujus capitis subjunguntur, *ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν*, &c.

Ibid. *εἰς οὓς νῦν σε ἀποστέλλω*] *Τοῦ βαστάσαι* nempe *τὸ ὄνομά μου*, ut dicto 9. 15. loco.

Com. 18.

Com. 18. Ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ] Quæ Coloss. 1. 13. τοῦ σκότους ἐξουσία.

Ibid. Καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις] Vide suprà ad 20. 32. dicta.

Com. 19. Οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ]

—— Quis cœlo dubitet parere vocanti?

Com. Ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα] Καρπὸς μετανοίας ἀξίους, ut Matth. 3. 8. id est, τῇ μετανοίᾳ πρέποντας. Vide ad Tit. 2. 1. Philipp. 1. 27. Joh. 3. Epist. com. 6.

Com. 22. Ἐπικουρίας τυχὼν τῆς παρὰ Θεοῦ] Priamus Iliad. Ω'.

Ἀλλ' ἔτι τις καὶ ἐμεῖο θεῶν ὑπερέσχεθε χεῖρα.
—— Ducente Deo tela inter & hostes
Expedior. —— Æneid. 2.]

Ibid. Μαρτυρούμενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ] Hominibus omnis ordinis: παντὶ τῷ παρατυγχάνοντι. Vide suprà 17. 17. ibique ex Arriano deprompta.

Ibid. Οὐδὲν ἐκτὸς, λέγων, ὧν τε οἱ προφῆται, &c.] Vide Athenagoræ locum infrà ad Com. 26. adducendum. Ἐκτὸς λέγων, pro λέγων ἐκτὸς, &c.

Com. 24 Μαίνῃ, Παῦλε] Μαίνῃ hìc & suprà 12. 15. est quod apud Aristophanem in Ranis ληρεῖς, κ' οὐκ οἶσθ' ὅ, τι λέγεις. Arrianus 1. 21. in Epictetum, Οὐχ ὅταί εἰσι περὶ ὧν εἰώθας λέγειν ὅτι μαίνονται;

Com. 25. Οὐ μαίνομαι, ἀλλ' ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι] Apud Theocritum 5. ille,

——Ἐγὼ μὲν ἀλαθέα πάντ' ἀγορεύω,
Κ' οὐδὲν καυχίομαι. ——

Alius apud Philonem in Flaccum, Οὐ μέμηνα, ὦ οὗτος, οὐδ' ἠλίθιός τίς εἰμι. Pacatè hìc respondet servus exemplo Domini, Joh. 8. 49. Ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου.

Com. 26. Ἐπίσταται γὰρ περὶ τούτων ὁ βασιλεὺς] Athenagoras in Apologia pro Christianis Imperatores alloquens, Ἴστε δὲ μηδὲν ἡμᾶς ἀμάρτυρον λέγειν, ἃ δὲ τοὺς προφήτας ἐκπεφώνηται μηνύειν. Apuleius in Apologetico, *Sciunt me vera loqui, Maxime, & testimonium mihi conscientiâ suâ perhibent.* In Plauti Trucul.

—— Fit pol hoc, & pars spectatorum scitis
Pol hoc vos me haud mentiri. ——

Suprà 25. 10. ad Felicem Præsidem, Ὡς καὶ σὺ κάλλιον γινώσκεις. Inter præcipua reorum subsidia à Rhetoribus ponitur, ipsam adversariorum vel Judicis conscientiam appellare posse. Vide & suprà 24. 11.

Ibid. Παῤῥησιαζόμενος λαλῶ] Beza *libere loquor*: tantundem valet *constanter*. quo heic Vetus utitur: à quo importunâ diligentiâ nimis sæpe disceditur. Apuleius 3. *Constanter itaque in hominem alienum ferte sententias.*

Ibid. Οὐ γάρ ἐστιν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο] Aristides Rhodiacâ, Οὔτε γὰρ ἀφανὲς τὸ πρᾶγμα διὰ τὸ μέγεθος. Achilles Tatius, Ἐν ὄψει τὰ γινόμενα, καὶ πολλοὶ μάρτυρες. Philostratus 4. 9. Γιγνώσκουσι πλείους αὐτὸν, (λόγον) ἅτε καθ' Ἑλλάδα μέσην πραχθέντα. Apuleius 1. *Passim per ora populi sermo jactatur quæ palàm gesta sunt.* Phædrus,

Ut est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes sciebant. ——

Lepidus apud Salustium, *Itaque verborum satis dictum est: neque enim ignorantia rem claudit.* Simile Demosthenis illud, Ταῦτα οὐ πάλαι ἐστὶ γεγενημένα, ὥστε ἀγνοεῖν ὑμᾶς & Ciceronis, *Non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut ejusmodi quod silentio posset præteriri.* Οὐκ ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον, proverbiale est. Arrianus 2. 12. in Epictetum, Τὸν ποιοῦντα αὐτὸ οὐκ ἐν γωνίᾳ δηλονότι ποιεῖν δεήσει.

Com. 27. Πιστεύεις, βασιλεῦ Ἀγρίππα, τοῖς προφήταις; οἶδα ὅτι πιστεύεις] Schema frequens & in foro & quotidiano sermone, interrogare, & interrogati vicem respondere sibi. Lucian. Dial. Meretr. Τί φής; ποιήσεις ταῦτα; ποιήσεις οἶδα. Plinius lib. 9. Epist. 12. *Nunquam fecisti quod à patre corripi posset? fecisti dico.* Cicero 1. de Nat. Deor. *An tui me similem putas esse, aut tui Deum? profectò non putas.*

Com. 28. Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν γενέσθαι] Propemodum mihi persuades ut Christianus fiam: ità nec pauci nec minimi doctorum ἐν ὀλίγῳ accipiunt. Quod objicitur, tale sensum, idque in consessu tali, prolatum fuisse minùs verisimile videri, mihi nullum negotium facessit: hæc enim sumi possunt quasi κατ' εἰρωνείαν dicta. Apud Lucianum in Parasito ille, Παπαί! οἷον χρῆμα ἀποφαίνῃ τὴν παρασιτικήν! ὥστε καὶ αὐτὸς ἤδη βούλεσθαι δοκῶ παράσιτος εἶναι ἀντὶ τούτου ὅς εἰμι. Quin & hodie in communi sermone effunduntur multa hujusmodi, ubi oris & animi consensus tamen nullus. At Græci ἐν ὀλίγῳ exposuerunt, ἐν ὀλίγῳ λόγων ἀγῶνι. Sic & ferè in Helena Euripides, πολλ' ἀνήρου μ' ἐν ὀλίγῳ *in paucis me multa interrogasti.* Rescripsit Amicus mihi se heic χρόνῳ suppleri malle: q. d. Agrippa, Christianum me nimis citò fieri vis: tantilli spatii non est opus à patrio me ad tuum cultum transire. Est is amicus, Nobiliss. Theophilus Milleterius, *Vir* (quod Plinius de Virginio suo) *probitate morum, varietate operum monstrabilis*, mihique multis meritò nominibus charissimus. Nec caret veri specie conjectura ista. Arrianus 1. 15. in Epictetum, Συκῆς μὲν καρπὸς ἄφνω καὶ μιᾷ ὥρᾳ οὐ τελειοῦται· γνώμης δ' ἀνθρώπου καρπὸν θέλεις οὕτω δι' ὀλίγου καὶ εὐκόλως κτήσασθαι; Ubi vides eundem sensum, nec dissimili adeò locutione expressum.

Com. 29. Καὶ πάντας τοὺς ἀκούοντάς μου σήμερον, γενέσθαι τοιούτους ὁποῖος κἀγώ εἰμι, &c.] Idem 1. 7. 7. ad Corinthios, Θέλω καὶ πάντας ἀνθρώπους ὡς καὶ ἐμαυτὸν εἶναι.

Com. 30. Καὶ οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς] Adsessores eorum: χιλίαρχοι nempe, καὶ ἄνδρες οἱ κατ' ἐξοχὴν τῆς πόλεως ὄντες suprà 25. 23.

Com. 31. Καὶ ἀναχωρήσαντες, &c.] Non domum (ut eximio H. Grotio visum) at in cubiculum aliquod tribunali adjunctum. Quod hìc πρὸς ἀλλήλους ἐλάλουν, suprà 4. 15. in negotio simili est, συνέβαλλον πρὸς ἀλλήλους.

CAP. XXVII.

VALLA.

1. CUM *reliquis custodiis*] Gr. *& quasdam alias custodias*; sive, ut ad verbum transferam, *& quosdam alios vinctos*, καί τινας ἑτέρους δεσμώτας.

5. *Venimus Lystram, quæ est Ciliciæ*] Gr. *Devenimus in Myra, quæ sunt Lyciæ*, κατήλθομεν εἰς Μύρα τῆς Λυκίας.

9. *Consolabatur eos Paulus*] Non *consolabatur* eos Paulus; quippe quos nondum videbat aliquid passos, aut pati timentes, sed passuros: ergò *admonebat* eos nè discederent, & ità habet veritas Græca, παρῄνει.

10. *Viri, video quoniam cum injuria & magno damno, non solùm oneris, sed & animarum vestrarum incipit navigatio*] Frequenter Interpres ponit *incipit* pro eo quod *futurum est*, ut cùm in aliis locis tum in illo superiori 23. 27. *Virum hunc comprehensum à Judæis, & incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui*: quem locum sic transtulissem, *Virum hunc jam comprehensum à Judæis, & jamjam interficiendum*, vel sic, *quem videbam interfectum iri.* μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν. Hunc ità transferrem etiam magis ad verbum quàm illud superius, *Viri, video fore ut cum jactura & magno detrimento, non solùm oneris & navis, sed etiam animarum vestrarum, navigetur*, Ἄνδρες, θεωρῶ ὅτι μετὰ ὕβρεως καὶ πολλῆς ζημίας, οὐ μόνον τοῦ φορτίου καὶ τοῦ πλοίου, ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν

21. *Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta*] *Audito me* parùm apertè dicitur: apertiùs & magis ad literam sic transtulissem, *Oportebat quidem, viri, vos mihi auscultantes non proficisci à Creta*, Ἔδει μὲν, ὦ ἄνδρες, πειθαρχήσαντάς μοι μὴ ἀνάγεσθαι ἀπὸ τῆς Κρήτης.

30. *Quasi à prora inciperent ancoras extendere*] Idem quod paulò antè notavi; *quasi inciperent extendere* pro *quasi extensuri ancoras*, ὡς ἐκ πρώρας μέλλοντες ἀγκύρας ἐκτείνειν. Itidem paulò pòst,

33. *Et cùm lux inciperet fieri*] Quomodo *incipiebat fieri lux*, i. *dies*, (nam *dies* Græcè legitur) cùm postea sit illos Paulus allocutus, & ipse & cæteri comederent antequam dies fieret? cùm sequatur, v. 39. *Cùm autem dies factus esset.* Ergò non, *cùm dies inciperet fieri*, dicendum erat, sed, *cùm dies futura jam esset*, ἄχρι δὲ οὗ ἔμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι.

REVIUS in VALLAM.

21. AUdito *me* parùm apertè dicitur] *Non video*, inquit Erasmus, *cur hoc loco Valla notet Interpretem. Nam audit qui obtemperat.* Hæc ille. Sed rectè dixit Valla *parùm apertè* hoc dici, cùm sit ambiguum. Licèt enim audit qui obtemperat, non tamen obtemperat quisquis audit.

ERASMUS.

1. *Ut autem judicatum est eum*] Ἐκρίθη *decretum est*, sive *constitutum*. Nec ad *Paulum* refertur, sed ad *Regem & Præsidem*, qui sic statuerant audito Paulo. ¶ *Et tradiderunt Paulum cum reliquis custodiis*] Παρεδίδουν τόν τε Παῦλον καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, *tradiderunt tum Paulum tum alios quosdam vinctos*.

2. *Navim Adrumetinam*] Carrensis interpretatur *Adrumentinam navem quæ Romam petat*. Cæterùm *Adrumetum*, sive *Adrumetium*, civitas est Mysiæ, autore Stephano. Est & *Adramyttis* insula Lyciæ; & *Adrumes Adrumetis*, civitas Africæ; unde dicendum erat *Adrumetinam*: licèt in his varient codices. Nam Hieronymus, aut si quis alius fuit autor, in Catalogo Locorum hujus operis, indicat *Adrumetum esse civitatem in Byzatio regione Africæ*. Plinius *Adrumetum* vocat neutro genere. In Græcis cod. *Adramyttinam* legimus. Et Stephanus ab *Adramyttio* oppido deformat *Adramyttenum*.

5. *Venimus in Lystram quæ est Lyciæ*] Κατήλθομεν εἰς Μύρα τῆς Λυκίας, *devenimus Myram quæ est Lyciæ*, sive *civitatem Lyciæ*. Pronunciatur autem bifariàm, genere neutro & feminino. Meminit hujus Strabo lib. 14. Cæterùm *Lystra* Lycaoniæ est, non Lyciæ. Carrensis, homo vigilans, admonet hoc loco apud Græcos haberi *Smyrnam*, sed ab Hieronymo poni *Myrrham*. Et omnino in recensione Locorum hujus operis meminit *Smyrna Lyciæ*, admonens in nonnullis exemplaribus fuisse scriptum, *Venimus in Lystram quæ est in Cilicia*. Atque eo loco pannum suum assuit nescio quis, *Porrò Hieronymus in libris Hebræorum Nominum ponit Smyrnam, & interpretatur Amaram*. Verùm de locis accuratiùs disseremus in peregrinatione D. Pauli.

7. *Tardè navigaremus*] Græcis composita est dictio βραδυπλοοῦντες. ¶ *Gnidum*] Gnidus insula est opposita Asiæ, spectans provinciam Cariam, *atque est ejusdem nominis oppidum in insula Calymna*, autore Hieronymo in libello qui fertur ipsius titulo. Quem secutus est Beda. At Pomponius Mela ostendit Gnidum esse *oppidum in cornu peninsulæ Cariæ*. Et huic sententiæ suffragatur Ptolemæus in prima Asiæ tabula. Constat autem illos tunc legisse oras Asiæ Minoris in qua est Caria. Recenset & hanc Strabo lib. 14. qui eam appellat insulam, cùm fateatur aggeribus continenti junctam. Ambitu verò esse septem stadiorum, duos habentem portus, ut ipse loci situs in edito velut ad spectaculum expositus efficiat ut insula videatur habere duas civitates, h. e. δίπολις esse. Horatius in Odis indicat hoc loco solere coli Venerem,

O Venus regina Gnidi Paphique.

Beda indicat in quibusdam codicibus pro *Gnidum* scriptum *Chium*; sed rejicit. ¶ *Juxta Salmonem*] Salmon *civitas est maritima insulæ Cretæ*, autore Hieronymo.

8. *Qui vocatur Boni portus*] *Boni portus* plurativi sunt numeri, Καλοὺς λιμένας quanquam magis dixit *Pulcros portus* quàm *Bonos*. Sentit autem, ni fallor, de civitate Cretensium cui nomen Καλὴ ἀκτὴ, i. *Pulcrum littus*, cujus meminit Stephanus. ¶ *Cui juxtà erat civitas Thalassa*] Indicat & D. Hieronymus hunc locum corruptè legi *Thalassa*. Quanquam id ipsum quod vice corrupti vocabuli subjecit, in vulgatis cod. corruptum erat: siquidem scriptum erat *Laphet*. Græci legunt *Lasæa*, quæ & ipsa civitas est littoralis Cretæ, haud procul à Bonis portibus, Quidam excusi cod. pro *Thalassa* habebant *Thessala*.

9. *Eò quòd jejunium jam præterisset*] Διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι. Non me fugit quibusdam hìc *jejunium* esse tempus aliquod quo ex more soliti sint jejunare Judæi. Sed primùm quid Centurioni & nautis cum hujusmodi jejuniis? Deinde, si *jam præterierat jejunium*, eò commodior debebat esse navigatio. Burgensis indicat præcipuum apud Judæos jejunium incidere solere circiter æquinoctium autumnale, quo tempore jam incommodior est navigatio. Atqui Judæis non unum erat jejunii tempus, & circiter æquinoctium autumnale sat commoda navigatio est. Burgensis contendit jejunium Judæorum fuisse omnium præcipuum quod celebratur festo Expiationis. Id autem festum incidebat in diem mensis septimi decimum, qui mensis ferè convenit cum Septembri. Restabat autem longa navigatio, cùm immineret October ac November, menses parùm accommodi ad navigandum olim quidem, cùm hodie nostri nautæ vel mediâ brumâ volitent per omnia maria. Is cujus extant in hoc opus Græci commentarii titulo Chrysostomi per *jejunium* vult intelligi non inediam nautarum, sed anni tempus, astipulans Burgensi. Accedit huc & illud argumentum, quòd hoc jejunium appellat νηστείαν, quæ vox ferè pro *religioso jejunio usurpatur*; nautarum *inediam* ἀσιτίαν vocat. Quanquam utraque vox eandem habet etymologiam à *privatione cibi*; νηστεύειν, νὴ ἐσθίειν. Adjuvat hanc opinionem, quòd additur articulus τὴν νηστείαν, qui non quodvis jejunium sed notum ac celebre nobis designat. Sed quærendum quid agat illic conjunctio καὶ, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *eò quòd jam etiam jejunii tempus præterisset*. Indicat conjunctio navigationem duplici nomine fore periculosam, & quòd tempestas urgeret, & quòd instaret tempus quod per se reddit incommodam navigationem. Priùs secuti fueramus Lyrani sententiam, qui putat illis, cum suppeteret commeatus, tamen ob curam ac mœrorem non vacasse cibum sumere, atque ideo Paulus suadet manendum, quò liceat reficere corpora. Quin & illud mirum videri potest, quomodo nautæ, edax hominum genus, quatuordecim dies duraverint ἄσιτοι, *impasti*: nisi fortè *non sumpsisse cibum* dicuntur qui per otium non egerint convivium, quemadmodum solent nautæ tranquillo mari. ¶ *Consolabatur eos Paulus*] Quid acciderat illis ut egerent consolatore? Nam Græcis est παρῄνει *hortabatur*, sive *admonebat*, nè longiùs irent: quanquam ipsa Pauli oratio, quæ mox subjicitur, satis arguit illum non consolari sed dare consilium.

10. *Incipit esse navigatio*] Μέλλειν ἔσεσθαι *futuram esse navigationem*: quod tamen frequenter ad hunc vertit modum.

12. *Devenientes Phœnicem hyemare*] *Phœnicem* hic est accusativus à *Phœnix*, quæ Græcis *palmam* sign. unde & *Phœnicen* Syriæ partem apparet dictam. Ipse Lucas indicat esse *portum Cretæ* hujus nominis. ¶ *Ad Africum & ad Chorum*] Ventorum nomina sunt. Duos nominat, quòd ad utrumque vergeret is portus. Dixerit quispiam, Quorsum opus erat hoc admonere quod nemo nesciebat? Imò quorsum attinebat ut Hugo Carrensis tantus Theologus adscriberet Commentariis, *Chorum esse insulam aut civitatem in Creta!* Usqueadeo nihil referebat utrùm novam exstrueret insulam, an novam conderet civitatem in vetustissima insula.

13. *Cùm sustulissent de Asson*] Ἄραντες Ἆσσον, *cùm sustulissent Asson*. Incertum autem an illuc appulerint & rursum indè solventes prætervecti sint Cretam, an Asso præteritâ putarint se esse jam in tuto. Est enim Assos maritima Lyciæ civitas, in edito sita promontorio, adeò ut parùm tutum sit accedere. Unde jocus Nicostrati citharœdi,

Ἆσσον ἴθ᾽ ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ᾽ ἵκηαι,

Asson eas ut citiùs ad exitii terminos pervenias. Ac Hieronymus quidem Asson ponit in Asia, maritimam urbem, quæ eadem dicta sit *Apollonia*: teste Plinio quoque lib. 5. c. 30. Cæterùm opinor Lucam sentire de Asso oppidulo Cretæ, unde dictus est & Jupiter *Asius*. Nam adhuc lambebant littora Cretæ.

14. *Ventus Typhonicus*) Unus est è ventis subitis ac repentinis nomine *Typhon*: quibus omnibus illud est commune, quòd exhalante terrâ coorti, nubibus obductis inclusi, non uno erumpant modo. Nam *vagantes ac torrentium more ruentes tonitrua & fulgura edunt. Cæterùm majore illati pondere incursuque, si flatu siccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ Græcis dicitur ἐκνεφίας. Sin verò depresso sinu artiùs rotati effregerint sine igni, h. e. sine fulmine, verticem faciunt, qui Typhon vocatur, i. vibratus Ecnephias. Defert hic aliquid secum è nube gelida abreptum, convolvens versánsque & ruinam suam illo pondere aggravans, locum ex loco mutans rapidá vertigine. Quòd si majore depressæ nubis eruperit specu, sed minùs alto quàm procella, nec sine fragore, Turbo dicitur, proxima quæque prosternens. Idem si fuerit ardentior accensusque, Prester dicitur, amburens contacta pariter ac proterens.* Porrò Typhonem Plinius appellat *præcipuam navigantium pestem*, ut qui *non antennas modò verùm etiam ipsa navigia contorta frangat*. Cæterùm tanto malo scribit *tenui remedio* occurri, *si acetum in advenientem effundas, cujus vis frigidissima est. Idem illisu ipso repercussus, correpta secum in cælum refert, sorbétque in excelsum*. Dictus est autem *Typhon* à Græco verbo τύφω, quod est *inflammo*. Rabanus in Glossa Ordinaria, super verbo *Typhonicus*, adscribit, *Alia translatio*, VENTUS TEMPESTIVUS. Suspicor aliquem commenti vice adscripsisse, *Ventus tempestuosus*. ¶ *Qui vocatur Euroaquilo* Gr. pro *Euroaquilo* legunt Εὐροκλύδων, vox hinc dicta quòd *ingentes excitat fluctus*. Verùm haud scio an Lucas, tametsi Gr. scribens, effinxerit vocem nostram, dicens, Εὐρακύλων, quemadmodum *Aquilam* Paulus quoque facit Ἀκύλαν, Addidit autem non solùm cognomen Typhonis, ut periculum exprimeret, verùm

etiam

etiam unde erumperet: ut intelligeremus hoc quoque nomine incommodum quòd non faceret ad institutum cursum, cùm Notus sit accommodus è Syria navigantibus in Italiam.

15. *Non posset conari in ventum*] Ἀντοφθαλμεῖν quod Græcis sonat *obtueri*, h. e. ex adverso aspicere. Porrò qui renititur, obvertit oculos. ¶ *Datâ nave flatibus*] Græcis unica dictio est ἐπιδόντες, & referri potest ad τῷ ἀνέμῳ, ut ea vox in confinio sita utrôque respondeat, ad *obniti* & *datâ*.

16. *Quæ vocatur Clauda*] Ptolemæo *Claudos* dicitur, spectans Cretam inter Meridiem & Occidentem, quò magis consentaneum est huc depulsos fuisse statu Euroaquilonis. Tametsi quidam admonet, in codice Græco Pontificiæ bibilothecæ scriptum haberi, Καῦδα *Cauda*. Et Suïdas indicat insulam vicinam Cretæ quæ dicta sit Καυδὼ, hoc nomine memorabilem quòd illic nascantur ingentes onagri.

19. *Suis manibus armamenta navis projecerunt*] Αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐῤῥίψαμεν, *nostris ipsorum manibus armamenta navis projecimus*. Apparet Interpretem legisse ἔῤῥιψαν & ad sensum perpusillum interest.

21. *Multa jejunatio*] Ἀσιτία, *inedia*. ¶ *Audito me*] Πειθαρχήσαντάς μοι, *obtemperasse mihi*: tametsi non video cur hoc loco Valla notet Interpretem; nam *audit* qui *obtemperat*. Justiùs annotasset quòd πειθαρχεῖν propriè dicuntur Gr. *qui obtemperant Principibus aut Magistratibus*. ¶ *Non tollere à Creta*] Gr. μὴ ἀνάγεσθαι, h. e. *non solvere à Creta*. ¶ *Lucrique facere injuriam*] Κερδῆσαι, h. e. *accersere sine causa*: id enim *lucrifacere* sonat h. l. Et ὕβριν, i. *injuriam*, vocat incommoditatem cœli ac violentiam maris.

22. *Suadeo*] Παραινῶ, i. *hortor*.

23. *Angelus Dei cujus sum*] Incertum erat utrùm *cujus* referat *Deum* an *Angelum*, nisi addidisset ᾧ καὶ λατρεύω, *quem colo*, sive *cui servio*.

27. *Apparere sibi*] Προσάγειν, quod magis sonat *accedere*; nisi fortè Interpres legit προσαυγεῖν *affulgere*.

28. *Submittentes bolidem*] Βολὶς dicitur à βάλλειν, quod est *mittere*: i. pondus funiculo affixum, quo dejecto nautæ explorant altitudinem maris. Idem aliquoties efficiunt hastili aut conto prælongo demisso in mare. Et missiles hastæ Græcis *bolides* dicuntur, autore Hesychio. Cæterùm Lucas unico verbo dixit quod Interpres duobus reddidit, βολίσαντες.

30. *Commisissent scapham*] *Scapha* Græcis duo significat, *ligonem*, & *navigii levioris genus*, à verbo σκάπτω *fodo*. Nam *ligo* fossorium est instrumentum, & *scaphæ* fiunt è trunco excavato; quod genus adhuc videmus in Rheno. Beda putat è viminibus corio contectis fieri scaphas. Addit *scapham* Græcis etiam dici *catascopum*, à *contemplando*. Hinc error eorum qui concinnarunt Glossam Ordinariam, putantium *scapham* dici à *contemplando*. *Catascopus* Græcè dicitur *explorator*: id nominis inditum est scaphæ, quòd hâc emissâ nautæ explorent profunditatem per littus, aut alia pericula maris. ¶ *Inciperent ancoras extendere*] Μελλόντων ἐκτείνειν, i. *extensuri*: quod sæpenumero fecit Interpres. Verùm hîc duriusculum erat. Ac paulò pòst,

33. *Et cùm lux inciperet fieri*] Ἄχρι δὲ οὗ ἔμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι, i. *Cùm futurus esset dies*, h. e. Cùm instaret dies & non longè abesset.

36. *Animæquiores autem facti*] Εὔθυμοι, i. *bono animo*, sive *recreatis jam animis*. Positivum est, non comparativum.

39. *Littus, in quem cogitabant*] Ἔχοντα αἰγιαλὸν εἰς ὃν cur non potiùs *in quod* quàm *in quem*? quandoquidem αἰγιαλὸς Græcis est m. generis, quemadmodum & κόλπος. nam terram, opinor, expetebant. Et multa sunt littora apud Cosmographos quæ proprio vocabulo *Ægiali* vocantur, velut inter Sicyonem & Buprasium. Est & alius finitimus Ponto, post promontorium Carambin, cujus meminit Homerus. Rursus est Thraciæ apud fluvium Strymonem. Postremò est Ægialus cognomento *magnus* inter Ægyptum & Æthiopiam. Et Hieronymus hunc locum citans *Ægiali* meminit.

40. *Levantes artemonem*] Ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα, i. *sublato artemone*. Et τῇ πνεούσῃ, quod Interpres vertit *secundùm auræ flatum*, puto ad ἐπάραντες esse referendum: ut accipiamus carbasa oppansa flatibus, antennâ in altum subrectâ, quò magis venti arbitrio ferretur in littus. Cæterùm *artemon* videtur hic pro veli genere positum: quod indicavit & Beda in Glossa Odinaria. *A suspendendo* nomen habet, ab *assuendo*. Solet enim imis velis affigi pars aliqua quò plus venti concipiant. Sunt qui pro *artemone antemonem* malint scribi.

41. *In locum bithalassum*] Nec exposuit Græcam vocem Interpres, nec nos eam incorruptam servavimus, pro *dithalasso* legentes *bithalassum*. Nam Lucas scripsit εἰς τόπον διθάλασσον, i. *in locum bimarem*. Sic enim Horatius in Odis:

Bimarisve Corinthi Mœnia.

quòd ea sit isthmos, & utrinque mari alluatur. Contendebant ut si possent, in sinum impellerent navim. Verùm id non contigit, ventis impellentibus in isthmum aliquam in mare prominentem.

VATABLUS.

1. JUdicatum] *Decretum*. ¶ *Me*] *Nos*. ¶ *Tradi Paulum cum reliquis custodiis*] *Tradiderunt tum Paulum tum alios quosdam vinctos*.

2. *Ascendentes**]* *Autem*. ¶ *Adrumetinam*] *Adramyttenam*. ¶ *Incipientem navigare*] *Navigaturi*: Vet. legunt *Incipientes*. ¶ *Sustulimus*] *Solvimus*.

3. *Venimus*] *Devenimus*, Vet. ¶ *Et curam sui agere*] *Ut ab illis curaretur*.

4. *Subnavigavimus**]* *Juxtà*.

5. *Venimus Lystram*] *Descendimus Myram*.

8. *Boni-portus*] *Pulcri-portus*: plur. numeri. ¶ *Thalassa*] *Lasæa*.

9. *Quòd**]* *Et*, Vet. ¶ *Jejunium jam præterisset, consolabatur*] *Ultra tempus sustinuissent inediam, hortabatur*.

10. *Animarum nostrarum*] *Vitæ nostræ*, Vet. ¶ *Incipit esse*] *Futura sit*.

12. *Devenientes*] *Pervecti*. ¶ *Portam Cretæ respicientem*] *Is est portus Cretæ spectans*.

14. *Misit se*] *Irruit*. ¶ *Euroaquilo*] *Euroclydon* legunt Græci. Vox hinc ducta quòd ventus hic ingentes fluctus incitet.

15. *Conari*] *Obniti*.

16. *Insulam*] *Insulam*. ¶ *Decurrentes*] *Devecti*.

17. *Quâ sublatâ*] Sub. *in navim*. ¶ *Accingentes*] *Subcingentes*. ¶ *Navem**]* *Et*. ¶ *Summisso vase*] i. scaphâ submissâ.

18. *Validâ*] *Validè*: Adverbium, Vet.

19. *Suis*] *Nostris ipsorum*. ¶ *Projecerunt*] *Projecimus*.

21. *Jejunatio*] *Inedia*. ¶ *Audito me*] Vel *audientes mihi*. ¶ *Tollere*] *Solvere*. ¶ *Injuriam hanc & jacturam*] i. Hanc incommoditatem cœli ac violentiam maris.

22. *Et nunc suadeo vobis*] *Itaque nunc hortor vos*. ¶ *Nobis*] *Vobis*, Vet.

23. *Cui deservio*] Vel, *quem colo*.

25. *Credo enim*] Vel *fidem habeo*.

27. *Quartadecima**]* *Die*, Vet.

28. *Bolidem*] Pondus intelligit funiculo alligatum, quo in mare demisso, nautæ ejusdem profunditatem explorant. ¶ *Separati*] *Digressi, rursúmque demissâ bolide*.

29. *Timentes*] *Timentésque*. ¶ *Aspera*] Vel *saxosa*.

30. *Misissent*] *Dimisissent*. ¶ *Sub obtentu quasi inciperent à prora ancheras extendere*] *Sub prætextu velut è prora ancheras extensuri*.

32. *Excidere*] Vel *perire*.

33. *Et cùm lux inciperet fieri, rogabat*] *Usquequo autem dies inciperet apparere*, i. tota nocte non destitit hortari: &c. ¶ *Jejuni*] i. Exiguo cibo usi.

34. *Propter quod rogo*] *Propterea hortor*. ¶ *Peribit*] *Cadet*.

36. *Animæquiores autem facti omnes*] *Porrò animis jam recreatis omnium*.

39. *Quem*] *Quod*.

40. *Secundum*] *Ad*.

41. *Dithalassum*] *Bimarem*. ¶ *Manebat*] *Mansit*. ¶ *Maris*] *Undarum*.

42. *Custodias*] *Vinctos*.

43. *Prohibuit fieri*] *Compescuit eos à consilio*.

44. *In tabulis ferebant; quosdam super ea quæ de navi erant*] *Partim in tabulis, partim in quibusdam navis fragmentis*.

CASTALIO.

9. QUòd tranquillitas præteriisset] Διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *quòd jejunium jam præteriisset*. Sed quid jejunium ad navigandi periculum? Nam si *jejunium* voces inediam, ea esse quæ poterat, cùm essent in portu, & posset amplissima insula suppeditare commeatum, & paulò pòst dicantur *navem exonerare frumento*? Adde quòd neque νηστεία dicitur pro ἀσιτία, nequeid cum verbo παρεληλυθέναι quadrat: oportet enim *inediam* non *præteriisse*, sed *instare*, neque *inedia*

dia ſed *commeatûs penuria* dici deberet. Sin *jejunium* dicas jejunandi tempus, id neque nauticæ rei convenit, neque quicquam ad rem facit. Equidem dum diligentiùs narrationem hanc conſidero, ſuſpicor non *νηςείαν* ſed *νηνεμίαν* legendum eſſe, h. e. *à ventis tranquillitatem*: nam id & cum narratione convenit, & facilè depravari potuit à mediocriter docto qui verbi *νηνεμίας* vim ignoraret.

34. *Nullius veſtrûm vel pilus ex capite cadet*] *Nullus veſtrûm vel tantillùm lædetur.*

CLARIUS.

9. QUòd jam ultra tempus] Quia in Græco eſt, *διὰ τὸ καὶ τὴν νηςείαν ἤδη παρεληλυθέναι*, h. e. *quia & jejunium jam præterierat*, ſunt qui intelligant tempus quoddam anni quod apud Judæos *Jejunium* appellabatur, quod hyemale erat. Nam multis poſt Pentecoſten diebus receſſerat, ut in ipſa ferè hyeme in partes Cretæ venerit.

21. *Stans Paulus in medio eorum dixit*] Vide Pauli in omnibus rebus alacritatem. Superiùs animadvertit ipſe futuram periculoſam navigationem, neque deſiit hortari eos ut ſibi caverent; nunc cernens periculum ingraveſcere, unus omnes excitat, & pòſt paulò ad capiendum etiam cibum compellat.

24. *Et ecce donavit tibi Deus*] Hoc contra fatum & neceſſitatem eſt, aut fortunam. Niſi enim per Paulum ſervati fuiſſent natura ipſa rei erat ut perirent: attamen juſti viri gratiâ impii ſunt ſervati.

31. *Niſi hi in navi manſerint*] Quare? Fortaſſe ob id quòd tam firma eſt veritas Dei ut pereant omnia potiùs neceſſe ſit quàm illam ulla ex parte imminui: at decreverat Deus ſervare illos omnes ſuâ virtute, non illorum induſtriâ; quod non contigiſſet ſi nautæ fugiſſent: viderentur enim nautæ ſuâ induſtriâ ſervati, alii autem miraculo.

ZEGERUS.

1. UT autem judicatum eſt navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis Centurioni] *Judicatum*, non *indicatum*: eſt enim *ἐκρίθη*, i. *decretum*, vel *conſtitutum*, *eſt*. Intelligendum eſt ex Regis Agrippæ ſententia *judicatum ac decretum fuiſſe ut Paulus cum aliquot aliis cuſtodiis*, h. e. cuſtoditis, vinctis, *traderetur Centurioni*, cúmque hoc *navigaret in Italiam* ad Cæſarem. Quod autem in Græcis ſecùs legimus, *ut autem decretum eſt ut nos navigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulum & quoſdam alios vinctos Centurioni*, re coincidit cum lectione Vulgata. In qua illud etiam admonendum, non faciendam periodum ante *aſcendentes*, ut in Græca fieri convenit propter conjunctivam particulam *δὲ*, ſed perpetuè legendum abſque particula *autem & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis Centurioni nomine Julio cohortis Auguſtæ, aſcendentes navem Adrumetinam*, &c. Nonnihil tamen addubito num aliud quid legerit ac ſenſerit Interpres propter illud *eum* cùm ad præmiſſam ſententiam potiùs dicendum erat, *navigare Paulum in Italiam, & tradi eum cum reliquis.*

2. *Navem Adrumetinam*] Hoc magis placet, cùm idem legat & Hieronymus, quàm quod in Græcis atque Chryſoſtomo eſt Ἀδραμυττηνῷ, ab *Adramyttis* inſulâ Lyciæ. Eſt autem *Adrumes, etis*, & *Adrumetum*, civitas in Africa. ¶ *Suſtulimus*] Ἀνήχθημεν i. *ſolvimus*, vel *ſuſtulimus*, i. ad altiora maris tulimus.

5. *Venimus Lyſtram quæ eſt Lyciæ*] Hìc rectius eſt quod habetur in Græcis, *venimus Myram*: nam ità legit Chryſoſtomus, & Hieronymus, dum lib. De Nom. Hebr. interpretatur *amara*. Apud eundum tamen lib. De Locis Hebr. ſcribitur *Smyrna*, quomodo & Beda ſcribit: ſed utrumque idem eſt, teſte Calepino. Indicat quoque idem Hieronymus, aut ſi quis alius eſt, unà cum Beda, nonnullos codices habuiſſe, *Lyſtram quæ eſt Ciliciæ*; quomodo noſtri cernuntur habere codices, juxta illud quod præcedit, *Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ navigantes, venimus Lyſtram.* Græcam tamen lectionem eſſe veriorem convincitur etiam ex ipſo Luca, qui ſuprà 14. 6. dicit *Lyſtram* eſſe *civitatem Lycaoniæ*, & ex Plinio, qui *Myram* recenſet inter civitates Lyciæ, lib. 5. c. 27.

7. *Cnidum*] Hieronymus De locis Hebraicis, *Cnidus*, inquit, *inſula eſt contra Aſiam nobiliſſima adjacens provinciæ Cariæ: & eſt ejuſdem nominis oppidum in inſula Calymna.*

8. *Boni portus*] Pluratívi ſunt numeri. ¶ *Juxta erat civitas Thalaſſa*] Hieronymus juxta Græcos cod. cum Chryſoſtomo legit *Laſæa*, & adjiciens, *pro quo*, inquit, *quidam corruptè* THALASSA *legunt*: & tamen ſic vulgò legimus.

9. *Eò quòd jejunium jam præteriiſſet*] *Jejunium* hîc eſſe volunt tempus quoddam circa æquinoctium autumnale quo Judæi jejunare ſolebant; poſt quod periculoſior eſt navigatio. ¶ *Conſolabatur eos Paulus*] Magis quadrat ut *παρῄνει* pro *admonebat* accipiamus.

10. *Video quoniam cum injuria & multo damno non ſolùm oneris & navis*,] Idem quod quidam hoc magis pacto transferendum exiſtimat, *Video fore ut cum jactura & magno detrimento non ſolùm oneris & navis, ſed etiam animarum noſtrarum navigetur.*

11. *Gubernatori & nauclero*] Duobus nominibus unum ſignificavit: nam utrumque alterum ſignat.

12. *Si quo modo poſſent devenientes Phœnicen hyemare, portum Cretæ reſpicientem*, &c.] Ambiguus eſt hujus loci & ſenſus & conſtructio: poteſt enim ſic accipi, *Si quo modo devenientes Phœnicen* (vel, quod commodius & clarius eſt) *καταντήσαντες εἰς Φοίνικα*, *pervecti in Phœnicen, in ea poſſent regione hyemare; Phœnicen, inquam, reſpicientem inſulæ Cretenſis portum ad Occidentalem mundi plagam, nimirum ad Africum & Chorum, à qua inſula jam ſolvimus.* Poteſt & hoc pacto accipi, *Si quo modo devecti in Phœnicen poſſent cum Creta portum hyemare qui ſpectat vergitque versùs Africum & Chorum*: ut *παραχειμάσαι* tranſitivè accipias propter *παρά*. Jam quod moderni ſcriptores ex his Lucæ verbis colligunt, dicúntque *Phœnicen* hîc non regionis ſed portûs eſſe nomen, equidem non admodum probaverim, maximè cùm Hieronymus, diligenter de hujus Operis locis tractans, tale nil indicaverit, ſed nec ſcriptores cæteri. Eſt autem *Phœnix*, vel, ut aliàs ſcribitur, *Phœnice*, ſuprà 11. 19. & 15. 3. &, ut Hieron. ſcribit, *Phœnicia*, provincia Syriæ, cujus partes ſunt Samaria & Galilæa & aliæ plurimæ regiones. *Creta* verò, inquit Hieron. *Græciæ inſula eſt, centum quondam oppidis inſignis, famoſáque divitiis, maximè æris. Ibi enim prima hujus metalli inventio & utilitas fuit. Cui proximum eſt in finibus Ciliciæ promontorium & oppidum Veneris.* ¶ *Ad Africum & Chorum*] Uterque ventus Occidentalis, ille quidem à brumali, iſte verò flans ab Occaſu æſtivali. Fortè Lucas pro eodem poſuit, duabus utens vocibus, priore Græcâ, alterâ Romanâ.

13. *Cùm ſuſtuliſſent de Aſſon legebant Cretam*] i. *Cùm ſolviſſent ab Aſſon, navigabant Cretam*, vel *παρελέγοντο τὴν Κρήτην*, i. *prænavigabant Cretam.*

14. *Ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo*] *Typhon* eſt ventus verſans convolvénſque. Pro *Euroaquilo* eſt Εὐροκλύδων, vox indè dicta quòd ingentes excitet fluctus. *Euroaquilo* autem ab *Eurus* & *Aquilo* deducitur, quòd is ventus flet inter Eurum (i. Subſolanum) & Aquilonem, qui eſt inter Septentrionalem & Orientalem.

16. *Quæ vocatur Cauda*] Sic habent ferè cod. vulgares. Nonnulli habent *Clauda*: quæ Ptolemæo, ni fallor, *Claudos* dicitur, ſpectans Cretam inter Meridiem & Occidentem: quò magis conſentaneum eſt, huc depulſos fuiſſe flatu Euroaquilonis. Vide, ſi placet, adnotationes Deſiderii. ¶ *Potuimus vix obtinere ſcapham. Quâ ſublatâ, adjutoriis utebantur, accingentes navem*] Indicavit hîc Beda non paucos verſiculos manifeſtiori exſtare ſenſu ſecundùm alteram quandam tranſlationem, quæ ità haberet, *Et arreptâ navi, cùm non poſſent occurrere vento, commodatâ navi flatibus, colligere vela cœperunt. Tunc tranſcurrimus inſulam quæ dicitur Cauda, quam occupare non potuerunt: ſed ſcaphâ miſſâ, adjuvare cœperunt navem, præcingentes eam. Trahebant autem & ancoras, timentes ne occurrerent in Syrtes.* Vel, ut paulò pòſt ſcribit, *Timentéſque ne in Syrtim exciderent, laxantes antennas, ità ferebantur.*

17. *Submiſſo vaſe, ſic ferebantur*] Per *vas* alii *ſcapham* intelligunt, quòd *eâ demiſſâ in mare ac penſili relictâ ferrentur.* Alii *vas* ſimpliciter accipiunt onere aliquo refertum, quod demiſſum navim retardaret, nè præpropero curſu in Syrtes ferretur. Apud Chyſoſtomum verò verſum legimus *demiſſo velo.* Et ſuprà annotavimus alteram tranſlationem, quæ habuerit, *laxantes antennas, ità ferebantur.*

19. *Armamenta*] Sunt inſtrumenta & munimenta, ut ſunt funes & vela.

21. *Multa jejunatio*] Ἀσιτία *jejunium* ſignat vel *inediam.*

22. *Nullius animæ*] *Animam* pro *homine* poſuit per Synecdochen.

27. *In Adria*] Caſus eſt ablativus. Eſt autem *Adria* regio, unde dictum eſt *mare Adriaticum*. Vide Rabanum in Gloſſa Ordinaria.

28. *Bolidem*] *Bolis* eſt inſtrumentum nauticum quo exploratur maris altitudo, ſic dictum *παρὰ τὸ βάλλω*; q. *jaculum.*

39. *Si-*

39. *Sinum verò quendam*] *Sinum* per translationem vocat maris locum littorum curvitate porrectum ad similitudinem sinûs humani corporis. Est enim *sinus* propriè pars illa corporis quæ est intra pectoris brachiorúmque complexum.

40. *Levato artemone*] *Artemon* velum est modicum, directioni navis potiùs accommodum quàm celeritati. Ità propemodum Beda, probè sanè quadrante rei narratæ expositione, sed dissentientibus literatoribus, *artemonem* aliis *malum*, aliis *velum amplissimum*, aliis *trochleam* interpretantibus. Unde suboles Bedam ἀντέμονα legisse, unâ mutatâ literulâ. Nam quæ hîc de *artemone*, eadem ferè Calepinus tradit de *antemone*, dicens esse *velum quod potest facilius obliquari, & quo nautæ in summo tempestatis discrimine utuntur*.

41. *In locum dithalasson*] Græcum reliquit vocabulum Interpres quod *bimarem* dicere poterat juxta nominis interpretationem. Est enim *dithalasson* littus in mare protentum, eodémque mari se dividente hinc indè circumdatum; vel, ubi terræ interjectu duplex mare convenit. ¶ *Et prora quidem fixa manebat immobilis puppis*] *Prora* est pars navis anterior, *puppis* posterior.

42. *Ut custodias occiderent*] *Custodias* usurpavit pro *custoditis* quemadmodum & Suetonius in Domitiano, *Nec nisi secretò atque solus plerasque custodias, receptisque in manu catenis, audiebat.*

44. *Quosdam super ea quæ de navi erant*] Quod nobis vet. reddidit Interp. id propriè est quod habet Euangelista, scribens οὓς δὲ ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου· nè quis de *navigii fragmentis* intelligendum putet, ut quidam interpretatur, quin potiùs de instrumentis nauticis, ut sunt remi, antennæ, fori, vel de his quæ in navi ferebantur.

L. BRUGENSIS.

2. A*scendentes navem Adrumetinam.*] Major Latinorum codicum pars, cum Rabano in Glossa citato, Carensi, Lyrano, & Richelio, Enarratoribus, *Adrumetinam* navem vocat: quinque nostri, Brug. Lob. Malmund. O. Lugd. cum adspiratione *Hadrumetinam* scribunt. Novem *Adrumentinam* legunt, duóque præmittunt adspirationem, *Hadrumentinam*. Pro priori lectione facit Catalogus locorum hujus libri, in tertio Hieronymi & quinto Bedæ tomo exstans, qui *Hadrumetus* habet, *civitas in Byzantio.* [Ac. *Byzatio.* Ac. *Bazatio.*] *regione Africæ:* quod jam recensiti enarratores sequuntur. Id autem ex Plinio; sumptum videtur, cujus de ea quæ propriè vocatur Africa hæc sunt cap. 4. lib. 5. verba, *Mox Africa ipsius alia distinctio. Libyphœnices vocantur qui Byzantium incolunt. Ita appellatur regio 250000 passuum per circuitum, fertilitatis eximiæ, cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terrâ. Hic oppida libera, Leptis, Adrumetum, Ruspina*, &c. Pro posteriori lectione facit Syriacum Testamentum, quod *navem* [Syriac] describit, *quæ erat ex Adramanto civitate* describit. Apud Plinium civitas quæ libro 5 vocata est *Adrumetum*, capite ultimo sexti libri scribitur *Hadrumentum*. Fortè utroque appellata fuit modo: itáque idem sit *Adrumentina* quod *Adrumetinâ*. Textus Latinus Complutensium Bibliorum *Hadramytenam* [*Adramytenam* R.] habet, ut Græcus Ἀδραμυττηνῷ Quenteliana Biblia *Adramyttinam*, ut Græci codices plerique Ἀδραμυττηνῷ aut Ἀδραμυττινῷ. Theophylacti textus Ἀτραμυττηνῷ dicit; is quo usus est Magdalius Jacobus, Ἀτραμυττηνῷ. Plinius Adramyttii unguento nobilis meminit, lib. 13. cap. 1. & Atramitarum populi, lib. 6. cap. 28.

H. STEPHANUS.

1. Ω*Σ δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς*] *Postquam autem decretum fuit navigandum nobis esse.* ¶ Σπείρας] *Cohortis.*

3. Φιλανθρώπως τε ὁ Ἰούλιος τῷ Παύλῳ χρησάμενος, ἐπέτρεψε] *Humanitate erga Paulum usus permisit:* vel, *Humanum se exhibuit, ità ut permiserit.*

7. Βραδυπλοοῦντες] *Tardè navigantes.*

8. Παραλεγόμενοι] *Prætervecti:* vel, *Prætérlegentes.*

9. Ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς] *Cùm jam periculosa esset navigatio.*

12. Ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν] *Cùm autem portus incommodus esset ad hibernandum.*

15. Καὶ μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, ἐπιδόντες ἐφερόμεθα] *Et cùm non posset obniti vento* (q. d. obversâ prorâ reluctari) *permisso illi navigio ferebamur.*

16. Ὑποδραμόντες] *Cùm cursu delati essemus subter:* vel, *cùm cursum tenuissemus subter.* ¶ Περικρατεῖς γενέσθαι τῆς σκάφης] *Compotes fieri scaphæ.*

19. Τὴν σκευὴν] *Armamenta.*

21. Πολλῆς ἀσιτίας ὑπαρχούσης] *Cùm jam multa esset inedia.* ¶ Κερδῆσαι] *Vitare:* ad verb. *lucrifacere.*

22. Εὐθυμεῖν] *Bono esse animo.* ¶ Πλὴν τοῦ πλοίου] *Sed tantùm navigii.*

24. Κεχάρισται] *Condonavi.*

27. Διαφερομένων ἡμῶν] *Cùm jactaremur:* vel, *agitaremur.* ¶ Προσάγειν] *Appropinquare.*

28. Βολίσαντες] *Cùm demisissent bolidem.* ¶ Βραχὺ διαστήσαντες] *Paulùm progressi.* Vel, *parvo temporis intervallo.*

33. Ἄχρι δὲ οὗ ἔμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι] *Interim autem dum orir etur dies.*

34. Τοῦτο πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὑπάρχει] *Ad salutem vestram pertinet:* vel *spectat.*

38. Κορεσθέντες δὲ τροφῆς, ἐκούφιζον] *Satiati autem cibo, allevabant.*

40. Κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλὸν] *Tendebant ad littus.*

41. Ἐπώκειλαν τὴν ναῦν] *Illiserunt navem.* ¶ Ἐρείσασα ἔμεινεν ἀσάλευτος] *Infixa, manebat immobilis.*

42. Ἐκκολυμβήσας διαφύγοι] *Enatando effugeret.*

43. Ἀποῤῥίψαντας πρώτους, ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι] *Primi se projicerent, & ad terram evaderent.*

DRUSIUS.

2. Π*λοίῳ Ἀδραμυττηνῷ, navigio Adramytteno*] Ἀδραμύττειον, teste Stephano, urbs est Mysiæ, κατὰ Καΐκον, qui fluvius est ejus regionis. In Vulgata nostra, *navem Adrumetinam.* Est autem Adrumetum Africæ oppidum, quod Hieron. *Hadrumetus* dicitur. Verba ejus sunt lib. Nominum, *Hadrumetus civitas in Bazatio* (aliàs *Byzatio*) *regione Africa.* Rectè autem initio aspirationem adjecit. Vox enim est merè Punica, [Hebrew]. Ebræi dicerent [Hebrew], quod Latinè sonat ut si dicas, *Ditis*, aut *Mortis*, *atrium*. Solinus, *Hadramyto & Karthagini autor est à Tyro populus.* [Hebrew] etiam *Pluto.* Philo Byblius, καὶ μετ' οὐ πολὺ ἕτερον αὐτῷ παῖδα ἀπὸ Ῥέας ὀνομαζόμενον Μοὺθ ἀποθανόντα ἀφιεροῖ. Θάνατον δὲ τοῦτον καὶ Πλούτωνα Φοίνικες ὀνομάζουσιν. Ergò *Hadramyto*, *atrium Plutonis*, ob pestilentem aerem illius oræ. Quomodo Plautus, *Acheruntis ostium est in agro nostro.* Oppidum hoc Ptolemæo dicitur Ἀδρύματτος, Straboni Ἀδρύμη, Stephano Ἀδρύμης, Thucydidi Ἀτράμυττος, Pausaniæ Ἀδραμύττιος, Plinio *Adrumetum.*

7. *Salmonem*] Vide Matth. 1. 4.

9. *Quòd & jejunium jam præteriisset*] Dies expiationum, qui *dies jejunii*, & *jejunium magnum.* In Syro est, *dies jejunii Judæorum.* Hujus mentio Jer. 36. 6. *in die jejunii.* Josephus lib. 7. Belli Jud. *Die expiationum jejunare mos fuit cunctis.* Dies hic incidit in nonum mensis Thesri, qui ex parte Octobri nostro respondet. Hoc die Pleiades occidunt & mare tempestuosum navigationisque incommodum reddunt. Vide Levit. 23. 29, 32.

18. *Jactum fecerunt*] Alius *jacturam fecerunt.* Syrus *projecerunt vasa in mare.* Jon. 1. ἐκβολὴν ἐποιήσαντο τῶν σκευῶν *armamenta navis abjecerunt in mare:* verbum è verbo, *jacturam fecerunt vasorum.* Mox ait, τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐῤῥίψαμεν *armamenta navis abjecimus:* ἡ σκευὴ est *omne id quo navis erat instructa, armata aut onerata.*

34. *Nullius vestrûm capillus de capite cadet*] In re minima non lædemini. Nihil rerum vestrarum etiam vilium amittetis. Sic 1 Reg. 1. 52. *Non cadet de pilis ejus in terram.* Vide Matth. 10. 30. & Luc. 12. 7.

CASAUBONUS.

1. Ω*Σ δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς εἰς τὴν Ἰταλίαν*] Ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν, h. e. *ἐγένετο γνώμη τοῦ ἀποπλεῖν*, ut 20. 3. *ἐγένετο γνώμη τοῦ ὑποστρέφειν.* Similis est verbi *κρίνειν* constructio apud Paulum 1 Cor. 2. 2. οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τὶ ἐν ὑμῖν. Sic loquitur auctor Machab. lib. 1. c. 3. Καὶ ἠπορεῖτο τῇ ψυχῇ αὐτοῦ σφόδρα, καὶ ἐβουλεύσατο τοῦ πορευθῆναι εἰς τὴν Περσίδα. Græci non dissimiliter λαγχάνειν cum secundo casu jungunt.

21. Κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν] Qui periculum imminens effugit, is Græcis *lucrum facere* sive *κερδαίνειν* dicitur. Poetas quidem ità loqui constat. Mihi verò in mentem venit summi Philosophi locus ubi hoc loquendi gene-

re

re utitur. Locus est Ἡθικῶν μεγάλων lib. 2. Καὶ (ait) ὅ κατὰ λόγον ζημίαν ἦν λαβεῖν, τὸν τὸ τοιοῦτον κερδάναντα εὐτυχῆ φαμεν, qui locus istum valde illustrat, Erasmíque errorem manifestissimè arguit. Atque hic cum Deo finem scribendi faciemus, si priùs testati fuerimus, hæc qualiacunque post summos diligentissimósque viros raptim collecta spicilegia ità à nobis nunc edi ut voluntate quorundam amicorum obsecuti magis quàm judicium nostrum secuti fuerimus. Quod verè à nobis dici, si Deus otium aliquando dederit, faciemus ut omnes cognoscant.

GUALTPERIUS.

11. TῼΩ κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ, *gubernatori & nauclero*] Utraque vox Græca est. Κυβερνήτης *gubernator*, ex κυβερνάω *guberno*; propriè *navem rego*. Eandem vocem retinet Syrus [Syriac] *Lekubernithi*. Ναύκληρος, *qui navem possidet*, *navis dominus* (quo modo & Syrus reddit) *nauclerus*, *navicularius*, *naviculator*. Vide composita à ναῦς.

17. Μὴ εἰς τὴν Σύρτιν ἐκπέσωσι, *nè in Syrtin inciderent*] Σύρτης per η, *tractor*, ἀπὸ τοῦ σύρω *traho*. Σύρτις in mari dicitur, *ubi limum arenámque & saxa ingentia fluctus trahunt.* Salustius in Bello Jugurth. *Duo*, inquit, *sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pares tamen naturâ: quorum proxima terræ prealta sunt, cætera uti fors tulit, aliàs alta sunt, aliàs in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse & sævire cœpit ventis, limum arenámque & saxa ingentia fluctus trahunt: ità facies locorum cum ventis simul mutatur: Syrtes ab tractu nominatæ.* Duæ autem esse feruntur, altera major, altera minor. De his Dionysius Afer in περιηγήσει τῆς οἰκουμένης, v. 189.

> Ἐξείης δ' ἐπὶ Σύρτις ἀγάῤῥοον ἁλκὸν ἑλίσσει
> Βαιοτέρη· μετὰ τήνδε πρὸς αὐγὰς ἔρχεται ἄλλη
> Ἄσπετος, εὐρυτέροισι βαρυνομένη προχοῇσιν.

Deinceps autem Syrtis rapidè fluentem tractum volvit minor. Post hanc ad Ortum venit alia immensa, amplioribus onerata gurgitibus. Ubi Commentator Eustathius, Τεναγώδης δὲ ὁ τόπος, καὶ οὐκ ἀεὶ βαθεῖα θάλασσα, ἀλλὰ κατὰ καιρούς τινας πολὺ τοῦ ὕδατος ἐπισυρομένης· ὅθεν καὶ Σύρτις καλεῖται· ἔςι δὲ ἡ μὲν ἐλάττων Σύρτις χιλίων ἑξακοσίων ςαδίων, ὥς οἱ παλαιοὶ φασι, τὴν περίμετρον· τῆς δὲ μεγάλης ὁ κύκλος πεντακισχιλίων ςαδίων. Vide ibidem plura. Pomponius Mela lib. 1. De situ orbis cap. 7. *Syrtis sinus est*, inquit, *centum fere millia passuum, quà mare accipit, patens; trecenta, quà cingitur: verùm importuosus atque atrox, & ob vadorum frequentium brevia, magisque etiam ob alternatos motus pelagi affluentis & refluentis infestus.* Julius Solinus Polyhistor cap. 27. *Catabathmos*, ait, *Ægypto insinuata, cui proxima Cyrenensis extenditur inter duas Syrtes, quas inaccessas vadosum ac reciprocum mare efficis; cujus sali defectus vel incrementa haut promptum est deprehendere; ità incertis motibus nunc in brevia rescinditur dorsuosa, nunc æstibus inundatur inquietis. Varro auctor est perflabilem ibi terram ventis penetrantibus subitam vim spiritûs citissimi aut removere maria aut sorbere.* Et in capite eodem, *Inter Syrtes quamvis terrâ pergentibus iter sideribus destinatur; nec aliter cursus patescit. Nam putris soli faciem aura mutat, & minimo licet vento tantam diversitatem flatus efficit, ut subinde eversis sitibus locorum, nulla indicia agnitioni relinquantur; cùm modò quæ fuerant tumulis ardua in valles residunt, modò quæ vallibus pressa, cœtu pulveris aggerantur. Ità etiam continens naturam maris sui patitur: nec interest ubi potiùs sint procellæ, cùm ad exitium viantium elementis congruentibus, in terris flabra sæviant, in mari terra. Utraque Syrtes ducentis quinquaginta millibus passuum separantur. Aliquantò clementior quæ minor est. Cn. denique Servilio, C. Sempronio Coss. inter hæc vadosa classem Romanam impunè accepimus perfretasse.* Lucanus lib. 9.

> *Indi peti placuit Libyci contermina Mauris*
> *Regna Jubæ: sed iter mediis Natura vetabat*
> *Syrtibus: has audax sperat sibi cedere virtus.*
> *Syrtes vel primam mundo Natura figuram*
> *Cùm daret, in dubio pelagi terræque reliquit.*
> *Nam neque subsedit penitus, quò stagna profundi*
> *Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus;*
> *Ambigua sed lege loci jacet invia sedes.*
> *Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo,*
> *Et post multa sonant projecti littora fluctus.*
> *Sic malè deseruit, nullosque exegit in usus*
> *Hanc partem Natura sui: vel plenior alto*
> *Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat;*
> *Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens*
> *Æquora subduxit Zonæ vicina perustæ;*
> *Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.*
> *Mox ubi damnosum radios admoverit ævum,*
> *Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda superne*
> *Innatat, & latè periturum deficit æquor.*

Consule & Plinium lib. 5. c. 4. & l. 2. c. 97.

29. Ἐκ πρύμνης ῥίψαντες ἀγκύρας τέσσαρας, *jactis è puppi anchoris quatuor*] Syrus vocem habet [Syriac], quæ in Commentariis legitur [Syriac] *Ankora*. Vox Græca est in linguam Latinam & Germanicam derivata, *Ancora* Ein Ancker. Ἀγκυροβόλιον, *ancoræ jactus*. Ἀγκυροειδής, *ancoræ formam habens*. Ἀγκυρόω, *ancoris firmo*. Ἀγκύριον, dimin. *ancora parva*. Verbum autem ἀγκυρίζειν ligo *supplantare*: unde ἀγκύρισμα *supplantatio*.

GROTIUS.

ΩΣ δὲ ἐκρίθη, *Ut autem judicatum est*] *Constitutum fuit*, ut supra 20. 16. & 25. 25. ¶ Τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς, *navigare nos*] Constructio qualis supra 3. 12. 1 Corinth. 2. 2. ¶ Παρεδίδουν τόν τε Παῦλον, *& tradi Paulum*] Nempe Festus & qui ab eo id mandatum acceperant. Frequens est apud Hebræos subaudire nominativum verbo congruentem. At Manuscriptus, παρεδίδου [*tradebat*, ut ad unum *Festum* se referat oratio. ¶ Καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, *cum reliquis custodiis*] Latinus vertit *custodias*, bene admodum. Sic vocem *custodia* usurpant Suetonius Domitiano, Paulus in L. Carcer, & Venulejus L. ne quis, D. de custodia & exhibitione reorum. ¶ Ἑκατοντάρχῃ, *Centurioni*] Vide supra 10. 1. ¶ Ὀνόματι Ἰουλίῳ, *nomine Julio*] Liberto, credo, Juliæ domûs. Vide quæ ad Lucam. Sic Earinus dictus *Flavius*. In Manuscripto tamen infra est Ἰουλιανός [*Julianus*. ¶ Σπείρης Σεβαςῆς, *cohortis Augustæ*] Bene Latinus, *cohortis Augustæ*. Sed intellige *cohortem* fuisse *ex legione Augusta*, quomodo illa Cornelii *ex legione Italica*, supra 10. 1. Nam *Augusta* nomen legionis in Antiquo lapide apud Lipsium ad Taciti secundum Historiarum.

2. Πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ, *navem Adramyttenam*] Multæ sunt urbes dictæ [Hebrew] (*Chazer-Muth.*) Ἀδράμυττος, Ἀδραμύττα, Ἀτράμυττος, Ἀτραμύττειον [*Adramyttus*, *Adramytta*, *Atramyttus*, *Atramyttium*.] Nam tot modis hoc nomen scribitur apud Stephanum & apud alios. Celeberrima omnium est urbs Africæ maritima, de qua Procopius Vandalicorum 2. quam hîc indicari rectè censet Hieronymus. Navis hæc videtur Africanas merces in Syriam, deinde Syriacas in Lyciam portâsse, ut ibi acciperet

> *Vina Syra reparata merce.*

ut loquitur Horatius. Sic solebant Athenis ire naves primùm Menden aut Scionen, deinde in Bosphorum: idque etiam nunc fieri solet ut onera bis terve aut sæpius mutentur. ¶ Μέλλοντες πλεῖν τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους, *incipientes navigare circa Asiæ loca*) Manuscriptus μέλλοντι πλεῖν [*incipienti navigare*.] Ab Africa veniebat navis. Legebat oram Asiæ, & urbes quasdam maritimas negotiorum suorum causâ adibat. Πλεῖν τόπους *navigare loca*, quomodo Virgilius,

> —*Tyrrhenum navigat æquor*

Sic πλέω τὴν θάλασσαν [*navigo mare*] Demosthenes. Τόπους [*loca*,] id est, μέρη [*partes*,] *maris* nempe. ¶ Ἀνήχθημεν, *sustulimus*] Ut supra 16. 11. & 18. 21. & 20. 3, 13. & infra v. 4. ¶ Ὄντος σὺν ἡμῖν Ἀριςάρχου Μακεδόνος Θεσσαλονικέως, *perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi*] Hic Aristarchus Christianus factus Paulum ex Macedonia in Judæam usque comitatus fuerat, supra 19. 29. & 20. 4. Idem Paulum jam custodiæ datum ex amore in ipsum & veritatem comitari sponte voluit, Romæque primùm adjutor ejus, Philemon. 24. deinde vinculorum particeps fuit, Coloss. 4. 10.

3. Εἰς Σιδῶνα. *Sidonem*] Quæ satis propinqua Cæsareæ. Apparet id ex Ptolemæo. ¶ Φιλανθρώπως τε ὁ Ἰούλιος τῷ Παύλῳ χρησάμενος, *humanè autem tractans Julius Paulum*] Exemplo Felicis, suprà 24. 23. ¶ Πρὸς τοὺς φίλους πορευθέντα, *ad amicos ire*] Cùm milite. ¶ Ἐπιμελείας τυχεῖν, *curam sui agere*] Cùm cura haberi. Sic ἐπιμέλειαν σώματος [*curam corporis*] dixit Galenus.

4. Ὑπο-

4. Ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κύπρον, διὰ τοὺς ἀνέμους εἶναι ἐναντίους *subnavigavimus Cyprum: propterea quod essent venti contrarii*] Accuratè admodum totam hanc navigationem describit Lucas. *Navigavimus*, inquit, *ita ut à Cypro non longè abessemus: non quod rectum iter eò ferret, sed quod ventus adversus cogeret & sinus & iter obliquare.* Sic & infrà 7.

5. Τό, τε πέλαγος τὸ κατὰ τὴν Κιλικίαν καὶ Παμφυλίαν διαπλεύσαντες, *Et pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ navigantes*] Πέλαγος [*pelagus*] hic significat *altum mare quod procul à terra est*, ut & Matth. 18. 6. & 2 Maccab. 5. 21. ¶ Κατήλθομεν, *venimus*] Κατάγειν est *appellere*, Luc. 5. 11. suprà 9. 30. & 21. 3. infrà 28. 12. In Glossario, Καταγωγή, *advectio*, κατάγω, *advehor*. ¶ Εἰς Μύρα τῆς Λυκίας. *Myra quæ est Lyciæ*] Manuscriptus & alii, Λύστρα [*Lystra*.] Vox utraque corrupta, videlicet pro Λίμυρα [*Limyra*,] quod nomen & amni & urbi ad amnem sitæ in Lycia. *Myra* interiùs jacet, *Lystra* in Lycaonia est.

6. Πλοῖον Ἀλεξανδρῖνον πλέον εἰς τὴν Ἰταλίαν, *navem Alexandrinam navigantem in Italiam*] Multæ naves ex Alexandria Italiam petebant, advehebantque frumentum ab Ægypto & Persicas Indicasque merces. Ideo soli jus habebant ad oram appellere non demissis supparis. Appellebant autem plerumque Puteolos. Et ad Pharum Puteolanam reficiendam fovendamque Alexandrina civitas contulit. ut ex inscriptionibus discimus. Classis Alexandrina, *Niliacus cataplus* Martiali. ¶ Ἐνεβίβασεν ἡμᾶς εἰς αὐτό. *transposuit nos in eam*] Ἐμβιβάζειν est vox bene Græca, & Platoni etiam in Epistolis usitata, pro *imponere in navem*.

7. Βραδυπλοοῦντες. *tardè navigaremus*] Ob multum onus, ut accipit Syrus. ¶ Μόλις γινόμενοι κατὰ τὴν Κνίδον, *vix devenissemus contra Gnidum*] Insulam Cariæ objectam & Veneris simulacro ac cultu nobilem. ¶ Μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τοῦ ἀνέμου, *prohibente nos vento*] *Non sinente vento*, nempe *rectum nos tenere cursum*, εὐθυδρομεῖν: ita hanc ἔλλειψιν [*defectum*] supplet hic Syrus. ¶ Ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην, *adnavigavimus Cretæ*] Vide suprà 4. ¶ Κατὰ Σαλμώνην *juxta Salmonem*] *In eam partem in qua vicus est Salmone*, unde promontorium *Salmonium* Straboni & Ptolemæo. Dionysius Periegetes,

> Ἐκ δ' ὀρέων Σικελῶν Κρήτης ἀναπέπταται οὖδας,
> Μακρὸν ἐπ' ἀντολίην, Σαλμωνίδος ἄχρι καρήνου.
> [*Montibus à Siculis se Creta expandit, in Ortum Longè se extendens, caput ad Salmonidis usque.*]

8. Μόλις τε παραλεγόμενοι αὐτήν, *Et vix juxta navigantes*] *Cùm difficulter locum præternavigassemus.* Μόλις difficultatem sæpe significat, ut 1 Petri 4. 18. Sirach. 26. 24. παραλέγεσθαι hìc & infrà v. 13. est *prætervehi*. Virgilius,

> —— *& crebris legimus freta concita terris.*

id est, *præterimus*, ait Servius. ¶ Καλοὺς λιμένας, Manet hodieque id nomen. Stephano est καλὴ ἀκτή [*bona ora*,] eodem sensu; nam *bona ora* nautis dicitur ea quæ est *portuosa*. ¶ ᾧ ἐγγὺς ἦν πόλις Λασαία, *cui juxta erat civitas Lasæa*] In Manuscripto ᾧ ἐγγὺς πόλις ἦν Ἄλασσα [*cui juxta erat civitas Alassa*.] Et puto hanc veram esse lectionem, nec aliter legisse Arabem & Latinum, quanquam in illo *Alasia*, in hoc *Thalassa*, mutatione non multùm à recto abeunte, legitur.

9. Καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοός, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *& cùm jam non esset tuta navigatio, eò quod & jejunium jam præteriisset.*] Νηστεία [*jejunium*] per excellentiam dies יום כפרים ἐξιλασμοῦ [*expiationis*,] decima Tisri. Vide Levit. 23. Tisri partim cum Septembri, partim cum Octobri congruit. *Mense Novembri claudi maria* notat Vegetius. ¶ Παρῄνει ὁ Παῦλος. *consolabatur Paulus*] A Deo monitus.

10. Μετὰ ὕβρεως καὶ πολλῆς ζημίας, *cum injuria & multo damno*] Hæc duo conjuncta & infrà habentur v. 21. ὕβρις [*injuria*] ad personam, ζημία [*damnum*] ad res magis refertur. Et est κατάχρησις [*Abusio*] satis elegans, quomodo Latini dicunt, *cæli injuriam*. ¶ Τοῦ φόρτου, *oneris*] Id est, γόμου [*mercis*.] Νηὸς φόρτον [*onus navis*] dixere & Athenagoras & Eustathius, *onus* Latini: unde illud Juliæ inverecundum, *Nunquam nisi nave plenâ tollo vectorem. Plenâ* supple *oneris* ¶ Ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχῶν ἡμῶν, *sed etiam animarum nostrarum*] Id est, *personarum*, quæ magnis malis affectæ. Sic hoc nomen habuimus & supra 2. 41. & habebimus infrà v. 37.

11. Τῷ κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ, *Gubernatori & Nauclero*] Κυβερνήτης est *qui navem gubernaculo regit*. Ναύκληρος verò in Glossario rectè vertitur *navicularius*, qua voce aliquoties utitur Cicero. Græcam Plautus retinuit. Latiùs patet *navicularii* nomen quàm *magistri*. Nam *magister* is demum est quem exercitores navi præfecere; *Navicularius* etiam qui suæ navi præest. *Gubernator* suas conjecturas sequebatur, hujus auctoritatem *navicularius*.

12. Ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν, *Et cùm aptus portus non esset ad hyemandum*] Sicut εὔθετος est *idoneus*, Psalm. 32. 6. Luc. 9. 62. & 14. 32. Ita ἀνεύθετος, *non idoneus, incommodus*. Χειμάζεσθαι est *jactari tempestatibus* & παραχειμάζεσθαι; *vitare tempestates*. Hoc igitur dicit, *Non erat portus ille idoneus ad vitandam tempestatem.* ¶ Εἰς Φοίνικα, *Phœnicen*] Habet in Austrino Cretæ latere Ptolemæus urbem *Phœnica*, portum *Phœnicunta*. ¶ Βλέποντα κατὰ λίβα, *respicientem ad Africum*] λίψ, Latinè *Africus*, flat ab Occasu brumali. ¶ Καὶ κατὰ χῶρον, *& ad Chorum*] Χῶρος vox est non Græca origine, sed Latina *Corus* vel *Caurus*, Græcis ἀργέστης. Flat ab Occasu æstivo, aut, ut alii volunt, solstitiali. Portus ergò iste in angulo situs duo mari ventisque diversis objiciebat cornua.

13. Ὑποπνεύσαντος δὲ νότου, *Adspirante autem Austro*] Ὑπὸ sæpe in compositione rem imminuit. Itaque ὑποπνεῖν est *leniter flare*. Talia sunt ὑπόκωφος, ὑποκρίνω, ὑπολαλέω [*aliquantùm levis, levem sonum edo, mussito*] & similia. ¶ Δόξαντες τῆς προθέσεως κεκρατηκέναι, *æstimantes propositum se tenere*] Nautæ scilicet. Κρατεῖν προθέσεως est *voto potiri*. Id ideo existimabant, quia Australe Cretæ littus legere volentibus Auster obtigerat. ¶ Ἄραντες, *cùm sustulissent*] *Cùm solvissent*, nempe a Phœnice aut Phœnicunte portu. ¶ Ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην. *propius prætergebant Cretam*] Ita distinguendum est. Id est, *quàm proximè oram Cretæ legebant*. חזרי קרטא [*circa Cretam*] hìc Syrus. Non metuentes scilicet ne in littus impingerentur, ideo quòd lenis admodum esset Auster, ut ex antedictis cognovimus. Non repetam multis quod alii rectè hìc ostenderunt, malè à nonnullis putatum nomen hoc esse proprium loci *Asson*.

14. Ἄνεμος τυφωνικός, *ventus typhonicus*] Τυφῶν quid sit, supra notavimus ex iis qui meteora descripsere. At Judæis Hellenistis τυφῶς est *quævis violentior procella*. Nam sic interpretes quidam vertunt in Psalm. 148. 8. רוח סערה, ubi alii πνεῦμα καταιγίδος, *ventus procellosus*. Sicut & idem nomen סערה vertitur καταιγίς [*procella*] Psalm. 55. 9. & 83. 16 & 107. 27, 29. Esaiæ 29. 6. & 40. 24. & 41. 16. alibi κλύδων [*turbo*,] ut Ionæ 1. 4. & 2. 12. ¶ Ὁ καλούμενος Εὐροκλύδων *qui vocatur Euroaquilo*] Manuscriptus Εὐρακύλων, haud obscura commutatione λ in δ, quarum litterarum perquam vicini sunt ductus in Manuscriptis. Vera lectio est, quam secutus est Latinus interpres, Εὐρακύλων. Pari modo dicitur *Euronotus* & *Eurocercius* apud Vitruvium. Nec novum vocabula Græcæ originis cum Latinis coalescere. Talia sunt, *biclinium, epitogium, Anticato*, notata Quintiliano 1. 5. Quod multò faciliùs procedit, ubi vox illa Græca in Latium adoptata est, ut *Eurus*. Non frustra autem Lucas, non contentus dixisse *coortum ventum procellosum*, adjicere voluit unde is flaret, quod nullus esse posset *Euroaquilone* magis adversus Italiam petentibus. Dici poterat vento tam procelloso flante ab Ortu & Septentrione id quod apud Lucanum est,

> *Nec ratis Hesperias tanget neque naufragus oras.*

15. Συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου, *Cùmque abrepta esset navis*] *Abrepta* à Creta. ¶ Καὶ μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, *& non posset conari in ventum*] Egregia Translatio. Ἀντοφθαλμεῖν propriè est *contrà tueri*, impropriè *obniti*: ut cùm Plutarchus negat Demosthenem potuisse ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀργυρίῳ [*tueri contra argentum*,] & cùm Polybius non uno loco negat hos aut illos potuisse hostibus ἀντοφθαλμεῖν [*contrà tueri*:] quo sensu hoc verbo utitur & Sirachides 12. 14. Sic & ἀντιβλέπειν usurpat Josephus, ut Antiquæ historiæ 6. καθάπερ οἷς οὐκ ἔτι ἦν ἀντιβλέψαι [*malis quibus resisti jam non poterat*:] & secundo contra Appionem, τοῖς προστάγμασι τοῖς περὶ διαίτης οὐκ ἀντέβλεψαν [*ordinationibus de vivendi ratione non reluctabantur*.] Syrus rectè vertit *vento obsistere*. ¶ Ἐπιδόντες ἐφερόμεθα. *data nave ferebamur*] Ἐπιδόντες [*data nave*,] nempe τῷ ἀνέμῳ [*vento*] quod nomen præcessit. *Cedentes vento ferebamur.* Sic & Ovidius tempestatem describit 1 Tristium 3,

Navita

Et Sullas, Mariósque, Mutiósque,
Magnâ voce sonas manúque totâ.

Αἰτίαν ἐπιφέρειν inter locutiones melioris Græciæ est. Dio in Excerptis, & Achilles Tatius lib. 6. ἐγκλήματα ἐπιφέρειν dixit. Herodianus 2. ἔγκλημα ὑποφέρειν pro quo Diodorus Siculus, lib. 14. & in Fragmentis, αἰτίας ἐπιφέρειν. Pollux 3.29. cap. περὶ τοῦ ἐγκαλεῖν, Αἰτιᾶσθαι, αἰτίαν ἐπάγειν, προσφέρειν. Imò, ut Lucas, αἰτίαν ἐπιφέρειν, Plutarchus in Arato, item Eunapius in Ædesio dixit. Sic Philo in de Linguis confusis, ζημίαν ἐπιφέρειν. Paulus Philip. 1. 16. ἐπιφέρειν θλίψιν.

Com. 19. Περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας] Propriè hoc loco δεισιδαιμονίαν dici, ex Ulpiano & Quintiliano memoriæ Vir æternæ indicavit. Addantur & hi loci eodèm pertinentes. Tacitus Histor. 2. *Ob ingenium gentis, & pervicaciam superstitionis.* Ibid. 4. de iisdem, *Gens superstitioni obnoxia.* Apuleius Floridis, *Ægyptios eruditos, & Judæos superstitiosos.*

Com. 23. Μετὰ πολλῆς φαντασίας] Id est, (ut 1 Maccab. 9. 37.) μετὰ παραπομπῆς μεγάλης ubi Vetus, ut & hoc loco, *cum multa ambitione*, i. e. pompa & exteriore apparatu. Plinius lib. 1. Epist. 14. *Honestam quietem prætulit huic nostræ ambitioni dicam, an dignitati?* Hoc sensu vocem παραπομπῆς 1. 79. Artemidorus posuit. Idem ejusdem lib. Præfat. μετὰ κατασκευῆς ἢ τῆς τυχούσης. 1 Maccab. 10. 58. μετὰ δόξης μεγάλης dicitur. Matth. 24. 30. & Luc. 21. 27. μετὰ πολλῆς δόξης. Ἐντίμῳ καὶ περιδόξῳ πομπῇ δορυφορούμενος apud Photium Olympiodorus dixit. Hieronymus in vita Hilarionis, *cum ingenti honore & comitatu.* Virgilius, *Ingenti mole.*

Interea Reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru:——

ubi Servius, *Ingenti pompâ, ambitu: nam modò hoc significat.* Talis & Reginæ Punicæ quam in 4. describit,

Tandem progreditur magnâ stipante catervâ,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem:
Nec non & Phrygii comites.——

Apud Suetonium in Caligula hoc sensu *scenam* habemus. Apud Salustium in de Repub. ord. *superbiam*, *Neque divitiis aut superbiâ*, inquit, *sed bona famâ factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat:* apud Paulum 1 Cor. 7. 31. σχῆμα. Nec cùm *rerum urbanarum ostentationem* Ammianus dixit, videtur aliud expressisse quàm quod Lucas hic Φαντασίαν vocavit. Vocem Φαντασίας autem, præter Auctores jam aliis notatos, usurpârunt hâc eâdem notione apud Athenæum 5. Callixenus Rhodius, & Posidonius Apamæensis: nec non Diodorus Siculus in Excerptis. Notabile est & hoc sensu quasi παράλληλον vocem ὑπονοίας Eunapium posuisse, Μετὰ βασιλικῆς ὑπονοίας (inquit) καὶ δορυφορίας ἐφοίτα. Sunt verba ejus in vita Maximi de Juliano loquentis.

Com. 24. Ἐνέτυχόν μοι] Bene hic ἐνέτυχον. Hesychius, Ἔντευξις, ἀπάντησις κατὰ τῶν πλημμελησάντων, δέησις εἰς ἐκδίκησιν. Suprà com. 1. αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην. Sic 1 Maccab. 8. 32. & 11. 25. ἐντυγχάνειν occurrit.

Com. 25. ἔκρινα] Vulgatus *judicavi*: i. e. statui, ut infrà 27. 1. ἐκρίθη *judicatum est.*

CAP. XXVI.

VALLA.

17, 18. **E***Ripiens te de populis & gentibus, in quas ego nunc te mittam, Aperire oculos eorum*] *De populo* legendum est, h. e. Judæorum. Nam & quidam Græci cod. habent *Judæorum*; & *quos*, non *quas*, ut Græcè est: & illud indicat, *Oculos eorum*, videlicet *ut aperias oculos eorum*, *in quos*, sive *ad quos*, *mittam te*. Neque *nunc* apud Græcos est: ἐκ τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἐθνῶν εἰς οὓς ἐγώ σε ἀποστέλλω.

28, 29. *In modico suades me fieri Christianum. Et Paulus, Opto apud Deum, & in modico & in magno*] Jam superiùs admonui istius verbi, non *suades* sed *persuades* dicendum fuisse. Quem locum, qui parùm eleganter transfertur, sic ego transtulissem, *Parùm abest quin persuadeas me fieri Christianum. Cui Paulus dixit, Optarem apud Deum*, sive *Votum facerem Deo, sive parùm sive multum abest*, Ὁ δὲ Παῦλος εἶπεν, Εὐξαίμην ἂν τῷ Θεῷ.

REVIUS in VALLAM.

29. **S***IVE parum sive multum abest*] Videantur Erasmus & Beza.

ERASMUS.

2. **Æ***Stimo me beatum*] Ut nè quid causemur quòd pro *existimo* dixit *æstimo*, cùm Græcè sit ἥγημαι, quod, *cum sim defensurus* pro *quod sim defensurus*. Cæterùm ἐπὶ σοῦ *apud te* bellè vertit, cùm antea verterit *ad te*. Jam cùm præcesserit *apud te*, vide quàm concinnè cohæreat, *Maxime te scientè*. Verùm illud omnium suavissimum quod addit, *omnia quæ apud nos sunt consuetudines & quæstiones:* ceu fas sit ità loqui, *omnia consuetudines & quæstiones*. Atqui Hieronymus in libro quem scripsit ad Pammachium De optimo genere interpretandi, citans hunc locum, vertit ad hunc modum, *De omnibus quibus accusor à Judæis, ô Rex Agrippa, existimo me beatum, cùm apud te sim hodie defendendus, qui præcipuè nosti cunctas quæ in Judæis sunt consuetudines & quæstiones.* Atque hujus loci per Hieronymum restituti meminit Beda. Nos vertimus hunc in modum *Super omnibus de quibus accusor à Judæis, Rex Agrippa, existimo me beatum, qui causam dicturus sim hodie apud te, quod tu maximè sis gnarus earumque apud Judæos sunt & quæstionum & consuetudinum.* Græca sic habent, Περὶ πάντων ὧν ἐγκαλοῦμαι ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, βασιλεῦ Ἀγρίππα, ἥγημαι ἐμαυτὸν μακάριον, μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ σήμερον, μάλιστα γνώστην ὄντα σε πάντων τῶν κατ' Ἰουδαίους ἐθῶν τε καὶ ζητημάτων. Quanquam durè congruit ὄντα σε, nisi fortè scribendum erat ὄντος σοῦ, aut nisi placet accusandi casum prò genitivo poni absolutè. Hic Beda refert aliam editionem quæ sic habuerit, *Æstimo meipsum beatum apud te, incipiens reddere rationem hodie.* Libens rogarim istos qui contendunt hanc translationem esse Hieron. & afflatu Spiritûs S. proditam, & hæreticum esse quicquid ab ea diversum est, cur Hieronymus ausus est eam immutare? Aut si post hæc emendavit, cur delectatus est inutili solœcismo, præsertim cùm Græcus sermo tale nihil habeat? In ὄντα consentiunt Græci codices, nec video solutionem, nisi subaudiamus εἰδώς *sciens*.

4. *Quæ ab initio fuit in gente mea*] Bis est hoc loco ἄνωθεν, quod Interpres vertit *ab initio*. Significat autem *vita seriem ab initio usque ad finem*

5. *Secundùm certissimam sectam*] Κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν. Pharisæorum sectam *hæresim* vocavit, haud dubiè quin in bonam partem. Deinde quod hic vertit *certissimam*, Græcis est ἀκριβεστάτην *exactissimam ac diligentissimam*; quòd esset eruditior ac rigidior quàm Sadducæorum, proximéque ad verum accedens.

6. *Et nunc in spe quæ ad Patres*] Ἐπ' ἐλπίδι Melius erat *de spe*, sive *ob spem*.

7. *Duodecim Tribus*] Τὸ δωδεκάφυλον. Græcis una dictio est, quæ significat non unam aut alteram sectam, sed universam gentem Judæorum in duodecim Tribus distinctam. Cui respondet participium λατρεῦον, quod, ut sæpè jam diximus, *cultum Numinis* significat: unde nos vertimus *colentes Deum*. Cæterùm apud nos desunt duo verba ἐν ἐκτενείᾳ i. *acriter*, sive *assiduè*: ut legas, *Duodecim Tribus instanter nocte ac die servimus.*

10. *Detuli sententiam*] Κατήνεγκα ψῆφον. Incertum an sentiat illum adduxisse decretum à Synagoga factum, an ipsum quoque suo suffragio damnasse Christianos. Nam *fert sententiam* Judex, *fert suffragium* qui dicit in concilio sententiam, & *defert* minister aut exsecutor. In posteriore sententia est Lyranus; in priore Rabanus.

12. *In quibus dum irem*] Ἐν οἷς, h. e. *in his versans, & hæc agens*: quâ figurâ sermonis & antea semel est usus.

16. *Ut constituam te ministrum*] Προχειρίσασθαι, *ut præparem*: quod antè vertit *præordinare*.

17. *Eripiens te de populis & gentibus, in quas*] Græcis est ἐκ τοῦ λαοῦ *de populo*: sentiens nimirum de Judæis. Et nonnulli Græci cod. pro *populo* habebant *Judæis*. Repetit ad eundem modum paulò post τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι, *populo & Gentibus*. Verùm apud illos non est *in quas*, ut respondeat *gentibus*, sed οὓς, i. *ad quos*, rei magis habitâ ratione quàm vocis.

20. *Digna pœnitentiæ opera*] Si *digna* sumis absolutè, bene habet oratio; sin minùs, *opera digna pœnitentiâ* (sive *pœnitentiæ*)

tia) sunt quorum jure pœniteat: de quo nonnihil dictum est nobis Matth. 3.

21. *Volentes me interficere*] Διαχειρίσασθαι quod magis sig. *injectâ manu violare* quàm *interficere*.

23. *Si passibilis Christus*] Εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς, *an pati debuerit Christus*. Sic enim disputabat ex Prophetis ut ostenderet illorum Vaticinia competere in Christum. Siquidem hæc referenda sunt ad *prædictionem Prophetarum*, non ad *Christum passum*: alioqui parùm aptè cohærebit, *Lumen annunciaturus sit populo*.

26. *Neque enim in angulo quicquam horum gestum est*] Non displicet quod legit Interpres; Græci tamen aliquantò secùs habent, οὐ γάρ ἐστιν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο, *neque enim hoc in angulo factum est*.

28. *In modico suades*] Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Primùm *modicum* pro *paulo* suo more usurpat. Deinde inter *suadere* & *persuadere* non sentit esse discrimen apud Latinos, etiamsi apud Græcos unicum verbum nostris duobus respondet. Cæterùm haud erat in proclivi commodè locum hunc vertere. Valla putat ità reddi potuisse, *Parùm abest quin persuadeas me fieri Christianum. Cui Paulus dixit, Optarim apud Deum, sive parùm sive multum abest*. Arbitror & ità reddi potuisse, *Aliquantulùm mihi persuades ut fiam Christianus. Et Paulus ait, Optarim à Deo, ut non solùm aliquantùm, verùm etiam multùm, neque te tantùm sed & omnes qui audiunt me hodie*, &c. Neque enim opinor id sensisse Agrippam, Parùm abesse quin cuperet fieri Christianus, sed Aliquantulùm huc propensum esse redditum oratione Pauli.

VATABLUS.

1. COEpit *rationem reddere*] *Pro se causam dicere, causam suam dicebat*.

2. *Cùm sim*] *Quòd sim*.

3. *Omnia*] *Omnes*, Vet.

5. *Præscientes*] *Qui priùs noverant*. ¶ *Certissimam*] *Exactissimam, diligentissimam*.

6. *In spe*] *De spe*, vel *ob spem*, sive *fretus spe*.

7. *In qua*] *In quam*, Vet. ¶ *Nostra* *] * *Instanter*. ¶ *Rex*] *Agrippa*.

8. *Quid*] *Cur*.

9. *Existimaveram*] *Existimabam*. ¶ *Debere*] *Oportere*.

10. *Et*] pro *nam*.

11. *Persequebar* *] * *Etiam*.

12. *In quibus*] Vel *Quarum rerum studio*, aut *In his versans, & hæc agens*. ¶ *Media in via*, &c.] *Media, ô Rex, in via vidi e*, &c.

13. *Supra splendorem solis*] i. Lumen sole splendidius. ¶ *Erant*] *Iter faciebant*.

14. *Mihi* *] * *Et dicentem*. ¶ *Saule, Saule*] *Saul, Saul*, Vet.

15. *Dominus*] *Ille*.

16. *Constituam*] *Preparem*. ¶ *Quibus*] *Per quæ*.

17. *Populis*] *Populo*, Vet. ¶ *In quas*] *Ad quos*, sub. *populos*.

18. *Sanctos*] Vel *eos qui sanctificati sunt*.

19. *Incredulus*] *Inobediens*.

20. *Annunciabam*] Vel *annunciavi*. ¶ *Digna pœnitentiâ*] Vel *quæ decerent pœnitentiam*.

21. *Interficere*] Vel potiùs, *violentâ manu violare*.

23. *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo & Gentibus*] Vel, *Quòd passurus fuerit Christus, quòd primus ex mortuis resurrecturus, quòd, inquam, annunciaturus lumen populo & Gentibus*.

24. *Loquente eo & rationem reddente*] *Cùm pro sui defensione diceret*.

25. *Optime*] Vel *potentissime*.

26. *Ad quem* *] * *Et*, Vet.

28. *Ad Paulum* *] * *Ait*. ¶ *Opto apud Deum & in modico & in magno*] *Optarim à Deo, ut non solùm aliquantulùm, verùm etiam multùm. In modico*; i. paucis verbis, vel aliquantulùm: q. d. parùm abest quin mihi persuadeas, vel ut alii aliquantulùm mihi persuades.

29. *Et in modico & in magno*] Vel *& paucis & multis verbis*; aut *non solùm aliquantulùm sed etiam multùm*. ¶ *Hodie* *] * *Me*.

30. *Et* *] * *Cùm hæc dixisset*.

31. *Fecit*] *Facit*: præs. temp.

CLARIUS.

6. ET *nunc de spe*] Prædicare Christum nihil erat aliud quàm annunciare spem quæ ad Patres facta erat esse impletam, cujus summa est Resurrectio mortuorum, cui inimici Judæi, dum ei resistunt, manifestò adversantur. Cernis quàm sapienter rem tractet?

8. *Quid incredibile judicatur apud vos si Deus mortuos suscitat?*] Dignum Paulo verbum. Nam profectò ità est. Si Deum omnia posse confitemur, quod & Ethnici prædicant, ut quidam eorum dixerit,

> ——— *Immensa est finémque potentia cœli*
> *Non habet; & quicquid superi voluere peractum est*:

Si ergò id credimus, cur & hoc non credamus? Sed nos metimur Deum nostris viribus nostrísque cogitationibus, & res consuetudine potiùs quàm ipsâ naturâ consideramus. Quasi non æquè mirum sit homines quotidie ex informi semine procreari! quod proculdubio non minùs difficile judicaremus si nunquam quisquam nostrùm id fuisset expertus.

25. *Sobrietatis verba*] Contra id quod Festus dixerat, *eum furere*.

28. *In modico suades me Christianum fieri*] Ἐν ὀλίγῳ. Brevi, inquit, oratione & compendiosâ doctrinâ ac sine multo labore mihi persuasisti. Cui ille respondet, Optare se, sive paucis sive multis verbis opus sit, omnes agnoscere Christum: fortasse significans, exiguum esse quod hactenus audierat præ iis quæ dici de ea re possent; qui si vellet & plura audire, & uberiori hâc frui doctrinâ, se non defatigari, sed promptum & alacrem ad dicendum accessurum. Potest etiam illud, *In modico suades*, sic intelligi, Parùm abest quin mihi persuadeas, & nihil propiùs factum est quàm ut me feceris Christianum.

29. *Exceptis his vinculis*] Hoc dixit Paulus, non ut qui aversaretur vincula pro Christo, aut erubesceret; hoc enim, si quicquam aliud erat quo maximè gloriabatur; verùm ad illorum opinionem loquebatur, & se ad eorum infirmitatem demittebat.

ZEGERUS.

2, 3. CUM *sim defensurus me hodie, maximè te sciente omnia*, &c. Quanquam B. Hieronymus lib. De optimo gen. interp. pro *omnia* vertat *cunctas*, & unum quoddam vetustum exemplar habeat *omnes*, vix tamen addubito quin Interpres scripserit *omnia*, ut substantivè accipiatur, & per appositionem construatur cum *consuetudines & quæstiones*. Cæterùm de *sim*, vel *sis*, major mihi dubitatio est, quòd codices hic magis varient. *Sis* tamen magis postulat tenor ipse sermonis. Videtur enim Paulus dicere, *Sperare se ab Agrippa defensionem, quòd ipse non ignoraret consuetudines Judaicas*. Sed rursus huic obstat ratio Grammaticalis. Non constat enim sermo, *cùm sis defensurus me, maximè te sciente omnia*. Probè autem constat, *cùm sim defensurus me, te sciente omnia*. Unde Beda alias duas citat versiones paulò commodiores; quarum prior hæc est, *Æstimo me beatum apud te, incipiens rationem reddere hodie*. Altera quæ est Hieronymi, loco citato, hujusmodi est, *Æstimo me beatum, cùm apud te sim hodie defendendus, qui præcipuè nosti cunctas quæ in Judæis sunt consuetudines & quæstiones*.

9. *Et nunc in spe quæ ad patres nostros repromissionis facta est*] De spe loquitur futuræ Resurrectionis, ob quam potissimùm in jus accitus fuerat. Eam *spem* vocat *repromissionis*, i. promissam, utpote quæ *Patribus* promissa sit. De hac enim resurrectione scriptum est Soph. 3. 8. *Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum: quia judicium meum ut congregem Gentes*: item apud Job in multis locis. Pro illo autem *in spe* commodius est ἐπ' ἐλπίδι *propter spem*; siquidem ἐπὶ juncta dandi casui Causæ nota est.

12. *In quibus dum irem Damascum*] Ἐν οἷς esse potest *In quibus negotiis versans*, vel *hæc agens*, *dum irem Damascum*.

21. *Tentabant volentes me interficere*] Sunt codices qui, teste editione Lovaniensium, juxta Chrysostomum & archetypum, tantùm habent *tentabant interficere*: id quod & nos in quodam offendimus codice Gallicano.

23. *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione*] Si pro *Siquidem* vel *Quia* dictum est. Et Christus primus ad vitam immortalem resurrexit.

H. STEPHANUS.

1. Ἀπελογεῖτο] *Ab objecta sibi respondebat.* Vel, *defensione utebatur.* Vel, *causam dicebat.*

3. Μακροθύμως] *Patienter.*

5. Αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας] *Sectam nostra religionis.*

7. Τὸ δωδεκάφυλον] *Duodecim tribus.*

10. Ὃ καὶ ἐποίησα ἐν Ἱεροσολύμοις, &c.] Suprà 8. 3.

11. Περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς] *Et magis ac magis insaniam in illos exercens:* vel, *Et supra modum insaniens.*

12. Ἐν οἷς] *Inter quæ:* i. Quæ dum à me fiunt. Vel, interim autem dum hæc à me fiunt. ¶ Μετ' ἐξουσίας καὶ ἐπιτροπῆς] *Ex autoritate & mandato.*

16. Ὧν τε ὀφθήσομαί σοι] *Et eorum in quibus à te videbor:* vel, *tibi apparebo.* Sive, *Eorum ad quæ:* vel, *propter quæ*, &c.

20. Ἀλλὰ τοῖς ἐν Δαμασκῷ] Suprà 9. 10, 29.

21. Διαχειρίσασθαι] *Interficere.*

22. Ἐπικουρίας οὖν τυχὼν] *Sed auxilium nactus.*

23. Εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς] *Nónne futurum esset ut Christus pateretur.*

24. Περιτρέπει] *Redigunt:* vel *adigunt.*

25. Σωφροσύνης] *Mentis sanæ.*

26. Οὐ πείθομαι] *Non credo.* Vel, *persuasum non habeo.*

28. Ἐν ὀλίγῳ] *Brevi temporis spatio.* Alii, *Propemodum.*

29. Καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ] *Et brevi & longo temporis spatio.* Alii, *Et propemodum & admodum.* ¶ Γενέσθαι τοιούτους] *Fieri tales.* Vel, *factos esse tales.*

CAMERON.

5. Κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν] Allusio est ad nomen ipsum *Pharisæi*, quod non quamlibet *segregationem* significat, sed *accuratam* quandam & *exactam*, qualis eorum est quos Hebræi פרושים vocant, qui anxiè & scrupulosè sibi cavent ab iis quæ sunt κοινά. Itaque profanum vulgus sic notant, עם הארץ, h. e. *οἱ ἀμαθεῖς*. Hanc autem esse vim hujus nominis hinc patet, quòd verbum פרש, etsi *divisionem* & *separationem* notat, haud notat tamen *quamlibet divisionem*, sed *eam quæ fit subtili quadam ratione.* Id quod hinc colligere cuivis liceat, quòd Hebr. פרש Chaldaicè פרש *stimulum* significat, & *quod pungit*, ut Esa. 28. 28. ubi de rastro agitur, ופרשיו לא ידקנו *& dentes rastri ejus non comminuent illud: dentes rastri* dicuntur פרשים: unde & פרשים *equites à stimulis seu calcaribus* dicuntur, quomodo Græcè ἱππεύοντες. Et Prov. 23. 32. כצפעני יפרש *sicut aspis quæ pungit*, h. e. dividit, sed subtiliter & punctim. Atque hoc verbum פרש id significare, præter ea quæ jam attulimus, satis ostendit quòd Hebraicum נקב verbo פרש Chaldaicè redditur Levit. 24. quo loco de blasphemo agitur: dicitur de blasphematore illo ויקב את השם, Chald. vertit ופריש ית שמא, h. e. *arguté, distinctè nomen Domini protulit*, putà cum indignatione. Non erat itaque idonea causa cur Munsterus illud פרש interpretaretur *maledixit:* non fuit ea Paraphrastæ mens: voluit duntaxat נקב illud (quod significat *perforare*) exprimere. Sunt igitur Pharisæi (ut diximus) פרושים: nam פרוש est *qui omnia comminuit*; adeò subtilis est: unde etiam *Grammaticum* significat illud vocabulum.

LUD. CAPPELLUS.

7. Τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν] Cùm decem tribus Regni Israelitici ab Assyriorum Rege longè sint deportatæ, neque in historia Esdræ & Nehemiæ legantur unà cum Judæis, sub Cyro aliisque Persarum Regibus, rediisse in terram Chanaan, videri possunt tribus illæ ità cum Gentibus fuisse commixtæ ut à Dei cultu ad Ethnicorum idololatriam & mores defecerint. Nam si non defecerunt, cur sub Cyro non redierunt in patriam? cur non se reliquis Judæis reducibus adjunxerunt. Itaque mirum videri possit quòd Paulus hic meminit δωδεκαφύλου. Sed responderi potest, primò, Non omnes omnino Decem tribuum homines abductos fuisse captivos ab Assyriorum Rege, sed præcipuos duntaxat & nobiliores urbium & oppidorum cives: fæx plebis & miserum vulgus (quod Scriptura vocat דלת עם הארץ) relicti sunt in terra, ut essent agricolæ & vinitores: imò verò & alii non pauci in toto Israele relicti sunt, quorum magna pars (ut nè dicam omnes) sub Josia Rege Judæis in iis quæ ad Religionem spectant se adjunxit, uti planum est ex 2 Chron. 34. 7. & 9. & 35. 3. & 17. Horum posteri etsi fortè tempore captivitatis Babylonicæ, póstque eam solutam, per multos annos Samaritanis, non verò Judæis, quoad religionis cultum sese conjunxissent, tamen postmodum sub Assamonæorum Regno, cùm ferme tota terra Chanaan, imò verò & Idumæa, subiisset jugum Judæorum, atque ab Hyrcano Simonis Judæ Machabæi fratris filio Samaria fuisset expugnata funditúsque deleta, Templúmque Samaritanorum in monte Garizim exstructum eversum ab eo fuisset, paucíque admodum superessent Samaritæ qui pertinaciter perstarent in cultu Templi illius, certum est plerosque eorum Israelitarum qui erant de sobole & posteris plebeculæ illius, cæterorúmque qui in terra Israelis relicti fuerant à Rege Assyriorum, adjunctos tum fuisse Judæis in Religione, uno atque altero seculo ante Christum natum. Quare Pauli tempore multi proculdubio ex illis oriundi Judæis erant commixti in toto Galilæa Inferiore & Superiore, totâque Peræâ, Galaad, Trachonitide & Batanæâ. Deinde, etsi Decem tribus abductæ non redierint φυλικῶς in terram Israel, sub Cyro & Persarum Regibus, unà cum Judæis, tamen verisimile est multos ex iis Judæis commixtos diversis temporibus rediisse in Judæam. Quicquid sit, decem illas tribus non omnino defecisse ad Ethnicismum, sed adhuc exstitisse tempore Esdræ & Nehemiæ, liquet ex Esdr. 6. 17. ubi in dedicatione Templi à Judæis reducibus exstructi dicuntur oblati לחטאה *in oblationem pro peccato pro toto Israele, duodecim hirci, pro numero tribuum Israelis:* quod proculdubio factum non fuisset si plerique omnes Decem tribuum homines ad Gentilismum defecissent, & solæ duntaxat tribus Juda, Benjamin & Levi perstitissent in Dei cultu. Idem rursus habetur c. 8. 35. Illi nempe qui cum Esdra Babylone venerunt Jerosolymam, dicuntur *obtulisse juvencos* XII *pro toto Israele & hircos similiter* XII חטאת *pro peccato, in holocaustum.* Et sanè non fit verisimile eos omnes Judæos qui sub Assuero per universum Persarum Imperium dispersi erant in CXX Imperii illius Provinciis, fuisse de solis duabus tribubus, Juda & Benjamin: nam tota tribus Levi proculdubio in Judæam se receperat ut isthic cultui Divino ministraret. Videtur itaque vero consentaneum ut tota illa διασπορὰ constiterit ex omnibus Israelitarum Tribubus.

GROTIUS.

Ἐπιτρέπεταί σοι ὑπὲρ σεαυτοῦ λέγειν.] *Permittitur tibi loqui pro temetipso*] Ut supra 24. 10. ¶ Ἐκτείνας τὴν χεῖρα. *extenta manu*] Ut solent dicturi.

2. Ἐπὶ σοῦ, *apud te*] *Te præsente:* non enim judex erat Agrippa. Vide supra 25. 9.

3. Μάλιστα γνώστην ὄντα σε, *Maximè te sciente*] Attici pro genitivis absolutè positis usurpant accusativos. Frequens id apud Thucydidem. ¶ Ἐθῶν τε, *& consuetudines*] An Gentes teneantur nostris institutis. ¶ Καὶ ζητημάτων. *& quæstiones*] Ut de Divino afflatu, de Resurrectione, de Messia.

5. Προγινώσκοντές με ἄνωθεν, *Præscientes me ab initio*] Idem est ἄνωθεν, quod modò ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio,*] מז [*abinde.*] ¶ Ἐὰν θέλωσι μαρτυρεῖν, *si velint testimonium perhibere*] Si modò quod norunt testari velint. ¶ Κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν, *secundùm certissimam sectam*] Vide quæ allata supra 22. 3. ¶ Τῆς ἡμετέρας θρησκείας, *nostra religionis*] Vox hæc à *Thracibus* venit, ut nos docet Plutarchus. Est autem significatio ejus media, Jac. 1. 26, 27. Coloss. 2. 18.

6. Ἐπ' ἐλπίδι τῆς πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίας γενομένης, *in spe quæ ad Patres nostros repromissionis facta est*] Intelligit spem resurrectionis, ut supra 23. 6. & 24. 15. Promisit Deus *se futurum Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi*; illi autem in hac vita nihil supra cæteros habuere, nec res soli possederunt præterquam ad sepulturam: inde colligebatur majora illis bona post hanc vitam reservari. Vide quæ dicta ad Matth. 22. 32. ¶ Ἐγκαλοῦμαι, *sto judicio subjectus*] Quasi dicat *ob id reus sum:* ut supra 23. 6. & infra 7. *Stare* est reorum.

7. Τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν, *duodecim tribus nostra*] Græca libertate novam vocem finxit Lucas, concinnè admodum: quomodo & δωδεκάσκηπτρον [*duodecim sceptra*] de re eadem dixit in epistola Clemens. Josephi autem tribum bipartitam pro una Paulus sumpsit, ne prætereuntes putemus Levitas. ¶ Ἐλπίζει καταντῆσαι. *sperant devenire*] Id est, *pervenire*, ut supra 16. 1. & 18. 19, 24. & 20. 15. & 21. 7. & 25. 13. Est vox apud Polybium frequens. ¶ Τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν, *Quid? incredibile judicatur apud vos*] מה פלא בעיניכם [*an hoc mirum in oculis vestris?*] Habes id loquendi genus apud Zach. 8. 6. ¶ Εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει; *si Deus mortuos suscitat?*] Εἰ [*Si*] pro ὅτι [*quòd*] ad modum Hebræi אם. Gen. 47. 9. Psalm 63. 7. 139. 10. Num 3. 30. Esaiæ 4. 5.

9. Ἐγὼ μὲν οὖν ἔδοξα ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου

μὲν ἔδοξα ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου δεῖν πολλὰ ἐναντία πρᾶξαι. Et ego quidem existimaveram me adversùs nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere] *Videbar mihi debere multa hostilia facere adversùs religionem Jesu Nazareni.* ὄνομα [*nomen*] pro *religione* habuimus aliquoties. ¶ *Καὶ πολλοὺς τῶν ἁγίων ἐγὼ φυλακαῖς κατέκλεισα τὴν παρὰ τῶν ἀρχιερέων ἐξουσίαν λαβών. & multos sanctorum ego in carceribus inclusi à Principibus Sacerdotum potestate accepta*] Supra 9. 2. & 22. 5. ¶ *Ἀναιρουμένων τε αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον. & cùm occiderentur detuli sententiam*] Ψῆφον φέρειν [*sententiam ferre*] per κατάχρησιν [*Abusionem*] etiam Æschines usurpat pro *comprobare*, a re fori ad alias translato significatu. Hoc dicit *se Stephani interfectionem toto animo, verbis gestisque approbâsse.* Vide supra 22. 20. & est plurale pro singulari, ut sæpe. Vide ad Matth. 9. 8.

11. *Καὶ κατὰ πάσας τὰς συναγωγὰς πολλάκις τιμωρῶν αὐτοὺς, Et per omnes synagogas frequenter puniens eos*] *Faciens eos flagris cædi.* Supra 22. 19. ¶ *Ἠνάγκαζον βλασφημεῖν compellebam blasphemare*] *Cogebam eos Christo maledicere.* ¶ *Περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς, & amplius insaniens in eos*] *In eos velut furore accensus.* ¶ *Ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις. usque in exteras civitates*] Pro ἐν ταῖς ἔξω πόλεσι [*in exteris civitatibus.*] *in urbibus extra Judæam*, qualis erat Damascus.

12. *Καὶ ἐπιτροπῆς, & permissu*]. In Glossario, *ἐπιτροπὴ, πραγμάτων φροντὶς, procuratio.*

13. *Ἡμέρας μέσης, Die media*] Supra 22. 6. ¶ *Ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου, supra splendorem Solis*] Si Christi in terris agentis vultus ut Sol luxit, Matth. 17. 2. æquum fuit magis eum lucere jam in cœlo regnantis. Et si *justi ut Sol splendebunt*, Dan. 12. 3. Matth. 13. 43. quantò magis omnium justorum Princeps?

14. Τῇ *Ἑβραΐδι διαλέκτῳ Hebraïcâ linguâ*] Sume ut supra 21. 40. & 22. 2. ¶ *Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. durum est tibi contra stimulum calcitrare*] Pleniùs historiam recitat, quàm supra capite 9. recitata fuerat. Proverbium autem hoc, de his qui res sibi malè cessuras moliuntur, ad Judæos à Græcis venerat. Primus Æschylus Agamemnone,

> *Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, μὴ πταίσας μογῇς*
> [*Ne calce stimulum incesse: nam vanus labor.*]

Idem Prometheo,

> *Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς*
> [*Stimulum lacessas calce.*]

Euripides Bacchis,

> *Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον, ἢ θυμούμενος,*
> *Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ*
> [*Sacra facere melius, calce quàm stimulum velut*
> *Si verberem, certare mortalem Deo.*]

Idem Peliasi,

> *Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε τοῖς κρατοῦσί σου*
> [*Stimulis potentum ne recalcitres cave.*]

Zenobius in Proverbiis, *πρὸς κέντρα λακτίζειν* [*contra stimulum calcitrare.*] Julianus ad Sallustium, *μηδὲ, ὅ φησιν ἡ παροιμία, πρὸς κέντρα λακτίζειν* [*neque, quod ait proverbium, contra stimulum calcitrare.*] Secuti Latini. Terentius Phormione 1. 2.

> *— nam quæ inscitia est,*
> *Adversùs stimulum calces?*

Habet & Sosipater Charisius libro 4. Ammianus Marcellinus libro 18. *ne contra acumina calcitraret.* Hebræi dicerent בעט על קוץ. *recalcitrare in excidium.*] Syrus hîc למבעט לעוקסא [*calcitrare in stimulos.*]

16. *Καὶ στῆθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου & sta super pedes tuos*] Ut Dan. 12. 1. ¶ *Προχειρίσασθαί σε, constituere te*] Id est, *ἵνα σε προχειρίσω* [*ut te constituam.*] Vide supra 22. 14. ¶ *Ὧν τε ὀφθήσομαί σοι quibus apparebo tibi*] Id est, *eorum per quæ tibi apparebo.* Respiciuntur visa Pauli plurima, supra 18. 9. & 23. 11. 2 Cor. 12. 2.

17. *Ἐξαιρούμενός σε, Eripiens te*] Præsens pro futuro, id est, *exempturus te manibus Judæorum & Gentium.* Ita verbum hoc habuimus supra 7. 10, 34. & 12. 11.

18. *Ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, Aperire oculos eorum*] Præstabis in ipsis spiritualiter, quod tibi corporaliter evenict. ¶ *Τοῦ ἐπιστρέψαι, ut convertantur*] Subauditur *ἕνεκα* [*ut.*] ¶ *Ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, à tenebris ad lucem*] Quod illo Christi fulgore significatur. ¶ *Καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ, & de potestate Satanæ*] Sic vocat idololatriam. Vide Luc. 10. 18. ¶ *Τοῦ λαβεῖν αὐτοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ut accipiant remissionem peccatorum*] Vide supra 10. 43. Significat peccata ipsorum priora, quamvis gravia, nihil obstitura ipsorum saluti. ¶ *Καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, & sortem inter sanctos*] *Jus ad vitam æternam cum piis cæteris.* ἐν pro *inter*, ut Matth. 20. 26. ¶ *Πίστει τῇ εἰς ἐμέ. per fidem quæ est in me*] Per quam purgantur corda.

19. *Οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς, non fui incredulus*] Tam potens illa vocatio, tamen non adimebat ei obsistendi potentiam. Deus libera vult obsequia, non coacta. *οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς* [*non fui incredulus,*] *non obstiti contumaciter:* ita hic Syrus. Respicitur locus Esaiæ 50. 5. *ἡ παιδεία τοῦ Κυρίου ἀνοίγει μου τὰ ὦτα, ἐγὼ δὲ οὐκ ἀπειθῶ, οὐδὲ ἀντιλέγω* [*Doctrina Domini aperit mihi aures, ego autem nec diffido nec contradico.*] ¶ *Τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ· cælesti visioni*] Ὁράσει Θεοῦ [*visioni Dei,*] Ezech. 8. 3. nam *cælum* pro *Deo* poni notum est. Danielis interpres Theodotion ubique ponit *ὀπτασίαν*, alii ὅραμα aut ὅρασιν.

20. *Καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, & converterentur ad Deum*] Rectè: nam Gentes falsos coluerant deos; Judæi verum Deum, sed non sicut oportebat. ¶ *Ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας. digna pœnitentiæ opera facientes*] Vide Matth. 3. 8.

31. *Ἐπειρῶντο διαχειρίσασθαι tentabant interficere*] Ut ante Dominum, supra 5. 30. ubi idem verbum.

22. *Ἐπικουρίας οὖν τυχὼν τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ, Auxilio autem adjutus Dei*] Psalm. 18. 18. *καὶ ἐγένετο Κύριος ἀντιστήριγμά μου & factus est Dominus protectio mea.*] ¶ *Μαρτυρούμενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ, testificans minori atque majori*] Instituens omnis generis homines. Genus loquendi Hebraïcum Deut. 1. 17. 1 Sam. 5. 8. & 30. 2, 19. 2 Reg. 23. 2. & 25. 26. ¶ *Ὧν τε οἱ Προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι καὶ Μωσῆς. quæ Prophetæ loquuti sunt futura esse & Moyses*] Vide Luc. 24. 26.

23. *Εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς, Si passibilis Christus*] Duplex improprietas; nam & *εἰ* [*si*] pro ὅτι [*quod,*] ut supra 18. & *παθητὸς* [*passibilis*] pro eo *qui debebat pati*, ut apparet dicto loco Euangelii Lucæ. Vide Dan. 9. 2. Tryphon Judæus cum Justino disputans planè agnoscit quod nunc Judæi negant: ait enim *παθητὸν μὲν τὸν Χριστὸν, ὅτι αἱ γραφαὶ κηρύσσουσι, φανερόν ἐστι* [*Scripturam prædicare passurum Christum, patet.*] ¶ *Εἰ πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, si primus ex resurrectione mortuorum*] *Primus resuscitatus ad vitam immortalem.* Ideo dictus *πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν* [*primogenitus ex mortuis*] Col. 1. 18. Apoc. 1. 5. ¶ *Φῶς μέλλει καταγγέλλειν τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι. lumen annuntiaturus est populo & Gentibus*] Ex Esaia 42. 6. Lux est doctrina apertissima ad salutem. Luc. 2. 32.

24. *Τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει. multæ te literæ ad insaniam convertunt*] Sic Theognetus Comicus,

> *Ἐστραμμέν' ἔμαθες, ὦ πόνηρε, γράμματα.*
> *Ἀντέστροφέν σου τὸν βίον τὰ βιβλία*
> [*Miser, perversas edidicisti literas,*
> *Vitam corrupit tibi librorum lectio.*]

Eruditus erat Paulus nòn in Lege tantùm, sed & in traditionibus, quæ resurrectionem & bona vitæ alterius apertiùs docebant. Nortat linguas, Hebræam, Syriacam, Græcam, Latinam; legerat & Poëtas.

25. *Κράτιστε Φῆστε, optime Feste*] Ut supra 24. 3. ¶ *Ἀλλ' ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. sed veritatis & sobrietatis verba loquor*] Quæ dico, ea dico & sincera fide & bene animi compos. Sic Homerus,

> *Ἀλλὰ σαοφροσύνῃσι νοήματα πατρὸς ἔκευθεν.*
> [*Sed prudente animo genitoris sensa tegebat.*]

Et conveniit origo; nam *σώφρων* [*sobrius*] est ὁ *σώζων τὴν φρένα* [*qui mentis est compos.*]

26. *Ἐπίσταται γὰρ περὶ τούτων ὁ βασιλεὺς, Scit enim de his Rex*] De miraculis factis per Jesum & discipulos ejus. ¶ *Πρὸς ὃν καὶ παῤῥησιαζόμενος λαλῶ ad quem & constanter loquor*] *Cum fiducia loquor.* ¶ *Οὐδὲ γάρ ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτό ἐστι. neque enim in angulo quicquam horum gestum est*] Id est, in locis occultis, ut hîc interpretatur Syrus. Sic Terentius Adelphis,

> *Interea in angulum aliquò abeam.*

27. *Πιστεύεις βασιλεῦ Ἀγρίππα τοῖς προφήταις; οἶδα ὅτι πιστεύεις. Credis Rex Agrippa Prophetis? scio quia credis*] Non Oratores tantum, sed & Paulus hunc habet morem, ut sæpe alios interrogent, & mox sibi respondeant.

28. *Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν γενέσθαι. In modico suades me Christianum fieri*] *Parum abest quin mihi persuadeas ut fiam Christianus.* Est locutio bene Græca. Nam & Plato dixit in Apologetico, *ἔγνων οὖν καὶ περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο. prope*

pe idem de Poëtis cognovi: in Manuscripto, Χριστιανὸν ποιῆσαι, *ut me Christianum facias.*

29. *Καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ, & in modico & in magno*] Id est, *non propemodum tantum sed planè.* Ideò addit ἐν πολλῷ [*in multo,*] quia alter ἐν ὀλίγῳ (*in modico*) dixerat. Servat enim idem dicendi genus. In Manuscripto, ὀλίγῳ καὶ μεγάλῳ [*modico & magno*] sine ἐν [*in.*] ¶ Ὁποῖος κἀγώ εἰμι, παρεκτὸς τῶν δεσμῶν τούτων, *qualis & ego sum, exceptis vinculis his*] Omnia illis opto, quæ in me sunt, præter incommoda. *Vincula* autem vocat custodias sibi circumdatas. Popularis enim sermo *vincula* non tam strictè sumit quàm Jurisconsulti. L. Verum est, D. de verbor. signif. Tale est illud Virgilii,

> —— *Et vinclis innares Clœlia ruptis.*

non enim obsides unquam ligantur, ait Servius.

30. *Καὶ ὁ ἡγεμών, & Præses*] Festus. Vide supra 23. 24. ¶ *Καὶ οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς, & qui assidebant eis*] Consilium Præsidis. supra 25. 12.

31. *Ἀναχωρήσαντες, cùm secessissent*] *Cùm in suas domos se recepissent.* ¶ Πράσσει, *Agit de vita instituto.* Tale & illud supra 25. 11: *εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ* [*si enim nocui.*]

32. *Ἀπολελύσθαι ἐδύνατο, Dimitti poterat*] Potuisset absolvi. ¶ *Εἰ μὴ ἐπεκέκλητο Καίσαρα. si non appellâsset Cæsarem*] Nam appellatione potestas Judicis à quo appellatum est, cessare incipit ad absolvendum, non minùs quam ad condemnandum. Crimina enim integra servanda sunt cognitioni Superioris.

P R I C Æ U S.

Com. 1. Ἐπιτρέπεταί σοι ὑπὲρ σεαυτοῦ λέγειν] Q. Curtius, *Tum dicere permissus*, &c. de Philota capitis reo, lib. 6.

Ibid. Ἀπελογεῖτο, ἐκτείνας τὴν χεῖρα] Ut solent orationem habituri, vel prolixiorem sermonem. Themistius 16. Orat. Εἰ δὲ ἀνατεινόμενος τὴν χεῖρα, &c. πρὸς τὸ πλῆθος δημηγορεῖν &c. Polyænus 4. Ἀνέτεινε τὴν δεξιὰν ὡς δημηγορήσων. Aristoph. Ecclesiaz. τὰς χεῖρας αἴρειν. Scholiastes, Ὥσπερ οἱ ῥήτορες οἱ κρινόμενοι. Quintilianus 6. ult. *Non enim cogitandum, sed dicendum est: & propè sub conatu adversarii manus erigenda.* Apollonius Rhodius,

> Δεξιτερὴν ἀνὰ χεῖρα τανύσσατο, φώνησέν τε.

Com. 2. Ἥγημαι ἐμαυτὸν μακάριον μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ σήμερον] Apuleius etiam, initio Apologiæ suæ ad Maximum Proconsulem, *Gratulor quòd mihi copia & facultas te Judice obtigit, purgandæ apud imperitos Philosophiæ, & probandi mei.* Vide & supra 24. 4.

Com. 3. Δέομαί σου μακροθύμως ἀκοῦσαί μου] Suprà 24. 4. ubi notata vide.

Com. 4. Τὴν μὲν οὖν βίωσίν μου, &c.] Id est, (ut apud Lucianum in Cataplo ille) ὅιόν τινα τρόπον ἐβίωσα. *Vitæ, victûsque consuetudinem*, Cicero in Familiaribus vocat. Non interim malè illi qui heic *vitam* verterunt. Apuleius Apolog. *Quem laudatorem locupletiorem? quem testem vitæ meæ sanctiorem producam?* τῆς βιώσεώς μου. Plin. lib. 3. Epist. 20. de candidato quodam, *Dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat:* τὴν αὐτοῦ βίωσιν.

Ibid. Τὴν βίωσίν μου τὴν ἐκ νεότητος] Macrinus apud Herodianum, Τοῦ βίου μου τὴν ἐξ ἀρχῆς προαίρεσιν. Cicero, *Rationes vitæ meæ ab ineunte ætate susceptæ*, in Pro lege Manil.

Ibid. Τὴν ἀπ' ἀρχῆς γενομένην ἐν τῷ ἔθνει μου] Cotta ad Pop. Rom. in Salustii fragmentis, *A prima adolescentia in ore vestro, &c. egi.* Apul. ad Carthaginienses in Floridorum Excerptis, *Sum vobis nec Lare alienus, nec pueritiâ invisitatus, nec magistris peregrinus, nec sectâ incognitus.* Et statim, *Pueritia apud vos, & magistri vos: & secta licet Athenis Atticis confirmata, tamen heic inchoata est.* Confer quæ de secta sua Paulus seq. commate.

Ibid. Ἴσασι πάντες οἱ Ἰουδαῖοι] Cyprianus, *Plebs singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Sopater apud Achillem Tatium, sed amarè, Τὸν Θερσάνδρου βίον ἴσασι πάντες, καὶ τὸν ἐκ τῆς πρώτης ἡλικίας μετὰ σωφροσύνης κόσμον.

Com. 5. Ἐὰν θέλωσι μαρτυρεῖν] Imò etsi testari nollent tamen vitæ ejus inprimis gnari erant: sed vide quæ de hoc loquendi genere ad Matth. 11. diximus. Non temere à Paulo autem hoc interpositum videtur: χρημάτων γὰρ ἕνεκα ἢ χάριτος πολλοὶ πείθονται ἢ ἀμνημονεῖν, &c. ἢ ἑτέραν πρόφασιν εὑρεῖν, ut bene in Orat. contra Leocratem Lycurgus dixit.

Ibid. Ἀκριβεστάτην αἵρεσιν] Vulgat. *certissimam sectam.* Id est, fortasse, *verissimam.* In Glossis, Ἀκριβέστατος, *verissimus.*

Com. 6. Ἐπ' ἐλπίδι τῆς, &c. ἕστηκα κρινόμενος] Infrà 28. 20.

Ibid. τῆς ἡμετέρας θρησκείας] Vulgat. *religionis.* In eodem Glossario, Θρησκεία, &c. *religio, ritus.*

Com. 8. Τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν, &c.] Non dubium quin hoc modo rectissimè distinguatur. Otho apud Tacitum 1 Histor. *Quid? vos pulcerrimam hanc Urbem domibus & tectis & congestu lapidum stare creditis?* Apud Petronium ille, *Quid? vos me jumentum putatis esse aut lapidariam navem?* Sic Rom. 3. 3. τί γάρ; sequente aliâ interrogatione. Vide & Euripidis locum suprà ad 5. 39. adductum.

Com. 9. Ἐγὼ μὲν οὖν ἔδοξα ἐμαυτῷ, &c.] Putavi me rem laude etiam dignam fecisse, ut alter apud eundem Petronium loquitur: κατορθώματος φαντασίαν λαβὼν ἐποίουν, ut apud Arrianum 2. 26. in Epictetum. Impletum hic quod Joh. 16. 2. Dominus Jesus prædixerat.

Com. 11. ἠνάγκαζον βλασφημεῖν] *Cogebam eos maledicere:* supple, *quantum in me erat.* Vide quæ de ἀναγκάζειν, παραβιάζεσθαι, & καταβιάζεσθαι, suprà ad 16. 15. dicta. Eusebius Histor. Eccles. 6. 34. de plebe Alexandrina, Πρεσβύτην, Μητρᾶν ὀνόματι, συναρπάσαντες, καὶ κελεύσαντες ἄθεα λέγειν ῥήματα, μὴ πειθόμενον, &c. ἀγαγόντες εἰς τὸ προάστειον ἐλιθοβόλησαν. Ibidem, Θαυμασιωτάτην τότε παρθένον πρεσβῦτιν Ἀπολλωνίαν διαλαβόντες, κόπτοντες τὰς σιαγόνας, ἐξήλασαν· πυρὰν δὲ νήσαντες πρὸ τῆς πόλεως, ζῶσαν ἠπείλουν κατακαῦσαι, εἰ μὴ συνεκφωνήσειε τὰ τῆς ἀσεβείας ῥήματα. Hippolytus Homil. περὶ συντελ. κοσμ. Τοῖς μάρτυσι τοῦ Χριστοῦ προέτρεπον οἱ ἄνομοι, ἀρνῆσαι τὸν θεὸν σου τὸν ἐσταυρωμένον. Apud Simplicium in cap. 13. Epicteti, habemus ἁρπαγὰς, καὶ τυραννικὰς βίας μέχρι καὶ τοῦ ἀσεβεῖν ἀναγκαζούσας. Vide & 1 Maccab. 2. 15. ubi καταναγκάζειν.

Ibid. περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς] Iræ ac furoris igne in eos accensus. Est quod Philip. 3. 6. in hac eadem re, κατὰ ζῆλον τὴν ἐκκλησίαν διώκειν. *Cœptis immanibus effera* Virgilius diceret. Ergò bene hic ἐμμαινόμενος. Philo ex persona Flacci in Insulam relegati, Ὅσα κατεμάνην τῶν Ἰουδαίων, αὐτὸς πέπονθα. Achilles Tatius 6. Ὁ ἀκούων (διαβολὴν) ταχὺ πείθεται, καὶ ὀργῆς αὐτῷ πῦρ ἐξάπτεται, καὶ ἐπὶ τὸν βληθέντα μαίνεται. Hesychius, Μαίνεται, ὀργίζεται, &c. Contra apud Suetonium in Caio, *ad insaniam favere alicui.*

Ibid. ἐδίωκον ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις] Scriptor Maccabaicorum 1. 3. 5. de Juda Maccabæo, ἐδίωξεν ἀνόμους, ἐξερευνῶν. Planè & Christiani Paulo tunc temporis pro ἀνόμοις habiti. Εἰς τὰς ἔξω πόλεις, Usque ad urbes extra Judæam positas. ἔξω τῆς χώρας, ut Marc. 5. 10. Plutarchus de Theogene Thebano, in de Mul. virtut. Ἐκεῖνος ἦν ὁ πρὸς τὸν ἐμβοήσαντα, Μέχρι ποῦ διώκεις; ἀποκρινάμενος, Μέχρι Μακεδονίας. Polybius de Asdrubale apud Suidam, Ἐβουλήθη τούτῳ συμμίξας καὶ φιλανθρωπευθεὶς, ἀπελθεῖν εἰς τοὺς ἔξω τόπους.

Com. 13. ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου περιλάμψαν με φῶς] Justinus lib. 7. *Fulgore suo Solis nitorem vicerat.*

Com. 14. Καταπεσόντων ἡμῶν εἰς τὴν γῆν] Horrore perculsi nempe. Lucret. 3.

> *Denique concidere ex animi terrore videmus*
> *Sæpe homines.* ——

Suidas, Καταπεσών, ἀντὶ τοῦ, φοβούμενος. Vide Numer. 16. 45. & 22. 31. Judic. 13. 20. Ezech. 3. 23. & 44. 4. Tobiæ Scriptorem 12. 16. Matth. 17. 6. Luc. 24. 5. & suprà hîc 9. 4.

Com. 16. ὧν τε ὀφθήσομαί σοι] Vetus, *eorum quibus apparebo tibi.* Recentior, *in quibus.* Nuper Vir summus, *per quæ apparebo tibi.* Vertendum forsan, *propter quæ, &c.* ὧν τε, pro ὧν χάριν τε. Subintelligo autem afflictiones, pericula, &c. Suprà 9. 16. ex persona Christi istius, ὑποδείξω αὐτῷ ὅσα δεῖ ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν.

Com. 17. ἐξαιρούμενός σε ἐκ τοῦ λαοῦ, &c.] Mirari subit incomparabilem Virum vertisse, *exempturus te manibus*, &c. quasi hic de liberando eum à periculis ageretur. ἐξαιρεῖσθαι hic planè idem est quod ἐκλέγειν unde apud Hesychium, ἐξαίρετον, ἐπίλεκτον, & in Glossis, ἐξαίρετος, *egregius, eximius*, &c. Sensus autem idem qui supra 9. 15. in iis, σκεῦος ἐκλογῆς ποιεῖν hoc & poscunt quæ com. 18. hujus capitis subjunguntur, ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, &c.

Ibid. εἰς οὓς νῦν σε ἀποστέλλω] Τοῦ βαστάσαι nempe τὸ ὄνομά μου, ut dicto 9. 15. loco.

Com. 18.

Com. 18. Ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ] Quæ Coloss. 1. 13. τοῦ σκότους ἐξουσία.

Ibid. Καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις] Vide suprà ad 20. 32. dicta.

Com. 19. Οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ]

——*Quis cœlo dubitet parere vocanti?*

Com. Ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα] Καρποὺς μετανοίας ἀξίους, ut Matth. 3. 8. id est, τῇ μετανοίᾳ πρέποντας. Vide ad Tit. 2. 1. Philipp. 1. 27. Joh. 3. Epist. com. 6.

Com. 22. Ἐπικουρίας τυχὼν τῆς παρὰ Θεοῦ] Priamus Iliad. Ω'.

Ἀλλ' ἔτι τις καὶ ἐμεῖο θεῶν ὑπερέσχεθε χεῖρα.
——*Ducente Deo tela inter & hostes*
Expedior.—— Æneid. 2.

Ibid. Μαρτυρούμενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ] Hominibus omnis ordinis: παντὶ τῷ παρατυγχάνοντι. Vide suprà 17. 17. ibique ex Arriano deprompta.

Ibid. Οὐδὲν ἐκτὸς, λέγων, ὧν τε οἱ προφῆται, &c.] Vide Athenagoræ locum infrà ad Com. 26. adducendum. Ἐκτὸς λέγων, pro λέγων ἐκτὸς, &c.

Com. 24 Μαίνῃ, Παῦλε] Μαίνῃ hic & suprà 12. 15. est quod apud Aristophanem in Ranis λυρεῖς, κ' οὐκ οἶσθ' ὅ, τι λέγεις. Arrianus 1. 21. in Epictetum, Οὐχ ὅτι δεῖ περὶ ὧν φιλοῦσιν λέγειν ὅτι μαίνονται;

Com. 25. Οὐ μαίνομαι, ἀλλ' ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι] Apud Theocritum 5. ille,

——Ἐγὼ μὲν ἀλαθέα πάντ' ἀγορεύω,
Κ' οὐδὲν καυχίομαι.——

Alius apud Philonem in Flaccum, Οὐ μέμηνα, ὦ οὗτος, οὐδ' ἠλίθιός τίς εἰμι. Pacatè hic respondet servus exemplo Domini, Joh. 8. 49. Ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου.

Com. 26. Ἐπίσταται γὰρ περὶ τούτων ὁ βασιλεὺς] Athenagoras in Apologia pro Christianis Imperatores alloquens, Ἴστε δὲ μηδὲν ἡμᾶς ἀμάρτυρον λέγειν, ἃ δὲ τοὺς προφήτας ἐκπεφώνηται μηνύειν. Apuleius in Apologetico, *Sciunt me vera loqui, Maxime, & testimonium mihi conscientiâ suâ perhibent.* In Plauti Trucul.

——*Fit pol hoc, & pars spectatorum scitis*
Pol hac vos me haud mentiri.——

Suprà 25. 10. ad Felicem Præsidem, Ὡς καὶ σὺ κάλλιον γινώσκεις. Inter præcipua reorum subsidia à Rhetoribus ponitur, ipsam adversariorum vel Judicis conscientiam appellare posse. Vide & suprà 24. 11.

Ibid. Παῤῥησιαζόμενος λαλῶ] Beza *libere loquor*: tantundem valet *constanter*, quo heic Vetus utitur: à quo importunâ diligentiâ nimis sæpe disceditur. Apuleius 3. *Constanter itaque in hominem alienum ferte sententias.*

Ibid. Οὐ γάρ ἐστιν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο] Aristides Rhodiacâ, Οὔτε γὰρ ἀφανὲς τὸ πρᾶγμα διὰ τὸ μέγεθος. Achilles Tatius, Ἐν ὄψει τὰ γινόμενα, καὶ πολλοὶ μάρτυρες. Philostratus 4. 9. Γιγνώσκουσι τελέως αὐτὸν, (λόγον) ἅτε καθ' Ἑλλάδα μέσην πραχθέντα. Apuleius 1. *Passim per ora populi sermo jactatur quæ palam gesta sunt.* Phædrus,

Ut est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt.——

Lepidus apud Salustium, *Itaque verborum satis dictum est: neque enim ignorantia rem claudit.* Simile Demosthenis illud, Ταῦτα δ' πάλαι ἐστὶ γεγενημένα, ὥστε ἀγνοεῖν ὑμᾶς & Ciceronis, *Non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut ejusmodi quod silentio posset præteriri.* Οὐκ ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον, proverbiale est. Arrianus 2. 12. in Epictetum, Τὸν ποιοῦντα αὐτὸ οὐκ ἐν γωνίᾳ δηλονότι ποιεῖν δεήσει.

Com. 27. Πιστεύεις, βασιλεῦ Ἀγρίππα, τοῖς προφήταις; οἶδα ὅτι πιστεύεις] Schema frequens & in foro & quotidiano sermone, interrogare, & interrogati vicem respondere sibi. Lucian. Dial. Meretr. Τί φής; ποιήσεις ταῦτα; ποιήσεις οἶδα. Plinius lib. 9. Epist. 12. *Nunquam fecisti quod à patre corripi posses? fecisti dico.* Cicero 1. de Nat. Deor. *An tui me similem putas esse, aut tui Deum? profectò non putas.*

Com. 28. Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν γενέσθαι] Propemodum mihi persuades ut Christianus fiam: ità nec pauci nec minimi doctorum ἐν ὀλίγῳ accipiunt. Quod objicitur, tale sensum, idque in consessu tali, prolatum fuisse minùs verisimile videri, mihi nullum negotium facessit: hæc enim sumi possunt quasi κατ' εἰρωνείαν dicta. Apud Lucianum in Parasito ille, Παπαί! οἷον χρῆμα ἀποφαίνῃ τὴν παρασιτικήν! ὥστε καὶ αὐτὸς ἤδη βούλεσθαι δοκῶ παράσιτος εἶναι ἀντὶ τούτου ὅς εἰμι. Quin & hodie in communi sermone effunduntur multa hujusmodi, ubi oris & animi consensus tamen nullus. At Græci ἐν ὀλίγῳ exposuerunt, ἐν ὀλίγῳ λόγων ἀγῶνι. Sic & ferè in Helena Euripides, πολλ' ἀνήρου μ' ἐν ὀλίγῳ *in paucis me nulla interrogasti.* Rescripsit Amicus mihi se heic χρόνῳ suppleri malle: q. d. Agrippa, Christianum me nimis citò fieri vis: tantilli spatii non est opus à patrio me ad tuum cultum transire. Est is amicus, Nobiliss. Theophilus Milleterius, *Vir* (quod Plinius de Virginio suo) *probitate morum, varietate operum monstrabilis*, mihique multis meritò nominibus charissimus. Nec caret veri specie conjectura ista. Arrianus 1. 15. in Epictetum, Σύκῆς μὲν καρπὸς ἄφνω καὶ μιᾷ ὥρᾳ οὐ τελεσιοῦται· γνώμης δ' ἀνθρώπου καρπὸν θέλεις οὕτω δι' ὀλίγου καὶ εὐκόλως κτήσασθαι; Ubi vides eundem sensum, nec dissimili adeò locutione expressum.

Com. 29. Καὶ πάντας τοὺς ἀκούοντάς μου σήμερον, γενέσθαι τοιούτους ὁποῖος κἀγώ εἰμι, &c.] Idem 1. 7. 7. ad Corinthios, Θέλω καὶ πάντας ἀνθρώπους ὡς καὶ ἐμαυτὸν εἶναι.

Com. 30. Καὶ οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς] Adsessores eorum: χιλίαρχοι nempe, καὶ ἄνδρες οἱ κατ' ἐξοχὴν τῆς πόλεως ὄντες suprà 25. 23.

Com. 31. Καὶ ἀναχωρήσαντες, &c.] Non domum (ut eximio H. Grotio visum) at in cubiculum aliquod tribunali adjunctum. Quod hic πρὸς ἀλλήλους ἐλάλουν, suprà 4. 15. in negotio simili est, συνέβαλλον πρὸς ἀλλήλους.

CAP. XXVII.

VALLA.

1. CUM *reliquis custodiis*] Gr. *& quasdam alias custodias*; sive, ut ad verbum transferam, *& quosdam alios vinctos*, καί τινας ἑτέρους δεσμώτας.

5. *Venimus Lystram, quæ est Ciliciæ*] Gr. *Devenimus in Myra, quæ sunt Lyciæ*, κατήλθομεν εἰς Μύρα τῆς Λυκίας.

9. *Consolabatur eos Paulus*] Non *consolabatur* eos Paulus, quippe quos nondum videbat aliquid passos, aut pati timentes, sed passuros: ergò *admonebat* eos nè discederent, & ità habet veritas Græca, παρῄνει.

10. *Viri, video quoniam cum injuria & magno damno, non solùm oneris, sed & animarum vestrarum incipit navigatio*] Frequenter Interpres ponit *incipit* pro eo quod *futurum est*, ut cùm in aliis locis tum in illo superiori 23. 27. *Virum hunc comprehensum à Judæis, & incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui*: quem locum sic transtulissem, *Virum hunc jam comprehensum à Judæis, & jamjam interficiendum*, vel sic, *quem videbam interfectum iri*. μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν. Hunc ità transferrem etiam magis ad verbum quàm illud superius, *Viri, video fore ut cum jactura & magno detrimento, non solùm oneris & navis, sed etiam animarum vestrarum, navigetur*, Ἄνδρες, θεωρῶ ὅτι μετὰ ὕβρεως καὶ πολλῆς ζημίας, οὐ μόνον τοῦ φορτίου καὶ τοῦ πλοίου, ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν

21. *Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta*] *Audito me* parùm apertè dicitur: apertiùs & magis ad literam sic transtulissem, *Oportebat quidem, viri, vos mihi auscultantes non proficisci à Creta*, Ἔδει μὲν, ὦ ἄνδρες, πειθαρχήσαντάς μοι μὴ ἀνάγεσθαι ἀπὸ τῆς Κρήτης.

30. *Quasi à prora inciperent ancoras extendere*] Idem quod paulò antè notavi; *quasi inciperent extendere* pro *quasi extensuri ancoras*, ὡς ἐκ πρώρας μελλόντων ἀγκύρας ἐκτείνειν. Itidem paulò pòst,

33. *Et cùm lux inciperet fieri*] Quomodo *incipiebat fieri lux*, i. *dies*, (nam *dies* Græcè legitur) cùm postea sit illos Paulus allocutus, & ipse & cæteri comederent antequam dies fieret? cùm sequatur, v. 39. *Cùm autem dies factus esset.* Ergò non, *cùm dies inciperet fieri*, dicendum erat, sed, *cùm dies futura jam esset*, ἄχρι δὲ οὗ ἔμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι.

REVIUS in VALLAM.

21. AUdito me *parùm apertè dicitur*] *Non video*, inquit Erasmus, *cur hoc loco Valla notet Interpretem. Nam audit qui obtemperat.* Hæc ille. Sed rectè dixit Valla *parùm apertè hoc dici*, cùm sit ambiguum. Licèt enim audit qui obtemperat, non tamen obtemperat quisquis audit.

ERASMUS.

1. *UT autem judicatum est eum*] Ἐκρίθη *decretum est*, sive *constitutum*. Nec ad *Paulum* refertur, sed ad *Regem & Præsidem*, qui sic statuerant audito Paulo. ¶ *Et tradiderunt Paulum cum reliquis custodiis*) Παρεδίδουν τόν τε Παῦλον καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, *tradiderunt tum Paulum tum alios quosdam vinctos.*

2. *Navim Adrumetinam*] Carrensis interpretatur *Adrumentinam navem quæ Romam petat.* Cæterùm *Adrumetum*, sive *Adrumetium*, civitas est Mysiæ, autore Stephano. Est & *Adramyttis* insula Lyciæ; & *Adrumes Adrumetis*, civitas Africæ; unde dicendum erat *Adrumetinam*: licèt in his varient codices. Nam Hieronymus, aut si quis alius fuit autor, in Catalogo Locorum hujus operis, indicat *Adrumetum esse civitatem in Byzatio regione Africæ.* Plinius *Adrumetum* vocat neutro genere. In Græcis cod. *Adramyttinam* legimus. Et Stephanus ab *Adramyttio* oppido deformat *Adramyttenum*.

5. *Venimus in Lystram quæ est Lyciæ*[Κατήλθομεν εἰς Μύρα τῆς Λυκίας, *devenimus Myram quæ est Lyciæ*, sive *civitatem Lyciæ*. Pronunciatur autem bifariàm, genere neutro & feminino. Meminit hujus Strabo lib. 14. Cæterùm *Lystra* Lycaoniæ est, non Lyciæ. Carrensis, homo vigilans, admonet hoc loco apud Græcos haberi *Smyrnam*, sed ab Hieronymo poni *Myrrham*. Et omnino in recensione Locorum hujus operis meminit *Smyrnæ Lyciæ*, admonens in nonnullis exemplaribus fuisse scriptum, *Venimus in Lystram quæ est in Cilicia.* Atque eo loco pannum suum assuit nescio quis, *Porrò Hieronymus in libris Hebræorum Nominum ponit Smyrnam, & interpretatur Amaram.* Verùm de locis accuratiùs disseremus in peregrinatione D. Pauli.

7. *Tardè navigaremus*] Græcis composita est dictio βραδυπλοοῦντες. ¶ *Gnidum*] Gnidus insula est opposita Asiæ, spectans provinciam Cariam, *atque est ejusdem nominis oppidum in insula Calymna*, autore Hieronymo in libello qui fertur ipsius titulo. Quem secutus est Beda. At Pomponius Mela ostendit Gnidum esse *oppidum in cornu peninsulæ Cariæ.* Et huic sententiæ suffragatur Ptolemæus in prima Asiæ tabula. Constat autem illos tunc legisse oras Asiæ Minoris in qua est Caria. Recenset & hanc Strabo lib. 14. qui eam appellat insulam, cùm fateatur aggeribus continenti junctam. Ambitu verò esse septem stadiorum, duos habentem portus, ut ipse loci situs in edito velut ad spectaculum expositus efficiat ut insula videatur habere duas civitates, h. e. δίπολις esse. Horatius in Odis indicat hoc loco solere coli Venerem,

O Venus regina Gnidi Paphique.

Beda indicat in quibusdam codicibus pro *Gnidum* scriptum *Chium*; sed rejicit. ¶ *Juxta Salmonem*] Salmon *civitas est maritima insulæ Cretæ*, autore Hieronymo.

8. *Qui vocatur Boni portus*] *Boni portus* plurativi sunt numeri, Καλοὺς λιμένας quanquam magis dixit *Pulcros portus* quàm *Bonos*. Sentit autem, ni fallor, de civitate Cretensium cui nomen Καλὴ ἀκτή, i. *Pulcrum littus*, cujus meminit Stephanus. ¶ *Cui juxtà erat civitas Thalassa*] Indicat & D. Hieronymus hunc locum corruptè legi *Thalassa.* Quanquam id ipsum quod vice corrupti vocabuli subjecit, in vulgatis cod. corruptum erat: siquidem scriptum erat *Laphet.* Græci legunt *Lasæa*, quæ & ipsa civitas est littoralis Cretæ, haud procul à Bonis portibus, Quidam excusi cod. pro *Thalassa* habebant *Thessala.*

9. *Eò quòd jejunium jam præteriisset*] Διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι. Non me fugit quibusdam hic *jejunium* esse tempus aliquod quo ex more soliti sint jejunare Judæi. Sed primùm quid Centurioni & nautis cum hujusmodi jejuniis? Deinde, si *jam præterierat jejunium*, eò commodior debebat esse navigatio. Burgensis indicat præcipuum apud Judæos jejunium incidere solere circiter æquinoctium autumnale, quo tempore jam incommodior est navigatio. Atqui Judæis non unum erat jejunii tempus, & circiter æquinoctium autumnale sat commoda navigatio est. Burgensis contendit jejunium Judæorum fuisse omnium præcipuum quod celebratur festo Expiationis. Id autem festum incidebat in diem mensis septimi decimum, qui mensis ferè convenit cum Septembri. Restabat autem longa navigatio, cùm immineret October ac November, menses parùm accommodi ad navigandum olim quidem, cùm hodie nostri nautæ vel mediâ brumâ volitent per omnia maria. Is cujus extant in hoc opus Græci commentarii titulo Chrysostomi per *jejunium* vult intelligi non inediam nautarum, sed anni tempus, astipulans Burgensi. Accedit huc & illud argumentum, quòd hoc jejunium appellat νηστείαν, quæ vox ferè pro *religioso jejunio usurpatur*; nautarum *inediam* ἀσιτίαν vocat. Quanquam utraque vox eandem habet etymologiam à *privatione cibi*; νηστεύειν, νὴ ἐσθίειν. Adjuvat hanc opinionem, quòd additur articulus τὴν νηστείαν, qui non quodvis jejunium sed notum ac celebre nobis designat. Sed quærendum quid agat illic conjunctio καὶ, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *eò quòd jam etiam jejunii tempus præteriisset.* Indicat conjunctio navigationem duplici nomine fore periculosam, & quòd tempestas urgeret, & quòd instaret tempus quod per se reddit incommodam navigationem. Priùs secuti fueramus Lyrani sententiam, qui putat illis, cum suppeteret commeatus, tamen ob curam ac mœrorem non vacasse cibum sumere, atque ideo Paulus suadet manendum, quò liceat reficere corpora. Quin & illud mirum videri potest, quomodo nautæ, edax hominum genus, quatuordecim dies duraverint ἄσιτοι, *impasti*: nisi fortè *non sumpsisse cibum* dicuntur qui per otium non egerint convivium, quemadmodum solent nautæ tranquillo mari. ¶ *Consolabatur eos Paulus*] Quid acciderat illis ut egerent consolatore? Nam Græcis est παρῄνει *hortabatur*, sive *admonebat*, nè longiùs irent: quanquam ipsa Pauli oratio, quæ mox subjicitur, satis arguit illum non consolari sed dare consilium.

10. *Incipit esse navigatio*] Μέλλειν ἔσεσθαι *futuram esse navigationem*: quod tamen frequenter ad hunc vertit modum.

12. *Devenientes Phœnicem hyemare*] *Phœnicem* hic est accusativus à *Phœnix*, quæ Græcis *palmam* sign. unde & *Phœnicen* Syriæ partem apparet dictam. Ipse Lucas indicat esse *portum Cretæ* hujus nominis. ¶ *Ad Africum & ad Chorum*] Ventorum nomina sunt. Duos nominat, quòd ad utrumque vergeret is portus. Dixerit quispiam, Quorsum opus erat hoc admonere quod nemo nesciebat? Imò quorsum attinebat ut Hugo Carrensis tantus Theologus adscriberet Commentariis, *Chorum esse insulam aut civitatem in Creta!* Usqueadeo nihil referebat utrùm novam exstrueret insulam, an novam conderet civitatem in vetustissima insula.

13. *Cùm sustulissent de Asson*] Ἄραντες Ἆσσον, *cùm sustulissent Asson.* Incertum autem an illuc appulerint & rursum indè solventes prætervecti sint Cretam, an Asso præteritâ putarint se esse jam in tuto. Est enim Assos maritima Lyciæ civitas, in edito sita promontorio, adeò ut parùm tutum sit accedere. Unde jocus Nicostrati citharœdi,

Ἆσσον ἴθ' ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι,

Asson eas ut citiùs ad exitii terminos pervenias. Ac Hieronymus quidem Asson ponit in Asia, maritimam urbem, quæ eadem dicta sit *Apollonia*: teste Plinio quoque lib. 5. c. 30. Cæterùm opinor Lucam sentire de Asso oppidulo Cretæ, unde dictus est & Jupiter *Asius.* Nam adhuc lambebant littora Cretæ.

14. *Ventus Typhonicus*) Unus est è ventis subitis ac repentinis nomine *Typhon*: quibus omnibus illud est commune, quòd exhalante terrâ coorti, nubibus obductis inclusi, non uno erumpant modo. Nam *vagantes ac torrentium more ruentes tonitrua & fulgura edunt. Cæterùm majore illati pondere incursúque, si flatu siccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ Græcis dicitur ἐκνεφίας. Sin verò depresso sinu arctiùs rotati effregerint sine igni, h. e. sine fulmine, verticem faciunt, qui Typhon vocatur, i. vibratus Ecnephias. Defert hic aliquid secum è nube gelida abreptum, convolvens versánsque & ruinam suam illo pondere aggravans, locum ex loco mutans rapidâ vertigine. Quòd si majore depressæ nubis eruperit specu, sed minùs alto quàm procella, nec sine fragore, Turbo dicitur, proxima quæque prosternens. Idem si fuerit ardentior accensúsque, Prester dicitur, amburens contacta pariter ac proterens.* Porrò Typhonem Plinius appellat *præcipuam navigantium pestem*, ut qui *non antennas modò verum etiam ipsa navigia contorta frangat.* Cæterùm tanto malo scribit *tenui remedio* occurri, si *acetum in advenientem effundas, cujus vis frigidissima est. Idem illisu ipso repercussus, correpta secum in cœlum refert, sorbétque in excelsum.* Dictus est autem *Typhon* à Græco verbo τύφω, quod est *inflammo.* Rabanus in Glossa Ordinaria, super verbo *Typhonicus*, adscribit, *Alia translatio*, VENTUS TEMPESTIVUS. Suspicor aliquem commenti vice adscripsisse, *Ventus tempestuosus.* ¶ *Qui vocatur Euroaquilo* Gr. pro *Euroaquilo* legunt Εὐροκλύδων, vox hinc dicta quòd *ingentes excitat fluctus.* Verùm haud scio an Lucas, tametsi Gr. scribens, effinxerit vocem nostram, dicens, Εὐρακύλων, quemadmodum *Aquilam* Paulus quoque facit Ἀκύλαν, Addidit autem non solùm cognomen Typhonis, ut periculum exprimeret, verùm etiam

etiam unde erumperet: ut intelligeremus hoc quoque nomine incommodum quòd non faceret ad institutum cursum, cùm Notus sit accommodus è Syria navigantibus in Italiam.

15. *Non posset conari in ventum*] Ἀντοφθαλμεῖν quod Græcis sonat *obtueri*, h. e. ex adverso aspicere. Porrò qui renititur, obvertit oculos. ¶ *Datâ nave flatibus*] Græcis unica dictio est ἐπιδόντες, & referri potest ad τῷ ἀνέμῳ, ut ea vox in confinio sita utròque respondeat, ad *obniti* & *datâ*.

16. *Quæ vocatur Clauda*] Ptolemæo *Claudos* dicitur, spectans Cretam inter Meridiem & Occidentem, quò magis consentaneum est huc depulsos fuisse statu Euroaquilonis. Tametsi quidam admonet, in codice Græco Pontificiæ bibilothecæ scriptum haberi, Καῦδα *Cauda*. Et Suidas indicat insulam vicinam Cretæ quæ dicta sit Καυδὼ, hoc nomine memorabilem quòd illic nascantur ingentes onagri.

19. *Suis manibus armamenta navis projecerunt*] Αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τῦ πλοίυ ἐῤῥίψαμεν, *nostris ipsorum manibus armamenta navis projecimus*. Apparet Interpretem legisse ἔῤῥιψαν & ad sensum perpusillum interest.

21. *Multa jejunatio*] Ἀσιτία, *inedia*. ¶ *Audito me*] Πειθαρχήσαντάς μοι, *obtemperasse mihi*: tametsi non video cur hoc loco Valla notet Interpretem; nam *audit* qui *obtemperat*. Justiùs annotasset quòd πειθαρχεῖν propriè dicuntur Gr. *qui obtemperant Principibus aut Magistratibus*. ¶ *Non tollere à Creta*] Gr. μὴ ἀνάγεσθαι, h. e. *non solvere à Creta*. ¶ *Lucrique facere injuriam*] Κερδῆσαι, h. e. *accersere sine causa*: id enim *lucrifacere* sonat h. l. Et ὕβριν, i. *injuriam*, vocat incommoditatem cœli ac violentiam maris.

22. *Suadeo*] Παραινῶ, i. *hortor*.

23. *Angelus Dei cujus sum*] Incertum erat utrùm *cujus* referat *Deum* an *Angelum*, nisi addidisset ᾧ καὶ λατρεύω, *quem colo*, sive *cui servio*.

27. *Apparere sibi*] Προσάγειν, quod magis sonat *accedere*; nisi fortè Interpres legit προσαυγεῖν *affulgere*.

28. *Submittentes bolidem*] Βολὶς dicitur à βάλλειν, quod est *mittere*: i. pondus funiculo affixum, quo dejecto nautæ explorant altitudinem maris. Idem aliquoties efficiunt hastili aut conto prælongo demisso in mare. Et missiles hastæ Græcis *bolides* dicuntur, autore Hesychio. Cæterùm Lucas unico verbo dixit quod Interpres duobus reddidit, βολίσαντες.

30. *Commisissent scapham*] *Scapha* Græcis duo significat, *ligonem*, & *navigii levioris genus*, à verbo σκάπτω *fodo*. Nam *ligo* fossorium est instrumentum, & *scaphæ* fiunt è trunco excavato; quod genus adhuc videmus in Rheno. Beda putat è viminibus corio contectis fieri scaphas. Addit *scapham* Græcis etiam dici *catascopum*, à *contemplando*. Hinc error eorum qui concinnarunt Glossam Ordinariam, putantium *scapham* dici à *contemplando*. *Catascopus* Græcè dicitur *explorator*: id nominis inditum est scaphæ, quòd hâc emissâ nautæ explorent profunditatem per littus, aut alia pericula maris. ¶ *Inciperent ancoras extendere*] Μελλόντων ἐκτείνειν, i. *extensuri*: quod sæpenumero fecit Interpres. Verùm hîc duriusculum erat. Ac paulò pòst,

33. *Et cùm lux inciperet fieri*] Ἄχρι δὲ οὗ ἔμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι, i. *Cùm futurus esset dies*, h. e. Cùm instaret dies & non longè abesset.

36. *Animæquiores autem facti*] Εὔθυμοι, i. *bono animo*, sive *recreatis jam animis*. Positivum est, non comparativum.

39. *Littus, in quem cogitabant*] Ἔχοντα αἰγιαλὸν εἰς ὃν cur non potiùs *in quod* quàm *in quem*? quandoquidem αἰγιαλὸς Græcis est m. generis, quemadmodum & κόλπος. nam terram, opinor, expetebant. Et multa sunt littora apud Cosmographos quæ proprio vocabulo *Ægiali* vocantur, velut inter Sicyonem & Buprasium. Est & alius finitimus Ponto, post promontorium Carambin, cujus meminit Homerus. Rursus est Thraciæ apud fluvium Strymonem. Postremò est Ægialus cognomento *magnus* inter Ægyptum & Æthiopiam. Et Hieronymus hunc locum citans *Ægiali* meminit.

40. *Levantes artemonem*] Ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα, i. *sublato artemone*. Et τῇ πνεούσῃ, quod Interpres vertit *secundùm auræ flatum*, puto ad ἐπάραντες esse referendum: ut accipiamus carbasa oppansa flatibus, antennâ in altum subrectâ, quò magis venti arbitrio ferretur in littus. Cæterùm *artemon* videtur hic pro veli genere positum: quod indicavit & Beda in Glossa Odinaria. *A suspendendo* nomen habet, ab *assuendo*. Solet enim imis velis affigi pars aliqua quò plus venti concipiant. Sunt qui pro *artemone antemonem* malint scribi.

41. *In locum bithalassum*] Nec exposuit Græcam vocem Interpres, nec nos eam incorruptam servavimus, pro *dithalasso* legentes *bithalassum*. Nam Lucas scripsit εἰς τόπον διθάλασσον, i. *in locum bimarem*. Sic enim Horatius in Odis:

Bimarisve Corinthi Mœnia.

quòd ea sit Isthmos, & utrinque mari alluatur. Contendebant ut si possent, in sinum impellerent navim. Verùm id non contigit, ventis impellentibus in isthmum aliquam in mare prominentem.

VATABLUS.

1. JUdicatum] *Decretum*. ¶ *Me*] *Nos*. ¶ *Tradi Paulum cum reliquis custodiis*] *Tradiderunt tum Paulum tum alios quosdam vinctos*.

2. *Ascendentes**]* *Autem*. ¶ *Adrumetinam*] *Adramyttenam*. ¶ *Incipientem navigare*] *Navigaturi*: Vet. legunt *Incipientes*. ¶ *Sustulimus*] *Solvimus*.

3. *Venimus*] *Devenimus*, Vet. ¶ *Et curam sui agere*] *Ut ab illis curaretur*.

4. *Subnavigavimus**]* *Juxtà*.

5. *Venimus Lystram*] *Descendimus Myram*.

8. *Boni-portus*] *Pulcri-portus*: plur. numeri. ¶ *Thalassa*] *Lasæa*.

9. *Quod**]* *Et*, Vet. ¶ *Jejunium jam præteriisset*, *consolabatur*] *Ultra tempus sustinuissent inediam*, *hortabatur*.

10. *Animarum nostrarum*] *Vitæ nostræ*, Vet. ¶ *Incipit esse*] *Futura sit*.

12. *Devenientes*] *Pervecti*. ¶ *Portum Cretæ respicientem*] *Is est portus Cretæ spectans*.

14. *Misit se*] *Irruit*. ¶ *Euroaquilo*] *Euroclydon* legunt Græci. Vox hinc ducta quòd ventus hic ingentes fluctus incitet.

15. *Conari*] *Obniti*.

16. *Insulam*] *Insululam*. ¶ *Decurrentes*] *Devecti*.

17. *Quâ sublatâ*] Sub. *in navim*. ¶ *Accingentes*] *Subcingentes*. ¶ *Navem**]* *Et*. ¶ *Summisso vase*] i. scaphâ submissâ.

18. *Validâ*] *Validè*: Adverbium, Vet.

19. *Suis*] *Nostris ipsorum*. ¶ *Projecerunt*] *Projecimus*.

21. *Jejunatio*] *Inedia*. ¶ *Audito me*] Vel *audientes mihi*. ¶ *Tollere*] *Solvere*. ¶ *Injuriam hanc & jacturam*] i. Hanc incommoditatem cœli ac violentiam maris.

22. *Et nunc suadeo vobis*] *Itaque nunc hortor vos*. ¶ *Nobis*] *Vobis*, Vet.

23. *Cui deservio*] Vel, *quem colo*.

25. *Credo enim*] Vel *fidem habeo*.

27. *Quartadecima**]* *Die*, Vet.

28. *Bolidem*] Pondus intelligit funiculo alligatum, quo in mare demisso, nautæ ejusdem profunditatem explorant. ¶ *Separati*] *Digressi*, *rursùmque demissâ bolide*.

29. *Timentes*] *Timentésque*. ¶ *Aspera*] Vel *saxosa*.

30. *Misissent*] *Dimisissent*. ¶ *Sub obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere*] *Sub prætextu velut è prora ancharas extensuri*.

32. *Excidere*] Vel *perire*.

33. *Et cùm lux inciperet fieri, rogabat*] *Usquequo autem dies inciperet apparere*, i. tota nocte non destitit hortari: &c. ¶ *Jejuni*] i. Exiguo cibo usi.

34. *Propter quod rogo*] *Propterea hortor*. ¶ *Peribit*] *Cadet*.

36. *Animæquiores autem facti omnes*] *Porrò animis jam recreatis omnium*.

39. *Quem*] *Quod*.

40. *Secundum*] *Ad*.

41. *Dithalassum*] *Bimarem*. ¶ *Manebat*] *Mansit*. ¶ *Maris*] *Undarum*.

42. *Custodias*] *Vinctos*.

43. *Prohibuit fieri*] *Compescuit eos à consilio*.

44. *In tabulis ferebant*, *quosdam super ea quæ de navi erant*] *Partim in tabulis*, *partim in quibusdam navis fragmentis*.

CASTALIO.

9. QUòd tranquillitas præteriisset] Διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *quòd jejunium jam præteriisset*. Sed quid jejunium ad navigandi periculum? Nam si *jejunium* voces inediam, ea esse quæ poterat, cùm essent in portu, & posset amplissima insula suppeditare commeatum; & paulò pòst dicantur *navem exonerare frumento*? Adde quòd neque νηστεία dicitur pro ἀσιτία, neque id cum verbo παρεληλυθέναι quadrat: oportet enim *inediam* non *præteriisse*, sed *instare*; neque id *inedia*

dia sed *commeatûs penuria* dici deberet. Sin *jejunium* dicas jejunandi tempus, id neque nauticæ rei convenit, neque quicquam ad rem facit. Equidem dum diligentiùs narrationem hanc considero, suspicor non *νηστείαν* sed *νηνεμίαν* legendum esse, h. e. *à ventis tranquillitatem*: nam id & cum narratione convenit, & facilè depravari potuit à mediocriter docto qui verbi *νηνεμίας* vim ignoraret.

34. *Nullius vestrûm vel pilus ex capite cadet*] *Nullus vestrûm vel tantillùm lædetur.*

CLARIUS.

9. QUòd *jam ultra tempus*] Quia in Græco est, *διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι*, h. e. *quia & jejunium jam præterierat*, sunt qui intelligant tempus quoddam anni quod apud Judæos *Jejunium* appellabatur, quod hyemale erat. Nam multis post Pentecosten diebus recesserat, ut in ipsa ferè hyeme in partes Cretæ venerit.

21. *Stans Paulus in medio eorum dixit*] Vide Pauli in omnibus rebus alacritatem. Superiùs animadvertit ipse futuram periculosam navigationem, neque desiit hortari eos ut sibi caverent; nunc cernens periculum ingravescere, unus omnes excitat, & pòst paulò ad capiendum etiam cibum compellat.

24. *Et ecce donavit tibi Deus*] Hoc contra fatum & necessitatem est, aut fortunam. Nisi enim per Paulum servati fuissent natura ipsa rei erat ut perirent: attamen justi viri gratiâ impii sunt servati.

31. *Nisi hi in navi manserint*] Quare? Fortasse ob id quòd tam firma est veritas Dei ut pereant omnia potiùs necesse sit quàm illam ulla ex parte imminui: at decreverat Deus servare illos omnes suâ virtute, non illorum industriâ; quod non contigisset si nautæ fugissent: viderentur enim nautæ suâ industriâ servati, alii autem miraculo.

ZEGERUS.

1. UT *autem judicatum est navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis Centurioni*] *Judicatum*, non *indicatum*: est enim *ἐκρίθη*, i. *decretum*, vel *constitutum*, *est*. Intelligendum est ex Regis Agrippæ sententia *judicatum ac decretum fuisse ut Paulus cum aliquot aliis custodiis*, h. e. custoditis, vinctis, *traderetur Centurioni*, cùmque hoc *navigaret in Italiam* ad Cæsarem. Quod autem in Græcis secùs legimus, *ut autem decretum est ut nos navigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulum & quosdam alios vinctos Centurioni*, re coincidit cum lectione Vulgata. In qua illud etiam admonendum, non faciendam periodum ante *ascendentes*, ut in Græca fieri convenit propter conjunctivam particulam *δὲ*, sed perpetuè legendum absque particula *autem & tradi Paulum cum reliquis custodiis Centurioni nomine Julio cohortis Augustæ, ascendentes navem Adrumetinam*, &c. Nonnihil tamen addubito num aliud quid legerit ac senserit Interpres propter illud *eum* cùm ad præmissam sententiam potiùs dicendum erat, *navigare Paulum in Italiam, & tradi eum cum reliquis.*

2. *Navem Adrumetinam*] Hoc magìs placet, cùm idem legat & Hieronymus, quàm quod in Græcis atque Chrysostomo est *Ἀδραμυττηνῷ*, ab *Adramyttis* insulâ Lyciæ. Est autem *Adrumes, etis*, & *Adrumetum*, civitas in Africa. ¶ *Sustulimus*] *Ἀνήχθημεν* i. *solvimus*, vel *sustulimus*, i. ad altiora maris tulimus.

5. *Venimus Lystram quæ est Lyciæ*] Hîc rectius est quod habetur in Græcis, *venimus Myram*: nam ità legit Chrysostomus, & Hieronymus, dum lib. De Nom. Hebr. interpretatur *amara*. Apud eundum tamen lib. De Locis Hebr. scribitur *Smyrna*, quomodo & Beda scribit: sed utrumque idem est, teste Calepino. Indicat quoque idem Hieronymus, aut si quis alius est, unà cum Beda, nonnullos codices habuisse, *Lystram quæ est Ciliciæ*; quomodo nostri cernuntur habere codices, juxta illud quod præcedit, *Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram.* Græcam tamen lectionem esse veriorem convincitur etiam ex ipso Luca, qui suprà 14. 6. dicit *Lystram* esse *civitatem Lycaoniæ*, & ex Plinio, qui *Myram* recenset inter civitates Lyciæ, lib. 5. c. 27.

7. *Cnidum*] Hieronymus De locis Hebraïcis, *Cnidus*, inquit, *insula est contra Asiam nobilissima adjacens provinciæ Cariæ: & est ejusdem nominis oppidum in insula Calymna.*

8. *Boni portus*] Pluralivi sunt numeri. ¶ *Juxta erat civitas Thalassa*] Hieronymus juxta Græcos cod. cum Chrysostomo legit *Lasæa*, & adjiciens, *pro quo*, inquit, *quidam corruptè* THALASSA *legunt*: & tamen sic vulgò legimus.

9. *Eò quòd jejunium jam præteriisset*] *Jejunium* hîc esse volunt tempus quoddam circa æquinoctium autumnale quo Judæi jejunare solebant; post quod periculosior est navigatio. ¶ *Consolabatur eos Paulus*] Magis quadrat ut *παρῄνει* pro *admonebat* accipiamus.

10. *Video quoniam cum injuria & multo damno non solùm oneris & navis,*] Idem quod quidam hoc magìs pacto transferendum existimat, *Video fore ut cum jactura & magno detrimento non solùm oneris & navis, sed etiam animarum nostrarum navigetur.*

11. *Gubernatori & nauclero*] Duobus nominibus unum significavit: nam utrumque alterum signat.

12. *Si quo modo possent devenientes Phœnicen hyemare, portum Cretæ respicientem*, &c.] Ambiguus est hujus loci & sensus & constructio: potest enim sic accipi, *Si quo modo devenientes Phœnicen* (vel, quod commodius & clarius est) *καταντήσαντες εἰς Φοίνικα*, *pervecti in Phœnicen, in ea possent regione hyemare; Phœnicen, inquam, respicientem insulæ Cretensis portum ad Occidentalem mundi plagam, nimirum ad Africum & Chorum, à qua insula jam solvimus.* Potest & hoc pacto accipi, *Si quo modo devecti in Phœnicen possent cum Cretæ portum hyemare qui spectat vergitque versùs Africum & Chorum*: ut *παραχειμάσαι* transitivè accipias propter *παρά*. Jam quod moderni scriptores ex his Lucæ verbis colligunt, dicúntque *Phœnicen* hîc non regionis sed portûs esse nomen, equidem non admodum probaverim, maximè cùm Hieronymus, diligenter de hujus Operis locis tractans, tale nil indicaverit, sed nec scriptores cæteri. Est autem *Phœnix*, vel, ut aliàs scribitur, *Phœnice*, suprà 11. 19. & 15. 3. &c, ut Hieron. scribit, *Phœnicia*, provincia Syriæ, cujus partes sunt Samaria & Galilæa & aliæ plurimæ regiones. *Creta* verò, inquit Hieron. *Græciæ insula* est, *centum quondam oppidis insignis, famosáque divitiis, maximè æris. Ibi enim prima hujus metalli inventio & utilitas fuit. Cui proximum est in finibus Ciliciæ promontorium & oppidum Veneris.* ¶ *Ad Africum & Chorum*] Uterque ventus Occidentalis, ille quidem à brumali, iste verò flans ab Occasu æstivali. Fortè Lucas pro eodem posuit, duabus utens vocibus, priore Græcâ, alterâ Romanâ.

13. *Cùm sustulissent de Asson legebant Cretam*] i. *Cùm solvissent ab Asson, navigabant Cretam*, vel *παρελέγοντο τὴν Κρήτην*, i. *prænavigabant Cretam.*

14. *Ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo*] *Typhon* est ventus versans convolvénsque. Pro *Euroaquilo* est *Εὐροκλύδων*, vox indè dicta quòd ingentes excitet fluctus. *Euroaquilo* autem ab *Eurus* & *Aquilo* deducitur, quòd is ventus flet inter Eurum (i. Subsolanum) & Aquilonem, qui est inter Septentrionalem & Orientalem.

16. *Quæ vocatur Cauda*] Sic habent ferè cod. vulgares. Nonnulli habent *Clauda*: quæ Ptolemæo, ni fallor, *Claudos* dicitur, spectans Cretam inter Meridiem & Occidentem: quò magis consentaneum est, huc depulsos fuisse flatu Euroaquilonis. Vide, si placet, adnotationes Desiderii. ¶ *Potuimus vix obtinere scapham. Quâ sublatâ, adjutoriis utebantur, accingentes navem*] Indicavit hîc Beda non paucos versiculos manifestiori exstare sensu secundùm alteram quandam translationem, quæ ità haberet, *Et arreptâ navi, cùm non possent occurrere vento, commodatâ navi flatibus, colligere vela cœperunt. Tunc transcurrimus insulam quæ dicitur Cauda, quam occupare non potuerunt: sed scaphâ missâ, adjuvare cœperunt navem, præcingentes eam. Trahebant autem & ancoras, timentes nè occurrerent in Syrtes.* Vel, ut paulò pòst scribit, *Timentésque nè in Syrtim exciderent, laxantes antennas, ità ferebantur.*

17. *Submisso vase, sic ferebantur*] Per *vas* alii *scapham* intelligunt, quòd *eâ demissâ in mare ac pensili relictâ ferrentur.* Alii *vas* simpliciter accipiunt onere aliquo refertum, quod demissum navim retardaret, nè præpropero cursu in Syrtes ferretur. Apud Chysostomum verò versum legimus *demisso velo*. Et suprà annotavimus alteram translationem, quæ habuerit, *laxantes antennas, ità ferebantur.*

19. *Armamenta*] Sunt instrumenta & munimenta, ut sunt funes & vela.

21. *Multa jejunatio*] *Ἀσιτία jejunium* signat vel *inediam*.

22. *Nullius animæ*] *Animam* pro *homine* posuit per Synecdochen.

27. *In Adria*] Casus est ablativus. Est autem *Adria* regio, unde dictum est *mare Adriaticum*. Vide Rabanum in Glossa Ordinaria.

28. *Bolidem*] *Bolis* est instrumentum nauticum quo exploratur maris altitudo, sic dictum *παρὰ τὸ βάλλειν*; q. *jaculum.*

39. *Sinum verò quendam*] *Sinum* per translationem vocat maris locum littorum curvitate porrectum ad similitudinem sinûs humani corporis. Est enim *sinus* propriè pars illa corporis quæ est intra pectoris brachiorúmque complexum.

40. *Levato artemone*] *Artemon* velum est modicum, directioni navis potiùs accommodum quàm celeritati. Ità propemodum Beda, probè sanè quadrante rei narratæ expositione, sed dissentientibus literatoribus, *artemonem* aliis *malum*, aliis *velum amplissimum*, aliis *trochleam* interpretantibus. Unde subolet Bedam ἀντέμονα legisse, unà mutatâ literulâ. Nam quæ hîc de *artemone*, eadem ferè Calepinus tradit de *antemone*, dicens esse *velum quod potest facilius obliquari, & quo nautæ in summo tempestatis discrimine utuntur.*

41. *In locum dithalasson*] Græcum reliquit vocabulum Interpres quod *bimarem* dicere poterat juxta nominis interpretationem. Est enim *dithalasson* littus in mare protentum, eodémque mari se dividente hinc indè circumdatum; vel, ubi terræ interjectu duplex mare convenit. ¶ *Et prora quidem fixa manebat immobilis puppis*] *Prora* est pars navis anterior, *puppis* posterior.

42. *Ut custodias occiderent*] *Custodias* usurpavit pro *custoditis* quemadmodum & Suetonius in Domitiano, *Nec nisi secretò atque solus plerasque custodias, receptisque in manu catenis, audiebat.*

44. *Quosdam super ea quæ de navi erant*] Quod nobis vet. reddidit Interp. id propriè est quod habet Euangelista, scribens οὓς δὲ ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου· nè quis de *navigii fragmentis* intelligendum putet, ut quidam interpretatur, quin potiùs de instrumentis nauticis, ut sunt remi, antennæ, fori, vel de his quæ in navi ferebantur.

L. BRUGENSIS.

2. *Ascendentes navem Adrumetinam.*] Major Latinorum codicum pars, cum Rabano in Glossa citato, Carensi, Lyrano, & Richelio, Enarratoribus, *Adrumetinam* navem vocat: quinque nostri, Brug. Lob. Malmund. O. Lugd. cum adspiratione *Hadrumetinam* scribunt. Novem *Adrumentinam* legunt, duóque præmittunt adspirationem, *Hadrumentinam*. Pro priori lectione facit Catalogus locorum hujus libri, in tertio Hieronymi & quinto Bedæ tomo exstans, qui *Hadrumetus* habet, *civitas in Byzantio.* [Ac. *Byzatio.* Ac. *Bazatio.*] *regione Africa:* quod jam recensiti enarratores sequuntur. Id autem ex Plinio; sumptum videtur, cujus de ea quæ propriè vocatur Africa hæc sunt cap. 4. lib. 5. verba, *Mox Africa ipsius alia distinctio. Libyphœnices vocantur qui Byzantium incolunt. Ita appellatur regio 250000 passuum per circuitum, fertilitatis eximiæ, cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terrâ. Hic oppida libera, Leptis, Adrumetum, Ruspina,* &c. Pro posteriori lectione facit Syriacum Testamentum, quod *navem* [Syriac] describit, *quæ erat ex Adramanto civitate* describit. Apud Plinium civitas quæ libro 5 vocata est *Adrumetum*, capite ultimo sexti libri scribitur *Hadrumentum*. Fortè utroque appellata fuit modo: itáque idem sit *Adrumentina* quod *Adrumetina*. Textus Latinus Complutensium Bibliorum *Hadramytenam* [*Adramytenam* R.] habet, ut Græcus Ἀδραμυττηνῷ Quenteliana Biblia *Adramyttinam*, ut Græci codices plerique Ἀδραμυττηνῷ aut Ἀδραμυττινῷ. Theophylacti textus Ἀτραμυτηνῷ dicit; is quo usus est Magdalius Jacobus, Ἀτραμυτηνῷ. Plinius Adramyttii unguento nobilis meminit, lib. 13. cap. 1. & Atramitarum populi, lib. 6. cap. 28.

H. STEPHANUS.

1. Ὡς δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς] *Postquam autem decretum fuit navigandum nobis esse.* ¶ Σπείρης] *Cohortis.*

3. Φιλανθρώπως τε ὁ Ἰούλιος τῷ Παύλῳ χρησάμενος, ἐπέτρεψε] *Humanitate erga Paulum usus permisit:* vel, *Humanum se exhibuit, ità ut permiserit.*

7. Βραδυπλοοῦντες] *Tardè navigantes.*

8. Παραλεγόμενοι] *Prætervecti:* vel, *Præterlegentes.*

9. Ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοός] *Cùm jam periculosa esset navigatio.*

12. Ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν] *Cùm autem portus incommodus esset ad hibernandum.*

15. Καὶ μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, ἐπιδόντες ἐφερόμεθα] *Et cùm non posset obniti vento* (q. d. obversâ prorâ reluctari) *permisso* illi navigio *ferebamur.*

16. Ὑποδραμόντες] *Cùm cursu delati essemus subter:* vel, *cùm cursum tenuissemus subter.* ¶ Περικρατεῖς γενέσθαι τῆς σκάφης] *Compotes fieri scapha.*

19. Τὴν σκευὴν] *Armamenta.*

21. Πολλῆς ἀσιτίας ὑπαρχούσης] *Cùm jam multa esset inedia.* ¶ Κερδῆσαι] *Vitare:* ad verb. *lucrifacere.*

22. Εὐθυμεῖν] *Bono esse animo.* ¶ Πλὴν τοῦ πλοίου] *Sed tantùm navigii.*

24. Κεχάρισμαι] *Condonavi.*

27. Διαφερομένων ἡμῶν] *Cùm jactaremur:* vel, *agitaremur.* ¶ Προσάγειν] *Appropinquare.*

28. Βολίσαντες] *Cùm demisissent bolidem.* ¶ Βραχὺ διαστήσαντες] *Paulùm progressi.* Vel, *parvo temporis intervallo.*

33. Ἄχρι δὲ οὗ ἔμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι] *Interim autem dum oriretur dies.*

34. Τοῦτο πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὑπάρχει] *Ad salutem vestram pertinet:* vel *spectat.*

38. Κορεσθέντες δὲ τροφῆς, ἐκούφιζον] *Satiati autem cibo, allevabant.*

40. Κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλὸν] *Tendebant ad littus.*

41. Ἐπώκειλαν τὴν ναῦν] *Illiserunt navem.* ¶ Ἐρείσασα ἔμεινεν ἀσάλευτος] *Infixa, manebat immobilis.*

42. Ἐκκολυμβήσας διαφύγοι] *Enatando effugeret.*

43. Ἀποῤῥίψαντας πρώτους, ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι] *Primi se projicerent, & ad terram evaderent.*

DRUSIUS.

2. Πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ, *navigio Adramytteno*] Ἀδραμύττειον, teste Stephano, urbs est Mysiæ, κατὰ Κάϊκον, qui fluvius est ejus regionis. In Vulgata nostra, *navem Adrumetinam.* Est autem Adrumetum Africæ oppidum, quod Hieron. *Hadrumetus* dicitur. Verba ejus sunt lib. Nominum, *Hadrumetus civitas in Bazatio* (aliàs *Byzatio*) *regione Africa.* Rectè autem initio aspirationem adjecit. Vox enim est merè Punica, [Hebrew]. Ebræi dicerent [Hebrew], quod Latinè sonat ut si dicas, *Ditis*, aut *Mortis*, *atrium.* Solinus, *Hadramyto & Karthagini autor est à Tyro populus.* [Hebrew] etiam *Pluto.* Philo Byblius, καὶ μετ' οὐ πολὺ ἕτερον αὐτοῦ παῖδα ἀπὸ Ῥέας ὀνομαζόμενον Μοὺθ ἀποθανόντα ἀφιεροῖ. Θάνατον δὲ τοῦτον καὶ Πλούτωνα Φοίνικες ὀνομάζουσι. Ergò *Hadramyto*, *atrium Plutonis*, ob pestilentem aerem illius oræ. Quomodo Plautus; *Acheruntis ostium est in agro nostro.* Oppidum hoc Ptolemæo dicitur Ἀδρύμηττος, Straboni Ἀδρύμη, Stephano Ἀδρύμης, Thucydidi Ἀτράμυττος, Pausaniæ Ἀδραμύττιος, Plinio *Adrumetum.*

7. *Salmonem*] Vide Matth. 1. 4.

9. *Quod & jejunium jam præteriisset*] Dies expiationum, qui *dies jejunii*, & *jejunium magnum.* In Syro est, *dies jejunii Judæorum.* Hujus mentio Jer. 36. 6. *in die jejunii.* Josephus lib. 7. Belli Jud. *Die expiationum jejunare mos fuit cunctis.* Dies hic incidit in nonum mensis Thesri, qui ex parte Octobri nostro respondet. Hoc die Pleiades occidunt & mare tempestuosum navigationique incommodum reddunt. Vide Levit. 23. 29, 32.

18. *Jactum fecerunt*] Alius *jacturam fecerunt.* Syrus *projecerunt vasa in mare.* Jon. 1. ἐκβολὴν ἐποιήσαντο τῶν σκευῶν *armamenta navis abjecerunt in mare:* verbum è verbo, *jacturam fecerunt vasorum.* Mox ait, τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐῤῥίψαμεν *armamenta navis abjecimus:* ἡ σκευὴ est *omne id quo navis erat instructa, armata aut onerata.*

34. *Nullius vestrûm capillus de capite cadet*] In re minima non lædemini. Nihil rerum vestrarum etiam vilium amittetis. Sic 1 Reg. 1. 52. *Non cadet de pilis ejus in terram.* Vide Matth. 10. 30. & Luc. 12. 7.

CASAUBONUS.

1. Ὡς δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς εἰς τὴν Ἰταλίαν] Ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν, h. e. ἐγένετο γνώμη τοῦ ἀποπλεῖν, ut 20. 3. ἐγένετο γνώμη τοῦ ὑποστρέφειν. Similis est verbi κρίνειν constructio apud Paulum 1 Cor. 2. 2. οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τὶ ἐν ὑμῖν. Sic loquitur auctor Machab. lib. 1. c. 3. Καὶ ἠπορεῖτο τῇ ψυχῇ αὐτοῦ σφόδρα, καὶ ἐβουλεύσατο τοῦ πορευθῆναι εἰς τὴν Περσίδα. Græci non dissimiliter λαγχάνειν cum secundo casu jungunt.

21. Κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν] Qui periculum imminens effugit, is Græcis *lucrum facere* sive κερδαίνειν dicitur. Poetas quidem ità loqui constat. Mihi verò in mentem venit summi Philosophi locus ubi hoc loquendi genere

re utitur. Locus est Ἠθικῶν μεγάλων lib. 2. Καὶ (ait) ἐξ κατὰ λόγον ζημίαν ἣν λαβεῖν, τὸν τὸ τοιοῦτον κερδάναντα εὐτυχῆ Φαμεν, qui locus istum valde illustrat, Erasinique errorem manifestissimè arguit. Atque hic cum Deo finem scribendi faciemus, si priùs testati fuerimus, hæc qualiacunque post summos diligentissimósque viros raptim collecta spicilegia ità à nobis nunc edi ut voluntate quorundam amicorum obsecuti magis quàm judicium nostrum secuti fuerimus. Quod verè à nobis dici, si Deus otium aliquando dederit, faciemus ut omnes cognoscant.

GUALTPERIUS.

11. Τῷ κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ, *gubernatori & nauclero*] Utraque vox Græca est. Κυβερνήτης *gubernator*, ex κυβερνάω *guberno*; propriè *navem rego*. Eandem vocem retinet Syrus לקוברניטא *Lekubernithi*. Ναύκληρος, *qui navem possidet*, *navis dominus* (quo modo & Syrus reddit) *nauclerus*, *navicularius*, *naviculator*. Vide composita à ναῦς.

17. Μὴ εἰς τὴν Σύρτιν ἐκπέσωσι, *nè in Syrtin inciderent*] Σύρτης per η, *tractor*, ἀπὸ τοῦ σύρω *traho*. Σύρτις in mari dicitur, *ubi limum arenámque & saxa ingentia fluctus trahunt*. Salustius in Bello Jugurth. *Duo*, inquit, *sunt sinus propè in extrema Africa, impares magnitudine, pares tamen naturâ: quorum proxima terræ prealta sunt, cætera uti fors tulit, aliàs alta sunt, aliàs in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse & sævire cœpit ventis, limum arenámque & saxa ingentia fluctus trahunt: ità facies locorum cum ventis simul mutatur: Syrtes ab tractu nominata.* Duæ autem esse feruntur, altera major, altera minor. De his Dionysius Afer in περιηγήσει τῆς οἰκουμένης, v. 189.

> Ἑξείης δ' ἐπὶ Σύρτις ἀγάῤῥοον ὁλκὸν ἑλίσσει
> Βαιοτέρη· μετὰ τήνδε πρὸς αὐγὰς ἔρχεται ἄλλη
> Ἄσπετος, εὐρυτέρῃσι βαρυνομένη προχοῇσιν.

Deinceps autem Syrtis rapidè fluentem tractum volvit minor. Post hanc ad Ortum venit alia immensa, amplioribus onerata gurgitibus. Ubi Commentator Eustathius, Τεναγώδης δὲ ὁ τόπος, καὶ οὐκ ἀεὶ βαθεῖα θάλασσα, ἀλλὰ κατὰ καιρούς τινας πολὺ τοῦ ὕδατος ἐπισυρομένης· ὅθεν καὶ Σύρτις καλεῖται· ἐστὶ δὲ ἡ μὲν ἐλάττων Σύρτις χιλίων ἑξακοσίων σταδίων, ὡς οἱ παλαιοὶ φασι, τὴν περίμετρον· τῆς δὲ μεγάλης ὁ κύκλος πεντακισχιλίων σταδίων. Vide ibidem plura. Pomponius Mela lib. 1. De situ orbis cap. 7. *Syrti sinus est*, inquit, *centum ferè millia passuum, quà mare accipit, patens; trecenta, quà cingitur: verùm importuosus atque atrox, & ob vadorum frequentium brevia, magisque etiam ob alternates motus pelagi affluentis & refluentis infestus.* Julius Solinus Polyhistor cap. 27. *Catabathmos*, ait, *Ægypto insinuata, cui proxima Cyrenensis extenditur inter duas Syrtes, quas inaccessas vadosum ac reciprocum mare efficit; cujus sali defectus vel incrementa haut promptum est deprehendere; ità incertis motibus nunc in brevia rescinditur dorsuosa, nunc æstibus inundatur inquietis. Varro auctor est perstabilem ibi terram ventis penetrantibus subitam vim spiritûs citissimi aut removere maria aut sorbere.* Et in capite eodem, *Inter Syrtes quamvis terrâ pergentibus iter sideribus destinatur; nec aliter cursus patescit. Nam putris soli faciem aura mutat, & minimo licet vento tantam diversitatem flatus efficit, ut subinde eversis situbus locorum, nulla indicia agnitioni relinquantur; cùm modò quæ fuerant tumulis ardua in valles residunt, modò quæ vallibus pressa, cœtu pulveris aggerantur. Ità etiam continens naturam maris sui patitur: nec interest ubi potiùs sint procellæ, cùm ad exitium viantium elementis congruentibus, in terris flabra sæviant, in mari terræ. Utraque Syrtes ducentis quinquaginta millibus passuum separantur. Aliquantò clementior quæ minor est. Cn. denique Servilio, C. Sempronio Coss. inter hæc vadosa classem Romanam impunè accepimus perfretasse.* Lucanus lib. 9.

> *Indè peti placuit Libyci contermina Mauris*
> *Regna Jubæ: sed iter mediis Natura vetabat*
> *Syrtibus: has audax sperat sibi cedere virtus.*
> *Syrtes vel primam mundo Natura figuram*
> *Cùm daret, in dubio pelagi terræque reliquit.*
> *Nam neque subsedit penitus, quò stagna profundi*
> *Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus;*
> *Ambigua sed lege loci jacet invia sedes.*
> *Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo,*
> *Et post multa sonant projecti littora fluctus.*
> *Sic malè deseruit, nullosque exegit in usus*
> *Hanc partem Natura sui: vel plenior alto*
> *Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat;*
> *Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens*
> *Æquora subduxit Zonæ vicina perustæ;*
> *Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.*
> *Mox ubi damnosum radios admoverit ævum,*
> *Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda supernè*
> *Innatat, & latè periturum deficit æquor.*

Consule & Plinium lib. 5. c. 4. & l. 2. c. 97.

29. Ἐκ πρύμνης ῥίψαντες ἀγκύρας τέσσαρας, *jactis è puppi ancoris quatuor*] Syrus vocem habet אוגקין, quæ in Commentariis legitur אנקורא *Ankora*. Vox Græca est in linguam Latinam & Germanicam derivata, *Ancora* Ein Ancker. Ἀγκυροβόλιον, *ancoræ jactus*. Ἀγκυροειδὴς, *ancoræ formam habens*; Ἀγκυρόω, *ancoris firmo*. Ἀγκύριον, dimin *ancora parva*. Verbum autem ἀγκυρίζειν lign *supplantare*: unde ἀγκύρισμα *supplantatio*.

GROTIUS.

Ὡς δὲ ἐκρίθη, *Ut autem judicatum est*] *Constitutum fuit*, ut supra 20. 16. & 25. 25. ¶ Τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς, *navigare nos*] Constructio qualis supra 3. 12. 1 Corinth. 2. 2. ¶ Παρεδίδουν τόν τε Παῦλον, *& tradi Paulum*] Nempe Festus & qui ab eo id mandatum acceperant. Frequens est apud Hebræos subaudire nominativum verbo congruentem. At Manuscriptus, παρεδίδου [*tradebat*, ut ad unum *Festum* se referat oratio. ¶ Καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, *cum reliquis custodiis*] Latinus vertit *custodias*, bene admodum. Sic vocem *custodia* usurpant Suetonius Domitiano, Paulus in L. Carcer, & Venulejus L. ne quis, D. de custodia & exhibitione reorum. ¶ Ἑκατοντάρχῃ, *Centurioni*] Vide supra 10. 1. ¶ Ὀνόματι Ἰουλίῳ, *nomine Julio*] Liberto, credo, Juliæ domûs. Vide quæ ad Lucam. Sic Earinus dictus *Flavius*. In Manuscripto tamen infra est Ἰουλιανος [*Julianus*. ¶ Σπείρης Σεβαστῆς. *cohortis Augustæ*] Bene Latinus, *cohortis Augustæ*. Sed intellige *cohortem* fuisse *ex legione Augusta*, quomodo illa Cornelii *ex legione Italica*, supra 10. 1. Nam *Augusta* nomen legionis in Antiquo lapide apud Lipsium ad Taciti secundum Historiarum.

2. Πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ, *navem Adramyttenam*] Multæ sunt urbes dictæ חצרמות [*Chazer-Muth.*] Ἀδράμυττος, Ἀδράμυττα, Ἀτράμυττος, Ἀτραμύττειον [*Adramyttus, Adramytta, Atramyttus, Atramyttaum.*] Nam tot modis hoc nomen scribitur apud Stephanum & apud alios. Celeberrima omnium est urbs Africæ maritima, de qua Procopius Vandalicorum 2. quam hic indicari rectè censet Hieronymus. Navis hæc videtur Africanas merces in Syriam, deinde Syriacas in Lyciam portâsse, ut ibi acciperet

> *Vina Syra reparata merce.*

ut loquitur Horatius. Sic solebant Athenis ire naves primùm Menden aut Scionen, deinde in Bosphorum: idque etiam nunc fieri solet ut onera bis terve aut sæpius mutentur. ¶ Μέλλοντες πλεῖν τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους, *incipientes navigare circa Asiæ loca*] Manuscriptus μέλλοντι πλεῖν [*incipienti navigare.*] Ab Africa veniebat navis. Legebat oram Asiæ, & urbes quasdam maritimas negotiorum suorum causâ adibat. Πλεῖν τόπους *navigare loca*, quomodo Virgilius,

> ——*Tyrrhenum navigat æquor.*

Sic πλέω τὴν θάλασσαν [*navigo mare*] Demosthenes. Τόπους [*loca*,] id est, μέρη [*partes*,] *maris* nempe. ¶ Ἀνήχθημεν, *sustulimus*] Ut supra 16. 11. & 18. 21. & 20. 3, 13. & infra v. 4. ¶ Ὄντος σὺν ἡμῖν Ἀριστάρχου Μακεδόνος Θεσσαλονικέως. *perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi*] Hic Aristarchus Christianus factus Paulum ex Macedonia in Judæam usque comitatus fuerat, supra 19. 29. & 20. 4. Idem Paulum jam custodiæ datum ex amore in ipsum & veritatem comitari sponte voluit, Romæque primùm adjutor ejus, Philemon. 24. deinde vinculorum particeps fuit, Coloss. 4. 10.

3. Εἰς Σιδῶνα. *Sidonem*] Quæ satis propinqua Cæsareæ. Apparet id ex Ptolemæo. ¶ Φιλανθρώπως τε ὁ Ἰούλιος τῷ Παύλῳ χρησάμενος, *humanè autem tractans Julius Paulum*] Exemplo Felicis, suprà 24. 23. ¶ Πρὸς τοὺς φίλους πορευθέντα, *ad amicos ire*] Cùm milite. ¶ Ἐπιμελείας τυχεῖν, *curam sui agere*] Cùm cura haberi. Sic ἐπιμέλειαν σώματος [*curam corporis*] dixit Galenus.

4. Ὑπο-

4. Ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κύπρον, διὰ τοὺς ἀνέμους εἶναι ἐναντίους *subnavigavimus Cyprum: propterea quod essent venti contrarii*] Accuratè admodum totam hanc navigationem describit Lucas. *Navigavimus*, inquit, *ita ut à Cypro non longè abessemus: non quòd rectum iter eò ferret, sed quod ventus adversus cogeret & sinus & iter obliquare.* Sic & infrà 7.

5. Τό, τε πέλαγος τὸ κατὰ τὴν Κιλικίαν καὶ Παμφυλίαν διαπλεύσαντες, *Et pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ navigantes*] Πέλαγος [*pelagus*] hic significat *altum mare quod procul à terra est*, ut & Matth. 18. 6. & 2 Maccab. 5. 21. ¶ Κατήλθομεν, *venimus*] Κατάγειν est *appellere*, Luc. 5. 11. suprà 9. 30. & 21. 3. infrà 28. 12. In Glossario, Καταγωγή, *advectio*, κατάγω, *advehor*, ¶ Εἰς Μύρα τῆς Λυκίας. *Myra quæ est Lyciæ*] Manuscriptus & alii, Λύστρα [*Lystra*.] Vox utraque corrupta, videlicet pro Λίμυρα [*Limyra*,] quod nomen & amni & urbi ad amnem sitæ in Lycia. *Myra* interiùs jacet, *Lystra* in Lycaonia est.

6. Πλοῖον Ἀλεξανδρῖνον πλέον εἰς τὴν Ἰταλίαν, *navem Alexandrinam navigantem in Italiam*] Multæ naves ex Alexandria Italiam petebant, advehebantque frumentum ab Ægypto & Persicas Indicasque merces. Ideo soli jus habebant ad oram appellere non demissis supparis. Appellebant autem plerumque Puteolos. Et ad Pharum Puteolanam reficiendam fovendamque Alexandrina civitas contulit, ut ex inscriptionibus didicimus. Classis Alexandrina, *Niliacus cataplus* Martiali. ¶ Ἐνεβίβασεν ἡμᾶς εἰς αὐτό. *transposuit nos in eam*] Ἐμβιβάζειν est vox bene Græca, & Platoni etiam in Epistolis usitata, pro *imponere in navem*.

7. Βραδυπλοοῦντες. *tardè navigaremus*] Ob multum onus, ut accipit Syrus. ¶ Μόλις γινόμενοι κατὰ τὴν Κνίδον, *vix devenissemus contra Gnidum*] Insulam Cariæ objectam & Veneris simulacro ac cultu nobilem. ¶ Μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τοῦ ἀνέμου, *prohibente nos vento*] *Non sinente vento*, nempe *rectum nos tenere cursum*, εὐθυδρομεῖν: ita hanc ἔλλειψιν [*defectum*] supplet hîc Syrus. ¶ Ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην, *adnavigavimus Cretæ*] Vide suprà 4. ¶ Κατὰ Σαλμώνην *juxta Salmonem*] *In eam partem in qua vicus est Salmone*, unde promontorium *Salmonium* Straboni & Ptolemæo. Dionysius Periegetes,

> Ἐκ δ' ὀρέων Σικελῶν Κρήτης ἀνατέτταται οὖδας,
> Μακρὸν ἐπ' ἀντολίην, Σαλμωνίδος ἄχρι καρήνου.
> [*Montibus à Siculis se Creta expandit, in Ortum*
> *Longè se extendens, caput ad Salmonidis usque.*]

8. Μόλις τε παραλεγόμενοι αὐτὴν, *Et vix juxta navigantes*] *Cùm difficulter locum præternavigassemus.* Μόλις difficultatem sæpe significat, ut 1 Petri 4. 18. Sirach. 26. 24. παραλέγεσθαι hîc & infrà v. 13. est *prætervehi*. Virgilius,

> —— *& crebris legimus freta concita terris.*

id est, *præterimus*, ait Servius. ¶ Καλούμενον Καλοὺς λιμένας, Manet hodieque id nomen. Stephano est καλὴ ἀκτή [*bona ora*,] eodem sensu; nam *bona ora* nautis dicitur ea quæ est *portuosa*. ¶ ᾧ ἐγγὺς ἦν πόλις Λασαία, *cui juxta erat civitas Lasæa*] In Manuscripto ᾧ ἐγγὺς πόλις ἦν Ἄλασσα [*cui juxta erat civitas Alassa*.] Et puto hanc veram esse lectionem, nec aliter legisse Arabem & Latinum, quanquam in illo *Alasia*, in hoc *Thalassa*, mutatione non multùm à recto abeunte, legitur.

9. Καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *& cùm jam non esset tuta navigatio, eò quòd & jejunium jam præteriisset.*] Νηστεία [*jejunium*] per excellentiam dies כפורים ἐξιλασμοῦ [*expiationis*,] decima Tisri. Vide Levit. 23. Tisri partim cum Septembri, partim cum Octobri congruit. *Mense Novembri claudi maria* notat Vegetius. ¶ Παρῄνει ὁ Παῦλος. *consolabatur Paulus*] A Deo monitus.

10. Μετὰ ὕβρεως καὶ πολλῆς ζημίας, *cum injuria & multo damno*] Hæc duo conjuncta & infrà habentur v. 21. ὕβρις [*injuria*] ad personam, ζημία [*damnum*] ad res magis refertur. Et est κατάχρησις [*Abusio*] satis elegans, quomodo Latini dicunt, *cœli injuriam*. ¶ Τοῦ φορτίου, *oneris*] Id est, γόμου [*mercis*.] Νηὸς φόρτον [*onus navis*] dixere & Athenagoras & Eustathius, *onus* Latini: unde illud Juliæ inverecundum, *Nunquam nisi nave plenâ tollo vectorem. Plenâ* supple *oneris* ¶ Ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχῶν ἡμῶν, *sed etiam animarum nostrarum*] Id est, *personarum*, quæ magnis malis affectæ. Sic hoc nomen habuimus & suprà 2. 41. & habebimus infrà v. 37.

11. Τῷ κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ, *Gubernatori & Nauclero*] Κυβερνήτης est *qui navem gubernaculo regit*. Ναύκληρος verò in Glossario rectè vertitur *navicularius*, qua voce aliquoties utitur Cicero. Græcam Plautus retinuit. Latiùs patet *navicularii* nomen quàm *magistri*. Nam *magister* is demum est quem exercitores navi præfecere; *Navicularius* etiam qui suæ navi præest. *Gubernator* suas conjecturas sequebatur, hujus auctoritatem *navicularius*.

12. Ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν, *Et cùm aptus portus non esset ad hyemandum*] Sicut εὔθετος est *idoneus*, Psalm. 32. 6. Luc. 9. 62. & 14. 32. Ita ἀνεύθετος, *non idoneus*, *incommodus*. Χειμάζεσθαι est *jactari tempestatibus*: παραχειμάζεσθαι; *vitare tempestates*. Hoc igitur dicit, *Non erat portus ille idoneus ad vitandam tempestatem*. ¶ Εἰς Φοίνικα, *Phœnicen*] Habet in Austrino Cretæ latere Ptolemæus urbem *Phœnica*, portum *Phœnicunta*. ¶ Βλέποντα κατὰ λίβα, *respicientem ad Africum*] λὶψ, Latinè *Africus*, flat ab Occasu brumali. ¶ Καὶ κατὰ χῶρον, *& ad Chorum*] Χῶρος vox est non Græca origine, sed Latina *Corus* vel *Caurus*, Græcis ἀργέστης. Flat ab Occasu æstivo, aut, ut alii volunt, solstitiali. Portus ergò iste in angulo situs duo mari ventisque diversis objiciebat cornua.

13. Ὑποπνεύσαντος δὲ Νότου, *Adspirante autem Austro*) Ὑπὸ sæpe in compositione rem imminuit. Itaque ὑποπνεῖν est *leniter flare*. Talia sunt ὑπόκυφος, ὑποηχέω, ὑπολαλέω [*aliquantùm levis*, *levem sonum edo*, *mussito*] & similia. ¶ Δόξαντες τῆς προθέσεως κεκρατηκέναι, *æstimantes propositum se tenere*] Nautæ scilicet. Κρατεῖν προθέσεως est *voto potiri*. Id ideo existimabant, quia Australe Cretæ littus legere volentibus Auster obtigerat. ¶ Ἄραντες, *cùm sustulissent*] *Cùm solvissent*, nempe à Phœnice aut Phœnicunte portu. ¶ Ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην. *propius prætarlegebant Cretam*] Ita distinguendum est. Id est, *quàm proximè oram Cretæ legebant*. חדר קריטא [*circa Cretam*] hîc Syrus. Non metuentes scilicet ne in littus impingerentur, ideo quòd lenis admodum esset Auster, ut ex antedictis cognovimus. Non repetam multis quod alii rectè hîc ostenderunt, malè à nonnullis putatum nomen hoc esse proprium loci *Asson*.

14. Ἄνεμος τυφωνικὸς, *ventus typhonicus*] Τυφὼν quid sit, suprà notavimus ex iis qui meteora descripsere. At Judæis Hellenistis τυφὼς est *quævis violentior procella*. Nam sic interpretes quidam vertunt in Psalm. 148. 8. רוח סערה, ubi alii πνεῦμα καταιγίδος, *ventus procellosus*. Sicut & idem nomen סערה vertitur καταιγὶς [*procella*] Psalm. 55. 9. & 83. 16 & 107. 27, 29. Esaiæ 29. 6. & 40. 24. & 41. 16. alibi κλύδων [*turbo*,] ut Ionæ 1. 4, & 2. 12. ¶ Ὁ καλούμενος Εὐροκλύδων *qui vocatur Euroaquilo*] Manuscriptus Εὐρακύλων, haud obscura commutatione λ in δ, quarum litterarum perquam vicini sunt ductus in Manuscriptis. Vera lectio est, quam secutus est Latinus interpres, Εὐρακύλων. Pari modo dicitur *Euronotus* & *Eurocercius* apud Vitruvium. Nec novum vocabula Græcæ originis cum Latinis coalescere. Talia sunt, *biclinium*, *epitogium*, *Anticato*, notata Quintiliano 1. 5. Quod multò faciliùs procedit, ubi vox illa Græca in Latium adoptata est, ut *Eurus*. Non frustra autem Lucas, non contentus dixisse *coortum ventum procellosum*, adjicere voluit unde is flaret, quod nullus esse posset *Euroaquilone* magis adversus Italiam petentibus. Dici poterat vento tam procelloso flante ab Ortu & Septentrione id quod apud Lucanum est,

> *Nec ratis Hesperias tanget neque naufragus oras.*

15. Συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου, *Cùmque abrepta esset navis*] *Abrepta* à Creta. ¶ Καὶ μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, *& non posset conari in ventum*] Egregia Translatio. Ἀντοφθαλμεῖν propriè est *contrà tueri*, impropriè *obniti*: ut cùm Plutarchus negat Demosthenem potuisse ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀργυρίῳ [*tueri contra argentum*,] & cùm Polybius non uno loco negat hos aut illos potuisse hostibus ἀντοφθαλμεῖν [*contrà tueri*:] quo sensu hoc verbo utitur & Sirachides 12. 14. Sic & ἀντιβλέπειν usurpat Josephus, ut Antiquæ historiæ 6. πταίσμασιν οἷς ἄνευ ἔτι ἦν ἀντιβλέψαι [*malis quibus resistit jam non poterat*:] & secundo contra Appionem, τοῖς προσάγμασι τοῖς περὶ διαίτης ἄνευ ἀντιβλέψαι [*ordinationibus de vivendi ratione non reluctabantur*.] Syrus rectè vertit *vento obsistere*. ¶ Ἐπιδόντες ἐφερόμεθα. *data nave ferebamur*] Ἐπιδόντες [*data nave*,] nempe τῷ ἀνέμῳ [*vento*] quod nomen præcessit. *Cedentes vento ferebamur*. Sic & Ovidius tempestatem describit 1 Tristium 3,

Navita

Navita confessus gelidum pallore timorem,
Jam sequitur victus, non regit arte ratem.
Sic non quò voluit, sed quò rapit impetus undæ,
Aurigam video vela dedisse rati.

16. Νησίον δέ τι ὑποδραμόντες, *In insulam autem quandam decurrentes*] id est *cum prope insulam venissemus*, quo sensu verbum ὑποπλεῖν [*subnavigare*] habuimus suprà 27. 4, 7. ¶ Καλούμενον Κλαύδην, *quæ vocatur Clauda*] Quæ Κλαῦδος [*Claudus*] Ptolemæo, Κλαύδιον [*Claudium*] Athenæo. In Syro est [illegible] *Cora*,] sed creditur scriptum pro [illegible] [*Coda*:] nam Γαυδὸν [*Gaudon*] eandem, ut creditur, insulam dixit Strabo; & Suidas Καυδὼ [*Caudo*] legit hoc loco: *Gaudon* Plinius, Solinus, Stephanus, Procopius nominant: hanc ipsam esse censent eruditi, variante, ut solet, pronunciatione. ¶ Μόλις ἰσχύσαμεν περικρατεῖς γενέσθαι τῆς σκάφης. *potuimus vix obtinere scapham*] *Ægre potuimus scapham ex mari in navem attollere.* Vide infrà v. 30. Factum id nè scapha incussa navi eam læderet.

17. Ἣν ἄραντες, *Quâ sublatâ*] *Quâ subductâ.* Contraria sunt αἴρειν σκαφὴν [*scapham tollere*] & χαλᾶν [*demittere.*] ¶ Βοηθείαις ἐχρῶντο, *adjutoriis utebantur*] Βοηθείας vocat quas Latini *ministeria*. Ea enim vox *plebem navalem* significat. Utitur sic Germanicus in Capricorno, ubi à nobis dicta videant, si quoeis vacat. ¶ Ὑποζωννῦντες τὸ πλοῖον *accingentes navem*] *Funibus navem ligantes*, ne vi ventorum & fluctuum dissiliret. ¶ Φοβούμενοί τε μὴ εἰς τὴν Σύρτιν ἐκπέσωσι, *& timentes ne in Syrtim inciderent*] *Ne navis unà cum ipsis impingeretur in Syrtim.* Sic vocantur loca omnia vadosa à duobus in Africa arenosis sinibus dictis hoc nomine. ἐκπέσωσι [*inciderent*,] ex mari profundo scilicet in brevia. ¶ Χαλάσαντες τὸ σκεῦος, *submisso vase*] *Demisso malo.* Nam *malus* hic κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] dicitur σκεῦος [*vas*,] ut observatum Heraldo. Sic & Syrus accepit. Solet demitti malus aut etiam in repentino periculo abscindi, ne ventus ea parte navem urgeat. *Arborem dejicere* dixit Papinianus L. Cùm arbor. D. ad legem Rhodiam. ¶ Οὕτως ἐφέροντο. *sic ferebantur*] Nempe *sine malo*. Similis usus voculæ οὕτως [*sic*,] Joh. 4. 6.

18. Σφοδρῶς δὲ χειμαζομένων ἡμῶν, *Validè autem nobis tempestate jactatis*] Χειμάζεσθαι est, ut modò diximus, *tempestate jactari*. ¶ Τῇ ἑξῆς ἐκβολὴν ἐποιοῦντο· *sequenti die jactum fecerunt*] *Jactum fecere*, nautæ scilicet. ἐκβολὴ, *jactus* in Glossario, & sic sumitur Jonæ 1. 5. Vox utraque propria huic rei. Vide titulum Digestorum ad legem Rhodiam de jactu. *Jactum facere* Harmenopulus vertit ἐκβάλλειν, ἀποβάλλειν, ῥίπτειν. Fit id *levandæ navis gratiâ*, ut loquitur lex prima dicto titulo. Solet autem hic ordo servari, quem & in hac historia habemus. Primùm jaciuntur merces, ut hoc loco; deinde armamenta, ut statim sequitur; postremò & cibaria, ut infra v. 38.

19. Αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐρρίψαμεν, *nostris manibus armamenta navis projecimus*] Ἔρριψαν [*projecerunt*] habet Manuscriptus ille, nec aliter Latinus legit. ἡ σκευὴ est id *quo res quæque instruitur*. Bene hoc loco Latinus vertit *armamenta*. In Glossario *Armamenta*, ἄρμενα. Utuntur hac voce eo sensu non Poëtæ tantùm, sed, ut Historici ut ecce Tacitus Historiarum 5. *Armamenta liburnicis solita.* Julianus Juris consultus L. Navis. D. de lege Rhodia.

20. Μήτε δὲ ἡλίου, μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων ἐπὶ πλείονας ἡμέρας, *Neque autem Sole, neque syderibus apparentibus per plures dies*] Solennis descriptio graviorum tempestatum: sic apud Virgilium,

— — *Ponto nox incubat atra.*

Apud Lucanum,

Non cœli nox illa fuit; latet obsitus aër
Inferna pallore domûs: nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem:
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aër.

Apud Statium,

— *Inde horror aquis, & raptus ab omni*
Sole dies miscet tenebras.

De verbo ἐπιφαίνειν [*apparere*] vide quæ diximus ad Matth. 28. 1. ¶ Χειμῶνός τε οὐκ ὀλίγου ἐπικειμένου, *& tempestate non exigua imminente*] Χειμὼν interdum *hiems*, interdum *tempestas*, ut hîc & Matth. 16. 3. Id imitantes Latini Poëtæ *hiemis* vocem ponunt pro *tempestate*. ἐπικεῖσθαι hîc est *incumbere*, *incubare*, quomodo ex Virgilio jam habuimus,

— *Ponto nox incubat atra.*

Et alibi,

— *Venti velut agmine facto,*
Quà data porta ruunt & terras turbine perflant,
Incubuere mari.

Quintilianus lib. 5. *Cùm magna vis venti in mare incubuit.* ¶ Λοιπὸν περιῃρεῖτο πᾶσα ἐλπὶς τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς. *jam ablata erat spes omnis salutis nostræ*] Dictum hoc κατὰ φάσιν, *secundùm id quod videbatur*, qualia multa & in communi & in sacro sermone. In Syriaco, *abscissa spes.*

21. Πολλῆς δὲ ἀσιτίας ὑπαρχούσης, *& cùm multa jejunatio fuisset*] Non quòd alimenta deessent, ut mox videbimus, sed quòd ingens illa jactatio omnem adimat appetitum accontra cibi fastidium pariat. ¶ Πειθαρχήσαντάς μοι, *audito me*] *Mihi*, nempe nihil hac in re non divinitus dicenti. ¶ Μὴ ἀνάγεσθαι ἀπὸ τῆς Κρήτης, *non tollere à Creta*] *Non solvere à Creta.* Vide supra 2. 4, 12. ¶ Κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν. *lucrique facere injuriam hanc & jacturam*] Locutio bene Græca. Nam simili modo loquuntur Epigrammatici Græci & Lucianus. Latinus quoque interpres eruditè tanstulit *lucrifacere*. Sic *quàm ille injuriam lucrifecit*, Plin. 7. 39. Sic *lucrationem malorum* dixit Tertullianus. Tale & illud, *Lucri fac censoriam notam.* Causa loquendi inde, quod *lucrum facere* videtur, & qui damnum evitat, auctore Aristotele. De vocibus ὕβρεως [*injuria*] & ζημίας [*jactura*] vide supra 5. 10.

22. Ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς οὐδεμίας ἔσται ἐξ ὑμῶν, *amissio enim nullius animæ erit ex vobis*] Nempe, *si me audiatis*. Quæ conditio ex superiori oratione satis intelligitur. Tales passim in Sacra Scriptura sunt locutiones quæ tacitam in se conditionem habent ex antecedentibus & consequentibus aut ex ipsa rei natura intelligi facilem 1 Sam 2. 30. & 13. 13, 14. ¶ Πλὴν τοῦ πλοίου. *præterquam navis*] Particula exceptiva loco adversativæ ut Luc. 23. 28. Joh. 8. 10. in Græco 1 Cor. 11. 2. Philipp. 1. 8. & 3. 16. & 4. 12. Apoc. 2. 25.

23. Τοῦ Θεοῦ οὗ εἰμι, ᾧ καὶ λατρεύω, *Dei cujus sum ego, & cui deservio*] Multò rectiùs hoc de se Paulus potuit dicere quàm in simili periculo Jonas 1. 9. Et propterea Jonæ comites eo servati sunt ejecto; Pauli comites per eum retentum. ¶ Καίσαρί σε δεῖ παραστῆναι. *Cæsari te oportet assistere*] Δεῖ [*oportet*] sume ut supra 23. 11. παραστῆναι autem hîc judiciale est, *stare*. Rom. 14. 10. pro quo supra ἑστώς εἰμι [*sto*] 25. 13. Activum παραστῆσαι [*sistere*] supra 23. 33. Horatius.

— *disperream si*
Aut valeo stare aut novi civilia jura.

Vid. Scholiastes, *Si habeo vires ut stem in judicio.*

24. Κεχάρισταί σοι ὁ Θεὸς πάντας τοὺς πλέοντας μετά σου. *donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum*] Sensu contrario hîc habemus χαρίζεσθαι ei qui bis supra 25. 11, 16. ibi *in perniciem tradere*, hîc *in vita servare*. *Tibi dat*, id est, tui causa eos servat. Unus interdum navem perdit, unus interdum navem servat. Idem contingit in Republica.

25. Εὐθυμεῖτε, *bono animo estote*] Ut supra 5. 22. Hoc est quod alibi dicitur θαρσεῖν [*constans esse*,] ut supra 23. 11. ¶ Πιστεύω γὰρ τῷ Θεῷ ὅτι οὕτως ἔσται, *credo enim Deo quia sic erit*] Fidem Deus etiam ad consequenda hujus vitæ beneficia sæpe requirit, ut ostendat eam multò magis ad consequendam æternam esse necessariam. ¶ Εἰς νῆσον δέ τινα, *In insulam autem quandam*] Non νησίον [*insulam parvam*] qualis Claude, sed justam insulam, qualis Melite. ¶ Δεῖ ἡμᾶς ἐκπεσεῖν. *oportet nos devenire*] Δεῖ [*oportet*] rursum ut modò v. 42. ἐκπεσεῖν [*incidere*] ut supra 17.

27. Διαφερομένων ἡμῶν, *navigantibus nobis*] Διαφέρεσθαι pro *huc & illuc ferri* usurpavit & Plutarchus. ¶ Ἐν τῷ Ἀδρίᾳ, *in Adria*] Quod notarunt hîc viri eruditi ex Strabone, Ovidio, Statio & Ptolemæo, *Adriam cœpisse dici pro toto Ionio*, verum est. Itaque Procopius mare à Methone ad Siciliam, & alibi à Cephalenia ad Calabriam, *Adriam* vocat; & alio loco partem *Adriæ* facit sinum; & disertè Vandalicorum primo tam Gaulon quàm Meliten in *Adria* locat. ¶ Προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν. *apparere sibi aliquam regionem*] *Accedere sibi terram aliquam.* Ita solent nautæ loqui. Tale illud apud Virgilium 3. Æneidos,

Provehimur portu: terræque urbesque recedunt.

28. Βολίσαντες, *submittentes bolidem*] Βολὶς [*bolis*] quæ καταπειρατηρία Herodoto Euterpe, *funis cum plumbo, quo dejecto nautæ maris altitudinem explorant*, quod βολίζειν dicitur. *Catapiraten* dixit Lucilius illis versibus qui corrupti apud Isidorum 19. 14.

Hinc Catapiraten puer eodem deferat, unctum
Plumbi pauxillum raudus linique metaxam.

Ubi vocem nauticam non omnibus notam exposuit verbis popularibus. ¶ Εὗρον ὀργυιὰς εἴκοσι. *invenerunt passus viginti*] Ὀργυιὰ [*passus*] est *quantum patent passa manus*, unde *passus* nomen. Hac mensura uti nautæ solent. ¶ Εὗρον ὀργυιὰς δεκαπέντε *invenerunt passus quindecim*] Id signum erat propius accedere terram. Omnia hæc navalia accuratè & nitidè describit Lucas.

29. Εἰς τραχεῖς τόπους, *in aspera loca*] *Aspera loca* vocat *saxosa*, ut hic rectè explicat Syrus, qualia multa esse circa insulas solent. χοιράδας dicunt alii. ¶ Ἐκ πρύμνης ῥίψαντες ἀγκύρας τέσσαρας, *de puppi mittentes anchoras quatuor*] Sic Virgilius,

Anchora de prora jacitur ——

Pluribus autem opus anchoris, ubi sævit mare ¶ Ηὔχοντο ἡμέραν γενέσθαι. *optabant diem fieri*] Vt faciliùs despicere possent ubi essent locorum.

30. Χαλασάντων τὴν σκάφην εἰς τὴν θάλασσαν, *cùm misissent scapham in mare*] Nimirum ut in eam delapsi derelicta navi saluti suæ consulerent. Cicero 2. de Inventione, *Postea aliquanto ipsos quoque tempestas vehementiùs jactare cæpit, usque adeò ut dominus navis, cùm idem gubernator esset, in scapham confugeret.* ¶ Προφάσει ὡς ἐκ πρώρας μελλόντων ἀγκύρας ἐκτείνειν, *sub obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere*] *Hoc utebantur prætextu, velle se scapha uti, ut anchoras longiùs à prora figerent fune eousque prolato.* Nota locutionem προφάσει μελλόντων ἐκτείνειν ἀγκύρας, *specie longiùs tensurorum anchoras.*

31. Τῷ ἑκατοντάρχῃ, *Centurioni*] De quo supra 1. ¶ Ἐὰν μὴ οὗτοι, *Nisi hi*] Dixit hoc nautas digito monstrans. ¶ Ὑμεῖς σωθῆναι οὐ δύνασθε. *vos salvi fieri non potestis*] Quomodo hoc non pugnet cum iis quæ dicta supra v. 22. vide illo loco.

32. Ἀπέκοψαν τὰ σχοινία τῆς σκάφης καὶ εἴασαν αὐτὴν ἐκπεσεῖν. *absciderunt milites funes scaphæ & passi sunt eam excidere*] *Abscissis funibus sivere scapham auferri.* Ἐκπίπτειν [*excidere*] hic dicitur respectu navis: supra bis respectu maris. Sic ἐκπίπτειν τῆς ἀγορᾶς [*è foro elabi*,] ἐκπίπτειν τῆς πόλεως [*excidere civitate*] apud Plutarchum.

33. Ἄσιτοι διατελεῖτε, *jejuni permanetis*] Sic dictum quomodo 1 Maccab. 3. 17. ἐκλελύμεθα ἀσιτεύοντες σήμερον [*fatigati sumus jejunio hodie.*] id ita intelligendum, *quod vix quicquam alimenti cepissent plerique*; rectè notatum aliis.

34. Παρακαλῶ ὑμᾶς προσλαβεῖν τροφῆς. *rogo vos accipere cibum*] Nempe ut firmiores essent ad perferendos labores quibus erat opus. Vide 1 Sam. 14. 28, 29. ¶ Οὐδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται. *quia nullius vestrûm capillus de capite peribit*] Proverbialis locutio, sicut Latinè dici posset, *Ne bilum quidem vobis nocebitur.* Vide Luc. 21. 18. Intellige rursus sub conditione, *si consilia mea sequamini.*

35. Εὐχαρίστησε τῷ Θεῷ, *gratias egit Deo*] Vide Matth. 15. 36. Marci 8. 6. Joh. 6. 11. ¶ Ἐνώπιον πάντων, *in conspectu omnium*] Exemplum dans quod imitarentur. ¶ Καὶ κλάσας, *& cùm fregisset*] ut Matth 14. 19. & 15. 36. Marci 8. 6, 19. Luc. 24. 30. ¶ Ἤρξατο ἐσθίειν. *cepit manducare*] Id est, *edit*, ut supra 1. 1.

36 Εὔθυμοι δὲ γενόμενοι πάντες, *Animæquiores autem facti omnes*] Ex ista tam seria Pauli, viri non levis, asseveratione.

37. Αἱ πᾶσαι ψυχαί, *universæ animæ*] *Personæ*, ut supra 2. 41. & hoc capite v. 10, 22.

38. Κορεσθέντες δὲ τροφῆς, *Et satiati cibo*] Id est,

Postquam exempta fames epulis, ——

ut Virgilius loquitur. ¶ Ἐκούφιζον τὸ πλοῖον, *alleviabant navem*] *Levârunt navem*, ut loquuntur Paulus Iurisconsultus & Callistratus. ¶ Ἐκβαλλόμενοι τὸν σῖτον, *jactantes triticum*] *Iactando cibaria.* Nam & hoc fieri solet. Vide L. si laborante. §. cùm in eadem. D. ad L. Rhodiam. Hic tertius fuit jactus, ut modò observavimus.

39. Τὴν γῆν οὐκ ἐπεγίνωσκον. *terram non agnoscebant*] Nesciebant terra esset continens, an insula, & quæ. ¶ Κόλπον δέ τινα κατενόουν, *sinum verò quendam considerabant*,] Id est, *conspexere*, ut supra 7. 31. κόλπος Græcè, Latinè *sinus*, modò de terra, modò de mari dicitur, ut hic. Distinguitur enim à *littore*. ¶ Ἔχοντα αἰγιαλόν, *habentem littus*] Non frustra hoc additur. Sunt enim sinus quidam maris qui littus non habent, sed præruptis rupibus cinguntur. ¶ Ἐξῶσαι τὸ πλοῖον *ejicere navem*] *Appellere.* Vtitur sic Thucydides.

40. Καὶ τὰς ἀγκύρας περιελόντες, *Et cùm anchoras sustulissent*] Id est, *anchoris undique sublatis.* Id verò ideo dixit, quia plures erant, supra v. 29. Volebant vento uti, quod non poterant nisi sublatis anchoris. ¶ Εἴων εἰς τὴν θάλασσαν, *committebant se mari*] Est brevis locutio pro εἴων τὸ πλοῖον ἰέναι εἰς τὴν θάλασσαν, *siverunt navem ire in mare*, illud scilicet quod inter locum in quo defixa fuerat navis & littus intererat. ¶ Ἅμα ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων. *simul laxantes juncturas gubernaculorum*] In antiquis navibus bina erant gubernacula, suum cuique lateri, ut ostendimus in imaginibus Arateis. Cratinus Ὀδυσσεῦσιν Ὡς ἂν μᾶλλον τοῖς πηδαλίοις ἡ ναῦς ἡμῖν πειθαρχῇ [*Ulyssibus: quò magis nostra navis gubernaculis obediat.*] Ea gubernacula vinculis quibusdam annectebantur navi, quas hic Græcè Lucas ζευκτηρίας vocat, Latinus *juncturas*, quomodo in Glossario ζεῦξις, *Iunctura.* Cùm laxantur ea vincula, tunc gubernacula multum in aquas descendunt & pondere suo navem retinent, quominus à ventis evertatur. ¶ Καὶ ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα τῇ πνεούσῃ, *& levato artemone secundùm auram flantem*] *Artemonem* vocat hic Lucas ἀπὸ τοῦ ἀρτᾶσθαι [*à suspendendo*] velum illud proræ proximum, quod *dolona* Pollux vocat; & Livius duobus locis. *Artemo adjectamentum potius quam pars navis est*, ait Iavolenus L. Malum. D. de verborum signif. Eo uti solent nautæ ubi metuunt ne vela majora plus satis venti concipiant navemque nimis urgeant. Erat autem id hic eò magis necessarium quòd arborem dejectam jam supra audivimus. Ad illud πνεούσῃ [*flanti*] subintelligi putem αὔρᾳ [*auræ*] vel πνοῇ; nec magis mirum dici πνοὴν πνεῖν [*flare flatum*,] quàm πλοῖον πλεῖν [*navigare navem.*] ¶ Κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν. *tendebant ad littus* Κατέχειν pro *tendere* usurpant & Herodotus & Plutarchus,

41. Εἰς τόπον διθάλασσον, *in locum dithalassum*] *Tæniam* intelligit, quales multæ solent esse non procul à littore ita tamen ut inter eas & littus mare interluat. ¶ Ἐπώκειλαν τὴν ναῦν *impegerunt navem*] Bene Latinus, *impegit.* Sic Lucanus,

—— —— *Laborque*
Fortuna, quod te nostris impegit arenis.

¶ Καὶ ἡ μὲν πρῶρα ἐρείσασα, *& prora quidem fixa*] *Cùm hæsisset in tænia.* ¶ Ἔμεινεν ἀσάλευτος, *manebat immobilis*] *Mansit inconcussa.* Ἐσάλευσεν αὐτοὺς ὡς κῦμα θαλάσσης [*commovit illos quasi fluctus maris*,] Sirach. 29. 24. ¶ Ἡ δὲ πρύμνα ἐλύετο, *puppis verò solvebatur*] *Dissoluta est à fluctibus puppis*, quia in terram subvehi non poterat. Simile de Argo canit Lucanus,

Rapta puppe minor subducta est montibus Argo.

42. Τῶν δὲ στρατιωτῶν βουλὴ ἐγένετο, *Militum autem consilium fuit*] Βουλὴν dicit *voluntatem*, quod statim βούλημα. Sic & bello captos in simili periculo trucidatos sæpe legimus. ¶ Μή τις ἐκκολυμβήσας, *ne quis cùm enatâsset*] Nempe è navi in littus non longè absitum.

43. Βουλόμενος διασῶσαι τὸν Παῦλον, *volens servare Paulum*] Ut civem Romanum. ¶ Τοὺς δυναμένους κολυμβᾶν, *qui possent natare*] Ut nautas, & si qui alii nare didicerant. ¶ Ἀπορρίψαντας πρώτους, *emittere primos*] Dejectis è navi in mare corporibus. ¶ Ἐξιέναι *exire*] *Exire è mari in littus.*

44. Οὓς μὲν ἐπὶ σανίσιν, *alios in tabulis*] Cicero 2. Officiorum, *Si tabulam de naufragio arripuerit.* & ad Atticum, *Hac una me ex hoc naufragio tabula delectat.* ¶ Ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου. *super ea quæ de navi erant*] Putà remis arreptis.

Ὁ δεύτερος πλοῦς ἐστι δήπου λεγόμενος,
Ἂν νηὸς ἀποτύχῃ τις, ἐν κώπαισι πλεῖν
[*Secunda quæ vocatur navigatio,*
Est fractâ nave, tabulâ arreptâ evadere.]

P R I C Æ U S.

Com. 1. Ἐκρίθη] Hesychius, ex hoc loco, Ἐκρίθη, ὡρίσθη.

Com. 2. Ὄντος σὺν ἡμῖν, &c.] Vulgat. *perseverante nobiscum*; legit nempe μένοντος.

Com. 3 Ἐπέτρεψε πρὸς τοὺς φίλους πορευθέντα, ἐπιμελείας τυχεῖν] i. πορεύεσθαι ἵνα ἐπιμελείας τύχῃ. Vide suprà ad 24. 23. notata.

Com. 6. Πλοῖον Ἀλεξανδρῖνον πλέον εἰς τὴν Ἰταλίαν] Cum onere frumenti: infra com. 38. Vide omnino l. 6. Cod. de Navicul. & Naucler.

Com. 7. Βραδυπλοοῦντες] Non ob oneris magnitudinem, ut accepit Syrus: sed ob ventos adversos, (suprà com. 4.) & spatium maris tantillum tot diebus emensum. Nec mirum hoc eos queri qui sinus obliquabant, cùm qui ferentibus utuntur ventis se satis demoratos putent. *Navigantibus etiam cita navigatio tarda videtur*, inquit Servius ad Æneid. 5.

Ibid. Μόλις τε παραλεγόμενοι αὐτὴν] Παραλέγεσθαι est vox nautica. Æneid. 3.

——Crebris legimus freta concita terris.

Ubi Servius, *Præterimus, tractus autem sermo à nautis: quòd funem legendo, id est, colligendo, aspera loca prætereunt.* μόλις difficultatem innuit, ut bene hic Viri summi adnotarunt. Excellenter autem (quod eosdem præteriit) in naufragiis & discriminibus marinis ea vox ponitur. Plutarchus in de Mul. virtut. Περὶ τὸν Θύμβριν ποταμὸν ὅρμοις καὶ ναυλόχοις ἀναγκαίως μόλις ὑποδραμόντες, &c. quod & pluribus σὺν Θεῷ monstrabimus ad ea 2. Milel. *Et nos omnibus amissis, vix enatavimus.* Vide interim Euripidis locum infrà ad 44. adductum.

Com. 9. Καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι] Atque ità Octobris mense currente vel ingruente. Vide quæ hîc aliis notata, & adde hæc Philostrati 4. 4. Μετόπωρον ἤδη ἐτύγχανε καὶ ἡ θάλαττα ἧττον βεβαία.

Com. 11. Τῷ κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ] Plutarchus in Convivio, Πυθόμενοι τοῦ τε ναυκλήρου τοὔνομα, καὶ τοῦ κυβερνήτου. In navibus major horum cæteris autoritas erat. Artemidorus 1. 37. officiorum nauticorum gradus enumerans, Ἄρχει, &c. πρωρεὺς ὁ κυβερνήτης, κυβερνήτου δὲ ὁ ναύκληρος. His, ut in arte sua versantibus, Centurio heic auscultandum censuit; Pauli tanquam inepta suggerentis verba surdâ aure præterivit.

Com. 12. Ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν, &c.] Hesychius, Ἀνευθέτου, ἀχρήστου. fortasse ex hoc Lucæ loco. Illa πρὸς παραχειμασίαν mirabile est tanto à magnis Viris consensu exponi, *ad tempestatem vitandam*: cùm tardæ minúsque tutæ navigationis quidem, at nondum ulla hîc mentio tempestatis appareat. Satisfecerunt mihi Vetus cum recentiore, qui *ad hiemandum*, vel *hibernandum*. Glossæ, Παραχειμάζω, *hiberno*. Παραχειμασία, *hiematio*, *hibernium*. Aliud Glossarium, *Hiemo*, παραχειμάζω· Virgil. 4. *Hibernam Lyciam*: ubi Servius, *Non asperam, sed aptam hiemare cupientibus.* Vide & infrà 28. 11.

Ibid. Ἔθεντο βουλὴν] Vetus, *statuerunt consilium*: Recentior *plerique consulti decreverunt*: molestè. Videtur Latinismus. Vertas ad verbum ex Petronio, *consilium posuerunt*.

Ibid. Βλέποντα κατὰ Λίβα, &c.] Et hoc bene Græcè dictum. Herodian. Ἀπὸ τῆς Ἀρκτῴας θαλάσσης ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν βλέπουσαν. Idem lib. 6. Πρὸς τὰ Ἀρκτῷα μέρη τῆς βαρβάρου γῆς βλέπουσαν.

Com. 13. Ὑποπνεύσαντος δὲ [illegible]ότου] Leniter spirante. Talem lenitudinem sic Seneca expressit,

— Aura primò lenis impellit rates
Allapsa velis: unda vix tactu levis
Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit.

Apud Juvenalem est

—— Medicâ non multùm fortior aurâ
Ventus——

Hesychius (ex Hesiodo, cujus versus infrà adducemus) Ὑγρὸν ἀέντων, μαλακῶς πνεόντων. Virgilius,

——Lenis crepitans vocat Auster in altum.

Cato apud Charisium, *Indè omnem classem ventus Auster lenis fert.*

Com. 14. Ἄνεμος Τυφωνικὸς] Pollux 1. 9. § 17. Ἄνεμος βίαιος, σκληρὸς, Τύφων. Hesiodus Theogoniâ,

Ἐκ δὲ Τυφωέος ἔσ᾽ ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων.

Ibid. Καλούμενος Εὐροκλύδων] Quæ afferuntur pro Εὐρακύλων sunt quidem probabilia: non alteram tamen nisi deliberatò sperni lectionem velim. Gellius 1. 22. *Sunt porrò alia quædam nomina* (de ventis agit) *quæ incolæ in suis quisque regionibus fecerunt, aut ex locorum vocabulis in quibus colunt, aut ex aliqua causa quæ ad faciendum vocabulum acciderat.* Ad quæ postrema referri potest Εὐροκλύδων iste, à magnis, quos ciere fluctus solebat, ità, ut videtur, vocatus: nec tamen eos audio qui Εὐρυκλύδων legunt. Virgilius,

Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Aristides Ἱερ. λόγ. 2. Αὖρά τις ὑπῆρχετο, καὶ περαιτέρω προϊόντων Εὖρος ἤδη λαμπρὸς, καὶ τέλος ἐξερράγη πνεῦμα ἐξαίσιον id est, ut hoc loco, τυφωνικὸς ἄνεμος.

Com. 15. Συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου] Circumactâ, vel circumtortâ, nave procellæ vi: id puto hic valere verbum συναρπάζεσθαι. Artemidorus 2. 2. χειμῶνι βιαίῳ τῆς νεὼς συσχεθείσης dixit. Petronius, *Sed nec certos fluctus ventus impulerat, nec quò destinaret cursum gubernator sciebat. Siciliam modò ventus dabat, sæpissimè Italici littoris Aquilo possessor convertebat huc illuc obnoxiam ratem*: id est, συνήρπαζεν. nec ventis tantùm, sed & vorticibus vim vocis hujus attributam videas. Curtius lib. 9. *Ipse Rex in rapidissimos vortices incidit, quibus intorta navis, obliqua, & gubernaculi impatiens agebatur.* Virgilius,

——Illum ter fluctus ibidem
Torquet agens circùm, & rapidus vorat æquore vertex.

Petronius, *At illum vociferantem in mare ventus excussit, repetitùmque infesto gurgite procella circumegit atque hausit.*

Ibid. Καὶ μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ] Optimè vertebat ille qui *obniti* vertebat, Virgilius,

Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aer:
Nec nos obniti contrà, nec tendere tantum
Sufficimus.——

Lucretius de Epicuro & religione loquens,

Primùm Graius homo mortales tollere contrà
Est oculos ausus, primúsque obsistere contrà.

id est, ἀντοφθαλμεῖν ἐτόλμησε. De figurato istius vocis usu multa alii notarunt: quibus adde Sirachidis ista 19. 5. Ὁ ἀντοφθαλμῶν ἡδοναῖς, στεφανοῖ τὴν ζωὴν αὐτοῦ· quam veram cum Viro summo lectionem etiam nos putamus: est enim quod Horatius *cupidinibus responsare* dixit, & Josephus Antiquit. 6. παθήμασιν ἀντιβλέψαι.

Ibid. ἐπιδόντες ἐφερόμεθα] Nave flatibus permissâ ferebamur,

Incerti quò fata ferant, ubi sistere detur.

Plinius in Panegyr. *Delatorum classis permissa omnibus ventis, coactáque vela tempestatibus pandere, iratósque fluctus sequi, quoscunque in scopulos detulissent.* Sic *navem tempestati permittere*, Seneca cap. 6. ad Marciam, quod Heliodori 1. ἐπιτρέπειν & ἐνδιδόναι. Τοῦ κυβερνήτου πρὸς τὸ ὑπερβάλλον κακοῦ ἐνδόντος, &c. καὶ τῇ Τύχῃ κυβερνᾷν ἐπιτρέψαντος. Virgil. simili descriptione,

——Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quáque vocat vertamus iter.

Lucanus,

———Victus violento navita Coro
Dat regimen ventis, ignavúmque arte relictâ
Puppis onus trahitur.———

Statius,

————Tunc arte relictâ
Ingemit, & cæcas sequitur jam nescius undas.

Seneca Agamem.

Nil ratio & usus audet, ars cessit malis:
Tenet horror artus, omnis officio stupet
Navita relicto; remus effugit manus.
In vota miseros ultimus cogit timor.

Com.

Com. 16. Νησίον δέ τι περιδραμόντες] Plutarchus hanc vocem dativo junxit: verba ejus suprà ad com. 7. adduximus.

Ibid. Μόλις ἰσχύσαμεν περικρατεῖς γενέσθαι τῆς σκάφης] Redigere eam in potestatem nostram. Simili sensu περικρατῆσαί τινος Simplicius in cap. 17. Epicteti. μόλις, difficulter, non sine multo labore. Maximus Tyrius, Μόγις, καὶ μετὰ πραγμάτων, σὺν πολλῷ καὶ ἱδρῶτι. Vide suprà ad com. 7. dicta.

Com. 17. Βοηθείαις ἐχρῶντο, ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον] Apollonius Argon. 1.

> Νῆα δ' ἐπικρατέως Ἄργου, ὑποθημοσύνῃσιν
> Ἔζωσαν πάμπρωτον ἐϋστρεφεῖ ἔνδοθεν ὅπλῳ
> Τεινάμενοι ἑκάτερθεν, ἵν' εὖ ἀραροίατο γόμφοις
> Δούρατα, καὶ ῥοθίοιο βίην ἔχοι ἀντιόωσαν.

ubi pro ἔνδοθεν puto ἔξωθεν legendum. Funes huic usui aptatos Græci ζωμεύματα dixere. Hesychius, Ζωμεύματα, ὑποζώματα, σχοινία κατὰ μέσην τὴν ναῦν δεσμευόμενα. Glossæ, Ὑπόζωμα, *succinctum*. Illa βοηθείαις ἐχρῶντο, non ad ἣν ἄραντες, sed ad sequentia retulerim.

Ibid. Μὴ εἰς τὴν Σύρτιν ἐκπέσωσι] Sic infrà 26, & 29. Sic & Euripides vocem ἐκπίπτειν posuit,

> Λιβύης ἀλιμένοις ἐκπεσόντα πρὸς πέτραις.

Ibid. Χαλάσαντες τὸ σκεῦος] Verum est evadendis procellis cædi malos, vel dejici solere. Lucanus,

> *—— Quæcunque levata*
> *Arboribus cæsis flatum effugêre prementem.*

At vix est eo sensu ut alibi χαλᾶν occurrat: cum iis ergò sentimus qui *demisso* vertebant. Euripides,

> Καὶ ναῦς γὰρ ἐνταθεῖσα πρὸς βίαν ποδὶ
> Ἔβαψεν, ἔστη δ' αὖθις ἢν χαλᾷ πόδα·

nec aliter hîc Theophylactus. Sic infrà com. 30. χαλάσαντων τὴν σκάφην. Iidem rectè etiam, ut arbitror, illud σκεῦος non malum, sed cum appenso velo antemnam interpretantur. Ovidius,

> *Effugit hibernas demissa antemna procellas.*

Seneca, *Quoties ventus increbuit, majórque est quàm expedit, antemna demittitur. Vela tempestati subducere*, apud Petronium habemus.

Com. 18. Χειμαζομένων ἡμῶν] Vexatis jactatisque: sic ναῦτας χειμαζομένας etiam Lucianus dixit.

Ibid. Ἐκβολὴν ἐποιοῦντο] Juvenalis,

> *—— Decidere jactu*
> *Cœpit cum ventis. ——*

Scholiastes, *De periculo & de vita cœpit pacisci cum ventis: & jacturam mercium facere.* Adde Prisciani locum infrà ad 21. adductum. Achilles Tatius 3. Ὁ κυβερνήτης ἐκέλευε ῥίπτειν τὸν φόρτον, διάκρισις δὲ οὐκ ἦν ἀργύρου ἢ χρυσοῦ πρὸς ἄλλο τι τῶν εὐτελῶν, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως ἠκοντίζομεν.

> *Fundite quæ mea sunt dicebat cuncta Catullus,*
> *Præcipitare volens etiam pulcerrima. ——*

Juvenalis citato loco. Est hæc inter ex voluntario & involuntario mixtas actiones. Videndus 3. 1. §. 3. Nicomacheorum. Interpres: qui inter alia & hæc habet, Τοῦτο ποιοῦσιν ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ αὐτῶν καὶ τῶν συμπλεόντων οἵ γε νοῦν ἔχοντες.

Com. 19. Αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐῤῥίψαμεν] Hinc ἀποσκευάζεσθαι. Suidas, Ἀποσκευάζεσθαι, ἀποτιθέμενοι βάρος, καὶ ἀποβαλόντες ἐκ μεταφορᾶς τῶν διὰ τὴν ζάλην τῆς θαλάσσης ναυτῶν τὰ σκεύη τῆς νεὼς ἀποβαλλόντων. Ait Lucas αὐτόχειρες. Achilles Tatius ubi suprà, Πολλοὶ δὲ καὶ τῶν ἐμπόρων, αὐτοὶ τῶν οἰκείων λαμβάνοντες, ἐν οἷς εἶχον τὰς ἐλπίδας, ὤθουν ἐπειγόμενοι

Com. 20. Μήτε ἡλίου, μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων] Virgilius tempestatem describens,

> *Nam nec erant astrorum ignes, nec lucidus æthrâ*
> *Sidereâ polus, obscuro sed nubila cœlo.*

Ovidius Metam. 11. in re simili,

> *—— Caret ignibus æther,*
> *Cæcáque nox premitur tenebris hiemísque suisque.*

Et pòst,

> *—— Inductâ piceis è nubibus umbrâ*
> *Omne latet cœlum, duplicatáque noctis imago est.*

Ibid. Χειμῶνός τε οὐκ ὀλίγου ἐπικειμένου] Plutarchus Apophthegm. Reg. Μεγάλου δὲ τοῦ χειμῶνος γενομένου & ibid. τοῦ χειμῶνος ἰσχυροῦ γενομένου. Artemidorus jam suprà adductus, χειμῶνι βιαίῳ τῆς νεὼς συσχεθείσης. Glossæ, χειμὼν γνοφώδης καὶ μέγας, *tempestas*. Virgilius 3.

> *—— Inhorruit unda tenebris,*
> *Noctem hiemémque ferens. ——*

Ubi Servius, *Hiemem Græcè dixit, nam χειμὼν etiam tempestas à Græcis dicitur.* Idem ad Æn. 1. *Hiems duas res significat: aut tempus,* (malim *tempus anni*) *aut vim venti, per quam tempestas oritur.* Ἐπίκεισθαι bene vertunt *incumbere*. Boetius Consolat. l. 2. *Nec ubi nimium valida tempestas incubuit. Flatum prementem* Ovidius paulò antè adductus dixit: potes *& urgente*. Glossæ, Urget, ἐπείγει, κατασπεύδει, ἐπίκειται.

Com. 21. Ἔδει μέν, ὦ ἄνδρες, πειθαρχήσαντάς μοι, &c.] Æneid. 11.

> *Antè equidem summa de re statuisse Latini,*
> *Et vellem, & fuerat melius. ——*

Ubi Servius, *Compendiosa locutio, cùm querimur non esse factum quod fieri debuit.*

Ibid. Κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν] Vertit Recentior *vitare*: quod nil opus, cùm adeò eruditè Vetus *lucrifacere* dixerit. Valerian. Cimeliensis, *Minoris rixæ lucrum facite, qui manus suas alio f.riente continuit.* Apuleius 8. *Sed quid morâ temporis dignum cruciatum lucraris? &c.* Himerius in Polemarchico, Οἱ μὲν ἄλλοι σύμπαντες τοσοῦτον ἐν τοῖς δεινοῖς κερδαίνειν ᾤοντο, ὅσον ἀπελθεῖν Πέρσας τῶν πόλεων. Ità in Photii συναγωγῇ, & Stephani editione: at in codice MS. Augustano (cujus penes me apographum est, non hujus, sed & aliarum ejusdem μελετῶν tertiâ plus parte auctius) legitur, τοσοῦτον ἐπὶ τὰ δεινὰ κερδαίνειν ᾤοντο. Legerim, (extrito τῷ ἐπὶ) τοσοῦτον τὰ δεινὰ κερδαίνειν, &c. Causam locutionis jam alii explicarunt. Erasmus qui *accersere* vertebat, negantemque particulam repetebat, videtur plus æquo suo arbitrio indulsisse. Ζημία hîc est mercium & rerum pretiosarum damnum. Theodorus Priscianus, *Naves pressa onere, cùm gravi tempestate jactantur, solum habent ex damno remedium.* ὕβρις, tempestatis incommoda & injurias notat. Sic in Pollucis Onomastico ὑβριστὴς ἄνεμος & apud Cæsarem, si rectè memini, *ventorum contumelia*.

Com. 22. Παραινῶ ὑμᾶς εὐθυμεῖν] De seipso Nicolaus Damascenus, Ὅτε κίνδυνος καταλάβοι ἐκ πολεμίων ἢ λῃστῶν, ἢ διὰ νόσον, ἢ χειμῶνα κατὰ θάλατταν, ἢ ἄλλως πως, ὅτι σφόδρα εὔψυχος ἦν, ὥστε καὶ τοῖς ἄλλοις ἀεὶ θάρσειν παρεῖχεν, ὁπόσοι κοινωνοὶ ἦσαν αὐτῷ τοῦ κινδύνου.

Ibid. Ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς οὐδεμία ἔσται] Quasi diceret, Αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν ἠρίθμηνται· μὴ οὖν φοβεῖσθε, Luc. 12. 7. vide & infrà com. 4. Tutò autem affirmare hoc poterat qui Angelum sponsorem habuit, infrà com. 24. Augustinus de matre sua Confess. 6. 1. *Per marina discrimina ipsos nautas consolabatur, à quibus rudes abyssi viatores consolari solent, pollicens iis perventionem cum salute, quia hoc ei tu (Deus) per somnium pollicitus eras.*

Ibid. οὗ εἰμι] Psalmista 119. 94. Σός εἰμι ἐγώ. Vide & Esaiæ 44. 5. Philip. 4. 19. 1 Cor. 6. 20. Lactantius 1. 11. *Per quem sumus, & cujus toti sumus.* Minucius de Christiano, *Libertatem suam adversùs Reges & Principes erigit: soli Deo, cujus est, cedit.* Tertullianus Apologetico, *Omnium Deus est; cujus, velimus aut nolimus omnes sumus:* κατὰ φύσιν, vel κατὰ κτῆσιν nempe, etiamsi nolimus: sic verba intelligenda illa. At Paulus προαιρέσει etiam se Dei profitetur: subdit enim, ᾧ καὶ λατρεύω. Theophylactus ad Luc. 12. Δύο τρόποι εἰσὶ καθ' οὓς βασιλεύει τῶν πάντων ὁ θεός· ὁ μὲν καὶ μὴ βουλομένων, ὁ δὲ βουλομένων. οἷόν τι λέγω, δεσπότης ἐστὶν ἐμοῦ κἂν μὴ θέλω, καθὸ δημιουργός μου ἐστίν· ἔστι δὲ καὶ δεσπότης ἐμὸς πάλιν, ὅταν διὰ τῆς τῶν ἐντολῶν ἐργασίας τὸ θέλημα αὐτοῦ πληρῶ ὡς δοῦλος εὐγνώμων. Similia ad 1 Tim. 6. 11. Theodoretus, atque idem Theophylactus.

Ibid. ᾧ καὶ λατρεύω] 2 Tim. 1. 3. ᾧ ἀπὸ προγόνων λατρεύω· & Rom. 1. 9. ᾧ ἐν τῷ πνεύματί μου λατρεύω.

Com. 24. Κεχάρισταί σοι ὁ θεὸς πάντας τοὺς πλέοντας μετὰ σοῦ] *Tibi donat*, id est, propter te salvos facit. Salvianus de Deo & urbe Ninives, *Declarans scilicet propter sinceritatem innocentium se etiam culpis nocentium pepercisse.* Lactantius 5. 18. *Non*

Non potest fieri quin hominem justum inter discrimina tempestatum atque bellorum cœlestis tutela custodiat: ac non, etiamsi cum parricidis ac nocentibus naviget, aut malis quoque parcatur, ut una justa & innocens anima liberetur, aut certè pereuntibus cæteris sola servetur. Philostratus 4. 4. χειμῶνος καὶ πυρὸς, καὶ τῶν χαλεπωτάτων κρείττω τὸν ἄνδρα (Apollonium) ἡγούμενοι, ξυνεμβαίνειν ἤθελον, καὶ ἐδέοντο προσδοῦναί σφισι τῆς κοινωνίας τῦ πλοίυ.

Com. 25. Πιςεύω γὰρ τῷ Θεῷ ὅτι ὕτως ἔςαι καθ' ὃν τρόπον λελάληταί μοι) Ità accepi enim ab ore nuncii ejus, cujus nuda promissa humanis omnibus juramentis certiora. Philo in de Caino & Abele, Τοῦ πιςευθῆναι χάριν ἀπιςύμενοι καταφεύγουσιν ἐπ' ὅρκον οἱ ἄνθρωποι· ὁ δὲ θεὸς καὶ λέγων πιςός ἐςι. Luc. 1. 45. Μακαρία ἡ πιςεύσασα, ὅτι ἔςαι τελείωσις αὐτῇ παρὰ Κυρίυ. Rom. 4. 20, 21. de Abrahamo, Ἐδυναμώθη τῇ πίςει, &c. πληροφορηθεὶς ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐςι καὶ ποιῆσαι. Vide & Joh. 4. 50. item 2 Tim. 1. 12. Apud Heliodorum 2. Ταῦτα μὲν ὕτως ἔςαι, καὶ χρὴ πιςεύειν.

Com. 27. Διαφερομένων ἡμῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ) Huc illuc jactatis nobis. Sic ἐλαύνεσθαι καὶ διαφέρεσθαι Plutarchus in de Fortuna junxit. Suprà 13. 49. hanc eandem vocem affini significatione habuimus.

Ibid. Ὑπενόουν οἱ ναῦται προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν) Non levè tali in discrimine solatium. Plautus Menæchm.

> *Nulla est voluptas navitis, Messenio,*
> *Major, meo animo, quàm quando ex alto procul*
> *Terram conspiciunt.* ——

Vide & Artemidorum infrà ad com. 39. adducendum. Locutionem προσάγειν, &c. bene observavit recentior Interpres. Achilles Tatius 2. Γῆν ἑωρῶμεν ἀπὸ τῆς νεὼς κατὰ μικρὸν ἀναχωρῦσαν, ὡς αὐτὴν πλέουσαν. Simplicius in cap. 38. Epicteti, Οἱ πέτρας τινὸς παραλίας κάλων ἐξάψαντες, καὶ τῦ ἐκείνου ἐπισπᾶσθαι ἑαυτύς τε καὶ τὸ ἀκάτιον τῇ πέτρᾳ προσάγοντες, δι' ἀπειρίαν ὑ δοκῦσιν αὐτοὶ τῇ πέτρᾳ προσιέναι, ἀλλὰ τὴν πέτραν κατ' ὀλίγον ἐπ' αὐτὺς ἰέναι. Lucretius,

> *Quâ vehimur navis, fertur cùm stare videtur:*
> *Quæ manet in statione, ea præter creditur ire.*
> *Et fugere ad puppim colles campique videntur,*
> *Quos agimus præter navim ventisque volamus.*

Virgilius 2.

> *Quarto terra die primùm se attollere contrà*
> *Visa.* ——

Ubi Servius, *Quoties propinquamus litoribus, terra exsurgere videtur.* Et alibi.

> ——*Quanquam secreta parentis*
> *Anchisæ domus, arboribusque obtecta recessit.*

Servius, *Speciosa translatio, quoties rei mobilis ad immobilem, vel è contra, officium transfertur.*

Com. 29. Ῥίψαντες ἀγκύρας]

> —— *Nam sine funibus*
> *Vix durare carinæ*
> *Possunt imperiosius*
> *Æquor.* ——

Apud Hesychium in Ἐπίσπειρον σχοινίον; Ἐν χειμῶσι τοῖς σχοινίοις πιςεύυσιν id est, anchoris, quæ funibus alligatæ: vel saltem saxis littoralibus, quibus funes alligati.

Ibid. τέσσαρας] Pindarus Olymp. 6.

> Ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς
> ἐκ ναὸς ἀπεσκίμφθαι δύ' ἄγκυραι.

Gravis itaque oportet tempestas fuerit quæ vel quatuor exposcebat. Cæsar Civil. 1. *Has quaternis anchoris ex quatuor angulis distinebant, nè fluctibus moverentur.*

Ibid. Ηὔχοντο ἡμέραν γενέσθαι] Lux quovis malo conflictantibus optatissima. Suetonius de Caligula, *Nunc toro residens, nunc per longissimas porticus vagus, invocare identidem, atque exspectare lucem consueverat.* Curtius lib. 5. *Exspectata lux omnia quæ terribiliora nox fecerat, minuit.* Sed præcipuè ad hunc locum pertinent Germanici in Arateis ista,

> *Et cùm terrores auget nox atra marinos:*
> *Multùm clamatos frustra spectaveris ortus.*

Com. 30. Τῶν δὲ ναυτῶν ζητύντων φυγεῖν ἐκ τῦ πλοίυ, καὶ χαλασάντων τὴν σκάφην, &c. Achilles Tatius, Ὁ κυβερνήτης ἀπειπὼν, ῥίπτει μὲν τὰ πηδάλια τῶν χειρῶν, ἀφίησι δὲ τὸ σκάφος τῇ θαλάσσῃ, &c.) καὶ τοῖς ναύταις ἐμβαίνειν κελεύσας, τῆς ἀποβάθρας ἦρχεν, &c. Plautus, *De navi timidæ desiluerunt in scapham.* Auctor ad Herennium 1. *Magnitudine tempestatis omnes perterriti, navim reliquerunt, & in scapham conscenderunt.*

Ibid. Προφάσει ὡς ἐκ πρώρας, &c.] Sic 2. Maccab. 3. 8. Τῇ ἐμφάσει ὡς κατὰ κοίλην Συρίαν ἐφοδεύσων, &c. Sic προφάσει, ταῖς ἀληθείαις oppositum, apud Plutarchum in Lacon. Apophtheg. Glossæ, *Sub prætextu*, ἐπὶ προσχήματι.

Com. 32. Ἀπέκοψαν τὰ σχοινία τῆς σκάφης] Petronio, *funis qui scaphæ custodiam tenet.* Achilles Tatius, Οἱ μὲν ἐπιβάντες ἤδη, τὸν κάλων ἔκοπτον ὃς συνέδει τὴν ἐφολκίδα τῷ σκάφει. Describitur hic urgens, & non leve discrimen. Apud Virgil.

> *Festinate viri, tortósque incidites funes.*

Com. 33. Τεσσαρεσκαιδεκάτην σήμερον ἡμέραν ἄσιτοι διατελεῖτε, μηδὲν προσλαβόμενοι] Pomponius apud A. Gellium, *Dies hic sextus cùm nihil edi.* At hic μηδὲν est, *ferè nihil quidquam.* Hesychius, Ὀλίγον, μικρὸν, ἢ ὐδέν ubi forsan ὐ ὡς ὐδὲν legendum. Sic 40. 7. Sirachidis, ὀλίγον, ὡς ὐδέν. Communem tamen lectionem hæc Lucæ defendunt. Sic suprà 17. 21. ὐδὲν occurrit: & Matth. 9. 16. ὐδείς. Sic Matth. 25. 29. ἀπὸ τῦ μὴ ἔχοντος, *ab eo qui parùm admodum*, vel, *ferè nil, habet*: & Matth. 11. 28. de Joanne Baptista, ὕτε φαγὼν, &c. id est, *parcè tenuitérque*; ut ex Matth. 3. 3. apparet. Ἄσιτοι διατελεῖτε dixit Lucas autem satis ex usu linguæ istius. Ità ἀγρυπνῶν διετέλεσα, Var. lib. 3. apud Ælianum: & διετέλεσεν ἄνοσος, Ejusdem 10.

Com. 34. Παρακαλῶ ὑμᾶς προσλαβεῖν τροφῆς· τῦτο γὰρ πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὑπάρχει] Quasi dicat,

> *Deficient inopes venæ vos, ni cibus atque*
> *Accedat major stomacho fultura ruenti.*

Lucretius.

> ——*Capitur cibus ut suffulciat artus,*
> *Et recreet vires interdatus* —— lib. 4.

Corippus lib. 2.

> *Venter alit corpus: fueris si venter inanis,*
> *Omnia deficiunt: tenuantur robore membra,*
> *Et contracta rigent arentibus ossa medullis.*

σωτηρίας est ἰσχύος. Vide suprà 9. 19. & Judic. 19. 5. Illa τῦτο γὰρ, à Veteri, vel in exemplaribus quibus usus est, malè omissa puto. Scriptor ad Hebræos 13. 17. ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τῦτο. Homerus, etiam in rei cibariæ argumento, Iliad. τ'.

> Ἀλλὰ πάσασθαι ἄνωχθι θοῇς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιὺς
> Οἴνυ καὶ σίτοιο· τὸ γὰρ μένος ἐςὶ ἀλκή.

Sunt verba Ulyssis ad Achillem, ad pugnam jejunos Græcos educere meditantem. Dixisset Lucas, τὸ γὰρ πρὸς μένυς καὶ ἀλκῆς ἐςι.

Com. 36. Εὔθυμοι δὲ γενόμενοι, &c.]

> *His dictis curæ emotæ pulsúsque parumper*
> *Corde dolor tristi.* ——

Ubi ad rem de qua hîc agitur non malè Servius, *Paulatim lætari cœpit: spem enim solam, non præsens beneficium acceperat.* Εὔθυμοι γενόμενοι, ut apud Nicol. Damascenum de C. Cæsare, Octavio sanato, Ἀνακτησάμενος αὐτὸν, εὔθυμος ἐγένετο. In Excerpt. Dionys. Halic. μεςὸς εὐθυμίας. Vetus hîc *animæquiores.* Sic in Glossario. Εὔθυμος, *æquanimus.*

Ibid. Προσελάβοντο τροφῆς] Philostratus 7. 12. Οὕτω τοῖς ἐν δεσμωτηρίῳ τὰ ῥηθέντα (ab Apollonio nempe) μετέβαλεν ὡς σίτυ τε οἱ πολλοὶ ἅψασθαι, καὶ ἀπελθεῖν τῶν δακρύων. Multum hic

hic ex viso nocturno prolata Pauli verba effecerunt: nec nihil tamen latrantis stomachi instantia, & jugis ἀλογοσιτία. Rectè Petronius, *Nemo invitus audit cum cogitur aut cibum sumere, aut vivere.*

Com. 37. Ἦμεν δὲ ἐν τῷ πλοίῳ αἱ πᾶσαι ψυχαὶ ἑβδομήκοντα ἓξ] Achilles Tatius, (at de terrestri, non marino vehiculo) lib. 2. Ἦμεν δὲ οἱ πάντες, ἓξ

Com. 38. Κορεσθέντες δὲ τροφῆς] Lucretius 4.

> —— *Cibus atque humor membris adsumitur intus,*
> *Quæ quoniam certas possunt obsidere partes,*
> *Hoc facilè expletur laticum frugúmque cupido.*

Com. 39. Τὴν γῆν ἐκ ἐπεγίνωσκον) Id est, *non agnoscebant:* ità enim rectè versum putamus. Non agnoscebant, nempe nec quæ esset, nec quo nomine appellaretur; & hoc verum esse, ex cap. 28. 1. apparet. Apud Petronium, *Haud procul, &c. civitatem cernimus, nec quod esset sciebamus.*

Ibid. Κόλπον δέ τινα κατενόουν] Theophylactus ad Luc. 16. Κόλπους εἰώθαμεν λέγειν τοὺς λιμενοειδεῖς, καὶ ἀνακεντωρίους τόπους. Hesychius, Κόλπος, κοῖλος τόπος παραθαλάσσιος.

Ibid. Ἔχοντα αἰγιαλὸν, εἰς ὃν ἐβουλεύσαντο, εἰ δύναιντο, ἐξῶσαι τὸ πλοῖον] Artemidorus 2. 43. Οἱ ἐν μεγάλῳ χειμῶνι γενόμενοι, ἐπὰν ἴδωσιν αἰγιαλὸν, ἐν ὑψίςαις ἐλπίσι γίνονται σωτηρίας. Æneid. 1.

> —— *Quæ proxima littora cursu*
> *Contendunt petere.* ——

Ubi Servius, *Post periculum non eligitur littus, sed quodcumque occurrerit, occupatur.*

Com. 40. Τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων] Euripides ζεύγλας dixit,

> Πηδάλιά τε ζεύγλαις παρεμαθέτο.

Com. 41. Ἐπώκειλαν τὴν ναῦν] *Impegerunt*, ut Vetus: vel *detruserunt*, ut Apuleius. *Navis utroque regimine amisso, ægre ad ulterioris ripæ marginem detrusa*, Scholiastes ad Ranas Aristoph. Ὀκέλλει, ὃ ἐςι, προσορμίζει, ὡς ἐπὶ νεώς. Hesychius, Ὀκείλασαν, τὴν ἐποκείλασαν ναῦν. Idem, Ἐπώκειλεν, ἐκινέτευσεν. Iterum, Προσοκεῖλαι, προσορμῆσαι ἐπὶ τὴν γῆν.

Ibid. Καὶ ἡ μὲν πρῴρα ἐρείσασα ἔμεινεν ἀσάλευτος, ἡ δὲ πρύμνη ἐλύετο, &c.] Virgilius,

> —— *Illisáque prora pependit.*

Lucanus,

> —— *Dubióque obnoxia fato*
> *Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis:*

ubi *sedet* est quòd hic Lucas, ἀσάλευτος μένει. Glossæ, Ἀσάλευτος, *Immotus, inconcussus.*

Ibid. Ἐλύετο ὑπὸ τῆς βίας τῶν κυμάτων] Lucian. veræ histor. 2. χειμὼν σφοδρὸς ἐπιπεσὼν, καὶ προσαῤῥάξας τὸ σκάφος τῷ αἰγιαλῷ, διέλυσεν. Achilles Tatius lib. 3. Τὸ πλοῖον διαλύθη. Sic *solvi* Virgilius,

> —— *Infiicta vadis, dorso dum pendet iniquo,*
> *Anceps, sustentata diu, fluctúsque fatigat,*
> *Solvitur, atque viros mediis exponit in undis.*

Et apud Ciceronem 15. 11. ad Atticum, *dissolutum navigium.*

Com. 42. Τοὺς δεσμώτας] De quibus suprà com. 2.

Com. 43. Ἐκέλευσέ τε τοὺς δυναμένους κολυμβᾷν, ἀποῤῥίψαντας, &c.] Ut fragmina & reliquiæ navis iis qui natare non poterant præsidio essent.

Com. 44. Οὓς μὲν ἐπὶ σανίσιν] Aristophanes Ran. Πινακίδων ἀποτεῦν. Scholiastes, Ἀλλων σανίδων τῶν ἐκ νεὼς ἐν τρικυμίᾳ ἀπεστημένων. Guntherus,

> —— *Et tabulas videas per stagna natantes.*

D. Hieronymus, *Quid si nec sic pœnitentiam vult agere, & fracto navigio tabulam per quam [sanari poterat], non retentat, &c.* Salvianus 2 contra Avar. *Ut, &c. tantummodo tabulam cui inhærere adhuc quasi in medio mari naufragus possit, &c.*

Ibid. Ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τῦ πλοίου] Ovidius,

> —— *Alii partes & membra carinæ*
> *Trunca tenent.* ——

Euripides Helenâ,

> —— Ναῦς δὲ πρὸς πέτρας
> Πολλὰς ἀριθμὸς ἤγνυται ναυαγίων·
> Τρόπις δ' ἐλείφθη ποικίλων ἁρμοσμάτων,
> Ἐφ' ἧς ἐσώθην μόλις ἀνελπίςῳ τύχῃ.

Achilles Tatius ubi suprà, ξύλα ἀπεσφυγότα dixit. Guntherus loco jam dicto, *disjecta fragmina.* Post πλοίου, nè oratio elleiptica offendiculo sit, supplendum ex superiore commate, ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι.

Ibid. Διασωθῆναι ἐπὶ τὴν γῆν] Hâc ipsâ phrasi Plutarchus in Parallelis, Ἀπὸ πυργῶν ἑαυτὴν ἔῤῥιψεν, κολπωθείσης δὲ τῆς ἐσθῆτος, ἐπὶ τὴν γῆν διεσώθη. Suprà hîc 23. 24. πρὸς Φήλικα διασώσωσι. Et sæpe cum εἰς. Euripides Herc. fur.

> —— Ἐξέσωσάς μ' ἐς φάος νεκρῶν πάρα.

Diodorus in Excerptis, Διεσώθησαν εἰς τὴν Καρχηδόνα. Josephus Antiquit. 14. 25. εἰς Ῥόδον διασώζεται. Vide & 2 Tim. 4. 18. Simile 21. 24. in Euang. εἰς ἔθνη αἰχμαλωτίζεσθαι.

CAP. XXVIII.

VALLA.

1. *Militene insula vocabatur*] *Melita* est legendum, ut faciunt docti scriptores: & sic Græcè habet, Μελίτη: quam Homerus unam Nereidum esse vult. Quámque indigenæ meliùs, etsi barbari, *Maltam* vocant, quàm nostri vulgò literati *Melmetum*. ut in multis locorum aliorum nominibus fit; ut in *Genua*, quam literati *Januam*; & in *Comum*, quod iidem *Cumas*; & in *Barcelonam*, quam *Barchinonam* vocant.

7. *Qui nos suscipiens benignè, triduo exhibuit*] Gr. *benignè hospitium exhibuit*, sive *benignè in hospitio habuit*, sive *benignè hospitaliter habuit*, Φιλοφρόνως ἐξένισεν.

8. *Contigit autem patrem Publii febribus & dysenteriâ vexatum jacere*] Etsi *dysenteria* notum magis vocabulum est quam nostrum *tormina*, tamen ego maluissem dicere *torminibus*, δυσεντερίᾳ.

11. *Post menses autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hyemaverat, cui erat insigne castrorum*] Ἐν πλοίῳ Ἀλεξανδρίνῳ, ἐν τῇ νήσῳ παρακεχειμακότι, παρασήμῳ Διοσκούροις. Legendum *insigne Castorum*, qui Græcè dicuntur *Jovis liberi*, sive *Jovis filii*, sive *Jovis proles*, h. e. Castor & Pollux, quos aliquando, ut Servius Grammaticus ait, Latini appellarunt *Castores*. Erat autem id navis insigne, quòd Tyndaridæ, qui sunt Castor & Pollux, putabantur præesse tempestatibus. Unde cùm post tempestatem nubilo cœlo quædam in navibus lumina visuntur, putantur hi fratres adesse: quod testatur Seneca cùm ait quòd *nautæ putant tunc se juvari Pollucis & Castoris numine.* Et in Tragœdiis,

> *Non illic gemitum Tyndaridæ genus,*
> *Succurrunt timidis sidera navibus.*

14, 15. *Et sic venimus Romam: Et indè cùm audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum, & Tribus tabernis*] Meliùs in iis cod. ubi *Tres tabernas* legitur. Quia priùs nominatur *Roma* quàm *Appii forum*, quidam putant hoc forum esse intra urbem Romam, quod longiùs illinc est quàm Aricia: quod ostendit Horatius, dicens,

> *Egressum magnâ me excepit Aricia Româ,*
> —— *Indè Forum Appî*

Et alloquin historia indicat, in qua dicitur *ex urbe Roma fratres occurrisse*: & mox,

16. *Ut venimus autem Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.*] Græcè est, *Manere apud seipsum*, καθ' ἑαυτὸν, sive *per seipsum.*

26. *Vade ad populum istum, & dic ad eos, Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perspicietis.*] Græcè est, *Et non intelligatis* μὴ συνῆτε: &, *Non perspiciatis* οὐ μὴ ἴδητε.

REVIUS in VALLAM.

11. **E**N πλοίῳ] Hæc loco mota erant, sed nec ordo verborum planè idem cum nostris codd. licet idem sensus.

13. *Quia priùs nominatur*] Hæc ab interpunctis laborabant.

25. *Et non intelligatis*] De hoc in Matth. 13. 14.

ERASMUS.

1. **Q**Uia Mitylene insula vocabatur] Hugo Carrensis liberum nobis facit utrùm malimus *Militen* legere an *Miletum*: etiamsi sunt qui corruptiùs legunt *Mitilene*. Græci legunt *Melite*. Ea est insula inter Africam & Siciliam: unde *Melitæi* dicti canes in deliciis habiti. Cujus meminit Strabo l. 6. Ptolemæus Geogr. l. 4. *Melitam* recenset inter insulas Africæ; Plinius l. 3. c. 8. inter insulas Siculi maris. Quanquam est Mitylene Cappadociæ civitas, verùm hic insulam vocat.

2. *Reficiebant nos omnes*] Προσελάβοντο *recipiebant*.

6. *In tumorem convertendum*] Μέλλειν πίμπρασθαι, i. *inflammari* sive *incendi*: quanquam inflammationem comitatur tumor.

7. *Benignè triduo habuit*] Φιλοφρόνως ἐξένισεν *amicè tractavit*, aut, si dicere liceret, *hospitatus est*. Cæterùm demiror qui verbum tam elegans in mentem venerit Interpreti; tantum abest ut reprehendam quòd ille vertit *habuit* pro *tractavit*.

11. *Cui erat insigne castrorum*] *Castorum* esse legendum indicant etiam recentiores, Lyranus & Carrensis. Nam Græcis est Διοσκούροιν. Id enim nominis est Castori & Polluci filiis Jovis & Ledæ. Nam & Beda in Glossa quam vocant Ordinariam indicat in nonnullis cod. scriptum fuisse pro *Castorum*, *Jovis filii*. Credidit Antiquitas eos esse Deos salutares navigantibus si simul apparerent (apparent autem ignis specie malo aut antennæ insidentes) contrà diros si singuli aut solitarii. Horum igitur insigne habebat ea navis. Quæso te, lector, si libet ridere, legito quæ prodiderit hoc loco Carrensis de *insigni Castrorum*; quanquam adjecit denique nescio quis veram ac seriam interpretationem. Mihi videtur totum hoc opus quod Hugoni tribuitur à multis fuisse conflatum. Neque verò minùs festiva sunt quæ prodidit de *Tribus tabernis*. Cæterùm ambo *Castores* nonnunquam vocantur, cùm alteri duntaxat id nominis fuerit. Nos, quò minus posthac erraret lector, vertimus *Castor & Pollux*.

13. *Devenimus Rhegium*] Nam ea civitas est Italiæ maritima, à promontorio Peloro distita viginti millia passuum; nomen Græcum à *ruptura* sortita, quòd ea Siciliæ pars olim cohærens cum Brutio agro Italiæ, postea mari interfuso sit revulsa. Fretum quindecim millibus passuum longum, mille quingentis latum intercurrit. In eo Scylla est scopulus, & Charybdis mare verticosum. Hæc ferme Hieronymus: de quo mirum quid secutus Rhegium appellet *civitatem Siciliæ*, cùm Geographi doceant eam esse in agro Brutiorum, qui populus est Italiæ. Nisi fortè pro *Italia* scriba corrupit *Sicilia*. De modo intervalli Strabo l. 6. tradit Rhegium ab Messanâ, quæ civitas est in Peloro, distare stadiis LX, h. e. ferme millibus septem & quinquaginta passibus. De mensura freti interjacentis suspicor locum apud Hieronymum esse corruptum: si tamen hoc opus est Hieronymi, cùm in eo citetur Hieronymus.

15. *Usque ad Appii forum*] Quoniam præcessit, *& sic Romam venimus*, ac postea mentio fit de *Appii foro*, quidam putant Appii forum in urbe Roma esse: idque legitur & in Catalogo locorum quos indicavit D. Hieronymus in Actis Apostolorum. Verùm ut illinc complura detracta suspicor à compendiariis, quibus impendio placet adagium illud inter pocula natum, *Gaudent brevitate moderni*, ità video nonnulla ab aliis adjecta, quorum hoc unum esse crediderim. Alioqui constat oppidum quod *Appii forum* dicitur longiùs abesse a Roma quàm sit Aricia: id quod declarat Horatius Sermonum lib. 1. sat. 5.

> *Egressum magnâ me accepit Aricia Româ*
> *Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,*
> *Græcorum longè doctissimus: inde forum Appî.*

Proinde cùm Lucas in summa dixisset *Romam esse itum*, retrocedit nonnihil, ut *occursum fratrum* describat *apud Appii forum ac tres Tabernas*. Sic enim legimus in emendatis exempl. Latinis, cùm in nonnullis scriptum sit *& Tribus tabernis*. Alioqui si *Appii forum* & *Tres tabernæ* Romæ sunt, quid sibi vult quod mox subjicit?

16. *Ut venimus autem Romam, permissum est Paulo*] Hic Græci plus habent, Ὅτε δὲ ἤλθομεν εἰς Ῥώμην, ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ· τῷ δὲ Παύλῳ, i. *Cùm autem venissemus Romam, Centurio tradidit vinctos principi exercitûs* (sive *Tribuno*:) *permissum est autem Paulo*. ¶ *Permanere sibimet*] Μένειν καθ' ἑαυτόν, i. *manere apud semetipsum*, h. e. solum & sine reliquis captivis.

26. *Aure audietis*] Ἀκοῇ ἀκούσετε, i. ut ad verbum reddamus, *auditione audietis*: atque ità vertit Hieronymus interpres Didymi, De Spiritu S. Est autem conduplicatio Hebraica, perinde q. d. *Audientes audietis*, h. e. Prorsus audietis. Nec improbo quòd hic vertit *aure*, nisi quòd ego malim *auribus*. Sic enim loquuntur Latini, *Hisce oculis vidi*, *Hisce auribus audivi*.

29. *Et cùm hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem*] Hæc verba in aliquot vetustis cod. non reperi.

31. *Sine prohibitione*] Ἀκωλύτως. Quod bifariàm accipi potest, *à nemine prohibitus* sive *vetitus*, aut *hoc animo ut à nemine possit impediri*.

VATABLUS.

1. **M**Itylene] *Melita*, Vet.

2. *Non modicam*] *Non vulgarem*. ¶ *Reficiebant*] *Receperunt*.

4. *Utique*] *Omnino*. ¶ *Evasit*] *Evaserit*, Vet. ¶ *Ultio*] Vel, *etiam justitia*; ut sic ipsam deam intellexerint. ¶ *Sinit*] *Sivit*; præteriti temporis.

6. *Existimabant eum in tumorem convertendum*] *Exspectabant futurum ut incenderetur*. ¶ *Et*] *Aut*, Vet. ¶ *Exspectantibus*] *Sperantibus*, Vet. vel, *spectantibus*. ¶ *Convertentes se*] Vel *mutatâ mente*, vel *sententiâ*.

7. *Benignè exhibuit*] Vel *amicè tractavit*.

9. *Salvavit*] *Sanavit*. ¶ *Quo facto* *] * Et, Vet. vel *etiam*.

10. *Navigantibus*] *Solventibus*.

11. *Castrorum*] *Castorum*, Vet. vel *Castor & Pollux*. *Dioscouri* enim, i. *Jovis filii*, hi duo dicebantur, & navigantibus favere credebantur.

13. *Secundâ die*] Vel *postridie*.

15. *Fratres* *] * *De nobis*.

16. *Romam* *] * *Centurio tradidit vinctos principi exercitûs*, &c. ¶ *Permanere*] *Manere*, Vet. ¶ *Sibimet*] *Apud semetipsum*; i. solum & sine reliquis captivis, privatim extra carcerem.

17. *Post tertium autem diem convocavit*] *Evenit autem post dies tres ut Paulus convocaret*, &c. ¶ *Venissent*] *Convenissent*. ¶ *Legem*] *Plebem*, Vet. vel *cùm nihil adversus plebem fecerim*.

18. *Interrogationem de me habuissent*] *Examinassent me*.

19. *Non quasi gentem meam habens aliquid accusare*] Vel, *non quasi habeam de quo gentem meam accusem*.

20. *Rogavi vos videre & alloqui*] *Advocavi vos ut viderem & alloquerer*. ¶ *Propter spem enim Israel*] i. *Propter Messiam, quem jam quidem exspectat Israel*; vel *ut Israelitis qui Romæ sunt annunciarem Messiam*, *catenâ*, &c.

22. *Rogamus*] *Volumus*.

23. *Plurimi*] *Plures*, Vet. ¶ *Exponebat*] Sub. *Scripturas*. ¶ *Testificans regnum Dei*] i. Multis testimoniis & argumentis ostendens regnum Dei esse inchoatum, nec ampliùs exspectandum esse Messiam. ¶ *De Jesu*] Vel *ea quæ ad Jesum spectabant*; i. hunc Jesum quem annunciabat esse illum Christum promissum in Lege & Prophetis.

25. *Dicente Paulo*] *Cùm Paulus dixisset*; i. ubi istud adjecit iis quæ jam dixerat.

26. *Dic* *] * *Ad eos*, Vet. ¶ *Aure audietis*] q. d. Audietis prophetias de captivitatibus & calamitatibus vestris & eas quæ sunt de Messia; & non credetis, quòd etiam nepotibus vestris accidet. Hic enim prædicitur cæcitas irroganda patribus & nepotibus.

27. *Incrassatum est enim cor*] Per futurum vertendum cùm sit prophetia: q. d. Pinguedine obducetur & exstinguetur mens eorum, auribus iniquissimis audient prophetias & leges meas. ¶ *Sanem eos*] i. Condonem illis peccata.

28. *Quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei*] Vel *quòd etiam Gentibus missa est hæc à Deo salus*.

30. *Mansit autem* *] * *Paulus*. ¶ *Conducto*] *Conducto*, Vet. i. privatis ædibus quas conduxerat.

31. *Sine prohibitione*] Vel *nemine prohibente*.

CLA-

CLARIUS.

3 CUM *congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem*] Vir tantus in primis est qui colligendorum sarmentorum opus aggrediuntur, quem Deus mox quantus esset declaravit, ità ut Deus crederetur. Interea cogita quàm proclives sint homines ad ferenda iniqua judicia, & quàm sæpe fallantur, quando hîc isti ex morsu viperæ arbitrati sunt Paulum esse homicidam.

11. *Cui erat insigne Castor & Pollux*] Διόσκουροι, q. *filii Jovis*. Mos erat, in navibus præsertim Alexandrinorum, in prora, dexterâ & sinistrâ parte hujusmodi picturas apponere.

ZEGERUS.

1. MIlete *insula*] Ità habent Ambrosius in Luc. 10. juxta editionem veterem, & Arator: quibus consentire videtur & Hieronymus lib. De locis Act. Apost. dum de *Mileto* oppido scribens, (de quo B. Lucas suprà c. 20.) *ejusdem* etiam *nominis* dicit *esse insulam quandam in mare Ægæo*. In Commentariis ejusdem in Jes. 45. scriptum offendo *Meleta*. Sunt qui scribant *Mitylene*, ut suprà legitur c. 20. Alii *Militine*, sive *Militene*, alii *Melite* scribunt, ut Oecumenius & editio Græca, & secundùm quosdam codices etiam Ambrosius loco citato. Mihi magis placet *Milete*.

2. *Accensâ enim pyrâ*] Non est hîc πυρὸς vocabulum à πῦρ, sed πυρὰν à πυρὰ, quod *struem* sign. *lignorum*.

3 *Sarmentorum*] *Sarmenta* sunt ramusculi superflui qui vitibus resecantur. ¶ *Vipera*] Serpentis genus, hinc dictum quòd *vi pariat*. De hac in Luc. 3. 7. diximus, de qua si copiosiùs desideras, vide Hieronymum ad Præsid. & Ambrosium Hexam. l. 5. c. 7.

6. *Diu autem illis exspectantibus*] Plerique cod. scriptum habent *spectantibus*: quod ex ambiguitate accidit sermonis Græci. Προσδοκᾶν enim interim *exspectare*, interim *sperare* signat: & idem paulò superiùs *existimandi* verbo versum est. Hic magis congruit *exspectantibus*.

7. *Benignè exhibuit*] *Humaniter tractavit*, vel *excepit*.

8. *Dysenteriâ vexatum*] *Dysenteria* dolor est & exulceratio intestinorum, frequénsque ventris profluvium. Hunc morbum Latinè (nam illud Græcum est) *tormina* vocamus.

11. *Insigne Castorum*] Jam olim non uno adnotante receptum ut *Castorum*, mediâ correptâ, non *Castrorum*, legatur. *Castores* vocantur Castor & Pollux Jovis & Ledæ filii, quos tradunt fabulæ post mortem inter notissima sidera constitutos: quorum sidus *Gemini* dicitur. Hos etiam Gentiles in mari Deos invocant, quia in prodigiis nautarum, si solitariæ stellæ in navi vel antennis apparuerint, periculosi, si verò geminæ, prosperi cursûs sunt nunciæ. Horum itaque imagine probabile est, teste Oecumenio, pictum fuisse navigium.

13. *Circumlegentes*] *Circumnavigantes*.

15. *Appii forum*] Nonnulli locum esse putant in urbe Roma. Alii oppidum haud procul à Roma dissitum, de quo Horatius l. 1. Sat. 5.

> *Egressum magnâ me excepit Aricia Româ*
> *Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,*
> *Græcorum longè doctissimus: indè forum Appi.*

Alii verò locum quendam inter Romam & portum Romanum, qui portus aliquot ab Urbe distat millibus. Horum sententia probabilior videtur. Nec minùs probabile est quod his consentiens tradit Oecumenius, ità scribens, *Usque ad Appii forum, & Tres tabernas*] *Loca quædam designat*, inquit, *ante Romæ ingressum, priorem quidem habentem Appii statuam, ut verisimile est, & dictum illius Forum: quemadmodum ad hoc usque tempus Regum aut Imperatorum imagines apud Romanos* Φόροι *appellantur. Loca verò Tabernarum usum insinuant quorundam diversoriorum aut cauponarum, quæ Romanorum linguâ ità appellantur.*

16. *Cum autem venissemus Romam*] Quæ sub hæc verba à nonnullis subduntur, ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ, *Centurio tradidit vinctos Tribuno*, vel *principi exercitûs*, ad marginem adnotari licebit, non autem immisceri contextui, uti convincitur ex Chrysostomo & ex cod. Latinis vel paulò vetustioribus; ut alia sileam.

17. *Adversùs* plebem] Sic est in Græcis suffragante Chrysostomo & nostris emendatioribus: in aliis contra est *adversùs Legem*.

20. *Propter spem Israel*] Futuræ resurrectionis.

25. *Discedebant, dicente Paulo unum verbum, Quia bene*] Intelligendum est, hoc uno sermone ex Jesaia prolato, quo taxarat illorum incredulitatem, maximè fuisse commotos ut à Paulo discederent.

27. *Auribus graviter audierunt*] i. Segnibus auribus facti sunt.

29. *Et cùm hæc dixisset*, usque ad *quæstionem*] Hæc verba quanquam in plerisque exempl. non inveniantur, exstant tamen apud Chrysostomum, in editione Græca, & in multis nostris antiquis.

30. *In suo conducto*] i. In domo quam sibi ipse dato pretio conduxerat: id enim Græca vox indicat, μίσθωμα. ¶ *Conducto*] Legunt cum Beda neoterici, cùm aliàs vix nisi *conducto* invenias. Videtur autem Beda secutus Hieronymum, qui in epist. ad Lucinium scribit *in hospitio conducto*. Nos tandem in duobus exempl. *conducto* invenimus, quorum alterum ex Galliis olim ad nos translatum fuit.

H. STEPHANUS.

3. ΣΥστρέψαντος δὲ τοῦ Παύλου φρυγάνων πλῆθος] *Cùm autem Paulus plusculum sarmentorum in fascem convolvisset.* ¶ Καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ] *Implicuit se manui ejus.*

4. Ἡ δίκη] *Ultio Divina.*

5. Ἀποτινάξας] *Cùm excussisset.*

6. Προσεδόκων αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι] *Putabant fore ut intumesceret*: vel *inflammaretur*. ¶ Μηδὲν ἄτοπον] *Nihil incommodi.* ¶ Μεταβαλλόμενοι] *Mutatâ sententiâ.*

7. Χωρία] *Prædia.*

10. Ἀναγομένοις] *Solventibus.*

11. Ἀνήχθημεν] *Solvimus.* ¶ Παρασήμῳ Διοσκούροις] *Cui pro insigni erant Dioscuri.*

16. Τῷ στρατοπεδάρχῃ] *Castrorum præfecto.* ¶ Καθ' ἑαυτὸν] *Seorsum.*

18. Ἀνακρίναντές με] *Cùm me examinassent.* ¶ Αἰτίαν θανάτου] *Crimen capitale.*

20. Τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι] *Hâc catenâ sum circumdatus.*

23. Εἰς τὴν ξενίαν] *In hospitium.*

24. Ἐπείθοντο] *Fidem adhibebant.* ¶ Ἠπίστουν] *Non credebant.*

25. Ἀσύμφωνοι δὲ ὄντες πρὸς ἀλλήλους ἀπελύοντο] *Cùm autem inter se non consentirent, abscedebant.*

29. Πολλὴν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς συζήτησιν] *Multùm inter se disceptantes.*

30. Ἐν ἰδίῳ μισθώματι] *In domicilio quod sibi conduxerat.*

DRUSIUS.

14. VEnimus *Romam*] *Ivimus: profecti sumus: contendimus.* Syrus certè vertit אתין: & *venio* pro *eo* ponitur cùm alibi tum in illo Terentii, *nisi eò mercatum venio*, i. eo. Sic בא *venit* & הלך *ivit* permutantur. Jon. 1. 3. *invenit navem* באה *euntem*. Contrà לכו *venite*. Gen. 15. 15. *venies ad patres tuos* LXX. ἀπελεύσῃ. Hieron. *ibis*: alius *ingredieris*. Joh 6. 17. ἤρχοντο, alius *venerunt*, alius *ibant*: nondum enim eò venerant.

15. *Appii forum*] Locum hunc extra Urbem fuisse non dubito, quanquam is qui scripsit De locis Actorum in Urbe illum ponat, ità scribens, APPII FORUM, *nomen fori Romæ, ab Appio quodam Consule tractum; à quo & via Appia cognominata est.* Qui librum hunc Hieronymo tribuunt falluntur: nam meminit in eo *Hieronymi*, etiam *Maannia* Arabis, qui anno Christi DCLXI regnare cœpit, ducentis circiter annis post Hieronymi obitum. Verba sunt, DAMASCUS, *urbs nobilis Phœnices, quæ & quondam in omni Syria tenuit principatum, & nunc Saracenorum metropolis perhibetur: unde & Rex eorum Maannias* (ità leg. non *Marnias*) *famosam in ea sibi suæque genti basilicam dedicavit, Christianis in circuitu civibus Baptista Johannis Ecclesiam frequentantibus.* Nunc ad rem. Syra ed. *in vico qui vocatur Appios foros*: שוק reddo *vicum* potiùs quàm *plateam*. Significat etiam *forum*. Apud Plinium est *Forappios*. Ab Antonino ponitur inter Tres tabernas & Terracinam. Quidam opinantur Forum Appii fuisse in via Appia mare versùs excurrente, ab Appio Cæco strata: quod an ità sit aliis dijudicandum relinquo. Nam via illa ab urbis Romæ porta Capena Capuam, aut, ut alii, Brundusium usque strata erat. Meminit hujus Horatius Serm. l. 1. Sat. 5.

Egres-

Egressum magnâ me excepit Aricia Româ
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctissimus: inde forum Appî.

26. *Auditu audietis*] Ut *memoriâ memini* apud Plautum. Non malè Interpres noster *aure audietis*: nam ἀκοὴ etiam *auris*. Vide Matth. 13. 14.

GUALTPERIUS.

2. ΑΝάψαντες γὰρ πυρὰν, *accensâ enim pyrâ*] Apud Syrum est נורא, i. *ignis*. Vox Gr. est ex πῦρ descendens, Latinis *rogus*, *pyra*, lignorum strues igni subjecto ardens. Dicitur & de strue lignorum nondum accensa. Virgilius, *ingentem struxere pyram*. In neutro plurali τὰ πυρὰ, *ligna quorum attritu ignis concipitur*: & absolutè *ignes*. Bis habetur in T. N. versu hoc & sequente.

8. Πυρετοῖς καὶ δυσεντερίᾳ συνεχόμενον, *febribus ac dysenteriâ detentus*] Syrus, *febri & dolore viscerum laborabat*. Celsus *intestinorum tormina* interpretatur: quippe quòd exulceratio intestinorum sit, dejectiones ramentosas, cruentas & dolorificas inducens. Quo de morbi genere pleniùs consulantur Medicorum libri.

11. Παρασήμῳ Διοσκούροις, *cui erat insigne Castor & Pollux*] Διόσκουροι vel Διόσκοροι, & Διοσκυρίδαι, οἱ Τυνδαρίδαι, *Tyndari filii*, vel, si nomen spectes, *Jovis filii*. De his sic Lud. Vives in Comment. August. De civit. Dei, ad ejus verba, AUG. *Uxor autem Regis Athamantis, quæ vocabatur Ino, & ejus filius Melicertes præcipitio spontaneo in mari perierunt, & opinione hominum in Deos relati sunt, sicut & alii homines eorum temporum; inter quos fuerunt Castor & Pollux. Illam sanè Melicertis matrem Leucotheam Græci, Matutam Latini vocaverunt; utrique tamen putantes Deam.* LUD. V. Quæ vocatur Ino] *Hæc cùm comperisset maritum adamare servam Ætolam Antipheram nomine dicitur & ipsa Melicertam deperiisse, idcirco servus omnis servâque aditu templi Inus prohibetur. Quin & hinc Cherone æditus clamabat, Ne serva ingreditor, nè servus, nè Ætolus, nè Ætola. Romæ in ædem Matutæ unam tantùm ancillam matronæ inducebant, quam cædebant alapis. Hæc Plutarchus in Problematis. Ino & Melicerta, ubi se in mare conjecissent, mutata sunt nomina, &* Ino *mater* Matuta *dicta est Latinis, Græcis* Λευκόθεα i. alba Dea: *filius Græcis* Palæmon, *nobis* Portumnus, *quod portubus præesse crederetur, & in portu Tiberino ejus erat ædes, festúmque* Portumnalia, *ut ait Varro, quòd eo die templum ei est sacratum & feriæ institutæ. In hujus honorem ludos Isthmicos Corinthii instituerunt: auctor Pausanias.* AUGUST. *Inter quos fuerunt Castor & Pollux*] L. VIV. *Jupiter versus in cygnum, cùm Venerem jussisset, mutatâ in aquilæ faciem forma, se insequi, ad Ledam confugit, quæ cygnum gaudens excepit, & tutari sibi visa est: cúmque obdormivisset, à cygno compressa est, peperitque ovum, ex quo nati sunt Castor & Pollux & Helena: alii gemina ova peperisse dicunt, sicut Horatius ait in Arte,*

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

ex altero geminos mares Castorem & Pollucem, ex altero geminas puellas, Helenam & Clytemnestram natas. Sunt qui tantùm ex uno ovo Helenam & Pollucem prodiisse immortales, Castorum verò satu Tyndari mortalem. Isocrates in Panegyr. Helenæ, idcirco ait existimatam Helenam abolere genitam quòd collo esset oblongo & candido. Castor & Pollux Tyndaridæ *dicuntur, quia Tyndarus Oebali filius Ledæ erat maritus: & haud dubiè putantur ejus esse, non Jovis. Tametsi Cygnus est in cœlo concubitûs illius, sanctæ scilicet rei & imitatu digna, monumentum, ipsique Castor & Pollux signum efficiunt Geminorum, quorum uterque alternis solùm diebus lucet: cujus rationem Homerus reddit, quòd cùm Castor & Pollux Lynci & Idæ sponsas eripere tentarent, moto conflictu Idas Castorem interfecit, confecturus & alterum, ni subitò à Jove subventum esset nè lædi quiret. Pollux à patre Jove petiit ut liceret sibi de sua vita dimidium fratri impertiri: idque Jupiter concessit. Studiosus fuit equorum Castor, Pollux palæstræ.* Dioscuri *sunt dicti*, i. Διὸς κοῦροι Jovis pueri. *Homerus hos sepultos tradit Lacedæmone. Putabantur esse propitii navigantibus, & periclitantibus in speciem geminarum stellarum adesse, hac de causa, quod dum navigarent cum cæteris Argonautis, ortâ tempestate, & reliquis miserè metuentibus, Orpheus omnes bono animo esse jussit, ac votis Diis Samothracibus susceptis, cœpit mare mitescere, duabus stellis super Castoris & Pollucis capitibus apparentibus. Quo miraculo læti, crediderunt, se Deorum providentiâ liberatos, ac deinceps geminos ipsos implorare mos fuit. Et si appareant geminæ stellulæ, credere salutare; non item, si solitaria. Cæterùm Romani, cùm ambobus idem condidissent templum ad lacum Juturnæ, ferè non aliter quam Castoris nominabant: In quo nimiùm vel erant inciviles ipsi, vel immodestus & ingratus Castor, qui cùm mortalis esset suapte naturâ, immortalitatem beneficio fratris nactus, eam gratiam Polluci fratri referebat, ut se præferendo nomen, famam ac propè vitam ejus premeret & obscuraret, futurus ipse alioqui obscurus & prorsum ignotus ni alter subvenisset. Sed nimirum prius hoc Pollux peccaverat: Nam dum à patre impetrat ut alternis tantùm viverent diebus, effecit nè unquam alter altero frui posset.* Itâ Vives. Qualis verò sit impressio Meteorologica docetur in physicis. Virgilius 6. Æneid.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties, &c.

Quod ideo fictum dicit Servius *quia horum stella ità se habent ut occidente unâ oriatur altera.* Consule & Pomponium Melam lib. 1. c. ult. Plinium lib. 35. cap. 10.

GROTIUS.

ΚΑὶ διασωθέντες, *Et cùm evasissemus*] *Cùm evasissent.* ¶ Ὅτι Μελίτη ἡ νῆσος καλεῖται. *quia Melite insula vocabatur*] Illa *Melite* quæ non longè ab Africa.

2. Οἱ δὲ βάρβαροι, *Barbari verò*] Afri, qui mari potentes vicinas insulas tenuere. ¶ Οὐ τὴν τυχοῦσαν φιλανθρωπίαν, *non modicam humanitatem*] De hac locutione vide supra 19. 11. ¶ Ἀνάψαντες γὰρ πυρὰν, *accendentes enim pyram*] *Lignorum struem.* ¶ Προσελάβοντο πάντας ἡμᾶς, *reficiebant nos omnes*] *hospitio excepere.* Id enim sic verti solet, ut & קרב & similia. ¶ Διὰ τὸν ὑετὸν τὸν ἐφεστῶτα, *propter imbrem qui imminebat*] *Propter imbrem qui supervenerat.* Post ingentes ventos solent imbres sequi. ¶ Καὶ διὰ τὸ ψύχος, *& propter frigus*] Frigus & ex anni tempore aderat, & vento atque imbribus augebatur. Et non poterant non frigere qui per mare nataverant. Plautus,

Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis postquam abs te abii, algeo.

3. Συστρέψαντος δὲ τοῦ Παύλου φρυγάνων πλῆθος, *Cùm congregâsset autem Paulus sarmentorum multitudinem*] In Manuscripto, Φρυγάνων τι πλῆθος [*sarmentorum aliquam multitudinem*,] *Cùm virgulta quædam collegisset*, nempe quæ in proximo parata jacebant. φρύγανον, *fomes*, in Glossario. *Fomes* est quicquid ignem alit. ¶ Ἔχιδνα ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα, *vipera è calore cùm processisset*] In Glossario, θέρμη, *calor*, *fervor*, *æstus*. Vtitur sic Thucydides in pestilentiæ descriptione. Ignis calorem ut senserat vipera, effugere volebat. In Manuscripto est, ἀπὸ τῆς θέρμης [*à calore*,] quod clariùs. Sic ἀπὸ τοῦ ἰοῦ, ἀπὸ τῆς λύπης [*à veneno*, *à mœrore*] in causæ significatu sæpe apud Græcos.

4. Τὸ θηρίον, *bestiam*] Sic solent vocari bestiæ, quæ veneno nocent, in quibus excellunt viperæ, unde θηριακὴ ἀντίδοτος [*Theriaca antidotus*] nomen habet. Ambrosius in Hexaëmero, *Vipera nequissimum genus bestiæ.* Inde

Vipeream inspirans animam —— ——

apud Virgilium. ¶ Πάντως φονεύς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, *Vtique homicida est homo*] Putabant convictum criminis, ob quod custodiæ erat datus. ¶ Ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἴασεν. *ultio non sivit eum vivere*] Δίκη hic *Divina ultio*, de qua illud vetus,

—— —— ὁρῶ γὰρ ἐν χρόνῳ
Δίκην ἅπαντ᾽ ἄγουσαν εἰς φάος βροτοῖς.
(—— ——*Ius sed, ut video, Dei*
In lucis eras cuncta fert mortalium.)

Et alia multa apud Stobæum de rerum natura, titulo 7. Hesiodus,

—— Δίκη δ᾽ ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα· παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.
[—— *malefactis est comes ultrix*
Justitia: hoc stultos docet experientia tandem]

ζῆν οὐκ εἴασεν [*vivere non sivit.*] Sic in epigrammate Græco Sarapis dicit homicidæ,

> *Εἰ μὴ νῦν σε μαθὼν θανεῖν, θάνατον μὲν ἄλυκτον*
> *Νῦν ἔφυγες, σταυρῷ δ' ἴσθι φυλασσόμενος*
> [*Non est ista salus tanti, quod morte negatur*
> *Defungi, crux est ponè parata tibi.*]

6. *Οἱ δὲ προσεδόκων αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι, At illi existimabant eum in tumorem convertendum*] *Inflammari.* Nicander describens læsum à vipera,

> — — *αἱ δὲ θαμειαὶ*
> *Πομφόλυγες τὰς ἐν γε πυρὶ, φλύκταιναι ἀρχικὰ,*
> *Οἷα πυριφλέγτοιο χροὸς πλαδόωσιν ὕπερθεν*
> [— — *ast illi pustula multa,*
> *Quales sæpe solent ex igne existere bullæ,*
> *Erumpit, tanquam flammanti corpore toto.*]

Deinde,

> *Πᾶν δ' ἐπὶ οἱ δριμεῖα δέμας καταβόσκεται ἄτη*
> *Ὀξέα πυρπολέουσα.* — —
>
> [*Illi corpus edit totum vis sæva veneni*
> *Æstu flammifero* ——.]

¶ *Ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν. aut subitò casurum & mori*] Venenum enim viperæ quibusdam in locis valde rapidum est. ¶ *Μηδὲν ἄτοπον, nihil mali*] *Nihil incommodi.* Hoc sensu vox *ἄτοπον* est in Græca versione Jobi 4. 8. & apud Theophrastum 4. 15. ¶ *Μεταβαλλόμενοι, convertentes se*] *Mutatâ sententiâ*, ut mos vulgi,

> —*Sequitur fortunam, ut semper, & odit*
> *Damnatos*——————

¶ *Ἔλεγον θεὸν αὐτὸν εἶναι. dicebant eum deum esse*] Herculem puto *ἀλεξίκακον* [*Alexicacum*,] qui in Melite insula colebatur.

7. *Ὑπῆρχε χωρία τῷ πρώτῳ τῆς νήσου, ὀνόματι Ποπλίῳ, erant prædia Principis insulæ, nomine Publii*] Romani divites in provinciis fundos habebant, maximè in Africa. Fortè hic libertus fuerit Augusti. Nam & Syrus ille Mimus, itidem libertus, dictus *Publius* sine alio nomine. Est autem *πρῶτος Μελιταίων* [*Melitensium Princeps*] nomen Magistratûs. Apparet id ex inscriptione in Insula Melite repertâ; Λ. Κ. ΚΙΟΣ. ΚΥΡ. ΠΡΟΥΔΗΝΣ. ΙΠΠΕΥΣ. ΡΩΜ. ΠΡΩΤΟΣ. ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. ΚΑΙ. ΠΑΤΡΩΝ. ΑΡΞΑΣ. ΚΑΙ. ΑΜΦΙΠΟΛΕΥΣΑΣ. ΘΕΩ. ΑΥΓΟΥΣΤΩ. [L. C. CIVS. DOM. PRVDENS. EQVES. ROM. PRINCEPS. MELITENSIVM. ET. PATRARVM. GVBERNATOR. ET. MINISTER. DIVI. AVGVTI.] ¶ *Ὃς ἀναδεξάμενος ἡμᾶς, qui nos suscipiens*] Nempe jussos transire ex diversorio publico in suam domum. ¶ *Φιλοφρόνως ἐξένισεν. benignè exhibuit*] Jam tum *τεταγμένος εἰς ζωὴν αἰώνιον* [*ordinatus ad vitam æternam*,] & umbras quasdam habens virtutum Christianarum. Vide Matth. 25. 35.

8. *Πυρετοῖς καὶ δυσεντερίᾳ febribus & dysenteria*] *Δυσεντερίαν*, *tormina* vertit Celsus 4. 15. Is morbus, si duret, plerumque & febres adfert. ¶ *Συνεχόμενον, vexatum*] Matth. 4. 24. Luc. 4. 38. Utitur hac locutione & Galenus. Rectè. Nam *συνέχειν* est *vincire*. Et morbi *vincula* quædam; Luc. 13. 16. ¶ *Κατακεῖσθαι jacere*] *Cubat, id est, ægrotat*, Scholiastes ad illud Horatii,

> —*Cubat hic in valle Quirini.*

¶ *Καὶ προσευξάμενος ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ, & cùm orâsset & imposuisset ei manus*] Vide Matth. 9. 18. & 19. 13. Marci 6. 5. & 7. 32. & 16. 18. Luc. 4. 40. & 13. 13.

9. *Ἔχοντες ἀσθενείας, qui habebant infirmitates*] Ut Luc. 13. 11, 12. Joh. 5. 5. & 11. 4.

10. *Ἀναγομένοις ἐπέθεντο τὰ πρὸς τὴν χρείαν, & navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant*] Permiscuit locutiones de navigantibus & de navi, ut fieri solet. Nam *ἀναγομένοις* ad navigantes, *ἐπέθεντο* ad navim pertinet. *Τὰ πρὸς τὴν χρείαν*, *ea quæ erant opus*, cibaria scilicet. In Manuscripto *τὰ πρὸς τὰς χρείας* pluraliter, ut supra 20. 34.

11. *Παρακεχειμακότι ἐν τῇ νήσῳ; quæ in insula hyemaverat*] *Quod in Melite tempestatem vitaverat*, ut supra 27. 12. nam hyems nondum exierat. ¶ *Ἀλεξανδρίνῳ, Alexandrina*] Vide quæ dicta suprà 27. 6. *Παρασήμῳ Διοσκούροις. cui erat insigne Castorum*] Aliud est *παράσημον* [*insigne*, aliud *tutela*. *Tutela* in puppi, ut Minerva in Argo: *παράσημον* sive *insigne* in prora. Sic in navi quâ vectus Ovidius, tutela erat Minerva, insigne Cassis, & inde nomen, quomodo *Pistrix*, *Centaurus*. Eruditè Latinus vertit, *Cui erat insigne Castorum.* Sic Plinius 10. 43. *Supra Castorum ædem.* Tertullianus, *Phantasmata Castorum.* Arnobius libro 2. *Tyndaridæ Castores.* Libro 4. *Tria genera Castorum.* Minutius, *Ut & cum equis Castores viderentur.* Et Cyprianus de Idolorum vanitate, *Castores alternis moriuntur.*

12. *Καὶ καταχθέντες εἰς Συρακούσας, Et cùm venissemus Syracusam*] Nempe ad exponendas merces quasdam Alexandrini navigii.

13. *Εἰς Ῥήγιον. Rhegium*] *Ῥήγιον* [*Rhegyum*] scribunt Græci, & populum *Ῥηγῖνος* [*Rhegynos*,] adduntque omnes originem esse nominis, quòd ibi ab Italiæ latere abscissa esset Sicilia. *Regium* verò, Latino nomine, oppidum est Galliæ Cisalpinæ. ¶ *Δευτεραῖοι, secunda die*] Locutio bene Græca, quâ & Herodotus & Xenophon utuntur. Tribuitur personæ quod est rei. Tale illud; *Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu perdius & pernox*, apud Gellium 2. 1. ¶ *Εἰς Ποτιόλους. Puteolos*] *Puteolos* enim appellere solebant naves Alexandrinæ: docet id nos Seneca epistola 77. & decretum in Gruteri inscriptionibus. Statius,

> ——*modò nam trans æquora terris*
> *Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum.*

Puteolis enim vetus nomen *Δικαιάρχεια*, unde Poëtæ faciunt *Dicarcheam.*

14. *Οὗ εὑρόντες ἀδελφοὺς, ubi inventis fratribus*] Ergò non Romæ tantùm, sed & Puteolis jam erant Christiani. ¶ *Παρεκλήθημεν*,] *Rogati sumus.* Sic hoc verbum & suprà sumitur 16. 15. & 21. 12. & 25. 3. ¶ *Ἐπ' αὐτοῖς ἐπιμεῖναι, manere apud eos*] Manuscriptus *παρ' αὐτοῖς* [*apud eos.*] ¶ *Εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθομεν. venimus Romam*] *Romam ibamus.* Ita hîc bene accepit Syrus. Judæi Hellenistæ הלך modò per *πορεύεσθαι* [*ire*,] modò per *ἔρχεσθαι* [*venire*] vertunt promiscuè.

15. *Ἄχρις Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν ad Appii Forum & Tres Tabernas*] id est, *alii obviam venerunt ad Forum Appii, alii ad Tres Tabernas:* illi priùs, hi seriùs. Nam Tres Tabernæ propiores Romæ; ut apertum fit ex tabulis & epistolâ Ciceronis ad Atticum 2. 11. Multa tum loca in Romano Imperio habebant nomen alia *fori*, alia *tabernæ*: *fori*, ab omnium rerum mercatu, *tabernæ*, quòd ibi vinum & esculenta venum propósita essent.

16. *Ὅτε δὲ ἤλθομεν εἰς Ῥώμην, Cùm autem venissemus Romam*] Manuscriptus *εἰσήλθομεν* [*Introivissemus:*] quod planius. ¶ *Τῷ στρατοπεδάρχῃ Præfecto exercituum*] *Burro.* Rectè enim viri docti interpretantur *Præfectum Prætorio.* Nam à Tiberii temporibus Prætorianus miles in castris habitus, teste Tacito Annalium 4. Et sub hujus cura fuisse reorum custodias multis ejusdem Taciti locis evincitur. ¶ *Σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ. cum custodiente se milite*] Ex more Romano. Scholiastes Juvenalis *castrensem carcerem* dici ait, quando captivi traduntur catenati. Sed intellige ita; ut eadem catena & militem constringeret. Josephus 18, de Agrippa postea Rege, *Εὑρίσκετο δ' αὐτῷ παρὰ τοῦ Μάκρωνος στρατιωτῶν τε, μετρίων ἀνδρῶν, οἱ παραφυλάξειαν αὐτὸν ἐν φρουρίῳ, καὶ ἑκατοντάρχου ἐφεστηκότος τε ἐκείνοις καὶ συνδέτου ἐσομένου, λουτρά τε καθ' ἡμέραν συγχωρεῖσθαι καὶ ἀπελευθέρων καὶ φίλων εἰσόδους, τήν τε ἄλλην ῥαστώνην ἢ τῷ σώματι γένοιτ' ἄν* [*Apud Macronem tamen & milites, commodos sanè viros, qui eum asservaturi erant, tum & apud Centurionem hisce præfuturum, illi copulandum, obtinuit, ut & quotidie lavacris uteretur, & pateret ad eum libertis atque amicis aditus, quorum sublevaretur officiis.*] Seneca huc respexit de Tranquillitate 1. 10. *Eadem custodia universos circumdedit, alligatique sunt etiam qui alligaverunt, nisi tu fortè leviorem in sinistra catenam putas.* Et Ep. 5. *Quemadmodum eadem catena & custodiam & militem copulat, sic ista quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt.* Sic de Manio Aquilio Athenæus. *Σύνδετον ἔχων ἁλύσει μακρᾷ Βαστάρνην πεντάπηχυν, πεζὸς ὑπὸ ἱππέως ἕλκεται* [*Bastarnæ, quinque cubitorum homini, longa catenâ copulatus, pedes ipse ab equite trahitur.*] Hæc est *catena* cujus mox meminit eam monstrans Paulus 20. & Ephes. 6. 20. Cùm catena longa fuerit, quæ & militem & Paulum tenebat, facilè jam intelligimus, quomodo Paulus, quanquam vinctus, huc illuc ambulare potuerit. Hoc est; quod *δεσμῶν* [*vinculorum*] nomine Paulus intelligit; Coloss.

Ioss. 4. 18. Philipp. 1. 7, 13, 14, 16. 2 Tim. 2. 9. Philem. v. 10, 13. ¶ Μένειν καθ' ἑαυτὸν, *manere sibimet*] *Sine aliis.* Ita vertitur לבד Gen. 30. 41. & 43. 32 Zach. 12. 12. & 13. 14. quod alibi vertitur καταμόνας [*seorsim.*]

17. Τῶν Ἰουδαίων πρώτους *primos Judaeorum*] *Eminentiores.* Neque enim Synagogam Romae videntur habuisse Judaei eo tempore. ¶ Οὐδὲν ἐναντίον ποιήσας τῷ λαῷ ἢ τοῖς ἔθεσι, *nihil ad versus plebem faciens aut morem*] Supra 25. 8, 10. ¶ Ἐξ Ἱεροσολύμων, *ab Ierosolymis*] *Avectus* scilicet. Similis ἔλλειψις [*defectus*] supra 7. 9. ¶ Παρεδόθην, *traditus sum*] Ut ante Christus. Supra 21. 11. ubi dicta vide. Traditus autem est Romanis, cùm à Judaeis apud Felicem accusatus est.

18. Ἀνακρίναντές με, *cum interrogationem de me habuissent*] Praevio quodam examine. Vide supra 25. 26. ¶ Ἐβούλοντο ἀπολῦσαι, *voluerunt dimittere*] *Voluerunt me dimittere*, nempe nisi appellâssem. Similis locutio Matth. 26. 39. ubi de ea diximus. ¶ Διὰ τὸ μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου ὑπάρχειν ἐν ἐμοί. *eo quod nulla esset causa mortis in me*] Supra 25. 25. & 26. 31. Sic servus non minùs quàm Dominus ab incredulis testimonium retulit suae innocentiae.

19. Ἀντιλεγόντων δὲ τῶν Ἰουδαίων, *Contradicentibus autem Judais*] Cùm illi hoc agerent, ut me ad Synedrii cognitionem traherent, videreturque Festus illis velle gratificari. ¶ Ἠναγκάσθην ἐπικαλέσασθαι Καίσαρα *coactus sum appellare Casarem*] Nempe ne hoc fieret. ¶ Οὐχ ὡς τοῦ ἔθνους μου ἔχων τι κατηγορῆσαι. *non quasi Gentem meam habens aliquid accusare*] Accusor, non accuso: nec contra totam gentem ulla lis mihi est.

20. Παρεκάλεσα ὑμᾶς ἰδεῖν, *rogavi vos videre*] *Vocavi ut vos viderem.* ¶ Καὶ προσλαλῆσαι. *& alloqui*] *Loqui ut cum amicis.* ¶ Ἕνεκεν γὰρ τῆς ἐλπίδος τοῦ Ἰσραὴλ, *propter spem enim Israel*] Propter fidem de resurrectione. Ut supra 23. 6. & 24. 15. & 26. 6, 7. ¶ Τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι. *catenâ hac circumdatus sum*] Vide supra 16.

21. Οὔτε γράμματα περὶ σοῦ ἐδεξάμεθα, *neque literas accepimus de te*] Nempe quae de te nominatim agerent & nos monerent, ut tibi adversaremur. ¶ Οὔτε παραγενόμενός τις τῶν ἀδελφῶν, *neque adveniens aliquis fratrum*] *Aliquis de gente nostra.* Judaei enim alii alios fratres vocabant. Vide supra 7. 2, 37. & 13. 26, 38. & 23. 1, 5, 6.

22. Περὶ μὲν γὰρ τῆς αἱρέσεως ταύτης, *nam de secta hac*] Nazaraeorum, supra 24. 5. cujus scilicet sectae te esse profiteris. ¶ Γνωστόν ἐστιν ἡμῖν ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται. *notum est nobis quia ubique ei contradicitur*] Nimirum propter literas istas scriptas à Synedrio paulò post Christi abitum ex terris, de quibus diximus ad Matth. 27. 63. Ajunt Judaei earum litterarum exemplum asservari apud Synagogam vetustissimam quae est Borbetomagi Vangionum.

23. Ταξάμενοι δὲ αὐτῷ ἡμέραν. *Cùm constituissent autem illi diem*] Condicta die. ¶ Ἧκον πρὸς αὐτὸν εἰς τὴν ξενίαν, *Venerunt ad eum in hospitium*] *Domum in qua divertebat.* Utitur sic voce ξενίας, [*hospitii*] & Josephus. ¶ Ἐξετίθετο διαμαρτυρόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *exponebat testificans regnum Dei*] Exponebat futurum Dei regnum, adhibitis probationibus, tum ex sacris literis, tum ex iis quae in Domino Jesu erant conspecta. Ita διαμαρτύρεσθαι [*testificari*] habuimus supra 10. 42. & alibi. Pro διαμαρτυρόμενος *testificans*] in Manuscripto est παρατιθέμενος [*insinuans,*] quomodo supra 17. 3. ¶ Πείθων τε αὐτοὺς, *suadensque eis*] Πείθειν [*suadere*] hic de conatu sumitur, ut supra 19. 8. In Glossario, *Suadeo* παραινῶ, πείθω, συμβουλεύω. ¶ Τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπό τε τοῦ νόμου Μωσέως καὶ τῶν Προφητῶν, *de Jesu ex lege Moysis & Prophetis*] Ostendebat enim omnes res Jesu praedictas aut praefiguratas à Mose & Prophetis, Luc. 24. 27. supra 3. 18, 24. & 13. 27. & 15. 15. & 22. 14. & 26. 22.

24. Οἱ μὲν ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίστουν. *quidam credebant iis qua dicebantur, quidam verò non credebant*] Ut plerumque evenit, ut supra 14. 4. & 17. 34. & 19. 9.

25. Ἀπελύοντο, *discedebant*] Ἀπολύεσθαι pro *discedere* est locutio Polybiana. Invenitur & Exod. 33. 11. ¶ Ῥῆμα ἕν. *unum verbum*] Id est, *abeuntibus hoc unum dixit.*

27. Ἐπαχύνθη γὰρ, *Incrassatum est enim*] Sequitur Lucas LXX Interpretes Esaiae 6. 10. ut solet: tantum post τοὺς ὀφθαλμοὺς [*oculos*] addidit αὐτῶν [*suos.*] De sensu vide quae dicta ad Matthaeum 13. 15. Quantum verò induruerint Judaei post rejectum Euangelium vide ad Rom. 2.

28. Ὅτι τοῖς ἔθνεσιν ἀπεστάλη τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, *quoniam Gentibus missum est salutare Dei*] In Manuscripto, τοῦτο τὸ σωτήριον [*hoc salutare.*] Σωτήριον [*salutare*] substantivè, est Hellenistica vox ut Esaiae 12. 3. & 26. 1. & 33. 20. & 38. 11. & 60. 6, 18. & 61. 10. & 62. 1. & 63. 1. 1 Sam. 2. 1. 1 Paral. 16. 23. in Psalmis saepissimè. Refertur interdum ad personam, ut Lucae 2. 30. modò ad rem, ut hic ad sermonem Euangelii. Potuerat Deus ad Gentes eum sermonem mittere, etiamsi nihil peccâssent Judaei: sed omnem illis querelam praecidit, cùm id non fecit, nisi postquam Judaei plurimi id beneficium sibi oblatum contempserant. Vide supra 13. 46. & 18. 6. ¶ Αὐτοὶ καὶ ἀκούσονται. *& ipsi audient*] *non audient tantùm, sed & obedient.* Nam ἀκούειν [*audire*] *obediendi* sensu hic ponitur, ut saepissimè שמע apud Hebraeos, quod modò per ἀκούειν [*audire*, modò per ὑπακούειν [*obedire*] vertitur. Sic ἀκούειν [*audire*] habemus cum accusativo Matth. 11. 4. alibi cum genitivo, ut Matth. 18. 15, 16. Luc. 6. 47. Pet. 1. epist. 4. 6. Quod expertus erat Paulus in multis Asiae & Europae urbibus, ut apud Gentes sermonis felicior esset seges, idem & nunc futurum prospiciebat.

29. Πολλὴν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς ζήτησιν. *multam habentes inter se quaestionem*] Ἐν ἑαυτοῖς, id est, *inter se.* ζήτησιν, id est, *disputationem*, alio defendente quod alius accusabat. Ζήτησις sic sumitur, 1 Tim. 1. 4. & 6. 4. 2 Tim. 2. 23. & Tit. 3. 9. quod συζήτησις [*disquisitio*] Act. 15. 2, 7. Sed comma hoc totum, sicut non fuit in codicibus Graecis, quibus usi sunt Syrus & Arabs, ita nec in vetere illo Manuscripto comparet. ¶ Διετίαν ὅλην, *biennio toto*] Hanc vocem habuimus & supra 24. 27. τριετίαν [*per triennium*] supra 20. 31. Utuntur & alii. ¶ ἐν ἰδίῳ μισθώματι *in suo conducto*] *Suum* dicitur ratione usûs. *Conducti* vox in hoc sensu est in L. 1. §. Si filiusfamilias, & §. Habitare. D. de his qui effuderint. Sic in lege Cornelia verbum *domus sua* Ulpianus extendit ad conductum. L. lex Cornelia. D. de Injuriis, quod sequuntur Institutiones, titulo de Injuriis. §. sed & lex. Sic & hospitium, *domus alicujus* dicitur L. 1. §. 2. D. de agnoscendis liberis. Et *domus sua* est omne domicilium L. Nec in ea. D. ad legem Juliam de adulteriis. §. Jus.

30. Καὶ ἀπεδέχετο πάντας τοὺς εἰσπορευομένους πρὸς αὐτόν *& suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum*] Neminem excludebat, Dei exemplo.

31. Κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *Praedicans Regnum Dei*] Regnum illud, quod adveniet fine seculorum. ¶ Καὶ διδάσκων τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *& docens qua sunt de Domino Jesu Christo*] Ut supra v. 23. τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ [*qua sunt de Jesu.*] Miracula ejus & Praecepta & Mortem & Resurrectionem & Missionem Spiritûs Sancti: per quae certi fiebant homines de Regno illo coelesti. ¶ Μετὰ πάσης παῤῥησίας, *cum omni fiducia*] *Animo intrepido.* ¶ Ἀκωλύτως. *sine prohibitione*] In Glossario, ἀκωλύτως *improhibitò.* Evenit hoc primo Neronis quinquennio, intra quod Principem egit probabilem.

P R I C Æ U S.

Com. 1. Ὅτι Μελίτη ἡ νῆσος καλεῖται] Ità vocat eam & Cicero 10. 7. ad Atticum.

Ibid. Οὐ τὴν τυχοῦσαν Φιλανθρωπίαν] De hoc loquendi modo vide suprà ad 19. 11. annotata.

Ibid. Ἀνάψαντες γὰρ πυρὰν, &c.] Sic 2 Maccab. 10. 36. πυρὰς ἀνάψαντες & apud Euseb. Histor. Eccles. 6. 34. πυρὰν νήσαντες. Hoc inter prima solent qui quem hospitio excipiunt Apud Suidam ex Veteribus quis, Ἠξίου τυχεῖν καταγωγῆς· ὁ δὲ ἐδέξατο, καὶ πῦρ ἔξέκαυσε.

Ibid. Διὰ τὸν ὑετὸν τὸν ἐφεστῶτα] Propter imbrem qui nos urgebat vexabatque. Seneca 6. 15. de Benef. *Quanti aestimas in solitudine hospitium, in imbre tectum!* Ἐφίστασθαι hic est quod suprà 27. 20. ἐπίκεισθαι Vulgatus, *imminendi* verbo utrobique usus est: nec debuit eo nomine culpari. Glossae, *Instat*, ὀχλεῖ, ἐνίσταται, ἐφίστησιν. Ibid. Ἐφίσταμαι, *immineo*, *insisto*: & in vet. Onomast. *Immineo*, ἐνίσταμαι

Com. 3. Συστρέψαντος δὲ τοῦ Παύλου Φρυγάνων πλῆθος, ἔχιδνα ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα, &c.] Apud Hesychium in Ἐπικνάφων, Ακανθῶν σωρὸν συστρ Exhibet MS. Regius, ἀπὸ τῆς θέρμης, id est, *vi caloris*: quam receptae lectionem praeferendam nos monent haec è Veteribus Ecujuspiam, Ἡ δὲ ἔχιδνα ἐξείρπυσεν, ὑπὸ τοῦ πυρὸς ἀναγκασθεῖσα citantur in voce Ἐξείρπυσεν à Suida. Πλῆθος Graecè etiam bene de inanimis dicitur. Plutarchus in Apophthegm. dixit ἐλαίας πλῆθος, & ἀρωμάτων πλῆθος· Idem citato libro, Diodorus Siculus, & Herodianus, χρημάτων πλῆθος· Joseph hus Bell. Jud. χοὰς πλῆθος· Athenaeus 4. πλῆθος ἀργυρίου.

Com. 4. Ὃν διασωθέντα ἐκ τῆς θαλάσσης ἡ Δίκη ζῆν οὐκ εἴασε] Naufragium, mortem bonis juxtà & malis communem evasit, ut rariore & insigniore exemplo ejus scelera puniantur

Melite

Melite apud Achillem Tatium lib. 5. Ὦ θάλασσα, πλέυσάν με διέσωσας, ἔσωσα δὲ μᾶλλον ἀπολώλεκας. Agrippa apud Philonem Judæum ad Caium Imperatorem, δόξω γὰρ ἂν τοῦ συνθῆναι χάριν ἀφεῖσθαι, μᾶλλον ἢ τοῦ βαρυτέρας ἐνδεξάμενος συμφορᾶς, ἐπισημότερον τελευτῆσαι. Apud Apuleium ille Milesf. 1. *Ac tunc profectò intelligebam bonam Meroen non misericordiâ jugulo meo pepercisse, sed sævitiâ cruci me reservasse.* Δίκη hic *divina ultio.* Plutarchus lib. de Exfil. Θεῷ ἕπεται δίκη, τῶν ἀπολιπομένων τοῦ Θεοῦ νόμου τιμωρός.

Com. 5. Ἀποτινάξας τὸ θηρίον ἔπαθεν οὐδὲν κακόν] Simile Marc. 4. 35. de immundo spiritu, Ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ, μηδὲν βλάψαν αὐτόν. Θηρίον de vipera etiam Artemidorus 2. 13. & 4. 50. usurpat.

Com. 6. Προσεδόκων αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι] Vox πίμπρασθαι *tumorem* an *inflammationem* notet, eruditi disputant. Ego utrumque significari existimo. Illustris &, quod sciam, intactus Lucani est in hanc mentem locus. Loquitur autem de Nasidio Prestere vulnerato,

> —— *Illi rubor igneus ora*
> *Succendit, tenditque cutem pereunte figurâ,*
> *Miscens cuncta tumor toto jam corpore major;*
> *Humanamque egressa modum, super omnia membra*
> *Efflatur sanies latè tollente veneno.*
> *Ipse latet penitus congesto corpore mersus,*
> *Nec lorica tenet distenti corporis auctum.*
> *Spumeus accenso non sic exundat aheno*
> *Undarum cumulus, nec tanto carbasa Coro*
> *Curvavere sinus: tumidos jam non capit artus*
> *Informis globus, confuso pondere truncus.*

Non potuit illud πίμπρασθαι enarratiùs depingi. Etiam ex loco illo (præter utriusque symptomatis adeò luculentam descriptionem) videre est quàm emphaticè hîc Vulgatus, *in tumorem convertendum:* nimirum, non ampliùs hominem eum, sed tumorem futurum: vel, ut verbis Lucani loquamur, *perituram figuram ejus.*

Ibid. Ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν] Suprà 5. com. 5, & 10.

Ibid. Μηδὲν ἄτοπον] Nil incommodi. Præter Theophrastum sic utitur & Herodianus, Οὐδὲν μὲν ἄτοπον προσδοκῶντες, lib. 4.

Ibid. Ἔλεγον θεὸν αὐτὸν εἶναι] Suprà 14. 5, & 11. vide.

Com. 7. Τῷ πρώτῳ τῆς νήσου] Ità apud Philonem, Ὁ κώμης πρῶτος.

Ibid. Ὃς ἀναδεξάμενος ἡμᾶς, &c. φιλοφρόνως ἐξένισεν] Sic φιλοφρόνως ξενίοις ὑποδέχεσθαι Dio Chrysostomus 7. Orat. dixit. Plutarchus in de Alexandri virt. vel fort. λόγ. β'. ξενίζειν καὶ φιλοφρονεῖσθαι· & in Apophthegm. Reg. φιλοφρόνως δέχεσθαι. Scriptor Maccab. 1. 3. 9. φιλοφρόνως ἀποδέχεσθαι. & Parthenius in Eroticis cap. 1. φιλοφρόνως ὑποδέχεσθαι. Idem cap. 3. οἰκείως ὑποδέχεσθαι, καὶ μετὰ πάσης προθυμίας ξενίζειν τινά. Hesychius, φιλοφρονοῦμαι, δεξιῶς καὶ προθύμως ἐνδέχομαι, ἢ ἀποδέχομαι. Ità in Excerptis Diodori, φιλοφρόνως ὁμιλεῖν· ibidem, & apud Plutarchum in iisdem Apophtheg. ἀσπάζεσθαι φιλοφρόνως.

Com. 8. Πυρετοῖς καὶ δυσεντερίᾳ συνεχόμενον] Eâdem planè copulâ A. Gellius, *Ibi alvo mihi citâ, accedente febre rapidâ decubueram,* 18. 10. συνέχεσθαι hîc, Matth. 4. 24. & alibi, est *constringi, colligari.* Nonnus in Joannem,

> —— Νυχαλέῳ πεπεδημένος ἄψεα δεσμῷ.

Ammianus lib. 26. *Constricti rapidis febribus.* Idem lib. 14. *ægritudine colligatum* dixit.

Com. 10. Τὰ πρὸς τὴν χρείαν] In MS. Regis mei, τὰς χρείας. Sic Rom. 12. 13. Tit. 3. 14. suprà hîc 20. 34.

Com. 11. Παρασήμῳ Διοσκούροις] Plutarchus in Convivio, Τῆς νεὼς τὸ παράσημον. Solebat navibus autem hoc signum boni ominis causâ imponi. Lucianus in Deor. dialogis, Προστέτακται αὐτοῖν (Castoribus) ὑπηρετεῖν τῷ Ποσειδῶνι, καὶ καθιππεύειν δεῖ τὸ πέλαγος· καὶ ἄν που ναύτας χειμαζομένους ἴδωσιν, ἐπικαθίσαντας ἐπὶ τὸ πλοῖον σώζειν τοὺς ἐμπλέοντας. Artemidorus 2. 42. de iisdem, Πάντων τῶν δεινῶν εἰς τέλος ἀζημίας ἀπαλλάττουσι. Apud Eundem 2. 23. τοὺς ἐν τῷ πλοίῳ θεοὺς ἱδρυμένους habes. Procopius ad Esaiæ 12. Ταῖς πρώραις θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων μαρτύρων·

Ibid. Ἀνήχθημεν ἐν πλοίῳ, &c. Ἀλεξανδρίνῳ.] Suetonius in Augusto, *Vectores, nautæque de navi Alexandrina, quæ tantum quod appulerat,* &c. Puteolos nempe, quò & appulit navis de qua heîc Lucas. Vide infrà com. 13.

Com. 13. Δευτεραῖοι] Personæ quod rei est tribuitur, ut monuit Vir maximus. Gellii ab eodem adducto, hunc adde Apuleii locum, *Pernox & perdia lanificio meos nervos contorqueo.*

Com. 14. Οὗ εὑρόντες ἀδελφούς] Ἀδελφοὺς nempe ἐκ τῆς περιτομῆς ità ut accipiam enim facit Josephus, qui Antiq. 17. 14. Judæorum Dicæarchiæ, id est, Puteolis habitantium meminit. Inter eos nonnulli Christo nomen ut videtur dederant.

Ibid. Οὕτως εἰς Ῥώμην ἤλθομεν] Bene hîc Recentior, *ivimus,* non *venimus.* Sic suprà 11. 12. ἦλθον 10. 23. συνῆλθον & Joh. 6. 17. ἤρχοντο. Virgilius,

> — *Vos celsis nunc primùm è navibus itis.*

Ubi Servius, *Itis, pro, venitis: ut è contrà Terentius, Nisi ego ad mercatum venio: pro, eo.* Sic & Bion Eidyl. 1. ἔρχεσθαι pro ἰέναι posuit.

Com. 15. Οἱ ἀδελφοὶ ἀκούσαντες τὰ περὶ ἡμῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν, &c.] Ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν, ut Matth. 25. 1. vide & suprà 10. 25. 1 Thes. 4. 17. Illa τὰ περὶ ἡμῶν non agnoscit Latinus, & sæpe sanè in his libris ἀκούειν intransitivè occurrit.

Ibid. Ἄχρις Ἀππίου Φόρου]

> *Differti nautis, cauponibus atque malignis.*

Com. 16. Τῷ στρατοπεδάρχῃ] Præfecto Prætorio. Eunapius de Imperatore Ædesium honorante, Ὁ δὲ καὶ ταῦτα ἔδωκεν, καὶ προσέθηκε τὸ μέγιστον τῶν ἀξιωμάτων, στρατοπεδάρχην ἐπιτρέψας καλεῖσθαι.

Ibid. Τῷ δὲ Παύλῳ ἐπετράπη μένειν καθ' ἑαυτὸν σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ.] Ex quatuor custodiendi modis qui in Jure occurrunt, hic ille est quem *militi traditionem* Jurisconsultus vocat, l. 1. de custod. & exhib. reor.

Com. 17. Τῶν Ἰουδαίων πρώτους] Vide suprà ad 13. 50. notata.

Com. 18. Μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου] Sic suprà 13. 28.

Com. 20. Ἕνεκεν γὰρ ἐλπίδος Ἰσραὴλ τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι] Vide 2 Tim. 1. 12. ΤΑΥΤΗΝ δεικτικῶς. Sic Ignatius ad Ephes. Ἠξιώθην εἰς Θεοῦ τιμὴν φορέσαι ταυτασὶ τὰς ἁλύσεις.

Com. 23. Ταξάμενοι δὲ αὐτῷ ἡμέραν] Apud Cicer. 3. de Nat. Deor. *Quoniam advesperascit, dabis nobis diem aliquem, ut contra ista dicamus.* Plinius lib. 6. Ep. 26. ad Lupercum, *Sed confodias licet, dummodo jam destines diem quo & de illis & de his coràm exigere possimus.* In excerptis Polybianis, Ταῦτα &c. διαλεχθέντες ἐχωρίσθησαν, ταξάμενοι μετὰ τρίτην ἡμέραν συμπορεύεσθαι.

Com. 24. Ἀπελύοντο] Suprà 19. 40. & 13. 43.

Ibid. Εἰπόντος τοῦ Παύλου ῥῆμα ἕν] Id est, postquam unum hoc, post tot monita ejus rejecta, ad notandam eorum incredulitatem dixisset. Sic dici solet de iis qui præcedentem sermonem suum insigni aliquo dicto claudere & quasi signare volunt. Dio in Excerptis, Καὶ τέλος ἓν τοῦτο εἰπών, πᾶσαν αὐτοῦ καὶ τὴν περιεργίαν καὶ τὴν ἀπληστίαν δηλώσω.

Com. 27. Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου] Vide ad Matth. 13. 14. notata.

Com. 28. Αὐτοὶ καὶ ἀκούσονται] Non audient tantùm, sed & obedient: non auribus solùm bibent, sed & animis. Est enim ἀκούειν hîc quod Matth. 13. 23. ἀκούειν καὶ συνιέναι, quod Luc. 11. 28. ἀκούειν καὶ φυλάσσειν. Vide & Luc. 6. 27. & 9. 35. & 16. 29. Marc. 4. 24. suprà hîc 3. 23. Tale illud,

> ——— *Nec audit currus habenas,*

Sic Hebr. 1. 15. Μέμνησθαι cum proposito revertendi occurrit.

Com. 30. Ἐν ἰδίῳ μισθώματι] Bene versum, *conducto suo.* Petronius, *Tuus iste frater seu comes paulò antè in conductum accurrit.* Seneca Benef. 7. 5. *Nec conductum meum, quanquam sis Dominus, intrabis,* Theophrastus in Charact. μισθωτὴν οἰκίαν dixit.

Com. 31. ἀκωλύτως] Ammianus fine lib. 18. *Virgines Christiano ritu cultui divino sacratas, custodiri intactas, & religioni servire solito more, nullo vetante, præcepit.* Idem lib. 22. de Juliano Imperatore, *Ut quisque NULLO VETANTE religionis suæ serviret intrepidus.*

F I N I S.

HISTORIA APOSTOLICA ILLUSTRATA

Ex Actis Apostolorum & Epistolis Paulinis, studiosè inter se

collatis, collecta ordinéque secundùm annorum numerum accuratè digesta, & in compendium contracta, ejúsque cum historia exotica connexio certis κριτηρίοις demonstrata.

Unà cum veræ Epistolarum Paulinarum (juxta temporis quo

singulæ sunt scriptæ ordinem) seriei historica demonstratione.

His additum est Historiæ Judaicæ, ab Asamonæorum sive Ma-

chabæorum tempore ad Hierosolymorum & Templi per Titum Vespasianum ultimum excidium, breve ex Josepho compendium, unà cum aliis nonnullis ex eodem Josepho excerptis, Templique Hierosolymitani, quale Josephi tempore fuit, ex ipsius mente & descriptione Ichnographia.

Unde variis N. Testamenti locis alioqui obscuris & perplexis

lux aliqua affulget.

Omnia studio & operâ LUD. CAPPELLI, Linguæ Hebraicæ & S. Theol. in Acad. Salmur. Professoris, collecta.

Doctrinâ & Pietate insigni Viro,

DN. JOH. DAILLÆO,

Ecclesiæ Parisiensis reformatæ Pastori dignissimo,

S. P. D. LUD. CAPPELLUS.

EGo semper mihimet ipse diffisus, ut scis, Vir doctissime, aliorum malui de me meisque audire atque exquirere sententiam. Cum itaque ante annos XIII hanc nostram Historiolam delineassem tantum, sine ullis κριτηρίοις atque characterismis quibus eam postea confirmavi, eámque sic crassè rudiúsque delineatam ad fratrem JAC. CAPPELLUM, (τὸν μακαρίτην) virum in hoc scribendi genere exercitatissimum, hinc Sedanum misissem, probavit ille quidem consilium meum, sed dissensum suum in particulari rerum quæ gestæ narrantur per singulos annos assignatione mihi indicavit, missâ ad id brevi Chronologicâ rerum illarum quam concinnaverat Tabulâ, ad cujus imitationem nos nostram postmodùm confecimus. Illam cùm accepissem omni demonstratione nudam, expendi, ut potui, accuratissimè: sed cùm eam non invenirem cum Characteris-mis nostris convenire, neque quadrare cum κριτηρίοις illis, quibus historiæ nostræ compages tota nititur, etsi ego sanè meritò, ut debeo, multum tanti Viri, mihique conjunctissimi, auctoritati & sententiæ tribuerem, non potui à me impetrare, ut sine certâ demonstratione illius sententiæ ultrò solâ ejus authoritate motus accederem, & à mea discederem. Itaque tota re diligentiùs ex illa occasione discussâ, eóque magis in sententia mea confirmatus, primam illam historiæ nostræ delineationem auxi tum characterismis, quibus eam comprobo, tum Epistolarum Paulinarum historicâ serie, tum denique compendio historiæ Judaicæ & excerptis è Josepho; ne sola Historiæ Apostolicæ compendiosa delineatio ipsâ molis suæ exilitate contempta jaceret. Eam itaque sic adornatam, ut eam jam damus, olim hîc Collegis meis plurimùm honorandis communicavi; quorum alter jam fato functus, vir prudentissimus & consultissimus, non improbavit, alter & probavit, & pro suo in nos affectu laudavit etiam. Horum suffragiis audacior factus tuam etiam, licèt longiùs positi, sententiam expetivi: tu verò non contentus modò calculo tuo eam comprobare, voluisti etiam aliorum, in hoc Scripti genere bene versatorum, de ea habere & ad nos perscribere judicium, nimiùm equidem & supra exspectationem nostram favorabile. Quorum omnium judicio factus confirmatior, Amico postmodum eam ad prælum exposcenti non dubitavi mittere, & fidei illius totum, quicquid illud est, concredere. Cui autem opellam hanc nostram inscriberem, non pu-

tavi

tavi diutiùs mihi esse deliberandum; statim enim tu mihi occurristi, Amicorum integerrime (sic enim liceat mihi, quanquam fortè nimis familiariter, amicè te compellare) qui præcipuus mihi autor fuisti eam edendi. Accipe itaque illam amoris nostri, & illius quam tuæ pietati, doctrinæ & eruditioni singulari meritò debeo, observantiæ certam atque indubitatam tesseram, nósque, ut facis, tui amantes perge redamare. Dabam è Musæolo nostro Salmurii M.DC.XXXIII.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

DUÆ sunt Verbi Dei, in S. Scriptura nobis traditi, veluti partes; altera δογματικὴ, quâ præcepta vitæ fideíque dogmata ad salutem necessaria traduntur; altera ἱστορικὴ, quâ Ecclesiæ historia, origo, progressus, constantia, varii casus, Dei circa eam singularis cura & admirabilis providentia adversùs omnes hostium ipsius impetus, nobis narrantur atque exponuntur. Utraque summoperè utilis & necessaria, utraque etiam, in iis quæ omnibus sunt scitu necessaria, aperta satis, facilis & perspicua, ità ut vel ab ipsis idiotis capi & intelligi ad salutem abunde possit. Sed & in utraque parte, tam ἱστορικῇ, inquam, quàm δογματικῇ, cùm singula penitiùs inspiciuntur, & pensiculatiùs omnia examinantur, non pauca inveniuntur obscura, perplexa, difficilia, intricata, imò verò & ἄπορα atque δυσκατάληπτα nonnulla, quæ etiam doctissimorum atque in Scripturis exercitatissimorum ingenia exercere, adeóque & aliquando torquere & angere possint. Atque in his explicandis, illustrandis, enodandis & enucleandis laborare pro virili, próque modulo sibi Divinitus indulto incumbere, pii quique debent, ut quantum fieri id potest, & humana fert atque patitur infirmitas, omnia sint in Scriptura S. plana & expedita, nihil sit quod studiosum ejus Lectorem remorari aut offendere possit.

Porrò Historia S. vel in V. vel in N. habetur Testamento. Novi autem Testamenti historia vel est, ut ità dicam, *Euangelica*, quæ Christi vitam, mortem, dicta, facta, résque gestas nobis enarrat; vel est *Apostolica*, quæ Ecclesiæ Christianæ primam originem, & veluti jacta fundamenta, nonnulrúmque Apostolorum qui in fundamentis illis jaciendis potissimùm præ reliquis laborarunt, historiam résque gestas complectitur. Illa in quatuor Euangeliis habetur; hæc Actuum Apostolicorum libro continetur. Atque in historia quidem Euangelica ex quatuor Euangelistis artificiosè in unum concinnanda, quatuórque sacris illis vitæ Christi scriptoribus, & veluti Actuariis, inter se componendis, corúmque φαινομέναις διαφωνίαις conciliandis, alii feliciter laborarunt, ut ad majorem rei illius illustrationem frustraneus videri possit novus labor; quanquam non pauca fortè adhuc supersunt, quæ ampliore egere videantur elucidatione, sed ea nos jam non attingimus. Apostolica autem historia tam brevis & plena est, ut illustratione non magnopere egere videatur, maximè post tot doctissimorum virorum scripta & Commentaria, quibus & totum N. Testamentum in genere, & in specie liber Actuum Apostolicorum illustratus est, ut actum agere videri quis possit qui aliquid jam post tantos viros dicere aut scribere ea de re aggrediatur. Verùm etsi nihil dici aut observari posset quod non priùs dictum fuerit & observatum; at dici tamen aliter potest, & quæ hic & illic apud multos sparsa sunt, in unum colligi, & brevi quâdam veluti tabellâ proponi possunt, ut uno quasi obtutu conspici queant. Mihi sanè animus non est undique corradere & in unum congerere quicquid ubique alii in historiam Apostolicam commentati sunt; nam quantæ id molis esset? quanti laboris? Hoc unum mihi hîc propositum fuit, seriem historiæ illius Apostolicæ, quæ ex solo N. Test. haberi potest (Ecclesiasticam enim non attingo) aptè & breviter, prout res ordine gestæ sunt, disponere; quæ in Epistolis Paulinis hîc & illic sparsa sunt historica ea suo quæque loco inserere; quæ perplexa, intricata & obscura in historiæ serie videntur (nam & hic suas habet interdum spinas Scriptura S.) ea pro virili explicare & extricare; Sacram illam historiam cum exotica, sive Romana, connectere; connexionis rationem variis adductis characterismis & κριτηρίοις reddere; quibus ille nexus demonstretur; seriem Epistolarum Paulinarum, pro temporis quo singulæ scriptæ sunt ordine, diligenter indagare, atque uti potuimus demonstrare & rationibus comprobare, utpote quòd ista observatio ad ipsarum Epistolarum infinitis in locis certiorem intelligentiam non parùm conducat. Quibus subjunxi nonnulla quæ ex Josepho seligere, excerpere, breviterque contrahere visum est, quæque non parùm facere videntur ad historiæ tum Euangelicæ tum Apostolicæ illustrationem & confirmationem: qualis est primùm Tabula Genealogica stirpis totiúsque familiæ Herodis, deinde series summorum Pontificum Judaicorum ab Herode ad eversum Templum, ut & Præsidum sive Procónsulum Syriæ, & Procuratorum Judææ; breve denique compendium historiæ Judaicæ à Machabæis ad Jerosolymorum, Templi, totiúsque Judaicæ Reip. eversionem per Titum Vespasianum, tum etiam Judææ præcipuarúmque ejus partium limites, confinia; & descriptio Hierosolymæ, & Templi delineatio ac veluti ἰχνογραφία, quæ omnia non exiguam lucem afferunt Sacræ N. Testamenti historiæ. In his omnibus conquirendis, digerendis atque disponendis siquid peccavi, & imprudens lapsus & deceptus sum, id æquus Lector spero condonabit, & humanæ illud dabit infirmitati, studium saltem & propositum nostrum non improbabit, cùm hoc unum hîc spectaverim, ut lucem aliquam illis qui Sacræ N. Testamenti historiæ studiosi sunt, affunderem. Quod si assecutus fuero, amplum operæ nostræ & otii in id insumpti præmium & mercedem reportasse mihi videbor; si minùs, aliis fortè ansam & occasionem præbuero majus aliquid & feliciùs in eam rem tentandi.

HISTORIÆ APOSTOLICÆ
Compendiosa Chronologica Tabula.

Olympiad.	Anni V.C.	Æræ Christi receptæ	Anni Augusti	
	751.		41.	Johannes concipitur.
	752.		42.	CHRISTUS nascitur.
			TIBERII	
	781.	27.	15.	Johannes incipit prædicare.
202.	782.	28.	16.	CHRISTUS à Johanne baptizatur annos natus XXX.
	783.	29.	17.	CHRISTUS munere suo fungitur, & (ut loquitur Daniel cap. 9. 27.) fedus multis confirmat, per dimidiam hebdomadem, h. e. per annos tres cum dimidio, nempe à suo Baptismo ad mortem usque Crucis.
	784.	30.	18.	
	785.	31.	19.	
203.	786.	32.	20.	CHRISTUS in media hebdomade exscinditur Cruci affixus à Pilato, Spiritum etiam Paracletum L post die in Apostolos suos solenni Pentecostes die festo mittit. Unde initium & originem suam ducit Ecclesia Christiana.
	787.	33.	21.	Petrus & Johannes claudum ad Templi portam jacentem sanant.
	788.	34.	22.	Fideles ditiores bona sua divendunt, pretium ad Apostolos deferunt. Ananias & Sapphira à Petro solo verbo exanimantur.
	789.	35.	23.	Aucto fidelium numero septem Diaconi ab Apostolis sacræ pecuniæ distribuendæ sunt constituti.
			CALIGULÆ	
204.	790.	36.	1.	Stephanus martyrio coronatur, Ecclesia à Saulo devastatur.
	791.	37.	2.	Philippus Samaritanos ad fidem Christi convertit; Eunuchum baptizat, Azoti & Cæsareæ annunciat Euangelium.
	792.	38.	3.	Paulus ad Christum convertitur, Damasco in Arabiam proficiscitur, atque isthic triennium prædicat Euangelium.
	793.	39.	4.	Petrus Ecclesias Judææ & Galilææ lustrans, Lyddæ Æneam sanat, Joppæ Tabitham excitat, Cæsareæ Cornelium cum familia ad Christi fidem convertit. Ecclesiæ Christianæ prima Antiochiæ jaciuntur fundamenta.
			CLAUDII	
205.	794.	40.	1.	Jacobus Johannis frater ab Herode (h. e. Agrippa) interficitur. Petrus ab eo in vincula conjectus ab Angelo liberatur. Jacobus frater Domini præcedenti Jacobo sufficitur.
	795.	41.	2.	Paulus ex Arabia Damascum repetit. Inde venit Jerosolymam ἱστορῆσαι Πέτρον. Hinc Tarsum, mox Antiochiam petit accersitus à Barnaba, qui Antiochiam ab Apostolis missus fuerat.
	796.	42.	4.	Paulus Antiochiæ annum unum prædicat Euangelium, unà cum Barnaba.
	797.	43.	4.	Eleemosynas fidelium Antiochiâ Jerosolymam defert, ob famem ab Agabo prædictam. Indè reversus Antiochiam, mittitur cum Barnaba ad prædicandum per Asiam Euangelium.
206.	798.	44.	5.	Hoc & præcedente anno annunciat Christum in Cypro, Pamphylia, Pisidia, Iconio, Lystris, Derbæ, reditque indè Antiochiam.
	799.	45.	6.	Antiochiâ mittitur Jerosolymam ad Concilium cum Barnaba. Indè reversus Antiochiam, Petrum paulò pòst eò profectum reprehendit de simulatione. Mox cum Sila in Asiam proficiscitur ad confirmandas Ecclesias antea à se fundatas.
	800.	46.	7.	In Creta Christum annunciat: per Pisidiam, Pamphyliam & Phrygiam Ecclesias lustrat, & Galatas Christo lucrifacit.
	801.	47.	8.	Venit Troadem, atque indè in Macedoniam, ubi Philippis, Thessalonicæ, Berœæ, atque indè Athenis Christum annunciat.
207.	802.	48.	9.	Corinthum venit sub finem hujus anni, ubi Aquilam & Priscillam offendit, quibuscum sesquiannum Corinthi commoratur, prædicans Euangelium, indéque scripsit utramque ad Thessalonicenses Epistolam.
	803.	49.	10.	
	804.	50.	11.	Corintho Ephesum cum Aquila & Priscilla venit, quibus isthîc relictis Jerosolymam excurrit ad festum. Indè Antiochiam & Ephesum, per Phrygiam & Galatiam, Asiæ ἀνωτερικὰ μέρη, properè repetit.
	805.	51.	12.	Ephesi manet biennium ad tumultum usque Demetrianum. Hinc Epistolas ad Galatas & ad Corinthos priorem, & ad Titum scribit, sed sub finem anni sequentis, ut & priorem ad Timotheum.
208.	806.	52.	13.	Sub finem hujus anni, vel initio sequentis, venit in Macedoniam atque Achaiam, ad Collectas recipiendas, Jerosolymam postmodum deferendas. Atque isthic Corintho soluturus in Asiam, ad Romanos Epistolam scribit sub finem sequentis anni.
	807.	53.	14.	Sub anni hujus finem Jerosolymis conjicitur in vincula. Captivus à Felice per biennium Cæsareæ servatur.

NERO-

Olympiad.	Anni V. C.	Æræ Christi receptæ	Neronis	
			NERONIS.	
	808.	54.	1.	
	809.	55.	2.	Paulus à Festo vinctus Romam mittitur sub finem hujus anni, ubi in vinculis per biennium detinetur.
209.	810.	56.	3.	Romæ in vinculis constitutus Paulus ad Ephesios, Philippenses, Colossenses & Philemonem scribit.
	811.	57.	4.	Sub hujus anni finem videtur Paulus vinculis fuisse liberatus, indéque profectus Græciam & Asiam repetivisse, atque Ecclesias isthic à se constitutas confirmasse per annos quinque vel sex.
	812.	58.	5.	
	813.	59.	6.	
210.	814.	60.	7.	
	815.	61.	8.	
	816.	62.	9.	
	817.	63.	10.	
211.	818.	64.	11.	Paulus Romæ martyrium fecisse dicitur, tum cùm Nero, post incensam Romam, Christianos quasi id scelus patrasslent, supplicio jussit affici, quæ persecutio facta fuit anno Neronis undecimo. Isthic paulò ante Martyrium posteriorem ad Timotheum scripsit Epistolam.

JACOBI CAPPELLI compendiosa in Apostolicam historiam Chronologica Tabula.

Olymp.	Tiber.	Æræ Christi	Urb. condit.	Matth.	Marc	Luc.	Joh.	
	15.	28.	781.	III. 1.	I. 1.	III. 1.		Johannes incipit prædicare anno Tiberii XV.
202.	16.	29.	782.	III. 13.	I. 9.	III. 21.	I. 15.	Christus baptizatus annos 30 natus. Luc. 3. 23.
	17.	30.	783.	IV. 12.	I. 14.	IV. 5.	I. 29.	Incipit prædicare.
							II. 13.	Primum post Christi Baptismum Pascha.
	18.	31.	784.	IX. 1.	II. 1.	V. 1.	V. 1.	Christus sanat paralyticum. II post Christi Baptismum Pascha notatur. Joh. 4. 35. & 5. 15.
	19.	32.	785.	XIV. 15.	VI. 30.	IX. 15.	VI. 4.	Christus quinque panibus V^{m} hominum nutrit pergens ad III à suo Baptismo Pascha.
203.	20.	33.	786.	XVII. 14.	IX. 14.	IX. 51.	XI. 1.	Christus ad IV à suo Baptismo Pascha pergens Lazarum excitat, Paschalem agnum edit Lunâ XIV. Luc. 22. 7. postridie crucifigitur feriâ sextâ Matth. 27. 62. Marc. 15. 42. Luc. 23. 54. Joh. 19. 31. Id sub Pilati Præfectura contingere non potuit nisi hoc anno, quo Luna XV. sive Plenilunium incidit in Aprilis tertium. Quæ tum contigit Eclipsis Solis, hanc Phlegon apud Euseb. notat contigisse 4 Olymp. CCII anno, exeunte scil.

Olymp.	Tiber.	Æræ Christi	Urb. condit.	Actor.	
	21.	34.	787.	III. 1.	PETRUS sanat claudum.
	22.	35.	788.	IV. 1.	Bona sua vendentium oblationes excipit.
	23.	36.	789.	V. 1.	Ananiam & Sapphiram percutit. Cùm autem Tertullianus in Apologetico testetur Tiberium dira supplicia comminatum accusatoribus Christianorum, hinc colligimus non ante Tiberii mortem contigisse persecutiones quæ narrantur Act. 5. 18. & deinceps.
	CALIGULÆ.				
204.	1.	37.	790.	V. 17.	Apostoli in carcerem conjiciuntur & liberantur.
	2.	38.	791.	VI. 1.	Apostoli Diaconos septem instituunt.
	3.	39.	792.	VIII. 3.	PAULUS convertitur, Damasci prædicat Euangelium, fugere cogitur, triennium in Arabia commoratur. Gal. 1. 18.
	4.	40.	793.	VIII. 14.	Petrus mittitur Samariam.
	CLAUDII.				
205.	1.	41.	794.	IX. 31.	Petrus it Lyddam. Imp. Caio Caligulæ succedit Claudius.
	2.	42.	795.	X. 1.	Petrus Cornelium baptizat. Paulus Hierosolymam venit, Act. 9. 26. in cœlum rapitur Act. 22. 18. annis 14 antequam scriberet secundam ad Corinthios Epistolam, ut ipse docet 2 Cor. 15. 2. It Cæsaream, indè Tarsum. Act. IX. 30.
	3.	43.	796.	XI. 25.	Paulus Tarso deducitur Antiochiam.
	4.	44.	797.	XII. 30.	Mittitur Hierosolyma, laturus eleemosynas, revertitur Antiochiam, Act. 12. 15. Jacobus ab Herode necatur, Act. 12. 1.
206.	5.	45.	798.	XV. 1.	PAULUS rursus Hierosolyma mittitur ad Concilium.
	6.	46.	799.	XVI. 1.	It Derben & Lystram.
	7.	47.	800.	XVI. 6.	It in Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Troadem.
	8.	48.	801.	XVI. 9.	It Samothracen, Neapolin, Philippos. Hinc Illyricum petit. Rom. 15. 29. unde forsan rediit Philippos.
207.	9.	49.	802.	XVII.	It Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, Berœam, Athenas.
	10.	50.	803.	XVIII. 1.	It Corinthum, ibi scribit 1 ad Thessal. per eos qui Corinthum reduxerant Silam & Timotheum. Comperit Judæos ex Italia pulsos. Act. 18. 2.
	11.	51.	804.	XVIII. 11.	Manet Corinthi sesquiannum.
	12.	52.	805.	XVIII. 18.	It Cenchreas, Ephesum, Cæsaream, Hierosolyma, Antiochiam, ubi Petrum redarguit anno XIV post suam conversionem, Gal. 2.

It Eph-

Olympiad.	Claudii.	Æræ Christi.	Urb. cond.	Actor.	
208.	13.	53.	806.	XIX. 1.	It Ephesum.
	14.	54.	807.	XIX. 10.	Manet Ephesi biennium.
	Neronis.				
	1.	55.	808.	XIX. 21.	Mortuo Claudio, qui Judæos expulerat ex Italia, tum demum de Roma petenda cogitat Paulus, idque Romanis scribens salutat Familiam Narcissi (Rom. 16. 11.) qui mortuus est eodem quo Claudius anno, teste Tacito. Scribit & ad 1 Cor. Epistolam.
	2.	56.	809.	XX. 1.	It in Macedoniam, ibique scribit 1 ad Tim. 2. ad Cor. In Græciam iturus transit per Cretam, ibique relinquit Titum, Tit. 1. 5.
209.	3.	57.	810.	XX. 3.	Redit in Macedoniam, ibi scribit ad Titum. Philippis exit post Nisan XXI. Troadem venit quinto pòst die. Septiduum exspectat ad feriam usque primam incidentem in Ijar II. April. XXIV. It Hierosolyma, ibique capitur. Cæsaream deducitur.
	4.	58.	811.	XXIV. 27.	Detinetur à Felice captivus biennium Cæsareæ.
	5.	59.	812.	XXV. 6.	Auditur à Festo, Romam ablegatur, hiemem agit Melitæ.
	6.	60.	813.	XXVIII. 12.	It Syracusas, Puteolos, Romam.
210.	7.	61.	814.		Scribit 2 ad Thessal. ad Philip. Coloss. Galat. Ephesios, Hebræos, Philemonem, Romæ.
	8.	62.	815.	XXVIII. 31.	Biennium Romæ commoratus it Troadem, Corinthum, Miletum, Colossas, 2 ad Tim. 4. 13, 20. Coloss. 4. 7. Philem. 22.
	9.	63.	816.		Redit Romam causam acturus, quòd in prima Romæ mansione non comparuissent accusatores.
	10.	64.	817.		Romæ scribit 2 ad Timoth. in qua meminit suæ Troadem, Corinthum & Miletum profectionis, 2 Tim. 4. 13, 20. Eâdem operâ videtur etiam Colossas profectus, & apud Philemonem Colossensem (Theodoreto teste) commoratus, prout illi pollicitus fuerat per Onesimum Româ scribens, per quem etiam ad Colossenses scripsit, ut patet Colos. 4. 7.

HISTORIA APOSTOLICA IN

Compendium contracta, ejúsque pro temporis ordine series; prout ea ex Actorum Apostolicorum libro, & Paulinis Epistolis colligi, digeri & suppleri potuit.

CUM illa sæpius à Prophetis prædicta temporum plenitudo advenisset, quâ promissiones Patribus olim factæ, de semine mulieris caput serpentis contrituro, complendæ erant, & definitum tempus, ab Angelo Danieli revelatum Dan. 9. 25, 26. expletum esset, Deus de cœlo in has terras Filium suum unigenitum, Dominum nostrum J. C. misit, factum ex muliere, B. Virgine Mariâ, de qua natus est anno imperii Cæsaris Augusti XLII. Urbis conditæ DCCLII. cùm alta pace totus terrarum orbis ubique frueretur. A Joh. Baptista Præcursore suo baptizatus anno ætatis suæ XXX, Luc. 3. 33. imperii autem Tiberii Cæsaris XVI, Urbis conditæ DCCLXXII, ministerium suum, & opus illud, cujus gratiâ à Patre missus fuerat, auspicatur; quo cùm per quadriennium ferme defunctus esset, anno Tiberii XX, sub Pontio Pilato, ipso Paschatis solenni festo, passus, cruci affixus, tertiâ die à mortuis resurrexit, quadragesimo pòst die in cœlum ascendit, & ad Patris dexteram gloriosè in æternum consedit.

Anno { *Tiberii* 20. / *Æra Christi receptæ* 32. } ACT. I, II.

Postquam autem Christus spectantibus Apostolis sic in cœlum ascendisset, illis Jerosolymam ex monte Olearum reversis, mox Petri cohortatione ad munus Apostolicum, in Judæ proditoris locum (qui ex desperatione sese præcipitem dederat, mediúsque crepuerat) ab ipsis allectus est sorte Matthias. Decimo pòst die, ipso Pentecostes festo, Spiritus S. Paracletus ille sæpius à Christo Discipulis suis promissus; de cœlo magnâ copiâ effunditur in Apostolos, quos variis linguis μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ eloqui docet atque impellit; ad cujus rei famam concurrentibus multis, & aliis ad tantum miraculum stupentibus; aliis verò illud profanè ridentibus, gravissima Petri ad eos concione tria eorum millia subitò ad Christum convertuntur; statimque baptizantur, móxque in dies credentium numerus augetur.

Anno { *Tiberii* 21. / *Christi* 33. } ACT. III, IV.

Aliquantò pòst Petrus & Johannes, primarii inter Apostolos, ad Templi portam, claudum annos XL. natum in nomine Christi, h. e. ipsius virtute, sanant. Unde concursu populi ad eos facto, & Petro ad plebem illam concionante, V^m hominum lucrifiunt. Interim à Templi Præfecto uterque in carcerem conjicitur; & postridie coacto Synedrio (cui Apostoli sistuntur) illis interdicitur nè in nomine Jesu posthæc loquantur: Cui interdicto renuunt parère Apostoli, quòd justius sit Deo quàm hominibus obtemperare. Atque domum reversi unà cum tota Ecclesia, fervido animi affectu Deo gratias agunt de Euangelii inter populares suos profectu, quas preces Deus, facto terræmotu, & Spiritûs sui in corda ipsorum missione, comprobat.

Anno { *Tiberii* 22. / *Christi* 34. } ACT. V.

Hinc mirè augetur numerus fidelium, qui inter se pacem, concordiam, charitatem summam colebant, ità ut qui ditiores inter ipsos erant, opes suas liberaliter in tenuiorum gratiam & commodum profunderent, divenditis ultrò prædiis, &

& possessionibus, quarum pretium ad pedes Apostolorum delatum in pauperum usum erogabatur. Cujus liberalitatis reliquis exemplo præivisse commemoratur Barnabas. Hujus exemplum sequi se simulantes Ananias & uxor ejus Sapphira, cùm impiâ fraude partem pretii agri à se divenditi mutuo consensu intervertissent, à Petro fraudem illam detegente, & per Spiritum S. cui mentiebantur, ulciscente, uterque solo ejus verbo & increpatione exanimatur. Unde magnus metus, & fidelium erga Apostolos reverentia in omnium cordibus nascitur. Cúmque per eorum manus multa fierent in dies signa & miracula, ità ut vel Petri umbra ægros in plateis jacentes sanaret, invidiâ moti Sacerdotes cum Synedrio, Apostolos conjiciunt in carcerem, unde ab Angelo sequente nocte liberati jubentur audacter & intrepidè populum in Templo docere. Indè ad Synedrium adducti, consilio Gamalielis (qui propositis Judæ Galilæi & Theudæ, impostorum & Pseudoprophetarum, exemplis, Synedrium in mitiorem traxit sententiam) postquam flagris fuissent cæsi dimittuntur.

Anno { *Tiberii* 23. *Christi* 35. — ACT. VI.

Cùm autem in immensum auctus esset fidelium numerus, nec sufficere possent Apostoli distribuendis ditiorum in tenuiores eleemosynis, administrandâque quæ ex opulentiorum distractis possessionibus congerebatur in unum pecuniâ, ex murmuris & querelæ, quæ indè orta est, occasione, Apostolorum consilio electi sunt septem Diaconi, qui ministerio illi vacarent. Horum Stephanus veluti primipilus, zelo fervens & Spiritu S. plenus, fortiter adversùs contradicentes Judæos disputat: cúmque inter disputandum non possent illi resistere sapientiæ & Spiritui per quem loquebatur, convertunt se ad calumnias, eúmque blasphemiæ apud Synedrium insimulant & accusant, compositis adversùs ipsum falsis testibus.

Anno { *Caligulæ* 1. *Christi* 36. — ACT. VII, VIII.

Qui cùm vehementi & acri atque prolixâ oratione in medio Synedrio ageret, eósque contempti Euangelii redargueret, extra urbem rapitur, ubi lapidibus obrutus primus omnium fidelium sub N. Testamento sanguine suo doctrinam Christi obsignat, *Protomartyr* ob id meritò à pia posteritate dictus. Hujus mortem suffragio suo & quasi calculo comprobavit & confirmavit (depositis ad ejus pedes testium vestibus) Saulus, qui postea factus Euangelii præco PAULUS est dictus) patriâ Tarsensis, Hebræus ex Hebræis natus, ex Benjaminis tribu oriundus, sectâ Pharisæus; Phil. 3: 5. in ea diligentissimè Jerosolymis ad pedes Gamalielis; celeberrimi inter Judæos Doctoris, educatus atque institutus, zelo Legis totus fervens, sed sine scientia, traditionum πατροπαραδότων tenacissimus, sed quia non videtur à Magistro suo tam violenta consilia didicisse, quandoquidem paulò ante id tempus Gamaliel Synedrium moderato consilio commoverat ne vellet in Dei Ecclesiam sævire. Is morte protomartyris Stephani, quasi re præclarè gestâ, audacior factus totam Ecclesiam Christianam, tum temporis intra urbis Jerosolymorum pomœria veluti conclusam, perdere satagit, irrumpens in singulas domos, atque indè trahens tum viros tum fœminas carceri publico mancipabat, eósque blasphemare (h. e. Christum abnegare) intentato metu supplicii cogebat. Unde factum ut plerique omnes (exceptis Apostolis) relictâ Jerosolymâ dispergerentur per Judææ & Samariæ oppida, Act. 11. 19. Qui autem sic dispersi vagabantur, Christum inter eundum per pagos & oppidula solis Judæis annunciabant.

Anno { *Caligulæ* 2. *Christi* 37.

Inter hos Philippus, ordine inter septem Diaconos secundus post Stephanum, fervidum ejus zelum imitatus, Samaritanis primus Christum annunciat, plurimósque ex iis ad Christum convertit & baptizat, ipsúmque adeò Simonem Magum, qui priùs miseros illos homines præstigiis suis & incantamentis veluti dementaverat, atque in sui admirationem & cultum rapuerat, jactans & mentiens se *magnam* esse *Dei virtutem* (h. e. Messiam.) Hanc Samaritanorum ad fidem Christi conversionem cùm rescivissent qui Jerosolymis substiterant Apostoli, Petrum & Johannem ad eos mittunt, qui in fide confirmarent, & manuum impositione dona Spiritûs S. eis conferrent. Quod cùm vidisset Simon ille Magus, totúsque de tanta miraculorum vi stuperet oblatâ Apostolis pecuniâ, magno precio emercari ab iis voluit potestatem conferendi cui libuisset Spiritum S. sed dignum tantâ insaniâ & impietate retulit à Petro responsum, *pecunia tua tecum pereat*. Hoc peracto ministerio Jerosolymam cùm repeterent duo illi Apostoli, in multis Samaritanorum pagis & oppidulis iter faciendo Christum prædicant. Sed noluit Deus tam angustis Judææ & Samariæ finibus Filii sui regnum contineri, alios longè remotiores ad sui cognitionem & Christi communionem vocari voluit. Itaque ejusdem Philippi ministerio Eunuchum, Candaces Æthiopum Reginæ Dynastam, præpositum universis illius opibus & thesauris, qui Jerosolymam venerat adoraturus, factus Judæus proselytus, ad Christum procurat converti & Baptismo tingi. A quo Philippus post Baptismum divulsus, & à Spiritu abreptus, Azoti & in circumvicinis oppidis, Cæsaream usque, Christum prædicat, atque illic (Cæsareæ inquam) ad multos annos substitisse colligitur ex Act. 21. 8. Nam Paulus 14 pòst annis, Jerosolymam deferens Achaiæ & Asiæ collectas, illum isthic offendit cum tota familia, ubi apud eum diversatus est, ejus domo tanquam hospitio usus.

Anno { *Caligulæ* 3. *Christi* 38. — ACT. IX. 31.

Cæterum Ecclesiæ quæ à Philippo & cæteris (qui Jerosolymâ ob persecutionem à Saulo excitatam excesserant) per totam Judæam, Galilæam & Samariam erectæ atque constitutæ fuerant, magis magísque in dies augebantur atque ædificabantur, altâ pace à Domino (sedatâ Sauli, post ejus ad Christum conversionem, persecutione) fruentes.

Anno { *Caligulæ* 4. *Christi* 39. — ACT. X, XI.

Eas cùm Petrus, fideles confirmandi gratiâ, lustraret, venisséque Lyddam; isthic Æneam ab annis octo paralyticum in grabbato jacentem sanat: in Joppe Tabitham discipulam bonis operibus plenam à mortuis excitat. Illic dum hæret ad aliquot dies, indè à Cornelio centurione Gentili (sed in Judaicam religionem propenso & bene affecto) Divino jussu evocatus Cæsaream, Cornelium cum tota familiâ & amicis quamplurimis in ejus domo congregatis; concione ad eos habitâ, ad fidem Christi convertit, atque Sp. sancto, cœlitus in eos ultro, nullâ præcedente Petri manuum impositione, delapso, Christi baptismo tinguntur. Quod cùm audivissent Apostoli, cæterique qui cum ipsis erant Jerosolymis fideles ex Judaismo ad Christum conversi, nonnullísque eorum, qui religionis patriæ fervidi erant Zelotæ, illud Petri factum non probaretur, ac propterea litem ei (cùm Jerosolymam rediisset) eâ de re movissent, quòd nefas ducerent homini Judæo Gentilis domum ingredi, & cum eo cibum sumere familiariúsque conversari, ipse (re totâ eis expositâ, & testium qui adfuerant autoritate comprobatâ) eorum qui antea facto ejus offendebantur animos lenivit; qui ubi intellexerunt totum id negotium gestum fuisse Deo procurante & jubente, & per Spiritum S. in corda Gentilium missionem comprobante, acquieverunt, Deúmque laudarunt quòd non Judæos modò, sed & Gentes ad sui agnitionem & fidem in Christum vocaret. Exemplum istud Petri secuti nonnulli eorum qui dispersi fuerant ob persecutionem à Saulo, post Stephani martyrium excitatam, cùm Antiochiam usque venissent, illic Christum ipsis etiam Gentilibus Græcis [*Vox* Ἑλληνιςαὶ, *quâ eo loci* (*Act.* 11. 20.) *utitur Lucas, propriè in N.T. usurpatur ad significandos Judæos* τῆς διασπορᾶς, *qui inter Græcos habitabant, & Græcâ linguâ in Synagogis, in lectione Legis & precibus utebantur. At hîc posita omnino videtur pro* Ἕλληνας, *ut eâ nempe significentur non Judæi inter Græcos commorantes; sed ipsi Græci Gentiles. Nam illud* ἦσαν δέ τινες, *&c. arguit exceptionem illius quod dictum fuerat v. 19. innuitque istos* Ἑλληνιςὰς *non fuisse Judæos, sed Gentiles, uti rectè à Beza est observatum*] prædicant, multósque ex iis Christo lucrifecerunt: quod cùm innotuisset Ecclesiæ Jerosolymitanæ, Apostoli Barnabam eò miserunt (anno Claudii secundo). qui eos in fide confirmaret.

Anno { *Caligulæ* 3. *Christi* 38. — ACT. IX.

Porrò interim dum Ecclesiæ Christi per totam Judæam, Galilæam, Samariam, Cyprum & Syriam Antiochiam usque multiplicantur, Saulus, qui Stephani morti consenserat, cùm per

per biennium Ecclesiam Dei Jerosolymis vastasset, spirans adhuc minas & cædem adversùs Discipulos Christi, neque contentus grassari intra urbis pomœria, cùm audiret Damasci nonnullos esse qui Christi nomen profiterentur, summum adit Pontificem, à quo literas impetrat ad Præpositos Synagogarum quæ erant Damasci, ut si quos isthic inveniret illius (uti loquebantur) Sectæ, sive homines sive feminas, eos vinctos Jerosolymam adduceret. Cùm illuc eo animo proficisceretur, Deus, qui eum ab utero matris ad Euangelii prædicationem separaverat, Gal. 1. 15, 16. misertus illius, Filium (quem ignorans persequebatur) ei revelat. Nam in ipso itinere, non longè à Damasco, Act. 22. 6. circa Meridiem Act. 26. 13. à Christo, subitò de cœlis assulgente splendore meridianam Solis lucem longè superante, & Hebraicâ dialecto eum inclamante atque compellante, *Saule, Saule, ut quid me persequeris?* &c. arguitur, increpatur, convertitur, de lupo fit ovis, imò Pastor. Idcirco enim (inquit ei) apparui tibi ut constituerem te ministrum, & testem eorum quæ tu vides, & eorum in quibus apparebo tibi deinceps, seligens te ex hoc populo, ut Gentibus, ad quas te mitto, aperias oculos (per Euangelii prædicationem) ut convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, Act. 26. 16, 17, 18. Hanc lucem Paulo assulgentem comites itineris viderunt, Act. 22. 9. Christum (quem solus Paulus vidit) non viderunt, Act. 9. 7. vocem quidem ἄσημον, & inconditum quendam sonum audiverunt, Act. 9. 7. at articulatum sermonem non ceperunt, Act. 22. 9. * saltem quid verba Christi Saulum alloquentis significarent non intellexerunt, quòd Hebraicæ Dialecti ignari fortè essent. [* *Loca illa duo Act. 9. 7. & 22. 9. quæ videntur adversis frontibus pugnare, sic videntur concilianda uti ea hic à nobis conciliantur, nempe ut alter locus de sono quodam confuso & voce ἀσήμῳ, alter verò de articulato sermone sit accipiendus; vel ut uterque de articulata quidem voce accipiatur, sed alter accipiendus sit de sermone cujus significatio, sensus & mens intelligitur & percipitur ab auditore, alter verò de sermone qui ab auditore non capitur, sive non intelligitur, ut cùm aliquis qui Latinè nescit audit alium Latinè loquentem. Pauli comites nesciebant Hebraicè, at Paulus Hebraicè sciebat. Itaque cùm Christus eum Hebraicâ compellavit dialecto, comites ejus auribus quidem verba Christi articulata perceperunt, sed eorum mentem, sensum & significationem non intellexerunt. Hinc est quòd Act. 9. 7. Pauli comites dicuntur audivisse vocem loquentis ad Paulum, sed neminem vidisse. At cap. 22. 9. dicuntur iidem non audivisse vocem loquentis ad eum, h.e. non intellexisse quid ipsi diceretur, quia Hebraica lingua non erant periti, quâ linguâ Christus Paulum alloquebatur.*]

Tam gloriosâ luce Paulus (qui in media prædicati ab Apostolis & Christo, dum in terris vixerat, Euangelii luce hactenus caligaverat) excæcatus, manu à sociis Damascum deducitur. Isthic triduum jejunus permanet, atque per id tempus [2 Cor. 12. *Tempus congruit: nam à Pauli conversione ad scriptam hanc Epistolam anni sunt* XIV. *Vide infrà Characterismum nostrum* VI.] exstasi in tertium cœlum rapitur, ubi videt & audit ἀνεκλάλητα & ἄῤῥητα (Hinc est quod Gal. 1. 12. disertè dicit, *Se non ab homine accepisse aut edoctum esse Euangelium, sed ex revelatione Jesu Christi*) atque à Christo immediatè ea quæ pertinent ad totam Euangelicam doctrinam edoctus est plenissimè. Unde factum ut cùm mox ab Anania antiquo Discipulo, Christi (qui ei in somnis apparuit) jussu, manuum impositione cæcitate suâ esse liberatus, & Christi baptismo tinctus, statim nullâ præcedente humanâ institutione, verè θεοδίδακτος Christum, quam antea persequebatur, in Judæorum synagogis prædicarit constantissimè; atque indè admiratio & stupor eos cepit qui eum priùs noverant, quique sciebant eum venisse Damascum cum potestate abducendi Jerosolymam vinctos, quotquot invenisset Christi nomen isthîc profitentes. Hoc cùm per aliquot dies magno animo Damasci fecisset Paulus, confundens adversantes Judæos, indè in Arabiam Gal. 1. 17. profectus * triennium isthic annunciando Christum totum exigit. [* *Paulus Gal. 1. 17. negat se statim post conversionem venisse Jerosolymam ad Apostolos, sed rectà Damasco abiisse in Arabiam, indéque rediisse Damascum, demum μετὰ ἔτη τρία, h.e.* exacto triennio, ἱστορῆσαι Πέτρον. *Initium illius triennii non aliunde arcessendum est quàm à Pauli conversione, ut hoc velit Paulus, se nonnisi exacto demum triennio à conversione sua venisse Jerosolymam πρὸς τοὺς πρὸ αὐτοῦ Ἀποστόλους. Hoc posito necesse est triennium illud à Paulo non Damasci, sed in Arabia actum fuisse. Nam si magna ejus pars Damasci acta fuisset, cùm Damascus Jerosolymis paucorum admodum dierum itinere distet, & frequens fuerit Damascenorum & Jerosolymitanorum Judæorum commercium, qui fieri potuit ut cùm Damasco Paulus Jerosolymam venit, omnes fideles eum refugerent, nescientes eum esse ad Christi fidem conversum? Hinc ergò firmum duci posse videtur argumentum, Paulum statim post conversionem Damasco in Arabiam profectum esse, atque isthic triennium illud egisse; quo exacto cùm Damascum reversus esset, & mox ei à Judæis struerentur insidiæ, noctu per mœnia sportâ demissum Jerosolymam venisse, & ab eo fideles initio refugisse, quia totum tempus à conversione sua egerat in Arabia, inter populos illos quibus parum aut nihil cum Jerosolymitanis erat commercii, ità ut hoc pacto conversionem ejus potuerint ignorare, quod non ità facilè fieri potuit si Damasci Paulus totum illud triennium, aut maximam ejus partem, egisset. Cùm itaque Act. 9. 23. dicit, ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί, συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν αὐτόν, complures illi dies intelligendi sunt de triennio quod à Paulo actum est non Damasci, sed in Arabia, quo exacto cùm rediisset Damascum structæ sunt illi istæ à Judæis insidiæ. Notandumque post cap. 9. vers. 22. interserenda esse (quod attinet ad historiæ seriem) ea quæ Gal. 1. Paulus narrat de profectione sua in Arabiam, quam Lucas eo loco non attigit, sed prorsus omisit, connectens primam à Paulo factam Damasci prædicationem statim ab ejus conversione, immediatè cum altera ab eo facta Damasci prædicatione, cùm eò reversus esset ex Arabia, quo tempore demum structæ sunt illi à Judæis insidiæ.*]

Anno { *Claudii* 2. / *Christi* 41. } ACT. XII.

Intereà temporis dum Paulus in Arabia Christum annunciat, cùm Petrus post Ecclesias Judææ & Galilææ à se lustratas, sub finem imperii Caii Caligulæ, Jerosolymam rediisset, Herodes Agrippa major sive primus, qui magnâ fuerat apud Caium Caligulam gratiâ [Joseph. Antiq. lib. 15. cap. 8, 9.] cùm majore adhuc esset apud Claudium ejus successorem [Joseph. Antiq. lib. 19. cap. 4. 5.] additâ ad ea quæ jam à Caligula acceperat, Judæâ, Samariâ & Abylenâ, mox post inauguratum in Imperio Claudium, sub finem primi Claudii anni, vel initio secundi, venit in Judæam ad regni sui res administrandas & constituendas, earúmque statum componendum. Is cupiens gratificari Judæis quos Christianis sciebat esse infensos, cœpit Ecclesiam Jerosolymitanam affligere, ejus (uti vocatur) Præsidem Jacobum, Johannis fratrem, gladio percussit; cui mox suffectus est Jacobus alius Alphæi filius, *frater* Domini nostri *Jesu Christi* dictus. Cúmque videret Herodes Judæis placere Jacobi necem, voluit ei etiam adjungere Petri supplicium. Eum itaque comprehensum conjecit in carcerem, mox ducturus ad supplicium, sed noctu ab Angelo, non sine miraculo, liberatus Jerosolymâ excessit, alióque secessit. Herodes spe suâ frustratus bilem in innoxios milites, quibus Petrum tradiderat custodiendum, convertit, jubens eos ad supplicium rapi. Nec multò pòst scelerum & sævitiæ istius in Christi Ecclesiam Deo vindici pœnas dedit, cùm Jerosolymâ Cæsaream profectus bellum adversùs Tyrios moturus, in media pompa & regio splendore ab Angelo (quòd passus esset se turpi adulatione vocari Deum) percussus, σκωληκόβρωτος animam efflavit, sub finem anni tertii Claudii Imperatoris; Joseph. Antiq. lib. 19. cap. 7. aut initio quarti.

* Paulò pòst interfectum ab Herode Agrippa Jacobum Johannis fratrem, suffectúmque in ejus locum Jacobum Alphæi filium fratrem Domini, priusquam Petrus ab Herode conjiceretur in carcerem, Paulus exacto in Arabia triennio, indè Damascum reversus est, Gal. 1. 17. mox à reditu structæ sunt illi à Judæis insidiæ, Præfecto Damasci, nomine Aretæ Regis Arabum, 2 Cor. 11. 32. portas urbis in gratiam Judæorum (ut Paulum prehenderet) observante, ut necesse propterea fuerit Paulum noctu per mœnia urbis sportâ demittere. [* *Paulus Gal. 1. 19. scribens de hac sua Jerosolymam profectione, dicit se tum nullum alium Apostolorum isthic vidisse præter Petrum & Jacobum fratrem Domini. Actorum autem 12. 17. Lucas scribit Petrum, cùm liberatus esset è carcere ab Angelo, & venisset in domum Mariæ jussisse ut Jacobo renunciarent se esse liberatum, cæterùm ipsum abiisse εἰς ἕτερον τόπον, quo omninò significatur eum Jerosolymis excessisse: nam si illic substitisset quid opus fuisset jubere ut Jacobo renunciarent se liberatum esse? Ex horum duorum locorum collatione colligimus Paulum venisse Jerosolymam post interfectum ab Herode Jacobum Johannis fratrem (alioqui eum Jerosolymis vidisset) & post suffectum in ejus locum Jacobum Alphæi filium, qui dicitur à Paulo* frater Domini, *& ante conjectum Petrum in carcerem, quia postquam carcere liberatus est excessit Jerosolymis, & aliò profectus est.*]

Is

Is hoc modò elapsus Damasco venit Jerosolymam *ἱστορῆσαι Πέτρον*, Gal. 1. 18. quarto post suam ad Christum conversionem anno. Cùmque eum omnes Jerosolymitani fideles refugerent, quod nondum scirent eum ad Christi fidem conversum, ad Apostolos Petrum & Jacobum fratrem Domini (præter quos nullum alium Apostolorum tum temporis vidit, Gal. 1. 19) deductus est à Barnaba, qui illis exposuit totam Pauli ad Christum conversionis rationem. Atque ità Paulus ab eis in societatem receptus, cum fidelibus liberè Jerosolymis versatus est, in nomine Jesu loquens & disceptans adversùs Judæos Hellenistas, per quindecim duntaxat dies, Gal. 1. 18. Cùm enim conarentur illi eum interficere, Paulus dum in Templo erat raptus in Ecstasim, Act. 22. 17. à Christo monetur, fore ut Judæi testimonium ejus non recipiant, jubetúrque propterea Jerosolymis excedere, & eò ire quò ipse eum missurus esset longè ad Gentes. Itaque ad vitandas illas Judæorum adversùs se insidias, útque mandato Divino obsequeretur, à fratribus Cæsaream deductus est; indè mox Tarsum, patriam suam, navigavit, unde paulò pòst Antiochiam à Barnaba accersitus est. Atque hoc illud est quod scribens ad Galatas dicit, se, postquam Jerosolymis excessit, venisse *εἰς τὰ μέρη τῆς Συρίας καὶ Κιλικίας*, Gal. 1. 21. nam Tarsus Ciliciæ, Antiochia Syriæ caput fuit atque Metropolis.

Anno { *Claudii* 2, 3. / *Christi* 41, 42.

Interea autem dum Paulus agit Tarsi, cùm Ecclesia Jerosolymitana audivisset multos à Gentibus Antiochiæ ad Christi fidem conversos esse ab iis qui *ἐκ τῆς διασπορᾶς*, post Stephani cædem, eò usque Christum annunciarant, Barnabam illuc misit ad eos in fide confirmandos; qui cùm eò venisset, tantámque fidelium multitudinem & eorum zelum vidisset, vehementer lætatus eos cohortatus est ut perseverarent in fide. Cùmque propositum illi esset isthic manere ad ædificandam magìs magísque Ecclesiam illam, & videret se imparem tanto oneri ferendo, Tarsum profectus est, ubi sciebat Paulum agere, unde eum accersivit, & Antiochiam secum adduxit; ubi conjunctis operis Christum per annum unum annunciant, tantámque hominum multitudinem ad Christi fidem convertunt, ut tum primùm Antiochiæ dicti sint *Christiani* illi qui in Christum crediderant. Dum illic agunt Paulus & Barnabas, Jerosolymis Antiochiam adveniunt Prophetæ nonnulli, quorum unus nomine Agabus prædixit per Spiritum futuram famem gravissimam in toto terrarum orbe, quæ accidit Claudii anno quarto, Joseph. Antiq. lib. 20. cap. 2. Unde factum ut fideles Antiocheni communi consilio decreverint, quisque pro viribus, aliquid conferre in subsidium tenuiorum fratrum Jerosolymis commorantium, atque illud ad Seniores Ecclesiæ Jerosolymitanæ per manus Pauli & Barnabæ miserunt: quod cùm perfecissent, expleto hoc suo ministerio, reversi sunt Antiochiam, & unà secum Johannem cognomento Marcum, Barnabæ *ἀνεψιὸν* sive *cognatum*, Colos. 4. 10. Jerosolymis Antiochiam abduxerunt.

Anno { *Claudii* 4. / *Christi* 43. — ACT. XIII.

Porrò non ità multò postquam Paulus & Barnabas Jerosolymà rediissent Antiochiam, jubet Spiritus S. eos à reliquis, qui isthic erant, Prophetis separari ad ministerium prædicandi Euangelii. Hi precibus & impositione manuum Deo commendati, ab Ecclesia dimissi, assumpto secum Marco, Seleuciam venerunt; indè Cyprum navigarunt, atque isthic Salaminæ primò cœperunt prædicare Euangelium; hinc Paphum venerunt, ubi accersitus à Sergio Paulo Proconsule Paulus Apostolus Barjesum Elymam, h. e. *Magum* [Arab. עלים significat *sapientem*, *scientem*: nam עלם illis est *scire*, *cognoscere*. Quo modo ergò Hebræis ידעני *Magum*, *divinum*, seu *hariolum* significat, à ידע quod *scire* significat, sic Arabibus עלים idem significat, à עלם quod est *scire*, *nosse*] sibi adversantem subitò excæcavit, & Sergium hoc miraculo perculsum ad fidem convertit. Papho venerunt Pergam Pamphyliæ; isthic Johannes ab eis discedens reversus est Jerosolymam. In ejus locum paulò pòst videtur assumpsisse Titum Græcum: nam cùm post peractam istam peregrinationem Antiochiam rediit, indéque Jerosolymam ad Concilium ascendit, habuit secum Titum. Pergà Antiochiam Pisidiæ profecti sunt. Isthic habità die Sabbati ad Judæos non sine fructu eximià concione, rogatus à Gentilibus Paulus ut eadem sequente Sabbato ipsis exponeret, Judæi moti adversùs Gentes invidià Paulo restiterunt blasphemantes; quo facto indignati Paulus & Barnabas, Judæis relictis, solis gentibus Christum prædicant. Unde irritati Judæi excitatà seditione Paulum & Barnabam finibus suis expulerunt.

Anno { *Claudii* 5. / *Christi* 44. — ACT. XIV.

Indè pulsi Iconium veniunt; ubi cùm multos tum ex Judæis tum ex Gentibus ad Christum convertissent, tandem excitato adversùs eos à Judæis tumultu, profugerunt indè Lystram, ubi claudum ab utero matris hominem sanat Paulus: quo miraculo in stuporem data Lystræ plebs Paulum Mercurium, Barnabam Jovem credit; quibus quasi diis cùm vellet sacrificare, Paulus & Barnabas laceratis vestibus honorem illum aversantes, ægre cohibent promiscuam plebeculam nè sibi sacrificarent. Mox cùm Iconio & Antiochià venissent Lystram increduli Judæi, excitato tumultu furiosa plebs Paulum, quem paulò antè Deum crediderat lapidatum extra urbem traxit quasi mortuum. Sed cùm eum circumstarent Discipuli, surgens quasi de somno Paulus unà cum ipsis urbem ingressus, postridie cum Barnaba Derben profectus est. Ubi cùm multos Christo prædicatione Euangelii lucrifecissent, non ulteriùs sunt progressi, sed indè Lystram, Iconium & Antiochiam Pisidiæ super vestigia sua regressi sunt, confirmantes in fide eos quos ad Christum converterant, atque in singulis Ecclesiis à se fundatis Presbyteros ordinarunt, qui eas communi consilio regerent & Verbo pascerent. Inde per Pamphyliam Pergam delati & Attaliam, Antiochiam Syriæ, unde primò profecti fuerant, & precibus Ecclesiæ Deo commendati ad opus illud (quod expleverant) missi erant, tandem exacto biennio postquam primò profecti fuerant, reversi sunt sub finem quinti anni imperii Claudii, isthícque substiterunt *οὐκ ὀλίγον χρόνον*.

Anno { *Claudii* 6. / *Christi* 45. — ACT. XV.

Interim dum isthic hærent, quidam *παρείσακτοι* falsi fratres, Gal. 2. 4. de Pharisæorum secta qui in Christum crediderant; Antiochiam venientes turbas in Ecclesia illa excitant, falsæ suæ doctrinæ, de necessitate observandæ Legis Mosaicæ ad consequendam salutem, nomen, autoritatem & mandatum Apostolorum qui Jerosolymis erant falsò obtendentes. Unde contentione & gravissimà Pauli & Barnabæ adversùs eos ortà disceptatione, ejus dirimendæ gratià unà cum Paulo & Barnaba alii nonnulli (inter quos Titus Gal. 2. 3.) ad Apostolos & Seniores qui erant Jerosolymis mittuntur, sciscitaturi eorum de hac quæstione sententiam. Qui cùm Jerosolymam venissent, Paulus Euangelium, quod ipse inter Gentes prædicaverat Gal. 2. 2. Petro, Jacobo & Johanni primariis inter Apostolos privatim primò exposuit, atque cum ipsis de eo contulit; qui cùm vidissent Paulo concreditum esse Euangelium Præputii, Gal. 2. 7. sicuti Petro Circumcisionis Euangelium, & agnoscentes gratiam à Christo Paulo factam, ipsi & Barnabæ ejus *συνεργῷ* societatis dexteram dederunt, ut ipsi Gentibus, Petrus verò circumcisis Judæis Euangelium prædicaret; útque Paulus pauperes fideles Jerosolymitanos Gentilibus fidelibus commendaret, & ab iis subsidium sublevandæ horum necessitati impetraret. Non contentus autem Paulus sic privatim cum Apostolis communicasse, nè aliquam inde calumniandi ansam arriperent falsi illi fratres, publicè præterea re in Consilio exposità, tandem post longam disceptationem, Petro primò sententiam suam dicente, Jacobo autem veluti perorante & concludente, decretum est communi sententià ac suffragiis totius Ecclesiæ Jerosolymitanæ, Gentes non teneri observatione Legis Mosaicæ; hoc duntaxat ab iis requiri, ut ab Idolothytis, scortatione, suffocato & sanguine abstineant. * Quam sententiam omnes secuti, cam per Epistolam Apostolorum, Seniorum & Ecclesiæ Jerosolymitanæ nomine scriptam, Ecclesiis ex Gentibus Antiochiæ, adeóque per universam Syriam & Ciliciam, ad Christum conversis significarunt, quam per Judam & Silam (quos Paulo & Barnabæ adjunxerunt) ad fratres Antiochenos miserunt. Qui cùm Antiochiam venissent, redditâ & lectâ Epistolâ, Ecclesiam graviter afflictam sibique malè metuentem à jugo servitutis Legis Mosaicæ, quod eorum cervicibus imponere volebant falsi illi Doctores, recrearunt, magnóque perfuderunt gaudio. [* *Duo ista priora nempe* Idolothyta & scortatio, *hic ideo commemorari videntur, quod jam tum fortè gliscere inciperet in Ecclesia Nicolaitarum error, qui utrumque horum licere docebant, uti liquet ex Apoc.* 2. 14, 15. *Duo autem illa posteriora, nempe* Sanguis & suffocatum, *videntur addita, non quasi eorum usus*

sit in se illicitus, sed ut daretur aliquid infirmitati Judæorum fidelium, qui ab his duobus vel maximè abhorrebant, neque potuissent facilè in animum inducere ut conversarentur & convivevent familiariter cum illis quibus sanguinis & suffocati usus fuisset licitus & in quotidiano ferè victu usurpatus.]

Hoc ministerio peracto Judas Jerosolymam reversus est; at Silas Antiochiæ remansit cum Paulo & Barnaba aliisque multis, quorum prædicatione & concionibus Ecclesia in dies magis magisque augebatur.* Non longo pòst tempore Petrus venit Antiochiam, atque isthic aliquandiu cum Gentilibus fidelibus liberè conversabatur, atque unà vivebat familiariter, Gal. 2. 12, & seqq. Verùm cùm Jerosolymâ illuc à Jacobo venissent nonnulli, metuens Petrus eorum offensionem à Gentilium fidelium conversatione se subduxit, quasi nefas esset Judæis fidelibus cum Gentilibus fidelibus convivere. Ejus exemplum & timiditatem secuti sunt, & statim imitati, reliqui Judæi fideles qui erant in Antiochena Ecclesia, adeóque unà cum illis & ipse Barnabas Pauli comes, socius & συνεργός. Quare Paulus videns hoc Petri facto libertatem à Christo nobis partam (qui Legis chirographum nobis adversum cruci secum affixit, eóque jugo nos liberavit) graviter periclitari, tacitóque veluti suffragio opprimi, zelo Dei motus & animo verè Christiano, in Petrum insurgit, eúmque de turpi simulatione atque pudenda timiditate coram omnibus arguit & graviter increpat. [* *Necesse est Petri à Paulo factam reprehensionem ad hoc tempus referre; neque enim facta est ante, sed post agitatam Jerosolymis de necessitate observandarum Mosaicarum ceremoniarum quæstionem, uti liquet ex serie narrationis Paulinæ Gal. 2. Jam verò ab hoc tempore Paulus non ampliùs venit Antiochiam nisi semel, quadriennio post Concilium istud Jerosolymitanum, anno Claudii 10. idque veluti in transcursu tantùm, (neque tum cum ipso fuit Barnabas,) uti ex sequenti historia hujus Apostolicæ seriei liquere potest.*]

Aliquantò pòst Paulo visum est operæ pretium Ecclesias quas in Syria, Cilicia & Asia condiderat revisere, ad eas in fide confirmandas. Cúmque ad hoc hortaretur & solicitaret Barnabam atque iste consuleret ut ad hoc ministerium assumerent secum Marcum Barnabæ ἀνεψιόν, Paulo verò istud non probaretur, quòd is in prima eorum profectione ab ipsis ultro nulla justa de causa discessisset, indè exacerbatione inter eos ortâ, invicem discesserunt; & Barnabas quidem assumpto Marco in Cyprum navigavit, Paulus verò, assumpto Sila & Tito, Syriam & Ciliciam peragravit confirmans in fide Ecclesias quarum antea fundamenta primus jecerat, monénsque & adhortans fratres ut starent decretis Apostolorum & Seniorum Jerosolymitanorum, Act. 16. 4, 5

Anno { *Claudii* 7. *Christi* 46.

Ex Cilicia videtur omnino Paulus navigasse Cretam, atque isthic annunciato Euangelio Titum reliquisse qui τὰ λείποντα διορθώσῃ Tit. 1. 5. indè venit Derben & Lystram. [*Lucas nullus meminit istius in Creta à Paulo factæ prædicationis (quo modo nonnulla alia prætermittit) at ea colligitur ex Epistola Pauli ad Titum. Neque potest in aliud tempus commodè conferri quàm in istud, aut in annum Claudii 10. cùm Paulus relictis Ephesi Aquilâ & Priscillâ navigavit Jerosolymam (Act. 18. 19.) Verùm illud iter Pauli fuit excursio duntaxat quædam, properabat nempe tum ad festum Jerosolymis agendum (ibid. vers. 21.) Itaque non videtur tum in Creta hærere potuisse ad prædicandum Euangelium.*]

ACT. XVI.

Isthic offendit Timotheum natum patre Græco sive Gentili, sed matre Judæâ piâ Eunice, aviâ verò Loide, 2 Tim. 1. 5. pium & fidelem Discipulum, ab ipsa infantia sacras literas edoctum, cui omnes qui Lystris erant & Iconii fratres bonum perhibebant testimonium pietatis & probitatis. Eum secum assumpsit Paulus (nempe Titi loco, quem nuper in Creta reliquerat) cùm eum priùs circumcidisset propter Judæos qui isthic erant, quòd omnes scirent Timotheum esse patre Græco, sed matre Judæâ natum. Cúmque vellent indè in Asia (propriè sic dicta circa Ephesum) Euangelium prædicare, nec Spiritus sineret, Phrygiam & Galatiam petiverunt, atque isthic percupidè à Galatis exceptus Paulus, quasi Angelus fuisset de cœlo, Gal. 4. 14, 15. vel ipse Dominum nostrum Jesum Christum illis annunciavit, eósque ad fidem Christi convertit. Indè venientes in Mysiam, cùm tentarent ire in Bithyniam, non permisit Spiritus. Itaque prætereâ Mysiâ descenderunt Troadem. Isthic Paulus Divinitus in somnis monitus constituit indè navigare in Macedoniam*: atque hic Lucas videtur à Paulo secum assumptus, cujus postea individuus fuit comes. [* *Hoc indè videtur colligi posse, quòd cùm illuc usque Lucas Act. 16. de Paulo & ejus comitibus semper loquatur in tertia persona, tum primùm incipit de illis loqui in prima persona, vers. 10.* ἐζητήσαμεν —— ἡμᾶς, *vers. 11.* εὐθυδρομήσαμεν, *& sic deinceps, quòd nimirum Lucas videatur tum Paulo primùm junctus fuisse.*]

Anno { *Claudii* 8. *Christi* 47.

Quare Troade primò Samothracen, indè Neapolim, postea Philippos (quæ Macedoniæ urbs venientibus ex Asia prima occurrit) delati sunt. Hic aliquandiu hæsit Paulus, ac primò Lydiam πορφυρόπωλιν ad Christum convertit, eámque cum tota ipsius domo baptizat, & ab ea excipitur hospitio. Deinde ancillam Pythonissam spiritu immundo liberat. Cujus miraculi occasione excitato à dominis ancillæ illius adversùs Paulum & Silam tumultu à Magistratu virgis cæsi in carcerem conjiciuntur. Ubi carceris commentariensi Christum annunciant, eóque cum tota familia baptizato, postridie à Magistratu civitatis carcere liberantur, atque ut urbe excederent rogantur. [ACT. XVII.] Philippis per Amphipolim & Apolloniam veniunt Thessalonicen. Isthic complures tum ex Judæis, tum ex Græcis piis & religiosis, atque etiam ex primariis nobilioribúsque feminis ad Christum convertit Paulus. Cúmque diutiùs isthic hæreret, semel atque iterum à Philippensibus necessaria vitæ subsidia accepit, Phillip. 4. 16. Sed increduli Judæi excitato tumultu & accusatione apud Magistratum institutâ, Paulum & Silam coegerunt urbe excedere. Indè Berœam veniunt, atque isthic prædicato Euangelio, multísque ex nobilioribus ad Christum conversis, Judæi rebelles Thessalonicâ illuc venientes, turbas adversùs Paulum excitant, qui indè Athenas venire cogitur, Silâ & Timotheo ad tempus relictis post se Berœæ, quibus in mandatis dederat ut mox ad se venirent Athenas.

Interim dum eos Athenis exspectat, cum Judæis primò in Synagoga, dein cum obviis quibusque è Gentilibus, adeóque etiam cum Philosophis in medio foro de Christo disputat; quibus cùm Paulus videretur esse peregrinorum Deorum annunciator, ab ipsis causam dicturus rapitur in Areopagum, ubi concione habitâ doctrinæ suæ rationem reddit, nonnullósque permovet atque ad fidem Christi pellicit, inter quos Dionysius dictus *Areopagita*, & nobilis quædam femina nomine Damaris, aliique non pauci. Cùm autem ad Paulum Berœâ venissent Silas & Timotheus, Paulus, qui magno Thessalonicensium desiderio tenebatur, ideóque semel atque iterum in animo habuerat eò proficisci, nec potuerat tamen id exsequi à Satana præpeditus, 1 Thessal. 2. 18. Timotheum rursus misit Thessalonicam, 1 Thessal. 3. 2. qui Thessalonicenses in fide confirmaret & consolaretur: cúmque indè ad Paulum rediisset, 1 Thessal. 3. 6. priusquam ipse Athenis excederet & Corinthum peteret, rursus in Macedoniam Silam & Timotheum misit, Act. 18. 5. eorúmque reditum ad se Corinthi præstolatus est.

Anno { *Claudii* 9. *Christi* 48.

ACT. XVIII.

Relictis Athenis Paulus venit Corinthum, ubi Aquilam & Priscillam ejus uxorem invenit, qui recens ex Italia (ob edictum Claudii Cæsaris quo Judæi Româ pellebantur) venerant; quibuscum (qui erant ὁμότεχνοι, nempe (σκηνοποιοί) Paulus commoratus est annum unum & dimidium usque ad Gallionis Proconsulatum.

Anno { *Claudi* 10. *Christi* 49.

Isthic Crispum Archisynagogum cum tota ejus domo, & Gaium, & Stephanam 1 Cor. 1. 14, 15, 16. (quos tres ipse etiam baptizavit) multósque alios ad Christum convertit, adeóque (uti videtur) & ipsum Sosthenem 1 Corint. 1. 1. Archisynagogum (qui Crispo in eo munere successerat) licèt primò adversarium & Pauli apud Proconsulem Gallionem accusatorem, Act. 18. 16, 17.

Anno { *Claudi* 11. *Christi* 50.

Exactis illic octodecim mensibus, Paulus navigavit in Syriam,

riam, & assumptis secum Aquilâ & Priscillâ venit Ephesum, atque eos isthic reliquit. Ipse enim paucis diebus actis Ephesi, etsi rogatus diutiùs illic hærere, quia properabat Jerosolymam, ut isthic tempore Festi (Paschatis putà, vel Pentecostes) esset, Epheso solvit in Judæam, venitque Cæsaream, indè Jerosolymam ascendit; atque isthic, * Ecclesiâ salutatâ, Antiochiam descendit, ubi aliquandiu substitit, eámque passus esse videtur persecutionem cujus Timotheum dicit fuisse testem, 2 Tim. 3. 11. Antiochiâ Ciliciam & Lycaoniam peragrans Galatiam & Phrygiam petivit, (Act. 19. 1. ubi τὰ ἀνωτερικὰ μέρη significat Phrygiam & Galatiam) quibus etiam peragratis venit Ephesum. [* *Illud ἀσπασάμενος τὴν ἐκκλησίαν quod est Act. 18. 22. non de Cæsareensi (uti primâ fronte videri potest) sed de Jerosolymitana accipiendum est Ecclesia, quæ ἀντονομαστικῶς dicitur* Ecclesia. *quod omnium reliquarum Ecclesiarum mater veluti esset. Nam si de Cæsareensi intelligeretur illud, Paulus non venisset Jerosolymam contra id quod dixit v. 21.* δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱερουσαλήμ. *Tum etiam idem probatur voce* ἀναβὰς *quæ præcedit,* ἀναβὰς καὶ ἀσπασάμενος *sensus enim est*, descendit Cæsaream, *indè* ascendit (*Jerosolymam*) *ubi* salutatâ Ecclesiâ descendit Antiochiam.]

Porro interim dum Paulus iter illud suum Epheso Jerosolymam, & Jerosolyma Ephesum per Antiochiam Syriæ, per Ciliciam, Galatiam & Phrygiam instituit, Appollos vir potens in Scripturis, fervens spiritu, aliquâ sed levi cognitione Christi tinctus, utpote qui solùm Johannis Baptismum noverat, h.e. non ampliorem habebat de Messia cognitionem eà quam à Johanne Baptista, ejúsve discipulis, percipere potuerat; is, inquam, venit Ephesum, ubi ab Aquila & Priscilla (quos illic Paulus, petens Jerosolymam, reliquerat) penitus est in via Domini institutus, atque isthîc cùm aliquandiu Christum prædicasset, * (dum Paulus hærebat adhuc Antiochiæ, priusquam in Phrygiam venisset) Epheso solvit in Achaiam, venitque Corinthum, ubi magno cum animi fervore Christum annunciat, atque isthic rigat (1 Cor. 3. 6.) id quod Paulus paulò antè plantaverat. [* *Appollo venisse Ephesum dum Paulus Antiochiæ adhuc hærebat colligitur ex Act. 19. 1. Si enim dum Appollos erat Corinthi Paulus* διῆλθε τὰ ἀνωτερικὰ μέρη, *h. e. Phrygiam & Galatiam, (quas cum excessisset Antiochiâ peragravit) sequitur Appollo venisse Ephesum antequam regiones illas lustraret; ergò id factum dum Paulus Antiochia vel Jerosolymis, aut Cæsareâ adhuc esset.*

Anno { *Claudii* 12. *Christi* 51. — ACT. XIX.

Cæterùm dum Corinthi agit Appollos, Paulus peragratâ Phrygiâ & Galatiâ venit Ephesum. Isthic duodecim Discipulos offendit, qui Johannis baptismum tantùm noverant, necdum Spiritum S. per manuum impositionem acceperant, quos ulteriùs in Christi doctrina instituit, manuúmque impositione dona Spiritûs S. illis confert. Menses tres in Judæorum Synagoga Christum prædicat; sed illis obnitentibus, ab ipsis & se & credentes separat, docétque publicè in Schola Tyranni cujusdam per * annos duos magno cum fructu, & profectu Euangelii: sic enim factum ut per totam Asiam propriè sic dictam (quæ est circa Ephesum) Christi Euangelium sit disseminatum inter Judæos & Gentiles; multísque miraculis confirmatum illud fuerit, Dæmonibus ex Energumenorum corporibus exire in nomine Jesu à Paulo coactis: quod cùm pravâ κακοζηλίᾳ tentare atque imitari voluissent quidam exorcistæ Judæi Scevæ filii, jubentes Dæmonem exire in nomine Jesu quem Paulus prædicabat, pessimè habiti sunt ab Energumeno, qui in eos insiliens malè multavit, & vulneratos coegit aufugere, unde metus & pavor & reverentia erga Christum omnes tum Judæos tum Gentiles occupavit. [* *Paulus Act. 20. 31. cùm Ephesinis Presbyteris valediceret, testatur se triennio inter eos docuisse, & nocte dieque laborasse: nempe duobus istis annis adjungendi sunt primùm tres menses quibus ante illud triennium docuit in Synagoga, tum etiam tempus illud licèt breve quo Ephesi docuit cùm primò illuc venit cum Aquila & Priscilla, Act. 17. v. 18. Anno enim uno integro venerat Ephesum Paulus cum Aquila & Priscilla ante biennium istud, licèt anni illius partem maximam consumpserit Paulus in peragratione illa sua tertia quâ Jerosolymam ascendit; indè Antiochiam, Phrygiam & Galatiam lustravit antequam secundò veniret Ephesum.*]

Anno { *Claudii* 12. *Christi* 51.

* Interea temporis Apollos ad Paulum Corintho Ephesum venit. * [Colligitur istud ex 1 Cor. 16. 12. scripta est enim Epistola illa Ephesi sub finem biennii quod illic egit Paulus, cùm indè cogitaret ire in Macedoniam, & itineri sese accingeret, utì liquet ex vers. 5, & 6. capitis illius, Μακεδονίαν γὰρ διέρχομαι] Exacto autem, vel saltem affecto, biennio illo Paulus primò proposuerat 2 Cor. 1. 15, 16. relictâ Epheso Corinthum rectà petere, indè in Macedoniam proficisci; ex Macedonia rursus Corinthum, atque indè Jerosolymam ascendere: sed mutato postea consilio 2 Cor. 1. 17. proponit sibi primò Macedoniam, indè Achaiam petere Act. 19. 21. ut collectas Ecclesiarum illarum 1 Cor. 16. 1. & Rom. 15. 25, 26. Jerosolymam deferendas reciperet. Præmittit autem ante se Timotheum & Erastum, qui procurarent & præpararent Collectas illas, nè cùm ipse veniret, eas inveniret infectas, 2 Cor. 9. 3, 4. Ipse autem aliquandiu substitit Ephesi. Interim ad Paulum scribunt Corinthii, 1 Cor. 7. 1. idque (uti videtur) per Stephanam & Fortunatum quos ad eum miserant, 1 Cor. 16. 17, 18. quósque videtur Paulus remisisse Corinthum, & per eos (uti fert Epistolæ subscriptio) Epistolam priorem ad Corinthios scripsisse, eos enim Corinthiis in Epistola illa commendat, simul rogans Apollo 1 Cor. 16. 12. ut unà cum ipsis Corinthum rediret, qui renuit id facere, & Cretam videtur potiùs petivisse; quò cùm proficisceretur unà cum Zena Legis Doctore, videtur Paulus per eos Epistolam ad Titum scripsisse, in qua utrumque Tito commendat, quem simul jubet ad se venire * Nicopolim, ubi tum animo proponebat hiemem agere. Sed mutato consilio accersitus est Ephesum Titus, unde à Paulo præmissus est Corinthum, ut Corinthiorum statum resciscerct, post scriptam à se ad eos priorem Epistolam. [* *Vel legendum est isthic* Neapolis, *quæ est prope Philippos in Macedonia, vel intelligenda est illa Nicopolis quæ est in Thracia ad Nesum fluvium, non longè à finibus Macedoniæ. Neque enim potest hîc intelligi Nicopolis illa quæ est in Cilicia, neque item illa quæ est in Epiro; sunt enim extra viam Pauli Epheso tendentis in Macedoniam. Nicopolis etiam illa quæ est in Thracia ad Hermum montem sita, non potest commodè hîc intelligi, quia longiùs est remota à via Pauli in Macedoniam properantis.*]

Anno { *Claudii* 13. *Christi* 52. — ACT. XX.

Interea à Demetrio excitatur Ephesi magnus adversùs Paulum tumultus; quo sedato Paulus, postquam valedixisset fratribus, relicto Ephesi Timotheo, 1 Tim. 1. 3. (qui ad eum ex Macedonia jam redierat) ad Ecclesiam illam regendam, Epheso statim digressus ut in Macedoniam proficisceretur, venit Troadem, 2 Cor. 2. 12. ubi licèt porta Euangelii pateret illi magna, tamen quia Titum (quem ad Corinthios præmiserat) illic non invenit, à quo Corinthiorum statum resciscere vehementer cupiebat, non diutiùs isthic hæsit, 2 Cor. 7. 5. sed indè solvit in Macedoniam. Atque illic, Paulum graviter ab hostibus Euangelii afflictum recreavit Titi adventus, qui Corinthiorum pœnitentiam illi nunciavit, & quàm apud illos efficax fuisset prior ad eos à Paulo scripta Epistola.

Anno { *Claudii* 14. *Christi* 53.

Cúmque à Macedonibus Collectas recepisset, quos ob insignem liberalitatem commendat, 2 Cor. 8. 1. Titum rursus ad Corinthios mittit, 2 Cor. 8. 6, 15, 16. atque unà cum eo Lucam, quem his verbis περιφραστικῶς innuere videtur, ἀδελφὸς οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, 2 Cor. 8. 18. item alium quem *fratris* duntaxat appellatione designat, Ibid. v. 22. & cap. 12. 8. quos ad hoc Corinthum præmisit ut Corinthiorum Collectas curarent in adventum suum paratas, 2 Cor. 9. 3, 4, 5. ideóque multis verbis eos ad munificentiam illam hortatur, totis cap. 8, & 9. missâ per Titum & Lucam ex Macedonia ad Corinthios posteriore Epistolâ. [ACT. XX.] Ipse paulò pòst subsecutus venit εἰς τὴν Ἑλλάδα nempe Athenas & Corinthum, atque illic per tres menses substitit. Per illud trimestre videtur Paulus excurrisse Illyricum usque prædicando Euangelium, Rom. 15. 19. vix enim aliud tempus assignari commodè potest quo eò usque progressus sit, nisi fortè quis malit excursionem illam referre ad id tempus quo primùm venit in Macedoniam, ità ut Thessalonicâ in Illyricum usque excurrisse dicatur. Sub finem illius trimestris, cùm jam paratus esset navigare in Syriam ad deferendas Jerosolymam Ecclesiarum eleemosynas, Corinthi scribit insignem ad Romanos Epistolam, uti liquet ex Epistolæ

illius cap. 15. v. 25, 26. Indè iter suum per Macedoniam propter Judæorum insidias in Syriam & Jerosolymam instituit.

Anno { *Claudii* 14. / *Christi* 53.

Itineris sui comites habuit Sopatrum Beroeensem, Aristarchum, Secundum, Gaium Derbensem, Timotheum, Tychicum & Trophimum. Hi videntur omnino esse illi qui 2 Cor. 8. 23. dicuntur *οἱ ἀπόστολοι τῶν ἐκκλησιῶν*, h. e. illi qui ab Ecclesiis electi & missi erant ut cum Paulo Collectas Jerosolymam deferrent; noluit enim Paulus solus eo munere defungi nè suspicione aliquà interversæ pecuniæ aspergeretur (uti ipse ibidem notat v. 20.) Lucæ non fit inter illos mentio (Act. 20. 4.) quia Lucas noluit ipse se nominare; eum tamen Pauli fuisse *συνέκδημον*, & ab Ecclesiis ad deferendas Collectas illas delectum atque *χειροτονηθέντα* liquet ex 2 Cor. 8. 19. Hi à Paulo Corintho, vel potiùs Beroeà aut Thessalonicà, præmissi sunt Troadem. Ipse autem cùm Philippis dies Azymorum egisset, indè solvens die quinto Troadem ad eos venit. Hic septiduum egit, & Eutychum de fenestra *ὑπερῴου* in teram delapsum excitavit à mortuis.

Anno { *Claudii* 14. / *Christi* 53.

Indè Assum per mare delati, isthic Paulum qui Troade illuc pedestri itinere profectus fuerat navi excipiunt, (Asso Mitylenem, indè Chium, Samum & Miletum veniunt. Huc Paulus, cùm nollet longiorem in Asia moram trahere (cupiebat enim die Pentecostes esse Jerosolymis) Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros ad se accersivit, & gravissimâ oratione eos de officio admonuit, & ad illud gnaviter faciendum hortatus est seriò. (Act. XXI.) Mileto venerunt Coum, unde Rhodum, postea Pataram, hinc prælerlegentes Cyprum, eàque ad lævam relictâ, venerunt Tyrum. Isthic septiduum substiterunt, ubi Paulus à fratribus monitus fuit nè Jerosolymam ascenderet, sed frustrà; nam indè Ptolemaida, & postridie Cæsaream veniunt, & apud Philippum Euangelistam (unum ex septem Diaconis illis primis Jerosolymitanis) diverterunt, hospitióque excepti sunt. Isthic iterum ab Agabo (qui Jerosolymis Cæsaream descenderat) monitus est de vinculis quæ eum manebant Jerosolymis. His non commotus Paulus (nequicquam consulentibus & hortantibus amicis omnibus nè se in tam præsens discrimen conjiceret) Jerosolymam nihilominus pergit.

Hic ab Ecclesia libentissimè exceptus, Jacobi & totius Presbyterii consilio, ad eluendam quæ de eo sparsa erat calumniam, (cum nempe docere atque hortari Judæos in Christum eredentes ut ab observatione Legis Mosaicæ recederent) quatuor viris qui ex fidelibus Judæis votum Nazaræatûs fecerant se adjungit, cum iis secundùm Legis præscriptum se purificat. Non tamen eo promovet quidquam: cùm enim eum in Templo vidissent nonnulli ex incredulis & rebellibus Judæis Asiaticis, qui Jerosolymam ad festum ascenderant, magnis clamoribus & vociferatione turbas adversùs Paulum concitant, conficto etiam calidissimo mendacio, eum nempe introducto in Templum Trophimo Gentili Ephesio, illud polluisse. Cúmque propè esset ut ab iis per tumultum trucidaretur, superveniente Tribuno cum cohorte ereptus est eorum manibus, & ductus in castra, ubi, permittente Tribuno, concionem ad tumultuantem populum habuit, [Act. XXII.] ad sedandos eorum animos, sed frustrá: etenim eà concione vehementiùs exacerbati sunt adversùs eum: quare Tribunus cùm vellet certò scire cujus criminis accusaretur Paulus, eum posterà die vinculis solutum * Synedrio Judæorum in castris coacto stitit: sed ortà in Synedrio de Paulo dissensione inter Sadducæos qui accusabant, & Pharisæos qui Paulum excusabant, Tribunus metuens nè ab illis inter contendendum discerperetur, Paulum è medio Synedrio jussit à militibus rapi. [* *Huic Synedrio præerat Ananias Pontifex M. Act.* 23. 2.) *qui à Josepho dicitur abdicatus Pontificatu & Romam missus, redditurus Claudio rationem seditionis ab eo excitatæ, circa annum Claudii decimum; sed legendum est* 14. *uti liquet ex historia hujus Apostolicæ seriei, quæ id necessariò requirit.*]

Act. XXIII.

Postridie cùm à conjuratis nonnullis Zelotis Paulo struerentur insidiæ, & Tribuno à Pauli ex sorore nepote indicatæ illæ fuissent, ab eo, cum satellitum ad ipsius custodiam comitatu, Cæsaream ad Felicem provinciæ Præsidem cum literis missus fuit.

Anno { *Claudii* 14. / *Christi* 53. Act. XXIV.

Isthîc quinto pòst die apud eum ab Anania & Synedrio, perorante Tertullo Rhetore, accusatus Paulus à falsis eorum criminationibus cùm se purgasset, re infectâ, & causæ definitione atque judicio in aliud tempus dilatis, dimisit Felix accusatores Pauli, eúmque jussit libera servari in custodia; & sperans ab eo magnam auri vim, ut vinculis solveretur, sæpius eum accersebat in gratiam Drusillæ uxoris genere Judææ, audiebatque libenter.

Anno { *Neronis* 1, 2, 3. / *Christi* 54, 55, 56. Act. XXV.

Atque ità totum biennium in vinculis asservatus fuit Paulus quo exacto successit in Provincia regenda Felici Festus, qui tertio postquam ingressus fuit Provinciam die, Cæsareâ venit Jerosolymam; apud quem cùm summus Sacerdos & Synedrium Paulum accusarent, rogantes ut Cæsareâ Jerosolymam adduceretur, animo eum ex insidiis in itinere interficiendi, renuens Festus jussit Pauli accusatores venire Cæsaream; & decimo pòst die ipse Jerosolymâ Cæsaream descendit, atque postridie, nullâ interjectâ morâ, sedens pro Tribunali audivit Judæos Paulum accusantes, & Paulum ab eorum accusatione se purgantem. Cupiens autem Festus Judæis postulantibus ut Paulus Jerosolymis judicaretur gratificari, interrogavit Paulum num vellet Jerosolymis coram se ea de re de qua postulabatur judicari. Paulus, qui intelligebat quo animo & consilio Festus id rogaret, & metuens sibi à Judæorum insidiis, renuit proficisci Jerosolymam, Cæsarémque appellavit. Interjectis aliquot diebus cùm junior Agrippa Rex & * Berenice ejus soror venissent Cæsaream salutaturi de more Festum novum provinciæ Præsidem, atque aliquot dies isthic trivissent, Festus animo pendens & dubius quid de Paulo ad Cæsarem scriberet, Agrippæ ea de re consilium rogat. [* *Lucas non dicit utrùm uxor an soror ejus fuerit, verùm ex Josepho lib. 20. c. 5. Ant. Jud. liquet eam fuisse Agrippæ sororem, quæ cùm à patre Agrippa majore collocata fuisset nuptura Herodi Chalcidis Regi post ejus obitum vidua in fratris Agrippæ junioris domo remansit: quâ de causa etiam cùm malè audiret, quasi cum fratre consuesceret, ut malam illam famam dilueret, Polemonis Regis Lyciæ ambiis nuptias; cui cùm nupsisset, mox eo repudiato rursus ad fratrem rediit.*]

Act. XXVI.

Is libenter audito in Apologia sua Paulo, & vehementer oratione ejus (quam Festus deridebat) commotus, censuit cum reliquo consessu Paulum nihil morte aut vinculis dignum fecisse, ac propterea solvi posse hominem nisi Cæsarem appellasset.

Act. XXVII.

Itaque decretum est ut cum aliis captivis Romam ad Cæsarem Paulus mitteretur. Traditus est autem cum reliquis captivis Centurioni Julio Legionis Augustæ, qui cum navi Adramyttenæ Asiam petenti imposuit: & solventes portu primò Sidonem, indè Cyprum, postmodum pelagus quod est secundùm Ciliciam & Pamphyliam prætervecti venerunt Myram Lyciæ; ubi cùm invenisset Centurio navem Alexandrinam, cujus insigne fuit Castor & Pollux, petentem Italiam, imposuit illi captivos.

Anno { *Neronis* 3. / *Christi* 56.

Indè solventes, & debili vento vix impellente, primò Cnidum insulam, indè Salmonem Cretæ oppidum, pòst Lasæam venerunt. Et Paulus quidem consulebat ut isthîc hiemarent, quòd prævideret navigationem futuram deinceps periculosam. Sed nauclero magis quàm Paulo credens Centurio noluit illic subsistere, sed capto consilio Phoenicen Cretæ portum sic dictum decrevit petere, atque illic hiemare: cúmque illuc tenderent, aspirante primùm Noto, sed mox ortâ subitò procellâ gravissimâ, post multorum dierum periculosissimam jactationem, huc & illuc per mare Adriaticum delati, jacturâ rerum omnium in mare factâ, tandem post miraculosam planè quindecim dierum inediam, in Melite insula navem fregerunt, atque in terram omnes salvi & incolumes evaserunt [Act. XXVIII.] Ubi humanissimè ab incolis insulæ excepti sunt, qui exstructo foco ad eorum vestes

sic

siccandas, cùm Paulus juxta focum stans viperam manu excussisset in ignem sine damno, rapti in admirationem eum putant Deum. Hic per tres dies apud Publium insulæ primarium diversati sunt, cujus pater febri cum dysenteria conjunctâ laborans à Paulo sanatus est, cæterique quotquot in insula fuerunt ægri morbo levati sunt. Indè tertio pòst mense navi aliâ Alexandrinâ (quæ in insula hiemaverat) devecti Syracusas, postea Rhegium, indè Puteolos, tandémque Romam venerunt. Ubi à fratribus (qui obviàm illi ad forum usque Appium & Tres Tabernas processerant) exceptus humanissimè, & à Præfecto Prætorii in libera relictus custodia, tertio pòst die Judæos qui Romæ erant compellans, exposuit eis causam cur Romam vinctus missus esset, Cæsarémque appellare coactus fuisset: cúmque illi negarent se literas ullas de eo ex Judæa accepisse, die constitutâ Christum eis prædicavit; cúmque nonnulli eorum ab eo persuasi illi se adjunxissent, reliquis obnitentibus & contradicentibus, istis relictis ad Gentes se convertit, [4. 57.] & per biennium integrum in proprio manens μισθώματι, cum milite qui ad custodiam datus illi fuerat, quotquot ad eum veniebant excipiebat, prædicans ipsis Dei regnum, & docens ea quæ sunt Domini Jesu cum omni libertate, nemine prohibente.

Cæterùm cum Paulo Romam venisse videntur * 1. Timotheus, qui συνέκδημος ejus fuit cùm ex Græcia venit Paulus Jerosolymam, Act. 20. 4. Epistolæ etiam quæ à Paulo in vinculis Romæ sunt scriptæ Timothei nomen unà cum Pauli nomine in salutatione præferunt, quales sunt Epistolæ ad Philippenses, Colossenses & Philemonem; 2. Lucas, qui & Pauli συνέκδημος fuit, 2 Cor. 8. 19. & in navigatione Pauli Jerosolymâ Romam numerat se inter eos qui navi illâ vehebantur Act. 27, & 28. Denique in Epistolis quas Paulus Romæ in vinculis scripsit, Lucæ nomine salutat Paulus eos ad quos scribit; uti videre est Coloss. 4. 14. Philem. 24. 3. Aristarchus, qui fuit etiam Pauli συνέκδημος, Actor. 20. 4. quem Paulus vocat συναιχμάλωτον Coloss. 4. 10. 4. Tychicus, qui & ipse fuit συνέκδημος Pauli, Act. 20. 4. & quem Paulus Romà ad Colossenses misit, Coloss. 4. 7. 5. Marcus Barnabæ ἀνεψιός, cujus nomine Colossenses salutat, Coloss. 4. 10. Romæ autem Paulus multos ad Christum convertit, adeóque ex ipsa Cæsaris familia nonnullos, quorum nomine Philippenses salutat, Philipp. 4. 22. Non paucos etiam ex militibus Prætorianis: nam ejusdem ad Philippenses Epistolæ cap. 1. 13. scribit vincula sua cessisse εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου, ità ut celebria ea fuerint ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ. Onesimum item Philemonis servum δραπέτην ad Christum convertit, cúmque conversum ad herum remisit cum Epistola, quâ eum hero reconciliat & commendat. [* *Baronius vult eum à Paulo relictum esse Ephesi cùm Mileti Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros ad se accerseret, postmodum autem cùm Romæ Paulus esset vinctus posteriore Epistolâ ad eum scriptâ fuisse à Paulo Romam evocatum, atque post ejus adventum scriptas fuisse à Paulo Epistolas ad Ephesios, Philipp. &c. in quibus Ecclesias illas Timothei nomine salutat. Verùm infrà hac Baronii scriptura refutabitur suo loco cùm de tempore quo Paulinæ Epistolæ scriptæ fuerunt agetur.*]

Anno { *Neronis* 4. / *Christi* 56. }

Epaphroditum (quem ad Paulum Romæ captivum miserant Philippenses ut illi necessaria vitæ subsidia subministrarent) Paulus excipit, & per eundem Epistolam ad Philippenses scribit. Tychicum etiam ad Colossenses mittit, & per eum ad Colossenses scribit, quo tempore Onesimum ad herum remisit; nam Tychico Onesimum adjungit Coloss. 4. 9. Simul etiam scripta tum & missa videtur Epistola ad Ephesios, uti postea loco suo infrà videbitur.

Atque hæc sunt quæ de Petri, & Pauli maximè, historia atque peragratione ex libris sacris N. Testamenti haberi & colligi possunt. De reliquis Apostolis vix quidquam narratur. De Jacobo Johannis fratre ab Agrippa interfecto mors ejus duntaxat narratur, Act. 12. 2. Cui suffectus est statim Jacobus alter Alphæi filius, uti suprà notatum est, qui Ecclesiam Jerosolymitanam ab eo tempore anno nimirum Claudii primo, ad annum usque ejusdem ultimum (per tredecim aut 14. ut minimum annos) quo Paulus Jerosolymis vinctus est rexit; nam tum Ecclesiæ illi præfectus adhuc erat, uti liquet ex Act. 21. 18. Josephus Antiq. lib. 20. cap. 8. scribit eum ab Anano summo Pontifice, Anani vel potiùs Ananiæ summi etiam Pontificis filio, capite damnatum, & lapidibus obrutum cum aliis nonnullis fuisse, paulò antequam Albinus Festo defuncto successor à Nerone mitteretur, h. e. circa annum Neronis sextum vel septimum, Christi 159 vel 60. V. C. 814. De Johanne autem Apostolo, præter ea quæ habentur initio libri Actorum, nihil aliud ex Scriptura haberi potest, nisi quòd ob testimonium Christi in insulam Pathmon Epheso proximam deportatus fuit. Apoc. 1. 9. Quod factum fuisse circa annum Domitiani octavum putant, quo tempore Domitianus secundam post Neronem adversùs Christianos excitavit persecutionem.

Historia Apostolica finis.

An Paulus bis fuerit Romæ vinctus, & An Occidentem prædicando Euangelium lustraverit.

Vulgata est & receptissima Patrum omnium, vixque ab ullo, quod sciam, hodie improbata sententia, Paulum Apostolum post biennium illud Romæ actum (cujus meminit Lucas Act. 28. 30) vinculis solutum, per aliquot annos Occidentem prædicando Euangelium peragrasse, postremò sub finem imperii Neronis, cùm Romam rediisset, à Nerone capite truncatum fuisse. Verùm nullum solet ab ipsis ad hoc adferri argumentum cui facilè responderi non possit. Unum est à nemine (quem ego quidem viderim) hactenus prolatum, quo Paulum prioribus vinculis Romanis solutum fuisse ostendi potest. Nempe quòd 2 Tim. 4. 20. Paulus sic scribit, *Erastus mansit Corinthi, Trophimum autem reliqui Mileti ægrotantem.* Tum & illud quod vers. 13. scribit de penula apud Carpum Troade relicta, quam jubet ad se adferri unà cum libris ac membranis. Nam licèt primâ fronte videri possit hæc esse referenda ad illud Pauli iter ex Macedonia Jerosolymam quod narratur Act. 20. siquidem isthic vers. 6. Lucas meminit Troadis, ubi Paulus cum comitibus septiduum egit, & Eutychem suscitavit; versu item 20 mentio fit Mileti, quò Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros Paulus evocavit, ut iis valediceret; capite autem 19. 22. Paulus dicitur Epheso præmisisse ante se in Macedoniam & Achaiam Erastum cum Timotheo, qui Erastus cùm esset Corinthi οἰκονόμος (Rom 16. 23.) videtur omnino substitisse Corinthi, nec Pauli comes fuisse cùm indè Jerosolymam navigavit; neque enim numeratur Act. 20. 4. inter reliquos Pauli συνεκδήμους. Unde fortè quis primâ fronte conjicere posset Paulum videri nonnisi semel Romæ vinctum fuisse, atque in fine biennii martyrio fuisse coronatum; siquidem Epistola illa non multo tempore ante Pauli martyrium scripta fuit, uti colligere licet ex cap. 4. vers. 6, 7, 8.

Tamen rem siquis attentiùs consideret, deprehendet illa quæ de Erasto & Trophimo ad Timotheum scribit Apostolus, non posse referri ad iter illud Pauli quod narratur Act. 20. Cùm enim Timotheus Pauli fuerit in ea navigatione συνέκδημος, Act. 20. 4. ejúsque Romæ συναιχμάλωτος; aut saltem συνεργός, (siquidem Epistolæ quas in vinculis Romæ scripsit Apostolus, Timothei nomen cum Pauli nomine præferunt) ut jam dem Timotheum à Paulo post scriptas illas Epistolas Româ fuisse in Asiam vel Græciam missum, ad eúmque postmodum scriptam fuisse posteriorem istam Epistolam (quæ omnia gratis, sine veri specie, sumuntur, quandoquidem scriptæ sunt illæ Epistolæ sub finem biennii Romani, quo tempore Paulus mox fuit vel vinculis solutus, vel martyrio coronatus) vel, ut etiam Baronio largiar quod ipse contendit, nempe initio hujus biennii Timotheum à Paulo fuisse Romam evocatum, scriptâ ad eum posteriore Epistolâ, reliquas autem Epistolas sub finem biennii fuisse scriptas, cùm jam ad Paulum Timotheus venisset: ut, inquam, hæc ipsi largiar, tamen quàm ridiculum esset, Timotheum à Paulo moneri per Epistolam Erastum Corinthi mansisse, & Trophimum Mileti ægrum esse relictum, cùm Timotheus & Corinthi unà cum Paulo fuerit tum cùm præsupponitur Erastus isthic mansisse, & Mileti cùm Trophimus putatur illic à Paulo relictus, & id quidem monere triennio, aut verò ut minimum biennio, postquam hæc præsupponuntur esse gesta; siquidem ex quo Paulus Corintho Jerosolymam petivit ad finem biennii Romani (quo tempore oportuit, ex illorum sententia, scriptam esse hanc Pauli ad Timotheum posteriorem Epistolam) quadriennium ut minimum interfluxit. Vel si juxta Baronium scripta fuit initio illius biennii, aliud biennium ut minimum intercessit, illud nempe biennium quod memoratur Act. 24. 27. quamvis Baronius locum illum aliter accipiat, sed frustrà. Adde quòd ex Act. 21. 29. constat

Tro-

Trophimum unà cum Paulo Jerosolymam venisse: non ergò à Paulo relictus fuerat tum ægrotus Mileti.

Sunt qui cùm id animadvertissent, ut huic dicto Paulino constet sua veritas, legi volunt *ἐν Μελίτῃ* pro *ἐν Μιλήτῳ*, ut sit hæc Pauli mens, Trophimum à se ægrum relictum esse, non Mileti cùm Jerosolymam contenderet, sed in Melite insula, ubi navis quâ vehebatur Jerosolymis Romam fracta est. Atque istos sequitur Baronius ad An. Chr. 59. §. 1. Sed frustrà *σοφὸν* hoc *φάρμακον* adhibetur. Nam cùm (uti suprà jam demonstratum est) Timotheus fuerit Pauli in illa navigatione comes, non potuit nescire Trophimum isthîc fuisse à Paulo relictum; quid opus erat Timotheum Româ in Asiam profectum (uti illi volunt) à Paulo per Epistolam ea de re moneri, toto biennio postquam id contigerat? Vel, existimabimusne Trophimum toto illo tempore jacuisse ægrotum in insula illa? Baronius negat Timotheum fuisse Pauli *συνέκδημον* Jerosolymâ Romam, eúmque vult fuisse Ephesi relictum cùm Miletum Presbyteros illius Ecclesiæ ad se accerseret, sed eum mox à Paulo Romæ in vinculis constituto, statim initio biennii illius Romani, fuisse Epheso Romam evocatum. Verùm hæc omnia gratis à Baronio dicuntur, ut tueatur sententiam quam constitutum est illi defendere adversùs quosdam ipso hac in parte prudentiores, nempe posteriorem ad Timotheum Epistolam in prioribus, non in posterioribus vinculis à Paulo fuisse scriptam. Sed frustrà id contendit, uti videre est partim ex his quæ jam hactenus diximus, partim ex iis quæ infrà dicturi sumus, cùm de Epistola illa nobis erit dicendum. Nec animadvertit ille quòd si causam hac in parte vincat, nullum superest firmum argumentum quo ex Scriptura probari possit, Paulum prioribus vinculis fuisse solutum. Nam, uti paulò antè monui, solum, quod ad hanc rem alicujus est momenti, illud est quod ducitur ex posteriore ista ad Timotheum Epistola, *Erastus Corinthi remansit, Trophimum ægrum Mileti reliqui, & Penulam tecum affer quam Troade apud Carpum reliqui.* Reliquis enim omnibus facilè responderi potest.

Hæc cùm ità sint, necesse videtur ut dicamus illa tum contigisse cùm Paulus vinculis prioribus solutus Græciam & Asiam repetiit, ac rursum perlustravit, eâque relictâ Romam secundò venit; siquidem non possunt ista referri ad tempus quod priora Pauli vincula præcessit, uti demonstratum est. Et sanè ex Epistolis Paulinis colligi posse videtur eum vinculis solutum in Asiam & Græciam rediisse. Nam Epistolæ ad Philemonem Colossensem (quæ scripta fuit cùm Romæ vinctus esset) vers. 22. jubet parari sibi hospitium, quòd speret se donatum iri brevi eorum precibus. Et Epistolæ ad Philippenses cap. 1. 25. certò confidit se redditum iri ipsis. Et cap. 2. 24. sperat se brevì rediturum ad eos. Ex his confici certò posse videtur, Paulum prioribus vinculis solutum Ecclesias Orientales quas fundaverat repetivisse, atque in ea peragratione seu lustratione, dum Romam redit, Trophimum Mileti ægrum, Erastum Corinthi, penulam cum membranis & libris apud Carpum Troade, Timotheum denique Ephesi à Paulo fuisse relictum, ad quem, paulò postquam Romam venerat, videtur scripsisse posteriorem istam Epistolam, quâ eum de istis monet (utpote quæ nuper admodum contigerant, & ab eo propterea ignorari poterant) jubétque ad se properare ante hiemem.

Unde colligere est, Paulum post liberationem à prioribus vinculis non videri Occidentem lustrasse, prædicando Euangelium (uti vulgò creditur) sed in Orientem rediisse; nisi quis fortè dicat utrumque à Paulo factum esse; ac primò quidem post soluta vincula eum in Occidente Euangelium annunciasse, tum deinde Orientem repetivisse, ac postremò cùm ex Oriente Romam rediisset martyrio coronatum fuisse. Sed si ità est, qui factum ut nulla sint in tota primitivæ Ecclesiæ historia certa vestigia aut monumenta à Paulo prædicati Euangelii hoc vel illo loco, & Ecclesiarum ab eo in Italia, Gallia, Germania aut Hispania constitutarum? fierine potest ut, si provinciæ illæ à Paulo fuissent lustratæ, & Euangelium in iis ab eo fuisset prædicatum, Ecclesiæ in aliquibus locis fuissent constitutæ, nulla superfuerint hujus rei monumenta, nulla memoria, nulla vestigia in veteri Ecclesiæ historia. Adde quòd causa nulla idonea fingi potest cur Lucas, qui perpetuus fuit & individuus Pauli in prioribus & posterioribus vinculis comes, de illa Occidentis à Paulo facta peragratione prorsus tacuerit. Gratis & sine ratione à quibusdam negatur Lucam tum ad adfuisse, hâncque esse causam cur de illa peragratione nihil scripserit. Verùm cùm Paulo Lucas adfuerit & in prioribus vinculis (uti liquet ex libro Actorum Apostolicorum, & Epistolis Paulinis ad Philipp. Coloss. & Philemonem in prioribus vinculis scriptis, in quibus Lucæ nomine eos salutat) & in posterioribus etiam vinculis, quod æquè certum est ex 2 Tim. 4. 11. ubi dicit Lucam secum esse solum (scripta est autem illa Epistola paulò ante Pauli martyrium) quid nos cogit negare cum Paulo tempore intermedio etiam adfuisse. Incerta ergò prorsus videtur illa Patrum traditio, nullo satis firmo fundamento subnixa, quâ asserunt Paulum prioribus vinculis solutum in Occidente Euangelium prædicasse (quales complures sunt aliæ veteres Traditiones *ἀβασανίστως* receptæ, incertæ vel etiam falsæ, à doctis viris notatæ [Casaub. Exerc. 1. § 26.]) cùm ex Scriptura (uti demonstratum est) colligi veriùs possit, eum Orientem repetivisse, non autem in Occidentem profectum esse.

Unum potest adversùs hanc nostram sententiam objici, illud nimirum quod Paulus Act. 20. 25. in oratione quam Mileti habuit ad Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros, dicit *se hæc scire, neque ipsos, neque reliquos omnes per quos διῆλθεν, visuros amplius faciem suam:* Unde conjici posse videtur Paulum post soluta priora vincula non rediisse in Orientem, sed Occidentem lustrasse, aut verò (quæ nonnullorum est sententia) in fine biennii Romani martyrium fecisse. Sed responderi potest, Paulum non semel ex humana conjectura, atque ex humano spiritu, consilio & proposito multa ejusmodi cogitasse, putasse, proposuisse & dixisse, quæ tamen postea, Deo ita disponente, aliter ceciderunt contra ipsius spem & consilium atque opinionem. Sic (Rom. 15. 15.) ità scribit ad Romanos quasi certus esset, post delatas & consignatas Jerosolymis Eleemosynas, proficisci in Hispaniam per Italiam & Romam, seque à Romanis illuc deducendum esse. Et Act. 19. 28. Paulus dicitur proposuisse animo, post lustratam Macedoniam & Achaiam, proficisci Jerosolymam, atque indè Romam, dicens, *Oportet me post hac videre etiam Romam.* Sanè Romam vidit, at non eo modo & tempore quo sibi tum animo proponebat, & sperabat. Suprà etiam ostendimus (ex 2 Cor. 1. 15.) Paulum, cùm adhuc esset Ephesi, proposuisse sibi primò Corinthum rectà petere, indè Macedoniam, ex Macedonia postmodum Corinthum redire, quod consilium certum est Paulum Erasto & Timotheo (quos in Macedoniam & Achaiam præmiserat) jussisse ut Corinthiis significarent, quo tamen postea mutato, eo nomine se apud Corinthios purgat eo loci. Itaque mirum videri non debet si, cùm Spiritus Paulum oppidatim moneret vincula & afflictiones graves manere eum Jerosolymis, sentirétque se Spiritu ligatum ut eò nihilominus proficisceretur, nesciens quænam essent illic sibi eventura, desperaverit de reditu suo ad eos quos post se relinquebat, licèt Deo ità disponente, (cui soli futura sunt certò cognita) res aliquot pòst annis ceciderit aliter quàm ipse tum credebat. Non est itaque tam validum adversùs nos argumentum illud ut eo subvertatur sententia nostra, de Pauli reditu in Orientem, post soluta Romana ejus vincula. Nam si valet adversùs hanc nostram sententiam locus ille Act. 20. 25. non minùs valebunt adversùs ipsorum sententiam loca ex Paulo similia suprà modò à nobis allata, quibus non aliter responderi potest quàm nos jam respondimus ad illum Act. 20. 25. locum. Quòd si hæc responsio ad illa loca solida ipsis videbitur, cur non & hæc nostra, illi per omnia par & similis, firma videri debet? Cùm itaque par utrinque sit, & similis omnino, ad loca illa *ἐναντιοφανῆ* responsio, sententia autem nostra de Pauli in Orientem reditu post soluta priora Romana vincula Scripturæ nitatur autoritate (uti hactenus à nobis demonstratum est) ipsorum autem opinio de ejus per Occidentem prædicatione & peragratione, solâ subnixa sit incertâ, licèt veteri, Traditione, æqui & cordati Lectoris liberum esto judicium, utri par sit potiùs credere, utram amplecti videatur convenientius sententiam.

Jam verò quantum temporis in ea ultima peragratione consumpserit Paulus non potest ex Scriptura haberi; sed si verum est quod vulgò traditur de martyrio Pauli, eum nempe tum fecisse martyrium cùm Nero post incensam Romam, ut hanc à se amoveret infamiam, Christianos hujus incendii insimulatos suppliciis exquisitissimis excruciavit, certum est ex Tacito Romam fuisse incensam Lecanio Basso & Licinio Crasso Coss. h. e. (ut ex Fastis liquere potest) anno Neronis 10. V. C. 818. Olymp. 211. atque ex consequenti anno æræ Christi receptæ 64. Infrà autem probabimus Paulum vinculis prioribus Romæ fuisse solutum sub finem anni Neronis quarti. Itaque hæc postrema ejus peragratio annorum fuerit circiter sex, nempe à fine anni 4 ad finem anni 10 vel initium undecimi; & Paulus martyrium inter reliquos Christianos fecerit anno æræ Christi receptæ 64, vel 65. veræ autem Christi æræ anno 66, vel 67.

Quæ-

Quatuor Pauli per Asiam & Graeciam ad Evangelium praedicandum peragrationes.

PRima fuit cum Barnaba, qui ei Divinitus per Prophetiam adjunctus fuit comes itineris, & in ministerio illo συνεργός Act. 13. 2. Hàc primà peragratione (quæ describitur Act. c. 13, & 14) Antiochiâ Syriæ profecti venerunt Seleuciam, Cyprum, Pergam, Antiochiam Pisidiæ, Iconium, Lystram, Derben Lycaoniæ, nec ulteriùs sunt tum progressi; indè enim super vestigia sua regressi, & κατὰ πόλιν Senioribus in singulis quas fundaverant Ecclesiis constitutis, Antiochiam unde primò missi fuerant, reversi sunt, Act. 14. 27, 28.

Secunda fuit post Concilium Jerosolymitanum, quod describitur Act. 15. Eo enim absoluto cùm Paulus, qui eò missus fuerat, Antiochiam rediisset, aliquantò pòst Barnabam hortatus est ut Ecclesias quas in Asia constituerant, reviserent; sed exacerbatione inter eos ortà Paulus secundam istam peragrationem assumpto Sila & Tito suscepit, Act. 15. 40. In ea videtur ex Cilicia trajecisse in Cretam insulam, atque illic annunciato Euangelio Titum reliquisse ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσηται. Indè Derben cùm venisset, in Titi locum (ut videtur) quem in Creta reliquerat, assumpto Timotheo Phrygiam & Galatiam peragravit, & prohibitus à Spiritu in Asia (strictissimè sic dicta, quæ est circa Ephesum) Euangelium prædicare, per Mysiam, prætermissâ Bithyniâ (quia Spiritus non sinebat) venit Troadem, indè in Macedoniam, Philippos primùm, dein per Amphipolim & Apolloniam venit Thessalonicam, postea Beroeam, indè Athenas, postea Corinthum, ubi exacto sesquianno Jerosolymam contendit; in itinere Ephesum salutat duntaxat, paucis isthic actis diebus quia Jerosolymam properabat. Indè ergò Cæsaream navigat, & Jerosolymam ascendit, unde salutatâ Ecclesiâ Antiochiam Syriæ repetit, ubi χρόνον τινὰ ἐποίησε, Act. 18. 22.

Tertia Pauli peragratio indè initium sumit ubi secunda desiit. Cùm enim Antiochiæ aliquandiu hæsisset, indè rursus repetens Phrygiam & Galatiam, ad eos confirmandos quos antea Christo lucrifecerat, venit tandem Ephesum, atque isthic exacto biennio post sedatum tumultum Demetrianum profectus est in Macedoniam & Achaiam ad recipiendas Ecclesiarum illarum Collectas Jerosolymam deferendas; cùmque Corinthi (vel saltem ἐν τῇ Ἑλλάδι) trimestre egisset, indè solvens per Macedoniam venit Troadem, indè Miletum, pòst Rhodum, Coum Pataram, Cyprum, Tyrum, Ptolemaida, Cæsaream, tandémque Jerosolymam, ubi in vincula conjectus, & per biennium à Felice in libera servatus custodia, tandem à Festo Romam missus est.

Quarta & ultima Pauli peregrinatio illa est quam biennio pòst suscepit, cùm vinculis Romæ solutus Asiam & Græciam repetivit, uti putamus ex Scriptura suprà illud demonstrasse adversùs eos qui in fine biennii illius Romani existimant vel Paulum martyrio coronatum, vel liberatum vinculis Occidentem lustrasse.

Quoties Paulus post conversionem suam venerit Jerosolymam.

QUinquies aut verò sexies Paulus venit Jerosolymam. Primà vice, Damasco (postquam ex Arabia rediisset Damascum) venit Jerosolymam salutaturus Petrum, anno à conversione sua tertio exeunte, vel quarto ineunte, Act. 9. 26. Gal. 1. 18.

2 Venit Jerosolymam missus Antiochiâ cum Barnaba ad deferendas Ecclesiæ Antiochenæ Eleemosynas Act. 11. 30. anno altero postquam Jerosolymam primò venerat, Claudii verò Imper. anno quarto.

3 Rursus Antiochiâ venit Jerosolymam ad Concilium Jerosolymitanum, ob quæstionem de necessitate observandæ Legis Mosaicæ, à nonnullis ex Pharisæorum secta in Antiochena Ecclesia primùm excitatam, Act. 15. 1. Gal. 2. 1. anno postquam primò venerat Jerosolymam quarto, vel decimoquarto post Christi mortem, & Ecclesiæ Christianæ primùm jacta fundamenta per Spiritûs S. in Apostolos die Pentecostes solennem missionem.

4 Post secundam suam peragrationem peractam Ephesum venit Corintho, atque Epheso Cæsaream & Jerosolymam, Act. 18. 22, & seqq.

Quintò & ultimò post absolutam tertiam suam peregrinationem, ex Græcia per Macedoniam, Troadem, Miletum, Tyrum, Ptolemaida, Cæsaream, venit Jerosolymam, ubi in vincula conjectus Romam captivus ductus fuit. Quòd si (uti videtur) Epistola ad Hebræos est Pauli Apostoli, ex ea colligi posse videtur Paulum Romanis vinculis solutum, Romà Jerosolymam venisse: nam cap. ult vers. 23. scribit fore ut brevi eos (nempe Judæos Jerosolymitanos) cum Timotheo invisat.

Petri peragratio ex historia Apostolica Novi Testamenti.

CUM à Petro jacta fuissent prima Ecclesiæ Christianæ fundamenta egregiâ illâ Concione quam habuit post solennem Spiritûs S. in Apostolos die Pentecostes missionem, cúmque aucta ejusdem Petri & aliorum Apostolorum ministerio & operâ ad Stephani usque Protomartyris necem, & à Saulo, nondum ad Christum converso, dissipata atque disjecta esset Ecclesia Hierosolymitana, & à Philippo Diacono aliisque τῆς διασπορᾶς Euangelium per Judæam & Samariam esset prædicatum, Petrus primò Jerosolymâ prodit missus ab aliis Apostolis & Ecclesia, venitque Samariam, ubi Simonis Magi hypocrisin & infidelitatem redarguit, atque indè Jerosolymam reversus est. Altero pòst anno, dum Paulus ad Christi fidem conversus in Arabia per triennium Christum annunciat, aucto per Judæam, Galilæam & Samariam numero Ecclesiarum, Petrus secundò Jerosolymâ egressus eas lustravit, Lyddæ Æneam paralyticum sanat, Joppæ Tabitham à mortuis excitat. Cæsareæ Cornelium Centurionem ad fidem Christi convertit. Act. 9. 32. ad cap. 11. 20. Biennio pòst, cùm Paulus Damasco Jerosolymam venisset ἱστορῆσαι Πέτρον, atque indè Cæsaream & Tarsum profectus esset, Petrus mox ab Herode conjicitur in carcerem, sed ab Angelo noctu liberatus, cùm in domum Mariæ matris Johannis cognomento Marci venisset, illic indicans se liberatum esse, profectus est in alium locum, Act. 12. 17. sed quò abierit non indicat Scriptura. Annis deinde tribus, aut verò etiam quatuor, paulò post Concilium Jerosolymitanum, anno Claudii sexto ad finem decurrente, cùm Paulus Jerosolymâ à Concilio Antiochiam rediisset, Petrus eò venit, ubi à Paulo de simulatione reprehensus fuit, Gal. 2. Petrum postmodum indè Romam venisse affirmant ex Traditione Patres omnes. Quàm autem incerta sit illa Traditio, videri potest ex iis quæ non pauci scripserunt ut ostenderent, videri Petrum Romæ nunquam fuisse, aut saltem isthic Martyrium cum Paulo non fecisse.

Babylon, cujus Petrus meminit prioris suæ Epistolæ cap. 5. 13. unde suam ad fideles τῆς διασπορᾶς scribit Epistolam, non est (ut plerique post Eusebium & Hieronymum existimarunt) Roma. Non potest enim locus aliquis figuratè dici *Babylon* in Scriptura, nisi ob servitutem vel corporalem, vel potiùs spiritualem, quam Ecclesia, sive populus Dei, in ea patitur. Atqui Ecclesia non est Romæ passa servitutem, sive persecutionem, nisi circa finem imperii Neronis, cùm ab eo cœperunt affici supplicio Christiani. Itaque si Romæ scripta fuit hæc Epistola, necesse est eam fuisse tum scriptam cùm à Nerone cœpta est prima Christianorum persecutio. Atqui Paulus tum temporis fuit Romæ vinctus. An credibile est Petrum noluisse in Epistola sua Pauli meminisse, & Judæos ad quos scribit voluisse salutare suo & Marci nomine. Paulum autem omnino prætermisisse? Non est ergò Romæ scripta. Sanè Roma in Apocalypsi figuratè & spiritualiter dicitur *Babylon*, ob servitutem spiritualem quam Ecclesia Dei in ea aliquando passura erat, Pontificis Rom. tyrannide oppressa. At Roma fidem Christi professa, respectu tyrannidis illius ab ea exercendæ, sic dicitur; non verò Roma Ethnica, qualis erat tum cùm Petrus Epistolam suam scripsit, maximè cùm ea tum nondum cœpisset Ecclesiam Dei affligere.

Sed neque Babylon ista, unde Petrus scribit suam Epistolam, est Ægypti Alexandria, ubi nonnulli (sed nullo argumento freti) volunt Petrum prædicasse Euangelium, Alexandria enim nunquam fuit dicta *Babylon*. *Babylona* quandam in Ægypto statuit Ptolemæus, & Josephus Antiq. lib. 2. sed cujus non meminit Plinius, ut omnino videatur *Babylon* Ptolemæi esse urbs illa quæ *Byblos* dicitur; neque enim hujus meminit Ptolemæus. Verùm nescio an dixerit quispiam, Petrum indè scripsisse suam Epistolam.

Alii existimant scriptam eam fuisse ex nobili Assyriæ civitate Babylone, quæ caput fuit τῆς διασπορᾶς Judæorum per Asiam. Quòd si indè scripta est, oportet id factum fuisse vel inter priora & posteriora Pauli vincula, vel per quinquennium illud quod intercessit inter annum Claudii XI & priora Pauli Romæ vincula, anno Neronis tertio. Nam ante Concilium Hierosolymitanum non fuerat prædicatum per Pontum, Asiam, Galatiam & Cappadociam Euangelium, siquidem Paulus primâ & secundâ suâ peragratione primus id tentavit. Paulò post Concilium Hierosolymitanum, Paulus cum Sila (qui idem Sylvanus est) secun-

secundam suam instituit peragrationem; itaque Sylvanus non potuit tum cum Petro esse Babylone, ut per eum potuerit Petrus mittere hanc Epistolam. In prioribus autem Pauli vinculis Romæ cum eo fuit Marcus (uti suprà probavimus) itaque non potuit tum temporis esse cum Petro Babylone, ut ejus nomine salutare potuerit Petrus Judæos ad quos scribit, quod tamen facit cap. 5. 13.

Ego potiùs conjicerem Hierosolymæ fuisse scriptam, & Jerosolymam à Petro fuisse dictam figuratè *Babylonem*, quòd tum temporis Jerusalem non esset ampliùs *urbs sancta*, sed spiritualis quædam Babylon, in qua Ecclesia Dei captiva quasi tenebatur, & gravi servitute premebatur, quatenus pridem à Judæis persecutionem pati cœperat. Ac nè mirum & novum atque insolens cuiquam videatur quòd Jerosolymam dicamus fuisse à Petro figuratè dictam *Babylonem*, proferam hic Procopii locum in Esaiæ cap. 53. (quem ille totidem verbis desumpsit ex Cyrilli Alexandrini Comment. in eum Esaiæ locum) ubi Procopius ait Jerosolymam olim ab Esaia dictam fuisse *Babylonem*. Sic ergò habet ille initio Commentarii sui in Esai. 53. *καὶ τὸν προφητικὸν δὲ χορὸν, Ἰατρεύσαμεν, λέγειν, τὴν Βαβυλῶνα, καὶ οὐκ ἰάθη, ἐγκαταλείπωμεν αὐτὴν τὴν Ἱερουσαλὴμ καλέσαντα Βαβυλῶνα, ὡς τῆς ἐθνῶν ἀσεβείας μηδὲν διαφέρουσαν, μηδὲ τοῦ νόμε ποιουμένην φροντίδα.* Etsi autem in loci illius Esaiæ interpretatione & applicatione fallitur Cyrillus, & post eum Procopius, tamen quod Propheta isthìc de Assyriaca Babylone dicit, rectè potuit ab Apostolis de Jerusalem usurpari, cùm Petrus suam scripsit Epistolam. Curaverant enim illi (quantum in ipsis fuerat) spiritualem illam Babylonem, Christum Judæis prædicando, sed noluit illa sanari, Christum verà fide recipiendo, propterea etiam mox illam relinquentes ad Gentes sese converterant, eáque sic relicta paulò pòst, justo Dei judicio, à Tito Vespasiano funditus eversa est, ut olim fuerat Babylon.

Tum autem videtur scripta fuisse illa B. Petri Epistola cùm Paulus absolutà secundà suà peragratione venit Corintho Jerosolymam; Silam enim tum secum adduxit, quem verisimile est Jerosolymis substitisse (neque enim postea fit ejus à Luca mentio in reliquis Pauli peragrationibus.) Marcus autem (quem antea Barnabas secum Antiochiâ Cyprum abduxerat, Act. 15. 39.) potuit etiam eodem tempore ex illa Barnabæ peragratione Jerosolymam rediisse. Sed & *οἱ τῆς διασπορᾶς*, ad quos scribit Petrus, non sunt fortè Judæi illi qui jam ab aliquot antè seculis (paulò post scilicet solutam Captivitatem Babylonicam) per universam Asiam & totum penè terrarum orbem dispersi varia insederant loca; sed potiùs videntur esse fideles Judæi, qui dispersi ex oppressione orta Jerosolymis post Stephani martyrium propter persecutionem à Saulo excitatam, dicuntur (Act. 11. 19.) *διελθεῖν ἕως Φοινίκης, καὶ Κύπρου, καὶ Ἀντιοχείας, pervenisse Cyprum usque & Antiochiam:* nam etsi non dicantur illic ulteriùs progressi, fieri tamen potest ut illic non substiterint, sed & ulteriùs penetraverint, & per totam Asiam minorem paulatim procedente tempore sese diffuderint. Isti autem bis dicuntur *διασπαρέντες*, Act. 8. 4 & 11. 19. itaque ii esse possunt qui à Petrò dicuntur *οἱ τῆς διασπορᾶς*. Et sanè hi potissimùm videntur fuisse à Petro compellandi & consolandi (quod & diligenter facit Petrus cap. 1. 6, 7.) in gravi illa afflictione quam passi fuerant, coacti per Sauli persecutionem patriis sedibus excedere, & huc atque illuc sedibus incertis vagari, à congeneribus & popularibus Judæis rebellibus & incredulis persecutionem utique propter Christi nomen patientes.

Ad posteriorem autem B. Petri Epistolam quod attinet, hoc unum habemus (quod ex ea colligi potest) dicendum, scriptam nempe eam fuisse à Petro (si modò Petri est) paulò ante obitum suum (quod colligi potest ex cap. 1. 14.) & post scriptas omnes, vel plerasque saltem, Pauli Epistolas, cap. 3. 15. Cæterùm ubi, quando, & per quos missa fuerit, altum ea de re silentium. Nec fuit ea scripta (quemadmodum prior) solis Judæis *τοῖς ἐν τῆς διασπορᾶς*, sed omnibus in universum fidelibus, tum ex Judæis tum ex Gentibus ad Christum conversis, quod liquet tum ex vers. 1. cap. 1. *τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν* (quod de Gentibus propriè dicitur) tum ex eo quod cap. 3. 15, 16. dicit Paulum ad eos scripsisse in omnibus suis Epistolis. Atqui pleræque omnes Pauli Epistolæ scriptæ sunt ad Gentes ad Christi fidem conversas.

Quo pacto historia Apostolica sit cum exotica connectenda, & quomodo connectionis ejus ratio atque ipsius historiæ series demonstrari possit.

OBservandæ sunt primùm temporis & annorum notationes quæ in Novo Testamento occurrunt, ut sunt, 1 Triennium illud cujus Paulus meminit Gal. 1. 18. quo exacto Jerosolymam venit salutaturus Petrum. 2 Quatuordecim illi anni quorum idem meminit ibidem cap. 1. 2. quibus exactis venit rursus Jerosolymam ad concilium Jerosolymitanum. 3 Sesquiannus Corinthi exactus in secunda Pauli peragratione, Act. 18. 11. usque ad Gallionis Proconsulatum. 4 Quatuordecim anni quorum Paulus meminit 2 Cor. 12. 2. quibus raptus Pauli in tertium cœlum præcessit scriptionem illius Epistolæ. 5 Biennium Ephesi à Paulo actum usque ad tumultum Demetrianum, Act. 19. 10. 6 Aliud biennium in vinculis Cæsareæ actum sub Felice ad Festi Præfecturam, Act. 24 27. 7 Ultimum biennium Romæ in vinculis actum, Act. 28. 30.

Deinde observanda sunt nonnulla historiæ exoticæ monumenta quæ hic & illic in historia Apostolica sparsa notantur; ut 1 Theudas ille & Judas Galilæus quorum meminit Gamaliel Act. 5. 36. 2 Fames ab Agabo prædicta, quæ sub Claudio contigit, Act. 11. 28. 3 Herodis bellum cum Tyriis ejúsque mors stupenda, Act. 12. 20. 4 Aquila & Priscilla *προσφάτως ἐληλυθότες* ex Italia ob edictum Claudii quo Judæi Româ pellebantur, Act. 18. 2. 5 Gallionis Proconsulatus in Achaia paulò pòst (nimirum 18 menses) subsecutus. 6 Felicis fratris Pallantis liberti Claudii Imperatoris Præfectura in Judæa, & Festus in ejus locum succedens, Act. 24. 27. 7 Historia Ægyptii illius cujus meminit Lysias, Act. 21. 38.

Tertiò, videndum ex Josepho, Dione, Tacito, Suetonio, aliisque scriptoribus exoticis, quando & quoto hujus vel illius Imperatoris Romani anno, vel quo Consule, aut Urbis conditæ anno singula illa contigerint.

Quartò, tenendum est quot annos regnaverint Imperatores Romani sub quorum imperio hæc contigerunt, putà Augustus 57. Tiberius 23. Caligula non totos quatuor annos, Claudius annos fermè 14. Nero totidem; Josephus De bello Jud. lib. 5. cap. 6. dicit annos duntaxat 13. dies 1. Jam verò Johannes Baptista prædicare & baptizare cœpit anno Tiberii 15. Luc. 3. 1. Christus non multò post ab eo baptizatus fuit cùm esset annorum 30. Prædicavit fermè quadriennium, ità passus fuerit anno Tiberii 20 vel 21. Indéque arcessendum initium Ecclesiæ Christianæ ab Apostolis fundatæ post solennem Spiritûs S. die Pentecostes missionem. Ex his itaque aptè annecti poterit historia sacra Euangelica & Apostolica N. Testamenti cum exotica Romana.

Characterismi quibus Historiæ Euangelicæ & Apostolicæ series, & cum exotica connexio demonstratur.

I. JOhannes prædicare & baptizare cœpit anno imperii Tiberii decimo quinto, Luc. 3. 1. an ineunte, an exeunte, aut verò ad medium decurrente anno id factum fuerit, Scriptura non dicit. Supponamus id factum anno illo jam ad medium decurrente, sic enim minùs errabimus; quia si vel ineunte vel exeunte anno prædicare cœpit Johannes, non longè à vera temporis notatione abfuerimus. Non statim atque prædicare cœpit Johannes, Christus ab eo fuit baptizatus, sed ut minimùm aliquot mensibus, aut verò etiam anno integro, postquam cœperat baptizare: nam Christus dicitur omnium postremus ab eo baptizatus, postquam totus populus à Johanne fuisset baptizatus, Luc. 3. 21. Et Paulus Act. 13. 25. dicit testimonium à Johanne Christo esse perhibitum *ὡς ἐπλήρου ὁ Ἰωάννης τὸν δρόμον*, testimonium autem illud Johannis (quod habetur Joh. 1. 15, & seqq.) perhibitum fuit statim postquam Christus ab eo fuit baptizatus. Intercesserunt itaque ut minimùm menses sex inter cœptam prædicationem Johannis & Christi baptismum. Quare Christus à Johanne baptizatus non est nisi anno Tiberii decimo sexto ineunte, aut verò etiam ad medium decurrente. Jam verò Christus tum fuit annorum 30. Luc. 3. 23. Et quidem completos fuisse potiùs quàm inchoatos tantùm, hos 30 annos probavit doctissimus Casaub. Exerc. 12. §. 9. hinc maximè, quòd cùm ætas ministerii Sacerdotalis à Deo constituta annus fuerit 30. Num. 4. 3. videtur omnino Christus annum illum explesse priusquam in Baptismo ministerium suum auspicaretur, quod & annotavit Hieronymus Procem. in Ezechielem, & Comment. in cap. 11. ejusdem Prophetæ. Si anni illi retro numerentur, incidet annus nativitatis Christi in annum Augusti 42. Augustus enim à cæde Julii Cæsaris annos regnavit 57. Jam verò annum illum 42 Augusti esse Urbis conditæ 752. Olympiadis autem 194 annum secundum, non jam hic probamus, sed tanquam à doctis Chronologis probatum ac demonstratum sumimus atque præsupponimus. Ut & istud jam ab iisdem tanquam certum accipimus, æram nempe Christi hodie receptam sive Dionysianam esse anno illo 42 Augusti posteriorem toto biennio, ac proinde annis Christi qui hodie numerantur

tur addendos esse annos duos, ut quis verum habeat annorum à Christo nato numerum.

II. Christus (uti prædictum à Daniele fuerat, cap. 9. 27.) prædicavit dimidiam annorum hebdomadem, h. e. triennium cum dimidio, atque in medio hebdomadis illius morte suâ (quæ erat Sacrificiorum omnium legalium complementum) cessare fecit (de jure, etsi non de facto) oblationem & Sacrificium. Et sanè intercesserunt inter Baptismum Christi & ejus Passionem quatuor Paschata, quorum vestigia exstant in historia Euangelica, jam pridem ab aliis observata & notata. Horum primum fuit paulò post Christi Baptismum, ultimum verò in ipsius morte. Itaque Christus obiit annos natus 33 cum dimidio, aut verò etiam 34. anno Tiberii vigesimo ad medium ut minimùm decurrente, aut verò etiam valde affecto. Ac proinde Spiritûs S. missio (quæ initium dedit Ecclesiæ Christianæ) quinquagesimo post Christi passionem die, ipso Pentecostes festo, contigit anno à Christo nato 34 inchoato, & ultra medium jam deducto. Tiberii verò anno 20 ad finem vergente, aut circa initium vigesimi primi; ità ut finis anni Christi trigesimi quarti concurrat ferme cum fine anni 30 Tiberii, & initium anni Christi 35 cum initio anni 21 Tiberii. Ponimus itaque ex his Christi mortem, & Spiritûs S. in Apostolos missionem, initiúmque Ecclesiæ Christianæ sub finem anni 20 Tiberii; qui annus quidem est 34 à Christo nato, sed Æræ Dionysianæ trigesimus tantùm secundus.

III. Paulus Gal. 1. 18. scribit se cùm Damasco in Arabiam profectus esset, & ex Arabia rursùs Damascum rediisset, Damasco tandem μετὰ ἔτη τρία Jerosolymam venisse ἱστορῆσαι Πέτρον, atque tum se vidisse neminem Apostolorum præter Petrum & Jacobum fratrem Domini, (innuit autem profectionem illam quæ narratur Act. 9. 28. uti conferenti loca illa duo fiet manifestum:) cúmque apud Petrum Jerosolymis non ultra quindecim dies substitisset, (Gal. 1. 18.) Divinitus à Domino in Templo per ecstasin monitus ut excederet Jerosolymis (Act. 22. 18.) propter Judæorum Jerosolymitanorum adversùs eum insidias (Act. 9. 29.) indè à fratribus deductus fuit Cæsaream; hinc Tarsum patriam petivit (Act. 9. 30.) unde aliquantò pòst à Barnaba Antiochiam accersitus est (Act. 11. 25.) (hæc enim duo loca, Act. 9. 30. & Act. 11. 25. quoad seriem historiæ sunt immediatè connectenda) & hoc est quod Paulus innuit Gal. 1. 21. cùm ait se Jerosolymis venisse εἰς κλίματα τῆς Συρίας καὶ Κιλικίας. Tarsus enim Ciliciæ, Antiochia verò Syriæ erat Metropolis. Cùm annum integrum isthic, unà cum Barnaba, prædicando Euangelium egisset, eo exacto mittitur Jerosolymam cum Barnaba, ad deferendas Antiochenæ Ecclesiæ eleemosynas, ob famem ab Agabo prædictam; ea autem contigit anno Claudii quarto secundùm Eusebium, & Orosium lib. 7. cap. 6. quod & à Josepho confirmatur Antiq. lib. 20. cap. 2. Nam post recitatas capite præced. Claudii literas in Judæorum gratiam scriptas IV. Cal. Jun. Rufo & Pompeio Sylvano Coss. (qui, uti ex Fastis liquet, suffecti sunt prioribus Coss. anno Claudii quinto) scribit Helenam Adiabenorum Reginam per id tempus venisse Jerosolymam adoraturam, cúmque offendisset Judæos gravissimâ fame laborantes, accersito ex Alexandria frumento eorum inopiam sublevasse: quam Helenam Orosius eodem loco scribit ad Christi fidem fuisse conversam, subsidiúmque illud quo Judæos fame laborantes sublevavit refert ad famem ab Agabo prædictam. Hoc itaque constituto, famem nempe illam anno Claudii quarto contigisse, sequitur Paulum & Barnabam anno illo Eleemosynas Antiochenorum Jerosolymam attulisse, Antiochiam autem Tarso à Barnaba accersitum Paulum venisse anno Claudii tertio, cúmque annum totum isthic transegisse. Paulò antè Tarsum Jerosolymâ Paulus venerat: Ergò Jerosolymam Damasco venerat salutaturus Petrum anno Claudii secundo. Quod & hinc confirmari videtur: Cùm Paulus venit Jerosolymam, neminem Apostolorum vidit præter Petrum & Jacobum fratrem Domini (uti modò notatum est ex Gal. 1. 19.) Ergò tum ab Herode Agrippa interfectus fuerat Jacobus frater Johannis, cujus mors narratur Act. 12. 1. Nam si tum vixisset Jacobus iste, proculdubio Paulus eum vidisset: erat enim Ecclesiæ Jerosolymitanæ Præpositus. Suffectus illi paulò pòst fuit Jacobus alter, Act. 12. 17. Iste est quem Paulus vocat *fratrem Domini* Gal. 1. 19. h. e. cognatum. Est enim ille qui Matth. 10. 3. dicitur ὁ τοῦ Ἀλφαίου. Alphæus nempe duxerat in uxorem Mariam B. Virginis sororem, ex qua susceperat tum Jacobum istum (qui vulgò *Minor* dicitur, & *Justus* dictus est apud Josephum & Eusebium) tum Judam, Simonem & Josen, qui in Euangelio *fratres Domini* N. J. Chr. (h. e. cognati) dicuntur. Venit ergò Paulus Damasco Jerosolymam post interfectum ab Herode Jacobum Johannis fratrem & illi suffectum Jacobum fratrem Domini, idque priusquam Petrus ab eodem in carcerem conjiceretur. Nam cùm liberatus esset Petrus carcere, dicitur venisse in domum matris Johannis cognomento Marci, atque isthic jussisse ut nunciarent Jacobo liberationem suam, indéque profectum esse εἰς ἕτερον τόπον non exprimitur autem quonam sit profectus: at saltem satis indè intelligitur eum excessisse Jerosolymis, & aliò concessisse ubi non esset sub Herodis ditione. Cùm ergo Paulus Jerosolymam veniens post interfectum ab Herode Jacobum, Petrum isthic vidit, sequitur eum isthuc venisse priusquam Petrus conjiceretur in vincula. Intercessit itaque tempus aliquod Jacobi necem & Petri carcerem. Jam verò Herodes paulò post liberatum Petrum ab Angelo descendit Cæsaream, atque isthic pœnas Deo dedit sævitiæ suæ in Dei Ecclesiam, cùm in media pompa ab Angelo percussus periit à vermibus erosus, Act. 12. 20. Obiit autem Herodes ille (secundùm Josephum lib. 19. Antiq. cap. ult.) sub finem anni tertii Claudii; vel initium quarti. Dicit enim Herodem (quem Agrippam nuncupat) regnum tenuisse per septennium, quatuor nimirum annis sub Caio Caligula, cui dilectissimus fuit, tribus verò sub Claudio. Quod & hinc confirmatur; Nam cùm post Herodis illius Agrippæ mortem Claudius Cuspium Fadum procuratorem in Judæam misisset, qui Judæam Imperatoris nomine administraret, interim dum Agrippa junior, prioris illius Agrippæ filius, natus annos septendecim (qui prope Claudium, in cujus magna gratia pater fuerat, educabatur) adolesceret, & regni capessendi capax evaderet, & Cuspius Fadus statim atque in Judæam venit vellet ex mandato Cæsaris eripere Judæis jus creandi summum Pontificem, eâque de re à Judæis & Cuspio Fado ad Claudium scriptum esset, Judæis rogantibus ut id juris à Cæsare sibi relinqueretur, rescripsit Claudius, deditque ad Judæos & Cuspium Fadum literas, quibus Judæorum postulationi annuit. Harum literarum exemplar integrum exstat apud Josephum lib. 2. cap. 1. Datæ sunt anno Claudii quinto, IV. Cal. Jun. Rufo & Pompeio Sylvano Coss. qui Consules (uti ex Fastis manifestum est) suffecti fuere prioribus anno Claudii quinto. Obiit ergò Agrippa sub initium anni quarti Claudii, tum cùm Tyrii gratiam & amicitiam ejus exquirerent, & ipsi reconciliari expeterent, quòd eorum regio ἀπὸ τῆς βασιλικῆς ἐτρέφετο, Act. 12. 21. Quibus verbis videtur Lucas tacitè innuisse & respexisse ad famem illam ab Agabo prædictam, quæ contigit anno quarto Claudii, quâ cùm se viderent premi Tyrii, quæsivisse videntur acriùs Regis Agrippæ gratiam, ut famis suæ subsidium ab eo impetrarent. Videtur itaque omnino Paulus Jerosolymam Damasco venisse, & Petrus ab Herode in carcerem conjectus anno Claudii secundo; Jacobus autem ab eodem interfectus anno ejusdem Claudii primo, tum nempe cùm post inauguratum Claudium, acceptâ ab eo licentiâ venit in Judæam ad regni sui res & statum componendum: volens nempe Judæis (quos sciebat Christianis esse infensos) gratificari, eorúmque sub adventum suum in regnum gratiam & benevolentiam demereri, videtur omnino tum cœpisse affligere Ecclesiam Jerosolymitanam, cujus Præpositum Jacobum Johannis fratrem gladio percussit, ut hâc ratione impietate nihil cederet patruo suo Herodi Antipæ, qui ante annos 12 Johannem Baptistam securi percusserat. Hoc autem posito (quod nos putamus jam evicisse) Paulum venisse Jerosolymam anno Claudii secundo, sequitur eum ad Christi fidem conversum fuisse anno Caii Caligulæ tertio, (non enim totos quatuor annos regnavit Caius) siquidem triennio post conversionem suam exacto (μετὰ ἔτη τρία) venit Jerosolymam. Jam verò cùm initium Ecclesiæ Christianæ per missionem Spiritûs S. in Apostolos incidat in annum Tiberii 20 extremum, vel 21 inchoatum, (uti suprà demonstratum est) manifestum est ea quæ totis octo primis Actorum Apostolicorum capitibus narrantur, ad Pauli usque conversionem, historiam complecti annorum duntaxat quinque integrorum; nempe à fine anni 20 Tiberii ad tertium Caii ineuntem vel inchoatum (nam Tiberius nonnisi 23 annos imperavit. Quo autem anno singula quæ illic narrantur contigerint, certò definiri non potest. Possunt tamen illa sic commodè distribui, ut dicamus claudum à Petro sanatum fuisse anno Tiberii 21. Anno verò 22 fidelium ditiores videntur cœpisse divendere prædia, distrahere fundos, eorúmque pretium ad pedes Apostolorum deferre, ut indè esset unde tenuiorum egestati subveniretur. Eodémque anno Ananias & Sapphira ejus uxor videntur ad Petri increpationem exanimari. Anno 23 Tiberii sive ultimo, aucto in majus fidelium numero, videntur septem Diaconi ab Apostolis constitui, qui rei pecuniariæ ejúsque distributioni vacarent. Caii Caligulæ anno primo, & fortè sub anni finem, prima Ecclesiæ Christianæ persecutio cœpisse videtur à Judæis Jerosolymis, in qua Stephanus unus è septem

ptem Diaconis, zelo fervens & calumniâ oppressus, sanguine suo Christi doctrinam primus obsignavit. Tertullianus in Apologet. cap. 5. & post eum Euseb. lib. 2. Hist. Eccles. cap. 2. negant vivente Tiberio quidquam in Christianos fuisse tentatum; unde colligi posse videtur cœptam esse primam persecutionem paulò post ejus mortem, sub impio Caligula hominis monstro; idque audaciùs tentatum à Judæis, quòd Herodes Agrippa Rex eorum magnâ esset apud Caium Caligulam gratiâ. Saulus ergò eo anno & sequente Ecclesiam Jerosolymitanam vastasse & dissipasse videtur. Anno verò tertio, cùm totus adhuc minas in Christianorum gregem spiraret, subitò à Christo vocatus de cœlis, ad eum conversus est, & ex lupo ovis, imò Pastor eximius factus est.

IV. Paulus Gal. 2. 1. sic scripsit, *ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, Posthac quasi 14. annis ascendi una cum Barnaba Jerosolymam*, &c. Hæc Pauli profectio eadem illa est quæ narratur Act. 15. cùm Antiochiâ missus est Jerosolymam, ad Concilium isthic habitum, ob motam quæstionem de observanda Circumcisione, cæterisque Legis Mosaicæ ritibus. Liquebit istud conferenti caput 15 Actor. cum illis quæ à Paulo cap. 2 ad Galatas dicuntur. Certè utrobique eadem fuit causa profectionis Pauli, nempe quæstio de Circumcisione & ritibus Mosaicis, utrobique Barnabas Pauli comes. Jam verò post solutum Concilium Hierosolymitanum, cùm Paulus & Barnabas Antiochiam rediissent, mox ortâ inter eos exacerbatione separati sunt, nec postea leguntur rursus fuisse conjuncti. Unde sequitur profectionem istam Pauli Jerosolymam cum Barnaba, quæ commemoratur Gal. 2. 1. non esse illâ quâ ad Concilium Hierosolymitanum venit posteriorem (nam post definitam in Concilio Jerosolymitano illam quæstionem nihil opus fuisset Paulo denuò supra ea re Apostolos consulere) sed vel eandem cum ipsa, vel eâ priorem. Sed si prior fuit, quid opus erat Concilium denuò super eadem quæstione consulere, & Antiochiâ Paulum ea de causa mitti Jerosolymam maximè post reprehensum publicè in ore Antiochenæ Ecclesiæ à Paulo Petrum occasione illius controversiæ? Non est ergò hæc Pauli cum Barnaba profectio Jerosolymam diversa ab ea quæ narratur Act. 15. sed planè eadem. Adde quòd ante Concilium Hierosolymitanum Paulus bis tantum venit Jerosolymam; 1. salutaturus Petrum, 2. allaturus Antiochenæ Ecclesiæ Eleemosynas. Jam verò nondum tum mota fuerat controversia de ceremoniis Judaicis à Gentilibus observandis, neque tum adhuc erat cum Paulo Titus, qui Gal. 2. 1. dicitur fuisse Pauli comes in illa cum zelotis *συζητήσει*. Omnia discrepant & dissonant atque pugnant si statuatur Pauli profectio quæ narratur Gal. 2. 1. diversa ab illa quæ habetur Act. 15. omnia contra bellissimè congruunt si una eadémque statuatur. Nam 1°. Gal. 2. 1. dicit se ascendisse *κατ' ἀποκάλυψιν*, Act. 15. 2. dicitur *ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν* nempe illud decretum sive *τάγμα* non fuit *ἄνευ ἀποκαλύψεως*, quomodo cùm missus primò fuit ab eadem Antiochena Ecclesia Paulus cum Barnaba ad prædicandum Euangelium, Act. 13. factum id fuit *διὰ πνεύματος*. Rursus Act. 15. dicuntur nonnulli alii cum Paulo & Barnaba ascendisse, Gal. 2. 2. Paulus inter eos numerat Titum, qui non coactus fuit circumcidi, quique (uti suprà dictum est) à Paulo in locum Marci assumptus fuerat, secúmque adductus Antiochiam, cum ex priore peragratione rediit, cujus reditum mox subsecuta est illa controversia, atque ejus causâ Concilium Hierosolymitanum. Tertiò, Act. 15. 1. dicuntur quidam Jerosolymis venisse Antiochiam qui docerent Gentiles esse circumcidendos. Gal. 2. 2. dicuntur illi *παρείσακτοι* fratres, qui venerant *κατασκοπῆσαι τὴν ἡμῶν ἐλευθερίαν*. Venerant nempe Jerosolymis Antiochiam, mentientes se eò ab Apostolis missos, & jussos esse doctrinam illam publicare; qua de causa mendacii arguuntur, Act. 15. 24. *οἷς οὐ διεστειλάμεθα, quibus nihil tale dedimus in mandatis*. Tempus denique aptissimè congruit, si statuatur hæc Pauli profectio eadem cum illa Act. 15. uti jam nobis est demonstrandum. Hoc itaque posito, eandem esse utrobique Pauli profectionem, anni illi quatuordecim quorum meminit Paulus Gal. 2. 1. non sunt numerandi & inchoandi à fine triennii illius quod commemoravit capitis præcedentis vers. 18, licèt vox *ἔπειτα* id postulare videatur: sic enim eorum finis incideret in secundum vel tertium Neronis annum (quo tempore Paulus vinctus Romæ, vel saltem Cæsareæ à Felice tenebatur) nam Claudius non totos 14 annos imperavit; suprà autem demonstratum est (Charact. 3.) triennii illius finem incidere in secundum Claudii annum. Sed neque inchoandi sunt 14 illi anni à Pauli ad Christum conversionem, quæ (uti suprà ostendimus) facta est anno Caligulæ tertio; sic enim finis annorum istorum 14 incideret in annum Claudii 13 vel 14, quo tempore Paulus vel jam Jerosolymis conjectus erat in vincula, vel in Achaia & Macedonia colligendis Ecclesiarum Eleemosynis occupabatur, uti ex sequentibus mox patebit. Sed sunt inchoandi 14 isti anni à Christi passione, & initio Ecclesiæ Christianæ; quod nos suprà probavimus contigisse sub finem anni 20 Tiberii. Sic enim fiet ut 14 illorum annorum finis incidat in 6 vel 7 Claudii annum; atque ut eo tempore Concilium Jerosolymitanum habitum sit, congruit & conspirat reliqua historia Apostolica. Nam hoc pacto venerit Paulus Jerosolymam salutaturus Petrum sub initium anni secundi Claudii, reliquum anni transegerit Cæsareæ & Tarsi, annum tertium totum consumpserit prædicando Euangelium Antiochiæ unà cum Barnaba, Act. 11. 26. Anno quarto venerit cum Barnaba Jerosolymam ad deferendas Ecclesiæ illius Eleemosynas (uti suprà demonstratum est) quo peracto Antiochiam reversus, móxque missus cum Barnaba ad prædicandum per Asiam Euangelium, in ea prædicatione, & primâ suâ peragratione, anni illius quarti partem maximam, totumque annum quintum consumpserit, atque ex ea sub finem anni quinti Antiochiam reversus, mox cum Barnaba ad Concilium Hierosolymam missus fuerit, circa medium annum sextum Claudii. Quòd si cui durum videtur inchoare annos illos à missione Spiritûs S. in Apostolos die Pentecostes, contendátque eos esse numerandos à fine triennii illius cujus paulò antè fit mentio cap. 1. 18. quòd vocula *ἔπειτα* id videatur omnino suadere, adeóque veluti exigere; certè cùm (uti probatum est) non possint tot anni intercedere inter finem illius triennii & Concilium Hierosolymitanum, si pro *δεκατεσσάρων* legamus *τεσσάρων*, omisso *δέκα*, res erit expedita & plana: tot enim sunt revera anni ab exacto illo triennio cujus finis incidit in secundum Claudii annum, ad sextum usque ejusdem Claudii annum, quo anno modò ostendimus habitum fuisse Jerosolymitanum Concilium. Fortè itaque legendum *ἔπειτα διὰ τεσσάρων ἐτῶν*, ut sic illud *ἔπειτα* referri possit ad triennium præcedens, hoc sensu, Annis autem quatuor postquam veneram *ἱστορῆσαι Πέτρον*, ascendi rursus Jerosolymam cum Barnaba & Tito, ad Concilium ob controversiam illam de ritibus Judaicis à fratribus *παρεισάκτοις* agitatam. Facilis autem lapsus est ex *διὰ* in *δέκα*. Cùm ergò fortè scripsisset Paulus, *ἔπειτα διὰ τεσσάρων ἐτῶν*, proclivi lapsu factum indè videtur primò, *ἔπειτα δεκατεσσάρων*, deinde inserta fuit præpositio *διὰ* syntaxeos gratiâ; atque ità factum est *ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν*. Hæc est gemina explicandi loci illius ratio: in arbitrio Lectoris positum est utram maluerit sequi atque amplecti; nam alterutra omnino sequenda videtur ex iis quæ hactenus diximus.

V. Paulus post Concilium Hierosolymitanum reversus Antiochiam, aliquantò pòst secundam instituit cum Sila profectionem ad prædicandum Euangelium, Act. 15. 40. Peragratâ itaque Syriâ & Ciliciâ, atque (uti videtur) Cretâ, ubi Titum reliquit, venit Derben, Lystram, indè in Phrygiam & Galatiam, Mysiam, Troada, unde in Macedoniam trajecit, ubi primùm Philippis dein Amphipoli, Apolloniæ, Thessalonicæ, Berœæ, prædicavit Euangelium, indè Athenas venit, atque hinc Corinthum profectus est, ubi Aquilam & Priscillam offendit, qui recèns ex Italia illuc venerant, ob edictum Claudii quo Judæi Româ pellebantur, atque cum illis Corinthi substitit sesquiannum ad Gallionis usque Proconsulatum, Act. 18. 2, 11. Jam verò constat ex Orosio lib. 7. cap. 6. aliisque Scriptoribus, Edictum illud Claudii factum fuisse anno Imperii ipsius nono. Venerit ergò Paulus Corinthum sub finem anni noni Claudii. Cúmque ex præcedentibus liqueat Paulum hanc secundam peragrationem inchoasse sub finem anni sexti, vel initio septimi, triennium ferme consumptum in ea fuerit à Paulo, ex quo Antiochiâ excessit donec Corinthum veniret; quod triennium sic possit distribui ut anno septimo Claudii in Creta Euangelium prædicaverit, per Pisidiam & Pamphyliam Ecclesias antea à se fundatas confirmarit, novas verò in Phrygia & Galatia constituerit; anno autem octavo venerit Troadem, atque indè in Macedoniam trajecerit, ubi Philippis, Amphipoli, Apolloniæ & Thessalonicæ annunciaverit; anno denique nono Berœæ & Athenis prædicaverit, unde sub finem vel medium illius anni venerit Corinthum.

Exacto Corinthi sesquianno venit cum Aquila & Priscilla Ephesum sub finem anni decimi Claudii. Indè nullâ aut exiguâ morâ isthic actâ Jerosolymam festinavit, quia properabat adesse festo; indè statim Antiochiam repetit, ubi aliquo tempore acto, per Phrygiam & Galatiam redit Ephesum, initio vel medio anni undecimi; hoc enim Pauli iter fuit brevis duntaxat quædam excursio; quod hinc colligi potest, quòd cùm Ephesò excederet, rogaretúrque diutiùs isthic hærere, negavit tum, addens se reversurum ad eos cum bono Deo, nempe brevi, cæte-

cæterùm opus sibi esse festum agere Jerosolymis. Ephesi mansit per * biennium & menses tres Act. 19. 10. docuitque in Schola Tyranni, usque ad tumultum Demetrianum, quo sedato, Paulus inchoato, vel ad medium deducto anno 13 Claudii Epheso venit in Macedoniam & Achaiam, ad colligendas Ecclesiarum Eleemosynas, & Corinthi actis tribus mensibus indè repetit Macedoniam, atque hinc Jerosolymam navigat. [* *Act.* 20. 31. *Paulus ipse dicit se* τριετίαν triennium *egisse Ephesi, sed initium illius triennis non est (uti facit Baron. ad A. Chr. 55. sect. 1.) inchoandum à posteriore Pauli adventu Ephesum, sed à priore, à quo donec postremò excederet Paulus Epheso, integrum fermè intercedit triennium. Alioqui si totum triennium assignetur huic posteriori commorationi Pauli Ephesi, & alius annus totus assignetur illi peragrationi Pauli quæ immediatè præcessit secundum ejus adventum Ephesum (uti facit Baronius) dissolvetur tota historia Apostolica apta contextura & concatenatio, neque poterunt quadrare tempora.*

Demus jam reliquum anni decimi tertii Claudii consumptum fuisse à Paulo in itinere illo quo Epheso venit in Macedoniam & Achaiam, atque indè navigavit Jerosolymam initio anni decimi quarti Claudii; vel si liberaliores volumus esse, circa medium vel finem illius anni, qui ultimus fuit regni Claudii, Jerosolymis Paulus conjectus fuit in vincula quàm primùm eò venit, asservatúsque Cæsareæ à Felice in vinculis per biennium, donec successorem in Judææ Præfectura acceperit Festum, qui Paulum mox, pauló postquam ipse venerat in Provinciam, misit captivum Romam ad Cæsarem, quem Paulus appellaverat, ubi aliud biennium Paulus egit in propria æde conducta, Act. 28. 30. quo exacto videtur vinculis liberatus Græciæ & Asiæ Ecclesias à se constitutas repetivisse, & denuò lustrasse, uti suprà à nobis demonstratum est. Itá ergò Paulus Romam venerit circa finem secundi, vel initio tertii anni Neronis, & solutus fuerit vinculis circa finem quarti vel initio quinti, cùm modestum adhuc utcunque & moderatum esset Neronis imperium. Non memini apud ullum quem viderim scriptorem notatum esse quoto præcisè Neronis anno Festus Felici à Nerone successor missus fuerit: Josephus id non notat. Tacitus de Festo & Felicis damnatione nè verbum quidem; itaque conjecturâ id assequendum. Josephus Antiq. lib. 20. cap. 7. scribit Felicem (cùm successorem accepisset Festum) à Judæis apud Neronem accusatum fuisse, & quidem prævalituram fuisse accusationem, damnandúmque fere fuisse Felicem, nisi fratris Pallantis (qui gratiâ adhuc apud Neronem valebat) precibus datus fuisset. Jam verò ex Tacito certum est Pallantem, Claudii libertum, Agrippinæ Neronis matri charissimum, à Nerone (qui matris potentiam volebat imminutam) curâ rerum fuisse demotum primo Neronis anno, eodémque anno Majestatis fuisse postulatum, sed absolutum, quòd falsa esset illa criminatio. Hinc liquere potest, Pallantem deinceps non multùm valuisse apud Neronem gratiâ, ac proinde videri Festum maturè missum esse Felici successorem, putà sub anni secundi finem, ut anno tertio à Judæis accusatus vix effugerit damnationem intercessione fratris Pallantis, qui tum poterat adhuc tantum valere apud Neronem gratiâ, ut fratrem supplicio eriperet; sed ea gratia ab eo tempore non potuit esse diuturna. Nam anno imperii sui quinto Nero matrem interfecit, & octavo Pallantem veneno sustulit. Sublatâ matre Neronis, cujus nomine & sub cujus autoritate Pallas aliquid potuit, gratiâ omni & favore planè eum excidisse existimandum est, cùm jampridem ejus opibus invideret atque inhiaret Nero, ejúsque superbiâ omnes offenderentur. Quare à veri similitudine procul abesse videtur eorum sententia qui anno demum quinto Neronis, post interfectam ab eo matrem, missum volunt successorem Felici Festum. Probabilius multò videtur missum esse secundo ad finem decurrente, cùm jam antea infringi & multùm imminui cœpisset Pallantis apud Neronem gratia atque autoritas. Hoc itaque constituto, Festum missum fuisse Felici successorem sub finem anni secundi Neronis, sequitur vinctum fuisse Paulum Jerosolymis sub finem imperii Claudii, anno ejus 14 exeunte, ac proinde anno decimo tertio Epheso venisse in Macedoniam & Achaiam ad accipiendas Ecclesiarum Collectas, uti nos suprà in Pauli peragratione digerenda iter illius Epheso in Macedoniam constituimus, & conjecimus in annum Claudii decimum tertium currentem, quod & hinc confirmari posse videtur.

VI. Paulus 2 Cor. 12. 2. scribit se annis 14 antequam scriberet Epistolam illam raptum fuisse in tertium cœlum. Scripta autem fuit hæc Epistola cùm Paulus Epheso in Macedoniam solvisset ad recipiendas Ecclesiarum Collectas, quod nos jam suprà ex parte ostendimus, & mox infrà suo loco demonstrabimus. Jam verò iter illud Pauli per Macedoniam incidit in annum Claudii decimum tertium, uti modò probavimus. Si ergò anni isti 14 retro numerentur, incideret eorum initium in Caii Caligulæ annum ultimum, vel tertium, quo anno suprà demonstravimus Paulum ad Christum fuisse conversum. Tum ergò Paulus in tertium cœlum per ecstasin raptus videtur, cùm à Christo vocatus Damascum delatus per triduum mansit jejunus & cæcus, quo temporis spatio certum est revelatione in terra Spiritûs, vel potius immediatâ Christi institutione totam Euangelicam doctrinam edoctum esse; unde est quòd non semel in Epistolis scribit se *Euangelium suum non ab hominibus* (h. e. nullâ humanâ institutione & doctrinâ) *sed ab ipso* Domino N. *Jesu Christo recepisse* seu *didicisse*. Et sanè cùm exacto illo triduo ab Anania fuit baptizatus, & cæcitate corporeâ levatus, dicitur statim ingressus esse Synagogam Judæorum, atque isthic Christum magno animi fervore & vocis contentione annunciasse: nulla notatur illic Pauli ab Anania facta institutio; nempe Euangelium suum à Christo ipso immediatè edoctus fuerat. Quin & huc respicere omnino videntur verba Christi eum in itinere de cœlo compellantis, cùm Paulus eum rogaret, *Domine, quid me vis facere? Surge*, inquit, *& ingredere civitatem; illic enim dicetur tibi quid te oportet facere:* neque enim his Christi verbis innuitur id quod ei ab Anania dictum fuit; quid enim ei dixit Ananias, præter ista pauca, *Saule frater, Dominus Jesus, qui tibi in via apparuit, misit me ad te, ut recipias visum, & implearis Spiritu Sancto.* Christus ergò verbis illis innuere omnino videtur plenam Pauli à Christo ipso factam institutionem, cùm Damasci triduum mansit cæcus & jejunus, raptus (uti videtur) per ecstasin in tertium cœlum. Differt itaque iste Pauli raptus ab ecstasi cujus meminit Act. 22. 17. siquidem ecstasis illa contigit ipsi cùm tertio post conversionem anno Damasco venit Jerosolymam visitaturus Petrum, anno Claudii secundo; à quo si 14 isti anni inciperent numerari, finis eorum incideret in secundum Neronis annum, quo tempore Paulus Macedoniam non peragrabat, sed captivus vel Romæ vel saltem Cæsareæ à Felice detinebatur. Neque his obstare videtur quòd Josephus Antiq. lib. 20. cap. 6. gesta Felicis in Judæa narrat post narratam capite præcedenti Claudii mortem & Neronis in ejus locum successionem, inter quæ Felicis gesta narrat historiam Ægyptii latronis & Pseudoprophetæ (cujus meminit Lucas Act. 21. 38.) à Felice repressi atque fugati. Neque enim necesse est ea omnia quæ eo capite narrat de Felice Josephus contigisse post Claudii mortem, quin ea omnia simul hoc capite complexus est Josephus quæ à Felice in Judæa gesta sunt, ex quo tempore eò à Claudio missus fuerat (circa annum regni sui octavum) donec Festum acceperit successorem: nam præcedenti capite nihil aliud de Felice dixerat nisi eum in locum Cumani fuisse à Claudio in Judæam missum. Eorum itaque quæ illic narrantur pars quædam, eáque maxima, Claudii mortem antecessit, pars verò altera, & minima, eandem mortem secuta videtur. Latronis putà illius & Pseudoprophetæ Ægyptii repressio à Felice (uti Josephus narrat) facta, potuit contigisse anno ultimo Claudii, pauló antequam Paulus Jerosolymis in vincula conjiceretur. Unde rursus confirmatur series hæc nostra historiæ Apostolicæ.

Ex his ergò tota historiæ Apostolicæ compages & contextura adstrui, & connexio ejus cum exotica demonstrari atque comprobari satis evidenter & certò posse videtur.

Quando, ubi & quo ordine scripta sint omnes Paulinæ Epistolæ.

QUantum juvet, quámque sit utile certò tenere tempus quo Pauli Epistolæ ab eo fuerunt scriptæ, rectè observavit Baronius ad A. C. 58. sect. 42. *Sed hic* (inquit ille) *& illud necessario monendum putamus Lectorem, nonnullis accidisse ut temporum ignoratione in maximos errores incidant, putantes nimirum naufragium apud Melitam passum, quod Lucas narrat Act. 27. unum e tribus fuisse à Paulo enumeratis 2 Cor. 11. non animadvertentes secundam Epistolam ad Corinthios longè ante illud naufragium esse scriptam. Quamobrem scrupulosa, quæ videtur, in historia temporum indagatio quantum conferat ad veram atque germanam Divinæ Scripturæ interpretationem quisque facilè judicabit. Hæc sentiens Johan. Chrysostomus & ipse quibus in locis, quandóve Pauli Epistolæ fuerint scriptæ pervestigans, hæc ait, (in Epistolam ad Rom. in principio)* Proinde hunc laborem nemo extra rem, néve hanc indagationem supervacaneæ curiositatis esse putet: confert enim nobis non parùm ad quæstiones explicandas ipsum Epistolarum tempus. Hæc rectissimè Baronius. Itaque hac in parte operam nostram in ejusmodi indagatione post alios collocavimus.

Utraque ad Thess. Epist. Anno Christi 47. Claudii 8.

EPISTOLARUM Paulinarum aliæ scriptæ sunt ante ejus vincula, aliæ verò in ipsis vinculis Romanis tam prioribus quàm posterioribus. Ante Pauli vincula omnium prima scripta est ad Thessalonicenses utraque. Scriptæ autem omnino videntur duæ illæ Epistolæ Athenis (ut fert earum subscriptio) anno Claudii octavo vel nono, cùm Paulus Berœâ illuc venisset, vel saltem Corinthi, quò Paulus se contulit postquam Athenas reliquisset. Discedens autem Berœâ Paulus ut veniret Athenas, post se Berœæ Timotheum & Silam reliquit, quos ipse Athenis aliquandiu, non sine aliqua animi impatientia, præstolatus est, Act. 17. 15, 16. Qui cùm ad eum venissent, Paulus, qui magno & vehementi Thessalonicensium desiderio tenebatur, & studio Thessalonicam redeundi totus ardebat, cùm ipse non posset illuc proficisci, à Satana præpeditus variis objectis impedimentis (1 Thess. 2. 18.) Timotheum commisit ad eos in fide confirmandos, utque eos consolaretur de afflictione quæ illis contigerat à Judæis, postquam ipse indè discesserat, ut id manifestò colligitur ex 1 Thess. 3. vers. 1. ad 6. usque, & cap. 2. 14.

Cùm indè ad Paulum rediisset Timotheus, scripta est à Paulo prior ad Thessalonicenses Epistola, in qua meminit reditûs Timothei cap. 3. 6. ità ut videatur prior ista Epistola Athenis scripta: qua in sententia sunt Athanasius in Synopsi, & Theodoretus Prooem. in Epistolas Pauli. Rursus priusquam Athenis Corinthum Paulus peteret, videtur iterum Silam & Timotheum in Macedoniam misisse, uti colligere est ex Act. 18. 5. atque ex his quæ hic annotavimus ex cap. 3. ver. 2, 3, 4, 5. prioris ad Thessalonicenses. Nam locus Act. 18. 5. non potest accipi de reditu Silæ & Timothei, qui à Paulo Berœæ relicti fuerant cùm ipse venit Athenas, (etsi primâ fronte id videri ità possit) quasi Silas & Timotheus Berœâ ad Paulum redeuntes eum non Athenis, sed jam indè egressum Corinthi offendissent. Etenim ex 1 Thess. 3. 1, 2, 3, 4, 5. liquet Timotheum Athenis à Paulo fuisse Thessalonicam missum ad cognoscendum eorum statum, indéque eum ad Paulum Athenas rediisse, uti modò demonstravimus. Quare cùm Act. 18. 5. Lucas dicit Silam & Timotheum ad Paulum Corinthum rediisse, intelligendum illud est necessariò de secunda à Paulo Athenis facta Silæ & Timothei in Macedoniam missione, unde ipsi redeuntes Paulum interim Athenis digressum Corinthum secuti sunt.

Sed quia durum videtur geminam Timothei à Paulo Athenis ad Thessalonicenses statuere missionem, propterea magis inclinarem in Baronii sententiam, qui hanc Epistolam scriptam esse vult Corinthi, postquam Timotheus à Paulo Thessalonicam Athenis missus, indè rediens, & Paulum Athenis (unde profectus interim erat) non inveniens, Corinthum ad eum venisset, sub finem anni noni Claudii Imp. vel initio decimi, æræ autem Christi receptæ anno 48, veræ 50. non verò (ut Baronius vult) 52. qui in annis Christi assignandis insanit solennia, & toto biennio à vera Christi æra discedit, quadriennio verò à recepta Dionysiana, uti ab aliis, & præsertim à doctissimo Casaubono, observatum est.

Cæterùm neutra harum Epistolarum per Timotheum & Silam missa fuit: nam in utriusque Epistolæ initio Timothei & Silvani (h. e. Silæ) nomine compellantur & salutantur à Paulo Thessalonicenses. Falsa itaque est subscriptio prioris Epistolæ in Arabica editione, quâ significatur missam esse Epistolam illam per manus Timothei & Silvani: hoc autem conjectavit Interpres ille ex cap. 3. vers. 1, 2, 3, 4, 5. Sed non animadvertit repugnare illi sententiæ versum sextum, ex quo liquet Timotheum Thessalonicâ rediisse ad Paulum cùm scripta fuit hæc Epistola.

Posterior Epistola non videtur diu post priorem scripta, uti ex Chrysostomo & Theodoreto observat Baronius, qui meritò rejicere videtur Athanasii in Synopsi Scripturæ sententiam, cùm ait eam esse Romæ scriptam. Subscriptio quæ habetur in editione Arab. docet eam esse scriptam Laodiceæ, & missam per Tychicum. Verùm ex Coloss. 2. 1. colligi posse videtur Paulum neque Colossensibus neque Laodicensibus unquam prædicasse. Certum est autem eam non fuisse Athenis scriptam. Si enim prior Epistola non Athenis, sed Corinthi fuit scripta, multò minùs posterior indè scripta fuerit. Corintho ergò videtur omnino missa postquam eò ad Paulum Thessalonicâ rediisset Timotheus.

Epistola ad Titum. Anno Christi 51. Claudii 12.

DIximus suprà quando Paulus nobis videatur in Creta Euangelium prædicasse, & indè discedens Titum isthic reliquisse qui τὰ λείποντα ordinaret, nempe id videri factum initio secundæ Pauli per Asiam peragrationis, anno Claudii septimo. Diximus etiam, quando, ubi, & per quem videatur ista Epistola ad Titum scripta, nempe scriptam videri Ephesi sub finem illius biennii quod illic egit Paulus antequam in Macedoniam navigaret, missam verò per Apollon & Zenam, quos Tito commendat, sub finem anni 13 Claudii. Ità Titus quinquennium vel sexennium in Creta egerit, à 7 nempe ad 13. usque Claudii annum.

Sunt qui putent Paulum in Creta Christum annunciasse cùm ex Macedonia in Græciam & Corinthum iturus esset (anno, uti volunt, Neronis primo) cùmque illic reliquisset Titum, venisse Corinthum, ubi cùm trimestre egisset & Collectas Achaiæ recepisset, rediisse in Macedoniam petiturum Jerosolymam. Ex Macedonia autem ad Titum, quem in Creta reliquerat, scripsisse. Nec ab ea sententia longè abest Baronius (ad annum Christi 57. sect. 209. & An. Chr. 58. sect. 1.) qui vult Paulum ex Macedonia mari delatum esse in Cretam, isthicque reliquisse Titum; indè in Græciam venisse; cùmque indè pararet Euangelium annunciare in Illyrico, Titum è Creta accersivisse scriptâ ad eum Epistolâ, monuisséque ut ad se veniret Nicopolim Acarnaniæ juxta Ambracium sinum in confinio Græciæ & Epiri, ubi constituerat agere hiemem.

Verùm facilè refellitur ea sententia; primò, Quia iter illud Pauli Ephesо in Macedoniam & Achaiam fuit brevis excursio tantùm ad recipiendas Ecclesiarum illarum Collectas quas properabat Jerosolymam deferre, ut indè Romam peteret, quam pridem cupiebat videre. In ejusmodi festinatione non videtur verisimile eum voluisse hærere in Creta tantum temporis quantum opus erat ad conspergendam totam insulam semine Euangelico. Sed neque videtur verisimile ad illud usque tempus ignoratum fuisse Christum in ea insula, cùm jampridem tota Achaia, Macedonia, Asia, Cyprus, Syria personaret Euangelii præconio. Paulus autem negat se alieno superstruxisse fundamento, ac propterea noluisse isthic Christum prædicare ubi jam antea fuisset notus. Ad hæc, id quo validissimè evertitur illa sententia hoc est, quòd suprà probavimus ex 2 Cor. 8. 8, 16, 17. à Paulo priusquam Corinthum ex Macedonia veniret præmissum eò esse Titum qui Collectas Corinthiorum curaret esse paratas in adventum suum; non ergò eum secum duxit, & in Creta reliquit cùm ipse in Achaiam contenderet. Tum & illud quod ad Titum scribit, ut ad se veniat Nicopolim (vel, uti suprà notavimus, Neapolim Macedoniæ) quòd decrevisset isthic hiemem agere, qui potest cum illa sententia convenire? volunt enim scriptam esse hanc Epistolam è Macedonia, cùm jam omnium Ecclesiarum recepisset Collectas, & in procinctu esset ut Philippis solveret Jerosolymam navigaturus, & quidem initio veris, nempe Azymorum festo, Act. 20. 6. An tum cogitabat Paulus de hieme agenda Nicopoli, ac non potiùs properabat Jerosolymam? Quòd autem Baronius putat eam fuisse scriptam ex Græcia, cùm paratus esset excurrere in Illyricum; refellitur ex eo quod modò diximus, Titum à Paulo ex Macedonia præmissum esse Corinthum ut Collectas eorum curaret in adventum Pauli paratas. Unde liquet Titum fuisse in Græcia cùm eò veniret Paulus ad recipiendas Collectas illas. Non ergò tum temporis agebat in Cretæ insula. Rectius ergò videtur, & toti historiæ Apostolicæ contexturæ convenientius, si statuamus hanc Epistolam à Paulo ad Titum fuisse scriptam per illud biennium quod Paulus egit Ephesi; non enim potest aliud tempus commodius assignari quo scribi illa potuerit.

Ex his falsi revincitur subscriptio illius Epistolæ, quæ significat scriptam fuisse hanc Epistolam ex Nicopoli Macedoniæ. 1. Quia Nicopolis non tam Macedoniæ quàm Thraciæ urbs fuit, & quidem gemina; una juxta Hemum montem, altera juxta fluvium Nessum, qui Plinio *Nestus* dicitur. 2. Quia suprà probavimus Titum à Paulo cogitante proficisci in Macedoniam & Achaiam præmissum esse Ephesо Corinthum, & indè redeuntem occurrisse Paulo in Macedonia (2 Cor. 7. 5.) qui potuit ergò indè ad eum scribi hæc Epistola in Creta agentem? Deceptus autem fuit autor illius subscriptionis vers. 12 capitis ultimi illius Epistolæ, quem ità accepit quasi jam tum Nicopoli ageret Paulus cùm illud scribebat; quod non est necesse, cùm potiùs mens Pauli eo loci sit, monere Titum ut Nicopolin ante se veniat, quòd ipse animo sibi proponeret illuc proficisci, æque

que isthic agere hiemem; unde sequitur Paulum nondum illic fuisse cùm hæc scriberet.

Epistola ad Galatas. Anno Christi 51, *Claudii* 12.

PER idem tempus, nempe sub finem biennii Ephesini, videtur omnino scripta ad Galatas Epistola; quod hinc conjicitur, 1. Quia Paulus cap. 6. vers. 6. hortatur eos ad beneficentiam erga τοὺς κατηχοῦντας, & v. 10. πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως (quibus verbis videtur innuere Ecclesiam Jerosolymitanam, maximè si comparetur illud cum iis quæ scribit Rom. 15. 26, 27. de beneficentia erga pauperes fideles Jerosolymitanos) idque, inquit, ὡς καιρὸν ἔχομεν *dum tempus habemus*, h. e. dum hæc occasio offertur, cùm jam Asia, Græcia & Macedonia videntur veluti conspirasse in hanc beneficentiam erga fideles Jerosolymitanos, & paratæ sunt ubique Collectæ Jerosolymam deferendæ, nolite vos Galatæ ab ea beneficentia vosmet subducere, neque sitis in ea parci vel segnes; nam qui parcè serit, is & parcè metet. Confirmatur illud indè quòd 1 Cor. 16. 1. jubet Corinthios in Collectis faciendis sequi Galatarum exemplum, & præscriptum quod ipse illis dederat: quibus verbis innuere videtur Apostolus hanc ad Galatas Epistolam scriptam fuisse antequam ad Corinthios scriberet, tum & ea quæ isthic breviùs & obscuriùs de collectis scripserat, ab eo fuisse latiùs & apertiùs explicata vivâ voce eorum per quos missa fuit Epistola. 2. Cap. 1. 6. conqueritur Galatas *tam citò* fuisse *translatos in aliud Evangelium*; quæ verba non possunt quadrare cum eorum sententia qui volunt scriptam esse à Paulo hanc Epistolam in posterioribus vinculis (non enim pauci anni intercesserunt inter primam Galatarum conversionem & posteriora Pauli vincula) sed optimè conveniunt cum nostra sententia, qui existimamus scriptam eam fuisse Ephesi, biennio postquam τὰ ἀνωτερικὰ μέρη, Phrygiam scilicet & Galatiam, lustrasset, indéque Ephesum venisset: ità ut videatur ψευδαδέλφους illos & παρεισάκτους Doctores Pauli vestigia in tertia sua peragratione quasi pressisse, móxque eos, ut ex Galatia & Phrygia excesserat, Ephesúmque venerat, Galatiam ingressos, Galatas statim à fide abduxisse, & ad observationem legis Mosaicæ compulisse, ut sic verè mirari potuerit Paulus eos οὕτω ταχέως μετατιθεμένους εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον. Leve est admodum illud quo moti videntur quidam ut putarent scriptam esse Romæ in vinculis à Paulo hanc Epistolam, nempe quòd ipse scribit cap. ult. vers. 17. se *stigmata D. N. Jesu Chr. ferre in corpore suo*, quasi verò hæc verba non commodè intelligi possint de variis quas propter Christi nomen accepit plagis & verberibus, antequam Romæ vinctus esset.

Prior ad Corinth. Epist. Anno Christi 15, *Claudii* 12.

CUM Paulus Ephesi biennium ageret anno 11 & 12 Claudii, scripserunt ad eum Corinthii (1 Cor. 7. 1.) idque (uti videtur) per Stephanam & Fortunatum, quos ad eum miserant, (cap. 16. 17.) per quos videtur Paulus rescripsisse priorem ad Corinthios Epistolam; nam in ea eos Corinthiis impensè commendat, cap. 16. vers. 15. & 18. Non fuit autem scripta Philippis (uti habet subscriptio Græca) sed Ephesi, quomodo habet Interpres Arabs; quod manifestum est ex cap. 16. 8. *permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.* Neque obstat quòd vers. 5. ejusdem capitis scribit Μακεδονίαν διέρχομαι, & ὅταν Μακεδονίαν διέλθω. sensus enim non est Paulum Macedoniam peragrasse tum cùm hæc scriberet, sed se esse veluti in procinctu ut Ephesо Macedoniam petat; ità ut διέλθω & διέρχομαι isthic sit positum pro διελεύσομαι, *brevi sum peragraturus*, quomodo alibi sæpius præsens pro paulò pòst futuro usurpatur, quomodo Matth. 26. 28. ἐκχυνόμενον, & 2 Pet. 3. 11. λυομένων, & vers. 9. κολαζομένους. Neque etiam obstat quod habetur cap. 15. 32. *Si secundùm hominem* ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, quasi tum non fuerit Ephesi cùm hæc scriberet; potuit enim sic loqui etiamsi Ephesi tum fuerit.

Scripta autem videtur non multò antequam Epheso digrederetur & in Macedoniam proficisceretur, idque colligitur ex eo quod cap. 16. 5. dicit, Μακεδονίαν διέρχομαι, h. e. *brevi pertransibo Macedoniam*, tum ex vers. 1, & seqq. ejusdem capitis. Mora autem illa quam isthic dicit se facturum apud Corinthios vers. 6. videtur esse trimestre illud quod ipse egit ἐν τῇ Ἑλλάδι, de quo Act. 20. 3. Verbis verò illis quæ sunt vers. 9. *janua est mihi aperta & efficax; sed adversarii sunt multi*, videtur Paulus innuere tumultum Demetrianum quem animo veluti præsagiebat. Cæterùm non missa fuit hæc Epistola per Timotheum, (contrà quam fert subscriptio Græca:) Nam antequam scriberet, Timotheum unà cum Erasto Epheso præmiserat in Macedoniam & Achaiam, Act. 19. 22. Etsi enim eo versu Lucas non meminerit Achaiæ, tamen ex vers. 21 satis intelligitur eos esse præmissos etiam in Achiam. Deinde 1 Cor. 4. 17. Paulus disertè scribit se Timotheum ad Corinthios misisse. Denique verba illa (1 Cor. 16. 10.) *Si Timotheus venerit*, &c. satis arguunt hanc Epistolam non fuisse per eum missam. Porrò ante Epistolam istam quæ *prior* dicitur, videtur Paulus aliam scripsisse eâ priorem, quæ hodie non exstat; quod colligi posse videtur ex 1 Cor. 5. 9. ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, & ex 2 Cor. 12. 14. & 13. 1. τρίτον ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. & cap. 10. 10, 11. αἱ μὲν ἐπιστολαί, &c. &, δι' ἐπιστολῶν. Nam cur plurali numero dixissent illi Pauli calumniatores, ἐπιστολαί, si una tantùm ab Apostolo ad Corinthios fuisset scripta? Et fortè prima illa, quæ hodie non exstat, missa fuerat per Timotheum, quem in Achaiam usque præmiserat; hæc autem, quæ *prior* jam dicitur, missa fuit per Stephanam & Fortunatum.

Posterior ad Corinthios Epistola. Anno Chr. 52, *Claudii* 13.

POsterior ad eosdem Corinthios Epistola & prior ad Timotheum certant de prioritate, & sub judice lis est. Utraque autem scripta est paulò postquam Paulus Epheso discessisset, adeóque dum Macedoniam peragraret; sed utra tempore præcedat non satis liquet. Cùm ergò Paulus Epheso solvisset, & in Macedoniam venisset, occurrit illi isthic Titus; quem Corinthum præmiserat, qui Paulo Corinthiorum pœnitentiam renunciavit, quémque effectum sortita esset prior ad eos scripta Epistola, 2 Cor. 7. 5. Cúmque Apostolus à Macedonibus Collectas recepisset (quos ob insignem quam in erogandis Collectis illis liberalitatem demonstraverant, impensè laudat 2 Cor. 8. 1. & seqq.) rursus Titum è Macedonia ad Corinthios mittit, 2 Cor. 8. 6, 15, 16. atque unà cum eo Lucam vers. 18, 19. (nam *frater ille cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*, videtur omnino esse Lucas) in hunc finem ut Corinthiorum Collectas curarent in Pauli adventum paratas, (2 Cor. 9. 3, 4. 5.) ideóque multis Corinthios in ea Epistola hortatur ad munificentiam & liberalitatem. Ac per hos duos videtur esse missa posterior hæc ad Corinthios Epistola. Certum est autem eam esse scriptam dum Paulus Macedoniam peragraret; sed an Philippis (uti fert subscriptio) an verò ex alia quapiam Macedoniæ civitate missa sit, non potest certò ex Scriptura definiri.

Baronius ad A. Chr. 58. sect. 36. vult eam esse scriptam Nicopoli Acarnaniæ in Epiri & Græciæ confinio. Paulum enim dicit è Macedonia navigasse Cretam, Titúmque illic reliquisse, Ex Creta venisse Nicopolim, atque illinc accersivisse Titum ut ad se veniret. Indè, nempe ex Nicopoli, posteriorem ad Corinthios dedisse Epistolam, *quâ* (inquit) *se excusat quòd cùm priore pollicitus esset se venturum ad eos cùm Epheso Macedoniam peteret, tamen id non præstitisset, sed ex Macedonia in Cretam, indè Nicopolim, ipsis insalutatis venisset.* Sed hæc Baronii sententia facilè ex modò dictis refellitur. Neque enim Paulus ex Macedonia in Cretam, neque indè Nicopolim Epiri profectus est, sed rectà venit Corinthum, quò paulò antè Titum præmiserat ad procurandas Corinthiorum Collectas, uti ipse Baronius eo loco agnoscit. Ubi animadvertere est magnam hominis illius ἀβλεψίαν, qui vult Titum à Paulo in Cretam abductum illicque relictum cùm indè Nicopolim navigaret, quem tamen agnoscit à Paulo ex Macedonia missum esse Corinthum, qui procuraret ut paratæ essent Corinthiorum in adventum suum Collectæ. Idem ibidem nullo jure eos damnat qui dicunt missam esse ad Corinthios hanc Epistolam per Titum, cùm potiùs illud vero similius esse videri possit ex iis quæ modò diximus. Sed ideo hoc negat & damnat Baronius, quia vult eam esse scriptam Nicopoli, priusquam Titus eò ad Paulum venisset. Quod vanum est hominis illius figmentum.

Prior ad Timoth. Epist. Anno Christi 52, *Claudii* 13.

SUnt qui putant priorem ad Timotheum Epistolam fuisse à Paulo in vinculis scriptam, sed malè. Nam primò Vinculorum suorum nullus omnino in ea meminit. Deinde, In vinculis prioribus Timotheus cum Paulo fuit, si non συναιχμάλωτος, at saltem συνεργός, Epistolæ enim ab eo in prioribus vinculis scriptæ Timothei nomen unà cum Pauli nomine in saluta-

salutationibus præferunt. Neque in posterioribus vinculis scripta fuit: nam cur illi reponeret illud, se cum Ephesi reliquisse cùm in Macedoniam proficisceretur, tot annis postquam id factum fuerat? Liquet ergò ex his verbis, cap. 3. *sicuti hortatus sum te ut maneres Ephesi cùm ego in Macedoniam proficiscerer*, Paulum loqui de re nuper gesta; scripta nempe fuit Epistola ista postquam Epheso solvisset Paulus, interim dum Macedoniam peragraret, vel saltem Athenis, postquam peragratâ Macedoniâ eò venisset. Observandum est autem, post scriptam hanc Epistolam antequam Paulus Corintho pedem moveret ut per Macedoniam Jerosolymam peteret, Timotheum (quacunque tandem de causa id factum fuerit) Ephelo relictâ ad Paulum venisse Corinthum: nam Act. 20. 4. Timotheus numeratur inter Pauli συνεκδήμους nisi fortè quis locum illum sic velit accipi quasi Timotheus Pauli quidem fuerit συνέκδημος, at non Corintho usque, sed Mileto duntaxat, (cùm illuc Paulus Ephesinos Presbyteros accersivit) Jerosolymam primùm, dein Romam usque.

Perabsurdè autem subscriptio Græca habet, Epistolam illam esse *scriptam ex Laodicea Phrygia Pacatianæ*; nam primò ex Coloss. 2. 1. videtur effici posse, Paulum nunquam fuisse Laodiceæ; Colossenses enim & Laodicenses videtur eò loci Paulus numerare inter eos *qui non viderunt faciem suam in carne*: & sanè historia Apostolica Lucæ nullatenus commemorat Paulum vel Colossis vel Laodiceæ fuisse. Deinde, cùm Paulus Epheso discessit ut veniret in Macedoniam, rectâ petiit Troadem (2 Cor. 2.12. Itaque Laodiceam non potuit venisse in eo itinere. Rectius ergò & vero similius est quod habet Interpres Arabs in subscriptione Epistolæ, eam nempe scriptam fuisset Athenis, putà cùm ex Macedonia venit εἰς τὴν Ἑλλάδα. Atque ità posterior tempore fuerit Epistola prior ad Corinthios. Quod autem cap 3. vers. 14. hujus Epistolæ Paulus scribit, sperare se fore ut brevi revisat Timotheum, accipiendum est de reditu in quo Paulus Corintho per Macedoniam detulit Jerosolymam Collectas Ecclesiarum; nam in transitu Ephesum venit, saltem Mileto Ephesinos Presbyteros ad se accersivit, Act. 20. 17. verùm priùs Timotheus relictâ Ephesο ad Paulum venerat Corinthum, uti modò à nobis notatum est.

Epistola ad Romanos. Anno Christi 53, Claudii 14.

Epistola ad Romanos scripta est Corinthi, cùm Paulus actis tribus in Græcia mensibus (Act. 20. 2, 3.) navigaturus esset Jerosolymam, ut eò deferret Collectas Ecclesiarum Achaiæ, Asiæ & Macedoniæ. Liquet hoc ex Rom. 15. 23, 24, & seqq. *Nunc autem proficiscor Jersolymam ministraturus sanctis*, &c. quibus verbis significat iter illud quod describitur Act. 20. Huc refer Pauli consilium (Act. 19. 21.) qui animo proposuerat peragratâ Achaiâ & Macedoniâ proficisci Jerosolymam, tum indè Romam petere; nam, inquit, *postquam illic fuero oportet me etiam Romam videre.*

Fuisse autem Corinthi scriptam hanc Epistolam hinc licet conjicere; 1. Subscriptio Epistolæ id habet: sed si nihil aliud esset, foret id leve; nam sæpe falsissimæ sunt Epistolarum Paulinarum subscriptiones. 2. Eâ commendatur Romanis Phœbe Diaconissa Ecclesiæ quæ erat Cenchreis Corinthi portu, per quam & missa videtur Epistola, ut, fert etiam subscriptio. 3. In salutationibus quæ habentur cap. 16. eorum meminit qui cum ipso iter illud Jerosolymitanum ingressi sunt, quique Act. 20. dicuntur Corintho cum Paulo esse profecti, putà Timothei & Sopatri, sive Sosipatri (Act. 20. 4.) Ubi observandum est qui Rom. 16. 21. Σωσίπατρος dicitur eundem esse cum eo qui Act. 20. 4. Σώπατρος vocatur. Nam in edit. Gr. N. Testamenti Rob. Steph. typis regiis majoribus, notatur in margine (Act. 20. 4.) in nonnullis codicibus legi Σωσίπατρος. Et sanè sic eò loci legit Versio Arab. & Vulg. Vers. quæ est in edit. Græco-Lat. N. T. Erasmi. At Syr. translatio & Vulg. Vers. Clementis VIII habent Σώπατρος.

Præterea Gaius ille quem (Rom. 16. 23.) vocat ξένον suum, is omnino esse videtur de quo 1 Cor. 1. 14. qui alius est proculdubio à Gaio Derbensi, de quo Act. 20. 4. Erastus item quem Rom. 16. 23. vocat οἰκονόμον τῆς πόλεως, is esse videtur quem Paulus unà cum Timotheo Ephesο præmiserat in Macedoniam & Achaiam. Atque hæc sunt argumenta quibus Origenes (Præf. in Epistolam ad Rom. referente Baronio ad A. Chr. 58. sect. 46.) adductus est ut diceret scriptam esse Corinthi hanc Epistolam. Quæ sanè argumenta sunt validissima.

Atque hæ sunt quæ extra vincula scriptæ videntur à Paulo Epistolæ: reliquæ in vinculis sunt scriptæ. Vincula autem Pauli Romana fuerunt gemina; priora & posteriora. Una duntaxat, nempe posterior ad Timotheum, scripta videtur in posterioribus Pauli vinculis paulò ante ejus Martyrium: cæteræ in prioribus fuerunt scriptæ.

Epistola ad Philippenses. Anno Christi 56, Neronis 3.

Earum omnium prima videtur esse Epistola ad Philippenses. Cùm Paulus esset Romæ captivus, Philippenses de eo solliciti Epaphroditum eò miserunt, qui Paulum in vinculis visitaret, & necessaria vitæ subsidia ei subministraret, uti constat ex Epistolæ illius cap. 2. vers. 25. & cap. 4. vers. 10, & 18. Eundem ad Philippenses remisit Paulus, eùmque illis commendat cap. 2. 28. unde etiam per eum missa esse videtur Epistola, uti fert subscriptio: Male autem Arab. versio notat in subscriptione eam etiam esse missam per Timotheum; nam cap. 2. 19. significat Paulus se brevi ad eos missurum esse Timotheum; & Epistola nomine Pauli & Timothei est scripta, quod non fieret si per Timotheum esset missa. Scriptam autem fuisse in vinculis liquet ex c. 1. v. 7, 13, 14. & quidem Romæ, non autem Jerosolymis; nam cap. 1. 13. meminit Prætorii, & cap. ult. v. 22. salutat Philippenses eorum nomine qui sunt de domo Cæsaris.

Epistola ad Colossenses. Anno Chr. 56 Neronis 3.

Epistolæ ad Colossenses, Ephesios, & Philemonem eodem tempore fuerunt Romà scriptæ, & per eosdem, Tychicum nempe & Onesimum, missæ. Ac primò quidem Epistolam ad Colossenses scriptam esse è vinculis liquet ex c. 4. v. 3, & 18. missa est autem per Tychicum & Onesimum, cap. 4. 7, 8, 9. Romæ scripta fuit: nam Romæ Onesimum Philemonis fugitivum servum Christo Paulus lucrifecerat, uti liquet ex Pauli ad Philemonem herum ejus Epistola.

Epistola ad Philemonem. Anno Christi 56, Neronis 3.

TUM temporis ergò utraque Epistola, tam illa quæ est ad Colossenses quàm ista quæ est ad Philemonem, scripta fuit cùm Paulus Onesimum ad Philemonem remisit, cùm Epistola quâ id narrat; eùmque hero commendat, & herum illi conciliat. Quod & hinc confirmatur; Philemonem salutat eorum nomine quorum nomine Colossenses etiam salutat, putà nomine Epaphræ, Aristarchi, Marci, Lucæ, Demæ, uti liquet ex collatione cap. 4. Epistolæ ad Col. v. 10, 12, 14. cum v. 22, 24. Epistolæ ad Philemonem. Deinde, Onesimum Colossensibus commendat, cap. 4. 9. Item ex Coloss. 4. 17. liquet Archippum Colossis functum esse aliquo munere, jam autem eundem in Epistola ad Philemonem v. 2. salutat. Denique Philemon ipse fuit Colossensis. Nam (Coloss. 4. 9.) Onesimum ipsis commendans dicit, ὅς ἐστιν ἐξ ὑμῶν, quod ideo à Paulo dicitur quia herus ejus Philemon erat Colossensis: servi enim cùm sint de heri familia, non alia est illorum quàm heri civitas. Ex his itaque liquere puto utramque Epistolam simul eodem tempore fuisse scriptam.

Epistola ad Ephesios. Anno Christi 56, Neronis 3.

Epistolam ad Ephesios quod attinet, eodem etiam tempore fuisse scriptam sic colligi posse videtur; 1. Quia & ipsa scripta fuit in vinculis, h. e. Romæ, quod constat ex cap. 3. 1. & cap. 6. 20. Deinde, Missa est per Tychicum (cap. 6. 21, 22.) per quem & illa ad Colossenses missa fuit. Denique, vers. 21, & 22. cap. 6. ad Ephesios totidem penè verbis constant cum vers. 7, & 8. cap. 4. ad Coloss. Fuisse autem tres illas Epistolas in prioribus, non in posterioribus Pauli vinculis scriptas hinc liquet, quòd Philip. 1. 25, & 26. & 2. 24. item Philem. 22. ostendit Paulus spem certissimam se brevi liberatum iri. Cæterùm non videtur Paulus ipse Colossensibus Euangelium prædicasse; nam cap. 3. videtur illos numerare inter eos qui ipsum de facie non noverant. Et cap. 1. 7. videtur innuere Epaphram eos Christo lucrifecisse. Et quidem videntur Colossenses Epaphram misisse ad Paulum Romæ vinctum, cap. 1. 8. cujus propterea nomine eos salutat (cap. 4. 12.) cùm eum penès se detinuisset, & Tychicum ad ipsos misisset.

Epistola ad Hebræos. Anno Christi 57, Neronis 4.

Sunt qui negant Epistolam ad Hebræos esse Pauli, quòd ea neque phrasim, neque genium, neque argumentandi rationem Pauli referat aut sapiat; asseruntque eam potiùs esse adscribendam Barnabæ, moti Tertulliani autoritate qui id asserit. Sed cùm historia Apostolica vinctum fuisse Barnabam, & quidem Romæ sive in Italia, non commemoret, neque Timotheum illi adjungat unquam; sed Marcum potiùs, Timotheus autem semper Paulo adfuerit, tum ante vincula ipsius, (paulò postquam Barnabas à Paulo discessisset, rixâ inter eos ortâ quæ narratur Act. 15. 39.) tum in vinculis prioribus, uti suprà demonstravimus, longè verisimilius videtur à Paulo scriptam esse hanc Epistolam, qui vinculorum suorum meminit disertis verbis cap. 10. 34. & spem ostendit fore ut illis brevì solvatur cap. ult. vers. 19. ἵνα τάχιον (inquit) ἀποκατασταθῶ ὑμῖν, & vers. 23. de Timotheo loquens, *quocum* (inquit) *vos videbo*; & Hebræos salutat eorum nomine qui sunt ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, vers. 24. Ex quibus conjicere licet hanc Epistolam à Paulo sub finem priorum vinculorum Româ scriptam fuisse ad Jerosolymitanos Judæos qui in Christum crediderant, quibus hæc duo potissimùm nititur persuadere; 1. Jesum esse Messiam promissum, verum Deum, non hominem duntaxat, Redemptorem spiritualem, non carnalem; 2. Omnes Legis ceremonias fuisse totidem Christi typos & umbras, quæ in eo complementum suum habuerint, easque proinde adventu suo esse abolendas, contrà quàm existimabant plerique omnes etiam credentes Judæi, qui Legis erant acerrimi zelotæ.

Cæterùm, quia nulla fit in Scriptura expressa mentio vinculorum Timothei (nam liquet quidem eum Paulo adfuisse in vinculis, at vinctum ipsum fuisse non dicitur) hinc videtur esse quòd Arab. versio verba illa quæ sunt cap. ult. vers. 23. *Scitote Timotheum* ἀπολελυμένον, ita accipit quasi illis non solutio à vinculis, sed discessus ejus à Paulo significaretur; sic enim ea reddit, *Scitote Timotheum fratrem nostrum à nobis ad vos discessisse.* Sed quid opus erat eos monere ea de re? siquidem Timotheus tam citò, vel citiùs etiam, ad Hebræos venisset quàm ipsa Pauli Epistola, maximè si per eum missa est, uti vult Epistolæ subscriptio Arabica; sed perabsurdè: ridiculum enim est monere eum ad quem scribis, illum venire per quem tu ad illum scribis. Omninò ergò hinc colligi posse videtur, Timotheum unà cum Paulo fuisse Romæ captivum, quem postea vinculis unà secum solutum aliquò, in Græciam putà vel Asiam, ante se præmiserit, cujus reditum Paulus præstolabatur, ut unà cum eo Jerosolymam rursus peteret, atque indè postmodum Asiam, Græciam & Macedoniam postremâ suâ peragratione lustraret, prout nos suprà putamus demonstrasse Paulum, vinculis prioribus solutum, Orientem repetivisse; quàm ultimam peragrationem putabat fortè tum Paulus se inchoaturum Jerosolymis, quo rectà se conferre ex Italia tum sperabat, etsi (ut videtur) res aliter ceciderit: siquidem jubet Philemonem parare sibi hospitium, ut qui sperat se brevi redditum iri eorum precibus.

Posterior ad Timoth. Epist. Anno Christi 64, Neronis 11.

Suprà à nobis demonstratum fuit (ex posterioris ad Timotheum Epistolæ cap. 4. 20.) Paulum prioribus vinculis Romanis solutum rediisse in Orientem, indéque rursus Romam regressum, in vinculis martyrium sub Nerone fecisse. Unde liquet hanc Epistolam omnium Paulinarum Epistolarum esse postremam, ab eo scriptam in posterioribus vinculis; quorum meminit cap. 1. 8. & 2. 9. Et quidem Romæ, cap. 1. 17. paulò antè martyrium suum, quod innuere videtur cap. 4. 6, 7, 8. Ex eo autem quòd cap. 4. 12. scribit se Tychicum misisse Ephesum, colligitur vel Timotheum ad quem scribit non fuisse Ephesi; vel si fuit Ephesi, sequitur per Tychicum missam non fuisse hanc Epistolam: non enim sic loqueretur de eo per quem scriberet.

Baronius ad A. Chr. 59. §. 10, & seqq. multis contendit hanc Epistolam scriptam esse à Paulo Romæ in prioribus, non verò in posterioribus vinculis, & quidem paulò postquam Romam venisset, & Neroni oblatus, habitâ primâ suâ Defensione, in libera relictus fuisset custodia. Hancque vult esse primam omnium Epistolarum quæ Romæ à Paulo in vinculis sunt scriptæ. Verùm ex iis, quæ à nobis suprà dicta sunt, cùm disquisivimus, *An Paulus bis Romæ fuerit vinctus*, satis refellitur illa Baronii sententia. Quibus & hoc addi possit, Vult Baronius fuisse eam scriptam ante Epistolas ad Ephesios, Philippenses, Coloss. & Philemonem, quæ (uti suprà ostendimus, & ipse Baronius agnoscit) Romæ etiam scriptæ fuerunt à Paulo in prioribus vinculis. At huic Baronii sententiæ repugnat quod hâc Epistolâ scribit Paulus cap. 4. 12. *Tychicum misi Ephesum.* Nam per Tychicum missæ sunt Epistolæ ad Ephesios & Philippenses, uti suprà probavimus. Ergò si in prioribus vinculis à Paulo scripta fuit posterior hæc ad Timotheum Epistola, scripta omnino fuerit post Epistolas ad Ephesios, Philippenses, &c. quod fieri non potest: nam tum Timotheus Romæ erat cum Paulo; inscribuntur enim Epistolæ illæ non Pauli modò, sed & Timohei & Sylvani nomine; quod & ipse agnoscit Baronius, atque indè conjicit scriptas esse Epistolas illas postquam Timotheus, hâc Epistolâ à Paulo accersitus, Romam ad eum venisset. Quod fieri non potest nisi dicamus Tychicum bis à Paulo Româ, per illud biennium priorum vinculorum, missum fuisse Ephesum; & quidem primâ vice ante, aut saltem eodem tempore quo à Paulo scripta est hæc ad Timotheum Epistola, secundò verò postquam Timotheus Romam jam venerat, cùm per eum scripsit Paulus ad Ephesios, Philippenses, &c. At nullâ ratione aut argumento fit verisimilis prior illa Tychici à Paulo missio. Nam quorsum eum miserit? Non enim per eum missa est hæc ad Timotheum Epistola, siquidem Timotheum hâc Epistolâ Paulus monet se misisse Tychicum Ephesum. Non dicit autem Apostolus, *Mitto ad te Tychicum* Ephesum (quæ loquendi formula non modò ferri potest, sed est usitatissima) sed ἀπέστειλα, *misi*, inquit, *Ephesum*. Non ergò per Tychicum missa fuit hæc Epistola. Sed neque tum ad alios scripsit Paulus per Tychicum, ex Baronii sententia, qui hanc vult esse omnium primam earum quæ in vinculis fuerunt scriptæ. Quorsum ergò misisset Tychicum Paulus? Aut verò credibiléne est Paulum, in vinculis constitutum, Româ Ephesum misisse Tychicum sine literis, maximè ad Timotheum, quem Baronius vult fuisse Ephesi relictum à Paulo, cum Miletum Presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ accersivit ad se navigaturus Jerosolymam, atque Epheso fuisse ab eo Romam accersitum? Hæc sanè oppugnant fortiter Baronii sententiam, nec poterunt unquam cum sententia ipsius conciliari, uti neque illud quod suprà observatum est, nempe sine causa & ratione moneri hic per Epistolam Timotheum, Corinthi remansisse Erastum, 1. Quia integro biennio aut verò penè triennio id præcesserat hujus Epistolæ scriptionem, etsi Baronius id neget, neque velit intercedere sex menses: sed nullo argumento id ab eo asseritur. 2. Quia Timotheus erat cum Paulo Corinthi cùm Erastus isthic remansit. Nam cùm Paulus Corintho excessit ut Jerosolymam navigaret delaturus Eleemosynas, Timotheus unà cum eo fuit συνέκδημος, Act 20. 4.

Visum est hic subtexere pauca quædam ex Josepho excerpta, & in compendium contracta, quæ faciunt ad historiæ tum Evangelicæ tum Apostolicæ illustrationem aut confirmationem, quæ boni consulet æquus Lector, idémque historiæ Sacræ studiosus. Præmittere autem illis visum est tres Tabulas. Prima Herodis genealogiam, Secunda seriem summorum Pontificum Hierosolymitanorum, Tertia denique Cæsarum in Judæa Procuratores, & Syriæ à Romanis constitutos Præsides repræsentans, atque ob oculos ponens.

HERODIS Magni, sub quo Dn. Jesus Christus natus est, stemma & soboles, ex Josepho collecta, lib. Antiq. Jud. 20. c. 5. & lib. 18. cap. 7. & l. 17. cap. 1.

ANTIPAS.

*** TAB. I.

Antipater, Hyrcano Judæorum regi charissimus, sub quo totam rerum administrationem habuit. Obiit anno V. C. 711. — *Cyprus*, Arabissa.

Cophalio, occisus in pugna ab Aristobulo Judæorum rege.

Josephus, ab Herode M. ob stupri cum Mariamme conjuge suspicionem, interfectus.

Salome, Herodis M. soror, primùm huic Josepho patruo suo, dein Costobaro, postremùm Alexæ nupsit.

Josephus duxit in uxorem Olympiadem Herodis ex Malthaca filiam, unde nata est

Mariame, quæ Herodi Chalcidis regi primùm, deinde Agrippæ juniori nupsit.

4. *Pheroras* duos suscepit filios, & filiam unam.

: : : : : : quæ Antipatro Herodis M. (ex Antipatro filio) nepoti nupsit.

: : : : : : duxit Roxanem Herodis M. ex Phædra filiam.

: : : : : : duxit Salomen Herodis M. ex Elpide filiam.

2. *Phasaelus* à Parthis, procurante Antigono Judæorum rege, per dolum interfectus.

Phasaelus — *Salampsio*, Herodis M. ex Mariamme filia.

3. *Josephus*

Costobarus, unus ex Idumæorum nobilissimis, toti Idumææ ab Herode præpositus.

Berenice, nupsit Aristobulo Herodis M. ex Mariamme filio.

Salome, magnâ apud Herodem fratrem gratiâ & autoritate. — *Alexas Selcias.*

Salome.

Antipater. — *Cyprus* Herodis M. filia, Aristobuli soror.

Cyprus — *Alexas Selcias.*

Cyprus.

HERODES Magnus, à Romanis rex Judæorum creatus, sub quo Dn. N. Jesus Christus natus est. Decem habuit uxores, quarum duæ fuerunt steriles, ex reliquis suscepit liberos.

Antipater.

Herodes. — *Alexander.* Hi duo sine prole decesserunt.

Alexandra, nupsit Tymio viro nobili, sed obiit sine liberis.

Cyprus, nupsit Agrippæ M. Aristobuli filio.

Cyprus.

1. *Doris*, plebeia & dives, quam privatus adhuc duxit, antequam à Rom. rex renunciaretur, sed quam postea ob suspicionem structarum in se cum Antipatro filio insidiarum repudiavit. Ex ea natus est

2. *Mariamme*, Alexandræ filia, Aristobuli & Hyrcani regum, ante Herodem, Judæorum, neptis, insignis pulcritudinis & magni animi femina, quæ Herodi privato adhuc ab Hyrcano desponsata, tertio post anno (cùm à Rom. rex renunciatus Antigonum, qui regnum occupaverat, expulisset) nupsit. Ab Herode summè adamata, postea, ob suspicionem insidiarum in se structarum, necata. Ex ea nati sunt

3. *Malthaca* Samaritana, ex qua susceptus est

8. *Elpis*, ex qua nata est

Salome, quæ nupsit uni ex Pheroræ filiis.

4. *Mariamme*, Simonis Pontificis M. ab Herode constituti filia, ex qua natus est.

5. *Pallas*, ex qua susceptus est

Phasaelus.

6. *Cleopatra*, Hierosolymitana, ex qua susceptus est.

7. *Phædra*, ex quo nata est

Roxane

9 & 10 anonymæ & steriles.

Antipater, omnium Herodis filiorû natu maximus, sed pessimus, à patre paucis ante obitum diebus, ob attentatum parricidium, necatus. Duxit in uxorem Antigoni regis Judæorum filiam, cum qua etiam Mariammen Aristobuli fratris filiam sumpsit.

Alexander, à patre per calumniam fratris Antipatri, unà cum Aristobulo fratre, necatus. Duxit Glaphyram Archelai Cappadocum regis filiam.

Aristobulus, à patre, unà cum Alexandro fratre, per Antipatri calumnias, necatus. Duxit in uxorem Berenicen Salomes sororis Herodis M. filiam. Ex qua nati sunt

: : : : : : impuber Romæ mortuus.

Cyprus, Antipatro Salomes filio nupsit.

Salampsio Phasaelo nupsit.

Antipas, (sed iste videtur omnino idem esse cum Herode Antipa, neque enim alibi hujus Antipæ fit mentio.)

ARCHELAUS, patri Herodi in regnum successit, sed decennio post, à Judæis accusatus, Viennam ab Augusto in exsilium missus est.

Olympias, nupsit Josepho Herodis M. patrueli.

Herodes, Antipas dictus, Galilææ & Peræææ Tetrarcha, post patris obitum, ab Augusto constitutus, postéaque Tiberio charus factus. Is est qui Johannem Baptistam capite truncavit, & Christo à Pilato ad se misso illusit. Primò Aretæ regis Arabum filiam, deinde Herodiadem Philippi fratris uxorem duxit.

Philippus, Tetrarcha Trachonitidis & Ituræ, duxit Herodiadem Aristobuli fratris filiam, quam ab eo abductam postmodum sibi junxit Herodes frater, Galilææ Tetrarcha: postea Salomon duxit Costobari & Salomes Herodis M. sororis (uti videtur) filiam.

Herodes. Non videtur iste alius esse à Philippo Tetrarcha, qui à Josepho Antiq. lib. 18. c. 7. vocatur Herodes, sed (ut videtur) malè.

Antipater, duxit Pheroræ filiam.

Alexander.

Tigranes, Armeniæ Rex datus à Nerone

Alexander, Rex Lesidis in Cilicia constitutus à Vespasiano, duxit Jotapen Antiochi Comagenorum regis filiam.

Tigranes Armeniæ rex, apud Rom. accusatus, sine liberis obiit.

AGRIPPA Magnus, C. Caligulæ & Claudio Impp. charissimus, variâ fortunâ, dum privatus vixit, usus, Rex, post Tiberii obitum, à C. Caligula factus, & à Claudio novis ditionibus auctus, septem annos felicissimè regnavit. Is est qui (Act. 12.) Herodes dicitur, qui q; Jacobû Joannis fratrem gladio percussit, & paulò post ab Angelo percussus obiit à vermibus erosus. Cyprû duxit Phasaeli & Salampsionis filiam. Ex qua nati sunt

AGRIPPA junior, magnâ apud Claudium & Neronem Impp. gratiâ, quo præsente Paulus coram Festo causam egit suam, Act. 25. Annos regnavit XIII. menses VIII. dies XX. Neroni regnum suum reliquit testamento. Duxit uxorem Mariammen Olympiadis & Josephi filiam, Herodis Chalcidis regis antea conjugem.

Mariamme, primùm Demetrio Alexandræ Alabarchæ nupsit, ex quo Agrippinum suscepit, deinde Archelao Helciæ F. ex quo nata est illi *Berenice.*

Berenice, primùm Herodi Chalcidis regi patruo suo, deinde, eo mortuo, Polemoni Lyciæ regi nupsit, quem tamen mox reliquit, & in fratris Agrippæ junioris domum se recepit.

Drusilla, primùm Azizo Emesenorum Regi, deinde, eo derelicto, Felici Judææ Præsidi nupsit.

Drusus, obiit impuber.

Aristobulus duxit Jotapê Sampsigeranorum regis filiam, ex qua genuit Jotapam surdam.

Mariamme, nupsit Antipatro Herodis M. filio natu maximo.

Herodias, nupsit primùm Philippo, deinde Herodi Tetrarchis, patruis suis.

Mariamme, Josephi & Olympiadis filia.

Herodes, Chalcidis Rex à Claudio, rogatu & intercessione Agrippæ M. fratris sui, constitutus.

Berenice, Agrippæ M. filia, quam unà cum regno Chalcidis, Agrippa illi collocat

Aristobulus Armeniæ à Nerone Præfectus. Duxit uxorem Salomen Philippi Tetrarchæ viduam. Ex qua nati sunt

Herodes — *Agrippa.* — *Aristobulus.*

Hyrcanus. — *Berenicianus.*

TAB. II.

SERIES SUMMORUM HIEROSOLYMITANORUM PONTIFICUM,

Ab eo tempore quo Herodes Asamonæis ablatum regnum à Romanis accepit, ad excidium usque Templi per Titum Vespasianum, ex Josepho collecta.

CUM Herodes à Rom. Senatu Rex Judæorum, operâ & favore Antonii, renunciatus, tertio pôst anno Jerosolymam ope Romanorum vi expugnasset, & Antigonum Aristobuli filium, ultimum ex Asamonæis Judæorum regem, captum ad Antonium misisset (qui eum securi percussit) occupato regno, Sacerdotium (quod ipse exercere non poterat, utpote Idumæus genere) contulit in quoslibet è Sacerdotum genere, obscuros licèt, quos pro arbitrio modò instituebat, modò destituebat (quod exemplum Archelaus ejus filius, atque post eum Romani, & ab illis constituti Reges Judæorum, postmodum secuti sunt.) Horum Pontificum primus fuit

1. *Ananelus*, ab Herode accersitus Babylone, olim ipsi notus & familiaris. Sed mox cùm videret socrum Alexandram, Hyrcani filiam, matrem Mariammes conjugis, ea de causa vehementer indignari (quòd præterisset Aristobulum filium suum, fratrem Mariammes abdicato ad preces Mariammes Ananelo, substitutus est ei

2. *Aristobulus*, Mariammes conjugis Herodis frater, adolescens annorum XVII, formosissimus juvenis; in quem cùm Herodes videret totius populi studium & vota inclinare, metuens indè Gentis in se rebellionem, elapso post collatum Sacerdotium anno, curavit eum natantem dolo submergi atque præfocari. Is est Asamonæorum ultimus qui Hierosolymis summo Pontificatu functus est. Eo mortuo constituitur rursus ab Herode in Sacerdotio

Ananelus, cui postea ab eodem substitutus est

3. *Jesus* Phabeti filius, cui deinde ab Herode successor datus est

4. *Boethus* Alexandrinus, quocum filius Simon videtur exercuisse Sacerdotium; hujus enim Simonis filiam Mariammen formosissimam cùm vellet Herodes ducere in uxorem, patri Simoni (aut verò avo potiùs Boetho) contulit Pontificatum; sed ei postmodum abrogatum est Sacerdotium, suffectúsque

5. *Matthias* Theophili Hierosolymitani F. Iste, paucis ante Herodis mortem mensibus, privatus est ab eo Sacerdotio, eique subrogatus

6. *Joazarus* Boethi F. & Mariammes conjugis Herodis patruus, cui Archelaus in regno ab Augusto confirmatus mox abrogavit Sacerdotium, ei substituitur

7. *Eleazarus* Joazari frater. Eidem mox Archelaus abstulit Pontificatum, & viventi subrogatur

8. *Jesus* Siæ F. Hic videtur sub finem regni Archelai depulsus Sacerdotio, & in Pontificatum restitutus

Joazarus ille prior. Nam cùm post Archelai exsilium sive relegationem ab Augusto missus esset in Judæam Quirinus, & cum eo Coponius, qui censum ageret, & Archelai bona divenderet, Judæámque Romanorum provinciam faceret; persuadente Joazaro Pontifice populus acquievit descriptioni, sive Censui. Mox populi in eum exortâ seditione, Quirinus Syriæ Præfectus eum privavit Sacerdotio, eique suffectus est

9. *Ananus* Sethi F. cui non multò pôst à Valerio Grato, Judææ à Tiberio misso Præside, substitutus est

10. *Ismael* Fabi F. quo mox dejecto substituitur ei

11. *Eleazarus* Anani Pontificis F. Anno elapso dignitatem hanc ei ademit Gratus, suffectúsque est illi

12. *Simon* Camithi F. cui cùm annum in dignitate illa egisset, successor datus est

13. *Josephus* cognomento Caiaphas (ille est sub quo Christus passus est, Annæ, h. e. Anani illius præcedentis, gener, uti videtur ex historia Euangelica) qui à Vitellio sub finem regni Tiberii destitutus est, atque ei subrogatus

14. *Jonathas* Anani præcedentis F. cui paulò pôst idem Vitellius, cùm ad bellum contra Arabas proficisceretur, paulò ante mortem Tiberii, Pontificatum abrogat, eique sufficitur

15. *Theophilus* Jonathæ frater. Huic Agrippa M. cùm Romà post Caligulæ cædem Jerosolymam venisset, initio regni Claudii, Pontificatum adimit, atque illi subrogatur

16. *Simon* cognomento Canthara, Boethi F. Huic mox Pontificatum abrogat Agrippa, eique successor datus est

17. *Matthias* Anani Pontificis F. & Jonathæ frater; cui deinde cùm Pontificatum idem Agrippa ademisset, suffectus est

18. *Elionæus* Cithæi F. Huic etiam ademptus videtur Pontificatus, & subrogatus iterum

Simon Canthara; nam post Agrippæ M. mortem Herodes Chalcidis Rex Agrippæ frater, impetratâ à Claudio potestate in Templum & sacrum ærarium, hunc Simonem ejecit: cui suffectus est

19. *Josephus* Canei sive Camydis F. quem idem Herodes mox privavit eâ dignitate, eique substitutus est

20. *Ananias* Nebedæi F. Iste à Numidio Quadrato Syriæ Præside missus est Romam, unà cum Cumano Cæsaris in Judæa Procuratore, redditurus Claudio rationem seditionis cujus accusabatur, idque circa decimum Claudii Imp. annum. Abrogatus ei videtur ea de causa Pontificatus substitutúsque

21. *Jonathas*, quem Felix Judææ Præses liberiùs monentem cùm odio prosequeretur, curavit per Sicarios interfici, eique subrogatus est ab Agrippa juniore

22. *Ismael* Fabii F. Is Romam ad Neronem profectus cum decem Judæorum legatis, postulata quidem obtinuit, sed Romæ tanquam obses detentus est; quo intellecto ei ab Agrippa juniore suffectus est

23. *Josephus* cognomento Cabi, Simonis quondam Pontificis F. cui idem Agrippa post Festi mortem ademit Pontificatum, inque ejus locum substitutus est

24. *Ananus* Anani quondam Pontificis F. Josephus lib. 2. De bello Jud. cap. 11. dicit eum Ananiæ filium, quod verius esse videtur. Is sectâ Sadducæus statim atque adeptus est Pontificatum, Jacobum Apostolum, Dn. N. Jesu Christi fratrem, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Præfectum, securi percussit, improbantibus id factum plerisque Judæis: qua de causa tertio post adeptum Pontificatum mense destitutus est ab Agrippa, eique suffectus

25. *Jesus* Damnæi F. cui cùm idem Agrippa eripuisset Pontificatum, successor ei datus est

26. *Jesus* Gamalielis F. Huic cùm etiam abrogasset Pontificatum suffectus est

27. *Matthias* Theophili F. sub quo Judaicum bellum habuit initium, anno Neronis XII. Huic deinde, cùm à seditiosis Zelotis tempore belli interfectus esset, suffectus est

28. *Phanasus*, sive Phannias, homo planè rudis atque rusticus. Josephus Antiq. Jud. lib. 20. cap. 8. dicit ab Herode ad Templi excidium summos fuisse Hierosolymis Pontifices XXVIII, quorum nullus fuit ex Asamonæorum genere præter unum Aristobulum.

TAB. III.

Cæsarum in Judæa Procuratores, vel Præsides, à Rom. eò missi post Herodis mortem.

1 *Sabinus*, interim dum Archelaus Romam proficiscitur petiturus ab Augusto regnum paternum, sed redeunte Archelao decessit.

2 *Coponius*, post damnatum & relegatum ab Augusto Archelaum, venit cum Quirinio Syriæ Præside, ab eòque in Judæa cum turma Equitum Cæsaris Procurator relictus est. Post eum

3 *M. Ambivius*. Cui successit

4 *Annius Rufus*, quo Præside obiit Augustus. Huic à Tiberio successor missus est, anno imperii sui secundo,

5 *Valerius Gratus*, cui exactis in Judæa annis undecim successor est missus

6 *Pontius Pilatus*, qui post exactum in Judæa decennium jussus est à Vitellio, Syriæ tum Præside, Romam ad Tiberium proficisci, responsurus accusationi Judæorum (sed priùs quàm Romam perveniret obiit Tiberius) missusque est in ejus locum à Vitellio

7 *Marcellus*, sed mox à Caio Caligula missus est in ejus locum

8 *Marullus*, post mortem autem Agrippæ M. anno Claudii IV, interim dum adolescebat filius ejus Agrippa junior, qui tum erat annorum XVII, missus est à Claudio in Judæam Procurator

9 *Cuspius Fadus*, à quo Theudas Pseudopropheta cum suis sequacibus deletus est. Huic successit

10 *Tiberius Alexander*, Alexandri Alabarchæ F. religionis patriæ (nempe Judaicæ) desertor. Hujus & Fadi tempore contigit gravissima per universam Judæam fames (illa nempe quæ memoratur Act. 11. 28.) Is etiam Jacobum & Simonem, Judæ Galilæi filios, captos sustulit de medio. Ei successit

11 *Cumanus*, anno Claudii VIII. Is ob cædem in seditione factam, aliáque scelera, à Numidio Quadrato Syriæ Præside ad Claudium ire jussus est, qui causâ cognitâ Cumanum multavit exsilio. In ejus locum suffectus est

12 *Felix* Pallantis, liberti Claudii, frater, anno circiter Claudii X. Huic à Nerone (circa annum Principatûs sui II.) successor missus est

13 *Porcius Festus*. Huic mox successit

14 *Albinus*, cui successor à Nerone missus est

15 *Cestius*, vel *Gessius*, *Florus*, qui cùm potestate suâ violenter abuteretur, Judæos compulit rebellare adversùs Romanos. Hujus anno secundo, Neronis autem XII. cœptum est bellum Judaicum, quo tota Judæorum Resp. unà cum urbe & Templo funditus eversa est.

Syriæ Præsides, sive Proconsules, ab Herodis M. morte.

1 *Quintilius Varus*, Saturnini successor Syriam administrabat cùm Herodes diem suum ultimum clauderet, cui postea ab Augusto, post damnatum Archelaum, successor missus est

2 *Quirinius*, qui per Judæam & Syriam censum ageret, Syriæque præesset. Post eum missus est à Tiberio

3. *Silanus*, deinde

4 *Germanicus*, ad res Orientis componendas, qui Pisonis operâ veneno sublatus est. Ei successit

5 *Vitellius* qui Pilatum à Judæis accusatum jussit ire ad Tiberium, redditurum facti sui rationem. Ei à Caio Caligula successor missus est

6 *Petronius*, qui jussus est Caligulæ statuam auream in Templo Hierosolymitano dedicare, quod cùm exsequi pararet, nuncium accepit de Caii morte. Ei à Claudio successor missus

7 *Marsus*, Regi Agrippæ M. non satis amicus, cui propterea, ad Agrippæ preces, successor à Claudio missus est (anno Imperii sui quinto, post Agrippæ obitum)

8 *Cassius Longinus*, cui successit

9. *Numidius Quadratus*, à quo Cumanus Judææ Procurator jussus est Romam ire ad Claudium qui damnavit eum exsilio.

10 *Cestius Gallus*, apud quem Judæi de Flori vexationibus conquesti sunt, sed frustrà, quíque adversùs eos rebellionem incipientes profectus, feliciter pugnavit, seditiosos in Templum compulsos obsedit, sed mox nulla de causa obsidione solutâ recessit, & recedens à Judæis insequentibus penè deletus est ejus exercitus.

HISTORIÆ

HISTORIÆ JUDAICÆ COMPENDIUM,

Ex Josepho contractum, ad illustrationem historiæ Euangelicæ & Apostolicæ N. Testamenti accommodatum.

CUM Judæi Abrahæ posteri in numerosam gentem benedictione Dei excrevissent in Ægypto, atque indè liberati regiminis alicujus politici formam à Deo per Mosem accepissent, Deus eos primùm per Judices extra ordinem à se excitatos rexit per annos circiter 460, ad Saulem usque & Davidem. Indè ad captivitatem usque Babylonicam proprios habuerunt Reges è gente sua, Davidis posteros, quorum imperio parebant. A captivitate autem Babylonica regibus Persiæ, ad Alexandrum usque Magnum, primò subditi fuerunt ad tributa & vectigalia quod attinet, quæ Judæi Regibus illis solvebant. Nam cæteroqui *αὐτονομίᾳ* utebantur, propriósque habebant de gente sua Præsides; quales fuerant Zorobabel, Nehemias & alii; à quibus, regum Persarum nomine & tanquam eorum Præfecti, secundùm leges suas regebantur, résque sacræ à summis Sacerdotibus sub illis Præfectis summa cum libertate administrabantur. Ab Alexandri autem Magni morte rerum summa apud Judæos fuit penès summos Pontifices, qui tamen suberant modò Lagidis Ptolemæis Ægypti, modò Seleucidis Asiæ regibus, ad Antiochum usque Epiphanem, Seleucidam Asiæ regem; à quo mox, cùm ab eo gravissimè afflicti essent, defecerunt, & contra successores ejus bellum gesserunt sub Mattathiæ ejúsque liberorum, Judæ Machabæi, Jonathæ & Simonis, ductu atque auspiciis, qui ex Sacerdotali quidem familia, at non tamen primaria, oriundi summum Pontificatum cum regia dignitate simul conjunxerunt, résque Judæorum summo cum imperio, nullius Superioris dominationi subjecti, administrarunt ad Herodis usque Magni tempus, qui à Romanis Rex Judæorum Senatusconsulto creatus & declaratus est, annis ante Dn. N. Jesu Christi æram receptam ferme quadraginta. Hujus Herodis & posterorum ejus historia, rerúmque ab eo tempore Judaicarum cognitio, plurimùm confert ad historiæ Euangelicæ & Apostolicæ N. Testamenti illustrationem. Itaque breviter, & *κατ' ἐπιτομὴν*, ex fusiori quæ est apud Josephum narratione, ea hic subjiciemus, unde lux aliqua ad historiam sacram N. Testamenti afferri potest, re ab ipsis Assamonæis breviter repetitâ.

Anno ante Christum natum 135, 134, 128, 127, 110, 109, 105.

[Joseph. Antiq. lib. 13. cap. 16, 17, 18.] Simoni ergò fratrum Judæ Machabæi ultimo, à Ptolemæo genero per dolum in convivio interfecto, succedit in Principatu & Sacerdotio Hyrcanus ejus filius, qui ab Antiocho Pio rege Syriæ, ex Seleucidarum genere, obsessus Jerosolymis Davidis sepulcrum, ad illam usque diem intactum, reseravit, unde talentorum tria millia eduxit, ex quibus 300 dedit Antiocho, quibus pacem redemit; fedus cum Antiocho feriit, quem Hierosolymis cum toto exercitu excepit, proficiscentem in Parthos ipse cum auxiliaribus copiis comitatus est. A quibus cùm Antiochus victus & interfectus esset, frater Demetrius in regnum ei successit. Hyrcanus autem Sicima & Garizim expugnat, Samaritanorum Templum isthic exstructum funditus evertit, anno CC postquàm primò conditum fuerat à Sanaballat Samaritidis Præfecto, in gratiam Manassis generi sui (fratris Jadduæ summi Pontificis, paulò ante adventum Alexandri Magni in Syriam) qui ob contractam cum Samaritano affinitatem exclusus fuerat à Sacerdotio, & pulsus urbe Hierosolymâ. Ipsam Samariam, post consumptum in ejus obsidione annum integrum, expugnat, evertit à fundamentis, adeóque immisso torrente ità delet ut nè vestigia quidem urbis superfuerint. Idem Hyrcanus Idumeam subigit. Idumæos cogit ad Circumcisionem & religionem Judaicam suscipiendam, atque ab eo tempore Idumæi inter Judæos sunt habiti. Fedus cum Romanis, missis legatis renovat. Invitatis autem ad convivium præcipuis è Pharisæorum secta (cui impensè favebat) viris, irritatus cujusdam ex eis convitio, qui matrem servam, sive captivam, ei exprobraverat, ab eorum partibus ad Sadducæorum sectam transiit; Pharisæos eorúmque sectatores & discipulos exinde variè afflixit. Tandem exactis in regno & Sacerdotio 31 annis moritur: sub cujus imperio altâ pace fruita est Judæa, interim dum Seleucidæ inter se de Syriæ regno dimicant. Quinque liberos post se reliquit. Vir pius (ut vult Josephus) & Prophetiæ dono præditus, quo prædixit casum duorum majorum liberorum suorum.

Ante Christum 104.

Hyrcano succedit filius natu maximus Judas, qui postea Aristobulus est dictus, Philellen cognominatus, qui primus Asmonæorum Diadema capiti suo circumposuit, annis 481 post solutam captivitatem Babylonicam. Ituræos dejectos, & Circumcisionem suscipere coactos, Judææ adjunxit. [Hi sunt Arabiæ populi à יטור *Jetur* Ismaelis filio sic dicti. Vide Gen. 25. 15. & 1 Par. 5. 19.] Matrem regni æmulam, quam Hyrcanus rerum dominam reliquerat, conjecit in carcerem, atque isthic fame necavit. Fratrem Antigonum regni socium & consortem facit, cæteros tres carcere claudit. Sed mox Antigonum calumniis circumventum ab uxore & aliis æmulis, jubet interfici, cujus cædis mox dat pœnas sanguinis proprii vomitu, quo paulò pòst exstinctus est, anno uno duntaxat in Regno exacto.

Ante Christum 103, 99, 97, 96, 92, 81, 79.

[Antiq. lib. 13. cap. 20, 21, 22, 23.] Alexander, Hyrcani tertius filius, Aristobulo fratri succedit, Fratrum alterum vitæ suæ insidiantem interficit, alterum vitâ privatâ gaudentem in pretio habet. Bello adversùs Ptolemæum Lathurum Ægypti regem variè certat; multa oppida minuta & castella in Judæa eo bello occupat; Gadaram, [Urbs est munitissima trans Jordanem in monte sita, à qua dicti sunt *Gadareni*, quorum meminit Euangelium, Marc. 5. Luc. 8.] Amathuntem [Castellum prope Gadarum munitissimum, non verò urbs illa quæ in V. Test. dicitur חמת *Hamath*] Raphiam, Anthedonem. Gazam, post anni unius obsidionem expugnatam, evertit funditus. [Hinc est quòd Act. 8. 26. vocatur *ἔρημος deserta*. Nam etsi mox est reædificata, alio tamen loco fuit ædificata.] Sed à popularibus suis Judæis exosus bello ab eis vexatur per annos sex, tandémque morbo ex temulentia contracto, quartanâ febre per triennium laborat, ex qua viribus exhaustis obiit anno regni sui XXVII, vitæ XLVIII.

Ante Christum 78, 69.

[Antiq. lib. 14. cap. 1.] Alexandro mortuo uxor ejus Alexandra, femina sectæ Pharisæorum addictissima, regnum per novem annos administravit ope & consilio Pharisæorum, quibus illa se & omnia sua consilia credidit. Filio majori Hyrcano rebus gerendis minùs idoneo Pontificatum contulit, quo, quamdiu mater vixit, functus est. Eâ mortuâ Aristobulus frater natu minor, sed audax & industrius, animo & ingenio longè superior, commisso prælio fratrem Hyrcanum superat, & fœdere icto cogit vitam privatam vivere, erepto ei tum regno tum Sacerdotio, quæ ipse tenuit simul annos tres, menses sex. Sunt qui putant legendum apud Josephum *annos sex menses tres*; & bene quidem.

Ante Christum 65, 64.

[Antiq. lib. 14. cap. 2, 3, & seqq.] Sed Antipater, Herodis magni pater, gente Idumæus, religione Judæus, ab Alexandro & ejus uxore Alexandra totius Idumææ Præfecturæ præpositus, vir pecuniosus, industrius, & ingenio factiosus, Hyrcani, qui Alexandro successerat, amicus, atque Aristobulo ejus fratri propterea infensus, ægre quidem, sed tandem tamen Hyrcano persuadet ut ad Aretam Arabum regem se conferat, à quo precibus Antipatri auxilium impetrat, quo in regnum sibi ab Aristobulo fratre ereptum restituatur. Aristobulus ab Areta & Hyrcano fratre prælio fusus recipit se Hierosolymam, ubi cùm in Templo arctè obsideretur, Scauro Pompeii legato Damasco in Judæam venienti pollicitus 400 talenta, obsidione liberatus est, Areta & Hyrcano jussis à Scauro indè recedere. Verùm cùm Pompeius ipse Damascum venisset, Aristobulus & Hyrcanus apud eum disceptant de regno & Sacerdotio; qua in disceptatione cùm Aristobulus Pompeium offendisset, Pompejus eo in vincula conjecto Hierosolymam contendit, ubi ab Hyrcani parte receptus, solo Templo (quod à patre Aristobuli occupabatur) exclusus, cùm illud per tres menses obsedisset, vi tandem cepit, Olymp. CLXXIX, C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coss. die ipso Jejunii, ubi Judæorum 12 M. cæsa. Templum ingressus Pompejus illud non violavit, neque sacrum ærarium, in

quo 2 M. talentorum erant, attigit. Aristobulum vinctum cum duobus filiis secum Romam abduxit, Hyrcano Regnum & Sacerdotium restituit, partem mœniorum Hierosolymitanorum diruit, Judæis eas ademit civitates quas supra finitimos occupaverant, jussit ut intra veteres & proprios limites se continerent.

Ante Christum 55, 54.

Cúmque Alexander Aristobuli filius è vinculis in itinere profugisset, eum Judæam incursionibus vexantem, résque novas molientem, Gabinius prælio vicit, factáque deditione Hyrcanum in Sacerdotio confirmavit, varias urbes in Judæa bello dirutas instaurari jussit, Judæam in quinque districtus divisit; quorum hæ erant Metropoles, Hierosolyma, Hiericho, Gadara, [Illa est quæ in V. Testam. passim non *Hamath* dicitur, prope Libanum, non longè à Jordanis fontibus] Amathus, & Sepphora. Ipsum etiam Aristobulum Româ profugum, & res novas in Judæa agitantem, idem Gabinius opprimit, captúmque & vinctum Romam remittit. Cúmque ex Ægypto Ptolemæum reducturus in regnum rediret, offendissétque Alexandrum res novas rursus molientem, prælio cum secundò vicit, résque Hierosolymitanas ex Antipatri sententia constituit. Arabibus Nabathæis [Sic dicti sunt à נביות Ismaelis filio primogenito] devictis Romam revertitur, & Crasso provinciam Syriæ tradit regendam. Crassus Gabinio succedens bellum in Parthos moturus Templum Hierosolymitanum diripit, & auro sacro spoliat. Eo à Parthis cæso Cassius ejus Legatus cùm in Syria Parthis resisteret, venit Tyrum, indè in Judæam, ubi Pitholaum, qui Aristobuli partes fovebat, Antipatri suasu interficit.

Ante Christum 49, 48, 47, 45.

[Antiq. lib. 14. c. 13.] Interim Cæsar fugato cum Senatu Pompeio Aristobulum Romæ vinculis solvit, & cum duabus legionibus in Syriam mittit: sed veneno à Pompeianis est sublatus, ejusque filius Alexander à Scipione Pompeii jussu securi percussus; reliqui liberi à Ptolemæo Mennæo Chalcidis Regulo servati, & quasi in tutelam suscepti. Pompeio à Cæsare pugnâ Pharsalicâ superato, cùm Cæsar in Ægypto bellum adversùs Pompeianos gereret, Antipater insignem ei operam eo in bello navavit: Judæos enim & circumvicinos Dynastas in Cæsaris partes traxit, auxiliáque in Ægyptum duxit. Unde factum ut peracto bello, cùm Cæsar in Syriam venisset, Hyrcanum in Sacerdotio confirmaverit, & Ptolemæum Chalcidis Dynastam repulerit accusantem apud se Hyrcanum & Antipatrum. Antipatro quamcunque vellet Judææ Dynastiam dedit, & Judææ Procuratorem eum constituit. Hyrcano permittit ex Senatusconsulto mœnia Hierosolymorum à Pompeio eversa instaurare, anno nono Principatûs & Pontificatûs Hyrcani; quæ mœnia Antipater, postquam Cæsarem in Syriam deduxisset, reversus in Judæam restituit, totámque Judæam componit; Phasaelum filium natu majorem Hierosolymis præficit, Herodem verò juniorem Galilææ præposuit.

Ante Christum 45, 44.

[Antiq. lib. 14. c. 17.] In ea regenda & administranda licèt juvenis annorum XXV [Sic legendum docet Casaubon. Exer. 1. sect. 34. non verò XV. ut fert tum Græca vulgaris lectio, tum Latina Ruffini interpretatio] clarus brevi evasit, captis multis latronum & prædonum per Trachonitidem Ducibus, fitque in tota Syria notus, atque Sexto Cæsari Syriæ Præsidi charus. Primates autem Hierosolymitani, invidentes ipsius gloriæ, eum apud Hyrcanum calumniantur, & cædis, ob latrones indictâ causâ cæsos, accusant. Vocatus sistit se Judicio, sed armatus cum satellitio; quo facto terruit Concilium, móxque clàm ab Hyrcano monitus se subducit, & à Sex. Cæsare Cœlesyriæ præfectus, mox adversùs Hierosolymam, ut injuriam sibi factam ulcisceretur, contendit; sed patris Antipatri & Phasaeli fratris precibus motus recessit. Paulò pòst Sex. Cæsar dolo à Cæcilio Basso, qui Pompeii partibus favebat, interficitur, Syriáque ab eo unà cum Legionibus occupatur. Cæsariani Duces bellum adversùs eum movent circa Apamiam, opem ferente Antipatro in gratiam Cæsaris, qui interim Romæ à Bruto & Cassio in Senatu interficitur.

Ante Christum 43, 42, 40.

[Antiq. l. 14 c. 18, & seqq.] Cassius, post interfectum Cæsarem, occupatâ Syriâ Judæam affligit, imperatis ei 700 talentis. Herodes allatâ ad eum pecuniâ gratiam apud Cassium init, & ab eo toti Cœlesyriæ præficitur. Interim Malichus quidam Hierosolymis apud Judæos potens Antipatrum veneno tollit; sed Herodes mox Malichum jussu Cassii curavit Tyri per insidias interfici. Antigonum Aristobuli filium res novas, ope Tyriorum, & Ptolemæi Mennæi Chalcidis Tyranni auxilio, molientem statim opprimit. Doræ, quam privatus uxorem duxerat, adjungit Mariammen Alexandri Aristobulo geniti filiam, Hyrcani autem ex filia Alexandra neptim. Antonium, post superatum Cassium & Brutum, venientem in Asiam primus occupat, & datâ pecuniâ demulcet Herodes, suósque accusatores excludit; ab Antonio literas & varia rescripta in Judæorum gratiam ad Tyrios, Sidonios, Antiochenos & Aradios impetrat. Antonius in Syriam veniens Herodem & Phasaelum Tetrarchas constituit, rerum Judaicarum gubernacula eis permittit, legatos Judæorum Herodem accusantes conjicit in carcerem, atque mox interficit. Ptolemæo Mennæo Chalcidis regulo succedit filius Lysanias [Ille ipse aut pater illius qui Luc. 3. 1. dicitur *Tetrarcha Abylenes*. Nam Abila erat prope Chalcidem in Damasci confinio] qui Antigoni Aristobuli filii partibus favet. Interim Parthi Syriam occupant, Antigonum, pollicentem ipsis mille talenta & quingentas mulieres, in regnum reducunt, captis & direptis Hierosolymis, & Phasaelo per insidias ab eis interfecto. Hyrcanus conjicitur in carcerem, auribus ab Antigono truncatur, ut deinceps ad Sacerdotium ineptus esset, móxque Parthis traditur, qui vinctum Babylonem abduxerunt.

Ante Christum 39, 37, 36.

[Antiq. lib. 14. c. 25, 26, & seqq.] Herodes fugere compulsus, rebus ferè desperatis, Romam ad Antonium profectus est, à quo auxilia impetrat, & Judæorum Rex Senatusconsulto, procurante & annitente Antonio, declaratur Olympiade 184. C. Domitio Calvino II, & C. Asinio Pollione Coss. Acceptis auxiliis Herodes in Judæam, regnum erepturus Antigono, festinat adversùs quem bello non sine magno discrimine gesto per triennium, tandem tertio postquam Rex à Romanis creatus fuerat anno (qui erat Sabbati) Hierosolymam obsidet, M. Agrippa & Canidio Gallo Coss. Olymp. 185, festo Jejunii, eodem quo Pompeius ante annos 27 Hierosolymam expugnaverat. Antigonus captus & vinctus ad Antonium missus mox ab eo, Herode suadente, interfectus est; atque in eo Assamonæorum Principatus desiit, post annos 126 ex quo primùm cœperat, regnumque ad Herodem translatum est.

Ante Christum 35, 34, 31.

[Antiq. lib. 15. cap. 1, 2, & seqq.] Herodes accepto regno Hyrcanum, à Parthis antea captum & abductum Babylonem, deinde vinculis ab ipsis solutum, & à Judæis in Babylonia degentibus in honore habitum, specie referendæ gratiæ indè revocat, & redeuntem magno in honore habet. Quoniam autem auribus mutilus Sacerdotio fungi ex Lege non poterat, Ananelum quendam obscuri nominis & generis Sacerdotem, sed veterem amicum, Babylone Herodes accersit, & summum Pontificem constituit: sed mox ob gravissimam Alexandræ Hyrcani filiæ, & matris Mariammes (quæ Herodi dilectissima erat conjux) ea de re conceptam indignationem, eo abdicato Aristobulum Alexandræ filium, Mariammes verò fratrem & Hyrcani nepotem, formosissimum juvenem, annos 16 natum, summum Pontificem creat: quem, cùm vix annum in Pontificatu egisset, statim post festum Tabernaculorum curat dolo in piscina natantem præfocari, quòd Judæorum animos in Juvenem illum inclinare videret, sibique indè metueret, atque ei Ananelum rursum dat in Pontificatu successorem. Eam ob cædem Alexandræ instinctu (quæ gravissimè ferebat filium Aristobulum sic necatum fuisse) Cleopatra Ægypti regina Herodem apud Antonium criminatur, sed frustrà: nam Herodes muneribus delinito Antonio causam vincit. Cleopatra nihilominus ab Antonio partem Judææ & Arabiæ impetrat; quarum reditus Herodes à Cleopatra redimit: quâ occasione bellum Aretæ Arabum regi, annuum tributum non solventi, infert, anno regni Herodis septimo, quo ad Actium Octavius Cæsar Antonium vicit, Olympiade CLXXXVII, & quo tota Judæa gra-

gravissimo terræmotu concussa & afflicta est. Eo bello Arabes sæpius devictos coegit Herodes se in clientelam suam dedere.

Ante Christum 30, 29. 28, 26, 25, 21, 20, 19.

[Antiq. lib. 15. cap. 9. 10.] Mox ad Octavium Cæsarem, post victum ab eo Antonium (cujus partes Herodes secutus erat) profecturus ut se excusaret, curavit Hyrcanum, sive jure sive injuriâ, quasi res novas molientem, affici supplicio octogenarium. A Cæsare autem præter spem regnum recepit, & in intimam ejus amicitiam admissus est, multis in Octavium Augustum collatis ab Herode officiis, tum in Ægyptum deducendo Augustum, tum ex Ægypto redeuntem, & per Judæam transeuntem, omni officiorum genere excipiendo. A quo additæ sunt Herodis regno Gadara, Samaria, Gaza, &c. Anno altero post deductum Antiochiam usque ex Ægypto venientem Augustum, Mariammen, conjugem unicè sibi dilectam, calumniis Salomes sororis & Cypri matris circumventam, Herodes necat: mox morbo ex mœrore contracto cùm gravissimè laboraret, Alexandram socrum, Mariammes matrem, res novas molientem interficit; cúmque ex morbo convaluisset animo efferatus in amicos etiam ipsos promiscuè sæviit, atque inprimis Costobarum, Idumæum nobilissimum, sororis Salomes virum ab ea repudiatum, & proditionis accusatum, cum conjuratis interfecit: ab Augusto accipit Trachonitidem, Batanæam & Auranitidem anno regni sui decimo, Joseph. De bello Jud. l. 1. c. 9. Deinde, exstructo Hierosolymis Theatro & Amphitheatro, editisque atque institutis quinquennalibus Gymnicis certaminibus, atque ludis Thymelicis, populi odium in se excitavit, & nonnullorum privatorum conjurationem, à qua sibi metuens, præter binas in Hierosolymorum urbe Arces, alias alibi per Judæam exstruxit, maximè verò Samariam, quam voluit dici *Sebasten*, in Augusti honorem, & aliquantò pòst Stratonis turrim ad mare, quam *Cæsaream* vocavit [Hæc est illa Cæsarea de qua toties in Actis Apostolicis fit mentio.] & hæc quidem anno regni sui XIII. Eo anno gravissimâ fame & peste laboravit tum Judæa, tum vicinæ etiam Gentes: quibus Herodis prudentiâ in tanta rerum inopia sublevatis, magnam ille sibi gloriam & laudem apud exteros consecutus est, amorem etiam suorum sibi conciliavit, quo pristinum in eum odium deletum est. Mox aliam Mariammen Simonis cujusdam Sacerdotis filiam duxit uxorem, collato priùs in patrem ejus Pontificatu. Cæsaream modò commemoratam anno regni sui XVI cœpit condere, eámque XII annorum spatio absolvit, anno regni sui 28, Olymp. CXCII, quam quinquennalibus celebratis & institutis ludis sumptuosissimis dedicavit: multa etiam alia magnificentissimè & sumptuosissimè exstruxit Herodes. Romam misit ad Augustum filios Alexandrum & Aristobulum, ex priore Mariamme conjuge susceptos. Anno autem Herodis XVII (Jos. lib. 1. De bello Jud. c. 15. confert illud in annum Herodis 15.) concedit Augustus in Syriam, à quo Herodes rursus accepit Zenodori ditionem, quæ est inter Galilæam & Trachonitidem, Ulatham nempe Paneadem, & alia. Ubi prope Panium, ad Jordanis fontes, Augusto Templum è candido marmore exstruxit. Anno sequenti Templum Hierosolymitanum à fundamentis totum instauravit, longéque amplius & magnificentius quàm erat exstruxit, longum centum cubitos, altum totidem: constabat structura lapidibus candidissimis, quorum nonnulli erant longi 25 cubitos, lati 12. alti 8. [Hinc intelligas illud Marc. 13. 1. ποταποὶ λίθοι, καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί] Templum cinxit Porticibus amplissimis & pulcerrimis. Absolvit exteriorem Templi ambitum annis octo; interiorem, in quem solis Judæis patet ingressus, sesquianno. Encænia Templi celebravit die suo natali [Hæc Encænia semel ab Herode sunt peracta, ob renovatum à se Templum. Itaque diversa sunt ab Encæniorum festo (de quo Joh. 10. 20.) quod quotannis celebratur, ob repurgatum à Juda Machabæo Templum. Vide 1 Machab. 4. 5.] mactatis 300 bobus, magnâ cum totius populi lætitiâ. Toto quo exstructum est Templum interius tempore nunquam pluit interdiu, sed noctu tantùm.

Ante Christum 16, 15, 14, 13, 12, 10, 9.

[Antiq. lib. 16. cap. 2, 3, & seqq.] His peractis Herodes in Italiam ad Augustum navigat officii causâ, filios Alexandrum & Aristobulum ab eo recipit liberalibus disciplinis instructos, qui cum patre in Judæam reversi omnium amorem & favorem sibi conciliant; Salomes tantùm & ejus sequacium odium in se concitant, quorum calumniis apud patrem Herodem impetuntur. Adolescentibus illis pater mox dat conjuges. Agrippam, Augusti præcipuum amicum, in Asiam venientem Herodes adit, invitat in Judæam, excipit sumptuosissimè; dein peractâ hieme ad eum in Pontum usque excurrit, auxiliáque ad Ponticum bellum ducit, ac per totam Asiam cum eo redit Agrippæ charissimus, à quo Jonicis Judæis immunitatem olim à Romanis concessam, sed quâ Græci non sinebant eos frui, renovatam & confirmatam impetravit. Reversum in Judæam Herodem excipit domesticum dissidium; Salomes enim & Pheroræ calumniis, atque artibus filii Herodis, Alexander & Aristobulus, petuntur. Frangendis eorum animis Antipater filius natu maximus, sed plebeiâ matre satus, eis opponitur, honoribúsque augetur, ascitâ in Regiam Dorâ ejus matre. Post decennalem Agrippæ in Asia administrationem, Romam eum repetentem Herodes salutaturus secum ducit Antipatrum, quem Agrippæ commendat, & per eum Augusto. Romæ Antipater, scriptis ad patrem literis, cùm magis magísque in filios incitaret, ad Augustum Herodes in Italiam navigat, filios coram Augusto accusat; sed illis se excusantibus ab Augusto patri reconciliantur. Redit in Judæam Herodes cum filiis, adducto etiam secum Antipatro, quem post reditum in concione ad populum pronunciavit regni successorem, post eum autem Mariammes filios. Paulò pòst Cæsarea duodecimo postquam cœperat ædificari anno ab Herode absolvitur. Asiatici & Cyrenenses Judæi, per legatos apud Augustum conquerentes quòd à Græcis non sinerentur uti patriis institutis & immunitate sibi à Romanis concessâ, rescripta ab eo obtinent favorabilia.

Ante Christum 8, 7.

Herodes interim nimiâ profusione exhaustis opibus, pecuniâ opus habens, exemplo Hyrcani (qui ante eum idem tentaverat) noctu, insciâ plebe, Davidis recludit sepulcrum, in quo pecuniam quidem non invenit, sed mundi pretiosi & aureæ supellectilis vim magnam exprompsit. Ab eo tempore (in sacrilegii illius vindictam) jurgiis, dissidiis, odiis intestinis, suspicionibus, mutuis calumniis Herodis domus tota conturbatur, propriàque ejus sævitiâ penè exhauritur. Alexander Antipatri calumniis rursus impetitur, sed Archelai Cappadocum regis, soceri sui, operâ patri reconciliatur. Herodes Romam proficiscitur ut de re tota Augustum certiorem faciat. Dum abest, Trachonitæ ab eo rebellantes à Ducibus ejus subacti sunt, sed eorum nonnulli ad Syllæum regni Arabum administratorem profugi ab eo recipiuntur. His tum Judæam tum Cœlesyriam infestantibus Syllæus ab Herode apud Syriæ Præsides Saturninum & Udumnium accusatur, qui cùm sententiæ ab iis latæ non satisfaceret, Herodes permissu Præsidum Arabiam bello invadit, castellum in quod latrones se receperant expugnat, Nacebum Arabum Ducem illis opem ferentem fundit cum suis atque interficit. Eo nomine à Syllæo Romæ apud Augustum accusatus: gravissimè ei succenset Augustus, nec patitur se ei reconciliari. Tandem per Nicolaum ab Herode missum, detectis Syllæi de Herode apud Augustum sycophantiis, Syllæus supplicio afficitur. Obodæ Arabum regi defuncto Æneas (qui mutato nomine dictus est *Aretas*) successor datur. Herodes Augusto reconciliatur, eodémque tempore filios Alexandrum & Aristobulum apud eum rursus accusante, facta est ei ab Augusto potestas in eos, si rei essent, animadvertendi; quos paulò pòst, Concilio apud Berytum habito, damnatos aliquandiu in vinculis habuit, & mox novâ calumniâ circumventos strangulari jussit.

Ante Christum 6, 5, 4, 3, 2.

[Antiq. lib. 17. cap. 1, 2, & seqq.] Postea Herodes Zamarim Judæum Babylonium cum suis invitat, & agrum in Trachonitide ei incolendum dedit, ut esset regioni toti præsidio adversùs latrocinia. Is cum 500 Equitibus & centum cognatis advenit, varia variis in locis per Trachonem erexit castella, & urbem nomine Βάθυραν *Bathyram* [Videtur esse urbs illa quæ Judæis dicta est ביתר, quam dicunt fuisse ab Adriano Imperatore eversam.] unde Judæis, è Babylonia Jerosolymam petentibus ad festos dies, securum iter commeatúmque præbebat adversùs Trachonitarum & aliorum latrocinia. Antipater exstinctis fratribus patri ipsi jam struit insidias, ascito in consilii communionem Pherora, cujus uxori Pharisæi (quos summopere colebant regiæ mulieres) spondebant regni ad Pheroram ejúsque liberos ab Herodis familia translationem; quo nomine Herodes aliquot Pharisæos deprehensos interfecit; Antipatro interdicit Pheroræ consuetudine. Antipater ad averten-

dam

dam patris de ſe ſuſpicionem per amicos Romæ degentes curat ut ad Auguſtum à patre mitteretur. Paulò pòſt obit Pheroras, poſt cujus obitum uxor à duobus libertis veneficii accuſatur, quâ occaſione detectæ ſunt Antipatri technæ & in patrem inſidiæ; qui ubi ſeptimo poſt detectas inſidias menſe Româ rediiſſet, juſſus coram Quintilio Varo Syriæ Præſide (qui tum Jeroſolymis fortè erat) cauſam dicere, cùm non poſſet ſe purgare, in vincula conjectus eſt, & ad Auguſtum miſſi ſunt qui rem omnem ei narrarent. Eò dum properant, Herodes in gravem morbum incidit, quo efferatus, magis adhuc commotus eſt audaci facinore quorundam juvenum Legis Zelotarum, qui à Magiſtris ſuis, Judâ Sariphæi filio & Matthiâ Margalothi (omnium tum temporis Judæorum longè doctiſſimis) incitati Aquilam auream, ab Herode ſupra majorem Templi portam dedicatam, mediâ die ſecuribus conciderunt, & in terram dejecerunt. Eos cum Magiſtris vivos comburi juſſit Herodes, die in cujus ſequentem noctem incidit defectus Lunæ. [In hoc Herodis vitæ tempus videtur incidere Chriſti nativitas, de qua & de magorum adventu Jeroſolymam, altum eſt apud Joſephum ſilentium, ex odio (uti videtur) in Chriſtum & Chriſtianam religionem, & animo Judaicâ ſuperſtitione faſcinato.] Matthiæ Pontifici abrogat Sacerdotium, ſubſtituto ei Joazaro uxoris ſuæ Mariammes patruo Morbo ingraveſcente nobiliſſimos Judæorum undique edicto minaci ac citos concludit in Circo, dátque clàm mandata Salomæ ſorori, & ejus viro Alexæ, ut ſtatim poſt obitum ſuum curarent illos per milites interfici. [Cædem infantum Bethlehemiticorum ab Herode factam videtur voluiſſe Joſephus hoc commento obſcurare.] Antipatrum filium cum carceris Commentarienſi de miſſione agentem, & corrumpere volentem, pater, poteſtate ab Auguſto acceptâ ſtatuendi de filio pro arbitrio, irritatus quinque antequam ipſe exſpiraret diebus juſſit interfici.

Ante Chriſtum 1.

[Antiq. lib. 17. cap. 10, 11, & ſeqq.] Hoc facto Teſtamentum condit, quo regnum Archelao filio dat, Herodem Antipam conſtituit Tetrarcham Galilææ & τῆς περαίας, h. e. regionis quæ eſt trans Jordanem, Philippum autem Tetrarcham Trachonitidis, Gaulonitidis (גולן civitas eſt in Baſan Levitis adſcripta, & fortuitarum homicidarum refugium, Deut. 4. 43. & 1 Par. 6. 70.) & Bataneæ (h. e. terræ illius quæ in V. Teſt. vocatur *Baſan*) & Paneadis prope Jordanis fontes. Salômæ ſorori dat Jamniam, Azotum & Phaſaelida cum 500 M. argenti ſignati. Quinto poſt die obit ferè ſeptuagenarius, anno 34 ex quo Antigonum regno depulerat, anno autem 37 poſtquam à Senatu Romano rex declaratus fuerat. Herode funerato Archelaus rex ſalutatur à populo. Mox ſeditione contra eum feſto Paſchatis excitatâ, immiſſis militibus 3 M. hominum interfecit. Indè Romam properans ad Auguſtum ad obtinendam confirmationem teſtamenti paterni, ſecum ducit magnam cognatorum turbam qui in regni petitione ei adverſantur; maximè verò Antipater Salomæ filius, qui eum cædis & uſurpati regni ſine Cæſaris conſenſu accuſat, regnúmque Herodi Antipæ petit: ſed defendente eum Nicolao cauſam vincit Archelaus. [*Anno æræ Chriſti receptæ* 1.] Interim per ejus abſentiam, die Pentecoſtes magna excitatur Judæorum ſeditio adverſùs Sabinum Auguſti Procuratorem & Romanam legionem; ſimúlque per totam Judæam multi inſurgunt Regis (h. e. Meſſiæ) titulum uſurpantes, [De his Pſeudo-chriſtis videtur intelligendum Chriſti dictum Joh. 10. 8. ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, &c. jactantes ſcilicet ſe eſſe Meſſiam regem Iſraelis] omniáque cædibus & latrociniis miſcentes; quibus à ſuperveniente Varo Syriæ Præſide repreſſis atque compoſitis, legati Judæorum ejus permiſſu Romam proficiſcuntur, poſtulantes ut mutatâ Reip. formâ non ampliùs ſub Regibus eſſent, ſed provinciæ Syriæ contributi Romanis ſubjicerentur. [Hic videtur complementum ſuum habuiſſe Prophetia Jacobi de adventu Meſſiæ Geneſ. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda*, His auditis Auguſtus Archelao dimidiam regni partem attribuit, (ex qua 600 talenta annua accipiebat) nempe Judæam, Idumæam & Samaritidem, idque ſub Ethnarchæ titulo, regnum pollicitus ſi ſe eo dignum præſtet. Iteram dimidiam partem Herodi Antipæ & Philippo fratri aſſignat, [De his duobus Tetrarchis meminit Luc. cap. 3. 1.] Anempe Galilæam & Peræam Herodi, cum 200 talentis annuis, Trachonitidem autem cum Batanæa & Auranitide Philippo, [*Heb* חורן Ezec. 48. 16. 18. in confinio Damaſci prope Jordanis fontes; Lxx reddiderunt *Αὐρανῖτιδα.*] cum 100 talentis annuis, Tetrarcharum titulo. Salomæ Jamniam, Azotum, Phaſaelida cum palatio in Aſcalone & 60 talentis annuis. Legatum autem quod Herodes Auguſto fecerat totum remiſit liberis.

Per id tempus juvenis quidam Judæus plebeius Alexandrum Herodis filium de facie referens, mentitur ſe illum eſſe qui à ſupplicio, unà cum fratre Ariſtobulo, cuſtodis cujuſdam beneficio ſervatus ſit; ut id mentiretur inducitur à vafro quodam impoſtore rerum omnium Regiæ Herodis gnaro. Hujus technis & dolis inſtructus omnibus imponit, Romámque ad petendum regnum paternum profectus ſolum Auguſtum fallere non potuit, qui Pſeudo-Alexandrum iſtum impoſturam ultrò fatentem damnavit ad remiges.

Anno Chriſti 2. 6, 9.

[Ant. lib. 17. c. 5. & li. 18. c. 1.] His ità conſtitutis Archelaus reverſus in Judæam [Chriſtus videtur tum ex Ægypto reportatus à Joſepho in Judæam, cùm ſcilicet Archelaus loco patris Herodis rerum in Judæa potiretur, Matth. 2. 22.] Pontificatum abrogat Joazaro, eúmque transfert in Eleazarum illius fratrem, quem mox indè depulit, ſubſtituto in ejus locum Jeſu Siæ filio. Hierichuntem ædificat atque inſtaurat. Glaphyram fratris Alexandri viduam ducit in uxorem. Decimo autem Principatûs ſui anno (Joſeph. lib. 2. cap. 6. De bello Jud. dicit, *nono*] cùm poteſtate ſuâ abuteretur, à Judæorum primoribus apud Auguſtum accuſatus, Viennam in exſilium mittitur, mulctatus omni pecuniâ. Ejus regnum in Provinciam redigitur, miſſo in Syriam Quirinio, qui Archelai domum venderet, cenſúmque per Syriam & Judæam ageret; quod factum eſt anno 37 poſt victum ab Auguſto Actiacâ pugnâ Antonium. Cum Quirinio mittitur Coponius Præfectus turmæ Equitum, penès quem eſſet rerum totius Judææ adminiſtratio Quin & ipſe Quirinius in Judæam venit tum attributam provinciæ Syriæ, ut percenſeret facultates civium regionis illius, & Archelai facultates omnes in poteſtatem ſuam redigeret, atque divenderet. Dum cenſus iſte agitur, * Judæi *καίπερ τὸ κατ' ἀρχὰς ἐν δεινῷ φέροντες τὴν ἐπὶ ταῖς ἀπογραφαῖς ἀκρόασιν* (verba ſunt Joſephi) *licèt jam antea ægre ferrent mentionem cenſuum*, [Hinc liquet alias jam antè fuiſſe factas Judææ ἀπογραφὰς, ut mirum videri non debeat ſi ſub Herode ipſo, cùm Chriſtus natus eſt, etiam ἀπογραφὴ aliqua.] tamen Joazaro Boethi filio perſuadente ceſſerunt, neque ulteriùs repugnarunt, nihilque cunctati cenſum ſolverunt. Verùm Judas quidam [Hujus Judæ Galilæi meminit Gamaliel, Act. 5. 37. ut & ἀπογραφῆς quæ tum facta eſt.] Gaulonites oriundus ex civitate Gamala, gente & appellatione Galilæus, aſcito ſibi Phariſæo quodam nomine Sadduco, (Heb. צדוק) Judæos ad rebellionem incitabat, Cenſum illum dictitans nihil aliud eſſe quàm meram ſervitutem, hócque prætextu totam Gentem ad tuendam fortiter libertatem hortabatur. Hæc pronis vulgi auribus accipiebantur, iiſque ad aliquid audendum accendebantur; vixque dici poteſt quantum hi homines totam Judæorum gentem conturbaverint, dum omnia cædibus & latrociniis miſcent, promiſcuiſque, nullo amicorum inimicorúmve diſcrimine, prædationibus, & inſignium virorum cædibus, prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, ſed revera privati lucri ſtudio. Judas iſte Galilæus, cum ſocio ſuo Sadduco Phariſæo, tribus Judæorum, in quas ſcinduntur, Sectis, (Phariſæorum ſcilicet, Sadducæorum & Eſſenorum) quartam ſuperinduxit propriam, Antiq. lib. 18. ca. 1, & 2. cujus cùm ſequaces & amatores multos inveniſſet, tum quidem turbis & motibus Judæorum Remp. implevit, & malorum quæ poſtmodum rurſus pullularunt (cùm nempe adverſùs Ceſtium Florum Judæi inſurrexerunt,) ſementem veluti fecit, & radices Dogmatis in gente illa priùs ignoti plantavit. Cætera quidem iſti per omnia cum Phariſæis conſentiunt, ſed invictus & ineluctabilis illis hæret libertatis amor, utpote qui ſolum Deum Dominum & Præpoſitum (ἡγεμόνα) gentis ſuæ eſſe exſtimeræ: [Hujus Sectæ videntur fuiſſe illi qui Chriſto (Joh. 8. 33.) in os dicunt, *Nemini unquam ſervivimus*; & verſ. 41. *Unum Patrem* (h. e. Dominum) *habemus Deum*.] qua de cauſa mortis varias ſpecies ſubire non detrectant, parvique pendunt cognatorum & amicorum ſupplicia, modò nè ullum mortalem *δεσπότην Dominum* appellent. [* Cenſus ſub Quirinio actus de quo Luc. 2. non quadrat cum hoc tempore, ideóque ſunt qui ut iſta concilient, fingunt Quirinium multò ante hoc tempus fuiſſe Syriæ Præſidem, eíque ſucceſſiſſe Varum, poſt quem rurſus Quirinius in Syriam denuò ſit miſſus, poſt damnatum Archelaum. Sed hæc gratis & ſine autore dicuntur. Fortè totus ille verſus apud Lucam, parentheſi incluſus, non eſt Lucæ, ſed poſtea fuit ab aliquo minùs perito inſultus, ob notiſſimam iſtam ſub Quirinio factam totius Judææ ἀπογραφήν. Vel, ſi eſt Lucæ, fortè errore librarii irrepſit, *Κυρηνίου*, pro *Κυντιλίου*, aut verò etiam pro *Κ' Οὐάρου*,

h. e.

h. e. *Quint. Vari.* Nam certum est ex Josepho non Cyrenium, sed Quintilium Varum fuisse Syriæ Præsidem ante & post Herodis mortem (quo tempore natus est Dn. N Jesus Christus:) ipso enim præside & Judice damnatus est Antipater Herodis filius accusante patre; & post Herodis obitum, dum Archelaus Romæ adhuc hærebat, à Quint. Varo repressi sunt in Judæa Pseudochristi, qui tyrannidem affectabant. Vel si hoc non placet, cum doctissimo Casaubono dicendum est, Censum istum factum esse à Cyrenio non cùm Syriæ Præses constitutus esset, sed multò antè cùm ab Augusto extra ordinem ad censum in Syria agendum missus esset.

Anno Christi 10, 11, 12, 13, 14, 15, 18, 26.

[Antiq. lib. 18. cap. 3.] Quirinius divenditis Archelai facultatibus, Censu peracto, & relicto cum turma Equitum in Judæa Coponio, abiit ad Syriam regendam. Herodes autem *Antipas* dictus, constitutus Galilææ Tetrarcha, Sepphorim [Rabbinis dicitur צפורי, éstque apud eos celebris ob Scholam sive Academiam, quæ isthic aliquandiu fuit post deletam à Vespasiano Hierosolymam] mœnibus cinctam totius Galilææ caput fecit & propugnaculum. Philippus autem ejus frater Paneadem ad Jordanis fontes instruxit ædificiis, & *Cæsaream* vocavit. [Matt. 16. 13. & Marc. 8. 27. dicitur *Cæsarea Philippi*, de conditoris nomine, ad differentiam illius Cæsareæ quæ ab Herode Magno condita fuerat antea, quæ *Cæsarea* simpliciter & absolutè dicitur in libro Actuum Apostolicorum.] Vico item Bethsaidæ, [Hujus frequens est in Euangelio mentio. Patria nempe erat Petri, Andreæ & Philippi Apostolorum; Joh. 1. 45.] in ripa lacûs Genezareth, urbis speciem addidit, & Juliadem vocari voluit, de Julii Cæsaris nomine. Coponio successit Annius Rufus, quo in Judæa præside obiit Augustus, qui imperaverat annos LVII, menses VI, dies II. in quo numero comprehendi debent XIV anni, quibus Antonium habuit à morte Julii Cæsaris Imperii socium & participem. Vixit autem annos LXXVII. Augusto Tiberius successit, a quo in Judæam missus est, (anno Imperii sui secundo) in Annii Rufi locum, Valerius Gratus, qui tertio Præfecturæ suæ anno Josephum, cognomento Caiapham, Pontificem summum instituit. [Ergò constitutus est Pontifex anno circiter quinto Tiberii. Christus autem passus est anno XIX aut XX Tiberii. Itaque Caiaphas fuerat Pontifex annos XIV vel XV cùm Christum damnavit.] Gratus, exactis in Judæa undecim annis, Romam rediit. Et Pontius Pilatus successor à Tiberio missus est. [Ergò missus est Pilatus in Judæam anno Tiberii XIII. Johannes autem Baptista cœpit prædicare anno Tiberii 15. ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου, Luc. 3. 1. Itaque Pilatus tum secundum agebat Præfecturæ suæ in Judæa annum.] Herodes autem Tetrarcha in Tiberii amicitiam receptus, de ipsius nomine urbem à se conditam vocavit Tiberiadem, [Ab urbe ista Tiberiade lacus ipse postea nomen accepit, qui in Euangelio dicitur *mare Tiberiadis*, Johan. 6. 1. & 21. 1. Quin & ipsius urbis Tiberiadis fit mentio Johan 6. 23. Celebris est urbs illa apud Rabbinicos Judæorum scriptores, ob puncta Hebraica isthic à Massorethis primùm circa annum Christi quingentesimum excogitata.] electo ad hoc optimo totius Galilææ agro, ad oram lacûs Genezareth, in loco multis sepulcretis undique veluti consito, non longè ab Emmaunte vico, ubi sunt aquarum calidarum celebres balneæ.

Anno Christi 29, 32, 35.

[Antiq. lib. 18. cap. 5.] Porrò cùm Pilatus aquæ ductum à ducentesimo lapide Jerosolymam deduxisset ex sacri Ærarii pecunia, clámque noctu Jerosolymam cum signis militaribus Tiberii imagines invexisset, excitata est adversus eum gravissima oppidanorum seditio, ità ut coactus fuerit eas imagines statim Cæsaream referre. * Per id tempus Romæ contigit ut nobilissima quædam femina, Fulvia Saturnini, unius ex Tiberii amicis, uxor Judaicæ religioni addicta aurum & purpuram Jerosolymam, Templo consecranda, traderet deferenda Judæo cuidam impostori, Mosaicæ Legis Doctorem sese jactanti, qui ista intervertit, & divendita in proprium usum convertit. Quod cùm rescivisset Fulvia, & viro suo Saturnino ea de re conquesta esset, Saturninus autem Tiberio, Tiberius eâ fraude offensus Judæos omnes Urbe edicto expulit. Horum quatuor millia in Sardiniam specie militiæ sunt missa; alii, qui patriâ religione sacramentum detrectabant, gravissimis pœnis sunt affecti. [In Galilæa autem Samaritani a quodam impostore seducti, tumultuantes ad montem Garizim (ubi Impostor ille pollicebatur se ostensurum ipsis sacra vasa a Mose ibi hic, uti mentiebatur, defossa atque recondita) à Pilato immissis copiis repressi, ac præcipui & potentiores capti, & capite sunt mulctati. Qua de re Primatibus Samaritanorum apud Vitellium Syriæ Præsidem conquestis, & Pilatum accusantibus, Vitellius misso amico suo Marcello ad Judææ procurationem, Pilatum jussit proficisci Romam ad Tiberium, ad objecta per Judæos crimina responsurum. Ità ille decem annis in Judææ Procuratione exactis cùm necesse haberet parêre Vitellio, ad Urbem suscipit profectionem, quo priusquam perveniret Tiberius excessit. [* *Hoc loco fit apud Josephum Jesu Christi Domini nostri mentio perhonorifica: sed suspecta videntur quæ isthic de Christo dicuntur, nulla enim est eorum cum antecedentibus & sequentibus connexio; ut omnino jure videatur ab aliquo Christiano eò loci infulta περιοχὴ illa, falsóque Josepho adscripta. [Et sane si Josephus revera de Christo ita sensisset & scripsisset, proculdubio nativitatis ejus memoriam non tacuisset suo loco, Magorum adventum non siluisset, neque cædem infantum Bethlemeticorum ab Herode factam; imo fusius & latius totam Christi historiam enarrasset, cujus tamen alibi in tota illius historia ne obscurum quidem vestigium apparet, uti nec Christi discipulorum; quod non aliunde videtur profectum, quàm ex odio in Christum & Christianam religionem, ipse cum Judæus esset pertinax. † Videtur Josephus hic falli in notatione temporis hujus historiæ, quam hic videtur velle contigisse paulò antequam Pilatus Judæâ excederet; cum revera tamen cædes hæc Samaritanorum à Pilato facta videatur omnino esse cædes Galilæorum, cujus fit mentio Luc. 13. 1. quæ contigit minimum triennio aut quadriennio antequam Pilatus excederet Judæâ, siquidem Pilatus post damnatum Christum in Judæa amplius quàm biennium remansit. Hoc anno, nempe 32, aut sequenti, nempe 33, æræ Christi receptæ Christus videtur passus sub Pontio Pilato.*]

Anno Christi 36.

[Antiq. lib. 18. cap. 6.] Paulò pòst ipse Vitellius in Judæam profectus venit Hierosolymam ipso Paschatis festo, ubi exceptus à Judæis honorificentissimè, remisit Jerosolymitanis totum fructuum venalium vectigal, stolam summi Pontificis cum reliquo ejus ornatu permisit in Templo à Sacerdotibus asservari, quæ ab exsilio Archelai in Romanorum potestatem venerat, à quibus in Antonia turri asservabatur, & tribus solennibus festis indè depromebatur, atque post peractum festum eodem reponebatur. * Caiaphæ etiam Pontificatum abrogat, substituto ei Jonatha Anani Pontificis filio. Paulò antè Philippus Herodis Antipæ frater, ipse Tetrarcha, obierat anno Tiberii XX, cùm ipse præfuisset Tetrarchiæ suæ † annos XXXVII, vir perpetuò modestus & quietus, quem impensè laudat Josephus. Et quia sine liberis decessit, ejus Tetrarchia provinciæ Syriæ est attributa. [* *Ità duo Judices qui Christum damnaverunt, Pilatus nempe & Caiaphas, ab uno eodémque Vitellio, eodem tempore, justo Dei judicio, damnati sunt, & loco suo moti.* [† *Dicendum est XXXV. Nam à morte Herodis magni (cujus testamento factus est Tetrarcha) ad annum usque Tiberii XX, anni sunt duntaxat XXXV, atque non pleni.*]

Anno Christi 36, 37.

[Antiq. lib. 18. cap. 7.] Porrò Herodi Antipæ Tetrarchæ Galilææ natum est eo tempore bellum adversus Aretam Arabum regem [Ille ipse est, aut pater saltem illius, cujus jussu Damasci portis custodes sunt adhibiti ad capiendum Paulum, unde factum est ut in sporta per murum demitteretur, 2 Cor. 11. 32.] ex hujusmodi occasione; Duxerat Herodes in uxorem Aretæ illius filiam: verùm cùm Herodes Romam officii causâ (ut Tiberium inviseret) petiturus ad fratrem Philippum divertisset, [Etsi hæc narratio Josephi non per omnia consentiat cum Historia Euangelica, lucem tamen ei fœneratur aliquam, & fidem adstruit atque confirmat.] isthic amore captus Herodiadis Philippi fratris uxoris, clam cum ea ita egit ut illa pollicita sit se virum derelicturam, & in Herodis domum concessuram statim atque ipse Romà rediisset; ipse vicissim illi pollicitus est se dimissurum priorem suam conjugem Aretæ filiam. Hoc eorum consilium non latuit Herodis uxorem. Itaque cùm Romà rediisset Herodes, nesciens uxorem quidquam de consilio suo rescivisse, occupat eum uxor, & ad patrem Aretam se recipit, cui Herodis consilium aperit. Hinc inter utrumque simultas, indè rixæ & lites de confiniis, postremò bellum exarsit, in quo Herodis exercitus funditus deletus fuit, idque (inquit Josephus) ex justa Dei in eum (uti vulgus Judæorum existimabat) vindicta quòd Johannem Baptistam interfecisset, virum bonum, &

& Judæos virtutis studiosos, mutuámque inter se colentes justitiam & pietatem erga Deum, invitantem ad Baptismum, sic nempe Deo gratum fore & acceptum dicens eorum Baptismum si eo uterentur non ad vitanda seu eluenda quædam peccata, utpote qui jam purgatam haberent justitiâ animam, sed ad corporis duntaxat *ἁγνείαν sanctimoniam*. [Ignoravit planè Josephus finem & usum Baptismi Johannis, qui *Baptismus pœnitentiæ* ideo dictus est, quòd pœnitentibus arrha & symbolum esse remissionis peccatorum.] Et quia magnus erat ad eum populi concursus, multique jam sermonibus & concionibus ejus erigebantur, Herodes veritus nè tanti hominis persuasione populus ad rebellionem excitaretur (nihil enim non facturæ ex ejus consilio turbæ videbantur) satius existimavit eum occupare, & de medio tollere, priusquam aliquid novi moliretur & tentaret, quàm rerum mutatione & conversione jam factâ seram agere indulgentiæ pœnitentiam. [Hanc commentus est Josephus causam vincti Johannis ut veram taceret.] Itaque hâc ductus suspicione Herodes vinctum in Machærunticam arcem misit, jussitque isthic interfici. [Johannis Baptistæ mors ut minimum triennio præcessit hoc Herodis cùm Areta bellum.] Unde nata est Judæis opinio, Herodis exercitum deletum esse in facinoris illius vindictam, Deo propterea Herodi infenso. Hanc suam cladem Herodes ad Tiberium cùm scripsisset, Tiberius iratus mandat Vitellio ut bellum adversùs Aretam in Herodis gratiam moveret, Aretámque vivum, aut mortui caput ad se mitteret. Cùm se ad bellum illud accingeret Vitellius, venit cum Herode Jerosolymam, Deo in festo quod instabat sacrificaturus, ubi à Jonatha in Theophilum ejus fratrem transtulit Pontificatum. Isthic quarto postquam venerat die literas accepit de Tiberii morte, quibus acceptis Judæos sacramento adegit in Caii Caligulæ fidem. Porrò Tiberius imperavit annos XXII, menses V, dies XIII. Vitellius revocatis ex itinere copiis, iisque in hiberna dimissis, omisso bello propter delatum in alium Imperium, Jerosolymâ Antiochiam repetit.

Anno Christi 37, 38, 39.

[Ant. lib. 18. cap. 8, & 9.] Interim Agrippa, Herodis magni ex filio Aristobulo nepos, variâ post avi obitum usus fortunâ dum privatus vixit, tandem Tiberio Imperatori, & Caio Caligulæ ejus ex fratre Germanico nepoti, charus factus, mox paulo ante Tiberii obitum, ex accusatione liberti sui Eutychi nomine, à Tiberio in vincula conjicitur, neque iis priùs solvitur quàm post Tiberii mortem, à Caio scilicet Caligula (cui perfamiliaris & charissimus erat Agrippa, qui statim eum duplici donavit Tetrarchiâ, Philippi nimirum patrui, & Lysaniæ, cum regiis insignibus, annóque Imperii sui secundo [Is tum ut Judæis gratificaretur, videtur permisisse ut in Christianos sævirent, unde factum ut Stephanus Protomartyr ab iis sit lapidibus obrutus, Act. 7.] in Judæam ad res regni sui componendas ire permisit, simúlque cum eo Marullus in Judæam Cæsaris Procurator à Caio missus est. Hunc Agrippam regiâ dignitate præfulgentem videns Herodias soror ipsius, Herodis Tetrarchæ uxor, invidiâ percita, non priùs destitit quàm viro persuasit ut Romam contenderent, eandem regiam dignitatem à Cæsare petituri. Sed cùm eò pervenissent, ab Agrippa Herodes per literas apud Caium accusatur, quasi cum Parthorum rege defectionem ab Imperatore moliretur, unde à Caio in exsilium Lugdunum Galliarum relegatur unà cum uxore Herodiade, simul & Tetrarchiâ & omni pecuniâ mulctatus est, quæ omnia à Caio Agrippæ sunt donata.

[Antiq. lib. 18. cap. 10, & 11.] Per id tempus cùm Alexandriæ gravis orta esset inter Græcos & Judæos seditio, atque super ea re ad Caligulam missa esset legatio, cujus à parte Judæorum princeps erat Philo Alexandri Alabarchæ (qui summus est apud Alexandriam Judæorum Magistratus) frater, vir eximius & in omni literatura excultissimus, à parte autem Græcorum Appion Grammaticus, hic Judæis magnam apud Caium conflavit invidiam, eo nomine quòd nollent Templum & statuas illi ponere; unde Caius vehementer iratus Philonem audire noluit, imò cum convitio atque contumelia repulit. Quin & Petronium in Syriam in Vitellii locum mittit, jubétque ei statuam suam in Templo Hierosolymitano dedicare atque collocare. Hoc mandatum precibus Agrippæ regis motus postea revocavit; sed mox hujus revocationis cùm eum pœnituisset, mortem Petronio minitatus est quòd mandatum suum non esset exsecutus: sed paulò pòst à Chærea cæterisque conjuratis interfectus est Caius.

[Antiq. lib. 18. cap. 12.] Eo etiam tempore magnâ clade affecti sunt Babylonienses Judæi, qui Neerdæ [Rabbinis vocatur נהרדעא, éstque apud eos celeberima, ob Academiam isthic, uti volunt, institutam] in medio Euphrate sitæ, & per totam Babyloniam habitabant. Cùm enim duo fratres Neerdenses Judæi, adolescentes audaces & animosi, Asinæus חסינאי, & Anilæus חנילאי, textrinæ arti à matre vidua addicti, opificium illud neglexissent, & latrones facti & exiguis initiis in summam potentiam evasissent, & concedente Artabano Parthorum rege totius ferme Babyloniæ administrationem adepti essent, atque in ea potentia & felicitate per XV annos vixissent, mox cùm potentiâ ad Parthorum injuriam abuterentur, altero eorum veneno ab uxore fratris sublato, altero mox ab insurgentibus Babyloniis oppresso, rebus Judæorum sic afflictis, plerique eorum qui Babyloniam & Neerdam habitabant, metuentes sibi à Babyloniis, quos Asinæi & Anilæi potentia nimia offenderat, Neerdâ & Babyloniâ relictâ Seleuciam se receperunt; ubi cùm quinquennium pacatè vixissent, mox Græcorum & Syrorum qui isthic erant conjuratione factâ, supra 50 M. hominum unâ ferme die occisa sunt.

Anno Christi 40.

Caio Caligulâ à Chærea aliisque conjuratis interfecto Claudius, Prætorianorum militum ope & favore, & Agrippa rege (qui tum Romæ erat) plurimùm apud Senatum (qui rem Romanam in antiquam libertatem asserere volebat) annitente, tandem sufficitur, & Imperator creatur. Is ut Agrippæ, ób egregiam sibi navatam in adipiscendo Imperio operam, gratiam pro merito referret, statim Imperii sui initio ad ea quæ jam Agrippa à Caligula acceperat addidit Judæam, Samariam & Abylenam, quæ antea Lysaniæ fuerat. Fratri suo Herodi impetravit à Claudio Chalcidis regnum. Geminum etiam à Claudio factum fuit tum temporis in Judæorum gratiam Edictum; alterum in Alexandrinorum (qui à Caio malè habiti fuerant) alterum in reliquorum Judæorum per totum Romanum orbem sparsorum, gratiam. Agrippa cùm hæc à Claudio obtinuisset, * venit in Judæam ad regni sui res constituendas, & statum componendum; ubi Cantharæ Pontificatum abrogavit; quem cùm vellet Jonathæ Anani filio tradere, renuente isto per modestiam, quòd jam antea eo honore esset semel defunctus, contulit eum in fratrem ejus Matthiam, cui postea successorem dedit Elionæum Cithæi filium. Literas etiam à Petronio Syriæ Præside impetrat in Judæorum Dorensium gratiam, adversùs nonnullorum Doritarum in eos petulantiam. Mox Petronio Marsus in administranda Syria succedit. [* *Videtur tum Jacobum Johannis fratrem gladio percussisse, Petrum autem conjecisse in vincula*, *Act*. 12.]

Anno Christi 44.

[Ant. lib. 19. cap. 7.] Posthæc cùm * Agrippa (quem impensè laudat Josephus, ejúsque mores, ingenium, liberalitatem & munificentiam fusè describit atque persequitur) Cæsareæ ludos solennes magna cum pompa celebraret, indutus veste totâ ex argento mirabili opere contextâ, quæ ad Solis ortum radiis percussa solaribus mirabilem emittebat fulgorem, & adulatoribus exclamantibus & ipsi quasi Deo acclamantibus, cùm adulationem non repulisset neque castigasset, sublatis in altum oculis bubonem vidit funi extenso insidentem, calamitatis suæ tum nuncium, qui priùs felicitatis fuerat, uti prædictum illi olim fuerat à Germano quodam captivo eâ die quâ à Tiberio in vincula conjectus est. Hoc visum & ostentum secuta sunt statim ventris tormina, quibus quinto pòst die fuit exstinctus, anno ætatis suæ 54. Regnavit, ex quo à Caio Caligula vinculis fuit solutus, septennium; nempe quadriennium sub Caio, præfectus Tetrarchiæ Philippi & Lysaniæ per triennium, deinde Herodis fratris Tetrarchiæ annum unum; sub Claudio autem triennium toti Judææ fuit præpositus. Ex annuis reditibus percipiebat 12 C. myriadas (drachmarum scilicet, h.e. uti numeramus, tres milliones librarum Turonicarum.) Reliquit liberos, filium unum Agrippam, natum annos XVII, qui Romæ apud Claudium educabatur; filias tres, Berenicen annos XVI natam, Herodi Chalcidis regi nuptam, Mariammen decennem desponsatam Julio Archelao Chalciæ filio, Drusillam autem sexennem desponsatam Epiphani Antiochi Comagenorum regis filio; sed is postea renuens circumcidi fierique Judæus, noluit eam ducere in uxorem. [* *Ex hac Josephi narratione lucem accipit & confirmatur id quod de hoc Agrippa narrat Lucas*, *Act*. 12. 22.]

Anno

Anno Christi 45.

[Antiq. lib. 19. cap. ult. & lib. 20. c. 1.] Agrippæ juniori Claudius cùm vellet tradere paternum regnum, dissuaserunt liberti, quòd Agrippa nimiùm juvenis videretur, neque par illi oneri ferendo. Itaque interim dum adolescit missus est in Judæam Cæsaris Procurator Cuspius Fadus, & Cassius Longinus successor datus est Marso Syriæ Præsidi. Postea Claudius ad Judæorum postulationem, intercedente & pro eis deprecante Agrippa, Fado rescribit (anno Imperii sui quinto, IV Calend. Julias, Rufo & Pompeio Sylvano Coss. cúmque ipse Claudius esset Consul designatus IV) ut Judæis permitteret stolæ Pontificiæ custodiam. Herodes item Chalcidis rex eodem tempore impetravit à Claudio potestatem in Templum & sacrum ærarium, júsque eligendorum summorum Pontificum, quod jus illi posterisque ipsius mansit integrum ad finem usque belli Judaici. [*Lapsus hic est memoriâ Josephus: nam nonnisi duo ab Herode instituti sunt Pontifices, reliqui omnes ab Agrippa fuerunt constituti, autore ipso Josepho.*]

Anno Christi 46.

[Antiq. lib. 20. cap. 2.] Per id tempus Helena, Adiabenorum [Adiabeni secundùm Plinium & Ptolemæum sunt in Assyriæ & Mesopotamiæ confiniis, juxta Tigrim fluvium] Regina, & Izates ejus filius (quorum longam narrat Josephus historiam aut fabulam) Judaicam religionem [Orosius lib. 7. cap. 6. & Euseb. li. 2. hist. Ecclesiast. dicunt eos ad Christi fidem, non ad Judaicam superstitionem, fuisse conversos] amplexi & professi sunt. Hæc cùm Hierosolymam sacrificandi causâ venisset, invenit urbem gravissimâ fame laborantem, Fames est illa de qua Act. 11. 21. ab Agabo prædicta.] quam illa sublevavit curans advehi in tenuiorum gratiam ex Alexandria magnam frumenti vim, & Cypro ficuum passarum ingentem copiam. Cujus exemplum secutus Izates ejus filius magnam pecuniæ vim misit Hierosolymam, [Videtur fidelium Antiochenorum pium factum, de quo Act. 11. 29. huc perversè à malignis Judæis detortum] structis etiam tribus tertio ab urbe lapide Pyramidibus, in quibus post obitum condi, unà cum matre Helena, voluit. Per idem tempus * Theudas præstigiator atque impostor, cùm multis persuasisset ut se cum facultatibus ad Jordanem sequerentur, pollicitus fore utà se Jordanes diffinderetur, ut olim ab Elia & Elizæo diffissus fuerat, à Fado Cæsaris in Judæa Procuratore immissis militibus fusus, captus & obtruncatus fuit, cum suis sequacibus. [* *In alienum tempus huc retulisse videtur Josephus historiam istam quam necesse est priùs contigisse, siquidem Gamaliel Act. 5. 36. ejus meminit circa finem Tiberii. Nisi cum doctissimo Casaubono dicamus duos fuisse Theudas impostores, diversis temporibus, quorum alter ab altero distaret circiter* 20 *annis, quod parùm sit verisimile.*]

Anno Christi 47, 48.

[Antiq. lib. 20. cap. 3.] Fado in procuratione Judææ successit Tiberius Alexander Alexandri * Alabarchæ filius, patriæ religionis, Judaicæ nempe, desertor. Hujus & Fadi tempore contigit memoranda fames quæ Judæam graviter afflixit. [De qua nempe Act. 11. 28. ea nempe non unum, sed aliquot annos duravit.] Ab eo sublati sunt & in crucem acti Jacobus & Simon Judæ Galilæi filii. Huic Alexandro successit Cumanus, sub quo [anno Claudii octavo] obiit Herodes Chalcidis rex, Agrippæ magni frater, relictis tribus superstitibus liberis. Ejus principatum Claudius tradidit Agrippæ juniori. [* Alabarcha *summus erat Judæorum Alexandrinorum, & per totam ferme Ægyptum Magistratus, q. d. ἀραβάρχης, quòd forte idem genus potestatis in Judæos obtinerent isti quod ἀραβάρχας* Arabum Dynastæ *obtinebant in Arabas gentiles suos.*]

Anno Christi 49.

[Antiq. lib. 20. cap. 4.] Per id tempus Hierosolymis excitatus est Festivitatis tempore tumultus; [Oros. lib. 7. cap. 6. id refert ad annum Claudii septimum.] ob militis unius Romani impudens & petulans factum, in quo tumultu 20 M. hominum in augustiis viarum, cùm se invicem comprimerent, nullo persequente, collisa & compressa sunt.

Anno Christi 50, 51, 52.

[Antiq. lib. 20. cap. 5.] Alius inter Judæos & Samaritas ortus est tumultus, in quo Cumanus favens Samaritis multos Judæos interfecit. Ob eum tumultum Judæorum & Samaritarum primores (inter quos fuit summus Judæorum Pontifex Ananias [Is est qui præerat Synedrio in quo Paulus causam dixit, Act. 23. 2.]) à Numidio Quadrato Syriæ Præside, qui tum Tyri erat, unà cum Cumano & Celere Tribuno, missi sunt Romam, ut causam coram Cæsare dicerent. Claudius, intercedente Agrippa juniore, causâ cognitâ Samaritas supplicio affecit, Cumanum exilio mulctavit, Celerem capite damnavit. Procuratorem in Judæam misit Felicem Pallantis (Claudii liberti) fratrem. Anno autem Imperii sui XII Agrippam juniorem [Iste est Agrippa, de quo Act. 25. 13. qui Paulum audivit causam in vinculis postmodum coram Festo dicentem.] donavit Tetrarchiâ Philippi cum Batanæa, Trachonitide & Abylene, quæ fuerat Lysaniæ. Chalcidem verò ei abstulit, cùm jam quadriennium Dynasta illius fuisset, nempe ab Herodis patrui obitu, qui vitâ excesserat anno Claudii octavo. Claudius postea obiit, cùm regnasset annos XIII, menses VIII dies XX. Huic successit Nero, qui Agrippæ partem Galilææ donavit, cum Tiberiade, Tarichæa & Juliade trans Jordanem, cum pagis XIV.

Anno Christi 53, 54.

[Ibid. cap. 6.] Felix Jonathan Pontificem liberiùs monentem per sicarios interficit. Latrones & impostores populum ad seditionem & rebellionem per totam Judæam excitantes compescit, inter quos Eleazarum Dinæi filium latronem insignem, & Ægyptium quendam Magum & impostorem, [Is est de quo Act. 21. 38.] qui sequaces suos [Lib. 2. De bello Jud. c. 12. dicit eos fuisse 30 M. sed falso proculdubio numero, cùm Act. 21. 38. dicantur fuisse duntaxat 4 M.] in montem Olivarum quinto ab urbe stadio distitum duxit, quibus persuaserat jussu suo mœnia Hierosolymorum ultro ruitura, eósque per mœnium ruinas irruptionem in urbem facturos. Porrò Felix Drusillam Agrippæ junioris sororem, egregiæ formæ feminam, Azizo Emesenorum regi nuptam cùm vidisset, amore ejus captus per Simonem quendam [Fortè est Simon ille Magus celebris de quo Act. 8. 9.] genere Judæum Cyprium, Magiæ vehementer suspectum, persuadet Drusillæ [Ea est de qua, Act. 24. 24.] ut viro relicto nuptias suas præferat: quod & illa fecit, atque ex eo filium suscepit nomine Agrippam, qui postea adultus incendio Vesuviano periit. Cæterùm cùm inter Judæos & Græcos Cæsareæ orta esset seditio, & à Felice compressa, missi sunt ab eo ad Neronem utriusque partis primarii, qui causam Romæ apud eum dicerent, à quo Judæi Cæsarienses jure illius civitatis privati sunt. Agrippa autem Ismaelem Fabæi filium constituit summum Pontificem.

Anno Christi 55, 56, 57, 58.

[Antiq. lib. 20. cap. 7.] Felici à Nerone successor missus est Festus. Felicem autem discedentem accusarunt Judæi Cæsarienses apud Neronem, sed is datus est Pallantis fratris (qui gratiâ adhuc aliquâ valebat apud Neronem) precibus. Festus latrones & sicarios, qui mirum in modum excreverant, compescuit. Inter quos fuit Magus quidam impostor, [Videtur Josephus malè hunc à præcedente Ægyptio distinxisse, aut quod à Felice jam antè factum fuerat, malè hic ab eo tribui Festo. Nam uterque videtur omnino is esse de quo Act. 21. 38.] qui homines post se trahebat in desertum, pollicitus illis salutem & ab omnibus malis liberationem si se sequi vellent in solitudinem: sed is cum suis sequacibus interfectus est à militibus quos in eum Festus submisit. Per id tempus cùm Agrippa rex exstruxisset Hierosolymis insigni amplitudine domum, prope Xystum, in Regia quæ Asamonæorum fuerat, unde amœnissimus patebat per totam urbem & in ipsum Templum prospectus; Proceres Hierosolymitani indignè id ferentes, quòd patriæ Leges non permitterent ut quis è privata domo quid in Templo ageretur prospiceret, altum parietem excitaverunt, quo non arcebatur modò prospectus ille domûs Regiæ, sed & Occidentalis Porticûs, in qua Romani milites diebus festis stationes suas agere solebant. Unde offensus fuit non Agrippa modò, sed & Festus ipse, qui parietem illum dirui jussit. Sed missis ad Neronem super ea re legatis, Nero in Poppeæ uxoris gratiam (quæ Judaicæ religioni favebat) Judæis permisit ut sic maneret paries ille. Unde factum est ut Agrippa Pontificatum Ismaeli ademptum (cujus consilio & autoritate videbatur fuisse constructus paries) contulerit in Josephum cognomine *Cabi*, filium Simonis summi quondam Pontificis.

Anno Christi 59, 60.

[Antiq. lib. 20. cap. 8.] Nero Festo mortuo successorem mittit Albinum. Pontificatus autem Josepho ademptus datur ab Agrippa Anano Anani quondam summi Pontificis filio, sectâ Sadducæo, audaci & feroci ingenio viro. Is, cùm nondum Albinus venisset in Judæam, indicto Concilio Jacobum Ἰησοῦ (inquit Josephus) τοῦ λεγομένου Χριστοῦ ἀδελφὸν, *Jesu qui Christus dicebatur fratrem*, cum aliis nonnullis capite damnavit, lapidibúsque obrui jussit. Quod factum cùm alii plerique improbarent, tertio post susceptum Pontificatum mense ab Agrippa eo privatus fuit, substituto Jesu Damnæi filio. Sicarii, Albino licèt persequente, invalescunt, & tota Judæa per eos latrociniis impletur atque infestatur. Pontifices, atque inter eos Ananias opibus maximè potens (cujus exemplum reliqui sunt secuti) Sacerdotes inferioris ordinis expilant, & debitis decimis fraudant, per vim eas servorum suorum ministerio abripientes, unde non pauci, consueto & legitimo commeatu privati, inediâ mortui sunt. Levitis autem, qui sacris hymnis canendis vacabant, lineæ stolæ usus non minùs quàm ipsis Sacerdotibus ab Agrippa concessus est, qui Jesu Damnæi filio substituit in Pontificatu Jesum filium Gamalielis. Isti deinde Matthiam Theophili filium, sub quo initium habuit Judaicum bellum, quo tota Jerosolyma Templúmque ipsum tandem eversa sunt.

Anno Christi 64, 65.

[Antiq. lib. 40. c. 9. & De bel. Jud. c. 16.] Florus à Nerone anno Imperii sui decimo successor Albino missus est, quam provinciam obtinuit per uxorem Cleopatram Poppeæ Augustæ Neronis conjugis amicam. Pessimus homo, qui modis omnibus Judæos cùm vexaret & opprimeret, coegit vel invitos (aut potiùs ultro ruentes impulit) adversùs Romanos rebellare. Initium belli fuit anno Neronis XII, Agrippæ autem regis XVII (ex quo scilicet Chalcidis regnum obtinuerat à Claudio, anno imperii Claudii octavo) frustrà rege Agrippa eos concione habitâ à bello dehortante: nam paulo postquam Hierosolymis discessisset, seditiosorum nonnulli Massadam castellum munitissimum fraude occupant, Romanos qui isthic erant omnes interficiunt. Hierosolymis autem Eleazarus Ananiæ Pontificis filius, Templi tum στρατηγὸς, juvenis audax & factiosus, persuasit Sacerdotibus ut nullius nisi Judæorum hostias admitterent, nè illas quidem quæ pro Cæsare & Romanis offerri solebant: quod temerarium factum cùm Principes civitatis quietis amantes intolerabile judicarent, & argumentum apertæ defectionis esse viderent, nec possent tamen seditiosos à sententia dimovere, legatos ad Florum Cæsaream, & ad Agrippam regem mittunt, rogantes ut propere missis copiis seditionem incipientem opprimerent. Florus, qui Judæorum defectionem volebat, id neglexit; Agrippa autem misit mille equites, qui superiorem civitatem cum Optimatibus & Pontificibus, cæteráque multitudine quæ optabat quietem, occuparunt & tenuerunt adversùs seditiosos, qui Templum & inferiorem civitatem tenebant, per septem continuos dies invicem confligentes. Sed die festo ξυλοφορίας Sicarii multi in Templum recepti cum cæteris vim regiis militibus faciunt, & civitate superiore pellentes compellunt eos in Herodis regiam superiorem, incenso Archivo, Asamonæorum palatio, (quæ tum erat Agrippæ regia) & Ananiæ Pontificis domo. Postridie, Augusti XV die, Antoniam obsessam per biduum capiunt, militésque Romanos omnes interficiunt, & arcem incendunt. Regiam paulò pòst impetunt atque invadunt, duce Manahemo Judæ Galilæi filio (qui capto Massadâ castello, & Herodis armamentario isthic direpto, Sicarios suos armatos Hierosolymam adduxerat) eâque expugnatâ & incensâ tyrannidem occupat Manahemus; sed mox ab Eleazaro Templi Præfecto in ipso Templo adorans interficitur, ejúsque stipatores disjiciuntur, & Massadam repetunt duce Eleazaro Jairi filio, qui genere Manahemo propinquus erat. Romanos, qui regiâ expugnatâ receperant se in turres Hippicon, Phasaelum & Mariammen, obsessos tandémque se dedentes seditiosi Hierosolymitani ipso die Sabbati contra fidem datam omnes inermes interficiunt. Eâdem die Cæsareæ Judæi omnes illic habitantes ab Ethnicis Cæsareensibus instigante Floro interfecti sunt, numero XX M. Hinc exacerbati per universam regionem Judæi Syrorum vicos & civitates finitimas depopulati sunt, Philadelphiam, Gerasam, Pellam, Scythopolim, Gadaram, Hipponem, Gaulanitidem, Ptolemaidem, Sebasten, Ascalona, Anthedona & Gazam. Indè per universam Syriam Judæorum in civitatibus commorantium à Syris cædes promiscuæ, partim ex veteri in Judæos & eorum religionem odio, partim rapinarum amore, partim vindictæ cupiditate. Soli Antiocheni, Apameni & Sidonii Judæis incolis suis pepercerunt. Alexandriæ autem Ægypti metropoli excitatâ seditione L M Judæorum uno die interfecta sunt, immissis in eos duabus legionibus Romanis.

Anno Christi 66.

[De bello Jud. lib. 2. cap. 22.] Cestius Gallus Syriæ Præses, his motibus excitatus, Antiochiâ cum legione XII & auxiliis regis Agrippæ aliísque copiis, venit in Judæam, & Ptolemaide invadit Joppen atque incendit, Cæsennium Gallum mittit in Galilæam, quam Sepphori receptus pacat, & Cæsaream venit. Ipse Cestius festo Tabernaculorum incensâ Lyddâ Hierosolymam tendit, cui ad LX stadium occurrunt Hierosolymitani, & dubiâ pugnâ decertatum est prope Bethoron: sed mox majoribus copiis eos aggressus Cestius compulit in Urbem, in quam & ipse irrupit IV Octobr. inferiorémque tenuit (ut & Bezetham & Cænopolim) per aliquot dies civitatem, indéque Templum & superiorem oppugnavit civitatem, faciléque cepisset si fortiùs in oppugnatione perseverasset, populo Romanis tum favente, solis seditiosis repugnantibus.

Verùm Cestius, mox cùm propè esset ut Templum caperet, sinè ulla justa causa obsidionem solvit, atque Antipatrida se recepit, multis Romanorum & auxiliarium in itinere amissis & cæsis à Judæis qui eos insecuti sunt, cum impedimentorum majore parte, adeòque & machinarum, balistarum & armorum (quæ fugientes Romani abjecerant) magnâ copiâ, quibus postea in Hierosolymorum adversùs Titi obsidionem propugnatione usi sunt Judæi. Idque factum VIII Novemb. anno Neronis XII.

[Ibid. cap. 25, & seqq.] Hâc victoriâ elati Judæi Hierosolymam reversi urbis Præfectos creant Josephum Gorionis filium & Ananum Pontificem, bellique Duces varios & multos in singulas provincias, sive Toparchias, dimittunt, atque inter eos Josephum (belli hujus Judaici Scriptorem) in Galilæam amandant, in qua multis oppidis communitis & muro cinctis, rebúsque omnibus ad sustinendum bellum ordinatis, Romanorum impetum exspectabat. Interim multi adversùs eum motus, multæ & frequentes urbium rebelliones, excitantur arte & fraude Johannis cujusdam Levitæ filii, & invidiâ nonnullorum ex Principibus Hierosolymitanis qui Galilææ Præfecturam ei ereptam volebant: sed eorum omnes conatus, artes & consilia fregit, atque elusit prudentiâ & patientiâ suâ Josephus, qui Johannem illum coegit Hierosolymam cum suis ex Giscala Galilææ oppido quod munierat confugere. Hierosolymis autem Ananus urbis Præfectus omnia ad sustinendum bellum necessaria parat, mœnia instaurat, bellica instrumenta, tela & arma curat fabricari per totam urbem. Zelotas conatur ad sanam mentem revocare, sed frustrà. Simonem Gioræ filium latrocinia exercentem, & tyrannidem affectantem, misso milite conatur comprehendere; at is cum suis ad latrones qui Massadam tenebant effugit, unde illi totam Judæam & Idumæam latrociniis infestabant.

Anno Christi 67.

[De bello Jud. lib. 3. cap. 1, & seqq.] Porrò Cestius missis ad Neronem (qui tum in Achaia erat) legatis statum Judææ turbatum renunciat: Nero conturbatus Vespasianum eò mandat: Vespasianus autem, hoc accepto mandato, Titum filium Alexandriam mittit, ut indè quintam & decimam legiones in Judæam adduceret; ipse pedestri itinere ex Achaia in Asiam transmittit, atque indè in Syriam & Antiochiam venit, ubi Romanas copias & Regum auxilia cogit, indè venit Ptolemaida, Sepphorímque Romanis faventem recipit. Titus etiam Alexandriâ eodèm venit cum duabus legionibus, copiæque omnes cum Regum auxiliis eò conveniunt, numero LX M. tam peditum quàm equitum, præter calones & impedimenta; Galilæam pervadit, Gadarensium urbem primo impetu capit, incendit, vastat; indè Jotapatam venit XXI die Maii, quam oppugnatam fortitérque à Josepho, qui isthic erat cum imperio, defensam, tandem post XL dierum obsidionem vi capit, evertit & incendit, Calendis Juliis anno Neronis XIII. Josephum in specu latitantem capit, & vitâ donat, sed captivum tenet. Jotapatâ excisâ Vespasianus exercitum Cæsaream reducit, atque isthic duas legiones collocat ut se ab obsidionis labore reficerent; tertiam eodem consilio & fine mittit Scythopolim; ipse autem Cæsaream Philippi proficiscitur, ubi ab Agrippa rege cum exercitu per viginti dies convivio exceptus est. Tum [mense Aug.] ad Tibe-

Tiberiadis & Tarichææ obsidionem se parat: & Tiberienses quidem statim se dederunt, ac precibus Agrippæ regis data est civitas nè exscinderetur. Tarichæa autem cùm passa esset se obsideri, vi capta excisa est.

[De bello Jud. l. 4. cap. 1.] [Mense Septemb.] His urbibus receptis vel excisis tota Galilæa ferme ad Romanos inclinabat, præter Gamalam in Gaulanitide, & Giscalam atque Itaburium montem in Galilæa. Sed mox Gamala obsessa per mensem unum, capta est XXIII die Octob. atque excisa, & paulò antè mons Itaburius fuerat etiam à Romanis captus. Mox Titus Giscalam aggreditur, [mense Novemb.] quæ à Johanne cum suis seditiosis tenebatur. Tito oblatis pacis conditionibus, Johannes simulat se eas accipere; sed nocte sequente cum suis clàm urbe effugit, & Hierosolymam se recipit. Titus urbi parcit imposito ei præsidio. (Mense Decemb.] Indè Cæsaream venit: Vespasianus autem Cæsareâ Jamniam & Azotum profectus utramque subegit, Cæsareámque redit.

[Ibid. cap. 5, & seqq.] Interim per totam Judæam dissensio oritur, aliis bellum cupientibus, aliis verò in Romanorum fide manere volentibus. Indè latronum globi & cunei per universam Judæam excitantur, qui prædas ex iis agebant qui pacis studio tenebantur, deinde prædis onusti Hierosolymis recipiuntur, atque isthic omnia cædibus, dissensionibus, discordiis & rapinis complent. [Hic & in sequentibus planum habetur Commentarium eorum quæ Christus de tempore illo prædixerat Matth. 24. 15, 16, seqq.] Ac primò quidem Antipam & non paucos alios nobilissimos & potentissimos civitatis viros in vincula conjiciunt, móxque indictâ causâ necant, calumniantes voluisse eos urbem Romanis prodere. Cúmque populus in eos esset insurrecturus, illi Templum occupant, eóque tanquam arce adversus populum utuntur, atque isthic sorte summum creant Pontificem Phanniam quendam (Calias *Phanazum* פנחס) hominem rudem planè & imperitum, neque Sacerdotalis ordinis. Adversus hos Zelotas (sic enim ipsi se vocabant) Ananus & nobiliores Pontifices populum excitant atque armant, & in Templo ipso oppugnant, adeóque & in interiorem Templi ambitum compellunt. Sed isti literis ad Idumæorum Duces clàm missis, quibus Ananum proditionis insimulabant, se verò pro libertate patriæ pugnantes in Templo obsideri conquerebantur, advocant in suum auxilium Idumæos: hi statim cum XX M. hominum advolant, quibus clàm per noctem in Urbem & Templum admissis à Zelotis magna fit Hierosolymitanorum ab utrisque cædes, rapinæ & incendia; nam VIII M. eâ nocte cæsa sunt, & sequentibus diebus Ananum aliósque ad XII M. ex nobilioribus interfecerunt, præter infinitam promiscuam plebeculam. Sed paulò pòst Idumæos facti sui pœnitentia subiit, cùm Zelotarum scelera viderent, nec proditionis (cujus Optimates accusabantur) indicium ullum deprehendissent. Itaque solutis ad 2 M iis qui vincti tenebantur in custodia, domum Hierosolymâ relictâ redeunt. His abientibus Zelotæ rursus in cives Nobiliores sævire incipiunt crudeliùs quàm antea, & nobilissimos quosque ac fortissimos necatos nè sepeliri quidem patiebantur, maximè verò eos quos ad Romanos transfugere velle suspicabantur: nam obsessis viis transfugere volentes diligenter observabant, necatósque insepultos projiciebant. Interim inter ipsos Zelotas oritur dissensio, Johanne illo qui ex Giscalis Hierosolymam profugerat tyrannidem inter eos affectante, aliis verò, qui eum antea parem habuerant, superiorem ferre recusantibus. Verùm illi sic inter se dissentientes adversùs plebem, ad eam diripiendam, concordes erant. Quin & tota Judæa Metropoleos suæ, Hierosolymorum nempe, exemplum veluti secuta, tota ubique latrociniis repletur miseréque vexatur.

Anno Christi 68.

[De bello Jud. lib. 5. cap. 3.] His discordiis, quibus se invicem conficiebant Judæi, & transfugarum vocibus excitatus Vespasianus, quibus eum ad servandam & seditione illâ levandam patriam hortabantur, accingit se ad Hierosolymorum obsidionem; & nè quid hostile post se (dum in obsidione occuparetur) relinqueret, ad reliquias belli & tumultûs in transamnana regione exstinguendas Gadaram cum exercitu venit, eò accitus à moderatioribus civibus, qui pacem bello præferebant; atque indè diffugientibus seditiosis urbem capit, missóque Placido cum equitatu ad persequendos fugientes, obtruncat omnes, totámque transamnanam regionem ad lacum usque Asphaltitem (præter Machærunta castellum) occupat, constitutóque per vicos & præsidia in hibernis milite Cæsaream venit, isthicque hiemem agit. Ubi nuncio accepto de motibus in Gallia à Vindice excitatis, qui adversùs Romanos Gallos armaverat, ad conficiendum propere bellum Judaicum accenditur. Itaque instante vere milite Cæsareâ educto Judæam pervadit totam atque Idumæam, eâque vastatâ copias reducit, ac per Samariam Hierichunta ducit, unde incolæ in oppositam, Hierosolymis † montanam regionem diffugiunt; sed eos persecutus, iisque disjectis, Hierichunte atque alibi castris constitutis Judæos undique cingit, cúmque Cæsaream reversus pararet cum toto exercitu ad Hierosolymam obsidendam proficisci, nunciatur illi Neronis mors: quo nuncio accepto bellum in Judæos distulit, Titúmque filium ad Galbam, qui Neroni successerat, mittit, ut ab eo mandata de bello Judaico acciperet. Titus in Achaiam navi delatus audit isthic Galbam interfectum: itaque statim ad patrem redit Cæsaream, Suspensi ergò, quasi nutante Imperio Romano, Judaicum bellum differebant, patriæque metuentes alienigenas aggredi non existimabant opportunum. † *Illa est ὀρεινὴ de qua Luc. 1. 39, & 65. ubi habitabat Zacharias Johannis pater; atque hic innui videtur fuga illa de qua Christus Matth. 24. 16.*

[Ibid cap. 7.] Interim Simon Gioræ filius (de quo jam aliquid suprà dictum est) juvenis audax viribúsque præstans, Massadâ, quò ad Sicarios confugerat, profectus in Judææ loca montana, servis ad libertatem vocatis, liberisque præmium pollicitus, brevì comparatâ latronum manu paulatímque auctis copiis, non vicos modò populabatur, sed & urbes aggrediebatur, eóque brevì potentiæ provectus est ut totam Idumæam sibi subjiceret, Judæámque vastaret, móxque Hierosolymam ascenderet, atque isthîc prope urbem castris positis terrori esset tum Hierosolymitanis tum ipsis Zelotis; atque sic utrinque premebantur cives Hierosolymitani, intus nempe à Zelotis quibus Johannes præerat, foris verò à Simone homine sævissimo. Interim Idumæi qui à partibus Johannis stabant & inter copias ejus erant, ab eo dissidentes & cum eo congressi multos Zelotarum perimunt, & Johannis aulâ captâ & incensâ eum cum suis in Templum compellunt; veriti autem unà cum civibus nè noctu in civitatem excurreret eámque vastaret, ut se ab eo tuerentur, consilio capto Simonem accersunt atque intra urbem admittunt; quo recepto Templum oppugnant; sed fortiter pugnantibus Zelotis frustrà expugnare tentant.

Anno Christi 69.

[Ibid. cap. 8, & 10, & seqq.] Vespasianus autem Cæsareæ acceptâ Galbæ & Othonis nece, Vitelliúmque ex Germania in Italiam venire occupaturum Imperium, ab exercitu Imperator salutatur, missóque Alexandriam qui Tiberium Alexandrum Ægypti Præfectum cum duabus isthic legionibus in partes suas alliceret (quod & statim obtinuit) ipse Berytum venit & Antiochiam, unde Mutianum in Italiam cum copiis mittit, ipse verò Alexandriam proficiscitur. In Mœsia autem Antonius Primus Vespasiani partes secutus legionem tertiam in Italiam adversùs Vitellium duxit, commissóque ad Cremonam adversus Vitellianos prælio eos fugat & cædit: tum Romam veniens & Mutiano junctus in media urbe Vitellii exercitum fundit, & Vitellium ipsum per medium forum tractum jugulat. Mutianus Domitianum Vespasiani filium, interim dum pater ex Syria advenit, Principem constituit. Vespasianus his Alexandriæ auditis Titum filium in Judæam cum copiis mittit ad conficiendas belli Judaici reliquias, ipse autem in Italiam navigat.

[De bello Jud. lib. 6 cap. 1.] Porrò interim dum Titus Alexandriæ adhuc hæret, Jerosolymitana factio trifariàm dividitur: nam Simon, quem Jerosolymitani adversùs Johannem accersiverant & admiserant, superiorem tenebat, civitatem & inferioris partem aliquam, Johannes autem cum Zelotis Templum & inferioris civitatis partem aliam occupabat. Hujus autem factio in duas rursum scinditur: nam Eleazarus, qui primus fuerat Zelotarum in initio Dux atque rector, ægre ferens Johannem audaciâ & artibus suis imperium ad se traxisse, omniáque jam pro arbitrio agere atque administrare, ab eo adscitis secum nonnullis aliis secedit, & cum suis interius Templi septum occupat, atque indè adversùs Johannem depugnat, numeroquidem sequacium longè illi inferior, sed loci situ & qualitate superior. Ità Johanni, qui Templi exteriorem ambitum porticúsque tenebat, duplex incumbebat bellum; alterum adversùs Eleazarum, alterum verò adversùs Simonem: & sic quidem alii adversùs alios pugnantes pleraque quæ circa Templum erant incenderunt; frumentum aliáque ad victum necessaria corruperunt, quæ illis in multum tempus sufficere potuissent; quibus corruptis & absumptis, fame postea cùm a Romanis obsiderentur oppressi sunt.

Anno Christi 70.

[Ibid. & cap. 2.] Titus autem Alexandriâ Cæsaream profectus, atque illhic coactis copiis, quatuor nempe legionibus, cùm auxiliaribus Regum vicinorum, Hierosolymam contendit, contráque eam sexto septimóque stadio castra ponit paulò ante Azymorum diem festum, eóque infinitam hominum multitudinem, quæ ad festum de more ascenderat, in civitate concludit, à qua alimenta & victui necessaria brevi consumpta sunt omnia, unde statim fames sævissima civitatem oppressit; cujus exemplum horrendum & memorandum, matris filiolum devorantis, per id tempus isthic contigit. [Ibid. cap. 4.] Ipso autem die festo Azymorum, XIV Aprilis, cùm Eleazarus, qui Templum interius occupaverat, populo sacrificare volenti portas Templi aperuisset, Johannes temporis opportunitate usus submittit cum populo de suis non paucos, qui sub veste gladiis occultè armati, & cum promiscua multitudine admissi, Eleazarum cum suis invadunt, interiúsque Templi septum cum multa Zelotarum cæde occupant; atque sic factio quæ priùs tripertita fuerat ad duas redit, Johannis nimirum unam, qui numero fuerunt 8400, Simonis verò alteram, quicum erant X M hominum, & præterea Idumæorum V M.

[Ibid. cap. 7.] Titus autem propiùs ad mœnia accedens juxta turrem Psephinam castra ponit, & aggere propere jacto ariete murum quatit, vique dejicit, & in urbem perrupto priore muro, cedentibus intrò Judæis, irrumpit V Non. Maias, atque totam Septentrionalem urbis regionem usque ad Antoniam arcem & vallem Cedron occupat. Quinto pòst die turri quadam secundi muri à plaga Septentrionali ariete concussâ atque dejectâ, urbe novâ inferiore potitur, à qua statim repulsus à Judæis, quarto tamen pòst die eam rursus occupat, séque ad tertii muri oppugnationem accingit. Atque XII die Maii quatuor aggeres jaci jussit, duos ad Antoniam quà Templum, totidem ad Johannis Pontificis monumentum, quà superiorem civitatem capere se posse sperabat; & ad Antoniam quidem Johannes, ad Johannis autem monumentum Simon Romanis resistebat. Aggeribus illis XXIX die Maii perfectis per XVII dies, & murum jam quatere incipientibus Romanis, Johannes acto ex Antonia cuniculo alterum dejicit & succendit: Simon autem biduo pòst irruptione ex urbe factâ duos aggeres sibi oppositos incendit cum arietibus & machinis multis, adeóque & in ipsis castris Romanos Judæi aggrediuntur; sed à Tito ab Antonia adveniente in urbem compelluntur.

[Lib. 6. c. 13.] Aggeribus sic corruptis & incensis visum est [mense Junii] Tito novos erigere, quibus oppugnaret civitatem, & muro urbem circumdare, nequis ex ea effugere posset, néve quid in eam inferri. Itaque tridui spatio urbem muro circumvallavit, ambitu XXXIX stadiorum, additis per circuitum XIII castellis ambitum X stadiorum complectentibus. Unde fames in urbe invaluit sævissiméque grassata est, ità ut eâ non plebs duntaxat & populus passim occumberent, sed ipsi etiam seditiosi premerentur, tantúsque fuit fame & lue pereuntium in urbe numerus ut à XIV die Aprilis (quo cœpta est obsidio) ad Calendas Julii per unam portam (referente quodam Mannæo transfugâ, qui isti rei præerat) elata sint pauperum CXV M. & DCCC. cadavera, quæ sumptu publico mercede numeratâ humabantur, præter eos qui à propinquis & familiaribus efferebantur. Paulò pòst ab aliis transfugis cognitum est VIC M. funerum portis esse elata: denique cùm efferendis pauperibus sufficere ampliùs non possent, collatis & congestis in ingentes cumulos (in vacuis domibus) cadaveribus ædes claudebant. Sepultura autem eorum qui efferebantur alia non erat, nisi quòd de muris in subjectas valles ea projiciebant, quibus valles sic compleverunt.

[Ibid. cap. 15.] Interim Simon intus cædibus & rapinis non abstinebat: nam Matthiam Pontificem, cujus operà in urbem admissus fuerat, proditionis insimulatum, quasi ad Romanos vellet transfugere, cum tribus filiis aliisque sexdecim ex nobilioribus populi indemnatos necavit, tantâque sævitiâ grassatus est, ut Judas quidam unus ex ipsius Præfectis, crudelitatem ejus pertæsus agitaverit de tradenda Romanis turri quadam, cujus custodiæ præpositus erat: sed à Simone occupatus cum decem ejusdem consilii sociis interfectus est. Johannes autem in Templo necessitate adactus res sacras, vasa aurea, argentea, Templique sacram pecuniam, in proprium & profanum usum convertit; quin & sacrum oleum & vinum, sacrificiorum libaminibus dicata, militibus suis coactus est distribuere.

[De bello Jud. lib. 17. cap. 1.] Titus autem conquisitâ undique materiâ, & excisis ad XC usque stadium lucis & arboribus omnibus, aggeres novos magno labore intra dies XXI exstrui curavit, & circa Antoniam quidem quatuor, singulos à singulis Antoniæ arcis lateribus, erexit, quos cùm Johannes timidè, perturbatè & frustrà aggressus esset, à Romanis repulsus Calendis Julii arietem admovere cœperunt muro Antoniæ Romani, eóque concusso mox V die Julii in Antoniam frustrà repugnantibus Judæis irrumpunt, indéque in Templum refugientes Judæos insequuntur: sed aliquandiu repulsis Romanis, tandem post multam pugnam, XVII die Julii (quà die in Templo juge sacrificium, ἐντελεχισμός, virorum qui illud curarent penuriâ, defecerat) frustra seditiosos per Josephum Titus adhortatus ad deditionem faciendam, septimo pòst die admotis aggeribus, quorum materia à centesimo stadio comportabatur, & eversis Antoniæ fundamentis, ad Templum usque facilem efficiens ascensum, & per Antoniam irrumpens, Porticus Septentrionalem & Occidentalem exterioris Septi Templi occupat, quarum pars quæ Antoniæ jungebatur à Judæis immisso igne incensa fuerat & diruta, pars altera biduo pòst à Romanis incenditur XXIV die Julii, Judæis incendium non restinguentibus sed serpere sinentibus, ut sic porticus ab Antonia omnino dirimerentur. XXVII autem die Judæi rursus Occidentalem Porticum ad pontem usque qui in Xystum ducebat exurunt, unáque Romanos plurimos qui in eam (refugientibus ultro Judæis) ascenderant: posterà verò die Romani Septentrionalem totam ad Orientalem usque incendunt.

[Ibid. cap. 9.] Octavo autem die Augusti, cùm nec arietibus pulsando interioris Septi murum quicquam promoveret Titus, neque portarum fundamenta suffodiendo, propter lapidum magnitudinem & validam juncturam, neque scalis in Porticus ascendere potuissent Romani, Judæis desuper fortiter repugnantibus, quod distulerat loci reverentiâ motus, tandem necessitate coactus interioris Septi Templi portis ignem admoveri jussit, quibus incensis simul junctæ illis Porticus inflammantur, spectantibus & stupentibus Judæis, nec incendium præ stupore prohibentibus aut restinguere conantibus, totâque illâ die & sequenti nocte arserunt Porticus. Cùmque cum Ducibus decrevisset Titus Templum ab incendio servare, obtinere tamen id non potuit: die enim 10 Augusti, cùm Romani qui in exteriore Templi Septo excubabant, à Judæis lacessiti impetum in eos fecissent qui ignem interioris Septi exstinguebant, eósque in ipsum Templum compulissent, Romanus miles, rapto ex incendio titione, à socio sublatus in humerum per fenestram auream ignem in domos seu Cellas circa Templum constructas à Septentrionali parte rejicit, quas corripiens statim ignis Templum ipsum illis junctum (frustrà Tito incendium restinguere militibus jubente, simul inflammat anno Vespasiani secundo, eodem mense eodémque mensis die quo priùs à Nabuchodonozore fuerat incensum, annis MCXX, mensibus VII, diebus XV, postquam primò fuerat à Salomone exstructum, annis verò DCXXXIX, diebus XLV, postquam secundò fuerat jussu Cyri (anno ipsius secundo) hortante Aggæo Prophetâ constructum. Magna in Porticibus & circa Altare hominum strages facta est, dum seditiosi interim impressione in milites Romanos factâ primò in exteriorem Porticum orientalem, atque indè in civitatem, se recipiunt.

[Ibid. cap. 12.] Miserabilis istius Templi & civitatis excidii multa fuere Judæis prodigia & ostenta Divinitus missa, quibus tamen nequaquam se moveri passi sunt. Nam primò Jesus quidam Anani filius, [Qui Jesum Dei filium ludibrio habuerant & cruci affixerant, à plebeio Jesu de extremo excidio suo monentur, & quidem frustrà.] homo plebeius & rusticus, quadriennio ante Judæorum à Romanis defectionem cœptúmque bellum, in summa urbis pace atque opulentia, Albino Præside, die festo Tabernaculorum repente (quasi ἐνθουσιαζόμενος) cœpit exclamare, *Vox ab Oriente*, *vox ab Occidente*, *vox à quatuor ventis*, *vox in Hierosolymam & Templum*, *vox in totum populum:* atque hæc diu noctúque clamitans & inculcans omnes civitatis vicos circuibat, horrendum *Væ Hierosolymis* perpetuò intonans: neque minis ullis aut verberibus plagisve, quibus excruciatus fuit ab Albino, deterreri potuit à proposito & incepto, quin per annos septem & menses quinque continuos idem perpetuò inculcaret, donec obsidionis tempore, cùm supra murum circumiens *Væ civitati ac populo & Templo* clamaret, subitò lapis tormento emissus clamantem *Væ etiam mihi* oppressit. Deinde, ante bellum Cometes gladio similis visus est annum totum urbi imminere: tum & Azymorum die festo, VIII Aprilis, horâ noctis nonâ, subitò Altare & Templum lux tanta circumfulsit per dimidiam horam ut clarus dies videretur. [Christus ad breve tempus per se & Apostolos suos Judæis illuxit; sed illis lucem illam repudiantibus, ab eo relicti sunt in profundissimis

simis ignorantiæ & obstinatissimæ pervicaciæ tenebris.] Item bos ad Altare adducta agnum in medio Templo enixa est. [Eo videtur voluisse Deus significare, sibi deinceps non probari illa sacrificia, tali monstro veluti contaminata.] Porta etiam Orientalis ænea, eáque gravissima, cùm vix à 20 hominibus sub vesperam clausa fuisset, pessulísque ferratis crassissimis obserata, sponte horâ noctis sextâ patefacta est. Paucis autem post festum diebus, nempe XXVII die Maii, visi sunt paulò ante Solis occasum currus & acies armatæ per aera in nubibus concurrere civitatémque circumdare. Quin & * Pentecostes die sacro, nocte Sacerdotes interius Templi septum ad sacra celebranda ingressi, primò quidem motum strepitúmque senserunt, mox verò subitam vocem audivere clamantem, *Migremus hinc*. Sed ad hæc omnia Judæi amentes cæcutiebant & obsurdescebant, in propriam perniciem ultro ruentes, † oraculo quodam ad bellum istud excitati, quo Imperium orbis terrarum promittebatur cuidam qui ex Judæa tum temporis exoriturus esset; Hoc enim illi ad se pertinere arbitrabantur, cùm potiùs (ex Josephi quidem sententia) ad Vespasianum spectaret, qui in Judæa Romanorum Imperator ab exercitu renunciatus est. [* *Cùm annum quo id factum est non notet Josephus, suspicari quis non immeritò possit, contigisse id die illo Pentecostes quo Spiritus S. in Apostolos à Christo missus est. Tum enim proprie videtur* השכינה *Judæos & Templum deseruisse ut ad Christi Discipulos transmigraret. Atque hæc vox apertum est rejectionis Judæorum & totius Legalis cultûs abolitionis testimonium.* [† *Videtur potiùs oraculum illud intelligendum de non fama modò & rumore, sed certâ Judæorum persuasione, tempus à Prophetis constitutum de Messiæ adventu completum fuisse, ac proinde Messiam brevi à se esse exspectandum, qui toti Orbi imperaret, eósque à Romanorum servitute liberaret. Quin & forte huc faciebat persuasio quædam (falsa licèt) quæ tum fidelium Judæorum mentes occupaverat, de Christo brevi de cælis ad judicium venturo, atque in terras redituro, pérque mille annos in iis regnaturo.*

[Ibid. cap. 13.] Porrò Titus expilato & incenso Templo, signísque in Orientali Templi porta constitutis, peractóque isthic sacrificio, Imperator ab exercitu proclamatur, móxque seditiosos qui in superiorem civitatem confugerant, de ponte, quo Templum Civitati conjungitur super Xystum, per Interpretem ad deditionem cohortatus, cùm recusarent se illius fidei committere, licèt vitam illis indulgeret, postularéntque ut sibi cum liberis & uxoribus urbe in desertum exire liceret, indignatus Titus extremum illis denunciat interitum, totámque inferiorem urbem & Acram, quam occupaverat, jussit incendi. Superiorem autem civitatem in prærupto undique loco sitam oppugnare cœpit aggeribus, XX die Augusti jaci cœptis, perfectísque VII die Septemb. machinas mœnibus admovet, perruptóque muro, & diffugientibus præ metu & consternatione Tyrannis cum suis satellitibus; Romani VIII die Septemb. irrumpunt, omniáque ferro & flammâ vastant.

[Ibid. cap. 17.] Capta sunt in Urbis expugnatione toto belli tempore XCVII^{M} hominum, perierunt in obsidione XI^{CM}. Ex omnibus enim partibus Hierosolymam ad festum Azymorum confluxerant Judæi, ubi à Tito urbem obsidione cingente conclusi, primò quidem ob loci angustiam pestiferâ lue, deinde etiam fame, consumpti sunt. Tantam autem duplóque majorem solitam esse eò confluere hominum multitudinem compertum est sub Cestio, jussu ejus numeratis festo Azymorum agnis Paschalibus, quorum singulis absumendis deni ut minimum ex Legis præscripto convenire debent; sæpe etiam viceni conveniunt: numerata sunt autem tum temporis hostiarum CCLVI^{M}. ex quibus conficitur adfuisse festo 2700^{M} hominum ab omni legali immunditia purorum.

[Ibid. cap. 18.] Sic capta est à Tito Hierosolyma anno Vespasiani patris secundo, Septemb. die VIII, quæ sexies in universum capta fuit, bis autem eversa. Et capta quidem, at non eversa fuit, primò ab Ægypti rege Asochæo, 2. ab Antiocho Epiphane, 3. à Pompeio, 4. ab Herode & Sosio. Eversa autem primò fuit à Nabuchodonozore; secundò à Tito Vespasiano. Condita fuerat primò à Melchisedeco rege Salem, [Nempe putat Josephus urbem Salem aucto nomine dictam postmodum esse *Jerusalem*, Antiq. lib. 1. c. 11.] dein aucta à Davide rege. Eversa autem à Babyloniis fuit annis 1468, [Videtur hic calculus vero & accurato major annis circiter 50.] mensibus sex, ex quo primùm condita fuerat, annis autem 477, [Annis 30 major est iste calculus justo & vero numero.] mensibus sex, postquam à Davide Chananæis fuerat erepta. A Tito verò Vespatiano eversa fuit annis 1179. [Numerus iste vero calculo annis circiter 70.] postquam à Davide occupata fuerat. A prima verò ejus constructione ad ultimum ejus excidium anni sunt 2177. [Major est hic numerus vero calculo annis 100.

[Ibid. cap. 20.] Capti sunt in cloacis latitantes Tyranni duo, Johannes & Simon; quorum ille perpetuis vinculis damnatus iste Triumpho asservatus est, atque in eo necatus. In iisdem cloacis inventa sunt 2 M. hominum, qui vel fame contabuerant, vel mutuis vulneribus occubuerant, nè se Romanis dederent. Urbem totam & Templum funditus everti & complanari jubet Titus (eique de more induci aratrum) exceptâ Occidentali duntaxat muri parte, turribúsque tribus, Hippico, Phasaelo & Mariamme, quas ob elegantiam & fortitudinem insignem voluit posteris relinqui documentum magnificentiæ urbis illius.

Anno Christi 71.

[Ibid. cap. 24.] Ipse autem relictâ Hierosolymæ decimâ legione, ut esset toti regioni præsidio, duodecimam, quæ infeliciter sub Cestio pugnaverat, totâ Syriâ pellit, & ad Euphratem in Armeniæ confinio ablegat. Ipse cum V & XV legione Cæsaream venit, quò omnem prædam & manubias captivósque coegit; ubi & Beryti & Antiochiæ, & per omnes Syriæ civitates magna cum pompa exceptus, patris Vespasiani natalem Imperii diem magnificè celebravit. Indéque per Judæam & Hierosolymam V & XV. legione comitatus in Ægyptum Alexandriam contendit, atque indè Romam navigat, ubi omnium votis exceptus, summa cum pompa Triumphum egit de Judæa subacta. Templum Paci magnificentissimum à Vespasiano extructum est, in quod pretiosissima quæque & in toto orbe maximè visenda contulit & congessit, adeóque & Templi Judæorum vasa omnia & instrumenta aurea. Vela autem illa pretiosissima quæ de Templi portis pendebant, unà cum Legis libro sacro, in Palatio servari jussit.

[ibid. cap. 25, & 28.] In Judæam autem legatus missus est Lucilius Bassus, qui accepto à Cereali exercitu castellum Herodion cum præsidio deditione accepit: mox Machærunta, fortissimum castellum ultra Jordanem, oppugnat, tandémque capit. Ei postea mortuo succedit in administratione Judææ Publius Sylva, qui inexpugnabilem prorsus arcem Massadam, ab Eleazaro Judæ Galilæi nepote Sicariorum duce occupatam, tandem vi expugnat April. XV die, omnibus qui in ea erant Arce Sicariis, numero 960, cum uxoribus & liberis, Eleazari hortatu sese mutuis vulneribus ad unum conficientibus, incensâ priùs cum omni supellectile Arce, nè in Romanorum potestatem venirent. Atque ità omnes belli Judaici reliquiæ sublatæ sunt, totáque Judæa est pacata. [Ibid. c. 29.] Sicariorum autem multi è Judæa dilapsi & in Ægyptum profugi Alexandriam veniunt, ubi Judæos ad defectionem solicitant: sed plebs à Primariis persuasa in Sicarios illos irruit, 600 eorum capit, quos Romanis tradit supplicio afficiendos; reliqui per Ægyptum & Thebas dilapsi capiuntur etiam; eâque de re monitus Cæsar jubet Lupo, Alexandriæ tum Rectori, ut Templum Judæorum (quod in Ægypto olim ab Onia, summi Pontificis, fratre, exstructum fuerat) dirueret. Sed Lupus ablatis tantùm quibusdam donariis Templum claudere contentus fuit. At Paulinus, ejus in administratione successor, ablatis omnibus donariis, foribus occlusis ità inaccessum fecit ut nè vestigium quidem religionis isthic remaneret, idque annis 343 postquam primò conditum fuerat.

Judææ & Galilææ fines & descriptio.

[Ex Joseph. lib. 3. bell. Jud. c. 2.]

GEmina est Galilæa, inferior & superior: utramque ambit Syria & Phœnicia. Utriusque finis ab Occidente est Ptolemais cum territorii sui finibus, & quondam Galilæorum, nunc verò Tyriorum, mons Carmelus; à Meridie verò Samaritis & Scytopolis usque ad Jordanis amnem; ab Oriente autem Hippene & Gadaris, item Gaulanitis (quæ ad regnum Agrippæ pertinent) eam definit; à Septentrione denique Tyro Tyriorúmque regione terminatur. Et Galilææ quidem, quæ *Inferior* dicitur, longitudo à Tiberiade ad Chabulonem usque, [In Græco est Χαβωλὼν, in Latina Ruffini versione *Zabulon*; quæ lectio videtur melior.] cui ad mare vicina est Ptolemais, protenditur; latitudo verò à vico qui in magno Campo *Xaloth* dicitur usque ad Bersaben, [Non est locus in Scriptura notissimus, באר שבע dictus in confinio Judææ versùs Ægyptum, sed alius ab isto remotissimus.] Unde superioris Galilææ latitudo incipit usque ad vicum *Baca* dictum, qui Tyriorum terram à Galilæa diri-

dirimit: longitudo verò est à Thella vico Jordani vicino usque ad Meroth. Utraque ferax admodum, omni genere arborum consita: urbes & pagi frequentes, incolis refertissimi: urbium quæ minima est supra 15 M. colonorum seu incolarum habet; ab infantia omnes sunt pugnaces & agriculturæ studiosi. Quamvis autem Galilæa amplitudine cedat τῇ Περαίᾳ Transamnanæ regioni quæ est ultra Jordanem, at certè bonitate soli eam longè superat: Transamnana enim maxima ex parte deserta & aspera est, atque fructibus mansuetis & suavibus ferendis inepta; quod autem in ea est molle solum, ferax est admodum, agrósque habet variis consitos arboribus, maximè verò oleis, vineis & palmetis, torrentibus è proximis montibus & aquæ perennis fontibus irriguos. Longitudo Transamnanæ est à Machærunte arce non longè à lacu Asphaltite usque ad Pellam, latitudo verò à Philadelphia (sive Ammonitide) ad Jordanem. Et Pellâ quidem versùs Boream terminatur, Jordane ad Occidentem, ad Meridiem Moabitide, ad Orientem verò Arabiâ & Silbonitide, [In Græco est Σιμωνίτιδι in Lat. *Silbonitide:* neutrum, uti videtur, bene; legendum potiùs videtur, *Ammonitide.*] item Philadelphensi agro & Gerasis. [In Græco Γεράροις, sed, uti videtur, vitiosè. *Gerara* enim non fuit ab ea parte, sed *Gerasa.*]

Samaritis autem media est inter Judæam & Galilæam, [Hinc intelligas illud Joh. 4. 4. *Oportebat eum transire per Samariam*, h. e. non per urbem ipsam Samariam, sed per Samaritarum agrum seu regionem.] incipiens ad Occasum à vico qui in magno campo *Ginaa* dicitur, desinitque in Acrabatenam Toparchiam. Soli naturâ atque ingenio à Judæa non differt; utraque enim & montosa est & campestris, mollis & ad agriculturam facilis fertilisque campi, arboribus fructuum mansuetorum & agrestium feracibus consiti. Non est valde quidem fontibus aut rivis irrigua, sed copiosi sunt & frequentes in ea imbres; nempe juxta illud quod est, Deut. 11. 11, 12. Quæ in iis autem sunt aquæ fluenta, dulcem supra modum habent aquam, atque propter graminis juxta ea copiam quæ in iis sunt pecora & armenta lacte plus quàm reliquis in terris abundant, magnúmque est feracitatis utriusque argumentum, quòd utraque viris admodum est referta. In utriusque confinio est vicus Anvath, qui aliàs *Borceos* dicitur, Judææ versùs Septentrionem terminus, unde in longitudinem versùs Austrum protensa finem habet vicum Arabibus conterminum, quem isthic Judæi *Jardan* appellant; latitudo autem à Jordane amne ad Joppen ad mare Mediterraneum porrigitur. In ejus medio sita est Metropolis Jerosolyma, qua de causa à nonnullis non immeritò dicta est *regionis* illius *umbilicus*. Sed nec marinis deliciis caret Judæa, ad mare Ptolemaidem usque extensa. Divisa est autem in xi Toparchias; quarum prima & præcipua, quæque reliquis ut caput corpori supereminet & præstat, est Jerosolyma. Reliquæ post eam hæ sunt; Gophnitica secunda, post eam Acrabatena, deinde Thamna & Lydda, tum Ammaus, deinde Pella, item Idumæa, postea Engaddi, tum Herodium, dein Hierichus; denique Jamnia & Joppe finitimis suis præsunt.

Præter has Provincias est Gamalitica, Gaulanitis, Batanæa & Trachonitis, quæ partes sunt regni Agrippæ, incipitque illius regionis latitudo [legendum, *longitudo*] à monte Libano & Jordanis fontibus usque ad lacum Tiberiadis, longitudo [legendum, *latitudo*] verò protenditur à vico *Arphas* dicto usque ad Juliadem. Hanc regionem incolunt Judæi Syris permixti.

Jordanis fontes & amnis, cum lacu Genezareth.

[Ex Joseph. lib. 3. c. 18. De bello Jud.]

LAcus Genezar à continente terra sic dictus, latus est 40 stadia, longus verò 100. aqua dulcis & potabilis, palustribus enim tenuiores habet; limpidus est undique in arenam ad littus desinens, ad hauriendum temperatus, cujus aqua fluviali & fontanâ lenior est, frigidior verò quàm solet esse lacustris, quæ si (quod fieri solet ab accolis) æstivis noctibus hausta sub dio relinquatur, nivis frigiditati non cedit. Varia sunt in eo lacu piscium genera figurâ & sapore ab alterius loci piscibus diversa: medius Jordane fluvio secatur. Jordanis autem fons Panium esse videtur, sed revera huc terrâ conditus defertur ex ea quæ *Phiala* dicitur. Est autem Phiala lacus quidam à circulari figura sic dictus; qui ad dexteram non longè est à via quâ Cæsareâ itur in Trachonitidem, [Videtur potiùs legendum *Calchitidem.*] cxx stadio à Cæsarea, cujus lacu aqua semper intra labra sua continetur, nunquam exundans, nunquam subsidens. Cúmque olim hoc esse Jordanis principium nesciretur, à Tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo deprehensum est: immissis enim ejus jussu in Phialam paleis, inventæ sunt delatæ in Panium, unde antea fluvius nasci credebatur, cujus loci naturalis pulcritudo Regis Agrippæ opibus plurimùm exornata est. Ab hoc Panii antro incipit manifestò fluere Jordanes, mediúsque secat Semechonitidis cœnosum lacum 30 stadia latum, 60 verò longum (juxta quem est urbs dicta *Seleucia*) ad Daphnen usque paludes suas extendentem: indéque 120 stadia emensus Jordanes post oppidum Juliadem ingreditur lacum Genezar, quo emenso deinde per multam solitudinem excurrens exit in lacum Asphaltiten. Porrò ad lacûs Genezar ripam est ejusdem nominis regio longa 30 stadia, lata 20, naturâ simul & pulcritudine admirabilis; nullum enim arboris genus (tanta est soli ubertas) ei denegatum est, totáque arboribus ab incolis est consita, & aeris temperies omni fructuum generi est accommodata; nam & nuces & amygdala, quæ frigidiore gaudent aere, magnâ isthic crescunt copiâ, ut & palmeta, quæ æstu gaudent maximè, ficus item & oleæ, quæ molliorem & temperatiorem postulant aerem, quadam naturæ veluti ambitione studentes in unum compingere pugnantia, annique tempestatum gratam quandam contentionem; unaquaque earum regionem illam veluti sibi propriam vendicante. Neque modò alit præter fidem varios & copiosos fructus, sed & diu conservat: nam uvas sanè & ficus per decem menses sine intermissione suggerit, reliquos autem fructus per totum annum asservatos. Ad aeris temperiem accedit fontis quo irrigatur bonitas, qui *Capernaum* dicitur ab incolis, [A quo fonte nomen habet vicus *Capernaum* dictus, in Euangelio sæpe nominatus.] quem ideo nonnulli putarunt esse veluti venam quandam Nili, quòd in eo inveniantur pisces Coracino (qui in Alexandrina alitur palude) similes.

Hiericho & circumjacens regio cum lacu Asphaltite.

Ex Joseph. lib. 5. De bello Jud. cap. 4.]

HIerichus est in planitie sita, cui modicùm distans imminet mons nudus ac sterilis longissimus; nam versùs Boream Scythopolim usque protenditur, ad Austrum verò usque ad Sodomorum regionem & fines lacûs Asphaltitis, éstque totus ille mons asper & inæqualis, & quia sterilis est ideo incultus manet. Isti ex adverso opponitur alius mons, qui ultra Jordanem situs est; incipiens versùs Boream à Juliade porrigitur versùs Austrum usque ad Somorron, [In Lat. est *Bacra*, in Græc. Σομόῤῥων, sed fortè legendum Γομόῤῥα.] quæ Petram Arabiæ disterminat. In eo & mons qui *Ferreus* dicitur, in longum protensus usque ad Moabitidem. Quæ autem inter duos illos montes interjacet regio *magnus Campus* dicitur, à vico Gennabari ad lacum usque Asphaltiten, per spatium 230 [In Græco est χιλίων διακοσίων, at Lat. Ruffini interpretatio habet 230, quæ potior videtur lectio.] stadiorum longus, latus verò 120. Medium illum campum secat in longitudinem amnis Jordanes, lacúmque habet geminum, Tiberiadis nempe & Asphaltiten, naturâ contrarios: Tiberiensis enim dulcis est & fœcundus, Asphaltites verò salsus & sterilis. Porrò æstivo tempore magnis torretur ardoribus campus ille, & ob nimiam æstûs vehementiam aere circumfunditur insalubri & mortifero, neque aliâ quàm Jordanis aquâ rigatur; unde fit ut palmæ quæ ad ejus ripas crescunt, vigeant & fœcundæ sint, minùs verò quæ longiùs ab amne remotæ sunt. Est autem prope Hierichuntem fons copiosus rigandísque arvis uberrimus, circa veterem scaturiens civitatem quam Josua filius Nun primam jure belli cepit à Chananæis. Hunc fontem ferunt aliquando non solùm terræ & arborum fœtus, sed & feminarum partus lædere solitum, postea verò mansuevisse, saluberrimúmque factum esse injecto ab Elizæo in eum fontem sale. Hujus aqua per æstatem paulò ante Solis ortum hausta & aeri exposita frigescit, naturámque aeri ambienti contrariam sumit, hieme verò tepescit, & gratissima fit illis qui in eam merguntur. Rigationis autem ejus tanta est vis, ut si vel modò attigerit terram, fœcundiorem eam reddat aliis aquis quæ diu hærent & perseverant in agro, ità ut alterius aquæ copia huic comparata parùm sit utilis, hujus verò vel exigua mora sit fœcundissima. Irrigat autem campum 70 stadia longum, 20 latum, atque optimos in eo alit hortos, amœnissimos & frequentissimos, palmarum item varia sapore & appellatione genera, quarum pinguissimæ pressæ mel emittunt copiosum quod suavitate alteri vix cedit. Fert item terra illa Opobalsamum (qui pretiosissimus est omnium qui illic sunt fructuum) Cyprum item & Myrobalanum: ità ut qui *divinum* dixerit illum *terræ tractum*, non valde aberraverit, utpote in quo quæ alibi sunt pretiosissima & rarissima, copio-

copiosè isthic inveniantur. Sed neque reliquorum fructuum respectu tellus ulla ei fuerit facilè comparanda, adeò quod satum est reddit multiplicatum. Hiemis autem tempore adeò temperatus est aer, ut cùm in aliis Judææ partibus ningit, hic lineâ veste utantur indigenæ. Distat autem Hierosolymis 150 stadiis, à Jordane verò 60, totúmque ab ea Hierosolymam usque iter & spatium desertum est & saxosum; ad Jordanem verò & lacum Asphaltiten humilius quidem est solum, æquè tamen desertum atque incultum.

Asphaltites verò lacus DLXXX stadia in longum protenditur, & usque ad Zoaram Arabiæ porrigitur, [Heb. צער dicitur, in quam confugit séque recepit Loth ex Sodomorum conflagratione.] latus verò CL. Huic Sodomorum terra vicina est, olim quidem fertilissima regio, splendidísque urbibus ornata, at postea tota ob incolarum impietatem fulminibus missis Divinitus conflagravit. Quin & divini illius ignis reliquiæ etiamnum sunt hodie conspicuæ, (& oppidorum quinque isthic videre licet, umbram atque imaginem) nam fructus nascentes edulibus per omnia videntur similes specie atque colore, at cùm manu attrectantur & decerpuntur, in favillam & cinerem resolvuntur. Porrò aqua lacûs illius salsa & sterilis est, & ob nimiam suam levitatem etiam quæ gravissima sunt, in eam jacta fluitant, [Atqui quò levior est aqua, eò difficiliùs innatant illi gravia; contrà quò gravior est, eò faciliùs supernatant illi gravia, ut manifestum est in marina aqua, quæ fluviatili multò est gravior.] demergi autem in profundum nè industriâ quidem facilè quis possit; quod Vespasianus ipse cùm illuc visendi gratiâ venisset, experientiâ verum esse comprobavit: jussit enim aliquot natandi imperitos manibus post terga revinctis in lacum projici, & omnibus evenit ut quasi spiritûs alicujus vi repulsi supernatarent. Ad hæc, mirabilis est coloris ipsius mutatio; ter enim singulis diebus colorem mutat, & variè ad Solis radios splendet. Quin & Asphalti seu bituminis multis in locis nigras evomit glebas tauris [In Græc. ταύροις. Fortè legendum ταυρείοις h. e. *taurinis pellibus*] capite ademptö figurâ & magnitudine non absimiles, quod scaphis quibus colligitur tam arctè adhærescit ut non facilè (nisi menstruo sanguine & lotio aspergatur) ab iis divelli possit. Est autem illud non modò ad compagines navium accommodatum, sed & ad corporum curationem multis remediis admiscetur.

Urbis Hierosolymorum situs, ambitus atque descriptio.

Ex Joseph. lib. 6. c. 6. De bello Jud.

URbs Hierosolymorum sita & condita est super duos colles adversis frontibus semet respicientes, medióque valle intercedente discretos, in quam desinunt frequentes domus. Hæc vallis *Tyropæon* dicitur, & ad fontem usque Siloam protenditur. Collium autem illorum alter qui superiorem sustinet civitatem altero longè est excelsior & in longitudinem directior, atque is est qui à Davide Chananæis ereptus propter munitionem *Arx & Civitas Davidis* est dictus, nunc verò à nobis *Forum superius* vocatur. Alter verò *Acra* dictus, qui inferiorem sustinet civitatem, est corniculatâ seu lunari figurâ. Contra hunc autem tertius erat (Templi nimirum) collis, naturâ quidem Acrâ humilior, & latâ valle ab ea ex parte Orientis] legendum potiùs *Occidentis* vel *Septentrionis*] olim discretus, sed Asamonæorum tempore volentes illi Templo conjungere civitatem, & vallem illam aggeribus ingestis compleverunt, & Acræ altitudinem cæsam humiliorem fecerunt, ut ei supereemineret Templum. Duo illi colles, Acra nempe, sive inferior & superior civitas, extrinsecùs profundis vallibus cinguntur, & utrinque obstantibus rupibus præruptísque locis nulla ex parte adiri possunt. Trino autem muro civitas cingebatur, nisi quà inviis vallibus circumdata erat; ab ea namque parte uno erat contenta muro. Trium illorum murorum primus & vetustissimus, tum propter valles quibus cingebatur imminentémque illis collem cui superstructus erat, tum quòd ad loci naturam & firmitatem accesserant Davidis Salomonísque & subsequentium Regum munimenta, inexpugnabilis erat. Incipiens autem à parte Boreali, à turri quæ *Hippicos* dicitur, ad Xystum usque protendebatur (ubi Templo per pontem subjectæ valli imminentem jungebatur) indè τῇ Βουλῇ *Curiæ* conjunctus in Occidentalem Templi porticum [h. e. versùs Occidentalis & Merid. Porticûs Templi angulum] desinebat. Ab altera autem parte ab eadem turri Hippico rursus incipiens, inque Occidentem tendens per eum locum qui Βηθσω (*Betiso*) dicitur, ad Essenorum portam porrigebatur: postea versùs Notum ad fontem Siloam flectens, indéque rursus ad Orientem reflexus versùs eam piscinam (sive stagnum) quæ *Salomonis* dicitur, & usque ad locum qui *Ophlas* dicitur pertinens, Orientali Templi porticui conjungebatur, & usque ad Monobazi aulam descendebat.

Secundus verò murus initium ducebat à porta quæ *Gennath* h. e. *horti*) dicitur, quæque primi muri erat, solúmque Septentrionalem tractum ambiens ad Antoniam usque protendebatur. Tertio muro turris Hippicos initium dabat, unde versùs Borealem tractum sese extendens ad turrim usque Psephinam, indè protendens sese ex adverso monumenti Helenæ Adiabenorum reginæ, & per speluncas regias in longum ductus flectebatur in angulari turri, prope monumentum quod *Fullonis* dicitur: antiquo autem muro conjunctus desinebat in vallem *Cedrona* dictam. Hoc muro eam civitatis partem quæ antiquæ accreverat, cingere cœperat Rex Agrippa senior, cùm antea omnino nuda muro eâ parte esset. Exuberans nempe populi multitudine civitas paulatim extra mœnia antiqua serpebat, Septentrionalémque Templi regionem sive tractum domibus exstructis complentes non parùm extra veteres Colles processerant, ità ut quartus collis Antoniæ contiguus, sed latâ & profundâ fossâ ab ea præcisus, totus ædificiis compleretur, unde & *Bezetha* [בית חדתא h. e. *nova domus*] dicta est pars illa civitatis tota quæ veteri accesserat. Cùm ergò pars hæc Civitatis muro opus haberet, Agrippa rex Agrippæ junioris pater murum illum inchoaverat; sed mox veritus nè Claudius Cæsar eâ muri constructione offenderetur, quasi ad rerum novarum studium spectaret, jactis tantummodo fundamentis destitit ab opere; non enim expugnabilis fore videbatur civitas si muros, uti cœperat, perfecisset: saxa enim quibus exstruebatur erant cubitos 20 longa, decem verò lata. Postea verò idem murus à Judæis initio belli quo adversùs Romanos insurrexerunt, brevi erectus est ad 25 cubitorum altitudinem cum propugnaculis. Murum autem supereminebant turres quadratæ 20 cubitos latæ, totidem altæ, solidæ & plenæ, sicut & ipse murus; supra verò solidam illam 20 cubitorum altitudinem cellæ erant atque cœnacula, aquarúmque pluvialium receptacula, & lati ad unamquamque gradus quibus ascendebatur. Atque ejusmodi turres tertius iste murus XC habebat: earum autem intervalla, quæ inter binas intercedebant turres, erant 200 cubitorum. Medius verò murus XIV turres duntaxat habebat; primus autem, sive antiquus, habuit LX: totus autem civitatis ambitus XXXIII stadiorum fuit. Cùm autem totus esset admirabilis tertius ille murus, admirabilior tamen adhuc erat Psephina turris, quæ in angulo ad Septentrionem & occidentem sito surgebat; ex ea enim LXX cubitos alta Sole oriente tota conspici poterat Arabia, ultimíque ad mare usque terræ Judæorum fines, erátque octangularis ea turris. Ex adverso illius fuit *Hippicos* dicta turris, atque juxta hanc duæ aliæ ab Herode in veteri muro ædificatæ, quæ magnitudine, pulcritudine & firmitate universis quæ toto orbe erant præstabant. Nam *Hippicos* quidem, sic de amici cujusdam Herodis in bello fortiter pugnando interfecti nomine dicta, quadrangularis erat, cujus singula latera 25 cubitos patebant, 30 verò erant alta; nusquam inanis, sed solida tota: supra hanc solitudinem puteus erat 20 cubitos altus excipiendis imbribus, desuper verò domus erat gemino tabulato, 25 cubitus alta, & in varia membra divisa; minæ autem duos cubitos, propugnacula verò desuper tres cubitos assurgebant, ità ut tota turris altitudo esset 80 cubitorum. Secunda turris, quam de fratris nomine *Phasaelum* vocavit, 40 cubitos longa & lata fuit in singula latera, totidémque alta, tota solida in pilæ modum facta: Desuper porticus erat (sive ambulacrum) propugnaculis & brachiis septa, X cubitos alta: in media verò porticu surgebat alia turris, in varia membra magnifica, adeóque & balnea, divisa, ut nihil regii usûs in ea deesset, in summo denique minis & propugnaculis ornata, ut tota ejus altitudo ad 90 cubitos usque attolleretur, & specie quidem turri Phari, quæ est prope Alexandriam, similis erat, sed ambitu multò major. Tertia turris de uxoris dilectissimæ nomine dicta est *Mariamme*; 20 cubitos duntaxat lata, longa & alta erat, pariter solida, sed desuper magnificentiora & ornatiora habuit diversoria, ità ut hæc pulcritudine cæteras duas superaret, ab illis autem robore, amplitudine & munimento vinceretur; tota autem ejus altitudo fuit 55 cubitorum. Cúmque tantæ essent altitudinis tres illæ turres, ex loci præterea situ & natura multò majores videbantur; nam & ipse antiquus murus, cui erant inædificatæ, excelso colli impositus atque exstructus erat, & ipsius etiam collis velut vertex quidam altus propè ad 30 cubitos, eâ parte reliquo colle eminebat, supra quem verticem turres illæ positæ multum sublimitatis indè assumebant. Mirabilis

etiam fuit lapidum magnitudo; non enim ex vulgaribus saxis, quæque homines ferre possent, erant structæ, verùm ex secto marmore candido, singulis saxis 20 cubitos longis, 10 latis, crassis verò quinque; quæ tam aptè ità erant inter se conjuncta ut singulæ turres singula saxa viderentur, sic nempe manibus artificum in faciem angulósque erant efformata, ut nusquam compaginis junctura deprehendi posset.

His autem in Septentrionali muri parte positis, intus & juxtà regia Herodis aula posita erat omni narratione penè superior: nam illa undique muro 30 cubitos alto cincta erat, & in circuitu turribus ornatissimis æquali distantiâ positis distinguebatur, grandibus cœnaculis quæ centum lectos caperent instructa, multo variòque marmore decorata; tecta etiam & laquearia visenda ob trabium longitudinem & ornamentorum magnificentiam: Cubiculorum item magna multitudo, & figuræ multiplex varietas, supellectile pretiosissimâ vasisque, quorum pleraque aurea & argentea erant, ornata & instructa. Circà verò, porticus multæ variis singulæ columnis ornatæ. Quæ verò sub dio erant, omnia ubique viridariis & sylvis variata, inque iis prolixa ambulacra, & circa ea profundi euripi, cisternæque æreis ornatæ, per quæ aqua effundebatur, juxtàque cisternas circum columbarum turres multæ exstructæ.

[De bello Jud. lib. 6. cap. 3.] Porro ad Orientem urbis erat mons qui *Olearum* dicitur, à civitate profundâ valle, quæ *Cedron* dicitur, interjacente discretus, in quo sexto ab urbe stadio castra posuit decima Romanorum legio in urbis obsidione. A parte autem Septentrionali septimo ab urbe stadio, in loco qui *Scopos* ideo dicitur, quia indè tota urbis magnitudo & Templum conspicuum erat, Titus cum duabus legionibus castra sua posuit, [Ibid. cap. 4.] Indè mox complanato toto quod interjacebat spatio, castrametatus est duobus à muro stadiis ad Herodis monumentum, quod contiguum erat piscinæ quæ Serpentum dicitur (olim autem Bethara dicebatur. [Hoc non est in Græco.]) [Ibid. cap. 5.] Non longè ab ea parte erant turres muliebres cum porta, monumentum item Helenæ Adiabenorum reginæ: nam eâ portâ egressi Judæi Romanos in castrorum munitione occupatos pellexerunt in insidias, & circumventos fugarunt, & cum cæde persecuti sunt ad Helenæ usque monumentum. A Serpentum piscina complanato rursus quod ad murum ex spatio castra ipse movit ad turrem Psephinam, quæ in angulo sita est quò Septentrionalis murus civitatis ad Occidentem flectitur: reliqua exercitûs pars ad turrim Hippicon castra posuit, duobus similiter ab urbe stadiis. Juxta eam turrim porta erat, quâ latenter egressi Judæi impetum in Romanos fecerunt. Urbem autem Titus aggressus ad Johannis Pontificis monumentum non longè ab ea turri (Hippico nempe) quòd eâ parte primus murus humilior esset, neque secundo conjunctus; neglecta enim isthic fuerat munitio, propterea quòd nova civitas ista in parte non valde frequentabatur: quin & in tertium facilis erat illàc aditus, per quem superiorem civitatem, per Antoniam verò Templum, cogitabat Titus invadere; qui eâ urbis parte Septentrionali occupatâ & eversâ, inducto exercitu castrametatus est ad ea quæ vocantur *Assyriorum castra*, tenuitque totum ad Cedronem usque spatium; adversùs quem pugnabant ex Antonia & Septentrionali Templi porticu, atque ex Alexandri regis monumento, Johannes qui Templum tenebat, Simon verò, qui superiorem civitatem occupabat, aditu juxta Johannis monumentum obstructo usque ad portam quâ aqua in turrim Hippicon inducebatur. Titus autem secundum murum à Septentrionali latere aggreditur, & quinto pòst die perrumpit, cujus totam Septentrionalem partem jussit dirui; Meridionalem verò, dispositis per turres custodibus, occupari. Mox Antoniam aggreditur, & juxta Johannis monumentum superiorem civitatem, jactis utrinque binis aggeribus, quorum alter ad Antoniam jactus est, per mediam piscinam, quæ *Struthium* dicebatur, alter ad Johannis monumentum in Septentrionali parte erectus est, ubi stagnum est quod *Amygdalum* dicitur. Sed his à Judæis incensis, muro totam civitatem circumdare instituit, nè Judæis effugiendi pateret exitus, eùmque murum ab Assyriorum castris ad inferiorem novam civitatem deduxit, indè per vallem Cedron in montem Olearum, deinde ad Meridiem flectens, montem amplectitur usque ad petram dictam *Columbarium*, illíque proximum collem qui imminet valli quæ est ad Siloam fontem, indéque ad Occidentem descendebat in Fontis vallem, indè subiens juxta Anani Pontificis monumentum, circumdato monte ubi Pompeius castra posuerat, ad Septentrionalem redit urbis regionem, procedénsque ad vicum qui *Erebinthi domus* dicitur, [In Græco est *ἐρεβίνθων οἶκος*, at Ruffinus legit *ἐρεβινθώνικος*, *Erebinthonicus*.] post eam Herodis monumentum complexus ad Orientem jungebatur castris illis unde cœperat, cujus muri ambitus fuit XXXIX stadiorum.

In media porrò Acra fuit Helenæ Adiabenorum reginæ Aula. Tam vastæ autem fuerant támque frequentes per urbem Cloacæ, ut non pauca hominum millia caperent, qui eò post captam urbem confugerunt, atque isthic partim fame consumpti sunt, partim à Romanis cæsi, partim mutuis vulneribus periere.

TOTIUS TEMPLI HIEROSOLYMITANI Ab Herode (secundùm Josephum) exstructi brevis delineatio atque dimensiones.

CONstabat Templum illud duobus Septis quadratis, quorum alterum in alterius complexu atque medio continebatur.

Septum exterius constabat quatuor longissimis Porticibus, totidémque spatiis hypæthris inter illas Porticus & interius Septum interjectis.

Singulæ Porticus longæ intrinsecùs fuerunt ab uno ad oppositum angulum 500 cubitos Romanos. Latæ verò, Meridionalis quidem (quæ triplex fuit, seu tres habuit deambulationes) 70 cub. Reliquæ tres (quæ duas tantùm habuere deambulationes) singulæ latæ 40 cub.

Spatii hypæthri tum Meridionalis tum Septentrionalis pars æqua & plana à Porticibus ad gradus usque lata fuit 35 cub. pars verò gradibus occupata ad murum usque Septi interioris lata fuit 30 cub.

Spatii hypæthri Orientalis pars æqua & plana sine gradibus lata fuit 40 cub. pars autem gradibus occupata lata 25 c. ad Septum usque interius.

Spatium hypæthrum Occidentale totum æquum & planum ad Exedras usque sive Gazophylacia, latum fuit 65 cub. ad murum verò usque Septi interioris latum 90 cub.

Gradus singuli quibus ascendebatur lati fuere cubitum unum, alti verò dimidium cubitum.

Muri Septi exterioris crassitudo à Josepho non definitur, sed à nobis conjicitur fuisse 8 cubitorum.

Portæ in eo Septo fuerunt septem: una ab Oriente, alia à Meridie, & alia item à Septentrione quæ ducebat in arcem Antoniam, quatuor denique ab Occidente.

Plures fuerunt variis in locis commodis dispositæ in muri crassitie inclusæ Cochleæ, singulæ quaternos cubitos in diametro habentes, quibus in utriusque Septi Porticuum & Atriorum tecta tabulata ascendebatur.

Septum interius.

SEptum interius constabat multis Exedris grandioribus circumpositis, item ex Atriis in ejus complexu comprehensis.

Cum Exhedris adjunctis undiquaque longum extrinsecùs fuit ab Oriente in Occidentem 290 cub. latum à Meridie in Septentrionem 260 cub.

Sex in eo fuere Atria, duo Virorum, Meridionale & Septentrionale, singula longa 187 c. lata 30 c. duo feminarum ab Oriente, singula longa 78 c. lata 40. *Atrium Israelis*, intermedium longum 70 c. latum 40. *Atrium Sacerdotum*, longum ab Oriente in Occidentem cum Lorica 188 c. latum cum gemina Lorica 138 c.

Portæ in eo novem; quatuor à Meridie, totidem à Septentrione, una ab Oriente.

Exedræ in ipsis Portis collocatæ latæ fuerunt præcisè 29 c. longæ 31 c.

Exedræ juxta, vel inter Portas Meridionales & Septentrionales fuerunt sex, singulæ longæ & latæ intrinsecùs 20 c. item duæ minores singulæ latæ 12 c. longæ 20.

Exedræ ab Oriente sex, quarum majores quatuor sunt singulæ longæ 38 c. latæ 20. duæ verò minores longæ 26 c. latæ 20.

Gazophylacia octo; duo minima in ipso Atrio Sacerdotum, propriè & strictiùs dicta Gazophylacia, singula longa 20 c. lata 12. Duo majora, in capite utriusque Atrii virorum, singula 30 c. lata 20. Quatuor denique mediocria ab utroque horum majorum latere, singula longa & lata 20 c.

Murus Septi omni ex parte crassus sex cubitos.

Exedra-

Exedrarum muri crassi alii 4 cubitos, alii $4\frac{1}{2}$, alii denique 5 cubitos.

Sub utriusque Septi porticibus atque Atriis multæ fuerunt Cellæ seu Cryptæ subterraneæ, quibus decimæ & primitiæ olei, vini, frumenti & aliorum fructuum recondebantur.

Atrium Sacerdotum.

TRibus ex partibus cinctum fuit Loricâ humili lapideâ altâ cubitum unum: à parte Meridionali & Septentrionali lata fuit cubitum 1 cum $\frac{1}{2}$, ab Oriente verò lata cubitum unum.

Longum fuit Atrium illud intra Loricas 187 c. latum 135 cub.

In eo fuit Templum strictè sic dictum cum suo Vestibulo collocatum, longum, latum & altum 100 cub.

Ara ante Vestibuli portam collocata, longa & lata infernè 50 cub. supernè verò 38 c. alta autem 15 c.

Ascensus acclivis ad Aram latus 25 c. longus totidem

Inter Aram, Vestibulum, Atrium virorum Septentrionale, & Atrium feminarum fuit locus עזר Talmudistis dictus, in quo mactabantur & parabantur ad Aram victimæ, longus ab Oriente in Occidentem 76 c. latus 56.

Spatium inter Aram & Atrium feminarum latum fuit 7 c. inter Aram autem & Vestibuli Templi murum, 20 c. inter verò Aram & Templi gradus 16 c.

Gradus fuere XII, quibus ex Atrio Sacerdotum in Templi Vestibulum ascendebatur, singuli lati cubitum unum, alti pollices tredecim cum dimidio. Horum octo fuere in ipsa muri Vestibuli crassitudine, quatuor reliqui extra Vestibuli murum projecti, in atrio Sacerdotum fuerunt collocati.

Spatium utrinque inter Vestibuli extrema & Atria virorum interjectum latum cubitos $17\frac{1}{2}$,

Spatium inter posteriorem Templi partem & Atria virorum utrinque positum latum fuit cubitos $37\frac{1}{2}$.

Spatium denique inter posticam Templi partem & murum Occidentalem Septi interioris latum fuit 10 c. longum verò ab uno Gazophylacio ad aliud 80 c.

In gemino illo spatio puro & hypæthro utrinque inter posteriorem Templi partem & atria virorum interjecto, videtur fuisse gemina cisterna in crypta subterranea, in quam aqua cœlestis defluebat tum ex Templi ipsius tum ex Atriorum tectis, idque ad lavandas victimas & purganda earum intestina, reliquáque sacrificiorum ministeria.

Templum ipsum strictè sic dictum.

COnstabat Templum Vestibulo, loco Sancto, Adyto sive Sacrario, & Cellis circumpositis.

Figuram habuit crucis vulgaris inversæ cum titulo.

Longum fuit extrinsecùs ab Oriente in Occidentem 100 c. latum à parte anteriore in fronte Vestibuli 100 c. quanta scil. fuit Vestibuli longitudo extrinsecùs: à parte verò posteriore latum fuit extrinsecùs 60 c. altum verò 100 c.

Vestibulum extrinsecùs longum fuit 100 c. intrinsecùs 84. c. latum fuit extrinsecùs 34 c. intrinsecùs 20. Altum intrinsecùs 90 c. sine tabulato; extrinsecùs 100 c. usque ad suam peribolum.

Locus sanctus intrinsecùs longus 40 c. latus 20, altus à pavimento ad tabulatum sive summum lacunar 50 c. extrinsecus verò à solo Atrii Sacerdotum 60 c.

Sanctum sanctorum intrinsecùs longum & latum 20 c. altum intrinsecùs 50 c. extrinsecùs 60 c. à solo atrii Sacerdotum.

Utrique loco, tum Sancto tum Sancto sanctorum, superpositum fuit aliud tabulatum, ejusdem longitudinis & latitudinis, altum verò 40 c.

Cellæ Templo circumpositæ à latere ejus Meridionali & Septentrionali numero 30. nempe quindecim in unoquoque latere, in triplici tabulato, quinque scil. in singulis singulorum laterum tabulatis: Singulæ intrinsecùs longæ, latæ & altæ 10 c. Itaque tria tabulata simul juncta alta fuere 30 c.

Murus Templi omni ex parte crassus 6 c.

Murus Vestibuli tribus ex partibus crassus 8 c.

Murus Cellarum, quo ab Atrio Sacerdotum separabatur crassus 4 c. Paries intergerinus, quo Cellæ aliæ ab aliis dividebantur, crassus cub. $2\frac{1}{2}$.

Solum velum dividebat locum Sanctum à Sancto sanctorum.

Porta loci Sancti lata 16 c. alta 55 c.

Porta Vestibuli lata 25 c. alta 70 c.

Bina ostiola quibus utrinque à lateribus portæ loci Sancti patebat ingressus in Cellas, singula lata 3 c.

Binæ item utrinque Cochleæ juxta illa ostiola, in ipsa muri crassitie, quibus in Cellarum tabulata, earúmque & Templi ipsius tectum, & in secundum Templi tabulatum ascendebatur, singulæ quaternos in diametro habentes cub.

Templi Portæ, earúmque dimensiones.

In Septo exteriore

SEptem fuere Portæ: in latere Orientali & Meridionali, & Septentrionali singulæ, in latere autem Occidentali quatuor: harum omnium mensuræ neque à Josepho neque à Talmudistis traduntur. Nos conjicimus Orientalem fuisse 48 c. Meridionalem 46 c. Septentrionalem, quæ in Antoniam arcem ducebat, cub. $8\frac{1}{2}$. Occidentalium maximam, quà ingressus dabatur in Porticum regiam, latam fuisse 30 c. magnam, quà per pontem in Xystum ibatur, latam 22. c. duas minimas, quæ εἰς προάςειον ducebant, singulas latas 9 c.

In Septo interiore novem fuere portæ, quatuor à Meridie, totidem à Septentrione, singulæ latæ 29 c. altæ 30 c.

Porta Orientalis, quà in atrium Israelis ingressus dabatur inter utrumque feminarum Atrium, lata 39 cub. alta 50 cub.

De porta Vestibuli & Templi ipsius strictè dicti, jam suprà dictum est.

Templi columnæ, earum numerus & dimensio, atque columnationis ratio.

	In Septo exteriore.				In Septo interiore.	
In Porticu	Meridionali	162 col.	In Atrio		Feminarum	46 col.
	Septentrionali	121		Virorũ	Septentr.	24 col.
	Orientali	87			Meridion.	24 col.
	Occidentali	87			*Summa*	94 col.
	Summa	457.				
	In omnibus Templi universi Portis					49 col.
						457 col.

Itaque in universo Templo fuerunt columnæ 600.

Harum omnium diameter fuit quatuor cubitorum, ambitus seu circumferentia 12 cub. sive (ut Josephus ait) quantum tres homines ulnis conjunctis capere possent. Sed harum magna pars videtur parietibus Poticuum & Atriorum infixa, atque hòc dimidiatæ tantùm fuerunt, dimidia nempe crassitudinis columnæ pars extra murum prominebat.

Intercolumnia in Porticu Orientali & Occidentali Septi exterioris fuère novem cubitorum, quæ columnationis ratio *Eustylos* Vitruvio dicitur, eáque illi maximè probatur. In Meridionali verò & Septentrionali porticu intercolumnia fuere cubitorum $8\frac{1}{2}$, quæ columnationis ratio media est inter Eustylon & Systylon.

In Atrio feminarum Septi interioris intercolumnia fuere cubitorum $9\frac{1}{2}$: quæ columnationis ratio paulò major est Eustyli ratione, nempe eam superat vigesimâ parte diametri columnæ, sive quintâ cubiti parte. In utroque Virorum Atrio intercolumnia fuere cubitorum $10\frac{1}{2}$: quæ columnationis ratio media est Eustylon & Diastylon; nam in Eustylo intercolumnium est 9 c. in Diastylo est 12 cubitorum.

Porrò in Porticibus Orientali, Occidentali & Septentrionali Septi exterioris fuerunt binæ in singulis deambulationes, latæ singulæ 14. c. In Orientali verò tres fuere deambulationes, quarum media lata fuit 25 c. reliquæ duæ ab utroque illius latere, latæ singulæ 14 c. liberi spatii ad deambulandum demptis columnarum & stylobatarum crassitudinibus.

In utroque Virorum Atrio Septi interioris una tantùm fuit deambulatio lata in singulis cubitos $22\frac{1}{2}$. In Atrio feminarum binæ fuerunt deambulationes (triplex enim fuit in eo columnarum ordo) singulæ latæ 14 c. liberi ad deambulandum spatii demptis stylobatis, quibus quinque in singula latera tribuendi sunt cubiti, projiciuntur enim extra columnas omni ex parte dimid. cub.

Longitudinis & latitudinis Templi per partes dimensio.

Longitudo ab Oriente in Occidentem.

Muri Septi exterioris, sive Atrii gentium, crassitudo non definitur à Josepho: nos eam conjicimus fuisse omni ex parte 8 cub.

Porticus Orientalis lata 40 c.

Spatium hyp. illi proximum 65 c.

Muri Orientalis Septi interiois crassitudo 6 cub.

Exedræ illi proximæ latæ 20 c.
Murus earum interior crassus 5 c.
Atrium feminarum latum 40 c.
Lorica lapidea illud ab Atrio Sacerdotum dividens lata cubitum unum.
Atrium Templi Sacerdotum longum secundùm Judæos Talmudistas 187 c.
Muri Occidentalis Septi interioris crassitudo 6 c.
Exedræ juxta ipsum latæ 20 c.
Murus earum exterior crassus 5 c.
Spatium hypæthrum inter eas & Porticum Occid. Septi exterioris, latum 65 c.
Porticus Occid. Sept. ext. lata 40 c.
Murus Septi exterioris crassus 8 c.
Summa 516. cub.

Latitudo à Meridie ad Septentrionem.

Murus Septi exterioris crassus 8 c.
Porticus regia, sive Salomonis, lata 70 c.
Spatium hypæthrum illi prox. latum 65 c.
Murus Septi interioris crassus 6. c.
Exedræ illi junctæ latæ 20 c.
Murus earum interior crassus 5 c.
Atrium Virorum Meridionale latum 30 c.
Lorica Meridionalis lata cub. $1\frac{1}{2}$.
Atrium Templi, sive Sacerdotum, latum secundùm Judæos Talmudistas 135 c.
Lorica Septentrionalis lata cub. $1\frac{1}{2}$.
Atrium Virorum Septent. latum 30 c.
Exedræ illi junctæ latæ cum muro suo interiore 25 c.
Murus Septentrionalis Septi interioris crassus 6 c.
Spatium hyp. illi proximum latum 65 c.
Porticus Septentr. Septi ext. lata 40 c.
Murus Septi exterioris crassus 8 c.
Summa 516 cub. quorum 16 cubiti dantur crassitudini utrinque muri Septi exterioris, reliqui 500 cubiti longitudini Porticuum, qualem eam definiunt tum Talmudistæ, tum ipse Josephus, qui facit Porticus longas stadium unum (scil. Hebr.) h. e. 400 c. (putà Hebraicos) qui faciunt Romanos cub. 500.

Templi propriè & strictè sic dicti longitudo & latitudo per partes dimensa, secundùm Josephum.

Longitudo ab Oriente in Occidentem.

Murus Vestibuli crassus 8 c.
Vestibulum latum 20 c.
Murus Templi vestibulum à loco Sancto dividens crassus 6 cub.
Locus sanctus longus 40 c.
Sanctum sanctorum longum 20 c.
Murus Templi Occident. crassus 6 c.
Summa 100 cub.

Latitudo à Merid. in Septentrionalem.

A parte anteriore in facie Vestibuli æquale fuit longitudini Vestibuli quæ fuit extrinsec. 100 c.
A parte posteriore latum fuit 60 c. extrinsecùs, hoc modo.
Cellarum murus Meridionalis crassus 4 c.
Cellæ Meridionales latæ 10 c.
Murus Templi Meridionalis crassus 6 c.
Locus sanctus latus 20 c.
Murus Templi Septentrionalis crassus 6 c.
Cellæ Septentrionales latæ 10 c.
Earum murus Septentrionalis crassus 4 c.
Summa 60 cub.

Totius Templi capacitas.

Totum Templum cùm in quadrum longum & latum ab omni parte fuerit 500 cub. area ejus pura cepit 250 M. cub. quadratos, sed magna ejus pars occupata fuit à colum. stylobatis, Septi utriusque muris & Exedris, atque ipso Templo strictè sic dicto.

Quatuor Porticuum Septi exterioris area cepit 86200 cub. à quibus si demas spatia à 457 colum. stylobatis occupata (quorum singulis damus 250. nempe unicuique stylobatæ quinque cub. in quadrum) restant 74775 cub. Tantundem cepit Porticuum illarum tectum planum, in quo homines adoraturi potuerunt stare. Nam Porticibus Josephus non attribuit secundum tabulatum. Jam singuli cub. quadrati singulis hominibus non stantibus modò sed & genu flectentibus abunde sufficere possunt. Itaque in porticibus Septi exterioris, earúmque tecto seu tabulato stare potuerunt 149550 homines. Spatium hypæthrum totum inter Porticus & Septum interius habuit 90400 cub. quadrat. proindéque totidem potuit capere homines.

Atria virorum duo longa singula 187 cub. lata 30, habuerunt sing. 5610 cub. ambo simul 11220 cub. Eorum tectum tantundem. Summa est 12440 cub. proindéque totidem homines capere potuerunt.

Sex Exedræ illis junctæ in ipsis Portis singulæ longæ latæ 30 cub. faciunt in universum 5400 cub. qui superioribus sunt addendi; sic fiunt in universum 27840 cub. Earum tecta non computamus, quia Portæ turris in modum assurgebant.

Atrium feminarum utrumque, deductus columnarum stylobatis, cepit 5850 cub. proindéque totidem feminas. Atrii illius tectum totidem. Potuit ergò capere totum Atrium 11700 fem. Exedræ duæ in Portis Atrii illius positæ, 1800 cub. Itaque in toto Atrio capere potuerunt 13500 feminas.

Atrium Israelis longum 70 cub. latum 40, capere potuit 2700 homines, ejúsque tabulatum, seu tectum totidem; sunt in universum 5400. Itaque si omnes in unum colligantur quæ potuerunt in Templo capere homines è plebe, præter Sacerdotes & Levitas qui atrium Sacerdotum occupabant, invenientur 186690, h. e. paulò plures quàm ipsa area tota Templi pura capere potuisset. Atrium Sacerdotum longum 187 cub. latum 135 cub. habuit cub. quadratos 25241. à quibus si demas 11581 cub. quot nempe Templi, Aræ, & Gazophylaciorum areæ occuparunt, restant 13664 cub. quadrati, in quibus totidem capere potuerunt Sacerdotes & Levitæ.

PRO-

PROLOGUS
LIBRO S. PAULI APOSTOLI
in XIV Epistolas ordinato præfixus,

Quo Historia S. Pauli, & Epistolarum argumenta comprehenduntur.

Ex antiquissimo MS.

JO. HENR. BOECLERUS
Benevolo Lectori S. P.

SUNT penès me antiquissimæ membranæ, quas olim Reverendus Theologus Stephanus Gerlachius, cùm in comitatu Generosissimi Baronis Ungnadii, Cæsarei ad portam Ottomanicam Legati, ageret, ibidem à Græcis emptas in Germaniam intulit; à cujus filio, ad clarissimæ memoriæ virum, Berneggerum *Nostrum*, eóque in cœlestem translato beatitudinem, ad me insigni heredum munere, pervenerunt. Continent Acta Apostolica, ΛΟΥΚΑ͂ ΕΥΑΓΓΕΛΙΣΤΟΥ͂ ΠΡΑ΄ΞΕΙΣ ἈΠΟΣΤΌΛΩΝ. Hæc excipit Epistola Jacobi, Petri utraque, Johannis tres, & Epistola Judæ. Postea succedunt Epistolæ Paulinæ, more veteris Ecclesiæ Græcæ in unum XIV Epistolarum numero definitum collectæ librum, ac memorabili Prologo, quem hîc exhibemus, præfixæ: è quo multa præclaræ observationis petent qui curam & eruditionem talibus monumentis exercitam attulerint. Particulam prologi hujus, quam transversis in margine circa initium & finem lineis designavimus, Robertus Stephanus Actis Apostolicis præmisit, sub titulo, εὐθαλίου διακόνου περὶ τῶν χρόνων τοῦ κηρύγματος τοῦ ἁγίου Παύλου, καὶ περὶ τῆς διὰ μαρτυρίου αὐτοῦ τελειώσεως· cujus diversas lectiones annotavimus. Et ante *Stephanum Erasmus* in ἀποδημία Παύλου τοῦ ἀποστόλου, eandem particulam, absque nomine auctoris, aut separatione à præcedentibus attexuerat. Idem, quidsignationem martyrii Paulini, itidem hîc ex MS. nostro appositam, usque ad illam specialem temporis notam quæ hoc signo marginali (¶) demonstrata à nobis est eximiæ considerationis ergò, subjunxit. Quæ seorsim indè moneri aut disquiri possunt, non est hujus loci verbosiùs persequi: sufficit nunc indicasse notitiam *Manuscripti*: quod, nisi extremâ parte mutilatum esset, inæstimabile haberi mereretur; adeò omnia summæ antiquitatis argumenta conspirant: character, scripturæ ratio, lectio, membrana, subnotatio. Etiam multorum & doctissimorum Græcorum manibus olim tritum esse librum, fidem faciunt diversâ manu & tempore adjectæ in margine notæ: inter quas *duæ* valde sunt memorabiles *una* ad illum locum *Epistolæ ad Romanos*, quo benefaciendo malefacientibus ἄνθρακας πυρὸς σωρεύεσθαι ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἐχθροῦ dicuntur: *altera* ad locum 1 Corinth. 7. 5. ubi verba διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν explicantur. Prior illa glossa hoc indice prænotata est, literis in extremo margine rectâ deorsum serie descendentibus, Λέοντος βασιλέως τὸ σπουδολόγημα ἐν Χριστῷ τῷ αἰωνίῳ βασιλεῖ. Altera nota hoc titulo præscripta est, Λέοντος ἐν Χριστῷ βασιλέως ἡ φιλολογία. Sed de his, hac vice satis. Tu boni consule, Lector benevole, quæ apposuimus, & vale.

ΠΡΟΛΟΓΟΣ ΠΑΥΛΟΥ ἈΠΟΣΤΟΛΟΥ ΠΡΟΤΑΣΣΟΜΕΝΟΣ ΤΗΣ ΒΙΒΛΟΥ.

ΤΟ φιλομαθὲς καὶ σπουδαῖον ἀγάμενος τῆς σῆς ἀγάπης, Πάτερ τιμιώτατε, αἰδοῖ τε καὶ πειθοῖ εἴξας, στενωπῷ τινι καὶ παρεισδύσει τῆς ἱστορίας, ἐμαυτὸν ἐπαφῆκα. τόνδε πρόλογον τῆς Παύλου ἱστορίας συγγράψαι καὶ πολὺ μεῖζον ἢ καθ᾽ ἡμᾶς ἔργον ἀνεδεξάμην, δέει τῆς παρακοῆς· ἔγνων γὰρ ἐν παροιμίαις τὸ λελεγμένον, ὅτι δὴ Υἱὸς ἀνήκοος ἐν ἀπωλείᾳ ἔσται, ὁ δὲ ὑπήκοος ἔσται ταύτης ἐκτός. ἀλλ᾽ ἄγε δὴ τὰς εὐχάς μοι τὰς σὰς ἐπίδος, καὶ πηδαλίου τρόπον περιώσας, τῇδε κἀκεῖσε ἔκτεινον πρὸς τὸν Θεόν· καθάπερ τότε Μωυσῆς ὁ μέγας ἐκεῖνος τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας ἐξεπέτασεν, ἐπαμύνων ποτὲ τῷ Ἰσραὴλ ἐν τῇ παρεμβολῇ· ἵνα δὴ κἀγὼ τὰς τῶν ἀερίων πνευμάτων ἐπαναστάσεις ἀλεείνω, καὶ καθετὸν λέγων τὸ σκάφος σοι τοῦ λόγου εἰς εὔδιον καθορμίσω τὸν λιμένα. ἀρχόμενος τοίνυν τῆς λέξεως ὧδέ πως ἀληθείας ὡς ἔχει διηγήσομαι. Παῦλος ὁ ἀπόστολος Ἑβραῖος μὲν ἦν τὸ γένος, ἐκ φυλῆς Βενιαμίν· Φαρισαῖος δὲ τὴν αἵρεσιν· ὑπὸ διδασκάλῳ δὲ πιστῷ Γαμαλιὴλ τὸν Μωσέως νόμον ἐκπεπαιδευμένος· πρὸς δὲ τούτοις τὸν τῆς Κιλικίας οἰκῶν ὀφθαλμὸν τὴν Ταρσόν, διώκων δὲ καὶ πορθούμενος τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ. διὸ δὴ καὶ συμπαρῆν τῇ ἀναιρέσει Στεφάνου τοῦ Ἀποστόλου καὶ μάρτυρος, κοινωνός τε ἦν τότε τοῦ φόνου, τὰ πάντων ἱμάτια τῶν λιθοβολούντων αὐτὸν φυλάττειν καταδεξάμενος, ἵνα τὰς πάντων χεῖρας χρήσηται πρὸς τὸν φόνον. καὶ πρῶτος δὲ μετὰ τῶν στασιαζόντων ἑωρᾶτο πανταχῆ, σπουδάζων καθαιρεῖν τοὺς τῆς εὐσεβείας λογάδας. πολλά τε ἦν καὶ μεγάλα τὰ παρ᾽ αὐτοῦ κατὰ τῆς ἐκκλησίας γινόμενα, καὶ οὐδὲν εἰς ὑπερβολὴν μανίας ἐνέλειπεν· ἐν τούτῳ γὰρ εὐσεβεῖν καὶ τὰ μέγιστα κατορθοῦν ἐνόμιζεν· καθὼς αὐτός τε ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ὁμολογεῖ, καὶ Λουκᾶς ἱστορεῖ ἐν τῇ βίβλῳ αὐτοῦ τῇ δευτέρᾳ· οὐ μόνον γὰρ οὗτος πάλαι κατὰ τοὺς πολλοὺς τῶν Ἰουδαίων ἐμίσει τε καὶ ἀπεστρέφετο τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα, ἀλλ᾽ ἤδη καὶ μείζονα παντὸς τοῦ ἔθνους τὴν ὀργὴν ἐποιεῖτο· ὡς γὰρ εἶδεν τὸ κήρυγμα διαλάμψαν, καὶ τὸν τῆς ἀληθείας εὐθαλῆ λόγον ἐπικρατέστερον τῆς Ἰουδαϊκῆς διδασκαλίας γενόμενον, παθὼν πρὸς τοῦτο, καὶ νομίσας ἀδικεῖσθαι τὰ μέγιστα, τῆς διδασκαλίας ἀνατρεπομένης, πᾶσαν προθυμίαν καὶ σπουδὴν κατὰ τῶν τῆς ἐκκλησίας θρεμμάτων ἐποιεῖτο· ὅπως ἂν αὐτοὺς ἢ τῆς ἀληθοῦς διδασκαλίας ἀποστήσειεν, ἢ δίκην ἀξίαν τῆς εἰς τὸν Χριστὸν πίστεως εἰσπράξειεν. Κομισάμενος δὲ ὁ Παῦλος παρὰ τῶν ἱερέων καὶ διδασκάλων ἐπιστολὰς κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ, πρὸς τοὺς ἐν Δαμασκῷ Ἰουδαίους ὥρμησεν, μορμύρων ὥσπερ τις χείμαρρος λάβρος, περικλύσειν δοκῶν τοὺς ἐν Δαμασκῷ μαθητάς, καὶ εἰς τὸ τῆς ἀπωλείας αὐτοῦ βάραθρον ἐκπέμψειν. γνοὺς δὲ ὁ κύριος, ὅτι ἄδικον μανίαν ἐν δικαίᾳ δῆθεν προαιρέσει ἐκέκτητο, ἐν μέσῃ τῇ ὁδῷ ἐπιφανεὶς ἀποστέρησε μὲν αὐτὸν τῆς ὄψεως τῷ μεγέθει τοῦ φωτός, καὶ εἰς τοσοῦτον δὲ μέτεισιν, ὥστε τὸν πάλαι οὐδὲν ὅ, τι τῶν δεινῶν κατὰ τῆς ἐκκλησίας οὐκ ἐπινοοῦντα, καὶ πάντας τοὺς μαθητὰς ἀπολέσειν ἄρδην προσδοκῶντα, αὐτίκα δὴ τοῦτον καὶ παραχρῆμα ἀγαπητὸν ἑαυτοῦ καὶ πιστότατον ἡγήσασθαι. ἱκέτης γὰρ εὐθὺς τοῦ Ἰησοῦ ὁ πολέμιος γίγνεται, καὶ παραυτίκα τὸ σύνταγμα τῆς μανίας ἀπορρίψάμενος εἰς πρεσβείαν ἐχώρει, καὶ τὴν εἰς Χριστὸν εὐσέβειαν ὁμολογεῖ, καὶ πέμπεται πρὸς Ἀνανίαν τινὰ μαθητὴν ἐν Δαμασκῷ. ἰδὼν δὲ ὁ τῆς ἀληθείας ἐξεταστὴς θεὸς σωφρονισθέντα τὸν ἄνδρα, καὶ βελτίω ἐκ τῶν κακῶν γεγονότα, οὐχ ἑτέρως αὐτὸν ἢ οὕτως ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς τιμωρίας ὁ κύριος ἔφη. βαπτίζεται γοῦν ἀπελθὼν καὶ τῶν ἀπορρήτων μυστηρίων γίγνεται κοινωνὸς καὶ ὑπερασπιστὴς καὶ σύμμαχος ἀξιόχρεως τοῦ κηρύγματος. καὶ καινὸν κήρυγμα ἐμπιστευθεὶς παρὰ τοῦ θεοῦ, καινοτέραν ἔσχε τῆς σωτηρίας τὴν ἀφορμήν. Τοσαύτην οὖν μεταβολὴν ὁ μακάριος Παῦλος ἐσχηκώς, ἔτι δὲ καὶ τοὔνομα μεταβαλών, καὶ οὕτως εἰς ἄκρον εὐσεβείας ζῆλον μετατεθείς, ὥστε τοὺς τῆς εὐσεβείας μαθητάς, εἴποτε συνέβη αὐτὸν ἀπολειφθῆναι, διὰ γραμμάτων ἐβεβαίου, ἵνα μὴ μόνον τὴν ἐκ τῶν λόγων εἰς τὸ μετέπειτα κτήσονται διδασκαλίαν, καὶ ἀμφοτέρωθεν ὀχυρωθέντες ἄσειστον τῆς εὐσεβείας ἔρυμα ἐν τῇ ψυχῇ περιφέροιεν. μετὰ δὲ χρόνον τινὰ εἰς Ἱερουσαλὴμ πάλιν ὁ Παῦλος ἐκτρέχει, ὀψόμενος τὸν Πέτρον, ἔνθα δὴ καὶ διαιροῦνται πρὸς ἀλλήλους ἅπασαν τὴν οἰκουμένην καὶ τὴν τῶν ἐθνῶν μερίδα Παῦλος λαβών, ὡς δὴ τοῦ Πέτρου τὸ Ἰουδαϊκὸν διδάσκειν λαχόντος, πολλὰς μὲν πόλεις, πολλὰς δὲ χώρας περινοστήσεν, μικροῦ δὲ τὸ Ἰλλυρικὸν ἅπαν τῶν τῆς εἰς Χριστὸν εὐσεβείας δογμάτων ἐνέπλησεν· μυρία γοῦν πάνδεινα παθὼν καὶ ὑποστὰς ὑπὲρ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, πλὰς δὲ πολλοὺς καὶ διαφόρους κινδύνους, ὅσους αὐτὸς ἀναγράφεται, ὑπὲρ τοῦ εὐαγγελίου, καὶ τοὺς ἄθλους αὐτοὺς νικήσας καὶ ἐξαγωνισάμενος τῇ πίστει· εἰς ἔτι γὰρ τότε ἤθελεν Παῦλον ὁ θεός, καὶ ἡ προμήθεια αὐτοῦ τοῦτον κατεῖχε μετὰ ἀνθρώπων διάγειν, εἰς ὅτε τὸ εὐαγγέλιον ἅπασι τοῖς ἔθνεσι κηρύξει· ὀψὲ δέ που τῆς ὥρας αὖθις ὁ Παῦλος ἐπάνεισιν εἰς Ἱεροσόλυμα τοὺς ἐκεῖσε ἁγίους ἐπισκεψόμενος, καὶ τοῖς πτωχοῖς ἐπικουρήσων. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ στάσις κατειλήφει τις τὴν πόλιν, καὶ ὁ δῆμος ἦν ἐν θορύβῳ πολλῷ Ἰουδαίων παραττόντων τὸ κοινόν. δεινὸν γὰρ καὶ βαρὺ ἡγήσαντο κατήγορον ἔχειν τὸν πάλαι προστάτην καὶ κοινωνὸν αὐτῶν τῆς μανίας, καὶ κτείνειν αὐτὸν ἐπεσπεύδον. ἀλλ᾽ εὐθὺς ὁ χιλίαρχος Λυσίας τοῦτον ἐξαιρεῖται, καὶ μετὰ στρατιωτικῆς βοηθείας εἰς τὴν Καισάρειαν, εἰς τὸν ἡγεμόνα, ἐκπέμπει. συνελάμβανον οὖν αὐτὸν καὶ πρὸς τὸν ἐθνάρχην ἦγον· Φῆλιξ ἦν ὄνομα αὐτῷ. αἰσθόμενος δὲ συσκευήν τινα κατ᾽ αὐτοῦ γιγνομένην ὑπὸ Ἰουδαίων ὁ Παῦλος, εὐθὺς ἐπὶ τοῦ βήματος ἐπιβοᾶται τὸν Καίσαρα· καὶ ἀνεῖται μὲν τέως τοῦ δικαστηρίου, ἀργεῖ δὲ ἡ κατ᾽ αὐτοῦ τοῖς Ἰουδαίοις μελετωμένη ἐπιβουλή· καὶ λοιπὸν εἰς τὴν Ῥώμην ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἐκπέμπεται πρὸς Καίσαρα, κἀκεῖσε τοὺς αὐτοὺς ἀγῶνας ἐπιδεξάμενος, καὶ ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἄθλων πονέσαι, τέλος καὶ αὐτῆς τῆς ζωῆς ὑπὲρ τῶν τῆς ἀληθείας δογμάτων ἐξέστη, βελτίονα εἶναι κρίνων τὴν μετὰ Χριστοῦ διαγωγήν, τῆς θνητῆς ταύτης καὶ ἐπικήρου ζωῆς. μακρὸν γὰρ ὕστερον Καῖσαρ ὁ Νέρων βουληθεὶς αὐτὸν τῆς ζωῆς ταύτης ἐξαγαγεῖν, τὴν ἀληθινὴν αὐτῷ καὶ ὄντως ζωὴν ἐχαρίζετο, καὶ καθιστᾷ οὐρανῶν κληρονόμον, ὃν τῆς γῆς ἀπεστέρει. αὐτόθι οὖν ὁ μακάριος Παῦλος τὸν καλὸν ἀγῶνα ἠγωνισμένος, ὥς φησιν αὐτός, τῷ τῶν ἱερονίκων Χριστοῦ μαρτύρων στεφάνῳ κατεκοσμήθη. Ῥωμαῖοι δὲ περικαλλέσιν οἴκοις καὶ βασιλείοις τούτου τὰ λείψανα καθείρξαντες ἐπέτειον αὐτῷ μνήμης ἡμέραν πανηγυρίζουσι, τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν Ἰουλίων. πέμπτῃ πανέμου * μηνὸς ἔκτῳ τῶν νόμων μηνὶ τούτου τὸ μαρτύριον ἑορτάζοντες.

Πολλὰς δὲ καὶ πρὸ τοῦ ἤδη παραινέσεις ὑπέρ τε βίου καὶ ἀρετῆς ὁ μακάριος ἐποιήσατο, καὶ πολλὰ περὶ τῶν πρακτέων τοῖς ἀνθρώποις εἰσηγήσατο Παῦλος ὁ ἀπόστολος· ἔτι δὲ καὶ ὅλως διὰ τῆς ὑφῆς τῶν δεκατεσσάρων ἐπιστολῶν τούτων τὴν ὅλην ἀνθρώποις διέγραψε πολιτείαν.

α΄. Περιέχει γοῦν ἡ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολὴ κατήχησιν εἰς Χριστόν, καὶ μάλιστα διὰ τῆς ἐκ φυσικῶν λογισμῶν ἐπιδείξεως· διὸ καὶ πρώτη τέτακται οἷα δὴ πρὸς ἀρχὴν ἔχοντας εἰς θεοσέβειαν γραφεῖσα.

β΄. Δευτέρα ταύτης ἡ πρὸς Κορινθίους ἐστίν, ἀνθρώπους πιστεύσαντας μὲν ἤδη, τῆς δὲ πίστεως ἀναστρέφοντας οὐκ ἀξίως· ἐφ᾽ ᾧ καὶ μάλιστα τούτοις ἐπιμέμφεται.

γ΄. Καὶ πρὸς τὴν ἐπίπληξιν μεταβαλλομένοις, αὖθις ἑτέραν ἐπιστέλλει τοῦτ᾽ αὐτὸ σημαίνουσαν, δι᾽ ἧς ἐπιστηρίζει πρὸς ἐπανόρθωσιν, τὴν ἰδίαν αὐτοῦ παρουσίαν ἐπαγγελλόμενος αὐτοῖς καὶ ἀπειλῶν.

δ΄. Ἐπὶ ταύτῃ ἡ πρὸς Γαλάτας τετάρτη τέτακται κατὰ τῶν εἰς Ἰουδαϊσμὸν ἀποκλινάντων γραφεῖσα· οἷς μετὰ ἀπόδειξιν ὥσπερ ἀποτάσσεται λέγων, Τοῦ λοιποῦ κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω, ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω.

ε΄. Πέμπτη δὲ ἡ πρὸς Ἐφεσίους κεῖται, πιστοὺς ἀνθρώπους καὶ παραμένοντας· ἧς ἐν τῇ προγραφῇ τὸ μυστήριον ἐκτίθεται, παραπλησίως τῆς πρὸς Ῥωμαίους, ἀμφοτέροις δὲ ἐξ ἀκοῆς γνώριμος. καί εἰσιν αὗται πρὸς ἀντιδιαστολὴν ἀρχαὶ κατηχουμένων, καὶ πιστῶν εἰσαγωγαί.

ς΄. Ἕκτη δὲ τέτακται ἡ πρὸς Φιλιππησίους, κατὰ προσαύξησιν πιστοῖς ὁμοῦ καὶ καρποφόροις, οἷς καὶ μαρτυρῶν τὰ κάλλιστα παρ᾽ ὧν ἐγνωκέναι, προτρέπεται καὶ ἀπόντος μάλιστα προσθεῖναι. ἀντιδιαστέλλεται δὲ ἡ ἐπιστολὴ αὕτη τοῖς Κορινθίοις. τοῖς μὲν γὰρ ἔλεγεν, Μιμηταί μου γίνεσθε· τοῖς δὲ Φιλιππησίοις, Συμμιμηταί μου γίνεσθε. ἀλλὰ καὶ στέφανον αὐτοῦ, καὶ χαρὰν αὐτοὺς ὀνομάζει, τοσοῦτον οὗτοι διαλάμπουσι Κορινθίων.

ζ΄. Ἑξῆς δέ ἐστιν ἡ πρὸς Κολοσσαεῖς γραφεῖσα, πρὸς οὐκ ἐγνωσμένους κατὰ σάρκα, πιστοὺς δὲ καὶ βεβαίους· οὓς καὶ προκόπτοντας παρατηρεῖν κελεύει τὰς ἐκ φιλοσοφίας ἀπάτας, καὶ ταῖς Ἰουδαϊκαῖς παρατηρήσεσιν μὴ προσέχειν· εἶναι γὰρ οὐ καθαρὰν θρησκείαν, ἀλλ᾽ ἀφειδίαν τοῦ σώματος, ὡς καὶ τὰς δυνάμεις τῶν ἐπιστολῶν κρίνειν κελεύει. γράφει δὲ καὶ Ἀρχίππῳ παραγγεῖλαι τούτων αὐτοῖς τὴν προσοχήν.

η΄. Μετὰ δὲ τὰς εἰρημένας, αἱ πρὸς Θεσσαλονικεῖς εἰκότως ὑπεγράφησαν ἐπιστολαὶ δύο. ὧν ἡ μὲν ἔπαινον περιέχει αὐτῶν εὐσεβείας ἐκ προσαυξήσεως ἄχρι καὶ θλίψεως πεῖραν ἐσχηκότων· οὓς καὶ παραβάλλει τοῖς ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ πεπιστευκόσι, τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν πεπονθέναι λέγων, Καθάπερ κἀκείνους. τούτους δὲ καὶ στέφανον τῆς ἑαυτοῦ καυχήσεως καὶ χαρὰν ὀνομάζει, καὶ μάλιστα ἐπὶ τοῖς πάθεσι παρακαλεῖ.

θ΄. Καὶ μετὰ ταύτην ἑτέραν πρὸς αὐτοὺς γράφει, ἣ περιέχει τῆς τούτων προσαυξήσεως μαρτυρίαν, καὶ τῆς ὑπομονῆς ἧς ἔχουσι περὶ τὰς θλίψεις, καὶ περὶ τῆς συντελείας τοῦδε τοῦ αἰῶνος διδασκαλίαν καὶ περὶ προσοχῆς εἰς ἀναστροφήν.

ι΄. Ἦτε πρὸς Ἑβραίους μετὰ ταύτας, ὧν ἔφησεν εἶναι μιμητὰς τοὺς προειρημένους· ἣ περιέχει περί τε Ἰουδαϊκῶν μυστηρίων καὶ τὴν ἐκ τούτων μετάθεσιν εἰς Χριστὸν προκατηγγελμένην ὑπὸ τῶν προφητῶν. ἔνθα περικλείουσιν τὴν κατὰ τὸν λαὸν ἰδιωτικὴν αὔξησιν αἱ ἐπιστολαί.

ια΄. Μετὰ γὰρ ταύτας αἱ πρὸς Τιμόθεον ἐτάχθησαν ἐπιστολαὶ δύο· ὧν ἡ μὲν πρώτη περιέχει διδασκάλων προσοχήν, καὶ ἐκκλησίας τάξιν, καὶ ὃν χρὴ τρόπον ἄρχειν τε καὶ διατάσσεσθαι.

ιβ΄. Καὶ ἡ δευτέρα δὲ ἡ πρὸς τὸν αὐτὸν γραφεῖσα, περιέχει κατὰ προσαύξησιν, ἔπαινον τῆς ἐν αὐτῷ πίστεως προγονικῆς, ὥσπερ

ἐκ μάμμης καὶ μητρὸς εἰς αὐτὸν ἐλθούσης. ἐν ταυτῷ δὲ ἑξῆς καὶ τῶν συνόντων αὐτῷ ἐν Ἀσίᾳ κατηγορεῖ, διακρίνων ὥσπερ τοὺς ὀλιγοπίστους μόνῳ τε Ὀνησιφόρῳ σπουδὴν πλείστην μαρτυρεῖ. αὐτόν τε Τιμόθεον προτρέπεται τῶν βιωτικῶν πραγμάτων ἑαυτὸν ἀπαλλοτριοῦν, καὶ ὑπομιμνήσκει καὶ διαμαρτύρεται τοῦ κηρύγματος χάριν. προεκπνεύσας δὲ τὰ δέοντα, ὕστερον καὶ περὶ τῆ καθ' ἑαυτὸν διεξόδου τέλους ἐπιστέλλει, προειπὼν περὶ τῆς τῶν αἱρεσιωτῶν ἐπαναστάσεως, καὶ ὡς οὐ δεῖ ξενίζεσθαι. πολλῶν δὲ τὸν τρόπον ἐκθέμενος, πρὸς αὐτὸν ἥκειν κελεύει τάχα δ' ἂν δύναιτο τοῦτο, καὶ πρὸς τὸ τέλος ὁρᾶν τῆς αὐτοῦ συμπληρώσεως ὅπερ ἔδειξεν εἰπών, Σπένδομαι ἤδη, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἀναλύσεώς μου ἐφέστηκεν.

ιγ΄. Ἡ δὲ πρὸς Τίτον ὁποίους τινὰς εἶναι κληρικοὺς διαγράφει, καὶ διάταξιν ἐκκλησίας.

ιδ΄. Ἡ δὲ πρὸς Φιλήμονα ἐπιστολὴ γέγραπται περὶ τινὸς οἰκέτου Ὀνησίμου, ὃς τὸ πρῶτον ἀχρεῖος ὤν, μεταβαλόμενός τε ἐλευθερίας ἀξιοῦται πρεσβεύσαντος τοῦ ἀποστόλου ἀλλὰ δὴ καὶ μάρτυς Χριστοῦ γεγένηται ἐν τῇ Ῥωμαίων πόλει, ἐπὶ Τερτύλλου τοῦ τηνικαῦτα τὴν ἔπαρχον ἐξουσίαν διέποντος, τῇ τῶν σκελῶν κλάσει τὴν ψῆφον ὑπομείνας τοῦ μαρτυρίου.

Οὕτως ἤδη πᾶσα βίβλος περιέχει παντοῖον εἶδος πολιτειῶν κατὰ προσαύξησιν. καὶ τὰ μὲν κατ' ἐπιτομὴν παρ' ἡμῶν εἰρήσθω περὶ αὐτῶν ἐπὶ τοσοῦτον· καθ' ἑκάστην δὲ συντόμως ἐπιστολὴν ἐν τοῖς ἑξῆς προτάξομεν τὴν τῶν κεφαλαίων ἔκθεσιν, ἑνὶ τῶν σοφωτάτων τινὶ καὶ φιλοχρίστων πατέρων ἡμῶν πεπονημένην· οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ τὴν τῶν ἀναγνώσεων ἀκριβεστάτην τομήν, τήν τε τῶν θείων μαρτυριῶν εὐαπόδεκτον εὕρεσιν ἡμεῖς τεχνολογήσαντες ἀνεκεφαλαιωσάμεθα, ἐπιπορευόμενοι τῇ τῆς ὑφῆς ἀναγνώσει. ἐκθησόμεθα δ' ἐν ταύτῃ εὐθὺς, μετὰ τόνδε τὸν πρόλογον.

— Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην ἐν βραχεῖ καὶ τὸν χρόνον ἐπισημειώσασθαι τοῦ Παύλου κηρύγματος [κηρ. Παυλ.] ἐκ τῶν χρονικῶν κανόνων Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου τὴν ἀνακεφαλαίωσιν ποιούμενος. ἔνθα δὴ [οὗ δὴ] τὴν βίβλον μετὰ χεῖρας εἰληφὼς, καὶ ταύτην ἀναπτύξας, εὑρίσκω τὸ πάθος τοῦ σωτῆρος ἡμῶν [καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ] ἐν ὀκτωκαιδεκάτῳ ἔτει Τιβερίου Καίσαρος γεγενημένον, καὶ τὴν τριήμερον δὲ εὐθὺς ἀνάστασιν, καὶ πάλιν τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ Χριστοῦ. καὶ μεθ' ἡμέρας τινὰς ὀλίγας εἶδον ἐκεῖ τοὺς ἀποστόλους προχειριζομένους εἰς διακονίαν τὸν αὐτῷ φερώνυμον [αὐτοφερώνυμον] Στέφανον, καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτόν· καὶ μετέπειτα στάσιν Ἰουδαίων πλείστην καταλαμβάνω, καθὼς ἤδη προεῖπομεν, [*tria hac verba omittit Steph.*] καὶ τὸν Στέφανον ἀγωνιζόμενον ἐκεῖσε, καὶ τὸν Παῦλον συνευδοκοῦντα πάνυ τῷ φόνῳ, ὃς μικρὸν ὕστερον τοῖς ἄρχουσι τῶν Ἰουδαίων παραστὰς, ἐπιστολὰς ἐκόμιζε τὰς πρὸς τοὺς ἐν Δαμασκῷ Ἰουδαίους κατὰ τῶν μαθητῶν. κατὰ μέσην δὲ τὴν ὁδὸν ἡ κλῆσις αὐτῷ γεγένηται παρὰ τοῦ θεοῦ, ὡς μικροῦ προσαναλωθῆναι τὸ ἔτος ἐκεῖνο. ἐπιλαβομένου δῆτα τοῦ ἐννεακαιδεκάτου ἔτους Τιβερίου Καίσαρος κατάρξασθαι τὸν Παῦλον τοῦ κηρύγματος φησὶν ἡ ἱστορία, καὶ τὴν ἅπασαν οἰκουμένην διαδραμεῖν εὐαγγελιζόμενον τὴν εἰς Χριστὸν εὐσέβειαν, μέχρι τρισκαιδεκάτου ἔτους Κλαυδίου Καίσαρος, ἡγεμονεύοντος τότε τῆς Ἰουδαίας Φήλικος· ἐφ' οὗ κατηγορηθεὶς ὑπὸ Ἰουδαίων τὴν ἀπολογίαν ἐποιήσατο ὁ Παῦλος· ὃς δὴ τὸν ἀπόστολον εἰς τὸ κατὰ Καισάρειαν δεσμωτήριον καθεῖρξεν ἐπὶ δυσὶν ἔτεσι· μεθ' ὃν διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν Πόρκιος Φῆστος, εὐθὺς ἀνακρίνειν τὸν ἀπόστολον ὥρμησεν, [ὁρμ. τὸν ἀπ.] καὶ τοῖς [τοῖς] Ἰουδαίοις μεγίστην ἐν τούτῳ χάριν καταθέμενος. τότε οὖν, τότε ὁ μακάριος [ὁ μακ.] νομίσας οὐκ ἄλλως ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς ἐπιβουλῆς ἢ Καίσαρα ἐπικαλεσάμενος, ἑστὼς ἐπὶ τοῦ βήματος ἐπεκαλεῖτο Καίσαρα· καὶ εἰς Ῥώμην ἐκπέμπεται πρὸς Νέρωνα τὸν Καίσαρα· συνῆν δὲ αὐτῷ καὶ Ἀρίσταρχος, ὃν καὶ εἰκότως συναιχμάλωτόν τε τῶν ἐπιστολῶν ἀποκαλεῖ, καὶ Λουκᾶς ὁ τὰς Πράξεις τῶν Ἀποστόλων γραφῇ παραδούς. κἀκεῖσε οὖν ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων [Ῥώμης] ὁ Παῦλος διετίαν ὅλην ἀνέτως ἐφυλάττετο. ταῦτα γὰρ καὶ μέχρι τούτων ἱστορεῖ Λουκᾶς ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἀποστόλων, κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τὸ βιβλίον συγγραψάμενος, καὶ τὰ καθεξῆς ἥκιστα τότε γινώσκων, οὐδὲ τὸ μαρτύριον τούτου [αὐτοῦ] ἐγκατέθετο τῇ βίβλῳ. καταλιπόντες γὰρ αὐτὸν ἐκεῖσε Λουκᾶς τε καὶ Ἀρίσταρχος ἐξῆλθον. Εὐσέβιος δὲ τοὺς μετέπειτα χρόνους ἀκριβῶς περιεργασάμενος ἱστόρησεν ἡμῖν καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ τόμῳ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας τούτου καὶ τὸ μαρτύριον· καί φησι τὸν Παῦλον ἄνετον διατρίψαι, καὶ τὸν τοῦ θεοῦ λόγον ἀκωλύτως κηρύξαι ἐπισημήνας· τότε [ἐπισημηνάμενος ὅτι τότε] μὲν οὖν ἐπὶ Νέρωνος ἀπολογησάμενον τὸν Παῦλον εὐθὺς [αὖθις] ἐπὶ τὴν τοῦ κηρύγματος διακονίαν λόγος ἔχει στείλασθαι, πρὸς [ὑπὸ] Καίσαρος ἀπολυθέντα καὶ εὐαγγελίσασθαι ἐφ' ἑτέροις

δέκα ἔτεσιν. εἰς ἄκρον δὲ μανίας ὁ Νέρων ἀφικόμενος ἀνεῖλεν μὲν Ἀγριππίναν πρῶτα τὴν ἰδίαν μητέρα, ἔτι δὲ καὶ τὴν ἀδελφὴν τοῦ πατρὸς, καὶ Ὀκταβίαν τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, καὶ ἄλλους μυρίους τῷ γένει προσήκοντας· μετέπειτα δὲ καθολικὸν ἐκίνησε διωγμὸν κατὰ τῶν Χριστιανῶν, καὶ ἕως ἐπὶ τὰς τῶν ἀποστόλων ἐπήρθη σφαγάς. μεταστειλάμενος γὰρ τὸν Παῦλον αὖθις τῷ βήματι παρέστη. συνῆλθε [συνῆλθε] δὲ πάλιν ὁ Λουκᾶς αὐτῷ ἔνθα δὴ συνέβη τὸν Παῦλον τριακοστῷ ἕκτῳ ἔτει τοῦ σωτηρίου πάθους, τρισκαιδεκάτῳ δὲ Νέρωνος, μαρτυρῆσαι ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθέντα. ἔστι τοίνυν ἀπὸ τοῦ ἐννεακαιδεκάτου ἔτους Τιβερίου Καίσαρος ἐξ οὗ κηρύττειν τὸ εὐαγγέλιον ἤρξατο, ἕως τοῦ εἰκοστοῦ δευτέρου, ἔτη τέσσαρα, καὶ τὰ Γαΐου δὲ ὡσαύτως ἔτη τέσσαρα, αὖθις δὲ καὶ τὰ Κλαυδίου ἔτη μικρὸν ἐλάττω δεκατέσσαρα· [μικρῷ ἐλ. τεσσάρων καὶ δέκα] ὃν διαδεξάμενος Νέρων τρισκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς ἑαυτοῦ ἀρχῆς τὸν ἀπόστολον ἀνεῖλεν. γράφει δὲ οὖν [γοῦν] ὁ αὐτὸς Παῦλος [ἀπόστολος Παῦλος] Τιμοθέῳ, περὶ μὲν τῆς πρώτης αὐτοῦ ἀπολογίας, φάσκων ταῦτα, [*hæc duo verba Stephanus omittit*] Ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο, ἀλλὰ πάντες με ἐγκατέλιπον, μὴ αὐτοῖς λογισθείη· ὁ δὲ Κύριός μοι παρέστη καὶ ἐνεδυνάμωσέν με, ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ, καὶ ἀκούσωσι πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐρρύσθην ἐκ στόματος λέοντος· τοῦτον τὸν Νέρωνα εἶναι λέγων· περὶ δὲ τῆς δευτέρας, ἐν ᾗ καὶ τελειοῦται τῷ κατ' αὐτὸν μαρτυρίῳ, φησίν, Τὴν καλὴν διακονίαν σου πληροφόρησον. ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἀναλύσεώς μου ἐφέστηκεν. καὶ ὅτι Λουκᾶς ἦν πάλιν σὺν αὐτῷ μετ' ὀλίγον τῆς ἐπιστολῆς, Ἀσπάζεταί σε, γράφει, Λουκᾶς ὁ σὺν ἐμοί. ἔστιν οὖν ὁ πᾶς χρόνος τοῦ κηρύγματος Παύλου εἴκοσι καὶ ἓν ἔτος· καὶ ἕτερα δύο [δύο ἕτερα] ἔτη, ἃ διετέλεσεν ἐν τῷ κατὰ Καισάρειαν δεσμωτηρίῳ· πρὸς δὲ τούτοις πάλιν τὰ ἐν Ῥώμῃ πρότερα δύο, [δύο ἔτη] καὶ τὰ τελευταῖα δὲ ἔτη δέκα. ὡς εἶναι τὰ πάντα ἔτη ἀπὸ τῆς κλήσεως αὐτοῦ μέχρι τῆς τελειώσεως τριάκοντα πέντε.

Ἀλλὰ μήτις ἐπὶ τούτοις ἐμοὶ καταμεμφέσθω, καὶ παραγραφέσθω τὰ καθεξῆς τῶν πράξεων, λέγων τὸν Λουκᾶν ταῦτα μὴ φάσκειν· ὃν ἐρήσεταί τις ἐχέφρων ἀνήρ, εἰ τοὺς χρόνους * οὐκ εἰσδέχῃ τοὺς μετέπειτα τῶν πράξεων, δός μοι φήσει τὸν Λουκᾶν ἱστοροῦντα Παύλου τὸ μαρτύριον· εἰ μὲν γὰρ τοῖς δυσὶ τούτοις μόνοις ἔτεσιν ὁ Λουκᾶς ἐμέτρησε Παύλου τὴν ἐν Ῥώμῃ ζωὴν τὸ μαρτύριον ἡμῖν ὑφηγησάμενος, οὐδὲ μιᾶς τινος ἡμῖν ἔδει περιεργίας τῶν χρόνων. ἀλλ' ἐπειδὴ τὸ μαρτύριον ἡμῖν οὗτος οὐ γράφει, ἔξωρον γὰρ καὶ μετὰ πολὺ τῆς βίβλου γεγένηται, πειθοῖ λοιπὸν Εὐσεβίῳ τῷ χρονογράφῳ, καὶ τὴν ἱστορίαν εὐγνωμόνως ὡς φίλος εἰσδέχου· οἱ γὰρ τοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ πειθοῖ καὶ πίστει τὰς τῶν πατέρων διδασκαλίας τε καὶ παραδόσεις πρὸς οἰκοδομὴν παραδεχόμενοι τῆς οὐρανίου βασιλείας καθίστανται κληρονόμοι.

ΠΡΟΛΟΓΟΣ ΠΡΟΤΑΣΣΟΜΕΝΟΣ ΤΗΣ ΒΙΒΛΟΥ ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ἈΠΟΣΤΟΛΟΥ ΣΤΙΧΩΝ Τ.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ἈΠΟΣΤΟΛΟΥ.

ἘΠΙ Νέρωνος τοῦ Καίσαρος Ῥωμαίων, ἐμαρτύρησεν αὐτόθι Παῦλος ὁ ἀπόστολος ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, ἐν τῷ τριακοστῷ καὶ ἕκτῳ ἔτει τοῦ σωτηρίου πάθους, τὸν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνισάμενος ἐν Ῥώμῃ, πέμπτῃ ἡμέρᾳ πανέμου μηνὸς, ἥτις λέγοιτο ἂν παρὰ Ῥωμαίοις ἡ πρὸ τριῶν καλανδῶν Ἰουλίων· καθ' ἣν ἐτελειώθη ὁ ἅγιος ἀπόστολος τῷ κατ' αὐτὸν μαρτυρίῳ ἑξηκοστῷ καὶ ἐνάτῳ ἔτει τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ παρουσίας. ¶ Ἔστιν οὖν ὁ πᾶς χρόνος ἐξ οὗ ἐμαρτύρησεν τριακόσια τριάκοντα ἔτη μέχρι τῆς παρούσης ταύτης ὑπατείας, τετάρτης μὲν Ἀρκαδίου, τρίτης δὲ Ὀνωρίου, τῶν δύο ἀδελφῶν αὐτοκρατόρων αὐγούστων, ἐνάτης ἰνδικτιῶνος τῆς πεντεκαιδεκαετηρικῆς περιόδου, μηνὸς Ἰουλίου εἰκοστῇ ἐνάτῃ ἡμέρᾳ.

ἘΣΗΜΕΙΩΣΑΜΗΝ ἈΚΡΙΒΩΣ ΤΟΝ ΧΡΟΝΟΝ ΤΟΥ ΜΑΡΤΥΡΙΟΥ ΠΑΥΛΟΥ ἈΠΟΣΤΟΛΟΥ.

F I N I S.

Typo-

Typographi Parisiensis Præfatio Tomo II. Annotationum H. Grotii in N. T. præfixa.

QUOD fuerit Auctoris consilium in suis ad Novum Testamentum Annotationibus adornandis & publicandis satis ipse præfatus est, cùm ante quinquennium priorem earum partem in quatuor Euangelia ederet: Hic ergò quæ mearum sunt partium paucis exsequar. Cùm superiore anno, post decennalem Legationem Gallicam pro Serenissima Suecorum Regina feliciter & magna cum gloria defunctam, ex hac Urbe discederet Vir non solùm amplissimâ dignitate sed etiam ingentibus erga literas meritis Excellentissimus, nomine Magnus, re Maximus, magnam partem hujus voluminis apud virum sibi familiarem reliquit, ut eam Typis meis committerem. Nè integrum opus ei crederet sola obstitit scriptura minùs nitidè exarata quàm ut eam amanuensis commodè assequeretur. Itaque in ipso itinere Vir laboris indefessi onus sibi imposuit reliqua iterum scribendi; quæ Hamburgo ad amicum eundem non multò pòst sunt quidem transmissa, sed minùs adhus nitida quàm ut operæ meæ rectè ea legere possent. Antequam autem amanuensis ea exscribere paratus esset, auctor ex Suedia rediens in morbum incurrit quo Rostochii magno reipublicæ literariæ damno nobis ereptus fuit annum agens quartum & sexagesimum. Et hæc causa est quare hoc opus postremâ minimè tamen contemnendâ sui parte mancum sese tibi sistat, dum nempe reliqua fugientibus & exilibus characteribus scripta in mundum redigantur. Interea, nè gaudia tua morarer, hunc secundum Tomum tibi offerre volui, tertium, in quo enarrationes in alias omnes Catholicas Epistolas utì & in Apocalypsim habentur, propediem, cum Deo, publici juris itidem facturus. Diligentiam summam adhibui ut quàm emendatissimus prodiret, quod tamen malo ut ipse cognoscas quàm ut industriam meam hîc me venditare necesse sit. Vale, & Grotiano nomini familiæque bene precare, præsertim verò Inclytæ Heroinæ Mariæ Reigersbergiæ defuncti viduæ, rari exempli feminæ, quæ dum fata Deúsque sinebant marito suo meritò charissima, etiam post obitum ejus gloriæ promovendæ studiosissima, non pauca ad editionem parata habet, quibus scientias ornare & locupletare, te verò beare possit velitque.

Lutetiæ Parisior. Kal. Febr. M. D. C. XLVI.

ANNO-

ANNOTATA
In Epistolam D. PAULI ad
ROMANOS.

CAP. I.

VALLA.

1. PAulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus] Non est accipiendum hîc *vocatus* pro *nominatus*, quale est illud Matth. 1. 16. *De qua natus est Jesus qui vocatur Christus:* nam hoc perinde est ac si diceretur *vocatus in Apostolatum.* Aut fortè sic est legendum, *Apostolus separatus in Euangelium:* ut sit, *Paulus servus Christi vocatus:* quales erant qui à Romanis dicebantur *Evocati*, qui sine ullo apposito sic dicebantur, qui ad auxilium rei bellicæ ut amici accersebantur. Hoc probat id quod paulò pòst sequitur v. 6. *In quibus estis & vos vocati Jesu Christi:* q. *electi Jesu Christi.* Quid multa? Eàdem ratione dicuntur nunc *vocati* substantivè quà dicuntur *Apostoli*, i. *missi.* Ideo aliud est vocabulum illic, *qui vocatur Christus*, λεγόμενος, aliud hîc κλητός.

3. *Qui factus est ei ex semine David*] Græcè potius est *qui genitus est ei*, τοῦ γενομένου.

4. *Secundùm Spiritum sanctificationis, & resurrectionem mortuorum Jesu Christi Domini nostri*] Neque *mortuorum Jesu Christi* videtur nunc dici posse, quia unus mortuorum est ipse Jesus Christus; neque *resurrectionem Jesu Christi*, quia dicitur *Spiritus resurrectionis.* Ergò non per genitivum nostrum fuit genitivus Græcus transferendus, sed per ablativum ut ille superior *de Filio suo*, ad quod nunc refertur *Jesu Christo Domino nostro.* Nam si transferretur ad verbum, sic transferretur, *De Filio suo, genito ex semine David secundùm carnem, destinato Filio Dei in potentia secundùm Spiritum sanctificationis, & resurrectionis mortuorum, Jesu Christo Domino nostro.*

11, 12. *Ad confirmandos vos*, i. *simul consolari in vobis*] Cur alterum infinitivum Græcum in usum linguæ Latinæ mutas, εἰς τὸ στηριχθῆναι, alterum non mutas, τοῦτο δὲ, εἰς τὸ συμπαρακληθῆναι; Ergò dicendum erat, *ad simul consolandum in vobis*, vel *ut unà consolationem* (sive *solatium*) *caperem in vobis.*

14, 15. *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Ità quod in me promptum est & vobis qui Romæ estis euangelizare*] Non est accipiendum è Gr. oratione *res quæ prompta est*; οὕτω τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον, sed *promptitudo:* sicut paulò pòst, 2. 4. *Quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, Græcè est *bonum* (sive *benignum*) *Dei*, i. *benignitas*, τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ. Quare hunc locum ad verbum sic transtulissem, *Græcis pariter & barbaris, sapientibusque & insipientibus debeo* (sive *debitor sum:*) *itidem pro meo in vobis studio & vobis qui Romæ estis euangelizare*, sive *ad euangelizandum.*

17. *Justus autem ex fide vivit*] *Vivet* legendum est, ζήσεται.

20. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*] Quænam est *creatura mundi?* id ego non intelligo. At si dicatur *à creatione mundi*, manifestum erit, h. e. *à factione mundi*, videlicet à forma mundi conditi. Nam verbum Græcum quod transfertur *creare* sæpius & fortè veriùs transfertur *condere*; ut sciamus, ubicunque legimus in translatione è Græco *creare*, nihil aliud esse quàm *condere.* Quòd autem Græcum hoc nomen quod hîc transfertur *creatura*, κτίσεως possit transferri *creatione*, locus ille epistolæ ad Hebræos probat 9. 11. *Per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis*, κτίσεως. Apud Augustinum reperio *à constitutione mundi.* Nec quinque vocabula sunt Græcè *per ea quæ facta sunt*, sed unum, *operibus* seu *factis*, τοῖς ποιήμασι. Etiam *cernuntur* dixissem potiùs quàm *conspiciuntur*, καθορᾶται. ¶ *Sempiterna quoque virtus ejus & Divinitas*] *Quæ* non *quoque* transferendum fuit: pendet enim à verbo superiore illud *sempiterna virtus*, quòd videlicet *conspicitur:* & sic est Græcè; ἥ τε ἀΐδιος.

24. *In desideria cordis eorum*] Meliùs *cordis sui*, καρδίας αὐτῶν.

26. *In passiones ignominiæ*] *Passiones* non probè dici Latinè πάθη Hieronymus quoque testatur, nec *morbos* Cicero, sed *perturbationes.* Quintilianus autem propriè dici *affectus* ait; & ità ferè autores usurpant. Quare ego transtulissem *affectus contumeliæ*, ἀτιμίας, quod congruit cum illo superiori v. 24. *ut contumeliis afficiant corpora sua*; ἀτιμάζεσθαι.

32. *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus*] Aliter Græcè legitur, *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, quòd qui talia agunt digni morte sunt, non solùm hæc faciunt, sed etiam consentiunt agentibus*, οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι.

REVIUS in VALLAM.

3. QUI genitus est ei] Erasmus sententiam Vallæ nec probat nec improbat. Beza mavult *facto*, & rationes sanè luculentas affert.

4. *Spiritus resurrectionis:* & mox. *Spiritum sanctificationis & resurrectionis*] Apparet Laurentium legisse κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν pro quo libb. nostri ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Et ità summo consensu habebant codd. Bezæ, ut est apud ipsum. Vulgata legit, vel saltem reddit, ἀνάστασιν νεκρῶν. ¶ *Jesu Christo Domino nostro*] Erasmus varias hîc confert versiones, Laurentianam autem adeò non improbat ut admiretur nec Origeni nec Chrysostomo nec Theophylacto nec Augustino nec Ambrosio tale quicquam in mentem venisse. Secutus est eam & doctissimus Beza.

15. *Non est accipiendum*] Vult *promptum* accipi pro *promptitudine:* id quod nec Erasmo displicet. At Beza, *Itaque quicquid in me situm est, promptum est.* Vide ejus accuratissimam annotationem.

24. *Cordis sui*, καρδίας αὐτῶν] Imò *cordium*, καρδιῶν.

26. *Affectus contumeliæ*] Cave πάθος in hisce libris aliter accipias quàm pro *affectu animi*, nè hic quidem ubi subjiciuntur αἰσχρουργίαι in quas ii affectus proruperunt. Multò minus Col. 3. 5. πάθος, ἐπιθυμίαν κακήν. 1 Thess. 4. 5. μὴ ἐν πάθει, ἐπιθυμίας. Gal. 5. 24. σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ἐπιθυμίαις. Quibus locis appositè πάθος & πάθημα per ἐπιθυμίαν explicantur. Optimè Basilius Ascet. de Bapt. c. 2. citans dictum Col. 3. 5. prohiberi dicit πᾶσαν κακίαν ἄχρι καὶ τῆς προσπαθοῦς (nota) ἐνθυμήσεως. Eóque ait τὸ καθαρὸν (nota iterum) τῆς καρδίας ἐνδείκνυσθαι. Vide & Augustinum De nupt. & concup. lib. 2. p. 858. Necessario hoc monendum fuit propter Erasmum, qui aliud suspicatus est. Beza hoc in loco *affectus* rectè vertit: & in Nota, Πάθη, inquit, *malui generali nomine* affectus *quàm angustiore vocabulo* cupiditates *vel obscurè* morbos *vel barbarè* passiones *interpretari.* At idem Col. 3. 5. πάθος *mollitiem* vertit, & fluctuat inter nostram & Erasmi sententiam. Contrà 1 Thess. 4. 5. quod hîc rejecit, *morbi* vocabulum in textum recepit, Ciceronem, ut ait, secutus. Quem ejus locum innuat comminisci non possum, nisi sit ille è Tusc. *Nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo & cupiditate:* qui pro nobis facit, cùm *morbus* ibi animi vitium notet. Horatianum verò illud, *Congregetur pium Morbo virorum* (ità legendum sancivit Heinsius) Erasmo non ità appositè ad suam opinionem citatum est ac putat Beza: nam non πάθος sed νόσον ibi in animo habuit Horatius. Philo περὶ Ἀβρ. θήλειαν κατεσκεύασαν ἑαυτοῖς νόσον. Idem De legibus, αἱ θήλειαν νόσον νοσεῖν ἐθιζόμενοι. Sed τούτων ἅλις.

ERASMUS.

1. *Paulus* Sunt qui putent Saulo commutatum fuisse vocabulum à conversione: atque inter hos est Ambrosius. Licèt D. Hieronymus enarrans epistolam ad Philemonem arbitretur pro *Saulo Paulum* vocari coeptum ob Sergium Paulum Proconsulem, quem hic Apostolus primum omnium ex Gentibus Christo lucrifecit; sicut legimus Act. 13. Chrysostomus putat illi Divinitus fuisse mutatum nomen; quemadmodum Apostolorum principi, qui pro *Simone* dictus est *Cephas* seu *Petrus*. Sunt rursum qui putant illum fuisse binominem: id quod meâ sententiâ vero propius est. Quanquam arbitror Paulo primùm Hebræo nomen Hebraicum inditum *Saul*: nam hoc nomine compellat illum Christus in via, Σαοὺλ, Σαοὺλ, τί με διώκεις; i. *Saul, Saul, quid me persequeris?* Deinde, quoniam Ægyptus, Cilicia & huic finitima Syriæ pars propter Alexandri Magni Imperium, & postea Romanam administrationem, jam ferè Græco sermone utebatur, Hebraicam vocem in Græcam formam fuisse deflexam, quòd Græci nullum habeant vocabulum in λ desinens; atque ità ex *Saul* factum esse *Saulum*, quemadmodum & hodie Latini ex *Adam* faciunt *Adamum*, ex *Abraham Abrahamum*, ex *Joseph Josephum*. Denique quoniam *Pauli* nomen juxtà Græcis ac Romanis erat familiare, è *Saulo* rursum factum esse *Paulum*, ut vocabulum etiam libentiùs agnoscerent quorum se Doctorem profitebatur, & hic quoque omnia fieret omnibus: ipse certe hoc nomine perpetuò est usus in scriptis suis. *Saul* שאול Hebræis sonat *Petitum*; passivum à שאל, quòd ascitus fuerit ad munus Apostolicum. Ambrosius indicat *Saulum* dici *Tentationem* seu *Inquietudinem*. Addunt alias item interpretationes nescio quas in Nominibus Hebraicis, quæ vocum allusionem modò tenuem habent, quas, quoniam non est hujus instituti, non anxiè discutiam. Cæterùm Græcis, Σαῦλος, υ duntaxat abjectâ, *commotionem ac tumultum* sonat propriè *maris ac fluctuum*, σάλος. *Paulus* autem Græcis sonat *Quietum*, à verbo παύομαι indè & παῦλαν *quietem* appellant. Romanis *Pusillum* sonat. Nam quod Hieronymus admonet *Paulum* Hebræis sonare *Mirabilem*, demiror ipsum committere quod aliàs reprehendit in aliis qui vocum etymologias è diversa lingua petebant. Etenim cùm constet *Paulus* aut Romanam esse vocem aut certè Græcam, non conveniebat ejus etymologiam ab Hebræis mutuari. Hæc obiter admonui, quò faciliùs intelligantur ea quæ sancti interpretes de nominum ratione vel attingunt vel alludunt in suis commentariis. ¶ *Vocatus Apostolus*] Κλητὸς ἀπόστολος. *Vocatus* h. l. non est participium *dictus* aut *nominatus* (quemadmodum nunc vulgò quidam modestiæ causâ subscribunt, *vocatus Episcopus*, significantes non tam modestè quàm verè, se magis nomine quàm re Episcopos esse: etiamsi in hoc κακόζηλον incidit D. Bernardus, vir alioqui & Christianè doctus, & sanctè facundus, & piè festivus, sic sui nominis titulum moderans, *vocatus Abbas*) verùm nomen est substantivum, velut *Apostolus* κλητὸς, non κληθεὶς, aut κεκλημένος quemadmodum & paulò inferiùs, *Vocati Jesu Christi*, κλητοὶ, & subinde κλητοῖς ἁγίοις *vocatis sanctis*. Est autem *Vocati* nomen absolutum: quemadmodum olim apud Romanos *evocati* dicebantur qui velut amici ad bellum accersebantur: & hodie quoque Gallis nonnulli vocantur *electi* qui proximi sunt Senatoriæ dignitati. Valet autem ferme perinde. q. d. *Vocatitius Apostolus*, sive *vocatione Apostolus*, & *vocatione sanctis*. Statim enim in ipso exordio suum agit negotium, conciliàtque sibi fidem & autoritatem. Primùm, cùm ipso nomine præ se fert novatum vitæ genus. Deinde, cùm *servum* se vocat, indicat se non suum negotium agere, sed ejus à quo missus fuerat. Ad hæc, cùm addit *Jesu Christi*, excludit Mosen, qui sic insederat animis Judæorum ut periculum esset ne Gentes etiam in servitutem Mosaicæ Legis abducerentur: & planè futurum erat nisi Paulus acerrimè manibus pedibúsque restitisset; ut per hunc athletam Euangelium Christi velut renatum videri possit. Post hæc adjicit *Apostolus*, quod sig. *Legatum*, sive *ab alio missum*. Et quoniam id temporis erant multi pseudapostoli, qui sese famæ quæstûsve gratiâ in hoc munus ingerebant, adjecit κλητὸς *vocatus*: quod geminam habet sententiam; sive Quòd ad hoc munus fuerit ab ipso Christo *vocatus*, h. e. accersitus, nec sibi vindicarit Apostolicam functionem, imò nec ab homine susceperit hoc muneris, sed ab ipso Christo; sive Quòd hoc verbo meritum operáque Legis excludat, & Euangelii gratiam asserat, quæ datur omnibus, non è Mosaicæ Legis ceremoniis, quibus fidebant Judæi, non ex humana sapientia, cui nitebantur Græci, sed ex *vocatione* Numinis. Nam id potissimùm agit in hac epistola D. Paulus, ut utrisque detrahat supercilium, & Judæis adimat Mosaicæ Legis fiduciam, & Græcis Philosophiæ præsidium, atque ità utrosque ex æquo conjungat in Christo. Habent Apostoli sua quædam peculiaria verba, *gratiam*, *vocationem*, *electionem*, *præscientiam*, *destinationem* ac *prædestinationem*, quæ ferme semper Legis fiduciæ opponuntur, quòd indè tum præcipuum periculum imminere videretur. Non me clàm est quædam ab Origene disseri ex hujus vocis occasione, de vocatis quidem, sed desciscentibus à muneris fructu, sanè argutè & eruditè, quæ mihi non est animus rejicere: sed magis arrident in literis Divinis quæ simplicissima sunt miniméque coacta. Quanquam haud inficias iverim hanc vocem κλητὸς aliquoties sic usurpari ut non multùm absit à natura participii, velut apud Matthæum, *Multi sunt vocati*, *pauci verò electi*, ἐκλεκτοὶ legitur, & κλητοί. Hæc vox peculiaris est Paulo cui studium est omnibus adimere fiduciam operum humanorum, totámque gloriam transferre ad vocantem Deum, cui vocanti qui auscultat salvus est. Ità Paulus è cœlo vocatus mox obedit. ¶ *Segregatus in Euangelium Dei*) Ἀφωρισμένος. Mirâ epitasi commendat suum officium, qui non solùm *vocatus* fuerit ad Apostolici muneris functionem, verùm etiam ut vas electum *sepositus* sit & *separatus in munus Euangelii prædicandi*. Est enim ἀφορίζειν non solùm *separare*, verùm etiam *judicio seponere ac secernere*. Unde Medici ἀφορισμοὺς vocant leges absolutè brevitérque pronunciatas; quemadmodum vocantur Sapientum ἀποφθέγματα. Neque simplicem ἔμφασιν habet hæc dictio. Primùm enim deprecatur inconstantiæ crimen, quòd à Mosaica Lege desciscere videretur; *Vocatus*, inquit, *& segregatus*, velut eximium quoddam & electum organum, ipso testante Christo, *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram Gentibus*. Deinde allusit ad factionem suam quam sequebatur in Judaismo. Cùm enim Judæorum populus, quanquam eandem Legem amplecteretur, in varias sectas esset divisus, quarum præcipuas Josephus lib. Antiq. 18. cap. 2. refert *Essæos*, *Sadducæos* & *Pharisæos*, Paulus Pharisaicæ hæreseos erat; quæ sic appellatur ab Hebræa voce *pharas* פרש, quòd ob insignem vitæ sanctimoniam & excellentem doctrinam *semoti separatique* à vulgo videri vellent. Cœpit igitur Paulus esse in Euangelio quod fuerat in Judaismo sed alio pacto. Illic supercilii titulus erat; hic mirè separatus erat à Mose ad Christum, à litera ad spiritum, à fiducia operum ad gratiam.

3. *Qui factus est ei*] Τοῦ γενομένου. Laurentius Valla mavult *genitus* aut *natus* quàm *factus*: cujus equidem sententiam in præsentia nec probo nec improbo. Certè *genitus* esset si scriptum fuisset γεννηθεὶς aut γεννώμενος. Augustinus lib. advers. Faustum 11. c. 4. testatur in nonnullis Latinis codicibus pro *factus* scriptum fuisse *natus*: & tamen alibi idem reddit causam cur Apostolus maluerit dicere *factus est* quàm *natus est*, nimirum *quòd non ex semine virili sed ex opificio Spiritûs S. conceptus ac natus sit*. Et tamen hæc causa non obstat quò minùs alibi dicatur *natus*. Cæterùm pronomen *ei*, quod additur in Latinorum codicibus, in nullis Græcorum invenitur. Sed quoniam sub absurdus sermo videbatur si dixisset, *qui factus est ex semine David*, explicandi causâ adjecit *ei*. Quanquam hujus pronominis additamentum adeò nihil facit ad sensum ut officiat quoque. Neque enim hoc agit Paulus, ut appareat cui natus sit Christus verùm ut liquet, eum à quo segregatus fuerat in præconium Euangelii fuisse Deum verum, & eundem item verum Hominem; Hominem ex eo quòd *natus ex semine David secundùm carnem*; Deum, ex hoc quòd *virtus ejus Divina declarata sit per Spiritum sanctificationis & resurrectionem à mortuis*. Quòd si quid ad rem pertinuisset definire cui natus aut factus esset, nobis natus erat potiùs quàm Patri, quorum negotium agebatur. Quòd si cui non satis arridet verbum illud *natus*, & mavult illud quod habet Vulgata editio, *factus*, equidem non admodum refragabor, modò intelligat hoc loco *factum* dici pro eo quod est *esse cœpisse*. Quod genus est illud, *Qui post me venit*, *ante me factus est*, h. e. *Qui me sequebatur, cœpit esse prior, & præcessit me*; quemadmodum in Euangelicis Annotationibus indicavimus. Is enim qui nunquam cœpit esse Deus, homo tamen esse cœpit.

4. *Qui prædestinatus est*] Magno consensu Græci cod. habent ὁρισθέντος, i. *qui finitus*, seu *definitus*, *erat*; h. e. juxta Græcorum Scholiorum interpretationem, *certò pronunciatus*, *demonstratus ac declaratus*. Atque ità legit Chrysostomus & Theophylactus, ac legendum esse nominatim etiam admonet Origenes, enarrans hunc locum. In quo tamen illud obiter succurrit admirari, quomodo Origenes eo in loco citet exemplaria Latinorum, in quorum plerisque fatetur pro *destinatus* haberi *præ-*

prædestinatus: nisi fortè Interpres aliquid addidit de suo; aut Origenes quo studio pervestigarat Hebræorum fontes non contentus tot editionibus, eodem Latinos quoque codices lustravit. Dictu mirum est quàm se torqueat hoc loco Thomas Aquinas, vir alioqui non suo tantùm seculo magnus. Nam meo quidem animo nullus est recentium Theologorum cui par sit diligentia cui sanius ingenium, cui solidior eruditio: planéque dignus erat cui linguarum quoque peritia reliquáque bonarum literarum supellex contingeret, qui iis quæ per eam tempestatem dabantur tam dextre sit usus. Quare si magni scriptores nonnunquam hæsitant in Paulinis Epistolis, id partim imputandum est sermonis ac sensuum obscuritati partim infelicitati temporum, quibus bonæ literæ penè funditus interierant. Vir igitur vigilans & ingeniosus omnem hoc loco movet lapidem, ac ceu Proteus quispiam semet in omnia vertit, si quà possit elabi, nunc lectionem Origenicam sequens nunc ad nostram se recipiens, & nunc interpretatur *destinare* pro *mittere*, nunc *ordinare*, rursum *prædestinare*, nunc *præscire*, nunc aliud quiddam esse vult, ac varias inducit *destinationis* ac *prædestinationis* relationes. Atqui Origenes quidem expeditè definit *prædestinationem* ac *destinationem*, ità pronuncians, *Destinari eum qui jam est, prædestinari qui nondum sit.* Unde notat D. Hieron. enarrans c. 1. epist. ad Ephesios, ex hujus, opinor sententia, Paulum his verbis προορίζειν non uti nisi cùm de nobis loquitur; ac palàm admonet hoc loco de Filio dictum esse ὁρισθέντος, non προορισθέντος, i. *destinati*, non *prædestinati*. Cæterùm si hoc nos offendit, quòd *prædestinari* ob additam antecessionis præpositionem referatur ad aliquid quod nondum sit, idem scrupulus manet in verbo simplici. Cùm enim *destinare* sit, non *mittere*, quemadmodum vulgus illiteratum putet, sed *certum aliquid in animo præfigere*, nimirum ipsa verbi natura rei futuræ significationem habet, quemadmodum *sperare, timere, decernere, deliberare, statuere*: nihil enim horum fit nisi ad aliquid futurum referatur. Rursum, si malumus hunc futuri respectum aliò derivare quàm ad ipsam Filii Dei rationem, ut is qui ab æterno genitus fuit Dei Filius, idem *destinatus* fuerit & *ordinatus* ad hoc aut illud faciendum, jam nihil etiam obstat præpositio *præ*: quandoquidem ad hunc modum nihil prohibet Dei Filium *prædestinatum* vocare ad id quod postea accidit. Nisi fortè placet quod Origenes sensisse videtur, in *prædestinare* duplicem esse respectum futuri, in *destinare* duntaxat unicum. Etenim si filio jam mihi nato destinem sponsam, persona cui destino ad præsens tempus pertinet, id quod destino ad futurum: Cæterùm si in animo statuo filium qui primus mihi nascetur Theologicis literis dedicare, persona simul & res ad futurum tempus pertinent: & ad hujusmodi voluit Origenes pertinere *prædestinandi* verbum. Verùm sive *destinatus* legas sive *prædestinatus*, & quocunque referas eam futuri rationem, constanter obstrepit id quod sequitur, *Filius Dei secundùm Spiritum sanctificationis, & ex resurrectione mortuorum.* Fac enim destinationem æternam, ut semper *destinatus* fuerit ad hoc ut esset *Filius Dei*, quomodo jam cohæret *per Spiritum sanctificationis, & ex resurrectione mortuorum?* quid enim hæc ad illam destinationem? Unde Ambrosius laborans & ipse in his angustiis, addit, Haud scio unde, duo verba, *ut manifestaretur Filius Dei.* Et Thomas admonet nonnunquam in Divinis literis dici *fieri* cùm aliqua intelliguntur fieri & innotescunt. Atque hæc cùm dicunt, veluti divinant id quod nos sentimus. Quanquam nihil erat necesse aliunde petere quod in ipsis Pauli verbis inest. Nam ipsa Græca vox ὁρίζειν non solùm significat *definire* ac *decernere*, verùm *certò pronunciare ac provulgare quod decreveris.* Unde *certam de rei natura sententiam* ὅρον appellant: & *indicativum* modum, quòd certum aliquid indicet ac declaret, ὁριστικὸν appellant Grammatici. Proinde si pro *prædestinatus* legas *declaratus*, tota undique sententia vel ad amussim quadrabit, neque quicquam usquam occurret salebræ. Hominem fuisse Christum evidens est argumentum, quòd *natus sit ex semine David*, id ipsis comprobatum est sensibus. At declarandum erat eundem esse *Filium Dei*, id quod semper fuerat, sed ignotum erat mundo. Quem igitur constabat esse Hominem, is *declaratus est esse Filius Dei. Caro* declaravit Hominem; *virtus & Spiritus sanctificationis* declarat *Filium Dei* ac Deum. Idque declaratum est cùm aliis quidem modis, nempe vaticiniis Prophetarum, signis innumeris, tum verò præcipuè *ex resurrectione mortuorum.* Ad hunc modum interpretantur, ut dictum est, & Græcorum Scholia, è quibus ipsa subscribam verba, nè quis nobis diffidat, Ὁρισθέντος, τοῦτ' ἔστιν, ἀποδειχθέντος, ἀποφανθέντος διά τε τῶν προφητῶν, διά τε τῶν τοσούτων θεοσημειῶν, διά τε τῆς ἀναστάσεως, i. *Definiti, hoc est, demonstrati, declarati, tum per Prophetas, tum per tot Divinitatis signa, tum per ipsam resurrectionem.* Hactenus Græcorum Scholia. A quibus adeò non dissentit Theophylactus ut non aliam quàm hanc adducat interpretationem, exponens ὁρισθέντος υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, *cogniti pro Filio Dei*, tum *ostensi, confirmati, indicati*: nam iis verbis utitur interpres operis falsò inscripti Athanasio; cùm id, quod antè suspicabamur, mox collato Græco Latinóque comperimus esse Theophylacti; cujus verba sunt hæc, ἀποδειχθέντος, βεβαιωθέντος, κριθέντος, i. *demonstrati* sive *declarati, confirmati, judicati* sive *decreti.* Chrysostomus hisce verbis exponit, δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, ὁμολογηθέντος, i. *demonstrati, declarati, judicati, confessi.* Semper quidem fuerat Filius Dei, sed paucis cognitus, videlicet Judæis, & horum etiam paucis; verùm pòst declaratus est talis universo mundo. Quò magis autem liqueat hìc non fieri mentionem æternæ prædestinationis, Chrysostomus addit, *Judicati omnium suffragio, ex Prophetis, ex mirabili nativitate secundùm carnem, ex virtute signorum, ex Spiritu per quem dedit sanctificationem, ex resurrectione per quam mortis solvit tyrannidem.* Hæc satis arguunt ὁρισθέντος aliud sonare Græcis quàm interpretantur Latini. ¶ *In virtute*] Ἐν δυνάμει. Rectè quidem vertit, si modò rectè accipiamus. Nam Latina vox anceps est; & aliquoties sic accipitur ut opponatur *vitio*, & respondeat Græcæ ἀρετῇ, nonnunquam ut pugnet cum *imbecillitate.* Proinde nos maluimus alicubi vertere *potentiam* sive *potestatem*, quandoquidem à δύναμαι dicta est δύναμις. Miro autem consilio Paulus contraria contrariis opposuit. Primùm enim *Paulum* opposuit *Saulo*; *servum Jesu Christi*, Mosaicæ Legis servituti; *vocatum Apostolum*, iis qui se ingerebant; *segregatum in Euangelium* Pharisaismo quem antè profitebatur: atque hactenus se suúmque commendavit officium. Quæ sequuntur pertinent ad commendationem Christi, Qui *promissus fuit*, non à quovis, sed ab ipso *Deo*; nec per quosvis, sed *per Prophetas suos*, h. e. veros ac divinos; nec id quibuslibet instrumentis, sed *in Scripturis S.* Deinde Christi geminam in eadem Hypostasi naturam mirà verborum emphasi describit. De Homine dicit, *factus est*; ut intelligas aliquid accessisse quod non erat: de Divinitate dicit, *declaratus est.* Illic addit, *secundùm carnem*; cujus comites sunt Infirmitas & Impuritas: unde, *Spiritus quidem promptus, caro verò infirma.* Et *concupiscentias carnis* vocant affectus ad vitia solicitantes. Proinde *carni* opposuit *virtutem Dei* & *Spiritum sanctificationis*, h. e. *potentiam* Imbecillitati, & *sanctificationem* Immunditiæ. Assumpsit igitur nostram *carnem*, & ostendit suam *potentiam*; idque potissimùm ex eo quòd *suapte virtute resurrexit à mortuis*; & animam, quam volens deposuerat moriens, cùm visum est, recepit. Ac rursum quoniam *carnis* est Mortalitas, & huic opposuit *resurrectionem mortuorum*, quæ est Immortalitas. Illud verò visum est admonere, ἐν δυνάμει, i. *in virtute*, præpositionem hanc in Euangelicis & Apostolicis literis nonnunquam sic usurpari ut idem sit ferme quod *per*; ut sit sensus, *in virtute Dei*, i. per virtutem Divinam, sive ex virtute: quemadmodum interpretatur Chrysostomus, *A David accepit ut mori posset, à Patre ut nos redderet immortales.* ¶ *Per Spiritum sanctificationis*) Thomas indicat fuisse qui hæc verba torquerent ad particulam Incarnationis, *Qui factus est ex semine David*, idque non vulgari coitu corporum, sed *per Spiritum sanctificationis*, ex quo conceptus fuit mirabilis ille fœtus. Verùm hæc opinio absurdior est quàm ut vel refelli mereatur: unde non laborabimus in explodenda ea, quam & ipse Thomas rejecit. Illud est admonendus lector, hujusmodi sermonis typos peculiares esse viris Apostolicis, ut pro *filiis inobedientibus* dicant *filios inobedientiæ*; pro *saxo offensorio, petram scandali*; itàque pro *Spiritu sanctificante, Spiritum sanctificationis* dixit Paulus. Cæterùm quòd hìc meminit Origenes suæ divisionis de Carne, Anima & Spiritu, quanquam id suo loco bellè dicebatur, tamen hoc loco alienius est & coactius. ¶ *Ex resurrectione mortuorum Jesu Christi*) Locus hic multifariàm legi potest. Nos rationes omnes simpliciter, id quod hujus est instituti, proponemus: penès lectorem erit & judicandi jus & eligendi potestas. Primam lectionem veteres ferme secuti videntur, videlicet ut sensus sit, *Virtutem Divinam & Spiritum sanctificationis fuisse declaratum ex hoc quòd multa corpora sanctorum resurrexerunt cum Christo*, quemadmodum recensuit Matthæus Euangelista. Cui sententiæ non admodum refragor, præsertim cùm videam non displicuisse Origeni, Hieronymo verò etiam placuisse maximè; cùm Paulus Colossensibus scribens Christum appellet *primogenitum ex mortuis*, & in priore ad Corinthios epistola vocet *primitias dormientium.* Super omnia, quòd Capitis & membrorum eadem sit resurrectio: ut quemadmodum Origenes scribit, Christi gloriam quodammodo nondum esse perfectam nisi collectis totius corporis membris, ità resurrectio illius non sit per-

fecta nisi reliqua etiam membra suo Capiti socientur. In Christo igitur cœpta est resurrectio, & spes præbita membris: unde sic accipi potest ut mortuorum Jesu Christi & ipsius eadem sit resurrectio. Alioqui quod Paulus scribit Corinthiis, *Nunc autem Christus surrexit primitiæ dormientium*, non pertinet tantùm ad pauculos illos qui tum apertis monumentis surrexerant, sed ad omnia Christi membra, quibus Paulus resurgendi spem conatur infundere ex eo quòd ipse Christus resurrexerit. Nec enim consentaneum est, Caput & tale Caput, cùm vivat & regnet, desertorum sua membra. Primùm autem illud constat, opinor, Paulum hoc agere ut persuadeat Christum hominem fuisse, qui pro nobis immolarit seipsum; & eundem Deum cujus virtute simus sanctificandi & immortalitatem assecuturi. Atque in transcursu attingit ex argumentis præcipua; nempe Genus David; tum Mortem, quæ præcesserit oportet resurrectionem; deinde Resurrectionem à mortuis, unde totus fidei nostræ cardo pendet. Porrò de his mortuis qui cum Christo resurrexerunt Paulus nusquam alibi fecit mentionem in suis epistolis, cùm sæpius conetur astruere Resurrectionem mortuorum; imò nè Euangelistarum quidem quispiam, excepto Matthæo; qui tamen ipse paucis hoc, ac velut obiter, attingit, non explicatis vel qui fuerint qui resurrexerant, vel quibus apparuerint. Quod sanè non ideo dixerim quasi minùs certa sit Matthæi narrantis fides quàm si idem literis prodidissent omnes (nec enim ad eandem coticulam Euangelistarum ac cæterorum Historicorum fidem exploramus) sed quòd probabile sit si ea res propriè pertinuisset ad Christi Divinitatem comprobandam, cæteros Euangelistas rem tanti momenti non fuisse omissuros, præsertim cùm nusquam fuerint diligentiores quàm in Resurrectionis argumentis approbandis. Ut nè dicam interim quòd ex Matthæi verbis horum resurrectio videatur Christi resurrectionem præcessisse; sic enim legimus apud hunc, *Jesus autem iterum clamans emisit spiritum: & ecce velum Templi scissum est in duas partes, à summo usque ad imum; & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Atque id magis apparet ex ipsis Græcis, ut suo indicavimus loco, hæc verba *post resurrectionem* referenda esse ad proxima, nempe ad hæc, *apparuerunt multis*, aut certè ad id quod proximè præcessit, *egressi de monumentis*; ut accipias statim in ipsa morte revixisse corpora mortuorum, at non apparuisse nisi post resurrectionem Christi, ut quemadmodum Joannes Prædicationis & Passionis Christi, ità hi Resurrection is πρόδρομοι fuerint. Neque verò me clam est Hieronymum, cúmque hoc complures interpretes, in hac esse sententia, ut dicant monumenta duntaxat aperta fuisse moriente Christo, verùm non resurrexisse quenquam nisi post peractam illius resurrectionem. Et facilè cedimus autoritati: quanquam si quis expenderit ipsa Matthæi verba, deprehendet hanc interpretationem nonnihil esse detortam. Porrò si quem hoc torquet, nè Christus non sit *primitiæ dormientium*, quemadmodum scripsit Paulus, quid is dicet quòd Lazarus & præter hunc multi revixerunt ante Christum? At illi resurrexerunt denuo morituri, hi semper victuri. Fateor, interest omnino nonnihil. Verùm ut demus hos priores revixisse, nihilo secius *primitiæ dormientium* erit Christus; qui princeps & autor fuerit omnis resurrectionis, per quem & illi revixerunt qui priores illo revixerunt. Verùm hac de re nihil digladior. Illud propiùs ad rem nostram pertinet; Paulus cùm obiter & in transcursu voluerit asserere Divinitatem & virtutem Christi, magis debebat, ut videtur, ipsius adducere Resurrectionem quàm aliorum, de quibus haud scio an Romani quicquam audierant: & sicut proposuit ipsius *Nativitatem*, per quam declararet hominem, ità & ejusdem proponeret *Resurrectionem*, per quam declaratus fuerit *Filius Dei*. Aut igitur de tota resurrectione accipiendum est, quæ cœpit in Christo, aut de ipsius Christi resurrectione. Ad quem sensum proximè accedit secunda lectio, quam video Laurentio Vallæ placuisse, acerrimi sanè judicii viro; ut genitivus Latinus *Jesu Christi* vertatur in ablativum (nam apud Græcos genitivus Ἰησοῦ Χριστοῦ potest utrolibèt referri, vel ad *mortuos*, vel ad id quod præcessit, περὶ τοῦ υἱοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *de Filio suo Jesu Christo*) deinde post hyperbaton quo sæpius Paulus utitur, reddatur *Jesu Christo*. Hanc equidem Laurentii sententiam adeò non improbo, ut admirer nec Origeni, nec Chrysostomo, nec Theophylacto, nec Augustino, nec Ambrosio tale quicquam in mentem incidisse, præsertim cùm locus nonnihil torqueret. Sensit enim Augustinus incommodum, quòd sic adjici videretur *Jesu Christi* quasi alius esset *Filius Dei*, alius *Jesus Christus*: qua de re disseruit enarrans Psalmum LXVII. Atqui hoc incommoditatis effugerimus si Laurentianam amplectemur lectionem. Alii sic medentur, ut dicant hanc ejusdem dictionis iterationem esse ex idiomate sermonis Hebraici, qui vice pronominis proprium nomen repetunt. Quod genus est illud, *Fecit Moses sicut præcepit Dominus Mosi*, pro eo quod erat *sicut præcepit Dominus ei*. Tertia lectio sic habet; ut *Jesu Christi* sit casus paternus, sed ad *resurrectionem* tantùm referatur, non ad alios *mortuos*: non quòd eos excludamus à resurrectione, sed illud perpendimus quid hic agat Paulus. Nam quod additum est *mortuorum*, non efficit ut de aliis mortuis intelligamus quàm de Christo: sed quoniam anceps erat apud Latinos *resurrectionis*, apud Græcos ἀναστάσεως vocabulum (*resurgit* enim & is qui sedebat aut jacebat, & dicturi sententiam in Senatu ἀνίστανται) addidit *mortuorum*, nè quis esset amphibologiæ locus. Duo igitur hæc verba, *Resurrectio mortuorum*, velut periphrasi rem eandem explicantia, complexim referuntur ad *Jesu Christi*; ut hic sit sensus, *Qui sicuti factus fuit homo, juxta carnem natus ex David; ità declaratus est Filius Dei in virtute Dei per Spiritum sanctificationis; declaratus, inquam, ex eo quòd resurrexit à mortuis; quod quidem solius est Dei.* Porrò si quem etiam ille scrupulus habet, quòd juxta nostram sententiam Græca præpositio ἐξ fuerit addenda, ἐξ ἀναστάσεως ἐκ τῶν νεκρῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, huic responderi potest, præpositionem quæ præcessit facilè repeti posse, præsertim cùm eadem fuerit repetenda, & vel ob hoc omissam videri posse. Deinde passim apud Græcos omitti præpositiones, præsertim ἐν, σὺν, κατὰ, ἐξ, ἀπό. Id quod hic quoque fit mollius, propterea quòd ἀνάστασις in se vim obtineat præpositionis, & motum à loco quopiam significet. In quod genus verbis Latini quoque non infrequenter omittunt præpositionem si libeat, ut, *surrexit terrâ*, & *surrexit à terra*; *dejecit cælo*, *dejecit è cælo*. Denique si quis *resurrectionis mortuorum* complexim accipiat, ità ut ostendimus antea, nè opus quidem fuerit ullâ præpositione, cùm duæ dictiones pro unica ponantur. Cæterùm quod nos vertimus *Jesus Christus* nominandi casu, primùm nihil variat Pauli sententiam, & tamen effugimus duo pariter incommoda, nempe sermonis ambiguitatem, & hyperbati molestiam. Alioqui ad verbum reddi poterant ad hunc modum, *De Filio suo genito ex semine David secundum carnem, declarato Filio Dei in potentia secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Jesu Christo Domino nostro.* Quin & illud diligens lector expendat velim, num hic ἀνάστασις accipi possit transitivè, ut perinde valeat ac si dicas *resuscitatione mortuorum*. Quod quidem propemodum subindicavit Chrysostomus, & hujus imitator Theophylactus, cùm ait *Christum primum omnium ac solum fuisse qui seipsum suscitarit, atque hoc potissimum argumento liquere quòd fuerit Filius Dei.* Illud certè rectè monstravit Augustinus, *ex resurrectione mortuorum referendum esse non ad proximè præcedentia, sed ad id quod præcessit, qui prædestinatus est.* Atque illud *prædestinatus est* durè cohæret cum *ex resurrectione*, nisi interpretemur *declaratus est*. Idem Augustinus *prædestinatus ex mortuis* interpretatur, *prædestinatus in hoc ut primus resurgeret*; ut præpositio *præ* pertineat ad ordinem resurgendi. Cæterùm hunc sensum ipsa Pauli verba non satis exprimunt. Ut igitur sermonem prolixum conferam in epilogum; si legimus *Jesu Christi*, triplex est varietas: Prima, ut ἀνάστασις accipiatur activè sive neutraliter, idque gemino sensu, sive ut Pater intelligatur suscitasse Filium à mortuis, sive ut Filius suscitarit seipsum: nam uterque sensus pius est. Deinde, ut *resurrectio* dicatur passivè, sentiamúsque mortuos suscitandos ad vocem Filii Dei, quemadmodum & Lazarum præter alios sucitavit. Quanquam nihil vetat hic *resurrectionem* accipi pro Resurrectione universali, quæ est & Capitis & totius corporis mystici. Postremò, genitivus hic *mortuorum* refertur ad *Jesum Christum*, *cujus mortui* dicuntur qui moriuntur in fide, ut intelligas hic tantùm fieri mentionem de resurrectione justorum. Potest & complexim legi *resurrectio mortuorum* pro *resurrectione à mortuis*; ut *Jesu Christi* pertineat ad ἀνάστασιν, non ad superiora, *de Filio suo Jesu Christo, qui prædestinatus est*, &c. Hæc paulò verbosiùs disserui quàm hujus instituti fortasse patiebatur ratio: sed id consultò fecimus, nè quis clamitet me temere præter omnium superiorum sententiam hujus loci mutasse lectionem. Quod superest, ego sum indicis officio functus, lectori judicium deferens. ¶ *Domini nostri*] Id, lector, in Paulo comperies, quemadmodum annotavit & Ambrosius, atque item in cæteris Apostolis: Patri ferè tribuunt cognomen *Dei*, Christo *Domini*, cùm utrumque vocabulum utrique pariter competat, eo quòd idem est Dominium Patris & Filii.

5. *Gratiam & Apostolatum*] Χάριν καὶ ἀποστολήν. *Gratia* quoque Paulinum est verbum, quod libenter inculcat, exclude-

re

re cupiens carnalem fiduciam Legis Mosaicæ: χάρις autem apud Græcos nonnunquam *beneficium* significat *quod confertur gratuitò*: unde & χαρίζομαι verbum *largior*, sive *gratuitò dono*: nonnunquam *favorem*; ut, *Invenisti gratiam apud Deum*: nonnunquam *obligationem beneficii*; ut, ἔχω χάριν, οἶδα χάριν, καὶ μεμνήσομαι χάριν. Jam video fuisse quosdam quos offendat vox *Apostolatûs*, parùm probata Latinis auribus, & Græcam vocem malint ἀποστολήν. Quorum ego sententiæ facilè subscriberem si perinde multi intelligerent *Apostolen* ut *Apostolatum*. Ad hæc video Christianos scriptores, coactos, opinor, formam hanc in plerisque recepisse, *Clericatus*. *Diaconatus*, *Episcopatus*. Nos vertimus *Apostolici muneris functionem*, nè quis dignitatem à Paulo putet significari: ut enim ἐπισκοπὴ est *ipsa functio Episcopatûs*, sic & ἀποστολὴ *Apostolatûs*. *Gratiam* hic vocat quòd ab errore sit revocatus, nec revocatus modò, verùm etiam ad hoc delegatus ut alios cum autoritate vocaret ad Euangelii gratiam. ¶ *Ad obediendum fidei*] Nomen est apud Græcos, non infinitum, εἰς ὑπακοὴν πίστεως, i. *ad obedientiam fidei*. Verùm quoniam is sermo Latinis anceps erat, Interpres explicuit per gerundium, nos per verbum, *ut obediatur fidei*. Vocat autem *obedientiam fidei*, quemadmodum exponit Chrysostomus, quòd non accipiatur curiosis ratiocinationibus, sed simplici obedientià & tacità auscultatione. Idque ad utrumque populum pertinet, & Judæorum, qui signa requirebant, & Gentium, quæ Philosophicas rationes flagitabant, & hodie fortassis ad quæstionum Scholasticarum labyrinthos inexplicabiles de his rebus quæ piè nesciuntur. ¶ *Pro nomine ejus*) Ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, i. *de nomine*, sive *super nomine, ejus*. Nam Græca præpositio ancipiti est significatu, sicut sunt apud illos pleræque. Ut sit sensus, *Accepimus Apostolicum munus in hoc, ut in omnibus gentibus, non solùm apud Judaeos, obediatur fidei quæ est de nomine Jesu Christi*. Idem indicant Græcorum Scholia, ut hæc verba *de nomine ipsius* referantur ad *obedientiam fidei*. Theophylactus ὑπὲρ exponit per περί. Tametsi dissentit eximius ille vir & amicus noster incomparabilis, Jacobus Faber Stapulensis, quem ego quoties nomino honoris causà nomino, nempe cujus ardentissimum in restituendis bonis literis studium magnopere comprobo, eruditionem tam variam miniméque vulgarem admiror, raram quandam morum comitatem ac facilitatem adamo, porrò singularem vitæ sanctimoniam veneror etiam & exosculor. Verùm quis unquam fuit vel adeò doctus vel attentus qui non hallucinatus sit ac dormitarit alicubi, præsertim in tot voluminibus tótque rerum difficultatibus versans? Neque quicquam addubitarim quin ipse sua relegens alicubi facturus sit quod in suis libris fecit Augustinus. Proinde nemo veluti contumeliosum interpretetur si locis aliquot ab eo dissentiens pro mea virili patrocinor veritati. Quod ego vicissim in me fieri non solùm æquo feram animo, verùm etiam summi beneficii loco ducturus sum, modò absit procacitas. Quanquam hoc in loco nec mihi sanè Fabri displicet sententia, ut *super nomen ejus* referatur ad illa superiora, *accepimus Apostolatum*, h. e. functionem Apostolicam & legationem hanc quà fungimur, sed qua de re? nempe *de nomine Jesu prædicando*. Proinde utraque lectio probè quadrat, adeò ut ut difficile sit pronunciare utram alteri præferri oporteat. Chrysostomi interpres sequi videtur posteriorem sententiam: sic enim exponit, *Non missus sum ut ratiocinarer, sed ut quod mihi commissum est redderem*. Græca sic habent, εἰς ὑπακοὴν οὐκ εἶπε ζήτησιν καὶ κατασκευήν, ἀλλ' ὑπακοήν· οὐδὲ γὰρ ἐπέμφθημεν, φησί, συλλογίζεσθαι ἀλλ' ὅπερ ἐνεχειρίσθημεν ἀποδοῦναι.

6. *In quibus estis*] Ἐν οἷς, i. *Inter quas*, vel *Quarum de numero*, h. e. Gentium vocatarum. Quod genus est illud, *in omnibus gentibus*, ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, i. *inter omnes gentes*. Quanquam haud me fugit ad Græcanicum modum & Latinos autores aliquoties fuisse locutos: at nos quod dilucidius erat secuti sumus. Annotavit hoc Chrysostomus, quòd Paulus Romanis rerum dominis nihil eximium attribuerit, sed in Euangelii ratione unam è numero cæterarum gentium fecerit.

7. *Omnibus qui sunt Romæ*] Πᾶσι τοῖς οὖσιν, ἐν Ῥώμῃ. Quoniam Græcè per participium extulit, potest accipi vel tertia vel secunda persona, *Omnibus qui sunt*, aut *Omnibus qui estis*. Ad v. sonat, *Omnibus entibus Romæ*: quanquam ea res nihil ad sententiam pertinet. Et jam solenne est nomen ejus quem salutamus epistolà in tertia persona adscribere,

Plinius Tacito suo S. D.

Atque hactenus quidem totus sermo suspensus fuit; nunc demum absoluto commate principali, redditur altera pars. Hoc loco coarguendus vel ridendus magis error eorum qui putant Paulum Romanis linguà Romanà scripsisse, sicut Hebræis scripsit Hebraicè, & Græcis Græcé. Neque enim scribit Romanis tantùm, sed omnibus qui Romæ agerent. At eò jam confluxerat tota ferme Græcia, adeò ut Juvenalis *Græcam urbem* appellet. Certè Græcorum linguam jam non Italia solùm, verùm etiam Syria, Ægyptus, Cilicia, ac bona Orbis pars receperat. Quòd si Romanè scripsit, immeritò queritur Origenes, hanc interpretans epistolam, Græcam dictionem esse perplexam & Hyperbatis obscuratam, & è Cilicum idiomate quædam parùm Græca peregrinitatem resipere. ¶ *Dilectis Dei*] Ἀγαπητοῖς Θεοῦ. Hæc est ea vox quam subinde vertunt in *charissimos*. Est autem Græcis non participium sed nomen, q. d. *amicis*; & idcirco apud illos molliùs adhæret nomini *Dei*. ¶ *Vocatis sanctis*] Κλητοῖς ἁγίοις. Superiùs admonui *vocatis* h. l. non esse participium sed nomen, & perinde valere q. d. *vocatis ad sanctimoniam*. *Gentium* enim nomen Judæis invisum erat, quòd hos haberent tanquam profanos & à Deo Mosèque alienos. Amolitur igitur hanc opinionem Paulus cùm ait Romanos, quod ad jus attinet, esse de numero Gentium, cæterùm hoc pares esse Judæis quòd *diligantur ab* eodem *Deo vocatique sint* ab eodem *ad* eandem *sanctimoniam*. Judæi suà opinione nascebantur sancti, à sanctis oriundi, & in sancta Lege nati: at quod his præstare videbatur genus, hoc Gentibus præstabat favor & vocatio Dei. ¶ *Gratiam* autem vocat gratuitam munificentiam. Priùs dixerat ἀγαπητοῖς, mox κλητοῖς· quoniam autem potest aliquis suo merito vocari ac diligi, addit *gratiam*. ¶ Gratia data parit remissionem peccatorum, quam suo more *pacem* vocat. Peccatum enim inimicitiam ponit inter Deum & homines. Ille nos vocavit, non nos illum quæsivimus; ille nos dilexit prior, cùm essemus inimici; ille pœnam commeritis impartiit Spiritûs donum; per Spiritum autem peccatorum veniam & abundantiam charismatum. ¶ *A Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo*) Sermo quidem Græcus anceps est: siquidem accipi potest, *à Patre nostro & Domini Jesu Christi*; ut intelligas Patrem nobis cum illo communem: aut, *à Patre nostro & Domino Jesu Christo*; ut intelligas gratiam quam illis precatur proficisci simul & à Patre, quem, ut modò dictum est, suo more veluti peculiari verbo *Deum* vocat; & à Filio, quem plerumque *Dominum* appellare gaudet; *Deum* perquam raro: cùm in hac ipsa epistola palàm *hominem* dicat, c. 5. *Multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*; & Petrus in Actis Apostolorum *virum* appellat, *Virum approbatum à Deo*. Item Paulus apud Athenienses, *In viro quo statuit*. Atque hanc posteriorem lectionem magis approbo, præsertim cùm id annotatum sit & ab Ambrosio, & Didymo lib. 2. De Spiritu S. sed ità ut ea sermonis forma nec Patri auferat Dominationem, neque Filio Deitatem: siquidem eàdem ratione quà Pater Dominus est, & Filius Deus est, sic & Spiritus S. *Dominus* nuncupatur. Nam his verbis usus est Didymus. Siquidem hæc annotatio non aliò spectat quàm ad indicandum morem Apostolici sermonis. Annotavit idem Tertullianus lib. quem scripsit adv. Praxeam. Hujus verba præstiterit subscribere; *Itaque* DEOS *omnino non dicam, nec* DOMINOS: *sed Apostolum sequar ut si pariter nominandi fuerint Pater & Filius*, DEUM *Patrem appellem, & Jesum Christum* DOMINUM *nominem. Solum autem Christum potero* DEUM *dicere; sicut idem Apostolus*, EX QUIBUS CHRISTUS QUI EST DEUS SUPER OMNIA BENEDICTUS IN ÆVUM OMNE. *Nam & radium solis seorsum Solem vocabo, Solem autem nominans cujus est radius, non statim & radium Solem appellabo. Nam etsi Soles duos faciam, tamen & Solem & radium ejus tam duas res & duas species unius & indivisæ substantiæ numerabo, quàm Deum & Sermonem ejus, quàm Patrem & Filium.*

8. *Primùm quidem gratias ago*] Quis satis admiretur Origenis in excutiendis S. literis diligentiam? Hoc quoque torsit hominem, cùm Paulus hic dicat *primùm*, quæ pars huc respondeat, quæ sit secunda, & dubitat an illic reddatur, *Nolo autem vos ignorare, fratres*. Verùm in exordio cujusvis argumenti fortassis non sit absurdum dici *primùm*, etiamsi nihil propriè reddas. ¶ *In universo mundo*] Cùm Græcè dictum sit ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ *in toto mundo*, ídque juxta Græcos interpretes dictum sit ὑπερβολικῶς, pro eo quod est *in multis partibus mundi*, quorsum attinebat ut Latinus interpres exaggeraret etiam, dicens, *in universo mundo*? Nam quod Origenes post indicatam Hyperbolen philosophari pergit de mundo *angelico* & *hoc nostro*, non inelegantem habet anagogen. Cæterùm nos simplicia & γνήσια magis delectant, quæ sensum Apostoli potiùs ostendunt quàm interpretis ingenium ostentant.

9. *Testis enim mihi est Deus*] Μάρτυς γάρ μου ἐστιν, i. *Testis enim meus est Deus*: quanquam Interpres bellè vertit, & magis servivit Latinis auribus quàm exprimendo Græco sermoni: nisi fortè legit μοι pro μου. ¶ *Cui servio*] Ὧ λατρεύω *quem colo*. Diversum enim ab eo quod est Græcis δουλεύω. Unde λατρείαν vocant cultum qui præstatur Divis aut Deo. Græci vocem deductam putant esse ex λα, quæ particula Vehementiam significat apud illos, & τρεῖν, quod est *tremere* sive *metuere*. Quanquam Interpres & aliàs nunc *obsequium* nunc *servitutem* vertit λατρείαν, rectiùs versurus *cultum*. Subindicat enim Paulus religionis & cultûs rationem esse novandam, urgentibus Judæis ut ad Mosaicæ legis ceremonias pertrahantur Ethnici. Proinde quanquam ipse Paulus à Mose provectus ad Christum, jam non immolaret pecudes, tamen eundem Deum alio ritu colebat, nempe prædicando Filii Euangelio, qui cultus spiritualis esset, & ob id Deo longè gratissimus. Cùm enim dicit *in spiritu meo*, excludit corporeas victimas. Porrò *in spiritu* præpositionem ἐν additam esse dativo Instrumenti aut Modi, juxta proprietatem sermonis Hebræi, frequenter jam ostendimus. ¶ *Memoriam vestri*] Μνείαν ὑμῶν. Cùm Græcis ad utrumque sit anceps vox, & *facio memoriam* non dicamus Latinè, commodiùs vertisset *mentionem*: quandoquidem orare nihil aliud est quàm colloqui cum Deo: nè quis putet duriùs dictum *mentionem vestri facio*.

10. *Si quo modo*] Εἴπως ἤδη ποτέ, *si quo pacto jam aliquando*, sive *tandem aliquando*. Nam ἤδη apud Græcos nonnunquam urgentis vim habet. Cæterùm hæc adverbiorum & conjunctionum congeries, πῶς, ἤδη, ποτέ, mirum quoddam & impatiens exprimunt desiderium ac studium festinandi, quemadmodum admonent & Græcanica Scholia. ¶ *Prosperum iter habeam*] Græcis est εὐοδωθήσομαι verbum duabus è partibus compositum εὖ *bene*, & ὁδὸς *via*, εὐοδοῦν quo verbo utuntur *quoties res succedit ex animi sententia*. Idem est Psal. 1. *Et omnia quæcunque faciet prosperabuntur*, εὐοδωθήσεται. Significat enim Paulus hactenus non successisse. ¶ *In voluntate*] Ἐν τῷ θελήματι. Admonuimus cùm aliàs tum paulò superiùs hanc præpositionem ἐν nonnunquam usurpari pro *per*, figurâ loquendi, sicut opinor, ab Hebræis sumpta. Proinde nos exprimentes sensum magis quàm verba vertimus, *volente Deo*. ¶ *Veniendi ad vos*] Ἐλθεῖν. Rectius erat *venire*, sive *ut veniam*; ut infinitum verbum referatur ad participium quod paulò antè præcessit, δεόμενος, *orans ut veniam ad vos, siquando mihi contingat, volente Deo, prosperum iter*: nam hæc est verborum Græcorum sententia.

11. *Aliquid impartiar gratiæ*] Ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα, i. *donum*, non *gratiam*, χάριν. Quanquam Interpres in hac voce lusit copiâ suo more. Nam alicubi vertit *donum*; ut illic, *Sed non sicut delictum, ità & donum*, ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα. Alibi Græcam vocem reliquit, quasi deesset quo redderet eam Latinè; ut illic, *Sectamini charismata meliora*, Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Porrò quid intersit inter χάριν & χάρισμα aliis exprimendum relinquo. Illud constat, & χάριν pro *beneficio* poni, & χαρίζομαι *beneficium largior*, sive *ad gratiam facio*: unde verbale nomen deductum χάρισμα. A χάρις χαρίζομαι, à κεχάρισμαι χάρισμα profectum est. Utrumque competit ubi quid gratis donatur aut benefit alicui.

12. *Simul consolari*] Laurentius hic Interpretem μαστιγοῖ, nec prorsus abs re. Quid enim erat causæ cùm Græcis utrobique verbum sit infinitum στηριχθῆναι & συμπαρακληθῆναι, ut alterum relinqueret, alterum redderet per gerundium? Apparet utrumque pertinere ad accusativum ὑμᾶς, qui præcedit in ordine; ut sit sensus, *ut vos confirmemini, simulque consolationem accipiatis mutuam inter vos*: siquidem illud *simul consolari* subjecisse videtur non ad diversa digrediens, sed velut expositione molliens quod dixerat, *ad confirmandos vos*, nè quid offenderetur Romanorum arrogantius ingenium, si viderentur egere confirmatione ceu vacillantes ac nutantes. Sed eam *confirmationem*, *mutuam consolationem* interpretatur, suo more modestissimè loquens: tametsi Græcanica Scholia posterius verbum συμπαρακληθῆναι referunt & ad Paulum, ut intelligas illos confirmandos & fulciendos adventu Pauli, Paulum autem solatium mutuum accepturum ex illorum confirmata fide. Quod si placet, subaudiendum est pronomen primæ personæ ἐμὲ sive ἡμᾶς, i. *me* vel *nos*. Et ad hanc quidem sententiam interpretatur Origenes ac Theophylactus, mihique hòc magis ea probatur quòd addidit conjunctionem δὲ, τοῦτο δέ ἐστι, quæ palàm indicat mitigari & corrigi quod præcessit. Quod genus est & illud, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Deinde si sensisset, *inter vos*, ἐν ὑμῖν, magis dixisset ἐν ἑαυτοῖς. Denique magis quadrat quod sequitur, διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ, *per mutuam fidem, vestram simul & meam*. Illorum *fides prædicabatur in toto mundo*, & Paulus habebat *fidem*. Itaque collatione factâ futurum erat ut utrinque in sua, h. e. communi, fide, alteri ab alteris fulcirentur. Quemadmodum fit quoties duo rem à diversis acceptam autoribus inter se conferunt, uterque certius credit quod audierat, ob narrationis mutuæ consensum. Illud adjiciam, nè quid fugiat lectorem, συμπαρακληθῆναι referri posse vel ad *mutuam consolationem* vel ad *mutuam exhortationem*. Et cùm mox locutus sit de *confirmandis* illis, ad id magis quadrat *exhortatio mutua* quàm *consolatio*. Theophylactus admonet hoc loco *consolationem* pro *gaudio* non ineptè posse accipi. Chrysostomus refert ad *lenimentum afflictionum quas ob Christi nomen perpetiebantur qui credebant Euangelio*, simul indicans gradus quibus Apostolus leniit ac temperavit sermonem. Cùm enim dixisset *confirmari*, metuens nè Romani arrogantes dicerent, *Quid? an vacillamus? ut tuâ linguâ simus fulciendi*, mitigavit hoc, & verbum *confirmandi* vertit in *consolandi*: nec hoc contentus, non dixit παρακληθῆναι, sed συμπαρακληθῆναι, quasi non minùs ipse egeret illorum consolatione. Denique junxit *fidei communionem*, deponens Doctoris personam, & induens condiscipuli. Sic Paulus *fit omnia omnibus, ut omnes lucrifaciat*. Hæc est pia vafrities & sancta, ut ità dixerim, adulatio. Interpretatio Theophyl. non dissentit à Chrysostomo.

13. *Nolo autem vos*] Origenes hoc loco commonstrat Hyperbaton, h. e. confusum orationis ordinem, putans nonnihil etiam deesse. Sed existimat orationis seriem ad hunc modum posse restitui, *Sicut fructum habui in cæteris gentibus* (*Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum*) *ità quod in me est, promptus sum si liceat, etiam vobis qui Romæ estis euangelizare*. Hoc obiter annotavi, quòd ad scripturæ distinctionem pertineat. ¶ *Et prohibitus sum*] Ἐκωλύθην, quod magis sonat *præpeditus sum* quàm *prohibitus*, nimirum obstantibus negotiis; quod Græci dicunt ἐμποδίζειν. *Prohibet* enim propriè qui interdicit nè facias: nisi sentiamus Paulum prohibitum à Spiritu S. quemadmodum Act. 16. *volentem proficisci in Bithyniam non permisit Spiritus sanctus*. Nam tale quiddam subindicat Chrysostomus cùm ait, τῷ μὲν θελήματι τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀντιπίπτων, τὴν δὲ ἀγάπην διατηρῶν. Etiamsi Paulus non datam proficiscendi Romam opportunitatem religiosè interpretatur *Dei voluntatem*. ¶ *Habeam in vobis*] Σχῶ καὶ ἐν ὑμῖν *habeam & in vobis*. Nec enim emphasi caret *&* conjunctio. Apud Græcos omnes aliquid fructûs collegerat; idem optat apud Romanos. Rursum, *in vobis* positum est pro eo quod est *inter vos*.

14. *Græcis ac Barbaris*] Apud Græcos gemina est copula, Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, *Græcisque ac Barbaris*. Ac rursum, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις, *sapientibusque & insipientibus*. Nec est otiosa conjunctionis iteratio, significans Paulum esse debitorem ex æquo omnibus citra ullum gentis delectum. Idque inculcat ob Judæos, qui prædicationem Euangelii ad se solos attinere volebant. Cæterùm hic σοφοῖς non tam *sapientes* significat quàm *eruditos*, & ἀνοήτοις *crassos* potiùs & *indoctos* quàm *stultos*. Sapientiam enim, h. e. eruditionem, sibi vendicabant Græci. Porrò *Græcos*, quos aliquoties pro quibusvis *gentibus* positos reperies, hic *barbaris* opposuit, quos ἀνοήτους vocat, ceu *rudes Philosophiæ & indoctos*.

15. *Ità quod in me promptum est*] Laurentius admonet hoc loco promptum accipiendùm substantivè, nempe pro ipsa *promptitudine*; quemadmodum illi χρηστὸν vocant χρηστότητα, ταχὺ ταχύτητα, appositivis abutentes pro substantivis nominibus: ut sit sensus, *Ità pro mea virili promptus sum, & promptitudo animi mihi adest, etiam vobis qui Romæ estis euangelizare*. Atque ità sanè legit Ambrosius, *Itaque quod in me est promptus sum*, &c. At sunt qui malint infinitum εὐαγγελίσασθαι referre ad nomen verbale ὀφειλέτης, & οὕτως adverbium sic accipere, non ut connectat hanc orationis partem cum superioribus, sed referatur ad reliquos quibus jam prædicaverat Euangelium Paulus: ut sit sensus, *Sicut aliis gentibus jam prædicavi, cùm omnibus debeam, sic quantum ad animi mei promptitudinem attinet, debeo & vobis qui Romæ agitis, tametsi sapientes, potentes & docti sitis, prædicare Euangelium Christi*. Atque id sanè bellè quadrat cum iis quæ mox sequuntur.

16. *Non enim erubesco Euangelium*] Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον. Interpres aliquando vertit *confundor*, aliquando *erubesco*, adjungens accusandi casum. Latinius erat, *Non enim me pudet Euangelii*. Quanquam apud Q. Curtium scio legi *erubescit fortunæ*. Quod si crebrò occurreret in bonis autoribus, non pigeret imitari. Græci cod. aliquot addunt *Christi*,

τὸ

τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, quòd *Chriſti* nomen adhuc apud multos, præſertim ſapientiæ perſuaſione turgidos, contemptum haberetur, apud quos Platones, Pythagoræ, Zenones, Ariſtoteles erant in pretio. Quanquam Chryſoſtomus non addit τοῦ Χριστοῦ· ſed articulus indicat de Euangelio ſentiendum de quo priùs dixerat, *Euangelium Dei.* ¶ *Virtus enim Dei eſt*] Δύναμις γὰρ Θεοῦ, *potentia enim Dei eſt*: ut oſtendat nè Romanis quidem rem eſſe aſpernandam, ceu humilem & inefficacem. Hoc admonui, quòd *virtus* apud Latinos ſit anceps, quæ nonnunquam ſic uſurpatur ut reſpondeat ei voci quæ apud Græcos eſt ἀρετὴ, & opponatur κακίᾳ *vitio*, aliquoties ut reſpondeat Græcæ quæ eſt δύναμις, & opponatur *imbecillitati* ſive *impotentia*. Addidit autem *Dei*, nè Chriſtus ut homo contemneretur ab infirmis & incredulis. Non additur articulus, τοῦ Θεοῦ, quòd *Deus* hic ponitur non tanquam certa Perſona, ſed pro ipſa Natura Divina, ut diſtinguatur adverſùs *homines*. ¶ *Omni credenti*] Παντὶ τῷ πιστεύοντι. Dilucidius erat *cuivis credenti*. Non enim vult haberi delectum gentis aut fortunæ, modò fides ſit communis. ¶ *Judæo primùm & Græco*] Et hic gemina Græcis eſt conjunctio, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι, *Et Judæo primùm & Græco*. *Primùm* autem h. l. perinde valet ac ſi dicas *potiſſimùm*, quòd Judæis promiſſus eſſet Chriſtus, à quibus & exortus eſt, & Græci ſapientiâ præſtarent. Cæterùm hoc loco *Græcum* accipit pro *ethnico*; atque ità vertit alibi non uno in loco: tametſi ſuperiùs, *Græcis ac Barbaris*, pro peculiari gente poſuerit.

17. *Ex fide in fidem*] Sermo Latinus nullam habet vocem ſatis reſpondentem πίστει. Latinis enim *habere fidem alicui* dicitur qui credit dictis illius, & *dare fidem* dicitur qui ſanctè promittit, & *aſtringit fidem ſuam* qui ſe obligat alicui. *Liberat* autem *fidem ſuam* qui præſtat quod promiſit. *Fide caret* cui non creditur. *Fronti nulla fides*. *Fidem violat* qui non præſtat conventa: unde & *perfidus* dicitur, & *perfidia*. *Fidem derogat alicui* qui facit nè illi credatur; *fidem conciliat*, qui contrà. *Deſideramus fidem in eo* qui non præſtat ea quæ recepit. *Probamus fidem illius* qui quod potuit fecit ſeduló. Et *in fidem alicui tradimus* quod illius fidei committimus. Et *bonæ fidei poſſeſſor* dicitur qui ſine dolo cœpit poſſidere; qui contrà, *malæ fidei*. De *fide ſervorum in dominos* multa legimus. Et *fidem facit* qui perſuadet, & *fidus* dicitur qui *bonâ fide rem gerit*, item *fidelis*. *Fides* igitur apud Latinos interdum eſt Promittentis, interdum Præſtantis promiſſum, interdum Credentis, interdum Ejus cui creditur, interdum generale nomen, ut cùm dicimus *fidem ſublatam è moribus hominum*, ſentientes neminem præſtare quod promittit, neque quenquam alteri fidere. Et Gr. πίστις nonnunquam ſonat *fidem præſtantis* aut *promittentis*, nonnunquam *probationem per quam perſuademus*. Et πιστὸς dicitur *qui non fallit*, ἄπιστος *infidus* ſive *diffidens*: πιστεύει *qui credit*, ſive *confidit*, aut *committit*; & ἀπιστεῖ *qui non fidit*. Apud Latinos *incredulus* eſt qui diffidit. *Credulus* enim & *credulitas* in vitium ferè ſonant. Et *credere* varium eſt. *Credit* qui aſſentitur dictis, & *credit* qui fidit, & *credit uxorem alteri* qui committit. Jam & *fidentem* & *fiduciam* dicimus in bonam partem, quæ tantùm eſt in credente; *confidere* item & *fidere*, in bonam partem; *confidentem* & *confidentiam*, in malam partem. Verùm his vocibus frequenter abutuntur S. literæ. Nam *fidem* frequenter uſurpant pro *fiducia erga Deum*, ut non multùm differat à Spe. Interdum pro *credulitate* ſive *perſuaſione quâ aſſentimur his quæ de illo nobis tradita ſunt*; quâ credunt & Dæmones. Nonnunquam hæc omnia complectitur *fidei* vocabulum, aſſenſum illum & in narratis & in promiſſis, & fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, non ſine ſpe, h. e. exſpectatione promiſſorum. Et hactenus quidem dicitur *fides Hominis*. Cæterùm & *Dei fides* dicitur, quam ille præſtat in promiſſis: unde Deus *fidus* ſive *fidelis*, h. e. πιστὸς, dicitur, eò quòd non fallat. Sed homo *fidelis* dicitur qui credit promittenti, præter uſum Latini ſermonis; & tamen ſic frequenter loquuntur S. literæ. Nam *diſpenſator fidelis* Latinè dicitur: *infidelis* autem non Latinè, ſed in Scripturis, dicitur qui diffidit. Græcè meliùs ἄπιστος, ſive ἀπειθής. Nonnunquam *fides Dei* dicitur, quâ nos illi fidimus potiùs quàm homini; cujus dicitur & ob hoc quòd ab illo donatur, non ſolùm quòd in illum tendat. Interdum utriuſque, ut, *Juſtus ex fide vivet*; *Dei*, qui non fallit in promiſſis; & *hominis*, qui Deo fidit. Ad utrumque pertinet quod hic dicit, *ex fide in fidem*. Quemadmodum enim Deus ſtatis temporibus aperire cœpit qualis eſſet, & præſtare quæ promiſerat, ità crevit per gradus hominibus erga Deum cognitio & fiducia. Prophetis pauci credebant priùs quàm Dominus exhibuiſſet oculis quæ illi promiſerant. Ruſus ex his quæ vidimus & videmus confirmatur fides de iis quæ prædicta ſunt de poſtremo adventu. ¶ *Ex fide vivit*] *Vivet* legendum eſt verbo fut. temporis, ἐκ πίστεως ζήσεται. Atque ità citatur & apud hunc in epiſt. ad Galatas, & in epiſt. D. Jacobi. Sic interpretatur Chryſoſt. exponens de futura vita, cùm hic interim affligatur & occidatur: ideo dictum eſſe *vivet*, non *vivit*. Locus autem quem adducit Paulus eſt apud Prophetam Abacuc cap. 2. quem LXX. ſic interpretati ſunt, *Juſtus autem ex fide mea vivet*. Unus Symmachus ſignificantiùs expreſſit, ὁ δὲ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται, i. *Juſtus autem per propriam ſuam fidem vivet*, ſive *victurus eſt*. Hieronymus putat LXX lapſos Hebraicorum elementorum ſimilitudine, quæ menſurâ tantùm inter ſe diſtant. Nam באמונתו ſonat Hebræis *in fide ſua*; quòd ו Vau litera, cùm eſt appendix dictionis, vim habet hujus pronominis *ſui*, aut *ejus*: Jod י item adjecta vim habet hujus pronominis *mei*, באמונתי *in fide mea*. Porrò *vivet* futuri temporis eſſe verbum non ſolùm indicat editio Græca, quam citat Hieronymus, quæque exſtat in vulg. Græcorum codd. verùm etiam in Heb. verbo יחיה, additum enim י à principio tertiam perſonam futuri maſculini efficit. Opinor autem Paulum utrumque pronomen omiſiſſe, ſive quòd Romanis nota eſſet edit. LXX, & ob id ab ea diſſentire nollet, neque rurſum Hebraicam ingerere, quam neſciebant; ſive quòd hujuſmodi pronomina paſſim ſoleant ſubaudiri; ſive quò ſententiam redderet abſolutiorem magiſque catholicam. Ἐκ πίστεως. Præpoſitio ſignificat originem. Vita enim ex hoc habet initium, quòd ſubmittentes humanum ſenſum credimus verbis Divinis. Hoc adverſùs Philoſophos dictum eſt.

18. *Revelatur*] Ἀποκαλύπτεται *retegitur & aperitur*, cùm palàm fit quod antè tectum fuerat. Nam ante proditum Euangelium Chriſti in ſolos Judæos videbatur *aperta* reſeratáque *ira Dei*, ſi peccaſſent. Atque ob id addit *ſuper omnem impietatem*, quòd ad omnes ex æquo pertineret Euangelii gratia. Jam illud vel citra monitorem opinor intelligi, *iram* ex conſuetudine ſermonis Hebræi frequenter uſurpari pro *ultione ſuppliciόque*. ¶ *Veritatem Dei*] *Dei* apud Græcos non additur, nec in vet. Lat. exempl. nec attingit Chryſoſt. Sentit enim *veritatem* cognitam Philoſophis, quæ ipſorum potiùs eſt quàm Dei. Nam Dei veritas confert vitam, Philoſophorum veritas inflat. Sed *veritatem* unde debebant ad altiora proficere *detinebant in injuſtitia*.

19. *Quod notum eſt Dei*] Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, i. *quod cognobile eſt Dei*, h. e. quod de Deo ſciri cognoſcíque poteſt, aſtipulantibus & interpretibus. Eſt enim in Deo ad quod nulla humanæ mentis imaginatio poſſit ullo modo pertingere. ¶ *Manifeſtum eſt in illis*] *In illis* novè dictum eſt pro *apud illos*, ſive *inter illos*. Nec enim *in illis* referri poteſt ad *res conditas*, de quibus nondum facta eſt mentio, ſed ad *Philoſophos*. Cæterùm adjecit *in illis*, ut eos diſtingueret à barbaris & vulgo indocto.

20. *A creatura mundi*] Κτίσις ambigua vox eſt apud Græcos, ut quæ vel *creationem* ipſam ſignificare poſſit, h. e. actum creandi ſive condendi; vel *creaturam* ipſam, h. e. rem creatam. Interpres κτίσιν ad Hominem referre videtur, τὰ ποιήματα ad Res creatas; ut intelligas *à creatura*, h. e. ab homine creato, *conſpici* animo quæ corporeis oculis cerni non poſſunt, idque *per res creatas*, in quibus exſtant Divinitatis veſtigia. Alii contrà hoc ad Hominem referre malunt, illud ad Mundi creationem. Quanquam utrobique idem redditur ſenſus. Mihi videtur utrumque ad *mundum conditum* non abſurdè referri poſſe; ut intelligas *inviſibilia Dei cerni ab ipſa mundi creatione*, *dum intelliguntur per opera*, *quæ Dei conditoris potentiam*, *ſapientiam ac bonitatem præ ſe ferunt*: ut dativus Gr. ποιήμασι pertineat non ad verbum καθορᾶται, ſed ad participium νοούμενα *quæ intelliguntur*. Per quæ? Nimirum τοῖς ποιήμασι, h. e. *per opera*, veluti per inſtrumentum. Quandoquidem Græcis dandi caſu exprimitur inſtrumentum, ut nobis auferendi caſu. Jam illud admonere non ità magni refert, νοούμενα, quod vertit *intellecta*, participium eſſe præſ. temp. non præteriti. Non enim ità conſpiciuntur ut priùs ſint intellecta, ſed tum conſpiciuntur cùm ex rebus conditis intelliguntur; velut exponat quid ſenſerit cùm ait *conſpiciuntur*. Sic enim *intelliguntur ex rebus conditis* tanquam in ſpeculo cernas imaginem: unde & κάτοπτρον habet nomen. Quin & pronomen αὐτοῦ utrolibèt poteſt referri, ad τὰ ἀόρατα, ut accipias, *Dei naturam ac virtutes quæ cerni non poſſunt*; vel ad id quod proximè ſequitur, τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ, i. *è creaturis illius*. ¶ *Sempiterna quoque*] Ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις. Græcè non eſt *quoque*, quâ conjunctione illi prorſus carent, ſed *que*. Quanquam Interpres probè reddidit, ſi modò vera eſt Origenis interpretatio, ut *inviſibilia* referatur ad creaturas inviſibiles, videlicet ſubſtantias ſeparatas, non ad ipſum Deum, quem poſtea ſubjicit ſeparatim. Mihi ſanè non diſplicet

ac venerari. ¶ *In reprobum sensum*] Εἰς ἀδόκιμον νοῦν. Non est hic *sensus* αἴσθησις, quod genus sunt Visus, Auditus, sed νοῦς, h. e. *mens*: unde dilucidius erat *in reprobam mentem.* Est autem festiva vocum affinitas in ἐδοκίμασαν & ἀδόκιμον, i. *probaverunt* & *reprobum.* Nam hic *probari* dicitur quod placet, & ἀδόκιμον quod omnibus displicet. Hujusmodi sunt hæc quæ commemorat flagitiorum portenta, quæ exsecrantur & ipsi Ethnici. ¶ *Quæ non conveniebant*] Τὰ μὴ καθήκοντα. Sensus est, *indigna se*, h. e. quæ tales viros dedecebat facere.

29. *Repletos*] Interpres hos accusativos retulit ad verbum quod præcessit, *tradidit*: at commodiùs referuntur ad infinitum verbum ποιεῖν, quod posteaquam mutaverit in alium modum, mutandi simul erant accusativi in nominativos; *ut facerent quæ non conveniebant, repleti omni iniquitate.* ¶ *Avaritiâ*] Πλεονεξίᾳ· quod aliquoties vertit *rapinam*, aliquoties *fraudem*, nonnunquam *avaritiam.* Est autem πλεονεκτεῖν verbum compositum à πλέον ἔχειν, h. e. à *plus habendo*: quo Græci utuntur cùm quis sibi plus usurpat quàm jus est, aut potiores partes, fraudatis etiam cæteris, occupat. Indè πλεονέκτης, & πλεονεξία. Non solum autem nullus avarus est qui non sit idem fraudator, sed *nè dives* quidem *ullus qui non aut iniquus sit aut iniqui hæres*, si proverbio credimus. Cæterùm quoties incidit hujusmodi nominum catalogus, nonnihil dissonant exemplaria, sive Græca consulas, sive Latina: id quod oblivione notariorum accidit, quòd difficile sit hujusmodi meminisse. Nec usquequaque probo quorundam nimis anxiam in hisce rebus diligentiam, qui numerum quoque putant observandum in congesta nominum sylva: velut cùm aliis aliquot locis tum in epistola apud Galatas quorsum attinet numerare *fructus Spiritûs*, cum *opera carnis* neque numero neque generibus respondeant? denique catalogo adjicitur *& his similia.* ¶ *Nequitiâ*] Κακίᾳ· quæ dictio Græcis nunc *vitium* sonat, & opponitur ἀρετῇ· aliquando *ignaviam*; unde ἐκκακεῖν *deficere* ac *delassari*: nonnunquam *afflictionem*, quod rectiùs tamen κάκωσιν dicimus. Hoc loco maluissem vertere *malitiam*, quæ apud Senecam simpliciter usurpatur pro *vitio*: alioqui *perversitatem* sonat, cùm quis datâ operâ malè agit. At πονηρίαν vertit *malitiam*, quæ vox aliquando non solùm *malitiam* significat, sed *versutiam* & *astutiam*: unde proximè præcedit *avaritiam*, velut illius germana. *Nequitia* verò propriè ad Libidinem & Luxum pertinet; quòd hæc vitia hominem perditum & nihili declarent, & ab omnibus contemni soleant his obnoxii. Est autem Græca legentibus non ingrata affinitas in πορνείᾳ & πονηρίᾳ. ¶ *Invidiâ, homicidiis*] Apud Græcos jucunda vocum affinitas est in Φθόνου, Φόνου. Quanquam *cæde* potiùs est sing. numero quàm *homicidiis.* ¶ *Malignitate*] Κακοηθείας quod magis sonat *morum asperitatem ac difficultatem.* Nam apud nos *malignitas* opponitur *benignitati* seu *candori.* Et *malignè laudat* qui parcè ac propemodum invidè laudat; & *malignè dat* qui contractè dat.

30. *Detractores*] Significantius apud Græcos καταλάλους, i. *obtrectatores.* Nam *detrahit* qui minuit laudem alicujus, *obtrectat* qui malè prædicat de alio. ¶ *Deo odibiles*] Unica vox est apud Græcos, θεοστυγεῖς, & magis sonat *quibus Deus est invisus* quàm *quos Deus habet invisos*: atque ità interpretantur Græcanica Scholia, licèt Theophylactus utroque modo interpretetur: Chrysostomus non attingit. Cyprianus item in epist. 4. lib. 1. legit *Deo abhorrentes*, nimirum ex eorum genere *qui dicunt Deo, Recede à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus.* Julius Pollux inter vocabula quibus Impietatem exprimimus commemorat & θεοστυγὴς, admonens eam vocem esse Tragicam. ¶ *Contumeliosos*] Ὑβριστὰς, i. *feroces per vim alios opprimentes*: q. d. *injuriatores.* Unde mox subjicit huic cognatum vitium, ὑπερηφάνους *superbos.* ¶ *Elatos*] Ἀλαζόνας. Plautus ἀλαζόνα vertit *gloriosum*; quem & *fastuosum* rectè dixeris. Vox dicta Græcis παρὰ τὸ ἐν ἄλῃ ζῆν, quòd impostores ejusmodi subinde mutare solent locum, quò faciliùs fallant quibus sunt ignoti: ἀλαζὼν diversus est ab eo quem εἴρωνα vocant Græci, siquidem ille præ se fert & ostentat quod non est, hic dissimulat quod est. ¶ *Inventores malorum*] Ἐφευρετὰς *adinventores*; sive quòd in rebus per se bonis aliquid admisceant mali, sive quòd semper addant mala malis. Semper enim malum è malo gignitur. ¶ *Non obedientes*] Ἀπειθεῖς, i. *immorigeros*, seu *inobedientes*, sive *intractabiles.* Nec hic opus erat periphrasi.

31. *Insipientes, incompositos*] Rursus est jucundissima vocum affinitas in Græco sermone, quam Interpres nec affectavit nec potuit reddere, ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους. Theophylactus *incompositos* interpretatur *infidos*, *minimèque tenaces pactorum, ac lubricæ fidei in conventis*: quod *pacisci* Græcis dicatur συντίθεσθαι, & *conventa* συνθῆκαι. Porrò ἀσυνέτους vocat quos nec ratio cohibet homini peculiaris, & sine quâ homo desinit esse homo. ¶ *Sine affectione*] Ἀστόργους. Ut nè excutiam interim quòd Interpres abusus est *affectione* pro *affectu*, cùm multum intersit; *affectibus carere* juxta Stoicos summa laus est, sic apud nos quoque *malis vacare affectibus* laudi ducitur. At στοργὴ non simpliciter *affectum* significat; sed potiùs *affectum illum pietatis aut charitatis quo parentes tanguntur erga liberos, ac vicissim illi erga eos, quo frater erga fratrem.* Unde qui eò processerunt in vitiis ut ad hos quoque communes affectus & ad ipsum naturæ sensum obsurduerint. ἄστοργοι vocantur. Qualis erat ille de de quo Satyricus,

——— *Nec amat, nec amatur ab ullo.*

Chrysostomus ità connectit has voces enarrans, ἀσυνθέτους ἀσπόνδους, ἀστόργους, ἀνελεήμονας· quasi prima pertineat ad naturalem omnium animantium affectum, quo communi specie conciliantur, ut homo homini, lupus lupo; secunda ad fœdera civilia, quæ fiunt ex pactis; tertia ad affectus propinquitatis aut affinitatis; quarta ad affectum misericordiæ, quo & hostium malis indolescimus interdum. Exaggerat autem, quòd ad omnes hos naturæ affectus obsurduerit illorum impietas. Eundem vocum ordinem sequitur Theophylactus, ἀσυνθέτους interpretans τοῖς συμπεφωνημένοις οὐκ ἐμμένοντας, *non persistentes in conventis.* ¶ *Absque fœdere*] Quæso quid hoc est, *sine fœdere?* Num damnat eos qui non pangunt fœdera? an eos potiùs qui nullis fœderibus coercentur quò minùs quodlibet faciant? Unde *fœdifragos* dicere potiùs debuit. Quanquam aliàs Græci ἄσπονδον vocant *irreconciliabilem*, ut ἄσπονδος πόλεμος· & σπονδὴ *sodalitatem* quoque significat: ut intelligas *intractabiles*, *sibi viventes*, *erga neminem jure necessitudinis utentes.* Hic συναθροισμὸς, i. *congeries*, vocum & ἀσύνδετον mirè facit ad orationis impetum ac vehementiam. Et προσονομασία non solùm ad jucunditatem facit, verùm etiam ad odium & inculcationem rei molestæ; veluti si dicas de manifesto mendacio, *Hoc neque scriptum neque pictum est usquam.* ¶ *Sine misericordia*] Ἀνελεήμονας, i. *immisericordes.* Mirum cur hìc interpretem delectarit periphrasis.

32. *Qui cùm justitiam Dei*] Hoc loco Græcorum codices longè à nostris dissident: sic enim est apud illos, Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν, i. *Qui cùm justitiam Dei cognorint, nimirum hanc, quòd qui talia agunt digni morte sint, non solùm eadem faciunt, sed etiam consentiunt facientibus*: ut intelligas gravius esse approbare aliorum malefacta quàm teipsum malefacere tacitum. Sed depravationis occasio fuerunt hæ duæ voces ποιοῦσιν & συνευδοκοῦσι, quæ voces apud Græcos conveniunt cum dativis participiorum pluralivis & cum tertiis personis verborum. Primùm enim ponit *justitiam Dei*, deinde velut exponit quæ sit ea justitia, nempe *quòd qui talia agunt digni sint morte.* Cæterùm unde hæc duo verba, *non intellexerunt*, accesserint in nostris exemplaribus, equidem non satis intelligo. Quanquam etiam illis additis idem erit sensus, si legas per interrogationem negativè, ut intelligas *fieri non potuisse quin hoc quoque intellexerint.* Ex Origine nihil certi potest colligi quod ad hanc sanè rem pertineat, nisi quòd suspicor in eo locum hunc esse depravatum. At Græcorum Scholia tantùm indicant, nonnullis hunc locum aliter legi solere, *ut facere gravius esset, consentire levius.* Verùm nostri, quoniam opinor, ad explendum hunc sensum sentiebant aliquid deesse, addiderunt hæc duo verba de suo, *non intellexerunt.* Cæterùm magno consensu Græcorum qui nunc exstant codices indicant diversum esse Pauli sensum, nempe *gravius esse comprobare aliorum malefacta quàm si ipse labaris in peccatum*, propterea quòd hoc sæpenumero vel casûs est vel infirmitatis, illud vel pestilentissimæ adulationis vel deploratissimæ malitiæ. Sapientium erat plebem indoctam ab his vitiis cohibere: at isti non solùm eadem fecerunt, verùm etiam autoritate suâ confirmarunt populi vesaniam. Ad eum modum interpretatur Chrysostomus & Theophylactus, sed dissentiente Cypriano lib. 1. epist. 4. cùmque hoc Ambrosio. Cæterùm ob δυσπαθεῖς, quosdam præstiterit ipsius Chrysostomi verba subscribere: Δύο τιθεὶς ἐνταῦθα ἀντιθέσεις, ἀνεῖλε αὐτὰς προηγουμένως· τί γὰρ ἂν εἴπῃς Φησὶν ὅτι οὐκ ᾔδει τὰ πρακτέα; μάλιστα μὲν ᾔδεις· σὺ αἴτιος, ἀφεὶς τὸν γνωρίζοντά σοι Θεόν. νῦν δὲ διὰ πολλῶν δείκνυμί σε εἰδότα, καὶ ἑκόντα πλημμελοῦντα· ἀλλ' ὑπὸ τοῦ πάθους ἕλκῃ; τί οὖν καὶ συμπράττεις καὶ ἐπαινεῖς; οὐ γὰρ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράττουσιν· τὴν γοῦν χαλεπωτέραν πρότερον θεὶς καὶ ἀσύγγνωστον, ἵνα ἕλῃ· καὶ γὰρ τοῦ πλημμελοῦντος τὴν ἁμαρτίαν, ἐπαινῶν πολλῷ χαλεπώτερος. τοῦτ' οὖν πρῶτον εἰπὼν, διὰ τούτου σφοδρότερον πάλιν ἐν τοῖς ἑξῆς χειροῦ-

κατακρίνοντας αὐτῶν, οὕτως λέγων, Διὸ ἀναπολόγητος εἶ, ὦ ἄνθρωπε, i. *Duas hic propositas objectiones dissolvit in primis. Etenim quid, inquit, habes quod dicas? Non novi quæ essent agenda? Maxime sane noveras. Tu in culpa, qui Deum per quem hæc noveras reliqueris. Nunc verò multis argumentis convinco te scientem ac volentem peccare. Sed cupiditas te pertrahit ad peccandum? Cur igitur & eadem facis & laudas? non enim solùm eadem faciunt, sed & comprobant facientes. Graviorem igitur culpam & nequaquam ignoscendam prius posuit, ut capiat. Etenim qui delinquentis peccatum exaggerat, multò vehementior est. Hoc igitur priùs locutus, per id vehementiùs etiam in his quæ sequuntur stringit illos, sic dicens, Quapropter inexcusabilis es, O homo.* Theophylactus hunc in modum, Ἔδειξεν ὅτι ἀπὸ τοῦ μὴ θέλειν γνῶναι Θεὸν ἐπληρώθησαν πάσης κακίας· δείκνυσι νῦν ὅτι οὐδὲ συγγνώμης εἰσὶν ἄξιοι· οὐ γὰρ ἔχουσιν εἰπεῖν ὅτι ἠγνοοῦμεν τὸ καλόν· ἔδωκε γὰρ τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, ἐκόντες ἄρα ποιοῦσι, καὶ ὃ χεῖρον τούτου, ἐπαινοῦσι τοὺς πράττοντας, τοῦτ' ἔστι συνηγοροῦσι τῷ κακῷ, ὅπερ ἀνίατα νοσεῖν ἐστίν, *Demonstravit quod ex eo quod nollent agnoscere Deum, repleti essent omni malitiâ. Demonstrat nunc quod nè veniâ quidem digni sunt: non enim possunt dicere, Non novimus quid esset honestum. Noverunt enim justitiam Dei. Volentes igitur faciunt. & quod pejus est, insuper & approbant eos qui faciunt, h. e. patrocinantur malitiæ, qui morbus est immedicabilis.* Facit ad hanc sententiam ipse sermonis tenor, *Propterea inexcusabilis es, O homo.* &c.

VATABLUS.

1. V*Ocatus Apostolus*] Vel *vocatione Apostolus: Vocatus* hìc absolutè positum; q. d. qui secundùm vocationem meam Apostolus sum, vel, vocatus ad munus Apostolicum. Sic infrà, *Vocatione discipuli Christi; Vocatione sancti.* ¶ *Segregatus in Euangelium Dei*] Vel, *separatus in munus Euangelii prædicandi.*

3. *Factus est ei ex semine David secundùm carnem*] i. Originem duxit à posteritate Davidis quod ad carnem quidem attinet.

4. *Prædestinatus*] *Definitus*; i. declaratus & demonstratus fuit. ¶ *In virtute, secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione,* &c.] Vel *per potentiam, per Spiritum sanctificantem, ex eo quòd resurrexit à mortuis Jesus Christus.* Quidam legunt *Jesu Christo*, interposito hyperbato, *Qui factus est*, &c.

5. *Accepimus gratiam & Apostolatum*] i. Redii in gratiam cum Patre, & missus sum ad annunciandum Euangelium. ¶ *Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus*] i. Ut omnes Gentes obediant Christo, fiduciam habendo in eum. ¶ *Pro nomine ejus*] *De nomine*, vel *super nomine*; i. quæ fides est de nomine Christi: Aut *fungimur legatione de nomine Christi prædicando*; aut, *ut celebris habeatur apud Gentes.* Quidam interpretantur, *pro nomine ejus*, loco Christi, ut ad Cor. *pro Christo legatione fungimur.* ¶ *Vocati Jesu Christi*] i. Vocatione discipuli Jesu Christi facti.

7. *Sunt*] Vel *estis.* ¶ *Vocatis sanctis*] i. Vocatione factis sanctis. ¶ *Gratia vobis*] Sub. *multiplicetur*, ut in principio primæ Petri epistolæ. *Et Domino nostro*] *Nostro & Domino*, Vet.

8. *In universo mundo*] Synecdoche, pro *in multis partibus mundi.*

9. *Cui servio in spiritu meo in Euangelio filii ejus*] i. Quem ex animo colo, dum bonum nuntium per filium ejus allatum omnibus aperio, Hebr.

10. *Memoriam*] Vel *mentionem.* ¶ *In voluntate Dei*] Hebr. *per voluntatem Dei*; i. ut contingat, ità volente Deo, ut prospero itinere feliciter veniam ad vos.

11. *Aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis*] *Aliquod impertiar vobis donum spirituale.*

12. *Simul consolari in vobis per eam quæ invicem est*] *Ut communem capiam consolationem in vobis per mutuam*, &c.

13. *Et prohibitus sum usque adhuc*] *Et præpeditus fuerim ad hunc usque diem*; hoc modo ad negotia refertur, vel *prohibitus*, ut referatur ad Spiritum qui etiam in Bithyniam profecturum prohibuit Act. 16. ¶ *Habeam**] * *Et*, Vet.

14. *Sapientibus & insipientibus*] *Eruditis pariter ac rudibus.*

15. *Ità (quod in me) promptum est*] *Proinde, quantum in me est, paratus sum:* (Vet. legunt *Itaque*) Posset etiam sic legi, *Sicut & aliis Gentibus prædicavi (Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum) sic quantum ad animi mei promptitudinem attinet, debeo & vobis*, &c.

16. *Euangelium**] * *Christi.* ¶ *Virtus enim Dei est ad salutem omni credenti*] *Potentia*, Hebr. pro, Euangelium enim est id, quo Deus qui est potens, servat omnes credentes. ¶ *Omni*] *Cuivis.* ¶ *Judæo**] * *Quidem.* ¶ *Græco*] Græcus pro Ethnico ponitur.

17. *Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*] Hebr. pro, Justificatio quâ Deus pro justis habet fidentes Christo, declaratur in ipso Euangelio. Eadem sententia & tertio capite hujus Epistolæ legitur, *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt: in fidem* igitur, i. in gratiam fidelium, ut & *circumcisionem* vocat circumcisos. Vel *ex fide in fidem*, i. per fidem perseverantem, & se aliis atque aliis actionibus prodentem. ¶ *Vivit*] *Victurus est.* Vet. legunt, *vivet*; i. vitam consequetur æternam fidelis, si constanter crediderit Christum esse Salvatorem & illo fisus fuerit.

18. *Revelatur*] *Retegitur, aperitur*; q. d. ideo misit Deus Christum per quem omnes justificaret, quia omnes homines impii erant & idololatræ, quibus ea de causa indignatus erat. ¶ *De cælo*] i. Cœlestis, Hebr. ¶ *In injustitia detinent*] i. Quòd cùm unum Deum cognoscant cui in puritate serviendum sit, injustè nihilominus vivunt.

19. *Quod notum est Dei*] *Quod de Deo cognosci potest.* ¶ *In illis*] i. Apud illos, vel, inter illos. ¶ *Revelavit*] *Manifestavit*, Vet.

20. *A creatura*] Vel, *à creatione*; i. post mundum creatum. ¶ *Per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur*] *Dum per opera intelliguntur, pervidentur.* ¶ *Virtus*] *Potentia.*

21. *Evanuerunt in cogitationibus suis*] *Vani facti sunt suis argutiis*, vel, *frustrati sunt per cogitationes suas*; i. ratiocinationes. ¶ *Obscuratum est cor insipiens eorum*] i. Fuerunt corrupto judicio.

22. *Dicentes enim se*] *Cùm se crederent.*

23. *Et*] *Et* pro *Nam*, Hebr.. ¶ *In similitudinem*] *In similitudine*; i. affigentes illi imaginem hominis: vide Esa. 40. ¶ *Serpentium*] *Reptilium.*

24. *Propter quod**] * *Etiam.* ¶ *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*] i Permisit illos cupiditatibus cordium, &c. ¶ *Contumeliis*] *Ignominiâ.* ¶ *In semetipsis*] *Inter se mutuò.*

25. *Quia*] *Quòd*, Vet. ¶ *Mendacium*] *Mendacio*, Vet. vel, *cum mendacio*; i. cum imaginibus quas Scriptura vocat, *mendacia & nihil.* ¶ *Potius quàm creatori*] *Plus quàm eo qui condidit.* ¶ *Benedictus*] *Laudandus.*

26. *Passiones ignominiæ*] *Cupiditates dedecorosas*, vel *affectus contumeliosos*; i. permisit eos concupiscentiis & desideriis suis immundis.

27. *In desideriis suis in invicem*] *Per appetentiam sui, alius in alium.* ¶ *Mercedem*] Græca vox sign. *pensationem*, ac *præmii retributionem*, seu *mercedem meritis respondentem.*

28. *Et sicut non probaverunt*, &c.] i Deum ex creaturis agnoscere noluerunt, vel, nihil curarunt. *Et*, pro *Nam*, Hebr. ¶ *Tradidit*] Sub. *sic*, quod more Hebr. deest. ¶ *In reprobum sensum*] *In reprobam mentem*; i. fecit ut judicio essent corruptissimo. ¶ *Convenient*] *Conveniunt*, Vet.

29. *Repletos*, &c.] Ad verbum *tradidit* refertur, ut & paulò pòst *plenos.* Possunt autem hi accusativi verti in nominativos. ¶ *Avaritiâ*] Græca vox sign. cùm quis sibi plus usurpat quàm jus est, aut potiores partes, fraudatis etiam cæteris, usurpat. ¶ *Nequitiâ*] *Vitiositate.* ¶ *Homicidiis*] *Homicidio*, Vet. ¶ *Malignitate*] i. Asperis & difficilibus moribus præditos.

30. *Detractores, Deo odibiles, contumeliosos*] *Obtrectatores, Dei osores, feroces, ac per vim alios opprimentes.* ¶ *Elatos*] *Arrogantes.* ¶ *Insipientes, incompositos*] *Expertes intelligentiæ, pactorum haudquaquam tenaces.*

31. *Sine affectione, absque fœdere*] *Alieni à charitatis affectu*, [sc. erga parentes & fratres] *fœdifragi*; i. erga neminem juri necessitudinis utentes, sibi viventes.

32. *Justitiam Dei*] i. Præceptum, vel, Statutum Dei. ¶ *Non*] Hic *tamen* de more Hebræorum intelligi debet.

CASTALIO.

1. V*Ocatus Apostolus*] Quasi tu dicas, *vocatitius.*

3. *Orto ex Davidis semine quod ad carnem attinet*] Σάρκα in S. literis aliquando *corpus* esse, declaravimus in Genesi. Nonnunquam significat *rem corporatam:* unde πᾶσα σὰρξ *omnes homines*, aut etiam *omnia mortalia.* Indè in Joh. 8. κατὰ σάρκα κρίνειν, quod solet dicere Paulus κατ' ἄνθρωπον. Itaque possis hoc verbum Latinè *humanitatem*, aut *humanam con-*

ditio-

ditionem sive *naturam* appellare, aut etiam *corpus*. Nam in hujus epistolæ c. 7. Paulus dixit, τὰς πράξεις τοῦ σώματος, pro τῆς σαρκός. Hinc σαρκικὸς idem qui *humanus*, *terrestris*, *corporalis*; cui opponitur πνευματικὸς, qui Latinè *divinus* à Divino Spiritu ritè dici potest. Sed cùm omnibus artibus permittantur sua vocabula, nobis permitti debet ut saltem in translatione *carnem* & *spiritum*, sicubi videbitur, appellemus, nè quem offendamus; sic tamen ut id citra superstitionem faciamus; Cùm enim Paulus ipse eadem de re non semper idem verbum ponat, nos quoque in verbis cogi non debemus, modò de re constet.

4. *Definito Dei filio*] Certò demonstrato ac declarato.

7. *Omnibus qui Romæ estis, Deo charis, vocatis sanctis, gratiam & pacem*] Ad verbum sic legitur, *Gratia vobis & pax*: qui Hebraismus est in accusativum Latino more mutandus. *Pacis* autem vocabulum in salutationibus apud Hebræos poni, & *salutem* Latinè dici posse, aliàs ostendi. Sed id fieri non semper necesse est, præsertim ubi cum aliis conjungitur.

12. *Ut unà apud vos recreemur*] Scilicet ego & vos.

13. *Ut profectum aliquem apud vos quoque faciam*] Καρπὸν vocat προκοπὴν, scilicet *Euangelii*: ut Phil. 1. ubi utrumque eadem de re ponitur. Indè καρποφορεῖσθαι, h. e. *proficere*, dicitur *Euangelium* Col. 1. 6.

14. *Doctis ac imperitis debeo*] Σοφὸς etiam Græcis, ut חכם Hebræis, non solùm *sapientem* sed & *doctum* declarat: & apud Latinos olim, teste Cicerone, iidem erant *docti* qui *sapientes*.

17. *Nam per id Divina justitia exseritur, perpetuanda fide*] Per Euangelium fit homo justus, dum fidem habet, & in ea perseverat.

28. *Ac quemadmodum Dei cognitione non probè usi sunt*] Cùm Deum nossent, non ut dignus erat honorarunt.

CLARIUS.

1. PAulus servus Jesu Christi] Intuere quantâ sit majestate principium, solam comprehendens salutationem, ut si quis nunc primùm in hanc incidat Epistolam, necessariò admiretur. Audis in hoc exiguo verborum ambitu, *Euangelium Dei*, rem eo tempore mundo novam: Quibus tamen hæc nova res, nè ob novitatem suspecta sit, nitatur fundamentis continuò docet, hoc scilicet Euangelium multò *antè promissum fuisse per Prophetas Dei in Scripturis sanctis*. Addit quæ sit hujus Euangelii summa, nempe Adventus *Filii Dei per carnem*, qui *sua Divinitatis fecit fidem factis ipsis quæ per Spiritum Sanctum declaravit*, præsertimque *ex eo quod resurrexit à mortuis*; quod unum argumentum pro centum millibus esse debet ad hanc veritatem roborandam, atque *ad hanc fidem omnes omnium nationum populos esse accessuros*, *eique obtemperaturos*. At nobis ipsa consuetudo, vitiosè tamen, impedimento est nè tantarum rerum magnitudinem contemplemur. ¶ *Vocatus Apostolus*] Imitatus est Esa. 48. qui & ipse ait, *de civitate sancta vocati sunt*, h. e. nomen habent. ¶ *Segregatus*] Sic & Gal. 1. *Qui me segregavit ab utero matris meæ*, *& vocavit per gratiam suam*, *ut revelaret Filium suum in me*, *ut euangelizarem illum in Gentibus*.

3. *De Filio suo*] Qui scilicet mittendus esset in redemptionem humani generis. ¶ *Ex semine David secundùm carnem*] Quod ait *secundùm carnem* sic accipe quemadmodum & illud in Actis, *sedere super sedem ejus*, *quantum ad carnem*, h. e. quantum ad acceptam hominis naturam: ut necesse fit intelligere in eo Divinam naturam; alioqui quid opus fuisset addere *secundùm carnem*?

4. *Qui declaratus est*] Ὁρισθέντος, *quod idem esset*, ait Chrysost. *quod* δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος ἀπὸ τῆς ἁπάντων γνώμης καὶ ψήφου, h. e. *qui demonstratus*, *declaratus*, *judicatus est omnium sententiâ & suffragio esse Filius Dei*. Illud autem *in virtute*, Hebraica locutio, hunc locum apud nos non habet, sed planius fit hâc particulâ *per*. Et illud *secundùm* κατὰ videtur potiùs pro *per* accipiendum: *ex hoc enim quod efficaciâ resurrectionis Spiritum S. misit in nos*, *declaratus est*, &c.

¶ *Ex resurrectione*] Putant quidam hic Hebraismum esse, sic, *ex resurrectione Jesu Christi*, *unius è numero mortuorum*, sive verè mortui. Et Zach. 9. ubi nos legimus, *sedens super asino*, *& pullo filio asinæ*, Hebraismus habet *asinarum*.

5. *In nomine ejus*] *Nomen* in Scripturis sæpe accipitur pro *auxilio*, *majestate*, sive *numine* ipso. Sed quia in Græco est *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi*, non est aspernandus sensus, *mortuos Jesu Christi* esse qui mortui peccatis in novam vitam surrexerunt, idque per fidem in Christum: quare ex hac *virtute & efficacia declaratus est Filius Dei*.

7. *Gratia vobis & pax*] Familiaris Paulo precatio, quæ & bona omnia breviter complectitur, eáque Dei benignitati accepta referat.

12. *Id est, ut simul capiam consolationem*] Videtur veritus esse nè per id quod dixerat, *ad confirmandos vos*, crederetur sibi aliquid arrogare; ideo verba illa nunc interpretatur. Ingentem hominis circumspectionem!

13. *Ut aliquem fructum*] Sæpe, inquit, *proposui venire ad vos*, *ut aliquem fructum haberem & in vobis*, *sed prohibitus sum usque adhuc*.

14. *Sapientibus & insipientibus*] Declarant hæc verba illud quod dixerat, *Græcis ac Barbaris*. Non hæc, inquit, scribo quòd mihi quicquam arrogem, sed jubeor hoc euangelizandi munus apud omnia hominum genera exercere.

16. *Judæo primùm & Græco*] Servat suæ genti honorem suum, ad quos præcipuè facta erat & promissio. Atque hoc sapienter facit, præparans eos ad benevolè audienda quæ in Judæos dicenda sunt. *Græcum* verò appellat Gentilem. Ἕλλην autem utrumque significat: nam Græcâ linguâ omnes ferè gentes utebantur. *Græca*, ait Cicero, *leguntur in omnibus ferè gentibus*.

17. *Justitia enim Dei*] h. e. Docetur hoc Euangelio, non operibus Legis contingere justitiam, sed fide, & veterum videlicet, qui Christum præcesserunt, fide in Christum venturum, & nostrâ in Christum qui jam advenit: *sicut* in genere *scriptum est* de quovis justo, *Justus ex fide vivet*. ¶ *Ex fide in fidem*] Per incrementa fidei: ut & illud, *Ibunt de virtute in virtutem*. Hoc autem est quod & Joannes Baptista dixit, *Omnes de plenitudine ejus accepimus gratiam pro gratia*, ingentem scilicet pro exigua. Revelat, inquit, Deus per hoc Euangelium quibusdam incrementis suam justitiam, ut clariorem fidem faciat ejus nunc quàm antea unquam; quæ & tunc tamen credebatur, nè, cùm præconia fidei protulero, quasi rem novam admiremini. Vel ex fide quam adhibemus Euangelio consequimur Spiritum sanctificationis, per quem habetur viva illa fides & viva spes rerum æternarum: quam vivam spem ad Galatas appellat *fidem quæ revelanda erat*.

18. *Revelatur enim ira Dei*] Primùm ostendit per Euangelium hoc Dei humanam dejici sapientiam, quæ ità desipuerit ut nihil minùs quàm Autorem suum norit, quæ res una vel certè præcipua nos à cæteris animantibus distare facit. Deinde ad illud veniet cujus gratiâ in primis instituta Epistola est, nè Judæos quidem scilicet habere quo glorientur: ut demum subjiciat se totus mundus Deo, & se, quicquid sit Dei munere esse intelligat. Nam quod ait, *qui veritatem Dei in injustitia detinent*, declarat, cùm paulò pòst dicit, *quia cùm cognovissent Deum*, *non tanquam Deum glorificaverunt*, &c. Revelatur ergò per hoc Euangelium & hominum impietas, & quo pacto justitiam assequi possint.

22. *Dicentes enim*] h. e. Cùm dicerent se esse sapientes, opera illorum prodebant insignem eorum stultitiam.

24. *Propter quod tradidit illos Deus*] Jam diximus hoc esse Scripturæ S. familiare ut ea facere dicatur quæ fieri patitur.

27. *Recipientes*] Est ergò hæc cæcitas tam manifesta peccati pœna & irati Dei argumentum ut nè ullâ quidem humanâ ratione negari possit. Quare confiteantur necesse est, opus sibi esse reconciliatione.

32. *Consentiunt*] Patiuntur alios eadem agere, atque adeò favent, ut in sequenti Scholio habes.

ZEGERI PRÆFATIO

DE

PHRASIBUS QUIBUSDAM PAULINO

SERMONI FAMILIARIBUS.

QUisquis rectè intelligere & interpretari scripta Apostolorum cæterorúmque Christi Discipulorum desiderat, eum necesse est non ignorare peculiares quosdam arcanarum literarum tropos ac loquendi consuetudines, quibus ità passim involuta sunt cœlestium secretorum Divinæque sapientiæ mysteria ut non facilè ad eadem pervestiganda & invenienda citra illorum cognitionem pateat introitus. Nam, ut ex. c. primùm de Vulgata nostra & Ecclesiæ usitata N. Instrumenti versione loquamur, quo pacto hanc intelliget qui veterem illum ignorarit loquendi modum quo tùm vulgus utebatur, & quo ipsa versio pro omnium captu próque faciliori ipsius intellectu ac publica totius vulgi utilitate conscripta est? siquidem nostrâ hac ætate diversus planè est, & dubio procul castigatior, delicatior & Latinior loquendi usus: ità ut si hunc cum veteris illius populi loquendi usu (paucorum excipio sublimioris eloquentiæ eminentiam) conferas, quasi δὶς διὰ πασῶν, quod dici solet, hic ab illo discrepare videatur. Quo etiam fit ut quò quisque Latinior ac Tullianæ eloquentiæ instructior est, hoc ferè minùs in arcanis literis Vulgatam hanc legens editionem adsequatur atque intelligat. Quinimo in quocunque sacros quis evolvat N. Instrumenti codices idiomate, frustrà sibi pollicebitur ipsorum intelligentiam citra certarum consuetudinum ac proprietatum earundem cognitionem, nisi certè probatorum interpretum juvetur commentariis, maximè autem veterum, eorum videlicet qui ætate Apostolorum, aut non ità longè post illorum tempora claruerunt, qui optimè idiotismos illos & phrases calluerunt; quibus ipsi usque adeò non sunt offensi ut compluribus eorum haud magnopere aut parùm curæ fuerit ejuscemodi dictionum & locutionum characteres commonstrare atque elucidare, utpote quos arbitrarentur nulli non esse usitatos ac notos. Nam ut Græcam linguam, quâ omnes penè ab ipsis autoribus descripti sunt N. Instr. libri, rectè calleas, ejúsque peculiares dicendi formas optimè teneas, nisi etiam aliarum quarundam linguarum, veluti Hebraicæ, Chaldaicæ & Syriacæ, proprietates, imò barbarismos, denique nisi & peculiares nonnullarum sive Latinarum sive Græcarum vocum apud emendatè loquentes minimè aut secùs usitatarum significantias non ignores, non erit sanè unde sinceram tibi possis Divinorum eloquiorum polliceri intelligentiam, quinimo sæpe tibi erit in eorum intellectu cæcutiendum & hallucinandum, nisi fortè (ut modò diximus) probati ac sinceri alicujus enarrationis passim juveris glossemate. Nos itaque, quò studiosis, præsertim recentioribus Sacræ Theosophiæ discipulis, semitam aperiamus, quâ possint compendio veram ac sinceram Scripturarum penetrare intelligentiam, brevissimos hosce commentariolos consarcinavimus; in eos videlicet locos qui ob tropum aliquem aut aliud quodvis involucrum aliquid videbantur postulare lùcis atque explanationis.

Verùm quia necesse fuerat eadem frequenter repetere si singulos quosque locos communi aliquo modo nodóve perplexos speciatim illustrare parassemus, consultius opportuniúsque visum fuit ut hìc generales aliquot regulas ac loquendi formas Paulinis præsertim literis familiares adnotaremus, quibus in genere communes ejusmodi loci explicentur.

Inter figuras igitur prima occurrit Hyperbaton, quâ sic passim involutus est hujus Apostoli sermo ut lectores non modò perplexos verùm etiam sæpenumero reddat, præsertim qui delicatioris & impatientioris ingenii sunt, fastidiosos. Est autem Hyperbaton sive Hyperbasis, quoties perturbatus aut alioqui insuavis reperitur orationis ordo, & longiùs differtur id quod orationem reddat absolutam; quemadmodum videre est in aliquot Epistolarum salutationibus, in quibus longiùs abest quod implet sententiam, nempe *gratia vobis & pax*, aut simile aliquid. Huc etiam pertinet quod est 1 Cor. 16. *Obsecro autem vos, nostis domum Stephanæ & Fortunati:* ubi quod tandem subjungitur, *ut & vos subditi sitis ejusmodi*, ad initium hoc, *Obsecro vos*, referendum est. Item Heb. 3. *Hodie si vocem*, &c. quæ omnia pendent ab eo quod in sequentis capitis exordio subditur, *Timeamus ergò.* Hæc paucula exempli causâ adduxisse sufficiat.

Frequens est in hoc Apostolo Prothesεωn Parallage; quando videlicet præpositionis particulæ aliæ pro aliis usurpantur. Hâc figurâ ἐν *in*, h. e. ἐν (non autem εἰς, cujus diversa natura est) frequentissimè pro *per* usurpatur. Ut 1 Cor. 6. *Et si in vobis judicabitur mundus*, i. *per vos.* Et alibi passim *in Christo Jesu*, h. e. *per Christum Jesum.* Interdum quoque eadem particula pro *inter* posita reperitur: ut Rom. 1. *In quibus estis & vos*, i. *inter quas estis & vos.* Nonnunquam verò & supervacanea est, ac tum significantiam habet Instrumentalem; id quod ad Hebræorum idioma propriè pertinet, qui sic loquuntur, *Percusserunt in gladio*, *Succenderunt in igni*, *Accepit cultros petrinos in quibus circumciderat filios Israel.* Ità & Apostolus Rom. 1. *Qui prædestinatus* (sive *definitus*) *est Filius Dei in virtute*, i. *virtute*, vel *per virtutem:* quanquam possit

possit hoc etiam per *ex* resolvi. Item 1 Thes. 4. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini.* Et ibidem infrà. *Consolamini invicem in verbis istis.* Eâdem figurâ κατὰ, i. *secundùm*, vel *juxta*, pro *in* reperitur. Ut Rom. 9. *Secundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* Et Heb. 11. *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti.*

Ità quoque Syndesmon Parallagen reperias; ut cùm *enim* pro *autem*, εἴπερ (quod Vulgatus interpres *si tamen* convertit) pro ἐπείπερ, i. *siquidem*, ὅμως (quod in *tamen* ab eodem vertitur Interprete) pro *certè: sed* pro *imò*, atque item alia pro aliis posita, ipse orationis tenor manifestat. Heb. 2. *Nusquam enim Angelos apprehendit.* Ejusdem ep. c. 7. *Translato enim Sacerdotio, necesse est ut & Legis translatio fiat.* Rom. 8. εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, *siquidem Spiritus Dei habitat in vobis.* 1 Thess. 2. εἴπερ δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ἡμᾶς θλῖψιν, *siquidem justum est*, &c. 1 Cor. 7. *Quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem.* Ejusdem 8. *Sed sicut in omnibus abundatis fide.* Posset tamen uterque hic locus etiam per & interpretari. 1 Cor. 14. ὅμως τὰ ἄψυχα φωνὴν διδόντα, *certè quæ sine anima sunt vocem dantia.* Gal. 3. ὅμως ἀνθρώπου, *certè hominis confirmatum testamentum nemo spernit.*

Offendas præterea & multas concisas vel per Anapodoton sive Aposiopesin vel per Eclipsin sententias, in quibus necesse est subaudiri aliquid: verùm de his ipsis, & quid subaudiendum sit, suis potiùs locis dicendum judicamus.

Hypallagen item tum admittere Apostolus intelligendus est cùm contrariâ constructione rei commutat proprietatem. Ut cùm dicit *secundùm legem mandati carnalis*, pro eo quod est, *secundùm mandatum legis carnalis:* ut habes Heb. 7. Item cùm dicit *in sanctitate veritatis*, pro *in veritate sanctitatis*, vel *in vera sanctitate*, ut est Ephes. 4. Et cùm dicit, *ministerium hujus officii*, pro *officium* seu *munus ministerii*, 2 Cor. 9.

Usitatissima est S. literarum scriptoribus quædam veluti Hendiadis, quâ unum quid per duo indicant substantiva, quorum posterius (quod apud hos ferè paterni casûs est) per adjectivum resolvi potest: ut cùm dicunt *corpus humilitatis*, pro *corpore humili; lapidem offensionis*, pro *lapide offensorio; oves occisionis*, pro *ovibus occidendis; sanctitatem veritatis*, pro *sanctitate vera; odorem suavitatis*, pro *odore suavi; mortificationem vulvæ* (sic enim Græcè est Rom. 4.) pro *vulva emortua; filios diffidentiæ* & *inobedientiæ*, pro *filiis incredulis & immorigeris.* Sic autem loquuntur ex consuetudine sermonis Hebraici, cui solenne est abstractis uti loco concretorum. Videtur tamen dictis ac similibus verbis propter abstracta ipsa aliquid subesse majoris energiæ quàm iisdem per concreta resolutis; ut malim hoc potiùs aut simili pacto resolvere, *corpus humilitati*, seu *vilitati, subjectum; lapis offensioni expositus; oves occisioni destinatæ; filii inobedientiæ devoti*, vel *filii contumaces; odor suavitate plenus*, &c.

Nonnunquam Apostolus duo connectit substantiva, quæ tametsi diversorum casuum sint ad idem tamen pertinere intelligenda sunt: ut cùm dicit Eph. 4. *à vita Dei*, idem sentit ac si dicat *à vita quæ Deus est.* Rursus ejusdem ep. 2. cùm dicit *parietem maceriæ*, sentit ipsum parietem qui & maceries est. Item eodem *principem Spiritûs* principem Spiritum appellat.

Temporum Catachresis frequentissima est in scriptis Apostolicis. Nam quemadmodum juxta Græcanici sermonis proprietatem in verbis ad affectum pertinentibus præteritis abutuntur loco præsentium, ità ex Hebraici imitatione idiomatis & alias passim Grammaticales temporum leges proprietatésque negligunt & confundunt. Unde & Interpres V. quò commodior redderetur oratio, non rarò in transferendo ipsam etiam temporis proprietatem studuit restituere. 2 Tim. 4. *Non solùm autem mihi, sed* πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι, *omnibus qui dilexerunt* (pro *diligunt*) *adventum ejus.* 1 Cor. 15. *Novissima inimica destruitur mors:* sic enim Græcis est, quod commodissimè Interpres vertit, *Novissima autem inimica destruetur mors.*

SANCTI sive *SANCTORUM* vocabulo substantivè posito apud Paulum Christiani appellantur. Rom. 1. *Dilectis Dei, vocatis sanctis.* Ephes. 3. *Mihi omnium sanctorum minimo.* Ejusdem 5. *Sicut decet sanctos.*

Quanquam eadem sit Patris ac Filii Divinitas, idémque dominium, ut ex variis potest comprobari Scripturarum locis, tamen B. Paulus atque item cæteri canonici scriptores, quoties *DEI* vocabulum ponunt, Patrem, quoties verò *DOMINI*, Filium ferè volunt intelligi. Unde 1 Cor. 12. ubi apertè tres distinguuntur Divinitatis Personæ, sic scriptum est, *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Phil. 2. *Propter quod & Deus* (sub. Pater) *exaltavit illum.*

GRATIA quoque Paulinum verbum est, quod libenter inculcat, excludere cupiens carnalem fiduciam Legis Mosaicæ: χάρις autem apud Græcos nonnunquam *beneficium* significat *quod confertur gratuitò.* Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam.* 2 Cor. 8. *Et perficiat in vobis etiam gratiam istam.* Unde & χαρίζομαι idem est quod *beneficium largior*, sive *gratuitò dono.* Nonnunquam *peculiarem quendam & efficacem favorem* declarat *Gratiæ* vocabulum; ut, *Invenisti gratiam apud Dominum*, Lucæ 1. Nonnunquam *beneficii obligationem*; ut, Ἔχω χάριν, οἶδα χάριν, &, Μιμνήσκομαι χάριν. Nusquam autem, ubi de *DEI* agitur *GRATIA*, solus externus favor indicatur, qualis esse consuevit domini in servum (ut volunt nonnulli) cùm potiùs sit qualitas quædam interna quæ per ipsum Dei favorem homini infunditur. Præterea (ut in summa dicam) *gratia* est omne illud quod mortales Divino favore ac beneficio per Christum aut Spiritum S. de immortalis Dei plenitudine accipimus, quo vel vocamur ad fidem, vel absolvimur à peccatis, vel mala defugimus, vel bona agimus, vel glorificamur, vel aliud aliquod donum consequimur. Qui plura desiderabit de vocis hujus acceptione videat Institutionem Christianam Concilii Coloniensis.

 Et

Et *SPIRITUS* vocabulum sæpenumero opponit adversùs carnalem Jehudaismum & carnalem Legis Mosaicæ observationem, quam nusquam non insectatur B. Apostolus. 2 Cor. 3. *Litera occidit, Spiritus vivificat.* Gal. 5. *Quòd si Spiritu ducimini, non estis sub Lege.*

Proinde ipsam Legem *LITERAM* nonnunquam & *MORTEM* suo more appellat. Ità enim scribit 2 Cor. 3. *Quòd si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria*, &c.

FIDEM frequenter usurpant S. literæ pro *fiducia erga Deum*, ut non multùm differat à Spe. Interdum pro *credulitate* sive *persuasione*, quâ assentimur his quæ de illo nobis tradita sunt, quam *historicam* dicere possis, quâ credunt & dæmones Jac. 2. Nonnunquam simul utrumque complectitur *fidei* vocabulum, assensum illum & in narratis & in promissis, & fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, non sine spe, h. e. exspectatione promissorum. Sed absoluta & perfecta fides, cujus frequentior est in Scripturis mentio, ea est quâ non modò *Deo* & *Deum* credimus, verùm etiam *in Deum*, h. e. credendo pio affectu pariter & affectu in Deum tendimus & ab illo pendemus: quam propriè *fidem vivam* & *gratiæ* dicimus. Atque hæc simul Spem, Charitatem & Bona opera complectitur. Et hactenus quidem dicitur *fides hominis*. Cæterùm & *DEI FIDES* dicitur quam ille præstat in promissis: unde & Deus *fidus* sive *fidelis*, h. e. πιϛὸς, dicitur, eò quòd non fallat. Sed homo *fidelis* dicitur qui credit promittenti, præter usum Latini sermonis; & tamen sic frequenter loquuntur S. literæ. Nam *dispensator fidelis* Latinè dicitur: *infidelis* autem non Latinè, sed in Scripturis, dicitur qui diffidit; Græcè meliùs ἄπιϛος sive ἀπειθής. Nonnunquam *FIDES DEI* dicitur quâ nos illi fidimus potiùs quàm homini; cujus dicitur & ob hoc quòd ab illo donatur, non solùm quòd in illum tendat. Interdum utriusque; ut, *Justus ex fide vivet;* Dei, qui non fallit in promissis; & hominis, qui in Deum credit. Ad utrumque pertinet quod Rom. 1. dicitur, *ex fide in fidem.* Quemadmodum enim Deus statis temporibus aperire cœpit qualis esset, & præstare quæ promiserat, ità crevit per gradus hominibus in Deum cognitio & fides. Hîc igitur memineris oportet quòd ubicunque Paulus vel alia Scriptura sacra Fidei tribuit *justificationem*, *salutem*, *vitam*, aut aliquid hujusmodi, de fide loquatur viva & perfecta. Vide Enchiridion Consilii Coloniensis.

Familiare insuper est D. Paulo, ut *CIRCUMCISIONIS* nomen pro *Jehudæo* aut pro *Jehudaismo* usurpet, atque item *PRÆPUTII* pro *Gentili* aut pro *Gentilitate.* Gal. 2. *Cùm vidissent quòd creditum est mihi Euangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.* Hîc *præputii* & *circumcisionis* nomina pro *Gentili* & *Jehudæo* posita sunt. Rom. 2. *Si prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est*, h. e. Jehudaismus tuus Gentilitas sive Paganismus factus est. Ubi & sequitur, *Si igitur præputium*, i. Gentilis, *justitias legis custodiat, nonne præputium*, i. Gentilitas, *in circumcisionem*, i. in Jehudaismum, *reputabitur?*

PROPHETIA aliquoties non *vaticinium* seu *prænunciationem futurorum*, sed potiùs *prædicationem* ac *Divinæ Scripturæ interpretationem* significat. Quemadmodum & Plato quoque *Vates* discernit à *Prophetis.* Similiter & *prophetare* dicitur non modò qui ventura prædicit, sed qui interpretatur, & sensus in Scripturis retrusos eruit & explanat. 1 Cor. 14. *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem.* Quibus verbis quodammodo edisserit Apostolus quid ipse *prophetandi* vocabulo etiam in aliis, præsertim ejusdem capituli, locis indicatum velit.

Habet & Zeugmatis obscuram quandam speciem Apostolus; ut dum idem verbum, quod bis exprimi poterat, altero loco subintelligendum relinquit. 2 Cor. 7. *Igitur & si scripsi vobis, non propter eum qui passus est*, sub. *scripsi vobis*, &c.

ÆDIFICARE pro *prodesse*, & *ÆDIFICATIONEM* pro *profectu* Paulina phrasis usurpat. Atque item *DESTRUERE lædere*, & *DESTRUCTIONEM læsionem* sive *detrimentum* appellat. 2 Cor. 10. *De potestate nostra quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem vestram.* 1 Cor. 8. *Charitas ædificat.* Rom. 14. *Noli propter escam destruere opus Dei.*

Υἱοθεσία, quanquam simpliciter *adoptionem* signet, hoc tamen sermone D. Paulus *eam* indicat *quæ in filios Dei est adoptionem.* Rom. 8. Υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, *adoptionem exspectantes*, quod Vulg. interpres juxta sensum reddit *adoptionem filiorum Dei exspectantes.* Gal. 4. ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. sensus est, *ut in filios Dei adoptaremur.*

DIEM præterea non rarò pro *judicio* ponere consuevit. 1 Cor. 4. *Aut ab humano die.* Ejusdem cap. 3. *Dies enim Domini declarabit.* Item cap. 5. *In die Domini nostri Jesu Christi.*

ZEGE.

ZEGERUS.

1. *Paulus*] Beato Aopstolo Paulo & natione simul & religione Hebræo Hebraicum primò nomen *Saul* inditum fuit. Hoc enim nomine à Domino compellatus est, in necem Christianorum properans Damascum, ità dicente, Σαοὺλ, Σαοὺλ, *quid me persequeris?* Act. 9. Idem autem hoc nomen tandem in Græcam pariter & Latinam formam deflexum est, sicuti & alia pleraque, ut *Joseph* in *Josephus*, *Jaacob* vel *Jacob* in *Jacobus*; atque ità ex *Saul* Σαῦλος, vel potiùs Σάυλος & *Saulus*, mediâ productâ, dictus est. Ubi verò idem Apostolus sacramentis fuit initiatus fidei Christianæ, nè Petro & aliis nonnullis Apostolis (quibus unà cum mutata religione commutata fuit & nomenclatura nominis) hac in parte esset dissimilis, occasione sumptâ juxta veterem quorundam morem) ab insigni illo suo quod Christo attulerat spolio, nempe Sergio Paulo Proconsule Act. 13. quem primum omnium ex Gentibus Imperatori suo Christo lucrifecerat ipsiúsque militiæ subegerat, *Pauli* nomenclaturam sortitus est. Arcano autem Divini Spiritûs consilio atque operâ factum apparet ut tale tandem sortiretur vocabulum quod familiare esset Græcis juxta ac Latinis, & nihilominus Judæorum populis non esset prorsus inauditum; utpote quod quàm minimùm à priore illo *Saul* discreparet: nè videlicet vel hi & nomine prorsus & religione commutatum palàm exsibilarent atque aversarentur; vel illi, quibus se Doctorem à Deo datum profitebatur, non agnoscerent, sed libentiùs etiam exciperent. Quippe decebat ut hic *omnia fieret omnibus, ut omnes faceret salvos*, 1 Cor. 9. Pulcerrimè quoque Apostoli facto quadrat, quòd priùs turbulenti & superbi illius *Saul* nomenclaturâ donatus est. Nam quemadmodum ille Christi Davidis Regis, ità & hic persecutorem egit Christi summi omnium Regis, atque ipsius Ecclesiæ. Sed simul atque Divinâ miseratione ad Christianismum accitus fuit, apertè omnibus declarare voluit quòd sicuti superbi illius Regis nomen deserebat, ità simul cum nomine & ingenium illius vitámque jam tum exueret. Nec minùs aptè in hujus vitam quadrat & ipsa nominum interpretatio, de quibus ità B. scribit Hieron. in Epist. ad Philem. *Paulus*, inquiens, *in Hebræo Mirabilem sonat. Reverà mirum ut pòst Saul, qui interpretatur Expetitus, eò quòd ad vexandum Ecclesiam fuisset à Diabolo postulatus, de persecutore vas fieret electionis.* Verùm ut libentior assentior Hieronymo in eo quòd *Saul* interpretatur *Expetitus*, ut à *Schaal* deducatur, quod est *Petivit, postulavit, commodavit*, quàm iis qui *Inquietudinem Tentationémque* (quod Ambrosius facit) vel qui *Saturitatem* aut *Tentationem respicientis*, aut *Habitantem* aut *Abutentem* interpretantur, moti nescio quibus occasionibus (quanquam posteriora etiam apud Hieronymum reperio) ità rursus libentiùs iis assentior qui *Paulum* aut *Quietum* interpretantur, à Gr. themate παύομαι, quod *desino* & *quiesco* sonat, unde & παῦλα *quies*; aut *Modicum* & *Pusillum* declarare adserunt sumptâ à Latinis etymologiâ; ut ex turbulento & superbo intelligas factum quietum humilémque & pusillum, juxta illud Eph. 3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc*; quàm iis qui *Os tuberis* interpretantur (pro quo *Os tuba* nonnulli codices perperàm, ni fallor, habent) sumptâ etymologiâ ab Hebræo *Pah* vel *Pi*, & Græco πλὴ, quorum illud *os*, hoc *tuber* declarat; imò quàm ipsi Hieronymo De Nom. Hebr. (si tamen Hieronymus est) qui PAULUM *Mirabilem* & aliàs etiam *Electum* sonare dicit, sumptâ ab Hebræis etymologiâ, apud quos PALAH *separavit, segregavit*, & *mirabile fecit*, & PÆLÆH *mirabile* signat. Ambrosius illud utrumque attingit, *Paulum* interpretans simul *Quietum* & *Humilem*, vel *Parvulum*. Augustinus Tract. in epist. Johan. 8. posterius tantùm habet, nempe *Humilem* & *Modicum*. Absit tamen ut quis me hîc damnare putet cujusquam interpretationem, cujus ipse fortasse rationem non adsequor. ¶ *Vocatus Apostolus*] *Vocatus* hoc loco pariter & sequentibus, ubi dicitur, *vocati Jesu Christi*, & *vocatis*, non participii est, tanquam ità dicti & appellati sint, sed nominis substantivi particula est. Græcè enim κλητὸς legitur. Valet autem tantundem ferè ac si dicas *vocatione* (vel *per vocationem*) *Apostolus*; *vocatione sanctis*; & *qui per vocationem ipsius sunt Jesu*, vel *ad Jesum pertinent*. Cæterùm ἀπόστολος *nuncius* interpretatur. Erat & nomen Principatûs apud Athenienses, cujus officium erat ordine instruere classem: id quod optimè juxta sensum mysticum huic & cæteris congruit Apostolis Ecclesiæ. Indicat autem hæc vox in Scriptura (ut hoc in genere & obiter admoneam) non modò *missionem & legationem*, ut ex nominis colligitur origine, verùm etiam dignitatem ac potestatem quâ quid præcipi prohiberíque atque adeò etiam leges condi possunt. Nam quòd Apostoli in supremo fuerint Ecclesiæ gradu in quo est potestas & autoritas, arguitur ex illo 1 Cor. 12. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes.* Et quòd hâc potestate Paulus ipse usus sit, ipsemet manifestat dum ait 1 Cor. 7. *Sicut in omnibus Ecclesiis* διατάσσομαι, *i. ordino.*

4. *Qui prædestinatus est Filius Dei*, &c.] Quanquam Hieronymus in Comment. Origenes in Ephes. 1. super illud, *qui prædestinavit nos*, & Chrysostomus palàm declarent sese legisse ὁρισθέντος, puto tamen ab Apostolo προορισθέντος scriptum fuisse, idque, quòd videretur non competere in Dei Filium, mutatum esse in ὁρισθέντος. Nam *prædestinatus* cum nostro Interprete legunt quotquot ferè scripsere ante Hieronymum, ut Irenæus lib. 3. cap. 18, & 32. Hilarius lib. De Trin. 7. Origenes, non quidem in suis Commentariis; ubi non ipse sed interpres Hieronymus suam de lectione sententiam ponit, sed lib. περὶ ἀρχῶν 2. c. 4. quem vertit Ruffinus, & Ambrosius, qui etiam scribens in illud Rom. 5. *Regnavit mors ab Adam*, testatur etiam versionem quâ ipse usus est editam fuisse tempore ferè Apostolorum. Quibus respondet & Tertullianus ad Praxeam habens *præfinitus*; & Augustinus; ut cæteros sileam. Idem etiam colligi potest ex illo quòd antiquus interpres nusquam alibi *destinandi* ponat verbum, nisi ubi est προορίζειν ut Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit*. 1 Cor. 2. 7. *quam prædestinavit*. Eph. 1. 5. *qui prædestinavit nos*: & ibidem, *prædestinati secundum propositum*. Nam ubi πρὸ abest, aliud quid ponit, quale & hic (ut probabile est) posuisset si legisset ὁρισθέντος ut Act. 2. *hunc definito consilio*: & 10. *qui constitutus est*: & 17. *definiens statuta tempora*, &c. Sicut Latinis & Græcis diversa est lectio, ità diversa utrisque est enarratio. Quod ergò nos legimus, *Qui prædestinatus est Filius Dei*, Græcis est τοῦ ὁρισθέντος, h. e. *qui definitus, certò pronunciatus, demonstratus ac declaratus est*. Ὁρίζειν enim non modò *destinare & decernere*, verùm etiam *certò pronunciare, definire, declarare & indicare* signat. Unde & ab hoc verbo modum suum *indicativum* quòd certum aliquid *indicet*, ὁριστικὸν vocant Græci; & *certam de rei natura sententiam* ὅρον appellant. Proinde si hoc sequamur, rectè totus hic undique quadrabit sermo. Nam quod ad Christi carnem & humanitatem attinet, ipsum esse *factum* & *natum* jam præmiserat *ex semine Davidis*: Quod verò ad Spiritum ipsius attinet, qui est *Spiritus* totius *sanctimoniæ* & *sanctificationis*, omnia sanctificans, Divinâ suâ *potentiâ atque virtute demonstratus ac declaratus est* verè esse *Dei Filius*, idque in primis *ex* stupenda illa *mortuorum* corporum *resuscitatione* quâ & se fecit & alios mirabiliter reviviscere, qua in re vel maximè Divinam suam potentiam, eóque & Dei se Filium apertè demonstrat. Vide Thomæ part. 3. quæst. 24. art. 1, & 2. Porrò qui à Vulgata lectione Latina statuerit non recedendum, quòd probabile sit ejus autorem pro ὁρισθέντος legisse προορισθέντος, ad hunc poterit modum intelligere, *Qui*, subaudi quod paulò antè præcessit, *Jesus Christus*, in duabus subsistens naturis, *prædestinatus* & ab æterno *præordinatus ac definitus* est, non secundùm id quod semper fuit, sed secundùm carnem, ut jam homo *factus*, *Filius* nihilominus esset ac maneret *Dei* naturalis, *in Divina virtute & potentia*, vel *per Divinam virtutem*, per quam prædestinatio ipsa effectum sortita est. Id autem est Christus juxta partem sui potiorem, nempe *Spiritum*, quo & Dominus ipse & quotquot ipsius sunt *ex ipsa* vel *in ipsa sua resurrectione* perpetuò redduntur consummatâ *sanctimoniâ* conspicui & in omni felicitate firmi. Explicat hunc locum & Augustinus in Exposit. ep. ad Rom. inchoata, sed sensu ab utroque dictorum nonnihil diverso. Sic enim edisserit, ut carptim ob prolixitatem vitandam ipsius commentum adjiciam, *Eundem ipsum*, inquit, *qui secundùm carnem factus est ex semine David, prædestinatum dicit Filium Dei in virtute, non secundùm carnem, sed secundùm Spiritum, nec quemlibet spiritum, sed spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. In resurrectione enim virtus morientis apparet, ut diceretur prædestinatus in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Deinde sanctificatio vitam novam facit, quæ in Domini nostri resurrectione signata est. Potest etiam sic esse ordo verborum, ut non ad Spiritum sanctificationis adjungamus quod ait, ex resurrectione mortuorum, sed ad id quod ait, Prædestinatus est; ut ordo sit, Qui prædestinatus est ex resurrectione mortuorum. Cui ordini interposita sunt hæc, Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis. Et iste ordo certior & melior videtur, ut sit filius David in infirmitate secundùm carnem, Filius autem Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis. Factus est ergò ex semine David, id est, filius David ex mortali corpore, propter* quod.

quod & mortuus est; prædestinatus autem Filius Dei, & Dominus ipsius David, ex resurrectione mortuorum. Non autem vit eum prædestinatum à mortuis, sed ex resurrectione mortuorum. Non enim resurrectione ipsâ suâ Filius apparet de propria illa & eminentissima dignitate, quâ etiam est Caput Ecclesiæ, cùm & cæteri mortui resurrecturi sint, sed Filius Dei prædestinatus est quodam principatu resurrectionis, quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse prædestinatus est, i. ut præ cæteris & ante cæteros resurgeret designatus: ut quod hic positum est, Filius Dei, cùm dixisset, prædestinatus est, ad documentum valeat tantæ sublimitatis. Prædestinatum enim esse ex resurrectione mortuorum ut præcederet resurrectionem mortuorum, vult intelligi Apostolus. Hos autem præcessit qui ad ipsum cæleste regnum, quò eos præcessit, secuturi sunt. Propter quod non ait, Qui prædestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum Jesus Christus Dominus noster, sed ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri; tanquam si diceret, ex resurrectione mortuorum suorum, hoc est, ad se pertinentium in vitam æternam. Ergò ille tanquam Filius Dei unigenitus & primogenitus ex mortuis prædestinatus est. Hactenus Augustinus. Potest tamen illud, *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*, multiplicem habere sensum & constructionem. Aut enim *resurrectio mortuorum* dicitur pro *resurrectione à mortuis*, ut resurrectio intelligatur ipsius Christi: aut genitivus *mortuorum* construitur cum *Jesu Christi*, cujus mortui dicuntur qui moriuntur in fide, ut intelligas hic tantùm fieri mentionem de resurrectione justorum: aut genitivus Ἰησῦ Χριςῦ jungitur cum genitivis præcedentibus, τῦ ὑιῦ, τῦ γενομένυ, τῦ ὁρισθέντος ὑιῦ Θεῦ, qui omnes possent reddi per ablativum hoc pacto, *De Filio suo facto ex semine*, &c. *definito Filio Dei in potestate*, &c. *Jesu Christo Domino nostro.* Præterea ἀνάςασις, i. *resurrectio*, accipi potest activè sive neutraliter, ut Pater intelligatur suscitasse Filium à mortuis, aut ut Filius suscitarit seipsum; deinde etiam passivè accipi potest, ut sentias mortuos suscitandos ad vocem Filii Dei, quemadmodum Lazarum præter alios suscitavit Joh. 11. Potest quoque hic *resurrectio* capi pro universali resurrectione, & Capitis videlicet & corporis. Chrysostomus in ser. quodam de Spiritu S. præcedentem locum ità distinguit, *Segregatus in Euangelium Dei, secundum Spiritum Sanctificationis post resurrectionem Christi*: & dicit perperàm distinguere qui aliter distinguunt.

5. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum*] *Gratiam*, quâ ab errore sumus revocati, vel quâ labores infracto perferimus animo; vel *gratiam* Euangelicam, quam Legis Mosaicæ observatio conferre non poterat. *Et Apostolatum*, i. munus Apostolicum, sive prædicandi autoritatem. ¶ *Ad obediendum fidei*] Εἰς ὑπακοὴν πίςεως Ad verbum sonat *in obedientiam fidei*: sensus autem est, *ut obediatur fidei.* ¶ *Pro nomine ejus*] Ὑπὲρ τῦ ὀνόματος αὐτῦ. Trifariàm exponi potest, *super*, vel *de*, *nomine ejus*, ad gloriam vel pro gloria nominis ejus, & fama divulganda; & *ipsius loco*, & *nomine ejus*, sicque referatur ad Apostolatum, juxta illud 2 Cor. 5. 20 *Pro Christo legatione fungimur.*

7. *Vocatis sanctis*] Ad sanctimoniam vocatis.

11, 12. *Ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos; id est, simul consolari in vobis*] Ἵνα τὶ μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν, εἰς τὸ ςηριχθῆναι ὑμᾶς, τῦτο δέ ἐςι συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν h. e. ut interpretatur quidam, *ut aliquod impertiar vobis donum spirituale, quo confirmemini; hoc est, ut communem capiam consolationem in vobis per mutuam fidem*, &c. Ut hujus sana sit interpretatio, posset tamen commodiùs, meâ sententiâ, & aliter intelligi, nempe sic, ut particula, *id est*, referat quod paulò superiùs positum est, *videre vos*; & quod mox subsequitur, *ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis*, &c. per modum parenthesis intelligatur interpositum, hoc pacto, *Desidero enim videre vos (ut aliquid impertiar vobis gratiæ*, vel *doni*, *spiritualis ad confirmandos vos*, vel *ut confirmemini*) *id est, simul consolari in vobis, per communem fidem*, &c. Atque hanc fuisse V. Interpretis intelligentiam subindicat ἀπαρέμφατος συμπαρακληθῆναι, resolutum item per verbum infinitum, *simul consolari.* Molliùs enim cohæret si intelligatur respexisse ad ἰδεῖν *videre* quàm ad ςηριχθῆναι *confirmari*, quod infinitum magis per gerundium ob præpositionis particulam εἰς huic præfixam voluit efferre. Addo ad illud, in nonnullis Græcis cod. reperiri perfectam periodum ante τῦτο δέ ἐςι atque ità τῦτο *hoc* posset referre complexim id quod præcessit, *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos: hoc enim*, nimirum quod jam præmisi, *est unà consolari per utriusque nostrûm fidem*: nec erit tum conjunctionis particula δὲ otiosa.

15. *Ità quod in me, promptum est & vobis qui Romæ estis euangelizare*] Οὕτω τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον καὶ ὑμῖν, &c. i. *Ità*, vel, *Ad eum modum, quod* vel *quantum, in me est, promptitudo est*, vel, *paratus sum etiam vobis qui Romæ estis euangelizare.*

16. *Erubesco Euangelium*] Quod hic adjicitur τῦ Χριςῦ, subditum esse declarat lectio veterum, nominatim Tertulliani lib. 5. contra Marc. Chrysostomi, Origenis. ¶ *Virtus enim*] i. *Potentia Dei est*, scilicet ipsum Euangelium, *in salutem omni credenti.*

17. *Ex fide*] Veteris Testamenti, *in fidem* Novi Testamenti. Vel *ex fide* Dei promittentis, *in fidem* hominis credentis. ¶ *Sicut scriptum est*] Hab. 2. *Justus autem ex fide vivet.* Confirmat autoritate Apostolus quod prædixerat, *Euangelium virtutem esse cuivis credenti in salutem*, h. e. vitam æternam.

18. *Revelatur enim ira Dei*] i. ultio Divina, ut gladius, fames, pestis, & hujusmodi ultrices plagæ. Unde per Jeremiam Dominus, *Ecce*, inquit, *ego mittam in eos gladium, famem & pestem*, c. 29. ¶ *Qui veritatem Dei*] Nolim hic cum Græcis & Augustino omitti *Dei* vocabulum, contra Origenem, Ambrosium, Hieronymum, & omnes quos equidem vidi codices antiquos. *Veritas Dei* hoc loci agnitio & notitia Dei est, quam Philosophi & Gentiles *in injustitia detinebant*, i. quantum in ipsis erat depravabant, dum veri Dei gloriam ad idola transferebant. Vel *veritatem Dei*, h. e. verum Deum, falsitati opponit idolorum; quem *in injustitia detinebant*, qui dum idola colebant, verum Deum obscurabant & afficiebant injuriâ.

19. *Quia quod notum est Dei*] *Notum Dei* posuit interpres pro *eo quod est cognobile, & quod de Deo sciri cognoscive potest*: nisi fortè malis γνωςὸν pro γνώσει, i. *notitiâ*, accipere. ¶ *Manifestum est in illis*] i. apud illos.

20. *A creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*] Sicut Græca vox κτίσις ità & Latina *creatura* ambiguitatem admittit: nam vel *creationem* vel *rem creatam* significare potest. Ἀπὸ tamen particula subindicare videtur pro *creatione* potiùs accipiendam, quòd proprius rebus inanimatis jungi gaudeat. Porrò Græca lectio, quæ sic habet, Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμυ τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, variè reddi potest, nimirum vel hoc pacto, *Nam inconspicua ejus à creatione mundi operibus, dum intelliguntur, conspiciuntur*: atque ità *à creatione* erit *à tempore creationis*; & *operibus* ablativus erit Instrumenti; & νοούμενα præsentis temporis participium per verbum redderetur ejusdem temporis, hoc sensu, *Nam quæ in Deo sunt inconspicua, ut ipsius potentia, sapientia, bonitas, conspiciuntur quodam modo, dum à mundi conditione per ipsa quæ creata sunt intelliguntur.* Vel sic, *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt videntur*, vel *conspiciuntur.* Et ità *creatura* bifariàm accipi poterit, sive pro *re creata*, videlicet Homine, ut intelligas *mundi* additum ad distinctionem creaturæ cœlestis, sive pro *creatione ipsa*, i. à tempore creationis mundi. Vel sic, *Siquidem quæ sunt invisibilia illius, vel ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, videntur*: ut intelligas invisibilia Dei cerni ex ipsa mundi creatione, dum intelliguntur per opera quæ Dei conditoris potentiam, sapientiam ac bonitatem præ se ferunt. Vel item hoc pacto, *Invisibilia namque ipsius à creatione mundi in operibus* (vel *in his quæ condita sunt*) *intelligendo videntur*, vel *intelliguntur & cernuntur.*

21. *Evanuerunt in cogitationibus suis*] i. Vani facti sunt per cogitationes suas. Illud quoque animadvertendum, dictionem διαλογισμῶν, quâ hîc usus est D. Paulus, significare non solùm *cogitationem*, verùm etiam *disceptationem*, *sermocinationem*, *ratiocinationem*, *reputationem*, & *confabulationem*, quibus plùs satis nitentes *vani effecti sunt*, imò *& obtenebratum est cor illorum insipiens*, stultum & insciens.

23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem*, &c.] Quòd duas res nihili conjunxerit, dicens, *in similitudinem imaginis*, ad epitasin facit, quò videlicet clariùs depingat Philosophorum aliorùmque insaniam, qui gloriam soli omnipotenti Deo debitam solóque omnium Domino dignam commutassent ac vertissent ad illud quod est vilissimum, nimirum *ad similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Quin nec hîc steterunt, sed & bestiis illam obtulerant, imò magis illorum imaginibus.

24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*] Vel, ut aliis placet, *illos in desideriis cordium suorum* i. per desideria sive per cupiditates cordium suorum *in immunditiam*, vel *ad immunditiam. Tradidit* verò impropriè posuit pro *tradi permisit*, vel *tradi passus est.* ¶ *Ut contumeliis afficiant corpora sua*] Τῦ ἀτιμάζεσθαι, i. *inhonorarent*, *dehonestarent*,

rent, *ignominiâ*, aut etiam *contumeliâ*, *afficerent*. Dicitur enim *contumelia à contemptu*, teste Seneca.

25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium*] i. *Veram* omnipotentis omnium rerum Creatoris *Divinitatem transmutarunt transtuleruntque in mendacium*, h. e. simulacrum, quod mentitur Divinitatem, specie tantùm ementitâ effictâque imagine hominem aut aliud animal referens, cùm nec vivat nec sentiat.

26. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*] h. e. ruere ac prolabi permisit in passiones, animi motus, affectus (id enim vult πάθη vocabulum) ignominiosos atque probrosos.

27. *Et mercedem quam oportuit erroris*] Nempe turpitudinem, contaminationem & prolapsum in affectiones ignominiosas. Hæc autem infert, quia nondum quiverat de gehenna quippiam istis persuadere.

28. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia*] *Et quemadmodum non probaverunt*, i. approbaverunt vel judicaverunt, imò improbaverunt, *Deum habere in notitia*, qui scit & cognoscit omnia. Sicut, inquam, hoc improbarunt, ità vicissim & ipsi *in reprobam mentem* ruere permissi sunt. Est enim festiva vocum allusio *probaverunt* ad *reprobum*, sicut & in Græcis quoque ἐδοκίμασαν ad ἀδόκιμον. Aliter etiamnum exponi potest ad hunc modum, *Non probaverunt ut ipsi Deum haberent in notitia*, vel etiam *agnitione*, ut sit reminiscentis gratique. Is autem pulcrè *Deum se probat habere in notitia* qui præsentem illum semper habens peccare erubescit, & piis vacat operibus. ¶ *In reprobum sensum*] *Sensus* hic ex consuetudine Scripturæ pro *mente* ponitur sive *intellectu*. Quos autem in improbam permiserit deferri mentem ostendit, dicens, *Repletos*, &c. Quòd verò alii hos accusativos per nominativos reddiderint, cum verbo ποιεῖν, *faciant*, construendos existimarunt: *ut faciant quæ non conveniunt, repleti omni iniquitate*, &c.

29. *Omni iniquitate*] h. e. *injustitiâ*: nam Græcis est ἀδικίᾳ, quam vocem pro quovis *peccato* usurpant S. literæ. ¶ *Malitiâ*] Quæ *virtuti* seu *bonitati* contraria est, opponitúrque ἀρετῇ. Illud quoque memineris oportet, non esse eundem ordinem apud Latinos qui est apud Græcos. Quandoquidem *malitia* respondet ei quæ in Græcis quinto loco particula posita est, videlicet κακίᾳ. *Fornicatio*, quæ nobis tertium, Græcis secundum locum occupat, πορνείᾳ, &c. ¶ *Fornicatione*] Omnem impuritatem hoc nomine complexus est, Teste Theophylacto: cujus loco alii *scortationem* vertere maluerunt. ¶ *Nequitiâ*] Respondet πονηρίᾳ. Hæc vox Græcis significat *nequitiam*, *malitiam*, *pravitatem*, *flagitium*: illa *vitium* sonat, quod cætera omnia complectitur, sed potissimùm ad luxum & libidinem pertinet juxta Grammaticos. Apud Theologos verò *nequitia* est dum attentat aliquis quod nequit perficere, à *ne* & *quicquam* sumptâ etymologiâ. ¶ *Contentione*] Ubi non ratione aliquid sed animi pertinaciâ defenditur; & ubi jam non veritas quæritur, sed proximus fatigatur. Græcè ἔρις dicitur. ¶ Κακοηθείας, *malignitate*] *Morositate*, *malâ consuetudine*, vel *morum asperitate*.

30. *Susurrones*] Qui clam alienæ derogant famæ: *obtrectatores* verò, sive *detractores*, qui palàm, ut annotavit Theophylactus. ¶ Θεοστυγεῖς, *Deo odibiles*] Vel *Dei osores*: nam vox Græca anceps est ad utrumque. ¶ *Contumeliosos*] Ad probra & convitia inferenda paratos. ¶ *Superbos*] Supra se de sentientes, atque adeò Dei contemptores. ¶ *Elatos*] Cæteros præire contendentes, & ad magna aspirantes, eóque proximum aspernantes.

31. Ἀσυνθέτους, *incompositos*] *Incompositos* autem vocant Doctores Ecclesiastici, habitu, incessu ac moribus incultos; nec abs re: nam *incompositus* à *compono* deducitur, quod non rarò *ornare* significat. Vulgari hâc ac simplici elucidatione contentus cæteras curiosiores quorundam interpretum censuras silentio arbitror transeundas. ¶ *Sine affectione*] Alienos à charitatis & naturalis pietatis affectu.

32. *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt*, &c.] Duplicem invenio in Græcis loci hujus scripturam, quarum neutra non habet, quibus adstruatur, probatos autores. Altera, quam Lovanii in codice Amandi invenimus, cum editione consentit nostra Vulgata, ità habens, Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, οὐ συνῆκαν ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, οὐ μόνον οἱ αὐτὰ ποιοῦσι, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. Hæc exstat apud Cyprianum, l. 1. epist. 4. Ambrosium, Sedulium, Salvianum, & Scholiastem illum apud Hieronymum. Altera verò, quæ nunc in Græcis habetur, omittit illud οὐ συνῆκαν unà cum articulo duobus locis postremis. Et hæc cernitur apud Origenem (si quis non contextum Pauli sed commentum inspiciat) apud Chrysostomum & Theophylactum. Porrò Augustinus legisse videtur utramque, sed locis diversis, nimirum in Enarratione Psal. 57. in Exposit. propositionum ex hac Epist. & in Speculo.

L. BRUGENSIS.

1. Duplex est loci istius lectio. Prior est, *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solùm* * *qui* [* *autem* 1 MS] *ea faciunt* [*faciunt ea* MS.] *sed etiam qui consentiunt facientibus*. Hæc Latinorum est codicum, & veterum Patrum, Cypriani epist. 4 libri primi, Augustini in Psal. 57. Isichii in Levitici caput 20. Autoris commentariorum Hieronymo attributorum, Primasii, Sedulii, Haymonis, Anselmi, & posteriorum Latinorum Enarratorum. D. Ambrosius libri De bono mortis cap. 7. legit, *Non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Græcanica scholia, quanquam non approbent, indicant quòd nonnullis locus hic ità legi soleat, ut *facere* gravius *consentire* sit levius. Posteriore lectio ista est, *Qui, cùm justitiam Dei cognovissent, quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solùm ea* [*ipsi* Gq.] *faciunt, sed etiam consentiunt facientibus*. Quæ ut Græcorum est librorum, ità & Syricorum est exemplarium, ac Græcorum Interpretum, Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii. Et de Origene quidem non dubitabit qui commentarium ejus introspexerit: de cæteris autem dubitandi nulla est ratio. Autor commentariorum Ambrosio adscriptorum, magisne lectioni posteriori velit, ex iis quæ scribit in finem hujus & in principium sequentis capitis sagax lector judicet. B. Augustinus, libello quo hujus epistolæ quasdam propositiones explicat, disertè legit, *Non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus*. Symmachus Pontifex hunc locum contra Anastasium Imperatorem profert, ut consentire gravius esse doceat. Latinorum N. Testamenti codicum varietatem, quæ quidem huc faciat, deprehendere haud potuimus aliam quàm quòd unus, Ge. I. à Parisiensibus notatus, geminum *qui* tollat (*Non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus*) nec Græcorum aliam, quàm quòd unus, Titelmanno & Sasbout testibus, οὐ συνῆκαν, i. *non intellexerunt*, addat. Oecumenii Græcanici scholiastæ, qui quasi utriusque lectionis meminit, hæc sunt hunc in locum verba, sed primùm hæc textûs, οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. *Rursum ostendit eos ex cognitione peccare.* Justitiam *autem vocat Dei præcepta*, &c. *Duo ponit crimina, & facere & cooperari facientibus, ac proximum ad malum adhortari. Quidam autem id quod dictum est non assecuti, & Apostoli verba suspicantes fuisse adulterata, hoc modo illa interpretati sunt*, οὐ μόνον οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦντες τοῖς πράσσουσιν, Non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Sic enim habuit, dicunt, vetus exemplar, ut majus sit facere, minus autem consentire. Ego autem neque depravatos in hoc esse Apostolicos codices dicens, neque cum his qui non intellexerunt contendere volens, lectoribus isthuc judicandum permittam. Dico ergo quòd, cùm eos qui peccant laudare longe operosius sit, ac majus ad supplicii rationem momentum habeat quàm peccare, meritò dictum est*, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν, non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus. *Nam is qui*, &c. Circa id quod habet, *Quidam verò id quod dictum est*, &c. notatur in margine, Ἰσιδώρου *Isidori*. Hentenius interpres, in præfatione ad lectorem, significatum intelligit, verba esse Græci Isidori, qui referat quosdam aliter legere, ac contendere depravatos esse Græcos codices, subjungátque quæ sequuntur. Mirum est autem non meminisse eum particulæ, *non intellexerunt*, sine qua aut simili non satis ea lectio constet, *Non solùm qui ea faciunt*; vel non indè elevare quòd manca sit. An verò nec Interpres Vulg. id Græcè legerit, sed complendæ sententiæ gratiâ addiderit, ignoro: id autem, si interrogando pronuncietur, nihil prioris partis sensum ab eo quod ex Græco intelligi solet variet. Porrò in posteriori Græcæ lectionis parte non necesse sit intelligere, majus esse consentire quàm facere: exponi possit, *& faciunt ea, & facientibus consentiunt*. Ità verò & in Latina lectione haud necessariò intelligatur, majus semper esse facere quàm consentire; nisi plerumque, vel, hominum judicio.

H. STEPHANUS.

1. Ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον] *Segregatus in Euangelium:* i. ad prædicandi Euangelii munus quasi ab aliis separatus.

9. Ἀδιαλείπτως] *Indesinenter.*

10. Ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος, εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς] q. d. *Precibus voluntatem Dei explorans, an ea me feliciter in viam deductura sit, ut veniam ad vos.*

15. Οὕτω τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον εὐαγγελίσασθαι] *Ideo quicquid est mihi facultatis, promptum est ad euangelicandum.* Vel, *Quantum in me est, paratus sum.*

19. Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ] *Quod cognosci potest de Deo.*

20. Ἀναπολογήτους] *Inexcusabiles.*

21. Ἐματαιώθησαν] *Ad vanitatem redacti sunt.* Vel, *vani facti sunt.*

30. Ψιθυριστὰς, καταλάλους, θεοστυγεῖς] *Susurrones, obtrectatores, Dei osores.*

31. Ἀσυνθέτους] *Fidem in pactis non servantes.*

32. Τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ] *Jus Divinum.*

DRUSIUS.

1. S*Eparatus ad Euangelium Dei*] Allusit fortè ad nomen *Pharisæorum*, quod à *separando:* nam פרוש *separatus.* Unde in lib. Musar, 120. 1. *Sicut ego sanctus sum, sic vos estote sancti: sicut ego separatus sum, sic vos estote separati*, i. פרושים. Vide quæ scripsimus l. 2. De tribus sectis Judæor. c. 2. quæ non revoco. Nam cùm Pharisæus esset, *separatus* erat *ad studium Legis:* factus Christianus *separatus* est *à Deo ad Euangelium*, quod Græcè hic legitur ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ· & non nemo interpretatur *separatus ad prædicandum Euangelium Dei*, h. e. ad munus Apostolicum. Vide Act. 13. 2.

14. *Sapientibus & insipientibus*] *Sapientiam* appellant Ebræi quicquid homo discit à præceptore suo. Unde *sapiens* usurpatur pro *docto* & *erudito*, & contrà *insipiens* pro *indocto*; qui etiam כסיל vocatur Cohel. 2. 16. Sanè ubi textus Ebræus habet *cum stulto* editio nostra legit *cum indocto*; ad sententiam non malè. Nam ut peritus artifex *sapiens* dicitur, ità imperitus qui est *insipiens* rectè vocatur. Ideo & Symmachus Cohel. 2. 15. סכלות, i. *stultitiam*, Græcè ἀμαθίαν interpretatur. Doctè, ut alia omnia, noster Erasmus ad h. l. *Sapientiam, h. e. eruditionem, sibi vendicabant Græci. Porrò* GRÆCOS *quos aliquoties pro quibusvis gentibus positos reperies, hîc Barbaris opposuit, quos ἀνοήτους vocat ceu rudes Philosophiæ & indoctos.*

16. *Judæo primùm, & Græco*] *Judæi*, inquit Prosper, *quasi jus Dei.* Verba quibus hoc dicit habentur in De provident. & prædict. part. 1. cap. 40. *Unde æstimo quòd ideo nuncupentur Judæi tanquam portantes vel sequentes jus Dei.* Quid ineptius? Verum etymon invenies apud Lactantium l. 4. c. 10. *Judæi dicti à Juda*, qui *erat princeps examinis eorum.* Nam à Juda, i. יהודה, gentile *Judæus*, i. יהודי, & Chaldaicè *Jehudai:* unde Ἰουδαῖος. Unà cum *Judæis* simul nominantur *Samaritani* Joh. 4. 9. *Proselyti* Act. 2. 11. *Græci* Rom. 2. 9. & alibi, *Gentes* Act. 14. 5. Sub hoc nomine aliquando Christiani comprehenduntur, ut in illo versu Sibyllæ apud Lactant. l. 4. c. 20.

Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανιώνων.

Sic apud Tacitum, *Judæos impulsore Christo tumultuantes Româ expulit.*

20. *A creatura mundi*] Cùm in fonte sit ἀπὸ κτίσεως κόσμου, malim *à creatione mundi*, sive *à conditu mundi*, quod idem cum illo *à condito mundo*, sicut Latini autores dicunt *ab Urbe condita.* Id Ebræi efferunt מבריאת העולם: quod tamen ambiguitatem habet; nam verti etiam potest *ex creatione mundi*, ἐκ κτίσεως τοῦ κόσμου quomodo Erasmus hoc loco. Probarem si Apostolus usurpasset particulam ἐκ· nunc cùm sit ἀπὸ in Græco textu, nullus dubito quin vertendum sit *à creatione mundi*, pro quo Vulgatus Interpres, *à creatura mundi.* Inter *creationem* & *creaturam* Ebræi discrimen ponunt: nam *creaturam* appellant בריות, & ad Homines restringunt; *creationem* autem dicunt בריאה. Græca vox κτίσις utrumque sig. unde πάσης τῆς κτίσεώς σου *omnis creatura tua:* ubi tamen in Ebræo & in varia lectione κτήσεώς σου *possessionis tuæ.* Locus est apud Davidem. Infrà v. 25. ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει, *creaturæ*, h. e. rebus creatis.

23. *Corruptibilis hominis*] Recentior interpres *mortalis hominis*, i. θνητοῦ ἀνθρώπου. Aliud φθαρτὸς, aliud θνητός. Nam φθορὰ, ut idem annotat, non modò ad ὄλεθρον sed etiam ad κακότητα pertinet; quemadmodum *corrumpi* dicitur animus vitiis, & *perire* etiam aliquis, qui tamen esse non desinit, sed est vitiosus aut miserrimus. Itaque pro ἀφθάρτου Θεοῦ, quod Erasmus transtulit *immortalis Dei*, i. ἀθανάτου Θεοῦ, reposuit *incorruptibilis Dei*, V. Interpretem secutus: nam in fonte τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ. Sic Psal. 106. 20. *Mutarunt gloriam suam* בתבנית שור, h. e. interprete Hier. *in similitudinem bovis comedentis fœnum:* ego *herbam* prætulerim; nam עשב in fonte, propriè *herba adulta.*

25. *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium*] h. e. Deum verum in falsum. Græcè est ἐν ψεύδει, & in quibusdam Lat. *in mendacio.* Certum est ἐν pro εἰς usurpari. Sic ἐν ὁμοιώματι *in similitudinem.* Talia sunt, *erunt in carne una* pro *in carnem unam*, *fuerunt hostes ejus in capite* pro *in caput*, *in cauda* pro *in caudam*, *credidit in sanctis suis* pro *in sanctos suos.* Sic *in Deo* & *in Deum Credere* synonyma sunt. Perperàm Erasmus, *Cùm ipsi versarentur in mendacio, sibi mutaverunt Dei veritatem, aliter de illo prædicantes quàm est.* Vide quæ ad h. l. annotavit. Sciendum etiam ב ἐν & ל εἰς permutari apud Ebræos. Sanè Psal. 106. 20. ubi codex Ebræus בתבנית & Græca exempl. ἐν ὁμοιώματι, noster habet *in similitudinem vituli comedentis fœnum:* malim *bovis*; nam μόσχος ibi *bos*, non *vitulus.* Ad hæc שור est in fonte, non עגל. Ἐν τῷ ψεύδει *in mendacium*, h. e. in falsum cultum. Sanè idola vocantur *mendacia*, si credendum interpretibus. Amos 2. 4. *deceperunt eos mendacia eorum*, ubi LXX τὰ μάταια αὐτῶν *vana ipsorum*, & Hier. *idola ipsorum.* Idem aliter: nam *vana eorum* sunt *idola eorum.* Contrà verus cultus appellatur *veritas Dei*, & *veritas* absolutè. Imò ipsa Lex vocatur *Dei veritas.* Cùm autem Deus sit Veritas, quicquid ei contrarium *mendacium* est. Idola etiam *nihil* vocantur, quia non sunt in rerum natura. Idem Hier. in Hoseam, *Ne tradas sceptrum his qui non sunt: haud dubium quin idola significet. Si enim Deus est Veritas, quicquid contrarium veritati Mendacium est, & Nihil vocatur. Iis* ergò *qui non sunt*, h. e. idolis: *nam idolum nihil est*, inquit Apostolus. Quod *nihil* est nè est quidem. Verba illa *haud dubium quin idola significet* superesse quidam existimat à glossemate: de quo aliás. ¶ *Potius quàm Creatori*] מן הבורא, quod Apostolus Græcè reddit παρὰ τὸν κτίσαντα. Ubi duo notanda, Primùm, מן expressam per παρὰ, ut Psal. 8. 6. מאלהים παρὰ τὸν Θεὸν, aut παρ' ἀγγέλους. Hoc Senes, illud Th. & Quinta ediderunt. Sic alibi מחבריך παρὰ τοὺς μετόχους σου, quod reddunt *supra consortes tuos:* sententia verò est, *magis quàm consortes tuos.* Deinde τὸν κτίσαντα vocat *creatorem*, qui Ebræis הבורא, & est participium pro nomine τὸν κτίστην. Tritum hoc in lingua Sancta. Sic הרופא *medicus*, גואל *redemtor*, & alia sexcenta. Qui vertit *præterito Creatore*, si sententiam expressit, tamen à verbis recessit magis quàm Int. Vulgatus.

30. *Susurrones*] נרגנים *Susurro*, qui hîc ψιθυριστὴς, à Sirachide ψίθυρος vocatur 5. 14. & 28. 14. item 21. 30. ubi libri variant. Nam in quibusdam est ὁ ψιθυρίζων eòdem redit. נרגן Prov. 16. 28. Aq. τονθρυστής. Th. γόγγυσος παρὰ τὸ γογγύζω, *musso*, *murmuro*, qui & γογγυστὴς eidem Prov. 26. 20. Τονθρυστὴς videtur contractum ex τονθορυστὴς, quod est verbale à τονθορύζω *submissè loquor*, *murmuro.* Lex. vetus, Γογγυστὴς, *murmurator.* Isidorus, *Susurro, de sono locutionis appellatus, qui murmurat, & non alicui in facie, sed de ipso aliis malè loquitur.* Primasius in 2 Cor. pag. 290. *Susurro est qui murmurat, & non alicui in facie, sed de ipso aliis malè loquitur* Non est dubium quin alteruter ab altero descripserit. ¶ *Detractores*] Qui alicui detrahunt. Legitur in Calepino, sed sine exemplo. Sipontinus etiam usurpat; & ex eo citatur in Thesauro linguæ Latinæ. Græcè καταλάλους *oblocutores*, *obtrectatores*, ubi & καταλαλοῦντες. Sanè in LXX Mich. 3. 7. legitur καταλαλοῦντος, ubi codex Ebræus מגדף *blasphemantis.* Hinc fortè Suidas, Καταλαλιὰ, inquit ἡ εἰς τινας ὑπό τινων βλασφημία. Sed & מלשני *eum qui linguâ aliquem proscindit*, Psal. 101. 5. LXX interpretantur τὸν καταλαλοῦντα λάθρα τῶν πλησίον αὐτοῦ, *qui detrahit* (aut *obloquitur*) *occultè proximis suis.* Verbum est דבר, quod *loqui* sig. Id cum ב constructum Senes interpretantur καταλαλεῖν, Num. 21. 5. κατελάλει ὁ λαὸς πρὸς τὸν Θεὸν, & v. 7. καταλαλήσαμεν κατὰ τοῦ Κυρίου Sic Psal. 50. 20. κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ σου κατελάλεις, באחיך תדבר.

SCALIGER.

17. EΚ πίστεως εἰς πίστιν] i. progressu & incremento fidei: ut ἐκ γενεᾶς εἰς γενεὰν progressu temporis.

ISAACI

ISAACI CASAUBONI

in Epistolas NOTAE *nunc primùm editæ.*

Lectori Benevolo

MERICUS CASAUBONUS ISAACI F.

S. P.

CUM tertia N. T. cum Theodori Bezæ Annotationibus editio Henrici Stephani typis excusa A. D. 1582. Genevæ prodiisset, & b. m. Parens Isaacus Casaubonus istius editionis exemplar chartâ latiore & laciniosis oris insigne nactus esset, multa inter legendum tum ad ipsum Textum sacrum, tum ad Viri non uno nomine venerabilis Annotationes, ad usus privatos (quod illi in omni accuratiore lectione solenne erat(observarat. Hoc cùm amici quidam (ut qui nihil in hoc genere clausum amicis haberet) comperissent, non priùs illi rogandi ac suadendi finem fecerunt quàm sibi persuaderi passus est ut juris ea publici faceret. Non tamen in iis quæ tum publicavit ultra Acta Apostolorum progressus est, cùm in suis illis oris Epistolas quoque pari ratione percurrisset; an quòd pauciora hæc essent, an quia tum non vacaret ipsi ultrà recensere, & amicis parte majore editâ satìs se fecisse confideret, haud facilè dixerim. Hoc certè factâ collatione comperi, non alias ferè istas esse Notas quas tum edidit in vulgus, quàm quas notati isti margines ipsi suppeditabant. Cùm igitur exemplar istud Annotationum Bezæ de quo diximus, in mea potestate esset; & ex illis quæ edita erant, reliqua quoque (Lector modò moneretur ultimam manum non accessisse, sed & juvenem fuisse cùm ista notaret) sine injuria τοῦ μακαρίτου publicari posse judicarem; neque tamen id valde cuperem, quòd Pater tam longâ suppressione quasi abdicasse videretur; in hoc mentis in utramque partem æquilibrio, post multorum annorum custodiam privatam, cùm Bibliopola multorum egregiorum librorum editione de publico bene meritus rogaret, ipsi negandum non credidi. Præterea, qui hæc ipsa, qualiacunque sunt, cùm post obitum meum ad alios pervenerint, ab iis fortasse qui scripturam Patris minùs assequerentur, mendosiora, & qui minùs planè expressa supplere (quod nos hîc non uno loco fecimus, facturi in omnibus si librorum copia fuisset) non poterunt, aut non curabunt, imperfectiora publicatum iri præsagirem. Tuum erit, Lector candide, hæc æqui bonique consulere, &, si quid tale occurrat quod justæ reprehensioni sit obnoxium, ità cogitare, quæ juvenis & sibi soli scripserat, iniquum esse ut eorum ratio tantò pòst ab illo exigatur. Quæ his notis [ ] inclusa sunt, nos addidimus, ut paternæ recensionis & limæ defectum utcunque suppleremus. Vale.

CASAUBONUS.

32. OΙτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ] Δικαίωμα hic accipi potest etiam eo sensu quo legitur apud Ciceronem ἐδικαιώθησαν, *supplicio sunt affecti.* Et ità apud Aristotelem δικαιοῦν. [Cic. 5. in Verrem, Ἐδικαιώθησαν (ità in vulg. edit.) *hoc est, ut Siculi loquuntur, supplicio affecti ac necati sunt.*]

CAMERON.

1. ΚΛΗΤΟΣ ἀπόστολος, ἀφωρισμένος, &c.] Vir maximus & acerrimi judicii, Mercerus, arbitratus est Paulum hic allusisse ad nomen Sectæ cujus fuerat antequam nomen suum Christo dedisset, dum dicit se ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον, ut qui olim fuit *Pharisæus*, h. e. *segregatus*, is se *Pharisæum* quidem profiteatur, [illegible] *Pharisæum*, h. e. *separatum, ad Evangelium Christi.* Quin etiam eò progreditur ut Paulum velit & hoc loco allusisse ad nomen suum, illud quo primitus insignitus fuerat, *Saulus* nempe, dum Apostolus se hic κλητὸν vocat, quasi κλητὸς esset שאול, h. e. *Postulatus, Vocatus.* Sed ista observatio ut est peracuta resipitque ingenium eruditum, tamen non videtur convenire menti Apostoli. Id verò sic facilè possit quis colligere, si cogitarit & reputarit animo, nomina hujus formæ פעול, seu פעולא, duplicem habere significationem: vel enim *Participialiter* usurpantur, & actionem significant susceptam & ab alio profectam; vel *Adjectivè* sumuntur, & aliquid significant inhærens & permanens; ut v. g. Latinè hoc nomen *Electus* aliquando sign. *id quod eligitur*, aliquando sign. simpliciter *id quod eximium est & egregium*, ut cùm dicimus *aurum electum.* Sic linguâ Hebraicâ קרוא & בחור, quorum alterum *vocatum*, alterum *electum* sign. aliquando Participia sunt, quæ notant susceptam actionem ab alio profectam, aliquando rei ipsius dignitatem notant, & Adjectiva sunt. Et certè פרושא non est usurpatum à Pharisæis ut Participium significans actionem ab alio profectam, sed ut Adjectivum, quomodo Christus Heb. 7. 26. dicitur κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. At Paulus cùm ait se ἀφωρισμένον, haud dubiè hâc voce usus est non modò formâ sed etiam Participii significatione. Etenim Gal. 1. 15. ὁ Θεὸς, inquit ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας. Cùm ergò se ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον profitetur, noluit hoc intelligi Adjectivè sed Participialiter; quomodo cum audimus in N. T. *Electos* dici peccatores, non est hoc intelligendum Adjectivè sed Participialiter, maximè cùm in libris N. T. fiat mentio Christi & Dei eligentis, quemadmodum etiam cùm *Vocatos* audimus dici quosdam in N. T. non est id accipiendum Adjectivè, (tametsi linguâ Hebraicâ קרואים dicantur *nobiles & insignes viri*) cùm tam crebra fiat mentio in N. T.

Dei vocantis. Apostolus autem se κλητὸν ἀπόςολον vocat, non ut se reliquis Apostolis præponat, sed ut vindicet Apostolatum suum à calumnia. Itaque quemadmodum collegimus ex Gal. 1. 15. quo sensu Rom. 1. 1. dixerit se ἀφωρισμένον, pari ratione ex eodem illo capite colligere licet quo sensu se dixerit ibidem κλητόν. *Paulus*, inquit, *Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem.* Etenim Apostolatûs hæc est ratio, ut vocatio ad id munus planè extraordinaria esse debeat. Sic igitur Apostolus κλητὸν se vocat, ut fideles κλητοὺς ἁγίους nempe κλητὸς ἀπόςολος est *Apostolus ad hoc muneris vocatus Divinitus*, & κλητὸς ἅγιος est *iisdem vocatus ad hoc ut sit sanctus.* Nam adjectivè κλητὸς *nobilem* significat, quæ significatio non convenit Apostoli scopo, & frigida hic & otiosa foret.

4. Κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης] Quomodo v. 3. κατὰ σάρκα denotat humanam Christi naturam, sic etiam hic κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης designat Divinam ejus naturam, non verò munus aliquod ei impositum. Cúmque secundùm hanc naturam sit & dicatur *Filius Dei*, sanè appellatio *Filii Dei* denotat aliquid Christo essentiale, Personam nempe ejus Divinam. Sed excipiunt ad hunc locum Hæretici, verbis κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης non significari naturam Divinam, sed modum seu rationem generationis Christi secundùm humanam ipsius naturam, secundùm quam conceptus fuit de Spiritu S. At huic effugio opponimus primò locum Dan. 9. 24. ubi *Sanctus sanctorum* dicitur *ungendus*. Nam illic *Sanctus sanctorum* est subjectum, *ungendus* verò attributum. Itaque quod est in Christo essentiale, nempe ejus Persona, significatur his verbis *Sanctus sanctorum*, munus verò ejus Mediatorium voce *unctionis*. Cùm itaque loco illo Danielis Divina Christi natura significetur hoc titulo *Sanctus sanctorum*, cur mirum aut novum videatur Hæretico si & hoc loco eadem Divina Christi natura significatur vocibus illis πνεῦμα ἁγιωσύνης; Opponimus secundò verba Angeli ad B. Virginem, Luc. 1. 35. *Virtus Altissimi obumbrabit te: unde etiam quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei.* Ubi observandum quòd *Sanctum* ab Angelo vocatur id quod in Christo est essentiale; nam inquit Angelus, *quod ex te nascetur Sanctum*; & illud ipsum essentiale vocatur ab eodem *Filius Dei*. Itaque hinc duo efficiuntur; primum, quòd *Filius Dei* designat aliquid in Christo essentiale; secundum, quòd illud essentiale dicitur *Sanctum*. Itaque nec novum nec absurdum est ut natura Christi Divina dicatur hîc ab Apostolo πνεῦμα ἁγιωσύνης. Observandum est rursus hoc, quòd Angelus dicit τὸ γεννώμενον, non verò ὁ γεννώμενος, quo significatur, non hominem illum qui nasciturus erat dici *Sanctum* concretè, sed naturam Divinam in eo appellari *Sanctum* discretè.

18. Τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων] Apostolus eo loco non de quavis veritate, sed de veritate agit quam *practicam* licet appellare; quæ veritas practica nihil aliud est quàm norma justitiæ. Sensus egò est, *qui eam justitiam quam Deus exigit irritam peccato reddunt & inanem.* Ubi notanda est antithesis *veritatis* & *injustitiæ*. *Veritas* nempe pro *justitia* illic ponitur, ut & 1 Cor. 13. 6. quomodo contrà *mendacium* pro *injustitia* Rom. 3. 7.

GUALTPERIUS.

2. Διὰ τῶν προφητῶν, *per Prophetas suos*] Syrus habet *per manus Prophetarum suorum*, i. ministerio. Hebraismus frequens.

14. Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, *Græcis simul & Barbaris*] Βάρβαρος vox Græca *vitiosâ & insuavi*, h. e. blæsâ, balbutiente & inconditâ, *linguâ loquentem* notat. Tales omnes censebant esse Græci qui extra Græciam essent. Unde Strabo lib. 14. *Cum Græci*, inquit, *hoc vitium in peregrinis linguis animadverterent, eos per convitium βαρβάρους appellare cœperunt, quasi Crassilingues seu Durilingues.* Quidam scripserunt, peregrinos homines Athenis linguam Græcam discentes, cùm aliquid ex ea proferre conarentur, in hanc vocem βάρβαρ incidere solitos. Contrà distingui autem Græcos à Barbaris, & retrovicissim, non solùm ex profanis scriptoribus verùm etiam ex hoc loco & Act. 28. 2, 4. liquet. 1 Cor. 14. 11. βάρβαρος significat *eum cujus est peregrinum & ignotum idioma.* Verba sunt Apostoli, *Nisi sciero vim vocis*, ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος, καὶ ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ βάρβαρος, *ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus fuerit.* Syrus voce utitur Græcâ ברברא *Ubarbaraje*, sicut & RR. passim in Commentariis. Judæi similiter omnes populos qui Judæi non essent appellabant לועז *Loes*, ut Psal. 114. *Cùm egrederetur Israel ab Ægypto, & domus Jacob* מעם לעז *de populo barbaro*: sic ut Germani omnes linguas extraneos vocant Welsch, Munst. in Comment.

JAC. CAPPELLUS.

19. Quoniam quod de Deo naturaliter *cognosci potest, manifestum est*, &c. Τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ] h. e. τὸ φύσει γνωςὸν περὶ τοῦ Θεοῦ. Sic *hominibus possibilia* dicuntur ea quæ viribus naturæ possunt ab homine fieri.

26. *Feminæ illorum mutarunt naturalem usum*] Id ut novum & inauditum traducit Martialis,

> *Commenta es dignum Thebano ænigmate monstrum,*
> *Hic ubi vir non sit, ut sit adulterium.*

27. *Similiter & masculi, relicto naturali usu feminæ*] Quidam adeò turpes erant ut videri vellent viris abuti tanquam mulieribus, cùm ipsi contra servis suis se subjicerent. Seneca ep. 47. *Alius vini minister in muliebrem modum ornatus cùm ætate luctatur. Effugit pueritia, sed retrahitur. Jámque militaris habitus glaber destrictis pilis aut penitus evulsis totâ nocte pervigilat; quam inter ebrietatem domini ac libidinem dividit, & in cubiculo vir, & in convivio puer est.* ¶ *Masculi in masculos fœda perpetrantes*] Quàm id tralatitium esset in Imperio Rom. patet non tantùm ex poematum licentia, in quibus palàm profitentur hanc turpitudinem Poetæ, sed etiam ex eo quòd nè stuprator quidem capite plectebatur, sed mulctâ pecuniariâ. Quintilianus l. 4. c. 2. *Ingenuum stupravit, & stupratus se suspendit; non tamen ideo stuprator capite, ut mortis causa, punietur, sed decem millia, quæ pœna stupratori constituta est, dabit.*

32. *Qui cùm scirent* τὸ δικαίωμα, *jus, Dei*] Eodem sensu sumit Dionysius Halicarnassensis lib. 1. vocem δικαίωσις, p. 47. παρελθὼν τὴν ἁπάντων ἀνθρώπων δικαίωσιν, *violato jure mortalium omnium.* ¶ *Non solùm ea faciunt, sed etiam facientibus* συνευδοκοῦσι, *assentiuntur*] Aristoteles Rhet. l. 1. c. 7. *Leodamas Callistratum accusans aiebat* τὸν βουλεύσαντα τοῦ πράξαντος μᾶλλον ἀδικεῖν, *eum qui consilium dederit quàm qui egerit injustiùs egisse, quòd actum non fuisset nisi consilium dedisset.*

GROTIUS.

Epistolæ Paulinæ non temporis ordine locatæ sunt ab iis, qui eas primi in unum volumen compegerunt, sed pro dignitate eorum ad quos scriptæ sunt. Ideo præcedunt quæ ad Ecclesias, sequuntur quæ sunt ad singulos. Et inter eas quæ sunt ad Ecclesias, prima est quæ ad Romanam, ob urbis ejus majestatem. Erat autem Romæ initium quoddam Ecclesiæ factum primò, quomodo Antiochiæ, à Christianis aliarum provinciarum, quos illuc negotia perduxerant: auctum deinde prædicatione & miraculis Petri, quem Simonis Magi præstigiæ vi Divina reprimendæ Romam traxerant circa initia Claudiani principatûs, ut Veteres tradidere. Quæri solet cur Romanis scribens Paulus Græcè potiùs scripserit quàm Latinè. Credo ideo factum, quòd & ipse & scriba ejus Tertius nomine, quanquam fortè Latini sermonis non planè ignari, Græcè tamen rectiùs ille dictaret, hic scriberet, quàm Latinè: & quòd Græca lingua Romanis omnibus, etiam feminis, ut ex Iuvenali discimus, in usu esset quotidiano, peregrinis verò Romæ morantibus notior quàm Romana. Accedebat quod hæc epistola quanquam Romanis propriè missa, ita omnia continebat Religionis Christianæ munimenta, ut dignissima esset cujus exempla etiam ad alias Ecclesias mitterentur. Græca autem, ut Cicero ait pro Archia, leguntur in omnibus ferme gentibus, Latina suis finibus exiguis sanè continentur. Corinthô scriptam hanc epistolam probat Origenes, non ex illis annotationibus quæ in quibusdam codicibus post finem Epistolarum scriptæ leguntur (eæ enim nec antiquæ sunt, nec in omnibus libris reperiuntur, neque in quibus reperiuntur eædem sunt) sed argumentis ex ipsa epistola depromptis, Quia scilicet mittitur epistola per Phœben Diaconissam Ecclesiæ quæ erat Cenchreis, portu Corinthiorum: Quia inter eos qui tum Paulo aderant, & quorum nomine Romanos salutat, erat Cajus quem Corinthium fuisse discimus 1 Cor. 1. 14. & Erastus quem & ipsum fuisse Corinthium discimus 2 Tim. 4. 20. Scripta autem est non primo Pauli adventu Corinthum, sed altero, cujus mentio Act. 19. 21. Evincitur id collato isto loco cum eo qui est infra 15. 24. utrobique enim ejusdem itineris quod Hierosolyma Paulus instituerat, fit mentio: & quia in hac epistola additur, id iter inter alia eo pertinere, ut Paulus subsidia pauperibus Hierosolymitanis adferret, inde collegit Chrysostomus duas quæ sunt ad Corinthios priùs fuisse scriptas, quia 1 Cor. 14. 1. & 2 Cor. 9. 1, 2. illa subsidia præparantur. Multa esse

esse non obvii sensûs in scriptis Paulinis docemur 2 Petri 3. 16. Causa ejus rei partim communis Paulo cum Apostolis cæteris, sermo scilicet ejus Græcus multa loquendi genera de Hebraismo aut etiam eo qui tum in usu erat populari Syriasmo trahens, partim Paulo propria, sermo nimirum sæpe abruptus, sæpe intercisus, nec tam fluens præmeditato ordine, quàm impetu quodam, ut quidque in mentem venerat, ruens; deinde veterum ac novorum inter Hebræos Magistrorum sententiæ obiter magis attactæ apud eos quibus notæ essent, quàm explicatæ; de quibus omnibus vide Hieronymum quæstione ad Algasiam decimâ. Hanc autem ad Romanos epistolam plus habere confragosi quàm cæteras, notat Origenes eo loco qui in Philocaliæ relatus est caput nonum: dicit enim videri Paulum non instare proposito, quòd scilicet sæpe ab incœpto sermone in alterum transvolet. Ad difficultates alias in hac Epistola & hæc accedit, quòd objectiones Judæorum, ad quas respondet, non evolvit, sed, ut illis quibus scribebat satis cognitas, ictu transverberat; & quòd generaliter enuntiat ea quæ vera sunt *ἐπὶ τὸ πολὺ* [*plerumque*], quod manifestissimum est 3. 10. sed & ad alia pari jure porrigi debet. Et tamen Veteres, præsertim Chrysostomus, multùm de Paulino spiritu trahens, plerumque hujus Epistolæ sensus satis bene sunt assecuti: novi Scriptores magnam lucem polliciti plus caliginis intulere. *Fidem* quidam hic interpretati sunt persuasionem quâ quis credit Jesum pro se nominatim, & ad salutem omnimodè ipsi pariendam, esse mortuum, sive quod apud illos eòdem recidit, se esse prædestinatum: cùm contra Paulus multis locis *Christum pro omnibus esse mortuum* doceat, neque talis quam illi prædicant fides quicquam in se habeat veri aut utilis. Alii per *fidem* intelligunt omnem illam quæ Euangelio exhibetur obedientiam. Atqui nec hoc cum Pauli locutione congruit, is enim Dilectionem præfert *Fidei* 1 Cor. 13. 13. & *fidem* dicit *opus suum per dilectionem exsequi*, Gal. 5. 6 apertè à Fide Dilectionem, quæ præcipua pars est illius obedientiæ, distinguens. Reipsa *fides* in epistolis Paulinis & in illa ad Hebræos est existimatio magnificè sentiens de Dei potentia, justitia, bonitate, &, siquid promiserit, in eo præstando constantia. Hanc à Deo magni planè fieri, & meritò quidem, ostendit Philo de hærede rerum Divinarum. Et hoc est quod in hac Epistola dicitur *fidem ad justitiam imputari*, aut *justitiam reputari per fidem*. Non enim id significat Christi obedientiam Fide apprehensam haberi pro nostra, ut quidam censent, sed Fidem censeri à Deo rem egregiè bonam. Omne enim honestum Hebræis *justum* dicitur. Sic qui reddit pignus pauperi, *ei esse* dicitur *justitia*, aut is *habere justitiam* Deut. 24. 13. Sic ultio illa quam de idololatris sumpsit Phinees, dicitur *ei in justitiam reputata* Psal. CVI. 30. ubi est חשב quod propriè dicitur de *eo quod in rationes*, ut Levit. 25. 27, 50, 52. & 27. 18. Num. 23. 9 aut etiam *in censum aliquem refertur*, ut Deut. 2. 11, 20. Josuæ 13. 3. 2 Sam. 4. 2. inde, solitâ etiam apud alias gentes translatione, de eo quod *magni parvive fit*, aut quod *gratum ingratumve habetur*, ut Gen. 31. 15. 1 Reg. 10. 21. 2 Paralip. 9. 20. Oseæ 8. 12. Esaiæ 29. 16. Est autem duplex constructio eodem sensu, *imputatur in justitiam*, sicut *ἐλογίσατο εἰς μεθύουσαν reputavit in ebriam*) 1 Samuel. 1. 13. aut *justitia imputatur propter hoc*, quomodo dicitur *σοφία λογισθήσεται* [*sapientia reputabitur*] Prov. 17. 28. Utrumque significat rem aliquam *tanti haberi*, *tanti censeri*. Aliud est cùm dicitur homo *justificari per fidem*: nam *δικαιοῦν* & *δικαιοῦσθαι* respondent modò צדק in Kal, (quod significat *justum esse*, ut Gen. 38. 26. Sirach. 31. 5. aut *justum apparere*, sicut esse dicitur quod apparet: sic תצדק Psal. 51. 6. *δικαιωθῇς* [*justificeris*,) & יצדק. Ps. 143. 2. *δικαιωθήσεται* [*justificabitur*] modò verbo צדק in Piel aut הצדיק in Hiphil, quæ nativo sensu significant *justum facere*, id est, *à vitiis purgare*, *mundare*, *liberare*, ut diximus Act. 13. 38, 39. & sic sumitur Ps. 73. 13. Esaiæ 53. 11. Dan. 12. 3. In Hebræo, Ecclesiastici 18. 23. 1 Cor. 4. 4. Apoc. 22. 11. Et hoc sensu hac voce plerumque utuntur Rabbini, ut in Zohar, in Rabbino Israële & aliis videre est. Et quia hoc sensu idem est quod *mundare*, ideo etiam de Templo dicitur in Niphal pro Hophal Dan. 8. 14. ונצדק קדש quod vertitur *καθαρισθήσεται τὸ ἅγιον* [*mundabitur sanctuarium*] Sumitur & comparatè: sic *Jerusalem justificavit Samariam*, Ezech. 16. 51. Simile est isti locutioni apud Lucanum,

Et Mutina & Leucas puros fecere Philippos.

Vide & Jerem. 3. 11. Est & alia à proprietate nonnihil discedens hujus vocis significatio: neque tamen vel sic idem valet quod *remittere peccata*, ut quidam putant. Est quidem & in foro ejus usus, non tamen ut simpliciter sit *absolvere*: nam de actore non minùs quàm de reo dicitur, Exodi 23. 7. Deut. 25. 1. 2 Sam. 15. 4. Prov. 17. 15. in quibus locis valet *tractare ut justum*. Neque verò in rebus fori tantùm usurpatur, sed etiam in rebus aliis, significatque *omne id facere quod justis convenit*, puta *probare*, Gen. 38. 26. Matth 11. 19. & 12. 37. Luc. 7. 35. & 16. 15. & 18. 14 *laudare*, Eccles. 1. 22. & 31. 5. 1 Tim. 3. 16. *benefacere*, 1 Reg. 8. 32. Ecclesiastici 9. 15. Tob. 12. 3. Luc. 10. 29. Cùm ergo primitivo sensu *justificare* sit justum facere sive innocentem, sicut duplex est justitia, altera *quam homines sua vi præstant*, & *quæ apud homines laudem meretur*, exterior illa scilicet, infrà 4. 2. & 9. 31. altera interior, *quam Deus in nobis efficit* & *quæ apud Deum valet*, cap. 6. idem est *fide nos justificari*, quod *fide mundari corda*, Hebr. 10. 22. *per obedientiam veritatis mundari animas*, 1 Petr. 1. 22. & ideo Christus etiam corporum morbos non sanavit nisi in credentibus, ut ostenderet multò magis sic animos sanari. Et fuit quidem hoc omnium temporum, ut interior animi puritas ex fide nasceretur; ex fide cresceret. Cæterùm tantò hoc excellentius Euangelii temporibus competit, quantò promissa sunt & majora & certiora. Cordi sic mundato, tanquam puro vasi, Infundit Deus Spiritum suum, Spiritum, inquam, Christi, plenum dilectionis Dei ac proximi omnisque bonitatis. Chrysostomus non malè ad Gal. 2. Ἡ *δικαιοσύνη τοῦ πνεύματος τὴν χάριν ἐπεσπάσατο* [*Justitia gratiam Spiritûs acquisivit*]. Is Spiritus deinde ingenti ubertate opera producit non minùs Divina atque cœlestia quàm erant Linguarum usus, Prophetia, Dæmonum expulsio. Ità qui erant צדיקים [*justi*] fiunt חסידים [*sancti*], & *ἁγιασμὸς* [*sanctificatio*] sequitur *δικαιοσύνην* [*justitiam*] 1 Cor. 1. 30. Non malè ad hanc rem Lactantius, *Tunc magis justitiam debet operari cum factus est justus, ut quod ante in medelam vulnerum fecerat, postmodo faciat in laudem gloriamque virtutis.* Item, *Et sicut in rudibus areis priusquam serere incipias, evulsis sentibus & omnium stirpium radicibus imputatis arva purganda, sic de nostris animis prius vitia detrahenda, & tum demum virtutes inserendæ, de quibus seminata per verbum Dei fruges immortalitatis oriantur.* Et hunc ordinem secuta est in Sacramentis Ecclesia: nam post *κατήχησιν* (*institutionem*) datur Baptismus, id est, *ablutio à peccatis*, sequitur Unctio, id est, *collatio Spiritûs*, deinde quotidiana *τῆς ἀγάπης* (*charitatis*) sacrificia. Hieronymus, *Baptismus dimittit è carcere, & dimisso, si laboraverit, præmia pollicetur.* Spiritum autem illum Dei qui habent & sollicitè servant, eos Deus ut ex se natos sibique similes pro filiis suis habet, iis jus dat certum ad bona æterna ac cœlestia. Hæc cùm ita se haberent, ut nec mundaretur cor nisi per fidem in Christum, nec Spiritus ille nisi in cor sic mundatum infunderetur, neque nisi illo Spiritu præditos Deus planè pro suis agnosceret, sequebatur hinc, Judæorum immensam multitudinem, ut quæ in Jesum non crederet, à bonis illis æternis ac cœlestibus excludi. Id verò Paulus triste quidem esse, ait, at non absurdum. Nam quicquid à Deo fieri apparet (apparebat autem Christianos solos Spiritu Dei donari, tum ex vita quà multùm cæteros anteibant, tum ex signis etiam miraculorum illis in omnium conspectum incurrentibus) id omnino rationem habet, etiamsi ea nobis non appareat. Hæc prælocutus ostendit tamen Paulus conspici aliquo modo non cur Deus ita facere debuerit, sed cur id eum magis decuerit. Addit hoc ipsum quod nunc gereretur, fuisse figuris quibusdam Veteribus præmonstratum. De prædestinatione illa, de qua multa in scholis dicuntur, nullus hic sermo, neque verò ad rem id pertinebat, quod egregiè monstrat Toletus. Etiam remissio peccatorum quid sit in hac epistola, multi non rectè intelligunt. Deus Christi precibus ob summam ejus obedientiam hoc tribuit, ut humanum genus corruptissimum non destitueret, sicut poterat, & obduraret in peccatis, sed vias & quidem magnificentissimas cunctis aperiret, per quas Spiritum illum Sanctum & consequenter æterna ac cœlestia bona adipisci possent. Vide quæ diximus ad Lucam 23. 34. Et hoc notavit Chrysostomus ad 4. caput hujus Epistolæ multò plus esse justificari, quàm remissionem accipere peccatorum. Hæc in ipso limine explicanda duximus, quæ toti Epistolæ facem præferrent.

1. Παῦλος, *Paulus*] De hoc nomine vide quæ dicta Act. 13. 9. ¶ Δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *servus Jesu Christi*] In veteri Testamento qui erant in magnis muneribus dicebantur δοῦλοι Κυρίου [*servi Domini*], id est, *Dei*, ut Moses, Jos. 1. 1. & 14. 7. & 22. 2, 5. 2 Par. 1. 3. Josue, Judic. 2. 8. David, Ps. 132. 10. Nehemias, Neh. 1. 6. In novo Testamento etiam *Jesu Christi*, qui & *Dominus* ipsorum dicitur. ¶ Κλητὸς, *vocatus*] *Vocatus* ad munus obeundum non minùs magnificè quàm Moses,

[*sanitas*] & ἀνάπαυσις [*requies*] dicuntur εὐοδοῦσθαι [*dirigi*] Sirach. 38. 14. Θέλημα Θεοῦ *voluntatem Dei*] de Providentia Dei res nostras dirigente usurpat & Ignatius ad Trallenses de Polybii adventu Smyrnam agens.

11. Ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν, *ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis*] Non ut accipiam aliquid, qua de causa plerique Romam veniunt, sed ut dem, & dem non terrena, sed spiritualia. Potuerat dicere *doctrinam*, *revelationem*, *prophetiam*, sed mavult usurpare vocabulum χαρίσματος [*gratiæ*], ut suo exemplo modestiam doceat. ¶ Εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς· *ad confirmandos vos*] Teneros adhuc fuisse Romanos in fide innuit magis quàm exprimit. Sic & infra 16. 25. 1 Thess. 3. 2. 1 Petri 5. 10. Apocal. 3. 2. & alibi.

12. Τοῦτο δέ ἐστι, συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ. *Id est, simul consolari in vobis per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam*] Hic συμπαρακληθῆναι [*simul consolari*] regitur ab ἐπιποθῶ [*desidero*]. Emollit quod dixerat, ostendendo non se tantùm illis, sed & illos sibi aliquid gaudii allaturos. Ἐν ἀλλήλοις [*invicem*] impropriè dixit pro *in utrisque*, in me & vobis. Dixit sic & Demosthenes τὰ πρὸς ἀλλήλους [*invicem*].

13. Καὶ ἐκωλύθην ἄχρι τοῦ δεῦρο, *& prohibitus sum usque adhuc*] Rectè monuere complures hæc παρενθετικῶς [*per parenthesin*] legenda; nam priora & posteriora inter se cohærent. Hoc dicit, Voluntas mihi non defuit ad vos veniendi, quanquam sine successu. Impeditus autem fuerat per alia negotia Evangelii magis urgentia, ut ipse explicat infra 15. 22. Simile vide Actor. 16. 6, 7. Magis urgebat necessitas locorum in quibus Christus erat ignotus. ¶ Ἵνα καρπόν τινα σχῶ καὶ ἐν ὑμῖν, *ut aliquem fructum habeam & in vobis*] Fructus hic de quo agit est tum incrementum Ecclesiæ per miracula Apostolica, tum confirmatio infirmiorum. ¶ Καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν. *sicut & in cæteris Gentibus*] Ostendit non inutilem se fore Romanis, cùm jam multis aliis Gentibus fuisset utilis, ut dicet infra 15. 18, 19.

14. Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, *Græcis ac Barbaris*] Sæpiùs Apostoli per συνεκδοχὴν [*Complexionem*] omnes non Judaïzantes *Græcos* vocant. Sed hic Paulus Græcorum se locutioni aptans, humanum genus distinguit in *Græcos* & *Barbaros*, ut Thucydides libro primo. Sic Ammonius, Βάρβαρον, τὸ οὐχ Ἑλληνικὸν] *Barbarum est quod non est Græcum*]. Etiam Romanos Plautus vocat *Barbaros*: sed in contrarium disputat Dionysius Halicarnassensis libro 1. probatque Romanos Italosque alios Græcæ magis esse originis. At Paulus non tam hic originem respiciens quàm mores, *barbaras* gentes vocat illas feriores, *Græcas* quæ cultiores essent.

> *Græci victa ferum victorem cepit, & artes*
> *Intulit agresti Latio.*

¶ Σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις, *sapientibus & insipientibus*] Sicut moribus differunt gentes, ita & ingenio:

> *Bœotum in crasso jurares aëre natum.*

Significat autem Apostolus ita omnibus hominibus aptatum esse Evangelium, ut nec stupidos contemnat, nec ab ingeniosis contemni debeat. ¶ Ὀφειλέτης εἰμί· *debitor sum*] Nempe ex Dei imperio, quo obligatus ita erat Paulus, ut sine gravi crimine detrectare id non posset, 1 Cor. 9. 16. Similis usus nominis hujus infra 15. 27. ¶ Οὕτω, *Itaque*] Sicut aliis gentibus Evangelium prædicavi, sic & vobis prædicare volui. Refertur enim hoc οὕτω [*itaque*] ad id quod præcessit commate 13.

15. Τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον, *quod in me promptum est*] *Quod meæ est potestatis, id paratum est*. Sic τὸ πρόθυμον παρεχόμενοι [*promptos se atque alacres præbentes*] dixit Plato in legibus, per μετάληψιν [*Transsumptionem*] scilicet. ¶ Καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ, *& vobis qui Romæ estis*] Lucifuga non sum; ostendi id Antiochiæ, Athenis, Ephesi & Corinthi, paratus sum & in illa splendidissima urbe Roma ostendere.

16. Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, *Non enim erubesco Evangelium Christi*] Est μετάληψις [*Transsumptio*]. Non occulto Evangelium Christi, sicut occultari solent quorum nos pudet. Hoc faciant Cereris & Liberi Liberæque apud Græcos, aut Romæ Bonæ Deæ mystæ ac mystides. ¶ Δύναμις γὰρ Θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν, *virtus enim Dei est in salutem*] Nunquam potentiùs Deus id egit ut hominum animos sanaret, quæ via est ad salutem æternam, quàm nunc per Evangelium. Tanta ei affulsit & adhuc affulget vis miraculorum. Ideo *brachium Dei* dicitur sensu mystico, Esaiæ 53. 1. Vide & 1 Cor. 1. 18. ¶ Παντὶ τῷ πιστεύοντι, *omni credenti*] Sicut medicamentum non prodest nisi haustum ita nec Evangelium nisi fides ei habeatur. ¶ Ἰουδαίῳ τε πρῶτον, *Judæo primum*] Nam Judæis primum ab ipso Jesu annuntiatum & ab Apostolis annuntiandum fuit Evangelium, Actor. 3. 25, 26. & 13. 46. Similis locutio infra 2. 9, 10. 2 Corinth. 8. 5. ¶ Καὶ Ἕλληνι. *& Græco*] Hic more Judaïco loquitur: nam Græcos magis noverant Judæi, maximè post Macedonum imperia.

17. Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ, *Justitia enim Dei*] Justitia quæ non in solis factis exterioribus consistit, sed à Deo efficitur, & ut Dei opus Deo placet. Sic infra 10. 3. opponuntur Θεοῦ δικαιοσύνη [*Dei justitia*] & ἰδία [*propria*]. *Dei justitiam* habes hoc sensu & infra 3. 22, 26. 2 Corinth. 5. 21. Jacobi 1. 20. 2 Petri 1. 1. ¶ Ἐν αὐτῷ, *in eo*] *Per hoc Evangelium*. ¶ Ἀποκαλύπτεται, *revelatur*] *Monstratur*. Evangelium perfectissimè docet quomodo vivendum sit. Respicitur locus Esaiæ 62. 1. Ἕως ἂν ἐξέλθῃ ὡς φῶς ἡ δικαιοσύνη [*donec egrediatur ut splendor justitia*]. Vide eundem Esaiam & 56. 1. ¶ Ἐκ πίστεως, *ex fide*] Justitia illa ex fide nascitur. Nam promissa cœlestia & contrariæ minæ ita ut oportet credita, animam à vitiis repurgant. ¶ Εἰς πίστιν *in fidem*] Non enim quiescit fides ubi justitiam peperit, sed perpetuò influit in opera: quod Abrahami exemplo docet Jacobus. Nam quam Abrahami fidem Moses circa initia pietatis ejus posuerat, Jacobus posuit in summo ejus progressu. Amat Paulus voces repetitas, ut infra 6. 19. 2 Corinth. 2. in fine. Simile est Psalm. 134. 8. & Joh. 1. 16. Bene hunc locum explicat Clemens Alexandrinus Strom. 5. fidem interpretans priorem *quæ substruitur*, posteriorem *quæ isti inædificatur*. ¶ Καθὼς γέγραπται *sicut scriptum est*] Apud Abacucum, ubi quæ à nobis dicta vide. Non mirum est si Deus hoc nunc facit, quod & olim fecit, ut benefaciat in se confidentibus. ¶ Ὁ δὲ δίκαιος, *Justus autem*] *Vir pius*. ¶ Ἐκ πίστεως, *ex fide*] Loquitur apud Abacucum Deus. Legitur autem nunc in Hebræo *per fidem suam*: sed veteres codices habuere *per fidem meam*, id est, in me, exspectando patienter mea promissa quæ per Abacucum & alios Prophetas ipsis annuntiavi, & non deficiendo ad idololatriam, ut illi de quibus paulò ante Propheta egerat. *Vivet*, id est, consequetur reditum in patriam, Nam *vivere* Hebræis sæpe est eximi miseriis & feliciter vivere. Sicut tunc fiduciam in Deum habentes liberati sunt ex captivitate Babylonica, ita nunc ex captivitate peccatorum & pœnis eam consequentibus. Et sic hunc locum Abacuci usurpat Schemtob.

18. Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ, *Revelatur enim ira Dei de cælo*] Nempe per Evangelium continens minas non minùs quàm promissa. Incipit autem à minis, ut & Johannes Baptista. Perterrendi enim prius sunt homines, sicut Paulus in terram dejectus fuit. Ἀπ' οὐρανοῦ, [*de cælo*] id est, non hominum commentis, sed Divina revelatione. Vide Matth. 21. 25. *Evangelium* Justinus ait *Sole esse lucidius. Nam qui Solis conspectu Deum non coluerant, eos auditu Evangelii adductos ut eum colerent*, Colloquio cum Tryphone. ¶ Ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν, *super omnem impietatem*] *Adversùs peccata quæ directè in Deum feruntur.* ¶ Καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων, *& injustitiam hominum*] *Adversùs peccata contra homines.* Ἀδικίαν Hebræi Græcè scribentes latiùs usurpant quàm Philosophi, ut significet omne id quod erga homines minùs fit quàm debet fieri ex officii alicujus ratione. Conjunxit hæc duo ἀδικίαν [*injustitiam*] & ἀσέβειαν [*impietatem*] etiam Philo de linguarum confusione, Ἀδικίαν μὲν σπείροντες, ἀσέβειαν δὲ θερίσαντες [*Injustitiam autem seminantes, impietatem verò metentes*]. Et significanter dixit ἀνθρώπων [*hominum*], id est, non Judæorum tantùm, sed & omnium Gentium. Lex Mosis ad solos Judæos pertinebat. ¶ Τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων *qui veritatem in injustitia detinent*] Eorum inquit hominum qui τὰς κοινὰς ἐννοίας [*communes notiones*] de Deo, de ejus Bonitate ac Justitia, de Honesto, per malos mores ita opprimunt, ut non magis appareant quàm qui in atro carcere captivi detinentur. Simile illud in choro vetere,

> Ἄφρονος δὲ ὅπόσα τὸ δίκαιον ἔγνω
> Ὑπὸ τᾶς ἀδίκου βιοτᾶς ἀφανές
> [*Stultus quisquis vi sub iniquâ*
> *Jus oppresserit latebris cordis*].

Ἀδικίαν [*injustitiam*] hic Paulus generaliùs sumit quàm modò, ut & ἀσέβειαν [*impietatem*] complectatur, quod ostendent sequentia. Origenes adversùs Celsum sexto cùm dixisset, Διὰ

τοῦτο

se dicerent aut *se dici sinerent* σοφούς [*sapientes*]. Sic appellati *Septem illi in Græcia notissimi*, antequam Pythagoras *Philosophi* sumeret nomen. Sic apud Romanos Sempronius dictus σοφὸς [*sapiens*], & Atilius *sapiens*, ut legimus apud Pomponium de origine Juris. ¶ Ἐμωράνθησαν· *Stulti facti sunt*] Facti sunt.

> —— Κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοὶ
> [—— *Vanis inflati fastibus utres*],

ut dicebat de illis Timon. Ἐμωράνθησαν [*Stulti facti sunt*], nempe Deo dirigente. Ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου [*stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*], 1 Cor. 1. 21. Bene Euripides,

> Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός
> [*Sapientem ego odi, qui sibi ipsi non sapit*].

& Pacuvius,

> *Odi homines ignavâ operâ, philosophâ sententiâ,*
> *Qui cùm sibi semitam non sapiant, alteri monstrant viam.*

Adde Ierem. 10. 14.

23. Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ, *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei*] Sunt verba sumpta ex Psalm. 106. 20. sicut habuit ibi vetus lectio כבודו [*gloriam ejus*], sicut & Jerem. 2. 11. ubi Deus loquitur, idemque verbum est המיר [*mutavit*]. in libris veteribus sequebatur כבודי [*meam majestatem*]. Sensus est, Pro honore quem Deo debebant, honorem habuere vitulo, simulacris. Dei proprium nomen ἄφθαρτος [*incorruptibilis*]. Interpretantur Scholiastæ, *qui nec interit, nec fit deterior.* ¶ Ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, *in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*] Ἐν ὁμοιώματι [*In similitudine*] est & in dicto Psalmi loco. ἐν [*in*] pro *ad*, *Transtulerunt honorem Dei ad effigiem vituli.* Eadem locutio in re commutationis, Levit. 27. 10. Ὁμοίωμα εἰκόνος [*Similitudo imaginis*] est *figura quæ apparet in simulacro.* Sic ὁμοιώματα εἰδώλων [*similitudines idolorum*] 1 Maccab. 4. 49. ipsi Dei similitudinem dicebant. At talis non est: Deus enim non habet formam humanæ similem, nedum pejorum animantium. Empedocles de Deo,

> Οὔτε γὰρ ἀνδρομέῃ κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται.
> Οὐ μὲν ἀπαὶ νώτοιγε δύο κλάδοι ἀΐσσουσιν,
> Οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦν', οὐ μηδέα λαχνήεντα
> [*Non illi caput humanum est quod corpus honestet,*
> *Non illi ex humero rami tenduntur utroque,*
> *Non genua atque pedes illi, nec mascula pubes*].

Xenophanes,

> Οὔτι δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος.
> [*Nec corpus similis mortalibus*].

Antiphanes, ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε [*oculis non videtur, nemini est similis*]. quod optimè convenit cum iis quæ habemus Deut. 4. 15. Josephus contra Appionem 2. Πᾶσα μὲν γὰρ ὕλη πρὸς εἰκόνα τὴν τούτου ἀλλότριος· κἂν ᾖ πολυτελής, ἄτιμός ἐστι πρὸς τὴν ἐκείνου δόξαν· καὶ πᾶσα τέχνη πρὸς μιμήσεως ἐπίνοιαν ἄτεχνος· οὐδὲν ὅμοιον οὔτ' ἐπινοοῦμεν, οὔτ' εἰκάζειν ἐστὶν ὅσιον [*Materia enim omnis inepta est effingendæ ejus imagini; quæ materia, quamlibet sit pretiosa, si cum hujus gloria comparetur, vilissima est; nec est ulla ars quæ, si quâre Deus adumbrandus sit, non prorsus omni arte careat; nihil simile ei aut cogitare possumus, aut fas est fingere.*] Ex hac causa, ait Strabo, culpatos à Mose non Ægyptios tantùm qui feris & pecudibus Deum similem facerent, sed & Græcos qui homini: addens, Τούτου δὴ τίς ἂν εἰκόνα πλάττειν θαῤῥήσειε, νοῦν ἔχων, ὁμοίαν τινὶ τῶν παρ' ἡμῖν; [*Ejus profectò imaginem quis sanæ mentis alicujus earum rerum quæ penes nos sunt, similem audeat effingere*] De Persis Herodotus, Ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιοῦσι (ἀγάλματα) μωρίην ἐπιφέρουσι, διότι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, καθάπερ οἱ Ἕλληνες [*Quia & hos, qui (statuas) fingunt, stultos putent: neque enim, ut Græci, Deos homini similes credunt.*] Sic & Numæ visum ait Plutarchus, οὐχ ὅσιον ἀφομοιοῦν τὰ βελτίονα τοῖς χείροσιν [*pium non esse assimilare meliora pejoribus*]. Et Germanis Tacitus, *non esse ex magnitudine cælestium assimilari eos in ullam humani oris speciem.* Nullum ὁμοίωμα [*simulacrum*] Deo faciendum ait Theodoretus ad Exodum 38. & *scriptam hanc legem in hominum cordibus* ait Origenes libro 1. Et libro 3. Ἡ κοινὴ ἔννοια ἀπαιτεῖ ἐννοεῖν ὅτι Θεὸς οὐδαμῶς ἐστιν ὕλη φθαρτὴ οὐδὲ τιμᾶται ἐν ἀψύχοις ὕλαις ὑπὸ ἀνθρώπων μορφούμενος, ὡς κατὰ εἰκόνα ἤ τινα σύμβολα ἐκείνου γιγνομέναις· διόπερ εὐθέως λέγεται τὰ περὶ ἀγαλμάτων, ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοί· καὶ τὰ περὶ τῶν τοιούτων δημιουργημάτων, ὅτι οὐκ εἰσὶ σύγκριτα πρὸς τὸν δημιουργόν, ὀλίγα τε περὶ τοῦ ἐπὶ πᾶσι Θεοῦ δημιουργήσαντος καὶ συνέχοντος καὶ κυβερνῶντος τὰ ὅλα [*Communis sensus jubet cogitare Deum haud quaquam esse materiam corruptibilem, nec esse hoc Deum honorare cùm id è vita carente materia fingas, quod aut simulacrum aut symbolum Dei haberi postules. Atque hinc statim de simulacris dicitur, non esse ea deos: hoc quoque de hisce factis adjicitur, non posse ea ullo modo cum Deo opifice comparari: pauca deinde adduntur de eo qui & fecit hæc omnia & regit & continet, quique omnibus præest, Deo*]. Et postea. Οὐχ ἧττον δὲ τούτων μαίνονται οἱ νομίζοντες εἰς τιμὴν θεῶν ἀληθινῶν κατασκευάσθαι τὰ ὑπὸ βαναύσων καὶ φαυλοτάτων ἔσθ' ὅτε ἀνδρῶν κατασκευαζόμενα [*Nec minus insaniunt qui putant veris diis honorem reddi per hujusmodi opera nequissimorum nonnunquam opificum.*] Rectè ergò Scriptor in Psalmo & hoc loco Paulus imagines istas non pro Dei imaginibus habent, sed pro iis quorum formam referunt. ¶ Καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν. *& volucrum & quadrupedum & serpentium*] Hoc Ægyptios, qui sapientissimi videri volebant, maximè tangit. Strabo dicto loco. Ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῖεν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον [*Non rectè facere Ægyptios, qui feris & pecudibus assimilant Deum.*] Philo de iisdem, Οἱ κύνας, λύκους, καὶ λέοντας, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλείονα θηρία, καὶ ἔνυδρα, καὶ χερσαῖα καὶ πτηνὰ θεοπλαστοῦντες [*Qui canes, lupos, leones, crocodilos, aliasque feras, & aquatica, terrestria, volucriaque animantium deos faciunt.*] Theophilus Antiochenus libro 1. Τί μοι λοιπὸν καταλέγειν τὸ πλῆθος ὧν σέβονται ζώων Αἰγύπτιοι, ἑρπετῶν τε καὶ κτηνῶν καὶ θηρίων, καὶ πετεινῶν, καὶ ἐνύδρων νηκτῶν; [*Quid porrò enumerare pergo multitudinem illam animantium quæ colunt Ægyptii, serpentium, jumentorum & ferarum, volucrum denique & in aquis natantium*]? Serpentes speciatim in Ægyptiorum cultu memorat Sapiens Hebræus cap. 16.

> *Omnigenûmque deûm monstra*

dixit de iisdem Virgilius. Iuvenalis,

> *Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens*
> *Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat*
> *Pars hæc; illa pavet saturam serpentibus Ibin.*
> *Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci,*
> *Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,*
> *Atque Vetus Thebe centum jacet obruta portis.*
> *Illic, cæruleos, hîc piscem fluminis, illic*
> *Oppida tota canem venerantur.*

Sed nec Romani planè extra hanc culpam. Lucanus circa Pauli tempora,

> *Nos in templa tuam Romana recepimus Isim,*
> *Semideosque canes.*

Et laribus quibusdam canina erat species. Vide & Philostratum 6. 9. Varro de diis, *Habitus illis hominum ferarumque & piscium. Quidam verò mixtos sexu diversis corporibus induunt.*

24. Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν, *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*] Deum deseruere; Deus vicissim eos deseruit; non leges illis dans Divinas, & humanas sinens depravari; non Prophetas mittens, & Philosophos sinens ad absurda prolabi. Sivit eos facere quod luberet, etiam summè fœda; ut qui Deum non honoraverant, semetipsos dehonestarent. Quod hic ἀκαθαρσία] *immunditia*] & infra 6. 10. Gal. 5. 19. Eph. 4 19. & 5. 3. Colos. 3. 5. 1 Thes. 2. 3. & 4. 7. id infra v. 26. ubi hic sensus repetitur, πάθη ἀτιμίας] *passiones ignominiæ*]. παραδιδόναι נתן] *tradere*] est *à præsidio suo destitutum alteri malè tractandum relinquere*, Deut. 23. 15. & 32. 30. 1 Sam. 23. 12. ἀκαθαρσία [*immunditia*] נבלות Oseæ 2. 10. Nahum. 3. 6. quod alibi ἀφροσύνη] *stultitia*]; *impuritates* Ciceroni secundâ Philippicâ. Ostendit non esse cur Romani se iis quos *Barbaros* vocabant, ut Scythis & Germanis, præferant. ¶ Τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς, *ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis*[Id est, *per sese*: sic ait, *ut ipsi corporibus suis dedecus inferrent, sua sponte, cogente nemine*:

Quid facerent hoſtes capta crudeliùs urbe?

Sic accepit & Theophylactus. Similis ſenſus 1 Cor. 6. 18 Contrarium eſt τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ [*vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore*], 1 Theſſal. 4. 4.

25. Οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacio*] Eadem locutio quæ ſupra v. 23. & ἀλήθειαν Θεοῦ [*veritatem Dei*] pro Θεὸν ἀληθῆ [*veritatem Deum*]. *Pro Deo vero ſumpſerunt imaginarios.* Nam ψεῦδος שקר [*mendacium*] Hebræis eſt *deus falſus*, ut Eſaiæ 28. 15 & 44 20 Jerem. 13 25. & 23. 14 Oſeæ 7. 1. Alibi, ut Amos 2. 4, vocantur *dii iſti* μάταια [*vanitates*] pari ſenſu. ¶ Καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, *& coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quàm Creatori*] Ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν [*coluerunt & ſervierunt*] eſt ויעבדו וישתחוו [*coluerunt & incurvaverunt ſe*] Prior vox de ſacrificiis dici ſolet, & vertitur σέβεσθαι [*colere*] Sap. 15. 6, 18. poſterior de flexione corporis quæ ſacris accedere ſolet. Παρὰ τὸν κτίσαντα [*potius quàm Creatori*], hic ἀντὶ τοῦ κτίσαντος [*Creatoris loco*] explicat Scriptor conſtitutionum Clementis, & *prætorito Creatore* Hilarius: ſed παρὰ cum accuſativo in comparatione poſitum, id quod excedit ſignificare ſolet, Exodi 36. 7. Pſalm. 45 7. Luc. 13. 2, 4 Hebr. 3 3. & 9 23 Sic & Philo τὴν παρ' ὑπηκόους ἄρχοντος διαφορὰν [*Principis ſupra ſubditos eminentiam*] dixit. Tum verò κτίσαντα eſt pro Hebræo בוראיך [*Creatore*]: nam Hebræi, quia pauca habent verbalia, participiis utuntur vice verbalium, ſic κτίσαντα valet quod κτίστῃ [*Creatori*] 1 Petri 4 19. Senſus ergò eſt, *majori honore opificia afficere quàm ipſum opificem*, quem ſi aliquo modo agnovere, ut Platonici, nulla tamen ei ſacrificia inſtituerunt. Poterant dicere, ſicut dixere Pythagoræi, Platonici, Stoïci, Se non eadem cum plebe ſentire; non *civilem* ſe ſequi *Theologiam* aut *poëticam*, ſed *naturalem*, ut illa diſtinguebat Varro: per *Jovem* ſe intelligere Ætherem; per *Junonem*, Aërem; per *Neptunum*, Mare; per *Naïdas*, Fontes; per *Cybelen*, Terram extimam; per *Ditem* & *Proſerpinam*, Terræ viſcera; per *Cererem*, Vim frugiferam; per *Dryadas*, Arborum vitas; per *Vulcanum*, Ignem; per *Vulcanum*, Ignem; per *Liberum*, Humorem corporibus inſitum. Dicit ergo Paulus ne ſic quidem eos excuſari poſſe, qui rebus ipſis cultum detulerint quem potuere maximum, opifici verò nullum aut præ illo tenuem. At planè, ut Joſephus de illis loquitur ſecundo contra Appionem, εἰς πλῆθος δόξαις προκατειλημμένον τὴν ἀλήθειαν τοῦ δόγματος ἐξενεγκεῖν οὐκ ἐτόλμησαν [*Hi populo ſuperſtitionum opinionibus jam præoccupato veritatem dogmatis proferre timuerunt*], nimirum quia, ut dicebat Plato, Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν [*Ac creatorem quidem & parentem hujus univerſitatis invenire difficile, & cùm jam inveneris, indicare in vulgus nefas*], id eſt, *non tutum eſt dicere*; quam ad rem plura teſtimonia attulimus annotatis ad lib. 4 de Veritate Religionis Chriſtianæ. Vide & quæ contra Platonem, hoc loco habet Chryſoſtomus Seneca de ſacris agens receptis, *Quæ omnia*, inquit, *ſapiens ſervabit tanquam legibus juſſa, non tanquam diis grata.* Hæc mali moris vetame ita injuſtitiæ convincit Euangelium, & hoc loco Paulus Adde his mores qui Romæ jam Pauli tempore invaluere, Cæſares mortuos divinis colendi honoribus, de quibus Lucanus,

Fulminibus manes radiiſque ornabit & aſtris,
Inque deûm templis jurabit Roma per umbras.

Si qui per Cæſarem pejeraſſent, graviſſimè puniebantur: ſi per Deum, ferebant id impunè. ¶ Ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν. *qui eſt benedictus in ſecula. Amen*] Frequens formula Hebræis, ut Geneſ. 9. 26. & 14 20 & 24 27, 31. ſed præcipuè uſurpari ſolita, quemadmodum Judæi monent & hic notavit Chryſoſtomus, ubi aliquid narratum eſt quòd factum dictumve ſit contra majeſtatem, ut tali addito malagmate oſtendatur Deo ſuam majeſtatem nihilominus eſſe ſalvam Addit Paulus εἰς τοὺς αἰῶνας [*in ſecula*] ut ſignificet Deum non aliquo, ſed omni tempore, cultu, laude, & honore eſſe digniſſimum. Quod ut homines magis magiſque agnoſcant, addit precativo ſenſu particulam *Amen*: ut & infra 9. 5 & 11. 36. & 15. 33. & 16. 24, 27. 2 Corint. 13. 13. Galat. 1. 5. & 6. 18. Epheſ. 3. 21. & 6. 24. Philipp. 4. 20, 23. Coloſſ. 4. 18. & 5. 28. 2 Theſſ. 3. 18. 1 Timoth. 1. 17. & 6. 21. 2 Tim. 4. 18, 22. Tit. 3. 15. Philem. 25. Hebr. 13. 21, 25. 1 Petri 4. 11. & 5 11, 14 2 Petr 3. 18. 1 Johan. 5. 21. 2 Johan. 14. & in Apocalypſi aliquoties.

26. Διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς, *Propterea tradidit illos*] Facit Paulus quod poſt longam παρένθεσιν [*interpoſitionem*] facere ſolemus, repetens verba priùs poſita v. 24. ¶ Εἰς πάθη ἀτιμίας. *in paſſiones ignominiæ*] *Cupiditatibus infamibus.* Quid enim infamius quam non dicam fervere voluptatibus, ſed iis, quæ natura reperit, non eſſe contentum, cùm tamen quas natura dedit ſint ſuaviores Adeò verum eſt quod dixit Tacitus *magnitudinem infamiæ à nonnullis concupiſci atque ejus apud prodigos noviſſimam eſſe voluptatem.* ¶ Αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν *nam feminæ eorum immutaverunt naturalem uſum in eum uſum qui eſt contra naturam*] Incipit à feminis quas maximè pudor decet, etiam circa naturales voluptates. Μετήλλαξαν [*immutaverunt*] cum particula εἰς [*in* cum accuſativo], eodem ſenſu quo id verbum ſequente ἐν [*in* cum ablativo], bis habuimus, quia Hebræi ב ponunt, quod & per εἰς & per ἐν vertitur. Tangit illarum ulcus quas *Tribadas* vocant Phædrus & Martialis, *Frictrices* Tertullianus, quarum fuit ingenio & poeſi nobiliſſima Sappho, quæ apud Ovidium ſic loquitur.

Lesbides infamem quæ me feciſtis amatæ:

rectè *infamem*, ob πάθος ἀτιμίας [*ob paſſionem ignominiæ*]. Seneca epiſt. 95, de ſui ſeculi feminis, *Libidine vero ne maribus quidem cedunt, pati natæ. Dii illas deæque male perdant; adeò perverſum commentæ genus impudicitiæ.* Clemens Alexandrinus, καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν [*& feminæ viros imitantur contra naturam*]. Voci μετήλλαξαν [*immutaverunt*] quæ hic uſurpatur affinis eſt & paris ſignificatûs ἐναλλάσσειν: unde ἐνηλλαγμένους dixit Aquila Oſeæ 4. 14. *pathicos*, qui non minùs quàm iſtæ feminæ ſexûs officia commutabant, & de quibus jam aget Paulus.

27. Ὁμοίως καὶ οἱ ἄρρενες ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, *Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu feminæ*] In Græco Epigrammate,

Θηλυτέρας φιλέειν ὀλίγον κακὸν, οὕνεκα κείνας
  Κυπριδίης ὀάρους πότνια δῶκε φύσις.
Δέρκεο τῶν ἀλόγων ζώων γένος, οὐ γὰρ ἐκείνων
  Φύσις ἀτιμάζει θέσμια συζυγίης
Ἄρσενι γὰρ θήλεια συνάπτεται· οἱ δ' ἀλεγεινοὶ
  Ἄνδρες ἐς ἀλλήλους ξεῖνον ἄγουσι γάμον.

[*Femellas adamare, malum leve; nam ſemen illud*
  Natura maribus conciliare placet.
Muta vide ſi vis animantia; nulla ferarum
  Egreditur fœdum conjugiale Venus.
Femina quippe viro bene jungitur: at malus eſt mos
  Qui docuit ſpretâ nubere lege viros.

cui convenit illud in epiſtola Judæ, ὅσα δὲ φυσικῶς ὡς τὰ ἄλογα ζῶα ἐπίστανται, ἐν τούτοις φθείρονται [*quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur*]. Plato de legibus primo, Ἐννοητέον ὅτι τῇ θηλείᾳ καὶ τῇ τῶν ἀρρένων φύσει εἰς κοινωνίαν, ἰούσῃ τῆς γεννήσεως ἡ περὶ ταῦτα ἡδονὴ κατὰ φύσιν ἀποδεδόσθαι δοκεῖ· ἀρρένων δὲ πρὸς ἄρρενας, ἢ θηλειῶν πρὸς θηλείας παρὰ φύσιν [*Intelligendum eſt eam eſſe naturalem voluptatem cum femina maſculo copulatur ad generationem; cùm verò maſculi cum maſculis copulantur aut cum feminis feminæ illam eſſe præter naturam*]. Plutarchus amatorio, ἡ παρὰ φύσιν ὁμιλία πρὸς ἄρρενας [*conſuetudo cum viris adverſa natura*] ubi & amorem hunc νόθον [*nothum*] vocat. Maximus Tyrius Diſſertatione decima, Οὐ γὰρ ἂν ἔτλης θίγειν σαρκὸς ἄρρενος, ἀθέμιτα χρήματος σαρκὶ ἄρρεν· ἄδικος ἡ μῖξις, ἄγονος ἡ συνουσία· ἐπὶ πέτρων σπείρεις, ψάμμους ἀροῖς· μετένεγκε τὰς εὐφροσύνας ἐπὶ τὴν φύσιν· τρέψον ἐπὶ τὴν γεωργίαν τοὺς ὀφθαλμούς· ἐγκάρποις ἥσθητι ἡδοναῖς [*Neque enim aliter corpus viri tangere auderes, quod à viro tangi nefas eſt; ſceleſtus eſt iſte coitus, infœcundus complexus. In ſaxis ſeris, arenam aras. Ad ea quæ natura præſcribit, voluptatem converte tuam: ad agriculturam oculos converte: fœcundâ te oblecta voluptate.*] ¶ Ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλους, *exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem* Egregiè vocem *exardeſcendi* uſurpat, ut & Poetæ ubi de amoribus agitur. ὄρεξιν hic vocat quod paulò ante ἐπιθυμίας [*deſideria*] non enim *amoris* nomen meretur talis cupido Ἐπιθυμεῖν λέγωμεν τοῦτον, ἀλλ' οὐκ ἐρᾶν [*cupere hunc dicamus, non amare*]. ait Maximus Tyrius. ¶ Ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι, *turpitudinem operantes*] Maximus Tyrius, Προσφυόμενος οὔτε τινα εὐσχήμονα, οὔτε νόμιμον, οὔτε ἐρωτικὴν τῷ ὄντι ξυνουσίαν [*Inhærens nec honeſto, nec juſto nec vere venereo complexu*] Sic נבלה vertitur ἄσχημον [*turpe*] Geneſ. 34. 7. ¶ Καὶ τὴν ἀντιμισθίαν

τιμωθίαν ἣν ἔδει τῆς πλάνης αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς ἀπολαμβάνοντες. & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes] Nam quæ à diis facta narrant, non mirum si & ipsi faciant. Theophilus Antiochenus, Ἔτι μὴν καὶ τὰς συγητὰς ἀῤῥενοκοιτίας εἰσηγήσαντο· καὶ πρώτους γε τοὺς θεοὺς κηρύσσουσιν ἐν ἀῤῥήτοις μίξεσι συγγινεσθαι [*Induxere & detestabilem illam venerem masculam; & primos quidem deos infando hoc coitu usos docent*]. Usum hac nefanda Venere Solonem ait Plutarchus in amatorio: Zenonem Stoïcæ sectæ Principem Diogenes Laërtius. Romæ verò omnia plena talium. Idem Theophilus, περὶ παιδεραςίας [*de puerorum amore*] locutus, Προνομίας ὑπὸ Ῥωμαίων ἠξίωται, παίδων ἀγέλας, ὥσπερ ἵππων φορβάδων, συναγείρειν αὐτῶν πειρωμένων [*Sunt huic apud Romanos privilegia, dum puerorum sibi velut equarum armenta conquirunt*]. Qui sensus verbis prope iisdem ast apud Justinum Apologetico secundo. Horatius scriptis Philosophicis,

> —— *Si ancillula præsto*
> *Sit, vel verna puer, &c.*

Seneca eodem ferme quo hæc Paulus scribens tempore epist. 95. *Transeo puerorum infelicium greges, quos post transacta convivia aliæ cubiculi contumeliæ exspectant. Transeo agmina exoletorum per nationes coloresque descripta.* Martialis ait neminem fuisse tam trepidi aut solliciti pudoris qui metueret in tali facto deprehendi. Scantinia quidem lex vetuerat stupra pueri, sed ingenui tantùm, nihil de servis constituens. Et ea ipsa lex postea exolevit. Vis tantùm puniri cœpit & quidem pari modo sive in puerum sive in feminam L. *si postulaverit*, in fine D. de adulterio L. in eadem. § *propterea*, D. ad legem Juliam de vi publica. Tacitus de Tiberio, *Solitudinem maris repetit pudore scelerum & libidinum, quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret: nec formam tantùm & decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines Majorum incitamentum cupidinis habebat. Tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt, sellariorum & spintriarum ex fœditate loci ac multiplici patientia, propositique servi qui quærerent, pertraherent, dona in promptos, minas adversus abnuentes.* Vide Suetonium de eodem Tiberio 43. Ἀντιμισθίας vocem habemus 2 Corinth. 6. 13. Significat ea vox *mercedem parem operæ.*

28. Καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia*] Ἐπίγνωσις [*notitia*] Hebraïcè דעת per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *cultum Dei* significat, ut videre est Prov. 1. 7. Oseæ 4 1. 6. & 6. 6. sic & Colos. 1. 10. δοκιμάζειν [*probare*] sæpe est *judicare*; & genere sumpto pro specie, *rectum æstimare*, ut infra 14. 22. Θεὸν ἔχειν [*Deum habere*] est *habere propitium*, ut 2 Joan. 9. Sensus ergo est, *Non tanti fecerunt Deum ut ejus favorem eum colendo sibi acquirerent.* ¶ Παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, *tradidit illos Deus in reprobum sensum*] Est allusio in vocibus ἐδοκίμασαν [*probaverunt*] & ἀδόκιμον [*reprobum*]. Deum non tanti fecere quem colerent; Deus eos tradidit cogitationibus planè aspernandis: nam ἀδόκιμον νόμισμα est *nummus rejectaneus*. Sic vox ἀδόκιμος [*reprobi*] sumitur & 1 Cor. 9. 27. Tit. 1. 16. Heb. 6. 8. & alibi. סג quod *scoriam* significat per ἀδόκιμον [*reprobum*] vertunt interpretes, Prov. 25. 4. Esa. 1. 22. Latini *rejiculas oves* vocant quæ ob morbum rejiciuntur. Νοῦν [*sensum*] hoc sensu, ut *totum animum ejusque actus* significet, habemus & Ephes. 4. 17. 1 Timoth. 6. 5. 2 Tim. 3. 8. Tit. 1. 15. Non longè abit hinc illud in Tragœdia Græca,

> Ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὶ πορσύνῃ κακὰ,
> Τὸν νοῦν ἔβλαψε πρῶτον
> [*Si cui malum molitur, illius Deus*
> *Consilia lædit*].

¶ Ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα. *facere ea quæ non convenit*] Id est, εἰς τὸ ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα [*ut faciant ea quæ non convenit*]. Hebræi dicerent אשר לא יעשו [*quæ non facienda sunt*], ἃ μὴ χρὴ dicunt Græci. Lactantius, *Immemores quid nati sint, cum feminis patientiâ certant.*

29. Πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, *repletos omni iniquitate*] Est mira εὔροια [*affluentia*] in hoc sermone & egregius χαρακτηρισμὸς [*descriptio egregia*] illorum temporum, præsertim Romæ, quales descriptiones aliquot habemus & in Senecæ epistolis circa tempus idem. Cùm hactenus ea attigisset quorum turpitudo maximè eminebat, nunc alia tangit vitia latissimè sparsa, sed Romæ maximè regnantia, quæ omnia per se quidem sunt mala: sed eorum pravitas longis moribus velut obducta opus habebat indicari ab Evangelio. Ac primùm dicit *injustitiam*, per quam Romani facti erant orbis domini, bella ferendo sæpe injusta & societatem vertendo in dominatum. Vide quæ diximus de Jure Belli & Pacis tum in Prolegomenis, tum libro 1. cap. 3. 21. *Romanos nihil nisi raptum habere, causam eis bellandi cupidinem profundam imperii ac divitiarum* non planè falsò apud Sallustium Mithridates. Galgacus verè apud Tacitum *raptores orbis* vocat, *quos non Oriens, non Occidens satiaverit.* ¶ Πορνείᾳ, [*fornicatione*] Hic sub πορνείας [*fornicationis*] nomine non *meretricios* tantùm *congressus* intellige, quos laudat apud Horatium priscus Cato, sed & *adulteria*, ut Matth. 5. 32. Sallustium illum cujus plena censoriis sententiis est historia, in adulterio deprehensum notavit ex Varrone Gellius. Vide quæ habet Horatius lib. 1. Satyra 2. & libro 2. Satyra 7. Seneca sui temporis feminis dicit *unius adulterium sorduisse, quasi matrimonium esset.* Ex Arriano discimus solitas se feminas defendere Platonis dogmate de communitate mulierum. Vide Senecam epist. 97. Tiberii & Caji adulteria habes apud Suetonium. Imperatorum facta imitabantur in provinciis Præsides. *Habet nescio quid ἐλκυστικὸν* [*amabile*], dicebat Varro, *formosula provincialis uxor.* ¶ Πονηρίᾳ, *malitiâ*] Πονηρία *malignitas, pravitas, malitia*, in Glossario. *Malitia* est versuta & fallax nocendi ratio. Ejus exemplum habes egregium in Appiano in narratione eorum quæ præcessere bellum Carthaginense tertium. Malitiam Imperatorum Romanorum habes apud Tacitum Annalium 13. Tiberium Tacitus idem vocat *callidum & tegendis sceleribus obscurum.* Apparuit id tum in aliis rebus, tum maximè in evertendo Germanico, & tota Drusi domo. Sic & Livia omnem Augusti domum everterat, ut suos proveheret. ¶ Πλεονεξίᾳ, *avaritiâ*] *Romanorum arma in eos acerrima, quibus victis spolia maxima sunt*, dicit Mithridates: Petronius,

> *Si quis sinus abditus ultra,*
> *Si qua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum,*
> *Hostis erat, fatisque in tristia bella paratis*
> *Quærebantur opes.*

Si locuples, hostis avari, ait Galgacus. Seneca ille tam eloquens avaritiæ accusator intra quadriennium ter millies sestertium paraverat, id est, ut putant eruditi, quindecim milliones florenorum. ¶ Κακίᾳ, *nequitiâ*] Κακία Græcis, ut Cicero notavit, generaliter sumitur pro *omni vitiositate*, quomodo Aristoteles ἀρετῇ [*virtuti*] opponit κακίαν. Speciatim ubi sumitur, videtur notare *consuetudinem aliis nocendi*, qualem describit Virgilius,

> *Et si non aliquà nocuisses, mortuus esses.*

¶ Μεστοὺς φθόνου, *plenos invidiâ*] Quod *vitium parvis magnisque civitatibus commune* dixit Tacitus. De talibus dictum olim, *Aut illi nescio quid incommodi accidit, aut nescio cui aliquid boni.* Vide de eo Horatium epist. 2. ¶ Φόνου, *homicidio*] Apparet id primùm in bellis populi Romani. Seneca, *Homicidia compescimus & singulas cædes; quid bella & occisarum gentium gloriosum scelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit. Ex Senatusconsultis plebisque scitis bella exercentur, & publicè jubentur vetita privatim.* Deinde in servos. Vedius Pollio servum ob fractum crystallinum murænis objecit. Maximè verò in amphitheatro, ubi homines partim feris, partim hominibus trucidandi objiciebantur, tantùm in oblectamentum populi: quod meritò Romanis exprobrant Christiani, Tatianus, Tertullianus, Minutius, Arnobius, Lactantius. Jam verò Imperatoribus Romanis quosvis levissimis ex suspicionibus sine causæ cognitione morti addicere ita quotidianum, ut in Tacito & Suetonio, ac Dione non aliud frequentius occurrat, & cùm talia narrat Historici, tædium lectorum deprecentur. ¶ Ἔριδος, *contentione*] Tria fora plena litibus. Fuere verò Philosophi ipsi quoque vitilitigatores; de quibus Timon,

> Φοιτᾷ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὸν λελακυῖα,
> Νείκους ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη καὶ ἔριθος,
> Ἥ τ' ἀλαὴ περὶ πάντα κυλίνδεται
> [*Aspera lis quadam provenit inania clamans,*
> *Incensi in cædes odii soror atque ministra,*
> *Quæ cæca huc, illuc circumque volutat*].

Cujus & alia in hanc rem produximus annotatis ad librum 2. de Veritate Religionis Christianæ. ¶ Δόλου, *dolo*] Lucilius,

Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Non omnis dolus judiciis coërcebatur. *Licere* enim *in pretio venditionis & emptionis se mutuò circumvenire* dixit Pomponius L. in causæ cognitione etiam. D. de minoribus. Paulus Jurisconsultus L. item si. §. quemadmodum. D. Locati. Hoc quoque per Euangelium iniquitatis convincitur. Vide quæ diximus libro 2. de Jure Belli & Pacis cap. 12. 26. ¶ Κακοηθείας *malignitate*] *Malignitas* vertitur in Glossario, & hoc sensu eam vocem usurpat Tacitus. Locum habet, cùm quæ possumus in bonam partem interpretari, in pejorem rapimus contra quam exigit officium dilectionis 1 Cor. 13. 6. Sic *inter Calvum, Asinium, Brutum, Cælium, Cæsarem, Ciceronem, mutuam malignitatem detegi* ait Scriptor de causis corruptæ eloquentiæ. Hoc est vitium cujus Herodotum arguit Plutarchus.

30. Ψιθυριστὰς, *susurrones*] In Glossariis, ψιθυριστὴς, *susurrator*. Hebræum לחש verti solet ψιθυρίζειν, significatque *clam & in aurem alium obtrectare*, Psalm. 41. 8. Sirach. 21. 28. Ovidius,

— Linguâque refert audita susurro.

¶ Καταλάλους, *detractores*] In Glossario, καταλαλῶ, *obgannio, obloquor*: vertitur sic Hebræum רגן & כלם & alia quædam. Significantur hic qui apertiùs famam alterius lædebant, ut multi Romæ, etiam amicitiæ specie. Talis ille apud Horatium,

Me Capitolinus convictore usus amico
Quo à puero est, causâque meâ permulta rogatus
Fecit, & incolumis lætor quod vivit in urbe.
Sed tamen admiror quo pacto judicium illud
Fugit. —

Addit deinde Horatius,

— Hic nigræ succus loliginis: hæc est
Ærugo mera. —

Hoc Suetonius vocat *excusando opprobrare*. Polybius, καινὸς γάρ ἐστι τις ἄτος εὕρηται τρόπος διαβολῆς, τὸ μὴ ψέγοντας, ἀλλ' ἐπαινοῦντας λυμαίνεσθαι [*Nam & hæc nova inventa est calumnia ratio, laudando lædere*]. ¶ Θεοστυγεῖς, *Deo odibiles*] Bene monent qui legi volunt θεοστύγεις: agitur enim de vitiis, non de pœnis. Rectè autem dicuntur *osores Dei* aut *abhorrentes à Deo*, ut citat Cyprianus epistola 68, qui simul atque aliquid ipsis evenisset adversi, deos incusabant, aut negabant providentiam. Lucanus,

— Exspectabit ab alto
Æthere Thessalicas, teneat cum fulmina, cædes:
Scilicet ipse petet Pholoen, petet ignibus Oeten,
Immeritaque nemus Rhodopes, pinusque minantes:
Cassibus hoc potius feriet caput?

Sic *invidia deorum, crimen deorum, Pompejum deis objici*, apud eundem legas. Tacitus Annalium 14. *Quæ adeò sine cura Deûm eveniebant ut multos post annos Nero imperium & scelera continuaverit.* Caji quanta impietas fuerit ex Philone aliisque docuimus in illam ad Thessalonicenses. Et ejus rei recens erat memoria cùm hanc epistolam scriberet Paulus. ¶ Ὑβριστὰς, *contumeliosos*] Ὑβριστὴς, *contumeliosus* in Glossario, גאים Proverb. 15. 25, & alibi vertitur ὑβριστὴς [*contumeliosus*]. Ait Aristoteles in Rhetoricis, *& juvenibus evenire ut facile alios indignè habeant.* Vide in Gellio historiam de juvene qui alapas impingebat obviis. Tacitus ubi de pœnis Christianorum agit, *pereuntibus addita ludibria.* Eidem narratur Neronis in Thraseam contumelia prænuntia cædis imminentis. Quomodo Tiberius & Claudius matronis per contumeliam magis quàm per libidinem illuserint, vide Suetonium Tiberio 44. 45. Claudio 36. ¶ Ὑπερηφάνους, *superbos*] Ὑπερηφανία est *superbia agnatum*, ut Sallustius ait, *nobilitati malum*. Est autem ὑπερηφανία [*superbia*], definiente Theophrasto, καταφρόνησις πλὴν αὐτοῦ τῶν ἄλλων [*omnium præ se contemptus*]. cujus vitii egregium nobis dedit χαρακτηρισμὸν [*egregiam descriptionem*]. & complura sunt apud Martialem eorum qui alios ad oscula non admittebant, qui à convivis seorsim cœnabant, aliaque faciebant ejus generis. Galgacus apud Tacitum de Romanis, *Quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugeris.* Claudiæ verò familiæ quæ post Augustum Romæ imperaverat, cujus in nomen adscitus Nero, *veterem & insitam superbiam* notat idem Tacitus. ¶ Ἀλαζόνας, *elatos*] Ἀλαζὼν est *jactator, gloriator, arrogans*, in Glossario. Apud Theophrastum quoque alia est ἀλαζονείας [*jactantiæ*] notatio, alia ὑπερηφανίας [*superbiæ*], & est ἀλαζονεία [*jactantia*] Platoni ἕξις προσποιητικὴ ἀγαθοῦ ἢ ἀγαθῶν τῶν μὴ ὑπαρχόντων (*habitus simulandi id se bonum eave bona habere, quæ non habeas*). Theophrastus προσδοκίαν dixit τινῶν ἀγαθῶν οὐκ ὄντων [*bonorum quæ non habeas ostentationem*], ubi προσδοκία est *excitatio opinionis*: cujusmodi hominis descriptio est egregia quarto ad Herennium, & in Alexidis fragmentis quæ nos edidimus, & in Martialis Epigrammatis, non malæ. Talis Mucianus, *arte quadam omnium quæ diceret atque ageret ostentator*, Tacito: & Romanorum plerique,

Introrsum turpes, speciosi pelle decorâ.

Quorum mores vocat *personatos*, & *vitæ fabulam* Martialis. *Miles gloriosus* Plauti Græcè erat ἀλαζών. ¶ Ἐφευρετὰς κακῶν, *inventores malorum*]

Ingeniosa gula est,

ait Petronius: ubi & sequentia vide. Adde quæ de commentis luxuriæ in ædibus, in vestibus, epulis, vasis, gemmis, unionibus, mensis, lectis multa apud Senecam, Plinium & alios. ¶ Γονεῦσιν ἀπειθεῖς, *parentibus non obedientes*] Proculejus cùm questus esset de filio quod mortem suam exspectaret, & ille dixisset, se non exspectare, *imò*, inquit, *rogo expectes.* Cogitemus quid fecerint Tiberius in Liviam: post hanc epistolam scriptam Nero in Claudium & Agrippinam.

31. Ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, *insipientes, incompositos*] Videri potest esse παρονομασία [*vocum allusio*], at non est; sed ex unâ voce variè scriptâ duæ factæ sunt. Syrus non nisi unam legit, ἀσυνθέτους [*incompositos*], quæ vera est. Non de intellectus, sed de voluntatis vitiis hic agitur: & quidem maximis; inter quæ est *perfidia*, tum in federibus publicis, tum in contractibus privatis. Notant id in Romanis vitium à Punici belli tertii temporibus Historici prope omnes. Vide exempla Servilii Galbæ & Cn. Domitii apud Valerium Maximum 6. 6. Firmii Læti apud Tacitum Annalium 2. P. Egnatii apud eundem 16. Idem in summa malorum Tiberiani temporis ponit *fallaces amicitias*, Annal. 4. ¶ Ἀστόργους, *sine affectione*] *Expertes etiam naturalis affectûs.* Ejus argumentum quod liberos, si numerus gravis videretur, aut tolli vetabant, aut jubebant exponi, idque impunè, nam & ideo in lege Pompeja de parricidis pater filium enecans non comprehenditur. Tertullianus Apologetico, *Quot vultis in his circumstantibus, & in Christianorum sanguinem hiantibus ex ipsis etiam vobis justissimis & severissimis in nos præsidibus apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecent. Siquidem & de genere necis differt, utique crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigori & fami & canibus exponitis.* Paria habet Justinus in Apologetico. Hinc est quod Tacitus in Judæorum institutis à Romanorum discrepantibus ponit, *Necare quenquam ex agnatis nefas*, ubi vox *agnatis* ita sumenda, quomodo in jure, agnatione sui hæredis testamentum rumpi dicitur. ¶ Ἀσπόνδους, *absque fœdere*] Vetus interpres vertit *implacabiles*; non malè: nam sic ἄσπονδος πόλεμος [*bellum implacabile*] dicitur *qui pacem non recipit.* Nec aliter hic accepit Syrus. Bene hoc convenit in illorum temporum Romanos, de quibus Tacitus negat *sperandum fuisse ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis charitate deponerent*, Historiarum 2. Lucanus,

Quemque sua rapiunt scelerata in prælia causa:
Hos polluta domus legesque in pace timendæ,
Hos ferro fugienda fames, mundique ruina
Permiscenda fides.

¶ Ἀνελεήμονας, *sine misericordia*] *Immisericordes* sanè Romani, etiam in provinciales: at maximè in servos, de quibus Seneca epistola 47. *Infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem ut loquantur, licet. Virgâ murmur omne compescitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus, magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur. Nocte tota jejuni mutique perstant.* Addit, *Non habemus illos hostes, sed facimus.* Deinde dominum sic admonet, *Vis tu cogitare ipsum quem servum tuum vocas ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æque spirare, æquè vivere, æquè mori?* Iuvenalis de feminarum moribus,

Pena

Pone crucem servo: meruit quo crimine servus
Supplicium? Quis testis adest? Quis detulit? audi.
Nulla, inquam, de morte hominis cunctatio longa est.
O demens! ita servus homo est? nil fecerit, esto.
Sic volo, sic jubeo; sit pro ratione voluntas.

Et postea,

—— Hic frangit ferulas: rubet ille flagello;
Hic scutica: sunt quæ tortoribus annua præstant.

De viris idem,

Mitem animum & mores modicis erroribus æquos
Præcipit: atque animas servorum & corpora nostra
Materiâ constare putat paribusque elementis:
An sævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris aut Polyphemus,
Tum felix quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

De provinciarum autem Præsidibus hoc ejusdem,

Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures.

Est descriptio non dissimilis eorum qui à divinis legibus desciscunt apud Philonem de humanitate, Τὰς τῶν ἱερῶν νόμων ἀποςάντας ἰδεῖν ἐςιν ἀκολάςυς, ἀναισχύντυς, ἀδίκυς, ἀσέμνυς, ὀλιγόφρονας, φιλαπεχθήμονας, ψευδολογίας ἑταίρυς καὶ ψευδορκίας, τὴν ἐλευθερίαν πεπρακότας ὄψῳ καὶ ἀκράτῳ καὶ πεμμάτων καὶ εὐμορφίας, εἴς τε τὰς γαςρὸς ἀπολαύσεις καὶ τῶν μετὰ γαςέρα ὧν τὰ τέλη βαρύτατα. ζημίαι σώματός τε καὶ ψυχῆς εἰσιν [*Qui à divinis legibus desciscunt, hos videas luxuriosos, inverecundo ore, injurios, leves, sordidos, hos & faciles quemvis lædere, & mendaciis & perjuriis assuesse, & libertatem cibo, vino, cupediis, forma denique paulò elegantiore vendidisse videas, gulæ ergò, quæque hanc sequitur libidinis; quorum acerbissimi exitus sunt, corporis nimirum atque animæ jactura*]. Senecam suo, id est, ei quo Paulus vixit seculo convitium facientem & eadem quæ hic habes exprobrantem vide xv. De beneficiis 15. & 17.

32. Οἵτινες τὸ δικαίωμα τῦ Θεῦ ἐπιγνόντες, *Qui cum justitiam Dei cognovissent*] ה׳ משפט [*jus Divinum*] ut sæpe apud Ezechielem & alios. Genitivus hic causam efficientem significat. Intelligitur enim hic jus partim per rationem, partim per traditionem inscriptum humanis mentibus, rectè puniri qui gravia delinquunt; quod tractavimus libro 2 de Jure Belli & Pacis cap. 20. initio. Etiam Græci jus naturæ vocant νόμον θεῖον [*legem Divinam.*] ¶ Ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτυ εἰσὶν, *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte*] Sunt quædam crimina quæ mortem mereri consensus hominum testatur, Act. 13. 28. & 23. 29 & 25. 11, 25. & 26. 31. & 28. 18. Talia sunt homicidia, adulteria & aliæ fœdæ libidines, ad quas hæc verba respiciunt. ¶ Οὐ μόνον αὐτὰ ποιῦσι, *non solum qui ea faciunt*] Faciunt ipsi modò hoc, modò illud, ubi datur occasio. ¶ Ἀλλὰ καὶ συνευδοκῦσι τοῖς πράσσυσι. *sed etiam qui consentiunt facientibus*] Hoc pejus illo; nam affectu abreptus peccat aliquis, sine eo non peccaturus: at qui defendunt talia & docent vitio carere, sanè gravius delinquunt. Hi sunt מחזיקים [*fautores*] apud Paraphrasten Chaldæum Levit. 20. 5. de quibus agi etiam Levit. 26. 21. ajunt Rabbini. Verbum συνευδοκεῖν [*consentire*] est etiam in Maccabaïcis & apud Lucam 11. 48. Act. 8. 1. & 22. 20. & apud Clementem in Epistola. ξυμψήφιζες, ἐπαινεῖς [*adjuvas, assentiris*] hoc loco Chrysostomus, & post eum alii. Theophylactus dixit συνηγορεῖν [*patrocinari*]. Philosophos hic maximè tangit Apostolus, qui erant doctores populorum, & quibus proinde imputari debebat si quà populus ipsis probantibus peccaret. Exempli causâ, παιδεραςίαν [*amorem puerorum*] & quosvis *incestus* esse ἀδιάφορα [*in rebus mediis*] docebant non Epicurei tantùm, sed & severi illi Stoici, quod non Theophilus tantùm Antiochenus nos docet, sed & Sextus Empiricus Zenonis & Chrysippi utens verbis quæ pudet transcribere. Sic *ultionis cupiditatem* probant Aristoteles & Cicero locis quos citavimus in annotatis ad 2 pro Religione Christiana. Idem Aristoteles *bellum in Barbaros* vult esse venatûs quoddam genus, ac proinde rem naturâ justam, Politicorum 1. 8. Idem *abigere partum* vult licere quamdiu quod conceptum est vitam nondum habet, Polit. 7. 16. Omnia autem facinora summatim defenderunt illi Philosophorum qui dixere nihil naturâ esse inhonestum, sed differre ista hominum institutis. Et, ut Justinus eorum sententiam explicat, Μηδὲν εἶναι ἀρετὴν, μηδὲ κακίαν, δόξῃ δὲ μόνον τὰς ἀνθρώπυς ἢ ἀγαθὰ ἢ κακὰ ταῦτα ἡγεῖσθαι· ὅπερ μεγίςη ἀσέβεια καὶ ἀδικία ἐςί [*Nec virtutem nec vitium esse quicquam, homines modò bona malave hæc putare; quod & impiissimum est & iniquissimum*]. Hinc illud desumptum.

—νόμῳ γὰρ τὰς θεὺς ἡγύμεθα,
Καὶ ζῶμεν ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένοι.
[— Lex est quâ remur deos,
Justique fines ac mali discernimus].

Item.

Τί δ' αἰσχρὸν, εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ;
[Quid turpe, nisi quod esse turpe usus putat]?

Vide quæ de Epicureis attulimus lib. 2. de Jure Belli & Pacis 20. 44 Appositè ad id quod hic dicitur, Philo libro de legibus specialibus, Ἀσεβεῖς γὰρ ὐχ οἱ δρῶντες μόνον, ἀλλὰ καὶ ὅσοι τοῖς δρῶσιν ἑκουσίῳ γνώμῃ ἐπὶ τῇ τῶν δρωμένων [ità legendum, non σὺν τῇ δρώντων) ἐξυσίᾳ ἐπιγράφονται [*Neque enim qui faciunt, tantum impii sunt, sed & qui licere hæc fieri credi volunt*]. Cyprianus Epist. 21. *Non est enim immunis à scelere qui ut fieret imperavit: nec est alienus à crimine, cujus consensu licet non à se admissum crimen, tamen publicè legitur.* Salvianus lib. 4. *Nam dum spectantes hæc comprobant ac libenter vident, omnes ea visu atque assensu agunt* Tacitus, *Corrumpere & corrumpi, seculum vocatur.*

CAP. II.

VALLA.

8. **E**T *qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati*] Jocundiùs Græcè dicitur sine variatione verbi, *non credunt veritati, credunt autem iniquitati*, ἀπειθῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ.

11. *Non est personarum acceptio apud Deum*] Ego dixissem potiùs, *Non est personarum respectus*, sive *intuitus*, vel *contemplatio*. Nam ut ὑπόληψις, quæ est *suspicio*, ità προσωποληψία, quæ est *acceptio personarum*, à verbo λαμβάνω venit, quod sign. *capio*: & tamen ejus composita significant aliquid scilicet quale *aspicio*, *intueor*, *contemplor*.

14. *Ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*] Non Græcè *ejusmodi*, sed *hi*, ὗτοι nec *ipsi sibi*, sed *sibimet*, sive *sibiipsis*, ἑαυτοῖς.

15. *Reddente illis testimonium conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium*] Non est in Græco *illis* (quod si esset, dicendum erat *suâ*, non *ipsorum*) verùm pro *illis* ponendum est *simul*: dicitur enim συμμαρτυρύσης. Verùm hoc non fuit, ut reor, Interpretis vitium. Illud fuit, quòd cùm incipiat transferre genitivum Græcum per ablativum, relinquit reliquos genitivos contra rationem linguæ Latinæ, cùm fuerit dicendum, *cogitationibus*, *aut etiam defendentibus*.

20. *Magistrum infantium*] Ego maluissem dicere *parvulorum*, quemadmodum sæpe transfertur νηπίων.

REVIUS in VALLAM.

11. **Y**Πόληψία] Vocem eam nondum inveni: ὑποψία ei fortè in mente fuit, quæ *suspicionem* notat: sed nihil ad rem Laurentii, imò ei adversatur: ὑπόληψις pro *opinione* frequens est.

ERASMUS.

1. **P***Ropter quod*] Origenes indicat rectum ordinem totius hujus disputationis Paulinæ, quòd sit alioqui perplexior, propterea quòd ter iteretur *tradendi* verbum, & aliquot tradendi causæ referantur, sed quæ non satis aptè videantur ad singula respondere, proinde rectiùs existimat omnes tradendi causas, quæ separatim hic singulis traditionibus præferuntur, in unum coacervare, ac rursum traditionis species conjungere: ut ordinemus hoc pacto, Quoniam quidem *homines mutaverunt immor-*

mortalis Dei gloriam imagine effictâ ad ſimilitudinem mortalis hominis, & volucrum, & quadrupedum, ac ſerpentium; & quoniam *adulteraverunt veritatem Dei mendacio, & coluerunt ac venerati ſunt creaturam potiùs quàm Creatorem, nec placuit illis Deum agnoſcere:* ut hactenus ſit congeries cauſarum: mox conjungantur malorum ſpecies in quæ tradiderit illos; *Propter hæc omnia tradidit illos Deus in deſideria cordis ſui, & in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua; & tradidit eos Deus in affectus probroſos, ut feminæ eorum inverterent naturalem uſum in eum qui eſt contra naturam, ſimiliter & maſculi; ſed & tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant ea quæ non conveniunt, qui erant repleti omni iniquitate, libidine, fraude, avaritiâ, malitiâ, plenique erant livore, homicidiis, contentione, dolo*, ac cæteris malis quæ commemorat; *quique cùm cognoviſſent juſtitiam Dei hanc eſſe ut qui talia agunt digni ſint morte, non ſolùm qui faciunt illa, ſed & qui conſentiunt facientibus. Et ideo pro omnibus his malis inexcuſabiles erunt, dum alios judicant ac damnant ſuper his quæ committunt ipſi.* Nam de ſe pronunciat qui alterum punit ob ea quæ ipſe committit. Hunc lectionis ordinem indicavit Origenes. Sed interim ex hoc loco conjicere licet illum ſecùs legiſſe quàm hodie legunt Græci, non finiens orationem ubi nos finem facimus capitis, ſed connectens cum initio proximi capitis, *Propter quod inexcuſabilis es, ô homo.* Atque hic ſenſus probè conſtaret ſi ex Græcis verbis elici quiret. Poſſet autem, unico addito articulo οἱ, ut legamus hoc pacto, οὐ μόνον οἱ αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. Neque enim convenit, opinor, tam craſſum ſolœciſmum tribuere Paulo, ut dativum uſurparit vice recti, h. e. ποιοῦσιν & συνευδοκοῦσι pro ποιοῦντες & συνευδοκοῦντες. Et haud ſcio an Interpres mutarit Græcam lectionem. Certè locis aliquot utitur Paraphraſtæ libertate. ¶ *Omnis qui judicas*] Πᾶς ὁ κρίνων, i. *quiſque judicas*, vel *quiſquis es qui judicas.* ¶ *In quo enim alterum*] Ἐν ᾧ γάρ. Senſus eſt, *Alium judicando teipſum condemnas*, h. e. Eo ipſo quòd judicas, te condemnas: id habet proprietas Græcanici ſermonis. Ità 1 Petr. 2. ἐν ᾧ καταλαλοῦσι. Hæc enim propriè dicuntur in magiſtratus & cenſores morum, *Dum in alium fers ſententiam, in te ipſum fers:* quemadmodum legimus David in ſeipſum mortis ſententiam pronunciaſſe. Eſt quiddam alioqui duriuſculum in numero repentè mutato, *in quo*, & *eadem enim agis*. Præterea cùm ſubjicit *eadem enim agis*, &c. propemodum eandem repetit ſententiam, ni legas juxta noſtram annotationem. ¶ *Eadem enim quæ judicas*] Τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων, i. *eadem facis tu qui judicas*, vel *tu ille judicans*. Quanquam hic error vet. etiam cod. occupavit, ſive quòd facillimus ſit lapſus in *qui* & *quæ*, ſive quòd nonnulli legerint pro ὁ κρίνων, ἃ κρίνεις. Cæterùm nec ex Origenis, nec ex Chryſtomi, nec Theophylacti interpretatione, nec Ambroſii, liquet quid legerint hac quidem in parte, niſi quòd in Græcis conſtanter habetur ὁ κρίνων. Κρίνεις, κατακρίνεις. Jucunditas Græcanicæ figuræ non potuit ab Interprete reddi, quòd proſonomaſia non reſpondeat in Latinis vocibus.

4. *Divitias bonitatis ejus*] Ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος. *Divitiarum* vocabulo delectatus eſt Paulus, vel hoc argumento, quòd eo frequentius utitur quoties ingentem rei cujuſpiam vim & copiam vult intelligi. Porrò *bonitatis* non eſt ἀγαθωσύνης, quod eam ſignificat *bonitatem* quæ opponitur πονηρίᾳ *malitiæ*, ſed χρηστότητος, quæ *benignitas* Latinè dicitur. Eam ità finiunt philoſophi, *Benignitas eſt virtus ſuâ ſponte ad bene faciendum expoſita.* Unde Græca vox ab *utilitate* dicta eſt. Quanquam eadem accipitur pro *commoditate ſuavitatéque morum, quâ nos faciles ad vitæ conſuetudinem præſtamus.* Siquidem *uſum* pro *familiaritate* ſive *conſuetudine* dicunt & Latini. Et Græci *vehementer comes ad congreſſum* ac *blandiores* χρηστολόγους appellant. Nec multùm abeſt *bonitas à benignitate*. Etenim cùm Deos *bonos* vocant, *beneficos* intelligi volunt. Verùm nos id quod præterquam quòd certum, etiam dilucidius erat & ad hunc locum accommodatius, ſequi maluimus. *Lenitatem* autem & *manſuetudinem Dei*, quódque minimè ſit auſterus, χρηστότητα vocat. ¶ *Ignoras*] Ἀγνοῶν, *ignorans*, aſtipulante vetuſtiſſ. codice Donatiani. Participium eſt apud Græcos, & à ſuperioribus pendet. Et ità refert Hieronymus in Ezechielem. ¶ *Quòd bonitas Dei*] Ὅτι τὸ χρηστόν. Adjectivum nomen poſuit loco ſubſtantivi, éſtque eadem dictio quam mox expoſuimus. ¶ *Ad pœnitentiam te adducit*] Ἄγει, *ducit*, h. e. allicit & invitat. Hieronymus in Ezechielem vertit *provocat*. Alioqui idem eſt *adducere* quod *perducere*.

5. *Cor impœnitens*] Significantiùs Græcè ἀμετανόητον, q. d. *impœnitibile*, quódque nullâ Dei beneficentiâ poſſit ad pœnitentiam adduci. Porrò μετάνοιαν rectè verteris & *reſipiſcentiam*, & μετανοεῖν *reſipiſcere*. Nam hinc vox eſt dicta quòd poſt admiſſum ſcelus homo ſentiat ſe peccaſſe, à μετὰ *poſt*, & νοεῖν *intelligere*. ¶ *Theſaurizas tibi*] Θησαυρίζεις σεαυτῷ, *theſaurizas tibi ipſi*. Nec enim hic otioſum eſt pronomen compoſitum, ſignificans ipſum ſibi cauſam eſſe tanti mali, cùm bonitas Dei illum aliò provocet. Miror autem cur Interpretem Græca vox tantopere delectet, cùm dicere potuerit *colligis*, *recondis*, *reponis*. Significat paulatim acervari Divinam iram, ut tandem univerſa depromatur more theſauri. ¶ *Revelationis juſti judicii*] Græci dividunt hæc interpoſitâ conjunctione, ἀποκαλύψεως καὶ δικαιοκρισίας, *revelationis & juſti judicii*. Quanquam Græcis *juſti judicii* unica dictio eſt, & ob id venuſtior, ut diſtingueret novato verbo Divinum judicium à noſtris judiciis, in quibus non rarò nocens elabitur & innocens damnatur. Tribus notis ſignificavit eundem diem; *iræ*, quòd tum miſericordiæ locus non erit; *revelationis*, quòd omnia nuda erunt quæ nunc latent; & *juſti judicii*, quòd rectè pro cujuſque meritis pronunciandum eſt. Atque ità deprehendet legiſſe Theophylactum quiſquis hujus interpretationem attentiùs legerit. Certè contextus ſic habet & apud hunc & apud Chryſoſtomum. Attamen in nonnullis Græcorum exemplaribus non additur tertia conjunctio, ut ſit ſenſus, In eo die quo impii non bonitatem Dei, quam contempſerunt, ſed iram, h. e. juſtitiam & ultionem, experturi ſunt, quóque aperietur Divinum judicium, quod interim latet apud mortales.

6. *Secundùm opera ejus*] Κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, *juxta facta*. & *ſua*, non *ejus*. Niſi mavis *ipſius*, quod pronomen ad reciproci naturam proximè accedit.

7. *Secundùm patientiam*] Καθ' ὑπομονὴν *perſeverantiam*, aut *ſuſtinentiam, boni operis*, h. e. quòd perſeveraverit in bono opere. ¶ *Quærentibus vitam*] Hic locus parùm commodè redditus eſt, cùm Græca lectio, ſiquis attendat, pulcrè habeat, Ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ· τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου, δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι, ζωὴν αἰώνιον, h. e. *Qui reddet unicuique juxta opera ſua; his quidem qui per perſeverantiam operis boni, gloriam & honorem & immortalitatem quærunt* (ſive *quæſierunt*) *vitam æternam:* ut ζωὴν αἰώνιον referatur ad verbum ἀποδώσει, *reddet*, τοῖς articulus ad participium ζητοῦσι ut ſit ſenſus, *His qui hic quærunt gloriam illam & honorem & immortalitatem perſeverantes in bonis operibus*, per quæ iſta parantur, *reddet vitam æternam*, nimirum id quod quæſierunt. E diverſo, *qui maluerunt eſſe contentioſi, nec obedierunt veritati, iis ventura eſt ira*, &c. Ad hunc modum videtur legiſſe & Origenes, cùm ait, *Quærentibus*, inquit, *gloriam & honorem & incorruptionem, pro boni operis patientia vita dabitur æterna:* ac mox, *Nunc quidem gloriam & honorem requiramus.* Ad eundem modum legit & exponit Theophylactus Archiepiſcopus Bulgarienſis, & Chryſoſtomus, ac cætera Græcorum Scholia: ut intelligamus hoc egregium præmium dari, ſed iis modò qui ambierint, ambiri autem rectè factis. Et ingens eſt exemplariorum conſenſus. Diſtinctio quidem ſermonis eadem eſt apud utrumque. Theophylactus tamen apertiùs hos accuſativos *gloriam & honorem & incorruptionem* refert ad participium ζητοῦσι, quàm Chryſoſt. Neſcio quid ſecutus Ruffinus lib. περὶ ἀρχῶν 3 locum hunc ità refert, *His quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloria & incorruptio, qui quærunt vitam æternam. His autem qui ex contentione, & qui non credunt quidem veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*, &c. ut in utraque parte ſub. verbum *erit*. Tametſi conſtat Ruffinum eſſe parùm bonæ fidei interpretem. Atque hæc verſio præbet occaſionem alterius lectionis, quæ conſtabit tranſlatâ in proximum locum hypoſtigmê, ut primores accuſativi *gloriam*, *honorem* & *incorruptionem* pertineant ad verbum præcedens *reddet*, *vitam æternam* ad participium *quærentibus*; ut hic ſit ordo; *His qui ſunt juxta patientiam boni operis, quærentibus vitam æternam, dabit gloriam, honorem*, &c. Ut poſt *boni operis* ponatur hypoſtigme, & ſubaudiatur verbum *ſunt*, quod Interpres in altera parte expreſſit, τοῖς δ' ἐξ ἐριθείας, *his qui ſunt ex contentione*. Hanc lectionem ſecutus videtur Ambroſius, & hoc ſanè loco Ruffinus. Quæ mihi quidem non diſplicet; ſed neutram dilucidè expreſſit Interpres, eò quòd participium non verterit in verbum, cùm articulum verterit in pronomen, *his qui quærunt*, ut reſpondeat diverſæ parti, *his verò qui ſunt ex contentione*. Nam *contentionem* oppoſuit *patientiæ*. Nec multum eſt diſcriminis inter ſententias duas quas facit aliter poſita hypoſtigme. Nihil enim refert utrùm *bonis operibus* ambiatur *vita æterna*, an *gloria, honor & immortalitas*, Cùm hæc omnia nobis ſit Deus. Porrò nè quem offendat quòd nos pro *incorruptione* vertimus *immortalitatem*, vertit ad eundem modum Ambroſius in Epiſt. 1. ad Timotheum cap. 1. ἀφθάρτῳ, *immortali Deo*; & eodem pacto legit Eccleſia. Imò ea vis eſt Græcanicæ dictionis. Nam *incorruptio* an Latina vox ſit neſcio.

29. *In*

8. *Ex contentione*] Τοῖς δ' ἐξ ἐριθείας, i. *contentiosis*, ut annotavit & Theophylactus, sive *qui sunt ex contentione*. Nam Gr. τοὺς ἐκ στοᾶς Stoicos vocant, & Paulus τοὺς ἐκ περιτομῆς circumcisos appellat. ¶ *Non acquiescunt*] Græcis unica vox est, & participium, ἀπειθοῦσι, *non parentibus*, sive *obtemperantibus*: neque redditur apud nos jucunditas Græci sermonis quam habet ἐναντίωσις ἀπειθοῦσι & πειθομένοις, i. *non obtemperantibus* & *obtemperantibus*.

9. *Judæi primùm & Græci*] In his quoque est geminatio conjunctionis quam superiùs ostendimus, τὲ καὶ, *Judæique primùm & Græci*. Opinor autem adverbium *primùm* ad utramque gentem pertinere, *Judæorum* & *Græcorum*, ut accipiamus, sicut Christi gratia primùm prodita est Judæis & Græcis, ità pœnam his potissimùm infligendam si donum oblatum aspernentur.

11. *Acceptio personarum*] Προσωποληψία. Unica vox est, quæ significat *respectum personæ*, cùm huic magis favemus quàm illi, non ob ipsius rei sed personæ discrimen. Huic opponitur quod paulò superiùs dixit δικαιοκρισίαν, i. *rectum judicium*. *Acceptio personæ* Lat. auribus nihil significat, tametsi frequens est in S. literis: προσωπόληπτοι verò magis videntur appellari *quos cepit personæ favor* quàm *qui accipiunt*, quemadmodum & ἐρωτόληπτοι & νυμφόληπτοι dicuntur. Nec magis ad *personam* pertinet hæc vox quam ad *faciem*. Certè sic alicubi negat Deum *judicare secundum faciem*.

12. *Sine Lege peccaverunt*] Græcus sermo festivior est per adverbium ἀνόμως. q. d. *illegaliter*: sive *exlegaliter*, quod utrobique dictum est. Nam exlegem legimus pro ἄνομος. Quanquam totus hic sermo repetitione dictionum & contrariis inter se relatis picturatus ac membrorum numeris modulatus est, ἀνόμως, ἀνόμως ἐν νόμῳ, διὰ νόμου ἥμαρτον, ἥμαρτον ἀπολοῦνται, κριθήσονται. ¶ *Sine Lege peribunt*] Græcis est καὶ ἀπολοῦνται, *& peribunt*; ut intelligas reddi similitudinem, & talem fore exitum qualis fuerat vita.

13. *Sed factores Legis*] Ποιηταὶ, i. *qui operantur & faciunt Legis præcepta*. Alioqui *faciunt legem* qui condunt legem.

14. *Ejusmodi Legem*] Græcis est οὗτοι, i. *hi*, non *ejusmodi*. Interpres legisse videtur τοιοῦτοι nec ad sensum refert.

15. *Scriptum in cordibus*] *Scriptum* nomen est Græcis, non participium, γραπτὸν, q. d. *scriptitium*, ut opponatur illi quod ἄγραπτον vocant Jureconsulti, *jus non scriptum*. ¶ *Testimonium illis reddente*, &c.] Συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, i. *simul testificante ipsorum conscientiâ*. Nam *illis* apud Græcos non est: ut intelligas conscientiam illorum consentire cum judicio Dei. ¶ *Cogitationum accusantium*] Mirè dormitavit Interpres, cùm verso altero genitivo Græco in ablativum Latinum συμμαρτυρούσης, alterum relinqueret. Vertendum erat, *cogitationibus invicem accusantibus, aut etiam defendentibus*. Atque ità recenset Hieronymus edisserens Ezechielis c. 16. Ad eundem modum legit Ambrosius interpres. Itidem Augustinus cùm aliàs frequenter tum lib. De civ. Dei 20. c. 26. quanquam aliter citat exponens Sermonem Domini in monte habitum, si tamen codex mendo vacat. Solent enim scribæ citationes veterum ad hanc Vulgatam edit. emendare. Nec secùs legit interpres Origenis in hanc Epistolam, quisquis is fuit. Qui nolunt Interpretem usquam errasse, & eum Spiritu S. suggerente vertisse, vel unum hunc locum si possint expediant. Atque hujus unius loci tam insignis supinitas & oscitantia tam evidens satis argumento potest esse quantùm illi fidendum sit in aliis. De commoditate sermonis loquor, non de sententiis. Nec est necesse ut Spiritui S. tribuamus omnia. Quidam hos genitivos *cogitationum* referre conantur ad vocem quæ præcessit *conscientiâ*, *conscientiâ cogitationum*. Verùm id perquam durum est. Meâ sententiâ non potest meliùs excusari Interpres quàm si dicamus tum temporis vulgus ad imitationem Græcorum ità solere loqui, cui navabat hanc operam potiùs quàm eruditis.

17. *Si autem*] Verior & antiquior apud Græcos scriptura est, ἴδε, *Ecce*, non εἰ δὲ, *Si verò*. Alioqui non satis cohæret ordo cum eo quod sequitur, *Qui ergò alium doces*. Quanquam Ambrosius legit εἰ δὲ, si modò libri non fallunt, tum Origenes & Theophylactus. Neque quod ad sensum attinet quicquam est incommodi, nisi quòd, ut modò dixi, duriusculè cohærent quæ sequuntur, *Qui igitur doces alium*, &c. Quanquam hoc quoque neque novum est in Paulo, & alioqui tolerabile.

18. *Probas utiliora*] Τὰ διαφέροντα, i. *eximia*, sive *egregia*. Interpres legisse videtur συμφέροντα *utilia*, sive *conducibilia*. Demiror autem cur Theophylactus διαφέροντα voluerit interpretari pro συμφέροντα, nisi fortè loquuntur Græci more Latinorum, ut dicant *interesse cujuspiam* quod ad rem illius pertineat. Cæterùm *probas* hoc loco est δοκιμάζεις, h. e. *comprobas*, quod est *judicio ac velut exploratum approbare*. ¶ *Instructus per Legem*] Gr. κατηχούμενος *eruditus*, sive *initiatus & institutus*. Est autem verbum Paulo peculiare, quod videtur esse dictum à voce quâ olim mysteria tradebantur, quæ nefas erat libris committere. Eodem usus est hujus discipulus Lucas in præfatione Euangeliorum, ut illic indicatum est.

20. *Magistrum infantium*] Διδάσκαλον νηπίων νήπιος, ut jam aliquot admonuimus locis, cùm ad Ætatem refertur, significat *infantem*, cùm ad animum, significat *parum eruditum*, *parum ingenio & usu rerum callentem*. Hìc tempestivius erat *stultorum*, *insipientium*, aut *puerorum*. Quis enim docet infantes? *Parvulorum* erat tolerabilius, ut sæpe vertit aliàs. Nam hoc loco non est *magister qui regat*, sed διδάσκαλος, h. e. *qui doceat*. Porrò quod mox præcessit παιδευτὴν anceps est nomen, commune tum *ei qui instituit pueros*, tum *ei qui castigat & corrigit errantes*. apparet hìc Paulum tacitè alludere ad locum qui est apud Esaiam cap. 33. *Ubi est scriba? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?* ¶ *Habentem formam*] Μόρφωσιν *formationem*, q. d. *instituendi formandique rationem quam aliis præscribat*, ut sunt & hodie qui profiteantur se posse *formare conscientias* singulorum. Itidem Judæi sibi placebant quòd proselytis veluti stupidis formam vitæ præscriberent. In hanc sententiam enarrat & Theophylactus; sed illud adjiciens, fuisse qui μόρφωσιν hoc loco interpretarentur non *formam*, sed *mentitam & adumbratam imaginem justitiæ*, cùm ità præciperent, *Nè tetigeris*, *Nè gustaveris*, *Nè contrectaveris*.

23. *Inhonoras*] Ἀτιμάζεις, *dehonestas*, sive *ignominia afficis*.

24. *Per vos*] Græcè δι' ὑμᾶς *propter vos*, ut intelligas non Instrumentum, sed Causam. ¶ *Blasphematur*] Græcis vox est βλασφημεῖται, quod Latinè vertas licet, *malè audit*, sive *maledictis afficitur*. Testimonium quod adducit Paulus Origenes refert ad Esaiam, apud quem legis cap. 52. *Quoniam ablatus est populus meus gratis, dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, & jugiter totâ die nomen meum blasphematur*. Porrò hæc duo verba *in Gentibus* addita sunt ex editione LXX, quâ Paulus hoc loco videtur abusus. Alioqui veritas Hebr. habet, *Et jugiter totâ die nomen meum blasphematur*. D. Hieronymus locum hunc apud Esaiam edisserens indicat & ad Ezechiel referri posse, apud quem legis cap 36. *Et ingressi sunt ad Gentes, ad quas introierunt, & polluerunt sanctum meum, cùm diceretur de eis, Populus Domini iste est; & polluerunt nomen sanctum meum*. Cæterùm quid sibi voluerit hoc loco Lyranus, viderit ipse. Consentit enim nostra editio cum LXX & Hebraica veritate. Nec hoc sanè loco ullum discrimen est, si qua fides habenda est vulgatis exemplaribus. Jam verò de Lyrano minùs admiror. At Aquinas longè diligentior hoc loco nescio qua de causa duplicem inducit lectionem; cujus equidem verba non gravabor adscribere, quò facilius sit lectori super hac re vel judicare vel inquirere. Cùm enim citasset locum qui est apud Esaiam, *Dominatores ejus iniquè agunt, & jugiter totâ die nomen meum blasphematur*, subjicit ex Hieron. nimirum alterum testimonium his quidem verbis, *Et Ezec. 36. secundùm aliam literam, ubi nostra sic habet, Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus*. Hactenus Aquinas. Quæso, quænam est alia lectio, sive, ut ipsi vocant, *litera*, quæ dissideat ab altera? Excute, disquire, nihil hujusmodi reperies. Proinde conjicio Thomam aliò properantem hæc non hausisse ex ipsis fontibus sed ex aliorum collectaneis. Sunt enim apud Ezechielem in eodem capite duo loca in consimilem sententiam. Prior est quem nos modò citavimus, in quo nulla pugna est inter Hebræam veritatem & editionem LXX. Alter, qui non magno sequitur intervallo repetens quod jam dictum erat, quem citat Aquinas, *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus ad quas intrastis*. Ac nè hic quidem ulla discordia est inter translationem Hieronymi & LXX. Quòd si quis nobis diffidit, conferat utramque editionem conjunctam in operibus Hieronymi proximè editis Basileæ. Jam verò quod Paulus admonuit Judæos, id multò magis cavendum est nobis Christianis, quorum vita si nihil differat ab Ethnicorum vita nisi titulo Christiani nominis ac ceremoniis, cæteris in rebus par, aut etiam contaminatior, periculum est nè sanctissimum illud CHRISTI nomen polluatur & contumeliis afficiatur inter inimicos fidei, Judæos & Turcas, si conspiciant nos non minùs abjectè servire libidini, nihilo moderatiùs inhiare lucris, non minùs cupidos vindictæ, non minùs timidos mortis & avidos vitæ, non minùs furiosè belligerantes, tumultuantes, digladiantes, quamlibet levibus de causis.

28. *Nam*

28. *Non enim qui in manifesto, Judaus*] Hoc loco brevitatem quam Græcis adferunt articuli præpositivi, nos, quò dilucidior esset sensus, cumplusculis verbis explanavimus, sed ità ut nè tantulum quidem de sensibus immutaremus, in hunc modum, *Non is qui manifestò Judaus sit, Judaus est; nec ea qua in manifesto fit carnis circumcisio, circumcisio est: sed qui in occulto Judaus fuerit, is Judaus est, & circumcisio cordis circumcisio est, qua spiritu constat, non literâ.*

VATABLUS.

1. OMnis] *Quisquis es.* ¶ *In quo*] *Per quod:* i. per quam legem. *Qua*] *Qui*, Vet.

2. *Quoniam judicium Dei est secundùm veritatem in eos qui, &c.*] i. Quòd Deus judicabit verè, vel, secundùm veritatem eos qui, &c.

4. *Divitias*] i. Ubertatem & copiam maximam. ¶ *Bonitatis*] Vel *benignitatis.* ¶ *Patientia*] *Tolerantia.* ¶ *Longanimitatis*] Vel *lenitatis*, quæ est quando diu differt iram & vindictam. ¶ *Contemnis? ignoras*] *Contemnis, ignorans*, Vet. ¶ *Adducit?*] Vel *invitat*, aut *allicit?*

5. *Secundùm autem*, &c.] *Sed juxta*, &c. i. Imò verò propterea quòd durus es, & per resipiscentiam emolliri non potes, facis ut magis ac magis tibi indignetur Deus, quod tibi declarabit eo die quo iratus manifestabit suum justum judicium. ¶ *Thesaurizas*] Vel *colligis*, aut *recondis.* ¶ *In die*] *In diem*, Vet.

6. *Eius*] *Suà.*

7. *Secundùm patientiam boni operis*] Heb. pro, qui perseverantes in benefaciendo.

8. *Ex contentione*] *Contentiosi.* ¶ *Acquiescunt*] *Obtemperant.* ¶ *Ira & indignatio*] Mutavit loquendi formam in eadem etiam periodo Hebræorum more: sub. igitur *ventura est.*

11. *Sine lege*] i. Cùm nullam legem scriptam haberent. ¶ *Lege* *]* *Et*, Vet.

12. *In lege*] i. Cùm legem scriptam haberent. ¶ *Per legem*] Heb. per eam: antecedens pro relativo. ¶ *Judicabuntur*] *Condemnabuntur.*

13. *Justificabuntur*] *Justi habebuntur, in die cùm*, &c. est enim hyperbaton. Est autem *justificare* verbum forense translatum ad sacra: Judex enim justificare reum dicitur cùm eum innocentem suà sententià pronunciat.

14. *Ejusmodi*] *Ea.*

15. *Opus legis scriptum*] i. Legem quæ opus præcipit esse præscriptum. *Scriptum* nomen est non participium. ¶ *Inter se*] Vel *invicem*, ut Hieron. ¶ *Cogitationum* &c.] Genitivi pro ablativis, *cogitationibus*, &c. ¶ *Defendentium*] *Excusantibus.*

16. *Secundùm Euangelium meum, per Jesum Christum*] i. Ut ego doceo, jussu Christi.

17. *Si*] *Ecce.* ¶ *Cognominaris*] Vel *diceris.* ¶ *Requiescis in lege*] i. Dicis unicam legem te oblectare, & tibi placere. ¶ *In Deo*] i. Quòd unicum Deum colas.

18. *Utiliora*] *Eximia.* ¶ *Instructus*] *Eruditus*, aut *initiatus.*

19. * *Confidis*] * *Et.*

20. *Magistrum*] *Doctorem.* ¶ *Formam scientia*] *Formationem cognitionis*; q. d. instituendi formandique rationem declarandi ea quæ pertinent ad Dei cognitionem per legem.

22. *Mœchandum, mœcharis*] *Adulterandum, adulteraris.* ¶ *Sacrilegium facis*] i. Sacrosanctam gloriam quæ Deo debetur sublegis & aliis tribuis.

23. *Inhonoras*] Vel *dehonestas*, sive *ignominiâ afficis.*

24. *Per vos blasphematur*] *Propter vos malè audit*, vel *maledictis afficitur*, vel *blasphemiis proscinditur.*

25. *Circumcisio tua praputium facta est*] i. Deus te circumcisi & Gentilis loco habebit.

26. *Si praputium*] *Praputium* pro Gentili habente præputium. ¶ *Justitias*] *Justificationes.* ¶ *In circumcisionem*] *Pro circumcisione*; i. pro verè Judæo habebitur coram Deo.

27. *Id quod ex natura est praputium*] i. Gentilis. ¶ *Consummans*] *Servans.* ¶ *Per literam & circumcisionem pravaricator legis es?*] i. quòd cùm legem & circumcisionem habeas, tamen prævaricator es?

28. *Qui in manifesto*] Subaudiendum *Judaus est*, ut bis legatur: sic in sequentibus, *neque circumcisio qua*, &c.

29. *In Spiritu non litera*] i. Circumcisio cordis vera est circumcisio, quam Spiritus sanctus docet, non legis contextus. ¶ *Cujus*] Sub. *Judai.*

CASTALIO.

14. NAturâ legitima faciant] Et virtutes laudent, & vitia vituperent ac puniant: quæ eadem docet Mosaica lex.

16. *Quo die judicabit Deus arcana hominum, ex Evangelio meo*] Ut fert mea doctrina.

CLARIUS.

1. PRopter quod inexcusabilis es] Videntur quidem hæc verba dicta ob illud esse quod præcedit, viz. quòd *cùm ii sciant eos qui talia agunt dignos esse morte, non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus, atque illis favent*, ut arguantur Gentiles, & præsertim Romani, qui cùm rerum potiantur & judices aliorum sint, meminerint tamen & se olim in judicium Dei vocandos, qui multò minùs quàm ipsi passurus sit inulta esse hominum scelera. Tamen ità temperat orationem Paulus ut non ad Gentiles solùm verùm etiam ad Judæos pertineant. Atque ità sensim ut vix quisquam sentiat deducet sermonem omnem ad Judæos, ut nihil deflectat de via, quod summæ artis summæque sapientiæ est. Ait ergò, *Propterea inexcusabilis es, ô homo, quisquis es qui de altero judicas*, sive Græcus sive Judæus sis, qui teipsum aliis præferas. Et videtur velle facere Judæos deteriores Gentibus, quòd cùm eadem facerent quæ Gentes, illis tamen videri meliores vellent.

4. *An divitias bonitatis ejus*] Dices, inquit, optima quæque semper à Deo speranda: nam benignum esse illum atque longanimum. At hoc contra te facit, qui tam ingentes bonitatis divitias contemnas, quia quò illius magis benignitate abuteris, eò graviores (ut qui ingratus tantæ beneficentiæ fueris) tibi recondis pœnas in posterum: non enim idcirco exspectat ut tu te in graviora semper flagitia ingurgites.

9. *Hominis operantis malum, Judai primum, & Graci*] Justum est enim ut qui prior in donis fuerat, si peccet, prior etiam plectatur.

12. *Sine Lege & peribunt*] h. e. Mitiùs plectentur, ut qui Legem ignoraverint: vel, *sine Lege*, h. e. non peribunt propterea quòd scriptam Legem violaverint, sed illam quæ animis illorum insculpta fuit.

13. *Non enim auditores Legis*] Hoc adversùs Judæum est, in quem jam jam se aperiet. Non enim satis est habere Legem, & illam audire, & in ea gloriari; sed multò est melius sine Lege opus Legis implere: qua in re Gentes interdum Judæos præcedunt: quod tamen non ità apertè dixit, nè irritaret Judæum. Quòd autem ait, *factores Legis justificandos*, non propterea excludit justitiam ex fide: nam sine ea nè Lex quidem impleri potest.

15. *Qui ostendunt opus Legis*] Quod opus? Id quod sequitur, dum *attestatur simul illorum conscientia, & cogitationes sese vel accusant, vel etiam excusant.* Legis enim opus est declarare quæ rectè, quæve iniquè facta sint: atque hæc insita est lex cordibus hominum, ob *diem in quo judicaturus est Deus occulta.*

17. *Ecce tu Judaus cognominaris*] Jam apertè se prodit, Quæ utilitas, inquiens. hujus, ob quam ità gloriaris, Legis in lapide scriptæ, si non adsint rectè facta? *Scis* quidem *voluntatem Dei, & exactè experimentum habes, dum instrueris à Lege, eorum qua magis expediant* (hoc enim est probare utiliora & eximia) sed dum aliud facis atque doces, ea quibus gloriaris majoris tibi sunt occasio damni atque ignominiæ. Hæc autem ei dicuntur qui simpliciter Judæus sit, nequedum Christum norit: ut hâc epistolâ non tam admonere voluisse eos videatur qui jam crediderunt, quàm omnem Judæorum gentem erroris sui commonefacere.

25. *Circumcisio quidem prodest*] Refert cogitationem ad illud tempus quo nondum Christus advenerat, & Circumcisionis meminit tanquam rei præcipuæ inter eos. Nam erat ingens amputatæ pelliculæ supercilium Judæorum, ut ex iis etiam qui crediderant (ut est in Actis Apostolorum) quidam sine ea servari non posse hominem arbitrarentur. Ipsa autem ratio locutionis requirebat ut diceret, *Quid prodest tua ista circumcisio, quâ tam ambitiosè gloriaris, nisi Legem serves, dum praputium aquare te atque adeò superare etiam possit?* sed agit modestiùs, nè irritarentur.

28. *Non enim qui in manifesto est*] Jacit quædam fundamenta eorum quæ capite nono dicturus est. Docet ergò Judæum eum non esse qui tantùm exteriori signo notatus sit, neque veram Circumcisionem illam quæ in carne fiat, sed in interiori homine hæc omnia peragi: quæ ratio multum valebit in illa dispu-

disputatione cùm ostendet eum non esse Israelem quem ipsi arbitrarentur, sed qui virtute & fide paternum genus referret; hunc enim unum Divinâ non hominum laude niti posse, & in Deo non in carne gloriari: atque hoc est quod ait, *cujus laus non ex hominibus est, sed ex Deo.*

ZEGERUS.

1. P*ropter quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui judicas: in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas*] *Quapropter*, inquit, nempe quia Dei justitiam cognovisti, *inexcusabilis es qui judicas.* Nosse siquidem te Dei justitiam apertiùs manifestas dum alios justè judicas atque condemnas. *Inexcusabilis*, inquam: *nam in eo crimine quo alium judicas, te ipsum condemnas*; vel, *hoc ipso quòd judicas alterum, te ipsum condemnas*: utrumque enim sensum Græcus sermo admittit. Videtur autem Apostolus hoc loco ad primates ipsos verba intendere, eósque Romanos præcipuè, tanquam ad totius orbis Præfectos, utpote quos judicium deceat. Congruit tamen hoc dictum vel in cæteros mortales omnes.

4. *Ignorans quoniam benignitas*] *Non ignoras*, adstipulante Cypriano ad Quir. c. 35. & Augustino in Psal. 102. cum Græcis; item Irenæo l. 4. c. 71. atque Origene lib. περὶ ἀρχῶν 3. c. 1. & aliquot exempl. Latinis.

7. *His quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam*] Duplex hujus loci dari potest juxta duplicem distinctionem intelligentia. Una erit, si verbum *reddet* (quod ex superioribus subaudiri potest) jungatur cum accusativo *vitam æternam*, participii voce *quærentibus* connexâ cum accusativis, *gloriam honorem, & incorruptionem.* Altera, si *reddet* ad accusativos *gloriam, honorem, & incorruptionem, quærentibus* verò ad *vitam æternam* referatur. Quoad reliqua item verba variant interpretes. Alii in prima clausula τὸ *sunt* subintelligendum autumant, *qui sunt boni operis secundùm patientiam*, nè *qui* superfluere videatur; quemadmodum in sequentibus τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, *iis qui sunt ex contentione*, ubi interpretans *sunt* implicitum explicuit. Alii contrà *qui* relativum in Vulgata versione supervacaneum asseverant, tum quòd nil habeat cum quo jungatur, tum quòd eo rejecto rectè quadret sententia. Denique illud καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ alii *per perseverantiam operis boni* vertunt, ut idem sit quod *perseverantes in operibus bonis*; alii *secundùm patientiam*, alii *per patientiam.* Pro voce item ζητοῦσι *quærunt*, pro *incorruptionem* verò *immortalitatem* quidam convertunt. Sensus autem qui ex hisce potior mihi videtur hic est, *Qui reddit unicuique juxta opera sua. Eis quidem reddet vitam æternam qui gloriam quærunt*, illam scilicet cœlestem, *& honorem & incorruptionem* (sive *incorruptibilitatem*) *idque per patientiam boni operis. Eis verò qui contentiosi sunt ira superventura est & indignatio*, &c. Adjiciam & illud, particulam *secundùm patientiam* jungi posse cum verbo *reddet*: ut Deus ipse intelligatur *reddere ac retribuere cuique secundùm patientiam, & juxta cujusque in operibus bonis perseverantiam.*

8. *Iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*] Hic sit perfecta periodus; deinde subjiciatur, *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco.* Porrò *sunt* adjectum arbitror à castigatore Ecclesiastico: nam in aliquot vetustis non inveni. *Qui sunt ex contentione*, h. e. contentiosi.

14. *Ejusmodi Legem non habentes*] *Ejusmodi* nominandi casûs est, ut subaudias *Gentes.*

15. *Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium*] Gr. ità legitur, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, καὶ τὰ ἑξῆς. Quæ commodiùs & intelligibiliùs ad hunc modum reddi possunt, *Contestante illorum conscientiâ, & cogitationibus inter se invicem accusantibus, aut etiam defendentibus, in diem dum judicabit Deus*, &c. Est tamen unde Vulgatam lectionem solœcismo, quem illi nonnulli tribunt, liberes, si memineris ablativum *conscientiâ* reperi posse, ità legendo, *testimonium reddente conscientiâ ipsorum, conscientiâ, inquam, cogitationum accusantium, aut etiam excusantium*: quam repetitionem Græca etiam lectio commodè admittit.

20. *Habentem formam scientiæ & veritatis in Lege*] i. formandi instituendique scientiâ & veritate tenentem rationem sive modum per Legem. Vel *formam*, i. exemplar, quod aliis quoque præscribas, sive cui alii imprimantur.

21. *Qui ergò alium doces, teipsum non doces*, & cætera quæ sequuntur citra quæstionem legenda sunt.

24. *Sicut scriptum est*] Cùm Ezec. 36. ubi juxta LXX, quos videtur secutus Apostolus, sic legitur, *Et ingressi sunt in Gentes, quò introierunt illuc, & profanaverunt nomen meum sanctum, cùm dicerentur ipsi populus Domini, ipsi & de terra ejus egressi sunt. Et peperci eis propter nomen meum sanctum, quod profanaverunt domus Israel in Gentibus*: tum Jesa 52. juxta eosdem Interpretes, *Propter vos semper nomen meum blasphematur in Gentibus.*

25. *Circumcisio tua præputium facta est*] h. e. Judaismus tuus Gentilitas facta est: aut, si mavis, factus es ex Judæo Gentilis.

28. *Non enim qui in manifesto Judæus est*, &c.] Sermo ipse aposiopesi quadam concisus ad hunc modum expleri poterit, *Non enim qui in manifesto Judæus sit, is verè Judæus est; neque quæ in manifesto in carne sit circumcisio, ea vera est circumcisio: sed qui in abscondito Judæus fuerit, is verè Judæus est; & circumcisio cordis, quæ vera est circumcisio, non in litera sed in spiritu sita est, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

L. BRUGENSIS.

4. P*lerique Latinorum codicum legunt, An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis, contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quidam, *An divitias bonitatis ejus*, &c. *contemnis, ignorans quoniam?* &c. sex nostri Brug. Lob. Leod. T, O, Pl. ang duo Parisiensium; Ge. o. l. antiqui Epanorthotæ. Prior lectio conformior est editioni Syriacæ, & reperitur apud antiquos Patres; Hieronymum in caput 32, ínque orationem Jeremiæ, Ambrosium lib. De fuga seculi cap. 3, Augustinum lib. Quæst. super Exodum cap. 24. & tract. De ovibus cap. 4. Posterior lectio Græcis codicibus respondet {καταφρονεῖς, ἀγνοῶν} inveniturque & ipsa in veterum scriptis, Irenæi, lib. 4. c. 71. Origenis, lib. 3 Peri archōn, ante medium capitis primi, satísque convenit proprius loci commentarius, Cypriani, lib. 3 ad Quirinum cap. 35. Hieronymi, in Ezechielis caput 16, & Amos primum, Chrysostomi, Theodoreti, Primalii, Theophylacti, Oecumenii, Anselmi, & Brunonis Carthusianorum Patriarchæ, in Paulum. Hanc Castigatores, Hentenius ac Zegerus, in textum recepere, haud immeritò.

6, 7. *Qui reddet unicuique secundùm opera ejus; iis*] *his* MSS. complura] *quidem, qui secundùm patientiam* * *boni* [* *Dei* o. * *ejus* o.] *operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.*] Scripti omnes libri, quotquot habemus, & priores excusi, Tractatorésque, Autor commentariorum Hieronymo adscriptorum, Autor Ambrosio attributorum, Primaus, Haymo, Anselmus, Autor Glossæ, Carensis, Lombardus, Lyranus, Thomas, Gorran, Bruno, Richelius, & alii, non *quærunt*, sed *quærentibus*, quo modo Græcè est, legunt. Quamobrem hæc procul dubio editionis nostræ genuina est lectio. Neque verò præcedens *qui* obstat, quod Græcè non est: aut enim redundat (in uno antiquissimo scripto, T literâ notato [*his quidem secundùm*] apúdque D. Gregorium lib. 28 Moralium cap. 13 non invenimus) aut, quod est verisimilius, *sunt* subintelligitur, id quod versu proximo multi codices exprimunt (*iis autem qui sunt ex contentione*) hoc versu quidam (*Iis quidem qui sunt secundùm patientiam boni operis*) ex glossa inter lineas posita in textum relatum. *Quærunt* emendarunt quidam, juxta Cajetani & quorundam aliorum placitum: qui dum sententiam clariorem efficere voluerunt, participio in verbum resoluto, angustiorem reddiderunt, ad unum contractum sensum quæ plures patiebatur. Est enim hujus versûs per participium lecti, & Græci & Latini, varius, secundùm variam distinctionem, sensus. Nam si post ζητοῦσι [ἐπιζητοῦσι R.] *quærentibus*, comma ponatur, sensus erit, quem Syriacum Testamentum, Origenes & Theopylactus exprimunt, *Reddit vitam æternam iis qui, in bonis operibus perseverantes, gloriam, honorem & incorruptionem quærunt.* Si verò comma ζητοῦσι *quærentibus* proximè præcedat, eo exponetur modo quo exponunt Græcanicus Scholiastes, D. Gregorius loco superiùs nominato, Autor commentariorum Hieronymo adscriptorum, & alii ferè suprà recensiti Latini Tractatores; *Reddet gloriam & honorem & incorruptionem is qui, in bonis operibus perseverantes, vitam æternam quærunt*: qui convenit ei quod mox sequitur, v. 10. *Gloria autem, & honor, & pax, omni operanti bonum.*

15. *Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se* - *invicem*' *cogitationum* * " *accusantium*' *aut etiam* " *defendentium* [-* *invicem* o." *excusantium* o." *excusantium* 1. MS.] *Cogitationum accusantium aut etiam defendentium*, gignendi casu

casu haud dubiè Interpres vertit: sic enim legunt scripti impressique codices, quoscunque vidimus, qui fidei sint bonæ, adstipulantibus Glossematicis, qui Vulgatâ versione simplices usi sunt. *Cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus*, auferendi casu duntaxat posteriores aliquot Typographorum editiones legere comperimus (eæ enim hic significatæ sunt in Bibliorum margine, quia commodè aliud non erat, signo MS.) primùmque eam quæ ex Quentelianis ædibus Coloniæ anno 1529 prodiit, pro ejus qui præfuit arbitrio frequenter mutata. Hentenius, non tam variæ lectionis, quàm explicationis indicandæ gratiâ, in margine scripsit, *Cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*, secutus Parisienses, qui ad marginem notaverant, *Genitivi pro ablativis*. Græcè genitivi sunt καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων sed qui ablativis Latinè reddendi videantur, ut ii qui præcedunt, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως. Nisi dixerit quis non similiter genitivos absolutè positos esse, sed ejusmodi qui à præcedente nomine συνειδήσεως regantur. Glossa Ordinaria, & post eam alii, duplicem hujusmodi dant Vulgatæ versionis, *Cogitationum accusantium aut et. Defendentium*, explicationem; unam, quâ genitivi, Græco more, absolutè positi intelligantur; alteram quâ à præcedenti nomine *conscientiâ* regantur: quarum hæc potiùs eum quem Interpres voluit, sensum continere videtur; tum quòd proximos genitivos absolutè positos ablativis Interpres Latinè reddiderit, *Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum*; tum quòd *conscientiâ ipsorum* verterit, non, ut Græcè est, *ipsorum conscientiâ*. Apud quosdam Veterum legitur, *Cogitationibus accusantibus aut etiam* [*sive* Hier.] *defendentibus* [*excusantibus* Aug.] Hieronymum in cap. 16 Ezechielis, Augustinum, lib. 20 De civ. Dei cap. 26. Hilarium Diaconum qui autor esse existimatur commentariorum Ambrosium mentientium: quod ità scriptum arbitror vel ab iis qui veterum opera ediderunt, ut hujusmodi pro sua sententia mutarunt sæpenumero; vel ab ipsis veteribus, quibus sic meliùs verti visum fuerit. Cæteroqui est apud eos & nostræ editionis lectio, *Cogitationum accusantium aut etiam Defendentium* [*excusantium* Aug.] Augustinum lib. 2 De sermone Domini in monte cap. 15. Primasium in proprio commentario, Gregorium lib. 4. Moral. cap. 17. Pelagium epist. ad Demetriadem.

H. STEPHANUS.

5. Κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου] *Sed propter duritiam tuam*: vel, *Sed duritiâ tuâ*, &c. ¶ Δικαιοκρισίας] *Justi judicii.*

7. Τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ, δόξαν] *Aliis quidem juxta ipsorum in bene agendo perseverantiam, gloriam*: ut distinguatur post μέν.

12. Ἀνόμως] *Sine lege.*

13. Δικαιωθήσονται] *Justi censebuntur.*

18. Τὰ διαφέροντα] *Quæ controversa sunt*, vel, *quæ discrepant.*

20. Τὴν μόρφωσιν] *Informationem.*

DRUSIUS.

11. Acceptio personarum] משא פנים προσωποληψία. In Comment. super librum Aboth c. 4. *Non est coram eo neque acceptio personarum, neque acceptio muneris; sicut scriptum est, Non accipiet personas, neque accipiet munus. Id quibusdam libris scriptum* יקח *per Segol* יקח: *& in aliis* יקח *per Patach. Non accipit munus, quia non indiget eo: nam legimus, Meum est argentum, & meum est aurum, dicit DOMINUS exercituum. Non accipit personas, quia non condonat iniquitates nisi homo resipuerit & pœnitentiam egerit.* Vide sequentia.

19. *Ducem cæcorum*] Sapientes enim se solos videre putabant: unde פקחים appellantur, i. *aperti*, *videntes*. Hâc opinione imbuti reliquos omnes cæcos esse & in tenebris versari existimabant. ¶ *Lumen eorum qui sunt in tenebris*] *In tenebris* Errorum videlicet; quas illustrant Sapientes, qui propterea *lux mundi* vocantur: quod alibi demonstratum.

20. *Infantium*] Νηπίων. Erasmus *imperitorum*. Dictio νήπιος respondet duabus Ebraicis. Nam & עוללים *infantes* ità vocantur Psal. 8. 3. & פתאים *qui sunt simplices & imperiti rerum, ac proinde decepto faciles*. Quidlibet enim iis persuaderi potest, juxta illud Salomonis, *Simplex credit omni verbo*. Νήπιος sig. etiam *eum qui non plus sapit quàm infans*. Homerus,

> ——— Ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω,

i. *stultus*, *insipiens*. Quanquam hic etiam pro *imperito* ac *simplici* sumi potest, quem Hier. amat *parvulum* transferre. Cæterùm עולל propriè ad ætatem, פתי ad animum refertur, ut νηπίων h. l. Ideo non malè vertit qui vertit *imperitorum*. Judicent docti.

CAMERON.

14. Τὰ τοῦ νόμου ποιῇ] h. e. *Fecerunt quod Lex potest facere ut quis faciat*. Porrò duo sunt quæ Lex potest facere: unum est, cohibere hominem externum, excitare in homine qualecumque studium virtutis; alterum est, eum accusare aut excusare & defendere; id quod Apostolus mox versu seq. vocat ἔργον νόμου, h. e. *efficacia Legis*, quod Lex in nobis ἐργάζεται. Τὰ τοῦ νόμου hìc aliud nihil est quàm coacta à malo, per Spiritum servitutis, abstinentia, cohibitio à crassioribus sceleribus, profecta à Spiritu servitutis in iis operante; in illis, inquam, qui sunt ἄνευ νόμου *sine Lege scripta Mosis*, per naturæ Legem; in illis verò qui sunt ὑπὸ νόμου, h. e. *qui sunt in Lege scripta instituti*, per illam ipsam Legem scriptam. Legis enim naturæ & τοῦ ἐγγράφου νόμου absque adoptionis Spiritu (qui solus est sanctificans atque innovans Spiritus) nullus est usus quoad animæ regimen, nisi ut det cognitionem peccati.

GUALTPERIUS.

11. Οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ τῷ θεῷ, *Non enim est personarum acceptio apud Deum*] Προσωποληψία vox Græca & satis trita est: unde προσωπολήπτης *personarum respector & acceptor*. Act. 10. 34. οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός. Ephes. 6. 9. Col. 3. 25. Verbum προσωποληπτεῖν *personam respicio*, Jac. 2. 9. Apud Syrum est נסבא בפא, i. *acceptio faciérum*.

JAC. CAPPELLUS.

14. Cum *Gentes Legem non habentes, naturâ faciant ea quæ sunt Legis*] Non id quod Lex jubet, nam id nè Christianorum quidem optimi præstant) sed *Legis opus*, ut dicitur v. 15. h. e. id quod Lex facit. Quid facit Lex? Jubet convincit, damnat, punit. Hoc ipsum facit etiam Ethnicus quivis simul ac incipit adolescere: facit id & adversùs alios, & adversùs semetipsum. ¶ *Hi Legem cùm non habeant, sibi sunt Lex*] Damnant enim ipsi semetipsos. Hinc illæ magnificæ L. Senecæ voces ep. 97. *Prima & maxima peccantium est pœna, peccasse*. Deum summum & unicum bonum suum deseruisse & offendisse. *Nec ullum scelus, licèt illud fortuna exornet muneribus suis, licèt tueatur ac vindicet, impunitum est; quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus & hæc & illa secunda pœna premunt ac sequuntur, timere semper & expavescere, & securitati diffidere.* De Fortuna quod adspergit Seneca, facit id ut Ethnicus; cætera quæ tam verè quàm generosè pronunciat *testimonia* sunt *animæ naturaliter Christianæ*, ut Tertullianus loquitur in Apologetico.

15. *Utpote qui legis opus cordibus suis inscriptum ostendant, contestante* adversùs ipsos *ipsorum conscientiâ*] Accusat te Deus, tu negas, sed adversùs te cum accusatore tuo testatur tua conscientia. Docent id passim Ethnici scriptores. Juvenalis,

> ——— *Prima est hæc ultio, quòd se*
> *Judice nemo nocens absolvitur.*

Senec. ep. 97. *Bona conscientia prodire vult & conspici: ipsas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto, Potest nocenti contingere ut lateat, latendi fides non potest.* Adversùs Epicureos testimonium perhibet Epicurus ipse. Reus videlicet sentit se nec Deum latere nec semetipsum.

> Ἀνθρώπους μὲν ἴσως λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας·
> Οὐ λήσεις δὲ θεοὺς οὐδὲ λογιζόμενος.

Indidem refelli potest Epicurus, eúmque meritò refellit ibidem Seneca dicentem, *nihil justum esse naturâ, & crimina vitanda esse quia vitari metus non possit*. Enimvero quare vitari metus non potest? quia sentis te fecisse rem quam non hominum consuetudo sed ipsa Natura, lex quam cordibus nostris insculpsit Natura, sanxit ac tibi contestatur injustam esse. Hinc est quod, ut ibidem ait Seneca, *mala facinora conscientiâ flagellantur*, &

& plurimum illi tormentorum est eò quòd perpetua illam solicitudo urget & verberat. Ita tua conscientia facit id quod legis est, legis opus exercet, tibi lex est.

18. *Probas præstantia*] h. e. Post probationem declaras quænam sint præstantia, quænam minoris usûs ac momenti. Hæc est significatio primò vocis *διάφορος*, de qua vide quæ notamus in Hebr. 1. 4. secundò verbi *διαφέρειν excellere*, sive participii *διαφέρον excellens.* Proclus adversùs Origenem disputans apud Epiphanium hær. 64. §. 18. *τὸ δὲ ἐξ αὐτῆς ἀθανάτου καὶ διαφέρουσης οὐσίας.*

L U D.   C A P P E L L U S.

18. **K**AI' *δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα*) Omnino *τὰ διαφέροντα* hic vocat Apostolus (ut & Phil. 1. 10. ubi eadem phrasis rursus habetur) *ea quæ excellunt, suntque, eximia:* ita ut *δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα* hic sit dignoscere quæ Lege sunt licita vel illicita, vetita vel permissa: imò & in iis quæ Lege sunt licita, alia aliis sunt graviora majorisque ponderis & momenti, quæ Christus vocat *τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου* Illa sunt *τὰ διαφέροντα eximia.* Hoc est quod Deus dicit ad Jeremiam 15. 19. אם תוציא יקר מזולל *si separaveris pretiosum à re vili.* Ut יקר sit quod Apostolus vocat hìc *τὰ διαφέροντα*, id quod in Lege maximè est momentosum. Hoc ergò vult Apostolus, Judæum, Legis Doctorem & peritum, ex Legis peritia posse dignoscere licita ab illicitis, & ea quæ sunt *τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου* ab iis quæ leviora sunt minorisque momenti, יקר scilicet מזולל. *τὰ τίμια, τὰ διαφέροντα ἀπὸ τῶν ἀναξίων.* Aut verò potiùs *διαφέροντα* ea sunt quibus dignoscendis (licitáne sint an illicita) opus est judicio & acumine magnóque Legis usu & peritiâ, (qualia sunt ea in quibus Judæorum Magistri מדקדקים, uti loquuntur, *λεπτολογοῦσιν*) ab iis quæ quilibet Idiota potest scire & dignoscere esse interdicta. Hanc phrasim, quæ primò usurpata est de iis quæ in Lege habentur, traducit postmodum & accommodat Apostolus Phil. 1. 10. ad ea quæ traduntur in Euangelio, cùm ait, *εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα.* Optat nempe Philippensibus incrementum cognitionis spiritualis, ut possint in doctrinâ Euangelica dignoscere ea quæ sunt præcipua, eximia maximéque sublimia, ut nè hæreant & subsistant in primis doctrinæ Christianæ rudimentis, quæ omnibus nota sunt, sed contendant ad exquisitiorem cognitionem, quæ eos quos alibi *perfectos* vocat decet.

G R O T I U S.

ΔIὸ, *Propter quod*] Id est, cùm ita se res habeat sicut jam diximus, ut jus illud quod omnibus hominibus commune est, dictet esse quædam crimina morte digna. Debuerunt hæc connecti cum præcedente capite, novum autem inchoari ibi, *θλίψις καὶ στενοχωρία* [*tribulatio & angustia*]. ¶ *Ἀναπολόγητος εἶ, inexcusabilis es*] Vide supra 1. 20. ¶ *Ὦ ἄνθρωπε πᾶς ὁ κρίνων, ô homo omnis qui judicas*] A Philosophis venitur ad Magistratus qui Hebræis שופטים *οἱ κρίνοντες* [*judicantes*] sive *οἱ κριταί* [*judices*] Sub *Magistratuum* autem nomine etiam domini comprehendi debent qui in servos domesticam habebant jurisdictionem. Appositè autem hoc addidit ad Romanos scribens, ex quibus erant omnes etiam provinciarum Rectores.

Tu regere imperio populos Romane memento.

¶ *Ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas*] *Ἐν ᾧ* [*In quo*] dixit hìc & infra 8. 3. pro *idcirco*, באשר, quod est *αἰτιολογικὸν* [*redditivum causæ*], ut apparet Gen. 39. 9. *Te damnas*, quia jus illud commune est hominum. Imperatores Romani homicidia morte puniebant, ipsi innoxios quotidie plurimos trucidabant. Nero per risum, *Sane*, inquit, *legem Juliam timeo*, cùm venenum coqui juberet, Sueton. 34. Incestæ virgines Vestales vivæ defodiebantur: Nero uni earum vim intulit, Suet. 28. Puniebatur capite qui puerum ingenuum rapuisset, L. & eam. D. ad L. Juliam de vi publica. Imperatoribus id erat quotidianum. Vide Suetonium Nerone 28. Hanc Imperatorum licentiam imitabantur in provinciis Præsides. Servus si ingenuum puerum stuprasset, non effugiebat crucem: Dominis in servos id licebat; & tales pueri dicebantur *delicati.* Cyprianus, *qui sedet crimina vindicaturus, admittit.* Sed & ad privata de aliis judicia rectè hoc Pauli extendas. Sic David apud Nathanem semet damnabat. Justinus in colloquio cum Tryphone, *Ἰδεῖν γάρ ἐστι καὶ τοὺς μὴ τὰ αὐτὰ παθεῖν βουλομένους ἅπερ αὐτοὶ τοὺς ἄλλους διατιθέασι καὶ ἐν συνειδήσεσιν ἐχθραῖς ταῦτα ὀνειδίζοντας ἀλλήλοις ἅπερ ἐργάζονται* [*Videre est & hos qui quæ aliis faciant, ipsi pati nolint. Quod si quis sit, cui inimicus horum conscius, is ei exprobrat quæ & ipse facit*]. Salvianus 1. lib. de gubernatione Dei, *In aliis nempe horrent quod in se ipsis admittunt, mirum in modum & accusatores eorundem criminum & peccatores. Execrantur publicè quod occultè agunt, ac per hoc, dum damnare se cæteros putant, ipsos se magis propria animadversione condemnant.* Et postea, *Aliis severissimi sumus, nobis indulgentissimi; aliis austeri, nobis remissi. In eodem crimine punimus alios, nos absolvimus. Intolerabilis sanè & contumaciæ & præsumptionis, nec agnoscere volumus in nobis reatum, & audemus de aliis usurpare judicium.* Chrysostomus De peccato & confessione, *Ἀλλ' οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων τῶν μὲν ἰδίων ἁμαρτημάτων συνήγοροι γίνονται, τῶν δὲ ἀλλοτρίων κατήγοροι* [*Plerique enim, si quid ipsi deliquerunt, defendunt: si quid alii, accusant*]. Neque hoc non videre Romanorum sapientiores. Cicero Verrina 5. *Omnia quæ vindicaris in altero, tibi ipsi fugienda sunt. Etenim non modò accusator sed ne objurgator quidem ferendus est, qui quod in alio vitium reprehendit, id in ipso reprehenditur.* Horatius libro 1. Sat. 3.

—— Egomet mi ignosco, Mænius inquit.
Stultus & improbus hic non est dignusque notari?

Seneca de Ira lib. 1. 14. *Cogitet quàm multa contra bonum morem faciat, quàm multa ex his quæ egit veniam desiderent, jam irascetur etiam sibi. Neque enim æquus judex aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam ferat.* lib. 2. 28. *Is qui nullius non uxorem concupiscit, & satis justam putat amandi causam quod aliena est, idem uxorem suam adspici non vult, & fidei acerrimus exactor est perfidus, & mendaces persequitur ipse perjurus, & litem sibi inferri ægerrimè calumniator patitur, pudicitiam servulorum suorum attentari non vult qui non pepercit suæ. Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt. Inde est quod tempestiva filii convivia pater deterior filio castigat. Nihil alienæ luxuriæ ignoscit qui nihil suæ negavit. Et homicida tyrannus irascitur, & punit furta sacrilegus. Magna pars hominum est quæ non peccatis irascitur, sed peccantibus.* Epist. 94. *Scis improbum esse qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum. Scis ut illi nil cum adultero, sic nihil tibi esse debere cum pellice: & non facis.* 8. Epist. 22. *Nostine hos qui omnium libidinum servi sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant & gravissimè puniant quæ maximè imitantur?* Adde quæ de hoc argumento non aliena attulimus tum in prolegomenis ad Stobæum, tum ad Matth. 7. 3. & libro 2. de Jure Belli ac Pacis 20. 3. ¶ *Τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων. eadem enim agis quæ judicas*] Hoc quoque dicit non omnibus, sed plerisque.

2. *Οἴδαμεν δὲ, Scimus enim*] Ipsa ratio hoc nos docet. ¶ *Ὅτι τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ ἐστι κατ' ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας. quoniam judicium Dei est secundùm veritatem in eos qui talia agunt*] Sequitur hoc ex ipso Dei nomine. Deum enim concipere non possumus sine justitia,

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί
[*Si dî patrant quid turpe, jam non sunt Dei*].

¶ *Ἀλήθεια* [*veritas*] hoc loco est *judicium justum*, nihil dans gratiæ aut odio, ut infra 3. 7. 1 Corinth. 13. 6. Hebræum אמונה interdum vertitur *ἀλήθεια* [*veritas*] interdum *δικαιοσύνη* [*justitia*] sensu sæpe eodem. Opponitur hoc, ut notat Chrysostomus, judiciis Romanorum quæ erant corruptissima. Vide de Clodianis judicibus Senecam epistola 96. ubi multa egregiè dicta, hoc verò imprimis, *Cùm stuprum committeretur res judicandæ causâ.* Hæc cognitio de incorrupto Dei judicio in multis dormit, sed excitari solet circa mortem, ut Plato observat de Republica 1. Cicero 1. de Divinatione, *Eos qui secus quàm decuit vixerunt, peccatorum suorum tum maximè pœnitet.* Nec sanè difficilis adeò erat collectio, cùm Deus sit justus, mali autem sæpe in hac vita sint felicissimi, aliud exspectari judicium.

3. *Λογίζῃ δὲ τοῦτο, ὦ ἄνθρωπε, Existimas autem hoc ô homo*] *Existimasne? Potesne hoc in animum inducere?* ¶ *Ὁ κρίνων τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας, qui judicas eos qui talia agunt*] *Qui de illis judicas* secundùm leges, non Romanorum tantùm, sed omnium gentium consensu probatas. ¶ *Καὶ ποιῶν αὐτὰ, & facis ea*] *Cùm eadem facias.* ¶ *Ὅτι σὺ ἐκφεύξῃ τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ; quia tu effugies judicium Dei?*] Loquitur sic & Diphilus,

Οἴει σὺ τοὺς θανόντας, ὦ Νικήρατε,
Τρυφῆς ἁπάσης μεταλαβόντας ἐν βίῳ
Πεφευγέναι τὸ θεῖον;
[*Tune arbitraris mortuos, Nicerate,*
Queis omnis vita satura deliciis fuit,
Effugere posse Numen]?

Nec longè abit Sophoclis illud,

Θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός
[*Contra Dei ictum non data est homini fuga*].

Plura habes in eum sensum apud Stobæum naturalium titulo 7. Homines tribus modis crimina ferunt impunè, Quia aut ignorantur, Aut quia nemo tam potens est qui ipsos puniat, Aut quia jus perrumpitur gratiâ aut pretio. Horum nihil in Deum cadit, scit omnia, potest quæ vult, ex recto judicat Vide Jobum 34. 22.

4. Ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ, *An divitias bonitatis ejus*] רוב חסד [*multitudo misericordiæ ejus*] ut Psal. 5. 7. 106. 7. רוב רחמים [*multitudo miserationum ejus*] Ps. 69. 17. Sic πλοῦτος χάριτος [*divitiæ gratiæ*] dicitur Ephes. 1. 7. πλοῦτος δόξης [*divitiæ gloriæ*] infra 9. 23. Ephes. 1. 18. & 3. 16. Col. 1. 27. Πλοῦτον pari sensu usurpat Simplicius ad Epictetum ὑπερβολὴν τοῦ πλούτου τῆς ἀγαθότητος Θεοῦ [*exsuperantiam divitiarum bonitatis Dei*] dixit Philo in Allegoriis. Non dissimili modo πλούτου [*divitiarum*] vocem infra habemus 9. 23. & 11. 33. ¶ Καὶ τῆς ἀνοχῆς, *& patientiæ*] Sic infra 3. 25. In Glossario, ἀνοχὴ, *laxamentum*, *inducia*. ¶ Καὶ τῆς μακροθυμίας, *& longanimitatis*] ארך אפים. ¶ Ἀγνοῶν, *ignorans*] id est, *non considerans*: nam ידע Hebræum sæpe est *attendere*. ¶ Ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει; *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*] Hoc est in differendis pœnis τὸ προηγούμενον Θεοῦ θέλημα [*velle Dei antecedaneum*], de quo & 2 Petr. 3. 9. succedit deinde post longam patientiam alterum puniendi gravius. Sic Sap. 11. 24. Ἐλεεῖς δὲ πάντας, ὅτι πάντα δύνασαι, καὶ παρορᾷς ἁμαρτήματα ἀνθρώπων εἰς μετάνοιαν [*Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*] Philo Allegoriis, Οὐδὲ τοῖς ἁμαρτάνουσιν εὐθὺς ἐπέξεισιν ὁ Θεός. ἀλλὰ δίδωσι χρόνον εἰς μετάνοιαν καὶ τὴν τοῦ σφάλματος ἴασιν [*Nec statim in hos qui peccârunt animadvertit Deus sed tempus indulget, quo & pœniteat eos, & errorem corrigant*]. Hinc est quod τῇ δίκῃ [*justitiæ*] etiam Poëtæ dant βραδὺν πόδα [*tardum pedem*]. Vide dictum titulum Stobæi. Μετάνοια [*pœnitentia*] significat non *dolorem* solùm *ob peccata*, sed & *vitæ emendationem*.

5. Κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου, *Secundum autem duritiem tuam*] *Quæ vero tua est durities.* Duritiem id vocat Paulus quod Latini scriptores *callum obductum animo*, longa scilicet vitiorum consuetudine Vide Matth. 19. 8. Marci 16. 14. Similis usus verbi σκληρύνεσθαι [*obdurare*] est Act. 19. 9. Hebr. 3. 8, 13. Idem dicitur ἀπαλγεῖν [*desperare*] Ephes. 4. 19. Exempla talis constitutionis in Pharaone & Saule Regibus. ¶ Καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, *& impœnitens cor*] Exponit clariùs quod per μεταφορὰν [*Translationem*] dixerat. Ἀμετανόητον [*impœnitens*] autem hoc loco est non *qui pœnitentiam agere non potest*: sed *qui non agit.* Pari modo ἀμετακίνητος [*immobilis*] *qui non movetur.* 1 Corinth. 15. 58 ¶ Θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς, *thesaurizas tibi iram in die iræ*] Respicitur locus Deut. 32. 34, 35. ubi sic in Græco, Οὐκ ἰδοὺ ταῦτα συνῆκται παρ' ἐμοὶ καὶ ἐσφράγισται ἐν τοῖς θησαυροῖς μου, ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω [*Nonne ecce hæc condita sunt apud me & signata in thesauris meis? in die ultionis retribuam*]. Philo dicto loco de Allegoriis ad hæc verba respiciens, Εἰσὶ γὰρ ὥσπερ ἀγαθῶν, οὕτω κακῶν παρὰ τῷ Θεῷ θησαυροί. ἐν ἡμέρᾳ γάρ φησιν ἐκδικήσεως ἐσφραγίσθαι τοὺς τῶν κακῶν θησαυρούς [*Sunt enim ut bonorum, ita etiam malorum thesauri apud Deum: ait enim in die ultionis obsignatos malorum thesauros*]. Dixit & Plutarchus θησαυρὸν ὀργῆς [*thesaurum iræ*]. Præterea est hic locutio Hebraïzans, activum pro duplici activo. Θησαυρίζεις, *asservas* pro *asservari facis*, האצרת [*reposuisti in thesaurum*] aut הצפנת [*collegisti*] cum Nehemia 13. 18. aut cum Jobo 36. 13. תצפנת [*reposuisti*]: quomodo & ἀποθησαυρίζοντας [*thesaurizantes*, sed in bonam partem, ponitur 1 Timoth. 6. 19. Sic βασιλεύειν [*regnare*] sæpe est *facere ut quis regnet*, ὀργὴ, *ira*, pro *pœna*. Et bene *thesaurus iræ* opponitur *divitiis bonitatis*; & post ὀργὴν [*iram*] subauditur *reddendam*, ex loco Deuteronomii. ¶ Καὶ ἀποκαλύψεως καὶ δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, *& revelationis & justi judicii Dei*] Ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*] pro ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας [*revelationis justi judicii*], ut generaliùs dicat quod deinde explicaturus est specialiùs. Bene additum δικαιοκρισίας [*justi judicii*], ne nomine *iræ* affectus inordinatus intelligeretur.

6. Ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ *Qui reddet unicuique secundum opera ejus*] Nihil planius. Bonis factis bona, malis factis mala Deus reddet. Respicit Deus judicans & hæc & illa, Matth. 16. 27. & 25. 35. & sequentibus, 2 Corinth. 5. 10. Apoc. 2. 23. & 20. 12. & 22. 12. Hoc interest quòd pœna non potest per justitiam excedere mensuram criminis: præmium autem, si accedat dantis liberalitas, potest esse majus quàm quantum facta per se valeant. Quanquam autem præmium tantum promittere immensæ fuit liberalitatis, tamen, ubi promissum est, jus ex eo nascitur. Quibus verò promissio facta non est, ut Patriarchæ & pii ex gentibus, ii præmium post hanc vitam sperarunt quidem, sed neutiquam tantum. Ideo cùm de eo loquuntur ἅδην [*infernum*] nominant, non *regnum cœleste*. Sed & hi plus accipient, quàm speraverunt.

7. Τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ, δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι, *Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt*] Nam διαμονὴ ψυχῆς [*permansio animæ* piis ex gentibus non quidem planè certò credita, sed ita tamen ut sententia eam adstruens probabilior crederetur. Καθ' ὑπομονὴν [*secundum patientiam*] hic idem est quod δι' ὑπομονῆς [*per patientiam*]. solent enim istæ particulæ permisceri, ut 1 Corinth. 12. 8. Ephes. 3. 3. & alibi. Tum verò ὑπομονή, quod propriè *exspectationem* significat, ponitur hic pro *constantia*: quia exspectatio talis, qualis describitur Psalm. 37. 5. & alibi, constantiam solet producere. Sic ὑπομένειν est *perseverare*, Matth. 10. 22. & singulare hic est pro plurali: ἔργου ἀγαθοῦ [*boni operis*] pro ἔργων ἀγαθῶν [*bonorum operum*, ut & infra v. 15. 1 Corinth. 3. 14, 15. & 15. 58. 1 Thess. 1. 3. 2 Thess. 1. 11, 17. quod admodum frequens est ubi rerum aliquarum universitas significatur. δόξα [*gloria*] hic significat *statum illustrem*, ut Matth. 13. 42: τιμὴ [*honor*], *conjunctum cum laude*, de qua vide 1 Petri 1. 7. ἀφθαρσία [*incorruptio*], *perpetuum.* ¶ ζωὴν αἰώνιον *vitam æternam*] Supple ἀποδώσει [*reddet*]. Dabit illis quod homines optant maximè. Posidippus,

Ὧν τοῖς θεοῖς ἄνθρωπος εὔχεται τυχεῖν,
Τῆς ἀθανασίας κρεῖττον οὐδὲν εὔχεται
[*Res inter omnes quas deos exposcimus,*
Locum meretur principem immortalitas].

Hujus rei certos nos planè fecit Euangelium, vel eo solo nomine faciendum maximi.

8. Τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, *Iis autem qui sunt ex contentione*] Id est, τοῖς ἐρίζουσι, [*contendentibus*]. Sic ἐξ [*ex*] particula apud Hebræos sæpe *qualitatem* denotat, ut infra 3. 26. & 4. 12. Gal. 3. 7. Tit. 3. 5. ἐρίζειν [*contendentibus*] autem intellige, *contra Deum*, quod de Idololatria dici solet. Sic Israël בית המרי [*domus rebellionis*] Ezechiel 12. 2. à verbo מרה quod, ἐρίζειν [*contendere*] vertitur Genes. 26. 35. 1 Samuel. 12. 14, 15. Sic & *filius* מורה Deut. 21. 18. *qui in patrem est contumax.* Similem sensum habet illa Dei querela de Hebræis כעסוני בהבליהם, παρώργισάν με ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν [*irritaverunt me in idolis suis*], Deut. 32. 21. ¶ Καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, *& qui non acquiescunt veritati*] *Qui non sequuntur rationis dictata*, quæ & supra ἀλήθεια [*veritas*] dicta est 1. 18. ¶ Πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ, *credunt autem iniquitati*] *Verùm injustitiam sectantur.* ἀδικία [*iniquitas*] hic generatim sumitur, ut & ἀσέβειαν [*impietatem*] comprehendat, ut supra dicto loco 1. 18. πείθεσθαι, *sectari*, quomodo Galat. 3. 1. & 5. 7. Hebræi dicerent הלכים אחר השקר [*sequentes mendacium*. ¶ Θυμὸς καὶ ὀργή, *indignatio & ira*] Subauditur, *imminet.* Ubi est in Hebræo אף quod *iram gravem* significat, LXX solent ponere voces duas θυμὸς καὶ ὀργὴ [*indignatio & ira*], ut videre est Genes. 27. 45. Interdum & in Hebræo duæ sunt voces ut חמה ואף [*ira & indignatio*], Deuter. 9. 19. Per *iram* autem illam *exardescentem Dei μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem*] gravis pœna intelligitur, quod clariùs explicant sequentia.

9. Θλῖψις καὶ στενοχωρία, *Tribulatio & angustia*] Cùm hactenus ostendisset quam necessarium fuisset Gentibus Euangelium, nunc & Judæos addit, quorum non pauci Romæ Euangelio se opponebant. Vide Acta in fine. Hæ quoque voces duæ paris significatus mali vehementiam significant, respondentque Hebræis צר ומצוק, ut apparet ex Græco Esaiæ 30. 6. Vox θλίψεως [*tribulationis*] ubique obvia: vox στενοχωρία [*angustiæ*] & Esai. 8. 22. & infra 8. 35. 2 Cor. 6. 4. & 12. 10.

στενο-

στενοχωρεῖσθαι [*in angustiis versari*], Esai. 28. 20. & alibi. Alibi *στενοχωρεῖσθαι* [*in angustiis versari*] plus est quàm *θλίβεσθαι* [*tribulari*]. Latini quoque *angustias* pro *miseria* dicunt. ¶ Ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακόν, *in omnem animam hominis operantis malum*] *Anima* hic pro *persona* sumitur, ut apud Hebræos sæpe. Et *operantem malum* intellige quà talem: nam mutatâ hominis vitâ, mutatur & Dei decretum, Ezech. 18. ¶ Ἰουδαίου τε πρῶτον καὶ Ἕλληνος. *Judæi primum & Græci*] Sicut in privilegiis Judæum præposuerat 1. 16, sic & eundem præponit in pœnis: id enim exigit ratio, ut qui plus accipit, eò plus crucietur, si beneficio non responderit. Apertius est judicium voluntatis Dei in Lege divinitus scripta & prohibente homicidia, adulteria, furta, aliaque hujusmodi, quàm in sola collectione rationis. Bene Augustinus de vera Religione cap. 6, *Lex prohibens omnia delicta congeminat: non enim simplex peccatum est, non solum malum; sed etiam vetitum committere.* Quò pertinent ea quæ habebimus infra 4. 15. & 5. 13. Unde non longè abit illud Taciti Annalium 3, *Si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetetur: at si prohibita impunè transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est.* Quanquam autem quæ hîc dicuntur, ad pœnas vitæ alterius propriè pertinent; tamen voluit Deus etiam in antecessum conspicuis signis ostendere severitatem suam adversùs contumaces, Romanos quidem, immittendo tyrannum pessimum, deinde bella civilia valde cruenta: Judæos autem, evellendo eos funditus à patrio solo eversâ republicâ & cultu.

10. Δόξα δὲ καὶ τιμή, *Gloria autem & honor*] Accipe ut supra v. 7. ¶ Καὶ εἰρήνη, *& pax*] Bona omnia. Hebræi enim ea omnia *pacis* nomine complectuntur. ¶ Παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθόν, *omni operanti bonum*] Nempe ex animo Divinitùs purgato. ¶ Ἰουδαίῳ τε πρῶτον, *Judæo primum*] Quia primas in retributione ferent. ¶ Καὶ Ἕλληνι. *& Græco*] Ἕλληνα [*Græcum*] hic intelligit τὸν σεβόμενον [*pium*], quales paucos fuisse supra diximus: fuere tamen semper aliqui imitatores Melchisedeci, & Jobi, & Jethronis, & Naamani. Vide Actor. 10. & 17. 4. Vide & quæ diximus hac de re lib. 1 de Jure Belli ac Pacis, & in Annotatis ad eum locum.

11. Οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ. *Non enim est acceptio personarum apud Deum*] Προσωποληψία Rabbinis משא פנים [*acceptio facierum*] 5. 18. & 10. 34. Eadem sententia quæ Act. 10. 34. desumpta ex 2 Paralip. 19. 7. Est idem sensus & Deut. 10. 17. *Personam respicere* dicitur qui in judicio aliud respicit quàm quod in judicium venit. Deus cùm homines judicat, non originem respicit, sed actiones, Ephes. 6. 9. Coloss. 3. 25. 1 Petri 1. 17. In beneficiis distribuendis aliquid interdum origo valet, in judiciis Divinis nihil.

12. Ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, *Quicumque enim sine lege peccaverunt*] *Legem* hic vocat eam quæ à Deo voce aut scripto publicata est. Ἀνόμως hic valet באין תורה [*absque Lege*], id est, *cùm legem talem non haberent*: id culpam non tollit quidem, sed minuit, Luc. 12. 47, 48. infra 4. 15. & 5. 13. & in hoc statu erant Gentes, quos *Græcos* à parte Judæis notiore appellat. Par divisio hominum in τοὺς ὑπὸ νόμον [*illos qui sub lege sunt*] & ἀνόμους [*illos qui sine lege sunt*] reperitur 1 Cor. 9. 21. ¶ Ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται *sine lege & peribunt*] Ἀπόλλυσθαι [*perire*] dicuntur quicumque ullo modo à vita illa post hanc l[...]ata excidunt, cui opponitur σώζεσθαι [*salvari*]. Vide Joan. 10. 28. infra 14. 15. 1 Corinth. 1. 18. & 8. 11. 2 Corinth. 2. 15. & 4. 13. 2 Thess. 2. 10. Hoc est quod mysticè significatur per legis כרתה [*excisionem*]. ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται [*sine Lege & peribunt*] id est, *minùs punientur*, ait Chrysostomus 2. de Jejunio. ¶ Καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, *& quicumque in Lege peccaverunt*] Id est, *cùm Legem talem haberent*. Ita ב sæpe ponitur Hebræis & ἐν [*in* cum ablativo] nostris, ut Matth. 6. 22. & 16. 27. & 25. 31. 2 Cor. 13. 4. 2 Timoth. 1. 13. ideo quod hic & 3. 19. dicitur ἐν νόμῳ [*in Lege*], infra v. 14. explicatur ἔθνη νόμον ἔχοντα [*Gentes quæ Legem haberent*]. *Peccare* hic intellige non in significatu illo laxissimo, sed restrictiore & eminentiore, quo sensu per Deum regeniti negantur peccare. ¶ Διὰ νόμου κριθήσονται. *per Legem judicabuntur*] Gravibus suppliciis addicentur, Lege eos convincente, quam non observarunt etiam in potissimis & facillimis observatu. *Moses eos accusabit*, Joh. 5. 45. Æquum non erat ut, si quorum crimina ad notitiam non pervenissent, aut alio aliquo modo effugissent Judicum severitatem, pœnas effugerent. Quare talium se ultorem Deus ipse in Lege promiserat, Levit. 17. 10. & 20. 2, 3, 5, 6, 17. Hæc autem ultio non semper in hac vita expletur, sed sæpe reservatur in diem judicii, ut sequitur infra v. 16.

13. Οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου, *Non enim auditores Legis*] Parùm refert memoriter discere præcepta, nisi re impleantur. Par sententia, sed ad Euangelium applicata, Jac. 1. 22. Sic de Chrysippi libris Epictetus, Ζητῶ ἂν τὸν ἐξηγούμενον· καὶ μέχρι τούτων οὐδέπω σεμνὸν οὐδέν· ὅταν δὲ εὕρω τὸν ἐξηγούμενον, ἀπολείπεται χρῆσθαι τοῖς παρηγγελμένοις. τοῦτο αὐτὸ μόνον σεμνόν ἐστιν· ἂν δὲ αὐτὸ τοῦτο τὸ ἐξηγεῖσθαι θαυμάσω, τί ἄλλο ἢ γραμματικὸς ἀπετελέσθην ἀντὶ φιλοσόφου; πλήν γε δὴ ὅτι ἀντὶ Ὁμήρου Χρύσιππον ἐξηγούμενος; μᾶλλον οὖν, ὅταν τις εἴπῃ μοι, Ἐπανάγνωθί μοι Χρύσιππον, ἐρυθριῶ ὅταν μὴ δύνωμαι ὅμοια τὰ ἔργα καὶ σύμφωνα ἐπιδεικνύειν τοῖς λόγοις [*Quæro igitur enarratorem; ac hactenus quidem nihil præclari: cùm autem enarratorem invenero, reliquum est uti præceptis; id quod solum præclarum est: sin ipsam admiratus fuero, quid aliud nisi Grammaticus Philosophi loco evasi? eo duntaxat excepto, quòd pro Homero Chrysippum enarro. Magis igitur, cùm quis à me petierit prælegi Chrysippum erubesco, cùm facta nequeo similia verbis & consentanea præstare*]. Cui explicando Simplicius illud citat Demosthenis, Ὡς ἅπας λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ ἔργα, μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν [*Oratio omnis, si facta desint, vanum atque inane aliquid videtur*]. Seneca,

Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt?

Josephus, Οὐ γινώσκειν δεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ προςαττόμενα πράττειν [*nec scire satis est, sed & quæ jussus sis, facienda sunt*]. Nemo ægrotus eo solo sanabitur quòd Hippocratem legat. Hæc verba & quæ sequuntur usque ἐν ἡμέρᾳ [*in die*], esse παρενθετικὰ [*interposita*] complures monuere. ¶ Δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ. *justi sunt apud Deum*] *Justitiam eam habent quam Deus æternis præmiis repensat.* Vide supra 1. 17. Refellitur hîc pestilens Rabbinorum sententia, docens omnem qui Judaismum profitetur, quomodocunque vixerit, partem habiturum in futuro seculo. Hanc sententiam sic exprimit Justinus, Ὑπολαμβάνοντες ὅτι πάντως τοῖς ἀπὸ τῆς σπορᾶς τῆς κατὰ σάρκα τοῦ Ἀβραὰμ οὖσι, κἂν ἁμαρτωλοὶ ὦσι καὶ ἀπειθεῖς πρὸς τὸν Θεόν, ἡ βασιλεία ἡ αἰώνιος δοθήσεται [*Existimantes hisce omnino qui ex Abrahamo secundùm carnem orti sint, quantumlibet peccent sintque Deo immorigeri, regnum æternum datum iri*]. ¶ Ἀλλ' οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται. *sed factores Legis justificabuntur*] Hic δικαιωθήσονται [*justificabuntur*] idem est quod in præcedenti membro δίκαιοι εἰσί, id est, צדיקים [*justi sunt*] in Kal. *Justi* nempe *coram Deo*, ut & præcedentia & sequentia evincunt. Intelligenda autem & hic conditio quæ modò de gentibus subintellecta est, nempe *ex mundo corde*, ut diximus supra v. 10. המקדשים במצות, *qui se sanctificant in præceptis*, ut loquuntur Hebræi. Deus Spiritum suum dat justis: eum non dabat Hebræis manente adhuc Lege nisi ἀμέμπτοις [*inculpatis*] secundùm Legem. Nam sine tali studio justi non erant, Luc. 1. 6. Quibus autem nunc non dat Spiritum suum, eos certos non facit vitæ æternæ. Infra dicet justitiam quæ coram Deo valet non contingere ex lege Mosis, nempe distincta ab iis officiis quæ etiam ante Legem requirebantur.

14. Ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, *Cùm enim Gentes quæ Legem non habent*] Ἔθνη, id est, גוים vel אומות quomodo Judæi vocant *gentes alias*. *Non habentes Legem*, interpretare ut supra v. 12. ¶ Φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, *naturaliter ea quæ Legis sunt faciunt*] Φύσις [*Natura*] hîc, cùm νόμῳ [*Legi*] opponitur, non significat ingenium pravâ educatione corruptum, sed usum rectum rationis, cujus facultas homini agnata est: neque omnia Dei auxilia excludit. Sic τὸ δίκαιον φύσει [*jus naturale*] & τὸ δίκαιον θέσει [*jus positivum*] distinguit Aristoteles, ac Jurisperiti *jus naturale* ac *civile*. Sic & 1 Cor. 11. 14. Adde hic quæ ex Josepho, Justino, & Clemente attulimus ad Matth. 5. 17. τὰ νόμου [*quæ Legis sunt*] intellige illa quæ & naturâ & lege præcipiuntur, ut *Non occides*, *Non mœchaberis*, *Non furaberis*. Si hæc nosse Judæis sufficeret, sufficeret & gentibus, quanquam hæ ductu rationis, Judæi etiam legis præscripto id perceperant. At gentibus id non sufficit. Ergo nec Judæis. Οὐ γὰρ προσωπολήπτης ὁ Θεός [*Personarum enim acceptor non est Deus*], ut præcessit. ¶ Οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, *ejusmodi legem non habentes*] Repetitum, majoris evidentiæ causâ, ex eo quod præcesserat. Et nota neutro nomine reddi masculinum constructione eâ quæ dicitur κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad significatum relata*], ut Matth. 28. 19. Actor. 15. 17. ¶ Ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος· *ipsi sibi sunt lex*] Id est, *sibi id præstant quod lex Judæis*. Et est hic πλοκὴ [*copulatio*] simul & ὀξύμωρον [*acutifatuum*]. Simile ὀξύμωρον [*acutifatuum*] infra v. 25: ἡ περιτομή σου ἀκροβυστία γέγονεν [*circumcisio tua præputium facta est*]. Est & μετάληψις [*Transsumptio*], quia causa nominatur pro effectu, quamvis ex alia causa procedente.

15. Οἵτινες ἐνδείκνυνται, *Qui ostendunt*] Vitæ innocentiâ scilicet. ¶ Τὸ ἔργον τοῦ νόμου, *opus Legis*] Id est, *id quod lex in Judæis efficit*, nempe cognitionem liciti & illiciti. Legis virtus est *imperare*, *vetare*, *permittere*, *punire*, ait Modestinus. Chrysippus, ait νόμον esse προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν μὴ πρακτέον [*Legem quæ facere oportet imperare, vetare quæ facere non licet*]: quæ verba & Philo usurpat, &, ut jam videbimus, Origenes. ¶ Γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *scriptum in cordibus suis*] Est quidem hæc *non scripta sed nata Lex* ut Cicero ait pro Milone. Sed eleganter Apostolus, quia Lex Dei scripta erat in tabulis, *hanc scriptam* dicit *in corde*, hoc additamento translationem mitigans. Planéque idem loquendi genus usurpat Dion Chrysostomus περὶ ἔθους [*de consuetudine*], sub quo nomine etiam jus Naturæ comprehendit. *In corde* Adami *scripta* fuisse præcepta, חקוקין בלב ait Hebræus Gedalia Schabschelet. Origenes verbis quæ in Philocaliam relata sunt, Παρὰ δὲ ταῦτα λέγεται νόμος ὁ κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας ἐνεσπαρμένος τῇ ψυχῇ, καὶ ὡς ὀνομάζει ἡ γραφὴ, ἐγγεγραμμένος τῇ καρδίᾳ λόγος, προστακτικὸς μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸς δὲ ὧν οὐ ποιητέον [*Ad hæc lex illa quoque ratio dicitur, quæ communiter omnium animis insita &, ut Scriptura loquitur, inscripta cordi facienda imperat, vetat quæ fieri non licet*]. Tertullianus adversùs Judæos, *Denique ante Legem Moysi scriptam in tabulis lapideis, Legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur & à Patribus custodiebatur. Nam unde Noë justus inventus, si non eum illa naturalis Legis justitia præcedebat? unde Abraham amicus Dei deputatus, si non de æquitate & justitia Legis naturalis?* Idem de Corona Militis, *Quæris igitur Dei Legem? habes communem istam in publico mundo, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet provocare: ut cùm in velamine ponendo, Nec Natura vos, inquit, docet? ut cùm ad Romanos, Naturâ facere dicens nationes ea quæ sunt Legis, & Legem naturalem suggerit, & naturam legalem: Sed & in priore Epistola, Naturalem usum conditionis in non naturalem, masculos ac feminas inter se demutasse affirmans retributione erroris in vicem pœnæ, utique naturali usui patrocinatur.* Hierocles ad aureum carmen, Ταῖς δὲ ψυχῆς πονηρίαις οὐκ ἐπιφέρεται, διότι ἀποστροφαί εἰσι καὶ ἀποτεύγματα τοῦ ὀρθοῦ λόγου ἐν φύσει ἐνόντα καὶ ἐγγεγραμμένου αὐτῇ παροράᾳ ἡ ἀνθρώπου ψυχὴ τῆς προσπαθείας ἀποτυφλωμένη. τεκμήριον δὲ τοῦ εἶναι τὸν ὀρθὸν λόγον ἐν ἀνθρώποις, τὸ καὶ τὸν ἄδικον, ἐν οἷς μηδὲν αὐτῷ διαφέρει, κρίνειν δικαίως, καὶ τὸν ἀκόλαστον σωφρονικῶς καὶ ὅλως τὸν κακὸν ὀρθαῖς ἐπιβολαῖς χρῆσθαι ἐν οἷς ἀπροσπαθής ἐστι [*At in animi vitiis rectè non adhibetur: aberrant enim hæc à rectâ ratione, ad quam insitam inscriptamque naturâ connivet hominis animus, occæcante eum affectu. Esse enim in nobis rectam rationem, vel hoc evincit, quod & injustus justè ibi judicat ubi ejus nihil interest, & temperanter intemperans: & quivis denique malus cætera, rectè ea agit, in quibus affectu caret*]. Et alibi, Ταύτας τῆς κρίσεως ἀρχὰς κυριωτάτας ἀποδεχόμεθα τὴν ἀγαθότητα τοῦ Θεοῦ τόν τ' ἀπὸ ταύτης νόμον, τὸν ἐν ἡμῖν παρανομούμενον ὀρθὸν νόμον, καὶ ὥσπερ τινὰ ἔνοικον Θεὸν πλημμελούμενον [*Esse autem ista judicii principia maximè propria Dei bonitatem arbitramur & Legem ab eadem manantem; rectam inquam rationem, quæ in nobis est, iniquè violatam, atque veluti domesticum Deum aliquem, injuriâ affectam & impiè habitam*]. Rursus alibi, Κινδυνεύει γὰρ εἰς τὸ μὴ εἶναι ὑποφέρεσθαι ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ διὰ τῆς εἰς τὰ μὴ κατὰ φύσιν ἐκτροπῆς (ita enim legi debet) τῇ δὲ εἰς τὰ κατὰ φύσιν ἀνακλήσει πρὸς τὴν οὐσίαν τὴν αὐτῆς ἐπάγεται, καὶ ἀπολαμβάνει καθαρὸν τὸ εἶναι ὃ τῇ συμμίξει τῶν παθῶν ἐκηραίνετο [*Est enim periculum ne esse desinat hominis animus, cùm ad id, quod est præter naturam, divertitur. Cùm autem ad id, quod est secundùm naturam revocatur, ad suam ipse naturam reducitur, puramque illam existendi rationem rursus assumit, quam cupiditatum mixtione corruperat*]. ¶ Συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, *testimonium reddente illis conscientia*] Id est, μαρτυρούσης [*testante*]. Nam συμμαρτυρεῖν pro *testari* etiam Plato usurpat, quia qui testimonium perhibet, causam alicujus adjuvat. Sic & *testificari* dicitur συμμαρτύρεσθαι, Jerem. 11. 7. ¶ Καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων, *& inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium*] Philo libro *Pejorem insidiari meliori*, Οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἐν ἑκάστῃ τῇ ψυχῇ κατοικῶν, τότε μὲν ἄρχων καὶ βασιλεὺς εὑρίσκεται, τότε δὲ δικαστὴς καὶ βραβευτὴς τῶν κατὰ τὸν βίον ἀγώνων· ἔστι δ' ὅτε μάρτυρος καὶ κατηγόρου λαβὼν τάξιν ἀφανῶς ἡμᾶς ἔνδοθεν ἐλέγχει, μηδὲ διᾶραι τὸ στόμα ἐῶν, ἀναλαμβανόμενος δὲ καὶ ἐπιστομίζων ταῖς τοῦ συνειδότος ἡνίαις τὸν αὐθάδη καὶ μετὰ ἀφηνιασμοῦ δρόμον γλώττης ἐπέσχε [*Is homo in cujusque anima habitans aliquando princeps & rex invenitur, aliquando judex & remunerator hujus vitæ certaminum; interdum verò testis accusatorisque personâ assumptâ occultè nos intus redarguit, nec hiscere quidem sinens, sed cohibens refrænansque conscientiæ habenis cursum linguæ impotentem contumacemque*]. Et postea ad quæstionem, *Cur Cainum Deus interrogaverit*, respondet, Ἵν' ἡ μέλλουσα τὰς ἀποκρίσεις ποιεῖσθαι ψυχὴ δι' ἑαυτῆς ἐλέγχῃ τὰ περὶ ὧν εὖ ἢ κακῶς ἀποφαίνεται, μήτε κατηγόρῳ, μήτε συναγωνιστῇ χρωμένη ἑτέρῳ [*Ut anima responsura, ipsa secum pensitet, quid rectè secusve pronuntiet, absque ullo alio suffragatore vel adversario*]. Et de linguarum confusione, Πάντες γὰρ οἱ φαυλότατοι λανθάνουσιν ἐννοίας περὶ τοῦ μὴ λήσειν τὸ θεῖον ἀδικοῦντες, μήτε τὸ δίκην ὑφέξειν εἰσάπαν ἰσχῦσαι διακρούσασθαι [*Omnes enim pessimi quoque cogitant Deum non ignorare ipsorum maleficia, nec se posse illius animadversionem depellere*]. Hierocles, Ἐνταῦθα γενόμενος τοῦ λόγου τῶν ὅλων παραγγελμάτων ἄθροισόν μοι τὴν γνώμην, ἵνα τῷ ἔσω τῆς ψυχῆς δικαστηρίῳ πρὸς ταῦτα ὡς πρὸς θείους νόμους ἀποβλέπων, ποιῇ τῶν εὖ ἢ κακῶς πεπραγμένων τὴν ἐπίκρισιν. πόθεν γὰρ ὁ ἐπιλογισμὸς ἕξει δεινὰ μὲν εἰργασμένους ἡμᾶς ἐπιπλήττειν, χρηστὰ δὲ πράξαντας ἐπαινεῖν, εἰ μὴ ὁ προλογισμὸς νόμους τινὰς λάβοι καθ' οὓς προσήκει τὴν ζωὴν τάττειν, καὶ πρὸς τούτους τὸ τῆς συνειδήσεως ταμεῖον, ὡς πρός τινα σκοπὸν, ἀπευθύνειν τὸν ὅλον ἡμῶν βίον [*Huc cùm veneris, omnium mihi præceptorum sententiam collige, ut interno animi judicio ad hæc tanquam ad Divinas leges respiciens, quid bene malève egeris, judices. Quæ enim ratio rectè facta laudandi, reprehendendique quæ improbè gesta sint inveniri poterit, nisi eadem ratio leges sibi quasdam ante delegerit, è quibus vita instituenda sit: quæ quidem leges conscientiæ pro scopo esse debeant ad quem universam nostram vitam dirigas*]. Horatius,

> *— Hic murus aheneus esto:*
> *Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.*

Juvenalis,

> *— Cur tamen hos tu*
> *Evasisse putas, quos diri conscia facti*
> *Mens habet attonitos & surdo verbere cædit,*
> *Occultum quatiente animo tortore flagellum?*
> *Pœna autem vehemens & multo sævior illis,*
> *Quas & Caditius gravis invenit & Rhadamanthus,*
> *Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

Et mox,

> *——— quod fas*
> *Atque nefas tandem incipiunt sentire peractis*
> *Criminibus.*

Cui simile Taciti illud, *perfecto demum scelere magnitudo ejus intellecta est*. Egregiè hanc conscientiæ vim depingunt Poëtæ in Oreste qui Menelao apud Euripidem quærenti,

> Ὀρέστα τλῆμον, τίς σ' ἀπόλλυσιν νόσος;
> [*Oreste, quis te morbus excruciat, miser?*]

respondet,

> Ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος
> [*Mens, mala patrâsse consciens quia sum mihi*].

Est & hoc Menandri non spernendum,

> Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
> Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.
> [*Mala mens, malus animus: quamvis audacissimum,*
> *Sua semper pavidum reddit conscientia*].

¶ Μεταξὺ ἀλλήλων, *inter se invicem*] Hoc est *vicissim*, sive *alternante sententiâ*. Sic de Baltassare legimus Daniel. 5. 6. οἱ διαλογισμοὶ αὐτοῦ συνετάρασσον αὐτόν [*cogitationes ejus conturbabant eum*] Musonius autem apud Gellium 5. 1. *Varios adeò vultus disparilesque sensus gerat, proinde ut eum conscientiamque ejus affecerit utrarumque animi partium aut sincerarum, aut ægrarum Philosophi pertractatio.*

16. Ἐν ἡμέρᾳ ὅτε κρινεῖ ὁ Θεὸς, *In die, cùm judicabit Deus*] Absolutâ παρενθέσει [*sermonis interjectione*] redit Apostolus ad illud quod dixerat, κριθήσονται [*judicabuntur*, & ei suum tempus assignat. Est autem positum ὅτε [*cùm*] pro ἐν ᾗ [*in qua*], sicut cùm Latini dicunt *habebat domi unde disceret*, id est,

ex quo. Et in Manuscripto pro ὅτε [*cum* hic est ᾗ [*qua*], sensu eodem. ¶ Τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, *occulta hominum*] Id est, etiam τὰ κρυπτὰ, מסתרים [*occulta*]. Sic & 1 Cor. 4. 5. Thales interrogatus *Ecquis Deo latere posset malè agens*, dixit *ne cogitans quidem*,

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet,

ait Juvenalis, probans hoc ipsum historià de Herodoto deprompià. ¶ Κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. *secundum Euangelium meum per Jesum Christum*] id est, *per Jesum Deus judicabit de hominum factis ac cogitatis, planè sicut ego hoc omnibus populis annuntio.* Vide Act. 10. 42. & 17. 31. 2 Tim. 4. 8. Locutio illa κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου [*secundùm Euangelium meum*] pari sensu est 2 Timoth. 2. 8. Bene autem hic *Euangelium* interposuit, quia solà ratione constare non poterat per quem Deus esset judicaturus. Huic autem veritati Paulus fidem adstruebat miraculis.

17. Ἴδε, σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ, *si autem tu Judæus cognominaris*] Quod nomen erat religionis eo tempore & significabat μονόθεον, *unius Dei cultorem*, qui non modicus honos. Vide infra v. 28. Simul alluditur ad vocis originem. Philo de Allegoriis, Τοῦ μὲν οὖν ἐξομολογουμένου ὁ Ἰούδας σύμβολον [*Itaque Judas confitentem significat*]. quod & mox eodem libro repetit. Et libro de Plantatione, Καλεῖται δὲ Ἰούδας, ὃς ἑρμηνεύεται κυρίῳ ἐξομολόγησις (*Vocatur autem Judas, quod est, si interpretere, Domino confessio*). Ideo Joannes in Apocalypsi negat eos re verà esse *Judæos*, qui se sic appellabant, 2. 9. ¶ Καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ, *& requiescis in Lege*] *Inniteris*, נשען. Nam שען vertitur ἐπαναπαύεσθαι [*inniti*], ut Ezechiel. 29. 7. Eundem sensum habet נסמך Esai. 48. 2. quod per ἀντιστηρίζεσθαι [*inniti*] vertunt LXX. *Multum præsidii in eo ponis quod Legem habeas à Deo datam.* Vide infra v. 23. ¶ Καὶ καυχᾶσαι ἐν Θεῷ, *& gloriaris in Deo*] *In eo multùm tibi places quòd unum verumque Deum noris.* Respici videntur verba Esaiæ 45. 25.

18. Καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα, *Et nôsti voluntatem*] *Quid Deus fieri velit non ex rationis nuda collectione, sed & ex libris Mosis & Prophetarum didicisti.* ¶ Καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, *& probas utiliora*] Sic & Philipp. 1. 10. εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα [*ut probetis potiora*]. Uterque locus respicit ad locum Legis de fissis ungulis, cujus mysticus sensus est scilicet, Distingui à nobis debere licita & illicita, quæ multos fallunt arcto limite. Sic eam Legem explicat Philo libro περὶ γεωργίας [*de agricultura*], additque id non sufficere, nisi & ruminemus, id est, ostendamus nos meminisse ubi opus est. Barnabas non longè abit cùm τὰ δίχηλα [*bifida*] interpretatur, approbante & Alexandrino Clemente Strom. 5, τοὺς μελετῶντας ὃ ἔλαβον διάσταλμα ῥήματος [*meditantes illud quod acceperunt verbi præceptum.*] Idem Barnabas hoc præceptum refert ad cognitionem utriusque seculi, ut & Origenes ad Levit. 11 ¶ Κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου *instructus per Legem* [*Quippe à prima ætate edoctus ex Lege*, illa scilicet discrimina liciti & illiciti, ut hic rectè sumit Syrus. κατηχεῖν [*instruere*] est ?, κατήχησις [*Catechesis sive initialis institutio*] ? Rabbinis. Habes hoc verbum Luc. 1. 4. Actor. 18. 25. 1 Cor. 14. 19. Gal. 6. 6.

19. Πέποιθάς τε, *Confidis*] *Tibi ipse persuades.* Rabbinos præcipuè compellat qui & פקחים Hebræis, id est *videntes.* ¶ Σεαυτὸν ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν, *teipsum esse ducem cæcorum*] *Te esse à quo omnes Gentes doceri possent.* Vt bene exprimatur hæc persuasio, Judæis hic asscribuntur, ex ipsorum judicio, tituli magnificentissimi, gentibus vilissima nomina. Re ipsa Deus illis Judæis dicere poterat, *Quis cæcus nisi servus meus!* ut est Esai. 42. 18. & ὁδηγοὶ τυφλοὶ τυφλῶν [*cæci cæcorum duces*] Matth. 15. 14. Nam & si quos ex Gentibus faciebant proselytos, eos nihilo faciebant aut institutione sua aut exemplo meliores, imò pejores etiam ob inanem in ritibus fiduciam, Matth. 23. 15. ¶ Φῶς τῶν ἐν σκότει. *lumen eorum qui in tenebris sunt*] Multis verbis rem eandem exprimit Apostolus. Respicit autem locum Esaiæ 45. 6. quem Judæi etiam nunc interpretantur de semetipsis multos facientibus proselytos: & Rabbini ipsis vocantur *lux mundi.*

20. Παιδευτὴν ἀφρόνων, *Eruditorem insipientium*] *insipientium*] מורה נבוכים [*doctorem dubitantium*], quo titulo librum inscripsit Maimonides. ¶ Διδάσκαλον νηπίων, *magistrum infantium*] מלמד עוללים. *Infantes* intellige hîc νεοφύτους [*novitios*] in Judaismo. Sic 1 Cor. 3. 1 νήπιος [*infans*, qui νεόφυτος [*neophytus*] 1 Tim. 3 6. ¶ Ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ. *habentem formam scientiæ & veritatis in Lege*] Μόρφωσις, vel ut Aquila loquitur, μόρφωμα est *forma rei quæ conspicitur*, תבנית aut תבנית, & ita sumitur 2 Tim. 3. 5. Transfertur ad animum significatio, quia rerum quas discimus velut figuræ ei imprimuntur, eæque res dicuntur in nobis μορφοῦσθαι [*formari*], Gal. 4. 19. Sic verbum יצר vertitur γινώσκειν (*formari*), Esai. 44. 13. & 1 Sam. 28. 14. γινώσκειν [*cognoscere*]. *Formam honesti, formam veri boni* dixit Cicero: *mentes formare studiis*, Horatius; *artibus informare ætatem*, Cicero. Τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας [*scientiæ & veritatis*] pro τῆς γνώσεως τῆς ἀληθείας [*scientiæ veritatis*]: *formam notitiæ de ea veritate quæ est in Lege.* Nihil detractum Legi vult Paulus, agnoscit eam esse veram, id est, *verè à Deo datam.*

21. Ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; *Qui ergo alium doces, teipsum non doces?* Est πλοκή (*copulatio*). nam *docere* secundo loco significat *semet ad faciendum excitare. Dicebant, & non faciebant*, Matth. 23. 3. Conveniebat illis proverbium,

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.
[*Vlceribus ipse, medicus aliorum, scates*].

Cui simile est Luc. 4. 23. Philemon eum sensum sic explicat,

—Τοὺς ἰατροὺς οἶδ' ἐγὼ,
Ὑπὲρ ἐγκρατείας τοῖς νοσοῦσιν εὖ σφόδρα
Πάντας λαλοῦντας, εἶτ' ἐὰν πταίσωσί τι,
Αὐτοὺς ποιοῦντας πάνθ' ὅσ' οὐκ εἴων πότε.
[—*A Medicis argumentum est in promtu situm,*
Præcepta videas quos dare invalentibus
Victûs severi: at ipsi si in morbo cubent,
Eadem illa facere, quæ aliis interdixerant.]

Josephus in sua allocutione ad Judæos quæ est Belli Judaïci 5. 26. Ὑμῖν δὲ τί τῶν εὐλογηθέντων ὑπὸ τοῦ νομοθέτου πέπρακται; (*Vobis verò, quid ex benedictis à Legislatore peractum est?*) ¶ Ὁ κηρύσσων μὴ κλέπτειν, κλέπτεις; *qui prædicas non furandum, furaris?*] Κηρύσσειν est *palam aliquid docere*, ut Matth. 3. 1. & 4. 27. & 10. 17. in Syriaco כרז. Infinitivum illud κλέπτειν hic valet pro gerundio. *Furari* & vetus & frequens inter Hebræos, Psalm. 50. 18. Prov. 29. 24. Cùm hæc scriberet Paulus, recens erat memoria Asinæi & Asilæi in Babylonia Judæorum, ad quos ingens multitudo confluxerat, qui omnes non nisi ex rapto vivebant, Josephus Antiq. 18. 12. Non multò post Sacerdotalium familiarum principes fraudatis minoribus Sacerdotibus decimas sibi totas abstulere. Josephus 20. 6. & exorti sicarii rapinis ubique grassantes, Josephus 20. 7. Josephus quoque dicto loco de Bello 5. 26. κλοπὰς καὶ ἁρπαγὰς [*furta & rapinas*] Judæis exprobrat.

22. Ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν, μοιχεύεις; *Qui dicis non mæchandum, mæcharis?*] Et hoc vitium non minùs frequens ab antiquo, ut apparet dicto jam Psalmi loco. Jerem. 5. 1. Malach. 3. 5. Thalmudici libri ostendunt plurimos Rabbinos huic & affinibus vitiis illigatos fuisse, Akibam, Meirum, Chaninam, Eleazarum. Hi fructus fuere fiduciæ in solis ceremoniis collocatæ. Josephus inter crimina quæ popularibus suis dicto loco exprobrat ponit & μοιχείας (*adulteria*). Et libidines Magistrorum inter Judæos attingit & Justinus cum Tryphone disputans. ¶ Ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, *qui abominaris idola*] Εἴδωλα [*idola*] propriè sunt *imagines*: sed eam vocem usurpant Judæi Hellenistæ cùm de diis Gentium agunt, quia imagines tantùm eorum exsistunt, res non exsistunt. Eosdem deos vocabant βδελύγματα (*abominationes*), qua voce verti solent Hebrææ voces אלילים, גלולים, שקוצים, תועבות. Vide quæ dicta ad Matth. 24. 15. ¶ Ἱεροσυλεῖς; *sacrilegium facis?*] Non multùm distat falsos deos colere & verum spoliare, quod faciebant Sacerdotes non offerendo ex proventibus ea quæ Lex Dei ipsis præcipiebat aut certè non qualia oportebat, Malach. 1. 8. 12. 13, 14. & 3. 10, ubi dicta vide. Josephus dicto loco ait Templum ab Judæis multis modis profanatum.

23. Ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι, *Qui in Lege gloriaris*] Ut supra v. 17. ¶ Διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν Θεὸν ἀτιμάζεις; *per prævaricationem Legis Deum inhonoras?*] Παράβασις est ?, *notabilis violatio Legis.* Est autem ἀντίθετον (*oppositio*) valde ἐμφατικόν [*efficax*]. *Deum de cujus Lege gloriamini, quantum in vobis est, ignominiâ afficitis.*

24. Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι, *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes*] Non allegat loca, nempe nota Judæis quibus hæc scribuntur, Esaiæ 52. 5. Ezech. 36. 20. ubi est ויחללו את שם קדשי, ἐβεβήλωσαν τὸ ὄνομά μου τὸ ἅγιον (*polluerunt nomen sanctum meum.* Dicebant

bant Gentes, Ecce qualis religio quæ talem vitam parit? Error παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον [*secundum non causam ut causam*].

25. Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ, *Circumcisio quidem prodest*] Ut pars obedientiæ legalis, quâ se solutos nondum intelligebant Judæi: nec id urget Paulus. ¶ Ἐὰν νόμον πράσσῃς *si Legem observes*] Verè dixit Origenes vocem νόμον [*legem*] variè usurpatam epistolam hanc obscuriorem facere: verùm ea ambiguitas ex præcedentibus & consequentibus distinguenda est. Hic, ex iis quæ præcessere commate 14. apparet intelligi illa præcepta quæ perpetuam ac naturalem in se honestatem continent, & ex illo fonte in Legem etiam Mosis deducta sunt, ut *Deum cole*, *Nè furator*, *Ne mœchator*. Subintelligendum præterea, *Si hæc facias animo bene emendato*, sine quo nulla opera Deus probat, ut jam antè videmus. ¶ Ἐὰν δὲ παραβάτης νόμου ᾖς, *si autem prævaricator Legis sis*] Nempe in gravioribus illis quorum exempla jam posuerat. Παραβάτης פריץ [*effractor*] Ezech. 18. 10. secundùm Symmachi versionem, id est, *Legirupa*. ¶ Ἡ περιτομή σου ἀκροβυστία γέγονεν. *circumcisio tua præputium facta est*] *Non plus tibi proderit quam si præputium adhuc haberes.* Est idem loquendi genus quod supra 14. planéque idem est ac si dixisset, ἡ περιτομή σου εἰς ἀκροβυστίαν λογισθήσεται [*circumcisio tua in præputium reputabitur*], sicut jam loquetur Paulus in opposito membro. Vide quæ diximus in prolegomenis ad hanc epistolam. Quod Græci dicunt ἀκροποσθίαν & Latini *præputium*, quasi προπόσθιον, id Hellenistæ dicunt ἀκροβυστίαν Genes. 17. 11, 14, 23, 24, 25. & 34. 14. Exod. 4. 25. Levit. 12. 3. Jos. 5. 3. 1 Sam. 18. 25, 27. 2 Sam. 3. 14. Jerem. 9. 24. 1 Maccab. 1. 16. à nomine ἀκρόβυστος quod significat *summa parte obstructum*, unde & verbum fit ἀκροβυστεῖν Lev. 19. 23.

26. Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία, *Si igitur præputium*] Est hic Synecdoche partis pro toto: nam per *præputium* homo intelligitur qui præputium in se habeat. Sic infra 3. 30. & 4. 9. & 15. 8. περιτομὴ [*circumcisio*] est *homo circumcisus*. ¶ Τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου, *justitias Legis*] Apostolus hic explicat quid modo intellexerit per νόμον [*Legem*] nempe משפט quod verti δικαιώματα [*justitiæ*] solet, nec ab interpretibus tantùm, sed & à Josepho; & ubi accurata locutio servatur, significat *ea quæ suapte naturâ honesta sunt*, ut diximus Luc. 1. 6. & lib. 1. cap. 1. §. 9. de Jure Belli ac Pacis. ¶ Φυλάσσῃ, *custodiat*] *Sedulò observet*, ut Matth. 19. 20. Actor. 21. 24. Gal. 6. 13. & subintellige rursus, *corde mundato*, quales olim Jethro, Naaman, fortè & Cyrus & Darius; postea Centuriones duo in Euangelio & Actis, aliique multi. ¶ Οὐχὶ ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται; *nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?*] Tantundem illi valebit status incircumcisus quantum alteri, qui circumcisioni obligatus est aut obligatum se putat, status circumcisus. Idem jus Actio quod Titio.

Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

27. Καὶ κρινεῖ ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία, *Et judicabit id quod ex natura est præputium*] Κρινεῖ, id est, *comparatione sui tuam culpam evincet.* Sic Ninivitæ & Regina Saba κατακρινοῦσι *damnabunt* Judæos, Matth. 12. 42. ubi dicta vide. Sic Noë κατακρινεῖ τὸν κόσμον [*damnabit mundum*], Hebr. 11. 7. ἐκ φύσεως [*ex natura*] hic dictum ut supra ἐξ ἐριθείας [*ex contentione*] 8. & per φύσιν [*naturam*] intelligitur *rectus usus rationis*, ut supra v. 14. Sensus est, *Præputiatus is qui rectam rationem ducem sequitur.* Nec aliter hic accepit Syrus. ¶ Τὸν νόμον τελοῦσα, *legem consummans*] Id est, τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου [*justitias Legis*]. & τελεῖν [*consummare*] hic idem quod modo φυλάσσειν [*custodire*], id est, *effectum dare.* Nam כלה Hebræum per τελεῖν, ἐπιτελεῖν, συντελεῖν [*finire, perficere, consummare*] verti solet. ¶ Σὲ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου; *te, qui per litteram & circumcisionem prævaricator Legis es?*] Hic διὰ [*per*] idem est quod modò ἐκ vel ἐξ [*ex*], & supra v. 7. κατὰ [*secundum*], id est, significat adjunctum: & potest per præpositionem *cum* exprimi, ut & infra 4. 11. & 14. 20. 2 Cor. 3. 11. *Te qui Legem violas cùm habeas & scriptum Legis & circumcisionem. Scriptum Legis* efficaciter dixit, quasi diceret, *Lex tibi nihil aliud est quam Scriptura. Ostendis eam te habere legendo, non agendo.* Es νομικὸς [*Legisperitus*], non νόμιμος [*legis observator*]. Sic ferme vim ac potestatem Legis verbis opponit Celsus Jurisconsultus. Cassiodorus, *Legem facere non est verba Legis exterius sequi, sed mentem & intentionem Legis obedienter implere.*

28. Οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖός ἐστιν, *Non enim qui in manifesto Judæus est*] Construendum hoc cum eo quod sequitur, οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ [*cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo*]. *Non is qui exteriùs Judæus est, atque is est quem Deus* (de hominum judicio hic non ago) *probat ac laudat.* Incipit hic דרש more Hebræo, id est, *sensum mysticum sensui vulgari opponere.* Non multò aliter Arrianus Epictetеorum 2. 9. λόγῳ Ἰουδαῖος, ἔργῳ ἄλλο τι. [*nomine Judæus, reverà aliud quid*] *Judæus palam* is est qui à Juda originem ducit eaque gloriatur, Esai. 48. qui se talem ostendit fimbriato habitu; de quo egimus Matth. 9. 20. ¶ Οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ, ἐν σαρκὶ, περιτομή, *Neque quæ est in manifesto, in carne, est circumcisio*] Illud ἐν φανερῷ [*in manifesto*] exponit per ἐν σαρκὶ [*in carne*], id est, *quæ*, si inquisitio fiat (ut olim post Antiochi tempora) *in ipsa carne aspici potest.* Non ea est quam Deus præcipuè aut necessariò probat. Sic & Ephes. 2. 11. Ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς ἐν σαρκὶ [*ab ea quæ dicitur circumcisio in carne*]. ¶ Ἀλλ' ὁ ἐν κρυπτῷ Ἰουδαῖος, *Sed qui in abscondito Judæus est*] Loquitur sic & Rabbi Israel. Deus, ut mens æterna & optima, mentem potissimum spectat. Ἐν κρυπτῷ Ἰουδαῖος [*in abscondito Judæus*], id est, *qui intus in corde Deum agnoscit* καὶ ἐξομολογεῖται [*& confitetur*]. Alluditur enim ad originem nominis, ut supra diximus v. 17. & apparet Apoc. 2. 9.

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè purâ sit mente colendus.

Vide quæ diximus ad Johan. 4. 24. & in prolegomenis ad dicta Poëtica è Stobæo & ad lib. 4. De veritate Religionis Christianæ. ἐν κρυπτῷ [*in abscondito*], id est, *in corde.* Sic explicatiùs τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας] *occulta cordis*] 1 Cor. 14. 25. 2 Cor. 4. 2. Sic & τὰ κρυπτὰ [*occulta*], id est, *cogitata*, supra v. 16. ¶ Καὶ περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι, *& circumcisio cordis in spiritu*] Id est, *per Spiritum*, supple *effecta*, unde vocatur hæc περιτομὴ ἀχειροποίητος [*circumcisio non manufacta*] Col. 2. 11. quæ facit ut *per Spiritum Deo serviatur*, Philip. 3. 3. Hæc est illa circumcisio quam & ipsi Prophetæ exigunt & à Deo expetendam docent, Deut. 10. 16. & 30. 6. Jerem. 4. 4. Philo libello de Circumcisione notat τὴν πρὸς καρδίαν ὁμοιότητα τοῦ περιτμηθέντος μέρους [*partis circumcisæ cum corde convenientiam*], additque circumcisionem illam exteriorem σύμβολον [*symbolum*] esse ἡδονῶν ἐκτομῆς [*excisionis voluptatum*]. In libro verò de sacrificiis & hoc addit, Περιτέμνεσθε τὰς σκληροκαρδίας, τοῦτ' ἐστὶ, τὰς περιττὰς φύσεις τοῦ ἡγεμονικοῦ, ἃς αἱ ἄμετροι τῶν παθῶν ἔσπειράν τε καὶ συνηύξησαν ὁρμαί, καὶ ὁ κακὸς ψυχῆς γεωργὸς ἐφύτευσεν ἀφροσύνη, μετὰ σπουδῆς ἀποκείρασθε [*Circumcidimini cordis duritiem, hoc est, excidite superflua mentis germina, prognata ex immoderatis affectibus, & coalita insitaque in animam à malo agricola insipientia, quamprimum excidenda summo studio*]. ¶ Οὐ γράμματι *non littera*] *Non ea præcipuè quam legis scriptum præcipit.* Plutarchus Numa, Ὡς οὐ καλῶς ἐν ἀψύχοις γράμμασι φρουρουμένων τῶν ἀπορρήτων· ᾧ λογισμῷ φασι μηδὲ τοὺς Πυθαγορικοὺς εἰς γραφὴν κατατίθεσθαι τὰ συντάγματα [*Neque enim rectè arcana inanimis litteris credi. Eadem ductos ratione nec Pythagoreos memorant præcepta sua scripto mandare*]. ¶ Οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ. *cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*] Hæc diximus cum iis quæ hoc & superiori commate præcesserunt connectenda, quomodo & Syrus videtur accepisse. Homines de corde certò non judicant. Deus id novit & id præcipuè, sicut efficit, ita & laude & præmiis prosequitur. Vide infra 4. 2. & 9. 30, 31.

VALLA.

CAP. III.

9. C*Ausati enim sumus*] Gr. *Præcausati*: quod ego transferrem, *Suprà diximus enim causam*, προῃτιασάμεθα.

25. *Propitiatorem*] Quidam cod. habent *Propitiationem*. Gr. *propitiatorium*, ἱλαστήριον.

30. *Qui justificavit*] Fut. temporis est, *justificabit*, non præt. *justificavit*, δικαιώσει.

ERASMUS.

1. Q*Uid ergò amplius*] Περισσὸν Græcè aliquando *supervacaneum* significat, aliquando *eximium*, h. e. ἐξαίρετον. Hic *eximium* pro *excellenti* accipitur. Sequitur enim τοῦ Ἰουδαίου, i. *In quo excellit Judæus?*

2. *Multum*] Πολύ. Sic & apud Græcos habetur per y psilon.

lon. Quanquam legendum videtur πολλὴ, & per duplex λ, & η, ut sit epitheton hujus nominis *utilitas* ὠφέλεια. ¶ *Primum* Πρῶτον hic ordinem significat sermonis potiùs quàm *præcipuè*. ¶ *Illis eloquia*) *Illis* apud Græcos non est, sed Interpres addit necessariò, ἐπιστεύθησαν, i. *credita sunt eloquia*, pro eo quod est, *concredita* sive *commissa*, *sunt illis eloquia Dei*. Sic enim Græci loquuntur ἐνεχειρίσθην ταύτην τὴν ἐπιμέλειαν· ἐπιτέτραμμαι τὴν δίαιταν, i. *Commissa mihi est hæc provincia*; *Delegata est mihi hæc cognitio*, q. Græcè dicas *Creditus est hanc rem*, & *Commissus sum hoc negotium*; quemadmodum Latini dicunt, *Doctus sum Grammaticam*, Porrò quod nos legimus *eloquia* Paulo est λόγια. Philosophatur nonnihil in hoc verbo Origenes. Cæterùm λόγια dixit *oracula*: quòd is populus servabat oracula, aliis magis profutura quàm ipsi, & tenebat non intellecta. Sic enim Hesychius interpretatur, Λόγια, θεόσφατα, μαντεύματα, φῆμαι, χρησμοὶ, i. *Numinum responsa*, *vaticinia*, *rumores*, *oracula*. Et in hunc sensum frequenter reperitur apud Aristophanem in Equitibus. Apud Latinos *eloquium* pro *eloquentia* usurpavit Juvenalis;

Eloquium & famam Demosthenis.

3. *Evacuavit*] Græcis futuri temporis est καταργήσει, i. *abolebit*, *oblitterabit*, *irrita reddet*, sive *antiquabit*: quo verbo frequenter utitur D. Paulus. Interpres sæpenumero vertit *destruere*: ἀργὸν *otiosum*; indè καταργεῖν *otiosum & supervacaneum reddere*.

4. *Absit*] Frequenter obvium apud Paulum. Gr. Μὴ γένοιτο, i. *Ne sit*, aut *Ne contingat*; sive *Deus avertat*, aut *prohibeat*, Est autem abominantis sermo. ¶ *Est autem*] γινέσθω, Græcis est, *Sit* (sive *Fiat*) *autem Deus verax*. Fortassis Interpres verterat *Esto*, quemadmodum vertit interpres Theophylacti, falsò Athanasii inscripti hactenus. Positum est autem γινέσθω pro φανερούσθω, ἀποδεικνύσθω, i. *declaretur*, *ostendatur*. Neque enim fieri potest ut Deus verax non sit, sed nostrâ refert ut talem esse intelligant homines. Quanquam potest esse δοξολογοῦντος, quemadmodum dicimus, *Gloria tibi Domine*. ¶ *Ut justificeris in sermonibus*] Testimonium est ex Psalmo 51. *ut justificeris*. Et *cùm judicaris* apud Græcos verbum est passivum ἐν τῷ κριθῆναι, vel κρίνεσθαι, ut alii legunt. Cæterùm Hebræis בשפטך anceps est, utrùm de *judicato Deo* an de *judicante* loquatur. Hieronymus videtur ità locum hunc interpretari ut intelligat *Deum judicatum*; sed dum judicatur ab incredulis, & ipsius declarari fidem in promissis & illorum vanitatem in judicando. Sic est *Omnis homo mendax*, vel quia præstare non potest quod pollicetur quantum in ipso est; vel quòd mendax sit quisquis diffidit Dei promissis, cùm ille nihil non præstet.

5. *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat*] Συνίστησι, i. *constituit*, h. e. stabilit ac confirmat fulcitque. Quanquam & *commendat* rectè vertit. Nam si Hesychio credimus, συνιστάνειν Græcis multa declarat, ἐπαινεῖν, φανεροῦν, βεβαιοῦν, παρατιθέναι, i. *laudare*, *illustrare*, *confirmare*, *adjungere* sive *commendare*. Origenes ipse paulò pòst edisserens eum Pauli locum, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis*, indicat *commendat* idem pollere quod *confirmat* aut *amabilem facit*. ¶ *Numquid iniquus Deus qui iram infert*] Origenes hunc edisserens locum, sive mavis Hieronymus aut Ruffinus, ostendit in nonnullis Græcorum codicibus legi, *qui infert iram adversùs hominem*: nimirum ut pro κατ᾽ ἄνθρωπον λέγω, *juxta hominem dico*, scribatur κατ᾽ ἀνθρώπου *adversus hominem*, omisso verbo λέγω, Alteram lectionem interpres, opinor, Origenis adjecit inveniri in Latinorum exemplaribus, nonnullis etiam Græcorum. Cùm autem neutram rejiciat lectionem, liberum erit cuique utram malit sequi. Certè Chrysostomus ac Theophylactus legunt simul & interpretantur κατὰ ἄνθρωπον λέγω, i. *juxta sensum humanum loquor*, respondens pro Deo, cùm illius judicia sint inscrutabilia. Hactenus imposuit mihi titulus & peroratio Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos ut crederem eos ab Hieronymo versos, tametsi de phrasi dubitabam nonnihil, quæ tamen hic mihi visa est purior quàm in cæteris versionibus est Ruffini. Magis autem offendebant admixta multa, quæ partim à Græco scriptore Romani sermonis ignaro dici non poterant, partim ex diametro pugnant cum Origenis dogmatibus. Hieronymus autem in vertendo religiosior est quàm Ruffinus, qui non solùm permittit sibi de suo sententias aliquot intertexere, verùm etiam totos libros prætermittit, & pro his suos supponit. Unde propemodum pedibus eo in sententiam eorum qui putant hanc versionem esse Ruffini. Nam titulum probabile est à scriba immutatum, quò librum redderet vendibiliorem gratiosi nominis lenocinio. Ejusdem artificio in peroratione bis *Ruffini* nomen mutatum est in nomen *Hieronymi*. Cæterùm relictum est quod prodat fucum. Ait enim sese *à Gaudentio urgeri ut Clementem*, *quem vertere instituerat*, *absolvat* constat autem Clementem à Ruffino versum, & Gaudentio inscriptum. Ruffinus apud multos audiebat Origenista, eóque monet in peroratione ut omisso nomine interpretis, scriba ponat nomen autoris.

6. *Judicabit Deus hunc mundum*] Τὸν κόσμον, i. *mundum*, non *hunc mundum*, quasi sit alius mundus: nisi quòd articulus additus aliquoties facit ut res certa designetur.

8. *Sicut blasphemamur*] Usus est Græcâ voce βλασφημούμεθα, i. *malè audimus*, sive *malè de nobis loquuntur homines*. ¶ *Faciamus mala*] Non ineptè omisit ὅτι, quod aliàs solet libenter addere, cùm alioqui nihil sit opus.

9. *Præcellimus eos*] Προεχόμεθα. *Eos* apud Græcos non additur, sed tantùm est *præstamus*, sive *præcellimus*: siquidem Græci distinctionem subjiciunt his verbis, *Quid igitur?* alioqui legi conjunctim poterat, *In quo igitur præcellimus?* ¶ *Causati sumus*] Προῃτιασάμεθα, i. *ante causam reddidimus*. ¶ *Et omnes sub peccato*) *Et* conjunctio redundat.

10. *Quia non est justus*] Ὅτι *quia* redundat, quod erat omittendum hoc sanè loco, quemadmodum paulò antè fecit. ¶ *Quisquam*] Οὐδὲ εἷς, i. *ne unus quidem*.

11. *Requirens*] Ὁ ἐκζητῶν, i. *qui exquirat*. Nam *requirimus* non quod vestigamus, sed quod abesse dolemus. *Requirimus* in amico fidem.

14. *Maledictione*] Ἀρᾶς, i. *devotione*, *exsecratione*, sive *imprecatione*. Cæterùm illud obiter admonitum lectorem volo, testimonium hoc, quod Paulus de Veteri sumpsit Instrumento, variis ex locis esse contextum atque, ut ità dicam, consarcinatum. Nam prima pars sumpta est de Psalmo 14. sed ità ut sententiam magis quam verba reddiderit Apostolus. Proximi duo versus, *Sepulcrum patens est guttur eorum*; *Linguis suis dolosè agebant*, quinti Psalmi sunt. Illud autem quod sequitur, *Venenum aspidum sub labiis eorum*, 140 Psalmi est. Rursum quod annectitur, *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est*, è nono Psalmo desumptum est Porrò tres qui sequuntur versiculi, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*: *Contritio & infelicitas in viis eorum*; *& viam pacis non cognoverunt*, &c. ex Esaia decerpti sunt. Ultimus autem versiculus, *Non est timor Dei ante oculos eorum*, in 36 Psalmi principio est. Hos octo versiculos intertexuit nescio quis Psalmo 14 quòd idoneum locum non inveniret ad quem hoc Pauli referret testimonium, cùm in Hebraicis cod. non habeantur. Id indicavit Hieronymus, modò citatum Esaiæ locum edisserens; & iterum copiosiùs, præloquens in Commentarium 16 Cæterùm quæ ex Esaia mutuatus est, habentur apud eum Prophetam cap. 59. juxta Hebraicam veritatem ad hunc modum, *Cogitationes eorum cogitationes inutiles*, *vastitas & contritio in viis eorum*. *Viam pacis nescierunt*, *& non est judicium in gressibus eorum*.

19. *Subditus*] Ὑπόδικος q. d. *obnoxius & reus*. Nam δίκη Græcis & *crimen* significat, & *causam*, & *vindictam* sive *pœnam*: velut *obligatus ad pœnam*.

20. *Cognitio peccati*] Ἐπίγνωσις. Elegantius ac significantius erat *agnitio*.

21. *Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata est*] Augustinus contra Pelagium & Celest. De gratia Christi l. 1. c. 8. indicat distinctionem hujus sententiæ: pronunciandum enim, *Justitia Dei sine Lege*, *nunc manifestata est*. Aliquid esset quod dicit si adverbio præpositus fuisset articulus, Νυνὶ δὲ ἡ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη. Id quoniam factum non est, intelligendum est *justitiam Dei promulgatam esse omnibus*, *absque præsidio Legis profuturam*: quanquam ad sensum minimum refert quomodo distinguas. Augustini verba subscribam, *Quomodo ergò*, inquit, *sine Lege manifestata*, *si per Legem testificata? Non ita sine Lege manifestata*, *sed sine Lege justitia: quæ justitia Dei est*. Hæc Augustinus. Scrupulus autem qui movit Augustinum nullius est momenti. Justitiam Dei per fidem & gratiam manifestata est per adventum Christi, sed hoc futurum prædixerat Lex.

23. *Et egent*] Gr. Ὑστεροῦνται *carent*, sive *destituuntur*: ad verbum sonat *posteriorantur*, quasi non assequentes quod optabant. Et *gloriâ* Græcis est, non *gratiâ*, sicut legimus & in Latinis cod. emendatioribus, δόξης τοῦ Θεοῦ· *Glorificatur* enim Deus in hoc quòd ex sua bonitate servat humanum genus.

24. *Justificati gratis*] Δικαιούμενοι Participium est passivum, sed præsentis temporis, unde nos vertimus, *Justificantur autem* additâ de meo conjunctiunculâ, quò sensum redderem dilucidiorem. ¶ *Per redemptionem*] Διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως. Quæ pro-

propriè est *redemptio captivi, persoluto pro capite illius pretio*, quod Gallorum vulgus appellat *ranson*. ¶ Τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ] Et hic ἐν posita videtur pro διὰ, *quæ redemptio contingit per Christum Jesum:* hoc enim repetit ut rursus excludat gloriam operum humanorum.

25. *Propitiatorem*] Ἱλαστήριον, i. *Propitiationem*, seu magis *propitiatorium*; ut (quod Origeni placet) respiciat ad Propitiatorium Judæorum, Christi nostri typum, quemadmodum & sanguinis meminit. Ad eundum modum exponit Theophylactus, & ante hunc Chrysostomus, postremò & Augustinus libro De spiritu & litera, cap. 13. Forte Interpres masc. genere accipit, τὸν ἱλαστήριον, sicut τὸν σωτήριον. ¶ *Propter remissionem*] Mirum quod exemplar secutus Ambrosius legat *Propositum præcedentium delictorum*. Nam Græci πάρεσιν habent, non πρόθεσιν nisi fortè mendosus est codex Ambrosianus. Quanquam quod interpretans subjicit, *Sciens Deus propositum benignitatis suæ*, subindicat illum *propositum* legisse, non *remissionem*. Eodem modo legit Augustinus loco quem modò indicavimus.

26. *In sustentatione*] Ἐν τῇ ἀνοχῇ, i. *in patientia & tolerantia.*

27. *Ubi est ergò*] *Est & tua* addidit Interpres. Nam Græcè est, Ποῦ οὖν ἡ καύχησις; i. *Ubi igitur gloriatio?* Atque ità sanè absolutius est. Plurimum acrimoniæ addunt orationi percontationes ejusmodi, præsertim re jam argumentis evictâ.

28. *Arbitramur enim*] Λογιζόμεθα οὖν, *Reputamus* (sive *Colligimus*) *igitur*. Nam Theophylactus interpretatur συλλογιζόμεθα velut hoc jam argumentando collegerit.

29. *Imò & Gentium*] Pro *imò* Græcis est ναὶ. quod est Affirmantis adverbium: q. d. *Nimirum & Gentium.*

30. *Qui justificat*] Δικαιώσει, *justificabit*, fut. temporis. Respexit enim ad eos qui adhuc essent in Judaismo, seu Paganismo. In codice D. Donatiani scriptum erat *justificavit*, *b* mutato in *v* consonans: qua quidem in re subinde peccant scribæ.

31. *Legem ergo destruimus*] Καταργοῦμεν *irritam facimus*, sive *abolemus*; ut paulò superiùs ostendimus. ¶ *Legem statuimus*] Ἱστῶμεν dictum est pro *fulcimus*, seu *stabilimus*, & facere ut stet aliquid, alioqui vacillans. Alioqui Latinis aliud sonat *statuere*, nimirum *decernere.*

VATABLUS.

1. AMplius Judæo est?] i. Habet in quo præcellat Judæus? 2. *Multum*] Sub. *utilis*. ¶ *Credita sunt illis eloquia*] *Commissa sunt illis oracula*; i. concreditæ promissiones.

3. *Fidem*] i. Veritatem; q. d. num propterea Deus non præstabit quod promisit? ¶ *Evacuavit?*] *Evacuabit?* Fut. temp. Vet. vel *irrita faciet?* i. an propterea quòd quidam Judæi non crediderunt, verax non erit, neque stabit promissis suis Deus?

4. *Absit*] *Nè sit:* abominantis est sermo & rejicientis. ¶ *Est*] *Imò sit*, vel *maneat*. ¶ *Ut justificeris in sermonibus tuis*] i. Justus & servans promissorum inveniaris.

5. *Iniquitas*] *Injustitia*. ¶ *Commendat*] Vel *constituit*; i. stabilit ac confirmat. ¶ *Infert iram*] i. Ulciscitur, Heb. ¶ *Secundùm hominem dico*] Vel, *humano more loquor*; aut *hominum peccatorum verbis utor.*

6. *Alioquin*] Vel *insuper*; quasi novam quæstionem moveat.

7. *In mendacio meo abundavit*] Vel *per mendacium meum illustrior* [vel *manifestior*] *facta est*. ¶ *Adhuc*] *Posthac.*

8. *Blasphemamur*] *De nobis male loquuntur.*

9. *Nequaquam: causati enim*] *Nullo modo: nam antè causis redditis ostendimus.* Vet. legunt *præcausati*. ¶ *Sub peccato esse*] i. Peccati servos, & peccatores, Heb.

10. *Quisquam*] *Nè unus quidem.*

11. *Requirens*] *Qui requirat*; i. cui curæ sit cultus Dei.

13. *Agebant*] *Egerunt.*

14. *Maledictione*] *Exsecratione, devotione.*

16. *Infelicitas*] *Calamitas.*

19. *In lege*] *Sub lege:* sic quædam exemplaria Græca; i. qui tenentur lege Mosaicâ. ¶ *Subditus*] Vel *obnoxius*, vel *reus.*

20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*] i. Nemo est qui Deo judice justus pronunciari possit, quòd legem præstiterit. ¶ *Cognitio*] i. Agnitio.

21. *Testificata à Lege & Prophetis*] i. Quam olim Lex & & Prophetæ prædixerant.

22. *Autem*] Vel *inquam.*

23. *Egent*] *Carent, destituuntur.* Vox Græca propriè significat *qui non assequuntur quod optant*. ¶ *Gloria Dei*] *Gloriam Dei* vocat gratuitam peccatorum remissionem per Christum.

24. *Justificati*] *Justificantur autem*. ¶ *In Christo Jesu*] Heb. pro, Christum Jesum; i. cujus pretium est Christus Jesus.

25. *Propitiatorem*] *Propitiationem*, Vet. i. quem Deus ante mundum conditum decrevit reconciliatorem: h. e. per quem homines reconciliarentur ei, si modò crederent ipsi Deo satisfieri pro peccato per sanguinem ipsius Christi effusum. ¶ *Ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium peccatorum*] i. Ut ostenderet hominibus quà viâ illos pro justis habiturus esset, nempe remittendo illis præterita delicta propter filium.

26. *In sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ in hoc tempore*] *Quæ Deus toleravit ut ostenderet modum quo justificat hoc temporis articulo.* ¶ *Qui est ex fide Christi*] Qui fidit Christo.

27. *Factorum?*] *Operum? Legem operum* vocat quæ præcipit opera, ut *legem fidei* quæ præcipit fidem.

28. *Arbitramur enim*] *Colligimus igitur*; ex superioribus scilicet.

29. *An Judæorum Deus tantùm?*] i. An Deus vult solos Judæos salvare? ¶ *Nonne* *] * *Verò*. ¶ *Imo*] *Certe.*

30. *Justificat*] *Justificabit*. Vet. fut. pro præs. *Justificare solet*. ¶ *Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*]. i. Tam Judæos quàm Gentes per fidem.

31. *Destruimus*] *Irritam facimus* [*abolemus.*] ¶ *Statuimus*] *Stabilimus:* q. d. cùm docemus fidem in Christum, tantum abest ut homines ab operibus retrahamus, ut ii animentur ad ea potius per Spiritum Dei voluntariè facienda, cùm vident tanta Christi erga se beneficia.

CASTALIO.

6. ALioquin quomodo jus redderet Deus mundo? Si esset injustus.

21. *Divina justitia patefacta est*] Quæ homini confertur à Deo.

26. *Qui Jesu fidem habentes justificet*] Verbum hoc etiam Ciceronianis ferendum videtur: nec enim durius est quàm *turpificare*. Idem dico de *propitiatorio* & *præputiato*; quæ cur minùs quàm *decretorius*, & *capitatus*, & *hastatus*, & *clypeatus* dici possint non video; præsertim cùm hujusmodi verba & sæpe occurrant & ad rem significantiùs exprimendam pertineant. Jam *fidei* vocabulum, ut nos in hoc argumento utimur, etiam Latinè poni docuit Budæus, adductis ex Antiquitate exemplis. Si enim *fidem habere Christo* rectè dicitur, cur ea res *fides* dici non possit nulla causa est; nè eorum superstitioni obtemperemus qui volunt *persuasionem* appellari; cùm id verbum nec ubique quadret nec prorsus idem declaret: nec enim idem planè est *persuasio* quod *fides* aut *fiducia*; nec possis dicere, *Persuasionem habeo Christo*, quomodo, *Fidem habeo Christo*, aut *Fiduciam habeo in Christo collocatam*; neque *Magna est tua persuasio*, quemadmodum, *Magna est tua fiducia* aut *fides*. Denique paucis locis *persuasionem* pro *fide* rectè dixeris; & ea proprio nomine πεποίθησις appellatur & cum *fide* conjungitur Eph. 3. Jam verò, si autoritate utendum est, non video cur hac in re sit repudiandus Jacobus Sannazarius, poeta vel cum paucis antiquorum conferendus, & idem in verborum delectu etiam ad superstitionem diligens: apud quem sic discedentem Gabrielem alloquitur Maria,

Jamjam vince fides, vince obsequiosa voluntas,

30. *Qui & circumcisionem fide, & præputium per fidem justificet*] h. e. Circumcisos & præputiatos; quomodo *Academia* & *juventus* pro *Academicis* & *juvenibus* dici solet. Quòd autem aliter vertimus in c. 2. in causa fuit sententiæ conditio: sic enim illic ad verbum legitur, *Quòd si præputium Legis instituta conservet, nimirum ejus præputium pro circumcisione habebitur*. Ubi relativum *ejus* masculinum est in Græco sermone, cùm *præputium* ἀκροβυστία sit femininum: ex quo apparet *præputium* pro *præputiato* dictum, ut cum relativo conveniat: id quod Hebræorum more factum est, qui rara habent hujusmodi à substantivis adjectiva: itaque substantivis utuntur pro eis. Idem fit sæpe in nomine ἔθνος, quod *gentem* significans ponitur pro *extraneæ gentis hominibus*; ut Act. 15. *Et gentes omnes qui à nomine meo denominantur:* ubi Græcè *Gentes* neutrum, *qui* masculinum est.

CLA-

CLARIUS.

1. **Q***uid ergò amplius est Judæo?*] Depresserat Judæorum supercilium, docuerátque frustrà illos de Circumcisione & Lege & appellatione Judæi gloriari; verùm nè quis suspicetur hæc illum inimico animo & odii causâ dicere, objicit sibi ipsi, & ait, Si gentes quædam pietate & virtute præditæ magis commendantur, cur Israelem Deus à reliquis gentibus segregavit? cur circumcisionem èis dedit? Deinde respondet, Multùm illos donis antecellere cæteris gentibus; inter quæ dona illud præcipuum est, quòd post electos Patres, & liberatum Divinâ manu ab Ægyptiaca potestate populum, & post admiranda illa & celeberrima signa, adjecit Deus, ut *illis crederet eloquia sua ac Legem.* Verùm nè illos irritaret, non concludit quid ex hoc consequatur, quòd scilicet nihil hæc magnifica dona illis, ipsorum tamen vitio, profuerunt; sed sequitur: & alteri ambiguitati respondet, *Quid enim*, inquiens, *si quidam eorum non crediderunt?* Et hoc modestè: non enim dixit *omnes*, sed *quidam eorum*, quamvis totum penè Israelem infidelitas occupavisset. Hæc quidem infidelitas obest, inquit, proculdubio iis qui non crediderunt, sed nihil imminuit de dignitate Divinorum munerum, quibus vos honestatos præ gentibus cæteris omni asseveratione affirmo. Esto ergò, non crediderint: *num iccirco infidelitas eorum fidem Dei irritam faciet?* & detrahet de ejus dignitate quicquam? aut efficiet ut minùs sibi constet, ac fidem illam suam constantiámque nutare propterea patiatur? Id omnino fieri non potest: sed dici quidem poterit de hominibus, *omnem hominem esse mendacem*, at *Deus* semper *verax est* & sibi constans: quemadmodum & David, cùm post patratum illud facinus peteret veniam, petit, si non ob aliud, certè ob hanc causam sibi ignosci, ut hoc gloriæ Dei accedat, quòd justus ac verax unus sit in iis quæ pollicetur, cùm ea non revocet, etiam sceleribus irritatus, ut, siquando in disceptationem veniat hæc Dei justitia & fides, vincat omnia hominum judicia. Senserat Paulus quid ex hoc sequeretur, aut potiùs quam adderent pravi homines consequentiam, Quòd scilicet, si scelus nostrum gloriæ Dei faveat, non debeat Deus homines castigare, cùm honori ejus serviant: quam esse humilem nimis atque, ut sic dicam, carnalem cogitationem docet, cùm ait, *secundùm hominem dico.* Hanc ergò nunc redarguit sententiam maximè, quòd scelerati homines sæpe verba Pauli, cùm de hisce rebus loqueretur, detorquebant in pravos sensus. Si enim hoc concederetur, impunè peccare liceret, *ne judicare mundum Deus posset*, qui potiùs nobis deberet si mendacium & scelus nostrum veritatem fidémque Dei faceret clariorem. Sed non ità est: nam cùm Deus suâ sapientiâ in suam gloriam convertit scelera nostra, hoc nullum est vitiorum nostrorum promeritum, sed totum Divinæ sapientiæ ac providentiæ opus, qui malis etiam rebus bene uti sciat, cùm mala per se suâque naturâ nullam rem aliam nisi sibi similem parere possint. Remotâ ergò hâc dubitatione, quæ sese obiter interseruerat, ad priorem redit disputationem, dicens, *Quid ergò? præcellimus?* Non hoc dico, inquit, ut, si alter dejicitur, alter insolescat, sed unam hanc ob causam ista disputo, ut omnes agnoscant se obnoxios Deo, & egere illius gratiâ, neque habere quenquam quo glorietur. Videte enim quid vobis in primis dicat Scriptura: nam *cùm loquitur Lex, nimirum iis loquitur qui sub Lege sunt. Non est*, inquit, *justus quisquam, non est qui intelligat*, &c. Illud verò *præcellimus* videtur posse & ad Judæum & ad eum qui crediderat referri. *Ergò*, inquiunt, ob hæc præconia *antecellimus? Non* inquit, &c. Quòd si quis judicat omnino esse necessarium inter opera Legis ponere etiam Decalogum, intelligendum est, ex illis hominem non justificari, nisi accedat fides in Christum, & redemptio ac salus quæ per eam fidem acquiritur. Qui enim putabant sine hac servari posse, adversùs hos dicebat Paulus, *Ignorantes justitiam Dei, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

20. *Ex operibus Legis non justificatur*] Si cogitemus quæ versaretur eo tempore inter eos controversia, non erit admodum difficile scopum assequi hujus epistolæ: at sine hac consideratione luditur opera. Summum quod habuit certamen Paulus & Apostoli etiam alii cum Judæis erat de Lege vel servanda vel abroganda, & num sine ea justificatio satis esset ex fide Jesu Christi: quam concertationem istam fuisse apertissimè Acta Apostolorum testantur. Paulus ergo non contentus ostendere Legem non esse necessariam (quod & ab aliis Apostolis factum est) rem in contrarium deducit suo more, ut probet non solum non esse eam necessariam, verùm etiam esse impedimento. Hic ergò initium dat huic disputationi, ut dicat non posse eos gloriari ob datam sibi Legem, verùm etiam non posse hominem ex operibus Legis justificari, atque id coram Deo. Nam etsi apud homines videatur esse aliquid ob circumcisionem, quæ selectum genus indicet, cæteráque quibus ab aliis distant, at apud Deum ista nihil sunt, qui cordis puritatem & fidelem erga se affectum postulat: à Lege autem, quam vos tanti, inquit, facitis, nihil aliud assequimur quàm agnitionem peccati, non autem liberationem. In quam sententiam nisi ista dixisset, ipse sibi contrarius esset, qui dudum dixerit *factores Legis esse justificandos.*

21. *Nunc autem sine Lege*] h. e. Nihil adjuvante Lege, & sine operibus Legis, *nunc vera justitia declaratur, quæ*, ne vobis suspecta sit, *testimonium habet à Lege & Prophetis.*

22. *In omnes, & supra omnes*] Gennadius sic interpretatur, IN OMNES *quidem, Judæos dicit, qui quasi domi & ex se habebant salutis autorem, videlicet Christum;* SUPER OMNES *autem Gentiles ait, cùm à Judæis credentibus super hos etiam propagata sit gratia.*

25. *Propter remissionem*] Πάρεσιν hic interpretantur Græci autores *νέκρωσιν*, h. e. *mortificationem*, in hunc sensum videlicet, Mortui eramus, vel tanquam paralytici, ob peccata; deinde cùm æquum esset ob hanc dissolutionem pœnas dare, per Dei tolerantiam misericordiam sumus consecuti. Vel, *propter remissionem præcedentium delictorum*, de quibus non sumsit supplicium, quemadmodum merebantur, sed impunita reliquit, per Christum abolenda.

26. *Ut ipse sit justus & justificans*] Ut non solùm justus sit Deus, verùm etiam effundat in nos hanc justitiam, qui solus eam præstare potest, cùm solus ipse sit justus.

27. *Ubi ergò gloriatio?*] Ex iis, inquit, quæ jam diximus patet *exclusam esse omnem gloriandi rationem: at quæ lex* id præstitit ut disceremus eum qui gloriaretur frustrà gloriari? Proculdubio non fuit illa *factorum*, à qua potiùs gloriandi occasionem accipere homines solent; sed *fidei*, quæ ostendit homini quantùm per se nihil sit, & solâ nititur Dei beneficentiâ Non autem dixit *per fidem*, sed *per legem fidei*, ut eis appellatione *Legis* gratificaretur; quasi nolit eos à Lege omnino abducere, sed illam meliori Lege mutare. Sic Dominus, nè grave esset Petro deserere piscationem, cui assueverat, dicit, *Piscator* quidem adhuc *eris*, sed *hominum.* Hic ergò ait opus fuisse aliâ lege quàm factorum, quæ doceret homines suam agnoscere conditionem.

29. *An Judæorum Deus tantùm?* Nè mihi posthac, obsecro, inquit, hunc tuum legalem hominem objicias, perinde quasi Lex efficiat ut reliquum hominum genus Deus abominetur. Justificatio igitur hæc omnibus est proposita, ut quicunque fidunt Dei benignitati, eámque certâ fide amplexantur, salutem omnes consequantur. Neque putes nos hoc pacto *Legem abrogare*, qui eam *statuimus potiùs ac roboramus:* ut per ea quæ mox dicentur apparebit.

ZEGERUS.

4. **S***icut scriptum est*] Tanquam si dicat, *Dei fidem esse certissimam testatur & Psalmus Davidicus, ut, juxta quod scriptum est, Justificeris* ((supple *tu Deus*) *in sermonibus tuis:* i. ut in dictis ac promissis tuis justus appareas & verax, & ipsâ re vincas, quoties ut vanum pollicitatorem te incusant mendaces homines, suspicantes fore ut ob scelus aliquod præstaturus non sis quod genti Davidicæ pollicitus es. Poterit tamen illud *sicut scriptum est* ad id quod proximè præcessit referri, *Omnis homo mendax*, aut simul etiam ad utrumque: nam utrumque in libro Psalmorum est, illud 51. hoc 116.

5. *Si autem iniquitas nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus qui infert iram?*] *Dicet jam*, inquit, *fortasse aliquis, Si Dei justitia commendatior spectatiórque redditur hominum injustitiâ, quid sentiendum est? Deum esse iniquum, qui injustitiis & peccatis nostris iram velut,* i. ultionem, *inferre?* Et respondet, *Absit. Alioqui*, &c. ¶ *Secundùm hominem dico*] i. Impiorum hominum verbis loquor, vel humano more loquor. Eucherius lib. Quæst. N. T. interpretatur *secundùm humanam elocutionem*, quòd quasi *iniquum* Deum appellaverat; vel quòd *iram* ejus dixerat, cujus passio in Deum non cadit.

7, 8. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator judicor; & non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona? quorum damnatio justa est*] Sensus est, Si Deus ex meo transgressu, mendacio atque peccato justus apparuit & verax, sicuti Psalmistæ prædicta indicant

verba, quid ob id tanquam peccator judicor quod in Dei gloriam egi? Neque enim damnatione, quin potiùs coronâ sum dignus. Quod sanè si verum deprehenditur, cur non potiùs ità cogitemus & loquamur, *Faciamus mala ut eveniant bona?* sicut malè audimus, & malè de nobis loquuntur quidam (id enim est, *sicut blasphemamur*) *quorum damnatio justa est*, i. justè hujusmodi maledici cruciabuntur, & per consequens etiam facientes mala ut indè eveniant bona: quoniam Deo nequeunt imputare suum peccatum, cujus ipsi suâ sponte sunt autores; ità nihil illis gratiæ debetur, si quod ipsi suo vitio peccant, Deus suâ bonitate vertit in suam gloriam.

9. *Quid ergò dicemus? Præcellimus eos?*] Dixerat superiùs aliquid fuisse Judæis abundantiùs donatum, quia *Lex illis credita esset:* nunc verò ostendit nihil eos habere eximium quo excellant, quantum ad propria opera attinet. Etenim cùm non observassent quæ eis tradita erant, magìs condemnantur. Loquitur autem hæc Apostolus ex persona Judæorum.

13. *Venenum aspidum*] Aspis serpens est modicus qui veneno suo viventia quæque concitè occidit.

19. *Scimus quoniam quæcunque Lex loquitur*] Nè fortè causentur Judæi nihil ad se hujusmodi dicta spectare, palàm ostendit Paulus hæc ad eos potissimùm pertinere quibus ipsa Lex data est. *Legem* autem non Mosi tantùm sed Vetus omne Instrumentum appellat.

20. *Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro*] Legem dicit Vet. Instrumenti, cujus observatio, sicut nec cætera bona opera, ex condigno, neminem mortalium justum reddere possunt coram Deo. Per Legem enim tantùm suum quisque peccatum agnoscit: Tametsi nonnullus sit ad justitiam gradus, injustitiam suam intelligere, & ad illam per rectè facta contendere. Cæterùm *carnem* pro *homine* posuit per Synecdochen.

21. *Sine Lege justitia Dei manifestata est, testificata à Lege & Prophetis*] Ostendit D. Paulus ex Lege Euangelica justitiam Dei factam manifestam sine Legis operibus per fidem: de qua justitia novissimis istis gratiæ diebus manifestanda testimonium perhibent Lex & Prophetæ. Nam in arcanis literis ii dicuntur *μαρτυρεῖσθαι*, *testificari*, quibus perhibetur testimonium.

22. *In omnes & super omnes qui credunt* in eum] Codices paulò vetustiores, cum Græcis, & antiqui scriptores, (si ipsorum explanatio spectetur) non habent *in eum*. De illo *in omnes*, an redundet, testimonia non habeo tam certa. Augustinus quidem legit *in omnes*, sed non *& super omnes*. Aliquot Latini cod. omittunt *in omnes*.

23. *Egent gloriâ Dei*] Ὑστεροῦνται, i. *egent*, *vacui sunt*, *destituuntur Divina gratia gloriâ*, Atque hic sit perfecta verborum distinctio, ut quod sequitur,

24. *Justificati gratis per gratiam*] separatim legatur, Græcè δικαιούμενοι præsentis temporis est; quod dilucidius erit si ità vertas, *Justificantur autem*.

25, 26. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ*, &c.] Ἱλαστήριον ambigui generis est. *Hunc*, inquit, *Christum Jesum Deus* Pater *palàm dedit*, *ut propitiator*, *reconciliator ac propitiatorium esset per fidem*, ut qui in eum crederent, ipsum haberent reconciliatorem, idque mediante *ipsius* non brutorum animalium *sanguine*, hoc pacto *ostendens & declarans suam* in præstandis promissis *justitiam*; propitiatorem, inquam, *propter remissionem condonationémque* quorumcunque *præcedentium delictorum*, quæ *suâ longanimitate* pius Pater *toleravit*, *ut palàm faceret* in hoc tandem tempore *suam justitiam*, appareatque *ipsum esse* naturâ veréque *justum*, *atque adeò omnium justificatorem qui ex fide*, i. fideles, *sunt Jesu Christi*; dum quos justificandos promiserat, per Christum justificat.

27. *Ubi est ergò gloriatio tua?*] Judæum appellat in Lege sua gloriantem. *Per quam legem? Factorum?*] i. Per legem Mosaicam, quæ est lex operum & ceremoniarum? Nequaquam. ¶ *Sed per legem fidei*] Fidem iccirco *legem* appellat, quòd *legis* nomen apud Judæos honori haberetur.

28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus Legis*] Ad hujus loci & aliorum multorum similium explanationem sciendum *justificandi* vocabulum in Scriptura accipi bifariàm, juxta illud Apoc. c. 22. *Qui justus est justificetur adhuc*. Interdum enim *justificari* est Ex impio fieri justum; quod absque ullis operum meritis: & de hujusmodi Justificatione loquitur ferè Apostolus in hac epistola, & in ea quæ est ad Titum, ubi ait, *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit*, c. 3. 5. Interdum *justificari* est Ex accepta fide in justitia proficere, & justitiæ opera exsequi, magis magísque justum fieri: de qua loquitur B. Jacobus 2. 22. *Fides*, inquit *cooperatur operibus ejus*. Justificamur ergò per fidem in Christum, quà credimus per meritum ipsius nobis condonari peccata; non quòd fides ipsa propriè causa sit nostræ justificationis, sed quòd per ipsam quasi per immediatum quoddam instrumentum Dei misericordiam seu gratiam, quæ propriè causa formalis est justificationis, ipsam justitiam accipiamus. Complectitur autem Justificatio duo, nempe Remissionem peccatorum, & interioris mentis Renovationem. Contingit ergò hæc prima justificatio homini gratuito Dei munere, etiam sine ullis præcedentibus bonis operibus; quæ videlicet sine fide fiunt, & sine Spiritu S. quæ ut ad justificationem nihil homini conferunt, ita quatenus talia sunt ad acquirendam justificationem necessaria non sunt. Porrò opera quæ ex fide fiunt, sive ea justificationem præcedant, ut sunt opera Pœnitentiæ, nimirum Dolere, Conteri, Temperare à malitia, Restituere alienum, Facere eleemosynas, Sitire justitiam, h. e. remissionem peccatorum, sive ipsam justificationem sequantur, ut sunt officia Charitatis, & cætera omnia benefacta, necessaria quidem sunt homini cupienti justificari, neutra tamen per se propriè merentur ut quis injustus reddatur justus. Quanquam interim posteriora majoris meriti sunt quàm priora, quòd hæc posteriora ex fide jam viva & formata fiant, quam necessariò consequuntur, ità ut Apostolus Jacobus ex ipsis nos partim justificari doceat, nedum ex fide; illa verò ex fide proficiscantur adhuc informi. Unde hic noster Apostolus alibi, *Gratiâ*, inquit, *estis salvati*, *non ex operibus*, Eph. 2. 8. Quòd autem hæc fides quæ justificat necessariò requirat & includat, exsertè docet B Augustinus lib. De 83 Quæstionib. qu. 76. cujus hic malo verba, quibus id docet, subscribere quàm nostra: *Quoniam Paulus Apostolus*, inquit, *prædicans justificari hominem per fidem sine operibus*, *non bene intellectus est ab eis qui sic acceperunt dictum*, *ut putarent cùm semel in Christum credidissent*, *etiamsi malè operarentur*, *facinorosè flagitiosèque viverent*, *salvos se esse posse per fidem*; *locus iste hujus epistolæ* [Sentit de loco epistolæ Jacobi c. 2.] *eundem sensum Pauli quomodo sit intelligendus exponit*. *Ideóque magis Abrahæ utitur exemplo*, *vacuam esse fidem si non bene operetur*, *quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apostolus usus est ut probaret justificari hominem sine operibus Legis*. *Cùm enim bona opera commemoret Abrahæ quæ ejus fidem comitata sunt*, *satis ostendit Paulum Apostolum non ità per Abraham docere justificari hominem per fidem sine operibus*, *ut si quis crediderit*, *non ad eum pertineat bene operari*; *sed ad hoc potiùs*, *ut nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur se pervenire ad donum justificationis*, *quæ est in fide*. *In hoc enim se Gentibus in Christum credentibus Judæi præferri cupiebant*, *quòd dicebant se meritis bonorum operum quæ in Lege sunt ad Euangelicam gratiam pervenisse*; *ideóque scandalizabantur multi qui ex eis crediderant*, *quòd incircumcisis Gentibus Christi gratia traderetur*. *Unde Apostolus Paulus dicit posse hominem sine operibus præcedentibus justificari per fidem*. *Nam justificatus per fidem quomodo potest nisi justè deinceps operari*, *quamvis antea nihil operatus justè ad fidei justificationem pervenerit*, *non merito bonorum operum*, *sed gratiâ Dei*, *quæ in illo jam vacua esse non potest*, *cùm jam per delectationem* [*dilectionem*] *bene operatur?* *Quòd si cùm crediderit mox de hac vita decesserit*; *justificatio fidei manet cum illo*, *nec præcedentibus bonis operibus*, *quia non merito ad illam sed gratiâ pervenit*, *nec sequentibus*, *quia in hac vita esse non sinitur*. *Unde manifestum est quod Paulus Apostolus dicit*, *Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus*. *Non tamen ità intelligendum est*, *ut acceptâ fide*, *si vixerit*, *dicamus eum justum*, *etiam si malè vixerit*, &c. *Qui putant Jacobi sententiam contrariam esse illi Pauli sententiæ*, *possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium*, *quia dicit alio loco*, *Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum*, *sed factores Legis justificabuntur*, Rom. 2. *Et alio loco*, *Sed fides quæ per dilectionem operatur*, Gal. 5. *Et iterum*, *Si enim secundum carnem vixeritis*, *moriemini*: *si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis*, *vivetis*, Rom. 8. *Quæ sint autem facta carnis quæ operibus Spiritûs mortificanda sunt*, *alio loco manifestat*, *dicens*, *Manifesta autem sunt opera carnis*, *quæ sunt fornicationes*, &c. *qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*, Gal. 5. *Et ad Corinthios ait*, *Nolite errare*, *neque fornicatores*, &c. *Et hæc quidem fuistis*, &c. 1 Cor. 6. *Quibus sententiis manifestissimè docet*, *non eos præterito bono opere ad fidei justificationem pervenisse*, *nec meritis eorum istam gratiam datam*, *quoniam dicit*, *Et hæc quidem fuistis*: *sed cùm dicit*, *Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*, *satis ostendit*, *jam ex quo crediderunt*, *bene operari debere*. *Quod & Jacobus dicit*; *& multis omnino locis idem Apostolus Paulus*

satis

satis apertéque prædicat, rectè vivendum omnibus qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perveniant. Quod & ipse Dominus commemorat, dicens, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum, Matth. 7. *Et alibi, Ut quid dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico vobis? Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea*, &c. Luc. 6. *Quapropter non sunt sibi contraria duorum Apostolorum sententiæ Pauli & Jacobi, Cùm dicit unus justificari homines per fidem sine operibus, & alius dicit inanem esse fidem sine operibus; quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de his quæ fidem sequuntur.* Qui altiùs hoc de Justificatione, Fide & Operibus argumentum ingredi voluerit, videat Albertum Pighium, vel Enchiridion Concilii Coloniensis.

30. *Qui justificat circumcisionem*, &c.] *Circumcisionem* pro *circumciso*, & *præputium* pro *præputiato* ponit, ut suprà docuimus.

31. *Legem ergò destruimus per fidem? Absit: sed Legem statuimus*] Non *abolemus* aut *inutilem facimus* Moysi Legem, imò *stabilimus* potiùs, *implemus* & *perficimus*, dum hoc efficit fides quod Lex ipsa jubebat. *Legem* etiam *statuimus* dum Legis totius scopum ac summam Christum prædicamus; qui cùm dixisset, *Non veni solvere Legem, sed adimplere*, ut eandem redderet consummatiorem, adjecit, *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio.* Ego *autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri*, &c. Et consequenter, *Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit uxorem*, &c. Matth. 5.

H. STEPHANUS.

2. Ἐπιστεύθησαν] *Credita sunt illis:* vel *commissa.*

3. Τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει] *Fidem à Deo datam inanem reddet.*

5. Συνίστησι] *Stabilit:* vel *commendat.*

7. Ἐπερίσσευσεν] *Redundavit.*

9. Προῃτιασάμεθα, &c.] *Causas enim antè attulimus cur Judæi & Græci sint*, &c. Vel, *Ratione redditâ ostendimus Judæos & Græcos esse*, &c.

19. Φραγῇ] *Obstruatur.*

22. Διαστολή] *Discrimen.*

23. Ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ] *Excluduntur à gloria Dei.* Vel, *Pervenire non possunt ad gloriam Dei.*

25. Ἱλαστήριον] *Placamentum.* ¶ Διὰ τὴν πάρεσιν] *Per remissionem.*

31. Καταργοῦμεν] *Inanem reddimus.* ¶ Ἱστῶμεν] *Stabilimus.*

DRUSIUS.

1. *Quid amplius Judæo?*] מה יתרון ליהודי τί πλέον Ἰουδαίῳ; ut Cohel. 1. 3. Aq. & Sym. τί πλέον ἀνθρώπῳ; pro quo Senes ediderunt, τίς περισσεία ἀνθρώπῳ; sed Cohel. 6. 11. habent τί περισσὸν τῷ ἀνθρώπῳ; ut hic Apostolus Τί τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου; *Quæ præstantia Judæi?* Ebr. hoc diceretur ex loco modò citato מה יותר ליהודי *Quid ampliùs Judæo?* nam in loco illo Salomonis מה יותר לאדם. Igitur יתרון *præstantia*, ἡ περισσεία vel, quod idem, τὸ περισσὸν, & יותר *ampliùs*, τὸ πλέον. יותר adhibetur etiam in comparationibus, ut μᾶλλον apud Græcos: unde יותר מן *magis quàm.* ¶ *Quæ utilitas circumcisionis?* מה תועלת המילה τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς; nam תועלת ὠφέλεια, à verbo הועיל, unde Job 21. 15. מה נועיל LXX τίς ὠφέλεια quod alii ex Ebræo interpretantur, *quid utilitatis capiemus?* & meliùs.

2. *Eloquentia Dei*] אמרי אל LXX λόγια Κυρίου Psal. 12. 6. & 18. 30. ubi alii ex Ebræo reddunt *sermones DOMINI.* Τὸ λόγιον pro *sermone* aut *eloquio* frequens est in libro Hymnorum. Sed Jes. 30. 11. τὸ λόγιον τοῦ Ἰσραὴλ malè versum à LXX quod in fonte *Sanctum Israelis*, h. e. קדוש ישראל. Etiam דבר interpretantur λόγιον Jes. 28. 13. τὸ λόγιον τοῦ Θεοῦ. Psal. 119. 57. & 147. 18. Alibi λόγιον significat *pectorale*, quod חשן Ebræi vocant: unde, ποιήσεις λόγιον τῶν κρίσεων Exod. 28. 15. & τὸ λόγιον τῆς κρίσεως v. 20. *Rationale* interpretantur.

4. *Ut justificeris*] Ut justus sis Judex. *Justificatur* etiam reus cùm absolvitur in judicio & justus declaratur. ¶ *In sermonibus tuis*] Legerunt בדבריך, quod nunc legerunt בדברך *cùm tu loqueris*, i. sententiam fers de reo. בדברך potest etiam reddi *in causa tua:* nam דבר δίκη *causa* interdum. Hoc ad Partes, illud ad Judicem refertur. ¶ *Cùm judicaris*] *Cùm judicio contendes*, Sic alibi, *Cùm judicabitur exeat improbus*, i. reus sons. In hac interpretatione nulla omnino ambiguitas: aliqua est in Græca ἐν τῷ κρίνεσθαί σε nam verbum hoc medium est. Itaque vir-doctus vertit *quando tu judicas:* nam in fonte scilicet בשפטך Scire licet verbum activum in gerundio habere significationem passivam? unde illud *cùm tu judicaris.* Sic in Genesi, *Tunc cœptum est* לקרא *invocari nomen DOMINI*, ac si esset להקרא.

8. *Faciamus mala ut veniant bona*] Nec mala facienda ut indè veniant bona; nec bona, ut indè veniant mala, ut si quis tam liberalis sit in pauperes ut ipse ad pauperiem redactus indigeat ope hominum. Unde dictitant, *Qui profundit bona sua, nè profundat ultra quintam partem.* Quid mali consequatur indè si plus justo demus egenis docet R. Levi Exod. 35. fol. 16. col. 1. Vide; si otium est.

10. *Non est justus quisquam*] Videtur legisse οὐκ ἔστι δίκαιος εἷς, *Non est justus unus*, i. quisquam. Sic *vir unus*, i. quidam. In fonte, *Non est qui faciat bonum. Qui facit bonum* bonus & justus est: nam *justus* dicitur qui bonus est. Alii meliùs, *Non est justus, ne unus quidem:* quod mox ait אין גם אחד, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός.

12. *Omnes declinaverunt*] A via recta. Vel est tralatio à Vino. Vinum enim *recedere* dicitur quando acescit, Græcè οἶνος ἐξεστηκώς. Notavi aliás. ¶ *Inutiles facti sunt*] נאלחו *ranciderunt.* Tralatio à Carnibus rancidis. Hieron. *conglutinati sunt.* Arabicè ALACH *gluten* apud Sylvaticum. Psal. 53. 3. idem *adhæserunt.* Hoc modo דבק interpretantur, quod à דבק nomine *gluten* denotante derivatum. Quidam *spumæ instar putruerunt.* Cujus interpretationis rationem adhuc quæro. ¶ *Qui faciat bonum*] Videntur mihi legisse טוב pro טוב: nam vertunt χρηστότητα. Id טוב propriè significat. טוב autem est χρηστὸς bonus, vel χρηστὸν bonum. Ποιεῖν τὴν χρηστότητα ità dicitur ut *facere justitiam, facere veritatem*, quod explicant *opus justitiæ; opus veritatis*, Nam in verbo inclusum sæpe hoc modo nomen verbale. Sic *dormire mortem* pro *dormitionem* ut *somnum mortis.* ¶ *Usque ad unum*] עד אחד *usque ad unum, hominem* videlicet, quem dicto includit: ac proinde sententia, *nè unus quidem:* nam exponere de Christo nimis coactum videtur. Ut omittam quod Christus quatenus homo nusquam dicatur εἷς, quemadmodum Deus vocatur אחד, quoniam *Unus est in mundo suo.* Suprà 10. οὐδὲ εἷς eandem sententiam continet, ut & illud quod in Syro & Ebræo textu, *non etiam unus.* Hieron. quod miror, ex Ebræo interpretatur ut LXX, *usque ad unum*, ἕως ἑνός. Sensus est quem dixi, de quo magis Apostolus solicitus fuit quàm de verbis.

15. *Veloces*] Alibi est *acuti:* nam in Græco ὀξεῖς. Id cùm non intelligeret Augustinus, cùm incidisset in editionem quæ haberet *veloces*[didicit *acutos pedes* aliud nihil esse quàm *veloces.*

CASAUBONUS.

14. Ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει] Hæc vox planè est Hebraica, ארר *maledixit:* indè ἀρά, & ἀρᾶσθαι, quod propriè videtur esse *maledicere* [*imprecari; exsecrari*] utut Homerus pro *precari* usurpet. [Quia scilicet imprecationes seu diræ cum precibus ut plurimùm conjunctæ & peractæ, Unde in publicarum dirarum seu devotionum formulis quæ apud Livium & Macrobium, verba, *Precor, veneror, peto, obtestor*, &c.

CAMERON.

21. Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη, &c.] Hæc sunt conjungenda cum v. 18. cap. 1. & quæ interjecta sunt parenthesi sunt includenda. Opponit enim *Justitiam* istam *Dei quæ manifestatur Iræ* illi *Dei*, quam isthic dixit *è cælo esse revelatam adversùs omnem hominum impietatem.* Porrò *justitiæ* vocabulum in Scriptura semper notat Dei bonitatem, misericordiam, salutem & redemptionem, nunquam verò adhibetur ad id significandum quod vulgò *justitiam* dicimus, nempe affectum illum quo Deus ad scelera & peccata vindicanda propendet; *iræ* & *judicii* vocabula ad hoc significandum potiùs adhibentur. Atque hîc alludit Apostolus ad id quod dictum est ab Esaia, 56. 1. *Juxtà est salus mea ut veniat, & justitia mea ut reveletur;* ubi *salus* & *justitia* tanquam synonyma ponuntur. Sic cùm Heb. 9. 12. dicitur, *Christum ingressum in Sanctuarium invenisse* (seu *nactum esse*) *æternam redemptionem*, fit allusio ad id quod dictum est à Daniele 9. 24. *Septuaginta hebdomadas decretas esse ut deleatur iniquitas & adducatur justitia sempiterna;* ubi *justitia* idem est Danieli quod *redemptio* Apostolo.

GUALTPERIUS.

4. MH' γένοιτο, *Absit*] Syrus חס *Propitius sit*, Parce: subaudi, *Deus*. Germanicè, **Behüt uns Gott.** Jos. 22. & 1 Reg. 12. חס וחלילה *absit nobis*.

13. Ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν, *linguis suis ad dolum usi sunt*, Verbum est Græcum. Δολιόω, *dolo utor*. Δόλιος, *dolosus*. Primigenium est Δόλος, *dolus*, de quo Mat. 26. 4. Habetur hoc verbum δολιόω in N. T. tantùm hoc loco. ¶ Ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν, *venenum aspidum sub labiis ipsorum*. Vocem Græcam retinet Syrus, דאספס *daspes*. Semel exstat in N. Test. h. l. Ἀσπὶς apud Homerum & communiter *clypeum* significat: hîc verò serpentis genus notatur. Descriptio hujus est apud Plinium lib. 8. c. 23. *Colla aspidum*, inquit, *intumescere nullo ictûs remedio, præterquam si confestim partes contacta amputentur. Unus huic tam pestifero animali sensus, vel potiùs affectus est. Conjuga ferme vagantur, nec nisi cum compare vita est: itaque alterutrâ interemptâ, incredibilis alteri ultionis cura. Persequitur interfectorem, unúmque eum in quantolibet populi agmine notitiâ quadam infestat, perrumpit omnes difficultates, permeat spatia, nec nisi amnibus arcetur aut præceleri fugâ.* Pugna est aspidibus cum ichneumone. Varia adversùs morsus aspidum remedia invenies apud eundem lib. 22. cap. ult. & lib. 23. c. 1. subfinem; lib. item 24. c. 15, &c. Polyhistor, cap. 30. *Plures diversæque aspidum species sunt, verùm dispares affectûs ad nocendum.* Cæl. Rhodiginus Lect. antiq. lib. 25. c. 31. de Aspide inquit, *Id verò primum, Non magnopere compertum qui aspidis ictu percussus evaserit. Quo argumento, ut significaretur principatus invicta quadam vis, Ægypti Regum mos fuit pervetus, diademata serpentis ejus imagine distincta gestare. Gigni quandoque aspidas cubitorum quinque, in libris est observatum. Esse item atri coloris plurimùm, vel cinereas etiamnum: visam quandoque & fulvam aspida. Quibus morsum impegeris, horis vix quatuor superesse præfocationem quippe mox insequi, ac spasmum cum singultu.* Paulus Ægineta lib. 5. cap. 18. ex Galeno tres facit aspidum species, τῆς μὲν χερσαίας καλουμένης, τῆς δὲ χελιδονίας, τῆς δὲ τρίτης πτυάδος, &c.

22. Δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Justitia Dei per fidem Jesu Christi*] Syrus, ביד הימנותא *per manum fidei*. Hebræa, Syra & Chaldæa phrasis, &c.

JAC. CAPPELLUS.

4. OMnis homo mendax] Seneca Epist. 46. *O te hominem felicem quòd nihil habes propter quod quisquam tam longè tibi mentiatur! nisi quòd etiam ubi causa sublata est mentimur & consuetudinis causâ.*

10. *Non est justus? nè unus quidem*] Hoc ipsum etiam Philosophi nonnunquam confitentur, quanquam aliud agentes. Seneca De Beneficiis l. 4. c. 27. *Omnia in omnibus vitia sunt, sed non omnia in singulis eminent. Hunc natura ad avaritiam impellit: hic libidini, ille vino deditus est, aut si nondum deditus, ita formatus ut in hoc illum mores sui ferant.* Et l. 5. c. 17. *Nemo non aliquem queritur ingratum. Atqui non potest fieri ut omnes querantur, nisi querendum est de omnibus. Omnes ergò ingrati sunt. Tantùm? Et cupidi omnes, & maligni omnes & timidi omnes, illi imprimis qui videntur audaces. Adjice, & ambitiosi omnes sunt, & impii omnes. Sed non est quod irascaris. Ignosce illis; omnes insaniunt.* At non omnes insani commiseratione digni sunt.

12. *Omnes declinaverunt, pariter corrupti sunt*] Id enim significat Hebraicum Psal. 14. 3. נאלחו adeóque Græcum ἠχρειώθησαν. Quod enim corrumpimus, id inutile reddimus. Epiphanius de Marcosiis hæresi 34. §. 3. αὗται πολλάκις ἐπιστρέψασαι εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ ἐξωμολογήσαντο, καὶ κατὰ τὸ σῶμα ἠχρειῶσθαι ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐρωτικῶς πάνυ αὐτὸν πεφιληκέναι. Quod autem vocem ἅμα vertimus *pariter*, id ex analogia vocis Hebrææ יחד fecimus, quæ significat modò *simul*, modò *pariter*. Hinc est quòd Siracides Eccl. 18. Dicit *Deus* ἅμα κτίσαι τὰ πάντα. Avus ejus proculdubio scripserat יחד, volens docere, non *simul*, sed *pariter omnia à Deo creata*.

LUD. CAPPELLUS.

5. NUM *Deus injustus* ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν;] Allusio videtur esse ad locum Psalmi 7. 11. qui secundùm LXX sic habet, Ὁ Θεὸς κριτὴς δίκαιος, καὶ μὴ ἐπάγων ὀργὴν καθ' ἑκάστην ἡμέραν. In Hebræo autem est אל זעם בכל יום quod juxta illam phrasim τῶν LXX reddendum esset καὶ Θεὸς ἐπάγων ὀργὴν, &c. at illi legerunt אל per Patach, ubi hodiè legitur אֵל per Tsere. Cùm itaque Psaltes apertè hîc dicit *Deum* nihilominus *esse justum Judicem, etiamsi singulis diebus* ἐπάγει τὴν ὀργήν, h. e. *irascitur*, nimirum in impios & impœnitentes, uti liquet ex v. seq. אם לא ישוב *Si non convertatur*, &c. Apostolus, qui hîc de ira Dei & justo ejus judicio in impios agit, appositè & eleganter objectionem, quam ipse sibi fecerat, solvit ipsis quasi Psaltis verbis, Μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπάγων (vel ἐπιφέρων) τὴν ὀργήν; nam hæc interrogatio vim habet negandi. Verba ergo ista ἐπάγων τὴν ὀργὴν habet & accepit à LXX, sensum autem loci ab Hebræo textu. Legit nempe in eo אל quomodo hodie legitur, non verò אַל uti LXX legerunt.

GROTIUS.

1. TI' οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου; *Quid ergo amplius Judæo est?*] מה יתרון [*quid residuum est?*] Ecclesiastæ 6. 11. Objectio interrogativè proponitur. Si ita se res habet ut Deus sine ortûs discrimine munditiem cordis solam approbet, Spirituque suo & consequenter præmio cœlesti dignam judicet, quid ergo præcipuum habet populus ille, quem Deus toties suum peculiariter populum vocat? ¶ Ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς; *aut quæ utilitas circumcisionis?*] מה בצע [*quid prodest*] Gen. 37. 26. Psalm. 30. 10. Si etiam præputiatus Deo mundus esse potest, cur ergo instituta fuit illa exterior circumcisio?

2. Πολὺ κατὰ πάντα τρόπον, *Multum per omnem modum*] Πολὺ [*Multum*] propriè respondet illi περισσὸν [*amplius*], at κατὰ σύλληψιν [*per Complexionem*] etiam membro secundo interrogationis. Hoc dicit, Eadem in utroque pietas apud Deum valet, sed ut ad eam perveniat Israëlita sive circumcisus aliquis faciliores habet aditus. ¶ Πρῶτον μὲν γὰρ, *Primum quidem*] ראשונה. Inchoatio sermonis, ut supra 1. 8. ubi similiter μὲν [*quidem*] est sine ἀνταποδότῳ [*redditivo*]. Sermonem autem hunc hîc non consummat Apostolus, sed differt in caput 9. 4. ¶ Ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. *quia credita sunt illis eloquia Dei*] הפקדו [*commissa sunt*] in Puhal, id est, *Hoc Judæi habent præcipuum quod illis in custodiam data sunt Dei oracula.* Mos est Græcorum passiva construere cum eo casu quem regerent activa: quod & nostri scriptores sæpe sequuntur, ac nominatim in passivo πιστεύεσθαι [*credi*], 1 Corinth. 9. 17. Gal. 2. 7. 1 Thess. 2. 4. 1 Tim. 1. 11. Tit. 1. 3. λόγια τοῦ Θεοῦ, אמרות אל dicuntur rectè *omnia dicta à Deo profecta*, ut Sap. 16. 11. Sirach. 36. 12. & λόγια ζῶντα [*verba vitæ*] Act. 7. 38. Sed hîc propriè significari videntur oracula Messiam præmonstrantia, quorum indicio Judæi faciliùs quàm gentes eum agnoscere potuerunt: quod & infra 21. 22. explicatiùs dicit Apostolus. Vide Psal. 119. 38, 58. in quibus locis in Græco est λόγια [*eloquia*]. ea ipsa sunt quæ sæpe Paulus vocat ἐπαγγελίας [*promissiones*] tum in hac epistola, tum in illa ad Galatas. Quantum verò hoc sit beneficium, intelligi potest ex iis quæ dicuntur Eph. 3. 2.

3. Τί γὰρ, εἰ ἠπίστησάν τινες; *Quid enim si quidam illorum non crediderunt?*] Quasi dicat, *Quid tum si illi beneficio usi non sunt? non ideo id beneficium esse desiit.* Ἀπιστεῖν [*non credere*] hic, ut Marci 16. 16. Actor. 28. 24. significat culpam non communem humano generi, sed specialem, & Dei ope, si ea non negligatur, evitabilem: de qua re diximus aliquid in Annotatis ad finem lib. 2. de Veritate Religionis Christianæ. Manuscriptus hic habet ἠπείθησαν [*non paruerunt*] non malè: τινὲς [*quidam*] autem dixit Apostolus cùm dicere potuisset, *plerique*. Ita solet χαριεντίζειν [*locutionem emollire*]. Simile habes infra 11. 17. & Hebr. 3. 16. ¶ Μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει; *numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?*] Quod hîc de Deo usurpat Paulus, idem de Christo 2 Tim. 2. 13. εἰ ἀπιστοῦμεν, ἐκεῖνος πιστὸς μένει [*si non credimus, ille fidelis permanet*]. Deus promiserat Abrahamo, Isaaco, Jacobo posteritatem ipsorum sibi peculiari curæ fore: fecit hoc tum aliis rebus, tum Messiam illis promittendo & præfigurando. Exhibuit talem: ipsi eum secuti non sunt, nempe plerique; quomodo totum hoc caput intelligendum est. Vide Johan. 1. 11. Subintellige, *Quid mirum ergo si ad Gentes se transtulit?* ¶ Μὴ γένοιτο· *Absit*] Est valde aversantis. חלילה. Vide quæ dicta Matth. 10. 22.

4. Γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης. *esto autem Deus verax; omnis autem homo mendax*] Sensus est, *Appareat Deus constans in promissis, etiamsi vel omnes homines fidem fallant.* De hoc comparativo genere loquendi egimus ad Matt. 5. 18. *Esse* pro *apparere* frequens in Hebræorum libris, ut infra v. 26. deinde *verax* pro *eo qui sit bonæ fidei*, *mendax* pro *eo qui malæ*. Et ita hîc sumendas voces ostendunt præcedentia, & collat-

collatio illius quem adduximus ad Timotheum loci, ubi πιστὸς [*fidelis*] idem est quod hic ἀληθὴς [*verax*]. Et plurimis locis veteris Testamenti נאמן & אמן, quod propriè ἀληθῆ [*veracem*] sonat, vertitur πιστός [*fidelis*]. Græci & Latini dicunt *ψεύδεσθαι* & *mentiri* eum qui fidem fallit. Deut. 32. 4. אל אמונה, in Græco Θεὸς πιστός, in Latino *Deus fidelis*. ¶ Καθὼς γέγραπται *sicut scriptum est*] Omnino hoc ad sequentia referendum. Similis locutio Act. 7. 42. & 15. 15. & hîc supra 1. 17. infra v. 10. & 8. 36. & 9. 13, 33. & 11, 8. & 15. 3, 9, 21. 1 Cor. 2. 9. & 10. 7. 1 Cor. 8. 15. & 9. 9. ¶ Ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου, *ut justificeris in sermonibus tuis*] Sunt ipsa verba Lxx Interpretum Psalm. 51. 4. quos & Paulus & Lucas multùm sequuntur. Δικαιωθῇς hic est pro Hebræo תצדק in Kal, id est, *ut justus appareas*. Sic enim id verbum sumi diximus in prolegomenis ad hanc epistolam; estque id congruens ei quod modò diximus de voce *γινέσθω* [*est*]. *ἐν τοῖς λόγοις* [*in sermonibus*] pro, *in actionibus tuis*, Hebræa locutio. ¶ Καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. *& vincas cùm judicaris*] Lxx & Paulus sensum bene expressére, Verbum in Hebræo est תזכה, id est, *purus appareas*: Qui autem purus apparet in lite, is vincit. *Si judicaris*, id est, si homines de te judicare velint, ut clarè hic Syrus. בשפטך, quod est in Hebræo, potest exponi aut *dum tu judicas* aut *dum aliquis de te judicat*: nam nomen sæpe apud Hebræos in verbis subauditur, maximè in infinitivis gerundivè positis. Et posteriorem sensum sicut Græci prætulere, ita & Apostolus. Sensus est, Vocavit Deus Gentes ad Euangelium, sed post longam Judæorum contumaciam. Quid injuriæ eis fecit? Salvum illis fuit suum privilegium.

5. Εἰ δὲ ἀδικία ἡμῶν, *Si autem iniquitas nostra*] Et hic *μίμησις* [*imitatio alieni sermonis*]. nam ipsa verba Judæorum qui Romæ erant repetit Paulus. Objectio autem hæc Judæorum inde maximè fluebat, quòd Gentes quæ idololatriæ aliisque vitiis immersæ fuerant, dicerentur à Deo adoptatæ: qui id credunt, ajebant illi, tutò peccare possunt. Est eadem objectio Celsi verbis apud Origenem: & hîc quidem Apostolus duntaxat ostendit quod infertur esse impium, responsum autem differt in caput 6. Estque idem cum illo Origenis, Spectandas Gentes non quales fuere, sed quales nunc sunt. Interim & hoc ostendit, Judæos illo tempore nihilo Gentibus fuisse meliores. Præterea docebant Apostoli, nihil Deo gloriosius, quàm quod omnes Gentes ad se vocâsset. Ei autem rei occasionem datam ex Judæorum contumacia. Ex his duabus rebus verissimis natæ sunt falsæ illæ objectiones & calumniæ quas hîc refutat Apostolus. ¶ Θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησι, *justitiam Dei commendat*] Id est, *spectabiliorem facit*, ut infra 5. 8. Sic & *συνιστάναι* pro *testatum facere* usurpat Demosthenes, & Hesychius *συνιστάναι* exponit Φανεροῦν [*manifestare*]. Magna Dei bonitas quod Gentes etiam cordi sibi esse ostendit. ¶ Τί ἐροῦμεν; *quid dicemus?* Id est, An ideo hoc dicimus quod nobis falsò objicitur? Vide infra 6. 1. ¶ Μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιΦέρων τὴν ὀργήν; *Numquid iniquus est Deus qui infert iram?*] Μὴ [*numquid*], id est, *nonne* הלא. *Nonne Deus cùm nos puniet* (est enim ὀργὴ [*ira*] pro *pœna μετωνυμία* [*Transnominatio*] frequens nostris) *injuriam nobis faciet?* Sic dicitur *ἐπέΦερον αἰτίαν* [*causam inferebant*] Act. 25. 18. *θλίψιν tribulationem*] Philip. 1. 16. Hoc autem eò pertinet quòd dicebant Apostoli Deum ab Judæis desertum vicissim ipsos abdicaturum à tutela sua, unde maxima mala essent ventura. ¶ Κατὰ ἄνθρωπον λέγω) *secundùm hominem dico*] אמרי כדרך בני אדם [*sermo meus secundùm morem filiorum hominis*] ut loquuntur Magistri; aut על־דברת בני אדם [*secundùm rationem filiorum hominis*] ut est Ecclesiastæ 3. 18. id est, *cùm quæstionem istam proposui, usus sum verbis quorundam apud vos*. Sic impiorum verbis utitur Salomo in Ecclesiaste. Simile loquendi genus 1 Cor. 9. 8. Gal. 3. 15. Sic ἀνθρώπινον λέγω [*humanum dico*] infra 6. 19. *utor vulgò tritis loquendi modis*. Sic ferme κατ᾽ ἄνδρα [*secundùm virum*] dixit Æschylus Agamemnone. κατ᾽ ἄνθρωπον [*secundùm hominem*] Chrysippus tertio libro de Justitia, citatus à Plutarcho de Stoïcis sibimet contradicentibus.

6. Μὴ γένοιτο *Absit*] Vide supra v. 4. Sed præterea hîc respicitur locus Gen. 18. 25. ubi in Hebræo est חלילה לך [*absit à te*]. nam & sequentia inde sumpta sunt. ¶ Ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον; *alioquin quomodo judicabit Deus mundum?*] Id est, Nullo modo possumus Deum injustum imaginari quem cum Abrahamo *judicem mundi* agnoscimus. Hæc verba & quæ præcessere κατ᾽ ἄνθρωπον λέγω [*secundùm hominem dico*] & μὴ γένοιτο [*absit*], pariter per παρένθεσιν [*interpositionem*] legenda sunt: nam objectionem cœptam inde persequitur.

7. Εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ, *Si enim veritas Dei*] Hic continuatur cœpta μίμησις [*alieni sermonis imitatio*]: Et ἀλήθεια, hic est, *bona fides*, sicut ἀληθὴς suprà *fidei tenax*. ¶ Ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι, *in meo mendacio*] Et ψεῦσμα hic est *infidelitas*, quomodo ψευδὴς supra *infidus*; & ἐν propter. ¶ Ἐπερίσσευσεν, *Abundavit*] *Abundantior fuit*, id est, *abundantior apparuit* secundum ea quæ diximus supra v. 4. ¶ Εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ, *in gloriam ipsius*] Unde major Dei gloria, nempe ex Gentium vocatione. ¶ Τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι; *quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?*] Quasi diceret, *non debet Deus queri de eo quod ad gloriam ejus pertinet*.

8. Καὶ μὴ (βλασΦημούμεθα, καὶ καθώς Φασί τινες ἡμᾶς λέγειν), ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά; *Et non* (*sicut blasphemamur & sicut ajunt quidam nos dicere*) *faciamus mala ut veniant bona?*] Rursus hæc per parenthesin legenda sunt, Καὶ μὴ βλασΦημούμεθα καὶ καθώς Φασί τινες ἡμᾶς λέγειν. [*& non blasphemamur & sicut ajunt quidam nos dicere*]. nam Apostolus tam fœdam & calumniosam objectionem totam recitare non potest, ut non bis detestando interloquatur. Et est transpositio, quales multæ apud Hebræos. Μὴ ὅτι pro ὅτι μὴ, *cur non?* nam ὅτι pro *cur* habuimus & Marc. 9. 11, 28. *Cur non agemus mala, ut inde tantum bonum, Dei scilicet gloria, proveniat?* Paulus in parenthesi obiter testatur referri quidem hoc de se & Apostolis, sed per calumniam; quia Apostolorum verba non referebantur, sed vice eorum illegitima illatio, Et ex hoc loco exemplum ἀνθυποΦορᾶς [*Subjectionis*] dat Clemens Alexandrinus libro 3. ¶ ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι. *quorum damnatio justa est*] Non tanti facit hoc dictum Judæorum Apostolus ut operosè solvat, satis habens id detestari & calumniam dicere, & quidem pœnâ dignissimam: rectè admodum. Nam & Aristoteles Nicomacheorum 6. 10. negat εὐβουλίαν [*prudentiam*] dicendam καθ᾽ ἣν οὗ δεῖ μὲν τυγχάνει, οὐ μέντοι δι᾽ οὗ ἔδει [*quâ, quæ adipisci oportuit, adipiscimur, neque eâ tamen quâ oportuit viâ*]. Sic Orestes patrem ultus, sed malè, occisâ per vim matre, ideo furiis agitatur. Justinus contra Tryphonem, Εἰ γὰρ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ αὐτὸς παθεῖν ταῦτα αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ἀνθρωπείου γένους ἐνήργησεν; ὑμεῖς οὐχ᾽ ὡς γνώμῃ Θεοῦ ὑπηρετοῦντες τοῦτο ἐπράξατε [*Neque enim, si eum hæc Pater ejus pati pro hominum genere voluit, idque ut fieret ipse quoque effecit, vos etiam id egisse dicendum est, ut Divinæ voluntati hac in re ministraretis*]. Latenter prædicit hîc Paulus Urbis & Templi excidium & populi dissipationem.

9. Τί οὖν; *Quid ergo?*] Hic Apostolus redit ad id quod tractare cœperat initio capitis. ¶ Προεχόμεθα; *præcellimus?*] Attica locutio pro προέχομεν προέχειν, *excellere*, apud Demosthenem & alios. In Glossario προέχειν, *excellere*. Quæstionem proponit, *An igitur nos Judæi præcellimus Gentes?* ¶ Οὐ πάντως *Nequaquam*] Quæstioni appositè respondet. *Præcellimus, sed non per omnia*. Non eò usque, ut non tam nobis quàm Gentibus necessaria fuerit Euangelii gratia. Solet interdum negativa universali particulæ præposita apud Hebræos negare universaliter: sed id huic loco non convenit, nam restringit quod supra dixerat πολὺ [*multum*], esse τὸ περισσὸν [*amplius*], *nempe in quibusdam rebus, non in omnibus*. Itaque οὐ πάντως [*nequaquam*] valet hic לא בכל [*non in omnibus*]. ¶ Προῃτιασάμεθα γὰρ, *præcausati enim sumus*] Probat id quod jam innuit magis quàm dixit, *Euangelii beneficium Judæis non minus quàm Gentibus fuisse necessarium*. Προῃτιασάμεθα, *accusationem præstruximus*, nempe 1. 17. de Gentibus, 2. 9. & deinceps de Judæis. ¶ Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑΦ᾽ ἁμαρτίαν εἶναι. *Judæos & Græcos omnes sub peccato esse*] Id est, *non minùs Judæos quàm Gentes, cùm Christus advenit, flagitiosissimæ fuisse vitæ*, quamvis illi Legem, hi Philosophiam magistram accepissent. ὙΦ᾽ ἁμαρτίαν εἶναι [*sub peccato esse*] hoc loco, ut ex sequentibus apparet, significat *gravibus vitiis addictos esse*. Qui talis est infra 7. 14. dicitur πεπραμένος ὑΦ᾽ ἁμαρτίαν [*venumdatus sub peccato*]. unde porro sequitur illud πάντας [*omnes*] hîc intelligendum non planè de *singulis*, sed de *plerisque*. Aristoteles Poëticorum capite 20, Τὸ γὰρ πάντες ἀντὶ τοῦ πολλοὶ κατὰ μεταΦορὰν εἴρηται [*Omnes enim pro plerisque per Translationem dicitur*]. Idemque dicit Hieronymus epistola 146 quæ est ad Damasum, afferens loca Johan. 10. 8. 1 Corinth. 9. 22. Philipp. 2. 21. quibus addi potest locus Joh. 3. 11, 32. & 5. 26. Erant sanè corruptissima illa tempora, quod de Judæis satis ostendit Josephus, Justinus contra Tryphonem adducens ex Psalmis quæ jam sequentur: de Romanis historiæ & poëmata. Attamen erant inter Judæos quidam, quales Zacharias, Elizabeth, Simeon, Anna: & inter Gentes, quales duo Centuriones, alter in Euangelio, alter in Actis memoratus. Sed hi nihil nisi gutta in mari. Vide responsum Ad Orthodoxos 110. Non minùs generaliter Fides loquitur apud Silium Italicum lib. 2.

Fis

Vis colitur, jurisque locum sibi vindicat ensis,
Et probris cessit virtus: en aspice Gentes;
Nemo insons; pacem servant commercia culpæ.

10. Καθὼς γέγραπται *Sicut scriptum est*] Tempora sunt talia, qualia olim a Davide & aliis descripta sunt. Sic & Christus Prophetarum verba usurpat, de aliis temporibus primùm dicta, sed suis non minùs convenientia. Vide Matth. 13. 14. Marci 4. 12. Luc. 8. 10. Joh. 12. 40 Act. 28. 26. Vtitur autem hic Paulus diversis sententiis tum ex Psalmis, tum ex Esaia. Nec utique verba semper annumerans, sed sensum, qualem memoria ei suggerebat bene exprimens. ¶ Οὐκ ἔστι δίκαιος οὐδὲ εἷς. *non est justus quisquam*] Psalm. 14. 1. & 53. 1. Qui duo Psalmi ex parte iisdem verbis concepti sunt in Hebræo. In Græco Psalm. 14. est, Οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός [*Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*]. at in Psalm. 53. οὐκ ἔστι ποιῶν ἀγαθὸν [*non est qui faciat bonum.*] טוב Hebræis omne quod *honestum* est significat, & Græci sæpe *justitiæ* vocem usurpant juxta illud,

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι
[Quippe in Justitiâ virtus comprenditur omnis].

Agit de iis qui apud Saulem erant.

Οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, οὐκ ἔστιν ὁ ἐκζητῶν τὸν Θεόν. *Non est intelligens, non est requirens Deum*] Breviùs dixit quod diffusiùs in Psalmo 16. Κύριος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ διέκυψεν ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, τοῦ ἰδεῖν εἰ ἔστι συνιῶν ἢ ἐκζητῶν τὸν Θεόν [*Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum*]. Quærendus erat quasi cum lucerna vir bonus. *Intelligens* hic dicitur qui intellectu rectè utitur, sicut impius in eodem Psalmo vocatur *insipiens*. *Quærere* autem *Deum* dicitur, cui Deus cordi est.

12. Πάντες ἐξέκλιναν, *Omnes declinaverunt*] Sic & in Græco in Psalmis, *Vias devias iniere extra recti orbitam.* ¶ Ἅμα ἠχρειώθησαν [*Simul inutiles facti sunt*] Et hoc ex Græco. In Hebræo יחדו נאלחו *pariter putescunt*: quæ autem talia sunt, esui sunt inidonea; sic illi nullo bono usui. Sic σαπροῖς [*putridis*] opponuntur ἀγαθὰ εἰς χρείαν [*bona in usum*] Ephes. 4 29. ¶ Οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστι ἕως ἑνός. *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*] Hic Græci in Psal 14 repetunt eadem verba quæ initio habuimus & in Psalm. 53, Οὐκ ἔστι ποιῶν ἀγαθόν, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός [*Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*]. In Hebræo, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός [*non est usque ad unum*] in hoc membro est, in priori non est. Quod antè dixerat David, id efficaciùs repetit tanquam rem sibi plane compertam. χρηστότητα aut ἀγαθὸν ποιῶν [*bonum faciens*], hic idem est quod δίκαιος [*justus*] supra, עשה טוב, nempe ὁ ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθὸν [*qui bonum operatur*], ut supra locutus est Paulus 2. 10.

13. Τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν *Sepulchrum patens est guttur eorum*] Ex Psalm. 5. 10. ubi in Græco eadem quæ hic verba. Describit hic Psalmus homines etiam in sanguinem calumniantes, quales in aulis multi. *Sepulchrum apertum* est quod exspectat mortuum. Sic Chaldæorum pharetras *sepulchro aperto* comparat Jeremias 5. 16. Pari modo eorum de quibus agitur *guttur*, id est, vox à gutture procedens, exspectabat mortuum aliquem videre. Sic Eprius Marcellus, *Quid tibi cum meis mortuis*, de iis quos accusando in mortem egerat loquens. Tales autem & Christianis erant Judæi multi. Vide Acta Apostolica. ¶ Ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν *linguis suis dolosè agebant*] Etiam hæc verbotenus ex Græco. Verbum δολιοῦν [*dolosè agere*] etiam alibi usurpant Lxx, ut Num. 25. 17. Psalm. 105 25. In Hebræo hoc loco est יחליקון [*blanditi sunt*], id verbum Prov. 28 23. vertitur γλωσσοχαριτοῦν [*linguâ gratificari*]. Plerumque adulatores etiam calumniatores sunt. Ἐδολιοῦσαν [*dolosè agebant*] est Bœotica terminatio, Sic legimus εἴδοσαν, ἐμάθοσαν, ἤλθοσαν [*sciebant, discebant, veniebant*], & similia. Sic ἐλάβοσαν [*accipiebant*], 1 Macc. 11. 48. ¶ Ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν. *venenum aspidum sub labiis eorum*] Ex Psalm 140. 3. ubi eadem hæc in Græco. Qui sermone suo aliis nocent, dicuntur *habere venenum sub labiis*, ut apud Jacobum 3. 8. Pessimum autem venenum est aspidum, quod ἀνίατον [*insanabile*] esse tradit Aristoteles de historia Animalium 8. 29. Lucanus lib. 9. de Aspide,

— — Et crassi gutta veneni
Decidit: in nullo plus est serpente coactum.

Nicander de eadem,

— καμάτῳ δ' ἄτερ ὄλλυται ἀνήρ,
Ὕπνηλον δ' ἐπὶ νῶκαρ ἄγει βιότοιο τελευτήν
[— Moritur læsus sine sensibus ullis,
Ad vitæ finem somno deductus inerte].

¶ Exemplum nobile in Cleopatra. Vide & Ælianum libro 9.

14. Ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est*] Ex Psalm 10. 7. ubi in Græco, οὗ ἀρᾶς τὸ στόμα αὐτοῦ γέμει καὶ πικρίας [*cujus maledictione os ejus plenum & amaritudine*]. Videntur enim Græci pro מרמות [*fraudibus*] legisse מררות [*amaritudinibus*], quomodo est Dan. 32. 32. Solent homines impii pios & exsecrari, & amarissimis iisque dolosis, id est, falsis maledictis impetere. Vide Matth. 5. 11, 44.

15. Ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*] Ex Esaia 59 7. ubi describit homines coævos Manassi: ubi Lxx, Οἱ δὲ πόδες αὐτῶν ἐπὶ πονηρίαν τρέχουσι, ταχινοὶ ἐκχέαι αἷμα [*Pedes eorum ad malitiam currunt, veloces ad effundendum sanguinem*]. Paulus ὀξεῖς dixit pro ταχινοί, pari sensu: nam & מהר, quod hic in Hebræo est, ὀξὺς [*velox*] vertitur Proverb. 23. 28. & ὀξέως [*velociter*] Esai. 8. 1. Nec aliter ὀξεῖς ἐπιτελέσαι [*veloces ad perficiendum*] apud Plutarchum. In Glossario, ὀξύς, ὁ ταχύς, *pernix, velox.*

16 Σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. *Contritio & infelicitas in viis eorum*] Eadem verba in Græco dicti loci Esaiæ. Sensus est, *Omnia per vim agunt.* Verissimum hoc de Judæis illorum temporum. Inde calamitatum causa.

17. Καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν. *Et viam pacis non cognoverunt*] In Græco Esaiæ, Καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ οἴδασι [*Et viam pacis nescierunt*]. Nihil faciunt quod cuiquam prosit. Hebræis *nescire* aliquis dicitur quod non curat, Jerem. 4. 22. & supra v. 11.

18 Οὐκ ἔστι φόβος Θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. *Non est timor Dei ante oculos eorum*] Sunt ista verba Græca in Ps. 36. 1. Sensus est, *Pietatem planè non respiciunt.*

19. Οἴδαμεν δὲ, *Scimus autem*] Quasi dicat. Res hæc nota est iis qui sacris litteris operam dedere: ex quibus id docet Kimchi ad Psalm. 14. ¶ Ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει, *quoniam quæcunque lex loquitur*) Νόμου [*Legis*] vox hic generaliùs sumitur, ut & Psalmos comprehendat & Prophetas, quomodo & Joh. 10. 34. ubi hac de re egimus: ostendimusque vocem Hebræam תורה [*Legem*] omne id significare *quod hominem dirigit.* ¶ Τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ *iis qui in Lege sunt loquitur*] Id est, Jacobi posteris, aut proselytis qui Legem susceperunt. Hi enim dicuntur esse ἐν νόμῳ [*in Lege*] supra v. 11, 12. aut ὑπὸ νόμου [*sub Lege*] infra 6. 15. vel ὑπὸ νόμον [*sub Lege*] 1 Cor. 9. 20. Hæc quoque regula, quanquam generaliter enunciatur, exceptiones sanè habet, nempe nisi diserta mentio gentis alicujus extraneæ præcesserit, ut, in Esaiæ loco, Chaldæorum. Et alibi *onus Ægypti, onus Damasci, onus Edom, onus Ninives.* ¶ Ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ, *ut omne os obstruatur*] Hoc ideo attulit ut nihil habeant quo se tueantur, cùm hæc omnia illis conveniant quæ veteribus Hebræis Deus exprobravit, neque id negare possint. Est autem proverbium apud Hebræos עולה קפצה פיה Job. 5. 15. & Psalm. 107. 42. *iniquitati os occlusum est.* Pari sensu *occludere linguam* Plato in Milite. Hoc est ut sint ἀναπολόγητοι [*inexcusabiles*], ut supra 1. 20 & 2. 1. ¶ Καὶ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ Θεῷ. *& subditus fiat omnis mundus Deo*] Ὑπόδικος חיב, *debitor, pœnarum* scilicet. Plato sæpe hanc vocem hoc sensu usurpat. *Omnis mundus*, id est, maxima pars hominum, ut 1 Johan. 5. 19. pœnas gravissimas meruit non sanè ob aliquid agnatum, sed ob facta perfida & crudelia, qualia modò indicata sunt. Respicitur maximè, ut diximus, sævitia in Christianos.

20. Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ *Quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram illo*] Quod generaliter de hominibus dixerat, jam Judæos magis magisque premens aptat ipsis specialiter. Alludit quidem Apostolus ad id quod habemus Psalm. 143. 2. sed argumento à minùs credibili ad magis credibile. Si David, ut inter Reges non malus, & Legis apprimè gnarus, fassus est de suique similibus, Si vita sua, ex quo ad Legis notitiam pervenerat, inspiceretur à Deo, non posse eam Deo probari; quid de illis censendum est, quos ipse David adeò exsecratur, & quibus similes sunt nostri temporis Judæi? οὐ δικαιωθήσεται in Hebræo לא-יצדק in Kal, *non erit*, id est *non apparebit justus.* Vide quæ in prolegomenis ad hanc epistolam. πᾶσα σὰρξ [*omnis caro*] in Hebræo כל-חי *omnis vivens.* Utraque vox *hominem* significat. Vide Matth. 24. 22. Et in Davidis quidem verbis ista univer-

salitas

ſalitas quomodo accipienda ſit, ex ſupra dictis apparet. At Apoſtolus hinc infert Legem Moſis, in qua Judæi plus æquo fiduciæ collocabant, ut vidimus ſupra 2. 17. per ſe ſpectatam, id eſt ſeorſim ab iis quæ ante Legem fuerant, non eas habuiſſe vires ut homines ad veram ac Deo placentem juſtitiam perduceret, quippe cùm Abrahamus ſine Lege, Davidem ſub Lege conſtitutum multùm ſuperaverit. Cauſa cur Lex tales vires non habuerit, eſt, Quia promiſſa tantùm continet unius vitæ, hominis cujusque ſpatio limitata, cùm facta Abrahamo promiſſa ultra mortem ejus in immenſum ſe porrexerint, ſub quibus & majus quiddam latére Abrahamus ſuſpicatus eſt, ſed pro ratione temporum tenuiter: unde & juſtitia ejus quamvis in corde ſita ac Deo placens, tenuior tamen multò fuit juſtitiâ eâ quam primorum temporum Chriſtiani plerique per omne vitæ tempus, nempe à Baptiſmo, exhibuere. Pro modo revelationis crevit fides, pro modo fidei puritas animi ac vitæ. Ubi plus contulit Deus plus etiam exigit. Ajunt Philoſophi *multis actibus acquiri firmam quandam facilitatem*: ità enim Quintilianus vertit quod Græci ἕξιν [*habitum*] vocant. Sic & per actus multos Legi congruentes acquiritur juſtitia quædam inter homines valens, non autem illa interior quam præcipuè deſiderat Deus, & quam ſolam dignatur Deus præmiis non terrenis, ſed cœleſtibus aut potius ſupercœleſtibus. Quare & Abeneſdra in Opere Rhythmico de Lege, Legem vocat *principii* nomine. ¶ *Διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας, per Legem enim cognitio peccati*] Ne quis putaret Legem planè fuiſſe inutilem, oſtendit ejus uſum egregium, nempe quod notitiæ illæ actionum turpium, quas mali mores in Ægyptiaco maximè incolatu obliteraverant, manifeſta voluntatis Divinæ revelatione factæ ſunt rurſus conſpicuæ. Natura aliquo modo indicat Divinam voluntatem; at multò magis revelatio tot fulta miraculis. Vide infrà 7. 9. Νόμος [*Lex*] ubi ſimpliciter à Paulo ponitur, *Legem Moſis* ſignificat, ut 2. 12, 14, 22, 25. Ἐπίγνωσις idem quod *γνῶσις cognitio*, aut paulò amplius, ſupra 1. 28. infra 10. 2. Epheſ. 1. 17. & 4. 13. Philipp. 1. 9, 10. & 2. 2. & 3. 10. 1 Timoth. 2. 4. & 2 Timoth. 2. 25. & 3. 7. Tit. 1. 1. & apud Petrum aliquoties. Sic & *ἐπιγινώσκειν* eſt *γινώσκειν* [*cognoſcere*], Matth. 7. 16, 20. ſupra 1. 32. & alibi.

21. *Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται, Nunc autem ſine Lege juſtitia Dei manifeſtata eſt*] *Nunc verò*, id eſt, noſtris temporibus hac in parte feliciſſimis, *juſtitia Dei*, id eſt, ea quæ Deo ſummè placet, utpote ad ſummum perducta gradum, *apparet* rebus magnis, ex vita ſcilicet innocentiſſima Chriſtianorum, *ſine Lege*, id eſt, *etiam ſine Lege*, etiam in illis qui eſt ex Gentibus nulla intercedente Legis illius conditione vocati ſunt & vocationi obtemperarunt. *Πεφανέρωται*, נגלה, *clarè pateſit*, ut Joh. 3. 21. 1 Corinth. 4. 5. & alibi. Cordis quidem exactam notitiam ſolus habet Deus: ſed Chriſtianorum Apoſtolicæ ætatis perpetuus vitæ tenor ac malorum patientia talis erat, ut non credibile eſſet hæc aliunde quàm ex mundato corde proficiſci. Accedebant & Spiritûs dona. ¶ *Μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν Προφητῶν. teſtificata à Lege & Prophetis*] In illis oraculis de quibus locutus eſt ſupra v. 2. Idem ſenſus ſupra 1. 2. Verbum *μαρτυρεῖν teſtificari*] eodem ſignificatu habes Act. 10. 43. Hebr. 7. 8. De re vide Joh. 5. 39, 46.

22. *Δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ, Juſtitia autem Dei*] Ἐπαναφορὰ [*repetitio*]. ¶ *Διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, per fidem Jeſu Chriſti*] Oſtendit unde illa pietas nota ſit, nempe *ex fide in Jeſum Chriſtum*, id eſt, in promiſſa ejus verè cœleſtia, præ quibus omnia quæ hujus vitæ ſunt & vita ipſa nihili ducuntur, quod compendium eſt ad vitia omnia exſcindenda. *Fides Jeſu Chriſti* pro *in Jeſum Chriſtum*. Sic *fides Dei*, Marci. 11. 22. *Fides nominis Jeſu*, Actor. 3. 16. *Fides Filii Dei*, Galat. 2. 20. Nempe caſus poſſeſſivus etiam efficientem cauſam & objectum ſive materiam circa quam deſignat. In Manuſcripto planius eſt, *διὰ πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* [*per fidem in Chriſto Jeſu*]. Fuit & in veteribus Patriarchis fides, ſed non ea quæ nunc requiritur, in Jeſum ut *Chriſtum*. ¶ *Εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας in omnes & ſuper omnes qui credunt*] Εἰς [*in*] ſignificat juſtitiam illam *eſſe* in credentibus, *ἐπὶ* [*ſuper*] etiam *apparere*. Fides in Chriſtum ubi ad maturitatem ſuam pervenit, id eſt, cor implevit, parit illam admirabilem Deoque acceptiſſimam puritatem eandemque conſervat. *Omnes*, id eſt, tam ex Gentibus natos quàm ex Judæis. In manuſcriptis nonnullis, & illo, quem ſæpe laudo, eſt tantùm, *εἰς πάντας τοὺς πιστεύοντας* [*in omnes qui credunt*. ¶ *Οὐ γάρ ἐστι διαστολή non enim eſt diſtinctio*] *In hac re nullum eſt diſcrimen.* Sic explicat quod ante breviter dixerat, Τί οὖν; προεχόμεθα; οὐ πάντως [*Quid ergo? Præcellimus? Nequaquam*]: ſupra v. 9. Ubi dicta vide. *Διαστέλλειν* reſpondet Hebræo בדל, *diſcernere*.

23. *Πάντες γὰρ ἥμαρτον Omnes enim peccaverunt*] Non mirum eſt Deum hac in re Gentes ab Judæis non diſtinguere, cùm *omnes*, id eſt, utraque illa hominum genera *graviſſimis peccatis tenerentur*. Sic *ἁμαρτάνειν* [*peccare*] habuimus & ſupra 2. 12. & in Johannis Epiſtola ſæpe. ¶ *Καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. & egent gloriâ Dei*] *Ideo multum illis deeſt quò minus à Deo approbentur.* Ὑστερεῖσθαι *eſt minus aliquo habere* 1 Corinth. 1. 7. & 12. 24. 2 Corinth. 11. 5. & 12. 11. Hebr. 4. 1. *Δόξα Θεοῦ* [*gloria Dei*] eſt *approbatio hominis quæ fit à Deo*, ut Joh. 12. 43. Vide infra 4. 2. ¶ *Δικαιούμενοι δωρεὰν, Juſtificati gratis*] *Ad juſtitiam verò perducuntur, etiam ſine labore* qui ad minores virtutes, id eſt, Philoſophicas requiri ſolet: Fides enim ejus laboris compendium facit, ut in Paulo apparuit & in multis ex Paganiſmo converſis ſubitoque raptis ad martyrium. חנם [*gratis.*] propriè opponitur *impenſæ*, ſed & *labor impendi* dicitur & *emi* aliquid *labore*. Epicharmus,

> —— Τῶν πόνων
> Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθ' οἱ θεοί
> [—— *Di ſuas*
> *Labore dotes eſſe venales volunt*].

Sed & magnâ pecuniâ conſtabant apud Judæos & Gentes ſacrificia *καθαρτικά* [*expiatoria*]. Reſpicit Apoſtolus ad verba Eſaiæ 50. in principio. Serviunt huic loco rectè intelligendo verba Lactantii 3. 26. *Da mihi virum qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus: pauciſſimis Dei verbis tam placidum quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo & pecuniam ſuam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: jam crucem, & ignes, & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem: jam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem & ſanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injuſtum, inſipientem, peccatorem: continuò & æquus & prudens & innocens erit: uno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta Divinæ ſapientiæ vis eſt, ut in hominis pectus infuſa matrem delictorum ſtultitiam uno ſemel impetu expellat, ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus eſt. Gratis iſta fiunt, facilè, tutò, modò pateant aures, & pectus ſapientiam ſitiat.* ¶ *Τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*] Chriſtus per obedientiam ſuam maximè in morte, & preces ei accedentes hoc à Patre obtinuit, ne is humanum genus gravibus peccatis immerſum deſereret atque obduraret, ſed viam illis daret ad juſtitiam perveniendi per Chriſtum, Eſaiæ 53. 4. ita & *ἀπολυτροῦν* [*redimere*] aut *ποιεῖν λύτρωσιν* [*facere redemptionem*] Luc. 1. 68. גאל aut פדה, id eſt, *liberare*, nempe a neceſſitate moriendi in peccatis, viam patefaciendo per quam exire iſtâ liceret. Bene autem hanc liberationem aſcribit bonitati Divinæ, quia bonitatis Dei fuit Chriſtum nobis dare, Johan. 3. 16. infra 8. 32. Adde Eph. 1. 7.

25. *Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*] Ἱλαστήριον, כפרת *propitiatorium*] in veteri Teſtamento dicebatur *tegmen Arcæ*, cui inſidens nubes quædam à Deo immiſſa, certum faciebat populum de ſuo adversùs eum favore, Levit. 16. 2. Num 7. 89. Sic & Deus Chriſti preces illas ratas habendo, & propter eas mittendo Spiritum in Apoſtolos Joh. 14. 16. oſtendit ſe bene velle humano generi. Cum autem addit *διὰ τῆς πίστεως* [*per fidem*], oſtendit quomodo quisque effectum illius bonitatis, id eſt, juſtitiam veram potiet aſſequi, nempe *fidem habendo ſanguini Chriſti*, id eſt, doctrinæ per ſanguinem Chriſti ſancitæ, ſicut fœdera ſanciri ſanguine ſolebant. Vide Matth. 26. 28. Juſtinus contra Tryphonem, *Μηκέτι αἵματι τράγων καὶ προβάτων ἢ σποδῷ δαμάλεως καθαριζομένους, ἀλλὰ πίστει διὰ τοῦ αἵματος Χριστοῦ καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ* [*Neque amplius hircorum & ovium ſanguine aut vitulæ cinere ſunt expiati, ſed fide per ſanguinem Chriſti & mortem ejus*]. Et poſtea Paſcha ait figuram fuiſſe Chriſti, *Οὗ τῷ αἵματι κατὰ τὸν λόγον τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως χρίονται τοὺς οἴκους ἑαυτῶν, τουτέστιν ἑαυτούς, οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν* [*Cujus ſanguine, juxta rationem noſtræ in illum fidei, ædes ſuas, id eſt, ſe inungunt, qui in eum credunt*]. Sed in Manuſcripto deeſt *τῆς πίστεως* [*fidem*]. ¶ *Εἰς ἔνδειξιν δικαιοσύνης αὐτοῦ, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*] Referenda hæc ad verbum quod præcellit *προέθετο*] *propoſuit*]. Vocem autem *δικαιοσύνης* [*juſtitiæ*] malim hic de *bonitate* interpretari quàm de fide *in promiſſis præſtandis*, quia quæ ſequuntur, non ad Judæos ſolos pertinent, ſed etiam ad gentes, quibus promiſſio nulla erat facta. Frequenter autem Hebræi pro & noſtri *δικαιοσύνην* [*juſtitiam*] pro *bonitate* uſurpantur

ut 1 Sam. 12. 7. ubi צדקות *misericordiis* vertit Latinus, Psal. 36. 11. 2 Cor. 9. 9, 10. & alibi sæpe. Vide quæ diximus ad Matth. 6. 1. Græci interpretes צדק vel צדקה plerunque δικαιοσύνην [*justitiam*] vertunt: at ἐλεημοσύνην [*misericordiam*] Deut. 6. 25. & 24. 13. Psalm. 24. 5. & 33. 1. & 103. 6. Esaiæ. 1. 27. & 28. 17. & 59. 16. Dan. 4. 27. & 9. 16. Justinus seu quisquis est scriptor ad Diognetum bene sensum sic exprimit, Ἦλθε δὲ ὁ καιρὸς ὃν Θεὸς προέθετο λοιπὸν φανερῶσαι τὴν ἑαυτοῦ χρηστότητα [*Venisset autem id tempus quod Deus benignitati deinceps suæ declarandæ præstitueret.* ¶ Διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, Ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, *propter remissionem præcedentium delictorum, In sustentatione Dei*], id est, αὐτοῦ [*ejus*], more Hebræo, nomen pro relativo: & διὰ [*propter*] cum accusativo hic causam efficientem significat, ut in Hesiodo,

Ὅντε διὰ βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἄφατοί τε φατοί τε
[Per quem pars hominum clara, pars nomine nullo].

& διὰ τύχην [*propter Fortunam*], διὰ θεοὺς [*propter deos*] apud Demosthenem; & διὰ τὸν πατέρα [*propter Patrem*] Johan. 6. 57. Quanquam hoc loco sumi etiam potest pro antecedente, unde aliquid infertur. Explicat enim quomodo Deus bonitatem suam testatam fecerit, nempe *eò quod peccata ante hoc tempus commissa*, tam Judæis quàm Gentibus, *magnâ quadam patientia* (nam sic ἀνοχῆς [*sustentationis*] vocem & supra habuimus 2. 4. respondetque Hebræo חשה) *transmisit*, id est, *dissimulavit*: nam sic sumitur παρήκουσα apud Græcos Esther 2. 4. ubi in Hebræo legerunt תחרישי [*tacuisti*] in secunda persona. Sic *silentio* aut *dissimulatione transmittere* aliquoties est apud Tacitum. Vult autem hoc dicere, Peccata eorum temporum tot ac tanta fuisse, ut Deus, si summo jure voluisset agere, potuerit homines in illis peccatis relinquere, neque exitum illis aperire. Quæ peccata cùm in hunc quidem finem transmiserit, sive dissimulaverit, ingens id fuit bonitatis ejus documentum. Vide Act. 17. 30. & 1 Tim. 1. 15, 16.

26. Πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, *ad ostensionem justitiæ ejus*] Repetit quod dixerat, ut sæpe solet, ubi quid altiùs vult infigere animis. ¶ Ἐν τῷ νῦν καιρῷ· *in hoc tempore*] Quod modò dixerat νυνὶ [*nunc*]. Significat tempus illud quo Apostoli prædicarunt Euangelium ad excidium usque Urbis & Templi Hierosolymitani. Nam Judæos maximè hæc spectant quæ jam dicet. ¶ Εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, *ut sit ipse justus*] Tertiò sed aliis verbis idem repetit. Nam *esse* hic est *apparere*, ut supra 3. 4. ¶ Καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ. *& justificans eum qui est ex fide Jesu*] Non tantùm Deus se bonum ostendit, sed & bonos facit eos qui sibi credunt, ut prædictum fuit ab Esaia 53. 11. ἐκ πίστεως [*ex fide*] hic sumitur ut supra 2. 8. ἐξ ἐριθείας [*ex contentione*] 27. ἐκ φύσεως [*ex natura*], & 4. 12. ἐκ περιτομῆς [*ex circumcisione*], ad significandum adjunctum. Sed in manuscripto est, τὸν ἐκ πίστεως Θεοῦ [*eum qui est ex fide Dei*], non malè. Nam fides per Jesum fertur in Deum. ¶ Ποῦ οὖν ἡ καύχησις; *Ubi est ergò gloriatio?*] Ostendit quàm sapienter Deus hanc potius viam sanandi homines, quam aliam ullam elegerit. καυχᾶσθαι [*gloriari*] vox media. Significat enim rem aliquam magnifacere, eàque niti sive bene sive malè: sed hic ea καύχησις [*gloriatio*] intelligitur quâ homo, ut est naturâ φίλαυτος [*sui amans*], magnum aliquid sperat de viribus suis, ut ille Poëta,

— æquum animum ipse parabo.

Scriptor ad Diognetum ait per Euangelium patefieri τὸ ἀδύνατον τῆς ἡμετέρας φύσεως εἰς τὸ τυχεῖν ζωῆς [*imbecilliorem esse nostram naturam, quam ut ejus ope vitam consequamur*]. Tractat hunc locum egregiè Philo libro De Sacrificiis Abelis & Caini. ¶ Ἐξεκλείσθη. *exclusa est*] *Exclusissima est.* ¶ Διὰ ποίου νόμου; *Per quam Legem?*] Νόμον [*Legem*] hic, ut sequentia ostendunt, laxiùs sumit pro omni *vivendi regula.* ¶ Τῶν ἔργων; *factorum?*] Nempe quæ humanis viribus præstita hominem assuefaciunt ad civilem quandam vitam, qualem exigit lex Mosis. Augustinus in sermonibus à viro optimo Jacobo Sirmondo editis, *Timor hominum fortè potest carnem ab immunditia temperare: animam autem non nisi timor Dei.* ¶ Οὐχί. *Non*] Non sanè: nam illis sæpè ne opus quidem ad cor repurgandum. ¶ Ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως. *sed per legem fidei*] Quia justitiam Deus dat non per laborem sed per fidem, & fidem dat per non expectatam revelationem cœlestium bonorum clarissimam & certissimam. Omnia ergo non ex iis quæ homines per se efficere possunt, sed ex Dei beneficio. Quare nihil est quod fiduciam in naturæ nostræ viribus habeamus: Deo nitendum: Deo omnia accepta ferenda sunt. Hæc sanandi ratio & homines modestissimos facit, & Deo summè gloriosa est. Figuram hujus rei in Noë Philo notavit libro ἀλληγοριῶν [*Allegoriarum*]. Ait enim eum χάριν εὑρεῖν ἐναντίον Κυρίου τοῦ Θεοῦ μηδὲν πρότερον ἐργασάμενον [*Invenisse gratiam coram Domino Deo, priusquam aliquid boni fecisset*].

28. Λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, *Arbitramur igitur justificari hominem per fidem*] In Manuscripto λογιζόμεθα γὰρ [*arbitramur enim*] quasi dicat: *Hæc enim cogitamus quæ cogitare debemus, justitiam nobis sine labore Dei dono advenisse.* Sic λογίζεσθαι sumitur Marci 11. 31. Heb. 11. 19. 2 Cor. 10. 7. Philip. 4. 8. Hæc cogitatio reprimit illam καύχησιν [*gloriationem*]. ¶ Χωρὶς ἔργων νόμου. *sine operibus Legis*] *Sine operibus Legis*, id est, etiamsi absint opera Legis, ut in Gentibus fiebat.

29. Ἢ Ἰουδαίων ὁ Θεὸς μόνον; οὐχὶ δὲ καὶ ἐθνῶν; Ναὶ καὶ ἐθνῶν. *An Judæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? imò & Gentium*] Est hic ratio cur via per Legem non fuerit optima: Quia non conveniebat tot populis: neque enim omnium populorum homines poterant venire sacrificaturi Hierosolyma. Θεὸς [*Deus*] hic semel positum, sed in explicatione bis sumendum. *An Deus ille verus*, hujus mundi & humani generis opifex, *vult tantùm Deus*, id est, sospitator atque εὐεργέτης [*beneficus*] esse, *Judæorum*, ut Judæorum multi existimant? Simile loquendi genus cui inest duplex vocis Dei significatio, substantiva & appellativa, apparet Luc. 20. 38. si conferas Matth. 22. 32, ubi quæ à nobis dicta vide. Deum autem velle & coli à Gentibus, & iis vicissim summa bona conferre, apertissimè prædictum erat Prophetis, ut Malach. 1. 11, & aliis.

30. Ἐπείπερ εἷς ὁ Θεὸς, *Quoniam quidem unus est Deus*] Hoc ita dictum est quomodo apud Poëtam,

— Rex Juppiter omnibus idem.

Sic & Ephes. 4. 6. & Gal. 3. 20 ¶ Ὃς δικαιώσει, *qui justificabit*] Id est, δικαιοῖ [*justificavit*] futurum pro præterito more Hebræo. Frequentissimum id ubi notantur actus continui. Quid mirum, inquit, si summè bonus id agit ut alios bonos faciat? ¶ Περιτομὴν ἐκ πίστεως, *circumcisionem ex fide*] Judæos & natos & adscititios. περιτομὴ [*circumcisio*] hic *ipsi qui circumcisi sunt*, ut Gal. 2. 7, 8, 9. quomodo ἀκροβυστία [*præputium*] supra 2. 26. & hic illico, ii qui præputium retinent, id est, gentes pleræque. ¶ Καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως. *& præputium per fidem*] Apparet ἐκ [*ex*] quod præcessit, & quod hic est διὰ [*per*] idem valere. Per fidem purgantur corda. Vide quæ in prolegomenis ad hanc epistolam dicta.

31. Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; *Legem ergo destruimus per fidem?*] Nova interrogatio continens objectionem. Si ita se res habebat, videri poterant Apostoli docere Legem fuisse inutiliter datam. καταργεῖν propriè est *inutilem reddere* Luc. 13. 7. per μετάληψιν [*Transsumptionem*] *dicere rem aliquam esse inutilem*, quale illud in Virgilio,

Tum Phaëtontiadas musco circumdas amaræ
Corticis.

Id est, *circumdatas dicit.* Item,

— quis humum florentibus herbis
Spargeret aut viridi fontes induceret umbra?

Id est, sparsam humum & fontes inductos caneret. Vide & Jerem. 1. 10. διὰ τῆς πίστεως [*per fidem*] est μετωνυμία [*Transnominatio*]: id est, *per ea quæ de fide prædicamus.* ¶ Μὴ γένοιτο. *Absit*] *Longè absit*, חלילה, ut supra 3. 4, 6. infra 6. 2, 15. & 7. 7, 13. & 9. 14. ¶ Ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. *sed Legem statuimus*] Manuscriptus eodem sensu ἱστάνομεν, נקים *stare facimus*, id est, honorem ei suum defendimus: sicut Latinè dicimus: *rectè stat fabula talo.* Nimirum docebant Apostoli *per legem rectius agnosci peccatorum turpitudinem*, supra v. 20: *Societatem civilem per eam fuisse servatam, & aliquatenus pœnarum metu repressa ne erumperent vitia*, Galat. 3. 23. *In Lege promitti Christum, & justitiam quam Christus attulit*, supra v. 21. At sic pluribus modis *Legem ducere nos ad Christum*, Galat. 3. 24. *Christum* verò *finem esse Legi propositum* infra 10. 4. Tertullianus De Pudicitia hunc locum citans addit, *Legem sistimus, scilicet in his quæ & nunc novo Testamento introducta etiam cumulatiore præcepto prohibentur. Pro non mæchaberis, Qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mæchatus est in corde suo: & pro Non occides, Qui dixerit fratri suo Racha,*

reus

reus erit Gehennæ. Quare an salva sit lex Non mœchandi, cui accessit, Non concupiscendi.

CAP. IV.

VALLA.

3. R*Eputatum est*] Ἐλογίσθη. 4. *Non imputatur*] Λογίζεται. 5. *Reputatur fides ejus ad justitiam*] Λογίζεται. 6. *Cui Deus accepto fert justitiam*] Λογίζεται. 8. *Cui non imputavit Dominus peccatum*] Λογίσηται. Quis putet Græcè, h. e. in fonte, esse unum verbum pro his omnibus, *reputare*, *imputare*, & *accepto ferre*? quanquam nunquam me legisse memini *accepto ferre*, sed *acceptum ferre*: unde *acceptilatio*; sed alia illa est significatio. Ergò nè multis agam, mallem Interpres simpliciter per verbum *puto* transtulisset. [REVIUS. *Imputo* potiùs.]

17. *Et vocat ea quæ sunt tanquam ea quæ non sunt*] Transferendum erat *ea quæ non sunt tanquam sint*: non enim dicitur ὡς τὰ ὄντα, sed ὡς ὄντα.

ERASMUS.

1. Q*UID ergò dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundùm carnem?*] Incertum est utrò referatur hæc particula *secundùm carnem*, ad *Abraham patrem*, an ad *invenisse*. Scio in plerisque Græcorum codicibus hunc esse ordinem, *Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum invenisse secundùm carnem?* Verùm secùs legit Origenes, secùs Ambrosius, secùs habetur in vetustis Latinorum codicibus; nimirum hâc distinctione, ut *Patrem nostrum* proximè adhæreat ad hanc particulam *secundùm carnem*. Sentit enim Paulus Abraham juxta vocationem ad fidem & Gentium esse Patrem; cæterùm Judæorum esse Patrem duntaxat juxta carnem. Sic etiam interpretatur Theophylactus, πατέρα δὲ, inquit, κατὰ σάρκα καλεῖ τοῦτον, ἐκβάλλων αὐτοὺς τῆς κατὰ πνεῦμα συγγενείας, μᾶλλον δὲ καὶ ἀνάγκην αὐτοῖς περιτιθεὶς τοῦ μιμήσασθαι αὐτὸν κατὰ πάντα, i. *Patrem autem juxta carnem vocat illum, excludens eos à cognatione spirituali, seu potiùs compellens eos ut illum imitentur in omnibus.* Similia Chrystomus, πατέρα δὲ αὐτὸν κατὰ σάρκα ἐκάλεσεν, ἐκβάλλων αὐτοὺς τῆς πρὸς αὐτὸν γνησίας συγγενείας, καὶ προδοποιῶν τοῖς ἔθνεσι τὴν πρὸς αὐτὸν ἀγχιστείαν, *Patrem autem illum dixit; excludens eos à vera Abrahæ cognatione, simulque viam aperiens Gentibus ad affinitatem Abrahæ consequendam.* Et tamen alium sensum indicat ordo Græci sermonis, unde Hyperbaton accipiamus oportet: alioqui legendum erat Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν κατὰ σάρκα πατέρα εὑρηκέναι; Proinde non veriti sumus pristino ordini reddere hunc sermonem. Quanquam haud me fugit Ambrosium sic locum hunc interpretari, ut *secundùm carnem* referatur ad *invenisse*; ut intelligamus, adeò Mosaicam legem non posse præstare salutem, ut nec Abraham ipse quicquam consecuturus fuerit secundùm carnem, h. e. per circumcisionem, nisi fidei merito placuisset Deo.

2. *Habet gloriam*] Καύχημα. *Gloriationem* magis sig. quàm *gloriam*; quemadmodum & καύχησις, h. e. *Habet quod glorietur & jactet se.*

3. *Credidit Abraham*] Argutatur nonnihil Origenes, subhæsitans an hic vitio librariorum legatur *Abraham* pro *Abram*, h. e. trisyllabum nomen pro disyllabo, quòd id temporis quo promittenti credidit Deo nondum esset *Abraham*, sed *Abram*. Unde consentaneum est illic apud Hebræos non haberi, *credidit Abraham Deo*, sed *credidit Abram*. Atque ità verterunt LXX Ἀβράμ. Equidem laudo hominis diligentiam, & pudet nostræ oscitantiæ. Tamen hoc sanè loco, si sermo referatur ad eum qui scripsit, sive Moses is fuit, sive Esdras, sive alius quispiam, illi certè fuit *Abraham*. Cæterùm ubi Deus narratur illum nominatim compellare, *Abraham* dicitur, non *Abram*, donec illi nomen auctum esset accessione syllabæ. Sunt qui dicant & in pervetustis cod. Latinis hoc loco legi *Abram*, non *Abraham*. ¶ *Et reputatum est*] Ἐλογίσθη, i. *imputatum est*, hoc sanè loco. Nam Græca vox ancepi est. Cæterùm longè aliud est *reputare* quàm *imputare*. *Reputare* est animo considerare, *imputare* est acceptum ferre, aut in rationem addere, plerumque citra reprehensionem. *Deputare* idem est quod *supputare* aut *existimare* seu *æstimare*, cùm Græca vox sit πολύσημος ad *reputare*, *imputare*, *æstimare*: ἐλλογεῖσθαι propriè sonat *imputare*; quo verbo & aliàs usus est Apostolus. Nec injuriâ Valla taxat hoc loco puerilem affectationem copiæ in Interprete, dum idem verbum Græcum eodem in loco nunc vertit *reputatur*, nunc *accepto fert*, nunc *imputatur*, quasi nefas esset eandem vocem sæpius repeti.

4. *Ei verò qui non operatur, credenti autem*] Utrumque Græcis participium est μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ, i. *non operanti, tamen credenti*. Et rursum *reputatur* pro *imputatur*.

5. *Secundùm propositum gratiæ Dei*] Hæc clausula non est in Græcis cod. etiamsi Ambrosius ità legit & exponit nominatim hæc verba. Unde apparet illum diverso usum exemplari. In codice pervetusto, cujus copiam fecit Joannes Coletus è Paulina bibliotheca, non erant in contextu, sed diversâ ac recentiore manu in ima margine adjecta.

6. *Accepto fert*] Λογίζεται, i. *imputat*, sive *acceptum fert*. Est autem *acceptum ferre* pro *accepto habere quod non acceperis*, quæ apud Jureconsultos, ni fallor, vocatur *acceptilatio*.

8. *Non imputavit*] Λογίσεται. Futuri temporis est, tametsi esse potest aoristus subjunctivi si scribatur per η, λογίσηται, ut sit *imputaverit*: licèt hæc quoque pro futuris usurpentur.

9. *Tantùm manet*] *Manet* apud Græcos non invenio. Sic habent Græci cod Ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν; *Beatitudo igitur ista* (sive *beatificatio*, *aut beatio*) *utrùm in circumcisionem an in præputium?* ut subaudias *venit*, *competit*, aut simile verbum: atque ità Græcorum Scholia legunt & interpretantur. Theophylactus enarrans, pro verbo subaudito quod Interpres reddidit *manet*, supponit πίπτει, i. *cadit*, sive *competit*: quemadmodum dicimus, *Non cadit in sapientem iracundia.* Atque adeò haud scio an Interpres cupiens explicare Pauli mentem scripserit *manat in circumcisionem*, quod postea mutatum sit in *manet*. Alioqui præpositio ἐπὶ durè jungeretur accusandi casui. Potest & è superioribus repeti verbum, *David dixit beatitudinem*, &c. *Hæc igitur beatitudo num dicta est in circumcisionem tantùm, an etiam in præputium?* Annotandum & illud, apud Origenem & Ambrosium addi *tantùm*, quod in vulgatis Græcorum codicibus non reperio, nè in vetustis quidem Latinorum exemplaribus. Certè in Paulino illo codice sic reperio scriptum, *Beatitudo ergo hæc in circumcisione, an etiam in præputio?* Quanquam non negarim vim ejus adverbii latere in conjunctione *καὶ an etiam in præputio?* quod ut fieret explanatius, adjecerunt *tantùm*. Nè illud quidem arbitror negligendum, μακαρισμὸν hîc accipi non pro ipsa *qualitate beati*, sed pro *præconio beatitudinis*, quod David tribuit homini non ex operibus sed ex gratia Dei per fidem non imputantis peccata. Græcis enim μακαρίζεσθαι dicuntur qui *prædicantur beati*, etiam falsó. *Justitiam* autem hic appellat non universam virtutem, sed innocentiam, quæ contingit gratuitâ condonatione peccatorum. Porrò Beatitudo & Justitia naturâ inter se cohærent: unde consequitur ut in quemcunque cadit Justitiæ elogium, in eundem cadat & Beatitudinis elogium. Sed Abrahæ nondum circumciso tributum est Justitiæ elogium, in eundem igitur, & per hunc in Gentes incircumcisas, competit Beatitudinis elogium, quod prædicat David circumcisus. Ità non tantùm paria facit Præputium cum Circumcisione, verùm etiam in hoc antecellit, quòd ante natam Circumcisionem id laudis promeruit.

10. *In circumcisione*] Ἐν περιτομῇ ὄντι, i. *cùm esset in circumcisione*: quod perinde valet ac si dixisset ἐμπεριτόμῳ, i. *circumciso*, sicut ἐν ἀκροβυστίᾳ pro eo quod erat ἀκροβύστῳ. Præter interrogationis gratiam multum lucis addit δίλημμα, cujus alterâ parte rejectâ, alteram evincit. Nullum enim argumentandi genus vel apertius vel violentius.

11. *Signaculum*] Duo verba ponit Paulus, σημεῖον & σφραγῖδα. Posterius est σφραγῖδα, i. *Signum ac notam impressam.* Nam fidei causâ solemus obsignare quod certum esse volumus. Atque ad hunc modum obsignamus quod ad tempus sepositum ac reconditum esse cupimus, suo loco depromendum. Alioqui videri poterat Paulus bis idem dixisse, cùm paulò antè dixisset *signum*, mox repetens *signaculum*. Alterum est Græcis σημεῖον, *signum*, quo aliud significatur. Siquidem jam tum carnalis illa circumcisio typum gerebat Christianæ circumcisionis, quæ non aufert pelliculam à glande, sed amputat omnes noxias cupiditates à corde. Erat & *signaculum* quod ad tempus tegeret mysterium pòst aperiendum, videlicet justitiæ quæ confertur per fidem. Potest autem aliquid esse *signum* quod non sit *signaculum*; ut statua *signum* est, ut annuli symbolum affixum syngraphæ σφραγὶς est. Est autem in his duabus dictionibus appositio. Eadem enim res dicitur σημεῖον, quatenus declarat justitiam ex fide quæ erat in Abraham ante circumcisionem, & σφραγὶς, quatenus exemplo Abrahæ omnibus credentibus promittebatur justi-

justitia ex fide sine circumcisione. Annotatum est hoc diligenter ab Origene.

12. *Non his tantùm qui sunt ex circumcisione*] Græca multò secùs habent, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι, i. *qui non tantum sunt ex circumcisione, sed etiam incedunt per vestigia*, &c. ut intelligas non esse satis Judæum fuisse natum ad hoc ut sis filius Abrahæ, nisi ejusdem ingrediaris vestigiis, id quod est filiorum. Mecum facit Ambrosius legens ad hunc modum, *Ut sit pater circumcisionis eorum qui non solum ex circumcisione sunt, sed & eorum qui insequuntur vestigia fidei*. Nec abhorret ab hac lectione Origenis interpretatio significans ità demum Judæos patrem habituros Abraham si ad fidem pertinerent quæ illi nondum circumciso *justi* cognomen conciliasset. Certè mecum facit Chrysostomus; etiamsi Theophylactus aliquantò secùs exponit. In codice quo sum usus scriba per negligentiam omiserat οὐ Eam voculam aliquis asscripserat non suo loco, οὐ τοῖς μόνον, cùm Chrysostomus legat τοῖς οὐ μόνον, & distinctioni respondet enarratio. Non enim hoc sentit his verbis, Abraham esse patrem & Judæorum & Gentium, sed non esse patrem Judæorum nisi sequantur illius vestigia. Nam antè dixit, illum esse patrem omnium gentium, non simpliciter omnium, sed credentium. Eundem hic dicit patrem Judæorum: qui nè putarent satis prognatos esse ex stirpe Abraham, ostendit inutilem esse sanguinis propinquitatem nisi fidem illius imitantes declarent se germanos illius filios. Offendit nonnihil articulus mox præter usum repetitus, ἀλλὰ τοῖς. Verùm fieri potuit ut eam syllabam scriba quispiam adjecerit. Denuò nactus Græcum Theophylacti codicem, inspexi locum attentiùs. Eandem sane lectionem quam indicavi habere, per οὐ adjectum supra versum, repetit in enarrando, admonens etiam quomodo sit legendum, quanquam in sententia non dissentit à Chrysostomo. Qui vertit Theophylactum sic reddit Græca ut nesciam an satis intellexerit: proinde non gravabor hunc locum bonâ fide reddere; *Exsistentem objectionem dissolvit. Nam fortassis dicturus erat aliquis, Si cùm præputiatus esset, justificatus est Abraham, quâ gratiâ circumcisus est? Ad hæc respondet, quòd circumcisionis signum acceperit loco signaculi, quod obsignaret prædicarétque ipsum ex fide fuisse justificatum, quam fidem exhibuerat prius cùm esset præputiatus. Itaque quoniam duo hæc considerantur in Abraham, præputium, & circumcisio, per præputium quidem declaratur pater præputiatorum. Sed quorum? Eorum qui similiter atque ipse crediderat, crederent, ut & illis fides imputaretur ad justitiam, i. in hoc ut justi fierent. Per circumcisionem verò rursus declaratur pater circumcisionis, h. e. circumcisorum. Est autem pater non his solum qui circumcisionem habent, sed & his qui ingrediuntur illius fidei vestigiis quam fidem habuit in præputio. Ad hunc igitur modum legendum est, Et pater esset circumcisionis, non his qui circumcisione tantùm illum referunt, verùm etiam iis qui incedunt vestigiis fidei, h. e. qui credunt similiter atque ille mortuorum corporum resurrectionem*, &c. Interpres omisit quædam verba, & addidit unum. Suspicor autem locum apud Theophylactum non carere mendo. Cùm enim admonet quo pacto sit legendum, probabile est illum eam posuisse lectionem quam secutus est Chrysost. quandoquidem & reliqua commentarii pars declarat illum eandem sequi sententiam. Sed videre mihi videor exitum hujus difficultatis, ut nihil offendat articulus repetitus aut transposita negatio. Nimirum ut μόνον non pertineat ad negationem, quemadmodum interpretatur Chrysostomus, sed ad ἐκ περιτομῆς, ut intelligamus inter Judæos duos ordines, alterum qui nihil habent Abrahæ nisi quòd circumcisi sunt; & horum negatur esse pater: alterum eorum qui præter circumcisionem etiam fidem illius imitantur; horum demum patrem vult esse Abraham. Hunc sensum & hanc lectionem secutus est Theophylactus, nec diversus est à sententia Chrysostomi. Verùm hic obstrepit conjunctio καὶ non suo loco posita, ἀλλὰ καὶ τοῖς. Quòd si legamus ἀλλὰ τοῖς καὶ, nè tantulum quidem residet scrupuli: id autem probabile est incuriâ scribarum commissum. Utraque lectio sensum habet catholicum ac fermè eundem. In utraque tamen est scrupulus, in priore de τοῖς repetito, in altero de καὶ transposito. Prior sic habebit sublato articulo, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι πίστεως, τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, i. *his qui non solum sunt circumcisi, sed qui ingrediuntur etiam per vestigia fidei quæ fuit in præputio*. Posterior sic habet, οὐ τοῖς ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ τοῖς καὶ στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι πίστεως, i. *non his qui nihil aliud sunt quam circumcisi, sed his qui etiam incedunt per vestigia fidei*, ut conjunctio *etiam* repetat *circumcisionem*. Posterior mihi magis probatur. Interpres neutram lectionem reddidit, nisi quòd suspicor locum à librariis depravatum.

13. *Non enim per Legem promissio Abrahæ*] Τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου. Meliùs hic addidisset, *contigit quòd heres esset mundi*, vel *heredem mundi futurum*.

14. *Abolita est*] Κατήργηται. Quàm variè transtulit eandem vocem, tamen hoc loco rectè, *irrita facta est*, *abrogata est*, *antiquata est*.

16. *Non ei qui ex Lege est solùm*] Apud Græcos *Abrahæ* videtur dativi casûs, ut pertineat ad pronomen ei: alioqui addidisset τοῦ Ἀβραάμ· οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ, i. *Non solum ei Abrahæ qui est ex lege peculiaris Judæis, sed etiam ei qui est ex fide communis omnibus Gentibus*: ut duos Abraham imagineris in uno. Tametsi sensus alter mihi non displicet, sed hic posterior argutior. Etenim ut duos facit Adam, terrenum & cœlestem, ità quasi duos facit Abraham, justificatum in præputio per fidem, qui pater est Gentium spiritualis; & justificatum per fidem in circumcisione, qui duplici nomine pater est Judæorum credentium. Quanquam video plerosque diversam sequi sententiam. Verùm quod legimus, *non ei qui ex Lege solum*, magis conveniebat *quod*, cùm præcessseris *semen*. *Semen* autem hic posteros dixit, ex Hebræi sermonis proprietate.

17. *Quia Patrem multarum gentium posui te*] Si fas non est omittere quicquam, cur alibi omisit superfluam conjunctionem ὅτι; sin licet alicubi, hic certè fuerat omittenda. Thomas Aquinas indicat quosdam codices pro *posui* habere *constitui*, videlicet annotaturus & alia quæ majoris sunt momenti si id illi per linguarum peritiam licuisset. Nam unicam duntaxat linguam noverat, nec eam sanè ad plenum. Quanquam apud Græcos *ponere* frequenter usurpatur pro *facere*. Porrò locus est Gen. 13. Quo loco & illud obiter annotandum, prophetico more tempus præteritum positum esse pro futuro, *constitui* pro *constituam*. ¶ *Cui credidisti*] Græcè κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ, *coram Deo cui credidit*: sic Augustinus: sive *ad exemplum Dei, cui credidit*. Nam hoc Paulus ad suam retulit personam. Sentit enim quemadmodum Deus non est Deus hujus aut hujus nationis tantùm, sed communis omnium, sic & Abraham fore patrem omnium credentium. Nam ad hunc modum interpretantur Chrysostomus, Theophylactus & Græcorum Scholia, κατέναντι τοῦ Θεοῦ, nè quis ut nostrum somnium aspernetur. Exemplar enim ex adverso positum reddimus. Tametsi Ambrosius legit ἐπίστευσας *cui credidisti*, ut referatur ad ethnicum quem alloquitur. Sic enim ait, *Ut unum Deum omnium doceat, alloquitur Gentiles*. Nec est quòd offendat numerus singularis, cùm hujusmodi ἑτερώσεις crebræ sint apud Paulum. Origenes item indicat hanc clausulam, *coram Deo cui credidit*, ex Pauli persona fuisse additam: sed *cui credidit* legit, non *cui credidisti*. ¶ *Tanquam ea quæ sunt*] Ὡς ὄντα, i. *tanquam sint*: neque enim est τὰ ὄντα. Plus autem dixit *non esse* quàm *mortuum esse*. Ac juxta Græcam veritatem adducit hunc locum Augustinus explicans Psalmum 104. *Nam ille vocavit famem qui vocat ea quæ non sunt tanquam sint. Nec ibi Apostolus dixit, Qui vocat ea quæ non sunt ut sint, sed tanquam sint*. Nam prisci quoque scriptores *non esse* dicebant quæ nullius erant ponderis. M. Tullius Minutii cujusdam testamentum appellare videtur *nullum*, quòd irritum esset & lege rejectum. Et Græci νόμους οὐκ ὄντας vocant, irritas, & abrogatas. D. Hieronymus in primum Jeremiæ caput ità refert hunc locum, *Qui vocavit ea quæ non erant quasi ea quæ essent*, verbis à nobis dissentiens, re consentiens.

18. *Contra spem*] Παρ' ἐλπίδα, i. *Præter spem*, sive *ultra spem*; h. e. cùm non appareret quod sperari posset, tamen summam habuit fidem pollicenti Deo. ¶ *In spem*] Ἐλπίδι ἐπίστευσεν, i. *spei fisus est*, sive *spei credidit*. Quanquam nonnulli codices habebant ἐπ' ἐλπίδι, *in spe*, sive *sub spe*. Est autem jucunda vocis ejusdem traductio, tum contrariorum inter se relatio: q. d. *Sperabat in rebus desperatis; & cùm spes non esset, tamen sperabat, sibi diffidens, Deo fidens*. Atque ea demum est Deo gratissima fides, quoties destituti nostris opibus toti pendemus à Deo. Sic enim expeditè distinguit Chrysostomus παρ' ἐλπίδα τὴν ἀνθρωπίνην, ἐπ' ἐλπίδι τῇ τοῦ Θεοῦ, i. *præter spem humanam, in spe Dei*. *Spem* autem *Dei* vocat quam habebat Abraham in promissis Dei. ¶ *Ut fieret*] Εἰς τὸ γενέσθαι. Melius erat *fore se patrem*: nam id erat quod præter spem speravit. Et apertius erat *juxta id quod dictum fuerat* quam *dictum est*. Cæterùm *ei* pronomen Interpres addidit explicandi gratiâ. ¶ *Sicut stellæ cœli, & arena maris*] Nihil horum verborum habetur in Græcis cod. tantùm est, *Sic erit semen tuum*. Cætera nec apud Chrysostomum, nec apud Theophylactum, nec apud Ambrosium adduntur. Quanquam qui vertit Theophylactum adjecit ex edit. Vulgata. Verùm apparet addita à quopiam cupiente sensum reddere dilucidiorem. Retulit enim

enim Paulus verba Dei stellas cœli ostendenti Abrahæ, quemadmodum legis Gen. 15. *Numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Hic verò parùm aptè cohæret sermo; *Sic erit semen tuum sicut arena maris*, &c. Satis erat dicere, *Erit semen tuum ut stellæ cæli.*

19. *Non est infirmatus in fide*] Μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, i. *non infirmatus fide*, h. e. haud debilitatus parùmque firmus ac robustus fide. Nam *in* præpositio superest apud nos. ¶ *Corpus suum*] Ἑαυτοῦ σῶμα, i. *suum ipsius corpus.* Quanquam Paulus suo more libenter utitur hoc pronomine simplici pro composito, hîc tamen nonnullam habet emphasim. ¶ *Ferè centum esset*] Ἑκατονταέτης που. που conjunctio expletiva addita fecit annos incertos. Nam id temporis Abraham nonaginta novem habebat annos, ut indicant Gr. Scholia, & ità scriptum est in Genesi. ¶ *Emortuam vulvam*] Νέκρωσιν τῆς μήτρας, q. d. *mortificationem vulvæ.* Cæterùm *emortuum* hîc vocat effœtum, νενεκρωμένον nè quis eum jam cadaver fuisse putet, sed invalidum senio, non simpliciter; nam postea sustulit liberos ex Cethura, nullo insigni miraculo; sed hactenus emortuum ut circa opem Divinam non posset gignere ex anu. Nam Cethuram integrâ etiamnum ætate mulierem duxisse legitur. Hujusmodi ferme Augustinus in Quæstionib. super Gen. lib. 1. *Vulvam* autem vocat non membrum muliebre pudendum, ut indoctum vulgus accipit, sed matricem quâ concipitur fœtus, quæ cùm destituitur vi attrahendi ac retinendi semen, sterilescit mulier.

20. *In repromissione etiam Dei*] Εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν, i. *In promissione verò Dei.* Et sic legit Ambrosius, ut hæc pars adv[e]rtetur superioribus, *non est infirmatus, non consideravit*, &c. *sed nihil diffisus est, nihil hæsitavit in promissis Dei*, sive potiùs *ad promissa Dei.* Est enim Græcè εἰς ἐπαγγελίαν. ¶ *Non hæsitavit*] Οὐ διεκρίθη, i. *non dijudicavit*, aut *disquisivit*: quod est diffidentis. Dispicit enim ac dijudicat qui non plenè confidit. ¶ *Confortatus est*] Ἐνεδυναμώθη, i. *invaluit & potens factus est*; ut respondeat illi superiori, μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, *non debilitatus fide.* Nec hîc additur *in* præpositio, nè in vetustis quidem Latinorum codicibus: quanquam ea est in verbo composito.

21. *Plenissimè sciens*] Πληροφορηθεὶς, i. *certus factus & certâ acceptâ persuasione*, q. d. *certificatus*, ut copiosiùs explicuimus in præfatione Lucæ in Euangelium. ¶ *Quæcunque promisit Deus*] Ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι καὶ ποιῆσαι, *quia quod promissum est, potest etiam facere.* Et conjunctio *quia* hoc loco posita est pro ὅτι *quòd* εἰδικῶς accepto, non αἰτιολογικῶς, i. non ità ut causam declaret, sed exponat quid habuerit persuasum.

23. *Quia reputatum est ei*] Hîc ubi tertiò jam repetitur Genesis testimonium, Latini codices addunt *ad justitiam*: nam Græci tantùm legunt ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ, i. *imputatum est ei.* Atque id satis erat: notat enim quod superiùs dictum est veluti jam cognitum. Et exemplar omnium quæ viderim antiquissimum ex bibliotheca D. Pauli consentit cum Græcis exemplaribus.

24. *Quibus reputabitur*] Οἷς μέλλει λογίζεσθαι, i. *quibus imputabitur.* Miror Jacobum Fabrum in examinationibus suis vertisse *debet imputari*: quasi *debet* significationem habeat futuri temporis, ut apud Græcos μέλλει & quasi idem sit *debet imputari* & *imputabitur*, quemadmodum vulgus ineruditum putat. Nisi fortè visum est illi docendi gratiâ ad hunc loqui modum. ¶ *Qui suscitavit Jesum Christum*] Χριστὸν apud Græcos non additur.

VATABLUS.

1. I[N]*venisse*] *Accepisse*, sub. *à Deo*, laboris scil. compensandi causâ. ¶ *Secundùm carnem*] i. per circumcisionem; vel quod ad carnalem cognationem attinet? h. e. à quo circumciso nos circumcisi originem & genus ducimus?

2. *Gloriam*] *Unde glorietur*, vel *unde jactet se*; sub. *coram hominibus.* ¶ *Non apud Deum*] i. Non in Scripturis Dei, ubi Deus loquitur: vel, à Deo non propterea justus habetur.

3. *Reputatum*] *Imputatum*: i. habitus fuit pro justo à Deo.

4. *Operatur*] Sub. *spe mercedis*: i. qui operibus suis non confidit.

5. *Credenti autem in eum*] *Credit autem ei.*

6. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus*, &c.] Heb. Ad hunc modum & David describit beatos esse homines quibus, &c. ¶ *Accepto fert.*] Vel, *imputat*: i. justum existimat nullâ operum habitâ ratione.

8. *Imputavit*] *Imputabit*, Vet.

9. *In circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio?*] *In præputium tantum, an & in circumcisionem?* i. ad Judæos tantùm an etiam ad Gentes pertinent? Vet. non legunt *manet.*

10. *In circumcisione, an in præputio?*] i. Circumciso Abrahæ, an præputium adhuc habenti? ¶ *Sed*] Vel, *igitur.*

11. *Signaculum*] i. Signum quo certior redderetur se justificatum esse per fidem quam habuerat cùm adhuc esset incircumcisus. ¶ *Est*] *Fuerat.* ¶ *Sit*] Vel, *esset.* ¶ *Per præputium*] i. Incircumcisorum. ¶ *Ad justitiam*] *Justitia.*

12. *Non iis tantùm qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur*] *Non circumcisis solummodo, sed etiam iis qui incedunt per.* ¶ *Est*] *Fuit*: i. Quam habuit Abraham cùm adhuc esset incircumcisus.

13. *Seminis*] Heb. Posteritati.

14. *Qui ex Lege*] i. Qui Legem observant; vel, Judæi. ¶ *Exinanita est*] *Inanis facta est*: i. frustrà prædicatur fides. ¶ *Abolita est*] Vel, *irrita facta est.*

15. *Iram operatur*] i. In nobis excitat indignationem adversùs Deum qui tulit eam Legem quæ peccatum indicat, quod non reputabatur esse peccatum; ¶ *Nec prævaricatio*] i. transgressio non agnoscitur.

16. *Ex fide*] i. Propter fidem; sub. *datur hereditas.* ¶ *Ut secundùm gratiam* *] i. Ut gratiæ debeamus hereditatem, non Legi * *ut* Vet. ¶ *Ei*] Sub. *semini*: i. Judæis Legem habentibus. ¶ *Qui ex fide est Abrahæ*] i. Qui eandem fidem habet quam habuit Abraham.

17. *Ante Deum*] q. d. Pater coram Deo, non coram hominibus: i. non secundùm humanum judicium; pater enim spiritualis est. *Cui credidisti*] *Cui credidit*, Vet. ¶ *Vivificat*] *Vitæ restituit*, Hebr. ¶ *Tanquam ea quæ sunt*] *Tanquam sint*: i. cui perinde omnia sunt præsentia.

18. *Contra spem in spem credidit, ut*] Hebr. Qui cùm naturâ sperare nihil posset, tamen spe adductus, Deo promittenti credidit, quòd, &c. ¶ *Dictum*] *Promissum.*

19. *Infirmatus*] Vel, *debilitatus.* ¶ *Suum* *] * *Jam*, ¶ *Emortuum*] *Effœtum*: i. ad generandum ineptum.

20. *In promissione etiam*] *Ad promissionem verò.* ¶ *Hæsitavit*] *Dijudicavit, disquisivit*: quomodo se posset id fieri. ¶ *Confortatus*] *Robustus factus.* ¶ *Dans gloriam Deo*] i. Verbo Dei credens, cui nihil esset impossibile.

21. *Plenissimè sciens quia quæcunque promisit Deus, potens est*] *Certus factus* [vel, *certâ acceptâ persuasione*] *quòd is qui promiserat, potens esset.* Vet. non legunt *Deus.*

24. *Reputabitur*] *Imputabitur*: i. habebimur justi si crediderimus, &c.

25. *Nostram*] *Nostri*: i. ut crederemus illum esse Messiam & filium Dei, & propter eam fidem justi haberemur à Deo.

CASTALIO.

5 Q*UI sontem justificat*] רשע quandoque *sontem* & *qui alteri facit injuriam* declarat, ut Exod. 2. In ea notione positum est hoc loco vocabulum ἀσεβής, ut & cap. 5. ubi idem est ἀσεβής & ἁμαρτωλός.

12. *Non iis solùm qui sunt à circumcisione*] Τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον dictum est pro οὐ μόνον τοῖς ἐκ περιτομῆς, ut rectè vertit vetus Interpres: sicut 1 Thess. 1. 8. Ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ οὐ μόνον ἐν τῇ Μακεδονίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν παντὶ τόπῳ ἡ πίστις ὑμῶν ἐξελήλυθεν pro, Οὐ μόνον γὰρ ἀφ' ὑμῶν, &c. Talem verborum transpositionem invenies & 2 Tim. 2. ubi nos vertimus; *Laborandum agricolæ est*, &c. & Hebr. 11. Est autem apud Paulum paulò perturbatior sententia, quæ sic enucleari potest, *Abrahamus pater est omnium fidentium. Sunt autem fidentium duo genera, præputiati, & circumcisi. Non solùm circumcisorum fidentium pater est, sed etiam præputiatorum fidentium.* Eadem sententia paulò pòst sequitur, *Non solùm quæ à lege, verùm etiam quæ ab Abrahami fide fit, qui noster omnium pater est.* Sed quomodo pater est, dicet aliquis) cùm sit mortuus? An patrem habemus mortuum? aut is pater dici potest qui non est? Nam hæc pugnantia sunt, eundum esse & non esse. Interiisse, est non esse: patrem esse, est esse: Ergò idem qui interiit, pater esse non potest. Ad hæc respondet Paulus; Pater est noster non apud nos, quibus non vivit, sed apud Deum; cui vivit (*ei enim vivunt omnes*) & a quo revocandus est in vitam. Itaque Deus eum jam vocat *Multiparentem* (hoc enim declarat *Abrahami* nomen) perinde ac si jam esset multiparens, cùm tamen nondum sit nobis, sed futurus est: nam à Deo revocabitur in vitam. Nunc jam est Deo, cui sunt omnia præsentia. Similis est & illa Luc. 20. Christi sententia, *Viventium Deus est, non mortuorum: quippe cùm ei vivant omnes*

de

de qua ibi ideo nihil scripsi quòd eam nondum intelligebam: videbatur enim animorum Immortalitatem ostendere, cùm de Resurrectione disputaret. Quanquam nè nunc quidem de ea affirmabo: tantùm dicam quid mihi venerit in mentem. Cùm dicatur *Abrahami*, *Isaaci & Jacobi*, necesse est ut aut illi vivant, aut Deus sit mortuorum Deus. Atqui mortuorum esse Deum, est nullius esse Deum, cùm mortui non sint. Necesse est ergò ut illi vivant. Sed non vivunt. Fateor, non vivunt hominibus, quibus tantùm præsens vita, præsens est; sed vivunt Deo, qui eos in vitam revocabit: quæ vita nobis futura, Deo præsens est. Ergò erit mortuorum resurrectio. His Christus Sadducæos refellit. Sed quid sit *omnes Deo vivere*, & *ei omnia esse præsentia* adhuc manet obscurius: nos sic conabimur exponere. Formicæ præsens est terra in palmi longitudinem; quoniam humili corpore, non cernit longiùs. Homini præsens est (ex. gr.) in decem palmorum longitudinem. Ità quicquid est intra unum palmum id formicæ præsens est, novem palmi sunt absentes: At homini & unus ille palmus & reliqui novem præsentes sunt. Ità fit ut idem & formicæ absens & homini præsens sit. Adducam aliam similitudinem. Fluit aqua Rheni: Ejus parvula portio mihi nunc præsens est, quæ paulò antè præsens erat Schafusianis, eadem paulò pòst præsens erit Argentinensibus: At Sol totum hoc spatium præsens habet, támque ei præsens Argentina est quàm Basilea. Sic tempus fluit ut aqua: temporis pars ea in qua sumus nobis præsens est: at Deo, qui maximus est & sempiternus, universum tempus, & quod fuit, & quod est, & quod erit, præsens est. Ità quòd revivisset aliquando & vivet Abrahamus, id nobis absens & futurum est; at Deo id tempus, & proinde ea res, præsens adest. Vide 4 Esd. 5. ubi Dei judicium circuli simile dicitur. Hæc ego caligantibus animi oculis dico, non affirmo.

CLARIUS.

1. QUID *ergò dicemus invenisse Abraham*] Dixi *non abrogare nos Legem per introductionem fidei, sed stabilire:* nam fides fundamentum est quoddam circumcisionis: quod adeò sic cognoscite. Exordiamur enim, inquit, ab ipsa origine unde profecta circumcisio est, & nusquam inveniemus ipsum Abraham vestri generis autorem justificatum ex facto Legis, ut gloriam ex eo habuerit apud Deum, sed tantùm apud homines, qui cùm cernerent signum illud in eo circumcisionis, justum illum quidem esse virum intellexerunt & gratum Deo; sed jam antea apud Deum fuerat justificatus: nam scriptum est, *Credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad justitiam.*

4. *Ei autem qui operatur*] Hunc locum faciliùs intelliges si cogites id quod dicitur *ex fide* & quod dicitur *secundùm gratiam* idem esse, hoc pacto; *Ex fide justificari est sine operibus justificari*; *sine operibus* verò est *secundùm gratiam:* Quare *justificari ex fide* est *justificari secundùm gratiam:* unde alibi ait, *Ideo ex fide, ut secundùm gratiam.* Dicamus ergò, Si facto aliquo justificatus esset, non diceretur fide justificatus, & ex illa fide (hoc est enim *secundum gratiam*) *mercedem accepisse*, sed *ex debito aliquo* quod factum sequitur: sed cùm non fit mentio alicujus *facti*, sed tantùm *fides in Deum*; *qui justificat impium*, profectò *fides illa imputatur ad justificationem.* Et testimonium David profert, qui cùm illa scriberet verba, cernebat futuram hanc ex fide justificationem. Cùm enim dixit *Beatum esse cui non imputaverit Deus peccatum*, quæ est declaratio superiorum verborum, nomen *imputationis* excludit Opera, & significat gratuitam condonationem: alioqui de eo qui operibus fecisset satis, non aptè diceretur *non imputari illi peccata*, quod idem in exsolvendis debitis pecuniis usu venit. Atque ut omnem jam tum auferret Deus vobis gloriandi in factis Legis occasionem, ecce justificationem hanc obtigisse Abrahæ *dum adhuc esset in præputio. Circumcisionem* ergò illam *accepit*, non ut justificaretur, sed *ut signum esset* hominis jam *justificati* & grati Deo. Quod si cogitaretis, non tanti faceretis Circumcisionem, perinde quasi salutem & justificationem illa afferat, quam sola fides etiam ipsi Abrahæ contulit. Præterea justificatio illa ex fide que fuit in præputio significavit *hunc Abraham futurum patrem omnium qui in præputio crederent, ut imputetur & illis eadem justitia:* & illud nomen *Pater circumcisionis*, non ad vos solùm refertur, verum ad omnes etiam *qui sequerentur vestigia fidei quæ fuit in præputio patris nostri Abrahæ.*

13. *Non enim per Legem Promissio*, inquit, illa quæ facta est *Abrahæ, ac semini ejus, non ex Lege profecta est, sed ex justitia fidei.* Quam promissionem si a Lege exspectatis, videte quanto vosmetipsos in discrimine constituatis: nam *abrogatâ fide, abrogatur* & justificatio *& promissio*, quæ fidem sequebantur: tantùm remanet *ira atque ultio*, proprium *opus Legis:* nam ubi audis *Legem*, mox intelligis *transgressionem*, quam Lex ulciscatur. Necesse est ergò ut fidei ac gratiæ innitare si firmam tibi esse velis promissionem; quæ promissio etiam ad Gentes esset proferenda, quæ imitatione fidei patrem habituræ essent Abraham: nam iccirco in præputio ex fide justificatus.

17. *Ad exemplum Dei, cui crediderat*] Ut scilicet quemadmodum Deus non particularis quorundam, sed omnium est Deus, sic & Abraham omnium pater. ¶ *Qui vivificat mortuos*] Credidit, inquit, Abraham promittenti Deo, cùm sciret Deum non solùm ex sterilibus & effœtis posse fœcundos homines facere, verùm etiam *à mortuis excitare*, *& quæ non sunt vocare, quasi sint:* ut minùs miremini vos Gentes etiam ad fidem accersendas, quas ità contemnitis perinde quasi nihil sint.

25. *Et resurrexit propter justificationem nostram*] Nam ejus resurrectio declaravit illum esse Deum à quo essemus justificati: resurrectio ergò fidem fecit nostræ justificationis. Vel etiam sic, Non ob hoc sua fecit peccata nostra, dum moriendo eorum pœnas dedit, ut nos teneret ipse obnoxios morti, verùm ut justificaret, vivificans nos qui mortui ob peccatum fueramus. Et vide ut remissionem peccatorum ad Mortem, interiorem autem renovationem, quæ fit per infusionem charitatis ad Resurrectionem Christi retulit: nam exortus novæ vitæ quædam est resurrectio.

ZEGERUS.

1,2. QUid *ergò dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*] Dixerat superiùs divinus Apostolus hominem fide justificari citra Legis Mosaicæ opera: id jam exemplo comprobat, non plebei cujuspiam hominis, sed ejus de cujus stirpe, justitia & autoritate universa gloriabatur Judæorum propago. *Quid ergò*, inquit, *dicemus*, si Mosi præscriptis justitiam parandam contendas? Quid putabimus *Abraham parentem nostrum consecutum per carnalem* illam circumcisionem, pérque cætera Legis *opera?* Sanè *si justus hinc habitus est*, *gloriam quidem promeruit*, quâ fortasse glorietur apud sese, aut apud seculi hujus cæcum quod secundùm faciem judicat, mortalium vulgus; *at non* ejusmodi gloriam adeptus est quæ justum commendatúmque redderet *apud* remuneratorem & glorificatorem *Deum.* Nec secùs cum Abrahamo agebatur quàm cum his qui canonicarum sanctionum ac ceremoniarum observationibus, mortalibus quidem, qui secundùm faciem dijudicant, habentur probi, justi, pii, cùm tamen ejusmodi observatio sola neminem reddere justum possit apud eum qui cor intuetur & secundùm animi cujusque rationem dijudicat. Et juxta hunc sensum clausula *secundùm carnem* ad τὸ *invenisse* referenda est. Non negaverim tamen ad *Abraham* quoque posse referri: est enim pater omnium Judæorum secundùm propagationem carnalem, verùm secundùm spiritum ac fidei imitationem non item.

4. *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam sed secundùm debitum*] Judæo operanti ea quæ Legis sunt, quæ redditur merces, haud putanda est gratuitò persolvi, sed ex merito & condigno; quemadmodum conductitio operario ob pactionem & operam præstitam laboris fructus rependitur. Porrò autem,

5. *Ei qui non operatur*] Nempe Gentili, à Lege Mosaica alieno, imò etiam Judæo, qui à Legis oneribus ad libertatem sese contulit fidei Christianæ, eóque firmo dilectionis ac fidei glutino impiorum adhæret Justificatori, fides illius non secundùm debitum, sed secundùm propositum gratiæ Divinæ reputabitur, ut justus haberi mereatur. ¶ *Secundùm propositum gratiæ Dei*] Hæc tametsi non legantur in vulg. cod. Græcis consentiente Origene & Theophylacto, Latini tamen tam veteres quàm recentiores constanter addunt: quibus adstipulantur Ambrosius, Scholiastes apud Hier. & Sedulius. Proinde censuerim hæc ipsa haudquaquam submovenda; etiamsi unus aut alter codex fortè reperiatur qui dissonet. Sensus est, Ità ab æterno esse decretum ut gratis pro justis haberentur credentes fide verâ & vivâ. Vel *secundùm propositum gratiæ*, i. juxta gratiam expositam & obviam cuivis credere volenti.

6. *Beatitudinem hominis*] Dixit pro *beato homine*, antiquo & Hebræo more, quo frequenter denominans pro suo ponitur denominativo: sicut Gen. 1. ubi pro illa, *Terra erat inanis & vacua*, Hebræa ad verbum reddita habent, *& terra fuit vastitas & vacuitas.*

9. *Ter-*

9. *Tantum manet*] Has voces aut certè similes Græcus contextus subintelligendas relinquit quas interpretans, quò dilucidior esset sententia, nobis expressis.

10. *In circumcisione, an in præputio?*] In Abrahamo jam circumciso, an adhuc in præputio agenti atque incircumciso? Certè in incircumciso.

11. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio*] *Et accepit* Abraham *signum*, sive *notam*, nempe *Circumcisionem* quæ esset *in sigillum testificativum & confirmativum ejus justitiæ quæ fidei est*, sive *quæ per fidem contingit*, *quam* vel *incircumcisus* Abram habuisse dignoscitur.

12. *Non iis tantùm qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei*] Ne te hic moveat traductionum dissonantia, indicandum putavi cum Vulgata traductione consentire vetustiores interpretes, nominatim Ambrosium atque Origenem, & hanc magis expostulare ipsius sermonis consequentiam. Nam ex eo quòd quidam vertit, *iis qui non solùm genus ducerent à circumcisis, verùm etiam ingrederentur vestigiis fidei*, videri posset Apostolus quasi de solis loqueretur Judæis, cùm palàm sit de Judæis simul & Gentibus fieri sermonem.

13. *Non enim per Legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei*] *Haudquaquam*, inquit, merito servatæ *Legis*, quæ necdum prodita erat, *Abrahæ, aut ipsius semini*, h. e. fideli & dignæ tali parente posteritati, vel facta est vel contigit Divina *promissio*, nempe *quod ipse* in suis posteris *heres futurus esset ac fuerit mundi*, juxta illud quod in Genesi sibi à Domino dictum audivit cap. 13. *Vide à loco in quo nunc es ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem: omnem terram quam conspicis tibi dabo & semini tuo*, &c. *sed* hoc ei contigit merito & *justitiâ* ipsius *fidei*.

14, 15. *Si enim qui ex Lege heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur*] Si illi qui Legis sunt observatores Mosaicæ, *heredes sunt* promissorum, necessum est *inanis atque inutilis fuerit* tum Dei promittentis tum Abrahæ posteritatisque ejus credentis *fides*, eoque etiam *vana ac frustraria fuerit* Dei *promissio*, nimirum ea de qua modò dictum est. Tantum enim abest ut Lex ei hoc præstare potuerit, ut Dei citiùs *iram* fuerit inductura, atque inducat.

16. *Ideo ex fide*] Subaudi *contingit justitia atque pollicitationum hereditas, idque juxta favorem gratiæ Divinæ*.

17. *Et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*, τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα] i. Suâ omnipotens Deus potentiâ efficit ut non entia esse incipiant; qui nati non sunt, nascantur; & quæ nihil prorsus sunt, nihil sint minùs quàm quæ maximè aliquid esse æstimantur. Judæi soli sibi videbantur vivere & esse aliquid; Gentes contrà pro mortuis & nihili ab ipsis habebantur: At Deus gratuitâ suâ bonitate hos vel maximè eligere sibi atque vocare dignatus est.

18. *Qui contra spem in spem credidit*, &c. Dum videlicet sibi diffidens pollicitatori fidebat Deo, dum in rebus desperatis sperabat, dum destitutus viribus propriis ultra spem humanam, totus à spe in Deum pendebat divina, in qua una conquiescebat. *Credidit*, inquam, *futurum se patrem multarum gentium*, emortuo jam tum tam suo quàm uxoris suæ corpore. ¶ *Sic erit semen tuum*] Quæ hìc in Latinis duntaxat subjiciuntur, *sicut stellæ cœli & arena maris*, quanquam non sint apud Chrysostomum & Oecumenium, sunt tamen apud Origenem & Theophylactum: quæ etiam attingunt (licèt palàm non legant) Ambrosius & Sedulius. Quare non modò in Latinis relinquenda, verùm etiam in Græcis judicaverim potiùs adjicienda: Quin & sensus ipse alioqui esset imperfectus. Antiqui quidam codices tamen habent, *Sic erit tamen tuum, sicut arena maris*.

H. STEPHANUS.

3. Ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην] *Imputatum est ei pro justitia.*

6. Λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου] *Prædicat beatum illum hominem.*

9. Ὁ μακαρισμὸς οὗτος] *Ista beatitatis prædicatio.*

11. Εἰς τὸ λογισθῆναι] *Ut imputetur.*

19. Μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει] *Cùm non relanguisset ejus fides.*

20. Εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ] *Adversùs promissionem Dei non disceptavit præ infidelitate*: vel, *per infidelitatem*. q. d. Non ità fuit incredulus ut de promissione Dei dubitarit.

21. Πληροφορηθεὶς] *Planè persuasus.*

25. Διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν] *Ut justificaremur.*

DRUSIUS.

1. *Invenisse*] Εὑρηκέναι, i. *adeptum* (aut *consecutum*) *esse*. Sic Hos. 12. 8. *inveni opus mihi*. Terentius Heaut.

Labore inventa mea cui dem bona,

i. parta. Hoc significatu *invenire gratiam* dixit Plinius; *laudem*, idem Terentius; *infortunium*, Plautus; *mortem*, Tacitus; *perniciem aliis & sibi*, Cicero; *molestiam*, Moses Exod. 18. 8. Rursum Terentius in Heautont.

Atque ibi simul rem & gloriam armis belli repperi.

i. paravi & acquisivi mihi, vel certè adeptus sum.

16. *Pater omnium nostrûm*] Credentium, tam Judæorum quàm Gentium. Sic dico, *Pater* est quidem secundùm carnem omnium Judæorum, secundùm fidem autem eorum tantùm qui sunt in numero credentium, sive circumcisi sint sive non.

18. *Ut fieret pater multarum gentium*] Allusit ad nomen *Abrahami*; qui priùs *Abram* vocabatur, i. *Pater altus*, postea nominatus fuit *Abraham*, insertâ literâ He. Id sonat אב רב המון *Pater multæ multitudinis*, quod idem cum illo, *multarum gentium*, aut *multorum populorum*. Nam המון *multitudo* quævis, ergò gentium aut populorum.

19. *Minimè debilis*] i. Fortissimus. Talia sunt, *Non gaudet stulti pater*, vehementer dolet; *Non prosunt thesauri improbè parti*, valde obsunt aut nocent; *Suscipere personam in judicio non est bonum*, pessimum est; & si quæ alia notata in libellis à me vulgatis. Qui habent, quærant, si otium eis est & si volunt. Mox se explicat cùm ait, ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει *robustus factus est fide*. ¶ *Corpus jam emortuum*] Ergò corpus ad gignendum è vetula ineptum, non è qualibet muliere. *Corpus* enim *emortuum* duplici sensu dicitur uno modo dicitur de eo qui generare non potest omnino; alio modo dicitur: de eo qui generare non potest ex vetula, etiamsi possit ex juvencula: hoc sensu de Abrahamo legitur quòd habuerit *corpus emortuum*, cùm tamen postea ex Cetura generaverit. Vide quæ notavimus Ebr. 11. 12. ubi aliter hæc enarramus, & meliùs, meo judicio. Vide Augustinum Quæst. lib. 1. qu. 32. ¶ *Sara*] Quæ priùs *Sarai*, mutato nomine *Sara* dicta est postea, i. שרה, quæ vox *principem feminam* designat. Id Græci scribunt Σάῤῥα quomodo scriptum hoc nomen invenies & cap. 9. 9. & alibi. Unde Justinus in Disput. cum Tryphone Judæo scribit additam literam ῥῶ: nempe ex Σάρα, si vera illa scriptura, factum Σάῤῥα Sed causa non est cur recedamus ab Ebraica veritate. Quid Græcos moverit ut ità semper hoc nomen scriberent, fateor me ignorare. *Sarra* in Latio est Tyrus, unde Ennius dixit *Pœnos Sarrâ oriundos*, & Virgilius, *Sarrano dormiat ostro*, i. Tyrio: Interpres vetus Juvenalis, *Tyria purpura*, *s. Sarrana*. Sed ad rem. Scripturæ *Sarai* respondet apud Græcos Σάρα, unicâ ρ, & Σάῤῥα est quod Ebræi dicunt שרה. Syri scribunt סרה. Nam Sin, h. e. ש, cum puncto in sinistro cornu, vel si dentem mavis appellare, mutant in Samech. Id notius est quàm ut probari debeat. Qui *Saracenos* à *Sara* dictos putant, hallucinantur: Nam aliam habent rationem nominis, ut suo loco dixi, & dicam iterum cùm occasio erit.

23. *Non propter eum solum*, &c.] Huc facit sententia illa Ebræorum, כל מה שאירע לאבות סימן לבנים, *Id quod accidit patribus signum est filiis*.

CASAUBONUS.

12. Τοῖς στοιχοῦσι] Vox in his libris frequens, ut & apud Epiphanium passim.

CAMERON.

4. Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς, &c. Si Deus, dicet Pontificius, homini aliquid debet, necesse est intervenerit ratio mutui pacti inter hominem ἐργαζόμενον & Deum ex debito reddentem mercedem. Atqui Apostolus hoc videtur hic affirmare, alioqui nullum esset discrimen inter Deum remunerantem ex Lege & miserentem in Euangelio: ὀφείλημα nempe pertinet ad Legem, χάρις verò ad Euangelium. Ergò Deus homini, propriè loquendo, aliquid reddere videtur, siquidem ex debito reddit. Ità statuitur operum meritum. Sed primò ἐργαζόμενος eo loco non significat *hominem perfectè justum*, sed *eum*

qui

qui est mercenarius. Sic nempe argumentatur Apostolus, Cùm mercenario merces solvitur, hoc fit ex debito: At vita æterna non datur κατ' ὀφείλημα *ex debito*, sed κατὰ χάριν Ergò non datur ex mercede operantibus, seu mercenariis. Subjicit enim versu seq. Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ &c. quibus continetur assumptio illius argumenti, Mercenario licet jure & legibus agere adversùs Patremfamilias, filio non licet: Itaque quod filio datur est κατὰ χάριν, non κατ' ὀφείλημα, & quod datur κατ' ὀφείλημα, datur tanquam mercenario: Vita autem æterna datur tanquam filiis; est enim hereditas: Ergò non datur operanti ex mercede. Atque hic observandum est, Omnes sectatores justitiæ Legalis esse mercenarios: postulant enim omnes vitam sibi dari; putántque eam sibi deberi tanquam mercedem pro opere: Si itaque Deus eis retribueret mercedem, id faceret quasi ex debito. Dixi *quasi ex debito*, quia revera Deus nihil illis deberet, cùm nihil præstiterint quod non debuerint, nulláque sit inter Deum & ipsos proportio; sed quia per opera sua vitam & justitiam quærunt, si Deus eis retribueret mercedem, censeretur id facere quasi ex debito. Respondeo secundò, Dato, non concesso ἐργαζόμενον hic significare *hominem perfectè justum*, Apostolus non affirmat inveniri aliquos ejusmodi ἐργαζομένους. tantùm dicit, Si invenirentur aliqui, mercedem redditum iri illis *ex debito*; *non ex gratia.* Nihil itaque hic locus facit ad Justificationem nostram ex operibus asserendam. Quod autem dicit Apostolus ejusmodi ἐργαζομένοις reddi mercedem κατ' ὀφείλημα, non verò κατὰ χάριν, hoc sic est intelligendum; Deus nempe dici potest imputare aliquid κατ' ὀφείλημα duobus modis, vel ἁπλῶς; vel κατά τι, *absolute* vel *comparatè*. Dicitur Deus aliquid *simpliciter* & *absolute* retribuere κατ' ὀφείλημα, cùm id facit verè & propriè; Deus autem nihil sic retribuit homini. Dicitur autem κατά τι *comparate* id facere, cùm est in creatura causa sine qua non: V. g. Deus non dat homini peccatori vitam æternam κατ' ὀφείλημα· quare? Quia homo promeritus est peccato suo contrarium vitæ æternæ, nempe mortem æternam. Sed si quisquam esset qui peccator non esset, diceretur illi dari vita æterna κατ' ὀφείλημα, non simpliciter & absolutè, quasi Deus jure ad hoc cogatur, quin si illam ei negaret, faceret tum secundùm quod ei licet, non secundùm id quod ei libet, sed diceretur tamen κατά τι retribui illi vita æterna κατ' ὀφείλημα quia contrarium illius vitæ non esset promeritus, & comparatè ad eum qui peccator est. Nam si instituatur comparatio inter hominem perfectè justum, quem Deus servat ex pacto Legis, & eum cui remittit peccata, videbitur vita æterna ὀφείλημα illius respectu præ eo cui Deus remittit peccata. Respondeo tertiò, Non perinde omnia Deo libère. Alia enim sunt quæ ita Deo libet facere ut possit tamen ea aliter facere secundùm jus & dominium absolutum, alia verò sunt quæ itá Deo libet facere, ut ea non possint non ei libère. Libet Deo vitam æternam homini perfectè justo dare, nec potest illud ei non libère, non quòd ei non liceat ex jure absoluto aliter facere, sed quia itá per naturam bonus est ut hoc non possit ei non libère. Jam cùm Deus dat homini id quod non potest ei non libère (ut cùm dat vitam ei qui est perfectè justus, siquis esset ejusmodi) tum dicitur illud dare κατ' ὀφείλημα· cùm verò dat id quod potest ei non libère, dicitur illud dare κατὰ χάριν, ut cùm peccatori remittit peccata; hoc enim itá ei libet ut possit non libère.

GUALTPERIUS.

5. Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην] Observatione dignissimum est quòd P. Syrus versiculum hunc itá reddit, *Illi vero qui non operatus est, sed credidit* MODO, sive TANTÙM, (בלחוד *balchud*) *in eum qui justificat*, &c. Quæ particula *Balchud* apertissimè æquipollet sive æquivalet huic, SOLA *fide fuit justificatus Abrahamus*; & sic omnes spirituales ejus filii, vestigiis Principis patrum (ut Syrus eum appellat) insistentes. Quod probè contra ψευδωνύμους monachos, scelestissimos puto Jesuitas Pontificios, tenendum.

JAC. CAPPELLUS.

25. QUI *traditus est propter offensas nostras, resurrexit autem propter justificationem nostri*] h. e. Qui mortis quidem suæ merito pro nobis satisfecit, resurrectionis autem suæ potentiá reddit efficax mortis suæ pretium ad nos justificandos, absolvendos à peccatis & reconciliandos cum Deo, nobis videlicet applicando meritum illud quo pro nobis Deo satisfecit. Loquitur autem pro more Paulus in electorum persona, quibus peculiaria sunt hæc Dei beneficia. Ergóne Christus eodem modo pro nobis resurrexit quo mortuus est pro nobis? Minimè. *Pro nobis mortuus* cùm dicitur, intelligitur mortuus loco nostro, quia tenebamur peccatorum nostrorum pœnas luere, non eramus autem solvendo. Has quia loco nostro solvit Christus, has jam luere non tenemur. Hoc modo pro reprobis non est mortuus, quia tenentur adhuc peccatorum suorum pœnas luere. At *resurrexisse pro nobis* cùm dicitur, bono nostro resurrexisse dicitur. Nec enim tenebamur resurgere, sed nobis id erat necessarium, & tamen longè supra captum virium nostrarum. Ideo *pro nobis*, i. bono nostro, *resurrexit Christus*, ut suæ resurrectionis efficaciâ nos quoque excitaret à mortuis & suæ resurrectionis compotes faceret.

LUD. CAPPELLUS.

17. Καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα] Erasmus exponit illud τὰ μὴ ὄντα de *rebus quæ nullius sunt ponderis aut momenti.* Sed τὰ μὴ ὄντα hic idem est quod *Nihil*, ex quo Deus omnia eduxit. Estque ea phrasis Rabbinica quâ significatur creatio è nihilo. R. Salomon F. Gabirol in כתר מלכות verba faciens de rerum omnium creatione, sic loquitur, קורא אל האין ונבקע ואל היש ונתקע ואל העולם ונרקע h. e. *Vocat Nihilum, & exciditur*; i. omnia ex eo, tanquam ex ovo pullus, excluduntur; *&* τὸ *Ens, atque firmatur*; *& Mundum, & extenditur.*

GROTIUS.

Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα, *Quid ergo dicemus invenisse Abraham Patrem nostrum secundum carnem?*] Judæi Majorum suorum ac præcipuè Abrahami virtutibus fisi putabant, quomodocunque viverent, se semper unos mansuros Dei populum, neque Deum tam rigidè cum ipsis quàm cum aliis acturum: quod & nunc sibi persuadent. Hujus opinionis vestigia non obscura habemus Matth. 3. 9. Luc. 3. 8. Joh. 8. 33, 37, 39, 40. Huic noxiæ persuasioni, sicut Johannes Baptista & Christus occurrerant, ita & hic Paulus occurrendum censuit: & ita quidem ut in Judæos retorqueat sumptum ab Abrahamo argumentum. Ponenda interrogatio post ἐροῦμεν [*dicemus*], ut infra 6. 1. *Quid est ergo quod dicimus? Nempe an dicimus, Abrahamum patrem nostrum consecutum* (*justitiam* scilicet, quæ vox jam præcesserat) *per carnem*, id est, propriis viribus? Quasi dicat, *minimè verò.* Cujus negationis rationes deinde reddit. *Caro* opponitur Divinæ revelationi, Matth. 16. 17. Gal. 1. 16. *Invenire* respondet Hebræo מצא; quod sæpissime qualemcunque *adeptionem* significat, ut Gen. 6. 8. & 18. 3. & 19. 19. & 32. 5. & 33. 8. & alibi sæpe: quomodo & apud Judæos Hellenistas εὑρίσκειν sumi notavimus Luc. 1. 30.

2. Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, *Si enim Abraham ex operibus justificatus est*] *Si justus apparuit*, ut in Kal, *factis tantum externis*, qualia per se præstare poterat. ¶ Ἔχει καύχημα, *habet gloriam*] *Habet in quo confidat aut unde laudem speret.* De voce καυχᾶσθαι [*gloriari*] vide supra 2. 17, 23. ¶ Ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν. *sed non apud Deum*] Πρὸς hic valet *apud*: diximus Joh. 1. 1. Est aliquod καύχημα [*gloriari*] justum apud Deum, infra 5. 2, 3, 11. 1 Cor. 1. 31. 2 Cor. 10. 17. Philip. 3. 3. Qui ad civilem modum, id est, externa aliqua specie est innocens laudem potest ab hominibus sperare temporariam, non illam æternam à Deo: ἀπέχει τὸν μισθὸν αὐτοῦ [*recipit mercedem suam*], Matth. 6. 5. τὸ γὰρ μὴ ἀδικεῖν οὐκ ἔπαινος [*neque enim laus est, neminem esse injurium*], ait Philostratus de vita Apollonii 6. 2.

3. Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; *Quid enim dicit Scriptura?*] Gen. 15. 6. Postquam narrata fuit Dei promissio facta Abrahamo de sobole, re ipsi insperatâ. Citat locum Paulus ex Græco. ¶ Ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, *Credidit Abraham Deo*] *Fidem Dei promissis habuit*: quod ipsum præsupponit (ut loquuntur scholæ) egregiam existimationem, & de potentia Dei, & de optima ejus fide, unde & fiducia in Deum oritur. Philo in loci illius ex Genesi expositione in libro de herede rerum Divinarum, Μόνῳ Θεῷ χωρὶς ἑτέρου προσπαραλήψεως οὐ ῥᾴδιον πιστεῦσαι, διὰ τὴν πρὸς τὸ θνητὸν ᾧ συνεζεύγμεθα συγγένειαν [*Soli Deo, nullâ re assumptâ aliâ, credere non est facile, ob cognationem quam habemus cum parte mortali, cui sociati sumus*]. Dicitur autem Abraham אברהם (*Abraham*) per πρόληψιν [*anticipationem*], cùm in Scripturis ad id tempus vocetur אברם Ἀβράμ [*Abram*]. ¶ Καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην *& reputatum est illi ad justitiam*] Sic & 1 Maccab. 2. 52. Ἀβραὰμ οὐχ ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιστὸς; καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην; [*Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis,*

lis, & reputatum est ei ad justitiam?] Id est, Deus pro re egregia, valdeque laudabili id habuit, ut in Prolegomenis exposuimus ex loco Psalm. 106. 30. Et meritò sanè, non quòd in fide omnes sint virtutes quas Deus requirit, sed quòd virtus maxima cæterarumque est mater & altrix. τελεωτάτην ἀρετῶν πίστιν [*perfectissimam virtutum fidem*] dixit Philo dicto libro: & fine libri de Abrahamo, τῶν ἐπαίνων τοῦ σοφοῦ κεφαλήν [*caput laudum sapientis*]. libro de Linguis, τὴν ὀχυρωτάτην καὶ βεβαιοτάτην διάθεσιν [*munitissimam & firmissimum habitum*]. sic libro de Coloniis, explicans illud *Ostendam*, Εἰς μαρτυρίαν πίστεως, ait; ἣν ἐπίστευσεν ἡ ψυχὴ τῷ Θεῷ, οὐκ ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων ἐπιδεικνυμένη τὸ εὐχάριστον, ἀλλ' ἐκ προσδοκίας τῶν μελλόντων ἀρτηθεῖσα καὶ ἐκκρεμασθεῖσα ἐλπίδος χρηστῆς, καὶ ἀνενδοίαστα νομίσασα ἤδη παρεῖναι τὰ μὴ παρόντα, διὰ τὴν τοῦ ὑποσχομένου βεβαιοτάτην πίστιν [*In testimonium fidei, quâ hæc anima Deo credidit, non propter repræsentata gratias agens, sed exspectationi futurorum intenta & a spe bona pendens, dubio procul existimans jam facta se habere, quæ nondum aderant, propter fidem pollicentis certissimam*]. & libro de ipso Abrahamo, Ἡ πρὸς τὸν Θεὸν πίστις παρηγόρημα βίου, πλήρωμα χρηστῶν ἐλπίδων, ἀφορία μὲν κακῶν, ἀγαθῶν δὲ φορά, κακοδαιμονίας ἀπόγνωσις, εὐσεβείας γνῶσις, εὐδαιμονίας κλῆρος, ἐν ἅπασι βελτίωσις, ἐπερηρεισμένη τῷ πάντων αἰτίῳ· καὶ δυναμένῳ μὲν πάντα, βουλομένῳ δὲ τὰ ἄριστα [*Fides, quâ Deo creditur, vitæ solatium, spei bonæ supplementum, malis vacua, scatens bonis, depulsio infelicitatis, pietatis assertio, felicitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus, omnium auctori innixa, qui & potest omnia, & vult optima*]. libro de Caino ait, *optimum sacrificium quod Deo offertur Fidem esse.* Justinus planè, ut hic Paulus historiam Abrahami nobis applicans, Τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ, διὰ τὴν ὁμοίαν πίστιν ὄντες· ὃν γὰρ τρόπον ἐκεῖνος τῇ φωνῇ τοῦ Θεοῦ ἐπίστευσε, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡμεῖς τῇ φωνῇ τοῦ Θεοῦ τῇ διά τε τῶν ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ λαληθείσῃ πάλιν, καὶ τῇ διὰ τῶν προφητῶν κηρυχθείσῃ ἡμῖν, πιστεύσαντες, μέχρι τοῦ ἀποθνήσκειν πᾶσι τοῖς ἐν τῷ κόσμῳ ἀπεταξάμεθα] *Liberi Abrahæ sumus ob similem fidem: ut enim ille Dei voci credidit, idque ei ad justitiam imputatum est, eadem ratione & nos voci Dei, quæ per Apostolos Christi denuo promulgata, quæ per Prophetas olim nobis annuntiata, credentes, usque eo mundanis omnibus renunciavimus, ut nec mori recusemus*]. Clemens autem in Epistola ad Corinthios, quod hic de Abrahamo dicitur, generale facit sic loquens, Καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας ἢ συνέσεως ἢ εὐσεβείας ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας, ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ θεὸς ἐδικαίωσε. [*Et nos igitur per voluntatem ejus in Christo Jesu vocati non per nosmet ipsos justificamur, neque per nostram sapientiam vel prudentiam, vel pietatem, vel opera, quæ peregimus in sanctitate cordis, sed per fidem, per quam omnes justificavit, quotquot unquam justificavit, omnipotens Deus*].

4. Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*]. Similitudo ab hominibus desumpta. Sicut qui operas alicui præstat, non ideo amicus est illius: sed mercedem accipit operæ respondentem; sic etiam qui nativa vi, ut potest, Dei præceptis exteriùs aliquo modo paret, habet mercedem, liberatur à suppliciis, ac terram promissam suo tempore possidet: sed non ideo fit amicus, quod de Abrahamo dicitur Esaiæ 41. 8. 2 Paralip. 20. 7. Jacobi. 2. 23. Amicos non facit nisi voluntatum similitudo. Χάρις hic *favorem amicitiamque* significat, ut supra 3. 24. Vide quæ infra 5. 2. & ad Lucam 17. 9.

5. Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, *Ei vero qui non operatur*], Id est, *etiamsi nihil operetur*, occasione fortè destitutus. ¶ Πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, *credenti autem in eum qui justificat impium*] Id est, *ei qui in hoc Deo fidit, ut Dei ope fiat bonus*, etiamsi antè fuisset impius, id est, idololatra, qualis fuerat Abrahamus, secundùm Philonem libro De Abrahamo, libro περὶ ἀποικίας [*De migratione*], libro De pietate, & libro De præmiis: Josephum Antiquæ historiæ 1. 8. & Maimoniden plus uno loco: quam sententiam firmat locus Josuæ 24. 2. quanquam Rabbinis plerisque id negantibus. ¶ Λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην· *reputatur fides ejus ad justitiam*] Illa fides ei plurimùm prodest, quippe à Deo magni æstimata.

6. Καθάπερ καὶ ὁ Δαβὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου, *sicut & David dicit beatitudinem hominis*] Psalm. 32. quem Davidis esse docet inscriptio. μακαρισμὸς [*beatitudo*] etiam Aristoteli & Ammonio est *gratulatio & prædicatio felicitatis alienæ.* ¶ ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων· *cui Deus accepto fert justitiam sine operibus*] *Etiamsi opera nondum adsint*, quia in illa fit mentio *operum*, sed *animi dolo carentis*, id est, sinceri in pietatis studio.

7. Μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*] In Hebræo נשוי פשע, *quibus ablata est improbitas*, id est, qui improbi esse desierunt; sicut David post illud in Uriam facinus vitam mutaverat. Græcum eundem habet sensum, sed per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] Neque enim planè condonat Deus gravia crimina, nisi iis qui vitam jam mutare inceperunt, Ezech. 18. Immeritò hic à quibusdam vapulat Origenes. ¶ Καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι. *& quorum tecta sunt peccata*] Sicut in persanato corpore non apparet vulnus, ita nec in animo sanato ea quæ olim fuere crimina. *Beneficium superveniens injuriam apparere non patitur*, ait Seneca: sic & innocentia per fidem superveniens omnem ex prioribus delictis labem obliterat

8. Μακάριος ἀνὴρ ᾧ οὐ μὴ λογίσηται Κύριος ἁμαρτίαν. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*] Id est, in quo nihil invenit Deus ob quod ei succenseat. Nam חשב quod hic vertitur λογίζεσθαι [*imputare*], Zach. 7. 10. vertitur μνησικακεῖν [*recordari in malum*]. Hæc tria describunt amicitiam hominis cum Deo, χάριν Θεοῦ [*gratiam Dei*]. Similitudo tracta à contrahentium rationibus, ubi is cui aliquid imputatur aut expensum fertur solvere id debet. Vide quæ diximus libro 2. de Jure Belli & Pacis 19. 2. cum annotatis.

9. Ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος, *Beatitudo ergo hæc*] *Descriptio ista beati hominis cui convenit?* ¶ Ἐπὶ τὴν περιτομὴν, *in circumcisione*] An *circumcisis*, supple *tantùm*: quod hic rectè ad sensum addidit Latinus: figura qualis supra 3. 30. ¶ Ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν; *an etiam in præputio?*] *An vero etiam non circumcisis?* figura eadem quæ supra 2. 26. על Hebræum quod ἐπὶ [*in*] vertitur, sæpè subjectum significat cui aliquid convenit, ut apparet Gen. 27. 12. & alibi. Subauditur verbum γίνεται [*fit*]. ¶ Λέγομεν γὰρ, *Dicimus enim*] Præsens pro jam jam præterito. Diximus supra v. 3.

10. Πῶς οὖν ἐλογίσθη; *Quomodo ergo reputata est?*] In quo Abrahami statu? ¶ Ἐν περιτομῇ ὄντι, ἢ ἐν ἀκροβυστίᾳ; *in circumcisione, an in præputio?*] Egregiè hic cædit Judæos, ut dici solet, in suis ipsorum castris: dicere poterant,

> —— Τοῖς αὐτῶν πτεροῖς
> Ἁλισκόμεθα.
> —— [*Nos nostris capi*
> *Pennis videmur*].

Similiter Justinus cum Tryphone disputans, Οὐδὲ γὰρ Ἀβραὰμ διὰ τὴν περιτομὴν δίκαιος εἶναι ὑπὸ Θεοῦ ἐμαρτυρήθη ἀλλὰ διὰ τὴν πίστιν· πρὸ τοῦ γὰρ περιτμηθῆναι αὐτὸν εἴρηται περὶ αὐτοῦ οὕτως, Ἐπίστευσε δὲ τῷ Θεῷ Ἀβραὰμ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην· καὶ ἡμεῖς οὖν ἐν ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ἡμῶν πιστεύοντες τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Χριστοῦ, καὶ περιτομὴν ἔχοντες τὴν ὠφελοῦσαν ἡμᾶς τοὺς κεκτημένους, τοῦτ' ἔστι τῆς καρδίας, δίκαιοι καὶ εὐάρεστοι τῷ Θεῷ ἐλπίζομεν φανῆναι [*Siquidem Abraham non propter circumcisionem justitiæ à Deo reportavit testimonium, sed propter fidem: priusquam enim est circumcisus, sic de eo promulgatum est, Credidit Abraham Deo; & reputatum est ei ad justitiam: quocirca & nos, in præputio carnis nostræ credentes Deo per Christum, & circumcisionem obtinentes nobis eam assecutis utilem, cordis scilicet circumcisionem, justi & grati Deo, ut speramus, apparebimus*]. Abraham quatuordecim ut minimum antè annis, ut quidam putant 25, dicitur credidisse Deo ad justitiam priusquam fuit circumcisus.

11. Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, *Et signum accepit circumcisionis*] Non caret exemplo usurpatio genitivi vice appositionis: sed Manuscripti plurimi & ille in Anglia habet περιτομὴν [*circumcisionem*], & sic legit Syrus. Circumcisio illa aspectabilis signum erat circumcisionis internæ factæ per Fidem, quæ & *justitia Fidei* jam dicetur. Sunt τὰ αἰσθητὰ σημεῖα [*quæ sub sensum cadunt signa*] sive σύμβολα τῶν νοητῶν [*symbola eorum quæ sub intellectum*]. Sic circumcisio exterior etiam Philoni σύμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς [*symbolum excisionis voluptatum*]. Quod hic σημεῖον [*signum*] Paulus, id alibi τύπον [*typum*] dicit infra 5. 14. 1 Cor. 10. 6, 11. Justinus in colloquio cum Tryphone, Δείκνυσι ὅτι εἰς σημεῖον ἡ περιτομὴ αὕτη δέδοται, ἀλλ' οὐχ ὡς ἔργον δικαιοσύνης [*Ostendunt in signum datam circumcisionem istam, & non ut justitiæ opus*]. ¶ Σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, *signaculum justitiæ fidei*] Circumcisionem corporis vocat σφραγῖδα [*signaculum*] ex parte Abrahami: quia sicut testes, cùm annulum imprimunt instrumento, ostendunt id esse sincerum, sic

& Abraham imprimens sibi notam circumcisionis, plenam doloris & irrisam apud exteros, ostendit *justitiam*, id est, *sinceritatem fidei suæ.* Deus enim promiserat Abrahamo *stirpem in multas gentes exituram.* Addiderat *se daturum posteritati ipsius terram Cananæam*, ac præterea se *Deum futurum*, id est, εὐεργέτην [*beneficum*], *tum ipsi tum posteris ejus*: & in testimonium fidei habito his promissis voluerat notam illam corporibus imponi, ut legimus Genes. 17. 11. Σφραγὶς respondet Hebræo חותם significatque *annulum signatorium*, ut videre est Cantic. 8. 6. Jerem. 22. 24. Ezech. 28. 12. Aggæi 2. 23. Unde & δακτύλιον vertitur Genes. 38. 18, 25, aut etiam ipsam *sculpturam quæ est in annulo aut in re alia*, Exod. 28. 11, 21, 36. & 39. 6, 14, 30. Hinc verbum חתם quod est σφραγίζεσθαι [*obsignare*] 1 Reg 21. 8. Nehem. 10. 1. Esth 8. 8, 10. Esai 8. 16. & 29. 11. Jerem. 32. 10, 11, 44. Dan. 6. 17. & 9. 24. & 12. 4. De cujus verbi usu κατὰ μεταφορὰν [*per Translationem*] diximus Johan. 3. 33. Scriptor responsionum ad Orthodoxos ait meritò σφραγῖδα hanc [*signaculum hoc*], id est, circumcisionem ei parti impressam quæ *per naturam inutilis, per fidem actuosa facta fuerat*, Responso 102. Chrysostomus verò circumcisionem comparat notæ impressæ in militum cutem, quæ ostendit eos ad Imperatorem pertinere. ¶ Τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ· *quæ est in præputio*] *Ejus fidei quam habuerat etiam nondum circumcisus.* Ἐν [*in*] hic ut supra v. 10. ¶ Εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων, *ut sit Pater omnium credentium*] Supra v. 1. Πατέρα [*Patrem*] sumit μυστικῶς [*sensu abdito*]. Quo sensu πατέρα λόγου [*Patrem verbi*] dixit & Philo. Sic *pater* est qui aliis præit institutione aut exemplo. Vide quæ diximus ad Matth. 13. 19. Johan. 3. 3. Justinus contra Tryphonem, τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ διὰ τὴν ὁμοίαν πίστιν ὄντες [*liberi Abrahæ ob similem fidem*]. ¶ Δι' ἀκροβυστίας, *per præputium*] Διὰ [*per*] hic idem valet quod modo ἐν [*in*]. Sic διὰ χειρὸς ἔχειν, *in manu habere*, διὰ στόματος εἶναι, *in ore esse populo* dicunt etiam Græci elegantiores. Vide supra 2. 27. ¶ Εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην *ut reputetur & illis ad justitiam*] Idem est *justitiam imputari per fidem*, quod *fidem imputari in justitiam.* Significat enim *asscribi alicui laudem fidei nomine.* Nam & laus dicitur justitia per μετωνυμίαν [*Transnominationem*]. *Justitiæ deputatus est*, ait Tertullianus.

12. Καὶ πατέρα περιτομῆς, *Et Pater circumcisionis*] Repetendum ex superiori loco εἰς τὸ εἶναι [*ut sit*]: & περιτομὴ [*circumcisio*] hic intelligenda interior, illa cordis. ¶ Τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, *non iis tantum qui sunt ex circumcisione*] Non solis Judæis, Israëlitis, Idumæis & Cethuræ posteris. Ἐκ [*ex*] hic sume ut supra 2. 8, 27. & 3. 26. Τοῖς [*iis qui*] hic generale est: quod deinde dividitur in duo membra, nisi cum Syro mavis arbitrari trajectas hic voces, ut sit τοῖς οὐκ [*iis non*] pro οὐ τοῖς [*non iis*]. ¶ Ἀλλὰ καὶ τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ. *sed & iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ*] More Hebræo nomen posuit pro demonstrativo pronomine. Pater μυστικῶς [*sensu abdito*] est Abraham omnibus, fidem suam imitantibus quam fidem habuit etiam incircumcisus. Στοιχεῖν τοῖς ἴχνεσι, ἴχνεσι βαίνειν, εἰς ἴχνος ἱέναι, κατ' ἴχνος ἀκολουθεῖν [*sectari vestigia, vestigiis insistere, insequi vestigium*] sunt locutiones κατὰ μεταφορὰν [*per Translationem*], pro *imitari*, etiam apud elegantes Græcos. Hebræi pro eodem dicunt הלך בדרך [*incedere vestigio*]. Nam & דרך. ἴχνος [*vestigium*] vertitur Proverb. 30. 19.

13. Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραάμ, *Non enim per Legem promissio Abrahæ*] Supple ἐγένετο [*facta est*]. Non enim promissio illa facta est Abrahamo sub conditione observandi Legem Mosis, quippe quæ nondum tunc erat. Idem sensus Gal. 3. 18. ¶ Ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, *aut semini ejus*] Si non ipsi, ergo nec *posteritati ejus*: nam eadem est promissio, dicto loco Genes. 17. ¶ Τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου, *ut heres esset mundi*] Respicit promissum illud, *Benedictæ erunt in te omnes familiæ terræ*, quod latiùs pertinet quàm ad solius Cananææ possessionem, & magnam mundi partem, quæ *mundus* κατὰ συνεκδοχὴν [*per complexionem*] complectitur. Nam ex eo promisso Abrahami posteritas præter Judæam tenuit Idumæam & cætera Arabiæ, Æthiopiæ etiam non pauca. Quæ felicitas arcanam gerebat imaginem æternæ felicitatis: quod & Philo agnoscit & rectè explicat libro, Τίς ὁ τῶν θείων πραγμάτων κληρονόμος [*Quis rerum Divinarum heres sit*], & apertè nos docet scriptor ad Hebræos 11. 9, 10, 13. Christus πάντων κληρονόμος [*omnium heres*], Hebr. 1. 2. & 2. 5. & sequentibus, & cum Christo Christiani, infra 8. 17. Apoc. 2. 26. Quia apud Hebræos res soli hereditate acceptæ erant inalienabiles, ideo omnis firma atque perpetua possessio ipsis dicitur נחלה *hereditas*, ut Psalm. 2. 8. & alibi. ¶ Ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίστεως. *sed per justitiam fidei*] Per animi probitatem, quæ partim in fide consistit, partim ex fide nascitur aliturque.

14. Εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου, κληρονόμοι, *Si enim qui in Lege, heredes sunt*] Hic relicto sensu historico ad mysticum venit. *Si illi*, inquit, *qui Legem Mosis exteriùs implent*, nempe quà tales sunt, *adipiscentur bona illa futuri seculi.* Ἐκ [*ex*] rursum hic, ut modo v. 12. ¶ Κεκένωται ἡ πίστις *exinanita est fides*] Κεκένωται, *exinanita est* respondet Hebræo אמל Jerem. 14. 2. & 15. 9. Id significat *vi carere.* Sic κενοῦσθαι [*exinaniri*] habes & 1 Corinth. 1. 17. & 9. 15. 2 Corinth 9. 3. Si Lex Mosis exspectanda in hoc fuit, *nihil Abrahamo fides sua profuit.* ¶ Καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία· *& abolita est promissio*] *Ergo promissa illa* multò ante Legem Mosis facta Abrahamo *effectu caruere.* Κατήργηται [*abolita est*] ut modo κεκένωται [*exinanita est*], hic non susceptionem actionis, sed ipsam exsistentiam significat: sicut δεδικαίωται interdum est, *justus fuit.* Sic Galat. 5. 4, 11. Sic בטל, ἀργεῖν [*abolere*] vertitur Ecclesiastæ 12. 3.

15. Ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται· *Lex enim iram operatur*] Ostendit quid faciat Lex illa Mosis, quatenus est Lex Mosis tantùm, id est, quatenus distinguitur ab iis præceptis & interdictis quæ ab initio fuerant. Nempe *infert pœnam* gravibus peccatis & quidem certam, & in multis lethalem, cum ante crimina multa dissimularentur, alia pœnam haberent aut levem aut arbitrariam. Ὀργὴν [*iram*] pro *pœna* habuimus & supra 2. 5, 8. & 3. 5. Vide & Matth. 3. 7. Κατεργάζεσθαι ponitur apud interpretes & pro עשה [*facere*], & pro פעל [*operari*] quorum utrumque *effectionem* qualemcunque significat. Inter virtutes Legis Modestinus ponit *punire*, ut supra diximus. ¶ Οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις. *ubi enim non est Lex, nec prævaricatio*] Melius Manuscriptus ille οὗ δὲ [*ubi vero*]. Non dicit *non esse peccatum*, sed *non esse* [illegible], id est, *contemptum Legis* à Deo non per collectiones, sed expressim datæ: ac proinde minus esse pœnæ meritum. Vide quæ diximus supra 2. 9, 12. & 3. 20.

16. Διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως, *Ideò ex fide*] *Respectu fidei*, nempe ἡ ἐπαγγελία [*promissio*] *Facta sunt Abrahamo egregia illa promissa.* Pendet enim hoc ex illis quæ supra v. 13. ¶ Ἵνα κατὰ χάριν, *ut secundum gratiam*] Unde factum est ut promissum esset ingens, quippe procedens ex summa Dei benevolentia tanquam ad amicum, ut diximus supra. Amicus amicum liberaliter remunerat, & tantò liberaliùs, quantò ipse major est. Conductor operæ operam pari hostimento repensit. ¶ Εἰς τὸ βεβαίαν εἶναι τὴν ἐπαγγελίαν παντὶ τῷ σπέρματι, *ut firma sit promissio omni semini*] Altera ratio cur fidem Deus respexerit, ut paria sperare possent pii quibus à Deo Lex nulla erat data, οἱ σεβόμενοι Ἕλληνες [*pii ex Gentibus*]. *Semen* hic intellige μυστικῶς [*sensu abdito*], ut modò v. 11. nomen *Patris.* ¶ Οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, *non ei qui ex Lege est solùm*] *Non solùm Judæis* quos ita hic vocat ἐκ νόμου [*ex Lege*], ut modò ἐκ περιτομῆς [*ex circumcisione*]. ¶ Ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ, *sed & ei qui ex fide est Abrahæ*] Ἀβραὰμ [*Abraham*] hic est genitivi casûs. Illos indicat *qui fidem habent Abrahami*, id est, qualem Abrahamus habuerat. ¶ Ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν, *qui pater est omnium nostrûm*] Omnium qui unquam verè in Deum credidere, etiam ante Christi tempora.

17. Καθὼς γέγραπται *Sicut scriptum est*] Genes. 17. 5. ¶ Ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε. *Quia Patrem multarum Gentium posui te*] In his verbis causa est mutati nominis *Abram* in *Abraham*, elisa littera ר post ה εὐφωνίας [*soni suavioris*] causâ. Horum verborum sensum mysticum hic usurpat Paulus, patrem ἀλληγορῶν [*abdito sensu nominans*] eum qui exemplo præit, ut modò diximus. ¶ Κατέναντι οὗ ἐπίστευσε, *ante eum cui credidit*] Hic addenda interrogatio. De Abrahami fide locutus quærit *coram quo*, id est, quo teste, *Abrahamus crediderit.* Amat multùm ἐρωτήσεις [*interrogationes*] & πύσματα [*interrogata*] Apostolus, ut notatum tum aliis, tum Isidoro Pelusiotæ. Ipse autem sibi respondet. ¶ Θεοῦ, *Deum*] Id est, *non sanè coram hominibus* quos fides ista latuit, *sed coram Deo.* ¶ Τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκρούς, *qui vivificat mortuos*] Cùm non de oblatione Isaaci agatur, ut Hebr. 11. 17, 18. & Jacobi 2. 21. sed de ejusdem Isaaci ortu promisso, apparet νεκροὺς [*mortuos*] hic per translationem dici *homines decrepitos* & per naturam inutiles ad gignendi functionem, ut ipse Apostolus verbis apertioribus jamjam explicabit, & scriptor ad Hebr. 11. 12. Sic *fides mortua* quæ justitiam ac consequenter salutem de se non edit. A contrario ζωοποιεῖν חיה [*vivificare*] est *ad talem functionem utiles facere.* Sic *curare à lepra* est ζωοποιεῖν [*vivificare*] 2 Regum 5. 7. dicitur ζωοποιεῖν [*vivificare*] & qui nutrit Genes. 6. 20: & qui à malis eximit Psalm

71. 20

71.20. ¶ Καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα· *& vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*] Sicut Hebræis sæpe *vocari* est esse: ita *vocare*, facere ut quid exsistat. Sicut enim dominus servum vocans, facit ut veniat, sic & Deus res eas quæ nec sunt nec futuræ putantur. Ita sumitur id verbum Jer. 32. 23. Τὰ μὴ ὄντα [*ea quæ non sunt*] intellige ea quæ fœtui gignendo, fovendo, pariendo sunt necessaria, δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος [*virtutem in conceptionem seminis*] Hebr. 11. 11. Philo de principatus constitutione, Τὰ γὰρ μὴ ὄντα ἐκάλεσεν εἰς τὸ εἶναι, τάξιν ἐξ ἀταξίας, καὶ ἐξ ἀποίων ποιότητας, καὶ ἐξ ἀνομοίων ὁμοιότητας, καὶ ἐξ ἑτεροτήτων ταυτότητας, καὶ ἐξ ἀκοινωνήτων καὶ ἀναρμόστων κοινωνίας καὶ ἁρμονίας, καὶ ἐκ μὲν ἀνισότητος ἰσότητα, ἐκ δὲ σκότους φῶς ἐργασάμενος [*His quæ non erant dedit ut essent, confusa digessit in ordinem, novas qualitates rebus indidit, similia fecit e dissimilibus, è diversis eadem, ex insociabilibus & dissitis cohærentia sociabiliaque, ex inæqualibus æqualia, ex obscuris illustria*]. Sic Plutarchus de Romulo novæ urbis conditore, ποιῶν ἐξ οὐχ ὑπαρχόντων [*faciens ex non existentibus*]. Idem de Themistocle, Δοκῶν ἐξ οὐχ ὑπαρχόντων παρ' ἀξίαν ἐπαίρεσθαι [*cùm præter meritum è nihilo ad meliorem fortunam evehi videretur*]. Et de Arato, ἐξ οὐχ ὑπαρχόντων ἑαυτῷ δόξαν [*ex nihilo comparavit sibi gloriam*].

18. Ὅς, *Qui*] *Qui Abrahamus*, de quo proposita fuerat quæstio. ¶ Παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, *contra spem in spem credidit*] Est hic ὀξύμωρον [*acutifatuum*], quàm figuram amat Paulus. *Spes insperata*, quomodo *innuptæ nuptiæ*, *nescire quod scias*, *nec capti potuere capi*, aliaque similia. *Credidit in spem*, id est, ita ut speraret ex Dei promisso, *contra spem*, nempe secundùm naturæ Leges. ¶ Εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν, *ut fieret Pater multarum Gentium*] Ut sic omnibus Gentibus exemplo præiret. Vide supra. v. 11. omnes illi erunt קוי יהוה [*sperantes in Domino*] juxta Esaiam 40. 31. ¶ Κατὰ τὸ εἰρημένον· *secundum quod dictum est*] Genes. 15. 5. ¶ Οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου. *Sic erit semen tuum*] Nempe *ut stellæ cœli*, quod ex loco Geneseos hic subauditur. Sumit autem Apostus illa verba, ut & alia supra, in sensu mystico Philo tum de Allegoriis, tum de herede rerum divinarum, per *semen* intelligit καθαρὰς φάσεις [*puras luces*] in Abrahami animo habentes & fulgorem & motus suos ad siderum instar, imò supra sidera. Paulus verò rectius eos qui ad exemplum Abrami tales in animo, velut in terrestri cœlo, luces essent habituri. Celebratum apud Pythagoricos,

Εὐσεβέων δὲ βροτῶν γάνυμαι τόσον, ὅσσον Ὀλύμπῳ
[*Tam pia mens hominum quam me delectat Olympus*].

19. Καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, *Et non infirmatus est fide*] Ἀσθενεῖν τῇ πίστει [*infirmari fide*] dicuntur qui aliqua de re dubitant, ut ostendit locus infra 14. 1, collatus cum 1 Cor. 8. 7, 12. Ἀσθενεῖν ταῖς διανοίαις [*infirmari mente*] 1 Maccab. 11. 49. Oppositum est τὸ πληροφορεῖσθαι [*plenissimè scire*] quod modò sequetur. ¶ Οὐ κατενόησε, *nec consideravit*] Id est, *non mansit id respiciens*: nam consideravit hoc quidem, ut vid/mus Gen. 17. 17. sed hanc cogitationem expulit animo, fretus Deo pollicente. Ergo illud κατενόησε [*consideravit*] hic significat actum permanentem, ut aliquoties Hebræum נבט [*intuitus est*] & Græcum hoc Hebr. 3. 1. ¶ Τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, *corpus suum jam emortuum*] Nempe ad illam functionem, de qua diximus supra v. 17. ¶ Ἑκατονταέτης που ὑπάρχων, *cùm fere centum esset annorum*] Ex Gen. 17. 17. sunt qui ajunt unum defuisse annum, ideo adjectum illud που [*ferè*]. Sic Græci dicunt δέκα που: *circiter decem.* ¶ Καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας. *& emortuam vulvam Saræ*] *Uterum non ultra conceptui aptum*, ut pote anis nonagenariæ. Hunc uterum Philo libro de hærede rerum Divinarum, imaginem ait gerere animæ quæ à rebus in sensum cadentibus abdicata ex Deo concipere incipit.

20. Εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ, *In repromissione etiam Dei*] Hoc εἰς per *contra* non malè transtulit Syrus. ¶ Οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, *non hæsitavit diffidentiâ*]. Τῇ ἀπιστίᾳ]. *diffidentia*,] id est, δι' ἀπιστίας [*ob diffidentiam*]. Διακρίνεσθαι hic, ut & Matth. 21. 21. Marci 11. 23. infra 14. 23. Jacobi 1. 6. idem est quod διστάζειν [*dubitare*] Matth. 14. 31. & 28. 17. ἐνδοιάζειν *hæsitare*] & ἐπαμφοτερίζειν [*alternare*] Philoni, ut diximus ad dictum locum Matth. 14. ¶ Ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει, *sed confortatus est fide*] Passivum hoc hic valet quod Hebræum Hithpahel, pro quo & ipsi Hebræi sæpe ponunt aut Kal aut Niphal. Sic Psalm. 52. 9. in Hebræo est in Kal עז, Græcè in passivo ἐνεδυναμώθη, utrunque pro *firmavit sese.* Quanquam autem *se firmasse* dicitur Abrahamus, intelligendum hoc est Dei excitatu & ope præsentissima. *Posse* enim dicimur etiam quæ per Deum possumus. ¶ Δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ· *dans gloriam Deo*] *Dare gloriam Deo* dicitur qui aut facit aut dicit aut, ut hic Abrahamus, cogitat id quod Deo honorificum est, sive id quod Dei proprietatibus convenit. Vide Luc. 17. 18. & quæ dicta ad Matth. 26. 63.

21. Καὶ πληροφορηθείς, *Plenissimè sciens*] *Planè persuasum habens.* πληροφορεῖσθαι est *impleri aliqua re*, ut apparet Ecclesiastæ 8. 2. ubi in Hebræo מלא *plenum est*. Sic & 2 Tim 4. 5. 17. Hinc ducta translatio ad *persuasionem*, quia ubi quis non dubitat, sed rem pro certa habet, ejus cor dicitur tali re esse *plenum*. Vide infra 14. 5. Hinc πληροφορία ἐλπίδος [*plenitudo spei*] & πίστεως *fidei*, Hebr. 6. 11. & 10. 22. πληροφορηθείς, *plenè persuasus est*, etiam apud Isocratem Trapezitico. ¶ Ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι καὶ ποιῆσαι. *quia quæcunque promisit, potens est & facere*] Nempe Deus, quod nomen præcessit. ἐπαγγέλλεσθαι semper deponentaliter ponitur in his libris pro *promittere*. Promissa pro rebus certis habentur, si nec de voluntate nec de potentia promittentis dubitatur. Deum velle quod promittit facile creditu est. De potentia illi dubitant qui nihil aliud Deum esse putant quam ipsam naturam.

22. Διὸ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. *Ideo & reputatum est illi ad justitiam*]. *Illa fides habita est pro egregia re ac valde laudabili.* Hæc sententia, *fidem Abrahami à Deo pro re magna acceptam*, posita fuit à Mose Gen. 1. 56. ante natum Ismaelem: sed cùm parium par sit ratio, rectè & à Paulo ad fidem de ortu Isaaci, & à Jacobo ad fidem quæ in oblatione Isaaci emicuit, refertur. Fidei enim si initia Deo placent, multò magis incrementa: nec ulla sunt piorum opera in quæ fides non influat.

23. Οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον, *Non est autem scriptum tantùm propter ipsum*] Rectè: nam historias illas de Abrahamo, Isaaco, Jacobo, ac Josepho legibus suis præposuit Moses, ut eo exemplo omnes ad pietatem excitaret. Notat id Philo. Sic & impiorum facta & pœnæ scripta sunt ad deterrendos alios 1 Corinth. 10. 11. Cùm autem ἡμᾶς [*nos*] hic dicit Paulus, specialiter Christianos intelligit, ut ostendunt sequentia.

24. Τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, *credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis*] Eadem ferme verba habes 1 Petri 1. 21. Hæc est Fides major Fide Abrahami. Nam Abrahamus & Sara mortui erant figuratè, Jesus verè atque perfectè.

25. Ὅς παρεδόθη, *Qui traditus est*] A Deo Patre: nempe in mortem, quod & infra subauditur 8. 32. Vide quæ diximus ad Matth. 17. 22. Respicitur Græca versio Esaiæ 53. 6. Κύριος παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν [*tradidit illum Dominus peccatis nostris.*] ¶ Διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, *propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*] Potuerat dicere, *qui & mortuus est & resurrexit, ut nos à peccatis justificaret*, id est, liberaret. Sed amans ἀντίθετα [*opposita*] *morti* conjunxit *peccata* quæ sunt mors animi, *resurrectioni* autem *adeptionem justitiæ* quæ est animi resuscitatio. Mirè nos & à peccatis retrahit & ad justitiam ducit, quòd videmus Christum mortem non formidasse pro doctrinæ suæ peccatis contrariæ & ad justitiam nos vocantis testimonio, & à Deo resuscitatum ut eidem doctrinæ summa conciliaretur auctoritas. Vide 1 Petri. 1. 3.

CAP. V.

VALLA.

6, 7. UT *quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori*] Non est Græcè, *Ut quid enim*, sed *Etiam enim*, ἔτι γὰρ quod sic transferendum erat, *Nam etiam Christus*, sive *Christus, enim etiam*. Illud autem, *pro justo*, & *pro bono*, obscuri sensus est, h. e. *pro justo viro*, *próque bono viro*. At si accipiamus *pro justitia*, fiet sensus apertior: quod si ita est, *pro justitia* transferendum erat. Nam etsi apud Latinos *justum* pro *justitia* reperitur, raró tamen, ut apud Virgilium,

——— *Justúmque memórque precatur.*

Bonum autem pro *utilitate* & *honestate*, &c. ut sic dicam, pro *bonitate*, frequentissimum est. Erit igitur sensus, Quòd pro justitia

stitia ac virtute nemo moritur, ut pro bono, & remuneratione præmióque virtutis. Nisi volumus hunc sensum, Non oportere quempiam mori pro justo viro, forsitan pro viro non perfectæ justitiæ, sed bonæ mentis.

11. *Non solùm autem, sed & gloriamur in Deo*] Quid ità formam loquendi Græcam formidavit Interpres mutare in Latinam, ut iterum superiùs fecit eisdem verbis, & posteriùs aliquantò? Ego certè qui nihil unquam tale apud Latinos legi, sic dixissem, *Neque id solùm, sed & gloriamur.* Est enim obscura sententia apud nos, si nihil è Græco immutemus. Meliùs igitur posteriùs 8. 23. ubi adjecit pronomen, *Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritûs habentes, οὐ μόνον δὲ, ἀλλά.* Itaque nè illud quidem quod paulò pòst sequitur sic transtulissem ut fecit Interpres.

REVIUS in VALLAM.

7. ETI γάρ] Trajectum erat. ¶ *Pro justo & pro bono*] Adi Bezam.

ERASMUS.

1. P*Acem habeamus ad Deum*] In plerisque Græcorum cod. scriptum habetur ἔχομεν, in aliis variat scriptura: Velut apud Theophylactum contextus habet ἔχομεν *habemus*, enarratio ἔχωμεν *habeamus*. Apud Chrysostomum contextus habet ἔχωμεν *habeamus*, atque item commentarium, sed hoc incuriâ librariorum fuisse commissum subindicat illud quod sequitur, τοῦτ' ἔστιν, οὐκ ἔτι ἁμάρτομεν, i. *non ampliùs peccamus*, ubi reliquit o micron. Jam haud scio an primæ personæ τῶν προςακτικῶν congruant cum indicativis, quemadmodum secundæ ἔχετε. Quod ut donemus, sensus hic non patitur imperandi modum: siquidem Apostolus loquitur hic de *justificatis per fidem*, *qui jam pacem habent cum Deo*; quos si voluisset deterrere à peccando nè pacem acceptam amitterent, dixisset aptiùs τηρῶμεν quàm ἔχωμεν. Non enim hic monet justificatos, sed gratulatur illorum felicitati, quòd non ex suis meritis sed ex gratuita Dei benignitate liberati sint à peccatis, eique reconciliati quem priùs habebant infensum. Huic sensui respondent ea quæ sequuntur de *fiducia accessûs ad Deum*, de *spe gloriæ filiorum Dei*, quæ perseverat & in *afflictionibus* hujus mundi de *charitate Dei qui morte unigeniti sibi reconciliavit mundum.* Constat Ambrosium legisse *habemus*, non *habeamus*: arguunt hæc verba, *Pacem*, inquit, *habere cum Deo fides facit, non Lex. Hæc enim nos Deo reconciliat sublatis peccatis, quæ nos Deo fecerant inimicos. Et quia Dominus Jesus hujus gratiæ minister est, per ipsum pacificati sumus Deo*, &c. Apud Origenem in contextu legimus *habemus*: itidem repetit in commentariis, *Si diaboli arma projecimus, & signum Christi & crucis ejus vexilla suscepimus, pacem utique habemus ad Deum.* Et huic lectioni respondet enarratio, *Apertissimè enim*, inquit, *per hæc quæ intellexit, quid sit ex fide & non ex operibus justificari, ad pacem Dei, quæ exsuperat omnem sensum, in qua & summa perfectionis consistit, invitat.* Hactenus Origenes. Sic qui vitæ Monasticæ tranquillitatem, qui Virginitatis laudes prædicat, invitat ad hoc vitæ genus eos qui nondum amplexi sunt. Sequitur apud eundem Origenem, *Cùm essemus*, inquit, *inimici Dei, reconciliati sumus Deo*, &c. Ostendit autem Origenes consequens esse ut qui gratis Deo reconciliatus est non ampliùs cogitet ea quæ sunt inimica Deo. Nec mirum si pòst sub sua persona loquens vertit indicativum modum in imperativum, *habeamus pacem*: non sit in nobis Est & Non. Ad hanc igitur exhortationem non est opus verbo imperandi, sed ipsa res hortatur nè semel liberati à peccatis Deóque reconciliati relabamur in ea quæ dirimunt amicitiam inter Deum & homines. Hâc ratione constant & ea quæ scribit Chrysostomus, & ab hoc sua mutuatus Theophylactus. Hoc autem admonendi genus magis congruit Paulinæ modestiæ ac civilitati. Nec ille tropus est infrequens, ut hoc fieri dicamus quod debere fieri volumus intelligi: ut illud, *Qui ex Deo natus est non peccat*; &, *Mater non potest odisse Filium*; *Princeps omnia metitur Reip. commodis.* Hæc ità disserui ut alteram tamen lectionem non omnino damnem. Potest enim hic sermo pertinere ad baptizatos adhuc imbecilles spiritu & subinde recidentes in peccatum, ut Apostolus, quo mitigaret admonitionem, suam admiscuerit personam.

2. *Accessum*] Προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν, i. *aditum habuimus*, sive *nacti sumus.* Tametsi non me clam est Græcos in nonnullis verbis præterito pro præsenti abuti, præsertim affectuum, ut γέγηθα, δέδια, & in hoc quod paulò pòst sequitur, ἑστήκαμεν *stetimus*, pro *stamus.* Ubi illud annotandum ἐν ᾗ, *in qua stamus*, incertum an articulus postpositivus referat *gratiam* an *fidem.* Ambrosius videtur ad *fidem* referre, cùm ait, *Ideo stantes, quia prius jacuimus, credentes autem erecti sumus*, &c. ¶ *In spe filiorum Dei*] Græci legunt *in spe gloriæ Dei*, ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ· nec addunt *filiorum.* Palàm est Origenem legisse *in spe gloriæ Dei*, ex ipsius Enarratione. Nec ullum vestigium deprehendi potest ex interpretatione Ambrosiana quo sentiri queat illum addidisse *filiorum*: sic enim scribit, *Credentes autem erecti sumus, gloriantes in spe claritatis quam promisit Deus nobis*: non abhorrens ab Origene, qui interpretatur, *gloriantes in spe videndæ gloriæ Dei.* Theophylactus interpretatur, *in spe bonorum quæ nobis contingent, non ex merito nostro, sed ut glorificetur Deus.* Nec secùs legit Chrysostomus.

3. *Non solùm autem*] Οὐ μόνον δέ. Sermo Latinus hanc loquendi formam non agnoscit. Mollius erat si addidisset pronomen, *Neque id solùm*, aut *Neque hæc solùm.* Siquidem Origenes existimat hanc particulam non solùm esse referendam ad id quod proximè dictum est, *gloriamur in spe gloriæ Dei*, sed ad cætera quoque, quæ docuerat nos esse consecutos per Jesum Christum, videlicet *Justificatos esse ex fide per illum*, *Per eundem aditum esse datum in gratiam istam*, *Per eundem contigisse quòd liceat gloriari & sperare gloriam Dei.* Mihi videtur ad horum postremum non inconcinnè referri.

5. *Non confundit*] Οὐ καταισχύνει, i. *non pudefacit*, aut *pudore afficit.* Quis Latinus intelligeret *confundit* pro *pudefacit.* *Suffundi* dicuntur qui rubescunt, *confundi* qui perturbantur animo: id sanè gignit nonnunquam in homine vehemens pudor: sed non ideo idem sonant *confundere* & *pudefacere*; quemadmodum aliud est *bibere vinum*, aliud *inebriari.* Nam quod est in Actis, *Et confundebat Judæos*, non est κατῄσχυνεν, sed κατέχυνεν, h. e. *perturbabat ac reddebat inopes consilii.* Verisimile est autem tum vulgum ità fuisse locutum; & vulgatâ linguâ traditum est olim N. Testamentum. Augustinus libro De doctrina Christiana 4. c. 7. indicat hujus loci schemata, quorum unum appellatur Græcè κλίμαξ Latinè *Gradatio*, multum faciens ad jucunditatem orationis. Ea fit quoties membrum sequens vocem postremam excipit præcedentis, ut ità per gradus quosdam deveniatur ad ultimum; velut hîc, ex *tribulatione patientia*, ex *patientia probatio*, ex *probatione spes* connectitur. Indicat & compositionis decus, quòd orationem colis & commatis modulatam absolvit periodus. Primum membrum est, *Quoniam tribulatio patientiam operatur*; secundum, *Patientia autem probationem*; tertium, *Probatio verò spem.* Deinde additur periodus, & ipsa constans tribus membris; quorum primum est, *Spes autem non confundit*; secundùm, *Quia charitas diffusa est in cordibus nostris*; tertium, *Per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hujusmodi ferme Augustinus. Quanquam meâ sententiâ nihil vetat quò minùs priorem compositionem quatuor membris absolvamus, ut quartum sit, *Spes autem non confundit*: hic enim est finis gradationis. Deinde accinitur periodus vel unico vel duobus membris constans, *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quin & superiora cola possunt in bina commata dividi; ut comma sit, *Quoniam tribulatio*, & post minimum respirationis succedat, *patientiam operatur*, atque item de cæteris. Hæc D. Augustinus fatetur nequaquam fuisse ab Apostolo affectata, sed eloquentiam ultro comitem fuisse sapientiæ, nec sapientiam talem aspernari comitem. ¶ *Diffusa est*] Ἐκκέχυται, *effusa est*, vel *effusa fuit*: ut intelligas largiter effusam.

6. *Ut quid enim*] Græcè secùs est, ἔτι γὰρ Χριστὸς, ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, i. *Nam Christus, cùm adhuc infirmi essemus.* Apparet codicem quem secutus est Interpres habuisse εἰς τί; *ad quid.* Uterque sensus est tolerabilis. *Ad quid enim*, subaudi, *nè spes confundat.* Et *ut quid* legit Ambrosius quoque. Theophylactus legit & interpretatur ἔτι. ¶ *Secundùm tempus*] Κατὰ καιρόν. Si referatur ad *infirmos*, mitigat quod dictum est, quasi infirmitas illorum tempori sit imputanda, quo nondum apparuerat gratia Euangelii: sin referatur ad *mortuum est*, intelligas illum idoneo tempore & à Patre præscripto mortem oppetisse. Atque ità Græca interpretantur Scholia: eámque sententiam sequitur Ambrosius, ità scribens, *Si pro incredulis ac Dei inimicis Christus ad tempus morti se dedit. Ad tempus enim mortuus est, quia tertiâ die resurrexit.* Ac mox, *Apud homines igitur*, i. *secundùm tempus, mori visus est.* Consentit & Origenes, & huic penè succinens Theophylactus, interpretans *secundùm tempus*] *opportuno destinatóque tempore.* Quanquam Ambrosius refert ad temporis

temporis *brevitatem* magis quam *opportunitatem*. Chrysostomus hanc particulam κατὰ καιρὸν non attingit enarrans. Origenes videtur utramque lectionem attingere: Siquidem in contextu ità distinguitur sermo. *Cum adhuc essemus infirmi secundum tempus, & pro impiis mortuus est*. Rursus enarrans cùm ait, *Qui secundùm illud tempus quo passus est, pro impiis & injustis mortem perpeti non refugit*, videtur idem sentire quod expressit Ambrosius. Aliquantò pòst cùm addit, *præcipue si intellexit, quia cùm adhuc secundùm tempus impii essemus & infirmi, ipse prior pro nobis mortuus est*, attingit alteram distinctionem. Utraque lectio sensum habet pium. Is cujus Scholia feruntur in Epistolas Pauli Hieronymi titulo, triplicem sensum complectitur: *Infirmi secundùm tempus, cùm adhuc peccatorum & scelerum languoribus premeremur: Et secundùm tempus infirmi, quo jam pene defecerat justitia*. Addit alterum, *Sive quia ultimo tempore passus est Christus*. Addit tertium, qui peculiaris est Ambrosio, *Sive ad tridui tempus, ut prædicebatur, est mortuus*. Attingit & Thomas variam distinctionem.

7. *Pro justo moritur*] Ἀποθανεῖται *morietur*. Porro *justum* & *bonum* hoc loco non personam aliquam significat, sed rem, h.e. ipsam *justitiam* & *bonitatem*: ut sit neutri generis non masculini, quæmadmodum putat D. Hieronymus in Epist. ad Algasiam quæst. 7. Origenes utroque modo edisserit, pro *justo viro*, & *justa causa*. Ambrosius priorem sensum sequitur, ad personam referens *justi* vocabulum ¶ *Audeat mori*] *Et audet*, vel *etiam ausit, mori*, καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν Quanquam hic rectiùs vertisset *sustinet*, quo verbo in consimili sensu usus est Suetonius.

8. *Quoniam si*] Secùs est apud Græcos, ὅτι ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, i. *Quòd cùm adhuc peccatores essemus*: ut hæc particula pendeat a superioribus; *Fortassis erit quis pro bono moriatur: Attamen Dei erga nos charitas in hoc insignis est, & humanam vincit quantumvis magnam, quod pro impiis & indignis Filium unicum mori voluerit*: deinde colo interposito sequatur, *Multò magis ergò nunc justificati* &c. Ea distinctio, si quis mihi diffidit, exstat in exemplari Paulino cujus sæpe meminimus: *Commendat autem suam charitatem Deus in nobis*: hic interposito commate sequitur, *Quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*: hic periodi notâ interjectâ, quod sequitur à majuscula incipit, *Multò igitur magis*, &c. Quanquam posterior quispiam volens opinor emendare quod erat scriptum, in spatio quod dirimit versus ascripserat *si*: *Quoniam si cùm adhuc peccatores*, &c. Eandem distinctionem habebat meus codex veteris typographiæ, nec additur *si*.

11. *Sed & gloriamur*] Ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι, i. *sed & gloriantes*. Quamquam ad sententiam haud ità magni refert. Et in nonnulllis Græcorum exempl. καυχώμεθα reperi scriptum, velut in eo quod nobis exhibuit monasterium Prædicatorum apud Basileam.

12. *Propterea sicut per unum hominem*] Sic quidem est apud Græcos, διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου sed non respondet quod sequitur ad ὥσπερ, nisi ὡς legatur pro *quia*, aut ὥσπερ pro ὡς, aut nisi accipias ὥσπερ pro *tanquam*: nisi quis malit hoc quoque ἀνανταπόδοτον esse, qualia multa videtur Paulus habere. Origenes duas refert opiniones. Juxta priorem vult Paulum non ob inscitiam Græcanici sermonis hanc partem imperfectam reliquisse, sed datâ operâ suppressisse quod alioqui subjiciendum erat, quia commodius judicaret utrumque subaudiri quàm palàm explicari. Nam si adjecisset eam partem quæ respondet *sicut*, &c. *Sic per unum hominem venit justitia in mundum, & per justitiam vita in omnes homines pertransivit*, periculum erat nè qui hoc audito securiores ac negligentiores redderentur, aut jam nunc inciperent exspectare quod postea continget, aut nè putarent hic oscitantibus obtingere quod non sine cura studióque consequimur. Proinde in cæteris alteram partem commutato tempore reddit per verbum futuri temporis, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur*. Juxta posteriorem vult alteram partem in posterioribus esse redditam, licèt intervallo longiore, nempe illic, *Sed non sicut delictum, ità & donum. Si enim unius delicto mortui sunt multi, multò magis gratia Dei & donum per gratiam unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*. Mihi verò videtur & alia superesse ratio quâ huic sermonis incommodo medeamur, si (quod apud Græcos frequens est) in conjunctione καὶ subaudiatur οὕτως cujus exemplum habes in Euangelio, ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, i. *sicut in cœlo, ità & in terra*: οὕτως subauditum est. Hic igitur erit sensus, *Quapropter sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, ità & per unum hominem intravit mors*: ut intelligas utrumque nobis ab Adam esse profectum: Ille peccavit & ob peccatum incidit in mortem. Nos item, quoniam illum sequentes peccamus, in mortem incurrimus; atque ità factum est ut & mors & peccatum in omnes dimanarit. ¶ *In quo omnes peccaverunt*] Ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον *in quo* quidam referunt ad *Adam*, in quo velut in massa latebat posteritas, & in eo peccarunt omnes. Augustinus putat referri posse ad *peccatum*, ut intelligamus uno Adæ peccato quodammodo peccasse omnes: quæ lectio non consistit, cùm *peccatum* apud Græcos sit generis fem. ἁμαρτία. Alioqui minimum referebat ad sententiam. Alii interpretantur *in quo*, *eo quod*, sive *quatenus*. Qui priorem sensum urgent, hinc potissimùm astruunt peccatum Originis, cujus acerrimus defensor est D. Augustinus, maximè postea quàm incaluit pugna cum Pelagio & Juliano. Nec ab hujus sententia adhorruit D. Ambrosius, qui secutus, ut solet, Origenem, in hoc quoque philosophatur, quòd Apostolus non dixerit ἐφ' ᾗ, i. *in qua*, sed ἐφ' ᾧ, i. *in quo*, h.e. *viro*, non *muliere*; quòd vir sit præcipuus autor posteritatis, tametsi mulier prior est lapsa. Quibus posterior sensus arridet, ἐφ' ᾧ nec ad *Evam* referunt nec ad *Adam*, sed ad rem ipsam absolutè, h.e. *in eo quod omnes peccaverunt*. Nec hæc tamen lectio simpliciter excludit peccatum originis. Potest enim accipi omnes peccasse in Adam, in quo & mortui sunt priusquam nascerentur. Nam hic tropus vitari non potest. Alioqui nec peccant qui nihil agunt, nec moriuntur qui nondum sunt. Ad hæc cùm peccato Adæ deberetur non solùm mors corporis verùm etiam mors gehennæ, nec hoc peccatum transiit in omnes, nec illa mors transit in infantes si decedant absque regenerationis lavacro, si modò nostrorum temporum Theologis credimus. Unde constat sermonem non carere tropologiâ, quam si excludimus plurima consequuntur absurda. Nam si velimus amplecti vel definitionem Theologorum, vel sensum communem, Peccatum est *dictum aut factum*, &c. tale nihil est in infantibus recèns natis. Quòd si *peccatum* hic accipitur pro *subtractione gratiæ Divinæ quæ fuit in Adam antequam peccaret*, aut pro *naturali quadam pronitate ad peccandum*, quæ videtur omnibus insita (quanquam arbitror hanc magis ab exemplis proficisci quam à natura) hæc sunt pœna peccati veriùs quàm peccatum. Itaque qui dicunt totam posteritatem peccasse in Adam velut in massa, nihil aliud videntur dicere quàm Adæ peccatum omnibus posteris nocuisse ac fuisse damno; qui si non violasset præceptum Dei, sui similes genuisset, immortales, plenos notitiâ, timore, charitate & fide, dociles & alacres ad omne bonum; quos nunc gignit tot malis obnoxios: quæ tamen Scholastici non patiuntur dici *peccatum*, qui nè Concupiscentiam quidem patiuntur appellari *peccatum*; aliis reclamantibus. Atqui hæc mala non adimit infantibus Baptismus: Manet enim moriendi necessitas, corpus morbis obnoxium, & ad peccandum proclivitas, licèt utrumque piis vertatur in bonum. Cætera excusant per habitus gratiarum infusos. Hunc labyrinthum hic non ingrediar altiùs: tantum attigi quantum satis est ad demonstrandum, hunc Apostoli sermonem non carere tropis. Ad hæc, nescio an Græcus sermo recipiat hunc sensum, ut *in Adam* dicantur *omnes peccasse*, velut in hoc latentes. Non enim dixit ἐν ᾧ, sed ἐφ' ᾧ. Gravida dicitur ἐν γαστρὶ ἔχειν, ἐπὶ γαστρὶ non item: & ἐν τόπῳ dicitur quod loco continetur potiùs quàm ἐπὶ τόπῳ. Quanquam dicitur ἐπ' οἴκου, καὶ ἐπὶ τῆς χώρας. Nam quoties ἐπὶ declarat *super* aut *in*, paterno casui jungitur, ut ἐπὶ κεφαλῆς, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, ἐπὶ πάντων, *super omnia*. Item cùm Tempus indicat aut Ditionem, ut ἐπὶ Καίσαρος Ὀκταβίου & Act. 26. μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ· Cùm Causam indicat sive Imminentiam, dativo jungitur, ut ἐπὶ θανάτῳ, i. *spe mortis*. Item cùm Viciniam declarat, ἐπὶ γήραος οὐδῷ. Rursus cùm Potestatem, ἐπὶ τῷ βασιλεῖ, i. *in manu Regis*. Item cùm Accessionem, ut ἐπὶ τούτοις, i. *ad hæc*, sive *post hæc*: aut cùm Conditionem, ἐπὶ τούτοις ἀφίημί σε, i. *hâc lege te dimitto*, & ἐπὶ ῥητοῖς, i. *certis præscriptis*. Denique cùm *supra*, ἐπὶ στήλῃ, *supra columnam*: cui simillimum est illud, ἐπὶ γήραος οὐδῷ. Accusandi casum habet quoties significat Motum ad locum. Quoniam autem varius est usus Græcarum præpositionum, non ausim affirmare nusquam inveniri ἐπὶ junctum dandi casui ubi quid declaratur esse in alio velut arbor est in semine. Certè mihi non contigit hactenus aliquid invenire simile. Nam ad Hebræos 7. cùm Paulus dicit *Levi fuisse in lumbis Abrahæ*, non ait ἐπ' ὀσφύϊ sed ἐν ὀσφύϊ. Contrà 1 Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, non est ἐπὶ τῷ Ἀδὰμ, ἐπὶ τῷ Χριστῷ, sed ἐν τῷ Ἀδὰμ, ἐν τῷ Χριστῷ· Jam ut demus fuisse scriptum ἐν ᾧ, quid usitatius S. literis quàm in usurpari pro *per*? ut sensus esse possit, *Mors transivit in omnes per hoc quod omnes peccaverunt*, sive *eo quod omnes peccaverunt*. Ad hæc, quod Interpres vertit *pertransiit*, Græcè est διῆλθεν, quod nos maluimus vertere *pervasit*, simul ut fu-

geremus amphibologiam, simul ut celeritatem ac violentiam mali in omnes dimanantis exprimeremus: præsertim cùm animadverterem B. Augustinum hâc occasione lapsum, qui putarit *pertransire* idem esse quod *præterire*: unde colligit & Virginem matrem in morte Domini nonnihil dubitasse, sed ità ut gladius *transierit* illam, non *contigerit*. Locus est libro Quæstionum V. & N. T. quæst. 73. quemadmodum annotavimus in Lucæ cap. 2. Ejusdem autem naturæ sunt διελεύσεται, quod est apud Lucam, & διῆλθεν, quod est hoc loco, quod optime reddi poterat per *dimanavit* sive *derivatum est*, nisi placuisset vim & impetum mali omnes transilientis exprimere. Ad hæc, dubitabam num *pertransit* apud emendatè loquentes reperiretur, cùm *pervadendi* verbum sit & elegans & huic sensui accommodum. Præterea cùm in Græca voce non sit nisi unica præpositio, magis conveniebat *transiit* quàm *pertransiit*. *Transire* verò dicuntur quæ contagio ab aliis ad alios propagantur. Unde illud Nasonis,

Multáque corporibus transitione nocent.

Nihil igitur est hic in verbis quod non accommodari possit ad peccatum Imitationis. Solæ duæ syllabæ videbantur obstare, ἐφ᾽ ᾧ quas ostendi vix eum reddere sensum quem quidam unicum esse volunt: & si esset ἐν ᾧ non multùm obstaret illorum opinioni qui putant hic Paulum loqui de peccatis singulorum ad imitationem Adæ commissis. Neque nos sumus hujus interpretationis autores, cùm totum hunc locum sic exponat quisquis fuit cujus in omnes Pauli Epistolas Scholia feruntur nomine Hieronymi. His enim verbis, *Peccatum intravit, & per peccatum mors*, subnectit hoc Scholium, *exemplo vel formâ*. Rursus post hæc verba, *& ità in omnes homines pertransivit*, subjicit, *dum ità peccant, & similiter moriuntur*. Atque ut intelligas illum de capitali crimine, déque morte animæ loqui, subdit, *Non enim in Abraham & Isaac & Jacob pertransiit, de quibus dicit Dominus; Omnes illi vivunt. Hic autem ideo dicit omnes mortuos, quia in multitudine peccatorum non excipientur pauci justi; sicut ibi, Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et, Omnis homo mendax.* Nam quod Origenes philosophatur in vocabulo *mundi*, quasi *peccatum non transierit nisi in mundum*, h. e. in homines mundano spiritu, mihi videtur coactius: quod tamen commentum hic quoque attingit cùm ait, *Sive in eos omnes pertransiit qui humano non cœlesti ritu vivebant.* Mox subjicit, *Transivit enim & in omnes homines qui naturalem legem prævaricati sunt.* Jam illis Apostoli verbis, *In quo omnes peccaverunt, exemplo Adæ peccant.* Hactenus ille. Nihil igitur ambigui relinquitur quin is, quisquis fuit, totum hunc locum interpretetur de peccato Imitationis & morte animæ. Fateor hoc opus non esse Hieronymi, quemadmodum mentitur inepta præfatio: docti tamen hominis esse res ipsa clamitat: & qui titulis omnibus habendam fidem contendunt, nostrásque censuras rejiciunt, his certè oportet esse Hieronymi. Ex Origene verò, qui per se lubricus esse solet in disputando, præsertim cùm hunc habeamus liberè versum, adjectis, detractis ac mutatis permultis, non perinde facile est colligere quid senserit. Primùm enim nonnihil attigit de massa in qua peccaverunt omnes, *Si ergò*, inquit *Levi, qui generatione quartâ post Abraham nascitur, in lumbis Abrahæ fuisse perhibetur, multò magis omnes homines qui in hoc mundo nascuntur, & nati sunt, in lumbis erant Adæ cum adhuc esset in paradiso; & omnes homines cum ipso vel in ipso expulsi sunt de paradiso cùm ipse indè pulsus est; & per ipsum mors, quæ ei ex prævaricatione venerat, consequenter & in eos pertransiit qui in lumbis ejus habebantur: & ideo rectè dicit Apostolus, Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur. Neque ergò ex serpente; qui ante mulierem peccaverat, neque ex muliere, quæ ante virum in prævaricatione facta est, sed per Adam, ex quo omnes mortales originem ducunt, dicitur introisse peccatum, & per peccatum mors. Sed hic nimirum est unus homo, per quem peccatum introivit, & per peccatum mors*, &c. Hisce quidem verbis videtur respicere peccatum Originis, cùm propiùs inspicienti secùs appareat. Tantùm ostendit quare B. Paulus nec Diabolum nec Evam faciat autorem peccati; cùm revera invidiâ Diaboli mors introiverit in orbem terrarum, ac per Diabolum transierit in Evam, per Evam in Adam: quódque primus autor peccandi fuerit serpens, mox Eva virum pertraxit in peccatum. Sed quoniam patris nomine censetur posteritas, ideo dicit *omnes peccasse in Adam*, qui peccandi exemplum transmisit in posteros suos, & corruptus corruptos gignit. Jam Origenem non hic propriè loqui de peccato originali satis arguunt quæ continenter subjiciuntur, *cùm hortatur nos, abjectâ imagine terreni, imaginem portare cœlestis, i. ut secundùm verbum Dei viventes renovemur & reformemur secundùm interiorem hominem ad imaginem Dei qui creavit eum*, &c. Cùm ait *viventes*, indicat se de peccato Imitationis loqui. Rursus in eadem serie disputationis aliquantò pòst, *conversationem non in hoc mundo sed in cœlis habentes.* Ac mox *Cum imagine terreni ambulat, & secundùm imaginem terreni ambulat, & carnem cogitat, & quæ carnis sunt sapit*, &c. Horum nihil competit in infantes. Hic sequuntur quædam, ut videtur, vel de lapsu Satanæ vel de animabus, quæ juxta Platonem peccaverunt priusquam immitterentur in corpora, quæ interpres prætermisit. Porrò cùm nihil non attingat, tamen de peccato infantium nullam omnino facit mentionem, ad quos volunt hunc locum propriè pertinere. Deinde cùm addit hic Paulum loqui de morte animæ, citans illud Prophetæ *Anima quæ peccat ipsa morietur*, palàm est illum de personali peccato disserere. Evidentiùs etiam hoc arguit, quòd movet quæstionem, *Quare Christus mortem perpessus sit, cùm nunquam peccarit.* Respondet, *Christum, quoniam erat immunis à peccato; nulli debuisse mortem, sed pro nostris peccatis sponte posuisse animam suam.* Nec hic meminit peccati Originis, sed, *non fecit*, inquit, *peccatum*. His quoque evidentius est quod sequitur. Aggreditur enim ipsum articulum quem urgent ad peccatum infantium: *Sed videamus*, inquit, *quomodo in omnes homines pertransit mors.* IN QUO OMNES, *inquit, peccaverint. Absolutâ sententiâ pronunciavit Apostolus in omnes homines mortem pertransisse peccati, in eo in quo omnes peccaverunt:* Hic suspicor esse mendum, & fuisse scriptum *in eo quòd, vel quo omnes peccaverunt*, ut accipiatur ἐφ᾽ ᾧ, αἰτιολογικῶς. Ut autem intelligas illum de peccatis singulorum agere, *Omnes*, inquit, *peccaverunt, & egent gloriâ Dei: & ideo si etiam Abel illum justum dixeris, non potest excusari. Omnes enim peccaverunt.* Ab Abel progreditur ad Enos, ab Enos ad Enoch, ab Enoch ad Mathusalem, à Mathusalem ad Noe, à Noe ad Abraham, declarans argumentis singulos peccasse suis peccatis. Veritus autem recensere cæteros, nè quem offendat si peccatum tribueret iis quos mundus habet in summa veneratione, venit ad Christum: Ad quem dicit venisse peccatum, opinor cùm tentaretur à satana, sed ab hoc uno fuisse repulsum; itaque victam mortem, cujus aculeus est peccatum: unde scriptum est, *Ubi est, Mors, aculeus tuus?* &c. Ex his arbitror satis liquere quòd Origenes hunc locum interpretatus est de peccato Imitationis, quemadmodum ille Scholiastes: quorum prior cùm singulas etiam voces excutiat, veluti cùm distinguit *mundum* ab *hominibus*, quòd & *in mundum intravit peccatum*, nec exiisse dicitur, *in homines pertransivit*, videlicet *exitum præbente pœnitentiâ*, ne verbo quidem attingit peccatum infantium, ad quos hic locus propriè pertinebat. Hæc non eo nobis dicuntur ut in dubium vocem an sit aliquod peccatum Originis, sed ut declarem eos mentiri qui dicunt me unum meminisse hujus interpretationis, mihíque commentum hoc cum Pelagio esse peculiare. Pelagii sententiam damno; neque me fugit veterum hac de re consensus: tantùm de hujus loci sensu disputatio est, an propriè pertineat ad peccatum originale. Primùm illud in confesso est, totius hujus disputationis exordium aliunde profectum quàm à peccato originali; ac disputationis summam alium habere exitum: Siquidem primo capite Gentibus exprobrat quòd præter Naturæ legem ac Philosophiæ cognitionem degeneratint in omne scelerum genus; in secundo reprehendit Judæos quòd Legem quâ gloriabantur non observarent; in tertio colligit & Gentes & Judæos pariter obnoxios egere gratiâ Dei; in quarto docet nec Gentes nec Judæos servari ex suis operibus sed per fidem; & Abrahæ factam promissionem ad omnes pertinere qui illum fide referunt; in quinto docet remissionem peccatorum, ac justitiæ, h. e. innocentiæ, donum omnibus contingere per gratuitam Dei charitatem, qui sanguine unigeniti sui omnium peccata abluit. Hactenus nihil est quod non competat in peccata personalia; sic enim appellant scholastici. Chrysostomus autem admonet in quinto capite Paulum aggredi, quomodo qui justificati sunt Baptismo debeant instituere vitam, h. e. in posterum abstinere à peccatis, nè pacem cum Deo sartam rescindamus. Nihil hic adhuc de peccato Originis. Mox quæ sequuntur, *Usque ad Legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur*, &c. constat plerosque Doctores interpretari de peccato Imitationis. Divus enim Ambrosius ità scribit, *Usque ad Legem datam non imputatum est peccatum: putabant enim se homines apud homines impunè peccare, sed non apud Deum. Nec enim lex naturalis penitus obtorpuerat, quia non ignorabant quia quod pati nolebant aliis facere non debebant*, &c. Hic sermo planè testatur Ambrosium sentire hunc locum de personalibus commissis loqui. Jam sive legas *in similitudine Adæ*, sive

sive *non in similitudine*; utramque lectionem referunt ad peccatum Imitationis. Quin & illum locum, *Si enim unius delicto multi mortui sunt*, &c. qui videbatur iterum ad peccatum Originis posse referri, sic interpretatur, *hoc est*, *Si unius delicto multi mortui sunt*, *imitantes prævaricationem ejus*, *magis gratia Deo*, &c. Ac paulò pòst, *Neque mortem inquit in omnes regnasse*, *sed in eos qui delicto Adæ mortui sunt*, *quos in similitudinem prævaricationis Adæ dicit peccasse.* Rursus super his verbis, *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem*, ità commentatur, *Manifestè diversum est*, *quia uno peccato Adæ condemnati sunt qui in similitudinem prævaricationis ejus peccaverunt.* Iterum hæc verba, *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, &c. sic exponit, *hoc est*, *Sicut per unius delictum omnes homines condemnationem meruerunt similiter peccantes*, *ità & justitiâ unius omnes justificabuntur credentes.* Totámque deinceps disputationem sic temperat ut intelligas eum loqui de peccatis singulorum propriis. Sed in medio scribit, *Manifestum itaque est*, *in Adam omnes peccasse quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus*, *quos genuit omnes nati sunt sub peccato: ex eo igitur cuncti peccatores*, *quia ex ipso sumus omnes.* Moxque, *Est & alia mors*, inquit, *quæ secunda dicitur*, *in gehenna*, *quam non peccato Adæ patimur*, *sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur*, &c. Hic distinguit peccatum Adæ à peccatis personalibus, & mortem corporis à morte gehennæ. Verùm non hoc nunc agitur, an Ambrosius agnoscat peccatum originale (quod constat illum compluribus facere locis) sed an necesse sit hunc locum de peccato Originis accipere. Nam si hic sermo, *ità in omnes homines mors pertransiit*, *in quo omnes peccaverunt*, necessariò intelligitur de peccato Originis, necesse est ut quod huic annectitur, *usque ad Legem enim peccatum erat in mundo*, similiter intelligamus, quòd hæc pars causam reddat dicti superioris. Sed hanc partem Ambrosius interpretatur de peccatis ab unoquoque commissis. Quomodo igitur constabit disputationis tenor, si & quæ præcedunt & quæ sequuntur accipiuntur de commissis singulorum, in medio subitò admisceatur diversi generis peccatum, præsertim cùm conjunctio *enim* ità connectat inferiora cum superioribus ut appareat eandem rem agi? Quemadmodum autem conjunctio γὰρ conglutinat id quod sequitur cum præcedentibus, ità διὰ τοῦτο, i. *propterea*. connectit hanc particulam cum iis quæ præcesserant: præcesserat autem, quòd *Christus pro inimicis ac peccatoribus mortuus esset*, *cujus sanguine liberati ab ira Dei*, *pro morte vitam*, *pro ignominia gloriam filiorum essemus adepti* Nihil enim interest, nisi quòd cùm dicimus, *propterea*, causa præcessit, effectus sequitur; cùm *enim*, contrà. Si Titius Actio deberet mille nummûm mutui nomine, x drachmas depositi nomine, numquid videretur hic sermo sibi cohærere, si diceret, *Nunquam habui commodiorem creditorem quàm Actium*, *cui cùm deberem ex mutuo mille nummûm*, *viderétque me rei familiaris angustiâ laborare*, *ultro condonavit eam summam*, *méque ex æris alieni debitore reddidit astrictiorem benevolentiæ debitorem. Semper enim nihil promeritum singulari benevolentiâ complexus est*, *eóque me liberavit obligatione: poterat enim mutui nomine me convenire*, *& ni solvissem in carcerem ducere*, *aut res meas loco pignoris occupare.* Hic cum prima & ultima loquantur de mutuo, quis suspicaretur illa in medio, *dum me liberat obligatione*, pertinere ad depositum? Atqui duæ conjunctiones faciunt, *quapropter* & *enim*, ut hic sermo multò duriùs cohæreat, nisi totum accipiamus de peccato Originis, aut totum de peccato Personali, aut totum de utroque. At sunt quæ de peccato Originis non possunt intelligi; sunt quæ de utroque non possunt. Jam D. Chrysostomus in hunc locum, quem necessariò volunt accipiendum esse de peccato Originis, nihil aliud commentatur quàm hoc, Τί δέ ἐστιν, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον; ἐκείνου πεσόντος, καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου γεγόνασιν ἐξ ἐκείνου θνητοί, i. *Quid autem est*, *In quo omnes peccaverunt? Illo lapso*, *& hi qui non ederant de ligno facti sunt ex illo mortales.* Hic sermo potest ad utrumque peccati genus pertinere. Porrò locum qui huic annectitur bifariàm exponit. Ipsius verba subscribam bonâ fide Latinè reddita, *Usque ad Legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputatur cùm non est lex*] *Illud quod dicit*, *Usque ad Legem*, *quidam putant Apostolum de illo sentire tempore quod fuit ante datam Legem*, *veluti quod sub Abel*, *sub Noe*, *sub Abraham*, *usque ad illud quo Moses natus est. Quod igitur tum erat peccatum? Quidam aiunt eum loqui de eo quod fuit in paradiso. Nondum enim*, *inquit*, *erat dissolutum*, *quin potiùs florebat illius fructus. Nam communem mortem illud invexit*, *quæ vincebat ac regnabat. Qua igitur de causa subjicit*, *Peccatum autem non imputatur ubi non est lex? Qui nostra disseruerunt aiunt Apostolum hunc sermonem posuisse sub persona Judæorum objicientium*, *Si non est peccatum absque lege*, *quomodo mors eos absumpsit qui fuerunt ante Legem? At mihi videtur quod nunc dicturus sum esse probabilius magisque consentaneum esse Apostolico sensui. Quid autem hoc est? Cùm ait*, *Peccatum usque ad Legem erat in mundo*, *hoc mihi videtur dicere*, *quòd Lege datâ peccatum superabat*, *videlicet quod erat ex prævaricatione*, *& eo usque superabat quoad usque fuit & lex. Non enim potest consistere peccatum si non sit lex. Itaque si hoc*, *inquit*, *peccatum ex legis prævaricatione mortem genuit*, *qui factum est ut omnes qui fuerunt ante Legem mortui sint? Etenim si ex peccato mors radicem traxit*, *cùm autem non est lex non imputatur peccatum*, *quomodo mors superabat? Unde perspicuum est quod non hoc peccatum violatæ legis*, *sed illud per inobedientiam Adæ commissum*, *erat quod omnia contaminabat. Quod hujus rei signum? Illud quòd etiam ante Legem omnes moriebantur. Regnabat enim mors ab Adam usque ad Mosen etiam in eos qui non peccaverunt*, &c. Hisce verbis Chrysostomus non tribuit ullum peccatum infantibus, sed ait mortem corporis in eos dimanasse perinde quasi cum Adam progenitore de vetito ligno edissent, h. e. pro alieno peccato dedisse pœnas. Theophylactus autem versus cùm ità loquitur, *Nam eo labente vel qui de ligno nihil edissent suo crimine mortales sunt facti*, *perinde ac si ipsi peccato forent obnoxii*, *quia ille peccasset*, nónne pronunciat infantes non esse obnoxios peccato? Quanquam si hunc locum accipimus de morte gehennæ quam commeruerat Adam, hâc non puniuntur infantes: si de morte corporis, ab hac non liberat Baptismus. Hæc perspiciens Origenes confugit ad mortem animæ, quæ per peccatum separat Deum ab illa. Quam mortem si accipimus, non potest hic locus accipi de peccato Originis. Sed hunc locum quem Chrysostomus interpretari videtur de prævaricatione Adæ, Ambrosius interpretatur de peccato personali, quemadmodum ostendimus. Falsum est igitur quod jactat quidam, *veteres omnes tum Græcos tum Latinos magno consensu hunc locum interpretatos de peccato Originis*, cùm secùs interpretetur Origenes Græcus, & Scholiastes Latinus: ac proinde falsum est *hanc interpretationem mihi peculiarem esse cum Pelagio*, cùm & Ambrosius & priora & sequentia interpretetur de peccatis singulorum, tantùm in medio videatur attingere peccatum Adæ. Sed falsius etiam est, *hanc interpretationem pugnare cum Paulina dictionis & Græcæ lectionis proprietate*, cùm declararim & sermonis proprietatem tenorémque disputationis molliùs quadrare ei sententiæ quam ostendo posse consistere. Non jam excutiam quæ recitantur à cæteris ad pertrahendum hunc locum ad peccatum Originis: loquuntur enim tropis ambiguis: certè nullus illorum tribuit infantibus peccatum, sed aliquam pœnæ partem aiunt transisse in posteros. Superest illa rixa, quòd *opituler Pelagianis*, *exarmans Ecclesiam*, nimirùm *extorto hoc telo omnium*, ut aiunt, *validissimo.* Primùm alia esse docui validiora. Deinde qui facio pro Pelagianis, quorum sententiam apertè detestor? Sed indico utramque lectionem consistere. Hoc vel tacente me res ipsa clamitat, Scripturam commodiùs accipi de peccato singulorum. Sufficiebat unus Scripturæ locus adv. Pelagium, & tuta erat Ecclesia etiam hoc telo destituta. Sed *tota Ecclesia sic hunc locum interpretatur.* An tota Ecclesia sunt tres aut quatuor Doctores? Tota Ecclesia docet omnes Adæ posteros nasci pœnæ obnoxios ob peccatum Adæ; sed hunc locum non posse accipi nisi de peccato Originis nusquam docet universalis Ecclesia. Atqui hoc solum erat quod annotavi. Sed *in Africano*, inquiunt, *concilio*, Milevitano opinor, *pronunciatur anathema in eos qui Pauli locum hunc secùs interpretarentur.* Imò ibi pronunciatur anathema in eos qui docebant infantes non egere Baptismo, quòd nihil haberent contagii ex Adam: & post anathema subjicitur, *quia non debet aliter intelligi.* Non hic excutio quantum sit anathematum in illis Conciliis provincialibus, quæ utcunque vertit Hilarius, neque puto me usque adeò astringi ejusmodi Synodis. Alioqui si quis urgeat esse servanda quæcunque in illis decreta sunt, proferam ex illis dogmata quædam quæ nunc Ecclesia damnat pro hæreticis; proferam institutiones quas nusquam nunc servat Ecclesia; proferam ex universali Synodo quæ prohibuerit hunc locum secùs enarrari. Damnarit sanè Milevitana Synodus Pelagianam interpretationem: nihil ad me pertinet. Ille sic tollit hanc interpretationem ut astruat quam improbavit Ecclesia: ego demonstrans hunc locum ad revincendos Pelagianos non esse satis efficacem, relego disputantem ad alia loca hoc certiora. Hoc non est eripere telum Ecclesiæ, sed indicare tela certiora pro parùm certo; nec est aperire rimam hostibus, sed, admonere nè hic urgeamus hostem ubi possit elabi. Fatemur Ecclesiam habere autoritatem interpretandi Scripturas; sed Ecclesiæ Doctores quamlibèt celebres in multis Scripturæ locis hæsitant, multa va-

rie,

riè, nonnulla etiam perperàm sunt interpretati. Neque quisquam contendit hunc locum non posse secùs intelligi præter S. Augustinum, posteaquam incaluit conflictio cum Pelagianis. Quòd si non permittunt hic hactenus ab Augustino dissentire ut liceat hunc Pauli locum bifariàm interpretari, quin idem honoris habetur omnibus quæ vir ille docuit & asseveravit in hac ipsa disputatione? In hac enim toties inculcat *infantes frustrà baptizari nisi detur eis corpus & sanguis Domini.* Eam sententiam hausit ex Joannis cap. 6. *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ad eum locum à priscis interpretatum de doctrina Christi, posteriores adjecerunt alterum sensum de sumenda Eucharistia. At nunc Ecclesia quod Augustinus & cum Augustino tota, ut probabile est, Occidentalis Ecclesia judicavit ad salutem necessarium, nec facit nec sinit fieri, & illius interpretationem rejicit, pro hæretica habitura si quis velit illam pertinaciter tueri. In eadem inculcat, *unum Christum fuisse immunem ab omni peccato*; idque docet multorum testimoniis: & hanc sententiam damnant Theologorum classes, præcipuè Parisiensium, ingenuè rejicientes talium virorum & dogma & Scripturæ interpretationem. Ibidem citat Ambrosium, qui lotionem pedum in Apostolis interpretatur de peccato Originis, cùm hodie liceat secùs interpretari. Nam Petrus jam circumcisus non erat obnoxius illi peccato. Illic citat Cyprianum, qui scripserat *infantibus per Baptismum aliena remitti peccata*, cùm hodie doceat Ecclesia non nisi primum & unicum Adæ peccatum imputari nascentibus, nè id quidem in totum. Illic adfertur ex 1 Cor. 15. ad probandum Originis peccatum, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur:* cur eum locum ausus est de peccatis singulorum interpretari Chrysostomus? Sic enim commentatur, *Quid igitur, dic mihi, omnes mortui sunt morte peccati in Adam? Quomodo igitur Noe justus in generatione sua, quomodo Abraham, quomodo Job, quomodo cæteri omnes*, &c. Hæc frustrà commemorat si locus sentit de peccato Originis, quandoquidem ab hoc nullus illorum fuit immunis. Atqui hunc Pauli locum D. Augustinus adeò putat de peccato Originis intelligendum ut, quoniam ad fundamenta fidei pertinet, quisquis conetur illum secùs interpretari, totum quod in Christum credimus auferre moliatur. Adducitur & illud adv. Pelagianos, *Eramus naturâ filii iræ*: Cur D. Hieron. eum locum ausus est secùs interpretari quàm de peccato Originis? Cur ausus est indicare φύσει accipi posse ut idem valeat quod *prorsus* sive *omnino*? Cur hic nemo vociferatur *telum ereptum Ecclesiæ propugnatoribus*? An hâc lege constringent nos, ut nefas habeatur, si quis ullum Scripturæ testimonium secùs interpretetur quàm interpretati sunt prisci Doctores Ecclesiæ conflictantes cum hæreticis? At quid dicent, ubi ex illis conflictantibus protulerimus tot sententias, tot interpretationes illorum, quas recentiores Theologi non solùm rejiciunt sed impias & hæreticas judicant? Quòd si labascit tota Ecclesia quòd annotarim hunc locum aliter posse interpretari, non damnatâ alterâ enarratione, cur hactenus nemo reclamavit in Scholia Hieronymi titulo commendata, quæ totum hunc locum exponunt de peccatis voluntate commissis? Constat totam hanc Pauli disputationem esse plenam obscuritatibus, quemadmodum verè præfatur Origenes; constat multa non sine tropo dici: Nos peccatum Originis non hîc tantùm asserimus, sed compluribus lucubrationum mearum locis, atque in ipsa etiam Paraphrasi, sensum utrumque complectimur, ità loquentes, *Etenim si tantum valuit ille peccandi princeps, ut tantus hominum numerus ob unius commissa morti sit obnoxius*, &c. ac mox, *Sicut Adæ damnum Dei benignitate nobis in lucrum cesserit. Rursum licet per unum Adam peccantem invecta sit pernicies, & per Christum innocentem invecta sit salus, tamen utrumque alteri par non est. Siquidem pernicies sic orta est ut unius peccatum in omnes posteros propagaretur, atque ità tandem omnes redderet obnoxios, contra*, &c. Ac mox, *Quòd si tantum valuit una unius hominis culpa ut omnes mortis tyrannidi redderet obstrictos*, &c. Quid? an hoc est excludere peccatum Originis? Jam quod vertimus pro ἐφ' ᾧ *quatenus*, potest ad utrumlibet sensum vel ad utrumque potiùs accommodari, i. *mors transiit eò quòd omnes peccaverunt*, nimirum in Adam. Quid igitur est quod timent? An continuò revixerint Pelagiani si locum hunc unum secùs interpretatus sum quàm in pugna interpretatus est Augustinus, cùm sint alia multa quibus efficaciùs revinci possint hæretici? Verùm qui minùs hîc liceat quod in aliis locis ab eodem citatis licuit orthodoxis? An dicent dissimulandum fuisse locum hunc bifariàm exponi? Quasi me silente non id perspecturi sint hæretici, imò quasi non hoc perspexerint ante annos mille? Quòd si fidei præsidium in silentio collocamus, quid sibi volunt tot Quæstionum volumina quibus recentiores Theologi mundum impleverunt præpositis argumentis omnia vocantes in dubium, præsertim Scotus, cujus argumenta veritatem oppugnantia, quæ illi vocant ante oppositum, interdum nervosiora sunt iis quibus illa diluit? Cur hic non metuunt nè præbeatur ansa hæreticis: Sed illa, inquiunt, disputantur inter Scholasticos. At mea vix leguntur in cubiculis: nam Theologis illa scripsimus, non Grammaticis. Nobis sufficit unum Scripturæ testimonium, interdum & sine Scripturis autoritas Ecclesiæ. Adversùs autem hæreticos quid proderit censere locum hunc non aliter oportere intelligi, cùm ipsa res clamitet posse secùs intelligi? Postremò si quod hic offendiculi est, utris potiùs imputandum; eine qui hæc tribus verbis annotarat, an illis qui tales annotatiunculas atrocibus tragœdiis exagitantes in theatrum populare proferunt.

13. *Usque ad Legem enim peccatum*] Ἄχρι γὰρ νόμου. Origenes interpretatur, *Usque ad finem legis Mosaicæ, hoc est, usque ad Christum.* Sic & Augustinus in Sententiis annotatis in Epistolam ad Romanos, *Intelligendum est*, inquit, *quousque veniret gratia: contra eos enim dictum est qui arbitrantur per Legem auferri posse peccata:* ac mox, *Non ergo putemus, Usque ad Legem, ita dictum esse, quasi jam sub Lege non esset peccatum; sed sic dictum est, Usque ad Legem, ut totum Legis tempus annumeret usque ad finem Legis, quod est Christus.* Apud Chrysostomum γὰρ non additur, licèt apud Theophylactum addatur. ¶ *Non imputabatur*] Οὐκ ἐλλογεῖται, i. *imputatur*, præsentis temporis; ut sermo sit absolutior. Nam μὴ ὄντος νόμου ad utrumque tempus quadrat, q. d. in genere, *Non ente Lege non imputatur peccatum*, i. Ubicunque non est lex, ibi peccatum non imputatur. Atque ità sanè legit Origenes, itáque scriptum comperi in vetustiss. nec minùs emendato codice Paulino. Hic quidam interpretantur ἐλλογεῖται non pro *imputatur*, sed pro *reputatur*, h. e. judicatur: ut intelligas nullâ lege latâ, peccantes non habere pro peccato quod committunt, cùm nullâ lege facere prohibeantur. Quidam non ineruditus libro edito putat Græcam lectionem esse depravatam, & pro ἐλλογεῖται scribendum ἐλλογεῖτο. Quasi verò non sit impudens dissentire à tanto consensu Græcorum voluminum, aut quasi si quis tempus præteritum imperfectum postulet, ἐλλογεῖτο dicendum sit, ac non potiùs ἐνελογεῖτο. Atque hic est qui sibi miram eruditionem vindicans, me sine fine jactat nihil omnino scire. In codice Donatiani scriptum erat, *cùm lex non est.* Unde conjectare licet & illud *imputabatur depravatum pro imputatur:* ἐλογεῖτο tolerari poterat, si diceretur λογέω pro λογίζομαι: ἐλογεῖτο scriptum erat in commentariis Chrysostomi, in Theophylacti ἐλλογεῖτο, sed utrumque depravatè, ni fallor. Illud obiter annotandum, Paulum hoc loco promiscuè uti his duobus vocabulis, ἁμαρτία & παράπτωμα, cùm Hieronymus alicubi putet παράπτωμα levius esse quàm ἁμαρτίαν.

14. *In similitudinem*] Ἐν ὁμοιώματι, i. *In similitudine*, non *in similitudinem, prævaricationis Adæ.* Potest autem hæc particula *in similitudinem* referri vel ad illud superius, *Regnavit mors in similitudine*, vel ad propius hoc, *Qui non peccaverunt in similitudine.* Origenes & Ambrosius, atque etiam Augustinus lib. De peccatorum meritis & remissione 1 cap. 11. rursum Epist. 89. indicant duplicem hujus loci fuisse lectionem: Unam, *Regnavit mors etiam in eos qui peccaverunt in similitudine Adæ:* atque hanc videtur habere potiorem Origenes, ut quam priore loco ponat; quemadmodum & Ambrosius. Alteram, quam indicat haberi in nonnullis exemplaribus, *Regnavit mors ab Adam etiam in eos qui non peccaverunt.* Prioris lectionis, in qua non additur negatio, hæc est sententia, *Mortem regnasse non solùm in Adam, sed in omnes etiam qui ad illius exemplum peccaverunt.* Posterioris lectionis duplex est sensus: Prior est, *Mortem regnasse non solùm in Adam & in eos qui ad illius exemplum peccaverunt, verum in eos quoque qui aut non peccaverunt, aut certe non perinde graviter peccaverant atque ille.* Posterior sensus est, *Mortem regnasse & in eos qui non peccassent, regnasse autem non ob ipsorum commissa, sed in similitudine prævaricationis Adæ*, h. e. perinde quasi & ipsi prævaricati fuissent quemadmodum Adam. Jam cùm alibi dixerit, *Conclusit Deus omnia sub peccato*, &, *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei*, quomodo nunc dicit quosdam *non peccasse?* Verum *non peccaverunt ad illius similitudinem*, h. e. non tam capitaliter, nec accepto mandato, quæ propriè *prævaricatio* dicitur. Nam Adæ meritò est imputatum peccatum, cui præscriptum esset quid sequi, quid fugere deberet. Sed ante Mosi legem *non imputabatur peccatum*, h. e. non videbatur imputandum, quòd non esset lex quæ prohiberet peccatum. Illud addendum, non esse ὁμοιότητι, sed ὁμοιώματι, quod magis *assimilationem* sonat quàm *similitudinem*: ut accipias eos qui pec-

cant

cant in hoc referre parentem peccatorem. Usus est eodem verbo aliquantò superiùs, *in similitudine imaginis hominis.* Cæterùm haud me fugit quosdam totum hunc locum ad peccatum originale referre. Quibus equidem non admodum repugno; tamen & alteram interpretationem indicare visum est, quam nec Ambrosius omnino prætermisit, Origenes penè solam sequitur. Is cujus Scholia legimus titulo Hieronymi similiter: sic enim loquitur. Cùm enim exposuisset *eos qui non peccaverunt in similitudinem Adæ* esse qui ante legem Mosi peccarunt, explicat quod dixit his verbis, *Hi sunt qui non ad similitudinem prævaricationis Adæ peccaverunt, qui per naturalem legem transgressi sunt, & non sicut Adam per mandatum*: ac mox subjicit, *Sicut enim Adam primus mandatum Dei prævaricatus exemplum est legem Dei prævaricari volentibus, sic & Christus voluntatem Patris complens exemplum est imitari eum cupientibus.* Sed quid hæc persequor, cùm is, ut dictum est, totum caput interpretetur de peccatis quæ committunt homines imitatione primi parentis? Quòd si quis nobis proferat exemplum Virginis, veteres neminem à peccato liberarunt in totum præter unum Christum: si infantes, de his hic non videtur agere Paulus; nec ea quæstio tum movebatur, cùm nondum esset receptum infantes baptizari. Quin & illud nobis videndum, nè plùs satis oderimus Pelagianos: non quòd nolim illorum explodi sententiam qui negant ullum esse peccatum originale, sed quòd nolim illud per occasionem affectatè admisceri ubi non est opus, sive quòd in ea disputatione libeat argutari, sive ut quemadmodum Astrologi repertis epicylis sese è multis difficultatibus expediunt, ità nos affectatè ad hoc quæstionum κρηοφύγετον passim recurramus. Nisi fortè nobis permittimus ut in disputando cum adversario, qui vincendus est magis quàm docendus, Scripturæ verba ad victoriam nostram utcunque detorqueamus. Quod adversùs Jovinianum pugnans Hieronymus facere videtur nonnunquam, & August. aliquoties, interim & Ambrosius. Hæc dixerim, inquam, non quòd faveam negantibus esse peccatum Originis, sed quòd nolim, si fieri possit, ullam vim fieri Scripturis Divinis. Quin potiùs ex ipsa disputationis consequentia diligenter expendamus quid senserit Paulus, dispicientes quid hic agat, unde cœperit, quorsum tendat, & num consentaneum sit illum statim mysterium hoc Gentibus aperire voluisse, quod hodie, quoque magis creditur quàm intelligitur nimirum communi sensu reclamante. Frustrà verò quidam calumniantur quòd hàc annotatione videar labefactare peccatum Originis, cùm tot locis in scriptis ingenuè profitear & asseram. Verùm hic locus mihi videtur molliùs exponi de personalibus commissis posterorum Adæ; sic tamen ut nullius sententiæ præjudicem ¶ *Forma futuri*] Τύπος τοῦ μέλλοντος, i. *Figura*, seu *typus*, *futuri*, h. e. venturi Christi: ut *futuri* nomen non pertineat ad tempus quo hæc scribebat Paulus, sed ad Adam qui præcessit Christum, cujus typum gerebat. Quo elocutionis genere scripsit Colossensibus, de Sabbatis & Neomeniis agens, *Quæ sunt umbra*, inquit, *futurorum.* Jam enim illa Paulo futura non erant, sed præsentia. Coactius enim mihi videtur, quantumvis argutum dixeris, quod Origenes indicat, hæc & ad venturi seculi conditionem posse referri. Forma igitur & typus erat Christi Adam. Quanquam ea figura in diversum recidit, & analogia potiùs est quàm similitudo. Nam ut ille princeps peccandi & moriendi, ità hic dux & autor innocentiæ & immortalitatis. Proinde eleganter scripsit Origenes & hunc secutus Ambrosius, juxta genus constare similitudinem, juxta speciem repugnantiam esse. Ut ab Adam quiddam dimanavit in omnes, ità & à Christo: hic genus est. Cæterùm ab illo mors & peccatum, ab hoc innocentia & vita: hic species est. Porrò *forma* Gr. est τύπος, quod velut *exemplar* sonat *unde aliud exprimitur simile.* Potest autem & illud τοῦ μέλλοντος absolutè sumi neutro genere, ut referatur non ad posteriorem *Adam*, sed ad ipsum *peccatum* quorumlibet Adam parentem imitantium. Is enim fuit exemplum peccandi posteris. Ostendi quis sensus è verbis Gr. excerpi possit: sequetur prudens & cordatus lector quod optimum judicabit.

15. *Multi*] Quod Interpres hoc loco nunc vertit *plures*, nunc *multi*, Græcis eadem est dictio, πολλοί quam Origenes positam putat pro *omnibus*, quò magis respondeat *unius.* Etenim ubi sunt *omnes*, ibi sunt & *multi.*

16. *Et non sicut per unum peccatum*] Apud Græcos obscurius est, καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα, i. *Et non sicut per unum qui peccavit, donum.* Sic enim ad verbum vertere licet, & necesse est nonnulla verba subaudire: id quod admonent etiam Græcorum Scholia, *Et non sicut per unum qui peccavit*, subaudi *ingressa est mors*, *ità per unum venit donum*, h. e. non eodem modo. *Nam ex uno peccato moriuntur omnes, sed ex multis peccatis per unum justificantur omnes.* Quódque vulgati codices habent *per unum peccatum*, Ambrosius legit *peccantem*, non *peccatum*, δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, i. *per unum qui peccavit.* Atque ità legisse Theophylactum ex ipsius interpretatione licet colligere. Certè sic legit Chrysostomus, quanquam mox ἑνὸς refertur ad *peccatum*, τὸ μὲν κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα, quia sequitur, τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων. Cùm *unum peccatum* dicit, Adæ peccatum significat: cùm *multa*, cætera peccata intelligit quæ sibi quisque addit. ¶ *Nam judicium ex uno*] *Ex uno* non refertur ad personam *Adæ*, sed ad *peccatum*, ut subaudias παραπτώματος, cui paulò pòst respondet *ex multis*: ut sit sensus, *Nam judicium quidem ex uno peccato in condemnationem, donum autem ex multis peccatis in justificationem.* Quanquam consentiunt hic interpretes omnes. Augustinus De nuptiis & concupisc. ad Valerium lib. 2. cap. 27. item Epist. 89. palàm asseverat, *ex uno peccato* sentiendum, non *ex uno homine*; ut respondeat ad id quod sequitur, *gratia autem ex multis delictis*: ut intelligamus unum peccatum suffecisse ad condemnationem universi generis humani, gratiam autem unam ad universa peccata delenda. Idem affirmat Adv. Julianum Pelagianum lib. 1. Rursum De pecc. meritis & remiss. lib. 1. cap. 11. Sequitur enim, ¶ *Gratia autem ex multis delictis*] Χάρισμα. Quod modò *donum* verterat, & rectè, nunc *gratiam* vertit, haud rectè; nisi prorsus idem esse putamus *gratiam* & *donum.*

17. *Abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes*] Legendum est *doni justitiæ*; ut intelligas ipsam justitiam esse donum, καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, sublatà conjunctione. Jámque non erit opus illà distinctione Thomæ explicantis quid intersit inter *gratiam*, *donationem*, & *justitiam.* Quanquam Ambrosius addit nostro more conjunctionem legens & *justitiæ*, sed arbitror mendum esse codicis, quandoquidem tale nihil indicat illius enarratio. Certè Chrysostomus ac Theophylactus nobiscum faciunt.

18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines*] Hic sermo mutilus est, & opus habet quæ subaudiantur, videlicet quid per utrumque sit inductum; *Itaque sicut per unius delictum irrepsit peccatum ad condemnationem, ità per unius justitiam ingressa est salus ad justificationem omnium.* Ità propemodum Theophylactus, in enarrando supplens quæ desunt orationi. Vide Augustinum Epist. 89.

19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt*] Illud ad sensum nihil attinet quod in nostris habetur tertià personà *constituti sunt*, quod habebatur in nonnullis Græcorum cod. κατεστάθησαν, cùm in plerisque Græcis habeatur κατεστάθημεν, quemadmodum & in editione Aldina.

20. *Lex autem subintravit*] Παρεισῆλθεν q. d. *obiter irrepsit*, ob præpositionem Græcam, quæ fermè in malam partem additur. ¶ *Superabundavit gratia*] Hic χάρις est, non χάρισμα, i. *gratia*, non *donum.* Quanquam χάριν, i *gratiam*, Græci aliquoties accipiunt pro *beneficio.* Cæterùm quod Latinus interpres dixit *superabundavit*, Græcè est ὑπερεπερίσσευσεν quod non perinde valet q. d. *sic abundare liquorem ut effundatur quod superfluum est*, sed q. d. *vehementer ac supra modum abundare.* Auget enim ὑπὲρ apud Græcos non aliter atque *quàm* aut *per* apud nos. Unde nonnulli Græcorum more loquentes, sed parùm Latinè, dicunt *superbenedictus* pro *eximiè benedicto*, *superexcelsus* pro *vehementer excelso.*

21. *Ut sicut regnavit peccatum*, &c.] Origenes putat sub *mortis* nomine Diabolum posse intelligi in hoc velut & in superioribus locis, quod Græcis mollius est quibus θάνατος *mors* masc. gen. est. Ambrosius putavit ad animi mortem referendum sensum. Origenes & de corporali morte interpretatur, disputans de Enoch à morte subducto. Porrò cùm ait *regnavit peccatum in morte*, ἐν τῷ θανάτῳ, apparet Paulum abusum esse præpositone ἐν pro εἰς debebat enim hæc particula congruere illi quæ sequitur, *ità & gratia regnaret per justitiam in vitam æternam*: ubi non dixit ἐν ζωῇ αἰωνίῳ, sed εἰς ζωὴν αἰώνιον. ¶ *In mortem*] Ἐν τῷ θανάτῳ, i. *in morte*; h. e. per mortem, quemadmodum superiùs admonuimus. ¶ *Per Jesum Christum Dominum nostrum*] *Dominum nostrum* hoc loco non adjicitur apud Græcos, nec in vetustis Latinorum exempl. etiamsi apud Ambrosium additur, sed ità ut ex interpretatione non possit esse compertum ità legisse. Quanquam in nonnullis Græcis exempl. *Dominum nostrum* additum reperi, eodem opinor, casu quo apud nos, duabus vocibus aliunde huc transcriptis.

VATABLUS.

1. **P**Acem habeamus ad Deum] *Habemus erga Deum*: i. redimus in gratiam cum Deo.

2. *Per quem**]* *Et*, Vet. vel *etiam*. ¶ *Per fidem*] *Fide*, Vet. ¶ *In spe gloriæ filiorum Dei*] i. spe exspectantes gloriam per quam nos Deus gloriosos est redditurus. Genitivus *filiorum* non legitur Græcè.

3. *Nonsolum autem, sed*] Sub. *gloriamur spe futuræ immortalitatis, verùm etiam.* ¶ *Operatur*] Vel, *parit*, vel, *efficit*: sive, *est causa tolerantiæ*, &c.

5. *Confundit*] *Pudefacit*: q. d. spes vitæ pellit foràs eum pudorem qui ex afflictionibus oriri solet coram hominibus. ¶ *Diffusa est*] *Effusa est*, vel *fuit*: q. d. amat nos vehementissimè; id quod declaravit Spiritu S. nobis dato: Aut, quia exuberantissimam Dei erga nos benevolentiam cordibus nostris manifestarit Spiritus S. qui datus est nobis.

6. *Ut quid enim*] *Nam*. ¶ *Secundùm tempus*]. Sub. *promissum per Prophetas*.

7. *Justo*] Justis hominibus, Heb. ¶ *Moritur*] *Morietur*: i. mori velit. ¶ *Bono*] i. Re bonâ, & defensione veritatis: vel, pro eo à quo quis beneficium acceperit.

8. *Commendat*] *Confirmat*, *stabilit*, *comprobat*, hoc sc. ceu certo signo. ¶ *In nobis*] *Erga nos*.

9. *In sanguine*] Heb. per mortem.

10. *In vitâ*] Heb. per vitam.

11. *Non solum autem, sed &*] Sub. *gloriamur ob spem & tribulationes, sed etiam*, &c. ¶ *In Deo*] Vel, *de Deo*: i. quòd Deus noster sit. ¶ *Reconciliationem accepimus*] i. Deo facti sumus amici.

12. *Intravit*] Vel, *intraverat*. ¶ *Et per peccatum mors*] Sub est *ità*, vel, *sic*, hoc modo; *ità, & per*, &c. ¶ *In quo*] *Eo quòd*, vel, *quia*, sive *in quantum*.

13. *Imputabatur cùm lex non esset*] *Imputatur cùm non est*, Vet.

14. *Sed*] *Igitur*. ¶ *In similitudinem prævaricationis Adæ*] Vel, *ad eum modum quo Adam peccaverat*. ¶ *Forma* Vel, *imago*, aut *typus*.

15. *Multi*] *Multi* positum videtur pro *omnes*. ¶ *In gratia*] Vel *per gratiam* sive *favorem*. ¶ *Plures*] *Multos*.

16. *Peccatum*] *Peccantem*, Vet. vel, *qui peccavit*: sub. *fuit peccatum*. ¶ *Nam judicium quidem*, &c. i. judicii quod propter unius Adæ delictum constitutum est, finis fuit condemnatio: doni autem quod propter multa delicta donatum est, finis fuit justificatio. Hæc verba sequentibus explicantur. ¶ *Gratia*] *Donum*.

17. *Si enim**] * *In*, Vet. ¶ *Per*] Vel, *Propter*. ¶ *Multò magis abundantiam gratiæ*, &c.] Heb. pro, multò magis abundantem gratiam & donum, per quod homines justificantur. ¶ *Donationis & justitiæ*] *Doni justitiæ*. ¶ *In vita*] i. Viventes.

18. *In omnes*] Sub. *judicium fuit*: i. judicii finis fuit condemnatio. ¶ *In omnes*] Sub. *donum fuit*: i. doni finis fuit omnium justificatio vitæ.

20. *Ut abundaret delictum*] i. Ut per eam homines cognoscerent se multis modis peccare. Quantò magis cognoscit homo quid sit faciendum & non facit, tantò magis reus est, & ità *per legem* dicitur *peccatum abundare*.

21. *In mortem*] *In morte*, Vet. vel, *per mortem*, i. cujus finis erat mors, Heb. ¶ *Per justitiam in vitam æternam*] i. Justificando nos, & faciendo acceptos Deo vitæ æternæ causâ.

CASTALIO.

2 D*ivinæ gloriæ spe gloriamur*] Sperantes nos fore gloriosos Divinâ gloriâ.

5. *Spes autem non pudefacit, quòd Dei amore perfusi sunt animi nostri*] Scimus a Deo nos amari, & ideo quam speramus gloriam ab eo consecuturos.

7. *Nam pro viro bono fortassis aliquis mori sustineat*] Rationem reddit cur dixerit *vix*: q. hoc dicat, Quòd dico *vix quenquam pro insonte mori*, ideo *vix* dico, quoniam non omnino nego fieri posse *ut aliquis* (tametsi rarus) *insontis bonique viri causâ mori sustineat: fieri enim hoc potest*. Sed sontis causâ mori nemo sustinet. Hoc Christi proprium est, & amoris inauditi. Vocat autem eundem *δίκαιον justum* quem *ἀγαθὸν bonum*. Nam *δίκαιος* à *justitia* dicitur, à qua viri *boni* denominantur; & eum opponit *ἀσεβεῖ* sive *ἁμαρτωλῷ*.

12. *Propterea quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors*, &c.] Imperfecta similitudo: Ut ab Adamo mors, sic à Christo vita. ¶ *Omnes peccarunt*] Qui per ætatem potuerunt.

13. *Usque ad legem*] Mosaicam.

14. *Et tamen ab Adamo ad Mosem usque*, &c.] Fuit ergò lex, sed naturæ. ¶ *In eos qui non peccaverant regnavit mors propter similitudinem delicti Adami*] In infantes quod eos sui Adamus similes, h. e. nocentes, genuerat.

19. *Unius obedientiâ justi efficientur multi*] Quos antè dixit *omnes*.

CLARIUS.

1. P*Acem habeamus ad Deum*] Adhærentes ejus præceptis, neque hanc oppugnantes veritatem quam per Filium suum aperuit.

2. *In spe gloriæ*] In spe consequendæ gloriæ Divinæ, sicut justitiam consecuti jam sumus.

5. *Charitas Dei effusa est*] Declaravit Deus quantâ nos charitate prosequatur per Spiritum suum sanctum nobis datum, qui in nostris cordibus id agit ut verè nos intelligamus adoptatos esse in filios Dei.

6. *CHRISTUS enim, cùm adhuc*] His, inquit, argumentis *fidem facit* Spiritus S. in cordibus nostris *Divinæ erga nos charitatis, quòd si cùm essemus imbecilli*, ut erigi nequiremus, & *impii* præterea, ut etiam Deum bonorum omnium autorem aversaremur, *Christus secundùm tempus*, h. e. suo & statuto tempore (quem loquendi modum habes Joan. 5. ubi ait, *Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam*) *mortuus est pro nobis sic impiis, cùm vix quisquam pro viris probis moriatur, multò nunc magis justificati per sanguinem ejus servabimur*.

9. *Multò igitur magis nunc*] Si inimicitiarum, inquit, tempore tam benignus fuit Deus erga nos, cur non multò magis futurus est factis jam amicis?

10. *Salvi erimus in vita ipsius*] In resurrectione illius ad vitam. *Reconciliationem* enim Morti Christi tribuit, *salutem* autem Resurrectioni.

11. *Non solum autem*] Parùm est, inquit, sperare: nam *gloriamur etiam in Deo*: neque pudet nos sine illis factis vestræ legis apparere in conspectu ejus. ¶ *Reconciliationem accepimus propter hoc*] Omnino, inquit, servabimur à Deo, non solùm ob ea quæ dicta sunt verùm etiam propter hoc, quòd scilicet & possibile est & rationi consentaneum ac consequens. Quo id pacto tandem? Exemplum ex re contraria accipe. Nam *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & ipsa mors*: Si ergò per unum hominem hæc nobis mala contigerunt, quod videtur parùm esse rationi consentaneum, nónne magis consequens est magisque possibile ut per unum hominem Dominum nostrum Jesum Christum & introducta mala destruantur & nos meliore in statu collocemur? Nam magis æquum videtur ut alter gratiâ alterius servetur quàm ut ob unius peccatum alter plectatur.

12. *In quo omnes peccaverunt*] In eo simul morimur in quo & simul peccavimus. Et ille quidem principium præbuit & causam, nos verò indè occasione acceptâ non prohibuimus malum, sed effecimus ut longiùs etiam progrederetur.

13. *Usque ad Legem enim*] Dixerat *per Legem notitiam esse peccati*; &, *ubi non sit Lex, ibi nè prævaricationem quidem esse*: Cùm verò nunc dixerit peccasse homines ab ipso initio, ne quis arbitraretur illum sibimet contraria dicere, declarat quo id pacto sit intelligendum, *Fuisse* scilicet *peccatum ab exordio hominum usque ad Legem; sed Legem id efficere ut imputetur peccatum*, quod aliter non intelligitur, si illa non adsit. Loquitur autem de ipsa Legis natura per se hoc loco & plerisque aliis, sive illa Lex Mosis sit, sive naturæ, sive cujuscunque alterius.

14. *Sed regnavit mors*] *Potestatem ingentem exercuit Mors etiam in eos qui non similitudine prævaricationis Adæ peccaverunt*. Quousque? *Usque ad Mosen*. Nam qui inter Adam & Mosen fuerunt, peccaverunt quidem, sed non *in similitudine prævaricationis Adæ*: nam ille quidem præceptum & legem à Deo latam transgressus est, at ii qui ante Mosen peccaverunt nullam acceperunt expressam ab aliquo legem, sed peccabant dum Rationem Naturæ magistram contemnebant. Sed post latam à Mose Legem quicunque peccaverunt, *in similitudine prævaricationis Adæ peccaverunt, qui fuit figura illius futuri Adæ*, sed oppositâ similitudine. Alii intelligunt *eos qui non peccaverunt*, infantes, qui actu non peccaverunt. Sunt qui putant his verbis inesse Hyperbaton, & hunc debere esse ordinem atque contextum, *Regnavit mors in similitudinem prævaricationis Adæ, etiam in eos qui non peccaverunt*.

15. *Sed non sicut*] Multò majorem fatebere vim habere *gratiam Dei* quàm *unius hominis delictum*. *Gratia* autem & *donum* opponuntur *peccato* & *morti*. Si ergò *impotentiâ unius mor-*

tui

tui sunt multi, multò magis gratia Dei & donum, i. potentia Dei, *abundavit in plures.*

16. *Et non sicut*] Nam si unum unius viri peccatum tantum effecit, quid tam multa tot hominum peccata non valeant? sed gratia tamen Dei una & unum illud & cætera omnia obolevit, & justificationem præterea atque æternam attulit vitam.

20. *Lex autem subintravit*] Cùm meminisset peccati Adæ, & dixisset gratiam Christi & illud & reliqua omnia abolevisse, diceret fortasse Judæus, *Quid? nihil profecit Lex?* cui respondet, *Id profecisse ut ex hac Legis occasione peccatum augesceret.* Diviné profectò atque opportuné.

ZEGERUS.

1. *Justificati ergò ex fide*] Justi enim reddimur eâ Fide quæ *viva* dicitur, quæ cum Spe & Charitate conjuncta est: de qua suprà diximus cap. precedenti.

2. *In gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloria filiorum Dei*] Per fidem, inquit, *aditum habemus in hanc* præsentem novæ Legis *gratiam, per quam & in qua* erecti ac firmi *perstamus, & gloriamur in spe & exspectatione gloria illius qua est filiorum Dei.*

5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est*, &c.] Non afficiet nos, inquit, spes nostra dedecore, neque fallet unquam, propterea quòd Dei erga nos dilectionem, ceu certissimum quoddam spei nostræ pignus, teneamus: quæ sanè si deesset, spes ipsa pudefaceret, & redderetur inanis.

8, 9. *Quoniam si cùm adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est, multò magis nunc justificati*, &c.] Hæc præsentis loci scriptura ut est apud priscos usitatior, ità mihi videtur germanior. Sic enim legunt Ambrosius, Cyprianus, Origenes & Hilarius, nisi quòd unus inter omnes veteres Origenes cum modernis Latinis addit *secundum tempus*: sed ex commentario ferè & ex aliis liquet huc transpositum esse ex verbis Apostoli præcedentibus. Est & altera scriptura, nimirum quæ hodie & in Græcis cernitur, & exstat apud Chrystomum, Petrum Chrysologum ser. 110. & Cyrillum lib. De recta fide, *Quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multò igitur magis nunc*, &c. porrò Irenæus l. 3. c. 18. & Augustinus in Col. Bedæ, ex eo quòd omittunt *igitur*, videntur legisse priorem scripturam, *si cùm*: nam alioqui sermo ipse parùm aptè cohæret. Unde suspicor in ipsis esse errorem.

11. *Non solùm autem*] *Non modò*, ut suprà commemoravimus, inquit, *cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*, & non modò in morte ipsius *salvi erimus*; *sed* & nunc quoque *gloriamur in Deo.*

12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Usque ad Legem*, &c.] Præsens hic Apostoli locus anapodoto concisus est, aut certè longâ & molestâ quadam hyperbasi obscuratus est; quo factum est ut multi hîc non parùm sudarint, & nonnulli etiam recentiorum parùm apta commenti sint. Nemo mihi meliùs Apostolicam phrasim perspexisse atque edisseruisse videtur atque Adamantius, qui sermonis incommodo duobus occurrit modis, sicuti ex subscriptis edoceri poteris ipsius verbis. *Ubi enim dicitur*, inquit, PROPTEREA SICUT, *necessarium videtur quòd addi debeat adimpletio quadam, ut dicatur*, ità & illud, vel illud, *ut & ipse in nonnullis aliis locis scribit. Verbi gratiâ. cùm dicit*, Sicut enim in Adam omnes moriuntur ità & in Christo omnes vivificabuntur. *Hic autem cùm dixerit*, Sicut per unum hominem peccatum introivit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines pertransiit, *non retulit ut diceret, verbi causâ*, Ità & per unum hominem justitia introivit in hunc mundum, & per justitiam vita, & sic in omnes homines vita pertransiit, in qua omnes vivificati sunt. *Hoc enim videbatur propositi eloquii sensus expetere, secundum ea qua in aliis ipse prosequitur. Neque enim multùm differt illud quod alibi dicit*, Sicut in Adam omnes moriuntur, *& hic dicitur*, Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines pertransiit. *Et iterum quod dixit*, Ità in Christo omnes vivificabuntur, *nihil differt ab eo sensu quem deesse elocutioni dixisset intellectui legentis relictum. Sed mihi videtur Paulus, qui dicit*, quòd sufficientia nostra ex Deo est, qui idoneos nos fecit ministros Novi Test. *non per hac defectum passus eloquii, sed prospexisse aliquid utilitatis, quo etiamsi intelligi deberent ea qua deesse elocutioni & subintelligenda diximus, tamen propter negligentiores quosque, qui forte resolvi possent si audirent quod sicut mors in omnes homines per peccatum, ità & in omnes homines pertransiit vita per Christum, consideravit palàm hac dici & publicè non debere: simul & illud ostendens, quid etiamsi per unum hominem justitia introivit in hunc mundum, & per justitiam vita in omnes homines pertransiit, tamen non hoc in præsenti statim contingere, nec otiosis accidere, sed iis qui multo labore & sudore poterunt qua occulta sunt quærere, pulsare qua clausa sunt, desiderare qua abscondita sunt. Alius fortasse dicit, quòd hoc quod videtur deesse in iis qua suprà diximus secundum elocutionis ordinem, tardè quidem, sed in posterioribus redditur, ubi dicit*, Sed non sicut delictum, ità & donatio. Si enim unius delicto mortui sunt multi, multò magis gratia Dei & donum, gratiâ unius hominis, Jesu Christi, in plures abundavit: *& asserit in his completa esse qua defuisse in superioribus videbantur: nec multum interesse quòd ibi* in omnes homines *dixerit* pertransisse peccatum, *hic verò* donum & gratiam Jesu in plures abundasse, *cùm &* OMNES HOMINES plures *esse intelligantur, &* PLURES omnes *intelligi non videatur absurdum: maximè cùm in subsequentibus dicat apertiùs*, Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ità & per unius justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ.] Hactenus Origenes: qui tametsi opinionem illam de sententia supplenda videatur non admodum probare, non video tamen cur omnino debeat contemni; maximè cùm & illa suppletio subaudiri, & simul etiam possit ab Apostolo non expressa intelligi, ob causam illam quam ipse Origenes commemoravit. In secundo autem intelligendi modo, quo intelligitur compleri sententia in illo, *Sed non sicut delictum, ità & donum: Si enim unius*, &c. quia Apostolus diu distulerat quod intendebat, tandem ad se rediens, & sensum potiùs spectans quàm aptam verborum compositionem, aliâ quadam loquendi facie, quâ seipsum tacitè veluti corrigit, quod volebat persecutus est: cùm alioqui sic apertiùs edixisset, *Sicut, inquam delictum, ità & donum. Sicut enim unius delicto multi mortui sunt, ità multi unius gratiâ ac dono vivificati sunt*, &c. Sed Apostolus amplius quid dicere voluit, uti liquet intuenti quæ sequuntur. Jam in eo quod dicitur, *in quo*, commodè subaudiri aliud non potest quàm *Adam*, in quo labente omnes simul homines peccarunt, eóque unius peccato omnes rei & mortales facti sunt.

13. *Usque ad Legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non esset*, &c.] Ut donem non omnino ineptè Origenem ejusque sequaces interpretari, dicentes illud, *usque ad Legem*, & item *usque ad Moysen* accipiendum esse, *usque ad Legis Mosaica finem*, h. e. usque ad Christum, germanius tamen nonnihil videtur si dicamus Apostolum huc potissimùm spectasse, ut doceret peccatum Originis ab Adami etiamnum tempore tantisper viguisse dum Lex Mosaica promulgaretur, quo tempore non putabatur quisquam illi peccato reddi obnoxius, tum quòd Lex Mosaica peccati indicativa necdum prodita esset: nec voluisse ipsum dicere quòd *peccatum regnarit usque ad Christum*, vel quia id manifestum esset per Legem, vel quia tum originale crimen expiaretur per circumcisionem, sicuti modò per aquam vitalem. Erat igitur peccatum in mundo ab Adamo usque ad Moysen, quanquam non imputaretur ante datam Legem; sed mors ipsa regnans satis superque id ipsum arguebat. Nec profectò mors unquam regnavisset nisi peccatum illam produxisset. Cùm autem perspicuum sit ex Legis (quæ necdum erat) transgressione non exstitisse peccatum, relinquitur Adæ fuisse prævaricationem quæ mortem regnare fecerit, non solùm in impios crimini obnoxios actuali, verùm etiam in eos qui nil propriâ voluntate, ut ille, deliquerunt, sed tantùm originalis ab illo peccati labem contraxerunt. B. Ambrosius hunc facit sensum, *Non in omnes*, inquit, *mortem regnasse manifestum est, quia non peccaverunt omnes in similitudinem prævaricationis Ada*, i. *non omnes contempto Deo peccaverunt*, i. *neglecto Deo Creatore servierunt creaturæ, deos sibi constituentes quos colerent ad injuriam Dei. Nam & Thara pater Abraha, & Nachor, & Laban proprios Deos sibi vendicabant. Et peccatum Ada non longè est ab idololatria: Prævaricavit enim, putans se hominem, futurum Deum. Æstimavit enim hoc magis profuturum quod diabolus suasit quàm quod Deus jussit, in loco Dei diabolum constituens: unde & subjectus est diabolo. Similiter & hi transgresso Deo, dum creatura serviunt, peccant simili modo, non eodem; quia simili modo, solet habere aliquid dissimile*]: Hæc ille. Cum quo in lectione etiam consentit & Origenes, nisi quòd admoneat in nonnullis cod. haberi lectionem nostram, & variè edisserit. Vide, si plura cupis, ipsius Commentarios.

14. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt*, &c.] Ambrosius multis verbis docet hunc locum in Græcis fuisse depravatum: & tam ex literæ cir-

constantia quàm ex Tertulliano, Victorino, Cypriano, & ex antiquis exempl. Latinorum adseverat legendum, *etiam in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, abjectâ videlicet negatione, & tamen negationem addunt hodie tam Græci quàm Latini. Origenes, autcertè hujus interpres Hieronymus, utramque ponit lectionem. Equidem, nisi longus hic mihi refragaretur usus atque consensus Ecclesiæ, mallem cum Ambrosio legi *in eos qui peccaverunt*. Vide Ambrosium, & scito perperam à scribis additum ibi esse *τὸ non*. Eucherius addit *non*. ¶ *Qui est forma futuri*] h. e. Typus & figura Christi, qui veteris Legis tempore exspectabatur venturus.

15. *Sed non sicut delictum, ità & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei*] Corrigit quodammodo & simul etiam declarat quod promiserat, *Adam esse formam Christi*; &, ni fallor, etiam tacitè id quod in illo, *Propterea sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors*, inexpressum reliquit, nempe, *ità & per unum hominem justitia intravit & per justitiam vita. Igitur non sine profunda arte dicendi*, inquit Origenes, *Apostolus formam Christi esse Adam posuit, quæ sit per genus similis, per speciem contraria. Per genus namque similis est forma in eo, quod sicut quid ab uno Adam in plures homines diffunditur, ità quid & ab uno Christo in plures homines diffunditur. Per speciem verò contraria, quòd ex Adam prævaricatione cœptâ peccatores constituti sunt multi, Christi verò obedientiâ justi constituuntur multi.* Hæc ille. Deinde cùm dicit, *multò magis gratia Dei & donum*, &c. ostendere vult & aliam dissimilitudinem, nimirum Christum longè esse potentiorem ad servandum quàm Adam fuerit ad perdendum, & gratiam Christi longè esse efficaciorem ad conferendam vitam quàm Adæ transgressio fuerit ad inducendam mortem. Loquitur autem de morte non corporali sed spirituali. Præterea illud *delictum* & *donum*, si respiciatur ad præcedens, *qui est forma futuri*, poterit per Metonymiam accipi denominans positum esse pro denominato, ut sic resolvatur, *Sed sicut deliquens, ità donator.*

16. *Et non sicut per unum peccatum, ità*, &c.] Apud Ambrosium & Bedam & in quinque exempl. in editione Lovaniensi notatis pro *peccato* habetur *peccantem* juxta Græcos. ¶ *Nam judicium ex uno*] Subaudiendum non *Adam* sed *peccato*.

18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius*, &c.] Hoc pacto aut alio consimili restituendum quod per anapodoton diminutum est, *Sicut per unius delictum mors pertransiit in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam gratia pertransit in omnes homines in justificationem vitæ.*

20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*] *Ut* Consecutionem hic dicit, non Finem, tanquam si dicat, *Ubi subintravit Lex, abundavit delictum.* Vel sic, *Lex subintravit ut abundaret delicti cognitio:* nam sine Lege peccatum non imputabatur.

L. BRUGENSIS.

1. JUstificati ergò [*igitur* MS.] *ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum.*] Latini codices *habeamus* legunt, non *habemus:* Græci è diversò *ἔχομεν* ferè habent, non *ἔχωμεν*. Pro Græcis facere videtur commentarius Ambrosio attributus. Latinis vetus Dionysiani cœnobii Græcus codex, qui, Gagneio teste, *ἔχωμεν* habet, suffragatur; Item Latini enarratores adstipulantur, Autor commentariorum Hieronymo adscriptorum, Petrus Chrysologus Serm. 110. Primasius, Haymo, Anselmus, Autor Glossæ, Carensis, Lombardus, Lyranus, Thomas Gorran, Bruno, Richelius, aliique; quin & tractatores Græci, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, volunt. Syriacum נהוא לן שלמא quod est ad verbum, *erit nobis pax*, utroque intelligi potest modo, & ità ut futurum sit pro præsenti, & ità ut sit pro subjunctivo, Hebraico more.

8. *Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam, cùm adhuc peccatores essemus* * [* *secundum tempus* o.] (*Christus pro nobis mortuus est.*) Multi libri addunt *si*, *Quoniam si cùm adhuc peccatores essemus:* sed antiquiores emendatioresque, Epanorthotæ, Parisiensium, nostri, cum vulgaribus non paucis, Græcis exemplaribus conformiter, omittunt. Hentenius textu expulit. Videri possit adjectum fuisse, quia hinc Apostolus continuò inferat, *Multò igitur magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Et cùm adjectum id fuisset, tum sublatam esse quæ necessaria non erat collectivam conjunctionem *igitur*, quam vulgares aliquot codices contra Græca Syráque, nulli præstantes, omittunt. Cæterùm apud quosdam Patrum ità legitur, *Si cùm adhuc*, &c. *multò magis*; Cyprianum lib. 4. epist. 2. Hilarium in Psalmos 2 & 55. Origenem, quanquam hic addat *igitur*, Autorem commentariorum Ambrosii titulum præferentium: sed non ideo editionis nostræ est lectio. Petrus Chrysologus serm. 110 ei lectioni concinit, quam nos existimamus genuinam nostræ editionis esse, eáque & apud D. Primasium est.

H. STEPHANUS.

1. THN προσαγωγὴν] *Aditum.*

4. Δοκιμὴν] *Explorationem.*

5. Οὐ καταισχύνει] *Non pudefacit.*

6. Κατὰ καιρὸν] *Eo tempore quod constitutum erat:* vel *tempore idoneo.*

8. Συνίστησι] *Commendat:* vel *confirmat.*

10. Κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ] *Reconciliati fuimus Deo.*

13. Οὐκ ἐλλογεῖται] *Non imputatur.*

14. Ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ] *Ad similitudinem transgressionis Adam.*

15. Οὕτω καὶ τὸ χάρισμα] *Ità & quod gratia Dei contulit.* ¶ Οἱ πολλοὶ ἀπέθανον] *Ipsa* hominum *multitudo mortua est*. Sic in seq.

17. Οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες] *Quibus tam abundanter gratia & donum justitiæ conferuntur.*

19. Διὰ τῆς παρακοῆς] *Per inobedientiam.* ¶ Διὰ τῆς ὑπακοῆς] *Per obedientiam.*

23. Παρεισῆλθεν ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα] *Intervenit ut augeretur peccatum:* vel, *supervenit.* ¶ Ὑπερεπερίσσευσεν] *Superabundavit.*

DRUSIUS.

7. PRO *justo*] Ὑπὲρ δικαίου ambiguè dicitur. Potest enim esse obliquus à δίκαιος *justus*; ut dicat *pro homine justo:* & potest esse obliquus à recto δίκαιον *justum*, *justitia*, *justa causa*. Patres utroque modo enarrant, ut notatum ab Erasmo. Quibus addo Syrum Interp. hic habere *pro improbis*, quos רשיעא appellat: quod bene quadrat cum eo quod sequitur ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ *pro bono*. Nam qui vir *bonus* est etiam *justus* est. Itaque non nemo ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ interpretatur *pro eo qui sibi utilis est & commodum aliquod adfert*. Non hoc טוב etiam sign. apud Ebræos. Simul ista leguntur cùm alibi tum infra 7. 12. *Mandatum sanctum & bonum.*

8. *Cùm adhuc essemus peccatores*] In peccatis mortui; cujusmodi sunt omnes illi quos Scriptura רשעים *improbos* appellat. Sanè *improbus* & *peccator* se mutuò explicant. Itaque Psal. 37. 21. pro רשע in LXX est ἁμαρτωλός. Legimus quoque in Epistola Judæ *peccatores impii*; quia *peccatores* quidam sunt, non tamen *impii* sive *improbi*. Nam quando latè sumitur hoc nomen significat eos omnes qui peccant, sive in quibus est peccatum; à quo nè sancti quidem immunes sunt, dicente Apostolo 1 Joh. 1. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, mendaces sumus.* Aliquando *peccator*, i. החטא, per excellentiam vocatur Satan, qui & ὁ πονηρός. Sic vocatur à Jonatha Zach. 3. 1. ut & 2. ubi מחטיא, quod est nomen factum ex futuro Hiphil: quo significanter appellatur Satan, quia homines peccare facit, saltem ad malum solicitat & ad peccandum invitat. Quapropter ὁ πειράζων, i. *tentator*, etiam vocatur. *Tentare* autem aliquando est ad malum solicitare. Quo sensu legimus. *Deus neminem tentat.* ¶ *Pro nobis mortuus est*] Omnibus & singulis. Etiámne pro iis qui non sunt justificati in sanguine ipsius? Omnino. Nam dicit, *cùm adhuc peccatores essemus*, & paulò antè, *pro impiis mortuus est:* nam omnes eramus peccatores impii. Mortuus autem est quoad sufficientiam: nam sufficiens fuit mors ipsius ad omnes servandos, licet non omnes serventur. Quod accidit culpâ hominum, non Dei. Si enim omnes in Christum crederent, omnes servarentur. Sed hac de re alii aliter: fruatur quisque judicio suo.

14. *In similitudinem prævaricationis Adæ*] *Adam*, *Adæ*, ut *Mariam*, *Mariæ*, tanquam à recto *Ada*, qui tamen non est in usu. *Adam*, *Adæ*, ut *Mariam*, *Mariæ:* in quo abjecta ultima nominis barbari. Aut *Adam*, *Adas*, ut *Aretham*, *Arethas*. Solent enim Græci hoc modo barbara vocabula depravare. *Adas*, *Adæ*, ut *Thomas*, *Thomæ*. Sed *Adas* nusquam invenitur. Ergò *Adam*, *Adæ*, ut *Abraham*, *Abrahæ*. Nam Ἀσδρούβας factum ex *Asdrubal:* Sic Ἀννίβας, quod scribunt חניבעל *Hannibal*. Est autem *Bal* contractum ex *Baal:* Sic *Bel* dicebant pro *Beel*, quod postremum in Jesaia בל legitur

tur. Ex *Bal* factum putatur si *balsamum*, quasi בעל סמים *dominus aromatum*: nam excellit in suo genere. Dictus *Adam* ab *Adama*, ut *homo* ab *humo*: quam notationem temere nimis ridet Quintilianus, אדמה *terra*, *humus*. Nam ex ea formatus fuit. Appellatio à colore, qui rufus in iis locis. *Adom* enim certè *rufum* denotat.

15. *Multi mortui sunt*] Quidam explicat *plures uno*, alii *omnes*. Nam *multi* & *omnes* sibi invicem cedunt. Sic Dan. 12.2. *Multi ex dormientibus in terra pulvere evigilabunt*, h.e. interprete Augustino, *omnes*. Nec aliter Glossa Interlinearis. Vide Lyram. Joh. 5. 28. *Omnes qui in monumentis sunt*, &c. Psal. 97.1. *lætentur insulæ multæ*. 110. 6. *in terra multa*. Gen. 17. 5. *patrem multarum gentium posui te*. Alibi, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Mox v. 16. *ex multis offensis*. 1 Joh. 1.7. *ab omni peccato*: & v. 18. *peccatores constituti sunt multi*: 18. *per unam offensam in omnes homines ad condemnationem*. Rursum Rom. 8. 29. *primogenitus inter multos fratres*, i. omnes. Contrà *omnes* pro *multis* usurpatur: quod notius est quàm ut probari debeat.

18. *Per unam offensam*] Vel *per unius offensam*. Sed tum dixisset potiùs διὰ παραπτώματος τῦ ἑνὸς, *per offensam unius*. In hac interpretatione *uni omnes* opponit. Vetus certè interpres *per unius delictum*. Verba Græca ambigua sunt ad utramque interpretationem: probo magis priorem. Paulò pòst, *per inobedientiam* τῦ ἑνὸς ἀνθρώπυ, *unius hominis*, Adamum designat; &, *per obedientiam unius*, τῦ ἑνὸς, Christum significat. Omisit autem in hoc ultimo loco nomen *hominis* vel compendii causâ, vel quia Christus non erat ψιλὸς ἄνθρωπος, sed homo & simul Deus, h. e. θεάνθρωπος, ex duabus videlicet naturis, humanâ & Divinâ, constans.

CAMERON.

4. Ἡ Δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, &c.] Tentationi Divinæ in uno tantùm convenit cum tentatione humana propriè dicta, nempe eò quòd tentatione Divinâ innotescit non quidem Deo sed hominibus quod antea latuit. Itaque 1 Par. 32. dicitur Deus *tentasse Ezechiam ut notum esset quid in animo haberet*. In heb. est לדעת, verbum verbo *ad sciendum*, quod Interpretes referunt ad hominum notitiam, in quibus sunt & illi ipsi qui tentantur. Quò hic respexit Apostolus, ubi nomine δοκιμῆς *experimenti* designavit notitiam sui, quam nanciscuntur fideles dum conscii sunt experientiâ roboris illius Spiritûs quo sustentantur in cruce. Nam tribulationes eædem *tentationes* dicuntur in Scriptura: ut hic sit hujus loci sensus, Eò quòd fideles patientiâ suâ, in cruce & tribulationibus, experiundo norunt vim & potentiam Spiritûs illius quo ad ferendas afflictiones à Deo sunt instructi, concipere eos indè spem certissimam, fore ut nunquam sub onere illo concidant oppressi, sed emergant tandem gloriosi & quasi triumphabundi.

13. Ἁμαρτία ὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμυ] Comparatè scilicet: ut illud Christi, *Si non venissem, peccatum non haberent*. Nam qualis Lex, qualis revelatio, tale peccatum. Cùm apertè proponeretur Lex, clarum fuit peccatum; cùm tacitè, peccatum minùs compunxit conscientiam. Ante Legem propositam nemo peccavit ad similitudinem Adæ, qui de fructu comedit ipsi externâ voce prohibito.

15. Ἀλλ' ὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, &c.] Nonnihil difficultatis afferre videntur prima hujus versiculi verba. Instituere enim velle videtur Apostolus v. 14. inter Adamum priorem & posteriorem collationem consentaneam cum ait, ὅς ἐςι τύπος τῦ μέλλοντος, auspicatur tamen ver. 15. à dissentanea. Itaque verba ista, ἀλλ' ὐχ ὡς τὸ παράπτωμα ὕτω καὶ τὸ χάρισμα, parenthesi includi nececesse est. Quod verò his verbis breviter innuit, latiùs mox explicat v. 16, & 17. Versu autem 18 rursus ad collationem consentaneam redit.

JAC. CAPPELLUS.

18. N*Empe igitur sicut* unus *per unam offensam omnibus hominibus* fuit *condemnationi*, *sic* unus *per unam obedientiam omnibus hominibus* fuit *absolutioni vivifica*] h. e. Quemadmodum omnes homines qui condemnantur reatum suum contraxerunt ab una unius hominis offensâ, sic & quotquot vivificantur absolutionem suam obtinuerunt ab una unius hominis obedientia. Videlicet quemadmodum παράπτωμα non est quodvis *peccatum*, sed insigne, sic & δικαίωμα non est quævis *obedientia justitiave* sed insignis. Vide quæ notamus in Hebr. 9. 1.

LUD. CAPPELLUS.

12. Ὡ Σπέρ δι' ἑνὸς ἀνθρώπυ] Hanc esse mortis hominum causam agnoscunt ipsi Judæi totidem ferè verbis. Chald. Paraphr. Ruth. 4. 22. fabulatur Isai patrem Davidis *cognominatum fuisse* נחש *Serpentem*, *propterea quod nulla causa vel corruptio in eo inventa est cur traderetur in manus Angeli mortis, qui ab eo tolleret animam ejus: propterea*, inquit, *vixit dies multos, donec commemoratum est coram Deo consilium quod serpens olim dederat Evæ uxori Adami, ut comederet de fructu Arboris, de cujus fructu qui comedunt evadunt sapientes, ut cognoscant bonum à malo; & propter illud consilium constituti sunt rei mortis omnes habitatores terræ. Atque hac de causa mortuus est Isai*. Hæc ille Paraphrastes, quæ faciunt ad illustrationem loci istius.

GROTIUS.

1. Δ Ικαιωθέντες ὖν ἐκ πίςεως, *Justificati ergo ex fide*] *Mundati igitur à peccatis per fidem*. ¶ Εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν, *pacem habemus ad Deum*] *Amicitiâ Dei fruimur*. Vide quæ supra 4. 4. Hic εἰρήνη [*pax*], quod ibi, & jam mox χάρις [*gratia*]. Sicut Abraham *amicus Dei* fuit Jac. 2. 23. sic & nos. ¶ Διὰ τοῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ. *per Dominum nostrum Jesum Christum*]. Ei post Deum gratiam debemus. Causam jam exprimet.

2. Δι' ὖ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίςει εἰς τὴν χάριν ταύτην, *Per quem & habemus accessum fide in gratiam istam*] A quo tum alia habemus beneficia, tum hoc vel maximum, quòd ille nobis dedit credendi causas, ut sic per fidem perveniremus ad illam Dei amicitiam ac benevolentiam. Προσάγειν respondet Hebræo בוא [*introire*] & קרב [*accedere*]. unde προσαγωγή tum hîc tum Eph. 2. 18. & 3. 12. est *aditus ad rem vel personam*. Pro τῇ πίςει [*fide*] in Manuscripto ἐν τῇ πίςει [*in fide*], quod Paulo usitatius, & solent facilè excidere litteræ repetitæ. ¶ Ἐν ᾗ ἑςήκαμεν, *in qua stamus*] *In qua* nempe *fide stamus*, id est, cavemus nobis à peccatis. Nam sicut qui peccat *cadere* dicitur, Hebr. 4. 11. Jac. 5. 12. sic *stare* qui à peccando abstinet, infra 14. 4. 1 Cor. 10. 12. Est hîc præteritum pro præsente, more Hebræo. ¶ Καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. *& gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*] *Fulcimur spe gloriæ illius quam à Deo accepturi sumus, secundùm promissa Christi*. καυχᾶσθαι est *aliqua re inniti*, ut diximus supra 2. 17, 23. Itaque שיש quod est *gaudere* vertitur & per καυχᾶσθαι [*gloriari*] & per κατακαυχᾶσθαι, ut & עלץ & רנן quæ paris sunt significatûs.

3. Οὐ μόνον δὲ, *Non solùm autem*] *Non tantùm gaudemus ea spe*. ¶ Ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν. *sed & gloriamur in tribulationibus*] Hic proprius effectus magnæ illius, id est, Christianæ fidei, *gaudere adversis*, quæ propter Dei & Christi nomen eveniunt. Exemplum vide Act. 5. 41. quale in veteri Testamento frustra quæras. Adde 2 Cor. 7. 4. & 8. 2. ¶ Εἰδότες ὅτι ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται *scientes quòd tribulatio patientiam operatur*] Nempe in credentibus. ὑπομονὴν *sufferentiam* vertit Tertullianus, alii Latiniùs *tolerantiam* aut *patientiam*: eam intellige per quam Dei causâ mala quævis libenter toleramus. De utilitate adversorum pulchra & Paulo satis consentientia habet Rabbi Israël de Anima cap. 28. & 33.

4. Ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, *Patientia autem probationem*] *Explorationem*, nempe *sui ipsius*: nam patiendo discit homo suas vires. Alibi sumitur id nomen respectu aliorum: at Jac. 1. 3. τὸ δοκίμιον [*probatio*] ponitur μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] pro ipsis *rebus adversis*. ¶ Ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα: *probatio vero spem*] Nam qui scit se durissima pati Dei causâ, ejus spes magis magisque accenditur, tum ex Dei bonitate, cui non convenit talem patientiam non munerare, tum ex promisso Christi, Matth. 5. 12. Johan. 16. 20.

6. Ἡ δὲ ἐλπὶς ὐ καταισχύνει, *Spes autem non confundit*] Id est, *spes in Dei promissis fundata non fallit*. Locutio sumpta ex Psal. 22. 6. est μετωνυμία [*Transnominatio*], quia plerumque pudere eos solet qui vanis pollicitationibus fidem habuere. Vide & Sirach. 2. 10. Notavit in hac periodo gradationem Augustinus, quam figuram amat Apostolus, ut videre est infra 8. 29, 30, 39. & 10. 13, 14, 15. ¶ Ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, διὰ πνεύματος ἁγίυ τοῦ δοθέντος ἡμῖν. *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*] Hoc dicit, Eò minùs dubitandum habemus de rei speratæ eventu, quia etiam arrham à Deo accepimus, Spiritum sanctum. *Dei dilectio* hîc intelligenda quâ Deus

homi-

homines diligit, ut videre est infra v. 8. *Spiritus effusus* in Christianos, id est, ubertim datus dicitur Act. 2. 17, 18, 33. & 10. 45. Tit. 3. 6. Hic verò ipsa *Dei dilectio effusa* dicitur, id est, abundanter testata *hominum animis*. Nam quisque sibi conscius donorum quæ acceperat, rectè inde colligebat magnum in se esse Dei amorem. Non solent tam magna pro mutuo ii dare qui fidem volunt fallere. Adde 2 Corinth. 1. 21, 22. Ephes. 1. 14.

6. *Ἔτι γὰρ Χριστὸς, ut quid enim Christus*] Hoc γὰρ [*enim*] non connectitur cum prioribus, sed novum est argumentum ad probandum Dei in nos amorem à minùs credibili ad magis credibile assurgens. Legerunt hîc alii *εἰ* [*si*], alii *εἰς τὸ* [*ut*]: sed *ἔτι* [*adhuc*], rectum est, & construitur cum *ὄντων ἀσθενῶν* [*cùm infirmi essemus*], quomodo mox sequetur *ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν.* [*cùm adhuc peccatores essemus*]. ¶ *Ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, cùm adhuc infirmi essemus*] Cùm nondum vires accepissemus ad serviendum Deo. ¶ *Κατὰ καιρὸν, secundum tempus*] *Tempore ad eam rem opportuno*, Joh. 13. 1. & 17. 1. Gal. 4. 4. Exactis hebdomadibus Danielis, destructis regnis. ¶ *Ὑπὲρ ἀσεβῶν, pro impiis*] Id est, *etiam pro impiis*, quales multi non inter Gentes tantùm, sed & inter Judæos. Quod hîc dicit *ἀσεβεῖς* [*impios*] mox dicit *ἁμαρτωλὰς* [*peccatores*], sensu scilicet eminentiore, quomodo Hebræis רשעים & חטאים pro eodem sumi solere notatum est eruditis. Græci quoque interpretes pro utraque illa voce Hebræa modò dicunt *ἀσεβεῖς* [*impii*], modò *ἁμαρτωλοί* [*peccatores*]. Vide quæ diximus libro 2. de Jure Belli ac Pacis capit. 20. 44. ¶ *Ἀπέθανε. mortuus est*] Ideo mortuus est, ut illi peccatores ad fidem perduci possent, quæ fides præcipuè nititur morte Christi & resurrectione. Vide supra 4. 25.

7. *Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τὶς ἀποθανεῖται. Vix enim pro justo quis moritur* (Syrus legit *ὑπὲρ ἀδίκου* [*pro injusto*], sensu optimo. Magnum est quod dixi. *Est hoc perrarum, ut quis pro homine malo mortem velit oppetere.* Loquitur ex sententia Philosophorum ac Judæorum. Seneca, *Succurram perituro, sed ut ipse non peream, nisi si futurus ero magni hominis aut magnæ rei merces.* Idem sensus in epistola Epicuri ad Pythoclem. Philo, *Μόλις ἀνεπνεύσαμεν εἰδότες ἐπ' οὐδενὶ λυσιτελεῖ παρανάλωμα γενησόμενοι* [*Vix respiravimus cum sciremus nullo nos fructu nullâ de causâ perituros*]. ¶ *Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. nam pro bono forsitan quis audeat mori*] Est *συγχώρησις* [*Concessio*]. Aliquos in Gentibus aut Judæis invenias qui pro viro bono se periculis objiciant: ut Jonathan pro Davide: ut Damon & Pythias apud Valerium Maximum 4. 7. Lactantius 5. 18. *Quid enim illi familiares Pythagorei laudantur à vobis, quorum alter se tyranno vadem mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, cùm jam sponsor ejus duceretur, præsentiam sui fecit, eumque interventu suo liberavit? quorum virtus in tanta gloria non haberetur, quod alter pro amico, alter etiam pro fide mori voluit, si stulti putarentur.* *Τάχα* hic est *facilè*, oppositum ei quod præcessit *μόλις* [*vix*]. Tale illud,

> —*Τάχα μὲν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο*
> [*Facile & non sontem crimine vexet*].

Et *τολμᾶν* non est *audere* sed *sustinere*, sicut *τολμᾷ ἱκετεύειν* [*sustinet supplicare*], *τολμᾷ ἀπέχεσθαι* [*sustinet abstinere*] frequenter apud Græcos.

8. *Συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ Θεός, Commendat autem charitatem suam Deus in nobis*] Hæc est dilectio Dei *προηγουμένη* [*antecedens*] erga omne humanum genus indistinctè. *Συνίστησι, conspicuam facit*, ut supra 3. 5. Deo hoc ascribit, quia is Filium suum tradidit, Filio suo non pepercit. ¶ *Ὅτι ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε. quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*] Repetit paulùm mutatis verbis sensu eodem quod dixerat, ut egregium & memoriæ infigendum.

9. *Πολλῷ οὖν μᾶλλον, multò igitur magis*] Hic jam sequitur illatio majoris, id est, magis credibilis rei. ¶ *Δικαιωθέντες νῦν, nunc justificati*] *Ad veram atque internam puritatem sive justitiam perducti.* ¶ *Ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, in sanguine ipsius*] Est *μετάληψις* [*Transsumptio*] Nam *sanguis* sive mors cruenta *Christi* causa fidei, fides justitiæ Is ordo manifestus supra 3. 25. ¶ *Σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς. salvi erimus ab ira per ipsum*] Id est, *eripiemur à communi exitio quod impios manet.* Par locutio 1 Thessal. 1. 10.

10. *Εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες, Si enim cùm inimici essemus*] Nam impii omnes Deo sunt inimici, Jac. 4. 4. *Deum non amant* 1 Joh. 4. 20. ¶ *Κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*] Id est, Deus à nobis gravissimè læsus, cùm Filium suum nostri causâ morti dedit, ostendit se non eo usque iratum, ut non sub bonis conditionibus *in gratiam redire nobiscum* vellet. Id hic est *καταλλάττεσθαι* [*reconciliari*] non plenè scilicet, sed *κατά τι* [*secundum quid*] ad illum effectum, ut 2 Cor. 5. 19. ¶ *Πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες, multò magis reconciliati*] Id est, *postquam Deus nobiscum venit ad conditiones*, subintellige, *quas nos accepimus usque paruimus.* Nam sæpe sub verbis actûs primi intelliguntur actûs secundi. Similia vide Joh. 6. 44. & 17. 6. ¶ *Σωθησόμεθα διὰ τῆς ζωῆς αὐτοῦ. salvi erimus per vitam ipsius*] *Per vitam ipsius.* Vita omnes vim agendi in se continet: & quid potiùs agat Christus, cui omnis potestas data est, quàm ut malis eximat eos pro quibus in gratiam Patris reponendis tam multa fecit ac passus est?

11. *Οὐ μόνον δὲ, Non solùm autem*] Parum est quòd dixi, *fore ut malis nos eximat.* ¶ *Ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, sed & gloriantes in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum*] Supple *sumus*: quomodo accepit Syrus, id est, Dei pollicitis per Christum factis innitimur, atque confidimus nos insuper bona & æterna & maxima consecuturos. Vide quæ supra v. 4. & Hebr. 3. 6. ¶ *Δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν. per quem nunc reconciliationem accepimus*] *Νῦν*; id est, *jam nunc accepimus reconciliationem.* Dictum *μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem*], id est, Accepimus effectum istius reconciliationis, Spiritum Sanctum, quem Deus non dedisset nobis nisi planè in gratiam suam repositis. Hic apertiùs exprimitur actus ille secundus, de quo diximus supra v. 10. Pax subditorum cum Rege tunc perfecta est cùm subditi eis conditionibus paruêre quas Rex præscripserat.

12. *Διὰ τοῦτο, Propterea*] *Hæc cùm ita se habeant ut diximus.* Est enim לכן *διὰ τοῦτο* [*propterea*] non reddentis causam ante dictorum, sed ex ante dictis tanquam certis mysterium vetus interpretantis: Id autem hic est, quæ per Adamum gesta sunt, eorum contraria debuisse geri per Christum. Idem explicat 1 Corint. 15. 22. ¶ *Ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit*] *Κόσμον* [*mundum*] hic intellige genus humanum cui peccandi exemplum primus dedit Adamus. Cur non Evam dixit? quia Hebræi non solent *γενεαλογεῖν* [*genus recensere*] per feminas. ¶ *Καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, & per peccatum mors*] Id est, virium imminutio, causa lassitudinis, dolorum, morborum & ex his secuturæ mortis, ut ad Genesim diximus. Atqui immortalitas Adamo, etiamsi Deo paruisset, dicat aliquis, promissa non erat & naturâ erat *χοϊκός* [*terrenus*], factus *εἰς ψυχὴν ζῶσαν* [*in animam viventem*] non *εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν* [*in Spiritum vivificantem*] 1 Corinth. 15. 45. Fateor: at, si præcepto Divino paruisset, mansissetne in Paradiso semper, an majus aliquid deinde de eo constitutum fuisset, & nobis incertum est, & ipsi incertum fuit. Hebræi quidam existimant futurum fuisse, ut post vitam felicem longissimam Deus ei sine ulla molestia ac dolore animum è corpore liberaret, quod ipsi non מות, id est *mori*, sed גוע (*exspirare*) aut *osculum pacis* vocant. Alii putant eventurum ei fuisse id quod Enocho & Eliæ evenit. Sed de hac re alii judicent: dum illud teneamus, quod ait Sapiens Hebræus, *Diaboli invidiâ mortem in mundum intrasse*, 2. 24. Et quod Sirachides, *Per mulierem initium factum peccandi, & inde esse quòd morimur*, 25. 33. ¶ *Καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, & ita in omnes homines mors pertransiit*] *Pervenit ad omnes Adami posteros*, ipsa Lege originis per quam non poterant non omnibus quæ diximus malis obnoxia esse corpora, ex tali corpore substantiam suam & qualitates ducentia. Sublato enim beneficio illo per arborem vitæ, manebat corpus humanum quale cæterorum animantium, caducum ac fragile velut testa ex humo facta. Hoc sensu ajunt Hebræi *mortem ex peccato Adami venisse ad posteros ejus*, ut Paraphrastes Chaldæus Ruth. 4. & Ecclesiastæ 7. Scriptor vitæ Mosis plus semel, Jarchi, Hana Barhaina in Beresith Rabba. Cyrillus adversùs Anthropomorphitas cap. 8. *οἱ γεγονότες ἐξ αὐτοῦ ὡς ἀπὸ φθαρτοῦ φθαρτοὶ γεγόναμεν* [*nati ex eo, ut à mortali, mortales nati sumus*]. Vide & quæ ibi sequuntur. ¶ *Ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. in quo omnes peccaverunt*] Frequens est *μετωνυμία* [*Transnominatio*] Hebræis dicere *peccatum* pro *pœna*, & *peccare* pro *pœnam subire*: unde & procedente longiùs figurâ per *μετάληψιν* [*Transsumptionem*] חטא sive *peccare* dicuntur qui malum aliquod etiam sine culpa ferunt, ut Genes. 31. 36. & Job. 6. 24. ubi חטא vertitur per *δυστυχεῖν* [*adversâ fortunâ uti*]. *ἐφ' ᾧ* [*in quo*] hic est *per quem*, quomodo *ἐπὶ* cum dativo sumitur Luc. 5. 5. Actorum 3. 16. 1 Corinth. 8. 11. Hebr. 9. 17. Chrysostomus hoc loco, *Ἐκείνου πεσόντος καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου γεγόνασι παρ' ἐκείνου πάντες θνητοί* [*Illo labente,*

bente, & ii qui de ligno non comederunt, per eum omnes mortales facti ſunt]. Poſt hæc verba ſequitur longa hîc παρένθεσις [*interpoſitio*] ad comma uſque 8, ubi reditur ad cœptum ſermonem. Id genus dicendi Græci ὑπέρβατον [*Trajectionem*] vocant, ſoletque id multùm emolliri, ſi voces eædem aut ſenſus antè poſitus repetatur addito *inquam* vel *ergo*, ut infra ἄρα οὖν, id eſt, *ut dicere cœperam.*

13. Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν τῷ κόσμῳ *Uſque ad Legem enim peccatum erat in mundo*] Subauditur hîc μὲν [*quidem*]. Cauſam reddit cur dixerit omnes homines ideo mortuos quòd ex Adamo ortum traherent, quia lex nulla illis data erat quæ transgredientibus mortis pœnam minaretur. Non negat fuiſſe peccatum, ut Caini, hominum qui fuere diluvii tempore, Sodomæ civium, fratrum Joſephi, Pharaonis qui Moſi coævus fuit & aliorum. Ἄχρι νόμου [*uſque ad Legem*], id eſt, *ante Legem Moſis* quæ gravibus facinoribus pœnam adſcribit mortem. ¶ Ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου *peccatum autem non imputatur cùm Lex non eſt*] In Manuſcripto οὐκ ἐλλογεῖτο [*non imputabatur*]: nec aliter legit & Syrus & Theophylactus. Verbum ἐλλογεῖν [*imputare*] etiam in illa ad Philemonem Paulus uſurpat. Recta locutio fuerat ἐνελογεῖτο [*imputabatur*]: ſed omiſſi augmenti habemus & alia exempla. Senſus eſt, *Non in id imputabatur ut cauſa poſſit dici mortis*, nempe in ſingulis hominibus. Non enim ſingulos tunc homines Deus puniit, ſed genera tota hominum, & in illis etiam pueros nullius commiſſi reos. At Lex de ſingulis dixit, *Morte moriatur*: nempe Deo ipſo mortem inflicturo, ſi ceſſarent aut rem ignorarent Judices.

14. Ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως, *Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen*] *At tamen*, inquit, *vim ſuam exercuit mors in homines ſingulos ab Adami ætate ad Moſis ætatem*, id eſt, per annnos ferme bis mille quingentos; non breve ſpatium. Βασιλεύειν מלך [*regnare*] eſt *vim ſuam exercere*, ut infra v. 21. & c. 6. 12. Sic ᾅδου βασίλειον [*regnum inferorum*] dixit ſapiens Hebræus 1. 14. ἀπὸ [*ab*] μέχρι [*uſque*] poni ſolent ad temporis notationem, ut Actorum 10. 30. ¶ Καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ, *etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*] *Etiam in eos qui nihil ſimile Adamo commiſerant*, quales Abel, Noë, Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Joſephus. Quia ἁμαρτάνειν [*peccare*] ambiguum eſt, & aliquo ſenſu omnibus hominibus qui aliquandiu ætatem egére tribui poteſt, ideò diſtinctè explicat de quo peccandi genere hîc agat, nempe de tali quod par cenſeri poſſit ei quod Adamus commiſerat. Solent graves transgreſſiones comparari *trangreſſioni Adami*, Oſeæ 6. 7. ¶ Ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος. *qui eſt forma futuri*] Mors quidem illa, ut jam diximus, ſecuta eſt ex naturæ Lege, ſed quam Deus facilè impedire potuiſſet, niſi voluiſſet Adamum *figuram eſſe* Chriſti, diverſâ tamen gignendi ratione & effectibus contrariis. Ὁ μέλλων [*futurus*] hîc dicitur reſpectu habito ad tempus Adami & deinceps ad Legem uſque, is qui Ἀδὰμ ἔσχατος [*noviſſimus Adam*] 1 Corinth. 15. 45. ſic & Coloſſ. 2. 17. vox μελλόντων [*futurorum*] reſpicit priora tempora. Τύπος eſt *figura ad quam aliud quid plenius efficitur*, Exod. 25. 40. Sic 1 Corinth. 10. 6, 11. dicitur ἀντίτυπον [*exemplar*] Hebr. 9. 24.

15. Ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα. *Sed non ſicut delictum, ita & donum*] Hoc vult dicere, In neutro quidem quicquam iniqui, ſed tamen Deo convenientius eſſe, unum facere vitæ auctorem quàm unum mortis. Χάρισμα [*donum*] dicitur quod mox δώρημα, *beneficium* quodvis, ut infra 11. 29. 2 Corinth. 1. 11. Παράπτωμα verò reſpondet vocibus Hebræis פשע, מעל, עול, & ſimilibus quæ *violationem Legis Divinæ gravem* ſignificant. Hîc verò ea vox intelligitur ſimul cum ſuo effectu qui jam explicabitur. Deus magis amat prod eſſe quàm nocere: & vita Deo gratior quàm mors. ¶ Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, *ſi enim unius delicto multi mortui ſunt*] Οἱ πολλοὶ [*multi*], id eſt, ferè omnes excepto Enocho, & ſi qui fortè fuere alii de quibus id ſcriptum non eſt. Idem eſt hîc τῷ ἑνὸς παραπτώματι [*unius delicto*], quod modo δι' ἁμαρτίας [*per peccatum*]. ¶ Πολλῷ μᾶλλον, *multò magis*] *Multò facilius*: nam illud quàm hoc difficilius creditu, & tamen verum eſſe apparuit. ¶ Ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ, *gratia Dei & donum*] Hîc χάριν [*gratiam*] dixit quod ante χάρισμα [*donum*], cauſam pro effectu. Juſtitia Divina quæ Chriſtianis obtigit & magnum eſt beneficium & nullis à nobis meritis provocatum: ideo *donum* dicitur. ¶ Ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *in gratia unius hominis Jeſu Chriſti*] Χάρις [*gratia*] hoc loco ſignificat *benevolentiam Chriſti in genus humanum.* ¶ Εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε, *in plures abundavit*] *In multos*, id eſt, in omnes qui in Chriſtum credidere, quod initium eſt novæ naturæ. ἐπερίσσευσε [*abundavit*], id eſt, *abundantiùs apparuit*, ut ſupra 3. 7. & Matth. 5. 20. יתר.

16. Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα. *Et non ſicut per unum peccantem ita & donum*] Eſt ἔλλειψις [*defectus*] duplex. Nam & poſt δι' ἑνὸς [*per unum*] ſubauditur nomen θάνατος [*mors*], ex verbo ἀπέθανον [*mortui ſunt*] quod præceſſerat, & poſt τὸ δώρημα [*donum*] ſubauditur ἔχει [*habet*]. *Non ſic ſe habet donum, ut illa mors ex uno peccato conſecuta.* Multò efficacius fuit beneficium quàm noxa. In quo autem ea differentia ſita ſit jam explicat. ¶ Τὸ μὲν γὰρ κρῖμα ἐξ ἑνὸς, *nam judicium quidem ex uno*] Κρῖμα משפט [*judicium*] *conſtitutionem Dei* hîc ſignificat, cui occaſionem dedit peccatum Adami. ¶ Εἰς κατάκριμα *in condemnationem*] Frequens eſt Hebræis cauſam nominare pro effectu, quamvis ex alia cauſa procedente. Ita, quia damnati mori ſolent, *damnatio* hîc dicitur pro *morte.* ¶ Τὸ δὲ χάρισμα, *gratia autem*] Intelligit hîc fidem quæ & Epheſ. 2. 8. *donum Dei* dicitur, quia Deo revelante nihil tale meritis contigit. ¶ Ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων, *ex multis delictis*] *Occaſione ſumpta ex multis peccatis.* ¶ Εἰς δικαίωμα. *in juſtificationem*] *Ad vitam rectam* ſive *perpetuam obedientiam*: quomodo δικαίωμα [*juſtificatio*] & infra v. 18. Sic Jobi 34. 27. דרכיו quod eſt *vias ejus*, Septuaginta vertunt δικαιώματα αὐτοῦ [*juſtificationes ejus*]. Ideo nomen ſingulare hîc uſurpavit Apoſtolus, ut unum ac conſtantem vitæ tenorem ſignificaret. Apocalypſis pluraliter pro eodem dixit, τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων [*juſtificationes ſanctorum*] 19. 8.

17. Εἰ γὰρ, *Si enim*] Oſtendit quantum ſit iſta vita recta quam Dei dono adipiſcimur, ex eo quòd ſecum trahit æternam vitam ac felicitatem. ¶ Τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι, *unius delicto*] Repetit quod dixerat ſupra v. 15: ſed ut majus aliquid quàm ante inferat. In Manuſcripto eſt, ἐν ἑνὶ παραπτώματι [*in uno delicto*]. ¶ Ὁ θάνατος ἐβασίλευσε, *mors regnavit*] Ut ſupra v. 14. ¶ Διὰ τοῦ ἑνὸς, *per unum*] Id eſt, *per naturam ex uno in omnes tranſeuntem.* ¶ Πολλῷ μᾶλλον, *multò magis*] *Multò facilius*, ut ſupra v. 15. ¶ Οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος, *abundantiam gratiæ*] *Abundantiam gratiæ* more Hebraico, id eſt, gratiam abundantiſſimam vocat, benevolam patefactionem Divinæ voluntatis factam per Chriſtum. ¶ Καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, *& donationis juſtitiæ*] ¶ Δωρεὰ δικαιοσύνης [*donatio juſtitiæ*] rurſum Hebraïſmus pro *juſtitia quæ dono datur.* Vide ſupra v. 15. Dono autem dari dicitur, quia per fidem obtingit quæ eſt donum Dei, ut diximus ſupra v. 16. ¶ Λαμβάνοντες, *accipientes*] Id eſt, qui voluerunt accipere & ſic acceperunt re ipſa. Sic & Johan. 1. 12. ¶ Ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι, *in vita regnabunt*] Duo magna dicit & hominibus gratiſſima, *vitam* & *regnum*, ſive immortalitatem & ſummos honores. Vide 1 Corinth. 4. 8. 2 Timoth. 2. 12. Apocal. 5. 10 & 20. 4. & 22. 5. ¶ Διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ. *per unum Jeſum Chriſtum*] *Per vitæ principem* Actor. 3. 15. Etenim vitam illam æternam in tenebris latentem primus apertam fecit, primus eam eſt conſecutus: idem etiam novam de ſe naturam trahentibus eam conferet.

18. Ἄρα οὖν, *Igitur*] Hic poſt longam παρένθεσιν [*interpoſitionem*] in qua obiter inſtitutæ comparationis diſparitatem oſtendit quandam, redit ad id quod dicere cœperat ſupra v. 12. ἄρα [*igitur*] eſt repetentis interruptum ſermonem. Simile hyperbatum & repetitionem ſermonis inchoati per καὶ [*&*] habes Philipp. 2. 1, 5. ¶ Ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάκριμα *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*] Supple ἐγένετο, *res proceſſit.* Hebræi, ubi ſtatum aliquem deſignant ל, quod valet εἰς [*in*] ponunt vice Nominativi ut Geneſ. 2. 24. ἔσονται εἰς σάρκα μίαν [*erunt in unam carnem.*] Et 1 Corinth. 15. 45: ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν [*factus eſt in animam viventem*]: unde & hoc εἰς κατάκριμα [*in condemnationem*] & quod ſequetur εἰς δικαίωσιν [*in juſtificationem*] Syrus per Nominativos tranſtulit ¶ Οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος, *ſic & per unius juſtificationem*] Id eſt, ὑπακοῆς [*obedientiam*, ut jam explicat: eam obedientiam Chriſti per omne vitæ tempus ad mortem uſque vocat Singulari Numero δικαίωμα [*juſtificationem*] ob uniformem ejus tenorem, ut diximus ſupra v. 16. ¶ Εἰς πάντας ἀνθρώπους, *in omnes homines*] Intellige omnes qui ipſi ſicut oportet credunt, quod initium eſt, ut diximus, novæ naturæ. ¶ Εἰς δικαίωσιν ζωῆς. *in juſtificationem vitæ*] Evenit eis liberatio à peccatis, quæ liberatio cauſa eſt vitæ æternæ. Genitivus apud noſtros ſcriptores ex Hebraïſmo varias ſignificationes habet. Hic rei effectæ deſignativus eſt.

19. Ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ, *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi*] Est rursus μετωνυμία [*Transnominatio*]. Ita tractati sunt quasi peccassent actu, nempe quia addicti sunt morti. Sic vox *peccatoris* sumitur 1 Regum 1. 21. & alibi. Πολλοὶ [*multi*] hic rursum dixit cùm modo dixerit πάντας, *omnes*, excepto fortè uno aut altero. ¶ Οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς, *ita & per unius obedientiam*] Per obedientiam Christi perpetuam, doctrinæ ipsius congruentem & a Deo repensatam summo præmio. Vide Philipp. 2. 8, 9. ¶ Δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί, *justi constituentur multi*] Futurum pro præsente durabili. *Et multi*, id est, credentes, sic ut credi oportet. Vides hic δίκαιοι κατασταθήσονται [*justi constituentur*] idem esse quod δικαιωθήσονται [*justificantur*], aut δικαιοῦνται [*justificantur*], & posito abstracto vice concreti, more Hebræo, δικαιοσύνη γίγνονται [*justitia efficiuntur*] 2 Cor. 5. 21. Respicitur autem non obscurè locus Esaiæ 53. 11. *Per sui notitiam justos faciet justus servus meus multos. Justi fient* nempe apud Deum, ac proinde & Divina præmia suo tempore consequentur.

20. Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, *Lex autem subintravit*] Poterat dicere Judæus, Si ita se res habet ut Christus sit causa vitæ, sicut mortis Adamus, quid ergo egit Lex Mosis? Huic quæstioni respondens ait, Lex de transverso intervenit inter exordium peccati & exordium novæ Justitiæ. Sic παρεισῆλθον [*intraverunt*] Gal. 2. 4. παρεισέδυσαν [*subintroierunt*] Judæ 4. Ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα, *ut abundaret delictum*] Hebræis sæpe esse dicitur quod apparet: Itaque sicut περισσεύειν est *abundantius apparere* supra 3. 7. & hic v. 15: ità & πλεονάζειν hic & infra 6. 1. 2 Cor. 4. 15. 2 Thess. 1. 3. utrumque πλεονάσαι & περισσεῦσαι [*multiplicare & abundare facere*] junctim habes 1 Thess. 3. 12. Per Legem magis innotuit peccatum. Supra 2. 9, 12. & 3. 20. & 4. 15. infra 7. 8. ¶ Οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, *ubi autem abundavit delictum*] Οὗ hic valet *postquam*, sicut & Latinè usurpatur *ubi*. Solent enim locorum notæ ad temporis significationem transferri. ¶ Ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις *superabundavit gratia*] Non satis habuit dicere ἐπερίσσευσεν [*abundavit*], sed præpositionem augentem addidit, ut intelligeretur multò illustriùs apparuisse Dei benevolentiam quàm ante apparuerat peccati turpitudo. Amat tales compositiones Paulus ut ὑπερεκτείνω [*superextendo*], ὑπερεκχύνομαι [*superfluo*], ὑπεραίρομαι [*supra modum efferor*], ὑπερέκεινα [*longe supra*], ὑπεραυξάνω [*supercresco*], ὑπερνικάω [*longè supero*], ὑπερυψόω [*superexalto*]. Sic ὑπερπερισσεύομαι [*superabundo*] habes & 2 Cor. 7. 4. & ὑπερπερισσῶς [*superabundanter*] Marc. 7. 37. & ὑπερπλεονάζω [*superabundo*]. 1 Timoth. 1. 14.

21. Ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, *Ut sicut regnavit peccatum in morte*] *Vires suas ostendit per mortem.* Vide supra v. 14. ¶ Οὕτω δὲ ἡ χάρις βασιλεύσῃ, *ita & gratia regnet*] *Benevolentia Dei vires suas ostendat.* ¶ Διὰ δικαιοσύνης, *per justitiam*] *Per obedientiam Christianorum.* ¶ Εἰς ζωὴν αἰώνιον, *in vitam æternam*] *Quæ obedientia ducit ad vitam æternam.* ¶ Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. *per Jesum Christum Dominum nostrum*] Qui scilicet sicut justitiam illam in nobis efficit, ita & vitam æternam ipse nobis daturus est, ut post Patrem ipsi omnia debeamus.

CAP. VI.

VALLA.

2. QUI *enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?*] Videtur *peccato* esse ablativus: sed sic transferrem, *Quomodo enim adhuc vivemus in peccato, cui mortui sumus?*

10. *Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo*] In neutro genere legendum est, *mortuum*, non *mortuus*. Est enim utrumque *quod* relativum, non conjunctio, Ὃ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν· ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ.

20. *Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ*] *Eratis* legendum est, non *fuistis*: est enim eadem vox quæ illa *essetis*: ut dici etiam possit, *Cum enim servi eratis peccati, liberi eratis justitia*, seu *justitiâ*. Incertum est an dativus Græcus nunc debeat per dativum transferri an per ablativum, ἤτε τῇ δικαιοσύνῃ.

REVIUS in VALLAM.

10. QUod *enim mortuus est*] Laurentii censuram non admodum probat Erasmus: Beza verò etiam in Theologia periculosam esse ostendit, licèt Hilarii autoritate nitatur. In Nota Bezæ pro *refugere* lege *resurgere*.

ERASMUS.

2 QUI *enim mortui sumus peccato*] *Enim* redundat; οἵτινες ἀπεθάνομεν, i. *Quicunque mortui sumus*; aut *qui mortui sumus peccato*. Et *peccato* dandi casus est, non auferendi, quasi quis alloquens peccatum dicat, *Tibi mortuus sum, sed Christo vivo.* ¶ *Vivemus in illo*] Ἐν αὐτῇ· *In ipso*, aut *in eodem* fuerat significantius.

3. *An ignoratis, fratres*] *Fratres* additum est ab Interprete aut scriba, ἢ ἀγνοεῖτε, i. *An ignoratis?* Atque ità sanè legit Origenes & Ambrosius, neque secùs habent vetustissimi codices Latini manu descripti. ¶ *Baptizati sumus in Christo Jesu*] Græcis est *in Christum Jesum*, & *in mortem*, εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, & εἰς τὸν θάνατον· Quanquam ea præpositio ancipitis est naturæ apud Græcos. Hic tamen magis congruebat *in Christum* quòd per Baptismum inserimur in corpus Christi mysticum.

5. *Si enim complantati facti sumus*] Σύμφυτοι, h. e. *insititii & participes.* Allusit enim ad insitionem plantæ, quæ respondet communioni corporis Christi. Quemadmodum surculus decerptus è sua arbore particeps fit humoris ejus arboris cui inseritur, ità qui per Baptismum Christi corpori inseruntur, consortes fiunt bonorum illius. Vide verò an præpositio σὺν pertineat ad Judæos & Gentes simul in unum Christum collectos. ¶ *Simul & resurrectionis* Gr. Ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως, i. *igitur & resurrectionis.* Interpres legisse videtur pro ἀλλὰ, ἅμα. Cæterùm ἀλλὰ conjunctio est ratiocinandi, quam vertimus *nimirum*: & *Resurrectionis erimus* bifariàm accipi potest: *erimus resurrectionis*, i. *pertinebimus ad resurrectionem*, aut *erimus complantati similitudini resurrectionis ejus.* Nos priorem sententiam secuti, vertimus addito verbo, *& resurrectionis erimus participes.*

8. *Qui simul etiam vivimus cum Christo*] Gr. συζήσομεν αὐτῷ *convivemus illi.* Quanquam Interpres bene reddidit sententiam.

9. *Resurgens à mortuis*] Ἐγερθεὶς *excitatus*, sive *qui resurrexit à mortuis.* Nam præteriti temporis participium est. Quanquam aliàs hujusmodi participiis abutitur. ¶ *Ultrà non dominabitur*] Οὐκ ἔτι κυριεύει *non amplius dominatur*, præsenti tempore, non futuro, quemadmodum illud *non moritur.* Reddit enim causam quare non moritur, Quia per illum sublatum est mortis dominium. Nam hæc verba non solùm pertinent ad Christum, verùm etiam ad mysticum corpus Christi, cui sensui magis congruebant verba præsentis temporis. Atque ità legit Theophylactus, nec dissonat enarratio Chrysostomi. *Non moritur* enim positum indicat pro eo quod erat *est immortalis*: & *mors jam illi non dominatur* positum est pro eo quod erat *mors in illum non habet jus*, qui moriendo peperit sibi suisque immortalitatem.

10. *Quod enim mortuus est*] Ὃ γὰρ ἀπέθανε. Laurentius castigat, *quod enim mortuum est*, neutro genere. Nam apud Græcos ὃ articulus est postpositivus, non conjunctio. Ac sanè juxta Laurentii sententiam legit Hilarius l. De Trinitate 9. juxta fidem vetustorum codicum *mortuum* referens ad corpus humanum, *vivit* ad naturam Divinam: sed meâ sententiâ meliùs ad *Christum* simpliciter refertur ἀπέθανεν, ut sit sensus, *Hoc ipsum quod mortuus est Christus, semel duntaxat mortuus est, idque peccato; quod autem vivit*, &c. q. d. *Mortem eam quam mortuus est, mortuus est peccato; vitam quam vivit, vivit Deo.* Est autem juxta Græcorum distinctionem signandum comma post ὃ γὰρ ἀπέθανε, ut quod sequitur, *mortuus est semel*, ad *peccatum* referatur, quæ vox hic dativi casûs est, quemadmodum *Deo*, non ablativi. Consimili modo dixit in epistola ad Galatas ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκὶ, ἐν πίστει ζῶ, i. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo.* Cæterùm quis tandem sensus est si legas, *Id quod mortuum est*, &c. Quin potiùs illud agit Paulus, ut quemadmodum Christus semel mortuus peccato, semper immortalis manet, ità nos semel mortui peccato per Baptismum, & in illo renati, deinde non recidamus in peccatum. Hâc ratione Interpres à gemino solœcismo absolvetur, quem illi noster impegit Stapulensis.

11. *Existimate vos mortuos*] Ἑαυτοὺς, i. *vos ipsos*: quod sæpius obvium Interpres videtur neglexisse. Et *existimate* Græcis est

est λογίζεσθε, verbum cogitantis, ut annotavit & Origenes, quòd ea res à cogitatione potissimùm pendeat. Quoties enim cogitamus nos esse mortuos cum Christo, premuntur & evanescunt carnis cupiditates. Unde magis quadrabat *reputate*, h. e. considerate, & præ oculis habete. ¶ *In Christo Jesu*] Græci addunt *Domino nostro*.

12. *Ut obediatis concupiscentiis ejus*] Εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ, i. *ad obediendum ei in concupiscentiis ipsius:* ut pronomen *ei* referat *peccatum*, *ipsius* referat *corpus:* ut intelligas *obedire peccato per affectus corporis ad peccatum solicitantes*.

13. *Sed neque exhibeatis*] Μηδὲ παριστάνετε, i. *nec exhibete*, sive *accommodate*. *Sed* redundat.

17. *Gratias autem Deo*] Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, i. *Gratia autem Deo*, ut subaudiatur *sit*. Hic quidam stomachatur, clamitans ethnicorum esse dicere, *Diis gratia*, Christianorum, *Deo gratias*. Verum ità loquebantur olim Christiani, sed imperiti literarum, subaudientes *agimus* sive *agamus*. Atqui Paulus aliter locutus est, à cujus sermone quid attinebat recedere velut affectato solœcismo; Est gratissima Deo cantio, *Deo gratias*, non ob solœcismum, sed ob canentis pietatem: nec minùs grata esset, *Deo gratia*, si simili affectu pronuncietur.

18. *Servi facti estis justitiæ*] *Justitiæ* dativus est casus, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ, h. e. *cœpistis esse servi justitiæ addicti*.

19. *Humanum dico* Ἀνθρώπινον λέγω. Hâc loquendi figurâ mitigare solet Paulus, si quid duriùs dicere videtur, aut inconsideratiùs, *Secundùm hominem loquor*. ¶ *Servire immunditiæ*] Græcè nomen est, & jucundius, δοῦλα, i. *serva* vel *servientia membra*, *ac velut obnoxia*.

20. *Liberi fuistis justitiæ*] *Peccati* hoc loco genitivus est apud Græcos, *justitiæ* dativus, h. e. liberi à justitia. Et *eratis* potiùs quàm *fuistis*, eò quod præcedit *cùm essetis*.

22. *Finem verò, vitam æternam*] Faber Stapulensis legit *in vitam æternam*. Verùm in emendatis cod. reperio *vitam æternam* absque præpositione, consentientibus & Græcis & Latinis exempl. ut sit appositio. Illud visum est submonere lectorem, hoc loco, atque etiam in eo quod præcessit, *finis illorum mors*, τέλος accipi posse pro *tributo* sive *vectigali*, *quod colligitur è servitute peccati*. Nam mox sequitur ὀψώνια. Tametsi secùs interpretatur Ambrosius & Chrysostomus. Videtur ὀψώνιον esse *quod datur alendo militi*, τέλος *extremum præmium quo jam sibi vivat missione donatus*. Obstat huic sensui quod adfert Chrysostomus, in mentione peccati nominari *obsonia*, h. e. stipendia; in mentione vitæ æternæ non nominari *mercedem*.

23. *Stipendia enim peccati, mors*] Τὰ γὰρ ὀψώνια *obsonia*. Milites enim cibis alliciebantur ac donariis sive autoramentis, ut hominum genus omnium longè vilissimum, quippe quod cibi ventrísque causâ vitam habet venalem, sed in quod olim ab Imperatoribus Romanis omnia ferme dignitatum insignia collata sunt. Ambrosius legit *merces* & *quæstus*. Seneca quod priùs appellarat *autoramentum vitiorum*, mox appellat *mercedem*. ¶ *Gratia autem Dei*] Τὸ δὲ χάρισμα, i. *donum*, ut opponatur τοῖς ὀψωνίοις, quod est vile verbum, cùm illud sit ingenuum.

VATABLUS.

1. *Manebimus*] *Permanebimus*, Vet.

2. *Si*] *Qui*, Vet. ¶ *Peccato*] Dativus est. ¶ *Adhuc*] *Posthac*.

3. *In Christo Jesu, in morte*, &c.] Vel, *in Christum Jesum, in mortem:* i. ut Christo Jesu fidem haberemus, abluti sumus ut unà cum eo moriamur?

4. *Enim*] *Igitur*. ¶ *In mortem*] i. Ut moriamur: sub. *peccato*. ¶ *Per gloriam Patris*] Hebr. Potentiâ Patris gloriosi.

5. *Complantati*] *Insititii*. ¶ *Similitudini mortis ejus*] *Similitudinem mortis Christi* vocat, quòd nos debeamus ei assimilari per mortem: h. e. sicut ipse hâc vitâ defunctus est, ità nos peccatis defungi debemus: q. d. Si enim illi insiti fuimus ad similitudinem mortis ejus; i. ut moreremur sicut ille moriturus erat: sic etiam insiti fuimus ut resurgamus sicut ille resurrexit; i. ut ambulemus in nova vita & spirituali.

6. *Quia vetus* *] * *Ille*. ¶ *Corpus peccati*] Hebr. i. corpus obnoxium peccato; vel, quod peccare solet.

7. *Justificatus est*: Vel, *liberatus est:* i. qui hâc vitâ defunctus est, non potest ampliùs peccare.

8. *Si autem mortui sumus cum Christo*] i. Si ut Christus verè hâc vitâ defunctus est, ità nos erga vitia & peccandi studium mortuos nos præstiterimus, confidere debemus nos, quòd, &c. ¶ *Christo*] *Ipso*.

9. *Dominabitur*] *Dominatur*.

10. *Peccato*] i. Ut deleret peccatum nostrum. ¶ *Vivit Deo*] i. Ad gloriam potentis Dei, cujus virtute revocatus est ad vitam.

11. *Existimate*] Vel, *reputate:* i. considerate & præ oculis habere. ¶ *Vos*] *Vosmetipsos*. ¶ *Mortuos*] i. Tales qui post vestri regenerationem peccato ampliùs servire non debeatis ¶ *Viventes autem Deo*] *Vivere Deo* est agere quæ Deus vult, illi soli servire. ¶ *In Christo Jesu*] *Per Jesum Christum Dominum nostrum*; q. d. per Christum hanc gratiam consecuti estis. Vet. addunt *Domino nostro*.

12. *Ut obediatis*] *Obediendo illi*; sub. *peccato*, *in*, &c. ¶ *Ejus*] Sub. *corporis*.

13. *Arma iniquitatis peccato*] i. Instrumenta servientia peccato ad iniquitatem. ¶ *Ex mortuis viventes*] i. Tanquam viventes, qui olim mortui eratis. ¶ *Arma justitiæ Deo*] Vel, *instrumenta Deo ad justitiam:* i. quibus Deus utatur ad faciendum quod justum & sanctum est.

14. *Non dominabitur*] i. Non damnabimini propter ipsum. ¶ *Sub lege estis, sed sub gratia*] *Sub lege esse*, est damnari sententiâ legis in conscientia: *sub gratia esse*, est conscientiam certissimam esse omne peccatum nobis remissum esse Dei benignitate.

16. *Obedistis*] *Obeditis*, præs. temp. Vet. ¶ *Obeditionis*] *Obedientiæ:* : obedientiam pro fide usurpat Paulus. ¶ *Ad justitiam*] i. *Ut justificemini*.

17. *In qua traditi estis*] *In quam traducti estis:* sub. ab iis qui Euangelium vobis annunciarunt.

18. *Justitiæ*] Dativus est.

19. *Humanum dico*] Ad sequentia referendum: q. d. humano captui me attemperabo. ¶ *Servire*] *Serva*. ¶ *Ad iniquitatem*] Sub. *perpetrandam*. ¶ *Ità* *] * *Et*. ¶ *Servire*] *Serva*. ¶ *In sanctificationem*] i. *Ut sancti sitis*.

20. *Liberi fuistis*] *Liberi eratis*. ¶ *Justitiæ*] Dativus, pro *à justitia:* i. carebatis justitiâ.

21. *Habuistis*] *Habebatis*.

22. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem*] i. Fructum habetis, nempe sanctificationem: h. e. puram vitam & peccatorum remissionem.

23. *Gratia*] *Donum*.

CASTALIO.

2. *Qui peccato mortui sumus, quomodo adhuc viveremus in eodem?*] Nihil rei cum peccato habemus, non magis quàm mortui cum vivis.

3. *Quicunque sumus Christi Jesu nomine baptizati*] Εἰς Χριστὸν dixit quomodo εἰς τὸ ὄνομα aut ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ aliàs dici solet: sed duriùs dixit, Hebraico more, sicut 1 Cor. 10. εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο. Molliùs cohæret cum re quàm cum persona; ut 1 Cor. 12. dicitur, *Unum in corpus loti sumus*, h. e. ut unum corpus efficeremur. Sed & in persona propterea dici solet quòd apud Hebræos personæ nomen sæpe pro re ponitur; ut sit *in Christum* aut *in Mosem* lavari idem quod *ad Christianitatem*, aut *ad Mosaitatem*, h. e. ut Christianus aut Mosaicus fias. Sic *in Christo esse*, aut *mori*, aut *vivere*, &c. ¶ *Ad ejus mortem esse baptizatos*] Ad moriendum cum eo.

4. *Ad mortem sepulti*] Ut moriamur. ¶ *In paterna gloria resurrexit*] h. e. Gloriosus. Dixit autem διὰ τῆς δόξης pro ἐν τῇ δόξῃ, ut cap. 4. τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας pro ἐν ἀκροβυστίᾳ: quomodo διὰ βίου, *in vita* dicitur. Atque ut idem est *per omnem vitam* & *in omni vita*, sic idem hoc loco est διὰ δόξης & ἐν δόξῃ. Sed Latinè *per gloriam*, quomodo *per vitam*, eâdem notione dici non potest.

5. *Ejus mortis similitudine insititii facti sumus*] Quòd similiter mortui simus mundo.

6. *Ut peccati corpus aboleatur*] h. e. *Ut peccatum aboleatur, quod corpus est*, i. similitudinem habet corporis, in eo quòd quemadmodum corpus morte, ità peccatum vitæ renovatione aboletur. Vide animadversa ad Col. 1.

16. *Cui vosipsos servos præbetis obediendo*] Εἰς ὑπακοὴν Hebræorum more dictum est, apud quos Lamed litera gerundii vim habet. ¶ *Ad mortem*] Propter quod moriendum.

17. *Et doctrina rationi quæ vobis tradita est*] Εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον, pro εἰς τύπον ὃς ὑμῖν παρεδόθη. Sicut ad Galat. 2. πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον, pro τὸ εὐαγγέλιον ἐμοὶ πεπίστευται. Atque ità loquuntur Græci & in hoc verbo & in aliis: ἐγχειρίζομαι ὑπό σου τὴν βίβλον, pro σὺ ἐγχειρίζεις μοὶ τὴν βίβλον. Tale quiddam in 2 Cor. 11. declarabimus.

19. *Humano more dico*] Dum vos *justitiæ servos* appello; cùm ea demum sit vera libertas.

CLARIUS.

1. **M** *Anebimus in peccato ut gratia abundet?*] Expertus erat Paulus cogitationes hominum facilè ad vitium inclinare; idcirco hæc ipse sibi objicit, ac solvit. In quam sententiam etiam tertio capite quædam dixit, cùm reprehenderet illud, *Faciamus mala, ut veniant bona.* Quia ergò dixerat, *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia*, nè stulti sibi hæc sumerent tanquam incitamentum ad malum, aversatur hanc sententiam; Quo pacto, inquiens, exspectari vita à peccato potest, propter quod unum introducta est mors? aut quam ob causam in Baptismate figura facta est mortui, nisi ut posthac mortui peccato, justitiæ vivamus? Quanquam illud *qui mortui sumus peccato* significare potest, reliquimus peccatum, & tanquam illi mortui sumus, ut non posthac in illo sit vivendum.

6. *Corpus peccati*] Periphrasticôs ipsum peccatum, h. e. ut totum prorsus otiosum & iners penitus sit. Quo verò pacto aboletur? nobis eo non utentibus. At usus ejus quid agit? Servos efficit: idcirco ait, *ut posthac serviamus peccato.*

10. *Quòd enim mortuus est*] Quòd semel inquit, mortuus est, non velut obnoxius morti id egit, more hominum cæterorum, sed ad abolendum peccatum mundi. Sed *quod vivit*, id proprium ejus est quippe qui Deus sit, & eâ vitâ quæ Dei propria est, h. e. infinitâ atque perpetuâ, deinceps vivit: quem & vos imitari oportet, ut semel mortui peccato, vitâ illi vivatis quæ illi cœlesti atque immortali est admodum assimilis.

14. *Non enim estis sub Lege*] Nunc, inquit, non est tantùm *Lex*, quæ præcipiat, verùm etiam *gratia*, quæ opitulatur. Imbecillum est nunc peccatum, neque dominari valet, nisi vos vestrâ inertiâ sponte ad illud inclinetis. Et hic quoque naturam ipsam aspicit Legis, cujus opus tantùm est præcipere & prohibere. Et vide ut per intervalla quasi jacula quædam contorqueat, nè perpetuâ oratione Judæum irritet, idque dum ille assuescat audiendis hisce rationibus.

15. *Quid ergò? peccabimus*] Dices, inquit, *Si peccatum non imputatur cum Lex non est, ergo nunc, cum sub Lege non sumus, impune peccabimus?* Nullo modo id licet sub tam miseram iterum agi servitutem.

19. *Humanum dico*] *Humanum* hic exiguum significat. Et est sensus, proposui vobis ex æquo similitudinem Servitutis & Libertatis, Peccati & Justitiæ, dum me ad imbecillitatem vestram demitto, ut quo studio servistis peccato, eodem justitiæ serviatis, sed revera multò alacriore animo ac studio majore debet quis in virtutem incumbere, quæ bona omnia secum affert quam antea vitiis hæserat, quæ tamen nihil aliud quam interitum asserunt sempiternum.

23. *Gratia autem Dei*] Exspectabatur ut cùm dixisset, *stipendia peccati*, redderet par pari, h. e. *stipendia justitiæ*, sed pro eo dixit, *gratia autem Dei:* nam rectè factis nostris nullum debetur stipendium, cùm munera sint Dei.

ZEGERUS.

2. **Q** *UI enim mortui sumus peccato*] Obiter admonendum *peccato* hic dativi esse casûs. Vitiis, inquit, demortui deinceps in eisdem vivere haud queunt.

6. *Corpus peccati*] Vitam dicit impiam & scelerosam, quòd veluti corpus variis constet impietatis partibus, & quòd veluti corpus morti & multis sit obnoxia calamitatibus.

7. *Justificatus est à peccato*] h. e. A peccando solutus ac liberatus est, ita ut non peccet nisi velit.

10. *Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel*] Quia *peccato* dativi casûs est, juxta illud sequens, *viventes autem Deo*, & illud, *existimate vos mortuos quidem esse peccato*, necesse est fateamur Apostolum de Christo tanquam de peccatore loqui, propterea quòd in Christi morte vetus homo, qui est peccator, demortuus atque exstinctus sit. Illud etiam hic adjiciam, tametsi leviculum sit, *peccato demortuus est semel*, sine commate medio complexim esse legendum, comma autem ante *peccato* collocandum.

13. *Arma iniquitatis*] Et infra, *arma justitiæ*, h. e. instrumenta iniquitatis & justitiæ. Sed *arma* posuit propter Metaphoram qua præmiserat, *non regnet peccatum*, &c.

18. *Servi facti estis justitiæ*] dativi casûs est: tanquam si quis Justitiam alloquens dicat, *Tibi factus sum servus.* Neque absque occulto Divini Spiritûs consilio factum crediderim quòd maluerit *servi facti sumus ipsi justitiæ* quàm dicere *servi ipsius justitiæ:* nam posterius hoc durius atque imperiosius quidquam illud præ se ferre videtur. Cùm enim dico, *Servus factus sum huic aut illi*, obligationem quidem indico servitutis, sed ultroneam illam & liberè apprehensam. Cùm verò dico, *Servus factus sum hujus aut illius*, vel cùm dico, *Sua me servituti subjecit*, coacta quædam captivitas indicari videtur; cùm Deus nobis imperare haud cupiat nisi nosmet dulci ipsius imperio subjiciamus nostrapte sponte aut liberâ voluntate.

20. *Liberi fuistis justitiæ*] i. Alieni fuistis à justitia. Et hîc item *justitiæ* dativi casûs est.

23. *Stipendia enim peccati Mors, gratia autem; Dei Vita æterna*] Pro stipendio seu mercede peccati quasi ex debito meritóque pravæ actionis mors reponenda est; Vita autem perennis non ut stipendium aut ex condigno debita merces reddenda est pro justitia, sed secundùm gratiam & gratuitam liberalitatem Dei. Scito etiam *gratia* in contextu nominativi esse casûs; veluti si dixisset, *Donum Dei vita est æterna.*

H. STEPHANUS.

5. **E** Ἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ· ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα] *Si enim complantati illi sumus quod ad similitudinem mortis attinet, etiam erimus quod ad resurrectionem.*

13. Παριστάνετε] *Exhibete*: vel *sistite.* Sic in seq.

17. Εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς] *Ei formæ doctrinæ in quam estis traditi.*

21. Ἐπαισχύνεσθε *Erubescitis.*

23. Τὰ ὀψώνια] *Stipendia.*

DRUSIUS.

2. **Q** *UI enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?*] Nam qui *mortuus est peccato*, vivit Deo: Qui *vivit in peccato*, non vivit Deo, sed vivit in peccatis; etiam *mortuus est* in iis, ut loquitur Apostolus Ephes. 2. 1. & 5. Col. 2. 13. *Vivit* igitur & *mortuus est.* Quocirca rectè dici potest ζῶν τεθνηκὼς *vivens mortuus.* Nam peccatum mortem adfert: unde peccatores *mortui* vocantur etiam dum vivunt. Disces hinc quid intersit inter *mortuum esse peccato*, & *mortuum esse in peccatis.* Nam tirones Theologi hæc ignorant. Quin veterani quidam stupent ad has quæstiones, quas juvenes non didicerunt. *Moritur* ergò *peccato* vir justus; *moritur in peccatis* homo improbus, qui etiam *vivere* dicitur *in peccato.*

3. *In Christo Jesu*] Pro *in Christum Jesum.* Sic *credere in Deo* pro *in Deum*, quod etiam Græci dicunt πιστεύειν ἐν τῷ Θεῷ. Si peccatum est, Interpres noster sæpe hoc modo peccavit. Notum etiam εἰς pro ἐν, & contrà ἐν pro εἰς poni. Simile, *erunt in carne una.*

CASAUBONUS.

2. **O** Ἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ] Etsi non libenter sacris profana misceo, tamen puto Platonem tale quid in animo habuisse cùm dixit duas hominis esse mortes, &c. Vide omnino Macrobium, p. 64. [Macrobius in Somn. Scip. l. 1. c. 13. *Plato duas mortes hominis novit: —— quarum unam natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur cùm anima corpus relinquit solutum lege naturæ: mors etiam dicitur, cùm anima adhuc in corpore constituta corporeas illecebras philosophiâ docente contemnit, & cupiditatum dulces insidias reliquasque omnes exuitur passiones.*]

21. Τίνα οὖν καρπὸν & v. 23. Τὰ γὰρ ὀψώνια] Hîc non malè convenit illud Æschyli,

Ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται.

[*Peccati arvum mortem pro fructu profert.* i. Fructus qui ex peccato colligitur Mors est. Ἄτη, vulgò *noxa*, *damnum*, &c. Sed est origine Hebraicum: און *peccatum*, & *peccati pœna*, quæ verbi Græci magis usitata significatio.] Sic apud Platonem Epist. 7. p. 337. καρπὸς usurpatur.

CAMERON.

4. **Δ** Ιὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς] Doctiss. Interpres hunc locum sic interpretatur, ut sit Enallage, διὰ δόξης, cùm dicendum fuisset εἰς δόξαν *propter gloriam.* At nihil hic opus Enallagè: nam sensus clarus est, *excitatus est per gloriam*, h. e. *per potentiam gloriosam*, quomodo *per gloriam Dei* excitatus est Lazarus, i. per magnam Dei potentiam. Vide quæ dixi.

diximus ad Joh. 11. 40. Atque hic observandum, Esai. 45. 24. עז quod robur, potentiam significat, δόξαν tamen reddi à LXX Interpr. Tum & 1 Cor. 6. 14. Deus dicitur *Dominum Jesum suscitasse διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ*. Et 2 Cor. 13. 4 Christus dicitur *vivere ἐκ δυνάμεως Θεοῦ*.

10. Ὃ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανε] Ecclesia Christo propriè unitur quatenus crucifixus est & excitatus à mortuis, nempe ut in Christi morte Ecclesia sit veluti satisfaciens Deo & expians peccata non in se sed in Capite Christo, in resurrectione autem Ecclesia sit veluti defuncta satisfactione, eóque triumphans, non itidem in se sed in Christo Capite. Deinde in Christo moriente Ecclesia fuit moriens peccato, quod Apostolus hic significavit cùm dicit *Christum mortuum esse peccato*, quia nempe Ecclesiæ suæ nomine mortuus est peccato; neque enim ipse mortuus est suo nomine peccato: eádemque mente itidem in beata resurrectione dicitur *vivere Deo*, Ecclesiæ suæ nomine; non enim est aliud Christi resurrectio quàm symbolum resurrectionis animæ omnium fidelium à morte peccati.

JAC. CAPPELLUS.

7. QUI *mortuus est δεδικαίωται*, h. e. *solutus est, à peccato*] Quo sensu sæpe sumitur verbum δικαιόω. Harpocration, *Λυσίας μάλα τὰς δικαιώσεις φησὶν ἀντὶ τοῦ δικαιολογίας ὁ μέν τοι Θουκυδίδης πολλάκις τὴν δικαίωσιν ἀντὶ τῆς κολάσεως τάττει.* Ejus significationis aliquot exempla protulimus in eo libello quem scripsimus De Genevæ bona fide, in voce δικαιόω.

LUD. CAPPELLUS.

16. VEL *peccati ad mortem vel obedientiæ ad justitiam*] Christus docuit, nos non posse servire duobus dominis, Deo & Mundo, vel Mammonæ. Sic Paulus totus est in inculcanda servitute Peccati & Justitiæ, quas docet simul stare non posse. Sic & in מחזור Judæorum Hispanorum dicitur, איכה אעבוד יוצרי בעודי אסיר יצרי ועבד תאותי, *Quomodo Creatori meo serviram, dum ego adhuc sum captivus corruptionis meæ naturalis & servus concupiscentiæ meæ?*

GROTIUS.

1. TI οὖν ἐροῦμεν; *Quid ergo dicemus?*] Sic & supra locutus est 4. 1. οὖν [*ergo*] solet addi interrogationibus ut & infra v. 21. ἐροῦμεν [*dicemus*] nostris scriptoribus etiam in præsenti dicitur, ut Matth. 7. 4. Redit Apostolus ad id de quo ipse & Apostoli alii per Judæos incredulos Romæ agentes infamabantur, & quod attigerat 3. 8. sed tunc non plenè ei responderat: quia ut id utiliter fieret, quædam priùs erant præstruenda quæ continentur cæterâ parte capitis tertii & capitibus quarto & quinto, ut nunc ista dilecta sunt. Nam in Pauli epistola fuere hæc continua, Ait ergo nunc, *Quid ergo est quod dicimus? An ista dicimus quæ Judæi illi de nobis spargunt?* ¶ Ἐπιμενοῦμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ; *permanebimus in peccato, ut gratia abundet?*] In Manuscripto illo in Anglia est ἐπιμένωμεν [*permaneamus*]. Rectè. Cohæret hoc cum eo quod præcessit. *An hoc dicimus, Perseveremus in peccatis ut magis appareat Dei beneficentia?* De voce χάριτος [*gratia*], ut & de voce πλεονάσῃ [*abundet*] diximus supra. Antecedens verum erat, Deo maximè fuisse gloriosum ex iis qui idololatræ multisque flagitiis involuti fuerant, populum sibi colligere: sed iniqua erat illatio, Ideo nihil mali esse, si & vocati peccare perseverent, ut rursum Deus majore cum gloria eorum misereatur. Hoc consequens falsò attribuebatur Apostolis & eorum sectatoribus, qui contrarium & docebant & factis ostendebant. Tertullianus bene, *Compensatione res acta est: lucrati sumus multa, ut aliqua præstemus.* Item, *Libertas in Christo nullam innocentiæ fecit injuriam. Manet lex tota pietatis, sanctitatis, humanitatis, veritatis, castitatis, justitiæ, misericordiæ, benevolentiæ, pudicitiæ.*

2. Μὴ γένοιτο *Absit*] Adversantis est, ut supra 3. 4, 6, 31. ¶ Οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, *qui enim mortui sumus peccato*] Loquendi genus receptum apud Hebræos. Philo libro de Allegoriis, Τοῦτο δὲ οὐ γίνεται ἐὰν μὴ τελευτήσῃ καὶ ἀποθάνῃ ἐκ τῆς ψυχῆς ὁ βασιλεὺς τῆς Αἰγύπτου, ὁ ἄθεος καὶ φιλήδονος τρόπος [*Hoc enim nunquam accidit, nisi defuncto in animâ Rege Ægypti, hoc est, impia voluptuariaque consuetudine*]. Et libro Pejorem insidiari meliori, Ἄβελ τὸ παραδοξότατον ἀνῄρηταί τε καὶ ζῇ· ἀνῄρηται μὲν ἐκ τῆς τοῦ ἄφρονος διανοίας, ζῇ δὲ τὴν ἐν Θεῷ ζωὴν εὐδαίμονα [*Abel, quod vix credas, interemptus vivit: interemptus enim ex insipientis mente, vivit in Deo vitam felicissimam*]. Sed apud Philosophos: nam & Porphyrius sapientiam morti comparat dicens, Φύσις μὲν ἄρα λύει σῶμα ἐκ ψυχῆς, ψυχὴ δὲ αὑτὴν λύει ἐκ τοῦ σώματος [*Natura quidem corpus ex anima solvit, anima vero seipsam à corpore liberat*]. Marcus Antoninus libro 7. Ὡς ἀποτεθνηκότα δεῖ τὸ λοιπὸν ζῆσαι κατὰ τὴν φύσιν [*Tanquam si vere mortuus sis, in posterum secundum naturam vivendum est*].

> *Nam quodcunque suis mutatum finibus exit;*
> *Continuo hoc mors est illius quod fuit ante.*

ἀποθανεῖν ἁμαρτίᾳ [*mori peccato*] est *non amplius vivere in peccato*, sicut ἀποθανεῖν νόμῳ [*mori Legi*], Gal. 2. 19. *non ultra secundùm legem vivere.* ¶ Πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ; *quomodo adhuc vivemus in illo?*] Πῶς [*quomodo*] hîc non τὸ πάντως ἀδύνατον [*omnino impossibile*], sed rei indignitatem ostendit, ut Matth. 6. 28. Gal. 4. 9. Indignum est, si loti in lutum revolvimur, 2 Petri 2. 22. Hinc jam incipit Apostolus doctrinæ quæ ipsi falsò imputabatur, veram opponere, ut haberent Christiani quod ipsis Apostoli verbis regererent objectatoribus. Itaque Christianos jam alloquitur.

3. Ἢ ἀγνοεῖτε, *An ignoratis*] *An non meministis?* Sic & infra 7. 1. ¶ Ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, *quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu*] Id est, *in nomen seu doctrinam Jesu Christi*, ut Actor. 19. 5. ¶ Εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν; *in morte ipsius baptizati sumus?*] Ignatius ad Trallenses, Φαίνεσθέ μοι οὐ κατ᾽ ἄνθρωπον ζῶντες, ἀλλὰ κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν δι᾽ ἡμᾶς ἀποθανόντα, ἵνα πιστεύοντες εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ διὰ τοῦ βαπτίσματος κοινωνοὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ γένησθε. [*Videmini mihi non secundum hominem, sed secundum Jesum Christum vivere, qui propter nos mortuus est, ut credentes in mortem ejus, per baptismum consortes fiatis resurrectionis ejus*]. Justinus colloquio cum Tryphone, Ὡς καὶ ἡμᾶς βεβαπτισμένους ταῖς βαρυτάταις ἁμαρτίαις ἃς ἐπράξαμεν, διὰ τοῦ σταυρωθῆναι ἐπὶ τοῦ ξύλου καὶ δι᾽ ὕδατος ἁγνίσαι ὁ Χριστὸς ἡμῶν ἐλυτρώσατο [*Quemadmodum & nos gravissimis peccatis, quæ admisimus, submersos, per supplicium capitale crucis in ligno & per purificationem aquæ, Christus noster redemit*]. Et postea; Ὁ γὰρ Χριστὸς πρωτότοκος πάσης κτίσεως ὢν καὶ ἀρχὴ πάλιν ἄλλου γένους γέγονε τοῦ ἀναγεννηθέντος ὑπ᾽ αὐτοῦ δι᾽ ὕδατος καὶ πίστεως καὶ ξύλου, τοῦ τὸ μυστήριον τοῦ σταυροῦ ἔχοντος [*Nam Christus, cùm primogenitus esset omnis creaturæ, principium rursus alterius generis fuit regenerati ab ipso per aquam & fidem & lignum, quod mysterium crucis obtinet*]. Deinde, Εἶπον δὲ, δι᾽ ὕδατος καὶ πίστεως καὶ ξύλου οἱ προπαρασκευαζόμενοι καὶ μετανοοῦντες ἐφ᾽ οἷς ἥμαρτον, ἐκφεύξονται τὴν μέλλουσαν ἐπέρχεσθαι τοῦ Θεοῦ κρίσιν [*Dixi autem fore, ut qui se preparant & peccatorum pœnitentiam agunt, futurum Dei judicium per aquam & fidem & lignum effugiant*]. Qui baptizabantur, ab iis exigebatur professio fidei, in qua & hoc erat, *Christum ob peccata nostra esse mortuum*, id est, ad abolenda peccata. Vide supra 4. 25. Christus etiam vitam suam pro nobis abdicavit, & nos idem facere debemus ipsius causâ: quantò magis abdicare pravas cupidines? Quod mors corpori Christi, hoc Baptismus peccato.

4. Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*] Ostendit non verba tantùm Baptismi, sed & ipsam ejus formam hoc innuere. Nam immersio totius corporis in flumen, ita ut non conspiceretur amplius, imaginem gerebat sepulturæ quæ datur mortuis. Sic Col. 2. 12. Συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι [*consepulti ei in baptismo*]. ¶ Εἰς τὸν θάνατον, *in mortem*] Ad repræsentandam etiam oculis Christi mortem. ¶ Ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν, *ut quomodo Christus surrexit à mortuis*] Nam & hujus rei imaginem gerebat corpus ex aqua resurgens. ¶ Διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, *per gloriam Patris*] Id est, per potentiam quam gloria sequitur. Hoc est, quod κράτος ἰσχύος [*potentia virtutis*] dicitur Ephes. 1. 19. & 6. 10. pro quo ad Colossenses 1. 11. dicitur κράτος τῆς δόξης [*potentia gloriæ*]. sicut עז quod ἰσχὺς [*virtus*] verti solet, vertitur δόξα [*gloria*] Psal. 68. 34. Esai. 12. 2. & 45. 24. ¶ Οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν. *ita & nos in novitate vitæ ambulemus*] Hebraismus ἐν καινότητι ζωῆς [*in novitate vitæ*] pro *in vita nova*.

> *Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.*

Si resurgere cum Christo volumus, necesse est eum imitemur: quæ imitatio in iis qui longè aliter vixere est velut resurrectio quædam; nam sicut separatio animi à corpore est mors corporis, ita separatio animi à Deo est mors animi.

5. Εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ

τοῦ, *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus*] Græcis συμφύεσθαι [*complantari*] dicuntur quæ in unum coaleſcunt, ut plantæ quædam Lucæ 8.7. unde ſumptâ translatione de amicitia uſurpatur apud Platonem & Plutarchum. Ergo αὐτῷ [*illi*] hìc ſubauditur ex ſequente genitivo αὐτοῦ [*ejus*], ut ſæpe. *Coaluimus Chriſto ad inſtar ejus mortui*, nempe cupiditatibus, ut ille vitæ functionibus. ¶ Ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα. *ſimul & reſurrectionis erimus*] Nempe σύμφυτοι αὐτῷ ἐσόμεθα τῷ ὁμοιώματι τῆς ἀναστάσεως [*complantati cum ipſo erimus ſimilitudini reſurrectionis*]. *Ita inſtar ejus reſurgemus.* Prior ſimilitudo eſt generis, hæc ſpeciei ſive generis proximi. Ubi rebus moleſtis opponuntur ſolatia, uſurpari ſolent particulæ εἰ [*ſi*] & ἀλλά [*ſed*]. Sic apud Virgilium,

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam.

Poſt verſus deinde aliquot ſequitur,

At ſecura quies & neſcia fallere vita
Dives opum variarum, &c.

6. Τοῦτο γινώσκοντες, *Hoc ſcientes*] *Modò hoc cogitemus & infigamus animo.* Sic γινώσκομεν [*ſcimus*], & voces ſimiles interdum ſumi notavimus ad Joh. 15. 18. ¶ Ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt*] Pergit ex cruce, morte, & reſurrectione Chriſti multas ſumere ſimilitudines & eis aptare ἀλληγορικὰ [*occultativa*] loquendi genera, quod ipſum דרש dicitur Hebræis. Ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος [*vetus homo*] hìc & Epheſ. 4. 22. Col. 3. 9. eſt ſubjectum pro adjuncto, pro ἡ παλαιὰ ἀνθρωπότης, *vetus illa in homine vivendi ratio*, quæ & *natura* dicitur. Ad hanc μετωνυμίαν [*Transnominationem*] adjunxit Paulus & προσωποποιΐαν [*perſonæ fictionem*] quâ delectatur plurimùm. Tribuit enim rei inanimæ, id eſt, accidenti, id quod eſt animatorum. Veterem illam naturam *concrucifixam* dicit, id eſt, ad ſimilitudinem Chriſti crucifixam: quia, ſicut per crucem non ſine gravi dolore ad exitum pervenitur, ita illa natura ſine dolore non exſtinguitur. Eſt enim ſui amor, & inde voluptatum appetitus agnatus homini, deinde longa conſuetudo δυσέκνικτόν τι *aliquid quod difficulter elui poteſt*]. ſed has difficultates Fides ſuperat. ¶ Ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, *ut deſtruatur corpus peccati*] Καταργεῖν [*deſtruere*], hìc eſt *occidere*, ut oſtendunt ſequentia. *Occidi* dicitur corpus, cùm vitâ ſpoliatur, Matth. 10. 28. *Corpus* autem peccato, id eſt, conſuetudini peccandi eleganter tribuit Paulus, quia eſt veluti compages quædam multis conſtans membris, id eſt, vitiis, Coloſſ. 3. 5. Sic & morti *corpus* infra tribuit. Grex, populus, legio apud Juris conſultos *corpora* ſunt, & *corpus civitatis* apud Livium, *collegiorum corpus* apud Cajum Juriſconſultum. Tranſtulit & ad inanimata Cicero, cùm dixit *librorum corpus* Latinè, & Græcè σῶμα. Sed audacior eſt translatio ubi accidentibus datur *corpus*, quomodo Virgilius dixit *corpus regni*. ¶ Τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ. *ut ultrò non ſerviamus peccato*] Τοῦ pro ἕνεκα τοῦ [*ideo ut*], ut ſæpe alibi, *ideo ne poſthac peccato ſive conſuetudini vitioſæ ſerviamus, ſicut ante ſerviimus.* Δουλεύειν, *ſervire*, vox eſt mediæ ſignificationis. Nam & *Deo* dicimur *ſervire* Matth. 6. 24. Actor. 20. 19. Epheſ. 6. 7. 1 Theſſ. 1. 9. & *Chriſto*, infra 14. 18. & 16. 18. Coloſ. 3. 24. & *Legi Dei* infra 7. 25. & *juſtitiæ*, infra 6. 19. & contrà *Mammonæ*, Matth. 6. 24. *idolis*, Gal. 4. 9. *voluptatibus & cupiditatibus*, Tit. 3. 3. *impuritati*, 6. 19. *corruptioni*, 2 Petr. 2. 19. Sic & Latinè dicimus *ſervire vitæ*, *valetudini*, *poſteritati*, *populi commodis*, *dignitati*: & contrà, *amori*, *cupiditatibus*, *iracundiæ*. Seneca, *Commota ſemel & concuſſa mens ei ſervit à quo impellitur.*

7. Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. *Qui enim mortuus eſt juſtificatus eſt à peccato*] Id eſt, *liber eſt à peccato*, ſive *non ultrà ſervit peccato*. Mortuorum enim non eſt peccare. Rectè hìc Syrus cum Baſilio, Chryſoſtomo, Oecumenio, Theophylacto vertit *liberatus eſt à peccato*. Eo enim ſenſu, ut in Prolegomenis diximus, ſæpiſſime δικαιοῦσθαι [*juſtificari*] uſurpatur in hac Epiſtola, ut & Actor. 13. 38, 39. Petrus eodem ſenſu dixit πέπαυται ἁμαρτίας [*deſiit à peccatis*] 1. 4. 1. Eſt autem μεταφορὰ [*Translatio*] hìc à ſimili ad ſimile: non enim propriè *juſtificatur*, id eſt, mundatur aut juſtus fit *qui eſt mortuus*; ac ne *liberatur* quidem, ſi proprietatem verborum ſectemur; ſed quia verum eſt eum non ſervire amplius peccato, ideo *liberari* primùm, deinde per μετάληψιν [*Tranſumtionem*] etiam *juſtificari* dicitur. Sic eum qui mortuus ſit, *liberum eſſe ab odio*, *invidia*, *morbo*, *moleſtiis* dicunt optimi ſcriptores. Sic mors *medica* dicitur Æſchylo, quia, ut ipſe explicat,

Οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται νεκρῶν
[*Nullus mortuos tangit dolor*]

Sic & Euripides,

Θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερος ἢ ζῶν
[*Beatus eſſet morte quàm vitâ magis*].

Eſt autem hæc Pauli ſententia, ut multa alia, ſumpta ex dictis Rabbinorum. Nam in Thalmude habemus, כיון שאדם מת נעשה חפשי מן המצות, id eſt, *Simul quis eſt mortuus, factus eſt liber à præceptis.* Si *à præceptis liber* etiam *à peccato liber*. Paulus autem hoc aptat per ὑπόνοιαν [*abditam ſignificationem*] ei *qui mortuus eſt peccato*, ut locutus eſt ſupra v. 2. Mortui non redeunt ad vitam priorem: ſic nec qui peccato verè eſt mortuus ad priorem vitam redire debet.

8. Εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ, *Si autem mortui ſumus cum Chriſto*] Εἰ hìc eſt, *quandoquidem*, ut apparet ex poſitis ſupra v. 2. & σὺν Χριστῷ [*cum Chriſto*] eſt *ad ſimilitudinem Chriſti*, quomodo modò habuimus συνεσταυρώθη [*ſimul crucifixus eſt*]. ¶ Πιστεύομεν, *credimus*] *Pro certo habemus*, *fiſi promiſſis per Chriſtum factis.* ¶ Ὅτι καὶ συζήσομεν αὐτῷ. *quia ſimul etiam vivemus cum eo*] Nempe in æternum, vitâ cœleſti & feliciſſimâ. Idem ſenſus 2 Tim. 2. 11. quod alibi dixit συμβασιλεύσομεν [*ſimul regnabimus*] 1 Cor. 4. 8. & ſequentibus dicto ad Timotheum loco.

9. Εἰδότες, *Scientes*] Sume ut ſupra γινώσκοντες [*cognoſcentes*]. ¶ Ὅτι Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκει. *quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur*] *Non ultra moritur.* Mors ei cauſa immortalitatis. ¶ Θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει. *mors illi ultra non dominabitur*] Hæc eſt cauſa præcedentis dicti: *Non ultra moritur*, *quia eſt eo in loco ubi mors vim non habet.* Vide Joh. 16. 10. & ibi dicta. Poſitus eſt extra territorium mortis.

10. Ὁ γὰρ ἀπέθανε, *Quod enim mortuus eſt*] ὃ ut מה [*quod*] Hebræum non ad nomen aliquod, ſed ad complexum refertur quaſi dicat, *quantum enim attinet quod mortuus eſt Chriſtus.* Simile loquendi genus Gal. 2. 20. ¶ Τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ. *peccato mortuus eſt ſemel*] Ἁμαρτίᾳ [*peccato*] reſpondens, ut diximus עון Hebræo, ſæpiſſime ſumitur pro *pœnis peccatorum.* *Chriſtus ſemel defunctus eſt malis illis quæ ob peccata noſtra ſuſtinebat.* Et ſic non malè interpreteris vocem ἁμαρτιῶν [*peccatorum*] Hebr. 5. 3. & 6. 27. ut intelligatur Chriſtus obtuliſſe preces Deo, ut ab illis malis quæ ob peccata noſtra ſentiebat, liberaretur. ¶ Ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ. *quod autem vivit, vivit Deo*] *Vivit in honorem Dei*, nihil niſi res Dei curat. Ariſtides, Τὸν γὰρ ζῶντα ὑπὸ Θεῷ καὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἠμεληκότα [*qui enim ſub Deo vivit & humana parvipendit*].

11. Οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε, *Ita & vos exiſtimate*] *Sic cogitate*, *Reputate* vertit Tertullianus de Pudicitia. Ita enim λογίζεσθαι ſumi notavimus ſupra 3. 28. ¶ Ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ, *vos mortuos quidem eſſe peccato*] Hìc ἁμαρτίαν [*peccatum*] non figuratè ſume, ſed propriè. Sic neceſſe eſt interdum vocum ſignificatus varient, quibus alluſiones iſtiuſmodi allubeſcunt. Repetit hìc quod dixerat ſupra v. 2. ¶ Ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ, *viventes autem Deo*] Id eſt, *in id vos in vita ſervatos*, *ut quidquid vitæ vobis reſtat id Deo impendatis.* Officium enim magis quàm ejus executio hìc notatur. ¶ Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. *in Chriſto Jeſu Domino noſtro*] Id eſt, *per Jeſum Chriſtum*: quia cùm *Dominus noſter* ſit redemptionis jure & conſtitutione paterna, hoc, quod dixit, ſuo jure à nobis exigit.

12. Μὴ οὖν βασιλευέτω, *Non ergo regnet*] *Vim ſuam exerceat.* Vide ſupra 5. 14. ¶ Ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι, *in veſtro mortali corpore*] Bene adjecit hoc ἐπίθετον [*agnomen*]; cùm enim mortalitatis noſtræ nos admonet, facilè ſignificat de vita altera cogitandum, nec formidandos labores haud ſanè diuturnos. ¶ Εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ, *ut obediatis*] Nempe τῇ ἁμαρτίᾳ [*peccato*]. Loquitur tanquam de infami hera cui ſervire indignum ſit. ¶ Ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ. *in concupiſcentiis ejus*] *Corporis cupiditates*, ſi frænum non adſit, ad peccatum ducunt, Jac. 1. 15. quare non tantùm illicitæ cupiditates ſuffocandæ ſunt in ſuis initiis, verùm etiam corpori non ultra indulgendum quàm natura exigit, ut parere diſcat parti meliori.

13. Μηδὲ παριστάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας τῇ ἁμαρτίᾳ· *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*] *Membra* hìc intellige omnes corporis partes, etiam interiores, ut & Coloſ. 3. 5. ὅπλα [*arma*] rectè verteris *inſtrumenta.* Ita enim

ſumi

sumi Græcam vocem docet Eustathius ad Iliados Δ. Sic & *arma* dici Latinis Servius ad illud Virgilii,

—Cerealiaque arma.

Item

Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma.

Et Hebræum כלי est omne *instrumentum*, quod nonnunquam ὅπλον vertitur. παριστάνειν [*exhibere*] solet quidem de membris dici Lucæ 1. 19. Johan. 15. 22. 1 Samuel. 16. 22. Psalm. 135. 1. Sed quia hic de *membris velut instrumentis* agitur, παριστάνετε rectè verteris, *tradite*, ut Matth. 26. 53. Actor. 9. 41. aut *habet*, ut Act. 1. 3. 2 Tim. 2. 15. Ἀδικία [*injustitia*] generaliter ponitur, ut supra 1. 18. & refertur ad actiones hoc loco, sicut ἁμαρτία [*peccatum*] ad ipsam consuetudinem sive qualitatem. ¶ Ἀλλὰ παραστήσατε ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, *sed exhibete vos Deo*] Ut supra v. 11. ¶ Ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας, *tanquam ex mortuis viventes*] Vide supra v. 4. ¶ Καὶ τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ. *& membra vestra arma justitiæ Deo*] Hic δικαιοσύνης [*justitiæ*] vox ad omnes actiones honestas extenditur, & æquè latè patet atque contraria quam modò habuimus ἀδικίας [*injustitiæ*]. Corpus nostrum mediæ est qualitatis, quo & malè & bene uti licet.

14. Ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει, *Peccatum enim vobis non dominabitur*] Non est hoc monitum, sed solatium, quasi dicat, *Facilem vobis spondeo victoriam, modò ne sitis* ῥιψάσπιδες [*desertores abjecto clypeo*]. Non ex nunc vires sunt peccati ad vos debellandos quæ olim fuêre. Simili sensu vocem ימשלו [*dominabuntur*] usurpat Psalmographus 19. 14. ¶ Οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν, *non enim sub Lege estis, sed sub gratia*] Μετωνυμία [*Transnominatio*]. Dicitur enim χάρις [*gratia*] pro *Evangelio* qui est λόγος χάριτος [*verbum gratiæ*] Actor. 14. 3. Similis locutio Actor. 13. 43. Lex quia nihil promittebat supra terrestria, non satis virium dabat ad animum mundandum. Euangelium verò promissa habens cælestia, vires dat magnas uti volentibus. Tractatur hoc uberius fine capitis septimi. ὑπὸ νόμον [*sub Lege*] habes & Gal. 4. 21.

15. Τί οὖν; *Quid ergo?*] Quid ex his sequitur quæ diximus? An illud quod inimici Euangelii nos docere dicunt? ¶ Ἁμαρτήσομεν, *peccabimus*] Etiam hic Manuscriptus habet ἁμαρτήσωμεν, *peccemus*. Rectè: est enim μίμησις [*imitatio*] verborum quæ usurpabant inimici. Sic supra v. 1, ἐπιμένωμεν [*permaneamus*], *Peccemus*, id est, pergamus indulgere vitiis. ¶ Μὴ γένοιτο, *Absit*] *Longè absit*, ut supra v 1, & alibi sæpe.

16. Οὐκ οἴδατε, *Nescitis*] Rursum clarè ostendit quid doceat, ut habeant Christiani Romæ quod Pauli verbis opponant Judæis obtrectatoribus. ¶ Ὅτι ᾧ παριστάνετε ἑαυτοὺς δούλους εἰς ὑπακοήν, δοῦλοί ἐστε ᾧ ὑπακούετε, ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θάνατον, ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην; *quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam?*] Duo sunt domini, *peccatum* & *vita secundum Euangelium*, quæ hic per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *Euangelium* dicitur. Utri vos mancipetis vestra electio est, tanquam in bivio Pythagorico. Sed ut bene eligatis, videte quis sit utriusque imperii exitus. Hinc *mors* & quidem æterna, quia Christus non iterum moritur ut eam solvat: inde *justitia*, id est, laus pro justitia. Quia δοῦλοι [*servi*] hic construitur cum genitivis ἁμαρτίας [*peccati*] & ὑπακοῆς [*obeditionis*], ideo ᾧ [*cui*] bis repetitum non cum δοῦλοι [*servi*] construitur, sed est dativus vim habens ablativi Latini, quasi dicat, *Hoc ipso quod vos mancipatis, hoc ipso quod in animum inducitis parere aut peccato aut Euangelio, hoc*, inquam, *ipso viam initis aut ad mortem, aut ad justitiæ laudem.*

17. Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, *Gratia autem Deo*] Sicut pro Euanlio, ita & pro successu Euangelii gratiæ semper habendæ sunt. Supra 1. 8. Ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. *quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis*] Est hic primùm Hebraïsmus præteriti cum copulativa conjunctione, vice participii: non enim Deo gratias agit *quod servierint peccato*, sed *quòd qui servierunt peccato, postea obedierunt Euangelio*, Ἐκ καρδίας [*Ex corde*], id est, non exteriùs tantùm, sed intra animi recessus, sincera fide. Idem loquendi genus Deut. 4. 26. & 6. 5. & 11. 13. & 13. 3. Marci 12. 30. Luc. 10. 27. 1 Timoth. 1. 5. 2 Timoth. 2. 22. Vide & quæ diximus Matth. 22. 37. εἰς τύπον διδαχῆς *in formam doctrinæ*], id est, *obedistis ad eum modum quem doctrina Euangelii præscribit.* Sic κατὰ τύπον [*secundum exemplar*] sumitur Hebr. 8. 5, ex loco Exodi 25. 40. Ubi in Hebræo תבנית, quod alibi vertitur παράδειγμα [*exemplar*, alibi διάταξις, μορφή, ὁμοίωμα [*constitutio, forma, similitudo*]. Illud παρεδόθητε [*traditi estis*] idem valet quod παρελάβετε, קבלתם [*traditum accepistis*]. Vide quæ diximus ad Matth. 15. 2. Solent enim Græci ab activis, etiam quæ dativum personæ regunt, formare passiva & eis addere accusativum rei, ut ἐπιστεύθησαν λόγια [*credita sunt illis eloquia*] supra 3. 2. ἐπιστεύθην τὸ εὐαγγέλιον [*creditum est mihi Euangelium*] 1 Tim. 1. 11. Sic & elegantes Græci dicunt ἐπιτρέπομαι δίαιταν [*committitur mihi arbitrium*] & similia. Euangelium vocatur διδαχὴ [*doctrina*] Joh. 7. 16. 17. Actorum 5. 28. & 13. 12. infra 16. 17. 2 Johan. 9. est תלמוד [*Thalmud*, id est, *doctrina*], sed oppositum Judaïco.

18. Ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, *Liberati autem à peccato*] Idem est quod δικαιωθέντες [*justificati*], ut & in prolegomenis ad hanc epistolam diximus, & evincitur ex eo quod habuimus modò commate 7. sed congruentior hic fuit vox ἐλευθερωθέντες [*liberati*], quia δοῦλοι [*servi*] præcessit aliquoties. Crudelis hostis vos ceperat: Deus vos inde exemit. Amant vox ἐλευθεροῦν [*liberare*] & similes post se propositionem ἀπὸ [*ab*] vel ἐξ [*ex*] pro Hebræo מן, ut infra 6. 22. & 8. 2, 21. Deut. 7. 8. & 13. 5. & 21. 8. 1 Paralip. 17. 21. & alibi sæpe, Sic & Plato, ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἠλευθέρωσε τὴν πόλιν [*liberavit civitatem à Barbaris*]. ¶ Ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ. *servi facti estis justitiæ*] Diximus supra v. 6. δουλεύειν [*servire*] etiam in honestam partem sumi, ut hic δουλοῦσθαι, id est, *servum fieri, addici, mancipari.* & δικαιοσύνης [*justitiæ*] vox hic generalis est, ut supra v. 13.

19. Ἀνθρώπινον λέγω, *Humanum dico*] Id est, sensus spirituales exprimo per similitudines rerum vulgarium & vobis notarum. Nonne æquum est ut Regi suo bene serviat qui per Regem à sævis hostibus liberatus est? Vide quæ diximus supra 3. 5. & ad Joh. 3. 12. ¶ Διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν. *propter infirmitatem carnis vestræ*] Non de vitiis, sed de intellectûs tarditate hic agit. Sic ἀσθενὴς [*infirmus*] usurpatur 1 Cor. 8. 7. & ἀσθενεῖν [*infirmus esse*] infra 14. 1. 1 Cor. 8. 11. Et σάρξ [*caro*] hoc quidem loco est *ingenium suetum tractare res terrestres*, qualia erant præcipuè ingenia Romanorum.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Ideo ab imperiis sumit similitudinem. ¶ Ὥσπερ γὰρ παρεστήσατε, *sicut enim exhibuistis*] Vos, Romani, qui nunc Christum profitemini, videte quid dicam, & quid Judæis illis respondere debeatis non verbis tantùm, sed & rebus. ¶ Δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ, *servire immunditiæ*] Vide supra 1. 24. ¶ Καὶ τῇ ἀνομίᾳ, *& iniquitati*] Ἀνομίας [*iniquitatis*] nomine ea omnia intellige quæ contra legem societatis humanæ fiunt, qualia sunt illa de quibus supra 1. 27, 30, 31. ¶ Εἰς τὴν ἀνομίαν, *ad iniquitatem*] Ita ut quotidiè pejores fieretis. Is enim mos est consuetudinis. ¶ Οὕτω νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ; *ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ*] An iniquum aliquid exigo, cùm volo vos tantum diligentiæ adhibere in colendis virtutibus quantum adhibuistis in colendis vitiis? Procopius 2. Vandalicorum non malè, Οἱ ἐν αὐτοῖς εὐδοκιμοῦντες οἷς ἥμαρτον εὐπρεπεστέραν τὴν ἀπολογίαν εἰσαεὶ φέρονται [*Qui enim in his ut bene audiam efficiunt in quibus deliquerant, honestissimam ea re sibi defensionem comparant*]. ¶ Εἰς ἁγιασμόν. *in sanctificationem*] Id est, *Ita ut quotidie progressum faciatis in sanctitate.* Par enim vis consuetudinis in utramque partem: imo ad bonum fortior. Vide quæ diximus ad Matth. 11. 30.

20. Ὅτε γὰρ δοῦλοι ἦτε τῆς ἁμαρτίας, ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ. *Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ*] Id est, ne cogitabatis quidem de eo quod honestum ac Deo gratum esset. Sic & nunc nihil cogitate quod turpe sit Deoque displiceat. Parem adhibete operam. Apparet hic vocem ἐλεύθερος [*liber*], & in re bona & in re mala dici, non minùs quàm δοῦλος [*servus*].

21. Τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε, ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε; *Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis?*] Fructus unicus erat infamia apud bonos. Liquet hoc, quia & ipsi boni jam facti sine pudore eorum meminisse non potestis. Si hoc efficit recordatio, quid res ipsa? ¶ Τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων, θάνατος. *Nam finis illorum mors est*] Est ἔλλειψις [*defectus*]. Vult enim hoc dicere, Talis erat res ipsa: quòd si finem sive exitum respicitis, is nullus alius erat quàm mors, nempe sine spe vitæ melioris. Neque enim Deus ita viventibus quicquam promisit boni, neque ipsa per se mens humana talium sibi conscia quicquam boni sperare audet, ut Plato testatur de Republica primo. Τέλος [*finis*] hic est סוף quod modò vertitur τὰ ἔσχατα [*extrema*], modò ἀνταπόδοσις [*retributio*].

22. Νυνὶ δὲ, *Nunc vero*] Hoc opponitur illi ὅτε γάρ [*cùm enim*]: quasi dicat, *multùm mutata sunt res*. Vide supra v. 19. ¶ Ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, *liberati à peccato*] Ut supra v. 18. ¶ Δουλωθέντες δὲ τῷ Θεῷ, *servi autem facti Deo*; *Mancipati Deo*. Supra dixit τῇ δικαιοσύνῃ [*justitia*] v. 18. nimirum qui bonitati rebusque honestis servit, & Deo servit: quia Deus hoc semper amavit & in Euangelio apertissimè præcepit. ¶ Ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμόν· *habetis fructum vestrum in sanctificationem*] Hîc in præsens est fructus, quòd quotidie evaditis sanctiores, ac propter id etiam honoratiores apud bonos. Opponitur hoc infamiæ quam significat, cùm & memoriam dixit pudoris haud exsortem. ¶ Τὸ δὲ τέλος, ζωὴν αἰώνιον. *finem verò vitam æternam*] Finem fini opponit, *morti vitam*, nec brevem aut desituram, sed *vere æternam*.

23. Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, θάνατος, *Stipendia enim peccati, mors*] Est similitudo sumpta de militia, quæ & ipsa servitus quædam est, maximè nota Romanis. Ὀψώνια propriè sunt *quæ ad panem vescenda dantur*, qui usus in Latina lingua remansit. Olim species ipsæ dabantur militi, postea pro eis pecunia data est, sed mansit vetus nomen. In glossariis, ὀψώνιον *diarium*: utitur sic inter alios Polybius. Inde & ad Judæos transiit vox אופסוניא [*obsonia*] ut diximus ad Luc. 3. 14. & ideo velut omnibus notam usurpant nostri scriptores, ut apparet non tantùm hîc & dicto Lucæ loco, sed & 1 Cor. 9. 7. Mirè autem *mercedem* dixit malum quod pro pravis factis redditur, cùm *merces* labori reddi soleat. Similis μετάληψις [*Transsumptio*] apud Ciceronem cùm dixit, *Data est merces errori meo magna*. Sed & Seneca *vitiorum* dixit *mercedem*. ¶ Τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ζωὴ αἰώνιος. *gratia autem Dei, vita æterna*] Solent Reges egregiis militibus præter stipendium dare coronas, laureas, honores. His donativis comparat vitam æternam, non quòd non detur bene meritis, sed quòd multò sit major merito, quippe res æterna & cœlestis. Poterat quidem vita æterna & *merces* dici, ut sæpe dicitur, sed nobilius est nomen donativi. Neque articulus frustra additur, simulque invertitur is ordo loquendi qui in priore membro ἀντιθέτῳ [*oppositi*] fuerat. Hoc enim vult, *At quod donativum Deus dat sibi militantibus, id non est noxium aliquid, ut mors, aut leve aliquid, ut in militia Romana, sed est res maxima, immortalitas & gaudia cœlestia.* Ubi quis pro opere multò plus reddit quàm quanti est opera, potest id & *merces* dici & *donum*: trahit enim de utroque. Sed hîc prævalet *doni* sub conditione promissi & post conditionem impletam dandi natura.

CAP. VII.

VALLA.

9. **E**GO *autem mortuus sum*] Legendum est *mortuus fui*, ἀπέθανον.

13. *Per bonum mihi operatum est mortem*] Græcè non legitur *operatum* est, sed *operans*: quod ego transtulissem *operando* sive *perpetrando*, κατεργαζομένη.

23. *Repugnantem legi mentis meæ*] Gr. *militantem contra legem mentis*, sive (ut sic dicam) *contramilitantem legi mentis meæ*, ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ.

24, 25. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*] Non est *Dei*, sed *Deo*: h. e. *Gratia sit Deo*, Χάρις τῷ Θεῷ· quanquam plerique cod. habeant, *Gratias ago Deo*, Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ· Credo sic exponendum, *Gratia Deo ipse liberabit nos per Jesum Christum*.

REVIUS in VALLAM.

13. **O***Perando*] Erasmus mavult *operari*. Beza *est efficiens*, eodem, ni fallor, sensu. Apud Bezam verba illa [Vulg. *operata est*, quasi κατεργαζομένη] ità lege, [Vulg. *operatum est* quasi κατεργαζόμενόν ἐστι.]

25. *Quod ipse liberabit*] Ambrosius ex his verbis accipiendum esse docet, *hominem gratiâ Dei liberatum esse de corpore mortis hujus, non liberandum*. Sed hoc Paulus non dicit, verùm *liberatum esse à lege peccati & mortis*, c. seq. v. 2. ubi Bezam vide.

ERASMUS.

1. **L**EX *in homine dominatur quàm diu vivit*] Nobis ambiguum est accipiendúmne sit *quàm diu vivat homo* an *quamdiu vivat lex*: atque eadem ambiguitas est in verbis Græcis. Mihi videtur *vivit* verbum referendum ad *lex* potiùs quàm ad *homo*: idque ut malim faciunt ea quæ mox sequuntur. Porrò licebat amphibologiam ad hunc modum effugere, *Lex dominatur homini quoad ea vixerit*, aut, quod fuerit elegantius, *tantisper dum ea vixerit*. Hæc ubi scripseram, consulo Origenem, & comperio id ab eo diligenter annotatum fuisse, quòd in conferenda similitudine Paulus *Legem* Viri loco posuit, & *hominem* Uxoris vice. Ut morte viri liberatur uxor, ità antiquatâ Lege liberatur obnoxius priùs Legi. Legem autem *vivere* dicit quàm diu valet, *mortuam esse* postea quam desiit habere vigorem. Jam κυριεύειν non tantùm Græcis est *dominatur*, sed etiam *jus habet & autoritatem*. Illud obiter annotandum, exemplum adduci de Muliere, non de Viro, quòd apud Judæos jus esset viris divertere ab uxoribus cùm illas sola mors à maritali jure liberaret. Nec est quòd ex hoc loco magnopere ratiocinemur, Christianis modis omnibus interdictum esse divortium; cùm enim addit, *nam scientibus Legem loquor*, palàm indicat sese non legem condere Christianis de matrimonio, sed ex Mosaica Lege similitudinem docendi gratiâ ducere. Neque verò necesse est ut quod similitudinis gratiâ producitur, quadret per omnia: satis est si ad id quadret cujus docendi probandique causâ adhibetur. Adventus Christi in Euangelicis libris comparatur nocturno suffossori domûs, non quòd undique congruat Furis & Christi advenientis similitudo, sed hactenus modò congruit quòd uterque non exspectatus adest.

2. *Quæ sub viro est*] Ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνή, i. *obnoxia viro*: q. d. *subviralis*: & γυνή sign. & *uxorem* & *mulierem*. ¶ *Vivente viro alligata est Lege*] Τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ, i. *Viventi viro alligata est Lege*, h. e. per Legem, *Legem* autem matrimonium sive jus matrimonii vocant etiam Græci: ut mox *à lege viri*.

3. *Adultera vocabitur*] Χρηματίσει. Quòd Græcis est χρηματίσει, non χρηματίσεται, proprietas est Græci sermonis. Quemadmodum enim dicimus, *audit pater*, *audit princeps*, qui *pater* & *princeps* appellatur, ità Græcis χρηματίζει ῥήτωρ, qui profitetur rhetorem, aut qui habetur pro rhetore. Usus est hoc verbo Lucas in Actis c. 11. ¶ *Si fuerit cum alio viro*] Ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ, i. *si contingat alteri viro* aut *si cœperit esse alterius viri*: nisi malumus subaudire præpositionem σύν. Augustinus indicans tropos V. Instrumenti, & hunc ostendit ex Levit. 22. *Et filia sacerdotis si fuerit viro alienigena*, pro eo quod erat *si nupserit viro alienigena*. Et tamen hunc locum calumniatus est quidam edito libello, cùm sic interpretetur Augustinus: nisi fortè aliud est *jungi viro*, aliud *nubere viro*. Atqui hanc sermonis formam legimus in Hecyra Terentiana, *Ut alii, si huic non sit, siet*. Ubi de matrimonio non de coitu filiæ sentit pater. ¶ *Si autem mortuus fuerit vir ejus*] *Ejus* apud Græcos non additur. ¶ *Liberata est à lege viri*] *Viri* non est apud Græcos, nec ad rem pertinet. Nam articulus additus indicat eum loqui de lege de qua priùs dixit, *mulierem viro ligatam per legem*. Quanquam τοῦ ἀνδρός in quibusdam invenio cod. Nec est Græcè *liberata est*, sed *libera est*, ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου· Id cùm ad sensum minimè referat, non video tamen cur visum sit ab Apostolico verbo discedere. Quanquam suspicor à librariis ex *libera* factam *liberatam*. Κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου. Verbum κατήργηται sign. *jus abolitum & antiquatum*; ut & aliquantò pòst. νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ¶ *Ut sitis vos alterius*] Superfluè addit *vos* in vertendo, etiamsi apud Græcos additur. Satis erat *ut sitis alterius*: quanquam Græcè est *alteri*, non *alterius*: i. ut alius vos habeat, & non sitis vestri juris. Græcus sermo nihil offendit ob verbum impersonale, sed in Latino verbo subauditur prima & secunda persona, nisi vel emphaseos vel discretionis causâ exprimatur. In emendatioribus Latinis non additur *vos*, ut hoc scribis sit imputandum potiùs quàm Interpreti. ¶ *Ut fructificetis Deo*] Ἵνα καρποφορήσωμεν, *ut fructificemus*. Sequitur autem ὅτε γὰρ ἦμεν in eadem persona, i. *cùm essemus*. Allusit autem ad uxorem cujus modò meminit, quæ parit suo viro.

5. *Passiones peccatorum*] Παθήματα, i. *morbos*, *cupiditates*, sive *affectus*, sive *perturbationes*. ¶ *Quæ per Legem erant*] Τὰ διὰ τοῦ νόμου. Hoc loco *quæ* non refert *peccata*, sed *passiones*, παθήματα· ut intelligas Legem excitasse peccandi libidinem. ¶ *Operabantur in membris*] Ἐνηργεῖτο quod magis sign. *vim habebant*, sive *secretò agebant*. Nam *occulta vis* di-

citur

citur ἐνέργεια, velut in femine, & vis mentis in Homine.

6. *In qua detinebamur*] Ἐν ᾧ ad *Legem* refertur, non ad *mortem.* Nec enim in plerifque Græcis eft *mortis*, fed *mortui* ἀποθανόντες. Origenes teftatur utramque lectionem fibi notam fuiffe. Verùm hanc quam nos fequimur magis approbat. Ambrofius diverfam fequitur: utraque fatis congruit his quæ fequuntur. Dicta eft autem *lex mortis* pro *lex mortifera.* Proinde illud *in qua detinebamur* referri poteft vel ad *legem*, ut fit fenfus, *Nos jam mortui in Chrifto liberati fumus à jure Legis in qua detinebamur*: vel ad *mortui*, ut fubaudias pronomen, *mortui ei legi quâ detinebamur.* D. Chryfoft. tertiam habet lectionem, ἀπὸ τοῦ νόμυ ἀποθανόντες, *à lege emortua.* Id nè quis tribuat fcribis, interpretatur ἀσαφεῖ ἔλεγεν, ὁ δεσμὸς δι' οὗ κατειχόμεθα ἐνεκρώθη καὶ διεῤῥύη, q.d. *Vinculum quo detinebamur emortuum eft ac diffluxit.*

8. *Occafione autem acceptâ*] Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία. Interpres non ineleganter mutavit genus participii, & activum vertit in paffivum, ut conveniret tempus. Nam λαβοῦσα præt. temporis eft. Nec video cur hic Stapulenfis debuerit offendi.

9. *Ego autem mortuus fum*] Ἀπέθανον, i. *mortuus eram*, five *mortuus fui*, ut fit præt. temporis, & refpondeat illi *revixit.* Transfert enim Paulus docendi gratiâ rem in fuam perfonam, & retulit inter fe pugnantia. Nam vita peccati, mors eft hominis. Proinde fi revixit peccatum, illico confecuta eft mors hominis.

11. *Seduxit me*] Ἐξηπάτησέ με, i. *decepit me & ab via abduxit.* Hoc enim propriè fonat ἐξαπατᾶν.

13. *Sed peccatum, ut appareat,* &c. Variat hujus loci diftinctio. Sic tamen diftinguunt Græci, *Quod ergo bonum eft, mihi factum eft mors? Abfit, fed peccatum*, ut fubaudias *mihi factum eft mors.* Græca fic habent, τὸ οὖν ἀγαθὸν, ἐμοὶ γέγονε θάνατος; Μὴ γένοιτο· ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία. ¶ *Operatum eft mihi*] Κατεργαζομένη, i. *operans*, participium infiniti verbi vice pofitum, i. *ut videatur peccatum per id quod bonum eft mihi operari mortem*, non *operando*, quemadmodum placet Laurentio. Confiftet autem & Laurentiana annotatio, fi ἵνα φανῇ ἁμαρτία velut parenthefi interjectum accipiatur, in hunc modum, *Quod ergò bonum eft, mihi factum eft mors? Abfit; fed peccatum ut redderetur evidentius quantum fit malum, mihi factum eft mors, dum per falutiferam legem mihi peperit exitium & admotum remedium vertit in augmentum morbi.* Ingens enim malum fit oportet quod rem optimam vertit in perniciem. Hanc lectionem fequitur Origenes, Chryfoftomus ac Theophylactus, nifi quòd Origenis interpres participium vertit in verbum. Nam Chryfoftomus ac Theophyl. legunt κατεργαζομένη, interpres legiffe videtur κατειργάζετο, nec magni refert ad fenfum. Porrò quod addit, *ut fiat fupra modum peccans peccatum*, inculcatio & exaggeratio eft ejus quod præceffit *ut appareat peccatum.* Nec eft opus ut ἵνα γένηται accipiamus pro *ut appareat*, cùm re verâ peccatum auctum fit per Legem, & oppofitis præceptis veluti repagulis incruduerit concupifcentia. ¶ *Supra modum peccans peccatum*] Καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία. Quod ità fonat q. d. *fceleftum fcelus*, aut fi quis dilucidè potiùs quàm Latinè vertat, *peccaminofum peccatum.* Nam quod vertit *peccans*, Græcis non participium eft, fed nomen adjectivum. Annotarit hoc diligenter five Origenes, five hujus interpres, à Paulo ceu perfonam quandam fingi Peccati, quod Græcis eft generis feminini, ut liceat apud illos dici *peccatrix peccantia.* Quòd fi apud nos *peccatum* effet generis mafc. ut velut de homine liceret dicere, *Peccatum vehementer peccator*, minùs effet elocutio dura. Neque video tamen cur Hieronymus dicat fe malle vitium fermonis admittere quàm non fatis integrè exprimere fenfum Pauli: fiquidem Græcis non eft folœcifmus ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία, certè juxta dialecton Atticam. Porrò quis Latinus intellecturus fit quid fit *peccatum peccator*, pro *peccato infigni & evidenti*? aut cur potiùs *peccator peccatum* quàm *peccatrix peccatum*? Et tamen ita legit Auguftinus l. 1. ad Simplic. quæft. 1. nifi quòd in editis exempl. mendosè legitur *fuper modum peccator* aut *peccatum*, pro eo quod erat *fupra modum peccator peccatum*: nifi quòd idem eodem modo legit ferm. 4. De verbis Apoftoli; quæ res probabilem conjecturam præbet, autorem verfionis quem ibi fecutus eft Auguftinus legiffe καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία.

14. *Venundatus fub peccato*] Πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, i. *venditus*, five *addictus, fub peccatum*, i. in fervitutem & jugum peccati. Neque video quæ obfcuritas hîc offenderit Fabrum.

15. *Non enim quod volo bonum*] *Bonum* & *malum* apud Græcos non eft, οὐ γὰρ ὃ θέλω τοῦτο πράσσω, ἀλλὰ ὃ μισῶ. *Non enim quod volo hoc ago, fed quod odi.* At paulò inferiùs hæ duæ voces *bonum* & *malum* adduntur, *Non enim quod volo facio, nempe bonum.*

17. *Jam non ego*] Οὐκ ἔτι ἐγὼ quod eleganter & Latinè verfum ab Interprete miror quamobrem cuiquam mutandum videatur.

21. *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum*] Origenes ut & aliàs in Paulo defiderat elocutionis integritatem, itâ putat hunc fermonem parùm conftare, vel quòd conjunctiones fint fuperfluæ, vel quòd non adhibitæ ut oportet. Putat autem incommodum hoc tali ordine poffe tolli, fi legamus hoc pacto, *Igitur quia malum adjacet, volens facere bonum, invenio legem Dei & condelector ei fecundùm interiorem hominem*, &c. Meâ fententiâ poteft & fic accipi ut conjunctio ὅτι non fit hîc caufalis, quemadmodum accipit Origenes, fed accipiatur αἰτιολ., fitque fenfus, *Dum conor parère legi bonæ, & vincente cupiditate, pertrahor ad malum, fentio malum illud in me effe, non in lege.* Atque hic quidem fenfus probè habet. Verùm fi hunc probamus, neceffe eft ut Paulum fateamur hoc fermone balbutiiffe, nec abfolviffe quod inftituerat. Apparet enim tale quiddam dicturum fuiffe, *Comperio igitur legem, fi quando coner benefacere, hoc efficere in me, ut intelligam peccandi malique fontem in meipfo effe, non in Lege.* Theophylactus reftituit hunc in modum, *Invenio ergò legem faventem volenti mihi quod bonum eft facere, fed non facienti, eò quòd adjacet mihi malum.* Fatetur autem obfcurum effe fermonem, quòd videatur deeffe nonnihil. Idem indicat alios ad hunc ordinare modum, *Invenio igitur legem nemini alteri effe, nifi mihi facere bonum volenti. Nam qui rectè cupit agere ei demum Lex eft lex, ut quæ id faciendum præfcribat quod ille cupit facere.* Atque hæc eft fententia Chryfoftomi, ad quam congruit quod fequitur, *Condelector enim legi.* Quemadmodum Lex mihi favet volenti quod bonum, ità & ego quod honeftum eft cupiens, probo Legem.

23. *Repugnantem legi*] Ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ q. d. *contrà militantem & rebellantem.* Gaudet enim Paulus Metaphoris quæ militiam fapiunt: velut antè meminit de *ftipendiis.* ¶ *Captivantem me in lege peccati*] Αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ, i. *qui reddit me captivum legi peccati.*

24. *De corpore mortis hujus*] Ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου. Græca magis ità fonant ut *hujus* ad nomen *corpus* referatur quàm ad *mortem*, *ex hoc corpore mortis.* Nam *mortis corpus* vocat corpus obnoxium affectibus peccandi. Et addit *ex hoc corpore*, quòd in fe fumpferit perfonam hominis fentientis hujufmodi affectus. Quandoquidem hæc eft velut una clavis ad intelligentiam Pauli, fi quis animadvertat mutationem perfonarum, de quibus & ad quas loquitur. Certè palàm eft Theophylactum idem fentire quod nos indicavimus, fi quis obfervet non quid verterit interpres, fed quid interpretetur ipfe: fubjicit enim, *id eft, morti fubjecto.* Neque fecùs interpretatur Origenes, *mortem* interpretans *peccatum*, & ob id vocari *corpus mortis* in quo habitet peccatum. Et iis ferè fubfcribunt recentiores. Nam quod quidam exponit *corpus mortis* de turba malorum ingruentium, durius eft.

25. *Gratia Dei*] Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, i. *Gratias ago Deo.* Atque ità legitur in emendatis Latinorum codicibus, ut fermo fit oftendentis per quem fit liberatus, nempe per eum cui gratias agit. Tametfi Laurentius indicat in quibufdam exempl. fcriptum fuiffe Χάρις τῷ Θεῷ, i. *Gratia Deo*: quod verbis diverfum, re idem eft. Ex Origenis interpretatione non liquet quid legerit, fed tamen conjicere licet illum legiffe quod nos oftendimus effe apud Græcos, vel ex hifce verbis, *Refpondetur verò ad hoc quod dixerat, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Jam non ex illius, fed ex Apoftolica autoritate, Gratias Deo per Jefum Chriftum Dominum noftrum. Unde apparet quod propterea hæc omnia defcripfit Apoftolus, & mala quæ inter nos gerebantur expofuit, ut ad ultimum oftenderet & doceret de quantis nos malis & de quantis nos mortibus Chriftus eripuit.* Hactenus Origenes, indicans quæ hactenus dicta funt à Paulo, fub ejus perfona dicta qui nondum gratiæ Divinæ particeps luctetur adhuc cum carnis affectibus, impar illis: verùm quod exclamationi refpondetur, non fub eadem dici perfona, fed fub ejus qui non per Legem fed per gratiam Chrifti liberatus fit ab illa miferrima fervitute. Ad aliam itaque perfonam refert exclamationem, *Infelix ego homo, quis me,* &c. ad aliam, fermonem agentis *gratias Deo*: quemadmodum idem Origenes ea quæ fuperiùs multa commemorat Paulus de *lege mortis ac membrorum*, de *neceffitate peccandi*, vult fub alterius perfona dici. Ambrofius idem interpretatur, ex his verbis accipiendum, hominem *gratiâ Dei liberatum effe de corpore mortis hujus*, non *liberandum.* Aftipulantur his quæ mox fequuntur, *Lex enim Spiritûs vitæ in Chrifto Jefu liberavit me à lege peccati & mortis.* Atqui fi

fguilet

legisset *gratia Dei*, non congruebat hæc particula in Paulum, qui non liberandus erat, sed liberatus: nec consistunt ea quæ scribit Ambrosius. Igitur aut *Gratia Deo* legendum, aut *Gratias ago*, quibis verbis jam liberatus gratias agit Deo, per cujus gratiam assecutus sit quod nec naturæ nec Mosi lex, nec conscientia, nec opera præstare poterant. Chrysostomus sine controversia legit & interpretatur, εὐχαριστῶ sic enim loquitur, *εἰ γὰρ καὶ τῷ πατρὶ εὐχαριστεῖ, ἀλλὰ καὶ εὐχαριστίας ταύτης καὶ ὁ υἱὸς αἴτιος*, i. *Quanquam enim & Patri gratias agit, attamen hujus gratiarum actionis autor est & Filius.* Et in enarratione reliqua toties repetitur εὐχαριστῶ ut non possit librariorum incuriâ videri factum. Theophylactus per omnia sequitur Chrysostomum. Quin & D. Hieron. ad Algasiam quæst. 1. legit *Gratia Deo:* ipsáque enaratio declarat illum ità legisse, cùm ait, *Conversus in se Apostolus, imò homo sub cujus persona Apostolus loquitur, agit gratias Salvatori, quòd redemtus sit sanguine ejus, & sordes in Baptismo deposuerit.* Ac mox, *Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum, qui me de corpore mortis hujus liberavit.* Nec ad rem facit quòd quidam interpretes hunc locum adducentes meminerunt *gratiæ Dei*, & admonent *hic ostensum eum qui liberat à corpore mortis*, quando quisquis agit Deo gratias liberatus, hoc ipsum indicat, per quem & alii possint liberari. Cæterùm quod agit gratias veluti liberatus, omnes ad Pauli personam accommodant, de exclamatione variant: vetustiores nolunt ad Apostoli personam pertinere. Hieronymus arbitratur sub cujusvis hominis persona dici. Et tamen si *corpus mortis* accipimus proclivitatem ad peccandum, q. d. *moribundum*, nihil vetat quò minùs hæc omnia quadrent & in Paulum juxta Latinorum lectionem. Certè hoc agit Augustinus adversùs duas epistolas Pelagianorum lib. 1. c. 8. & aliquot sequentibus, ut totus hic locus competat Paulo vel puero, vel sub lege peccati, vel sub gratia sentienti motus affectuum, licèt non assentienti; sed adeò durè multa torquens ut magis conveniat Paulum humani generis personam in se recipere, in qua est Ethnicus exlex, Judæus carnalis sub Lege, & spiritualis per gratiam liberatus.

V A T A B L U S.

1. IN *homine*] *Homini:* i. Quòd Legi homo subjicitur: h. e. quòd Lex potest hominem damnare. ¶ *Vivit*] Sub. *Lex*.

2. *Sub*] *Obnoxia.* ¶ *Vivente viro alligata est Legi*] *Viventi viro alligata est Lege.* ¶ *Soluta*] *Liberata*, Vet.

3. *Vocabitur*] *Judicabitur.* ¶ *Si fuerit cum alio viro* Hebr. si nupserit alii vero.

4. *Mortificati estis Legi per corpus Christi*] i. Liberati estis à Lege per mortem corporis Christi. ¶ *Fructificetis*] *Fructificemus*, Vet.

5. *Essemus in carne*] i. Cùm juxta carnem viveremus. ¶ *Passiones*] *Affectus*, [*morbi, cupiditates.*] ¶ *Quæ*, &c.] Sub. *passiones propositâ Lege incendebantur.* ¶ *Operabantur*] Vel, *vigebant:* i. secretò agebant. ¶ *Ut fructificarent morti*] i. Gignerent opera digna damnatione æternâ.

6. *Soluti sumus à Lege*] i. Jure Legis abolito vel antiquato liberi sumus. Alii legunt ἀπὸ τοῦ νόμου θανάτου, i. *à lege mortis*, vel *mortifera*. Chrysostomus autem legit ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντες, i. *à lege emortua.* ¶ *Mortis*] *Mortui ei.* ¶ *In novitate Spiritûs*] *Novitatem Spiritûs* vocat novum vivendi genus, in quo Spiritum S. habemus doctorem, qui pellit ex animo metum quem Lex incussit. ¶ *Vetustate literæ*] *Vetustas literæ* est vetus vivendi genus, cujus magistra est litera: i. Lex literis & elementis expressa, quæ non impleta metum conscientiæ incutit.

7. *Nam**] * *Et.*

8. *Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*] i. Seminarium peccati quod in me erat, acceptâ occasione inflammandi per legem vetantem concupiscentiam, excitavit in me omnium peccatorum affectus, qui antea velut consopiti in carne mea erant. ¶ *Sine lege enim peccatum mortuum est*] i. Cùm Lex vetans concupiscentiam nondum erat revelata, peccatum quod in me committebatur non agnoscebam: nesciebam malum affectum damnari à Deo.

9. *Sine lege*, &c.] i. Ante conversionem meam nondum cognoveram concupiscentiam esse peccatum. ¶ *Aliquando*] *Quondam.*

10. *Mortuus sum*] *Mortuus eram:* i. revelatâ lege, damnatione dignum me esse cognovi.

11. *Illud*] Sub. *mandatum.*

12. *Et*] *Et*, pro *id est:* nam *lex* & *præceptum*, sive *mandatum*, idem sunt.

13. *Peccatum, ut*, &c.] Sub. *factum est mihi mors:* i. mortem parit & condemnationem. ¶ *Appareat*] *Appareret.* ¶ *Operatum est*] *Gigneret:* i. per legem quæ bona est, gigneret mihi condemnationem. ¶ *Ut*] *Ità ut.* ¶ *Peccatum*] Per *peccatum* in hoc capite intelligitur radix peccati concupiscentia: q. d. ità ut fiat excellenter & vehementer potens ad peccandum concupiscentia per legem quæ eam interdicit. *Peccans peccatum* vocat ut *scelestum scelus.*

14. *Spiritualis est*] i. Affectum requirit purum erga Deum. ¶ *Venundatus sub peccato*] *Venditus sub peccatum:* i. in servitutem peccati, concupiscentiæ carnis perinde obnoxius atque servus emptitius.

15. *Intelligo*] *Probo.*

16. *Quod nolo*] Sub. *edoctus per legem, Non concupisces.*

17. *Peccatum*] i. Vis peccati, quod suprà *affectus peccati* dixit.

18. *Adjacet*] *Adest.* ¶ *Non invenio*] i. Non possum.

20. *Quod nolo**] * *Ego.*

21. *Legem, volenti mihi facere bonum*] Heb. *dum secundùm legem bene agere volo:* vel, ut alii, *Reperio igitur per legem volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adjunctum sit*

22. *Secundum interiorem hominem*] i. Secundùm spiritum meum edoctum à Spiritu S.

23. *Aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*] i. Aliam vim in carne mea repugnantem spiritui meo. ¶ *Captivantem me in lege peccati*] *Captivum reddente me legi peccati:* i. Peccandi affectui qui est in carne mea.

24. *De corpore mortis hujus*] i. Ab hac carne, propter quam mihi mors æterna infligitur: Vel, ab hoc corpore mortem inferente; ab hac carnali concupiscentia quæ me morti æternæ obnoxium reddit.

25. *Gratia Dei*] *Gratias ago Deo:* sub. *quid ab hoc hoste fit me tandem liberaturus per*, &c. ¶ *Carne autem, legi peccati*] i. Juxta carnalem affectum, desideriis peccati, h. e. concupiscentiæ.

C A S T A L I O.

4. VOS *quoque perempti estis legi*] Cùm Legem viro & homines mulieri comparaverit, videtur hic dicendum fuisse, *Vobis perempta lex est*, ut conveniat similitudo hunc in modum, *Ut mulier, viro mortuo, libera est, sic vos, Lege mortuâ, estis à Lege liberi.* Sed intelligendum est hæc sic inter sese converti, *Vos estis Legi mortui*, & *Vobis mortua Lex est*; ut vos nihil rei cum Lege habeatis, & Lex nihil vobiscum rei habeat, non magis quàm vivi cum mortuis, aut contrà.

15. *Quod enim ago, non agnosco*] Aversor ut alienum, meæque vitiositati tribuo.

24. *Quis me ab hujus mortis corpore liberet?* Quod mihi mortem hanc à peccato proficiscentem conflat.

C L A R I U S.

1. AN *ignoratis, fratres*] Dudum dixerat, *non enim estis sub Lege*; sed divertere mox aliquantùm ei opus fuerat: nunc ad illud redit, & conserere jam incipit manus, & cominus uti gladiis, cùm hactenus hastis eminus sit usus. Dixeram, inquit, *vos non esse sub Lege*, quod nunc rationibus quæ Lege vestrâ nitantur vobis probabo: *Non ignoratis Legem dominari homini*, &c.

4. *Et vos mortificati estis Legi*] Vide sapientiam Pauli. Ratio similitudinis erat ut, cùm dixisset *mulierem viro mortuo posse alteri adhærere*, concluderet, nos eodem modo, mortuâ Lege, quasi viro (nam Græca vox νόμος masc. est generis) Christo esse copulatos: sed fuisset nimis grave Judæo audire *mortuam esse Legem*; quare maluit dicere *eos mortuos Legi:* loquitur enim ad fideles.

5. *Cùm enim essemus in carne*] Antè quàm agnosceremus hanc gratiam (hoc enim est *esse in carne*) vitiosi affectus, qui per Legem accipiebant incrementum, ut alibi dictum est, acriùs agebant in nobis, ut hinc fructum potiùs mortis quàm vitæ ferremus.

6. *Nunc autem soluti sumus à lege*] Et hic devitat id quod grave fuisset: nam ubi dictum est κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, dicendum erat κατηργήθη ὁ νόμος, h. e. *abolita est Lex:* & is proprius erat verbi usus. Nobis ergo ad apertiùs intelligendum, sic est interpretandum ut mens erat Pauli, Nunc cùm venit hæc gratia, otiosa facta est Lex, quæ dari solet iis qui servili animo sunt, nec nisi minis cohiberi à sceleribus possunt: hæc est enim *vetustas literæ*, quâ non egent ii qui sub gratia jam sunt.

io

In hoc autem totus incumbit (quod antea diximus) ut doceat Legem non esse omnino necessariam, quod Judæi opinabantur.

7. *Lex peccatum est?* Hoc ipse sibi objicit, quia dixerat, *affectus peccatorum per Legem esse*, ut doceat quo sensu sit intelligendum. Ait ergò, *Non dico Legem esse peccatum:* sed hoc dico, Naturam legis cujuscunque esse hanc unam & propriam indicare quæ fugienda quæve sequenda sint, neque opem ullam aliam afferre homini. Hæc autem non iis proponuntur qui jam exercitatos habeant sensus, & qui inculpatâ sint vitâ, sed iis qui facilè deflectant in vitia: atque id quidem utilitatis eorum gratiâ fit, ut fræno quasi quodam cohibeantur. Sed usu venit ut ii qui nondum id assecuti sunt ut studio virtutis vitium aversentur, dum eis prohibetur id quod amant, cùm legem illam transiliunt, quasi cancellos qui sibi circumdati sint, deteriore sint conditione quàm si nulli termini essent illis circumscripti. Quòd siquis queratur, ut dicat illum qui eos cancellos sibi circumdedit causam fuisse cur peccaret, injustè queratur, & tamen illa cancellorum circumdatio nihil ei profuit qui omnino voluerit extra illos egredi, sed potiùs (non suâ tamen, sed egredientis culpâ) occasio facti sunt culpæ gravioris. Aptè autem, cùm de naturâ Legis loquitur, pro exemplo præceptum proponit, ut, *Non concupisces*; cùm verò de ejus necessitate usus, meminit plurimùm Circumcisionis, ut cùm edocti fuerint quæ sit propria ejus vis atque natura, tum demum intelligant illius usum nequaquam esse necessarium. Arbitror ex his satis intelligi quid hoc capite, atque adeò totâ epistolâ, velit Paulus cùm de hac re disputat, nè singulas clausulas ac verba interpretantes Scholia mutemus Commentariis.

9. *Ego autem vivebam sine Lege*] Induit personam eorum qui ante Legem fuere.

13. *Ut appareat peccatum*] *Peccatum*, inquit, *per mandatum factum est mihi mors: ut appareat* quàm vehemens sit res Peccatum, quàm impudens, quàm scelerata, quæ re bonâ itâ abutatur ut vertat in damnum. ¶ *Ut fit supra modum peccans peccatum*] Ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία; *peccatum peccator*, h. e. ut agnoscatur quàm sceleratus peccator sit hoc Peccatum, & quàm pestifera res, dum per mandatum, rem salutiferam, exserit virus suum. Dat enim personam Peccato.

14. *Ego autem carnalis sum*] Et hic assumit personam hominis qui obnoxius affectibus vitiosis nondum gratiâ Christi sit liberatus. *Spiritualem* autem Legem appellat, qui invitat ad facta Spiritûs.

15. *Quod enim operor non intelligo*] Itâ surrepit peccatum ut fere ignorem quid mihi accidat: nam etsi vis rationis nobis insita naturâ suâ aversatur malè facta (hoc enim est quod ait, *non quod volo*, & *consentio Legi*, &, *non ego operor illud*, & talia) peccatum tamen & vitiosi affectus illi qui in me habitant, impellunt me ut ea faciam quæ ego aversor, h. e. ratio, quæ verus est homo. Hâc autem ratiocinatione indicat quàm fuerit Christi gratia necessaria, & quàm nihil potuerit Lex.

21. *Invenio igitur legem*] Ordo verborum obscurus est: verùm sic dicamus, Ex iis, inquit, quæ dixi & ex iis quæ contemplor hoc mihi invenio esse concludendum, quòd scilicet Lex sit lex quidem ad bonum, *volenti mihi*, h. e. si velim, *bonum facere*, atque hoc solum donet: cætera *malum* invenio æquè *mihi adjacere*, ut nihilo melior ex Lege fiam, quin potiùs damnum faciam. *Invenio* ergò *Legem* bonam, *si velim bonum facere:* sed cur non facio? quia *malum mihi adjacet*. Vel *invenio Legem* ad id quod conor nihil juvantem, sed officientem potiùs, quia *malum mihi adjacet*.

25. *Igitur ego ipse*] Ergò, inquit, concluditur, Legem esse spiritualem & bonam, sed nihil mihi prodesse, quia obnoxius sum *legi peccati*.

ZEGERUS.

4. UT *sitis alterius qui ex mortuis resurrexit*] *Alterius:* sub. *viri*, nimirum Christi, *qui ex mortuis resurrexit*, cóque & vivit, & ultrà mortem non recipit. ¶ *Ut fructificetis Deo*] Non perinde magni refert sive *fructificemus* cum Græcis & Ambrosio legamus, sive *fructificetis* juxta lectionem nostram Vulgatam.

5. *Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per Legem erant operabantur in membris nostris*] Hæc non paulò dilucidiùs extulit B. Ambrosius itâ scribens, *Cùm enim essemus in carne, vitia peccatorum, quæ per legem ostenduntur, operabantur in membris nostris*, &c. addens præterea *ante fidem in carne nos fuisse*, quia *carnales eramus*, & quia *carnales sensus sequentes vitiis & peccatis subjacebamus*, ut ipsius dicam verbis.

6. *Soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur*] Duplicem invenio hujus loci scripturam: Ambrosius enim idem habet quod nos. Chrysostomus vero id legisse videtur quod est in exempl. Gr. quæ sic habent, Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα, quæ ad verbum reddita sic resonant, *Nunc autem liberati sumus à lege morientes, in qua detinebamur.* Origenes, sive ipsius interpres, admonet in quibusdam scriptum fuisse *à lege mortis in qua detinebamur*, sed verius & rectius esse, *à lege in qua mortui detinebamur:* sic enim vertit ipse Hieron. *Legem mortis* Legem dicit Mosaicam: punit enim atque occidit peccantes, ad servandum & remittenda peccata impotens.

8. *Occasione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*] Per sese utcunque facilia sunt, faciliora tamen si itâ construantur, *Peccatum, acceptâ occasione per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam.* *Peccatum* autem in præsenti loco juxta nonnullos est iners quædam & corrupta in homine voluptas, juxta alios verò Dæmon ipse; rursus juxta alios quosdam innatum voluptatis studium *peccati* vocabulo designatur. Unde quidam ex recentioribus non ineptè tali locum hunc explicuit paraphrasi, *Verum [illegible] ille noster vetus & voluptuarius peccati animus, inhibitione [illegible] irritatior factus, ut suopte genio nititur in vetitum, vim suam cœpit exercere, dum rei vetitæ desiderio furit ardentius atque insanit.*

9. *Ego autem vivebam sine Lege aliquando*] Peccatoris in se personam dicendi gratiâ transfulit Apostolus, dum hæc & quæ sequuntur eloquitur. Quid est enim *sine Lege vivebam* nisi *ut libebat vivebam, Dei abjecto timore, quasi impunè liceret quicquid liberet, tanquam Deus non esset judicaturus actus humanos?* Vide Hieronymum ad Algasiam quæst. 8. ¶ *Cùm venisset mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum*] Peccatum, inquit, quod aliquando non esse, eòque mortuum, videbatur, adveniente Lege quodammodo revixit: atque itâ ego peccator ob mea maleficia morte dignus, atque adeò mortuus quodammodo, declaratus sum.

10. *Et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem*] Sensus est, Eadem Lex, quæ obtemperanti tradita est ad vitam parandam, inventa est mihi peccanti cedere in mortem.

11. *Nam peccatum occasione acceptâ per mandatum*] *Peccati* vocabulum non aliud hic indicat quàm suprà, ubi dictum est, *peccatum per mandatum*, nempe ipsum qui in nobis est peccati fomitem seu pronitatem.

13. *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem*] Mihi sanè non fit verisimile Græcæ lectionis distinctionem vacare vitio, quòd nullum videre sit interpretem eandem fuisse secutum; sed nè Theophylactum quidem, si propiùs expendatur hujus interpretamentum. Quare satius judicaverim ut conformiter juxta nostram lectionem itâ distinguatur, Ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία, ἵνα φανῇ ἁμαρτία, καὶ τὰ [illegible]. Quod dicitur, ejusmodi est; Ut ostendatur quàm sit res iniqua & mala Peccatum, sive impetus ille animi corruptus & ad malum semper solicitans, legis bonæ occasione (id enim est *per bonum*) id ipsum peccatum operatum est mihi mortem. ¶ *Ut fiat supra modum peccans peccatum*] h. e. Ut evidens sit quàm perniciosum, quàm grave, quàm scelestum sit ipsum Peccatum.

14. *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*] Adverte quòd Apostolus (sicuti suprà admonuimus) dum dicit, *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato*, & cætera quæ sequuntur, tanquam Doctor Ecclesiæ, personam in se recipiat infirmorum. Ea enim loquitur quæ illis loqui moris est, vel excusationis vel obtentu accusationis. Ait ergò, *Ego carnalis sum*, &c. h. e. Dum carnis vitiis obsequendo vivo secundùm carnem, & in peccati potestatem libidinis & concupiscentiæ pretio sum redactus.

15. *Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio*] *Quod operor*, inquit, *non intelligo*, i. tenebris quibusdam obvolvor, & violentiam patior, ut ignorem quomodo subvertar. Vel *non intelligo & ignoro*, i. *non approbo*, juxta Augustinum lib. ad Simpl. 1. quæst. 1. Non enim bonum quod secundùm rectæ rationis dictamen volo & expeto, illud operor; sed quod secundùm veritatem malum est, & quod ut malum dictante ratione odi, hoc facio, devictus videlicet violentiâ cupiditatis. Loquitur autem hæc in persona peccatoris, sed ejus qui jam cœperit bona requirere, nondum tamen potuerit operibus exsequi.

16. *Si autem quod nolo, illud facio*] Si quod per rationem nolo ac detestor, illud idem propter solicitantem animi cupiditatem exsequar, adsentior haud dubie Legi quòd bona sit, quippe quæ ea vetuerit quæ ipse recto animi judicio damno. Vide Aug. ubi suprà.

17. *Nunc jam non ego operor illud*] Nimirum malum illud quod odi. ¶ *Sed quod inhabitat in me peccatum*] Quæ est portio illa in me crassior, & proclivitas ad mala.

21, 22. *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi*, &c.] Origenes admonet hunc sermonem parùm constare, dicitque tali quodam ordine legi debere, *Igitur quia malum mihi adjacet, volens facere bonum invenio legem Dei, & condelector ei secundum interiorem hominem.* Theophylactus duobus modis aliis sermonis incommodo occurrit, ita scribens, *Obscure dictum*, inquit, *quasi aliquid desit. Si enim dici oportuit, Invenio ergo legem faventem volenti quidem mihi bonum facere, non autem facienti, quoniam mihi adjacet malum. Est & alterum ejusmodi in ea re sententia: Primùm, quòd imperfecta sit hæc & manca oratio: deinde, quod constitui hoc pacto possit, Invenio autem legem nemini alteri esse impositam nisi mihi bonum facere volenti. Siquidem soli duntaxat recta agere cupienti hæc erit in legem, utpote quæ idem sentiat quod ipse cupiat, ut in sequentibus patet.* Hæc ille. Fortasse & hoc pacto legi poterit, *Invenio igitur per legem volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adjunctum sit.* h. e. Comperio Legem, siquando coner facere bonum, hoc efficere in me, ut intelligam peccandi malique fontem in meipso esse, non in Lege. Hic tamen (nè quid interim dissimulem) duriusculum videtur quòd accusativum *Legem*, propositâ particula *per*, instrumentalem faciam. Sed videamus an possemus & elocutionis integritatem, & simul etiam sensum ut præcedentibus simpliciorem ità fortasse etiam germaniorem commonstrare. Quod ut fiat, necesse est intelligas, duo hæc verba *invenio* & *facere* mutuò sibi jungi debere, & posterius juxta constructionem regi à priore; deinde clausulam *volenti mihi* respicere non ad id quod sequitur, *facere bonum*, sed in ea subintelligi vocabulum *bonum*: idque vel ex præcedentibus, ubi de voluntate ad bonum dictum est, *non enim quod volo bonum illud ago*; vel certè ex eo quod hic semel positum est, in *volenti*, secundò subintelligi oportere. Atque hoc pacto talis erit sententia, *Mihi juxta partem animi potiorem volenti bonum, legem invenio facere bonum*, i. deprehendo quòd ipsa bonum faciat; *porrò quod ad partem animi crassiorem attinet, scio, mihi malum adjacet.* Hanc prostremam interpretationem arbitrabar quidem cuique facturam satis; volui tamen & aliorum proferre sententias, ut lector eruditior eam sibi eligat quam suo maximè palato senserit placere. Hanc eandem sententiam videtur habere & indicare Theophylactus in acceptione illa priore, nisi quòd tam crasse non exprimat.

24. *De corpore mortis*] *Corpus mortis* secundùm Ambrosium vocat omnia peccata; secundùm alios, corpus obnoxium affectibus peccandi. Vel *corpus mortis* vocat carnem nostram mortalem.

25. *Gratia Dei per Jesum Christum*) Pro duplici loci hujus lectione duplex subest & intelligentia. Si *gratia Dei* legamus, ut habent omnia propemodum exemplaria Latinorum, responsio erit ad quæstionem præcedentem, *Quis me liberabit de corpore hoc mortis?* cui aptè respondetur, *Gratia Dei me liberabit*, non natura, non Lex Mosaica, non sola operum fiducia. Atque ità hoc in persona hominis imperfecti, quemadmodum & præcedentia, prolatum intelligitur. Si verò legamus εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, *Gratias ago Deo*, ut Græca ferè omnia habent, vel χάρις τῷ Θεῷ *gratia Deo*, quod idem signat, sermo erit ostendentis per quem liberatus sit, nempe per Deum cui gratias agit. Atque ità conveniet, accipiamus hoc in sua ipsius persona protulisse Apostolum.

L. BRUGENSIS.

24, & 25. INfelix ego homo, *quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*] Ità ferè Latini codices legunt *Gratia Dei* itáque legunt & veteres; Græci, Irenæus, lib. 3. cap. 22. Origenes, hunc enarrans locum, Chrysostomus, explicans versum septimum Psalmi 121. Latini, Ambrosius, lib. De Dominicæ Incarnationis Sacramento cap. 7, oratione in obitum Theodosii, lib. 2. De Abraham cap 6. Augustinus, cùm multis aliis in locis, tum sermonibus, 5 De verbis Apostoli, & 49 ac 53 De diversis, Primasius, Autores commentariorum quæ D. Hierony. & B. Ambrosio adscribuntur, Sedulius. His accedunt Haymo, Anselmus, Autor Glossæ Carensis, Thomas, Gorran, Bruno, Richelius, aliique Enarratores. Porrò aliter Græci libri scribunt. Plerique εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ habent quod est, *Gratias ago Deo*: hocque modo & legunt & intelligunt Græci Tractatores, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius; atque inter Latinos patres Hieronymus, octavæ Algasiæ quæstioni respondens: estque hæc & Syriaci Testamenti lectio מודא אנא לאלהא Quidam verò Græci libri, Parisiensium unus, ια, χάρις δὲ τῷ Θεῷ scribunt, h. e. *Gratia autem Deo*: quam scripturam videri possint redolere Latina exemplaria non pauca, quæ habent, *Gratiam autem Dei*; fierique hinc verisimilis eorum conjectura, qui Latinè nobis *Gratia Deo* legendum esse conjiciunt, quomodo apud Hieronymum, quæstione ad Algasiam octavâ, primùm legitur. Decem nostra MSS. *Gratia* [*Gratiam* I MS.] *autem Dei* habent; sed recentiora illa minúsque emendata. Antiquitate integritatéque præstantia, omnia *Gratia Dei* legunt: quibus cùm vetustissimi Patres, scriptorésque Græci & Latini, disertè adstipulentur, non facilè in erroris suspicionem venire debent. Quinimo, sicut Græcè nonnulli legunt χάρις τῷ Θεῷ (ità enim, absque δὲ *autem* conjunctione, quidam producit) sic facilè potuit Interpres, χάρις τοῦ Θεοῦ, duabus literis aliis, legisse, præsertim cùm ω & ȣ figurâ maximè affines sint: iotáque illi nunc non subscribatur, nunc subscriptum non animadvertatur.

H. STEPHANUS.

2. Ὕπανδρος] *Viro juncta.* Ad verb. *Quæ sub viro est.*

3. Μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ] *Mœcha vocabitur, si fiat alterius viri.*

5. Εἰς τὸ καρποφορῆσαι) *Ad ferendum fructum.*

8. Ἀφορμὴν λαβοῦσα] *Occasione sumptâ.*

14. Πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν] *Mancipium peccati factus.* Ad verb. *venditus sub peccatum.*

18. Παράκειται] *Adest*, vel *præstò est.*

21. Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται] *Comperio igitur volenti mihi facere bonum hanc legem* impositam esse, *quòd mihi malum adjaceat.*

22. Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ] *Lubenter enim acquiesco legi Dei.* Vel, *Delector lege Dei.*

23. Ἀντιστρατευόμενον] *Rebellantem.* ¶ Αἰχμαλωτίζοντά με] *Me reddentem captivum.*

24. Ταλαίπωρος] *Miser.*

DRUSIUS.

1. QUanto tempore vivit] *Homo.* Nam in mortuum non dominatur. Aut *vivit lex*, i. viget. Sic, *Vivat via Bersabee*, i. religio quæ in eo loco colitur: colebatur autem Vitulus quem Jeroboam illic instituerat.

3. *Si fuerit cum alio viro*] Si rem & consuetudinem habuerit cum alio viro, sive in matrimonio sive extra matrimonium. Ut hic *esse cum viro*, sic alibi *esse cum muliere* pro *consuetudinem habere cum ea.* Gen. 39. 10. *ut esset cum ea* Plautus, *Mecum hospitis jussu hâc nocte fuit.* Dicunt etiam *esse viro* pro *nubere viro.* Vide Notas meas in Ruth. Num. 30. 7. Jud. 14 20. *fuit sodali ejus*, i. nupsit ei. Græca exempl. ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ, *si fiat viro alteri.* Nam post obitum viri libera est, potest nubere cui vult Augustinus aliud exemplum producit ex Levit. 22. 12. *Filia sacerdotis si fuerit viro extraneo*, i. non Sacerdoti. Ipse vertit *alienigenæ*; & interpretatur *si fuerit*, *si nupserit. Hanc sermonis formam*, inquit Erasmus, *legimus in Hecyra Terentiana, Ut alii, si huic non sit, siet. Ubi de matrimonio, non de coitu filii, sentit pater.*

4. *Fructificemus Deo*] Ut Hos. 9. 16. *fructum non facient*: quod Latini autores dicerent *fructum non ferent.* Id de sobole interpretantur, ut Thren. 2. 20. *comedent fructum suum*: id est, liberos suos, qui & καρπὸς τῆς γαστρὸς Psal 127. 3. & καρπὸς τῆς κοιλίας dicuntur Psal. 132. 11. Ebraicè פרי בטן. Verbum autem est פרה *fructum gero*, *fœtifico*: unde פרו *fructum ferte*, quod interpretantur *crescite*, Gen. 1. 22. & 8. 17. & 9. 1. αὐξάνεσθε. A verbo καρποφορέω nomen est καρποφόρος *fructifer*: unde γῆ καρποφόρος Psal. 107. 34. & ξύλα καρποφόρα 148. 9. Hesychius, Ἄκαρπος, ἄγονος. Hos. 9. 16. *interficiam desideria ventris eorum*, h. e. fructus desideratos.

13. *Peccans peccatum*] Ἁμαρτία ἁμαρτωλός. Ità dicitur ut γυνὴ ἁμαρτωλὸς Luc. 7. 37. *mulier peccatrix*: esset autem ἁμαρτωλή. Quod genus mulieres ἁμαρτάδας Græci vocant. Procopius, Αἱ τῶν γυναικῶν ἁμαρτάδες οὐκ ἐπὶ τοὺς ἄνδρας μόνον ἴενται, ἀλλὰ καὶ παίδων ἅπτονται μᾶλλον. Hinc perspicuum *peccatricem mulierem* dici quæ scortatur, quam *scortatricem* vocant & *impudicam*, aut *adulteram.*

15. *Non intelligo*] Οὐ γινώσκω, *non novi*, sive *non agnosco*,

sco, i. approbo, ut Sirach. 18. 26 *Omnis intelligens novit sapientiam*, i. approbat. Hos. 8. 4 *Principes constituerunt, & non novi*, non approbavi. Gen. 18. 19. *quia novi eum*, approbo aut complector, לשון הכרה ait R. Salomo. Sic Deus *nosse* dicitur quos approbat. Augustinus in lib. ad Euodium, *Si ad scientiam referas, non ignorat Deus aliquos aut aliqua: qui tamen in judicio dicit, Non novi vos: sed eorum improbatio hoc verbo significatur.* Novit ergò tam bona quàm mala per scientiam, sed bona tantùm aut bonos per approbationem. Sic Psal. 1. 6. *Deus novit viam justorum.*

24. *De corpore mortis hujus*] Syrus *de corpore hoc mortis.* Verba Græca ad utrumque ambigua sunt. Vocat autem corpus suum *corpus mortis* quia mortale. Mortis causa fuit peccatum: unde dictitant, *Adam quo die peccavit eodem mortuus est.* Mortuus, non naturali morte, quæ pòst secuta est; sed morte peccatorum & calamitatum. Quò facit Origenes *mortem* interpretans peccatum; & ob id vocari *corpus mortis*, in quo habitet peccatum. Neque spernendi qui *corpus mortis* de turba malorum ingruentium enarrant. Ut ut sit, sensus petendus ex illo, *Morte morieris*: nam ab eo tempore in varias calamitates incidit, victum in sudore vultûs comparans, terrámque cum magno labore colens, &c.

GUALTPERIUS.

3. Μοιχαλὶς, *Mœcha*] In Syro גיורתא *adultera*, ut etiam Prov. 30. in Chald.

JAC. CAPPELLUS.

3. *Proinde vivente marito si fiat alterius viri mœcha vocabitur*] Fiet hoc nomine celebris, sed famosa. Celebritatem enim parit etiam infamia. Verbum autem χρηματίσει non significat quamlibet *nuncupationem*, sed cum celebritate conjunctam, ut patet ex Isocrate, qui vocabulum hoc non semel usurpat, sed voce passivâ. In Encomio siquidem Helenæ, ὐδενὸς, inquit, *αὐτοῖς ἄλλυ μέλει πλὴν τῦ χρηματίζεσθαι παρὰ τῶν νεωτέρων* Et in Busiride, Ἡγῦμαι γὰρ τοῖς μὲν ἀναξίως δυςυχῦσιν, ἐκ δὲ Φιλοσοφίας χρηματίζεσθαι ζητῦσιν, Potest etiam ità sumi Act. 11. 26. *χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τὺς μαθητὰς Χριςιανύς.* quippe celebritas eorum qui priùs vocabantur tantùm *μαθηταὶ discipuli*, fecit ut novum illis elogium imponeretur, ac dicerentur *Christiani*. Scriptores autem sacri verbum hoc activâ voce sed passivâ significatione usurpant *διακριτικῶς distinctionis gratiâ*. Nam cùm passivâ significatione & voce verbum hoc usurpant, tum significat *Divinitus admoneri*, Matth. 2. 12, 22. Luc. 2. 26. Act. 10. 22. Hebr. 8. 5. & 11. 7. Sic cùm tam voce quàm significatione activâ sumitur, & accusativum regit, significat *Divinitus admonere* Hebr. 12. 25. Quâ ratione frequenter usurpatur à LXX.

7. *Quid igitur dicemus? Legem esse peccatum? Absit. Quin potius peccatum non cognovi nisi per Legem*] q. d. Multa sunt, putà Idololatria, Divini nominis usurpatio temeraria, Sabbati violatio, Ignorantia Dei, Omissionis peccata, quæ non cognoscerem esse peccata nisi Lex id me doceret. *Nam etiam cupiditatem non nossem* esse peccatum verè propriéque dictum, *nisi Lex diceret, Non concupisces.* Quid? nullámne cupiditatem novisset Paulus esse peccatum nisi Legem audivisset intonantem, *Non concupisces?* Non est hæc ejus mens. Etenim cur ignorasset Paulus quod etiam Ethnici sciebant, nempe determinatam facinoris alicujus perpetrandi voluntatem esse peccatum, putà determinatam voluntatem vitiandi virginem aut conjugem alicujus? Hæc tamen voluntas *cupiditas* vulgò dicitur. Ignorasset avaritiam, quæ *cupiditas* quoque dicitur, esse peccatum? Quænam igitur Apostoli mens est? Nempe esse cupiditatis speciem aliquam quam ignorasset esse peccatum nisi Legem animadvertisset simpliciter dicentem, *Non concupisces.* Quænam autem est illa species? Indeterminata videlicet cupiditas voluntásve faciendi quidpiam à Lege prohibitum. Motus istos primos transvolantes appetitus, utut vitiosos, tamen quia non sunt in nostra potestate, multi sibi persuaserunt nè peccata quidem esse, & quidem in speciem probabiliter, adeóque neque Paulus, neque quisquam nostrûm agnovisset etiam hæc esse peccata nisi penitiùs introspexisset mentem Legis, videlicet determinatam scortandi cupiditatem esse jam coram Deo scortationis speciem, eóque comprehensam sub iis quæ damnantur in septimo Decalogi mandato; primos verò motus voluntatem nostram hoc cupiditatis genere titillantes, esse, si non speciem scortationis, certè gradum ad scortationem, & hoc ipso nomine jam vitiosos, jam in peccati censu habendos, & has esse propriè cupiditatis species quæ non in primis novem mandatis sed in decimo condemnantur. Hæc autem esse peccata patet. 1. Quia prodeunt à fonte peccati. 2. Quia feruntur ἐἰ δέοντας. 3. Quia feruntur εἰς ὃ δέον. 4. Quia pugnant cum amore Dei ex corde toto, tota mente, totis viribus. 5 Denique pugnant cum Lege. Vide sis quæ notamus in Deut. 5. 21.

14. *Ego verò* naturâ meâ *carnalis sum, mancipatus peccato.* 15. *Quod enim ago*, id *non approbo. Non enim quod volo, id facio; sed quod odi, id facio*] q. d. Cùm agam multa quæ nè ipse quidem probo, hinc patet me naturâ meâ peccati servum esse, & pugnæ, quâ nitor in vetitum, culpam adscribendam ingenitæ pravitatis meæ reliquiis, non Legis vitio. Hujusmodi pugnam sentiunt etiam irregeniti. Seneca epist. 52. *Quid est hoc, Lucili, quod nos aliò tendentes aliò trahit, & eò unde recedere cupimus impellit? quid colluctatur cum animo nostro, nec permittit nobis quidquam semel velle? Fluctuamus inter varia consilia: nihil libere volumus, nihil absolutè, nihil semper.* Hanc luctam eleganter describit Ovidius, ità Medeam loquentem inducens,

> —— *Video meliora probóque,*
> *Deteriora sequor* ——

23. *Sentio aliam legem in membris meis militantem adversus legem mentis meæ, & quantum in ipsa est subinde mancipantem me legi peccati quæ est in membris meis.* 24. *Me miserum hominem! quis me liberabit ex isto corpore mortis?*] h. e. mortifero. His enim verbis incusat non tam mortalem corporis hujus visibilis massam quàm mortiferam illam peccati massam quam in membris suis pugnantem sentiebat adversùs mentis suæ legem. Supplenda verò responsio hujusmodi, *Deus videlicet mihi præstabit libertatem illam, eóque nomine gratias illi ago.*

25. *Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum*] Vetus interpres, *Gratia Dei*, &c. Sicque passim veteres etiam ante Hieronymum, ut apud Ambrosium de obitu Theodosii, Augustinum ep. 90. Videtur tamen interpres Hieronymo vetustior scripsisse *Gratia Deo*, supplendo videlicet *agatur*. ¶ *Nempe igitur ipse ego mente quidem servio Legi Dei, carne verò legi peccati*] q. d. Gratias ago quòd ille ego qui naturâ meâ peccati servus eram, quémque caro, pravitatis meæ reliquiæ, subinde retrahunt ad servitutem illam, nunc tamen Dei legi servio secundùm partem regeneratam.

GROTIUS.

Ἡ Ἀγνοεῖτε ἀδελφοὶ, (γινώσκυσι γὰρ τὸν νόμον λαλῶ) *An ignoratis fratres, (scientibus enim Legem loquor)*] Hîc Paulus sermonem ad solos Judæos dirigit quos *fratres* vocat etiam carnis ortu, ut infra 10. 1. Magnum autem hîc aperit mysterium primo omnium Apostolorum Paulo, inter multa divinitùs ei patefacta 2 Corinth. 12. 1, 7. revelatum, etiam Judæos qui Christi disciplinam sectantes multùm in ea profecissent, non obligari ultrà vinculo Legis per Mosem datæ. Decretum Apostolicum quod est Actor. 15. de solis agit qui ex Gentibus vocati erant: & intra eos limites diu se tenuit Paulus, ut patet Actor. 16. 4. Nondum tempus erat & hoc aperiendi, quod Deus non obscurè significavit, cùm non Templum tantùm sivit dirui, sed & ipsam Legem in Triumpho Romanorum portari. Ait *se Legis non ignaros alloqui*, quia is mos erat Judæorum qui non in summa viverent egestate, liberos suos à prima ætate imbuere lectione & notitiâ Legis ¶ Ὅτι ὁ νόμος κυριεύει τῦ ἀνθρώπυ, *quia Lex in homine dominatur*] *Ius potestatemque in eum habet ut dominus in servos*. Sic κυριεύειν [*dominari*] habemus, Luc. 22. 25. Legem προσωποποιῦσιν [*personam fingere*] frequens Hebræis. Vide caput 7. Rabbini Ismaelis de Anima. Similia Esai. 1. 2. & 5. 14. Ierem. 31. 15. Job. 8. 8. ¶ Ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ; *quanto tempore vivit?*] *Quamdiu Lex vivit*, quamdiu exstincta non est. Lex enim abrogata mortua est, id est, *vim obligandi non habet*. Idem est in domino si nullum habeat hæredem: nam qui hæredem habet, in hærede vivit. Vide quæ dicta libro 2 de Jure Belli ac Pacis cap. 9.

2. Ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est Legi*] Exemplum sumit in Lege conjugii. Ei uxor manet devincta manente conjugio, & per id Lege conjugii, idque in usum mariti quem Lex unum ita respicit, ut eo exstincto etiam Lex quoad feminam exstinguatur. Ὕπανδρος γυνὴ, id est, *nupta*, sic vertitur תחת אישה Numer. 5. 29. & אשת רע Proverb. 6. 24, & 29.

Loquitur sic & Sirachides 9. 10. & 41. 27. ζῶντι ἀνδρὶ [*vivente viro*], *in usum viri viventis.* ¶ Ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, *si autem mortuus fuerit vir*] Cui soli lex illa operam dabat. Quod de *morte* hic dicit, idem de repudio dici potest, quod & ipsum mors est conjugii. ¶ Κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός. *liberata est à lege viri*] *Liberata est à lege conjugii quæ erat lex viri*, quia viro, ut dixi, consulebat quanquam abesse potest illud τοῦ ἀνδρὸς [*viri*], sicut abest in plurimis manuscriptis. Καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου est *à lege liberari*, ut sequentia ostendunt, quia qui à Domino aliquo liberatur, ei mortuus est quodammodo. Vide supra 6. 2. Non multò aliter καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ [*evacuari à Christo*] dicitur Gal. 5. 4. Respondet ἀργεῖν & καταργεῖσθαι Hebræo חדל quod est *desinere*. Sicut idem est ἁμαρτίαν ἀποθανεῖν [*peccatum mori*] *nobis* quod *nos* ἁμαρτίᾳ [*peccato*], sic idem νόμον καταργεῖσθαι [*legem liberari*] *nobis*, aut *nos* ἀπὸ τοῦ νόμου [*à lege*]. In illa locutione jus respicitur, in hac secundùm jus agendi necessitas. Sic & Cicero voces commutat, ubi de *pecunia debita*, & de *gratia debita* agit. Vide Gellium 1. 4. sed maluit Apostolus ea locutione uti. quæ Judæos minùs offenderet.

3. Ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς, *Igitur vivente viro*] Ac proinde vivente etiam lege illa maritali. ¶ Μοιχαλὶς χρηματίσει, *vocabitur adultera*] Χρηματίζειν est *appellari*, quomodo & Græci scriptores sæpe usurpant, & Lucas Act. 11. 26. μοιχαλὶς, נאפה. [*adultera*] Prov. 30. 20. Ezech. 16. 37. & 23. 45. Oseæ 3. 1. Mal. 3. 5. ¶ Ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ. *si fuerit cum alio viro*] תהיה לאיש זר [*fuerit viro extraneo*] Levit. 22. 13. ut *habere Chrysidem* dicitur qui cum ea cubat, ita *haberi mulier à viro* sive *esse viro*. Nam *esse alicui* dicitur quod ab eo habetur. ¶ Ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου. *si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri*] Hic explicat quid sit *legem esse mortuam*. ¶ Τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα, *ut non sit adultera*] *Ita ut non sit adultera, non teneatur adulterii pœnis.* ¶ Γενομένην ἀνδρὶ ἑτέρῳ *Si fuerit cum alio viro*] Sive per nuptias, sive aliter; nam etiamsi aliquid tale sine nuptiis admittat, peccat: sed non in legem contra adulteras.

4. Ὥστε, ἀδελφοί μου, καὶ ὑμεῖς, *Itaque fratres mei, & vos*] *Etiam vos Judæi.* ¶ Ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ, *mortificati estis Legi*] Idem quod ὁ νόμος ὑμῖν ἐθανατώθη [*Lex vobis mortificata est*]. Nam in his figuratis locutionibus ista reciprocantur, ut diximus supra v. 2. *Lege opus non habetis.* ¶ Διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. *per corpus Christi*] *Per corpus Christi*] crucifixum scilicet. Nam Christi crux & mors inter cætera & hoc à Patre impetravit, ut Legis illius imperium tolleretur, Eph. 2. 15, 16. Colos. 2. 14. Hi loci in causa fuere, cur Pauli Epistolas non reciperet Ebion. ¶ Εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἀνδρὶ ἑτέρῳ, *ut sitis alterius*] Ecclesia sponsæ comparatur 2 Cor. 11. 2. Ephes. 5. 29. ¶ Τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι, *qui ex mortuis resurrexit*] Qui factus ipse homo novus vitam etiam novam postulat. ¶ Ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ. *ut fructificemus Deo*] Ut ex Christi satu fœcundi edamus opera multò meliora quàm fuerant magnæ partis hominum sub statu Legis. Persequitur similitudinem. Nam & partus in matrimonio *fructus* dicuntur, Psalm. 127. 3. Lucæ 1. 42.

5. Ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ, *Cùm enim essemus in carne*] Pauci sub statu legis erant πνευματικοὶ [*spirituales*], & qui tales erant non erant tales ex sola vi Legis. Plerique verò erant σαρκινοὶ [*carnales*], nullam aut tenuem spem habentes vitæ alterius, ac proinde addicti huic vitæ, & hujus vitæ commodis ac voluptatibus, unde in tam magna materia facilè nascitur peccatum. ¶ Τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν, *passiones peccatorum*] *Cupiditates ad peccatum ducentes.* Sic hæc vox sumitur etiam, Gal. 5. 24. ¶ Τὰ διὰ τοῦ νόμου, *quæ per Legem erant*] Deest participium. Chrysostomus supplet Φαινόμενα [*quæ apparebant*], aut γνωριζόμενα [*quæ cognoscebantur*], rectè ex sequentibus. Ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, *operabantur in membris nostris*] Ἐνεργεῖσθαι [*operari*] est deponens, ac poni solet etiam non expresso accusativo, ut cùm dicitur πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη [*Fides quæ per charitatem operatur*], Gal. 5. 6. Vide & 2 Cor. 1. 6. Ephes. 3. 20. Colos. 1. 29. 2 Thess. 2. 7. Jac. 5. 16. Deinde ἐν pro *per*, more Hebraico. Dicit ergo *cupiditates istas opus suum edidisse per humani corporis partes internas & externas*: de quibus supra 6. 13. ¶ Εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ. *ut fructificarent morti*] Etiam mortem προσωποποιεῖ [*personam fingit*] Paulus. *Cupiditates fructum*, id est, *pabulum morti præbent ipsum hominem.*

6. Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, *Nunc autem soluti sumus à Lege* Repetit verbum quod in comparationis parte priore posuerat supra v. 2. ¶ Ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα. *mortui in quo detinebamur*] Alii codices habent ἀποθανόντος. [*mortua*], cujus lectionis & Origenes meminit. Quomodo & Chrysostomum legisse apparet ex ejus interpretatione, ὁ δεσμὸς δι' οὗ κατειχόμεθα ἐνεκρώθη [*vinculum quo detinebamur enervatum est*]. Christus moriens interfecit legem Mosis quæ Judæos sibi alligatos habebat, sicut lex conjugii feminam. Κατέχω respondet Hebræo אחז quod est *possidere*. ¶ Ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, *ita ut serviamus in novitate spiritûs*] *Ut serviamus*, Deo scilicet, *novo spiritu*, id est, Spiritu Christi. Hebraismus frequens, καινότητι πνεύματος [*novitate spiritûs*] pro πνεύματι καινῷ [*novo spiritu*]. Rectè *spiritum novum* dixit, qui ante resurrectionem Christi datus non fuerat, Joh. 7. 39. Vide & 2 Cor. 3. 6. ¶ Καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος. *& non in vetustate literæ* Legem Mosis vocat *literam vetustam*. Literæ vetustæ solent evanescere Heb. 8. 13. *Scriptum* etiam Rhetores sæpe dicunt pro *lege*: sic & supra 2. 27, 29. 2 Cor. 3. 6, 7.

7. Τί οὖν ἐροῦμεν; *Quid ergo dicemus? Quid ergo est quod dicimus?* ut 4. 1. & 6. 1. Recurrit enim ad calumniam alteram sibi objectam, *legem causam esse peccati ac ob id malam.* ¶ Ὁ νόμος ἁμαρτία; *Lex peccatum?*] Est μετωνυμία [*Transnominatio*]. *Dicimusne nos, ut illi calumniantur, legem esse causam peccati?* ¶ Μὴ γένοιτο· *Absit*] Longè id à se rejicit, ut supra 3. 6, 31. & 6. 2, 15. ¶ Ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων εἰ μὴ διὰ νόμου. *sed peccatum non cognovi*] Id est, *non ita exactè nossem.* Dicuntur enim hæc comparatè. Vide supra 3. 20. Τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, *nam concupiscentiam nesciebam*] Notandum est hoc loco ac deinceps Paulum in prima persona loqui non quòd de se agat, sed quòd modestiæ causâ res odiosas sic exprimere malit, quod ipse dicit μετασχηματίζειν [*transfigurare*] 1 Cor. 4. 6. Similia loquendi genera habes 1 Cor. 6. 12, 15. & 10. 23, 29, 30. & 13. 2. Gal. 2. 18. Chrysostomus ad 1 Cor. 12. Ἀεὶ τὰ Φορτικὰ ἐπὶ τοῦ οἰκείου προσώπου γυμνάζει [*Semper de odiosis disserit suâ personâ*]. Hieronymus ad Danielem, *Peccata populi, quia unus è populo est, enumerat personâ suâ quod & Apostolum in epistola ad Romanos facere legimus.* Neque verò non & alibi talia occurrunt. Scholiastes Horatii ad epistolam 8. libri 1, *Reprehendit Celsum morositatis & inconstantiæ, ita tamen ut quæ in eo carpit, in se transferat, quò reprehendat liberius.* Sic in Arte Poetica,

—Brevis esse laboro:
Obscurus fio.—

Item,

Descriptas servare vices operumque colores
Cur ego si nequeo ignoroque, Poëta salutor?

Et, *—vitavi denique culpam,*
Non laudem merui.—

Scholiastes, *Se autem ponit pro quovis alio.* Sic & Lucianus Κρόνος ἐμοί [*Saturnus mihi*]. Similem positionem primæ personæ pro incerta habes apud Ambrosium de Officiis 1. 48. Apostolus autem hic sub prima persona describit Hebræum genus quale fuit ἐπὶ τὸ πολὺ [*maxima ex parte*], primum ante Legem, deinde post Legem. οὐκ ᾔδειν [*nesciebam*], nempe εἶναι ἁμαρτίαν [*esse peccatum*], quod ex superiori subauditur. Ante Legem homines plerique insontes se putabant, si absque vi ac furto alienam uxorem aut rem ad se transduxissent. Hoc enim est quod Lex vocat *concupiscere*: putà videns aliquis frigusculum nasci inter virum & uxorem, fovet illud accenditque, ut molestiarum impatiens maritus illam à se segreget: aut juvenem luxuriosum pecuniâ instruit, rebus ejus pignori acceptis, ut illo non solvente res eas sibi ut commissas retineat. Hæc multi non scelera esse putant, sed solertis ingenii commenta. Sic & in libidinum genere agnoscunt Hebræi multa fuisse improba quæ nullis pœnis coërcebantur. Lactantius *Metus legum non scelera comprimebat, sed licentiam submovebat. Poterant enim leges delicta punire, conscientiam munire non poterant. Itaque quæ ante palam fiebant, clam fieri cœperunt: circumscribi etiam jura.* ¶ Εἰ μὴ νόμος ἔλεγεν, Οὐκ ἐπιθυμήσεις. *nisi lex diceret, Non concupisces*] לא תחמד [*non concupisces*], Exodi 20. 17. לא תתאוה [*non desiderabis*], Deut. 5. 21. subaudi *uxorem alterius, domum, servum, bovem, asinum.* Lex igitur à Deo tam solemniter promulgata effecit ne quis Israëlita dubitare posset quin tales doli peccatis accensendi essent. ἐπιθυμεῖν [*concupiscere*] est ἀποστερεῖν [*fraudem facere*]. Vide Matth. 19. 18. & Marci 10. 19. & ibi à nobis dicta.

8. Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία, διὰ τῆς ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν. *Occasione autem accepta, peccatum*

catum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam] Ἡ ἁμαρτία [*Peccatum*] hic est *consuetudo quæ ante Legem fuerat*] *ea etiam post Legem dolos illos peperit.* at quomodo? ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς ἐντολῆς, id est, *impunitatem nacta à præcepto*; quia præcepto isti nulla pœna erat apposita, qualis erat apposita adulteriis & furtis, ideo contemnebatur. Quod signum est eos qui istis malitiis indulgebant, ab illis aliis abstinuisse non honesti amore, sed pœnæ metu. Ἀφορμὴν pro *impunitate* etiam Demosthenes usurpat: & dicitur, ut explicat Thucydidis Scholiastes, ἐξ ἧς ὁρμώμενός τις σώζεται [*quâ quis ad agendum incitatus salvatur*]. Sic & Gal. 5. 13. sumitur hæc vox. Multi interpretes ἀφορμὴν exponunt *occasionem*, putantque idem hic dici quod vulgari proverbio, *Nitimur in vetitum*: cui convenit Senecæ illud, *Homicidæ cum lege cœperunt, & illis facinus pœna monstravit.* Et Taciti, *Fœnus agitare & in usuras extendere ignotum: ideoque magis servabatur quam si vetitum esset.* Quale quid & περὶ ἀρσενοκοιτίας [*de venere mascula*] habes apud Lampridium Severo. Hæc sicut in quibusdam ita se habere nego, ita non ita communiter eveniunt, qualia sunt ad quæ respicit Paulus. Supradictæ interpretationi bene congruit quod dicit Maimonides Ductore dubitantium 3 41. *ab inoluta peccandi consuetudine non posse hominem avelli nisi gravibus pœnis.* ¶ Χωρὶς γὰρ νόμου ἁμαρτία νεκρά. *sine Lege enim peccatum mortuum erat*]. Νεκρὰ [*mortuum*], id est, *vim non habet quam debet.* Vide supra 6. 2. Sic fides νεκρὰ [*mortua*] quæ hominem ad justitiam non perducit. Et hoc comparatè dictum. Minùs enim peccatum conscientiam convellit ubi Lex Divina non adest.

9. Ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ. *Ego autem vivebam sine Lege aliquando*] Id est, αὐτὸς ἐγὼ [*ipse ego*], ut dicit infra v. 25. ille nempe quem sub hoc pronomine *ego* significo: id est, genus Israeliticum vixit & ante Legem, in Ægypto scilicet. Vide Ezech. 16. 4. & 23. 2. ¶ Ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς, *sed cùm venisset mandatum*] *Data Israelitis Lege.* ¶ Ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν, *peccatum revixit*] Apertiùs quàm ante convictam habuit conscientiam, magis patuit ejus fœditas. Puto rectiùs legi ἔζησεν [*vixit*] quàm ἀνέζησεν [*revixit*]. ¶ Ἐγὼ δὲ ἀπέθανον. *Ego autem mortuus sum*] Homines plerique in vitiis suis moriebantur sine ulla spe vitæ melioris, Hebr. 2. 25.

10. Καὶ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωήν, *& inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam*] Erant præcepta Legis moralia pars ejus obedientiæ quæ Deo debetur; & eo sensu vitam illam æternam non dabant quidem, sed ad eam ducebant. Vide quæ diximus Matth. 19. 17. εὑρέθη [*inventum est*] *Deprehensa est ipso eventu.* ¶ Αὕτη, *hoc*] *Illa ipsa.* Εἰς θάνατον. *ad mortem*] Supple ἄγειν [*ducere*], eventu scilicet: quia nimirum ita inoluerat peccandi consuetudo, ut majoribus egeret remediis.

11. Ἡ γὰρ ἁμαρτία, *Nam peccatum*] Illa consuetudo per speciem quandam juris ad se trahendi res alienas. ¶ Ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς ἐντολῆς, *occasione accepta per mandatum*] Impunitatem nacta per illud præceptum, cui neque in Decalogo, neque alibi ulla pœna apposita est. Vide quæ diximus ad Matth. 5. 20. ¶ Ἐξηπάτησέ με, *seduxit me*] Dicitur præceptum id fecisse, cui occasionem dedit. Decepti homines fuere spe impunitatis etiam post hanc vitam à Deo consequendæ, in quo miserè fallebantur, ut & nunc falluntur multi Judæi. ¶ Καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτεινεν. *& per illud occidit*] Occasionem dedit cur homines non pervenirent ad veram justitiam; & consequenter ad vitam cœlestem.

12. Ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος, *Itaque Lex quidem sancta*] Nihil præcipit quod non rectum sit, etsi quædam minùs perfecta permittit. Obstruit os calumniæ, de qua agere cœperat supra v. 7. ¶ Καὶ ἡ ἐντολή, *& mandatum*] *Etiam illud præceptum, Non concupisces.* ¶ Ἁγία, *sanctum*] *Sanctum est*, id est Dei voluntati congruens, Psalm. 19. 9. & Psalm. 116. ¶ Καὶ δικαία, *& justum*] *Nihil iniqui exigit.* ¶ Καὶ ἀγαθή. *& bonum*] *Utilis est omnibus per se.*

13. Τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος; *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors?*] Id est *causa mortis*; eadem locutio quæ supra. ¶ Μὴ γένοιτο. *Absit*] *Absit ut causa mortis æternæ dicatur.* Intellige *causam per se*; nam per *accidens causæ* impropriè *causæ* dicuntur, cùm occasiones quædam sint potiùs, nec in id datæ, sed arreptæ. ¶ Ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία, *sed peccatum*] Supple, *fuit verè ac per se causa mortis illius.* ¶ Ἵνα φανῇ ἡ ἁμαρτία, *ut appareat peccatum*] Idem φανῇ [*appareat*] quod εὑρεθῇ [*inventum est*], ut 2 Cor. 13. 7. supra v. 10. & ἵνα est *ita ut.* Significatur enim eventus. ¶ Διὰ τοῦ ἀγαθοῦ, *per bonum*] Construe cum φανῇ [*appareat*]. Per Legem enim intelligitur quò eat peccatum. ¶ Μοὶ κατεργαζομένη θάνατον, *operatum est mihi mortem*] *Adducens mortem.* Locutio similis ei quæ supra 4. 15. Φαίνεται [*apparet*] & voces similes amant jungi participiis quæ Latini per infinitiva vertunt. Sic Φαίνεται καλουμένη [*apparet eam vocare*] apud Thucydidem. Φαίνομαι προθυμούμενος [*apparet me alacri animo esse*] apud Demosthenem. Φαίνεται συνεωρακὼς, Φαίνεται ποιήσας [*Intellexisse eum manifestum est, manifestum est fecisse*] apud Plutarchum Numa. Quomodo vitam æternam sperare potest, qui norit se in eis manere quæ Deus tam severè vetat? ¶ Ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία, *ut fiat supra modum peccans peccatum*] *Ita ut hinc summopere rea fiat illa peccandi consuetudo.* Ἁμαρτωλὸς [*peccans*] *reum* significat, ut 1 Reg. 1. 21. Καθ' ὑπερβολὴν [*supra modum*] usitatum Paulo pro *eximiè*, 1 Cor. 12. 31. 2 Cor. 1. 8. & 4. 17. Gal. 1. 13. Idem est ὑπερβαλλόντως, עדלה Job. 15. 11. Non potest *excellentius rea* peragi ista consuetudo, quàm cùm ostenditur non aliis tantùm ad tempus nocere, sed etiam ei penes quem est nocere æternum. ¶ Διὰ τῆς ἐντολῆς, *per mandatum*] Per quam convincitur Deo summopere displicere.

14. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν, *Scimus enim quòd Lex spiritualis est*] Ostendit jam causam cur ex Lege aliud in homine consequatur, quàm id quod per se Lex propositum habet. Alia, inquit, natura est Legis; alia magnæ partis hominum. Lex à Deo profecta qui est Spiritus purus nullisque malis affectibus obnoxius, Joh. 4. 24. Etiam de humana lege agens Aristoteles Politicorum 3. 16. ait *eum qui legem præficit rebus, Deum ipsum præficere, quia lex sit ἄνευ ὀρέξεως νοῦς* [*mens affectu vacua*]. *Legem in mente habitare* ait Schemtob. ¶ Ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι, *ego autem carnalis sum*] Id est, major pars Judæorum affectibus abripitur qui ex carne oriuntur. Sic σαρκικαὶ ἐπιθυμίαι [*desideria carnalia*] 1 Petr. 2. 11. ¶ Πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, *venundatus sub peccato*] Similes sunt Achabo de quo Elias id prædicat, 1 Reg. 21. 20. Unde etiam discimus passivum hoc πεπραμένος [*venundatus*] habere vim reciproci. Nam ibi in Hebræo est Hithpahel התמכרך לעשות הרע *vendidisti te ad male agendum*: ubi in Græco πέπρασαι ποιῆσαι τὸ πονηρόν [*venundatus es ad faciendum malum*], id est, *tradidisti te*: quæ ipsa verba inde desumpta habes & 1 Macc. 1. 17. Licebat jure Hebræo semet in servitutem vendere. Quia verò ex venditione sequitur traditio cum dominio, ideo *venditionis* nomen pro illis consequentibus usurpatur, etiam ubi venditio non intercessit. Sic Deus dicitur Israelitas ob peccata *vendidisse inimicis*, Deuter. 32. 30. & Judicum cap. 2. 14. & 3. 8. & 4. 2. Sic & Esa. 50. 1. Sic pari tralatione *hominem mancipatum vitiis* dicunt Latini. Quod hic est *vendere*, infra dicitur αἰχμαλωτίζειν [*captivum reddere*]. Servi enim fiunt duobus modis, venditione, & belli jure: effectus idem.

15. Ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω, *Quod enim operor, non intelligo*] Id est, *non approbo*: nam sic ידע sumunt Hebræi Psalm. 1. 6. Oseæ 8. 4. & Hellenistæ γινώσκειν, Sir. 18. 28. Matth. 7. 23. ubi alia loca attulimus. Talis est Medea apud Euripidem,

> *Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω κακά·*
> *Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων*
> *[Et ipsa novi quanta nunc patrem mala*
> *Sed vincit ira sanitatem pectoris].*

Et apud Ovidium,

> *—video meliora proboque,*
> *Deteriora sequor.*

Et Lajus in Tragœdia.

> *Λέληθεν οὐδὲν τῶνδέ μ' ὧν σὺ νουθετεῖς*
> *Γνώμην δ' ἔχοντα μ' ἡ φύσις βιάζεται*
> *[Nihil est eorum quæ mones, quod me latet:*
> *Scio: sentientem recta, natura abripit].*

Quæ Græca loca ad hanc rem adducit Clemens Stromatum 2. Plutarchus corrigens illud ex Tragœdia Atreo,

> *Αἶ αἶ. τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακόν,*
> *Ὅταν τις εἰδῇ τ' ἀγαθὸν, χρῆται δὲ μή*
> *[Proh dolor! ut illud cœlitus missum est malum,*
> *Cùm quis videt meliora, nec sequitur tamen].*

Ait, θηριῶδες μὲν οὖν καὶ ἄλογον καὶ οἰκτρόν, εἰδότα τὸ βέλτιον ὑπὸ τοῦ χείρονος ὑπ' ἀκρασίας καὶ μαλακίας ἄγεσθαι [*Imò verò ferinum*

rimum & ratione carens & miserabile, cùm meliora noris ad pejora abripi per mollitiem atque incontinentiam]. Rectè ait. ἐξ ἀκρασίας [*per incontinentiam*]. Multò enim plures sunt ἀκρατεῖς [*incontinentes*] quàm ἀκόλαστοι [*petulantes*]. Et describuntur hic homines ex majore sui parte. Vide quæ diximus ad Matth. 13. 9. In hoc loco γινώσκειν [*intelligere*] quod in illis quæ attulimus μανθάνειν, μὴ λεληθέναι, εἰδέναι, γνώμην ἔχειν [*nosse, non latere, scire, rectè sentire*]. Plautus Trinummo,

Scibam ut esse me deceret, facere non quibam miser.

¶ Οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω, *non enim quod volo, hoc facio*] Θέλω [*volo*] rectè vertas potentialiter, *quod vellem*, secundùm ea quæ diximus ad Matth. 26. 39. quanquam & in Indicativo sumi potest, dum noris non agi hîc de certa constitutione decretoque voluntatis, sed de levi desiderio. Agunt εἰς τὸ θελητικὸν [*in voluntatem*] & mens & carnales affectus, sed hi, ut propiores τῷ θελητικῷ [*voluntati*], agunt validiùs, at mens languidiùs, nisi magnis adjuta præsidiis. Arrianus Epictetεorum secundo locum habet huic similem, Ἐπεὶ γὰρ ὁ ἁμαρτάνων οὐ θέλει ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ κατορθῶσαι, δῆλον ὅτι ὃ μὲν θέλει οὐ ποιεῖ, καὶ ὃ μὴ θέλει ποιεῖ [*Quandoquidem qui peccat, mavult rectè facere quàm delinquere, perspicuum est eum quod velit non facere, & quæ non velit facere*]. ¶ Ἀλλ' ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ. *sed quod odi, illud facio*] Intellige μισῶ [*odi*] sicut modo θέλω [*volo*] de motu quodam subitaneo & facilè evanescente.

16. Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ, *Si autem quod nolo, illud facio*] *Quandoquidem ea facio quæ facere nollem.* ¶ Σύμφημι τῷ νόμῳ ὅτι καλός. *consentio Legi quoniam bona est*] Vt illi de quibus Satyricus:

Virtutem videant intabescantque relictâ.

σύμφημι est *assentior*, etiam Sophocli & Euripidi. Tum verò Hebræis dicere est *cogitare*.

17. Νυνὶ δὲ οὐκ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, *Nunc autem jam non ego operor illud*] *Nunc ergo*, id est, post Legem datam, *non ampliùs homo*, totus scilicet, *malè agit*. Est enim aliquid in homine quod repugnat; quod quid sit jam explicabit. ¶ Ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία. *sed quod habitat in me peccatum*] *Insolita illa pridem peccandi consuetudo* quam & *naturam* dici ex Eueno & aliis ostendimus lib. 2. de Iure Belli ac Pacis 12. 26. Bene autem huic consuetudini additur verbum οἰκεῖν [*habitare*], ut & infra 18. 20. *non divertit apud illos nequitia, sed habitat*, ut Senecam imitemur. Sed contra in emundatis *habitat Spiritus Sanctus*, Rom. 8. 9. 1 Corinth. 3. 16.

18. Οἶδα γὰρ ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, (τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ σαρκί μου) ἀγαθόν. *Scio enim quia non habitat in me, (hoc est, in carne mea) bonum*] Homo cùm nominatur, modò totus intelligitur, modò κατὰ συνεκδοχὴν [*per Complexionem*] tribuitur id nomen partibus. Sic quòd hic dixit, *in me*, interpretatur de *carne & affectibus ex carne orientibus*. In his vix quicquam erat boni, quanquam in mente erat aliqua boni cognitio, ut jam ampliùs dicet. At in Christianis, quales plerique erant primis illis temporibus, ipsi etiam affectus erant correcti per Fidem ac Spiritum, & *corpus ipsum habitaculum erat Spiritûs Sancti* 1 Corinth. 6. 19, non minùs quàm olim Templum erat Majestatis Divinæ habitaculum. Rectè diximus σάρκα [*carnem*] etiam affectus includere: imo sæpe pro illis solis sumitur, ut 1 Corinth. 5. 5. Tertullianus libro de Pudicitia hunc locum sic explicat (*Nam etsi habitare bonum in carne sua negavit, sed secundum Legem literæ in qua fuit: secundùm autem Legem Spiritûs, cui nos annectit, liberat ab infirmitate carnis: Lex enim, inquit, Spiritûs vitæ manumisit te à Lege delinquentiæ & mortis.* ¶ Τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ εὑρίσκω. *nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*] In Manuscripto pro οὐχ εὑρίσκω [*non invenio*] est οὐ [*non*], nempe παράκειται [*adjacet*]. *Longè à me abest bene agendi vis.*

19. Οὐ γὰρ, ὃ θέλω, ποιῶ ἀγαθὸν, ἀλλ ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*] Planè Judæo eum sermonem tribuit quem Pagano Lactantius 4. 24, *Volo equidem non peccare, sed vincor. Indutus enim sum carne fragili & imbecilla: hæc est quæ concupiscit, quæ irascitur, quæ dolet, quæ mori timet. Itaque ducor incertus, & pecco non quia volo, sed quia cogor. Sentio me & ipse peccare, sed necessitas fragilitatis impellit, cui repugnare non possum.* Et quid mirum illos talia vela obtendisse vitiis suis, cùm hoc ipso sermone, tanquam Paulus de se jam correcto, jam Apostolo loqueretur, multi utantur nomine Christiani: nec id hujus tantùm est sæculi, sed & aliorum, ex quo labascere cœpit prima illa puritas. Apparet id ex vita Andronici apud Nicetam Choniaten. Verùm id mirari non debemus, cùm & Apostolorum ætate fuerint qui in suam perniciem verba Pauli hæc & similia detorquerent 2 Petri 3. 16. Deo laus sit quòd optimi, id est, trium primorum sæculorum Christiani hunc locum sic ut oportet intellexerint, dictante illo Spiritu per quem vita ipsorum regebatur.

20. Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω ἐγὼ τοῦτο ποιῶ, οὐκ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*] Repetit quod dixerat v. 17. sed addit πλοκὴν [*copulationem*], ἐγὼ [*ego*] bis sumto, sensu diverso. Homo est qui consentit peccato, sed non omnes partes hominis, mente diversum dictante, quod culpam auget.

21. Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται. *Invenio igitur Legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet*] Εὑρίσκω [*invenio*] hîc est *experior*, quod mox βλέπω [*video*(dicet more Hebræorum, qui sensus omnes, etiam interiores, *videndi* vocabulo appellant. *Experior*, inquit, *etiam legem diversam à Dei Lege*. Quæ illa lex? *quòd quanquam opto bene agere, malum tamen mihi est propius*: unde hoc? ex carne: non quòd caro quemvis cogat peccare, sed quòd consuetudini peccandi, ut jam dicit, multùm patrocinetur: caro omnia amat quæ se delectant. Multa autem ejus generis haberi sine peccato non possunt: ideo peccandi consuetudini favet caro quæ intrà nos est, cùm Lex Dei exteriùs mutùm sonet.

22. Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ, *condelector enim Legi Dei*] אבה לתורה [*consentio Legi*]. Nam אבה per συνθέλω [*consentio*] vertitur Deut. 13. 8. Hoc est quod modo dixit, σύμφημι τῷ νόμῳ ὅτι καλός [*consentio Legi quoniam bona est*]. Est μετωνυμία [*Transnominatio*], nam propriè mentis est approbare, non gaudere: sed solent causis tribui proximorum effectuum nomina. ¶ Κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον *secundùm interiorem hominem*] Non idem est ὁ ἔσω ἄνθρωπος [*interior homo*] & ὁ καινὸς [*novus*], nec idem ὁ ἔξω [*exterior*] & ὁ παλαιός [*vetus*]. *Vetus*, & *novus homo* nomine Subjecti significant ejus qualitates. At cùm dicitur ὁ ἔσω [*interior*] & ὁ ἔξω ἄνθρωπος [*exterior homo*], nomen totius qer συνεκδοχὴν [*Complexionem*] datur partibus. Semper in homine sunt *homo interior* & *exterior*, id est, mens & corpus cum suis affectibus. At ubi est *novus homo*, ibi *vetus* esse desiit. Qui hîc ὁ ἔσω ἄνθρωπος [*homo interior*] is est, ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος [*absconditus cordis homo*] 1 Petri 3. 4: ὁ ἄνθρωπος ὁ ἐν ἑκάστου τῇ ψυχῇ κατοικῶν [*homo qui in cujusque animo habitat*] Philoni libro Pejorem meliori insidiari, ubi & eum esse ait qui ἀφανῶς ἡμᾶς ἔνδοθεν ἐλέγχει [*occultè nos intus redarguit*] At libro de Agricultura eundem vocat τὸν ἡγεμόνα ἄνθρωπον [*principem hominem*]· additque ἄνθρωπος δὲ ὁ ἐν ἑκάστῳ ἡμῶν τίς ἂν εἴη πλὴν ὁ νοῦς; [*homo autem qui in unoquoque nostrûm est, quis sit, nisi mens?*] At libro περὶ τῆς εἰς προπαιδεύματα συνόδου [*de Congressu quærendæ eruditionis gratiâ*] dicit Deum à nobis laudari debere etiam ἐπὶ τῷ νῷ, ὃς κυρίως ἄνθρωπός ἐστιν ἐν ἀνθρώπῳ, κρείττων ἐν χείρονι [*ob mentem, quæ propriè homo est in homine, potior in deteriore*]. Hierocles,

—— ὃ μή σ' ἀνιήσει
—— [*qui te non læserit ipsum*]

in aureo illo carmine interpretans, ait illud σε [*te*] poni κατὰ τοῦ ὄντως ἀνθρώπου καὶ τῆς λογικῆς οὐσίας [*de eo, qui verè est homo, & ratione prædita substantia*]: & alibi dicitur ei ὁ ἄνθρωπος, ψυχὴ λογικὴ, μετὰ συμφυοῦς θνητοῦ σώματος [*homo, animus ratione præditus, cum agnato mortali corpore*]. Ita enim ibi legendum: nimirum Pythagoricis mens sola homo est, cætera non partes, sed instrumenta hominis. At Paulus cum vulgo loquitur. Nam & Plautus *salutem* dixit *interioris hominis*, Tertullianus de Resurrectione, *Ita vocabulum, homo, consociatarum substantiarum duarum quodammodo fibula est, sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohærentes. Porrò Apostolus interiorem hominem, non tam animam quàm mentem atque animum intelligi mavult, id est, non substantiam ipsam, sed substantiæ saporem.*

23. Βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου, *Video autem aliam legem in membris meis*] Sic vocat carnis appetitus validos,

יצר הרע

יצר רע [*cogitatio malitiæ*] Hebræis. ¶ Ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τῦ νοός μυ, *repugnantem Legi mentis meæ*] Multùm amat voces easdem Paulus variis sensibus ponere. Est illi *Lex Dei* sive *Mosis*: est *mentis*: id est, judicium de honestis & turpibus: est *lex membrorum*, id est, appetitus carni continentes: est *lex peccati*, id est, ipsa peccandi consuetudo. Sic ἁμαρτίαν, θάνατον, δικαιῦσθαι [*peccatum, mortem justificari*] alio atque alio significatu habuimus. Mens honesta approbat, caro dulcia, sive illa honesta sint sive non: unde fit ut sæpe caro ratione non edomita, menti adversetur, quod hic dicit ἀντιστρατεύεσθαι [*repugnare*] tralatione ducta à militia, unde & ὀψώνιον (*obsonium*) modò deduxerat. Norant autem Hebræi omnia bella cum Cananæis eorumque vicinis gesta hujus belli interni gerere imaginem. Νόμον τῦ νοός [*Legem mentis*] dixit & Porphyrius περὶ ἀποχῆς [*de Abstinentia*] lib. 1. ¶ Καὶ αἰχμαλωτίζοντά με ἐν τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μυ. *Et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis*] Ἐν τῷ νόμῳ [*in lege*] malè hic scribitur, cùm libri correctiores habeant τῷ νόμῳ *lege*] Hoc ait, *vehementia affectuum ex carne orientium favens consuetudini peccandi, eidem consuetudini subjiciebat Judæos plerosque*. Continuat translationem à bello desumptam. Nam qui belli lege capitur, is capientis servus fit, ut diximus libro 3. de Jure Belli ac Pacis cap. 7. Est ea de re Mosis Lex Deuter. 20. 4. Ponit autem etiam consuetudinem peccandi in membris, quia per omnes partes corporis exercetur. Vide supra 6. 13, 19. Eadem similitudine utitur Simplicius ad Epictetum, ἄλογος ὄρεξις τὸν λόγον κινήσασα (τυτέστιν ἡμᾶς τῦ κατ' αὐτὸν ὑσταμένυς) καὶ αἰχμάλωτον λαβῦσα [*ratione carens appetitus ubi rationem commovit (id est, nos, qui eâ sumus id quod sumus) & captivam duxit*]. Paulus autem duo componit paria. *Legi Dei* adest *mens*. *Legi peccati* adest *caro*.

24. Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος. *Infelix ego homo*] Addit exclamationem sive ταλανισμὸν [*miseriæ exaggerationem*] homini tali, qualem descripserat, convenientem. Verè enim *miser* est quem animi sui cogitationes verberant quotidiè atque dilaniant. ταλαίπωρος, שדוד [*devastatus*]. ¶ Τίς με ῥύσεται, *quis me liberabit*] Lex enim id non potest. Aliunde ergo quærenda libertas. ¶ Ἐκ τῦ σώματος τῦ θανάτυ τύτυ; *de corpore mortis hujus?*] Σῶμα θανάτυ [*corpus mortis*] vocat non *corpus mortale*, sed μεταφορικῶς [*per Translationem*] *corpus vitiosum*, quod ἁμαρτίαν [*peccatum*] dixit supra 6. 6. quod hic ob effectum dicitur σῶμα θανάτυ [*corpus mortis*] quia ei mancipatis adimit spem vitæ æternæ. Genitivi Hebræis & eos imitantibus Hellenistis sæpe sunt pro Adjectivis, ut hic *corpus mortis*, id est, mortiferum: *odor mortis*, id est, odor lethalis: *arbor vitæ*, id est, vivifica.

25. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησῦ Χριστῦ τῦ Κυρίυ ἡμῶν. *Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum*] Hæc planè per παρένθεσιν (*interpositionem*) legenda, quâ omissâ cætera cum sequentibus cohærent. Illam autem παρένθεσιν [*interpositionem*] interposuit Apostolus, sicut & aliam supra 3. 6. ad ansam præcidendam malè verba sua capientibus quasi dicat, ego quidem hæc in prima persona per modestiam quandam elocutus sum: at reverà si sine figura mihi de memetipso loquendum sit, non is ego sum qui tales laniatus sentiam, Cùm *Deus me per Jesum Christum*, id est, per Euangelium & Spiritum ejus, *ab isto corpore peccati liberarit*, *unde & Patri* ut summæ causæ, *& Christo* ut causæ subordinatæ *gratias ago*. Ita rectè hunc locum explicavit Origenes, quem Ambrosius & Veteres alii sequuntur. Gratiarum actionem paribus expressam verbis habuimus supra 1. 8. ¶ Ἄρα ὖν αὐτὸς ἐγὼ, *Igitur ipse ego*] non *ipse ego*, sed *ille ego*, id est, is homo quem sub primæ personæ Pronomine descripsi. Sic in tabula cognationum, ὁ ὑποθετικὸς [*is de quo agitur*] ab aliis vocatur *ego*. ¶ Τῷ μὲν νοῒ δυλεύω νόμῳ Θεῦ. *mente servio Legi Dei*] Servire illum dicit *Legi Dei* quia eam bonam fateri *cogitur*. ¶ Τῇ δὲ σαρκὶ, νόμῳ ἁμαρτίας. *carne autem Legi peccati*] Quia caro sive corpus consuetudini ministerium præbet, ejusque dictata exsequitur. Caro propriè est pars corporis, sed sæpissime pro *corpore* sumitur, ut videbis, si conferas Levit. 16. 27. cum Hebr. 13. 11. Et sic quidam veteres commemorantes institutionem Eucharistiæ, ajunt Christum dixisse, *Hæc est caro mea*.

CAP. VIII.

VALLA.

5. QUI *enim secundùm carnem sunt quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundùm Spiritum, quæ Spiritûs sunt sentiunt*] Sic legitur Græcè, *Qui enim secundùm carnem sunt, ea quæ sunt carnis sentiunt: qui verò secundùm Spiritum, ea quæ sunt Spiritûs*, Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες, τὰ τῆς σαρκὸς φρονῦσιν, οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, τὰ τοῦ πνεύματος.

6, 7. *Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem Spiritûs, vita & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo*] Græcè non legitur *sapientia*, sed *prudentia*, φρόνημα. Nec video quare Interpres mutandam nunc nomen putavit, nisi gratiâ varietatis, quæ varietas nec nunc locum habet; nec, si haberet, decora esset.

10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem*] Græcè non legendum *vivit*, sed *vita*, ut repetatur superius verbum *est*, τὸ δὲ πνεῦμα ζωή.

15. *In quo clamamus, Abba, Pater*] Vox Græca probat non esse *Pater* vocativi casus, sed nominativi, Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Idem dico de loco illo apud Marcum 14. 36. cùm Jesus oravit, dicens, *Abba, Pater*, Ἀββᾶ, ὁ πατήρ q. d. *Abba*, *quod interpretatur Pater*.

27. *Scit quid desideret Spiritus*] Gr. *novit qui sensus Spiritûs*, sive, ut circumloquamur, *quid sentiat Spiritus*, οἶδε τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος.

28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti*] Ambiguum est an *cooperatur* legendum sit an *cooperantur*. Est enim Græcè quidem numeri sing. sed qui potest servire nomini numeri plur. secundùm legem Grammaticæ Græcæ, συνεργεῖ. Certè illud *sancti* non legitur Græce. Nec *vocati sunt* nunc præteritum verbi est, sed eo modo dictum quo dicimus, *Isti sunt advocati mei*, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσι.

32. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*] Nondum donavit nobis omnia Deus, ideòque legendum est *donabit*, ut est Græcè, χαρίσεται.

34. *Qui etiam interpellat pro nobis*] Ἐντυγχάνει. Idem verbum quod superiùs v. 26. ubi inquit, *sed ipse Spiritus postulat*, ἐντυγχάνει & mox iterum v. 27. *quia secundùm Deum postulat pro sanctis*, ἐντυγχάνει

38. *Certus sum enim*] Græcè non tam *Certus sum* dicitur quàm *Persuasus sum*, h. e. *Persuasum habeo*, quod penè est quod *Pro certo habeo*, quod alibi ferè transfertur *confido*; ut ibi, *Scio & confido quia nihil per ipsum commune*, πέπεισμαι, infrà 14. 14.

REVIUS in VALLAM.

7. Φρόνημα] Transpositum erat. De vocis significatu videatur Beza.

26. *Non esse* Pater *vocativi casûs, sed nominativi*, Ἀββᾶ, ὁ πατήρ] At æquipollet vocativo Ἀττικῶς, ut Joh. 8. 10. Ἡ γυνή. ποῦ εἰσιν ἐκεῖνοι; Luc. 18. 11. Ὁ Θεὸς, εὐχαριστῶ σοι.

34. *Postulat*, ἐντυγχάνει] Ὑπερεντυγχάνει

ERASMUS.

2. LEX *enim Spiritûs vitæ*] *Spiritûs* hoc loco genitivus est casus: ut intelligas *legem*, non *Carnis*, quæ mortem adfert, sed *Spiritûs*, qui *vitam* largitur: ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος. Quanquam Græca sunt hujusmodi ut hic sensus esse possit, *Lex Spiritûs qui est vita*, τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς, quoniam *vitæ* præponitur articulus masculinus, *Lex* autem *Spiritûs* perinde sonat q. d. *legem spiritualem*, juxta proprietatem sermonis Hebraici. Etiamsi me non fugit Theophylactum duos genitivos ad eandem vocem referre, *legem Spiritûs*, *legem vitæ*. Redarguit enim eos qui *legem vitæ* Mosi legem interpretantur. His penè eadem disserit Chrysostomus. ¶ *Lege peccati & mortis*] Ἀπὸ τοῦ νόμυ τῆς ἁμαρτίας καὶ τῦ θανάτου. Et hic elegantiùs vertisset *à jure peccati*. Cæterùm sermo Græcus anceps est. Potest enim sic accipi *à lege peccati & mortis* ut *lex* ad utrumque ex æquo referatur, sive *à lege peccati & à morte*, quæ comes est peccati. Porrò quòd apud Chrysostomum pro *liberavit me* legitur *liberavit te*, nihil refert ad sensum.

3 *Nam*

3. *Nam quod impossibile erat Legi*] Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου. Græcè est *Legis*, paterno casu; non *Legi*, dandi: atque ità sanè legit Ambrosius. Verùm habet hic sermo nonnihil difficultatis: siquidem intelligi poterat τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, *impotentia enim Legis*, sive *imbecillitas Legis*, per quam erat infirma & inefficax. Verùm jam non congruunt ea quæ sequuntur, nisi fateri velimus Paulum vel oblivione vel imperitiâ vel neglectu Græci sermonis non reddidisse reliquam partem. Nam mihi quidem locum hunc pro mea virili perpendenti videtur aliquid verborum deesse ad explendam sententiam, veluti si sic legamus, *Nam quod Lex Mosaica non potuit juxta partem carnalem, secundum quam erat imbecillis & inefficax, hoc Deus præstitit misso Filio suo, qui spiritualem Legis partem absolvit.* Atque id ut magis probem facit conjunctio quæ sequitur, *Et de peccato damnavit peccatum.* Nisi enim subaudias verbum *præstitit*, aut *effecit*; aut aliud his simile, conjunctio videtur otiosa. Nisi placet ut ἀδύνατον nominativus positus sit absolutè loco genitivi, ut sensus sit, *cùm enim esset impossibile*, &c. Alioqui hæc pars, *Nam quod impossibile erat Legi in quo infirmabatur*, referenda esset ad id quod sequitur, *de peccato damnavit peccatum*, id quod Lex facere non poterat. ¶ *In quo infirmabatur*] Ἐν ᾧ ἠσθένει Potest & sic accipi, *in eo quod infirmabatur*, h.e. quatenus infirmabatur: ut ἐν positum sit pro διά Porrò *infirmabatur* dixit pro eo quod est *invalida parùmque efficax erat*. Et nè Legem videretur incusare, addidit *per carnem*, h.e. per carnalem Legis intelligentiam, sive carnis infirmitatem cui deerat Euangelica gratia. ¶ *In similitudinem carnis peccati*] Ἐν ὁμοιώματι, i. *in similitudine*: quod, ut superiùs indicatum est, magis sonat *assimilationem* & *imaginem*. Nam quòd Christus nocentis personam assumpsit, hypocrisis quædam erat: absit invidia dicto. Id quo fieret evidentius, vertimus, *sub specie carnis peccato obnoxiæ*; quòd ad exprimendam falsam similitudinem accommodatior videtur vox *species*. Porrò juxta proprietatem Hebræi sermonis *carnem peccati* dixit carnem peccato obnoxiam. Et ideo complexim esse legendum admonet Augustinus Serm. de verbis Apostoli 31. Verè carnem habebat Christus, peccati carnem videbatur habere cùm non haberet. ¶ *De peccato damnavit peccatum*] Indicavit Origenis interpres (nam id de suo addidit) Græcis non esse *de peccato*, sed *pro peccato*: ut intelligamus *peccatum fuisse damnatum de peccato*. Neque enim accipi potest, *peccatum ex peccato damnatum*, cùm sit περὶ ἁμαρτίας & tamen ità videntur interpretari. Mihi videtur non absurdè hic sensus accipi posse, *Christus missus damnavit etiam peccatum de peccato*; h.e. convicit & coarguit peccatores, ut qui antehac falsâ justitiæ imagine deceperant, nunc palàm esset eos impios fuisse, cùm Christum Legis finem sub prætextu Legis servandæ occiderent. Alii *de peccato* exponunt accipi pro victima quæ solet juxta ritum Mosaicæ Legis immolari pro delicto. Atque id sanè pulcrè quadrat in Christum; tantum obstrepit præpositio περί. Molius erat si fuisset παρά. Græcæ lectioni magis congruit quod adfert Theophylactus, *Peccatum suo quodam jure sævisse in peccatores. Cæterùm ubi impegit in innocentem Dominum, jam quodammodo deprehensum est in peccato.* Verùm hæc curiosus lector exactiùs perpendet. Nos in hoc argumento potissimùm ea persequimur quæ faciunt ad lectionis sinceritatem.

5. *Quæ Spiritus sunt sapiunt*] Φρονοῦσι non repetitur apud Græcos. Et magis est *sentiunt* sive *curant* quàm *sapiunt*. Mirum autem cur hic Interpres inutilem affectarit copiam, quæ officiat etiam intelligentiæ. Etenim idem verbum quod modò vertit *sapiunt*, nunc vertit *sentiunt*. Dices, Quid refert? Plurimùm ei qui velit in his tractandis philosophari.

7. *Quoniam sapientia carnis*] Φρόνημα. idem verbum quod modò sæpius verterat *prudentiam*. Est autem verbale nomen à verbo quod modò vertit *sapiunt* & *sentiunt*, cùm potiùs significet affectum animi; ut μέγα φρονεῖν *elato esse animo*, & θνητὰ φρονεῖν *humana curare*. Ità hoc loco φρόνημα non tam sig. *sapientiam* aut *prudentiam* quàm *affectum* & *curam* seu *cogitationem*. Indicant hoc ab eodem fonte manantia φροντὶς & φροντίζειν. *Sapere carnem* Latinè dicitur qui carnalibus ducitur affectibus: *sapientiam* pro *affectu* nusquam reperi. Quòd Origenes philosophatur suo more de *intelligentia Legis carnali*, nihil mirum, cùm ex crassis affectibus nascatur intelligentia crassa, & contrà. Origenis commentum attingit & D. Chrysostomus. ¶ *Inimica est Deo*] *Inimicitia est adversùs Deum*, ἔχθρα εἰς Θεόν. Et ad hunc modum citavit D. Hieronymus non semel adversùs Jovinianum. Nec aliter Augustinus, cùm aliàs aliquoties, tum explicans aliquot hujus epistolæ locos, ni fallor. Superest enim in vulgatis codicibus hæc scriptura, *Quia carnis prudentia inimica est in Deum.* Probabile est *inimica* mutatum pro *inimicitia*. Ad hæc, sermo concinnior est si abstractum abstracto respondeat: processit enim *prudentia carnis, mors: prudentia autem Spiritûs, vita & pax.* Quod enim ante dixerat *mors est*, exaggerat repetens, *inimicitia est adversùs Deum*: q.d. *aliquid morte pejus.* Ita Chrysostomus. At Græcis sanè, si accentus transferatur in extremam syllabam, ἐχθρὰ sonabit *inimicam*. Verùm id φρόνημα præcedens neutri generis nomen non sinit, cùm magis dicendum foret ἐχθρόν. Unde miror quosdam contendere rectè legi *inimica*: nisi fortè putant mutandam scripturam in omnibus exempl. consentientem. Jam non mirum si qui Latini inter enarrandum dicant, *sapientiam esse inimicam Deo*, cùm utraque lectio eundem propè declaret sensum, nisi quòd efficacius est *inimicitia* magisque congruens Paulinæ phrasi. ¶ *Si tamen Spiritus Dei*] Εἴπερ est Græcè, quod valet ferme *sanè*, aut *siquidem*. Quanquam hoc loco non videtur esse Dubitantis sed Ratiocinantis: q.d. *quandoquidem Spiritus Dei habitat in vobis.* Etiamsi Origenes & Ambrosius ambiguè legit & exponit. Probabilius tamen est Paulum illis tribuere *Spiritum* quos alloquitur: mox enim duriùs loquens avertit ab illis sermonem, dicens, *Si quis autem Spiritum Christi non habet*: quod annotavit & Theophylactus, & ante hunc Chrysostomus, qui admonet εἴπερ apud Paulum frequenter esse Confirmantis, non Dubitantis, q.d. ἐπείπερ, quod genus est 1 Thess. 2. εἴπερ δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλίψιν. Theophylactus annotavit hic εἴπερ non sonare Dubitationem, sed Fiduciam. Interdum est & Obtestantis,

> *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam*
> *Dulce meum.* ———

Hanc ambiguitatem cùm Interpres sustulerit, cur hic tacent qui vociferantur à me contrahi sensûs latitudinem: quasi sermonis ambiguitas sit Scripturæ fœcunditas, aut quasi hanc fœcunditatem non magis etiam pariat imperitia. Nec enim laudanda est illa fœcunditas, cùm Jureconsulti dicunt, *Vel dic, vel dic, vel dic.*

10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit*] Pro *vivit* Græcis est *vita est*. Atque ità citat Augustinus in explanandis quæstionibus hujus epistolæ, ac rursum edisserens Psalmum 75. item libro De civitate Dei 13. & contra Faustum lib. 24. cap. 2. item Hilarius lib. De Trinitate 8. consimiliter Athanasius in libello De Spiritu S. ad Serapionem: atque item Ambrosius hunc explanans locum, suffragantibus & vetustis Latinorum exempl. manuscriptis. Fortassis efficacius est *vita est* quàm *vivit*. Siquidem *vita est* quod jam vitam præbet. Agit enim, ni fallor, de Spiritu Christi, non nostro: quod propemodum indicant quæ mox consequuntur, *Quòd si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis.* Est autem facilis lapsus in ζωὴ & ζῇ, *vita* & *vivit*; ac minimum interest, quantum ad sententiam attinet, juxta proprietatem sermonis Hebraici. Nec mirum si qui autores hic meminerunt de spiritu nostro, quandoquidem sicut corpus resuscitatum Christi resurrectionem promittit nostris corporibus, ità Christi Spiritus immortalis nostro spiritui confert vitam. Theophylactus verò non solùm legit ζωή, verùm etiam interpretatur in hanc sententiam, *vita: Non solùm*, inquit *ipse vivit, sed & aliis hoc potest donare.* Idem admonet, fuisse qui *Spiritum* hic intelligerent *ipsum Christum*. ¶ *Propter justificationem*] Διὰ τὴν δικαιοσύνην, i. *propter justitiam*, ut & aliàs sæpe vertit. Nam δικαίωσις magis sonat *justificationem*.

11. *Propter inhabitantem spiritum ejus in vobis*] Hilarius libro De Trinitate 2. legit *propter Spiritum suum qui habitat in vobis*, & Latiniùs: quanquam id minutius est quàm ut de eo sit contendendum. Variabant hic quædam exempl. Græcorum, Cùm in plerisque esse διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν, *propter Spiritum suum qui habitat in vobis.* In nonnullis, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν, *per Spiritum suum qui habitat in vobis.* Ad sensum haud magni refert. Licèt enim διὰ præpositio genitivo addita significet Instrumentum, accusativo adjuncta Causam, tamen nihil vetat quò minùs alicubi res eadem tum causa sit tum instrumentum.

15. *Iterum in timore*] Εἰς φόβον, i. *ad timorem*, sive *terrorem*. ¶ *Spiritum adoptionis filiorum Dei*] Pro tribus vocibus una est apud Græcos, υἱοθεσίας, quæ vox *filiorum adoptionem* significat; imò *adoptionem eorum qui naturâ filii non sunt, in locum filiorum.* Nam adoptantur & nepotes, licèt hæc sit adoptio charissima. Sermo Græcus nihil habet incommodi; Latinus non video qui possit consistere. Nam si *adoptio* sumatur activè, quasi filii adoptent, absurdus est sermo: sin passivè non dicuntur *adoptari filii* cùm per adoptionem veniunt in alienam familiam,

familiam, quemadmodum dicitur *creari Magiſtratus*, aut *eligi Epiſcopus*, cùm ſuffragiis fit Magiſtratus aut Epiſcopus, nec ità dicitur *creatio Magiſtratuum*: ſed alieni filii alteri adoptantur in locum filiorum; & dicuntur per adoptionem fieri filii adoptantis, & adoptator ſive arrogator filios alienos aut nepotes facit ſuos. Pater aut patruus dicitur *dare in adoptionem*. Si accipimus *adoptionem filiorum* qui priùs erant filii ſatanæ, hoc non ſentit Scriptura. Si accipimus *adoptari filios Dei*, non conſiſtit ſermo Latinus: dicendum potiùs erat, *Spiritum adoptionis in filios Dei*. Quemadmodum autem licet Paulo Scipionis filium adoptare in locum ſui nepotis, ità licet illius nepotem adoptare ſibi in filii locum. Hoc incommodum ut vitarent quidam, verterunt *Spiritum adoptionis*, quòd adoptare in filii locum ſit præcipuum adoptionis genus: unde per ſe poſitum intelligitur de eo quod eſt eximium. Ipſe verò ſermonis Apoſtolici tenor declarat hic agi de adoptatis in filiorum jus. Porrò genitivus *Dei* additus eſt, cùm in Græcis cod. non habeatur. Non enim hic diſcernit filios Dei à filiis hominum, ſed diſtinguit filios Gratiæ à ſervis Legis. ¶ *Abba, Pater*] אב ſive אבי Hebræis, imò Syris, quemadmodùm indicat Hieronymus, ſonat *patrem*, dictio à duabus primis literis compoſita, Aleph & Beth. Sed vocem Hebræam reliquit, quò ſignificaret peculiare quiddam eſſe in ipſo vocabulo, quod & patres libenter audiunt, & pueri primùm ſonare diſcunt. Nam hoc ſtatim implorant patris opem, Cujuſmodi eſt apud Latinos *pappus*, vox infantibus peculiaris. Cæterùm quod addidit, ὁ πατὴρ, Græcis incertum eſt utrùm conduplicatio ſit ad emphaſim affectûs faciens, an interpretatio peregrini Romanis vocabuli, maximè cùm additum ſit nominandi caſu. Quanquam mihi vero propius videtur κατ' ἀναδίπλωσιν dictum, cùm is loquendi colos Hebræis ſit penè peculiaris, ἐκτάσεως gratiâ, nunc eandem vocem iterantibus, nunc eandem aliâ idem pollente reddentibus: ut, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine*: &, *Deus meus, Deus meus*: &, *Ficus bonas bonas*: *& Domine, Dominus noſter*. Nam in hoc poſtremo exemplo Hebræis diverſæ ſunt dictiones. Prior eſt vocabulum Dei tetragrammaton, conſtans hiſce literis, יהוה Jod, He, Vau, He, quod illi vocant ἄῤῥητον *ineffabile*: Poſterior eſt אדני *Adonai*, quod commune eſt ac ſæpenumero tribuitur & hominibus. Sunt autem hîc eadem verba quibus Chriſtus utitur orans Patrem apud Mat. 14. *Abba, Pater*. Cæterùm librariorum vitio factum arbitror quòd Auguſtinus epiſt. 178. ſcribit, ABBA *Græcum eſt vocabulum*, PATER *Latinum*: cùm neque Paulus Latinè ſcripſerit Romanis, & extra controverſiam ſit ABBA Syriacum aut Hebræum eſſe vocabulum. Sed Auguſtini verba ſubſcribam, *Non accipiatur Paulus, qui dicit Romanis ſcribens, In quo clamamus, Abba, Pater. In uno nomine duabus utitur linguis: dicit enim* ABBA *Græco vocabulo Patrem, & Latinè nominat identidem* PATREM. Equidem arbitror hæc verba aſſuta ſcriptis Auguſtini. Meliùs Thomas qui dicit ABBA vocem eſſe Hebraicam, PATER Græcam ſive Latinam. Similiter Græci compellant *patrem* & Latini.

16. *Teſtimonium reddit*] Συμμαρτυρεῖν. *Redditur* vel quod refertur, vel quod debetur. Ità *redditur lotium*, & *redditur ratio*. At Græcis eſt *atteſtatur*, ſive, ut magis ad verbum reddam *conteſtatur*: ut intelligas geminum eſſe teſtimonium duorum Spirituum, noſtri, & Dei. Porrò teſtimonium ſpiritûs noſtri confirmatur teſtimoni ſpiritus Divini. Quemadmodum *Symmachi* dicuntur qui in pugna ferunt ſuppetias. Atque uſitatè dicimus *teſte conſcientiâ*. Humani ſpiritûs teſtimonium imbecille eſt, præſertim in imperfectis, niſi accedat Spiritûs Divini teſtimonium. Neque quicquam vetat ut dicamus mutuam charitatem inter Deum & hominem, cùm Charitas ſit Dei donum; ità mutuum eſſe teſtimonium inter Spiritum Dei & noſtrum, non quòd noſter ſpiritus confirmet Deum, ſed quòd ſibi teſtis eſt. Chryſoſtomus ſubindicat σὺν Græcam præpoſitionem referri ad vocale teſtimonium, eò quòd præceſſit, *in quo clamamus, Abba, Pater*. Vocis autem teſtimonium confirmatur arcano teſtimonio Spiritûs Divini, qui ſuo dono confirmat eam vocem. Non diſſentit Theophylactus.

17. *Si tamen compatimur*] Εἴπερ, i. *ſiquidem*: quod hîc quoque poſſet accipi ratiocinativè, non dubitativè. Item hoc loco *compati* eſt non quod vulgò accipiunt indocti, *moveri malis alterius*, ſed *ſocium eſſe & imitatorem atque æmulum afflictionum Chriſti*. ¶ *Ut & glorificemur*] *Unà glorificemur* συνδοξασθῶμεν ut intelligas communem nobis cum Chriſto gloriam.

18. *Exiſtimo enim*] Λογίζομαι, i. *perpendo*, ſive *reputo*. Nec enim id opinatur Paulus ceu dubitans, ſed certus ità eſſe perpendit in animo ſuo. Non enim loquitur de fide, ad quam exprimendam nimis diluta vox eſt *exiſtimo*, quæ frequenter conjuncta eſt dubitationi; ſed de conſideratione eorum quæ credidit, per quam veluti *rationem ſubducit*, conferens hujus vitæ moleſtias propter Euangelium tolerandas cum æternæ vitæ præmio quod piis omnibus promiſit Chriſtus. Collocatio verò facit ut hæc quæ hic patimur levia videantur, dum animo repetamus æternam illam felicitatem. Equidem λογίζεσθαι pro *exiſtimare* nondum legi, quod Græci dicunt οἴεσθαι; ἡγεῖσθαι, δοκεῖν, νομίζειν. Tolerabilius eſſet *æſtimare*, quod verbum rationi congruit. *Exiſtimamus illud charum* quod putamus eſſe magni pretii; ſed *æſtimamus pro charo* quod animi inductione pro charo habemus. Quòd ſi λογίζεσθαι nihil aliud ſonat Græcis quàm nobis *exiſtimare*, perperàm locutus eſt Paulus Phil. 4. ταῦτα λογίζεσθε· aut certè peccavit Interpres qui vertit *hæc cogitate*, cùm vertere debuerit hæc exiſtimate. Et 2 Cor. 10. τοῦτο λογιζέσθω πάλιν vertit *hoc cogitet iterum*. Paulus uſus eſt hoc verbo pro *æſtimare*, μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται. h. e. *Nè quis me pluris æſtimet quàm re verâ ſum*. Suprà 2. 3. Paulus uſurpavit pro *cogitas*, λογίζῃ δὲ τοῦτο, ὦ ἄνθρωπε· & 6. 11. οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτούς. non docet quid debeant credere, qui hoc jam pridem didicerant, ſed quid meminiſſe & in animo volvere; ubi magis conveniebat *æſtimate* quàm *exiſtimate*. Rurſum 1 Cor. 4. οὕτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, *æſtimet* quadrabat magis quàm *exiſtimet*. Mirum enim ſi nondum Corinthii ſuſpicabantur Paulum *diſpenſatorem myſteriorum Dei*. Rurſus 2 Cor. 10. *Eâ confidentiâ quâ exiſtimor audere in quoſdam*, Interpres λογίζομαι vertit *exiſtimor*, cùm Chryſoſtomus exponat *cogito*. Hoc enim ſermone minatur quibuſdam qui Paulum ut hominem quemlibet contemnebant: Nondum ait ſe decreviſſe, ſed tantùm de illis puniendis *cogitare*, niſi reſipuerint Theophylactus λογίζομαι interpretatur ὑπολαμβάνω, στοχάζομαι, i. *ſuſpicor* & *deſtino*. Qui *ſuſpicatur* ſe facturum, nondum concepit certum animi propoſitum: & qui *deſtinat*, adhuc habet telum in manu, cogitans in quos & quomodo ſit mittendum. Cæterùm qui docuit *exiſtimare* eſſe certæ opinionis, rem planè falſam docuit. Nihilo minùs enim eſt *exiſtimatio* dubia quàm *opinio*: imò *exiſtimatio* ſæpe fallax eſt; ut eſt illud, *Qui ſe exiſtimat aliquid eſſe*: &, *Exiſtimabant ſe ſpiritum videre*. *Quæ revelabitur in nobis*] Dubium eſt apud Græcos an verbum ἀποκαλυφθῆναι debeat referri ad præpoſitionem πρὸς an ad participium μέλλουσαν. Nam ſi referatur ad præpoſitionem, erit ſenſus, *ad hoc ut futura gloria reveletur in nobis*, ac tum videtur deeſſe articulus τὸ ſolitus præponi verbis infinitis. Interpres ſic ordinaſſe videtur, πρὸς τὴν δόξαν τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι, i. *ad gloriam quæ revelabitur*. Nec eſt *in nobis*, ſed *in nos*, ſeu potiùs *erga nos*: juxta illud, *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Quanquam præpoſitio εἰς (uti ſæpius admonui) Græcis anceps eſt, & ſenſum pium habet hæc quoque lectio.

19. *Nam exſpectatio creaturæ*] Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία quod non ſignificat ſimpliciter *exſpectationem*, ſed *vehementem & anxiam exſpectationem*; ut teſtantur & Græca Scholia, quæ Græcanicæ vocis emphaſim indicant, cùm ex corde quippiam exſpectatur: unde nos vertimus *ſolicita exſpectatio*. Græca vox è tribus compoſita eſt, ex ἀπὸ præpoſitione, & κάρα *caput*, & δοκεῖν *videri*; quòd qui vehementer deſiderant aliquid videre, porrecto capite ſubinde proſpiciunt. Unde Ambroſius exponit *frequentem exſpectationem*; Hilarius, *longinquam*, quòd prolato capite longiùs proſpicimus. Uſus eſt Paulus eâdem voce Phil. 1. Ariſtophanes in Equitibus omiſſâ præpoſitione dixit καραδοκεῖν,

Ἐκαραδόκησεν εἰς ἐμ' ἡ βουλὴ πάλιν,

Ad me vertebant oculos, erecti ad promiſſionem, ut ſenſum reddam magis quàm verba exprimam.

20. *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt*] *Vanitas* non hîc ſonat mendacitatem, ſed potiùs fruſtrationem, ματαιότητι quòd creatura interim non aſſequatur quod utcunque contendit efficere. Verbi causâ, dum aliud ex alio propagans, individuis viciſſim cadentibus ac renaſcentibus, ſpeciem tuetur nè intercidat, meditatur immortalitatem quandam, ſed fruſtrà. ¶ *Qui ſubjecit eam*] *Eam* additum eſt explicandi causâ: διὰ τὸν ὑποτάξαντα. ¶ *In ſpe*] Ἐπ' ἐλπίδι, magis eſt *ſub conditione ſpei*. Cæterùm quod ſequitur, *Quia & ipſa creatura liberabitur*, &c. connecti poterat ſuperioribus, *ſubjecit ſub ſpe, nimirum hâc, quòd & ipſa liberanda ſit à ſervitute*. Sed *creatura* repetita duriuſculam reddit orationem.

21. *Liberabitur à ſervitute corruptionis*] Ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, i. *libera reddetur*, ſive *in libertatem vindicabitur*. Et φθορὰ *corruptio* Græcis quoque vox eſt anceps: nam & de *vitiato* dicitur & de *pereunte*: hîc *interitum* ſonat. Atque ità

legit Augustinus explanans epistolam ad Galatas. Sensus autem est *Creaturam, quæ nunc obnoxia est exitio, asserendam in libertatem*, h. e. in gloriam, *filiorum Dei.*

22. *Omnis creatura ingemiscit & parturit*] Apertiùs Græcè συστενάζει καὶ συνωδίνει, *congemiscit & comparturit*, sive *condolet*, ut ità loquamur. Certè *congemiscit* citat Hieronymus in Commentar. Esaiæ lib. 8. & Augustinus LXXXIII quæstionum sexagesima septimâ legit *congemiscit & dolet.* Pro *dolet parturit* legit Ambrosius: ut præpositio σὺν vel ad *nos* referatur, indicans etiam elementa muta quodammodo *nobiscum gemere*; vel ad universam inter se creaturam, ut accipiamus universum mundum in melius commutandum. Paulus enim, ut tropologicῶς magnitudinem malorum exprimat, fingit universum hunc mundum velut unam personam: cui cùm non insit sensus, tamen ità sensum tribuit quemadmodum in Psalmis *montes* dicuntur *exsultare, flumina plaudere.* Origenes item nominatim annotat dictum esse *congemit* pro eo quod est *cum alio gemit*, haud tamen dissimulans variare libros: in nonnullis enim fuisse στενάζει.

23. *Non solùm autem illa*] *Illa* non additur apud Gr. οὐ μόνον δέ· sed tamen ex iis quæ mox sequuntur apparet subaudiendum. Quid hic faciant qui nec apicem mutari volunt in literis Sacris? Frequenter indicat hanc elocutionis formam in Paulo Origenes. ¶ *Primitias Spiritûs habentes*] Τὴν ἀπαρχήν. Mirum quid secutus Ambrosius legerit, *sed & nos qui receptaculum Spiritûs habemus:* quanquam ex enarratione non satis perspicuum est quid legerit: nisi fortè quod ille scripserat *inceptaculum*, scriba vertit in *receptaculum.* ¶ *Intra nos gemimus*] Ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, i. *in nobis ipsis ingemiscimus*, sive *intra nos ipsos*, h. e. taciti. ¶ *Adoptionem filiorum Dei*] Υἱοθεσίαν, i. *adoptionem.* Sed Interpres explicandæ rei gratiâ adjecit quædam verbula: idque perpetuò facit in hac dictione. Augustinus lib. adv. Faustum 3. c. 3. non addidit *filiorum*, tantùm citat *adoptionem.* Quis enim adoptat suos filios? Alieni qui adoptantur, non adoptantur *filii*, sed *in locum filiorum*, uti antè dictum est. ¶ *Redemptionem corporis*] Ἀπολύτρωσιν, quæ propriè dicitur cùm dato pretio redimuntur captivi velut à piratis aut in bello capti. *Corporis* dictum est pro à *corpore*: ut liberemur à corpore illo quod antè *mortis corpus* vocavit. Videtur autem hoc ità adjectum quasi voluerit interpretari υἱοθεσίαν *adoptionem*, quæ adoptio nihil aliud est quàm ut ab hoc corpore liberemur, & immortale corpus recipiamus.

24. *Quid sperat*] Τί καὶ ἐλπίζει, *quid etiam*, aut *quid insuper, sperat.* Non otiosa erat conjunctio, significans frustrà jam sperari quod videas.

26. *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem*] Græcis est numero plurativo, *infirmitates*, sive *imbecillitates, nostras:* συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. Est autem συναντιλαμβάνεσθαι *in re quapiam suscepta auxilio adesse laboranti:* & idcirco addidit ὡσαύτως *consimiliter. Sicut nos per patientiam exspectantes nitimur, ità etiam Spiritus admovet auxilium suum deficientibus, ceu manum porrigens laborantibus.* ¶ *Nam quid oremus*] Τὸ γὰρ τί προσευξόμεθα. Interpres non expressit vim articuli τὸ, qui refertur ad totum hoc quod mox sequitur: unde nos vertimus, *Siquidem hoc ipsum, quid oraturi simus ut oportet, non novimus*, h. e. tantum abest ut ipsi nobis possimus esse præsidio ut nesciamus quibus præsidiis sit opus. ¶ *Spiritus postulat*] Ὑπερεντυγχάνει quod aliquando vertit *postulat*, aliquando *interpellat*, aut *intercedit.* Est autem quoties quis *convenit aliquem super negotio alterius*, velut si quis adeat Principem commendaturus causam amici. Illud annotandum, quòd non simpliciter dixit ἐντυγχάνει, sed ὑπερεντυγχάνει. Nam hæc præpositio solet Excellentiam significare Græcis. Sensus enim hic est, ni fallor, *Etiamsi spiritus hominis aliquando petit nocitura, tamen Spiritus S. afflans animos aliquorum corrigit quod male petebatur, veluti præfectus omnibus interpellationibus.*

27. *Quid desideret Spiritus*] Τὸ φρόνημα, i. *sensum*, sive *quid sentiat Spiritus*, h. e. affectum Spiritûs: quod Terentius vertit *sensum*, *Illius sensum pulcrè calles.* Eadem est vox Græca quam toties jam vertit *prudentia.* Nescio quid sibi velit quidam qui putat *sensum* & *affectum* esse voces carnales, nec convenire Spiritui Divino. An putamus illum cùm hæc scriberet esse sobrium? An non de Deo dictum est, *Quis cognovit sensum Domini?* & Misericordia non est *affectus* quæ Deo præcipuè tribuitur? Et si Spiritus Dei rectè dicitur *desiderare, concupiscere, gemere & interpellare*, an illi absurdè tribuitur *affectus?* Sed in Deo non sunt *affectus* quemadmodum in nobis: verùm nec Sapere, nec Vivere, nec Misereri, nec Diligere est in illo quemadmodum in nobis, & tamen hujusmodi verbis humanis Scriptura passim abutitur de illo loquens.

28. *Cooperantur in bonum*] Συνεργεῖ referri potest apud Græcos vel ad *Spiritum* vel ad *omnia:* ut juxta priorem sensum intelligas *Spiritum S. omnia vertere in bonum suo auxilio*; juxta posteriorem accipias, *omnia etiam mala adjumento esse sanctis ad felicitatem:* & hic sensus magis mihi arridet, atque hunc sequitur Chrysostomus ac Theophylactus. Nec est quòd moveat quenquam verbum sing. numeri συνεργεῖ, cùm πάντα nominativus sit neutri generis. ¶ *Secundum propositum*] Κατὰ πρόθεσιν, i. *juxta animi destinationem:* ut *propositum* referatur non ad *sancti*, aut ad *hominem recti propositi*, sed ad *prædestinationem Dei.* Ità Origenes ac Thomas, etiamsi Ambrosius utrumque sensum videtur attingere. Quanquam & Origenes aliquantò inferius explicans qui dicantur *vocati, & non electi*, qui *vocati & electi*, nonnihil à seipso dissidet, interpretans, *secundùm propositum vocatos* dici *qui priùs quàm vocarentur propenso jam tum erant animo ad cultum Divinum, quorùmque prompta jam voluntati tantùm deerat vocatio:* videlicet ut *propositum* non ad Deum destinantem sed ad hominem in animo statuentem pertineat: nisi fortè Interpres hæc adjecit de suo. Ambrosium sequitur Augustinus in libello De correptione & gratia, cap. 7. *Electi*, inquit *sunt, quia secundùm propositum vocati sunt, propositum autem non suum, sed Dei.* Nam Paulus proximo hujus Epistolæ capite simili sensu dixit *propositum Dei:* rursus ad Ephesios cap. 1. Neque verò apud Græcos adjungitur *sancti*; tantùm est *vocati.* Atque ità legisse Origenem ex ipsius liquet interpretatione, cùm ait, *Videndum est nè fortè ex hoc quod dicit, his qui secundùm propositum vocati sunt, & quos præscivit, & quos prædestinavit*, &c. Neque secùs legit Ambrosius: sic enim edisserit, *Hi autem secundùm propositum vocantur, quos credentes præscivit Deus futuros sibi idoneos, ut antequam crederent scirentur.* Legit idem August. li. De corrept. & gratia. Sequitur hanc tum lectionem tum sententiam Chrysostomus & Theophylactus, quanquam refragatur Thomas & vetusti Latinorum codices plerique. Apparet autem *sancti* additum ex aliis locis in quibus hæ duæ voces *vocati sancti* sæpenumero copulantur. ¶ *Vocati sunt sancti*] Κλητοῖς οὖσιν, *qui sunt vocati.* Primùm *sancti*, ut dictum est, redundat: deinde *vocati* hîc non participium est, sed nomen, quemadmodum in initio indicavimus: ut rursus excludat opera Legis, quibus malè fidebant Judæi, & ostendat veram sanctimoniam contingere ex vocante Deo.

29. *Quos præscivit*] Οὓς προέγνωκε, sive, ut quibusdam legitur, προέγνω. Jam superiùs admonuimus apud Græcos hoc verbum aliquoties accipi pro *statuit*, sive *decrevit*, quòd cognitio conjuncta sit deliberationi. Et videntur hæc non tam genere aut ratione inter se dissidere quàm gradibus quibusdam & intervallis inter se distincta connecti, quò magis rem Paulus exponat oculis, ut προγνῶναι sit deliberantis ac statuentis quod tamen aliquo modo possit immutari, ut hominum more loquamur. Deinde προορίζειν sive ὁρίζειν, quod decretum fuerit jam palàm pronunciantis: quod fieri non solet nisi cùm ità decretum est aliquid ut mutari non possit. Porrò ubi pronunciaveris quod decrevisti, superest ut exhibeas ac præstes quod es pollicitus. Incipit autem exhibere qui *vocat & invitat.* Deinde nè videatur frustrà vocasse, vocatos *justificat* etiam, sine quo non sumus capaces promissi. Denique justificatis datur præmium. Igitur προέγνωκε Deus ab æterno quos decrevit ac statuit ad immortalitatem vocandos esse: προώρισεν, de quibus jam per Prophetas suos ac multò magis per Filium pronunciavit promulgato decreto suo. *Vocavit* autem per prædicationem Jesu, *justificavit* per mortem illius, *glorificavit* per resurrectionem ac præmium immortalitatis. Sive *vocavit* per doctrinam Euangelicam, *justificavit* per Baptismum, *glorificavit* per dona Spiritûs. Ad hunc modum Paulus gradibus quibusdam ab eo quod est omnium primum pervenit ad id quod est omnium summum, quò res esset firmior & absolutior. Quòd si quis durius existimet me tollere *præscientiam* hoc loco, sciat ad eum modum interpretatum esse Theophylactum Græcum interpretem & (quò quidam credent libentiùs) recentem, qui hoc putat interesse inter πρόγνωσιν & προορισμὸν sive ὁρισμόν, quòd illud sit minùs firmum hoc firmius. Quin etiam ubi Petrus scribit προεγνωσμένου μὲν πρὸ τῆς καταβολῆς τοῦ κόσμου, quo loco *præscitos* erat vertendum juxta horum sententiam, nec Lyranus veretur exponere *præordinatos.* Et Thomas indicat fuisse qui hoc loco *præscientiam* aliud quiddam fuerint interpretati, nempe *præparationem ad gratiam*, quam pro eo tempore Deus ostendit in sanctis, nè videlicet nihil interesset inter *præscire & prædestinare:* quorum commentum idem meritò rejicit. Quanquam nec Origenes hoc loco probat ut πρόγνωσιν, i. *præscientiam*, juxta communem sensum accipiamus, juxta quem Deus & perituros præscivit; ut jam falsum sit, *quoscunque præscierit, eosdem & prædestinasse.*

Verùm

Verùm sicut Divina Scriptura juxta consuetudinem sermonis sui *cognosci* dicit eos quos Deus affectu complectitur, *Non novi vos*, &, *Novit Dominus viam justorum*, ità hic *præcogniti* dicuntur. Neque verò me clam est quosdam ex hoc loco quæsisse campum exercendi ingenii, in quo de Præscientia deque Prædestinatione Dei philosopharentur, videlicet Origenem, D. Augustinum, Thomam Aquinatem, & post hos omnes Theologorum Scholas, quorum ego industriam non improbo. Verùm hic sensus quem ostendimus mihi videtur simplicior magísque germanus. Quòd si cui diversa placent, per me suo quisque judicio fruatur. Nos admonemus, non præimus, & ità nostra conferimus in medium ut nullius omnino sententiæ præjudicemus.

30. *Illos & magnificavit*] Gr. ἐδόξασε, i. *glorificavit*, nimirum per dona Spiritùs & adoptionem cœlestem. Et rectius erat *eosdem* quàm *illos*. Ambrosius legit *Magnificavit*. Origenes edisserens hunc locum legit *glorificavit*, licèt adscripserint contextum ex nostra editione Vulgata.

32. *Qui etiam proprio Filio suo*] *Suo* redundat apud nos: nam satis erat ἰδίῳ, i. *suo* vel *proprio*. Certè *suo* non additur in vetustis exempl. nec apud Augustinum, qui hunc locum adducit lib. De doctr. Chr. 4 cap. 20. Quin & Ambrosius aliquot locis hoc testimonium adducit juxta Græcorum lectionem. Hilarius lib. De Triade 6. hoc etiam annotandum putavit, quòd dixit *proprio Filio* potiùs quàm *suo*. ¶ *Omnia nobis donavit*] Χαρίσεται, i. *donabit*, futuri tempori. Atque ità exponit Ambrosius ac Chrysostomus & huic consentiens Theophylactus, etiamsi reclamant antiqui codices & veterum citationes. Proinde suspicor variatum in Græcis exemplaribus, in quorum nonnullis scriptum fuerit ἐχαρίσατο pro χαρίσεται. Uterque sensus bene habet. Suspicor offensum quempiam quòd nondum omnia nobis videantur donata à Deo, mutasse verbi tempus. Sed nihil vetat donationem jam peractam esse, quæ decreto constat, licèt nondum sit plena donati possessio.

33. *Quis accusabit adversùs electos Dei*] Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν τοῦ Θεοῦ; i. *Quis accusabit* (aut, *Quis crimen intendet*) *adversus electos Dei?* Faber ità legit, ut κατὰ accipiatur pro ὑπὲρ, i. *Quis accusationem instituet pro electis Dei, in defensionem adversùs inimicos?* Verùm hoc quidem loco sensus Pauli manifestus est, si interrogationem intelligamus efficere negationem; ut sit sensus, *Neminem ausurum criminari eos quos Deus non solùm vocavit, sed etiam elegit*. Proinde quæ sequuntur, usque ad illum locum, *Quis nos separabit à charitate?* sub eadem interrogatione sunt legenda: ut intelligas ἀδύνατον. Quanquam audimus hæc etiam in templis publicitus pronunciativè legi, non interrogativè: sic enim habent plerique codices vulgati, *Quis est qui condemnet?* Huic percontationi velut respondentia subjiciuntur, *Christus Jesus qui mortuus est, imò & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Annotavit hunc locum Augustinus libro De doctr. Chr. 3. cap. 3. quanquam ille quidem aliquantò secùs distinguit hunc sermonem quàm nos vulgò facimus. Cùm enim indicasset differentiolam inter *percontationem* & *interrogationem*, *quòd ad percontationem multa responderi possent, ad interrogationem verò, Non aut Etiam*; subjicit, *Pronunciabitur ergò ità ut post percontationem quâ dicimus, Quis accusabit adversùs electos Dei? illud quod sequitur sono interrogantis enuncietur, Deus qui justificat? ut tacitè respondeatur, Non. Et iterum percontemur, Quis est qui condemnet? rursùsque interrogemus Christus Jesus qui mortuus est? magis autem qui surrexit qui est in dextera Dei? qui & interpellat pro nobis? ut ubique tacitè respondeatur, Non.* Ad eundem modum distinxisse Ambrosium colligere licet ex his verbis quibus hunc enarrat locum, *Deum, qui nos justificat, accusare nos negat: simul & Christum damnare nos non posse, quia eo affectu dilexit nos ut moreretur pro nobis, & resurgens semper causas nostras agit apud Patrem.* Origenes videtur more nostro duas particulas hasce conjungere, *Deus qui justificat, quis est qui condemnet?* pugnat enim *justificare* & *condemnare*. Deinde, *Christus Jesus qui mortuus est*, &c, non videtur legere velut à percontante dicta, sed ab enunciante; non ut respondeatur superiori interrogationi quæ jam absoluta est, subaudito *Nullus*, sed ut sit nova concervatio argumentorum, sitque hic sensus, *Deus est is qui justificat; quis erit ille qui condemnet? Christus est is qui mortuus est pro nobis, imò qui & resurrexit, & sedens ad dexteram Dei Patris interpellat pro nobis; quis accusabit electos aut quis condemnabit?* ut ex tot argumentis simul congestis pariter consequatur, neminem fore qui nos vel criminetur vel condemnet. Ac mihi quidem hæc lectio germanior esse videtur, vel ob hoc quòd alioqui nihil magnum colligi videbatur, si conficiatur, *Patrem non accusaturum electos, cùm justificet; aut, Christum non condemnaturum, cùm interpellet pro nobis.* Illud efficacius, *Cùm habeamus Judicem Deum nos justificantem, Filium Dei pro nobis mortuum & adhuc pro nobis interpellantem, nihil esse quod ullius metuamus criminationem.* Nec Chrysostomus nec Theophylactus hîc meminerunt percontationis, sed hæc, *Christus Jesus qui mortuus est*, &c. pronuntiativè legunt, non dissentientes ab Origene. Poterat hæc pars connecti cum sequenti, *Quis ergò nos separabit*, &c. Consequens enim est ut eum qui sic nos amavit ut pro nobis mortuus sit, pro nobis resurrexerit, jamque Patri dexter assidens non desinat agere causam nostram, constanter redamemus etiam siqua dura fuerint illius causâ ferenda: sed hanc distinctionem non video quenquam interpretem esse secutum. Multum autem lucis accessisset orationi si Interpres addidisset unam syllabam, *Deus est qui justificat*, & *Christus est qui mortuus est*. Nam apud Græcos articuli reddunt orationem satis perspicuam, Θεὸς ὁ δικαιῶν, τίς ὁ κατακρίνων; *Deus est ille qui justificat; quis est ille qui condemnet?* Χριστὸς ὁ ἀποθανών, *Christus est ille qui mortuus est*, &c. ut hîc repetatur quod præcessit, τίς ὁ κατακρίνων; *quis est ille qui condemnet?*

35. *Quis ergò nos separabit*] *Ergò* additum est à Latinis, & meliùs omittitur. Nam si separares hunc sermonem à superioribus, videtur Paulus veluti subito raptus affectu in hanc ceu exclamationem prorupisse ob tantæ fiduciæ argumenta quæ præcesserunt. Ità videtur Theophylacto juxta Chrysostomi sententiam, qui separat. Sin conjunctim legas, meliùs cohærerent, sublatâ conjunctione, *Cùm Deus & Christus sit talis erga nos, quis nos separabit à charitate? Charitas* autem hîc activè videtur accipi, ἀγάπη, nempe quâ nos dilexit Deus, & ad redamandum provocavit. Minoris est momenti quod Ambrosius legit, *à charitate Christi*; Origenes, *à charitate Dei*. Totum autem hunc locum Augustinus lib. De doctr. Chr. 4. c. 20. profert velut exemplar orationis quæ vehementiam, h. e. δείνωσιν, cum ornatu conjunxerit. Jucunditas enim orationis partim est in gradationibus *Præscivit, prædestinavit, vocavit, justificavit, magnificavit*; partim in similiter desinentibus & cadentibus, προώρισεν, ἐκάλεσεν &c. rursus ὑπὲρ ἡμῶν, καθ' ἡμῶν. partim in ejusdem vocis iteratione, quam *Traductionem* vocant, ut in proximo exemplo, ἡμῶν, ἡμῶν. tum in contrariis, *justificat*, & *condemnat*; *mors*, *vita*, *instantia*, *futura*; *altitudo*, *profunditas*. Nam comparia & asyntheta faciunt etiam ad δείνωσιν, quemadmodum & interrogatio. Totus autem hic sermo percontationibus & interrogationibus scatet. Quòd si quis distinguat *acrimoniam* seu *contentionem orationis à granditate*, qui tertius est apud Rhetores dictionis character; ad acrimoniam facit Interrogatio, vehementior etiam Asseveratione. Nam vehementius est, *quomodo etiam non cum illo nobis omnia donabit?* quàm si dixisset, *haud dubiè & omnia nobis cum illo donabit*. Hâc enim fiduciâ manifestæ veritatis sic urgetur auditor quasi non habeat quod respondeat. Item acrius est, *An tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames?* quàm si negasset. Ad idem faciunt incisa ab eadem dictione incipientia, sicut modò retuli, velut & in illo *Neque mors*; *neque vita*, *neque angeli*, &c. Grandem autem orationem illa propriè reddunt, quòd velut afflatus Numine nihil humile loquitur. Proponit enim magnificè, *Scimus quòd diligentibus Deum omnia*, &c. Deinde totus sermo constat magnificis tum rebus, tum personis: *mors*, *vita*; *fortitudo*, *altitudo*; *Deus*, *Christus ad dexteram Dei*, *Angeli*, *Principatus*, *Virtutes*. Quin & illud magnificum, *In his omnibus ὑπερνικῶμεν* &c, *Certus sum enim*; Quid unquam Cicero dixit grandiloquentius?

36. *Sicut oves occisionis*] Testimonium sumptum est ex Psalmo 44. Porrò quod Interpres vertit *occisionis*, Hebraicè est טבחה quod magis apud illos sonat *mactationem*. Ea est cùm lanius contrectat & explorat pecudem num idonea sit ut juguletur. Siquidem simile quiddam est apud Latinos *mactatio*: unde Horatius;

Mactatâ veniet lenior hostiâ.

Proinde *oves occisionis* dixit pro eo quod est *oves occisioni destinata*. Cæterùm hoc loco fuerat Interpreti prætermittenda conjunctio ὅτι. Quid enim hic sermo significat Latinis, *Scriptum est quia propter te mortificamur*, nisi, *ob id Scripturam esse proditam quia nos propter Deum mortificamur totâ die?* Apud Græcos varia est hujus conjunctionis vis, apud nos non item: quoties autem habet vim Confirmandi, præstabat omittere, si velimus loqui Latinè. Fateor Ecclesiasticos frequenter *quoniam* & *quia* sic usurpare ut vel confirment vel accipiantur ἐλλιπῶς,

præsertim utentes Scripturarum testimoniis, sed non ideo Latinè dicitur.

37. *Superamus propter eum*] Ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ, i. *supervincimus:* ut plus aliquid intelligas quàm *vincimus: sed res tantas etiam facile vincimus, omnibus illis malis superiores.* Ità Theophylactus. Deinde, *per eum qui*, &c. non *propter eum*, διὰ τοῦ. Augustinus lib. De civitate Dei 22. cap. 23. refert ad hunc modum, *In his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos.* Ad eundem modum citat lib. De doctr. Chr. 4. c. 20. Itidem legit & Origenes sic edisserens, *Et ideo, inquit, in his omnibus superamus, non nostrâ virtute, sed per eum qui dilexit nos.* D. autem Basilius ad Amphilochium de Spiritu S. cap. 8. ità refert *per eum*, ut si legas *propter eum*, corruat illius argumentatio. Ambrosius tamen legit *propter*, intelligens nos in tantis afflictionibus infracto animo perdurare amore Christi, qui nobis tantum impenderit, quodammodo rependentes illi moriendi vices. Ipsius Ambrosii verba sunt hæc, si quis fortè requiret, *Et quid mirum si servi moriantur pro bono Domino, quando Dominus mortuus est pro servis & malis? Vincunt ergò beneficia, & exhortantur animum ad perseverandum propter eum qui dilexit nos.* Nobiscum faciunt Chrysostomus & Theophylactus, & legentes, & interpretantes, *non mirum esse si tantis malis superiores evadimus, cùm Deum habeamus propugnatorem.* Atque hanc arbitror germanam lectionem. Nam quoniam magnifica quædam dixerat Apostolus, suo more gloriam om[n]em transfert in Christum.

38 *Certus sum enim*] Πέπεισμαι γὰρ, i. *Persuasus sum*, sive *Confido*, ut vertit D. Hieronymus ad Algasiam quæst. 9. atque ità legit Ambrosius.

39. *Neque futura, neque fortitudo*] *Fortitudo* apud Græcos non legitur, nec habet ad quod respondeat, cùm *instantia*, i. præsentia, respondeant *futuris*; *altitudo, profunditati.* Quanquam in eo quem modò citavi loco D. Hieronymus addit *fortitudo*, sed omissis *virtutibus*, quas Græcus δυνάμεις legit, quas Hieronymus, ut videtur, dixit *potestates*. Apud Ambrosium nonnihil ab hac diversa reperitur lectio, novem duntaxat partes recensentem, *Neque mors, neque vita, neque angelus, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque præsentia, neque futura, neque alia creatura.* Atque ità legisse Ambrosium palàm arguit & ipsius interpretatio. Ex quo liquet quòd loco *fortitudinis*, apud nos non suo loco positæ, ille posuerit proximam *Angelis virtutem*, quam refert ad *miraculum*. Cæterùm *principatuum* non meminit, etiam Origenes inter enarrandum nonnihil attingit de *principatibus*, nec alioqui anxius hoc loco in recensendis hujus synathroesmi partibus. Augustinus in explicandis hujus epistolæ Quæstionibus aliquot, recenset *Mortem, vitam, angelum, principatum, præsentia, futura, virtutem, altitudinem, profundum, & aliam creaturam.* Verùm ferè fit ut in hujusmodi singulorum catalogo nominum varient alicubi codices, labentibus memoriâ scribis.

VATABLUS.

1. QUI *sunt in Jesu Christo*] i. Conjunctis fide cum Christo Jesu: h.e. Christianis. ¶ *Ambulant* *] * *Sed secundum Spiritum.*

2. *Spiritûs*] Genitivus est: i. lex Spiritûs vivificantis per Jesum Christum. Per *legem Spiritûs* intellige simpliciter Spiritum: nam cùm Legis sit terrere & occidere, Spiritûs est consolari, erigere conscientias, & tollere metum mortis. ¶ *Liberavit me à lege peccati & mortis*] i. Ostendit me esse liberum à peccato & morte quam peccatum infligere solet. *Legem peccati* vocat literam Legis quæ peccatum excitare solet & damnationem revelare. Vide locum 2 Cor. 3. *Litera occidit, Spiritus vivificat.*

3. *In quo infirmabatur*] *Eâ parte quâ imbecillis erat.* Legem esse imbecillem per carnem, est legem humanis viribus non impleri. ¶ *In similitudinem carnis peccati*] Vel, *sub specie carnis peccato obnoxiæ:* i. qui habuit corpus simile nostro corpori peccato obnoxio. ¶ *De peccato damnavit peccatum in carne*] i. Per hostiam pro peccato Christum, abolevit peccatum in hominibus. *Caro*, pro *hominibus.*

4. *Legis*] i. Quam Lex exigebat.

5. *Secundum carnem sunt*] Heb. carnales sunt. ¶ *Sapiunt*] *Sentiunt:* i. Curant corporis voluptates, ¶ *Secundùm Spiritum sunt*] i. Spiritu Dei aguntur.

6. *Prudentia*] Vel, *affectus.*

7. *Inimica est Deo*] *Inimicitia est in Deum*, Vet. ¶ *Est subjecta*] *Subjicitur*, Vet.

8. *In carne sunt*] Heb. carnis affectibus serviunt.

9. *In Spiritu*] i. Affectibus Spiritûs servitis. ¶ *Si tamen*] *Si quidem.*

10. *Mortuum est*] i. Morti obnoxium, mortis. ¶ *Vivit*] *Vita*, Vet. i. *immortalis est.* ¶ *Justificationem*] *Justitiam*, Vet. i. Quia à Deo per Christum justificationem consecuti estis: i. Non imputantur vobis peccata.

11. *Vivificabit*] i. Immortalia faciet, quemadmodum & corpus Christi post resurrectionem. ¶ *Spiritum ejus*] Hilarius legit, *Spiritum suum.*

12. *Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus*] Heb. non debemus secundùm carnem vivere.

15. *Spiritum servitutis iterum in timore*] Heb. Spiritum servili metu præditum, ut iterum timeatis Deum quemadmodum timebatis ante Christum revelatum. ¶ *Spiritum adoptionis*, &c.] Heb. Spiritum per quem Deus vos adoptavit in filios, per quem etiam calamitatibus pressi imploramus Dei opem, vocantes Patrem.

16. *Testimonium reddit*] *Contestatur.*

17. *Et*] Heb. *igitur.* ¶ *Compatimur*] Vel, *cum eo patimur*, sive *affligimur.*

18. *Existimo*] *Reputo.* ¶ *Condigna*] *Pares.* ¶ *Hujus temporis*] i. Quas in hac vita perferimus propter Christum. ¶ *In nobis*] *Erga nos.*

19. *Exspectatio*] *Solicita exspectatio:* i. Totus mundus anxiè exspectat tempus illud quo ii qui filii Dei sunt, manifestabuntur.

20. *Vanitati*] *Vanitas* hîc *frustrationem* sonat, cùm sc. non assequimur quod cupiebamus. ¶ *In spe*] *In spem*, Vet. i. Sub spe immortalitatis.

21. *A servitute corruptionis*] *A servitute corrumpente*, cujus nimirum stipendium est mors. ¶ *In libertatem*] Vel *in liberationem:* i. cùm filii Dei liberabuntur à corruptione.

22. *Ingemiscit*] *Congemiscit.* ¶ *Parturit usque adhuc*] *Simul parturit ad hoc tempus:* i. Parturientis in morem finem laborum indesinenter optat.

23. *Primitias Spiritûs*] i. Particulam aliquam Spiritûs. Alludit ad Legis oblationes ubi non totus fructus sed primitiæ tantùm offerebantur. ¶ *Et**] *Nos.* ¶ *Adoptionem filiorum Dei*] i. Ut palàm fiat nos esse Dei filios per adoptionem, & liberetur corpus nostrum à corruptione.

24. *Spe*] i. Si constantur exspectaverimus vitam æternam, servabimur, vel, servamur. ¶ *Quid sperat?*] *Cur etiam speret?*

26. *Infirmitatem nostram*] *Imbecillitates nostras.* ¶ *Postulat*] Vel, *intercedit.*

27. *Scit quid desideret*] *Novit quis sit sensus:* i. Desiderium. ¶ *Secundùm Deum*] i. Quæ Deo accepta sunt, & ad Dei gloriam.

28. *Cooperantur*] *Procedunt*, Vet. vel, *adjumento sunt.* ¶ *Secundum propositum*] *Juxta propositum.*

29. *Præscivit*] Vel, *præcognovit:* i. Dilexit ante mundi constitutionem. ¶ *Conformes fieri*] q.d. Deus ante mundum conditum ordinavit suos ad ea omnia quæ futura erant in Christo; ut & cruce & glorificatione similes essent. ¶ *Primogenitus*] i. Ut ipse principem locum obtineat inter fratres, tam in perferendis, quàm in afflictionum fructu capiendo.

30. *Prædestinavit*] Sub. *ut affligerentur.* ¶ *Vocavit*] Sub. *ad æternam vitam.* ¶ *Justificavit*] i. Liberavit à peccatis. ¶ *Glorificavit*] i. Vitam æternam illis donavit.

32. *Donavit?*] *Largietur?*

33. *Accusabit*] Vel, *accusationem instituet.* ¶ *Qui justificat*] i. Pro justis habet electos, & illis peccata condonat.

34. *Qui**] * *Et*, Vet.

35. *A charitate Christi*] *Charitatem Christi* vocat dilectionem Christi erga nos. Negat Paulus nos ideo affligi quòd Deus abjecerit nos, aut irascatur nobis.

36. *Mortificamur*] *Morti tradimur.* ¶ *Oves occisionis*] i. Oves mactationi destinatæ, Heb.

37. *Propter eum*] *Per eum.*

38. *Neque mors, neque vita*] i. Neque post hanc vitam, neque in hac vita separabimur à dilectione Dei erga nos. ¶ *Virtutes*] *Potestates:* i. Neque principes, neque ulli Magistratus. ¶ *Instantia*] Sub. *mala.*

39. *Neque altitudo neque profundum*] i. Neque ulla vis è cœlo, ut grando, tonitru, &c. Neque pericula quæ in mari oriri solent. Attingit hoc loco Paulus opinionem impiorum qui censent nos divelli à Deo afflictionibus. ¶ *In Christo*] Heb. pro, *per*, vel *propter*, *Christum*, &c.

CASTA-

CASTALIO.

1. QUI in Christo Jesu] Christiani facti.

3. *Pro peccato*] Ad delendum peccatum. ¶ *In carne*] In Christo homine.

20. *Per eum qui eam spei submisit*] διὰ τὸν ὑποτάξαντα pro διὰ τοῦ ὑποτάξαντος dictum est, ut paulò antè διὰ ἁμαρτίαν quod ex sententia patet. Declarat enim quod dixit *non suâ sponte*, h. e. ab alio: quòd si diceret *propter alium*, posset id & suâ sponte & tamen propter alium fieri. Jam διὰ cum accusativo in hanc sententiam poni, etiam apud autores profanos video: ut in Socratis Panegyrico, ubi δι' ἣν ἐσώθησαν pro δι' ἧς ἐσώθησαν dici annotavit Hieronymus Wolfius, ejus interpres. Atque idem mihi ostendit ibis eodem modo locutum Demosthenem in fine orationis pro Megalopolitanis.

CLARIUS.

1. NIhil ergò nunc damnationis] Cùm scilicet per Christum soluti sumus à Lege, & serviamus in novitate Spiritûs. Litera enim Legis sine *lege spiritûs* quid agit aliud quàm ut occasio sit *peccati ac mortis*?

3. *Nam quod impossibile erat Legi*] Quâ parte Lex erat imbecilla ob affectus carnis. Volebat, inquit, Lex servare, sed non valebat: nam illius vires usque eò non porrigebantur. ¶ *In similitudine carnis peccati*] Non *in similitudine carnis*, sed *carnis peccati*: nam *per omnia similis nostri factus est, absque peccato*. ¶ *De peccato damnavit peccatum*] Dat corpus de more Paulus rei incorporeæ. Finge igitur Peccatum personam esse quandam quæ rea peccati facta sit. Fecit, inquit, & declaravit personam hanc Peccati obnoxiam esse maximo sceleri, & damnavit eam magni criminis, ut meritò aboleatur & perdatur & è regno ac sede dejiciatur sua; atque id fecit, *ut justificatio legis*, quam ipsa Lex præstare non poterat, & quæ ipsi Legi deerat, *impleretur in nobis*, dum per fidem in Christum afficimur studio rectæ & honestæ vitæ, non jam metu Legis, sed ob amorem hujus agnitæ veritatis: quod non faciunt qui solo Legis imperio feruntur.

7. *Nec enim potest*] *Affectus carnis*, qui res vitiosa, dicitur *non subjici Deo*, *nec posse*: nam id ejus natura non admittit.

10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*] Quatenus scilicet non peccat; dicitúrque eo modo *mortuum* quo alibi Paulus ait, *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram*. At hæc mors vita est spiritûs.

11. *Propter inhabitantem Spiritum*] Nefas enim est ut ea corpora quæ inhabitantem Spiritum Dei habuerunt, in morte perdurent.

12. *Ergò, fratres, debitores sumus*] Remittit severitatem disputationis, & refocillat adhortationibus ac promissis, ut pòst ad ea quæ restant tractanda dogmata redeamus alacriores.

13. *Si autem Spiritu*] Si spirituali hâc gratiâ & de benignitate Christi conceptâ fiduciâ fortiter fueritis usi contra carnis impetus, *vivetis*. Et causam reddit, Quòd scilicet homines ejusmodi sunt *filii Dei*, quos nimirum decet vita. Quòd verò etiam sint filii Dei probat ex *Spiritu adoptionis accepto*.

18. *Ad gloriam quæ revelanda est in nos*] *Non dixit*, ait Chrysostomus, *ad futuram gloriam* (quod antea habebat editio) *sed ad gloriam quæ revelanda est, ut intelligas, nunc quidem etiam esse illam gloriam paratam, sed latere suo tempore aperiendam. Nam quod revelatur, erat quidem etiam antea quàm revelaretur*. Sed interpres Græcismum videtur non animadvertisse: nam quod nos dicimus *revelandam*, illi dicunt *futuram revelari*, μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι.

19. *Nam exspectatio creaturæ*] Ἀποκαραδοκία, *ingens exspectatio*. Dat autem sensum rei quæ sensu careat: qui & Prophetarum mos est: ut illud, *Jubilate, montes, laudem*: &, *Montes exsultaverunt ut arietes*.

23. *Non solùm autem illa*] Nihil mirum creaturam congemiscere, quæ nullam adhuc partem illius libertatis adepta est, quando *nos quoque*, *qui primitias* quasdam *delibavimus* & gustum aliquem *Spiritûs*, *ingemiscimus*; atque id tantò magis quantò nos avidiores ille gustus facit. Nam si *primitiæ Spiritûs* tam ingentes sunt ut miracula fiant ex sola umbra, qualis erit illa perfectio ac plenitudo? Vel *primitias Spiritûs* intelligit Spiritum innovantem, quem accipimus cùm initio vivificamur; quibus etsi experimentum Christi in nobis habitantis simus allecuti, tamen adhuc *intra nos gemimus*, &c.

26. *Similiter autem & Spiritus adjuvat*] Refertur ad id quod dixerat, *per patientiam exspectamus*. Nè existimes, inquit, te in illa patientia laboraturum: neque enim finet te Spiritus ille defatigari: nam debiles nos sumus, neque sine auxilio Spiritûs quicquam possumus, *ut nè quod oratur quidem simus intelligamus*. ¶ *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*] intelligit hic donum Spiritûs. Nam olim differentes gratias multi accipiebant, Prophetiæ, Interpretationis linguarum; quæ dona appellabantur & ipsa *Spiritûs*. Inter hæc dona erat & donum Precum, ut pro populo precarentur qui tale munus accepissent. Hoc itaque donum *Spiritum* hîc vocat, dum Spiritus S. illo munere largiebatur, ut illi maximis gemitibus interpellarent.

27. *Scit quid desideret Spiritus*] Quomodo sit intelligendum illud *scit* declarant verba sequentia, *quia secundùm Deum postulat pro sanctis*. Quod enim *secundùm Deum* est, id propriè *sciri à Deo* dicitur. Idcirco damnandis dicturus est, *Nescio vos*.

28. *Qui secundùm propositum*] *Propositum* illud ambiguum est utrum referatur ad *Deum*, an ad *homines* qui electione virtutis Deo vocanti obtemperent: que res etiam verba quæ sequuntur reddit ambigua. Lites autem quæ excitari ex hoc & ejusmodi locis solent datâ operâ declinamus, ut parùm utiles, cùm his ferè ad curiositatem duntaxat abutamur. Quod autem ad hunc locum pertinet, Græci, præsertim Chrysostomus, illud *secundùm propositum* referunt ad *homines qui vocantur* & à communi in sequentibus volunt intelligi, ut sic dicatur, *qui secundùm proprium ipsorum propositum & obedientiam vocati sunt: & quos secundùm hoc propositum præscivit, etiam prædestinavit*, &c.

29. *Ut sit ipse primogenitus*] Declaratio est ejus quod dixit *conformes imagini Filii sui*, ut scilicet eam formam & gloriam habeant quâ agnoscantur fratres Christi, inter quos ipse sit primogenitus.

34. *Qui etiam interpellat*] Hoc dixit ut declaret illum priorem adhuc servare charitatem erga nos. Et nè putares in hoc verbo quicquam diminui de Filii majestate, præmisit æqualitatem, dicens, *qui est in dextera Dei*.

35. *Quis nos separabit à charitate Dei?*] *Quæ* ut mox dicet, *est per Christum Jesum*, h. e. per ostensam in eo charitatem erga nos, quæ tanta fuit ut nullæ quamvis maximæ neque poenarum minæ, neque pollicitationes, etiam imperium in ipsas cœlestes potestates, vel siquid aliud excogitari potest (nam multa per Hyperbaton dicta hic sunt) neque debeant neque possint nos ab ea separare. Utraque ergò hic charitas intelligenda est, & quâ Deus nos dilexit, & quâ nos tenemur eum diligere.

ZEGERUS.

2. LEX enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis] *Legem spiritûs vitæ* appellat legem spiritualem, scilicet fidei, quæ veram largitur vitam. Vel *legem Spiritûs* ipsum Spiritum S. dicit, sicuti *legem peccati* ipsum Peccatum. *Vitæ* autem *legem* eò intulit ut hanc à Mosi lege secerneret; quæ & ipsa *spiritualis* est, quia prohibet peccare, non tamen *vitæ*, quia delicta condonare nequit. Cæterùm *lex peccati*, quam dicit *habitare in membris nostris*, fomes est malarum concupiscentiarum. *Lex* verò *mortis* lex Mosi est, quia morti addicit delinquentes. Nam & in alia epistola ità scribit, *Si ministratio mortis formata in lapidibus fuit in gloria*, 2 Cor. 3. Nec mirum videri debet si eadem lex & *spiritualis* dicatur & *mortis*, cùm & Euangelium simili modo aliis *odor vitæ sit ad vitam*, aliis contrà *odor mortis ad mortem*, 2 Cor. 2. Præterea quod dicit *à lege peccati & mortis*, simplicissimum erit, ut dicamus idem valere q. dixerit *à peccato & à morte*.

3, 4. *Nam quod impossibile erat Legi* vel *Legis*, juxta Græcos) *in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne; ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus*] Ordo & sensus verborum hic est, *Deus Pater*, *misso Filio sub similitudine carnis peccatricis*, *damnavit*, *destruxit & antiquavit id quod in Lege nobis erat ferè vatu propemodùm impossibile*, nempe crassam illam Legis & carnalem observationem; *juxta quam inefficax erat atque invalida propter carnem*, h. e. carnalem intelligentiam. Nec hoc solùm, quin *& de peccato*, (vel, ut aliis placet, *pro peccato*) i. per hostiam sui corporis, quam obtulit expiando peccato, *damnavit peccatum in carne*, h. e. fomitem in nostra carne vigentem. Vel *damnavit ac sustulit peccatum mundi*, scilicet *in carne*, h. e. per carnem. Quòd autem in hac expositione bis reperiam *damnavit*, facit primùm quidem articulus, τὸ γὰρ ἀδυνα-

δύνατον, deinde etiam & copula, *& de peccato*, quæ alioqui eſſet otioſa: etiamſi non ignorem hanc diſſimulari ab Ambroſio. Poterit & hæc aſſignari intelligentia, *Verè lex ſpiritûs vitæ liberavit me à lege peccati & mortis. Nam quod Legi erat impoſſibile, de peccato videlicet damnare peccatum per carnales ſuas obſervationes, in quo utique præſtando*, nempe in damnando & abolendo peccato ad juſtificationem, *Lex ipſa* (tametſi aliàs efficax) *infirmabatur & impotens erat, Deus Pater mittens Filium ſuum, etiam de peccato*, h. e. ex Chriſto quodammodo peccatore, vel *de peccato*, h. e. per Chriſtum prout factus eſt hoſtia pro peccato, *damnavit ac delevit peccatum totius mundi in carnis Chriſti mortalitate ac paſſione, ut juſtitia*, quam Lex promittebat, nec præſtare poterat, *impleretur in nobis*. Hoc ſenſu totum illud, *quod impoſſibile erat Legi in quo infirmabatur per carnem*, per parentheſin interjectum intelligendum eſt. Hic etiam animadvertendum, hoſtias quæ in Veteri Lege pro peccatis offerebantur *peccati* nomine appellari, atque hinc juxta quoſdam Apoſtolum dixiſſe, *& de peccato damnavit peccatum*. Vide Paulinum epiſt. ad Amandum 2.

7. *Inimica eſt Deo* Ἔχθρα, ſi ſit *παροξύτονον*, *inimicitiam* declarabit; ſi *ὀξύτονον*, *inimicam*. Antiquiores interpretes magis noſtram ſequuntur lectionem, nominatim Hieronymus in lib. Didymi de Spiritu S.

10. *Corpus quidem mortuum eſt*] Craſſiorem noſtri partem, ſive peccati fomitem, *corpus* hic nominat. Tractat hunc ſermonem Magiſter Sententiarum lib. 2. diſt. 19. & *mortuum eſt* interpretatur *neceſſitatem moriendi in ſe habet*.

17. *Si tamen compatimur*] Εἴπερ συμπάσχομεν i. *Siquidem ſimul patimur*, æmulatores effecti aſflictionum Chriſti; vel etiam *condoleſcimus & compatimur*.

20. *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam*] Corruptibilis, inquit, reddita eſt hæc mundi machina. Quid enim eſt in quo *vanitati ſubjecta eſt*, niſi quia quæ generat infirma ſunt, mortalia & fluxa, ac per hoc etiam vana? Attamen *non ſponte*: quemadmodum dum creatura ipſa aliud ex alio propagans, individuis viciſſim cadentibus ac renaſcentibus ſpeciem ſuam tuetur nè intercidat, non ſponte ſeſe teſtatur corruptioni ſubjectam, ſed coactè quodammodo per ſuum Creatorem Deum, qui illam ei corruptionis ſervituti ſubjecit. Alii malunt de creatura tantùm rationali, putà Angelica & Humana, hæc intelligere: quæ propriè dici poteſt *exſpectare revelationem filiorum Dei*, uti ſuprà dixit Apoſtolus. Nam & Angeli, cùm *adminiſtratorii ſint ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capient ſalutis* Heb. 1. 14. *vanitati* cuidam & *ſervituti corruptionis*, h. e. ſervituti hominum corruptibili & abolendæ, vel ſervituti corruptionis humanæ, ſubjecti ſunt, à qua tandem aſſerendi ſunt in libertatem.

21. *In ſpe quia & ipſa creatura*] Subjecta eſt, inquit, non ea ratione ut perpetuò permaneret ſervituti obnoxia, ſed *cum ſpe hac, quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſervitute*, &c.

23. *Adoptionem filiorum Dei, exſpectantes redemptionem corporis*] Suſpicor exemplaria hîc olim variaſſe: nam hujus clauſulæ, *adoptionem filiorum Dei*, quæ Græcis unica vox eſt, *υἱοθεσία*, neque Ambroſius Græcanicæ lectionis ſtudioſiſſimus æmulator ullam facit mentionem, neque Sedulius, neque Primaſius. Atqui duriuſculè cohæret cæteris, niſi aut ſubintelligamus copulam & aut *adoptionem* appoſitivè cum *redemptionem* nectamus. *Redemptionem corporis* dicit liberationem ab ipſius corporis incommodis. *Dei* adjectitium eſſe liquet ex Græcis pariter & Latinis antiquis & Origene.

28. *Vocati ſunt ſancti*] *Sancti* Græci non habent, nec ſcriptores veteres, nominatim Heſychius in Lev. 23. Eſt tamen ubique in codicibus noſtris. Vide Eraſmum.

33. *Quis accuſabit adverſus electos Dei?*] Quo pacto hic locus enunciandus ſit, docet Auguſtinus De doctr. Chr. l. 3. c. 3. ità inquiens, *Pronunciabitur ità, ut poſt percunctationem, quâ dicimus, Quis accuſabit adverſus electos Dei? illud quod ſequitur ſono interrogantis enuncietur, Deus qui juſtificat? ut tacitè reſpondeatur, Non. Et item percunctemur, Quis eſt qui condemnet? rurſùmque interrogemus, Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, magis autem qui reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis? ut ubique tacitè reſpondeatur, Non.* Secundùm Eucherium tamen poterunt illa, *Deus qui juſtificat*, &, *Chriſtus qui mortuus eſt*, & ſequentia pronunciativè legi, ut accipiantur per Ironiam dicta, Quæſt. N. T.

39. *Neque fortitudo*] Mirum unde hoc verbi tanta conſtantia libros occuper noſtros, cùm nec in Græcis nec in ullis inveniatur commentariis veterum, nec habeat cui reſpondeat: ut contrà apud Origenem *περὶ ἀρχῶν* lib. 3. c. 2. additum invenio *neque virtus*, ſed in fine, nempe poſt *profundum*. Evariſtus tamen Papa reſpondet lectioni antiquæ, & Liberius.

L. BRUGENSIS.

20. P*Ropter eum qui ſubjecit eam in* [*ſub* Quent.] *ſpe.*] Lectiorum librorum plerique *in ſpe* legunt; inſignes quidam, cum D. Primaſii textu, *in ſpem*; Pariſienſium duo, Di o. Gel. noſtri tres, Brug. Malmund. ma. Q. Græcè eſt, *ἐπ' ἐλπίδι*, *in ſpe*, vel, *ſub ſpe*; Syriacè לסברא על, quod eſt, *ad ſpem*, vel, *in ſpem*. Quidam ſequentibus hoc jungunt, *Sub ſpe, quod & ipſa creatura liberabitur*, &c. poteſt enim & ſequentibus & præcedentibus copulari. Pronomen *eam*, *Qui ſubjecit eam*, ut non eſt Græcè (*διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι*) ità Latina ſcripta, T. Malmund. ma. L. Pl. lon. cum D. Anſelmi textu & Moguntina editione, omittunt, quanquam Malmundarienſi aliâ literâ inter lineas ſupraſcriptum ſit. Alterum Malmundarienſe minus, ut illud quod majus diximus, antiquiſſimum, alio legit loco, *Qui ſubjecit in ſpe eam*. Plantini anguſtum non niſi in margine habet. Syricus interpres explicationis gratiâ addidit.

33, & 34. Triplex hujus loci pronunciatio eſt. Una. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus, qui juſtificat? Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Altera, *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt, imò qui, &c. etiam interpellat pro nobis.* Tertia, *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat: quis eſt qui condemnet? Jeſus qui mortuus eſt, imò qui, &c. etiam interpellat pro nobis*: & hoc, vel interrogando, vel enunciando. Primam probant Auguſtinus lib. 3. De doct. Chriſt. cap. 3. ejúſque diſcipulus Primaſius enarrator; & ſequuntur, Autor commentariorum Ambroſii nomen præferentium, atque inter recentiores, Nicolaus Gorran. Secundam exponunt Origenes, Theophylactus, Lyranus, ſubaudito ſuſtantivo verbo *eſt*, iis in partibus quæ enunciativè leguntur. Tertiam explicant Theodoretus, B. Gregorius lib. 7 Epiſtolarum epiſt. 53. Oecumenius, D. Thomas, & inter neotericos Dominicus Soto.

37. *Sed in his omnibus ſuperamus*] *ſuperabamus* o.] *propter eum qui dilexit nos.*] Latini vulgatæ editionis codices unanimiter hunc ad modum legunt, *propter eum*; ſimilitérque Ambroſio adſcripta commentaria, Autor ſcholiorum quæ in Hieronymi operibus exſtant, Primaſius, Haymo, Anſelmus, poſterioréſque omnes Latinæ editionis enarratores. Græci libri conſtanter ſcribunt, *ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς.* id quod Syricus Interpres, poſterioréſque Latini, & Græcus ſcriptor D. Baſilius, cap. 8 libri De Spiritu S. *Per eum qui dilexit nos*, interpretati ſunt. *διὰ* enim, Græca præpoſitio, genitivo juncta *per* ſignificat; accuſativo, *propter*: id quod hujus capitis 20, & 25 verſibus videre licuit. *Per* legit S. Auguſtus lib. 4 De doct. Chriſt. cap. 20. & lib. 22 De Civ. Dei cap. 23. Græcámque ſententiam optimè explicans; *In his omnibus*, habet, *ſupervincimus, per eum qui* [*propter quod* Cyprianus tertii ad Quirinum 18 cap.] *dilexit nos*. *Per* legit & Proſper lib. 2 De vocatione gentium cap. 5. ſive, juxta novam diſtinctionem, 15. Vulgatæ editionis Autor, aut accuſandi caſu *διὰ τὸν ἀγαπήσαντα* legit, aut *διὰ*, gignendi caſui præpoſitum, etiam *propter* verti poſſe ſenſit; præſertim cùm *propter* hoc loco ità ut *per* accipi poſſit, *propter eum, propter ejus auxilium*, quæ & D. Thomæ eſt explicatio.

38, & 39. *Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia* [*aliqua* 1 MS. *aliqua alia* G.] Hunc ad modum ſcripti libri complures (Brug. Lob. Malmund. mi. Leod. O, E, Q, &c.) impreſſíque omnes legunt: quibus adſtipulantur Enarratores, Haymo, Anſelmus, Autor Gloſſæ, Carenſis, Lombardus, Lyranus, Aquinas, Gorran, Bruno, Richelius, aliique poſteriores. Tres ſcripti libri, Pl. ang. R & C, pro *neque virtutes* habent *neque poteſtates*; quinque, Pl. m. L. Torr. Atr. ſ. & Leodienſis, verùm hic ex poſteriori emendatione, utrumque habent, hoc ordine, *Neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque virtutes*. Arbitror ex altera primùm verſione, vel ex ſimilium locorum memoria, pro *virtutes* ſcriptum *poteſtates* (quod enim eſt Græcè, *οὔτε δυνάμεις*, *neque virtutes*, alii, nominatim Origenis Interpres, 3 Peri archōn cap. 2. *neque poteſtates* transferunt: frequentérque Apoſtolus *principatibus ἐξουσίας*, quas *poteſtates* editio noſtra reddit (1 Cor. 15. 24. Ephel. 1. 21. & 3. 10 Col. 1. 16. & 2. 10, 15.) ſubjungit) ac dein, quæ in diverſis erant codicibus, conjuncta, ut paria hic eſſent, ſicuti

in antecedentibus ac subsequentibus. Nam & hanc ob causam, in angusto Plantini scripto, quod loco *virtutes* habet *potestates*, additum reor, *neque archangeli: neque angeli*, *neque archangeli*, *neque principatus*, *neque potestates.* Notandum porrò est, B. Augustinum lib. De moribus Eccles. Cathol. cap. 11. & Autorem commentariorum quæ Ambrosio tribuuntur (qui præponit quoque *altitudinem & profundum præsentibus & futuris*) duo solùm hic membra legere, *Neque angelus*, *neque virtus*, omittere *neque principatus*, non tantùm contra Latinos hodie codices, verum etiam contra Græcos & Syros, qui tria hæc membra legunt, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις, *Neque angeli*, *neque principatus*, *neque virtutes.* Cæterùm omittunt Græci Syrique codices, nec non Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti & Oecumenii enarrationes, cum illo Augustini loco, & Ambrosio adscriptis commentariis, id quod postea Latinis in libris sequitur, nec habet ad quod respondeat, *neque fortitudo:* quibus unum ex Latinis nostris MSS. M. literâ notatum, conforme est. Hieronymus ad Algasiam quæst. 9. legit quidem manifestè hanc partem *neque fortitudo*; sed aufert eam quæ præcedit, *neque virtutes:* cui Augustinianum ex sacris literis Speculum, & majus Malmundariensis Cœnobii exemplar, concinunt: tametsi huic alterâ manu suprà scriptum sit, *Neque virtutes*, ut sunt hujusmodi penè omnia in antiquis exemplaribus ad vulgarem postea legendi modum immutata. Concinit & Primasius enarrator, quanquam apud eum multitudinis numero, *neque fortitudines*, legatur. Adstipulantur etiam ea quæ apud D. Hieronymum in S. Pauli epistolas exstant scholia, quæ Primasius hoc loco, ut multis aliis, secutus est. Scriptum vetustissimum M. N. Hunnæi, T. literâ signatum, loco hujus *neque fortitudo*, scribit *neque virtus*, tollitque similiter quod dictum est, *neque virtutes:* cui Augustini lectio, lib. 4. De doctr. Christ. cap. 20 & expositio, eo libello quo hujus epistolæ quasdam propositiones exponit, per omnia consonant. Videri ex his possit alterum superfluere, vel *neque virtutes*, vel *neque fortitudo*, sive, ut aliàs legitur, *neque virtus*; & quidem diversas hæc esse ejusdem partis, aliter atque aliter lectæ, translationes. Quod enim Græcè est οὔτε δυνάμεις, quod est, *neque virtutes*, existimarim singulari numero ab aliis οὔτε δύναμις lectum, & à quibusdam versum *neque virtus*; quo modo Augustinus lib. De moribus Cathol. Eccl. & Ambrosio attributa commentaria habent, eo loco quo nos cum Græcis & Syris *neque virtutes*; à quibusdam *neque fortitudo.* Porrò *neque virtus*, clarum satis videtur fieri non esse nostræ editionis; eóque magis quòd scriptum illud, T, alteram editionem nonnunquam sequi compererimus. Post hoc, *neque fortitudo*, cedere debere videtur τῷ *neque virtutes:* hoc enim uno, eóque longè aptissimo, legitur loco; illud variis errat locis, iisque minùs convenientibus. Ut plurimùm legitur post *futura*, ante *altitudo*; *Neque futura*, *neque fortitudo*, *neque altitudo.* Manuscriptum H notatum scribit post *neque virtutes: neque virtutes*, *neque fortitudo.* Duo manuscripta, C & So. ru. medium habent inter *instantia* & *futura*; *Neque instantia*, *neque fortitudo*, *neque futura.* Apud Origenem, in tertio Peri archōn, primùm legitur *neque potestates*, postea additur *neque virtus*, sed ultimo loco *Neque altitudo*, *neque profundum*, *neque virtus*, *neque alia ulla creatura.* Primo & quarto locis, ab affinibus separatum, solitarium incommodè ponitur; tertio etiam dirimit quæ manifestum est combinanda; secundo optimè congruat, quo positum id fuisse existimat Dominicus Segobiensis, si, quod credit, Apostolicum verbum est. Cæterùm cùm vel hoc, vel alterum, non levibus argumentis superesse videatur, minúsque hoc, τὸ *neque fortitudo*, fundatum in nostra editione appareat, videtur adjectitium id esse. Verum enimvero, antiquissimum Tractatorem Origenem, vel interpretem ejus Hieronymum (is enim Origenis commentario sua non pauca adjecit) id legisse, atque eo quo in Latinis plerumque codicibus legitur loco, post *neque futura*, nec præteriisse quod antecedit *neque virtutes*, ex explanatione in hanc epistolam verè colligi videtur, tametsi *neque virtutes* scriptum sit posteriori, ut priori loco.

H. STEPHANUS.

1. Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα] *Nulla igitur nunc est condemnatio.*

5. Φρονοῦσι] *Cogitant:* vel *sapiunt.*

6. Τὸ γὰρ Φρόνημα τῆς σαρκὸς] *Quod cogitat caro:* vel *sapit.*

7. Οὐχ ὑποτάσσεται] *Non se subjicit.*

12. Ὀφειλέται ἐσμὲν οὐ τῇ σαρκὶ, τοῦ κατὰ σάρκα ζῇν] *Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus*, sed spiritui.

15. Υἱοθεσίας] *Adoptionis.*

18. Τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ] *Ea quæ nunc patimur.*

19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως ἀπεκδέχεται] *Nam res creata solicitè observando exspectant.*

22. Συστενάζει καὶ συνωδίνει] *Unà suspirat, & unà doloribus tanquam partûs premitur.*

26. Συναντιλαμβάνεται] *Opitulatur.* ¶ Ὑπερεντυγχάνει] *Interpellat.*

27. Τί τὸ Φρόνημα τοῦ πνεύματος] *Quis sit sensus Spiritûs?* vel, *Quid cogitet.*

28. Συνεργεῖ] *Conferunt.* ¶ Κατὰ πρόθεσιν] *Ex proposito* ipsius.

35. Στενοχωρία] *Angustia.*

37. Ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν] *His omnibus longè superiores evadimus.*

38. Πέπεισμαι] *Persuasum habeo.*

39. Οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος] *Neque quicquam in sublime evectum*, *neque quicquam profundum.*

DRUSIUS.

3 ET *de peccato*] Καὶ περὶ ἁμαρτίας. Id alii referunt ad participium πέμψας, alii ad verbum sequens κατέκρινε. Qui ad participium referunt, vertunt *idque pro peccato.* Sed quid si, *mittens filium suum in similitudine carnis peccatricis & pro peccato?* Vult dicere, *& quidem hostiam pro peccato*, sive *ut esset hostia pro peccato.* Similis defectus Hebr. 10. 6. Ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας, *& hostiam pro peccato:* pro quo Psal. 40. 7. *holocaustum & peccatum* [illegible]. Hujus admonuit me per literas doctus & egregius juvenis Eberhardus Mollerus; cui non possum tamen per omnia assentiri propter insertam copulantem καί. Syrus edidit *propter ipsum peccatum*, absque copula: fortè abfuit ab exemplari quo usus est.

10. *Corpus quidem mortuum est*] i. Mortale aut morti obnoxium. Sic *mori* significat *mortalem esse*, si rectè interpretatur Symmachus Gen. 2. 17. *moriendo morieris*, θνητὸς ἔσῃ, i. *mortalis eris.*

15. *Abba*, *Pater*] Nomen Syrum cum Græco. Aut nomen cum interpretatione, ut, *Elymas Magus.* Simile *Adonai Domine*; quorum prius cognomen est, alterum nomen Dei proprium, quod vocant *Jod*, *He*; vel sanè, *Jod*, *He*, *Vau*, *He.* Erasmus hîc legendus cum judicio. Nam *Adonai* cum (-) in ultima non tribuitur hominibus, quod sciam. Si (-) habeat eadem syllaba, significat *Domini mei*, quod usurpant de uno singulari. Augustini locum, quem hîc Erasmus adducit, laudo in finem Commentarii mei ad voces Hebraicas N. T. sed ibi quædam addita quæ mea sunt, non Augustini: de quibus te semel monendum existimavi, nè erres in verbis illis. Vide, si placet. *Abba* nomen est dignitatis, ut *Rabbi*, & plus est quàm *Rabbi*; *Pater* autem nomen est naturæ. Syrus, A B B A, *Pater noster*, ὁ πατὴρ, *Pater noster.* Nam articulus quandoque vim habet pronominis affixi, quod vocant. Ut hîc *Abba*, *Pater*, sic alibi reperies [illegible]: quarum vocum posterior Græca est, ποτήριον, prior Jerosolymitana, [illegible], unde Græcum Φιάλη & Latinum *phiala:* si modò Syrum vocabulum non est ex Græco; nam de eo dubitari potest. Sanè quidem ut ex Oriente plurima nomina translata fuerunt in Occidentem, (de quibus nos peculiarem librum scripsimus) sic è contrario ex Occidente Græca multa traducta sunt in Orientem ab eo tempore quo Alexander eam partem orbis Græcis colonis & disciplinis replevit.

31. *Si Deus pro nobis*] *Si* hîc valet *Cùm*, ut Gen. 28. 20 *Si fuerit Deus mecum:* non enim est dubitantis. Quanquam R. Henna de nomine R. Acha ex hoc ultimo loco colligit non esse certitudinem justis in hoc seculo. Vide sis Gerundensem ad locum illum. *Si* pro *cùm* ponitur etiam in illo, *si erit Jobilaus.* Sic etiam explicant, *si venerit tempus*, cùm venerit.

33. *Deus qui justificat*] Augustinus hoc legit per interrogationem, *Deus qui justificat?* ad Simplic. l. 2. quæst. 5. tom 4.

36. *Occidimur*] Si dixisset *morimur*, posset exponi *multa mala patimur*; nam *mortis* vocabulo *adversa* significant Hebræi: nunc cùm dicat *occidimur*, debet exponi *morte afficimur propter nomen tuum*, *& quia nolumus te abnegare:* nam ideo infideles occidunt nos. Cui expositioni firmandæ quod sequitur, *Reputati sumus ut oves mactationis*, i. mactationi destinatæ.

38. *Neque principatus*, &c.] Sub nomine *Angelorum* Archangeli comprehenduntur, qui aliquando *Angeli* simpliciter vocantur: quocirca malim *Principatus* & *Potestates* ad homines referre.

referre. *Principatus autem* ἀρχαὶ dicuntur: quæ vox hoc significatu reperitur Luc. 12. 11. Significat etiam *turmas*, quas ראשים, i. *capita*, vocant Hebræi, ut 1 Sam. 11. 11. ubi Hieron. *tres cunei*. Sed & Job 1. 17. ubi LXX κεφαλὰς τρεῖς, & Aq. τρία τάγματα, & Hieron. *tres turmas*, alius edidit τρεῖς ἀρχάς.

¶ *Neque potestates*] Οὔτε ἐξουσίαι ut Luc. 12. 11. καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, *&* principatus *&* potestates. Hic est in fonte οὔτε δυνάμεις, quod V. interpres *virtutes* reddit, & Syrus חילא: quæ omnia significant *exercitus & copias militares*. Unde Κύριος τῶν δυνάμεων, quod idem interpretatur *Dominus virtutum*. Sic, *Virtutes cœli commovebuntur*, δυνάμεις τῶ ὀρανῶ. Theodoretus in epitoma Divinorum dogmatum, Τὸ δὲ, Κύριος σαβαώθ, Κύριος τῶν δυνάμεων ἑρμηνεύεται, ἢ Κύριος στρατιῶν· ὅτω γὰρ παρ᾽ Ἕλλησι τὰ στρατιωτικὰ τάγματα καλῦνται. An igitur vertendum h. l. *neque principatus*, *neque militares copiæ*, aut *exercitus*? Non, opinor: quin eò labor ut credam δυνάμεις hic dici eo sensu quo accipitur hæc vox Eph. 1. 21. ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος & 1 Cor. 15. 24. πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν. Sed nihil adsevero. Δύναμις etiam Deum notat. Nam אל κατ᾽ ἀκρίβειαν, teste Eusebio, ἰσχὺς, ἤτοι δύναμις. Tob. 1. 5. τῇ Βάαλ τῇ δυνάμει, *Baali Deo*. Matth. 26. 64. Mar. 14. 62. ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως *potentiæ*, i. אל *Dei*. Nota verò δυνάμεις positum pro οἱ ἐν δυνάμει. Sic ἀρχαὶ valet οἱ ἐν ἀρχῇ, i. ἄρχοντες.

C A M E R O N.

11. ΔΙΑ᾽ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος] Alludit ad phrasim Prophetarum, qui vocem *habitandi* passim usurpant cùm agitur de præsentia Spiritûs Dei in cordibus suorum. Unde factum ut Rabbini Spiritum Domini vocaverint שכינה *habitationem*. Nihilque ferè crebrius apud Apostolum in Epistolis occurrit quàm mentio hujus *habitationis*, quam expressit his vocibus, οἰκεῖν, ἐνοικεῖν, κατοικεῖν, κατοικητήριον, ut hoc loco, & 2 Cor. 6. 16. ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς. Sic 2 Tim. 1. 14. Eph. 3. 17. Jac. 4. 5. *Ad invidiam fertur Spiritus* ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν, *qui in vobis habitat*. Imò verò ad ipsum vocis שכן & שכינה sonum aliquando alludit, 2. Cor. 12. 9. ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ᾽ ἐμὲ, *ut habitet in me potentia Christi*. Sanè שכן est *habitare in tentorio*, quod Græcè σκηνοῦν dicitur.

15. Οὐ γὰρ ἐλάβετε] Non hic Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Doctores compellat Apostolus, non hujus seculi proceres, sed Dei Ecclesiam tum temporis Romæ agentem, atque in ea universam Ecclesiam per universum terrarum orbem sparsam, singuláque ejus vera membra, cujuscunque tandem sint gradûs vel ordinis, sive ii Judæi sint, sive Græci, sive barbari, docti, indocti, servi vel liberi: eorum omnium peculiare est hoc eximium beneficium, ut nempe à Spiritu servitutis eximantur.

¶ Πνεῦμα δουλείας] Servitutis spiritualis tres sunt potissimùm species, nimirum servitus Peccati in irregenitis; Gratiæ in regenitis, & Legis denique in utrisque: Harum alicui necesse est omnem hominem subjici. Unicuique earum suus est Spiritus, sua Lex, sua Opera, sui Fructus. Et Servitutis quidem Peccati Spiritus est Spiritus immundus, hujus mundi Spiritus; Lex est illa quam Paulus *legem membrorum*, *legem peccati* suprà cap. 7. dixit; Opera sunt scelera & vitia omnis generis; Fructus sunt peccatum & mors. Servitutis autem Gratiæ Spiritus est Christi vivificus & sanctificans Spiritus; Lex est ipsa Dei vivi Lex, Dei digito non in tabulis lapideis sed in cordis tabulis carneis insculpta; Opera sunt fides, charitas & reliquæ omnes Christianæ virtutes; Fructus sunt gaudium ineffabile & lætitia spiritualis. De harum servitutum neutra loquitur hic Apostolus, sed de tertia, Legis nimirum servitute. Porrò, Lex duplicem habet veluti σχέσιν prior, quatenus illa auribus nostris insonat ante fidem certámque de Dei erga nos in Christo amore persuasionem: posterior, quatenus illa nobis prædicatur post conceptam veram fidem. Priore respectu vel nullus est in nobis Legis effectus; vel siquis est ejus usus, hoc unum præstat, dat nimirum cognitionem peccati, & cohibet coactè hominem externum, cùm interea nullatenus in melius immutetur homo interior, sed contrà eo reddatur impurior; nempe juxta illud,

Nitimur in vetitum semper, cupimúsque negata.

Gignitur ejusmodi coacta coercitio in animo hominis omni sensu gratiæ Divinæ vacui, à Spiritu S. intellectum ejus collustrante cognitione quadam Legis Divinæ, & judiciorum Dei quæ manent certissimè improbos: quo fit ut impetus improbitatis ejus aliquantulùm cohibeatur. Porrò, quod à Spiritu reprimuntur improbi illi homines, non potest non esse bonum; at quòd serviliter & coactè reprimuntur, hoc fit eorum vitio. Hæc est dura & misera servitus. At verò Lex secundò, uti diximus, consideratur quatenus prædicatur animæ à Spiritu adoptionis ductæ, cujus mens innovata est, voluntas instaurata, affectus denique carnales veluti circumcisi, & prava desideria mortificata. Et quoniam Spiritus ille nemini in hac vita plenâ conceditur mensurâ, hinc est quòd & in regenitis locum habet & effecta sua producit Spiritus servitutis: Et hoc diversimodè, pro modo nempe seu mensura quà conceditur Spiritus υἱοθεσίας. Nam si exiguus est Spiritus illius modulus, multum potest & viget in nobis Spiritus servitutis: si magna est Spiritûs adoptionis mensura, infirmus est & debilis servitutis Spiritus: quòd si plenâ concederetur Spiritus adoptionis mensurâ, nullus tum esset Spiritui servitutis locus. Modo autem planè diverso in regenitis operatur Spiritus ille servitutis quàm in irregenitis. Hi enim terrentur duntaxat, & solus vindictæ Divinæ pavor eos à sceleribus coercet: at illi metu quidem etiam cohibentur, sed metus ille non pœnam tantùm sed vel maximè offensam Dei respicit; h. e. pius cùm à malo abstinet, reverentiâ & autoritate Legislatoris Dei potissimùm tangitur atque ducitur. Atque in eo prodit se coactio quædam (vellet enim ut sine Dei offensa liceret sibi peccare) at non est illa coactio merè servilis, ut in impiis, sed quasi servilis; cujus illi soli sunt capaces qui in Christo Jesu sunt Dei Filii, verùm primâ adhuc & puerili aut verò etiam infantiii veluti ætate, quibus propterea opus est Pædagogo, & severiore Patris vultu, quo in officio contineantur. At qui maturiori & grandiori sunt ætate nihil opus habent illâ paterni vultûs severitate, utpote qui sponte ferantur & ultro inclinent ad faciendum officium. At cùm Spiritus adoptionis nos reprimit, id alio prorsus modo præstat atque efficit: non enim nos terret metu supplicii aut cohibet Legislatoris autoritate atque reverentiâ, sed ingenerat in nobis peccati odium retectâ atque nobis ob oculos propositâ horrendâ peccati fœditate atque deformitate, quâ fit ut à peccato abhoreamus. Ex his animadvertere licet quatuor hominum veluti genera: Primum est eorum qui sine Deo vivunt, h. e. quorum conscientia nullo Dei sensu afficitur. Secundum eorum est quos Dei terror coercet à patrandis sceleribus, quia interiùs conscientiæ eorum pavidæ terroris stimulis ità agitantur ut in apertum scelus prorumpere non audeant. Tertium est eorum qui temperant sibi à malo, & in bonum feruntur, coactè quidem & cum aliqua carnis repugnantia, at non merè serviliter, sed quasi serviliter: non enim Deum duntaxat extimescunt ob severiorem ejus vindictam, sed & reverentur propter ipsius autoritatem sublimémque Majestatem. Quartum eorum est qui à malo temperant & in bonum feruntur absque coactione, imò magna cum voluptate, quoniam Dei charitas diffusa est in eorum corda. In priore hominum genere nè obscurum quidem vestigium Dei Spiritûs licet animadvertere. Secundum genus à Spiritu servitutis agitur. Tertium genus eodem Spiritu ducitur, sed diversâ ratione, uti explicatum est. In quarto hominum genere viget & regnat Spiritus adoptionis.

¶ Πάλιν εἰς φόβον] Homo naturaliter in peccato suo jacet consopitus, ignarus miseriæ suæ, priusquam à Deo in Legis notitia illuminetur. Ad illuminationis illius primum usque momentum homo (uti de se Paulus testatur Rom. 7. 9.) putat *vivere*, h. e. quietè, pacatè & tranquillè vitam agere: Verùm ubi à Lege pulsatur ejus conscientia, statim *moritur*, h. e. mirè exagitatur atque animo percellitur, sive applicet se bono (quod nunquam appetivisset nisi per mandatum id jussus esset, proptereáque nonnisi invitus illi se applicat) sive à malo sibi temperet, (quod illi à natura mirè adlubescit) id nonnisi ægre & reluctanti animo præstat; sive oculos conjiciat in maledictionem quam contumacibus Lex interminatur, quámque scit se effugere non posse nisi Deus aliquâ ratione (quam ipse non videt) succurrat, id non sine horrore & terrifico metu animo potest concipere. Collustratio illa non est à mentis humanæ perspicacitate, sed à Spiritu S. qui hic *Spiritus servitutis* dicitur, quia homo ille in quo sic operatur Spiritus, nonnisi servus, aut quasi servus, ob carnis imbecillitatem esse potest; servus quidem simpliciter, si solâ Legis notitiâ atque luce perfunditur; quasi servus verò, si præter illuminationem illam, aliquam habet Spiritûs adoptionis mensuram. Primarius autem Spiritûs illius effectus est *Metus*; miserabilis certè effectus, nullo tamen Spiritûs ipsius (à quo illuminamur) vitio, sed quia hoc pacto in apertum producitur corruptio miseriáque nostra. Itaque ex quo natura humana peccato infecta est, Lex nonnisi perpetuos terrores & conscientiæ pavores in nobis excitat. Atque hi sunt Spiritûs illius servitutis proprii & genuini effectus, qui Lege Dei in nobis utitur ut duntaxat officium imperet & cohibeat à malo, non autem ut hominem per eam ad

ad spontaneum obsequium flectat. Servilis autem hujus metûs quatuor sunt præcipua effecta: Cogit enim primò hominem hærere dubium num ipse sit Deo gratus: nam Lex non te priùs jubet esse certum de Dei amore quàm sis perfectè justus: quare cùm ex Legis accusatione conscius tibi sis de peccato & injustitia, non modò cogeris vehementer dubitare num sis Deo gratus, sed pelliceris omnino ad credendum atque apud te statuendum te esse illi exosum. Eadem de causa cogit illa te dubitare num opera tua sint illi grata & accepta: non enim pollicetur mercedem nisi operi perfectissimo omnibúsque numeris absoluto; contrà damnat illa atque rejicit quicquid habet aliquid in se vitii atque defectûs. Jam verò conscius tibi es, O homo, omnia opera tua variis, iisque gravissimis, defectibus laborare. Tertiò, idem servitutis Spiritus excitat in hominis animo metum, nè in cultu Dei non perpetuò perseveret. Lex enim (quæ est Spiritûs illius quoddam quasi organum) exigit quidem à te ut constanter in obsequio perseveres ad finem usque, at non vires subministrat, neque confert tibi perseverandi gratiam. Atque ità ex horum consequenti, quarto loco, Spiritus ille animam miserè excruciat metu mortis & terrore futuri atque inevitabilis horrendi supplicii. Quare cùm volumus esse certi num simus Deo accepti, an opera nostra sint ei grata, si de Perseverantia nostra persuaderi volumus, si de vita æterna consequenda *πληροφορεῖσθαι*, nobis non est innitendum Legi, à qua nil nisi metus pavor & desperatio: Est enim illa *litera occidens*, *mortisque ministerium*, 2 Cor. 3. 7. *intolerandum jugum*, Act. 15. 10. sævus & immitis *Pædagogus*, Gal. 3. 24. quo fit ut *filius vix à servo differat*, cap. 4. 1. est *mater quæ gignit filios suos ad servitutem*, Ibid. v. 24. quæ facit ut *à gratia excidant quotquot per eam volunt justificari*, cap. 5. 4. quæ nullam in homine gignit justitiam præter *eam quæ stercoris instar est habenda*, Phil. 3. 8. *nihil illa ἐτελείωσε*, Hebr. 7. 19. *à Dei justitia excludit eos qui per eam cupiunt assequi justitiam*, Rom. 9. 31. *eósque subjicit maledictioni*, Gal. 3. 10. *In se quidem illa bona est*, *justa*, *sancta*, *sed talis cùm sit*, *vertitur nobis in exitium*, Rom. 7. 10. *quia cùm in carne infirma sit*, Rom. 8. 3. h. e. à carne impleri non possit, animam nec justificare nec sanctificare potest, contrà potiùs eam terret horroremque ei incutit vehementem. Huic terrori, qui à Lege est, opponenda est ea quæ ab Euangelio proficiscitur *πληροφορία*, nempe *nos per Jesum Christum adeptos esse plenam libertatem ingrediendi loca sancta, per viam illam quam dedicavit nobis recentem, per velum, hoc est, per carnem suam*, &c. Heb. 10. 19. Nec indè consequitur, nunquam esse timendum; imò verò certè timendum est, sed ità timendum ut ex eo metu majorem concipiamus fiduciam, vel potius ut timor ille impellat nos ad certam fiduciam. Ut qui in summa turri profundæ voragini præruptæque undique rupi imminente constitutus est, cùm ventorum vim effrænem cogitat, cùm subjectæ voraginis vastam intuetur altitudinem, fieri non potest quin totus cohorrescat; at cùm videt se muri propugnaculis & vallo veluti septum undiquaque, ponit metum, & periculi imminentis facies compellit eum ut firmiter muri vallo & propugnaculo quo cingitur adhærescat; qui si non metueret, fortè incogitantià vel temeritate actus præceps rueret. Non absimili modo, cùm peccata nostra intuemur, cùm carnis nostræ fragilitatem cogitamus, cùm assultantium & ingruentium hostium vim, numerum & astum animo concipimus, oportet nos tum tremere & cohorrescere periculi magnitudinem; at cùm Dei promissionem intuemur, cùm cogitamus *Deum fidelem esse*, *qui non patietur nos tentari supra vires nostras*, *sed unà cum tentatione optatum daturus est exitum*, certam indè concipimus fiduciam, fore ut Deus qui *bonum opus suum in nobis cœpit*, *illud ad diem usque Christi perficiat*.

38. Πέπεισμαι ὅτι οὔτε θάνατος, &c.] Apostolus loquitur non de se duntaxat, sed de fidelibus omnibus: dicit nempe in plurali numero v. 35. *ἡμᾶς nos*, ad consolationem fidelium, nè quis diceret (ut faciunt Pontificii) eum quidem persuasum esse ex singulari revelatione. Argumenta autem quibus ostenditur persuasionem illam esse certam & indubitatam, non verò duntaxat moralem & conjecturalem, hæc sunt: 1. Persuasio quæ est ab Electione non est conjecturalis: At hæc persuasio oritur ab Electione, v. 29. *Quos præscivit*, &c. & 33. *Quis accusabit electos Dei*, &c. Ergò non est conjecturalis hæc persuasio. 2. Persuasio quæ oritur à Spiritu S. non est conjecturalis: At hæc persuasio est ejusmodi, v. 26. *Spiritus unà sublevat infirmitates nostras*, &c. Ergò. 3. Si hæc persuasio esset duntaxat conjecturalis, nullam adferret consolationem: At hæc persuasio in medium adducitur ad ingenerandam animis fidelium consolationem, uti liquet ex toto contextu à v. 31. Ergò.

GUALTPERIUS.

15. EN ᾧ κράζομεν, Ἀββᾶ, ὁ πατὴρ, *per quem clamamus*, *Abba*, *i. Pater*] Syrus addit אבא אבון, ABBA, ABBUN, *Pater noster*. Vide Mar. 14 36.

JAC. CAPPELLUS.

15. NON *accepistis Spiritum servitutis*, qui vos *rursus in timorem* adigat; *sed Spiritum adoptionis*, *per quem clamamus*[*Abba*, *Pater*] Qualis erat federatorum status ante promulgationem Euangelii, talis erat charismatum quibus instruebantur modus &, ut ità dicam, genius. Federatorum sub typica federis Euangelici constitutione status is erat, ut etiamsi *filii* dici possent, & aliquando dicerentur: tamen parùm servis distarent, Gal. 4. 1. Eam ob causam spiritus quo donabantur erat quidem spiritus & adoptionis & fiduciæ, si compareretur cum spiritu quo feruntur impii; sed si compararetur cum eo spiritu quo Deus donavit federatos suos post Euangelii promulgationem, spiritus ille dici poterat *spiritus servitutis in timorem*, spiritus mancipans, spiritus tremefaciens. Etiam post Euangelii promulgationem Divinorum erga federatos charismatum ii sunt gradus, ut spiritus quo primùm donamur dici possit *spiritus servitutis in timorem*, quia plus habet timoris servilis quàm fiduciæ filialis; & tamen hoc ipso quòd angimur animi propter admissa peccata, quòd tremimus ad verbum Dei, id certè non est à spiritu carnis, sed à Spiritu Dei. Quin etiam perfectissimorum quorumque fidelium spiritus in hac vita comparatus cum spiritu gloriæ dici potest *spiritus servitutis in timorem*, ideóque Rom. 8. 23. resurrectio vocatur *adoptio redemptió*que, quia tum demum exuemur omnibus servitutis ac timoris servilis reliquiis, ut induamur eo dilectionis spiritu qui, cùm futurus sit numeris omnibus absolutus, etiam timorem omnem est excussurus: unde dicitur, *Perfecta charitas foràs pellit timorem*.

19. *Hac enim creatura* (ut ἡ sumatur pro αὕτη hoc & 20, 21, 22. versibus) *Hæc*, inquam, universitas creaturarum visibilium & corporearum *exserto capite exspectat revelationem filiorum Dei*] h. e. Tempus illud quo revelabitur quinam & quales futuri sint filii Dei. Hic necesse non est ut quæramus quomodo reprobi, multò minùs quòmodo dæmones dici possint ἀποκαραδοκεῖν *revelationem gloriæ nostræ*. Cùm enim hic ab Apostolo congerantur argumenta quibus pios confirmet adversùs iniquas persecutorum oppressiones, nempe 1. quòd perpessionum cum Christo societas sit nobis pignus futuræ nostræ cum Christo gloriæ, 2. quòd mala nostra nihili sint præ gloria nobis olim communicanda, 3. quòd nobiscum ingemiscant, & nobiscum gloriæ nostræ manifestationem exspectent omnes hæ creaturæ, omnino res ipsa docet ab hujus exspectationis societate saltem oppressores nostros excludendos, eóque Satanam ac omnes ejus ministros.

20. *Vanitati enim*, h. e. maledictioni, *res creata subjecta sunt*, *non sponte*, non ob ullam culpam quam sponte commiserint, *sed propter eum qui subjecit* eas isti vanitati, propter Adami culpam. Præterea tum Satanæ, tum ejus ministris adversùs Dei filios quodam modo militant omnes hæ vel pleræque creaturæ visibiles, at non sponte sed invitæ molestissimam hanc servitutem serviunt. Hic autem impiorum adversùs pios agon vocatur vanus, *vanitas* ipsa, non tantùm quòd irritum sed & quòd iniquissimum sit hoc certamen. Utrumque complectitur Hebræa vox און *Aven*, à qua fit Latina vox *vanus*, & cui perappositè respondet Græca vox ματαιότης.

21. *Sub spe quoniam & ipsa res creata liberabuntur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*] h. e. Cùm Dei filii in plenam libertatem & gloriam asserentur, spes est futurum ut & visibiles istæ creaturæ liberentur, 1. à servili corruptione quæ reddit eos novis indies mutationum, corruptionum generationúmque vicibus obnoxios, 2. à servili ministerio quod exhibere tenentur corruptelis hujus seculi militantis adversùs Dei legem, veritatem, filios.

22. *Scimus enim universam hanc ad hoc usque tempus creaturam unà suspirare & unà parturire*] Nobiscum videlicet. Unde colligitur, ab hoc συστεναζόντων numero subducendos eos qui nos cogunt στενάζειν *gemere*, ὠδίνειν *parturire*. Nam etiamsi gemere cogantur & ipsi sæpius quàm vellent, suis tamen tantùm malis, non nostris ingemiscunt, quod propriè significat συστενάζειν. Et præterea quemadmodum ὠδίνειν non est tantùm *dolere* sed & *eniti*, sic συνωδίνειν non est tantùm συμπάσχειν, *tangi sensu malorum nostrorum*, sed & *nobiscum eniti* ad quietem summam, quæ turbulentis istis motibus finem est impositura.

23. *Neque verò tantùm* hæ visibiles sed inanimatæ creaturæ sic gemunt, *sed & nos ipsi, qui primitias Spiritûs habemus, nos, inquam, ipsi apud nos ipsos suspiramus*] Dixeris has creaturas gemere, quia cùm servitutem serviant impiis, nullâ libertatis specie fruuntur; nobis autem, cùm liberi simus & à Christo manumissi, gemitus istos indecoros esse. Gemimus tamen, nec immeritò, ut qui primitias tantùm hereditatis nostræ libertatis acceperimus, non hereditatem totam, *exspectantes adoptionem* nostram, *redemptionem nostri corporis.* Nempe tum demum numeris omnibus absoluta erit adoptio nostra ac ejus manifestatio cùm redemptionis nobis à Christo partæ particeps fiet etiam corpus nostrum.

24. *Nam spe servati sumus*] Jam quidem nobis est parta salus, sed spe potius quàm re participes sumus illius salutis, cùm ejus applicatio non fiat tota semel & simul, sed paulatim, donec ad colophonem perducatur. ¶ *Spes autem quæ videtur non est spes*] Cùm fruimur eâ re quam speravimus, jam sperare desinimus, 1 Cor. 13. 12, 13. ¶ *Quod enim videt quis, cur etiam speret?*] Cùm eo quod speravimus jam fruimur cur eo nos fruituros quondam speremus? Speramus quidem futurum ut eo semper fruamur, sed eam certitudinem firmiorem & evidentiorem reddit lumen gloriæ quàm ut eam *fidei speive*, quæ laborant infirmitatibus variis, nomine nuncupemus. *Videre* verò pro *frui* passim dicitur apud Hebræos, ut Psal. 27. 13. *videre bonum.*

28. *Scimus autem iis qui Deum diligunt omnia cooperari*, (vel, si mavis, *opitulari*) *in bonum*, *iis*, inquam, *qui vocati sunt* à Deo *secundum* æternum ipsius *propositum*] Ne quis putaret immensum illud & inæstimabile piorum privilegium, quo videlicet illis nocere nihil, nihil exitio esse potest, sed illorum bono cooperantur omnia, tribuendum ipsorum pietati quâ Deum diligunt, monet Apostolus id in solidum esse tribuendum æterno proposito quo Deus illos diligere dignatus est, & ità vocare, ut reddiderit illos dicto audientes & amantes sui. Eâdem operâ discimus duplicem esse Dei vocationem, alteram quidem ab electione, alteram aliunde promanantem.

29. *Nam* οὓς *προέγνω, quos ab æterno dilexit, hos etiam ab æterno destinavit* reddere *conformes imagini Filii sui*] Idque non tantùm ærumnarum sed imprimis sanctitatis ac felicitatis ejus respectu. Dicuntur enim hæc ad pios consolandos, eòque complectuntur totam illam conformitatem quæ potest ad consolationem eorum pertinere. Deus autem omnia quidem novit, quosdam tamen dicitur *non nosse, nunquam novisse*; Matth. 7. 23. quos videlicet nunquam amore paterno dilexit. Contrà, quosdam, nempe justos, dicitur κατ' ἐξαίρετον *nosse*, Psal. 1. 6. h. e. amore paterno diligere, eorùmque bono consulere. Nam id quoque nonnunquam complectitur *Dei cognitio*, ut Deut. 2. 7. *Cognovit iter tuum*, h. e. prospexit rebus omnibus itineri tuo necessariis, *non defuit tibi quidquam.* Particula verò πρὸ in vocibus πρόθεσις, προέγνω, προώρισε designat æternitatem, ut antecedentem id omne quod in eo negotio possumus animo concipere.

32. *Quomodo non etiam hæc omnia cum illo gratificabitur?*] Τὰ πάντα pro ταῦτα πάντα, ut Matth. 6. 33. δεικτικῶς, omnia videlicet quæ digito monstrari, oculis videri possunt. Seneca suam XVII epistolam sic inchoat, *Projice ista omnia, si sapis, imo ut sapias.* Jubet Seneca nos *hæc omnia projicere*, solicitudinem videlicet harum rerum quæ sensibus nostris ingeruntur. Deus verò jubet quidem & ipse nos exuere solicitudinem illam, pollicetur tamen *se nobis hæc omnia gratificaturum*, h. e. illa daturum, si modò rerum illarum donatio beneficii locum est habitura, modò non illa recusare sit nobis utilius, eòque beneficii majoris rationem habeat quàm ea largiri.

34. *Quis est qui nos condemnet? Christus is est qui mortuus est* pro nobis, *imò verò qui & resurrexit* pro nobis, *quique* constitutus *est* pro nobis *ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis*] Quod postremo demum loco Paulus expressit, *pro nobis*, id in antecedentibus membris esse supplendum docet series orationis. Docet etiam id quod legitur Ephes. 2. 5, 6. Connexionis ratio patet ex Tit. 2. 14. *Tradidit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate.* Hinc vero colligitur manifestissimè, 1. Non omnibus impetratam peccatorum remissionem; 2. Deum semper assequi suum finem; 3. Mortem nostram non esse jam pœnam ultricem, sed castigationem, probationem, transitum ad meliora. Hinc quoque colligimus 1. Certitudinem electionis, 2. Fidei firmitatem, 3. πληροφορίας præstantiam. Nunquam fidelis ità loqui posset, si posset 1. Electus aliquis perire, 2. Fides prorsus interire, 3. Si nemo sentiret an sit verè fidelis & Dei filius. Sed qui convenit hæc oratio cum iis locis qui jubent nos lugere, & agnoscere quàm simus morte digni? Optimè; quia fides nostra nititur merito Christi, non nostro. Si fastus nos titillet, tum jubemur intueri vim 1. Peccati, 2. Legis, ac ità nos infra inferos ipsos dejicere. Si desperatio nos solicitet, tum jubemur intueri vim 1. Meriti Christi, 2. Electionis, 3. Regenerationis. Ità Scriptura gladius est anceps non ut ludens ambagibus aut ambiguis, sed ut omnibus morbis nostris prospiciens.

LUD. CAPPELLUS.

21. SUB *spe quòd & ipsa vindicabuntur*, &c] Judæi in hac sunt sententia, Mundum septimo à creatione millenario redigendum esse à Deo in antiquum suum Chaos, & in eo quidem statu permansurum חרוב *desolatum* totos mille annos. Id liquet ex libro R. Meir cui titulum fecit עבודת הקדש parte 10. cap. 3. sive ultimo, ubi fusè exponit R. Mosis F. Nachmanis (qui *Ramban* vulgò dicitur) de seculo futuro opinionem, *Scribit Ramban quod quoniam Deus hominis figuram & similitudinem ejus amat impensè, excitaturus est mortuos in anima & corpore, sicuti erant in principio*, nempe tempore creationis) *atque tum accipiet unusquisque à Deo secundum ea quæ fecit, sicque permanebunt ad finem usque sexti millenaris à creatione mundi. In fine autem sexti millenaris יחרב העולם destruetur Mundus, redigeturque לתהו ובהו in pristinum chaos; juxta illud, Terra instar vestis veterascet, & cœli instar fumi evanescent; atque sic relinquetur per mille annos. Atque millenarius ille est id quod vocatur העולם הבא seculum futurum juxta illud quod invenimus in מדרש, Benedixit Dominus diei septima, h. e. Benedixit Deus seculo futuro, quod inchoabitur in septimo millenario, & sanctificavit tempus illud Israeli.* Hæc ille. Jam verò eosdem Judæos in ea esse sententia, Mundum à Deo esse postea innovandum, videtur colligi posse certò ex Rabboth, Parasthâ ultimâ Deut. ubi de morte Mosis multa nugantur & fabulantur. Dicunt enim quod *cùm Moses videret decretum esse à Deo fore ut moreretur, induit saccum, eòque se obvolvit, & tamdiu Deum oravit, ut cæli commoverentur, terrâque & tota naturæ compages veluti dissolveretur, adeò ut creatura dicerent* שמא רוצה הקב״ה לחדש את עולמו, h. e. *Fortè vult Deus innovare hunc Mundum. Verùm* יצתה בת קול ואמרה, *oraculum de cœlo prodiit dixitque, Nondum vult Deus hunc mundum innovare, sed istud fit quia in manu ejus est anima omnis viventis & spiritus omnis carnis hominis.*

GROTIUS.

1. Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα, *Nihil ergo nunc damnationis*] Repetit sermonem quem reliquerat fine, ut nunc ista leguntur, capitis sexti: namque ibi dixerat vitam æternam illis certò esse repositam qui secundùm Euangelium vitam suam instituunt. Hic statim occurrebat objectio, Atqui multi Christianorum legem Mosis non observant; non sunt גרי צדק [*advenæ justitiæ*]. Respondet jam Paulus, Tantùm abesse ut ob id damnationi Divinæ subjaceant, ut ne Judæi quidem Lege Mosis ampliùs teneantur, si modò bona sua intelligant, & ex præscripto Christi vivant. Κατάκριμα [*damnatio*] hic ut & supra 5. 16. est idem quod *mors*, 6. 23. nempe *æterna.* ¶ Τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. *est iis qui sunt in Christo Jesu qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum*] Iis qui per Jesum Christum sive per Euangelium eousque perducti sunt, ut non eant quò carnis affectus rapiunt sine discrimine, sed Spiritum sanctum adepti ejus motibus constanter obsequantur.

2. Ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος, *Lex enim Spiritûs*] Tantò perfectior lege mentis, quantùm nova creatio superat veterem; tantò etiam perfectior Lege Mosis, quantùm lex solida præstat umbris. ¶ Τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *vitæ in Christo Jesu*] Τῆς ζωῆς [*vitæ*], id est, ζωοποιοῦ [*vivificantis*] illius, inquam, Spiritûs qui ad vitam æternam ducit quam Christus daturus est. ¶ Ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου *liberavit me à Lege peccati & mortis*] *Liberavit me* (id est, quemvis verè Christianum; Jam enim primam personam alio sensu usurpat) *primùm a peccandi consuetudine, deinde etiam à morte æterna*, quæ consuetudinem illam necessariò sequitur. Nam *peccati* voce hic non veniunt nisi τὰ προαιρετὰ [*arbitraria*], ut explicat Clemens Strom. 2. Sic ἁμαρτάνειν [*peccare*] etiam in Johannis Epistola sumitur.

3. Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, *Nam quod impossibile erat Legi in quo infirmabatur per carnem*] Hoc refertur non ad nomen aliquod, sed ad totum complexum quod sequitur, qualem constructionem & modò habuimus 7. 21. Hoc enim dicit, *id quod Christus præstitit, nequis-*

se

se Legem Mosis praestare, *quia caro*, id est, *carnales Judaeorum affectus vires ejus retuderant.* Vide Act. 13. 38. & Hebr. 9. 15. τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, bene transtulit Latinus, *nam quod impossibile erat Legi.* Casus enim possessivus talibus adjectivis additus idem valet quod dativus: sicut idem est *malum hominis* & *malum homini.* ἠσθένει, *minus potuit*, *excidit*, כשל. Pari sensu τὸ ἀσθενὲς τῆς ἐντολῆς [*infirmitas mandati*] dicitur Hebr. 7. 18. Ἐν ᾧ hic valet, *quia*, more Hebraico. ¶ Ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας, *Deus Filium suum mittens*] Nempe *in mundum.* *Mittere* autem Deus dicitur ubi mandata dat, ut diximus ad Joh. 4. 34. Vide & Jerem. 1. 7. ¶ Ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, *in similitudinem carnis peccati*] Id est, Ut tractaretur sic quomodo nocentes tractari solent, Esai. 53. 12. Marc. 15. 28. Philip. 2. 8. ¶ Καὶ περὶ ἁμαρτίας, *& de peccato*] *Propter peccata*: idem enim est quod διὰ τὰ παραπτώματα [*propter delicta*], supra 4. 25. Sic περὶ ἁμαρτιῶν [*pro peccatis*] 1 Cor. 15. 3. & Gal. 1. 4. & ita recte haec verba accepit Syrus. ¶ Κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί. *damnavit peccatum in carne*] *Per carnem suam scilicet morti traditam interfecit peccatum.* Nam κατακρίνειν [*damnare*] dicitur pro *interficere*, sicut κατάκριμα [*damnatio*] pro *morte*, quia damnari interfici solent: *interfecit* verò, id est, interficiendi nobis vires praestitit. *Interficere* est efficientiam adimere. Ita est hic μετάληψις [*Transsumptio*], sive figurarum multiplicatio. Vide quae supra 4. 25. Est autem argutè dictum. Ipse qui damnatus peccato videbatur, *damnavit peccatum.*

4. Ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, *Ut justificatio Legis impleretur in nobis*] *Ut nos praestaremus omnia quae in Lege Mosis per se honesta sunt*, quae dicuntur משפטים [*instituta*], sicut ea quae sunt addita vocantur חקים ἐντολαί [*praecepta*], ubi distinctè loquuntur Hebraei. Praestant autem qui verè sunt Christiani illa quae in Lege Mosis honesta sunt, & in illis majora, ut diximus supra 3. 31. non quia Moses jussit, sed quia Christus, qui & vires dedit. ¶ Τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα *qui non secundùm carnem ambulamus*, *sed secundùm Spiritum*] Repetit quod dixerat suprà v. 1. ut ostendat se agere de Christianis re & nomine, quales plerique erant qui Christianismum profitebantur crucis tempore.

5. Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες, *Qui enim secundùm carnem sunt*] *Hi qui possidentur à carnis affectibus*, quae παθήματα [*passiones*] dixit supra. Sic κατείδωλον [*idololatriae deditam*] urbem in Actis habuimus. ¶ Τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν· *quae carnis sunt sapiunt*] Φρονεῖν & φρόνημα Paulo non ad intellectum, sed ad studium solet referri. Vide quae diximus ad Matth. 16. 23. Solent animi constitutionem actiones frequenter sequi. Vide quae ad Matth. 7. 18. ¶ Οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, *qui verò secundùm Spiritum sunt*] *Qui possidentur à Dei Spiritu*, qui nunc non nisi per Christum contingit. ¶ Τὰ τοῦ πνεύματος. *quae sunt Spiritûs sentiunt*] Id est, *student rebus sanctis*, *qualis est ille Spiritus.*

6. Τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος. *Nam prudentia carnis mors est*] Hic rationem reddit cur supra dixerit etiam à morte se liberatum, quia *studium illud carnis affectibus per omnia obsequendi ad mortem eamque aeternam ducat.* Vide supra 6. 21. & 7. 10, 11, 24. Φρόνημα hic idem quod יצר [*cogitatio*], Gen. 6. 5. *Mortem* hic dicit pro *causa mortis*, ut supra 7. 13. ¶ Τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ζωὴ καὶ εἰρήνη *prudentia autem spiritûs*, *vita & pax*] Id est *causa est vitae ac felicitatis* quam Hebraei *pacis* nomine appellant. Vide supra 2. 10.

7. Διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς τὸν Θεόν. *Quoniam sapientia carnis inimicitia est in Deum*] *Est inimicitia cum Deo*, id est, ita se gerit, sicut solent inimici. Causae nomen pro effectu. Vide Jac. 4. 4. ¶ Τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται. *Legi enim Dei non subjicitur*] Fertur quà lubet, non quà monstrat Dei Lex. Non malè huc, sed sensu eminentiore aptes quod dixit Agathon.

> πρὸς τὸ τετράχορδον δ᾽ ὅλον,
> Τὴν ἡδονήν, ἐπιθυμίαν, λύπην, φόβον
> Ἀσκήσεώς γε καὶ μάχης πολλῆς δέει.
> Οὗτοι γάρ, ἤτοι καὶ διὰ σπλάγχνων ἔσω
> Χωροῦσι καὶ κινοῦσιν ἀνθρώπων κέαρ
> [— *hos in quadrijuges*,
> *Metum*, *dolorem*, *cupiditatem*, *gaudia*,
> *Meditatione maxima & pugna est opus*:
> *Hi namque sunt*, *hi nostra qui sub viscera*
> *Intrant*, *& imo corde qui fluctus cient*].

¶ Οὐδὲ γὰρ δύναται. *nec enim potest*] Lex enim definitum est aliquid. Cupiditates infinitae. Similia loquendi genera habes 1 Cor. 2. 14. 1 Joh. 3. 9.

8. Οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες, Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται. *Qui autem in carne sunt*, *Deo placere non possunt*] Qui tales sunt, quales descripsi, Deo placere non magis possunt, quam Regi subditi rebelles. Quomodo ergo Deus illis daret summum munus, id est, felicitatem aeternam?

9. Ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐστὲ ἐν σαρκί, ἀλλ᾽ ἐν πνεύματι, *Vos autem in carne non estis*, *sed in spiritu*] Christianos tam Judaeos quàm alienigenas alloquitur. Quod modò dixit κατὰ σάρκα [*secundùm carnem*] & κατὰ πνεῦμα [*secundum spiritum*], nunc dixit ἐν σαρκὶ καὶ ἐν πνεύματι [*in carne & spiritu*], sicut ἔνθεον [*entheum*] dicunt Graeci *eum qui à Deo possidetur.* Similitudo sumpta ab iis qui custodibus undique sepiuntur, & in eorum sunt potestate. ¶ Εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. *si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*] Est & hic effectus pro causa: vult enim dicere, *Si tamen ita fidem imbibistis & animo mundati estis*, *ut dignetur in vobis habitare aura illa caelestis.* ¶ Εἰ δέ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, *si quis autem Spiritum Christi non habet*] Rectè πνεῦμα Χριστοῦ [*Spiritum Christi*] dixit quod modo πνεῦμα Θεοῦ [*Spiritum Dei*], quia post Euangelii patefactionem Spiritus ille non datur nisi per Christum, Joh. 14. 16, 17, 26. & *habere* sic dicit, sicut domus dicitur *habere dominum.* ¶ Οὐκ ἔστιν αὐτοῦ. *non est ejus*] *Nondum plenè Christi est*: Nam credere & baptizatum esse non sufficit.

10. Εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν, *Si autem Christus in vobis est*] Hic ἐν [*in*] aliter quàm supra sumitur. *In vobis*, tanquam in templo suo, nempe per Spiritum, qui *Christi vicarius* Tertulliano dicitur. ¶ Τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι᾽ ἁμαρτίαν. *corpus quidem mortuum est propter peccatum*] Diximus supra *corpus* & *carnem* Hebraeis promiscue sumi. *Carnem* pro *affectibus carni congruentibus* saepe habuimus. Ita & hic ponitur *corpus* quod in Christianis dicitur esse *mortuum*, id est, exutum pristina illa quidvis agendi libertate, *propter peccatum*, id est, ad vitandum peccatum, sicut dicitur aliquis *fugere propter hostes.* ¶ Τὸ δὲ πνεῦμα, ζωή, *Spiritus verò*, *vita*] Et hic μετωνυμία [*transnominatio*] est, pro *causa vitae.* Sicut *mors*, id est, mortis causa, supra 7. 13. ¶ Διὰ δικαιοσύνην. *propter justitiam*] Quia operatur in nobis justitiam non humanam sed Divinam, quae justitia non obscurè dicitur causa vitae aeternae.

11. Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, *Quod si Spiritus ejus*, *qui suscitavit Jesum à mortuis*, *habitat in vobis*] Spiritus Dei Patris & Christi, ut jam diximus. Hic verò *Spiritus Patris* dicitur, quia inde prima ejus origo est, neque simpliciter dixit *Patris*, sed cum elogio maximè ad rem pertinente, *ejus qui suscitavit Christum e mortuis.* ¶ Ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, *qui suscitavit Christum à mortuis*] Idem ille Pater, cui ut principi causae tribui solet Christi resurrectio, Act. 3. 15. & 4. 10. & 5. 30. & 13. 37. Supra 4. 24. 1 Cor. 6. 14. & alibi. ¶ Ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, *vivificabit & mortalia corpora vestra*] Idem est ζωοποιήσει [*vivificabit*] quod ἐγερεῖ, יחיה [*resuscitabit*]. Hoc sensu verbum hoc habes Johan. 5. 21. est & supra 4. 17. 1 Corinth. 15. 22. Galat. 3. 21. ¶ Διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν. *per inhabitantem Spiritum ejus in vobis*] Non paulò melior est lectio altera, διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν [*propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*], quomodo legére Syrus, Latinus, Origenes, Chrysostomus, Oecumenius, & alii. Sicut Christum, quia in se habuit naturam illam Divinam quae Johanni λόγος [*Verbum*] vocatur, aliis etiam *Spiritus*, ut diximus ad Marc. 2. 8. ob id ipsum aequum non fuit manere in morte, sed eum resuscitari oportuit, ut claré dicunt Paulus supra 1. 4. Petr. 1 Epist. 3. 18. & scriptor ad Hebr. 9. 14. ita etiam non patitur Deus in morte manere eos quibus dedit Spiritum suum. Neque enim dat eum ut auferat: sed dat ut arrhabonem, id est, partem pretii, ut fidem faciat ipsum etiam pretium, id est, vitam aeternam secuturam, 2 Cor. 1. 22. & 5. 5. Ephes. 1. 14.

12. Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, ὀφειλέται ἐσμέν, οὐ τῇ σαρκί, τοῦ κατὰ σάρκα ζῆν. *Ergo*, *fratres*, *debitores sumus non carni*, *ut secundùm carnem vivamus*] Subauditur ex ratione oppositi, & ex iis quae sequuntur, Ἀλλὰ πνεύματι τοῦ κατὰ πνεῦμα [*sed Spiritui ut secundùm spiritum*].

Quisquis magna dedit, voluit sibi magna rependi.

Deus Spiritum suum dedit, ut eo utamur. Clemens Strom. 2. τὸν εἰληφότα τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν οὐκ ἔτι ἁμαρτάνειν χρή [*eum qui peccatorum accepit remissionem amplius peccare non oportet*]. Aliter qui faciunt ii dicuntur *Spiritum sanctum dolore afficere*, Ephes. 4. 30. imò & *exstinguere*, 1 Thess. 5. 19. Cum cura haberi vult tam magnus hospes, alioqui valedicit hospitio.

13. *Εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν, Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini*] Nempe sine spe vitæ melioris, quam qui habent dormire potiùs quam mori videntur. Deus summum bonum non dat sua præcepta spernentibus ¶ *Εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis*] Est & hic *μετωνυμία* [*Transnominatio*]. Nam *πράξεις* [*facta*] dixit cùm vellet intelligi *παθήματα καὶ τὰς ἐπιθυμίας* [*passiones & concupiscentias*], ut Galat. 5. 24. aut *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς* [*prudentiam carnis*], ut supra, ex quibus oriuntur *αἱ πράξεις* [*facta*]. Sicut autem *ζωοποιεῖν* Hellenistis sæpe est *in vita conservare*, Nehem. 9. 6. Psal. 71. 20. Ecclesiastæ 7. 12. ita & *θανατοῦν*, *in morte retinere*. Sunt enim jam interfectæ cupiditates malæ priusquam in cor intret Spiritus Sanctus. Vide supra 6. 6. *Ζήσεσθε. vivetis*] Vitâ planè felice, quæ *æterna vita* dicitur.

14. *Ὅσοι γὰρ πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, Quicunque enim Spiritu Dei aguntur*] *Aguntur*, id est, animantur sicut apud Virgilium,

Mens agitat molem. —

Sic & Galat. 5. 18. De iis agit qui in corde habent Legem Dei, de quibus vaticinatur Esaias 51. 7. ¶ *Οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ. ii sunt filii Dei*] Excellenti modo: nam si Adam dictus *Dei filius*, ut diximus ad Lucam 3. 38. quia Deus ei inflâsset vitæ terrestris spiritum; quantò magis ii quibus inflavit Deus sanctitatis Spiritum? Vide 1 Johan. 3. 1.

15. *Οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον, Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem*] *Spiritum servitutis* hic vocat affectum servilem metu solo pœnæ præsentis à malo abstinentium, qualis erat status maximæ partis Judæorum sub Lege Mosis. Meritò autem servile hoc vocat: nam servi plerumque noxis abstinent, non domini amore, sed metu crucis aut pendentis habenæ. Sic Horatius,

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus; Habes pretium, loris non ureris, ajo.
Non hominem occidi; Non pasces in cruce corvos.

Aristoteles, *Χείρους δὲ ὅσοι οὐ δι' αἰδῶ, ἀλλὰ διὰ φόβον αὐτὸ δρῶσι, καὶ φεύγοντες οὐ τὸ αἰσχρὸν ἀλλὰ τὸ λυπηρόν* [*Deteriores autem, qui id non pudore sed metu faciunt, nec quod turpe sed quod triste est fugiunt*]. [illegible] *πνεῦμα* [*spiritus*] pro *affectu* frequens Hebræis, unde & pro *ira* & pro *amore* sumi solet. Sic & 1 Cor. 2. 12. & 4. 21. Galat. 6. 1. quod hic *πνεῦμα δουλείας εἰς φόβον* [*spiritus servitutis in timorem*], idem *πνεῦμα δειλίας* [*spiritus timoris*] 2 Tim. 1. 7. ¶ *Ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, sed accepistis spiritum adoptionis*] Non satis habuit dicere *spiritum libertatis*, sed dixit *adoptionis*: nam qui adoptantur, si servi sint, & liberi ex servis fiunt & filii. Filii lege facti *θετοὶ* [*adoptivi*] dicuntur in jure Græco. Verbum est *υἱοθετεῖν* [*in filium adoptare*], unde nomen *υἱοθεσία*, quod & *arrogationem* & *adoptionem* specialiter Romanis dictam comprehendit. Poterat & ab ipsa naturali generatione similitudinem sumere Apostolus, [illegible] ut ab adoptione sumeret, huic loco convenientius fuit, quia simul meminit status prioris, quasi servilis. ¶ *Ἐν ᾧ κράζομεν, Ἀββᾶ ὁ πατήρ. in quo clamamus, Abba Pater*] Imitatur puerorum patribus blandientium voces, ut diximus ad Marci 14. 36. Articulus *ὁ* hic habet vim vocativi, ut apud Aristophanem, *ὁ παῖς φέρε* [*puer fer*] & *ὁ Ξανθίας* [*Xanthias*] pro *Ξανθία* [*Xanthia*]. Ex Syriaco [illegible] est Græcum *Ἀπφῦς* [*Pater*]. Tum verò mos est blandientium repetere aut voces easdem, ut Matth. 7. 22. aut paris significatûs, ut Psalm. 8. 1. Recitat autem Apostolus voces quas statim à baptismo enuntiabant Christiani.

16. *Αὐτὸ τὸ πνεῦμα, Ipse Spiritus*] *Spiritus ille à Deo datus.* ¶ *Συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν,* [*testimonium reddit spiritui nostro*] id est, *μαρτυρεῖ* [*testimonium reddit*]. Sic eandem vocem compositam pro simplici habuimus supra 2. 15. *πνεῦμα ἡμῶν* [*spiritus noster*] hic est *animus noster* ut 1 Corinth. 2. 11. 2 Corinth. 7. 1. Vox enim [illegible] [*spiritus*] apud Hebræos est valde *πολύσημος* [*multa significans*], & Paulus, ut diximus, vocum similitudines venatur, etiam in significatu diverso: quod genus figuræ Græci *ἀντανάκλασιν* [*Refractionem*] vocant, qualis apud Plautum,

Oculorum præstingunt aciem in acie hostibus.

¶ *Ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ. quòd sumus filii Dei*] Sicut Sparti ex lanceæ signo impresso corpori, Pelopidæ ex humero eboris in modum candicante genus suum noscebant. Deus tale donum non dat nisi iis quos pro filiis habere vult.

17. *Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι Si autem filii, & heredes*] Sententia est conveniens non tantùm Israelitico, Numeror. 27. sed etiam Gentium juri. Nam Lex quædam tacita liberis parentum hereditatem addicit, L. cum initio. D. de bonis damnatorum. Sed magis est ut jus Hebræum respexerit Paulus, ideoque *τέκνα* hic sint *υἱοὶ* [*filii*], non quòd non utrique sexui Christianorum aptari possint quæ dicit, sed quod jure Mosis filii necessariò heredes, filiæ non nisi filiis deficientibus. Et solet vox *τέκνον* eximiè de *filio* dici, Matth. 21. 28. ¶ *Κληρονόμοι μὲν Θεοῦ, heredes quidem Dei*] In voce *heredis* hic non respicitur jus succedendi in bona defuncti, sed possessio firma atque inalienabilis, qualis erat rerum soli apud Hebræos quæ vocantur [illegible] [*possessio*], & Hellenistis *κλῆρος, κληρονομία, κληροδοσία* [*sors, hereditas, possessio hereditaria*], interdum *κατάσχεσις* [*possessio*], qua voce & Stephanus in oratione sua bis utitur. Sic distinguuntur *patrimonium* Abrahami & *munera*, Genes. 25. 5, 6. Apud Deum patrimonii locum habet cœlestis felicitas. ¶ *Συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ coheredes autem Christi*] Tanquam *πρωτοτόκου* [*primogeniti*], quomodo vocatur infra v. 29. Matth. 1. 25. Luc. 2. 7. Colossens. 1. 15. Hebr. 1. 6. Regnabimus, sed sub Christo & per eum. Nam ille disertè est *κληρονόμος πάντων* [*heres omnium*] Hebr. 1. 2. nos fideicommissi titulo. ¶ *Εἴπερ συμπάσχομεν, si tamen compatimur*] Nempe Christo, id est, Si constanti patientiâ adversa omnia toleremus, sicut Christus fecit. Bene adjecit conditionem, quia *nativitas salutaris non accepta, sed custodita vivificat*, ut ait Cyprianus. Vide Matth. 10. 33. Galat. 6. 9. ¶ *Ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν. ut & conglorificemur*] Causam addit cur tolerare mala illa constanter debeamus, spe certa scilicet futuræ gloriæ. Idem sensus 2 Timoth. 2. 11. 12.

18. *Λογίζομαι γὰρ, Existimo enim*] Id est, *hoc enim semper cogito*, ut & vos cogitare debetis. Sic verbum *λογίζεσθαι* [*existimare*] habuimus supra 3. 28. & 6. 11. Veterum quidam vertunt, *expendo*: non malè. ¶ *Ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. quòd non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*] Quæ enim proportio? toleramus brevia, exspectamus æterna. Notat Chrysostomus patientiæ opponere Paulum non levamentum à malis, quod directè ei opponitur, sed aliquid multò majus: gloriam ex patientia, & dicere eum, *futuram in nos*, id est, circa nos *reveletur hæc gloria*, quia jam nunc jus ad eam habemus, sed quod non omnibus appareat, Colossens. 3. 4. *Ἄξιοι* [*digni*] vox deducta est ex rebus quæ ponderantur. Nam quod pondo exempli causâ pendet, dicitur *τοσοῦτον ἄγειν*, id est, *trahere*, *deducere*. Utitur sic Plutarchus vitâ Demosthenis. Hinc *agina* apud Festum quâ inseritur scapus trutinæ. Homerus *ἀξία* vocem sic usurpat:

— *νῦν δ' οὐδ' ἑνὸς ἄξιοί ἐσμεν*
[— *contra nec pendens possumus unum*].

Si in alteram lancem injicias adversa quæ ferenda sunt, in alteram bona quæ exspectantur, immensùm propendebit in qua sunt bona. Idem sensus 2 Cor. 4. 17.

19. *Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat*] Hic *κτίσιν* [*creaturam*] sunt qui intelligant Christianos, qui *novæ* sunt *creaturæ*: sed ii simpliciter & sine additamento *κτίσις* [*creatura*] non vocantur. Neque satis cohæret sermo, si iidem sunt *κτίσις* [*creatura*] & *υἱοὶ τοῦ Θεοῦ* [*filii Dei*]. Origenes *κτίσιν* [*creaturam*] de corpore accipit singulorum Christianorum, quasi *τέκνα Θεοῦ* [*Filii Dei*] sint animæ solæ: nimis Pythagoricè & non ex more Pauli. Verius est *κτίσιν* [*creaturam*] hic dici, ut Hebræis [illegible], hoc universum quod conspicimus; quo sensu *κτίσις* [*creatura*] dicitur Judith. 9. 19. & 16. 11. Sap. 2. 6. & 5. 18. & 16. 24. & 19. 6. Et respici hîc locum Ecclesiastæ dicentis *totum hoc esse vanitatem* id est, *vanitati subjectum* 1. 2, 8. *ματαιότητι ὑποταγὲν*, ut Paulus jam loquetur: quia scilicet perpetuo orbe alia gignuntur, alia intereunt, animalia scilicet & plantæ & metalla, & partes terræ maris, aëris, etiam cœli ac syderum, secundum Veterum sententiam. Philo de Caino, *Ἥλιον γὰρ καὶ σελήνην καὶ τὸν σύμπαντα οὐρανόν τε καὶ κόσμον, ἅτε καὶ οὐκ ὄντα αὐτεξούσια, καὶ κινούμενα καὶ φερόμενα συνεχῶς, θέμις ἐστὶν ἀποκαθαίρειν καὶ τοῦ λεγομένου μαρτύριον ἐναργέστεραι αἱ ἐτήσιοι ὧραι. Τά τε γὰρ συνεκτικώτατα τῶν ἐν οὐρανῷ τὰς κινήσεις ἐναλλάττει, τότε μὲν βορείας, τότε δὲ νοτίας, τότε δ' ἀλλοίας ποιούμενα τὰς*

περι-

περιφορᾶς, ὅ τε ἀὴρ ἀλλοιούμενος καὶ ψυχόμενος καὶ πάσας τροπὰς ἀλλοιούμενος ἐκ τῶν ἰδίων παθημάτων ἐλέγχεται κάμνων· ἐπεὶ τὸ συνεκτικώτατον μεταβολῆς αἴτιον, κάματος. Εὔηθες δὲ ἴσως περὶ τῶν χερσαίων ἢ καθ' ὕδατος μακρηγορεῖν τὰς καθόλα καὶ κατὰ μέρη τροπὰς αὐτῶν ἐπὶ μήκιστον διεξιόντα· ταῦτα γὰρ πολὺ πλείω τῶν μεταρσίων κατὰ τὸ εἰκὸς ἀσθένειαν ἐνδέχεται, ἅτε πλεῖστον μετέχοντα τῆς ὑστάτης καὶ γεώδους οὐσίας [*Solem enim & Lunam & universum cælum, mundumque, cùm non sint sui juris & in potestate propria, & moveantur ferantur que continuè, fas est dicere laborare. Cujus laboris argumentum liquidissimum exstat in annuis horarum sive temporum quatuor vicibus. Nam & ea quæ in cælo sunt amplissima suos motus variant, jam septentrionales jam austrinos, jam alios atque alios cursus facientia: aër quoque frigus, æstum & omnimodam admittens temperiem, ex suis affectionibus laborare deprehenditur: quoniam generalissima mutationis causa est fatigatio. Studium autem esset de terrestribus aquaticisque prolixiùs agere, memorando universales particularesque horum mutationes. Hæc enim consentaneum est multò magis quàm sublimia illa imbecillitati esse obnoxia, ut quæ plurimum ultimæ istius ac terrenæ substantiæ habeant*]. Exspectatur autem post *ἐμπύρωσιν* [*universi conflagrationem*] multò melior puriorque machina, 2 Petr. 3. 13. Ubi Hebraïco more *cæli* & *terra* nomine nova rerum summa intelligitur, etsi fortè non in cœlum terramque distincta. Sicut autem frequentes sunt *προσωποποιίαι* [*personarum fictiones*] apud omnes scriptores, ita & apud sacros, ut cùm *audire* jubentur *cælum & terra*, cùm *montes exultasse*, *maria & amnes trepidasse* dicuntur, ut Deuteron. 32. 1. Psalm. 114. Similia habes Jerem. 47. 6. Oseæ 13. 14. Et cùm non sensus tantùm, sed & locutio eis affingitur, ut Esai. 55. 12. Baruch 3. 34 Habac. 2. 12. Supra cæteros autem Paulus amat *προσωποποιεῖν* [*personas fingere*] nunc legem, nunc peccatum, nunc mortem, & hic naturam rerum aspectabilem. Cœperant Christiani à Claudii temporibus malè tractari. Eos Paulus dupliciter consolatur, Primùm quòd tota rerum universitas rerum vicibus & interitioni sit obnoxia: stultum autem sit sibi optare quod mundus non habet. De qua re vide chorum Senecæ in Thyeste fine actûs 4: & Epistolam Sulpitii ad Ciceronem, & Senecam ad Helviam. Deinde quòd Apostoli quotidie multas patiantur vexationes & contumelias; non debeant autem Christiani eam sortem recusare quam Apostoli libenter ferant. *ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως* [*exspectatio creaturæ*], est ipsa *κτίσις ἀποκαραδοκοῦσα* [*creatura exspectans*], more Hebræo. Significat *ἀποκαραδοκία* hic & Philipp. 1. 20. *attentam exspectationem*, qualis est eorum qui stant capite arrecto cùm aliquem opperiuntur è longinquo venturum, quod *καραδοκεῖν* dicunt Herodotus, Euripides, Aristophanes, alii. In Glossario, *καραδοκῶ*, *exspecto*: usurpat & Josephus. Cicero ad Atticum 9. 12. *τὸ μέλλον ἐκεῖ καραδοκήσεις* [*futurum exspectabis*]. Quid ergo dicit *opperiri tam attentè rerum naturam*? *Patefactionem filiorum Dei*, id est, tempus illud cùm omnibus apparebit esse filios Dei qui nunc sunt quidem, sed non putantur esse. Apparebit autem cùm Deus eos faciet *sibi similes* 1 Johan. 3. 2. Utitur autem Apostolus voce *ἀποκαλύψεως* [*revelationis*], quia præcesserat *τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι* [*gloriam quæ revelabitur*]. Totam hanc naturam hominum causâ conditam non Moses tantùm statuit, sed & Philosophorum optimi. Non debet ergo reformari in statum meliorum nisi cùm homines reformabuntur. Et hunc quem jam explicavimus sensum alibi sequitur Origenes, libro nempe contra Celsum 5. cùm de Sole & Luna locutus dicit, *περὶ ὧν ὁμολογοῦμεν ὅτι τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀποδέχονται* [*à quibus fatemur quoque exspectari revelationem filiorum Dei*].

20. *Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη*, *Vanitati enim creatura subjecta est*] *Ματαιότητα* [*vanitatem*] vocat rerum instantiam ac mutabilitatem, ut apparet ex Ecclesiastæ loco, & ex Psalm. 39. 6. *Ὑπετάγη* significat *subest*, passivum pro neutro. ¶ *Οὐχ ἑκοῦσα*, *non volens*] Res sensum habentes omnes amant sui conservationem: & si quibusdam credimus, nullæ sunt quæ non aliquem sensum habeant, quanquam is non eo ab omnibus nomine appelletur. Sic supra Philo, *οὐκ ὄντα αὐτεξούσια* [*cùm non sint sui juris & in potestate propria*]. *conditionem invitam vanitati succidisse* ait Tertullianus. ¶ *Ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα*. *sed propter eum qui subjecit eam*] Pulchra quidem creaverat Deus, sed caduca. Tertullianus de corona & alii hoc referunt ad tempus post peccatum, quod recipi potest, si sola spectetur noxa quæ à rebus aliis ad homines pervenit: at in Apologetico Tertullianus ad ipsam creationem hoc refert: *Quæ ratio universitatem ex diversitate composuit*, *ut omnia æmulis substantiis sub unitate constarent*, *ex vacuo & solido*, *ex animali*, *& inanimali*, *ex comprehensibili & incomprehensibili*, *ex luce & tenebris*, *ex ipsa vita & morte*; *eadem ævum quoque ita destinatâ ac distinctâ conditione conservat*, *ut prima hæc pars ab exordio rerum quas incolimus temporali ætate ad finem defluat*, *sequens verò quam exspectamus*, *in infinitam æternitatem propagetur*. *Cum ergo finis & limes medius*, *qui interhiat*, *adfuerit*, *ut etiam mundi ipsius species transferatur æquè temporalis*, *quæ illi dispositioni æternitatis aulæi vice oppansa est*, *tunc restituetur omne humanum genus ad expungendum quod in isto ævo boni seu mali meruit*.

21 *Ἐπ' ἐλπίδι*, *in spe*] Prosequitur *προσωποποιίαν* [*personæ fictionem*]: & cohæret hoc cum *ὑπετάγη* [*subjecta est*]. ¶ *Ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς*, *Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis*] Hic interpretatur quod *ματαιότητα* [*vanitatem*] dixerat: & id quod *subjici* dixerat, nunc vocat *servitutem*, & ei opponit *liberari*. Simile illud Euripidis,

> *Τὸ τῆς ἀνάγκης οὐ λέγειν δεινὸν ζυγόν*
> [*Necessitatis onus inenarrabile*].

¶ *Εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ*, *in libertatem gloriæ filiorum Dei*] *Τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ* [*gloriæ filiorum Dei*] habet hic temporis significationem. *Libertatem*, inquit, *à vanitate sive interitu accipiet tunc*, *cùm filii Dei ad gloriam illam æternam pervenient*. Tertullianus adversùs Hermogenem, *Tunc erit morti finis*, *cùm præses ejus diabolus abierit in ignem quem præparavit illi Deus & Angelis ejus*, *priùs in puteum abyssi relegatus*, *cùm revelatio filiorum Dei redemerit conditionem* (Sic *κτίσιν* vertere solet) *à malo ubique vanitati subjectam*: *cùm restitutâ innocentiâ & integritate conditionis pecora convixerint bestiis*, *& parvuli de serpentibus luserint*, *cùm Pater Filio posuerit inimicos sub pedes*, *utique operarios mali*. Quorum ultima non absunt à Rabbinorum sententia, qui existimant etiam muta animantia meliorem statum adeptura cùm homines resurgent. Vide Manassem de Resurrectione. Philo libro de Præmiis, *Οὐκ ἀπελπιστέον ὅτι ἐξημερωθέντων τῶν κατὰ διάνοιαν καὶ τὰ ζῷα ἡμερωθήσεται* [*Non desperandum*, *mitiori factâ mente nostra*, *animalia quoque mansuetiora fore*]. & postea, *Τότε καὶ σκορπίων γένη καὶ ὄφεων καὶ τῶν ἄλλων ἑρπετῶν ἄπρακτον ἕξει τὸν ἰόν* [*Tunc & scorpionum serpentum. que venena cessatura cæterorumque reptilium*]. Solent boni patres in honorem filiorum etiam servos eorum ornare.

22. *Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν*, *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit*, *& parturit usque adhuc*] *Omnes simul mundi partes suspirant & parturiunt hactenus*, nempe *ut liberentur*. Est Translatio sumpta à femina, quæ cum magno dolore ac gemitu parturit, exspectans ut onere liberetur. *Στενάζειν* [*ingemiscere*] est etiam parturientium.

23. *Οὐ μόνον δὲ*, *Non solùm autem illa*] *Non tantùm totus mundus istorum malorum est particeps*. ¶ *Ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες*, *καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν*, *sed & nos ipsi primitias spiritûs habentes*, *& ipsi intra nos gemimus*] Sed & nos, inquit, Apostoli scilicet, eadem mala sentimus ac plangimus. Apostolos autem egregia circumscriptione denotat, cùm illos nominat, *qui primitias accepere Spiritûs Sancti*, quod Apostolis aliis contigit Pentecostes die, Paulo verò paulò post admirabilem illam de cœlo vocationem. *ἀπαρχὴ* est תרומה *id quod ante decimas Deo sacrabatur*, unde dici cœpit de omnibus iis qui alios tempore antecedunt. ut videre est infra 11. 16. & 16. 5. 1 Cor. 15. 20, 23. & 16. 15. Jac. 1. 18. ¶ *Υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι*, *adoptionem filiorum expectantes*] Est enim duplex *υἱοθεσία* [*filiorum adoptio*], altera in Spiritu quæ hîc fit, ut vidimus supra v. 14, 15. altera in toto homine ac coram omnibus. Vide Joh. 1. 12. Luc. 20. 36. Ideo quia vox erat ambigua, per appositionem eam explicat. ¶ *Τὴν ἀπολύτρωσιν τῶν σωμάτων ἡμῶν*. *redemtionem corporum nostrorum*, *Ἀπολύτρωσις* [*redemptio*] animorum hîc fit cùm à vitiis purgantur: corporum tunc fiet cùm ea ab omnibus malis libera revivifcent. Sic *ἀπολύτρωσις* [*redemptio*] sumitur Luc. 21. 28. Ephes. 1. 14. & 4. 30, 31. Hebr. 11. 35.

24. *Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν*, *Spe enim salvi facti sumus*] Id est, *salutem æternam non habemus adhuc*, *sed speramus*. Sic Cicero dixit *in spe esse negotium*, quod non exstitit, sed speratur. ¶ *Ἐλπὶς δὲ βλεπομένη*. *spes autem quæ videtur*] Hic *spem* dixit pro *re quæ speratur*. Ea ubi videtur & habetur, desinit sperari. Sic & *πίστις πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων* [*Fides argumentum rerum non apparentium*] Hebr. 11. 1. ¶ *Ὃ γὰρ βλέπει τις*, *τί καὶ ἐλπίζει*; *nam quod videt quis*, *quid sperat*? *Cur ultra id speret*? Est enim indicativus pro subjunctivo:

In Manuscripto quem sæpe laudo, est τί καὶ ὑπομένει [*quid & expectat?*].

25. Εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν ἐλπίζομεν, δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα. *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus*] Id est, spes ista non infructuosa est in nobis, sed egregiam virtutem operatur, malorum fortem tolerantiam supra 5. 4.

26. Ὡσαύτως δὲ, *Similiter autem*] *Præterea*, יחד, quod modò per ὡσαύτως [*similiter*], modò per μετὰ ταῦτα [*postea*] explicatur. ¶ Καὶ τὸ πνεῦμα, *& Spiritus*] *Spiritus Dei* supra v. 2. & 14. à Christo promissus & datus, unde & *Christi Spiritus* dicitur supra v. 9. Tertia hîc sequitur Christianorum consolatio ab *auxilio Spiritûs.* ¶ Συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. *adjuvat infirmitates nostras*] Συναντιλαμβάνεσθαι est *auxilio esse*, ut Luc. 10. 40. & per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *solari.* Ἀσθένειαι [*infirmitates*] Apostolo sunt *dolores ex rebus adversis*, ut 1 Cor. 2. 3. 2 Cor. 11. 30. & 12. 5, 9. Gal. 4. 13. Hebr. 4. 15. & 5. 2. & 11. 34. Sic & ἀσθενεῖν [*infirmari*] sumitur 2 Cor. 11. 29. & 13. 9. עצב Hebræum vertitur πόνος [*labor*], ὀδύνη [*dolor*], ἀσθένεια [*infirmitas*]. *Spiritus ille molestiam nostram solatur.* ¶ Τὸ γὰρ τί προσευξόμεθα καθὸ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν, *nam quid oremus sicut oportet, nescimus*] Latini καθὸ δεῖ [*sicut oportet*] referunt ad οὐκ οἴδαμεν [*nescimus*], *non satis scimus.* Naturaliter homo orat eximi rebus adversis: & tales ferme sunt preces, etiam bonorum, sub veteri & carnali Testamento. ¶ Ἀλλ' αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. *sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*] Στεναγμοὶ sunt אנחות *suspiria sub onere gravi laborantium*, 2 Cor. 5. 2. unde & ad internos animi motus transfertur. ἀλάλητοι, id est, *etiam sine voce.* Judæi nullas preces valere censebant nisi voces saltem intra labia exprimerentur. Christiani etiam solo animo conceptas preces non perdunt. ὑπερεντυγχάνειν [*postulare*] est advocatorum, qui *clientibus desideria dictant.* Id autem Spiritui Sancto ideo tribuitur, quia preces ad Deum nobis dictat. Docet autem nos Spiritus precari Deum ea quæ Deo sunt gloriosa, rationibus nostris sepositis, imò & cum nostro, si ita res ferat, incommodo. Exemplum vide in Paulo, Philip. 1. 20, 21, 22, 23, 24, 25. & in amicis Pauli, Actor. 21. 14. Pari modo Gal 4. vers. 6. *clamare* dicitur Spiritus ille, id est, ad clamandum nos excitare. In Ecclesia Diaconus imaginem quodammodo gerit Spiritûs Sancti.

27. Ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας, *Qui autem scrutatur corda*] Quod Dei ἐπίθετον [*agnomen*], Psal. 7. 9. Jerem. 11. 20. & 17. 10. & 20. 12. Actor. 1. 24. & 15. 8. ¶ Οἶδε τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ὅτι κατὰ Θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων. *scit quid desideret Spiritus: quia secundùm Deum postulat pro sanctis*] Ἐντυγχάνειν hîc breviùs dictum, pro ὑπερεντυγχάνειν [*postulare*]. *Novit quid studeat Spiritus, nempe sanctorum preces dirigere secundùm Deum, suggerendo eis illa precari quæ Deo serviant.* Κατὰ Θεὸν [*secundùm Deum*] hic idem quod κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ [*secundùm voluntatem ejus*] 1 Joh. 5. 14. Subintelligitur autem tales preces Deum non posse non gratas habere etiamsi verbis non exprimantur.

28. Οἴδαμεν δὲ, *Scimus autem*] Sequitur quarta consolatio, inde ducta quod omnia illa adversa Christianis eveniant, non ex generali quodam Dei permissu, sed ex decreto speciali quod ad ipsorum bonum tendat: idque tum aliunde intelligi, tum quia Deus se diligentes non possit non summè diligere. ¶ Ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς τὸ ἀγαθὸν, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*] Etiam adversa illis adminiculo sunt ad incrementa virtutum & præmii. Manuscriptus non malè, πάντα συνεργεῖ ὁ Θεὸς εἰς τὸ ἀγαθόν [*omnia cooperatur Deus in bonum*]. Non longè hinc abit Platonis illud primo de Republica, Τῷ δὲ θεοφιλεῖ οὐχ ὁμολογήσομεν ὅσα γε ἀπὸ θεῶν γίγνεται, πάντα γίγνεσθαι ὡς οἷόν τε ἄριστα; [*Huic quem dii amant, non fatebimur, quicquid à diis accidit, id omne ei, quàm optimè potest, accidere?*] ¶ Τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσι. *iis qui secundùm propositum vocati sunt*] Id est, *qui se ad omnem Dei voluntatem accommodant.* Nam πρόθεσις [*propositum*] sicut in hominibus, Actor. 11. 23. & 28. 13. 2 Tim. 3. 11. sic in Deo est *voluntas*, infra 9. 11. Est quædam πρόθεσις τῶν αἰώνων [*præfinitio seculorum*], ut de Messia mittendo, Ephes. 3. 11. Sed de eâ hic non agitur, ut ostendunt sequentia. Κλητοὶ [*vocati*] autem apud Paulum dicuntur ii *qui vocanti obediunt*, ut supra 1. 6. Sic & Apoc. 17. 14.

29. Ὅτι οὓς προέγνω, *Nam quos præscivit*] *Quos enim ut Filio suo credentes approbavit jam ante.* Sicut τὸ γινώσκειν [*cognoscere*] est *approbare*, supra 7. 15. sic προγινώσκειν [*præscire*] *prius approbare*, ut infra 11. 2. ¶ Καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, *& prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*] Duplex ἔλλειψις [*defectus*], nam & initio deest τούτους [*hos*], & in fine γενέσθαι [*fieri*]. Συμμόρφους τῆς εἰκόνος [*conformes imaginis*] idem quod συμμόρφους εἰκόνι [*conformes imagini*], quomodo σύμμορφον τῷ σώματι [*conformem corpori*] habemus Philip. 3. 21. sicut ἀδύνατον τοῦ νόμου [*impossibile Legis*] supra valet ἀδύνατον τῷ νόμῳ [*impossibile Legi*]. Vocant autem εἰκόνα *exemplar ad quod aliquid aliud effingitur*, quod alibi τύπος, ὁμοίωμα, תבנית. Christus in passionibus atrocissimis obediens fuit, & sic ad regnum illud cœleste pervenit. Eâdem viâ Deus præconstituit ducere Christo credentes. Sic Paulus Philip. 3. 10. ait se *participem factum passionum Christi*, ac sic συμμορφούμενον τῷ θανάτῳ αὐτοῦ [*configuratum morti ejus*], idque *in spem resurrectionis.* Sic supra 8. 17. *Si unà patimur, & unà gloriam adipiscemur.* Sic Christus dicitur *propter passionem coronatus gloriâ & honore, factus esse princeps salutis æternæ*, Heb. 2. 9, 10. *iis* scilicet *qui* ibidem propter hanc similitudinem *fratres ejus & participes carnis & sanguinis ejus vocantur.* Et in eadem epistola 12. 2. jubemur *stadium tolerantiæ decurrere, spectantes in principem & consummatorem fidei Jesum, qui ob propositum sibi gaudium crucem pertulit ignominiamque contempsit.* Sic & 2 Tim. 2. 12. *Si toleramus, etiam unà*, nempe cum Christo, *regnabimus.* Προορίζειν [*prædestinare*] dicitur Deus *quicquid ante constituit quàm fiat*, Actor. 4. 28. Non additur hic πρὸ αἰώνων [*ante secula*] ut 1 Cor. 2. 7. Nunquam autem usurpatur προορίζειν [*prædestinare*] nisi de bonis rebus. רשם quod hic pro illo προώρισε [*prædestinavit*] posuit Syrus, significat *constituit*: vertitur enim per τάττειν [*ordinare*], Dan. 6. 12. per ἐπιτάττειν [*disponere*] Dan. 6. 9. per ἐντάττειν [*digerere*] Dan. 5. 24, 25. & 6. 10. & 10. 21. ¶ Εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*] Est antecedens pro sequente: hoc enim vult dicere, *Ut Christiani per Christi, tanquam fratris primogeniti, vestigia ducerentur.* Idem sensus qui dicto capite secundo ad Hebræos. Vide & quæ allata supra v. 17.

30. Οὓς δὲ προώρισε, *Quos autem prædestinavit*] Repetendum hic ἀπὸ κοινοῦ [*à communi*] *conformari ad exemplar filii sui.* ¶ Τούτους καὶ ἐκάλεσε. *hos & vocavit*] Nempe ad passiones; nam sic sumi verbum *vocandi* apparet 1 Petr. 2. 20, 21. Ἀλλ' εἰ ἀγαθοποιοῦντες καὶ πάσχοντες ὑπομενεῖτε, τοῦτο χάρις παρὰ Θεῷ· εἰς τοῦτο γὰρ καὶ ἐκλήθητε, ὅτι καὶ Χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν, ὑμῖν ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολουθήσητε τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ [*Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplar ut sequamini vestigia ejus*]. Par sensus in illa 1 Thess. 3. 3. τῷ μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις. αὐτοὶ γὰρ οἴδατε ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα [*ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus*]. Dicitur Deus pios *vocare ad perpessiones*, ubi causas earum non modò non impedit, sed & disponit. ¶ Καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν *& quos vocavit, hos & justificavit*] *Hos & justos fecit*, id est, vires eis præstitit perseverandi in justitiæ suæ obedientia. Nam δικαιοῦν [*justificare*] non de initio tantùm, sed & de progressu dicitur. ¶ Οὓς δὲ ἐδικαίωσε, *quos autem justificavit*] Nempe cum effectu, ipsis donum tantùm non negligentibus. ¶ Τούτους καὶ ἐδόξασε *illos & glorificavit*] Id est, *decrevit gloriâ decorare.* Sic Ephes. 1. 4. *elegit*, valet, *decrevit eligere.* Sic Christus *gloriam habuisse* dicitur *priusquam mundus esset*, Joh. 17. 5. ut ibi cum veteribus exposuimus. Sic *gratia in Jesu data nobis* dicitur *ante tempora secularia*, 2 Timoth. 1. 9. id est, *decreta dari.* Vide quò gradationem istam Apostolus deduxerit. Chrysostomus ἐδόξασε [*glorificavit*] exponit, *ornavit donis mirificis.*

31. Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα; *Quid ergo dicemus ad hæc?*] Id est, *quid ex his inferimus?* Nam ἐροῦμεν apud Apostolum in præsenti etiam tempore poni supra notavimus. Tum πρὸς ταῦτα etiam Aristophani significat *propter hoc.* ¶ Εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, *Si Deus pro nobis*] Εἰ hic valet, *quandoquidem*: assumit enim quod adstruxerat. *Deus pro nobis Christianis est, quandoquidem omnia ad nos summis bonis ornandos dirigit.*

32. Ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, *Qui etiam proprio Filio non pepercit*] Quod in Abrahamo signum fuerat amoris in Deum, Genes. 22. 12. id in Deo signum benevolentiæ adversùs homines. In Græco Geneseos, οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου [*non pepercisti filio tuo*]. ¶ Ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν, *sed pro nobis omnibus tradidit illum*] Id est, *pro omnibus hominibus.* Idem sensus qui supra 5. 8. Si tanti fecit homines quosvis, quanti facturus est homines sibi fideliter obsecutos. De verbo παραδιδόναι [*tradere*] vide supra 4. 25. ¶ Πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται; *quomodo non etiam cum*

illo

illo omnia nobis donabit?] Faciliùs est dare amicis factis quàm adhuc hostibus: & faciliùs omne aliud quàm filium.

33. Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεοῦ; *Quis accusabit adversus electos Dei?*] Propiùs munit Christianos adversùs criminum judicia quæ ipsis innocentibus intentabantur. *Quis accusabit electos Dei?* id est, Qui tandem sunt qui eos accusare audent? nempe homunciones. Simili sensu, *Quid est*, habemus Psalm. 8. 5. &, *Quis ego, quæ mea vita aut cogitatio patris mei?* pro *quantillus* & *quantilla*, 1 Reg. 18. 18. *Electos Dei*, id est, eos quos Deus maximi facit. Vide Matth. 3. 17. & 20. 16. ¶ Θεὸς ὁ δικαιῶν. *Deus qui justificat*] *Deus est qui eos pro justis*, ut revera sunt, *habet & ut tales vult tractare.* Vocent eos alii quàm volent odiosissimis nominibus: Deo eorum innocentia perspecta ac grata est. Respicitur locus Jobi 34. 29. *Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet?*

34. Τίς ὁ κατακρίνων; *Quis est qui condemnet?*] *Qui tandem sunt qui eos damnant?* Judices mortales & mali. ¶ Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, *Christus qui mortuus est*] *Qui pro nobis est mortuus.* ¶ Μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς, *imò qui & resurrexit*] *Imo etiam nostri causâ est excitatus*, nempe ut sciremus illum nobis fore judicem. Vide supra 4. 25. & Actor. 17. 31. ¶ Ὅς καὶ ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, *qui & est ad dexteram Dei*] *Rex regum, Dominus dominantium.* Id enim per *dexteram Dei* significatur. Vide quæ ad Matthæum 20. 21. & ad ἐστι [*est*] subaudi καθεζόμενος [*sedens*]. ¶ Ὅς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. *qui etiam interpellat pro nobis*] Subintellige ἐστίν [*est*]. *Is ipse qui nostri causâ mortuus, qui nostri causâ resuscitatus est, & ad dextram Patris consedit*, is est, *qui nostras res Deo commendat:* nam hoc sensu ἐντυγχάνειν [*interpellare*] & ἔντευξιν [*interpellationem*] habuimus etiam in Maccabaïcis. Pari sensu Christus dicitur ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν [*interpellare pro illis*], Hebr. 7. 25. id est, *eorum qui ipsi confidunt res Deo commendare: Spiritum ipsis impetrare.* Reges terreni Christianos damnant: Rex cœlestis adeò non damnat, ut dignos censeat suo patrocinio.

35. Τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ; *quis nos separabit à charitate Christi?*] Ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ [*charitas Christi*] ut mox ἀγάπη τοῦ Θεοῦ [*charitas Dei*] est ea *dilectio quâ Deus se diligentes diligit.* Vide supra v. 28, 32. & infra v. 37, 39. Est autem verbum χωρίζειν [*separare*] significanter positum. Solet enim de Judaïcis divortiis usurpari Matth. 19. 6. Marc. 10. 9. τίς [*quis*] autem dicit, & respondet de rebus, quia etiam res προσωποποιεῖ [*personas fingit*]. In his verbis δείνωσιν [*Vehementiam*] rectè notavit Augustinus. ¶ Θλίψις ἢ στενοχωρία; *Tribulatio an angustia?* vertit Latinus: quomodo etiam citat Salvianus 2 contra avaritiam. De his vocibus diximus supra 2. 9. Tertullianus θλίψιν vertit *pressuram.* ¶ Ἢ διωγμός; *an persecutio?*] Διώκειν est *expellere*, ut diximus ad Matth. 5. 10. Sic Christiani Claudianis temporibus unà cum Judæis *pulsi Româ*, teste Suetonio. ¶ Ἢ λιμός; ἢ γυμνότης; ἢ κίνδυνος; *an fames? an nuditas? an periculum?*] Quæ sæpe evenisse Christianis videmus 2 Cor. 11. 26, 27. ¶ Ἢ μάχαιρα; *an gladius?*] Gladium civilis potestatis intelligit, ut 13. 4. Nondum quidem ad mortem usque Romæ in Christianos sævitum fuerat, sed quod Jacobo evenerat in Judæa, Actor. 12. 2. idem & alibi Christianis evenire poterat.

36. Καθὼς γέγραπται, Ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς. *Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis*] Rectè monent qui hæc legi volunt κατὰ παρένθεσιν [*per Interpositionem*]. Obiter ostendit Paulus etiamsi ad sanguinem hostium sævitia perveniret, talem patientiam non carituram veteri exemplo petito ex Psalm. 44. Sequitur Paulus versionem LXX. *Occidimur quotidie*, nempe nunc hic, nunc ille, de populo. Πρόβατα σφαγῆς [*Oves occisionis*]. *pecudes in hoc asservata ut mactentur.*

37. Ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν, *Sed in his omnibus superamus*] Respondet interrogatis. Tantùm abest ut ista nos à Dei dilectione separent, ut illa omnia plus quàm vincamus, id est, *de eis triumphemus.* Amat Paulus verba componere cum ὑπὲρ [*super*] ut notavimus supra 5. 20. De Christianorum prompto in mortem animo locus est apud Marcum Antoninum libro 11. ¶ Διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. *propter eum qui dilexit nos*] Non nostris, sed à Deo datis viribus. Vide quæ habimus supra 5. 1, 2, 3.

38. Πέπεισμαι γὰρ, *Certus sum enim*] Bene vertit Latinus interpres, *Certus sum.* Sic in Platonis Apologia, πέπεισμαι ἐγὼ ἑκὼν μηδένα ἀδικῆσαι ἀνθρώπων, *Certus sum me sponte nemini fecisse injuriam.* Si infra 14. 14. οἶδα καὶ πέπεισμαι [*scio & certus sum*]. Alibi *opinionem* aut *spem* significat. ¶ Ὅτι οὔτε θάνατος, *quia neque mors*] Id est, *metus mortis.* ¶ Οὔτε ζωὴ, *neque vita*] Spes vitæ. ¶ Οὔτε ἄγγελοι, *neque Angeli*] *Mali* scilicet, qui *Angeli Satanæ* dicuntur 2 Cor. 12. 7. ¶ Οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις, *Neque principatus, neque virtutes*] Sunt Angeli majores in regno Satanæ qui appellantur & ἀρχαὶ [*principatus*] & ἐξουσίαι [*potestates*] Ephes. 6. 12. ἀρχὴ [*principatus*], ἐξουσία [*potestas*], δύναμις [*virtus*], 1 Cor. 15. 24. Sicut etiam inter Angelos lucis eminentiores paribus vocabulis appellantur Ephes. 1. 21. Col. 1. 16. Verè autem diximus nomina hæc sumpta ex imperio Persico, sub quo olim Hebræi vixerant. Nam ἀρχαὶ sunt רברבני [*Optimates*] Dan. 5. 2. δυνάμεις פרתמים [*Principes*] Ester. 2. 18. sicut ἐξουσίαι שלטנין [*Potestates*] à שלט quod ἐξουσιάζω [*potestatem exerceo*] Chaldæis, unde multa sumpserant Persæ, ut ad Esterem & ad Esdram ostendimus. Sic ἀρχαὶ sive ἄρχοντες ראשי [*Principes*] Job. 12. 24. & 39. 25. & apud Ezechielem & Esdram: κυριότητες sive κυρεῖαι ממשלות [*dominationes*] Dan. 11. 4. 5. Est autem omnium populorum Orientalium abstracta usurpare pro concretis. ¶ Οὔτε ἐνεστῶτα, οὔτε μέλλοντα, *neque instantia neque futura*] *Nec quæ nunc sentimus mala, nec si quæ graviora imminent*, ut certè imminebant tormenta exquisitissima, cruces, cutis detractiones, vivicomburia.

39. Οὔτε ὕψωμα, *Neque altitudo*] *Spes honorum.* ὕψωμα [*altitudinem*] pro *honoribus* habes in Græco Job. 24. 24. ¶ Οὔτε βάθος, *neque profundum*] *Metus ignominiæ.* Meritò postremo loco hæc posuit, quibus succumbunt sæpe etiam qui mortem contemnunt. ¶ Οὔτε τις κτίσις ἑτέρα, *neque creatura alia*] *Aut res ulla alia:* nam etiam quæ substantiæ non sunt, dicuntur κτίσθαι [*creari*], ut videre est apud Sirachiden 11. 16. & 39. 34. ¶ Δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. *poterit nos separare à Charitate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro*] Locutus ante de *Christi in nos amore* v. 35. addit & *Dei in nos amorem quem nobis conciliavit Christus.*

CAP. IX.

VALLA.

4. ET *obsequium*, Græcè *obsequium*, nunc dicitur *latria*, λατρεία.

6. *Non autem quòd excidit verbum Dei*] Gr. *Non autem tale quòd* (seu *quia*) *excidit verbum Dei*, i. Non tale illud, quòd ego optarim esse anathema, quódque sint infideles filii Israel, ideo verbum Dei excidit, οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν.

10. *Sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri*] Græcè est casus accusativus, *concubitum*; nec potest conjungi cum illo *ex uno*, quod est diversi generis: nam *concubitus* generis est feminini, illud verò aut masculini aut neutri, ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα. Quod etiam probatur ex illo participio *habens*, quod obscurum est nisi sic accipimus, *habens concubitum Isaac patris nostri.* Longe igitur erit alia sententia hæc quàm vulgaris illa, quòd scilicet *Rebecca habuit duos filios ex uno concubitu Isaac.* Non enim curæ erat Paulo facere mentionem de numero concubituum sed sicut in uno filio Abrahæ è Sara nato, ità in uno, sive ex uno filio Isaac, quem genuit Rebecca, non in ambobus sive ex ambobus, fuisse repromissionem. Si verò, ut Græci exponunt, *ex uno Isaac pater nostro* accipiendum est, fuit culpa Interpretis, qui genitivum Græcum non mutavit in ablativum, dicens, *patre nostro.*

15. *Et misericordiam præstabo cujus miserebor*] Græcè, ut in alio superiori, ità hîc, temporis præsentis *misereor*: nec tam est *cujus* quàm *cujuscunque*, ídque in utroque loco; ἐλεήσω ὃν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω.

19. *Quid adhuc queritur?*] Etsi *conqueritur* apud nos non usurpatur in significatione passiva, tamen vox Græca non minùs accipi potest passivè, quasi, *Quid amplius expostulatur*, sive *incusatur?* quàm activè, *Quid amplius*, sive *adhuc*, *Deus conqueritur?* τί ἔτι μέμφεται;

20. *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit*] In futuro est, *dicet*, non in præsenti, *dicit*, ἐρεῖ. Neque est pronomen *se*: quòd si esset, magis dicendum erat *qui ipsum finxit*, seu *qui illud*, sive *qui id finxit*, τῷ πλάσαντι.

21. *Aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam*] Ego, ut redderem Græcam elegantiam, dixissem, *aliud quidem vas in decus, aliud verò in dedecus*; sive *hoc quidem vas ad decus, illud verò ad dedecus.* Neque enim *contumelia* hoc

vocari

vocari potest quòd in usus turpes vas fiat: ὃ μὲν σκεῦος εἰς τιμὴν, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν.

22. *Apta ad interitum*] Gr. *aptata*, κατηρτισμένα.

28. *Verbum enim consummans & brevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus super terram*] *Consummans & brevians* refertur ad *Dominus*, quæ sunt casûs nominativi: nam *verbum* casûs est accusativi: λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων.

REVIUS in VALLAM.

6. NON *autem tale: οὐχ οἷον*] Verterem *Fieri non potest:* ut in prioribus ed. Beza, *Fieri vero non potest ut exciderit:* quod miror cur in ultima mutaverit in hæc, *Non quasi verò propterea excideris*; nam οἷον significare δυνατὸν certum est: at οἷον δὲ ὅτι significare *quasi verò propterea*, probandum erat. Meis sanè auribus perquam insolens hoc accidit.

10. *Ex uno concubitu*] Correctionem Vallæ probat Erasmus & multis defendit: cæterùm quòd alteram explicationem addat, Ex *uno*, subaudi *filio*, &c. *ejusmodi est ut ne refutatione quidem indigat*, ut meritò Beza ait.

19. *Expostulatur*, sive *incusatur*] Μέμφεται passivè, ut Valla, vel impersonaliter, ut Faber opinatur, accipi posse, non dicendum tantummodo sed demonstrandum erat. Rectè ergò Erasmus utrumque rejicit.

21. *Neque enim* contumelia *hoc vocari potest*] *Cùm à Contemnendo dicatur Contumelia, quid obstat quò minùs in rem inanimatam competat contumelia, cùm ea & expetatur & contemnatur?* Erasmus: qui tamen fatetur in *decus* ac *dedecus* schematis jucunditatem reddi, quæ perit *honore* & *contumelia*. Idem judicavit Beza, qui Vallæ interpretationem secutus est.

ERASMUS.

1. TEstimonium *mihi perhibente conscientiâ meâ*] Cùm sit συμμαρτυρούσης, aut conscientiæ testimonium intelligitur aliis testimoniis accedere, aut juxta vulgatam loquendi formam Conscientiæ persona affingitur, veluti cùm alloquimur animum nostrum, sive cùm dicimus cum animo nostro rixari; cùm animus sit qui sibi loquitur; aut otiosa est præpositio σύν. Certè nemo veterum, quod sciam, annotavit hujus vim hoc quidem loco.

3. *Optabam enim ego ipse*] *Anathemata* Græcis dicuntur res Diis dicatæ & in hoc sepositæ. Vide lector, num accipi possit ηὐχόμην ἄν, δυνατικῶς pro *optarem*, sive *optarim*, etiamsi non additur ἄν, ut accipias *Optarim si fieri posset*. Porrò illud *à Christo* refertur ad *anathema*; q. d. *quiddam sepositum & alienum à Christo*. Siquidem ἀναθήματα dicuntur dona in templis dicata Numinibus: unde & veteres *sacrum* in malum sensum usurpapabant; ut Horatius,

——*Sacer intestabilis esto.*

Et Virgilius,

Auri sacra fames.——

Hieronymus ad Algasiam quæst. 9. putat hic *anathema* accipi posse pro *occisione corporali*, non pro *exitio mentis*. Verùm reclamat quod sequitur, *à Christo*. Proinde ridet Chrysostomus quorundam nugale commentum, qui voluerint ἀνάθεμα positum pro κειμήλιον, h. e. pro *re chara seposita*, quam vulgò vocamus *cleinodium*. Notat & illud, quòd dixerit αὐτὸς ἐγὼ, cùm alterum pronomen videatur superesse. Verùm emphasim habet, *Ipse qui tantum laborarim nè sejungar à Christo*. Mihi videtur & Singularitatis habere significationem; Unus pro tam multis optarim perire, si liceat.

4. *Quorum adoptio est filiorum*] Ὧν ἡ υἱοθεσία, i. *quorum adoptio*, sicut admonuimus & antea. Interpres voluit explanare vim Græcæ vocis, quòd adoptentur & fratres aut nepotes. Augustinus non addit *filiorum*, lib. adv. Faustum 3. cap. 3. qua de re suprà dictum est copiosiùs. ¶ *Et testamentum*] Καὶ αἱ διαθῆκαι, i. *testamenta*. Atque ità refert Augustinus lib. adv. Faustum 12. in libris manu descriptis; ac mox dillerens in hunc locum repetit *testamenta*. Ad filios enim tabulæ testamenti pertinent. Ità legit Hieronymus ad Algasiam quæst. 9. interpretans alterum in litera, alterum in spiritu. Atque ità scriptum est in vetustiss. exempl. Latinis, quanquam Hieronymus putat hoc verbum apud Hebræos, unde ductum est à nostris, magis sonare *pacta* quàm *testamenta*. ¶ *Legislatio*] Ἡ νομοθεσία. Græcis unicum est verbum, quod ad omnes leges condendas pertinet, non solùm ad unam. Augustinus in libello quem scripsit adversùs adversarium Legis legit *Legis constitutio*. Sentit enim Paulus gloriam à Deo conditæ Legis penès illos fuisse. ¶ *Et obsequium*] Ἡ λατρεία, i. *cultus*, sive *religio*: quod alibi vertit *servitutem*. Sentit autem *officia Sacerdotalia* & ritus ac ceremonias sacrorum, interprete Origene. Quis autem per *obsequium* quicquam tale Latinus intelligeret? *Obsequium* enim dicitur morem gerentis alienæ voluntati; quod frequenter sonat in malam partem. Certè nemo Latinè loquentium pro *Numinis cultu* usurpavit: sed Interpres vulgari sermone locutus est. ¶ *Et promissio*] Αἱ ἐπαγγελίαι, i. *promissiones*, aut *promissa*, ut legit Ambrosius.

5. *Qui est super omnia Deus*] Locus hic trifariàm potest distingui: Primùm, ut hæc pariticula *qui est super omnia*, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, adhæreat superioribus, & separetur à sequentibus sic, *Ex quibus Christus juxta carnem, qui Christus est super omnia:* sive *qui erat super omnia*. Ne quis enim suspicaretur Christi dignitatem imminutam per assumptam Hominis naturam, respiciens ad Divinitatem, adjecit, *qui est super omnia*. Hæc distinctio tribuit Divinitatem Christo, quòd nihil sit *super omnia* præter unum Deum. Nam ἐπὶ positum est pro ἐπάνω deinde interjecto colo sequatur, *Deus benedictus in secula*: ut hæc sit gratiarum actio ex contemplatione tantæ charitatis erga genus humanum, ut Deus Filium Deum nostrâ causâ voluerit corpus humanum assumere. Verùm in hac lectione in ὁ ὢν articulus propemodum superest, in Θεὸς εὐλογητὸς deest. Altera lectio sic habet, ut totus sermo sibi cohæreat, *Ex quibus Christus secundùm carnem, qui Christus cùm sit Deus super omnia, benedictus est* (sive *sit*) *in secula*. Hæc lectio evidentissimè pronunciat Christum Deum, mollior tamen futura si pro ὁ ὢν scriptum fuisset ὃς ὢν. Tertia nihil habet incommodi, quod ad sermonis rationem attinet; *Ex quibus Christus juxta Carnem:* hic colon finit sententiam; mox ex consideratione tantæ Dei bonitatis subjicitur gratiarum actio, ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, i. *Deus, qui est super omnia, sit benedictus in secula:* ut accipiamus & Legem datam, & testamentum, & prophetias, & Christum denique humano corpore missum, hæc omnia Deum ineffabili consilio procurasse ad redimendum genus humanum. Atque hîc si *Deum* accipias pro tota Triade sacra (quod frequenter fit in S. literis, veluti cùm jubemur *solum Deum adorare, & illi soli servire*) non excluditur Christus: Sin pro Persona Patris (quod apud Paulum est frequens, præsertim si eodem in loco fit mentio *Christi* aut *Spiritûs*) quanquam ex aliis Scripturæ locis Sole clarius est Christum non minùs verè dici *Deum* quam Patrem aut Spiritum S. tamen hic locus non est efficax ad revincendos Arianos, quando nihil vetat quò minùs ad Patris Personam referatur. Itaque qui contendunt ex hoc loco evidenter evinci, Christum apertè dici *Deum*, aut videntur aliis Scripturæ testimoniis parùm fidere, aut nihil ingenii tribuere Arianis, aut parùm attentè contemplari sermonem Apostoli. Similis locus est hujus epistolæ cap. 11. ubi Patrem dicit *benedictum in secula*; *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula*. Nam illic apud Græcos *benedictus* non potest nisi ad *Patrem* referri. Ambrosius subindicat fuisse qui conarentur hæc ad Patrem detorquere, maximè cùm hic præcesserit Filii mentio. Id quoties fit, Apostolus solet *Dei* vocabulo signare Gignentis Personam. Ambros. autem, qui contendit non posse locum hunc intelligi nisi de Filio, videtur cessurus si proferant aliam Personam in quam hic sermo competat: atqui id esse facillimum ipsa loquitur res. Qui post Arium prostratum fuerunt, magnâ contentione hoc agunt nè possit aliter quàm de Filio accipi; quorum est Theophylactus, qui nominatim admonet hoc loco refelli Arianorum impietatem, qui solum Patrem volebant verè propriéque dici *Deum*. Illud mirum, quòd similia disserit in Commentariis Origenes, indicans id temporis fuisse qui non audebant Christum appellare *Deum*, nè plures Deos facere viderentur. Verùm verisimile est hunc locum ab Hieronymo, aut si quis alius fuit interpres, fuisse correctum in Commentariis, qui initio operis non dissimulat sese quædam adjecisse de suo, tantâque libertate est usus ut interdum conferat Græcorum exemplaria cum Latinis. Et D. Hieronymus objicit Ruffino, quòd in libris quos ex Origene verterat omnes illius errores reliquerit præterquam de Personis Divinis, quòd tam insignem blasphemiam sciret Romanis auribus prorsus intolerabilem fore. Docebat enim Origenes Filium esse creaturam, Spiritum S. creaturæ ministrum. Qui consistit igitur Origenem adversùs Arianorum dogma pugnare, quod illi ex ipsius libris hauserant, ac multis pòst annis cum suo dogmate damnati sunt? Dixerit aliquis Origenem hic correxisse quod in libris περὶ ἀρχῶν impiè disseruerat. Atqui Hieronymus adversùs Ruffinum negat in illius scriptis inveniri, ubi catholicè locutus sit de dogmatibus, de quibus in libris περὶ ἀρχῶν scripsit hæreticè. Chrysostomus, licèt non excludat Filii Divinitatem,

tem, tamen hujus testimonii telo non utitur adversùs Arianos; quod tamen ille solet per occasionem facere libenter. Quoniam autem subobscurè videtur hunc interpretari locum, commentum quod ad hunc attinet locum bonâ fide adscribam, *Nam & adoptio*, inquit, *fuit gratia Dei & gloria, & promissiones, & Lex. Quæ omnia considerans animo, ac reputans quantum Deus cum Filio suo studium adhibuerit ad servandos Judæos, vehementer exclamavit, dicens, Qui est benedictus in secula, Amen:* pro omnibus his gratiam referens ad unigenitum Dei. Quid enim, inquit, si cæteri maledicunt? Nos tamen qui novimus illius arcana, & ineffabilem sapientiam multámque providentiam, certò scimus illum esse dignum qui glorificetur, non qui conviciis incessatur*, &c. Primùm hunc locum conjunctim interpretatur de Patre & Filio, cùm in contextu nulla sit mentio Patris, nisi nomine Dei intelligatur. Deinde, cùm ait *gratiarum actionem pro omnibus* quæ commemoravit *reddi unigenito Dei*, significat hæc verba *benedictus in secula* referenda ad Filium, cui Judæi maledicebant, quòd aliis promisisset, aliis exhiberet promissum. Atqui hæc particula non potest ad Christum pertinere, nisi ad eundem & illa referantur, *qui est super omnia Deus.* Frivolum enim arbitror quòd aliquis fortè posset quartam lectionem comminisci, ut hæc particula, *qui est super omnia Deus*, per parenthesim sit interjecta contextui, veluti subito raptu mentis, tanquam ab admirante Divini consilii profunditatem cui sic placuit genus humanum redimere; quemadmodum Thomas Apostolus inabsolutam orationem pronunciavit, *Dominus meus & Deus meus*; reliquus sermo cohæreat, *ex quibus Christus secundùm carnem, benedictus in secula.* Ex scriptura, quæ nonnunquam vitiatur à scribis, non potest duci certum judicium. Eam apud Chrysostomum ità distinctam reperi, *αἱ ἐπαγγελίαι, ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα·* hîc interposito colo sequitur *ὁ ἐπὶ πάντων Θεός* hinc additâ hypostigmê sequitur, *εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας·* quæ distinctio reddit, ut dictum est, hanc sententiam, *Ille qui est super omnia, nempe Deus, sit benedictus in secula.* Eadem erat apud Theophylactum, nisi quòd post Θεὸς non addebatur hypostigme. S. Cyprianus Adv. Judæos lib. 2. cap. 5. adducit hunc locum, omissâ *Dei* mentione. Itidem Hilarius enarrans Psalmum 122. quod incuriâ librariorum esse omissum videri potest. Etiam Chrysostomus nullam dat significationem se hoc loco legisse *Deus:* quæ vox poterat adjecta videri à studioso quopiam, velut exponente quis esset ille *super omnia*, nimirum *Deus.* Nec est quòd hîc vociferemur Christum spoliari Divinitate, cùm idem dicat periphrasis quod nomen *Dei*, veluti siquis pro *Deo* dicat *cælestium ac terrestrium Conditor.* Quiescant igitur isti qui gloriæ studio titillati ad omnem occasionem tumultuantur quasi ruitura sit Ecclesia. Sive hîc omittatur *Dei* vocabulum, nihil refert ad sententiam, cùm periphrasis aptiùs præstet sensum quàm solum *Dei* nomen. Ut enim hæc omnia quæ commemoravit de *adoptione, gloria, testamentis, legislatione, cultibus ac promissis*, déque *Patribus, ex quibus Christus juxta carnem ortus est*, declaret non fortuitò facta, sed admirabili Dei providentiâ, qui tot modis procuravit salutem humani generis, non simpliciter dixit *Deus*, sed *is qui rebus omnibus præest* omnia suo Divino consilio dispensans moderánsque, *cui* dicit *deberi laudem in omne ævum* ob tam insignem erga nos charitatem, cui maledicebant Judæi dum Filium illius unicum blasphemiis impeterent. Ergò nihil decedit gloriæ Dei etiamsi non addatur hoc vocabulum. Sive hic locus refertur ad totam Triadem, non excluditur Filius, quemadmodum nec Spiritus S. sive propriè refertur ad Patrem, qui promisit ac misit Filium suum ad redimendum hominum genus, ex aliis Scripturarum locis abunde demonstrata est Christi Divina natura: nec arbitror hodie quenquam esse Christianæ professionis cujus aures laturæ sint hac de re dubitantem. Cæterùm si Ecclesia doceat hunc locum non aliter interpretandum quàm de Divinitate Filii, parendum est Ecclesiæ, verùm hoc nihil ad revincendos hæreticos aut eos qui non audiunt nisi Scripturam: sin dicat hunc locum non posse aliter exponi juxta Græci sermonis proprietatem, hoc asseverat quod ipsa mox refellit res. Jam illud in conspicuo est, *ὁ ἐπὶ πάντων* bifariàm accipi posse, *super omnia*, aut *super omnes.* Utramque lectionem attingit interpres Origenis. Absolutius est *super omnia*; sed *super omnes* magis propriè competit Christo, ut præferatur & Patriarchis & Prophetis, & Mosi, veluti Filius unicus servis aut etiam amicis. Superest una lectionis varietas. Potest enim *ὁ ἐπὶ πάντων* referri ad *benedictus*, ut accipiamus *Christum super omnes* (aut *super omnia*) *laudandum in æternum.* Mihi nec articulus videtur otiosus in *τὸ κατὰ σάρκα*, cùm alioqui videatur supervacaneus: habet enim expressiorem vim excipiendi. Alioqui poterat Christus simpliciter videri natus ex Judæis, nec aliud fuisse quàm homo: nunc articulus velut excludit hanc cogitationem, *τὸ κατὰ σάρκα*, h. e. duntaxat quod ad corpus attinet humanum: nam juxta meliorem naturam ex Deo natus est Deus, quemadmodum ex Patribus homo.

6. *Non autem quòd exciderit verbum Dei*] Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Quod ità vertas licebit, *Non autem velut exciderit verbum Dei*, i. Quod si opto, ceu desperans illos, non est tale ut putem promissa Divina irrita fuisse, cùm Deus promiserit salutem Israeli. Et tropus habet eclipsim, *Non autem hæc dico quòd* &c. Sic & Latini *non quòd*: sed addita conjunctio facit orationem aliquantò duriorem. ¶ *Non enim omnes*] *Ex circumcisione* non est apud Græcos, sed ad hunc modum, *οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραήλ*, *Non enim omnes qui sunt ex Israel, hi Israel*; ut subaudias *sunt*: nam secundo loco gentem ipsam vocat *Israel*; *Non omnes orti ex stirpe Israelis sunt Israelitæ.* Nec id rarum est in S. libris, *Judam* non pro homine poni, sed pro gente, & *Jacob* pro *Hebræis* ipsis usurpari. Cæterùm video veteres ferè consentire in interpretatione hujus nominis, quorum de numero est & Origenes & Hieronymus, ut ISRAEL interpretentur *Virum videntem Deum*, cùm hæc vocis interpretatio non quadret loco Gen. 32. ubi nomen commutatur *Jacob*; *Nequaquam* JACOB *appellabitur nomen tuum, sed* ISRAEL; *quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* hic enim indicat ideo commutatum nomen quòd adversùs Angelum in lucta prævaluisset. Hæc est enim illa vis quâ Deus gaudet nos irrumpere in regnum cælorum, fide ac precibus improbis ab eo extorqueri benedictionem quam non promerebamur, quâque martyres dum tentantur variis afflictionibus usque ad vitæ contemptum perseverant in professione nominis Jesu. Solus Tertullianus mihi videtur rectam interpretationem attingere lib. adv. Marcionem 4. *Et alius*, inquit, *inscribitur in nomine Israelis. Quid enim sapientius & incontradicibilius confessione simplici & exsertâ, in martyris nomine cum Deo invalescentis, quod est interpretatio* ISRAELIS? In hac sententia fuit Josephus: quam cur rejiciat Hieronymus non video, cùm ipse interpretetur, *Si cum Deo princeps fuisti.* At *principem esse in lucta cum Deo* est prævalere; siquidem *Cum Deo* hic idem valet quod *adversus Deum*; quemadmodum *pugnare* dicimur *cum eo* adversùs quem pugnamus. Solus Theodotion vertit *fortis fuisti cum Deo.* D. Hieronymus in Quæstionib. Hebr. fatetur se opprimi autoritate celebrium autorum qui ISRAEL interpretati sunt *Virum*, aut *Mentem*, *videntem Deum.* Eam porrò interpretationem, quanquam alicubi sequitur, hic fortiter rejicit.

7. *Neque qui semen sunt*] Οὐδ' ὅτι, i. *neque quòd*, sive *quia.* Atque ità legit Ambrosius. Consentit cum hoc vetustiss. exemplar Paulinæ bibliothecæ, unde hoc à librariis est depravatum. Alioqui Interpres pro ὅτι legisse videtur ὅςις. *Neque ideo statim sunt filii Abrahæ quòd ex illo ducant genus.*

9. *Promissionis enim verbum*] Λόγος *sermo*, sive *oratio:* neque enim unum ponit verbum. ¶ *Secundùm hoc tempus*] *Κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον*, i. *in tempore hoc.*

10. *Non solùm autem illa*] Οὐ μόνον *Illa* pronomen addidit Interpres ut mitigaret Græcam figuram; Idque haud perperàm, quod tamen aliàs non est ausus. ¶ *Ex uno concubitu*] Ἐξ *ἑνὸς κοίτην ἔχουσα*, i. *ex uno concubitum habens.* Potest bifariàm legi; *ex uno Isaac:* atque ità genitivus Græcus vertendus erat in ablativum Latinum, *πατρὸς ἡμῶν*, *patre nostro:* aut *ex uno*, sub. *filio*; deinde, *concubitum habens*, i. connubium, *patris nostri Isaac*; ut intelligas ex una prole constitisse promissionem, videlicet Jacob: nam Esau rejectus est. Postremò, nisi intelligas ἦν, i. *erat habens*, oratio videtur imperfecta, nisi repetas superiora. Imputabatur in numero filiorum Abrahæ quantum ad filios attinet, cùm eos pariter ex eodem patre sustulisset: sed qui reprobatus est non habitus est pro filio, nec huic profuit ex eodem patre progenitum fuisse. Porrò *cubile habens* verecundè dixit pro eo quod est *concepit.* Laurentius Valla optimo jure refellit eos qui hoc loco putant Rebeccam ex eodem concubitu concepisse geminos; quasi illud ad hanc rem pertineat, quoto coitu concepti sint Jacob & Esau. Imò Paulus ut adimat parentum fiduciam, proponit duos fratres ex eodem patre, eadem matre, simúlque eodem die progenitos, quorum alter tamen rejectus sit. Quid quòd nè potest quidem *uno concubitu* cohærere, cùm *κοίτη* apud Græcos fem. generis, *ἑνὸς* masculini. Nec *κοίτης* legitur, sed *κοίτην*, i. *cubile.* Quidam impudentissimè meam criminatus est impudentiam, quòd hunc locum recensuerim inter manifestè depravata. Audi gloriosum hominis sermonem, *Profectò si sic sunt cætera quæ in illo catalogo locorum depravatorum recenset Desiderius, neque sint alia loca magis in Latina editione depravata, vereor ne minus pudenter di-*

ctum sit, ut nè dicam impudenter, hunc locum ex infinitis manifeste depravatis unum esse. Hæc ille. At qui susceperat Interpretem defendendum, viámque monstrarat, ut si quid incideret quod excusari non posset, id librariis imputaretur. Hoc cùm hîc faciam, tamen atrociter destomachatur: idque facit eò impudentiùs, quòd hunc locum quem dixi depravatum ipse non possit expedire. *Quis*, inquit, *unquam dixit Habere cubile*, *pro*, *Concipere?* Imò quis unquam dixit *habere* pro *gravidam esse?* Atqui sic accipiatur hic necesse est si legamus *ex uno concubitu.* Quid autem prodigii fuisset, si cùm verecundiæ causâ dicamus *esse cognitam à viro* quæ rem habuit cum viro, & Paulus Heb. 13. *thorum immaculatum* appellat castum usum conjugii, hic dixisset *habere cubile* pro *concipere*, seu *gravidam esse?* Non sic loquuntur Latini, fateor: sed probabile est sic fuisse locutos Hebræos, quorum idiomata frequenter exprimit Apostolus. *Bene habet*, inquit, *Ex uno concubitu*; *si pro κοίτην legamus κοίτη.* Nónne bellè explicuit nodum? Ego notavi vocem à librariis depravatam, *concubitu* pro *concubitum*: ille mavult Apostoli sermonem depravatum haberi, cùm nullus Græcus codex hoc habeat, neque quisquam Græcus ad eundem modum interpretetur. Nam Chrysostomus & Theophylactus de *parentibus iisdem* meminerunt, déque *eodem partu geminorum*; de *eodem concubitu* nequaquam. Quis autem hoc novit, an gemini eodem coitu seminentur? Quod ait *Theophylactum videri sentire de eodem coitu*, fucum esse testantur ipsa verba quæ refert ex Theophyl. qui secutus suo more Chrysost. indicat hoc interesse inter exemplum Isaac & Ismaelis, & inter exemplum Esau & Jacob, quòd illi patrem tantùm habuerint communem, hi utrumque parentem, præterea gemini unicóque partu editi. In Origenis liberè versi contextu habetur quidem *ex uno concubitu*; sed in enarratione nulla syllaba est quæ declarat illum ità legisse. Tantundem ex Irenæi verbis. Nec Ambrosius quicquam attingit de *eodem coitu.* Supersunt duo Latini qui legisse videntur *ex uno concubitu*, sed, ut conjectandum est, decepti mendo codicum. Ad Scholiasten, qui falsò dicitur *Hieronymus*, nihil respondeo. Augustinus non rarò fallitur depravatâ scripturâ, præsertim cùm non consulit Græca exemplaria. Ubi nunc est igitur ille chorus Græcorum & Latinorum, qui legunt *ex uno concubitu?* Ambrosianus contextus habet *ex uno concubitu habens Isaac patrem nostrum*; sed mendosè, ni fallor. Nec enim Rebecca genuit Isaac sed ex eo suscepit geminos Jacob & Esau. Nec multò commodior est nostra lectio. Proinde quidam offensi verbis nihil significantibus, adjectis verbis aliquot ità legebant: *sed & Rebecca ex uno concubitu habens geminos filios*, quemadmodum indicat ac reprobat Lyranus. Et tamen ità vertit interpres Theophylacti, cùm apud autorem Græcum nihil sit hujusmodi. At mihi videtur hoc ipsum quod superest incommodi posse tolli si nominativum participii pro genitivo absolutè posito accipias, ἔχουσα pro ἐχούσης id quod Græci nonnunquam faciunt. At tum hic erit ordo, *Non solum autem Sara, quin etiam cùm Rebecca gravida esset ex uno eoque patre nostro:* deinde velut per parenthesim interjiciantur illa, *Nondum enim natis pueris, cùm neque boni quippiam fecissent neque mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante:* succedat, ad quod respondet, *dictum est illi*; ac deinde, *Major serviet minori.* S. Augustinus in explicandis aliquot hujus Epistolæ Quæstionibus refert hunc in modum, *Nondum enim nascentium nec agentium aliquod boni aut mali.* Sic tum opinor vulgò loquebantur.

12. *Major serviet minori*] *Major* & *minor* hîc non ad ætatem propriè referuntur, sed ad vires & præcellentiam, μείζων, ἐλάσσων. Quanquam Hebræis altera vox est רב, quæ *dignitate præminentem* indicat; unde & *Rabbi* dictum: צעיר altera, quæ nonnunquam *adolescentulum* significat.

15. *Miserebor cui misertus sum*] Apud Græcos secùs est, ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω, i. *Miserebor cujuscunque miserear*, *& commiserabor quemcunque commiserer*, i. quemcunque decretum fuerit commiserari. Certè in priore sermonis hujus parte nobiscum faciebat codex Donatiani, in quo sic habebatur scriptum, *Miserebor cui miserear.* Hîc quoque Interpres minùs feliciter copiam, ut solet, affectat, οἰκτειρήσω vertens in *misericordiam præstabo*, οἰκτείρω in *miserear.* Imò potiùs destituit illum necessaria copia. Siquidem Hebræis diversa sunt verba quemadmodum & Græcis, q. d. *miserebor & condonabo*, sive *gratiam faciam.*

16. *Igitur non est volentis neque currentis*] Hanc particulam Chrysostomus *Antithesin* vocat, quasi objiciatur ab adversario, qualis est illa, *Ergo cui vult, miseretur.* Sed ubi solutio? *O homo tu quis es*, &c.

17. *Scriptura dicit Pharaoni*] Novè dictum est pro eo quod erat, *Scriptura refert dictum Pharaoni.*

19. *Quid adhuc queritur?*] Τί ἔτι μέμφεται; i. *Quid adhuc conqueritur*, aut *incusat?* sub. *Deus.* Etiamsi Laurentius ac Stapulensis dissentiunt, quorum hic *queritur* impersonaliter accipi vult, ille passivè: quanquam Laurentius nostram adjungit sententiam ad quam interpretantur omnes Græci interpretes. Primùm μέμφεται non invenio ad istum modum positum, ut persona non addatur: deinde meâ sententiâ probè quadrat iis quæ sequuntur, *O homo, tu quis es qui respondes Deo.* Ruffinus lib. περὶ ἀρχῶν 3. sententiam reddit mutatis verbis, *Quid ergò adhuc culpamur?* Illud tantùm admonendus est crassus lector, *Queritur* hoc loco à *queror* deponenti verbo, non à *quæro* activo dictum esse. Hîc rideat qui volet Grammaticulam annotatiunculam, modò sciat S. Thomam in hunc impegisse lapillum, nisi quòd adjicit alterum sensum, sed priorem non rejicit.

20. *O homo, tu quis es qui*, &c.] *Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε*, *Atqui, ô homo, quis es.* Cæterùm Interpres inferiùs vertit *& quidem*, μενοῦν, hic dissimulavit. Est autem ἀντίθεσις tacita in vocibus *homo* & *Deus*; præterea emphasis haudquaquam otiosa, nihil enim Homo collatus Deo. ¶ *Qui respondeas Deo*] Ὁ ἀνταποκρινόμενος, i. *contrà respondens*; ut sane adducitur ab Origene Hom. in Exod. 4. vel, *qui respondens adversùs Deum*: quia dixerat, *Quid igitur habet quod queratur, si quæ vult facit?* Ac meâ quidem sententiâ rectius erat *qui respondes* quàm *qui respondeas.* Jam enim fecerat respondentem. Nec enim indignatur quòd respondeat, sed quòd impiè respondeat: nec deterret illum nè respondeat, sed objurgat quòd sic ausus sit respondere. Origenes versus habet quidem *qui respondeas*, sed interpretatio declarat illum legisse *qui respondes*; indicans ideo huic imponi silentium quod protervè Deo obmurmurasset; quemadmodum Dominus in Euangelio procaciter percontantes *quâ autoritate faceret quæ faciebat*, aut *eam potestatem unde accepisset*, nè responso quidem ullo dignatus est, sed objectâ quæstione quam dissolvere non audebant, occlusit illis os: at reverenter sciscitantibus idem ubique placidè respondet. In sententia non multum est discriminis, sed Græca vix recipiunt illud *respondeas.* Velut antè πᾶς ὁ κρίνων non est versum *omnis qui judices*; quemadmodum hujus Epist. c. 14. σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; Interpres vertit, *Tu quis es qui judicas alienum servum?* Nec Chrysostomi, nec Theophylacti, nec Ambrosii, nec Augustini interpretatio declarat potiùs esse legendum *qui respondeas* quàm *qui respondes.* Paranti respondere petulantiùs aptè diceretur, *Tu quis es qui respondeas*; at objurganti eum qui jam respondit protervè magis congruit, *Tu quis es qui respondes.* A malis servis sumpta est Metaphora, qui cùm dominorum jussis obmurmurant *responsatores* dicuntur. Itaque sic hoc loco dictum est, *Quid facis, homo, responsans Deo?* Tractat hunc locum Augustinus in LXXXIII Quæstionum sexagesimaoctavâ, refellens hæreticorum calumnias colligentium ob id Paulum ad convitia subitò deflexisse quòd nodum quæstionis propositæ explicare non posset. ¶ *Ei qui se finxit*] *Qui finxit* est Græcè, & satis erat, τῷ πλάσαντι. *Se* pronomen supervacaneum est.

21. *Ex eadem massa*] Ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος quod Augustinus adducit *ex eadem conspersione.* Sentit enim argillam humore maceratam temperatámque. ¶ *Aliud in honorem*] Τιμὴν καὶ ἀτιμίαν Laurentius rectiùs verti posse putat *decus ac dedecus*; maximè quòd in vasa non cadat *contumelia.* Atqui cùm à *contemnendo* dicatur *contumelia*, quid obstat quò minùs in rem inanimatam competat *contumelia*, cùm ea & expetatur & contemnatur? Quòd si minùs quadraret, tamen Metaphora gratiam etiam adjungeret; veluti si quis Bassum aureis vasis excipientem onus ventris, apud Martialem, dicat *aurum afficere contumeliâ.* Illud verum est, in *decus ac dedecus* schematis jucunditatem reddi, quæ perit *honore & contumeliâ.*

22. *Quod si Deus volens*] Ad hanc orationis partem nihil sequitur quod respondeat, quapropter ad superiora referamus oportet, vel ad illud, *Quis es tu, homo, qui respondes Deo?* vel ad illud, *An non habet potestatem?* Origenes existimat orationem alioqui incompositiorem componi posse ad hunc modum, *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinet in multa patientia vasa iræ apta in perditionem, ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Quòd si supplere placet aliquid, quandoquidem deesse constat, subaudiri potest, *non habent quod incusent aut disceptent cum Deo.* Quidam Latini codices habebant, *Quid si Deus*: verùm Græcis est εἰ δέ. ¶ *Sustinuit in multa patientia*] Ἤνεγκεν Græcis verbum est anceps, quod Augustinus in Quæstionib. in Exodum

ita

ita legit, *Attulit in multa patientia vasa iræ.* Rursus Adv. Faustum lib. 21. cap. 2. Neque enim Græcè est ἔφερεν, quod significat *ferre*, sed ἤνεγκεν, quod magis sonat *in medium adducere* aut *offerre*. Et nè quid hoc loco causemur scripturam casu vitiatam citat idem ad eundem modum cum aliàs tum lib. 2. Contra duas epist. Pelag. ad Bonifacium. Quòd si vera lectio est, sensus erit, *Ea vasa parata in interitum, diu exspectata, tandem adducta in suam pœnam*: quanquam Origenes planè interpretatus est, *sustinuit ac toleravit*, atque hunc non illibenter sequi solitus Ambrosius. Consentiunt cum his Chrysostomus, & huic accinens Theophylactus. ¶ *Apta in interitum*] Κατηρτισμένα, i. *aptata*, sive *parata*.

23. *Vasa misericordiæ*] Σκεύη ἐλέους. Rectè illud annotavit Augustinus, σκεῦος Græcis dici non propriè *vas excipiendo liquori paratum*, sed *quodcunque pertinens ad usum domesticum*. Proinde apud Livium in conceptis legatorum orationibus *puerorum & vasorum* nomine tota supellex significatur. Cæterùm *liquoris capax vas* ἀγγεῖον appellant Græci. ¶ *Præparavit in gloriam*] Græci in nonnullis cod. addunt αὐτοῦ *suam*. Mihi magis probatur altera lectio, nè bis idem dicere videatur. Quod enim antea vocavit τιμὴν hîc vocat *gloriam*.

24. *Quos & vocavit*] Οὓς καὶ ἐκάλεσεν, ἡμᾶς, i. *quos & vocavit, nos*: quanquam illud ἡμᾶς in quibusdam Græcis cod. non adscribitur: additum est autem explicandi causâ, *Quos & vocavit, nempe nos*. At rursum nè *nos* videretur ad solos Judæos pertinere subjicit, *non solùm ex Judæis, verùm etiam ex Gentibus*.

25. *Et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*] Id in Græcis cod. non habetur adscriptum; nec additur ab Augustino, qui testimonium hoc refert libro Adv. Faustum 22. c. 89. Porrò Ambrosius nec legit hanc partem nec interpretatur. Origenes in Commentariis locum hunc apud Paulum recenset his verbis, *Qui antè non eramus plebs ejus nunc plebem suam vocavit; & non dilectam, dilectam*, &c. unde apparet hunc unicam tantùm particulam legisse ἠγαπημένην. Quin & Chrysostomi pariter ac Theophylacti interpretatio palàm declarat illos non aliter legisse quàm legit Origenes & Ambrosius. Cæterùm apud Osee c. 2. quo ex loco testimonium hoc assumpsit Paulus, nec habetur *misericordiam consecuta*, nec *dilecta*, sed duntaxat, *Et erit in loco ubi dicetur eis, Non populus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis*: nisi quòd ibi præcessit, *Et miserebor ejus quæ fuit absque misericordia*. Siquidem Apostolus magis sententiam reddidit quàm verba Prophetæ. Quanquam C. Hieronymus edisserens hujus Prophetæ caput 1. unde locus hic pendet, indicat geminam fuisse lectionem: in aliis scriptum fuisse, quemadmodum nos habemus, οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην, in aliis οὐκ ἠλεημένην. Ac posteriorem ceu veriorem magis approbat, tum quòd ità legatur in emendatioribus exempl. tum quòd aptiùs respondeat ad *Israel non consecutum misericordiam*, cùm è diverso sequatur, *& domui Juda miserebor*. Rectiùs autem congruit & cum eo quod in fine cap. 2. legimus, *Et miserebor ejus quæ fuit absque misericordia*. Cùm autem hic locus è superiore pendeat, ubi dicitur, *Voca nomen ejus Absque misericordia*, probabile est & hîc fuisse scripturam variam. Proinde lector aliquis offendens diversam lectionem, arbitratus est in utraque scriptura particulam orationis esse omissam, & addidit quod putabat deesse. Augustinus existimat ex eodem Prophetæ loco sumptum quod scribit Petrus Apostolus in epistolæ prioris cap. 2. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; quorum aliquando non misertus est, nunc autem miseretur*. Videtur Petrus in hoc dissidere à Paulo, quòd *misertus* legit pro *dilectus*: sed in ordine æquè dissidet cum Propheta, apud quem prior est filia cui nomen *Absque misericordia*, cui succedit filius cui nomen *Non populus meus*. Idem est ordo in commutatione priorum nominum in fine capitis 2. *Et miserebor ejus quæ fuit absque misericordia; & dicam non populo meo, Populus meus es tu*. Porrò quod sequitur apud Paulum, *Et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi*, è primo capite sumptum est. Quod autem apud Prophetam dictum est de populo Israelitico, Paulus per similitudinem detorsit ad Gentes. In codice pervetusto Donatiani alteram particulam omissam reperi: sic enim habebat *Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*.

26. *Ibi vocabuntur*] Ἐκεῖ additum est ab Apostolo, cùm in Propheta non sit, videlicet quò magis dilucidè diceret. ¶ *Dei vivi*] *Viventis* est Græcè, ζῶντος.

27. *Pro Israel*] *Super Israel*, sive *de Israel*, ὑπὲρ quanquam præpositio hæc anceps est. ¶ *Si fuerit numerus*] Testimonium est apud Esaiam cap. 10. in quo cùm consentiant LXX cum Hebraica veritate, Paulus tamen nonnihil dissidet, licet in verbis magis quàm in sententia: Siquidem LXX verterunt τὸ ὑπόλειμμα ἐπιστρέψει, i. *residuum convertetur*; at Hieronymus vertit in hunc modum, *Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo*.

28. *Verbum enim consummans*] *Verbum* accusativi casûs est, *consummans & abbrevians* m generis, ut subaudias *est*, nempe *Deus*, λόγον γὰρ συντελῶν, i. *Sermonem ejus consummans*. Id palàm aperiunt Chrysostomus ac Theophylactus hunc enarrantes locum. Nec obstrepit huic annotationi quod Origenes & Ambrosius de *verbo abbreviato* interpretantur, cùm hic utrumque positum sit. Qui *consummat & abbreviat* Pater est; qui *consummatur & abbreviatur* vel Christus est, vel hujus doctrina. Quanquam hæc quoque nonnihil dissentiunt ab Hebraica veritate, juxta quam ità legimus autore Hieronymo, *Consummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*. Locus est huic affinis sententiæ apud eundem Prophetam cap. 8. *Consummationem enim & abbreviationem audivi à Domino Deo exercituum super universam terram*. Porrò quod adjecit *prædixit Esaias*, non est vaticinantis de futuro, sed quòd hoc testimonium præcesserit illud quod priùs adduxit: unde commodiùs erat, *sicut superiùs dixit Esaias*. Porrò צבאות *sabaoth* Hebræam vocem reliquit Apostolus, qam LXX bifariàm solent vertere, aliquando παντοκράτωρ *Omnipotens*, aliàs τῶν δυνάμεων *virtutum*. Solus Aquila vertit τῶν στρατευμάτων *exercituum*. Indicavit hoc Hieronymus enarrans Esaiæ caput 1. Paulus, ut dixi, vocem Hebraicam non putavit esse mutandam, opinor ob id quòd in ea lateat nonnihil mysterii quod alienâ linguâ reddi non potuerit.

29. *Reliquisset nobis*] Ἐγκατέλιπεν, i. *reliquisset in nobis*. Testimonium sumptum est ex Esa. 1.

30. *Quid ergò dicemus?*] Quod sequitur pronunciativè legendum est, non interrogativè; *Quid ergò dicemus? Nempe hoc dicemus, Gentes ex fide justitiam consecutas*, &c. Annotavit hunc quoque locum Augustinus l. 3. De doct. Chr. Et ad hunc modum edisserit Theophylactus.

31. *Non pervenit*] Οὐκ ἔφθασε quod verbum variè vertitur. Est autem proprium festinantis ad occupandum aliquid: ut intelligas & Israelitas eò contendisse per opera Legis, verùm Gentes exclusis illis occupasse.

32. *Quasi ex operibus*] Ὡς ἐξ ἔργων, i. *tanquam ex operibus*: & addunt Græci νόμου *Legis*; ut intelligas de operibus fide charitatéque vacuis: apud Latinos non additur. Annotavit Chrysostomus, & hunc secutus Theophylactus, voculam ὡς, quasi significet Judæorum opera non fuisse verè opera Legis. Mihi videtur & ad imputationem referre posse. Nam Judæi salutem acceptam ferebant suis operibus, exclusâ gratiâ Dei. ¶ *Petram* σκανδάλου] Græcam vocem hanc libenter usurpant interpretes, cùm possent dicere *offensæ*, sive *offendiculi*, aut *obstaculi*; licèt haud nesciam interim manere dialecton Hebraicam, *lapis offendiculi* pro *lapide offensorio*, aut *lapis in quem offendunt*. Nec video quid offendat quosdam in προσκόπτω, quod haud dubiè sig. *impingo*, vel *offendo*, Cæterùm testimonium hoc contextum est è duobus Esaiæ locis. Initium enim, nempe, *Pono in Sion lapidem*, & finis, nempe, *Et omnis qui credit in eo non confundetur*, sumpta sunt ex Esa. 28 Cæterùm quod in medio intertexuit, *Et lapidem offensionis & petram scandali*, sumptum est ex ejusdem cap. 8. Quanquam hoc quoque loco Paulus magis studuit sensum reddere quàm verba. Cùm enim Hebraica veritas habeat, *Qui crediderit non festinet*, juxta LXX editionem dixit, *non confundetur*. ¶ *Non confundetur*] Οὐ καταισχυνθήσεται, i. *non pudefiet*.

VATABLUS.

1. *IN Christo*] q. d. Testis est mihi Christus. ¶ *In Spiritu S.*] *In* pro *cum*: ut, *Qui manet in Deo*: q.d. Spiritu S. etiam mihi perhibente testimonium.

2. *Quoniam*] *Quód*. ¶ *Cordi meo*] Sub. *quòd aliquando Ecclesiam Christi sim persecutus*.

3. *Optabam enim ego ipse*] Vel, *opto ego propter Christum interfici*, aut, *quòd Christus perdat me dummodo lucrifaciam fratres meos*. ¶ *Anathema esse à Christo*] Heb. à Christo perdi, nullum cum Christo & Ecclesiâ ejus commercium habere: vel, ut me detestetur & exsecretur Christus, ut rejici solent quæ sunt anathemata. Citat Paulus hoc loco id quod ipsi accidit, ut ostendat eum quem diligit Deus non posse perire. ¶ *Cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ*] i. Ejusdem generis mecum, nempe Israelitæ.

4. *Quorum adoptio est filiorum*] i. Quos Deus per adoptionem

nem sibi filios fecit, quos præ cæteris gentibus est honore prosecutus, quibus promissio Messiæ facta est, quibus solis Lex lata est. ¶ *Testamentum*) *Testamenta:* Vet. plur. pro sing. ¶ *Obsequium*] *Cultus:* i. qui sciunt quomodo Deus verè coli debeat.

5. *Patres**] Patriarchæ Abraham, Isaac & Jacob. * *Et*, Vet. ¶ *Benedictus*) Heb. dignus laude.

6. *Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim*, &c.] q.d., Cùm dico Israelitarum esse adoptionem, non id dico quòd sim immemor verbi Dei, quod docet solos credentes in Christum esse salvandos; verùm duplex genus Israelitarum est intelligendum.

7. *Qui*] *Quia*, Vet. ¶ *In Isaac vocabitur tibi semen*] Heb. Isaac erit verum tuum semen quem Sara ob fidem tuam peperit: vel, illi soli censebuntur tui qui per Isaac descendent.

8. *Filii sunt promissionis, æstimantur in semine*] i. Qui efficiuntur filii fide, promittenti Deo credentes, habentur à Deo pro veris Abrahæ filiis.

9. *Secundum hoc tempus*] *In tempore hoc:* elapso scilicet justo ferendi uteri tempore.

10. *Illa*] Sub. *Sara agnovit Dei voluntate obvenire hereditatem, sed etiam Rebecca*, sub. *cognovit*, &c. ¶ *Sed & Rebecca*] Sub. *promissionem habuit:* q. d. Non solùm Saræ facta est promissio, quòd Isaac esset verum semen, sed etiam ipsi Rebeccæ gravidæ ex Isaac patre nostro facta est promissio de uno, scil. Jacob, quòd esset verum semen, non autem Esau.

11. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*] Vel, *Ut firmum esset quod elegerat Deus, & secum constituerat.*

12. *Ei*] Sub. *Rebeccæ.*

15. *Cui misertus sum*] *Cujus misereor*, Vet. i. Cujus mihi visum fuerit misereri. ¶ *Cui miserebor*] *Cujus misereor:* i. Cuicunque misericordiam præstare voluero.

17. *Excitavi*] i. Magnum feci, & Regem constitui. ¶ *Virtutem*] *Potentiam.*

18. *Cui*] *Cujus.*

19. *Dicis*] *Dices*, fut. temp. ¶ *Queritur?*] Vel, *conqueritur*, aut, *incusat*, sub. *Deus?* ¶ *Resistit**] *Restitit.* * *Atqui.*

20. *Qui**] * *Ex adverso.* ¶ *Respondeas*] *Respondes.* ¶ *Dicit*] *Dicet.*

22. *Iram*] i.e. Se esse vindicem scelerum. ¶ *Sustinuit*] *Toleravit.* ¶ *Apta*] *Aptata*, Vet.

23. *Divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*] i. Abundantem gloriam suam erga eos quorum misereri voluit. ¶ *Præparavit*] *Præparaverat.* Hæc oratio verbis paulò sequentibus perficitur. *Quid ergò dicemus?* interjecto hyperbato, *quos*, &c.

24. *Vocavit**] *Vocaverat.* * *Nos.*

25. *Et non dilectam*] i. Quam homines existimabant me non diligere.

27. *Pro*] *Super*, vel, *de:* i. quantum attinet ad vocationem Israelis. ¶ *Reliquiæ salvæ fient*] Sub. *tamen tantùm pauci ex eis salvi fient*, quod videmus in Apostolis & iis qui ex Judæis crediderunt.

28. *Verbum*] Accusativi casûs. ¶ *Consummans*] *Perficiens.* ¶ *In æquitate*] *Cum justitia.* Tota hæc sententia sic dilucidiùs vertetur, *Dominus enim decretum suum executurus est æquo & justo judicio. Certè sententiam suam faciet decisam Dominus super terram:* i. In Israel paucos tantùm servabit, eósque quos pro sua sententia servare decrevit.

29. *Reliquisset**] * *In.* ¶ *Sicut Gomorrha similes*] *Gomorrhæ assimilati.*

30. *Quid ergò dicemus*] Finis est periodi præcedentis, *Quæ præparavit in gloriam.* ¶ *Non sectabantur justitiam*] i. Non curabant ut justæ essent. ¶ *Apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est*] i. Justæ pronunciatæ sunt à Deo, quòd fidem habuerint Christo.

31. *Sectando*] *Sectans*, Vet. ¶ *Legem justitiæ*] Heb. *Legem justificantem:* i. quam existimabat justitiam veram conciliare. Vel, cùm per legem justus vellet pronunciari. ¶ *Non pervenit*] i. Justitiam non est consecutus.

32. *Operibus**] * *Legis:* sub. *volebat justus videri.* ¶ *Offenderunt*] *Impegerunt.* ¶ *Lapidem offensionis*] Heb. lapidem offendentem & lædentem: i. scandalizati sunt cùm audierunt Jesum illum crucifixum esse Messiam suum Salvatorem & in illum non crediderunt.

33. *Lapidem offensionis*] i. Lapidem lædentem eos qui in illum impingunt. Luc. 2. *Positus est hic in ruinam multorum.* ¶ *Scandali*] i. Offensionis: h.e. in quem offendunt. Repetitio more Hebræorum. ¶ *Confundetur*] *Pudore afficietur:* i. non frustrabitur spe sua.

CASTALIO.

6. *Neque id eò dico quò Dei dictum exciderit. Non enim omnes ab Israele orti, sunt Israelitæ*, &c.] Non ideo tantum Israelitis tribuo quòd ignorem Deum veros Israelitas pronunciasse, non qui Abrahamo procreati, sed &c.

22. *Iræ vasa*] Destinata pœnis.

27. *Evadent tantùm reliquiæ*] Pauci.

CLARIUS.

1. *Veritatem dico in Christo*] Absolutâ, quantum epistolæ ratio pateretur, eâ parte quæ ad disputationem pertinebat de Lege, ejúsque usu & natura ac necessitate, aggreditur aliam disputationem, de Judææ gentis aversione & lapsu, quam superiùs quidem visus est leviter attigisse, cùm ait, *Quid enim si quidam non crediderunt?* &c. sed cùm non esset tam aptus ille locus, voluit hanc partem Apostolus tantisper differre dum de Lege esset disputatum. Et vide ut ipso dicendi principio quasi polliceatur se rem & novam & magnam deinceps tractaturum. Testem appellat *Christum* hujus quam dicturus est, *conscientiam* item *suam*, & *Spiritum sanctum*, ut fidem faciat audientibus. Nam dicturus de re quæ maximè videretur infensa Judæis, cùm & hactenus in refutanda Legis fiducia fuisset vehementissimus, quod idem eam gentem torquere soleret, nequis, fortè suspicaretur id eum suæ gentis odio facere, antè quam ad narrationem descendat, ostendit quantùm eis amicè sit affectus, idque jurejurando: quod non fecisset nisi summâ coactus necessitate. Quod autem ait *in Spiritu sancto*, vel addit etiam Spiritûs S. testimonium, vel quòd ipse spiritus Pauli sanctè ac sine dolo ad hoc affirmandum moveretur.

3. *Optassem enim ego ipse anathema*] Tantum abest inquit, ut odio eos prosequar ut, si fieri posset, optarim ipsâ quam à Christo exspectamus (quo Christo nihil mihi charius est, nè cœlum ipsum quidem) felicitate privari, & paratis ab eo ineffabilibus bonis, ut meo interitu & æterno exitio salus Judæis pararetur. Et Moses, *Aut dimitte*, inquit, *eis noxam hanc, aut dele me de libro quem scripsisti*, Cernebat enim Paulus omnes hunc Judæorum lapsum admirari, & penè Deum incusare, cur quo tempore salus toti terrarum orbi proponebatur, eodem tempore alienigenæ admitterentur, filii Regni extruderentur, quibus in primis fuisset promissus Christus. Sciebat solere homines facilè, cùm causas rerum non intelligant, queri de Deo, qui post tam Ingentia promissa quasi imposuerit genti Judæorum. Has in Deum & Christum blasphemias audire, longè Paulo ipsâ Gehennâ erat intolerabilius. Quocirca optasset, si suo interitu reconciliari potuisset hæc gratia, relegari à Christo, ut hæc gloria servatæ Judææ gentis ipsi Christo accederet. Dictio autem *anathema* à rebus accepta est quæ in templis suspenduntur, quæ Græcè ἀναθήματα, Latinè *donaria* vocantur, Ut ergò ea quæ sic dedicata sunt in usus hominum jam non veniunt, sic qui ab Ecclesia alienus factus sit in commercium hominum non admittitur. Hunc Paulus hoc nomine appellare consuevit, sed usus dictionis à contraria significatione acceptus est.

4. *Et testamenta, & legislatio*] Per *testamenta* hîc intellige fœdera quæ pepigit Deus cum Judæorum patribus & Hebræa gente. Atque hoc maximè Judæorum quàm plurimos avocabat à fide, quòd persuadere sibi non poterant, Deum, qui veracissimus in servandis suis promissionibus sit, reliquisse peculiare semen Abrahæ, cui facta fuisset hæc promissio, & Gentes elegisse, quæ omni promissione carerent: atque ità colligebant, hunc qui ab Apostolis prædicaretur minimè esse illum Judæis promissum Christum, sciebat item Paulus.

6. *Non autem quasi exciderit*] Dixi, inquit, me dolere interitum fratrum meorum, neque id propterea dixi quòd irrita sit facta promissio Dei. Nam si omnibus quicunque ex semine Abrahæ profecti sunt, & ad eum solâ carnis cognatione pertinent, illa tam ingentia promissa facta essent, rectè admiraremur; sed longè aliter res habet. *Non enim omnes qui sunt ex Israel, ii sunt Israel*, ille videlicet verus Israel atque interior, & in quem propriè conveniat nomen istud, sic *non omnes qui sunt ex semine Abrahæ, continuo sunt filii:* quod ipsa Scriptura testatur cùm ait, *In Isaac*, h. e. in filiis promissionis, non carnis, *vocabitur tibi semen.*

9. *Promissionis enim verbum*] Hæc, inquit, promissio & hic Dei sermo formavit Isaac & genuit: Jam enim erat Abrahæ corpus emortuum, & emortua vulva Sarræ: sed efficax fuit Dei sermo, qui nunc quoque eodem exemplo *filios promissionis*,

i. ve-

i. verum semen Abrahæ & verum Israelem, non per carnis copulam sed per aquam & Spiritum S. quotidie generat.

10. *Sed & Rebecca*] Fortasse suspicabimini, inquit, in Ismaele & Isaac hoc factum esse ob alterius ancillam matrem, nè servile genus libero semini permisceretur. Verum ut intelligatis hanc veri Israelis electionem ad judicium solius Dei pertinere, non ad cognationem sanguinis, videte hujus rei exemplum præcessisse in gemellis fratribus quos Rebecca uno partu protulit, & tamen electio Dei esse impares voluit, idque *antè etiam quàm ederentur in lucem, & mali aut boni quicquam egissent*, ut omne os obstruatur, neque audeat quisquam vestrûm conqueri cur hos admittat, illos abjiciat. Porrò quod ait *concipiens*, in Græco est κοίτην ἔχουσα, *cubile habens*, honesto vocabulo concubitum signans.

11. *Non ex operibus*] Ut vestra vos Legis facta desinatis objicere, quibus existimatis ceteros omnes præ vobis nè homines quidem esse.

14. *Numquid iniquitas apud Deum?*] Non propterea injustus est Deus quòd judicio suo hæc administret. Quare? Quia, si quibus benignè facit, aut si quos castigat, ejus sapientiæ ac judicio relinquendum est: ut Pauli sensus hic sit, Non in geminis tantùm infantibus id accidit, sed in tota Israelitica simul gente, qui cùm omnes peccavissent, cùm Divinos honores vitulo exhibuissent, aliqui tamen seorsum sunt misericordiam consecuti. Neque hoc injustitiæ Dei acceptum referimus, sed ejus infinitæ sapientiæ, qui corda novit, qui *finxit*, ait, *sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*, atque idcirco solus sine errore tribuit cuique quod suum est, neque nostrum cum illius judicio concordare potest, propterea quòd imperiti nimiùm sumus rectè judicandi, & tanquam ignari alicujus artis, ut cognoscendorum lapidum aut equorum, eos plerumque probamus aut eligimus quos periti inprimis damnavissent ac rejecissent; itaque qui digni sint quive indigni solus Deus novit, non quisquam hominum, etiamsi multum sibi se aliquid scire persuadeant; sed eos sua sæpius fallit sententia: atque arcana mentis & cogitationis intelligit, ipse tutò dijudicat qui honore aut qui poenâ digni sint, & propterea multos qui hominibus probi haberentur rejicit, contráque qui mali existimabantur hos honore suo est dignatus; ut significatio fieret hanc selectionem debere non ex servorum suffragiis sed Domini ipsius sententia proficisci.

16. *Igitur non volentis*] Non dicat ergò Judæus debuisse se præ cæteris honore affici, quòd ipsius fuerit legislatio & cultus. Velit quidem, moneo, & currat, sed non tamen in hoc fidat; neque judicet quantum ipse cæteris præstet, sed totum Dei judicio permittat, qui solus exactè noverit quibus misericordiam impertiatur, *Voluntas* autem hoc loco & *cursus* pro *animi proposito & conatu* accipiatur: neque multum refert hæc sub Pauline an sub adversarii persona sint dicta.

17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni*] Non in beneficentia solùm verùm etiam in infligenda poena licet hoc ipsum considerare, Non posse scilicet dijudicare homines qui graviori quive leviori poenâ sint digni. Cùm enim ait Deus *se evexisse* Pharaonem in Regnum, aut eum *servasse in vita, ut ostenderet in eo vim suam*, quis audeat pervestigare cur ille præ cæteris tam severè fuerit castigatus? Voluntati ergò illius, quæ non potest non æquissima esse, permittendum est atque judicio, cujus misereatur, & quem obduret. Sic ista Judæorum rejectio æquiore à vobis animo feretur.

19. *Dices itaque mihi, Quid adhuc conqueritur?*] Introducit Paulus personam eorum qui ignorantes justissimo judicio Deum agere omnia, audito illo verbo ab ejus voluntate pendere & miserationem & obdurationem, continuò exclamant, *Quid igitur nos accusat Deus si omnia ab ejus voluntate proficiscuntur?* Quorum Paulus antè quàm dissolvat difficultatem, cogitat temeritatem dejicere, & ait, *Atqui, ô homo, tu quis es qui ex adverso respondeas Deo?* Profectò enim nimis est insanum, velle coenum, atque adeò nihil, intelligere rationem eorum quæ à Deo fiant, cùm multò justiùs posset figlinum vas disputare cum figulo, cur se ità finxerit, & tamen nè hoc quidem figmento licere manifestum est. Observandum est autem hanc similitudinem Figuli esse apud Jeremiam, ubi Deus dicit, *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Et contextus ille verborum significat posse Deum post minas misereri, & contrà item. Sed Paulus id tantùm attigit quod ad rem pertinebat; neque curavit addere quod eodem loco Jeremiæ dicitur, Quicunque scilicet poenitentiam egerit illius Deum miseri.

22. *Quòd si Deus volens ostendere iram*] Ἔλλειψις est, vel ἀνταπόδοτον sed sic absolve sententiam, *Quid habet homo cur queratur, si Deus volens ostendere iram, sustinuit vasa iræ?* &c. Respondet autem nunc illi hominum temerariæ interrogationi, Utile esse hominum generi intelligere *rem esse terrificam incidere in manus Dei viventis*, & iræ atque ultioni ejus se obnoxium facere. Hoc ubi Deus ostendere vult, non homines ipse fingit malos in quos sævitiam exerceat, sed eos qui *sese aptaverunt vasa iræ in interitum* castigat, ut eorum exemplo cæteri terreantur. Vas erat Pharao quod sese apparaverat ad interitum; dignus erat qui continuò plecteretur: verùm ingentem erga eum tolerantiam Deus exercuit, atque interea, ut sub Dei Regno nè mala quidem sine aliquo essent usu, ità sapienter omnia moderatus est ut ejus correctio multis documento fuerit ac saluti. Ità uno negotio hæc omnia confecit, *ostendit iram suam, notam fecit potentiam, lenitatem ingentem ferendo præ se tulit, indicavit quanti faceret vasa misericordiæ quæ præparasset ad gloriam.*

25. *Sicut & in Osee dicit*] Addit rationibus testimonia Scripturarum, ex eorum Prophetis, quæ testimonia manifestissimè prædicant vocationem Gentium & lapsum Judæorum.

27. *Esaias autem clamat*] *Clamat*, inquit, ut exaudire omnes possint: at quid clamat? Ex infinita multitudine, quæ olim *arenæ maris* fuerat comparata, exiguas *reliquias esse servandas*. Et modum etiam quo id fiat prædicit, *Sermonem enim perficiens Deus, & abbrevians cum justitia*, &c. Non longo, inquit, opus erit ambitu, neque laboribus, & operum Legis fatigationibus; sed summo compendio salus hæc comparabitur, solâ scilicet fide. *Si enim credideris corde tuo, & ore confessus fueris Dominum Jesum, salvus eris.*

29. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen*] *Semen* appellat exiguas illas credentium Judæorum reliquias: quemadmodum etiam cùm exigua messis est, dici solet *vix semina superfuisse.*

31. *Sectando legem justitiæ*] Dum justitiam sibi comparat ex factis Legis, veram justitiam non intellexit. Hoc nonum caput alio loco duarum orationum commentationibus explicuimus; hic institutæ brevitatis ratio habenda fuit.

ZEGERUS.

3. O*ptabam enim ego ipse anathema esse*[h. e. Occidi in corpore, ut fusiùs docet Hieronymus epist. ad Algasium quæst. 9.

4. *Obsequium*] Nè vocis tibi imponat ambiguitas, Gr. est λατρεία, i. *cultus Divinus, servitus & religio.*

6. *Non autem quòd exciderit verbum Dei*] Neque hactenus contristatus sum, inquit, neque eò pervenit fratrum meorum Judæorum, de quibus conqueror, impietas, ut credam *excidisse verbum*, h. e. pollicitationem, *Dei*. Scio namque *non omnes ex Israel progenitos, veros esse Israelitas*, h. e. fidei filios.

7. *Neque quia semen*] Non qui semen.

9. *Secundùm hoc tempus*] Pro *Hoc eodem tempore.*

10. *Non solùm autem illa, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri*, &c.] Non mihi fit verisimile Apostolum scripsisse ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, sed potiùs ἐξ ἑνὸς κοίτης ἔχουσα. Nam *ex uno concubitu* (non *concubitum*) *habens Isaac patris nostri* legunt non modò Ambrosius, Hieron. in Mal. c. 1. & Augustinus cum aliàs tum lib. ad Simplicianum 1. quæst. 2. verùm etiam his antiquiores Irenæus lib. 4. c. 3. & Origenes, ut cæteros sileam. Suspicor autem mutatam scripturam quòd parùm videretur verecundum *ex uno concubitu*. Sunt aliquot codices qui hunc locum sic habeant, *Non solùm autem illi, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patre nostro.* Nec Sara tantùm promissionis promeruit elogium de filio qui verus esset heres futurus paternæque fidei successor, quinimo & Rebecca, quæ *ex uno patris nostri Isaac congressu*, h. e. ex uno thoro, imò teste Augustino epist. ad Sixtum) eodem etiam tempore geminos concepit; vel, ut ad id quod Græcè est respiciamus, quæ *ex uno Isaac patre nostro cubile* (sive *concubitum*) *habuit*, i. concepit. *Cum enim nondum nati essent, neque boni quippiam malive perpetrassent, erga Jaacob Divina habetur electio, & dicitur, Quia major serviet minori, &, Jaacob dilexi, Esau autem odio habui.* Cur autem ità, docet cùm subdit, *Ut secundùm electionem propositum Dei maneret, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est*; h. e. *ut non qui filii carnis, sed qui filii Dei sunt, deputentur in semen.* Adhæc quò dilucidior sit verborum series, & hyperbasi medeatur, poteris quædam velut per occasionem interjectâ parenthesi includere ad hunc modum, *Non solùm autem illa, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri (cùm enim nondum nati fuissent, &c. vocante Deo) dictum est ei, quia major serviet minori.* Illud adjiciam; cùm pro *ex uno concu-*

bitu habens Iſaac patris noſtri, Græcis ſit (ut ſanè noſtri temporis habent codices) ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν, præter dictam illam expoſitionem, etiam hoc ſenſu iſthuc accipi poſſe, Sicut in uno filio Abrahæ è Sara nato, ità quoque in uno ſive ex uno filio Iſaac, quem genuit Rebecca, non in vel de ambobus facta eſt promiſſio: ut Græca transferantur hoc pacto, *Sed & Rebecca ex uno, patris noſtri Iſaac concubitum habuiſſet: (nondum enim natis pueris, cùm neque boni quippiam feciſſent, neque mali*, &c.) *dictum eſt illi, Major ſerviet minori.* Qui ſublimiorem deſiderat hujus loci enarrationem, videat Auguſtinum lib. ad Simpl. 1. quæſt. 2.

19. *Quid adhuc queritur?*] A *queror*, pro *conqueritur*, & ſubaudiendum *Deus*. Græcum autem vocabulum μέμφομαι non modò *conqueror*, verùm etiam *reprehendo*, *incuſo*, *indignor*, & *abjicio* declarat.

22. *Quid ſi Deus volens oſtendere*, &c.] Ut ſermo nihil habeat imperfecti, docet Origenes illud *quòd ſi* tanquam vagum relinqui debere. Ego tamen ſuſpicor Græcam particulam εἰ δὲ pro εἴπερ, i. *atqui*, *certè*, vel pro διότι *ſiquidem*, vel *quia*, poſitam eſſe. Nam εἰ pro διότι & ὅτι, h. e. *ſi* pro *ſiquidem*, in S. Bibliis non eſt infrequens. Hæc ſi fortè haud magnopere tibi placent, poſt illa verba, *quæ præparavit in gloriam*, aliquid ſubaudias oportet, veluti, *quid eſt quod incuſent?* vel, *non eſt quod querantur*. Auguſtinus lib. ad Simplic. legens, *Si Deus volens*, &c. ex præcedentibus ſubintelligendum tradit. *tu quis es qui reſpondeas Deo?*

24. *Quos & vocavit nos, non ſolùm ex Judæis*, &c.] Tantundem valet ac ſi dicas, *Quemadmodum*, vel *cujuſmodi* (nempe *vaſa miſericordiæ*) *vocavit nos etiam ex Gentibus, nedum ex Judæis.*

25. *Plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam*] Codices Græci & explanatores antiqui omittunt illud, *& non miſericordiam conſecutam miſericordiam conſecutam.* Codices quidam Latini antiqui cum Oſee magis reſpondentes omittunt *non dilectam, dilectam.*

27. *Pro Iſrael*] Ὑπὲρ, *ſuper Iſrael.*

28. *Verbum enim conſummans & abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus ſupra terram*] Primùm adverte τὸ *verbum* eſſe accuſativi caſus, regique à *conſummans & abbrevians*. Ipſe autem *conſummans*, h. e abſolvens & implens atque in compendium redigens, Deus eſt: qui per Chriſtum miſſum in terram *verbum breve fecit*, dum univerſam Legem omnéſque Prophetas in Euangelio ſalutis duobus complexus eſt præceptis Charitatis. Oſtendit autem Apoſtolus his verbis quando *reliquiæ* illæ, h.e. pauci illi electi ex Iſrael ſint *ſalvandi*: Erit namque quando *verbum faciet Dominus breviatum in juſtitia & æquitate ſuper terram.*

29. *Et ſicut dixit Eſaias, Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma*] *Semen* hoc unicè *relictum* ad conſervationem reparationémque generis humani Chriſtus Dominus eſt, cum eo omnes electi, qui verè ſunt Abrahæ ſemen, cui promiſſa donantur munera. Quod ni ſervatum vel in hoc uſque ſeculum eſſet, non ſecùs atque Sodoma periiſſemus & periremus omnes.

30. *Quid ergò dicemus? Quòd Gentes*, &c.] *Niſi*, inquit Auguſtinus l. Doctr. Chr. 3. c. 3. *poſt percunctationem quâ dicitur, Quid ergò dicemus? reſponſio ſubjiciatur, Quia Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam*, &c. *textus conſequens non cohærebit.*

33. *Lapidem offenſionis & petram ſcandali*] Chriſtum ſignificat, *Judæis* quidem *ſcandalum*, *Gentibus autem ſtultitiam* 1 Cor. 1. Teſtimonii textura partim ex Jeſ. 28. partim ex ejuſdem c. 8. deſumpta eſt.

L. BRUGENSIS.

25. *Sicut * in* [* & 2 MS. G] *Oſee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.*] Antiqui Epanorthotæ & antiqui Zegeri codices auferunt *Et, non dilectam, dilectam.* Idem auferunt antiqui noſtri, Brug. Lob. Leod. Mal. ma. mi. O, P, H. Græci libri tollunt iſtud, *Et non miſericordiam conſecutam*: illud legunt, *Et non dilectam, dilectam*; καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην. His Enarratores multi conſentiunt. Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & Autor commentariorum apud Ambroſium; S. Auguſtinus etiam, ſub finem libri primi ad Simplicianum, & lib. 22. Contra Fauſtum cap. 89. Antiquis Latinorum codicibus ſuffragatur D. Hieronymi lectio, ſcribentis in primum Oſee caput, & Haymonis Halberſtatenſis atque Anſelmi Cantuarienſis Commentarii; Scholia adhæc, quantum colligere poſſum, quæ in D. Pauli epiſtolas exſtant in Hieronymi operibus. Syri unum duntaxat legunt, id quod hujuſmodi eſt ut utrumque complectatur, utrumque ſignificet: Eundem ad modum ipſe Propheta; eàdem enim cum Propheta Syri uſi ſunt voce, רחם, quæ & *diligere* & *miſereri* ſignificat. ורחמתי את־לא רחמה (eò enim Apoſtolus hâc parte reſpexit) id quod noſtra editio, in calce ſecundi capitis v. 23. Prophetiæ Oſee, vertit, *Et miſerebor ejus quæ fuit Abſque miſericordia*; verti etiam poteſt, *Et diligam eam quæ fuit Non dilecta*, ſive, ad verb. *Et diligam non dilectam.* Erat Divinitus impoſitum nomen filiæ quam Oſee genuerat לא רחמה, quod eſt, *Non dilecta*, vel, *Non miſericordiam conſecuta*, ſive *Abſque miſericordia*, Oſee 1. 6, 8. quemadmodum filio impoſitum fuit nomen לא עמי *Non populus meus*, ſive, *Non plebs mea*. Manifeſtum igitur evadit, non utrumque illud apud Apoſtolum legendum eſſe, ut vulgus codicum & Gloſſematicorum Latinorum legit, ſed alterum, ut ex altera verſione additum, reſecandum. Porrò ſit Græcis illud genuinum, *Et non dilectam, dilectam*: noſtræ editionis germana ſcriptura eſt, *Et non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam*: cui adjectum eſt illud, *Et non dilectam, dilectam*, ex Græcis, opinor, libris, & in pleriſque quidem exemplaribus præpoſitum, atque in compluribus fruſtrà gravatum pronomine *meam* (*Et non dilectam meam, dilectam meam*) in quibuſdam verò poſtpoſitum. Legit, veriſimile eſt, Interpres noſter Græcè, pro ἠγαπημένην, ἠλεημένην, quo modo juxta LXXII interpretationem, in Oſee eſt. Teſtatur Oſee enarrator Hieronymus, in caput ſcribens primum, quædam illic exemplaria ἠγαπημένη legiſſe: ſed veriora cenſet quæ habent ἠλεημένη, quia ad diſtinctionem Iſraelis, cui non miſeretur, infert Deus, *Domus autem Juda miſerebor.* Certa profectò videtur editionis Septuagintaduorum lectio ἠλεημένη, quia ſequentia omnia, quæ ad priora reſpiciunt, per ἐλεεῖν tranſlata ſint: viderique poſſit ἠγαπημένη eò ex Apoſtolo admiſſum eſſe. Cæterùm poterant ſequentia omnia per ἀγαπᾶν verti, eſséque congrua lectio eorum quæ præcedunt ἠγαπημένη nam, quod diximus רחם, quâ voce ſemper Propheta utitur, ad ἐλεεῖν & ἀγαπᾶν, ad *miſereri* & *diligere* commune eſt.

H. STEPHANUS.

6. Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ] *Tale autem hoc non eſt, ut Dei verbum exciderit.*

10. Κοίτην ἔχουσα] *Cùm concepiſſet.*

18. Ἐλεεῖ] *Miſeratur.* ¶ Σκληρύνει] *Indurat.*

19. Μέμφεται;] *Succenſeat?*

20. Μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι] *Num dicet figmentum fictori*: vel, *Figlinum opus ipſi figulo.*

21. Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι, &c.] *Nonne figulus lutum in ſua poteſtate habet, ut ex eadem maſſa faciat*, &c.

30. Τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην, κατέλαβε δικαιοσύνην] *Quæ non ſectabantur juſtitiam, aſſecuta ſunt eam.* Vel, *Attigerunt.*

DRUSIUS.

1. *Veritatem dico, non mentior*] Locutio ut, *Confeſſus eſt & non negavit.* Nos alibi eam luculenter enarramus: non libet repetere. *Occidit* enim *miſeros crambe repetita magiſtros.*

3. *Anathema eſſe*] h. e. *Excommunicatus eſſe*: verbum è verbo *excommunicatio eſſe*. Sic *deportatio* ponitur pro *deportatis*, *captivitas* pro *captivis*, *circumciſio* pro *circumciſis*, *præputium* pro *præputiatis*. Nota hæc doctis. *Excommunicatio*, i. חרם, quod Græci transferunt ἀνάθεμα. Et eſt nomen tam generis quam ſpeciei. Generis; ut cùm dicunt *tres eſſe ſpecies* חרם *excommunicationis.* Sic Apoſtolus dixit, *Anathema Maranatha.* Speciei; ut cùm partiuntur Excommunicationem in *Niddui*, quod *ſeparationem* denotat, חרם *anathema*, & *Samatha*, quod Syriacè dicitur *Maranatha*, i. *DOMINUS venit.* De his tribus generibus Excommunicationis videndi ſunt Elias in Thesbite, & Buxtorfius in Epiſtolari, quam vocat, inſtitutione. Nos etiam aliquid de iis ſuprà, ubi explicamus quid ſit ἀποσυνάγωγον εἶναι] *Synagogâ moveri.*

4. *Et gloria*] הכבוד cum articulo, & כבוד abſque articulo 1 Sam. 4. 21. 22. *Migravit gloria ab Iſrael, quoniam capta erat arca Dei.* Dicitur etiam *gloria DOMINI* Pſal. 63. 2. *Sic in Sancto crevi te, videndo robur tuum & gloriam tuam:*

nam

nam in Arca habitabat *gloria*, i. Deus gloriosus ait R. D. Abenezra, ROBUR TUUM, i. *Arcam federis* ET GLORIAM TUAM, *h. e. ipsam Divinitatem*, quam תפארת vocat. ¶ [*Cultus*] העבודה, ut in lib. Aboth, c. 1. *Simeon Justus erat ex reliquiis virorum Synagogæ magnæ. Ipse dicebat, Super tria stat* (alibi, *creatus est*) *mundus, super Legem, Cultum, & Compensationem beneficiorum.* Scholiastes ad h. l. *Cultus iste cultus est domûs Sanctuarii. Omni tempore quo domus Sanctuarii stabilis erat, mundus benedicebatur in habitatoribus suis, & imbres descendebant in tempore suo: sicut scriptum est, Si auscultando auscultaveritis*, &c.

6. *Non autem quòd exciderit*] Emendant, *Fieri non potest ut exciderit.* Nam οἷον aliquando idem quod δυνατόν. Id Ebraicè diceretur אין אפשר שיפול, non autem כי נפל ut est in Notis majoribus Theodori. Vide, si placet. ¶ *Sunt Israelitæ*] ישראלים. Græcum exemplar ἤτοι Ἰσραήλ. sic etiam Syrus: eódem recidit. Nam Israelitæ sæpe *Israel* vocantur, ut in Decalogo, *Audi Israel*, & alibi passim. Angustiùs sumitur cùm dicunt, *Sacerdotes, Levitæ, & Israel*, sive, ut alibi est *& Israelitæ*. Interdum de uno usurpatur, ut in Ilmed. 90. 3. *Nunc factus sum Israel*, i. Israelita. Sic in Juch. 85. 1. *Erat Israel dives valde.* Liber Musar, 93. 2. *Ivit ad Israel, qui vendiderat ei vaccam.* Liber Præceptorum magnus 10. 1. *Rabasses erat Israel* משומד, *qui religionem ejuraverat*, h. e. apostata. *Israel* de plebe tantùm invenies in libro Zohar, & *Israelita* in Manahemo 111. 4.

7. *Isahac*] Scribendum cum adspiratione non *Isaac*, quod à Græcis manavit, quos in nominibus Ebraicis non sequimur: Siquidem Græci voces in medio non adspirant. Græcâ & Latinâ declinatione dicimus *Isahacus*, & contractè *Isacus*.

10. *Rebecca*] Ῥεβέκκα. Sic etiam scribitur hoc nomen Gen. 22. 23. Syrus habet רפקא *Raphca*, in quo ex dialecto illius linguæ ב in פ versa. Sic פרזלא dicunt ex Ebræo ברזל *ferrum.* Ebraicè רבקה, quod ἀρχαϊκῶς leges *Rebca*. רבקה *Rebca*, ut רבלתה *Rebla* 2 Reg. 23. 33. Vide quæ scripsimus ad Matth. 2. 18. ¶ *Ex uno concubitum habens*] Ex uno Isahaco concipiens; quod aliàs dicunt *in utero habens*, ἐν γαστρὶ ἔχουσα. Plenius hoc diceretur *concubitum seminis habens*, quod expressum Levit. 18. 20. & 19. 20. & 22. 4. Ebraicè שכבת זרע. Sunt qui putant ipsum semen eo nomine significari. Fortè an Hypallage est, *concubitus seminis* pro *semen concubitûs*, quod ex concubitu maris cum femina profluit. Hinc intelliges quid sit *dare concubitum suum*, & *dare concubitum seminis.* Nam qui hoc facit, reddit mulierem gravidam & prægnantem. Ut hic *concubitus seminis*, sic alibi *viriditas herbæ* pro *herba viriditatis*, i. viridis. Multùm profecit qui loquendi modos bene intelligit: nam hinc pendet intelligentia sacrarum literarum.

22. *Vasa iræ*] Aliter Jes. 13. 5. DOMINUS *& vasa iræ ejus*: ubi Hieron. *vasa furoris ejus.* זעם proprie *ira æstuans. Æstum* interpretantur quando de mari usurpatur. Significat autem Persas & Medos, per quos iræ suæ judicia exsequebatur in Babylonios. Ut hic homines *vasa* vocantur, sic Lex dicitur כלי חמדה *vas desiderii*, h. e. desiderabile aut expetendum, in lib. Aboth, cap. 3. & Sol σκεῦος θαυμαστὸν *vas admirabile* apud Sirachidem 43. 2.

23. *Divitias gloriæ suæ*] Familiare Paulo ut *divitias* vocet ingentem alicujus rei vim & copiam. Sic Ephes. 1. 7. *secundum divitias gratiæ suæ.* Suprà 2. 4. *divitias bonitatis.* Et quia divitiarum cumulus quò major eò altior ac profundior est, ideo infrà 11. 33. legitur βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ, *profunditas divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei.*

25. Ὡς καὶ ἐν τῷ Ὠσηὲ λέγει] Scribunt *Osee* sine adspiratione, cùm scribendum sit *Hosee* cum adspiratione. Nam Ebraicè הושע, *Hosea*, *Hosee*, ut *Sua*, *Sue.* Syrus habet הושע *Husa* sive *Huse*; pro quo antiqui legebant *Hause*, *u* in *au* vertentes. *Huse Hause*; ut עוץ Uz, *Auz*; *Uzites*, *Auzites.* Malè in Tremellio est *Hosea.* Nam Syri carent *o* vocali, quam in *u* vel in *au* mutant. ¶ *Et non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*] Hic duæ lectiones coaluerunt. Græca enim exemplaria Hoseæ variant: nam in Complut. & Romano ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην, *diligam eam quæ non est dilecta*: in cæteris verò ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην, *miserebor ejus quæ non est misericordiam consecuta.* Hanc varietatem notavit Hieronymus his verbis, *Pro* οὐκ ἠλεημένη *in quibusdam fertur exemplaribus* οὐκ ἠγαπημένη: *sed veriora sunt exemplaria quæ habent* ABSQUE MISERICORDIA. Hæc ille in Comment Hos. 1. Quomodo *veriora*? nam רחם etiam *diligere* significat. Ideo *veriora*, quoniam verbum hoc non sign. *diligere* nisi in conjug. prima quam vocant *Kal*, ut Psal. 18. ארחמך *Intimè diligam te.* Hic autem רחמה legitur, & רחמתי in conjug. secunda, cujus activam vocem *Piel* appellant, & passivam *Pual.* Consule Grammaticos.

29. *Dominus Sabaoth*] i. *exercituum.* Sunt autem exercitus alii cœlestes, & alii terrestres: Cœlestes sunt; ut verbi gratiâ, Sol, Luna, Stellæ; item Angeli & Meteora: Terrestres, qui terrâ marique continentur, & in aere volant. His omnibus cum imperio præest Deus benedictus, qui propterea vocatur *Deus* aut *Dominus exercituum*, i. στρατιῶν, aut στρατευμάτων, sive, ut Senes interpretari maluerunt, τῶν δυνάμεων, quod Vulgatus noster amat reddere *virtutum.* Unde disces quid sit *virtutes cœli*: nam in fonte αἱ δυνάμεις τοῦ οὐρανοῦ *exercitus cœli*: δυνάμεις enim Græci vocant *copias militares & exercitus*, ut suprà ex Theodoreto demonstratum est. ¶ *Sicut Gomorra similes fuissemus*] *Similes sicut Gomorra*, Pleonasmus Ebraicus. Satis enim erat *similes Gomorræ*, aut *sicut Gomorra fuissemus.* Sic Job 30. 19. *Similis factus sum sicut pulvis & cinis*: item Psal. 49. 12. & 20. *similis fuit sicut bestiæ*, vel *jumenta.* Latinè *similis bestiis, pulveri & cineri.*

32. *Sed quasi ex operibus*] Erasmus ad hunc locum, *Judæi salutem acceptam ferebant suis operibus, exclusâ gratiâ Dei.* An hoc verum sit nescio. Multum tribuebant operibus, sed an penitus excluserint Dei gratiam vehementer dubito. Dubitandi causa ex eo quòd dictitant, *Qui venit ut se mundet adjuvatur è cœlo*, i. cœlitus, vel *à Deo*, i. Divinitus. Nam *cœlum* inter epitheta Dei.

CASAUBONUS.

6. OὙΧ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, &c.] Locum hunc puto (sed puto tantùm) sic vertendum, *At id fieri non potest. Nam à Deo profectus est hic sermo, Non*, &c. Verbum ἐκπίπτειν puto ità accipiendum ut 2 Macch. 6. 8. ψήφισμα δὲ ἐξέπεσε, h. e. *profectum est, divulgatum est à Rege.* Et ità usurpat Diodorus S. pag. 671. Sic vulgò apud Græcos λόγιον. Quod ad Vulgatam interpretationem attinet, ea est manifestè vitiosa. Versio D. Bezæ non videtur animadvertere differentiam [in hoc loquendi genere, scil. ubi λόγος aut λόγιον additur] inter πίπτειν & ἐκπίπτειν. Illud opponitur τῷ *stare*, hoc non item. Et Metaphoricè Luc 16. 17. ut & apud Pindarum & Suidam, πεσεῖν legas, sed nunquam ἐκπίπτειν in eo sensu. Et omnino ἐκπίπτειν ità debet accipi, ut cùm dicitur χρησμὸς ἐκπεσών, h. e. ῥηθείς, ait Suidas. Quæ sequuntur, Οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, &c. videtur esse locus ex Bibliis. Hactenus ὁ μακαρίτης, hoc quidem loco. Quibus consona sunt quæ ad oras Græci Testamenti edit. Hen. Stephani An. Dom. 1576. quod secum circumferre solebat, adscripsit; quæ & hic apponentur:] Torsit multos, & à multis torquetur hic locus. Beza ἐκπεπτωκέναι τὸν λόγον accipit pro *excidisse & irritum esse factum Dei verbum.* Ea mihi sententia vehementer probatur. Tantùm moneo, durum esse ἐκπίπτειν pro πίπτειν accipere. Semper enim in hoc loquendi genere hoc, non illud usurpant scriptores. Luc. 16. 17. 2 Reg. 10. 10. Pindarus, Olymp. Suidas, Οὐκ ἔπεσεν εἰς γῆν εὐχή. Contra, ἐκπίπτειν λόγον cùm dicunt, aliud omnino est. Vide an possit hæc vox ità accipi hoc loco ut cùm dicunt Græci ἐκπεπτωκέναι λόγιον. [Sic ibi Casaubonus: quæ eódem, quamvis non eâdem planè, redeunt. Postea tamen minùs placuisse ipsi hanc sive versionem sive interpretationem, ex chiasmo, sive decussatis quas superiori loco lineis apposuit, satis liquet. Quæ tamen, quamvis ab ipso quasi confossa, cur hic minimè prætereunda & penitus abolenda crediderim, hæc me ratio præcipuè movit, quòd non dubitarem inter tot verborum S. Scripturæ curiosos (& utinam non curiosiores interdum quàm prudentiores!) rimatores & examinatores, quot hæc ætas tulit, vix fieri posse, quin propria & maximè usitata verbi istius ἐκπίπτειν (in hoc loquendi genere) significatio veniat, aut jam venerit, alicui in mentem, & ex nova verbi significatione nova quoque loci sententia. Nova certè, quantum memini, viri summi Hugonis Grotii hîc expositio; qui quod alii de Promissis, ipse de Minis à Deo pronunciatis exponit: qui si verus est verborum sensus, optimè quadrabit ista τοῦ ἐκπίπτειν interpretatio quam solam legitimam, si usum loquendi spectemus, esse, tot verbis & exemplis adstruxit hic ὁ μακαρίτης pater. Quid igitur ille quondam, & quibus argumentis maximè probaverit, quid postea minùs probabile (fortasse motus loco simillimo, Rom. 3. 3. Τί γὰρ, εἰ ἠπίστησάν τινες; μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει; qui vulgò receptam illam hoc loco, quamvis aliàs ignotam, verbi notionem maximè confirmare mihi videtur) judicaverit, quò lector veri studiosus de novis aliorum, si forte tales inciderint,

ἐκλογήν. Sed cùm omnia sunt paria (ut nos omnes sumus à natura) mera est ἐκλογὴ *pura puta electio*. Non est ergò hic distinguendum nimis subtiliter πρόθεσιν *propositum Dei* ab *electione Dei*, sed dicendum quod res est, hæc verba κατ' ἐκλογὴν adjecta esse explicationis causâ: ut sit sensus, *Ut propositum quod est merè liberum maneat firmum*. Non est autem actio in Deo merè libera Justificare credentem & pœnitentem (merè autem liberam actionem vocamus eam quam omittere non pugnat cum Dei natura) nam inest Deo naturalis quædam proprietas, Misericordia nempe, cujus objectum est is qui Deo gratiam & veniam offerenti fidit; Deus scilicet non potest semetipsum abnegare. At verò ità hunc compellare, tam vehementer, atque (ut vulgò loquimur) tam persuasivè, ut manus det, id verò tam liberum est quàm creasse aut non creasse mundum. Itaque hæc Dei actio rectè dicitur *Vocatio secundùm Dei propositum electivum*, juxta πρόθεσιν, inquam, quæ est non κατὰ τὴν ἐκλογήν, sed κατ' ἐκλογήν. ¶ Οὐκ ἐξ ἔργων, &c.] Novatores Semipelagiani detorquent ista ad Justificationis negotium: at verò justificatio sequitur non præcedit vocationem: nam suprà cap. 8. 30. Apolus dixit, *Quos vocavit, eos justificavit*. Deinde, locutio esset admodum dura, *vocationem* opponere *operibus* cùm de Justificatione agitur: nam solet Apostolus, quoties de Justificatione disputat, *fidem* opponere *operibus*; nunquam opponit *Vocationem Operibus*. Deinde, quod rei caput est, non potest hoc fieri, siquidem vocatio communis est, ex eorum sententia: nam quæ communia sunt, ea non opponuntur. Itaque si vocatio communis est tam operanti quàm non operanti frustrà dicitur, *Id non fit ex operibus, sed ex vocante*. Adjiciatur & illud, quod Interpres Syrus longè vetustissimus hunc locum ità vertit, ut illa verba ἐκ τοῦ καλοῦντος interpretetur מן דקרא *per manum vocantis*, quæ locutio facit ut vocanti tribuatur efficacia quædam: nam quoties agitur de efficacia, toties sic loquitur: & multò vehementior est locutio illa quàm si dixisset מן. Itaque specialis est quædam vocatio, eademque efficax: nam non est specialis nisi efficax sit.

13. Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, &c.] Sunt qui exponunt illud *odio habui* pro *non amavi*, privativè, non positivè: & dicunt odium esse duplex, privativum unum, aliud positivum. Verùm illi non videntur satis attendisse ad naturam Dei: ut interim taceam, Scripturam hoc *odium privativum* penitus ignorare, cùm agit de odio quo Deus prosequitur reprobos: nam nos quidem homines *odimus*, h. e. non amamus, nobis similes odio privativo tribus potissimùm de causis: 1. Quia eos non novimus; 2. Quia etsi noverimus, tamen eorum non semper meminimus, de iis non semper cogitamus; 3. Quia indifferenter erga illos sæpe nos habemus. Jam verò fieri non potest ut unum ex his tribus cadat in Deum: non enim potest non novisse homines, non potest eorum non meminisse, non potest denique erga illos se indifferenter habere, cùm sit omniscius.

18. Ὃν θέλει ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει σκληρύνει] Novi Semipelagiani hæc trahunt ad Justificationem, sed perperàm; quia Induratio Emollitioni cordis, non autem Damnationi opponitur. Non enim Deus quos damnavit prius eos indurat, sed induratos damnat; quemadmodum non eos quos fide donat priùs justificavit, sed justificat fide donatos. Itaque justificationem præcedit vocatio: neque enim Deus quos justificavit eos vocat, sed contrà quos vocat eos justificat. Deinde non est credibile Apostolum ad Dei voluntatem recurrisse cùm ageretur de reddenda ratione cur hi potiùs quàm illi justificentur, cum in promptu causa sit; nempe hic Deo credidit, hunc pœnituit peccati, ille non credidit, illum non pœnituit peccati. Causa justa & idonea est, etiam humanæ rationis judicio, nisi quis insaniat. At cur Deus huic potiùs fidem ac pœnitentiam dederit quàm isti, cùm simus omnes naturâ pares, id verò non æquè liquet: itaque hic nobis in voluntate ejus est acquiescendum.

25. Καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, &c.] Hoseæ verba, quæ de Israele à Propheta dicuntur, ad Gentes Apostolus accommodat. Ratio hæc est, Hoseas Israelis Tribus captivas alloquitur, quarum mentio fit 2 Reg. 17. 23. quæ Gentibus permistæ sunt, neque Dei cultum servarunt; quare & Gentium loco sunt habitæ, nec unquam in patriam redierunt. Fuerant olim Dei populus, sed ubi profanorum cultum amplexæ sunt, & indiscriminatim filias Gentium in uxores acceperunt, suásque vicissim in matrimonium eis dederunt (unde confusio secuta est) dignitatem populi Dei amiserunt.

28. Λόγον συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ] Deus dicitur λόγον συντέμνων non respectu nostri, sed respectu sui, quo respectu tempus quod præcedit facti sui complementum nullius moræ est si conferatur cum ea quâ duraturum est æternitate.

GUALTPERIUS.

3. Ἀνάθεμα] Quomodo differat ἀνάθεμα καὶ ἀνάθημα expositum est in Act. 23. 12.

29. Κύριος Σαβαὼθ, *Dominus Sabaoth*] Syrus מריא צבאות *Dominus Tzebaoth*. In Chaldæis radix צבא vel צבי sig. *voluit*, *optavit*; sed in Hebræis צבא est *militavit* vel *in bello*, ut propriè significat, vel *in certo aliquo ministerio*. Indè צבא *exercitus*, *militia*, tam bellica, quàm vitæ humanæ cum calamitatibus Job 7. 1. Syntact. צבא ישראל *Exercitus Israel* 1 Reg. 2. 32. Fem. *Dominus* צבאות *Dominus exercituum*, Psal. 24. 10. Et sic hoc loco.

JAC. CAPPELLUS.

1. *Veritatem dico in Christo*] h. e. Cùm in Christo sim, ut verax est ille, sic ego quoque verè vobis dico. ¶ *Non mentior*] Superflua videri potest hæc adjectio, sed facit ad rei confirmationem: exstántque quædam exempla consimilia etiam apud brevitatis Atticæ studiosos ac peritos. Lysias περὶ τραύματος, p. 101. ἀλλὰ ψεύδεται, καὶ οὐκ ἀληθῆ λέγει. Cæterùm cùm hoc caput contineat longam Judaicarum objectionum refutationem, juvat hic dialogismum instituere quo paraphraseos instar explicetur vis tam objectionum Judaicarum quàm responsionum Apostolicarum.

Vers. 1. 2. JUDÆUS. Tu nos rejectos esse putas, quia quod nimis miseri volunt, id facilè credunt.

PAULUS. Contrà, *Christum & conscientiam meam verè testor*, id mihi maximè dolere.

V. 3. JUD. Tu putas nos jam Dei filios non esse, quia fraternum erga nos animum exuisti.

PAUL. Imò vos, ut *meos secundùm carnem consanguineos*, complector amore tam fraterno, ut si propriæ salutis dispendio possem vos Christo reconciliare, lubenter id facturus sim.

V. 4. JUD. Nescis quænam sint nostra privilegia.

PAUL. Imò scio vos *Israelitas* esse, vobis datam externæ saltem *adoptionis gloriam & federa*, tum, inquam, legale, tum typicum fedus, & *promissiones* federis Euangelici.

V. 5. JUD. Noster est etiam ipse Christus.

PAUL. Omnino: quemadmodum à *Patribus* estis orti, sic *à vobis ortus est secundùm carnem Christus, supremus omnium Dominator, Deus in secula benedictus*.

V 6. JUD. Non potest excidere fedus Dei quod cum Israele pepigit.

PAUL. Sanè non potest, *nec excidit* omnino. *Non enim Israel est quisquis ab Israele est oriundus*.

V. 7. JUD. Nos sumus Abrahami semen.

PAUL. *Non quisquis est ex Abrahami semine*, continuò Dei vel Abrahami *filius est*, cùm Abraham liberos multos habuerit, & tamen de solo dictum est *Isaaco, futurum ut is demum censeatur Abrahami semen*.

V. 8, 9. JUD. Ut Abrahami, sic & Dei filii sumus.

PAUL. *Non quisquis est* Abrahami *secundùm carnem filius, Dei quoque filius est, sed is demum censetur genuinum* Abrahami *semen* qui fide promissionem Euangelicam amplectens fit quoque *promissionis filius*, cujus *promissionis* typus fuit ista Gen. 21. 12. *Hoc ipso tempore veniam, & erit Sara filius*.

V. 10. JUD. Solus Isaac censetur Abrahami semen, quia solus ex libera Sara natus est.

PAUL. *Non solum id experta est Sara, sed & Rebecca*, quamvis *ex uno Isaaco patre nostro conceperit*.

V. 11. 12. JUD. Esavo prælatus est Jacobus ut melior.

PAUL. Non est ità. *Nam antequam nati fuissent*, antequam ullo modo melior esset alter altero, *& constaret electionem niti non electi bonitate sed* eligentis ac *vocantis voluntate, dictum est Rebecca* Gen. 25. 21. 23. *Major serviet minori*.

V. 13. JUD. Terrenas tantùm benedictiones spectat hæc promissio.

PAUL. Imò spiritualem quoque benedictionem spectare promissionem hanc constat ex Malachia, qui c. 1. 2. sic explicat hanc promissionem, *Jacobum dilexi, Esavum autem odio habui*.

V. 14. JUD. Si nullâ bonitatis eorum qui eliguntur prævisione nititur electio, *an non est apud Deum injustitia?*

V. 15. PAUL. *Absit*. Cur enim injustus sit Deus, cùm iis quos ipsi lubet eligere gratiam facit? Certè sibi jus hoc esse satis testa-

brahamum, Isaacum & Jacobum. ¶ Ἀμήν. *Amen*] Sic *Amen* insertum habuimus, & supra in Dei laudatione, 1. 25. sic & infra 11. 36. & 16. 27. Gal. 1. 5. Ephes. 3. 21. Philip. 4. 20. 1 Tim. 1. 17.

6. *Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Non autem quod exciderit verbum Dei*] *Quanquam hæc vera sunt*, inquit, *tamen fieri nequit, ut irritus sit sermo Dei*, nempe minæ illæ quas Deus in lege Levit. 26. 14. Deut. 27. 15. & 28. 15 Josuæ 24. 20. & alibi, sæpe adversùs contumaces Israelitas pronuntiat. Sic Deut. 4. 30. *εὑρήσουσί σε πάντες οἱ λόγοι οὗτοι* [*invenient te omnia hæc verba*] id est, *minæ istæ*. *οὐχ οἷον* Rabbinis est אי אפשר [*non est possibile*]. *ἐκπίπτειν* נפל [*cadere*] est *irritum fieri*, 1 Sam. 3. 19. *οὐκ ἔπεσεν ἀπὸ πάντων τῶν λόγων αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν* [*& non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*]. Sic & Josue 21. 45. ¶ *Οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, οὗτοι Ἰσραήλ· non enim omnes qui ex Israel, ii sunt Israël*] Non omnibus ex Jacobo ortis competit causa nominis, propter quam Jacobus à Deo vocatus est *Israël*, Genes. 32. 28. ad quam historiam Josephum vide. Convenit id nomen, ut Tertullianus rectè intellexit, eximiè Martyribus; Angelos enim hac parte superant, quòd, qui maximus est honos, pro Deo mori eis contingit. Justinus contra Tryphonem disputans, Ὑμεῖς δὲ *μηδὲν τούτων νενοηκότες μηδὲ νοεῖν παρασκευαζόμενοι, ἐπειδὴ κατὰ τὸ σαρκικὸν σπέρμα τοῦ Ἰακὼβ τέκνα ἐστὲ, πάντως σωθήσεσθαι προσδοκᾶτε, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐν τούτοις ἑαυτοὺς πλανᾶτε ἀποδέδεικταί μοι ἐν πολλοῖς* [*Vos autem nil ejusmodi cogitâstis vel cogitare studuistis, cùm enim ratione carnalis seminis sitis filii Jacob, omnino arbitramini vos fore salvos: verùm quod hac quoque in re vosmetipsos decipiatis multis à me demonstratum est*]. Philo de Nobilitate, Ἀλλ' *οὗτοι μὲν ἔστωσαν κοινοὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὅροι, τοῦ μὴ ἐπὶ μεγάλοις γένεσι σεμνύνεσθαι τῆς καλοκἀγαθίας ἀμοιροῦντας. Ἰουδαίοις δὲ καὶ ἕτεροι δίχα τῶν κοινῶν ἐξαίρετοι· τῶν γὰρ τοῦ γένους ἀρχηγετῶν εἰσὶν οὓς αἱ τῶν προγόνων ἀρεταὶ συνόλως οὐδὲν ὤνησαν ἐπ' ἐπιλήπτοις καὶ ὑπαιτίοις πράξεσιν ἁλόντας, εἰ καὶ πρὸς ἑτέρου μηδενὸς ἐλεγχθέντας, ἀλλ' οὖν ὑπὸ τοῦ συνειδότος, ὃ μόνον ἐξ ἁπάντων δικαστήριον τέχναις λόγων οὐ παράγεται* [*Verùm hæc lex communis esto mortalium omnium, quâ præscribitur, ne quis virtutis expers claro genere natalibusque splendidis magnopere sibi placeat. Cæterùm Judæi habent & alia exempla peculiaria; fuêre enim è principibus generis, quos Majorum suorum virtutes nihil juverunt, obnoxios gravibus criminibus, etiamsi nemo argueret præter conscientiam, cujus solius tribunal nullis verborum technis decipitur*].

7. *Οὐδ' ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραὰμ, πάντες τέκνα· Neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii*] Intellige pleno jure, ita ut heredes sint, supra 8. 17. Neque Ismael neque ex Cethura filii heredes Abrahamo, sed Isaac solus, Genes. 25. 5, 6. Philo de Nobilitate, Πολύπαις ἦν ὁ πρῶτος *ἐκ τριῶν παιδοποιησάμενος γυναικῶν, οὐ δι' ἡδονῆς ἀπόλαυσιν, ἀλλὰ δι' ἐλπίδα τοῦ πληθῦναι τὸ γένος. Ἀλλ' ἐκ πολλῶν εἷς μόνον ἀπεδείχθη κληρονόμος τῶν πατρῴων ἀγαθῶν, οἱ δ' ἄλλοι πάντες γνώμης ὑγιοῦς σφαλέντες καὶ μηδὲν τῶν τοῦ γεννήσαντος ἀπομαξάμενοι, διῳκίσθησαν ἀλλοτριωθέντες τῆς ἀοιδίμου εὐγενείας* [*Primus gentis conditor multos liberos suscepit è tribus mulieribus, non indulgens libidini, sed spe augendæ familiæ. Unus tamen è multis solus successit in patrimonium: reliqui omnes, sicut à pietate degenerarunt, ita separati sunt ab ejus gentilitate, cujus nullas virtutes expresserant, exciderunt que ab illâ nobilitate celebratissimâ*]. Et de Præmiis, de Abrahamo locutus, Οὗτος *πολλοὺς μὲν ἔσχε παῖδας, ἅπαντας δὲ πλὴν ἑνὸς ὑπαιτίους, ὃς τὰ πείσματα τοῦ γένους ἐκδησάμενος ἀσφαλῶς ἐνωρμίσατο* [*Hic multorum filiorum pater, unum probavit ex omnibus, qui genus, alligato velut ad terram fune, subduxit in portum*] ¶ *Ἀλλ' ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. sed in Isaac vocabitur tibi semen*] Gen. 21. 12. ubi & Lxx *ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα* [*in Isaac vocabitur tibi semen*], id est, *per Isaacum continget tibi stirps nobilissima*. Nam נקרא, *καλεῖσθαι* [*vocari*], significat *celebrem esse*.

8. Τουτέστιν, *Id est*] Hæc vox est explicantis *ὑπόνοιαν* [*sensum mysticum*] latentem, quod דרש dicitur Hebræis. Significat in hac historia non tantùm exemplum exstare Divinæ libertatis, sed & figuram eorum quæ nunc geruntur. Itaque alibi Paulus hanc ipsam de Isaaco & Ismaële historiam referens, dicit hæc esse *ἀλληγορούμενα* [*per allegoriam dicta*] Galat. 4. 24. ¶ Οὐ *τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, non qui filii carnis*] *Non illi, inquam, utique sunt quos Deus paterno ac singulari affectu fovet.* Sic *semen Dei*, Malach. 2. 15. ¶ *Ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine*] *Λογίζεται εἰς σπέρμα* [*æstimantur in semine*] id est, *à Deo tractantur ut filii sui.* Sic *ἐλογίσθη δίκαιος* [*æstimatus est justus*] apud Clementem in Constitutionibus, id est, *ita à Deo tractatus est: ut homines justi tractari solent.*

9. *Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος. Promissionis enim verbum hoc est*] Qui scribitur Gen. 18. 10. ¶ *Κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, Secundùm hoc tempus veniam*] In Lxx Angelus Dei nomine sic loquitur, *Ἐπαναστρέφων ἥξω πρός σε κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας, καὶ ἕξει υἱὸν Σάῤῥα ἡ γυνή σου* [*Revertens veniam ad te in tempore hoc in horas, & habebit filium Sara uxor tua*]. *Veniam ego, Deus* scilicet. Ergo Isaacus Dei opus. Duplex hîc figura populi Christiani. Primùm quod nascitur non naturæ viribus, sed vi Divina, ut Isaacus: deinde quod intercedente promisso. Gignitur enim per promissa Euangelica. Potest & hoc addi quod Ismaël fero, Isaac miti fuit ingenio, quod discrimen Philo observat. Ingenium autem mite proprium Christianorum, Matth. 11. 29. 1 Cor. 4. 21. Gal. 5. 22. Eph. 4. 2. Coloss. 3. 12.

10. *Οὐ μόνον δὲ, Non solùm autem*] Est hîc *ἔλλειψις* [*defectus*], quâ figurâ sæpe utitur Apostolus. Sensus est, *Non solùm id quod jam diximus documentum est ejus quod inferre volumus.* ¶ *Ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα, sed & Rebecca*] *Rebecca idem nos docet. Rebecca* pro *Rebecca historia.* ¶ *Ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν. ex uno concubitu habens Isaac patre nostro*] *Quæ genituram habuit ex uno Isaaco patre nostro*, nempe duplicem eodem tempore, quod tacitè ex opposita voce *ἑνὸς* [*uno*] subintelligitur. Nam & Philo observat mysterium aliquod magnum latuisse in illo geminorum tam maturè prædicto discrimine. Loci sunt libro de Allegoriis, fine libri de Caino & Abele, ac de Nobilitate. *Κοίτη* respondens משכבה & משכב primo sensu est *cubile*, deinde per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem*] adjuncti *σεμνῶς* [*honestè*] sic exprimitur *ἡ συνουσία* [*coitus*], ut videre est infra 13. 13. Hebræor. 13. 4. Quæ dicitur *κοίτη σπέρματος* [*concubitus seminis*] Levit. 15. 16, 17, 18. & 18. 20. & 22. 4. Numer. 5. 13. Deinde per longiùs euntem figuram sive *μετάληψιν* [*Transsumptionem*[ipsum *σπέρμα* [*semen*], id est, *genitura*, ut hic. Habent autem hæc verba *ἔμφασιν* [*efficaciam*], ne forte quod de Ismaële dixerat, ad matris aut temporis diversitatem aliquis referret.

11. *Μήπω γὰρ γεννηθέντων, μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακὸν, Cùm enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali*] Sic & Philo de iisdem in Allegoriis, *Τὸν Ἰακὼβ καὶ τὸν Ἡσαῦ, τὸν μὲν ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα καὶ δεσπότην, τὸν δὲ Ἡσαῦ ὑπήκοον καὶ δοῦλον, ἔτι κατὰ γαστρὸς ὄντας, φησὶν εἶναι* [*Jacobum & Esavum, illum Principem, Ducem & Dominum, hunc subditum & servum, priusquàm uterum exirent, pronuntiavit*]. Incipit evolvere mysterium latens. Prætulit Deus eum qui posteriùs nasceretur ei qui priùs. Infantes nondum nati nihil boni aut mali agere potuerant. Quid hoc portendit? Deum itidem prælaturum populum credentem populo non credenti, ut credentes regeneret per Spiritum suum, nulla habita ratione aut operum legalium quæ Judæi fecerant, aut cultûs idololatrici & aliorum criminum quibus involuti fuerant illi ex Gentibus, non magis quàm si ea nunquam exstitissent. Sæpe enim in sacris litteris ponuntur quasi paria *non esse* & *non considerari*, ut Hebr. 7. 3. ¶ *Ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσις μένῃ, ut secundùm electionem propositum Dei maneret*] *Ideo hoc dictum est, ut maneret*, id est, ut probaretur hoc argumento (nam id Hebræi dicunt per עמד *stare* quod Græci multis in locis vertunt *μένειν* [*manere*]) *voluntas Dei* (libera scilicet) *in iis quæ pertinent ad prælationem*, id est, ut alterum alteri præferat. Id enim omne *ἐκλογῆς* [*electionis*] dicitur nomine: nam בחר Hebræum, quod plerumque vertitur *ἐκλέγειν* [*eligere*], per *προαιρεῖν* [*præeligere*] vertitur Deut. 7. 6. & 10. 15. Proverb. 1. 29. ¶ *Οὐκ ἐξ ἔργων, non ex operibus*] Sic *quod per fidem servamur, Dei est donum, non enim ex operibus*, Ephes. 2. 9. *Servavit nos Deus & vocavit vocatione sancta non secundùm opera nostra, sed secundùm suam voluntatem*, 2 Tim. 1. 9. Vide supra 3. 24. & 4. 6. & ibi dicta, & infra 11. 6. Nova creatio quæ antè acta sunt non respicit. ¶ *Ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, sed ex vocante*] Vocat Deus per promissa. Itaque eòdem recidunt *ἐπαγγελίας λόγος* [*verbum promissionis*] & *κλῆσις* [*vocatio*]

12. Ἐῤῥέθη *αὐτῇ Ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι. Dictum est ei, Quia major serviet minori*] Sub parentum designatione intelligi hîc populos rectè percepit Josephus. Sic *Jacob* & *Israël* pro *Jacobi posteris*, *Esau* pro *Idumæis* passim. Et præcessit in Genesi, *Duo populi in utero tuo.* Est autem impletum Davidis temporibus, ut patet 2 Samuel. 8. 14.

13. Καθὼς *γέγραπται. Sicut scriptum est*] Est & hîc *ἔλλειψις* [*defectus*]. Plena sententia, *Quod vaticinium revera impletum est, ut scriptum reperimus à Malachia.* ¶ *Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα. Jacob dilexi, Esau autem odio habui*]

Id est, *praetuli Israëlitas quanquam gravium criminum reos Idumæis.* Nam hæc significatio vocis ἐμίσησα [*odio habui*], ut in Propheta, ita in Paulo sufficit ei quod tractant argumento. Et est locutio ista in comparationibus usitata apud Hebræos, ut apparet Genes. 29. 31. in Hebræo, & Deut. 21. 15. & 1 Sam. 16. 7. Proverb. 13. 24. & in Matth. 6. 24. & Luc. 14. 26. Johan. 12. 25. Dicit Malachias planè hoc constitutum Deo in beneficiis suis præferre Israëlitas Idumæis, idque & nunc apparere, & magis appariturum, Hyrcani nempe temporibus, de quibus vide Josephum Antiquæ Historiæ 13. 19. Hæc ipsa si ad ὑπόνοιαν [*sensum abditum*] referantur, respondent populo Idumæo populus Israëliticus, ut priùs à Deo genitus, populo olim Israëlitico populus nunc Christianus, ut posteriùs à Deo genitus. Servitus autem Idumæorum significat conditionem multo viliorem populi veteris Judaïci, qui promissa nunquam habuit nisi terrestria, & dona Spiritûs valde infrequentia. Barnabas, Ἀλλ' ἴδωμεν εἰ οὗτος ὁ λαὸς κληρονόμος ἢ ὁ πρῶτος, καὶ εἰ ἡ διαθήκη εἰς ἡμᾶς ἢ εἰς ἐκείνους· ἀκούσατε νῦν περὶ τοῦ λαοῦ τί λέγει ἡ γραφή· Ἐδεῖτο δὲ Ἰσαὰκ περὶ Ῥεβέκκας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ ὅτι στεῖρα ἦν. καὶ συνέλαβεν. Εἶτα· καὶ ἐξῆλθε Ῥεβέκκα πυθέσθαι παρὰ κυρίου. καὶ εἶπε κύριος πρὸς αὐτήν, Δύο ἔθνη ἐν τῇ γαστρί σου καὶ δύο λαοὶ ἐν τῇ κοιλίᾳ σου, καὶ λαὸς λαοῦ ὑπερέξει, καὶ ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι. Αἰσθάνεσθαι ὀφείλετε τίς ὁ Ἰσαὰκ, καὶ τίς ἡ Ῥεβέκκα, καὶ ἐπὶ τίνων δέδειχεν ὅτι μείζων ὁ λαὸς οὗτος ἢ ἐκεῖνος [*Sed videamus, num hæc gens hæres sit an prior illa, & num ad nos fœdus an ad illos pertineat: audite nunc quid de populo dicat Scriptura, Precatus verò est Isaac pro uxore suâ quod esset sterilis; & concepit. Deinde, Et egressa est Rebecca ut percontaretur à Domino: dixitque illi Dominus, Duæ gentes sunt in alvo tuo, duoque populi in utero tuo, & populus in populum dominabitur, majorque natu serviet minori. Oportet vos intelligere, quisnam sit Isaac, & quænam sit Rebecca, & de quibus declaravit, hunc scilicet populum vel illum fore majorem*]. Tertullianus adversùs Judæos, *Itaque cum populus seu gens Judæorum anterior sit tempore, & major per gratiam primæ dignationis in Lege, noster verò minor ætate, utpote in ultimo seculi spatio adeptus notitiam Divinæ miserationis, procul dubio secundum edictum Divinæ locutionis, prior & major populus, id est, Judaicus, serviat necesse est minori, & minor populus, id est, Christianus superet majorem.* Ac post, *Noster verò populus minor, id est, posterior, relictis idolis quibus ante deserviebat ad eundem Deum conversus est, à quo Israel, ut suprà memoravimus, abscesserat. Sic namque populus minor populum majorem superavit, dum gratiam Divinæ dignationis consequitur, à qua Israel est repudiatus.* Idem libro 3. adversùs Marcionem, *Jacob qui quidem posterioris & prælatioris populi figura est, id est nostri.* Cyprianus Testimoniorum contra Judæos lib. 1. *Quod duo populi sint prædicti major & minor, id est, vetus Judæorum, & novus qui esset ex nobis futurus, in Genesi: Et dixit Dominus Rebeccæ, Duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo dividentur. Et populus populum superabit, & major serviet minori.* Philo sicut non totam rem pervidit, quia non credidit, ita non planè abscedit, cùm dicit libro de Abele & Caïno per Esavum & Jacobum significari naturas malam & bonam, illam priorem, hanc excellentiorem: ac non multò post id ipsum explicans ait, Οὕτω μὲν δὴ τὰ χρόνου πρεσβεῖα φέρεται κακία, τὰ δὲ ἀξιώματος καὶ τιμῆς καὶ εὐκλείας ἡ ἀρετή [*Erit igitur vitium tempore antiquius, virtus dignitate, honore, gloriâ potior*]. Et de evigilanti Noë, Κατὰ ἀκολουθίαν εἰσάγει τὸν Ἰακὼβ γενέσει μὲν τοῦ Ἠσαῦ νεώτερον] ὅτι ἀφροσύνη ἐκ πρώτης ἡλικίας ἡμῖν ἐστὶ σύντροφος, ὀψίγονος δ' ὁ τοῦ καλοῦ ζῆλος, δυνάμει δὲ πρεσβύτερος [*Consequenter Jacobum inducit Esavo minorem natu: quod à primâ ætate homini comes est amentia: honesti amor serior accedit, vi tamen suâ est antiquior*]. Qui eodem libro & de calce arrepta, & de jure natalium vendito facundè ἀλληγορεῖ [*sensus abditos explicat*]. Item de insidiis Esavi in Jacobum libro Pejorem insidiari meliori: & quomodo alter ventri, alter parentibus ac Deo paruerit, libro de Nobilitate: & quomodo durus & silvester ille, hic mitis ac placidus, libro de Præmiis & Pœnis. Cæterùm sicut res ejusmodi quatenus umbram aliquam habent veri certique dogmatis, leniter prosequi suave est, ita omnes comparationes per omnia æquare, & inde dogmata comminisci, agreste atque infictum est. Rectè monet Tertullianus, *non ex symbolis materias commentandas, sed ex materiis parabolas, neque enim in comparationibus omnia ad speculum respondere posse.* Et Chrysostomus, *utendum id cujus causâ instituta est comparatio, mittenda cætera.* Salvam vult Deo Apostolus libertatem dispensandorum beneficiorum suorum, præsertim eorum per quæ ad veram justitiam pervenitur; non verò personis quibusdam nondum creatis, æterna constitutione nullas habente causas, præclusam omnem eò perveniendi viam. Quod ἐν προθέσει [*propositione*] est Ismaël & Esau, id ἐν ἀποδόσει [*redditione*] sunt Judæi privilegio humanæ originis freti. Quod ἐν προθέσει [*propositione*] Isaac & Jacob, id ἐν ἀποδόσει [*redditione*] Christiani ex promissis Divinis geniti, posteriores tempore, priores Dei donis.

14. Τί οὖν ἐροῦμεν; *Quid ergo dicemus?*] *Quid ergo dicimus?* Hac præfatiuncula diximus uti Paulum, ubi calumniosam suæ doctrinæ interpretationem vult amoliri. ¶ Μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ; *numquid iniquitas apud Deum?*] An hoc docemus, quod illi nos docere susurrant, *à Deo quædam injustè fieri? Apud Deum esse* dicitur id quod ei adhæret, aut jure ei attribui potest. Hoc ipsum Deuter. 32. 4. sic eloquuntur Græci, οὐκ ἔστιν ἀδικία ἐν αὐτῷ [*non est iniquitas in illo*]. ¶ Μὴ γένοιτο. *Absit*] Et hoc sæpe habuimus. Est autem longissimè aversantis. *Absit ut hoc dicamus*, quod non tantùm dicto Deuternomii loco, sed & toto libro Jobi infinitisque aliis locis, ipsi denique Dei naturæ planè repugnat.

15. Τῷ γὰρ Μωσῇ λέγει *Moysi enim dicit*] Nempe postquam circa vitulum omnes peccaverant, Exodi 33. 19. ¶ Ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. *Miserebor cui miserebor, misericordiam præstabo cui misereor*] In Græco οἰκτειρῶ [*miserebor*] meliùs, quasi dicat, *faciam in eo quod mihi visum erit.* Solent sic loqui Domini ac Reges, quoties constitutionis suæ causas nolunt reddere, etiamsi aliquas habeant. Idem Deus summo jure potest in beneficiis suis elargiendis aut negandis, in peccatis condonandis & vindicandis, non quòd non ipsi rationes discriminum constent, sed quòd nihil necesse sit eas cognitas esse hominibus. Vide quæ attulimus ad dictum Exodi locum. Scriptor libri De vita & morte Mosis verba illa Dei sic explicat, *Nemini quicquam debeo, gratis do mea.* Non autem hoc dicit Paulus, quòd non hujus disputationis, de qua egit hactenus, rationes aliquas possit reddere (nam & reddet aliquas) sed quòd priusquam eò veniat, edomare velit contradictoris audaciam. Etiam de Principibus dicunt Politici, *Non esse nostrum æstimare quem supra cæteros & quibus de causis extollant: Summum illis datum esse rerum arbitrium, subditis obsequii gloriam relictam: Abditos eorum sensus, & si quid occultius parant, exquirere illicitum, anceps, nec ideo nos posse assequi: Militem tam nescire quædam quàm scire oportere: Parendo, non imperia Ducum sciscitando, res militares contineri: Malum esse militem qui imperia Ducum interpretari mavult quàm exsequi.* Sufficere nobis poterat, nemini Deum velle dare bona æterna, nisi qui intus justus sit: ad consequendam eam justitiam, viam ineundam quam ipse monstret & certam esse ostendat donis Spiritûs sui.

16. Ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*] Hebræi cùm pauca habeant adverbia & conjunctiones, fermè eorum vice utuntur copulâ. Itaque hic *volentis & currentis*, idem valet, quod *currentis quà libet.* Non est hoc negotium de quo agitur in hominis cujusque arbitrio, sed Dei Posset enim sine injuria omnes qui gravia peccarunt morbo suo relinquere, nec ullam adhibere medicinam: multò magis eis qualem velit medicinam præscribere. Procedit à minori ad majus, id est, magis credibile.

17. Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραώ. *Dicit enim scriptura Pharaoni*] Id est, *in sacra Scriptura dicitur Pharaoni.* Similis locutio Marci 15. 28. Johan. 7. 38, 42. & 24. 37. Galat. 3. 22. & 4. 30. ¶ Ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ, *quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra*] In Græco est Exod. 9. 16. Ἕνεκα τούτου διετηρήθης, ἵνα ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν ἰσχύν μου καὶ διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ [*Hanc ob causam asservatus es, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*]. Quod Paulus vertit, ἐξήγειρά σε [*excitavi te*] & LXX διετηρήθης [*asservatus es*] in Hebræo est העמדתיך, id est, *stare te feci.* Sic autem *vivificare* Hebræis dicitur qui in vita conservat, ita *stare facere*, ἐγείρειν [*excitare*] qui non impellit in ruinam. Pharao iste populum Dei cultorem, non bello victum, sed ob Josephi merita in tutelam receptum durissimo servitio premebat. A Deo de hac injustitia admonitus, & quidem magnis signis prodigiisque additis, contumaciter obstiterat. Id enim valet ἐβαρύνθη ἡ καρδία Φαραὼ [*ingravatum est cor Pharaonis*] Exod. 7. 14. & 8. 15. Est enim Kal pro Hithpael, & sensus est, *Ipse cor suum grave reddidit*, sicut apertè explicatur 8. 15. ubi in Hebræo est, *Pharao grave fecit cor suum:* & 9. 35, ubi in Græco est; ἐβάρυνεν αὐτοῦ τὴν καρδίαν [*aggravabat cor suum*]. Hominem tam contumacem potuerat Deus illico

eo prosternere: non fecit hoc, sed eum vivum servavit, ut plura etiam potentiæ suæ signa circa eum ederet, quæ Deo magnam gloriam erant paritura, ut dicitur Nehemiæ 9. 10. Sirach. 16. 15. *Grave cor* dicitur quod à proposito dimoveri se non patitur. Quem perdere jure poterat Deus, eum jure poterat etiam suo morbo relinquere, nec adhibere medicinam, quod Deus jure potest adversùs omnes contumaces. Quam vero mensuram contumaciæ ad hoc expectare non dico necessarium sit, sed conveniens Divinæ quà bonitati quà severitati, nemo exactè novit nisi ipse. Tertullianus adversùs Marcionem 2. *Indurat cor Pharaonis: sed meruerat in exitium subministrari qui jam negaverat Deum, qui jam Legatos ejus toties superbus excusserat, qui jam populo laborem operis adjecerat. Postremo quia Ægyptius olim Deo reus fuerat gentilis idololatriæ, Ibin & crocodilum citius colens quàm Deum unum.* Notanda verò etiam ratio quà usus Deus dicitur *aggravasse* vel *indurasse cor Pharaonis*, nempe ne populum dimitteret: nam de eo hic agitur. Si Deus fecisset durare mala quæ immiserat, aquas versas in sanguinem, ranas, cinyphes, muscas, pestilentiam, dubitari non debet quin Pharao dimissurus fuerit populum. Quia verò Deus mala illa statim sustulit, ea res illi auxit contumaciam. Origenes in fragmento quod habemus Philocaliæ cap. 20. locum illum Exodi & hunc Pauli explicans, Οὐκ ἄτοπον δὲ καὶ ἀπὸ συνηθείας τὰ τοιαῦτα παραμυθήσασθαι, πολλάκις τῶν χρηστῶν δεσποτῶν φασκόντων τοῖς διὰ τὴν χρηστότητα καὶ τὴν μακροθυμίαν ἐκτριβομένοις οἰκέταις τὸ, Ἐγώ σε πονηρὸν ἐποίησα, καὶ, Ἐγώ σοι αἴτιος γέγονα τῶν τηλικούτων ἁμαρτημάτων, δεῖ γὰρ τοῦ ἤθους ἀκοῦσαι καὶ τῆς δυνάμεως τοῦ λεγομένου, καὶ μὴ συκοφαντεῖν, μὴ κατακούοντας τοῦ βουλήματος τοῦ λόγου. ὁ γοῦν Παῦλος ταῦτα σαφῶς ἐξετάσας φησὶ πρὸς τὸν ἁμαρτάνοντα· ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς, ἀγνοῶν ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει; κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας Θεοῦ. ἃ γὰρ λέγει πρὸς τὸν ἁμαρτάνοντα ὁ Ἀπόστολος, λεγέσθω πρὸς τὸν Φαραώ, καὶ πάνυ ἁρμοδίως νοηθείη ταῦτα ἀπαγγελλόμενα αὐτῷ κατὰ τὴν σκληρότητα καὶ ἀμετανόητον αὐτοῦ καρδίαν θησαυρίζοντος ἑαυτῷ ὀργήν· τῆς σκληρότητος οὐκ ἂν ἐλεγχθείσης οὕτως οὐδὲ φανερᾶς γεγενημένης, εἰ μὴ τὰ σημεῖα ἐγεγόνει, ἢ ἐγεγόνει μὲν, μὴ τοσαῦτα δὲ καὶ τηλικαῦτα [*Sed hæc non absurdè ex communi loquendi usu leniri ac mitigari possunt; quoties enim boni & benigni Domini servis iis, qui propter facilitatem & æquanimitatem suam occalluerunt, ingerere solent, Ego te improbum feci, & Ego scelerum tibi causa fui: sermonis enim ingenium & vis attendenda est, neque neglectâ dicti cujusque sententiâ, calumniandum. Quare Paulus, qui hæc accurate perscrutatus erat peccantem sic alloquitur, An divitias benignitatis ejus & patientiæ, & æquanimitatis contemnis, ignorans quia benignitas Dei te ad pœnitentiam deducit? Sed secundùm duritatem tuam, & cor pœnitere nescium congregas tibi iram in diem iræ & declarationis justi judicii Dei. Nam quæ dicit ad peccantem Apostolus, dicantur ad Pharaonem, & planè congruenter intelligentur hæc ad eum dici propter duritiem & cor pœnitere nescium ipsius iram sibi coacervantis; cùm durities ita coargui & declarari non potuisset, nisi signa & prodigia exstitissent; vel si quædam, sed non tot & tanta exstitissent*]. In præcedentibus Origenes multa egregia disputaverat contra eos qui Pharaonem χοϊκὸν [*terrenum*] & planè ex naturæ necessitate inemendabilem statuebant. Et post hæc quæ jam produximus verba, multa alia habet digna lectu. Induravit ergo se Pharao, & diu. Induravit autem Deus Pharaonem non auferendo eum ex vita, neque utendo ea virium suarum dispensatione quà statim duritiem ejus potuerat contundere, sed aliâ potiùs quæ magis magisque cognitam faceret humano generi ipsius contumaciam, ac tandem quoque Dei in eo puniendo justitiam. Est autem in Pharaone imago populi Judaïci à Christi temporibus ac deinceps. Miserat Deus ad eum populum non Mosen, sed Filium suum cum signis innumeris. Potuerat eorum contumaciam statim ulcisci, sed noluit. Sivit eos in pace agere per annos ferme quadraginta. Interea temporis pejores effecti quotidie, infamiam sibi accersivere apud omnes gentes, ita ut cùm tandem excidium eis evênit, quanquam tristissimum, esse tamen infra eorum mala merita crederetur, ipso teste Josepho.

18. Ἄρα οὖν ὃν θέλει, ἐλεεῖ, *Ergo cujus vult, miseretur*] Emollit quos vult ob causas sibi cognitas, Varia sunt Divinæ misericordiæ genera quorum libera Deo est dispensatio. Eorum maximum id quo hominum vitia corrigit, quod sæpe facit non tam leniter tractando quàm acriter castigando. Adducit ad hanc rem Origenes hoc ipsum argumentum iterum tractans Philocaliæ cap. 26, locum insignem ex 2 Macc. 4 12. & sequentibus, ubi ostenditur maximæ hoc esse misericordiæ Divinæ non diu sinere ex sententia agere eos qui peccant, sed statim adhibere disciplinam. ¶ Ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει. *& quem vult, indurat*] Σκληρύνειν respondet verbo חזק [*obdurare*] quod itidem in Scriptura usurpatur non minùs quam כבד βαρύνειν [*gravare*], & sensu eodem, Primùm prædicit Deus, conspecta Pharaonis duritie, *se cor ejus induraturum* Exodi 4 21. deinde dicitur *indurasse cor Pharaonis*, 7. 22. & 8 19, 36. ubi in Hebræo est, *& induravit*, nempe se, *cor Pharaonis*. Dicitur & Deus *indurasse cor Pharaonis*, 9. 13. & 10. 20, 27. & 11. 10 & 14. 4, 17. Pharao semet obduravit voluntariâ obstinatione, Deus Pharaonem, id est, *sivit duriorem fieri*, ac qualis esset ostendit (utrumque enim per verba activa apud Hebræos significari solet) servando, ut diximus, vivum molliusque eum tractando quàm merebatur, ut postea tarditatem supplicii gravitate compensaret. Vide dictum locum ex Maccabaico, & Origenis quæ indicavimus. Addit Kimchi in verbo קשה *indurare Deum animos hominum, consilia sua ipsos celando*, exemplum dans in Pharaone & Seone. ¶ Ἐρεῖς οὖν μοι. *Dices itaque mihi*] *Dicis tu, Judæe pertinax.* ¶ Τί ἔτι μέμφεται; *Quid adhuc queritur?*] *Cur ergo Deus nos incusat?* Sic μέμφεσθαι sumitur Hebr. 8. 8. sic & 2 Maccab. 2. 7. ¶ Τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε; *voluntati enim ejus quis resistit?*] Est Hebraïsmus: nam & indicativus ponitur pro subjunctivo, & præteritum pro quovis tempore: quasi dicat, τίς ἀνθιστῇ [*quis restiterit*]? *Quis possit voluntati ejus obstare?* Et proverbium tritum usu inter Hebræos, ut apparet Gen. 50. 19. ut quidem accepit Latinus interpres. Sic 2 Par. 20. 6. ad Deum, οὐκ ἔστι πρός σε ἀντιστῆναι [*non est adversùs te resistere*]. Hoc opponebant Judæi Paulo, *Si Deus nos non vult sanare nisi per Fidem, & fidem nobis non dat, cur nos accusamur? nam Deo aliquid volenti homo frustra se opponat.* Responsio erat parata Apostolo, *Verum hoc esse in iis quæ Deus sine conditione vult effecta dare, hic aliam esse rem; nam quanquam Deus sanare non vult nisi in Jesum credentes, ut non credant in ipsis esse causas*; quam responsionem insinuabit Apostolus mox v. 29, & latiùs exsequetur capitibus sequentibus. Sed antequam id faciat, prudenter contundit Judaïcam ferociam: meritò sanè; nam quòd dicebat Paulus Christianos factos Dei populum, apparebat rebus ipsis, id est, & excellentissima vitæ puritate & donis Spiritûs eximiis.

20. Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, *atqui, ô homo*] *Atqui, ô tu.* Est formula corrigentis aliorum dicta, ut Lucæ 11. 28. infra 10. 18. ¶ Σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ; *tu quis es qui respondeas Deo?*] *Tu quis*, id est, *quantulus es qui Deo responsare audeas*, id est, contra ea, quæ Deum facere vides, disputare? Est & hoc sumptum ex dicto frequenti apud Hebræos, cujus sensum habes Job. 9. 12, 13, 14, 15. 16. & 34. 31, 32, 33, 34, 35. Dan. 4. 32. Etiam homines heri servo dicere solent, *Abi responsator* M. Antoninus Imperator libro 20. ὁρᾷς γὰρ καὶ αὐτὸς, ὅτι τοῦτο παραζητῶν δικαιολογῇ πρὸς τὸν Θεόν [*ipse enim vides, quam hoc longe quæsieris ut habeas quod Deo responsites*]. Μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι· τί με ἐποίησας οὕτως; *Numquid dicit figmentum ei qui se finxerit, Quid me fecisti sic?*] Hoc quoque ex usu sumptum apparet Esa. 29. 16. & 45. 9. Nihil autem aliud indicat quàm non debere homines reprehendere facta Dei opificis sui. Τί με ἐποίησας οὕτως; (*Quid me fecisti sic?*] id est, *cur me sic tractasti?* Nam etiam in isto sensu apud Græcos & nostros ποιεῖν [*facere*] pro dativo habet accusativum, ut apparet Matth. 5. 44. & secundùm quædam exemplaria 27. 22. Lucæ 15. 19.

21. Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν; *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*]] Jus habet figulus non modò ex eodem luto facere quæ velit vasa, sed & facta refingere, & ex esculentis, si velit, facere matulas. Vide Sap. 15. 7. ubi ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ [*ex eodem luto*], quod hic est, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος [*ex eadem massa*]. Nam φύραμα [*massa*] quod de farina maximè usurpari solet, generale est, & quidvis *mixtum* significat, ut in Geoponicis. φύραμα κονίας καὶ βολβίτου [*arena bubulo stercore mista*]. Quod hic εἰς τιμὴν σκεῦος [*vas in honorem*], ibi καθαρῶν ἔργων δοῦλα σκεύη [*quæ mundis operibus serviunt vasa*]: quod hic εἰς ἀτιμίαν [*in contumeliam*], ibi ἐναντία [*contraria*]. Verùm hanc similitudinem non in omnibus respondere ostendit Jeremias 18. 6. ubi eadem utitur figuli ac luti similitudine, statimque subjicit Deum hominum consiliis sua attemperare consilia. Videatur locus, & alter ei similis Sirachidæ 33. 14, 15. ubi post similitudinem figuli & luti additur, ἀποδοῦναι αὐτοῖς κατὰ τὴν κρίσιν αὐτοῦ [*reddere illis secun*

dium judicium suum]. Non ulterius igitur premenda hæc ὑπόνοια [*significatio abdita*], quàm ne eorum quæ Deus agit nos velimus esse censores ac judices. Simile illud in Euangelio Matth. 20.14, 15. *Tolle quod tuum est, & abi. An non licet mihi de meo facere ut volo?* Quia verò φυράματος [*massa*] vox hîc apparet, non possum omittere Philonis locum de sacrificiis Abelis & Caini. Est is talis, Τὸ τοίνυν φύραμα κυρίως, εἰ χρὴ τ' ἀληθὲς λέγειν, ἡμεῖς ἐσμὲν αὐτοὶ, συμπεφορημένων καὶ συγκεκριμένων πλείστων οὐσιῶν, ἵνα ἀποτελεσθῶμεν. ψυχρὸν γὰρ θερμῷ καὶ ξηρὸν ὑγρῷ, δυνάμεις ἐναντίας, μίξας καὶ ἀνακερασάμενος ὁ ζωοπλάστης, ἓν ἐκ πασῶν ἕκαστον ἡμῶν ἀπειργάσατο συμφόρημα· ἀφ' οὗ καὶ φύραμα εἴρηται [*Mixtum istud propriè, si verum fatendum est, nos ipsi sumus, congestis & commixtis plurimis essentiis, ut ex his absolveremur: frigidum enim cum calido & aridum cum humido, potestates contrarias, commixtas & contemperatas animalium opifex in unum redigens, unumquemque nostrûm fecit ex eâ congerie, quæ mixtum meritò dicitur*] Platoni verò de Republica secundo, ubi de vario agitur hominum statu, Deus vocatur ὁ πλάσσων [*figulus*].

22. Εἰ δὲ ὁ Θεὸς, *Quod si Deus*] Post repressam superbiam manifestis Dei factis obtrectantium, paulatim dispensationis illius Divinæ causas aperit, quantum quidem eas hominibus scire fas est. Εἰ δὲ [*quod si*] hîc nihil habet quod ei reddatur per ἀπόδοσιν [*redditionem*]. Valet itaque, *Quid tum si?* id est, *Quid in eo iniqui?* ¶ Θέλων ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν, καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam*] *Volens ostendere* in impios Judæos *severitatem suam & potentiam* ad judicia sua exequenda etiam per Romanos. Innuit enim Apostolus desolationem illam à Daniele & Christo prædictam: τὸ δυνατὸν [*possibile*], ut supra 2.4. τὸ χρηστὸν [*benignum*], neutra adjectivorum pro denominativis, more Græco. ¶ Ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, [*sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum*] Σκεύη ὀργῆς [*vasa iræ*] duplici sensu dici possunt aut per quos, aut in quos Deus judicia sua exsequitur: nam per utrosque tanquam per *instrumenta* Dei severitas, quæ hîc ὀργὴ [*ira*] dicitur, elucet. Hîc sumendum id in sensu posteriore. Contra σκεῦος ἐκλογῆς Act. 9. 15. *instrumentum electum*: & modò σκεῦος εἰς τιμὴν, εἰς ἀτιμίαν [*vas in honorem, in contumeliam*] Σκεῦος εἰς τιμὴν [*vas in honorem*] etiam 2 Tim. 2. 21. σκεύη τῆς λειτουργίας [*vas ministerii*] Hebr. 9. 21. Dicuntur autem σκεύη ὀργῆς [*vasa iræ*] homines certè non ex natura, sed ex longa indurataque malitia, dignissimi scilicet in quos Deus gravissima edat exempla: quales erant Judæi plerique illis temporibus. Dicuntur eidem σκεύη κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν [*vasa apta in interitum*], ubi more Hebræorum qui pauca habent verbalia, participium ponitur pro verbali: planè ut Hebræum [Hebrew], quod *aptum* significat, & per ἕτοιμος verti solet à verbo [Hebrew], quod modò ἑτοιμάζω [*apto*] vertitur, modò καταρτίζω [*perficio*], ut Psalm. 68. 10. & 74. 16. & 89. 38. Hoc sensu κατηρτισμένον [*perfectum*] habuimus & Luc. 6. 40. *Apti ad interitum* sunt qui dirum exitium meruere. Tales Deus non illico perdit, sed tempus illis dat ad resipiscentiam, quod hîc ostendunt illa ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ [*sustinuit in multa patientia*] & supra 2. 4. ubi est eadem vox μακροθυμίας [*patientiæ*] & sequitur τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει [*benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*]. Quæ omnia apertissimum faciunt non respici hîc homines nudè ut creaturas Dei, aut ut Adami posteros, sed ut similes Pharaoni. Est apud Eusebium Præparationis 8. Philonis locus ab eo quod hîc tractatur non alienus, Προμηθεῖται δὲ (Θεὸς) καὶ τῶν ὑπαιτίως ζώντων, ἅμα μὲν καιρὸν εἰς ἐπανόρθωσιν αὐτοῖς διδοὺς, ἅμα δὲ καὶ τὴν ἵλεων φύσιν αὐτοῦ μὴ ὑπερβαίνων, ᾗ ὀπαδὸς ἀρετὴ καὶ φιλανθρωπία γέγονεν [*Tum improbos etiam perversosque fovet (Deus); in quo & illis corrigendi sui tempus facultatemque concedit, & naturæ obsecundat suæ, quam virtus & in homines benevolentia comitatur*]. Sic & 2 Macc. 6. 14. Ἀναμένει μακροθυμῶν ὁ δεσπότης, μέχρι τοῦ καταντήσαντας αὐτοὺς πρὸς ἐκπλήρωσιν ἁμαρτιῶν, κολάσαι [*Dominus patienter exspectat donec eos, cum ad plenitudinem devenerint peccatorum, puniat*].

23. Καὶ ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ, *Et ut ostenderet divitias gloriæ suæ*] Paulus omnem abundantiam solet πλοῦτον [*divitias*] vocare, ut supra 2. 4. infra 11. 33. 2 Cor. 8. 2. Ephes. 1. 7. & 2. 7. πλοῦτος δόξης [*divitiæ gloriæ*] hîc & Ephes. 1. 18. & Coloss. 1. 27. est *ingens gloria*. Agitur autem hîc de effusione donorum Spiritûs quæ Deo fuit summè gloriosa. καὶ ἵνα γνωρίσῃ [*& ut ostenderet*], id est, *fecit hoc tum ob alias causas, tum ut ostenderet*, &c. Nam contraria ex contrariis elucescunt. ¶ Ἐπὶ σκεύη ἐλέους, *in vasa misericordiæ*] Homines in quibus Deus bonitatem suam mirificè ostendit [Hebrew] Hebræum per ἔλεος [*misericordiam*] verti solet, & usurpari etiam ubi nulla præcessit miseria. ¶ Ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν, *quæ præparavit in gloriam*] *Ad honorem* hîc inchoandum, perficiendum in vita altera. Quomodo autem eos ad id præparaverit, explicant sequentia. προορίζειν [*prædestinare*] & προετοιμάζειν [*præparare*] non invenitur nisi de rebus bonis.

24. Οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς, οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν. *Quos & vocavit nos, non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus*] *Nos*, id est, Christianos, quos Deus vocavit, cum effectu, id est, *ad obedientiam perduxit*, genitos *partim ex Judæis, partim ex aliis gentibus*. Verba consilii & laboris sæpe ita sumuntur, ut simul & eventum includant, ut *dare* 1 Tim. 2. 25. Vide suprà 8. 30. Καὶ [*Et*] hîc est ἐξηγητικὸν [*explicativum*] ejus quod precessit.

25. Ὡς καὶ ἐν τῷ Ὠσηὲ λέγει *Sicut in Osea dicit*] Nempe Deus qui à Propheta loquens inducitur. Loca hæc adducit Apostolus, ut ostendat Dei libertatem in faciendo discrimine inter eos qui deliquere ex causis ipsi sibi cognitis. Locus est Oseæ 1, & 2. Simul ostendit in rebus illis antiquis figuram fuisse rerum majorum.

26. Καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, λαόν μου, καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην, Καὶ ἔσται, ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥήθη αὐτοῖς, Οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος. *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam. Et erit, in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi*] Postrema hæc sunt ex Græco LXX, excepto quod in Græco non est ἐκεῖ [*ibi*], & post κληθήσονται [*vocabuntur*] ponitur καὶ [*&*], quod leve est discrimen. Quæ verò præcedunt, desumpta sunt ex fine capitis 2, non planè iisdem verbis, sed sensu salvo. Est ibi in Græco, Καὶ ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην [*& diligam non dilectam*], aut, ut alii libri habent, καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην· καὶ ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου, Λαός μου εἶ σύ [*& miserebor ejus quæ fuit non assecuta misericordiam: & dicam non populo meo, Populus meus es tu*]. Agit autem eodem loco Oseas, ut ad eum diximus, de decem tribubus abductis per Assyrios, ex quibus pauci simul cum Juda & Beniamino erant redituri in patriam & rursum futuri Dei populus. Cur illi, non alii? ob causas æquas, sed hominibus non patentes. Sic & suo tempore significat Paulus usum Deum pari libertate.

27. Ἠσαΐας δὲ κράζει ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ. *Esaias autem clamat pro Israel*] Ὑπὲρ hîc est idem quod περὶ, *de*, ut 1 Cor. 10. 30. 2 Cor. 7. 4. & 9. 2. & 12. 5. nimirum, quia Hebræi [Hebrew] sic usurpant.

28. Ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα σωθήσεται. Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ· ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. Verbum enim consummans, & abbrevians in æquitate; quia verbum breviatum faciet Dominus super terram*] Locus est Esai. 10. 22. qui in Græco sic legitur, Καὶ ἐὰν γένηται ὁ λαὸς Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα αὐτῶν σωθήσεται· λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον Κύριος ποιήσει ἐν τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ [*Et si factus fuerit populus Israel tanquam arena maris, reliquiæ eorum salvæ fient. Rationem conficiens & contrahens in justitia, quia verbum breviatum faciet Dominus in universo orbe terræ*], ubi primùm evidens est trajectio; nam recto ordine ὅτι [*quia*] debuit præcedere λόγον συντελῶν [*verbum consummans*]. In Paulino autem textu, qualem nunc habemus, satis absurdum est poni primùm γὰρ [*enim*], deinde ὅτι [*quia*]. Omnino hæc lectio interpolata est ex LXX. Vetus autem lectio exstat in Manuscripto illo quem toties laudo, & sic habet Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς [*Verbum enim consummans & abbrevians faciet Dominus super terram*], quæ sufficiunt satisque exprimunt id quod vult Esaias. Ingentem vastitiem terræ Judææ, quæ per excellentiam γῆ [*terra*] sive οἰκουμένη [*orbis terrarum*], intulerat Sennacheribus. Pauci, qui Hierosolyma se recepere, relicti tanquam ex clade superstites, quos Hebræi [Hebrew] dicunt, Græci interpretes λοιποὺς, ἐπιλοίπους, καταλοίπους, ὑπολοίπους, λεῖμμα, κατάλειμμα, ἐγκατάλειμμα, ὑπόλειμμα, Latini *reliquias*; ut Virgilius,

— *Reliquias Danaûm atque immitis Achilli.*

Deus enim fecerat quod in rationibus putandis fieri solet, ubi post expuncta ea quibus expensa acceptis æquantur, exigua aliqua summa restat quæ debeatur. Similis locutio apud eundem Esai. 28. 22. Quod tunc fecerat Deus, non mirum si rursus faciat, & de multis paucos ad veram salutem perducat, quot quibusque de causis, Ipsi visum. Non defuisse Deo causas cur ità

face

faceret, ostendit Paulus non omittendo illud *ἐν δικαιοσύνῃ* [*in æquitate*]

29. *Καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας*: *Sicut prædixit Esaias*] Præteritum perfectum hîc est pro plusquamperfecto, more Hebræo. Vult enim dicere, *Sicut in prioribus*, id est, capite primo dixerat idem Esaias. ¶ *Εἰ μὴ Κύριος Σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν σπέρμα, ὡς Σόδομα ἂν ἐγενήθημεν, καὶ ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuissemus*] Sunt hæc descripta verbo tenus ex LXX. Loquitur autem ibi Propheta de vastitate & occidione facta per Resinem & Phaceen, quo tempore paucos, si cum cæteris conferas, Hierosolymis conclusos Deus servavit, unde iterum cresceret populus. Quod ex messe ad sementem reservatur, perexiguum est, subinde veniunt novæ messes. Sic Esdras apud Josephum 11. 5. *Παρεκάλει τὸν Θεὸν, σπέρμα τι καὶ λείψανον ἐκ τῆς τότε συμφορᾶς αὐτῶν καὶ αἰχμαλωσίας περισώσαντα καὶ πάλιν εἰς Ἱεροσόλυμα καὶ τὴν οἰκείαν γῆν ἀποκαταστήσαντα λαβεῖν οἶκτον αὐτῶν* [*Orabat Deum, quò semen certè aliquod è calamitate eorum ac captivitate reliquum faceret, idque miseratus Hierosolymam suamque in terram reduceret*]. Sic etiam Deus Pauli temporibus Judæorum paucos ad vitam salutis æternæ perduxit. Cur non plures, & cur hos, non alios; causæ penes ipsum. Justinus contra Tryphonem, *Ὅτι διὰ τὴν ὑμετέραν κακίαν ἀπέκρυψεν ὁ Θεὸς ἀφ' ὑμῶν τὸ δύνασθαι νοεῖν τὴν σοφίαν τὴν ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ, πλὴν τινῶν οἷς κατὰ χάριν τῆς πολυσπλαγχνίας αὐτοῦ, ὡς ἔφη Ἡσαΐας, ἐγκατέλιπε σπέρμα εἰς σωτηρίαν, ἵνα μὴ ὡς Σοδομιτῶν καὶ Γομοῤῥαίων τέλεον καὶ τὸ ὑμέτερον γένος ἀπόληται* [*Quod vos Deus ob improbitatem vestram impediit ne eam sapientiam quæ est in ejus oraculis intelligeretis, paucis exceptis, quibus pro gratia immensa suæ misericordiæ, ut ait Esaias, semen ad salutem concessit, ne ut Sodomitarum & Gomorræorum ita & vestrum genus funditus interiret*]. *Ὡς Γόμοῤῥα* [*sicut Gomorra*] positum hîc pro dativo *Γομόῤῥᾳ* [*Gomorræ*], כעמרה [*ad instar Gomorræ*]. Par loquendi genus in Græco Oseæ 4. 6. *ὡμοιώθη ὁ λαός μου ὡς οὐκ ἔχων γνῶσιν* [*similis factus est populus meus ei qui non habet scientiam*]. Vtraque constructio est in uno commate Ezechielis 32. 2. *Λέοντι ἐθνῶν ὡμοιώθης σὺ καὶ ὡς δράκων* [*Leoni Gentium assimilatus es & Draconi*]. Sodoma & Gomorra urbes desolatæ. *Κύριος Σαβαὼθ* יהוה צבאות [*Dominus Sabaoth*] est *Deus Angelorum* vel *astrorum*: vox enim Hebræa utrumvis horum potest significare. Vide quæ diximus ad Matth. 24. 29.

30. *Τί οὖν ἐροῦμεν; Quid ergo dicemus?*] *Quid ergo dicimus?* cum ostenderit liberum Deum, neque dispensationi ejus circa beneficia obstrependum, etiamsi causæ nobis non pateant, jam ostendit fuisse Deo causas ita potiùs agendi quàm quomodo eum agere voluissent Judæi. ¶ *Ὅτι ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην, κατέλαβε δικαιοσύνην, quòd Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam*] Participium præsentis temporis hîc sumendum pro plusquamperfecto. *Gentes quæ non quæsiverant justitiam* (secundùm Deum) *assecutæ sunt eam justitiam*, id est, ad eam justitiam pervenere. Idem sensus qui infra 10. 20. *Διώκειν* [*sectari*] hîc, quod ibi *ζητεῖν* [*quærere*]. Sumitur sic & רדף Hebræum, ut Psalm. 34. 14. ubi in Græco *ζήτησον εἰρήνην καὶ δίωξον αὐτήν* [*inquire pacem & persequere eam*]. Quomodo & 1 Petr. 3. 1. *ζητησάτω εἰρήνην καὶ διωξάτω αὐτήν* [*inquirat pacem & sequatur eam*]. Vide & Deuter. 16. 21. Proverb. 15. 7. & 21. 2. Vide & infra 12. 13. & 14. 19. 1 Cor. 14. 1. Philipp. 3. 12, 14. 1 Thessal. 5. 15. 1 Tim. 6. 11. 2 Tim. 2. 22. Sic & Aristoteles, *τούτων γὰρ χάριν κἀκεῖνα διώκονται* [*ob hæc enim & illa quæruntur*]. & Xenophon, *χρὴ τοὺς εὐγνώμονας διώκειν* [*oportet probos sectari*]. ¶ *Δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως* (*justitiam autem quæ ex fide est*] Veram illam justitiam, ad quam Deus aditum nisi per fidem esse noluit.

31. *Ἰσραὴλ δὲ διώκων νόμον δικαιοσύνης, εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε. Israël verò sectando Legem justitiæ, in Legem justitiæ non pervenit*] *Νόμος* [*Lex*] hîc *viam* significat. Hebræum enim תורה [*Lex*] est à ירה *dirigere*, quod & *ὁδηγεῖν* vertitur: *Φθάνειν* respondet Hebræo נגע quod est *pervenire*, 2 Paralip. 28. 9. Ecclesiastæ 8. 14. & 12. 1. & apud Danielem sæpe. Judæi quærebant viam justitiæ ejus quæ Deo placeret, sed frustra plerique.

32. *Διατί; Quare?*] Quæstionem movet ut respondeat, & ostendat non omnes Divinæ hujus dispensationis causas esse in abscondito. ¶ *Ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, Quia non ex fide*] Cucurrerunt, sed quà ipsis libebat, non quà monstrabat Deus. Deus semper fidem fecit maximi, eamque esse viam voluit ad justitiam, ut videre est Hebr. 11. & supra 4. 3. At nunc non quavis fide contentus est, sed eam requirit quæ in Jesum, & per Jesum in Deum fertur. *Ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου. sed quasi ex operibus Legis*] Subaudi *φθάσαντες* [*perventuri*], tanquam perventuri ad illam justitiam per opera Legis Mosaicæ, *in quo multum se fallebant*. Non enim in id data erat ea Lex; sed partim, ut sicut leges humanæ, majori tamen auctoritate, societatem civilem conservaret, partim ut illum populum ab aliis populis quàm longissimè secerneret, nec aliud observata pariebat quàm publicè tranquillitatem, privatim verò impunitatem & bona quædam temporaria. Quod si in illa sola exteriore obedientia, quæ Mosis Legi exhibebatur, ponerent homines justitiam totam quam Deus exigit, jam Lex non tantùm ad id non proderat, sed ei non exiguum adferebat impedimentum, Quare qui sic animati erant, verè devia sectabantur. ¶ *Προσέκοψαν γὰρ τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος. offenderunt enim in lapidem offensionis*] Solent qui iter faciunt, interdum in lapides impingere & pedes lædere, ac sic impediri ne iter prosequantur. Vide Joh. 11. 9. Sic ergo quidam *προσκόπτουσι τῷ λόγῳ* [*offendunt verbo*] 1 Petr. 2. 8. Quod Petrus ibi dicit de Euangelio, id hîc Paulus de Christo, quia idem est Christus prædicatus & Euangelium: & considerandus hîc Christus Euangeliumque ejus simul cum sua cruce. Hoc enim est quod Judæos plerosque offendebat. Non poterant Christo Euangelioque ejus credere, nisi cum maximo periculo amittendæ rei familiaris, patriæ, amicitiarum, honorum, fortè & vitæ. At Deo credere minoris non constat, ut ex Abrahami rebus docemur. Eum qui ad veram fidem, quæ ad justitiam Divinam ducit, pervenire cupit, oportet ita esse animatum ut paratus sit verum, etiam cum maximo rerum ad vitam hanc pertinentium damno, amplecti & profiteri, nihilque Deo æquare, nedum anteferre, Joh. 4. 44. & 7. 17. & 8. 47. Vide & Luc. 2. 34.

33. *Καθὼς γέγραπται, Ἰδοὺ ἐγὼ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου, καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται. sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur*] Pars horum verborum desumpta est ex Esaiæ 28. 16. ubi in Græco est, *Ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβάλλω εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτελῆ* [*Ecce ego mittam in fundamenta Sion lapidem pretiosum*], &c. Sequitur post aliqua verba, *καὶ ὁ πιστεύων, οὐ μὴ καταισχυνθῇ* [*& qui credit non confundetur*]. Et is est locus unde deprompta & Petri verba 1 Petr. 2. 6. At quæ in medio hîc sunt posita ex altero sunt loco 8. 14. ejusdem Prophetæ, ubi Græca habent hodie negationem, *οὐχ ὡς λίθου προσκόμματι συναντήσεσθε, οὐδὲ ὡς πέτρας πτώματι* [*non tanquam offendiculo lapidis occurretis, neque tanquam lapsui petræ*]. At in Hebræo est, *Et erit vobis*, Deus scilicet, *in sanctuarium*, (id est, pro asylo) *in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israël.* Rectè autem ista loca conjunxit, quia in utroque agitur de temporibus Sennacheribi, Deique tutela iis promittitur qui intra Hierosolyma manentes in Lege Dei perstitissent. Erat autem receptum inter Hebræos omnem liberationem veterum figuram gessisse ejus liberationis quæ exspectanda esset temporibus Messiæ: cui *ὑποθέσει* [*suppositioni*] multa passim superstruunt Apostoli. In loco priore LXX Senes legisse rectiùs in Hebræo לא יבוש [*non pudefiet*] quàm quod Masoretæ prætulere לא יחיש [*non festinabit*] diximus ad ipsum Esaiæ locum. *Καταισχύνεσθαι* est *falli*, ut diximus supra v. 5. Sensus *ἀλληγορικὸς* [*objectus*] est, Qui Euangelio non credunt eos impediri ne viam insistant, quæ ad veram justitiam ducit: qui verò ei credunt, eos neutiquam falli, sed quod cupiunt adepturos. Dicitur autem Euangelium *positum in Sione*, quia inde ad Gentes alias is sermo prodiit, ut prædictum fuit Psalm. 110. 2.

CAP. X.

VALLA.

5, 6. *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex Lege est qui fecerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justitia sic dicit, Nè dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere*] Græcè non est *scripsit* sed *scribit*, *γράφει*. nec legitur, *Moyses enim scribit, quoniam justitiam*; sed sic, *Moyses enim scribit justitiam quæ est ex Lege*, *τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου*. Deinde sequitur *quoniam*, seu *quòd*. Neque sunt hæc verba Moysi, sed Pauli; nec ea quæ recitavi ego, sed hæc, *Quoniam qui fecerit ea homo, vivet in ipsis*, *ὅτι ποιήσας* [*ὁ ποιήσας*] *αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς*. In eo autem, *Nè dixeris*, vellem dixisset more suo Interpres, *Noli dicere*, ut concinnè sequeretur illud, *hoc est, Christum dedu-*

deducere: nempe *noli Christum deducere à cœlo*, negando illum ascendisse. Græcè tamen est *Nè dicas*, Μὴ εἴπῃς.

16. *Sed non omnes obediunt Euangelio*] *Obedierunt* legendum est, ὑπήκουσαν.

23. *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem in iram vos mittam*] Non est legendum in accusativo casu, sed in ablativo, *in non gente, in gente insipiente, ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ.*

REVIUS in VALLAM.

6. THN δικαιοσύνην] Trajecta hæc erant. ¶ *Neque sunt hæc verba Mosis*] Hæc argutiora videntur Erasmo: quem vide, ut & Bezam in hunc & 8. versum.

ERASMUS.

1. *Voluntas quidem cordis*] Ἡ μὲν εὐδοκία quo significat aliquid *animo gratum & acceptum*. Aurelius Augustinus explicans carptim aliquot hujus epistolæ quæstiones, legit pro *εὐδοκία bona; voluntas*; quemadmodum hic Interpres verterat in Luca. Græcæ voci ad Hebræam effictæ nihil habet sermo Romanus quod propriè respondeat. Nam nemo laturus sit, opinor, si quis dicat, *delicium cordis mei*. Sonat autem *propensam benevolentiam* ac *favorem gratuitum quem quis gerit erga alterum*, qualis est Dei erga nos. Item quæ sequuntur non per omnia quadrant: sic enim Græci, καὶ ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν Θεὸν ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ ἐστιν εἰς σωτηρίαν, i. *& deprecatio quæ fit ad Deum pro Israel est ad salutem*. Sentit enim se præstare Judæis quod potest, propensam animi voluntatem & precationes apud Deum.

2. *Quòd æmulationem quidem Dei*] Ὅτι ζῆλον Θεοῦ i. *Æmulationem Dei*, sine *quidem*. Qui nihil sciat nisi Latinè, quem sensum percepturus est ex his verbis, *æmulationem Dei habent? Æmulatio* in bonam partem sonat Imitationem; in malam, Invidentiam. Neutrum hic quadrat. Itaque nos *studium* vertimus, quâ voce Latini significant vehementem animi favorem. Et *scientia* magis cognitionem sonat, κατ' ἐπίγνωσιν. Aderat studium, sed sine judicio: ut sedulitas, quem stultè diligit, urget.

3. *Et suam quærentes statuere*] Hîc Græci repetunt *justitiam*. Est enim sermo ex traductione vocis ejusdem festivior. Subest & ἐναντίωσις, in *suam & Dei*; item in *statuere & non sunt subjecti*. Hæc enim inter se pugnant sensu magis quàm verbis. Est autem ἰδίαν, *propriam*, significantius quàm *suam*.

4. *Finis enim Legis Christus*] Τέλος hoc loco *consummationem* ac *perfectionem* sonat, non *interitum*: quod indicavit & Augustinus explanans Psalmum 5. rursus Adv. Priscillianistas & Origenistas, cap. 7. Nam Græci quod *absolutum & omnibus quæ solent requiri perfectum est τέλειον* appellant. *Summa* igitur *Legis est Christus*. Et in Psalmis quorum titulus habet *In finem* existimant aliquid reconditius & secretius esse vestigandum. Quod hîc dixit τέλος, aliàs vocat πλήρωμα.

5. *Moses enim scripsit*] *Scribit* est Græcis, Hic locus depravatus est apud nos: apud Græcos rectè sic habetur, *Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς*, i. *Moses enim scribit justitiam quæ est ex Lege, quòd qui fecerit hæc homo vivet in eis.* Laurentius argutatur hoc loco, sed obscuriùs, id sentiens, non totam orationem ad *Mosen* esse referendam, nempe hanc, *Quoniam justitiam quæ ex Lege est, homo vivet in ea*, quasi totum hoc scripserit Moses; verùm posterius hoc duntaxat, *Qui fecerit hæc homo, vivet in eis.* Retulit enim verba quæ sunt Levit. 18. *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis.* Itidem legis Ezech. 20. *Judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis.* Siquidem Paulus docendi gratiâ geminam facit justitiam, alteram Mosi, quæ requirit opera Legis; alteram Euangelii, quæ fidem requirit in Christum. De altera dicit Moses, aut, si mavis, ipsa Justitia loquitur, *Qui fecerit hæc, vivet in ipsis.* Altera, quæ est ex fide, sic loquitur, *Nè dixeris in corde tuo.* Ad hunc modum interpretatur Chrysostomus, *Moses*, inquit, *ostendit nobis justitiam quæ est ex Lege, qualis sit & quanti momenti. Qualis igitur est, & unde commendatur? Ab eo quod implet præcepta, Qui fecerit ea, inquit, vivet in illis* Ac paulò pòst, *Sed dic nobis, O Paule, & alteram illam justitiam quæ est ex gratiâ*, &c. Lectio Theophylacti consentit cum lectione Chrysostomi, nec dissentit enarratio. Ambrosius legit & interpretatur juxta Græcos codices, *Moses enim scripsit justitiam quæ ex Lege est, quia qui fecerit homo ea, vivet in eis.* Interpres Origenis legit & interpretatur quod nostra vulgata habet editio. Sed hujus libertas facit ut hinc non possimus certò judicare quid legerit. Lector offensus absurdâ sermonis specie transtulit conjunctionem ὅτι, & sublato pronomine *ea*, in fine pro *eis* posuit; *Moses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex Lege est qui fecerit homo, vivet in ea.* Principio durum videbatur *scribit justitiam*, pro eo quod erat *describit justitiam*, sive *scribit de justitia*: deinde durius etiam videbatur, *Qui fecerit ea, vivet in eis*, non animadvertenti referri verba Scripturæ sub persona Mosi, sive Justitiæ, ut ὅτι accipiatur εἰδικῶς, *Moses describit justitiam quæ est ex Lege.* Mox quasi roganti qualis esset illa, respondit illi verbis Levitici, *Qui fecerit ea, vivet in eis:* quod bifariàm accipi potest, Habebit eam vitam quam ad tempus præstant opera Legis; aut, Non habebit vitam, quia nemo sine dono fidei præstat opera Legis. In nostra verò lectione ipse sermo perturbatior arguit locum à scriba corruptum. Moses enim scripsit, *Quoniam justitiam quæ ex Lege est qui fecerit, vivet in ea.* Nè quid memorem de ὅτι verso in *quoniam*.

6. *Deducere*] Καταγαγεῖν, *velut ex alto deorsum ducere:* cui respondet ἀναγαγεῖν, quod Interpres vertit *revocare*, cùm significantius sit *ab imis in altum reducere*. Nam mihi videntur hoc loco præsertim Latini interpretes vehementer laborare, cùm sensus perspicuus sit. Dixerat enim ab Euangelio tantùm requiri fidem. Porrò fides non flagitat experimentum: animo cernit, & suis quibusdam oculis videt qui credit: At qui diffidit, etiam sensuum exigit testimonium, dicens apud se id quod legitur Deut. 30. *Quis ascendit in cœlum?* Idque de Lege dictum, Paulus interpretatur accommodans Christo; *Nam id*, inquit, *est Christum è cœlo detrahere*, ut aut non credatur illic esse, aut cogatur huc reversus denuo se nostris exhibere sensibus. *Aut quis descendit in abyssum?* h. e. Quis credat quæ de inferis dicuntur, nisi viderit? *Hoc est*, inquit, *Christum à mortuis reducere*, vel quasi non descenderit ad inferos, vel quasi flagitent ut iterum videntibus illis descendat ad inferos: cùm haud ità procul petenda sint argumenta rerum, si fides adsit in corde. Jam illud, *Sed quid dicit*, ambiguum videri potest, utrò referatur *dicit*, ad *Mosen*, an ad *justitiam fidei*, quæ Christus est, quam mox loquentem fecit, ut putat Origenes, atque etiam Chrysostomus: quanquam & aliàs Paulus posuit *dicit* ad hunc eundem modum, ut subaudias *Scriptura*. Proinde Interpres haud ineptè adjecit de suo, sermonis explicandi gratiâ.

8. *Prope est verbum*] Ἐγγύς σου τὸ ῥῆμα, *prope te est verbum*. h. e. Non opus est tam procul è cœlo aut abysso petere, cùm sit intra te. Cæterùm testimonium, ut modò dixi, sumptum est ex Deut. 30. quod indicavit primùm Origenes, deinde Augustinus: nisi quod hic addit *valde*; *Prope est verbum hoc valde in ore tuo*, quemadmodum legitur & in nostra Vulgata editione. Quanquam alia quoque nonnihil discrepant in verbis Paulinis ab Hebræis, imò à nostra editione, quæ habet ad hunc modum, *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est; neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere, Quis nostrûm valet ad cœlum conscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris & dicas, Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere id quod præceptum est? sed intra te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum.* Primùm quod illic positum est, *Quis è nobis poterit transfretare mare?* Paulus vertit, *Quis descendet in abyssum?* Cæterùm quod legit Augustinus in Quæstionibus in Deuteronomion, *Prope est verbum hoc valde in ore tuo & in corde tuo & in manibus tuis facere illud*, extremam particulam, *& in manibus tuis*, quam existimat à Paulo prætermissam, nostra certè Vulgata editio non habet: an apud Hebræos sit, viderint earum literarum peritiores. Fieri potest ut hunc locum è Paulo correxerit aliquis. Certè apud LXX habetur καὶ ἐν χερσί σου ποιεῖν αὐτό.

11. *Omnis qui credit in illum non confundetur*] Οὐ καταισχυνθήσεται. Frequenter ità vertit; & vulgò tum, ut apparet, ità loquebantur; cùm *confundi* propriè sit commisceri aut perturbari. *Suffundi* dicuntur qui pudescunt. Quanquam interdum vehemens pudor sic perturbat ut homo reddatur deliranti similis. Cæterùm quod legitur in Actis, *& confundebat Judæos*, aliud est verbum, κατέσχυνεν, h. e. *reddebat perturbatos ac perplexos animo, ut nescirent quò se verterent.* Origenes interpres hic καταισχυνθήσεται vertit *erubescet*, adducens exemplum Adæ, qui post peccatum erubuit & abscondit se. Verùm *erubescunt* & hi quos sua spes destituit. Pudor enim justi, probri metus est. Sic Judæi Christo vult omni spe frustrato insultarunt, *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce.*

12. *Judæi & Græci*] Ἰουδαῖοί τε καὶ Ἕλληνες. Rursus congeminata conjunctio vehementiorem facit orationem, quam nos vertimus in *vel* conjunctionem eandem exprimentem sen-

ten-

tentiæ vim. ¶ *Dives in omnes*] Græcè participium est, πλουτῶν, i. *divitiis abundans*, sive *affluens*.

14. *Quem non audierunt*] Poterat verti *de quo non audierunt*. Sic enim est Græcè, ὃ οὐκ ἤκουσαν.

15. *Quam speciosi pedes*] Paulus hoc testimonium retulit juxta veritatem Hebraicam, juxta quam ità legis Esa. 52. interprete Hieronymo, *Quàm pulcri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, & annunciantis bonum, prædicantis salutem.* Nam LXX verterunt ὡς ὥρα quæ dictio si cum aspiratione scribatur, aut Tempus significat, ut, *Duodecim sunt horæ diei*, Aut Anni partem,

——variisque mundum
Temperat horis.

unde & ἄωροι dicuntur *quorum flos ætatis præteriit*: aut *Pulcritudinem*; unde ὡραῖον *pulcrum* dicunt. Sin absque aspiratione, ὤρα, *curam* ac *solicitudinem* declarat. Unde juxta LXX sic legimus, *Sicut hora super montes, sic pedes euangelizantis.* At D. Hieronymus magis probat, *Quàm pulcri*: quanquam hæc lectio non multùm abest à Græca lectione LXX, modò ὥραν accipias pro *pulcritudine*. Sic enim legitur, *Sicut amœnitas super montes, ità pedes*, &c.

16. *Obediunt Euangelio*] *Obedierunt* est Græcè, ὑπήκουσαν, verbum præt. temporis: nisi fortè hoc verbum de numero eorum est quæ significant actum manentem, cujusmodi γέγηθα, δέδια, in quibus præteritum usurpatur loco præsentis. Qui librum *descripsit*, jam non *scribit*; sed qui dicuntur *sperasse in Domino*, juxta Græci sermonis idioma non desierunt *sperare*. Et alioqui præsens tempus frequenter convenit omni tempori. ¶ *Domine, quis credidit auditui nostro?*] Id testimonium sumpsit ex Esa. 53. LXX secutus editionem, qui dictionem hanc *Domine* addiderunt explicandæ personæ gratiâ, cùm in Hebræo non habeatur, sed tantùm, *Qui credidit auditui nostro?* quod idem observatum est & ab Origene. Illud admonendus lector, hoc loco *auditum* poni pro ipso *sermone qui auditur*: proinde dilucidius erat, *Quis credidit verbis nostris?* aut, *Quis credidit auditis nostris?* *Auditus* enim nomen Latinis nihil aliud sonat quàm *vim ac sensum audiendi*. Quòd si nihil aliud nobis sonat ἀκοὴ quàm *auditus*, cur hic idem interpres aliter vertit Matth. 24. καὶ ἀκοὰς πολέμων, i. *opiniones bellorum*, potiùs quàm *auditus bellorum*? Et Act. 28. ἀκοῇ ἀκούσετε cur ausus est vertere *aure audietis*? Hunc locum recensueram inter manifestos solœcismos, addens hæc, *Quis unquam Latinè loquens* AUDITUM *dixit sermonem loquentis?* Hinc destomachatur rixator quidam, jactans se declaraturum quod à me dictum est esse *meram falsitatem*, nec ullum hîc esse sermonis vitium. *Hieronymus*, inquit, *Augustinus & Ambrosius noverunt Latinè, & tamen ità loquuntur.* Primùm non numeramus hos autores in eorum numero quorum autoritate possit excusari solœcismus. Nam partim demiserunt elegantiam sermonis ad aures imperitæ multitudinis cui tum & scribebant & loquebantur, partim ipse sermo Romanus id temporis degenerarat ab illa germana puritate. Deinde quid mirum si utentes Scripturæ testimoniis, ejusdem verbis utuntur? At quis illorum suo nomine loquens scripsit, *Olim pœnitebit te non auscultasse auditui meo*, pro eo quod erat, *non auscultasse verbis meis?* Nec tam ego negavi *Latinum* esse quisquis ità loqueretur, sed negavi quenquam *Latinè loquentem* ad eum loqui modum. id si erat *mera falsitas*, vel unus locus erat producendus ex probatis autoribus. Nonne pulcrè defensus est Interpres à solœcismo, & magnificè declaratum me *meram dixisse falsitatem*? Et qui tam indoctas nænias evulgant libris, miro supercilio objurgant, miro fastu insultant, ac tantùm non triumphant, rectiùs facturi, si discerent interim Græcæ Latinæque Grammatices rudimenta.

17. *Per verbum Christi*] Θεοῦ, *Dei* non *Christi*. Certum est Chrysostomum legere Θεοῦ, sic enarrantem hunc locum ut pertineat etiam ad sermonem Prophetarum. Consentit huic Theophylactus, licèt Interpres aliud verterit quàm legit. Uterque indicat *verbum Dei* dictum ad differentiam humani sermonis, qui contemni poterat. Ambrosius quid legerit parùm liquet ex Commentario. Origenis interpres legisse videtur *Christi* pro *Dei*. Ad sensum non ità magni refert, nisi quòd *Dei* vox magis exaggerat sermonis Apostolici dignitatem, & latiùs patet sensus. Nam Propheta videtur suo nomine querelam hanc ponere, quam Paulus ceu vaticinium accommodat ad Euangelii præcones.

19. *Primus Moses*] Πρῶτος Μωσῆς quo Græci sæpius abutuntur pro comparativo, *Prior Moses*. Refertur enim ad Esaiam, quem mox citat: licèt aliud commentum attulerit Thomas Aquinas, quasi *primus* dictus sit quia præcipuus; vel *primus*, quia primus inter cæteros hoc dixerit: quanquam posterior illius sententia non multùm abhorret à nostra. ¶ *Ad æmulationem vos adducam*] Παραζηλώσω, i. *ad æmulandum provocabo & quasi stimulabo invidiâ ac dolore.* Ità Ambrosius. ¶ *In non gentem*] Ἐπ' οὐκ ἔθνει, i. *in non gente*: nam Græcè dativus est. Item mox, *In gente insipiente.* Gentem enim *non gentem* dixit, contemptissimam nec ullo dignam honore: quod exponens addit *in gentem insipientem*. Sic alibi vocat *quæ non sunt* quæ nullo erant in pretio.

20. *Esaias autem audet*] Conjunctio δὲ connectit hanc partem cum *Mose*, qui præcessit, ut ostendimus. Nec est simpliciter τολμᾷ, sed ἀποτολμᾷ, quasi sumptâ ab illo fiduciâ qui prior illud dixerit. ¶ *Inventus sum à non quærentibus*] Locus est apud Esaiam cap. 65. Sensus ferè idem apud Hebræos & LXX. Hebraica veritas sic habet, *Quæsierunt me qui antè me non interrogabant; invenerunt qui non quæsierunt me.* Juxta LXX sic legimus, *Apparui non quærentibus me, inventus sum ab his qui me non interrogabant.* Paulus nec Hebræam veritatem nec LXX editionem anxiè videtur secutus, sententiam contentus reddere.

21. *Ad Israel autem*] Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραήλ. Potest accipi & *adversùs Israel*; non enim alloquitur Israel, sed contra Judæos facit quod dictum est: siquidem præpositio πρός anceps est Græcis. Annotavit hoc & Thomas Aquinas. Testimonium quod adducit Paulus est apud Esaiam cap. 65. Origenes indicat in exemplaribus Hebræorum non adjici particulam *& contradicentem mihi*, verùm eam additam fuisse à LXX Senioribus. Idque verum esse declarat interpretatio Hieronymi ex Hebraica veritate, quæ sic habet, *Extendi manus meas totâ die ad populum incredulum.* Editio LXX sic habet, *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum & contradicentem.* ¶ *Et contradicentem mihi*] Ἀντιλέγοντα. *Mihi* à nobis additum est. Satis erat *contradicentem*, h. e. rebellem & immorigerum, quemadmodum legunt Græci. Et comperi non additum in codice Donatiani.

VATABLUS.

1. FRatres*] * *Bona.* ¶ *Voluntas quidem cordis mei*] Sub. *est erga Judæos, quamvis dura dicam de ipsis*: q. d. ex animo illis bene volo: non solùm autem illis bene volo, sed & pro ipsorum salute oro.

2. *Æmulationem*] *Studium*; i. vehementem animi fervorem erga Deum. ¶ *Non secundum scientiam*] i. Sine certa voluntatis Dei cognitione.

3. *Statuere*] i. Propriæ justitiæ autoritatem & robur dare. ¶ *Non sunt*] *Non fuerunt*: i. noluerunt obedire sive credere quòd Deus eos pro justis haberet credendo in Christum.

4 *Finis*] *Consummatio*: vel, *Perfectio*, *Impletio*: q. d. Christus solus legem implevit, ut qui credit in eum reputetur justus à Deo perinde acsi totam legem impleverit.

5. *Scripsit*] *Scribit.* ¶ *Fecerit**] * *Ea.* ¶ *Vivet in ea*] *Vivet per illa.* De vita temporali loquitur: q. d. non interficietur à Magistratibus, non lapidabitur, &c.

6. *Sic dicit*] Vel, *sic loquitur.* Mosen non citat, quia sensum Mosis non sequitur, sed tantùm ab illo verba mutuatur. ¶ *In cælum*] Sub. *ut inde Euangelium afferat ad nos, & illud audiamus?* Interrogatio est Judæorum qui nondum sibi persuaserant Christum venisse. ¶ *Deducere*] i. Hoc dicere, est è cœlo in terram Christum evocare, & affirmare nondum descendisse.

7. *In abyssum*] Sub. *ut ex ima terra petat nobis Euangelium, quo audito & credito salvi simus?* ¶ *Revocare*] i. Hoc dicere, est affirmare Christum nondum resurrexisse.

8. *Prope*] *Prope te.* ¶ *In ore tuo, & in corde tuo*] Hebr. *Est enim in ore tuo, & in corde tuo*: i. in ore Apostolorum, qui sunt tui populares, ut illud promulgent & doceant; & in corde ipsorum Apostolorum, qui illi ex animo fidem adhibent. ¶ *Fidei*] i. Verbum de fide in Christum.

9. *Quia*] *Proculdubio*, Heb. ¶ *Confitearis*] *Confessus fueris.* ¶ *Suscitavit*] *Excitavit*, Vet.

10. *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem*, &c.] q. d. Qui fidem in corde habet, justificatur: sed confessio & attestatio fidei, quæ per bona opera fit, debet esse comes individua, ut eorum qui non credunt consulatur saluti. *Qui negaverit me coram hominibus*, &c. *Sic luceat lux vestra*, &c.

11. *Confundetur*] *Pudefiet*: i. non frustrabitur salute quam exspectat.

12. *Dives in omnes qui invocant illum*] i. Qui misericor-

dià adeò exuberat ut salvare possit omnes qui illam ab ipso petunt.

13. *Quicunque*] *Qui*, Vet.

14. *Quem*] *De quo.*

15. *Pedes*] Membrum pro persona: q. d. quàm chari & accepti erunt auditoribus ii qui huc illuc mittentur ad euangelizandum pacem inter Deum & homines, & remissionem peccatorum, & vitam æternam.

16. *Obedium*] *Obedierunt*, Vet. Præt. pro fut. more prophetico. ¶ *Auditui nostro*] Heb. i. sermoni & doctrinæ quam ex nobis audient de Christo.

17. *Christi*] *Dei*: q.d. fides per auditionem concipitur: per auditionem autem non humani verbi, sed Divini.

18. *Audierunt*] Sub. *Gentiles*, *Euangelium.*

19. *Cognovit*] Sub. *verbum Euangelii. Cognovit certè, sed illi credere noluit: quod futurum olim prævidit Moses, qui primus dicit*, &c. ¶ *Ad æmulationem*] i. Faciam ut gravi & acerbo livore intus uramini, cùm conciliavero mihi populum quem nihili facitis, & quem ad me nihili pertinere existimatis. ¶ *In gentem insipientem in iram vos mittam*] Heb. per gentem stultam ad iram commovebo vos.

20. *Esaias autem**] * *Post hunc.* ¶ *Audet & dicit*] Heb. forti & audienti animo dicit. ¶ *Me*] *De me.*

21. *Ad Israel*] *Adversùs Israelem.* ¶ *Expandi manus meas*] Sub. *auxilii ferendi causâ.* ¶ *Sed*] *Et*, Vet. Locus est concisus: subaudiendum, *Et tamen ad me venire recusavit.*

CASTALIO.

6. NE *dixeris cum animo tuo, Quis ascendet in cœlum?*] Noli dubitare, quasi fieri non possit ut salvus fias. ¶ *Christum devocare*] Ascendisse negare.

CLARIUS.

2. SED *non secundùm scientiam*] Nesciunt, inquit, uti judicio, & appellatione *justitiæ* falluntur? dum eam sectantur quam ipsi sibi fingunt, & illam Dei deserunt quæ est per fidem in Christum. *Nam finis*, h.e. summa, totius *Legis est Christus*, à quo uno justificatio exspectanda est.

5. *Moyses enim*] De utraque justitia, & *Legis* & *Fidei*, Moses loquitur: & *justitiam* quidem *Legis* in factis ponit, *ut qui ea facit* non sit puniendus; at de *justitia Fidei* cùm loquitur, nullam factorum Legis mentionem facit: sed quid ait? *Nè dicas in corde tuo, Qui fieri potest ut Christus è cœlo descendat?* hoc est enim, *Quis ascendet in cœlum? hoc est, ad deducendum Christum: neque dicas, Qui fieri potest ut Christus à mortuis resurgat? ut aliquis descensurus sit ad revocandum ab inferis Christum: sed tantùm corde crede & ore confitere quod Deus suscitarit illum à mortuis, & salvus eris.* Nam illud, Ore confiteri quod jam corde perceperis, quandam præ se fert in sententia constantiam, quæ servandis est necessaria: quemadmodum Servator ait, *Qui perseveravit in finem, hic salvus erit.*

14. *Quomodo ergò invocabunt*] Pulcerrima gradatio. Mirum est, inquit, quo pacto sibi excludant hanc salutem: Nam *invocandi nominis Domini* (quando in ejus invocatione *salus* posita est) principium est *fides*, fidei autem *auditus*, porrò *auditus est per verbum Dei*, h.e. per prædicationem: at prædicatio fit per eos qui *mittuntur*. Cùm ergò aversentur eos qui huic prædicationi inserviunt, ipsi sibi omnem salutis viam excludunt. Et videte, inquit, ut longè antè signaverit eos, qui mittendi essent, Propheta, cùm *pulcros eorum pedes* intueretur qui & verborum majestate cœlestium & signorum magnitudine admirandum toti mundo sui spectaculum præberent. Quia & *pacis* mentionem fecit, h.e. reconciliationis, quam nos in primis prædicamus. Sed nullam tamen ignorationis hujus excusationem habent: nam *in omnem terram exivit sonus eorum*, &c.

16. *Sed non omnes*] Si tibi suspecta, inquit, propterea est hæc prædicatio quòd tam multi non credant, memineris & hoc prædictum ab Esaia dicente, *Domine, quis credidit sermonibus nostris?*

19. *Primus Moyses*] Si non aliud haberent Judæi indicium hujus veritatis ac prædicationis nostræ, illud habere debuerant, quòd à Mose jam antea prædictum nunc demum cernunt impleri: Ecce enim provocantur ad æmulationem à Gentibus, quæ ad hujus prædicationis lucem tam avidè accurrunt. Esaias verò utrumque notat, & crediturus Gentes, & populum suum neglecturum.

ZEGERUS.

1. PRO *illis*] Nimirum Judæis fratribus in incredulitate persistentibus.

5. *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam*, &c.] Græcè aliquantò secus est; sed quia sensus coincidit, supersedeo. Nec est nostra lectio depravata, cùm sic legat Origenes, & nulla sit in exempl. nostris varietas.

6, 7. *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit, Nè dixeris in corde tuo, Quis ascendit in cœlum? id est, Christum deducere: aut quis descendit in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare*] Animadvertendum, quòd Apostolus ostendere volens qualis sit justitia fidei, quantum distet à justitia Legis, ad hæc quàm facilis sit ad illam accessus, ad hoc ipsum Mosi verba accommodat quibus & ipse hortabatur populum ut Dei legem servandam incontanter susciperet. Quod ergò dicitur hunc habet sensum, Vera fidei justitia dicit, docet atque hortatur, nè diffidens aut hæsitabundus tuo cum animo disceptes, aut ità in corde percontaris, Quis in ipsum conscendit cœlum, qui illinc Christum descendere faciat nostris hisce exhibendum obtutibus, ut tali in fide solidemur argumento? aut quis ad inferorum abyssum demissus est, qui Christum nobis illinc producat, probétque certo argumento captivis animis per ipsum redemptis gloriosè resurrexisse? Tanquam si dicat, Justitia hominis quæ fide constat non ità porrò efflagitat experimenta veritatis; quin potiùs in animo fidei oculis rem ipsam lucidè cernit quisquis sincerè credit.

8. *Quid dicit Scriptura?*] Henricus Gravius expungit *Scriptura*, juxta Græcos. Verùm cùm habeatur in nostris antiquis, additum arbitror ab ipso Interprete, aut certè ab Ecclesiastico correctore. ¶ *Propè est verbum*] i. Apud te est & esse debet fidei verbum, nempe *in ore atque in corde tuo.* Cæterùm hæc ferè verba scripta sunt Deut. 30. ubi ità legimus, *Mandatum, quod ego præcipio hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere, Quis nostrùm valet in cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris & dicas, Quis è nobis poterit mare transfretare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire & facere quod præceptum est? sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Quæ de Moysi lege sive mandato Dei scripta Apostolus ad Christum, ut diximus, accommodat, atque ob id quasi interpretando de suo interserit, *id est Christum deducere*, &c. *hoc est Christum à mortuis revocare.*

15. *Sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes*, &c.] Quòd mittendi, inquit, essent ejusmodi præcones Jesaiæ probat vaticinium ità prænunciantis, *Quàm speciosi*, &c. h.e. Supra modum gratus erit adventus annunciantium pacem & prospera. Quòd autem hoc ipsum in Apostolis aliisque præconibus Euangelii impletum sit, ex iis quæ annunciarunt perspicuum fit.

16. *Auditui nostro*] h.e. ut Ambrosius & Scholiastes apud Hieronymum cæteris exactiùs edisserunt, *quæ audivimus abs te & loquimur*; vel *quod nos à te, ut aliis annunciaremus, audivimus.* Erasmus interpretatur *sermonibus nostris*, & *sermoni quo auditur*: verùm id propriè neque vox Græca ἀκοῇ, neque quæ est apud Jesaiam vox Hebræa שמע admittit. Reclamat item eadem vox semel atque iterum hic repetita: ut interim sileam itidem apud nullum inveniri veterum.

19. *Primus enim Moyses*] Hic enim inter omnes V. Testamenti tempore primus fuit. Vel *primus* seu *prior* dicitur respectu Jesaiæ, quem mox citat. ¶ *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem; in gentem insipientem, in iram vos mittam*] Principio adverte illud, ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ, bifariam accipi posse; ut significet Judæos vel commovendos ità atque invidiâ adversùs Gentes quas ipsi pro insipientibus habent; vel concitandos irritandósque per Gentes insipientes, propter susceptam ab his fidem. Priorem sententiam noster secutus est Interpres juxta quem summa rei hæc est, Ego Dominus, ad ultionem vestræ infidelitatis, provocari vos sinam atque induci in æmulationem, odium atque invidiam adversùs ejusmodi populum qui vobis nihili & gens fuit stulta reputata: quandoquidem illos conspicietis Divinis muneribus ac beneficiis vobis promissis honorari: quo fiet ut majorem quoque in modum adversùs illos irritemini: nisi fortè illos æmulemini in bonum, eandem ipsorum fidem imitantes.

20. *Audet & dicit*] h.e. Audenter dicit.

L. BRU.

L. BRUGENSIS.

5. **M***Oyses enim scripsit* [*dixit* o.] *quoniam*, *justitiam quæ ex lege est qui fecerit-homo* [o.] *vivet in ea.*] Hæc Latinorum librorum, quos nos vidimus multique alii ante nos, constans est lectio: quam enarrat, ex antiquis, Origenes, vel ejus interpres. Græci libri scribunt, Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι, ὁ ποιήσας-αὐτὰ [ε1.] ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς, *Moses enim scribit* (*eta* Sy.) *justitiam quæ ex lege*, *quoniam*, *qui fecerit-ea* [5. 10.] *-homo* [Sy.] *vivet in eis.* Quibus suffragantur Syrica exemplaria, Græcique Tractatores, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Conjiciunt quidam Latinam lectionem scribarum temeritate depravatam: pro quibus facere possit, quòd Haymo in quibusdam codicibus haberi testetur *vivet in eis*, nisi de Græcis vel alterius versionis Latinis codicibus loquatur. Conjiciunt alii Græcam lectionem, quanquam Mosis verba propiùs referat, (*Custodite leges meas atque judicia, quæ faciet ea homo, & vivet in eis*, Levit. 18. 5.) ex Gal. 3. 12. immutatam, ubi similis est locus, ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, ἀλλ᾽ ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, pro quo nos habemus, *Lex autem non est ex fide: sed, Qui fecerit ea vivet in illis*; porrò hoc ad Romanos loco legisse Interpretem, ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ. Verùm, quod bene se habet, utraque lectio in idem recidit.

H. STEPHANUS.

12. **Π**Λουτῶν εἰς πάντας] *Cui suppetunt divitiæ quas largiatur omnibus.*

18. Μενοῦνγε] *Imò verò.*

DRUSIUS.

12. **D***Ives in omnes*] Non est πλούσιος in Græco, sed πλουτῶν. ideo malim *dives exsistens.* Aut fortè πλουτῶν dixit pro πλούσιος, participium loco nominis usurpans. Sed quid *dives in omnes?* An *dives* hic est *largus & liberalis?* Nam liberalitas è divitiis. Quanquam non omnes qui divites sunt, etiam liberales sunt. Potest esse unum pro duobus, *dives!* pro *dives & largus.*

18. *In omnem terram exivit sonus eorum*] Locum hunc descripsit ex edit. τῶν ο᾽ in qua ὁ φθόγγος αὐτῶν, quod etiam Hieronymus vertit *sonus eorum.* Ante ipsum Aquila ediderat ὁ κανὼν αὐτῶν (aut *regula*) *eorum:* quod nunc Hebræi legunt קום, libris omnibus inter se mirè consentientibus. Tamen critici Theologi contendunt locum depravatum esse. Videamus an rectè. Primùm enim קול à Græcis interpretibus reddi solet φωνή· & quanquam φθόγγος parùm differt à *voce*, & Cicero ἄνευ φθόγγου reddiderit *sine voce*, tamen ajunt φθόγγον esse obscuriorem quàm *vocem.* Deinde si vera lectio est קולם *vox eorum*, nónne Propheta sibi contradicit, cùm præcedat, *non auditur vox eorum?* Concilient, qui possunt: ego nullus video quomodo simul vera esse possint? *Auditur vox eorum*, & *non auditur:* nam sunt contradicentia. Dices in eodem haberi, *non est sermo*, *non sunt verba*, & paulò pòst, *In fines orbis terræ verba eorum*, sub. *exiverunt.* Respondeo in Hebræo esse *non sunt verba*, i. דברים, quæ sunt verba articulata; & mox, *In omnes fines orbis terræ verba eorum*, i. מליהם, quod sign. verba etiam non articulata, ut cùm quis nutu manuum aut pedum aliquid significat. Sanè legimus apud Salomonem in libro Proverbiorum, *loquitur pedibus suis* מלל. Qui hoc nescit, fateatur se nescire quod jam notum ipsis pueris Frisiorum.

20. *Inventus sum*] Jes. 65. 1. est נמצאתי, quod Abenezra exponit עשׂו נמצאתי *feci me invenire.* Sic נדרשתי *feci me quærere.* Talia sunt נגאל *redemit se*, נמכר *vendidit se* Levit. 25. 48. נשמר *custodivit se, cavit sibi* 2 Sam. 20. 10. Gallicè, *il s'est gardé.*

CAMERON.

15. **Q***Uomodo prædicabunt nisi missi fuerint?*] Planum est, perindéque certum, neminem debere invocatum intrudere sese ad fungendum ullo in Ecclesia munere, sed exspectandum illi esse ut ad id mittatur. Verùm non unum est missionis sive vocationis genus. Alia enim est missio & vocatio Divina, quæ sanctionem & approbationem suam à Deo habet: alia est humana vocatio & missio, quæ hominum operâ fit & ministerio. Cùm tanquillus est & pacatus Ecclesiæ status, servandus est ordo ille qui à Deo constitutus est, & hominum ministerio peragitur; quomodo nempe à Regibus & Principibus terrenis in Reip. suæ statu politico fieri solet. Licèt enim ipsi per se immediatè possint ministros suos juri dicundo vel regendæ Reip. præficere atque præponere, eâ tamen potestate & jure plerumque atque ordinariè non utuntur, quin potiùs eos jubent certo ritu certisque formulis (quas ordinis gratiâ, néve sibi imponatur, ipsimet præscripserunt) solenni modo muneri suo inaugurari. Verùm cùm Reip. status perturbatus est, cùm ministri ipsi & subditi in eos insurrexerunt, cùm eversa est & conturbata omnis εὐταξία, cùm viget & regnat ἀταξία, cùm ritibus illis & solennibus formulis locus nullus relictus est, tum Rex ipse per se immediatè ministros suos creat atque præficit: atque tum satis est Ministris illis si non sine Regis jussu atque autoritate munere suo defuncti sunt. Eadem est hac in parte Ecclesiæ ratio. Deus vult in ea omnia κατὰ τάξιν fieri: at cùm hominum vitio, fraude & malitiâ tanta est rerum in ea perturbatio ut nullus jam sit ordini illi locus relictus, non vetat sanè ut quod præcipuum est maximéque momentosum procuremus, vel cum ipsius ordinis neglectu: si modò ordine constituto & ordinario haberi illud & obtineri nullo modo potest; imò verò tantò studiosiùs & acriùs procurandum illud est, quantò minùs viâ & ratione ordinariâ obtineri potest. Ordo sanè & methodus in re omni probandus & laudabilis est; at cùm res ipsa urget vehementi quadam necessitate, via autem & methodus constituta servari non potest, tum natura ipsa, ratio, lex, usus & consuetudo docet, procurandum id esse omni viâ & ratione quod est maximè momentosum & necessarium. Neque verò hâc ratione lata aperitur porta confusioni, aut perturbatoribus favetur. Is enim propriè turbator est qui ordinem possibilem negligit atque contemnit, non verò is qui ordinem quidem toto animo cupit, at eum investigare & consequi ob summam rerum perturbationem omnino non potest: is turbator est qui temere & sine ratione ordinem constitutum negligit, non verò is qui invitâ & ineluctabili necessitate coactus est insuper eum habere. Non ergò inducitur rerum confusio & perturbatio cùm munus aliquod exercendum illi permittitur qui potest eo dignè & præclarè defungi (licèt à nullo ad id vocetur homine) cùm necessitas id exigit & postulat, solennis autem & constituta vocandi ratio obtineri non potest. At cùm legibus præscriptæ formulæ observari possunt, neque tam vehemens est necessitas ut viam & rationem postulet & verò exigat extraordinariam, ordinem constitutum negligere esset fenestram τῇ ἀταξίᾳ aperire. Hoc non est seditioni in urbe vel castris favere, cùm civis ultro & injussus in rebellem & proditorem Magistratum, miles in perduellem Centurionem vel Decurionem suum insurgit, si nullâ aliâ viâ & ratione occurri malo potest: tum duntaxat pervertitur ordo & regnat ἀταξία cùm extra hujusmodi casum tantum quis sibi permittit & licere putat. Itaque ratio illa quæ ducitur à confusione quam secum trahit neglectus ordinis & præscriptarum formularum cùm haberi & observari possunt, non officit Majoribus nostris quorum seculo & ætate cœpta est in Ecclesia reformatio, etiamsi missione & vocatione illâ externâ quæ ab hominibus est certis formulis & ritibus veluti definita instructi non fuissent. Neque enim ratio temporum illorum ferebat aut patiebatur ut constitutus ordo commodè observari posset. Tum enim vigebat & regnabat in Ecclesia hæresis & idololatria, illi autem quibus commissa erat ab hominibus Ecclesiæ cura, quique missione & vocatione externâ & humanâ ornati erant, non modò eâ non legitimè utebantur, sed (quod deplorandum maximè fuit) cùm pollerent autoritate eam aliis conferendi, nolebant illâ ornare eos quibus nec facultas nec voluntas deerat eam magno cum fructu exercendi. Cùm itaque veteribus Pharisæis non absimiles scientiæ clavem subduxissent, regnique cœlorum portam ità clausissent ut nec ipsi eò ingrederentur nec alios ingredi sinerent, necesse tum fuit piis in tam extraordinario casu támque perturbato & deplorando Ecclesiæ statu præter ordinem etiam aliquid audere & tentare: id fraudi illis esse non debet, etiamsi nullâ fuissent instructi externâ missione. Prædixerat Paulus venturam defectionem à fide, támque tam universalem & horrendam ut κατ᾽ ἐξοχὴν eam vocet ἀποστασίαν, quâ universa Ecclesiæ facies ità obscurari debuit ut vix à quoquam dignoscenda fuerit. Jam verò quis tantæ defectioni opponere sese potuit? Sanè non ipsi apostatæ, & qui in defectione pertinaciter perseverant, verùm illi qui ab ea sese segregant, qui eam redarguunt & revincunt, sive aliquâ fuerint inter apostatas autoritate & potestate instructi (quomodo olim fuerunt inter decem Tribus Israelitarum à vero Dei cultu deficientium Levitæ) sive nullâ fuerint publicâ muniti autoritate.

GUALTPERIUS.

7. **E**IΣ τὴν ἄβυσσον, *in abyssum*] Hebræis dicitur תהום com. genere, quam vocem reperire est in masc. gen. תהום אמר *Abyssus dixit*, Job 28. 14. in fem. g. תהום רבה *abyssus magna*, Esa. 51. 10. & in plur. תהמת *abyssi* Exod. 15. 5. Apud Chald. & Syr. est תהומא. ἄβυσσος vox Græca est, ὁ καὶ ἡ, idem quod ἄβυθος *fundo carens*. Βυθὸς enim *fundum*, *profundum*, *imum gurgitem* sign. pro quo Iones dicunt βυσσός, & cum α ϛερητικῷ ἄβυσσος *fundo carens*. Suidas etymologiam deducit à δύω, *subeo*, *ingredior*, per mutationem literæ δ in β, nempe βύω, βύσω, βέβυκα, βέβυσμαι, βύϛης καὶ ἀκρόβυϛος & hinc ἄβυϛος, mutatâque literâ τ in σ, ἄβυσσος. Exempla: Λίμνη ἄβυσσος, *Lacus*, seu *palus*, *fundo carens*, *in immensum patens*, *immensæ altitudinis aut profunditatis*, Aristoph. Ἄβυσσον βάθος, *fundo carens profunditas*, i. immensa. Porrò substantivè in N. T. aliquoties exstat, Luc 8. 31. & 9. 1, 2. & 11. 1. & 17. 8. & 20. 1, 3. ubi Arethas tradit ἄβυσσον vocari *magnam profunditatem primi elementi*, *aut per privationem τοῦ βεβύσθαι* (q. d. quæ non βέβυσται *non operta*, *nec obturata est*, sed magno hiatu semper patet) *aut ex eo quòd magnam profunditatem habeat*, ut α accipiatur ἐπιτατικῶς Latinis vorago aquarum hoc sensu dici posset. Videtur tamen aliquam emphasin habere *abyssus* in S. literis; ideóque retineri solet etiam à Latinis interpretibus hoc vocabulum. Ità Stephanus in Thesauro. *Ibi altitudo*, inquit Augustinus, *ibi profunditas*, *quæ penetrari usque ad fundum non potest*. Et Ambrosius, *Omnis aqua*, *omnis humida natura atque substantia circumquaque diffusa*, *per maria*, & *flumina*, & *antra*, & *occulta*, *simul uno nomine vocatur* ABYSSUS. Abyssus inferni **der abgrundt der Hellen.**

GROTIUS.

1. **A**Δελφοὶ, *Fratres*] Alloquitur Judæos qui jam Christo nomen dederant. ¶ Ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας, *voluntas quidem cordis mei*] Εὐδοκία καρδίας [*voluntas cordis*] hic est, *animi benevolentia*, רצון in Psalmis sæpe. Vide Luc. 2. 14. ¶ Καὶ ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν Θεὸν ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ ἐϛιν εἰς σωτηρίαν. & *obsecratio ad Deum fit pro Israële in salutem*] עתרת שלום ואמת [*deprecatio pacis & veritatis*] Jerem. 33. 6. *Opto illis bona omnia*, *etiam æterna*. Amolitur à se odii suspicionem.

2. **Μαρτυρῶ γὰρ αὐτοῖς**, *Testimonium enim perhibeo illis*] Sic Luc. 4. 22. ἐμαρτύρουν αὐτῷ [*testimonium illi dabant*] Eadem constructio Actor. 15. 8. & 22. 5. Galat. 4. 15. Coloss. 4. 13. dicitur de iis qui testimonium præbent quod alteri prosit. ¶ Ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, *quòd æmulationem Dei habent*] *Studium quoddam erga Deum*. Sic ζῆλος τοῦ οἴκου σου [*zelus domûs tuæ*] Psalm. 69. 9. Johann. 2. 17. Nomina omnia ejusmodi modò genitivum habent subjecti, modò objecti. ¶ Ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. *sed non secundum scientiam*] Ἐπίγνωσις idem quod γνῶσις [*scientia*], ut 1 Reg. 7. 14. Proverb. 2. 5. Oseæ 4. 6. & 6. 6. supra 1. 28. & 3. 20. Ephes. 1. 17. & alibi sæpe. Eunt quà itur, non quà eundum est: id culpam minuit, non tollit. Discere debebant meliora, maximè tam obvia luce.

3. Ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην, *Ignorantes enim justitiam Dei*] Id est, ἐκ Θεοῦ [*quæ ex Deo est*] ut dicitur Philipp. 3. 9. Justitia illa vera & interna ac Deo grata à Deo ipso se revelante & homines ad se vocante proficiscitur. Cujus exemplum in Abrahamo Paulus supra dedit 4. 2, 3. De hac Judæi plerique non cogitabant. ¶ Καὶ τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητοῦντες ϛῆσαι, & *suam justitiam quærentes statuere*] Ἱϛάναι הקים est inter alia *approbare*, *potestatem ac jus alicui tribuere*. Judæi plerique pro causa salutis æternæ constituere volebant justitiam illam externam quæ per frequentes actiones paratur & in societate humana aliquid valet. Est καθῆκον [*officium*] non κατόρθωμα [*virtus*], ut distinguit Cicero libro tertio & quarto de Finibus, & de Officiis primo. ¶ Τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν. *justitiæ Dei non sunt subjecti*] Bene monent viri eruditi esse hic formam passivam pro reciproca; Niphal, ut Hebræi loquuntur, pro Hithpael: qua de locutione egimus ad Actor. 13. 41. *Non subjecerunt se justitiæ Dei*, id est, Viam non inire per quam ea comparari possit, Fidem scilicet. Multi ad sapientiam pervenirent nisi pervenisse se putarent. Idem Judæis illis evênit. Non dissimile est illud Philonis, Εἰσὶ δὲ οἱ καὶ δόξαντες ἐπιμεμελῆσθαι (nempe σπερμάτων ἐλπίδος), φιλαυτίαν πρὸ εὐσεβείας ἀσπασάμενοι, τὰς αἰτίας τῶν κατορθωμάτων ἀνέθηκαν ἑαυτοῖς· ὑπαίτιοι δὲ πάντες οὗτοι· μόνος δὲ ἀποδοχῆς ἄξιος ὁ ἀναθεὶς τὴν ἐλπίδα Θεῷ [*Nec desunt, qui cum diligentes coloni (seminum spei) videantur, sui magis quàm pietatis studiosi, benefactorum causas sibi ipsis tribuunt; omnes hi culpandi meritò. Solus laudem meretur, qui suam spem in Deo collocat.*

4. Τέλος γὰρ νόμου Χριϛὸς, *Finis enim Legis Christus*] Id est, Lex Mosis via tantùm fuit ad Euangelium: Τέλος [*finis*] est *viæ meta*, ut supra 6. 21, 22. 1 Timoth. 1. 5. Idem sensus Galat. 3. 24. & supra 3. 31. & 8. 4. Hebr. 7. 19. *Christus* sæpe ponitur pro *Euangelio*, ut & supra diximus 9. 32. πλήρωμα νόμου ἀγάπη [*plenitudo Legis est dilectio*], infra 13. 10. Εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιϛεύοντι. *ad justitiam omni credenti*] Ii qui Christo credunt, nempe verè ac perseveranter, hi per istam fidem perducuntur ad justitiam Dei. Hic est cardo totius disputationis hujus distinguere justitiam internam ab externa, & ostendere ad internam hodie nullam esse viam nisi per Christum.

5. Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου· Ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς. *Moses enim scripsit justitiam, quæ ex Lege est, quoniam qui fecerit illa homo vivet in eis*] Non paulò meliùs Manuscriptus, Μωσῆς γὰρ γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ [*Moses enim scribit quoniam justitiam quæ ex Lege est qui fecerit homo, vivet in ea*], quomodo & Latinus legit ex Græco Levit. 18. 5. Sed ibi ἐν αὐτοῖς [*in eis*] refertur ad προστάγματα [*mandata*], hic ἐν αὐτῇ [*in ea*] ad δικαιοσύνην [*justitiam*], pari sensu. ζήσεται ἐν [*vivet in*] valet *pervivet*, id est, *longævus erit*, ut interpretatur Chaldæus. Justitia Legis non est talis obedientia quæ nulli contigit, sed Lex consideratur unà cum suis expiationibus. Hoc modo secundùm Legem facta sua dirigentibus Lex vitam promittit longam ac prosperam. Hæc est factorum merces, Deuter. 32. 47.

6. Ἡ δὲ ἐκ πίϛεως δικαιοσύνη οὕτω λέγει· *Quæ autem ex fide est justitia*, *sic dicit*] Id est, Is qui per fidem in Christum justitiam Dei adeptus est, Deo gratias agit pro tam exposito beneficio. *Justitia* pro *justitiam consecuto*, Hebraïsmus abstracti pro concreto, qualis ἐκλογὴ [*electio*] pro *electo*, περιτομὴ [*circumcisio*] pro *circumcisis*. ¶ Μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; *Ne dixeris in corde tuo*, *Quis adscendet in cælum?*] Verba sunt ex Deuter. 30. 12. dicta ibi à Mose, ut ostenderet non esse difficilem acquisitu Legis cognitionem, ut ibi diximus. *Ne dicas in corde tuo*, hoc est, *ne cogites*; locutio frequens Hebræis. Philo, Omnem virum bonum esse liberum, Καίτοι τίς ἢ μακρᾶς ὁδοιπορίας ἢ τοῦ θαλαττεύειν ἐϛὶ χρεία πρὸς ἔρευναν καὶ ζήτησιν ἀρετῆς, ἧς τὰς ῥίζας ὁ ποιῶν οὐ μακρὰν ἀλλ' ἐγγὺς σοὶ πλησίον ἐβάλλετο, καθάπερ καὶ ὁ σοφὸς τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης φησίν, Ἐν τῷ ϛόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου; καὶ ἐν ταῖς χερσί σου [*Quanquam quid attinet, virtutem aut è remotis terris aut trans mare quærere, cujus radices Auctor naturæ in proximo deposuit; quod & sapiens ille Judæorum Legislator testatur dicens, In ore tuo, in corde tuo, in manibus tuis*]. Et libro de Præmiis & Pœnis, Οὐ γὰρ ὑπέρογκοι καὶ βαρύτεραι τῆς τῶν χρησομένων δυνάμεως αἱ προστάξεις εἰσίν, οὐδὲ μακρὰν τὸ ἀγαθὸν ἀφέϛηκεν ἢ πέραν θαλάσσης, ἢ ἐν ἐσχατιαῖς γῆς, ὡς δεῖσθαι πολυχρονίου καὶ καματηρᾶς ἀποδημίας, οὐδ' ἐξαίφνης ἐξῳκίσατο τὴν ἐντεῦθεν εἰς οὐρανοὺς ἀποικίαν, ἵνα τις μετέωρος καὶ πτηνὸς ἀρθεὶς μόλις ἐφικέσθαι τούτων δυνηθῇ· πλησίον δ' ἐϛὶ καὶ ἐγγύτατον τρισὶ μέρεσι τῶν καθ' ἕκαϛον ἡμῶν ἐνιδρυμένον ϛόματι καὶ καρδίᾳ καὶ χερσί, λόγῳ καὶ διανοίᾳ καὶ πράξεσι] *Nihil est enim in hisce legibus grave, nihil quod harum, quibus datæ sunt, vires excedat. Nec longè aut trans mare abest bonum, aut in extremo orbe latet, ut longâ ac molestâ peregrinatione opus sit. Nec derepentè hinc abire jussit in cælum, ne vel alato facilis via sit. Imo verò & propè & planè proximum est, & tribus nostrûm cujusque partibus infixum, ori, cordi, manibus, sermoni, inquam, animo, factis*]. Ex quibus duobus locis Philonis obiter nota ipsum sequi LXX versionem qui in Hebræo plus legerunt quàm nos habemus, nempe καὶ ἐν χερσί σου [& *in manibus tuis*] Paulus autem verba Mosis Euangelio applicat argumento à majori. Solent, qui rem perquam difficilem volunt significare, uti similitudine *adscensûs in cælum*, & *descensûs ad inferos*. Eteocles Phœnissis,

> Ἄϛρων ἀνέλθοιμ' ἡλίου πρὸς ἀντολὰς
> Καὶ γῆς ἔνερθεν
> [*Vel ipsa adirem Solis orientis loca,*
> *Vel ima terræ*].

Ubi Scholiastes, εἴθε ἠδυνάμην εἰς οὐρανὸν ἐλθεῖν ἢ εἰς ᾅδου κατελθεῖν. [*utinam possem adscendere in cælum vel descendere ad inferos*]. Tertullianus adversùs Nationes 2, *Diogenes consultus quid in cælo agatur, Nunquam, inquit, adscendi.* ¶ Τουτέϛι Χριϛὸν καταγαγεῖν, *Id est Christum deducere*] Τουτέϛι [*id est*] est

est explicatio ὑπονοίας [*sensûs absconditi*] ut supra 9. 8. *Illud* inquit, *Quis adscendit in cœlum, perinde est quasi dicas, Quis in cœlum ibit ut Christum inde faciat descendere?* Intellige nihil opus de eo nos laboremus. Deus hoc fecit. Vide Joh. 3. 13. & ibi dicta. Hunc sensum hic sequitur Syrus, & sæpe infinitivus est vice ἵνα [*ut*] cum potentiali.

7. Ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; *Aut quis descendet in abyssum?*] In Græco Lxx Senum est πέραν τῆς θαλάσσης [*ultra mare*], sed credibile est in aliis versionibus fuisse εἰς τὴν ἄβυσσον [*in abyssum*] vel πέραν τῆς ἀβύσσου [*ultra abyssum*]. Nam Hellenistis ἄβυσσος [*abyssus*] sæpe est *mare magnum*, ut & Syrachidæ 16. 18. Sed quia ea vox omne *quod profundum est* significat, inde hac voce uti maluit Paulus ut eam ad sedem mortuorum transferret. Vide quæ diximus ad Lucam 8. 31. In proverbialibus autem istis locutionibus etiamsi vox nulla occurreret ambigua, mutatio talis nihil habet mali, dum semper maneat sensus idem, ut hic significandæ difficultatis. Sic alii dicunt, *Facilius camelum transmittas per foramen acûs*, alii elephantem. Ἄβυσσον, τὰ ἀνεξιχνίαστα [*Abyssum, impervestigabilia*] dixit Clemens in epistola ad Corinthios. ¶ Τουτέστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν. *hoc est Christum à mortuis revocare*] *Illud perinde est quasi dicas; Quis ad loca infima ibit ut inde Christum corpore sepultum, animâ in loco quem Deus novit custoditum, recompositum in vitam restituat?* Nec de hoc quidem opus nos laborare. Deus & hoc pro nobis effecit.

8. Ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου. *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo*] Sunt ipsa verba Lxx Senum, nisi quod ibi additur σφόδρα [*valde*]. Sensus in Mose est, Nihil aliud opus quàm Legem quotidie legi ac animo retineri. ¶ Τουτέστι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως, *hoc est verbum fidei*] Τουτέστι [*hoc est*] rursum est explicatio ὑπονοίας [*sensûs absconditi*]. Hoc quod esse tam facile verè dici potest, est Euangelium, quod ῥῆμα Θεοῦ [*verbum Dei*] infra v. 17. E phes. 2. 17. Hebr. 6. 5. & 11. 3. ῥῆμα verò πίστεως [*verbum fidei*], quomodo ἀκοὴ πίστεως [*auditus fidei*] Gal. 3. 2. 5. λόγος πίστεως [*verbum fidei*] 1 Tim. 4. 6. id est, *id verbum quod per fidem recipitur.* ¶ Ὃ κηρύσσομεν· *quod prædicamus*] Quod ego & Apostoli alii docemus & Judæos & Gentes. ¶ Ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου Κύριον Ἰησοῦν, *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum*] *Si ore fatearis Jesum esse Dominum tuum. Oris* fecit mentionem quia *os* nominatur à Mose. Alioqui συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*] omnes corporis partes intelligit; nam sicut *negant* quidam *Deum factis*, Tit. 1. 16. ita alii factis Jesum Dominum agnoscunt.

9. Καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, *& in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis*] Facta enim non æstimat Deus, ut ea in æternum remuneretur nisi quæ ex corde mundato proficiscuntur. Mundatur autem cor per fidem, & eam maximè quâ creditur Jesus à Deo resuscitatus, in hoc scilicet ut & præcepta ejus noscamus esse Divina, & promissa certa, tum propter auctoritatem ei datam, tum propter vitæ redditæ conspicuum exemplum. Duo quæ hîc habemus, *confiteri & credere*, habes & 1 Joh. 4. 15. & 5. 1. Pietatem illam quam Deus amat, non esse rem difficilem agnoscit & Philo libro de Sacrificantibus, Αἰτεῖται γάρ, φησιν, ὦ διάνοια, παρὰ σοῦ ὁ Θεὸς οὐδὲν βαρὺ καὶ ποικίλον ἢ δύσεργον, ἀλλ᾽ ἁπλοῦν μάλα καὶ ῥᾴδιον· ταῦτα δέ ἐστιν, ἀγαπᾷν αὐτὸν ὡς εὐεργέτην [*Nihil enim, inquit, ô anime, grave, nihil multiplex aut arduum Deus à te exigit, nihil quod non & simplicissimum sit & perfacile: exigit autem hoc, ut eum tanquam boni omnis auctorem diligas*]. Chrysostomus, Γνώμης μόνης δεῖ ταῦτα καὶ πίστεως, οὐ πόνων καὶ ἱδρώτων [*Alacritate & fide non labore aut sudore opus est*]. ¶ Σωθήσῃ, *salvus eris*] *Ad vitam æternam pervenies.*

10. Καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, *Corde enim creditur ad justitiam*] *Per fidem acquiritur cordis justitia*, ut sæpe diximus. ¶ Στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν. *ore autem confessio fit ad salutem*] Est hîc similis Synecdoche, qualem jam notavimus. Nam qui in professione solida Christianismi perseverat, is servatur.

11. Λέγει γὰρ γραφή· Πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται. *Dicit enim Scriptura, Omnis qui credit in illum non confundetur*] Loco citato fine capitis quod præcessit. Et ibi & hîc sumit verba Esaiæ in sensu mystico & excellentiore. Ibi est, ἐπ᾽ αὐτῷ [*In illo*], hîc ἐπ᾽ αὐτόν [*in illum*] sensu pari: in Hebræo id subauditur.

12. Οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος. *Non enim est distinctio Judæi & Græci*] Omnes qui intus recti sunt, Deo placent. Tales autem nunc sunt multi ex Gentibus, ut apparet ex vitæ sanctitate, malorum patientia, donis Spiritûs. Vide supra 2. 14. ¶ Ὁ γὰρ αὐτὸς Κύριος πάντων, *nam idem Dominus omnium*] Κύριος [*Dominus*] hoc loco valet אדני [*Adonai*] pro quo dixit Θεὸς [*Deus*] supra 3. 29. ¶ Πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν. *dives in omnes qui invocant illum*] πλουτῶν [*dives*], nempe χάριτι [*gratiâ*]. Sic πλοῦτος χάριτος [*divitiæ gratiæ*] dicitur Ephes. 1. 7. *Abundans bonitate in omnes.* Vide supra 2. 4. & 9. 23.

13. Πᾶς γὰρ ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται. *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*,] *Qui invocaverit*, toto nempe animo, *servabitur*, intellige hîc in sensu mystico, cujus arrha futura erat liberatio ab excidio Hierosolymorum. Vide Actor. 2. 21. & ibi dicta.

14. 15. Πῶς οὖν ἐπικαλέσονται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; πῶς δὲ πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος; πῶς δὲ κηρύξουσιν ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; καθὼς γέγραπται· Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem*] Hæc omnia verba continent objectionem ad dicta Apostoli. Est autem objectio talis; Apostoli non pervenere in loca omnia in quibus sunt Judæi, putà in remota Syriæ & Ægypti: ubi non fuere, non prædicarunt verbum Euangelii: ubi prædicatum non est, auditum non est: ubi auditum non est, credi non potuit. At cur huc venerint, illuc non venerint, pendet à Deo dirigente, quod hîc dicitur *mittere*, ut & Jerem. 1. 7. cujus missionis nobis divino monitu factæ exempla habet Actor. 13. 2. & 16. 6, 7, 8, 9. & 20. 22. & 22. 21. Videtur ergo, dicit is qui objicit, adhuc causa in Deo esse cur multi Judæi æternùm pereant, si ita est, ut ais, ut sine justitia interna nemo salutem æternam adipisci possit, neque hoc tempore justitiam talem adipisci sine fide in Jesum, quæ fides auditum requirit, auditus prædicationem, prædicatio missionem, id est, *directionem divinam.* Si vera essent quæ dicuntur, non carituram sua ratione hanc excusationem discimus Johan. 15. 22. Ad illud, πῶς δὲ κηρύξουσιν [*quomodo verò prædicabunt*] subintelligendum more Hebræo οἱ κήρυκες [*prædicatores*], qui iidem εὐαγγελιζόμενοι [*euangelizantes*]: nam εὐαγγελίζεσθαι [*euangelizare*] etiam deponentaliter ponitur, ut Luc. 2. 10. & 3. 18. & 4. 18. & 8. 1. & 9. 6. Actor. 5. 42. & 8. 4, 12, 40. & 10. 36. & 11. 32. & 14. 7, 15, 21. & 15. 35. & 17. 18. Locus ille qui objectioni firmandæ adhibetur est ex Esai. 52. 7. ubi in Hebræo, *Quàm pulchri super montes sunt pedes ejus qui euangelizat, id est, audire facit pacem, qui euangelizat bonum.* In Græco Lxx legitur, ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά [*sicut hora super montes, sicut pedes euangelizantis auditum pacis, sicut euangelizans bona*]. Sed ex Hebræo simul & hoc Pauli loco apparet legendum, Ὡς ὡραῖοι ἐπὶ τῶν ὀρέων οἱ πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, οἱ εὐαγγελιζομένου ἀγαθά [*quàm speciosi super montes pedes euangelizantis auditum pacis, euangelizantis bona*]. Diximus autem sensu priore dici hæc de Jeremia, sed ita tamen ut etiam veteres Judæi intellexerint hæc eminentiùs convenire in tempora Messiæ. Probat ergo is qui objectionem hanc facit, æquum fuisse ut ex hoc vaticinio Apostoli à Deo dirigerentur in omnia loca in quibus viverent Judæi, quod factum non erat, cùm interim ad multos alienigenas pervenissent, iisque prædicassent Apostoli.

16. Ἀλλ᾽ οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ. *Sed non omnes obedierunt Euangelio*] Respondet Paulus duplici modo, Primùm illos non posse excusatione hac uti quibus adfuissent Apostoli & qui Euangelio prædicato tantis cum miraculis bene audito non paruerant, qui erant valde multi, ut ex Actis apparet. Ὑπακούειν εὐαγγελίῳ [*obedire Euangelio*] aut τῷ λόγῳ Θεοῦ [*verbo Dei*] dicuntur qui se parant ad eam vitam quam præscribit Euangelium, ut 2 Thess. 1. 8. & 3. 14. Hinc ὑπακοὴ πίστεως [*obedientia fidei*], id est, *ex fide*, supra 1. 5. ut ibi diximus: ὑπακοὴ τῆς ἀληθείας [*obedientia veritatis*] 1 Petr. 1. 22. ¶ Ἡσαΐας γὰρ λέγει. *Esaias enim dicit*] *Idem ille Esaias*, cujus verbis usus est qui objectionem fecit, *hoc quoque prædixit*, in sensu scilicet abstrusiore, quo sensu hæc verba adducit & Johan. 12. 38. ¶ Κύριε τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; *Domine quis credidit auditui nostro?*] Quasi diceret *pauci*. Quod Jeremiæ tempore evenerat, iterum erat eventurum paribus de causis. Ἀκοὴ [*auditus*] hîc Hellenistico more, ut שמועה apud Hebræos est *sermo qui auditur*, ut Matth. 4. 24. & 14. 1. & 24. 6. Marci 1. 28.

17. Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς· *Ergo fides ex auditu*] Veniens ad alteram responsionis partem concedit quod sumptum erat, *fidem non esse nisi ex auditu.* ἄρα hîc valet *sanè.* Notant Scholiastæ

sumi pro ὡς ἔοικε [*ut videtur*] & apud Hesiodum & apud Apollonium. ¶ Ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ. *auditus autem per verbum Dei*] *Auditus ille est verbi Divini*, id est, verbi à Deo missi. Etiam hoc concedit.

18. Ἀλλὰ λέγω, μὴ οὐκ ἤκουσαν; *Sed dico, Numquid non audierunt?*] Sed hoc concesso, inquit, quæro *an illi*, quos excusatum is, *omnino nihil de Euangelio audierint*. Id negare vult Paulus, & rem simili illustrat. ¶ Μενοῦνγε, *& quidem*] *At enim.* ¶ Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*] Lxx Interpretes in Hebræo legisse קולם [*vox eorum*] pro קום [*linea eorum*] diximus ad Psalmi locum. Cœlum astriferum uno in loco est; & tamen *ejus vox & verba* ubique locorum audiuntur, id est, vis ejus intelligitur. Pari modo cùm Apostoli in illustrioribus urbibus fuerint, ibique & prædicaverint & miracula fecerint, ut Hierosolymis, Cæsareæ, Joppæ, Antiochiæ, Ephesi, Corinthi, Thessalonicæ, inde fama rerum tantarum pervenit ad omnes terras in quibus habitabant Judæi, idque sufficit. Sic Agrippam negat Paulus ignarum esse posse eorum quæ ab Jesu gesta erant, quia scilicet illa non in angulo aliquo, sed in locis illustribus contigissent, Actor. 26. 26. Hanc esse causam diximus cur Apostoli non permissi sint in Asiam ire, quia ex Pisidiæ & Pamphyliæ urbibus fama satis clara illuc pervenire potuerat. In Latino φθόγγος αὐτῶν [*sonus eorum*] & ῥήματα αὐτῶν [*verba eorum*] refertur ad οὐρανοὺς [*cælos*], quod Hellenistæ pluraliter enunciant, ut Hebræi שמים, etiam ubi aut de solo aere, aut de solo astrifero cœlo mentio est. Simile est quod de Lege Mosis dixit Philo, Τῶν νόμων τὸ κλέος ὃς ἀπολέλοιπε διὰ πάσης τῆς οἰκουμένης πεφοιτηκός, ἄχρι καὶ τῶν τῆς γῆς τερμάτων ἔφθακεν [*Inclita fama legum quas reliquit posteris, totum orbem habitabilem pervagata, extremos ejus terminos attigit*]. Vide quæ de Romanorum fide supra dixit Paulus 1. 8 & Actor. 7. 6. & Coloss. 1. 6. Clemens de Paulo, δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον [*docuisse eum universum orbem justitiam*].

19. Ἀλλὰ λέγω· Μὴ οὐκ ἔγνω Ἰσραήλ; *Sed dico, Numquid Israel non cognovit?*] Ego nunc te vicissim interrogo: *An omnino dici possit ad aliquos Israelitas non pervenisse fama de Apostolis.* Dicere vult Paulus id planè probabiliter dici non posse. Itaque in ipsis hærere culpam, quæ etiam in mystico sensu prædicta à Mose & Prophetis. ¶ Πρῶτος Μωσῆς λέγει· *Primus Moses dicit*] Moses qui cæteros Prophetas tempore præcedit, hoc dicit, ¶ Ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς. *Ego ad æmulationem vos adducam in non Gentem: in Gentem insipientem, in iram vos mittam*] Sumpta hæc ex versione Lxx Senum Deut. 32. 21. nisi quod ibi bis αὐτοὺς [*illos*], ubi hic ὑμᾶς [*vos*], sensu eodem: apparet enim de Israelitis agi. *Gens non gens* κατ' ὀξύμωρον [*per acutifatuum*] ibi Philistini, hic omnes qui malas habuerant leges & circa idola insaniverant. Vera enim sapientia est Dei cognitio, Deut. 4. 6. Ibi Deus *ad æmulationem & iram excitavit* Israëlitas, victorias largiendo Philistinis: hîc verò dona Spiritûs sui dando illis quos populorum nomine indignos credebant Israëlitæ.

20. Ἠσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ, καὶ λέγει· *Esaias autem audet, & dicit*] Id est, ἀποτολμῶν [*audens*] sive παρρησιάζων λέγει [*licentiam usurpans inquit*]. Verbo ἀποτολμᾶν utitur & Plutarchus. ¶ Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι. *Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant*] In Græco Esaiæ 65. 1. ordine inverso, ἐμφανὴς ἐγενήθην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν, εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν] *manifestus factus sum non interrogantibus me, inventus sum à non quærentibus me*]. Diximus ad eum locum Interpretes Lxx legisse נמצאתי [*inventus sum*] & agi primo sensu de iis qui præter spem liberati sunt Antiochi temporibus. ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι, id est, *me non consulentibus*. Optimè autem id aptatur tot populis quibus advenit Euangelium, cùm nihil de Deo Deive cultu cogitarent, quod ingens beneficium sæpe ac meritò prædicant Apostoli. Non abludit hinc illud Philonis, libro Deum esse immutabilem, Συμβαίνει δὲ πολλάκις τοῖς μὲν ἐπιπόνως ζητοῦσιν ἀποτυγχάνειν τοῦ ζητουμένου, τοῖς δ' ἄνευ φροντίδος ῥᾷστα καὶ ἃ μὴ διενοήθησαν εὑρίσκειν *Siquidem sæpe usu venit ut alii magno labore quæsita non inveniant; alii sine cura & negotio ea etiam inveniant, de quibus nec cogitarant*]. Vide & supra 9. 30.

21. Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει· *Ad Israël autem dicit*] *Deus* scilicet, quod sæpe etiam in Prophetis subauditur. Πρὸς hîc valet *adversus*. Israëlem enim accusat Deus, non eum alloquens, sed de eo loquens. ¶ Ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα. *Tota die pandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem*] Sunt ipsa verba, quanquam sine ullo sensûs detrimento transposita, Lxx Interpretum; sequentia paucis vocibus interpositis illa ipsa Esaiæ quæ jam habuimus. Respiciunt autem hæc illos Judæos qui Antiochi partes erant secuti. Si tunc tales esse potuere in Judæis, quid mirum si & nunc tales inveniantur? Ἐκπετάννύειν, פרש est *obviis ulnis advocare*. Ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα [*Non credentem & contradicentem*], *populum non modo non obedientem, sed & contumaciter se opponentem jussis*. Duobus enim verbis Lxx Senes vertendum putavere סורר quod & per ἀφίστασθαι *deficere*] & per παραφρονεῖν [*desipere*] vertitur. Et vocem ἀντιλέγων [*contradicens*] apud nostros non de verbis tantùm, sed & de rebus usurpari diximus ad Lucam 2. 34.

CAP. XI.

VALLA.

11. SED *illorum delicto salus Gentibus est, ut illos æmulentur*] Qui æmulentur? an Israelitæ æmulentur Gentes? Atqui dicendum erat *illas*, quod fieri nequit, quia Græcè est *illos*, sive *eos*: nam *gentes* est generis neutri. An Gentes æmulentur Israelitas? At hoc indignum est. Ego accipio, i. sic interpretandum fuisse puto, *ut adduceret eos ad æmulationem*, h. e. *Deus*: nam Græcè est infinitivum, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. Quod infinitivum incommodè transfertur per gerundium, quo Græci carent, transferturque sic ad verbum, *ad deducendum eos in æmulationem*. Quæ sententia congruit cum illa superiori, 10. 19. *ad æmulationem vos adducam*, παραζηλώσω & cum sequenti paulò pòst, ver. 14. *Si quo modo provocem carnem meam ad æmulandum*, παραζηλώσω. *Carnem suam* vocat Israelitas, qui sunt ex eodem progenitore Abraham.

16. *Quod si delibatio sancta, & massa*] Quòd hîc *delibationem*, sæpius alibi *primitias* vocat: ut ibi suprà 8. 23. *Sed & ipsi primitias Spiritûs habentes*, ἀπαρχήν. Et quod nunc *massam*, alibi *conspersionem*, ut ibi, *Ut sitis nova conspersio*, φύραμα, 1 Cor. 5. 7. Nec propriè puto nunc dici *massam*, quod nomen ad multa generale est, quódque haud scio an huic loco conveniat. *Conspersio* autem propriè significat farinam cum aqua, sive farinam & aquam invicem conspersa: quæ est Græci verbi significatio.

17. *Tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis*] *Proinsitus* dixit Interpres contra rationem *insertus*, ἐνεκεντρίσθης.

20. *Noli altum sapere, sed time*] Usitatius & magis proprium est *sentire* quàm *sapere* juxta Græci verbi sensum: est enim unum, ὑψηλοφρόνει. Veteres sic exprimebant, *tollere spiritus*, h. e. de se magnificè sentire.

25. *Ut non sitis vobisipsis sapientes*] Gr. *apud vos ipsos prudentes*, παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι, i. nè de vobis plus æquo sentiatis. Quod probat alter locus paulò post sequens, eisdem quibus nunc ego transfero verbis, c. 12. 16.

31. *Ita & isti nunc crediderunt in vestram misericordiam*] Gr. *vestra misericordia*, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει.

32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*] Legendum est *omnes*, non *omnia*, τοὺς πάντας.

33. *Et investigabiles viæ ejus*] Puto legendum cum negatione, *ininvestigabiles viæ ejus*, ἀνεξιχνίαστοι, quòd videlicet nequeant investigari, i. per vestigia inveniri. Nam *vestigare* est per vestigia quærere: nisi hoc velimus intelligere, quòd *nec inquiri viæ Dei possint*.

34. *Quis enim cognovit sensum Domini?*] Mallem ego dicere *mentem Domini*, νοῦν.

36. *Quoniam ex ipso, & in ipso sunt omnia*] Gr. *in ipsum*, καὶ εἰς αὐτόν etsi nonnunquam accusativus hujusmodi apud Græcos habet vim dativi, qui est instar ablativi apud nos, tamen magis puto significari *in quem* quàm *in quo omnia*. Ut sit idem *unde omnia* & *per quem omnia* & *in quem omnia*, quasi idem sit principium, medium & finis rerum omnium.

REVIUS in VALLAM.

11. INcommodè *transfertur*] Puto autorem scripsisse *commodè*, vel *non incommodè*. ¶ Παραζηλώσω posterius loco motum erat: ut &

25. Παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι. &

33. Ἀνεξιχνίαστοι. ¶ *Nam vestigare est per vestigia quærere*,

re, &c.] Hoc vult, Si sensus sit, *ne vestigari*, i. inquiri, *quidem vias Domini posse*, rectè legi *investigabiles*; sin *non posse eas inveniri*, legendum videri *ininvestigabiles*. Certè & Hieronymus citat *investigabiles* Adv. Pelagianos. to. 2. p. 275. in Jes. 5. p. 25 sed Epitaphio Paulæ alteram lectionem habet. Aug. etiam *investigabiles* legit, De peccatorum meritis, p. 667 contra duas ep. Pelag. l. 4 p. 921. at in Psal. 138. p. 921. *ininvestigabiles*: quomodo & edit. est in Hilario De Trin. l. 8. Quòd si rectè habent verba Hieron. in versione Eusebiana ad ann. DCCXXXVII *propter investigabilem fugam*, facilè mihi persuaderi patiar ità ubique apud eum legendum. Vide Scaligerum ad illum locum, qui & & in Glossis effert, Ἀνεξιχνίαστος, *investigabilis*. Quod verò Erasmus ait considerandum esse an apud Græcos eadem sit differentia inter ἐρευνᾶν & ἐξερευνᾶν quæ Latinis est inter *vestigare*, *investigare* & *pervestigare*, id hic est ἀπροσδιόνυσον, cùm *investigabiles* non respondeat voci ἀνεξερεύνητα sed ἀνεξιχνίαστοι.

36. Καὶ εἰς αὐτόν] Loco suo exciderat. Ibidem pro *in quem omnia* scriptum erat *in quo*, directè contra mentem autoris.

ERASMUS.

1. D*Ico ergò Numquid Deus*] Græcis tantùm est Μὴ, *Num*. Seipsum interrogat, ac sibi respondet: quo schematis genere scatet omnis Pauli sermo. Plurimum autem lucis & acrimoniæ adducit, præsertim in argumentando. Quidam appellant *Ratiocinationem*.

2. *Quam præscivit*] Προέγνω. Illud admonendum hoc loco, Verbum γνῶναι apud Græcos non semper significare *scire* sive *cognoscere*, sed aliquoties *cernere* sive *judicare*: unde & γνῶμαι dictæ sunt. Et apud Latinos legimus, *populus scivit*, & *scita populi*. Quanquam plus aliquid indicare videtur προορίζειν quàm προγνῶναι, quod posterius pertineat ad animi decretum, quod integrum est cuique mutare; prius illud ad certam sententiæ pronunciationem, quam rescindere non sit integrum. Unde nec Lyranus veretur exponere hoc loco *præscivit*, *prædestinavit*: atque ità sanè interpretatur August. l. 2. De bono perseverantiæ, c. 18. Nos maluimus vertere, *Quos ante cognovit*, juxta proprietatem Scripturæ Divinæ, quâ Deus *cognoscere* dicitur quibus favet quósque amplectitur, ut & superiùs admonuimus ex Origenis sententia. Nec enim consentaneum est quòd Deus populum rejecit, quem antè sic adamavit & veluti peculiarem complexus est. Chrysostomus putat additum ὃν προέγνω propter electos ex Judæis: Inter quos commemorat seipsum, &, nè solus videatur, subjicit & de *septem millibus virorum*. Non enim simpliciter dixit *populum suum*, sed *populum suum quem antè cognovit*. Cæterùm præpositio πρὸ referri potest ad æternam illam Prædestinationem quæ fuit antequam Judæorum populus nasceretur, aut ad Gentes posteriùs vocatas ad Euangelii gratiam, juxta illud Euangelicum, *Erunt novissimi primi*, *& primi novissimi*. ¶ *Quemadmodum interpellat*] Ambrosius legit *postulat*. Græcè est ὡς ἐντυγχάνει.

3. *Suffoderunt*] Κατέσκαψαν quod significat aliquando *subruerunt*, sive *subverterunt*.

4. *Divinum responsum*] Χρηματισμὸς, i. *oraculum*. Quod explicuit Interpres περιφράσει ¶ *Curvarunt genua*] *Genu* est Græcis. Et *Baal* dativus est sine præpositione *ante*, quam addunt Latini: & τῇ Βάαλ, ut intelligas *imaginem*, non ipsum *hominem*. Nam *præfectum* & *idolum* Hebræis sonat בעל: unde BEELPHEGOR, *idolum cadaveris*; BEELZEBUB, *muscarum idolum*.

5. *Salva facta sunt*] Γέγονεν, i. *Facta sunt*. *Salva* redundat; sicut & *Dei* superest. Tantùm est, οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν, *Sic & hoc in tempore reliquiæ juxta electionem gratiæ sunt*. Non enim illud agit hoc loco Paulus, Cujus sit gratia, sed Gratiam opponit operibus Legalibus, & Electionem opponit Generis affinitati. Et tamen haud scio, qui factum sit ut in Expositione Origenica legatur *salva facta sunt jam*; etiamsi *Dei* non additur. Quanquam admonui interpretem in illis Commentariis sibi multum juris sumpsisse. Certè nec apud Chrysostomum nec apud Theophylactum adduntur. Nec mirum si qui inter enarrandum meminerunt de *his qui servati sunt*, cùm hîc *reliquias juxta electionem gratiæ* Paulus appellat illos, qui ex Judæorum populo prædestinati fuerant ad salutem. Unde probabile est ea quæ nos dicimus superesse à studioso quopiam adjecta, quò sermonem redderet explanatiorem. Denique dum excutio Commentarium Origenis, deprehendo illum legisse quemadmodum legit Chrysostomus. Sic enim loquutur, Pauli sermonem referens, *Sed quod dicit*, *secundùm gratiam factas esse reliquias*, *hîc mihi videtur superflua esse Electionis adjectio*. Hic resedit germana lectio, utcunque cætera mutarit lector. Nam in primo contextu addidit etiam *Dei*, cùm in exponendo non addatur. Multa depravavit in vetustis autoribus illorum sedulitas qui juxta Vulgatam editionem emendarunt citata Scripturæ testimonia.

6. *Si autem gratiâ*] Εἰ δὲ χάριτι. *Gratiâ* ablativus est, non nominativus ¶ *Alioqui*] Ἐπεὶ i. *quoniam*, sive *quandoquidem*. Tametsi rectè ac dilucidè vertit Interpres. Subauditur apud Græcos εἰ δὲ μὴ, ut mox indicabimus, ¶ *Gratia jam non est gratia*] Græci codices aliquantò plus habent hoc loco quàm nostri. Repetunt enim, *In operibus quæ non sint opera*: quod nostri de gratia tantùm pronunciant ad hunc modum, Εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων· ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις. Εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις· ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον, *Quod si per gratiam*, *non jam ex operibus*; *quandoquidem gratia jam est gratia*: *sin vero ex operibus*, *jam non est gratia*; *quandoquidem opus jam non est opus*. Atque ità sanè legit atque etiam interpretatur Theophylactus. Verùm quoniam hanc additionem non reperio apud Origenem, nonnihil addubito num ea sit germana lectio, præsertim cùm Chrysostomus hunc enarrans locum tantùm legat, Εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων· ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις· nec addit his quicquam. Præterea partes sermonis videntur inversæ, hoc ordine potiùs digerendæ, *Quod si per gratiam*, *jam non ex operibus*; *quandoquidem opus jam non est opus*: *sin ex operibus*, *jam non ex gratia*; *quandoquidem gratia*, *jam non est gratia*. Nisi in ἐπεὶ subest tacita exceptio, ut & aliàs hâc voce usus est Paulus. Ità sensus erat, *Si gratiâ*, *non igitur ex operibus*: *quod ni esset*, *gratia non esset gratia*, h. e. falsò diceretur *gratia*. Atque ut Latinæ lectioni magis faveam, facit quod Paulus non hic agit, An opus sit opus, sed Gratiam astruit, quam Judæi conabantur expellere. Et tamen Aldina editio, quin & Hispaniensis, consentit cum eo quod nos repetimus in Græcorum exemplaribus.

8. *Sicut scriptum est*] Incertum an hæc particula referatur ad superiora, an ad ea quæ sequuntur. Origenes fatetur sibi nusquam lectum in libris Divinis, *Dedit eis spiritum compunctionis*. Sic autem excusat, ut Paulum accipiamus Esaiæ sententiam verbis explicantem, & nonnihil de suo addentem. Id probabilius facit quod in fine adjecit, *usque in hodiernum diem*. Nam summa sententiæ est apud Esaiam c. 6. *Auditu audite*, *& nolite intelligere*; *& videte visu*, *& nolite cognoscere*: *excæca cor populi hujus*, *& aures ejus aggrava*, *& oculos ejus claude*, *ne forte videat oculis suis*, *& auribus audiat*, *& corde intelligat*, *& convertatur & sanetur*. Citatur hic locus & in Actis Apostolorum c. 28. sed juxta translationem LXX, qui sic interpretati sunt ut Dominus prædicat illorum cæcitatem, non ut imperet, *Aure audietis*, *& non intelligetis*; *& videntes videbitis*, *& non perspicietis*. *Incrassatum est enim cor populi hujus*, *& auribus graviter audierunt*, *& oculos suos compresserunt*, *ne forte videant oculis suis*, *& auribus audiant*, *& corde intelligant*, *& convertant se*, *& sanem illos*. Quo quidem in loco Hieronymus edisserens Esaiam sic excusat Lucam qui referat *Paulum cum Hebræis disserentem*, *non juxta Hebraicum*, *quod rectum esse cognoverat*, *sed juxta* LXX producere testimonia, quòd *magis Græcas literas scivisset quàm Hebræas*; *unde sermonem hujus esse comptiorem ac secularem redolere eloquentiam*. ¶ *Spiritum compunctionis*] Κατανύξεως, quod significat cùm aliquis *mordetur & pungitur dolore*: unde superiùs dixit παραζηλώσω.

9. *Fiat mensa eorum in laqueum*] Locus quem adducit extat Psalmo 69. Nec hic quidem Paulus curavit Prophetæ testimonium ad verbum adducere. Primùm enim omisit *coram ipsis*: deinde addidit *& in captionem*, quod nec apud Hebræos habetur, nec apud LXX. quod ante nos indicavit Origenes. ¶ *In captionem*] Captio non est hîc decipula propriè, unde captiosos dicimus, sed pro venatu positum est, quo capimus feras: quasi dicas, capiantur suâ mensâ quâ laxare animum debebant: non enim timemus hostem inter epulas. Est autem Græcè, θήραν.

11. *Numquid sic offenderunt ut caderent?*] Μὴ ἔπταισαν ἵνα πέσωσι; i. *Num lapsi sunt ut conciderent*, sive *ut caderent*, nimirum in terram? Nam πταίειν propriè est *impingere ad quippiam*: ac *labi* levius est quàm *cadere*: quemadmodum & *impingere* potest qui non planè concidat. Interpres de suo addidit *sic*, *Numquid sic offenderunt ut caderent?* Et probarem additum si hoc loco *sic* adverbium positum ut respondeat *adeo*; veluti cum dicimus, *Sic me odit ut nec salutet*; *adeo metuit ut loqui non possit*. Atqui Græca vox ἵνα Finem magis significat, diversæ naturæ ab ea quæ est ὡς aut ὥστε, cujus varia vis est, quemadmodum apud

apud nos *ut*. At Theodorus Gaza referet ἵνα inter conjunctiones Causales, nec indicat aliter accipi, cùm tamen diligenter indicet usum illius. Nec enim huc pertinet quòd ἵνα nonnunquam est adverbium Loci. Non potest igitur hic accipi sensus, *Num adeò impegerunt* (sive *offenderunt*) *ut ceciderint?* Igitur ἵνα referendum videtur ad *Deum*; *Num ideo Deus passus est Judæos labi ut in totum conciderent? Non; sed ut ad tempus locum faciant Gentibus, & iidem rursum Gentium pietate provocati resipiscant & serventur.* Et huic sensui pulcrè congruit quod sequitur, *Absit; sed illorum delicto salus est Gentibus* totusque sermo sequens non loquitur de magnitudine lapsûs, sed de eventu. Nec aliter exponit Chrysostomus, qui *Judæorum malitiam* Euangelio repugnantium annotat *Paulum exaggerasse testimoniis Prophetarum, consolationem suo nomine proposuisse. Ergò dubitandum non est quin gravissimè impegerint, sed eventu consolatur illos. Quæ est igitur* inquit, *consolatio? Cùm plenitudo, inquit, Gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit.* Hactenus ille. Itaque Judæorum lapsum Deus vertit in bonum Gentium, quarum æmulatione sint ad salutem aliquando provocandi Judæi. Nec aliud adfert Theophylactus, nec Origenes, nisi quòd *sic* additum est à scribis eruditulis; nec aliud Ambrosius: de eventu loquuntur omnes, non de magnitudine lapsûs; nisi quòd Origenis interpres admiscet quædam de levioribus peccatis, cùm hic Paulus totâ Epistolâ exaggeret incredulitatis crimen. Unde πέσωσιν interpretantur *insanabiliter peccaverint*, aut *sine spe reparationis conciderunt*, *quemadmodum concidit Lucifer.* Quoniam autem Prophetarum verba videbantur immedicabile malum indicare Paulus mitigat eam acerbitatem, ostendens peccatum quidem esse gravissimum, sed tamen non ideo totius populi spem esse sublatam: λέγω οὖν. Origenes in ordine sermonis non obscurè declarat germanam lectionem, *Ipsum*, inquiens. *Israelis lapsum dicit talem fuisse non ut illi caderent, sed ut delicto suo salutem Gentibus darent.* Similiter Augustinus in Sententiis quas annotavit in hanc Epistolam, fatetur peccati magnitudinem, sed indicat pessimæ rei bonum eventum. Ejus verba sic habent, *Ergò numquid deliquerunt ut caderent? Absit; sed illorum delicto salus est Gentibus. Non ideo dicit, quia non ceciderunt, sed quia casus ipsorum non fuit inanis, quoniam ad salutem Gentium profecit, Non ergo ita deliquerunt ut caderent; id est, ut tantummodo caderent, quasi ad pœnam suam solum; sed ut hoc ipsum quod ceciderunt prodesset Gentibus ad salutem.* Hæc ille: in quibus perspicuum est quòd non addidit *sic*: quod tamen erat tolerabile, si non de atrocitate lapsûs sed de modo & eventu accipiatur. Jam sæpius admonuimus ex veterum autoritate, hujusmodi conjunctiones Finales interdum ad eventum pertinere potiùs quàm ad finem sive destinationem. Verbum *offenderunt* eleganter quidem usurpatum est ab Interprete. Cæterùm *offendere* dicitur & qui lædit. Augustinus explicans Quæstiones aliquot hujus epistolæ, pro *offenderunt* legit *deliquerunt*. Ac prorsus rectè dixeris πταῖσμα *lapsum*, sive *delictum*; at non item *delinquere* pro *impingere*. ¶ *Illorum delicto*] Τῷ αὐτῶν παραπτώματι, i. *per illorum lapsum*, potiùs quàm *delictum*. Respexit enim ad id quod modò dixit, Judæos *impegisse*: παράπτωμα enim propriè est cùm quis *per negligentiam labitur*, à πίπτω, quod est *cado*. ¶ *Ut illos æmulentur*] Εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. Quod rectiùs verti poterat, *ad provocandum eos*: ut ad *Deum* referatur actus verbi, qui isto modo voluerit *exstimulare Judæos invidentiâ quadam ac zelotypiâ*, cùm viderent quod ipsis erat promissum in Gentes esse translatum. Unde nos, quò sermonis ambiguitatem excluderemus, vertimus, *ut eos ad æmulandum provocaret*. Neque quicquam erat opus quadriga interpretationum quam in hunc locum invexit Thomas Aquinas, nè sic quidem germanam attingens sententiam: quod haudquaquam illi sed Interpreti imputandum est. Quis enim Græcè ignarus ex his verbis percipiat quid senserit Paulus? Sic & paulò pòst Paulus usus est hoc verbo, εἴ πως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα. Ex proximo capite, ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει. Quo tamen verbo alias usi sunt interpretes in malam partem quemadmodum Psal. 78. καὶ ἐν τοῖς γλυπτοῖς αὐτῶν παρεζήλωσαν αὐτόν. Porrò quidam accommodat verbum παζηλῶσαι ad *Judæos*, ut αὐτοὺς referatur ad *Gentes*. Neque quisquam interpres hoc sensit, neque ratio Græci sermonis patitur; sed hunc sensum maluit extorquere quàm non carpere nostram annotationem. Etiamsi non desunt qui verba interpretum huc detorquent, sed falsò: faciant illi quidem mentionem de Judæis æmulaturis fidem Gentium. At quid mirum, cùm παραζηλόω significet *ad invidiam & æmulandi studium irritare*? Ostendi loca aliquot in quibus παραζηλόω significat *provocare vel ad iram vel ad æmulandi studium*: proferant illi nobis unum ubi positum sit pro *æmulari*.

13. *Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus*] Ἐφ' ὅσον μὲν εἰμι. Origenes videtur ἐφ' ὅσον accipere pro *quamdiu*, ut subaudias χρόνον dubitátque utrùm accipiendum sit, *quamdiu sum in hac vita* & ad affectûs emphasim pertineat, quemadmodum vulgò dicimus, *Non deseram vos quoad vivam*: an Paulum post obitum etiam invisibilibus Apostolum futurum. Verùm quoniam id duriusculum est, malum ἐφ' ὅσον accipere pro *quatenus* sive *in quantum*. Atque ita videtur Theophylactus sensisse, quantum conjicere licet ex illius interpretatione. Græcus dicit eadem quæ Chrysostomus, qui planè interpretatur, Paulum ex delegato munere cogi ut aliquot Judæos provocet, atque ita servet. Sic enim provocatos servabit, si quàm plurimos è Gentibus pertrahat ad Euangelium. Neque enim de temporis modo loquitur, quasi mox abdicaturus Apostolicum munus, sed quandoquidem vocatus erat Apostolus Gentibus, annititur ut graviter obiens sibi commissam provinciam exornet & illustret eam. Nec Ambrosius quicquam meminit de tempore; tantùm de officio loquitur. Similiter quod est Matth. 25. *Quamdiu uni ex istis minimis fecistis*: ἐφ' ὅσον, meâ sententiâ, rectiùs vertisset *quatenus*, aut *in quantum*. ¶ *Honorificabo*] Δοξάζω i. *glorifico*: ità citante locum hunc Augustino locis compluscullis, nominatim lib. Adv. Faustum 9. c. 2. Faber Stapulensis mavult *existimo*. Quanquam haud scio an δοξάζω reperiatur apud Græcos pro *existimo*. Et probè quadrat sensus ut accipias Paulum celebrius reddere suum ministerium in Euangelio Gentium, ut æmulatione saltem provocaret Judæos ad Christum. Interpres Origenis vertit δοξάζω *illustro & exorno*, multis verbis in hanc edisserens sententiam.

15. *Amissio eorum*] Ἀποβολή, i. *abjectio*, sive *rejectio*: nam hanc opponit *assumptioni*. *Rejectio* pro *amissio* citat Augustinus lib. Adv. Faustum 9. c. 2. juxta fidem voluminis antiqui manu descripti. ¶ *Quæ assumptio*] Τίς ἡ πρόσληψις, i. *adjunctio*, *quâ quempiam nobis comitem asciscimus*, i adjungimus. Nam *assumptionem*, ut dixi, opposuit *rejectioni*.

16. *Quod si delibatio*] Ἀπαρχή, i. *primitiæ*. Theophylactus interpretatur ἀπαρχὴν, τὴν ζύμην, *fermentum*; ut *massa* respondeat *arbori*, *fermentum radici*. Mihi magis probatur ut ipsum frumentum intelligamus unde conspersio sumitur. Cæterum ex vitioso tritico non possis facere bonam conspersionem. *Primitias* autem dixit, quod laudatissima soleant dicari Numini: unde ἀκροθίνια vocantur, quasi *præcipua*. Porrò *conspersionem* non ad farinam humore temperatam referri puto, sed magis ad molas sive collyridas. Ea erat farina oleo conspersa, quæ olim juxta ritum Mosaicæ legis immolabantur: unde & *sanctum* vocat. Chrysostomus ἀπαρχὰς & ῥίζαν interpretatur Abraham reliquósque Patriarchas; *conspersionem* & *ramos*, illorum posteros. Et *oleaster* Græcis est ἀγριέλαιος, quod sonat *agrestem* (sive *silvestrem*) *oleam*; cui respondet καλλιέλαιος, quæ est *olea frugifera*.

17. *Insertus es*] Ἐνεκεντρίσθης, i. *insitus es*: quoties fisso arboris ramo inseritur surculus. Est enim hoc unum insitionis genus. Quanquam hic magis significare videtur *inoculationem*, cùm perterebrato quà se protulit gemma cortice inseritur stolo. ¶ *In illis*] Ἐν αὐτοῖς. Apertius erat *inter illos*, h. e. Insitio tibi dedit quod illis natura. Ridiculum est autem quod quidam interpretatur *in illis* pro eo quod erat *in locum illorum*. Cùm enim per *Oleam* intelligat populum Judæorum, nihil offendit numerus aut genus mutatum. Juxta sermonis Hebræi proprietatem præpositio frequenter additur otiosè, velut, *Confitetur in me*, *Confitebor in illo*, & *Percussit in gladio*. ¶ *Socius radicis*] Συγκοινωνὸς, i. *particeps*, aut potiùs *simul particeps*, sive *consors*; h.e. unà cum cæteris ramis quibus insitus es.

20. *Bene*] Separandum est, ut sit respondentis ad superiora, Καλῶς & approbantis quod sub persona ethnici dixerat: eáque pronunciantèr sunt legenda. Atque ità sanè distinguit Augustinus in Epistolis, hunc adducens locum. ¶ *Noli altum sapere*] Μὴ ὑψηλοφρόνει, i. *Ne superbias*, ne tibi placeas, nè efferaris animo. Siquidem hic *sapere* vocat affici animo, φρονεῖν. quod aliàs dicitur μέγα πνέειν. Nec enim hic agitur de Sapientia sive Stultitia, sed de Arrogantia & Modestia.

21. *Ne fortè nec tibi*] Μή πως. Aut omittenda erat expletiva conjunctio, aut vertenda erat *ne quà*, aut *ne quo modo* Nam *fortè* nihil facit ad hanc sententiam.

22. *Vide ergò*] In plerisque Græcis cod. habebatur Ἴδε, i. *Vide*. Quanquam hoc ad sensum nihil attinet. ¶ *Bonitatem & severitatem*] Τὴν χρηστότητα καὶ τὴν ἀποτομίαν. *Bonitas* est hæc quam antè vertimus *benignitatem*, D. Hieronymi secuti sententiam; quæ est quædam animi propensio ad bene merendum de quopiam; quam non ineptè vertisset *indulgentiam*: cui oppo-

opponit ἀποτομίαν, quæ ad verbum sonat *resectionem*: ea est quoties res ad vivum exigitur, quem & *rigorem* dicas licebit. ¶ [*Alioqui*] Rursum ἐπεὶ, i. *quandoquidem*: quod tamen rectè vertit Interpres.

24. *In bonam olivam*] Καλλιέλαιον. quæ contraria est ἀγριελαίῳ, i. *oleastro*, ut modò dictum est.

25. *Fratres, mysterium hoc*] Μυστήριον. Hoc loco *mysterium* nihil aliud sonat quàm *rem arcanam & paucis cognitam, neque communicandam nisi initiatis.* ¶ *Vobis ipsis sapientes*] Παρ' ἑαυτοῖς, i. *apud vos ipsos prudentes*: & Φρόνιμοι magis ad *affectum* refertur quàm ad *prudentiam*; *nè sitis insolentes, animique elatioris*: alioqui *sibi sapit* qui suis prospicit commodis.

26. *Impietatem*] Ἀσεβείας, i. *impietates*. Et *eripiat*, ὁ ῥυόμενος, i. *qui liberat*: q. d. *ille liberator*. Et *avertet*, non *avertat*, ἀποστρέψει, futuri temporis verbum. Testimonium enim adductum est Esa. 59. apud quem itá legimus juxta veritatem Hebraicam, *Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis gloriam ejus, cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit, & venerit Sion Redemptor, & qui redeunt ab iniquitate Jacob, dicit Dominus: hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus.* Juxta LXX ad hunc modum, Καὶ φοβηθήσονται οἱ ἀπὸ δυσμῶν τὸ ὄνομα Κυρίου, καὶ οἱ ἀπ' ἀνατολῶν τὸ ὄνομα τὸ ἔνδοξον. ἥξει γὰρ ὡς ποταμὸς βίαιος ἡ ὀργὴ παρὰ Κυρίου ἥξει μετὰ θυμοῦ, καὶ ἥξει ἕνεκα Σιὼν ὁ ῥυόμενος, καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ· καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, εἶπε Κύριος, i. *Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis nomen inclytum. Venit enim quasi fluvius violentus ira Domini: venit cum furore, & veniet de Sion qui liberet, & avertet impietates à Jacob: & hoc erit eis à me testamentum, dicit Dominus.* Ex quibus liquet Paulum hunc locum adduxisse juxta editionem LXX, nisi quòd de suo addidit, *cum abstulero peccata eorum*, quod nec apud Hebræos habetur, nec apud LXX, sed addidit velut explicans Prophetæ sensum, Nam διαθήκη, *testamentum*, Hebræis est *fœdus* & quod LXX verterunt *ex Sion*, Hebræis est *propinquus Sion.* Origenes indicat Hebræis esse *propter Sion.* Atque ità sanè scriptum est in editione LXX. Suspicor id librarii culpâ depravatum, cùm scriptum fuerit *prope Sion.* Hieronymus Græcè etiam interpretatur ἀγχιστεύς, i. *propinquus*: nisi quis probat, *propter* dictum esse pro *prope*. Præterea, quod apud Hieronymum refertur *ira Domini*, illis est ὀργὴ παρὰ Κυρίου.

27. *Et hoc illis à me testamentum*] Est quidem Græcè διαθήκη. Cæterùm indicavit hoc & Augustinus libro De locutionibus Geneseos primo, frequenter in arcanis literis pro *pacto* poni *testamentum*. Quanquam Græcis διαθήκη non dicta est à *testando*, sed ab *ordinando disponendóque*.

28. *Secundùm electionem autem, charissimi*] Ἀγαπητοὶ, i. *dilecti*: quam vocem tamen itá sæpe vertit. Porrò duo nominativi casus, *inimici* & *charissimi*, juxta ordinem Grammaticum non habent unde pendeant, nisi subaudias *sunt*: sed verisimilius est casûs rationem à Paulo fuisse neglectam: alioqui dicendum erat *charissimorum*, & *inimicorum*.

29. *Sine pœnitentia*] Ἀμεταμέλητα, i. *quorum non possit pœnitere eum qui dedit*, aut *qui promisit*, q. d. *impœnitibilia.* Augustinus alicubi legit *impœnitenda*. Ambrosius huc detorquet, ut dicat *in Baptismo gratis remitti peccatum, nec requiri luctum aut planctum, aut aliud opus bonum, sed tantùm ex corde professionem.* Quæ quidem interpretatio mihi videtur coactior, nec attingitur ab Origene. Thomas eam sententiam extremo tandem attingit loco, veluti non admodum probans.

30. *Propter incredulitatem illorum*] Τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, i. *per horum incredulitatem*, non *propter*. Nam *propter* Causam significat, *per* Instrumentum aut Modum: quod ad sensum attinet, haud magni refert.

31. *In vestram misericordiam*] Τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει *per vestri misericordiam*. Est enim similis dativus ei qui præcessit, τῇ τούτων ἀπειθείᾳ. Sensus enim est, Sicut illorum defectio vobis fecit aditum ad fidem, itá vestra fides quam miserante Deo estis consecuti, provocabit illos ut resipiscant séque dignos præbeant qui à Deo recipiantur. Ambrosius legit *in vestra miseratione*; quasi Græcè legisset, ἐν τῷ ὑμῶν ἐλέει quæ lectio si probaretur, nihil esset difficultatis. Sensus enim esset Gentibus per Dei misericordiam ad vitam vocatis, Judæos perstitisse in incredulitate. Et fortassis Interpres legit quemadmodum Ambrosius. Scio quosdam interpretari *in vestram misericordiam*, i. Christum. Thomas Aquinas trifariàm exponit, *In vestram misericordiam, i. in gratiam Christi: vel non crediderunt, ut per hoc venirent in vestram misericordiam: vel non crediderunt, quod in vestram misericordiam occasionaliter cessit.* Verùm inconsultis Græcis hujusmodi commenta proferre quid aliud est quàm divinare? Chrysostomus hanc particulam *in vestra misericordia* dissimulat. Theophylactus novum adfert commentum, quasi sic ordinet, οὕτως καὶ οὗτοι ἠπείθησαν, τῷ ὑμῶν ἐλέει ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι, i. *Sic & illi non crediderunt, ut vestrâ misericordiâ & ipsi misericordiam consequantur.* Sic enim habet commentum, *Sed vestra misericordia & horum erit; æmulabuntur enim vos.* Nec abhorret ab hoc Chrysostomi commentum, docens utrumque populum vicissim fuisse incredulum, ac vicissim ad gratiam vocatum. Gentibus enim persistentibus in incredulitate, Judæi vocati sunt ad Legem: mox Gentibus ad Euangelium vocatis, Judæi recesserunt perseverantes in incredulitate, sed denuo Gentium exemplo revocandi ab fidem. Ità vicibus quibusdam alteri per alteros servati sunt. Interpretes videntur illinc abhorruisse, nè dicerent Judæos occasione Gentium perstitisse in incredulitate, cùm contrà potiùs Judæorum incredulitas præbuerit occasionem ut Euangelium transierit ad Gentes. Cæterùm si meminerimus ἵνα hîc non sonare Finem aut Intentionem sed Consequentiam sive Eventum, & in cæteris Occasionem intelligi veriùs quàm Causam, non video cur hic sensus nos terreat quem sermo Græcus simplicissimè acceptus exprimit, qui contrariis inter se relatis constat. Gentium autem fidem vocat *misericordiam*, ne sibi placerent Judæis prælati. Nam Euangelii gratia Judæis quodammodo deberi videbatur, vel quia ipsis peculiariter promissa, vel propter observationem Legis & unius Dei cultum. Sic itaque loquitur, Ὥσπερ γὰρ ὑμεῖς ποτὲ ἠπειθήσατε τῷ Θεῷ, νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, οὕτω καὶ οὗτοι ἠπείθησαν τῷ ὑμῶν ἐλέει, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι, i. *Quemadmodum enim vos olim increduli fuistis Deo, nunc verò credidistis propter horum incredulitatem; itá & hi non credunt propter vestram credulitatem, ut & ipsi revocentur ad credulitatem.* Ordo quem videtur sequi Theophylactus coactior est nec minùs durum quòd in priore parte dativus Græcus sonat Occasionem, ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, in altera sonat Acquisitionem, ἠπείθησαν τῷ ὑμῶν ἐλέει quemadmodum dicimus, *Tibi ditatus est*, h. e. Tuo bono ditatus est, quòd opes suas tibi communicat. Nam hoc spectasse videntur qui legunt *in vestram misericordiam*, quòd *vestra misericordia* videretur obscuriùs dictum. Ea subito mutatio in schemate contentionis duriuscula est. Huic accedit & aliud incommodum, quòd juxta istorum interpretationem bis idem dicitur; quòd non admittunt hæ voces *quemadmodum* & *itá*: quod enim dixerat, ὑμεῖς δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, hoc in diversa parte repetit, οὕτω καὶ οὗτοι ἠπείθησαν τῷ ὑμῶν ἐλέει quasi dicat aliquis, *Quemadmodum Principes populi paupertate ditescunt, itá populi paupertas divitias addit Principibus.* Porrò cùm hîc fiat sermo de malis Judæis, qui clamaverunt *Crucifige*, qui persecuti sunt Apostolos, qui gloriabantur in operibus Legis, tumebántque Patriarcharum cognatione, eóque cæteras gentes pro canibus exsecrabantur, nihil absurdi sit si dicamus Gentium credulitatem offendiculo fuisse Judæis ut alienarentur ab Euangelio: Petrus Apostolorum Princeps coactus est sese fratribus excusare quòd Cornelium cum sua familia baptizasset; in convivio præsente Paulo subduxit se à mensa, nè Judæis esset scandalo vescens cibis communibus. Et in Actibus Judæi murmurant adversùs Gentes quòd illorum feminæ reciperentur in ministerium Apostolicum. Paulus quàm ægrè obtinuit ut Gentes liberarentur ob onere Legis. Hæc si acciderunt inter eos qui fidem Euangelicam fuerunt amplexi, an non probabile est plurimos Judæos vel abstinuisse vel resiliisse ab Euangelio? Ad hunc sensum facit quod paulò antè dixit, *Secundùm Euangelium inimici propter vos.* Id dum Origenes interpretatur, *Dicit*, inquit, *propter vos, quorum saluti invidentes prohibent Apostolos Gentibus loqui, & persequentes eos qui annunciant Christum.* Nónne dicit invidiam fuisse occasionem ut non crederent Euangelio? Confirmat hunc locum Euangelica parabola quâ filius major noluit ingredi domum cùm accepisset prodigum tantâ lætitiâ domûs excipi. Hunc itaque sensum ego secutus sum, quod mihi videretur simplicior: tametsi nullus cæterorum est qui aberret à pietate.

32. *Conclusit enim Deus omnia*] Τοὺς πάντας, *omnes*, non *omnia*. Sensus idem est, nisi quòd *omnia* vehementius est. Porrò quod sequitur, *incredulitate*, potest accipi & *inobedientiâ*. Est enim ἀπειθεία. Et *in incredulitatem* est Græcis ut dicimus, *Concludam me in angulum.*

33. *O altitudo*] Ὦ βάθος, i. *O profunditatem.* Miror cur Interpreti placuerit vox ambigua. ¶ [*Divitiarum sapientiæ*] Hæc duo nomina Græci dividunt interjectâ conjunctione, πλούτου καὶ σοφίας, consentientibus quotquot viderim exemplaribus, etiam apud Chrysostomum: ut intelligas Paulum tria demirari in Deo; *divitias*, qui tam beneficus fuit erga Gentes; *sapientiam*, qui tantam eis sapientiam impartierit; *cognitionem*, qui prudenter dispiciat quid cui expediat. Ad hunc modum exponit

Theophylactus. Etiamsi Chrysostomus aliquantò diversiùs videtur legere, conjungens hæc duo, βάθος πλούτου, ut reliqui genitivi non pendeant a βάθος, sed à duarum vocum complexu, q. d. *O profundas divitias sapientiæ & scientiæ Dei.* Id illum sentire hinc colligitur, quòd annotavit Paulum ad exaggerandam *sapientiam Dei*, duabus vocibus ad epitasim facientibus fuisse usum, βάθος, & πλούτου. Nam *profundum* per se habet auxesin, & *divitiæ* copiam sonant. Gemina fit amplificatio si dicas *profundas divitias sapientiæ.* Mihi magis probatur ut ad totam hujus consilii dispensationem pertineat, quâ factum est ut Gentes antè Dæmoniis servientes nunc subitò ad Euangelii gratiam vocentur; & Judæi, quibus ea peculiariter promissa videbatur, ab eadem exciderint. ¶ *Incomprehensibilia*] Ἀνεξερεύνητα, i. *inscrutabilia:* atque ità subinde citat Hieronymus. ¶ *Investigabiles*,] Ἀνεξιχνίαστοι, i. *uninvestigabiles*, quemadmodum legit D. Hilarius libro de Trinitate 8. juxta fidem vetustissimorum exemplariorum, i. *non vestigabiles*, sive *impervestigabiles.* Notavit enim hujus vocis emphasim Chrysostomus, & post hunc Theophylactus. Non dixit ἀσύνετα aut ἀκατάληπτα, sed *inscrutabilia* & *impervestigabilia.* Tanta est profunditas ut nec scrutari fas sit. Jam an apud Græcos eadem sit differentia inter ἐρευνᾷν & ἐξερευνᾷν quod Latinis est inter *vestigare* & *investigare* & *pervestigare*, considerandum est. Cæterùm D. Hieronymus existimat Paulum retulisse locum qui est apud Esaiam cap. 11. *Et non est investigatio viæ ejus.*

34. *Sensum Domini*] Νοῦν, i. *mentem*, seu *cogitationem.*

36. *Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso*] In his tribus præpositionibus philosophantur Theologi veteres. Thomas interpretatur *ex ipso*, velut ex prima omnium causa; *per ipsum* tanquam operantem & administrantem; *in ipso*, tanquam in fine: licèt haud me præterit hæc variè ab illo disseri. Non abhorret autem multùm à sententia Origenis, qui sic explicat, *Quod dicit, Ex ipso, hoc ipsum quod sumus indicat; Per ipsum autem, quòd per ejus providentiam dispensamur in vita; In ipso verò, quòd perfectio omnium & finis in ipso erit, tunc cùm erit Deus omnia in omnibus.* Cæterùm quod Thomas indicat, præpositionem *De* idem pollere ferè quod *Ex*, nisi quòd addit consortium substantiæ, Augustinum, ut conjectare licet, secutus, qui libro quem De natura boni scripsit adversùs Manichæos, ferme in eam sententiam disserit, cap. 26. an apud Latinos verum sit, alii viderint: certè apud Græcos eadem est præpositio. Et cùm dicimus, *De illo loquitur*, nulla est communis essentiæ significatio. Ambrosius legisse videtur *in ipsum*, cùm dicit *omnia spectare finem.* ¶ *Honor & gloria*] Græcis *gloria* tantùm scribitur, ἡ δόξα· *honor* non additur. ¶ *In secula seculorum*] *Seculorum* additum est à nobis: nam Græcis tantùm est εἰς τοὺς αἰῶνας· nec additur apud Origenem, nec apud Theophylactum, nec apud Chrysostomum.

V A T A B L U S.

2. P*Rascivit*] *Antè cognoverat. Cognoscere* Dicitur Deus eos quibus favet, quósque amplectitur. ¶ *In Elia quid dicit*] *De Elia quid dicat.*

3. *Suffoderunt*] Vel, *subverterunt.* ¶ *Quærunt animam meam*] Heb. insidiantur vitæ meæ.

4. *Genua* [*Genu:* i. qui non coluerunt Baal.

5. *Facta sunt*] *Fuerunt:* i. Deus aliquot ex Israelitis secundùm electionem quæ ab ejus gratia & beneficentia proficiscitur, sibi reliquos fecit, quos æternâ vitâ sit donaturus.

6. *Gratiâ*] Ablativus; *per gratiam.* ¶ *Est gratia* *] * *Sin ex operibus, jam non est gratia: quandoquidem opus jam non est opus.* Sic quædam exemplaria Græca.

7. *Electio autem consecuta est*] Heb. Electi autem consecuti sunt.

8. *Compunctionis*] *Exacerbantem*, vel *exasperantem*, sub. *corda illorum adversùs Euangelium. Audientes hoc, dissecabantur cordibus suis*, Act. 7. ¶ *Usque in hodiernum diem*] Heb. quemadmodum hoc quoque tempore videmus.

9. *Fiat*] Imperat. pro fut. ¶ *Scandalum*] i. Offendiculum; i. Verbum salutis quod illis pro cibo suavissimo esse debebat, erit illis unde illaqueentur & capiantur à venante diabolo, & ab eo devorentur, & id unde gravissimè offendantur, & in præmium illis.

10. *Dorsum eorum semper incurva*] i. Facias ut semper sint oculis in terram defixis.

11. *Numquid sic offenderunt ut caderent?*] *Num lapsi sunt ut conciderent?* i. Num deliquerunt Judæi, ità ut ipsi omnes ad unum perirent? ¶ *Illorum delicto*] *Per illorum lapsum.* ¶ *Æmulentur*] *Ad imitandum provocaret.*

12. *Divitiæ sunt mundi*] i. Multorum hominum saluti profuit. ¶ *Divitiæ Gentium: quantò magis plenitudo eorum?*] i. Salutis occasio Gentibus fuit: quantò magis illorum incolumitas, integritas & perfectio, quam per fidem adipiscentur, multis profutura est?

13. *Honorificabo*] *Glorifico, illustro:* i. summâ diligentiâ & magnâ nominis Christi gloriâ doceo Euangelium.

14. *Carnem meam*] i. Judæos.

15. *Amissio*] *Rejectio.* ¶ *Reconciliatio est mundi*] i. Occasio fuit ut Gentibus Euangelium prædicaretur per quod Deo reconciliarentur. ¶ *Quæ assumptio*] Vel, *quæ erit reditio eorum:* q. d. minoréne lætitiâ affici vos oportebit ob salutem & reditum eorum in Divinam familiam, quàm ob vitam hominis vobis amicissimi, quem mortuum esse putabatis?

16. *Delibatio sancta est*] *Primitiæ* [sub. *conspersionis*] *sanctæ sunt:* q. d. si primitiæ Judæorum, i. patres eorum, i. Abraham, &c. à quibus sunt oriundi, sancti sunt; non est de massa, i. posterorum sanctitate, desperandum.

17. *Insertus es illis & socius*] *Insitus es inter illos, & particeps.* ¶ *Pinguedinis*] *Pinguedinem* vocat succum & alimentum quod à terra accipiunt radices, & à radicibus per truncum fertur ad ramos; fidem autem patrum intelligit.

18. *Si gloriaris*] *Si superbieris adversus illos.*

19. *Dicis*] *Dices*, Vet.

20. *Stas*] *Constitisti*, sub. *in olea.* ¶ *Noli altum sapere*] Vel, *nè efferaris animo:* vel, *nè tibi placeas.*

22. *In bonitate*] i. In eo quod tibi benignè donavit: h. e. in fide.

24. *Secundùm naturam*] Vel *naturales sunt.*

25. *Mysterium hoc*] Vel, *rem arcanam hanc & paucis cognitam.* ¶ *Vobis ipsis sapientes*] *Apud vosmetipsos prudentes:* i. nè sitis insolentes, animique elatioris. ¶ *Contingit*] *Contigit*, præt. temp. Vet. ¶ *Plenitudo Gentium*] i. Multi ex Gentibus.

26. *Omnis Israel*] i. Multi Israelitæ; per Synecdochen. ¶ *Qui eripiat & avertat*] *Liberator ille qui avertet.*

27. *Hoc illis à me testamentum*] *Hæc promissio erga illos à me:* sub. *impleta cognoscetur, cùm*, &c.

28. *Secundum Euangelium*, &c.] i. Propter Euangelium quod abjecerunt Judæi, cùm tamen à vobis pulcerrimè acceptum sit, ô Gentiles, odio habet illos Deus.

29. *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei*]. Non enim donat aliquid Deus, aut aliquem ad vitam æternam eligit, ut postea pœnitudine ductus sententiam mutet, hominum more.

32. *Propter incredulitatem illorum*] *Per*, &c. Vide Act. 13. 46. *Vobis oportebat*, &c.

31. *Non crediderunt in vestram misericordiam*] *Increduli facti sunt per vestrî misericordiam:* i. ex eo quòd misericordiam estis adepti.

32. *Omnia*] *Omnes.* ¶ *Incredulitate*] *Incredulitatem*, Vet. i. sub imperio & potestate incredulitatis sinit esse, facit ut ad tempus repugnemus gratiæ ejus, ut rubore tandem perfusi sitiamus ejus misericordiam.

33. *Altitudo*] *Profunditatem.* ¶ *Investigabiles*] *Impervestigabiles.*

34. *Sensum*] *Mentem, cogitationem.*

36. *Ex ipso*] i. Omnibus rebus autor est essentiæ, & quæ sunt per eum vivunt, & propter illum omnia sunt: i. ad ejus gloriam.

C A S T A L I O.

16. P*Rimitiæ*] Abrahamus.

17. *Et tu oleaster*] Atqui non oleaster in oleam, sed in oleastrum olea inseri solet. Verùm cùm Paulus radicem cum stirpe gentis Judaicæ conferat, calamum autem insititium cum homine extraneo, si ab usitata inserendi consuetudine similitudinem duxisset, hoc erat incommodi, quòd Judæi cum oleastro, extranei cum oliva fuissent comparandi. Quod cùm esset absurdum (præstat enim Judæa gens) maluit simile ducere ab insitione, non usitata illa quidem, sed quæ non minùs fieri possit. Nam si oleastri insitum in olivam inseras; vivet oleastri insitum, & olivæ humore nutrietur. Nec refert quòd fructus non feret urbanos sed agrestes (semper enim talis est fructus qualis est insiti flagelli natura) non enim de fructu loquitur Paulus, sed de inserendi ratione & calami nutritione. Atque hactenus quadrat similitudo, quæ non est longiùs persequenda quàm quod pertinet ad id de quo agitur. ¶ *In eos insitus es*] In truncum delectorum ramorum.

32. *Conclusit enim Deus omnes in inobedientiam*] Et Judæos & extraneos.

36. *Et propter eum omnia*] Εἰς αὐτὸν pro δι' αὐτὸν, ut 2 Cor. 2. ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν Τρῳάδα εἰς τὸ εὐαγγέλιον. & Coloss. 1. πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται. Neque non sic loquuntur Latini: ut Cicero, *Ad memoriam aliquid notare*, h. e. ob memoriam; & Columella, *In hoc facturus est*, pro *ob hoc ipsum*, εἰς αὐτὸ τοῦτο. Sed Latinè cum personæ accusativo durius esset & obscurius, si diceremus *omnia esse ad Christum*. Itaque malui dicere *propter Christum*.

CLARIUS.

1. NAM *& ego Israelita sum*] Si *repulisset Deus populum suum*, inquit, & me quoque repulisset, qui *Israelita sum*. Nimirum videbatur imprudentioribus, neglectum fuisse populum hunc, in tanta non credentium infinitate: idcirco conatur hunc ab eis errorem tollere; & sapientissimè probat illum Israelem quem novit Deus non esse abjectum, tametsi tam multi videantur defecisse: & hoc exemplo Eliæ probat, qui cùm existimaret neminem superesse præter se fidelem Deo, audivit *servatos septem millia*, h. e. quàm plurimos, qui non recessissent à Dei cultu.

2. *Quam præscivit*] Credituram scilicet ac permansuram in doctrina Filii sui.

5. *Reliquiæ secundum electionem*] Hi exigui, qui tanquam reliquiæ Israelis credunt, servantur, dum non factis Legis fidunt, sed solà Dei gratià nituntur. Quòd *si gratiâ* servantur, *nullus est usus operum* Legis; *alioqui gratia non esset gratia*, cùm merces non gratia factis reddatur: nunc verò cùm gratia totum occupaverit, *opus jam non est opus*, h. e. nullum habet usum, cùm gratia vim operis exsequatur.

8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis*] Permisit eos, tanquam qui corrigi nolint, jam præcipites ferri, ut quasi stimulo quodam agantur deinceps in malum. Vel *spiritum compunctionis*, vehementem compunctionem sive dolorem de aliena felicitate.

9. *Mensa eorum*] Bona illa & Legis & Scripturarum, & deliciæ spirituales, quibus præ cæteris fruebantur.

11. *Numquid offenderunt ut caderent?*] Cùm ex iis qui impingunt alii tantùm supplantentur, alii etiam cadant, consolatur eos, ut etiam adhortetur ad fidem: & ait, hâc impactione id esse consecutum, ut Gentes priores accederent, & quasi supplantarent Judæos, ut earum æmulatione invitarentur & Judæi; sed non esse prorsus desperatam Judæorum salutem. Miras hic divinus vir consolandi vias excogitat.

16. *Quòd si primitiæ sanctæ sunt*] Per *primitias* & *radicem* intelligit Abraham; per *massam* sive *conspersionem* & *ramos*, ipsum genus indè profectum.

17. *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt*] Hæc & quæ sequuntur verba modestum quidem ac humilem faciunt eum qui ex Gentibus crediderat; sed in primis ad erigendum & consolandum Judæum pertinent, & ad hortandum etiam ut generis sui dignitatem non negligat.

18. *Non tu radicem*] Memineris, inquit, non ex te radicem pendere, sed te ex radice: quare tu illâ inferior honore es.

20. *Propter incredulitatem fracti sunt*] Non quòd illis defuerit Divina unquam gratia, ut quidam hâc ætate volunt.

24. *Contra naturam insitus es*] Non enim usus est ut oleaster in domasticam olivam inseratur.

29. *Sine pœnitentia enim sunt dona*] Homines cùm aliquid donarint, pœnitere eos potest beneficii, cùm quæ futura essent ignorarent dum benignè facerent; at Deum, cui omnia nota sunt, non pœnitet eorum quæ semel est elargitus. Bono itaque animo sint Judæi, nam quòd vobis Gentibus accidit, illud idem & ipsis usu veniet. Quod autem ait, *ut & ipsi misericordiam consequantur*, per consequentiam accipe, sic, Hi nunc in hac quam vos consecuti estis misericordia fuerunt increduli; at demum & ipsi misericordiam consequentur, sicut & vos qui increduli olim fuistis, nunc estis consecuti misericordiam.

32. *Conclusit enim Deus*] In hoc facto arguit & declaravit Deus, omnes, etiam Judæos, qui videbantur esse aliquid, per se labi & deficere, ut omnes intelligant se miseratione Dei indigere.

33. *O profundum divitiarum*] Docet Paulus ad hominum officium pertinere, ut, revereantur, non temere pervestigent, judicia Dei. ¶ *Inscrutabilia*] Non dixit *incomprehensibilia* (nam hoc minus fuisset) sed *inscrutabilia*, quæ tantum abest ut comprehendantur ut nè inquiri quidem scrutando possint.

35. *Quis prior dedit?*] Quis docuit eum, ut pro reponendo beneficio Deus factorum suorum ei rationem reddat?

36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia*] Ipse bonorum omnium Fons & Causa, ipse Conservator, ipse Finis. Vel modis omnibus illius sunt omnia, nec ab ullo quicquam accepit, sed omnes quicquid habent illi acceptum referre debent.

ZEGERUS.

2. IN *Elia quid dicit Scriptura? quemadmodum interpellat Deum adversus Israel?*] *In Elia* pro *de Elia* dictum apparet. Cui placebit historiam evolvere, locus est 3 Reg. 19. ubi de Elia Propheta scribitur quòd Dominum obsecrans de Judæorum impietate conquestus sit.

5. *Salva facta sunt*] Deest quidem Græcis vocula *salva*: sed adjiciendam esse probatissimorum autorum enarrationes clarationesque probare possunt. Vide Collationes Titelmanni.

6. *Si autem gratiâ, jam non ex operibus*] Quòd *si* inquit, *reliquiæ aliquot* Χάριτι, i. *per gratiam & gratuitam Dei benignitatem*, *servatæ sunt*, *ergo non ex operibus* quæ juxta Legis præscriptionem fiunt. *Opera enim*, inquit Origenes, *quæ Paulus repudiat & frequenter vituperat, non sunt justitiæ quæ mandantur in Lege, sed ea in quibus hi qui secundum carnem Legem custodiunt, gloriantur*, i. *vel circumcisio carnis*, *vel sacrificiorum ritus*, *vel observatio Sabbatorum & neomeniarum*. ¶ *Alioqui gratia jam non est gratia*] Non pauca hic verba Græca habent exemplaria quæ vulg. editioni Romanæ cernuntur abesse; siquidem post illud *jam non est gratia* è vestigio subnectitur, Εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐςὶ χάρις. ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐςὶν ἔργον, *Si autem ex operibus, non jam est gratia: alioqui opus jam non est opus:* deinde sequitur, *Quid ergo*, &c. Sed hæc Pauli non esse, arguere potest veterum tam Latinorum quàm Græcorum, & ipsius Vallæ cum nostro Interprete hæc non habente consensus: ut hinc colligere liceat à librario quopiam ex adnotamentis in contextum traducta esse, idque ante tempora Theophylacti, qui hæc legit. Proinde è contextu hæc ipsa segreganda duxerim, uti subdititia.

7. *Quod quærebat Israel*] Pronunciativè enunciari debet. ¶ *Electio autem consecuta est*] Phrasis est Hebraica, pro *electi autem consecuti sunt quod Israelita per observationem Legis quærebant*, nempe justitiam & favorem Divinum.

8. *Sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis*] *Dedit*, i. ut haberent permisit, animum quendam asperum ac refractarium & compungentem. Chrysostomus *compunctionem* hic dicit esse habitum quendam animæ ad id quod pejus est immedicabiliter & immutabiliter se habentem; juxta illud *Ut psallat tibi gloria mea, & non compungar*; h. e. inquit, *non mutabor*, *non desistam*. Et subjungit, *Quemadmodum enim is qui in pietate compungitur, non facilè in aliud transfertur; sic & qui in malitia compungitur, non facile immutatur. Compungi siquidem nihil aliud est quàm quasi incusso clavo ad aliquid infigi solidéque compingi.* Hactenus ille. Hujus sermonis sensum habes apud Jesaiam c. 6.

9. *Mensa eorum coram ipsis in laqueum*] *Coram ipsis* adjectum est, non à Paulo, sed à studioso quopiam ex loco Psal. 69. uti liquet ex codicibus antiquis & Græcis.

10. *Dorsum eorum semper incurva*] Vel per molestissima Mosaicæ Legis onera, vel per terrenarum rerum ambitionem & solicitudinem, quibus miseri incurventur.

11. *Numquid sic offenderunt ut caderent?*] Tanquam si dicat, Num facinus commisere prorsus insanabile, sicuti Lucifer ille qui de coelo corruit Esa. 14. aut ità propter improbitatem suam cæcati sunt Judæi ut omnino reparari nequeant? Haudquaquaquam, inquit. Convertentur enim suo tempore, alii quidem citiùs, alii seriùs; & si non priùs, certè in fine seculi. *Cùm intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel salvus fiet.* Hoc sensu edisserunt ferè explanatores. Verùm meâ sententiâ accommodatius ad continentiam contextùs Apostolici fuerit si hoc pacto exponamus, Itáne deliquerunt Judæi ut nil indè sequeretur nisi ipsorum casus atque interitus, nullo ipsorum neque aliorum fructu; Absit ut hoc Deus patiatur, qui nihil non vertere potest in bonum. Reipsa enim declaratum est & declarat, Judæos non frustrà cecidisse; quandoquidem horum pervicacia & incredulitas primùm quidem occasionem dedit Gentibus amplectendæ fidei, deinde & hoc attulit fructûs, quòd ipsi horum exemplo stimulati ad conversionem provocati sint. Id quod Apostolus manifestat dum subjungit, ¶ *Sed illorum delicto salus est Gentibus, ut illos æmulentur*] Antiqui codices adjiciunt *facta est:* quod quia in Gr. non est, nescio an potiùs subaudiendum reliqui debeat. Quantum ad posteriorem

hujus sermonis partem, advertendum duplicem ex archetypo colligi posse intelligentiam, juxta duplicem constructionem, binámque vocis παραζηλῶ acceptionem, quæ frequentiùs quidem *ad æmulationem provoco* signat atque ità actus verbi infiniti, eóque impersonalis, παραζηλῶσαι hìc ad Deum pertinebit: interdum verò simpliciter *æmulor* declarat. Alteram noster extulit Interpres, quæ tamen id habet incommodi, quòd neque Græcis neque Latinis demonstrativum *illos* in genere cum suo conveniat demonstrato, nempe *Gentes*. Verùm id incommodi (ut Interpretis & sensui patrocinemur, & occurramus incongruitati) levius fit si memineris primùm quidem Scripturæ consuetudinem nonnunquam voces mutuò connectere juxta rerum significantiam potiùs quàm juxta rationem Grammaticam, (id quod pro Græco hìc contextu fit:) deinde etiam *Gentis* vocabulum (uti tum aliàs tum Lucæ 22. docuimus) passim in Scriptura in genere usurpari masculino; ut τὸ *illos* utrobique *Gentes* demonstrare hic possit, h.e. Gentiles populos. Altera nil habens incommodi, & ob id magis probata, hæc est, Propter obstinationem & cæcitatem Judæorum salus data est Gentibus, ut hoc pacto Deus Judæos exstimularet ad æmulationem, dum donum salutis, quod ipsis debebatur, videbant conferri Gentibus, atque ità æmulatione quadam accensi Gentiles ipsos, quos veluti pro canibus habebant, imitarentur.

12. *Quòd si delictum eorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium, quantò magis*, &c.] Si cùm offendissent Judæi tam multis pepetere salutem ut ipsis ejectis admissæ sint Gentes, & illorum peccatum divitiarum loco cesserit Gentibus, quantò magis plenitudo ipsorum, i. cùm & ipsi salutem fuerint pœnitendo adepti.

14. *Carnem meam*] h. e. Judæos carne & sanguine mihi propinquos.

15. *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?*] Quòd si, inquit, Israeliticæ gentis propter incredulitatem abjectio seu amissio reconciliationem peperit mundo, quantum putas tum mundus ipse consequetur quando etiam dictam gentem adsumi & reconciliari Deo continget? Et quodnam illud sit quo tunc mundus donabitur bono ostendit, dicens, *vita ex mortuis*, h.e. ejusmodi adsumptio è mortuis faciet vivos, in præsenti quidem vità gratiæ, in futuro autem vità gloriæ. Vel aliàs, *Vita ex mortuis* dicens, nihil non bonorum obventurum indicat cùm hæc adsumptio fuerit adimpleta.

16. *Quòd si delibatio sancta, & massa*] Quod hìc dicitur *delibatio*, Græcè est ἀπαρχή, quæ vox variè hìc à diversis interpretatur. Nam alius hanc pro *fermento*, alius pro *frumento ipso unde conspersio desumitur*, alius pro *delibatione*, alius pro *primitiis*, alius denique pro *decimis* accipiendam putat. Verùm hæ omnes interpretationes in idem ferè recidunt, dum constat id voluisse Apostolum ut ostenderet illud non posse esse non bonum à quo pars quæpiam suam naturam atque originem trahens, retinénsque similitudinem, bona esse comprobatur. Ut *si primitiæ sanctæ ac bonæ, si rami sancti*, proculdubio *& fruges reliquæ, & radix*. Itaque si Patriarchæ ac Prophetæ cæterique Judæorum Patres justi ac fideles inventi sunt, cur non idem de ipsorum posteris sperandum? Cæterùm *delibatio à delibando*, i. sacrificando vel degustando, dicta, est, pars quæpiam à massa desumpta. *Massa* autem cujusque rei congeriem vel pondus signat.

17. *Cùm oleaster esses*] *Oleaster* & ἀγριέλαιος olea est agrestis seu silvestris.

18. *Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te*] Si gloriaris, inquit, ô Gentilis, & animo extolleris, memineris te haud esse radicem, nec radicem portari à te cùm contrà radix ipsa te veluti surculum quendam alienum sibi insertum sustineat confoveátque.

20. *Noli altum sapere*] Nè efferaris, nè cristas tollas, nè superbias.

27. *Hoc illis à me testamentum*] *Testamentum* hoc loco, ut apud Jesaiam 36. cæteri omnes præter LXX verterunt, fœdus potiùs & pactum declarat. Et Augustinus lib. De locut. Gen. 1. admonet hanc vocem frequenter in Scriptura pro *pacto* poni.

28. *Secundùm Euangelium quidem inimici propter vos; secundùm electionem autem charissimi propter patres*] Occasione repudiati Euangelii Judæi facti sunt Deo inimici: sed hoc ipsum Gentibus cessit in bonum, quippe quæ pòst hoc prædicatum sibi Euangelium amplexæ sint. Quod verò ad electionem & honorificentiam attinet majorum unde prognati sunt, eorum commendatione Deo chari sunt.

29. *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei*] Loco duorum verborum *sine pœnitentia* Græcis est ἀμεταμέλητα, dictio adjectiva, sonans idem q. d. *impœnitibilia* vel *impœnitenda*. Quandoquidem Dei dona atque vocatio ejusmodi sunt ut Deum donantem & vocantem haud unquam eorum possit pœnitere. Hæc sententia patronos habet Augustinum atque Origenem, quibus consentit & Sedulii Collectaneum. Ambrosius tamen aliam commonstrat intelligentiam, *pœnitentiam* ad homines referens, his verbis, *Verum est, quia gratia Dei in Baptismate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem.* Postque alia subdit, *Donum enim gratis donat peccata in Baptismo.* Huic consonat & Paulinus in epist. ad Sever. 5. & item ad Macha.

30, 31. *Misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum; ità & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur*] Dativi Græci τῇ τούτων ἀπειθείᾳ & τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ambiguitatem nobis & sensûs pariunt diversitatem. At nos, qui compendio (quatenus ipsa res patitur) studemus, varios acceptionum modos prætereuntes, nè ambagibus remoremur legentem, veteris nostræ editionis sententiam, utpote Paulinæ menti magis consentaneam, probatissimis quoque autoribus receptam, aliis verbis aperiemus. Quemadmodum vos, inquit, Gentiles, olim increduli & repugnantes fuistis his quibus eloquia Dei concredita fuerunt, nunc autem misericordiam adepti estis occasione incredulitatis & obstinationis Judæorum; ità & hi Judæi vicissim misericordiæ & gratiæ Euangelicæ vobis præstitæ credere renuunt, ut & ipsi tandem, cùm suà sese intellexerint spe frustrari, resipiscentes, unà vobiscum misericordiam assequantur.

31. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate*] h. e. In incredulitate sive inobedientia (utrumque enim ἀπείθεια declarat) omnes conclusos fuisse demonstravit.

33. *O altitudo divitiarum. sapientiæ*] *Altitudo* æquivocum est ad *sublimitatem* & *profunditatem*. Utrumque bellè quadrat in *divitiarum*, *sapientiæ* pariter & *scientiæ inscrutabilitatem*, tametsi βάθος non perinde evidenter utrumlibet complecti videatur. Illud, opinor, non est opus admoneam, *sapientiæ* verbum Græcis & copulà sejunctum esse à *divitiarum*, præsertim cùm videam absque copula probum æquè ac probatum haberi sensum. ¶ *Investigabiles*] Ex vulgi, opinor, consuetudine pro *ininvestigabiles* posuit: nam Græcè ἀνεξιχνίαστοι, i. *inscrutabiles*. Simile est & illud Eph. 3. *investigabiles divitias Christi*. Rursus illud Heb. 5. *Grandis sermo & interpretabilis ad dicendum*. Eàdem voce utitur & Tertullianus contra Marcionem 5. & Hesychius in Levit. 23.

L. BRUGENSIS.

5. *Sic " ergo' - &' * in hoc tempore - reliquiæ secundùm electionem . gratiæ' * salvæ" factæ sunt* [" *enim* o. - o. * *nunc* o. - o. - o. * *Dei* o." *sient* o.] Tò *salva*, nec à Græcis libris, nec à Græcis tractatoribus, Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, legitur. οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. Latini libri, consentientibus Expositoribus, Haymone, Anselmo, Autore Glossæ, Carensi, Lombardo, Lyrano, Aquinate, Gorran, Brunone, Richelio, & aliis posterioribus, plerique omnes habent. Porrò unum Parisienses proferunt, Ge. l. qui Græcis conformiter demat, hunc in modum, *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ factæ sunt:* cui, si fortè ex Græco correctus esse hoc loco, ut aliis, existimetur, M.N. Hunnæi manuscriptum L signatum, adstipulatur, quanquam addat *Dei* (*Secundùm electionem gratiæ Dei factæ sunt*) quod alia bona scripta tanto consensu tollunt quanto vulgaria legunt. Reperitur dicto *salvæ* apud Latinos Patres, Ambrosium libri De Noe & Arca cap. 5. & libri 2 De Jacob & vita beata cap. 3. Hieronymum, in fine libri 16 in Isaiam, & in commentariis cap. 2. Prophetiæ Michææ, Augustinum, quæst. 148 super Genesi, quæst. 2. prim. libri ad Simplicianum, & libri De patientia cap. 20. verùm quia nihil ex locorum circumstantiis intelligi potest, incertum relinquitur, an à Patribus ipsis lectum, an à Scribis postea adjectum sit, qui in vetustis passim Autoribus citata Scripturæ testimonia juxta usitatum legendi modum emendarunt, ità ut de Patrum lectione haud facilè quid statui possit, nisi quòd ex præcedentibus aut sequentibus verbis colligatur, ea quæ sæpenumero, aliud à Patribus lectum fuisse quàm modò apud eos legatur, significant. Exemplùm quod ad præsentem locum faciat adferamus. Libri 2 De bono perseverantiæ cap. 18. apud B. Augustinum legitur, in nostra saltem quam Frobenius dedit editione, *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt:* quæ verò paulò pòst sequuntur Augustini verba, luculentissimè declarant *salvæ* ab eo

omissum

omissum fuisse. *In hac ergò electione*, ait, *& in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ facta sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præscivit:* ac mox, *Præscivit enim reliquias quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus.* Similiter in Origenis enarrationibus, & in Ambrosio adscriptis commentariis, atque Prosperi libro De vocatione gentium primo cap. 3. aut juxta novam editionem 10. adscribitur *salvæ*: sed qui horum verba diligenter excusserit, habebit unde adjectitium esse suspicetur. Quocirca nos, in his mediocritatis nostræ scriptis, non facilè adserimus, tametsi aliter à multis factum videamus, Patrum aut Enarratorum pro lectionibus autoritatem, nisi eorum simul tractationes suffragentur, vel ipsæ eorum per se lectiones ejusmodi sint quæ à scribis mutatæ non esse haud difficulter dignoscantur; si non aliud adferendi modus innuat. Videri possit τὸ *salvæ*, quòd sermo alioqui mutilus appareret, huc assumptum vel ex commentario, quemadmodum vocula *Dei*, quam Autor Glossæ, quam habemus scriptam subaudit (non frustrà enim hic ab Enarratoribus salutis fit mentio, quamvis *salvæ* non legerint) vel ex Isaiæ loco, quem nono capite superiori vers. 27. citat Apostolus, his nostræ editionis verbis, *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient*; atque huc facere, quod in quorundam Glossematicorum textibus legatur, *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ fient.* Accedit, quòd id quod Interpres duabus vocibus solet reddere, *salvum facere*, vel *salvum fieri* aut *esse*, Apostolus ipse unicâ semper exprimat, *σώζειν*, vel *σώζεσθαι*, nunquam, *σῶον ποιεῖν*, vel *σῶον γίγνεσθαι* aut *γεγονέναι*. Claudius Guilliaudus & Adamus Sasbout, ex iis quos expositionibus, suis junxerunt textibus, *salvæ* omiserunt. Syri sensum dederunt hujus lectionis, *Sic & in tempore hoc reliquiæ relictæ sunt per electionem gratiæ.* In quem sensum accipi possit sententia etiam lectio *salvæ*, si *salvæ factæ sint* intelligatur, remanserunt, superstites sunt: hoc enim hoc loco vult Apostolus, quosdam fuisse ex Israelitis gratuitâ Dei electione reliquos, qui Christum non rejecerint, quemadmodum Eliæ tempore reliquerat sibi Deus qui non curvaverant genua Baal.

13. *Quamdiu* [*diu* o.] -" *quidem* "*enim* o. -o.] *ego sum Gentium Apostolus.*] Quod Græcè est ἐφ' ὅσον, hoc est, si verbo reddatur, *ad quantum*, non solùm ad tempus, sed etiam ad rationem, referri potest. Quare alii vertunt, *Quatenus ego quidem sum Gentium Apostolus.* Cæterùm Vulgatæ editionis versione & ratio datur intelligenda, quanquam non per modum rationis expressa: quemadmodum cùm in Euangelio dicitur, Mat. 9. 15. *Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?*

32. *Conclusit* '. *enim*' *Deus*' *omnia in incredulitatem*' *Concludit* o.-o. *Dominus* 2 MS. *incredulitate* 2 MS. *in credulitate* o.] *ut omnium misereatur.*] Græci & Syrici libri, cum Græcis tractatoribus, Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto & Oecumenio, pro *omnia* legunt *omnes*. τοὺς πάντας habent Græci; כל אנש Syrici & in priori & in posteriori sententiæ parte. Eundem ad modum *omnes* legunt, D. Hieronymus, caput Michææ secundum exponens, & S. Augustinus, lib. 21 De civ. Dei cap. 18. Vulg. Interpres facilè pro πάντας legisse potuit πάντα, omisso articulo. Utriusque sensus idem est; atque ejus quod Interpres dedit, vehementior. Id quod deinde sequitur, *in incredulitatem*, multi codices sexto casu scribunt, *in incredulitate*: verùm illud, ut Græco consonat (εἰς ἀπείθειαν) ità in lectissimis est editionis nostræ manuscriptis, Di. o. l. Ge. o. Brug. Lob. Leod. Mal. mi. O. E. Pl. m. & aliis. Hentenius id in textum retulit.

H. STEPHANUS.

1. **M**Η' ἀπώσατο] *Num rejecit.*

4. Ὁ χρηματισμὸς] *Responsum Divinum.*

5. Λεῖμμα γέγονε] *Reliquiæ reservatæ sunt.*

7. Τούτου οὐκ ἐπέτυχεν] *Hoc non est assecutus.* ¶ Ἐπωρώθησαν] *Occalluerunt*: vel *callosam quandam duritiem contraxerunt.*

11. Ἔπταισαν] *Impegerunt.* ¶ Εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτοὺς] *Ut provocaret ad æmulationem.*

12. Τὸ παράπτωμα] *Lapsus*: vel *ruina.* ¶ Τὸ ἥττημα αὐτῶν] *Diminutio eorum.*

14. Μου τὴν σάρκα] *Consanguineos meos.*

17. Ἀγριέλαιος] *Oleaster.*

20 Μὴ ὑψηλοφρόνει] *Nè elato sis animo.*

21. Μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται] Vide *nè tibi quoque non parcat.* Vel, *Time nè*, &c. repetendo ex ver. præcedente.

22. Ἀποτομίαν] *Severitatem.*

24. Εἰς καλλιέλαιον] *In bonam oleam*: i. veram.

25. Πώρωσις] *Induratio.* ¶ Τὸ πλήρωμα] *Plenus numerus.*

29. Ἀμεταμέλητα] *Talia ut eum pœnitere ipsorum non possit.*

33. Ἀνεξερεύνητα] *Inscrutabilia.* ¶ Ἀνεξιχνίαστοι] *Impervestigabiles.*

35. Προέδωκεν] *Prior dedit.*

DRUSIUS.

4. **A***Nte Baal*] Τῇ Βάαλ, *Baali.* Sed cur usus est articulo feminino? Quidam εἰκόνι subaudiunt, ut dicat *imagini Baal.* Non reprehendo. Tamen in Tobia legimus, τῇ Βάαλ τῇ δυνάμει, *Baali Deo.* Nam ἡ δύναμις, i. האל *Deus.* Κατ' ἀκρίβειαν, inquit Eusebius, אל *est ἰσχὺς καὶ δύναμις.* Sic *ad dexteram potentiæ*, τῆς δυνάμεως, i. האל *Dei.* Nam הגבורה, quod hic adducitur, Rabbinismum sapit, qui tunc non erat in usu. Lectio varians, τῇ Βαάλ τῇ δαμάλει, i. *Baali buculæ* aut *juvencæ*, Tob. 1. 5. Et potest hic subintelligi τῇ δυνάμει, aut τῇ δαμάλει. Sic Hos. 2. 8. ἅυτη δὲ ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ ἐποίησε τῇ Βάαλ. Vide Notas meas in Tobiam. Hieron. in Hoseam scribens, *Baalim masculino genere plurale est, licèt quidam malè Βάαλ & Βααλίμ legant genere feminino*, corrumpendo locu fuit, videtur certé. Nam est ubi reperiatur τῷ Βάαλ, contra codicum fidem. Consimilem errorem erravit in τὰ Χερουβίμ, cùm πνεύματα subintelligatur. Nec obstat quòd *Cherubim* & *Seraphim* apud Ebræos masculinè dicantur. De *Baal* diximus Matth. 12. 24. quibus addo ex Hos. 2. 8. Hieronymo *Baal dæmon est Sidoniorum, aut, ut quidam rectiùs existimant, Babylonius; unde & Bel dicitur.* Quod dextre intelligendum. Nam Babylonii non dicunt *Baal*, sed *Beel*, aut *Bel*: unde *Belus.* Idem ibidem, *Belum Sidonii sæpe Baal dicunt*: & interpretatur *Baal*, *Habens*; *Baali*, *Habens me.* Unde mulieres vocant maritos suos *Baali*, i. *Vir meus*, scilicet *habens me in conjugio.* *Habens*, i. ἔχων. Id olim legebatur in editione Aquilæ. Idem in Comment. Jer. 9. *Baal, idolum Sidoniorum est*: & 23. *idolum Babylonium, & vicino nomine dicitur Bel.* Sanior sententia erit, si dixerimus idolum Babylonium *Bel*, Sidoniorum autem *Baal* dici: Quanquam non soli Sidonii ità vocabant Deos suos, sed omnes ferè gentes Syriæ: unde nomen generale est *Baal.* Theodoretus Jer. 32. *Baal nomen est idolorum generale. Nam etiam Tyrii eo utebantur. Sed & Pœni Tyriorum coloni.* Augustinus Quæst. lib. 7. Qu. 16. BAAL *Punici videntur dicere Dominum; unde* BAAL SAMEN, *q. Dominum cœli intelligantur dicere.* SAMEN *quippe apud eos Cœli appellantur.* Scaliger in Fragmenta, *Est autem Baal commune multorum Deorum Tyriorum, Sidoniorum & Ammonitarum cognomen. Unde multis Baalibus servisse dicuntur Ebræi. Siquidem omnis Deus apud illos vocatur Baal, sed cum attributo* בעל שמים *Dominus cœli dicebatur illis qui Græcè* Ζεύς. *Philo Bybliensis ex Sanchuniathone Berytio*, Τοῦτον γὰρ θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ Κύριον, ΒΕΕΛΣΑΜΕΝ καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι Κύριος οὐρανοῦ· Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. Et aliquantò post, *Is Baal est quem Δία ὀλύμπιον vocat Dius. Nam* בעל שמים *est ad verbum* Ζεὺς ὀλύμπιος, *qui colebatur in insula Tyri, ubi &* ἀστὴρ ἀεροπετής. *Ut autem Juppiter* בעל שמים κύριος οὐρανοῦ, *sic Juno* בעלת שמים κυρία οὐρανοῦ *dicta. Unde Philo Bybliensis* Βααλτίδα *vocat. Sed eam Διώνην interpretatur. Græcis* οὐρανία *dicitur, Pœnis in Africa Cœlestis, quæ erat* πολιοῦχος *Karthaginiensium*:

> *Quam Juno fertur terris magis omnibus unam*
> *Posthabitâ coluisse Samo.*

Hactenus Scaliger. Nec te turbet שמים *Samem* Nam sic etiam *Jerusalem* sonabant, & *Ephrem*, & *Mesrem*, & *Mozenem*, pro *Jerusalaim*, *Ephraim*, *Misraim*, *Mozenaim.* Vide in Observationes meas. Redeo ad Hieron. *Belum*, ait loco citato, *Sidonii & Phœnices appellant*, בעל. *Eadem enim inter Beth & Lamed literas consonantes Ain vocalis litera ponitur quæ juxta linguæ illius proprietatem nunc Beel nunc Baal legitur.* Cæterùm Baal Augustino est Juppiter, Eusebio Saturnus. Idem Augustinus *Baalı & Astartibus* interpretatur, *Jovi & Junonibus.* Verba Eusebii habentur Jes. 46. in libro manuscripto, *Bel idolum erat, quod Græci interpretantur idem esse quiapud illos* Κρόνος, *i. Saturnus, dicitur.* Isidorus lib. 7. *Linguâ Punicâ Bal Deus dicitur, Apud Assyrios autem Bel vocatur & Saturnus & Sol.* Nam *Baal* Pœni contractiùs enuntiant *Bal*, unde composi-

ta sunt *Hannibal* & *Hasdrubal*. Sanè Karthaginenses nomina sua ità frequenter terminabant. Hic etiam *Balsamum*, de quo diximus antea. Fiebat cum ex alia materia, tum ex auro: unde apud prophetam Hoseam, *aurum quod insumpserunt in Baal*. Eusebius Προπαρ. pag. 266. *Idolum erat aureum, cui nomen Baal, quod evertit Jeremias propheta*. Quæ de Astarte diximus ex August. ea illustrabis verbis Scaligeri, *In sacris*, inquit, *literis, Baal & Astarte conjunguntur: & Astarte* עשתרת *dicitur. Sed indigenis* עשתרות *dicta videtur. Unde Astarta, non Astora dicta, ut eadem fuisse videatur Astarte cum Cœlesti, & proinde cum Junone, ut & Augustinus quoque putavit.*

9. *In captionem*] Θήραν vertit *captionem*. Lex. vet. Θήρα, *captatio*. Θηρευτὴς, *captator*, *venator*. Hilarius, *in laqueum*, *& in captionem*, *& in retributionem & in scandalum*. Gaza θήραν ποιεῖν apud Aristotelem interpretatur *capturam facere*. Recentior interpres *pro tendicula*. Si rectè, θήρα erit *instrumentum quo feras venantur*. Significat etiam *venationem*, h. e. prædam venatu captam. Exstat eo sensu *venationis* vocabulum in Livio. ¶ *In retributionem*] Sic est in Psalterio Romano; sed in Gallico *in retributiones*: quomodo etiam Hieron. vertit in Davide לשלומים, & post eum Santes. Sym. authore Theodoreto, εἰς τιμωρίαν. Potest fieri ut legerint שלומים pro eo quod nunc legunt שלומים, i. *paces*, non *pacifica*. Nam *pacifica* שלמים dicuntur. Syrus, *& ultio eorum in scandalum*, שלומם *retributio eorum*, aut *retributio illis*, i. eorum, ut צרה לי, *angustia mihi* pro צרתי *angustia mea*.

26. *Qui eripiat*] הגואל *qui redimat*, i. *redemptor* aut *liberator*. Nam *redimere* aliquando *liberare* sign. quod vel iste locus evincit. Sane ὁ ῥυόμενος *qui liberat*, aut *liberator*.

35. *Quis prior dedit ei*, &c.] Videtur in mentem habuisse locum Job 41. 2. *Quis antevertit me, & reddam? quicquid sub cælo meum est. Antevertit*, i. *prior dedit*. Nam quid Deo dare possumus nisi de suo? nam ab eo omnia accepimus. Scitum illud, *Da ei de suo, quia tu & omnia tua illius sunt. Bonum meum*, inquit David, *nequaquam ad te*, sub. *pertingit*, aut *pervenit*.

CAMERON.

23. ἘΆΝ μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιςίᾳ, ἐγκεντρισθήσονται] Videtur hic requiri conditio aliqua antecedanea, tum promitti aliquid consequens, quâ ratione fiet ut præcedat fides, saltem ut nè Judæi perseverent in incredulitate, sequatur autem hæc insitio. Et verò difficultatem auget, quòd *insitio* hic non dignitatem significat: etenim hic mentio fit *potentiæ*, non autem *potestatis* Dei. Porrò potentiæ quidem Divinæ opus est nos inserere Christo per fidem; hæc enim est efficacia & vis Spiritûs Dei in nobis: at dignitatem illam tribuere quæ fidem sequitur, potestatis est. Non est enim potentiæ jus tribuere; sed idoneum reddere cui jus tribuatur, id verò potentiæ est. Sed ad hujus difficultatis solutionem observandum est, esse (ut loquuntur in Scholis) effecta quædam *formalia*, quæ sic vocantur quòd eorum ratio sit in ipsa forma: v. g. quòd quis homo est, est effectum formale animæ rationalis. In hoc genere porrò sic loquimur ut dicamus, *Si hæc materia prædita fuerit animâ rationali, erit homo*: nolumus tamen ista duo re distincta esse. Sic planè, si quis crediderit in Christum, cum dicimus fore Christi membrum: nempe Fides est veluti ratio formalis per quam quis redditur membrum Christi. Atque hæc videtur fuisse mens Apostoli: non enim dicit, Judæos *excisos propter incredulitatem*, sed *excisos incredulitate*: nempe istud excidium Judæorum, est Judæorum obduratio; causa verò, quod ad Judæos attinet, formalis indurationis est incredulitas. Deinde etiam, *Tu verò*, inquit Apostolus, *stas*, non dicit *propter fidem*, sed *fide*: nam causa formalis standi est Fides: quid enim aliud hoc loco sit *stare* quàm *perseverare in fide*?

30. Ὥσπερ γὰρ καὶ ὑμεῖς ποτέ, &c.] Hoc loco Apostolus reddit rationem cur Deus, qui id haud dubiè potuerat, Judæorum obstinatam & præfractam rebellionem emollire noluerit: nam certè Pauli rigorem & contumaciam flexit, idem æquè facilè (libuisset modò) in reliquis effecturus. Atque hic Apostolus, dum id agit ut nobis, quatenus id fieri potest & debet, Divini consilii rationem aperiat, non aliò ducit quam ut agnoscamus eo facto voluisse Deum tam in Gentium quàm in Judæorum vocatione patefacere misericordiam suam, vers. 32. ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ. Profectò, initio statim post lapsum Adæ primi parentis omnium Gentium, cùm Judæorum & reliquarum gentium nullum esset discrimen, illa promissio multò dulcissima, *Semen mulieris conteret caput serpentis*, non magis ad illos quàm ad hos pertinebat. Sed postquam Gentes à vera religione defecere, spretâ eâ doctrinâ quæ iis in familiis unde originem duxere præcipuè vigebat, sivit eas Deus suo more vivere *ambulareque in viis suis*, ut jam diu volutati ac demersi veluti in barathro quodam omnis generis scelerum atque flagitiorum, vocati tandem ad communionem gratiæ Dei in Christo, spectaculum præberent & exemplum illustre Divinæ benignitatis. Ad eundem planè modum passus est Deus Judæos indulgere sibi, & nativæ solitæque contumaciæ ac rebellioni adversus Spiritum S. habenas laxare, ut postquam Gentium more ignorantiæ & seculi tenebris diu obruti & sepulti jacuerint, tandem & in ipsorum vocatione ad salutem Deus edat misericordiæ suæ haud minùs illustre specimen & documentum quàm ediderat in Gentium vocatione, postquam jam ii & suo ipsorum & omnium hominum judicio re ac factis probarint sese haud minùs Gentibus indignos quorum Deus misereatur. Hoc verò illud est quod insigni epiphonemate concludit Apostolus, *Deus omnes conclusit sub peccato, ut omnium misereatur*. Ὦ βάθος πλούτου &c.

JAC. CAPPELLUS.

28. SEcundùm Evangelium quidem, *sunt exosi* Deo *propter vos*; *Secundùm electionem autem*, *sunt dilecti propter Patres*] q. d. Sanè si spectetis *Evangelium*, Evangelii prædicationem, ex quo cœpit Evangelium promulgari, Deus suum in Judæos *odium*, i. iram, testari & exserere cœpit, ut vobis, ô Gentiles, gratiam faceret: at si spectetis *electionem*, quâ populum hunc à reliquis omnibus segregavit & inter omnes eximium reddidit, *eos adhuc amore complectitur propter Patres* à quibus sunt orti, Patriarchas scilicet & Prophetas, h. e. propter fœdus quod cum illis Patribus iniit.

29. *Irrevocabilia sunt enim Dei dona & vocatio*] i. Dona vocationis ab electione profluentis. Quòd si dona ab electione gentis integræ tot putridis membris constantis profluentia sunt irrevocabilia, quantò magis irrevocabilia sunt dona à singulorum electione profluentia, cùm in eo delectu nullum sit membrum quod non speciatim vocet, sanctificet ac justificet Deus in Christo? Et certè constantia quam in Judaicæ gentis electione commendat Apostolus nobis est argumentum & pignus constantiæ quam in singulorum electione pollicetur Deus.

LUD. CAPPELLUS.

8. DEdit illis Deus πνεῦμα κατανύξεως, *Spiritum soporis*] Rectè observavit Beza, testimonium hoc desumptum esse ex Esa. 29. 10. & 6. 9. rectè etiam κατάνυξιν reddit *soporem*. Verum cum propriè significet *compunctionem*, versionis suæ non aliam reddit rationem nisi quòd vox Hebraica תרדמה, quâ eo loco utitur Esaias, significat *soporem* seu *gravem somnum*. Quod verissimum est. At satis non est ad tuendam significationem vocis Græcæ κατάνυξις, quæ propriè significat *compunctionem*, non verò *soporem*. Quæri nempe potest cur LXX תרדמה reddiderint κατάνυξιν. Nempe Græcis quidem νύσσειν est *pungere*, *vellicare*, & *acri quodam morsu veluti fodere*. Unde illud Act. 2. 37. κατενύγησαν *compuncti sunt*. Juxta quam significationem videtur vox illa derivari à Chald נעץ, quæ sig *figere*, *infigere*. Unde נעצוצים Hebræis sunt *aculeata vepreta*, quæ pungunt, & quorum aculei infiguntur carni cùm attrectantur. At Judæis, qui inter Græcos versantes linguâ Græcâ sed impuriore utebantur, νύσσειν significat idem quod νυστάζειν, *dormitare*, *consopiri*, & κατάνυξις idem quod νυσταγμός. Quæ significatio liquet primùm ex Syrach. 21. 22. *Est aliquis*, inquit, *qui prohibetur peccare propter inopiam*, (h. e. qui ideo non peccat quia vires illi desunt ad ea patranda scelera quæ animo designavit) καὶ ἐν τῇ ἀναπαύσει αὐτοῦ οὐ κατανυγήσεται, *quique in requie* (h. e. cubili, lecto) *sua non consopitur*, h. e. tanto tenetur atque ardet peccandi desiderio ut nè quidem in lecto somnum capiat, quia totus est in machinandis dolis & artibus quibus aliquem lædat. Secundò, ex LXX Interp. qui voces Hebraicas quæ *somnum* & *soporem* significant reddunt per Gr. κατανύσσειν ex. g. נרדם Dan. 10. 9. *audivi vocem verborum ipsius*, *& cùm audivi vocem verborum ipsius*, *ego* היתי נרדם *consopitus sum*. LXX ἤμην κατανενυγμένος. Unde תרדמה κατάνυξις. Esa. 29. 10. loco jam citato, πεπότικεν ὑμᾶς Κύριος רוח תרדמה πνεύματι κατανύξεως *Spiritus soporis*. Significatio *pungendi* eo loco minimè quadrat, imò apertè contraria est & dissonans. Item נאלם *obmutescere*. Dan. 10. 15. *Posui faciem meam in terram*, ונאלמתי *& obmutui*, h. e. veluti *consopitus sum*. LXX καὶ κατενύγην. Sic דמם, quod *quiescere*, *silere* sign. LXX aliquoties reddunt per κατανύσσειν. Vide Levit. 10. 3. Κατενύχθη Ἀαρὼν, h. e. *siluit Aaron*. Psal. 4. 4. ἐπὶ ταῖς κοίταις ὑμῶν κατανύγητε, *silete*, *quiescite super lectos vestros*. Es.

47. 5.

47. 5. *Κάθισον κατανενυγμένη. Sedeto silens & quieta.* Denique תרעלה redditur à LXX *κατάνυξις*, Psal. 60. 3. *potasti nos* יין תרעלה *vino commotionis.* Aquila reddidit *καρώσεως*, Symm. *καταφορᾶς*, Hieron. in translatione facta ex Heb. *vino consopiente*, LXX *οἶνον κατανύξεως* quod V. Interpres Latinus reddidit *vino compunctionis* sed malè; reddendum enim est *vino soporis*, h.e. quod inducit soporem atque somnum. Ex his satis liquet *κατανύσσειν* apud LXX interdum esse idem quod *consopiri*. Hanc significationem huic voci Græcæ competere hinc fortè putarunt. Primò, quòd videtur vox Græca *νύξ* *nox* deduci à *νύσσειν*, nox autem quieti & sopori atque somno à natura est dicata. Secundò, quia *νυστάζω* videtur esse veluti frequentativum *τοῦ νύσσω*, & alterum ab altero videtur deductum. Tertiò denique, Arabibus نعس significat *sopori*, *consopiri*, unde fortè putarunt Græcum *νύσσω* esse derivatum: quomodo à Chal. נכס videtur deductum quatenus significat *fodere*, *vellicare*, *pungere*. Sic videtur liquere & *κατανύσσειν* à Græciensibus Judæis usurpari pro *sopiri*, & cur atque unde significationem istam huic voci accommodarint.

G R O T I U S.

1. ΛΕγω οὖν *Dico ergo*] *Dico igitur*, nempe ad eam quæ jam recitabitur objectionem. ¶ Μὴ *ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ*; *Numquid repulit Deus plebem suam?*] In Manuscripto hic non minùs quàm infra additur, *ὃν προέγνω* [*quam præscivit*], quod rectum puto. Et ita apparet legisse Origenem, Chrysostomum, Oecumenium & Græcos alios: ut optimum sit *ἀντίθετον* [*oppositum*] verborum *προέγνω* [*præscivit*] & *ἀπώσατο* [*repulit*]. Nam *προέγνω* Hebræa locutione est *prius approbavit*, de qua locutione diximus supra 8. 29. *ἀπώσατο* verò ei contrarium respondet Hebræis מאס, נטש, זנח, געל, הדיח, הדף, נאץ, quæ omnia in *despectûs* significatu usurpantur, pleraque autem primitivâ vi significant *à se removere*, *depellere*, *abjicere*, ad alterum autem illum significatum ideo deflexa sunt quod quæ aversamur, ea à conspectu nostro soleamus amovere. Quærit ergo is, cui Paulus disputanti respondet, an hoc velit Paulus, *Eundem populum prius amatum à Deo, nunc ab eo despici.* Quò tam variè? Non multò aliter Gedeon Judicum 6. 13. *μὴ οὐχὶ ἐξ Αἰγύπτου ἐξήγαγεν ἡμᾶς Κύριος, καὶ νῦν ἐξέῤῥιψεν ἡμᾶς*; [*non ex Ægypto eduxit nos Dominus, & nunc projecit nos?*] Responsurus Paulus primùm more suo aversatur hoc dictum. ¶ *Μὴ γένοιτο Absit*] *Longe id absit. Non dereliquit Deus populum suum*, 1 Sam. 12. 22. ¶ *Καὶ γὰρ ἐγὼ Ἰσραηλίτης εἰμί, ἐκ σπέρματος Ἀβραάμ, φυλῆς Βενιαμίν. nam & ego Israelita sum ex semine Abraham de tribu Benjamin*] Quasi dicat *Si hoc dicerem, omnes omnino Israëlitas Deo exosos, jam & ego sine ulla spe essem salutis & frustra tanta perpeterer. Sum enim & ego non tantùm ex Abrahamo ortus, sed & ex Israële, nempe per Benjaminum.* Designatè originem suam explicat quò minùs de ea dubitetur. Vide Philipp. 3. 5.

2. *Οὐκ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ ὃν προέγνω. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit*] Negatione aperta respondet objectioni. Nunquam Deus totum populum ex Israële ortum amavit, ita ut ad veram justitiam & quæ ei cohæret salutem omnes deduceret, sed quosdam. Non ergo iidem sunt aut pares planè quos approbavit in hoc, & quos nunc despicit. Aliquos à Deo repelli nihil erat novi. Vide Deut. 29. 28. ubi est in Græco *ἐξέβαλεν αὐτούς* [*ejecit eos*]. ¶ *Ἢ οὐκ οἴδατε ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή*; *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura?*] Id est, In illa parte libri Regum qui, quòd res Eliæ contineret, ideo *μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem*] de ejus nomine appellatur. ¶ *Ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ, λέγων· quemadmodum interpellat Deum adversus Israel dicens*] *Λέγων* [*dicens*] abest in Manuscripto; bene: nam sicut *ἐντυγχάνειν ὑπέρ τινος* [*interpellare pro aliquo* est *negotium alicujus commendare*, ita *ἐντυγχάνειν κατά τινος* [*interpellare adversus aliquem*] est *aliquem accusare.* Vide 1 Maccab. 8. 32. & 10. 61, 63, 64. & 11. 25.

3. *Κύριε τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν καὶ τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν, κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου. Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam*] In Græco 1 Regum juxta Hebræos juxta Græcos 3 Regum 19. 10. verba sunt prope eadem, *Τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν καὶ τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ὑπολέλειμμαι ἐγὼ μονώτατος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου λαβεῖν αὐτήν* [*Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam ut auferant eam*] Illud *ἐγὼ ὑπελείφθην* [*ego relictus sum*], vel *ὑπολέλειμμαι μόνος* aut *μονώτατος* [*relictus sum solus*], idem est quod apud Horatium, *Nunc ego resto.* Quid sit *ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου* [*quærunt animam meam*] patet ex iis quæ dicta ad Matth. 2. 20. *Altaria* illa quæ hîc *eversa* dicuntur, ea erant quæ pii in decem tribubus sibi struxerant, ex quo permissi non erant ad templum ire, quo tempore lex de altaribus alibi struendis cessare videbatur. Ita Kimchi.

4. *Ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός*; *Sed quid dicit illi Divinum responsum?*] *Χρηματίζειν* dicitur de omni ratione quâ Deus hominibus aliquid præter ordinem significat, ut Matth. 2. 12, 22. Luc. 2. 26. Actor. 10. 22. Hebr. 8. 5. & 11. 7. Sed hic propriè *χρηματισμὸς* est vox illa tenuis quam Hebræi vocant בת קול [*filiam vocis*], cujus mentio dicto loco 1 Reg. 19. 12. ¶ *Κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*] In Græco Regum postquam prædixit Deus clades quas Iehu & Elisæus erant edituri, sequitur, *Καὶ καταλείψεις ἐν Ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν πάντα γόνατα ἃ οὐκ ὤκλασαν γόνυ τῷ Βάαλ* [*Et relinques in Israël septem millia virorum, omnia genua quæ non flexerunt genu ipsi Baal*]. Sed Paulus Hebræum pressiùs sequitur, ubi est והשארתי, quod est secundùm conjugationem *κατέλιπον* [*reliqui*], at locutione valde recepta, maximè post copulam, valet *καταλείψω* [*relinquam*], *Reliqua faciam septem millia.* Et puto in aliis Græcis versionibus, quas viderat Paulus, fuisse *κατέλιπον* [*reliqui*]. Emollita quoque à Paulo est appositio: nam quod in Hebræo & Græco est *septem millia omnia genua quæ se non flexerunt Baali*, hîc est, *septies mille qui genu non flexere Baali*, sensu eodem. Sed cur hic in feminino *τῇ Βάαλ* [*Baali*]? In Tobia legitur *τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει* [*Baali vitulo*], ubi alii codices *δυνάμει* [*potentiæ*]. Sed in Achabi historia ad quam hæc pertinent, videmus *Baalem* disertè distingui à *vitulis*, & in hoc culpam Achabi graviorem fieri quàm Jeroboami, quòd Jeroboamus vitulos tantùm, Achabus autem Baalem coluerit, idque Sidoniorum exemplo, 1 Reg. 16. 31. Non malè igitur viri docti sentiunt subaudiri hic nomen *εἰκόνι* [*simulacro*] quod vocabulum pro *idolo* positum habes, Deuter. 4. 16. 2 Paralip. 34. 7. Ezechiel. 7. 20. & 8. 5. Esai. 40. 19. Dan. 3. 1. & sequentibus. Et nominatim de *Baale* 4 Regum 11. 19 & generaliter ubi simulacri alicujus, etiam Molochi, mentio, *τὴν Βάαλ* [*Baal*] solent dicere LXX, ut Jud. 3. 7. Oseæ. 2. 8. Jerem. 2. 8. in Græco. 11. 14. & 19. 5. & 32. 35. Soph. 1. 4. Sensus in oraculo manifestus est, Effecturum Deum ut cladibus illis super tribus decem venturis intacti manerent, qui *Baalis* imagini nec genua flexerant, nec osculum dederant; planè sicut qui Legem observarunt, exempti sunt ab excidio Hierosolymorum facto per Nabuchodonosorem, Ezech. 9. 4. Hi fuere quos Deus illis temporibus *ἔγνω* [*cognovit*], id est, *pro suis agnovit.*

5. *Οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ factæ sunt*] Id est, Communi vitiositati Judæorum erepti sunt pauci beneficio profecto ex summa Dei bonitate. *Λεῖμμα* est שאר vel שרד quod & *κατάλειμμα* [*reliqua*] supra 9. 27. pauci de multis. *ἐκλογὴ* [*electio*] est *quodvis Dei beneficium.* In Euangelio *omnia ea quæ ad æternam vitam ducunt.* *Χάρις* [*gratia*] unde fluit *ἐκλογὴ* [*electio*], est *Dei bonitas.* Hoc beneficium fuit vocatio per Euangelium. In Perek Melek legimus dictum Rabbini Sinai, *In terram Canaan introierunt de sexcentis millibus bini tantùm: idem fiet in diebus Messiæ.*

6. *Εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων Si autem gratiâ, jam non ex operibus*] Id est, Quò insignius esset beneficium, fecerat hoc Deus etiam in eos quorum pia facta non præcesserant. Vocati sunt & paruere non minùs homines vitæ ante flagitiosæ, quàm qui emendatiùs vixerant. ¶ *Ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις. alioquin gratia jam non est gratia*] Hoc comparativè dictum: potest & in operantes beneficium conferri, sed tunc minùs apparet beneficii magnitudo. Est *ὀξύμωρον* [*acutifatuum*]. Non est verò idem quod hic tractatur, & quod supra initio capitis 4. Ibi de justitiæ effectibus, hîc de causis tractatur: ibi *λογίζεται κατὰ χάριν* [*imputatur secundùm gratiam*]. Hic *λεῖμμα χάριτι γέγονε* [*reliquiæ gratiâ factæ sunt*]. Imò & vita æterna ibi *χάρισμα* [*donum*] 6. 23. ita accipimus *χάριν ἀντὶ χάριτος* [*gratiam pro gratia*] Johan. 1. 16. ¶ *Εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον. sin ex operibus, jam non est gratia, alioquin opus jam non est opus*] Hæc rectè desunt in Manuscripto, nec legit Latinus interpres, sed nec Origenes, nec Ambrosius, nec Chrysostomus.

7. *Τί οὖν*; *Quid ergo?*] Quid ergo est quod doceo? An eos qui olim amati fuerant à Deo, jam despectos? non san. ¶ *Ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραὴλ τούτου οὐκ ἐπέτυχεν Quod quærebat Israël hoc*

non

non est consecutus] *Israël* hic pro *majori parte Israëlis*, *ea non assecuta est quod quærebat*, nempe justitiam quæ apud Deum valeret. Idem sensus qui supra 9. 31. Causam autem cur non sit assecuta, hic non reperit, quæ petenda est ex 9. 32. & 10. 3. ¶ Ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν, *electio autem consecuta est*] Ἡ ἐκλογὴ [*electio*] hic pro ἐκλεκτοὶ [*electi*], quomodo περιτομὴν [*circumcisionem*] supra & δικαιοσύνην [*justitiam*] habuimus pro *circumcisis* & pro *justis*. Sic & Daniel dixit 11. 15. מבחריו, id est, ἐκλογὰς αὐτῶν [*electiones eorum*] pro *viris electis*. Ἐκλεκτοὶ [*electi*] autem sunt cum effectu intelligendi, ut supra κλητοὶ [*vocati*], ii quibus maxima à Deo beneficia obtigere, quique eis uti non neglexere. ¶ Οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν. *cæteri vero excæcati sunt*] Reliqui qui hoc beneficium aspernati sunt, *induruere*, id est, Non tantùm non exuere vitia, sed & pejores effecti sunt, quod maximè apparuit ex ipsorum in Christianos sævitia. Πωροῦν *excæcare*], idem quod σκληρύνειν [*indurare*], Johan. 12. 40. 2 Corinth. 3. 14. unde πώρωσις [*excæcatio*] infra 25. Alibi πώρωσις [*excæcatio*] *tarditatem in re aliqua comprehendenda* significat. Hebræum כהה vertitur per πωροῦν *caligare*], alibi per βαρύνειν [*indurare*], de quo verbo supra 9. 17. alibi per ἐκτυφλοῦν *excæcare*]

8. Καθὼς γέγραπται, *Sicut scriptum est*] Esaiæ 29. 10. ¶ Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, *Dedit illis Deus spiritum compunctionis*] Sensum expressit memoriter, ut sæpe. Nam in Esaia ad ipsum populum loquitur Propheta, & ait, Πεπότικεν ὑμᾶς Κύριος πνεύματι κατανύξεως [*Potandum vobis præbuit Dominus spiritum compunctionis*] Prior mutatio eò minoris momenti, quòd & Propheta eodem commate à secunda persona in tertiam transit, ut & alii Prophetæ sæpe. Nec altera ullius est momenti, cùm *dare spiritum* κατανύξεως [*compunctionis*] idem sit quod eum *potandum præbere*. Est autem κατάνυξις hoc loco non à κατανύττειν, *pungere*, unde κατενύγησαν. [*compuncti sunt*] Act. 11. 37. sed à veteri κατανύω. Simplex est νύω pro νεύω, quod in Latinis mansit *nuo*, unde *nutus* & *nutare*. Hinc νύζω, νυστός, & νυστάζω quod est *nutare*, id est, *caput concutere*, ut solent non tantùm dormitantes, & senes qui

Omnia omnibus annuunt, —

ut ait Catullus, verùm etiam quos invasit stupor. Nomen Hebræum in Esaia est תרדמה, quod Aquila vertit καταφορᾶς [*veterni*], Theodotion ἐκστάσεως [*alienationis mentis*], quomodo idem nomen verterunt LXX Geneseos. 2. 21. & 15. 12. & nomen idem valens נום: Psalm. 76. 7. & 1 Samuel. 26. 12. תרדמה vertitur θάμβος [*stupor*], & Job. 4. 13. & 33. 15. φόβος [*timor*]. Verbum quoque Hebræum רדם, unde istis nominibus origo, vertitur non modò per νυστάζειν [*nutare*], sed & per ἀποσκαρίζειν. In Daniele etiam 8. 10. & 10. 9. per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] significat *cadere*, vertiturque altero loco per κατανύσσεσθαι, altero per πίπτειν *cadere*], sensu eodem. Est ergo *spiritus* κατανύξεως talis animi commotio quæ homines vecordes ac velut exsensos facit, quod multis haud dubiè evenit Judæis, cùm ingens ille Sennacheribi exercitus terram invasit & ad urbem Hierosolyma castra posuit, de quo tempore agit Esaias: sed optimè id ipsum aptatur Judæis, qui postquam Christum cum sua cruce exhorruerunt, quæ esset vera justitia cognoscere, multoque magis eam adipisci nequivere, ac sic in gravissima mala, tum hujus, tum alterius seculi inciderunt. ¶ Ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, *oculos ut non videant*, & *aures ut non audiant*] Deprompta hæc ex Esaiæ 6. 10, ubi est in Græco, Τοῖς ὠσὶν αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ τοῖς ὠσὶν αὐτῶν ἀκούσωσι [*Auribus suis graviter audierunt*, & *oculos suos clauserunt*, *ne videant oculis vel auribus suis audiant*]. Illud τοῦ μὴ βλέπειν [*ut non videant*] est vice nominis in genitivo positi more Hebræo ad significationem adjuncti. Bene autem Deo hîc adscribitur quod in Esaia ipsis Judæis, quia sicut Pharao priùs induravit cor suum, deinde Deus cor Pharaonis, ita & qui videre conspicua noluerunt, eis in posterum etiam judicii vis hebetatur. De loco Esaiæ satis egimus ad Matth. 13. 14. & Actor. 28. 26. Nimirum ita se res habet,

> Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινὰ,
> Τούτῳ τὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
> Τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
> Γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.
> [*Divina quoties ira quenquam hominum premit*,
> *Primum bonam illi deripit de pectore*
> *Mentem*, *inque pejus omne consilium trahit*,
> *Errationes ipse ne videat suas*].

Quo loco utens Lycurgus Orator contra Isocratem, Οἱ θεοί, inquit, οὐδὲν πρότερον ποιοῦσιν ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσι [*Primum omnium mentem malorum pervertunt dii*]. Quem sensum sic expressit Vellejus Paterculus, *Quippe ità se res habet*, *ut plerumque cui fortunam mutaturus est Deus*, *consilia corrumpat*. Ammianus verò Marcellinus, *Solent manum injectantibus fatis hebetari sensus hominum* & *obtundi*. Nec aliter sensere Judæi veteres, ut ex Philone etiam & Josepho apparet; & Christiani. Cypriani est Epistola 55. *Ira est Dei non intelligere delicta*, *ne sequatur pœnitentia*. *Sicut scriptum est* & *dedit illis Deus spiritum transpunctionis*, *ne revertantur scilicet* & *curentur* & *deprecationibus* & *satisfactionibus justis post peccata sanentur*. Et sermone de lapsis, *Nec nos quorundam moveat aut error improvidus aut stupor vanus*, *qui cum teneantur in tam grandi crimine*, *percussi sunt animi cæcitate ut nec intelligant delicta nec plangant*. *Indignantis Dei major hæc plaga est*. Salvianus lib. 6. de Gubernatione Dei, *Nam ita cunctos crimina sua præcesserant ut nec metuerent periculum suum*. *Prænoscebatur captivitas nec formidabatur*. *Ablatus quippe erat à peccatoribus timor ne posset esse cautela*. *Itaque barbaris penè in conspectu omnium sitis*, *nullus metus erat hominum*, *non custodia civitatum*: *tanta animorum vel tanta potiùs peccatorum cæcitas fuit*, *ut cùm absque dubio nullus perire vellet*, *nullus tamen id ageret ne periret*. ¶ Ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. *usque in hodiernum diem* Construitur hoc cum ἐπωρώθησαν [*excæcati sunt* quod præcesserat, cæteris per παρενθήκης [*interpositionis*] modum interjectis. Providè hoc addidit Paulus: non enim omnes quos indurat Deus, in perpetuum indurat, sed quosdam gravia peccare, aut etiam in pericula incidere sinit, ut sic eos velut ex somno excitet, novaque experimenta capiat, an bona neglecta accipere velint. Nam inter illos Judæos, de quibus hunc Esaiæ locum usurpaverat Christus, Matth. 13. 14 Marc. 4. 12. Luc. 8. 10. Johan. 12. 40, fuere illi qui conscientiâ parricidii in Christum commissi & metu malorum, quæ Apostoli minabantur, Euangelium priùs spretum recepere. Actor. 2. 37, 38, 39, 40, 41. De eadem obduratione loquens Paulus 2 Corinth. 3. addit ἄχρι τῆς σήμερον & ἕως σήμερον [*usque in hodiernum diem*]

9. Καὶ Δαβὶδ λέγει· Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς θήραν, καὶ εἰς σκάνδαλον, καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς. *Et David dicit*, *Fiat mensa eorum in laqueum*, & *in captionem* & *in scandalum*, & *in retributionem illis*] De simili scilicet hominum genere Psal. 69. 23. In Græco ibi, Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν, καὶ εἰς σκάνδαλον [*Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, & *in retributionem*, & *in scandalum*]. Quæ optimè cum Hebræo conveniunt, nisi quod ibi est futurum יהי [*erit*], sed quod sæpe apud Hebræos sumitur pro precativo. שלומים autem rectè vertitur ἀνταπόδομα vel ἀνταπόδοσις [*retributio*], sicut & interpretes שלם sæpissime vertunt ἀποδιδόναι] *retribuere*]. Paulus, ut solent qui memoriter aliquid citant, sensum bene expressit, & verba pleraque, non tàmen scrupulosè. Nam primùm omittit ἐνώπιον αὐτῶν [*coram ipsis*] quod solet addi *mensæ*, ut Psalm. 23. 5. Ezech. 23. 41. Deinde post εἰς παγίδα [*in laqueum*] addidit καὶ εἰς θήραν [& *in captionem*], id est, *capturam quæ fit per laqueum*, ut faciliùs intelligatur id quòd hic significatur per *laqueum*. Pro ἀνταπόδοσιν posuit ἀνταπόδομα [*retributionem*], & ordinem invertit, præponens illud εἰς σκάνδαλον *in scandalum*]. Loquitur David de iisdem de quibus Psalm. 41. 9: qui cùm adeò familiares ipsi fuissent ut quotidie conviviis ipsius interessent, ipsum apud Saulem fœdè calumniati erant perniciemque ei struxerant. Eis ex spiritu Legis optat paria. Et per *mensam* intelligit *mensæ participes* per μετωνυμίαν [*Transnominationem*]. Optat igitur ut amici & convivæ eorum eos decipiant; ut quod Davidi fecerant, ipsi inveniant, & sic impingant in mala quæ nostris Hellenistis σκάνδαλα [*scandala*]. Mystico sensu *mensa* potest intelligi *altare*, Malach. 1. 7. & per *altare* συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*] Templum, quo incenso multi Judæi partim flammis interiere, partim capti sunt.

10. Σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν *Obscurentur oculi eorum ne videant*] Id est ἕως τοῦ μὴ βλέπειν [*ut non videant*]. Solet autem hoc dici de gravibus miseriis, ut videre est Lam. 5. 17. Et hoc & quod sequitur planè Græco Interpretum LXX respondet. ¶ Καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διαπαντὸς σύγκαμψον. & *dorsum eorum semper incurva*] מתנים propriè *lumbos eorum* significat, sed ob vicinitatem solet id nomen & pro *dorso* poni, ut Psalm. 66. 2. ἔθου θλίψεις ἐπὶ τὸν νῶτον ἡμῶν [*posuisti tribulationes in dorso nostro*]. Illud σύγκαμψον [*incurva*] positum est pro Hebræo המעד quod est *commovere* atque etiam *lassare*, Nam מעד Aquila ὁ ἀκριβὴς

[*diligentissimus interpres*] vertit ἀτονεῖν, *lassescere.* Idem autem valet *curvare dorsum*, quod *lassare*: utroque enim significatur *onerum gravium impositio*, & per id *servitus*, qualis innumeris Judæorum evenit per Titum.

11. Λέγω οὖν, *Dico ergo*] Eadem locutio quæ supra v. 1. *An hoc dico quod mihi imputatur?* ¶ Μὴ ἔπταισαν ἵνα πέσωσι; *numquid sic offenderunt ut caderent?*] *An dico eos ita lapsos ut cadant?* id est, ut in casu maneant: nam sæpe verba sumuntur in sensu durationis. πταίειν, נגף [*offendere*] poni solet de eo *qui impellitur*. נפל autem quod per πίπτειν [*cadere*] vertitur, sæpe *jacendi* habet significationem: ut cùm dicitur Apoc. 18. 2. ἔπεσεν ἔπεσε [*cecidit, cecidit*], id est, *plane jacet*: ideoque pro eo ponitur κατακλίνεσθαι [*jacere*], Exod. 21. 18. Et eodem sensu ῥίπτεσθαι [*projicere*] Luc. 4. 35. & ταπεινοῦσθαι [*humiliare*] Esther. 6. 13. Esai. 3. 25. in Psalm. 37. 24. ὅταν πέσῃ οὐ καταραχθήσεται. כי יפל לא יוטל [*cum ceciderit non collidetur*], idem est quod hic dicitur, *Non manebit semper in lapsu.* Per hoc autem Apostolus indicat quod supra, cùm dixit ἕως σήμερον ἡμέρας [*usque in hodiernum diem*]. ¶ Ἀλλὰ τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. *sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur*] Ad illud σωτηρία [*salus*] subauditur ἐγένετο [*facta est*], quod supplevit Syrus. Sensus est, Deus Judæorum plurimos ob contumaciam ipsorum ad tempus dereliquit, ut eò faciliùs Gentes pervenirent ad veram justitiam quæ hic per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *salus* dicitur, ut conspectâ ipsorum sanctimoniâ & donis spiritualibus, Judæi illi æmulatu tanti honoris amplecterentur ea quæ spreverant. Vide supra 10. 19. Judæorum incredulitas duobus modis serviit Gentibus, Primùm quòd ea ratione apparuit nullam injuriam à Deo Judæis fieri quod Gentes vocaret ad ea quæ ipsi repudiaverant: de quo vide ad Matth. 24. 14. Deinde, quòd si Judæorum pars maxima in Christum credidisset, ea obstitisset ne Gentes, nisi circumcisæ & legi Mosis subditæ, ad corpus Ecclesiæ reciperentur, ut videre ex Actor. 15. 1. & 21. 20. Nunc verò multò minor pars cùm essent, Legem dare cæteris non potuere. Ita ex tenebris Deus lucem fecem exsistere, sapientiâ sanè admirabili. παραζηλῶσαι הקניא [*irritare*].

12. *Εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος κόσμου, καὶ τὸ ἥττημα αὐτῶν πλοῦτος ἐθνῶν, Quòd si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium*] Παράπτωμα] *Delictum*] id est quod modò πταίειν [*offendere*], *incredulitas* multitudinis Judæorum: ἥττημα [*diminutio*] *paucitas* Judæorum credentium. Sic & in Græco Esaiæ 31. 8. οἱ δὲ νεανίσκοι ἔσονται εἰς ἥττημα [*juvenes verò erunt in paucitatem*]; id est, *pauci erunt. Illa incredulitas multitudinis, & paucitas Judæorum credentium, facta est opulentia Mundi* sive *Gentium*, quia occasionem istam arripuit Deus Gentes vocandi, quarum Gentium innumera multitudo credidit. Mos Pauli est omnem abundantiam vocare πλοῦτον [*divitias*], ut diximus supra 2. 4. & 9. 23. ¶ Πόσῳ μᾶλλον τὸ πλήρωμα αὐτῶν; *quantò magis plenitudo eorum? Quantò magis multitudo Judæorum credentium* (de quo infra 26.) exemplo suo ac doctrinâ alios ad fidem perducet? πλήρωμα hic est *multitudo*, ut & infra 25.

13. Ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν, *Vobis enim dico gentibus*] Cùm multa hactenus dixisset ad refutandos Judæos incredulos, & ad confirmandos qui crediderant, nunc ad Christianos ex Gentibus suâ potissimum operâ collectos Paulus sermonem vertit, eosque monet ne propter dona à Deo accepta, nimis, aut securi viverent, aut Judæos ut planè deploratos contemnerent odiove haberent. ¶ ἐφ' ὅσον μέν εἰμι ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος, *quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus*] Ex Christi destinatione Actor. 9. 15. & revelatione Spiritûs Sancti facta Ecclesiæ, Actor. 13. 2. quod Petrus ipse agnovit Gal. 2. 7. non quòd, non & Paulus synagogas, & quidem primo semper loco adierit, nec quòd non Petrus, ut Cornelium, ita alios alienigenas converterit, sed quòd Petrus præcipuè in ea se loca conferebat in quibus plurimi erant Judæi, contrà Paulus ubi plurimi alienigenæ. ¶ Τὴν διακονίαν μου δοξάζω. *ministerium meum honorificabo*] Meæ tunc operæ felicitatem prædico, cùm dico multos esse ex Gentibus conversos. Ita præmulcet animos, ut & supra fecerat capitibus 9. & 10. circa Judæos, ne duriùs acciperentur quæ erat subjuncturus.

14. Εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν. *Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis*] Quod de tanta multitudine Gentium conversa loquor, id inter alia facio, ut Judæos ad imitationem provocem quæ ipsis Judæis salutem sit paritura. Vide supra v. 11. *Carnem suam* vocat junctos sibi ortu sanguinis supra 9. 3. locutione Hebræa, quam habes Gen. 29. 14. & 37. 26. εἴπως [*si quo modo*] est non desperantis.

15. Εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν καταλλαγὴ κόσμου *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi*] Ἀποβολὴ [*amissio*] ab ἀποβάλλειν [*amittere*] quod idem cum ἀπωθεῖν [*repellere*] quod habuimus modò commate 1. & cum ἐκβάλλειν [*ejicere*] quod est Deut. 29. 28. *despexerat* Deus *Judæos* qui Euangelium contempserant: eâ occasione *Mundus*, id est, *plurimi ex Gentibus, Deo sunt reconciliati*, id est, specialem quandam Dei amicitiam adepti, facti sunt Dei populus, 2 Cor. 5. 19, 20. Videbant enim ex scripturis Judæorum probatum Euangelium quod Judæi tanto odio oppugnabant. Multi sunt gradus Divinæ καταλλαγῆς [*reconciliationis*], ut & remissionis, distinguendæ pro materia. ¶ Τίς ἡ πρόσληψις, εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν; *quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?* Πρόσληψις [*assumptio*] contrarium est τῇ ἀποβολῇ [*reprobationi*] Προσλαμβάνειν unde πρόσληψις, הקרבה *assumptio*) primo significatu est *propinquum sibi facere*: inde per Translationem, *in tutelam suam recipere*, sicut Deus suscipit credentes Euangelio: Loquitur autem de assumptione magnæ Judæorum multitudinis. ¶ Εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν; *nisi vita ex mortuis?*] Id est, *summum gaudium*; nam Hebræi sicut tristitiam *mortis*, ita gaudium *vitæ* nomine appellant. Hoc vult, Cùm tantum futurum sit hoc gaudium, sustinete Judæos patienter, sicut Deus eos sustinet, & seriò Deum pro eis orate, neque eos contemnite.

16. *Εἰ δὲ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα. Quòd si delibatio sancta est, & massa*] Hæc quæ sequuntur, eò etiam pertinent ne ex Gentibus vocati Judæos, ideo quòd legis ritibus addicti essent, à se segregarent: nam sicut Ebionis spiritus inter Judæos, ita spiritus qui Marcionem postea agitavit, inter Christianos è Gentibus factos incipiebat se ostendere. Contra utrumque hoc hominum genus gravia fuere Apostoli certamina. Adeò difficile est servare mediocritatem. Ἀπαρχὴ plerunque respondet Hebræo תרומה [*oblatio*]. Ea erat *liberalitas quæ de frugibus maturis Deo offerebatur ante decimas*: vocatur & ראשית [*primitiæ*], ut Deut. 18. 4. & 26. 2. Eâ oblatione factâ reliquum frumenti coquere & eo vesci licebat. Id frumentum quia ad coquendum sumebatur, ideo hic vocatur Φύραμα, quod Latinè alii *materiam*, alii *massam* vocant. Ea *sancta* erat, id est, usui humano permissa, sicut cibus dicitur *per preces sanctificari*, & uxor *viro*, 1 Cor. 7. 14. 1 Tim. 4. 5. Pari modo sicut Abrahamus sanctus fuit, ita & posteri ejus fidem ejus imitantes, ac propterea non debent veluti profani ab Ecclesia segregari. Philo totam gentem Judaicam Deo esse velut ἀπαρχὴν [*primitias*] dicit libro de Constituendo principe. ¶ *Καὶ εἰ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι. & si radix sancta, & rami*] Altera similitudo eòdem tendens. Nomen ῥίζης [*radicis*] hîc sumitur συνεκδοχικῶς [*comprehensive*] pro *toto trunco*, unde se rami extendunt: poniturque pro Hebræo גזע, quod modò ῥίζα [*radix*], modò στέλεχος [*truncus*] vertitur.

17. *Εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν, Quod si aliqui ex ramis fracti sunt*], Εἰ δὲ hic valet *quamvis. Quamvis*, ait, *quidam rami defracti sunt.* Utitur voce agricolarum qui inutiles ramos *defringunt.* Vide Joh. 15. 2. Virgilius,

— aut summas defringi ex arbore plantas.

Cicero pro Cæcinna, *Qui prætereuntes ramum defringerent arboris.* Id ipsum intelligit quod ἀποβολὴν ante dixerat שרש [*eradicationem*] in Psalm. 52. 7. & εὐφημισμὸς [*mollior locutio*] est, cùm dicit *quidam* pro *longè plurimis.* ¶ *Σὺ δὲ ἀγριέλαιος ὢν ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis*] Unum aliquem alloquitur pro omnibus: ἐν αὐτοῖς [*in illis*], id est, *positus es inter ramos illius arboris.* Ovidius.

Veneris insitio: fac ramum ramus adoptet.

Sunt autem insitionis plura genera: quorum unum dicitur Græcis ἐνοφθαλμισμὸς, Latinis *inoculatio*, quòd hic videtur significari per ἐγκεντρίζειν [*inserere*], qua voce & Theophrastus utitur. Rectè autem notant & Ambrosius & Hieronymus in hac re eò majus describi Dei beneficium, quòd contra morem est agricolarum feros surculos miti arbori inserere, cùm contrarium fieri soleat, quod & apud rei rusticæ scriptores frequens est, & intelligi potest ex hoc eleganti Epigrammate Callimachi,

Ἡ πάρος ἐν δρυμοῖσι νόθης ζείδωρος ἀμέρης
Ἀχράς, θηρεβότου πρέμνον ἐρημοσύνης,

Ὀθνείοις ἔζωει μετίμφυτος ἥμερα βάλλω,
Οὐκ ἐμὸν ἡμετέροις κλωσὶ φέρουσα βάρος.
Πολλή σοι φυτοεργὲ πόνε χάρις· εἵνεκα σεῖο
Ἀχρὰς ἐν εὐκάρποις δένδρεσιν ἐγγράφομαι

[*Illa ego per saltus steriles telluris alumna*
Circumsepta feris qua fera pyrus eram
Mansuetum pario peregrinis insita ramis,
Et de stirpe mea non mea poma fero.
Vilis eram: sed sit tibi gratia, rustice, per quem
Nunc in laudatis censeor arboribus].

Philo de Diris, ὅτι τὴν ἐκ δυσγενείας ἀρετὴν φυομένην Θεὸς ἀσπάζεται, τὰς μὲν ῥίζας ἐῶν χαίρειν, τὸ δὲ πελεχθὲν ἔρνος, ὅτι μετέβαλεν ἡμερωθὲν πρὸς εὐκαρπίαν, ἀποδεχόμενος [*quia libenter Deus amplectitur virtutem vel ignobilium, qui radices nihil moratur, sed solas stirpes suscipit, mutatas ad frugem meliorem*]. Idem autem hîc figuratè indicat Paulus, quod apertiùs dixerat 4. 11. *oleam* autem potiùs dixit quàm aliam arborem, quia & pulchra est & fructifera Psalm. 52. 10. & ex ea unguntur Reges & Sacerdotes. Vide quæ ad Zach. 4. 3. ¶ Καὶ συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας ἐγένου. *Et socius radicis & pinguedinis olivæ factus es*] Est ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*]. Vult enim dicere, τῆς πιότητος τῆς ῥίζης τῆς ἐλαίας [*pinguedinis radicis olivæ*]. nam à radice succus ad ramos diffunditur, & propriè id convenit oleæ: Jud. 9. 9. *Particeps factus es promissorum, quæ Deus fecit Abrahamo, mysticè acceptorum.* Vide Matth. 22. 23. Συγκοινωνὸς חבר [*consors*].

18. Μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων. *Noli gloriari adversùs ramos*] *Noli despicere ramos defractos*, multò magis adhuc adhærentes. Verbum κατακαυχᾶσθαι [*gloriari*] Jerem. 50. 38. Zach. 10. 12. Jerem. 50. 11. Jac. 2. 13. & 3. 14. in Psal. 52. 1. מה תתהלל, τί ἐγκαυχᾷ [*quid gloriaris*] ¶ Εἰ δὲ κατακαυχᾶσαι, οὐ σὺ τὴν ῥίζαν βαστάζεις, ἀλλ' ἡ ῥίζα σέ. *quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te*] Abrahamus, Isaacus, Jacobus, & alii pii Patres nihil tibi debent, tu illis multum: & propter illos etiam posteris.

19. Ἐρεῖς οὖν, *Dices ergo*] *Dicis igitur.* Verba ponit Christianorum quorundam ex Gentibus, sicut ante Judæorum posuit. ¶ Ἐξεκλάσθησαν οἱ κλάδοι, ἵνα ἐγὼ ἐγκεντρισθῶ. *Fracti sunt rami, ut ego insierar*] Deus Judæos abjiciendo, mihi locum fecit.

20. Καλῶς *Bene*] *Bene dixisti* scilicet. Formula dictum approbantis, ut & εὖ, εὖγε, καλῶςγε, [*Bene, euge, præclare*]. Plena locutio Marci 12. 32. Luc. 20. 39. Ioh. 4. 17. ¶ Τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν *propter incredulitatem fracti sunt*] *Ob incredulitatem defracti sunt.* ¶ Σὺ δὲ τῇ πίστει ἕστηκας *tu autem fide stas*] *Tu verò in fide stetisti*, id est, hactenus mansisti in arbore. Nam עמד sæpe per μένειν [*manere*] vertitur. ¶ Μὴ ὑψηλοφρόνει, *noli altum sapere*] Sicut φρονεῖν [*sapere*] diximus supra 8. 5, 7, 27. non de intellectu, sed de affectu sumi, ita hic & 1 Tim. 6. 17. ὑψηλοφρονεῖν est *superbire*, cui opponitur ταπεινοφρονεῖν [*humiliter de se sentire*]. Sic φρονεῖν μέγα [*magnificè de se sentire*] dixit Euripides. Menander φρονεῖν μέγιστον [*supra modum superbire*]. Et qui tales sunt, ὑπέρφρονες [*arrogantes*] dicuntur, contra modesti φρονεῖν θνητὰ [*mortalia sapere*], φρονεῖν ἀνθρώποις ἴσα [*humanum sapere*]. Superbia ingens vitium, maximè circa ea quæ à Deo data habemus. ¶ Ἀλλὰ φοβοῦ. *sed time*] Timorem ob res temporales excludit fides: non etiam timorem Deum offendendi, Philip. 2. 12.

21. Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit*] *Non pepercit eis*, quò minùs defringeret. ¶ Μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται. *ne fortè nec tibi parcat*] In Manuscripto, quem sæpe laudo, tantùm est, Οὐδὲ σοῦ φείσεται [*nec tibi parcet*], quomodo & Syrus legit: nempe, si & tu à fide deficias, ut illi 1 Tim. 1. 19. & 4. 1. unde seriò monentur omnes *manere in fide* 1 Tim. 2. 15. 2. Tim. 4. 7. 1 Cor. 16. 13.

22. Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεοῦ. *Vide ergo bonitatem & severitatem Dei*] In Glossario ἀπότομον, *rigidum*. Sic ἀπότομος ὀργή, ἀπότομος κρίσις [*ira dura, judicium durissimum*]. Sap. 5. 20. & 6. 5. Sic ἀποτόμως *severe*, 2 Cor. 13. 10. Tit. 1. 13. Origo vocis à medicis qui membra infecta abscindunt. etiam Hebræis חרץ est συντέμνειν [*conscindere*] Dan. 9. 2. unde חרוץ quod σκληρότης [*durities*] vertitur Esaiæ 28. 27. ¶ Ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι. *si permanseris in bonitate*] Id est, *si Dei adversùs te bonitatem retineas.* Sic fides vocatur ἔλεος [*misericordia*] infra v. 31. Si facias quod de se dicit David 52. 8. ἤλπισα εἰς τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ εἰς τὸν αἰῶνα [*speravi in misericordia Dei in æternum*]. ¶ Ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ. *alioquin & tu excideris*] Ἐπεὶ hîc est, *alioqui*, ut supra 3. 6. Utitur sic Plato tum in Gorgia, tum in Hippia minore. Antè locutus est de *ramorum defractione*, hic de *adhibita securi*. Teneri rami *franguntur*, *exciduntur*, qui diu in arbore stetere. Vide Matth. 3. 10.

23. Καὶ ἐκεῖνοι δέ, ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιστίᾳ, ἐγκεντρισθήσονται, *Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur*] Si cesset causa, cessabit effectum. ¶ Δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς πάλιν ἐγκεντρίσαι αὐτούς. *potens est enim Deus iterum inserere illos*] Nihil est præter incredulitatem, quod Deum impediat eos rursum pro suis assumere & paternè tractare. Simile loquendi genus supra 4. 21. infra 14. 4. 2 Cor. 9. 8. 2 Tim. 1. 12. Hebr. 11. 19.

24. Εἰ γὰρ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπης ἀγριελαίου, καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον, *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam*] Vocem hanc καλλιέλαιον [*bonam olivam*] finxit Paulus, ut meliùs eam opponeret ἀγριελαίῳ [*oleastro*], simul respiciens, ut sæpe, in hoc omni sermone ad Psalm. 52. ubi est זית רענן in Græco ἐλαία κατάκαρπος [*oliva fructifer*] ¶ Πόσῳ μᾶλλον, *quantò magis*] *Quantò faciliùs:* quomodo μᾶλλον [*magis*] etiam supra habuimus 5. 9. 10, 15. Facilior est artis effectus, ubi natura adjuvat. ¶ Οὗτοι οἱ κατὰ φύσιν, *ii qui secundùm naturam*] Nempe κλάδοι [*rami*] ex Abrahamo nati. ¶ Ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ, *inserentur suæ olivæ?*] Sic *suam arborem* dixit Ovidius,

Ut sua quod peperit vix ferat arbor onus.

25. Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, τὸ μυστήριον τοῦτο, *Nolo enim vos ignorare, Fratres, mysterium hoc*] Μυστήριον [*mysterium*] est *res arcana quam homines nisi Deo dante scire nequeunt*, ut 1 Cor. 15. 51. Apoc. 10. 7. & 17. 7. Dan. 2. 18, 19, 27, 28, 29, 30, 47. & 4. 6. Dicitur & de hominum arcanis, Tob. 12. 7. Judith. 2. 2. Sirach. 22. 22. & 27. 16, 17, 21. 2 Macc. 13. 21. ¶ Ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι, *ut non sitis vobis ipsis sapientes*] Ex Prov. 3. 7. ubi in Græc. Μὴ ἴσθι φρόνιμος παρὰ σεαυτῷ [*Ne sis prudens apud temetipsum*], secundùm LXX. μὴ ἴσθι σοφὸς [*ne sis sapiens*] secundùm alios interpretes. In Hebræo est, *Ne sis sapiens in oculis tuis.* Manuscriptus hic habet ἐν ἑαυτοῖς [*in vobis ipsis*], quomodo Esaiæ 5. 21. οὐαὶ οἱ συνετοὶ ἐν ἑαυτοῖς *Væ qui sunt arguti in semetipsis*]. Sensus est, Ne existimetis vos ita esse prudentes ut vestro ingenio putetis vos quæ futura sunt posse prænoscere. ¶ Ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, *quia cæcitas ex parte contigit in Israel*] Ἀπὸ μέρους [*ex parte*] hic dixit, ut supra τινὲς τῶν κλάδων [*aliqui ex ramis*], molli locutione, cùm significare vellet *plurimos:* ἀπὸ μέρους & ἐκ μέρους [*ex parte*] frequentia Paulo ubi vult dicere *non omnes*, aut *non omnino.* ¶ Ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ. *Donec plenitudo Gentium intraret*] Πλήρωμα [*plenitudo*] hic ut supra v. 12. est ingens multitudo Gentium facilè exsuperans Judæorum numerum qui non crediderunt. Impletum autem hoc per itinera Pauli, quorum multa suscepit post scriptam hanc epistolam. *Intraverunt* autem, intellige *in Dei populum.*

26. Καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται. *Et sic omnis Israel salvus fieret*] Alludit ad dictum Hebræorum, *Omnem Israelitam partem habiturum in futuro sæculo.* Et, ut sæpe faciunt Apostoli, in sensum meliorem hoc trahens significat id verum fore de *vero Israele*, id est, de iis qui Jacobi sive Israelis patientiam in malis imitabuntur, de *Israele Dei*, ut loquitur ad Gal. 6. 16. Simul autem innuit adesse tempus quo non pauci, ut antea, sed magna quædam multitudo Judæorum Christum esset amplexura. Id autem evenit primum cùm videre Judæi impletum quod Christus dixerat, Idola Romanorum, id est, signa militaria apparitura in conspectu Templi, qua de re diximus ad Matth. 24. 15. Tunc enim multi Christianismum amplexi simul cum ante factis Christianis exempti sunt secuturis malis. Hi sunt illi signati Apocal. 7. Nam sicut olim Nabuchodonosoris tempore omnes qui Legem Mosis erant secuti, & propterea per ת, id est תורה [*legem*] *signati* dicuntur, Ezech. 9. 4. liberati sunt à multorum exitio: ita tunc qui crucis signum gerebant in corde. Post id verò exciso urbe, exciso Templo, cùm jam multò clariùs veritas vaticiniorum Christi appareret, servitutis etiam personalis onus multorum fregisset ferociam, quod & in Babylonio exsilio olim evenerat, multi planè Judæi Christum amplexi sunt, Vespasiano & Tito id non impedientibus. Justinus Judæos in persona Tryphonis alloquens, Ὃν γὰρ τρόπον διὰ τοὺς ἑπτακισχιλίους ἐκείνους τὴν ὀργὴν οὐκ ἐπέφερε τότε ὁ Θεός, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ νῦν οὐδέπω τὴν κρίσιν ἐπήνεγκεν ἢ ἐπάγει, γινώσκων ἔτι καθ' ἡμέραν τινὰς μαθητευομένους εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ καὶ ἀπολείποντας τὴν ὁδὸν τῆς πλάνης

νης· οἳ καὶ λαμβάνουσι δόματα, ἕκαστος ὡς ἄξιοί εἰσι, φωτιζόμενοι διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ τούτου· ὁ μὲν γὰρ λαμβάνει συνέσεως πνεῦμα, ὁ δὲ βουλῆς, ὁ δὲ ἰσχύος, ὁ δὲ ἰάσεως, ὁ δὲ προγνώσεως, ὁ δὲ διδασκαλίας, ὁ δὲ φόβου Θεοῦ [*Quemadmodum ergo propter septies mille illos tum Deus iram suam non intulit, ad eundem modum nunc quoque judicium suum nondum protulit aut profert, sciens in dies adhuc nonnullos disciplinam suscipere in nomen Christi sui & viam seductionis relinquere, qui etiam pro se quisque, ut digni sunt, dona accipiunt per nomen Christi hujus illuminati, atque hic quidem accipit intelligentiæ spiritum, ille autem consilii, alius fortitudinis, alius sanationis, quidam præcognitionis, aliquis doctrinæ, timoris Dei quispiam*]. ¶ *Καθὼς γέγραπται. sicut scriptum est*] Esaiæ 59. 20. ¶ *Ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ. Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob.*] In LXX, *ἥξει ἕνεκα Σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ* [*Veniet propter Sionem qui eripiet, & avertet impietates à Jacob*] Apparet LXX pro ולשבי [*& eis qui redeunt*] legisse ישיב [*& avertet*]. Agitur de Cyro, Christi figura qui *venturus sit ad liberandos Judæos*, nempe *eos qui ex Jacobo*, id est, inter Israëlitas, *ab impietate se converterint*. Ita habet nunc textus Hebræus. LXX verò ita accepere, quasi dicatur Cyrus *liberaturus Israëlitas, & impietates eorum*, id est, pœnas impietatum *aversurus*, quod ad Christum optimè aptari potest.

27. *Καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ᾽ ἐμοῦ διαθήκη, Et hoc illis à me testamentum*] *Hoc est quod ipsis promitto.* Sequitur dicto Esaiæ loco, *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dixit Dominus, à modò & usque in sempiternum*; ut habet Latina versio, id est, *Prophetiæ tibi mandatæ implebuntur*, ut ad illum locum diximus: sed Paulus qui diversa Prophetarum loca solet compingere, ut vidimus supra v. 8. alium ejusdem Prophetæ locum arripuit 27. 9. Ubi similia verba præcedunt, *καὶ τοῦτό ἐστιν εὐλογία αὐτοῦ* [*& hoc est benedictio ejus*]; sequitur verò, *ὅταν ἀφέλωμαι τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῦ* [*cùm abstulero peccatum ejus*], pro quo Paulus ponit ¶ *Ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. cùm abstulero peccata eorum*] Sensu planè eodem: nam singularia sæpe pro rerum de quibus agitur universitate ponuntur. In Hebræo est, *ut removeat peccatum suum*, id est, ut Judæi semet corrigant. Sed rectè ad Deum transtulit Apostolus, cujus est dare pœnitentiæ tempus & causas.

28. *Κατὰ μὲν τὸ εὐαγγέλιον, ἐχθροὶ δι᾽ ὑμᾶς. Secundùm Evangelium quidem, inimici propter vos*] *Occasione Evangelii Judæi mihi & aliis adjutoribus meis malè volunt*, hac maximè de causa, *quòd vos incircumcisos ad Ecclesiam admittimus. Ἐχθροὶ* [*inimici*] nempe *εἰσὶ* [*sunt*], quod apud Hebræos & Græcos sæpe subauditur. ¶ *κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν, ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας. Secundùm electionem autem, charissimi propter Patres*] Id est, *nihilominus* iidem Judæi mihi aliisque Apostolis *chari sunt propter eorum majores, ratione electionis*, id est, *quia eos olim Deus elegit*, hoc est, summis beneficiis affecit. *Elegisse* Deus dicitur quibus eximiè benefecit, & solet id non sine magna causa dici de illis Patribus Judæorum, ut Actor. 13. 17. Deut. 4. 37. Nehem. 9. 7. Psalm. 135. 4.

29. *Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei*] Τὰ, id est, *ταῦτα* [*hæc*], ut Hebr. 3. 4. Dona Dei quædam sunt absoluta, quædam conditionata. In conditionatis tribuitur Deo, secundùm nostrum loquendi modum, *pœnitentia*, Jerem. 18. 7. Inter absoluta hoc est, & quidem propter Patres quorum hìc jam præcessit mentio, quòd nunquam internecione exstingui vult Judæos, sicut alios sæpe populos exstinxit, Levit. 26. 44. Jerem. 4. 29. & 5. 10, 18. & 15. 11. & 30. 11. & 46. 28. Ezech 20. 17. Alterum est & quidem propter eosdem Patres, quòd nunquam toti isti populo præcludere vult vias per quas ad resipiscendum adduci possint: id verò est quod hìc *vocationem* appellat. Philo de constitutione Principis, *Τὸ δ᾽ αἴτιον, αἱ τῶν ἀρχηγετῶν τοῦ ἔθνους περιμάχητοι δικαιοσύναι καὶ ἀρεταὶ, αἳ καθάπερ φυτὰ ἀθάνατα διαμένουσιν, ἀειθαλῆ καρπὸν φέρουσαι, τοῖς ἀπογόνοις σωτήριον, καὶ πρὸς πάντα ὠφέλιμον· κἂν αὐτοὶ τύχωσιν ἁμαρτάνοντες, ἰάσιμα, ἀλλὰ μὴ παντελῶς ἀνίατα* [*In causa est, inclita justitia virtusque primorum auctorum hujus Gentis, unde quasi ab immortalibus plantis perpetuus fructus germinant, & proveniunt salubres etiam posteris, utilissimique ad omnia, atque insuper peccatis eorum afferentes remedium, modò non sint prorsus insanabilia*]. Et libro de Diris dicit *Judæos uti tribus advocatis, primùm Dei bonitate*, *δευτέρῳ δὲ τῇ τῶν ἀρχηγετῶν τοῦ ἔθνους ὁσιότητι· ὅτι ταῖς ἀφειμέναις σωμάτων ψυχαῖς ἄπλαστον καὶ γυμνὴν ἐνδεικνύμενοι πρὸς τὸν ἄρχοντα θεραπείαν τὰς ὑπὲρ υἱῶν καὶ θυγατέρων ἱκετείας οὐκ ἀτελεῖς εἰώθασι ποιεῖσθαι, γέρας αὐτοῖς παρέχοντος τοῦ πατρὸς τὸ ἐπήκοον ἐν εὐχαῖς* [*deinde, priscorum Gentis conditorum sanctitate, qui etiam exempti corpore nudis animis sincerum suo principi cultum exhibent, pro filiis filiabusque indesinenter efficacibus precibus supplices, hoc honore digni à Patre habiti, ut exaudiantur facilè*], Similia habet Maimonides De pœnitentia cap. 7. §. 5.

30. *Ὥσπερ γὰρ καὶ ὑμεῖς ποτὲ ἠπειθήσατε τῷ Θεῷ, Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo*] Vos Romani & Græci, humaniores populi, non minùs quàm barbari, derelicto vero Deo, adhæsistis falsis diis. In Manuscripto abest, *καὶ* [*&*]. ¶ *Νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ. nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum*] Vos credidistis, vocati occasione incredulitatis ipsorum. Est *μετωνυμία* [*Transnominatio*]. *Ἐλεεῖσθαι* [*misericordiam consequi*] pro *credere*, *ἔλεος* [*misericordia*] pro *fide*. Solent *ἀπείθεια* [*inobedientia*] & *ἀπιστία* [*incredulitas*] pro eodem poni. Et sensus idem qui supra v. 11.

31. *Οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν, Ita & isti nunc non crediderunt*] Οὗτοι [*isti*] Judæi. Νῦν [*nunc*] idem quod supra *ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας* [*usque in hodiernum diem*]. ¶ *Τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι. in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur*] *Ἵνα* [*ut*] hic est *ἐκβατικὸν* [*eventuale*], & positum non initio, sed in medio commate, ut 1 Corinth. 9. 20. & alibi. Is erit exitus, ut ipsi aliquando, id est, ex ipsis multi, ad fidem perveniant occasione vestræ fidei & donorum fidem consequentium. Vide supra v. 11. & 14.

32 *Συνέκλεισε γὰρ ὁ Θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, Conclusit enim Deus omnes in incredulitate*] Id est, *vicibus res agitur.* Olim vos convicti inobedientiæ, nunc illi. *Συγκλείειν* est *convincere*, ut Gal. 3. 22. ubi est *ὑπὸ* [*sub*] eodem sensu quo hìc *εἰς* [*in*]. nimirum quia qui criminis alicujus convincuntur, tenentur ita constricti, ut effugium, id est, excusationem non habeant. ¶ *Ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ. ut omnium misereatur*] Modò hos, modò illos bonis afficit ubi crediderint. Agitur enim hìc non de communi Dei bonitate in genus humanum, sed de ea quâ credentes prosequitur.

33. *Ὦ βάθος πλούτου, O altitudo divitiarum*] Βάθος [*altitudo*] significat idem quod *ἄβυσσος* [*abyssus*] [ut 1 Corinth. 2. 10. Apoc. 2. 24. Refertur autem, ad tria sequentia quæ negat posse penetrari. Πλοῦτος [*divitiæ*] hìc intelligenda *abundantia*, nempe *bonitatis*, quod nomen additur supra 2. 4. eam ait esse *impenetrabilem*, nempe quomodo Deus olim Gentium, deinde Judæorum contumaciam tamdiu pertulerit. ¶ *Καὶ σοφίας, sapientiæ*] *Impenetrabilis* & illa *sapientia*, quòd Gentes non vocaverit nisi post ostensam Mundo Judæorum contumaciam. ¶ *Καὶ γνώσεως Θεοῦ, & scientiæ Dei*] Est & hoc *impenetrabile*, quomodo permoverit & Gentium ingenia & Judæorum, ut illos, quidem miraculis nunquam auditis, Judæos verò partim invidiâ in Gentes partim summis calamitatibus ad se pertraheret. In Psal. 139. 6. פלאיה דעת ממני. *Mirabilis scientia tua præ quàm ut eam assequar.* ¶ *Ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*] Κρίματα [*judicia*] vocat *Dei decreta*, more Hebræo. Respicitur locus Psalm. 36. 7. ubi in Græco, *τὰ κρίματά σου ἄβυσσος πολλή* [*judicia tua abyssus multa*]. Habes *κρίματα* [*judicia*] pari sensu Psalm. 119. 91, & alibi. Per *vias* autem intelligit rationes illas per quas decreta sua Deus ad exitum perducit. Hoc autem vult dicere Paulus, Ego, quem multis revelationibus Deus honestavit, dispensationis Divinæ partes aliquas attigi; sed multo plura me latent: & quæ attigi, admiror, non pervideo, Jobi 5. 8. 9. legimus *Κύριον δὲ τὸν πάντων δεσπότην ἐπικαλέσομαι, τὸν ποιοῦντα μεγάλα καὶ ἀνεξιχνίαστα, ἔνδοξά τε καὶ ἐξαίσια* [*Dominum autem dominatorem invocabo: qui facit magna & inscrutabilia, gloriosaque & magnifica*]. Et 9. 10. *Ὁ ποιῶν μεγάλα καὶ ἀνεξιχνίαστα ἔνδοξά τε καὶ ἐξαίσια* [*qui facit magna & inscrutabilia, gloriosaque & magnifica*]. Origenes adversùs Celsum, *Εἰσὶ γάρ τινες εἱρμοὶ καὶ ἀκολουθίαι ἄφατοι καὶ ἀνεκδιήγητοι περὶ τῆς κατὰ τὰς ἀνθρωπίνας ψυχὰς διαφόρου οἰκονομίας* [*Sunt enim nexus quidam & cohærentiæ ineffabiles atque inexplicabiles variæ dispensationis circa hominum animas*]. Arnobius lib. 2, *Neque enim promptum est cuiquam Dei videre mentem, aut quibus modis ordinavit res suas, homo, animal cæcum & ipse se nesciens, ultro potest rationibus consequi: quid oporteat fieri, quando, vel quo genere, ipse cunctarum rerum pater, moderator & Dominus scit solus.* Salvianus, *Non ideo non justum est quod Divinitas agit, quia capere vim Divinæ justitiæ homo non valet. Sicut plus Deus est quàm humana ratio,*

sic mihi plus debet esse quàm ratio quod à Deo agi cuncta cognosco Hebræi notant ad Numer 15, *Non est curiose quærendum post opera Dei: omnia enim sapienter fecit, tametsi abscondita sint ab oculis sapientum.*

34. Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίε, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarus ejus fuit*] Sunt hæc verba sumpta ex LXX. Esai. 40. 13, 14. Reges terreni habent consiliarios qui intima ipsorum noverint: at Deus ad sua consilia homines non admittit. Scimus quidem Dei consilia quædam, sed à Deo patefacta, Matth. 11. 27. Joh. 1. 18. & 15. 14, 15. 2 Joh. 5. 20. 1 Corinth. 2. 16. & ea ipsa exigua pars sunt consiliorum Dei. Sapient. 9. 18, Βουλὴν δέ σου τίς ἔγνω εἰ μὴ σὺ ἔδωκας σοφίαν, καὶ ἔπεμψας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἀπὸ ὑψίστων. [*Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis*]. Sirach 18. 2, 3, 4, 5. Τίνι ἐξεποίησεν ἐξαγγεῖλαι τὰ ἔργα αὐτοῦ, καὶ τίς ἐξιχνιάσει τὰ μεγαλεῖα αὐτοῦ; κράτος μεγαλωσύνης αὐτοῦ τίς ἐξαριθμήσεται; καὶ τίς προσθήσει ἐκδιηγήσασθαι τὰ ἐλέη αὐτοῦ; οὐκ ἔστιν ἐλαττῶσαι, οὐδὲ προσθεῖναι, καὶ οὐκ ἔστιν ἐξιχνιάσαι τὰ θαυμάσια τοῦ Κυρίου [*Cui præpeditavit facultatem opera ejus enarrandi? & quis investigavit magnalia ejus? virtutem magnitudinis ejus quis enumerabit, & quis adjiciet enarrare misericordias ejus? Non est minuere neque adjicere, & non est investigare mirabilia*]

35. Ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*] Sunt qui hunc sensum sumunt quod est Jobi 41. 2: מִי הִקְדִּימַנִי וַאֲשַׁלֵּם [*Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?*] Est autem καὶ [*&*] positum pro *ut*. Hoc enim dicit hæc sententia, *Quis prior Deum muneravit, ut vicem reddere debeat?* Sententia autem eòdem tendit quò illud in Euangelio, Matth. 22. 14. *Tolle quod tuum est, & vade* Quasi dicat Apostolus, Si cui rationes Divinæ dispensationis à me hactenus allatæ non satisfaciunt cogitet non de reddenda gratia, sed de benefico dando hic agit: beneficii autem sui quemque oportet esse arbitrum. *Liberalis à libertate* nomen habet.

36. Ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia*] *Ab ipso omnes homines ad salutem vocantur, per ipsum bona accipiunt; idque ut ipsum honorent.* Ἐξ [*ex*] *causam operantem* significat, ut 1 Cor. 1. 30. & alibi: διὰ [*per*] *cooperantem* εἰς [*in*] verò τέλος ἐστὶ, *id cujus causâ fit aliquid*. Duo ista εἰς [*in*] & ἐξ [*ex*] habes & 1 Cor. 8. 6. Πάντα [*omnia*] refertur ad totam illam de qua egit dispensationem. Simile est quod de Ptolemæo Rege dicit Theocritus,

> Ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω,
> Καὶ πύματος, καὶ μέσσος—
> [*Ast hominum primus Ptolemæus & ultimus idem,*
> *Et medius celebretur* —].

¶ Αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. *ipsi gloria in secula Amen*] Quæcumque Deus agit non a nobis dijudicanda, sed cum veneratione & laude excipienda sunt. Similia epiphonemata habuimus bis supra 1. 25. & 9. 5. Sic Deuteron. 32. 3. Δότε μεγαλωσύνην τῷ Θεῷ ἡμῶν [*date magnificentiam Deo nostro*]

CAP. XII.

VALLA.

1. R*Ationabile obsequium*] Græcè hic *obsequium* est *latria*, λατρεία.

2. *Sed reformamini in novitate sensûs vestri*] Hic quoque maluissem *mentis vestræ*, νοός.

3. *Dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt in vobis, non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem*] Non legitur Græcè *plus*, sed *super*, sive *suprá*: éstque idem verbum de quo paulò antè mentionem feci, quod potiùs debet transferri *sentire* quam *sapere*; h. e. ne velitis de vobis sentire supra quàm oportet sentire de vobis. Quod probat locus ille sequens ver. 16. ubi est idem verbum, *non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, μὴ ὑψηλὰ φρονοῦντες. Illud autem *ad sobrietatem* negat Hieronymus rectè translatum, sed transferri debere *ad pudicitiam*, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Et significat quidem hoc nomen Græcè *pudicitiam*. Sed quomodo intelligetur illud in Actibus Apostolorum 26. 25. *Non insanio, inquit, optime Feste, sed sobrietatis & veritatis verba loquor*, σωφροσύνης. Taceo quomodo Herodotus Thucydidésque & alii quidam hoc verbum accipiunt. Certè communis usus, & Lucas, sive Paulus illic accipit pro *modestia* & *temperantia*: quæ significatio simillima est *sobrietati*, σωφροσύνη.

5. *Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*] Gr. *Singuli autem mutuo membra*: quod etiam elegantiùs dicimus, *alius alterius membra* quàm *alter alterius*, ὁ δὲ καθεὶς ἀλλήλων μέλη.

6. *Sive prophetiam, secundùm rationem fidei*] *Secundùm proportionem* aut transferendum fuit aut legendum est, κατὰ τὴν ἀναλογίαν.

19. *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus*] Nominativi casûs legendum est *vindicta*, & sine copula, ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω. Ergò non *defendentes* legendum est, sed *vindicantes*, in illo, *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim, Mihi vindicta.* Nam idem verbum Græcè est in illo *vindicta* & in hoc *defendentes*, ἐκδικοῦντες.

REVIUS in VALLAM.

5 K*Athels*, In nostris est καθ' εἷς, paulò rectiùs.

ERASMUS.

1. O*Bsecro vos*] Παρακαλῶ idem *hortor* poterat accipi, sive *adhortor*: nam Græca vox anceps est, nisi quòd id quod mox sequitur *per misericordiam* magis videtur *obtestantis* & *obsecrantis* quam *adhortantis*. ¶ *Per misericordiam*] Διὰ τῶν οἰκτιρμῶν, i. *per miserationes*, consentientibus in lectione Chrysostomo ac Theophylacto. Annotavit numeri rationem & Origenes, putans in eo esse emphasim immensæ Dei misericordiæ. ¶ *Ut exhibeatis corpora vestra*] Παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν. *Exhibetur* quod antè promissum re præstatur, aut quod prius occultum profertur; velut *exhibentur syngraphæ*: frequenter in malam partem; ut dicitur *exhibere negotium*, qui facessit negotium. *Præbetur* quod ad usum subministratur: ità *præbemus aures dicenti: præbemus sumptum ad nuptias*. Chrysostomus & Theophylactus indicant eos propriè παριστάναι, qui Imperatori præbent equos bellicos. Unde nos vertimus *præbere*. Si respicias quod in Baptismo abjuravimus desideria carnis, nósque Christo dedicavimus, quadrat *exhibendi* verbum, quo monemur hoc præstare quod sumus professi. Rursum si consideremus allusum esse ad veterem morem holocautomatum, quo Sacerdos hostiam imponebat altari, Deus autem igni cœlitus demisso eam absumebat, non malè congruit *exhibendi* verbum. Quod enim semel Deo dicatum est, non oportet in alios usus accommodare: quemadmodum qui præbuit equos Imperatori ad bellum, postea nihil habet cum illis commercii, nec ad privatos usus revocat quos semel tradidit. Annotavit & illud Chrysostomus, quòd non dixit ποιήσατε, i. *facite corpora vestra hostiam*, sed παραστήσατε, h. e. *tradite*, ut jam desinant esse vestri juris, sed incipiant esse Divini, nefásque sit quæ semel præbuistis Imperatori Deo ad bellandum adversùs Diabolum, ea denuò Diaboli obsequiis accommodare. Simúlque monemur ut curemus tractare corpora nostra ut idonea sint instrumenta Divinæ voluntati, dignáque quæ illius oculis exhibeantur. ¶ *Rationabile obsequium*] Τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν, i. *Rationalem cultum*: ut appositivè cohæreat cum superioribus: ídque indicat Græcus articulus τὴν, *qui est cultus vester rationalis & spiritualis*: perinde quasi dicat, *Si mactaveritis & immolaveritis Deo corpora vestra*, h. e. corporeos affectus, non jugulantes brutas ac mortuas pecudes, quod antehac factitatum est à Judæis, *ità demum exhibebitis illi victimam acceptam*. Et *rationalem* vocat, non ut intelligas *cultum moderatum*, h. e. moderatam corporis macerationem, quemadmodum hodie passim citare solet concionatorum vulgus, ut ipsis quidem videtur eruditè, cæterùm iis qui Græcè norunt admodum ridiculè, sed *victimam vivam ac rationis compotem*. Existimant enim *rationabile* dici quod est rationi consentaneum & ratione temperatum. At non aliter hîc Paulus appellat *cultum rationalem* quàm primâ Petri lac spirituale dicitur λογικὸν γάλα, i. *rationale lac & spirituale*. Verùm quid faciant ubi sententiæ vis à Græco pendet idiomate, & interpres ejus linguæ prorsus ignarus est? *Obsequium* hic posuit pro *sacrificio* sive *cultu*, idque suo more. Cæterùm ut ostenderet Christianorum cultum dissimilem esse Judaicis ceremoniis, quibus immolabant brutas pecudes, adjecit *rationale*, nimirum ipsum hominem sentiens, qui victima est rationalis & ob id

Deo

Deo acceptior, cùm Judæorum pecudes apud Esaiam abominetur Dominus. Et in hunc sensum palàm citat D. Hieronymus cùm aliis aliquot locis, tum verò in epistola ad Pammachium, cujus initium, *Sanato vulneri*. Neque secùs interpretatur Origenes, sic inquiens, *Qui cultus quoniam dudum in pecudum mutorum corporibus consistebat, nunc in corpore rationalis hominis offeratur, & corpora magis vestra quàm pecudes fiant sacrificium Deo*, &c. Nec aliter exponit Chrysostomus, indicans γνιλὴν dici *quod res sit animi ac spiritualis. Pro templo est pectus hominis; pro pecude, corpus hominis*, h. e. *affectus carnis; pro igni est charitas Dei. Et hactenus pietatis est imitari Christum, qui semet immolavit pro nobis.* Origenes, ut solet, attingit & aliud commentum, *rationalem cultum: de quo reddi possit ratio:* quasi de Judæorum victimis non potuerit reddi ratio. Simile quiddam attingit & Theophylactus, *omnia nostra debere ratione geri:* quod ut verè dictum esse fateor, ità recedere videtur a simplicitate sermonis Apostolici.

2. *Sed reformamini*] Μεταμορφοῦσθε, i. *transformamini*, sive *transformemini*. Potest enim utrovis accipi modo, vel ut sit indicandi modo vel ut sit imperandi modo dictum. ¶ *In novitate sensûs*] Τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός, i. *renovatione mentis*, h. e. per innovationem mentis, nimirum alludens ad reprobam illam mentem in quam traditi fuerant antè, simulacris pro Deo deferentes honorem. ¶ *Quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta*] Mirum quod exemplar secutus Augustinus legit ad hunc modum lib. De civitate Dei 10. atque item in epist. 86. *ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum:* quasi hæc tria epitheta non pertineant ad *voluntatem Dei*] sed ad complexum illum verborum præcedentium, *exhibeamus corpora nostra*, &c. *& non conformemur huic seculo, sed reformemur*, &c. ut pareamus non nostris cupiditatibus, id quod faciunt ethnici, sed *voluntati Divinæ.* Id si fecerimus, inquam *sacrificium fuerit bonum, placitum & legitimum Deo.* Atque ut in hunc sensum accipi possit facit articulus additus, τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον. Nam τέλεια propriè dicuntur *in quibus nihil possis desiderare eorum quæ ad sacri rationem ac ritum religionis pertinent:* & paulò antè à sacrorum Metaphora cœperat. Interpres Origenis indicat hic Latinos nonnihil discrepare à Græcis: sed quid sibi velit non satis intelligo, cùm Græcus sermo ad utrumque sensum sit anceps. Certè Ambrosius consentit cum Augustino. Et quod legit, interpretatur hisce verbis, claudens commentarium, *Hoc erit conformem fieri spiritualium, renovatum in spiritu ac fide, hoc scire quid placet Deo, nec aliud bonum & perfectum esse.* Ambiguitatem sermonis facit additus articulus. Eo misso si dixisset, τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον, &c. nihil erat ambiguitatis. Nunc quoniam dictum est τὸ ἀγαθὸν, articulus bifariam potest accipi, vel ut discernat voluntatem à voluntate, vel ut referat quod præcessit, *scire quæ voluntas Dei.* Utrumque sensum attingunt interpretes: Juxta priorem sensum non solùm voluntas Dei distinguitur a voluntate nostra, verùm etiam eadem voluntas Dei discernitur. Nam vetus ille Judæorum cultus & observationes erat quidem *voluntas Dei*, sed non *illa bona* neque *beneplacens* neque *perfecta.* Indulsit enim illis Dei voluntas propter imbecillitatem eorum, quemadmodum concessit populo flagitanti Regem. Sed Novum Testamentum erat hæc *perfecta Dei voluntas.* Ità Chrysostomus & Origenes. Ambrosius ita disserit hunc locum, ut articulus τό referat non solùm illud proximum, *ut possitis scire quæ sit voluntas Dei*, sed totum sermonem quem veluti sibi cohærentem complectitur, *ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum: & nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei, quod facere est bonum, Deo gratum, & perfectum.* Ut intelligamus idem esse *offerre hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, & *non conformari huic seculo*, ignoranti quæ sit voluntas Dei, sed adhuc hærenti ritibus idololatrarum aut ceremoniis Mosaicis: & affectuum arbitrio vitam agenti: *sed reformari in novitate sensûs*, ut abdicatâ voluntate carnis *scire possimus quæ sit voluntas Dei.* Totum hoc *cultus est bonus beneplacens & perfectus apud Deum.* Jam μεταμορφοῦσθε, sicut paulò antè dixi, potest esse vel imperantis vel indicantis: Imperantis, ut respondeat ei quod præcessit, μὴ συσχηματίζεσθε. Indicantis, ut intelligat per ea quæ dicta sunt de cultu rationali, nos *transformari*, ut transformati *scire possimus quæ sit voluntas Dei.* Nisi enim mactaverimus cupiditates carnis nostræ, non possumus esse idonei ut in actionibus nostris intelligamus quæ sit voluntas Dei, sed quod nostro sensui vehementer arridet id interpretamur esse voluntatem Dei. Simile quiddam docet Eph. 5. δοκιμάζοντες τί ἐστιν εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ, i. *probantes quid sit beneplacitum Domino.* Item hujus epistolæ cap. 2. καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα, καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, *& nosse voluntatem, & probare quæ sint potiora.*

3. *Dico enim per gratiam*] Λέγω. *Dico* dixit pro *jubeo*, sive *moneo:* quemadmodum & Latini *Jubet salvere*, & *Dicit salutem*; consimilem in modum Græci, εἰπάζειν λέγω. Atque ob id additur, *per gratiam quæ data est mihi:* nè vel arrogantèr videretur eis præcipere, vel citra authoritatem admonere. Præcipuit ut Apostolus, ut intelligens quid sit Deo placitum, sed hoc ipsum beneficentiæ Divinæ fert acceptum. Nisi malis dicta sic interpretari, ut Paulus explicet & explanet quæ superiùs dixerat de immolando corpore, de fugiendis hujus seculi cupiditatibus: nam additis exemplis rem facit evidentiorem. Arrogantia in primis est mactanda Deo. ¶ *Omnibus qui sunt inter vos*] Παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν. Origenis interpres annotandum putavit quòd apud Græcos non habeatur *omnibus qui sunt inter vos*, sed *omni qui inter vos est.* Id cùm ad sententiam nihil intersse constet, miror cur admonendum duxerit. Nos maluimus vertere *cuilibet*, sive *cuicunque.* Videbatur enim aliquis fastus tribuendus iis qui fortunâ aut dotibus præcellerent. Eum personarum delectum prorsus tollens Paulus, denunciat, quisquis sit ille, modò versetur apud Christianos, nè se cuiquam anteponat, sed suam quisque dotem à Deo acceptam conferat ad commoditatem proximi. ¶ *Sapere ad sobrietatem*] Εἰς τὸ σωφρονεῖν. D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum dimicans, studio tuendæ virginitatis legendum putat *ad pudicitiam:* damnàtque quod nunc legit Ecclesia, *sapere ad sobrietatem.* Sed σωφρονεῖν est *temperatum, modestum ac sobrium esse.* Nonnunquam & ad *pudicitiam* pertinet, at non hoc quidem loco. At interpres Origenis in epist. ad Romanos mavult *temperantiam* quàm *sobrietatem*, quòd ea virtus quam Græci σωφροσύνην appellant Latinis doctis vocetur *temperantia*, quæ sit moderatio cupiditatum & actionum. Atque ità videlicet adducit hunc locum Augustinus Epist. 47. Hilarius lib. De Trinitate 10. Græcam vocem ὑπερφρονεῖν reddit *supersapere.* Quanquam verum est quod alibi scribit Paulus, *Scientia inflat*, ni comes sit Charitas: sed hic non propriè de scientia fit sermo. Est autem jucunda vocum allusio in sermone Græco, quam Latinus interpres reddere non potuit, ὑπερφρονεῖν, φρονεῖν, εἰς τὸ σωφρονεῖν. Nec hoc loco φρονεῖν, i. *sapere*, pertinet ad *eruditionem*, sed ad *cogitationem* & *opinionem*, veluti cùm quis effertur animo & magnificè de se sentit, quemadmodum & superiùs admonuimus. Id ità esse satis declarat Origenes, statim indicans hunc sermonem pertinere ad eos qui ex oleastro insiti oleæ, ferocirent & superbirent adversùs ramos ex olea defractos: & quod hic dixit perinde valere atque id quod alibi, *Noli superbè sapere.* Porrò quod adducit ex Philosophorum fontibus de virtutis habitu è duobus extremis redacto, subindicat se magis juxta alienam quam suam sententiam interpretatum. Chrysostomus item admonet hic indicare matrem bonorum omnium Modestiam, h. e. ταπεινοφροσύνην. Huic concordat Theophylactus. Ambrosius nobiscum legit *ad sobrietatem:* nec ullam *pudicitiæ* mentionem facit illius enarratio. Verùm in pugna tantum sibi permisit ▪ Hieronymus ut quod alibi probat hic rejiciat: sic enim adducit hunc locum, *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad pudicitiam*, non *ad sobrietatem*, quemadmodum malè in Latinis legitur codicibus, *sapere*, inquit, *ad pudicitiam.* ¶ *Et unicuique sicut Deus divisit*] Sic quidem habent & Græca: verùm *unicuique* non habet quò referatur. Unde necesse est fateri & hîc Paulum spectasse sensum magis quàm sermonis integritatem: nisi malumus, sic ordinare, *Quisque sapiat ut cuique Deus distribuit mensuram fidei.* Origenes subindicat aliquid subaudiendum, cùm ait *ut custodias unicuique sicut divisit Deus mensuram fidei.*

5. *Singuli autem alter alterius membra*] Ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη, i. *singuli autem alius alius membra:* sive, ut nos vertimus, *singuli autem alii aliorum membra.* Significat communionem membrorum inter ipsa mutuam.

6. *Habentes*] Interpres sive, quod magis arbitror, scriba prætermisit conjunctionem quæ partem hanc cum superiore commodissimè connectebat, ἔχοντες δὲ χαρίσματα. Cùm enim dixisset, *Singuli sumus alius alius membra*, nè confusionem imaginaremur, adjecit, *sumus quidem membra ejusdem corporis, sed habentes donationes:* alioqui inabsolutus fuerat sermo. Quare offensus aliquis, & putans hanc partem non pendere à superioribus, conjunctionem expunxit. Certè autem additur apud Ambrosium & in exemplari Paulino, licèt apertius & aptius erat *sed* quàm *autem:* quemadmodum & paulò antè, *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, sed non omnia membra.* ¶ *Donationes*] Χαρίσματα. Ut affectat copiam cùm nihil sit opus, præsertim cum *donationes* hoc loco vox sit parùm Latina.

 ¶ *Dif-*

¶ *Differentes*] Διάφορα, i. *diverſas*, ſeu potiùs *dona diverſa*. ¶ *Secundùm rationem fidei*] Κατὰ τὴν ἀναλογίαν, i. *juxta proportionem*: ut intelligas hòc eſſe majora dona quò fides tua fuerit integrior. Interpres Origenis indicat ἀναλογίαν non ſatis commode verſam eſſe *rationem*, cùm potiùs ſit *menſura competens* quàm *ratio*. Certè quod hic dixit Paulus ἀναλογίαν, paulò antè dixit μέτρον. Hîc dilucidius erat *pro portione*, ſive *juxta portionem*, *fidei*. Eſt enim *analogia* congruentia rei ad aliquid relatæ: velut cùm dicimus, *Cicada magnas habet alas pro portione corporis*: nam parvæ ſunt alæ ſi ad alas conferantur papilionum.

7. *In miniſtrando*: & 8. *In exhortando*] Nomina ſunt, ἐν τῇ διακονίᾳ, ἐν τῇ παρακλήσει, i. *in miniſtratione*, & *exhortatione*. Quanquam ea res nihil variat ſenſum Apoſtoli. Origenes putat ſingulas partes referri poſſe ad id quod præceſſit, *Sive habentes prophetiam juxta menſuram fidei, ne quis plus ſapiat quàm oportet, ſed in ea ſobrius*: & item de cæteris.

9. *Odientes malum*] Ἀποστυγοῦντες, i. *odio habentes*. Quanquam hic eleganter erat *abhorrentes à malo*; ut reſpondeat ei quod ſequitur, *adhærentes*. Cæterùm *bono* & *malo* hic ad perſonam referri non poteſt: cùm ſit τὸ ἀγαθὸν, ad rem referatur oportet. *Bonum* dixit honeſtatem, *malum* turpitudinem.

10. *Charitatem fraternitatis invicem diligentes*] Alius ſenſus eſt apud Græcos, Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, i. *Fraternâ charitate ad mutuò vos amandum propenſi*. Plutarchus libellum ſcripſit περὶ τῆς φιλαδελφίας, i. *De charitate fratrum inter ſe*. Quo verbo Apoſtoli frequenter utuntur pro *ſtudio & amore Chriſtianorum inter ipſos mutuo*: unde & vox Græca compoſita eſt. Ambroſius legit, *Fraternitatis amor invicem benigni*. Nam φιλόστοργος Græcis dicitur *qui eſt propenſo affectu erga cognatos aut affines*: ediverſo *qui non tanguntur pietatis affectu* ἄστοργοι vocantur. Vult enim Paulus hoc uno nomine Chriſtianum eſſe charum Chriſtiano quod Chriſtianus eſt. Chryſoſtomus plus eſſe putat στέργειν quàm φιλεῖν. Cognatos enim noſtrâ ſponte amamus, etiamſi nos nullo officio provocarunt, ac parùm commodos ferimus tamen ac fovemus ob hoc ipſum quòd cognati ſunt. Mihi planè ſubolet librariorum vitio *charitate* verſum in *charitatem*; *charitate fraternitatis*, i. fraternè, *diligentes invicem*: & ablativus *charitate* reſpondet ei quòd ſequitur, *Honore invicem prævenientes*. Ex altero enim alterum naſcitur, ex Amore Beneficentia. ¶ *Honore invicem prævenientes*] Senſus omnino Græcis anceps eſt, Τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι. Nam προηγεῖται τῇ τιμῇ *qui præcellit honore*. Et tamen Græci προηγεῖσθαι hic interpretantur προλαμβάνειν, i. *prævenire*, ſive *occupare*. Si ſcriptura mendo vacat, novè addidit participio caſum accuſandi, cui magis congruebat paternus ob præpoſitionem πρό. Cæterùm *honorem* vocat ſubſidium. Hoc enim convenit fraternæ charitati, certatim ſe mutuò in præſtandis officiis præcurrere. Tametſi nec ille ſenſus abſurdus eſt, ut intelligamus *honorem delatum*. Ubi enim eſt fraterna charitas, ibi nemo ſibi præripit honorem, ſed alteri potiùs cedit, ex modeſtia quemque judicans magis idoneum quam ſit ipſe: nec refragatur huic ſenſui προηγεῖσθαι. Nam ἡγεῖσθαι interdum ſonat *exiſtimare*: quod imitati Latini dicunt *ducere*, ut *dignum ducere*. Unde προηγεῖται qui *meliorem de alio quàm de ſe habet opinionem*: ἡγεῖσθαι nonnunquam eſt *ducem eſſe*: unde & ἡγεμὼν *princeps*, ſive *præſes*. Hoc ſecutus Interpres vertit *prævenientes*: neque ſecùs Theophylactus, qui προηγεῖσθαι exponit προφθάνειν, προλαμβάνειν, i. *anticipare*.

11. *Solicitudine non pigri*] Τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί. σπουδὴν vocat *ſedulitatem & ſtudium exhibendi officii*: & ὀκνηρὸς dicitur *qui gravatim aliquid facit*. Unde jubet ut non ſolùm *amemus & honorem deferamus alius alii*, verùm etiam *alacres ac prompti ſuccurramus invicem*. ¶ *Domino ſervientes*] Origenes, aut certè hujus interpres, indicat in nonnullis exemplaribus ſcriptum fuiſſe, *Tempori ſervientes*: & accipi poſſe, Diligenter utendum temporis occaſione, quandoquidem breve eſt. Mihi videtur rectè intelligi, Boni conſulendum ſi quid pro tempore inciderit incommodi: nam id, opinor, eſt *ſervire tempori*. Cùm hoc cohæret quod ſequitur, *Spe gaudentes*. Si quis exigit tributum, pende; ſi quis vectigal, ſolve; ſi quis vexigit honorem, redde; ſi quis affligit, patere: nec ea res triſtem reddat, ſed ſpes erigat in malis animum. Idem quod præcedit, *Spiritu ferventes*: fervor enim ſpiritûs contemnit obſtacula, & rapit omnem occaſionem benefaciendi proximo. Teſtatur & Ambroſius ſibi narratum fuiſſe, in Græcorum codicibus haberi, Τῷ καιρῷ δουλεύοντες, *Tempori ſervientes*. Atque obiter admiror, cùm Græcè ſciret, cur non ipſe potiùs conſuluerit Græcorum exemplaria. Quin & Gloſſa quam vocant *Ordinariam* admonet duplicis lectionis, ex Bedæ, opinor, autoritate. D. Hieronymus in epiſtola quadam ad Marcellam præfert hanc lectionem quâ vulgò utimur, nec tamen ullam reddit cauſam cur præferat. Sic cuique liberum quod volet ſequi. Mihi magis arridet, *Tempori ſervientes*. Sed eâ ſententiâ, quoniam Ethnici Philoſophi nomine vulgò circumferebatur, & vafritiem quandam præcipere videbatur, offenſus aliquis mutavit in *Domino ſervientes*; non ſatis animadvertens, *Domino ſervientes*, cum toto ſermonis hujus contextu non perinde congruere. Quanquam autem in vocibus Latinis *tempori* & *Domino* nulla eſt affinitas, tamen in Græcis eſt nonnulla, καιρῷ & κυρίῳ, maximè cùm ſcribæ ſoleant in pingendo decurtare ſyllabas. Chryſoſtomus & Theophylactus legunt & interpretantur *Domino ſervientes*, atque ità connectunt, *Amantes, honorantes, & adamantes invicem, Domino cultum gratiſſimum exhibebitis; quod quicquid officii proximo impenditur, ad ipſum Dominum pervenit*. Chryſoſtomus notat emphaſim, ſeu potiùs epitaſim, in ſingulis verbis quibus hic uſus eſt Paulus. Non enim dixit tantùm μεταδίδοτε, i. *impartiamini*, ſed μετὰ ἀφθονίας, h. e. *largiter & alacriter*: neque dixit προΐστασθε, i. *providete*, ſed addit μετὰ σπουδῆς, i. *ſtudioſè*: nec dixit ἐλεεῖτε, i. *miſeramini*, ſed ἀγαπᾶτε, i. *diligite*, idque *ſine ſimulatione*: neque dixit ἀπέχεσθε τῶν κακῶν, i. *abſtinete à malis*, ſed μισεῖτε, i. *odio habete*: neque dictum eſt ἔχεσθε τῶν ἀγαθῶν, i. *adhærete bonis*; ſed κολλᾶσθε, i. *adglutinemini*: neque tantùm ait φιλεῖτε, ſed addidit φιλοστόργως, i. *amico affectu*: neque dixit ſimpliciter σπουδάζετε, i. *curate*, ſed addidit μὴ ὀκνηρῶς, i *non pigrè*: neque dixit πνεῦμα ἔχοντες, i. *Spiritum habentes*, ſed πνεύματι ζέοντες, i. *Spiritu ferventes*.

12. *Orationi inſtantes*, Τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες, quod aſſiduam ſonat inſtantiam.

13. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes*] Ambroſius legit, *Memoriis ſanctorum communicantes*: & Origenis interpres fatetur ſic haberi in Latinis exemplaribus. Neque admodum diſſimile veri eſt ex μνείαις factum eſſe χρείαις à ſcriba quopiam eruditulo, præſertim cùm in *memoriis* videretur ſubabſurdus ſenſus. Videtur autem hoc agere Paulus, ut non ſolùm præſentes præſentibus impartirent charitate mutuâ, ſed abſentium quoque memores eſſent; juxta id quod Paulus à Petro monitus facit in epiſtola ad Galatas, ut pauperum memor colligeret donatitiam pecuniam. Chryſoſtomus ac Theophylactus legunt pariter atque exponunt χρείαις *neceſſitatibus*. *Neceſſitates* enim dixit, non *delicias*; & *communicantes* dixit, non *ſubvenientes*: quòd commercium ſit inter dantem & accipientem, & plus lucri facit qui dat beneficium, quam qui accipit. Nec tamen eſt ἀνάγκαις ſed χρείαις, quod magis ſonat *uſum*, ſive *opus habere*. Hoc ideo ſubmonui quòd quidam non niſi in extrema neceſſitate putant nos debere ſubvenire proximo.

14. *Benedicite perſequentibus vos*] Græcè quidem eſt εὐλογεῖτε *benedicite*, h. e. bene loquamini. Quod Origenis interpres exponit *Bene precemini*, opinor quòd ſequatur, μὴ καταρᾶσθε, i. *nè devoveatis*, Solent enim vulgò qui non poſſunt ulciſci injuriam devovere diris eos à quibus læſi ſunt: εὐλογεῖν aliquoties eſt *laudare*, quo pacto hic ſanè non poteſt accipi. Neque enim jubet ut laudetur inſectator, ſed ut ei bene precemur, aut verbis benignis admoneatur erroris. Chryſoſtomus interpretari videtur de *conviciis*, μὴ λοιδορήσητε, inquiens. Nos vertimus, *Bene loquamini de perſequentibus vos*; ut indicaremus & hunc ſenſum. *Malè audiebant* diſcipuli apud incredulos; *male audit* & qui vituperatur, & cui malè precantur homines: ità *bene loquitur* de alio qui non vituperat, & bene precatur orans pro ſuis inimicis; *bene loquitur* qui docet ſine convitiis, ſed ex charitatis affectu. ¶ *Nolite maledicere*] Μὴ καταρᾶσθε, i. *nè malè precemini, nè quem devoveatis*. Si Paulus ſic inculcat, *nè cui malè precemur*, ubi ſunt qui ſanctum putant jugulare hoſtem, aut nè hoſtem quidem?

15. *Gaudere*] Χαίρειν. Græcis eſt mos, infinitivum pro imperativo ponere, *gaudere* pro *gaudete*, & *flere* pro *flete*; opinor quod ſubaudiant *oportet*. Reperitur ſimilis tropus apud Latinos Hiſtoricos potiſſimùm, *venari* pro *venabatur* in quo ſubauditur *ſolet*, aut *cœpit*. Verùm hunc tropum nemo Latinus eſt imitatus. Chryſoſtomus annotavit ordinem verborum, exiſtimans plus eſſe *gaudere cum gaudentibus* quàm *flere cum flentibus*, eò quòd calamitas vel invitis excutit miſerationem, felicitas autem movet invidiam. Hîc perinde loquitur Chryſoſtomus quaſi quod præcipuum eſt ſoleat priori loco poni.

16. *Idipſum invicem*] Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες, i. *Idem alii in alios* (ſive *de aliis*) *ſentientes*. Refertur & hoc ad affectum animi modeſti, quo nemo putat alium ſe minorem ſed omnibus ſeſe accommodat, de omnibus ex æquo bene ſentiens. Vult enim Paulus in Chriſtianis affectum eſſe communem,

nem, ut omnes non opibus, non genere, non eruditione, non honoribus, sed Christo metiamur, qui est omnibus ex æquo communis. Nunc generosus fastidit obscurum, dives pauperem vix hominis habet loco, eruditus contemnit idiotam, Sacerdos exsecratur laicum, Monachus laicos vix pro Christianis ducit, Italus cæteros omnes ut barbaros ac penè pecudes aspernatur & horret, Germanus odit Gallum, Anglus Scotum: atque ex his & id genus aliis stultissimis affectibus bella, lites, atque hi rerum tumultus, quos jam annis aliquot videmus, exoriuntur. At Paulus sic voluit unumquemque Christianum affectum esse erga cæteros quomodo singula membra corporis affecta sunt erga cætera membra, quemadmodum alibi dilucidiùs explicat, idque vocat *τὸ αὐτὸ φρονεῖν*. Atque in hanc sententiam ediderit Chrysostomus ac Theophylactus, si quem magis autoritas quàm ratio commovet. ¶ *Alta sapientes*] Idem participium est quod modò *φρονοῦντες*, i. *sentientes*, seu *cogitantes*: ut ad affectum animi referatur. Et connectenda est hæc particula cum sermone superiori, quam Interpres malè separavit. Adjecit enim hoc Paulus velut explicans quid dixisset, *Idem invicem sentientes*. Nam ubi quisque magnificè de se sentit ac suis, alios despiciat oportet. ¶ *Sed humilibus consentientes*] *Τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι*. *Humiles* hic vocat non modestos, sed humilis sortis homines, veluti pauperes, ignobiles, indoctos, plebeios. Et non est *consentientes*, sed potiùs *obsecundantes & accommodantes vos*, ut suæ quisque oblitus magnitudinis descendat ad affectus inferiorum. Id quod mirà diligentià multis locis inculcat Paulus haud ignarus ex hoc fonte maximas vitæ pestes scatere. Paulinus in epistola ad Augustinum legit, *Humilibus congruere*. ¶ *Nolite esse prudentes*] *Φρόνιμον Φρόνιμον* vocat, non *qui sapiat*, sed *qui parùm modestè de seipso sentiat*, ut mox admonuimus: & ad eum modum interpretantur Græcorum commentaria. Alioqui quid affinitatis est Prudentiæ cum Vindictà? At Arrogantia vindex est, dum quisque se meliorem putat quàm ut alteri cedere debeat.

17. *Providentes bona*] Hæc verba, ***non solùm coram Deo, sed etiam***, non sunt apud Græcos, sed tantùm *ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων*, ***coram omnibus hominibus***. Proinde nec adduntur apud Chrysostomum aut Theophylactum: apparet addita ab explicante Pauli sententiam. Non enim hic opponit Paulus homines Deo, sed perfectos & imperfectos, bonos & malos componit, quibus tamen omnibus vult nos probari si liceat. Atque hoc quod sequitur, *εἰ δυνατόν*, meà sententià rectiùs ad superiora referretur, cùm sequens particula habeat suum *τὸ ἐξ ὑμῶν*, quod idem pollet: tametsi diversam distinctionem sequuntur alii. Qui addidit, ***non solùm coram Deo***, voluit explere sententiam, nè Paulus videretur esse contentus hominum laude. Quod ego quidem non reprehendo, tametsi satius erat Scripturam in sua integritate relinquere, nisi si qua urgeat necessitas; quam hìc nullam video: non enim dicit *coram hominibus*, sed ***coram omnibus hominibus***, h. e. Judæis, Gentibus, robustis & infirmis. Huic sensui non admodum concinnè assuitur, ***non solùm coram Deo***.

19. *Defendentes*] *Ἐκδικοῦντες*, i. *vindicantes*. Est enim participium ejusdem verbi cujus est nomen *ἐκδίκησις*, quam vertit *vindictam*. Et tamen *defendere* frequenter apud Ecclesiasticos usurpatur pro *ulcisci*. Alioqui *defensio* Christianis permissa est, si *defendere* est depellere injuriam, cum exceptione inculpatæ tutelæ. ¶ *Charissimi*] *Ἀγαπητοί*, i. *dilecti*. Hoc adjecit velut eblandiri cupiens: quòd alioqui durum erat lacessitum injurià remittere vindictam. ¶ *Mihi vindictam*] *Ἐμοὶ ἐκδίκησις*, i. *mihi vindicta*, sive *ultio*, nominandi casu. Atque ità citat Hieronymus adversùs Ruffinum in epistola cujus initium, ***Lectis literis prudentiæ tuæ***. Proinde dilucidiùs explicatur Deut. 32. unde locus hic desumptus est, ***Mea est ultio***, h. e. Meum est ulcisci, qui sum Judex. Nec additum est in Græcis cod. *& ego retribuam*; sed, *ego retribuam*, citra conjunctionem, quemadmodum exstabat scriptum in vetustiss. codice Constantiensi.

20. *Ciba illum*] *Ψώμιζε* quod quidem haud caret emphasi. Nec enim *ψωμίζειν* est simpliciter *pascere*, sed *indulgenter pascere*, *veluti minutim insipato pane*, aut *frustulatim conciso cibo*: id quod apud nonnullos fit erga eos quibus favetur in conviviis, cùm aliis interim liceat esurire. ¶ *Si sitit, potum da illi*] Hoc in nonnullis Græcorum exempl. non erat additum. Ex Origene non satis liquet quid legerit. Apud Ambrosium additur, atque item in vetustis exemplaribus; præterea apud Theophylactum & Chrysostomum. Quanquam cibi nomine continetur & potus. ¶ *Congeres super caput*] *Σωρεύσεις*, i. *accumulabis*, sive *coacervabis*. Et *carbones ignis* Hebraicà figurà dixit pro *carbonibus ardentibus*; quod ità interpretatur Theophylactus, *Vis magnificè ulcisci inimicum tuum? Accumula in illum beneficia: sic enim futurum est ut atrociùs à Deo puniatur*. Mihi videtur accommodatiùs doctrinæ Christianæ, si intelligamus beneficiis obruendum inimicum, quò tandem resipiscat, & meritis lenitateque nostrà victus ex hoste fiat amicus.

21. *Noli vinci à malo*] *Bonum & malum* hìc non refertur ad hominem improbum aut probum, sed significat ipsum beneficium aut injuriam. *Vincitur* igitur *à malo* qui provocatus injurià non temperat animo, sed adducitur ad retaliandam injuriam. *Vincit malum bono* qui malefacta benefactis repensans efficit ut inimicus resipiscens fiat amicus. Hoc præceptum quoniam durum erat humanis affectibus, adjecit autoritatem Domini, *dicit Dominus*. Atque idem Christus præcepit in Euangelio: & tamen haud scio quo pacto fit ut hanc doctrinam non negligant solùm verùm etiam palàm irrideant qui sibi videntur admodum esse Christiani; & quorum piæ videlicet aures ne superstitiosum quidem Christophori, Barbaræ, aut Erasmi cultum verbo notari ferunt, ad hæc Christi sanctissima præcepta non verentur cachinnos tollere: & quod ante Christum ethnicos docuit Socrates, hoc ab ipso traditum Christo, ab Apostolis toties inculcatum irrident Christiani, cùm hoc insigni præcipuè Christus suos à mundo discreverit. Verùm hæc comploratio non hujus est loci. Et ex hoc capite. D. Augustinus profert exemplum moderatæ simul ac modulatæ dictionis Certè vix alius est apud Paulum locus compositior atque, ut ità dicam, picturatior. Ut autem insigniora tantùm indicemus, quantum dignitatis habet illa distributio (sic enim vocant Rhetores, quà unumquodque redditur ei cui congruit) *Habentes donationes secundùm gratiam quæ data est nobis differentes; sive prophetiam, secundùm rationem fidei; sive ministerium, in ministrando; sive qui docet, in doctrina; qui exhortatur, in exhortando; qui tribuit, in simplicitate; qui præest, in solicitudine; qui miseretur, in hilaritate*: cæteráque quæ simili modulatione ac jucunditate decurrunt usque ad bimembrem periodum, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*. Interim non parùm est gratiæ in iisdem vocibus per traductionem, aut similibus per adnominationem repetitis, item ex contrariis inter se redditis: quod genus sunt illa, *Gaudere cum gaudentibus*; item *Malum pro malo: ἐναντίωσις*; in illis est, *Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus*; item in illis, *Benedicite, & nolite maledicere*; item, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*; item in *alta sapientes*, & *humilibus consentientes*. Cæterùm comparibus membris & incisis, similiter cadentibus ac desinentibus sic totus sermo modulatus est ut nulla cantio possit esse jucundior. Verum his persequendis non est animus immorari, nè simul & lectorem defatigem, & ipse videar ab argumento suscepto digredi.

VATABLUS.

1. **M***isericordiam*] *Miserationes*. ¶ *Exhibeatis*] *Præbeatis*, *offeratis*. ¶ *Hostiam viventem*] Vel, *quæ hostia viva est*, *sancta*, &c. ¶ *Rationabile obsequium vestrum*] *Rationalis sit cultus vester*: i. spiritualis & invincibilis: q. d. fide, spe, & charitate, non pecudibus.

2. *Conformari huic seculo*] i. Similis esse hominibus hujus seculi. ¶ *Reformamini in novitate sensûs vestri ut probetis*] *Transformemini* (i. dissimiles eis sitis) *per renovationem mentis vestræ, ut cognoscatis*, &c. ¶ *Bona, & beneplacens, & perfecta*] *Quod bonum est, acceptumque & perfectum*.

3. *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed*, &c.] *Nequis arroganter de se sentiat suprà quàm oportet de se sentire, sed ità sentiat ut modestus sit & sobrius, ut cuique Deus partitus est mensuram fidei*.

4. *Eundem actum*] Vel, *eandem actionem*.

5. *In Christo*] i. Per fidem in Christum. ¶ *Alter alterius*] *Alii aliorum*.

6. *Habentes**] * *Autem*. ¶ *Secundùm rationem*] *Juxtà proportionem*: q. d. Si quis donum interpretandi Scripturas habuerit, ità interpretetur ut ejus interpretatio cum fide conveniat.

7. *In ministrando*: *In ministratione*: i. ut ministret, sub. *pauperibus donata ab Ecclesia*. ¶ *In doctrina*] Vel, *in docendo*; vel, *ad docendum habet donum*.

8. *In exhortando*] i. Ut exhortetur donum habet. ¶ *Qui tribuit, in simplicitate*] i. Qui eam gratiam habet ut possit egentibus suas facultates impertire, id faciat corde simplici, & ab omni humano plausu alieno. ¶ *Solicitudine*] *Diligentià*.

10. *Charitatem fraternitatis invicem diligentes*] *Fraternà charitate*

charitate ad mutuò vos amandum propensi. ¶ *Honore*] Vel, *Subsidio.*

11. *Solicitudine*] i. Sedulitate & industriâ exhibendi officii. ¶ *Domino*] *Tempori.*

13. *Necessitatibus sanctorum communicantes*] q.d. Sanctis inopiâ rerum laborantibus facultates vestras impertite. ¶ *Hospitalitatem sectantes*] i. Studiosè excipite hospitio Sanctos, qui ad vos se conferunt.

14. *Benedicite*] *Bene precemini.* ¶ *Maledicere*] *Diris imprecationibus malum optare.*

15. *Gaudere---flere*] Infinitivi pro imperativis, more Hebræorum.

16. *Idipsum invicem sentientes*] *Eodem animo alii erga alios affecti sitis:* vel, *estote unius animi & affectûs.* ¶ *Alta sapientes*] i. Nè arroganter de vobis ipsis sentiatis. ¶ *Consentientes*] *Vos accommodantes:* i. humilis conditionis hominibus, & quantum ad Divina dona attinet, vobis inferioribus, vos accommodate, & illorum consortia nè aspernemini. ¶ *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*] i. Judicio vestro nè persuadeatis vobis vos esse prudentes.

17. *Bona*] *Honesta:* q. d. providete ut quæ honesta sunt, & nulli reprehensioni obnoxia, admittatis.

18. *Quod ex*] *Quantum in.*

19. *Defendentes charissimi*] *Ulciscentes dilecti.* ¶ *Date locum iræ*] i. Nè apud vos eam retineatis, compescite eam: vel, irato adversario & furenti cedite. ¶ *Vindictam*] *Vindicta*; nominativus: i. mea est ultio, meum est ulcisci.

20. *Sed si*] *Si igitur.* ¶ *Carbonas ignis*] Hebr. carbones ardentes: i. incendes illum totum ad redamandum te.

21. *Noli vinci à malo; sed vince in bono malum*] q. d. Nè prohibearis injuriâ quo minus in aliquem sis liberalis & beneficus: malefacta benefactis supera.

CASTALIO.

1. PER *Dei misericordiam*] Οἰκτιρμῶν pluralis est numeri. Sed intelligendum est, quæ verba apud nos habitum declarant, ea apud Hebræos & de habitu dici & de actione, sed de habitu per pluralem numerum, de actione autem per utrumvis, prout vel una est, vel plures. Ex. gr. si volunt *beneficium* dicere, dicunt חסד: sin *beneficentiam*, utuntur eodem verbo, sed in plurali numero; atque idem faciunt si *beneficia* significare volunt. Exempla legendis S. libris quàm voles multa invenies. Igitur οἰκτιρμός est *miseratio.* At plurali numero *misericordia* est, Hebraico more, ut rectè interpretatus est hoc loco V. interpres. ¶ *Qui vester sit cultus rationalis*] Quo vos ipsos rationale animal, non bruta, libetis.

2. *Neve similes vos huic seculo præstate*] h. e. Hujus vitæ hominibus. Ego ab hoc loquendi genere ideo recedere nolui quòd & significanter dicitur & Latinus sermo patitur. Nam & *secla ferarum* pro *genere ferarum* sæpe dixit Lucretius: & antiquorum quidam dixit *avaritiam aut ambitionem nunc tenere seculum.*

15. *Gaudete cum gaudentibus, & cum plorantibus plorate*] Aliorum bonis gaudendum, & dolendum malis.

19. *Supplicio locum dantes*] Deo, qui supplicium irroget.

CLARIUS.

1. O*Bsecro itaque vos*] Hactenus de dogmatibus: nunc ad eam partem accedit quæ ad mores ac vitam pertinet. ¶ *Rationalem cultum vestrum*] Dicit ad differentiam Judaici cultûs, ubi bruta & ratione carentia animalia immolabantur: at sacrificia nostra longè alterius esse generis debent. Et eo verbo declarat quid velit intelligi per *hostiam viventem, sanctam, & Deo placentem.*

2. *Bona, & beneplacens, & perfecta*] Tacitè arguit imperfectionem Legalium. Est autem *voluntas Dei*, ait M. Basilius, *quædam quæ propriâ ratione bona appellatur, at illa si præter tempus ac personam fiat, non placet Deo: quod si servato & tempore & personâ, atque hujusmodi rebus, adhibeatur præterea ingens studium nequid inerter fiat, nequid desit, tunc & bona & placens & perfecta est.*

3. *Ad modestiam*] Ut modestus sit atque humilis. ¶ *Mensuram fidei*] *Fidem* hîc pro *charismatibus* posuit. Dicens verò, *sicut Deus distribuit*, & consolatur eum qui minus accepit, & reprimit eum qui plura habuit, cùm hæc Dei judicio distribuantur: tantùm iis utantur ut se putent esse tanquam unius corporis membra, quæ quamvis diversæ dignitatis & gradûs sint, omnia tamen ad perfectionem corporis sunt necessaria.

6. *Secundùm proportionem fidei*] *Quamvis enim*, inquit Chrysostomus, *donum sit, non tamen simpliciter effunditur, sed mensuras à suscipientibus accipiens, tantum influit quantum invenerit vas fidei porrectum sibi.*

8. *Qui miseretur*] Intelligit de eleemosyna, quæ vox *misericordiam* significat, à verbo ἐλεεῖν, quæ est *misereor.* Vult ergò ut *in eleemosynis dandis hilares simus atque alacres.*

16. *Humilibus consentientes*] h.e. Dimittentes nos ad eos qui humiliore quàm nos sint conditione, tanquam simul fratres, neque quicquam nobis de externo hoc fastu arrogantes.

19. *Date locum iræ*] *Dare locum iræ*, ait M. Basilius, *est vel non resistere malo, sicut scriptum est*, Percutienti te in dextra maxilla, porrige & aliam; *vel illud*, Cùm persequuntur vos in hac civitate, fugite in aliam.

20. *Carbones ignis congeres*] h. e. Damnabit ipse sese, & quasi incendetur, contemplatione hujus generosi tui animi. Vix enim invenitur quis tam feris moribus qui non beneficentiâ molliatur.

21. *Noli vinci à malo*] Quæris aliud, inquit, quàm victoriam? Non, opinor. At *vinci à malo* victoriam amittere est. *Vince ergò per beneficentiam malum.* Hoc autem caput Christianam omnem complectitur perfectionem.

ZEGERUS.

1. R*Ationabile obsequium vestrum*] *Obsequium* hic sicut & alias cultum dicit: qui quoniam olim in pecudum mortuorum corporibus consistebat, idem nunc in rationalis hominis vivo corpore offerri præcipitur; ut corpora magis nostra quàm brutorum fiant pecudum sacrificium Deo, & in sacris locentur altaribus. Etenim qui membra sua mortificant ab incentivo libidinis ac cæterorum affectuum, & actus corporis sui Deo placitos habent, *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem rationabiliter offerunt*, & legem sacrificiorum veterum secundùm spiritualem intelligentiam complent. Plura de his præclara habes apud Origenem. Neque quicquam vetat quò minus λογικὴ λατρεία dici possit etiam *cultus rationi consentaneus*, nimirum quem ratio & æquitas moderatur, sicut spiritualis rationisque compos suos actus temperat: tametsi non negaverim id principaliter Apostolum non intendisse. Præterea scito *rationabile obsequium* casûs esse accusativi, & per appositionem quodam modo cohærere cum superioribus, *hostiam sanctam, viventem, Deo placentem:* nisi fortè malis & copulam subintelligere.

2. *In novitate sensûs*] Sive *mentis.* Est enim νοῦς utrumque declarans. ¶ *Ut probetis*] i. Noscatis.

3. *Dico enim*] i. Hortor, admoneo. ¶ *Non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem*] Monet nè quis arroganter de se sentiat, sibique per fastum placeat, sed sapiat sentiatque de se unusquisque quantum modestia, temperantia & sobrietas patitur.

6. *Secundùm rationem fidei*] Κατὰ τὴν ἀναλογίαν, h. e. *juxta convenientiam, proportionem, proprietatem*, sive *modum fidei.*

11. *Domino servientes*] Vetustissimi interpretes duplicem indicant lectionem. B. Ambrosius hoc argumento adseverat, potiùs legendum *Tempori servientes*, quòd omnia quæ hic enumerat Apostolus nihil aliud quàm Dei servitium sint. Major tamen scriptorum pars *Domino servientes* legit. Unde Hieronymus Ad Marcell. de suis æmulis loquens, *Illi*, inquit, *legant Tempori servientes; nos legamus, Domino servientes.* Origenes utriusque meminit.

13. *Necessitatibus sanctorum communicantes*] Sic olim Græci, teste Hieronymo; contrà verò Latini μνείαις *memoriis sanctorum* habuere. Utrumque apud probatos exstat autores. Vide Titelmannum. Petrus Chrysologus habet *memoriis*, Serm. 120.

14. *Benedicite persequentibus vos*] Ex eo quòd Ambrosius & P. Chrysologus Serm. 120. planè hanc clausulam non habent, suspicor ex adnotatione declarante, quid esset illud *Benedicite, & nolite maledicere*, in contextum à scribis translatum esse. *Benedicendi* vocabulo tria includuntur. *Benedicimus* cui bene precamur; *benedicimus* ei de quo bene loquimur; *benedicimus* item ei quem admonemus erroris, mollique responsione corrigimus.

15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*] Infinitivi χαίρειν καὶ κλαίειν imperativorum loco positi sunt. Quapropter utrovis modo rectè legeris, *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus:* &, *Gaudere cum gaudentibus*, &c.

16. *Idipsum invicem sentientes*] Latè patet hujus verbi intelligentia, & ad multa accommodari potest. Nam D. Ambrosius ad hunc modum edisserit, *Hoc est*, inquit, *quod dictum est, compati debere ut fratres in tribulatione; sicut & alia di-*

cit

cit epistola, *Considerans teipsum*, *nè & tu tenteris.* *Alter alterius onera portate.* Chrysostomus verò hoc verbi adversùs Romanorum arrogantiam ac fastum dictum intelligit, atque ad eum animi affectum refert quo quis sese demittens neminem se ducit inferiorem. Sic enim scribit, ubi propriè ad hunc spectat sermonem, *Eodem*, inquit, *animo alii in alios affecti* (tali enim periphrasi hunc locum interpres ipse, & cæteri ferè recentiores convertunt) *ut magnum te putas esse? igitur & illum. Humilem & exilem illum suspicaris? itaque & de teipso illud decernas: et jam omnem inæqualitatem rejecisti. Quomodo verò fiet istud? Si arrogantiam rejeceris.* Unde & subjunxit, *Non arroganter de vobisipsis sentientes.* At porrò Origenes in hunc modum commentatur, *Sermo*, inquit, *iste non naturâ sui, sed interpretatione obscurior factus est. Hoc est enim quod dicit, ut ità de fratre sentiamus ut de nobis ipsis, & ità velimus proximo sicut & nobis volumus; ut in Evangelio Dominus dicit, Quæ vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis*, Matth. 7. 12. ¶ *Humilibus consentientes*] Ταπεινοῖς συναπαγόμενοι, i. humilibus rebus contemptibilibúsque, sive etiam humilis sortis hominibus, vos accommodantes, annumerantes inclinantésque.

17. *Non tantùm coram Deo, sed etiam*] Absunt quidem hæc in Græcis exempl. nostris, consentientibus commentatoribus Græcis: apertè tamen leguntur apud Hieronymum Epist. De vitando suspecto contubernio, Ambrosium, Sedulium, Aug. Serm. De conf. & Chrysologum Serm. 120. Smaragdus videtur non legisse. ¶ *Coram omnibus, si fieri potest*] Clausula *si fieri potest* aptiùs cohæret superioribus.

19. *Defendentes*] Pro *ulciscentes.*

20. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*] Duplex subest huic loco intellectus: Secundùm alterum Apostolus injuriâ lacessiti & depressi humilitatem sublevat & consolatur, lacessenti verò inimico ultrices minatur pœnas, dum per benefacta illius *huic* dici *urentes carbones accumulari super caput*, scilicet præcipuam hominis partem, ubi vel maximè noceant: tanquam si inquiat, Si cupis sancto quodam zelo inimicô tuo talionem, officiis illum prosequere, & acerbiora accumulaveris in animum illius tormenta ab æquissimo omnium retributore Deo infligenda. Secundùm alterum intellectum, tunc ardentes carbones animo sive cordi inimici coacervamus, quando beneficio, humanitate, lenitate, pietate, misericordiæ opere illum cumulamus, quibus veluti prunis ad cordis compunctionem, commissorum pœnitudinem, & ad redamandum amicum accendatur. Augustino magis probatur sensus posterior, *carbones ignis* interpretans *urentes pœnitentiæ gemitus.* Vide lib. De doctr. Chr. 3. c. 16.

L. BRUGENSIS.

1. **R***ationabile obsequium vestrum*] Ex Græco & Syro rectè etiam vertitur *Rationale*: τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν est Græcè: quod plerique hodie reddunt, *Rationalem cultum vestrum.* Cæterùm existimarim veteri Interpreti, Græcè magis quàm Latinè perito, eadem fuisse *rationale* & *rationabile*, ità ut intelligi possit per *rationabile* quod transtulit, & quod rationali hominis parte, mente fit, h. e. spirituale, & quod rationis æquitate dictante fit, & quod rationis judicio temperatur, denique quod recta ratio ad legitimum finem dirigit.

2. *Ut' probetis' quæ' - sit' voluntas Dei bona, & beneplacens'* [*Et* o. *Ad probandum* Cyp. *quid* 1 MS. - Compl. G. *placens* 1 MS. *placens* Cypri. Aug. Spec.] *& perfecta*] Hunc ad modum legitur, ut nostris in libris, ità apud D. Cyprianum, lib. 3. epist. 25. S. Hieronymum, post medium libri primi Adv. Jovinianum, & Primasium, qui in proprio cum commentario disertè explicat; *Bona, & beneplacens, & perfecta, Bona, melior, & optima.* B. Augustinus, epist. 85. ac lib. 10 De civ. Dei cap. 6. & Autor enarrationum Ambrosii nomen præferentium, legunt, *Ut probetis* [*Ad probandum - vos*, Aug.] *quæ sit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum* [*placitum* Ambr. Sedul.] *& perfectum** [* *est* Ambr.] quo modo & Autor commentariorum quæ in Hieronymi operibus legisse videtur, quòd seorsum posteriorem hujus sententiæ partem explicet, hoc modo, h. e. quod bonum sit, & melius, & optimum. Idque ex Sedulio, qui cum illa lectione hanc explicationem in Collectanea sua transtulit, manifestum esse potest. Græcus sermo ad utramque lectionem ambiguus est (εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον) quòd nomen *voluntas* ac subsequentia adjectiva neutro genere efferat, & articulum præponat voci ἀγαθὸν. Syriacus non nisi priorem admittit: quæ cùm in Latinis libris omnibus, scriptis atque impressis, jam inveniatur, & ab Haymone, Anselmo, Autore Glossæ, posterioribúsque Latinis enarratoribus exponatur, germana nostræ esse editionis omnino videtur, nostræ, inquam editionis, quâ ex B. Hieronymi castigatione, utimur. Testatur enim Hieronymus in Origenis, suóque magna ex parte, in epistolam ad Romanos commentario, olim vulgatum legendi modum Latinis fuisse, *Quod bonum, & beneplacitum, & perfectum:* sed in Græco ipse alterum haberi docet, *Bona, & beneplacens, & perfecta*, sive quòd articulum τὸ ante ἀγαθὸν non habuerit, sive quòd conformiorem Græco judicaverit, quem Græcorum commentarii magis probaverint, ut eorum quos nos habemus, Chrysostomi, Theophylacti, Oecumenii. Nec dubium quin is proprius Origenis sit commentarius quo juxta hanc lectionem locus explicatur (juxta utramque enim explicatur) nisi hunc in locum nihil ipsius Origenis sit, sed totum Hieronymus Interpres addiderit. Multa enim Origenis commentariis deerant, incertum quo casu; quæ Hieronymus à se suppleta, & in præfatione & in peroratione, testatur. Verba ejus in hunc locum duodecimi ad Romanos capitis, hæc sunt, *Sciendum est quod in Græco habet, Ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona, & beneplacita, & perfecta. Sed nos, quia unus in utroque potest sensus videri, consuetudinem sequimur Latinorum.* Sequitur postea, ubi hæc pars singulariter tractatur, *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum:* manifestum est autem, quod & præcessisse debuerat, quódque prolixiùs textum Interpres priùs recitaverit quàm modò habeatur.

10. *Charitatem fraternitatis invicem diligentes*] Complures nostræ ætatis scriptores *Charitate* legendum esse conjiciunt; profectò non absque argumentis. Primùm enim, Græcè est τῇ φιλαδελφίᾳ, qui est dativus modi, quem Latini suo ablativo exprimunt. *Charitate* igitur *fraternitatis*, sive *fraternâ*: nam *fraternitatis* dixit Interpres pro *fraterna*, extremum fortè Græcæ vocis imitatus, quam, quia Latinis una similis compositionis vox non est, duabus transtulit. Deinde, non est Græcè participium *diligentes*, sed quod accusandi casum non fert, nomen φιλόστοργοι quod exponere possis *affectuosi*, τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, *Charitate fraternâ ad invicem affectuosi.* Præterea, non aptè congruit vox *invicem*, si *charitatem* legas: nisi addas *ad* vel *in* præpositionem. Et quidem uno in scripto, L notato, hæc addita est, *in invicem*, ad tollendum, opinor, sententiæ incommodum: sed ex aliis omnibus quos vidimus calamo æréque exaratis libris, dempto Zegeri Testamento, omissa, etsi sit Græcè, cognoscitur, quòd nomen φιλόστοργοι redditum sit participio *diligentes.* Insuper hujusmodi formam, cujusmodi hæc sententia, sexto casu *charitate* lecta, referunt subsequentes; *Honore invicem prævenientes Sollicitudine non pigri*, & cæteræ: atque illa *Honore* convenientissimè hanc *Charitate* proximè sequitur. Adhæc, hunc in modum & legunt & intelligunt veteres, cùm Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, tum Latini. Tertullianus, lib. 5. in Marcionem legit. *Amore fraternitatis invicem affectuosi.* Simili ferè modo illorum Autor commentariorum quæ Ambrosio vulgò tribuuntur, *Fraternitatis amore invicem benigni.* Hieronymiana scholia, *Ità vos diligite*, explicant, *quasi ex una matre generati*: id quod Sedulius in Collectanea sua transtulit, præmisitque, *Charitate fraternâ invicem benigni.* Primasius similiter, *Charitate fraternitatis, Tanquam ex uno utero nati, ità vos diligite invicem benigni.* Haymo, *i. ait, cum charitate fraternitatis sitis vos alterutrum diligentes*, quia unus est pater vester, qui in cœlis est. *Omnes enim qui unam fidem habent, & uno baptismate sunt abluti, ità invicem, ità secundùm Deum diligere debent, veluti fratres ex uno matris utero egressi.* Jam verò & Latina nostræ editionis exemplaria reperimus quæ *charitate* legant (*Charitate fraternitatis invicem diligentes*) unum scriptum, Plantini medium, duo impressa, Moguntiæ unum, anno 1472, Lugduni alterum, anno 1522. quibus Romanum Breviarium, Pii quinti Pont. Max. jussu editum, adstipulatur, in tertia lectionum secundæ diei infra Octavam Epiphaniæ, ex hoc Epistolæ ad Romanos capite desumptarum. Adstipulatur etiam Lyrani commentario, quem ab ipsa Typographiæ infantia excusum à M. N. Hunnæo habemus, mixtus textus, nec commentarius ipse refragatur. Textus etiam D. Thomæ commentario, annis 1518, & 1526, Parisiis edito, junctus, quamvis commentarius refragetur. Sunt & manuscripta quædam ex nostris. Mal. mi. D. quibus an post adjecta sit lineola, quæ est loco *m* literæ, dubium fit. Possit, ut facilè potuit, *e* literæ superposita fuisse lineola, factúmque *Charitatem*, ut participio *diligentes* accusandi casus quem regit daretur, quòd non intelligeretur, *Charitate fraternitatis* dictum esse

esse pro *fraterna.* Autor Glossæ, aliique Glossematici posteriores duobus modis hanc scribendi rationem (*Charitatem fraternitatis invicem diligentes*) exponunt; uno, *Diligite charitatem quam fratres habent inter se*; altero, *Velitis à fratribus redamari*; sed illis longè aliter, ut videtur quàm Apostolus velit.

11. *Domino servientes*] Autor commentariorum quæ in B. Ambrosii sunt operibus *Tempori servientes* legit. *In Græco*, inquit, *dicitur sic habere*, Deo [Domino] servientes: *quod nec loco competit. Quid enim opus erat summam hanc ponere totius devotionis, quando singula membra quæ ad obsequia & servitia Dei pertinent memoret? In omnibus enim iis quæ enumerat plenum Deo servitium exhibetur. Nam* servire tempori *quid sit, alibi solvit, cum dicit* (Ephes. 5. 26.) Redimentes tempus quoniam dies mali sunt, &c. Offendisse hunc Autorem videtur, quòd hæc totius summa, *Domino servientes*, media inter membra legatur. Græci libri, qui hodie in manibus sunt, ferè τῷ καιρῷ δουλεύοντες, quod est, *tempori servientes*, habent. Cæterùm Regius ex Complutensi, & quinque alii à Parisiensibus notati, δ, ε, θ, ι, ια, τῷ Κυρίῳ [Κυρίου Ald.] δουλεύοντες, *Domino* **servientes* [**vestro* Syri] scribunt: quibus consentiunt Græcorum, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti atque Oecumenii, textus & commentaria, Syricæque editiones; Scholia adhæc Latina, quæ apud B. Hieronymum exstant, & Primasii commentaria, ac Sedulii collectanea. Origenis Interpres Hieronymus, cùm hunc legendi modum explicuisset, *Scio*, addidit, *in nonnullis Latinorum exemplaribus haberi*, tempori servientes: *quod mihi videtur inconvenienter insertum, nisi quis forte ità dictum putet, ut in aliis idem Apostolus ait* (1 Cor. 7. 29. Ephes. 5. 16.) Tempus breve est, superest ut qui, &c. *vel ut illud dictum est*, Redimentes tempus, &c. Hodie in Latinis codicibus lectio hæc, *tempori servientes*, non reperitur: constanter enim *Domino servientes* habent, tametsi scriptorum antiquissimi (Leod. Tosanus, Mal. ma. sed is parva hæc omnia præcepta uno capite 42 complectitur) qui libris capitum argumenta præfigunt, hujus epistolæ 48 caput *De tempori serviendo* inscribunt, nimirum quòd retinuerint capitum argumenta ei Latinorum editioni quæ ante nostram fuit accommodata. Quocirca majus Malmundarii exemplar & cum locum quem proximè tractaturi sumus juxta antiquam editionem describit, *De communicatione sanctorum* - „ *memoriis*, [- Leod. " *membris* Tosanum] etsi legat juxta nostram, *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Brugensi codici posterior argumentorum pars simul cum initio epistolæ ad Romanos deest, uno folio perdito. Constanter etiam Haymo, Anselmus, & posteriores nostræ editionis enarratores. *Domino servientes* edisserunt: quanquam Autor Glossæ, ex Ambrosio, cujus interpretationem addidit, & alii alterius literæ, *tempori servientes*, meminerint. Existimo D. Hieronymi castigationem hanc legendi rationem, *Domino servientes*, editioni nostræ dedisse: qui in epistola ad Marcellam scripta, ultima tomi 2. cùm in eos acriter invectus esset qui studiosè ei detrahebant, quòd in sacris N. Testamenti literis quædam emendare tentasset, adjecit tandem, *Illi legant*, *Spe gaudentes*, *tempori servientes*; *Nos legamus*, *Spe gaudentes*, *Domino servientes.* Varietati occasionem dedit affinitas Græcarum vocum, κυρίῳ & καιρῷ, præsertim cùm voces scribæ breviare soleant.

13. *Necessitatibus sanctorum* [*eorum* o.] *communicantes*] D. Hilarius, sub finem libri quem in Constantium Augustum scripsit, Autor commentariorum Ambrosii nomen præferentium, & Petrus Chrysologus Sermone 120 legunt, *Memoriis sanctorum communicantes*: quem ad modum *magis in Latinis exemplaribus haberi meminerat* Interpres Origenis. Scholiastes qui B. Hieronymi scriptis junctus est, ac Sedulius Collector, & istam & alteram lectionem explanant. Hodie Latini, Græci & Syrici codices concorditer constantérque alteram, *Necessitatibus sanctorum communicantes*, habent: quibus volunt Tractatores Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius; & Latini, Haymo ac posteriores. Et hanc rursum legendi rationem nostræ editioni à B. Hieronymo datam autumo: qui in Origenis, aut suo potiùs commentario, utrumque legendi modum, ut ædificationi utilem, admittit, sed hunc, *necessitatibus sanctorum communicantes*, non obscurè præfert. *Usibus*, vertit, *sanctorum communicantes*: dein adjungit, *Memini in Latinis exemplaribus magis haberi*, memoriis sanctorum communicantes: *verum nos nec consuetudinem turbamus, nec veritati præjudicamus, maximè cùm utrumque conveniat ædificationi. Nam* usibus sanctorum *honestè ac decenter, non quasi stipem indigentibus præbere, sed censum nostrum cum ipsis quodammodo habere communem, & meminisse sanctorum, sive in collectis solemnibus, sive pro eo ut ex recordatione eorum proficiamus, aptum & conveniens videtur.* Diversitas iterum ex vicinitate Græcarum vocum orta fuit, χρείαις, μνείαις: est enim locus hic superiori quàm simillimus.

H. STEPHANUS.

2. Μὴ συσχηματίζεσθαι τῷ αἰῶνι τούτῳ ἀλλὰ μεταμορφοῦσθαι τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν] *Ne conformes fiatis huic seculo, sed transformemini per renovationem mentis vestræ.*

5. Ὁ δὲ καθ' εἷς] *Singulatim autem.*

9. Ἀποστυγοῦντες] *Odio prosequentes.*

12. Τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες] *In precatione assidui.*

15. Χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων] *Gaudere* pro *Gaudete*; & *Flere* pro *Flete.*

16. Τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι] *Eandem cum humilibus viam insistentes.*

18. Τὸ ἐξ ὑμῶν] *Quantum ad vos attinet.*

19. Ἐκδικοῦντες] *Ulciscentes.*

DRUSIUS.

1. PER *miserationes Dei*] ברחמי אל. V. Interpres *per misericordiam Dei*, בחסד אל. nam חסד antiquâ interpretatione ἔλεος *misericordia.* Senes etiam רחמים ità interpretantur Jes. 54 7. & alibi. Nec aliter Hieronymus Amos. 1. 11. Sæpius tamen utuntur numero pl. οἰκτιρμοί, quod *miserationes* denotat: rarò singularem usurpant, ut Zach. 1. 16. ברחמים ἐν οἰκτιρμῷ & 7. 9. חסד ורחמים ἔλεος καὶ οἰκτιρμὸν *misericordiam & miserationem.*

8. *In simplicitate*] *Cum benignitate, benignè.* Vide infrà 2 Cor. 8. 2. nam ibi ἁπλότης videtur *benignitatem* significare, Expende, lector, & judica. Alioquin ἐν ἁπλότητι, i. *candidè.*

13. *Hospitalitatem sectantes*] Ut hîc *sectari hospitalitatem*, ità legimus *sectari pacem* Psal. 34. 14. *justitiam* Deut. 16 20. Prov. 15. 9. *benignitatem* Prov. 21. 21. *bonum* Psal 38. 20. Etiam in vitio ponitur, Prov. 11. 19. מרדף רעה *qui sectatur malum.* Psal. 119. 152. רדפי זמה *sectantes scelus.*

14. *Persequentibus vos*] *Iis qui vos persequuntur*, aut *infestantur.* Notatum hic de persona, designare nocendi cupiditatem. Hoc non est perpetuum Nam legimus Prov. 12. 11. *Qui sectatur otiosos, deficit corde*: & 28. 19. *Qui sectatur otiosos, saturabitur egestate*, non nocendi causâ, sed imitandi. Sic Prov. 19. 7. *sectatur sermones qui non sunt.* Et 2 Reg. 5. 21. qui est quartus in libris Græcis, καὶ ἐδίωξε Γιεζεὶ ὀπίσω τοῦ Νεεμὰν, non sanè nocendi studio, sed ut eum assequeretur quem conventum cupiebat. Esa. 5. 11. τὸ σίκερα διώκοντες 51. 1. οἱ διώκοντες τὸ δίκαιον Hos. 2. 7. καὶ διώξεται τοὺς ἐραστάς 6. 3. καὶ διώξομεν τοῦ γνῶναι τὸν Κύριον. Quæ omnia docent differentiam quam nonnulli ponunt inter *sectari rem & personam*, ut prius in bonam partem, posterius in malam semper accipiatur, non esse juris certi quod ubique & semper obtineat. ¶ *Benedicite, & nolite maledicere*] *Benedicit* Hebræo & Latino sermone qui bona exoptat, & ut bona eveniant precatur; contrà *maledicit* qui imprecatur. Cicero, *cui benedixit unquam bono?* Hoc sensu homo *benedicit* homini. Alio Deus *benedicit* hominibus, & nos Deo. Nam Deus *benedicit* cui benefacit & de quo benemeretur: Homo *benedicit* Deo, quem laudat, cui gratias agit de accepto beneficio. Hinc Deus *benedictus*, i. laudandus. Psal. 134. 3. *Benedicat tibi Dominus è Sion.* Terentius Adelphis, *Dii tibi benefaciant*

15. *Gaudete cum gaudentibus*, &c.] *Gaudere cum gaudentibus* vocatur גמילות החסדים *remuneratio beneficiorum*, lib. Musar 96. 1. *Debet homo gaudere cum socio suo in die gaudii ejus, & adhærere ei in die angustiæ ipsius, daréque operam ut eum liberet ex ea*, ibid. Vide sequentia. In Templo Salomonis erant duæ portæ, una sponsorum, & altera lugentium & separatorum, qui à cœtu piorum separati & exclusi erant sive per Niddui, sive per Herem, h. e. anathema. Quid iis dictum sit à populo cùm Templum ingrederentur, docebit te autor libri memorati R. Juda. 95. 1. idem 136. l. c. 20 ubi de via terræ, *Semper homo gaudebit cum gaudentibus, & mœstus erit cum mœrentibus, & affliget se cum iis qui se affligunt, nec ridebit cum flentibus, nec flebit cum ridentibus, non vigilabit inter dormientes, nec dormiet inter vigilantes, nec stabit inter sedentes, nec sedebit inter stantes. In summa, non mutabit homo sententiam suam à sententia aliorum hominum; abolebitque voluntatem suam propter voluntatem eorum.*

19. *Date locum iræ*] i. Cedite illi. *Cedit* autem qui non resistit ei: & *iræ*, i. homini irato. Sic *aviditas* pro *avaro* ponitur,

nitur, ut *dolus* pro *doloso*, & *ignavia* pro *ignavo*, item *scelus* pro *scelesto*. Sic Ephes. 4. 27. *Ne date locum Diabolo*, i. Ne cedite ei, sed resistite pro virili & quantum in vobis est. Affine est quod Græci dicunt *χώραν διδόναι τῷ κενῷ*, pro *locum dare & in se admittere.*

20. *Si sitis, da ei potum*] Membrum hoc in iis Græcorum exemplaribus ubi desideratur addendum est, meo judicio, quoniam habetur Prov. 25. 21. unde hic locus desumptus.

CASAUBONUS.

2. ΚΑΙ' *μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ*] Sic utitur Plutarchus, in Numa, p. 134. Livius 14. (Plutarchus ibid. —— *οἱ πολλοὶ* —— *τὴν ἀρετὴν* —— *τοῦ ἄρχοντος ὁρῶντες, ἑκουσίως σωφρονοῦσι, καὶ συσχηματίζονται πρὸς τόν*, &c. Livius, *Cum ipsi se homines in Regis, velut unici exempli, mores formarent*, &c.)

16. *Φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς*] Æschylus, *παρ' ἑαυτῷ τὸ δίκαιον ἔχειν*.

18. *Τὸ ἐξ ὑμῶν*] Forte *τό γ' ἐξ ὑμῶν*.

CAMERON.

Lectori,

QUæstiones quæ sequuntur in c. 12, 13, 14, & 15. propositæ sunt scripto D. CAMERONI *ab amico quodam, viro docto, quibus subjecit breves Responsiones istas. Utraque tum Quæstiones scilicet tum Responsiones faciunt ad veram intelligentiam locorum illorum: quare visum est ea hic tibi exhibere.*

2. *Εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ*, &c.] Quæritur, quódnam sit discrimen inter *ἀνακαίνωσιν νοὸς* & *τὸ δοκιμάζειν*, &c. RESP. *Ἀνακαίνωσις νοὸς* est veluti habitus, *δοκιμάζειν τί τὸ θέλημα* est ejus veluti *ἔργον*, ut mihi quidem videtur. Ut *ἀνακαίνωσις* sit *ὄψις*, *δοκιμάζειν* verò *πρῶτον μὲν παρατηρεῖν τὸ ὁρώμενον, ἔπειτα δὲ συγκαταθέσθαι καὶ συγκατατείνεσθαι ἡσθέντα τῷ πράγματι, ὡς καλλίστῳ τε ὄντι καὶ ἡδίστῳ, καὶ δὴ καὶ λυσιτελεστάτῳ.*

3. An *ὑψηλοφρονεῖν*, idem sit quod cap. 11. 20. *ὑψηλοφρονεῖν*, vel potiùs idem quod 2 Cor. 4. 6. *ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν*, notétque canonem de quo 2 Cor. 11. 30. An verò intelligantur æmulationes circa dona spiritualia, de quibus 1 Cor. 14. an vero eadem sit sententia quæ 1 Cor. 8. 1. *Scientia inflat, charitas ædificat?* RESP. Puto simpliciter commendari humilitatem eam quæ facit ut nequis plus sibi sumat quam accepit à Domino, Psalm. 143. interim verò Dei dono in proximi commodum strenuè ac fideliter utatur, neu sibi se natum putet.

6. *Εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν πίστεως*] Num hic *πίστις* significat Euangelium, ut Gal. 1. 23. an verò *analogia* est relatio ad *αὐτόπιστα* capita doctrinæ Christianæ? RESP. Puto *ἀναλογίαν πίστεως* esse *μέτρον πίστεως*. *Credidi, ideo locutus sum:* nequis inter prophetandum effutiat quod revelatum non fuit.

7. *Εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ* &c.] An repetitiones illæ ex usu Hebraici sermonis significent vehementiam & intensionem? an verò nihil aliud sibi vult Apostolus, quàm ut seriò in id quod est muneris ipsorum, neque aliud agant; RESP. Posterius placet. Nec enim abhorret ab eo, *Tractent fabrilia fabri:* sed nec ab eo etiam, *Spartam nactus es? hanc exorna.*

9. *Ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος*] Cur *τὸ ἀνυπόκριτον* tribuitur potiùs Charitati quàm cæteris virtutibus hoc loco? An quia Charitas complectitur omnes in universum virtutes? an quia vix quisquam est cui non gratum sit humanitatem & benevolentiam præ se ferre, cùm interea odium in corde premat, quod Itali dicunt, *Viso di charità, mente d'invidia?* RESP. Posterius magis arridet: nam & fides dicitur *ἀνυπόκριτος*, quæ non est professione & verbo tenus, 1 Tim. 1. 5.

10. *Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι*] An vult Apostolus affectus naturales augeri & vestiri pietate Christianâ, ut revera Petrus illa conjunxit 2 Cathol. 1. 7. an verò eadem est hîc phrasis quæ superiori loco, *Εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ*; RESP. Puto damnari *τὴν ἀπάθειαν*. Nam Stoici olim, & è Christianis hodie non pauci, in Charitate eam requirunt, quam negant scilicet esse debere mollem & effeminatam, sed masculam: Illis autem mollis futura videtur si *στοργὴν* habeat. Est verò *στοργὴ* non modò affectus amoris naturalis, sed charitatis etiam, qui scilicet nos perinde afficit ac si naturalis foret: nimirum *συμπάθειαν* gignit *ἐν τοῖς ἀλλήλων κακοῖς καὶ εὐπραγίᾳ*· unde dolor & luctus, lætitia & exsultatio: hinc alienis malis indolescere, & ex bonis alienis capere voluptatem. Sanè ego nullam esse puto sinceram charitatem *ἄνευ συμπαθείας*. Christus Lazarum deflevit. Verùm interim est *τὰ φύσει ἐνόντα ἡμῖν καλὰ μεγάλην ἐπίδοσιν λαμβάνειν ἐπιγινομένης τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας*· sed non puto id voluisse Apostolum hoc loco significare.

12. *Τῇ ἐλπίδι χαίροντες*] An jubet *gaudere* simpliciter, idque *cum spe*? an verò monet nè concipiamus spem absque gaudio, nè frigidè nos geramus in negotio beneficiorum Dei? RESP. Posterius magis placet. Sanè nil æquè Spem probat esse veram quàm gaudium, neque Spem falsam æquè quidquam redarguit ac torpor animi, *καὶ μὴ προσπεπονθέναι μεθ' ἡδονῆς καὶ χαρᾶς τῷ ἐλπιζομένῳ, μάλιστα δὲ ὅταν ἔχῃ ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ μέγα.*

16. *Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες*] An commendetur hîc Charitas ἡ *εἰς ἀλλήλους*, an verò simpliciter idem quod *ὑπὲρ ἀλλήλων*; An verò verti debeat simpliciter *invicem, inter vos*, ut hic commendetur *ὁμοδοξία*; An verò referendum est illud *τὸ αὐτὸ* ad aliquid quod vel tacitè designat, vel superius posuerat? ut cap 15. 5. RESP. Puto simpliciter commendari *τὴν ἐξ ἀγάπης ὁμόνοιαν*, cui inter bonos locus est, etsi diversa sentiant: *ἐκ τοῦ τὸ αὐτὸ ἀλλήλοις φρονεῖν ἕπεται καὶ βαστάζειν τὰ τῶν ἀλλήλων βάρη.* QUÆST. Quid est illud *τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι*] Estne idem præceptum quod Matth. 18. 10. de procuranda salute vel minimi cujuslibet? an potius monemur de conditione nostra, quam Deus vult esse dejectam & humilem? an potiùs significat ut ea quæ ex judicio mundi habentur pro exiguis nè exigua ducamus? RESP. *Συναπάγεσθαι* mihi videtur esse *συγκαταβαίνειν*. Sunt autem *ταπεινοὶ* (ut ego opinor) *οἱ ἀσθενοῦντες ἐν τῇ πίστει*. Hinc apparet Metaphoræ ratio. Quem enim sequimur *ἀπαγόμενον*, videmur *συναπάγεσθαι*, quanquam id faciamus animo *τοῦ ἐπανάγειν τὸν ἀπαγόμενον*. Huc referenda sunt illa quæ exstant 1 Cor. 9. 20, 21, 22. & 1 Cor. 8. 9, 10, 11, 12, 13. *ἀπῆγον οὖν οἱ ἀσθενοῦντες, οἱ δὲ ταῦτα τοῖς ἀσθενοῦσι πράττοντες συναπήγοντο· ἐφ' ᾧ τε ἐν δέοντι καὶ ἐν καιρῷ αὐτοὺς ἐπαναγαγεῖν, τοῦτο δέ ἐστιν ὑπὲρ ἀλλαχοῦ ὁ Ἀπόστολος κερδῆσαι καλεῖ.* Hoc verò non licet in flagitiis, in sceleribus, in peccato facere, sed nec in rebus adiaphoris assentandi animo, cum Euangelii & Ecclesiæ detrimento, Gal. 2. 13. Hinc licet conjicere cur Apostolus non usus fuerit verbo *συγκαταβαίνειν* nimirum subinnuit sibi non probari *ἀσθένειαν*, cùm sit *ἀπαγομένων*, *ταπεινότητα* tamen vocavit, ut esset venustior antithesis inter *ὑψηλὰ φρονεῖν* & *ἀσθενεῖν*.

19. *Δότε τόπον τῇ ὀργῇ*] An hic alludit ad sententiam vulgatam, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, quod videmur impedire cùm ipsi animadvertimus in hostes, privato dolori indulgentes? An verò simpliciter significat nos debere Deo partes Judicis suas relinquere? ut *ira* hîc pro *judicio* sumatur, ut dicitur Deus *inferens iram*, h. e. puniens, Rom. 3. 5. RESP. Posterius hoc simplicissimum videtur.

20. *Ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις*, &c.] An dicendum hîc esse consequens pro antecedente, h. e. *obnoxium illum reddes condemnationi?* Cur autem fidelium mentibus hoc objicit quasi gratum hoc illis esse possit, tanta Dei in fratres ultio? Adde quòd hoc vindictæ appetitum irritat. RESP. Non quicunque absterretur à vindicta quòd novit Deum fore vindicem, idem continuò pœnâ impiorum delectatur, quin potiùs eò vehementiùs pii in se damnant vindictæ cupiditatem, quòd certò sciunt se non fore inultos. Ita quibus non deest oppressis Magistratus, illi minimè de ulciscenda injuria laborant. Sæpe etiam contingit ut ipsâ pœnâ sine peccato lætemur, sed id fit (ut loquimur) per accidens, quoniam in pœna elucet vindicis nostri erga nos amor & cura nostri. Sic hominum mœror in nostro casu magnum nobis adfert doloris levamentum, non quod possit bonam mentem luctus alienus juvare, sed quoniam amari nos (cujus rei argumentum est dolor aliorum in calamitate nostra) id verò nobis multò gratissimum est. Itaque, ut in quæstione positum est, puto Apostolum hoc tantùm velle, Deum esse qui nostri curam gerat, nihil esse quòd nos simus de persequendis nostris injuriis soliciti; simul etiam stoliditatem hominum notare, qui vindictæ cupiditate faciunt ut nè assequantur quod maximè voluerunt.

GROTIUS.

CUm docuisset Paulus neminem nunc ad justitiam eam quæ ad vitam æternam ducit, pertingere nisi per fidem Euangelio habitam, Deumque cur ita constitueret gravissimas habuisse causas, & ea quæ objici solent solvisset, ad monita veniens, re ipsâ ostendit quod supra dixerat obiter, *per Euangelium Legem perfici*, idque per singulas eundo Legis Mosaicæ partes, ritualem primum, inde eam quæ regit Judicia vers. 1. postremo

eam quæ mores vers. 8. Ac primùm incipit à rituali sive Levitico, cujus præcipuum sacrificia, & inter sacrificia, עולה, id est, ὁλοκαύτωμα [*holocaustum*].

1. Παρακαλῶ ὖν ὑμᾶς, ἀδελφοί, *Obsecro itaque vos, fratres*] Id est, Cùm quæ dixi ita se habeant, monita vobis dabo doctrinam istam consequentia. Mos is est Pauli, quem secuti alii veteres, post τὸ δογματικὸν [*dogmaticum*], subjungere solent τὸ ἠθικὸν [*ethicum*]. ¶ Διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τῦ Θεῦ, *per misericordias Dei*] Per istas proprietates Dei descriptas Exod. 34. 6, 7. Solent Hebræi, cùm *magnitudinem misericordiæ* indicant, usurpare pluralc רחמים οἰκτιρμὸς, ut Nehem. 1. 2. & in Psalmis sæpe. ¶ Παραςῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, *ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*] Παραςῆσαι] *exhibere*] הקריב, aliter προσφέρειν [*offerre*] quam vocem habes de holocausto Levit. 1. 2. & sequentibus. Et θυσία [*hostia*] nomen generale per excellentiam dicitur de holocausto, ideoque עולה vertitur θυσία [*hostia*] Exod. 10. 25. & 29. 42. Num. 23. 3. & 28. 13. Jos. 22. 27. Job. 1. 5. Ezech. 44. 11. Ostendit uno exemplo ritualia perfici per res solidiores quæ umbris istis ex adverso respondeant. Judæi offerunt corpus mortuum, vos *corpus vivum*, id est, Unà cum corpore actiones ejus: nam agere est vivere. Idem hic dicit cum allusione ad sacrificia (cui similes allusiones habes Philipp. 2. 17. & 4. 18.) quod simpliciter 1. Cor. 6. 20. ¶ Ἁγίαν, *sanctam*] Id Lege sanctum dicitur quidquid Deo oblatum est, ut Levitici 12. 4. Matth. 23. 19. Quantò magis hominum corpora ab omnibus vitiis justificata, id est, repurgata. ¶ Εὐάρεςον τῷ Θεῷ, *Deo placentem*] Holocaustum dicitur ὀσμὴ εὐωδίας τῷ Κυρίῳ [*odor suavitatis Domino*] Levit. 1. 9, 13, 17. & alibi sæpe. Id multò magis Christianorum corporibus & actionibus competit, ut videre est 2 Cor. 2. 15. Philip. 4. 18. Τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. *rationabile obsequium vestrum*] Λατρεία עבודה [*servitus*] Levitica erat δι' ἀλόγων [*per irrationalia*] id est, *per pecudes:* nam omnia *muta animantia* ἄλογα vocantur Sap. 11. 15. in Glossis *animalia*, ζῶα ἄλογα [*animalia irrationalia*]. Hinc ἀλογεύεσθαι [*à ratione aberrare*] in canonibus. Nos verò offerimus corpus, in quo est animus rationis excellentissimæ compos, & actiones ratione directas. Sic λογικὸν γάλα [*rationabile lac*] dixit Petrus 1. 2. 2. Holocausti victima tota consumebatur in honorem Dei: sic & vitiosos affectus in nobis consumi oportet. Quod ibi ignis, id hic fides in cœlum adscendens.

2. Μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τύτῳ, *nolite conformari huic seculo*] Id est, *Ne vitam ducite similem hominibus amantibus seculum hoc*, cui vos in baptismo renunciastis. Sic συσχηματίζεσθαι ἐπιθυμίαις [*configurari desideriis*] dixit Petrus 1. 1, 14. Utitur eo verbo & Plutarchus, pro quo Columella dixit *configurari*. Huic oppositum est μεταμορφῦσθαι, *transfigurari*. Seneca epistola 6. *Intellige, Lucili, non emendari me tantùm, sed transfigurari.* Sic *amygdalas ex dulcibus in amaras transfigurare* dixit Plinius 17. 24. qui & 7. 55 Pythagoricam μετενσωμάτωσιν *transfigurationem* appellat. Et Suetonius Neronem narrat *conatum transfigurare Sporum in muliebrem naturam.* *Transfiguratio*, de qua hic agit Paulus, fit, ut ipse addit, *per innovationem animi:* nam νῦν [*sensum*] pro *animo* hic dixit συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*] quippe & רוח [*spiritus*] νῦς [*sensus*] vertitur, Esai. 60. 13. Hoc significant in holocausto caput & jecur quæ prima imponuntur altari, Levit. 1. 8. ¶ Τῇ ἀνακαινώσει τῦ νοὸς ὑμῶν, *in novitate sensus vestri*] Nunc explicat quid significent lotiones Sacerdotum. ¶ Εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τῦ Θεῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεςον καὶ τέλειον, *ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta*] Estis Levitæ mystici. Levitarum legalium est, examinare victimas ex lege, Lev. 22. Deut. 25. 11. & 27. 1. quo & allusum supra 2. 18. Id μωμοσκοπεῖν [*reprehendendi animo considerare*] vocat in epistola Clemens: vestrûm, quæ actiones Deo placeant. Τέλειον [*perfecta*] respondet Hebræo תמים, quod Levit. 1 vertitur ἄμωμον [*sine vitio*], & Exodi 12. 5. τέλειον [*perfectum*]. Quod autem hic dixit εὐάρεςον [*beneplacens*], respondet Hebræo רצון [*ad beneplacitum*] Lev. 22. 21. ubi εἰσδεκτὸν vertere LXX, δεκτὸν [*acceptabile*] Levit. 1. 3, & 4. Jerem. 6. 20. Malach. 2. 13. טוב etiam de victimis dicitur & *pingues* significat, Levit. 27. 10. ubi καλὸν verterunt LXX, quod hic ἀγαθὸν [*bona*] Paulus. Ita omnes victimarum laudes ad res meliores transtulit. Θέλημα [*voluntas*] dixit μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] pro iis quæ Deus amat, ut 1 Thessal. 4. 3. quod in genere dixerat nunc ad rerum species deducit.

3. Λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι, *Dico enim per gratiam quæ data est mihi*] Id est, Pro auctoritate Apostolica. sed sicut omnia quæ alii habent, ita & quæ ipse habebat ad Dei bonitatem refert, ut modestiam doceat, quam Christianos tantò magis decet, quantò majora sunt quæ accepere. Est ergo hic μετωνυμία [*Transnominatio*] causæ pro effecto. ¶ Παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, *omnibus qui sunt inter vos*] id est, *omnibus qui in Ecclesiæ estis*, sive Judæi, sive Christiani. ¶ Μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν *non plus sapere, quàm oportet sapere*] Idem est fermè quod ὑψηλοφρονεῖν [*altum sapere*] 11. 20. Est autem infinitivus pro imperativo, more Græco, ut infra v. 15. *Nolite plus animorum sumere, quàm oportet.* Non debent Levitæ sibi arrogare quæ sunt Sacerdotum, nec Sacerdotes quæ sunt summorum Sacerdotum. Contra hoc præceptum peccavit Diotrephes 3 Ioh. 9. & fermè omnes schismatum auctores. ¶ Ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, *sed sapere ad sobrietatem*] Σωφροσύνη hic *modestiam* significat. Sic & Græcis opponuntur ἀλαζονεῖν [*arrogans esse*] & σωφρονεῖν [*sapere ad sobrietatem*], ut apud Sotaden,

> Ἂν ἀλαζονῇς, τῦτ' ἀνοίας ἐςὶ φρύαγμα·
> Ἂν δὲ σωφρονῇς, τῦτο θεῶν δῶρον ὑπάρχει
> [*Si corde tumes, stultitiæ teneris æstu;*
> *Sin sobria mens est tibi, munus est deorum*].

Similis παρονομασία [*vocum allusio*] apud Charondam, προσποιείσθω δ' ἕκαςος τῶν πολιτῶν σωφρονεῖν μᾶλλον ἢ φρονεῖν [*det pro se quisque civium operam, magis ut modestè ac temperanter vivere, quam ut sapere videatur*]. ¶ Ἑκάςῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίςεως, *unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*] Est hic transpositio pro ὡς ἑκάςῳ [*sicut unicuique*], qualia multa apud Paulum. Quisque se gerat pro donis quæ à Deo accepit, nempe *pro modo ejus quam habet fidei*. Nam quod de internis donis ait Cyprianus, *Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus*, idem primis illis temporibus etiam de donis extra conspicuis verum erat. Vide Matth. 17. 20. Itaque μέτρον πίςεως [*mensura Fidei*] quod mox dicit ἀναλογίαν πίςεως [*proportionem Fidei*] est ipsa mensura Gratiæ data pro modo Fidei. Vide infra v. 6. Ephes. 4. 7. 1 Cor. 12. 7. Ἀναλογίαν *proportionem* primus vertit Cicero, quem secuti sunt Latini alii. Hieronymus adversus Jovinianum 2. *Tantum gratia Christi infunditur, quantum valemus haurire.* Etiam hic alluditur ad Levitarum ministeria: alia enim imponebantur juvenibus, alia provectis, alia senibus, ut diximus ad Luc. 3. 23. Adde Numer. 4. 1 Paralip. 15. 15. Erant illa vetera, nostrorum ἀντίτυπα [*exemplaria*] Hebr. 9. 24. In prima illa Ecclesia pro fide erant dona, pro donis ministeria. Fiebat enim electio, sine gratia, sine ambitu, sine fraudibus, Spiritu sancto dirigente. Tertullianus Apologetico, *præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat.* Clemens in Epistola, μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] Χάρισμα [*donum*] dixit pro ipsa *functione*, Καθὼς ἐτέθη ἐν τῷ χαρίσματι αὐτῦ [*prout ipsius functio requirit*].

4. 5. Καθάπερ γὰρ ἐν ἑνὶ σώματι μέλη πολλὰ ἔχομεν, τὰ δὲ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν· Οὕτως οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριςῷ, ὁ δὲ καθεῖς ἀλλήλων μέλη. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*] Frequens est apud omnes scriptores comparatio corporis humani cum corpore sociali, quale est corpus Reipublicæ, ad quod similitudinem à corpore humano deduxit Menenius Agrippa ea oratione quam habet Livius libro 2. Tale est Ecclesiæ Christianæ corpus, cui similitudines ab humano sumptas corpore aptat Apostolus, non hic tantùm, sed & 1 Cor. 12. 12. & sequentibus, Eph. 4. 25. & 5. 30. Clemens in Epistola ad Corinthios, Λάβωμεν τὸ σῶμα ἡμῶν· ἡ κεφαλὴ δίχα τῶν ποδῶν ὐδέν ἐςι, ὕτως ὐδὲ οἱ πόδες δίχα τῆς κεφαλῆς· τὰ δὲ ἐλάχιςα μέλη τοῦ σώματος ἡμῶν ἀναγκαῖα καὶ εὔχρηςά εἰσιν ὅλῳ τῷ σώματι· ἀλλὰ πάντα συμπνεῖ καὶ ὑποταγῇ μιᾷ χρῆται εἰς τὸ σώζεσθαι ὅλον [*Proprium nostrum corpus consideremus: caput sine pedibus nihil est, sic etiam nihil sunt pedes sine capite: minima vero corporis nostri membra universo corpori sunt necessaria, & utilia, omniaque inter se consentiunt, & in salutem totius uni alicui subjecta sunt imperio*]. Πρᾶξιν [*actum*] dixit Paulus per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *functionem*, quod *ministerium* dixit Menenius indicata jam oratione. *Sumus unum corpus in Christo*, id est, per Christum, qui corporis istius compactor fuit. Tertullianus Apologetico, *Corpus sumus de conscientia religionis & disciplinæ unitate & spei fœdere.* καθεῖς, id est, *singuli*, qua de voce diximus ad Marcum 14. 19. Construitur hic cum plurali κατὰ σύνθεσιν [*per constructionem res non voces spectantem*]. Dicit autem ἀλλήλων μέλη [*alter alterius membra*] & hic & Eph. 4. 25. Sicut Latinè dicimus,

Civis

Civis meus, municeps meus, de iis qui nobiſcum ejuſdem ſunt civitatis aut municipii.

6. Ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα, *Habentes autem donationes ſecundum gratiam quæ data eſt nobis differentes*] *Dona varia pro ea liberalitate quam in nos Deus exercuit.* Id enim dixit hic διδόναι χάριν [*dare gratiam*]. ¶ Εἴτε προφητείαν, *ſive prophetiam*] Subaudiendum in ſingulis membris, μὴ ὑπερφρονεῖν ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν [*non altum ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*]. *contineant ſe intra limites ſinguli.* Donum prophetiæ olim rarum, frequens in Eccleſia Chriſtiana, Actor. 13. 1. & 15. 32. 1 Cor. 12. 28, 29. & 14. 29, 37, 38. Epheſ. 3. 5. & 4. 3. De Apoſtolis, quorum primus gradus, nihil dixit, quòd illi admonitionis non egerent. ¶ Κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως· *ſecundum rationem fidei*] Id eſt, *pro prophetia*, aut majore, qualem Moſes habuit, aut minore, qualem Prophetæ alii, quam Deus ipſi pro modo fidei elargiri voluit. Hac menſura contentus ſit, nec egrediatur ſibi revelata.

7 Εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ. *Sive miniſterium in miniſtrando*] ſupple σωφρονεῖν [*ad ſobrietatem ſapere*]. Hoc eſt munus חזנים [*miniſtrorum*] de quo multa Maimonides tomo 3. Vide Actor. 6. ¶ Εἴτε ὁ διδάσκων, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ. *ſive qui docet, in doctrina*] Εἴτε ὁ διδάσκων [*ſive qui docens*] ſupple *ſit*. At Manuſcriptus εἴτε διδασκαλίαν [*ſive doctrinam*], ſupple ἔχει [*habet*]. οἱ διδάσκαλοι [*Doctores*], proximus à Prophetis gradus, Actor. 13. 1. 1 Cor. 12. 28, 29. Eph. 4. 11. Erant illi qui multis Eccleſiis erant impoſiti ad inſtruendos eos qui Eccleſiis ſingulis præerant, qualis Titus in Creta, Seniores Epiſcopi in Africa, alibi Metropolitæ. His reſpondebant in Judaiſmo מופלאים בחכמה [*excellentes ſapientiâ*] ſive רבנים] *Magiſtri*] à Synedrio facti. Habes Doctores nominatos Canone nono Concilii Cæſaraugustani primi.

8. Εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν τῇ παρακλήσει *Qui exhortatur, in exhortando*] Hic ſignificatur Presbyter κοπιῶν ἐν λόγῳ [*laborans in verbo*] 1 Timoth. 5. 17. id eſt, Epiſcopus, cui, reſpondebat in Judaiſmo חכם הגדול [*Sapiens magnus*], ſive ממונה [*Præpoſitus*], aut ראש הקהל, aut ריש כנישתא [*Princeps Synagogæ*]. Vide ad Matth. 9. 18. Hebr. 13. 7. & in Epiſtola Clementis. ¶ Ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι. *qui tribuit, in ſimplicitate*] Divitem intelligit. Eſt quidem opulentia bonum temporale, ſed cùm in uſus pauperum confertur, fit ſpirituale. Μεταδιδόναι eſt *alios participes ſuorum bonorum facere*, Luc. 3. 11. ſupra 1. 11. Eph. 4. 28. 1 Theſſ. 2. 8. Habes id verbum & in Interpretibus, Job. 31. 17. Prov. 11. 26. Ἁπλότης [*ſimplicitas*] fallacitati opponi ſolet, quia doloſi ſunt duplices, alii intus, alii extra: ſed interdum pro *liberalitate* ponitur, ut 2 Cor 8. 2. & 9. 13. Non præ ſe ferunt minus ſe habere quàm habeant: non ſunt detrectatores opis propriæ. ¶ Ὁ προϊστάμενος, ἐν σπουδῇ *qui præeſt, in ſollicitudine*] Προϊστάμενοι hic & 1 Theſſ. 5. 12. qui & προεστῶτες [*præſides*] 1 Tim. 5. 17. ſunt οἱ πρεσβύτεροι [*Presbyteri*] פרנסים [*Paſtores*] ſive זקנים [*Seniores*], de quibus Tertullianus, *Præſident probati quique Seniores.* Horum erat diligenter attendere ad ſingulorum mores, monere titubantes, lapſos cenſurâ corrigere, præſcribere pœnitentiæ tempus & modum, interdum & relaxare. Hæc *cura*, σπουδὴ dicebatur. ¶ Ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι. *qui miſeretur, in hilaritate*] Ἐλεοῦντες [*miſerentes*] hic vocat qui ægrotis aderant, quos poſterior ætas *parabolanos* vocavit L. quia inter cætera, L. *Parabolani*, C. Theodoſiano de Epiſcopis. & L. *Parabolani*, C. Juſtin. titulo eodem. Ἱλαρότης [*hilaritas*] hoc loco *promptitudinem animi* ſignificat, quomodo & ἱλαρὸς δότης [*hilaris dator*] dicitur 2 Cor. 9. 7. itaque רצון Prov. 18. 22. & 19. 12. ἱλαρὸν [*hilare*] & ἱλαρότης [*hilaritas*] vertitur interpretibus LXX: at aliis εὐδοκία [*beneplacitum*] Eſai. 52. 10. ἔλεος [*miſeratio*].

9. Ἡ ἀγάπη, ἀνυπόκριτος, *Dilectio ſine ſimulatione*] ſupple ἔστω [*ſit*]; ſicut in ſequentibus ſubauditur ἐστε [*ſitis*]. Sicut Levitæ inter ſe fratres erant, Levit. 21. 6. Deut. 18. 7. ſic & vos. Vocem ἀνυπόκριτος [*ſine ſimulatione*] habes & Sap. 5. 18. & 18. 16. & Jac. 3. 17. Tribuitur *Dilectioni*, non hîc tantùm, ſed & 2 Cor. 6. 6. 1 Petr. 1. 22. *Fidei*, 1 Tim. 1. 5. 2 Tim. 1. 5. ¶ Ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ. *Odientes malum, adhærentes bono*] Nempe ſicut Levitæ olim Moſi ac deinde Phineæ adhæſerant, ardenti odio Idololatriæ, Exod. 32. 26. Numer. 25. 12. Deut. 33. 9.

10. Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι. *Charitate fraternitatis invicem diligentes*] Utuntur hac voce φιλοστόργου Ariſtoteles, Xenophon, Cicero etiam ad Atticum φιλοστόργως habes 2 Macc. 9. 21. Significat *vehementem amandi affectum.* ¶ Τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι. *Honore invicem prævenientes*] Idem ſenſus Philipp. 2. 3. Levitæ minores cedebant majoribus, vos ultrò cuivis concedite. Sit hoc inter vos certamen. προηγεῖσθαι hic eſt *ſibi præponere, potiorem ducere*, ἡγεῖσθαι ὑπερέχοντας [*arbitrari ſuperiores*] dicto ad Philippenſes loco.

11. Τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί. *Solicitudine non pigri*] Levitæ erant ſuccincti, Ezech. 44. 18. quomodo Propertius dixit *ſuccinctos popas*: nam poparum Romæ ea erat functio, quæ Levitarum Hieroſolymis. Id ſignum ſedulitatis, quam in omni bono opere præſtare debent Chriſtiani. ¶ Τῷ πνεύματι ζέοντες. *Spiritu ferventes*]. Sicut igne ollæ Levitarum, Mich. 3. 3. 1 Samuel 2. 13. & ſequentibus, Ezech. 24. 4. ¶ Τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες. *Domino ſervientes*] Quod eximiè de Levitis dicitur, Num. 1. 50. & 8. 15. Deut. 10. 8. 1 Samuel 2. 18. Ezech. 45, 4, 5.

12. Τῇ ἐλπίδι χαίροντες. *Spe gaudentes*] Non ſpe decimarum ſimiliumque obventionum, ſed ſpe vitæ æternæ. Ita ſpiritualiter impletur in Chriſtianis, quod de Levitis dictum fuerat; *Deus portio ipſorum*, Num. 18. 20. ¶ Τῇ θλίψει ὑπομένοντες. *In tribulatione patientes*] Sicut Levitarum munus fuerat ferre tabernaculum, ita vos Eccleſiæ cauſâ quidvis ſuſtinete. ¶ Τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες. *Orationi inſtantes*] Erat & hoc Levitarum proprium. Nehem. 9. 5. & 11. 17.

13. Ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες. Τὴν φιλοξενίαν διώκοντες. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes. Hoſpitalitatem ſectantes*] Quidam codices habuere μνείαις [*memoriis*]: & ſanè Levitarum & hoc erat celebrare memoriam virorum magnorum, de qua re ad Sirachiden diximus: ſed hoc receptius præfero. Levitæ cum pauperibus & peregrinis de tertiis decimis epulabantur: at Paulus myſticos Levitas hortatur, ut ipſi de ſuo pauperes & peregrinos excipiant. Διώκειν hic eſt *ſectari*, ut ſupra 9. 30. In commate ſequente, *inſectari*, ut Matth. 5. 10, 11. ubi dicta vide.

14. Εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς, εὐλογεῖτε καὶ μὴ καταρᾶσθε. *Benedicite perſequentibus vos, benedicite & nolite maledicere*] Sicut in veteri Lege Dei εὐλογίας [*benedictiones*] pronuntiabant Levitæ, Deut. 10. 8. & 27. 12. ἀρὰς [*diras*] verò alii. Vide Matth. 5. 44.

15. Χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων. *Gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus*] Alluſum ad duas templi portas, quarum una erat ſponſorum, altera lugentium: utriſque convenientia dicebant Levitæ.

16. Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες. *idipſum invicem ſentientes*] Id eſt, *concordes inter vos eſtote.* Id enim τὸ αὐτὸ φρονεῖν [*id ipſum ſentire*] 2 Cor. 13. 11. Philipp. 2. 2. Et εἰς ἀλλήλους, *inter vos*, ut infra 14. 19. 1 Theſſ. 3. 12. ſicut ἐν ἀλλήλοις, Marci 9. 50. Joh. 13. 35. infra 15. 5. ¶ Μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, *Non alta ſapientes*] Repetit quod ſupra dixerat 11. 21. & ſupra v. 3. ¶ Ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. *ſed humilibus conſentientes*] *Modeſtiſſimorum exempla ſectantes.* Nam qui ductat dicitur συναπάγειν [*ſimul abducere*] Exodi 14. 6. qui ductantem ſequitur συναπάγεσθαι [*ſimul abduci*] Gal. 2. 13. 2 Petr. 3. 17. Levitæ etiam pauperrimo cuique de plebe in oblationibus ſervire debebant & perfugium præbere miſeris. ¶ Μὴ γίνεσθε φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς. *Nolite eſſe prudentes apud vosmetipſos*] Repetitur ex ſupra dicto 11. 25. ubi notata vide. Nolite eſſe quales eruditi apud Judæos plerique è Levitis, qui cæteros per contemptum vocabant *populum terræ.*

17. Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες. *Nulli malum pro malo reddentes*] Non licet vobis quod Levitis illis licebat, ſine judicio occidere idololatras: vobis id Chriſtus non permiſit. Illis licebat *oculum poſcere pro oculo, dentem pro dente*: vobis id non licet. ¶ Προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων. *Providentes bona coram omnibus*] Manuſcriptus habet, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων, [*coram Deo & coram omnibus hominibus*], quomodo idem monitum habes 2 Cor. 8. 21. Hoc quoque ad exemplum Levitarum, qui in templo Dei, inſpectante omni populo, mandata faciebant. Locutio ipſa deſumta eſt ex Prov. 3. 4. προνοοῦ καλὰ [*provide bona*] ubi in Hebræo שכל, quod *diligenter procurare* ſignificat.

18. Εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες. *Si fieri poteſt quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*] Etiam cum idololatris, ſecundùm Chriſti Spiritum, Luc. 9. 56. Hoc vult dicere, *Omnium amici eſſe, ſi fieri poteſt: ſi non poteſt utrinque, certè ex veſtra parte amici eſſe.* εἰρηνεύειν [*pacem habere*] reſpondet vocibus Hebraïcis שלם, שלה, & שקט, quæ ſignificant *tranquillè & amicè cum aliquo vivere.*

19. Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, ἀγαπητοί. *Non vosmetipſos defendentes, chariſſimi*] Id eſt, *ulciſcentes*, ut ſequentia oſtendunt: quomodo & Syrus accepit & Græci interpretes, nec

 aliud

aliud voluit Latinus cùm dixit *defendentes*. Nam Christiani eam vocem in *ulciscendi* sensu sumebant, ut diximus in Annotatis ad lib. 1. cap. 3. §. 3. de Jure Belli ac Pacis. ¶ Ἀλλὰ δότε τόπον ὀργῇ· *sed date locum iræ*] Id est, Ne occupate pœnam quam eis infliget Deus per se aut per ministrum suum, de quo paulò post acturus est. Relinquite tempus Deo. Sic *diabolo locum dare* dicitur, qui ei aditum ad se aperit, Eph. 4. 27. ¶ Γέγραπται γὰρ, Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, *scriptum est enim: Mihi vindicta, ego retribuam*] Ἐμοὶ [*Mihi*] hic valet, *ad me pertinet*. In Hebræo, לי נקם ושלם לעת, *mihi ultio & retributio in tempore*. LXX verterunt, Ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω [*In die vindictæ retribuam*]. Domini est punire servos, non conservorum. Sed Deus hoc jus in Lege veteri in certis casibus etiam singulis tribuit, ut in vindice sanguinis. At in Euangelio, ubi nihil dandum affectibus, pœna est aut Dei, aut Legis publicæ, quæ & ipsa effectibus caret.

20. Ἐὰν ὖν πεινᾷ ὁ ἐχθρός συ, ψώμιζε αὐτόν· ἐὰν διψᾷ, πότιζε αὐτόν. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi*] Duobus notissimis exemplis omnia beneficiorum genera indicantur, ut Matt. 25. 35. ψωμίζειν [*cibare*] frequens apud LXX pro האכיל, הברה, מטעם. Habes idem 1 Cor. 13. 3. ac Sap. 16. 20. Sir. 15. 3. Sic & ποτίζω [*potum do*] ponitur pro השקה, השמה, נסך. Sunt autem hæc verba & sequentia desumpta ex Prov. 25. 21, 22. Et ibi quidem consilia sunt, in Euangelio præcepta. Tertullianus contra Scapulam, *Ita enim disciplinâ jubemur diligere inimicos quoque & orare pro eis qui nos persequuntur, ut hæc sit perfecta & propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est: inimicos autem, solorum Christianorum.* ¶ Τῦτο γὰρ ποιῶν, ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῦ. *hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ipsius*] Apparet ex Proverbiorum loco de pœna Divina agi, quæ per ignis similitudinem passim exprimi solet. Sensus est, Si alter illâ tantâ tuâ patientiâ ac beneficentiâ ad meliorem mentem revocari non potest, gravis ei impendet pœna. Dicimur facere, cui rei occasionem præbemus, ut Luc. 16. 9. Tertullianus libro de Patientia, *Plus improbum illum cædis, sustinendo. Ab eo enim vapulabit, cujus gratiâ sustines.*

21. Μὴ νικῶ ὑπὸ τῦ κακῦ, *noli vinci à malo*] *Vincitur à malo*, id est, ab actione mala, qui malos imitatur. Gelon Syracusarum Princeps apud Herodotum 7. Spartæ Legato respondit cordatè, Ὦ ξεῖνε Σπαρτιῆτα ὀνείδεα κατιόντα ἀνθρώπῳ φιλέει ἐπανάγειν τὸν θυμόν. σὺ μέν τοι ἀποδεξάμενος ὑβρίσματα ἐν τῷ λόγῳ, ὔ με πείσεις ἀσχήμονα ἐν τῇ ἀμοιβῇ γενέσθαι [*Solent convitia, hospes Spartane, bilem movere ei qui læditur: at tu tametsi contumeliosè oratione usus, nunquam me adduces ut secus respondeam quàm me deceat*]. ¶ Ἀλλὰ νίκα, ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν. *sed vince in bono malum*] *Vincitur malum ferendo*: contra quàm in Græcorum Romanorumque publicis certaminibus Seneca de Beneficiis 7. 30. *Ut corporum, ita animorum molliter vitia tractanda sunt; sæpe quod explicavit mora, pertinaciâ trahentis abruptum est.* Et capite sequenti, *Vincit malos pertinax bonitas, nec quisquam tam duri infestique adversus diligenda animi est, ut etiam vi tractus bonos non amet.* Est totum hoc caput Isocraticum. Adeò densa habet *ἰσόκωλα* [*paria*] & ἀντίθετα [*opposita*.

CAP. XIII.

VALLA.

2. IPsi *damnationem acquirunt*] Græcè non est *acquirunt*, sed *accipient*, λήψονται.

3. *Non sunt timori boni operis, sed mali*] Etsi eleganter loquimur per dativum *timori*, tamen genitivus ille *boni operis*, non concinnè sequitur: foret enim melior dativus *bono operi*. Sed ad verbum sic est Græcè, *Non sunt terror bonorum operum, sed malorum*, φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν.

9. *Non concupisces rem proximi tui: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum*] *Instauratur* verbum non mihi videtur implere Græcam significationem, ἀνακεφαλαιῦται quod ego dixissem, *in summam hujus sermonis* (*seu verbi*) *rediguntur*: siquidem nunc sing. numerus resolvitur in pluralem propter suppositum plur. numeri, quod est *hoc & hoc*, &c.

11. *Nunc autem propior est nostra salus quàm cùm credidimus*] Græcè est adverbium è neutro genere factum, *propius*: nec adest verbum substantivum: & fortè sic transferendum, *nunc propius nos salus*, νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία.

13. *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & in impudicitiis, non in contentione & æmulatione*] Græcè abest præpositio *in*: est enim nonnihil differens sensus sine præpositione.

14. *Et carnis curam nè feceritis in desideriis*] *In desideria* Græcè legitur, sive *in concupiscentias*, i. *ad concupiscentias*, εἰς ἐπιθυμίας. Nec magis *curam* transferri potest quàm *provisionem* & *prospectum*, πρόνοιαν.

REVIUS in VALLAM.

3. T*Error bonorum operum*] Deerat *operum* quod necessariò supplevi.

11. *Propius nos*] Hoc & Erasmus probat & Beza sequitur: idem tamen Vulgatam, quæ ἡμῶν non ad ἐγγὺς sed ad σωτηρίαν refert, defendi posse, contra Erasmum disserit.

ERASMUS.

1. O*Mnis anima*[Dixit pro *omni homine*. Nam quod Origenes hic philosophatur, *animam* dici hominem juxta partem spiritu inferiorem, sicut *caro* dicitur juxta partem deteriorem; & ob id *animam* intelligi hominem qui non sit omnino purus à rebus mundi atque ideo meritò debere parére iis qui mundi res administrant; mihi videtur argutius quàm verius. Haud scio an librariorum errore factum sit quòd in Ambrosio secùs quàm nos habemus legitur, *Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote*. ¶ *Sublimioribus*] Ὑπερεχούσαις, i. *præcellentibus*: positivum est, non comparativum. Intelligit enim homines autoritate publicâ præditos, qualis est Regum, Præsidum & Magistratuum. Comparativum quod Latinus interpres posuit, facit ut aliquis & hunc sensum possit accipere, *Parendum Regibus ac Præsidibus, non inferioribus Magistratibus.* Quod hic vertit *sublimioribus*, 1 Pet. 2. vertit *præcellenti: εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι, sive Regi, tanquam præcellenti.* ¶ *Quæ autem sunt à Deo*] Secùs distinguunt Græci, αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ Θεῦ τεταγμέναι εἰσὶν i. *Quæ vero sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ*, ut comma ponas post *potestates*: repetit enim quòd suprà dixerat, *Non est potestas nisi à Deo*, Atque ità legit & interpretatur Ambrosius, *quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt*. Rursus in Lucæ cap. 3. *Quæ autem sunt, à Deo*, inquit, *ordinatæ sunt*: non *datæ*, sed *ordinatæ*. Atque ità distinguunt vetustissima exemplaria, nominatim quod exhibuit Collegium Ecclesiæ Constantiensis. Rursus in meo codice vetustæ typographiæ & in Constantiensi habebatur *ordinatæ*, non *ordinata*: ut appareat hoc à librariis vitiatum. Neque secùs distinguit Augustinus, hoc adducens testimonium epistolâ ad Macedonium 54. nisi quod *potestates* non repetit, ità legens, *Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt*: ut à verbo *sunt*, succedat hypostigme. Theophylactus non repetit *potestates*; *Quæ autem sunt à Deo, ordinatæ sunt*: sed ità ut subaudiri velit. Apud Chrysostomum repetitur. Quanquam totam hanc clausulam apud Origenem non reperio; nè in interpretatione quidem ulla hujus rei fit mentio. Videri poterat adjecta ab interprete quopiam, qui volens confirmare quòd *omnis potestas sit à Deo*, asseveratione graduum sententiam eandem repetiverit, *itaque qui resistunt, Dei ordinationi resistunt*, faciens ad ea quæ mox sequentur; etiamsi Chrysostomus ac Theophylactus, ut modò dixi, more nostro distinguit. Quoniam Paulus intelligebat nonnullos Christianos prætextu religionis detrectare Principum jussa, atque ità futurum ut ordine perturbato sursum ac deorsum omnia miscerentur, præcipit ut quibuslibet potestate publicâ præditis obtemperent, exceptâ fidei & pietatis causâ. Ipsi quidem ethnici sunt ac mali, sed ordo tamen bonus, & ob hunc mali quoque Principes nonnunquam ferendi sunt piis hominibus. Notavit Chrysostomus ὑποτασσέσθω non enim dixit πειθέσθω, quod est simpliciter *parere*, sed *subditi estote*. Nam πείθεσθαι dicuntur qui *persuasi parent*, h. e. dicto audientes sunt. quod unico verbo Græci dicunt πειθαρχεῖν, sed ὑποτάσσοντας & servi. Exigit igitur Apostolus à Christianis ut Tyrannis quoque obsecundent, & ferant: veluti cùm Tyrannus dicit, *I in carcerem*, eant; *Pone cervicem*, ponant. Et significantius est *anima* quàm *hominis* vocabulum, nè quis omnino putaret se exemptum ab obedientia Principum, sive Apostolus esset, sive Propheta. Annotavit & illud, quòd non dixit *omnes Principes ordinatos à Deo*, sed *Potestatem*: *quemadmodum Matrimonium est à Deo, sed non omnes conjuges jungit Deus.*

2. *Damnationem acquirunt*] Λήψονται, i. *accipient*: ut futuri sit temporis. Cæterùm κρίμα, i. *judicium*, haud malè vertit in *damnationem*.

3. *Non*

3. *Non sunt timori boni operis*] Οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, i. *non sunt terror* (sive *timor*) *bonorum operum*: h. e. non sunt formidandi bene agentibus. Non enim deterrent benefacta, sed maleficia.

4. *Dei enim minister est*] Διάκονος, i. *ministrator*. Nam de *potestate* loquitur. Quanquam ut *Magistratus* nonnunquam homo dicitur magistratu fungens, ità & *potestas* homo potestate præditus. Et Græci addunt pronomen σοι. *Dei minister est*, sed *in tuum bonum*: quò minus est causæ cur metuas aut oderis.

5. *Ideoque necessitati subditi estote*] Græcis alius est sensus, Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, *Quare necesse est subjici*. Interpres legisse videtur ὑποτάσσεσθε, per ε psilon, non per αι diphthongum. Quanquam si ὑποτάσσεσθε sit ὁριστικόν, idem erit sensus qui per infinitum cùm infinitum verbum indicativi vice usurpetur. Etiamsi *necessitatis* verbum apud Ambrosium omnino non legitur. Origenes suo more detorquet eam *necessitatem* ad eos duntaxat qui nondum purè spirituales sunt. Quanquam meâ sententiâ cæteris quoque ferendi sunt Principes, nè magnâ gravique reipublicæ ruinâ provocentur: & hanc, ni fallor, appellat *necessitatem*. ¶ Cæterùm *iram* Hebræorum more vocat ultionem ac supplicium quo castigantur admissa. ¶ *Conscientia* potest accipi bifariàm; vel illius qui non obtemperat ei cui Deus vult obtemperari; vel illius qui tuo exemplo putat sibi contemnendum esse Magistratum quem videt abs te negligi, & rectè negligentem non rectè imitatur. Augustinus interpretatur *necessitatem*, autoritatem Principum in tollendis rebus subditorum. Non dissimulabitur & illud, apud Theophylactum & Chrysostomum hæc verba διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι sic esse interjecta ut contextum superiorem cum posteriore connectant. *Dei minister est: Oportet igitur obedire*, quemadmodum initio dicere cœperam. Quoniam autem ob longius Hyperbaton hæc verba, *non solum propter iram*, &c. duriùs cohærebant cum eo quod præcesserat, *Omnis anima subdita sit*, aliquis repetiit quod præcesserat, quò mollior esset orationis ordo. Id esse verum perspiciet, qui inspexerit codicem pervetustum ac diligentissimè scriptum quem nobis exhibuit Collegium Dominicalium Basileæ, & codicem Chrysostomi qui mihi hæc scribenti subserviebat. Non reprehendo tamen, sed laudo quod factum est.

6. *In hoc ipsum servientes*] Προσκαρτεροῦντες. Quod paulò superiùs transtulit *instantes*, nunc vertit *servientes*: nos vertimus *incumbentes*, h. e. operam dantes & adnitentes. Pro me facit Augustinus hunc adducens locum lib. De doctr. Chr. 4. c. 20. legens, *in hoc ipso perseverantes*.

8. *Nemini quicquam debeatis*] Ὀφείλετε. Incertum an sit *debetis*, indicandi modo, an *debete*. Sensus autem Græci sermonis anceps est. Potest enim sic accipi, *Solvite unicuique quod debetis, quo soluto, desistis debere. At sola charitas non desinat deberi, sed semper persolvatur, & nihilominus semper debeatur, ut non sit finis bemerendi.* Ad eum modum enarrant Origenes Chrysostomus ac Theophylactus. Potest & ità intelligi ut superiora referantur ad Magistratus ethnicos, uti tum erant omnes; quod sequitur, *Nemini quicquam*, &c. ad Christianos, *Solvite illis quod debetis. Cæterùm Christianus Christiano nihil debet nisi mutuam charitatem.* Atque hunc sensum amplexus Ambrosius, sic edisserens, *Pacem vult nos habere, si fieri potest, cum omnibus; dilectionem verò cum fratribus.* Annotavit distributionis gratiam August. quo dictum est loco, quà singula singulis aptè redduntur modulato sermonis cursu, *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Atque hæc membratim*, inquit, *fusa clauduntur etiam ipso circuitu, quem duo membra connectunt; Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Quanquam est in hoc multum jucunditatis ex comparibus, asyndetis & ejusdem vocis traductionibus, denique & in repetitionibus vocis initio iteratæ, *cui, cui, cui*. ¶ *Qui enim diligit proximum*] Ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, i. *Qui enim diligit alterum*: interpres legisse videtur τὸν πλησίον etiamsi id ad sensum minimi habet momenti.

9. *Nam, Non adulterabis*] Ut modò ità nec hîc reddidit vim articuli Græci, εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾶν, quod nos expressimus, *nisi hoc, ut invicem diligatis*. Et, Τὸ γὰρ, Οὐ μοιχεύσεις *Nam illa non adulterabis*, &c. ¶ *In hoc verbo instauratur*] Ἀνακεφαλαιοῦται, i. *recapitulatur*, h. e. *summatim in hoc verbo continetur*. Augustinus in epistola quadam vertit *recapitulatur*. Sumptum est ab epilogis Rhetorum, in quibus tota causa summatim repetitur, quam ἀνακεφαλαίωσιν vocant illi. Nam *instauratur* quod instar priorum restituitur: ità dicimus collapsum ædificium *instaurari*. Nam Ambrosius legit *consummatur*. Nos vertimus *summatim comprehenditur*, dubii num *recapitulari* reperiatur apud Latinos: optarim certè inveniri. Chrysostomus annotavit hujus verbi proprietatem, *Non dixit* πληροῦται, i. *impletur*, *sed* ἀνακεφαλαιοῦται, quo compendium ac brevitatem exprimeret.

10. *Dilectio proximi*] Τῷ πλησίον, i. *proximo*, dandi casu, ut referatur ad verbum *operatur*. Confirmat enim ratione quod dixerat, *epilogum*, h. e. *totius Legis esse compendium in charitate*. Lex diversis mandatis deterret à lædendo proximo, *Non pejerabis*; *Non furaberis*; *Non adulterabis*, *Non dices falsum testimonium*; *Non occides*; & quid non? At qui charitate Christianâ præditus est, is nullum omnino lædit mortalem, prodest omnibus quibus potest, & bonis & malis. Etiamsi altera lectio τοῦ πλησίον probè habet: τῷ πλησίον legit Chrysostomus, atque item Theophylactus, utcunque tractavit illum interpres.

11. *Et hoc scientes tempus*] *Hoc* pronomen apud Græcos non refertur ad *tempus*, cùm *tempus* illis sit m. generis. Verùm ità loquitur, *Et hoc*, sive *Idque*, *cùm sciamus*, *nempe tempus*, καὶ τοῦτο εἰδότες τὸν καιρόν. Ut & *hoc* vim habeat exaggerandi, veluti cùm dicimus, *Scortaris*, & *hoc in Quadragesima*: ut intelligamus quæ præcepit nunc præcipuè præstanda esse in Lege Euangelica, quæ plus aliquid exigit supra Mosi Naturæque legem. *Tempus* autem hoc loco significat *opportunitatem* & *occasionem*, καιρὸν, pro quo usurpant ὥρα. *Hora* pars est diei, unde illud,

——— *Et mutatur in horas.*

Hora est pars anni, velut Hyems, Ver, Æstas, Autumnus, quarum quæque sua habet actiones: ut apud eundem Poetam,

——— *Variisque mundum*
Temperat horis.

Unde ὡραῖον, *tempestivum*, sive *pulcrum*: & ἔξωρον, *quod jam defloruit*. Ità Tempus universum suis quibusdam *horis* distinguitur: Erat *hora* ante Legem, sub Lege, sub Euangelio. Gentes versabantur in tenebris, Judæi in umbris, dissimulatus est somnus: At simul atque effulsit clarissima lux Euangelii, turpe est quenquam adhuc dormire. ¶ *De somno surgere*] Ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι ἐγείρεται qui jacebat aut sedebat; ἐγείρεται structura quæ surgit in altum; ἐγείρεται qui expergiscitur. Gen. 41. ἠγέρθη δὲ Φαραὼ, *experrectus autem Pharao*. De templo corporis sui dixit apud Joannem Dominus ἐγερῶ *excitabo*: & apud Esaiam 26. *Expergiscimini & laudate*. LXX verterunt ἐγερθήσονται, mutatis tempore & personâ. Ephes. 5. *Exsurge qui dormis*, ἔγειραι ὁ καθεύδων, *& exsurge à mortuis*, ἀνάστα. quod est verbum anceps, quemadmodum ἐγείρεσθαι. Cæterùm ad significandam somni solutionem propria sunt ἐκνήφειν & ἐξυπνίζεσθαι. Apostolus autem vitam in vitiis actam *somnum* appellat 1 Thess. 5. similem huic loco sententiam proferens *Omnes enim vos filii lucis estis & filii diei, non sumus noctis neque tenebrarum. Itaque non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus & sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt.* Huc respiciens verti *expergisci* pro *surgere*: & si qua emphasis est in *surgere*, eadem manet in *expergisci*. Sic enim dici videtur *experrectus* quasi *ex somno porrectus*. Quòd si quis hunc locum existimat pertinere ad resurrectionem mortuorum, qui *dormire* dicuntur Apostolo pulcrè congruit *expergisci* verbum. Frivolum est enim quod quidam causantur, de *surgendo ad bona opera*, & *quod experrecti redormiscunt*. Sic & qui *surrexerunt*, redeunt ad stratum, & quidam *surgunt* dormientes. Ideo excitamur à somno ut *surgamus*. ¶ *Nunc enim propior est*] Ἐγγύτερον ἡμῶν, i. *propius nos est*, sive *propiùs abest à nobis*; ut *propius* sit adverbium, habeátque casum præpositionis unde fluxit. Nam Græci dicunt ἐγγύς σου, i. *prope te*. Proinde ἐγγύτερον comparativo convenit duplex casus paternus, alter thematis, alter comparationis. Hoc igitur ἡμῶν non est comparationis, sed thematis. Velut apud nos si dicas, *Sum abundantior pecuniis te*, PECUNIIS ablativus est thematis, TE comparationis. Nunc interpres genitivum ἡμῶν retulit ad σωτηρίαν, cùm pertineat ad ἐγγύτερον. Sentit enim salutem nunc per Euangelii fidem viciniorem esse quàm tum erat cùm sibi fiderent in Philosophia & operibus Legis. Alioqui si sensisset *nostra salus*, dixisset ἡ σωτηρία ἡμῶν, aut ἡ ἡμῶν σωτηρία. Nunc est ἡμῶν ἡ σωτηρία. Loquitur absolutè de salute omnibus adventante. ¶ *Quàm cùm credidimus*] Ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν Certè dilucidius erat, non modò Latinius, *quàm tunc cùm credebamus*. Siquidem in lege Mosi opinio magis fuit salutis quàm salus, & umbra potiùs quàm res. Unde *noctem* vocat, procul adhuc agente Sole, quæ paulatim rarescit accessu luminis.

12. *Nox præcessit*] Προέκοψεν i. *processit*, sive *progressa est*, *& tendit ad interitum*; h. e. Nox maxima ex parte peracta est,

&

& instat dies, paulatim illucescente Euangelio. Cyprianus in sermone De zelo & livore legit, *Nox transivit*. Origenis interpres hom. 35. legit, *Nox promovit*: ut dubitandum non sit quin errore librariorum ex *processit* factum sit *praecessit*. Chrysostomus apertè interpretatur de nocte adventante, *Dies*, inquit, *appropinquat. Proinde*, inquit, *si nox desinit, hac autem accedit, quæ hujus sunt deinceps agamus, non quæ illius: quandoquidem hoc & in rebus mundanis agitur. Cùm enim viderimus noctem ad auroram properantem, hirundinémque canentem audierimus, suum quisque proximum excitamus, etiamsi adhuc nox sit. Porrò ubi jam abiit nox, festinamus nos invicem ad loquentes dicere, Dies est: omniáque quæ diei sunt agimus, vestientes nos, & abjicientes somnia, discusso sopore, ut nos dies inveniat apparatos* Apertiùs etiam Theophylactus, fingens exempli causâ noctem esse duodecim horarum, peractis decem dicimus, ἡ νὺξ προέκοψεν, h. e πρὸς τέλος ἐςί. Nec absurdè loquuntur qui tunc dicunt *noctem praeteriisse*: sed hoc non sonat προέκοψεν, quæ vox constanter est in Græcorum codicibus. Postremò, *praecedendi* verbum non congruit ei quod sequitur *dies appropinquat*, sive *instat*: Nam peractâ nocte jam non imminet dies, sed dies est, jámque serum est homines excitare somno. Nec me clam est quòd omnes interpretantur hunc locum de Resurrectione: quam interpretationem si probamus, non omnino *praeteriit nox*, nec *adest dies*, sed adhuc in spei diluculo sumus, resurrectionis diem velut instantem exspectantes. Unde nihil est dubitandum quin *praecessit* à librariis depravatum sit ex *processit*, qui non animadverterint *procedere* non semper esse *prodire in publicum*, sed interdum *progressum*, aut *provectum, esse*. Id ex Lucæ 1. discere poterant, qui scribit Zachariam & Elisabet *processisse in diebus suis*, sentiens illos esse provectæ jam ætatis, cùm vita nondum præteriisset, sed esset vicina termino. ¶ *Appropinquavit*] Ἤγγικεν. Est quidem præteriti temporis, Sed quod Latinius reddatur Latinè per verbum præsentis temporis, incolumi sensu, *appropinquat*, sive *in propinquo est*. In plerisque cod. video depravatum *appropinquabit*. Sentit enim diem adventùs Christi jam instare, noctem superioris ignorantiæ jam ad finem tendere.

13. *Honeste ambulemus*] Εὐσχημόνως, i. *compositè*, sive *modestè*. Cyprianus eo quem mox citavimus loco vertit *decenter*, Nam ortà luce ob pudorem homines se gerunt verecundiùs, componúntque mores ad hominum judicia. Nox enim vacat pudore. ¶ *Non in comessationibus*] Græcè abest præpositio *in*, μὴ κώμοις, i *non comessationibus*: etiamsi non omnino displicet addita. *Comos* autem Græcis Deus est temulentiæ; & eodem nomine vocatur convivium procacius ac juvenile. Quin & cantiones ac saltationes lascivæ Græcis κῶμοι dicuntur: unde *comœdia* dicta est. Et κωμάζειν dicuntur qui coronati ac bene poti in alienum convivium irruebant, non sine tibicine; quemadmodum apud Platonem Alcibiades irrumpit in convivium Agathonis. Morem hunc fuisse apud Græcos locis aliquot declarat Athenæus.

14. *In desideriis*] Εἰς ἐπιθυμίας, i. *ad concupiscentias*, h. e. ad necessitatem, non ad voluptatem. *Curam* autem vertit πρόνοιαν, i. *providentiam*. Sic enim legit Origenes hom. in Exodum 9. Item Augustinus adducens hunc locum lib. De doctr. Chr. 4. c. 20. cum fateatur reliquam orationem modulatam ac numerosam esse, tamen offenditur nescio quid extremâ clausulâ; *& carnis curam ne feceritis in desideriis*: mallet enim hanc compositionem, *& carnis providentiam in desideriis ne feceritis*. Eant nunc ac meam μικρολογίαν damnent in S. literis, cùm tam minutula curæ sint tanto Episcopo. Et tamen quid hoc sit quod offenderit Augustinum nequeo divinare. Porrò *in concupiscentiis* non ob id tantùm in fine ponitur ut consentiat cum ordine Græci sermonis, verùm etiam quòd illic magis ferit aures. Nam *carnis curam haberi* non vetat, ideo velut ἐπιφωνεῖ *in concupiscentiis*. Apud Græcos prior pars, *καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν*, juxta rationem accentuum quam in compositione magis spectamus, est trochaicus dimeter catalecticus, posterior est trochaicus trimeter brachycatalecticus. Hunc sanè locum adducit Augustinus ut exemplum mediocris characteris, quem arbitratur exhortationi competere. Quanquam insunt & alia multa decora, velut ἐναντίωσις & ὁμοιοτέλευτον in illis, *Nox praecessit, dies appropinquavit*: item ἐναντίωσις in *abjiciendo* & *induendo*, in *luce* ac *tenebris*: ad hæc Metaphora in unica voce *Arma lucis*: rursus Collatio, *Sicut in die*. Sed jucundior est Græcorum verborum sonus, ἀποθώμεθα, ἐνδυσώμεθα· σκότους, φωτός. In verbis plenum est ὁμοιοτέλευτον, in nominibus ex parte ὁμοιόπτωτον, cùm apud nos omnino non sit. Subest & Catachreseos gratia in εὐσχημόνως & περιπατῶμεν neutrum enim propriè dictum est. Ne quid interim dicam de concinnitate membrorum, articulorum & comparium, quæ tamen evidentior est in his quæ sequuntur. Quanquam totus hic sermo videri potest Allegoria, *Nox praecessit, dies appropinquavit, abjiciamus opera tenebrarum; sic ut in die honeste ambulemus*: nullum enim hic verbum est proprium. Modulatior ac numerosior cursus est in illis, *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione*. Unumquodque membrum constat jugo vitiorum inter se cognatorum, ut interpretatio schema videri possit: nec caret gratiâ vox eadem in initiis membrorum repetita. Adde his parem ferè numerum colorum & commatum deinde ὁμοιόπτωτον. Tametsi hæc non semper respondent in Græcis: nam in κώμοις & μέθαις numerus par est ὁμοιόπτωτον non perinde plenum est ut in Latinis. Rursus in *contentione & æmulatione* apud nos ὁμοιόπτωτον est, apud Græcos nequaquam, ἔριδι καὶ ζήλῳ. In summa, schemata quæ sita sunt in dictionibus non perpetuò conveniunt nobis cum Græca lectione: Verùm quæ sita sunt in rebus communia sunt omnium linguarum.

VATABLUS.

1. **O***Mnis*] Heb. Unusquisque. ¶ *Sublimioribus*] *Præcellentibus*: Homines intelligit autoritate publicâ præditos. ¶ *Autem sunt**] ** Potestates*. ¶ *Ordinata*] *Ordinatæ*, Vet.

2. *Acquirunt*] *Accipient*: fut. temp. i. à magistratu interficientur.

3. *Timori boni operis, sed mali*] *Timor bonorum operum, sed malorum*: i. Non sunt terrori iis qui honesta & bona opera perpetrant, sed mala.

4. *Minister*] Vel, *ministrator*. ¶ *In bonum*] i. Ut præmiis afficiaris ab illo, & te adversùs impios tueatur. ¶ *Vindex in iram, ei qui malum agit*] q. d. Ultor ad sumendum supplicium de eo qui quod malum est fecerit.

5. *Ideóque necessitati*] *Ideo necessitati*, Vet. Gr. legitur, *Quapropter oportet esse subditos*. ¶ *Propter iram*] Heb. metu pœnæ. ¶ *Conscientiam*] Sub. *eorum qui nondum credunt*: nè si viderint nos magistratui non obedire, dicant Christianismum tantùm valere ad seditiones excitandas.

6. *Enim*] *Etiam*: i. Propter alienam conscientiam. ¶ *Servientes*] *Incumbentes*: ut scilicet pœnas sumant de impiis.

8. *Nisi, ut invicem diligatis*] q. d. Solvite unicuique quod debetis: sola charitas non desinat deberi: non sit finis benefaciendi, perpetuò mutuam habete dilectionem. ¶ *Proximum*] *Alterum*.

9. *Adulterabis — occides*, &c.] Fut. pro imperat. more Hebr. ¶ *Verbo instauratur*] *Sermone summatim comprehenditur*.

10. *Proximi*] *Proximo*: dat. casûs, Vet. ¶ *Plenitudo*] i. Consummatio.

11. *Et hoc, scientes*] Vel, *præsertim cùm sciamus*. ¶ *Surgere*] *Expergisci*. ¶ *Propior est nostra*] *Propius adest nobis*: sub: *propter Christum nobis revelatum, quam tum cum illam credidimus nobis adesse propter opera Legis quæ faciebamus*.

12. *Præcessit*] *Processit, progressa est, magna ex parte peracta est, & instat dies paulatim illucescente Euangelio*. ¶ *Appropinquabit*] *Appropinquavit*; præt. temp. Vet. i. tempus Christi. ¶ *Opera tenebrarum*] i. Opera mala refugientia lucem & hominum oculos. ¶ *Arma lucis*] i. Vestes quarum nos non pudeat in luce. Sequentibus verbis declarat quid per hæc verba intelligat.

13. *Honestè*] *Compositè, modestè*. ¶ *Cubilibus*] Per *cubilia* fornicationem & adulteria intelligit. ¶ *Æmulatione*] *Invidiâ*.

14. *Induimini*] *Induite*, Vet. i. Christo similes sitis, & ad illius vitam vestram instituite. ¶ *In desideriis*] *Ad concupiscentias*: i. corporis quidem curam agite, ità tamen ut ejus concupiscentiis nè pareatis.

CASTALIO.

8. **N***ihil cuiquam debete*] Omnia quæ debetis solvite.

12. *Discessit nox; dies adest*] Scio προκόπτειν esse *progredi*, & ἐγγίζειν *propinquare*: Sed non dixit Paulus, ἡμέρα ἐγγίζει, sed ἤγγικεν. Quod autem *propinquavit*, id jam non *propinquat*, sed *adest*. Atque hoc pacto ponitur hoc verbum & aliàs sæpe, & Lucæ 10. Neque verò me præterit ἤγγικέναι ἀντὶ τοῦ ἐγγίζειν sæpe dici: sed id quomodo sit interpretandum, ex sententia discendum est. Hoc quidem loco Paulum non de futura luce loqui sed de præsenti, ex eo apparet quòd hortatur ut *honeste se gerant ut in die*, h. e. ut nunc facere decet cùm dies est. Quòd si *diem* hanc vocaret resurrectionem hominum olim futuram, frustrà hortaretur ut honestè se gererent post mortem.

Loquitur

Loquitur autem de luce Euangelii, quâ exortâ cesserunt ignorantiæ tenebræ.

CLARIUS.

1. *Subdita sit*] Nè surreperet eis quod olim tentantes Judæi Domino proposuerunt, Num scilicet liceret censum dari Cæsari. ¶ *Non est enim potestas nisi à Deo*] Non hoc de privatis quibusque Principibus loquitur, sed de ipsa natura potestatis ac imperii. Deus enim in ipsa natura instituit ordines quosdam ac gradus, ut alii aliis subjiciantur: quod & in carentibus ratione animalibus interdum observatur.

3. *Nam Principes*] Non sunt impedimento Principes bonis, sed eis potiùs opitulantur, dum coercent malos. ¶ *Habebis laudem ex illa*] Quam laudem? Id quod sequitur, *Dei enim minister est tibi in bonum.* An magna non est laus ut Principes tibi ministrent in tuis rectè factis?

5. *Sed etiam propter conscientiam*] Quà benefactori tuo gratus esse debes: *nam iccirco*, quia vobis inserviunt Principes, *tributa solvitis.*

8. *Nemini quicquam debeatis*] Nullum, inquit, apud vos relinquatur debitum quod non exsolveritis præter illud mutuò diligendi. Nam huic debito nunquam quisquam existimet factum satis, sed semper post omnia etiam præstita Charitatis officia sibi intelligat esse diligendum. ¶ *Legem implevit*] Quâ parte scilicet præcipit quo nos pacto erga proximum quemque geramus.

11. *Nunc enim propior*] Quotidie viciniores efficimur illi tempori quo salus nostra declarabitur.

13. *Sicut in die*] Qui, tanquam in die, sic in hac luce veritatis ambulamus, *honeste ac decore ambulemus.*

ZEGERUS.

1. *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*] Sic scribitur in exempl. nonnullis antiquis: atque ità adducitur ab Irenæo lib. 5. & Ambrosio in Luc. 4. Respondet etiam editio Græca, nisi quòd post *quæ autem sunt* insertum sit *potestates*, etiam apud Chrystomum, sed à librariis, ni fallor. Augustinus non uno loco legit *ordinata*; similiter & Ambrosius in Comm. atque ità vulgus legit interpretum. De distinctione variant etiam antiqui. Apud Irenæum l. 4. c. 70. etiam *ordinata* reperio.

3. *Principes non sunt timori boni operis, sed mali*] Græcè ità legimus, ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν, quod ad verbum sonat, *Principes non sunt timor bonorum operum, sed malorum:* q. d. Non sunt formidandi Principes bene agentibus, sed malè. *Timori* tamen legunt vetustiores. ¶ *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa*] Non ait, *Bonum fac, & laudabit te potestas*; sed ait, *Bonum fac, & habebis laudem ab illa*, vel cùm eam in obsequium Dei lucratus fueris, vel cùm ejus persecutione coronam merueris. Ità Augustinus.

4. *Dei enim minister est*] Ex plurali *Principes* subaudiendum hîc est *Princeps* singulare, nisi mavis *minister* ad *potestatem* referre, ut intelligas *potestatem esse Dei ministram.* Licebit & ità distinguere, *Dei enim minister est tibi in bonum.*

5. *Ideóque necessitate subditi estote*] Sic habent exemp. antiqua, adstipulante Origene & Augustino in Expos. pro. ex hac epistola. Unde puto Interpretem legisse ὑποτάσσεσθε, per ε non per αι in fine. Aliàs *necessitati.* Id sentit quod in Græcis simplicitiis legitur ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι h. e. *Necessum est subjici*, vel *Propter necessitatem subjecti estote:* ut infinitum loco imperativi positum sumatur, ut in illo, *Gaudere cum gaudentibus*, suprà 12. 15.

11. *Hoc scientes tempus*] Glossa Doctorum quam perperam *ordinariam* dicunt, admonens in nonnullis libris legi *hoc tempus*, & incongruentia inter τῦτο & καιρὸν (nam καιρὸς Græcis est masc. generis, τοῦτο neutri) rursùmque adjectio vocis *hora*, subindicare videntur *tempus* adscriptum non fuisse ab ipso Apostolo; aut certè legendum τοῦτον.

14. *Carnis curam ne feceritis in desideriis*] Carnis habenda est cura, sed ad sanitatem duntaxat, non ad luxum & voluptatem.

L. BRUGENSIS.

5. *Ideo* [*ideóque* o.] *necessitate subditi estote*] Multi codices *necessitati* legunt, cum Expositoribus, Carensi, Thoma, Lyrano, Brunone, Viguerio; sed plures melioré́sque (insignes nostri, Brug. Lob. Leod. Mal. ma. mi. T. O. E. L. antiqui Epanorthotæ) cum Anselmo, Gorran & Richelio, *necessitate:* quo modo apud D. Augustinum, libello in quasdam hujus epistolæ propositiones, expositione non dissonante, & Primasium, legitur. Glossa & Lombardi commentarius utrumque legendi modum explicant. Græci libri ferè scribunt, διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, quod est, *Ideo necessitas subdi:* cujus paraphrasim Syri dederunt hanc, *Et propter hoc necessitas nobis ut subdamur.* Interpres aut legit aut intellexit ἀνάγκῃ (Complutensis N. Testamenti editio impropriis diphthongis ῃ & ῳ nunquam subscribit Iota) id quod transtulit *necessitate*, tametsi etiam *necessitati* transferri possit; & infinitivum imperativi loco accepit, vel ὑποτάσσεσθε habuit, ut est in Complutensi anni 1514 & Basileensi anni 1538 editionibus. Autor commentariorum Ambrosio attributorum, contra alios omnes, omittit τὸ *necessitate*, *Ideóque subditi estote, non solùm propter iram*, &c quomodo & apud Sedulium legitur, hujus commentarium referentem.

12. *Nox præcessit: dies autem* [o.] *appropinquavit* [*appropinquabit* o.] Existimant quidam *processit* à librariis in *præcessit* mutatum; eò quòd vox Græca προκόπτειν *procedere, progredi, ad finem tendere*, significet. Sanè hæc est vocis propria significatio: secundùm quam Chrysostomus, & clarissimè Theophylactus, hunc Apostoli locum enarraverunt. Significat tamen eadem dictio & *præterire, transire, præcedere.* Unde veteres Latini aliquando *Nox præteriit* legunt, ut Hieronymus in caput 26 Matthæi; quandoque *Nox transivit*, ut Cyprianus Serm. De zelo & livore; aliàs *Nox præcessit*, ut Ambrosius manifestè lib. 5. De Sacramentis cap. 4. Sermonéque 52. & Autor commentariorum Ambrosio adscriptorum. Sermone 52 B. Ambrosii verba sunt, *Præcessit*, inquit, *nox*, *non sequitur: ut intelligas, superveniente Christi lumine & diaboli tenebras effugari, & peccatorum obscura non subsequi, & jugi splendore præteritas caligines depelli, surrepentia delicta prohiberi.* Vox Syriaca עבר *transire* significat, eadem quæ Hebræis עבר: *Nox nunc transivit* Syriacum habet. Apud Hieronymum, lib. 1. in Jovinianum, & Augustinum, Epist. 80 legitur, *Nox processit*; sed Hieronymi locum constat à correctore mutatum, quem & pro *præcessit* legerit. In Epitaphio Nepotiani mansit *præcessit:* quanquam nec hanc constet genuinam esse Hieronymi scripturam. Libri nostri N. Testamenti Latini, Latinique enarratores, Anselmus, Autor Glossæ ac posteriores, *præcessit* legunt. Cæterùm agnoscendum id est, facilem esse lapsum ex *pro* in *præ*, & facilem temeritati mutandi ansam id quod minus intelligit, denique *processit* bellè congruere verbo *appropinquavit*, quamvis non absurdè dicatur nox *præcessisse* diésque *appropinquasse*, cum nox propinqua est fini; rursum, cùm nox & tenebræ miscentur in diluculo.

H. STEPHANUS.

1. Ὑποτασσέσθω] *Se subjiciat.*

6. Φόρους τελεῖτε] *Tributa penditis.* ¶ Λειτουργοὶ γὰρ Θεοῦ εἰσι] *Publici enim sunt Dei ministri.* ¶ Προσκαρτεροῦντες] *Assiduè incumbentes.*

9. Ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται] *In dictum hoc tanquam summam redigitur:* vel, *Ejus summa hoc dicto comprehenditur.*

DRUSIUS.

8. *Qui diligit proximum*] לרעהו τὸν πλησίον Sic Interp. Vulgatus: nam in Gr. est τὸν ἕτερον *alium:* idem aliter. Nam *proximus* in hoc sermone quivis alius. רע propriè *socius, amicus. Proximus* קרב dicitur; quod *cum* quoque sign. *quicum nobis res est*, sive amicus sit sive non: & ità explicat Ebræus David qui *Camius* cognominatur, Psal. 15. 3. Vide si s Observ. meas. Syrus לחברה *socio suo. Socius* ergò & *proximus* & *alius* synonyma sunt in hoc præcepto. ¶ *Legem implevit*] Secundam Tabulam Legis. (Imò utramque. Nam qui proximum diligit, etiam Deum diligit, & contrà. Quò pertinet, *Quiamatur infrà, amatur suprà.* Nam qui amatur, amat, juxta illud Martialis, *Ut ameris ama.*) Prima tabula pertinet ad Deum, non ad proximum. Unde quidam *duo summaria Legis* esse scripsit, *Diligere Deum, & proximum.* Nam iis duobus Lex universa summatim comprehenditur. Qui diligit Deum, implet primam Tabulam; qui proximum, secundam. Ebræi vocant כללים גדולים *universalia magna*; & prius quidem, *universale majus primum*; alterum autem, *universale majus secundum.* Qui diligit proximum suum, non occidit, non furatur, non committit adulterium, non dicit falsum testimonium, non concupiscit, &c. *Impletio* igitur *Legis est dilectio*, sive *charitas*; quæ alibi vocatur *finis legis.* Nam *in agibilibus*, ut loquuntur Scho-

Scholastici, *principium habet rationem finis*.

9. *Et si quod est aliud mandatum*] Ut, *Honora patrem & matrem*. Nam qui parentes diligit, eosdem honorat. ¶ *In hoc sermone*] In hoc præcepto universali: λόγος *præceptum*: unde *Decalogus*, decem præcepta; quæ עשרת הדברים h.c. *decem verba*, Ebræi vocant. Sed & apud Davidem אמרי יהוה *sermones DOMINI* nihil aliud sunt quàm *præcepta Divina*.

11. *E somno surgere*] E somno vitiorum. Nam vita improba vocatur hic *somnus*, ut & *nox*: unde *noctis filii* 1 Thess 5. 5. & *tenebrarum*, ibid. quibus opponuntur *filii diei* & *filii lucis*. *Tenebræ* sunt noctis propriè, sed significat eo nomine tenebras Calamitatum, Vitiorum & Errorum: unde, *Populus qui habitabat in tenebris, lux affulsit eis*.

12. *Arma lucis*] כלי אור *vasa lucis*. Vox Ebræa & *arma* sign. & *vestes*: *arma*, ut Jer. 21. 4. & Ezec. 32. 27. כלי מלחמה ὅπλα πολεμικὰ *vestes*, Deut. 22. 5. כלי גבר *vestis* (sive *habitus*) *virilis*. An ὅπλον etiam de *vestibus* dicatur nescio: hoc scio, nuperum interpretem hic habere, *induamur habitu qui luci conveniat*. Vide Annot. ejus.

13. *Non in cubilibus*] Scortationem innuere videtur. Nam *cubile alicujus conscendere* est uxorem ejus stuprare: & ἐμβαστευται dicuntur *qui aliorum cubilia perambulant*; ut Catullus loquitur.

CAMERON.

3. OἹ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν] Quid est ergo *esse Tyrannum*? An dicendum est Paulum hoc velle, ordinem à Deo in Rebusp. constituendis observatum hujus gratiâ esse æquo animo ferendum, etsi Principes ab eo aberrent interdum? & sanè aliter sumi non potest quod ait v. 6. εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες. RESP. Appositissimè, ut ego quidem sentio. Et certè permissâ semel licentiâ insurgendi in Tyrannos, nulla Monarchia, imò verò nullus quidem Reip. status tutus esse potest.

GUALTPERIUS.

13. COmpositè ambulemus, μὴ κώμοις καὶ μέθαις, *non in comessationibus & ebrietatibus*] Syrus, *non in Musica neque in ebrietate*. Addit Tremellius, *Videtur intelligere illa profusa convivia de quibus legitur Amos 6. & Esa. 5. quæ præter exquisitos cibos conjunctam etiam habebant Musicam & omne deliciarum genus. Synecdochicòs igitur totum comessatorum luxum sub una parte comprehendit.*

JAC. CAPPELLUS.

1. O *Omnis anima supereminentibus potestatibus subjicitor*] Quid sit *potestas* antonomasticè dicta docet Ulpianus Pandectarum l. 2. tit. 1. §. 3. *Imperium*, inquit, *aut merum, aut mistum est. Merum imperium est habere gladii potestatem, ad animadvertendum in facinorosos homines: quod etiam Potestas appellatur.*

9. *Et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone comprehenditur, Diliges proximum tuum sicut teipsum*] Sic R. Akiba in רבה in Gen. §. 24. dicit magnum כלל ἀνακεφαλαίωσιν Legis in his Levitici 19. 18. verbis esse, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

LUD. CAPPELLUS.

1. ʼΕξουσίαις ὑπερεχούσαις] Certum est hâc voce designari ab Apostolo propriè summum Magistratum. Sic enim accipitur à Petro hæc vox 1 Cath. 2. 13. εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι. Eodem significatu usurpata est hæc vox ab autore libri Sapientiæ Salomonis, cap. 6. 5. Κρίσις ἀπότομος ἐν τοῖς ὑπερέχουσι γίνεται, *Severum à Deo exercebitur judicium in Judices plebisque Rectores*. De illis enim sermo illhic est, sive ii sint summi sive subalterni Magistratus. Josephus eos vocat κρατοῦντας, lib. 2. De bello Jud. c. 7. ubi refert Essenorum dogma & sententiam isti Apostolicæ planè similem, Τὸ πιστὸν ἀεὶ παρέξειν πᾶσι, μάλιστα δὲ τοῖς κρατοῦσι, οὐ γὰρ δίχα Θεοῦ περιγίνεσθαί τινι τὸ κρατεῖν quod convenit cum istis Pauli verbis, οὐ γὰρ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ, &c.

GROTIUS.

1. ΠΑσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*] Absoluto usu Legis ritualis & ad mores pertinentis, venit ad illam partem quæ ad imperium publicum societatemque civilem pertinet: ostenditque in hac parte Mosis Leges non aboleri à Christianis, ut qui, in Judæa si viverent, illis legibus parendum haberent, sed æquati cum aliarum gentium Legibus Deo non repugnantibus. Nec obstare quod Mosis Lex à Deo esset lata, cùm & quæ extra Judæam sunt imperia eorumque auctoritas à Deo haberet originem. Simul præcidit difficultatem multorum in Judæa, qui ideo quod dictum sit Deut. 17. 15. *Regem legendum à fratribus*, id est, popularibus, inferebant externis nullam deberi obedientiam, tacitè innuens illam Legem valuisse, cùm sui juris esset populus Hebraicus: postquam verò Dei judicio sub Romanorum imperium devenerat, illis quoque non minùs quàm Regi Judæo, aut Judæorum Synedrio parendum, sicut Nabuchodonosori pareri præcepit Ieremias, sicut Prophetæ Chaldæis & Persis paruerunt. Erat autem hæc admonitio eò magis necessaria, quòd supra à Lege Mosis liberos dixerat Christianos, unde incautus aliquis inferre potuerat, neque Legem Mosis politicam Hebræis neque alias Leges civiles Christianis ullam injicere parendi necessitatem; quod contrà se habere ostendit ex Imperiorum origine & usu. Πᾶσα ψυχὴ [*omnis anima*] etiam Prophetæ & Episcopi: nam & Prophetæ & Summi Sacerdotes Veteris Fœderis sub Regum ac Synedrii potestate fuerant. ʼΕξουσία [*Potestas*] respondet Hebræo ממשל & Chaldæo שלטן, per quæ significatur *imperium*. Additur autem ὑπερέχουσαι [*sublimiores*], ut intelligantur Principes Regesque & quocunque alio nomine sunt Tutores status publici, ut Seneca loquitur de Clementia libro 4. quorum constitutâ potestate, simul constituta potestas est eorum qui sub illis regunt populos, nimirum pro mandatâ ipsis parte, ut hoc explicat Petrus 1. 11, 13, 14, ubi similiter est βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι [*Regi tanquam præcellenti*] ʼΥποτασσέσθω [*subdita sit*], id est, pareat in omnibus quæ contra Deum non sunt. Est enim Niphal pro Hithpahel quod in verbo τάσσεσθαι [*ordinari*] & inde compositis frequentissimum esse, alibi ostendimus. Si Dei præcepta servantibus ob hoc ipsum malum inferatur, non resistant, sed patienter id sustineant. ¶ Οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ὑπὸ Θεοῦ. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσί. *non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo ordinatæ sunt*] Imperia omnia post vocationem Gentium Deus regit ac mutat, non communi tantùm illâ providentiâ per quam multa relinquit naturali ordini, sed sapientiâ attemperatâ subditorum utilitatibus, aut, si ita meruerint, pœnis. Fecit hoc & olim Deus aliquoties, Prov. 28. 2. Psal. 75. 6, 7. Dan. 2. 21, 37. At Christus hoc universaliter à Christianis credi & pro certo haberi voluit, Joh. 19. 11. Quem sequens hoc loco Paulus, *nullum ait imperium nunc contingere nisi Deo auctoritatem ei suam dante*, sicut Rex dat Præsidibus: quod ut rectiùs intelligatur, ait *omnia imperia, quæ sunt*, id est, quamdiu manent ac durant, *à Deo constituta*, id est, auctoritatem suam accipere, non minùs quàm si Reges illi per Prophetas uncti essent; ut quidam Syriæ Reges. In Clementis constitutionibus habemus, τὸν βασιλέα φοβηθήσῃ, εἰδὼς ὅτι τοῦ Κυρίου ἐστὶν ἡ χειροτονία [*Regem time, sciens Domini esse electionem*]. Irenæus 5. 24. *Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur, apti illis qui illis temporibus ab ipsis regnantur.* Tertullianus in Apologetico, *Nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus qui gentibus illos præfecit.* Idem ad Scapulam. *Christianus nullius hostis est, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat & revereatur & honoret & salvum velit.*

2. ῞Ωστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*] ʼΑντιτάσσεσθαι [*resistere*] hoc est, *per vim se opponere*, sicut Deus impiis se opponit, Prov. 3. 34. Jac. 4. 6. 1 Petr. 5. 5. Syrus hic posuit *qui contra insurgit*: non malè. Respicit enim Apostolus factum Judæ Gaulonitæ & sectatorum ejus, quorum exempla brevi contra expressum Christi interdictum secuturi erant Judæorum multi non minùs infeliciter, quàm in Romano imperio Galba, Ottho, Vitellius. Et nota Dei edictum hic dici, *Ne quis Regibus vim opponat*. Est enim hic διαταγὴ [*ordinatio*] quod Esdræ 7. 10. Hebr. 11. 23. διάταγμα & διάταξις Psal. 119. 9. quomodo & Romani Imperatores constitutiones suas Græcè appellabant. ἀντιτασσόμενον rursum passivum sono, sensu reciprocum. ¶ Οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται. *qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirent*] Non minùs quàm apud Judæos qui Synedrio se opponebant, Deut. 17. 12. Regi, 1 Reg 2. 43. aut Parenti, Deut. 21. 18. qui id facit, dicitur סורר ומורה, ἀπειθὴς καὶ ἐρεθιστὴς [*protervus & contumax*], quod idem valet quantum ἀντιτασσόμενος [*resistens*]. Κρίμα λήψονται [*damnationem acquirent*] pœnam ferent.

vent. Sic Matth. 23. 14. Solent enim verba de rebus bonis ad malas transferri, ut 2 Cor. 11. 24.

3. *Οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν, Nam Principes non sunt timor boni operis sed mali*] Post argumentum ab origine, alterum addit ab usu, cujus causâ constituta sunt imperia, nempe ut improbitate repressa tutiùs vivant boni. Hoc autem plenissimè præstant boni Reges, mali quoque aliquatenus, vel sui causâ. Et quanquam interdum aliquid vitii intervenit, nunquam tamen non satius est esse Principes, quàm non esse. Nam ut rectè Tacitus, *Vitia erunt donec homines, sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur.* Et, *quomodo sterilitatem aut imbres & cætera naturæ mala, ita luxus vel avaritia dominantium toleranda.* Vide quæ de hac re fusè disseruimus libro primo de Jure Belli ac Pacis 3. 4. & in Annotatis ad eum locum: unde & ea quæ apud Paulum sequentur, explica. Agrippa in oratione ad Judæos, quæ est apud Josephum Belli Judaïci 2. 28. ait *nullos à Romanis magistratibus missos ut bonis noceant.* Cicero 2. de Legibus, *Leges improbos supplicio afficiunt, & defendunt ac tuentur bonos.* In Manuscripto legitur, *Οὐκ εἰσὶ φόβος τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ ἀλλὰ τῷ κακῷ* [*Non sunt timor bono operi, sed malo*]. Rectè, dum noris *μετωνυμίαν* [*Transnominationem*] esse effecti pro causa; nam *opus* ponitur pro *operante.* ¶ *Θέλεις δὲ μὴ φοβεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν; τὸ ἀγαθὸν ποίει, Vis autem non timere potestatem? bonum fac*] Ostendit idem se significare cùm dicit *ἐξουσίαν* [*potestatem*], & cùm dicit *ἄρχοντας* [*Principes*]. ¶ *Καὶ ἕξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς. & habebis laudem ex illa*] Dicent, *Bonus vir Cajus Sejus, tantùm quod Christianus*, ut est apud Tertullianum. Cùm hæc scriberet Paulus, non sæviebatur Romæ in Christianos. Etiam Judæi Romam redierant. Philo hunc sensum sic exprimit, *Τιμωρίαι δ' ἐπ' ἀδίκοις, ὡς ἐπὶ δικαίοις τιμαὶ βεβαιούσθωσαν* [*Cæterum iniquis pœna firma ac rata sit, sicut justis honor & præmium*], libro de Judice.

4. *Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστι σοι εἰς τὸ ἀγαθόν, Dei enim minister est tibi in bonum*] Idem vult quod Seneca epistola 73, *Errare mihi videntur qui putant Philosophiæ fideliter deditos contumaces esse ac refractarios & contemptores Magistratuum ac Regum, eorumve per quos publica administrantur. E contrario enim nulli adversùs illos gratiores sunt, nec immeritò: nullis enim plus præstant quàm quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi quibus ad propositum bene vivendi aditum confert securitas publica, necesse est ut auctorem hujus boni, ut parentem colant.* Ac sicut hac in re Magistratus multùm sapientibus prosunt, ita & sapientes, præcipuè Christiani, plurimùm Magistratibus. Nam multos corrigendo, & meliores reddendo etiam quàm Leges humanæ præcipiunt, detrahunt illis magnam severitatis materiam, efficiuntque ut placidiùs imperent. Tractant hoc pulchrè Apologetico 2. Justinus, & Chrysostomus aliquoties. ¶ *Ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῇς, si autem malum feceris*] Contra Leges societatis civilis. ¶ *Φοβοῦ· time*] Si non aliud, formido pœnæ te absterreat. Loquitur enim homini cuivis. ¶ *Οὐ γὰρ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορεῖ. non enim sine causa gladium portat*] *Οὐ γὰρ εἰκῇ* [*non enim sine causa*] est *λιτότης* [*extenuatio*], pro, *gravi de causa gladium gerit.* In Thalmudicis frequens illud est de Rege Hebræo, *Rex qui portat gladium.* Id rectè aptat ad Reges omnes: par enim nunc omnium jus. Et Romani Imperatores pugionem gerebant, quod jus vitæ necisque civium interpretatur Tacitus Histor. 3. Licet illis interficere, quod aliis non licet. Irenæus 5. 24. *Et propter hoc & ipsi Magistratus indumentum justitiæ Leges habentes, quæcumque justè & legitimè fecerint, de his non interrogabuntur, neque pœnas dabunt.* ¶ *Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit*] *Εἰς ὀργὴν* [*in iram*] dictum est *μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem*], pro *in pœnam.* Philo dicto libro de Judice, de nocente, *δεόντως οὐκ ἐλέου (πόθεν) ἀλλ' ὀργῆς ἄξια* [*quandoquidem non miserationem (absit) sed iram meretur*].

5. *Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, Ideo necessitate subditi estote*] Sophocles,

> *Ἄρχοντές εἰσιν· ὥσθ' ὑπεικτέον· τί μή;*
> [*Principes sunt; obsequendum; quippe ni*]?

¶ *Οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργήν, non solùm propter iram*] Non solo pœnæ metu quam Leges minantur. ¶ *Ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν, sed etiam propter conscientiam*] Quia Christus id præcepit Matth. 22. 21.

6. *Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ φόρους τελεῖτε, Ideo enim tributa præstatis*] Non tantum metu commissi, sed etiam quia Christus ita voluit, Matthæi dicto jam loco. Justinus Martyr Apologetico 2, *Φόρους δὲ καὶ εἰσφορὰς τοῖς ὑφ' ὑμῶν τεταγμένοις πανταχοῦ πρὸ πάντων πειρώμεθα φέρειν, ὡς ἐδιδάχθημεν παρ' αὐτοῦ* [*Vectigalia sane & tributa exactoribus vestris ubique vel ante alios pendimus: ut ille nos docuit*]. Tatianus, *προστάττει φόρους τελεῖν ὁ βασιλεύς; ἕτοιμος παρέχειν* [*Rex tributa imperat? præsto sum qui pendam*]. Tertullianus Apologetico, *Cætera vectigalia gratias Christianis agent ex fide pendentibus qui alieno fraudando abstinemus.* ¶ *Λειτουργοὶ γὰρ Θεοῦ εἰσι, ministri enim Dei sunt*] Quod bis dixerat *διακόνους*, nunc dixit *λειτουργούς*. Ita משרת Hebræum modò *λειτουργός* vertitur, modò *διάκονος.* ¶ *Εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες. in hoc ipsum servientes*] מתמידים id est, *assidui* in hoc ipsum, nempe ut Dei jure malos puniant ad innocentium tutelam. Qui homini serviunt, mercede opus habent: illi Deo serviunt in re magna utilique, etiam Ecclesiæ.

7. *Ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς Reddite ergo omnibus debita*] Non Regibus tantùm, sed & Præsidibus, procuratoribus, publicanis, ministris Regum. *Τὰς ὀφειλάς*, id est, *τὰ ὀφειλόμενα* [*debita*], ut Matth. 18. 32. In Glossario, *ὀφειλή, debitum.* ¶ *Τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον, τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*] *Τῷ*: id est, *ᾧ* [*cui*] supple, *ὀφείλεται* [*debetur*] ex priore. Sicut Poëtæ, ita & Apostoli sæpe articulos commutant. Itaque sicut hic articulus præpositivus, vice articuli subjectivi, ita subjunctivus vice præpositivi infra 14. 2, 5. *Φόρος* & *τέλος* sic differunt, quo modo Latinis *tributa* & *vectigalia. Vectigalia* pro mercibus dantur: *tributa* pro solo aut capite. Quidam *φόρους* [*tributa*] vocant *εἰσφορὰς* [*collationes*], ut & Justinus verbis modò adductis. Sed satis diximus de his vocibus ad 1 Maccab 10. 33. *Φόρους* [*tributa*] & *εἰσφορὰς* [*collationes*] distinguit & Josephus belli Judaïci 2. 1. *Φόρος* respondet Hebræo מס [*tributum*]. ¶ *Τῷ τὸν φόβον, τὸν φόβον, τῷ τὴν τιμήν, τὴν τιμήν· cui timorem, timorem, cui honorem, honorem*] *Φόβου* [*timoris*] nomine intelligit sollicitam cautionem ne quid admittamus, quod eos possit offendere: *τιμῆς* [*honoris*] nomine omnia reverentiæ signa.

8. *Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους· Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*] Occasione vocis *ὀφειλὰς* [*debita*] transit à Legis Politicæ parte ad eam quæ mores instruit, ostenditque ea præcepta, sicut ante Mosem fuerant, sic & nunc manere, sed cum supplementis quæ se digna Christus adjecit. Est autem argutè dictum: cætera debita solvuntur nec manent: dilectionis debitum semper & solvitur & manet. ¶ *Ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, qui enim diligit proximum*] Id est, hominem quemvis, ejusdem Dei imagine ornatum, iisdem ortum primis parentibus. *Νόμον πεπλήρωκε. Legem implevit*] Is adjecit quod Legi Mosis deest, כלה [*perfecit*]; nam qui Mosis tantùm præcepta exsequitur, ei adhuc aliquid deest, Matth. 29. 20.

9. *Τὸ γάρ· Οὐ μοιχεύσεις· Οὐ φονεύσεις· Nam: Non adulterabis: Non occides*] Recitat præcepta eo ordine quo LXX in suo Hebræo textu ea legerunt in Exodo, ut ostendimus in fusiore nostra ad Decalogum expositione. ¶ *Οὐ κλέψεις· Οὐ ψευδομαρτυρήσεις· Οὐκ ἐπιθυμήσεις· Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces*] *Οὐκ ἐπιθυμήσεις* [*Non concupisces*] hic valet, *non ages ut aliena prætextu quodam favorabili ad te attrahas. Nihil facies in fraudem Legis*, Vide supra v. 7. & ibi dicta. ¶ *Καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολή, Et si quod aliud mandatum*] Nempe ejusdem naturæ, id exigens quod alter debemus alteri, putà *honorare parentes*; & alia quæ sunt in Lege, sed extra Decalogum. ¶ *Ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, in hoc verbo instauratur*] *Summatim comprehenditur* כלולה Sic Aquila in principio Geneseos בראשית vertit *κεφαλαίῳ*, id est, *simul*, ut exponit ad Genesim Philoponus. Sic dicunt Hebræi: כל התורה כלולה באהבת יהיה בכל לב ובכל נפש וגומר; *Lex tota in hoc ἀνακεφαλαιοῦται* [*summatim comprehenditur*] *Dilige Deum toto corde & totâ animâ atque substantiâ.* Et hoc præceptum Dei amandi, & alterum amandi proximi, dicuntur Hebræis, ut alii notarunt. כללים גדולים, id est, *summæ magnæ.* Græci auctores *ἀνακεφαλαίωσιν* vocant quod Latini *causæ conjectionem.* Augustinus, *in quibus causa summatim repetitur, quam vocant ἀνακεφαλαίωσιν.* *Ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ* [*in hoc verbo*], id est, *in hoc præcepto*: nam sic Hebræi דבר eximiè usurpant. ¶ *Ἐν τῷ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν. diliges proximum tuum sicut teipsum*] In hoc præcepto non Legis, sed Christi, Matth. 19. 19. Jubet quidem & Lex *diligi proximum*, Lev. 19. 18. Sed *proximi* nomine Lex intelligebat eum qui eidem Legi subjectus esset, ut ostendimus ad Mat. 5. 43. Neque verò ea formula comprehendebat eos, à quibus læsus graviter esset aliquis, quod facit Euangelica, Matth. 5. 44. *Proximus* ante Legem ho-

mo quivis Genes. 11. 3. Sic & in Euangelio, quod non omni populo, sed omnibus datum est, Luc. 10. 33. Comprehenduntur igitur illa Legis præcepta in isto Christi præcepto, ut pars in toto, multas etiam alias partes habente.

10. Ἡ ἀγάπη τοῦ πλησίον κακὸν οὐ κατεργάζεται. *Dilectio proximi malum non operatur*] Puto veriorem esse lectionem quorundam codicum quam sequuntur veteres interpretes Græci, τῷ πλησίον [*proximo*]. Dilectio, id est, is qui alterum diligit, *alteri nihil facit mali.* Si nihil mali, ergo nec matrimonium ejus, nec vitam violabit, nec res surripiet. ¶ Πλήρωμα οὖν νόμου ἡ ἀγάπη. *plenitudo ergo Legis est dilectio*] Plus enim continet quàm Lex. Est everriculum omnis injuriæ.

11. Καὶ τοῦτο, *Et hoc*] Hoc Καὶ τοῦτο [*& hoc*] valet *præsertim*, & refertur ad id quod longè præcesserat, *dilectionis nos semper esse debitores.* ¶ Εἰδότες τὸν καιρὸν, *scientes tempus*] *Considerantes quale jam sit tempus.* ¶ Ὅτι ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι. *quia hora est jam nos de somno surgere*] Similitudinem sumit à re bellica, ut sæpe ut 2 Corinth. 10. 4. 1 Timoth. 1. 18. 2 Timoth. 2. 3. Ephes. 6. 17. 1 Thessalon. 5. 8. Cicero pro L. Muræna De Duce, *illum buccinarum cantus exsuscitat.* Horatius,

Nec excitatur classico miles truci.

Νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, *nunc enim propior est nostra salus*] Loquitur tanquam de obsessis qui magno animo per medios hostes debent evadere. ¶ Ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν. *quàm cùm credidimus*] Id est, *quàm cùm credere cœpimus.* Verba enim talia interdum initium, interdum progressum, interdum exitum significant. Sic Exod. 4. 10. in Hebræo & Latino, *Ex quo locutus es ad servum tuum:* in Græco, ἀφ' οὗ ἤρξω λαλεῖν τῷ θεράποντί σου. Sic Neh. 8. 3. אור [*lux*] dicitur pro *initio lucis*, ut explicat Kimchi in ea voce.

12. Ἡ νὺξ προέκοψεν, *Nox præcessit*] Magna rerum ignorantia. Προέκοψεν, *cursum suum peregit*; עבר ut hîc Syrus: *Transivit*, Cyprianus. ¶ Ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν *dies autem appropinquavit*] Pervenit ad nos dies: affulsit lux Euangelica. Sic Lament. 4. quod prius dictum fuerat קרב ἤγγικε [*appropinquavit*], exponitur per בא, ἦλθε [*venit*]. Parsensus 1 Thess. 5. 4, 5, 6. ¶ Ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους, *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*] Quæ qualia sint explicat commate sequenti. ¶ Καὶ ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ φωτός. *& induamur arma lucis*] Id est, φωτεινά [*lucida*]. arma fulgentia decent milites, ut illa apud Plautum,

Curate ut splendor meo sit clypeo clarior,
Quàm solis radii esse olim, cùm sudum est, solent.

Quæ verò sint Christianæ militiæ arma, explicat Ephes. 6. 13. & sequentibus.

13 Ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατήσωμεν, *Sicut in die honeste ambulemus*] Qui de die procedunt, eunt composito gradu. Ovidius.

Nox & amor vinumque nihil moderabile suadent.

Tacitus historiarum 4, *Omnem pudorem nox ademerat.* Ita nos decet lucis tantæ compotes omnia agere quam honestissimè. ¶ Μὴ κώμοις, *non in comessationibus*] Κῶμοι sunt *nocturnæ amationes*, unde κωμάζειν [*comessari*]. Vide Idyllium Theocriti κωμαστήν [*comessatorem*], & Sap. 14. 23. 2 Macc. 6. 4. ¶ Καὶ μέθαις, *& ebrietatibus*] Nam & potari solet de noctu, 1 Thess. 5. 7. ¶ Μὴ κοίταις, *non in cubilibus*] Κοίτη est *congressus viri cum muliere*, ut diximus supra 9. 10. Dixit autem pluraliter κοίτας, ut exprimeret *concubitus vagos*, ex quibus quæ & quot sequantur mala facundè hic edisserit suo more Chrysostomus. ¶ Καὶ ἀσελγείαις, *& impudicitiis*] Est ἀσέλγεια vox Græca satis latè patens, & omnia comprehendens quæ lascive libidinoséque fiunt; sed hic ea intelligi putem quæ fiunt contra sexuum leges. Nam & Æschines contra Timocratem hoc sensu utitur. In Glossario ἀσέλγεια, *impudicitia.* Seneca de talibus, *Quibus abscondendis nulla satis atra nox est*, libro 1. de Natura, cap. 16. ¶ Μὴ ἔριδι καὶ ζήλῳ *non in contentione & æmulatione*] Μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] per ἔριν [*contentionem*] hic intelligit convicia, per ζῆλον, id est, *iram*, pugnas. Sic τὸν εἰς θάνατον ἄγοντα ζῆλον [*æmulationem quæ ad mortem ducit*] dixit Clemens in Epistola ad Corinthios. Utrumque consequi solet, tum vinolentiam, tum scortationem. Epicharmus,

——Ἐκ μὲν θυσίας
Θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο· B. χάριεν ὥς γέ μοι.
A. Ἐκ πόσιος δὲ κῶμος· ἐκ κώμου δ' ἐγένετο θυανία.
Ἐκ δὲ θυανίας δίκη γένετ'· ἐκ δίκης δὲ καταδίκη
——…[*ex sacro convivium,*
Potatio ex convivio. B. *mihi quæ placet.*
A. *Nocturna amatio inde, quæ rixam serit,*
Judicium hinc: ex judicio condemnatio].

Idem,

Ἐκ διαβολῆς ἡ λοιδορία· ἐκ δὲ ταύτης ἡ μάχη
[*Ex calumnia convitium, inde pugna se exserit*].

Eubulus de vini crateribus,

——Ὁ δὲ τέταρτος οὐκ ἔτι
Ἡμέτερός ἐστ' ἀλλ' ὕβρεος· ὁ δὲ πέμπτος βοῆς.
Ἕκτος δὲ κώμων· ἕβδομος δ' ὑπωπίων
[——*quartus contumelia est,*
Non ulterà noster: quintus vociferantium:
Sextus nequitia: sugillarum septimus].

Menesitheus de vino,

Τοῖς μὲν μέτριον πίνουσι καὶ κεκραμένον
Εὐθυμίαν φέρει· ἂν δ' ὑπερβάλλῃς, ὕβριν
[*His qui bene temperatum, nec nimium bibunt,*
Dat hilaritatem: ulterius, insolentiam].

14. Ἀλλ' ἐνδύσασθε τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, *sed induite Dominum Jesum Christum*] Ait Chrysostomus etiam suo tempore loquendi genus frequens fuisse, ὁ δεῖνα τὸν δεῖνα ἐνεδύσατο [*alter alterum induit*], ad significandam intimam quandam conjunctionem. Sic Χριστὸν ἐνεδύσασθε [*Christum induite*] Galat. 3. 27. Sic & *novus homo indui* dicitur Eph. 4. 24. Coloss. 3. 10. & *misericordia* Coloss. 3. 12. *Christum induere* est qualitates ejus imbibere. Sicut dicitur & *homo indui veste* & *vestis ab homine*, sic *homo induit spiritum*, & *spiritus hominem*, Jud. 6. 34. ¶ Καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας. *& carnis curam ne feceritis in desideriis*] *Carnis curam ne gerite.* Et quia hoc generaliter dictum malè poterat accipi, quasi nec valetudo curanda esset, addidit, *ad cupidines* explendas scilicet & indistinctè, ut Epicurus dixit, Οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τ' ἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων καὶ τὰς διὰ μορφῆς [*Neque enim intelligere possum, ubi sit aut quod sit illum bonum, præter illud quod cibo aut potione, & aurium delectatione, & obscænâ voluptate & ex formis capiatur*]. Πρόνοιαν ποιεῖν [*curam gerere*] idem quod προνοεῖν [*providere*] supra 12. 17. 1 Timoth. 5. 8. השגיח [*diligenter procurare*].

CAP. XIV.

VALLA.

1. **I***Nfirmum autem in fide assumite*] Abest Græcè præpositio ante nomen *fide.* Verbum quoque illud *assumite* potiùs transtulissem ut transferri solet, *adjuvate*, προσλαμβάνεσθε, ut in illo quoque quod paulò pòst sequitur, *Deus enim illum assumpsit*, προσελάβετο, ver. 3. ¶ *In disceptationibus*] Græcè est accusativus casus, εἰς διακρίσεις, qui si potest capi pro ablativo fortè in superiori quoque capi poterit, quod erat *in desideria. Disceptatio* autem nunc pro *hæsitatione*, sive pro *ambigendo* ponitur, ut illo loco ad Romanos, *in repromissione Dei non hæsitavit diffidentiâ*, διέκρινε.

2. *Alius enim credit manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet*] Ego sic transferrem, *Hic quidem credit manducare omnia, ille autem infirmus olus manducat*, Ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει.

12. *Unusquisque nostrûm pro se rationem reddet*] *De se* Græcè est, sive *de seipso*, περὶ ἑαυτοῦ.

16. *Non ergò blasphemetur bonum nostrum*] *Vestrum* legendum est, ὑμῶν.

REVIUS in VALLAM.

1. **E**ἸΣ διακρίσεις] Turpiter trajectum erat.

ERASMUS.

1. **I***Nfirmum autem*] Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα, i. *Eum qui infirmus est.* Nec est *in fide*, sed *fide*, ut referatur ad participium ἀσθενοῦντα, non ad sequens verbum *suscipite. Vos qui firmiores estis suscipite eum qui nondum firmus est fide. Infirmos* autem vo-

cat Judæos, qui nondum poterant contemnere ciborum delectum; & tamen ad *firmos* vertit sermonem quò faciliùs medeatur imbecillibus. Ità Chrysostomus. ¶ *Assumite*] Προσλαμβάνεσθε, i. *vobis adjungite, & recipite in vestrum contubernium.* Qui nondum perfectè credit non est rejiciendus, nè linum fumigans exstinguatur, sed tolerandus & alendus, donec proficiat ad meliora. Illud obiter annotandum, quòd Paulus abstinentiam ciborum infirmitati fidei tribuit, non de his loquens qui quò corpus habeant obtemperantius à lautioribus eduliis abstinent, sed de his qui Judaico more certos fugiunt cibos. Et tamen hos vult tolerari, sed hâc spe, ut proficiant in fide, & ejusmodi ceremonias negligant. At hodie videmus inter Christianos propè plus esse superstitionis in ciborum delectu quàm unquam fuerit apud Judæos. Nec ista jam tolerantur, sed in his quidam absolutum constituunt pietatem: pro illis omni telorum genere depugnamus; ex his judicamus, aversamur, exsecramur proximum ceu parùm Christianum; ex his nobis stultissimè placemus, alioqui teterrimis animi morbis infecti, superbiâ, irâ, livore, amore nostri. ¶ *Non in disceptationibus cogitationum*] Μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, i. *Non ad dijudicationes disceptationum*; h. e. non in anxiis disceptationibus, per quos futurum est ut ille alienetur qui potiùs fovendus sit lenitate donec proficiat ad perfectiora. Hoc plerique referunt ad Gentes: mihi videtur ad utrosque pertinere, ut intelligamus disceptationes mutuas quæ nascuntur ex discriminibus ciborum. Siquidem, ut alibi declarat, utrique judicabant alteros: qui vescebantur, abstinentiam aliorum vocabant superstitionem, qui non vescebantur, vescente judicabant, quasi utentes prohibitis. Ex hujusmodi frivolis non vult inter Christianos esse disceptationem, sed utrosque alteris vult concedere tuendæ concordiæ gratiâ. Mirum est autem cur Interpres maluerit *cogitationum* quàm *disceptationum*: nisi fortè non legit διαλογισμῶν, sed λογισμῶν. Διαλογισμὸς apud Græcos interdum declarat inanem concertationem verborum de rebus nihili. *Cogitatio* unius esse potest; *disceptatio* complurium est. Alteri enim alteros judicabant; nec refert utrùm tacitâ cogitatione id fecerint an sermone. Illud adjiciam, *dijudicationes cogitationum* non ità dictum ut intelligas cogitationes dijudicatas, sed appositivè, ut intelligas *dijudicationes* esse *cogitationes*, q. dixisset *tacitas dijudicationes.*

2. *Manducare omnia*] Φαγεῖν καὶ ἐσθίειν, quæ significant *edere* seu *vesci*, hic perpetuò vertit *manducare*; cùm *mandare* vel *manducare* sit propriè cibum dentibus comminuere. Porrò πάντα significantiùs vertisset *quævis*, i. sine delectu quemvis cibum: nam hoc quoque significat πᾶν. Quis autem possit unus edere omnia? Illud indicandum paucis, *credit manducare* novam esse sermonis figuram & Græcis & Latinis. Nam Græcis sonat *putat se manducare omnia*; cùm sit sensus, *Putat sibi licere vesci quibuslibet cibis citra delectum.* Unde rectiùs vertisset infinitum per gerundium, *Credit sibi vescendum esse quibuslibet.* ¶ *Qui autem infirmus est*] Ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει, i. *qui autem infirmus est oleribus vescitur*: ut sit indicativi modi, non imperativi. Totidem sanè verbis adducit Hieron. in Ecclesiastæ cap. 2. Non enim jubet ut vescatur oleribus, quem mallet firmiorem redditum vesci quibuslibet; sed ostendit quid faciat infirmus, suæ obtemperans superstitioni. Nam quod dixit *infirmus*, non ad valetudinem corporis referendum est, sed ad animi superstitionem: unde Latini quoque *infirmitatem* vocant. Horatius in Satyris.

——— *At sum paulo infirmior.*

i. superstitiosior. Chrysostomus legit ἐσθίει *vescitur*: itaque interpretatur, dicens hâc occasione factum ut deinde in totum à carnibus abstineret, quò νηστεία, i. *jejunium*, videretur, non Mosaicæ legis observatio. Nec ulla est vox in illius Commentariis quæ sign. hoc à Paulo præcipi. Theophylactus per omnia consentit cum Chrysostomo, iisdem penè verbis eandem sententiam referens. Nec aliud indicat Origenes, nec aliud legisse videtur Ambrosius, nisi quòd corruptum apparet commentum: *Is verò*, inquit, *qui infirmus est, olera manducet. Igitur quia hoc putat, ut ille olera edat, ideo suadendum est ut carnes edat.* Legendum arbitror, *Igitur quia hoc putat ille, ut olera edat, ideo suadendum non est ut carnem edat.* Et verum est *edat* accipi posse ut sit permittentis non præcipientis: sed obstat Græcorum codicum consentiens tum Lectio tum interpretatio: unde probabile est sicubi legitur *manducet*, aut depravatam esse lectionem, aut si quis interpretatur, non consuluisse Græca. Quale commentum adjicitur in Scholiis Latinis, sed priùs indicarat legendum indicandi modo. In nonnullis Græcorum exempl. habebatur & δὲ ἐσθιέτω. Solet autem Paulus in hujusmodi abuti articulo postpositivo loco præpositivi. Vertendum igitur erat *Alius credit vescendum esse omnibus*, aut *quibuslibet: alius rursus, qui infirmus est, oleribus vescitur.* Alioqui *alius* quod præcedit in priore divisionis parte non habet quod ipsi respondeat.

3. *Non spernat*] Ἐξουθενείτω q. d. *nihili faciat & pro nihilo ducat*, ut Græca vox indicat ex *nihilo* composita.

4. *Domino suo stat aut cadit: stabit autem*] Σταθήσεται δέ. Quod adducens Cyprianus in Epist. 2. l. 4. non inscitè vertit proximum verbum στῆσαι *stabilire*: quod tamen idem est cum superiore, *Potens est enim Deus stabilire illum.*

5. *Nam alius judicat*] Ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν ἕκαστος, &c,] i. *Hic quidem judicat diem juxta diem; ille verò judicat omnem diem: unusquisque*: &c. Quòd si liceat, ut par est, neglectâ verborum superstitione, sententiam bonâ fide reddere, verti poterat in hunc modum, *Hic quidem existimat aliquid interesse in diem & diem, ille verò perinde sentit de quovis die.* Augustinus in Quæstionibus hujus Epistolæ legit, *Alius quidem judicat alternos dies, alius autem judicat omnem diem.* At pudet me commenti quod idem eodem adscribit loco, haudquaquam adscripturus si aut Græca consuluisset aut interpretatio melior contigisset. Ipsius verba subscribam, nè quis mihi diffidat, *Sequestrata jam*, inquit, *meliore consideratione, non de duobus hominibus mihi videtur dictum, sed de homine & Deo. Qui enim alternos dies judicat, homo est. Potest enim hodie aliud, cras aliud judicare; id est, ut quemcunque hodie malum, convictum confessumque damnaverit, cras bonum inveniat depravatum. Qui autem judicat omnem diem, Deus est; quia novit qualis quisque sit. Unusquisque in suo intellectu abundat, inquit; id est, quantum humano intellectui, vel unicuique homini concessum est, tantum audeat judicare. Qui sapit, inquit, diem, Domino sapit; id est, qui hoc ipsum ad præsentem diem bene judicat, Domino sapit. Hoc est autem bene judicare ad diem, ut noveris non esse de correctione ejus desperandum in futurum de cujus culpa manifesta in præsentia judicaveris.* Hactenus Augustinus. Quæso te, lector, nonne videtur in alio mundo versari cùm hæc adscribit? Quod nolim ità rapiat aliquis velut in Augustini dictum contumeliam, cujus & eruditionem suspicimus & sanctimoniam veneramur, sed ut tanti viri lapsus nobis persuadeat non esse negligendam Græcorum voluminum collationem. D. Hieronymus 2. adv. Jovin. lib. vertit ad hunc modum, *Alius judicat diem plus quàm diem*, ut παρὰ accipiatur pro *supra*, sive *ultra*: quem in modum aliquoties invenitur apud Græcos. Quanquam Græcis παρὰ nonnunquam relationem habet, velut illorum proverbio dictum est, τὴν πορφύραν παρὰ πορφύραν, *Purpuram juxta purpuram.* Etenim qui confert, is putat alterum altero melius esse. Judæis alius dies profanus erat, alius sanctus; at Christianis quilibet dies æquè sanctus est: non quòd observandi non sint festi dies quos deinde sancti Patres instituerunt quò commodiùs plebs Christiana conveniret ad concionem Ecclesiasticam & cultum Divinum, sed eos perpaucos, nempe diem Dominicum, Pascha, Pentecosten, & aliquot hujuscemodi, quos recenset Hieronymus. Verùm haud scio an expediat quibuslibet ex causis festa festis accumulare, præsertim cùm videamus eò rediisse Christianorum mores, ut quàm olim conducebat ad pietatem hæc instituere, tam nunc conducibile videatur eadem antiquare. ¶ *In suo sensu*] Ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω id est, Propriâ mente, sive animo certus, sive certam habeat persuasionem, hoc est, acquiescat in sua opinione. Ambrosius interpretatur, Unusquisque suo consilio remittatur. Quid Augustinus interpretetur, modò ostendimus. Alioqui abundare in suo sensu, est hominis præfracti & obstinatæ mentis.

6. *Et qui non manducat, Domino manducat*] Græci addunt, καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, Κυρίῳ οὐ φρονεῖ, *& qui non sapit diem, Domino non sapit*: deinde sequitur, *& qui edit, Domino edit; gratias enim*, &c. Alioqui non redderetur quod priori parti repugnet, *Qui sapit diem, Domino sapit.* Certè apud Theophylactum additur hæc particula. Verùm quoniam nostrorum codicum magnus consensus est, nec apud Ambrosium reperitur, nec apud Origenem, fieri potest ut quod in Paulo deerat de suo suppleverit aliquis. Atque haud scio an *gratias agit* referri possit ad illum qui *distinguit diem*. Nam qui vescitur, & qui non vescitur, uterque tamen edit, & pro eo licèt diverso pariter gratias agunt. Annotandum & illud, quòd Paulus hasce partes *firmi* & *infirmi* vario ordine proponit, cùm primùm ait, *Alius credit edere omnia, is verò qui infirmus est oleribus vescitur:* quod firmi est, præposuit; quod infirmi, posteriùs fecit. Ac mox eodem ordine repetit, *Itaque qui edit, non edentem non spernat: qui non edit, edentem non judicet.* Ac paulò pòst invertit ordinem, *Nam alius quidem judicat diem inter diem*,

alius verò judicat omnem diem, hîc quod infirmi est priore loco posuit. Cæterùm in his quæ sequuntur rursus invertit ordinem: cùm enim ait, *Qui sapit diem, Domino sapit*, quod infirmi est præposuit. Nam *sapere* hoc loco curare est & sentire discrimen inter diem & diem quod est Judaicæ superstitionis; & *non sapere* est non curare discrimen diei. Ac mox, *Qui edit, Domino edit; & qui non edit, Domino non edit:* quod firmioris erat præposuit; quod infirmioris, posterius fecit. Nisi quis malit *sapere diem* in diversum sensum interpretari. Certè Thomas Aquinas sic exponit ut *sapere diem* dicatur qui discernit inter diem & diem, etiamsi hoc detorqueat ad dies festos nostros & dies jejuniorum, quod ille laudi tribuit. Quæ si vera est interpretatio, non erit infirmitatis *judicare inter diem & diem*, sed perfectæ pietatis; & *judicare omnem diem* non erit firmæ fidei, sed impietatis. Ambrosius & ipse nescio quò detorquet hunc locum, hoc commenti vice subjiciens, *Verum est, quia qui semper abstinet se, Deo placere se putat.* Semper abstinere perfectius est quàm interim abstinere, interim non abstinere. Quòd si semper abstinet qui judicat omnem diem, cùm antè non manducantem fecerit infirmiorem, quomodo hic versà vice firmior est qui priùs habitus est infirmior? Sed quod Paulus dixit de delectu ciborum juxta morem Judaicum, item de delectu dierum juxta ritus eorundem, hoc Ambrosius & Thomas deflexerunt ad posteriora tempora, quibus per Episcopos & festi dies sunt indicti, sed pauciores quàm nos habemus, & certa jejunia; quorum nihil adhuc opinor ætate Pauli fuisse: de indictis loquor. Origenes interpretatur *sapere diem*, qui non discernit diem à die, copulans *manducantem omnia* & *sapientem omnem diem.* Ex quo mihi venit in mentem hanc particulam ad utrumque referri posse, distinguentem & non distinguentem. Etenim cùm *sapiat diem* qui de quovis die idem sentit, & *sapiat diem* qui de alio atque alio aliter atque aliter sentit, generali sermone duas partes complexus est. *Qui sapit diem*, sive sic sapiat sive secùs, *Domino* suo *sapit*, non tibi, ad quem nihil attinet. Atque hanc apparet fuisse causam quare huic parti nulla sit reddita contraria, cùm *edenti* sit oppositus *non edens.* Sane Chrysostomus, nec enarrans attingit hanc particulam. Quo quidem loco nos maluimus vertere *vescitur*, & *non vescitur*; quòd non simpliciter agat de edendo, aut non edendo, sed de genere cibi, h. e. de suilla, aut idolothyto. Porrò quoties de cibi genere loquimur, elegantius est *vesci* quàm *edere*. Porrò pro *sapit* maluimus *curat*, quòd verbum Φρονεῖν apud Græcos sit πολύσημον, & nunc pro *sentire* ponatur, nunc pro *sapere*, nunc pro *cogitare*, aliquoties pro *affectum esse*; nonnunquam vix habet sermo Latinus quo reddat quod sentit.

9. *Mortuus est, & resurrexit*] Hîc addunt Græci codices καὶ ἀνέζησεν *& revixit.* Etiamsi Theophylactus ἔζησεν legit, i. *vixit*, non ἀνέζησεν quod si sequimur, accipiendum est tempus præteritum pro præsenti, quod in hujusmodi verbis solet fieri, *In hoc mortuus est, in hoc resurrexit, & in hoc nunc vivit ut*, &c. Ambrosius ità legit & interpretatur, *In hoc enim Christus & vixit & mortuus est & resurrexit.* In Paulino codice, qui mihi multorum instar erat cùm hæc primùm ederem, ad hunc modum scriptum erat, *In hoc enim Christus & mortuus est & revixit ut*, &c. in hoc certè consentiente cum Græcis exemplaribus quòd conduplicat conjunctionem. Atque ità legisse Origenem declarat ipsius interpretatio, cujus hoc est initium, *Mortuum dicit esse Christum dispensatione sine dubio passionis, vixisse autem per sacramentum resurrectionis.* Atque hæc lectio respondet ei quod sequitur: *ut mortuorum & vivorum dominetur.* Nam hoc ordine legitur & apud Græcos & apud Origenem edisserentem his verbis, *Sed moverit aliquem fortassis quod dixit Apostolus, idcirco mortuum esse & vixisse ut mortuorum & vivorum dominetur; quasi hoc dederit intelligendum, quòd nisi mortuus fuisset, mortuorum dominatum non habuisset, & nisi post mortem rursus vixisset, non tenuisset dominationem vivorum.* Idem est ordo apud Ambrosium, idem in vetustissimo exemplari quod modò citavi, ut *mortui* præcedant, *vivi* sequantur: prius enim est mori, posterius vivere, præsertim in Christo, quantum ad humanam naturam assumptam, quæ mortalis erat. Et tamen in superioribus præcesserant *vivi*; *Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur.* Apud Chrysostomum tantùm est ἀπέθανεν, ἔζησεν. quanquam editio Veronensis habet tria, ἀπέθανεν, ἀνέστη, ἔζησεν. Medium illud ἀνέστη videtur adjectum, quod sub finem hujus commenti sic loquitur, νεκρὸς ὢν ἔζησεν. Cum Veronensi consentit editio Aldina. Verùm hic nimiùm immoror; cùm ad sensum aut nihil aut minimum referat.

10. *Aut tu quare spernis*] Ἢ καὶ σὺ τί ἐξουθενεῖς. i. *Aut etiam tu, cur aspernaris:* ut illud prius *tu* referatur ad *non edentem*, posterius ad *edentem:* ut non sit otiosa conjunctio καί. Nam non edens ob superstitionem judicat edentem; rursus edens ob scientiam contemnit non edentis infirmitatem. Ambrosius additis verbis aliquot ità legit, *Tu autem quid judicas fratrem tuum in non edendo? Aut tu quare spernis fratrem tuum in edendo?* Quanquam arbitror *in edendo* & *non edendo* de suo addidisse explicandæ rei gratià ¶ *Omnes enim stabimus*] Πάντες γὰρ παραστησόμεθα, *omnes sistemur*, sive *sistendi sumus, ad tribunal Christi.* Nam rei sive judicandi *sisti judicio* dicuntur dum coguntur adesse.

11. *Mihi flectetur*] Ἐμοὶ κάμψει, *mihi flectet*, ut subaudias *se.* Certè in vetustissimo codice uno atque altero *flectet* scriptum comperi, non *flectetur*. Testimonium exstat apud Esaiam c. 45. quod Paulus sic adduxit ut nec ad verbum respondeat Hebraicæ veritati nec editioni LXX. Siquidem juxta hos ità legimus, *Per memetipsum juro, nisi egrediatur de ore meo justitia, sermones mei non averterentur, quia mihi incurvabit omne genu, & jurabit & confitebitur omnis lingua, dicens.* Juxta Hebræos ita vertit Hieronymus, *In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit & confitebitur omnis lingua Deo.*

13. *Sed hoc judicate magis*] Ambrosius legit, *Et in hoc*, vel *in eo, judicate magis:* haud scio quod exemplar secutus; nam & Græci codices & nostri vetusti refragantur. Hieronymus, aut quisquis fuit Origenis interpres, in enarratione indicat hic *judicate* dictum non pro *condemnate*, sicut antea, sed pro *statuite. Judicium* enim pro *condemnatione* ponere peculiare est Hebræis. Græcis vox anceps est κρίνειν, quæ nunc *judicare* sonat, nunc *statuere* sive *decernere*. Quòd si cui non placet aliter accipi *judicandi* verbum quàm in cæteris acceptum fuerit, poterit & hic esse sensus, Non convenit ut quisquam vestrum alterum judicet, qui seu rectè agit seu secùs, Domino suo judicandus servatur: quòd si quid de quoquam fas sit judicare, is potiùs judicandus qui ob cibum corporalem noluerit vitare offensam, quàm qui vel suspicatur illum non sincerà conscientià vesci, vel exemplo ejus provocatur ad id faciendum quod arbitratur non rectè fieri.

14. *Scio & confido*] Οἶδα καὶ πέπεισμαι, i. *Scio & certus sum*, sive *Persuasum habeo.* ¶ *Nihil commune per ipsum*] Interpres legisse videtur δι' αὐτοῦ, Alphà tenui. Atque ità legit Ambrosius, interpretans beneficio Christi nihil esse commune. Sed rectius est quod habetur δι' αὑτοῦ, Alphà aspirato, sive δι' ἑαυτοῦ, i. *per seipsum* sive, *per se:* quia sequitur, *sed ei qui immundum existimat, immundum est.* Atque ita legit Origenes, & huic consentiens Chrysostomus ac Theophylactus, qui interpretantur δι' αὑτοῦ, i. τῇ φύσει *naturà*.

15. *Contristatur*] Λυπεῖται *dolet*, sive *molestià afficitur.*

16. *Non ergò blasphemetur bonum nostrum*] *Vestrum* est Græcis, secundæ personæ, ὑμῶν τὸ ἀγαθὸν, *vestrum bonum.* Id quod rectè facitis curandum est nè cui præbeat obtrectandi materiam. Aut *vestrum bonum*, recta opinio vestra, quà sentitis fas esse quibuslibet vesci. Ad eum modum declarat Theophylactus. Chrysostomus item legit ὑμῶν *vestrum*, interpretans *concordiam Christianorum.* Hic sermo similis videtur illi, ὑμῶν ἡ σωτηρία· cùm usitatiùs dicatur τὸ ὑμῶν ἀγαθόν. Verùm hîc *bonum* appellat, non quòd simpliciter bonum sit. sed quòd illi bonum qui bono animo facit; & idcirco distinxit articulo. Quanquam qui contendat omnino similem esse sermonis formam, cum hoc non est cur debeam digladiari.

17. *Justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto*] Et hîc præpositio ἐν Hebræorum more usurpata videtur pro διὰ *per:* id quod satis indicat Origenes edisserens hunc locum. *Spiritum sanctum* opponit disceptationi de cibis: illa iram parit, tristitiam & injustitiam; hic pro ira *pacem*, pro tristitia *gaudium*, pro offensa & injuria *justitiam.*

18. *Qui enim in hoc servit Christo*] Græci legunt *in his*; quod idem pollet: q. d. *per hæc*, ὁ γὰρ ἐν τούτοις δουλεύων. Feminina nomina retulit per pronomen neutri generis, ut simul intelligas & alia ejusdem generis, cujusmodi sunt *justitia, pax* & *gaudium*. Ità quidem legit atque enarrat Theophylactus; nec aliter legit Chrysostomus, nisi quòd in Commentario non aperit quid legerit. Sed tamen refragante Ambrosio, refragante Origene, qui *in hoc* refert ad *Spiritum S.* cujus paulò antè facta est mentio: q. d. eos *in carne servire Christo* qui de cibis contendant; *in Spiritu servire*, qui contemptis iis, ea modò sectentur quæ pacis sint & concordiæ: refragantibus & vetustis Latinorum exemplaribus.

19. *Et quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus*] Καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους, i. *quæ ad mutuam pertinent ædificationem:*

tionem: & subauditur διώκωμεν *sectemur*. Porrò Paulus suo more *ædificare* vocat *prodesse*. Etiamsi τῆς εἰς ἀλλήλους nihil vetat quò minùs & ad *pacem* referatur, ut intelligas *pacem mutuam* & *mutuum auxilium*. Cæterùm verbum *custodiamus*, quod nescio quis adjecit, in Græcis cod. non invenitur, nec apud Chrysostomum, nec apud Theophylactum. Nec opus est, cùm præcesserit *sectemur*. Nec additum erat in pervetusto cod. Constantiensi, nisi quòd quidam inter versus descripserat manu barbaricâ.

21. *In quo frater tuus offenditur*] Gr. προσκόπτει *impingit*. Et in cod. Donatiani scriptum erat *offendit*, non *offenditur*. Consentiebat vetustissimum exemplar Constantiense. Ad sensum haud magni refert, nisi quòd Latinis *offenditur* qui provocatur ad iram; veluti Rex *offenditur*, sed non *impingit*: at qui conspectâ puellâ concupiscit, *offendit*: non *offenditur*. Chrysostomus & Theophylactus Græcè loquentes rectè exponunt προσκόπτει per σκανδαλίζεται.

22. *Tu fidem quam habes*] *Quam* relativum apud Græcos abest, σὺ πίστιν ἔχεις, κατὰ σαυτὸν ἔχε, i. *Tu fidem habes*; *in teipso habe*, sive *apud te solum*. Atque ità scriptum comperi in exemplari Paulino, si quis parùm tribuit Græcis: etiamsi cum Græcis consentit Ambrosius, Chrysostomus ac Theophylactus. Et est omnino sermo vividior omisso *quam*. *Coram Deo* addidit, comprimens inanem gloriam, quæ solet esse comes scientiæ. *Fidem* autem hìc indicat Chrysostomus non accipi pro *fide dogmatum*, sed pro *fiducia conscientiæ*, quæ opponitur *infirmitati* ac *trepidationi*. Quidam ità distinguunt, *Fidem habes apud temetipsum? habe coram Deo*. Id durius est.

23. *Qui autem discernit*] Ὁ δὲ διακρινόμενος, *qui verò hæsitat*. Quanquam participium est medium, ut possit accipi *qui dijudicatur*.

24. *Ei autem qui potens est*] Hanc partem usque ad, *Debemus autem*, quidam codices omnino non habent, quidam in fine adjiciunt Epistolæ. Chrysostomus interpretatur in fine, Theophylactus hoc loco, cùm is qui hunc vertit Latinè nec hìc nec in fine transtulerit: quod arbitror accidisse casu. Hic prætermisit ut consentiret cum nostris codicibus, ad finem ubi ventum est, oblitus non adjecit. Nos quoniam id non videbatur ad hunc locum pertinere, semovimus in finem hujus Epistolæ. Marcion hìc finiebat Epistolam ad Romanos, affirmans reliquam appendicem esse notham.

VATABLUS.

1. *Assumite*] *Vobis adjungite*: vel, *recipite in vestrum contubernium*. ¶ *In disceptationibus cogitationum*] *Ad disputationes addubitationum*: i. non ut cum eo disputetis de usu libertatis, quam nondum potest intelligere, quod plus anxietatis & hæsitationis rudibus animis parit quàm utilitatis.

2. *Manducare*] i. Sibi licere vesci quibuslibet cibis citra delectum. ¶ *Manducet*] *Manducat*, Vet. Sub. *ne incidat in aliquod cibi genus à Deo per Mosen interdictum*.

3. *Assumpsit*] i. Servum sibi fecit & elegit.

4. *Judicas*] *Condemnas*. ¶ *Domino suo stat aut cadit*] i. Solius Domini judicio relinquendum est bene an malè agat servus. *Stare*, pro *bene agere*: *Cadere*, pro *labi*, seu *peccare*. ¶ *Statuere*] Vel *stabilire*: i. efficere ne vacillet ullo modo.

5. *Inter diem*] *Præ die*: i. diem alium alio esse sanctiorem. ¶ *Omnem diem*] i. Omnes dies æquales, neque alium alio esse sanctiorem. ¶ *In suo sensu abundet*] *Suæ menti satisfaciat*; vel, *Suæ mentis certus sit*: i. compertum habeat quod mente concipit: certò sciat id quod facit Deo acceptum esse: q. d. nihil agat dubitante conscientiâ.

6. *Sapit*] *Curat*, vel *observat*: i. diem præ die sanctiorem existimat: persuasum habet se facere quod Domino placet. ¶ *Domino sapit* *] * *Et qui non curat diem*, *Domino non curat*: i. qui diem non observat, propter Dominum id facit, cui certò scit se non displicere, cùm nullum discrimen dierum facit. ¶ *Manducat*, *Domino non manducat*] i. Qui sine delectu omnibus cibis utitur, id se facere cum Domini favore credit. ¶ *Domino*] i. Propter Dominum, metuens præcepti ejus, & credit quòd id quod facit, illi placeat.

7. *Nemo enim nostrûm sibi vivit*: *& nemo sibi moritur*] i. Nullus nostrûm vivit aut moritur, ut sui vel aliorum sit dominus, sed omnes sumus alienæ potestatis.

8. *Domino vivimus*] h. e. Christum habemus Dominum & judicem, ut verbis paulò pòst sequentibus declarat, *In hoc enim*, &c.

9. *Christus* *] * *Et*, Vet. ¶ *Resurrexit* *] * *Et revixit*. ¶ *Vivorum & mortuorum*] *Mortuorum & vivorum*, Vet.

10. *Tu*] Sub. *infirmior*. ¶ *Aut* *] *Etiam*. Ad peritiorem convertit sermonem. ¶ *Stabimus*] *Statuemur*. ¶ *Christi*] Vel, *Dei*, Vet.

11. *Flectetur*] *Flectet*: sub. *se*, Vet. ¶ *Confitebitur Deo*] Vel, *confitebitur me Deum*.

13. *Judicate magis*] *Summâ diligentiâ curate potiùs*. ¶ *Scandalum*] *Occasionem lapsûs*: i. defectionis.

14. *Confido in Domino Jesu*] *Persuasum habeo per Dominum Jesum*, sub. *qui me docuit*. ¶ *Commune per ipsum*] *Immundum per semetipsum*: i. suapte naturâ. ¶ *Illi commune est*] Vel, *illud pro immundo habet*.

15. *Enim*] *Autem*. ¶ *Contristatur*] Vel, *dolet*, sive, *molestiâ afficitur*. ¶ *Non secundùm charitatem ambulas*] Hebr. fratrem non amas.

16. *Nostrum*] Vel, *vestrum*: q. d. id quod rectè facitis, curandum est nè cui præbeat obtrectandi materiam: aut, *bonum vestrum*, recta opinio vestra quâ sentitis fas esse vesci quibuslibet.

17. *Regnum Dei*] *Regnum Dei* hìc pro Sanctis & Christianis usurpatur, quòd illos Deus regat & gubernet qui in Christum credunt. 1 Cor. 1 dicit, *Esca nos non commendat Deo*: q. d. non propterea reddimur Sancti quòd cibis Lege interdictis liberè vescamur, aut ab illis abstineamus, sed justitiâ reddimur Sancti: i. fide quâ justificamur coram Deo, & pace cum fratribus, & gaudio de consecuta remissione peccatorum per Christum, cujus in nobis autor est Christus.

18. *In hoc*] *Per hæc*: nempe justitiam, pacem & gaudium, servum Christi se esse ostendit.

19. *Quæ ædificationis sunt invicem*] Vel, *quæ pertinent ad mutuam ædificationem*.

20. *Per offendiculum*] i. Lædendo fratrem suum infirmum.

21. *Carnem*] *Carnes*. ¶ *Offenditur*] *Offendit*, Vet.

22. *Tu fidem quam*] *Tu fidem habes*: Vet. non legunt, *quam*: i. dicis te id facere, quòd credas con displicere Deo. ¶ *Penes temetipsum habe coram Deo*] q. d. Noli studere ostentationi tuæ fidei in rebus indifferentibus, & satis sit tibi quòd illam in corde tuo habeas, Deo teste, non homine.

23. *Non judicat seipsum in eo quod probat*] i. Non condemnat seipsum, cùm facit quod faciendum esse existimat: h. e. qui credit nullo pacto displicere Deo quod perpetrat.

24. *Discernit*] *Hæsitat*. ¶ *Non ex fide*] i. Edit dubitante & refragante conscientiâ. ¶ *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*] q. d. in speciem bona: i. Quæ dubitamus an Deo placeant, si facimus, peccamus. Hoc loco *fides* est, *credere quòd placeat Deo id quod facis*.

CASTALIO.

5. *Alius diem diemque discernit*] Dierum discrimen facit.

16. *Nè committite igitur ut male audiat vestrum bonum*] Euangelium.

22. *Seipsum non damnat in eo quod probat*] Quamvis licere sciat, non vescitur, nè cui officiat. Quod si officeret, damnandus esset suâ culpâ.

23. *Fiducia*] i. Certa persuasione ità licere. ¶ *Quicquid cum fiducia non fit, peccatum est*] *Fiduciam* hìc vocat certam persuasionem ità licere: q. d. Quicquid facit quisquam dubitans utrùm liceat nécne, peccat: ut si quis carnem comedit dubitans an liceret, peccat. Vide an not.

CLARIUS.

1. *Infirmum autem fide*] Erant ex Judæis qui crediderant aliqui, qui adhuc Legi adhærentes, multos cibos abominabantur qui Lege prohiberentur, ut suillam carnem, & similia. Erant alii rursus ex eisdem qui solidè fidem tenebant, & nihil horum abominabantur. Ad hos ergò dirigit sermonem Paulus, ut illos infirmiores non despiciant, sed benevolè suscipiant: sperandum enim fore ut & ipsi roborentur. Ergò qui credit licere sibi quibusvis vesci, permitat interea illum infirmiorem, qui adhuc scrupulo Legis tenetur, *vesci oleribus*, *neque illum spernat* nè *disceptationibus cogitationum* obruatur: at hic contrà, qui cibos istos aversatur, *non judicet eum qui vescitur* tanquam prævaricatorem.

4. *Domino suo stat, aut cadit*] h. e. Judicio Domini sui. Ad Dominum, inquit, suum pertinet judicare stétne an cadat.

5. *Nam alius judicat*] Sunt qui selectos, e. g. dies ad jejunandum habent, alii pares omnes dies faciunt. Unicuique sua mens satisfaciat in hisce rebus. Quæ verba non generatim de quavis re accipienda sunt, sed ubi nihil vel parùm refert hoc an illud facias. Demittit autem se Paulus ad hos propterea quòd novitii erant in fide, nè nimis reprehensionibus irritarentur & resilirent.

6. Qui

6. *Qui sapit*] Quid sit *diem sapere* vel *non sapere*, seu *diem curare* & *non curare*, ipse declarat cùm sequitur, *Qui manducat*, &c. Qui diem, inquit, observat, is ob Dei timorem observat: & qui non observat, ob eundem Deum non observat, qui eum in libertatem vindicarit.

9. *In hoc enim Christus*] Mors Christi significat, mortem atque afflictiones nostras curæ illi esse, & mortale hoc corpus non à se deseri: Quòd autem *resurrexit ac revixit* in immortalem vitam, dat fiduciam nobis vitæ perpetuæ & immortalis animæ salutis. Itaque & bona & mala nostra ejus curæ permittamus, qui omnia ad bonum nostrum convertet. Videtur autem hic per *vitam* usum rerum intelligere, & per *mortem* abstinentiam, & tam eos qui abstinent quàm qui vescuntur à Domino non negligendos.

10. *Tu autem quid judicas*] Sicut & suprà dixerat, *Tu quis es qui judicas alienum servum?* ità & nunc: utrumque autem tangit, & infirmum, qui temere *judicaret*, & alterum qui *sperneret* infirmum; & addit, *nos ante tribunal Christi exhibendos*, ibique judicandos: unum enim illud certum erit verúmque judicium. Quod si homines cogitarent, non tam facilè neque tam sæpe temere judicia sua in proximum quoque proferrent.

15. *Noli cibo tuo*] Quod de *cibo* ait hic, de qualibet idem ipsum re faciendum est: quæ enim tanta res est quæ æquari possit illi Christi, Filii Dei, pro nobis effuso sanguini? at hunc quem perdis pluris fecit Christus quàm proprium sanguinem.

16. *Non ergò blasphemetur bonum vestrum*] Libertas hæc vestra vescendi quibusvis cibis non vituperetur, dum eâ abutimini: Præsertim cùm summa Regni Dei non in his sit, h. e. in horum vel usu vel abstinentia.

22. *Beatus qui non judicat semetipsum*] Beatus qui ità utitur eâ re quam sibi licere scit ut nè proximi sui offensione seipsum damnet, sed potiùs, si opus sit, abstineat. Nam si exemplo suo cogat illum infirmiorem vesci cibis de quorum usu adhuc intra se disceptet, is qui vescitur condemnatur, quia contra propriam conscientiam facit: hoc enim est quod ait, *quia non ex fide*; &, *Omne quod non ex fide est*, h. e. quod fit contra interioris conscientiæ approbationem, *peccatum est*.

ZEGERUS.

1. INfirmum autem in fide assumite] i. Eum qui fide infirmior est nè spreveritis aut rejeceritis à fidelium contubernio, sed suscipite potiùs, vobis adjungite, sustinete, confovete, adjuvate & constabilite, ut firmior tandem evadat. ¶ *Non in disceptationibus cogitationum*] Μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Poterat & ità vertisse; *non in dijudicationibus disceptationum*, vel, *non ad dijudicationes disceptationum*. Sentit autem contra ejusmodi infirmum, aut ejus occasione anxiis non esse disputationibus & dijudicationibus contendendum.

2. *Alius credit manducare se omnia? qui autem infirmus*, &c.] Græcis aliquantò diversiùs legitur, sub hac intelligentia, *Ille credit quidem vescendum esse quibuslibet*; *hic autem*, *qui infirmus est*, *oleribus vescitur*. Vide Matth. 15. ibi, *Non quod intrat*.

4. *Stabit autem*] Sive *stabilietur*, σταθήσεται.

5. *Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet*, &c.] *Erant* inter Romanenses (teste Theophylacto) *nonnulli qui etsi à carne suilla non abstinerent, statutis tamen diebus ab ea cavebant: alii vero qui illa assiduè vescerentur, qui tamen abstinentes illos incusabant.* De his itaque loquitur, dicens, *Nam alius quidem*, &c. Possent quoque hæc dicta accipi de discretione sacrorum dierum à profanis, sicuti mandatum erat in Lege de Sabbatis, de Neomeniis, &c. *Nam alii diem à die* juxta Legis ritum discernebant, ut suo cuique tempori suam tribuerent servaréntque continentiam: *alii omnem diem*, h. e. continuum tempus ut jugibus pietatis operationibus dedicatum, statuunt in abstinentia exigendum. In quo, sive ut assiduam sive ut temporaneam suscipiat continentiam, quilibet suo relinquitur consilio; quando constat utrumque vacare crimine, neutrúmque justâ esse reprehensione dignum. *Qui* enim *diem sapit* sentítque observandum, Domini ob gloriam id facere creditur. Nemo tamen hic putet Apostolum iis patrocinari qui nullas observandas ferias nulláque observanda jejunia contendunt, cum id non ex præcepto legis Mosaicæ sed ex Ecclesiæ instituto faciamus, cui idem Apostolus nos jubet esse dicto audientes. Vide Hier. in illud Gal. 4. *Dies observatis*.

6. *Qui sapit diem, Domino sapit*] Hic jam in Græcis Scholiastes aliquis de suo ad præsentem alteram adjecit clausulam, veluti necessariò respondentem, καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, Κυρίῳ οὐ φρονεῖ, *& qui non sapit diem*, *Domino non sapit*: ideóque hanc censeo resecandam. Quòd si mihi diffidis, consule antiquissimos quosque, qui hunc locum vel enarrarunt vel citarunt. Nam Theophylactum, ut est autor non admodum antiquus, ità apud hunc textum Apostolicum comperi non uno in loco adulteratum, id quod & apud Chrysostomum versum cernere est.

9. *Christus mortuus est & revixit*] Sic puto scripsisse Interpretem: nam sic legit Anacletus Papa, & Origenes, si commentum inspicias: & magis quadrat ei, *ut & vivorum & mortuorum dominetur*. Porro ἀνέστη adjectum videtur ex Latino.

10. *Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis*] In *tu* priori loco posito non manducantem appellat; in posteriori, manducantem.

13. *Sed hoc judicate magis*] i. Statuite sive decernite, nè per observationem ciborum offensionem fratribus generetis.

14. *Nihil commune per ipsum: nisi ei qui existimat quid commune esse*] *Communis* vocabulum hoc loco atque aliàs nonnunquam in Scriptura pro *immundo* usurpari, Lucâ Euangelista interprete discimus: sic enim loquitur Euangelii sui capite 7. *Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est, illotis, edere panes reprehendebant.* Cæterùm quod Latini legimus *per ipsum*, intelligentes Salvatoris beneficio omnia esse munda, Græci legunt δι᾽ ἑαυτοῦ, dicentes *per se* quoad sui naturam, *nihil esse inquinatum*.

18. *Qui in hoc servit Christo*] Chrysostomus legit ἐν τούτοις, *in his*, Græcæ respondens editioni: verùm mihi nostra magis arridet lectio, ut, quam secuti sint Origenes & Ambrosius ipso Chrysostomo antiquiores, & Augustinus in Speculo. Si cum V. interprete legas *in hoc*, subaudiendum est *Spiritu Sancto*; si cum Chrysostomo & Thephylacto *in his*, numero multitudinis, respiciendum est ad *justitiam*, *pacem & gaudium in Spiritu sancto*.

19. *Et quæ ædificationis sunt invicem custodiamus*] *Custodiamus* in Græcis & multis Latinis abest: Origenes, & Augustinus in Speculo, addunt: quidam non. Sed ejus loco facile est præcedens τὸ διώκωμεν, *sectemur*, intelligere.

22. *Tu fidem quam habes, apud* [aliàs *penès*] *temetipsum habe coram Deo*] Pro varietate distinctionis varia habetur & sententia. Distinguitur enim primùm juxta Græcos, *quam* relativo prætermisso, ad hunc modum, *Tu fidem habes, apud temetipsum habe coram Deo.* Item, *Tu fidem quam habes, apud temet ipsum habe coram Deo.* Posset & quæsitivè enunciari, *quam* prætermisso, (ut abest in nonnullis cod. Latinis) hoc pacto, *Tu fidem habes? apud temetipsum habe coram Deo.* Vel, *Tu fidem habes apud temet ipsum? habe coram Deo.* Verùm percontationem non puto inveniri apud scriptores priscos. *Fidem* hic & in mox sequentibus eam dicit quâ quis vescendum credit quibuslibet, sive animi fiduciam, quæ hæsitationi & infirmitati opponitur. Hoc autem docet Apostolus, Scientiam ac fiduciam de non deligendis juxta Legis præscriptum ciborum generibus, firmam esse debere: sed tamen occultam, si scandalum timetur proximi. ¶ *Beatus qui non judicat seipsum in eo quod probat.* 23. *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est*] Non simpliciter de omnibus, sed de propositis escis duntaxat intelligendum, secundùm regulam quam in superioribus texuit. Ut si quis est qui per legis spiritualis scientiam probat nullam respuendam escam, nec rursus condemnat seipsum, nec ipsa sese conscientia reprehendit, beatus proculdubio erit, etiamsi culpaverint omnes. At qui discernit & hæsitat utrùm quid mundum sit, ac sumere debeat nécne, iste ex animi sui dubitatione, conscientiâ arguente, damnabilis ac reprehensione dignus adjudicatur. Causam autem hujus damnationis subdit, dicens, ¶ *Quia non ex fide*] Sub. *manducavit*. Tanquam si dicat, Damnatur non propterea quod immundus sit cibus, sed quòd diffidens cibum mundum esse, eundem perinde ac si immundus esset edat. Vide Matth. 15. ibi, *Non quod intrat*. ¶ *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*] Origenes hic mihi magis ad mentem Pauli accedere visus est. Is enarrat ad hunc modum, *In hoc*, inquit, *sermone credentium quorundam negligentes & desides animos vinculo artiore constringit, ut nihil sine fide agant, nihil sine fide dicant, nec absque fide aliquid cogitent. Quia sive quid gesseris sine fide, sive etiam cogitaveris, peccas. Hoc idem est quod in aliis dicit, Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Hactenus ille. Animadverte insuper *fidem* hic esse conscientiæ judicium, quo credimus aliquid faciendum ad Dei venerationem: contra quod sanè nil est attentandum si reatum evitare cupimus.

24. *Ei autem qui potens est vos confirmare*, &c.] Quòd hæc verba usque ad illud, *Debemus autem nos*, ex epistolæ hujus fine

fine huc transposita interjectáque in Chrysostomi Commentariis cernantur, atque in nonnullis etiam aliis cod. hic habeantur, (ut referunt quidam) Marcionem opinor autorem aut certè occasionem fuisse, utpote qui reliquam epistolæ hujus partem notham adfirmans, adeóque rejiciens, ut testis est Hieronymus in com. Orig. hàc epistolam coronide claudendam censuisse credatur.

L. BRUGENSIS.

9. *In hoc* "*enim* [-o. "*ergò* o.] *Christus mortuus est & resurrexit*, - *ut & mortuorum & vivorum dominetur* [1 MS.] Duo Parisiensium manuscripta, Paul. Ge.l. tria Hentenii, & quinque nostra, Leod. Mal. ma. So. la. Pl. ang. Atr. conduplicant conjunctionem in priori, ut in posteriori parte, *Et mortuus est & resurrexit*: id quod Græcæ lectioni consonat, multùmque decoris sententiæ adfert. Dein, quædam manuscripta pro *resurrexit*, *revixit* habent. Porrò Græci codices simul utrumque legunt, hoc pacto, εἰς τῦτο γὰρ Χριςὸς καὶ ἀπέθανε, καὶ ἀνέςη, καὶ ἀνέζησεν sed in redundantiæ suspicionem veniunt. Primùm enim Complutensis, omnésque ad quos suam N. Testamenti Græcam editionem Parisienses contulerunt, τ literâ significati, cum Græcis Chrysostomi, Theophylacti & Oecumenii exemplaribus, pro ἀνέζησεν, ἔζησεν, *vixit* pro *revixit*, habent. Deinde Syri, qui utrumque similiter legunt, *surrexit* ponunt post *vixit*; מית וחיא וקם *Mortuus est, & vixit, & surrexit*. Adhæc, apud Irenæum, lib. 3. cap. 20. & autorem commentariorum quæ in Ambrosii sunt operibus, *vixit* ponitur ante *mortuus est*; *Et vixit, & mortuus est, & resurrexit*. Præterea Latini codices constanter alterum duntaxat legunt; & plerique quidem *resurrexit*; quidem verò, minimè contemnendi, Parisiensium Paul. nostri E. Q. Pl. m. I. *revixit*: quibus Malmundarii minus exemplar, antiquitate spectatissimum, suffragatur: nam erasæ prioris scripturæ loco, minoribus & coarctioribus literis substitutum habet *resurrexit*. Anacleti Papæ epistola prima tantùm *revixit* scribit. Origenes, vel Hieronymus Origenis translator suppletórque, *vixit*, ídque solum, legit: cui ea quæ in Ambrosii sunt operibus commentaria concinere mihi certè videntur, tametsi, quod dictum est, alio *vixit* loco habeant; atque & ex Sedulio id maxifestum possit evadere, qui, dum horum commentariorum enarrationem adfert, duntaxat legit, *In hoc enim vixit Christus, & mortuus est*. Ex his igitur videri possit redundare, vel ἀνέςη *resurrexit*. vel ἀνέζησεν *revixit*, sive ἔζησεν *vixit*, iis quibus utrumque legitur. Et quanquam judicare fortè quis posset superfluum esse potiùs ἀνέζησεν *revixit*, sive ἔζησεν *vixit*, quàm ἀνέςη *resurrexit*, quòd illud aliter atque aliter & alio atque alio loco legatur, ac minùs frequens Latinis in libris inveniatur; tamen hoc magis, *resurrexit*, addititium esse existimarim, in primis quòd mox citati veteres id omittant, tum quòd elegantiùs *vixit* sive *revixit* ei quod sequitur, *Ut & mortuorum & vivorum dominetur*, respondeat (*mortuus est*, *ut mortuorum*; *vixit*, sive *revixit*, *ut vivorum dominetur*) denique quòd vocis ἔζησεν vel ἀνέζησεν *vixit* vel *revixit* expositio fuisse videatur ἀνέςη *resurrexit*, quæ ab aliquibus ad marginem adscripta, cùm in textum tandem irrepsisset, postea aliquando extruserit id ad quod exponendum adhibita fuerat ut superfluum, aliàsalium ad locum deturbarit quò superfluum sensu haud esset. Quocirca & existimant quidam germaniorem Latini Interpretis scripturam esse, *Et mortuus est & revixit*, alterâ, *Et mortuus est & resurrexit*, quæ vel ex alterius translatione, vel ex alicujus explanatione sumpta sit. Porrò horum duorum ἔζησεν & ἀνέζησεν, *vixit & revixit*, ἔζησεν *vixit* veriùs Græcis censuerim, quandoquidem in nobilioribus exstet Græcis antigraphis, & celebrius sit apud veteres; neque facilè pro καὶ ἀπέθανε καὶ ἀνέζησεν, *& mortuus est & revixit*, substituerit quisquam καὶ ἀπέθανε καὶ ἔζησεν, *Et mortuus est & vixit*; faciliùs longè è contrà, pro hoc, illud. In posteriori sententiæ parte multi Latini codices præponunt *vivorum*, postponunt *mortuorum*, *Ut & vivorum & mortuorum dominetur*: sed ii, ut alios multos sibi adversantes habent, ità Græcos & Syricos contrarios patiuntur, quin & rectum ordinem quo prioribus posteriora respondent, nisi quis eum legendi modum quem apud Irenæum & Ambrosium esse diximus sequendum duceret.

H. STEPHANUS.

1. Προσλαμβάνεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν] *Assumite*, sed *non ad dijudicandum illorum cogitationes*.

2. Ὃς μὲν πιςεύει φαγεῖν πάντα] *Alius quidem credit vescendum esse*, vel, *licere vesci omnibus*. Vel, *Talis est ejus fides*, *ut vescatur omnibus*.

5. Πληροφορείσθω] *Plenè certus esto*: q. d. minimè hæsitabundus.

6. Ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν] *Qui aliquid sentit de die*: vel *cogitat*.

10. Ἐξεθενεῖς] *Nihili facis*.

14. Κοινὸν] *Impurum*.

18. Εὐάρεςος τῷ Θεῷ, καὶ δόκιμος τοῖς ἀνθρώποις] *Gratus Deo, & probatus hominibus*.

23. Ὁ δὲ διακρινόμενος] *At qui hæsitat*.

DRUSIUS.

2. *QUI infirmus est olus manducat*] Aliàs *manducet*: & *infirmus fide*. Quanquam ægrotos olim oleribus curatos fuisse docet Plauti locus in Captivis: ubi cùm Hegio dixisset *multis oleribus*, respondit parasitus, *Curato agrotos domi. Olera vocat parasitus omne genus herbarum quibus medemur: q. d. Si istam cœnam parare cogitas, eam agrotis apponito, qui tenui victu alendi sunt*. Hæc Cl. Taubmannus ad illum locum, quem adire potes.

5. *Præ die*] Παρ' ἡμέραν παρὰ hîc idem valet quod מ apud Hebræos, ut in libro Hymnorum Davidicorum παρὰ τοὺς μετόχους σε, *præ consortibus tuis*. Vulg. *diem inter diem*. Quod Hebræi dicerent בין יום ליום *inter diem & diem*.

11. *Omnis lingua confitebitur Deo*] Locus iste habetur Jes. 45. 23. ubi in fonte, *jurabit omnis lingua*. Repeti autem debet לי *mihi* ex præcedentibus. Quanquam R. D. negat verbum Jurandi cùm Lamed construi. Fallitur, fallitur. Vide Observ. meas l. 9. c. 10. *Jura per Deum* quid sit notius est quàm ut explicari debeat. *Jurare Domino* alium sensum habet, ut ibi docemus. Vide si placet & si otium est.

CAMERON.

4. Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην;] Interdicitúrne omne de hominum factis vel dictis judicium? An hic intelligitur cultus aliquis, quem specialiter reddere se quispiam posse putet Deo, sed omninóne cultus hujusmodi sit ex electitiis, quos Scriptura damnat? Resp. Non puto interdici ἁπλῶς judicium, sed superciliosum, severum, damnatorium, ídque iis in causis in quibus humanæ quidem infirmitatis fortasse, at nullæ tamen apparent notæ animi impii & à Christo alieni. Neque de judicio quod de re sed de persona fit agi crediderim; & totum hoc eòdem pertinere quò præceptum Christi Matth. 7. 1, &c.

5. Ἕκαςος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω] An hoc dicit per concessionem quasi fieri non possit ut quispiam exactè perpendat qui idem non videat leviculam illam circa cibum aut diem religionem? An verò id duntaxat monet, esse tamdiu ejusmodi cultum tolerabilem quamdiu non repugnat conscientiæ? Resp. Posterior sensus mihi videtur simplicior. Ut sic arbitrer faciunt illa, μακάριος ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν is verò est ὁ πληροφορηθεὶς, cui opponitur ὁ διακρινόμενος v. 22. 23. Prior sensus acutus est & veram continet sententiam, sed an huic loco accommodatam mihi dubium est.

24. Πᾶν ὃ ἐκ ἐκ πίςεως ἁμαρτία ἐςίν] Hoc simpliciter accipendum uti ab Apostolo dicitur, de rerum adiaphorarum usu, quibus ità utendum esse ait ut non dubitemus, sed certo statuamus apud nos licere iis uti. *Quicquid enim*, inquit, *fit sine fide*, (h. e. dubitanter, an liceat necne iis uti) *peccatum est*.

LUD. CAPPELLUS.

14. Εἰ μὴ (h. e. ἀλλὰ) τῷ λογιζομένῳ τὶ κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινόν. Et mox v. 20. κακὸν τῷ ἀνθρώπῳ τῷ διὰ προσκόμματος ἐσθίοντι. Et v. 23. Ὁ διακρινόμενος, ἐὰν φάγῃ, κατακέκριται, ὅτι ὐκ ἐκ πίςεως· πᾶν δὲ ὃ ὐκ ἐκ πίςεως, ἁμαρτία ἐςίν. Idem cum Apostolo hoc loco docent Judæi cùm dicunt, זה הכלל גדול בתורה כל דבר שאינך יודע אם הוא מותר או אסור עליך אסור, *Hic est magnus circa Legis observationem Canon; Res omnis de qua nescis utrùm licita an verò illicita sit, ea tibi est illicita donec interrogaveris de ea aliquem Sapientem qui doceat te eam esse licitam*.

GROTIUS.

EX illo dilectionis, de quo agere cœperat, præcepto egregia Paulus consectaria deducit, illis temporibus ac locis perquam necessaria. Judæi multi ad Christum conversi omni modo servare volebant & aliis servanda imponere præcepta Moisis, etiam ritualia, Actor. 15. Hi vocatos ex Gentibus illa præcepta non

non servantes aversabantur. Contra vocati è Gentibus, conscii datæ per Christum libertatis, Judæos Judaïcè viventes à sua communione volebant excludere 11. 18, 21. Unde secuturum erat schisma, & mirè in ipsis initiis obstiturum Euangelii processibus. Huic malo ut occurrat Paulus, mediam instituit viam, & Judæos qui in Christum crediderant, monet ita suam sequantur opinionem ut à damnandis crimine impietatis qui aliter sentiebant, abstineant. Ex Gentibus verò vocatos, ne illorum quamvis Judaïcè viventium communionem defugiant, & ut imperitos spernant. Multum Apostolos exercuere duo ista hominum genera, quorum dum nunc his, nunc illis se accommodant pro tempore ac locorum ratione, utrosque verò ad mediocritatem reducunt, cognitam faciunt suam & prudentiam & bonitatem. Justinus in colloquio cum Tryphone temperamentum hoc Apostolicum sic exprimit, Εἰσὶν, ἀπεκρινάμην, ὦ Τρύφων, καὶ μηδὲ κοινωνεῖν ὁμιλίας ἢ ἑστίας τοιούτοις τολμῶντες, οἷς ἐγὼ οὐ σύναινός εἰμι· ἀλλ' ἐὰν αὐτοὶ, διὰ τὸ ἀσθενὲς τῆς γνώμης, καὶ τὰ ὅσα δύνανται νῦν ἐκ τῶν Μωσέως, ἃ διὰ τὸ σκληροκάρδιον τοῦ λαοῦ νοοῦμεν διατετάχθαι, μετὰ τοῦ ἐπὶ τοῦτον τὸν Χριστὸν ἐλπίζειν καὶ τὰς αἰωνίους καὶ φύσει δικαιοπραξίας καὶ εὐσεβείας φυλάσσειν βούλωνται, καὶ αἱρῶνται συζῆν τοῖς Χριστιανοῖς καὶ πιστοῖς ὡς προεῖπον, μὴ πείθοντες αὐτοὺς μήτε δεῖν περιτέμνεσθαι ὁμοίως αὐτοῖς, μήτε σαββατίζειν, μήτε ἄλλα ὅσα τοιαῦτά ἐστι τηρεῖν, καὶ προσλαμβάνεσθαι καὶ κοινωνεῖν ἁπάντων, ὡς ὁμοσπλάγχνοις καὶ ἀδελφοῖς δεῖν ἀποφαίνεσθαι [*Sunt, respondi, ô Trypho, & quidem cum talibus illi neque consuetudinis neque hospitii communionem habere audent: quos ego non collaudo. Sed si ipsi, propter animi imbecillitatem, etiam quæcunque nunc possint ex Mosis constitutionibus, quæ ob duritiem cordis populi sancita esse intelligimus, una cum concepta in hunc Christum spe atque perpetuis naturâque comparatis justitiæ & religionis veræ actionibus, servare & cum Christianis fidelibusque vivere voluerint, ut ante dixi, modò illis non suadeant pariter cum eis circumcidi, ac Sabbata agere, aliaque ejusmodi exsequi; eos recipiendos & ad communionem rerum omnium, ut fratres eorundemque viscerum homines, admittendos esse censuerim*].

1. Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει, *Infirmum autem in fide*] Ἀσθενοῦντα vel ἀσθενῆ τῇ πίστει [*infirmum in fide*], hic vocat qui Christianismum quidem amplexus est, sed non omnia à Christo, aut Spiritu ejus revelata pernoscit, præcipuè verò mysterium illud quod septimo capite aperire cœpit Paulus. Tales fuisse in Palæstina Nazaræos notat Epiphanius. Sic Horatius, *Sum paulò infirmior*, id est, scrupulosior. Cyrillus vocem hanc bene explicat contra Julianum 7. Ἐσθίομεν δὲ συνειδότι καθαρῷ, Θεῷ τὴν δόξαν ἀνάπτοντες, ὡς ἁπάντων ἡμῖν τῶν ἐδωδίμων ἐλευθέραν τε καὶ ἀζήμιον χαρισαμένῳ τὴν χρῆσιν. Εἰ δὲ ἀσθενεῖ τις ἐν τούτοις ὑγιᾶ τε ὅπω καὶ εὔρωστον ἔχει τὸν νοῦν οἴεται τι καὶ ἱερόθυτα ἀληθῶς, ὅπω βεβαιοῦντι περὶ τὸ γνήσιον εἰς πίστιν συγκαθιστάμεθα ὥσπερ τινὲς παιδοτρίβαι διαγυμνάζοντες τὰ μειράκια ἀναβιβάζοντές τε κατὰ βραχὺ πρὸς τελεωτάτην τοῦ πράγματος ἐμπειρίαν (*Mundâ conscientiâ comedimus, Deo gloriam tribuentes, qui nobis liberum & innoxium edulium omnium usum largitus sit. Sin quis est in hisce infirmior ut firmam, ac validam mentem necdum habeat, sed idolothyta verè esse aliquid putet, huic, qui id quod solidum est in fide necdum apprehenderit, quasi pædotribæ quidam assistimus, qui ita exercent adolescentulos ut paulatim eos ad absolutam rei peritiam provehant*]. Constantinus Imperator apud Eusebium, ἀσθενεστέροις δεῖ ὑποκατακλίνεσθαι λόγῳ συγγνώμης [*rationi consensus infirmiores se accommodare oportet*]. ¶ Προσλαμβάνεσθε, *assumite*) *Sociate Ecclesiæ*, sicut qui hospitio aliquem excipiunt dicuntur eum προσλαμβάνειν [*assumere*], Actor. 18. 26. & 28. 2. Ecclesia enim domui comparatur supra 11. 25. Sumitur hæc admonitio ex iis quæ de Christo dicta Matth. 12. 20. ¶ Μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, *non in disceptationibus cogitationum*] *Non sumentes vobis dijudicandas ipsorum cogitationes*: nempe an legalia ut necessaria usurpent, an ut utilia. Διακρίνειν, *dijudicare*, Matth. 16. 3. 1 Cor. 6. 5. Job. 9. 14 & 15. 5. Ecclesiastæ 3. 18. 2 Samuel. 19. 9. Levit. 24. 12. Exod. 18. 16. διαλογισμοὶ, *cogitationes*, Matth. 15. 19. Marci 7. 21. Luc. 2. 35. & 5. 22. & 6. 8 & 9. 46, 47. & 24. 38. supra 1. 21. 1 Cor. 3. 20.

2. Ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, *Alius enim credit se manducare omnia*] Supple ἐξεῖναι [*licere*]. *putat licere omnibus vesci*. πάντα [*omnia*], id est, *omnis generis edulia*. ¶ Ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει, *qui autem infirmus est, olus manducat*] Argumentum a majori. Tolerandi sunt ii qui ab omnibus animatis abstinendum putant, quod quidem faciebant religione quadam, alii quòd id melius existimarent. Religione id factum multis docet nos Ælius Spartianus de Imperatore Juliano loquens, *Sæpe autem nulla exsistente religione, oleribus leguminibusque contentus sine carne cœnaverit*. Ideo cum *asperum rectè vivendi præceptorem* vocat Sextus Aurelius Victor. Eorum qui id melius existimarent exemplum sit Sextius Philosophus, cujus meminit Seneca Epistola 108. ejusque exemplum se quoque aliquando secutum ait animalibus abstinuisse. Dicebat ergo is Sextius referente Origene, ἐμψύχων χρῆσις μὲν ἀδιάφορον, ἀποχὴ δὲ λογικώτερον [*Animalium usus quidem indifferens, abstinentia verò rationi magis conveniens est*]. Qua de re exstat eruditus Porphyrii libellus. Atque ita sensisse physicis de causis Xenocratem & Polemonem notat Clemens Stromateon 7. Addit Philo in loco quem servavit Eusebius in fine Octavi præparationis, Διὸ καὶ μέχρι νῦν οἷς λόγος ἐγκρατείας ἀπεξεχάντων ἀπέχονται, (ζώων nempe) λαχανώδει χλόῃ καὶ καρποῖς δένδρων προσοψήμασιν ἡδίστῃ ἀπολαύσει χρώμενοι [*Itaque cum ii quibus temperantia cordi est, iis omnibus (animalibus nempe) etiamnum sibi abstinendum statuunt, oleribus, arborumque pomis, obsoniorum loco vitam suavissime tolerantes*]. ubi clarè explicatur quod hic dicitur λάχανα ἐσθίειν [*olus manducare*]. Abstinentiam ab animatis Danieli & sodalibus ejus tribuit Josephus Antiquæ historiæ 12. Essenis idem tribuit Philo libro de vita contemplativa. Vetus id fuisse apud plurimas gentes, maximè apud Ægyptiorum Sacerdotes & Cretensium & Eleusine, apud quosdam etiam Persarum Magos, ostendit Hieronymus 2 contra Jovinianum. Apud Indos etiam multi id observant, & vetus id esse Indis notavit Abenesdra ad Genes. 46. 32. Imitati sunt id in Christianis multi, alii quod id melius putarent, alii scrupulosa opinione. Clemens pædag. 2. Ματθαῖος μὲν οὖν ὁ Ἀπόστολος σπερμάτων καὶ ἀκροδρύων καὶ λαχάνων ἄνευ κρεῶν μετελάμβανεν [*Matthæus itaque Apostolus seminibus, baccis & oleribus absque carnibus utebatur*]. Augustinus lib. 20. cap. 20. ad Faustum, Jacobum ait fratrem Domini seminibus usum, non carne nec vino. Canon Apostolicus distinguit inter eos qui per exercitationem abstinebant, & eos qui exsecrabantur res à Deo conditas. Sic enim habet Canon 50. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ γάμου καὶ κρεῶν καὶ οἴνου οὐ δι' ἄσκησιν ἀλλὰ διὰ βδελυρίαν ἀπέχηται, ἐπιλαθόμενος ὅτι πάντα καλὰ λίαν, καὶ ὅτι ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ βλασφημῶν διαβάλλει τὴν δημιουργίαν, ἢ διορθούσθω ἢ καθαιρείσθω καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλέσθω· ὡσαύτως καὶ λαϊκὸς [*Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut quivis omnino de sacerdotali consortio, nuptiis & carnibus & vino abstinuerit, non propterea quò mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem, oblitus quòd omnia pulchra valde, & quòd masculum & feminam Deus creavit hominem, sed de creatione indignè sentit eamque calumniatur: aut corrigitor, aut deponitor, & ex Ecclesia rejicitor: consimiliter & Laicus*]. Ideo Tatianum & alios ab Ecclesia rejectos discimus, quòd tanquam dogma necessarium introducerent ut nuptiarum ita ἐμψύχων ἀποχὴν [*abstinentiam ab animatis*]. Meminit Irenæus 1. 30. & 31. Duo ista genera abstinentium bene & Origenes distinguit contra Celsum 4. Ὅρα καὶ τὴν διαφορὰν τῆς αἰτίας τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς τῶν ἀπὸ τοῦ Πυθαγόρου καὶ τῶν ἐν ἡμῖν ἀσκητῶν. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ διὰ τὸν περὶ ψυχῆς μετενσωματουμένης μῦθον ἐμψύχων ἀπέχονται,

— καί τις φίλον υἱὸν ἀείρας
Σφάξει ἐπευχόμενος μέγα νήπιος.

ἡμεῖς δὲ κἂν τὸ τοιοῦτο πράττωμεν, ποιοῦμεν αὐτὸ, ἐπεὶ ὑπωπιάζομεν τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγοῦμεν, καὶ βουλόμεθα νεκροῦν τὰ μέλη τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, ἀσέλγειαν, πάθος, ἐπιθυμίαν κακὴν, καὶ πάντα γε πράττομεν, ἵνα τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατώσωμεν (*Hic considerandum discrimen quid Pythagoricos, quid nostros in virtutum stadio se exercentes ad abstinentiam ab animatis moveat: illi abstinent propter fabulam de migratione animæ in varia corpora,*

— *Atque aliquis sua pignora chara*
Mactabit faciens stultissima vota.

Nos autem quanquam idem facimus, eo facimus quò corpus nostrum contundamus & servum faciamus; membra denique hæc terrena, scortationem, impuritatem, lasciviam, affectus, cupiditates pravas occidere conamur omniaque tentamus, quò actiones corporis extinguamus]. Et Zonaras ad dictum canonem Apostolicum licitè abstinere aliquos ait δι' ἐγκράτειαν, οὐ βδελυττομένους [*per temperantiam, non abominantes*]. Quicum convenit Ancyranus Canon 14. Τοὺς ἐν κλήρῳ πρεσβυτέρους ἢ διακόνους ὄντας, καὶ ἀπεχομένους κρεῶν, ἔδοξεν ἐφάπτεσθαι, καὶ οὕτως, εἰ βούλοιντο κρατεῖν ἑαυτῶν· εἰ δὲ βδελύττοιντο, ὡς μηδὲ τὰ κατὰ κρεῶν βαλλόμενα λάχανα ἐσθίειν, καὶ μὴ ὑπείκοιεν τῷ κανόνι, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς τάξεως [*Presbyteros, diaconosve, qui in clero sunt & carne abstinent, placuit, eam degustare, atque ita deinde, si velint, abstinere: sin usque eò aversentur, ut nec ea olera quæ cum carne cocta sunt, vesci velint, nec Canoni cedant, placuit eos*

eos ordine moveri]. Tertullianus 2 de Cultu feminarum, *Numquid non aliqui ipsam Dei creaturam sibi interdicunt, abstinentes vino & animalibus esculentis, quorum fructus nulli periculo aut sollicitudini adjacent, sed humilitatem animæ suæ in victûs quoque castigatione Deo immolant?* Prudentius hymno καθημερινῶν [*quotidianorum*] tertio,

> *Absit enim procul illa fames,*
> *Cædibus ut pecudum libeat*
> *Sanguineas lacerare dapes.*
> *Sint fera gentibus indomitis*
> *Prandia de nece quadrupedum:*
> *Nos oleris coma, nos siliqua*
> *Fota legumine multimodo*
> *Paverit innocuis epulis.*

Eusebius hist. 4. 3. Ἀλκιβιάδου γάρ τινος ἐξ αὐτῶν (ex Christianis) πάνυ αὐχμηρῶς βιοῦντος, καὶ μηδενὸς ὅλως τὸ πρότερον μεταλαμβάνοντος, ἀλλ' ἢ ἄρτῳ μόνῳ καὶ ὕδατι χρωμένου, πειρωμένου τε καὶ ἐν εἱρκτῇ οὕτω διάγειν; Ἀττάλῳ μετὰ τὸν πρῶτον ἀγῶνα ὃν ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ ἤνυσεν, ἀπεκαλύφθη, ὅτι μὴ καλῶς ποιοίη ὁ Ἀλκιβιάδης, μὴ χρώμενος τοῖς κτίσμασι τοῦ Θεοῦ καὶ ἄλλοις τύπον σκανδάλου ὑπολειπόμενος· πεισθεὶς δὲ Ἀλκιβιάδης πάντων ἀνέδην μετελάμβανε καὶ ηὐχαρίστει τῷ Θεῷ [*Cùm enim quidam ex eis (ex Christianis) Alcibiades nomine squallidè admodum viveret, neque initio ullâ aliâ re præterquam aquâ & pane vesceretur, itaque & in carcere agere conaretur. Attalo, post primam suam in Amphitheatro pugnam, revelatum est, non rectè facere Alcibiadem, qui nec rebus à Deo creatis uteretur, & aliis suo exemplo scandalo esset. Persuasus porrò Alcibiades, ac promiscuè deinde omnibus usus, Deo grates agebat*]. Habes eandem historiam in Martyrologio Adonis ad IV. Nonas Junii, ubi hæc verba, *nihil cibi volens accipere, sed tantùm sale & pane cum aqua utebatur.* Laudat Chrysostomus in 2 ad Cor. 9. τὸν ὀσπρίοις δυναμένων ἀρκεῖσθαι [*eum qui leguminibus potest esse contentus*]. Fuit ipsius temporibus Olympias Diaconissa Ecclesiæ Constantinopolitanæ quæ ab omnibus animatis abstinebat teste Palladio. Et in Actione 2. Synodi octavæ fit mentio eorum qui carnibus nullis vescebantur. Poterant ergo tolerari inter Christianos, non modò qui exercitamenti causâ, verùm etiam qui ex opinione aut veteri more animatis abstinebant, dum ne eo procederent confidentiæ, ut alios aliter viventes abominarentur.

3. Ὁ ἐσθίων, *Is qui manducat*] Nempe carnes ex animalibus. ¶ Τὸν μὴ ἐσθίοντα, *non manducantem*] Abstinentem ab animatis, & ob id oleribus contentum. ¶ Μὴ ἐξουθενείτω, *non spernat*] Tanquam rudem atque imperitum. De verbo ἐξουθενεῖν [*spernere*] vide quæ diximus ad Marcum 8. 31. & 9. 12. ¶ Καὶ ὁ μὴ ἐσθίων, *& qui non manducat*] Pythagoræ sectator aliquis. ¶ Τὸν ἐσθίοντα, *manducantem*] Promiscuo victu utentem. ¶ Μὴ κρινέτω. *non judicet*] *Ne damnet*, id est, pro deplorato habeat. ¶ Ὁ γὰρ Θεὸς αὐτὸν προσελάβετο, *Deus enim illum assumpsit*] Deus Gentes vocavit sine ulla ciborum lege.

4. Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; *Tu quis es qui judicas alienum servum?*] Nempe ubi Domini legem habes nullam, quis tu es, aut Judæe aut Pythagorista, qui id juris tibi vindicare audeas; Τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει. *Domino suo stat aut cadit*] Id est, domini judicio aut pro se aut contra se sententiam feret. *Stare* dicitur qui in causâ victor est, ut Psalm. 1. 4. *Cadere causâ* dicuntur & Latinis qui judicium contra se referunt. ¶ Σταθήσεται δέ. *stabit autem*] Est bene ominantis. ¶ Δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς στῆσαι αὐτόν. *potens est enim Deus statuere illum*] Δυνατὸς [*Potens*] hic sumitur ut supra 11. 23. Scrupulosa ista opinio Deum non impediet quominus eum sententiâ suâ servet, si cætera Christianè vixerit. In Manuscripto est, δυνατεῖ γὰρ [*potest enim*], ut 2 Cor. 13. 3.

5. Ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν, *Nam alius judicat diem inter diem*] Cùm de cibis egisset, venit ad alterum genus ritualium, circa dies festos & non festos ex Lege. Κρίνει, *æstimat*, ut 1 Cor. 2. 2. Sic κρίνω πολεμίους, *pro hostibus habeo*, apud Demosthenem. ἡμέραν παρ' ἡμέραν, *diem præ die*, quomodo παρὰ sumitur à Græcis Interpretibus Psalm. 45. 8. Sic & supra habuimus 1. 25. Præfert Sabbata, Pascha, Pentecosten, σκηνοπηγίαν [*festum tabernaculorum*], Interlunia diebus aliis. Sic solebant Hebræi dicere de nocte Paschali, *Quantum præstat hæc nox aliis noctibus!* ¶ Ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν. *alius autem judicat omnem diem*] Id est, quemvis diem pariter sanctum habet, serviens Deo *ab interlunio ad interlunium, à sabbato ad sabbatum*, secundum vaticinium Esaiæ 66. 23. ¶ Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. *unusquisque in suo sensu abundet*] Manuscriptus, Ἕκαστος τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω [*Unusquisque suo sensu abundet*]. Hebræi dicunt [illegible] [*Quisque impleat cor suum*], id est, *fruatur quisque suâ sententiâ.* Sic Ecclesiastæ 8. 11. ἐπληροφορήθη καρδία υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου ἐν αὐτοῖς τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρόν [*repletum est cor filiorum hominis in iis, ut faciant malum*], *in malis perpetrandis sibi placuit.* Ponitur enim πληροφορεῖσθαι etiam pro πληροῦσθαι [*impleri*]. Sic πληροφορημένος ἀγάπης [*charitate repletus*] in Clementis epistola. Sensus hic idem qui in isto Sophocleo,

> Ὅτῳ δὲ μὴ τάδ' ἐστὶν ἐν γνώμῃ φίλα,
> Κεῖνος τ' ἐκεῖνα στεργέτω, κἀγὼ τάδε
> *Si cujus animo non placent sensus mei,*
> *Meos mihi relinquat, ipse adamet suos*]

Et Eveni,

> Καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ λόγος οὗτος ὁ παλαιός,
> Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε
> *His ego consuetum vetus hoc debere reponi,*
> *Illa tibi placeant, dum magis ista mihi*].

6. Ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν, Κυρίῳ φρονεῖ. *Qui sapit diem; Domino sapit*] Φρονεῖν cum accusativo significat in his scriptis *operam alicui rei dare*, ut vidimus supra 8. 5. & 12. 16 Κυρίῳ [*Domino*], id est, *in honorem Dei.* Observat dies festos pio animo, quod hoc in Judæis Deo placere existimet. ¶ Καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, Κυρίῳ οὐ φρονεῖ. *& qui non sapit diem, Domino non sapit*] Et ille qui dies omnes pariter Deo dedicat, nihil aliud in hoc quàm Dei honorem respicit. ¶ Καὶ ὁ ἐσθίων, *& qui manducat*] Quasvis carnes scilicet. ¶ Κυρίῳ ἐσθίει *Domino manducat*] Hunc quoque vescendi actum Deo consecrat. ¶ Εὐχαριστεῖ γὰρ τῷ Θεῷ. *gratias enim agit Deo*] Deo pro datis gratias agit, ut mos erat Judæorum & Christianorum. De hoc more diximus Matt. 14. 19. & 15. 36. & 26. 26. ¶ Καὶ ὁ μὴ ἐσθίων, Κυρίῳ οὐκ ἐσθίει, *& qui non manducat, Domino non manducat*] Abstinet quòd id tutius existimet, & eo ostendit se Dei reverentem esse. ¶ Καὶ εὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ. *& gratias agit Deo*] Pro ipsa illa qua utitur temperantia.

7. Οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν, *Nemo enim nostrum*] *Nostrûm* qui Christiani sumus, Ἑαυτῷ ζῇ, καὶ οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει. Ἐάν τε γὰρ ζῶμεν, τῷ Κυρίῳ ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τῷ Κυρίῳ ἀποθνήσκομεν. *Sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur*] Id est, Christo qui nos suos fecit, & vitam & vitæ omnia, & ipsam mortem consecrare debemus, & parati sumus. Nonne hoc tantum est ut propter hæc levicula dissimulari debeant?

8. Ἐάν τε οὖν ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τοῦ Κυρίου ἐσμέν. *Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus*] Vide Ephes. 1. 21. Servorum nihil est proprium. Omnia sunt Domini. Nos servi Christi sumus, empti summo pretio, ipsius sanguine. Hoc est quod sequitur.

9. Εἰς τοῦτο γὰρ Χριστὸς καὶ ἀπέθανε καὶ ἀνέστη καὶ ἀνέζησεν, ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ. *In hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit & revixit, ut & mortuorum & vivorum dominetur*] Debetur ei hoc dominium ex Patris decreto, qui ideo eum mori sivit ut suscitaret, suscitavit ut vitam ei cœlestem daret, conjunctam cum regia potestate in Ecclesiam, & pro Ecclesia. in Manuscripto tantum est ἀπέθανε καὶ ἔζησε [*mortuus est & vixit*] Et sic videtur legisse Latinus & Theophylactus.

10. Σὺ δὲ τί κρίνεις τὸν ἀδελφόν σου; *Tu autem quid judicas fratrem tuum?*] Tu Christiane, Legis ritus observans, cur pro impio habeas alterum non minùs quam tu præcepta Christi implentem? ¶ Ἢ καὶ σὺ τί ἐξουθενεῖς τὸν ἀδελφόν σου; *aut tu quid spernis fratrem*] Tu, Christiane liberum te à ritibus credens, cur alterum Christianè viventem aspernaris tanquam imperitum, quod jus illud à Christo datum nondum satis intelligat? De verbo ἐξουθενεῖν [*spernere*] vide supra. ¶ Πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ. *omnes enim stabimus ante tribunal Christi*] Quid occupas illius officium? Illius est de occultis judicare. Solus novit quantum cognitionis quisque acceperit, quantum ab eo pro talenti sui modo exigi debeat. Tribunal Christo ut judici attribuitur, & 2 Cor. 5. 10. & stare solent quorum causa tractatur. Solent autem res Divinæ ad humanarum modum explicari.

11. Γέγραπται γάρ, *Scriptum est enim*] Esaiæ 45. 23. ¶ Ζῶ ἐγώ, λέγει Κύριος *Vivo ego, dicit Dominus*] in Hebræo & Græco Esaiæ, κατ' ἐμαυτοῦ ὀμνύω [*Per me ipsum juro*]. Hoc autem Dei juramentum aliis locis exprimi solet per verba, *Vivo ego*, ut Esai 49. 18. Ezech. 17. 16, 19. & 18. 3. & 20. 3. Soph. 2. 9. Deus loquitur ad Esaiam: sed & honor qui Christo habetur, ad Patrem ut auctorem redit. ¶ Ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, *quoniam mihi flectet omne genu*] Sic & LXX dicto Esaiæ loco, & intelligitur κάμψει ἑαυτό, *se flectet*, quomodo sumitur Hebræum [illegible] ¶ Ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, *cælestium & terrestrium & infernorum*] Hæc huc non pertinent, neque habentur in libris melioribus, neque Syrus id legit, neque Arabs, neque Origenes, neque Chry-

sostomus,

ſoſtomus, neque Oecumenius. Irrepſit huc in quibusdam libris ex loco Philip. 2. 10. ¶ *Καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ. & omnis lingua confitebitur Deo*] In Hebræo & Græco: *ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν Θεόν* [*jurabit omnis lingua Deum*]. ſed ſenſus rectè expreſſus eſt. Nam ut ad Eſaiæ locum diximus, cultus omnis Dei per ſpeciem unam, id eſt, per juramentum exprimi ſolet, ut Eſaiæ 19. 18. Rectè igitur Paulus figuram illam evolvens, pro ſpecie genus reddidit.

12. *Ἄρα οὖν ἕκαστος ἡμῶν περὶ ἑαυτοῦ λόγον δώσει τῷ Θεῷ. Itaque unusquisque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo*] An reſponderit menſuræ cognitionis quam accepit. *Δώσει* [*dabit*] pro *ἀποδώσει* [*reddet*], quomodo Luc. 16. 2. *ἀπόδος τὸν λόγον* [*redde rationem*], & Hebr. 13. 17. *ὡς λόγον ἀποδώσοντες* [*tanquam rationem reddituri*], & 1 Petri 4. 5. *ἀποδώσουσι λόγον* [*reddent rationem*]. Sic & Dan 6. 2.

13. *Μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν· Non ergo amplius invicem judicemus*] Periculoſum enim id in rebus dubiis, quia quale de alio judicium tuleris, tale de te feretur, Matth. 7. 2, ubi dicta vide. ¶ *Ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον, ſed hoc judicate magis*] Supple *faciendum*. Similis locutio 1 Cor. 7. 37. Eſt autem *ἀντανάκλασις* [*Refractio*] *κρίνωμεν* [*judicemus*] & *κρίνατε* [*judicate*] ſenſu diverſo. ¶ *Τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον. ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum*] Id eſt, *ne occaſionem temerè detis alicui*] aut non accedendi ad Chriſtianiſmum, aut ab eo recedendi: illud *προσκόμματος* [*offendiculi*], hoc *σκανδάλου* [*ſcandali*] voce quæ gravior eſt, ſignificatur. Vide Matth. 4. 6. 1 Cor. 8 9. Matth. 5. 29. & 13. 41. & 18. 7. infra v. 20, 21. Hoc autem faciebant, & Judæi qui Gentibus inſuetis imponere volebant Legis jugum, & è gentibus Chriſtiani qui Judæos hac in re hæſitantes ab Eccleſia repellebant. Occaſiones omnes alienorum lapſuum vitare non poſſumus, ſed vitandæ ſunt eæ ad quas neceſſitate nulla aut utilitate impellimur.

14. *Οἶδα καὶ πέπεισμαι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, Scio & confido in Chriſto Jeſu*] Id eſt, *per Chriſtum*, qui mihi hoc apertius quàm aliis revelavit. Vide ſupra v. 7. ¶ *Ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι᾽ ἑαυτοῦ. quia nihil commune per ſe*] *Per ſe*, id eſt, naturâ. *κοινὸν* חול [*impurum*]. Vide quæ dicta Matth. 15. 11. & Actor. 10. 14. etiam ſerpentibus gentes quædam veſcuntur. Supponit autem nullam eſſe de ea re Gentibus Legem datam, & ab Judæis ablatam jam ante oſtenderat. ¶ *Εἰ μὴ τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινόν. ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt*] Quia nihil licitum ei qui illicitum aliquid credit, dum id credit. Diximus de hoc axiomate libro 2. de Jure Belli ac Pacis 23. 2. *λογιζομένῳ exiſtimanti*, ut ſupra 2. 3. & 3. 28. & 4. 11. & 8. 18.

15. *Εἰ δὲ διὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται, Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur*] id eſt, Si libertatem tuam ita defendis ut ipſi imperitiam exprobres. *τὸ βρῶμα* מאכל [*cibus*] in Lege & Thalmudicis. ¶ *Οὐκ ἔτι κατὰ ἀγάπην περιπατεῖς, Jam non ſecundum charitatem ambulas*] Dilectio unde totus hic ſermo fluit non modò vult tolerari eos qui nondum omnia pervident, ſed etiam illorum bono libertatem noſtram circumcidi. Eſt argumentum à majori ad minus. Fundamentum autem in loco Oſeæ 6. 6. ¶ *Μὴ τῷ βρώματί σου ἐκεῖνον ἀπόλλυε ὑπὲρ οὗ Χριστὸς ἀπέθανε. noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt*] Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus eſt, in quibus & illi qui peribunt, Joh. 3. 16. 2 Tim. 2. 4, 5, 6. 1 Petr. 2. 1. & 3. 9. Hebr. 10. 22. Planè idem quod hic dicitur 1 Cor. 8. 11. Qui iſtam libertatem non intelligit & ob id duriùs tractari ſe videt, facile eò perduci poteſt ut de Euangelio dubitet primùm, deinde & ſequiùs exiſtimet. Quare leniter tractanda, & ſi fieri poteſt, edocenda, non obtundenda ſunt ingenia ejuſmodi. *μὴ ἀπόλλυε*, לא תאבד [*ne perdas*].

16. *Μὴ βλασφημείσθω οὖν ὑμῶν τὸ ἀγαθόν. non ergo blaſphemetur bonum veſtrum*] Syrus & Latinus legerunt *ἡμῶν* [*noſtrum*], bene: & *τὸ ἀγαθόν.* [*bonum*] ſuccinctè pro *τὸ ἀγαθὸν ἔργον* [*bonum opus*]. Idem loquendi genus in epiſtola ad Philippenſes. Bonum eſt libertas Chriſtiana, ſed ſi inde ſchiſmata oriantur, malè audit apud extraneos

17. *Οὐ γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις, Non eſt enim regnum Dei eſca & potus*] Eſt *μετωνυμία* [*Transnominatio*]. *Non bibendo neque edendo paratur jus ad regnum cæleſte*, 1 Corinth. 8. 8. Aliis actibus opus. Simile loquendi genus habuimus ſupra 8. 6. ¶ *Ἀλλὰ δικαιοσύνη, ſed juſtitia*] *Innocentia*. Reſpiciuntur loca Eſaiæ 54. & 62. ¶ *Καὶ εἰρήνη, & pax*] Id eſt, *pacis ſtudium*. ¶ *Καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ & gaudium in Spiritu Sancto*] *Cura exhilarandi alios per dona Spiritus Sancti*, non autem eos irritandi, quod modò dixit *λυπεῖν* [*contriſtare*]. Vide ſupra 1. 12.

18. *Ὁ γὰρ ἐν τούτοις δουλεύων τῷ Χριστῷ. Qui enim in hoc ſervit Chriſto*] *Per tales actus.* ¶ *Εὐάρεστος τῷ Θεῷ, καὶ δόκιμος τοῖς ἀνθρώποις. placet Deo, & probatus eſt hominibus*] *Is & Dei favorem ſibi polliceri poterit, & laudem ab hominibus piis.* Vocem *εὐάρεστα* [*placentes*] habuimus ſupra 12. 1, 2. *εὐάρεστος τῷ Θεῷ* [*placens Deo*], eſt טוב לפני אלהים [*bonus coram Deo*]. *δόκιμος* eſt *qui probatur*, ut infra 16. 10. 1 Cor. 11. 19. 2 Cor. 10. 18. & 13. 7. 2 Tim. 2. 15. Jac. 1. 12. Propriè de *auro*, aut *pecunia* dicitur, ut videre eſt Gen. 23. 16. 1 Reg. 10. 18. Zach. 11. 13. 1 Paral. 18. 18. & 29. 4. 2 Paralip. 9. 17.

19. *Ἄρα οὖν τὰ τῆς εἰρήνης διώκωμεν, Itaque quæ pacis ſunt ſectemur*] Ut ſupra v. 17. ¶ *Καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους. & quæ ædificationis ſunt invicem*] Fideles ſunt *templum* Dei, 1 Cor. 3. 16, 17. & 6 19. 2 Cor. 6. 16. Id templum ædificatur bonis documentis & exemplis Et huc myſticè referenda quæ apud Moſem ſunt de Tabernaculo, & in hiſtoria Regum de Templo.

20. *Μὴ ἕνεκεν τοῦ βρώματος κατάλυε τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei*] Perſiſtit in cœpta Templi figura. Vide Matth. 26. 61. quod hîc *καταλύειν* [*deſtruere*], id *φθείρειν* [*corrumpere*] 1 Cor. 3. 17. שחת Hebraïcè. Id fit acerbis altercationibus, per quas veritas ſæpe, charitas certò amittitur. ¶ *Πάντα μὲν καθαρά. omnia quidem ſunt munda*] Nempe *βρώματα* [*alimenta*], tum ſuapte natura, tum Chriſti permiſſu. Idem dictum Tit. 1. 15. ¶ *Ἀλλὰ κακὸν τῷ ἀνθρώπῳ τῷ διὰ προσκόμματος ἐσθίοντι, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat*] *Διὰ* ita hic valet *μετὰ* [*cum*], ut ſupra 2. 27. & 4. 11. 2 Cor. 3. 11. *κακὸν* [*malum*] ſubaudi *τὸ βρῶμα* [*alimentum*]: res pro actione. Mala eſt ejus actio qui per eam temere occaſionem præbet alteri recedendi ab Euangelio, dum ſe contumelioſè tractari videt.

21. *Καλὸν τὸ μὴ φαγεῖν κρέα, μηδὲ πιεῖν οἶνον, Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum*] *Melius eſt*: poſitivum pro comparativo, ut Matth. 18. 8, 9. Idem ſenſus 1 Cor. 8. 13. Quidvis potius nobis ſuſtinendum eſt, quàm ut facto noſtro non neceſſario fratrem in ruinam impellamus. ¶ *Μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει, neque in quo frater tuus offenditur*] Supple, *facere*. Et *ἐν ᾧ* [*in quo*], valet *per quod*, more Hebræo. ¶ *Ἢ σκανδαλίζεται ἢ ἀσθενεῖ. aut ſcandalizatur aut infirmatur*] Hæc abſunt in Manuſcripto: neque legit Syrus.

22. *Σὺ πίστιν ἔχεις. Tu fidem habes*] *Πίστις* [*Fides*] hic eſt perſuaſio ea per quam quis credit licitum eſſe id quod facit, *aſſenſus conſcientiæ*, אמנה magiſtris Hebræis. Cum interrogandi nota hæc legerunt Chryſoſtomus & Oecumenius: rectè. ¶ *Κατὰ σεαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. penes temetipſum habe coram Deo*] Id eſt, tunc utere cùm alium non habes teſtem quem oſtendas. ¶ *Μακάριος ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν ἐν ᾧ δοκιμάζει. Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat*] *Felix qui ſemet non damnat* (*κρίνειν* [*judicare*] enim pro *κατακρίνειν* [*damnare*] perfrequens) *in ea re quam præfert*, id eſt, quam agendam ſuſcipit. Idem ſic eloquitur Johannes 1 Epiſt. 3. 21. *Ἐὰν ἡ καρδία ἡμῶν μὴ καταγινώσκῃ ἡμῶν, παῤῥησίαν ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν* [*Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*].

23. *Ὁ δὲ διακρινόμενος, Qui autem diſcernit*] *Qui dubitat, qui hæſitat.* Vide dictum locum de Jure Belli ac Pacis. *Διακρίνειν* eſt *dubitare*, ut Matth. 21. 21. & ſupra 4. 20. Quibus locis dicta vide. ¶ *Ἐὰν φάγῃ, κατακέκριται. ſi manducaverit, damnatus eſt*] A ſemetipſo ſcilicet. ¶ *Ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως. quia non ex fide*] *Non cum firma perſuaſione licitum eſſe quod facit.* Optimum enim illud, *Quod dubitas, ne feceris*, apud Ciceronem, tritum & Hebræorum proverbio. ¶ *Πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*] *Peccatum eſt quidquid fit conſcientiâ non adſtipulante.* Hoc monitum Judæos qui Chriſtiani facti erant ſpectat, ne aliorum exemplo id facerent quod ipſi aut licitum non putabant, aut certè valde de eo dubitabant. Poſt hæc verba in Manuſcripto illo quo ſæpe utimur, non minùs quàm in aliis Manuſcriptis vetuſtiſſimis, ſequuntur commata tria quæ fine epiſtolæ habemus. Et hoc loco illa legiſſe apparet Chryſoſtomum, Oecumenium, Theophylactum. Videtur Paulus primùm hic finire, voluiſſe epiſtolam, ſed poſtea aliquanto plus, quam ſperaverat, nactus temporis, alia quædam adjeciſſe. Marcionis exemplaria hic epiſtolam finiebant, teſte Hieronymo.

CAP. XV.

VALLA.

1. **D**Ebemus autem nos firmiores infirmitates infirmorum sustinere*] Ego dixissem, *Debemus autem nos validi imbecillitates invalidorum ferre*, seu *portare*, οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν.

4. *Quacunque enim scripta sunt, ad doctrinam nostram scripta sunt*] Græcè in utroque est *præscripta* sive *ante scripta sunt*, προεγράφη. ¶ *Ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habemus.* 5. *Deus autem patientia & solatii det vobis id ipsum sapere alterutrum*] Quid attinebat mutare vocabulum, ut cùm dixerit *consolationem*, παρακλήσεως, mox diceret *solatii*, παρακλήσεως, cùm non mutaverit vocabulum *patientia*, ὑπομονῆς, quod frequentiùs solet transferi *exspectatio*: venit enim à verbo *maneo*, quod est *exspecto*. *Idipsum* cur dicat potiùs quam *idem* nou intelligo, ídque tam crebró. Græci pro nostro *idem* habent *idipsum*, seu potiùs nos habemus *idem* pro Græco *idipsum* τὸ αὐτό. *In alterutrum* quoque bis dicitur non Latinè, semel propter præpositionem, iterum propter significationem: *invicem* namque seu *mutuò* dicendum erat, non *alterutrum*, quod significat *alterum utrum velis*, ἐν ἀλλήλοις.

8. *Dico enim vobis, Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem, ad confirmandas promissiones patrum*; 9. *Gentes autem super misericordia honorare Deum*] Cur non sicut *propter veritatem*, ὑπὲρ ἀληθείας, ità *propter misericordiam* dixit, ὑπὲρ ἐλέους; ¶ *Et nomini tuo cantabo*] Cur non dixit *psallam?* ψαλῶ quod verbum jam factum est planè Latinum: ut apud Sallustium, *Psallere & cantare doctius quàm proba mulieri satis est*. In principio Psalterii transfertur hic idem locus sic, *Et nomini tuo Psalmum dicam*, ψαλῶ Psa. 18. 49.

14. *Certus sum autem, fratres mei*] Quod hîc ait *certus sum*, πέπεισμαι, superiùs dixit *confido* c. 14. 14. ubi ait, *Scio & confido in Domino Jesu*, πέπεισμαι quod propriè, ut dixi, dicitur *persuasus sum*, sive *persuasum habeo*, sive *pro certo habeo*.

17. *Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum*] Græcè potiùs est *gloriationem*, καύχησιν quod alius fortè transferret, *Habeo unde glorier*: nam *habeo gloriationem* non dicitur. Neque est *ad Deum*, sed *in his qua ad Deum sunt* quod fortè idem ille alius transferret *in his qua ad Deum pertinent*, vel *quatenus ad Deum pertinet*, τὰ πρὸς τὸν Θεόν.

20. *Sic autem prædicavi hoc Evangelium; non ubi nominatus est Christus*] Gr. *Sic tamen cupiens* (sive *ambiens*, sive *elaborans*) *Evangelizare*, vel *Evangelium prædicare*, οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι.

24. *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos*] Gr. *Ut si proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos: spero enim fore ut transiens videam vos*, Ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς· ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς. ¶ *Si tamen vobis primùm ex parte fruitus fuero*] Non est Græcè *fruitus*, sed *impletus fuero*, ἐμπλησθῶ.

29. *In abundantia benedictionis*] Gr. *in plenitudine benedictionis*, ἐν πληρώματι εὐλογίας. Quia Græcè dicitur *benedictio Eulogia*, quidam usurpant hoc nomen pro *oblationibus qua in Ecclesia fiunt*. Gratianus ut doctus in Jure Civili, quia ibi legit *Elogia*, quod malè à multis legitur per diphthongum *Eulogia*, putat oblationes neutro gen. appellanda *Eulogia*: putat, inquam, quia sic usurpat ignarus Græcæ veritatis.

31. *Et ut obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem*] Gr. *Et ut ministerium meum acceptum fiat in Hierusalem*. Interpres voluit pluribus verbis quod esset illud ministerium explicare; quòd videlicet erat portaturus Hierusalem *collationem*, quæ Græcè dicitur *communionem*, κοινωνίαν, quam *Macedonia & Achaia facere placuerat*, v. 26. Utque hoc verbum placuit, quod nunc est Græcè εὐδόκησαν, variavit Latinè dicendo etiam *probaverunt*, sic verbum sive vocabulum hoc: nam nunc Græcè nomen est, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, superiùs ab alio vocabulo, quod magis proprium erat, transtulit, inquiens, *Nunc igitur proficiscar Hierusalem ministrare sanctis*, διακονῶν, v. 25. Illud omitto, quòd Græcè non legitur *igitur* sed *autem*, nec *proficiscar* sed *proficiscor*, νυνὶ δὲ πορεύομαι. Omitto quoque illud, quòd non legitur Græcè *Gentilis* sed *Gentes* in illo v. 27. *Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles*, τὰ ἔθνη. Hoc *participes* respondet ad illud superius *communionem*: nam Græcè dicitur *communicaverunt Gentes*, ἐκοινώνησαν. Quin etiam illud non omittendum est, h. e. significandum, minuta non omnia me persequi.

32. *Refrigerer vobiscum*] Quod Græcè est *requiescam* (sive *refocillet*) *vobiscum*; imò in futuro *refocillabor* sive *requiescam*, συναναπαύσωμαι.

REVIUS in VALLAM.

1. **V**Alidi imbecillitates invalidorum*] *Sic enim redditur schema ἐναντιώσεως & προσονομασίας quod est in Græcis vocibus: quod idem licuisset si vertisset* FIRMI INFIRMIORUM, Erasmus. Hoc tamen neglexit Beza, & maluit colorem hunc exprimere in duabus primis vocibus *firmi infirmitates*; cùm ibi in Græco is non compareat, οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα.

5. *Idipsum cur dicat*] *Laurentius*, inquit Erasmus, *hic Interpreti impingit geminum solæcismum, quem quidem sic excusat, Ad eum modum locuti sunt Ambrosius & Augustinus*, &c. Ego nihil tale apud Vallam reperio: itaque mendum est in Erasmo: legendum enim est *quidam*, non *quidem*. ¶ Ὑπομονῆς] Transpositum erat: ut &

9. Ψαλῶ] Pars autem illa hujus versûs quæ incipit, *Et nomini tuo cantabo*, cum annotatis, rejecta erat ad calcem versûs 14.

24. *Ut si proficiscar*: ὡς ἐὰν] Difficultatem tollit Beza.

31. *Quæ Græcè dicitur* communionem] Puto, *quam Græcè dici* communionem.

ERASMUS.

1. **N**OS firmiores*] Ἡμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν, i. *nos qui potentes sumus, infirmitates impotentium portare*. Laurentius mavult *validi invalidorum*. Sic enim redditur schema ἐναντιώσεως & προσονομασίας quod est in Græcis vocibus: quod idem licuisset si vertisset *firmi infirmorum*, aut *validorum*. Nam hîc pro *infirmorum* Ambrosius legit *invalidorum*.

2. *Unusquisque vestrûm*] Variant hîc Græci Latinique. Quidam habent ἕκαστος γὰρ ἡμῶν, *unusquisque enim nostrûm*. Quidam conjunctionem γὰρ non addunt. Tolerabilius quod quidam loco γὰρ habent δέ. Ex nostris quidam habent *vestrûm* pro *nostrûm* cùm Græcis sit ἡμῶν primæ personæ. Nec additur apud illos *suo*: tantùm est τῷ πλησίον ἀρεσκέτω *proximo placeat*, Ambrosius sine pronomine legit, *Et unusquisque proximo placeat*. *Placeat* autem hic positum est pro *obsecundet* ac *morem gerat*. Neque enim Paulus placuit omnibus, & tamen dicit, *Sicut ego per omnia omnibus placeo*, sed in omnibus se Paulus accommodabat omnibus, ut omnes lucrifaceret; quemadmodum mox.

3. *Christus non placuit sibi*] Quid erat in Christo cur ipse sibi displiceret? Sed hoc loco *placet sibi*] qui suo servit commodo, & quod agit ad suum trahit compendium: quod genus homines Græcis φίλαυτοι dicuntur, non tantùm ob arrogantiam, verùm etiam ob privati commodi studium. A quo vitio Christus longissimè abfuit, qui totum sese nobis impendit. Subnotavit & Origenes hic damnari vitium φιλαυτίας. ¶ *Sed sicut scriptum est Improperia*, &c.] Et hic sermo parùm est absolutus, sed contraria pars subaudienda est, *Christus non sibi placuit, sed sibi displicuit*, h. e. non inservivit suis commodis, sed suo incommodo nostris consuluit commodis, *quemadmodum scriptum est*, &c.

4. *Quæcunque enim scripta sunt*] Græcis non est simpliciter *scripta*, sed utrobique προεγράφη, i. *præscripta*, sive *antescripta* Atque ad eum sanè modum adducit Augustinus hunc locum Epist. 137. *Quæcunque enim antè scripta sunt, ut nos doceremur scripta sunt*. Item Adv. Faustum l. 13. c. ult. Sentit enim hæc priùs scripta quàm fierent, aut patefierent: & promissio præcedit, res sequitur. Scripturæ promittunt quod pòst exhibetur. In lectione consentiunt & Chrysostomus & Theophylactus. Eodem verbo usus est Gal. 3. *Ante quorum oculos Christus præscriptus est*. Non igitur fuerit absurdum si *præscripta* accipiamus *quæ proposita sunt imitanda*: unde & *præscriptum* dicimus exemplar ad imitandum propositum. Nec dubito quin idem legerint Origenes & Ambrosius, quorum prior bifariàm interpretatur præpositionem πρὸ, primùm de figuris V. Testamenti, quæ tametsi jam cessarunt, velut umbræ exortâ luce, tamen propter nos olim scriptis prodita sunt, quibus patefacta mysteria ministrant salutarem doctrinam, etiam ex illis quæ videbantur supervacanea: quod genus sunt illa, *Non obligabis os bovi trituranti*: & quòd *Abraham duos habuit filios, priorem ex ancilla, posteriorem ex libera*: quòd *populus in deserto comedit manna*; quòd *bibit aquam de petra*. Hujus generis sunt & illa quæ Paulus commemorat

1 Cor. 10. Quin & ipsa Mundi conditi historia multa nos docet, si Allegoriam intelligamus. Hæc omnia priùs scripta sunt quàm patefaceret mysterium. Deinde exponit de Scripturis Propheticis. Prædictum erat Judæis, *Aure audietis & non audietis; videntes videbitis, & non intelligetis:* de nobis prædictum erat, *Quibus non est nunciatum de eo, videbunt.* Hæc omnia cùm Euangelium exhibuerit, fiduciam concipimus & ea quæ promissa sunt nobis de seculo venturo sine dubio eventura. De promissis item meminit Ambrosius. Atque hunc locum de Propheticis Scripturis interpretatur Augustinus: quale est quod modò citavit Paulus, *Probra exprobrantium tibi ceciderunt super me:* quæ verba secundùm Chrysostomum sunt Patris ad Filium. Cùm enim Judæi clamarent, *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce*, per Filium etiam Patrem afficiebant contumeliâ. Quemadmodum autem Christus per cruciatus & ignominiam pervenit ad æternam gloriam, ità nos debemus æquo animo tolerare malorum injurias & convitia ut simul cum Christo glorificemur. Itaque præpositio πρὸ non est otiosa, declarans ea quæ scripta sunt in V. Test. per Euangelium vel exhiberi vel aperiri, nè Gentes crederent illa ad se non pertinere. Scripta sunt autem non solùm ut illa crederemus, verùm etiam ut imitaremur. Itaque nihil vetat *præscripta* accipi *quæ sunt oculis proposita*; quemadmodum Gal. 3. Paulus dicit *Christum illis ante oculos præscriptum.* Restant duo cavilla nugacissima: *Multa scelera scripta sunt in V. Test. quæ non sunt proposita ad imitandum, veluti parricidium Cain; multa item miracula, veluti de transmisso mari Rubro.* Jam diximus & in his esse quæ juxta sensum mysticum nobis sunt imitanda, & commemorata scelera nos admonent ut bonos imitemur. Et in his igitur est exemplum imitationis. Alterum est, *Multa scripta sunt postea quàm sunt facta.* Verum hîc agebatur de Scripturis Propheticis, è quibus proximum attulerat testimonium. Quòd si quis omnino velit esse sententiam generalem, quoniam in omnibus latet mysticus sensus, rectè dicuntur *priùs scripta* sub involucro, quæ pòst per Euangelium sunt reserata. Ac planè verum est, *Nihil esse in Divinis quod non pertineat ad doctrinam nostram.* Cæterùm hic Paulus propriè loqui videtur de Propheticis, quæ præcesserunt, ac designarunt Euangelium & Christum. Dixerit aliquis hæc esse minuta, nec referre si Interpres omisit syllabam. Atqui si quid simile committatur à nobis, tum in singulis apicibus latet ingens mysterium, & sacrilegium admissum est. ¶ *Per patientiam & consolationem*] Ambrosius pro *consolatione* legit *exhortationem.* Est enim παράκλησις vocabulum ad utrumque commune. Quanquam ad sensum hujus loci non ità magni refert utrum legatur.

5. *Idipsum*] Τὸ αὐτὸ, i. *idem:* quod compositè dicitur τ' αὐτό. Siquidem τὸ nihil aliud est quàm articulus præpositivus, nec Latinè redditur gemino pronomine. ¶ Ἐν ἀλλήλοις] *Inter vos mutuò*, vel *invicem:* de quo superiùs admonuimus. Laurentius hic Interpreti impingit geminum solœcismum, quem quidam sic excusat, *Ad eum modum locuti sunt Ambrosius & Augustinus, homines pulcre Latini: nec hic excuti Tullianas orationes, sed agi de simplicis Scripturæ veritate.* Primùm, ut sint illi Latinissimi, quid refert si sic loquantur, utentes Scripturæ verbis, quod facturus erat & Cicero? Jam hic allegare Scripturæ simplicitatem, quid aliud est quàm agnoscere solœcismum?

6. *Ut unanimes*] Ἵνα ὁμοθυμαδὸν, *ut unanimiter.* Interpres legisse videtur ὁμόθυμοι. Neque magnopere refert ad sensum.

7. *Suscipite invicem*] Προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, i. *assumite invicem*, h. e. *Alius alium sibi adjungat & opituletur:* ut respondeat illi, *Infirmum in fide suscipite.* ¶ *In honorem*] Εἰς δόξαν, *i. in gloriam.* Interpres lascivit affectatione copiæ. Sentit enim Paulus ferendum fratrem ut hoc redundet in gloriam Dei, qui laudatur per benefacta profitentium illum. Ita prorsus explicat Chrysostomus ac Theophylactus. Cæterùm hæc particula *in honorem Dei* adnecti potest proximè præcedenti, *sicut Christus suscepit vos*, adoptans in locum filiorum Dei, qui vestrâ concordiâ glorificatur apud incredulos; aut cum superiore, *suscipite invicem ad honorem Dei*; aut ad utramque, *Sicut cessit in Dei gloriam quod Christus vos clementer suscepit, ità cedet in ejusdem gloriam si vos alius alium susceperitis.* Porrò quemadmodum verum interdum est non referre utrùm *honorem* dicas an *gloriam*, ità frequentiùs accidit ut alterum modò congruat. *Habendus est honor parenti* Latinè dicitur, *Habenda est gloria* non item. *Honorem præfamur auribus*, non *gloriam.* Et *in honore sunt*, non *in gloria*, qui præcellunt dignitate & autoritate. Et *populus mandat candidatis honores*, non *glorias.* Et *liberi parentibus deferunt honorem*, non *gloriam.* At profertur nobis Hieronymus enarrans Mal. 1. cujus verba subscribam. *Quod autem Gloriam diximus vel Honorem, & apud Græcos δόξαν & apud Hebræos* כבוד *unum verbum est: sed nos pro Latina linguæ proprietate Honorem posuimus.* Quid est *pro linguæ Latinæ proprietate?* Si idem sonat *honor* & *gloria*, quænam est illa *proprietas* quæ persuasit ut δόξαν maluerit *honorem* vertere quàm *gloriam?* Ea res arguit apud Hebræos vocem esse pariter accommodam ad δόξαν & τιμὴν, apud Latinos aliquid interesse inter *honorem* & *gloriam*; quemadmodum apud Græcos nonnihil interest inter δόξαν & τιμήν. Exod. 20. quod est, *Honora patrem & matrem*, non est δόξασον sed τίμα· & Levit. 19. *Honora personam senis*, τιμήσεις est: & Psal. 8. conjunguntur hæc duo, δόξῃ καὶ τιμῇ, i. *gloriâ & honore:* & Hieronymus has voces distinctim interpretatur, *Gloriâ, cùm ejus descensu inferi claruerunt; Honore, cùm vicit mortem; Coronâ, cum circumdatus sanctorum choro triumphans rediit ex inferno.* Nec prorsus idem valent *honorare* & *honorificare*, nec *clarificare* & *honorare.* Apud Græcos δόξα sonat *magnificam existimationem*; unde & δοκοῦντες dicuntur *qui valent autoritate:* Τιμὴ sonat *officii debiti persolutionem*, à τίω unde dictum est, *Honos alit artes*; non solùm ob gloriam, sed ob præmium: & *Honorare parentes* non est illorum laudes celebrare, sed omne pietatis officium exhibere, præcipuè subsidium egestatis. Quod genus est & illud 1 Tim. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt:* ubi ineptè poneretur δόξης pro τιμῆς. Denique quanquam hoc loco non omnino malè quadrat *honoris* vocabulum, tamen *gloria* mihi videtur significare quiddam magnificentius. Respondet hoc dictum illi Euangelico Matth. 5. *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum:* atque illic Interpres vertit *glorificent*, non *honorent*, cùm sit δοξάσωσι.

8. *Ad confirmandas promissiones Patrum*] Interpres dum alterum verbum infinitum vertit in gerundium, alterum relinquit, obscuravit sententiam, quæ quidem est hujusmodi: Paulus veluti nonnihil digressus, redit ad id quod instituerat. *Dico*, inquit, h. e. Quæ diximus hactenus huc tendunt, ut intelligas Christum autorem esse N. Testamenti, quod primùm administravit Judæis, ut Patrem ostenderet esse veracem, qui illis promiserat per Prophetas. Cæterùm id voluit esse commune Gentibus, non ex *promisso*, quanquam & de illis erat prædictum, sed ex *misericordia*; & hòc gratius esse donum quòd non exspectantibus obtigisset. Opposuit igitur *misericordiam promissis:* nam in illis jus quoddam esse videtur, hic favor merus est. Habet enim quod expostulet cui pollicitus sis, nisi præstiteris: & tamen plus adfert voluptatis ac laudis quod præter omnem spem obvenerit boni. Proinde clarè verti poterat hunc in modum; *Cæterùm illud est quod dico, Jesum Christum in hoc suo functum officio erga Judæos, pro veritate Dei, ut ea confirmaret quæ fuerant promissa Patribus: cæterum ut Gentes pro misericordia glorificarent Deum*, quibus nihil erat promissum, & tamen idem contingit quod illis. Chrysostomus nihil offenditur sermone. Sunt qui putent utrumque verbum infinitum pertinere ad λέγω & tolerabile est si in priore parte *Dico* accipitur ut sit interpretantis; in altera, ut sit jubentis. Potest enim δοξάσαι infinitum accipi pro imperativo. Cæterùm non refert quòd Theophylactus & Origenes in Commentario separant hanc partem, *Gentes autem*; cùm δὲ conjunctio conglutinet. Mirum est autem quanto artificio Paulus sermonem suum moderetur. Quo Gentes agnoscant Dei in se clementiam, vocat *misericordiam:* rursus, nè Judæi non ferrent illos ad communem gratiam admissos, subjicit Judæorum testimonia, quibus declarat & illis esse promissum, licet non tam evidenter.

9. *Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine*] Exstat hoc vaticinium Psa. 18.

10, 11. *Lætamini, Gentes, cum plebe ejus*] *Ejus*, αὐτοῦ, ad *Deum* refertur, veluti communem futurum utrique populo. Nam *populum Dei* dixit Judæos. Totidem verbis hæc habentur in cantico Deuteronomii. Mirum autem autem cur Thomas citarit ex Esaiæ 35. sive lapsu memoriæ, sive quòd illic simile tractatur argumentum. Rursus mirum est nostram editionem cum Paulo dissentire, quæ sic habet, *Laudate, Gentes, populum ejus*] Hebræi habent, *Cantate, Gentes, populum ejus.* Sed Apostolus hoc loco secutus est editionem LXX, qui verterunt, εὐφράνθητε, ἔθνη, μετὰ λαοῦ αὐτοῦ. ¶ *Et magnificate eum*] Καὶ ἐπαινέσατε. *& adlaudate*, quasi *laudibus respondete:* quale est ἐπαινάζειν. Ambrosius item legit *magnificate.* Quanquam *magnificare* dictum est pro *extollere & laudibus efferre.* Origenes admonet in Psalmo pro *magnificate* scriptum fuisse *collaudate.* Unde liquet in illius codice fuisse μεγαλύνατε pro ἐπαινέσατε nisi fortè Latinus interpres adjecit hoc de suo. Videtur autem Ruffinus hoc opus transtulisse, qui nihil non contaminat.

12. *Erit illa radix Jesse*] Hoc testimonium exstat apud Esaiam

Esaiam c. 11. quod tamen Paulus adduxit juxta translationem LXX, sicuti pleraque solet. Juxta LXX sic legimus, *Et erit in die illa radix Jesse, & qui consurget ut Princeps sit Gentium: in ipso sperabunt, & erit requies ejus honor.* Juxta veritatem Hebraicam hoc modo, *In die illa radix Jesse qui stet in signum populorum: ipsum. Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriosum.* Hieronymus admonet pro *requies ejus* apud Hebræos haberi מנחתו, in qua dictione consenserunt omnes interpretes: quod tamen Hieronymus vertit *sepulcrum ejus*, volens explicare sensum alioquin obscuriorem. Nam MENUCHA *requiem* sonat, sed propriè *eam quam precari solemus defunctis.* Ità licèt verbis dissonent LXX & Hieronymus, tamen in sententia consentiunt. Cæterùm quod vertit *stat in signum*, Hebræis est עמד לנס. Porrò נס *vexillum* sonat, sive *trophæum*, item *miraculum re testatum.* Sensus ferè idem est, quod sub vexillo Principis agat populus. Porrò *deprecabuntur* Hebræis est ידרשו, quod est *requirent: petit* autem qui requirit, & *sperant* qui concurrunt ad aliquem. Illud adjiciam, particulam *Et erit requies ejus honor*, licèt sit apud Esaiam & apud Origenem in contextu, tamen non apparet additam à Paulo, cùm nec apud Græcos reperiatur, nec ab Origene explicetur, nec apud nostros usquam adscribatur. ¶ *Et qui exsurget*] Ὁ ἀνιστάμενος, *exsurgens*: quod tametsi præsentis temporis est, tamen Interpres non absurdè vertit in futurum, quòd adhæreat verbo futuri temporis ἔσται *erit.* Alioqui poterat & ità verti, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν, i. *& qui exsurgat ad imperandum.*

14. *Certus sum autem*] Πέπεισμαι, i. *Persuasum habeo.* ¶ *Pleni estis dilectione*] Ἀγαθωσύνης, i. *bonitate.* Interpres legisse videtur ἀγαπωσύνης· ἀγαθωσύνης legit & interpretatur Chrysostomus, & huic succinens Theophylactus. Indicant enim hoc verbo declarari virtutem universam. Origenes autem cùm in commento legat *bonitatem*, tamen in contextu depravavit aliquis *dilectionis*: quod idem suo more fecit interpres Theophylacti Est autem hic *bonitas* quæ opponitur *malitia*, non quæ respondet χρηστότητι, ut sit *benignitas.* ¶ *Ita ut possitis alterutrum*] Δυνάμενοι καὶ ἄλλους νουθετεῖν, i. *potentes & alios admonere*: atque ità quidem interpretatur Theophylactus. Ex enarratione Chrysostomi non liquet quid legerit, nisi quòd semel habetur ἄλλους. bis ἀλλήλους. Apparet interpretem legisse ἀλλήλους pro ἄλλους & sanè ἀλλήλους magis probo. Sensus est enim, *Tantum valetis scientiâ & charitate ut citra admonitionem meam possitis ipsi vos invicem admonere, si sit opus.* Adque eum modum Ambrosium legisse declarat ipsius interpretatio, *Non dixit*, inquit, *ut invicem se doceant, sed admoneant.* Nec enim otiosum est αὐτοί, quod apud Græcos sæpenumero sonat *sponte*, aut *ultro*; velut apud Homerum,

——— τί με σπεύδοντα καὶ αὐτὸν
Ὀτρύνεις; id est,

Cur me festinantem & ultro incitas? Nec est otiosa conjunctio apud Paulum, nec apud Homerum. Refertur enim ad Paulum admonentem; ut intelligas, *Etiamsi ego non admonerem vos, ipsi vos invicem admonere possitis.*

15. *Audaciùs autem*] *Audaciùs* dixit pro *familiariùs* sive *liberiùs*: & referendum est ad partem superiorem, *Non est opus vobis meâ admonitione, cum ipsi possitis invicem id facere: tamen fretus bonitate vestrâ, non veritus sum ad vos scribere, commonefaciendi gratiâ magis quàm docendi.* Quod quò dilucidius esset lectori, nos vertimus, *Sed tamen audaciùs.* Hoc schemate frequenter utitur Paulus, quo lenimus quod poterat offendere. ¶ *Ex parte*] Ἀπὸ μέρους. Hoc adjecit, mitigans quod dixerat *audaciùs.* Perinde valet q. d. *aliquantulum.* Admiscuit enim nonnulla liberiùs dicta, de Stulta sapientia, de Idolis, de Libidine præpostera. Proinde dicit se quædam liberiùs locutum, non quòd illos contemneret, sed quòd illis fideret, veluti peculiaris illorum Apostolus. Plùs enim audemus apud illos quos familiariùs amamus.

16. *Sanctificans Euangelium Dei*] Ἱερουργοῦντα, *quasi rem sacram operans*, ut respondeat ad λειτουργὸν, qui propriè *sacrorum aut rei publicæ minister* est: & ἱερουργεῖν *fungi administratione sacrorum.* Augustinus in libello quo quæstiones aliquot explicat in Epistolam ad Romanos, pro *sanctificans* legit *consecrans*, propiùs exprimens Græcam vocem. Voluit enim Paulus prædicationem Euangelii rem videri cum primis sacram, ac veluti victimam Deo gratissimam, quòd Gentes redderet Christo dignas. Atque hujus sacri se veluti sacrificium facit. Id autem solet requiri in hostiis, ut pura sit ac sancta & ad rem Divinam legitima; quod alibi Paulus τέλειον vocat. Annotavit hac de re nonnihil Origenis interpres. Chrysostomus autem diligenter Græcæ vocis emphasim explicat. Vox Græca composita est ab ἱερὸν *sacrum* & ἔργον *opus*: inde ἱερουργεῖν *operari sacris*: inde sequitur προσφορὰ *oblatio.* ¶ *Accepta & sanctificata*] *Et* copula redundat, nec addebatur in cod. Constantiensi. Nam *sanctificata* refertur ad id quod proximè sequitur, *in Spiritu sancto*, h. e. per Spiritum S. ut ostendat nihil deesse suo sacrificio, quod ipse Spiritus S. consecrarit.

17. *Habeo igitur gloriam*] Καύχησιν, i. *gloriationem*: h. e. habeo de quo glorier. ¶ *Ad Deum* τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, i. *in his quæ ad Deum pertinent.* Interpres omisit articulum τά. Non immutat quidem sensum additus aut omissus articulus: habet tamen vim discernendi vel excipiendi; quod genus est illud hujus epistolæ cap. 1. τὸ κατ' ἐμέ. Id indicat tacitè Chrysostomi, Theophylacti & Origenis interpretatio, dum admonent *non esse gloriandum in quibuslibet, non in operibus, non in sapientia, sed tantùm in his quæ sunt gratiæ Divinæ.*

18. *Non enim audeo*] Τολμήσω, i. *audebo*, vel *ausim.* Nam hoc ceu proœmiolo pariter & arrogantiæ crimen excludit & sibi fidem apud lectorem conciliat. ¶ *Eorum quæ per me non efficit*] Ambrosius sic interpretatur quasi Paulus non possit quicquam commemorare eorum quæ ad laudem prædicationis pertinent, quæ per ipsum præstita non sint auxilio Dei. Ipsius verba subscribam, *Gloriam habere se dicit apud Deum per Christum Jesum. Credens enim & serviens Christo Jesu in conscientia pura, meritum sibi fecit apud Deum Patrem, in tantum ut nihil de se dicat quod non per illum operatus sit Christus ad exhortationem Gentium.* Ac mox, *Serviens enim Christo gloriam habet ad Deum, in tantum ut indigere non habeat aliquid aliud Divinæ virtutis, quod sibi præstitum non sit à Deo: sed omnia se, quia idoneus inventus est dispensator, consecutum quæ ad conversionem Gentium per signorum virtutem proficerent profitetur.* Origenes diversam sequitur sententiam, nimirum hanc, Nolim alienorum factorum laudem mihi arrogare; tantùm ea dicam quæ per meipsum effecit Christus. Et hujus verba subscribam, *Quæ loquor, inquit non sunt alieni operis verba, nec alienorum gestorum laudator efficior: sed quæ scio Christum per me effecisse hæc vobis scribo, quæ per obedientiam Gentium verbo in me & opere explevit.* Origenis interpretatio magis probatur, non modò quia modestior est magisque cohærens cum his quæ sequuntur, *Sed sic prædicavi Euangelium* (Nam hanc partem opponit superiori, quòd pugnent inter se *narrare ab aliis facta*, & *ità prædicare ut nusquam prædices ubi prædicarint alii*) verùm etiam quòd non videam quomodo sensus qui placet Ambrosio ex Græco sermone possit elici. Is ad hunc habet modum οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τι ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστὸς δι' ἐμοῦ. Illud certum, *eorum* non posse referri ad cæteros Apostolos sed ad ipsa facta. Poterit & hic sensus esse tertius, *Non ausim quicquam loqui de factis meis, sed tantum de iis quæ Christus per me gessit.* Verùm Origenicæ interpretationi palmam tribuo. Emphasis enim totius sermonis est in pronomine *me*, per quod excluduntur aliena facta. Utramque sententiam interpretatione miscet ac complectitur Chrysostomus ac Theophylactus, *Non jacto quod ipse non fecerim; imo quod feci, non ego feci, sed Christus per me.* Et *effecit* præteriti temporis est, non præsentis; commemorat enim quæ jam gesserat.

19. *Prodigiorum in virtute Spiritûs sancti*] Gr. *Spiritus Dei*, ἐν δυνάμει πνεύματος Θεοῦ. Atque ita sanè legit Origenes ac Chrysostomus, & huic consentiens Theophylactus; quanquam secùs habet Ambrosius ac vetusta Latinorum exemplaria. Nec mirum si Origenes enarrans meminit *Spiritûs sancti*, cùm *Dei Spiritus* sit Spiritus sanctus. Sed vox *Dei* magis exprimit auctoritatem miraculorum. Nec in Ambrosiano Commentario quicquam est quod declaret illum legisse secùs quàm *Spiritûs Dei.* Hoc loco Chrysostomus rectè notare videtur quosdam Episcopos, qui mitris, pedis ac stolis, sibi vindicant auctoritatem, Paulus longè præstantioribus argumentis se probet Apostolum, magnitudine miraculorum & proventu doctrinæ Euangelicæ: quorum tamen nihil arrogat sibi, sed universam gloriam Deo transcribit, vir & modestissimè magniloquus & magnificè modestus, in Christo superbus, in se humilis. ¶ *Per circuitum*] Καὶ κύκλῳ, i. *& in circuitu*, sive *undique.* ¶ *Repleverim Euangelium Christi*] Pronomen ἐμὲ hic non vertit Interpres, atqui aliàs addidit ὑμᾶς, satis durè. Deinde *Euangelium* hic appellat Euangelii prædicationem quâ in tot regionibus perfunctus erat. Quanquam aptius erat *impleverim* aut *compleverim* quam *repleverim.* Non dissimili figurâ dictum opinor in Euangelio, *Prius consummabitis omnes civitates*, pro eo quod erat, *Prius quàm peragraveritis omnes civitates.* Annotavit Chrysostomus quod non dixit se *prædicasse* sed *implesse*, h. e. nihil omisisse quod ad fidum ac strenuum Euangelistam pertineret.

20. *Sic autem prædicavi*] Græca nonnihil dissonant à Latinis,

ἔτω

οὕτω δὲ φιλοτιμούμενος εὐαγγελίζεσθαι, *Sic autem adnitens prædicare Euangelium.* Eſt autem *φιλοτιμεῖσθαι* velut *ambitioſe conari* quippiam. Ità Paulus ſanctâ quadam ambitione abſtinuit ab his locis in quibus reliqui Apoſtoli prædicaverant, ut ipſe eſſet pater & autor ſuæ gentis. Emphaſim verbi *φιλοτιμεῖσθαι* verbo tantùm indicavit Chryſoſtomus, dicens Apoſtolum *id gloriæ causâ feciſſe, quod ſtudio abſtinuerit ab iis qui audierant Euangelium.* Ambroſius expoſuit per *nitendi* verbum. Cæterùm conjunctio *δὲ*, etiamſi commodè reddi non poterat, tamen Græcis haudquaquam eſt otioſa: ſignificat enim adjici quiddam magni momenti quod rem vehementer augeat, id quod nos per *adeo* ſive *porrò* ſolemus efferre; veluti ſi dicas, *Alui cunctos, atque adeò ſolus*; ſive, *alui cunctos, porrò ſolus alui.*

21. *Et qui non audierunt de eo intelligent*] *De eo* redundat: quanquam intelligitur è ſuperiore parte repetitum.

22. *Propter quod impediebar plurimum*] *Διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην τὰ πολλὰ τοῦ ἐλθεῖν*, i. *Quapropter etiam impediebar ſæpenumero.* Nam id quoque ſignificat *τὰ πολλὰ* adverbii vice poſitum: & ità exponunt Græcanica Scholia, nominatim & evidenter Chryſoſtomus & Theophylactus. Sæpius enim conabatur, & ſemper obſiſtebant negotia, quibus detinebatur. Porrò illud *impeditus ſum* eſt *ἐνεκοπτόμην*, quod ſignificat *rem cœptam interrumpi*: ut aptius futurum fuerit *inhibitus ſum*, ſive *præpeditus ſum*; quemadmodum in actis, *Deſtinans proficiſci in Bythyniam, prohibitus eſt à Spiritu S.*

23. *Locum non habens*] *Μηκέτι τόπον ἔχων*, i. *Cùm non ampliùs habeam locum.* Cæterùm locum intelligit vacuum, quem ob id quærebat quò plus eſſet fructûs, ſicut antè dixerat. ¶ *Ex multis jam præcedentibus annis*] *Ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν*, i. *à multis annis*, ſive *multis jam annis.* Nec video cur Interpres putarit addendum aliquid, cùm ſermo de ſecuturis annis non poſſit intelligi.

24. *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero*] *Ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς*, *ut ſi proficiſcar in Hiſpaniam, veniam ad vos.* Quanquam quidam Græci cod. habebant *ἕως*, non *ὡς*. Si disjunctim legatur, ſonat *ut ſi*; ſi conjunctim, verti poterat *ſimulatque*, ut indicet id brevi futurum. Cæterùm Græci ſcriptores Paulum ſecuti fraudant *Hiſpaniam* primâ regionis ſyllaba, quam illi ſolent hujuſmodi dictionibus addere, dicentes *eſpero* pro *ſpero*, *eſpeilo* pro *ſpeilo*; idem facientes in hac dictione quod Latini facimus in *Iſcariote.* ¶ *Spero enim quod prætereuns videam vos*] *Ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς, καὶ ὑφ᾽ ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ.* Quando video Fabrum oſtendi ſermone, ſic Latinè verti poterat, *Nam ſpero futurum ut iſthàc iter faciens videam vos, & à vobis producar* (ſive *deducar*) *illuc.* *Διαπορευόμενος* eſt *pertranſiens*, ſive *iſthàc iter faciens.* Cæterùm illa verba *ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς* videntur adjectitia, vel hoc argumento, quòd Chryſoſtomus non attingit, licet addantur apud Theophylactum. Ambroſius legit, *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, videbo vos, & à vobis præmitti illuc.* Si locus vacat mendo, Ambroſius ſic ordinat, *Cupiditatem habens venire ad vos, multis jam annis, cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, & à vobis deduci illuc*: ut utraque pars, *venire*, & *deduci*, pertineat ad nomen *deſiderium.* Sed conjecto ſcripturam eſſe mutilam. Si tollatur Græca conjunctio *γὰρ*, quæ non eſt apud Latinos, nihil habet incommodi ſermo ut *ὡς ἂν* conjunctim referatur ad ſuperiora, hunc in modum, *Cùm non habeam locum vacuum in hiſce regionibus, & alioqui cupidus ſim multis jam annis veniendi ad vos, ſimulatque proficiſcar in Hiſpaniam, ſpero fore ut in tranſitu vos videam: & à vobis eò proficiſcens deducar.* Interpres futuri temporis verba vertere ſolet per incipiendi verbum. At hic Græci legunt *ὡς ἂν πορεύωμαι.* Cæterùm *προπεμφθῆναι* ineptè vertit quiſquis fuit *præmitti*: ſic enim legit Ambroſius, cùm ſit *officii gratiâ deducere proficiſcentem.* Interpres Origenis ſecùs ordinat, enarrans, *Cùm in Hiſpaniam proficiſcar, ſpero quod viſurus ſum vos.* Conjunctionem tamen non addit. Jam hæc verba, *ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς*, cùm ſint apud Chryſoſtomum, apud Theophylactum non adduntur, nec in contextu nec in enarratione, quemadmodum nec apud Ambroſium. Video Veteres in his quæ non videbantur admodum pertinere ad dogmata Apoſtolica ſibi nimiùm permiſiſſe in mutanda ſcriptura. Indè illa tanta varietas in Actis Apoſtolorum & Apocalypſi & Epiſtola ad Philemonem, quæ vix à Græcis recepta eſt inter Apoſtolicas, quòd rem humanam tractare videatur. Sed utinam ejus generis Epiſtolas haberemus trecentas. ¶ *Fruitus fuero*] *Ἐμπλησθῶ*, i. *expletus fuero*: quod quidem multò ſignificantius eſt ad explicandum ingens Pauli deſiderium. Atque ut magis intendat epitaſin, addit *ex parte*, ſignificans inexplebilem cupiditatem.

25. *Nunc igitur proficiſcar*] *Πορεύομαι proficiſcor*: præſentis eſt temporis, velut & participium quod ſequitur *διακονῶν*, i. *miniſtrans*; jam enim hoc agebat: Hoc ſiquidem facere dicimur quod adornamus facere. Apoſtolus enim hoc dicto excuſat dilationem profectionis in Hiſpaniam. Poterant enim dicere, *Si nihil eſt iſthic quod te remoretur, cur differs nos inviſere? Nunc*, inquit, *proficiſcor Hieroſolymam.* Si dixiſſet *proficiſcar*, auxiſſet ſuſpicionem moræ longioris. Itaque verbum præſentis temporis magis congruit Apoſtolico ſenſui. Demiror autem cur Interpres participium mutarit in verbum infinitum, niſi fortè legit *διακονεῖν*.

26. *Probaverunt enim Macedones*] *Εὐδόκησαν*, i. *Approbarunt*: &, *Ità viſum eſt illis.* At idem verbum mox vertit *placuit illis*: adeò Interpres nefas judicavit idem verbum iterare: quod tamen ipſe Paulus non eſt veritus facere. Porrò *εὐδοκεῖν* non ſolùm ſonat *probare*, verùm *ex animo probare*, quoties res non ſolùm utcunque placet ſed bene & ex animo placet: ut intelligamus hujuſmodi munera, ſi ultro offerantur, accipienda eis quibus fuerit opus, non exigenda: quandoquidem ipſe Paulus maluit manibus laborare quàm alieno cibo vivere. ¶ *Collationem*] *Κοινωνίαν communionem*, ſive *communicationem.* Sic enim vocat eleemoſynam miſſam, civili nimirum vocabulo; quaſi non ſit beneficium juvare pecuniâ, ſed cenſum quem habemus cum aliis communem, cùm opus eſt illis impartiri. Cæterùm quòd vertit *in pauperes ſanctorum*, nimiùm fidus fuit interpres, ut qui ſchema quoque & idioma Græci ſermonis expreſſit. Alioqui dicendum erat *pauperibus ſanctis*, nè quis ſuſpicetur ſanctos habuiſſe pauperes qui ſancti non eſſent. Cùm enim omnes Chriſtiani tum dicerentur *ſancti*, ad diſtinguendum pauperes ethnicos à fidelibus non erat opus genitivo. Illud annotandum, quòd Paulus videtur jungere duo inter ſe pugnantia, *εὐδόκησαν* & *ὀφειλέται.* Etenim qui *ſponte & bonâ animi voluntate* offert, non videtur *debere*: unde Divinam erga homines *beneficentiam* *εὐδοκίαν* appellat. Atqui cùm hoc videatur adjeciſſe civiliter magis quàm ex animo, tamen addit hanc unam cauſam, quòd *illi ſpiritualia impartiſſent*, velut alioqui nihil deberetur. At hodie nulli magis tyrannicè exigunt decimas quàm qui nihil impartiunt ſpirituale. Sic enim Paulus appellat doctrinam Euangelicam.

27. *Si ſpiritualium illorum participes facti ſunt Gentiles*] Græca ſic habent, *εἰ γὰρ τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν ἐκοινώνησαν τὰ ἔθνη.* Paulus hoc verbo *κοινωνεῖν* utitur ambiguè, ut interdum pertineat ad dantem, interdum ad accipientem. Gal. 6. *Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι*, dixit pro *impertiat*: hic *ἐκοινώνησαν* accipere videtur pro *participes fuerunt*, ut pertineat ad accipientem; niſi legas *αὐτῶν* Alphâ aſpirato, & *τὰ ἔθνη* accuſandi caſu. Nec ad ſententiam refert utro modo legas. Ut enim accipiamus ità dictum, quòd Lex & Euangelium & Chriſtus primùm ortum ſumpſit à Judæis, ut poſteris debemus pro beneficio à majoribus accepto, ità poſteri nobis communicaſſe dicuntur quod ab ipſorum progenitoribus venit. Ac mox diverſum in modum uſurpat Chryſoſtomus *κοινωνῆσαι* & *μεταδοῦναι*, interpretans quod Paulus dixit *λειτουργῆσαι.* Annotavit & illud Chryſoſtomus, quòd *ſpiritualibus* addidit *αὐτῶν*, quòd ea propria ſint cujuſque bona; *carnalibus* non addidit, quòd hæ facultates non ſint tantùm poſſeſſoris, ſed egentium quoque.

28. *Cùm conſummavero*] *Ἐπιτελέσας*, i. *ubi perfecero.* ¶ *Et aſſignavero*] *Σφραγισάμενος*, i. *obſignavero*, vel *obſignatum reddidero.* Sic enim reddi ſolet pecunia. Sentit enim Paulus ſe diligenter ac certâ fide velle reddere hoc munus: quòd omnis pecuniæ tractatio ſuſpecta ſoleat eſſe, præſertim Judæis avariſſimis. Subindicat tale quiddam & Theophylactus. ¶ *Fructum hunc*] *Fructum* Chryſoſtomus & Theophylactus refert non ad accepturos, ſed ad eos qui contulerant; quaſi in beneficiis Chriſtianorum lucrum penès dantem ſit, non penès accipientem. Quòd ſi Paulus integrè ac tutò reddidiſſet eam pecuniam, futurum erat ut Macedonibus cæteriſque qui contulerant ceu theſaurus quidam in tuto reconditus videretur. Hoc admonui ut lector intelligat *eis* pronomen non referre *ſanctos*, ſed *Græcos.*

29. *In plenitudine benedictionis*, &c.] *Ἐν πληρώματι εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ*, i. *in plenitudine benedictionis Euangelii. Benedictionem* Paulus aliquoties vocat Eleemoſynam. Atque hic videtur verecundè ſignificare, ut Romani quoque conferant. Quanquam Chryſoſtomus mavult hic generaliter accipi pro omni virtutum & officiorum genere, propterea quòd additur *Euangelii.* Atqui quod Euangelii nomine datur *εὐλογία* eſt *Euangelii.* Simili tropo *εὐλογίαν* dixerunt eleemoſynam, quæ verbis amicis dabatur, quo convicium pauperibus dari ſolitum *ἀγάπην.* Quidam legunt *Euangelii Chriſti*; quod apud Chryſoſtomum legitur in contextu, ſed in enarrando declarat

tantùm

tantùm legisse *Euangelii*. Additur & apud Theophylactum, sed in contextu duntaxat. Noster interpres cum Ambrosio tantùm habet *in benedictione Christi*. Ità etiam enarrat Ambrosius. Similiter legit Origenes.

30. *Obsecro ergò vos*] Παρακαλῶ δέ, i. *Hortor autem vos*. Tametsi hoc sanè loco non admodum malè quadrabat *obsecro*, propter ea quæ sequuntur, *per Dominum nostrum Jesum Christum*. ¶ *Per charitatem sancti Spiritûs*] *Sancti* superest; διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ πνεύματος, i. *per dilectionem Spiritus*. ¶ *Ut adjuvetis me*] Συναγωνίσασθαι, quod est *opitulari*, sed *certanti & laboranti*; quod antè nos annotavit & Origenes, sed tamen eò detorquens, quòd inter orandum certamen sit cum impiis Dæmonibus preces piorum interpellare solitis. Quanquam Ambrosius legit, *ut solicitudinem impartiamini*. Interpres rectiùs expressit quàm Ambrosius, meâ quidem sententiâ. Et *in orationibus* dixit pro *per precationes*; quam sermonis formam oportet jam nobis esse familiarem.

31. *Obsequii mei oblatio*] Καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, i. *ministerium meum* Ambrosius velut exponens legit, *ut munerum meorum oblatio*. Quanquam mihi videtur aliud quiddam legisse, fortè προσφορά, quo verbo usus est antè: quandoquidem & paulò superiùs usus est verbo apto sacrificiis, λειτουργῆσαι, quod interpres vertit *ministrare*. Nos addidimus pronomen, *ut ministerium hoc meum*, propter articulum Græcum, ἵνα ἡ διακονία μου ¶ *Accepta fiat in Hierusalem*] Græci nonnihil diversè legunt Nonnulli sic habent, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις, i. *ut ministerium meum quod est in* (vel *erga*) *Hierusalem, acceptum sit sanctis*. Quidam codex sic habebat, ἡ διακονία μου ἡ Ἱερουσαλήμ, i. *ministerium meum quæ est Hierusalem*. At Theophylactus nec legens nec interpretans addit hanc particulam, quemadmodum nec Chrysostomus. Porrò modestè vocat *ministerium*, cùm sit alienæ liberalitatis minister duntaxat.

VATABLUS.

1. **F**irmiores, *imbecillitates infirmorum sustinere*] *Qui potentes sumus, impotentium infirmitates portare*.

2. *Vestrûm*] *Enim nostrûm*. ¶ *Placeat*] i. Obsecundet, ac morem gerat.

3. *Non sibi placuit*] q.d. Non suo servivit commodo, nullius salutem contempsit. ¶ *Ceciderunt super me*] i. Tibi satis feci pro illis qui te maledictis afficiebant.

4. *Scripta*] *Antè scripta*, vel *præscripta*.

5. *Patientiæ & solatii*] i. Qui dat patientiam & solatium ¶ *Idipsum sapere in alterutrum*] *Idem inter vos mutuò sentire*: i. ut eâdem sententiâ inter vos præditi sitis in iis quæ Jesus Christus de vera justitia tradidit, ut tollatur à vobis omnis illa controversia de cibis, dierum observatione, & aliis.

7. *Suscipite*] Vel, *sublevate*: q.d. firmiores accommodent se infirmioribus, & contrà. ¶ *Vos in honorem*] *Nos in gloriam*.

8. *Enim*] *Autem*: i. Quæ diximus hactenus huc tendunt, ut intelligas Christum functum fuisse suo officio erga Judæos declarando Deum Patrem veracem, qui præstaret ea posteris, quæ majoribus fuerat pollicitus per Prophetas: Gentes autem ad hujus beneficii participationem vocatas esse solâ Dei misericordia neque enim illis promissum fuerat ut Judæis.

9. *Super misericordia honorare*] *Ob misericordiam glorificare*, vel, *glorificent*. ¶ *Nomini tuo cantabo*] Vel, *nomen tuum celebrabo*.

10. *Lætamini*] Imperativus pro fut. *Gaudebunt*: *plebem* & *populos* vocat Judæos.

11. *Magnificate*] *Collaudate*.

12. *Erit radix Jesse*] Vel, *Prolem habebit Jesse*: nempe Davidem. ¶ *In eum*] *In eo*, Vet.

13. *Deus autem spei*] i. Qui sperandi vim donat: vel, in quo omnes sperant. ¶ *In credendo*] Hebr. per fidem: q. d. quæ pax acquiritur fide. ¶ *Et*] *In*, Vet. q. d. quæ spes in nobis concipitur per potentiam Spiritûs S.

14. *Certus sum autem*] *Persuasum autem habeo*. ¶ *Dilectione*] *Bonitate*. ¶ *Scientiâ*] Vel, *cognitione*: sub. *rerum divinarum*. ¶ *Ità ut possitis alterutrum monere*] Vel, *potentes & alios admonere*: ità quidem Græci codices.

15. *Ex parte*] Vel, *aliquantulum*. ¶ *In memoriam vos reducens*] Vel, *commonefaciens*. ¶ *Propter gratiam quæ data est mihi à Deo*] *Gratia* pro *munere*: q.d. ut satisfacerem muneri meo quod mihi à Deo delegatum est, ut sim Gentibus præco Jesu Christi: i. ut Gentibus prædicem Jesum Christum.

16. *Sanctificans*] *Docens*: sub. *illos sacrum Dei Euangelium*. ¶ *In Spiritu S.*] Heb. per Spiritum S.

17. *Gloriam in Christo Jesu ad Deum*] *Unde glorier propter Christum Jesum, in iis quæ ad Deum pertinent*: i. Habeo quod glorier propter Christum, qui operatur per me, felici concionum mearum successu, ea quæ ad Dei gloriam non mediocriter pertinent.

18. *Audeo*] *Ausim*. ¶ *Efficit*] *Effecit*: præt. tem. ¶ *In obedientiam Gentium*.] i. Ut Gentes obedirent Euangelio.

19. *In virtute Spiritûs S.*] i. Quæ signa & miracula efficaciam & virtutem habebant à Spiritu Dei. ¶ *Per circuitum*] *Et in circumjacentibus regionibus*. ¶ *Repleverim*] *Impleverim*: i. plenè annuntiaverim.

20. *Sic autem prædicavi*] *Ità porrò annitens prædicare*.

23, 24. *Ex multis jam præcedentibus annis*: *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens*, &c.] *A multis jam annis, cùm proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos. Spero enim fore ut istàc iter faciens, videam*, &c. ¶ *Fruitus*]. *Expletus*: i. ubi priùs aliquot dies apud vos commoratus, consuetudine vestri aliqua saltem ex parte desiderium meum explevero.

25. *Igitur proficiscar*] *Autem proficiscor*: præs. temp. ¶ *Ministrare Sanctis*] i. Ut Christianis Judæis illic agentibus ministrem pecuniam quæ mihi commissa est.

26. *Probaverunt enim Macedonia & Achaia*] *Visum enim est Macedoniæ & Achaiæ*: vel, *placuit Ecclesiis quæ sunt in Macedonia & Achaia*. ¶ *Collationem*] *Communicationem*: sic vocat eleemosynam. ¶ *Sanctorum*] *Sanctos*.

27. *Spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles*] *Spiritualia sua communicaverunt Gentibus*: i. si doctrinam Euangelicam quam habebant, communicaverunt Gentibus per eos qui ab Jerosolymis prodierunt post ascensionem Christi. ¶ *In carnalibus*] *Hæc carnalia*: i. alimenta, & vitæ corporali necessaria.

28. *Assignavero*] *Obsignavero*; vel, *obsignatum reddidero*: sic enim solet reddi pecunia.

29. *In abundantia benedictionis* *] Heb. cum abundanti benedictione: i. plenè vobis Euangelium annuntiabo, ut siquid desit vobis ad absolutam Euangelii cognitionem, id totum à me accipiatis. * *Euangelii*.

30. *Adjuvetis me*] *Me laborantem adjuvetis*.

31. *Obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem*] *Ut ministerium hoc meum quod exhibebo in Hierusalem, acceptum sit*: i. nè eleemosyna quam Jerosolymam perferendam accepi, mihi quoquo modo intercipiatur: ut salva cùm fuerit accepta sit Sanctis.

32. *Refrigerer*] *Refociller*.

CASTALIO.

8. **J**esum *Christum ministrum fuisse circumcisionis propter Dei veritatem, ad confirmanda quæ majoribus fuerant promissa*] Inserviviffe Judæis, ut Dei fidem in eo servaret quod ille eis promiserat.

16. *Extraneorum libatio accepta fit*] Quâ Deo libatur.

17. *Itaque habeo quod in Christo Jesu glorier*] h. e. In Christi Jesu negotio, sive in Christianitate, aut in re Christiana: qualis loquendi modus & suprà cap. 8. & infrà cap. 16. sæpe occurrit. Ego non semper, sed tamen aliquando hunc loquendi modum retinere volui, quòd ab eò nè Latini quidem abhorrent, ut in Esaiæ 29. declaravimus.

CLARIUS.

3. **I**mproperia] h. e. Pro aliorum peccatis ego pœnas dedi.

8. *Dico enim Jesum Christum*] Quo pacto suscepit nos Christus? ministravit Judæis, quos *circumcisionis* nomine appellat: nam & hic Hebraismus est, ut *circumcisio* ponatur pro *circumcisis*. *Fuit* ergò *minister circumcisionis*, *pro veritate Dei*, *ut verax* appareret Deus *qui promiserat patribus*: suscepit verò *Gentes suâ miseratione*.

17. *Habeo igitur gloriam*] Gloriam suam arbitrabatur Paulus, cùm ex iis quæ Christus per illum faciebat accedebat gloria ipsi Christo: idcirco illa commemorabat nec sibi aliud quippiam usurpabat ob privatam gloriam: quare addit, *non enim audebo*, &c.

18. *Non enim audebo*] *Nihil ausim unquam dicere nisi quæ Christus effecit per me*: neque enim privatæ quicquam gloriæ mihi vendico.

20. *Non ubi nominatus est Christus*] Cùm ut propagetur magìs prædicatio, tum nè mihi alienum honorem vendicem.

22. *Impediebar*] Vobis enim non tam fuit opus meâ præsentiâ quàm aliis, quia jam fidem acceperatis.

26. *Probaverunt enim*] Tacita hæc est adhortatio Romanorum, ut hos imitentur.

29. *In abundantia benedictionis Evangelii*] Scio inquit, quòd veniens videbo vos in omnibus probè agentes, & ad omnia bona abundè instructos & paratos secundùm Euangelium Christi.

30. *Per charitatem Spiritûs*] Quæ per illum effusa est in cordibus nostris: vel quòd & ipse Spiritus æquè nos amat sicut Pater & Filius.

ZEGERUS.

3. IMproperia improperantium tibi] Verba sunt ipsius Davidis ad Deum Patrem ex persona Christi loquentis.

5. *Idipsum sapere alterum*] h. e. ut unum & idem inter vos mutuò sentiatis.

8, 9. *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum*] Utrumque populum ad concordiam pellicere cupiens, *Dico*, inquit, primùm quoad Israheliticum populum, *Christum Jesum ministrum & prædicatorem fuisse circumcisionis*, h. e. ipsorum Judæorum circumcisorum, *pro declaranda Dei Patris veritate, ad confirmandas præstandásque tandem Patribus olim factas promissiones:* deinde, quod ad alterum populum attinet, *dico* sive *moneo Gentes, pro misericordia* ipsis non ex promisso sed gratuitò præstita *honorare ac glorificare Deum*. Utcunque exstruant alii, hic mihi magis probatur ordo & sensus. ¶ *Propterea confitebor tibi in Gentibus*] Rursus verba sunt Christi ad Patrem, per Prophetam enunciata, Psal. 18.

10. *Lætamini, Gentes, cum plebe ejus*] Locus est in Deut. 32. ubi juxta LXX versionem Latinitate donatam ità legimus, *Lætamini, Gentes, cum populo ejus*. Hoc annotare visum est, quòd complures deprehenderim in hoc loco demonstrando hallucinatos.

12. *Erit radix Jesse, & qui exsurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt*] Hoc testimonium penè juxta LXX retulit, quorum versione frequentiùs utitur Apostolus.

14. *Pleni estis dilectione*] Apud unum inter veteres Origenem pro *dilectione*, i. ἀγαπωσύνης, *bonitate*, i. ἀγαθωσύνης, reperio. Repetit enim hanc vocem enarando semel & iterum. Apud cæteros ἀγαπωσύνης est. Quanquam apud Chrysostomum dormitavit interpres, subinde *bonitatis* vocem repetens. At nisi ἀγαπωσύνης legisset, non oponeret huic *fratrum osores*, nec admoneret lectorem *se suspicari in hac voce universam virtutem comprehendi*. Hoc vel ob id admonere volui, nè quis nimiùm fidat autoribus in alienam linguam transfusis.

17. *Habeo gloriam in Christo Jesu ad Deum*] Ἔχω οὖν καύχησιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τὰ πρὸς Θεόν. Sensus est, *Habeo quod glorier per Christum Jesum in his quæ ad Deum pertinent*.

18. *Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Christus*] Ad superiora referendum est. Dixerat enim *se ministrum esse in omnes gentes*; dixerat item *gloriationem sese habere apud Deum* propter felicem prædicationis suæ successum: nunc subdit, *Non glorior neque quicquam* jactabundus *loquor* de meis factis, quasi ipse quicquam effecerim: sed tantùm *de his quæ per me* tanquam per instrumentum vel potiùs servum *operatus est Christus*. Cui verò Origenica magis placebit elucidatio, ejus secundùm suum interpretem hæc sunt verba, *Quæ loquor*, inquit, *non sunt alieni operis verba, nec alienorum gestorum laudator efficior: sed quæ scio Christum per me effecisse, hæc vobis scribo; quæ per obedientiam Gentium verbo in me & opere explevit, verbo prædicationis, opere signorum & prodigiorum*.

19. *Illyricum*] Regio est inter Italiam, Germaniam, Macedoniam & Thraciam, quæ & *Illyris* dicta est, nunc verò *Sclavonia*, à quibusdam *Liburnia*. Habétque ab uno latere mare Hadriaticum, ab altero Danubium. Distat autem ab Jerusalem 26. gradibus. milliaribus Grmanicis plùs minùs 350. Brabanticis 500, Gallicis verò circiter 545. Tantum terræ spatium occupavit hujus Apostoli prædicatio.

20. *Sic autem prædicavi*] Sensus nihil habet obscuri. Tantùm illud admonendum, Græcis amplius quid haberi, scilicet, οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, i. *Sic autem annitens* (vel *elaborans*) *euangelizare*. Non liquet tamen apertè an hæc lectio fuerit olim usitata.

21. *Audierunt de eo, intelligent*] *De eo* redundat.

22. *Impediebar plurimùm & prohibitus sum usque adhuc*] Hæc postrema verba adjectitia esse capite 1. arguit lectio Græca Ambrosii & codicum veterum.

26. *Probaverunt*] *Approbaverunt*. Dignum ac rectum visum est.

29. *In abundantia benedictionis Christi veniam*] h.e. Conspecturus sum vos in omnibus bonis quæ secundùm Euangelium sunt professisse. *Abundantiam benedictionis* vel bona universa laude & benedictione digna, vel eleemosynam appellat. Eam namque tacitè ac verecundè à Romanis stipulare videtur pro sanctis.

30. *Adjuvetis me in orationibus pro me*] Quanquam in Græcis pariter & nonnullis Latinis sit utrumque, & *me* & *pro me*, tamen res ipsa indicat alterum redundare. Et Hieronymus testatur à Latinis olim positum tantùm fuisse, *adjuvetis me in orationibus ad Deum*.

32. *Ut refrigerer vobiscum*] *Ut refocillar*, ait, & quietem habeam post multos agones atque discrimina, idque *vobiscum*; vos ob meam doctrinam, ipse ob crescentem in vobis fidem.

L. BRUGENSIS.

31. *Et obsequii mei oblatio accepta fiat* [*fuit* o.] *in Jerusalem sanctis.*] Manuscriptum Buslidiani Collegii habet, *Et oblatio obsequii mei accepta*: alterum, G literâ insignitum, legit, *Et obsequium & oblatio accepta*. Unde videri possit addititia esse vox *oblatio*, ex 16 fortassis hujus capitis versu, ubi legitur, *Ut fiat oblatio gentium accepta* (ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος) commentarii hunc locum per illum exponentis occasione adjectâ: quia Græcè non aliud est quàm, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, *Et ut ministerium meum*, id quod verterit Interpres, subaudiendâ relictâ ex priori parte *ut* conjunctione, *Et obsequium meum:* nisi fortè, quod alii conjecerunt (habent enim plerique omnes libri concorditer, *Et obsequii mei oblatio*, cum Haymone, Anselmo, & posterioribus Expositoribus) legerit, καὶ ἵνα ἡ διακονίας μου προσφορὰ, vel explicationis ergò id addiderit, intelligens per *obsequium* oblationem quam adfert vel collegit obsequium sive ministerium. Apud Autorem commentariorum Ambrosii nomine, legitur, *Et munerum meorum oblatio accepta fiat in Jerosolyma sanctis*. Commentarius est, *Etiam hoc orandum dicit, ut ministratio munerum ejus accepta fiat sanctis in Jerusalem*, &c. Duo ex nostris scriptis codicibus pro *in Jerusalem* legunt *in Jerosolymis*; tredecim (Lob. Leod. So. la. O, E, L. Pl. m.) *in Jerosolyma*; quatuordecim, inter quos sunt Brug. & Q. *in Jerosolymam*. Ex quo videri possit, si rursus divinare fas est, vertisse Interpretem, *Et obsequium meum in Jerosolymam, acceptum fiat sanctis*, vel, *Et obsequii mei oblatio in Jerosolymam, accepta fiat sanctis*, quo modo atque ordine Græcè legitur, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ, εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις neque enim εἰς motum in loco significat, ut intelligi ex hoc Græco legendi modo possit, *Accepta fiat in Jerosolyma*, aut *Sanctis qui sunt in Jerosolyma*; neque ἡ articulus patitur id sequentibus jungi. *Obsequium* autem, sive *ministerium*, *in Jerosolymam* intelligitur, quo proficiscor Jerosolymam, collationem quam ei curavi perferens; vel, *obsequii mei oblatio in Jerosolymam*, quam collegit obsequium meum pro Jerosolyma, eóque defert: quod quia intellectum non est, mutatus videtur accusandi casus in auferendi, *Jerosolymam* in *Jerosolyma*, & *Jerosolymis*, vel, quod ambiguum erat, *in Jerusalem*, id quod paucos scriptos, plerosque impressos libros occupat, & translata pars eò quò pertinere censebatur, ad orationis finem, ubi retentus à multis accusandi casus loco non convenit. Duo pervetusta scripta, T & Malmundariense majus, perfectissimè ad Græcam scripturam respondentia, habent, *Et ministerium meum, quod Jerosolymam defertur* [ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ, *quod in Jerusalem*] *acceptabile sanctis fiat*: sed ea ab editione nostra recedere nonnunquam observavi. Huic verò interpratationi persimilis est ista Syrorum, *Et ministerium quod defero sanctis in Jerusalem, bene suscipiatur*. Porrò Græci quidam codices omittunt εἰς præpositionem, ἡ διακονία μου ἡ Ἱερουσαλήμ· sic enim Aldina editio scribit: itáque Cajetanus se legisse ostendit. Chrysostomus verò & Theophylactus nec ἡ Ἱερουσαλὴμ, sive legentes sive interpretantes, agnoscunt: duntaxat habent, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις.

H. STEPHANUS.

1. TÀ ἀσθενήματα] *Imbecillitates*.

4. Ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως] *Ut per patientiam & consolationem: vel exhortationem*.

7. Προσλαμβάνεσθε] *Assumite: vel suscipite*.

16. Ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ] *Sacrâ functione circa Euangelium Dei fungentem*.

19. Πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ] *Ità ut plenam Euan-*

Euangelii cognitionem dederim. Vel, *Impleverim prædicandi Euangelii munus.*

20. Οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, οὐχ ὅπου ὠνομάσθη Χριστός] *Sed tam alacriter ac studiose id prædicarim, non ubi Christus*, &c.

22. Ἐνεκοπτόμην τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς] *Distinebar*, (vel *impediebar*) *quominus venirem ad vos.*

26. Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία] *Placuit enim Macedoniæ.*

27. Λειτουργῆσαι αὐτοῖς] *Operam dare illis.*

DRUSIUS.

4 p. QUÆ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt] Quadrat cum dicto Ebræorum: *Quicquid accidit patribus signum est filiis.* Dicunt etiam, *Non est una litera in Lege super quam possunt ædificari magni montes.*

11. *Lætamini, Gentes, cum plebe ejus*] Malim *cum populo ejus.* Quanquam familiare huic interpreti *plebem* pro *populo* usurpare. Nihil decerno, tamen eò labor ut credam duas interpretationes coaluisse. Una erat; *Cantate, Gentes, populum ejus*, i. עמו, altera, *Lætamini, Gentes, cum eo*, i. עמו, Ex utraque factum μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ *cum populo ejus.* Vide quid faciat unius puncti mutatio. Non ergò mirum si, cùm vocales olim abessent, interpretes non eodem modo semper legerint.

24. *In Hispaniam*] Εἰς τὴν Σπανίαν, quod Ebræi dicerent אל אספמיא, *in Spaniam.* Non literæ tantùm detractæ veteribus, sed syllabæ integræ. *Spania* pro *Hispania*; unde *gladio Spanico* pro *Hispanico* apud Claudium Quadrigarium: *conia* pro *ciconia.* Sic olim Prænestini loquebantur. Id discimus ex Capella, & Glossario veteri, in quo *ciculus* pro *pisciculus*: quod nescio an huc referri posset. Utut sit, in textu est *Chonia* pro *Jechonia.* Vide libellos meos. Chaldæus Jonathan & Doctores etiam *Spamia* & *Isphamia* scriptitant *N* in *M* versâ. Est & lacus hoc nomine in terra Israel, cujus mentio in Medras Thehillim, & apud D. Camium in Comment. Psal. 24. Dico *lacus*, aut *mare*: nam est ים in Hebræo. Sunt autem in ea regione septem maria sive lacus, & in his ים אספמיא והוא ים חמון ים קלטינוס, *mare Isphamiæ, quod est mare Hammun, mare Caltinos.*

29. *In abundantia benedictionis*] Erasmus ad h. l. BENEDICTIONEM *Paulus aliquoties vocat Eleemosynam. Benedictio* non est *eleemosyna*, sed *munus* aut *beneficentia.* Tum autem vocatur *eleemosyna* quando in pauperes confertur aut exercetur. Pro *munere* ponitur Gen. 33. 11. *Accipe nunc benedictionem meam quæ adducta est tibi*, i. munus quod nunc adducitur tibi ex bonis & facultatibus quibus Deus mihi benedixit. Sanè Oncelos hic habet *oblationem meam*, & Joh. דורון, i. δῶρον, & R. S. *munus meum*, & Gallica editio *mon present.* Cognatum est cùm dicimus *anima benedictionis*, significantes animum liberalem, sive hominem beneficum. Nam *benedictio*, beneficentia, benignitas. Sirach. 7. 33. *quò perfecta sit benedictio tua*, i. benignitas. Ut ברכה est *donum*, *munus*, ità verbum ברך *benedixit* idem quandoque sig. quod *muneravit* sive *muneratus est.* Vide Jes. 66. 3. Plautus,

Ut beneficium benemerenti nostro merito muneres,

CASAUBONUS.

6. ΟΜοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι] Sic Demosthenes, Ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι.

CAMERON.

4. INα διὰ τῆς ὑπομονῆς, &c.] Quæ sunt hæ *consolationes Scripturarum*? An quia quod dictum est de quopiam intelliguntur de quolibet? An verò quia comparare debemus quæ nobis miseris accidunt cum iis quæ pertulere pii Patres & veteres Heroes? An verò quæcumque piis accidisse narrantur, quantumvis carnis sensui acerba videantur, sunt tamen judicio Spiritûs utilia, & præsentissima salutis remedia? RESP. Puto hunc versum includendum esse parenthesi, & admonitionem continere, Non esse hærendum ἐν τῷ ῥητῷ V. T. quasi illa tantùm γεγραμμένα forent, non etiam προγεγραμμένα, nimirum ut eventura Christo Capiti primùm, dein Christi membris. Itaque illud πρὸ notat rei (ut ità loquar) futuritionem, ut quomodo προεῤῥήθη dicitur, sic dictum sit προεγράφη. Id est, quantum judicare possum, quod voluit Apostolus.

8. Ὑπὲρ ἀληθείας] Apostolus, ubi de Dei benignitate erga Gentes, qui iis indulserit nimirum cognitionem Redemptoris, agit, tantum beneficium *misericordiæ Dei* vult acceptum ferri, vers. seq. ὑπὲρ ἐλέους inquit; at quòd Judæis exhibitus est Messias & oblatus, id verò jam ait fuisse ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ *veritatis Divinæ.* Quid igitur? non fuerit opus Divinæ misericordiæ quòd Judæis Apostoli Christum annuntiarunt? Omnino. Verumtamen, quia promissiones omnes apud Prophetas Judæis primùm factæ sunt, & quidem ità peculiariter ut Gentes in earum communionem secundariò tantùm vocentur, (nempe postquam Oleæ rami per incredulitatem defracti locum veluti vacuum inserendis ex Oleastro surculis reliquerunt) hinc factum ut misericordia Dei erga Judæos *veritas* sit appellata, eadem veritas Dei erga Gentes *misericordia* sit dicta: nempe videtur illa veritas, quod ad Gentes attinet, si comparatè rem spectes, mera misericordia fuisse.

9. Quæritur quomodo quatuor testimonia ex V. T. allata probent *Gentes debere Deum glorificare pro sua insigni erga eos misericordia.* An dicendum est Apostolum id duntaxat habuisse pro scopo, docere Gentes in sortem salutis fuisse adscitos, quod tractavit v. 7? ídque solum videtur esse orationis filum, tractata verò v. 8. & parte noni, includenda videntur parenthesi. RESP. Est parenthesi (ut mihi quidem videtur) locus, veruntamen eam non video necessariam. Nam Apostoli (nisi ego fallor) consilium est utrumque probare, & *Christum esse Gentium ministrum*, & futurum fuisse ut *Gentes Deum glorificarent*: ad quorum alterum pertinet illud ἐξομολογήσομαι, &c. v. 9. ad alterum verò illud Αἰνεῖτε &c. v. 11. ad utrumque verò, Εὐφράνθητε, &c. v. 10. &, Ἔσται ῥίζα v. 12.

31. Ἵνα ἡ διακονία μου, &c.] An hoc intelligi debet, Nè quidquam ferant damni, sitque gaudium solidum sanctorum, néve corrumpatur ob meas afflictiones? An verò precatur ut Judæi seriò agnoscant ministerii Pauli dignitatem gratéque illud excipiant? RESP. Existimo illud esse simplicissimum, ut statuamus Apostolum nihil aliud voluisse quàm ut à Romanis Deo precibus commendaretur nè comprehensus à Judæis alienis à Christo prohiberetur hoc pacto Collectam fratribus Hierosolymitanis reddere, & Romam, uti constituerat, venire. Jam nè videretur utilis quàm honesti studiosior (ut est τοῦ πρέποντος observantissimus) priùs illud est Collecta reddenda honestissimis verbis expressit, quæque significent non modò Apostolum id spectasse ut subveniretur inopiæ Hierosolymitanorum, verùm multò magis ut amor Ecclesiæ Judaicæ erga Gentilem hoc pacto incenderetur, unde vicissim officia charitatis proficiscerentur. Illustrant hunc locum quæ scripsit 2 Cor. 9. 12, 13. & ad Phil. 4. 10, 11, 14, 16, 17. Notum illud, *Non tam ipso dono, quàm quòd à te datum est.* Ità demum τὸ δῶρον est εὐπρόσδεκτον, & mutuam facit benevolentiam.

GUALTPERIUS.

9. ΨΑλῶ *psallam*] Ψάλω, *psallo*, *cano*, vox tam trita quàm quæ tritissima, uti & ψαλμὸς *psalmus.* Hebr. זמר *instrumentum quo psallitur*, נבל, Græcis μάγαδις

JAC. CAPPELLUS.

4. QUæcunque comprehensa sunt in prioribus, h. e. Veteris T. *Scripturis, ad nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem quam à Scripturis discimus spem habeamus*] Quemadmodum libri Canonis vocantur antonomasticè *Scriptura*, sic de iis quæ continentur in libris Canonicis antonomasticè dicitur γέγραπται, *scriptum est.* Hoc sensu dicitur hîc ὅσα προεγράφη *quæcunque prius scripta sunt*, pro *quæcunque sunt* ἐν προτέραις γραφαῖς *in prioribus Scripturis.* Veteris quidem Testamenti Canon à Judæis dividitur in *Prophetas priores & posteriores*: Sed ab Apostolo utriusque Canon longè convenientiùs distribuitur in *Scripturas priores & posteriores. Prioribus* colophon impositus est quadringentis circiter antequam ad Romanos scriberet Paulus annis. *Posteriores*, h. e. Novi T. Scripturæ duxerunt initium haud multis antequam hæc ad Romanos scriberet Paulus annis aliquot videlicet annis post Christi resurrectionem. Cùm igitur quatuor circiter intercesserint secula inter illarum obsignationem & harum inchoationem, meritò dicuntur illæ quidem *priores*, hæ verò *posteriores*, tempore scilicet. Dignitatem enim si spectes, primi libri facti sunt novissimi, & novissimi primi.

GROTIUS.

1. ΗΜεῖς οἱ δυνατοὶ, *Nos firmiores*] Δυνατοὺς [*potentes*] hic vocat provectiores in rerum cognitione, quibus oppositi suprà ἀσθενεῖς [*infirmi*]. Sic δυνατὸς ἐν λόγῳ [*potens in sermone*]

Luc. 24. 19. Actor. 7. 22. ¶ *Τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν, imbecillitates infirmorum sustinere*] Similitudo ducta ab itinerum sociis, quorum validiores qui sunt, minùs validos parte sarcinarum levant. *Onus allevant*, dicit Cicero. *ἀλλήλων βάρη βαστάζετε* [*alterum alterius onera portate*] hic Apostolus Gal. 6. 2. Videtur autem argumentum duci ex Lege Exodi 23. 5. hoc modo, *Si sublevandum est jumentum inimici, quantò magis homo amicus?* Sensus est, leniter ferre nos debere aliorum hallucinationes. ¶ *Καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν. & non nobis placere*] *Ἀρέσκειν* [*placere*] hoc loco, ut & 1 Cor. 10. 33. est *rem gratam facere*, quomodo & Xenophon dixit *γείτονι ἀρέσκειν* [*vicino placere*]. est *μετωνυμία* [*Transnominatio*] effectûs pro causa.

2. *Ἕκαστος γὰρ ὑμῶν, Itaque unusquisque vestrûm*] Manuscriptus, *ἕκαστος ἡμῶν* [*unusquisque nostrûm*], quod cum præcedentibus meliùs cohæret. ¶ *Τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν. proximo suo placeat in bonum ad ædificationem*] Non in omnibus gratificari alteri debemus, sed in iis quæ ipsius bono cedunt, id est, *per quæ fieri melior potest*. Nam post *εἰς τὸ ἀγαθὸν* [*in bonum*] subauditur *αὐτοῦ* [*ejus*], ut supra 8. 28. & 13. 4. & ejus interpretatio est illud *πρὸς οἰκοδομὴν* [*ad ædificationem*], de quo vide supra 14. 19. *ἀρεσκέτω* [*placeat*], id est, *scire debet hoc sibi curandum*.

3. *Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς, Etenim Christus*] Is scilicet qui nobis pro exemplari debet esse 1 Petri 2. 21. ¶ *Οὐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν, non sibi placuit*] *Non quæsivit sibi dulcia.* ¶ *Ἀλλὰ, sed*] Supple *fecit*, ut supra 14. 23. ¶ *Καθὼς γέγραπται· Οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σε ἐπέπεσον ἐπ' ἐμέ. sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi ceciderunt super me*] Verba sunt Davidis qui figura Christi, Psalmo juxta Hebræos 69. 10. Vide Matth. 27. 39, 40, 41, 42. Omnia hæc sustinuit Christus Dei ac hominum causâ.

4. *Ὅσα γὰρ προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*] Occurrit tacitæ objectioni, *Ad Davidem ista pertinent. Sit ita: at constat inter Judæos omnes istas res figuras esse rerum Christi.* Vide 1 Cor. 10. 6. *προεγράφη, ante scriptum*, & *προέγραψα, ante scripsi*, Eph. 3. 3. sicut *προητιασάμεθα, ante evicimus*, supra 3. 9. *εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν* [*ad nostram doctrinam*], idem hic quod *πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν* [*ad correptionem nostram*] dicto loco 1 Cor. 10. 11. ¶ *Ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς, καὶ διὰ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*]. *Ut inter mala quæ ferimus, & inter solatia quæ nobis præstat Sacra Scriptura, spem perpetuò retineamus.* Vide supra 5. 3, 4. & 8. 25.

5. *Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως, Deus autem patientiæ & solatii*] *Θεὸς τῆς ὑπομονῆς* [*Deus patientiæ*] est *is quem tolerantia Christiana respicit*, sicut infra v. 13. *ὁ Θεὸς τῆς ἐλπίδος* [*Deus spei*]. *Θεὸς τῆς παρακλήσεως* [*Deus consolationis*], *is à quo solatia veniunt.* Genitivus enim in his libris modò objectum, modò causam effectricem denotat. ¶ *Δῴη ὑμῖν τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις, det vobis idipsum sapere in alterutrum*] Id est, *det vobis omnia quæ ad concordiam mutuam prodesse possunt.* Vide supra 12. 18. ¶ *Κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν secundum Christum Jesum*] *Talem*, inquam *concordiam quæ pietati Christianæ non obstet.* Nam *Jesu Christi* nomen pro præceptis ejus sæpe ponitur.

6. *Ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν Θεὸν καὶ πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi*] Id est, Ut cùm Deum laudatis eique preces funditis, faciatis id non tantùm eodem verborum sono (sicut *δοξολογίαι* [*laudationes*] & *λιτανεῖαι* [*precationes*] fieri solebant) sed & animo pleno mutuæ dilectionis, sine contemptu, sine odio. Habes hanc vocem *ὁμοθυμαδὸν*] *unanimiter*] Actor. 2. 46. ubi forma est Ecclesiæ perfectissimæ. Adde ad ejus vocis explicationem id quod est Actor. 4. 32. *Deus* eximiè *Christi*, & *Deus* Ephes. 1. 17. & *Pater* dicitur Ephes. 1. 3. & per ipsum *noster*.

7. *Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, Propter quod suscipite invicem*] Hæc cùm ita se habeant, id est, cùm in Euangelio præcipuum sit dilectio, nolite ob res tales alii alios à fraternitate abscindere. Vide supra 12. 1. ¶ *Καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς προσελάβετο ἡμᾶς εἰς δόξαν Θεοῦ. sicut & Christus suscepit nos in honorem Dei*] Id est, *Sicut Christus nos sibi sociavit, ut aliquando Divinæ gloriæ cum ipso simus participes.* Joh. 17. 24.

8. *Λέγω δὲ Ἰησοῦν Χριστὸν διάκονον γεγενῆσθαι περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ, Dico autem Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei*] Manuscriptus *λέγω γάρ* [*dico enim*]. Rationem reddit præcedentium, &, quò minùs ex Gentibus vocati Judæos præ sese spernerent, egregio utitur argumento, quod *veritatem Dei*, id est, Euangelium, *Christus ipse per se non nisi circumcisioni*, id est, Judæis circumcisis (vide supra 3. 30. & 4. 9, 12.) *prædicaverit.* Vide Matth. 15. 24. Christus, quanquam filius, rectè *διάκονος* [*minister*] dicitur, quia eam personam susceperat, Matth. 20. 28. Joh. 13. 14. ¶ *Εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων ad confirmandas promissiones Patrum*] Nam Hebræis promissus erat Messias, non Gentibus, quanquam & de Gentibus vocandis vaticinia præcesserant. Genitivus *πατέρων* [*Patrum*] hic objectum significat. Patribus enim, nempe Judæorum, facta erant ista promissa.

9. *Τὰ δὲ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν Θεόν· Gentes autem super misericordia honorare Deum*] Subauditur & *λέγω* [*dico*] ex præcedentibus, & verbum *ὀφείλειν*, *debere*. Similis *ἔλλειψις* [*defectus*] supra 4. 13. Debent Gentes maximas Deo gratias pro tanto beneficio ipsis exhibito ex nulla promissi obligatione. ¶ *Καθὼς γέγραπται· διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἔθνεσι Κύριε καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo*] Sunt ista verba LXX ex Psalmo secundùm Hebræos 18. 50. Dicit David se etiam vicinis alienigenis narraturum Dei in se beneficia. Optimè autem hæc ad mysticum Davidem Christum aptantur.

10. *Καὶ πάλιν λέγει· Et iterum dicit*] Id est, *alio loco*, ut Matth. 4. 7. Hebræi dicerent ושב ויאמר [*& revertitur & dicit*], verbum enim שוב [*reverti*] per *πάλιν* [*rursus*] solent vertere LXX. ¶ *Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. Lætamini Gentes cum plebe ejus*] Dubitari non debet quin sit ex Deuteron. 32. 43. Nam ibi in editione LXX eadem verba exstant, & apparet eos bis legisse litteras עם, nempe hoc modo, הרנינו גוים עם עמו [*Cantate Gentes cum populo ejus*].

11. *Καὶ πάλιν· Αἰνεῖτε τὸν Κύριον πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐπαινέσατε αὐτὸν πάντες οἱ λαοί. Et iterum, Laudate Dominum omnes Gentes, & magnificate eum omnes populi*] Ex Psalm. 117. 1, juxta Hebraïcam editionem: verba hic eadem quæ apud LXX, nisi quòd ibi omittitur copula quæ & in Hebræo non est, sed subauditur.

12. *Καὶ πάλιν Ἡσαΐας λέγει· Ἔσται ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν, ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσι. [Et rursus Esaias ait: Erit radix Iesse, & qui exsurget regere Gentes, in eo Gentes sperabunt*] Sunt hæc quoque ex LXX Esaiæ 11. 10: ubi quod in Hebræo est לנס *in vexillum victoriæ*, verterunt *ἄρχειν* [*imperare*], quia *vexillum* signum imperii. Locus Prophetæ de Ezechia agit, sed qui & ipse non obscura fuit Christi imago. *Orietur*, inquit, *ex Iessæ domo soboles quæ erigetur Gentibus pro vexillo, nempe in id, ut Gentes ei se committant cum bona fiducia.* Hæc pertinent non tantùm ad ostendum Gentibus quid Deo debeant, verùm etiam ad retundendam Judæorum ferociam. Quid est? Vultis vos ægrè ferre si Deus promissa præstat?

13. *Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ἐλπίδος πληρώσαι ὑμᾶς πάσης χαρᾶς καὶ εἰρήνης ἐν τῷ πιστεύειν, Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo*] *Ὁ Θεὸς τῆς ἐλπίδος* [*Deus spei*] est *is Deus quem spes nostra respicit*, ut diximus supra v. 5. *Ille Deus nos impleat* non rixis & jurgiis, sed *tranquillitate* (id enim *χαρὰν* [*gaudium*] vocat) *& concordiâ, ita tamen ut communem fidem retineatis*: neque enim Deus pacem probat cum detrimento fidei in Christum. ¶ *Εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι, ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου. ut abundetis in spe, in virtute Spiritûs Sancti*] *Ut ex illa tranquillitate & concordia spes vestra in Deum crescat, ope Spiritûs Sancti*, qui non amat contentiosos. Vide Galat. 5. 22. Ephes. 4. 3. *περισσεύειν* דשן, *fœcundari*.

14. *Πέπεισμαι δὲ, ἀδελφοί μου, καὶ αὐτὸς ἐγὼ περὶ ὑμῶν, Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis*] Solet Apostolus monita sua emollire quasi ex superabundanti adhibita, ut eò magis suos ad officium excitet. Simile loquendi genus 2 Tim. 1. 5. & in epistola ad Hebræos 6. 9. Et verum erat quod dicit, sed in parte eorum quibus scribit. ¶ *Ὅτι καὶ αὐτοὶ μεστοί ἐστε ἀγαθωσύνης, quoniam & ipsi pleni estis dilectione*] Spero vos sponte vestra sine meo monitu abstenturos à condemnationibus & contemptu. ¶ *Πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως, repleti omni scientia*] Satis intelligentes esse vos plerosque libertatis Christianæ. ¶ *Δυνάμενοι καὶ ἄλλους νουθετεῖν. ita ut possitis & alios monere*] *Alios*, id est, *Imperitiores instituere de ista libertate.*

15. *Τολμηρότερον δὲ ἔγραψα ὑμῖν, ἀδελφοί, ἀπὸ μέρους, Audacius autem scripsi vobis, Fratres, ex parte*] Id est, *paulò liberiùs*, ut hic accipit Syrus; nam *ἀπὸ μέρους* & *ἐκ μέρους* [*ex parte*] diminuit aliquid de eo quod dicitur, ut infra v. 24. 1 Cor. 13. 9, 12. 2 Cor. 1. 14. & 2. 5. ¶ *Ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς διὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, tanquam in memoriam vos reducens propter gratiam quæ data est mihi à Deo*]

Quasi

Quasi dicat σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνω [*festinantem hortor & ipsum*] & necessitatem officii excusat: nam per χάριν [*gratiam*] intelligit μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] ipsum Apostolatum, ut supra 12. 6. ἐπαναμιμνήσκων ידעם [*excitans*].

16. Εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, *Ut sim minister Jesu Christi in Gentibus*] *Esse*, pro *conspici*. *Ut factis probem me ministrum esse Christi ad Gentes missum.* Vide supra 11. 13. ¶ Ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *sanctificans Euangelium Dei*] *Dum obeo sacerdotium* non Leviticum, sed Christianum ex vaticinio Esaiæ 66. 21. ¶ Ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, *ut fiat oblatio Gentium accepta*] Non pecudes Deo offerens, sed homines multos per me ad Deum conversos. Persistit in similitudine victimæ, ideo dicit εὐπρόσδεκτος, quod idem cum εὐάρεστος [*acceptus*], quod supra habuimus 12. 1, 2. ubi dicta vide. Vocem εὐπροσδέκτου habes & infra 31. 2 Corinth. 6. 2. & 8. 12. 1 Petr. 2. 5. Luc. 4. 19. δεκτὸς respondet Hebræo רצון [*beneplacito*]. ¶ Ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *sanctificata in Spiritu Sancto*] Non sale, ut Leviticæ victimæ, sed ipso *Spiritu Sancto.* Vide quæ dicta Marci 9. 49.

17. Ἔχω οὖν καύχησιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τὰ πρὸς τὸν Θεόν. *Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum*] Sensus est, cum tam multos ad fidem adduxerim, *habeo quod læter in rebus Dei,* non quasi per me ista effecerim, sed *per Jesum Christum*. Καυχᾶσθαι modò *inniti*, modò *lætari ob rem aliquam.* הלל interdum καυχᾶσθαι vertitur, alibi ἀγαλλιᾶν *exsultare*] Sic עלז per utrumque vertitur, nec minùs עלץ & רנן.

18. Οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν, *Non enim audeo loqui*] *Vix audeam eloqui.* Est honesta προθεραπεία περιαυτολογίας [*præparatio prædicationis de seipso*], quales multas adhibet Paulus, ut 2 Cor. 12. 1, & sequentibus. ¶ Τί ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστὸς δι' ἐμοῦ εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, *aliquid eorum, quæ per me non effecit Christus in obedientiam Gentium*] *Quid non fecerit*, id est, quàm multa & magna fecerit, *ad Gentium obedientiam*, nempe *efficiendam.* ¶ Καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ, *verbo & factis*] Vide Actor. 7. 22.

19. Ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων, *In virtute signorum & prodigiorum*] Solent hæc sæpe conjungi, ut Matth. 24. 24 Joh. 4. 48. Actor. 2. 43. & 4. 30. & 5. 12. & 7. 36. & 15. 3. 2 Cor. 12. 12. Talia erat dæmonum ejectio, morborum omnis generis sanatio, mortuorum resuscitatio. ¶ Ἐν δυνάμει πνεύματος Θεοῦ, *in virtute Spiritûs Dei*] In Manuscripto ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου (*in virtute Spiritûs Sancti*), quomodo citat Athanasius. Hoc ad illas revelationes de quibus agitur 2 Cor. 12. & linguarum dona pertinet. Hæc erant Paulinæ ἱερουργίας [*functionis sacræ*] signa, multò magnificentiora quàm cidaris & poderes & tintinnabula. ¶ Ὥστε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, *ita ut ab Jerusalem*] Tangitur illa historia quæ est Actor. 9. 26. ¶ Καὶ κύκλῳ, *per circuitum*] Hoc κύκλῳ [*per circuitum*] hîc adverbialiter ponitur, pro *circum*, ut Job. 6. 3. Gen. 23. 17. & 35. 5. & 41. 48. Exodi 7. 24, & alibi sæpe. Sic & Matth. 3. 34. & 6. 6, 36. Luc. 9. 12. Intelligit Phœnicen, Syriæ alia, & Arabiam, Act. 9. 20. & 12. 25. & 13. 1. Gal. 1. 17. ¶ Μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, *usque ad Illyricum*] Rectè; nam Macedonia quam peragravit Paulus, Dalmatiam attingit, quæ pars Illirici, & ipsum mare Illyricum. In eo tractu est Apollonia nominata Actorum 17. 1. Vide Ptolemæum. ¶ Πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. *repleverim Euangelium Christi*] Id est, *implesse munus prædicandi Euangelii*; Est μετωνυμία [*Transnominatio*]. Sic πληρώσαντες τὴν διακονίαν [*expleto ministerio*] dicitur Actor. 12. 25. εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν [*in opus quod compleverant*] Act. 14. 26. & πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ [*ut impleam verbum Dei*], Coloss. 1. 25.

20. Οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, *Sic autem prædicavi Euangelium hoc*] Φιλοτιμεῖσθαι quanquam *ab honoris appetitu* originem trahit, usu tamen traductum est ad id omne quod studio magno ac contentione agimus. Ita enim usurpat Plato, Xenophon, Plutarchus, alii, & noster Apostolus 2 Cor. 5. 9. 1 Thess. 4. 11. ¶ Οὐχ ὅπου ὠνομάσθη Χριστὸς, ἵνα μὴ ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομῶ. *non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem*] Verè de se hoc prædicat Paulus, plerisque in locis se jecisse Euangelii semina. Similitudine autem fundamenti & alibi hac in re utitur, 1 Cor. 3. 10. Ephes. 2. 20.

21. Ἀλλὰ καθὼς γέγραπται *Sed sicut scriptum est*] Feci scilicet. Ellipsis, qualis supra v. 3. ¶ Οἷς μὴ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται καὶ οἳ οὐκ ἀκηκόασι, συνήσουσι. *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent*] Verba ipsa LXX apud Esaiam 52. in fine. *Videbunt res non ante nuntiatas, & intelligent non ante audita*, quod, primo sensu dictum de iis qui vidêre eventum vaticiniorum Jeremiæ, mystico sensu optimè ad Euangelium refertur.

22. Διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην τὰ πολλὰ τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, *Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos*] *Sæpe, cùm scilicet vellem ad vos venire, inhibitus fui*, nempe quia aliò trahebat me cura populorum, ad quos nondum, ut jam ad Romanos, Euangelii notitia pervenerat. Ἐγκόπτειν sensu *inhibendi* habemus & Gal. 5. 7. & 1 Thess. 2. 18. In Glossario, ἐγκόπτω, *incido, impedio.* Similitudo ducta à curribus aut navibus quibus infigitur.

23. Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις *Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus*] *Non inveniens locum ubi nunc fundamenta jacienda sint.* Ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις, *in his regionibus*, Græciæ scilicet. In Glossario, κλίμα, *regio, tractus.* Sic κλίματα [*regiones*] *Achaia, Syriæ, Ciliciæ*, habemus 2 Cor. 11. 10. Gal. 1. 21. Propriè κλίμα vocant Geographi *spatium quod à duobus parallelis intercipitur.* Sed Historici modò arctiùs, modò latiùs sumunt. ¶ Ἐπιποθίαν δὲ ἔχων τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν. *cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis*] Vide supra 1. 11. Act. 19. 21. ἐπιποθία hîc quod ἐπιπόθησις [*desiderium*] 2 Cor. 7. 7, 11.

24. Ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Ἱσπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς. *Cùm in Hispaniam proficiscar, veniam ad vos*] In Manuscripto ὡς ἂν, & sic legêre Græci Patres. Sic ὡς ἂν [*cùm*], 1 Cor. 11. 34. In Manuscripto etiam est, εἰς Σπανίαν [*in Spaniam*]. Alii codices, εἰς τὴν Σπανίαν [*in Spaniam*]. Scribit sic Strabo & Glossarium vetus & Scholiastes, Juvenalis ad Satyram 14 & Martianus Capella, ut ad eum annotavimus. Sic habent & codices Justini & Curtii Manuscripti, & Judæi scribunt ספניה [*Spania*], ut Kimchi ad Obadiam: interdum & corruptè ספמיה [*Spamia*], ut ab aliis notatum. Multa itinera in animo habuit Paulus quæ exsequi situs non est, sive per dictatum Spiritûs, sive per occasiones enascentes quæ prævertendæ videbantur. Sunt qui in Hispaniam ivisse Paulum putant post primam causæ dictionem apud Neronem: certè Clemens in epistola ad Corinthios ait eum fuisse *Præconem & in Oriente & in Occidente.* ¶ Ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς, *Spero enim quod præteriens videam vos*] Quia ex Græcia per Italiam iter in Hispaniam capere volebat, obiter verò Romam invisere. ¶ Καὶ ὑφ' ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ *& à vobis deducar illuc*] Per Galliam scilicet Italis optimè cognitam. Similem rem vide Actor. 17. 15. ¶ Ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ. *si vobis primùm ex parte fruitus fuero*] Ἀπὸ μέρους [*ex parte*] non quantum vellem, sed quantum licebit. Vide quæ diximus supra v. 15. ἐμπλησθῶ [*fruitus fuero*]: tale illud, *Amplexu extremo satiare tuorum.* Syrus ab odoribus sumptam translationem putavit.

25. Νυνὶ δὲ πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλὴμ διακονῶν τοῖς ἁγίοις. *Nunc autem proficiscor in Jerusalem ministrare sanctis*] Ferens illis quæ undique in eorum usum collegi. Vide quæ diximus in prolegomenis ad hanc Epistolam. πορεύομαι, id est, *ad iter accinctus sum.* Vide quæ dicta ad Matth. 26. 28.

26. Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία καὶ Ἀχαΐα, *Probaverunt enim Macedonia & Achaia*] *Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ*; id est, Ecclesiis quæ sunt in Macedonia & Achaia. Tacitè Romanos ad pares liberalitates invitat. ¶ Κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι εἰς τοὺς πτωχοὺς τῶν ἁγίων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ. *collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem*] Id est, *facere pauperibus illis partem de suis opibus.* In Glossario, κοινωνία, *communicatio.* De nomine πτωχοῦ [*pauperis*] diximus ad Matth. 26. 11. πτωχοὺς τῶν ἁγίων [*pauperes sanctorum*], id est, *pauperes qui sunt inter sanctos* Talia sunt, Nigræ lanarum, ovorum oblonga.

27. Εὐδόκησαν γὰρ, *Placuit enim eis*] Est egregia ἀναφορὰ [*Repetitio*] simul cum ἐπανορθώσει [*Correctione.* ¶ Καὶ ὀφειλέται αὐτῶν εἰσι. *& debitores sunt eorum*] Propriè *debet* à quo in jure exigi quid potest, impropriè quem honesta aliqua ratio ad agendum impellit. De utroque hoc *debendi* significatu diximus lib. 2. de Jure Belli ac Pacis 7. 4. & 14. 6. & 22. 16. Sic *gratiam debere* aliquis dicitur. Vide Gellium 1. 5. Sic vocem ὀφειλέται habuimus supra 1. 14. & 8. 12. חיבים [*debitores*]. ¶ Εἰ γὰρ τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν ἐκοινώνησαν τὰ ἔθνη, *nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles*] Cùm prophetias de Christo ab illis acceperint & eorum exemplo in Christum crediderint. Nota κοινωνεῖν sicut Latinum *participare*, & agendi & patiendi sensu dici. ¶ Ὀφείλουσι καὶ ἐν τοῖς σαρκικοῖς λειτουργῆσαι αὐτοῖς. *debent & in carnalibus ministrare illis*] Par argumentum habes 1 Cor. 9. 11. Σαρκικὰ [*carnalia*] vocat quæ ad hanc vitam sustentandam pertinent. λειτουργῆσαι hic est עבד *inservire*, nempe alicujus necessitatibus. Sic λειτουργὸν χρείας [*ministrum necessitatis*] dixit Apostolus Philip. 2. 25. & ipsam hanc largitionem διακονίαν

κονίαν τῆς λειτεργίας [*ministerium officii*] 2 Cor. 9. 12.

28. Τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον, *Hoc igitur cum consummavero & assignavero eis fructum hunc*] Est μετωνυμία [*Transnominatio*]. nam consignari solent quæ deponuntur. Ita *consignatam dotem* dixit Suetonius in Claudio. Et *fructum* vocat id quod ex beneficentia nascitur. Sic καρποὶ μετανοίας [*fructus pœnitentiæ*] Matth. 3. 8. μεστὴ ἐλέους καὶ καρπῶν ἀγαθῶν [*plena misericordiâ & fructibus bonis*] Jac. 3. 17. ¶ Ἀπελεύσομαι δι' ὑμῶν εἰς τὴν Ἱσπανίαν. *per vos proficiscar in Hispaniam*] Etiam hic libri meliores εἰς τὴν Σπανίαν [*in Spaniam*]. Dictum autem est δι' ὑμῶν [*per vos*], id est, *per vestras terras*, sicut *eamus ad me*, id est, domum meam. Tale illud,

— *proximus ardet*

Ucalegon. —

29. Ἐν πληρώματι εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ ἐλεύσομαι *in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam*] In Manuscripto illo, ut & in aliis, ἐν πληρώματι εὐλογίας Χριστοῦ [*in abundantia benedictionis Christi*], quomodo legit & Origenes & Ambrosius & Latinus interpres, id est, *veniam cum uberrimis Christi donis*, ad vos confirmandos scilicet. Vide supra 1. 11. πλήρωμα, *abundantiam* significat, ut Joh. 1. 16. Sic & Cant. 5. 12. εὐλογία omne id *quod* in nos *liberaliter confertur*, ברכה Eph. 1. 3. Gal. 3. 14. Est enim translatio à voce ad res. εὐλογημένη ἐν πληρώματι [*benedicta in abundantia*], est in inscriptione Ignatianæ Epistolæ ad Ephesios.

30. Καὶ διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ πνεύματος, *& per charitatem Spiritus*] *Per illam dilectionem quam in nobis efficit Spiritus Sanctus.* ¶ Συναγωνίσασθαί μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεόν. *ut adjuvetis me in precibus pro me ad Deum*] Ἐν ταῖς προσευχαῖς [*in precibus*], per preces. Dixit autem non βοηθεῖν [*juvare*], sed συναγωνίσασθαι [*unà certare*], quia preces certamen quoddam sunt, ut apparet Coloss. 6. 12. Ejus certaminis figuram gessit certamen Jacobi cum Angelo.

31. Ἵνα ῥυσθῶ ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ. *Ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa*] Ut eorum manus evadam. Prospiciebat enim periculum ex eorum sævitia. Vide Act. 21. 11. & sequentibus. Par loquendi genus 2 Thess. 3. 2. 2 Corinth. 1. 10. ¶ Καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, *& ministerium meum*] Opera hæc quam sumpsi in colligendis perferendisque pecuniis. Talia enim διακονίας [*ministerii*] nomine vocantur, ut Actor. 6. 1. supra 12. 7. 1 Cor. 16. 15. 2 Cor. 8. 4. & 9. 1, 12. ¶ Ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ *in Jerusalem*] *Erga Christianos qui sunt Hierosolymis.* Locutio similis ei quæ supra 26. ¶ Εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις *acceptum fiat sanctis*] Ut nempe Judæi qui in Christum crediderant vocatos ex Gentibus sincerè ament, conspectâ hac ipsorum in se beneficentiâ.

32. Ἵνα ἐν χαρᾷ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς, *Ut veniam ad vos in gaudio*] Lætus tam bono operis successu. ¶ Διὰ θελήματος Θεοῦ, *per voluntatem Dei*] Id est, *Deo iter meum ad vos prosperante.* Sic ἐν θελήματι τοῦ Θεοῦ [*in voluntate Dei*] habuimus supra in re eadem 1. 10. ¶ Καὶ συναναπαύσωμαι ὑμῖν. *& refrigerer vobiscum*] Ἀναπαύεσθαι τοῖς est *solatium accipere*, ut videre est 1 Corinth. 16. 18 2 Corinth. 7. 13. Philem. 1. 7, 20. Συναναπαύεσθαι est *solatium dare & accipere.* Sensus planè idem, qui supra in verbo συμπαρακληθῆναι [*simul consolari*]. 1. 12. Genes. 5. 29. ubi explicatur significatio vocis Noë, in Græco est, Οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν καὶ ἀπὸ τῶν λυπῶν τῶν χειρῶν ἡμῶν· In Latino, *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum.*

33. Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης, *Deus autem pacis*] Deus pacis auctor. Loquendi genus supra v. 5. Θεὸς τῆς παρακλήσεως [*Deus consolationis*]. Hoc dicit, ut hoc magis Romanos à rixis avertat. ¶ Μετὰ πάντων ὑμῶν. *sit cum omnibus vobis*] *Vobis adsit, faveat, opituletur.* Vide quæ ad Matth. 28. 20. & ad Lucam 1. 28.

CAP. XVI.

VALLA.

1. QUÆ *in ministerio Ecclesiæ*] *Gr. quæ est ministra,* οὖσαν διάκονον.

5. *Qui est primitivus Asiæ in Christo*] Quidam hoc nomine putant significari hominis dignitatem: sed hujus erroris in causa est Interpres, qui *primitivus* dixit pro *primitiæ*, ἀπαρχή.

6 *Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis*] *In nobis* legendum est, sive *erga nos*, εἰς ἡμᾶς. *Mariam* accentu in ultima legendum est, Μαριάμ.

7. *Salutate Andronicum & Juliam*] *Juniam* legendum est, Ἰουνίαν.

18. *Per dulces sermones & benedictiones*] *Per dulcem sermonem & benedictionem* legendum est, διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας.

20. *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris*] Meliùs in iis codicibus ubi legitur *conteret*, συντρίψει.

25. Rarissimi codices Græci habent hoc, *Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Euangelium meum, & prædicationem Jesu Christi secundum revelationem*, &c.

ERASMUS.

1. QUÆ *est in ministerio*] Οὖσαν διάκονον, i. *quæ est ministra.* Per hanc Phœben putant redditam Epistolam Romanis. ¶ *Quæ est Cenchris*] *Cenchreis* Græcè est Κεγχρεαῖς, aut, ut in nonnullis habetur scriptum, Κεγχρεαῖς, dictione trisyllabâ, quod nos vertimus *Cenchreensis.* Cæterùm cùm plura sint hujus nominis loca, nempe in Troade oppidum, atque aliud item in Italia, tamen magis consentaneum est Paulum sentire de Cenchreis statione navali Corinthiorum, quandoquidem constat hanc Epistolam è Corintho missam. Hoc etiam Origenes indicavit. Sic enim loquitur præfatus in Expositionem hujus Epistolæ, *Cenchreis enim dicitur locus Corintho vicinus, imò portus ipsius Corinthi.*

2. *Dignè sanctis*] Ἀξίως τῶν ἁγίων. Verti poterat *ut decet sanctos: ut dignum est sanctis.* Adverbio addidit casum nominis.

3. *Priscam & Aquilam*] Origenes putat Priscam eandem esse quam Lucas in Actis c. 18. *Priscillam* appellat, cujus maritus erat Aquila, Ponticus genere, Judæus verò origine & religione, Paulo ὁμότεχνος, nimirum artifex tabernaculorum, &, ut Origenes interpretatur, sutor. Movet Origenem qui fieri potuit ut Aquila Romæ fuerit, cùm Claudius Imperator eos omnes abegerit, ut refertur capite modò citato. Sed fieri potuit ut cessante sævitiâ edicti, Corintho relictâ, Romam redierit Aquila; quandoquidem illic multos Judæos ipse Paulus pòst offendit; quod palàm est ex historia capitis quod est ejusdem voluminis ultimum.

4. *Suas cervices*] Τὸν ἑαυτῶν τράχηλον, i. *suam ipsorum cervicem.*

5. *Et domesticam ecclesiam*] Καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν. Familiam Christianam & si qui accesserant *ecclesiam* vocat: unde nos maluimus *congregationem* appellare, propter crassos qui putant *ecclesiam* esse templum. Nec videri debet indignum si quis conventum Christianorum dicat *congregationem*, cùm Interpres 2 Thess. 2. totam aggregationem fidelium in Christum appellet *congregationem.* ¶ *Salutate Ephenetum*] Ἐπαίνετος *Epænetus* dicitur non *Ephenetus:* quod Latinè sonat *Laudatus*, sive *Laudabilis.* ¶ *Qui est primitivus*] Ἀπαρχὴ, i. *primitiæ:* sive quòd hunc primum Achivorum converterit ad Christum, sive quòd hic esset præcipuus. Nam Ambrosius hoc referre videtur ad dignitatem hominis, ità loquens, *Hujus Epæneti etiam præsentem dignitatem non tacuit, ut ostendat & dignitosos credere, & invitet primos Romanorum ad fidem.* Hæc ille. Solent autem optima quæque in primitias separari. ¶ *Ecclesiæ Asiæ*] Τῆς Ἀχαΐας, i. *Achaia*, est Græcè, non *Asiæ*; licèt refragante vetustissimo codice Paulino. Chrysostomus ac Theophylactus legunt *Achaiæ.* Origenes legit *Asiæ:* Itáque citat Hieronymus locis aliquot. Qui *Asiam* mutarunt in *Achaiam*, hoc videntur offensi quòd non esset verisimile Epænetum esse primum vel dignitate vel conversione totius Asiæ Minoris, quæ in multas regiones dissecta est. Cæterùm constat quoties *Asia* dicitur absolutè, partem Asiæ Minoris significari in qua est Ephesus. Nec additur *Ecclesia* apud Græcos, vel in vetustis Latinorum exemplaribus, nec apud Ambrosium quidem. Addidit autem *in Christo*, videlicet interpretanscur vocarit *primitias.*

6. *Quæ multùm laboravit in vobis*] Εἰς ὑμᾶς; i. *erga vos.* Idem enim satis colligitur ex interpretatione Origenis, apertiùs etiam ex Ambrosiana, apertissimè ex Theophylacti. Quanquam non sum nescius in nonnullis Græcorum cod. haberi scriptum εἰς ἡμᾶς; siquidem in his facillimus est scribarum lapsus. Apud Chrysostomum scriba posuerat utrumque: ex enarratione non liquebat quid legisset, nisi quòd magis convenit ἡμᾶς, primæ personæ.

7. *Andronicum & Juliam*] Ἰουνίαν *Juniam.* Nam *Juliam* posteriùs suo loco refert. Consentiebat cum Græcis vetustissimus codex à Constantia præbitus. ¶ *Qui sunt nobiles*] Ἐπίσημοι *insignes:* nè quis eum de genere loqui putet.

8. *Ampliatum*] Ἀμπλίαν *Ampliam:* nisi fortè Romanam vocem depravavit ad pronunciationem Hebraicam ¶ *Dilectissimum*] *Dilectum*, ἀγαπητόν.

præ-

10. *Salutate Apellem*] Origenes addubitat num hic sit Apollo Alexandrinus, vir in Scripturis eruditus, cujus mentio fit in Actis Apostolorum c. 18. ¶ *Ex Aristoboli domo*] Τὰς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου, i. *eos qui pertinent ad Aristobulum*, ut penultima sonetur accentu acuto: est enim Græcis diphthongus: nomen ab *optimo consilio* dictum. *Domo* non addebatur in exemplari quod præbuit Constantia. Sic Horatius,

Venimus ad Vestæ,

ut subaudiatur *templum*. Græci ἐν Ἅδου, subaudientes τόπῳ. Nec absurdè dixerimus, *Veniam ad Pascha*, ut subaudiamus *festum*.

14. *Asyncretum*, *Plegontam*] Legendum est *Asyncretum*, *Phlegontem*, Ἀσύγκριτον, Φλέγοντα. ASYNCRITUS sonat *incomparabilem*; PHLEGON, *incendens*. ¶ *Hermam*, *Patrobam*, *Hermen*] Diversa nomina sunt. Prius est Ἑρμᾶν *Herman*, alterum Ἑρμῆν, quod Latinè sonat *Mercurium*; atque ità nos vertimus, nè quis in illis fortè ξενίζηται. Origenes in libris περὶ ἀρχῶν arbitratur hunc Hermen esse autorem libri apocryphi cui titulus *Pastor*, unde frequenter adducit testimonia, & putat scriptum afflatu Divino, quanquam non negat à multis contemni. Mira fuit in his veterum vel credulitas vel civilitas, qui tantum tribuerint libris quos titulo Clementis habemus, cùm in his tam manifestus appareat fucus hominis qui talia scripsit.

15. *Olympiadem*;] Græcè Ὀλυμπᾶν *Olympam*. Apparet enim viros esse non mulieres, è duobus articulis Græcis & αὐτοῦ σὺν αὐτῷ. At ex *Olpmpiade* non potes virum facere.

16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi*] Disputat Origenes qui potuerit Paulus omnium Ecclesiarum nomine salutem ascribere, cùm verisimile non sit omnes adfuisse Corinthi cùm hæc scriberetur Epistola. Sed quoniam cognovit omnium erga Romanos studium, omnium nomine salutat illos.

18. *Per dulces sermones & benedictiones*] Διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας. Nè quis imaginetur *benedictiones* vulgò dictas Episcoporum, Græcis sunt duæ dictiones, χρηστολογία, quam *blandiloquentiam* seu *blandiloquium* rectè dixeris. Unde Cæsares quosdam oratione quàm re benigniores vulgò *chrestologos* dictos accepimus. Et εὐλογία ad verbum quidem sonat *benedicentiam* cæterùm hîc pro *laudatione* sive *adulatione* positum est. Inculcavit enim idem dictum odio vitii, nempe assentationis. ¶ *Corda innocentium*] Græcè est ἀκάκων quod magìs significat *simplices*, *minimé*que *subdolos* quàm *innocentes*. Siquidem *innocens* Latinis dicitur qui vacat omni crimine vitæ; ἄκακος qui *expers est fraudis ac suspicionis*. Siquidem *innocentia* verbum unum est ex eorum numero quæ Cicero dicit Græcis deesse.

19. *Vestra enim obedientia*] Appositius erat hoc loco, *Nam vestra obedientia*. Occurrit enim tacitæ quæstioni, cur dixerit *corda simplicium*; *Nam vestra qui prudentes estis*, &c.

21. *Timotheus adjutor meus*] Ὁ συνεργός μου quod *socium & consortem operis* significat Græcis, q. *collegam* dicas aut *cooperarium*. Ambrosius non ineleganter vertit *consors laborum meorum*.

22. *Ego Terentius*] *Tertius*, Τέρτιος legendum est, non *Terentius*. Quanquam in nonnullis habetur *Terentius*. Ambrosius legit *Tertius*: addit enim, *nomine*, *non numero*. Atque ita legit Chrysostomus ac Theophylactus Græcus interpres. Sic enim hic dictus est *Tertius* ut apud Romanos dicebantur *Sexti*, *Quinti*, ac *Decimi*.

23. *Et universa Ecclesia*] Latinus sermo habet amphibologiam, quòd incertum sit an *Gaius hospes Pauli Romanos salutet unà cum tota congregatione*; an intelligendus sit *hospes non Pauli solùm*, *sed totius etiam Ecclesiæ*. Apud Græcos tantùm posterior sensus accipi potest, atqui ideo nos vertimus, *Hospes meus & totius Ecclesiæ*. ¶ *Arcarius civitatis*] Ὁ οἰκονόμος, i. *dispensator*: unde nos *quæstorem ærarii* vertimus. Theophylactus putat *Præfectum* fuisse. Et prorsus hactenus erat præfectus: Arbitror significari *præfectum ærario*.

24. *Gratia Domini nostri*, &c.] Quoniam eadem ferè verba paulò superiùs posita sunt, apud Ambrosium & Origenem hîc non repetuntur, nec in vetustissimo codice quem exhibuit bibliotheca Constantiensis. Apud Chrysostomum priore loco non additur, nec in contextu, nec in enarratione, sed in fine duntaxat post doxologiam: & admonet *convenire ut sermo noster à gratia Dei sumat exordium, & in gratia commemorationem desinat*. Chrysostomo consentit Theophylactus.

25. *Ei autem qui potens*] Hæc pars est pars quæ in plerisque Græcorum cod. non additur. In nonnullis alio additur loco, nempe in fine capitis 14. sicut indicavimus eo loco. In quibusdam adjicitur in fine Epistolæ. Id quod & nos fecimus, præsertim assentientibus Latinis exemplaribus, etiam vetustis, & Ambrosio, cùmque his Origene, qui docet non solùm hanc partem resectam fuisse à Marcione, qui quasdam Paulo inscriptas epistolas rejecit totas, quasdam truncavit mutilavitque; verùm etiam totum hoc quod sequitur ab eo loco quo dixit Paulus, *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*, h. e. à calce capitis 14. quòd cætera adhortationibus tantùm & salutationibus occupata parùm viderentur respondere Paulinæ gravitati. Sed hujus sententiam jam olim ab omnibus explosam quid attinet refellere? Mirum est autem qui acciderit ut hæc pars suo loco fuerit mota. Etenim si ob id loco mota est quòd cum his quæ præcederent ac sequerentur parùm concinnè cohæreret, nè hic quidem cohæret. Nam quòd sermonis ordo nec apud Græcos nec apud nos consequitur, minùs admiror in Paulo, apud quem frequenter ejusmodi occurrunt incommoda. Etenim ut negligamus Hyperbaton quod adjicitur in fine, *Honor & gloria*, quominus ad initium orationis referatur, *Ei autem qui*, &c. obstat dictio *cui*; quemadmodum annotavit & Thomas, secutus Augustinum, qui utcunque explicat alteram constructionis incommoditatem, ut *per Jesum Christum* non referatur ad *sapienti*, nè Deus Pater per Filium sapiens esse videretur, sed ad id quod sequitur, *sit honor & gloria*, quòd is Patrem suâ morte illustravit apud homines. Verùm quid faciemus *ly Cui* (sic enim Aquinas ille loquitur) quod ità constanter obsedit omnes Græcorum & Latinorum codices ut nisi summâ impudentiâ non possit expungi? Quod si locus tuetur, nec superiora cohærent, nec inferiora, nec ipse sanè reperio quid hîc comminiscar, nisi libeat ingenuè fateri Paulum suo more hanc orationem imperfectam extulisse ut subaudiamus *gratias agamus*, aut simile quippiam. Ambrosius connectit superiora cum extremis, *Sit honor & gloria*, dissimulato incommodo constructionis, quo tamen offensus est Thomas. Sed multò antè hunc August. lib. Adv. Maximinum Arianorum Episcopum 3 c. 13. Putat autem sic ordinari posse, *Ei gloria cui per Jesum Christum gloria*. Licèt fateatur omissâ voce *cui* sermonem esse magis usitatum. Porrò quod nos legimus *per Scripturas Prophetarum*, Græcis est διά τε γραφῶν προφητικῶν, i. *pérque Scripturas Propheticas*: cùm neque præcedat aliquid ad quod referatur conjunctio τε, neque sequatur καὶ, quæ consuevit huic connecti ni vis alterius conjunctionis subaudiatur in *nunc* atque hunc accipiamus sensum, *quod mysterium patefactum nunc per Euangelium, & olim per scripta Prophetica*.

Missa fuit è Corintho] Hoc è Græcis voluminibus adjecimus, nisi quòd ἐγράφη vertimus in *missa est*. *Missa est per Phœben*: cæterùm scripta manu Tertii, dictante Paulo. Atque illud interim subit admirari, cujusmodi Legatis tunc usi fuerint illi verè maximi Pontifices, cùm Paulus ad Romanos adhuc florentes de tam arduis rebus scripserit per mulierculam. Deinde ridere libet novam Nicolai Lyrani diligentiam, qui cùm Origenes & D. Hieronymus, cúmque his omnes antiqui, confirment hanc Epistolam è Corintho fuisse missam, ipse tamen ambigit; nimirum quòd Haimo scripsit ex Athenis missam. Verùm hunc plùs quam Gordianum nodum vide quantâ dexteritate mirus explicat artifex. *Partem*, inquit; *scripsit Athenis: quod supererat deinde addidit Corinthi, atque ità Romam misit.* O hominem suavem! mallet, opinor, Paulum quamlibèt magnum itineris facere dispendium, nè quid patiatur autoritas Haimonis, perinde quasi ille uno aut altero in loco labatur.

VATABLUS.

1. IN *ministerio*] *Ministra*: i. libenter suppeditat & subministrat facultates suas. ¶ *Cenchris*] *Cenchreis*, Cenchreæ oppidum & statio navalis Corinthiorum.

2. *In Domino digne Sanctis*] *Propter Dominum, ut decet Sanctos.* ¶ *Assistatis*] Vel, *auxilio sitis.*

3. *In Christo Jesu*] i. In promovendo Euangelio Christi.

4. *Suas cervices*] *Suam ipsorum cervicem*: i. qui pro vita mea tuenda vitæ suæ discrimen subierunt. ¶ *Ecclesiam eorum*] i. Congregationem parvam fidelium qui erant in domo eorum.

5. *Primitivus*] *Primitiæ*: i. qui primus in Achaia Christo credidit.

6. *In vobis*] *In nobis*, Vet. vel, *erga nos.*

7. *Juliam*] *Juniam*, Vet. ¶ *Nobiles in Apostolis*, *Insignes inter Apostolos*: vel, *judicio Apostolorum.* ¶ *In Christo*] i. Priores me Christo crediderunt.

8. *Ampliatum*] *Ampliam.* ¶ *In Domino*] Vel, *propter Dominum quem unicè colit.*

10. *Probum*] *Probatum*: i. virum magnæ existimationis, quantum ad finem in Christum pertinet.

11. *Cognatum meum*] Vel, *gentilem*: i. de eadem natione, Judæum.

Ἀσίας *Aſia*, non Ἀχαΐας, ſcribit. Quamobrem vulgata Græcorum lectio depravata à quibuſdam (Titelmanno, Soto, Zegero) exiſtimatur, ſimilis loci occaſione, qui eſt 1 Cor. 16. 15. *εἴδατε τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ, ὅτι ἐςὶν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας.*

25, 26, 27. *Ei autem qui potens eſt vos confirmare* &c. *ſoli* [*ſolo* 4 MS.] *ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum, cui* * *honor* [* *eſt* 1 MS.] *& gloria in ſecula ſeculorum, Amen.*] Τῷ *cui* ab emendatiſſimo exemplari quod M. N. Hunnæus inter alia contribuit, Ω notato, tollitur: à Complutenſium & Regiorum Bibliorum Latinis & Græcis textibus non agnoſcitur. Plurimum certè lucis orationi adferat ejus omiſſio: verùm in aliis omnibus, quotquot vidimus, Græcis Latiniſque libris reperitur (unum duntaxat Græcum vidimus Pariſiis à Simone Colinæo impreſſum, qui ᾧ *cui* cum *αὐτῷ ipſi* commutavit) atque ab Enarratoribus, quos conſuluimus, pleriſque omnibus, veteribus & recentioribus, manifeſtè legitur (ferè enim eos torquet) quanquam Carenſis & Gorran locum & juxta eum modum explicent quo eſt ſine *cui*, ſecuti, opinor, id quod Autor Gloſſæ annotavit, *ſi auferas* cui, *abſoluta eſt lectio. Græci id* parelcon, *ſenſui ſuperfluum, eſſe docent, quod repetitione opus eſſet aſſumptum*: quibus B. Auguſtinus, lib. 3. Adv. Maximinum cap. 13 accedit, *Quod verò additum eſt* cui, inquit, *ut diceretur* cui gloria, *cùm ſufficeret ſi dictum eſſet*, ei autem gloria, *inuſitatam noſtra linguæ indicat locutionem, non ſenſum, quem requiramus, vel de quo ambigamus, inſinuat.* Syri, illo prætermiſſo, & vocibus quibuſdam tranſpoſitis, clarè interpretati ſunt, *Deo autem ipſi, qui potens eſt confirmare vos,* &c. *qui eſt ſapiens ſolus ipſe, gloria per Jeſum Chriſtum, in ſecula ſeculorum. Amen.*

Circa eundem hunc locum advertimus, eam, ut Græcorum & Syricorum codicum, ità veterum Autorum, tam Latinorum quàm Græcorum, eſſe lectionem, *cui gloria in*, ſublato *honor &*: quo modo eſt & in Latino ſcripto Germani lato. Tria noſtra Latina ſcripta, So. la. T. Pl. ang. legunt. *Cum* * *honor* (* *eſt* Pl. ang.) *in*, ſublato *& gloria.* Vulgatæ noſtræ lectioni alterum fortaſſis eſt additum, ex loco primi capitis prioris epiſtolæ ad Timotheum v. 17. qui celebris eſt in precibus horariis, ad primam, *Soli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

H. STEPHANUS.

2. Παραςῆτε] *Adſitis.* ¶ Προςάτις πολλῶν ἐγενήθη] *Præfuit excipiendis multis hoſpitio.*

17. Τὰς διχοςασίας] *Diſſidia.*

18. *Διὰ τῆς χρηςολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι*] *Blandis & ſpecioſis verbis decipiunt.* ¶ Τῶν ἀκάκων] *Hominum minimè malorum*: i. ſimplicium.

19. Ἀκεραίους] *Simplicitate quadam præditos.*

DRUSIUS.

3. P*Riſcam*] In pleriſque cod. Græcis *Priſcillam*, quod eſt ὑποκοριςικὸν à *Priſca*; quomodo vocatur uxor Aquilæ Pontici Act. 11. 2, 26. Syrus etiam hìc habet *Priſcilla*: quæ lectio valde firmat opinionem Origenis exiſtimantis Priſcam eandem eſſe cum ea quam Lucas in Actis *Priſcillam* appellat, cujus maritus erat Aquila. Paulo ὁμότεχνος, nimirum artifex tabernaculorum. Sunt qui opinantur eſſe nomen viri: unde in Dictionario Hiſtorico Geographico, *Priſca, adjutor Pauli, Rom.* 6. Tu emenda *Rom.* 16. Priſca mulier Montani hæretici meretrix memoratur apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 16. Perperàm in libro Nominum, PRISCA, *Agnoſcens*; &, PRISCAM, *Agnoſcentem.* Quo idiomate? Nam *priſcus* in Latio *vetus, antiquus*: unde *priſcæ coloniæ* appellatæ ſunt ut diſtinguerentur à novis, quæ poſtea à populo dabantur. Vide Feſtum. ¶ *Aquilam*] Aquila Judæus natione Ponticus, cujus mentio Act. 18. 2. & alibi, vocatur ab interprete Syro אקילוס *Aculas*, vel certè עקילס *Aquilas.* Mirum autem cur libuerit uti terminatione Græcâ, cùm in mundo ſit עקילה, quæ terminatio vocis Ebraica eſt: עקילה *Aquila*, ut עקיבה *Aquiba*: & *Aquila, Aquilas* ut *Juda, Judas.* Græcè Ἀκύλας. Sed quomodo, ſi Judæus erat, *natione Ponticus* dicitur Act. 18. 2? Certum eſt in Ponto multos Judæos habitaſſe. Nam cùm ad alios tum etiam ad eos nominatim ſcribit Apoſtolus Petrus. Sciendum verò in exemplari Græco eſſe Ποντικὸν τῷ γένει. & apud interp. noſtrum, *Ponticum genere.* Cui explicando υἱὸς γένους μου, quod in LXX, ubi in fonte בן עמי, *filius populi mei.* Sæpe ità reddunt vocabulum עם, ut ſuis locis obſervamus. Fuit alius hoc nomine interpres è Ponto ſimiliter oriundus, Judæus proſelytus, quem nonnulli confundunt cum Oncelo Paraphraſte Chaldæo, vel ſi mavis eum Metaphraſtem appellare. Veltuyckus diſertè, *Qui putat Oncelos interpretem Legis & Aquilam interpretem Hagiographorum diverſos eſſe, errat. Nam qui in Thalmud Oncelos proſelyta, in Gereſi magno & in Jalcutin vocatur Aquilas proſelytus.* Aliter Elias, cui ego nondum planè aſſentior. Sed & Angelus Caninius, *Chaldæi*, inquit, *uſi ſunt Eſdras, Oncelos & Jonathan; Syriacè Aquilas proſelytus, Joſeph Cæcus, aliique Hagiographorum paraphraſtæ.*

7. *Et Juniam*] Sic etiam Syrus. Nomen eſt feminæ, non viri. Quanquam in Dictionario Hiſtorico, *Junia, nomen viri concaptivi Pauli, Rom.* 16. *Ut Priſcus & Priſca.* ſic *Junius, Junia*: alterum viri nomen, alterum feminæ, Sic *Julius, Julia*: quod ultimum nomen invenies infrà v. 15. *Salutate Philologum & Juliam.* Sunt Latina exempl. quæ hîc etiam legunt *Andronicum & Juliam.* Nos Græca ſecuti ſumus, quibuſcum conſentiunt Biblia Regia & unum MS.

10. *Ex Ariſtobuli*] Subaudiunt *domo*; ſicut dicimus *ad Veſtæ.* ſub. *ædes.* Sic *εἰς ᾅδου.* ſub. *οἰκίαν.* Nota hæc in vulgus. Sed ſciendum in Græco exemplari eſſe *ἐκ τῶν* Ἀριςοβούλου. Ideo Eraſmus intelligit *gentiles & familiares ipſius.* Sic 1 Cor. 1. 11. *ὑπὸ τῶν Χλόης, ab iis qui ſunt Chloes*, i. à domeſticis ejus. Chloen autem feminam eſſe docet Horatius, ità canens,

> *Me nunc Treſſa Chloë regit,*
> *Dulces docta modos, & citharæ ſciens.*

14. *Hermam*] Origenes ad h. l. *Puto quòd Hermas iſte ſit ſcriptor libelli illius qui* PASTOR *appellatur: quæ ſcriptura valde mihi utilis videtur, &, ut puto, Divinitus inſpirata.* Euſebius Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 3. *Sciendum eſt libro Paſtoris, quem Hermæ eſſe dicunt, cujus Apoſtolus circa finem epiſtolæ ad Romanos, ubi aliquos ſalutat, cum aliis mentionem facit, à nonnullis eſſe contradictum.* Rurſum Origenes *περὶ ἀρχῶν*, l. 1. c. 3. *Nam & in eo libello qui Paſtoralis dicitur, de Angeli poſitione, quem Hermes conſcripſit, ità refertur, Primò omnium crede quòd unus eſt Deus*, &c. Corrigo, *quem Hermas conſcripſit*: nam Hermes alius eſt. Idem error lib. 4. c. 2. *Quod nos etiam in libello Paſtoris, quia à nonnullis contemni videtur, deſignatum videmus, cùm jubetur Hermes duos libellos ſcribere*, &c. Imò *Hermas.* Quæ diverſa nomina eſſe liquet vel ex illo ipſo loco Apoſtoli, *Salutate Hermam, Patrobam, Hermen. Hermes* Græcum nomen eſt, & ſignificat *Mercurium.* Perperàm igitur hunc cum illo confundit etiam Petrus Lombardus ſive Longobardus Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 35. ubi teſtimonium producit ex viſione quinta, mandato quarto. Vide, ſi placet, & ſi vacas. De hoc libro diverſa & varia erant aliorum judicia, quæ recenſui epiſt. 106. in, De quæſitis per epiſtolam. *Paſtor* vocatur quia Angelus in figura paſtoris apparuit. Eum inter libros Apocryphos recenſet Hieronymus in Prologo Galeato: quem locum non nemo non intelligens ait Paſtorem eſſe tertium Machabæorum, & ſuo more vulgatam receptámque lectionem emendat, nimis inſcitè imperitéque. Vide Præfationem ejus in libros Apocryphos. Meminit Origenes *περὶ ἀρχῶν* lib. 2. cap. 1. in extremo; item lib. 3. c. 2. videlicet fol. 143. col. 4. Vide quoque fol. 152. col. 1. In lib Nom. *Herman, Anathema noſtrum*, חרמן: malè in libris, *Hermam*: nam חרמם, i. *anathema eorum.* Sed Latina conſuetudo mutat Græcum ν in μ, Ἑρμᾶν, *Hermam.* Indè mendum, ſi mendum appellari poteſt.

18. *Corda innocentium*] Imò *ſimplicium minimèque malorum.* quos Ebræi פתאים appellant, & Terentius *imperitos rerum.* Sciendum autem in codice Græco eſſe *ἀκάκων*, quomodo vocem פתי aliquoties reddunt LXX: ut Prov. 1. 4. & 8. 5. & 14. 15. & 21. 11. פתאים, i. *ſimplicium.* In oppoſito eſt *callidus*, i. ערום. Similiter Cicero pro Roſcio Comœdo *callidum* oppoſuit *imperito.*

CAMERON.

18. E*Ξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων*] Quæritur an ſit hic ἄκακος idem quod *improvidus*, & quales ſunt pueri, quorum mentio in vitio ponitur ab Eſaia. An verò ſignificat homines cæteroquin *minimè malos*? Si vera autem ſit poſterior hæc explicatio, ſupererit quærendum an Apoſtolus ex ſua an verò ex aliorum mente ſeductos iſtos vocet *ἀκάκους*. Si enim ità revera res ſe habet, & ità ille judicet, quî fieri poteſt ut non ſint nequam qui ſeducti ſunt & à Chriſto aberrant? Priorem explicationem videtur v. 19. confirmare. RESP. Omnino ἄκακοι mihi videntur dici, non qui *κακίᾳ* ſed qui *μοχθηρίᾳ* vacant,

quales sunt rudes & imperiti rerum, quibus hypocritæ facilè imponunt. Nam qui tales sunt omnia metiuntur ex vultu, ex sermone, quem hypocritæ facilè componunt. Nec aliunde factum est ut Schismata invaluerint quàm quod Schismatum autores fucum plebi fecerint. Et hîc Paulus mihi graphicè depinxisse videtur Socinum & bonos viros Jesuitas. Ἀκάκως Græci vocant *parùm astutos*, qui non sunt ingenio insidioso: nam εὐήθης est illis quem Latinè vocamus *virum minimè malum*. Et hic prior interpretatio magis mihi arridet.

JAC. CAPPELLUS.

16. *Osculamini alii alios osculo sancto*] Ægyptii, Romani, Græci, osculabantur os; Orientales verò manum tantùm, quo nomine laudat eos R. Simeon Gamalielis F. apud Rabbam in Genes. sect. 74.

LUD. CAPPELLUS.

1. *Οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας* &c.] Vox hæc διάκονος non videtur hîc accipienda de ejusmodi Diaconissis quas Paulus describit 1 Tim. 5. 9. *pauperculas* nempe *sexagenarias*, & quæ ad Ecclesiæ varium ministerium adhibebantur. Non enim fuit Phœbe paupercula femina, utpote quæ *fuit multorum* (ut hic dicitur) προστάτις, adeóque *& ipsius Pauli*, quæque multa habebat Romæ *negotia* (atque, ut nonnulli arbitrantur, in ipsa Imperatoris aula) peragenda, quorum gratiâ hic à Paulo Romanis fidelibus commendatur. Unde colligi non absurdè possit fuisse eam divitem & opulentam feminam. Διάκονος ergò hîc videdicta quòd egenis & peregrinis fidelibus in illo Cenchrearum portu de suis facultatibus subvenisset, quomodo Luc. 8. 3. dicuntur nobiles nonnullæ & divites feminæ Christo διακονεῖσθαι ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων. Sic 2 Tim. 1. 18. de Onesiphoro Paulus scribit, quòd cùm ipse esset Ephesi sibi διηκόνησε, h. e. *subvenerat* de facultatibus suis.

GROTIUS.

1. *Συνίστημι δὲ ὑμῖν, Commendo autem vobis*] Sicut epistolæ quædam sunt merè συστατικαὶ [*commendatitiæ*] quarum & Paulus meminit 2 Cor. 3. & exempla exstant apud Ciceronem, ita & epistolarum quarundam partes sive adjectiones. Commendat Phœben, tum ut adjuvetur in negotiis, tum ut locum suum ibi teneat, sicut in Synagogis moris erat. De epistolis commendatitiis est Canon VI. Antiochenus & XI. Constantinopolitanus. ¶ *Φοίβην, Phœben*] Sicut *Phœbus* nomen viri apud Martialem, sic *Phœbe* mulieris. ¶ *Οὖσαν διάκονον, quæ est in ministerio*] In Judæa Diaconi viri etiam mulieribus ministrare poterant: erat enim ibi liberior ad feminas aditus, quàm in Græcia, ubi viris clausa γυναικωνῖτις [*gynæconitis*, id est, *mulierum conclave*]. ideo duplici in Græcia fœminarum auxilio Ecclesiæ opus habuere. Alteræ erant πρεσβύτιδες [*Presbyteræ*] sive προκαθήμεναι [*priore loco sedentes*] quæ feminarum mores formabant, & ante Laodicenam Synodum manibus impositis ordinabantur, ut videre est Canone ejus Synodi XI. Aliæ erant διάκονοι, Latinè etiam *diaconissæ*, quod Plinius in epistola ad Trajanum vertit *ministras*, quæ feminas pauperes aut ægrotas pecuniâ atque operâ sublevabant. ¶ *Τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς. Ecclesiæ quæ est in Cenchris*] Cenchreæ portus Corinthi ad Saronicum sinum. Vide Actor. 18. 18.

2. *Ἵνα αὐτὴν προσδέξησθε ἐν Κυρίῳ, Ut eam suscipiatis in Domino*] Id est, ob Christum cui fideliter inserviit. ¶ *Ἀξίως τῶν ἁγίων, dignè sanctis*] Id est, *sicut sanctos excipi oportet.* Sic sæpe adverbium ἀξίως [*dignè*] regit genitivum quem regeret adjectivum. ¶ *Καὶ παραστῆτε αὐτῇ ἐν ᾧ ἂν ὑμῶν χρήζῃ πράγματι & assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit*] Julianus in epistola *multùm crevisse ait Galilæorum* (sic ille Christianos appellat) *religionem per τὴν πρὸς τοὺς ξένους φιλανθρωπίαν* [*humanitatem erga hospites*]. Est autem hic παραστῆναι, ut & Latinis *adesse*, *opitulari*. ¶ *Καὶ γὰρ αὐτὴ προστάτις πολλῶν ἐγενήθη καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ. etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi*] Non dixit παραστάτις, *adjutrix*, sed magnifico planè titulo eam exornans dixit προστάτιν, id est, *patronam*. Sic Athenis dicebantur peregrinorum defensores. Et Plutarchus Latinam vocem *patroni* προστάτην solet reddere.

3. *Ἀσπάσασθε Πρίσκιλλαν καὶ Ἀκύλαν, Salutate Priscillam & Aquilam*] Origenes docet Πρίσκαν [*Priscam*] scriptum fuisse hoc loco, quomodo & habent quidam Manuscripti & legit Latinus: & conjicit eandem esse quæ in Actis Priscilla dicitur, rectè: nam feminarum nomina modò simpliciter enunciabantur, modò ὑποκοριστικῶς [*diminutivè*]. Sic *Livia* Drusi uxor Tacito, quæ semper Suetonio *Livilla*. Sic quæ *Claudia* Tacito, Suetonio *Claudilla*, Tales sunt *Secundilla*, *Tertulla*, *Quartilla*, pro *Secunda*, *Tertia*, *Quarta*. Discas hinc edictum Claudii contra Judæos non diu viguisse, *acribus*, ut ferme talia, *initiis*, *incurioso fine*, ut loquitur Tacitus. ¶ *Τοὺς συνεργούς μου ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· adjutores meos in Christo Jesu*] Meritò hoc nomine eos ornat Paulus, cùm non vir tantùm, sed & mulier aliis ad Christianismum perducendis operam dederint, Actorum 18. 26.

4. *Οἵτινες ὑπὲρ τῆς ψυχῆς μου τὸν ἑαυτῶν τράχηλον ὑπέθηκαν· Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt*] In ista seditione cujus mentio Act. 18. 17. Est autem proverbialis locutio τράχηλον ὑποτιθέναι [*cervicem supponere*] quomodo *dare cervices* & *præbere cervices* est apud Ciceronem & Juvenalem. Sic & *caput objicere periculis*, frequens locutio. ¶ *Οἷς οὐκ ἐγὼ μόνος εὐχαριστῶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι τῶν ἐθνῶν. quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium*] Nempe quæ circa Corinthum. ¶ *Καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν. Et domesticam Ecclesiam eorum*] Eodem modo de illorum domo loquitur Paulus 1 Corinth. 16. 19. Quia recens ab exsilio redibant Christiani, credibile est, cùm hæc Paulus scriberet, nullos Romæ fuisse communes Christianorum conventus, neque Presbyteros, quos alioqui salutaret Paulus. Tali autem tempore quæque domus *Ecclesia* est, sicut Tertullianus ait, *Ubi tres, Ecclesia est, licet Laici.* Vide Bezam ad Actor. 21. 4. ¶ *Ἀσπάσασθε Ἐπαίνετον τὸν ἀγαπητόν μου, Salutate Epænetum dilectum mihi*] Magna laus eximiè diligi ab eo qui omnes diligebat. ¶ *Ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας εἰς Χριστόν. qui est primitiæ Achaiæ in Christo*] Ἀσίας [*Asiæ*] legit Origenes & Latinus interpres. Et nunc quoque nonnulli codices sic habent: & sic aliquoties citat Hieronymus, & id rectum arbitror, Nam ἀπαρχὴ [*primitiæ*] *Achaiæ*, non *Epænetus*, sed *Stephanas* 1 Cor. 16. 15. Sic vocantur qui in quâque gente primi crediderant, similitudine ductâ ab illis oblationibus quæ תרומה [*oblationes*, quæ dabantur ante decimam] Hebræis, ἀπαρχαὶ [*primitiæ*] Hellenistis. Vide supra 8. 23. & 11. 16. Usurpat ἀπαρχὰς [*primitias*] eodem sensu de his qui primi crediderunt etiam Clemens in epistola ad Corinthios.

6. *Ἀσπάσασθε Μαριάμ, Salutate Mariam*] Nomen exprimit Syriacum ἀκλίτως [*indeclinabiliter*]. Vide ad Matth. 1. 16. Nomen erat valde frequens, ob sororem Mosis ita dictam. ¶ *Ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν εἰς ἡμᾶς. quæ multùm laboravit in nobis*] Id est, *pro nobis.*

7. *Ἀσπάσασθε Ἀνδρόνικον, Salutate Andronicum*] Cùm hic fuerit Judæus, quippe Pauli cognatus, est hoc nomen Græcum expressum de Judaïco: quod puto fuisse מסנסא, *Masinissa* Pœnis. ¶ *Καὶ Ἰουνίαν, & Iuniam*] Videtur fuisse uxor Andronici cui nomen נהרא [*Nahara*]. ¶ *Τοὺς συγγενεῖς μου, cognatos meos*) Quia fortè ἐπίκληρον [*filiam heredem ex asse*] propinquam duxerat Andronicus. ¶ *Καὶ συναιχμαλώτους μου & concaptivos meos*] Crescit oratio: major enim honos est passionum ob Christum esse participem, quàm sanguinis. Pari honore Aristarchum afficit Coloss. 4. 10. & Epaphram Philem. 23. Sæpe autem in vinculis fuit Paulus, ut videre est 2 Cor. 6. 5. Clemens in epistola ad Corinthios de Paulo, ἑπτάκις δεσμὰ φορέσας [*in vincula septies conjectus*]. ¶ *Οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις, qui sunt nobiles in Apostolis*] Id est, *qui etiam cæteris Apostolis bene sunt cogniti*; quomodo & Syrus videtur accepisse: nec id mirum, cùm sequatur. ¶ *Οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ. qui & ante me fuerunt in Christo*] Id est, *in Ecclesia Christi.* Fuere hi aut ex LXX illis qui in Pentecoste Apostolis adfuere, aut ex primis per Petrum conversis. *Ἀσπάσασθε Ἀμπλίαν τὸν ἀγαπητόν μου ἐν Κυρίῳ· Salutate Ampliam dilectissimum mihi in Domino*] Manuscriptus habet Ἀμπλιατὸν [*Ampliatum*] quomodo & Origenes legit & Latinus. Est id nomen Romanorum ex participio passivo, qualia *Donatus*, *Amatus*, *Præstolatus*, *Benedictus*, Græcum Σωζόμενος [*Sozomenus*], Hebræum *Baruch*, & alia.

9. *Ἀσπάσασθε Οὐρβανόν, Salutate Urbanum*] Et hoc nomen Romanum, quo appellati sunt Episcopi complures. ¶ *Καὶ Στάχυν, & Stachyn*] Nomen est Græcum.

10. *Ἀσπάσασθε Ἀπελλῆν, Salutate Apellen*] Est nomen Laconicum, quod fuit & Philosopho apud Plutarchum & nobilissimo pictori. Ἀπέλλη, *concio.* ἀπελλάζειν, *concionari*. Meritò dubitat Origenes, an non hic sit Apollos in Actis nominatus; nam & alius qui Ἀπολλᾶς [*Apollas*] Athenæo (quod contractum ex Ἀπολλόδωρος [*Apollodorus*]) est *Apelles* in epitome Artemidori Ephesii, & apud Clementem Alexandrinum. ¶ *Τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ. probatum in Christo*] Id est, *qui ma-*

guis

guis experimentis apparuit esse bona fide Christianus. Vide supra 14. 18. ¶ Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου. *Salutate eos qui sunt ex Aristobul.*] Mortui, ut arbitror: nam sic & de Onesiphori familia loquitur 2 Tim. 1. 16.

11. Ἀσπάσασθε Ἡρωδίωνα τὸν συγγενῆ μου. *Salutate Herodionem cognatum meum*] *Herodes* nomen est Atticum: Ὑρώδης [*Hyrodes*] Parthicum. Puto autem Idumæos illos nomen quod à Parthis tunc potentibus acceperant in Græcum emolliisse ex quo ad Romanos se transtulere. Ab hoc nomine Ἡρωδίων [*Herodianorum*] ut Καισαρίων [*Cæsareorum*] & similia. ¶ Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου, τοὺς ὄντας ἐν Κυρίῳ. *Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino*] Puto intelligi Narcissum Claudii libertum; in cujus domo aliqui fuerint Christiani.

12. Ἀσπάσασθε Τρύφαιναν καὶ Τρυφῶσαν, *Salutate Tryphænam & Tryphosam*] Nomina hæc an sint traducta ex Hebræis [illegible] & [illegible], an verò Romanæ mulieres fuerint, vitæ antequam Christo crediderant impudicæ, qualis Triphæna apud Petronium, dubitari potest. ¶ Ἀσπάσασθε Περσίδα, *Salutate Persidem*] Fuerit ancilla aut libertina aliqua orta à Perside & nomen à patria habens, ut *Mysa*, *Syrus*, *Davus*.

13. Ῥοῦφον τὸν ἐκλεκτὸν ἐν Κυρίῳ, *Rufum electum in Domino*] *Eximium inter Christianos* filium Simonis Cyrenæi. Vide Marcum. 15. 21. ¶ Καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ καὶ ἐμοῦ. *& matrem ejus & meam*] *Rufi matrem* naturâ, Pauli affectu: quomodo Maria Virgo *mater* Johannis Apostoli.

14. Ἀσύγκριτον, *Asyncritum*] Nomen Græcum boni ominis, ut multa. ¶ Φλέγοντα, *Phlegontem*] Et hoc nomen apud Græcos frequens, quod habuit & Adriani Imperatoris libertus ortu Trallianus. ¶ Ἑρμᾶν *Herman*] Est nomen libertini hominis, contractum ex Ἑρμόδωρος [*Hermodorus*]. Vide quæ in Prolegomenis ad Lucam. Putant Origenes & eum secuti veteres hunc esse qui Græcè scripsit librum Pastoris quem habemus Latinè, & fragmenta quædam apud Irenæum & Clementem. Mirum est eum librum quondam cum epistola ad Hebræos certasse de auctoritate. Epistolâ ad Hebræos utebantur rigidi disciplinæ defensores, qui post baptismum lapsis in graviora crimina, id est, idololatriam, homicidium, adulterium, misericordiæ quidem Divinæ spem omnem non adimebant, non tamen eis reddebant communionem Ecclesiæ. Hermas, qui ipse post baptismum lapsus esse dicitur, uni crimini pœnitentiam volebat dari, Angeli, ut ipse dicebat, auctoritate. In Oriente videtur Hermas habuisse lenitatis suæ approbatores: at in Occidente & Africa prævaluit severitas, primusque Zephyrinus Episcopus Romanus, non idololatras, nec homicidas, sed semel adulterii convictos aut confessos ad pœnitentiam & post ejus exactæ tempus ad communionem admisit, contradicente Tertulliano: quæ disputatio postea Novato scindendi Ecclesiam prætextum dedit. Non malum fuerat, si retineri potuisset primus ille rigor: sed rectoribus Ecclesiæ prima esse debet unitatis cura, & videndum non modo quid sit optimum, sed & quid obtineri possit. *Nocuit antiquus rigor & nimia severitas cui jam pares non sumus*, ait Tacitus. ¶ Πατρόβαν, *Patrobam*] Martialis hoc nomine libertum quendam Domitiani appellat. ¶ Ἑρμῆν, *Hermen*] *Hermes* nomen est apud Martialem. Talia nomina, *Phœbus*, *Phœbe*, & similia.

15. Φιλόλογον, *Philologum*] Et hoc nomen libertini alicujus ad literas instituti, atque in eam spem sic à domino nuncupati. Sic Attejus libertus Atteji Capitonis dictus *Philogus* teste Suetonio qui causam explicat, *Philologi appellationem assumpsisse videtur, quia sicut Aristophanes, qui primus hoc cognomen sibi vindicavit, multiplici variâque doctrinâ censebatur.* ¶ Καὶ Ἰουλίαν, *& Juliam*] Et hæc libertina fuit manumissa ab aliqua de Cæsarum domo. ¶ Νηρέαν, *Nereum*] Est nomen Sabinum *Neria*. Vide Gellium 13. 21. ¶ Καὶ Ὀλυμπᾶν, *& Olympam*] Et hoc contractum pro Ὀλυμπιόδωρον [*Olympiodorum*] Vide dicta Prolegomenis ad Lucam.

16. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ. *Salutate invicem in osculo sancto*] Qui mos Christianis post orationes, in signum sanctæ dilectionis. Vide 1 Cor. 16. 20. 2 Cor. 13. 12. 1 Thess. 5. 26. 1 Petr. 5. 14. Justinus Apologetico 2. Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν [*Finitis precibus nos invicem osculo salutamus*] Tertullianus de Oratione, *Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra? Quem omninò officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est à quo sine pace receditur?* Nam osculum illud pacis nomine appellabant. Præcesserat enim, *Cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis.* Hinc ad uxorem 2. *Alicui fratrum ad osculum convenire.* De hoc osculo Clem. Pædag. 3. Ἅγιον αὐτὸ κέκληκεν ὁ Ἀπόστολος. ἀπογενομένης ἀξίως τῆς βασιλείας πολιτευόμεθα τῆς ψυχῆς τὴν εὔνοιαν διὰ στόματος σώφρονος καὶ μεμυκότος δι' οὗ μάλιστα διακονεῖται τρόπος ἥμερος [*Sanctum illud vocavit Apostolus. Nos ergo, ut degustato Regno dignum est, clauso ore & modesto curemus ut animo invicem benevoli simus. Hac enim maximè ratione vita ipsa benignior & quasi mansuetior efficitur*]. Meminit ejus moris & Origenes hoc loco, & Martyrologium ad 2. Idus Septembres de Sosthene & Victore. Ostendebant eo modo Christiani se omnes inter se pares esse. Nam apud Persas & alios Orientis populos pares os inter se jungebant, superiores dabant manum osculandam inferioribus. ¶ Ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Χριστοῦ. *Salutant vos Ecclesiæ Christi*] Quæ sunt in Græcia.

17. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε, ποιοῦντας, *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt*] Σκοπεῖν, *considerare.* Idem verbum in eadem re habes Philip. 3. 17. διχοστασίαι [*dissentiones*] præcedunt, sequuntur σκάνδαλα [*scandala*], id est, *schismata.* Vide dicta ad Matth. 13. 41. Notat autem hic eos qui, cùm ipsi Judæi non essent, vocatis Gentibus imponere volebant Legis Mosaïcæ jugum, contra & præcepta Christi pacem commendantis, & præceptum Apostolicum, quod ubique Paulus servandum docuit Actor. 16. 4. Confer Epistolam ad Galatas. ¶ Καὶ ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν. *& declinate ab illis*] Et hoc argumentum facit ut credam non fuisse tunc conventus communes, aut presbyterium Romæ. Alioqui voluisset tales excommunicari. Ubi autem sine tali regimine est Ecclesia, nihil aliud possunt singuli quàm declinare familiarem convictum cum iis qui non ex regula Christi vivunt, ut diximus in commentario ad secundam ad Thessalonicenses, ubi στέλλεσθαι ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος [*subtrahere se ab omni fratre ambulante inordinate*] idem est quod hic ἐκκλίνεσθαι [*declinare*]. Vide & quæ diximus ad Matth. 18. 17.

18. Οἱ γὰρ τοιοῦτοι τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ οὐ δουλεύουσιν ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ· *Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*] Eâdem notâ eosdem homines describit Apostolus dicto loco Philipp. 3. 18, 19. Nimirum isti homines duo spectabant, primùm ut semet & alios Christianos liberarent à cruce: nam Judæis ab antiquo permissa erat per Imperium Romanum suæ religionis libertas, non item Christianis. Deinde, ea ratione Judæorum sibi amicitiam & inde utilitates parabant. Hoc autem noverat Apostolus non ex conjecturis solis, sed dictante etiam Spiritu Sancto. Non dissimile est quod de Demade dictum narrat Plutarchus libro de divitiarum studio, αὐτὸς γὰρ εἰς τὴν γαστέρα ἐδημαγώγει [*is enim ad rempublicam accesserat, ut esset, quod ventri largiretur*]. ¶ Καὶ διὰ τῆς χρηστολογίας, *& per dulces sermones*] Χρηστολόγοι sunt *homines blandi magis quàm benigni*, ut interpretantur eam vocem ii qui Pertinacis vitam scripsere. Est hoc pars ἀρεσκείας [*comitatis assentatricis*] cujus descriptionem habes apud Theophrastum. Mulieri extraneæ tribuit Salomo מחלקת לשון *blanditias linguæ.* ¶ Καὶ εὐλογίας, *& benedictiones*] Εὐλογεῖν Isocrati & Aristophani est *laudare*. Solent autem qui aliis placere volunt eos in os laudare, & culpas etiam eorum extenuare. De talibus agitur 2 Tim. 3. 4, 5, 6, 7. quales utinam non tam multi sint nostro etiam sæculo. ¶ Ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων. *seducunt corda innocentium*] Ut illi qui dicebant, *Pax, ubi non erat pax*, Jerem. 8. 10. Ἄκακοι [*innocentes*] hic per χαριεντισμὸν [*molliorem locutionem*] dicuntur *homines faciles decipi*, Plutarchus, οἱ ἄκακοι ὑπὸ τῶν λεγόντων μᾶλλον βλάπτονται [*hominibus minimè malis plus etiam nocet malâ aliorum oratio.*

19. Ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο. *Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est*] Quia ubique celebratur vestra in Christum fides, ideo multi ad vos undique concurrunt, nimirum sperantes in opulenta urbe optimum sibi fore aucupium. ὑπακοὴ [*obedientia*] hic ut supra 1. 5. & 15. 18. Idem planè sensus qui supra 1. 8. ¶ Χαίρω οὖν τὸ ἐφ' ὑμῖν *Gaudeo igitur in vobis*] Majori parti Christianorum gratulatur quæ se non siverat ab illis lucripetis seduci: attamen quia

Cuivis potest accidere quod cuiquam potest,

addit monitum, ¶ Θέλω δὲ ὑμᾶς σοφοὺς μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθόν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν. *sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo*] Ita prudentes ut non fallamini, ita bonos ut non fallatis. Idem sensus qui Matth. 10. 16. & 1 Cor. 14. 20. εἰς τὸ ἀγαθὸν [*in bono*], id est, ut in bono perseveretis.

20. Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πό-

ANNOTATA in Epistolam I. D. PAULI ad CORINTHIOS.

CAP. I.

VALLA.

1. P*Aulus vocatus Apostolus Christi Jesu*] Ut superiùs admonui, non est accipiendum *vocatus* pro *dictus*, κλητός, sed sicut paulò pòst, *vocatis sanctis*, κλητοῖς.

2. *Qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum, & nostro*] Melius erat *in omni loco suo*, sed vox Græca nonnunquam fallit Interpretem, quæ est primitiva casus genitivi, pluralisque numeri, αὐτῶν.

3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino Jesu Christo*] Græcè ambiguum est an sic accipiendum sit, an *Domini Jesu Christi*, καὶ Κυρίȣ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. *Gratia* hîc χάρις eodem verbo dicitur quo statim pòst,

4. *In gratia quæ data est vobis*] Ἐν χάριτι, sed non eodem quo illic,

7. *Ità ut nihil nobis desit in ulla gratia*] Χαρίσματι. Quod verbum nonnunquam Interpres transfert *donum* ut ubi, *Unusquisque proprium donum habet*, χάρισμα 1 Cor. 7. 7. quódque non semper transfert, ut illud, *Æmulamini charismata meliora*, χαρίσματα, 1 Cor. 14. 31.

10. *Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia*] Meliùs legitur in quibusdam cod. *& eadem sententiâ*, γνώμῃ.

15. *Nè quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis*] Meliùs *in nomine meo*, sive *in nomen meum* (est enim Græcè casûs accusativi) *baptizavi*, εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα. Neque enim multi eorum ad quos scribebat Paulus ab hoc fuerant baptizati, ut potuerit quis dicere *illos*, h. e. *multos*, à Paulo in nomen suum fuisse *baptizatos*.

17. *Nè evacuetur crux Christi*] Mallem ego dicere per nomen, *nè inanis fiat crux Christi*, quàm per verbum *evacuetur*, sive *exinaniatur*, κενωθῇ. Vasa enim evacuantur quæ plena sunt, aut similia per Metaphoram & exinaniuntur.

19. *Et prudentiam prudentium reprobabo*] Gr. *intelligentiam intelligentium*, σύνεσιν τῶν συνετῶν.

20. *Ubi conquisitor hujus seculi?* Cur non potiùs *disputator hujus seculi*, sicut transfert, συζητητής;

26. *Videte enim vocationem vestram*] Cur non potiùs *videtis*, cùm sequatur conjunctio causalis? Græcè namque ambiguum est, βλέπετε. Erit enim sententia, Etenim *videtis* verum esse, Deum non elegisse potentes in mundo sapientésque, sed imbecilles & insipientes, *ex vocatione vestra*, i. ex vestro exemplo, qui imbecilles estis insipientésque.

REVIUS in VALLAM.

15. ΕΙΣ τὸ ἐμὸν] Loco motum: nec minùs

17. Κενωθῇ.

20. *Transfert*] In prioribus editionibus est *transfers*: eodem sensu.

ERASMUS.

1, 2. V*Ocatus*, & *Vocatis sanctis*) Κλητὸς & κλητοῖς nomina sunt, non participia, ut superiùs admonuimus, non perinde quòd jam sancti sint, sed quod vocati sint ad sanctimoniam. Quemadmodum indicavit & Ambrosius. Quanquam olim omnes Christiani dicebantur *sancti*, ad discrimen profanorum, nec erat titulus virtutis sed professionis. ¶ *Ipsorum*] Latinius erat *suo*. Est autem Græcis duplex conjunctio, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν, i. *suóque & nostro*. Porrò sensus nonnihil est anceps. Theophylactus existimat *suóque & nostro* referri posse ad *Dominum*, quia præcessit *Domino nostro*: deinde repetens addat, *Non solum nostro, sed & illorum quicunque invocant*. Ad eundem modum ordinat Chrysostomus in Commentariis Græcis nondum versis quos in hanc scripsit epistolam, si modò non fallit titulus. Ejus codicis copia nobis facta est ex bibliotheca Prædicatorum apud Basileam. Verùm hæc interpretatio mihi videtur affectata. In hac editione quam nunc quintam damus consuluimus alios Chrysostomi codices, & comperimus eum ità temperare enarrationem, ut αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν possit vel ad *Dominum* vel ad locum referri: quia sicut unus est Dominus, ità una est Ecclesia. Quidam simpliciter interpretantur, *sive in suis locis in quibus non agimus*. Tertius autem sensus mihi videtur argutior, & ad Paulinos affectus accommodatior: quem hàc lege referam ut liberum sit lectori nihilo secius quod malit sequi, *in quovis loco, sive ipsorum, sive meo*: aut, *& ipsorum & meo*, ut intelligas Paulum omnem locum suum ducere in quo sint qui invocant nomen Domini, quòd inter Christianos charitas communia faciat omnia. Nec abhorret ab hac sententia Theophylactus, indicans Paulum objurgaturum Corinthios ob coortum inter illos dissidium hàc usum parasceuè, q. d. *Si omnium qui quovis loco credunt Christo una eadémque est Ecclesia, cur vos ejusdem reipublicæ cives inter vos dissidetis?* Ambrosius videtur *ipsorum* referre ad loca Gentium; *nostro*, ad Judæorum: sic enim adscribit, *Cum Judæis veris jungit & Gentes*. Nisi mavis invertere, ut prius ad Judæos pertineat, *nostro* ad Gentes, quòd in Judæa tantùm soleat invocari nomen Domini, & Paulus ut Gentium Apostolus *nostro* dixerit. Coactius est quod addit Thomas, & hunc secutus Lyranus, *ipsorum* referri ad Episcopos ejus loci, quibus licèt essent subjecti, non tamen per hoc eximebantur à ditione Apostoli. Certè nomen *ditionis* inauditum fuit inter Apostolos.

3. *A Deo Patre nostro, & Domino Jesu*] Anceps est sensus apud Græcos, propterea quòd hic genitivus referri potest ad præpositionem ἀπὸ, ut sit sensus, *A Patre pariter atque à Filio pacem proficisci*: & ad nomen *Patre*, ut accipiamus Patrem esse communen Christo & nobis. Priorem tamen sensum sequuntur omnes.

5. *In omnibus*] Ἐν παντὶ, i. *in omni*; h. e. in quavis re. Quanquam id quidem ad sensûs integritatem nihil refert, & rectè numerum mutavit Interpres.

6. *Sicut testimonium*] Καθὼς, i. *quemadmodum*: quod ad superiora referendum est: i. *per quæ*, sive *Quibus rebus*; nempe *sermone & cognitione*. Etenim quò magis illi abundabant dotibus sacris, hòc testatior reddebatur Euangelii veritas. In eum sensum prorsus interpretatur Theophylactus. Nec ab hac sententia multùm abest Ambrosius. Thomas pro una varias inducit sententias.

7. *Ut nihil vobis desit*] Ὥςε ὑμᾶς μὴ ὑςερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι, *ut non destituamini in ullo dono*. Et *ut* hoc loco non notat Finem, sed Consequentiam, velut *adeò ut*. Item hoc loco *gratia* est non χάρις, sicut paulò superiùs, sed χάρισμα; quod sæpenumero *donum* vertit.

8. *Sine crimine*] Ἀνεγκλήτȣς q. d. *incriminabiles*, *inculpatos*; ab ἐγκαλεῖν, quod est *in jus vocare*: & ἔγκλημα *crimen* est Græcis, indidem dicta vox. Est autem perfectius atque etiam difficilius ἀνέγκλητον esse quàm innocentem. Siquidem ipsa etiam innocentia non vacat aliquoties crimine.

9. *Fidelis Deus*] Πιςός. Paulus hanc dictionem variè usurpat. Nonnunquam πιςοὶ dicuntur *qui credunt*, ut ἄπιςοι *increduli*: aliàs πιςοὶ, *qui sunt bonæ fidei*, *præstantes quod receperint*, ut hoc in loco; teste & Theophylacto, qui fidelem Deum *veridicum* interpretatur *ac mentiri nescium*. Interim ad rem refertur, ut πιςὸς ὁ λόγος pro *sermone certo & indubitato*. Porrò *fidelis* vocabulum etiam superiori competere testatur Horatius.

Unde mihi tam fortem, támque fidelem.

Loquitur enim de eo quem certè volebat superiorem videri. ¶ *In societatem*] Εἰς κοινωνίαν, *in communionem*, sive *consortium:* licèt rectè verterit Interpres.

10. *Obsecro vos*] Παρακαλῶ. *Hortor* esse poterat. Quanquam & *obsecro* satis quadrat, sive *obtestor*; præsertim quia sequitur, *Per nomen Domini nostri Jesu.* Sic enim interpretatur & Theophylactus, Paulum obtestari Corinthios per nomen illud quod omnibus Christo initiatis sacrosanctum esse debet. ¶ *Ut idipsum dicatis*] Τὸ αὐτὸ, i. *idem loquamini*; h. e. *consentiatis:* quod ad Romanos scribens dixit τὸ αὐτὸ φρονεῖν *idem sentire*, sive, ut ille vertit, *sapere:* quòd hæc inter se cognata sint, *dissentire animo* & *dissidere verbis.* Ad hunc modum exponit & Theophylactus. At hujus præcepti non meminerunt quidam, quorum alius mordicus tenet Scotisticam sectam, alius Thomisticam, alius Occanisticam, alius Albertisticam. Aliud loquuntur Nominales, aliud Reales, aliud Jurisperiti, aliud Theologi, rursus alia Transalpini, aliud Cisalpini. ¶ *Schismata*] Græcam vocem reliquit: dicere poterat *sectiones*, aut *dissensiones*, aut *dissidia*. ¶ *Sitis autem perfecti*] Κατηρτισμένοι, sive ut quidam habebant, ἀπηρτισμένοι quod significat *perfectum*, ut corpus est in quo nullum sit membrum mutilum aut mancum aut inæquale, ab ἄρτιος & ἀρτίζω. Unde nos explicandi causâ vertimus, *sitis integrum corpus.* Etenim cùm dicitur *perfectum*, vulgus intelligit absolutam virtutem: de qua nondum agit Paulus apud seditiosos. Si vertissem *integri*, visus essem dicere incorruptos ac probos. Monet enim Paulus ut non solùm concordes sint linguâ idem loquentes, verùm etiam ut sicut integri corporis membra eodem aguntur Spiritu, itâ & illis mens sit eadem. Porrò quod dissidet divulsum est ac dissipatum, non integrum ac solidum. ¶ *In eodem sensu*] Αὐτῷ νοΐ, i. *eadem mente.* *In* præpositio posita est pro *per*; ideóque eâ omissâ, sensum eundem reddidimus. ¶ *In eadem scientia*] Αὐτῇ γνώμῃ, i. *eadem sententiâ*: quod aut mutatum est à librariis, aut Interpres legit γνώσει, sicut habetur in editione Aldina, pro γνώμῃ. Sed hoc mihi verisimilius est, cùm & Græcorum codices consentiant, & in vetustissimis Latinorum exempl. habeatur *sententia* pro *scientia*, nominatim in exemplari Paulino probatissimæ fidei, quódque multorum instar esse possit; rursum in eo quod nobis præbuit Collegium Canonicorum Constantiensium. Ad hæc Ambrosius deprehenditur *sententia* legisse, non *scientia*, si quis attentiùs observet ea quæ commenti vice subjicit, *Perfectos vult eos esse in eodem sensu, quem illis tradiderat ut non discreparent. Ad illorum enim exemplum quos suprà laudat, hos provocat, ut hoc sentiant ac defendant.* Hactenus Ambrosius. *Sensum* refert ad id quod illis fuerat à Paulo traditum, *sententiam* ad defensionem. Nam *sententia* vocatur ferè quæ profertur ac recitatur, *sensus* apud nos est. Certè palàm pro *scientia sententiam* legit Hilarius in Psal. 102. Rursus Augustinus lib. 1. contra Donatistas De Baptismo, cap. 10. *sententia* legit, non *scientia.* Itidem legisse Chrysostomum ac Theophylactum deprehendet qui perpenderit attentiùs illorum interpretationem. Thomas detorquet *sensum* ad eam vim animi quâ judicamus de agendis; *scientiam*, quâ judicamus de cognoscendis. Id commentum mihi sanè non admodum arridet, cum mente potiùs judicemus cognoscenda. Neque enim *sensus* hic accipi potest pro sensu corporalis organi, qualis est Visus aut Auditus. Erroris ansa hinc præbita est, quod paulò superiùs habebatur γνώσει· ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει. Verùm illic loquebatur Apostolus de abundantia scientiæ & eruditionis, hic agit de consensu. At fieri potest ut non sit eadem *scientia* cùm *mens* sit eadem.

11. *Ab his quæ sunt Chloes*] Theophylactus Græcus interpres Chloen familiæ Corinthiensis nomen esse putat; ut intelligas ejus gentis aliquos fuisse qui Paulo significarint de Corinthiorum dissidio. Quemadmodum ad Romanos scribens, dixerat ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου, gentiles illius ac familiares intelligens. Thomas ambigit utrùm Chloen vicum facere malit quæ pertinuerit ad ditionem Corinthiorum, an matronam. Ambigit & Ambrosius *homines* sint, *locus*, an *femina*. Etiamsi apud Græcos locorum nominibus addi solet præpositio. Neque enim apud illos receptum est τοῖς οὖσι Ῥώμης, quemadmodum apud nos *iis qui Romæ sunt*, sed additâ præpositione, efferunt, ἐν τῇ Ῥώμῃ. Certè apud Horatium in Odis *Chloe* feminæ vocabulum est,

Me nunc Cressa Chloe regit,
Dulces docta modos & citharæ sciens.

Miro verò consilio Paulus fidei causâ familiæ nomen expressit ac rursus hominum nomina suppressit, nè quid illis conflaret invidiæ.

14. *Deo meo*] Μου apud Græcos non est, nec apud Ambrosium, nec in antiquis exempl. nominatim in Paulino & Constantiensi. Et absolutius est ut sit Deus omnium. Nam quod paulò superiùs dixit, *Gratias ago Deo meo*, annotatum est à Theophylacto, quòd Deum omnium communem affectu quodam summo *suum Deum* appellarit, & hic annotaturo si *suum* dixisset *Deum*.

15. *In nomine meo baptizati estis*] Ἐβάπτισα, i. *baptizavi*, primæ personæ, licèt constanter refragantibus Latinis exemplaribus: & ad sensum nihil interest. Ex Theophylacti commentariis non admodum liquet quid legerit, nisi quòd conjectura magis eò vergit, legisse ἐβάπτισα quàm ἐβαπτίσθητε. Subjicit enim, *Paulum complures baptizasse, sed in Christi nomine, non suo.* Hâc editione quintâ, quoniam ad manum erat Græcus codex, comperi scriptum ἐβάπτισα tum apud Chrysostomum tum apud Theophylactum. Lectionem confirmat Chrysostomi commentarium, *Quid*, inquit, *gloriamini quòd baptizatus, cùm ego gratias agam Deo quòd id non fecerim?* Certè Augustinus cùm aliàs tum libro Adv. Cresconium 3. cap. 11. legit juxta Græcos. Verùm nè quid erres, lector, in hac voce sæpe reperta; in primo loco, *aut in Pauli nomine baptizati estis*, consentiunt Latini codices cum Græcis; in altero loco, *nè quis dicat quod in nomine meo baptizavi*, Græci consentiunt, Latini dissentiunt; eò quòd quidam legunt *baptizati sitis*, alii *baptizavi*.

16. *Si quem alium vestrûm*] Εἴ τινα ἄλλον, i. *num quem alium.* Nam *vestrûm* redundat, nec additur apud Ambrosium, nec apud Chrysostomum ac Theophylactum.

17. *Non in sapientia verbi*] ἐν σοφίᾳ λόγου, i. *in eruditione sermonis.* Siquidem σοφὸν appellant non solùm *quod sapit*, verùm etiam quicquid *elegans* est & *eruditum*. Græcis autem placebat eruditio, sicuti Judæis miracula ac prodigia. Et *in* præpositio loco *per* posita est: & Hebraicâ figurâ dictum est *in sapientia sermonis* pro eo quod erat *erudito sermone*, sive *per eruditum sermonem.* Porrò cùm λόγος *sermonem* significet potiùs quàm *verbum*, cur hoc in loco libuit abuti *verbo*? & mox ad eundem modum *verbum enim crucis:* neque enim hic significatur Dei Filius. Ubi & illud obiter annotandum, hic geminum addi articulum, ὁ λόγος γὰρ ὁ τοῦ σταυροῦ, quò sit evidentior discretio hujus sermonis de cruce, simplicis & incompositi, suóque congruentis argumento, à sermone Philosophorum & Rhetorum fucato compositóque. ¶ *Ut non evacuetur*] Ἵνα μὴ κενωθῇ, i. *ut non fiat inanis.* Nam *inane* dicitur quod non est solidum, sed specie blanditur. Illud obiter annotabis, optime lector, quàm solicitè curarit D. Paulus ut Euangelium Christi purissimum esset ab omnibus humanis adminiculis, nè quid indè sibi vendicare posset hîc mundus, adeò ut eloquentiam voluerit adjungere aut eruditionem humanam. At his temporibus cùm oneremus Christum opibus, negotiis profanis, honoribus, imperiis, exercitibus, voluptatibus, & quibus tandem non? solam eloquentiam exsecramur. Et hac una in parte vel anteimus Apostolos: nam illi simpliciter dixerunt, sed cordatè, sine lenociniis, at rursum sine spurcitia, sine portentis; inaffectatè locuti sunt, sed prudenter: & ut paucis dicam quemadmodum alio modo potentes erant ac divites, alio modo nobiles & inclyti, itâ diversò modo tum eruditi, tum eloquentes.

18. *Id est nobis*] *Id est* addit nescio quis: nam Græcè est τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν, *nobis autem qui salutem consequimur.* Apud Ambrosium itâ legitur, *his autem qui salvi fiunt*, *Dei virtus est*, omisso, ut apparet, ἡμῖν· ¶ *Dei virtus est*] Δύναμις: ut opponatur *infirmitati* & *impotentiæ:* quòd Corinthii divitiis essent insolentes, quemadmodum Romani tumebant imperii gloriâ & laude bellicâ.

19. *Perdam sapientiam sapientium*] Testimonium est apud Esaiam cap. 29. quod suo more adduxit, non juxta veritatem Hebraicam, sed juxta LXX, licèt in sensu nulla sit discrepantia. Sic enim habet Hebraica veritas, *Peribit enim sapientia à sapientibus ejus, & intellectus prudentium illius abscondetur.* LXX sic, *Et perdam sapientiam sapientium, & intellectum prudentium abscondam.* Τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν, i. *intelligentiam intelligentium*, si quis ad verbum reddat.

20. *Ubi scriba?*] Γραμματεύς. Id Theophylactus ad Judæos referri putat, apud quos sapientiæ professio penès Scribas erat: alioqui γραμματεὺς ad verbum *literatorem* sonat; unde & *literatus* dicitur. Neque enim *scriba* simpliciter is dicitur Hebræis qui scribit, sed qui consultus de rebus perplexis ex oraculis Scripturarum S. respondet, quemadmodum annotavimus in Euangeliis. Sumptum apparet ex Esaiæ 33. ubi juxta Hebraicam veri-

veritatem ità legit Hieronymus, *Ubi scriba? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?* Juxta LXX ad hunc modum legimus, Ποῦ εἰσιν οἱ γραμματικοί; ποῦ εἰσιν οἱ συμβουλεύοντες; ποῦ ἐστιν ὁ ἀριθμῶν τοὺς συντρεφομένους μικρὸν καὶ μεγάλον λαόν; *Ubi sunt grammatici? ubi consultores? ubi est qui numerat eos qui nutriunt parvum & magnum populum?* ¶ *Ubi inquisitor?*] Συζητητὴς, *disputator:* ad verbum sonat *conquisitor:* nam συζητεῖν est *disputare.* Atque ità legit Ambrosius, itáque scriptum comperi in exemplari Paulino & Constantiensi. De hoc verbo nonnihil admonuimus in Euangeliis. ¶ *Nónne stultam fecit*] Οὐχὶ ἐμώρανεν, *nónne stultificavit*, sive *infatuavit*, ut ità loquamur. *Fatuum* enim & *sapidum* pugnant inter se.

23. *Gentibus autem stultitiam*] Ἕλλησι δὲ, *Græcis autem:* quo nomine solet omnes complecti qui Judæi non essent.

24. *Ipsis autem vocatis*] Αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς. Dilucidius erat, *sed iisdem vocatis:* ut intelligas utriusque gentis Christianos, quibus ex æquo Christus probatur. Cùm unus utrumque sit, quod utraque gens requirebat. Quid quæris, Judæe? Signa. Hic est Dei virtus. Quid tu, Græce? Sapientiam. Hic est Sapientia Patris æterni. Nam id sensisse Paulum testantur & Græci interpretes.

25. *Quòd stultum est Dei*] Ὅτι τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ ἀσθενὲς, *Stultitia Dei, & infirmitas Dei:* ut adjectivum in genere neutro positum intelligatur vice substantivi nominis. Annotavit hunc locum Augustinus in opere De doct. Christ. lib. 2. cap. 13. ostendens in hac interpretatione, licèt absit solœcismus, non abesse tamen amphibologiam, quòd incertum sit an *hominibus* sit dandi casûs an auferendi, q. d. *stultum est tibi, sed stultius huic.* Id incommodi vitari posse putat si vertas, *fortius est quàm homines, & sapientius est quàm homines.* Atque ità sanè refert lib. Adv. Faustum 12. cap. 23. Cæterùm si Interpres vertisset ad verbum, *sapientius & fortius est hominum*, duplex fuisset incommodum: non solùm enim admisisset solœcismum, verùm etiam amphibologiam; quòd perversè poterat accipi, *Quod stultum est hominum, sapientius esse quàm Dei; & infirmum hominum, fortius quàm*]*Dei.* Porrò *stultitiam* & *imbecillitatem Dei* vocat prædicationem Crucis, sive quòd ea res stulta & imbecillis videretur impiis, sive quòd ad ineffabilem illam Dei sapientiam ac potentiam hæc quodammodo stulta esset & imbecillis. Ut enim omnes justitiæ hominum coram Deo sunt veluti pannus mulieris menstruo fluxu pollutæ, ità universa mortalium sapientia, si componatur ad incogitabilem illam ac cœlestem sapientiam, *stultitia* quædam dici possit. Nec est quòd abominemur hunc sermonem, *stultitia Dei;* quam non horruit Augustinus Epist. 102. scribens ad hunc modum, *Hæc stultitia Dei & stultitia prædicationis multos contrahit ad salutem. Si Deus demisit se ad nostram imbecillitatem, ut fortes redderet, quid novum si se demisit ad nostram stultitiam, ut ex stultis redderet sapientes?*

26. *Videte enim*] Βλέπετε γάρ. Tametsi Græca vox anceps est, tamen sensui magis congruit *videtis* quàm modus imperativus *videte.* Nec enim admonet ut videant quod sciebant, sed quod perspicuum erat trahit in argumentum. Ambrosius Græcam vocem ancipitem ancipiti Latinâ explicat, legens, *Intuemini enim, fratres.* Theophylactus interpretatur per imperandi modum, atque itèm Chrysostomus; cùm tamen huic enarrationi magìs congruat indicandi modus. Apostolus enim citat ipsos Corinthios testes eorum quæ dixit, *Ipsi videtis inter vos esse electos qui juxta mundum stulti sunt & contempti.* Sensus tamen eòdem recidit.

27. *Ut confundat*] Καταισχύνῃ, i. *pudefaciat:* aut *suffundat*, potiùs quàm *confundat:* nam *confundi* dicitur qui perturbatur. ¶ *Sapientes*] Mirum est cur Paulus non servaverit utrobique generis similitudinem. Nam ad *stulta* opponit *sapientes*, non σοφὰ *sapientia*, sive *docta:* & tamen in cæteris reddit neutrum genus, *fortia*, & non *fortes.*

28. *Et ea quæ non erant*] Καὶ τὰ μὴ ὄντα. Cùm antè dixisset ἐξουθενημένα, h. e. *Pro nihilo habita*, sive *ad nihilum redacta*, Hebraicâ figurâ rem auxit, quemadmodum & in superiori Epistola, *vocat ea quæ non sunt tanquam sint;* *non esse* intelligens quæ sint contemptissima sive perditissima. Unde *nihili hominem* dicimus nullius pretii hominem. ¶ *Ut ea quæ sunt destrueret*] Καταργήσῃ quod aliquoties vertit *evacuaret.* Est autem *antiquare* & *velut obliterare;* ut frequenter jam admonuimus.

29. *Omnis caro*] Πᾶσα σάρξ. Mollius erat *ulla caro:* quòd & ipsum Hebraicâ figurâ dictum est: siquidem hìc *carnem* pro *homine* posuit, ut superiùs *animam*, *Omnis anima potestatibus sublimioribus*, &c. ¶ *In conspectu ejus*] Græcis est *Dei* pro *ejus.* Atque ità sanè scriptum comperimus apud Chrysostomum ac Theophylactum: quanquam exempl. Græca variant. Sunt enim quæ habent αὐτοῦ pro Θεοῦ· licèt hoc ad sententiam perpusillùm refert.

30. *Ex ipso autem*] Ἐξ αὐτοῦ γάρ. Potest accipi, *Ex eodem enim;* h. e. nec ex divitibus, nec ex sapientibus, sed sine discrimine ex eodem. Id mollius esset si adderetur articulus τοῦ αὐτοῦ. Etiamsi Ambrosius refert ad *Patrem*, atque item Theophylactus; ut sit sensus, *Non est quòd alius alium oderit aut fastidiat: omnes enim ex eodem Patre nati estis, nempe filii Dei, idque per Christum.* Quo loco palàm indicat Theophylactus præpositionem ἐν poni loco διά· quod nos & aliàs indicavimus. *Qui factus est nobis*] Hoc perinde sonat Græcè, q. dicas, *cœpit nobis esse sapientia*, vel *fuit nobis sapientia*, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία. Velut illud, *ante me factus est*, i. cœpit esse prior me. ¶ *Sapientia*] Post *sapientia* Græci habent ἀπὸ Θεοῦ, i. *à Deo:* quod in nostris aliquot exempl. non legitur, cùm habeatur apud Ambrosium & in exemplari Paulino. Ambrosius etiam interpretatur, atque item Theophylactus indicat non sine causa adjectum *à Deo.* Nè quis addubitet in nostris, ubi deest, incuriâ scribarum omissum esse.

31. *Ut, quemadmodum scriptum est*] Non dubium est quin Jeremiæ capite nono, *Hæc dicit Dominus, Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & judicium & justitiam in terra: hæc enim placent mihi, dicit Dominus.*

VATABLUS.

1. *APostolus*] Vel, *ut legatus essem.*

2. *In Christo*] *In* pro *per*, Hebr. ¶ *Invocant nomen Domini*] Hebr. colunt Dominum, &c.

3. *Gratia*] Sub. *multiplicetur.*

4. *In gratia*] Heb. ob gratiam. ¶ *In Christo Jesu*] *Per Christum Jesum*,

5. *In illo*] *Per ipsum.*

6. *Sicut*] Vel, *quibus rebus:* nempe *sermone & cognitione.* ¶ *Testimonium Christi confirmatum est in vobis*] i. Euangelii veritas & Christi fides per vos illustrior & confirmatior facta est: etenim quò magis abundabant dotibus sacris, hòc testatior reddebatur Euangelii veritas.

7. *Ità ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus*] Vel, *non destituemini in ullo dono, exspectantes.*

8. *Sine crimine*] *Inculpatos, irreprehensibiles:* i. ut sitis inculpati.

9. *Fidelis*] *Verax, certus.* ¶ *Societatem*] *Communionem, consortium.*

10. *Idipsum dicatis*] *Idem loquamini:* i. consentiatis. ¶ *Schismata*] *Dissidia, sectiones.* ¶ *In eodem sensu & in eadem scientia*] *Eâdem mente & eâdem scientiâ*, Vet.

11. *Ab iis qui sunt Chloes*] *A familiaribus Chloæ*, vel *domesticis.*

13. *In nomine*] *In nomen:* quasi remissionem peccatorum ejus operâ acceperitis.

15. *In nomine meo baptizati estis*] *In nomen meum baptizaverim.*

17. *Misit*] *Miserat.* ¶ *In sapientia verbi*] Hebr. erudito sermone. ¶ *Evacuetur*] *Inanis reddatur.* ¶ *Crux Christi*] i. Prædicatio de Christo crucifixo.

18. *Iis autem qui salvi fiunt*] *Nobis autem qui salutem consequimur.* ¶ *Virtus*] *Potentia.*

19. *Reprobabo*] *Abolebo, ad nihilum redigam.*

20. *Scriba?*] *Legisperitus?* ¶ *Inquisitor?*] *Conquisitor?* Vet. i. indagator rerum humanarum? ¶ *Stultam fecit*] i. Ostendit esse stultitiam, cùm nullum ex illis sapientibus vocavit ad prædicandum Euangelium.

21. *Quia*] *Postquam;* Heb. posteaquam mundus non cognovit Deum per ea quæ sapientissimè fecerat. ¶ *Stultitiam prædicationis*] Heb. stultam prædicationem: hominum sc. judicio.

23. *Gentibus*] *Græcis.*

25. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, &c.*] Vel, *Stultitia Dei sapientior est quàm homines: & imbecillitas Dei robustior est quàm homines.* *Stultitiam Dei* & *imbecillitatem* vocat doctrinam quæ à Deo proficiscitur, quam mundus stultam judicat & imbecillem.

26. *Videte*] *Videtis.* ¶ *Vocationem vestram*] i. inter vos qui vocati estis. ¶ *Nobiles*] *Claro genere nati.*

27. *Mun-*

27. *Mundi*] *Secundùm mundum.* ¶ *Confundat*] *Pudefaciat.*

28. *Ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt*] i. Pro nihilo habita, & ad nihilum redacta, ut ea quæ videntur aliquid esse.

29. *Omnis caro*] Heb. ullus homo.

30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu*] Heb. per ipsum autem Christo creditis. ¶ *Sapientia**] * *A Deo*, Vet. i. per quem Deus largitus est vobis sapientiam, &c.

31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*] q. d. Qui vult se jactare de Deo tantùm se jactet: i. de benignitate & misericordia, quam erga se Deus ostendit.

CASTALIO.

9. FIdelis Deus est] Hoc addit propterea quòd dixerat *confirmabit.*

17. *Ne crux inanis fiat*] Nè laus non Euangelio, quo crux docetur, sed eloquentiæ tribuatur.

21. *Ex Divina sapientia*] Mundi opificio sapientissimè conditi. ¶ *Per Prædicationis stultitiam*] Quæ stulta esse videatur.

25. *Nam quod Dei stultum est*] Stultitiæ speciem habet.

26. *Non multi quidem sapientes*] Ex verbis his certò sciri non potest an de iis qui vocarunt ac docuerunt an de iis qui vocati sunt loquatur: Sed tota disputatio ostendit eum de Apostolis & Euangelii Doctoribus loqui. Quod enim paulò antè dixit, *Quod Dei stultum est, id sapientius est quàm homines*, dixit profectò de Euangelica doctrina, quæ sit perituris stultitia, ut antè docuerat. Quod deinde subjungit, *Videtis enim quomodo sitis vocati*, rationem reddit ejus quod de *stultitia* dixerat, ut ostendit conjunctio *enim:* quasi hoc dicat, *Quòd dico Dei stultitiam (ut ità loquar) esse sapientiorem quàm sunt homines, id ipsi videtis in iis à quibus estis ad Euangelium vocati, qui sint fere indocti, inopes, ignobiles: per quos tamen docti, potentes, nobiles confutantur.* Itaque quod hoc loco dicit Paulus, *Mundi stultissima elegit Deus, ut sapientes confutaret*, idem est quod antè dixerat, *Visum est Deo per prædicationis stultitiam servare fidentes.* Non enim confutantur sapientes ab iis qui docentur, sed ab iis qui docent. Considera, lector, totum orationis Pauli tenorem, & caput secundum, ubi idem in conclusione repetit quòd (ut fieri solet) in propositione dixerat, invenies rem ità se habere. Quod autem *mundi stultissima*, &c. vertimus τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου, Hebræorum more dictum est, qui positivis uti solent pro superlativis, quibus carent: ut, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, pro εὐλογητοτάτη τῶν γυναικῶν & 1 Cor. 12. τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει, *Nostri inhonestissima quæque maximam honestatem obtinent.* Talia sunt & illa Poetica, δῖα θεάων, & ἧτις πάντων.

30. *Ab eo autem vos estis*] Scilicet Deo. Vos estis Dei homines.

CLARIUS.

2. IN omni loco, ipsorum & nostro] Putant quidam esse Hyperbaton. Ut, quia dixerat *cum omnibus qui invocant nomen Domini*, & addiderat tantùm *nostri*, nunc corrigat, & ostendat communem esse Dominum omnium, dicens, *ipsorum & nostri:* ut sit ordo verborum, *cum omnibus qui in omni loco invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, Domini inquam, & ipsorum, & nostri.* Potest tamen & sine Hyperbato legi, ut cùm dixisset *in omni loco ipsorum*, adjecerit *& nostro*, ut doceret unum se esse cum illis, & omnia Christianorum loca unitate quadam esse colligata. Quidam Græci legunt *vestro*, q. d. *ubicunque & illi & vos habitatis.*

9. *Fidelis Deus*] Confirmatio est superiorum: Verax, inquit, est Deus, & præstabit proculdubio quod est pollicitus.

12. *Ego quidem sum Pauli*] Fingit personas, nè palàm arguat eos qui huic vitio erant obnoxii: postremum autem facit *Petrum* honoris gratiâ cùm reprehensionis causâ hæc dicat. Quòd autem postremò ait, *Ego autem Christi*, non reprehendit eos qui hæc dicerent, sed queritur quòd non omnes hoc ipsum dicant.

13. *Nunquid Paulus*] Reprehenderat eos quòd quodammodo *dividerent Christum:* Nunc alteram reprehensionem addit, quod, cùm quicquid boni à ministris Christi ad illos proficiscebatur ipsi Christo referre acceptum deberent ministris ascriberent, perinde quasi ipsi salutem illis attulissent non autem Christus, qui per passionem crucis salutem attulit mundo.

17. *Non enim misit me Christus baptizare*] Dejicit eorum supercilium qui elato erant animo quòd quosdam baptizaverint. Exigui est, inquit, negotii baptizare: idcirco cùm haberem communem cum aliis baptizandi potestatem, mandavit Christus mihi potiùs prædicandi provinciam: hoc enim maximi est laboris, & ferrei animi, inserere hanc in infidelium mentibus veritatem, & in mediis quotidie motibus versari. ¶ *Non in sapientia verbi*] Nam si sermonis ornatu & elocutionis vi usi essent, creditum fuisset hos persuasione potiùs dicendi quàm veritate nixos traxisse homines ad credendum; & *inanis fuisset crux Christi*, cùm ejus virtuti non ascripta fuisset hæc victoria. At cùm cernitur per idiotas & ignobiles homines omnem mundi & sapientiam & potentiam subactam esse, manifestè apparet virtus crucis Christi: idcirco vir ille doctissimus M. Basilius gloriabatur *se piscatorum esse discipulum.*

18. *Verbum enim crucis*] Dixi, inquit, *non in sapientia sermonis*, quia *prædicatio crucis* etsi credentibus plena sit *sapientiæ & virtutis*, tamen ii qui non credunt censent rem esse stultam: ex quo factum est ut ipsi qui se sapientes putabant, rejecti sint, & eorum sapientia improbata. Quare addit, *Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientium*, &c. Locus autem iste in Esaia sic habet, *Admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur.* Quod manifestè ad Euangelicam pertinet prædicationem. Dicamus & hoc modo: *Pereuntes* appellat eos inprimis qui humanis ratiocinationibus discutere volebant hanc crucis prædicationem, eràntque ii *sapientes hujus seculi.* Ait ergò, *Non sum usus verbis humanæ sapientiæ*, cui *prædicatio crucis* ità contraria est ut eam *perdat*, *sicut scriptum est*, *Perdam sapientiam sapientum.* Quòd si sapientiâ sermonis usus essem ad eam rem prædicandam quæ sapientibus (quos *pereuntes* appellat) *stultitia est*, *sed vobis Dei sapientia*, *abolita fuisset & inanis reddita crux Christi.* Nam aliâ viâ fuisset ingrediendum. At prædicatio crucis ob hoc introducta est ut *stulta ostenderetur sapientia hujus mundi.* Quare neque potui neque debui aliâ uti viâ: non potui, quia hujus Philosophiæ natura non patitur, non debui, *nè inanis fieret crux Christi*, quemadmodum superiore Scholio diximus.

21. *Nam qui in Dei sapientia*] Sentiebat Paulus miram visum iri mundo hanc atque omnino novam Philosophiam, Velle credi per crucem teterrimum supplicii genus, salutem mundo comparatam, quæ res mera stultitia videretur iis qui non consilia Dei revererentur, sed suis tantùm fidere cogitationibus consuessent: quod familiare inprimis erat sapientibus hujus mundi. Huic hominum opinioni respondet Paulus. Id sapientissimè fecisse Deum, quandoquidem, cum *in* summa *sapientia* fecisset hunc mundum, *noluerint homines per hanc sapientiam agnoscere Deum:* idcirco contrariâ illum ingressum viâ *excogitasse* hanc, quæ *stulta* videretur, *prædicationem*, *quâ ii qui crederent servarentur.* Et cur *stulta* videatur hæc prædicatio subdit, *Quoniam & Judæi signum petunt*, &c.

22. *Et Judæi signum petunt*] *Judæus impegit in crucem*; & cùm ad credendum invitatur, *petit* ut *signo* aliquo ei ostendatur rem ità se habere. *Gentilis petit* sibi id rationibus humanæ *sapientiæ* probari. Est ergò Judæis *infirma res* Crucis prædicatio (non enim tam humilia de Christo exspectabant: ideo impegerunt) Gentibus *stulta:* at nobis credentibus quid: *Fortis & sapiens:* nam *prædicamus Christum:* tantùmne? imò *crucifixum*, *Dei potentiam, & Dei sapientiam.* At quæ sapientia & vis in re stulta & infirma esse potest? *Quia quod stultum* videtur in *Divinis* consiliis, id omnem *omnium sapientiam superat:* similiter *quod imbecillum* existimatur, *fortissimum est omnium.* Felix & verè divinum ingenium Pauli!

26. *Videtis enim vocationem vestram*] Non cernitis, inquit, totum hoc quod fit esse opus Dei? nam hæc tanta ac tantæ sapientiæ dogmata plurimùm imperiti & ignobiles, & qui perinde sunt ac si nihil sint, amplexantur: sapientes, qui aptiores esse debuerant, ut qui exercitatiores haberent sensus, ii non intelligunt.

30. *Ex ipso autem vobis estis*] Vos ergò, qui contempti quidem eratis, ipse Deus filios suos fecit per fidem in Christum, quem dedit nobis Deus ut sit *nostra sapientia*, *& justitia*, *sanctificatio & redemptio*, nequis credat habere ex sese unde glorietur. ¶ *Factus est nobis sapientia*] Cùm datus fuit nobis, fecit nos primò *sapientes*, ab errore abducens; deinde *justos*, deletis per mortem suam peccatis; *sanctos*, per innovationem interioris hominis; demum *plenâ libertate donatos:* hoc enim significat ἀπολύτρωσις.

ZEGE

ZEGERUS.

4. IN *gratia Dei*] Ἐπὶ τῇ χάριτι, i. *propter gratiam*, vel *pro gratia*, *Dei quæ data est vobis.*

5, 6. *In omni verbo & omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis*] *In omnibus*, inquit, *divites facti estis, in omni sermone pariter & scientia, per quæ Christi testimonium*, quod à me vobis perhibitum est, *ratum ac firmum factum habitúmque est in vobis.* Aliter distingui potest, ad hunc modum, Καθὼς τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν, *Sic testimonium Christi confirmatum est in vobis, ut vobis nihil desit in ullo dono.*

7. *Exspectantibus revelationem*] *Revelationem* Domini adventum dicit, quòd nobis absconditus sit.

10. *Ut idipsum dicatis omnes*] Ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες, i. *ut idem loquamini*, pronuncietis, censeatis, sive profiteamini pariter *omnes.* ¶ *In eadem sententia*] Aliàs *scientia.* Quamvis nonnullis *sententia* magis placet, ego neutrum improbandum judicaverim. Nam γνώμη ut *sententiam* ità etiam signat *notitiam* & *scientiam*, atque item multa alia. Unde γνωμικοὶ *scientes* dicuntur. Quinimo in in editione Aldina pro γνώμῃ γνώσει scriptum est. Damasus ponit *sapientia* in epist. de coepiscopis. In emendatioribus antiquioribúsque est *scientia.*

11. *Ab his qui sunt Chloes*] I. *Qui sunt de familia Chloes.* Est autem *Chloe* matronæ cujusdam nomen, à cujus familiaribus didicerat Paulus Corinthiorum dissidia. Nonnulli tamen putant loci esse vocabulum: de quo qui curiosiùs perscrutari voluerit, Stunicæ videat taxationes.

16. *Stephanæ domum*] *Stephana* proprium viri nomen est.

18. *Verbum enim crucis*] i. Prædicatio crucifixi Christi.

21. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*, &c.] *Nam propterea quod in ipsa sapientia Divina*, quæ in primis elucescit in rebus conditis, *non cognovit mundus per* mundanam & superbam suam *sapientiam*, præsidiis fretus humanæ Philosophiæ, *Deum*, *placuit* è diverso sapientissimo *Deo per* ejusmodi *prædicationem* quæ humanâ Philosophiâ tumentibus *stulta abjectáque reputaretur*, *salvos facere credentes.*

25. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius*] Sensus est *Stultitia Dei*, i. Philosophia Euangelica, quâ Deus veluti stultus & humilis prædicatur mortalibus, *sapientior est quàm homines* quantumvis sapientiæ professione celebres. Imò quæ Dei sunt abjectissima stultissimáque universam confundunt superántque mundi sapientiam. *Adhæc, ipsa Dei infirmitas*, ut est Christi humanitas & mortalitas, quâ infirmus visus est *fortior omnium mortalium viribus*, atque adeò ipsâ Diaboli potestate validior est. Quid enim est Christi crux, si hanc cum æterna componas Sapientia, nisi quædam *insipientia?* Quid mors Christi, si Omnipotentiam respicias, nisi quædam *infirmitas?*

28. *Et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret*] *Ea quæ non sunt* Hebraicâ figurâ vocat quæ pro nihilo ducuntur: *quæ sunt* verò pro illis ponit quæ plurimum habere momenti videntur.

29. *Ut non glorietur omnis caro*] i. Homo mortalis, quasi merito sapientiæ nobilitatis aut divitiarum sit delectus à Deo.

30. *Ex ipso autem vos estis in Christo*] Non vestro sed ipsius Dei Patris dono ac favore vocati estis in consortium Filii sui, *qui factus est nobis sapientia*, &c. Quod si non ignoratis, proculdubio fiet ut (quemadmodum hortatur nos Jeremiæ vaticinium) *non gloriemini in sapientia vestra, neque in fortitudine, neque in divitiis, sed in Domino*, Jer. 9. 23, 24.

H. STEPHANUS.

7. MH' ὑστερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι] *In nullo inferiores aliis sitis:* vel, *nullo deficiamini:* ut sit constructio una pro altera.

10. Κατηρτισμένοι] *Coagmentati.*

17. Ἵνα μὴ κενωθῇ] *Ne inanis reddatur.*

27. Ἵνα καταισχύνῃ] *Ut pudefaciat:* i. confutet.

DRUSIUS.

17. IN *sapientia sermonis*] Dictum ut *viriditas herbæ* pro *herba viridis*; sic *sapientia sermonis* pro *sermo sapiens*, i. eruditus & facundus, dicendi peritiâ. Prov. 1. 2. אמרי בינה *sermones intelligentiæ*, i. scitè dicta oracula.

20. *Conquisitor hujus seculi*] Hieron. ex hoc loco citat, *ubi causarum naturalium scrutatores?* Tales ab Hebræis dicuntur חכמי המחקר, de quibus aliquid Observat. lib 4. c. 6. Addo nunc ex Comment. R. D. Psal. 102. 20. *Sunt ex sapientibus Mecar qui dicunt esse tempus quando mundus finem accipiet, redibítque in vacuum & inane nihilúmque: De ævo autem ipsius magna inter eos dissensio est. Rursum sunt ex illis qui dicunt mundum finem non habiturum, licet principium habuerit. Secundùm horum sententiam & opinionem erit sensus verborum Davidis, Si velles ipsi perirent, cùm tu æternùm permaneas.* Idem Rabbinus Psal. 104. 3. ad locum, *Qui contabulat in aquis cænacula sua.* ita scribit, *Sunt qui tradunt innui aquas quæ supra expansum. Verùm sapientes Mecar negant ullas aquas esse supra expansum.* In eodem Psalmo v. 29. Abenezra eos appellat אנשי מחקר *viros Mecar*, i. *conquisitores* aut *disquisitores*; *Viri disquisitionis*, inquit, *dicunt omne vivens post mortem suam resurrecturum.* Vocantur ibidem אנשי תושיה, qui dicunt *universalia manere*, & *particularia* sive *singularia perire.* Vide locum. Gerundensis Gen. 2. 7. המתחכמים במחקר, *qui sapientes sunt in disquisitione rerum naturalium dissident inter se de anima. Quidam ex iis dicunt in homine tres animas esse; alii unam tantum, quæ tres habeat facultates.* Manahemus Ricinensis in Mosen 116. 4. *Sapientes Mecar asserunt animam hominis habere sanitatem & morbum. Sanitas ejus opera bona sunt, & morbus ejus opera mala.* Meminit quoque col. 2. Vide, si habes & si vis. *Disquisitor hujus seculi*, חקר העולם הזה. Nicolaus Fullerus Anglus vir doctus hic à me diversis abit, contra Bezam disputans, qui meam opinionem secutus fuerat, Miscell l. 3. c. 7. Videamus an rectè. דרש, inquit, *linguâ Hebræâ & Syrâ* ζητεῖν & συζητεῖν significat. Imò Senes LXX חקר per ἐκζητεῖν reddunt Psal. 44. 23. & alibi. Mysticus sensus vocatur ab Hebræis דרש, unde *Darsanim*, qui ad eum sensum populo enarrant S. literas. Quid hoc ad rem? Non agitur de concionatoribus, qui ab *inquirendo* דרשנים appellantur, quòd ipsorum sit inquirere diligenter in verbum Dei: sed de sapientibus hujus seculi, quos *Physicos* Græci appellant, & Hieronymus vocat *scrutatores rerum naturalium.* Ausim certare in omnes fortunas meas Cl. Theodorum hanc sententiam approbando rem acu tetigisse, & ipsum à scopo penitus aberrasse. Quod testimonia quæ produximus clarè demonstrant, ut dubitare de eo nemo jam debeat. Judicent qui valent judicio.

28. *Et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret*] *Esse* dicitur qui vivit, & *non esse* qui mortuus est. Hoc notum lippis ac tonsoribus. Quid hic *esse* & *non esse* significent docet nos Erasmus, & post eum Theodorus. Nam ex Hebræorum idiotismo dicuntur *non esse*, inquiunt, quæcunque ità sunt abjecta ut nullo loco habeantur, & contrà *esse* quæ in pretio habentur. Sic alibi, *Vocat ea quæ non sunt, tanquam sunt.* Optarim ista exemplis V. Instrumenti probata esse. Mihi certè nullum adhuc observatum. Apud Sophoclem in Electra mulier quæ periit dicit, οὐδὲν εἰμ' ἔτι, *nulla sum post hac.* Sic in Latio, *Fuimus Troes*; *Nullus sum*; & alia ejus generis. In Apocryphis Estheræ, *ne tradas sceptrum tuum iis qui non sunt*, i. improbis. qui *non esse* dicuntur quia mortui sunt in peccatis; aut idolis, quæ simulacra sunt hominum mortuorum. Aut *non esse* dicit idola quia non sunt Dii: unde & *Elilim* appellantur, quasi *Dii nihili*, aut quia *idolum nihil est*, ut ait Apostolus.

CAMERON.

17. OY'K ἀπέστειλέ με ὁ Χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλ' εὐαγγελίζεσθαι] Paulo in primis constitutum fuit ut Euangelium nunciaret, quia Verbum creditu simpliciter necessarium est ad salutem, non item Baptisma, quod ab iis administrari potuit quos ad id Paulus ordinaverat, imò vel ab aliquo è plebe si id necessitas exigeret, nisi fortè ad vitandum scandalum. Ut liceat Ministro manibus casso præcipere ex astantibus alicui ut baptizandum aquâ aspergeret (quamvis alium accersere Ministrum ad vitandum scandalum commodius foret) non ille tamen sed Minister baptizare diceretur, quia ille materiam Sacramenti tantùm exhibuit, at penès Ministrum jus id faciendi fuit. Sic literæ & diplomata Regia dicuntur à Cancellario sigillo communita, cùm tamen ab ipsius famulo cereum sigillum fuerit illis appositum.

20. Ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου; Sunt qui hâc voce innui volunt ab Apostolo eos quos Judæi vocant חכמי המחקר (nam חקר est *scrutari*) eósque esse Pharisæos Judæorum Doctores. Verùm proculdubio falluntur illi: nam Sapientes המחקר sunt *Physici* indagatores naturæ rerum, & quæ Græcis *Physica* dicitur ea à Judæis מחקר vocatur. Et sanè à Kimhio in Psal. 104. *Sapientes* המחקר apertè distinguuntur à Judæorum *Theologis*, qui hic ab Apostolo συζητητοῦ nomine designantur. Nempe συζητητὴς est de verbo ad verbum הדרשן, porrò הדרשן est qui mysticè & allegoricè Scripturam interpretatur: unde ejusmod-

Commentaria מדרשים dicuntur, h. e. *συζητήσεις* & ratio est, quia interrogationibus & quæstionibus referta sunt: & Schola seu Academia בית המדרש illis dicitur *οἶκος συζητήσεως*, ut & בית אולפנא *οἶκος διδασκαλίας*.

JAC. CAPPELLUS.

26. V*Idete quænam sit, fratres, vestra vocatio. Non estis multi sapientes secundum carnem*] Hinc est quòd Celsus apud Origenem lib. 3. Christianis hanc legem affingit. *Μηδεὶς προσίτω πεπαιδευμένος, μηδεὶς σοφὸς, μηδεὶς φρόνιμος· ἀλλ' εἴ τις ἀνόητος, εἴ τις ἀμαθὴς, εἴ τις νήπιος, θαῤῥῶν ἡκέτω.* Maximè cùm Mat. 5. 3. Christus dicat *beatos esse pauperes spiritu*: & Mat. 11. 25. *gratias agit Patri quod mysteria sua celaverit sapientes & revelaverit ea νηπίοις* Nempe, nè sibi blandiatur humana sapientia, sæpe Deus eos maluit eligere qui mundo videbantur insipientes, multos etiam non admodum solertes acutósve; sed & doctos sapientes, nobiles ad sui cognitionem perducere novit Deus quoties ipsi lubet; ut insipientes ac stolidi fiant sapientes, & qui sapientes erant fiant multò sapientiores quam pridem.

LUD. CAPPELLUS.

20. Π*ΟΥ σοφός; ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου;*] Quidam huc referunt locum Esa. 33. 18. *Ubi Scriba? ubi ponderans? ubi numerans turres?* Sanè potuit eò alludere Apostolus *μιμήσει* quadam locutionis: at consilium ejus non fuit locum illum Prophetæ citare, quasi eadem esset ejus mens eò loci quæ est Apostoli: longè enim est diversa utriusque mens, longè diversa sunt subjecta de quibus loquuntur. Nempe Propheta isthic describit Jerosolymitanorum consternationem cùm a Senacheribi exercitu viderent se cingi obsidione; eorúmque refert voces ejusmodi consternatione concurrentium, & requirentium ubinam sint exercitûs Duces & præsidiorum atque turrium seu munimentorum Præfecti, qui omnia ad sustinendam obsidionem parent, nè uno veluti impetu caperetur urbs ab Assyriis. ¶ *Οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου;*] Non notant unde hæc sint ab Apostolo desumpta. Sed videntur omnino ab eo sumpta ex Esai. 44. 25. *reducit* (verbum verbo, *facit redire*) *sapientes retrorsum, & scientiam eorum infatuat.*

GROTIUS.

C*Orinthus* ex angusto Achaïæ limite hinc Ionium, inde Ægæum prospectans mare, ex commerciis magnas adepta divitias, ita ut Homero ob id dicatur *ἀφνειὸς* [*dives*], Pindaro verò *ὀλβία Κόρινθος, Ἰσθμίου πρόθυρον Ποσειδᾶνος ἀγλαόκουρον* [*Beata Corinthus, Isthmus vestibulum Neptuni, florens juvenibus*], ex divitiis ad tantum pervenit luxum, ut, inde natum sit proverbium,

> *Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς*
> [*Corinthum non cujusvis navigatio est*].

Scortis verò plurimùm semper indulsére Corinthii, adeò id non turpe habentes, ut publicis precationibus adhiberentur meretrices, essetque in iis precationibus, ut augerent dii numerum proventumque meretricum, etiam voverent quidam se novas meretrices adducturos, quæ ex Athenæo & Æliano docemur. Ibi Lais de tota Græcia tributa exegit libidinis, denis drachmarum millibus usum sui indicans, & mortua sepulcrum habuit omnium Poetarum versibus celebre. Et hinc *Κορινθιάζεσθαι* [*Corinthiari*] vulgò Græcis *scortari*, & *Κορινθία κόρη* [*puella Corinthia*] Platoni ea *quæ se vulgat*. Et Suidas proverbium commemorat, *ἀκροκορινθίαν ἔοικας χοιροπωλήσειν* [*Corinthi videre meretricium quæstum occuptura*], additque *ἀντὶ τοῦ μισθαρνήσειν ἐν Κορίνθῳ. πολλαὶ γὰρ ἐκεῖ ἑταῖραι* [*hoc dici, pro, Corinthi corpore quæstum factura, multæ enim ibi meretrices*] Semper celeberrimas meretrices Corinthi fuisse notat Scholiastes Nazianzeni ad priorem in Julianum. Ælianus etiam ebriosos ait fuisse Corinthios. Divitias solet & superbia comitari, quam in Corinthiis eximiam notat Plutarchus. Erat in ore illis, *Οὐκ ἀνέξεται ὁ Διὸς Κόρινθος* [*Non feret hæc Iove genitus Corinthus*] Hæc superbia cùm eos ad contemptum usque Romani nominis inflasset, excidium eis attulit, victore Mummio: sed restituta per Iulium Cæsarem urbe, ut Strabo narrat, & in fragmentis Diodorus Siculus, brevissimè ut opulentia, ita & vitia illa rediere. Philosophiæ ibi studia ab antiquo floruere, Periandro ejus urbis principe inter septem Græciæ Sapientes annumerato, multumque ibi versato receptarum inter homines opinionum derisore Diogene. Quantum temporis ac laboris Apostolus Paulus insumpserit ad serendum ibi Christianismum, ex Actis discimus. At sicut apud homines ingeniosos, facile fuit commentitios Græcorum deos, quorum præcipua Corinthi Venus, evertere, ita inolita vitia non ità facilè meliori disciplinæ cesserunt. Itaque sicut à gentibus aliis, ita à Corinthiis ægre obtineri potuit, ut scortationem pro re illicita ducerent. Incestos etiam, qui dicuntur, concubitus in se nihil habere mali, sententia fuit Diogenis; imò & Stoïcorum & Epicuri, ut ex Sexto Philosopho, Theophilo Antiocheno libro 3. & aliis discimus. Hoc quoque illis inhæsit. Resurrectura corpora nec Platonici credebant, qui in pœnam corpora animis data censebant; neque verò aut Epicurei, aut Peripatetici, qui rerum humanarum curam nullam esse Deo docebant: illi apertiùs, hi verò *ἐν ἐσωτερικοῖς λόγοις* [*in arcanis sermonibus*]. Arrogantia verò causa fuit, cur in Ecclesia partes quisque facere mallet, quàm de principatu alteri concedere. Hæc ita se habere, non ex his tantùm Pauli Epistolis cognoscas, sed & ex ea quæ posteriùs aliquantò à Clemente ad eosdem Corinthios scripta est. Passim enim accusat in eis *ἀλαζονείαν, αὐθάδειαν, τόλμαν, ὑπερηφανίαν, ζῆλον, ἔριδα, φιλονεικίαν* [*jactantiam, arrogantiam, audaciam, superbiam, æmulationem, lites, altercationem*] Unde factum ait, ut nec Presbyteris, nec eorum *ἡγουμένοις* [*Præsidibus*] pareretur, nascerentur schismata, & inde seditiones. Monet præterea, ut ut seriò fugiant *μιαρὰς καὶ ἀνάγνους συμπλοκὰς, μέθας, βδελυκτὰς ἐπιθυμίας, μυσαρὰν μοιχείαν* [*coitus impuros atque incestos, ebrietatem, abominandas cupiditates, detestanda adulteria*]. Resurrectionis autem dogma multis modis in illa epistola Clemens tuetur. Paulus igitur per amicos edoctus inter illos Corinthi Christianos esse quidem nonnullos verè pios, sed esse & alios philosophicis opinionibus & fastu vitiisque adhuc imbutos, sermonem ita temperat, ut modò adhibeat solatia & laudes, modò liberas castigationes, ut quisque prout sibi esset conscius, ita aut hæc aut illa sibi aptaret: quomodo & Spiritus Sanctus in Apocalypsi agit cum Sardianorum Ecclesia.

1. Π*Αῦλος κλητὸς ἀπόστολος, Paulus vocatus Apostolus*] Vide quæ dicta ad Rom. 1. ¶ *Διὰ θελήματος Θεοῦ, per voluntatem Dei*] Sic Corinthiis, *Κλητοῖς ἡγιασμένοις ἐν θελήματι Θεοῦ* [*vocatis & sanctificatis in voluntate Dei*] scribit Clemens. In epistola Ignatii ad Ecclesiam Romanam, *πεφωτισμένη ἐν θελήματι Θεοῦ* [*illuminata in voluntate Dei*]. ¶ *Καὶ Σωσθένης ὁ ἀδελφὸς & Sosthenes frater*] Modestiam ab initio jam docet Paulus, hominem multò sibi imparem (videtur autem is esse cujus mentio Actor. 18. 17. sibi socians.

2. *Τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi*] Ita loquitur & Clemens, & Ignatius sæpe. ¶ *Ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, sanctificatis in Christo Jesu*] Sic & Clementem loqui jam diximus. Ignatius quoque, *ἐκκλησίᾳ ἡγιασμένῃ Ecclesiæ sanctificatæ*]. ¶ *κλητοῖς ἁγίοις, σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν. vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco, ipsorum & nostro*] Ostendit vocationem omnibus esse communem, ac proinde unum esse corpus debere, non tantùm unius loci, sed & omnium locorum, putà Achaiæ & Macedoniæ in qua tum erat Paulus, Ecclesiam

3. *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη, Gratia vobis & pax*] Vide Rom. 1. 7.

4. *Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, Gratias ago Deo meo*] Rom. 1. 8. ¶ *Ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, in gratia Dei*] Est hîc nomen quod præcessit positum pro relativo *αὐτοῦ* [*ejus*] hic & infra v. 8. 1 Thess. 3. 12. 2 Thess. 1. 7, 8. & alibi.

5. *Ἐπλουτίσθητε, divites facti estis*] Id est, *abundatis*. Vide Rom. 2. 4. 2 Cor. 9. 11. ¶ *Ἐν αὐτῷ, in illo*] *Per Christum*. ¶ *Ἐν παντὶ λόγῳ, in omni verbo*] Est *ἀναφορά* [*Repetitio*], nam præcesserat *ἐν παντὶ* [*in omni*]. Intelligit autem hic dona linguarum. ¶ *Καὶ πάσῃ γνώσει, & omni scientia*] Hic intelligit dona prophetiæ.

6. *Καθὼς τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν. Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis*] *Μαρτύριον Χριστοῦ* [*testimonium Christi*] vocat Euangelium, ut infra 2. 1. 2. Tim. 1. 8. *βεβαιοῦν* est *rei veritatem testimonio confirmare*, Marc. 16. 20. Philipp. 1. 7. Sic juramentum dicitur esse *εἰς βεβαίωσιν* [*ad confirmationem*] Hebr. 6. 16. Respondet Hebræo קים.

7. *Ὥστε ὑμᾶς μὴ ὑστερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι, Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*] Id est *ita ut nihil minus habeatis quam qui alibi sunt Christiani.* Vide Rom. 3. 23. ¶ *Ἀπεκδεχομένους τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ exspectantibus*

ſtantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti] Dum eos laudat qui reſurrectionem exſpectant, tacitè aliter ſentientes caſtigat. Ἀποκάλυψιν Ἰησοῦ Χριστοῦ [*revelatio Jeſu Chriſti*] eſt ipſum tempus reſurrectionis. 1 Petr. 1. 7. & 13. Vide & Rom. 8. 18.

8. Ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς ἕως τέλους ἀνεγκλήτους, *Qui & confirmabit vos usque in finem ſine crimine*] Poteſt vel ad Chriſtum, vel ad Deum referri, ſed rectiùs ad Deum ob id quod ſequitur πιστὸς ὁ Θεὸς [*fidelis Deus*]. *Confirmat* autem *Deus* non cogendo, ſed laborantes & orantes novis ſemper auxiliis armando: facit quod ſuarum eſt partium: infra 10. 13. Philip. 2. 13. ἀνεγκλήτους [*ſine crimine*], id eſt, *juſtos ac ſanctos*, ut Coloſſ. 1. 22. ἀμώμους [*immaculatos*], ἀμωμήτους [*inculpatos*] 1 Theſſ. 2. 10. & 3. 13. Eph. 5. 27. Philip. 2. 15. Coloſſ. 1. 22. 2 Petr. 3. 14. Judæ 24. Apoc. 14. 5. ¶ Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*] Pro εἰς τὴν ἡμέραν [*in diem*] id eſt, *ut in illa die Chriſti tales appareatis*, Epheſ. 5. 27. Simile loquendi genus, ſed per εἰς [*in* cum accuſativo], Epheſ. 4. 30.

9. Πιστὸς ὁ Θεὸς, δι᾽ οὗ ἐκλήθητε εἰς κοινωνίαν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri*] Si vocavit vos ut Chriſti ſanctimoniam imitemini, dabit etiam quæ ad hoc ſunt neceſſaria. Vide de hac communione 1 Joh. 1. 3. πιστὸς ὁ Θεὸς [*fidelis Deus*] ex Eſaiæ 49. 7.

10. Ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες, *ut idipſum dicatis omnes*] *Idem loquamini* in iis quæ ad regulam fidei pertinent, cujus pars eſt dogma de reſurrectione. Philoſophorum varia ſunt placita: Chriſtiani omnes idem ſentire debent, in regula, inquam, fidei. ¶ Καὶ μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα, *& non ſint in vobis ſchiſmata*] *Deinde, ne etiam aliâ quavis occaſione partes faciatis in Eccleſia.* σχίσμα [*ſchiſma*] apud Johannem de *ſtudiorum varietate* habuimus. Hic, & infra 11. 18. & 12. 25. aliquid ampliùs, id eſt, *ſegreges*, notat. Uſurpat ſic & Clemens in dicta epiſtola. ¶ Ἦτε δὲ κατηρτισμένοι, *ſitis autem perfecti*] גמירין, *perfecti*, ut hîc vertit Syrus. Vide Luc. 6. 40. *Eſtote quales vos docet eſſe.* ¶ Ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, *eâdem mente*] *Ut idem credatis.* Unde ſequebatur ut & loquerentur eadem, ſicut jam dicere cœperat. ¶ Καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ. *& eâdem ſententiâ*] Hoc jam ad affectus animi refertur, quod alibi explicatur per Φρονεῖν [*ſapere*] & Φρόνημα [*ſenſum*]. ſic γνώμη ſumitur Apoc. 17. 13. 2 Maccab. 9. 20. Utuntur ſic & Plato & Demoſthenes.

11. Ὑπὸ τῶν Χλόης *ab iis qui ſunt Chloës*] Puto indicari mortuæ Chloës liberos. ¶ Ὅτι ἔριδες ἐν ὑμῖν εἰσι. *quia contentiones ſunt inter vos*] Hâc voce ſchiſmata etiam Clemens exprimit.

12. Λέγω δὲ τοῦτο, *Hoc autem dico*] Nota ἐξηγήσεως [*explicationis*], ut, *inquam*, Latinis. ¶ Ἕκαστος ὑμῶν λέγει· Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλὼ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ. *unusquisque veſtrûm dicit, ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cepha*] Intelligendum hoc non de omnibus, ſed de multis infra 14. 26. Et, *ſum Pauli, Apollo, Cephæ*, nempe *ſectator*. Quidam putant Paulum hæc nomina uſurpaſſe, ut alios homines denotaret, unde factiones Corinthi nomina trahebant. Argumento utuntur, quod infra 4. 6. dicat Paulus *ſe ea quæ dixerat transformaſſe in in ſe & Apollon.* Verùm ibi agitur de modeſtia, quam præ ſe ferre debent omnes Euangelii miniſtri, omnia ad Dei bonitatem referendo. At hic quod dicit, res erat intellecta ex Chloës familia. Adde quòd Clemens in epiſtola de hoc tempore loquens non obſcurè oſtendit quid actum fuerit, Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ Ἀποστόλου· τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου ἔγραψεν; ἐπ᾽ ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν περὶ αὐτοῦ τε καὶ Κηφᾶ καὶ Ἀπολλῶ, διὰ τὸ καὶ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι· ἀλλ᾽ ἡ πρόσκλισις ἐκείνη ἧττον ἁμαρτίαν ὑμῖν προσήνεγκεν· προσεκλίθητε γὰρ Ἀποστόλοις μεμαρτυρημένοις, καὶ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ᾽ αὐτοῖς· νυνὶ καὶ κατανοήσατε, τίνες ὑμᾶς διέστρεψαν [*Epiſtolam beati Pauli Apoſtoli in manus ſumite: Quid primùm vobis ſtatim in initio Euangelii ſui ſcripſit? Certè divinitùs inſpiratus, de ſe ipſo, de Cepha, & Apollo per epiſtolam vos monuit, erant enim & tum inter vos factiones & ſtudia partium; verum in illa animorum inclinatione, minus à vobis peccatum eſt; in Apoſtolos enim miraculis inſignes & virum ab illis probatum animis & affectu propendebatis. Nunc verò qui ſint qui vos perverterint vobiſcum perpendite*], &c, Ubi χαριεντίζων [*molliore utens locutione*] *ſectas* appellat προσκλίσεις, quod Cicero vertit alicubi *propenſiones*. Per *Apoſtolos* autem *miraculis inſignes*, non dubium, quin intelligantur Clementi Petrus & Paulus; & per *virum probatum* Apollos. Alii ergo Corinthi ab Apollo inſtituti poſt Pauli abitum, alii ab ipſo Paulo, alii qui è Judæa venerant à Petro, ſub illis nominibus, alia atque alia dogmata tradebant: quale quid & ſub Matthiæ nomine factum ex Clemente Alexandrino cognoſcimus. ¶ Ἐγὼ δὲ Χριστοῦ. *Ego autem Chriſti*] Venerant enim ex Judæa quidam qui ipſum Chriſtum docentem audierant, & quæ ille de nova genitura dixerat eadem eſſe volebant cum iis quæ dixerat de reſurrectione, falſo ac perniciosè: Sadducæorum ſcilicet traduces.

13. Μεμέρισται ὁ Χριστός; *Diviſus eſt Chriſtus?*] Per *Chriſtum* intelligit Chriſti Euangelium, & quærit an id alibi ſit aliud? Fieri id non poſſe ſignificat, cùm vetuerit Chriſtus multos eſſe Doctores & unitatem ſuis commendarit, Matth. 23. Joh. 17. 21, 22. ¶ Μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ὑμῶν; *numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis?*] Num Paulus vobis omnia beneficia ad vitam æternam pertinentia ſua morte impetravit? Hoc Chriſti ſolius eſt. ¶ Ἢ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Παύλου ἐβαπτίσθητε; *aut in nomine Pauli baptizati eſtis?*] Nempe ut ab ipſo nomen duceretis, ſicut à Johanne Baptiſta ii quos ille baptizaverat. Vide Matth. 9. 14. Marc. 2. 18. Luc. 7. 18, 24. Joh. 3. 25. Actor. 10. 37. Adde quod diximus ad Matthæum 28. 19.

14. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, ὅτι οὐδένα ὑμῶν ἐβάπτισα, *Gratias ago Deo, quod neminem veſtrûm baptizavi*] Ipſe nempe meis manibus. ¶ Εἰ μὴ Κρίσπον καὶ Γάϊον· *niſi Criſpum & Gajum*] Criſpum Archiſynagogum, Actor. 18. 8. Cajum hoſpitem aliquo tempore Pauli, cùm in urbe Corinthi eſſet, Rom. 16. 13.

15. Ἵνα μή τις εἴπῃ ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα *Nequis dicat quòd in nomine meo baptizavi*] Nequis vel ulla ſpecie tale quid de me jactare poſſit. Pro ἐβάπτισα [*baptizavi*] Manuſcriptus ille habet ἐβαπτίσθητε [*baptizati eſtis*], quomodo & Latinus legit pari ſenſu.

16. Ἐβάπτισα δὲ καὶ τὸν Στεφανᾶ οἶκον· *Baptizavi autem & Stephanæ domum*] Eſt ἐπανόρθωσις [*Correctio*] prioris dicti. Stephanam hunc Græci putant eſſe commentarienſem Philippenſem, qui converſus Corinthum immigraverit. ¶ Λοιπὸν οὐκ οἶδα, εἴ τινα ἄλλον ἐβάπτισα. *cæterum neſcio ſi quem alium baptizaverim*] Nempe eorum qui nunc Corinthi habitant. Dixit ſe id neſcire, quia fieri poterat, ut alii aliunde eò migraſſent.

17. Οὐ γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλ᾽ εὐαγγελίζεσθαι· *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare*] Comparatè dictum, ut multa. Baptiſmus per quemlibet impleri poterat, ſicut illi à Petro converſi in Pentecoſte non omnes ab ipſo fuerunt baptizati: At prædicatio res erat maximè digna Apoſtolis, & maximo cum periculo conjuncta. ¶ Οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, *non in ſapientia verbi*] *Idem* σοφία λόγου [*ſapientia verbi*] quod λόγοι σοφίας [*verba ſapientiæ*], אמרי בינה, Proverb. 1. 2. σεσοφισμένοι μῦθοι [*doctæ fabulæ*] 2 Petr 1. 16. *Sermones multa eruditione conditi*, qualibus ſe venditabant illi, qui Corinthi partium erant duces. Hinc dicti σοφισταί [*ſophiſtæ*]. ¶ Ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ. *ut non evacuetur crux Chriſti*] Minùs appareret virtus mortis Chriſti, ſi fides Euangelio habita adſcribi potuiſſet verbis eruditis & artificioſis. De verbo κενοῦσθαι vide Rom. 4. 14. Cæterum hic comparatè id verbum ſumitur.

18. Ὁ λόγος γὰρ ὁ τοῦ σταυροῦ, *verbum enim crucis*] Narratio iſta de Chriſto crucifixo & reſuſcitato, quâ nititur Chriſtianæ doctrinæ auctoritas. Vide infra 2. 2. Galat. 6. 14. ¶ Τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις μωρία ἐστι, *pereuntibus quidem ſtultitia eſt*] Rem denotavit ex effectu. Cùm incredulos denotare vellet, dixit *pereuntes*, quia qui Euangelio non credunt pereunt Johan. 3. 18. Pari modo diſcriminantur homines in σωζομένους [*eos qui ſalvi fiunt*] & ἀπολλυμένους [*eos qui pereunt*] 2 Cor. 2. 15, 16. *Eſt ſtultitia*, id eſt, ſtultum aliquid videtur, indignum creditu. Id verò evenit, quòd in vitiis ſuis non divertantur, ſed habitent; ideo nolunt vera videri, quæ vitiis ſunt contraria. ¶ Τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν *iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis*] *Credentibus: qui iidem in via ſumus ad ſalutem.* ¶ Δύναμις Θεοῦ ἐστι. *Dei virtus eſt*] *Vis Dei* in illo ſermone poſita eſt, per quam juſtificamur, id eſt, à vitiis purgamur, deinde Sancto Spiritu imbuimur. Vide Rom. 1. 16.

19. Γέγραπται γὰρ, ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν, καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν ἀθετήσω. *Scriptum eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientium, & intellectum intelligentium irritum faciam*] Legit in Eſaia 29. 14. אסתר [*abſcondam*], ubi nos habemus תסתתר [*abſcondetur*], etiam LXX ſic legunt, ut Paulus: vertunt enim κρύψω, *abſcondam, efficiam ne luceat:* quod idem valet cum ἀθετήσω *irritum faciam*]. Juſtinus quoque cum Tryphone diſputans ter locum Eſaiæ citat: priùs per κρύψω [*abſcondam*], deinde per ἀθετήσω [*irritum faciam*]. deinde rurſum per κρύψω [*abſcondam*]. Quod Eſaias de ſuis temporis hominibus dixerat, idem ad ſua tempora majori jure aptat Apoſtolus.

20. Ποῦ σοφός; ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου; *Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus*

jus seculi; Est παρῳδία [*imitatio* loci Esaiæ 33. 18. In quo loco itidem πῦ [*ubi*] sic reperitur. Sed ibi agitur de iis qui præcipua munia habuerant in castris Assyriorum: Hic verò de artium professoribus earum, quas Corinthii magni faciebant. Σοφοὶ [*sapientes*] Græcis, ut חכמים Hebræis, per excellentiam dicebantur ii, qui præcepta morum tradebant, ut septem illi per Græciam nobiles, deinde Socrates, & alii: Γραμματεὺς ספר [*scriba*] loquendi genere Hellenistico & *Legum peritus & Historiarum:* Συζητητὴς τοῦ αἰῶνος [*conquisitor hujus seculi*], *indagator rerum naturæ*, quæ Hebræis העולם הזה [*mundus hicce*], id est, *Physicus.* Id studium חקר dici solet, quod propriè est συζήτησις [*disquisitio*]. Sic apud Baruchum 3. 23. & sequentibus, οἱ ἐκζητοῦντες τὴν σύνεσιν ἐπὶ τῆς γῆς [*qui exquirunt prudentiam quæ de terra est*], sunt Physici: οἱ μυθολόγοι [*literatores*] sunt qui γνώμας ἠθικὰς [*morales sententias*] dictabant, אמרי משלים *dictatores proverbiorum*]: οἱ ἐκζητηταὶ τῆς συνέσεως [*prudentiæ indagatores*] Legis periti & Historici. Maluit autem συζητητὴς [*conquisitor*] quàm ἐκζητητὴς [*exquisitor*] dicere Paulus, quia Physicæ quæstiones multis disputationibus ventilari solebant, quod est συζητεῖν [*disquirere*]. Ignatius ad Ephesios, πῦ σοφός; πῦ συζητητής; πῦ καύχησις τῶν λεγομένων δυνατῶν; [*ubi sapiens? ubi disputator? ubi horum qui potentes audiunt, jactantia?* Tertullianus hunc Pauli locum sic vertit libro de Idololatria, *ubi sapiens, ubi literator, ubi conquisitor hujus ævi?* Sensus est; ostende mihi Philosophos & Philologos, qui tot homines ad tantam probitatem perduxerint, quot & ad quantam nos per sermonem crucis. Pauci sunt illorum discipuli præ nostris, & manent scurtatores, si non pejus aliquid: manent

> —Κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοὶ
> [—*vanis inflati fastibus utres*],

ut dicebat Timon: manent arrogantes, litigiosi, maledici. ¶ Οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου; *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?*] Μωραίνειν הסכיל, hic est *stultitiæ convincere*, quo sensu verba in Hiphil frequentia sunt apud Hebræos. Intellige autem comparatione ejus frugis, quam protulit Euangelium. Vocula τούτου [*hujus*] non est in Manuscripto, nec eâ opus.

21. Ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος διὰ τῆς σοφίας τὸν Θεόν, *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*] Σοφίαν τοῦ Θεοῦ [*sapientiam Dei*] hic vocat cognitionem illam Dei, quæ ex rerum natura oritur: de qua diximus ad Roman. 1. 20, 21. & Actor. 14. 16. & 17. 27. Ἔγνω [*cognovit*] hoc loco significat *reveritus est*, quod ad Romanos ἐδόξασαν [*glorificaverunt*] vel εὐχαρίστησαν [*gratias egerunt*]. Sic ἔγνω [*cognovit*] Johannes etiam accepit 1. 10. & exponit per ἔλαβον [*receperunt*]. ¶ Εὐδόκησεν ὁ Θεός, *placuit Deo*] Similem constructionem vocis εὐδοκεῖν [*placere*] habemus Luc. 12. 32. Rom. 15. 26. Galat. 1. 15. Coloss. 1. 19. ¶ Διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος, *per stultitiam prædicationis*] Duplex hic tropus: nam & διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος [*per stultitiam prædicationis*] positum est pro μωροῦ κηρύγματος [*stulta prædicatione*], & *stultum* dicitur non quod tale est, sed quod tale esse multis eruditis putatur. Apparet id in sequentibus & mox 2. 14. Sic multa appellantur κατὰ τὸ φαίνεσθαι [*secundum id quod videntur esse*], non κατὰ τὸ εἶναι [*secundum id quod sunt*]. ¶ Σῶσαι τοὺς πιστεύοντας. *salvos facere credentes*] A vitiis liberare in præsens, in posterum donare vitâ æternâ.

22. Ἐπειδὴ καὶ Ἰουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσι, *Quoniam & Judæi signum petunt*] Non qualecunque, sed ex animi sui arbitratu, Matth. 12. 38. nempe de cœlo, Matth. 16. 1. Marc. 8. 11. sicut Moses grandinem fecerat descendere, & Elias ignem. Legendum hic ἐπειδὴ καὶ [*quoniam &*], ut est in plerisque editionibus, non ἐπειδὴ γὰρ [*quoniam enim*], ostendit sensûs cohærentia. Non enim argumentatur Apostolus, sed jam dicta explicat. Præterea in Manuscripto est pluraliter, σημεῖα [*signa*]. ¶ Καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν *& Græci sapientiam quærunt*] Volunt Græci quæ dicuntur sibi probari per causas naturales. In Manuscripto est, ἐπιζητοῦσι [*requirunt*].

23. Ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, *Nos autem prædicamus Christum crucifixum*] Non rationes adferimus, sed testimonium de re conspecta. ¶ Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, *Judæis quidem scandalum*] Non tantùm quia in crucifixum credere probrosum ipsis videbatur, sed quia insuper hæc fidei professio crucem secum trahebat, Gal. 5. 11. ¶ Ἕλλησι δὲ μωρίαν *Gentibus autem stultitiam*] Insipidum illis videbatur nihil adferri de rerum principiis, de finibus, de animi natura, quæ elementa sunt apud Græcos sapientiæ moralis.

24. Αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς, *Ipsis autem vocatis*] Κλητοὶ [*vocati*] hic appellantur cum effectu, id est, ii *qui vocationi paruerunt*, ut Rom 8. 28. ¶ Χριστὸν Θεοῦ δύναμιν καὶ Θεοῦ σοφίαν. *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*] Hæc per μετάληψιν [*Transsumptionem*] accipienda: quia per Christum Deus ostendit & potentiam suam ad homines convertendos, (vide Rom. 1. 16.) & sapientiam, de qua actum Rom. 11. 33. Vide & infra 2. 7. & Esaiæ 53. 11.

25. Ὅτι τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ, *Quia quod stultum est Dei*] Comparatè dictum, id est, *quod in sapientia Dei minimum est.* ¶ Σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί *sapientius est hominibus*] Est contractè dictum pro σοφώτερον τοῦ σοφοῦ τῶν ἀνθρώπων [*sapientius est sapientiâ hominum*]. Sic apud Plinium *omnium triumphorum lauream adepte majorem.* Subauditur enim *laureis.* ¶ Καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ, *& quod infirmum est Dei*] Et hoc comparatè sumendum: significatur enim id *quod in Dei potentia minimum est.* ¶ Ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί *fortius est hominum*] Et hic subaudi τοῦ ἰσχυροῦ [*fortitudine*] Idem sensus est, qui proverbialiter exprimitur 1 Regum 12. 10.

26. Βλέπετε γὰρ τὴν κλῆσιν ὑμῶν ἀδελφοὶ *Videte enim vocationem vestram fratres*] Et hic est μετωνυμία [*Transnominatio*]. Nam κλῆσιν [*vocationem*] dicit *eventum vocationis.* Pauci, qualis Nicodemus, Josephus Arimathensis, Sergius, crediderant Euangelio: multi piscatores, multi sellularii: non quòd Euangelium ullius sortis homines à se abjiciat, sed quòd arctam viam faciliùs ingrediantur minùs sarcinati. Vide Matth. 5. 3. & 19. 23. & ibi dicta. Lactantius 7. 1. *Nemo virtuti favet, nisi qui sequi potest; sequi autem non est facile omnibus; ii possunt quos paupertas & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam si virtus est tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem qui semper in bonis fuerunt: quia mala neque experti sunt, neque ferre possunt, assuetudine ac desiderio bonorum quæ sola noverunt. Eo fit ut pauperes & humiles Deo credant faciliùs, qui sunt expediti, quàm divites qui sunt impedimentis multis implicati, imò catenati & compediti serviunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit: nec possunt in cælum aspicere, quoniam mens eorum in terram prona humique defixa est. Virtutis autem via non capit magna onera portantes. Angustus admodum trames est, per quem justitia hominem deducit in cælum. Hunc tenere non potest nisi qui fuerit expeditus ac nudus.* Vide & quæ ibi sequuntur. Hoc ideo dicit quia inter Corinthios alii ob doctrinam, alii ob divitias se anteponebant aliis. ¶ Οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, *non multi sapientes secundum carnem*] Supple, *crediderunt. Sapientes secundum carnem* vocat eos, qui pollent sapientiâ mundi hujus, ut modò dixerat: eâ scilicet, quæ non est ex revelatione. Revelationi enim Divinæ *caro* opponitur, Matth. 16. 17. Οὐ πολλοὶ δυνατοὶ, *non multi potentes*] *In dignitatibus positi*, ut Apoc. 6. 15. גבורים [*potentes*]. Οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς *non multi nobiles*] *Genere nobiles*, quales Corinthi Cypselidæ & Bacchiadæ.

27. Ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός, *Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus*] Τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου [*Quæ stulta sunt mundi*], id est, τῷ κόσμῳ [*mundo*], quale loquendi genus habuimus & Rom. 8. 3. eos qui à mundo ob eruditionis penuriam penè pro stultis habentur. Vide Proverb. 8. 3. Deinde est μετωνυμία [*Transnominatio*]. *elegit Deus*, id est, crediderunt: qui enim credunt, eos *Deus eligit*, sive *approbat.* Et nota genus neutrum poni pro communi, ut & alibi & in sequentibus. ¶ Ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνῃ, *ut confundat sapientes*] Qui semet præstare ad talem normam nunquam potuere. ¶ Καὶ τὰ ἀσθενῆ τοῦ κόσμου, *& infirma mundi*] Intelligit homines de plebe. ¶ Ἵνα καταισχύνῃ τὰ ἰσχυρά. *ut confundat fortia*] Quomodo dixerat δυνατοὺς [*potentes*] Job. 12. 10. ואיתנים יסלף [*& fortes subvertet*] δυνάστας δὲ γῆς κατέστρεψε [*potentes verò terræ evertit*].

28. Καὶ τὰ ἀγενῆ τοῦ κόσμου, *Et ignobilia mundi*] Eos qui apud homines habentur ignobiles. Julianus libro 6. exprobrat Christianis, quòd plerique eorum essent servi & ancillæ. Etiam in ministerio Ecclesiæ ancillas fuisse ex Plinio discas. Chrysostomus infra ad caput 2. objectum ait Christianis, maximam eorum partem fuisse nutrices, obstetrices, eunuchos. ¶ Καὶ τὰ ἐξουθενημένα, *& contemptibilia*] Solent enim tales despici. De hoc verbo vide Marc. 9. 12. Luc. 18. 9. Actor. 4. 11. Rom. 14. 3, 10. ¶ Καὶ τὰ μὴ ὄντα, ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ *& ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret*] Ὑπερβολὴ [*Superjectio*] Hebraica quæ אין [*non*] & אפס [*nihil*] usurpat de rebus valde abjectis. Vide Esai. 40. 17. contra τὰ ὄντα [*quæ sunt*] sicut & τὶ [*aliquid*] dicitur de eo quod in pretio est. Gal. 6. 3. Tum

3. Tum verò καταργεῖν [*destruere*] sume, ut Rom. 3. 31. *ostendit esse nihili.* Hæc omnia præfigurata fuerant temporibus exitûs ex Ægypto, & in Davidis pugna contra Goliathum & ejusdem evectione in regnum, & rursus temporibus Esdræ & Nehemiæ.

29. Ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *Ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei*] Fecit Deus ne quid in hoc negotio homo sibi tribueret. Nam καυχᾶσθαι [*gloriari*] est *inniti alicui rei*, *lætari de re aliqua.* Vide Rom. 2. 17, 23. & 5. 2, 3, 11. μὴ [*non*] & πᾶσα [*omnis*] Hebræis universaliter negant. ἐνώπιον Θεοῦ [*in conspectu Dei*] id est, *ubi cum Deo res est.* Ubi homo ex parte viliore *caro* appellatur, fit hoc ad fastum reprimendum.

30. Ἐξ αὐτοῦ δὲ ὑμεῖς ἐςὲ ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ, *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu*] Ἐξ [*ex*] hîc significat causam efficientem primariam, ut Rom. 11. 36. ἐν [*in* cum ablativo] pro διὰ [*per*] causam mediam. Et ἐςὲ [*estis*] intellige, *estis nova creatura*, *facti estis longè alii quàm eratis.* ¶ Ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις: *qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*] Est hîc perpetua Metonymia effecti positi pro causa. *Christus* enim, *Deo ita procurante*, *factus est causa*, *per quam sapiamus*, divina scilicet, *per quam à peccatis purgemur*, *per quam Spiritu Sancto donemur*, *per quam à morte quondam vindicandi sumus*; quod ἀπολύτρωσις [*redemptio*] dicitur Rom. 8. 23. Ephes. 4. 30.

31. Ἵνα, *Ut*] supple *fiat.* Similis ἔλλειψις [*Defectus*] Rom. 15. 3. alibi, & infra 2. 9. ¶ Καθὼς γέγραπται· Ὁ καυχώμενος ἐν Κυρίῳ καυχάσθω. *quemadmodum scriptum est*, *Qui gloriatur in Domino glorietur*] Sensus concisè depromptus ex Jeremiæ 9. 23, 24. Ubi in Græco habemus, Τάδε λέγει Κύριος. μὴ καυχάσθω ὁ σοφὸς ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ, καὶ μὴ καυχάσθω ὁ ἰσχυρὸς ἐν τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ, καὶ μὴ καυχάσθω ὁ πλούσιος ἐν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ, ἀλλ' ἢ ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος, συνιεῖν καὶ γινώσκειν ὅτι ἐγώ εἰμι Κύριος, ὁ ποιῶν ἔλεος καὶ κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς [*Hæc autem dicit Dominus*, *Non glorietur sapiens in sapientia sua*, *& non glorietur fortis in fortitudine sua*, *& non glorietur dives in divitiis suis*; *sed in hoc glorietur qui gloriatur*, *scire & nosse*, *quia ego sum Dominus*, *qui facio misericordiam & judicium & justitiam in terra*]. Ubi in Hebræo pro καυχάσθω est יתהלל: quod per ἀγαλλιᾷν [*exsultare*] alibi vertitur.

CAP. II.

VALLA.

4. NON *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*] Ego dixissem *non in suasoriis.* Nam *suasibile esse*, materia est; *suasorium* autem, sermonis seu orationis: & oratio *suadet*, res autem *persuadetur.* Certè oratio & verba non *persuadentur.* Dixi *sermonis* seu *orationis* potiùs quàm *verbi*: i. dicturum me fuisse, *non suasoriis humanæ sapientiæ sermonibus* seu *orationibus*, quia paulò antè dixit Interpres v. 1. *non in sublimitate sermonis aut sapientiæ*: nam utrobique idem est nomen, *logos*, ibi λόγου, hic πειθοῖς λόγοις.

9. *Nec in cor hominis ascendit, quæ paravit Deus qui diligunt illum*] Interpres non animadvertit verbum Græcum, etsi numeri sing. tamen fuisse transferendum pluraliter, ut facit Hieronymus in epist. super Pentateuchum, *Nec in cor hominis ascenderunt*: ut appareat aut non esse hunc interpretem Hieronymum, aut ejus interpretationem fuisse corruptam. Idem vitium paulò pòst v. 14. *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei*: *stultitia enim est illi.* Non enim sic accipiendum esse opinor ut plerique accipiunt, quòd ideo homo non percipit quæ sunt Spiritûs quia inest ei stultitia, sed quia illa quæ sunt Spiritûs Dei sunt stultitia homini, sicut superiùs dicitur 1. 23. *Judæis quidem scandalum*, *Gentibus autem* (seu potiùs *Græcis* Ἕλλησι) *stultitiam.* Nec simplex vitium est hoc, sed geminatum: nam idem dico de eo quod sequitur v. 14. *Et non potest intelligere*, *quia spiritualiter examinatur*, dicendum enim erat *examinantur*, videlicet *ea quæ sunt Spiritûs Dei.*

13. *Non in doctis humanæ sapientiæ verbis*, *sed in doctrina Spiritûs spiritualia comparantes*] Deest *sancti*, ut *Spiritûs sancti*, πνεύματος ἁγίου. Cur variavit Interpres Græcum vocabulum? nam sic legitur Græcè, *Non in doctis humanæ sapientiæ verbis* (sive *sermonibus*) *sed in doctis Spiritûs sancti*: quasi in humana sapientia sint *verba*, in Spiritu autem sancto *doctrina*; quod non ità est. Ideóque ego sic transtulissem, *Non in doctis verbis humanæ sapientiæ*, *sed in doctis verbis Spiritûs sancti*, sive *in doctis sermonibus*, οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου.

16. *Quis cognovit sensum Domini*, *nisi Spiritus Domini*, *qui instruit eum?*] Quidam codices habent, *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis instruit eum?* neutrum rectè, sed ità legendum est, *Quis enim cognovit sensum* (sive *mentem*, νοῦν *Domini*, *qui instruet eum*, sive *docebit eum?* Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν;

REVIUS in VALLAM.

9. Ἕλλησι] Locum nonnihil mutarat.

13. *Non in doctis*] Conferatur Beza.

ERASMUS.

1. IN *sublimitate*] Καθ' ὑπεροχὴν, i. *juxta eminentiam*: nam hoc verbo usus est Ambrosius. Nec est *in* apud Græcos, sed κατὰ *juxta*, aut simile quippiam. Ambrosius legit *cum eminentia.* Paulinus codex habebat Per sublimitatem sermonis. ¶ *Testimonium Christi*] *Dei* est apud Græcos, non *Christi*: idque perspicuum est ex interpretatione Theophylacti: *Dei*, inquit, *testimonium vobis pronunciaturus*, *id est*, *Christi mortem.* Ambrosius legit, *Prædicans vobis mysterium Dei*: nec ità legit solùm, verum etiam interpretatur. Unde diverso videtur usus exemplari Græco: siquidem apud illos inter μαρτύριον & μυςήριον nonnulla vocum affinitas est.

2. *Non enim judicavi me scire*] Οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τί, i. *Non enim judicavi ut scirem aliquid.* Fortassis *judicavi* refertur ad consilium veniendi. Siquidem Græci interpretes dissimulant hujus articuli vim τοῦ, qui præponitur verbo infinito. Aut, quod magis arridet, *judicavi* posuit pro *æstimavi*; velut in epistola superiori, *Alius judicat diem ad diem.* Sensus igitur erit, *Non æstimavi me alicujus pretii ob id quòd scirem aliquid inter vos*, &c. Nam ubi causa significatur, solet in his subaudiri ἕνεκα, ut sit sensus, ἕνεκα τοῦ εἰδέναι. Certe Hilarius lib. De Trinit. 10. citans hunc locum non addit pronomen *me.*

4. *Non in persuasibilibus*] Πειθοῖς *suasoriis*, *& ad persuadendum appositis.* Et σοφία sæpe *doctrinam* significat, ut jam admonuimus. ¶ *In ostensione Spiritûs*] Ἐν ἀποδείξει· quod propemodum sonat *ostentationem.* Nam Rhetores ἀποδείξεις vocant *orationes quas ostentandi ingenii gratiâ recitant auditoribus*: quod genus exstant aliquot Luciani & Apuleii. Mathematici quoque vocant ἀπόδειξιν ubi *rem picturis ostendunt*; & Dialectici *syllogismum è principiis rem certam colligentem* ἀπόδειξιν appellant. Paulus ἀπόδειξιν appellat, cùm ipsâ re præstatur ac declaratur Spiritus Apostolicus.

6. *Sapientiam autem*] Ex hoc loco apparet quid Paulus senserit cùm tribueret Deo *stultitiam*, nimirum ad collationem hujus *sapientiæ quam loquebatur inter perfectos*; nè quis alteram illam sententiam arbitretur omnino rejiciendam quam proximo capite recensuimus. ¶ *Neque principum hujus seculi*] Ἀρχόντων. Quod quidam interpretati sunt *Dæmones*, reclamante Chrysostomo simul & Theophylacto qui *principes* exponunt *Philosophos*, *Oratores*, *& aliòqui doctos*, *qui olim in Republica regnabant.* Nam quòd Origenes hom. in Matth. 4. *principes hujus seculi* vult esse Dæmones, quibus Pater ob salutem humani generis tradiderit Filium, per quos deinde traditus sit in manus impiorum hominum, mihi sanè videtur paulò coactius, licèt ea sententia placuerit Ambrosio. Porro quod apud Ethnicos erant Oratores & Philosophi, hoc apud Judæos Scribæ & Pharisæi. ¶ *Qui destruuntur*] Καταργουμένων. Videtur referri posse ad utrumque *hujus seculi*, & *principum*, *quæ abolentur*: ut intelligamus utrumque abolendum, & *seculum hoc*, & *hujus seculi Principes.*

7. *In mysterio quæ abscondita*] Græcis *absconditam*, non pendet ab iis verbis quæ proximè præcedunt, *in mysterio*: q. dixerit *reconditam in mysterio.* Sed loquimur, inquit, non propalàm aut passim, nè simus offendiculo, sed secretò; nec inter quos libet, nè rosas objiciamus porcis, sed inter perfectos; neque quamlibet sapientiam, quam alii Philosophi publicè profitentur, sed arcanam illam & reconditam atque, ut ità loquar, retrusam. Id ità esse arguit articulus Græcus additus participio, τὴν ἀποκεκρυμμένην. Atque ità legisse videtur quisquis fuit qui libros Origenis transtulit adversùs Celsum. Sic enim adducit hoc testimonium, *Sapientiam autem loquimur in perfectis*, *sapientiam verò non hujus seculi*, *nec principum hujus mundi*

di qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quod absconditum est, quod prædestinavit, &c. Neque secùs legit Augustinus in Collectaneis Bedæ; nisi quòd Græcis est *quæ abscondita est*; non, *quod absconditum*. Ad eundem modum adducit Hieronymus præloquens in tertium Commentarium in epist. ad Galatas, *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*. Atque ità scriptum comperi in vetustissimo codice Paulino. Consentiebat uterque codex è Constantia nobis suppeditatus. Neque secùs adducit hunc locum Ambrosius lib. De fide 3. cap. 3. Convenit enim ut quæ sunt arcana, non palàm effutiantur, sed secretò iis qui digni sunt communicentur. ¶ *Quam prædestinavit*] Ἣν προώρισεν. Rectiùs est *præfinivit*, sive *præordinavit*, videlicet suo tempore revelandam, nè rem putarent nuper inventam.

8. *Nunquam Dominum gloriæ*] Οὐκ ἂν est Græcis, h. e. *nequaquam*. Id quod incuriâ librariorum videri poterat immutatum, ni tantus esset nostrorum codicum consensus.

9. *Sicut scriptum est*] Ἀλλὰ καθὼς γέγραπται, i. *Sed sicut scriptum est*: ut conjunctio connectat sermonem cum superioribus, *Non loquimur sapientiam hujus mundi, sed ea loquimur quæ nec oculus vidit, nec auris*, &c. ¶ *Quod oculus non vidit*] Rectè quidem admonet Laurentius verbum singulare *ascendit* vertendum fuisse in plurale, propter nomen neutri generis. Atque ità citat D. Hieronymus, cùm aliis aliquos locis, tum adversùs Ruffinum, *ascenderunt*, non *ascendit*, ἀνέβη & *quæ*, non *quod*. Eandem scripturam comperi in altero exemplari Constantiensi miræ vetustatis. Verùm magis movet articulus postpositivus ἃ in initio sermonis; nam is reddit orationem inabsolutam tam apud Latinos quàm Græcos, nisi subaudias *sunt*; *ejusmodi sunt quæ præparasti*. Quanquam hujusmodi quædam & aliàs apud Paulum licet reperire; nisi Interpres pro ἃ legit ὅτι, aut nisi quis conjunctionem *quod* de suo adjecit, aut nisi placet quod proximo indicavimus loco. Faber legisse videtur δὴ pro δὲ. Verùm video δὲ referri ad id quod præcessit. *Nemo principum seculi hujus novit, sed nobis revelavit*. Porrò testimonium hoc Paulus sumpsit ex Esa. 64. sententiæ magis exprimens veritatem quàm verba annumerans. Nam illic juxta veritatem Hebraicam ità legitur, *A seculo non audierunt, nec auribus perceperunt. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te*. Apostolus legisse videtur לו מחכה: quod est *diligentibus se*, per ב Beth, à verbo חבב, quod est *vehementer dilexit*. LXX verò per כ Caph, à verbo חכה, quod est *exspectavit*. Præterea apud Hebræos est pronomen tertiæ personæ לו, sicut apud Apostolum αὐτόν. ¶ *His qui diligunt illum*] Τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν, *diligentibus se*. Apud LXX non verba solùm diversa sunt, sed sensus ipse plurimùm ab hoc discrepat, sic enim legitur, Ἀπὸ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν εἶδον Θεὸν πλήν σε, καὶ τὰ ἔργα σε, ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσιν ἔλεος, *A seculo non audivimus, neque auribus percepimus, neque oculi nostri viderunt Deum absque te, & opera tua quæ facies exspectantibus misericordiam*. Atque ad eum modum adducit Hilarius lib. De Trinit. 5. Unde fuerunt qui locum hunc ex apocryphis Judæorum peterent, sed vehementer refragante Hieronimo. Sanè hic unus est inter paucos quos Paulus adduxerit ex Hebraica veritate, licèt sensum magis expresserit quàm verba annumerarit.

10. *Etiam profunda Dei*] Καὶ τὰ βάθη, *etiam profunditates*. Quanquam id quidem ad sensum perparvi refert.

11. *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis*] Τὰ τοῦ ἀνθρώπου. Quod Augustinus lib. 1. De civit. Dei non ineleganter explicuit, *quid agatur in homine*. Vertere poterat, & *statum hominis*, aut *res hominis*.

13. *Sed in doctrina Spiritûs*] Gr. οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου, *non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctis Spiritûs S.* ut subaudias *verbis*. *Doctis* autem hoc loco nomen adjectivum, non participium: & genitivus *sapientiæ* ad *doctis* refertur magis quàm ad *verbis*. q. d. *Non in verbis callentibus humanam sapientiam, sed in verbis peritis Spiritûs*, h. e. quæ habent doctrinam Spiritûs quæ Numinis afflatu contigerit. In paucis Græcorum exempl. scriptum erat διδακτικοῖς quod verbum aliàs Paulus usurpavit activè, velut 2. Tim. 2. πρὸς πάντας διδακτικὸν erga omnes paratum ac propensum ad docendum. Ad eundem modum hic legas licebit, *non in verbis quæ doceant humanam sapientiam, sed quæ doceant Spiritum Dei*. At mihi magis probatur ut hic intelligamus sermonem Apostolorum non constare doctrinâ humanâ sed afflatu Divino. Nam hujusmodi θεοδίδακτοι dicuntur, i. *Divinitus docti*. Id quanquam est aliquantò durius citra compositionem, tamen ità Joannes extulit 6. 45. καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. Quo loco certum est *Divinitus afflatos* intelligi. Ambrosius sensum magis exprimit quàm reddit verba, legens ad hunc modum, *non in doctrina verborum humanæ sapientiæ, sed in doctrina Spiritûs*. Theophylactus, Chrysostomum secutus, sentit *ea quæ didicerit Paulus à Spiritu*. Id Augustinus exprimens legit in epistola 150. *Non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed docti Spiritu*. Quid hic dicent Theologi quidam, ut sibi videntur, qui tradendo S. literas nihil crepant nisi philosophiam Aristotelicam? ¶ *Spiritualia comparantes*] Συγκρίνοντες, *conferentes, componentes*: nè quis accipiat *comparare* pro *parare*. Nec enim ad homines refertur *spiritualibus*, sed ad res, quibus accommodandam putavit Paulus eloquentiam item spiritualem; nè videretur absurdum, cœlestem illam Philosophiam humanis verborum ornamentis commendari. Nam quod admonet Theophylactus de Sacramentis Euangelii cum V. Instrumenti Sacramentis conferendis, ut verum esse fateor, ità parùm existimo quadrare ad hujus loci sententiam. Appositiora sunt quæ scribit Chrysostomus, Ad confirmandum Euangelium non esse opus humanâ Philosophiâ, sed sufficere sibi Scripturam: velut ad probandum quòd Christus natus sit de virgine, aut mortuus revixerit, non adhibendæ sunt Philosophorum rationes, sed vel oracula typique V. Instrumenti, vel miracula. Qui in paradiso creavit arbores absque semine, qui Adam creavit ex argilla, Evam è costa Viri, terram è nihilo, ei facile fuit è virginis substantia creare corpus humanum, mortuum reddere vitæ. Quicquid enim in Scripturis est spirituale est, quia ab eodem Spiritu proditum.

14. *Animalis autem homo*] Ψυχικός. Velut *animum*, h. e. affectus sequens humanos. Etenim cum Paulus Hominem dividat in tres partes, Carnem, Animam & Spiritum, hic *animæ* vocabulo pro *carne* videtur abusus. ¶ *Stultitia enim est illi*] *Est* plurativè erat vertendum, *sunt*: ut intelligas *ea quæ sunt Spiritûs, illi esse stultitiam*. Fefellit Interpretem verbum sing. numeri, sed quod vice plurativi positum est. ¶ *Spiritualiter examinatur*] Ἀνακρίνεται *dijudicatur*: quod verbum mox sæpius vertit *judicatur*. Rursum hic *examinatur* erat dicendum multitudinis numero, ut subaudias quæ præcedunt, nempe *ea quæ sunt Spiritûs*: nisi ὅ, τι sit articulus, non conjunctio *quòd*: ut hic sit sensus, *Non potest intelligere ea spiritualiter dijudicari, cùm sit ipse carnalis*. Et tamen Ambrosius accipit sing. numero.

16. *Sicut scriptum est, Quis enim cognovit*] *Sicut scriptum est* in Græcis cod. non invenio, nec in vetustiss. codice Donatiani. Consentiebat uterque codex è Constantia missus. Cæterùm testimonium quod sine nomenclatura retulit, est apud Esaiam c. 40. Quanquam Paulus expressit potiùs quàm appendit verba. Siquidem LXX verterunt ad hunc modum, indicante Hieronymo, Τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου; τίς αὐτοῦ σύμβουλος ἐγένετο; *Quis novit mentem Domini? & quis consiliarius ejus fuit?* Juxta veritatem Hebraicam ità transtulit Hieronymus, *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi? cum quo iniit consilium: & instruit eum*. Porrò quod Paulus ait συμβιβάσει, Theophylactus Chrysostomum secutus interpretatur διορθώσει *corriget*, sive *corripiet*: quod equidem non admodum probo. Cæterùm quod Hieronymus vertit *adjuvit*, Paulus *cognovit*, Hebraicè est תכן quod Hieronymus vertit *Spiritum*, Paulus *Mentem*, apud Hebræos est רוח ¶ *Aut quis instruxit eum?*] Ὃς συμβιβάσει αὐτόν; *quis instruet*, aut *docebit, eum?* Donatiani codex habebat, *qui instruat eum*: non multùm dissidens à Græcis. Suffragatur exemplar utrumque Constantiense. Quanquam Græcis ambiguum est *qui* pronomen utrùm ad *mentem* referatur an ad *Dominum*. Tametsi ipse malim in eam legi sententiam in quam legunt omnes, *Quis cognovit mentem Domini? qui instructurus sit illum?* quod ut fieret evidentius explicuerunt per conjunctionem disjunctivam. Videri poterat referre eam sententiam quæ est Sap. 9. *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* ac paulò pòst, *Sensum autem tuum quis sciet?* nisi apud Hebræos liber Sapientiæ extra canonem esset. Unde satius est ut, quemadmodum ostendimus, ad Esaiam referamus testimonium. ¶ *Nos autem sensum*] Νοῦν *mentem*. Et *tenemus* magis quadrabat quàm *habemus*: ut accipiamus *Domini mentem perfectis esse cognitam*.

VATABLUS.

1. ET] Heb. *Et* pro *Itaque*: q. d. Cùm Deus elegerit humilia, Ego quoque, &c. ¶ *In sublimitate*] *Per sublimitatem*, Vet. vel *cum eminentia*. ¶ *Christi*] *Dei*: i. mandatum quod testatur nobis voluntatem Dei.

4. *Persuasibilibus*] *Persuasoriis, ad persuadendum appositis*. ¶ *Virtutis*] i. Re ipsâ declaravi me habere Spiritum Dei potentem.

5. Ut

5. *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum*] i. Ut quod credaris, non acceptum feratur eloquentiæ hominum, sed potentiæ Dei.

6. *Inter perfectos*] i. Quam nonnisi perfecti & credentes sapientiam esse judicant.

7. *mysterio*] Heb. absconditam. ¶ *Quæ abscondita est*] Repetitio Hebraica: vel sic intelligatur, *loquimur in mysterio*, i. secreto, iis qui digni sunt Dei sapientiam quæ abscondita est, arcana, recondita & abstrusa. ¶ *Prædestinavit*] *Præfinierat*.

8. *Nunquam*] *Nequaquam*. ¶ *Crucifixissent* *] * *Sed*, Vet. vel, *Nam*.

9. *Quod*] *Quæ*. ¶ *Ascendit*] *Ascenderunt*: i. Cor hominis non assequitur.

11. *Quæ sunt hominis*] i. Quæ quis in animo volvat.

13. *Non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritûs*] Vel *sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus*. ¶ *Comparantes*] *Conferentes*, vel *componentes*: q.d. spiritualibus sermonibus non humanis spiritualia docentes.

14. *Animalis*] i. Qui carni obsequitur; nudus ille & naturalis homo, qui animâ & corpore constat, & propriè animæ non Spiritûs S. gubernatione regitur. ¶ *Est*] *Sunt*. ¶ *Et*] *Et* pro *itaque*, Heb. ¶ *Examinatur*] *Examinantur*, plur. num. Vet. vel, *dijudicantur & demonstrantur per Spiritum S.*

15. *Judicat*] *Dijudicat*: i. qui Spiritu Dei præditus est, de quacunque doctrina judicat, bona sit an mala: carnales autem non possunt de eo judicare.

16. *Domini? aut quis instruxit eum?*] *Domini qui instruat eum?* Vet. vel *qui consilium daturus sit illi?* vel, ut alii, *qui (Dominus) docebit*, aut *docere solet*, *ipsum?* sub. *spiritualem hominem?* ¶ *Sensum Christi habemus*] *Mentem Christi tenemus*: i. novimus quid Christo probetur.

CASTALIO.

2. *Statueram enim nihil scire apud vos*] Itâ me gererem ut nihil aliud scire viderer.

6. *Sapientiam autem loquimur apud perfectos*] *Sapientiam* vocat reconditiorem doctrinam, & de rebus magis arduis; *Perfectos* autem, Christianos in doctrina provectiores, & arcanorum capaces. Quasi hoc dicat, *Quòd vos simpliciter Christum eumque crucifixum, docui, id non ideo feci quòd non haberem perfectiora & longe majora quæ docerem: Sed cùm vos in Christi doctrina infantes neque majorum capaces essetis docui rudimenta, & lacte vos (ut itâ dicam) pavi*: quemadmodum dicit capite sequenti. Hæc sententia ex Pauli verbis itâ aperta est ut nihil apertius: neque ego de ea verbum fecissem nisi viderem in ea quosdam itâ hallucinari ut in luce videantur oculos claudere & suos & aliorum. Putant *perfectos* hoc loco dici Christianos quosvis, quibus Euangelium sit sapientia. Sed repugnant Pauli verba. Non enim dicit, σοφίαν λαλῦμεν τὴν ἐν τοῖς τελείοις, ut ἐν τοῖς τελείοις referatur ad σοφίαν sed refertur ad verbum *loquimur*, σοφίαν λαλῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. Dicet quis, Quid, inter imperfectos & rudes Christianos non loquitur sapientiam? Non loquitur. *Sapientiam* enim vocat perfectiorem & magis arduam ac difficilem doctrinam, sicut Apoc. 13. σοφία vocatur acuta quæstio & ænigma de Bestiæ numero. Et Demosthenes in Epistola de Lycurgi liberis, ταῦτα μὲν σοφώτερα ἢ καθ' ἑαυτὸν εἶναι, *hæc acutiora esse quàm ut ea consequi possit*. Hæc ergò Pauli reconditior doctrina inter rudimenta tradi non potest: de qua loquens Paulus paulò pòst dicit, *Sed quæ nec oculus vidit*, &c. quæ oratio refertur ad verbum λαλῦμεν. *Loquimur non humana neque vulgaria, sed quæ nec oculus vidit*, &c. *scilicet cùm sumus inter perfectos & horum arcanorum capaces*. Itaque ibi bis ponitur articulus, ἃ, h. e. *quæ*, quorum prius ad λαλῦμεν, posterius ad ἡτοίμασεν referendum est: quæ oratio aliter intelligi aut apta esse non potest. Itaque qui aliter interpretantur, alterum articulum vel omittunt vel supervacaneum putant: id quod non est faciendum nisi ubi aliter sententia constare nullo modo potest. Quòd si verba etiam ad illorum sententiam duci se non trahi paterentur, tamen sententia inepta foret: nam neque *perfectos* dicere potest Paulus Corinthios, quos capite sequenti vocat σαρκικὲς, h. e. *humanos & rudes*, & νηπίες, h. e. *infantes ac imperfectos*, causam reddens cur eos sapientiam, h. e. perfectiora, docere non potuerit: & si *perfecti* vocarentur quicunque Christiani, *imperfecti* dici possent qui non sunt Christiani. Atqui *imperfectus* dici non potest nisi qui est inchoatus, & in quo aliquid jam factum est: id quod in non Christianos cadere non potest, neque unquam de eis, quod sciam, dici comperies. Neque est quòd abhorreas ab hac Pauli sententia, quasi nihil majus aut abstrusius solitus sit apud perfectos loqui quàm ea sunt quæ extant in ejus scriptis. Nam si Paulo, qui perfectus erat, majora ostendit Deus, quid vetat Paulum ea declarasse perfectis? An indigniores erant illi audire quàm Paulus videre? Cur ergò ea non retulit in literas? Quoniam literas plerique legunt imperfecti, qui tam ardua capere non magis possunt quàm puer abecedarius intelligere quæ sunt in Dialecticis difficillima. Lege 4. Esr. 14.

11. *Nisi hominis spiritus qui in eo est*] Πνεῦμα & *animum* & *spiritum* declarat, Hebræorum more, apud quos est רוח Ego cùm in hac sententia *Dei animum* dicere non auderem, præsertim cùm in sequentibus non conveniret, & tamen in utroque membro idem nomen ponendum esset, *spiritum hominis* dixi pro *animo*.

13. *Spiritualibus spiritualia componentes*] Res Divinas oratione tractantes quæ rebus Divinis congruat, h. e. simplici.

14. *Animalis autem homo*] Humanus & à Divinis alienus.

CLARIUS.

2. *Et hunc crucifixum*] Non ingressus, inquit, sum in thesauros Divinitatis ejus, sed in sola Cruce & Morte occupabar, & tamen obstruxi ora sapientum: Neque tanquam humanâ potentiâ fretus accessi, cùm in imbecillitate & terrore persequentium versarer, sed solâ Spiritûs virtute nitebar. Hoc enim est quod ait, *Et ego in infirmitate*, &c. In commemoratione autem *sapientiæ* immoratur magis quia Græci maximè fidebant sapientiâ.

6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*] Hinc apparet quantus fuerit Paulus, cujus epistolæ profectò minima pars est thesaurorum ejus. Cùm in quotidianis prædicationibus longè major fuisse credendus sit: nam epistolarum ratio non sinit itâ exspatiari. Cùm ergò hæ reliquiæ epistolarum tantæ sint dignitatis, quem censemus eum fuisse cùm *sapientiam* (nam ista quæ scribit *sapientiæ* appellatione digna non judicat) *loqueretur inter perfectos*? Et nè putes de hac mundi sapientia illum loqui, aperit quam intelligat, *non sapientiam hujus seculi*, &c. sed hanc è cœlo allatam Philosophiam: quam qui primas tenent in hoc seculo non agnoverunt; alioquin in tantam Majestatem manus non injecissent.

9. *Sed sicut scriptum est*] Refertur ad sapientiam quam prædicabat, quæ non esset humana: idcirco de ea scriptum esse, *Oculum non vidisse*, &c.

10. *Nobis autem revelavit Deus*] Nequis ei objiciat, Quo igitur pacto intelligere potuistis quæ neque oculis pervia erant, neque auribus? *Deus*, inquit, *revelavit*.

12. *Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*] Profectò enim ad agnoscendas Christianæ Philosophiæ divitias Divino opus est Spiritu.

13. *Spiritualibus spiritualia comparantes*] Nam spiritualia nequeunt alio modo quàm Spiritu dijudicari: nam qui Divina humanis tractant ratiocinationibus, non assequuntur quod quærunt. *Animalis* enim *homo*, inquit, tantum abest ut *percipiat ea quæ sunt Spiritûs Dei*, ut etiam *stultitia* quædam *illi videantur*. *Animalem* autem vocat eum qui solis animi inventis & rationibus fidit. Tu verò cogita, carnales, qui longè inferiori gradu sunt, quantò minùs ista percipiant.

15. *Spiritualis autem dijudicat omnia*] Idcirco Christiana Philosophia præstat cæteris; at illæ hanc non assequuntur.

ZEGERUS.

2. *Non enim judicavi me scire*] *Judicavi* posuit pro *existimavi*, quemadmodum & alias positum comperimus, ut Lucæ 7. *Rectè judicasti*.

7. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*] Secundùm duplicem distinctionem duplicem potest hic locus habere sensum: Primò sic, *Sed loquimur in mysterio*, sive *per mysterium*, i. arcanâ quadam ratione, *Dei sapientiam, quæ abscondita est ab hujus mundi sapientibus*. Altero modo sic, *Loquimur Dei sapientiam quæ abscondita est in mysterio*, quòd aliud præ se fert, & aliud creditur & intelligitur. Et juxta hunc sensum simplicius esset accusativum ἀποκεκρυμμένην accusativo reddere *absconditam*, omissis particulis *quæ* & *est*.

9. *Sicut scriptum est*] Cùm hoc testimonium in nullo sacro Bibliorum codice scriptum reperiatur, ex apocrypho Eliæ Prophetæ desumptum putant. Quod quomodo haudquaquam absurdum videri debeat, in Matthæo diximus cap. 27. ¶ *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*] Græcè est, Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. De sensu nulla est ambiguitas. Quod ad lectionem attinet, nihil hic erit quod offendat

offendat lectorem Latinum, si aut *ascenderunt* legatur pro *ascendit*. ut B. scribit Hieronymus ad Ruffinum, & aliàs, aut loco *quæ quod* substituatur: sed nec Græcum, si meminerit Atticismi illius quo nominativi plurales neutri generis cum verbis construuntur singularibus: nisi fortè quem malè habeat relativum in initio positum; cui malo medebitur, si ante relativum posterius *sunt* vel *est* subaudiatur. Probabilius tamen est Interpretem *quod* in initio conjunctivè posuisse, atque itidem legisse in Græcis ὅτι pro ἅ.

13. *Spiritualibus spiritualia comparantes*] Ut si quæstiones in Christiana suboriantur Philosophia, *comparamus* has, i. solvimus, non Dialecticis rationibus, sed spiritualibus aut sententiis aut figuris. Posset quoque & in hunc sensum accipi, Spiritualibus hominibus non alia quàm spiritualia & cœlestia verba accommodamus ac tradimus. Cui aptè cohæret quod subdit, *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei: nam stultitia sunt illi ejusmodi. Animalem* autem *hominem* vocat eam hominis partem quam nostri *rationem* vocant, & optimum naturæ: ut sit *animalis homo* ab *anima*, vivens non secundùm crassissimi corporis voluptates, sed secundùm animam, i. rationisusum; qualis vel Socrates vel Zeno vel Paulus ante conversionem esse potuerunt, & sunt quicunque justi vel sapientes sunt citra Spiritum Christi. Aliis locis totum hominem secundùm totam naturam vocat *carnem*.

14. *Animalis autem homo*] *Animalem* dicit ab *anima*, sentiens eum qui animo versatur non circa carnem, sed circa res naturales, ut docet Hesychius in Levit. 1. ¶ *Et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*] Ex Græca lectione non unus sensus colligitur. Vel enim τὸ ἀνακρίνεται construitur cum *homo animalis*; *qui spiritualiter dijudicatur*, eò quòd humanis rationibus fidens credere renuit juxta illud, *Qui non credit jam judicatus est* Joh. 3. Vel construitur cum hac clausula *ea sunt Spiritûs*; *quæ* fide ac *Spiritu dijudicantur*, *examinantur*, *discutiuntur*, *discernuntur*, *indagantur*. Hæc enim omnia ἀνακρίνεται significat. Præterea ὅτι vel pro *quia* vel pro *quodcunque*, ut sit ὅ, τι, accipi potest: cui etiam aptè respondet quod sequitur.

15. *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur*] Qui Dei Spiritu ducitur *omnia dijudicat*; præsentia hæc caduca ac momentanea esse; futura, perpetua & stabilia; infideles æternis esse obnoxios suppliciis. *At ipse à nemine* infidelium verè *dijudicari* potest, rectène an malè sapiat aut operetur.

16. *Sicut scriptum est, Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis instruxit eum*] In Græcis & in multis Latinis exempl. antiquis abest. *Sicut scriptum est*; & pro, *aut quis instruxit eum*, habetur, *qui instruat eum*: idque magis probaverim. Dixerat suprà *spiritualem à nullo dijudicari*; idque modò probat autoritate Jesaiæ Prophetæ, cujus ex cap. 40. sensum potiùs quàm verba recenset. Si ergò *nemo carnalium Divinum sensum*, *mentem* sive *intelligentiam pernoscit*, *nec instruere quisquam Deum potest*, per consequens *nec docere* aut *dijudicare eum poterit qui hoc Domini sensu & Spiritu sit imbutus*. Porrò Græcæ lectionis (ut quidem hodie habet) sensus ad verbum redditus hic est, *Quis enim cognovit mentem* (seu *sensum*) *Domini, qui instruet illum*, sive (ut quidam Latini habent codices) *qui instruat eum?* Ubi licèt relativa particula libera videatur, ut referre possit vel *sensum* vel *Dominum*: vel eum de quo quæritur, *Quis cognovit sensus Domini?* deinde etiam in illo *eum* subaudiri possit vel *dominum*, vel *sensum Domini*, vel *spiritualem qui à nemine dijudicatur*, res tamen ipsa & sermo Propheticus magis postulat ut *qui* ad hominem referatur, & *eum* designet ipsum *Dominum*, seu *Domini sensum*.

L. BRUGENSIS.

2. A*Nimalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei: stultitia est enim illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter* [*spiritaliter* MS. antiqua] *examinatur.*] Triplicem ferè hoc loco reperio lectionem; Unam, eámque frequentissimam tam autorum quàm codicum, *Quia spiritualiter examinatur*, Alteram, *Quia spiritualiter examinantur*, quæ in Complutensibus & Quentelianis est Bibliis; Tertiam, *Ea quæ spiritualiter examinantur*, quam in quatuor vidi exemplaribus manuscriptis, Mal. mal. Pl. m. l. quibus alia quædam accedunt. R habet, *Quæ spiritualiter examinantur*. prætermisso *ea*; M. *Quæ spiritualiter examinatur*; T & G. *Ea, quia spiritualiter examinatur*. Atrebatensis Collegii sericatus codex, omnium simul varietatum particeps, non incommodè scribit, *Ea, quia spiritualiter examinantur*. Græcè est ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται id quod κατὰ τέλα transferas, *Quia spiritualiter examinatur*. Nonnulli id referunt ad *animalem hominem*: cæterùm si, quod verisimilius sit, cum Græcis tractatoribus, ad *ea quæ sunt spiritus Dei* referas, Latinè vertendum est, *Quia spiritualiter examinantur* (neque enim Latinis ut Græcis, neutra pluralia verbo gaudent singulari) nisi fortè non ὅτι conjunctionem, sed ὅ, τι relativum legas: tunc enim reddas, *Id quod spiritualiter examinatur* quo modo intellexisse videntur Syri. Primus vertendi modus respondet primo legendi, secundus secundo legendi, tertius tertio vicinissimus est. Quis autem horum germana sit Interpretis scriptura, in dubium venit: primum tamen non facilè ego ausim Interpreti subtrahere, cui & vetus autor commentariorum Ambrosio adscriptum suffragatur, quanquam secundus & tertius commodissimi videantur.

H. STEPHANUS.

1. OΥ καθ' ὑπεροχὴν λόγε] *Non cum excellentia orationis.*
4. Οὐκ ἐν πειθοῖς λόγοις] *Non in persuasoriis verbis.*
6. Ἐν τοῖς τελείοις] *Apud perfectos*: vel *inter perfectos.* ¶ Τῶν καταργεμένων] *Qui abolentur.*
13. Οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις] *Non in sermonibus quos humana sapientia docere solet.*

DRUSIUS.

6. S*Apientiam non hujus seculi, neque principum hujus seculi*] Quinam *principes hujus seculi?* An Philosophi Gentium & Sapientes Judæorum? Sic alibi, *conquisitor seculi hujus*: quod Hieron. explicat *rerum naturalium scrutator*: & rectè, meo animo. Nam de concionatoribus intelligere, quos *Darsanim* appellant, alienum puto. רברבי sunt *magnates*; de *sapientibus* non memini legere. רב tam *Doctor* quàm *Princeps*. *Doctorem* significat in illo, cùm dicunt, *Moses doctor noster*, i. רבנו. *Principem* denotare potest in illo; *Sit timor* רבך *principis tui*: quanquam non malè vertunt qui vertunt *præceptoris tui*. De *Dæmonibus* exponere non adeò placet: nam illi vocantur non *principes seculi*, sed *principes gentium*, ut ex c. *Princeps Persidis*, *Princeps Græciæ*, &c. Vide sis Erasmum.

9. *Quæ oculus non vidit*, &c.] Zacharias Chrysopolitanus Episcopus pag. 343. testatur se hoc testimonium invenisse in secretis Eliæ Prophetæ: qui liber est apocryphus, non canonicus. Unde idem ait, *in nullo libro canonico hoc scriptum invenitur*. Eadem scribit Gregorius Syncellus, cujus verba invenies in Notis Scaligeri ad Eusebium, 245. 2. Πλὴν καὶ ὁ μακάριος Παῦλος σπανίως ἐχρήσατο τισὶν ἐξ ἀποκρύφων χρήσεσιν, ὡς ὅταν φησὶν ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους πρώτῃ ἐπιστολῇ, Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ τὰ ἑξῆς. Ἠλία ἀποκρύφων. ¶ *Iis qui diligunt ipsum*] Sensum expressit, si non verba. Nam qui diligunt Deum, exspectant eum: & contrà, qui exspectant, diligunt. Juncta enim hæc sunt. Vide Jes. 64. 4. unde hoc sumptum putant.

CASAUBONUS.

2. EΙ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν] Hoc ad personam Christi referendum. ¶ Καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον] Hoc ad officium Christi. In his duobus totum versatur Euangelium.

6. Ἐν τοῖς τελείοις] Τέλειοι vocatur Christiani, ut Matth. 5. 48. & hic Beza rectè notat exprimi hâc voce תם Hebraicum. Adde ità vertere ferè LXX Interp. Gen. 6. &c.

CAMERON.

3. KΑΙ ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ, &c. Paulus summâ præditus in Ecclesia secundùm Christum authoritate, ait *se versatum in infirmitate*, ἐν ἀσθενείᾳ, *in timore & tremore*, ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ πολλῷ, *inter Corinthios*. Quid? num sibi à Corinthiis metuebat? Minimè verò, sed eâ phrasi humilitatem & mansuetudinem atque animi simplicitatem cum Pseudoapostolorum fastu contendit. Nam & LXX vocem שפלה, quæ *humilem* significet, reddiderunt ἀσθενεῖς Eccl. 12. 4. Et φόβος καὶ τρόμος est Hebræis יראה ורעדה, quâ phrasi *humilitas & animi demissio* designatur Psal. 2. 11. Et alibi ubicunque occurrit phrasis illa φόβος καὶ τρόμος, eâ semper significatur humilitas & reverentia, non metus, pavor aut trepidatio ex dubitatione & diffidentia orta, ut 2 Cor. 7. 15. & Eph. 6. 5.

8. Ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου] Sic vocantur à Paulo hoc & v. 6. præcedente Sapientes Judæorum, quos illi solent appellare גדול הדור *Magnates seculi*. Nam quod Paulus adjecit τούτου, hoc fecit in contemptum: non enim solent Rabbini Sapientes suos appellare *Principes hujus seculi*, quod instabile est & perit, sed

sed *Principes seculi.* Nec dubitandum est quin hi de quibus loquitur Apostolus non fuerint ex istis Sapientibus qui reluctante conscientiâ Christum damnarunt.

15. Ὁ *πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα*] h.e. *Discernit*, etiam mundana, quatenus ad vitam spectant futuram. Sic dicimus *Sapientem omnia scire*, non quòd eum nihil lateat, sed quoniam quæ ignorat, non ignorat ut Sapiens. ¶ *Ipse verò à nemine judicatur*] Quia à Spiritu S. illuminatus & edoctus hominum judicio neque stat neque cadit, verùm apud se quicquid facit, de eo plenè persuasus est: hominum non ducitur sententiis, quid hic vel ille sentiat securus. Hoc tamen minimè judicium tollit externum.

JAC. CAPPELLUS.

7,8. SED *loquimur Dei sapientiam quæ latuerat in mysterio, quam Deus ante secula præordinaverat in gloriam nostram: Quam nemo principum hujus seculi cognoverat*] Dum videlicet ab ipso Christo prædicabatur. Et sic quoque *συγχωρητικῶς* ità loquitur Apostolus. Alioqui *multi etiam ex principibus in eum crediderant: sed propter Pharisæos non confitebantur*, Joh. 12. 42. Sed ità loquitur Paulus, primò quia sic vulgò gloriabantur, *Numquis ex principibus aut ex Pharisæis in illum credidit?* Joh. 7. 48. tum quia non rarò de iis quæ non apparent & de iis quæ non sunt idem est judicium. Igitur dum in terris Christus versabatur, imprimis cùm in Synedriis, cùm in Pilati Prætorio disceptata fuit Christi causa, nemo comparebat qui profiteretur se cognoscere qualisnam esset, & re vera plerique qualis esset ignorabant. *Nam si cognovissent, non crucifixissent Dominum gloriæ.*

LUD. CAPPELLUS.

14. Ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος] *Animalis homo.* Licet *πνεῦμα* (ut & Hebræum רוח) non rarò *animam hominis* significet quâ homo naturaliter vivit, sive illam quæ illi cum brutis est communis, sive eam quæ est illis propria, rationem nempe; tamen quia sæpe vox illa (ut & רוח) adhibetur in Scriptura ad designandum Spiritum S. à cujus operatione sunt boni illi & sancti motus & affectus qui in homine regenito sunt conspicui, hinc etiam est quòd Metonymiâ efficientis pro effecto vox *πνεῦμα Spiritus* passim, ab Apostolo præsertim, usurpetur pro ea hominis parte quæ à Spiritu S. regenita est, opponitúrque eo respectu τῇ ψυχῇ, quæ omnium omnino hominum communis est, cùm *πνεῦμα* sit quorundam tantùm, electorum nempe Dei, proprium & singulare: ità ut ψυχὴ sit in homine principium illud à quo sunt & proficiscuntur motus & affectus qui sunt omnibus hominibus communes, qui in hac naturæ corruptione sunt inordinati; *πνεῦμα* autem contrà est principium à quo sunt verè boni, sancti, justi & pii motus animi & cordis, actionésque indè proficiscentes, quæ non omnibus hominibus sunt communes, sed quorundam tantùm, electorum scilicet Dei (qui à Spiritu ipsius ducuntur) sunt propriæ. Hinc etiam est quòd *ψυχικὸς ἄνθρωπος* is Apostolo dicitur, & est, qui à *ψυχῇ anima* sola ducitur, nec ullos habet motus & affectus nisi qui communes sunt omnibus hominibus, qui eandem habent & communem inter se *ψυχὴν*, per quam vivunt, éstque omnium actionum suarum principium: *πνευματικὸς* verò is est qui præter *ψυχὴν* habet *τὸ πνεῦμα Spiritum S.* à quo regitur, ducitur & movetur in vita instituenda. Porrò Heb. נפש, cui Græcum ψυχὴ respondet, sæpe significat *desiderium*, *cupiditatem*, *animi libidinem*, & *appetitum carnalem*, Prov. 13. 2. & 19. 2. & 23. 2. & 25. 13. Unde fieri potest ut *ψυχικὸς* is sit Apostolo *qui cupiditatis suæ servus est*, *eámque solam sequitur*: unde *Psychici ψυχικοὶ* dicti videntur à Tertulliano & (quos secutus ipse est) Montanistis Orthodoxi seu Catholici, qui illam hæresim rejiciebant quam Montanus à suo Paracleto fingebat se accepisse: quanquam prior hujus appellationis ratio magis arridet, quam etiam secutus est Chrysostomus loco illo qui à Beza in hunc Apostoli locum adducitur.

GROTIUS.

1. Κἀγὼ ἐλθὼν πρὸς ὑμᾶς, ἀδελφοί, *Et ego, cùm venissem ad vos, fratres*] Hoc dicit, Mea quoque loquendi & agendi ratio congruit isti Dei ministerio, tum apud alios, tum apud vos maximè. ¶ Ἦλθον οὐ καθ' ὑπεροχὴν λόγου, *veni non per sublimitatem sermonis*] Non erat Paulus indisertus: sed in Græcia multi erat disertiores, qui ad naturæ opes artis adminicula & longum usum adjecerant. Ideo dicit *ὑπεροχὴν*, id est, [illegible] [*excellentiam*]. ¶ Ἢ *σοφίας*, *aut sapientiæ*] Eruditus quidem erat Paulus in Lege & scriptis interpretum: at non æquè in Philosophia illa Græcanica. ¶ *Καταγγέλλων ὑμῖν τὸ μαρτύριον τοῦ Θεοῦ annuntians vobis testimonium Dei*] Euangelium quod supra 1. 6. *μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ* [*testimonium Christi*]. Deus quippe per Christum voluntatem suam nobis testatam fecit. in Manuscripto est *τὸ μυστήριον τοῦ Θεοῦ* [*mysterium Dei*]. Vide Rom. 16. 25. & sic habuit codex quo usus est Ambrosius, & is quo usus Syrus.

2. Οὐ γὰρ ἔκρινα, *Non enim judicavi*] *Non magnifeci*, ut Rom. 14. 5. ¶ Τοῦ *εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν*, *me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum*] Nosse verba Legis, & traditiones, linguas aliquas, legisse etiam vestros Poëtas. Frequens est nostris scriptoribus *τοῦ* præponere infinitivo, ubi alii ponerent *τό*. Ἐν ὑμῖν [*in vobis*], id est, *ὢν ἐν ὑμῖν*, *cum apud vos viverem.* ¶ *Καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον. & hunc crucifixum*] *Et quidem crucifixum*, id est, cujus exemplum in omnibus malis Euangelii causâ perferendis scirem mihi esse sequendum. Sic sumendum ostendunt sequentia.

3. Καὶ *ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ, καὶ ἐν φόβῳ, καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos*] Καὶ [*Et*] hic est pro *nam*: *ἀσθένεια* [*infirmitas*] hîc est *dolor ex rebus adversis*, ut diximus Rom. 8. 26. *Metus* & ille *timor* pericula significat, cùm ab Judæis vi ad tribunal tractus fuit Paulus, Sosthenes pulsatus, Paulus ipse coactus discedere, quæ habes Actor. 18. *φόβος* [*timor*] & *τρόμος* [*tremor*], sæpe jungi solent *αὐξήσεως* [*augmenti*] causa, ut Psalm. 2. 11. in Græco. 2 Cor. 7. 15. Ephes. 6. 5. Philip. 2. 12. *πρὸς ὑμᾶς* id est, *παρ' ὑμῖν* [*apud vos*]. Vide Joh. 1. 2.

4. Καὶ *ὁ λόγος μου, καὶ τὸ κήρυγμά μου, Et sermo meus, & prædicatio mea*] *Sermones mei, tum privati, tum publici.* Nam *κηρύσσειν* [*prædicare*] est *multis dicere*, Matth. 10. 27. ¶ Οὐκ *ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*] Πειθοῖς Græcum non esse multi notarunt: nec adeò Cilix Apostolus, ut vocem nusquam lectam usurparet. Legendum *πειστοῖς* sicut infra v. 13. *ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις* [*in doctis humanæ sapientiæ verbis*] Intelligit *eos sermones, quibus uti solet humana sapientia.* Syrus legit *ἐν πειθοῖ* [*in suadela*] & *λόγων* [*verborum*] sensu non malo: quomodo legit & Eusebius, & videtur legisse Origenes Philocalia cap. 16. 1. sed quod dixi præfero. Quod de Demetrio dicit Seneca, multò justiùs de Apostolis dici potest, fuisse eos eloquentiæ ejus *quæ res fortissimas deceat, non concinnatæ, nec in verba sollicitæ, sed ingenti animo prout impetus tulit res suas prosequentis.* Hippodamus libro de Republica, Χρέεσθαι δεῖ τῷ λόγῳ πολιτικῷ καὶ σεμνῷ καὶ οἰκείῳ τᾶς διαθέσιος τῶ λέγοντος, ἀλλὰ μὴ προσποιητῷ· οὕτω γὰρ ἁ λέξις ἐσεῖται τὸ ἦθος τῶ λέγοντος ἐμφαίνοισα [*Civili oratione utendum, & gravi, & quæ cum dicentis affectu conveniat, non affectatâ. Ita enim fiet ut mores dicentis e dictione appareant*]. ¶ Ἀλλ' *ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως· sed in demonstratione spiritûs & virtutis*] Habent Mathematici suas *ἀποδείξεις* [*demonstrationes*] habet Aristoteles suas. At quanto major illa per tot ac tanta miracula? Genitivus subsequens hic instrumentum denotat: voce *πνεύματος* [*spiritûs*] videtur significare *prophetias*, voce *δυνάμεως* [*virtutis*] sanationes.

5. Ἵνα *ἡ πίστις ὑμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, Ut fides vestra non sit in sapientia hominum*] *Ne fides vestra nasceretur ex humana eruditione.* ¶ Ἀλλ' *ἐν δυνάμει Θεοῦ. sed in virtute Dei*] *Sed per eximiam Dei potentiam*, quò major scilicet ipsi honor & gratia habeatur. Vide supra 1. 17. Justinus in Colloquio cum Tryphone de Prophetis loquens, Ἀνωτέρω πάσης ἀποδείξεως ὄντες ἀξιόπιστοι μάρτυρες τῆς ἀληθείας [*Fide digni atque omni adeo fide majores testes veritatis*]. Origenes in Philocalia, Εἰ γὰρ αἱ καθωμιλημέναι τῶν ἀποδείξεων ὁδοὶ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐναποκείμεναι τοῖς βιβλίοις κατίσχυσαν τῶν ἀνθρώπων, ἡ πίστις ἡμῶν εὐλόγως ἂν ὑπελαμβάνετο ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων καὶ οὐκ ἐν δυνάμει Θεοῦ [*Si enim protrita & usitata apud homines via demonstrationum sanctis libris comprehensa valuissent ad vincendos homines, meritò quis existimaret fidem nostram in humana sapientia, non in virtute Dei sitam esse*], &c.

6. Σοφίαν *δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, Sapientiam autem loquimur inter perfectos*] *Ea dicimus, quæ plena esse sapientiæ judicabunt veri ac probi Christiani.* Ii enim *τέλειοι* [*perfecti*], ut diximus Matth. 5. 48. ¶ Σοφίαν *δὲ οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου, sapientiam verò non hujus sæculi*] Non illam Physicam, de qua & supra 1. 20. ¶ Οὐδὲ *τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου, neque Principum hujus sæculi*] Politicam cui adhærent Jurisprudentia & Historiarum cognitio. ¶ *Τῶν καταργουμένων qui destruuntur*] Quæ nunc sunt imperia non minùs peribunt, quàm illa figurata per statuam Danielis 2. 44. Virgilius Georg. 2.

Non res Romanæ perituraque regna. —

7. Ἀλλὰ *λαλοῦμεν σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην, Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*]

Inversa locutio pro τὴν ἀποκεκρυμμένην ἐν μυστηρίῳ, *quæ diu in arcano recondita fuit*. Vide Roman. 16. 25. & Ephes. 3. 4, 5, 9. μυστήριον [*mysterium*] רז & סוד, ut apud Danielem aliquoties. ¶ Ἣν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων, *quam prædestinavit Deus ante sæcula*] *Ante multa tempora*, ut dicitur dicto Romanorum loco. Rectè *ante multa tempora*: nam præfiguratum hoc non tantùm in Abrahamo, & Melchisedeco, sed & in Noë, & Enocho, & Abele. ¶ Εἰς δόξαν ἡμῶν. *in gloriam nostram*] *Ad maximum honorem nostrum*, quos donis supra omnes Prophetas ornare voluit.

8. Ἣν οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου ἔγνωκεν *Quam nemo Principum hujus sæculi cognovit*] Ἣν [*quam*] nempe σοφίαν [*sapientiam*]. Cùm autem dicit ἄρχοντας [*Principes*] non intelligit minores illos magistratus, qualis Nicodemus & Josephus Arimathensis, sed illos præfulgentes, quales Pilatus & Herodes ac Cæsares: & intra Judæos Caïphas & Annas. ¶ Εἰ γὰρ ἔγνωσαν, *si enim cognovissent*] *Si penitus pernossent Dei destinata in hac re*. ¶ Οὐκ ἂν τὸν Κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν. *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*] Non credibile est eos cruci addicturos fuisse, aut instigatione sua, ut Sacerdotes; aut decreto, ut Pilatus; aut consensu, ut Herodes, eum quem Deus esse vult omnium judicem. Nam gloria Christi illum diem maximè respicit 1 Petr. 4. 13. Tertullianus adversùs Marcionem 3. *Scripturæ quæ interemptibilem Christum edicentes utique & ignorabilem affirmant: nisi enim ignoratus, nihil scilicet pati posset*. Crucifixisse dicuntur etiam qui assensum præbuêre Actor. 2. 36. & 4. 10. Non excusat illos ea ignorantia: satis enim res magnas fecerat Christus, ut quid afferret inquirerent, cætera si discendi & bene agendi fuissent cupidi, ab ipso percepturi. Christus Κύριος δόξης [*Dominus gloriæ*] præfiguratus per arcam, quæ מלך הכבוד [*Rex gloriæ*] Psalm. 24. 9.

9. Ἀλλὰ καθὼς γέγραπται *Sed sicut scriptum est*] *Evenit* scilicet: qualis ἔλλειψις [*defectus*] supra 1. 31. sed in manuscripto non est ἀλλὰ [*sed*], & sic quoque satis cohæret. Illi non noverunt. quia Deus talia non revelat nisi se amantibus, id est, inquirentibus. ¶ Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*] Sensus quidem est apud Esaiam 64. 4. ubi Græci, Ἀπὸ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν εἶδον Θεὸν πλὴν σοῦ, καὶ τὰ ἔργα σου ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσιν ἔλεον [*A sæculo non audivimus, neque oculi nostri viderunt Deum absque te, & opera tua quæ facies exspectantibus misericordiam*]. Quæ verba etiam Rabbini de vita altera exponunt sensu arcaniore: sed cùm ipsa verba quibus hic utitur Paulus exstitisse in Apocryphis Eliæ tradat Origenes, Hieronymus ad Pammachium de Optimo genere interpretandi, Zacharias Chrysopolitanus, & Gregorius Syncellus, credibile omnino est deprompsisse hoc Paulum ex scriptis Rabbinorum, qui ea habuerant ex traditione veteri: de quo genere dictorum vide quæ attulimus ad Matth. 27. 9. Multos veteres libros periisse dicit hoc loco Chrysostomus. Manuscriptus pro ἃ ἡτοίμασεν [*quæ præparavit*] habet ὅσα ἡτοίμασεν [*qualia præparavit*]. Καρδία [*cor*] Hebræis pro *toto animo* dicitur. Et *adscendere in cor*, Jeremiæ 3. 16. & alibi, est quod Latinis *in mentem venire*. Non alienum ab hoc loco Philonis illud libro de Abele & Caïno, Τίς γὰρ ἂν γένοιτο ἱκανὸς τὴν πρὸς τὸν ὄντα μετανάστασιν ψυχῆς τελείας κατανοῆσαι; οὐδ' αὐτὴν οἶμαι τὴν τότ' ὑπομένουσαν εἰδέναι τὴν βελτίωσιν αὐτῆς, ἅτε κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπιθειάζουσαν· τῷ γὰρ εὐπάσχοντι συμβούλῳ ὁ Θεὸς περὶ ὧν μέλλει χαρίζεσθαι, οὐ χρῆται [*Quis enim est idoneus ut cogitatione comprehendat migrationem perfectæ animæ ad eum qui est? equidem opinor ne ipsam quidem, cui migrare contigit, scisse quanto meliora sortiretur, quippe quæ tum correpta erat numine; nam Deus cùm alicui benefacit, non utitur ejus consilio*].

10. Ἡμῖν δὲ ὁ Θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*] Id est, per illum Spiritum qui Christo fuit adunatus. Vide quæ dicta Marc. 2. 8. & Rom. 1. 4. *Aperuit Deus nobis*, inquit Apostolus, *per Christi spiritum* futurum esse judicium universale, quod Christus sit exerciturus, & quâ normâ & quo exitu. In Manuscripto non est αὐτοῦ [*suum*]. ¶ Τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*] Idem sensus qui Johan. 1. 18. & 6. 46. & 8. 19, 38. & 10. 15. & 12. 15. & 14. 7, 9. τὰ βάθη [*profunda*], *consilia diu occultata*. Rom. 16. 25. & supra v. 7.

11. Τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis?*] *Principum abditos sensus quis novit nisi ipse Principis animus?* Nihil opus illo ἀνθρώπων [*hominum*], & abest in Manuscripto. ¶ Οὕτω καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. *Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei*] *Arcana Dei nemo novit nisi ipse Spiritus Dei*, qui Prophetis ex particula, Christo verò perfectissimè datus est. Pro οἶδεν [*scit*] in Manuscripto est ἔγνω [*cognovit*], pari sensu.

12. Ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, *Nos autem non spiritum mundi accepimus*] Non ab humano ingenio profecta sunt ea quæ dixit Chiistus. ¶ Ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, *sed Spiritum qui ex Deo est*] Spiritus ille qui nostri causâ in homine Christo fuit, est ipsius Dei velut portio & instrumentum. ¶ Ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν. *ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*] *Ut certò noscamus*, non fluctuante conjectura, *ea quæ Deus nobis dedit*, id est, dare decrevit. Est enim μετωνυμία [*Transnominatio*] qualis Ephes. 1. 4. & 2. 6. 2 Timoth. 1. 9.

13. Ἃ καὶ λαλοῦμεν, *Quæ & loquimur*] Quæ etiam ex Christi præceptis omnibus populis annunciamus. ¶ Οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, *non in doctis humanæ sapientiæ verbis*] *Non eo sermone quem docuit humana eruditio*. ¶ Ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου· *sed in doctrina Spiritûs Sancti*] *Sed eo sermone quem docuit sanctissimus ille Christi Spiritus*. Bis hic habemus διδακτοῖς [*doctis*] cum genitivo causam significante: qualis locutio est apud Joh. 6. 45. In Manuscripto non exprimitur ἁγίου [*sancti*] nec opus. ¶ Πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες *spiritualibus spiritualia comparantes*] Exponentes ea quæ Prophetæ Spiritu Dei acti dixere, per ea quæ Christus suo Spiritu nobis aperuit. συγκρίνειν est פתר *exponere*, Genes. 40. 8, 16, 22. & 41. 12, 13, 15. Dan. 5. 13. 17. Quod ἐπιλύειν [*resolvere*] Genes. 41. 12. & inde λύσις *solutio*] Ecclesiastæ 8. 1. quod σύγκριμα [*interpretatio*] Dan. 2. 25. & 4. 15. & 5. 28. & σύγκρισις [*interpretatio*] in eodem Dan. 2. 4, 5, 6, 7. & alibi sæpe Prophetia enim non est ἰδίας ἐπιλύσεως [*propriæ interpretationis*] 2 Petr. 1. 20.

14. Ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος, *Animalis autem homo*] Non idem est ψυχικὸς ἄνθρωπος [*animalis homo*] & σαρκικός [*carnalis*. ψυχικὸς [*animalis*] est qui humanæ tantùm rationis luce ducitur, σαρκικός [*carnalis*] qui corporis affectibus gubernatur: sed plerunque ψυχικοὶ [*animales*] aliqua in parte sunt σαρκικοὶ [*carnales*], ut Græcorum Philosophi scortatores, puerorum corruptores, gloriæ aucupes, maledici, invidi. Verùm hic nihil aliud designatur quàm homo humana tantùm ratione nitens, quales erant Judæorum plerique & Philosophi Græcorum. Judas in epistola ψυχικοὺς [*animales*] explicat, πνεῦμα μὴ ἔχοντας [*spiritum non habentes*]. Hierocles ψυχικὸν σῶμα [*corpus animale*] vocat quod mox explicat τὸ ζωτικόν [*vitale*]. ¶ Οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ *non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei*] Non intelligit ea quæ per Prophetas sunt prodita: quippe quæ ne ipsi quidem Prophetæ satis intellexerint. Capere, hic est, quod mox γνῶναι, *intelligere*. ¶ Μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι, *stultitia enim est illi*] Id est, Quasi stultorum voces nihil significantes. Tale erat Esaiæ vaticinium Æthiopi Act. 8. 31. Ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. *quia spiritualiter examinatur*] Ut dijudicetur verus eorum sensus, opus est nova & apertiori revelatione qualis per Christum contigit. Ἀνακρίνεσθαι [*Examinari*] est vox forensis Actor. 4. 9. & 12. 19. Et solet transferri ad examen doctrinæ Act. 17. 11. infra 14. 24. Et sic vertitur חקר Hebræum.

15. Ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα, *Spiritualis autem judicat quidem omnia*] In Manuscripto, ἀνακρίνει τὰ πάντα [*judicat omnia*]. Qui multa à Christo luce imbutus est, facilè judicat de sensu Prophetarum. Potest de eo optimo jure dici, quod alio sensu dicit Aristoteles Eth. 3. 15. ὁ σπουδαῖος ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς [*Probus de omnibus rectè judicat*]. ¶ Αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται· *& ipse à nemine judicatur*] *A nemine judicari*, id est, *refelli potest*: Stephanus Actor. 6. 10. Causa sequitur.

16. Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν; *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruet eum?*] Ex Esai. 40. 13. ubi in Græco Τίς Κυρίου νοῦν ἔγνω, καὶ τίς αὐτοῦ σύμβουλος ἐγένετο; [*Quis novit mentem Domini, & quis consiliarius ejus fuit?*] Quomodo & Paulus citavit eum locum Rom. 11. 34. Deus ante Christi tempora neminem admisit ad arcana sua pernoscenda, sicut Reges admittere consiliarios quosdam solent. συμβιβάζειν est *instruere*, *edocere*, ut vidimus Actorum 9. 22. & 16. 10. hic verò, non multùm remoto significatu, est *consilium dare*, συμβουλεύειν, σύμβουλον γενέσθαι. Itaque συμβουλεύειν [*consilium dare*] & συμβιβάζειν [*instruere*] conjunguntur Esaiæ 40. 14. ¶ Ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν. *Nos autem sensum Christi habemus*] Nos autem novimus Dei consilia, quæ Christo fuere revelata, Joh. 15. 15. Quis potest de Dei voluntate certiora adferre quàm ipse Deus? is autem ea Christo tradidit. Ea igitur qui habet, nullis Prophetarum allegationibus, nullis Philosophorum ratiunculis solidè refelli potest. Optimè Ambrosius, *Cui magis de Deo, quàm Deo credam?*

CAP. III.

VALLA.

1. ET *ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo*] Quid hæc variatio per *quasi* & *tanquam*, nisi quòd putat Interpres hæc idem pollere? quod non est ità, quia nunc non convenit *quasi*. Quibusdam in cod. legitur *spiritalibus*; quod ratio negat, quia talia derivata à quarta declinatione postulant *u*, ut *usualis*, *manualis*, *censualis*, *casualis*.

2. *Lac vobis potum dedi, non escam*] Magis ad verbum transtulit Ambrosius, *Lacte vos potavi, non escâ*, Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα. Scitè Interpres, nè diceretur *Potavi vos escâ*, usus est verbo potui escæque apto. Verùm an possit dici, *Potavi vos escâ*, an intelligi debeat aliud verbum, in medio relinquo.

5. *Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? ministri ejus cui credidistis*] Græcè non est *quid*, sed *quis*? Τίς ἐν, τίς δὲ, neque *Ministri ejus cui credidistis*, sed *Verum ministri per quos credidistis*, ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε.

9. *Dei enim sumus adjutores*] Quis potest *adjuvare Deum*? an Deus indigere auxilio potest? Græcè est *cooperarii*, συνεργοὶ & ità lego apud Augustinum.

17. *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est; quod estis vos*] *Violat* in præsenti indicativi est, non *violaverit*, φθείρει. Interpres non servavit gratiam pondúsque Apostolicæ facundiæ in verbi geminatione: nam sic Græcè dicitur, *Si quis autem templum Dei destruit, destruet hunc Deus.* Sed Interpres volens uti vocabulo *violat*, non potuit dicere, quia absurdum erat, *violabit eum Deum*, φθερεῖ αὐτὸν ὁ Θεός. Nec legendum est *quod estis vos*, sed *qui estis vos*, quod & Latiniùs dicitur, & Græcè sic habetur, οἵτινές ἐστε ὑμεῖς. Quare illud superiùs v. 11. *Fundamentum enim nemo aliud potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, mallem dicere *qui est*, ut Græcè legitur. ὅς ἐστιν etsi ambiguum propter *fundamentum*, quod est apud illos generis masc. illo loco.

REVIUS in VALLAM.

2. MAgis *ad verbum*] De Ambrosio falsum est: is enim transtulit, *Lac vobis potum dedi*, ut & Hieronymus. Nec Latinum est, *Lacte vos potavi*: nam *potare* est *bibere*, non *potum dare*. Erasmus feliciter mutavit in, *Lactis potu vos alui; & non cibo*: quod agnoscit Beza, & sequitur, nisi quod pro *cibo* habet *escâ*: idem tamen Beza 1 Cor. 12. 13. ἐποτίσθημεν vertit *poti sumus*; quod Erasmus in Nota obiter attigerat: quâ ego voce non puto alium quàm *ebrium* significari. In Nota ait *potati sumus*, quomodo habebat Vulgata, quâ Erasmus usus est. Id cùm barbarum sit, miror Bezam præferre potuisse lectioni quam in sua Vulgata reperit, imò hanc potuisse reprehendere, videlicet, *unum spiritum potavimus*: at ea est versio Ambrosii, quam citat, & cujus elegantiam laudat Erasmus. Quòd verò Erasmo eandem versionem tribuit Beza, error est: neque enim Erasmus vertit *potavimus*, sed *hausimus*; quod haud paulò elegantius est, licet ambiguum videri possit; nam & vasculo *hauritur*. *Potinare* dici posset nisi haberet significationem veneni. Suetonius Calig. c. 5. *Creditur potionatus à Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.* Hinc Gallicum *poison*, & *empoisonner*. Utitur tamen eo verbo non semel Hieronymus. Vide tom. 3. p. 120. epist. ad Damasum, *Accipe calicem meri hujus de manu mea, & potionabis omnes gentes*, ex Jer. 25. 15. ubi Vulgata habet *propinabis*: in 1 Cor. 12. 13. *quasi potionati Spiritu quem accipiunt baptizati*; in textu ibi excusum est *vocati*, corruptum ex *potati*. Objurgatione in Susannam lapsam, *Deus, repulisti me, & destruxisti me, ostendisti mihi dura, potionasti me vino compunctionis*, ex Psal. 60. 3. ubi Vulgata habet *potasti*.

9. Συνεργοὶ] Transpositum.

10. Ὅς ἐστιν] Et hoc.

ERASMUS.

1. QUasi *spiritalibus*] Ὡς ubique est: quod iste nunc *quasi* vertit, nunc *tanquam*: rectè vertisset ubique. Quanquam hic quoque sermo juxta rationem Grammatices habet nonnihil imperfectum: plenus erat futurus si dixisset, *Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed loquendum fuit tanquam carnalibus.* ¶ *Tanquam parvulis in Christo*] Ὡς νηπίοις· νήπιος significat *infantem adhuc pusillum & stultum, parúmque prudentem, potissimùm ætate.* Poterat igitur dicere *infantibus in Christo.* Porrò dativus hic *parvulis* ad superiora pertinet, h. e. ad *loqui*, non ad id quod sequitur, *Lac potum dedi*: id quod ex Græco liquet sermone. Atque ità distinctio servatur in vetustissimis Latinorum exemplaribus, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo.* Quæ distinctio si placet, subaudiendum est *loquendum erat.*

2. *Non escam*] Aut ferenda est ἀκυρολογία, aut aliquid subaudiendum est, Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα: quod ad verbum ità sonat, *Lacte vos potavi, & non cibo.* Quis autem potat hominem cibo? Unde Theophylactus enarrans addit προσήνεγκα *obtuli*; ut hoc ad *cibum* pertineat. Nos, quò sermonis absurditatem effugeremus, ità vertimus, *Lactis potu vos alui, non cibo.* In vetustiore codice Constantiensi tantùm erat, *Lac vobis dedi, non cibum.* ¶ *Sed nè nunc quidem potestis*] Ἀλλ' οὔτε ἔτι νῦν δύνασθε, *imò nec adhuc nunc potestis.* Quanquam ad nihil ad sententiam.

3. *Zelus & contentio*] Græci ità ponunt, ζῆλος καὶ ἔρις καὶ διχοστασίαι, *æmulatio & lis & seditio.* ¶ *Nónne homines estis?*] Et hic pro *homines* Græcis est σαρκικοὶ *carnales*: Tametsi in castigatioribus exempl. nostris scriptum reperio *carnales*, velut in Paulino, consentiente utroque Constantiensi: atque ità subinde adducitur ab Augustino, cùm aliàs frequenter, tum libro De Continentia cap. 4. quemadmodum legimus apud Græcos, consentiente Græcis Ambrosio: nam mox sequitur, *& secundùm hominem ambulatis*; quæ pars parùm aptè cohærebit cum superiore *homines estis*, cùm idem bis diceretur. At paulò pòst *homines* vocat, idem tamen intelligi volens, *Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, nónne homines estis?*

5. *Quid igitur est Appollo?*] *Quis* est Græcè, non *quid*, τίς, sed refragantibus nostris omnibus: & haud scio an Græci legant depravatè, præsertim cùm sequatur, *Itaque neque qui plantat est aliquid. Quid* enim posuit pro *cujus momenti*; ut alibi dicit *ea quæ non sunt* pro *iis quæ nullius sunt pretii.* Ità legisse Chrysostomum subindicat illius interpretatio. Et *Apollos* est nominandi casûs, non *Apollo*, Ἀπολλὼς, cujus genitivum facit *Apollo.* ¶ *Ejus qui credidistis*] Ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε, *nisi ministri per quos credidistis*, h. e. non autores fidei vestræ, sed ministri duntaxat. Atque hanc scripturam comperimus apud Chrysostomum ac Theophylactum. Ad sensum haud magni refert. ¶ *Et unicuique sicut Dominus dedit*] Hic sermo parùm est absolutus, nisi legas *prout unicuique Dominus dedit.* Consimilem huic ostendimus Rom. 12, *Et unicuique sicut divisit Deus mensuram fidei.*

8. *Unum sunt*] Τὸ ἕν εἰσιν, h. e. *idem sunt & nullius discriminis.* Quantum ad hoc quòd uterque alienum agit negotium, neuter suum, ut ab iis vel autoribus debeant sibi cognomentum asciscere, & factionibus inter se dissidere. At si D. Paulus ità stomachatur adversùs Corinthios quòd ab his mutuarentur cognomina à quibus Baptismum acceperant & Christi mysteriis primùm erant initiati, quid diceret de nostræ tempestatis factionibus, quæ mille cognomentis, mille cultibus, ceremoniis, regulis inter sese dissident qui vocantur Religiosi? Quibus ex rebus quantum Christianæ concordiæ nascatur inter hos non libet hic commemorare.

9. *Dei enim adjutores sumus*] Συνεργοὶ, *cooperarii* legit Augustinus. Ambrosius legit *operis participes*, velut explicans Græcam vocem. ¶ *Dei agricultura*] Θεοῦ γεώργιον, *Dei agricolatio. Estis* verbum tantùm apud Græcos apponitur in proxima orationis parte, *Dei ædificatio estis*: atque ità legit Ambrosius.

10. *Ut sapiens architectus*] Ἀρχιτέκτων, *qui princeps & autor est fabricæ.* Nam in jaciendo fundamento summum est negotium. Hic σοφὸν planè posuit pro *docto & scito.*

12. *Fœnum, stipulam*] Καλάμην *culmum.* Illud obiter admonendum, quòd dixit, *aurum, argentum* & *lapides* pertinere ad pios, *lignum, fœnum, stipulam* ad improba facta; ut palàm est ex 1. lib. Hieronymi adv. Jovinianum. Tribus enim duraturis in igni tria opposuit peritura si ignis inciderit. Neque secùs adducit Origenes hom. in Exodum 6. *Triplex namque est*, inquit, *etiam bene agendi via. Nihilominus enim vel opere, vel cogitatione, vel verbo boni aliquid agitur. Hoc etiam significat & Apostolus cùm dicit*, QUI AUTEM ÆDIFICAT SUPER FUNDAMENTUM HOC, AURUM, ARGENTUM, LAPIDES PRETIOSOS, *triplicem bonorum indicans viam: subjungit nihilominus triplicem etiam malorum cùm dicit*, LIGNA, FOENUM, STIPULAM. Hæc ideo dixit quòd sint qui hæc non ad mala & bona opera, sed bonorum operum gradus referant. Nec admodum

dum ad rem pertinet huc Purgatorii mentionem admiscere. Quandoquidem *diem* posuit pro *perspicua operis inspectione.* Nam noctu & quæ bella sunt displicent, & quæ fœda placent, diei certiora sunt judicia. Deinde *ignem* posuit pro *exacta exploratione.* Quin & illud annotavit Ambrosius, Non esse dictum, *salvus erit per ignem*, sed *quasi per ignem*, ut similitudinem intelligas esse, non rem. Atqui apud inferos aiunt esse verum ignem materialem. Denique nec Gregorio displicet hic sensus, ut per *ignem* intelligamus afflictionem temporalem, D. Augustinum, ut apparet, secuto, qui *lignum fœnum* ac *stipulam* interpretatur manente sincerâ fide, amorem rerum temporalium; *ignem*, molestiam deferentium eam quæ perperàm dilexerunt; nec de Gehenna nec de Purgatorio faciens mentionem. Neque verò novum est in Scripturis *ignem* accipi pro *afflictione hujus vitæ*; veluti in Psalmis, *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quòd si quis urgeat per *ignem* intelligendum pœnas Gehennæ aut Purgatorii, quomodo qui superstruxerunt aurum & lapides pretiosos dicuntur *per ignem examinari* æquè atque illi qui superstruxerunt lignum, fœnum ac stipulam? Coactius est quòd quidam *lignum, fœnum, stipulam* interpretantur *peccata venialia*; ut *stipula* significet culpas omnium levissimas, quibus opponunt *plumbum*. At Plumbum minùs est grave quàm Aurum, & æquè purgatur igni atque Aurum. Jam cùm Græcis sit καλάμη, *culmus*, quid persuasit istis Culmum esse leviorem Fœno? Aut qui factum est ut cùm in Bonorum ordine quod optimum est primum obtineat locum, quod vilissimum est postremum, in Malorum ordine quod minimè malum est extremum habeat locum? *Ignis* igitur vocabulo judicium exactum significatur, quod ubi prodiderit errorem, sequitur afflictio pœnitentiæ. Hic sensus convenit cum dicto Petri, epist. 1. c. 1. *Ut probatio vestræ fidei pretiosior sit auro quod per ignem probatur.* Item Evangelicæ sententiæ de iis qui *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Neque verò sum nescius locum hunc ab Augustino & veteribus, Thoma præcipuè, torqueri ad varios sensus, quos omnes excutere non est hujus instituti. Mihi ut simplicissimus maximè placet, si accipiamus de doctrina Apostolorum Paulo succedentium. Ille bonum posuerat fundamentum; Videat, inquit, cæteri quid superstruant. Si digna Christo, durabit opus, etiam in luce conspectum: sin Judaismum adjunxerint, fallent quidem ad tempus, cæterùm patefiet illorum impostura simul atque vero judicio perpendi cœperint. Atque hos secutus tantum operæ luserit, cogetúrque, destructo quod ædificatum est, aliud superstruere. Id quod evenit in Romanis & Galatis, quos Paulus iterum parturiit Christo. Atque hanc sententiam sequitur D. Ambrosius, nè quis meum somnium esse suspicetur; *Opus*, inquit, *quod ardere dicitur, mala doctrina est.* Idem verbis quæ sequuntur, pœnam ignis interpretatur excussionem ac refutationem falsæ doctrinæ. Et aliquantò pòst, *Sed cùm dicit*, inquit, SIC QUASI PER IGNEM, *ostendit salvum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfidi æterno igni in perpetuum torqueatur, ut ex aliqua parte operæ pretium sit credidisse in Christum. Semper enim erubescat necesse est qui se videt falsum defendisse pro vero. Et simili modo semper fiduciam habebit Dei qui abjecto falso secutus est verum.* Ex his palàm est Ambrosium non sentire de igne purgatorio apud inferos, sed de correctione hujus vitæ, ac de pudore qui consequitur agnitum errorem. Ab Ambrosiano commento non omnia dissentit is cujus exstant in omnes Epistolas Paulinas Scholia Hieronymi titulo. Theophylactus de gradibus bonorum ac malorum operum interpretatur, subindicans aliis videri *ligno* significari levioris culpæ commissa, graviora per *fœnum*, gravissima per *stipulam*; aliis contrà. In bonorum ordine primum locum dedit *auro*, proximum *argento*, tertium *lapidibus pretiosis*: de marmoribus enim ac similibus sentit, opinor, non de gemmis, quibus nemo struit ædificium. Consentaneum est eundem ordinem servatum in his quæ non ferunt ignem; ut doctrina leviùs recedens à vero sit *lignum*: quæ longiùs abest *fœnum*, quæ longissimè *stipula*. Johannes Chrysostomus ex hoc Apostoli loco arripit occasionem probandi Gehennam esse sempiternam, quòd id temporis apparet multos fuisse qui crederent Gehennæ supplicia aliquem habitura finem; quem errorem hauserant ex Origenistis, atque hâc fiduciâ peccabant licentiùs. Quibus ut terrorem incutiat, hunc Apostoli sermonem detorquet huc, ut per *fundamentum* intelligamus Fidem, per *superstructiones* Operationes bonas aut malas. Verùm hoc agit argumentis parùm solidis: ut hoc commentum vix probabile sit esse Chrysostomi. Vult autem Apostolum his verbis sternere viam ad insectandas Corinthiorum libidines: atque ex iisdem verbis colligit suppliciorum æternitatem, quibus recentiores colligunt sensum contrarium, *Salvus erit ipse, sed sic quasi per ignem.* Quomodo pronunciantur futuri salvi qui traduntur æternæ morti, quæ est Gehenna? Hic vir ingeniosus excusat, Scripturam interdum verbis malum declarantibus abuti in bonam partem, quemadmodum legimus *captivitatem optabilem, & mortificationem bonam.* Itidem hic intelligi vult, SALVUS PER IGNEM, *cruciabitur in igni, sed non absumetur ab igni.* Hoc commentum quis non statim videt esse durum? Quis autem sic loquitur, *Salvus erit, sed sic quasi per ignem*, pro eo quod erat, *Æterno igni cruciabitur, sed ipse non absumetur?* Quid igitur agit illa exceptio *sed sic*, quæ sonat eum fore salvum aliquo modo, sed non absque cruciatu? Quid porrò sibi vult *quasi*, vox quæ Similitudinem declarat, non Veritatem? Mihi verisimile fit aut hæc esse adjecta ab alio, aut Chrysostomum ad territandum duræ cervicis populum hâc interpretatione fuisse abusum. Nec tamen interim usquam fit ulla Purgatorii mentio. Cæterùm ut & hoc obiter annotem, Apostolus videtur alludere ad locum qui est apud Esaiam c. 1. *Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & accendetur.* Uterque significat inanem fiduciam perituram, sublato opere cui fidebat.

13. *Dies enim Domini*] *Domini* additum est à scriptore, sive ab interprete volente sermonem facere explanatiorem cùm apud Græcos non sit, atque adeò in Paulino exemplari non erat adscriptum, sed posterior quispiam diversâ manu adjecerat in margine. Theophylactus nec legit nec interpretatur, etiamsi interpres Latinus hoc addidit de suo. Nox ignorantiæ multa celat, dies retegit, videlicet cùm erumpens & emicans veritas factis ac rebus ipsis sese declarat. Sed tamen articulus facit propemodum ut de certo die debeat accipi ἡ γὰρ ἡμέρα. q. d. *Nam ille dies.* ¶ *In igni revelabitur*] *Revelatur* est præsentis temporis, ἀποκαλύπτεται ut sensus sit absolutus, *Omne opus igni perspicuum fieri.* Nam duo verba futuri temporis inter se respondent, *declarabit* & *probabit.* Cæterùm *revelatur* annectitur superiori verbo, *Nam dies ille declarabit, opus hujus aut illius per ignem aperiri ac patefieri quale sit.* Siquidem Interpres *quia* posuit pro *quòd*; etiamsi apud Græcos non liquet ὅτι conjunctio sit an articulus postpositivus pro ὅ, τι. ¶ *Uniuscujusque opus*] Hic Ambrosius legit, *Qui facit hoc opus, manifestus erit*: si modò codex mendo vacat.

15. *Detrimentum patietur*] Ζημιωθήσεται, *damno afficietur.* Veniam consequentur utcunque si resipiscant, cæterùm nihil auferent præmii qui luserunt operam.

17. *Violaverit, disperdet*] Φθείρει, φθερεῖ, *destruit, destruet.* Jucunda vocum allusio. Et idem verbum variavit Interpres, sed rectè, quòd apud Latinos non responderet allusio. Est enim Græcis φθείρω *corrumpo*; ut *corrumpitur virgo*, aut *res sacra*: est & *perdo.* Malim enim perire allusionem quàm quod vertit Hilarius in Commentario Psalmi 64. *Si quis templum Dei corruperit, corrumpet & hunc Deus.* Et hanc fuisse priorem lectionem testatur Augustinus contra epistolam Manichæi cap. 39. sed lectorem offensum verbo *corrumpet* mutasse in *disperdet*, cùm fateatur Græcis esse *corrumpet.* ¶ *Quod estis vos:* Οἵτινές ἐστε ὑμεῖς, *qui estis vos*: sicuti paulò superiùs *quod est Christus Jesus*, sive *qui est Christus Jesus*, uti comperio in vetustissimis exempl. Tametsi hoc nihil ad sensum.

18. *Stultus fiat ut sit sapiens*] Cùm Græcis sit γενέσθω & γένηται, fortassis utrumque vertendum erat eodem verbo, *stultus fiat, ut fiat sapiens*; sive, *stultus sit, ut sit sapiens.*

19. *Comprehendam*] Ὁ δρασσόμενος, i. *qui comprehendit.* Est enim δράσσεσθαι *fugientem è cursu reprehendere, manúque injectâ capere.* Ambrosius legit *reprehendam*, verbo sanè eleganti, sed ambiguo. *Reprehendit* enim & qui carpit. Testimonium adductum est ex Job. 5. ¶ *In astutia eorum*] *Eorum* referendum est ad *sapientes*: unde Latinius erat *ipsorum*; ut accipiamus, stultè sapientes suâ ipsorum astutiâ fuisse captos ac revictos, dum ipsâ re comperiunt sapientiam suam nihil profuisse ad veram felicitatem.

22. *Omnia vestra sunt*] Non reperitur secundo loco *enim*, & officit sententiæ. Iteratur enim hæc particula confirmandi gratiâ, q.d. *Omnia, inquam, vestra sunt.* Hoc loco consentit Ambrosius cum Græcis.

VATABLUS.

1. QUasi] *Tanquam.* ¶ *Parvulis*] Vel, *infantibus.*
2. *Nunc quidem*] *Adhuc nunc.*
3. *Zelus*) Vel, *æmulatio.* ¶ *Contentio**] * *Et factiones.* ¶ *Secundum hominem ambulatis?*] Heb. more hominum Spiritu Dei destitutorum vivitis?
4. *Apollo*] Genitivus casus. ¶ *Homines*] *Carnales*, Vet.
5. *Quid*] *Quis.* ¶ *Apollo? Apollos?* Nominativus casus.

sus. ¶ *Paulus* *) * *Nisi.* ¶ *Ejus cui*] *Per quos.* ¶ *Et unicuique sicut Dominus dedit*] Heb. Et unusquisque fuit minister secundùm gratiam quam Dominus dedit ei: nam aliis dedit ut plantarent, &c.

6. *Apollo*] *Apollos.*

8. *Unum*] Vel, *idem.*

9. *Adjutores: Dei agricultura*] *Cooperarii: Dei agricolatio.*

11. *Quod*] *Qui*, Vet.

12. *Aurum*, &c.] i. Doctrinam sinceræ fidei & charitatis.

15. *Sic tamen quasi per ignem*] Repetitio est: nam priùs dixit, *Cujusque opus quale sit, ignis probabit.*

17. *Templum Dei violaverit*] i. Si quis vos falsam doctrinam docet & alienam ab Euangelio. ¶ *Quod*] *Qui.*

18. *Videtur*] *Sibi videtur.*

19. *Comprehendam*] *Qui comprehendit:* i. eos qui huic mundo videntur sapientes, Deus capiet suis ipsorum vafris consiliis.

20. *Deus*] *Dominus*, Vet. ¶ *Quoniam vana sunt*] Heb. novit Dominus quòd cogitationes sapientum vanæ sunt.

22. *Apollo*] *Apollos.*

CLARIUS.

1. NON *potui vobis loqui*] Quòd illam sapientiam de qua dudum dicebam non sim locutus inter vos, non id invidentià factum est, sed ob imbecillitatem vestram, cùm adhuc carnales sitis.

1. *Unum sunt*] Quatenus scilicet absque eo qui dat incrementum nihil ampliùs facere quicquam possunt: quod verò ad mercedem pertinet, unusquisque secundùm proprium laborem mercedem feret.

10. *Ut sapiens architectus*] Id feci quod proprium esse debet periti architecti: jeci tutissimum fundamentum Christum. Videant nunc ii qui se Magistros vestros esse profitentur, quo pacto superexstruant, dignáne an indigna tam nobili fundamento: nam apparebit cujus sit virtutis illa extructio, cùm ut ait Euangelium, *unusquisque igni salietur.*

15. *Detrimentum patietur*] Sunt qui interpretentur *minus mercedis accipiet.* ¶ *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*] Illud quod in Græco est, *σωθήσεται*, *servabitur*, M. Basilius & Chrysostomus interpretantur significare eum qui fuerit malæ structuræ causa, reservandum ad perpetuam pœnam: neque enim Græcum verbum *σώζω*, sed nè nostrum quidem Latinum *servo*, tantùm *salutem dare* significat, sed etiam *efficere nè aliquid corrumpatur:* ut sit sensus, Cùm ille dies venerit, ædificatio quidem & structura inanis apparebit, at ipse servabitur: quo pacto? ad salutem? Non; sed sic quasi per ignem: in hoc enim permanebit & servabitur, ut igni perpetuo comburatur. Non desunt tamen qui & de igne Purgatorio hunc locum interpretentur. Verùm illud *αὐτὸς*, quòd interpretes omnes hactenus verterunt *ipse*, ubi dicitur, *ipse autem salvus erit*, videtur posse etiam referri ad *fundamentum*, quod m. genere Paulus præmisit, *τὸν θεμέλιον*, ut dicamus, *Ipsum verò fundamentum servabitur atque immotum manebit, sed sic tanquam per ignem*, cujus superiùs meminerat Paulus, ut significet, in ipsa rerum examinatione tandem & agnoscendum verum esse fundamentum, & quæ vel dogmata vel opera superexstructa sunt, æquáne fuerint an iniqua, aperiendum.

22. *Omnia enim vestra sunt*] Quid, inquit, vos ipsos addicitis iis quæ instituta sunt ut vobis serviant, ut & ipsa mors utilitati vestræ inserviat, quando *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum?*

23. *Christum autem Dei*] Consuevit Paulus omnia demum ad Patrem referre: quare infrà dicet, *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei*, &c.

ZEGERUS.

3. NOnne *carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?*] Sic legendum cum Augustino, Ambrosio & Prospero, & juxta codices emendatiores.

10. *Ut sapiens architectus*] *Architectus* dicitur *qui structuris ædificiorum præest*, vel *fabrorum princeps*; ab *ἀρχὸς princeps*, & *τέκτων faber.*

12. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam*, &c.] *Jecit fundamentum* D. Paulus *Christum Jesum*, cui universa dogmatum, adhortationum, consolationum, & ex his surgentium bonorum operum structura niti debeat. Huic igitur fundamento alii alia superædificant: quæ cujusmodi sint, generosáne an humilia, fortia an infirma, pretiosa an vilia, in præsenti quidem vita, ob mortalium infirmum & præposterum judicium, plerumque ignoratur. Verùm supremi judicii dies, quem non frustrà *Domini diem* vocat Interpres, nimirum adjecto vocabulo *Domini* distinguens illum à præsentis temporis diebus, qui Hominis videntur esse magis, quibus quodlibet etiam sibi licere putat homo; ille, inquam, dies palàm faciet qualia fuerint quæ superstructa sunt. Nam ignis ille examinatorius, vel occultissima cordium perscrutans, quo tota mundi machina conflagrabit, cùm venerit Judex judicare seculum per ignem, quicquid solidum & eximium fuerit conservabit, illustrabit, ac tali fundamento dignum coarguet; & contrà, quicquid vile, inefficax & imbecillum, ignis absumet. *Si quis superstruxerit aurum, argentum, lapides pretiosos*; veluti qui cœlestis doctrinæ vel Divinæ contemplationis fulgoribus quasi *auro* quodam irradiat, qui eminentioris cujusdam dilectionis sinceritate veluti *argento* enitescit, qui terrenis omnibus calcatis, spretísque mundi illecebris, cœlestibus inhiat, *conversationémque* cum B. Apostolo Paulo *habet in cœlis*, cójque quasi turri exstructà ad superna conscendit, qui cum Maria illa Euangelica *optimam deligit partem, nunquam auferendam*, Luc. 10. 42. qui *divenditis omnibus thesaurum sibi parat quem nec fur auferre, nec tinea demoliri queat*, qui *hoc utitur mundo tanquam non utatur*, qui spreto Carnis conjugio, æterno Dei Verbo Sapientiæve indissolubili vinculo cohæret; hic sine detrimento præmium accepturus est, & perstabit omnino hujus opus. Sin verò quis *superstruat ligna, fœnum, stipulam*; veluti qui matrimonio junctus, cogitat quæ mundi, quæ uxoris, quæ liberorum sunt; qui cum Martha curat ea quæ corpori sunt necessaria; quisquis hæc ædificat, & scopum ac fundamentum habet Christum, ità ut ei nec temporaria nec ea quæ licita sunt proponat, etiamsi quædem leviora incurrerit admissa, quæ per ignem expianda erunt, suâ tamen mercede nequaquam fraudabitur. Non dicit autem Apostolus Paulus *illum per ignem servandum qui ferrum, aut æs, aut plumbum superædificarit*, h.e. peccata graviora commiserit: nam is fundamentum non habet Christum; unde necesse est æterno illum deperire supplicio. Prætereà, ut hanc præmiserim enarrationem, nimirum ex probatissimis hinc indè desumptam autoribus, non iverim tamen inficias hæc eadem verba de Purgatorio igne rectè accipi posse, quo credimus animas levioribus culpis obnoxias cruciandas ubi mortali relicto corpusculo hinc emigrarint, tametsi nihil hoc minùs quibusdam persuasum esse non ignorem. Certè ego ab universalis Ecclesiæ Romanæ sententia hac in re censeo non recedendum. Cæterùm cujusmodi sit ignis ille expurgatorius, & quis sit Purgatorii locus, nec hujus loci est nec mearum virium discutere. Explicat hunc locum juxta priorem illam sententiam Augustinus in Enchir. cap. 68. copiosiùs etiam in libro De Fide & operibus, cap. 16. nisi quòd per *ignem* intelligat *tribulationem tentationis, & de terrenis rebus dolorem*, juxta illud Eccl. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Idem quoque & de igne Purgatorio hæc intelligenda esse insinuat, tam lib. De VIII Dulcitii quæst. qu. 1. tam etiam in Explicatione Psal. 37. ubi sic inter cætera ait, *Et quia dicitur, Salvus erit, contemnitur ille ignis. Ità plane quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis quàm quicquid potest homo pati in hac vita*, &c. Juxta posteriorem sententiam explicat hunc locum exactiùs B. Gregorius lib. Dialogorum 4. cap. 12. si quis fortè videre cupiat.

13. *Dies enim Domini*] Nolim omitti *Domini*, contra Ambrosium, Augustinum, ut codices nostros antiquos.

16. *Nescitis quia templum Dei estis?* Hic revertitur Paulus ad id unde fuerat digressus: Siquidem præmiserat, Corinthios *Dei esse ædificationem*, & si fortè non intellexissent quam dixisset ædificationem, percontatur ex eis, ut ex hoc acriùs illos coarguat & efficaciùs.

18. *Nemo se seducat*] Erant inter Corinthios quidam humanâ Philosophià prædici, cui plùs satis fidentes in Christum credere stultum arbitrabantur, atque per hanc & seipsos seducebant, & alios in viva Dei templa fide consecratos profanare & seducere conabantur. Hos itaque coarguit & admonet, inquiens, *Nemo se seducat. Si quis templum*, &c.

21, 22. *Itaque nemo glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus sive Apollo*, &c.] Itaque de quo maximè vos admonitos esse volebam, ut cœperam vos redarguere, quòd factionibus dediti essetis, dicentes, *Ego Pauli sum, Ego Apollo*, &c. deinde quòd profanis Philosophis addicti essetis, dicentes, *Ego Aristotelicus, Ego Platonicus, Ego Epicureus*, quorum cogitationes Prophetæ testimonio modò ostendimus esse vanas; hæc, inquam, cùm ità sint, nè glorietur quis hominis mortalis titulo aut cognomine. Jam mihi vide quàm Apostolus

dejiciat

dejiciat & sese & alios in quibus gloriabantur Corinthii, ut efficaciùs illis persuadeat quod volebat. *Omnia*, inquit, *vestra sunt*. Vobis subjecta sunt, vestris serviunt commodis omnia in quibus tanquam in sublimioribus gloriamini. Quemadmodum indignum est præpotentem quempiam gloriari in servis ac rebus sibi subjectis, tanquam illis acceptum ferre debeat quod habet nobilitatis & gloriæ, ità nec vos gloriati condecet in his quæ vobis subjecta sunt. Nos servi sumus vestri: Vestris pedibus subjecta sunt omnia, *mundus*, *vita*, *mors*, *præsentia*, *futura*, ut vos illis dominemini, illa inserviant vobis in vestrum commodum & salutem. Cæterùm cui vosipsos vestráque omnia debetis, Christus Deus est. Nefas tamen haud esse puto nec Paulinæ menti contrarium, si quis de imitatione & patrocinio sibi gratuletur alicujus sancti, modò id cum modestia faciat & humilitate.

23. *Vos autem Christi*] Si ergò Christi estis famuli à quo tota nostra simul & vestra dependet salus, quid est quod ad ejus injuriam in hominibus gloriemini, ut ab his aliquid speretis?

H. STEPHANUS.

3. Ὅπου γὰρ ἐν ὑμῖν ζῆλος καὶ ἔρις καὶ διχοστασίαι] *Cum enim in vobis sint livor & contentio (vel altercatio) & dissidia.*

6. Ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλῶς ἐπότισεν] *Ego plantavi, Apollos rigavit.*

9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοὶ] *Operam enim nostram cum Dei opera conjungimus.* ¶ Θεοῦ γεώργιον] *Arvum estis quod à Deo excolitur.*

19. Ὁ δρασσόμενος] *Qui carpit.*

21. Καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις] *Glorietur in hominibus*, i. Gloriandi materiam ex hominibus sumat.

DRUSIUS.

2. LAC *vobis potum dedi, non escam*] Nam infantes solidiorem cibum respuunt: imò eis noxius est. Moses Ægyptius, *Si quis dederit*, inquit, *puero infanti nondum à lacte depulso panem triticeum aut carnes, aut vini potu eum aluerit, occidit eum*: non quòd cibi illi noxii sint, sed ob debilitatem stomachi puerilis. Vide More part. 1. c. 33. aut, ut est in Latina versione, 32. Meliùs noster Erasmus, *Lactis potu vos alui, non cibo*, Nam ἐπότισα *ad escam* referri non potest: non enim ea potatur, sed editur. *Dedi* ergò *potandum lac, non comedendam escam*. Quanquam lac etiam editur: unde, *Et lac caprarum pro cibo tuo*: ad verb. *pro pane tuo*. Sic *potûs* vocabulo significatur etiam cibus: unde משתה συμπόσιον, i. *convivium*. Job. 22. 7. οὐδὲ ὕδωρ διψῶντας ἐπότισας, *aquam sitientibus potandam dedisti*.

10. *Sapiens architectus*] i. Peritus. Sic Exod. 36. 4. החכמים σοφοὶ i. *periti artifices*: & v. 1. *omnis sapiens corde*: & 35. 35. *implevit eos sapientiâ cordis*, i. peritiâ artium mechanicarum. Sirach. 38. 40. ἕκαστος ἐν τῷ ἔργῳ αὐτοῦ σοφίζεται, *unusquisque in arte sua sapiens est*. Vide quæ scripsimus Observ. 8. c. 13.

15. *Detrimentum patietur*] Ζημιωθήσεται *multabitur*, i. amissionem operis sui patietur. Verbum est Juris; *multabitur*, opere suo videlicet. ¶ *Servabitur*] *Evadet*, ut Act. 2. Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης, *eripite vos*: הנצלו aut המלטו

19. *Sapiens*] *Astutos*, πανούργους. qui *sapientes ad faciendum malum* Jer. 4. 22. Phesictha 9. 3. In vitio hîc ponitur, ut *astuti* dicuntur qui cauti & sapientes sunt. Sanè *astutia* in laude usurpatur aliquando, Prov. 22. 3. *Astutus prævidet malum, & fugit*: & Basilius autor, καλήν τινα καὶ ἀγαθὴν πανουργίαν εἶναι, i. *pulcram & bonam calliditatem*, vel, si mavis, *astutiam*, *esse*. Respexit Apostolus ad locum Job. 5. 13.

20. *Sapientum*] *Hominum* est in Hebræo, & ἀνθρώπων apud Epiphanium contra Hæreses, pag. 142.

SCALIGER.

14. S*I cujus opus arserit* &c.] Quia hîc mentio ignis, ex eo ignis purgatorii veterem fabulam probant stupore planè asinino. Nam Paulus ait diem judicii fore in igne, 2 Thess. 1. & tunc Deum examinaturum & probaturum opera singulorum igne. Quòd si ignis ille est ignis purgatorius, ergò nondum est ignis purgatorius. Nondum enim cessit ille dies ὃς ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται. Viden' manifestam ἀτοπίαν? Atqui ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι τὸ πῦρ δοκιμάσει. Ergò. Quid ergò? Ergò est ignis quidam qui purgat antequam eò perveniamus quò beati debent tendere. Jam dixi Apostolum de illo die formidoloso extremi judicii agere. Quare si Paulus de igne purgatorio Sophistarum intelligit, non est metuendus ille ignis nisi in die judicii. Quoties legitur in Divinis libris Deum in igne venturum & judicaturum igne, Exod. 24. Deut. 4. & 33. Psal. 17. & 20. & 50. Nimirum idem omnes quod Paulus. Et loci notissimi sunt Esa. 66. *Deus veniet in igne, & igne castigationem facturus est*, sive *increpationem*. De quo igitur examine sentit Paulus, de eo Mal. 3. 2, 3. Jer. 23. 29. Ad verbum ergò Latinè & Romanè, *Si cujus opus cremabitur, eo quidem multabitur: ipse autem evadet ut quasi ex incendio*. Proverbium est apud omnes omnium sermone tritum. Qui causam capitalem dicit, & vix est ut non capite plectatur, si honorum amissione aut multâ pecuniariâ eo periculo defungatur, is *evasisse* dicitur, *sed tanquam ex incendio*: &, ut dicebat Imperator Claudius, *Absolutus est, sed tamen litura manet*. Cicero in Consolatione, *Non nasci longè optimum, nec in hos scopulos incedere vitæ: proximum autem, si natus sis, quamprimum tanquam ex incendio effugere fortunæ*. Quod Paulus planè dixisset, ἔπειτα δὲ γινόμενον ὡς διὰ πυρὸς σώζεσθαι. Nam quod turbat sophistas est verbum σώζεσθαι, quòd in vulgari significatu usurpatum sit tanquam sit quidam ignis qui salvet. At σώζεσθαι idiomate suo dixit Paulus pro *evadere*. Hebræi enim non habent aliud verbum in notione *evadendi* quàm verba *Himmalet*, *Hinnatzel*. quod verè significat σώζεσθαι, sed cùm apud ipsos legitur interpretandum *evadere*. Act. 2. 40. Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης, *Eripite vos fugâ ex hac generatione, evitate, effugite, declinate*. Hoc ergò suo idiomate dixit: Qui enim periculum magnum evasit, dicitur כאוד מאש, ad verbum, δαλὸς σωθεὶς ἐκ πυρὸς, *Torris ex igne ereptus*, Zach. 3. 2. Amos. 4. 11. Allusit ergò ad proverbium. In magno igitur die judicii si quis opus inutile fundamento superstruxerit, ille omnino eo opere multabitur. Comburetur enim opus, quia superfluum erit & inutile. Ipse verò evadet incendium, quia permanserit in fide: ità tamen evadet ut præclarè secum agi putet quòd non unà cum opere suo concrematus sit, sed ejus amissione periculo æternæ mortis defunctus sit. Ζημιωθήσεται est verbum juris, *multabitur opere suo, amissionem operis sui patietur*, non autem vitæ æternæ. Præclarè autem totum hunc locum Pauli explicat Psaltes Psal. 49. seu 50. In eo dicitur primùm Deus venturus in igne, ut hîc apud Paulum; deinde examinaturus opera, h. e. correpturus ea quæ etiam perperàm electi sui faciunt, nimirum superflua sacrificia, in quibus solis salutem positam existimabant. At eam confidentiam, quæ nihil aliud est quàm καλάμη & χόρτος & denique opus inutile quod fundamento superstructum est, eam, inquam, confidentiam κατακαύσει ὁ Θεὸς ἐν πυρὶ, ipse autem populus electus nihilominus evadet formidolosam illam & horrendam sententiam judicii, ità tamen ut gratiâ Dei & misericordiâ summum periculum evaserit. Lege Psalmum, non alium interpretem desiderabis. Igitur ille ζημιωθήσεται τὸ ἔργον, *jacturam faciet operis sui*, quia opus illud concremabitur: Ille autem ex incendio effugiet Dei gratiâ, absque qua etiam ipse unà cum opere suo conflagrasset. Ignis autem ille vorax est, ut & nemo nescit, spiritus Dei, verbum Dei. Memineris ergò quid sit ζημιωθῆναι τὴν ψυχὴν *multari bonis*, ut Matth. 16. 26. Ἔργον autem sunt opera meritoria & aliæ nugæ quas hominès superstruunt fundamento ipsi & veræ doctrinæ.

CASAUBONUS.

6. Ἀπολλῶς ἐπότισεν] Ποτίζειν exemplo τῶν LXX pro *irrigare* accipit.

7. Ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεὸς] Prorsus convenit illud Homeri Odyss. Ξ.

Ὅς οἱ πολλὰ κάμῃσι, Θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξει.

qui locus est obscurior.

9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοὶ] Ego puto συνεργοὺς dici non *adjutores*; sed ità expendo σὺν in hac voce ut in *condiscipuli*, ut si quis dicat, *Nos sumus Pauli condiscipuli*. Sic in voce ξυνέριθος. Cæterùm de differentia vocum σύνεργος & συνεργὸς vide Grammaticos. Nota non dici Θεῷ συνεργὸς, (ut Dionysius Halicarnassensis lib. 4) sed Θεοῦ.

14. Εἴ τινος τὸ ἔργον μένει] Lege μενεῖ.

GUALTPERIUS.

10. ΑΡχιτέκτων, *Architectus*] Vox Græca est, & semel in N. T. nempe hoc loco, exstat. Syrus eandem vocem ferme retinet ארדיכלא *ardichla*. In sing. Chald. ארדיכל, & in plur. ארדיכלין *principales ædificatores & architecti*, *qui* (secundùm R. D.) *habent sub se alios*. Et sic in marginalibus quoque Syr. interpretatur. Tremellius ריש הבנאים, i. *caput ædificantium*.

JAC. CAPPELLUS.

21. NEmo glorietur in hominibus: omnia enim vestra sunt] q.d. Non est quòd glorieris in Paulo potiùs quàm in Petro, vel contrà, cùm uterque sit tuus: Sunt enim omnia tua, quatenus es Christi membrum, cujus sunt omnia. Fideles enim, Dei filios, electos, alloquitur Paulus. Ità potest fidelis, verè dicere quod Philosophi volebant à sapiente dici: Seneca l. 7. cap. 3. *Derideas licet, ingentis spiritûs res est, cùm Orientem Occidentémque lustraveris animo, quo etiam remota & solitudinibus interclusa penetrantur, cùm tot animalia, tantam copiam rerum, quas natura beatissimè fundit, aspexeris, emittere hanc vocem Dei, Hæc omnia mea sunt. Sic fit ut nihil sapiens cupiat, quia nihil est extra omnia.* Vide sis quæ notavimus in Psal. 8. 5. Sanè potest homo quivis dicere, saltem de corporeis rebus, Hæc omnia creata sunt hominis causâ, eóque & meâ. quia peccatum hominem suo jure spoliavit, soli fideles ità verè loqui possunt, iidémque soli sunt verè sapientes.

GROTIUS.

1. KΑὶ ἐγὼ, ἀδελφοί, *Et ego, fratres*] *Etiam ego* tantis Dei donis instructus. ¶ Οὐκ ἠδυνήθην ὑμῖν λαλῆσαι, *non potui vobis loqui*] *Non potui*, id est, Non ex usu judicavi, nempe cùm apud vos essem. De hac significatione vocis δύνασθαι [*posse*] diximus ad Mar. 6. 5. ¶ Ὡς πνευματικοῖς, *quasi spiritualibus*] Nempe οὖσι [*existentibus*]. Hæc enim particula subaudiri solet, ut 2 Cor. 12. 2. Sermones qui coram omnibus habentur accomodantur captui partis majoris. Pars autem major Corinthiaci cœtûs non multùm adhuc in doctrina Christi, quæ spiritualis erat, profecerat. Ideo magis adhuc opus habebant instillatione præceptorum Christi ad edomandas affectuum malorum reliquias, quàm explicatione figurarum quæ latebant in Veteri Historia, & Novi Federis res adumbrabant. Est germanus huic locus & hunc explicans ad Hebræos 5. 11, 12, 13, 14. ubi pariter *lac* sunt elementa Christianæ religionis, *cibus* verò explicatio mysteriorum in Veteri Historia latentium. Hæc conveniunt iis qui multùm profecere in pietate: illa necessaria sunt incipientibus. ¶ Ἀλλ' ὡς σαρκικοῖς *sed quasi carnalibus*] Tanquam habentes adhuc in vobis vestigia affectuum non satis Christianorum. Comparatè eos & πνευματικοὺς [*spirituales*] negat & σαρκικοὺς [*carnales*] appellat: nempe quia alii erant qui multò plùs in pietate profecerant. ¶ Ὡς νηπίοις ἐν Χριστῷ. *tanquam parvulis in Christo*] Sic vocem νηπίοις [*parvuli*] usurpat & Scriptor ad Hebræos 5. 13. Dicuntur sic, non temporis habita ratione per quod Christum cognoverant, sed τῆς προκοπῆς [*profectûs*]. Sic & Homerus & Hesiodus homines exiguæ sapientiæ νηπίους [*infantes*] vocant. Vide & Ephes. 4. 14.

2. Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, *Lac vobis potum dedi*] Proverbiale, Δεῖ τιθήνης ἔτι [*Nutrice adhuc opus est*] Cicero ad Atticum 12. Philo de Agricultura, Ἐπεὶ δὲ νηπίοις μέν ἐστι γάλα τροφή, τελείοις δὲ τὰ ἐκ πυρῶν πέμματα, καὶ ψυχῆς γαλακτώδεις μὲν ἂν εἶεν τροφαὶ κατὰ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν [*Quoniam autem infantibus lac nutrimentum est, adultis qua ex frumento coquuntur, animæ quoque suum lac debetur in ætate tenera*]. Theophilus Antiochenus libro 2. Καὶ γὰρ νῦν ἐπὰν γεννηθῇ παιδίον, οὐκ ἤδη δύναται τὸν ἄρτον ἐσθίειν, ἀλλὰ πρῶτον γάλακτι ἀνατρέφεται, ἔπειτα κατὰ πρόβασιν τῆς ἡλικίας, καὶ ἐπὶ τὴν στερεὰν τροφὴν ἔρχεται [*Nam etiamnum infans recenter natus pane vesci nequit, sed primùm lacte alitur, provectiore ætate solidiore cibo uti incipit*]. Lacte nutriri solent non infantes tantùm, sed & ἑκτικοὶ [*qui hecticâ febre laborant*]. Faciliùs enim concoquuntur liquida. Verbum ποτίζειν [*potum dare*] habuimus Matth. 10. 42. & 25. 35, 37, 42. & 27. 48. Marc. 9. 41. & 15. 36. Luc. 13. 15. Rom. 12. 20. Occurret & in hac epistola aliquoties. ¶ Καὶ οὐ βρῶμα· *& non escam*] Est σύλληψις [*Complexio*]. Nam de *lacte* quidem dicitur ἐπότισα [*potum dedi*], non autem de *cibis*: subauditur ergo, *dedi*. Βρῶμα [*cibus*] hic quòd στερεὰ τροφὴ [*alimentum solidum*] Hebr. 5. 12. Philo, Οὐχ ὁρᾷς ὅτι καὶ τὸ σῶμα ἡμῶν οὐ πρότερον πεπηγυίαις καὶ πολυτελέσι χρῆται τροφαῖς πρὶν ἢ ταῖς ἀποικίλοις καὶ γαλακτώδεσιν ἐν ἡλικίᾳ τῇ βρεφώδει; [*Non vides, nos quoque antè simplice isto & lacteo quò in infantia alimur, quàm solido ac majoris pretii cibo uti?*] ¶ Οὔπω γὰρ ἠδύνασθε *nondum enim poteratis*] Et hic subaudiendum, *ferre* aut *concoquere*. Occidit enim infantem qui ei dat panem & carnes, Maimonides Ductore dubitantium lib. 33. Frequentes tales in Paulo ἐλλείψεις [*defectus*] modò nominum, modò verborum. Cum simili ἐλλείψει [*defectu*] habes Hebræum יכול, id est, *potero*, Esaiæ 1. 13. Psalm. 101. 5. in Hebræo. ¶ Ἀλλ' οὔτε ἔτι νῦν δύνασθε. *sed ne nunc quidem potestis*] *Ne nunc quidem* tanto tempore post fidei initia. Debuerat cognitio & virtutes crescere cum tempore. Origenes contra Celsum 3. Τὰ ἐν ἡμῖν μάλιστα καλὰ καὶ θεῖα τότε τολμῶμεν ἐν τοῖς πρὸς τὸ κοινὸν διαλόγοις φέρειν εἰς μέσον, ὅτ' εὐπορούμεν συνετῶν ἀκροατῶν· ἀποκρύπτομεν δὲ καὶ παρασιωπῶμεν τὰ βαθύτερα τοὺς συνερχομένους καὶ δεομένους λόγων τροπικῶς ὀνομαζομένων γάλα· γέγραπται γὰρ παρὰ τῷ Παύλῳ ἡμῶν Κορινθίοις ἐπιστέλλοντι, Ἕλλησι μὲν, οὐ κεκαθαρμένοις δὲ τὰ ἤθη, Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα· οὔπω γὰρ ἐδύνασθε, ἀλλ' οὐδὲ ἔτι νῦν δύνασθε. ἔτι γὰρ σαρκικοί ἐστε [*Quicquid habemus egregium atque Divinum tum demum in popularibus sermonibus promimus in medium, cùm præsto est auditorum cordatorum copia: alioquin profundiores sensus celamus, & silentio præterimus in cœtu eorum, qui opus habent lacte, ut vocamus per tropologiam: sic enim Paulus scribit Corinthiis nondum perpurgatis à moribus Græcanicis: lac vobis præbui, non cibum, quem nondum ferebatis, ac ne nunc quidem ferre potestis, adhuc enim carnales estis*]. &c.

3. Ἔτι γὰρ σαρκικοί ἐστε. *Adhuc enim carnales estis*] Non omnino, sed plus satis, comparatè ad alios Christianos, ut jam diximus. ¶ Ὅπου γὰρ ἐν ὑμῖν ζῆλος καὶ ἔρις καὶ διχοστασίαι, *cùm enim sit inter vos zelus & contentio & scissura*] Ὅπου hic valet *quandoquidem*. ut 2 Petr. 2. 11. Utuntur ita hac particulâ & Xenophon & Plutarchus. Est autem hîc gradatio. Nam *invidia contentionem* pepererat, *contentio scissuram*. Vide supra 1. 10. & infra 11. 18. & 12. 25. & adde epistolam Clementis. ζῆλος קנאה [*zelus*], ἔρις ריב [*contentio*], διχοστασίαι מחלקת [*scissura*.] ¶ Οὐχὶ σαρκικοί ἐστε, *nonne carnales estis*] Nam inter *opera carnis* numerat Apostolus ἔρεις [*contentiones*], ζήλους [*zelos*] & διχοστασίας [*scissuras*], Gal. 5. 20. *Carnis* scilicet nomine omnes affectus respiciens, qui non Dei honorem & proximi salutem præcipuè respiciunt, sed ea quæ nostra sunt & nobis placent. ¶ Καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε; *& secundùm hominem ambulatis?*] Vivitis ut plerique homines solent, non ex Dei præscripto, non κατὰ Θεὸν [*secundùm Deum*], ut loquitur Apostolus Rom. 8. 27. *Homo* enim hoc loco *Deo* opponitur.

4. Ὅταν γὰρ λέγῃ τις· Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου· ἕτερος δὲ, Ἐγὼ Ἀπολλώ. *Cùm enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego Apollo*] Illis quidem nominibus illi utebantur: sed principes sectarum sub hoc prætextu suo honori & commodis velificabantur. ut apparet infra 4. 6.

5. Τίς οὖν ἐστι Παῦλος; τίς δὲ Ἀπολλώς; ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε; *Quis igitur est Paulus? quis verò Apollo? nisi ministri per quos credidistis?*] Si hoc de se sentiri voluit tantus Apostolus & tantus Euangelista, quantò magis id illos cogitare oportuit, qui, cùm viris tantis comparandi non essent, suas tamen sectabantur glorias cum Ecclesiæ malo. Διάκονοι [*ministri*] hic non speciale nomen est functionis, sed generale, respondens Hebræo משרת, conveniens omnibus qui Euangelio inserviunt: quomodo & infra 2 Cor. 3. 6 & 6. 4. & 11. 23. Ephes. 3. 7. & 6. 21. 1 Thess. 3. 2. 1 Tim. 4. 6. Simili modo διακονίαν [*ministerium*] habuimus Actor. 1. 17. & 6. 4. & 20. 24. & 21. 19. δι' ὧν [*per quos*], id est, *quorum operâ*. ¶ Καὶ ἑκάστῳ ὡς ὁ Κύριος ἔδωκεν. *& unicuique sicut Dominus dedit*] Est hic trajectio. Rectum fuerat, καὶ ὡς ἑκάστῳ ὁ Κύριος ἔδωκεν. [*& sicut unicuique Dominus dedit*], & subauditur τοιοῦτος [*talis*]; *Tales sunt prout eis Deus dedit*, quales eos Deus suâ beneficentiâ effecit. Cùm quicquid habent, ab ipso profectum sit, meritò etiam ejus honori inservire debent. Similem trajectionem habuimus supra 2. 7. Et in iisdem vocibus ἑκάστῳ ὡς [*unicuique sicut*] Rom. 12. 3.

6. Ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν, ἀλλ' ὁ Θεὸς ηὔξανεν. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*] Ἐπότισε [*potum dedit*] dixit figuratè pro ἤρδευσε (*irrigavit*), quæ vox propria agricolis: sed bene facta est translatio, quia quòd plantis est *irrigari*, id animalibus est *potum præbere*. Et ideo vicissim qui bene potarunt, *irrigati* dicuntur: sunt enim tales μεταφοραὶ ἀντίστροφοι] *Translationes reciprocæ*]. Et hoc quidem dictum sit de hac voce. Cæterùm alia rursus est in omnibus illis translatio à plantis ad humanum ingenium. Deus hîc comparatur terræ, unde aluntur insita. Qui plantat, surculum infigit terræ: qui rigat, vias terræ aperit: incrementum autem revera ab ipsa est terra, matre ac nutrice omnium. Ita in Euangelii negotio, fidei, justitiæ, sanctitatis proventus omnis Deo debetur, à quo est revelatio, & revelationis testimonia & Spiritûs dona. ηὔξανεν *incrementum dedit*] הצמיח, Esaiæ 55. 10. & 51. 11.

7. Ὥστε οὔτε ὁ φυτεύων ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*] *Nihil sunt*, nempe si Deum respicias. Nihil magni sunt. Sic enim τι [*aliquid*] sumtum,

tum, Gal. 6. 3. 2 Corinth. 3. 5. ¶ Ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός *sed qui incrementum dat Deus*] Paulò alia est similitudo eòdem tendens & itidem ab agricultura desumpta, sed alio modo. Apud Philonem, Φίλαυτος δὲ καὶ ἄθεος ὁ νοῦς, οἰόμενος ἴσος εἶναι Θεῷ, ποιεῖν δοκῶν ἐν τῷ πάσχειν ἐξεταζόμενος. Θεοῦ δὲ σπείροντος καὶ φυτεύοντος ἐν ψυχῇ τὰ καλὰ, ὁ λέγων νοῦς, ὅτι ἐγὼ φυτεύω, ἀσεβεῖ. οὐ φυτεύσεις ὅνπερ ἂν ὁ Θεὸς φυτουργῇ [*Mens autem sui amans & impia, putans se aequalem Deo, dum facere videri vult, reverà patitur. Caeterum cum Deus seminat & plantat in anima quicquid honestum est, mens si dicat, Ego planto; impiè facit: non plantabis igitur quando Deus plantat*].

8. Ὁ φυτεύων δὲ καὶ ὁ ποτίζων ἕν εἰσιν, *Qui autem plantat & qui rigat unum sunt*] Idem agunt negotium: sicut illi in agricultura plantam terrae & terram plantae admovent, sic hic in Euangelio homines ad Deum, Deum ad homines perducunt. Qui eidem negotio incumbunt, non debent partes facere. De hoc loquendi genere vide Joh. 10. 30. & 17. 11, 22. 1. Joh. 5. 7, 8. ¶ Ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. *unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*] Pro magnitudine laboris erit magnitudo mercedis: sed immensò major labore merces.

9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί· *Dei enim sumus adjutores*] Nos Apostoli & Doctores alii. Quos dejecerat, Deo comparans, eos hominibus comparans multùm attollit: dicit enim eos *cum Deo operari*, suo scilicet modo. Iidem & *veritati cooperari* dicuntur 3 Joh. 8. Vicissim Deus συνεργεῖν [*cooperari*] dicitur Apostolis Mar. 16. 20. ¶ Θεοῦ γεώργιον, Θεοῦ οἰκοδομή ἐστε. *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis*] Plebem hic alloquitur, & duas adhibens similitudines, priorem sermonem ab agricultura desumptum finit, & novum ab architectura orditur. Γεώργιον est omne *quod ab agricola excolitur*. Legitur in Graecis libris Veteris Testamenti, ut Gen. 26. 14. Prov. 6. 7. & 24. 30. & 31. 16. Pari sensu populus Esaiae. 61. 3. Φύτευμα Κυρίου [*plantatio Domini*].

10. Κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι ; *Secundum gratiam Dei quae data est mihi*] Omnia refert ad honorem Dei, ut alios doceat idem facere. ¶ Ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα, *ut sapiens architectus fundamentum posui*] Σοφὸς [*Sapiens*] Graecis adjectivum est omnium artificum. Itaque

— σοφὸς ἤραρε τέκτων

[— *sapiens opifex fabricavit*].

etiam apud Homerum legimus. Sic Exod. 35. 35. in Graeco, οἱ σοφοὶ οἱ ποιοῦντες τὰ ἔργα τοῦ ἁγίου [*sapientes ad facienda opera sancti*]. Et Esaiae 3. 4. חכם חרשים vertitur σοφὸν ἀρχιτέκτονα [*sapientem Architectum*]. *Fundamentum jacit*, qui rei alicui initium dat. De Euangelio id usurpat Apostolus Rom. 15. 20. Et scriptor Hebr. 6. 1. Paulò longiùs provecta translatione ipsi Apostoli, ut in praedicatione principes, *fundamenta* dicuntur Apoc. 21. 14. ¶ Ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ. *alius autem superaedificat*] Quia *aedificii* mentionem fecerat, aliam instituit ab aedificio comparationem: ante fideles dixerat *aedificium Dei*, nunc *aedificium* vocat ea quae in Ecclesia Christiana à Doctoribus docentur. Similes transitiones, parte similitudinis retentâ, parte mutatâ, habes Matth. 13. Mar. 4. Joh. 10. & alibi. Ἕκαστος δὲ βλεπέτω πῶς ἐποικοδομεῖ. *unusquisque autem videat quomodo superaedificet*] Ostendit rem esse periculi plenam.

11. Θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est*] *Non licet aliud ponere fundamentum*, quàm quod ego posui, id est, non licet contrà docere. Δύναται [*Potest*] hìc significat jus agendi. Vide Matth. 9. 15. Luc. 5. 21. Sic & Jurisconsulti verbum *posse* & nomen *potestatis* usurpant. ¶ Ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *quod est Jesus Christus*] Id est, Christi historia, praecepta & promissa. Sic *Deum esse, mundum ab eo conditum ac regi, datam ab eo Legem*, יסוד, id est, *fundamenta* vocant Hebraei.

12. Εἰ δέ τις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον τοῦτον χρυσὸν, ἄργυρον, λίθους τιμίους, ξύλα, χόρτον, καλάμην, *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam*] Fingit sibi aedificium Paulus partim regale, partim rusticum: quia quanquam tale fieri moris non est, tamen naturae non repugnat, & id requirit ἀπόδοσις [*redditio*]. Proponit ergo nobis domum cujus parietes sint ex *marmore*: columnae partim ex *auro*, & partim ex *argento*: trabes ex *ligno*: fastigium verò ex *stramine & culmo*, unde culmen dicitur. Λίθοι τίμιοι [*Lapides pretiosi*], aut ἐκλεκτοί [*selecti*] etiam *marmora* dicuntur, ut ostendit locus Esaiae 54. 11. collatus cum primo Paralip. 31. 2. in Graeco, & Josepho. Vide quae ad illum Esaiae locum diximus. In tabernaculi structura erant *aurum, argentum, lapides, ligna*, Exod. 25. 4, 5, 7.

13. Ἑκάστου τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται. *Uniuscujusque opus manifestum erit*] Eventus ostendet quae materia firma sit, quae infirma. ¶ Ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει· ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται· *dies enim declarabit; quia in igne revelabitur*] Longum tempus adferre solet incendia, sive casu fortuito, sive igne coelesti, sive vi bellica. Ἡμέρα [*dies*], id est, *longum tempus*: *longa dies* etiam Latinis. Sic יום [*diem*] χρόνον [*tempus*] saepe vertunt LXX. Vide quae diximus Num. 3. 13. Adde Esaiae 3. 18. Ἡμέρα δηλώσει [*dies declarabit*], idem est quod dicit Sophocles,

Ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ' ἄδηλα —

[*Humana longis cuncta curriculis dies*
Immutat, oculta aperit —].

Et quod Simonides,

Οὐκ ἔστι μείζων βάσανος χρόνου οὐδενὸς ἔργου
[*Tempus cuncta docet, quo non est certior index*].

Et hìc ἀποκαλύπτεται [*revelabitur*], intellige ἔργον ἐν πυρὶ [*opus in igne*], *per incendium*. ¶ Καὶ ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι, τὸ πῦρ δοκιμάσει. *& uniuscujusque opus quale sit ignis probabit*] Rectè, nam *aurum* ignibus invictum est; *argentum* & *marmora* diu igni resistunt: minus *lignum*: minimè *stramen* & *culmus*: ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσός [*in igne probatur aurum*] Ecclesiast. 2. 5.

14. Εἴ τινος τὸ ἔργον μένει ὃ ἐπῳκοδόμησε, μισθὸν λήψεται· *Si cujus opus manserit quod superaedificavit, mercedem accipiet*] Jam venit ad ἀπόδοσιν [*Redditionem*]. Si quis Doctor praecepta specialia dederit, quae considerata re, loco, tempore, circumstantiis, conveniant cum generalibus Christi praeceptis, is honorem apud Ecclesias omnes consequetur. Clemens Strom. 6. Ἡ μὲν οὖν πίστις σύντομός ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, τῶν κατεπειγόντων γνῶσις· ἡ γνῶσις δὲ ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος, διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας, ἐποικοδομουμένη τῇ πίστει εἰς τὸ ἀμετάπτωτον, καὶ μετ' ἐπιστήμης καταληπτὸν παραπέμπουσα. καί μοι δοκεῖ πρώτη τις εἶναι μεταβολὴ σωτήριος ἡ ἐξ ἐθνῶν εἰς πίστιν, ὡς προεῖπον. δευτέρα δὲ ἡ ἐκ πίστεως εἰς γνῶσιν. ἡ δὲ εἰς ἀγάπην περαιουμένη ἐνθένδε ἤδη φίλον φίλῳ γιγνώσκον τῷ γιγνωσκομένῳ παρίστησιν [*Fides ergo, ut semel dicam, est brevis & compendiosa eorum, quae necessaria sunt, cognitio. Cognitio autem est firma ac stabilis demonstratio eorum, quae assumpta sunt per fidem, quae per doctrinam Domini super fidem aedificatur, quae transmittit ad id quod non potest excidere & mutari, & potest comprehendi scientiâ. Ac mihi quidem videtur esse prima quaedam salutaris mutatio, quae fit agentibus ad fidem, ut prius dixi: secunda autem, quae est à fide in cognitionem. Illa verò desinens in charitate, amicum id, quod cognoscit, ei reddit, quod cognoscitur*]. Plato magistratibus mercedem dicit esse honorem. Et honor is qui Doctori habetur ab Ecclesiis omnibus, praesagium est honoris à Deo consequendi ex promisso Matth. 16. 19. Incendio igitur respondet lux quae ab Ecclesiis omnibus uni Ecclesiae laboranti allucet. Sic Dei judicia igni comparantur Esaiae 4. 4. & 66. 16. Et Spiritus Ecclesiae primùm in ignis forma datus.

15. Εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, *Si cujus opus arserit*] Si ab aliis Ecclesiis deprehendatur doctrina alicujus repugnare Christi doctrinae, aut directè, ut *licitum esse cum noverca concubitum*, ut *non exspectandam resurrectionem*; aut spectatis circumstantiis, *licere epulari in idolio, licere litigare apud profanos Magistratus*. Talia enim judicio sanarum Ecclesiarum stare non possunt. Justinus cum Tryphone disputans negat pro Christianis habendos, qui resurrectionem futuram negant. Tertullianus adversus Marcionem 5, *Quia per ignem judicatur vestra superaedificatio*. Trabes incendio solent perire, epistolâ dictâ Jeremiae 55. ¶ Ζημιωθήσεται. *detrimentum patietur*] Dejicietur omnium judicio de Doctoris munere, aut etiam communione privabitur, ut illi incesto accidit. ¶ Αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός. *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per per ignem*] Id est, In summo erit salutis suae periculo: Etsi eam adipiscetur (quod boni ominis causâ sperare mavult Apostolus) non fiet id sine gravi moestitia ac dolore. Vide 2 Cor. 2. 7. Hic est ὄλεθρος σαρκός [*interitus carnis*], infra 5. 5. σώζεσθαι ὡς διὰ πυρός [*salvari quasi per ignem*] est proverbiale ad significationem summi periculi. Sic ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες [*de igne rapientes*] dixit Judas 23. Aristides in Appellem, Ἐκ μέσου, φασί, πυρὸς τὸν ἄνδρα σώζειν [*De medio, inquiunt, igne hominem servare*]. Cyprianus epistola 66, *Exuenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus concremetur. Nemo diu tutus est periculo proximus.*

16. Οὐκ οἴδατε ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε; *Nescitis quia templum Dei estis?*] Redit ad comparationem coeptam supra, à qua ad alia quae-

quædam affinia tamen, deflexerat. Philo familiam Abrahami *templo* comparat. Rabbi Alschek ad Aggæum 2 ait populum Israeliticum dici *Dei templum*. Multò justius verò Christiani & singuli & collecti, ob Spiritum Dei in ipsis habitantem. Vide infra 6. 19. 2 Corinth. 6. 16. Salvianus ad sororem, *Benedictus itaque Dominus Deus noster, qui semper spiritûs tui custos, nunc præcipuè etiam carnis fuit, & in te manens téque custodiens manum suam ex interioribus tuis usque ad exteriora porrexit: non solùm sancta sanctorum, sed etiam vestibula templi sui & circumsepta servavit, protectionemque suam latiùs pandens fecit salutem animæ tuæ usque ad salutem corporis pervenire.* ¶ Καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; *& Spiritus Dei habitat in vobis?*] Καὶ [&], id est, *quia*. Multò augustior hæc inhabitatio quam illa per fulgorem apud Arcam.

17. Εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, *si quis autem templum Dei violaverit*] *Destruit*. Quod fieri solet malis doctrinis & malis exemplis Roman. 14. 15. Hic infra 8. 11. ¶ Φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός *disperdet illum Deus*] Id est; Gravissimè puniet, nisi nempe monitus resipiscat. Φθερεῖ [*destruet*] hîc quod ἀπολέσει [*disperdet*] Matth. 21. 41. Sic Athaliam, sic Baltassarem perdidit Deus: illam quòd templum, hunc quòd templi donaria profanasset. ¶ Ὁ γὰρ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἅγιός ἐστιν *templum enim Dei sanctum est*] Sancta violari non debent. ¶ Οἵτινές ἐστε ὑμεῖς. *quod estis vos*] Id est, *Quod templum vos estis*: nam relativum inter duo substantiva positum modò recipit genus & numerum præcedentis, modò subsequentis.

18. Μηδεὶς ἑαυτὸν ἐξαπατάτω *Nemo se seducat*] אל־תשיאו נפשתיכם [*nolite decipere animas vestras*] Jerem. 37. 9. Omnis Philosophia humana Euangelio repugnans, deceptio est 2 Thess. 2. 3. ¶ Εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ: *si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo*] Σοφὸς ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ [*sapiens in hoc seculo*] est σοφὸς κατὰ σοφίαν κόσμου [*sapiens secundum sapientiam mundi*] ut sequitur. Si quis in eo sibi placet quòd novit omnium Philosophorum sententias & rationes. ¶ Μωρὸς γενέσθω, *stultus fiat*] Euangelio se teneat, quod illi Philosophi stultum putant. Supra 1. 18, 21. ¶ Ἵνα γένηται σοφός. *ut sit sapiens*] Ut ea sapiat, quæ ad vitam æternam certò eum possunt perducere.

19. Ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστι. *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum*] Deo non magis placet quàm summa stultitia, quia puritatem illam animi, quam Deus requirit, non exhibet, supra 1. 21. *Est stultitia*, id est, Non pluris fit quàm stultitia. Similis locutio Rom. 1. 14 & 25. Sic Esaiæ 44. 25: ודעתם יסכל [*scientiam eorum infatuaturus est*], τὴν βουλὴν αὐτῶν μωραίνων [*consilium eorum stultum faciens*], & 2 Samuel. 15. 31: סכל־נא את־עצת אחיתפל [*Infatua quæso consilium Achitophel*]. Ubi alii ματαίωσον [*stultam fac*] alii ἀφρόνισον τὴν βουλὴν Ἀχιτοφέλ [*infatua consilium Achitophel*]. ¶ Γέγραπται γάρ· Ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν. *scriptum est enim: Qui comprehendit sapientes in astutia eorum*] Est ex verbis Eliphasi apud Jobum 5. 13. Ubi LXX habent, Ὁ καταλαμβάνων σοφοὺς ἐν τῇ φρονήσει [*qui capit sapientes in prudentia*]. Est δράσσειν propriè *pugno includere* Levit 2. 2. & 5. 12. Numer. 5. 26. laxiùs sumptum idem valet quod καταλαμβάνειν [*capere*] ut Psalm. 2. 12. in Græco. Et πανουργία [*astutiâ*] vox est media, hic idem valens, quod φρονήσει [*prudentiâ*]. Vide Prov. 1. 4. & 8. 5. Sirach. 19 21. & 34. 10. Fecit hoc Deus egregiè, cùm Philosophos inter se commisit, ut nihil alter pro certo affirmaverit quod non alter æquè ingeniosus eversum eat.

20. Καὶ πάλιν· Κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν, ὅτι εἰσὶ μάταιοι. *Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vana sunt*] Ex Psalm. 94. 11. ubi in Græco, Κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν ἀνθρώπων, ὅτι εἰσὶ μάταιοι [*Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vana sunt*]. Paulus pro ἀνθρώπων [*hominum*] posuit σοφῶν [*sapientum*], quia id instituto ipsius conveniebat: & haud dubiè de iis maximè agit Psalmographus, qui sibi sapere plurimùm videbantur.

21. Ὥστε μηδεὶς καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις. *Nemo itaque glorietur in hominibus*] Lætetur quòd hunc aut illum Doctorem habuerit, ut ei se addicat, ut apud Judæos Hillelis & Sammæi discipuli: apud Græcos Pythagorici, Platonici, Aristotelici, Epicurei. ¶ Πάντα γὰρ ὑμῶν ἐστιν. *omnia enim vestra sunt*] Non vos Doctorum causâ estis, sed illi vestri causâ. Deus illis dona dat in usum vestrum.

22. Εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλὼς, εἴτε Κηφᾶς, *Sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas*] Quia illi hæc nomina prætendebant, utitur illis nominibus. Quod si Apostoli sunt illorum causâ, quos instituunt, quantò magis illi qui se faciebant sectarum principes? ¶ Εἴτε κόσμος, *sive mundus*] Jactant se quidam rerum naturalium scientiâ. Atqui totum hoc universum in hoc conditum est, ut Deus cognoscatur. Illi ipsi verè universum possident, universo utuntur, ac fruuntur, qui Deum norunt ¶ Εἴτε ζωὴ, *sive vita*] Si vitam Doctoribus protrahit Deus, id facit ut prosint Ecclesiæ: Philippens. 1. 24. ¶ Εἴτε θάνατος, *sive mors*] Si ob Euangelium mortem obeunt, id fit ut alii ipsorum constantiâ firmiores fiant. ¶ Εἴτε ἐνεστῶτα, *sive præsentia*] Si linguarum & sanationum dona habent, in id habent, ut fideles inde & numero & viribus crescant. ¶ Εἴτε μέλλοντα *sive futura*] Idem est de rerum futurarum revelationibus. ¶ Πάντα ὑμῶν ἐστιν. *omnia enim vestra sunt*] Omnia hæc sunt non ipsorum tantùm, sed aliorum, quales vos estis, causâ.

23. Ὑμεῖς δὲ Χριστοῦ *vos autem Christi*] Christi creatura, ut ipsi obediatis. ¶ Χριστὸς δὲ Θεοῦ *Christus autem Dei*] Sicut Christus Patri suo obedivit, infra 11. 3.

CAP. IV.

VALLA.

3. 4. 5. **M***IHI autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die; sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare*] Non est idem verbum in illis, *judicer* ἀνακριθῶ, & *judico* ἀνακρίνω, & *judicas* ἀνακρίνων, quod in hoc *judicate* κρίνετε. Si non est idem Græcè verbum, cur eodem Latinè transtulit? E diverso idem Græcum ἀνακρίνω cur transfert diversis Latinis? ut in illo c. 2. 15. *Spiritualis judicat omnia, & ipse à nemine judicatur*, ἀνακρίνει, ἀνακρίνεται & 9. 3. *Nam quæ mea defensio est apud eos qui me interrogant?* ἀνακρίνουσι. Et iterùm, *Nihil interrogantes propter conscientiam*, ἀνακρίνοντες. Ego, nè pluribus immorer, *judicate* ad verbum optimè translatum sentio: cætera quæ Græcè uno verbo dicuntur, ego maluissem transferre per verbum *discutio*, sive *discerno*, sive *scrutor*, sive aliud simile. Nam id quod paulò post sequitur v. 7. *Quis enim te discernit?* ego dixissem, *Quis enim te dijudicat?* διακρίνει.

6. *Ut in nobis discatis nè suprà quàm scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio*] Deest aliquantulum in Latino: nam sic Græcè legitur, *non supra id quod scriptum est sentire*, i. de vobis sentire, *nè unus pro altero infletur adversus alterum*. Quod sic transtulissem, *nequis pro altero adversus alium inflemini*, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε.

8. *Sine nobis regnaretis, & utinam regnatis*] Gr. *regnastis, & utinam regnassetis*, ἐβασιλεύσατε, καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε.

12, 13. *Maledicimur & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus*] Non servavit Græcam venustatem Latina translatio. Nec inficias eo non posse hunc locum propriè transferri, quia nos caremus participio præsentis passivo, etsi nonnunquam participio præteriti in eundem effectum utimur; ut si dicamus, *Infestati finitimorum incursibus semper in armis sumus, oppugnati resistimus, lacessiti obviàm imus*; i. *cùm infestamur, cùm oppugnamur, cùm lacessimur*. Ità nunc ad verbum transferendo licebat dicere, *Vituperati* (sive *Contumeliâ affecti*) *benedicimus, exagitati sustinemus, blasphemati obsecramus.* Aut per aliquam viciniam, ut modò dicebam, *Cùm maledicimur, benedicimus; cùm persecutionem patimur sustinemus; cùm blasphemamur, obsecramus.* Aut per participia activa cum quodam conflexu, *Malè audientes benedicimus, persecutionem patientes sustinemus, blasphemiam audientes obsecramus.* Nam illud fortasse durius, *Maledicentibus benedicimus, persequentes sustinemus, blasphemantes obsecramus.* Certè nunquam fecissem ut copulâ, quæ in Gr. non est, uterer, λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, διωκόμενοι ἀνεχόμεθα, βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν. ¶ *Facti sumus omnium peripsema*] Miror cur hoc nomen non transfert Interpres, si minùs per unum vocabulum, certè per plura, non enim nomen est quod pro Latino acceptum sit, h. e. cujus significatio aperta sit, cùm præsertim scribi Latinè non possit, περίψημα, ac nè pronunciari quidem fortè suo accentu. Ego vel sic dixissem, *Facti sumus omnium pulvis vestigiorum*,

REVIUS in VALLAM.

6. **P***RO alio*] Mendosè textu in glossam irrepserat.

13. *Pulvis vestigiorum*] Beza *ramentum*: sed luculentam Notam Erasmi consule.

ERASMUS.

1 *Dispensatores ministeriorum*] Μυστηρίων, *mysteriorum*, sive *arcanorum*; consentientibus omnibus, etiam Thomâ, præter paucos codices depravatos, sed tamen evulgatissimos. Et melius erat *æstimet* quàm *existimet*: non enim ad hunc modum quisquam loquitur Latinè, *Existimas me ut Regem*, sed, *Existimas me Regem*. Nec agitur de existimatione sed æstimatione. Non enim vult Paulus Apostolos pluris fieri quàm fieri debeant ii qui rem administrant alienam. Et dispensatores hic *œconomi* vocantur, qui administrant quidem, sed rem alienam, & rationem reddituri.

2. *Hic jam quæritur*] Ὃ δὲ λοιπὸν, ζητεῖται, *Quod autem superest, quæritur*: sive, *Deinceps*, sive *Posthac*, *quæritur*. Interpres legisse videtur ὧδε, non ὃ δὲ, i. *Hic*, non *Quod autem*, sed magno consensu refragantibus Græcis omnibus. Proinde lectoris est deligere utram lectionem sequi malit. Nos quod in Græcis cod. reperimus vertimus, nè Latina discreparent à Græcis. *Quæritur* autem hoc loco significat *spectatur*, sive *requiritur*: nam fides in œconomo potissimùm spectari solet, autoritas penès dominum est. Porrò *in dispensatoribus* rectius erat quàm *inter dispensatores*: neque enim hoc inter œconomos disputatur, sed ab illis requiritur.

3. *Aut ab humano die*] Hunc locum alicubi citat Hieronymus, ut ostendat Paulum non admodum elegantem fuisse in lingua Græca, sed quædam Cilicum more dixisse: nam Cilix erat, Tarsi natus. Hic cùm nihil esset contumeliosè dictum in Paulum, tamen magnis tragœdiis exagitavit quidam hunc locum, ex hoc declarans me nihil prorsus intelligere omnium quæ lego vel apud Hieronymum vel apud alios Ecclesiæ Doctores. Ob hujusmodi calumnias Hieronymi verba subscribam ex epistolæ ad Algasiam quæst. 10. *Illud*, inquit, *quod crebrò diximus*, ET SI IMPERITUS SERMONE, NON TAMEN SCIENTIA, *nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientia veritate dixisse etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos sensus linguâ non explicat. Et cùm ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone; quem cùm in vernacula lingua habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis viri in Lege doctissimi, seipsum interpretari cupiens involvitur*. Nónne palàm hic fatetur Hieronymus Paulum minùs calluisse Græcam linguam quàm Hebraicam, quòd alteram didicisset à majoribus & à doctissimo præceptore, alteram è commercio Cilicum? Nónne comprobat hic quod aliàs ostendi, Paulum imperitè loqui ob inscitiam sermonis Græci? Porrò qui puro sermone non potest eloqui quod sentit, nónne utcunque eloquitur sermone parùm eleganti parúmque puro? Ac mox Hieronymus ostendit illum ex idiomate Cilicum multa dixisse: quod genus sunt, ἀπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας pro *humano judicio*, & ἀνθρώπινον λέγω, cùm quid dicit humilius parúmque perfectum, & οὐ κατενάρκησα ὑμᾶς, cùm quis alteri graviùs imminet, & καταβραβευέσθω, ubi quis in certamine præripuit alteri præmium injustè. Hæc Hieronymus ità vult esse dicta Paulo ut Virgilio dictum est *sceleratum frigus*. Neque verò me fugit hæc variè vafréque scribi ab Hier. nec excutio quantum apud me valeant hæc quæ scribit. Tantùm indico me non temere indicasse locum. Si Paulus non potest explicare purè quod sentit, aut ipsius imperitia fuit in causa, aut ipse sermo parùm expolitus, aut res ipsa. Sed rem explicat in Heb. lingua, in qua fuit disertissimus: superest ut aut Cilicum lingua minùs fuerit elegans, aut eam minùs calluerit Paulus. Et utrumque fuisse verum subindicat Hieronymus, cùm & fateatur Paulum imperitum fuisse sermonis Græci, non quòd more vulgari non potuerit loqui, sed quòd animo declarando defuerit sermo purus & elegans; & ostendat quædam esse peculiaria ejus gentis in qua natus est, quibus abusus sit ad explicandum utcunque quod senserat. Neque verò contra me facit si Tarsus prodidit aliquot eruditos viros Aratum, & Oppianum: quasi verò non & Scythia nobis dederit Anacharsidem. Non refert ubi natus sis, sed unde didiceris. Neque qui scribunt utuntur omnibus quæ vulgaris habet sermo. Nam & ætate Ciceronis vulgò quædam ferebantur à quibus ipse abstinet. At Pauli sermonem fuisse vulgarem nemo puto negaverit, Disertiùs autem dicturus erat, opinor, si Athenis cum Demosthene, Platone & Isocrate versatus fuisset, & puriùs quæ senserat eloqui potuisset. Utinam Deus, det mentem meliorem iis qui hujusmodi sycophantiis & suum perdunt otium & alienum. Cæterùm ut paulo superius *diem* dixit pro *judicio*, quo modo alibi sæpe *diem Domini* vocat; ità hîc *humanum diem* dixit pro *judicio humano*. Reis enim dies dicitur.

4. *Nihil enim mihi conscius sum*] An Lat. dicatur, *nihil sum conscius*, quemadmodum dicitur, *non sum id nescius*, non satis apud me liquet. Græcè verbum est, *Nihil mihi conscio*, Οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα. Sic & Horatius,

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

5. *Itaque nolite*] Ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, *Nè ante tempus aliquid judicetis*. August. legit, *Nolite ante tempus quicquam judicare*, cùm aliis aliquot locis, tum explanans Psalmum 88. item ad Probam viduam de orando Deo.

6. *Transfiguravi in me & Apollo*] Μετεσχημάτισα, *transfiguravi*, h. e. aliorum personam in nos duos transtuli, & sub persona nostra de malis dispensatoribus locuti sumus, nè quos offenderemus. Item *Apollo* hoc loco accusandi casu debet accipi, *in me & in Apollo*. Atque hic nonnulli Latini codices habent mendosè, *ut in vobis discatis*, secundæ personæ, pro *nobis* primæ. ¶ *Nè suprà quàm scriptum est*] Græcè paulò diversius est, μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς μὴ φυσιῶσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου, i. *Non supra id quod scriptum est sentire*, i. de vobis ipsis sentire, quemadmodum crebrò jam indicavimus. *Ne unus pro uno infletur adversùs alterum*. Est autem sermo perturbatior: verùm dilucidior erit si *unus pro uno* pertineat ad singulos discipulos ac præceptores, ut hic infletur nomine Apollo, ille nomine Pauli, hic nomine Cephæ; & quod sequitur, *adversùs alterum*, pertineat ad Christianos inter se discordantes ob studia præceptorum: qui mos esse solet contentiosis. Quandoquidem *unus pro uno* positum est pro *alius pro alio*, sive, ut meliùs dicam, *alius de alio* sive *super alio*. Illud novum, quòd ἵνα μὴ indicandi modo adjungitur, nisi fortè pro φυσιοῦσθε depravatum est φυσιῶσθε, aut nisi variat hic quoque synæreseos ratio: sicut in aliis nonnullis. Et in nonnullis Græcorum exempl. congeminatur μὴ, in nonnullis semel duntaxat ponitur.

7. *Quis enim te discernit?*] Διακρίνει, *dijudicat*, D. Augustinus in epist. ad Valentium, ac rursus in libro ad eundem De gratia & correptione, item lib. ad Bonifacium contra duas Pelag. epistolas cap. 7. interpretatur *discernit* pro *separat à massa Adæ*: qui sensus pius quidem est ac verus, quanquam hic Paulus non agebat de peccato primorum parentum, sed adversùs illos disputabat qui se cæteris præferebant quòd essent à præcipuis Apostolis baptizati, cùm Baptismus sit æqualis omnium. Ità S. Ambrosius. Et Theophylactus *discernit* interpretatur *judicat*, ψηφίζει, addens *hominum judicia falli*. Chrysostomus hanc particulam dissimulat. Cæterùm διακρίνειν in S. literis aliquoties usurpatur pro *dubitare* sive *hæsitare*, nonnunquam pro *antepenere*; quemadmodum διαφέρειν interdum sonat *differre*, interdum *excellere*, velut hujus epistolæ cap. 11. *non dijudicans corpus Domini*, μὴ διακρίνων quuod enim aliis præferimus, separamus à turba. Hoc ideo admoneo quod hic Paulus loqui videtur de primoribus, quos non patitur se cuiquam præferre, eò quòd, si quid habent supra cæteros, ex sese non habent. Si ς quod est in τίς transferretur in finem verbi διακρίνει, sensus esset commodior, τί σε διακρίνεις; i. *cur te ipsum tanquam præstantiorem à vulgo segregas?*

8. *Sine nobis regnatis*] *Regnastis* est Græcè, ἐβασιλεύσατε. ¶ *Et utinam regnetis*] Ἐβασιλεύσατε, i. *regnassetis*. Quanquam in hujuscemodi Græci nonnunquam præteritis pro præsentibus abutuntur. Verti poterat *Regnum consecuti*, sive *adepti estis*; & *consecuti sitis*.

9. *Tanquam morti destinatos*] Ὡς ἐπιθανατίους, i. *obnoxios morti*. Quanquam Interpres bellè vertit. Sentit enim de iis qui juxta morem Romanum inclusi caveis, spectante populo bestiis objiciebantur. ¶ *Spectaculum sumus*] Θέατρον *theatrum*: quod tamen & apud Græcos à *spectando* dictum est. Atque apud veteres nocentum supplicium spectaculi vice exhibebatur populo, velut homo commissus cum leone aut urso. Vocem Græcam usurpavit Hieronymus enarrans caput epist. ad Galatas 4. simul admiscens similitudinem de fabularum actoribus, quibus hoc unicum est studium ut populo placeat fabula: *Mutabat* inquit, *Paulus vocem suam, & in histrionum similitudinem; factus est siquidem theatrum mundo & Angelis & hominibus, habitum in diversas figuras vertebat & voces: non quòd id esset quod se esse simulabat, sed quòd id tantùm videretur esse quod cæteris proderat*. Nemo dubitat quin hæc piè Hieronymus: sed quas calumnias excitarent quidam si hæc dixisset Erasmus? Paulus *histrioni* comparatur & *simulare* dicitur: sed quid sit histrio non intelligitur, & ex simulando calumniam struit simulator.

10. *Nobiles, ignobiles*] Ἔνδοξοι, ἄτιμοι, i. *gloriosi & infames*, sive *clari & obscuri*, aut *in pretio habiti & contempti*. Nec enim hic *nobilis* est eadem vox quæ superiùs fuit εὐγενεῖς & ἀγενῆ: nam illa ad genus referuntur, hæc ad famam & opinionem Nec est in verbis Græcis illa παρονομασία, *nobilis* & *ignobilis*.

11. *Instabiles sumus*] Ἀστατοῦμεν, *non habemus certam sedem*,

dem. Unde nos vertimus *incertis vagamur sedibus.* Est autem una tragicarum imprecationum, τὸ ἀστατεῖν.

12. *Maledicimur, & benedicimus*] Participia passiva præsentis temporis Interpres reddidit per verba, adjectâ conjunctione: λοιδορούμενοι, διωκόμενοι, βλασφημούμενοι, i. *Dum maledicimur* (sive *conviciis afficimur*) *dum persecutionem patimur*, *blasphemamur.*

13. *Purgamenta hujus mundi*] *Hujus* pronomen non additur apud Græcos. ¶ *Omnium peripsema*] Πάντων περίψημα. Interpres Græcam vocem reliquit, quam Laurentius putat verti potuisse *pulvis vestigiorum.* Græca Scholia dicunt περίψημα esse *reticulum quo sudantes se abstergunt*, alii *soleæ suppactum corium*, alii *pulverem quem calcamus*, alii *quod abjicitur in mare quo navis sit incolumis.* Videtur omnino *peripsema* apud Græcos quiddam esse tale quale apud nos est *naucis*, *quisquilia* & *sterquilinium.* Addit Suidas ità vocari solere *hominem jugibus obnoxium malis.* Theophylactus putat idem esse περικάθαρμα & περίψημα, nempe ἀποσπόγγισμα, i. *id quod abstergitur:* περιψᾶν enim esse *abstergere.* Nec Chrysostomus ullum facit discrimen. Hesychius adjicit, Græcis & *pretium quo redemitur captivus aut vita cujuspiam* περιψήματα dici, denique *quod omnium pedibus conculcatur.* Dicuntur & ἀντίλυτρα & ἀντίψυχα, i. *redemptiones, cum vita vitâ redimitur*, veluti legimus de Admeto & Alcestide. Ambrosius explanans Psalmum, BEATI IMMACULATI, serm. 8. refert his verbis, *Tanquam lustramenta hujus mundi facti sumus, Omnium lustramenta usque adhuc:* quòd Latinis quæ purgantur *lustrari* dicantur. Ac mox diem Ambrosius *lustramenta*, *purgamenta* interpretatur. *Lustramenta* autem non simpliciter dicuntur purgamenta, sed ea per quæ fit aliorum expiatio. Enarrator Pluti Aristophanici refert olim homines qui in pestilentia, fame, aut alio quopiam malo quod denunciabat iram Numinis, ad expiandam civitatem immolabantur Diis, καθάρματα solere vocari: quem morem ait & apud Romanos obtinuisse, sentiens, opinor, Decios, & Q. Curtium. Servius exponens Maronis carmen ex Æneidos 3.

——*Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames!

admonet auri famem *sacram* dictam ex more Gallorum. Cùm enim Massilienses peste laborarent, unus se ex pauperibus offerebat alendum anno integro publicis & purioribus cibis, postea verbenis vestibúsque sacris ornatus circumducebatur per urbem cum exsecrationibus, ut in eum inciderent omnia mala civitatis, & sic projiciebatur. Hujus autorem historiæ citat Petronium. Quin & Suidas indicat veterem fuisse morem, ut si quid malum premeret, quotannis unum aliquem in mare projicerent, veluti Neptuno sacrificantes addebant hæc verba, Περίψημα ἡμῶν γενοῦ, *Esto nostrum peripsema*, i. *salus*, *redemptio.* Verùm an tale quippiam Paulus senserit nescio. Certè nullus veterum interpretum attingit hunc sensum. Nec inficior Paulum interdum exempla collationésque ducere à rebus Ethnicorum, velut à *pugilibus*, à *stadiis*, à *militia*, sed publicis, & quæ sine gravi crimine peragi possunt. A Latronibus, Veneficis & impiis ritibus nunquam traxit exemplum ad bonos mores. Jam an hoc exemplum immolandi hominem fuerit perpetuum apud eos quibus scripsit Paulus, nescio; mihi non fit verisimile. Ad hæc, si Paulus diceret *se victimam in hoc datam ut repurget mundum omnibus malis*, videretur sibi arrogare quod Christi proprium est: etiamsi pio sensu dici posset martyrum mortes fuisse quodammodo *supplementum eorum quæ pro nobis passus est Christus*, quòd in illis Christus patitur: & Paulus optat *anathema fieri pro fratribus:* & in secunda Epistola non recusat *superimpendi pro Corinthiis.* Est & alius scrupulus, quòd Paulus non vocat se *catharma* numero singulari, sed περικαθάρματα, ut per similitudinem ad res projectas pertineat potiùs quàm ad hominem. Quòd autem se vocat περικαθάρματα *mundi* & *omnium* περίψημα, eò pertinet, nè quid offendat eos ad quos scribit, quibus erat charissimus; sed quæ passus est apud illos, maluit civitati publicóque nomini imputare. Id adnotavit Chrysostomus. Scholiastæ sum functus officio: judicium penès lectorem esto. Mihi Paulus his verbis extremum sui contemptum apud homines pietati nondum initiatos significare videtur: siquidem Plinius lib. 37. cap. ult. *purgamenta* vocat quæ mare rejicit in littus. Cùm enim de piscibus dixisset, *Præter hæc*, inquit, *purgamenta aliqua relatu indigna, & algis potiùs annumeranda quàm animalibus.* Nec ideo voces hæ perdunt nativam significationem si aliquando ad homines transferuntur: veluti *cothurnus* non desinit significare cothurnum, si quis *lubrica fidei cothurnus* dicitur. Quanquam & Paulus se non sine tropo *purgamenta* dixit & *peripsema*; quemadmodum hominem sordidum Terentius dixit *sterquilinium.*

14. *Non ut confundam*] Οὐκ ἐντρέπων, *non confundens* Quanquam melius erat *suffundens*, aut *rubore suffundens*; siquidem ἐντρέπεσθαι dicitur Græcè *cui suum probrum ingeritur, ut ipse semet agnoscat:* hinc enim dicta vox est. ¶ *Charissimos*] Ἀγαπητά. Quod ità perpetuò ferè transfert, cùm sit *dilectos:* nisi quòd suspicor id datâ operâ factum, quòd ea vox Græcis plus quiddam significat quàm nobis *dilectus.*

15. *Si decem millia*] Μυρίους quod aliquoties *decem millia* significat, aliàs *ingentem numerum*, pro quo Latini abutuntur *mille* aut *sexcentis.* Μυρίους igitur dixit pro *quamlibet multis.* Et *pædagogi* servi erant quibus patres liberorum moderandorum curam mandabant: unde Græca vox dicta est. Multum autem interest inter *pædagogum* & *patrem.* *Pædagogus* sævit pro imperio; *Pater* etiam vitam, si necesse sit, impendit.

16. *Rogo ergo*] Παρακαλῶ quod plerumque vertit *obsecro.* Atque ità legit Ambrosius: nonnunquam *adhortor.* ¶ *Imitatores mei estote*] Γίνεσθε quod verti poterat & *fiatis.* Cùm enim dixisset, *genui vos*, adjecit, *Igitur imitemini me*, quò perspicuum sit vos esse verè filios meos id fiet si me parentem expresseritis. Nam, ut eleganter inquit Flaccus,

Laudantur simili prole puerperæ.

At multo magis laudantur simili prole patres. ¶ *Sicut & ego Christi*] Hæc particula nec apud Græcos additur nec apud Ambrosium. In exemplari Paulino diversâ manu subnotatum erat in margine, velut adjectum ab alio quopiam; licèt ità legat Thomas Aquinas & interpretetur. In codice Donatiani non additur, nec in duobus quos exhibuit Constantia. Adscriptum videtur ex cap. 11. hujus epistolæ, *Imitatores mei estote:* & illic additur, *sicut & ego Christi.* Quanquam illic aptiùs congruit: præcesserat enim, *Sine offensione estote Judæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant:* atque huic respondet quod sequitur, *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Sentit idem quod scripsit ad Romanos cap. 15. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Unusque vestrûm proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit: sed sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Cæterùm haud scio an quemadmodum dicimur *renasci in Christo* sive *per Christum*, ità legatur *Christus genuisse nos Deo:* sic enim interpretatur Aquinas.

17. *Filius meus charissimus*] Ἀγαπητὸς, *dilectus:* de quo modò meminimus.

18. *Tanquam non venturus sim*] Ὡς μὴ ἐρχομένου, *Tanquam me non veniente ad vos*, seu *tanquam non veniam.* Quanquam hoc verbum invenitur aliquoties in significatione futuri. ¶ Et Hebraico tropo dixit *in virga*, pro eo quod Latiniùs diceret *cum virga*, aut *per virgam.*

VATABLUS.

1. HOmo] Heb. unusquisque. ¶ *Mysteriorum*] Arcanorum, h. e. *Euangelii*, ut ait Rom. ult. & Ephes. 3.

2. *Hic jam quæritur inter dispensatores*] *Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus.* ¶ *Quis*] Vel, *Quisque.* Luc. 12. 42. *Quis putas est fidelis dispensator*, &c.

3. *Judicer*] *Deferar.* ¶ *Die*] i. Judicio: dies enim reis dici consuevit.

5. *Ante tempus**] * *Quicquam.* ¶ *Qui**] * *Et.* ¶ *Illuminabit abscondita tenebrarum*] Heb. reteget abscondita tenebras.

6. *Transfiguravi*] i. Aliorum personam in nos duos transtuli, & sub persona nostra de malis dispensatoribus locuti sumus, nè quos offenderemus: sciebam enim nos non esse factionum occasionem, & nullum apud vos se Paulinum & Apollonium jactare. ¶ *Vobis*] *Nobis*, Vet. ¶ *Ne supra quàm scriptum est*] *Non supra id quod scriptum est sentire:* nempe quòd præcones Euangelii sunt ministri, non domini. ¶ *Unus adversus alterum infletur pro alio*] *Nè unus de alio infletur adversus alterum.* Paulus adversùs illos disputat qui se cæteris præferebant, quòd essent à præcipuis Apostolorum baptizati.

7. *discernit?*] *Dijudicat?* Alloquitur doctorem: i. quis te laude digniorem alio judicat? Quibusdam vox Græca hic pro *separare* & *præferre* posita videtur, hoc sensu; Quis docuit te, ut temet ab aliis separes ac præferas? ¶ *Si autem**] * *Etiam.*

8. *Regnatis*] *Regnum adepti estis.* ¶ *Regnetis*] *Regnaretis*, Vet. vel, *regnum consecuti fuis.* ¶ *Regnemus*] *Regnaremus*, Vet.

9. *Angelis*] i. Dæmonibus.

10. *In Christo*] *Per Christum.* ¶ *Infirmi*] *Imbecilles.* ¶ *Nobiles*] *Clari.* ¶ *Ignobiles*] *Contempti, infames.*

11. *Instabiles sumus*] *Incertis vagamur sedibus.*

12. *Maledicimur*] *Calumniis lacessiti.*

14. *Blasphemamur*] *Convitiis afficimur.* ¶ *Peripsema*] *Rejectamentum.* Græca vox videtur esse tale quiddam quale apud nos est *nauci*, *quisquilia*, *ramentum*, &c. ¶ *Ut confundam vos*] *Ut suffundam vos rubore.* Græca vox significat *cui suum probrum ingeritur ut seipsum agnoscat.*

15. *In Christo Jesu, per Euangelium ego vos genui*] Heb. Euangelii prædicatione docui vos Christum, ut jam sitis ipsius.

16. *Rogo*] Vel, *adhortor.*

17. *In Domino*] i. In negotio Domini in Euangelio prædicando. ¶ *Vos commonefaciet*] *Vobis in memoriam reducet.* ¶ *In Christo Jesu*] i. Juxta Christi doctrinam.

19. *Non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem*] i. Quantum possint per Spiritum S. non quantum sermone polleant.

20. *Regnum Dei*] *Regnum* pro *verbo*: q.d. Euangelium non persuadetur verborum suavitate sed potentiâ Dei; i. per Spiritum sanctum.

21. *In*] Heb. *in* pro *cum.* ¶ *Spiritu mansuetudinis* Heb. pro Spiritu leni & miti.

CASTALIO.

3. D*IE*] Judicio. ¶ *Quin neque ipse de me sententiam fero*] Non est enim meum de me judicium, sed Dei.

4. *Quamvis enim nihil mihi consciam, non tamen idcirco sum absolvendus. Verùm qui de me judicium facturus sit, Dominus est*] Non qui suo sed qui Dei judicio insons est, absolvitur.

6. *Nè alius de alio contra alterum tumeatis*] Nè alius alium jactetis, alium despiciatis.

7. *Quis enim de te judicaturus est?*] ἀνακρίνει dicit quod ante dixerat ἀνακρίνειν *judicare* & *sententiam ferre*: & præsenti utitur pro futuro, ut ferè solet: ut suprà, ὁ ἀνακρίνων με Κύριός ἐστιν. Estque eadem sententia, *Quis de te judicium laturus est, utrùm sis cæteris excellentior? Dominus Christus. Cur tu teipsum præfers aliis, quasi sis ipse judex: idque facis ante tempus, cùm sit exspectandum Domini judicium?*

8. *Sine nobis regnatis*, Βασιλεύειν, sicut מלך, & *regnare* & *regnum adipisci* est. Jam qui regnum adeptus est, is regnat. Itaque rectè præteritum ἐβασιλεύσατε per præsens *regnatis* reddidit V. interpres, sicut & ἐκλητήσατε.

12. *Insectati*] Infestati.

CLARIUS.

3. A*UT ab humano die*] Hebraismus est, ut *dies* pro *judicio* vel *favore* accipiatur.

4. *Nihil enim mihi conscius sum, sed*] Multa enim peccamus, & plurima nè intelligimus quidem: nam *Delicta quis intelligit?*

5. *Et tunc laus erit unicuique à Deo*] Cui unicuique? Quod dicit hoc est, Nè, quæso, vos nunc coram hominibus magnificetis, & aliorum reprehensione laudem vobis comparetis: nam adventus Domini omnia revelabit, & tunc demum apparebit quis nostrûm fuerit honore dignus: id enim erit tempus distribendi à Deo honoris unicuique.

6. *Suprà quam scriptum est*] Tale quid Solomon admonet cùm ait, *Ne plus sapias quam necesse est, nè obstupescas.*

7. *Quis enim te dijudicat?* Cujus judicio niteris, ô magister, quòd dignus sis laude? Hominis judicio? At non tutum est judicium hominum. Sed fingamus tutum atque æquum, *quid habes quod non acceperis? Quod si accepisti, non est tibi* de re aliena *gloriandum*: sin gloriaris, id agis ut ingratus, qui velis dissimulare *non accepisse.* Nam homines de re sua gloriari solent, non de ea quam acceperint ab aliis. Digna verba quæ sæpius recordemur.

8. *Jam saturati estis*] Ex iis quibus gloriamini jam magni evasisse sub istis vestris Magistris apparetis: quod utinam verum esset; nam hoc esset præcipuum meum gaudium, & planè triumpharem: sed video inanem hanc esse quandam jactantiam.

9. *Puto enim*] Felici ironià eos carpit, Mirum, inquiens, est, quod vobis accidit, contrà nimirum atque *nobis Apostolis, qui postremi omnium facti sumus, tanquam purgamenta ac rejectamenta quædam mundi*, dum interea vos gloriosè deliciamini.

ZEGERUS.

2. H*IC jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*] Græcè ità legitur, ὃ δὲ λοιπὸν ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ quod ad verbum ità sonat, *Quod autem deinceps quæritur in dispensatoribus, ut fidelis quis inveniatur.* Quod quæritur, inquit, i. investigatur sive perquiritur in dispensatoribus illud est, & esse debet, ut fidelis quis inveniatur: atque ita est quædam connexio verborum, sive responsio *inveniatur* ad *quæritur*. Nec discrepat ab hoc sensu vulgata interpretatio. Nam *hic jam*, pro eo ponitur quod Græcis est, ὃ δὲ λοιπὸν, h.e. *cæterum autem*, vel *quod autem superest*, vel aliquid hujusmodi. Porrò ζητεῖται alii magis hic *requiritur* significare autumant.

3. *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die*] Quare verò & inter vos sunt, qui inquirant ut fidus dispensator reperiatur: alii quidem arbitrantes & judicantes me dignum mysteriorum Christi dispensatorem, alii indignum: nihil moror, imò nihili duco hujuscemodi de me judicia. Addo & hoc, *pro minimo mihi esse ut ab humano die*, i. humana lege, vel humano judicio, *judicer. Diem* enim pro *judicio* Apostolus usurpare consuevit, ut suprà indicavimus, ubi egimus de Paulinæ dictionis phrasibus. Tunc autem censendum est judicium esse humanum quando nullo fulcitur Scripturæ, æquitatis aut rationis testimonio, sed solis nititur affectibus humanis, Quòd autem tale fuerit judicium Corinthiorum discere potes cùm ex illo quod Apostolus præmisit c. 3. *Nonne carnales estis, & secundum hominem ambulationem?* tum ex commentariis Ambrosii atque Chrysostomi.

6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo*] At verò nè nos, inquit, non tam moribus quàm sermonibus docere atque exhortari velle arbitremini, *horum* quæ præmisimus de gloriatione in hominibus, aliisque, *figuram & exemplar, cui conformemini, nosipsos dedimus atque Apollo*, quem apud vos recedens reliquimus. Alii sic excutiunt hunc locum ut dicant Paulum *in se & in Apollo illorum transtulisse personam* qui inter Corinthios sectarum dissidiorúmque erat autores, atque ità effictis nominibus locutum fuisse, nè quos offenderet. ¶ *Nè suprà quàm scriptum est, unus adversùm alterum infletur pro alio*] Græcis aliquantò secius legitur, ad hunc modum, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου, *non supra id quod scriptum est sentire, nè unus pro uno infletur adversùs alterum. Ut discatis*, inquit, *in nobis non ultra id quod scriptum est*, per nos, vel aliàs in Divinis literis (sicuti illud Matth. 7. *Nolite judicare, & non judicabimini*) de vobis ipsis *sentire*, *ut ne* hic illius, ille hujus nomine *extollamini & gloriemini alius contra alium.*

7. *Quis enim te discernit? quid autem habes quod*, &c.] Hic videtur Corinthiorum Doctores inprimis compellare, qui gloriabantur, sed vanè, quia non in Domino, quòd scilicet multis cumulati essent dotibus, muneribus, divitiis. *Quis ergo te discernit*, inquit, ac dijudicat cæteris te præstantiorem aut etiam inferiorem? Sanè homo mortalis est, cujus vanum incertúmque est judicium. Vel hoc pacto, *Quis te discernit*, i. segregat quasi excellentem? nisi tu temetipse, reputans & judicans te aliis præferendum ob munera quædam, veluti eruditionem, generis nobilitatem, opes, &c. Sed quæso te quisquis hæc tibi fingis, *quid habes quod non* à summo omnium largitore Deo *acceperis*, idque ferè per nos?

9. *Et Angelis*] De utrisque accipi potest, sive bonis sive malis Angelis. Bonis spectaculum erat Apostolus aliique discipuli, quia ipsorum certamina cœlestium spirituum erat digna aspectu: Malis verò; quia Apostolorum injuriæ ipsis erant oblectamento, cernentibus hostes suos, nimirum Apostolos, excruciari in terrorem aliorum qui erant credituri.

11. *Instabiles sumus*] i. Nullo certo loco detinemur.

13. *Peripsema*] Vox Græca est, & penultimam producit, ac tale quid significat quale apud nos *nauci*, *quisquilia*, *sterquilinium.* Alii *reticulum quo sudantes se abstergunt* significare tradunt, alii *soleæ suppactum corium*, alii *vestigiorum pulverem*, alii verò omnem *scoriam.*

16. *Sicut & ego CHRISTI*] Adjectitium hoc esse, eóque & extra contextum habendum, non paucis utrisque linguæ comprobatur & exemplaribus & expositoribus.

19. *Et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem*] Non vestram eloquentiam, non tergiversationem, non dicacitatem, inquit, vestram spectabo & approbabo, sed robur potiùs spiritûs, in bonis actionibus constantiam, inviolatæ fidei humilitatem. Memineris quoque hîc non ἀρετὴν esse, quæ *probitas* est, *vitio* opposita, sed δύναμιν, i. *robur* sive *potentiam.* Nihil tamen vetat quò minùs hanc vocem pro illa positam accipiamus.

H. STEPHANUS.

6. Μετεσχημάτισα ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ] *Hæc autem in me & Apollo accommodatè transtuli.*

7. Σε διακρίνει] *Inter te & alios discrimen constituit.*

8. Καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε] *Atque utinam regnum adepti essetis.*

11. Ἀστατοῦμεν] *Irrequieti sumus:* vel, *nusquam stabilem sedem habemus.*

13. Περικαθάρματα] *Purgamenta.* ¶ Περίψημα] *sordes undique abstersa.*

18. Ὡς μὴ ἐρχομένου μου] *Tanquam me non venturo.*

19. Οὐ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων] *Non verba istorum qui inflati sunt:* i. inanem verborum splendorem.

DRUSIUS.

3. AUT *ab humano die*] Non est Cilicum idioma, sed Ebræorum, qui *diem DOMINI* vocant judicium *DOMINI.* Sic *dies humanus*, judicium humanum. Quod activè sumendum. Nam & reo *dies* dicitur quo judicandus est. Hic *dies hominis* intelligitur quo ipse judicat de alio, ut *dies DOMINI* dicitur quo judicium exercet sive in bonos sive in malos. Sanè Syrus hîc legit aut *ab illo homine.* Frustrà igitur hic disputant de impolita lingua Pauli, qui Cilix erat, domo Tarsensis, Græcè, meo judicio, quàm Ebraicè doctior. Dixi *diem DOMINI* vocari judicium DOMINI. Plenum esset *dies judicii DOMINI.* Sic fortè *dies humanus*, dies judicii humani. Qualia sunt, *clavis David* pro *domûs David. Mons DOMINI* & *Mons domûs*, & *Mons domûs DOMINI*, i. Templi. Sic Moria olim vocabatur.

4. *Nihil mihi conscius sum*] Fortè legendum *nihili mihi conscius sum*, i. nullius rei. Sic *homo nihili*, qui nihili quidem est, h.e. nullius rei aut pretii est. Hujus rectus *nihilum* nomen ex *non* & *hilum* compositum. Aut *nihil mihi conscius sum* dixit imitatione Horatii, in quo,

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

12. *Convitiis affecti benedicimus*] Pro malo bonum reddentes. *Benedicere* autem hic est bene precari: ut apud Ciceronem, *Cui unquam bene benedixit?* i. bene precatus est. Aliud significat hoc verbum cùm *homo Deo benedicit.* & aliud cùm *Deus benedicit homini.* Nam *homo Deo benedicit* cùm ipsum laudat: & *Deus homini benedicit* cùm de ipso bene meretur eique benefacit. *Dicere* quippe Dei est facere. Cæterùm in monumentis Ebræorum legimus, *Justi vexantur, non vexant* (quod hic dicit, *persecutionem patientes sustinemus*) *audiunt convitia, & tacent.* Plus autem est bene precari convitianti quàm tacere ad convitia ejus. Nam qui tacet, nihil agit, tantùm tolerat convitiantem; qui bene precatur, bonum pro malo reddit: quod eo laudabilius est quò homini, etiam regenerato, factu difficilius. Unde tam pauci hodie inveniuntur qui hoc præstant. Sic dico, Pauci sustinent convitiantem, pauciores benedicunt ei.

19. *Si DOMINUS voluerit*] אם ירצה השם, quod per sigla scribunt אי״ה. Vide Jac. 4. 15. Dicunt etiam [illegible] *si Deus voluerit*, &, אם גזר השם *si Deus decreverit.* 1 Petr. 3. 17. εἰ θέλει τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, *si vult*, aut *velit*, *voluntas Dei.*

CAMERON.

5. ΟΣ φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους] h.e. φανερώσει *manifestabit*, uti patet ex exegesi sequenti καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν. Sic 2 Tim. 1. 10. φωτίσαντος ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν.

GUALTPERIUS.

15. ΠΑιδαγωγὸς, *Pædagogus*] Vox Græca, tritissima & notissima. Exstat & Gal. 3. 24, & 25.

JAC. CAPPELLUS.

9. HÆC *autem* quæ dixi, 1 Cor. 3. 4, 5, 6, 7. *fratres*, *figuratâ quadam loquendi ratione transtuli ad me ipsum & Apollo propter vos*] Non ego, non Apollos, sed vos opus habuistis hujusmodi μετεσχηματισμένης monitionibus. ¶ *Ut in nobis exemplo nostro discatis non sapere supra id quod scriptum sit*] q. d. Si nos ipsi adeò nihil sumus ut non liceat sapere, docere, prædicare tanquam ad salutem & Euangelium pertinens quidquam ultra id quod habetur in Scriptura, quantò minùs id vobis licet? ¶ *Ut ne alius pro alio inflemini adversus alium*] Nempe quia quidam inter Corinthios arrogabant sibi jus proponendæ novæ doctrinæ, nullis ex Scriptura petitis fundamentis innixæ, ideo & ipsi fastu tumebant, & eorum quoque sectatores & patroni superbè fastidiebant eos quibus sufficiebat salutis doctrina, Scripturis comprehensa & à Paulo vel ab Apollo Petróve prædicata. Tantò diligentiùs sibi cavit Paulus nè quam apud Corinthios scientiam ostentaret aut doctrinam prædicaret præter Christum, eúmque crucifixum, 1 Cor. 2. 2. quæ simplicitas prurientibus quidem auribus erat fastidio, à veris autem Dei filiis suscipiebatur ut Dei sapientia numeris omnibus absoluta.

LUD. CAPPELLUS.

3. ΕΜοὶ δὲ ἐλάχιστόν ἐστιν] h.e. *Parùm meâ refert. Pro nihilo habeo. Non magni facio.* Præpositio εἰς hîc redundat, ut Hebraicè מעט pro מעט. Aggæi 1. 9. *respexit ad multum* והנה למעט *& ecce parùm.* Sic 2 Paralip. 29. 34. הכהנים היו למעט *Sacerdotes erant pauci.* Porrò illud ἐλάχιστόν μοί ἐστι phrasis est Hebraica מעט לי, cui similis est illa Job. 15. 11. המעט ממך תנחומות אל *An parùm sunt tibi consolationes Dei?* h.e. An tu eas parvipendis? an nihili facis?

GROTIUS.

1. ΟΥτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, *Sic nos existimet homo*] איש, id est, ἕκαστος, *quilibet*: Hebraïsmus. Sic infra 6. 18. & 7. 1, 26. & 11. 27. Gal. 2. 6. & 3. 15. & 6. 1, 7. & alibi sæpe. ¶ Ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ, καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ. *ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*] Rursum erigit quos, ut fidelium causâ institutos, dejecisse videri poterat. Magnum est Messiæ esse ministrum & Dei dispensatorem ad elargienda ea quæ diu condita fuere. Ὑπηρέτας [*ministros*] hoc sensu habes & Lucæ initio. Μυστηρίων [*mysteriorum*] voce intelligit dogmata Euangelica. Vide Rom. 16. 25. supra 2. 7. οἰκονόμους *dispensatores* rectè hîc vertit Latinus: sic & in Glossario, οἰκονόμος, *dispensator.* Pertinet hoc nomen primùm ad privatorum, deinde & ad publicæ rei arcarios, ut dictum Lucæ 12. 42.

2. Ὃ δὲ λοιπὸν, *Hic jam*] Idem valet quod frequentiùs dicitur λοιπὸν, supra 1. 16. Actor. 27. 20. 2 Corinth. 13. 11. 2 Timoth. 4. 8. aut τὸ λοιπὸν, ut Matth. 26. 45. Marc. 14. 41. Ephes. 6. 10. Philipp. 3. 1. & 4. 8. 1 Thessalon. 4. 1. 2 Thess. 3. 1. Hebr. 10. 13. Usurpatur & de rebus & de temporibus restantibus. Sed sæpe, ut hic, orationem connectit, & vim habet eam quam Latina vox, *cæterùm.* ¶ Ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, *quæritur inter dispensatores*] Ζητεῖται ad Latinismum accedit, *requiritur.* Vocis οἰκονόμος [*dispensatoris*] Translationem persequitur. ¶ Ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ. *ut fidelis quis inveniatur*] Plurali subjecit singulare, quia ista in distributivis promiscuè usurpantur. Fidelem esse præcipua laus in dispensatore Luc. 16. Itaque tribuitur Mosi Hebr. 3. 5. Samueli 1 Sam. 3. 20. Ministris Euangelii Coloss. 1. 7. & 4. 7. Tales autem certè non erant illi sectarum duces Corinthi.

3. Ἐμοὶ δὲ εἰς ἐλάχιστόν ἐστι, *Mihi autem pro minimo est*] Est Hebraïsmus: nam illis attributa quæ Græcè nominativo exprimerentur, exprimuntur per ל, quod valet εἰς [*in*]. Vide quæ diximus ad Math. 19. 5. ¶ Ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ, *ut à vobis judicer*] Ἵνα [*ut*] hîc valet *si. Parùm meâ refert quid vos de me judicetis*, præ eo quod Deus de me judicaturus est. Hoc vult cogitare illos, quos non nominat, sed notat. ¶ Ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας. *aut ab humano die*] Hieronymus putat hoc & alia quædam esse ex Cilicum, ubi Græcam primùm linguam didicerat Paulus, idiomate. Illis enim *diem* solitum dici pro *judicio*: nec mirum, cùm & Latinè dicamus *diem dicere*, & Germanis verbum significans *citare ad judicium*, à *die* deducatur. Sed & יום [*dies illius*] Job. 24. 1. Hebræi interpretantur *judicium.* ¶ Ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω. *sed neque meipsum judico*] *Non mihi sumo pœnas de memet judicandi partes.* Juvenalis de diis locutus,

Notior est illis homo quàm sibi.—

4. Οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα· ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*] Constructio est involutior more Hebræo, quam sic explices, *Quanquam enim non in mentem mihi venit me in ministerio mihi credito secus quicquam fecisse; tamen non inde sequitur me planè ab omni culpa esse liberum.* Id enim significat δικαιοῦσθαι [*justificari*]. Act. 13. 38. Rom. 6. 7. Vide & Prolegomena in epistolam ad Romanos. Chrysostomus sensum bene assecutus est, Καὶ τί δήποτε, εἰ μηδὲν ἑαυτῷ σύνοιδεν, οὐ δεδικαίωται; ὅτι συνέβαινεν ἁμαρτήσεσθαι μὲν αὐτῷ τινα ἁμαρτήματα, μὴ μὴν αὐτὸν εἰδέναι ταῦτα τὰ ἁμαρτήματα [*Et cur tandem, si nullius sibi rei conscius est, non est*

est justificatus? peccârat enim fortasse in nonnullis, cùm se peccasse nesciret]. Huc præcipuè pertinet, quod dicit Jacob. 3. 2. πολλὰ πταίομεν ἅπαντες [*in multis offendimus omnes*] & quod omnes & semper jubemur dicere, *Dimitte nobis debita nostra*. Clemens in epistola, Ἐξετείνατε τὰς χεῖρας ὑμῶν πρὸς τὸν παντοκράτορα Θεὸν, ἱκετεύοντες αὐτὸν ἵλεων γενέσθαι, εἴ τι ἄκοντες ἡμάρτετε [*Manus vestras ad Deum omnipotentem extendistis, veniam orantes, si quid inviti peccâritis*]. In Ignatiana, quæ dicitur, epistola ad Romanos habemus: Ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν (militum, à quibus trahebatur) μᾶλλον μαθητεύομαι· ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο δεδικαίωμαι. [*At ego eorum injuriis magis erudior, verum non in hoc justificatus sum*]. Hieronymus dialogo adversùs Pelagium secundo hunc Pauli locum commemorans addit, *Hoc dicit ne quid fortè per ignorantiam deliquisset*. Posidius de Augustino, *Dicebat post perceptum baptismum etiam laudatos Christianorum Sacerdotes absque digna & competente pænitentia exire de corpore non debere*. Hæc verissima est hujus loci interpretatio: nec quærenda est alia. Confer Psalm. 19. 12, 13. ¶ Ὁ δὲ ἀνακρίνων με, Κύριός ἐστι. *qui autem judicat me, Dominus est*] Is est, qui detectis non actibus tantùm, sed & cogitationibus exactissimum & de me & de aliis judicium feret. אלהים חקר [*Deus est qui requirit*]. Psalm. 44. 22.

5. Ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, *Itaque nolite ante tempus judicare*] Hoc maximè adversùs eos torquet, qui cùm Christi & Petri discipulos se dicerent, Paulum accusabant tanquam inimicum Judaïcæ gentis: quam culpam magno ubique studio à se amolitur Paulus. ¶ Ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ Κύριος, ὃς καὶ φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους, καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν. *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*] Tutò quidem damnari potest pro statu præsenti, qui flagitiosè vivit: *manifesta* enim *sunt opera carnis*. At actibus per se bonis aut mediis malum animum adscribere contra dilectionis est regulam. Christo judici relinquenda ista arcana. Τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους [*abscondita tenebrarum*] עמקות מני חשך Job. 12. 22. Quod priùs obscurè dixerat φωτίσει τὰ κρυπτὰ [*illuminabit abscondita*], id per ἐξήγησιν [*explicationem*] explicat. Τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν [*consilia cordium*], תעלמות לב τὰ κρύφια τῆς καρδίας [*occulta cordis*] dicto Psalm. 44. 23. Hæc enim nosse solius Dei ac Christi est Actor. 1. 24. & 15. 8. Φωτίσει hîc est, *in lucem protrahet*. ¶ Καὶ τότε ὁ ἔπαινος γενήσεται ἑκάστῳ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. *& tunc laus erit unicuique à Deo*] Nempe si bona egerit bono animo: unde & contrarium datur intelligi: Sed mavult εὐφημεῖν [*molliter loqui*].

6. Ταῦτα δὲ, ἀδελφοὶ, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ δι' ὑμᾶς *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo propter vos*] Syrus rectè interpretatur: *Proposui hæc in persona mea & Apollo*. Quia hi vestri Doctores meo etiam & Apollo nomine abutuntur, in nostra persona ipsis ostendi, quàm modestè de se ac de aliis judicare debeant: quantumque curam gerere vestri & pacis. Μετασχηματίζειν propriè est *mutare habitum*: ut videre est 1 Sam. 28. 8. Inde transfertur ad orationem, quæ aliud videtur dicere, aliud innuit: cujusmodi locutiones vocari à Græcis solent λόγοι ἐσχηματισμένοι, quas *controversias figuratas* dixit Quintilianus 9. 11. & *figuras* Suetonius Vespasiano & Domitiano: Hieronymus epistola 66. ad Rufinum. Philostratus de Herode Attico, σχηματίσας τὸν λόγον *figuratâ oratione usus*]. Chrysostomus de hoc loco agens in sermone De non vulgandis peccatis: συνεσκίασε τὴν κατηγορίαν [*obumbravit accusationem*]. De accusativo Ἀπολλὼ [*Apollo*] vide quæ diximus ad Act. 19. 1. ¶ Ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν *ut in nobis discatis supra quàm scriptum est non sapere*] *Ut in nostra persona in iis quæ de me & Apollo scripsi discatis non alios sumere affectus quàm quales Deus in Scriptura exigit*. γέγραπται [*scriptum est*] in his libris semper ad libros veteris Testamenti refertur. ¶ Ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου· *ut ne unus adversus alterum infletur pro alio*] Videtur scriptum fuisse φυσιοῦσθε [*superbiatis*]. *ne superbiatis alter contra alterum pro hoc vel illo Doctore*. His verbis ostendit se cùm dixit γέγραπται [*scriptum est*]. locum aliquem respexisse Scripturæ non verbo tenus, sed sensu. Is locus est Deut. 17. 20. Nam si Regi præceptum ne se supra alios fastuosè efferat, quanto magis aliis? Commune est omnibus Gentibus ut *inflari* dicant pro *superbire*: hinc *homo inflatus* apud Ciceronem. *Inflare utrem*, in Satyra *superbum facere*. Sic *spiritus magnos gerere*, est *superbire*. Chrysostomus appositè ad hunc locum, Ἄλλως γὰρ οὐ γίνεται ὑψηλότερον ἕτερον ἑτέρου μέρος, ἀλλ' ἢ ὅταν οἴδημα γένηται? *Non fit enim pars alia aliâ elatior, nisi ob intemperiem protuberet*]. Deinde, Ὁ φλεγμαινόμενος, οὗτος ὁ νοσῶν [*Quem inflat pituita, hic æger est*].

7. Τίς γάρ σε διακρίνει; *Quis enim te discernit?*] Eos primùm attingit, quos plebs ita ob eximia dona admirabatur, ut eis se certatim addiceret. Quod illi cùm impedire debuissent, non impediebant, sibi in eo placentes. *Discernit* Deus, cùm huic plus dat, alii minus: Hinc διακρίσεις πνευμάτων [*discretiones spirituum*] infra 12. 10. Habes hunc sensum fusè tractatum initio libri 8. Constitutionum quæ dicuntur Clementis. ¶ Τί δὲ ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες; *Quid autem habes quod non accepisti?*] In omni re honos penes dantem non penes accipientem. Sunt autem & meritò dicuntur χαρίσματα [*dona*]. Etiamsi dona haberetis Apostolica (multum autem id abest) tamen ipsum *donorum* nomen modestos vos facere debuit. Deus dedit in suos usus, non in tuos. ¶ Εἰ δὲ καὶ ἔλαβες, τί καυχᾶσαι ὡς μὴ λαβών; *si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*] Quid in eo tibi places tanquam tuo labore id tibi paraveris? Doctores maximè tangit.

8. Ἤδη κεκορεσμένοι ἐστὲ, *Jam saturati estis*] Ironia longa & gravis. Ut vos existimare video, nihil restat vobis expetendum, non magis quàm iis qui de epulis facti sunt saturi. ¶ Ἤδη ἐπλουτήσατε, *jam divites facti estis*] Tantam scilicet copiam donorum consecuti estis, ut quosvis alios etiam Apostolos vincatis. Loquimini ut Ephraim Oseæ 12. 8. Πεπλούτηκα, εὕρηκα ἀναψυχὴν ἐμαυτῷ [*Dives factus sum, inveni requiem mihi*] ¶ Χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε· *sine nobis regnatis*] Ex quo ego à vobis absum, vos in tuto estis, sicut Reges quibus nemo potest nocere. Loquimini ut Babylon Esaiæ 47. 7, 8. ¶ Καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε· *& utinam regnetis*] Non equidem invideo: miror magis. ¶ Ἵνα καὶ ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν, *ut & nos vobiscum regnemus*] Si ita in tranquillo essent & extra periculum res vestræ, tutum mihi esset eò confugium.

Δοκῶ γὰρ ὅτι ὁ Θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν ὡς ἐπιθανατίους, Puto enim quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos] Ὅτι [*quod*] deest in Manuscripto. δοκῶ [*puto*] ut sæpe apud Latinos *credo*, est εἰρωνικὸν [*ironicum*]. Si ex rebus secundis, ut videmini existimare, colligitur Dei favor, *nos Apostoli à Deo collocati erimus infimo loco, tanquam bestiarii*. Sic enim Tertullianus hunc locum transfert libro de Pudicitia, *Et puto, nos Deus Apostolos novissimos elegit veluti bestiarios*. Infra omnes homines sors erat damnatorum ad bestias, qui hîc κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] dicuntur ἐπιθανάτιοι *morti destinati*; id Hebræis esset בני מות [*filii mortis*] Ἀπέδειξεν *constituit*, quod Tertullianus vertit *elegit*, est נחה. ¶ Ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ, καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις. *quia theatrum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*] Instat cœptæ similitudini. Et θέατρον [*theatrum*] dixit pro *iis qui spectantur*, sicut ἀκρόαμα [*oblectamentum aurium*] dicuntur *ii qui audiuntur*. Non dissimiliter, *versari in theatro* apud Ciceronem est *spectari ab omnibus*. Est usurpatio continentis pro contento. Propriè *amphitheatrum* dicebatur locus in quo pugnabatur cum bestiis: sed & *amphitheatrum* theatri est species, ex duobus constans velut concurrentibus theatris. Job se dixit תפת לפנים [*tympanizationem coram*] 17. 6. id Græci vertunt γέλως αὐτοῖς ἀπέβην [*risus illis deveni*]. Cùm *mundum* velut spectatorem Apostolici certaminis Paulus introduxisset, addidit καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις [*& Angelis & hominibus*] ubi illud prius καὶ [*&*] ponitur pro *id est*. *Mundum* enim, hoc est mundi potissima, τὰ νοερὰ [*intellectualia*], dispertit in *Angelos* & *homines*: id Hebræi vocant *familiam superiorem & inferiorem*.

10. Ἡμεῖς μωροὶ διὰ Χριστὸν, *Nos stulti propter Christum*] *Nos Evangelii causâ quotidie ut stulti videmur*. Vide Actor. 26. 24. supra 1. 25. ¶ Ὑμεῖς δὲ φρόνιμοι ἐν Χριστῷ *vos autem prudentes in Christo*] *Vos eruditionis nomine vosmet jactatis, idque in Christo*, id est, in ejus Ecclesia. Vide quæ dicta Rom. 9. 3. ¶ Ἡμεῖς ἀσθενεῖς *nos infirmi*] *Miseri, afflicti*: חלשים Vide supra 1. 27. & 2. 3. Rom. 8. 26. & ibi dicta. ¶ Ὑμεῖς δὲ ἰσχυροί *vos autem fortes*] *Potentes*. Vide supra 1. 27. Ὑμεῖς ἔνδοξοι, ἡμεῖς δὲ ἄτιμοι. *vos nobiles, nos autem ignobiles*] *Vos magnifici*. Vide Luc. 7. 25. Verti sic solet כבדים & נכבדים. *Nos despecti*, ut Matth. 13. 57. Marc. 6. 4. נקלים [*contempti*], quod opponitur ἐντίμοις Esaiæ 3. 5. & ἐνδόξοις [*nobilibus*] 1 Sam. 18. 23.

11. Ἄχρι τῆς ἄρτι ὥρας, *Usque in hanc horam*] *Etiam nunc*: ne me de præteritis tantùm agere existimetis. ¶ Καὶ πεινῶμεν, καὶ διψῶμεν, καὶ γυμνητεύομεν, *& esurimus, & sitimus, & nudi sumus*] Præcipua vitæ incommoda recitat, unde intelligenda cætera ejus generis. Vide Actor. 20. 19. Philip. 4. 12. 2 Cor. 4. 8. & sequentibus, 6. 4, 5, 6. Γυμνῆτες sunt *velites*: unde γυμνητεύειν *velitem agere*: sed καταχρηστικῶς [*abusivè*] dicitur de omnibus *nudis*, id est, *tenuiter vestitis*. Vide Marc. 14. 52. Joh. 21. 7. Καὶ κολαφιζόμεθα, *& colaphis cadimur*] Κολαφίζειν [*colaphis cadere*] propriè quid sit vide Matth. 26. 67.

sed

sed per *κατάχρησιν* [*abusionem*] ponitur pro quavis *gravi vexatione*, ut videre est 2 Cor. 12. 7. 1 Petr. 2. 20. Simile loquendi genus 2 Cor. 11. 20 ¶ Καὶ ἀστατοῦμεν. *& instabiles sumus*] *jactamur*, נודו Hoc tristior est nostra paupertas quòd nec tenui lare eam abscondere possumus, sed ubique locorum eam circumferimus. Sumus.

> Ἄοικοι, ἀνέστιοι.
> Ἐλαυνόμεσθα φυγάδες, ἔξεδροι χθονός.
> [*Domo, hospitio carentes.*
> *Pellimur exules, exterres patriâ*].

12. Καὶ κοπιῶμεν ἐργαζόμενοι ταῖς ἰδίαις χερσί· *Et laboramus operantes manibus nostris*] *Laboramus ad lassitudinem.* Vide Actor. 18. 3. 2 Thess. 3. 8. Hæc omnia tacita oppositione notant doctores Corinthios, opulentos, inflatos, quibus quæstuosum erat Evangelium. ¶ Λοιδορούμενοι, εὐλογοῦμεν· διωκόμενοι, ἀνεχόμεθα· βλασφημούμενοι, παρακαλοῦμεν. *maledicimur & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus*] Ex Christi præcepto Matt. 5. 10, 44 παρακαλοῦμεν [*obsecramus*] nempe Deum: *Deum pro ipsis precamur.* In Matthæo, Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς [*Orate pro persequentibus vos*]. Pro βλασφημούμενοι [*blasphemamur*] in Manuscripto est δυσφημούμενοι [*male audimus*]. Habes id verbum apud Græcos scriptores sæpe, & 1 Macc. 7. 4. ut & nomen δυσφημίας [*blasphemia*] 1 Macc. 7. 38.

13. Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus*] Reperitur hæc vox περικάθαρμα, Prov. 21. 18 & significat *lustramen*. Sic & Ambrosius hunc locum citat, *Tanquam lustramenta hujus mundi facti sumus.* Sicut περικαθαίρειν; idem quod καθαίρειν [*lustrare*], Jos. 5. 4. Deut. 18. 10. ita περικάθαρμα idem quod κάθαρμα [*lustramen*] Solebant ad id viles homines adhiberi. Mater Menoecei apud Papinium Thebaïdis 10.

> *Lustralémne feris ego te puer improbe Thebis*
> *Devotúmque caput, vilis ceu mater, alebam.*

ad quem locum Scholiastes, *Lustrare civitatem humanâ hostiâ Gallicus mos est: nam aliquis de egentissimis pellicebatur præmiis, ut se ad hoc venderet: qui anno toto publicis sumptibus alebatur purioribus cibis; denique certo & solenni die per civitatem ductus ex urbe extra pomœria saxis occidebatur à populo.* Meminit ejus moris Gallorum & Cæsar libro 6. Et Servius ad illud Virgilii,

> *Auri sacra fames.—*

Tales homines non modò qui morti, sed & qui flagris se devovebant Græcis dicuntur καθάρματα [*purgamenta*] Scholiastes ad Plutum Aristophanis, Καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς. τοῦτο δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐκεκράτησε [*Purgamenta dicebantur qui ad pestem aliúmve morbum averruncandum Diis immolabantur. Hic mos etiam apud Romanos invaluit*]. Et ad Equites, Ἔτρεφον γάρ τε καὶ Ἀθηναῖοι λίαν ἀγεννεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ, λέγω, ἢ τοιούτου τινός, ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα [*Alebant enim & Athenienses vilissimos & nullius rei homines, quos ortâ quandoque calamitate, peste, inquam, aliâve quâ ejusmodi, immolabant, quò expiarentur. hos purgamenta appellabant*]. Et quia illi viles erant, ut diximus, inde natum teste Eustathio, ut καθάρματα [*purgamenta*] dicantur οἱ ῥυπαροὶ καὶ ἀπόβλητοι [*sordidi & abjecti*]. Curtius cùm dixit *purgamenta urbium suarum*, Græcum illud καθάρματα in mente habuit. Et Tertullianus libro de Pudicitia quod hîc est περικαθάρματα rectè vertit *purgamenta*. *Piacularem* dixit Plautus. ¶ Πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. *omnium peripsema usque adhuc*] Jerem. 22. 18. μὴ περίψημα φαῦλον [*num quid retrimentum abjectum*], ita vertit Symmachus: Hieronymus interpretatur *quisquilias*. Eustathius περίψημα interpretatur σπόγγισμα, *id quod spongia abstergitur*: alii σκύβαλον. In Glossario est *quisquilia*, σκύβαλον. Id malo hîc quam *sabanum* interpretari, quanquam id quoque eodem nomine significari tradant Grammatici. Non malè hîc veteris *retrimentum*. Tob. 5. 24. ἀλλὰ περίψημα τοῦ παιδὸς ἡμῶν γένοιτο [*sed retrimentum filio nostro maneat*], ubi dicta vide. Barnabas, περίψημα τῆς ἀγάπης ὑμῶν [*vestræ dilectionis retrimentum*], id est, *nihil, si vobiscum comparer.*

14 Οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, *Non ut confundam vos hæc scribo*] Ἐντρέπειν est *pudefacere* Plutarcho & aliis bene Græcis. Apud interpretes respondet Hebræa בוש & aliis verbis paris significatûs. Hoc dicit, *non se hæc scribere ut Corinthios apud alias Ecclesias traducat.* De doctoribus locutus, nunc verba ad fidelium singulos vertit, ¶ Ἀλλ᾽ ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ. *sed ut filios meos charissimos moneo*] In Manuscripto νουθετῶν [*monens*], rectè, ut cohæreat cum illo ὡς [*ut*]. Νουθετεῖν est *castigare in id ut alter melior fiat.* Parentibus maximè id nomen convenit, ut videre est Sap. 11. 11. & 12. 26. Respondet Hebræo יסר & יכח.

15. Ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, *Nam si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo*] Παιδαγωγὸν Latinè *pædagogum* dixere Cicero & Columella; *custodem* Horatius. Ita dicitur is qui puero aut adolescenti adest ad mores ejus formandos. Sic Orestem cum Pædagogo introducit Sophocles Electrâ, & Leonidas Alexandri dicitur παιδαγωγός [*pædagogus*]. Vide Gal. 3. 25. ¶ Ἀλλ᾽ οὐ πολλοὺς πατέρας. ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα. *sed non multos patres: nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*] Providè addit ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (*in Christo Jesu*), id est, *per dona à Christo data.* Primus in hac re honos est Patris Matth. 23. 9. 1 Petr. 1. 3. 1 Joh. 3. 9. Proximus Christi, ut hîc apparet & dicto Matthæi loco: tertius Apostolorum, ut hic, Philem. 10. Gal. 4. 19. His omnibus & titulus *Patris* & *gignendi* verbum convenit, sed suo cuique gradu. Sic Christus *fundamentum*, & Apostoli *fundamenta*: Christus *servat* homines, & Apostoli eos *servant*. *Pater* hoc loco is est qui primus in Evangelio aliquem instituit.

16. Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, μιμηταί μου γίνεσθε. *Rogo ergo vos, imitatores mei estote*] Quid ni id fieri possit, cùm Paulus Christum ipsum sit imitatus? infra 11. 1. Imitationem autem præcipuè hic requirit in cura tutandæ in Ecclesia tum unitatis, tum sanctitatis.

17. Διὰ τοῦτο ἔπεμψα ὑμῖν Τιμόθεον, *Ideo misi ad vos Timotheum*] Nempe qui verbis latiùs explicet ea quæ breviter hæc epistola comprehendit. ¶ Ὅς ἐστι τέκνον μου ἀγαπητὸν καὶ πιστὸν ἐν Κυρίῳ, *qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino*] Nam à puero comes Apostolo hæserat. Vide 2 Tim. 1. 5. 1 Tim. 4. 6. Vide quæ diximus in Appendice de Antichristo. Ideo Timotheum non communi illo, sed specialiori sensu τέκνον [*filium*] vocare consueverat Apostolus 1 Timoth. 1. 2, 18. 2 Timoth. 1. 2. & 2. 1. ¶ Ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει τὰς ὁδούς μου, τὰς ἐν Χριστῷ, καθὼς πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ διδάσκω. *qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo, sicut ubique in omni Ecclesia doceo*] In memoriam vobis reducet, quomodo ego & vivam ipse secundùm Christi præcepta, & vivendum esse doceam. ἀναμνήσει יזכיר [*in memoriam revocabit*].

18. Ὡς μὴ ἐρχομένου δέ μου πρὸς ὑμᾶς ἐφυσιώθησάν τινες. *Tanquam non venturus sim ad vos sic inflati sunt quidam*] Id est, *superbè se gerunt*, ut supra v. 7. Inde enim natæ partes, quòd doctorum alius alium sperneret, idemque faciendi auctor esset plebi. Multa autem mendosa hujusmodi eveniebant in Ecclesiis absente Paulo, quæ facilè præsentia ejus repressisset. Vide Philipp. 2. 12.

19. Ἐλεύσομαι δὲ ταχέως πρὸς ὑμᾶς. *Veniam autem ad vos citò*] Ità quidem sperabat Paulus, sed diutiùs differre hoc iter coactus fuit. ita ut & alteram epistolam ex aliquo intervallo scripserit, priusquam eò rediret, 2 Cor. 1. 23. ¶ Ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ, *si Dominus voluerit*] Ita convenit loqui Christianis Jac. 4. 13, 14, 15. vide Rom. 1. 10. Hebræi dicunt אם ירצה השם, *si Deus voluerit*, aut בגבורת השם *per potentiam Dei.* ¶ Καὶ γνώσομαι οὐ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων, ἀλλὰ τὴν δύναμιν. *& cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem*] Experimento apparebit, non illíne me sint disertiores (nihil enim hoc ad rem); sed an Deus per eos, an per me potentiùs operetur.

20. Οὐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ᾽ ἐν δυνάμει. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute*] *Dei regnum*, id est, majestas, apparet non in verbis calamistro inustis, sed in vi miraculorum, qualia ab humana ope proficisci nequeunt. Vide supra 2. 1. Sicut Latini dicunt Regibus, *Tua majestas*; ità Græci βασιλεία σου [*Regnum tuum*].

21. Τί θέλετε; *Quid vultis?*] Τί [*quid*] pro πότερον [*utrum*]. Sic Livius: *Duo celeberrimi duces quis prior eorum vicisset.* Et scriptor belli Hispanici: *Inter duos fit contentio, quis prior pontem occuparet.* ¶ Ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς, *In virga veniam ad vos*] Ἐν [*In*] hic valet *cum* more Hebræorum. Per *virga* μεταφορικῶς [*per Translationem*] intelligit potestatem immittendi aut mortem, ut Ananiæ & Sapphiræ; aut cæcitatis, ut Elymæ, aut morbos. Ita tunc Deus supplebat id quod Magistratus Ecclesiæ præstare debent & tunc non præstabant. מטה, quod ῥάβδος [*virga*] verti solet, vertitur πληγὴ [*plaga*] Esai. 10. 24. Similem usum vocis μάστιγος annotavimus Marc. 3. 10. ¶ Ἢ ἐν ἀγάπῃ, πνεύματί τε πρᾳότητος; *an in caritate & spiritu mansuetudinis?*] An potiùs plenum amoris & animi lenis ac benigni?

CAP.

CAP. V.

VALLA.

5. 7. **M***Odicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio*] Dignitatem orationis Apostolicæ perdit Interpres suâ res variandi affectatione: nam sic Græcè habetur, *Nescitis quòd modicum fermentum totam conspersionem fermentat*, An maluit nunc dicere *corrumpit* quàm *fermentat*, quia sic nunc accipiundum est? Hoc est op[illegible] exponentis, non transferentis, sensum profundiorem aperire. Sed cur Paulus nunc de *corrumpendo* loquitur magis quàm de *fermentando*? Non enim corrumpit fermentum, quod Græcè dicitur *zyma*, sed tantùm facit farinam non esse azymam. Alioqui non diceretur in Euangelio Mat. 13. 33. *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentaretur totum.* Itaque non dixit Apostolus, *Expurgate fermentum*, sed *vetus fermentum.* Et mox iterum v. 8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ:* quia videlicet est aliquod fermentum bonum, & non vetus: quod non esset si omne fermentum (nam universalis est illa sententia) corrumperet. Non esse dicendum *massam* sed *conspersionem*, superiùs admonui Rom. 11. 16. quod nunc turpiùs dicitur, quia statim pòst sequitur *conspersio*, quasi aliud significans quàm *massa.* Unde quidam super hunc locum aiunt, *Conspersio est farina per aquam conglutinata sine fermento.* Idem & *Azyma*, Græcè enim utrumque dicitur φύραμα, ζυμοῦ, & *fermentare* quasi *zymare* ζυμοῖ. ¶ *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*] Deest apud nos *pro nobis*: dicitur enim Græcè, *Etenim Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus*, ὑπὲρ ἡμῶν. Credo Interpretem omisisse hanc particulam, hallucinatum similitudine dictionum, quia Græcè *nostrum* ἡμῶν & *nobis* ὑπὲρ ἡμῶν eadem vox est.

8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri*] Non est in Græco *epulemur*, sed *diem festum agamus*, i. agamus diem festum Paschalem, ἑορτάζωμεν.

13. *Auferte malum ex vobisipsis* [De homine loquitur, non de re: est enim *malum* hîc generis masc. τὸν πονηρόν. Ideóque maluissem ego apertiùs loqui, vel *auferte scelestum*, vel *sontem*, vel *noxium*, vel *facinorosum*, vel alio modo.

ERASMUS.

1. **I***Nter vos fornicatio*] *Fornicari* pro *illicitâ uti libidine* & *fornicationem* pro *stupro* nondum apud idoneos autores reperi, licèt *fornicem* pro *lustro* sciam inveniri. Nos aliquando *stuprum*, aliquando *scortationem* vertimus: siquidem à *scorto* dicta Græcis πορνεία. ¶ *Qualis nec inter Gentes*] Deest in Latinis cod. ὀνομάζεται *nominatur*. Nec erat otiosa hujus verbi emphasis, *quòd hoc libidinis genus non solùm non committeretur inter Ethnicos, verùm nè nominaretur quidem*; quod annotavit & Theophylactus: etiamsi parùm prudens videtur Hyperbole, nisi mavis *nominatur* simpliciter positum pro *auditur*. Quanquam & sic Hyperbolæ locus est, cùm inter Ethnicos audiantur turpiora: nisi Paulus negat audiri quod rarum est. Certum est nec apud Ambrosium nec apud Thomam nec apud Augustinum nec in pervetustis exemplaribus addi: unde puto nostram lectionem esse sinceram, etiamsi Græca sensu nihil discrepant.

2. *Absens corpore, præsens autem spiritu*] Hoc est quod quodam in loco annotavit Hieronymus, Paulum ob imperitiam Græcanici sermonis aliquoties non reddere has inter se conjunctiones μὲν & δὲ, per quas Græci plerumque connectunt orationis partes. Mollius erat, *Corpore quidem absens: Spiritu verò præsens* & tamen in Græcis autoribus probatæ elegantiæ licet reperire similem orationis formam. ¶ *Eum qui sic operatus est*) Τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον *eum qui sic hoc fecit*, sive magis *perpetravit.* Id quod mox ad eundem repetit modum. In nonnullis Græcorum exempl. prior pars non addit οὕτως, sed posterior. Ambrosius in posteriore legit, *jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est*; cùm in priore legat, *qui hoc opus fecit*: unde conjectare licet apud Græcos ex utraque utrique nonnihil additum fuisse, τοῦτο ex priore, & οὕτως ex posteriore.

4. *Congregatis vobis & meo spiritu*] Συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος, i. *convocatis* (sive *congregatis*) *vobis & meo spiritu.* Faber Stapulensis amicus noster hunc locum mutavit, volens συναχθέντων deduci à συνάχθομαι cujus in hac quidem parte non subscribo judicio, etiamsi aliàs eruditissimo pariter ac diligentissimo viro lubens assentior, & reclamant cùm alia, tum Græca Scholia, ad hæc interpretes, quos ego viderim, omnes, qui testantur Paulum hoc ideo dixisse ut ostenderet hanc tam severam sententiam non profectam ab ipso propriè, sed à communi Ecclesiæ consensu: nam & *Synagoga* hinc dicitur παρὰ τὸ συνάγω, quod est *congrego* sive *convoco.* Porrò addidit *& spiritu meo*, quòd ipse corpore tum non esset præsens, sed spiritu duntaxat adesset in ea sententia pronuncianda. ¶ *Cum virtute Domini nostri Jesu Christi*] Σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Κυρίου. Incertum utrò referatur, ad participiúmne *congregatis*, an ad *tradi hominem Satanæ.* Ambrosius videtur ad participium referre: ut intelligamus concilium illud ex tribus constare, ex Pauli decreto, ex consensu multitudinis, ex autoritate Christi. Alioqui σὺν præpositio Græcis nonnunquam non Comitem sed Favorem & Adjutorem sonat; ut, σὺν ταῖς Μούσαις, *Musis adjuvantibus*, σὺν τῷ Θεῷ, *Deo favente.* De *virtute* (quæ hic *potestatem* aut *vim* significat, non *probitatem*) crebrò jam admonuimus.

5. *In diem Domini nostri Jesu Christi*] Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, *in die Domini Jesu*, nec additur *Christi.* Rursum *diem* appellat judicium, ut indicatum est antea.

6. *Non est bona gloriatio vestra*] Augustinus contra epist. Parmeniani lib. 3. cap. 2. indicat in quibusdam codicibus, maximè Latinis, scriptum fuisse, *Bona est gloria vestra:* quod εἰρωνικῶς accipi vult. ¶ *Modicum fermentum*] Hieronymus in Epist. ad Galatas lib. 3. taxat Interpretem quòd perperàm verterit, citans hunc locum; & emendat ad hunc modum, *Modicum fermentum totam conspersionem fermentat.* Ego verò maluissem dicere *& paulum fermenti* quàm *modicum fermentum*, quòd quælibet fermenti pars fermentum sit, ut quævis aquæ pars aqua. Jam si Novum Testamentum habemus ab Hieronymo restitutum, ut quidam autumant, quomodo taxat hic quod nos legimus? ¶ *Totam massam corrumpit*] Quod hic *massam* vertit, mox *conspersionem* transtulit, Græcè φύραμα ea est farina aquâ conspersa sive temperata, à verbo φυρᾶν, quod significat *miscere*, veluti cùm argilla humore maceratur, farina liquore aquæ oleíve, aut aliud simile. In hunc sensum *conspersio* invenitur apud probatos autores. Quanquam & *massulas salis* legimus apud Columellam. Interpres mutavit, cùm nihil esset cur foret affectanda varietas.

7. *Pascha nostrum*] Deest *pro nobis*, ὑπὲρ ἡμῶν, i. *pro nobis immolatus est*, &c. sed reclamantibus omnibus libris nostris; quibus hac in parte, ut dicam ingenuè, magis accedo.

8. *Itaque epulemur*] Ἑορτάζωμεν, *festum agamus diem.* Ità sanè vertit interpres Origenis hom. in Leviticum 5. Solent autem dies solennibus epulis celebrari. ¶ *Et nequitia*] Καὶ πονηρίας. quod significat & *malitiam* & *versutiam*. Duo proposuit, κακίας καὶ πονηρίας, quibus respondent quæ postea sequuntur, εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας nam *malitia* opponitur *sinceritati*; *versutia*, *veritati*, h. e. simplicitati. Sic & Ambrosius; *Ut sinceritas mundam vitam faciat, veritas omnem fraudem excludat.* ¶ *Sed in azymis*) *Azymi* vocem, quam ubique relinquit, *infermentatum* vertere poterat, aut *expers fermenti.* Subaudiendum autem, opinor, *panibus*, ἐν ἀζύμοις. Deinde explicans quid dixerit *infermentatum*, adjicit *sinceritatis ac veritatis*; perinde quasi dixisset, *Hoc est infermentatis celebrare Pascha nostrum, sincero veróque esse animo erga omnes.*

9. *Commisceamini fornicariis*] Πόρνοις, *scortis*: est enim vox quæ communis sit cuivis corpori meritorio. Prostabant enim Corinthi non solùm puellæ sed & catamiti. Etiamsi sunt qui velint πόρνον & *scortatorem* dici, non solùm *scortum.* Putant autem dictum à πέρνω, quod est *vendo*, id quod magis competit in scorta. Et πορνοβόσκους Græci dicunt *lenones*, quos Itali vulgò vocant *ruffianos.* Cæterum quod dixit *commisceri*, Græcè est συναναμίγνυσθαι, quod accipi potest *denuo commisceri:* ut significet eos id facere solitos antequam initiati essent Christo. Et *commisceri* non solùm est habere rem cum illis, verùm etiam habere consuetudinem & commercium: idque inculcat cùm adjicit, οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου. quod intelligeret difficillimum esse versari inter tot illecebras ejus regionis, nec pellici in peccatum. Quanquam non me fugit alium sensum adduci à plerisque veterum, nimirum hunc, Paulum non vetare quò minùs habeant consuetudinem cum ethnicis inquinatis; alioqui totam Græciam esse relinquendam; sed ut vitarent si quis Christianam religionem professus esset hujusmodi. Nam quod dixit *mundi hujus* non est accipiendum quasi sit alius mundus. *Mundum hunc* Græciam intelligit, ac præcipuè Corinthum hujusmodi voluptatibus corruptissimam. Ad eum modum interpretatur Chrysostomus (si modò illius sunt Græci Commentarii qui illi inscribuntur) & huic consentiens Theophylactus

ctus. Is sermonem ordinat in hunc modum, *Scripsi vobis paulo antè in hac epistola nè commisceamini scortatoribus aut scortis, cùm dicerem Expurgandum vetus fermentum. Quod tamen nolim ità accipi quasi jubeam vitari consuetudinem omnium scortatorum hujus mundi. Sed si quis dictus frater sit ejusmodi, hic adeò vitandus est ut nec cibum cum eo capi velim.* Lyrensis doctè exponit *fornicarios hujus mundi*, *Qui communiter*, inquit, *vocantur Ribaldi.* O gravem Divinæ Scripturæ interpretem! Si tamen hoc ab illo scriptum ac non potiùs ab alio quopiam maleferiato adjectum.

10 *Non utique*] Καὶ οὐ πάντως *Et non omnino*, sive *in totum*: ut intelligas ab omnibus abstinendum: sive, quod placet Ambrosio, ut sit exponentis, *non abstinendum à fornicariis hujus mundi*, sed *à fratribus*, h.e. à Christianis, *fornicariis*, inter quos erat is quem jubet *tradi Satanæ*, h.e. ejici è contubernio Christianorum, quò magis pudore corrigeretur. Nam erant fortassis qui crederent vitandos duntaxat Ethnicos scelerosos, Christianos autem non vitandos: Paulus contrà jubet vitari fratres, cum ethnicis non prohibet cibum capere. Ad hunc sensum faciunt quæ sequuntur, *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?* Quanquam, ut ingenuè fatear, totus hic sermo mihi videtur perturbatior, ac Delium aliquem natatorem desiderans; præsertim cùm mentionem faciat *idololatriæ*, quam verisimile non est tum inter Christianos fuisse. Illud opinor non opus esse ut admoneam, *commisceri* hic non pertinere ad coitum sed ad vitæ consuetudinem. ¶ *Alioqui*] Ἐπεὶ *quoniam*, sive *quandoquidem*: quod hic subinde transfert *alioqui*, & aliquoties aptè, nimirum quoties subest tacita exceptio, quemadmodum, & hic accipi licet; *Nam si id fieri non possit, abstinendum omnino à scortis omnibus Græcanicis: id si non potestis, fugiendum potiùs è tota Græcia.* Aut, *Non in totum veto consuetudinem cum improbis: alioqui, si id conemini, fugiendum sit ex hoc mundo, cùm tales nusquam non sint.* ¶ *Debueratis*] Ὀφείλετε, *debetis*. Legitur apud Græcos per ο μικρὸν, magno sanè Græcorum codicum consensu, *quandoquidem debetis exisse* (sive *exire*) *ex hoc mundo*, quando non convenit commisceri scortatoribus. Duriusculum est quod interpretatur Ambrosius, Satius esse mori & decedere ex hoc mundo quàm habere rem cum sceleratis. Etiam Græci interpretantur de relinquenda Græcia, ut sæpe jam dictum est; Si non licet aliâ ratione effugere commercium scortatorum, satius est infectam ac pestilentem relinquere regionem. Verùm id non audet ab illis exigere; quod tamen malit. Illud certè exigit, *nè commisceantur*, h.e. nè familiarem cum illis agant consuetudinem, ceu vitiis illorum faventes: & ideo sequitur, *Nunc autem scripsi vobis*, h.e. mitiùs. Apparet Interpretem & Ambrosium legisse ὠφείλετε per ω μέγα. Cæterùm ut & de meo superiorum studiis nonnihil adjiciam, mihi videtur ὀφείλετε hoc loco esse signum optantis, positùmque pro εἴθε, *utinam*, sive *ô si*. Additur interdum altera dictiuncula, εἴθ' ὤφελες ὡς ὤφελες. Cùm per ο μικρὸν scribitur ὄφελον optantis est, sine discretione personæ aut numeri. *Alioqui si non fitis temperaturi à commercio talium, utinam potiùs exissetis ex hoc mundo, & quovis exsulatum abissetis.* Thomas Aquinas pro uno sensu multos producit, ut est fœcunda ignorantia: quorum primus est *Alioqui debueratis ex hoc mundo exisse*; *h. e. Si velitis omnium malorum vitare consuetudinem, profugiendum erat ex hoc mundo, cùm mundus undique malis sit refertus.* Alter hic est, *Nihil erat opus super hac re commoneri, quandoquidem à Baptismo jam ultro à mundo semoti estis.* Tertius sic habet juxta Ambrosium, *Præstabat mori quàm cum scelerosis habere consuetudinem.* Hugo Carrensis addit quartum, *Debeatis ex hoc mundo exisse, i. confugisse ad religionem*: sic enim appellat vitam Monasticam. Sed omnium maximè placet Chrysostomi interpretatio, ut intelligamus Paulum explicare quid sensisset cùm literis suis juberet illos *fugere commercium & consuetudinem scortatorum, rapacium, & eorum qui simulacris immolarent.* Id cùm perperàm intellectum duriùs videretur Corinthiis, ait *sese non hoc jussisse ut ab Ethnicis scelerosis abstinerent* (quod licèt optandum esset, tamen fieri non posset, cùm ubique sceleratorum hominum plena essent omnia) *sed quoad liceret ab istiusmodi Christianis abstinerent*: ideóque velut obiter interjicit, *Alioqui debueratis* ex hoc mundo *exisse*, h. e. *Utinam id esset quod opto, ut in totum hujusmodi consortia possitis vitare. Nunc quoniam frustrà opto quod fieri non potest, illud scribo quod antè scripsi, ut Christianos tam fœdis vitiis infames arceatis à vestro contubernio, partim nè ipsi videamini factis illorum assentiri, partim ut illi pudore correpti resipiscant.*

11. *Si is qui frater nominatur*] Hic Latini addunt de suo *inter vos*: quæ duo verba non sunt in Græcis cod. nec apud D. Ambrosium, nec in codice Donatiani, nec utroque Constantiensi. Jam quanquam ad sensum non magni refert. Græcè est, *Si quis frater nominatus*, aut *cùm frater nominetur*, ut subaudias verbum substantivum *est*, aut *fuerit*. Nisi malumus videri participium verbi vice positum ὀνομαζόμενος pro ὀνομάζεται. Sic enim habebat vetustissimus codex Paulinus, *Si quis frater nominatur inter vos fornicator, aut avarus, aut idolis serviens*, &c. ut *nominatur* adjungatur iis quæ sequuntur, *scortator, idololatra, avarus.* Nam Græci referunt ad superiora; ut intelligamus eum qui sit ejusmodi probris obnoxius, titulo duntaxat esse Christianum, cùm Christianismus verus sit innocentia vitæ. Quin & illud expende, lector, utrò referenda sit hæc orationis pars, *si is qui frater nominatur*, &c. ad superiora, an ab illis absoluta pertineat ad ea quæ sequuntur. Si ad superiora referas, superest in ordine quod sequitur, *cum ejusmodi nec cibum sumere.* Sin ad inferiora, quomodo corrigit quod scripserat *nè se commiscerent*, si nihil addatur quod sententiam generalem explanet? An hîc quoque fatebimur Paulum sive imperitiâ sive neglectu Græci sermonis perturbatiùs explicare quod sentit; & *si is qui frater nominatur* referendum ad id quod præcessit, *Scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominetur scortator, aut*, &c. ac deinde neglecto sermonis ordine per epitasin additum, *cum hujusmodi ne cibum quidem capere?* perinde quasi dixerit, *Hoc senseram, si quis Christianus hujusmodi flagitiis sit infamis, adeò non oportere cum eo commercium habere, ut nè mensam quidem communem esse velim; quòd vestrâ refert illum corrigi, & periculum sit nè cæteros exemplo suo corrumpat: cùm in Ethnico non sit eadem ratio.*

12. *Quid enim mihi*] Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; *Quid meâ etiam eos qui foris sunt judicare?* h. e. Quid ad me attinet, ut cùm satis molestum sit judicare de his quæ ad nostrum gregem pertinent, de iis etiam feram sententiam qui sunt à contubernio nostro alieni? *Judicare* dixit *pro condemnato habere.* Habet autem qui vitat hominis consuetudinem. Quòd si vitemus Ethnicos, quomodo convertentur ad Christum? Ferendi sunt in hoc ut sanentur. Et si salem non admisceas, quomodo salietur quod est insulsum?

13. *Auferte malum*] Καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν, *tollite scelerosum illum*: ut ad Hominem referatur, non ad Rem, propter additum articulum: quod annotatum est & Augustino in Quæstionibus super Deuteronomium, admonenti hoc sermonis colore solitam uti Scripturam S. quoties jubet de nocente capitis supplicium sumere. Non quòd Paulus idem senserit, sed quòd excommunicatio apud Christianos instar capitalis supplicii sit. Etiamsi videtur hic locus nonnihil torsisse D. Augustinum, qui visus est adeò abhorruisse ab occidendis improbis ut crebris epistolis obsecret & obtestetur Præfectos Cæsaris nè capitis supplicio afficerent Donatistas, qui non solùm pertinacissimè segregabant sese à consortio Christianorum, verùm etiam crudelissimis suppliciis in orthodoxos sæviebant. Proinde confugit ad hanc interpretationem, ut intelligamus jubere Paulum ut quisque *malum hominem exuat*, juxta illud quod dictum est Ephesiis, *Exuite veterem hominem cum actibus suis.* Idem contra epist Parmeniani lib. 3. cap. 1. *malum* interpretatur *malitiam*, quasi scriptum esset τὸ πονηρόν sed utrumque coactè prætérque veterum lectionem simul & enarrationem.

VATABLUS.

1. *GEntes**]* *Nominatur.*

3. * *Ego*]* *Nam.* ¶ *Qui sic**]* *Hoc.* ¶ *Operatus est*] Vel, *perpetravit.*

4. *In nomine*] Heb. *autoritate.* ¶ *Meo spiritu*] i. Me quantum ad sententiam attinet. ¶ *Cum virtute*] Vel, *per virtutem.* ¶ *Domini**]* *Nostri*, Vet.

5. *Tradere hujusmodi hominem Satanæ*] *Tradere hominem Satanæ* est excludere eum ab Ecclesia tanquam Ethnicum, ut corpore affligatur à Satana ad tempus, qui hac in re minister Dei esse solet. ut historia Job satis declarat. ¶ *In interitum carnis*] i. In dispendium carnis, ut carne afflictus resipiscat.

6. *Massam corrumpit?*] Vel, *conspersionem fermentat?*

7. *Expurgate**] * *Igitur.* ¶ *Azymi*] *Infermentati*: i. quales estis cùm fermentum abjecistis ex domibus vestris: vel, quales vos sinceri esse debetis. ¶ *Pascha nostrum**] *Pro nobis.*

8. *Epulemur: non in fermento*] *Festum celebremus, non cum fermento.* ¶ *In azymis sinceritatis & veritatis*] *Cum panibus fermento carentibus*: h. e. sinceritate & veritate.

10. *Non utique*] *Non utique omnino.* ¶ *Debueratis*] *Debetis*, vel *debebatis.*

11. *Qui frater nominatur*] i. Sit Christianus.

12. *Mihi*] *Ad me attinet.* ¶ *De iis qui foris sunt judicare?*] *De iis qui non sunt Christiani*: sive, *qui sunt extra Christum.*

13. *Auferte malum*] *Itaque auferte istum qui malus est.*

CASTALIO.

10. *Alioqui vobis esset ex orbe migrandum*] Quoniam talium plena sunt omnia.

12. *Nam de alienis quidem*] Non Christianis. ¶ *Cum vobis sit de vestris judicandum*] Christiani de Christianis judicent. Κρίνετε indicativi modi est, qui sæpe sic declarandus est ut nos reddidimus: quale est illud Matth. 11. *σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν; an nobis alius exspectandus est?* Atque ità loquuntur Latini, *Quid agimus?* pro, *Quid nobis agendum?*

CLARIUS.

1. *Uxorem patris*] Novercam. Illud verò *omnino auditur* absurditatem rei notat, quæ nè labiis quidem proferenda esset, nedum patranda.

2. *Et vos inflati estis*] Vestris quasi rectè factis gloriamini, quo tempore lugendum esset; nam communis vester pudor hic est.

4. *Congregatis vobis*] Nè videretur sibi totam usurpare autoritatem.

5. *In interitum carnis*] Præfigit terminum Satanæ, ut corpus duntaxat tangeret, animæ parceret? sicut & in Job factum est.

7. *Expurgate igitur vetus fermentum*] Profligate hunc sceleratum qui hoc egit.

8. *Itaque festum celebremus*] Cernis Christiano viro semper Pascha ac spiritualem celebritatem esse debere? Ideo alibi dicitur, *Nihil solciti sitis*, ut toto animo atque omni mente in hos thesauros rerum incumbamus.

9. *Scripsi vobis per epistolam*] Sunt qui intelligant de hac ipsa epistola, ubi de hoc scortatore locutus est, sed rectiùs videtur accipiendum de alia epistola quæ non exstet: ut sit sensus, *Cum scripsi vobis nè commisceremini scortatoribus*, non volui intelligi de externis; sed siquis fortè inter vos repertus fuisset ejusmodi, quod nunc conqueror factum à vobis non fuisse adversùs istum.

13. *Eos qui foris*] Non hic accipiendum est quasi eos etiam qui intus sunt Deus non judicet; sed dicit *eos qui foris sunt pertinere ad judicium Dei*, non autem Ecclesiæ.

ZEGERUS.

4. *CUM virtute Domini* nostri *Jesu* Christi] Duo hæc verba abjicienda, ut liquet ex antiquis tum scriptoribus tum Bibliis.

7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio*] *Fermentum* appellat incestuosum illum; *conspersionem* autem (quam paulò superiùs *massam* dixit Interpres, i. farinam aquâ temperatam) præparationem quandam ad melioris vitæ restaurationem.

9, 10. *Scripsi vobis in epistola, Nè commisceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi*] Ut donem Chrysostomum & Theophylactum in ea fuisse sententia quâ crediderint D. Paulum non alterius hîc meminisse epistolæ quàm hujus quæ ad Corinthios Prima dicitur, arbitror tamen, sicut ad Laodicenses, & ad alios fortè, ità quoque & ad Corinthiorum Ecclesiam aliam ab his duabus epistolam delineasse in qua vetuerit *cum fornicariis habere consuetudinem*. Verùm quoniam id dictum quidam de fornicariis ethnicis fugiendis accipiendum putarunt, aut certè putare potuerunt, hinc est quòd suam ipsius sententiam declarans ait; *Non utique fornicariis; Non utique*, sive *prorsus* (id enim οὐ πάντως signat) *omne commercium cum hujus mundi Gentilibus libidine contaminatis, avaris, idololatris, rapacibus, prohibui: quoniam*, sive *alioqui si hoc voluissem, debueratis de hoc mundo exisse*] Quandoquidem tales nusquam non sunt.

11. *Frater nominatur*] Quod hîc sequitur, *inter vos*, nec in Græcis est nec in vetustis quibusdam nostris, nec apud Ambrosium, nec apud Hesychium in Levit. 11.

12. *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare?*] i. Meâ quid refert judicare de his qui alieni sunt à fide Christianæ Ecclesiæ?

H. STEPHANUS.

2. Πεφυσιωμένοι] *Inflati.*

5. Κέκρικα] *decrevi.*

6. Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ] *Paulum fermenti totam massam fermentat.*

8. Ἑορτάζωμεν] *Festum celebremus.*

11 Νυνὶ δὲ ἔγραψα] *Sed scripsi.*

12. Τί γάρ κρίνειν] *Quid attinet me judicare?* vel, *Quid meâ refert*, vel *interest?*

DRUSIUS.

7. *Vetus fermentum*] *Fermenti* vox ad animi affectus & vitia transfertur. Interdum natura corrupta sic vocatur: unde proverbiale שאור שבעיסה *fermentum in massa*: quod Joseph Albo Serm. 3. c. 32. de innata nobis vitiositate, quam vocat יצר הרע, interpretatur, in illo, *Mundipotens DOMINE, voluntas nostra est, ut nosti, facere voluntatem tuam; & quis retardat fermentum quod in massa?* Plautus *in fermento esse* dixit pro θυμοῦσθαι. Est etiam ubi falsa doctrina *fermentum* vocatur. Quod autem ait, *Paullum fermenti totam massam fermentat*, adagii formam habet. Id reperitur & Gal. 5. 9. Vide sis Proverbia mea sacra. ¶ *Azymi*] *Fermenti expertes, infermentati.* Quomodo *fermenti expertes*, si in eis erat *fermentum vetus?* aut si nullum erat, quomodo dicit, *expurgate fermentum vetus?* nam expurgare non possumus quod non est. Respexit autem Apostolus ad veterem ritum qui in festo Paschatis observabatur: ideo subjicit, *Pascha nostrum immolatum est, nempe Christus.* Nam in festo illo nullum fermentum: unde Exod. 12. *Fermentum nullum inveniatur in domibus vestris*: &, *Die primo abolebitis fermentum è domibus vestris.* Est autem Fermentum farinæ subactæ & acidæ frustum, quod massam inflat ac turgefacit. Sic doctrina animo concepta hominem inflatum & arrogantem reddit. Plautus ad iram transtulit, ut diximus, in Mercatore,

Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.

Nam in ira turgescit homo: unde *irâ turgescere* idem cum illo *in fermento jacere.*

9. *Scripsi vobis in epistola*] Hæc epistola intercidit cum aliis multis libris Prophetarum & Sapientum Ebræorum; qui si nunc exstarent, haud dubiè canonici essent, ut alii ipsorum libri. Sed nihil ex canone, inquit Marsyas, intercidit. Quis dicit aliquid ex canone intercidisse? Loquor de iis libris qui nunc in canone, non qui fortè in canone jam essent si tunc cùm canon fieret exstitissent; cujus generis sunt Cantica Salomonis, reliquáque Proverbia ipsius, & alia quamplurima: de quibus nos librum peculiarem scripsimus, edendum aliquando ubi typographi copia erit.

SCALIGER.

3, 4, 5. Παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ] Extrema excommunicatio, quâ etiam hodiéque Judæi utuntur, ut castigatione carnis domitus salutem animæ assequatur, quod tempus illi ad resipiscentiam datum est.

JAC. CAPPELLUS.

1. *Omnino auditur inter vos scortatio, & talis scortatio qualis nè inter Gentes quidem nominatur*, Hyperbolica videri potest oratio. Sed ad hujus criminis detestationem eandem Hyperbolen usurpat nutrix apud Senecam in Hippolyto, Cum Phædra meditaretur incestum cum Hippolyto privigno suo, nutricem ità loquentem inducit Seneca vers. 164.

Compesce amoris impii flammas precor,
Nefásque, quod non ulla tellus barbara
Commisit unquam, non vagus campis Geta,
Nec inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes.

Et Senecæ quidem nutrix audaciùs ὑπερβολίζει, quod mulieribus est tralatitium. Apostolus autem non dicit hoc peccatum nunquam antehac auditum admissúmve fuisse: sciebat enim etiam Jacobi filiorum primogenitum Rubenem hoc scelere fuisse contaminatum: sciebat Israelitis objici crimen istud Amosi 2. 7, Sed utitur verbo præsentis temporis; & præterea non agitur de stupro semel admisso, sed de concubinatu quotidiano. Potuit igitur etiam absque Hyperbola dicere, nè inter Gentes quidem quenquam videtis aut nostis qui dicatur *patris uxorem habere* pro concubina, *uxorem*, inquam, non *viduam*, ut colligitur ex 2 Cor. 7. 12.

5. *Ut iste tradatur Satanæ*] Paulinus Diaconus in Ambrosii Vita de scelerato quodam loquens ad Ambrosium perducto, *Quem*, inquit, *cùm interrogasset* Ambrosius, *& deprehendisset autorem tanti flagitii, ait, Oportet illum tradi Satanæ in interitum carnis, nè talia aliquis in posterum audeat admittere, quem eodem momento, cùm adhuc sermo esset in ore Sacerdotis sancti,* Spi-

Spiritus immundus arreptum cœpit discerpere. Quo viso, non minimo timore repleti sumus & admiratione. Multos etiam multis diebus, ipsis imponente illo manus & imperante, ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.

GROTIUS.

1. Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία, *Omnino auditur inter vos fornicatio*] Primùm indignum quòd apud vos Christum professos ulla audiatur turpitudo: deinde verò talis. Ὅλως [*Omnino*], id est, *ulla omnino*: ut μὴ ὀμνύναι ὅλως [*omnino non jurare*] apud Justinum & Chrysostomum, quod alibi καθόλε [*omnino*]: Vide ad Matth. 5. 34. Πορνεία [*Fornicationis*] nomine non sola scortatio significatur, sed omnis *venus contra fas, jura, bonosque mores*: etiam *adulteria* eo nomine venire notavimus ad Matth. 5. 32. Sic apud Prophetas זנה & זנות sæpissimè sumitur. Veniunt eo nomine etiam conjugia illegitima. Tertullianus de Pudicitia, *Ideo penes nos occulta quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* Sic Basilio, αἱ κόραι αἱ παρὰ γνώμην τῦ πατρὸς ἀκολαθήσασαι πορνεύϐσι [*puellæ quæ extra Patris voluntatem consentiunt fornicantur*]. & ἡ παρὰ γνώμην τῦ δεσπότε ἀνδρὶ ἑαυτὴν ἐκδῦσα ἐπόρνευσεν [*quæ seipsam extra domini voluntatem viro tradidit, scortata est*]. Item ἐάν τις πάθει ἀκαθαρσίας κρατηθεὶς ἐκπέσοι πρὸς δυοῖν ἀδελφῶν ἀθεσμον κοινωνίαν, μὴ γάμον ἡγεῖσθαι τῦτο [*si quis impurâ libidine, eò se abripi patitur, ut contra fas duabus sororibus cohabitet, non debere id matrimonium putari*]. ¶ Καὶ τοιαύτη πορνεία ἥτις ὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται, ὥςε γυναῖκά τινα τῦ πατρὸς ἔχειν. *& talis fornicatio, qualis nec inter Gentes nominatur, ita ut uxorem Patris aliquis habeat*] Ἔχειν [*Habere*] hic est quasi *conjuge uti*, quomodo intellexit Syrus. Vide quæ dicta ad Matt. 14. 4. ubi & hoc notavimus, uxorem alicujus dici eam quæ uxor fuit, etiam marito jam defuncto. In manuscripto deest ὀνομάζεται [*nominatur*]. quod nec Latinus in suo habuit codice. Tale probrum dicit Apostolus etiam in Gentibus non reperiri, id est, *vix reperiri*: verè. Plutarchus Seleucum narrat, cùm vellet Stratonicen uxorem suam filio suo Antiocho concedere, veritum ne ipsa offenderetur τῷ μὴ νενομισμένῳ, *ut re illicita.* Et Cicero in re simili dicit, *Scelus in omni vita inauditum.*

2. Καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐςὲ, *& vos inflati estis*] *Inflati estis* majoris cujusdam sapientiæ opinione, quæ talia censet ἀδιάφορα [*media*]. Ita enim censebant & Cynici & Stoici. Atqui si legibus civilibus cujusque populi tenentur Christiani, ut Paulus docet 13. capite ad Romanos, multò magis iis quæ apud omnes bene moratos populos receptæ sunt, non sine gravi ratione, & iis maximè quæ cum Lege à Deo per Mosem Hebræis data consentiunt. Vide Levit. 18. 8. Mirabitur fortè aliquis Romanum Proconsulem pœnas non exegisse de tali incestu. Sed nimirum defuit accusator: neque solebant Romani Magistratus in ista statum publicum non directè tangentia sollicitè inquirere. ¶ Καὶ ὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, *& non magis luctum habuistis*] Est metonymia adjuncti: nam quia Ecclesia cùm aliquem esset à suo consortio exclusura lugentium sumebat habitum; eo factum ut *lugere* dicatur pro *excommunicare.* Sic πενθήσω [*lugebo*] interpretantur veteres 2 Cor. 12. 21. Clemens Constitutionum 2. Μετὰ λύπης καὶ πένθυς ἀνιάτως ἔχοντα τῆς ἐκκλησίας ἀποτέμνετε [*Qui ita malè habet ut sanari posse non videatur, hunc cum dolore & luctu ab Ecclesia dimittite*]. Tertullianus de Pudicitia, *Nec gaudium confert repertrici Ecclesia, sed luctum.* Origenes contra Celsum 3. Οὗτοι δὲ (Χριςιανοὶ) ὡς ἀπολωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ' ἀσελγείας ἤ τινος ἀτόπε γεγενημένυς ὡς νεκρὺς πενθῦσι. [*Hi vero* (*Christiani*) *ut perditos & mortuos Deo eos qui in lascivia vel cujusvis improbitatis potestatem pervenere, tanquam mortuos lugent*]. Episcopi Synodi Ephesinæ ad Ecclesiam Constantinopolitanam narrantes depositionem Nestorii, πρότερον μὲν ἐπὶ τῷ γεγονότι δακρύσαντες [*prius quidem antegesta deflentes*]. Sic & Theodoretus sermone duodecimo adversùs Græcos, ἤν τι ἐπιμένωσι θηριωδῶς βιοτεύοντες καὶ περίεντας θρηνήσομεν, [*si bestiarum ritu vivere perseverent, vel superstites lugebimus*], &c. ¶ Ἵνα ἐξαρθῇ ἐκ μέσε ὑμῶν ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας; *ut tollatur de medio vestrûm qui opus hoc fecit?* Non per mortem, ut videtur intellexisse Tertullianus, sed per נדוי [*separationem*]. Nam omnia laudabilia Synagogæ instituta retinuere Apostoli. Et si quis quæ Hebræi de ea re scripsere, cum moribus antiquæ Ecclesiæ comparet, miram inveniet congruentiam. Ἐξαίρειν ἐκ μέσε [*De medio tollere*] est *ex Ecclesia excludere*, quomodo loquitur Cyprianus. Orasse debueratis Deum ut tota Ecclesia consentiens tales excommunicaret.

Ἐν δὲ διχοςασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς
[*Sæpe in dissidiis potitur vir pravus honore*].

3, 4. Ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον, Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίε ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος, σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Κυρίε ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ Σατανᾷ, *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic hoc operatus est, In nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Satanæ*] In manuscripto deest ὡς [*ut*]: non malè. Apostolorum erat munus, si quid in Ecclesiis negligebatur, id supplere suâ auctoritate, accedentibus sæpe & miraculis. *Absentem se dicit corpore, præsentem vero spiritu*, id est, animo, ideo, quod omnia videret quæ ibi gerebantur, ut Elisæus quæ se absente faciebat Giezi, 2 Regum 5. 26. Ubi est *cor meum* pro eo quod hîc est, *spiritus.* Illud, ἐν τῷ ὀνόματι τῦ Κυρίε ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ [*in nomine Domini nostri Jesu Christi*], rectè conjungit Chrysostomus cum sequentibus συναχθέντων ὑμῶν [*congregatis vobis*]. Nam fideles quoties conveniunt, *conveniunt in Christi nomine*: *vos* autem cùm dicit, non omnes Corinthios qui Christiani dici volebant intelligit (erant enim scissi inter se) sed optimos. Quod autem addit καὶ τῦ ἐμῦ πνεύματος [*& meo spiritu*], eo significat, sicut nunc cognoscebat omnia quæ ibi fierent, ita tunc etiam quæ facturi essent se visurum. Præterea dicit ipsam virtutem mirificam, nempe Christi, ipsi adfuturam. *Tradere* autem *Satanæ* est precari Deum ut eum tradat in potestatem Satanæ, nempe ut per eum morbis vexetur. sic & 1 Tim. 1. 20. Nam eam potestatem sicut interdum specialiter Satanas accipit ad tentandos pios, ut Jobum 2. 4, 5, 6, 7. & Paulum 2 Cor. 12. 7. ita plerumque eam obtinet in eos qui profani cùm sint, piis tamen accenseri volunt.

5. Εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, *in interitum carnis*] *Ut ira divina sensu carnales affectus in illo exstinguantur.* Ita σὰρξ [*caro*] sumitur Rom. 7. 5. & 8. 9. ὄλεθρος σαρκὸς [*interitus carnis*] pari modo dicitur quo θανατῦν τὰς πράξεις τῦ σώματος [*mortificare facta carnis*] Rom. 8. 13. ¶ Ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίε Ἰησοῦ Χριςοῦ. *ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu Christi*] *Ut spiritus*, id est animus apud Deum depositus (vide Luc. 23. 46. Actor. 7. 59.) non intereat, sed salvus ei sit, restituendus nimirum corpori in die resurrectionis, 2 Tim. 1. 12. Multas sanat malum temporarium, Psalm. 83. 17.

6. Οὐ καλὸν τὸ καύχημα ὑμῶν. *Non est bona gloriatio vestra*] Immeritò vobis placetis isto tali Doctore Philosopho magis quàm Christiano. ¶ Οὐκ οἴδατε ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ; *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?*] Idem proverbium Gal. 5. 9. Hebræi per ζύμην [*fermentum*] intelligunt μεταφορικῶς [*per Translationem*] omne id quod alia corrumpendi vim habet, sive dogma sit, sive exemplum, sive aliud quid. Vide quæ dicta ad Matth. 16. 6. Ita liber Zeror in institutione Paschatis חמץ, id est, *fermentum* mysticè interpretatur יצר הרע, *malum appetitum.*

7. Ἐκκαθάρατε ὖν τὴν παλαιὰν ζύμην, *Expurgate igitur vetus fermentum*] Omnia per quæ corrumpi potest Ecclesia. Sensus, ut dixi, mysticus præcepti Exod. 12. 19. *Vetus* addit, sicut alibi dixit *veterem hominem*, Rom. 6. 6. Quod hic est ἐκκαθάρατε [*expurgate*], id in versione LXX in Exodo est ἀφανιεῖτε [*ab aspectu removete*]. ¶ Ἵνα ἦτε νέον φύραμα, *ut sitis nova conspersio*] עסה חדשה vel עסה. Vide dicta ad Rom. 9. 21. Ignatius ad Magnesios, Ὑπέρθεσθε ὖν τὴν κακὴν ζύμην τὴν παλαιωθεῖσαν, τὴν ἐνοξίσασαν, καὶ μεταβάλλεσθε εἰς νέαν ζύμην χάριτος [*Abjicite igitur malum illud vetus & putidum fermentum, & transmutamini in novum fermentum gratiæ*]. Justinus Colloquio cum Tryphone, Διὸ καὶ μετὰ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας τῶν ἀζυμοφαγιῶν, νέαν ζύμην φυρᾶσαι ἑαυτοῖς ὁ Θεὸς παρήγγειλε, τυτέςιν ἄλλων ἔργων πρᾶξιν καὶ μὴ τῶν παλαιῶν καὶ φαύλων τὴν μίμησιν [*Quapropter & post septem, quibus panem non fermentatum in usu habetis, dies, jussit Deus, ut novam vobis conspersionem conficeretis, hoc est, aliorum operum exsecutionem non autem veterum ac malorum imitationem*]. ¶ Καθώς ἐςε ἄζυμοι, *sicut estis azymi*] מצות quod est Exod. 12. 8. & alibi vertitur ἄζυμοι [*azymi*]. unde & dies illi Paschatis ἄζυμα [*azyma*], aut ἄζυμοι ἡμέραι [*dies azymi*] Josepho: ut & Matth. 26. 17. Marci 14. 1, 12. Luc. 22. 1, 7. Act. 12. 3. & 20. 6. Hinc homines ipsi ἄζυμοι *qui fermento abstinent*, quomodo dicuntur ἄσιτοι [*qui cibo abstinent*], ἄοινοι [*qui vino abstinent*]. Mysticè hoc loco sic vocantur, qui sibi cavent ab omnibus iis per quæ

quæ corrumpi mores solent. *Estis*, id est, esse debetis secundùm vestram professionem. Vide Rom. 6. 2. ¶ Καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. *Etenim Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus*] Prosequitur cœptam ἀλληγορίαν [*tectam locutionem*]. Sicut sanguine Agni Paschalis allito postibus liberati sunt Israelitæ ab excidio, ita & Christiani per sanguinem Christi aspersum cordibus, id est, per fidem ex passione Christi conceptam, liberantur à communi exitio humani generis. Agnus ille sine vitio esse debuit, & Christus sine vitio fuit. Adde quæ diximus ad Luc. 22. 16. Christus ergo mysticum *Pascha*, id est, agnus Paschalis: quod πάσχα θυσίαν [*Paschalem victimam*] vocat Josephus. Sic θύσατε τὸ πάσχα [*immolate Pascha*] Exod. 12. 21. Deut. 16. 2, 5, 6. ἔσφαξαν τὸ πάσχα. [*mactaverunt Pascha*] Esai. 6. 20. 2 Paralip. 30. 15, 17. & 35. 1, 6, 11. Vox ἡμῶν [*nobis*] ostendit Paulum de mystico, non de Judaïco Paschate loqui.

8. Ὥστε ἑορτάζωμεν, *Itaque epulemur*] Ἑορτάζειν, חגג [*festum celebrare*], in Lege Mosis est *abstinere ab omni opere ut Deo sacra fiant*. In mystico sensu, *ita perpetuo Deo servire, ut omnia opera sint sacrificia* Esaiæ 66. 23. Philo, Ἑορτὴ ψυχῆς, ἡ ἐν ἀρεταῖς εὐφροσύνη τελεία [*Animæ festum est in virtutibus perfecta lætitia*]. Vidit aliquid hujus rei Thucydides cùm dicit, Ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ τὰ δέοντα πράττειν [*Festum nihil aliud est quam ea quæ decet agere*]. ¶ Μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, *non in fermento veteri* [illegible], *in malis cupiditatibus*, ¶ Μηδὲ ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας, [*neque in fermento malitiæ & nequitiæ*] *Multo minus in actionibus improbis atque versutis*: qualis erat illa incestum per philosophicas rationes defendentis. ¶ Ἀλλ' ἐν ἀζύμοις, *sed in azymis*] Subauditur, *panibus*. Per panes autem mysticè intelligendæ actiones, ut quibus pascatur animus. ¶ Εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. *sinceritatis & veritatis*] Prius illud opponitur κακίᾳ [*malitiæ*], alterum πονηρίᾳ [*nequitiæ*]. εἰλικρίνεια [*sinceritas*] est *fuga impuritatis*, ἀλήθεια [*veritas*] *simulationis*. Hieronymus contra Pelagium Dialogo 1. *Pascha cum amaritudinibus editur, Pascha sinceritatis, veritatis.*

9. Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, *Scripsi vobis in epistola*] In aliqua epistola antehac scripta, quæ intercidit, ut multæ. Satis Deo debemus quod tot servatæ sunt, ad quas si & singulorum vita & regimen Ecclesiæ dirigatur, bene erit. ¶ Μὴ συναναμίγνυσθαι πόρνοις. *ne commisceamini fornicariis*] Πόρνους [*Fornicarios*] hic intelligit, non sane *catamitos*, ut quidam volunt, sed *scortis utentes*, quod & præcedentia ostendunt & quæ sequuntur 6. 10, 15. & loca Sir. 23. 21, 22. συναναμίγνυσθαι [*commisceri*] hic & 2 Thess. 3. 14. συγχρῆσθαι [*couti*] Joh. 4. 9. κολλᾶσθαι [*conjungi*] Actor. 10. 28.

10. Καὶ οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου, *Non utique fornicariis hujus mundi*] Non id scripsi de non Christianis. Illud καὶ [*&*] in Manuscripto non comparet, & abest rectiùs. ¶ Ἢ τοῖς πλεονέκταις, *aut avaris*] Addit alia vitiosorum genera. Πλεονέκται sunt *qui in contractibus & promissis fraudant alterum*. Id facere est πλεονεκτεῖν, בצע [*plus suo cupere*] Hebræis, unde & nomen בצע πλεονεξία, πλεονέκτημα [*lucri petentia, de alieno lucrandi studium*]. ¶ Ἢ ἅρπαξιν, *aut rapacibus*] plus est ἁρπαγὴ [*rapina*] quàm πλεονεξία [*lucripetentia*]. Nam ἁρπαγὴ vim habet adjunctam, ut *raptus* & *rapina* apud Latinos. ¶ Ἢ εἰδωλολάτραις, *aut idolis servientibus*] Hic primum occurrit ea vox. Quod Hebræi dicunt עבודה זרה [*cultus extraneus*] id Hellenistæ dicunt εἰδωλολατρείαν [*idolorum culturam*], non quòd vox voci respondeat, sed quòd sic optimè intelligeretur quod vellent, quia Gentes in cultu suo publico utebantur simulacris, id est, imaginibus exstantibus, Judæi non utebantur. Hinc vox mansit etiam apud Christianos, non quòd secundum Decalogi præceptum eos obligaret, sed quia ille vocis usus illo sensu evaluerat. ¶ Ἐπεὶ ὀφείλετε ἄρα ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελθεῖν. *alioquin debueratis de hoc mundo exiisse*]. Nihil noceret si hoc fieri posset, sed nimis hoc grave esset. Intercideret ferme omne vitæ humanæ commercium, quod hic ὑπερβολικῶς [*per superjectionem*] exprimitur.

11. Νυνὶ δὲ ἔγραψα ὑμῖν, *Nunc autem scripsi vobis*] Νυνὶ [*nunc*] non est hic ad temporis discriminationem additum, quasi nunc aliud scriberet Paulus quàm ante scripserat, sed habet vim adversativæ, quomodo νῦν [*nunc*]. sumitur infra 7. 14. & 12. 20. νυνὶ [*nunc*] infra 12. 18. & 15. 20. Ita apud Ciceronem sæpe ponitur, *nunc vero*. ¶ Μὴ συναναμίγνυσθαι, ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος, ἢ πόρνος, ἢ λοίδορος, ἢ πλεονέκτης, ἢ εἰδωλολάτρης, ἢ μέθυσος, ἢ ἅρπαξ. *non commisceri, si is qui frater nominatur est fornicator, aut maledicus, aut avarus, aut idolis serviens, aut ebriosus, aut rapax*] *Si quis frater dictus*, id est, Christianus dici volens. Vide Actor. 6. 3. Amicitia cum talibus peccatoribus dehonestabat Ecclesiam, cum iis qui extra Ecclesiam erant non item. Ad modò dicta vitiosorum nomina addidit hic pari jure λοιδόρους [*maledicos*] & *ebriosos*. Λοιδορία [*maledicentia*] respondet Hebræis vocibus ריב & חרפה: illa *jurgium*, hæc ψόγον [*probrum*] & ὀνειδισμὸν [*vituperium*] significat. Vide Johan. 9. 28. Act. 23. 4. supra 4. 12. 1 Petr. 2. 23. Habes ergo hic præcipuas excommunicationis causas. In excommunicationis locum ubi aut presbyterium non est, aut Ecclesia est lacerata, succedit privata familiaris commercii fuga: unde non longè abit Charondæ illud, ἀδίκῳ ἀνδρὶ ἢ γυναικὶ μὴ ὁμιλεῖν μηδένα, ἢ ὀνειδίζεσθαι ὡς ὄντα ὅμοιον [*cum malo maláve commercium nemo habeto; qui habuerit, eadem, quæ illi, convitia patitor*]. ¶ Τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν. *cum ejusmodi nec cibum sumere*] *Cum talibus*, id est, adeò vitiosis & Christianorum nomen usurpantibus, *ne epulas quidem habere communes*, quod minimum est inter amicitiæ signa. Vide Galat. 2. 12. συνεσθίειν [*comedere*] habes Genes. 43. 32. Psal 101. 5. in Græco. Hebræis mos erat cibum communem non sumere cum eo qui erat in נדה [*separatione*.

12. Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?*] Non hoc adeò mihi aut vobis necesse est ad servandam Ecclesiæ puritatem. καὶ [*&*] abest in Manuscripto rectè. ¶ Οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; *Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis?* Id est, *debetis judicare!* Nonne vestri est officii aut pœnis quibusdam, si eas suscipiant, castigare, aut si id nolint, à vestra consuetudine segregare ita viventes? In hoc convenire omnes & consentire debueratis.

13. Τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει. *Nam eos qui foris sunt Deus judicat*] Rectiùs κρινεῖ [*judicabit*]. puniet eos suo scilicet tempore. Τοὺς ἔξω, זרים [*extraneos*] ἀλλοτρίους [*alienigenas*], ut vertunt LXX. hoc per parenthesin legendum est. ¶ Καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. *Auferte malum ex vobis ipsis*] In Manuscripto ἐξάρατε [*auferte*]. Meliùs alii codices ἐξαίρετε [*aufertis*]: sicut præcessit κρίνετε [*judicatis*] nam ista cohærent, parenthesi, ut diximus, interpositâ, ut sensus sit, *Nonne debetis eum à vobis amovere?* sicut κρίνετε [*judicatis*] est *debetis judicare*: sæpe enim verba talia non tam actum quam officium significant. Ideo Syrus & hanc interrogationem & præcedentem per imperativum transtulit, Sumpta autem hæc locutio ex Deuter. 24. 7, ubi in Græco ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν [*auferes malum ex vobis ipsis*]. Ita & Deuter. 13. 5. & 17. 7. & 21. 21. & 22. 21.

CAP. VI.

VALLA.

1. AN *nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?*] Nescio quare & hic τὸν κόσμον κρινοῦσι, & superiùs 5. 12. *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? nam de iis qui intus sunt vos judicatis.* Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; per ablativum locutus est potiùs quàm ut est Græcè, *sancti hunc mundum judicabunt*, &, *eos qui foris sunt judicare? nonne eos qui intus sunt vos judicatis?* quale est illud quod sequitur c. 5. 13. *Nam eos qui foris sunt Deus judicabit.* Illud transeo, me sic potiùs illam particulam fuisse translaturum, *Quid enim mea etiam eos qui foris sunt judicare?* ¶ *Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?* 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quantò magis secularia?*] Nonnihil Interpres a Græco descivit, in parte quidem priore pereleganter; nam Græcè ad verbum dicitur, *indigni estis minimis judiciis*, ἐλαχίστων κριτηρίων in posteriore autem licentiùs; nam ego non dixissem, *quantò magis secularia?* sed *nedum quæ ad victum* (seu *ad vitam*) *pertinent?* non enim est Græcè *quantò magis*, sed μήτι γε neque *secularia*, sed, si uno vocabulo liceret dicere, βιωτικὰ diceremus *vitalia*, sive, ut quodam loco Ambrosius ait, *victualia*. Idem dico de proximo loco,

4. *Secularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituitis ad judicandum*] Nescio an meliùs transferatur *constituitis*: nam Græcè dictio anceps est, καθίζετε. Nam si velit Apostolus contemptos in Ecclesia homines, ἐξουθενημένους, sedere Judices, cur subjungeret,

5. *Ad verecundiam vestram dico* (seu potius *ad pudorem, seu confusionem*, ἐντροπήν) *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?*] Quid est hoc quod ait ad eos in pudorem adducendos? *Siccine non est inter vos sapiens quisquam?* non enim *sapientes* sunt *contemptibiles* sive *contempti in Ecclesia*. Ergò tales ad judicandum sunt eligendi. Hæc sen-

sententia si verior est, non fuit transferenda *igitur*, sed *itaque*, μὲν οὖν, nec *habueritis*, sed *habeatis*, quanquam hoc parùm interest, ἔχετε. Mutavi *verecundiam* in *confusionem*, quia *verecundia* est timor quidam honestus reducens animum ab aliqua re facienda. Interdum hic timor non usquequaque probabilis, de quo significato non loquitur hic Apostolus. Et idem Græcum vocabulum Interpres pro *confusione* paulò ante usurpavit 4. 14. *Non ut confundam vos, hæc scribo*, ἐντρέπων. Quædam minutiora omitto.

11. *Et hæc quidem fuistis*] Non ait Apostolus Corinthios fuisse illa omnia, *fornicarios*, *idolis servientes*, *adulteros*, *molles*, *masculorum concubitores*, *fures*, *avaros*, *ebriosos*, *maledicos*, *rapaces*, tanquam omnes tales fuissent, sed quosdam; & idcirco legendum est *quidam* non *quidem*, ut nescio qui temerarii corruperunt, καὶ ταῦτά τινες ἦτε.

18. *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*] Cur non potiùs, *in corpore suo peccat*, ut sit apertior sententia, cùm possit per ablativum transferri Græcus accusativus, ut suprà memini? quale est, nè longè exempla repetam, 1 Cor. 6. 16. *Erunt enim, inquit, duo in carne una*: cùm sit Græcè, *in carnem unam*, εἰς σάρκα μίαν. Quòd si respondeas fuisse hoc transferendum potiùs *in carnem unam*, quid illud quod proximè attuli ex Euangelio Matth. 13. 33. *in farina satis tribus*, εἰς ἀλεύρου σάτα τρία? nónne accusativus Græcus est? Ità hæc sententia cum illa sequente congruet.

20. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*] Non legitur Græcè *portate*: ut hoc superfluum apud nos, ità illud deest, *Et in spiritu vestro, quæ sunt Dei*, δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν καὶ ἐν πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, h. e. quòd *corpus nostrum & spiritus noster sunt Dei*, non nostra: quod convenit cum præcedenti, *Et non estis vestri: empti enim estis pretio magno*. Optimi Græcorum codices non habent illud *magno*: neque enim attinet nunc loqui de pretii magnitudine. Quantulumcunque fuerit pretium, eo estis empti: ideóque non vestri, sed servi estis. Quod probat ille longè pòst locus c. 7. 23. *Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum*. Illud parvum est adnotandum v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritûs sancti?* etsi numeri sing. Græcè est, tamen transferendum fuisse pluraliter, *templum sunt*, quia suppositum plurale est. Neque enim idem nobis licet quod Græcis (quod superiùs admonui) ut plurali supposito, si fuerit generis neutri, detur verbum numeri sing. Nostri tamen nonnunquam eâdem licentiâ verbum non principali, i. præcedenti, supposito, sed viciniori accommodant: ut Poeta in Bucolicis,

——— *Nihil hic nisi carmina desunt.*

ubi magis Grammaticè, nescio an magis Latinè, dixisset, si ratio metri passa fuisset, *Nihil hic nisi carmina deest*. Sunt etiam qui velint simile esse illud ejusdem in alio opere,

——— *hic illius arma.*
Hic currus fuit. ———

Sed illic manifestum est Zeugma.

REVIUS *in* VALLAM.

4. *Constituitis*] Nodum solvit Beza. ¶ Ἐξουθενημένους] Trajectum erat.

11. *Quidam* non *quidem*] Beza vertit *quilibet*: (non ut ei falsò imponitur, *unusquisque*) id verò ità explicat, *minimè id quidem quasi singuli totidem illis vitiis laborarent, sed quod nemo sit qui aliquo vitiorum istorum non laboret, & in quo ante regenerationis gratiam non insit omnium scelerum semen.* Hæc orthodoxè dicuntur, neque calumniæ patent: interim tamen non probanda est illa versio, nisi Beza probet τινὲς accipi pro πᾶς τις. Nec firmior est Erasmi suspicio, qui ταῦτα putat accipi posse pro τοιοῦτοι (ità enim legendum, non τοιοῦτο) & τινὲς additum juxta proprietatem Græci sermonis: sed afferat exemplum Erasmus in quo ταῦτά τινες usurpetur pro τοιοῦτοί τινες nam mihi id perabsurdum & ἀγράμματον videtur.

20. Non legitur Græcè *portate*] Ità tamen Augustinus citat, De Nupt. & concup. l. 1. p. 821. ut vetus sit error: cujus fontem ex editione Veronensi, quam citat Erasmus, indagavi: ea sic habet, δοξάσατε δή, ἄρατε· ubi cùm desit καὶ, observavit & Erasmus sermonem non cohærere. Puto ergò quempiam, ut explicaret illud δὴ in albo sui codicis ascripsisse ἄρα· id alium, ratum ad textum pertinere, nè solœcismus esset, mutasse in ἄρατε. Latinos porrò, ut cohæreret sermo conjunctionem & adjecisse. ¶ *Carmina deest*] At poterat dicere *desit*: nec id repudiabat metri ratio. Alio itaque consilio diversâ usus est constructione quàm propter metrum. Sed solidè hanc Vallæ censuram refellit Jul. Cæs. Scaliger De Causis ling. Lat. l. 12. c. 180.

ERASMUS.

1. *Audet aliquis*] Τολμᾷ. Nonnunquam significat *sustinet*, aut *potest*, cùm significamus rem non periculosam, in qua propriè dicimur audere, sed duram affectibus nostris & intolerandam atque indignam. Ità Suetonius ad Græcorum imitationem in Cæsare Octavio, *Postquam verò Pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit.* Idem in eodem aliquantò inferiùs, *Nam quamvis minimè appeteret hereditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit, amicorum tamen suprema judicia morosissimè pensitavit.* Ac rursus in Cæsare Dictatore, *Cornelio Phagita, cujus quondam nocturnas insidias æger ac latens nè perduceretur, ad Sillam vix præmio dato evaserat, nunquam nocere sustinuit.* Item aliis compluribus locis comperire licet hoc verbi positum pro *voluit*, aut *potuit*, sive *animum induxit*. Nobis ut in hoc argumento unum atque alterum indicasse locum satis est, ob diffidentem ac morosum lectorem. Nam in eodem sensu reperias hoc verbum & apud Senecam & Quintilianum & Lucanum. Paulus igitur judicans hoc vehementer pudendum, miratur esse quenquam Christianum qui possit animum inducere ut apud Ethnicos Judices pro re pecuniaria contendat. ¶ *Apud iniquos*] Ἐπὶ τῶν ἀδίκων. Magis sonat *sub injustis*, & *sub sanctis*: ut dicimus *sub tali Principe*, & *sub Judice*, ut Horatius,

———*Et adhuc sub judice lis est.*

At in Judice potissimùm requiritur justitia, idcirco accommodam addidit ἀδίκων, *sub iniquis*: nisi quòd Hebræorum more quævis improbitas ἀδικία dicitur.

2. *De hoc mundo judicabunt*] Τὸν κόσμον κρινοῦσιν, i. *mundum ipsum judicabunt*. Pronomen *hoc* non additur nec in codice Donatiani nec in Constantiensi. *Judicari mundum* dixit, quòd è vita sanctorum apparet mundanos errare ac desipere: ídque velut explicans subjecit, *Si in vobis judicatur mundus*. Nam *judicatur* est præsentis temporis, κρίνεται, non κριθήσεται, consentientibus tum exemplaribus tum interpretibus Græcis: ut palàm intelligas eum loqui de vita Christianorum, quæ utinam hodie talis esset ut per eam mundus judicaretur. Nunc ab Ethnicis plerique titulo magis ac ceremoniis, quàm affectibus ac vitâ differimus. Quin & Ambrosium legisse *judicatur* subindicat ejus interpretatio, *Tunc*, inquiens, *judicatur hic mundus in vobis, si opus perfidorum hominum non inveniatur in vobis.* Theophylactus, ut Chrysostomus, & legit & interpretatur *judicatur*; & tamen Interpres constanter vertit *judicabitur*. Augustinus tamen legit *judicabitur*, referens ad extremum judicium, quo sancti *sedebunt in duodecim thronis judicaturi duodecim tribus Israel*. Nihil autem vetat quò minùs hic locus ad utrumque tempus pertineat; siquidem & *nunc judicatur*, h. e. condemnatur, mundus impius ex innocenti vita piorum, & *olim condemnabitur*, cùm piorum & impiorum opera omnia proferentur in apertum. Illud obiter indicandum, *in vobis* hic dictum Hebræo more pro *per vos*. ¶ *Indigni estis qui de minimis Judicetis?*] Ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων; *indigni estis minimis judiciis?* nam κριτήριον *locus est ubi causæ cognoscuntur*. Siquidem alicubi audiebantur causæ capitales, alicubi leviores ac civiles, de Mutuo, de Commodato, de Empto, hæc quæ ad vitæ usum pertinent vocat *minima*. Græci sic accipiunt hunc locum, *Cùm sitis judicaturi de mundo, indignum est vos judicari in Gentilium judiciis*; quæ hic *minima* vocat præ Judicio illo magnifico quo sancti mundum & Angelos judicabunt. Quanquam sermo Græcus anceps est: potest enim accipi, *indigni estis qui de minimis litigetis*, aut *judicetis*, *judicaturi & Angelos*. Ità Theophylactus & Chrysostomus: ut non sit percontatio negandi vim obtinens, sed asseveratio.

3. *Quantò magis secularia?*] Gr. Μήτιγε βιωτικά; *non solùm victualia*, aut *quæ ad victum aut facultates*, sive *ad vitæ usum, pertinent*. Nam βίος, Græcis tria significat, *vitam*, *victum*, & *facultates ac substantiam quâ vivimus*. Sentit enim lites pecuniarias. Quoniam autem vulgus hominum his rebus deditum est quæ ad victum pertinent, *victus* autem vocabulum complectitur & vestes & domum & cætera vitæ necessaria, veteres βιωτικοὺς appellarunt *mundi rebus deditos*. Sic apud Suidam in dictione βίος, ex Philone, βιωτικῶν ἀνθρώπων & Chrysostomus lib. 3. De sacerdotio, c. 15. ἀνθρώπους βιωτικοὺς appellat gloriæ studiosos. Rursus lib. 4. c. 1. militiam, negotiationem

nem & agricolationem vocat *βιωτικά*. Et *μήτιγε* Græcis valere idem quod *πόσῳ μᾶλλον* annotavit Hesychius.

4. *Secularia igitur*] Et hic est *βιωτικὰ*, quasi *quæ ad victum & rem domesticam pertinent*. Mira est autem in hoc Interprete copiæ affectatio. Quid autem simile *secularibus* & *βιωτικοῖς*; ¶ *Contemptibiles*] Ἐξουθενημένους, *contemptos & nihili habitos*. ¶ *Illos constituite ad judicandum*] Καθίζετε anceps est, quippe quod verti poterat *constituite*, vel *constituitis*. Mihi non displicet modus imperandi; ut Apostolus jubeat vel extremis Christianorum id muneris delegari potiùs quàm ut ad ethnicos Judices eant. Augustinus lib. Adv. Faustum 5. cap. 9. legit *collocate* pro *καθίζετε* etiamsi dissentit Ambrosius, aliter explicans hunc locum, quasi videlicet Paulus objurget Corinthios quòd quoslibet hujusmodi negotiis judicandis præficerent. Græcorum Scholia, ac nominatim Chrysostomus & Theophylactus, mecum faciunt; & magis quadrat ad sensum Pauli. Nec enim illud hic agit qui constituantur Judices in Ecclesia, sed nè Christiani litigent apud impios, & quemvis potiùs vel contemptissimum, modò Christianum, arbitrum suæ causæ faciant, quàm adeant tribunalia impiorum. Non quòd ità sentiat faciendum ut infimis committantur judicia, sed ut declaret quàm alterum sit indecorum, dicit hoc citiùs committendum. Et ideo mox sequitur, *Ad verecundiam vestram dico*, non quòd existimem nullos esse inter vos qui sapiant, sed ut justam, falsam licèt, excusationem vobis adimam. D. Augustinus in libro De opere monachorum ait sese ex hoc Pauli loco cogi ad suscipienda judicia causarum, cùm esset Episcopus. Quod rectè an secùs senserit, non est hujus loci excutere. Nec hoc loco Paulus *Ecclesiæ* nomine propriè designat Sacerdotes, sed cœtum Christianorum hominum, in quo fieri non poterat quin aliqui forent idonei qui de levibus negotiis arbitrarentur. In hoc pro me facit Augustinus, quòd Paulus senserit tolerabilius esse causas tam humiles vel infimis ac contemptissimis Christianis delegari quàm agi apud Judices profanos & impios. Postremò de deligendis arbitris potissimùm loqui videtur Paulus. Si quid parùm convenit, per arbitros transigatur, & eos arbitros qui inter vos habentur contemptiores. Quod si hodie placeret Christianis, frigeret rapacissima plerumque advocatorum, procuratorum ac jureconsultorum turba. Καθίζετε, i. *collocate*: nam *καθίζειν* est propriè *collocare in sede*; & Judicis est sedere. Mirè autem addidit *τούτους* ad odium rei.

5. *Ad verecundiam vestram*] Πρὸς ἐντροπὴν, *ad suffusionem* sive *pudorem* aptiùs quàm *ad verecundiam*: & paulò superiùs vertit *ad confusionem*. Hoc adjecit, significans se non esse locutum ex animo, quòd vellet contemptissimos ad judicandum deligi, sed quòd hoc quoque judicaret tolerabilius quàm id quod illi faciebant, litigantes Christiani apud ethnicos. ¶ *Sic non est*] Οὕτως in nonnullis exempl. Græcis conjungitur cum proximè præcedenti verbo *dico*, non cum sequentibus; ut sit sensus, Sic loquor, non quòd id velim fieri, sed ut intelligatis quàm sit indignum quod facitis. Nos tamen diversam lectionem sequi maluimus, ut *οὕτως* positum sit pro *adeo*, per indignationem. Mirum autem unde interpres Theophylacti legat *si* pro *sic*, si tamen locus mendo vacat. ¶ *Sapiens quisquam*] Οὐδὲ εἷς, *nè unus quidem*: quod est vehementius, cùm sitis tam multi. ¶ *Qui possit judicare inter fratrem suum*] Ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ q. d. *in medio fratris*. Et quomodo judicet aliquis inter unum? Proinde clarius erat ac Latinius, *inter fratrem & fratrem*, h. e. inter Christianum & Christianum. Illud obiter subindicatur, non opus esse magnâ juris subtilitate inter Christianos, inter quos ipse fraternus affectus facilè vel remittit noxam vel componit negotium.

6. *Frater cum fratre judicio contendit*] Κρίνεται *judicatur*. Quod tamen non ineleganter vertas *litigat*, sive, ut hic, *judicio contendit*. ¶ *Et hoc apud injustos*] Ἐπὶ τῶν ἀδίκων, *sub injustis*, ut modò indicavimus, aut ut in plerisque legimus, *ἐπὶ τῶν ἀπίστων*, *sub incredulis*: atque ità legit & interpretatur Chrysostomus & Ambrosius. Neque enim Apostolus ideo deterret à judiciis ethnicorum quòd sint injusti, sed quòd indecorum sit ad illorum tribunalia ob levissimas causas ultro currere.

7. *Jam quidem omnino delictum est*] Non est Græcè *χαράκτημα* sed *ἥττημα*, quod significat aliquem *esse victum & superatum*. Victus videtur ab iracundia aut avaritia qui ob pecuniolam litem movet fratri. Ad hunc modum exponunt Græca Scholia. ¶ *Inter vos*] Meliùs reddidit Interpres quàm refert Augustinus. Adv. Manich. 5. cap. 9. *quod judicia habetis vobiscum*; cùm Græcè sit *μεθ' ἑαυτῶν*. Latinè dicimus, *litigat cum illo*, at non item, *litigant secum*, pro eo quod est *litigant inter sese*. ¶ *Fraudem patimini*] Ἀποστερεῖσθε, *damno afficimini*, aut *fraudamini*. Nam *fraus* aliquando non pro *dolo* sed pro *damno* ponitur.

8. *Et hoc fratribus*] Poterat Interpres incolumi Grammaticà vertere sic, *injuriâ afficitis & fraudatis, atque id fratres*. Nec est quòd mutes *& hoc καὶ ταῦτα*, in *& hæc*, quasi hàc vià subventum sit Latinitati, quemadmodum vult Stapulensis, quandoquidem Latinus sermo qui recipit loquendi formam, numerum plurativum non recipit, nisi sit nomen ejusdem numeri; ut, *Multa abegerunt pecora, eáque insignia*. Etiamsi Græcam elocutionis formam videtur expressisse semel Suetonius in Tiberio Cæsare cap. 22. *Quos codicillos dubium fuit Augustúsne moriens reliquisset, quo materiam tumultûs post se subduceret, an nomine Augusti Livia, & ea conscio Tiberio an ignaro, dictasset*, &c. Nisi mavis *& ea* referre ad Liviam, pro *eáque*, quemadmodum dicimus *isque*.

9. *Non possidebunt*] Οὐ κληρονομήσουσιν, *non sortientur sortem* sive *hereditatem regni Dei*, h. e. non continget illis Regnum Dei. ¶ *Neque fornicarii*] Οὔτε πόρνοι, *scorta*, sive *scortatores*. Opinor Interpretem consuluisse verecundis auribus, quòd *scortum* apud Latinos vocabulum sit obscœnius, dictum à *pellibus*. ¶ Ac mox *ἀρσενοκοῖται*, rem per se fœdissimam, quam potuit minimè fœdè significavit. Siquidem *concumbunt* & qui in eodem dormiunt lecto, etiamsi nihil peccent. Illud admiror: cur Faber Stapulensis hoc loco maluerit *cinædi* vocabulum, non solùm obscœnum, verùm etiam aliud exprimens quàm Paulus senserit. Siquidem *cinædi*, ni fallor, dicuntur qui turpiter obsecundant, olim ità vocati qui fœdo parùmque virili corporis motu gesticularentur saltarèntque, sive quòd ad cantum moverent effeminatè corpus, sive quòd *irritarent moverèntque corporis partes*, *παρὰ τὸ κινεῖν τὰ αἰδοῖα*, sive quòd *vacarent pudore*, q. *κενοὶ αἰδοῦς*. Certè vitari non potest quin si *cinædus* non est proprium catamitorum vocabulum, saltem commune sit ad utcunque effeminatum.

11. *Et hæc aliquando quidem*] Καὶ ταῦτά τινες ἦτε, *& hæc quidam eratis*: ut intelligas quosdam ex illis tales fuisse, non omnes, quemadmodum annotavit Valla. Neque enim consentaneum est omnes fuisse *fures*, aut *adulteros*, aut *masculorum concubitores*, etiamsi *idololatriæ vitium* omnibus fuit commune. Nam furtum & adulterium apud Græcos etiam legibus puniebatur. Nisi malumus *ταῦτα* positum pro *τοιοῦτο*, & *τινὲς* additum juxta proprietatem Græci sermonis, ut & aliàs sæpenumero apponitur: ut sit sensus, *Hujus generis homines fuistis*. Quanquam magno consensu Latini codices, quos ego sanè viderim, scriptum habent *quidem*, ut sit conjunctio. Atque ità legit Augustinus. Quin & Theophylactus sic interpretatur, quasi pro *τινὲς* legisset *μὲν*, quasi ad omnes hic sermo pertineat, cùm in contextu sit *τινὲς*, non *μὲν* nisi malumus hoc Interpreti imputare. Chrysostomus legit *τινὲς*, sed hanc particulam in enarrando dissimulat. Ambrosius tamen legisse videtur *quidam*, cùm commentarii vice adscribit, *Ne omnibus hoc ascribere videretur, aut certè omnes ab his criminibus immunes faceret, si taceret. Prohibuisse enim videbatur, non revelasse crimina illorum: idcirco sic ait, Et hæc quidem fuistis*. Hactenus ille. Quomodo autem ex Pauli verbis apparet eum non omnibus hæc tribuere, nisi legamus *quidam*? Proinde verisimile est librariorum errore *quidam* mutatum in *quidem*. D. Irenæus lib. 5. semel atque iterum adducens hunc locum legit *quidam*; quæ dictio fuerat in prioribus libris per librarios depravata, cùm viderent eandem sæpius repeti, reliquerunt.

12. *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius*] Græcorum verborum jucundam allusionem Interpres servare non potuit, *ἔξεστιν* & *ἐξουσιασθήσομαι*, i. *licet*, & *in potestatem redigar*. Eam nos utcunque retulimus ad hunc modum, *Omnium mihi potestas est, at ego non redigar sub ullius potestatem*.

13. *Esca ventri*] *Escæ* dicendum in pl. numero, sicut paulò pòst, *venter escis*. Tum *& hunc & has* dicendum erat. Ità ferme citat Hieronymus in epist. ad Amandum, & Græca sic habent ut ille citat. Codex Donatiani habebat, *& hunc & has destruet*. Nec hoc ità magni refert, nisi quòd multitudinis numerus hoc loco magis congruit, cùm de generibus ciborum agat, non simpliciter de cibo. Exemplar Constantiense scriptum habebat *& hunc & hæc*, quasi legisset *βρώματα*. Videtur autem verbum aliquod subaudiendum in *Esca ventri*, *& venter escis*; ut paulò pòst, *Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori*; nimirum *destinata est*, aut *dicata est*. Consimili formâ sermonis in epistola ad Romanos c. 7. significavit mulierem viro dicatam ac propriam, *Adultera*, inquiens, *vocabitur, si fuerit alteri viro*: sic enim habet Græcus sermo quo scripsit Paulus. Et haud scio an juxta proprietatem sermonis Hebræi dicatur *alicus esse* quod ad illum pertinet & illius bono destinatum est.

16. *Qui adhæret meretrici*] Ὁ κολλώμενος q. d. *qui adglutinatur*. Idque concinnè quadrat cum eo quod sequitur, *unum corpus*

corpus efficitur. ¶ *Unum corpus efficitur*] Est ἐςὶ apud Græcos, *est* pro *efficitur*: quod est vehementius. ¶ *Erunt enim duo in carne una*] Εἰς σάρκα μίαν, *in carnem unam.* Atque ità legit D. Hieronymus in libello ad Gerontiam De monogamia; id quod palàm est ex eo quod apud eum sequitur, *non in duas, nec in tres.* Porrò juxta proprietatem Hebraici sermonis nihil aliud est *Erunt duo in carnem unam* quàm *E duobus fiet velut unus homo.* Citatur ad eundem modum in libris adv. Jovinianum, nec semel apud Tertullianum.

19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt*] Græcè non est μέλη, sed σώματα *corpora.* Atque ità legit simul & interpretatur Chrysostomus ac Theophylactus; itáque citat Hieronymus Adv. Jovinianum lib. 2. nec aliter legit Ambrosius. Nostri codices magno consensu priore loco habent, *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi*, posteriore, *An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritûs sancti?* Porrò quòd *templum* dicitur non *templa*, aut numerus positus est pro numero, aut quoniam de pariter collecto Ecclesiæ corpore loquitur, magis conveniebat *templum* quàm *templa*, ut indicat & ille.

20. *Empti enim estis pretio magno*] *Magno* à nostris additum est, Ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς, *Empti enim estis pretio.* Nam hoc tantùm hic agit, Eos non esse sui juris, cùm sint *empti & empti pretio*, nimirum jam illius facti à quo empti sunt. Atque eum in modum adducit hunc locum Chrysostomus, hom. in Matth. 55. Nec aliter legit in Commentariis. Cùm hanc lectionem Theophylactus proponat, & enarrans iterum atque iterum repetat, tamen interpres ubique vulgatam nostram inculcat editionem, nè dicam scribarum depravationem. Neque tamen consequens est ut si Interpres dixisset pretium fuisse *magnum*, idcirco *magnum* scripserit Apostolus. Nunc *pretium* repetit, nec addit *magnum.* Ambrosius adducens sententiam hanc ex capite proximè sequenti, libro De Cain & Abel 2. cap. 3. non addit *magno.* Rursus in Epistolarum lib. 2. cap. 2. ac mox proximo capite Paulus eandem sententiam totidem verbis inculcat, licèt ordine verso, τιμῆς ἠγοράσθητε, *pretio empti estis.* Neque secùs adducit Origenes hom. in Exodum 6. Cæterùm de *magnitudine pretii* adjectum apparet ex epistola D. Petri priore cap. 1. *Non corruptibilibus, auro, vel argento*, &c. Qui mutavit scripturam, videtur offensus absurditate sermonis, quasi quicquam ematur absque pretio, eóque *pretio* superesse nisi addas *magno.* Atqui *pretio* additum facit ad emphasim juris Dominici, in cujus jus toti transivimus redempti à jure Diaboli, idque præsenti pretio. Cæterùm cùm in proximo reperisset eandem sermonis formam, non ausus est mutare scripturam. ¶ *Glorificate, & portate Deum*] Græcis non additur *portate*, sed additur quod Latini non habent, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, *& in spiritu vestro.* Theophylactus exponens hunc locum de *portando* nullum facit verbum, de *spiritu* seorsim ac nominatim interpretatur. Idem facit Chrysostomus. Quanquam in editione Veronensi aliquis addidit ἄρατε, sed sermone non cohærente. Sic enim legitur; δοξάσατε δή· ἄρατε τὸν Θεόν. Item illud, ἅτινά ἐςι τοῦ Θεοῦ, *quæ sunt Dei*, ut referatur simul ad *corpus & spiritum*, quorum utrumque Deo dicatum sit. Cæterùm utraque vox, σῶμα & πνεῦμα, Græcis neutri generis est. Nam & hanc particulam separatim exponit Theophylactus, atque ad eundem modum & legit & interpretatur Chrysostomus: quanquam magno consensu discrepant Latinorum & codices & interpretes.

VATABLUS.

1. *APud iniquos, & non apud sanctos?*] *Sub injustis, & non sub sanctis?*

2. *De hoc mundo*] *Mundum*: i. homines impios. Vet. non legunt: *hoc.* ¶ *In vobis*] *Per vos.*

3. *Angelos*] i. Diabolos. ¶ *Judicabimus? Quantò magis secularia?*] *Judicabimus non tantùm ista quæ ad victum* [vel *facultates*, aut *vitæ usum*] *pertinent?*

4. *Secularia igitur*] *Quapropter de iis quæ ad vitæ usum pertinent.* ¶ *Habueritis*] *Habetis.* ¶ *Contemptibiles*] *Contemptos*: q. d. eos quorum non est magna reputatio & autoritas apud vos, constituite potiùs judices, quàm ethnicos judices adeatis.

5. *Quisquam*] *Ne unus quidem.* ¶ *Fratrem*] Sing. pro plur. Heb.

6. *Apud infideles?*] *Sub incredulis?* sub. *judicibus.*

7. *Judicia*] *Lites.* ¶ *Accipitis?*] *Patimini?* ¶ *Fraudem patimini?*] *Damno afficimini?*

8. *Fraudatis*] *Damno afficitis.*

11. *Quidem*] *Quidam*, plur. num. Vet. ut intelligas quosdam ex illis tales fuisse, non omnes. ¶ *In*] *In* pro *per*, Heb.

12. *Omnia mihi licent*] *Omnium mihi potestas est.* ¶ *Potestate*] *Potestatem*: accipiendo sc. ab eo victum.

13. *Esca ventri*] *Esca ventri*: sub. *destinata sunt.* ¶ *Hanc*] *Has*, Vet. ¶ *Non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori*] q. d. Corpus non est nobis datum ut fornicemur, sed ut per illud Deo serviamus: & Deus est pro corpore; h. e. aliquando immortale reddet corpus ipsum.

16. *In carne una*] *In carnem unam*, Heb. E duobus fiet velut unus homo.

18. *Corpus*] Videtur accipere *corpus* pro corpore uxoris: nullo enim delicto violatur matrimonium quàm fornicatione.

19. *Membra vestra*] *Corpus vestrum.* ¶ *Sunt*] *Est*, Vet.

20. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*] *Glorificate itaque Deum per corpus vestrum, & per spiritum vestrum, quæ sunt Dei.*

CASTALIO.

1. *JUdicio experiri apud injustos*] Non Christianos.

2. *Sanctos de mundo judicium esse facturos?*] Nam Apostolos secum judices sessuros docuit Christus.

4. *Eas ad eorum judicium refertis qui in Ecclesia despicatui sunt?* Non Christianorum, qui apud Christianos nullo numero habentur.

6. *Idque sub infidentibus*] Ἄπιςος si de homine Christiano dicatur, potest Latinè *diffidens* appellari. Sed hoc loco cùm de homine à Christi religione alieno positum sit, non satis propriè *diffidens* dici potest. Est enim *is qui est fidei*, h. e. religionis Christianæ, *expers.* Hanc ob causam putavi audendum mihi, & novo verbo in re nova utendum. Quòd si Ciceroni *indolentiam* dicere fas fuit, & alia quædam in rebus antea Latinè non tractatis fingere vocabula, quid vetat & nos inopiæ nostræ succurrere?

8. *Et quidem fratres*] Christianos.

12. *Quidvis mihi licet*, &c.] Pergit ab impudicitia dehortari per dissimilitudinem, hoc pacto, Non eadem est libertas utendi qualibet Venere quæ est utendi quolibet cibo. Nam cibo quovis licet uti, modò id non officiat cuiquam; quod fieret si quis adhuc in fide infirmior offenderetur me vescente. Nam ubi hinc periculum sit, ego nolim ità obnoxius esse ulli rei, v. g. meo ventri aut appetentiæ, ut non potiùs à carne me abstineam quàm quenquam lædam. Cæterùm quod ad cibos attinet, licet quovis cibo vesci: nam ciborum nullus est usus nisi comedantur, & ventris nullus est usus nisi comedat. Ità alterum alterius causâ creatum est. Cur ergò non licet quavis uti Venere, sicut quovis cibo? Quoniam cùm venter cibo serviat, corpus non libidini sed Christo servire debet. Venter enim ità abolebitur ut in altera vita, ad quam nos præparat Evangelium, nullus sit ventris usus futurus. Ità fit ut ventris ratio habenda sit tantùm ad hanc vitam degendam, ideóque nihil referat quo cibi genere alatur. At corpus à Christo in vitam revocandum est, & cum eo in æterna vita futurum; quo fit ut in illam vitam purum servari debeat. Itaque quemadmodum cibus ventri, & cibo venter servit, quoniam alterum alterius est, ità debet corpus Christo servire, ut & Christus corporibus nostris servivit, dum eorum causâ mortuus est & resurrexit, ut sint corpora nostra membra Christi, non scorti. Sed quod de abolendo ventre & dapibus ex Pauli argumentatione collegi, idipsum quo modo sit intelligendum nescio. Neque enim ex Pauli verbis colligi potest, nihil comesuros nos in altera vita. Nam quemadmodum alibi scripsit, *in Christo neque marem esse neque feminam*, cùm tamen Christiani mares sint & feminæ, sed nulla habetur sexuum ratio; ità ex his verbis intelligi posset, in altera vita nullam haberi ventris aut escarum rationem. Sed an ea sit Pauli mens ego ignoro.

18. *Omne aliud peccatum, quodcunque committit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, is intra suum corpus peccat*] Quod dicit, ἐκτὸς τοῦ σώματος, huic opponit εἰς τὸ σῶμα· ex quo apparet εἰς τὸ σῶμα dictum pro ἐντὸς τοῦ σώματος, sive ἐν τῷ σώματι, sicut Lucæ 11. τὰ παιδία μου μετ' ἐμοῦ εἰς τὴν κοίτην εἰσίν, pro ἐν τῇ κοίτῃ εἰσίν Sicut dixit Plautus, *Mihi in mentem fuit*, pro *in mente.* Est autem hæc sententia, Cætera peccata sedem habent in animo: Animus homicida est, animus maledicus, falsus testis, invidus, &c. in his peccatis corpus animi dictantis ministrum est: At libido in ipso penitus corpore sedem habet; & quamvis ab animo oriatur, ut cætera omnia, tamen intus in corpore committitur, cùm alia extra corpus committantur. Ex quo consequitur, non ut Stuprum sit omnium peccatorum maximum (nam Homicidium & alia quædam majora sunt) sed ut sit corpori intimum, ideóque corpus magis quàm alia turpificet: quo nihil foe-

dius

dum ad rem pertinet huc Purgatorii mentionem admiscere. Quandoquidem *diem* posuit pro *perspicua operis inspectione*. Nam noctu & quæ bella sunt displicent, & quæ fœda placent, diei certiora sunt judicia. Deinde *ignem* posuit pro *exacta exploratione*. Quin & illud annotavit Ambrosius, Non esse dictum, *salvus erit per ignem*, sed *quasi per ignem*, ut similitudinem intelligas esse, non rem. Atqui apud inferos aiunt esse verum ignem materialem. Denique nec Gregorio displicet hic sensus, ut per *ignem* intelligamus afflictionem temporalem, D. Augustinum, ut apparet, secuto, qui *lignum fœnum* ac *stipulam* interpretatur manente sincerâ fide, amorem rerum temporalium; *ignem*, molestiam deserentium eam quæ perperàm dilexerunt; nec de Gehenna nec de Purgatorio faciens mentionem. Neque verò novum est in Scripturis *ignem* accipi pro *afflictione hujus vitæ*; veluti in Psalmis, *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Quòd si quis urgeat per *ignem* intelligendum pœnas Gehennæ aut Purgatorii, quomodo qui superstruxerunt aurum & lapides pretiosos dicuntur *per ignem examinari* æquè atque illi qui superstruxerunt lignum, fœnum ac stipulam? Coactius est quòd quidam *lignum*, *fœnum*, *stipulam* interpretantur *peccata venialia*; ut *stipula* significet culpas omnium levissimas, quibus opponunt *plumbum*. At Plumbum minùs est grave quàm Aurum, & æquè purgatur igni atque Aurum. Jam cùm Græcis sit καλάμη, *culmus*, quid persuasit istis Culmum esse leviorem Fœno? Aut qui factum est ut cùm in Bonorum ordine quod optimum est primum obtineat locum, quod vilissimum est postremum, in Malorum ordine quod minimè malum est extremum habeat locum? *Ignis* igitur vocabulo judicium exactum significatur, quod ubi prodiderit errorem, sequitur afflictio pœnitentiæ. Hic sensus convenit cum dicto Petri, epist. 1. c. 1. *Ut probatio vestræ fidei pretiosior sit auro quod per ignem probatur.* Item Euangelicæ sententiæ de iis qui *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Neque verò sum nescius locum hunc ab Augustino & veteribus, Thoma præcipuè, torqueri ad varios sensus, quos omnes excutere non est hujus instituti. Mihi ut simplicissimus maximè placet, si accipiamus de doctrina Apostolorum Paulo succedentium. Ille bonum posuerat fundamentum; Videat, inquit, cæteri quid superstruant. Si digna Christo, durabit opus, etiam in luce conspectum: sin Judaismum adjunxerint, fallent quidem ad tempus, cæterùm patefiet illorum impostura simul atque vero judicio perpendi cœperint. Atque hos secutus tantum operæ luserit, cogetúrque, destructo quod ædificatum est, aliud superstruere. Id quod evenit in Romanis & Galatis, quos Paulus iterum parturiit Christo. Atque hanc sententiam sequitur D. Ambrosius, nè quis meum somnium esse suspicetur; *Opus*, inquit, *quod ardere dicitur, mala doctrina est*. Idem verbis quæ sequuntur, pœnam ignis interpretatur excussionem ac refutationem falsæ doctrinæ. Et aliquantò pòst, *Sed cùm dicit*, inquit, SIC QUASI PER IGNEM, *ostendit salvum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfidi æterno igni in perpetuum torqueatur, ut ex aliqua parte operæ pretium sit credidisse in Christum. Semper enim erubescat necesse est qui se videt falsum defendisse pro vero. Et simili modo semper fiduciam habebit Dei qui abjecto falso secutus est verum.* Ex his palàm est Ambrosium non sentire de igne purgatorio apud inferos, sed de correctione hujus vitæ, ac de pudore qui consequitur agnitum errorem. Ab Ambrosiano commento non omnia dissentit is cujus exstant in omnes Epistolas Paulinas Scholia Hieronymi titulo. Theophylactus de gradibus bonorum ac malorum operum interpretatur, subindicans aliis videri *ligno* significari levioris culpæ commissa, graviora per *fœnum*, gravissima per *stipulam*; aliis contrà. In bonorum ordine primum locum dedit *auro*, proximum *argento*, tertium *lapidibus pretiosis*: de marmoribus enim ac similibus sentit, opinor, non de gemmis, quibus nemo struit ædificium. Consentaneum est eundem ordinem servatum in his quæ non ferunt ignem; ut doctrina leviùs recedens à vero sit *lignum*: quæ longiùs abest *fœnum*, quæ longissimè *stipula*. Johannes Chrysostomus ex hoc Apostoli loco arripit occasionem probandi Gehennam esse sempiternam, quòd id temporis apparet multos fuisse qui crederent Gehennæ supplicia aliquem habitura finem; quem errorem hauserunt ex Origenistis, atque hâc fiduciâ peccabant licentiùs. Quibus ut terrorem incutiat, hunc Apostoli sermonem detorquet huc, ut per *fundamentum* intelligamus Fidem, per *superstructiones* Operationes bonas aut malas. Verùm hoc agit argumentis parùm solidis: ut hoc commentum vix probabile sit esse Chrysostomi. Vult autem Apostolum his verbis sternere viam ad insectandas Corinthiorum libidines: atque ex iisdem verbis colligit suppliciorum æternitatem, quibus recentiores colligunt sensum contrarium, *Salvus erit ipse, sed sic quasi per ignem*. Quomodo pronunciantur futuri salvi qui traduntur æternæ morti, quæ est Gehenna? Hic vir ingeniosus excusat, Scripturam interdum verbis malum declarantibus abuti in bonam partem, quemadmodum legimus *captivitatem optabilem*, & *mortificationem bonam*. Itidem hic intelligi vult, SALVUS PER IGNEM, *cruciabitur in igni, sed non absumetur ab igni*. Hoc commentum quis non statim videt esse durum? Quis autem sic loquitur, *Salvus erit, sed sic quasi per ignem*, pro eo quod erat, *Æterno igni cruciabitur, sed ipse non absumetur?* Quid igitur agit illa exceptio *sed sic*, quæ sonat eum fore salvum aliquo modo, sed non absque cruciatu? Quid porrò sibi vult *quasi*, vox quæ Similitudinem declarat, non Veritatem? Mihi verisimile fit aut hæc esse adjecta ab alio, aut Chrysostomum ad territandum duræ cervicis populum hâc interpretatione fuisse abusum. Nec tamen interim usquam fit ulla Purgatorii mentio. Cæterùm ut & hoc obiter annotem, Apostolus videtur alludere ad locum qui est apud Esaiam c. 1. *Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & accendetur.* Uterque significat inanem fiduciam perituram, sublato opere cui fidebat.

13. *Dies enim Domini*] *Domini* additum est à scriptore, sive ab interprete volente sermonem facere explanatiorem cùm apud Græcos non sit, atque adeò in Paulino exemplari non erat adscriptum, sed posterior quispiam diversâ manu adjecerat in margine. Theophylactus nec legit nec interpretatur, etiamsi interpres Latinus hoc addidit de suo. Nox ignorantiæ multa celat, dies retegit, videlicet cùm erumpens & emicans veritas factis ac rebus ipsis sese delarat. Sed tamen articulus facit propemodum ut de certo die debeat accipi ἡ γὰρ ἡμέρα. q. d. *Nam ille dies*. ¶ *In igni revelabitur*] *Revelatur* est præsentis temporis, ἀποκαλύπτεται ut sensus sit absolutus, *Omne opus igni perspicuum fieri*. Nam duo verba futuri temporis inter se respondent, *declarabit* & *probabit*. Cæterùm *revelatur* annectitur superiori verbo, *Nam dies ille declarabit, opus hujus aut illius per ignem aperiri ac patefieri quale sit*. Siquidem Interpres *quia* posuit pro *quòd*; etiamsi apud Græcos non liquet ὅτι conjunctio sit an articulus postpositivus pro ὅ, τι. ¶ *Uniuscujusque opus*] Hic Ambrosius legit, *Qui facit hoc opus, manifestus erit*: si modò codex mendo vacat.

15. *Detrimentum patietur*] Ζημιωθήσεται, *damno afficietur*. Veniam consequentur utcunque si resipiscant, cæterùm nihil auferent præmii qui luserunt operam.

17. *Violaverit, disperdet*] Φθείρει, Φθερεῖ, *destruit, destruet*. Jucunda vocum allusio. Et idem verbum variavit Interpres, sed rectè, quòd apud Latinos non responderet allusio. Est enim Græcis Φθείρω *corrumpo*; ut *corrumpitur virgo*, aut *res sacra*: est & *perdo*. Malim enim perire allusionem quàm quod vertit Hilarius in Commentario Psalmi 64. *Si quis templum Dei corruperit, corrumpet & hunc Deus*. Et hanc fuisse priorem lectionem testatur Augustinus contra epistolam Manichæi cap. 39. sed lectorem offensum verbo *corrumpet* mutasse in *disperdet*, cùm fateatur Græcis esse *corrumpet*. ¶ *Quod estis vos*: Οἵτινές ἐστε ὑμεῖς, *qui estis vos*: sicuti paulò superiùs *quod est Christus Jesus*, sive *qui est Christus Jesus*, uti comperio in vetustissimis exempl. Tametsi hoc nihil ad sensum.

18. *Stultus fiat ut sit sapiens*] Cùm Græcis sit γενέσθω & γένηται, fortassis utrumque vertendum erat eodem verbo, *stultus fiat, ut fiat sapiens*; sive, *stultus sit, ut sit sapiens*.

19. *Comprehendam*] Ὁ δρασσόμενος, i. *qui comprehendit*. Est enim δράσσεσθαι *fugientem è cursu reprehendere, manúque injectâ capere*. Ambrosius legit *reprehendam*, verbo sanè eleganti, sed ambiguo. *Reprehendit* enim & qui carpit. Testimonium adductum est ex Job. 5. ¶ *In astutia eorum*] *Eorum* referendum est ad *sapientes*: unde Latinius erat *ipsorum*; ut accipiamus, stultè sapientes suâ ipsorum astutiâ fuisse captos ac revictos, dum ipsâ re comperiunt sapientiam suam nihil profuisse ad veram felicitatem.

22. *Omnia vestra sunt*] Non reperitur secundo loco *enim*, & officit sententiæ. Iteratur enim hæc particula confirmandi gratiâ, q. d. *Omnia, inquam, vestra sunt*. Hoc loco consentit Ambrosius cum Græcis.

VATABLUS.

1. QUasi] *Tanquam*. ¶ *Parvulis*] Vel, *infantibus*.

2. *Nunc quidem*] *Adhuc nunc*.

3. *Zelus*) Vel, *æmulatio*. ¶ *Contentio**] * *Et factiones*. ¶ *Secundum hominem ambulatis?*] Heb. more hominum Spiritu Dei destitutorum vivitis?

4. *Apollo*] Genitivus casus. ¶ *Homines*] *Carnales*, Vet.

5. *Quid*] *Quis*. ¶ *Apollo? Apollos?* Nominativus casus.

sus. ¶ *Paulus* *] * *Nisi*. ¶ *Ejus cui*] *Per quos*. ¶ *Et unicuique sicut Dominus dedit*] Heb. Et unusquisque fuit minister secundùm gratiam quam Dominus dedit ei: nam aliis dedit ut plantarent, &c.

6. *Apollo*] *Apollos*.

8. *Unum*] Vel, *idem*.

9. *Adjutores: Dei agricultura*] *Cooperarii: Dei agricolatio*.

11. *Quod*] *Qui*, Vet.

12. *Aurum*, &c.] i. Doctrinam sinceræ fidei & charitatis.

15. *Sic tamen quasi per ignem*] Repetitio est: nam priùs dixit, *Cujusque opus quale sit, ignis probabit*.

17. *Templum Dei violaverit*] i. Si quis vos falsam doctrinam docet & alienam ab Euangelio. ¶ *Quod*] *Qui*.

18. *Videtur*] *Sibi videtur*.

19. *Comprehendam*] *Qui comprehendit*: i. eos qui huic mundo videntur sapientes, Deus capiet suis ipsorum vafris consiliis.

20. *Deus*] *Dominus*, Vet. ¶ *Quoniam vana sunt*] Heb. novit Dominus quòd cogitationes sapientum vanæ sunt.

22. *Apollo*] *Apollos*.

CLARIUS.

1. NON *potui vobis loqui*] Quòd illam sapientiam de qua dudum dicebam non sim locutus inter vos, non id invidentià factum est, sed ob imbecillitatem vestram, cùm adhuc carnales sitis.

8. *Unum sunt*] Quatenus scilicet absque eo qui dat incrementum nihil ampliùs facere quicquam possunt: quod verò ad mercedem pertinet, unusquisque secundùm proprium laborem mercedem feret.

10. *Ut sapiens architectus*] Id feci quod proprium esse debet periti architecti: jeci tutissimum fundamentum Christum. Videant nunc ii qui se Magistros vestros esse profitentur, quo pacto superexstruant, dignáne an indigna tam nobili fundamento: nam apparebit cujus sit virtutis illa exstructio, cùm ut ait Euangelium, *unusquisque igni salietur*.

15. *Detrimentum patietur*] Sunt qui interpretentur *minus mercedis accipiet*. ¶ *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*] Illud quod in Græco est, σωθήσεται, *servabitur*, M. Basilius & Chrysostomus interpretantur significare eum qui fuerit malæ structuræ causa, reservandum ad perpetuam pœnam: neque enim Græcum verbum σώζω, sed nè nostrum quidem Latinum *servo*, tantùm *salutem dare* significat, sed etiam *efficere nè aliquid corrumpatur*: ut sit sensus, Cùm ille dies venerit, ædificatio quidem & structura inanis apparebit, at ipse servabitur: quo pacto? ad salutem? Non; sed sic quasi per ignem: in hoc enim permanebit & servabitur, ut igni perpetuo comburatur. Non desunt tamen qui & de igne Purgatorio hunc locum interpretentur. Verùm illud αὐτὸς, quòd interpretes omnes hactenus verterunt *ipse*, ubi dicitur, *ipse autem salvus erit*, videtur posse etiam referri ad *fundamentum*, quod m. genere Paulus præmisit, τὸν θεμέλιον, ut dicamus, *Ipsum verò fundamentum servabitur atque immotum manebit, sed sic tanquam per ignem*, cujus superiùs meminerat Paulus, ut significet, in ipsa rerum examinatione tandem & agnoscendum verum esse fundamentum, & quæ vel dogmata vel opera superexstructa sunt, æquáne fuerint an iniqua, aperiendum.

22. *Omnia enim vestra sunt*] Quid, inquit, vos ipsos addicitis iis quæ instituta sunt ut vobis serviant, ut & ipsa mors utilitati vestræ inserviat, quando *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*?

23. *Christus autem Dei*] Consuevit Paulus omnia demum ad Patrem referre: quare infrà dicet, *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei*, &c.

ZEGERUS.

3. NOnne *carnales estis, & secundùm hominem ambulatis*?] Sic legendum cum Augustino, Ambrosio & Prospero, & juxta codices emendatiores.

10. *Ut sapiens architectus*] *Architectus* dicitur *qui structuris ædificiorum præest*, vel *fabrorum princeps*; ab ἀρχὸς *princeps*, & τέκτων *faber*.

12. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam*, &c.] *Jecit fundamentum* D. Paulus *Christum Jesum*, cui universa dogmatum, adhortationum, consolationum, & ex his surgentium bonorum operum structura niti debeat. Huic igitur fundamento alii alia superædificant: quæ cujusmodi sint, generosáne an humilia, fortia an infirma, pretiosa an vilia, in præsenti quidem vita, ob mortalium infirmum & præposterum judicium, plerumque ignoratur. Verùm supremi judicii dies, quem non frustrà *Domini diem* vocat Interpres, nimirum adjecto vocabulo *Domini* distinguens illum à præsentis temporis diebus, qui Hominis videntur esse magis, quibus quodlibet etiam sibi licere putat homo; ille, inquam, dies palàm faciet qualia fuerint quæ superstructa sunt. Nam ignis ille examinatorius, vel occultissima cordium perscrutans, quo tota mundi machina conflagrabit, cùm venerit Judex judicare seculum per ignem, quicquid solidum & eximium fuerit conservabit, illustrabit, ac tali fundamento dignum coarguet; & contrà, quicquid vile, inefficax & imbecillum, ignis absumet. *Si quis superstruxerit aurum, argentum, lapides pretiosos*; veluti qui cœlestis doctrinæ vel Divinæ contemplationis fulgoribus quasi *auro* quodam irradiat, qui eminentioris cujusdam dilectionis sinceritate veluti *argento* enitescit, qui terrenis omnibus calcatis, spretisque mundi illecebris, cœlestibus inhiat, *conversationémque* cum B. Apostolo Paulo *habet in cælis*, cóque quasi turri exstructà ad superna conscendit, qui cum Maria illa Euangelica *optimam delegit partem, nunquam auferendam*, Luc. 10. 42. qui *divenditis omnibus thesaurum sibi parat quem nec fur auferre, nec tinea demoliri queat*, qui *hoc utitur mundo tanquam non utatur*, qui spreto Carnis conjugio, æterno Dei Verbo Sapientiæve indissolubili vinculo cohæret; hic sine detrimento præmium accepturus est, & perstabit omnino hujus opus. Sin verò quis *superstruat ligna, fœnum, stipulam*; veluti qui matrimonio junctus, cogitat quæ mundi, quæ uxoris, quæ liberorum sunt; qui cum Martha curat ea quæ corpori sunt necessaria; quisquis hæc ædificat, & scopum ac fundamentum habet Christum, ità ut ei nec temporaria nec ea quæ licita sunt proponat, etiamsi quædem leviora incurrerit admissa, quæ per ignem expianda erunt, suà tamen mercede nequaquam fraudabitur. Non dicit autem Apostolus Paulus *illum per ignem servandum qui ferrum, aut æs, aut plumbum superædificarit*, h. e. peccata graviora commiserit: nam is fundamentum non habet Christum; unde necesse est æterno illum deperire supplicio. Præterea, ut hanc præmiserim enarrationem, nimirum ex probatissimis hinc indè desumptam autoribus, non iverim tamen inficias hæc eadem verba de Purgatorio igne rectè accipi posse, quo credimus animas levioribus culpis obnoxias cruciandas ubi mortali relicto corpusculo hinc emigrarint, tametsi nihil hoc minùs quibusdam persuasum esse non ignorem. Certè ego ab universalis Ecclesiæ Romanæ sententia hac in re censeo non recedendum. Cæterùm cujusmodi sit ignis ille expurgatorius, & quis sit Purgatorii locus, nec hujus loci est nec mearum virium discutere. Explicat hunc locum juxta priorem illam sententiam Augustinus in Enchir. cap. 68. copiosiùs etiam in libro De Fide & operibus, cap. 16. nisi quòd per *ignem* intelligat *tribulationem tentationis, & de terrenis rebus dolorem*, juxta illud Eccl. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis*. Idem quoque & de igne Purgatorio hæc intelligenda esse insinuat, tam lib. De VIII Dulcitii quæst. qu. 1. tam etiam in Explicatione Psal. 37. ubi sic inter cætera ait, *Et quia dicitur, Salvus erit, contemnitur ille ignis. Ità planè quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis quàm quicquid potest homo pati in hac vita*, &c. Juxta posteriorem sententiam explicat hunc locum exactiùs B. Gregorius lib. Dialogorum 4. cap. 12. si quis fortè videre cupiat.

13. *Dies enim Domini*] Nolim omitti *Domini*, contra Ambrosium, Augustinum, ut codices nostros antiquos.

16. *Nescitis quia templum Dei estis?* Hic revertitur Paulus ad id unde fuerat digressus: Siquidem præmiserat, Corinthios *Dei esse ædificationem*, & si fortè non intellexissent quam dixisset ædificationem, percontatur ex eis, ut ex hoc acriùs illos coarguat & efficaciùs.

18. *Nemo se seducat*] Erant inter Corinthios quidam humanà Philosophià prædìti, cui plùs satis fidentes in Christum credere stultum arbitrabantur, atque per hanc & seipsos seducebant, & alios in viva Dei templa fide consecratos profanare & seducere conabantur. Hos itaque coarguit & admonet, inquiens, *Nemo se seducat. Si quis templum*, &c.

21, 22. *Itaque nemo glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus sive Apollo*, &c.] Itaque de quo maximè vos admonitos esse volebam, ut cœperam vos redarguere, quòd factionibus dediti essetis, dicentes, *Ego Pauli sum, Ego Apollo*, &c. deinde quòd profanis Philosophis addicti essetis, dicentes, *Ego Aristotelicus, Ego Platonicus, Ego Epicureus*, quorum cogitationes Prophetæ testimonio modò ostendimus esse vanas; hæc, inquam, cùm ità sint, nè glorietur quis hominis mortalis titulo aut cognomine. Jam mihi vide quàm Apostolus

dejiciat

dejiciat & sese & alios in quibus gloriabantur Corinthii, ut efficaciùs illis persuadeat quod volebat. *Omnia*, inquit, *vestra sunt.* Vobis subjecta sunt, vestris serviunt commodis omnia in quibus tanquam in sublimioribus gloriamini. Quemadmodum indignum est præpotentem quempiam gloriari in servis ac rebus sibi subjectis, tanquam illis acceptum ferre debeat quod habet nobilitatis & gloriæ, itá nec vos gloriari condecet in his quæ vobis subjecta sunt. Nos servi sumus vestri: Vestris pedibus subjecta sunt omnia, *mundus, vita, mors, præsentia, futura*, ut vos illis dominemini, illa inserviant vobis in vestrum commodum & salutem. Cæterùm cui vosipsos vestráque omnia debetis, Christus Deus est. Nefas tamen haud esse puto nec Paulinæ menti contrarium, si quis de imitatione & patrocinio sibi gratuletur alicujus sancti, modò id cum modestia faciat & humilitate.

23. *Vos autem Christi*] Si ergò Christi estis famuli à quo tota nostra simul & vestra dependet salus, quid est quod ad ejus injuriam in hominibus gloriemini, ut ab his aliquid speretis?

H. STEPHANUS.

3. Ὅπου γὰρ ἐν ὑμῖν ζῆλος καὶ ἔρις καὶ διχοστασίαι] *Cùm enim in vobis sint livor & contentio* (vel *altercatio*) *& dissidia.*

6. Ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν] *Ego plantavi, Apollos rigavit.*

9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί] *Operam enim nostram cum Dei opera conjungimus.* ¶ Θεοῦ γεώργιον] *Arvum estis quod à Deo excolitur.*

19. Ὁ δρασσόμενος] *Qui carpit.*

21. Καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις] *Glorietur in hominibus*, i. Gloriandi materiam ex hominibus sumat.

DRUSIUS.

2. LAC *vobis potum dedi, non escam*] Nam infantes solidiorem cibum respuunt: imò eis noxius est. Moses Ægyptius, *Si quis dederit*, inquit, *puero infanti nondum à lacte depulso panem triticeum aut carnes, aut vini potu eum aluerit, occidit eum:* non quòd cibi illi noxii sint, sed ob debilitatem stomachi puerilis. Vide More part. 1. c. 33. aut, ut est in Latina versione, 32. Meliùs noster Erasmus, *Lactis potu vos alui, non cibo*, Nam ἐπότισα *ad escam* referri non potest: non enim [illegible] potatur, sed editur. *Dedi* ergò *potandum lac, non comedendam escam.* Quanquam lac etiam editur: unde, *Et lac caprarum pro cibo tuo:* ad verb. *pro pane tuo.* Sic potùs vocabulo significatur etiam cibus: unde משתה συμπόσιον, i. *convivium.* Job. 22. 7. οὐδὲ ὕδωρ διψῶντας ἐπότισας, *aquam sitientibus potandam dedisti.*

10. *Sapiens architectus*] i. Peritus. Sic Exod. 36. 4. החכמים σοφοὶ i. *periti artifices:* & v. 1. *omnis sapiens corde:* & 35. 35. *implevit eos sapientiâ cordis*, i. peritiâ artium mechanicarum. Sirach. 38. 40. ἕκαστος ἐν τῷ ἔργῳ αὐτοῦ σοφίζεται, *unusquisque in arte sua sapiens est.* Vide quæ scripsimus Observ. 8. c. 13.

15. *Detrimentum patietur*] Ζημιωθήσεται *multabitur*, i. amissionem operis sui patietur. Verbum est Juris; *multabitur*, opere suo videlicet. ¶ *Servabitur*] *Evadet*, ut Act. 2. Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης, *eripite vos:* הנצלו aut המלטו

19. *Sapiens*] *Astutos*, πανούργας. qui *sapientes ad faciendum malum* Jer. 4. 22. Phesiktha 9. 3. In vitio hic ponitur, ut *astuti* dicuntur qui cauti & sapientes sunt. Sanè *astutia* in laude usurpatur aliquando, Prov. 22. 3. *Astutus prævidet malum, & fugit:* & Basilius autor, καλήν τινα καὶ ἀγαθὴν πανουργίαν εἶναι, i. *pulcram & bonam calliditatem*, vel, si mavis, *astutiam*, *esse.* Respexit Apostolus ad locum Job. 5. 13.

20. *Sapientum*] *Hominum* est in Hebræo, & ἀνθρώπων apud Epiphanium contra Hæreses, pag. 142.

SCALIGER.

14. SI *cujus opus arserit* &c.] Quia hìc mentio ignis, ex eo ignis purgatorii veterem fabulam probant stupore planè asinino. Nam Paulus ait diem judicii fore in igne, 2 Thess. 1. & tunc Deum examinaturum & probaturum opera singulorum igne. Quòd si ignis ille est ignis purgatorius, ergò nondum est ignis purgatorius. Nondum enim cessit ille dies ὅς ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται. Viden' manifestam ἀτοπίαν? Atqui ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι τὸ πῦρ δοκιμάσει. Ergò. Quid ergò? Ergò est ignis quidam qui purgat antequam eò perveniamus quò beati debent tendere. Jam dixi Apostolum de illo die formidoloso extremi judicii agere. Quare si Paulus de igne purgatorio Sophistarum intelligit, non est metuendus ille ignis nisi in die judicii. Quoties legitur in Divinis libris Deum in igne venturum & judicaturum igne, Exod. 24. Deut. 4. & 33. Psal. 17. & 20. & 50. Nimirum idem omnes quod Paulus. Et loci notissimi sunt Esa. 66. *Deus veniet in igne, & igne castigationem facturus est*, sive *increpationem.* De quo igitur examine sentit Paulus, de eo Mal. 3. 2, 3. Jer. 23. 29. Ad verbum ergò Latinè & Romanè, *Si cujus opus cremabitur, eo quidem multabitur: ipse autem evadet ut quasi ex incendio.* Proverbium est apud omnes omnium sermone tritum. Qui causam capitalem dicit, & vix est ut non capite plectatur, si honorum amissione aut multâ pecuniariâ eo periculo defungatur, is *evasisse* dicitur, *sed tanquam ex incendio:* &, ut dicebat Imperator Claudius, *Absolutus est, sed tamen litura manet.* Cicero in Consolatione, *Non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incedere vitæ: proximum autem, si natus sis, quamprimum tanquam ex incendio effugere fortunæ.* Quod Paulus planè dixisset, ἐκεῖνα δὲ γινόμενον ὡς διὰ πυρὸς σώζεσθαι. Nam quod turbat sophistas est verbum σώζεσθαι, quòd in vulgari significatu usurpatum sit tanquam sit quidam ignis qui salvet. At σώζεσθαι idiomate suo dixit Paulus pro *evadere.* Hebræi enim non habent aliud verbum in notione *evadendi* quàm verba *Himmalet*, *Hinnatzel.* quod verè significat σώζεσθαι, sed cùm apud ipsos legitur interpretandum *evadere.* Act. 2. 40. Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης, *Eripite vos fugâ ex hac generatione, evitate, effugite, declinate.* Hoc ergò suo idiomate dixit: Qui enim periculum magnum evasit, dicitur אוד מצל, ad verbum, δαλὸς σωθεὶς ἐκ πυρός, *Torris ex igne ereptus*, Zach. 3. 2. Amos. 4. 11. Allusit ergò ad proverbium. In magno igitur die judicii si quis opus inutile fundamento superstruxerit, ille omnino eo opere multabitur. Comburetur enim opus, quia superfluum erit & inutile. Ipse verò evadet incendium, quia permanserit in fide: itá tamen evadet ut præclarè secum agi putet quòd non unà cum opere suo concrematus sit, sed ejus amissione periculo æternæ mortis defunctus sit. Ζημιωθήσεται est verbum juris, *multabitur opere suo*, *amissionem operis sui patietur*, non autem vitæ æternæ. Præclarè autem totum hunc locum Pauli explicat Psaltes Psal. 49. seu 50. In eo dicitur primùm Deus venturus in igne, ut hìc apud Paulum; deinde examinaturus opera, h. e. correpturus ea quæ etiam perperàm electi sui faciunt, nimirum superflua sacrificia, in quibus solis salutem positam existimabant. At eam confidentiam, quæ nihil aliud est quàm καλάμη & χόρτος & denique opus inutile quod fundamento superstructum est, eam, inquam, confidentiam κατακαύσει ὁ Θεὸς ἐν πυρί, ipse autem populus electus nihilominus evadet formidolosam illam & horrendam sententiam judicii, itá tamen ut gratiâ Dei & misericordiâ summum periculum evaserit. Lege Psalmum, non alium interpretem desiderabis. Igitur ille ζημιωθήσεται τὸ ἔργον, *jacturam faciet operis sui*, quia opus illud concremabitur: Ille autem ex incendio effugiet Dei gratiâ, absque qua etiam ipse unà cum opere suo conflagrasset. Ignis autem ille vorax est, ut & nemo nescit, spiritus Dei, verbum Dei. Memineris ergò quid sit ζημιωθῆναι τὴν ψυχὴν *multari bonis*, ut Matth. 16. 26. Ἔργον autem sunt opera meritoria & aliæ nugæ quas homines superstruunt fundamento ipsi & veræ doctrinæ.

CASAUBONUS.

6. AΠολλὼς ἐπότισεν] Ποτίζειν exemplo τῶν LXX pro *irrigare* accipit.

7. Ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός] Prorsus convenit illud Homeri Odysse. Ξ.

Ὅς οἱ πολλὰ κάμησι, Θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξει.

qui locus est obscurior.

9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί] Ego puto συνεργοὺς dici non *adjutores*; sed itá expendo σὺν in hac voce ut in *condiscipuli*, ut si quis dicat, *Nos sumus Pauli condiscipuli.* Sic in voce ξυνίστωρ. Cæterùm de differentia vocum σύνεργος & συνεργός vide Grammaticos. Nota non dici Θεῷ συνεργοὺς, (ut Dionysius Halicarnassensis lib. 4.) sed Θεοῦ.

14. Εἴ τινος τὸ ἔργον μένει] Lege μενεῖ.

GUALTPERIUS.

10. AΡχιτέκτων, *Architectus*] Vox Græca est, & semel in N. T. nempe hoc loco, exstat. Syrus eandem vocem ferme retinet ארדכלא *ardichla.* In sing. Chald. ארדיכל, & in plur. ארדיכלין *principales ædificatores & architecti, qui* (secundùm R. D.) *habent sub se alios.* Et sic in marginalibus quoque Syr. interpretatur. Tremellius רישא דבנים, i. *caput ædificantium.*

JAC.

JAC. CAPPELLUS.

21. N*Emo glorietur in hominibus: omnia enim vestra sunt*] q. d. Non est quòd glorieris in Paulo potiùs quàm in Petro, vel contrà, cùm uterque sit tuus: Sunt enim omnia tua, quatenus es Christi membrum, cujus sunt omnia. Fideles enim, Dei filios, electos, alloquitur Paulus. Ità potest fidelis, verè dicere quod Philosophi volebant à sapiente dici: Seneca l. 7. cap. 3. *Derideas licet, ingentis spiritûs res est, cùm Orientem Occidentémque lustraveris animo, quo etiam remota & solitudinibus interclusa penetrantur, cùm tot animalia, tantam copiam rerum, quas natura beatissimè fundit, aspexeris, emittere hanc vocem Dei, Hæc omnia mea sunt. Sic fit ut nihil sapiens cupiat, quia nihil est extra omnia.* Vide sis quæ notavimus in Psal. 8. 5. Sanè potest homo quivis dicere, saltem de corporeis rebus, Hæc omnia creata sunt hominis causâ, eóque & meâ. quia peccatum hominem suo jure spoliavit, soli fideles ità verè loqui possunt, iidémque soli sunt verè sapientes.

GROTIUS.

1. K*Aὶ ἐγὼ, ἀδελφοὶ, Et ego, fratres*] *Etiam ego* tantis Dei donis instructus. ¶ *Οὐκ ἠδυνήθην ὑμῖν λαλῆσαι, non potui vobis loqui*] *Non potui*, id est, Non ex usu judicavi, nempe cùm apud vos essem. De hac significatione vocis *δύνασθαι* [*posse*] diximus ad Mar. 6. 5. ¶ *Ὡς πνευματικοῖς, quasi spiritualibus*] Nempe *οὖσι* [*existentibus*]. Hæc enim particula subaudiri solet, ut 2 Cor. 12. 2. Sermones qui coram omnibus habentur accomodantur captui partis majoris. Pars autem major Corinthiaci cœtûs non multùm adhuc in doctrina Christi, quæ spiritualis erat, profecerat. Ideo magis adhuc opus habebant instillatione præceptorum Christi ad edomandas affectuum malorum reliquias, quàm explicatione figurarum quæ latebant in Veteri Historia, & Novi Federis res adumbrabant. Est germanus huic locus & hunc explicans ad Hebræos 5. 11, 12, 13, 14. ubi pariter *lac* sunt elementa Christianæ religionis, *cibus* verò explicatio mysteriorum in Veteri Historia latentium. Hæc conveniunt iis qui multùm profecere in pietate: illa necessaria sunt incipientibus. ¶ *Ἀλλ' ὡς σαρκικοῖς sed quasi carnalibus*] Tanquam habentes adhuc in vobis vestigia affectuum non satis Christianorum. Comparatè eos & *πνευματικοὺς* [*spirituales*] negat & *σαρκικοὺς* [*carnales*] appellat: nempe quia alii erant qui multò plùs in pietate profecerant. ¶ *Ὡς νηπίοις ἐν Χριστῷ. tanquam parvulis in Christo*] Sic vocem *νηπίου* [*parvuli*] usurpat & Scriptor ad Hebræos 5. 13. Dicuntur sic, non temporis habita ratione per quod Christum cognoverant, sed *τῆς προκοπῆς* [*profectûs*]. Sic & Homerus & Hesiodus homines exiguæ sapientiæ *νηπίους* [*infantes*] vocant. Vide & Ephes. 4. 14.

2. *Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, Lac vobis potum dedi*] Proverbiale, *Δεῖ τιθήνης ἔτι* [*Nutrice adhuc opus est*] Cicero ad Atticum 12. Philo de Agricultura, *Ἐπεὶ δὲ νηπίοις μέν ἐστι γάλα τροφὴ, τελείοις δὲ τὰ ἐκ πυρῶν πέμματα, καὶ ψυχῆς γαλακτώδεις μὲν ἂν εἶεν τροφαὶ κατὰ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν* [*Quoniam autem infantibus lac nutrimentum est, adultis quæ ex frumento coquuntur, animæ quoque suum lac debetur in ætate tenera*]. Theophilus Antiochenus libro 2. *Καὶ γὰρ νῦν ἐὰν γεννηθῇ παιδίον, οὐκ ἤδη δύναται τὸν ἄρτον ἐσθίειν, ἀλλὰ πρῶτον γάλακτι ἀνατρέφεται, ἔπειτα κατὰ πρόβασιν τῆς ἡλικίας, καὶ ἐπὶ τὴν στερεὰν τροφὴν ἔρχεται* [*Nam etiamnum infans recenter natus pane vesci nequit, sed primùm lacte alitur, provectiore ætate solidiore cibo uti incipit*]. Lacte nutriri solent non infantes tantùm, sed & *ἑκτικοί* [*qui hecticâ febre laborant*]. Faciliùs enim concoquuntur liquida. Verbum *ποτίζειν* [*potum dare*] habuimus Matth. 10. 42. & 25. 35, 37, 42. & 27. 48. Marc. 9. 41. & 15. 36. Luc. 13. 15. Rom. 12. 20. Occurret & in hac epistola aliquoties. ¶ *Καὶ οὐ βρῶμα· & non escam*] Est *σύλληψις* [*Complexio*]. Nam de *lacte* quidem dicitur *ἐπότισα* [*potum dedi*], non autem de *cibis*: subauditur ergo, *dedi*. Βρῶμα [*cibus*] hic quòd *στερεὰ τροφὴ* [*alimentum solidum*] Hebr. 5. 12. Philo, *Οὐχ ὁρᾷς ὅτι καὶ τὸ σῶμα ἡμῶν οὐ πρότερον πεπηγυίαις καὶ πολυτελέσι χρῆται τροφαῖς πρὶν ἢ ταῖς ἀποικίλοις καὶ γαλακτώδεσιν ἐν ἡλικίᾳ τῇ βρεφώδει;* [*Non vides, nos quoque antè simplice isto & lacteo quo in infantia alimur, quàm solido ac majoris pretii cibo uti?*] ¶ *Οὔπω γὰρ ἠδύνασθε nondum enim poteratis*] Et hic subaudiendum, *ferre* aut *concoquere*. Occidit enim infantem qui ei dat panem & carnes, Maimonides Ductore dubitantium lib. 33. Frequentes tales in Paulo *ἐλλείψεις* [*defectus*] modò nominum, modò verborum. Cum simili *ἐλλείψει* [*defectu*] habes Hebræum הלאיתי, id est, *potero*, Esaiæ 1. 13. Psalm. 101. 5. in Hebræo. ¶ *Ἀλλ' οὔτε ἔτι νῦν δύνασθε. sed ne nunc quidem potestis*] *Ne nunc quidem* tanto tempore post fidei initia. Debuerat cognitio & virtutes crescere cum tempore. Origenes contra Celsum 3. *Τὰ ἐν ἡμῖν μάλιστα καλὰ καὶ θεῖα τότε τολμῶμεν ἐν τοῖς πρὸς τὸ κοινὸν διαλόγοις φέρειν εἰς μέσον, ὅτ' εὐποροῦμεν συνετῶν ἀκροατῶν· ἀποκρύπτομεν δὲ καὶ παρασιωπῶμεν τὰ βαθύτερα τοὺς συνερχομένους καὶ δεομένους λόγων τροπικῶς ὀνομαζομένων γάλα· γέγραπται γὰρ παρὰ τῷ Παύλῳ ἡμῶν Κορινθίοις ἐπιστέλλοντι, Ἕλλησι μὲν, οὐ κεκαθαρμένοις δέ πω τὰ ἤθη, Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα· οὔπω γὰρ ἐδύνασθε, ἀλλ' οὐδὲ ἔτι νῦν δύνασθε. ἔτι γὰρ σαρκικοί ἐστε* [*Quicquid habemus egregium atque Divinum tum demum in popularibus sermonibus promimus in medium, cùm præsto est auditorum cordatorum copia: alioquin profundiores sensus celamus, & silentio præterimus in cœtu eorum, qui opus habent lacte, ut vocamus per tropologiam: sic enim Paulus scribit Corinthiis nondum perpurgatis à moribus Græcanicis: lac vobis præbui, non cibum, quem nondum ferebatis, ac ne nunc quidem ferre potestis, adhuc enim carnales estis*]. &c.

3. *Ἔτι γὰρ σαρκικοί ἐστε. Adhuc enim carnales estis*] Non omnino, sed plus satis, comparatè ad alios Christianos, ut jam diximus. ¶ *Ὅπου γὰρ ἐν ὑμῖν ζῆλος καὶ ἔρις καὶ διχοστασίαι, cùm enim sit inter vos zelus & contentio & scissuræ*] Ὅπου hic valet *quandoquidem*, ut 2 Petr. 2. 11. Utuntur ita hac particulâ & Xenophon & Plutarchus. Est autem hic gradatio. Nam *invidia contentionem* pepererat, *contentio scissuram*. Vide supra 1. 10. & infra 11. 18. & 12. 25. & adde epistolam Clementis. *ζῆλος* קנא [*zelus*], *ἔρις* ריב [*contentio*], *διχοστασίαι* מחלקות [*scissura.*] ¶ *Οὐχὶ σαρκικοί ἐστε, nonne carnales estis*] Nam inter *opera carnis* numerat Apostolus *ἔρεις* [*contentiones*], *ζήλους* [*zelos*] & *διχοστασίας* [*scissuras*], Gal. 5. 20. *Carnis* scilicet nomine omnes affectus respiciens, qui non Dei honorem & proximi salutem præcipuè respiciunt, sed ea quæ nostra sunt & nobis placent. ¶ *Καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε; & secundùm hominem ambulatis?*] Vivitis ut plerique homines solent, non ex Dei præscripto, non *κατὰ Θεὸν* [*secundùm Deum*], ut loquitur Apostolus Rom. 8. 27. *Homo* enim hoc loco *Deo* opponitur.

4. *Ὅταν γὰρ λέγῃ τις Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου· ἕτερος δὲ, Ἐγὼ Ἀπολλώ. Cùm enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego Apollo*] Illis quidem nominibus illi utebantur: sed principes sectarum sub hoc prætextu suo honori & commodis velificabantur. ut apparet infra 4. 6.

5. *Τίς οὖν ἐστι Παῦλος; τίς δὲ Ἀπολλώς; ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε; Quis igitur est Paulus? quis verò Apollo? nisi ministri per quos credidistis?*] Si hoc de se sentiri voluit tantus Apostolus & tantus Euangelista, quantò magis id illos cogitare oportuit, qui, cùm viris tantis comparandi non essent, suas tamen sectabantur glorias cum Ecclesiæ malo. *Διάκονοι* [*ministri*] hic non speciale nomen est functionis, sed generale, respondens Hebræo משרת, conveniens omnibus qui Euangelio inserviunt: quomodo & infra 2 Cor. 3. 6. & 6. 4. & 11. 23. Ephes. 3. 7. & 6. 21. 1 Thess. 3. 2. 1 Tim. 4. 6. Simili modo *διακονίαν* [*ministerium*] habuimus Actor. 1. 17. & 6. 4. & 20. 24. & 21. 19. *δι' ὧν* [*per quos*], id est, *quorum operâ*. ¶ *Καὶ ἑκάστῳ ὡς ὁ Κύριος ἔδωκεν. & unicuique sicut Dominus dedit*] Est hic trajectio. Rectum fuerat, *καὶ ὡς ἑκάστῳ ὁ Κύριος ἔδωκεν.* [*& sicut unicuique Dominus dedit*], & subauditur *τοιοῦτος* [*talis*]; *Tales sunt prout eis Deus dedit*, quales eos Deus suâ beneficentiâ effecit. Cùm quicquid habent, ab ipso profectum sit, meritò etiam ejus honori inservire debent. Similem trajectionem habuimus supra 2. 7. Et in iisdem vocibus *ἑκάστῳ ὡς* [*unicuique sicut*] Rom. 12. 3.

6. *Ἐγὼ ἐφύτευσα, Ἀπολλὼς ἐπότισεν, ἀλλ' ὁ Θεὸς ηὔξανεν. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*] *Ἐπότισε* [*potum dedit*] dixit figuratè pro *ἤρδευσε* (*irrigavit*), quæ vox propria agricolis: sed bene facta est translatio, quia quòd plantis est *irrigari*, id animalibus est *potum præbere*. Et ideo vicissim qui bene potarunt, *irrigati* dicuntur: sunt enim tales *μεταφοραὶ ἀντίστροφοι* [*Translationes reciprocæ*]. Et hoc quidem dictum sit de hac voce. Cæterùm alia rursus est in omnibus illis translatio à plantis ad humanum ingenium. Deus hic comparatur terræ, unde aluntur infita. Qui plantat, surculum infigit terræ: qui rigat, vias terræ aperit: incrementum autem revera ab ipsa est terra, matre ac nutrice omnium. Ita in Euangelii negotio, fidei, justitiæ, sanctitatis proventus omnis Deo debetur, à quo est revelatio, & revelationis testimonia & Spiritûs dona. *ηὔξανεν incrementum dedit*] הצמיח, Esaiæ 55. 10. & 51. 11.

7. *Ὥστε οὔτε ὁ φυτεύων ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*] *Nihil sunt*, nempe si Deum respicias. Nihil magni sunt. Sic enim *τι* [*aliquid*] sumtum,

tum, Gal. 6. 3. 2 Corinth. 3. 5. ¶ Ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός *sed qui incrementum dat Deus*] Paulò alia est similitudo eòdem tendens & itidem ab agricultura desumpta, sed alio modo. Apud Philonem, *Φίλαυτος δὲ καὶ ἄθεος ὁ νοῦς, οἰόμενος ἴσος εἶναι Θεῷ, ποιεῖν δοκῶν ἐν τῷ πάσχειν ἐξεταζόμενος. Θεοῦ δὲ σπείροντος καὶ φυτεύοντος ἐν ψυχῇ τὰ καλὰ, ὁ λέγων νοῦς, ὅτι ἐγὼ φυτεύω, ἀσεβεῖ. οὐ φυτεύσεις ἐν ὅταν ὁ Θεὸς φυτουργῇ* [*Mens autem sui amans & impia, putans se aqualem Deo, dum facere videri vult, reverà patitur. Caterum cùm Deus seminat & plantat in anima quicquid honestum est, mens si dicat, Ego planto; impiè facit: non plantabis igitur quando Deus plantat*].

8. Ὁ φυτεύων δὲ καὶ ὁ ποτίζων ἕν εἰσιν, *Qui autem plantat & qui rigat unum sunt*] Idem agunt negotium: sicut illi in agricultura plantam terræ & terram plantæ admovent, sic hic in Euangelio homines ad Deum, Deum ad homines perducunt. Qui eidem negotio incumbunt, non debent partes facere. De hoc loquendi genere vide Joh. 10. 30. & 17. 11, 22. 1. Joh. 5. 7, 8. ¶ Ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. *unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*] Pro magnitudine laboris erit magnitudo mercedis: sed immensò major labore merces.

9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί· *Dei enim sumus adjutores*] Nos Apostoli & Doctores alii. Quos dejecerat, Deo comparans, eos hominibus comparans multùm attollit: dicit enim eos *cum Deo operari*, suo scilicet modo. Iidem & *veritati cooperari* dicuntur 3 Joh. 8. Vicissim Deus συνεργεῖν [*cooperari*] dicitur Apostolis Mar. 16. 20. ¶ Θεοῦ γεώργιον, Θεοῦ οἰκοδομή ἐστε. *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*] Plebem hìc alloquitur, & duas adhibens similitudines, priorem sermonem ab agricultura desumptum finit, & novum ab architectura orditur. Γεώργιον est omne *quod ab agricola excolitur*. Legitur in Græcis libris Veteris Testamenti, ut Gen. 26. 14. Prov. 6 7. & 24. 30. & 31. 16. Pari sensu populus Esaiæ. 61. 3. Φύτευμα Κυρίου [*plantatio Domini*].

10. Κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι; *Secundùm gratiam Dei qua data est mihi*] Omnia refert ad honorem Dei, ut alios doceat idem facere. ¶ Ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα, *ut sapiens architectus fundamentum posui*] Σοφὸς [*Sapiens*] Græcis adjectivum est omnium artificum. Itaque

— σοφὸς ἤραρε τέκτων
[— *sapiens opifex fabricavit*].

etiam apud Homerum legimus. Sic Exod. 35. 35. in Græco, *οἱ σοφοὶ οἱ ποιοῦντες τὰ ἔργα τοῦ ἁγίου* [*sapientes ad facienda opera sancti*]. Et Esaiæ 3. 4. חכם חרשים vertitur *σοφὸν ἀρχιτέκτονα* [*sapientem Architectum*]. *Fundamentum jacit*, qui rei alicui initium dat. De Euangelio id usurpat Apostolus Rom. 15. 20. Et scriptor Hebr. 6. 1. Paulò longiùs provecta translatione ipsi Apostoli, ut in prædicatione principes, *fundamenta* dicuntur Apoc. 21. 14. ¶ Ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ. *alius autem superædificat*] Quia *ædificii* mentionem fecerat, aliam instituit ab ædificio comparationem: ante fideles dixerat *ædificium Dei*, nunc *ædificium* vocat ea quæ in Ecclesia Christiana à Doctoribus docentur. Similes transitiones, parte similitudinis retentâ, parte mutatâ, habes Matth. 13. Mar. 4. Joh. 10. & alibi. Ἕκαστος δὲ βλεπέτω πῶς ἐποικοδομεῖ. *unusquisque autem videat quomodo superædificet*] Ostendit rem esse periculi plenam.

11. Θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est*] *Non licet aliud ponere fundamentum*, quàm quod ego posui, id est, non licet contrà docere. Δύναται [*Potest*] hic significat jus agendi. Vide Matth. 9. 15. Luc. 5. 21. Sic & Jurisconsulti verbum *posse* & nomen *potestatis* usurpant. ¶ Ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *quod est Jesus Christus*] Id est, Christi historia, præcepta & promissa. Sic *Deum esse, mundum ab eo conditum ac regi, datam ab eo Legem*, יסודים, id est, *fundamenta* vocant Hebræi.

12. Εἰ δέ τις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον τοῦτον χρυσὸν, ἄργυρον, λίθους τιμίους, ξύλα, χόρτον, καλάμην, *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam*] Fingit sibi ædificium Paulus partim regale, partim rusticum: quia quanquam tale fieri moris non est, tamen naturæ non repugnat, & id requirit ἀπόδοσις [*redditio*.]. Proponit ergo nobis domum cujus parietes sint ex *marmore*: columnæ partim ex *auro*, & partim ex *argento*: trabes ex *ligno*: fastigium verò ex *stramine* & *culmo*, unde culmen dicitur. Λίθοι τίμιοι [*Lapides pretiosi*], aut ἐκλεκτοὶ [*selecti*] etiam *marmora* dicuntur, ut ostendit locus Esaiæ 54. 11. collatus cum primo Paralip. 31. 2. in Græco, & Josepho. Vide quæ ad illum Esaiæ locum diximus. In tabernaculi structura erant *aurum, argentum, lapides, ligna*, Exod. 25. 4, 5, 7.

13. Ἑκάστου τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται. *Uniuscujusque opus manifestum erit*] Eventus ostendet quæ materia firma sit, quæ infirma. ¶ Ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει· ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται· *dies enim declarabit; quia in igne revelabitur*] Longum tempus adferre solet incendia, sive casu fortuito, sive igne cœlesti, sive vi bellica. Ἡμέρα [*dies*], id est, *longum tempus*: *longa dies* etiam Latinis. Sic יום [*diem*] χρόνον [*tempus*] sæpe vertunt LXX. Vide quæ diximus Num. 3. 13. Adde Esaiæ 3. 18. Ἡμέρα δηλώσει [*dies declarabit*], idem est quod dicit Sophocles,

Ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ' ἄδηλα —
[*Humana longis cuncta curriculis dies*
Immutat, occulta aperit —].

Et quod Simonides,

Οὐκ ἔστι μείζων βάσανος χρόνου οὐδενὸς ἔργου
[*Tempus cuncta docet, quo non est certior index*].

Et hìc ἀποκαλύπτεται [*revelabitur*], intellige ἔργον ἐν πυρὶ [*opus in igne*], *per incendium*. ¶ Καὶ ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι, τὸ πῦρ δοκιμάσει. *& uniuscujusque opus quale sit ignis probabit*] Rectè, nam *aurum* ignibus invictum est; *argentum* & *marmora* diu igni resistunt: minus *lignum*: minimè *stramen* & *culmus*: ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσός [*in igne probatur aurum*] Ecclesiast. 2. 5.

14. Εἴ τινος τὸ ἔργον μένει ὃ ἐπῳκοδόμησε, μισθὸν λήψεται· *Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet*] Jam venit ad ἀπόδοσιν [*Redditionem*]. Si quis Doctor præcepta specialia dederit, quæ considerata re, loco, tempore, circumstantiis, conveniant cum generalibus Christi præceptis, is honorem apud Ecclesias omnes consequetur. Clemens Strom. 6. *Ἡ μὲν οὖν πίστις σύντομός ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, τῶν κατεπειγόντων γνῶσις· ἡ γνῶσις δὲ ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος, διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας, ἐποικοδομουμένη τῇ πίστει εἰς τὸ ἀμετάπτωτον, καὶ μετ' ἐπιστήμης καταληπτὸν παραπέμπουσα. καί μοι δοκεῖ πρώτη τις εἶναι μεταβολὴ σωτήριος ἡ ἐξ ἐθνῶν εἰς πίστιν, ὡς προεῖπον. δευτέρα δὲ ἡ ἐκ πίστεως εἰς γνῶσιν. ἡ δὲ εἰς ἀγάπην περαιουμένη ἐνθένδε ἤδη φίλον φίλῳ γιγνώσκειν τῷ γιγνωσκομένῳ παρίστησιν* [*Fides ergo, ut semel dicam, est brevis & compendiosa eorum, quæ necessaria sunt, cognitio. Cognitio autem est firma ac stabilis demonstratio eorum, quæ assumpta sunt per fidem, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur, quæ transmittit ad id quod non potest excidere & mutari, & potest comprehendi scientiâ. Ac mihi quidem videtur esse prima quædam salutaris mutatio, quæ fit agentibus ad fidem, ut prius dixi: secunda autem, quæ est à fide in cognitionem. Illa verò desinens in charitate, amicum id, quod cognoscit, ei reddit, quod cognoscitur*]. Plato magistratibus mercedem dicit esse honorem. Et honor is qui Doctori habetur ab Ecclesiis omnibus, præsagium est honoris à Deo consequendi ex promisso Matth. 16. 19. Incendio igitur respondet lux quæ ab Ecclesiis omnibus uni Ecclesiæ laboranti allucet. Sic Dei judicia igni comparantur Esaiæ 4. 4. & 66. 16. Et Spiritus Ecclesiæ primùm in ignis forma datus.

15. Εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, *Si cujus opus arserit*] Si ab aliis Ecclesiis deprehendatur doctrina alicujus repugnare Christi doctrinæ, aut directè, ut *licitum esse cum noverca concubitum*, ut *non exspectandam resurrectionem*; aut spectatis circumstantiis, *licere epulari in idolio, licere litigare apud profanos Magistratus*. Talia enim judicio sanarum Ecclesiarum stare non possunt. Justinus cum Tryphone disputans negat pro Christianis habendos, qui resurrectionem futuram negant. Tertullianus adversùs Marcionem 5, *Quia per ignem judicatur vestra superædificatio*. Trabes incendio solent perire, epistolâ dictâ Jeremiæ 55. ¶ Ζημιωθήσεται. *detrimentum patietur*] Dejicietur omnium judicio de Doctoris munere, aut etiam communione privabitur, ut illi incesto accidit. ¶ Αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός. *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per per ignem*] Id est, In summo erit salutis suæ periculo: Etsi eam adipiscetur (quod boni ominis causâ sperare mavult Apostolus) non fiet id sine gravi mœstitia ac dolore. Vide 2 Cor. 2. 7. Hic est ὄλεθρος σαρκὸς [*interitus carnis*], infra 5. 5. σώζεσθαι ὡς διὰ πυρὸς [*salvari quasi per ignem*] est proverbiale ad significationem summi periculi. Sic ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες [*de igne rapientes*] dixit Judas 23. Aristides in Appellem, Ἐκ μέσου, φασὶ, πυρὸς τὸν ἄνδρα σώζειν [*De medio, inquiunt, igne hominum servare*]. Cyprianus epistola 66, *Exuenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus concremetur. Nemo diu tutus est periculo proximus.*

16. Οὐκ οἴδατε ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε; *Nescitis quia templum Dei estis?*] Redit ad comparationem cœptam supra, à qua ad alia quæ-

quædam affinia tamen, deflexerat. Philo familiam Abrahami *templo* comparat. Rabbi Aischek ad Aggæum 2 ait populum Israeliticum dici *Dei templum*. Multò justius verò Christiani & singuli & collecti, ob Spiritum Dei in ipsis habitantem. Vide infra 6. 19. 2 Corinth. 6. 16. Salvianus ad sororem, *Benedictus itaque Dominus Deus noster, qui semper spiritûs tui custos, nunc præcipuè etiam carnis fuit, & in te manens téque custodiens manum suam ex interioribus tuis usque ad exteriora porrexit: non solum sancta sanctorum, sed etiam vestibula templi sui & circumsepta servavit, protectionemque suam latiùs pandens fecit salutem animæ tuæ usque ad salutem corporis pervenire.* ¶ Καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; *& Spiritus Dei habitat in vobis?*] Καὶ [*&*], id est, *quia*. Multò augustior hæc inhabitatio quam illa per fulgorem apud Arcam.

17. Εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, *si quis autem templum Dei violaverit*] *Destruit*. Quod fieri solet malis doctrinis & malis exemplis Roman. 14. 15. Hic infra 8. 11. ¶ Φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός *disperdet illum Deus*] Id est; Gravissimè puniet, nisi nempe monitus resipiscat. Φθερεῖ [*destruet*] hic quod ἀπολέσει [*disperdet*] Matth. 21. 41. Sic Athaliam, sic Baltassarem perdidit Deus: illam quòd templum, hunc quòd templi donaria profanasset. ¶ Ὁ γὰρ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἅγιός ἐστιν *templum enim Dei sanctum est*] Sancta violari non debent. ¶ Οἵτινές ἐστε ὑμεῖς. *quod estis vos*] Id est, *Quod templum vos estis*: nam relativum inter duo substantiva positum modò recipit genus & numerum præcedentis, modò subsequentis.

18. Μηδεὶς ἑαυτὸν ἐξαπατάτω *Nemo se seducat*] אל־תשאו נפשתיכם [*nolite decipere animas vestras*] Jerem. 37. 9. Omnis Philosophia humana Euangelio repugnans, deceptio est 2 Thess. 2. 3. ¶ Εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ: *si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo*] Σοφὸς ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ [*sapiens in hoc seculo*] est σοφὸς κατὰ σοφίαν κόσμου [*sapiens secundum sapientiam mundi*] ut sequitur. Si quis in eo sibi placet quòd novit omnium Philosophorum sententias & rationes. ¶ Μωρὸς γενέσθω, *stultus fiat*] Euangelio se teneat, quod illi Philosophi stultum putant. Supra 1. 18, 21. ¶ Ἵνα γένηται σοφός. *ut sit sapiens*] Ut ea sapiat, quæ ad vitam æternam certò eum possunt perducere.

19. Ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστι. *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum*] Deo non magis placet quàm summa stultitia, quia puritatem illam animi, quam Deus requirit, non exhibet, supra 1. 21. *Est stultitia*, id est, Non pluris fit quàm stultitia. Similis locutio Rom. 1. 14. & 25. Sic Esaiæ 44. 25: ודעתם יסכל [*scientiam eorum infatuaturus est*], τὴν βουλὴν αὐτῶν μωραίνων [*consilium eorum stultum faciens*], & 2 Samuel. 15. 31: סכל־נא את־עצת אחיתפל [*Infatua quæso consilium Achitophel*]. Ubi alii ματαίωσον [*stultam fac*] alii ἀφρόνησον τὴν βουλὴν Ἀχιτοφὶλ [*infatua consilium Achitophel*]. ¶ Γέγραπται γάρ· Ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν. *scriptum est enim: Qui comprehendit sapientes in astutia eorum*] Est ex verbis Eliphasi apud Jobum 5. 13. Ubi LXX habent, Ὁ καταλαμβάνων σοφοὺς ἐν τῇ φρονήσει [*qui capit sapientes in prudentia*]. Est δράσσειν propriè *pugno includere* Levit 2. 2. & 5, 12. Numer. 5. 26. laxiùs sumptum idem valet quod καταλαμβάνειν [*capere*] ut Psalm. 2. 12. in Græco. Et πανουργίᾳ [*astutiâ*] vox est media, hic idem valens, quod φρονήσει [*prudentiâ*]. Vide Prov. 1. 4. & 8. 5. Sirach. 19 21. & 34. 10. Fecit hoc Deus egregiè, cùm Philosophos inter se commisit, ut nihil alter pro certo affirmaverit quod non alter æquè ingeniosus eversum eat.

20. Καὶ πάλιν· Κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν, ὅτι εἰσὶ μάταιοι. *Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt*] Ex Psalm. 94. 11. ubi in Græco, Κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν ἀνθρώπων, ὅτι εἰσὶ μάταιοι [*Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*]. Paulus pro ἀνθρώπων [*hominum*] posuit σοφῶν [*sapientum*], quia id instituto ipsius conveniebat: & haud dubiè de iis maximè agit Psalmographus, qui sibi sapere plurimùm videbantur.

21. Ὥστε μηδεὶς καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις. *Nemo itaque glorietur in hominibus*] Lætetur quòd hunc aut illum Doctorem habuerit, ut ei se addicat, ut apud Judæos Hillelis & Sammæi discipuli: apud Græcos Pythagorici, Platonici, Aristotelici, Epicurei. ¶ Πάντα γὰρ ὑμῶν ἐστιν. *omnia enim vestra sunt*] Non vos Doctorum causâ estis, sed illi vestri causâ. Deus illis dona dat in usum vestrum.

22. Εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλὼς, εἴτε Κηφᾶς, *Sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas*] Quia illi hæc nomina prætendebant, utitur illis nominibus. Quod si Apostoli sunt illorum causâ, quos instituunt, quantò magis illi qui se faciebant sectarum principes? ¶ Εἴτε κόσμος, *sive mundus*] Jactant se quidam rerum naturalium scientiâ. Atqui totum hoc universum in hoc conditum est, ut Deus cognoscatur. Illi ipsi verè universum possident, universo utuntur, ac fruuntur, qui Deum norunt ¶ Εἴτε ζωὴ, *sive vita*] Si vitam Doctoribus protrahit Deus, id facit ut prosint Ecclesiæ: Philippens. 1. 24. ¶ Εἴτε θάνατος, *sive mors*] Si ob Euangelium mortem obeunt, id fit ut alii ipsorum constantiâ firmiores fiant. ¶ Εἴτε ἐνεστῶτα, *sive præsentia*] Si linguarum & sanationum dona habent, in id habent, ut fideles inde & numero & viribus crescant. ¶ Εἴτε μέλλοντα *sive futura*] Idem est de rerum futurarum revelationibus. ¶ Πάντα ὑμῶν ἐστιν. *omnia enim vestra sunt*] Omnia hæc sunt non ipsorum tantùm, sed aliorum, quales vos estis, causâ.

23. Ὑμεῖς δὲ Χριστοῦ *vos autem Christi*] Christi creatura, ut ipsi obediatis. ¶ Χριστὸς δὲ Θεοῦ *Christus autem Dei*] Sicut Christus Patri suo obedivit, infra 11. 3.

CAP. IV.

VALLA.

3. 4. 5. M*IHI autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die; sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare*] Non est idem verbum in illis, *judicer* ἀνακριθῶ, & *judico* ἀνακρίνω, & *judicat* ἀνακρίνων, quod in hoc *judicate* κρίνετε. Si non est idem Græcè verbum, cur eodem Latinè transtulit? E diverso idem Græcum ἀνακρίνω cur transfert diversis Latinis? ut in illo c. 2. 15. *Spiritualis judicat omnia, & ipse à nemine judicatur*, ἀνακρίνει, ἀνακρίνεται & 9. 3. *Nam quæ mea defensio est apud eos qui me interrogant?* ἀνακρίνουσι. Et iterum, *Nihil interrogantes propter conscientiam*, ἀνακρίνοντες. Ego, nè pluribus immorer, *judicate* ad verbum optimè translatum sentio: cætera quæ Græcè uno verbo dicuntur, ego maluissem transferre per verbum *discutio*, sive *discerno*, sive *scrutor*, sive aliud simile. Nam id quod paulò post sequitur v. 7. *Quis enim te dicernit?* ego dixissem, *Quis enim te dijudicat?* διακρίνει.

6. *Ut in nobis discatis nè suprà quàm scriptum est, unus adversùs alterum infletur pro alio*] Deest aliquantulum in Latino: nam sic Græcè legitur, *non supra id quod scriptum est sentire*, i. de vobis sentire, *nè unus pro altero infletur adversùs alterum*. Quod sic transtulissem, *nequis pro altero adversùs alium inflemini*, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε.

8. *Sine nobis regnaretis, & utinam regnatis*] Gr. *regnastis, & utinam regnassetis*, ἐβασιλεύσατε, καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε.

12, 13. *Maledicimur & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus*] Non servavit Græcam venustatem Latina translatio. Nec inficias eo non posse hunc locum propriè transferri, quia nos caremus participio præsentis passivo, etsi nonnunquam participio præteriti in eundem effectum utimur; ut si dicamus, *Infestati finitimorum incursibus semper in armis sumus, oppugnati resistimus, lacessiti obviàm imus*; i. *cùm infestamur, cùm oppugnamur, cùm lacessimur*. Ità nunc ad verbum transferendo licebat dicere, *Vituperati* (sive *Contumeliâ affecti*) *benedicimus, exagitati sustinemus, blasphemati obsecramus*. Aut per aliquam viciniam, ut modò dicebam, *Cùm maledicimur, benedicimus; cùm persecutionem patimur sustinemus; cùm blasphemamur, obsecramus*. Aut per participia activa cum quodam conflexu, *Malè audientes benedicimus, persecutionem patientes sustinemus, blasphemiam audientes obsecramus*. Nam illud fortasse durius, *Maledicentibus benedicimus, persequentes sustinemus, blasphemantes obsecramus*. Certè nunquam fecissem ut copulâ, quæ in Gr. non est, uterer, λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, διωκόμενοι ἀνεχόμεθα, βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν. ¶ *Facti sumus omnium peripsema*] Miror cur hoc nomen non transfert Interpres, si minùs per unum vocabulum, certè per plura, non enim nomen est quod pro Latino acceptum sit, h. e. cujus significatio aperta sit, cùm præsertim scribi Latinè non possit, περίψημα, ac nè pronunciari quidem fortè suo accentu. Ego vel sic dixissem, *Facti sumus omnium pulvis vestigiorum*,

REVIUS in VALLAM.

6. P*RO alio*] Mendosè textu in glossam irrepserat.

13. *Pulvis vestigiorum*] Beza *ramentum*: sed luculentam Notam Erasmi consule.

ERASMUS.

1 *Dispensatores ministeriorum*] Μυστηρίων, *mysteriorum*, sive *arcanorum*; consentientibus omnibus, etiam Thomâ, præter paucos codices depravatos, sed tamen evulgatissimos. Et melius erat *æstimet* quàm *existimet*: non enim ad hunc modum quisquam loquitur Latinè, *Existimas me ut Regem*, sed, *Existimas me Regem*. Nec agitur de existimatione sed æstimatione. Non enim vult Paulus Apostolos pluris fieri quàm fieri debeant ii qui rem administrant alienam. Et dispensatores hic *œconomi* vocantur, qui administrant quidem, sed rem alienam, & rationem reddituri.

2. *Hic jam quæritur*] Ὃ δὲ λοιπὸν, ζητεῖται, *Quod autem superest, quæritur:* sive, *Deinceps*, sive *Posthac*, *quæritur*. Interpres legisse videtur ὧδε, non ὃ δὲ, i. *Hic*, non *Quod autem*, sed magno consensu refragantibus Græcis omnibus. Proinde lectoris est deligere utram lectionem sequi malit. Nos quod in Græcis cod. reperimus vertimus. nè Latina discreparent à Græcis. *Quæritur* autem hoc loco significat *spectatur*, sive *requiritur*: nam fides in œconomo potissimùm spectari solet, autoritas penès dominum est. Porrò *in dispensatoribus* rectius erat quàm *inter dispensatores*: neque enim hoc inter œconomos disputatur, sed ab illis requiritur.

3. *Aut ab humano die*] Hunc locum alicubi citat Hieronymus, ut ostendat Paulum non admodum elegantem fuisse in lingua Græca, sed quædam Cilicum more dixisse: nam Cilix erat, Tarsi natus. Hic cùm nihil esset contumeliosè dictum in Paulum, tamen magnis tragœdiis exagitavit quidam hunc locum, ex hoc declarans me nihil prorsus intelligere omnium quæ lego vel apud Hieronymum vel apud alios Ecclesiæ Doctores. Ob hujusmodi calumnias Hieronymi verba subscribam ex epistolæ ad Algasiam quæst. 10. *Illud*, inquit, *quod crebrò diximus*, ET SI IMPERITUS SERMONE, NON TAMEN SCIENTIA, *nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos sensus linguâ non explicat. Et cùm ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone; quem cùm in vernacula lingua habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebrais, & eruditus ad pedes Gamalielis viri in Lege doctissimi, seipsum interpretari cupiens involvitur.* Nónne palàm hic fatetur Hieronymus Paulum minùs calluisse Græcam linguam quàm Hebraicam, quòd alteram didicisset à majoribus & à doctissimo præceptore, alteram è commercio Cilicum? Nónne comprobat hic quod aliàs ostendi, Paulum imperitè loqui ob inscitiam sermonis Græci? Porrò qui puro sermone non potest eloqui quod sentit, nónne utcunque eloquitur sermone parùm eleganti parúmque puro? Ac mox Hieronymus ostendit illum ex idiomate Cilicum multa dixisse: quod genus sunt, ἀπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας pro *humano judicio*, & ἀνθρώπινον λέγω, cùm quid dicit humilius parúmque perfectum, & οὐ κατενάρκησα ὑμᾶς, cùm quis alteri graviùs imminet, & καταβραβεύειν, ubi quis in certamine præripuit alteri præmium injustè. Hæc Hieronymus ità vult esse dicta Paulo ut Virgilio dictum est *sceleratum frigus*. Neque verò me fugit hæc variè vafréque scribi ab Hier. nec excutio quantum apud me valeant hæc quæ scribit. Tantùm indico me non temere indicasse locum. Si Paulus non potest explicare purè quod sentit, aut ipsius imperitia fuit in causa, aut ipse sermo parùm expolitus, aut res ipsa. Sed rem explicat in Heb. lingua, in qua fuit disertissimus: superest ut aut Cilicum lingua minùs fuerit elegans, aut eam minùs calluerit Paulus. Et utrumque fuisse verum subindicat Hieronymus, cùm & fateatur Paulum imperitum fuisse sermonis Græci, non quòd more vulgari non potuerit loqui, sed quòd animo declarando defuerit sermo purus & elegans; & ostendat quædam esse peculiaria ejus gentis in qua natus est, quibus abusus sit ad explicandum utcunque quod senserat. Neque verò contra me facit si Tarsus prodidit aliquot eruditos viros Aratum, & Oppianum: quasi verò non & Scythia nobis dederit Anacharsidem. Non refert ubi natus sis, sed unde didiceris. Neque qui scribunt utuntur omnibus quæ vulgaris habet sermo. Nam & ætate Ciceronis vulgò quædam ferebantur à quibus ipse abstinet. At Pauli sermonem fuisse vulgarem nemo puto negaverit, Disertiùs autem dicturus erat, opinor, si Athenis cum Demosthene, Platone & Isocrate versatus fuisset, & puriùs quæ senserat eloqui potuisset. Utinam Deus, det mentem meliorem iis qui hujusmodi sycophantiis & suum perdunt otium & alienum. Cæterùm ut paulo superius *diem* dixit pro *judicio*, quo modo alibi sæpe *diem Domini* vocat; ità hic *humanum diem* dixit pro *judicio humano*. Reis enim dies dicitur.

4. *Nihil enim mihi conscius sum*] An Lat. dicatur, *nihil sum conscius*, quemadmodum dicitur, *non sum id nescius*, non satis apud me liquet. Græcè verbum est, *Nihil mihi conscio*, Οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα. Sic & Horatius,

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

5. *Itaque nolite*] Ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, *Ne ante tempus aliquid judicetis.* August. legit, *Nolite ante tempus quicquam judicare*, cùm aliis aliquot locis, tum explanans Psalmum 88. item ad Probam viduam de orando Deo.

6. *Transfiguravi in me & Apollo*] Μετεσχημάτισα, *transfiguravi*, h. e. aliorum personam in nos duos transtuli, & sub persona nostra de malis dispensatoribus locuti sumus, nè quos offenderemus. Item *Apollo* hoc loco accusandi casu debet accipi, *in me & in Apollo*. Atque hic nonnulli Latini codices habent mendosè, *ut in vobis discatis*, secundæ personæ, pro *nobis* primæ. ¶ *Ne suprà quàm scriptum est*] Græcè paulò diversius est, μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς μὴ φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου, i. *Non supra id quod scriptum est sentire*, i. de vobis ipsis sentire, quemadmodum crebrò jam indicavimus. *Ne unus pro uno infletur adversus alterum.* Est autem sermo perturbatior: verùm dilucidior erit si *unus pro uno* pertineat ad singulos discipulos ac præceptores, ut hic infletur nomine Apollo, ille nomine Pauli, hic nomine Cephæ; & quod sequitur, *adversus alterum*, pertineat ad Christianos inter se discordantes ob studia præceptorum: qui mos esse solet contentiosis. Quandoquidem *unus pro uno* positum est pro *alius pro alio*, sive, ut meliùs dicam, *alius de alio* sive *super alio*. Illud novum, quòd ἵνα μὴ indicandi modo adjungitur, nisi fortè pro φυσιῶσθε depravatum est φυσιοῦσθε, aut nisi variat hic quoque synæreseos ratio: sicut in aliis nonnullis. Et in nonnullis Græcorum exempl. congeminatur μὴ, in nonnullis semel duntaxat ponitur.

7. *Quis enim te discernit?*] Διακρίνει, *dijudicat*, D. Augustinus in epist. ad Valentium, ac rursus in libro ad eundem De gratia & correptione, item lib. ad Bonifacium contra duas Pelag. epistolas cap. 7. interpretatur *discernit* pro *separat à massa Adæ*: qui sensus pius quidem est ac verus, quanquam hic Paulus non agebat de peccato primorum parentum, sed adversùs illos disputabat qui se cæteris præferebant quòd essent à præcipuis Apostolis baptizati, cùm Baptismus sit æqualis omnium. Ità S. Ambrosius. Et Theophylactus *discernit* interpretatur *judicat*, ψηφίζει addens *hominum judicia falli*. Chrysostomus hanc particulam dissimulat. Cæterùm διακρίνειν in S. literis aliquoties usurpatur pro *dubitare* sive *hæsitare*, nonnunquam pro *anteponere*; quemadmodum διαφέρειν interdum sonat *differre*, interdum *excellere*, velut hujus epistolæ cap. 11. *non dijudicans corpus Domini*, μὴ διακρίνων quuod enim aliis præferimus, separamus à turba. Hoc ideo admoneo quod hic Paulus loqui videtur de primoribus, quos non patitur se cuiquam præferre, eò quòd, si quid habent supra cæteros, ex sese non habent. Si quod est in τίς transferretur in finem verbi διακρίνει, sensus esset commodior, τί σε διακρίνεις; i. *cur te ipsum tanquam præstantiorem à vulgo segregas?*

8. *Sine nobis regnatis*] *Regnastis* est Græcè, ἐβασιλεύσατε. ¶ *Et utinam regnetis*] Ἐβασιλεύσατε, i. *regnassetis*. Quanquam in hujuscemodi Græci nonnunquam præteritis pro præsentibus abutuntur. Verti poterat *Regnum consecuti*, sive *adepti estis*; & *consecuti sitis*.

9. *Tanquam morti destinatos*] Ὡς ἐπιθανατίους, i. *obnoxios morti*. Quanquam Interpres bellè vertit. Sentit enim de iis qui juxta morem Romanum inclusi caveis, spectante populo bestiis objiciebantur. ¶ *Spectaculum sumus*] Θέατρον *theatrum*: quod tamen & apud Græcos à *spectando* dictum est. Atque apud veteres nocentum supplicium spectaculi vice exhibebatur populo, velut homo commissus cum leone aut urso. Vocem Græcam usurpavit Hieronymus enarrans caput epist. ad Galatas 4. simul admiscens similitudinem de fabularum actoribus, quibus hoc unicum est studium ut populo placeat fabula: *Mutabat* inquit, *Paulus vocem suam, & in histrionum similitudinem; factus est siquidem theatrum mundo & Angelis & hominibus, habitum in diversas figuras vertebat & voces: non quod id esset quod se esse simulabat, sed quòd id tantùm videretur esse quod cæteris prodesset.* Nemo dubitat quin hæc piè Hieronymus: sed quas calumnias excitarent quidam si hæc dixisset Erasmus? Paulus *histrioni* comparatur & *simulare* dicitur: sed quid sit histrio non intelligitur, & ex simulando calumniam struit simulator.

10. *Nobiles, ignobiles*] Ἔνδοξοι, ἄτιμοι, i. *gloriosi & infames*, sive *clari & obscuri*, aut *in pretio habiti & contempti*. Nec enim hic *nobilis* est eadem vox quæ superiùs fuit εὐγενὴς & ἀγενὴς nam illa ad genus referuntur, hæc ad famam & opinionem Nec est in verbis Græcis illa προσονομασία, *nobiles & ignobiles*.

11. *Instabiles sumus*] Ἀστατοῦμεν, *non habemus certam sedem*,

dem. Unde nos vertimus *incertis vagamur sedibus.* Est autem una tragicarum imprecationum, τὸ ἀλητεύειν.

12. *Maledicimur, & benedicimus*] Participia passiva præsentis temporis Interpres reddidit per verba, adjectâ conjunctione: λοιδορούμενοι, διωκόμενοι, βλασφημούμενοι, i. *Dum maledicimur* (sive *conviciis afficimur*) *dum persecutionem patimur*, *blasphemamur.*

13. *Purgamenta hujus mundi*] *Hujus* pronomen non additur apud Græcos. ¶ *Omnium peripsema*] Πάντων περίψημα. Interpres Græcam vocem reliquit, quam Laurentius putat verti potuisse *pulvis vestigiorum.* Græca Scholia dicunt περίψημα esse *reticulum quo sudantes se abstergunt*, alii *soleæ suppactum corium*, alii *pulverem quem calcamus*, alii *quod abjicitur in mare quo navis sit incolumis.* Videtur omnino *peripsema* apud Græcos quiddam esse tale quale apud nos est *nauci*, *quisquilia* & *sterquilinium.* Addit Suidas ità vocari solere *hominem jugibus obnoxium malis.* Theophylactus putat idem esse περικάθαρμα & περίψημα, nempe ἀποσπόγγισμα, i. *id quod abstergitur:* περιψᾶν enim esse *abstergere.* Nec Chrysostomus ullum facit discrimen. Hesychius adjicit, Græcis & *pretium quo redimitur captivus aut vita cujuspiam* περιψήματα dici, denique *quod omnium pedibus conculcatur.* Dicuntur & ἀντίλυτρα & ἀντίψυχα, i. *redemptiones*, *cum vita vitâ redimitur*, veluti legimus de Admeto & Alceslide. Ambrosius explanans Psalmum, BEATI IMMACULATI, serm. 8. refert his verbis, *Tanquam lustramenta hujus mundi facti sumus, Omnium lustramenta usque adhuc:* quòd Latinis quæ purgantur *lustrari* dicantur. Ac mox idem Ambrosius *lustramenta*, *purgamenta* interpretatur. *Lustramenta* autem non simpliciter dicuntur purgamenta, sed ea per quæ fit aliorum expiatio. Enarrator Pluti Aristophanici refert olim homines qui in pestilentia, fame, aut alio quopiam malo quod denunciabat iram Numinis, ad expiandam civitatem immolabantur Diis, καθάρματα solere vocari: quem morem ait & apud Romanos obtinuisse, sentiens, opinor, Decios, & Q. Curtium. Servius exponens Maronis carmen ex Æneidos 3.

> ——*Quid non mortalia pectora cogis,*
> *Auri sacra fames?*

admonet auri famem *sacram* dictam ex more Gallorum. Cùm enim Massilienses peste laborarent, unus se ex pauperibus offerebat alendum anno integro publicis & purioribus cibis, postea verbenis vestibúsque sacris ornatus circumducebatur per urbem cum exsecrationibus, ut in eum inciderent omnia mala civitatis, & sic projiciebatur. Hujus autorem historiæ citat Petronium. Quin & Suidas indicat veterem fuisse morem, ut si quid malum premeret, quotannis unum aliquem in mare projicerent, veluti Neptuno sacrificantes addebant hæc verba, Περίψημα ἡμῶν γενοῦ, *Esto nostrum peripsema*, i. *salus*, *redemptio.* Verùm an tale quippiam Paulus senserit nescio. Certè nullus veterum interpretum attingit hunc sensum. Nec inficior Paulum interdum exempla collationésque ducere à rebus Ethnicorum, velut à *pugilibus*, à *stadiis*, à *militia*, sed publicis, & quæ sine gravi crimine peragi possunt. A Latronibus, Veneficis & impiis ritibus nunquam traxit exemplum ad bonos mores. Jam an hoc exemplum immolandi hominem fuerit perpetuum apud eos quibus scripsit Paulus, nescio; mihi non fit verisimile. Ad hæc, si Paulus diceret *se victimam in hoc datam ut repurget mundum omnibus malis*, videretur sibi arrogare quod Christi proprium est: etiamsi pio sensu dici posset martyrum mortes fuisse quodammodo *supplementum eorum quæ pro nobis passus est Christus*, quòd in illis Christus patitur: & Paulus optat *anathema fieri pro fratribus:* & in secunda Epistola non recusat *superimpendi pro Corinthiis.* Est & alius scrupulus, quòd Paulus non vocat se *catharma* numero singulari, sed περικαθάρματα, ut per similitudinem ad res projectas pertineat potiùs quàm ad hominem. Quòd autem se vocat περικαθάρματα *mundi & omnium* περίψημα, eò pertinet, nè quid offendat eos ad quos scribit, quibus erat charissimus; sed quæ passus est apud illos, maluit civitati publicóque nomini imputare. Id adnotavit Chrysostomus. Scholiastæ sum functus officio: judicium penès lectorem esto. Mihi Paulus his verbis extremum sui contemptum apud homines pietati nondum initiatos significare videtur: siquidem Plinius lib. 37. cap. ult. *purgamenta* vocat quæ mare rejicit in littus. Cùm enim de piscibus dixisset, *Præter hæc*, inquit, *purgamenta aliqua relatu indigna*, *& algis potiùs annumeranda quàm animalibus.* Nec ideo voces hæ perdunt nativam significationem si aliquando ad homines transferuntur: veluti *cothurnus* non desinit significare cothurnum, si quis *lubrica fidei cothurnus* dicitur. Quanquam & Paulus se non sine tropo *purgamenta* dixit & *peripsema*; quemadmodum hominem sordidum Terentius dixit *sterquilinium.*

14. *Non ut confundam*] Οὐκ ἐντρέπων, *non confundens.* Quanquam melius erat *suffundens*, aut *rubore suffundens*; siquidem ἐντρέπεσθαι dicitur Græcè *cui summum probrum ingeritur, ut ipse semet agnoscat:* hinc enim dicta vox est. ¶ *Charissimos*] Ἀγαπητά. Quod ità perpetuò ferè transfert, cùm sit *dilectos:* nisi quòd suspicor id datâ operâ factum, quòd ea vox Græcis plus quiddam significat quàm nobis *dilectus.*

15. *Si decem millia*] Μυρίους quod aliquoties *decem millia* significat, aliàs *ingentem numerum*, pro quo Latini abutuntur *mille* aut *sexcentis.* Μυρίους igitur dixit pro *quamlibet multis.* Et *pædagogi* servi erant quibus patres liberorum moderandorum curam mandabant: unde Græca vox dicta est. Multum autem interest inter *pædagogum* & *patrem.* *Pædagogus* sævit pro imperio; *Pater* etiam vitam, si necesse sit, impendit.

16. *Rogo ergo*] Παρακαλῶ quod plerumque vertit *obsecro.* Atque ità legit Ambrosius: nonnunquam *adhortor.* ¶ *Imitatores mei estote*] Γίνεσθε quod verti poterat & *fiatis.* Cùm enim dixisset, *genui vos*, adjecit, *Igitur imitemini me.* quò perspicuum sit vos esse verè filios meos id fiet si me parentem expresseritis. Nam, ut eleganter inquit Flaccus,

> *Laudantur simili prole puerperæ.*

At multo magis laudantur simili prole patres. ¶ *Sicut & ego Christi*] Hæc particula nec apud Græcos additur nec apud Ambrosium. In exemplari Paulino diversâ manu subnotatum erat in margine, velut adjectum ab alio quopiam; licèt ità legat Thomas Aquinas & interpretetur. In codice Donatiani non additur, nec in duobus quos exhibuit Constantia. Adscriptum videtur ex cap. 11. hujus epistolæ, *Imitatores mei estote:* & illic additur, *sicut & ego Christi.* Quanquam illic aptiùs congruit: præcesserat enim, *Sine offensione estote Judæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant:* atque huic respondet quod sequitur, *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Sentit idem quod scripsit ad Romanos cap. 15. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Unusque vestrûm proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit: sed sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Cæterùm haud scio an quemadmodum dicimur *renasci in Christo* sive *per Christum*, ità legatur *Christus genuisse nos Deo:* sic enim interpretatur Aquinas.

17. *Filius meus charissimus*] Ἀγαπητὸς, *dilectus:* de quo modò meminimus.

18. *Tanquam non venturus sim*] Ὡς μὴ ἐρχομένου, *Tanquam me non veniente ad vos*, seu *tanquam non veniam.* Quanquam hoc verbum invenitur aliquoties in significatione futuri. ¶ Et Hebraico tropo dixit *in virga*, pro eo quod Latiniùs diceret *cum virga*, aut *per virgam.*

VATABLUS.

1. HOmo] Heb. unusquisque. ¶ *Mysteriorum*] Arcanorum, h. e. *Euangelii*, ut ait Rom. ult. & Ephes. 3.

2. *Hic jam quæritur inter dispensatores*] *Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus.* ¶ *Quis*] Vel, *Quisque*, Luc. 12. 42. *Quis putas est fidelis dispensator*, &c.

3. *Judicer*] *Deferar.* ¶ *Die*] i. Judicio: dies enim reis dici consuevit.

5. *Ante tempus**]* *Quicquam.* ¶ *Qui**]* *Et.* ¶ *Illuminabit abscondita tenebrarum*] Heb. reteget abscondita tenebras.

6. *Transfiguravi*] i. Aliorum personam in nos duos transtuli, & sub persona nostra de malis dispensatoribus locuti sumus, nè quos offenderemus: sciebam enim nos non esse factionum occasionem, & nullum apud vos se Paulinum & Apollonium jactare. ¶ *Vobis*] *Nobis*, Vet. ¶ *Ne supra quàm scriptum est*] *Non supra id quod scriptum est sentire:* nempe quòd præcones Euangelii sunt ministri, non domini. ¶ *Unus adversus alterum infletur pro alio*] *Nè unus de alio infletur adversùs alterum.* Paulus adversùs illos disputat qui se cæteris præferebant, quòd essent à præcipuis Apostolorum baptizati.

7. *discernit?*] *Dijudicat?* Alloquitur doctorem: i. quis te laude digniorem alio judicat? Quibusdam vox Græca hic pro *separare* & *præferre* posita videtur, hoc sensu; Quis docuit te, ut temet ab aliis separes ac præferas? ¶ *Si autem**]* *Etiam.*

8. *Regnatis*] *Regnum adepti estis.* ¶ *Regnetis*] *Regnaretis*, Vet. vel, *regnum consecuti sitis.* ¶ *Regnemus*] *Regnaremus*, Vet.

9. *Angelis*] i. Dæmonibus.

10. *In Christo*] *Per Christum.* ¶ *Infirma*] *Imbecilles.* ¶ *Nobiles*] *Clari.* ¶ *Ignobiles*] *Contempti*, *infames.*

11. *In-*

11. *Instabiles sumus*] *Incertis vagamur sedibus.*

12. *Maledicimur*] *Calumniis lacessiti.*

14. *Blasphemamur*] *Conviciis afficimur.* ¶ *Peripsema*] *Rejectamentum.* Græca vox videtur esse tale quiddam quale apud nos est *nauci*, *quisquilia*, *ramentum*, &c. ¶ *Ut confundam vos*] *Ut suffundam vos rubore.* Græca vox significat *cui suum probrum ingeritur ut seipsum agnoscat.*

15. *In Christo Jesu, per Euangelium ego vos genui*] Heb. Euangelii prædicatione docui vos Christum, ut jam sitis ipsius.

16. *Rogo*] Vel, *adhortor.*

17. *In Domino*] i. In negotio Domini in Euangelio prædicando. ¶ *Vos commonefaciet*] *Vobis in memoriam reducet.* ¶ *In Christo Jesu*] i. Juxta Christi doctrinam.

19. *Non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem*] i. Quantum possint per Spiritum S. non quantum sermone polleant.

20. *Regnum Dei*] *Regnum* pro *verbo*: q.d. Euangelium non persuadetur verborum suavitate sed potentiâ Dei; i. per Spiritum sanctum.

21. *In*] Heb. *in* pro *cum.* ¶ *Spiritu mansuetudinis* Heb. pro Spiritu leni & miti.

CASTALIO.

3. DIE] Judicio. ¶ *Quin neque ipse de me sententiam fero*] Non est enim meum de me judicium, sed Dei.

4. *Quamvis enim nihil mihi consciam, non tamen idcirco sum absolvendus. Verùm qui de me judicium facturus sit, Dominus est*] Non qui suo sed qui Dei judicio insons est, absolvitur.

6. *Nè alius de alio contra alterum tumeatis*] Nè alius alium jactetis, alium despiciatis.

7. *Quis enim de te judicaturus est?*] ἀνακρίνει dicit quod ante dixerat ἀνακρίνειν *judicare* & *sententiam ferre*: & præsenti utitur pro futuro, ut ferè solet: ut suprà, ὁ ἀνακρίνων με Κύριός ἐστι. Estque eadem sententia, *Quis de te judicium laturus est, utrùm sis cæteris excellentior? Dominus Christus. Cur tu teipsum præfers aliis, quasi sis ipse judex: idque facis ante tempus, cùm sit exspectandum Domini judicium?*

8. *Sine nobis regnatis*, Βασιλεύειν, sicut מלך, & *regnare* & *regnum adipisci* est. Jam qui regnum adeptus est, is regnat. Itaque rectè præteritum ἐβασιλεύσατε per præsens *regnatis* reddidit V. interpres, sicut & ἐπλουτήσατε.

12. *Insectati*] Infestati.

CLARIUS.

3. AUT *ab humano die*] Hebraismus est, *ut dies pro judicio* vel *favore* accipiatur.

4. *Nihil enim mihi conscius sum, sed*] Multa enim peccamus, & plurima nè intelligimus quidem: nam *Delicta quis intelligit?*

5. *Et tunc laus erit unicuique à Deo*] Cui unicuique? Quod dicit hoc est, Nè, quæso, vos nunc coram hominibus magnificetis, & aliorum reprehensione laudem vobis comparetis: nam adventus Domini omnia revelabit, & tunc demum apparebit quis nostrûm fuerit honore dignus: id enim erit tempus distribendi à Deo honoris unicuique.

6. *Suprà quam scriptum est*] Tale quid Solomon admonet cùm ait, *Nè plus sapias quàm necesse est, nè obstupescas.*

7. *Quis enim te dijudicat?*] Cujus judicio niteris, ô magister, quòd dignus sis laude? Hominis judicio? At non tutum est judicium hominum. Sed fingamus tutum atque æquum, *quid habes quod non acceperis? Quòd si accepisti, non est tibi* de re aliena *gloriandum*: sin gloriaris, id agis ut ingratus, qui velis dissimulare *non accepisse.* Nam homines de re sua gloriari solent, non de ea quam acceperint ab aliis. Digna verba quæ sæpius recordemur.

8. *Jam saturati estis*] Ex iis quibus gloriamini jam magni evasisse sub istis vestris Magistris apparetis: quod utinam verum esset; nam hoc esset præcipuum meum gaudium, & planè triumpharem: sed video inanem hanc esse quandam jactantiam.

9. *Puto enim*] Felici ironiâ eos carpit, Mirum, inquiens, est, quod vobis accidit, contrà nimirum atque *nobis Apostolis, qui postremi omnium facti sumus, tanquam purgamenta ac rejectamenta quædam mundi*, dum interea vos gloriosè deliciamini.

ZEGERUS.

2. HIC *jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*] Græcè ità legitur, ὃ δὲ λοιπὸν ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ· quod ad verbum ità sonat, *Quod autem deinceps quæritur in dispensatoribus, ut fidelis quis inveniatur.* Quod quæritur, inquit, i. investigatur sive perquiritur in dispensatoribus illud est, & esse debet, ut fidelis quis inveniatur: atque ita est quædam connexio verborum, sive responsio *inveniatur* ad *quæritur.* Nec discrepat ab hoc sensu vulgata interpretatio. Nam *hic jam*, pro eo ponitur quod Græcis est, ὁ δὲ λοιπὸν, h.e. *cæterùm autem*, vel *quod autem superest*, vel aliquid hujusmodi. Porrò ζητεῖται alii magis hîc *requiritur* significare autumant.

3. *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die*] Quare verò & inter vos sunt, qui inquirant ut fidus dispensator reperiatur: alii quidem arbitrantes & judicantes me dignum mysteriorum Christi dispensatorem, alii indignum: nihil moror, imò nihili duco hujuscemodi de me judicia. Addo & hoc, *pro minimo mihi esse ut ab humano die*, i. humana lege, vel humano judicio, *judicer. Diem* enim pro *judicio* Apostolus usurpare consuevit, ut suprà indicavimus, ubi egimus de Paulinæ dictionis phrasibus. Tunc autem censendum est judicium esse humanum quando nullo fulcitur Scripturæ, æquitatis aut rationis testimonio, sed solis nititur affectibus humanis, Quòd autem tale fuerit judicium Corinthiorum discere potes cùm ex illo quod Apostolus præmisit c. 3. *Nonne carnales estis, & secundum hominum ambulationem?* tum ex commentariis Ambrosii atque Chrysostomi.

6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo*] At verò nè nos, inquit, non tam moribus quàm sermonibus docere atque exhortari velle arbitremini, *horum* quæ præmisimus de gloriatione in hominibus, aliisque, *figuram & exemplar, cui conformemini, nosipsos dedimus atque Apollo*, quem apud vos recedens reliquimus. Alii sic excutiunt hunc locum ut dicant Paulum *in se & in Apollo illorum transfusisse personam* qui inter Corinthios sectarum dissidiorùmque erat autores, atque ità effictis nominibus locutum fuisse, nè quos offenderet. ¶ *Nè suprà quàm scriptum est, unus adversùs alterum infletur pro alio*] Græcis aliquantò secius legitur, ad hunc modum, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς μὴ φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου, *non supra id quod scriptum est sentire, nè unus pro uno infletur adversùs alterum. Ut discatis*, inquit, *in nobis non ultra id quod scriptum est*, per nos, vel aliàs in Divinis literis (sicuti illud Matth. 7. *Nolite judicare, & non judicabimini*) de vobis ipsis *sentire*, *ut ne* hic illius, ille hujus nomine *extollamini & gloriemini alius contra alium.*

7. *Quis enim te discernit? quid autem habes quod*, &c.] Hic videtur Corinthiorum Doctores inprimis compellare, qui gloriabantur, sed vanè, quia non in Domino, quòd scilicet multis cumulati essent dotibus, muneribus, divitiis. *Quis ergo te discernit*, inquit, ac dijudicat cæteris te præstantiorem aut etiam inferiorem? Sanè homo mortalis est, cujus vanum incertúmque est judicium. Vel hoc pacto, *Quis te discernit*, i. segregat quasi excellentem? nisi tu temetipse, reputans & judicans te aliis præferendum ob munera quædam, veluti eruditionem, generis nobilitatem, opes, &c. Sed quæso te quisquis hæc tibi fingis, *quid habes quod non* à summo omnium largitore Deo *acceperis*, idque ferè per nos?

9. *Et Angelis*] De utrisque accipi potest, sive bonis sive malis Angelis. Bonis spectaculum erat Apostolus aliique discipuli, quia ipsorum certamina cœlestium spirituum erat digna aspectu: Malis verò; quia Apostolorum injuriæ ipsis erant oblectamento, cernentibus hostes suos, nimirum Apostolos, excruciari in terrorem aliorum qui erant credituri.

11. *Instabiles sumus*] i. Nullo certo loco detinemur.

13. *Peripsema*] Vox Græca est, & penultimam producit, ac tale quid significat quale apud nos *nauci*, *quisquilia*, *sterquilinium.* Alii *reticulum quo sudantes se abstergunt* significare tradunt, alii *solea suppactum corium*, alii *vestigiorum pulverem*, alii verò omnem *scoriam.*

16. *Sicut & ego CHRISTI*] Adjectitium hoc esse, eóque & extra contextum habendum, non paucis utrisque linguæ comprobatur & exemplaribus & expositoribus.

19. *Et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem*] Non vestram eloquentiam, non tergiversationem, non dicacitatem, inquit, vestram spectabo & approbabo, sed robur potiùs spiritûs, in bonis actionibus constantiam, inviolatæ fidei humilitatem. Memineris quoque hîc non ἀρετὴν esse, quæ *probitas* est, *vitio* opposita, sed δύναμιν, i. *robur* sive *potentiam.* Nihil tamen vetat quò minùs hanc vocem pro illa positam accipiamus.

H. STE.

H. STEPHANUS.

6. **M**Ετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ] *Hæc autem in me & Apollo accommodatè transtuli.*

7. Σε διακρίνει] *Inter te & alios discrimen constituit.*

8. Καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε] *Atque utinam regnum adepti essetis.*

11. Ἀστατοῦμεν] *Irrequieti sumus*: vel, *nusquam stabilem sedem habemus.*

13. Περικαθάρματα] *Purgamenta.* ¶ Περίψημα] *sordes undique abstersæ.*

18. Ὡς μὴ ἐρχομένου μου] *Tanquam me non venturo.*

19. Οὐ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων] *Non verba istorum qui inflati sunt*: i. inanem verborum splendorem.

DRUSIUS.

3. **A***UT ab humano die*] Non est Cilicum idioma, sed Ebræorum, qui *diem DOMINI* vocant judicium *DOMINI*. Sic *dies humanus*, judicium humanum. Quod activè sumendum. Nam & reo *dies* dicitur quo judicandus est. Hic *dies hominis* intelligitur quo ipse judicat de alio, ut *dies DOMINI* dicitur quo judicium exercet sive in bonos sive in malos. Sanè Syrus hic legit aut *ab illo homine*. Frustrà igitur hic disputant de impolita lingua Pauli, qui Cilix erat, domo Tarsensis, Græcè, meo judicio, quàm Ebraicè doctior. Dixi *diem DOMINI* vocari judicium DOMINI. Plenum esset *dies judicii DOMINI*. Sic fortè *dies humanus*, dies judicii humani. Qualia sunt, *clavis David* pro *domûs David*. *Mons DOMINI* & *Mons domûs*, & *Mons domûs DOMINI*, i. Templi. Sic Moria olim vocabatur.

4. *Nihil mihi conscius sum*] Fortè legendum *nihili mihi conscius sum*, i. nullius rei. Sic *homo nihili*, qui nihili quidem est, h.e. nullius rei aut pretii est. Hujus rectus *nihilum* nomen ex *non* & *hilum* compositum. Aut *nihil mihi conscius sum* dixit imitatione Horatii, in quo,

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

12. *Conviciis affecti benedicimus*] Pro malo bonum reddentes. *Benedicere* autem hic est bene precari: ut apud Ciceronem, *Cui unquam bono benedixit!* i. bene precatus est. Aliud significat hoc verbum cùm *homo Deo benedicit*. & aliud cùm *Deus benedicit homini*. Nam *homo Deo benedicit* cùm ipsum laudat: & *Deus homini benedicit* cùm de ipso bene meretur eique benefacit. *Dicere* quippe Dei est facere. Cæterùm in monumentis Ebræorum legimus, *Justi vexantur, non vexant* (quod hic dicit, *persecutionem patientes sustinemus*) *audiunt convitia, & tacent.* Plus autem est bene precari convitianti quàm tacere ad convitia ejus. Nam qui tacet, nihil agit, tantùm tolerat convitiantem; qui bene precatur, bonum pro malo reddit: quod eo laudabilius est quò homini, etiam regenerato, factu difficilius. Unde tam pauci hodie inveniuntur qui hoc præstant. Sic dico, Pauci sustinent convitiantem, pauciores benedicunt ei.

19. *Si DOMINUS voluerit*] אם ירצה השם, quod per sigla scribunt אי״ה. Vide Jac. 4. 15. Dicunt etiam אם יגזור השם *si Deus voluerit*, &, אם יגזור האל *si Deus decreverit.* 1 Petr. 3. 17. εἰ θέλει τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, *si vult*, aut *velit*, *voluntas Dei*.

CAMERON.

5. **Ο**Σ φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους] h.e. *φανερώσει manifestabit*, uti patet ex exegesi sequenti καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν. Sic 2 Tim. 1. 10. φωτίσαντος ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν.

GUALTPERIUS.

15. **Π**Αιδαγωγὸς, *Pædagogus*] Vox Græca, tritissima & notissima. Exstat & Gal. 3. 24, & 25.

JAC. CAPPELLUS.

9. **H***ÆC autem* quæ dixi, 1 Cor. 3. 4, 5, 6, 7. *fratres, figuratâ quadam loquendi ratione transtuli ad meipsum & Apollo propter vos*] Non ego, non Apollos, sed vos opus habuistis hujusmodi μετεσχηματισμένοις monitionibus. ¶ *Ut in nobis* exemplo nostro *discatis non sapere supra id quod scriptum sit*] q. d. Si nos ipsi adeò nihil sumus ut non liceat sapere, docere, prædicare tanquam ad salutem & Euangelium pertinens quidquam ultra id quod habetur in Scriptura, quantò minùs id vobis licet? ¶ *Ut ne alius pro alio infleminì adversùs alium*] Nempe quia quidam inter Corinthios arrogabant sibi jus proponendæ novæ doctrinæ, nullis ex Scriptura petitis fundamentis innixæ, ideo & ipsi fastu tumebant, & eorum quoque sectatores & patroni superbè fastidiebant eos quibus sufficiebat salutis doctrina, Scripturis comprehensa & à Paulo vel ab Apollo Petróve prædicata. Tantò diligentiùs sibi cavit Paulus nè quam apud Corinthios scientiam ostentaret aut doctrinam prædicaret præter Christum, eúmque crucifixum, 1 Cor. 2. 2. quæ simplicitas prurientibus quidem auribus erat fastidio, à veris autem Dei filiis suscipiebatur ut Dei sapientia numeris omnibus absoluta.

LUD. CAPPELLUS.

3. **E**Μοὶ δὲ ἐλάχιστόν ἐστιν] h.e. *Parùm meâ refert. Pro nihilo habeo. Non magni facio.* Præpositio εἰς hic redundat, ut Hebraicè מעט pro מעט. Aggæi 1. 9. *respexit ad multum* והנה למעט *& ecce parùm.* Sic 2 Paralip. 29. 34. הכהנים היו למעט *Sacerdotes erant pauci.* Porrò illud ἐλάχιστόν μοί ἐστι phrasis est Hebraica למעט לי, cui similis est illa Job. 15. 11. המעט ממך תנחומות אל *An parùm sunt tibi consolationes Dei?* h.e. An tu eas parvipendis? an nihili facis?

GROTIUS.

1. **Ο**Υτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, *Sic nos existimet homo*] איש, id est, ἕκαστος, *quilibet*: Hebraïsmus. Sic infra 6. 18. & 7. 1, 26. & 11. 27. Gal. 2. 6. & 3. 15. & 6. 1, 7. & alibi sæpe. ¶ Ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ, καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ. *ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*] Rursum erigit quos, ut fidelium causâ institutos, dejecisse videri poterat. Magnum est Messiæ esse ministrum & Dei dispensatorem ad elargienda ea quæ diu condita fuere. Ὑπηρέτας [*ministros*] hoc sensu habes & Lucæ initio. Μυστηρίων [*mysteriorum*] voce intelligit dogmata Euangelica. Vide Rom. 16. 25. supra 2. 7. οἰκονόμους *dispensatores* rectè hic vertit Latinus: sic & in Glossario, οἰκονόμος, *dispensator*. Pertinet hoc nomen primùm ad privatorum, deinde & ad publicæ rei arcarios, ut dictum Lucæ 12. 42.

2. Ὃ δὲ λοιπὸν, *Hic jam*] Idem valet quod frequentiùs dicitur λοιπὸν, supra 1. 16. Actor. 27. 20. 2 Corinth. 13. 11. 1 Timoth. 4. 8. aut τὸ λοιπὸν, ut Matth. 26. 45. Marc. 14 41. Ephes. 6. 10. Philipp. 3, 1. & 4. 8. 1 Thessalon. 4. 1. 2 Thess. 3. 1. Hebr. 10. 13. Usurpatur & de rebus & de temporibus restantibus. Sed sæpe, ut hic, orationem connectit, & vim habet eam quam Latina vox, *cæterùm*. ¶ Ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, *quæritur inter dispensatores*] Ζητεῖται ad Latinismum accedit, *requiritur*. Vocis οἰκονόμοις [*dispensatoris*] Translationem persequitur. ¶ Ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ, *ut fidelis quis inveniatur*] Plurali subjecit singulare, quia ista in distributivis promiscuè usurpantur. Fidelem esse præcipua laus in dispensatore Luc. 16. Itaque tribuitur Mosi Hebr. 3. 5. Samueli 1 Sam. 3. 20. Ministris Euangelii Coloss. 1. 7. & 4. 7. Tales autem certè non erant illi sectarum duces Corinthi.

3. Ἐμοὶ δὲ εἰς ἐλάχιστόν ἐστι, *Mihi autem pro minimo est*] Est Hebraïsmus: nam illis attributa quæ Græcè nominativo exprimerentur, exprimuntur per ל, quod valet εἰς [*in*]. Vide quæ diximus ad Matth. 19. 5. ¶ Ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ, *ut à vobis judicer*] Ἵνα [*ut*] hic valet *si*. *Parùm meâ refert quid vos de me judicetis*, præ eo quod Deus de me judicaturus est. Hoc vult cogitare illos, quos non nominat, sed notat. ¶ Ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας *aut ab humano die*] Hieronymus putat hoc & alia quædam esse ex Cilicum, ubi Græcam primùm linguam didicerat Paulus, idiomate. Illis enim *diem* solitum dici pro *judicio*: nec mirum, cùm & Latinè dicamus *diem dicere*, & Germanis verbum significans *citare ad judicium*, à *die* deducatur. Sed & יום [*dies illius*] Job. 24. 1. Hebræi interpretantur *judicium*. ¶ Ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω. *sed neque meipsum judico*] *Non mihi sumo plenas de meimet judicandi partes.* Juvenalis de diis locutus,

Notior est illis homo quàm sibi. —

4. Οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα· ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*] Constructio est involutior more Hebræo, quam sic explices, *Quanquam enim non in mentem mihi venit me in ministerio mihi credito secus quicquam fecisse; tamen non inde sequitur me planè ab omni culpa esse liberum.* Id enim significat δικαιοῦσθαι [*justificari*]. Act. 13. 38 Rom. 6. 7. Vide & Prolegomena in epistolam ad Romanos. Chrysostomus sensum bene assecutus est, Καὶ τί δήποτε, εἰ μηδὲν ἑαυτῷ σύνοιδεν, οὐ δεδικαίωται; ὅτι συνέβαινεν ἁμαρτῆσαι μὲν αὐτῷ τινα ἁμαρτήματα, μὴ μὴν αὐτὸν εἰδέναι ταῦτα τὰ ἁμαρτήματα [*Et cur tandem, si nullius sibi rei conscius est, non est*

est justificatus? peccârat enim fortasse in nonnullis, cùm se peccasse nesciret]. Huc præcipuè pertinet, quod dicit Jacob. 3. 2. πολλὰ πταίομεν ἅπαντες [*in multis offendimus omnes*] & quod omnes & semper jubemur dicere, *Dimitte nobis debita nostra*. Clemens in epistola, Ἐξετείνατε τὰς χεῖρας ὑμῶν πρὸς τὸν παντοκράτορα Θεὸν, ἱκετεύοντες αὐτὸν ἵλεων γενέσθαι, εἴ τι ἄκοντες ἡμάρτετε [*Manus vestras ad Deum omnipotentem extendistis, veniam orantes, si quid inviti peccâritis*]. In Ignatiana, quæ dicitur, epistola ad Romanos habemus: Ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν (militum, à quibus trahebatur) μᾶλλον μαθητεύομαι· ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο δεδικαίωμαι. [*At ego eorum injuriis magis erudior, verum non in hoc justificatus sum*]. Hieronymus dialogo adversùs Pelagium secundo hunc Pauli locum commemorans addit, *Hoc dicit ne quid fortè per ignorantiam deliquisset*. Posidius de Augustino, *Dicebat post perceptum baptismum etiam laudatos Christianorum Sacerdotes absque digna & competente pœnitentia exire de corpore non debere*. Hæc verissima est hujus loci interpretatio: nec quærenda est alia. Confer Psalm. 19. 12, 13. ¶ Ὁ δὲ ἀνακρίνων με, Κύριός ἐστιν. *qui autem judicat me, Dominus est*] Is est, qui detectis non actibus tantùm, sed & cogitationibus exactissimum & de me & de aliis judicium feret. אלהים יחקר [*Deus est qui requirit*]. Psalm. 44. 22.

5. Ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, *Itaque nolite ante tempus judicare*] Hoc maximè adversùs eos torquet, qui cùm Christi & Petri discipulos se dicerent, Paulum accusabant tanquam inimicum Judaïcæ gentis: quam culpam magno ubique studio à se amolitur Paulus. ¶ Ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ Κύριος, ὃς καὶ φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους, καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν. *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*] Tutò quidem damnari potest pro statu præsenti, qui flagitiosè vivit: *manifesta* enim *sunt opera carnis*. At actibus per se bonis aut mediis malum animum adscribere contra dilectionis est regulam. Christo judici relinquenda ista arcana. Τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους [*abscondita tenebrarum*] עמקות מני חשך Job. 12. 22. Quod priùs obscurè dixerat φωτίσει τὰ κρυπτὰ [*illuminabit abscondita*], id per ἐξήγησιν [*explicationem*] explicat. Τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν [*consilia cordium*], תעלמות לב τὰ κρύφια τῆς καρδίας [*occulta cordis*] dicto Psalm. 44. 23. Hæc enim nosse solius Dei ac Christi est Actor. 1. 24. & 15. 8. Φωτίσει hîc est, *in lucem protrahet*. ¶ Καὶ τότε ὁ ἔπαινος γενήσεται ἑκάστῳ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. *& tunc laus erit unicuique à Deo*] Nempe si bona egerit bono animo: unde & contrarium datur intelligi: Sed mavult εὐφημεῖν [*molliter loqui*].

6. Ταῦτα δὲ, ἀδελφοὶ, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλὼ δι' ὑμᾶς *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo propter vos*] Syrus rectè interpretatur: *Proposui hæc in persona mea & Apollo*. Quia hi vestri Doctores meo etiam & Apollo nomine abutuntur, in nostra persona ipsis ostendi, quàm modestè de se ac de aliis judicare debeant: quantumque curam gerere vestri & pacis. Μετασχηματίζειν propriè est *mutare habitum*: ut videre est 1 Sam. 28. 8. Inde transfertur ad orationem, quæ aliud videtur dicere, aliud innuit: cujusmodi locutiones vocari à Græcis solent λόγοι ἐσχηματισμένοι, quas *controversias figuratas* dixit Quintilianus 9. 11. & *figuras* Suetonius Vespasiano & Domitiano: Hieronymus epistola 66. ad Rufinum. Philostratus de Herode Attico, σχηματίσας τὸν λόγον *figuratâ oratione usus*]. Chrysostomus de hoc loco agens in sermone De non vulgandis peccatis: συνεσκίασε τὴν κατηγορίαν [*obumbravit accusationem*]. De accusativo Ἀπολλὼ [*Apollo*] vide quæ diximus ad Act. 19. 1. ¶ Ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν *ut in nobis discatis supra quam scriptum est non sapere*] *Ut in nostra persona in iis quæ de me & Apollo scripsi discatis non alios sumere affectus quàm quales Deus in Scriptura exigit*. γέγραπται [*scriptum est*] in his libris semper ad libros veteris Testamenti refertur. ¶ Ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου *ut ne unus adversùs alterum infletur pro alio*] Videtur scriptum fuisse φυσιῶσθε [*superbiatis*]. *ne superbiatis alter contra alterum pro hoc vel illo Doctore*. His verbis ostendit se cùm dixit γέγραπται [*scriptum est*]. locum aliquem respexisse Scripturæ non verbo tenus, sed sensu. Is locus est Deut. 17. 20. Nam si Regi præceptum ne se supra alios fastuosè efferat, quanto magis aliis? Commune est omnibus Gentibus ut *inflari* dicant pro *superbire*: hinc *homo inflatus* apud Ciceronem. *Inflare utrem*, in Satyra *superbum facere*. Sic *spiritus magnos gerere*, est *superbire*. Chrysostomus appositè ad hunc locum, Ἄλλως γὰρ οὐ γίνεται ὑψηλότερον ἕτερον ἑτέρου μέρος, ἀλλ' ἢ ὅταν οἴδημα γένηται? *Non fit enim pars alia aliâ elatior, nisi ob intemperiem protuberet*]. Deinde, Ὁ φλεγμαινόμενος, οὗτος ὁ νοσῶν [*Quem inflat pituita, hic æger est*].

7. Τίς γάρ σε διακρίνει; *Quis enim te discernit?*] Eos primùm attingit, quos plebs ita ob eximia dona admirabatur, ut eis se certatim addiceret. Quod illi cùm impedire debuissent, non impediebant, sibi in eo placentes. *Discernit* Deus, cùm huic plus dat, alii minus: Hinc διακρίσεις πνευμάτων [*discretiones spirituum*] infra 12. 10. Habes hunc sensum fusè tractatum initio libri 8. Constitutionum quæ dicuntur Clementis. ¶ Τί δὲ ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες; *Quid autem habes quod non accepisti?*] In omni re honos penes dantem non penes accipientem. Sunt autem & meritò dicuntur χαρίσματα [*dona*]. Etiamsi dona haberetis Apostolica (multum autem id abest) tamen ipsum *donorum* nomen modestos vos facere debuit. Deus dedit in suos usus, non in tuos. ¶ Εἰ δὲ καὶ ἔλαβες, τί καυχᾶσαι ὡς μὴ λαβών; *si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*] Quid in eo tibi places tanquam tuo labore id tibi parasses? Doctores maximè tangit.

8. Ἤδη κεκορεσμένοι ἐστὲ, *Jam saturati estis*] Ironia longa & gravis. Ut vos existimare video, nihil restat vobis experendum, non magis quàm iis qui de epulis facti sunt saturi. ¶ Ἤδη ἐπλουτήσατε, *jam divites facti estis*] Tantam scilicet copiam donorum consecuti estis, ut quosvis alios etiam Apostolos vincatis. Loquimini ut Ephraim Oseæ 12. 8. Πεπλούτηκα, εὕρηκα ἀναψυχὴν ἐμαυτῷ [*Dives factus sum, inveni requiem mihi*] ¶ Χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε *sine nobis regnatis*] Ex quo ego à vobis absum, vos in tuto estis, sicut Reges quibus nemo potest nocere. Loquimini ut Babylon Esaiæ 47. 7, 8. ¶ Καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε *& utinam regnetis*] Non equidem invideo: miror magis. ¶ Ἵνα καὶ ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν, *ut & nos vobiscum regnemus*] Si ita in tranquillo essent & extra periculum res vestræ, tutum mihi esset eò confugium.

Δοκῶ γὰρ ὅτι ὁ Θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν ὡς ἐπιθανατίους, *Puto enim quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos*] Ὅτι [*quod*] deest in Manuscripto. δοκῶ [*puto*] ut sæpe apud Latinos *credo*, est εἰρωνικὸν [*ironicum*]. Si ex rebus secundis, ut videmini existimare, colligitur Dei favor, *nos Apostoli à Deo collocati erimus infimo loco, tanquam bestiarii*. Sic enim Tertullianus hunc locum transfert libro de Pudicitia, *Et puto, nos Deus Apostolos novissimos elegit veluti bestiarios*. Infra omnes homines sors erat damnatorum ad bestias, qui hîc κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] dicuntur ἐπιθανάτιοι *morti destinati*]; id Hebræis esset בני מות [*filii mortis*] Ἀπέδειξεν *constituit*, quod Tertullianus vertit *elegit*, est נתן. ¶ Ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ, καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις. *quia theatrum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*] Instat cœptæ similitudini. Et θέατρον [*theatrum*] dixit pro *iis qui spectantur*, sicut ἀκρόαμα [*oblectamentum aurium*] dicuntur *ii qui audiuntur*. Non dissimiliter, *versari in theatro* apud Ciceronem est *spectari ab omnibus*. Est usurpatio continentis pro contento. Propriè *amphitheatrum* dicebatur locus in quo pugnabatur cum bestiis: sed & *amphitheatrum* theatri est species, ex duobus constans velut concurrentibus theatris. Job se dixit תפת לפנים אהיה [*tympanizationem coràm*] 17. 6. id Græci vertunt γέλως αὐτοῖς ἀπέβην [*risus illis deveni*]. Cùm *mundum* velut spectatorem Apostolici certaminis Paulus introduxisset, addidit καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις [*& Angelis & hominibus*] ubi illud prius καὶ [*&*] ponitur pro *id est*. *Mundum* enim, hoc est mundi potissima, τὰ νοερὰ [*intellectualia*], dispertit in *Angelos* & *homines*: id Hebræi vocant *familiam superiorem & inferiorem*.

10. Ἡμεῖς μωροὶ διὰ Χριστὸν, *Nos stulti propter Christum*] *Nos Euangelii causâ quotidie ut stulti videmur*. Vide Actor. 26. 24. supra 1. 25. ¶ Ὑμεῖς δὲ φρόνιμοι ἐν Χριστῷ *vos autem prudentes in Christo*] *Vos eruditionis nomine vosmet jactatis, idque in Christo*, id est, in ejus Ecclesia. Vide quæ dicta Rom. 9. 3. ¶ Ἡμεῖς ἀσθενεῖς *nos infirmi*] *Miseri, afflicti*; חלשים Vide supra 1. 27. & 2. 3. Rom. 8. 26. & ibi dicta. ¶ Ὑμεῖς δὲ ἰσχυροί *vos autem fortes*] *Potentes*. Vide supra 1. 27. Ὑμεῖς ἔνδοξοι, ἡμεῖς δὲ ἄτιμοι. *vos nobiles, nos autem ignobiles*] *Vos magnifici*. Vide Luc. 7. 25. Verti sic solet כבדים & נכבדים. *Nos despecti*, ut Matth. 13. 57. Marc. 6. 4. נקלים [*contempti*], quod opponitur ἐντίμοις Esaiæ 3. 5. & ἐνδόξοις [*nobilibus*] 1 Sam 18. 23.

11. Ἄχρι τῆς ἄρτι ὥρας, *Usque in hanc horam*] *Etiam nunc*: ne me de præteritis tantùm agere existimetis. ¶ Καὶ πεινῶμεν, καὶ διψῶμεν, καὶ γυμνητεύομεν, *& esurimus, & sitimus, & nudi sumus*] Præcipua vitæ incommoda recitat, unde intelligenda cætera ejus generis. Vide Actor. 20. 19. Philip. 4. 12. 2 Cor. 4. 8. & sequentibus, 6. 4, 5, 6. Γυμνῆται sunt *velites*: unde γυμνητεύειν *velitem agere*: sed καταχρηστικῶς [*abusivè*] dicitur de omnibus *nudis*, id est, *tenuiter vestitis*. Vide Marc. 14. 52. Joh. 21. 7. Καὶ κολαφιζόμεθα, *& colaphis cædimur*] Κολαφίζειν [*colaphis cædere*] propriè quid sit vide Matth. 26. 67.

sed

sed per κατάχυσιν [*ablusionem*] ponitur pro quavis *gravi vexatione*, ut videre est 2 Cor. 12. 7. 1 Petr. 2. 20. Simile loquendi genus 2 Cor. 11. 20 ¶ Καὶ ἀστατοῦμεν. *& instabiles sumus*] *jactamur*, נודו Hoc tristior est nostra paupertas quòd nec tenui lare eam abscondere possumus, sed ubique locorum eam circumferimus. Sumus.

> Ἄοικοι, ἀνέστιοι.
> Ἐλαυνόμεσθα φυγάδες, ἔξεδροι χθονός.
> [*Domo, hospitio carentes.*
> *Pellimur exules, extorres patriâ*].

12. Καὶ κοπιῶμεν ἐργαζόμενοι ταῖς ἰδίαις χερσί. *Et laboramus operantes manibus nostris*] *Laboramus ad lassitudinem.* Vide Actor. 18. 3. 2 Thess. 3. 8. Hæc omnia tacita oppositione notant doctores Corinthios, opulentos, inflatos, quibus quæstuosum erat Euangelium. ¶ Λοιδορούμενοι, εὐλογοῦμεν· διωκόμενοι, ἀνεχόμεθα· βλασφημούμενοι, παρακαλοῦμεν. *maledicimur & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus. blasphemamur & obsecramus*] Ex Christi præcepto Matt. 5. 10, 44 παρακαλοῦμεν [*obsecramus*] nempe Deum: *Deum pro ipsis precamur.* In Matthæo, Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐκπειραζόντων ὑμᾶς [*Orate pro persequentibus vos*]. Pro βλασφημούμενοι [*blasphemamur*] in Manuscripto est δυσφημούμενοι [*male audimus*]. Habes id verbum apud Græcos scriptores sæpe, & 1 Macc. 7. 4. ut & nomen δυσφημίας [*blasphemia*] 1 Macc. 7. 38.

13. Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus*] Reperitur hæc vox περικάθαρμα, Prov. 21. 18 & significat *lustramen*. Sic & Ambrosius hunc locum citat, *Tanquam lustramenta hujus mundi facti sumus.* Sicut περικαθαίρειν: idem quod καθαίρειν [*lustrare*], Jos. 5. 4. Deut. 18. 10. ita περικάθαρμα idem quod κάθαρμα [*lustramen*] Solebant ad id viles homines adhiberi. Mater Menœcei apud Papinium Thebaïdis 10.

> *Lustralémne feris ego te puer improbe Thebis*
> *Devotúmque caput, vilis ceu mater, alebam.*

ad quem locum Scholiastes, *Lustrare civitatem humanâ hostiâ Gallicus mos est: nam aliquis de egentissimis pelliciebatur præmiis, ut se ad hoc venderet: qui anno toto publicis sumptibus alebatur purioribus cibis; denique certo & solenni die per civitatem ductus ex urbe extra pomœria saxis occidebatur à populo.* Meminit ejus moris Gallorum & Cæsar libro 6. Et Servius ad illud Virgilii,

> *Auri sacra fames.* —

Tales homines non modò qui morti, sed & qui flagris se devovebant Græcis dicuntur καθάρματα [*purgamenta*] Scholiastes ad Plutum Aristophanis, Καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς. τοῦτο δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησε [*Purgamenta dicebantur qui ad pestem aliúmve morbum averruncandum Diis immolabantur. Hic mos etiam apud Romanos invaluit*]. Et ad Equites, Ἔτρεφον γάρ τε καὶ Ἀθηναῖοι λίαν ἀγεννεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ, λέγω, ἢ τοιούτου τινός, ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα [*Alebant enim & Athenienses vilissimos & nullius rei homines, quos ortâ quandoque calamitate, peste, inquam, aliâve quâ ejusmodi, immolabant, quò expiarentur. hos purgamenta appellabant*]. Et quia illi viles erant, ut diximus, inde natum teste Eustathio, ut καθάρματα [*purgamenta*] dicantur οἱ ῥυπαροὶ καὶ ἀπόβλητοι [*sordidi & abjecti*]. Curtius cùm dixit *purgamenta urbium suarum*, Græcum illud καθάρματα in mente habuit. Et Tertullianus libro de Pudicitia quod hic est περικαθάρματα rectè vertit *purgamenta*. *Piacularem* dixit Plautus. ¶ Πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. *omnium peripsema usque adhuc*] Jerem. 22. 18. μὴ περίψημα φαῦλον [*num quid retrimentum abjectum*], ita vertit Symmachus: Hieronymus interpretatur *quisquilias*. Eustathius περίψημα interpretatur σπόγγισμα, *id quod spongia abstergitur*: alii σκύβαλον. In Glossario est *quisquilia*, σκύβαλον. Id malo hic quam *sabanum* interpretari, quanquam id quoque eodem nomine significari tradant Grammatici. Non malè hic veteris *retrimentum*. Tob. 5. 24. ἀλλὰ περίψημα τοῦ παιδίου ἡμῶν γένοιτο [*sed retrimentum filio nostro maneat*]. ubi dicta vide. Barnabas, περίψημα τῆς ἀγάπης ὑμῶν [*vestræ dilectionis retrimentum*], id est, *nihil, si vobiscum comparer.*

14 Οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, *Non ut confundam vos hæc scribo*] Ἐντρέπειν est *pudefacere* Plutarcho & aliis bene Græcis. Apud interpretes respondet Hebræa בוש & aliis verbis paris significatûs. Hoc dicit, *non se hæc scribere ut Corinthios apud alias Ecclesias traducat.* De doctoribus locutus, nunc verba ad fidelium singulos vertit, ¶ Ἀλλ' ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ. *sed ut filios meos charissimos moneo*] In Manuscripto νουθετῶν [*monens*], rectè, ut cohæreat cum illo ὡς [*ut*]. Νουθετεῖν est *castigare in id ut alter melior fiat.* Parentibus maximè id nomen convenit, ut videre est Sap. 11. 11. & 12. 26. Respondet Hebræo יסר & יכח.

15. Ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, *Nam si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo*] Παιδαγωγὸν Latinè *pædagogum* dixere Cicero & Columella; *custodem* Horatius. Ita dicitur is qui puero aut adolescenti adest ad mores ejus formandos. Sic Orestem cum Pædagogo introducit Sophocles Electrâ, & Leonidas Alexandri dicitur παιδαγωγός [*pædagogus*]. Vide Gal. 3. 25. ¶ Ἀλλ' οὐ πολλοὺς πατέρας. ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα. *sed non multos patres: nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui*] Providè addit ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (*in Christo Jesu*), id est, *per dona à Christo data.* Primus in hac re honos est Patris Matth. 23. 9. 1 Petr. 1. 3. 1 Joh. 3. 9. Proximus Christi, ut hic apparet & dicto Matthæi loco: tertius Apostolorum, ut hic, Philem. 10. Gal. 4. 19. His omnibus & titulus *Patris & gignendi* verbum convenit, sed suo cuique gradu. Sic Christus *fundamentum*, & Apostoli *fundamenta*: Christus *servat* homines, & Apostoli eos *servant*. *Pater* hoc loco is est qui primus in Euangelio aliquem instituit.

16. Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, μιμηταί μου γίνεσθε. *Rogo ergo vos, imitatores mei estote*] Quid ni id fieri possit, cùm Paulus Christum ipsum sit imitatus? infra 11. 1. Imitationem autem præcipuè hic requirit in cura tutandæ in Ecclesia tum unitatis, tum sanctitatis.

17. Διὰ τοῦτο ἔπεμψα ὑμῖν Τιμόθεον, *Ideo misi ad vos Timotheum*] Nempe qui verbis latiùs explicet ea quæ breviter hæc epistola comprehendit. ¶ Ὅς ἐστι τέκνον μου ἀγαπητὸν καὶ πιστὸν ἐν Κυρίῳ, *qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino*] Nam à puero comes Apostolo hæserat. Vide 2 Tim. 1. 5. 1 Tim. 4. 6. Vide quæ diximus in Appendice de Antichristo. Ideo Timotheum non communi illo, sed specialiori sensu τέκνον [*filium*] vocare consueverat Apostolus 1 Timoth. 1. 2, 18. 2 Timoth. 1. 2. & 2. 1. ¶ Ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει τὰς ὁδούς μου, τὰς ἐν Χριστῷ, καθὼς πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ διδάσκω. *qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo, sicut ubique in omni Ecclesia doceo*] In memoriam vobis reducet, quomodo ego & vivam ipse secundùm Christi præcepta, & vivendum esse doceam. ἀναμνήσει יזכיר [*in memoriam revocabit*].

18. Ὡς μὴ ἐρχομένου δέ μου πρὸς ὑμᾶς ἐφυσιώθησάν τινες. *Tanquam non venturus sim ad vos sic inflati sunt quidam*] Id est, *superbè se gerunt*, ut supra v. 7. Inde enim natæ partes, quòd doctorum alius alium sperneret, idemque faciendi auctor esset plebi. Multa autem mendosa hujusmodi eveniebant in Ecclesiis absente Paulo, quæ facilè præsentia ejus repressisset. Vide Philipp. 2. 12.

19. Ἐλεύσομαι δὲ ταχέως πρὸς ὑμᾶς. *Veniam autem ad vos citò*] Ità quidem sperabat Paulus, sed diutiùs differre hoc iter coactus fuit. ita ut & alteram epistolam ex aliquo intervallo scripserit, priusquam eò rediret, 2 Cor. 1. 23. ¶ Ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ, *si Dominus voluerit*] Ita convenit loqui Christianis Jac. 4. 13, 14, 15. vide Rom. 1. 10. Hebræi dicunt אם ירצה השם, *si Deus voluerit*, aut בגבורת השם *per potentiam Dei.* ¶ Καὶ γνώσομαι οὐ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων, ἀλλὰ τὴν δύναμιν. *& cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem*] Experimento apparebit, non illine me sint disertiores (nihil enim hoc ad rem); sed an Deus per eos, an per me potentiùs operetur.

20. Οὐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute*] *Dei regnum*, id est, majestas, apparet non in verbis calamistro inustis, sed in vi miraculorum, qualia ab humana ope proficisci nequeunt. Vide supra 2. 1. Sicut Latini dicunt Regibus, *Tua majestas*; ità Græci βασιλεία σου [*Regnum tuum*].

21. Τί θέλετε; *Quid vultis?*] Τί [*quid*] pro πότερον [*utrum*]. Sic Livius: *Duo celeberrimi duces quis prior eorum vicisset.* Et scriptor belli Hispanici: *Inter duos fit contentio, quis prior pontem occuparet.* ¶ Ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς, *In virga veniam ad vos*] Ἐν [*In*] hic valet *cum* more Hebræorum. Per *virga* μεταφορικῶς [*per Translationem*] intelligit potestatem immittendi aut mortem, ut Ananiæ & Sapphiræ; aut cæcitatis, ut Elymæ, aut morbos. Ita tunc Deus supplebat id quod Magistratus Ecclesiæ præstare debent & tunc non præstabant. שבט, quod ῥάβδος [*virga*] verti solet, vertitur πληγή [*plaga*] Esai. 10. 24. Similem usum vocis μάστιγος annotavimus Marc. 3. 10. ¶ Ἢ ἐν ἀγάπῃ, πνεύματί τε πραότητος; *an in caritate & spiritu mansuetudinis?*] An potiùs plenum amoris & animi lenis ac benigni?

CAP.

CAP. V.

VALLA.

5.7. M*Odicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consperSio*] Dignitatem orationis Apostolicæ perdit Interpres suâ res variandi affectatione: nam sic Græcè habetur, *Nescitis quòd modicum fermentum totam consperSionem fermentat*, An maluit nunc dicere *corrumpit* quàm *fermentat*, quia sic nunc accipiundum est? Hoc est opus exponentis, non transferentis, sensum profundiorem aperire. Sed cur Paulus nunc de *corrumpendo* loquitur magìs quàm de *fermentando*? Non enim corrumpit fermentum, quod Græcè dicitur *zyma*, sed tantùm facit farinam non esse azymam. Alioqui non diceretur in Euangelio Mat. 13. 33. *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentaretur totum.* Itaque non dixit Apostolus, *Expurgate fermentum*, sed *vetus fermentum.* Et mox iterum v. 8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ:* quia videlicet est aliquod fermentum bonum, & non vetus: quod non esset si omne fermentum (nam universalis est illa sententia) corrumperet. Non esse dicendum *massam* sed *consperSionem*, superiùs admonui Rom. 11. 16. quod nunc turpiùs dicitur, quia statim pòst sequitur *consperSio*, quasi aliud significans quàm *massa*. Unde quidam super hunc locum aiunt, *ConsperSio est farina per aquam conglutinata sine fermento.* Idem & *Azyma*, Græcè enim utrumque dicitur φύραμα, ζυμοῖ, & *fermentare* quasi *zymare* ζυμοῖ. ¶ *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*] Deest apud nos *pro nobis*: dicitur enim Græcè, *Etenim Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus*, ὑπὲρ ἡμῶν. Credo Interpretem omisisse hanc particulam, hallucinatum similitudine dictionum, quia Græcè *nostrum* ἡμῶν & *nobis* ὑπὲρ ἡμῶν eadem vox est.

8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri*] Non est in Græco *epulemur*, sed *diem festum agamus*, i. agamus diem festum Paschalem, ἑορτάζωμεν.

13. *Auferte malum ex vobisipsis*] De homine loquitur, non de re: est enim *malum* hic generis masc. τὸν πονηρόν. Ideóque maluissem ego apertiùs loqui, vel *auferte scelestum*, vel *sontem*, vel *noxium*, vel *facinorosum*, vel alio modo.

ERASMUS.

1. I*Nter vos fornicatio*] *Fornicari* pro *illicitâ uti libidine* & *fornicationem* pro *stupro* nondum apud idoneos autores reperi, licèt *fornicem* pro *lustro* sciam inveniri. Nos aliquando *stuprum*, aliquando *scortationem* vertimus: siquidem à *scorto* dicta Græcis πορνεία. ¶ *Qualis nec inter Gentes*] Deest in Latinis cod. ὀνομάζεται *nominatur*. Nec erat otiosa hujus verbi emphasis, *quòd hoc libidinis genus non solùm non committeretur inter Ethnicos, verùm nè nominaretur quidem*; quod annotavit & Theophylactus: etiamsi parùm prudens videtur Hyperbole, nisi mavis *nominatur* simpliciter positum pro *auditur*. Quanquam & sic Hyperbolæ locus est, cùm inter Ethnicos audiantur turpiora: nisi Paulus negat audiri quod rarum est. Certum est nec apud Ambrosium nec apud Thomam nec apud Augustinum nec in pervetustis exemplaribus addi: unde puto nostram lectionem esse sinceram, etiamsi Græca sensu nihil discrepant.

2. *Absens corpore, præsens autem spiritu*] Hoc est quod quodam in loco annotavit Hieronymus, Paulum ob imperitiam Græcanici sermonis aliquoties non reddere has inter se conjunctiones μὲν & δὲ, per quas Græci plerumque connectunt orationis partes. Mollius erat, *Corpore quidem absens: Spiritu verò præsens* & tamen in Græcis autoribus probatæ elegantiæ licet reperire similem orationis formam. ¶ *Eum qui sic operatus est*] Τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον *eum qui sic hoc fecit*, sive magis *perpetravit*. Id quod mox ad eundem reperit modum. In nonnullis Græcorum exempl. prior pars non addit οὕτως, sed posterior. Ambrosius in posteriore legit, *Jam judicavi ut præsens, cum qui sic operatus est*; cùm in priore legat, *qui hoc opus fecit*: unde conjectare licet apud Græcos ex utraque utrique nonnihil additum fuisse, τοῦτο ex priore, & οὕτως ex posteriore.

4. *Congregatis vobis & meo spiritu*] Συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος, i. *convocatis* (sive *congregatis*) *vobis & meo spiritu.* Faber Stapulensis amicus noster hunc locum mutavit, volens συναχθέντων deduci à συνάχθομαι cujus in hac quidem parte non subscribo judicio, etiamsi aliàs eruditissimo pariter ac diligentissimo viro lubens assentior, & reclamant cùm alia, tum Græca Scholia, ad hæc interpretes, quos ego viderim, omnes, qui testantur Paulum hoc ideo dixisse ut ostenderet hanc tam severam sententiam non profectam ab ipso propriè, sed à communi Ecclesiæ consensu: nam & *Synagoga* hinc dicitur παρὰ τὸ συνάγω, quod est *congrego* sive *convoco*. Porrò addidit *& spiritu meo*, quòd ipse corpore tum non esset præsens, sed spiritu duntaxat adesset in ea sententia pronuncianda. ¶ *Cum virtute Domini nostri Jesu Christi*] Σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Κυρίου. Incertum utrò referatur, ad participiumne *congregatis*, an ad *tradi hominem Satanæ*. Ambrosius videtur ad participium referre: ut intelligamus concilium illud ex tribus constare, ex Pauli decreto, ex consensu multitudinis, ex autoritate Christi. Alioqui σὺν præpositio Græcis nonnunquam non Comitem sed Favorem & Adjutorem sonat; ut, σὺν ταῖς Μούσαις, *Musis adjuvantibus*, σὺν τῷ Θεῷ, *Deo favente*. De *virtute* (quæ hic *potestatem* aut *vim* significat, non *probitatem*) crebrò jam admonuimus.

5. *In diem Domini nostri Jesu Christi*] Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, *in die Domini Jesu*, nec additur *Christi*. Rursum *diem* appellat judicium, ut indicatum est antea.

6. *Non est bona gloriatio vestra*] Augustinus contra epist. Parmeniani lib. 3. cap. 2. indicat in quibusdam codicibus, maximè Latinis, scriptum fuisse, *Bona est gloria vestra:* quod εἰρωνικῶς accipi vult. ¶ *Modicum fermentum*] Hieronymus in Epist. ad Galatas lib. 3. taxat Interpretem quòd perperàm verterit, citans hunc locum; & emendat ad hunc modum, *Modicum fermentum totam consperSionem fermentat.* Ego verò maluissem dicere *& paulum fermenti* quàm *modicum fermentum*, quòd quælibet fermenti pars fermentum sit, ut quævis aquæ pars aqua. Jam si Novum Testamentum habemus ab Hieronymo restitutum, ut quidam autumant, quomodo taxat hic quod nos legimus? ¶ *Totam massam corrumpit*] Quod hic *massam* vertit, mox *consperSionem* transtulit, Græcè φύραμα· ea est farina aquâ conspersa sive temperata, à verbo φυρᾶν, quod significat *miscere*, veluti cùm argilla humore maceratur, farina liquore aquæ oleíve, aut aliud simile. In hunc sensum *consperSio* invenitur apud probatos autores. Quanquam & *massulas salis* legimus apud Columellam. Interpres mutavit, cùm nihil esset cur foret affectanda varietas.

7. *Pascha nostrum*] Deest *pro nobis*, ὑπὲρ ἡμῶν, i. *pro nobis immolatus est*, &c. sed reclamantibus omnibus libris nostris; quibus hac in parte, ut dicam ingenuè, magis accedo.

8. *Itaque epulemur*] Ἑορτάζωμεν, *festum agamus diem.* Ità sanè vertit interpres Origenis hom. in Leviticum 5. Solent autem dies solennibus epulis celebrari. ¶ *Et nequitiæ*] Καὶ πονηρίας. quod significat & *malitiam* & *versutiam*. Duo proposuit, κακίας καὶ πονηρίας, quibus respondent quæ postea sequuntur, εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας nam *malitia* opponitur *sinceritati*; *versutia*, *veritati*; h. e. simplicitati. Sic & Ambrosius; *Ut sinceritas mundam vitam faciat, veritas omnem fraudem excludat.* ¶ *Sed in azymis*] *Azymi* vocem, quam ubique relinquit, *infermentatum* vertere poterat, aut *expers fermenti*. Subaudiendum autem, opinor, *panibus*, ἐν ἀζύμοις. Deinde explicans quid dixerit *infermentatum*, adjicit *sinceritatis ac veritatis*; perinde quasi dixisset, *Hoc est infermentatis celebrare Pascha nostrum, sincero veróque esse animo erga omnes.*

9. *Commisceamini fornicariis*] Πόρνοις, *scortis*: est enim vox quæ communis sit cuivis corpori meritorio. Prostabant enim Corinthi non solùm puellæ sed & catamiti. Etiamsi sunt qui velint πόρνον & *scortatorem* dici, non solùm *scortum*. Putant autem dictum à πέρνω, quod est *vendo*, id quod magis competit in scorta. Et πορνοβόσκους Græci dicunt *lenones*, quos Itali vulgò vocant *ruffianos*. Cæterum quod dixit *commisceri*, Græcè est συναναμίγνυσθαι, quod accipi potest *denuo commisceri*: ut significet eos id facere solitos antequam initiati essent Christo. Et *commisceri* non solùm est habere rem cum illis, verùm etiam habere consuetudinem & commercium: idque inculcat cùm adjicit, οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου. quod intelligeret difficillimum esse versari inter tot illecebras ejus regionis, nec pellici in peccatum. Quanquam non me fugit alium sensum adduci à plerisque veterum, nimirum hunc, Paulum non vetare quò minùs habeant consuetudinem cum ethnicis inquinatis; alioqui totam Græciam esse relinquendam; sed ut vitarent si quis Christianam religionem professus esset hujusmodi. Nam quod dixit *mundi hujus* non est accipiendum quasi sit alius mundus. *Mundum hunc* Græciam intelligit, ac præcipuè Corinthum hujusmodi voluptatibus corruptissimam. Ad eum modum interpretatur Chrysostomus (si modò illius sunt Græci Commentarii qui illi inscribuntur) & huic consentiens Theophyla-

ctus

ctus. Is sermonem ordinat in hunc modum, *Scripsi vobis paulo antè in hac epistola ne commisceamini scortatoribus aut scortis, cùm dicerem Expurgandum vetus fermentum. Quod tamen nolim ità accipi quasi jubeam vitari consuetudinem omnium scortatorum hujus mundi. Sed si quis dictus frater sit ejusmodi, hic adeò vitandus est ut nec cibum cum eo capi velim.* Lyrensis doctè exponit *fornicarios hujus mundi*, *Qui communiter*, inquit, *vocantur Ribaldi.* O gravem Divinæ Scripturæ interpretem! Si tamen hoc ab illo scriptum ac non potiùs ab alio quopiam maleferiato adjectum.

10 *Non utique*] Καὶ οὐ πάντως *Et non omnino*, sive *in totum*: ut intelligas ab omnibus abstinendum: sive, quod placet Ambrosio, ut sit exponentis, *non abstinendum à fornicariis hujus mundi*, sed *à fratribus*, h.e. à Christianis, *fornicariis*, inter quos erat is quem jubet *tradi Satanæ*, h.e. ejici è contubernio Christianorum, quò magis pudore corrigeretur. Nam erant fortassis qui crederent vitandos duntaxat Ethnicos sceleroses, Christianos autem non vitandos: Paulus contrà jubet vitari fratres, cum ethnicis non prohibet cibum capere. Ad hunc sensum faciunt quæ sequuntur, *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?* Quanquam, ut ingenuè fatear, totus hic sermo mihi videtur perturbatior, ac Delium aliquem natatorem desiderans; præsertim cùm mentionem faciat *idololatriæ*, quam verisimile non est tum inter Christianos fuisse. Illud opinor non opus esse ut admoneam, *commisceri* hic non pertinere ad coitum sed ad vitæ consuetudinem. ¶ *Alioqui*] Ἐπεὶ *quoniam*, sive *quandoquidem*: quod hic subinde transfert *alioqui*, & aliquoties aptè, nimirum quoties subest tacita exceptio, quemadmodum, & hîc accipi licet; *Nam si id fieri non possit, abstinendum omnino à scortis omnibus Græcanicis: id si non potestis, fugiendum potiùs è tota Græcia.* Aut, *Non in totum veto consuetudinem cum improbis: alioqui, si id conemini, fugiendum sit ex hoc mundo, cùm tales nusquam non sint.* ¶ *Debueratis*] Ὀφείλετε, *debetis.* Legitur apud Græcos per ο μικρόν, magno sanè Græcorum codicum consensu, *quandoquidem debetis exisse* (sive *exire*) *ex hoc mundo*, quando non convenit commisceri scortatoribus. Duriusculum est quod interpretatur Ambrosius, Satius esse mori & decedere ex hoc mundo quàm habere rem cum sceleratis. Etiam Græci interpretantur de relinquenda Græcia, ut sæpe jam dictum est; Si non licet aliâ ratione effugere commercium scortatorum, satius est infectam ac pestilentem relinquere regionem. Verùm id non audet ab illis exigere; quod tamen malit. Illud certè exigit, *ne commisceantur*, h.e. nè familiarem cum illis agant consuetudinem, ceu vitiis illorum faventes: & ideo sequitur, *Nunc autem scripsi vobis*, h.e. mitiùs. Apparet Interpretem & Ambrosium legisse ὠφείλετε per ω μέγα. Cæterùm ut & de meo superiorum studiis nonnihil adjiciam, mihi videtur ὀφείλετε hoc loco esse signum optantis, positúmque pro εἴθε, *utinam*, sive *ô si.* Additur interdum altera dictiuncula, εἴθ' ὤφελες ὡς ὤφελες. Cùm per ο μικρόν scribitur ὄφελον optantis est, sine discretione personæ aut numeri. *Alioqui si non fuistis temperaturi à commercio talium, utinam potiùs exiissetis ex hoc mundo, & quovis exsulatum abiissetis.* Thomas Aquinas pro uno sensu multos producit, ut est fœcunda ignorantia: quorum primus est *Alioqui debueratis ex hoc mundo exisse*; *h. e. Si velitis omnium malorum vitare consuetudinem, profugiendum erat ex hoc mundo, cùm mundus undique malis sit refertus.* Alter hic est, *Nihil erat opus super hac re commoneri, quandoquidem à Baptismo jam ultro à mundo semoti estis.* Tertius sic habet juxta Ambrosium, *Præstabat mori quàm cum scelerosis habere consuetudinem.* Hugo Carrensis addit quartum, *Debeatis ex hoc mundo exisse, i. confugisse ad religionem*: sic enim appellat vitam Monasticam. Sed omnium maximè placet Chrysostomi interpretatio, ut intelligamus Paulum explicare quid sensisset cùm literis suis juberet illos *fugere commercium & consuetudinem scortatorum, rapacium, & eorum qui simulacris immolarent.* Id cùm perperàm intellectum durius videretur Corinthiis, ait *sese non hoc jussisse ut ab Ethnicis scelerosis abstinerent* (quod licèt optandum esset, tamen fieri non posset, cùm ubique sceleratorum hominum plena essent omnia) *sed quoad liceret ab istiusmodi Christianis abstinerent*: ideóque velut obiter interjicit, *Alioqui debueratis* ex hoc mundo *exisse*, h. e. *Utinam id esset quod opto, ut in totum hujusmodi consortia possitis vitare. Nunc quoniam frustrà opto quod fieri non potest, illud scribo quod ante scripsi, ut Christianos tam fœdis vitiis infames arceatis à vestro contubernio, partim nè ipsi videamini factis illorum assentiri, partim ut illi pudore correpti resipiscant.*

11. *Si is qui frater nominatur*] Hic Latini addunt de suo *inter vos*: quæ duo verba non sunt in Græcis cod. nec apud D. Ambrosium, nec in codice Donatiani, nec utroque Constantiensi. Jam quanquam ad sensum non magni refert. Græcè est, *Si quis frater nominatus*, aut *cùm frater nominetur*, ut subaudias verbum substantivum *est*, aut *fuerit*. Nisi malumus videri participium verbi vice positum ὀνομαζόμενος pro ὀνομάζεται. Sic enim habebat vetustissimus codex Paulinus, *Si quis frater nominatur inter vos fornicator, aut avarus, aut idolis serviens*, &c. ut *nominatur* adjungatur iis quæ sequuntur, *scortator, idololatra, avarus.* Nam Græci referunt ad superiora; ut intelligamus eum qui sit ejusmodi probris obnoxius, titulo duntaxat esse Christianum, cùm Christianismus verus sit innocentia vitæ. Quin & illud expende, lector, utrò referenda sit hæc orationis pars, *si is qui frater nominatur*, &c. ad superiora, an ab illis absoluta pertineat ad ea quæ sequuntur. Si ad superiora referas, superest in ordine quod sequitur, *cum ejusmodi nec cibum sumere.* Sin ad inferiora, quomodo corrigit quod scripserat *ne se commiscerent*, si nihil addatur quod sententiam generalem explanet? An hîc quoque fatebimur Paulum sive imperitiâ sive neglectu Græci sermonis perturbatiùs explicare quod sentit; & *si is qui frater nominatur* referendum ad id quod præcessit, *Scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominetur scortator, aut*, &c. ac deinde neglecto sermonis ordine per epitasin additum, *cum hujusmodi ne cibum quidem capere?* perinde quasi dixerit, *Hoc senseram, si quis Christianus hujusmodi flagitiis sit infamis, adeò non oportere cum eo commercium habere, ut nè mensam quidem communem esse velim; quod vestrâ refert illum corrigi, & periculum sit nè cæteros exemplo suo corrumpat: cùm in Ethnico non sit eadem ratio.*

12. *Quid enim mihi*] Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; *Quid meâ etiam eos qui foris sunt judicare?* h. e. Quid ad me attinet, ut cùm satis molestum sit judicare de his quæ ad nostrum gregem pertinent, de iis etiam feram sententiam qui sunt à contubernio nostro alieni? *Judicare* dixit *pro condemnato habere.* Habet autem qui vitat hominis consuetudinem. Quòd si vitemus Ethnicos, quomodo convertentur ad Christum? Ferendi sunt in hoc ut sanentur. Et si salem non admisceas, quomodo salietur quod est insulsum?

13. *Auferte malum*] Καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρόν, *tollite scelerosum illum*: ut ad Hominem referatur, non ad Rem, propter additum articulum: quod annotatum est & Augustino in Quæstionibus super Deuteronomium, admonenti hoc sermonis colore solitam uti Scripturam S. quoties jubet de nocente capitis supplicium sumere. Non quòd Paulus idem senserit, sed quòd excommunicatio apud Christianos instar capitalis supplicii sit. Etiamsi videtur hic locus nonnihil torsisse D. Augustinum, qui visus est adeò abhorruisse ab occidendis improbis ut crebris epistolis obsecret & obtestetur Præfectos Cæsaris nè capitis supplicio afficerent Donatistas, qui non solùm pertinacissimè segregabant sese à consortio Christianorum, verùm etiam crudelissimis suppliciis in orthodoxos sæviebant. Proinde confugit ad hanc interpretationem, ut intelligamus jubere Paulum ut quisque *malum hominem exuat*, juxta illud quod dictum est Ephesiis, *Exuite veterem hominem cum actibus suis.* Idem contra epist Parmeniani lib. 3. cap. 1. *malum* interpretatur *malitiam*, quasi scriptum esset τὸ πονηρόν sed utrumque coactè prætérque veterum lectionem simul & enarrationem.

VATABLUS.

1. GEntes*]* *Nominatur.*

3. * *Ego*]* *Nam.* ¶ *Qui sic**]* *Hoc.* ¶ *Operatus est*] Vel, *perpetravit.*

4. *In nomine*] Heb. *autoritate.* ¶ *Meo spiritu*] i. Me quantum ad sententiam attinet. ¶ *Cum virtute*] Vel, *per virtutem.* ¶ *Domini**]* *Nostri*, Vet.

5. *Tradere hujusmodi hominem Satanæ*] *Tradere hominem Satanæ* est excludere eum ab Ecclesia tanquam Ethnicum, ut corpore affligatur à Satana ad tempus, qui hac in re minister Dei esse solet. ut historia Job satis declarat. ¶ *In interitum carnis*] i. In dispendium carnis, ut carne afflictus resipiscat.

6. *Massam corrumpit?*] Vel, *conspersionem fermentat?*

7. *Expurgate**] * *Igitur.* ¶ *Azymi*] *Infermentati*: i. quales estis cùm fermentum abjecistis ex domibus vestris: vel, quales vos sinceri esse debetis. ¶ *Pascha nostrum**] *Pro nobis.*

8. *Epulemur: non in fermento*] *Festum celebremus, non cum fermento.* ¶ *In azymis sinceritatis & veritatis*] *Cum panibus fermento carentibus*: h. e. sinceritate & veritate.

10. *Non utique*] *Non utique omnino.* ¶ *Debueratis*] *Debetis*, vel *debebatis.*

11. *Qui frater nominatur*] i. Sit Christianus.

12. *Mihi*] *Ad me attinet.* ¶ *De iis qui foris sunt judicare?*] *De iis qui non sunt Christiani*: sive, *qui sunt extra Christum.*

13. *Auferte malum*] *Itaque auferte istum qui malus est.*

CASTALIO.

10. A*Linqui vobis esset ex orbe migrandum*] Quoniam talium plena sunt omnia.

12. *Nam de alienis quidem*] Non Christianis. ¶ *Cum vobis sit de vestris judicandum*] Christiani de Christianis judicent. Κρίνετε indicativi modi est, qui sæpe sic declarandus est ut nos reddidimus: quale est illud Matth. 11. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν; *an nobis alius exspectandus est?* Atque ità loquuntur Latini, *Quid agimus?* pro, *Quid nobis agendum?*

CLARIUS.

1. U*Xorem patris*] Novercam. Illud verò *omnino auditur* absurditatem rei notat, quæ nè labiis quidem proferenda esset, nedum patranda.

2. *Et vos inflati estis*] Vestris quasi rectè factis gloriamini, quo tempore lugendum esset; nam communis vester pudor hic est.

4. *Congregatis vobis*] Nè videretur sibi totam usurpare autoritatem.

5. *In interitum carnis*] Præfigit terminum Satanæ, ut corpus duntaxat tangeret, animæ parceret? sicut & in Job factum est.

7. *Expurgate igitur vetus fermentum*] Profligate hunc sceleratum qui hoc egit.

8. *Itaque festum celebremus*] Cernis Christiano viro semper Pascha ac spiritualem celebritatem esse debere? Ideo alibi dicitur, *Nihil soliciti sitis*, ut toto animo atque omni mente in hos thesauros rerum incumbamus.

9. *Scripsi vobis per epistolam*] Sunt qui intelligant de hac ipsa epistola, ubi de hoc scortatore locutus est, sed rectiùs videtur accipiendum de alia epistola quæ non exstet: ut sit sensus, *Cùm scripsi vobis nè commisceremini scortatoribus*, non volui intelligi de externis; sed siquis fortè inter vos repertus fuisset ejusmodi, quod nunc conqueror factum à vobis non fuisse adversùs istum.

13. *Eos qui foris*] Non hic accipiendum est quasi eos etiam qui intus sunt Deus non judicet; sed dicit *eos qui foris sunt pertinere ad judicium Dei*, non autem Ecclesiæ.

ZEGERUS.

4. C*UM virtute Domini* nostri *Jesu* Christi] Duo hæc verba abjicienda, ut liquet ex antiquis tum scriptoribus tum Bibliis.

7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio*] *Fermentum* appellat incestuosum illum; *conspersionem* autem (quam paulò superiùs *massam* dixit Interpres, i. farinam aquâ temperatam) præparationem quandam ad melioris vitæ restaurationem.

9, 10. *Scripsi vobis in epistola, Nè commisceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi*] Ut donem Chrysostomum & Theophylactum in ea fuisse sententia quâ crediderint D. Paulum non alterius hìc meminisse epistolæ quàm hujus quæ ad Corinthios Prima dicitur, arbitror tamen, sicut ad Laodicenses, & ad alios fortè, ità quoque & ad Corinthiorum Ecclesiam aliam ab his duabus epistolam delineasse in qua vetuerit *cum fornicariis habere consuetudinem*. Verùm quoniam id dictum quidam de fornicariis ethnicis fugiendis accipiendum putarunt, aut certè putare potuerunt, hinc est quòd suam ipsius sententiam declarans ait; *Non utique fornicariis*; *Non utique*, sive *prorsus* (id enim ὅλως signat) *omne commercium cum hujus mundi Gentilibus libidine contaminatis, avaris, idololatris, rapacibus, prohibui: quoniam*, sive *alioqui si hoc voluissem, debueratis de hoc mundo exisse*] Quandoquidem tales nusquam non sunt.

11. *Frater nominatur*] Quod hìc sequitur, *inter vos*, nec in Græcis est nec in vetustis quibusdam nostris, nec apud Ambrosium, nec apud Hesychium in Levit. 11.

12. *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare?*] i. Meâ quid refert judicare de his qui alieni sunt à fide Christianæ Ecclesiæ?

H. STEPHANUS.

2. Π*Εφυσιωμένοι*] *Inflati.*

5. Κέκρικα] *decrevi.*

6. Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ] *Paulum fermenti totam massam fermentat.*

8. Ἑορτάζωμεν] *Festum celebremus.*

11 Νυνὶ δὲ ἔγραψα] *Sed scripsi.*

12. Τί γάρ κρίνειν] *Quid attinet me judicare?* vel, *Quid meâ refert*, vel *interest?*

DRUSIUS.

7. V*Etus fermentum*] *Fermenti* vox ad animi affectus & vitia transfertur. Interdum natura corrupta sic vocatur: unde proverbiale שאור שבעיסה *fermentum in massa*: quod Joseph Albo Serm. 3. c. 32. de innata nobis vitiositate, quam vocat יצר הרע, interpretatur, in illo, *Mundipotens DOMINE, voluntas nostra est, ut nosti, facere voluntatem tuam; & quis retardat fermentum quod in massa?* Plautus *in fermento esse* dixit pro θυμοῦσθαι. Est etiam ubi falsa doctrina *fermentum* vocatur. Quod autem ait, *Paullum fermenti totam massam fermentat*, adagii formam habet. Id reperitur & Gal. 5. 9. Vide sis Proverbia mea sacra. ¶ *Azymi*] *Fermenti expertes, infermentati.* Quomodo *fermenti expertes*, si in eis erat *fermentum vetus?* aut si nullum erat, quomodo dicit, *expurgate fermentum vetus?* nam expurgare non possumus quod non est. Respexit autem Apostolus ad veterem ritum qui in festo Paschatis observabatur: ideo subjicit, *Pascha nostrum immolatum est, nempe Christus.* Nam in festo illo nullum fermentum: unde Exod. 12. *Fermentum nullum inveniatur in domibus vestris:* &, *Die primo abolebitis fermentum è domibus vestris.* Est autem Fermentum farinæ subactæ & acidæ frustum, quod massam inflat ac turgefacit. Sic doctrina animo concepta hominem inflatum & arrogantem reddit. Plautus ad iram transtulit, ut diximus, in Mercatore,

Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.

Nam in ira turgescit homo: unde *irâ turgescere* idem cum illo *in fermento jacere.*

9. *Scripsi vobis in epistola*] Hæc epistola intercidit cum aliis multis libris Prophetarum & Sapientum Ebræorum; qui si nunc exstarent, haud dubiè canonici essent, ut alii ipsorum libri. Sed nihil ex canone, inquit Marsyas, intercidit. Quis dicit aliquid ex canone intercidisse? Loquor de iis libris qui nunc in canone, non qui fortè in canone jam essent si tunc cùm canon fieret exstitissent; cujus generis sunt Cantica Salomonis, reliquáque Proverbia ipsius, & alia quamplurima: de quibus nos librum peculiarem scripsimus, edendum aliquando ubi typographi copia erit.

SCALIGER.

3, 4, 5. Π*Αραδοῦναι τῷ Σατανᾷ*] Extrema excommunicatio, quâ etiam hodiéque Judæi utuntur, ut castigatione carnis domitus salutem animæ assequatur, quod tempus illi ad resipiscentiam datum est.

JAC. CAPPELLUS.

1. O*Mnino auditur inter vos scortatio, & talis scortatio qualis nè inter Gentes quidem nominatur*, Hyperbolica videri potest oratio. Sed ad hujus criminis detestationem eandem Hyperbolen usurpat nutrix apud Senecam in Hippolyto, Cum Phædra meditaretur incestum cum Hippolyto privigno suo, nutricem ità loquentem inducit Seneca vers. 164.

Compesce amoris impii flammas precor,
Nefásque, quod non ulla tellus barbara
Commisit unquam, non vagus campis Geta,
Nec inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes.

Et Senecæ quidem nutrix audaciùs ὑπερβολίζει, quod mulieribus est tralatitium. Apostolus autem non dicit hoc peccatum nunquam antehac auditum admissúmve fuisse: sciebat enim etiam Jacobi filiorum primogenitum Rubenem hoc scelere fuisse contaminatum: sciebat Israelitis objici crimen istud Amosi 2. 7. Sed utitur verbo præsentis temporis; & præterea non agitur de stupro semel admisso, sed de concubinatu quotidiano. Potuit igitur etiam absque Hyperbola dicere, nè inter Gentes quidem quenquam videtis aut nostis qui dicatur *patris uxorem habere* pro concubina, *uxorem*, inquam, non *viduam*, ut colligitur ex 2 Cor. 7. 12.

5. *Ut iste tradatur Satanæ*] Paulinus Diaconus in Ambrosii Vita de scelerato quodam loquens ad Ambrosium perducto, *Quem*, inquit, *cùm interrogasset* Ambrosius, *& deprehendisset auctorem tanti flagitii, ait, Oportet illum tradi Satanæ in interitum carnis, nè talia aliquis in posterum audeat admittere, quem eodem momento, cùm adhuc sermo esset in ore Sacerdotis sancti, Spi-*

Spiritus immundus arreptum cœpit discerpere. Quo viso, non minimo timore repleti sumus & admiratione. Multos etiam multis diebus, ipsis imponente illo manus & imperante, ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.

GROTIUS.

1. Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία, *Omnino auditur inter vos fornicatio*] Primùm indignum quòd apud vos Christum professos ulla audiatur turpitudo: deinde verò talis. Ὅλως [*Omnino*], id est, *ulla omnino*: ut μὴ ὀμνύναι ὅλως [*omnino non jurare*] apud Justinum & Chrysostomum, quod alibi καθόλε [*omnino*]: Vide ad Matth. 5. 34. Πορνεία [*Fornicationis*] nomine non sola scortatio significatur, sed omnis *venus contra fas, jura, bonosque mores*: etiam *adulteria* eo nomine venire notavimus ad Matth. 5. 32. Sic apud Prophetas זנה & זנות sæpissimè sumitur. Veniunt eo nomine etiam conjugia illegitima. Tertullianus de Pudicitia, *Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* Sic Basilio, αἱ κόραι αἱ παρὰ γνώμην τῦ πατρὸς ἀπολοθήσασαι πορνεύεσι [*puellæ quæ extra Patris voluntatem consentiunt fornicantur*]. & ἡ παρὰ γνώμην τῦ δεσπότε ἀνδρὶ ἑαυτὴν ἐκδῦσα ἐπόρνευσεν [*quæ seipsam extra domini voluntatem viro tradidit, scortata est*]. Item ἐάν τις πάθει ἀκαθαρσίας κρατηθεὶς ἐκπέσοι πρὸς δυοῖν ἀδελφῶν ἄθεσμον κοινωνίαν, μὴ γάμον ἡγεῖσθαι τῦτο [*si quis impurâ libidine, eò se abripi patitur, ut contra fas duabus sororibus cohabitet, non debere id matrimonium putari*]. ¶ Καὶ τοιαύτη πορνεία ἥτις ὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται, ὥςε γυναῖκά τινα τῦ πατρὸς ἔχειν. *& talis fornicatio, qualis nec inter Gentes nominatur, ita ut uxorem Patris aliquis habeat*] Ἔχειν [*Habere*] hic est quasi *conjuge uti*, quomodo intellexit Syrus. Vide quæ dicto ad Matt. 14. 4. ubi & hoc notavimus, uxorem alicujus dici eam quæ uxor fuit, etiam marito jam defuncto. In manuscripto deest ὀνομάζεται [*nominatur*]. quod nec Latinus in suo habuit codice. Tale probrum dicit Apostolus etiam in Gentibus non reperiri, id est, *vix reperiri*: verè. Plutarchus Seleucum narrat, cùm vellet Stratonicen uxorem suam filio suo Antiocho concedere, veritum ne ipsa offenderetur τῷ μὴ νενομισμένῳ, *ut re illicita*. Et Cicero in re simili dicit, *Scelus in omni vita inauditum.*

2. Καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐςὲ, *& vos inflati estis*] *Inflati estis* majoris cujusdam sapientiæ opinione, quæ talia censet ἀδιάφορα [*media*]. Ita enim censebant & Cynici & Stoici. Atqui si legibus civilibus cujusque populi tenentur Christiani, ut Paulus docet 13. capite ad Romanos, multò magis iis quæ apud omnes bene moratos populos receptæ sunt, non sine gravi ratione, & iis maximè quæ cum Lege à Deo per Mosem Hebræis data consentiunt. Vide Levit. 18. 8. Mirabitur fortè aliquis Romanum Proconsulem pœnas non exegisse de tali incestu. Sed nimirum defuit accusator: neque solebant Romani Magistratus in ista statum publicum non directè tangentia sollicitè inquirere. ¶ Καὶ ὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, *& non magis luctum habuistis*] Est metonymia adjuncti: nam quia Ecclesia cùm aliquem esset à suo consortio exclusura lugentium sumebat habitum; eo factum ut *lugere* dicatur pro *excommunicare*. Sic πενθήσω [*lugebo*] interpretantur veteres 2 Cor. 12. 21. Clemens Constitutionum 2. Μετὰ λύπης καὶ πένθους ἀνιάτως ἔχοντα τῆς ἐκκλησίας ἀποτέμνετε [*Qui ita malè habet ut sanari posse non videatur, hunc cum dolore & luctu ab Ecclesia dimittite*]. Tertullianus de Pudicitia, *Nec gaudium confert repertrici Ecclesiæ, sed luctum.* Origenes contra Celsum 3. Οὗτοι δὲ (Χριςιανοὶ) ὡς ἀπολωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ' ἀσελγείας ἤ τινος ἀτόπε γεγενημένους ὡς νεκροὺς πενθοῦσι. [*Hi vero (Christiani) ut perditos & mortuos Deo eos qui in lasciviæ vel cujusvis improbitatis potestatem pervenere, tanquam mortuos lugent*]. Episcopi Synodi Ephesinæ ad Ecclesiam Constantinopolitanam narrantes depositionem Nestorii, πρότερον μὲν ἐπὶ τῷ γεγονότι δακρύσαντες [*prius quidem antegesta deflentes*]. Sic & Theodoretus sermone duodecimo adversùs Græcos, ἤν τι ἐπιμένωσι θηριωδῶς βιοτεύοντες καὶ περιόντας θρηνήσομεν, [*sin bestiarum ritu vivere perseverent, vel superstites lugebimus*], &c. ¶ Ἵνα ἐξαρθῇ ἐκ μέσε ὑμῶν ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας; *ut tollatur de medio vestrûm qui opus hoc fecit?* Non per mortem, ut videtur intellexisse Tertullianus, sed per נדוי [*separationem*]. Nam omnia laudabilia Synagogæ instituta retinuere Apostoli. Et si quis quæ Hebræi de ea re scripsere, cum moribus antiquæ Ecclesiæ comparet, miram inveniet congruentiam. Ἐξαίρειν ἐκ μέσε [*De medio tollere*] est *ex Ecclesia excludere*, quomodo loquitur Cyprianus. Orasse debueratis Deum ut tota Ecclesia consentiens tales excommunicaret.

Ἐν δὲ διχοςασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς
[*Sæpe in dissidiis potitur vir pravus honore*].

3, 4 Ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον, Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίε ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος, σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Κυρίε ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ Σατανᾷ, *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic hoc operatus est, In nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Satanæ*] In manuscripto deest ὡς [*ut*]: non malè. Apostolorum erat munus, si quid in Ecclesiis negligebatur, id supplere suâ auctoritate, accedentibus sæpe & miraculis. *Absentem se* dicit *corpore*, *præsentem vero spiritu*, id est, animo, ideo, quod omnia videret quæ ibi gerebantur, ut Elisæus quæ se absente faciebat Giezi, 2 Regum 5. 26. Ubi est *cor meum* pro eo quod hic est, *spiritus*. Illud, ἐν τῷ ὀνόματι τῦ Κυρίε ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ [*in nomine Domini nostri Jesu Christi*], rectè conjungit Chrysostomus cum sequentibus συναχθέντων ὑμῶν [*congregatis vobis*]. Nam fideles quoties conveniunt, *conveniunt in Christi nomine*: *vos* autem cùm dicit, non omnes Corinthios qui Christiani dici volebant intelligit (erant enim scissi inter se) sed optimos. Quod autem addit καὶ τῦ ἐμῦ πνεύματος [*& meo spiritu*], eo significat, sicut nunc cognoscebat omnia quæ ibi fierent, ita tunc etiam quæ facturi essent se visurum. Præterea dicit ipsam virtutem mirificam, nempe Christi, ipsi adfuturam. *Tradere* autem *Satanæ* est precari Deum ut eum tradat in potestatem Satanæ, nempe ut per eum morbis vexetur. sic & 1 Tim. 1. 20. Nam eam potestatem sicut interdum specialiter Satanas accipit ad tentandos pios, ut Jobum 2. 4, 5, 6, 7. & Paulum 2 Cor. 12. 7. ita plerumque eam obtinet in eos qui profani cùm sint, piis tamen accenseri volunt.

5. Εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, *in interitum carnis*] *Ut ira divina sensu carnales affectus in illo exstinguantur.* Ita σὰρξ [*caro*] sumitur Rom. 7. 5. & 8. 9. ὄλεθρος σαρκὸς [*interitus carnis*] pari modo dicitur quo θανατῦν τὰς πράξεις τῦ σώματος [*mortificare facta carnis*] Rom. 8. 13. ¶ Ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίε Ἰησοῦ Χριςοῦ. *ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu Christi*] *Ut spiritus*, id est animus apud Deum depositus (vide Luc. 23. 46. Actor. 7. 59.) non intereat, sed salvus ei sit, restituendus nimirum corpori in die resurrectionis, 2 Tim. 1. 12. Multas sanat malum temporarium, Psalm. 83. 17.

6. Οὐ καλὸν τὸ καύχημα ὑμῶν. *Non est bona gloriatio vestra*] Immeritò vobis placetis isto tali Doctore Philosopho magis quàm Christiano. ¶ Οὐκ οἴδατε ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ; *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?*] Idem proverbium Gal. 5. 9. Hebræi per ζύμην [*fermentum*] intelligunt μεταφορικῶς [*per Translationem*] omne id quod alia corrumpendi vim habet, sive dogma sit, sive exemplum, sive aliud quid. Vide quæ dicta ad Matth. 16. 6. Ita liber Zeror in institutione Paschatis חמץ, id est, *fermentum* mysticè interpretatur יצר הרע, *malum appetitum*.

7. Ἐκκαθάρατε ὖν τὴν παλαιὰν ζύμην, *Expurgate igitur vetus fermentum*] Omnia per quæ corrumpi potest Ecclesia. Sensus, ut dixi, mysticus præcepti Exod. 12. 19. *Vetus* addit, sicut alibi dixit *veterem hominem*, Rom. 6. 6. Quod hic est ἐκκαθάρατε [*expurgate*], id in versione LXX in Exodo est ἀφανιεῖτε [*ab aspectu removete*]. ¶ Ἵνα ἦτε νέον φύραμα, *ut sitis nova conspersio*] עיסה vel עסה. Vide dicta ad Rom. 9. 21. Ignatius ad Magnesios, Ὑπέρθεσθε ὖν τὴν κακὴν ζύμην τὴν παλαιωθεῖσαν, τὴν σεσηπυῖαν, καὶ μεταβάλλεσθε εἰς νέαν ζύμην χάριτος [*Abjicite igitur malum illud vetus & putidum fermentum, & transmutamini in novum fermentum gratiæ*]. Justinus Colloquio cum Tryphone, Διὸ καὶ μετὰ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας τῶν ἀζυμοφαγιῶν, νέαν ζύμην φυρᾶσαι ἑαυτοῖς ὁ Θεὸς παρήγγειλε, τυτέςιν ἄλλων ἔργων πρᾶξιν καὶ μὴ τῶν παλαιῶν καὶ φαύλων τὴν μίμησιν [*Quapropter & post septem, quibus panem non fermentatum in usu habetis, dies, jussit Deus, ut novam vobis conspersionem conficeretis, hoc est, aliorum operum exsecutionem non autem veterum ac malorum imitationem*]. ¶ Καθώς ἐςὲ ἄζυμοι, *sicut estis azymi*] מצות quod est Exod. 12. 8. & alibi vertitur ἄζυμοι [*azymi*]. unde & dies illi Paschatis ἄζυμα [*azyma*], aut ἄζυμοι ἡμέραι [*dies azymi*] Josepho: ut & Matth. 26. 17. Marci 14. 1, 12. Luc. 22. 1, 7. Act. 12. 3. & 20. 6. Hinc homines ipsi ἄζυμοι *qui fermento abstinent*, quomodo dicuntur ἄσιτοι [*qui cibo abstinent*], ἄοινοι [*qui vino abstinent*]. Mysticè hoc loco sic vocantur, qui sibi cavent ab omnibus iis per

quæ corrumpi mores solent. *Estis*, id est, esse debetis secundùm vestram professionem. Vide Rom. 6. 2. ¶ *Καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. Etenim Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus*] Prosequitur cœptam ἀλληγορίαν [*tectam locutionem*]. Sicut sanguine Agni Paschalis allito postibus liberati sunt Israelitæ ab excidio, ita & Christiani per sanguinem Christi aspersum cordibus, id est, per fidem ex passione Christi conceptam, liberantur à communi exitio humani generis. Agnus ille sine vitio esse debuit, & Christus sine vitio fuit. Adde quæ diximus ad Luc. 22. 16. Christus ergo mysticum *Pascha*, id est, agnus Paschalis: quod πάσχα θυσίαν [*Paschalem victimam*] vocat Josephus. Sic θύσατε τὸ πάσχα [*immolate Pascha*] Exod. 12. 21. Deut. 16. 2, 5, 6. ἔσφαξαν τὸ πάσχα. [*mactaverunt Pascha*] Esdr. 6. 20. 2 Paralip. 30. 15, 17. & 35. 1, 6, 11. Vox ἡμῶν [*nobis*] ostendit Paulum de mystico, non de Judaïco Paschate loqui.

8. Ὥστε ἑορτάζωμεν, *Itaque epulemur*] Ἑορτάζειν, חגג [*festum celebrare*], in Lege Mosis est *abstinere ab omni opere ut Deo sacra fiant.* In mystico sensu, *ita perpetuo Deo servire, ut omnia opera sint sacrificia* Esaiæ 66. 23. Philo, Ἑορτὴ ψυχῆς, ἡ ἐν ἀρεταῖς εὐφροσύνη τελεία [*Animæ festum est in virtutibus perfecta lætitia*]. Vidit aliquid hujus rei Thucydides cùm dicit, Ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ τὰ δέοντα πράττειν [*Festum nihil aliud est quàm ea quæ decet agere*]. ¶ Μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, *non in fermento veteri*] ביצר, *in malis cupiditatibus*, ¶ *Μηδὲ ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας*, [*neque in fermento malitiæ & nequitiæ*] *Multò minus in actionibus improbis atque versutis:* qualis erat illa incestum per philosophicas rationes defendentis. ¶ Ἀλλ' ἐν ἀζύμοις, *sed in azymis*] Subauditur, *panibus*. Per panes autem mysticè intelligendæ actiones, ut quibus pascatur animus. ¶ *Εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. sinceritatis & veritatis*] Prius illud opponitur κακίᾳ [*malitiæ*], alterum πονηρίᾳ [*nequitiæ*]. εἰλικρίνεια [*sinceritas*] est *fuga impuritatis*, ἀλήθεια [*veritas*] *simulationis*. Hieronymus contra Pelagium Dialogo 1. *Pascha cum amaritudinibus editur, Pascha sinceritatis, veritatis.*

9. Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, *Scripsi vobis in epistola*] In aliqua epistola antehac scripta, quæ intercidit, ut multæ. Satis Deo debemus quod tot servatæ sunt, ad quas si & singulorum vita & regimen Ecclesiæ dirigatur, bene erit. ¶ Μὴ *συναναμίγνυσθαι πόρνοις. ne commisceamini fornicariis*] Πόρνους [*Fornicarios*] hic intelligit, non sane *catamitos*, ut quidam volunt, sed *scortis utentes*, quod & præcedentia ostendunt & quæ sequuntur 6. 10, 15. & loca Sir. 23. 21, 22. *συναναμίγνυσθαι* [*commisceri*] hic & 2 Thess. 3. 14. *συγχρῆσθαι* [*couti*] Joh. 4. 9. *κολλᾶσθαι* [*conjungi*] Actor. 10. 28.

10. *Καὶ οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου, Non utique fornicariis hujus mundi*] Non id scripsi de non Christianis. Illud καὶ [*&*] in Manuscripto non comparet, & abest rectiùs. ¶ Ἢ τοῖς πλεονέκταις, *aut avaris*] Addit alia vitiosorum genera. Πλεονέκται sunt *qui in contractibus & promissis fraudant alterum.* Id facere est πλεονεκτεῖν, בצע [*plus suo capere*] Hebræis, unde & nomen בצע πλεονεξία, πλεονέκτημα [*lucri petentia, de alieno lucrandi studium*]. ¶ Ἢ ἅρπαξιν, *aut rapacibus*] plus est ἁρπαγὴ [*rapina*] quàm πλεονεξία [*lucripetentia*]. Nam ἁρπαγὴ vim habet adjunctam, ut *raptus* & *rapina* apud Latinos. ¶ Ἢ εἰδωλολάτραις, *aut idolis servientibus*] Hic primum occurrit ea vox. Quod Hebræi dicunt עבודה זרה [*cultus extraneus*] id Hellenistæ dicunt εἰδωλολατρείαν [*idolorum culturam*], non quòd vox voci respondeat, sed quòd sic optimè intelligeretur quod vellent, quia Gentes in cultu suo publico utebantur simulacris, id est, imaginibus exstantibus, Judæi non utebantur. Hinc vox mansit etiam apud Christianos, non quòd secundum Decalogi præceptum eos obligaret, sed quia ille vocis usus illo sensu evaluerat. ¶ Ἐπεὶ ὀφείλετε ἄρα ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελθεῖν. *alioquin debueratis de hoc mundo exisse*]. Nihil noceret si hoc fieri posset, sed nimis hoc grave esset. Intercideret ferme omne vitæ humanæ commercium, quod hic ὑπερβολικῶς [*per superjectionem*] exprimitur.

11. Νυνὶ δὲ ἔγραψα ὑμῖν, *Nunc autem scripsi vobis*] Νυνὶ [*nunc*] non est hìc ad temporis discriminationem additum, quasi nunc aliud scriberet Paulus quàm ante scripserat, sed habet vim adversativæ, quomodo νῦν [*nunc*]. sumitur infra 7. 14. & 12. 20. νυνὶ [*nunc*] infra 12. 18. & 15. 20. Ita apud Ciceronem sæpe ponitur, *nunc verò*. ¶ Μὴ συναναμίγνυσθαι, ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος, ἢ πόρνος, ἢ λοίδορος, ἢ πλεονέκτης, ἢ εἰδωλολάτρης, ἢ μέθυσος, ἢ ἅρπαξ. *non commisceri, si is qui frater nominatur est fornicator, aut maledicus, aut avarus, aut idolis serviens, aut ebriosus, aut rapax*] *Si quis frater dictus*, id est, Christianus dici volens. Vide Actor. 6. 3. Amicitia cum talibus peccatoribus dehonestabat Ecclesiam, cum iis qui extra Ecclesiam erant non item. Ad modò dicta vitiosorum nomina addidit hic pari jure λοιδόρους [*maledicos*] & *ebriosos*. Λοιδορία [*maledicentia*] respondet Hebræis vocibus ריב & חרפה: illa *jurgium*, hæc ψόγον [*probrum*] & ὀνείδισμα [*vituperium*] significat. Vide Johan. 9. 28. Act. 23. 4. supra 4. 12. 1 Petr. 2. 23. Habes ergo hic præcipuas excommunicationis causas. In excommunicationis locum ubi aut presbyterium non est, aut Ecclesia est lacerata, succedit privata familiaris commercii fuga: unde non longè abit Charondæ illud, Ἀδίκῳ ἀνδρὶ ἢ γυναικὶ μὴ ὁμιλεῖν μηδένα, ἢ ὀνειδίζεσθαι ὡς ὄντα ὅμοιον [*cum malo maláve commercium nemo habeto; qui habuerit, eadem, quæ illi, convitia patitor*]. ¶ Τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν. *cum ejusmodi nec cibum sumere*] *Cum talibus*, id est, adeò vitiosis & Christianorum nomen usurpantibus, *ne epulas quidem habere communes*, quod minimum est inter amicitiæ signa. Vide Galat. 2. 12. συνεσθίειν [*comedere*] habes Genes. 43. 32. Psal. 101. 5. in Græco. Hebræis mos erat cibum communem non sumere cum eo qui erat in נדוי [*separatione*.

12. Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?*] Non hoc adeò mihi aut vobis necesse est ad servandam Ecclesiæ puritatem. καὶ [*&*] abest in Manuscripto rectè. ¶ Οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; *Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis?* Id est, *debetis judicare?* Nonne vestri est officii aut pœnis quibusdam, si eas suscipiant, castigare, aut si id nolint, à vestra consuetudine segregare ita viventes? In hoc convenire omnes & consentire debueratis.

13. Τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει. *Nam eos qui foris sunt Deus judicat*] Rectiùs κρινεῖ [*judicabit*]. puniet eos suo scilicet tempore. Τοὺς ἔξω, החוצים [*extraneos*] ἀλλοτρίους [*alienigenas*], ut vertunt LXX. hoc per parenthesin legendum est. ¶ *Καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. Auferte malum ex vobis ipsis*] In Manuscripto ἐξάρατε [*auferte*]. Meliùs alii codices ἐξαίρετε [*aufertis*]: sicut præcessit κρίνετε [*judicatis*] nam ista cohærent, parenthesi, ut diximus, interpositâ, ut sensus sit, *Nonne debetis eum à vobis amovere?* sicut κρίνετε [*judicatis*] est *debetis judicare*: sæpe enim verba talia non tam actum quam officium significant. Ideo Syrus & hanc interrogationem & præcedentem per imperativum transtulit. Sumpta autem hæc locutio ex Deuter. 24. 7, ubi in Græco ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν [*auferes malum ex vobis ipsis*]. Ita & Deuter. 13. 5. & 17. 7. & 21. 21. & 22. 21.

CAP. VI.

V A L L A.

2. **A**N *nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?*] Nescio quare & hic τὸν κόσμον κρινοῦσι, & superiùs 5. 12. *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? nam de iis qui intus sunt vos judicatis.* Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; per ablativum locutus est potiùs quàm ut est Græcè, *sancti hunc mundum judicabunt*, &, *eos qui foris sunt judicare? nonne eos qui intus sunt vos judicatis?* quale est illud quod sequitur c. 5. 13. *Nam eos qui foris sunt Deus judicabit.* Illud transeo, me sic potiùs illam particulam fuisse translaturum, *Quid enim mea etiam eos qui foris sunt judicare?* ¶ *Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?* 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quantò magis secularia?*] Nonnihil Interpres a Græco descivit, in parte quidem priore pereleganter; nam Græcè ad verbum dicitur, *indigni estis minimis judiciis*, ἐλαχίστων κριτηρίων in posteriore autem licentiùs; nam ego non dixissem, *quantò magis secularia?* sed *nedum quæ ad victum* (seu *ad vitam*) *pertinent?* non enim est Græcè *quantò magis*, sed μήτι γε neque *secularia*, sed, si uno vocabulo liceret dicere, βιωτικὰ diceremus *vitalia*, sive, ut quodam loco Ambrosius ait, *victualia.* Idem dico de proximo loco,

4. *Secularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituitis ad judicandum*] Nescio an meliùs transferatur *constituitis:* nam Græcè dictio anceps est, καθίζετε. Nam si velit Apostolus contemptos in Ecclesia homines, ἐξουθενημένους, sedere Judices, cur subjungeret,

5. *Ad verecundiam vestram dico* (seu potiùs *ad pudorem, seu confusionem*, ἐντροπὴν) *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?*] Quid est hoc quod ait ad eos in pudorem adducendos? *Siccine non est inter vos sapiens quisquam?* non enim *sapientes* sunt *contemptibiles* sive *contempti in Ecclesia*. Ergò tales ad judicandum sunt eligendi. Hæc sen-

sententia si verior est, non fuit transferenda *igitur*, sed *itaque*, μὲν οὖν, nec *habueritis*, sed *habeatis*, quanquam hoc parùm interest, ἔχητε. Mutavi *verecundiam* in *confusionem*, quia *verecundia* est timor quidam honestus reducens animum ab aliqua re facienda. Interdum hic timor non usquequaque probabilis, de quo significato non loquitur hic Apostolus. Et idem Græcum vocabulum Interpres pro *confusione* paulò ante usurpavit 4. 14. *Non ut confundam vos, hæc scribo*, ἐντρέπων. Quædam minutiora omitto.

11. *Et hæc quidem fuistis*] Non ait Apostolus Corinthios fuisse illa omnia, *fornicarios*, *idolis servientes*, *adulteros*, *molles*, *masculorum concubitores*, *fures*, *avaros*, *ebriosos*, *maledicos*, *rapaces*, tanquam omnes tales fuissent, sed quosdam; & idcirco legendum est *quidam* non *quidem*, ut nescio qui temerarii corruperunt, καὶ ταῦτά τινες ἦτε.

18. *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*] Cur non potiùs, *in corpore suo peccat*, ut sit apertior sententia, cùm possit per ablativum transferri Græcus accusativus, ut suprà memini? quale est, nè longè exempla repetam, 1 Cor. 6. 16. *Erunt enim, inquit, duo in carne una*: cùm sit Græcè, *in carnem unam*, εἰς σάρκα μίαν. Quòd si respondeas fuisse hoc transferendum potiùs *in carnem unam*, quid illud quod proximè attuli ex Euangelio Matth. 13. 33. *in farina satis tribus*, εἰς ἀλεύρου σάτα τρία? nónne accusativus Græcus est? Ità hæc sententia cum illa sequente congruet.

20. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*] Non legitur Græcè *portate*: ut hoc superfluum apud nos, ità illud deest, *Et in spiritu vestro, quæ sunt Dei*, δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν καὶ ἐν πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, h. e. quòd *corpus nostrum & spiritus noster sunt Dei*, non nostra: quod convenit cum præcedenti, *Et non estis vestri: empti enim estis pretio magno*. Optimi Græcorum codices non habent illud *magno*: neque enim attinet nunc loqui de pretii magnitudine. Quantulumcunque fuerit pretium, eo estis empti: ideóque non vestri, sed servi estis. Quod probat ille longè pòst locus c. 7. 23. *Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum*. Illud parvum est adnotandum v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti?* etsi numeri sing. Græcè est, tamen transferendum fuisse pluraliter, *templum sunt*, quia suppositum plurale est. Neque enim idem nobis licet quod Græcis (quod superiùs admonui) ut plurali supposito, si fuerit generis neutri, detur verbum numeri sing. Nostri tamen nonnunquam eâdem licentiâ verbum non principali, i. præcedenti, supposito, sed viciniori accommodant: ut Poeta in Bucolicis,

——— *Nihil hîc nisi carmina desunt.*

ubi magis Grammaticè, nescio an magis Latinè, dixisset, si ratio metri passa fuisset, *Nihil hîc nisi carmina deest*. Sunt etiam qui velint simile esse illud ejusdem in alio opere,

——— *hic illius arma.*
Hic currus fuit. ———

Sed illic manifestum est Zeugma.

REVIUS in VALLAM.

4. *Constituitis*] Nodum solvit Beza. ¶ [Ἐξουθενημένους] Trajectum erat.

11. *Quidam* non *quidam*] Beza vertit *quilibet*: (non ut ei falsò imponitur, *unusquisque*) id verò ità explicat, *minimè id quidem quasi singuli totidem illis vitiis laborarent, sed quòd nemo sit qui aliquo vitiorum istorum non laboret, & in quo ante regenerationis gratiam non insit omnium scelerum semen*. Hæc orthodoxè dicuntur, neque calumniæ patent: interim tamen non probanda est illa versio, nisi Beza probet τινὲς accipi pro πᾶς τις. Nec firmior est Erasmi suspicio, qui ταῦτα putat accipi posse pro τοιοῦτοι (ità enim legendum, non τοιοῦτο) & τινὲς additum juxta proprietatem Græci sermonis: sed afferat exemplum Erasmus in quo ταῦτά τινες usurpetur pro τοιοῦτοί τινες nam mihi id perabsurdum & ἀγράμματον videtur.

20. Non legitur Græcè *portate*] Ità tamen Augustinus citat, De Nupt. & concup. l. 1. p. 821. ut vetus sit error: cujus fontem ex editione Veronensi, quam citat Erasmus, indagavi: ea sic habet, δοξάσατε δὴ, ἄρατε ubi cùm desit καὶ, observavit & Erasmus sermonem non cohærere. Puto ergò quempiam, ut explicaret illud δὴ in albo sui codicis ascripsisse ἄρα: id alium, ratum ad textum pertinere, nè solœcismus esset, mutasse in ἄρατε. Latinos porrò, ut cohæreret sermo conjunctionem & adjecisse. ¶ *Carmina desunt*] At poterat dicere *deest*: nec id repudiabat metri ratio. Alio itaque consilio diversâ usus est constructione quàm propter metrum. Sed solide hanc Vallæ censuram refellit Jul. Cæs. Scaliger De Causis ling. Lat. l. 12. c. 180.

ERASMUS.

1. *Audet aliquis*] Τολμᾷ. Nonnunquam significat *sustinet*, aut *potest*, cùm significamus rem non periculosam, in qua propriè dicimur audere, sed duram affectibus nostris & intolerandam atque indignam. Ità Suetonius ad Græcorum imitationem in Cæsare Octavio, *Postquam verò Pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit*. Idem in eodem aliquantò inferiùs, *Nam quamvis minime appeteret hereditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit, amicorum tamen suprema judicia morosissime pensitavit*. Ac rursus in Cæsare Dictatore, *Cornelio Phagita, cujus quondam nocturnas insidias æger ac latens ni perduceretur, ad Sillam vix præmio dato evaserat, nunquam nocere sustinuit*. Item aliis compluribus locis comperire licet hoc verbi positum pro *voluit*, aut *potuit*, sive *animum induxit*. Nobis ut in hoc argumento unum atque alterum indicasse locum satis est, ob diffidentem ac morosum lectorem. Nam in eodem sensu reperias hoc verbum & apud Senecam & Quintilianum & Lucanum. Paulus igitur judicans hoc vehementer pudendum, miratur esse quenquam Christianum qui possit animum inducere ut apud Ethnicos Judices pro re pecuniaria contendat. ¶ *Apud iniquos*] Ἐπὶ τῶν ἀδίκων. Magis sonat *sub injustis*, & *sub sanctis*: ut dicimus *sub tali Principe*, & *sub Judice*, ut Horatius,

——*Et adhuc sub judice lis est.*

At in Judice potissimùm requiritur justitia, idcirco accommodam addidit ἐπίτατον, *sub iniquis*: nisi quòd Hebræorum more quævis improbitas ἀδικία dicitur.

2. *De hoc mundo judicabunt*] Τὸν κόσμον κρινοῦσιν, i. *mundum ipsum judicabunt*. Pronomen *hoc* non additur nec in codice Donatiani nec in Constantiensi. *Judicari mundum* dixit, quòd è vita sanctorum apparet mundanos errare ac desipere: idque velut explicans subjecit, *Si in vobis judicatur mundus*. Nam *judicatur* est præsentis temporis, κρίνεται, non κριθήσεται, consentientibus tum exemplaribus tum interpretibus Græcis: ut palàm intelligas eum loqui de vita Christianorum, quæ utinam hodie talis esset ut per eam mundus judicaretur. Nunc ab Ethnicis plerique titulo magis ac ceremoniis, quàm affectibus ac vitâ differimus. Quin & Ambrosium legisse *judicatur* subindicat ejus interpretatio, *Tunc*, inquiens, *judicatur hic mundus in vobis, si opus perfidorum hominum non inveniatur in vobis*. Theophylactus, ut Chrysostomus, & legit & interpretatur *judicatur*; & tamen Interpres constanter vertit *judicabitur*. Augustinus tamen legit *judicabitur*, referens ad extremum judicium, quo sancti *sedebunt in duodecim thronis judicaturi duodecim tribus Israel*. Nihil autem vetat quò minùs hic locus ad utrumque tempus pertineat; siquidem & *nunc judicatur*, h. e. condemnatur, mundus impius ex innocenti vita piorum, & *olim condemnabitur*, cùm piorum & impiorum opera omnia proferentur in apertum. Illud obiter indicandum, *in vobis* hic dictum Hebræo more pro *per vos*. ¶ *Indigni estis qui de minimis Judicetis?*] Ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων; *indigni estis minimis judiciis?* nam κριτήριον *locus est ubi causæ cognoscuntur*. Siquidem alicubi audiebantur causæ capitales, alicubi leviores ac civiles, de Mutuo, de Commodato, de Empto, hæc quæ ad vitæ usum pertinent vocat *minima*. Græci sic accipiunt hunc locum, *Cùm sitis judicaturi de mundo, indignum est vos judicari in Gentilium judiciis*; quæ hîc *minima* vocat præ Judicio illo magnifico quo sancti mundum & Angelos judicabunt. Quanquam sermo Græcus anceps est: potest enim accipi, *indigni estis qui de minimis litigetis*, aut *judiceris, judicaturi & Angelos*. Ità Theophylactus & Chrysostomus: ut non sit percontatio negandi vim obtinens, sed asseveratio.

3. *Quantò magis secularia?*] Gr. Μήτιγε βιωτικά; *non solùm vitualia*, aut *quæ ad victum aut facultates, sive ad vitæ usum, pertinent*. Nam βίος Græcis tria significat, *vitam*, *victum*, & *facultates ac substantiam quâ vivimus*. Sentit enim lites pecuniarias. Quoniam autem vulgus hominum his rebus deditum est quæ ad victum pertinent, *victûs* autem vocabulum complectitur & vestes & domum & cætera vitæ necessaria, veteres βιωτικοὺς appellarunt *mundi rebus deditos*. Sic apud Suidam in dictione βίος, ex Philone, βιωτικῶν ἀνθρώπων & Chrysostomus lib. 3. De sacerdotio, c. 15. ἀνθρώπους βιωτικοὺς appellat gloriæ studiosos. Rursus lib. 4. c. 1. militiam, negotiationem

nem & agricolationem vocat *βιωτικά*. Et *μήτιγε* Græcis valere idem quod *πόσῳ μᾶλλον* annotavit Hesychius.

4. *Secularia igitur*] Et hic est *βιωτικά*, quasi *quæ ad victum & rem domesticam pertinent*. Mira est autem in hoc Interprete copiæ affectatio. Quid autem simile *secularibus* & *βιωτικοῖς*? ¶ *Contemptibiles*] Ἐξουθενημένους, *contemptos & nihili habitos*. ¶ *Illos constituite ad judicandum*] Καθίζετε anceps est, quippe quod verti poterat *constituite*, vel *constituitis*. Mihi non displicet modus imperandi; ut Apostolus jubeat vel extremis Christianorum id muneris delegari potiùs quàm ut ad ethnicos Judices eant. Augustinus lib. Adv. Faustum 5. cap. 9. legit *collocate* pro *καθίζετε*: etiamsi dissentit Ambrosius, aliter explicans hunc locum, quasi videlicet Paulus objurget Corinthios quòd quoslibet hujusmodi negotiis judicandis præficerent. Græcorum Scholia, ac nominatim Chrysostomus & Theophylactus, mecum faciunt; & magis quadrat ad sensum Pauli. Nec enim illud hic agit qui constituantur Judices in Ecclesia, sed nè Christiani litigent apud impios, & quemvis potiùs vel contemptissimum, modò Christianum, arbitrum suæ causæ faciant, quàm adeant tribunalia impiorum. Non quòd ità sentiat faciendum ut infimis committantur judicia, sed ut declaret quàm alterum sit indecorum, dicit hoc citiùs committendum. Et ideo mox sequitur, *Ad verecundiam vestram dico*, non quòd existimem nullos esse inter vos qui sapiant, sed ut justam, falsam licèt, excusationem vobis adimam. D. Augustinus in libro De opere monachorum ait sese ex hoc Pauli loco cogi ad suscipienda judicia causarum, cùm esset Episcopus. Quod rectè an secùs senserit, non est hujus loci excutere. Nec hoc loco Paulus *Ecclesiæ* nomine propriè designat Sacerdotes, sed cœtum Christianorum hominum, in quo fieri non poterat quin aliqui forent idonei qui de levibus negotiis arbitrarentur. In hoc pro me facit Augustinus, quòd Paulus senserit tolerabilius esse causas tam humiles vel infimis ac contemptissimis Christianis delegari quàm agi apud Judices profanos & impios. Postremò de deligendis arbitris potissimùm loqui videtur Paulus. Si quid parùm convenit, per arbitros transigatur, & eos arbitros qui inter vos habentur contemptiores. Quod si hodie placeret Christianis, frigeret rapacissima plerumque advocatorum, procuratorum ac jureconsultorum turba. Καθίζετε, i. *collocate*: nam *καθίζειν* est propriè *collocare in sede*; & Judicis est sedere. Mirè autem addidit *τούτους* ad odium rei.

5. *Ad verecundiam vestram*] Πρὸς ἐντροπὴν, *ad suffusionem* sive *pudorem* aptiùs quàm *ad verecundiam*: & paulò superiùs vertit *ad confusionem*. Hoc adjecit, significans se non esse locutum ex animo, quòd vellet contemptissimos ad judicandum deligi, sed quòd hoc quoque judicaret tolerabilius quàm id quod illi faciebant, litigantes Christiani apud ethnicos. ¶ *Sic non est*] Οὕτως in nonnullis exempl. Græcis conjungitur cum proximè præcedenti verbo *dico*, non cum sequentibus; ut sit sensus, Sic loquor, non quòd id velim fieri, sed ut intelligatis quàm sit indignum quod facitis. Nos tamen diversam lectionem sequi maluimus, ut *οὕτως* positum sit pro *adeò*, per indignationem. Mirum autem unde interpres Theophylacti legat *si* pro *sic*, si tamen locus mendo vacat. ¶ *Sapiens quisquam*] Οὐδὲ εἷς, *nè unus quidem*: quod est vehementius, cùm sitis tam multi. ¶ *Qui possit judicare inter fratrem suum*] Ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ q. d. *in medio fratris*. Et quomodo judicet aliquis inter unum? Proinde clarius erat ac Latinius, *inter fratrem & fratrem*, h. e. inter Christianum & Christianum. Illud obiter subindicatur, non opus esse magnâ juris subtilitate inter Christianos, inter quos ipse fraternus affectus facilè vel remittit noxam vel componit negotium.

6. *Frater cum fratre judicio contendit*] Κρίνεται *judicatur*. Quod tamen non ineleganter vertas *litigat*, sive, ut hic, *judicio contendit*. ¶ *Et hoc apud injustos*] Ἐπὶ τῶν ἀδίκων, *sub injustis*, ut modò indicavimus, aut ut in plerisque legimus, *ἐπὶ τῶν ἀπίστων*, *sub incredulis*: atque ità legit & interpretatur Chrysostomus & Ambrosius. Neque enim Apostolus ideo deterret à judiciis ethnicorum quòd sint injusti, sed quòd indecorum sit ad illorum tribunalia ob levissimas causas ultro currere.

7. *Jam quidem omnino delictum est*] Non est Græcè *παράπτωμα* sed *ἥττημα*, quod significat aliquem *esse victum & superatum*. Victus videtur ab iracundia aut avaritia qui ob pecuniolam litem movet fratri. Ad hunc modum exponunt Græca Scholia. ¶ *Inter vos*] Meliùs reddidit Interpres quàm refert Augustinus Adv. Manich. 5. cap. 9. *quod judicia habetis vobiscum*: cùm Græcè sit *μεθ' ἑαυτῶν*. Latinè dicimus, *litigat cum illo*, at non item, *litigant secum*, pro eo quod est *litigant inter sese*. ¶ *Fraudem patimini*] Ἀποστερεῖσθε, *damno afficimini*, aut *fraudamini*. Nam *fraus* aliquando non pro *dolo* sed pro *damno* ponitur.

8. *Et hoc fratribus*] Poterat Interpres incolumi Grammaticà vertere sic, *injuriâ afficitis & fraudatis, atque id fratres*. Nec est quòd mutes *& hoc καὶ ταῦτα*, in *& hæc*, quasi hàc viâ subventum sit Latinitati, quemadmodum vult Stapulensis. quandoquidem Latinus sermo qui recipit loquendi formam, numerum pluralivum non recipit, nisi sit nomen ejusdem numeri; ut, *Multa abegerunt pecora, eáque insignia*. Etiamsi Græcam elocutionis formam videtur expressisse semel Suetonius in Tiberio Cæsare cap. 22. *Quos codicillos dubium fuit Augustusne moriens reliquisset, quo materiam tumultûs post se subduceret, an nomine Augusti Livia, & ea conscio Tiberio an ignaro, dictasset*, &c. Nisi mavis *& ea* referre ad Liviam, pro *eáque*, quemadmodum dicimus *isque*.

9. *Non possidebunt*] Οὐ κληρονομήσουσιν, *non sortientur sortem* sive *hereditatem regni Dei*, h. e non continget illis Regnum Dei. ¶ *Neque fornicarii*] Οὔτε πόρνοι, *scorta*, sive *scortatores*. Opinor Interpretem consuluisse verecundis auribus, quòd *scortum* apud Latinos vocabulum sit obscœnius, dictum à *pellibus*. ¶ Ac mox *ἀρσενοκοῖται*, rem per se fœdissimam, quàm potuit minimè fœdè significavit. Siquidem *concumbunt* & qui in eodem dormiunt lecto, etiamsi nihil peccent. Illud admiror: cur Faber Stapulensis hoc loco maluerit *cinædi* vocabulum, non solùm obscœnum, verùm etiam aliud exprimens quàm Paulus senserit. Siquidem *cinædi*, ni fallor, dicuntur qui turpiter obsecundant, olim ità vocati qui fœdo parùmque virili corporis motu gesticularentur saltarèntque, sive quòd ad cantum moverent effeminatè corpus, sive quòd *irruarent moverèntque corporis partes*, *παρὰ τὸ κινεῖν τὰ αἰδοῖα*, sive quòd *vacarent pudore*, q. *κενοὶ αἰδοῦς*. Certè vitari non potest quin si *cinædus* non est proprium catamitorum vocabulum, saltem commune sit ad utcunque effeminatum.

11. *Et hæc aliquando quidem*] Καὶ ταῦτά τινες ἦτε, *& hæc quidam eratis*: ut intelligas quosdam ex illis tales fuisse, non omnes, quemadmodum annotavit Valla. Neque enim consentaneum est omnes fuisse *fures*, aut *adulteros*, aut *masculorum concubitores*, etiamsi *idololatriæ vitium* omnibus fuit commune. Nam furtum & adulterium apud Græcos etiam legibus puniebatur. Nisi malumus *ταῦτα* positum pro *τοιοῦτοι*, & *τινὲς* additum juxta proprietatem Græci sermonis, ut & aliàs sæpenumero apponitur: ut sit sensus, *Hujus generis homines fuistis*. Quanquam magno consensu Latini codices, quos ego sanè viderim, scriptum habent *quidem*, ut sit conjunctio. Atque ità legit Augustinus. Quin & Theophylactus sic interpretatur, quasi pro *τινὲς* legisset *μὲν*, quasi ad omnes hic sermo pertineat, cùm in contextu sit *τινὲς*, non *μὲν* nisi malumus hoc Interpreti imputare. Chrysostomus legit *τινὲς*, sed hanc particulam in enarrando dissimulat. Ambrosius tamen legisse videtur *quidam*, cùm commentarii vice adscribit, *Ne omnibus hoc ascribere videretur, aut certè omnes ab his criminibus immunes faceret, si taceret. Prohibuisse enim videbatur, non revelasse crimina illorum: idcirco sic ait, Et hæc quidem fuistis*. Hactenus ille. Quomodo autem ex Pauli verbis apparet eum non omnibus hæc tribuere, nisi legamus *quidam*? Proinde verisimile est librariorum errore *quidam* mutatum in *quidem*. D. Irenæus lib. 5. semel atque iterum adducens hunc locum legit *quidam*; quæ dictio fuerat in prioribus libris per librarios depravata, cùm viderent eandem sæpius repeti, reliquerunt.

12. *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius*] Græcorum verborum jucundam allusionem Interpres servare non potuit, *ἔξεστι* & *ἐξουσιασθήσομαι*, i. *licet*, & *in potestatem redigar*. Eam nos utcunque retulimus ad hunc modum, *Omnium mihi potestas est, at ego non redigar sub ullius potestatem*.

13. *Esca ventri*] *Esca* dicendum in pl. numero, sicut paulò pòst, *venter escis*. Tum *& hunc & has* dicendum erat. Ità ferme citat Hieronymus in epist. ad Amandum, & Græca sic habent ut ille citat. Codex Donatiani habebat, *& hunc & has destruet*. Nec hoc ità magni refert, nisi quòd multitudinis numerus hoc loco magis congruit, cùm de generibus ciborum agat, non simpliciter de cibo. Exemplar Constantiense scriptum habebat *& hunc & hæc*, quasi legisset *βρώματα*. Videtur autem verbum aliquod subaudiendum in *Esca ventri, & venter escis*; ut paulò pòst, *Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori*; nimirum *destinata est*, aut *dicata est*. Consimili formâ sermonis in epistola ad Romanos c. 7. significavit mulierem viro dicatam ac propriam, *Adultera*, inquiens, *vocabitur, si fuerit alteri viro*: sic enim habet Græcus sermo quo scripsit Paulus. Et haud scio an juxta proprietatem sermonis Hebræi dicatur *alicus esse* quod ad illum pertinet & illius bono destinatum est.

16. *Qui adhæret meretrici*] Ὁ κολλώμενος q. d. *qui adglutinatur*. Idque concinnè quadrat cum eo quod sequitur, *unum corpus*

corpus efficitur. ¶ *Unum corpus efficitur*] Est ἐςὶ apud Græcos, *est* pro *efficitur*: quod est vehementius. ¶ *Erunt enim duo in carne una*] Εἰς σάρκα μίαν, *in carnem unam.* Atque ità legit D. Hieronymus in libello ad Gerontiam De monogamia; id quod palàm est ex eo quod apud eum sequitur, *non in duas, nec in tres.* Porrò juxta proprietatem Hebraici sermonis nihil aliud est *Erunt duo in carnem unam* quàm *E duobus fiet velut unus homo.* Citatur ad eundem modum in libris adv. Jovinianum, nec semel apud Tertullianum.

19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt*] Græcè non est μέλη, sed σώματα *corpora.* Atque ità legit simul & interpretatur Chrysostomus ac Theophylactus; itáque citat Hieronymus Adv. Jovinianum lib. 2. nec aliter legit Ambrosius. Nostri codices magno consensu priore loco habent, *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi*, posteriore, *An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritûs sancti?* Porrò quòd *templum* dicitur non *templa*, aut numerus positus est pro numero, aut quoniam de pariter collecto Ecclesiæ corpore loquitur, magis conveniebat *templum* quàm *templa*, ut indicat & ille.

20. *Empti enim estis pretio magno*] *Magno* à nostris additum est, Ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς, *Empti enim estis pretio.* Nam hoc tantùm hic agit, Eos non esse sui juris, cùm sint *empti & empti pretio*, nimirum jam illius facti à quo empti sunt. Atque eum in modum adducit hunc locum Chrysostomus, hom. in Matth. 55. Nec aliter legit in Commentariis. Cùm hanc lectionem Theophylactus proponat, & enarrans iterum atque iterum repetat, tamen interpres ubique vulgatam nostram inculcat editionem, nè dicam scribarum depravationem. Neque tamen consequens est ut si Interpres dixisset pretium fuisse *magnum*, idcirco *magnum* scripserit Apostolus. Nunc *pretium* repetit, nec addit *magnum.* Ambrosius adducens sententiam hanc ex capite proximè sequenti, libro De Cain & Abel 2. cap. 3. non addit *magno.* Rursus in Epistolarum lib. 2. cap. 2. ac mox proximo capite Paulus eandem sententiam totidem verbis inculcat, licèt ordine verso, τιμῆς ἠγοράσθητε, *pretio empti estis.* Neque secùs adducit Origenes hom. in Exodum 6. Cæterùm de *magnitudine pretii* adjectum apparet ex epistola D. Petri priore cap. 1. *Non corruptibilibus, auro, vel argento*, &c. Qui mutavit scripturam, videtur offensus absurditate sermonis, quasi quicquam ematur absque pretio, eóque *pretio* superesse nisi addas *magno.* Atqui *pretio* additum facit ad emphasim juris Dominici, in cujus jus toti transivimus redempti à jure Diaboli, idque præsenti pretio. Cæterùm cùm in proximo reperisset eandem sermonis formam, non ausus est mutare scripturam. ¶ *Glorificate, & portate Deum*] Græcis non additur *portate*, sed additur quod Latini non habent, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, *& in spiritu vestro.* Theophylactus exponens hunc locum de *portando* nullum facit verbum, de *spiritu* seorsim ac nominatim interpretatur. Idem facit Chrysostomus. Quanquam in editione Veronensi aliquis addidit ἄρατε, sed sermone non cohærente. Sic enim legitur; δοξάσατε δὴ; ἄρατε τὸν Θεόν. Item illud, ἅτινά ἐςι τοῦ Θεοῦ, *quæ sunt Dei*, ut referatur simul ad *corpus & spiritum*, quorum utrumque Deo dicatum sit. Cæterùm utraque vox, σῶμα & πνεῦμα, Græcis neutri generis est. Nam & hanc particulam separatim exponit Theophylactus, atque ad eundem modum & legit & interpretatur Chrysostomus: quanquam magno consensu discrepant Latinorum & codices & interpretes.

VATABLUS.

1. Apud iniquos, & non apud sanctos?] *Sub injustis, & non sub sanctis?*

2. *De hoc mundo*] *Mundum:* i. homines impios. Vet. non legunt: *hoc.* ¶ *In vobis*] *Per vos.*

3. *Angelos*] i. Diabolos. ¶ *Judicabimus? Quantò magis secularia?*] *Judicabimus non tantùm ista quæ ad victum* (vel facultates, aut *vita usum*) *pertinent?*

4. *Secularia igitur*] *Quapropter de iis quæ ad vitæ usum pertinent.* ¶ *Habueritis*] *Habetis.* ¶ *Contemptibiles*] *Contemptos:* q. d. eos quorum non est magna reputatio & autoritas apud vos, constituite potiùs judices, quam ethnicos judices adeatis.

5. *Quisquam*] *Ne unus quidem.* ¶ *Fratrem*] Sing. pro plur. Heb.

6. *Apud infideles?*] *Sub incredulis?* sub. *judicibus.*

7. *Judicia*] *Lites.* ¶ *Accipitis?*] *Patimini?* ¶ *Fraudem patimini?*] *Damno afficimini?*

8. *Fraudatis*] *Damno afficitis.*

11. *Quidem*] *Quidam*, plur. num. Vet. ut intelligas quosdam ex illis tales fuisse, non omnes. ¶ *In*] *In* pro *per*, Heb.

12. *Omnia mihi licent*] *Omnium mihi potestas est.* ¶ *Potestate*] *Potestatem:* accipiendo sc ab eo victum.

13. *Esca ventri*] *Esca ventri:* sub. *destinata sunt.* ¶ *Hanc*] *Has*, Vet. ¶ *Non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori*] q d. Corpus non est nobis datum ut fornicemur, sed ut per illud Deo serviamus: & Deus est pro corpore; h. e. aliquando immortale reddet corpus ipsum.

16. *In carne una*] *In carnem unam*, Heb. E duobus fiet velut unus homo.

18. *Corpus*] Videtur accipere *corpus* pro corpore uxoris: nullo enim delicto violatur matrimonium quàm fornicatione.

19. *Membra vestra*] *Corpus vestrum.* ¶ *Sunt*] *Est*, Vet.

20. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*] *Glorificate itaque Deum per corpus vestrum, & per spiritum vestrum, quæ sunt Dei.*

CASTALIO.

1. Judicio experiri apud injustos] Non Christianos.

2. *Sanctos de mundo judicium esse facturos?*] Nam Apostolos secum judices sessuros docuit Christus.

4. *Eos ad eorum judicium refertis qui in Ecclesia despicati sunt?* Non Christianorum, qui apud Christianos nullo numero habentur.

6. *Idque sub infidentibus*] Ἄπιςος si de homine Christiano dicatur, potest Latinè *diffidens* appellari. Sed hoc loco cùm de homine à Christi religione alieno positum sit, non satis propriè *diffidens* dici potest. Est enim *is qui est fidei*, h. e. religionis Christianæ, *expers.* Hanc ob causam putavi audendum mihi, & novo verbo in re nova utendum. Quòd si Ciceroni *indolentiam* dicere fas fuit, & alia quædam in rebus antea Latinè non tractatis fingere vocabula, quid vetat & nos inopiæ nostræ succurrere?

8. *Et quidem fratres*] Christianos.

12. *Quidvis mihi licet*, &c.] Pergit ab impudicitia dehortari per dissimilitudinem, hoc pacto, Non eadem est libertas utendi qualibet Venere quæ est utendi quolibet cibo. Nam cibo quovis licet uti, modò id non officiat cuiquam; quod fieret si quis adhuc in fide infirmior offenderetur me vescente. Nam ubi hinc periculum sit, ego nolim ità obnoxius esse ulli rei, v. g. meo ventri aut appetentiæ, ut non potiùs à carne me abstineam quàm quenquam lædam. Cæterùm quod ad cibos attinet, licet quovis cibo vesci: nam ciborum nullus est usus nisi comedantur, & ventris nullus est usus nisi comedat. Ità alterum alterius causâ creatum est. Cur ergò non licet quavis uti Venere, sicut quovis cibo? Quoniam cùm venter cibo serviat, corpus non libidini sed Christo servire debet. Venter enim ità abolebitur ut in altera vita, ad quam nos præparat Euangelium, nullus sit ventris usus futurus. Ità fit ut ventris ratio habenda sit tantùm ad hanc vitam degendam, ideóque nihil referat quo cibi genere alatur. At corpus à Christo in vitam revocandum est, & cum eo in æterna vita futurum; quo fit ut in illam vitam purum servari debeat. Itaque quemadmodum cibus ventri, & cibo venter servit, quoniam alterum alterius est, ità debet corpus Christo servire, ut & Christus corporibus nostris servivit, dum eorum causâ mortuus est & resurrexit, ut sint corpora nostra membra Christi, non scorti. Sed quod de abolendo ventre & dapibus ex Pauli argumentatione collegi, idipsum quo modo sit intelligendum nescio. Neque enim ex Pauli verbis colligi potest, nihil comesuros nos in altera vita. Nam quemadmodum alibi scripsit, *in Christo neque marem esse neque feminam*, cùm tamen Christiani mares sint & feminæ, sed nulla habetur sexuum ratio; ità ex his verbis intelligi posset, in altera vita nullam haberi ventris aut escarum rationem. Sed an ea sit Pauli mens ego ignoro.

18. *Omne aliud peccatum, quodcunque committit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in intra suum corpus peccat*] Quod dicit, ἐκτὸς τοῦ σώματος, huic opponit εἰς τὸ σῶμα: ex quo apparet εἰς τὸ σῶμα dictum pro ἐντὸς τοῦ σώματος, sive ἐν τῷ σώματι, sicut Lucæ 11. τὰ παιδία μου μετ' ἐμοῦ εἰς τὴν κοίτην εἰσίν, pro ἐν τῇ κοίτῃ εἰσίν. Sicut dixit Plautus, *Mihi in mentem fuit*, pro *in mente.* Est autem hæc sententia, Cætera peccata sedem habent in animo: Animus homicida est, animus maledicus, falsus testis, invidus, &c. in his peccatis corpus animi dictantis ministrum [illegible]: At libido in ipso penitus corpore sedem habet: & quamvis ab animo oriatur, ut cætera omnia, tamen intus in corpore committitur, cùm alia extra corpus committantur. Ex quo consequitur, non ut Stuprum sit omnium peccatorum maximum (nam Homicidium & alia quædam majora sunt) sed ut sit corpori intimum, ideóque corpus magis quàm alia turpificet: quo nihil fœdius

dius & indignius esse potest, idem corpus & turpissimæ libidinis & purissimi Spiritûs Divini domicilium esse atque templum.

20. *Pretio empti?*] Scilicet à Christo. Itaque in Christi potestate esse debetis, ut servus in emptoris sui.

CLARIUS.

4. CONtemptibiles qui sunt in Ecclesia] Id ironiâ potiùs quadam & quasi indignans dicit quàm ut præcipiat, hoc modo, Potest omnino quisquam dicere neminem esse in Ecclesia qui dijudicare norit vestra judicia? Id quidem credendum non est. Sed esto: ità fit ut dicitis: malo tamen ut contemptissimus quisque vestrûm judicet quàm ad infidelem Judicem accedatis. Atque ut doceat ità esse intelligendum, addit *se hoc ad eorum erubescentiam dicere.*

11. *Sed abluti estis*] *Abluti* à sordibus peccatorum, *sanctificati* per renovationem interioris hominis *justificati* dum in amicitiam Dei accepti sumus.

12. *Omnia mihi licent*] Transit ad aliud vitium reprehendendum, nempe Gulæ & Ventris. Licet, inquit, mihi comedere & bibere: sed nisi modus adhibeatur, non est utile: & si omnino ventri obsequor, continuò me illi in servitutem do. Deinde post ventrem sequuntur ea quæ sub ventre sunt.

13. *Esca ventri*] Per *escas* intelligit delicias, per *ventrem* edacitatem. Horum, inquit, inter se amicitiam non habet cum Christo & Deo commercium, neque ad futurum Regnum, quod unum quærere debemus, pertinent.

18. *Omne enim peccatum*] Cætera, inquit, peccata videntur ad aliud quàm ad injuriam corporis pertinere: at Scortatio propriè injuriam corporis spectat, cùm successioni prolis ad quam ea in re est institutum, injuria fiat. A Græcis tamen sexcentæ huic loco dantur interpretationes.

ZEGERUS.

1. APud iniquos, & non apud sanctos?] *Iniquos* Gentiles, *sanctos* Christianos appellat.

2. *Quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?*] i. *Fideles mundum hunc*, h. e. infideles, *judicabunt*. Proinde illud *de hoc mundo* cum *judicabunt* non cum *sancti* construendum est.

3. *Angelos judicabimus*] De impiis accipiendum est.

3. *Contemptibiles*, &c. *constituite ad judicandum*] Nequaquam hoc dicit quòd ità fieri voluerit, sed ut pudeat illos apud Ethnicos Judices adversùs fratres in jus evocari, cùm quivis vel contemptissimus inter Christianos, modò suæ respondeat professioni, dignior sit eo qui inter infideles pro summô habetur ad judiciariam autoritatem capessendam.

7. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos*] h. e. In condemnationem & ignominiam vestram cedit hoc ipsum, quòd tribunalia quæratis & judicia exerceatis inter vosipsos, qui pacis atque concordiæ estis discipuli.

9. *Molles*] Qui velut evirati, obscœnis tactibus actibúsque inquinantur.

12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem*] Dixi, inquit, *scortatores*, *idololatras*, *adulteros*, atque id genus reliquos *regnum Dei non consecuturos*. At verò quod ad arbitrii libertatem attinet, nihil est quod lubeat quin idem & liceat. *Omnia in mea sunt potestate*, scortari, cibo potúque ingurgitari, divitiis inhiare, furari, inebriari, &c. *non tamen* hæc eadem *expediunt*, i. nec utilia sunt nec bona, imò è diverso inutilia & perniciosa; atque ob id *sub nullius* horum *redigar servitutem*, aut *potestatem*. Huic interpretationi mihi magis videtur accedere sensus Pauli, cùm propter ea quæ præmittuntur, tum propter ea quæ subnectuntur: nihil tamen prohibet quò minùs & aliam quoque admittam, nimirum hanc; Quoniam suprà dixerat *omnino delictum esse inter illos, quòd causas agerent pro rebus familiaribus*, quatenus sit judiciis tribuendum nunc manifestat: *Omnia*, inquit, quæ lege Divinâ seu jure prohibita non sunt, *mihi licent*, ut judicio mihi patrocinentur in his quæ necessitatis sunt naturæ, *sed non expedit semper*, vel quia mihi in via Dei impedimentum præstatur, vel quia proximo scandalum datur. *Omnia mihi licent; sed ego*, cùm charitate liber sim, *nolim redigi sub alicujus potestatem* sive Judicis, sive rei temporalis, ut illis serviam, sed magis volo illa serviant mihi.

13. *Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet*] Juxta unum sensum per *escam* effusum atque immoderatum ciborum poculorúmque usum, per *ventrem* ingluviem ipsam intelligimus, quæ *destruentur* per æternam damnationem: Juxta alium verò sensum per *escam* omne quo sustentamur, per *ventrem* corporis indigentiam accipimus, quæ etiamnum *abolebuntur*, ut neque venter cibo egeat, neque cibus corpori alimentum sit præbiturus.

20. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*] Δοξάσατε δὴ ἄρατε τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν. Ità utrobique scribendum juxta Tertullianum lib. De resurr. carnis, Ambrosium, & citationem Augustini de dupl. gen. pec. & in Speculo Cypriani lib. ad Quir. 3. & Leonis: cæterùm quæ sequuntur in Græcis duntaxat, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, *& in spiritu vestro, quæ sunt Dei*, ab ipso video exponi Chrysostomo & Theophylacto.

H. STEPHANUS.

1. TΟλμᾷ] *Sustinet*: q. d. *Inducere potest in animum? A il bien le courage?*

2. Ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων] *An indigni estis qui de rebus minimis judicetis?*

3. Μήτιγε βιωτικὰ] *Nedum negotia ad hanc vitam pertinentia.*

5. Πρὸς ἐντροπὴν] *Ut vos pudefiamini.*

7. Ἥττημα ἐν ὑμῖν ἐστιν] *Hac in re deestis vestro officio*: per meiosin.

8. Ἀλλὰ ὑμεῖς ἀδικεῖτε] *Sed contra vos injuria afficitis.*

9. Μὴ πλανᾶσθε] *Nè erretis*: atque ut dicimus. *Ne vous abusez point.* ¶ Μαλακοὶ] *Cinædi* ad verb. *molles.*

12. Ἀλλ᾽ οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι ὑπό τινος.] *Sed in nullius rei potestatem redigar*: vel, *sed nihil in me potestatem exercebit.*

13. Καταργήσει] *Abolebit*]

16. Ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ] *Qui adhæret scorto*: videlicet tanquam agglutinatus.

DRUSIUS.

1. JUdicari] *Judicio experiri, litigare.* Hinc intelliges quid sit, *cùm judicabitur, exeat improbus*: nam sensus est, *Cùm judicio contendet cum aliquo, exeat è judicio reus sons,* sive, quod idem, *cadat causâ suâ.* Sic משפט apud Hebræos partium est, non Judicis. Sic κρίνεσθαι apud interpretes Græcos. Vide Lectiones nostras in Hoseam. ¶ *Apud iniquos*] Aut *injustos.* Gentiles innuit. An etiam Judæos infideles? Videtur: nam iis opponit *fratres* & *sanctos.* Sic vocabantur olim qui Christo nomen dederant. Sumpta hæc sunt ex disciplina veterum Hebræorum, qui docent *non esse litigandum coram Gentibus*, eò quòd scriptum sit, *Hæc sunt judicia quæ pones coram eis*, videlicet Judicibus Sanhedrin, qui omnes Judæi erant. Dicunt etiam, *Qui adducit Israelem ad tribunal Gentium, profanat Nomen, & honorat nomen idoli.* Qua de re סמג 189. 2. *Nec coram idiota, nec coram Gentibus litigandum esse* asserit M. Gerundensis. *Idiotam* autem appellat eum qui non judicat ex præscripto Legis. Addit *nos posse ligare coram idiota interdum, coram Gentibus nunquam.* R. S. ad locum, HÆC SUNT JUDICIA QUÆ PROPONES EIS, *coram eis, & non coram Gentibus. Nam etiamsi scias ex judicio uno Gentes judicare secundum judicia Israelis, tamen non adduces eum (Israelem) ad tribunalia earum: Siquidem qui adducit judicia Israelis ad Gentes, polluit nomen Dei, & honorat nomen idoli, æstimando & reputando illud: quia dicitur,* NON SICUT PETRA, PETRA EORUM, ET HOSTES NOSTRI JUDICES. *Cùm hostes nostri sunt judices, hoc est testimonium excellentiæ timoris eorum.*

16. *Unum corpus*] Quasi unum corpus. Sic Tacitus de Germanis, *Diligunt uxores suas tanquam corpus suum.* Nam per congressum fiunt *in carnem unam*, non una caro revera, sed quasi una caro. Lamed enim in hoc sermone Similitudinem notat, non rei Veritatem. Jam verò *caro una* pro eo habendum ac si esset *corpus unum.* Nam *caro* corpus interdum. Hebraicè לגוף אחד. In tract. Jebamoth, c. QUI INGREDITUR AD VIDUAM FRATRIS SUI, *dicunt Doctores, Qui amat uxorem suam ut corpus suum, & honorat eam magis quam corpus suum*, &c. כגופו *sicut corpus suum.* Id in lingua Mosis diceretur כבשרו *sicut carnem suam.*

20. *Empti estis pretio*] Ut *redimere* liberare significat nullo interveniente pretio, sic *emere* dicitur interdum qui nullum pretium persolvit. Nullus ergò hic pleonasmus, ut cùm dicimus *ore loqui*, quia etiam pedibus loquimur. Sic Mens videt, & Cor sive Animus audit. Hinc sanè locutiones illæ passim obviæ in Sacris, *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.* Legimus quoque, *Videndo non vident, & audiendo non audiunt.* Nam sæpe oculus videt & auris audit quæ mens neque videt neque audit:

dit: non videt, quia non intelligit, nec audit, quia non auscultat. Scitum illud, *Audio, sed non ausculto.* Dixi nos *pedibus etiam loqui:* quod ità disertè legitur apud Salomonem in libro Proverbiorum. Non pedibus tantùm, sed etiam manibus loquimur. Quin etiam cor loquitur: unde illud, *Cor audit, cor videt, cor loquitur. Loquitur* quoque *in corde*, aut *cum corde, suo*, qui aliquid meditatur aut cogitat, & apud se ratiocinatur.

CASAUBONUS.

1. K*Ρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων*] Sic apud Strabonem l. 8. *κρίσις ἐγένετο ἐπὶ Φιλίππε*· & Appianus 154. *κατηγορήσων τοῦ παιδὸς ἐπὶ Πομπηΐε.*

7. Ἥττημα] Ἐλάττωμα. Sic accipit etiam Diogenes Laertius.

CAMERON.

2. O*Ι ἅγιοι τὸν κόσμον κρινῦσι*] h. e. *In summam dignitatem evehendi sunt, suprà quàm possit mens humana cogitare.* Non quòd reapse fideles sint judicium de hominibus laturi: hoc enim uni Christo reservatum est. Quomodo alibi hyperbolicè dicuntur *habituri sceptrum, coronas, sessuri cum Christo in ejus solio*, &c. Cæterùm Apostolus seq. versu Diabolos *Angelos* simpliciter vocavit prudentissimé: Vult nempe ostendere summam fore excellentiam nostram, qui supra ipsos Angelos sumus aliquando evehendi. Diaboli enim, utut pravi sint & desperati, sunt tamen Angeli.

7. Ἤδη μὲν οὖν ὅλως ἥττημα ἐν ὑμῖν] Non est quòd quispiam hunc locum sic interpretetur ut Paulus damnet tantùm litigationem apud Judicem à religione alienum: reclamant enim ejus verba, ὅλως inquit *ἥττημα ἐν ὑμῖν ἐςιν ὅτι κρίματα ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, omnino defectus est in vobis quòd litigatis adversùs vos invicem.* Ubi expendendum est illud *ὅλως omnino*, q. d. Apostolus, *Graviter inter vos peccatur quòd sint inter vos lites: nam cur non potiùs injuriam & damnum patimini? Attamen quando hoc malum non potest vitari, litigetis sanè, sed apud fratres.* Sed hinc oritur quæstio, Peccéntne igitur qui litigant quoties damno aut omnino ullâ injuriâ affecti sunt? Verùm non explicatu difficilis, si observemus primò quo animo, tum quibus affectis injuriis, litigandum nobis sit. Sunt enim injuriæ quædam leves, & quæ sine ullo damno vocationis ad quam Deus nos vocavit tolerari possunt: hujus generis injuriæ patientiâ vincuntur potiùs quàm contentione. Verùm injuria ejusmodi est quæ non jam dico sine gravissimo nostro damno, sed sine etiam eorum gravi damno qui nobis proximi sunt, ut liberorum, &c. tolerari non possit, hîc profectò indulgendum est aliquid nequitiæ seculi, litémque intentare licet, nè malum augeatur & crescat, remedio hoc neglecto, aut patientiâ intempestivè adhibitâ. Imprimis autem habenda est ratio animi, nempe si non odio aut indignatione percitus, sed justâ & necessariâ tuorum curâ, ad quam subeundam te vocavit Dominus, incitatus tuam & tuorum agas causam. Sed cùm de levi agitur, Apostolus vult nos potiùs pati injuriam. Item, potiùs quàm rei necessariæ amissæ jactura inflammet odio atque efferat animos nostros, vult Christus potiùs *erui oculum, exscindi manum*, &c. quàm ut nostrum esse putemus quod Domini est, ut penès nos sit vindicta atque ultio.

18. *Ὁ δὲ πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει*] Alludit Apostolus ad id quod dixerat, *fideles esse Christi membra, & qui scorto jungitur fieri scorti membrum.* Licèt enim reliqua vitia nos à Christo avocent, corpus tamen nostrum alterius membrum non efficiunt. At qui scorto jungitur fit unum cum scorto, & in proprium corpus peccat, quia corpus hàc ratione scorti membrum efficit.

GROTIUS.

1. T*Ολμᾷ τις ὑμῶν, πρᾶγμα ἔχων πρὸς τὸν ἕτερον, Audet aliquis vestrûm habens negotium adversùs alterum*] Πρᾶγμα ἔχων [*negotium habens*], אשר יהיה לו ריב [*cui sit controversia*] 2 Sam. 15. 4. dicitur talis Hebræis בעל משפט [*actor*]. πρὸς hîc valet κατὰ [*adversùs*] quod habes Matth. 5. 23. ¶ *Κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων, judicari apud iniquos*] Κρίνεσθαι est *litigare*, ריב ut Matth. 5. 39. & in Veteri Testamento sæpe verbum נשפט, quod exactè Græco ipsi respondet. Ἄδικοι [*iniqui*] hîc dicuntur idololatræ qui Deo non exhibent quod debent, qui mox dicentur ἄπιςοι [*infideles*]. Est hoc quod Paulus hîc præcipit ex laudabilibus institutis Synagogæ. Dicebant Hebræi, *Qui adducit Israëlitam ad tribunal Gentium, is profanat nomen Dei: occasionem enim dant, qui id faciunt, extraneis dicendi, Ecce quàm concordes sunt illi qui unum Deum colunt!* Ἐπὶ [*apud*] hîc sumitur ut Actor. 25. 9, 10. 1 Timoth. 6. 13. Tractatur hæc res Clementis Constitutionum 2. 45. ¶ *Καὶ οὐχὶ ἐπὶ τῶν ἁγίων; & non apud sanctos?*] *Potiùs quàm apud Christianos, arbitros* scilicet, *διαιτητάς*. Etiam ubi non est in sacris diversitas, viri boni est ad Arbitrum potius ire quàm ad Judicem, ob litium moras & impendia & pragmaticorum ea augentium versutias: & quia sæpe ex lite civili nascitur judicium criminale.

2. *Οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινῦσι; An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?*] Ipsi primum à Christo judicati, erunt deinde Christi adsessores judicanti alios: quod de Apostolis dicitur Matth. 19. 28. Luc. 22. 30. Cyprianus, *Utpote amici Domini, & cum ipso postmodum judicaturi.* ¶ *Καὶ εἰ ἐν ὑμῖν κρίνεται ὁ κόσμος, & si in vobis judicabitur mundus*] *Per vos* tanquam adsessores Christi. ὁ κόσμος [*mundus*] *maxima hominum pars*, *οἱ πλείυς κακοὶ* [*maxima hominum pars, mali*]. Et *κρίνεται* [*judicatur*] præsens pro futuro, ut supra 3. 7, 14. ¶ *Ἀνάξιοί ἐςε κριτηρίων ἐλαχίςων; indigni estis qui de minimis judicetis?*] *Indigni estis qui cognoscatis de rebus caducis?* κριτήριον hîc non est *tribunale*, sed *κρίσις judicium*, דין, ut Jud. 5. 9. Dan. 7. 10, 26.

3. *Οὐκ οἴδατε ὅτι ἀγγέλυς κρινῦμεν; Nescitis quoniam Angelo judicabimus?*] Nam & qui peccarunt Angeli eo tempore sententiam accipient, Judæ 6. Tertullianus de Cultu feminarum, *Hi sunt Angeli quos judicaturi sumus, hi sunt Angeli quibus in lavacro renuntiamus.* Fortè & boni Angeli majores honores accipient. ¶ *Μήτι γε βιωτικά; quanto magis secularia?*] *Nedum res hujus vitæ.* Sic *μερίμναις βιωτικαῖς* [*curis hujus vitæ*] Luc. 21. 34. *μήτι γε* valet hîc אף כי [*quantò magis*].

4. *Βιωτικὰ μὲν ὖν κριτήρια ἐὰν ἔχητε, Secularia igitur judicia si habueritis*] Est *μετωνυμία* [*Transnominatio*]. Nam *κριτήρια*] hîc vocat *res judicandas*. ¶ *Οὐκ ἐξυθενημένυς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τύτυς καθίζετε. contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum*] Si magnis illis vestris Doctoribus id non vacat, vel minimos de piorum plebe arbitros sumite. Ἐξυθενημένοι נבזים [*contemti*]. Sic comparatè intelligendi qui infra cæteros habentur. Et *καθίζειν* hîc est הושיב [*collocare*] quòd primo de Judicibus dictum qui in magnificis sedibus collocantur, 1 Samuel. 2. 8. Sarach. 10. 17. & 11. 1: cœpit deinde ad arbitros, imò & ad alia munera transferri.

5. *Πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω. Ad verecundiam vestram dico*] *Ut vos pudeat hujus rei*, ut & infra 15. 34. supra 4. 14. *Οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω, non ut confundam vos hæc scribo*, sed alio sensu, significans *non in hoc se scribere ut Corinthios apud alios traducat.* Ἐντροπὴ est כלמה [*ignominia*] Job. 20. 3. Psal. 44. 1, 6. & 71. 13. & 109. 29. ¶ *Οὕτως ὐκ ἔςιν ἐν ὑμῖν σοφὸς ὐδὲ εἷς, ὃς δυνήσεται διακρῖναι ἀνὰ μέσον τῦ ἀδελφῦ αὐτῦ; Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit judicare inter fratrem suum?*] *Adeone nemo est inter vos eruditus, qui possit judicare*, id est, cui vacet? Fuerat hoc illorum potissimum qui se sapientiæ nomine inter vos venditant: at si illi id defugiunt, vel ad imperitos iri oportuit. Apparet ex Syro scriptum hic olim fuisse *ἀνὰ μέσον τῦ ἀδελφῦ καὶ τῦ ἀδελφῦ αὐτῦ inter fratrem & fratrem suum*]. Nam *ἀνὰ μέσον* [*inter*] de uno non dicitur. Vide Genes. 16. 5. Deut. 1. 16. Repetitio earundem vocem, ut sæpe, occasionem dedit posteriores omittendi.

6. *Ἀλλὰ ἀδελφὸς μετὰ ἀδελφῦ κρίνεται, Sed frater cum fratre judicio contendit*] Id est, *cum fratre litigat:* ut sæpe diximus. ¶ *Καὶ τῦτο ἐπὶ ἀπίςων; & hoc apud infideles?*] Vide supra v. 1.

7. *Ἤδη μὲν ὖν ὅλως ἥττημα ἐν ὑμῖν ἐςιν, ὅτι κρίματα ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν. Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos*] Κρίματα [*judicia*] dixit quod supra *πρᾶγμα* [*negotium*], ריב ut ibi diximus. Qui ob res quibus facilè caretur litigat, facit contra Christi præceptum quod explicavimus ad Mat. 5. 40. Qui magnum profectum in Christianismo & mundi contemptu fecere, damnum quodvis faciunt potiùs quàm ut litigent: quòd docet Clemens dicto modo Constitutionum loco. Qui nondum eò pervenere, in iis non est *παράπτωμα* [*peccatum*], sed *ἥττημα* [*delictum*], id est, *minus aliquid summo.* Dicitur enim *ἥττημα* comparatè ad aliquid majus, ut Rom. 11. 12. Sic & *ἐλάττωμα* & *ἐλάττωσιν* [*imbecillitatem*] habes apud Sirachiden & Tobiam. Chrysostomus, *Δίκαιός ἐςιν, ἐλεήμων ἐςιν, Φιλόπτωχός ἐςιν ἀλλ' ἔχει τι ἐλάττωμα* (*justus est, misericors est, pauperum amans est, est tamen quod ei desit*). ¶ *Διατί ὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε; quare non magis injuriam accipitis?*] Lysias adversus Diagitonem, *Εἰδὼς ὅτι ὐ μόνον οἱ ἀδικοῦντες χείρυς ὑμῖν εἶναι δοκῦσιν, ἀλλὰ καὶ οἵ τινες ἂν ἔλαττον ὑπὸ τῶν προσεχόντων ἔχοντες, ἀνέχεσθαι μὴ δύνανται* [*cùm sciam non tantùm qui sunt in alios injurii,* malos

malos vobis videri: verùm & si quis propinquorum injurias æquo animo pati non potest]. Quod Lysias de propinquis dicit, hîc de ejusdem fidei consortibus Paulus. Et ἀδικεῖσθαι hîc, ut apud Platonem & Menandrum, est *æquo animo injurias perpeti*. Διατί οὐχὶ μᾶλλον ἀποστερεῖσθε; *quare non magis fraudem patimini?* [Videtur ἀδικεῖσθαι [*injuriam accipere*] ad dignitatem læsam, ἀποστερεῖσθαι [*fraudem pati*] ad rerum damnum pertinere. Nam ex his duabus causis nascuntur lites.

8. Ἀλλὰ ὑμεῖς ἀδικεῖτε καὶ ἀποστερεῖτε, καὶ ταῦτα ἀδελφούς; *Sed vos injuriam facitis & fraudatis: & hoc fratribus?*] *Non modo non fertis, sed ipsi infertis injuriam.* Hoc eis dixit quorum pejor erat causa.

9. Ἢ οὐκ οἴδατε ὅτι ἄδικοι βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι; *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?*] Et hoc nomen ἄδικοι [*iniqui*] & quæ sequuntur non ad ἕξιν solam [*habitum solum*] referenda sunt, sed ad quemvis actum deliberatum, quamdiu is non per seriam pœnitentiam emendationemque eluitur. Sic in jure furem & adulterum dicimus qui semel furatus est aut adulterium fecit. Sunt hæc peccata *vastantia conscientiam, mortifera, quæ uno ictu perimunt*, ut loquitur Augustinus. Sunt aliæ *quotidianæ incursationes*, ut Tertullianus loquitur, μὴ κατὰ προαίρεσιν συνιστάμενα [*quæ non fiunt deliberato animo*], ut Clemens. Ab his distinguenda illa graviora de quibus hîc agit Paulus & Galat. 5. 19, 20, 21. 1 Tim. 1. 9, 10. *quæ non admittet omnino qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius si admiserit*, ut loquitur Tertullianus. Ἀδίκων [*iniquorum*] vox hîc complectitur eos qui infra dicentur κλέπται [*fures*] & πλεονέκται [*avari*]. ¶ Μὴ πλανᾶσθε, *Nolite errare*] Solet hac præfatione uti Christus ut Luc. 21. 8. & Paulus ut infra 15. 33. Galat. 6, 7. Jacobus quoque 1. 16. quoties aliquid dicturi sunt, quod ignoratum aut non observatum maximo stabit malo. Οὔτε πόρνοι, *neque fornicarii*] Id est, πορνευταί, *qui cum scortis se miscent* ut diximus supra 5. 10. & manifestum fit infra v. 15. ¶ Οὔτε εἰδωλολάτραι, *neque idolis servientes*] *Qui falsos Deos colunt.* ¶ Οὔτε μοιχοί, *neque adulteri*] *Qui aliena matrimonia polluunt.* ¶ Οὔτε μαλακοί, *neque molles*] Id est, *pathici*. Scholiastes ad primum Thucydidis, Φιλοκτήτης διὰ τὸν Πάριδος θάνατον θήλειαν νόσον νοσήσας, καὶ μὴ φέρων τὴν αἰσχύνην ἀπελθὼν ἐκ τῆς πατρίδος, ἔκτισε πόλιν ἣν διὰ τὸ πάθος μαλακίαν ἐκάλεσε (*Philoctetes ob Paridis mortem fœmineo luctu lugens, cùm pudorem non sustineret, discedens è patria, urbem condidit, quam à passione Malaciam seu Molitiem nominavit*). De eadem re Ausonius,

Mollis erat facilisque viris Pœantius heros.

Catullus,

Cinæde Thalle mollior cuniculi capillo.

Phædrus hoc sensu dixit *molles mares*. Apud Petronium eodem sensu *molles, veteres*. Vibius Sequester, *mollescit, id est, obscœnus fit*. Plinius libro 28. *probrosæ mollitiei*. Arnobius, *in partibus Fabius aduritur mollibus*. Utitur voce *mollium* sic & Augustinus de Civitate Dei libro 6. Claudianus de Eutropio;

Quid enim servum mollemque pudebit?

Μαλακίαν [*mollitiem*] hoc sensu usurpat & Philo de Legibus specialibus. Chrysostomus quoque μαλακοὺς [*molles*] hoc sensu usurpat supra capite quarto & hoc loco exponit ἡταιρηκότας [*obscœna passos*]. Syrus hic vertit מחבלא, id est, *qui se corrumpunt*. ¶ Οὔτε ἀρσενοκοῖται. *neque masculorum concubitores*] Id est, *Draucí*. Est ἀντίστροφον [*oppositum*] ejus quod præcessit.

10. Οὔτε κλέπται, *Neque fures*] *Fur* est Jurisconsultis definientibus *qui fraudulosè lucri causâ rem usumve aut possessionem rei alienæ contrectat*. ¶ Οὔτε πλεονέκται, *neque avari*] Ita dicitur *qui in contractibus fidem fallit aut quovis modo alium circumvenit*. Sumunt ita hanc vocem & Xenophon & Aristoteles. Vide supra 5. 10, 11. Eph. 4. 19. & 5. 3. 5. Marci. 7. 22. Rom. 1. 29. Coloss. 3. 5. Hebraïcè בצע. ¶ Οὔτε μέθυσοι, *neque ebriosi*] Eos intellige qui de consulto vino se ingurgitant, ita ut & usum rationis sibi adimant. ¶ Οὐ λοίδοροι, *neque maledici*] Vide supra 5. 11. ¶ οὐχ ἅρπαγες, *neque rapaces*] Distant à *furibus*, quòd *fures* dolo, *raptores* vi utantur. Vide supra 5. 11. ¶ Βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι. *Regnum Dei non possidebunt*] Id est, quamdiu tales sunt non debent sperare partem in beatitudine cœlesti. Manet autem reatus usque ad seriam pœnitentiæ functionem, si tamen eam Deus concedit. Neque enim concedit omnibus: sed quosdam occæcat & obdurat. In quos autem eâ severitate utendum sit, ipse solus novit qui intima hominum introspicit, & novit quæ mensura patientiæ ipsius conveniat.

11. Καὶ ταῦτά τινες ἦτε *Et hæc quidam fuistis*] *Hæc fuistis*, id est, *tales fuistis vestrûm quidam*. Positum est neutrum pro communi. Nullum antea actum facinus baptismo quenquam excludit. Sed multorum culpæ contra acceptas priùs notitias sunt tales ut ii ad fidem non sint idonei, ac proinde nec τεταγμένοι πρὸς τὴν ζωὴν αἰώνιον [*ordinati ad vitam æternam*]. ¶ Ἀλλ' ἀπελούσασθε, ἀλλ' ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἐν τῷ πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. *sed abluti estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu & in Spiritu Dei nostri*] Baptizati estis ac deinde accepistis Spiritum Sanctum, & majores quotidie in justitia progressus fecistis. Nam ità illud ἐδικαιώθητε [*justificati estis*] hoc loco sumi suadet ordo, & idem sensus in Apoc. 22. 11. *In nomine Christi*, id est, per doctrinam Christi quæ doctrina per Spiritum obsignatur.

12. Πάντα μοι ἔξεστιν, *Omnia mihi licent*] Repetit verba usitata doctoribus illis Corinthiis qui opiparas divitum mensas sectabantur. Dicebant illi, *Omnia mihi licent*, id est, Deus ista omnia nostri causâ condidit: *quare nihil est mali, si eis utamur*. ¶ Ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει *sed non omnia expediunt*] Respondet Paulus adhibendum modum: Non enim omnem usum talium conducere aut valetudini, quæ sapienti negligenda non est, aut recto usui rationis. Nam

— — *Corpus onustum*
Hesternis vitiis animum quoque degravat.

¶ Πάντα μοι ἔξεστιν, *omnia mihi licent*] Iterum repetit illorum verba, ut pressiùs respondeat. Frequens talis objectionum repetitio apud Senecam. ¶ Ἀλλ' οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι ὑπό τινος. *sed ego sub nullius redigar potestate*] Est παρονομασία [*Vocum allusio*] in ἔξεστι [*licet*] quod præcessit, & ἐξουσιασθήσομαι [*sub potestate redigar*]. ἐξουσιάζειν est *imperium habere* Luc. 22. 25. infra 7. 4. Respondet Hebræo שלט [*dominari*] ut videre est Neh. 9. 37. Ecclesiastæ 9. 17. & 10. 4. & שלט [*dominium habere*] in Neh. 5. 15. & in Ecclesiaste aliquoties. Hinc passivum ἐξουσιάζεσθαι est *in servitutem redigi*. Qui ultra modum epulis se implet, qui ciborum delicias sectatur, servus est ciborum, non dominus.

13. Τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ, καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασιν. *Esca ventri & venter escis*] Dativi hîc respondent Hebrææ particulæ ל, quæ sæpe *propter* significat: *Cibi sunt ventris implendi causâ, & venter ad cibos accipiendos & digerendos. Ventrem* intellige hîc ventriculum & intestina. ¶ Ὁ δὲ Θεὸς καὶ ταύτην καὶ ταῦτα καταργήσει. *Deus autem & hunc & has destruet*] *Efficiet ut cessent.* Corpora ubi Angelicis erunt similia, non egebunt cibi:

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον
[*Nam nec edunt panem, nec vina rubentia potant*]

ii qui cœlestem vitam degunt, ut diximus Matth. 22. 30. Quod autem dicitur hîc *Deus facturus ut & venter cesset*, id quidam de usu ventris intelligunt. Sed ex Veterum scriptis ad hunc locum apparet eos credidisse homines quidem corpora recuperaturos, aut non sequi in eo corpore fore eas partes quarum tunc officia sunt cessatura. Plutarchus aut *quisquis est* scriptor Convivii sapientum, Ἆρ' οὖν ἄξιον συνεκτεμεῖν τῇ ἀδικίᾳ κοιλίαν καὶ στόμαχον καὶ ἧπαρ, ἃ καλοῦ οὐδενὸς αἴσθησιν, οὐδὲ ὄρεξιν ἐνδίδωσι [*Nonne igitur æquum erat cum injustitia simul exscindere ventrem & stomachum & jecur? quæ membra nullius bonæ rei sensum appetitumve ingenerant*]. Pertinet autem & hic sermo ut æterna potiùs curemus, quàm temporaria ac brevi desitura. ¶ Τὸ δὲ σῶμα οὐ τῇ πορνείᾳ, ἀλλὰ τῷ Κυρίῳ, καὶ ὁ Κύριος τῷ σώματι. *corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori*] Ne quis quod de cibis dictum erat ad scortationem quoque pertraheret, quasi ejus quoque usus cum cibis esset permissus, ut docebant isti Philosophi magis quàm Christiani, opponit se huic errori, ostenditque non eodem modo hanc rem se habere. *Corpus enim habere nos non ut scortemur, sed ut Domino serviamus*, nempe per continentiam aut conjugium. *Nam & Dominum evectum in summam illam potestatem in hoc, ut corpora nostra post peractum obedientiæ cursum suæ gloriæ consortio donet.*

14. Ὁ δὲ Θεὸς καὶ τὸν Κύριον ἤγειρε, καὶ ὑμᾶς ἐξεγερεῖ διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. *Deus verò & Dominum suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam*] Hæc particula δὲ [*verò*] est ἐπιτατική

γνητικὴ [*explicativa*] præcedentium. De hac Dei potentia in Christi resuscitatione patefacta vide Rom. 1. 4, 19, 20.

15. Οὐκ οἴδατε ὅτι τὰ σώματα ὑμῶν μέλη Χριστοῦ ἐστιν; *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?*] Est enim Ecclesia corpus mysticum, cujus caput Christus, membra autem singuli Christiani tum animo, tum corpore. Nam & corpore Christo serviendum est. Vide infra 11. 3. Ephes. 1. 22. & 4. 15. & 5. 23, 30. Coloss. 1. 18. Vide & Rom. 12. 4, 5. infra 12. 12. & sequentibus usque ad 27. ¶ Ἄρας οὖν τὰ μέλη τοῦ Χριστοῦ ποιήσω πόρνης μέλη; *Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?*] *Christo ea auferam ut serviant scorto?* Nam, ut ait Ambrosius ad hunc locum, *membra adhærentia meretrici desinunt esse membra Christi.* ¶ Μὴ γένοιτο. *Absit*] Minimè id decet ad castitatem vocatos.

16. Ἢ οὐκ οἴδατε ὅτι ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐστιν; Ἔσονται γάρ, φησιν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una*] Φησιν [*inquit*] nempe ἡ γραφή [*scriptura*] ut Rom. 4. 3. & alibi. Quod de uxore dictum erat Genes. 2. 24. aptat meretrici quæ est velut uxor usuraria & iis fungitur quibus uxorem fungi jus fuit. εἰς σάρκα μίαν [*in carne una*] Hebraïsmus est pro σὰρξ μία [*caro una*]. Κολλᾶσθαι דבק *adhærere*] in dicto Geneseos de uxore. Sic *veneris glutinum* dixit Apulejus. Lucretius,

Usque adeò cupide Veneris compagibus hærent.

17. Ὁ δὲ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*] Est ἀντανάκλασις [*Refractio*], & respicitur locus Deut. 10. 20. Κύριον τὸν Θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ λατρεύσεις, καὶ πρὸς αὐτὸν κολληθήσῃ [*Dominum Deum tuum timebis, & ei servies, & ipsi adhærebis*]. Sed hic Κύριος [*Dominus*] de Christo potiùs sumendum videtur, ut sæpe quæ de Deo dicta sunt in Vetere Testamento, Christo applicantur in Novo. ἓν πνεῦμά ἐστι [*unus spiritus est*], id est, *ita animatus est, quomodo Christus fuit animatus.* Sic amici dicuntur ψυχὴ μία [*anima una*]. Metonymia in qua causa nominatur pro effecto. Similis locutio Joh. 3. 6.

18. Φεύγετε τὴν πορνείαν. *Fugite fornicationem*] Id est, *quàm longissimè abeste etiam ab extremis lineis.* ¶ Πᾶν ἁμάρτημα ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἄνθρωπος, ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν *omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est*] Ostendit esse aliquid in quo scortatio alia crimina superet: non quòd non & alia peccata exteriora per corpus peragantur; sed quod ipsi corpori peragentis contumeliam non adferant. ἄνθρωπος [*homo*] hic valet ἀνήρ, *vir.* Pari autem jure hæc omnia de feminis intelligenda, ex natura τῶν πρός τι [*Relatorum*]. ¶ Ὁ δὲ πορνεύων, εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει. *qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*] Nimirum quia id immergit in cloacam. Nec id ipsi nesciebant: morem enim habebant à tali concubitu venientes, totos se abluendi: quod hic notat Chrysostomus.

19. Ἢ οὐκ οἴδατε, *An nescitis*] *An non cogitatis.* ¶ Ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τοῦ ἐν ὑμῖν ἁγίου Πνεύματός ἐστι, *quoniam corpus vestrum templum est Spiritûs Sancti qui in vobis est*] Spiritus Sanctus hic quod שכינה [*Numen Divinum*] In templo. Totus homo, *templum Dei* supra 3. 16, 17. Sed דביר, id est, *adytum*, est mens hominis: animi cæteræ partes היכל, *basilica templi*: corpus verò אולם *porticus* cum subdialibus. Bene hunc locum explicat Tertullianus libro de Cultu feminarum altero, *Cùm omnes templum simus Dei, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, ejus templi æditua & antistita Pudicitia est, quæ nihil immundum ac profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* ¶ Οὗ ἔχετε ἀπὸ Θεοῦ; *quem habetis à Deo?*] Spiritus ille à Deo est multò magis quàm splendor ille qui apparebat interdum inter Cherubinos. Constructio est Græca, quæ relativo pronomini dat casum præcedentem. ¶ Καὶ οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν; *& non estis vestri?*] *Præterea non estis vestræ potestatis*, Rom. 14. 7, 8.

20. Ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς *Empti enim estis pretio*] Omisit jus ex creatione, quia alterum erat recentius & magis speciale. Habes eadem verba infra 7. 23. sensum 1 Petr. 1. 18. ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς, rectè verteris, *acquisiti sive comparati estis pretio.* Nam לקח quod est *accipere, acquirere*, vertitur ἀγοράζειν [*emere*] & habet in Hebræo post se במחיר τιμῆς, *pretio.* Et Esai. 55. 1. שברו בלוא כסף ובלוא מחיר [*emite absque argento & absque ulla commutatione*] Græcè, ἀγοράσατε ἄνευ ἀργυρίου καὶ τιμῆς [*emite absque argento & pretio*]. Et קנה quod propriè est κτᾶσθαι [*possidere*], vertitur per ἀγοράζειν [*emere*] 2 Paralip. 34. 11. Proverb. 20. 17. Esaiæ 24. 2. & discriminis causâ additur ἐν ἀργυρίῳ *argento*] 1 Paralip. 21. 24. valet ergò ἀγοράζειν [*emere*] idem quod περιποιεῖν [*acquirere*] Actor. 20. 28. unde περιποίησις [*acquisitio*] Ephes. 1. 14. 1 Thess. 5. 9. 2 Thess. 2. 14. 1 Petr. 2. 9. Sic & Latinis veteribus *emere* erat *sumere*, unde *demo* & *adimo* & *præmium.* Sensus est, *Christus vos à peccatis redemptos sibi mancipavit, sed magno ei statis, morte ipsius cruentâ.* ¶ Δοξάσατε δὴ τὸν Θεόν, *glorificate sanè Deum*] *Honorate Deum*, quod præcipuè fit obsequendo. At quidam codices habuere δοξάσατε ἄρα τὸν Θεόν [*glorificate ergo Deum*]. Unde imperiti scribæ fecerunt ἄρατε [*portate*]. ¶ Ἐν τῷ σώματι ὑμῶν, *in corpore vestro*] Non solo animo. Nam & corpus ejus est, & ei servire debet. ¶ Καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, *& in spiritu vestro*] Neque solo corpore: id enim est ὑποκριτῶν *hypocritarum*), sed animo simul. ¶ Ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ. *quæ sunt Dei*] Non solo creationis jure, verùm etiam jam dictæ redemptionis, quam ita fecit Christus, ut non sibi nos tantum, sed & *Deo acquisiverit*, Apoc. 5. 9. imo & *Deus* ipse dicitur *nos acquisivisse*, Actor. 20. 28. Vide Rom. 3. 23. 24. Verum hæc particula, & illa καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν [*& in spiritu vestro*] abest in Manuscripto, sicut & abfuit à codicibus quibus usi Latini: Græci verò & Syrus & Arabs hæc legerunt.

CAP. VII.

VALLA.

1, 2, 3, 4. De quibus autem scripsistis mihi, *bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat, & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem sui corporis potestatem non habet vir, sed mulier*] Apud Græcos γυνὴ tam *mulierem* significat quàm *uxorem*, sicut ἀνὴρ tam *virum* quàm *maritum* ut etiam apud nos *vir.* Sed cur Interpres, cùm non variaverit ἀνὴρ, variavit γυνή, nunc *mulier* nunc *uxor* transferendo? Verùm hoc rectè fecerit. Cur autem in illo non dixit, *Uxor*, potiùs quàm, *Mulier sui corporis potestatem non habet?* An ea mulier quæ non est uxor non habet potestatem sui corporis? Ergò dicendum erat *uxor.* Forsitan in omnibus dicendum erat *mulier*, h. e. nunquam variandum nomen, ut Græcè fit. Nam quid esset, *Unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat?* nempe *unaquaque uxor.* Atqui supervacuum est addere ut *virum habeat* ea quæ vocata est *uxor.* At quomodo stabit, *unusquisque suam mulierem habeat?* An non est concubina *mulier?* id non obstat, quia antecedit, *propter fornicationem* scilicet *devitandam*, quæ non devitatur in concubina; & quia dicitur *suam*, i. propriam, non enim est alicujus propria concubina, utpote quæ libera est. Propterea cùm dicis, *Unusquisque uxorem habeat*, otiosum est addere *suam*, nisi fortè excludere velit eam quæ alterius est uxor. Verùm cùm dico, *Dilige uxorem*, intelligo *suam*, quanquam illud non addo. Neque verò Græcè dicitur, *Uxori vir debitum reddat*, sed *debitam benevolentiam reddat*, ὀφειλομένην εὔνοιαν.

8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant*] *Nuptis* generis m. est, τοῖς ἀγάμοις etsi subintelligi quoque de feminis possit: nè audiamus qui hoc putant dici tantùm de feminis quæ viris carent. Nam qui carent uxoribus dicuntur *cælibes*, etiam sint scortatores. Ad mares vel magis referri hoc, etsi parùm propriè dicantur mares nubere, ut apud Plautum *novus nuptus*, probat id quod sequitur,

10, 11. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt* (non dixit *quæ juncta sunt*) *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem nè dimittat*] Cur non dixit, *Et virum uxorem non dimittere?* aut si sic maluit dicere, cur non & illa itidem transtulit, *Maneat innupta, aut viro suo reconcilietur?* ut Græcè habet, μενέτω ἄγαμος, ἢ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς καταλλαγήτω.

28. *Tribulationem autem carnis habebunt ejusmodi*] Quidam exponunt *carnis* pro rebus necessariis: quod non facerent si scirent Græcè non esse genitivum, sed dativum: i. ablativum nostrum, τῇ σαρκί.

31. *Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*] Gr. *abutantur*, sive (ut ad v. traducam) *& utentes hoc mundo ut non abutentes*, καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ, ὡς μὴ καταχρώμενοι.

REVIUS in VALLAM.

4. CUM *non variaverit ἀνὴρ, variavit γυνὴ*] In prioribus ed. contrà legebatur, *cum non variaverit γυνὴ, variavit ἀνὴρ, nunc* mulier, *nunc* uxor *transferenda*. Cujus lectionis absurditas movit postremæ editionis autorem ut Græca transponeret. Interim hoc esto insigne exemplum confusionis Græcarum dictionum in hoc opere. ¶ *Suam*, i. *propriam*] Cur hæc ita fastidiverit Erasmus viderit lector, ego enim videre non possum. ¶ *Propterea cum dicis*] *Dicis* puto, propter sequens *velit*.

8. Τοῖς ἀγάμοις] Miserè suo loco deturbatum jacebat. Pro *nuptis* legerem *non nuptis*, ut in textu est.

28. *Non esse genitivum, sed dativum*] Negat Erasmus causam esse cur rejiciat Valla expositionem eorum qui *tribulationem carnis* interpretantur incommoda hujus mundi, velut lites cum affinibus, &c. sic enim dictum esse *habere tribulationem carne* quemadmodum dicimus *affligimur animo*, aut *cruciatur corpore*. Sanè nihil luculentius afferre potuit Erasmus ad defensionem Vallæ, quem oppugnatum venit, quàm postrema ista: nihil enim aliud volebat Valla quàm *carnem* notare τὸ ὑποκείμενον afflictionum, quemadmodum *animus* & *corpus* in exemplis Erasmi, non autem externas ejus causas, à quibus θλίψιν proficisci nunquam Valla negaturus est.

ERASMUS.

1. DE *quibus autem scripsistis mihi*] Sermo quidem est inabsolutus, verùm hic loquendi color haud est insolens etiam apud Latinos. Nam sensus est, *Ut de his quæ scripsistis mihi respondeam*. ¶ *Bonum est*] Hic est unus locus, opinor, in quo conveniebat addere conjunctionem μὲν, quæ respondeat δὲ. Verùm id Paulo frequentissimum, cùm hoc argumento colligat Hieronymus Paulum parùm bene calluisse Græcum sermonem. ¶ *Mulierem non tangere*] Rectiùs hic erat *uxorem*, quandoquidem Græca vox γυναικὸς ambigua est. Deinde *tangere*, ἅπτεσθαι, juxta proprietatem Græcanici sermonis sæpenumero significat non *manu contingere*, sed *habere cum aliquo negotium sive commercium*. Proinde μὴ ἅπτεσθαι γυναικὸς nihil aliud sonat quàm si dicas, *Bonum est abstinere ab uxore*, h. e. non ducere uxorem. Etiamsi D. Hieronymus Adversus Jovinianum, studio torquet hoc verbum ad simplicem contactum, velut in ipso contactu quoque periculum sit, non solùm in coitu. Id quod fortasse concedendum est in Divinis literis, quoties aut hortamur, aut consolamur, aut deterremus, aut ludimus. In disputatione seria nolim id fieri, etiamsi hoc vel inprimis sibi permittit Hieronymus, idque factum defendit exemplo Pauli, apud quem ait pugnare testimonia, quæ suis locis non pugnant. Verùm ab iis interim periculum est quibus mos ex quocunque libro quatuor aut quinque verba decerpere, ac velut ex oraculo proferre, haud perpendentibus quid præcesserit, quid consequatur, cum quo agatur, quid agatur, quorsum & quo animo dictum sit. Quid quòd ea quæ sequuntur palàm indicant hunc esse sensum, *Propter fornicationem autem*, &c. *Optimum erat non ducere uxorem: cæterùm qui metuit nè labatur in stuprum, ducat potiùs, & suam habeat citiùs quàm alienam.* Jam illud, quamvis non est proprium hujus instituti, tamen obiter admonuisse profuerit, *Bonum* hic accipi pro *commodo*, non autem ut opponatur *vitio*; quemadmodum passim dicitur *bono fuisse* quod profuit: & *malus bello* dictus est Horatio qui bello sit inutilis. Neque enim hoc quærebatur à Corinthiis, opinor, *An fas esset uxorem ducere*, sed, *An expediret eo rerum statu matrimonii vinculis illigari*. Hieronymus autem pugnans adversùs eos qui matrimonio plus satis tribuebant, ità ratiocinatur, *Si bonum est non tangere uxorem, malum igitur est tangere; cùm bono malum sit contrarium*. Hanc ratiocinationem ità refellit Augustinus, qui legerat Aristotelis Categorias, ut dicat quædam esse *indifferentia*, *quæ nec bona sint nec mala*, veluti *nasum emungere*, aut *salivam jacere*. Cùm enim is in matrimonio tria constituerit bona, non passus est ullam *mali* mentionem: eóque *bonum* ait hic accipi pro *melius*; nè quis turpe putet uxorem ducere, quasi *bonum* pugnet cum *turpi*. Quòd si in verbis Hieronymi *malum* & *bonum* utrobique consimiliter sumantur, rectè procedit illius argumentatio, juxta propositam à Corinthiis quæstionem, *Si commodum est non ducere uxorem ob sarcinas curarum, ob vincula affinitatum, incommodum est igitur ducere*. Perinde ut si quis rogatus num bonum esset sibi longum iter ingressuro, latrociniis obnoxium, tollere pecuniam responderet, *Bonum est pecuniam non tollere*, rectè consequeretur, malum esse tollere. Nam quod hic opponitur *bono*, Paulus paulò pòst vocat *tribulationem* (sive *afflictionem*) *carnis*. Nec dicit simpliciter, *Bonum est sic manere ut ego sum*, sed, *Bonum est ob urgentem necessitatem*. Proinde non quod pro tempore próque re præsenti bonum est, id protinus simpliciter bonum est. Ætate Pauli, cùm inter innumeros ethnicos perpauci essent Christiani, fortasse commodius erat abstinere à matrimonio: Nunc, mutatis rebus, haud scio an magis expedit sanctum connubium & immaculatum thorum sanctè puréque colere, etiam Sacerdotibus, si qui non continent, quando horum tam ingens ubique numerus est, rursus tanta raritas castè viventium. Quòd igitur hæc nonnihil torquet Hieronymus, victoriæ datum est; præsertim cùm ille plurimùm interesse putet, docendus sit aliquis an vinciendus, initiandus an illaqueandus. Cæterùm quæ hic argutatur Augustinus, ut vera sint, certè ad Pauli sensum mihi non videntur propriè facere.

2. *Propter fornicationem*] Διὰ δὲ τὰς πορνείας, *Propter fornicationes autem*, sive *scortationes*. Quanquam hoc nihil ad sensum, nisi fortè numero multitudinis innuit diversas libidinis species. ¶ *Suam uxorem habeat*] Ἐχέτω quod verbum apud Græcos planè imperativi est modi. Verùm non est quòd id nos commoveat, nec est cur interpretemur HABEAT *habere liceat*, cùm id dicatur iis qui se non possunt à consuetudine mulierum cohibere, non omnibus. Atque his sanè qui sibi permissuri essent scortationem, aut fœdius aliquod libidinis genus, imperat ut potiùs ducant uxorem. Quòd si hoc loco perpetuò ἄνδρα vertisset *maritum* & γυναῖκα *uxorem*, plusculum lucis accessisset sermoni: nam voces apud Græcos ambiguæ sunt. Argutatur hoc loco Valla de pronomine *suum* & *suam*, quæ non arbitratus sum operæ pretium adscribere.

3. *Uxori vir debitum reddat*] Græcè sic est. τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω, *debitam benevolentiam reddat*; ut rem parùm verecundam verecundè notaret. Quanquam secùs legunt Ambrosius & Hieronymus. Omnino coitum significat, & ideo texit verbis quod oportebat intelligi. In uno duntaxat codice pro εὔνοιαν *benevolentiam* scriptum reperi τιμὴν *honorem*; exponentibus ad eum modum & Commentariis qui Chrysostomo inscribuntur, sed titulo mihi suspecto. Proinde quoniam variat Græcorum scriptura, in conjecturam adducor à Paulo scriptum fuisse τὴν ὀφειλὴν *debitum*; quod deinde sive quò verecundior esset oratio, quispiam mutarit in ὀφειλομένην εὔνοιαν. Quanquam ad eum modum legit & interpretatur Theophylactus nullam *coitûs* faciens mentionem. Priùs quàm adornarem hanc quintam editionem, nactus sum codices Græcos fidei melioris. In his contextus habet τὴν ὀφειλομένην τιμὴν *debitum honorem*, atque item commenti limen: sed in medio ὀφειλὴν, cùm ait, διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ὀφειλὴν τὸ πρᾶγμα ἐκάλεσεν. *Eóque negotium hoc appellavit debitum*: cæterùm de *honore* nullam facit mentionem. Et Chrysostomus huc deflectit enarrationem, quasi Paulus his verbis commendarit fidem & castitatem conjugalem, nè vel hic vel illa cuiquam sui corporis copiam faciat nisi uni cui debetur ex fide matrimonii. Et cùm in cæteris utriusque Testamenti literæ multum autoritatis tribuant Viro, in hoc pares ostendit, quòd maritus æque atque uxor non possit alii cuiquam facere corporis sui copiam, quod quidem attinet ad usum connubialem. Hæc quidem verè dicuntur, sed vel ea quæ sequuntur declarant Apostolum de coitu conjugali sentire, *Nolite fraudare invicem nisi ex consensu*. Nam ut interpreteris, *Nolite fraudare*, pro, *Nolite alii corporis vestri copiam facere*, qui quadrat quod sequitur, *Nisi ex consensu?* An ex consensu licebit adulterium committere? Hoc igitur in loco castigatior est Latina editio.

5. *Nolite fraudare*] Μὴ ἀποστερεῖτε, *Ne fraudetis*. *Fraudamus* autem propriè cùm subtrahimus rem debitam, sicut frustramur re speratâ. ¶ *Ni forte ex consensu*] Non est Græcè *forte* sed εἰ μή τι ἂν. Verùm Interpres exprimere voluit conjunctionem expletivam ἂν, idque non ineptè: sed τὶ quoque diminuit, *nisi si quid fiat ex consensu*. Sensit Apostolus Corinthiis in libidinem pronioribus non esse tutum sæpius aut diutiùs secubare, eóque multis modis astringit hanc concessionem; *Nisi si quid*, & *ex consensu*, & *orandi causâ*, & *ad breve tempus fiat*. ¶ *Ut vacetis orationi*] Græcus addit τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ, *jejunio & orationi*: quæ duo conjungit & D. Hieronymus: licèt Chrysostomus, & hunc secutus Theophylactus, enarrans hunc locum, *jejunii* nullam faciat mentionem, quanquam in textu additur νηστείᾳ, non taciturus si legisset. Idem annotavit emphasim hujus verbi σχολάζητε. *Non enim dixit* ORETIS, *sed* VACETIS PRECATIONI, *quod ea res desideret animum ab omnibus mundanis curis vacantem*. Atqui *vacandi* verbum non perinde congruit Jejunio. ¶ *Revertimini in idipsum*] Ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχησθε, *ad idem* (sive *in unum*) con-

congrediamini, sive *conveniatis*: ut intelligas eos antè fuisse separatos thalamis. Græcis enim *in idem venire* dicuntur qui conveniunt in eundem locum, sive qui consentiunt, h. e. in eandem eunt sententiam: velut in hujus Epistolæ cap. 11. *Convenientibus vobis in unum*, Συνερχομένων ὑμῶν εἰς τὸ αὐτό. Quod hîc vertit *in idipsum* illic transtulit *in unum*. Mirum autem quod secutus exemplar Augustinus epist. 199. legit, *& iterum ad idipsum estote*. Exstat eadem lectio Hom. 50. De mixtis argumentis, ac rursus lib. Contra Faustum 5. cap. 9 Quin & apud Origenem sic adducitur homilia in Numeros 23. Fortasse legerunt γίνεσθε. ¶ *Propter incontinentiam*] Διὰ τὴν ἀκρασίαν, *propter intemperantiam*: tametsi minimum interest.

6. *Secundum indulgentiam*] Quidam Græci cod. habent κατὰ συγγνώμην, *secundum ignoscentiam*, seu *veniam*. Quidam habent κατὰ γνώμην, *juxta consilium*, sive *sententiam*: q. d. *Dico meam sententiam & quod mihi videtur optimum factu, non autem præcipio*. Quanquam συγγνώμη appositius ad ἐπιταγὴν est, *venia* ad *imperium*. *Imperium* exigit, *venia* concedit nonnihil præter jus. Indulget enim hoc Paulus illorum fragilitati. Augustinus non dubitat ex hoc loco asseverare, coitum cum uxore restinguendæ libidinis causâ initum non vacare culpâ, licèt venialis sit, excusante videlicet matrimonio.

7. *Volo autem omnes vos esse sicut meipsum*] Græci γὰρ habent, non δέ. Exponit enim quid dixerit *secundùm indulgentiam*: alioqui vellem, inquit, omnes qui habent uxores in totum abstinere ab illis. Vel ex hoc loco conjicere licet, Paulo fuisse conjugem, posteaquam de conjugatis agens sui facit mentionem.

8. *Dico autem non nuptis*] Ἀγάμοις, *innuptis* erat apertius, vel potiùs *cælibibus*, aut *inconjugatis*. Nam articulus indicat hoc Viris dici, τοῖς ἀγάμοις, i. *iis qui cælibes sunt*. Quanquam nihil vetat quò minùs ad utrumque sexum referatur. Et Theophylactus addidit articulum fem. ταῖς ἀγάμοις, ut alterum ad Virgines pertineat, alterum ad Viduas. Quæ cœlibes sunt dici possunt ἄγαμοι, at non possunt semel expertæ nuptias. Apparet autem id à studioso quopiam factum esse, quò Paulo vindicaret laudem virginitatis. Nam τοῖς habet Chrysostomus; neutrius autem interpretatio facit ullam *virginum* aut *virginitatis* mentionem. Ipse verò sermonis tenor suadet ut intelligamus Apostolum hîc de viris viduis ac mulieribus viduis agere, aut certè de viris qui quocunque modo cœlibes erant, sive morte conjugis, sive quòd nunquam tentassent matrimonium. Nam mulierem probam, si cœlebs sit, oportet aut viduam esse aut virginem. Primùm Apostolus hortatur Conjugatos, ut qui in totum abstinere non possunt, *precandi gratiâ interdum à congressu temperent, sed ex consensu*. A conjugatis transit ad Cœlibes conjugium expertos, quos hortatur nè repetant matrimonium. Hinc redit ad Conjugatos, multa præcipiens de Divortio & Matrimonio impari. Post hæc venit ad Virgines feminas. Tandem mixtim disserit de Viduis, de Conjugatis & Virginibus: *Reliquum est ut qui habent uxores*, &c. ad Conjugatos pertinet; *Qui sine uxore est*, &c. ad Cœlibes pertinet: *Et mulier innupta & virgo*, ad Viduas & Virgines pertinet. Quam antè vocavit χήραν hîc appellat ἄγαμον, quemadmodum priùs viros viduos dixit ἀγάμους. Atque ità miscet disputationem hujus capitis. Porrò sui mentionem facit duobus locis: hortatus enim Conjugatos ad spontaneam continentiam, quàm tamen non audet exigere, subjicit, *Volo autem omnes vos esse sicut meipsum*: mox de viduis viris ac feminis locutus, addit, *Bonum est illis si sic permanserint sicut ego*. Nec absurdum est utrobique fieri mentionem Apostoli: hortatur enim omnes ad exemplum suum, qui sive habebat uxorem, eam verterat in sororem, & habebat tanquam non habens; sive jam erat defuncta, utroque modo liber erat à solicitudine conjugii. Nam quod hîc dicit, *Volo vos omnes esse sicut meipsum*, pòst velut explanans dicit, *Volo vos sine solicitudine esse*. Itaque quod conjugatis & viduis dicit, *Volo vos esse sicut ego sum*, non est necesse ut accipiamus Apostolum optare ut qui duxerant uxores fierent cœlibes, sed ut, quod ipse fortasse fecerat, uxores verterent in sorores, atque hàc ratione sibi pararent otium ad serviendum Domino. Nec consequitur ideo Paulum fuisse viduum quòd *cupit eos esse sicut erat ipse*: nam etiamsi Paulus non fuisset viduus, tamen erat in ea libertate quam habent vidui: ad hanc tuendam illos adhortans, admonet ut in libertate sua perseverent. Exemplum igitur ad quod invitat Paulus non est suum in conditione seu vitæ statu, sed in tranquillitate quam præstat continentia. Cæterùm ubi sine controversia de Virginibus loquitur, nullam facit sui mentionem, Nam quòd præfatus *se de virginibus præceptum Domini non habere* subjungit, *Bonum est homini sic esse*, Sic non refertur ad Paulum, sed ad statum præsentem. Et si referretur ad Paulum, non statim sequeretur eum fuisse virginem, nihilo magis quàm sequitur illum conjugatum ac viduum quòd hos invitat ad imitationem sui. Quod enim erat in Paulo, & maritis & virginibus poterat esse commune. Ex hoc itaque loco quanquam non potest evinci Paulum fuisse maritum, aut viduum, aut virginem, tamen probabilius alterum è duobus illis prioribus colligitur quàm tertium. Res autem indigna est contentione.

9. *Melius est enim nubere quàm uri*] Κρεῖττον γάρ ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι. Græcis ambiguum est verbum γαμῆσαι, quod significat & *nubere viro* & *ducere uxorem*. Nam hæc sententia ad utrosque pertinet, Viros ac Mulieres. Ideo quod antè dixit, *innuptis & viduis*, pro *innuptis* in quibusdam Græcis cod. est τοῖς ἀγάμοις, addito articulo masculino; ità tamen ut sub uno genere sexum utrumque intelligas, quanquam, ut modò dictum est, nonnulli cod. habent ταῖς ità tamen ut mox redeat ad masc. genus, καλὸν αὐτοῖς ἐστιν, *bonum est eis*. Et κρεῖττον non propriè *melius* est, sed *potius ac magis eligendum*. Porrò πυροῦσθαι *uri* demiror cur quidam contra omnium veterum opinionem exponant de igni Gehennæ, cùm hîc palàm de libidinis loquatur incendio molestiáque corporis non se continentis.

10. *His autem quæ matrimonio juncta sunt*] Γεγαμηκόσι Græcis quidem est m. generis, sed ità ut femininum quoque complectatur: id quod sequentia declarant. Proinde nos vertimus, *Conjugatis autem*, ut ad Virum simul ac Mulierem pertineat. Atque adeò in pervetustis exemplaribus, nominatim in eo quod exhibuit bibliotheca Collegii D. Pauli apud Londinum, scriptum reperi genere masc. *His autem qui matrimonio juncti sunt*. Tum Augustinus explanans sermonem Christi in monte habitum, citat genere masc. *His qui sunt in conjugio, præcipio, non ego, sed Dominus.*

12. *Nam cæteris dico*] Augustinus indicat hoc pertinere ad impari matrimonio junctos.

14. *Per mulierem fidelem: per virum fidelem*] Ἐν τῇ γυναικὶ, ἐν τῷ ἀνδρὶ, *in muliere, in viro*. Quanquam γυνὴ Græcis & *mulierem* sig. & *uxorem*. Atque hoc sanè loco rectè mutavit Interpres præpositionem: quod tamen aliàs aut veretur aut negligit facere. Adjectivum *fidelis* utrobique additum est à nobis, cùm apud Græcos non addatur, sed subaudiatur. Augustinus lib. 1. quo exponit sermonem in monte habitum, legit ad hunc modum, *Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore fideli, & sanctificata est mulier infidelis in fratre fideli*. Et nè quis existimet hoc casu factum, aut locum depravatum, ipse aliquantò pòst eodem libro adducit hujus loci testimonium, docens in sacris literis *fratris* vocabulo significari Christianum, verùm hîc non addit *fideli*. Et *sanctificatum* hîc vocat *purificatum*. Sequitur enim, *Alioqui filii vestri immundi erunt*.

15. *Vocavit vos*] Ἡμᾶς *nos*, primæ personæ, non secundæ, suffragante & vetustiss. codice Paulinæ bibliothecæ, atque item Donatianicæ.

17. *Nisi unicuique sicut divisit Dominus*] Quidam Græci cod. habent εἰ μὴ *nisi*, quidam ἢ μὴ *an non*, ut referatur ad superiora. At Græcorum quidem Scholia distinctionem apponi volunt pòst εἰ μὴ *an servaturus sis, an non*, quòd alioqui videatur imperfecta sermonis constructio: & hujus distinctionis Severianum quendam citat autorem. Theophylactus & ipse commonstrat duplicem hujus loci ordinem. Prior hic est, *Qui scis an servatura sis, uxor, virum, nécne?* ac mox velut ex abrupto interjiciatur, *Unicuique sicut divisit Dominus*: deinde succedat quod priori particulæ respondeat, *Qui scis; vir, an servaturus sis uxorem nécne?* ut illud, *Unicuique sicut divisit Dominus*, cùm sit constructionis lege ab utroque separatum, ad utrumque respondeat. *Varia sunt dotes Dei: fortasse continget ut servetur ille, aut illa: quare sive continget, sive non continget, non est dirimendum conjugium.* Alter ordo conjungit duas partes, *Qui scis an tu servatura sis virum, an tu servaturus uxorem!* deinde succedat ceu novum caput, *Nisi unicuique ut divisit Dominus sic maneat*: q. d. *Nihil aliud tentetur aut novetur ob alterum infidelem: tantùm ut cuique sua sors obtigit, ità maneat.* Atque hanc lectionem ille præfert superiori. Quòd si de distinctione laboratur, nil vetat quò minùs referatur ad *permaneat* verbum, *Qui scire possis an servaturus an servatura sis, nisi unusquisque sic permanserit ut vocatus est?* Verùm mihi magis placet ut seorsim legatur εἰ μὴ, ac perinde valeat q. d. *utcunque est aut in summa*. Hâc loquendi formâ solemus uti quoties omissis quæ incerta sunt, ad id redimus quod certum est. Hanc Græcanici sermonis figuram expressisse videtur Terentius in Adelphis, *Gaudebam. Ecce autem de integro, nisi quicquid est volo scire, atque hominem convenire.* Idem aliis aliquot locis ad eundem usurpavit modum. Sic Paulus, quoniam id quod erat

erat dubium proposuerat, de *servando viro aut uxore infideli*, *Utcunque hoc est*, inquit, *maneat unusquisque ut illi tribuit Deus, & ut vocatus est, quicunque sequatur exitus de servando conjuge.* Meminit & Thomas nonnihil de duplici hujus loci lectione, ex quo apparet illum adjutum Commentariis è Græco versis, quæ nunc non exstant. ¶ *In omnibus Ecclesiis doceo*] Διατάσσομαι, *ordino* sive *instituo*.

18. *Non adducat præputium*] Μὴ ἐπισπάσθω, *nè asciscat*, ut subaudias *præputium*. Subindicat Theophylactus præputium resectum pharmaco solere reduci. Rei hujus artificium aliquod indicat Cornelius Celsus lib. 7. c. 25. *Quomodo tegenda sit glans vel naturâ vel amputatione nuda.* Verùm an hoc Paulus senserit nescio. Certè Origenes libro περὶ ἀρχῶν 4. putat nullo modo revocari posse semel amputatum præputium. Utcunque habet, nos maluimus *accersere* quàm *adducere*, vel ob verecundiam.

24 *Unusquisque in quo vocatus est frater*] Ἀδελφοί, *fratres*, multitudinis numero, idque duntaxat in hac posteriore parte. ¶ Præterea *in hoc* repetitum est ex superfluo, juxta proprietatem sermonis Hebraici, quemadmodum & paulò superiùs, *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

25. *Consilium autem do*] Γνώμην δὲ δίδωμι, *sententiam autem do*, sive dico id quod mihi videtur optimum, h. e. profero meam super hac re sententiam. Qui *consilium dat* suum aperit judicium. Et nè contemnatur, addit hoc *se misericordiâ Divinâ consecutum, ut super ea re dicat bonâ fide quod optimum putet*, velut Apostolus.

26. *Propter instantem necessitatem*] Ἐνεστῶσαν. Græci ἐνεστῶτα vocant *præsens tempus*, & hos imitatus Fabius *instans* appellat. Ambrosius legit *propter præsentem necessitatem*, nimirum intelligens præsentem illorum temporum statum. Oportet enim hujusmodi consilia pro temporum ratione moderari. Idque confirmant ea quæ superiùs à nobis dicta sunt.

27. *Noli quærere solutionem*] Λύσιν. Aliis magis placet *divortium* quàm *solutio*, veluti Latinius: sed tamen interim perit aliqua gratia contrariorum; *Alligatus, solutus, & solutio.*

28. *Tribulationem carnis*] Gr. τῇ σαρκὶ sive *in carne*. Nec est cur Valla rejiciat hâc gratiâ expositionem Ambrosianam, ac cæterorum omnium, qui *tribulationem carnis* interpretantur incommoda hujus mundi, velut lites cum affinibus, curam liberorum, solicitudinem rei domesticæ, & id genus alia sexcenta quæ matrimonium comitantur. Paulus enim suo more *carnem* vocat, quod pinguius est & crassius, & ab illa Divini Spiritûs puritate simplicitatéque recedens. Sic autem dictum est *habere tribulationem carne* quemadmodum dicimus, *affligimur animo*, aut, *cruciatur corpore*.

29. *Tempus*] Ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, *tempus contractum*; quod Hieronymus Adv. Jovinianum vertit, *Tempus in collecto est.* Et quod sequitur, τὸ λοιπὸν, potest ad superiora referri, ut legas, *Tempus quod superest contractum est.* Atque ità Græci videntur legere, nominatim Theophylactus, & eundem ad modum Ambrosius, ut ex illius interpretatione colligitur. Quod si placet sequi, conjunctio *ut*, quæ sequitur, non accipietur εἰδικῶς, sed ut Consequentiam declaret, velut in hac oratione, *Omnis hæc vita brevis est, ut si quid etiam voluptatis habeat matrimonium, negligendum sit ob hoc ipsum quòd brevi dilapsurum.*

31. *Tanquam non utantur*] Ὡς μὴ καταχρώμενοι, *tanquam non abutentes.* Quanquam hoc *abutentes* nihil aliud est meâ sententiâ quàm *vehementer utentes*. *Utimur* in bonum, *abutimur* in malum. Et secundùm Jureconsultos *abusus* est vini, frumenti, & similium quæ usu absumuntur; *usus* equi, aut vestis ac similium: & *utimur homine* quicum est nobis familiaritas. Hic *abuti* dictum videtur pro *valde uti*, quemadmodum Latini dicunt *fatigari & defatigari*, *amare* & *deamare*, *perditus* & *deperditus*. Neque enim *abuti* semper sonat in malam partem, quemadmodum nec καταχρῆσθαι apud Græcos. Interdum enim quod alieniore loco ac tempore adhibemus *abuti* dicimur. Unde & Rhetores *Catachresim* habent inter schemata, h. e. ornamenta dictionis: κατὰ propositio apud Græcos & in laudem sonat, παραχρῆσθαι magis sonat in vitium. Hoc itaque dicit Apostolus, *Tempus hic esse breve, nec vacare uxorium esse.* ¶ *Præterit enim figura*] Παράγει. Faber Stapulensis emendat *decipit*; quod ipsa vox videatur ità sonare, παράγειν, quasi *seducere*, sive *à via abducere*. Verùm hujus verbi composita sæpenumero & neutralia usurpantur, ut ὑπάγω pro *abeo*, quod non semel positum in Euangelicis literis; ὕπαγε ὀπίσω μου. Et apud Joannem cap. 9. Καὶ παράγων ὁ Ἰησοῦς, *Et præteriens Jesus.* Et apud eundem cap. 14. ἄγωμεν ἐντεῦθεν, *eamus hinc*. Item Matth. 4. περιῆγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, *circumibat.* Apud eundem cap. 20. ὅτι Ἰησοῦς παράγει, *quòd Jesus præteriret.* Rursum, cap. 21. προάγουσι, *præcedunt.* Item cap. 23. περιάγετε, *circumitis.* Atque ità sanè magis quadrat ad Pauli sententiam; & ità exponunt Gr. Scholia, παράγει, παρέρχεται. Quod autem dixit σχῆμα, h. e. *figura*, perinde est q. d. *habitus*, sive *status*. Annotavit emphasim nominis & Theophylactus, quòd mundus hic nihil habeat solidi, sed speciem modò quandam bonorum ac malorum præ se ferat. Chrysostomus hoc loco videtur esse mutilus.

32. *Qui sine uxore est*] Ὁ ἄγαμος, *qui cælebs est*, sive *inconjugatus*. Mirum cur Interpreti placuerit periphrasis, cùm suppetat Latinis verbum proprium, quo certè usus est Cyprianus in 2. tractatu De Habitu virginum, *Cælebs cogitat ea quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonium contraxit*, &c. ¶ *Quomodo placeat Deo*] Græcis *Domino* est, non *Deo*, τῷ Κυρίῳ. Maritum non habet cui placeat, sed habet Dominum, cujus animo debet obsequi. Deinde sequitur, *ut sit sancta & corpore & spiritu*, geminâ conjunctione.

33. *Et divisus est*] Longè alius sensus est apud Græcos; siquidem verbum μεμέρισται non ad ea quæ præcedunt, sed ad sequentia refertur. Μεμέρισται καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *Divisa est* (sive *Divisa sunt*) *& uxor & virgo*, h. e. Diverso vitæ studio sunt. Deinde explicat discrimen vitæ. In eam sententiam interpretatur Theophylactus. Citatur hic locus emendatè Adv. Helvidium, etiamsi nonnihil mendi asperserant hic quoque librarii. Quanquam ex ipsa sermonis continentia palàm est Hieronymum sic accipere ut nos interpretamur, nempe cùm ait, *Vide quanta felicitatis sit, quæ & nomen sexûs amiserit.* Item in epist. ad Eustochium De virginitate servanda. At rursus idem in priore Adv. Jovinianum libro rejicit hanc lectionem, quam fatetur quidem esse in Latinis cod. & à se pro loci qualitate sic fuisse edissertam, verùm non esse veritatis Apostolicæ, à quo sic fuerit scriptum, *Solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est:* deinde hâc absolutâ sententiâ, transiens ad virgines & continentes, subjecit, *Mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt Domini.* Vultque per interpretationem additum esse *virginem*, nè putemus innuptas meretrices hoc sermone comprehendi posse, aut certè elegantiæ causâ bis idem esse dictum. Unde conjicere licet exemplaria Græcorum illâ quoque tempestate variasse. Siquidem in codicibus Græcorum hodie legimus ad hunc modum, ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. Μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *Qui verò duxit uxorem solicitus est de his quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori:* deinde interposito puncto sequitur, *Divisa est mulier & virgo.* Proinde quod Hieronymus scribit esse in Latinis cod. hodie in Græcis habetur: & quod ait esse Apostolicæ veritatis, hoc legitur in vulgatis Latinorum exemplaribus. Verùm utrocunque modo legas, eadem ferme constat sententia. D. Ambrosius ità legit, *Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Divisa est mulier & virgo.* Idque exponens subjicit, *Divisa non utique naturâ, sed actu: quia legimus in Numeris, Mulieres virgines appellatas.* Quibus ex verbis palàm est, Ambrosio Paulum sentire *diversum esse studium mulieris & virginis.* At idem in libello De Viduis aliter citat hunc locum, *Juxta quod scriptum est*, inquiens, *& mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Quæ quidem palàm arguunt Ambrosii quoque codices hoc loco variasse. Similiter citat Augustinus libello De bono viduitatis, cap. 2. addens illic, *innuptam mulierem dici viduam.* Illud addam, Hoc certe loco rectiùs γυνὴ vertisset *uxorem* quàm *mulierem*, tametsi vox ea utrumque significat. Ad eundem modum citat Hieronymus, tum aliis aliquot locis, tum in epist. ad Eustochium de Virginitate.

34. *Virgo cogitat*] Μεριμνᾷ, *curat*, sive *solicita est:* quemadmodum superiùs verterat.

35. *Quod honestum est, & quod facultatem præbeat*] Gr. Ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως. Quæ quidem ad verbum transferre difficillimum fuerit. Est autem hujusmodi ferme sententia, *Sed ad id quod honestum est ac decorum, & ut indivulsi semper assideatis & adhæreatis Domino.* D. Hieronymus Adv. Jovinianum, testatus Græcam proprietatem reddi non posse, explicuit sententiam hujus loci ad hunc modum, *Hoc autem ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ut ad id quod honestum est, & intente facit servire Domino, absque ulla distractione, vos adhorter.* Addit hanc sententiam in Latinis cod. omnino non inveniri propter interpretationis difficultatem. Certè apud Ambrosium abest hujus sermonis clausula. Sic enim legit, *Hoc autem ad vestram ipsorum utilitatem dico, ut non laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est.* Sic finit sermonem, neque in interpretatione significat ampliùs legisse se. Hieronymus εὔσχημον vertit *honestum*, & τὸ εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ reddidit *quod intentè facit servire Domino*, & pro ἀπε-

ἀπερισπάστως posuit *absque ulla distractione*. Usus est hâc voce Plutarchus in libello De Curiositate, *ἀπερίσπαστον* appellans assiduum studium sapientiæ nullis negotiis aliò mentem avocantibus. In vetustis cod. etiam excusis adhuc habetur *Domino obsecrandi*: quo modo non puto quenquam Latinè fuisse locutum. Donatiani codex habebat *observandi*. In utroque item Constantiensi erat *observandi*. Ex his divinare licet primam scripturam fuisse *Domino observiendi*; quod alius vertit in *obsecrandi*, relicto dativo; alius in *observandi*, mutato etiam casu. Certe apud Græcos nulla *obsecrandi* mentio.

36. *Turpem se videri existimat*] Εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν, *Si quis turpe* (aut *indecorum*) *existimat in virgine*. Augustinus in Quæstionibus super Numeros Pentateuchi indicat quosdam *virginem* hoc loco interpretari *virginitatem*. At horum sententiam non approbat, quòd nihil aliàs comperiatur adsimile in Divinis libris. Sentit enim Paulus de parentibus elocantibus nuptum filias, citra quorum autoritatem non erat ratus matrimonii contractus. Quod utinam & his temporibus servaretur præsertim in ea ætate cui nondum satis constat vel consilium vel judicium, maximè cùm usque adeò placeat, semel initum quocunque pacto connubium non aliâ re quàm morte dirimi. Cæterùm ut hæc ad parentem potiùs quàm ad virginitatem referantur suadent quæ sequuntur. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam*, &c. Atque ità sane edisserit hunc locum Theophylactus. ¶ *Si fuerit superadulta*] Ὑπέρακμος. Nam id vertit *superadultam*, cujus flos jam præterit. Quod Ambrosius ità reddidit, *si sit ultra pubertatem*: id quod vulgo rideri solet, cùm anum vocant *virginem*. Solent & infamiæ esse obnoxiæ virgines admodum adultæ, quasi fastiditæ à procis. ¶ *Non peccat si nubat*] Γαμείτωσαν, *nubant*. Quanquam verbum *γαμεῖν* commune est Viro *ducenti uxorem* & Puellæ *nubenti viro*. Unde subitò Paulus mutato numero verbi Sponsum & Sponsam respexit, aut certè ad eum qui locat filiam & sponsum. Theophylactus legit *γαμησάτωσαν* nec additur *si*, sed est, οὐχ ἁμαρτάνει· γαμείτωσαν. Ut *non peccet* pertineat ad patrem; *γαμείτωσαν*, ad eos inter quos coit matrimonium.

37. *Nam qui statuit*] Ὃς δὲ ἕστηκεν, *Qui verò stat firmus*: nisi quòd verbum ἵστημι & *statuo* sonat Græcis & *sto*. Certè vocem eandem in Euangelio Joannis vertit *stat*. Hic sanè magis congruebat *stat firmus*: nam mox sequitur *decernendi* verbum. Cæterùm quod hîc dicit de *firmiter stando* respondet ei quod præcessit, *qui turpem se existimat*, &c. Qui non metuit pudicitiæ filiæ, nec movetur probro vulgari Quòd virginem nubilem detinet domi, faciat quod judicarit esse optimum. ¶ *Potestatem autem sui habens*] Ἔχει, *habet*, non *habens*. Quanquam hic variant exemplaria. ¶ *Et judicavit*] Meliùs *decrevit*, sive *statuit*, hoc quidem loco *κέκρικεν*, quod alias ità vertit.

39. *Liberata est à lege: cui autem vult nubat*] Græca paulò secus habent, ἐλευθέρα ἐστὶν ᾧ θέλει γαμηθῆναι, i. *libera est ut nubat cui velit*, sive *ad nubendum cui velit*. Donatiani codex sic habebat, *Libera est, cui vult nubat*. Suspicor ab Interprete scriptum *ut cui vult nubat*, & *ut* depravatum in *autem*. Certè *autem* non est in vetustis exempl. nominatim iis quæ suggessit Constantia. Quanquam ut semel in hujus operis initio sum testatus, perpetuò testatum haberi par est, In toto opere me nusquam esse velle contentiosi dogmatis autorem, tantùm juvandi studio monere studiosos, semper inconcusso & illabefacto judicio sacrosanctæ Ecclesiæ & eorum quibus uberius donum eruditionis ac sapientiæ contigit à Christo, tamen idem hoc loco nominatim testor ob quosdam in hisce rebus captiosiores quàm purè Christianum hominem deceat. Porrò ut non arbitror contumeliosum à quoquam autore quamlibet magno aut vetusto dissentire, ità non gravatim à meipso dissentiam, si quis adferat quod sit rectius, etiamsi sit idiota qui doceat. Scio receptissimum esse inter Christianos, Ubi semel coiit matrimonium, nullo pacto posse dirimi nisi morte alterius. Atque in hac sententia fuisse video, Chrysostomum ac veteres Latinos (sine dubio certè fuit Augustinus) eámque veterum Episcoporum constitutionibus & Decretalium legum autoritate esse confirmatam, denique & Theologicarum Scholarum consensu comprobatam. Cæterùm si semper hoc bonis viris cordi fuit, opinionem in melius commutare, & leges ceu pharmaca convenit ad morborum habitum ac rationem accommodare, consideremus an hic expediat idem fieri; & si expedit, an liceat ut matrimonia quædam dirimantur, non temere, sed gravibus de causis; neque per quos libet sed per Ecclesiæ Præfectos aut Judices legitimos; & ità dirimantur ut liberum sit utrique cui velit jungi, aut alteri certè qui divortio non dederit causam. Scio quædam esse ejus generis ut nefas sit seu dubia vocare in disputationem: Quod genus sunt, *An Christus sit Deus & idem homo*; *An natus absque viri opera*; *An animæ super sint à morte corporis*; *An hæc corpora sint olim revictura*: hæc enim tam evidenter traduntur nobis autoritate Divinæ Scripturæ ac totius Ecclesiæ consensu ut impium sit ac periculosum de his in diversam partem disserere, nisi forte nobis cum ethnicis res inciderit. Et tamen non arbitror odiosè rejiciendum qui de hujusmodi quoque rebus animi sui scrupulum, ut est humanæ mentis infirmitas, doctis aperuerit, nihil aliud agens quàm ut quod credit utcunque credat certiùs. Sed videndum est an hujus generis sit de quo nunc agimus. Quædam ità recepta sunt autoritate Ecclesiæ ut pro re nata possint mutari. Et ut fas non est D. Scripturam, quam certissimam habemus vitæ regulam, abrogare: ità pii ac prudentis dispensatoris est eam ad publicos mores accommodare. Sed hac de re plusculum dicemus aliás; nunc ad institutum properemus. Primum igitur hoc est Apostolicæ pietatis, omnium saluti quantum licet consulere & infirmis etiam Ecclesiæ membris suâ curâ succurrere. Videmus autem tot hominum millia infelici conjugio sibi cohærere cum exitio utriusque, qui fortasse disjuncti servari possent. Quod si fieri possit citra injuriam Divini præcepti, optandum opinor omnibus piis; sin minùs, votum tamen ipsum pium arbitror, præsertim cùm charitas optet nonnunquam & quæ fieri non possunt. Optat Moses *deleri de libro vitæ*; optat Paulus *anathema fieri à Christo pro fratribus*. Non defuerunt autem qui ità senserint, à rectè dirempto matrimonio licuisse cum alia copulari. Nè quis protinus hanc propositionem velut inauditam & modis omnibus absurdam existimet explodendam & indignam quæ vocetur in disputationem, siquidem Origenes hom. in Matth. 7. testatur sibi notos fuisse quosdam Episcopos qui permiserint uxoribus quæ cum viris divortium fecerant aliis nubere viris, ac fatetur hoc ab eis factum adversùs præceptum Domini & Pauli, sed tamen factum non omnino damnat, quòd existimat illos probabili causâ adductos id permisisse, nè quid deterius committeretur, nimirum obsecutos duritiei cordis; quo consilio Paulus permiserit & viduis incontinentibus secundas nuptias. Quod exemplum ità confert Origenes, ut durius videri velit viduæ quæ libidinis non prolis gratiâ maritum alterum desideret, permittere novas nuptias, quàm viro permittere ut, rejectâ uxore adulterâ, ducat se digniorem. Deinde non videtur addubitare quin viro liceat idem, cui permittit Euangelium ob adulterium repudiare, nec Paulus huic præcipit ut uxori reconcilietur. Sed annotavit Origenes, ab Episcopis hoc etiam uxoribus permissum, quod Paulus nominatim videtur prohibere. Neque enim illic Origenes Judaicum virum appellat, qui ob adulterium aut similem causam repudiat uxorem, sed qui morosus sit ac præfractus Judæorum more ob quamlibet levem causam repudium parans. Sic enim argumentatur vir ille Judaicus; & divortium meditans. *Moses permisit ob rem turpem repudiare, & exemplum rei turpis ponit adulterium*; *Licebit igitur ob alias res turpes uxorem abjicere*. Hanc argumentationem rejicit Origenes negans Mosem sensisse de adulterio cùm dicit *Rem turpem*, quandoquidem in adulterio non dabatur repudii libellus, sed uxor tradebatur lapidantibus. Verùm *rem turpem* appellavit quamlibet vel morum culpam, vel corporis vitium, quo maritus offenderetur. Hæc Origenem sensisse declarat quod mox sequitur, *Posthac autem*, inquit, *Dominus non permittit propter aliam aliquam culpam uxorem dimittere nisi propter solam causam fornicationis*. Sub hæc Origenes movet aliam quæstionem, An quemadmodum ob Adulterium licet uxorem repudiare, ità propter Parricidium, Veneficium aut Furtum liceat, & hæret hic perplexus, videns *impium facere adversùs præceptum Dei*, & tamen *iniquum & inhumanum cogi maritum ut ab uxore ferat ea peccata quæ sint adulterio graviora*: tandem hujus difficultatis exitum quærens, dicit, *Disputo ergò quia non præceptivè mandavit ut nemo dimittat uxorem exceptâ causâ fornicationis, sed quasi exponens rem dixit*, QUI DIMISERIT UXOREM, EXCEPTA CAUSA FORNICATIONIS, FACIT EAM MOECHARI. Sensit, opinor, Origenes uxorem protrudi ad adulterium, cùm meritò rejectæ non sit jus denuò nubendi: sed tamen hoc mulieri imputandum, non viro repudianti. Jam aliquantò superiùs adduxerat similitudinem de Christo, qui repudiarit Synagogam viricidam, & Ecclesiam duxerit novam sponsam. Origenis verba sunt hæc, *Dicendum quoniam non dimisit Christus primam uxorem suam, id est, primam synagogam, secundùm speciem spiritualem servans quod dictum est*, QUOD DEUS CONJUNXIT HOMO NON SEPARET, *nisi quando adultera est uxor illa, corrupta ab adultero inimico, cujus consilio & insidiata est viro*, &c. Ac mox, *Et reliquit propter Ecclesiam Christus vir Patrem, cum quo erat cùm in forma Dei esset: reliquit etiam matrem* &c. Hactenus Origenes. Audis lector divortium, audis à divortio novam sponsam. Ex quibus

satis

satis liquet, Origenem in hac fuisse sententia, Licere post repudiatam adulteram ducere domum aliam uxorem. Cæterùm quod ait, Episcopos illos fecisse contra doctrinam Euangelicam, qui post repudium permiserant matrimonium, sentit Origenes de his qui ob alias causas repudiarant uxores, Judæorum exemplo. Similitèr accipiendum est quod scribit, *Quâ enim ratione adultera est mulier, quanquam legitimè videatur nubere viro vivente, eâdem ratione & vir quamvis legitimè videatur accipere dimissam ab aliquo viro, non accipit legitimè secundum sententiam Christi sed magis mœchatur, quasi alienam accipiens.* Agit hic Origenes de iis qui divortium fecerant ob alias causas quas Christus non excepit, aut ob causas leves. Nec tamen humanis legibus puniebatur qui hoc fecisset; imò matrimonium habebatur legitimum. Sed an juxta Christi sententiam legitimum sit disputat Origenes, præsertim in atrocibus commissis, velut in Veneficii aut Homicidii conatu. Sic enim ait, *Si justam excusationem habet apud Deum, tractabis:* & tamen fatetur quòd qui sic dimittit præbet adulterii causam: sed fortassis hoc apud Deum imputandum uxori, non marito. Nec ab his dissentire videtur Tertullianus libro Adv. Marc. 4. sic interpretans hæc verba Christi; *Siquis dimiserit uxorem, & aliam duxerit*, quasi qui hoc animo repudiat ut novam ducat, non rectè dimittat: dimittit enim non ex justa causa, sed causatur quidvis quo quam fastidit videatur justè dimittere. *Manet*, inquit, *matrimonium quod non ritè diremptum est: manente matrimonio, nubere adulterium est. Ità si conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit. Et quod non in totum prohibuit, in totum permisit.* Item paulò pòst, *Habet itaque & Christum assertorem justitia divortii.* Dices Tertulianum non audiendum, cùm seipsum submoverit ab Ecclesia. Verùm in hac parte non fuit à quoquam orthodoxo notatus; notandus utique si hæc opinio dissensisset ab ea quæ tunc erat orthodoxorum. Ejusdem opinionis fuit Pollentius quidam, vir, ut apparet, gravis & eruditus, contra quem libris duobus agit Augustinus, sed agit non ut cum hæresiarcha sed ut cum antagonista, itáque refellit illius sententiam ut hæreseos crimen non intentet. Quin & D. Ambrosius, sine controversia vir non orthodoxus modò verùm etiam probatæ sanctimoniæ, tribuit viro jus ducendi alteram uxorem ubi priorem ob culpam admissam repudiarit. Neque dubium est, quin is Episcopus exercuerit in suis quod rectè juréque fieri scripsit. Scripsit autem enarrans caput epistolæ ad Corinthios prioris septimum, hunc in modum, ET VIRUM UXOREM NON DIMITTERE. *Subauditur autem*, EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA. *Et ideo non subjecit, sicut de muliere*, QUÒD SI DISCESSERIT MANERE SIC, *quia viro licet ducere uxorem si dimiserit uxorem peccantem, quia non ità lege constringitur sicut mulier. Caput enim mulieris vir est.* Idem paulò superiùs, QUÒD SI SE, *inquit*, CONTINERE NON POTEST, *quia pugnare non vult contra carnem*, VIRO RECONCILIETUR. *Non enim permittitur mulieri ut nubat si virum suum causâ fornicationis dimiserit, aut apostasia, aut si illicitè, impellente lasciviâ, usum quærit uxoris; quia inferior non omnino hâc lege utitur quâ potior. Si tamen apostatet vir, aut usum quærit uxoris invertere, nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum.* Hic cùm ait, *quia inferior non omnino hâc lege utitur quâ potior*, videtur tacitè tribuere marito jus ducendi alteram. At aliquantò pòst & uxori tribuit jus alteri nubendi vivo marito priore: enarrans enim Pauli verba, *Non est enim frater aut soror servituti subjectus in hujusmodi*, ait, *Hoc est, non debetur reverentia conjugii ei qui horret autorem conjugii. Non enim ratum est matrimonium quod sine Dei devotione est, ac per hoc non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit. Contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens & in Deum & in matrimonium peccare dignoscitur, quia noluit sub Dei devotione habere conjugium. Itaque non est ei fides servanda conjugii qui ideo recessit nè audiret autorem esse Christianorum Deum conjugii. Nam si Esdra dimitti fecit uxores aut viros infideles, ut propitius fieret Deus, nec iratus esset si alias ex genere suo acciperent (non enim ità præceptum his est, ut remissis istis alias minimè ducerent) quanto magis, si infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si voluerit, nubere legis suæ viro? Illud enim non debet imputari matrimonium quod extra legem Dei est.* Hactenus ille. Neque enim arbitror hic causari quenquam posse, Ambrosium agere de muliere quæ per imprudentiam nupserit marito pagano, quem credebat esse Christianum, cùm Paulus permittat conjunctionem si consentiat infidelis. Quòd si hic error intercesserit contrahendo, nullo jure poterit cum illo manere cum quo non potuit contrahere matrimonium. Sanè frigidum est quod Petrus Lombardus adducens eum locum ex Ambrosio quem nos primum recensuimus libro Sententiarum 4. sic diluere conatur, ut dicat hæc verba à falsariis indita libris Ambrosianis, cùm & stilus ad unguem congruat, neque quicquam alioqui sit illic adscriptum vice commentarii. Nihil negotii fuerit quemvis nodum istâ ratione dissolvere, si quis recipiat, *Sunt in libris Cypriani, sunt in Hieronymi, sunt in Augustini, sunt in Thoma, quæ rejicit Ecclesia.* Cur non in his omnibus eodem utimur cresphygero, móxque occinimus, *A falsariis subdita sunt?* Jam si recentiorum opiniones excutiamus, quibus hactenus plurimum autoritatis & fora & Scholæ tribuunt, comperiemus & inter hos fuisse qui putarint matrimonium posse dirimi, aut certè qui putarint hoc argumentum esse disputabile. Primùm Joannes Andreæ decernit matrimonium antequam intercesserit copula posse dirimi, non solùm ob professionem vitæ Monasticæ, verùm etiam solâ Romani Pontificis autoritate. Quòd si mihi dant hujusmodi matrimonium verbis legitimis ac mutuo consensu contractum inter personas idoneas esse verum matrimonium, simul dabunt ejus vim pendere ex lege Divina. Aut igitur lex Divina non hoc sensit quod nos interpretamur, aut Pontifex potestatem habet laxandi juris Divini. Rursus idem Joannes docet matrimonium consummatum interventu coitûs non posse dirimi. Sed hujus discriminis ego nullam adhuc satis gravem audio causam. Nam rationes quas adducunt Hostiensis, Augustinus & Leo Papa, præterquam quòd hominum commenta sunt, non efficiunt tamen quòd minùs adversùs Christi Paulique doctrinam dirimatur matrimonium, & à divortio sit jus iterandi conjugii. Aut igitur negandum est esse matrimonium quod non confirmavit congressus conjugalis aut fatendum est rectè dirimi matrimonium. Alioqui quis Deus hoc revelavit Doctoribus istis, quòd professio vitæ Monasticæ & mutatus cultus juxta hominum institutionem dirimit matrimonium, etiam altero conjugum reclamante? *Ratum*, inquient, *non consummatum*: quasi ante congressum, non legitimum ac perfectum quod ad conjugii rationem attinet. Quod oraculum aperuit quòd lapsus in hæresim dirimat matrimonium, etiam consummatum? & ità dirimat ut jus sit ei qui perstiterit in fide alteri jungi? Ut omittam interim quòd Zacharias Papa, quemadmodum refertur libro Sententiarum 4. distinctione 34. dirimit matrimonium ob rem habitam cum sorore uxoris tuæ. Ejus verba sic habent, *Concubuisti cum sorore uxoris. Si fecisti, neutram habeas: & uxor tua, si non fuerit conscia sceleris, & continere non vult, nubat in Domino cui vult. Tu verò & adultera, sine spe conjugii maneatis; & dum vivitis pœnitentiam agite.* Hactenus Zacharias. Jam verò mihi nequaquam verisimile videtur commentum quod addit Petrus Lombardus, *Quod ait*, inquit, CUI VULT NUBAT, *intelligendum est post mortem viri.* An rem tanti momenti taciturus erat Pontifex si sensisset quod hic interpretatur? Quid si maritus superstes sit uxori? nónne jam par erit hoc in parte pœna nocentis & innocentis? Verum hoc utcunque habet. Nam causabitur aliquis non fuisse matrimonium quod contra Pontificis constitutionem contractum est. Atqui id si verum est, cur non liberatur mulier? Verùm hanc, ut dixi, quæstionem in præsentia missam faciamus. De Monasticæ vitæ professione nulli dubium est quin dirimat matrimonium non consummatum; lapsus in hæresim, etiam consummatum. Quòd si ideo licet dirimere matrimonium non consummatum quòd plenior sit ratio sacramenti in consummato, eâdem ratione licebit & consummatum dirimere, quòd plenior etiam est ratio in fœcundo conjugio quàm in sterili, in primo quàm in secundo aut tertio. Mihi probabile videtur hoc humanis legibus cautum ut non consummatum aliquo modo liceret dirimere, quòd intactæ facilè sponsus alius reperiatur, contactæ non item. At nos, nescio quo studio, in hoc negotio leges humanas miscuimus cum jure Divino, rémque prorsus inextricabilem reddidimus. Et tamen Joannes Andreæ non usque adeò abhorret ab hac opinione, *Si dicat aliquis matrimonium consummatum gravi de causa posse dirimi*, cùm hoc argumentum disputet in regula Actûs legitimi, De regulis juris lib. 6. citante Panormitano in cap. *Ex publico*, De conversione conjugatorum. Nam proposito casu, *An Pontifex possit indulgere ut filius unicus Regis Monachus ducat uxorem, eámque habeat donec gignat prolem masculam*, rationibus in utramque partem adductis, pro neutra parte pronunciat, rem aliorum arbitrio relinquens. Tandem ità claudit disputationem Panormitanus, *Ego satis putarem quòd nullo casu Papa posset dissolvere matrimonium consummatum inter fideles; ità quòd eligerem partem negativam.* Nec hic asseverat, sed argumentum ut disputabile proponit, cujus alteram partem ipse putat esse

esse probabiliorem. Idem in cap. *Quanto*, De divortiis, inter multa scribit hæc, *Et est iste textus ad hoc optimus, & per rationem suam posset argui quod etiam Ecclesia non posset illud dissolvere.* Rursus hic non affirmat Ecclesiam non posse dirimere matrimonium consummatum, imo potius innuit posse; licet ex hoc capite dicat posse sumi argumentum pro diversa parte. Neque statim expugnatum est quod oppugnari potest argumento. Quin & Hostiensis videtur alicubi pro diversa parte facere. Siquidem in cap. *Ex parte*, De conversione conjugatorum, quærit, *An Ecclesia possit hodie statuere ut altero fidelium prolapso in hæresim, possit alter conjugum transire ad altera vota*: ac definit Posse, hoc argumento, *Sicut statuit*, inquit, *inter infideles, inter quos est verum matrimonium, in C. de infidel. & consang. & affini. eodem modo videtur quod possit statuere inter fideles. Nam ratificatio matrimonii quæ est inter fideles nascitur ex sacramento Baptismi, ut in dicto cap. Quanto: & hoc ex Ecclesiæ dispositione. Potest ergo aliter Ecclesia statuere.* An non hic aperte pronunciat Hostiensis Ecclesiam posse statuere ut aliquod matrimonium ratum & consummatum dissolvatur, altero labente in hæresim, itaut alter innoxius possit *ad secunda vota transire*, h.e. novum inire matrimonium? Negat tamen hoc posse fieri nisi statuat Ecclesia. Jam Antonius narrat sibi conspectum fuisse diploma quo Romanus Pontifex dirimebat matrimonium ratum & consummatum. Porro quantum his autoribus tribuendum sit alii viderint. A me sunt in hoc producti ut apud hos qui illis plurimum tribuunt non videar absurde fecisse, qui optarim aliqua ratione fieri ut autoritas Ecclesiæ succurrat infeliciter ac cum detrimento salutis cohærentibus. Jam nemo poterit inficiari, leges Christi multo æquissimas esse longeque præcellere, sive cum lege naturali sive cum humanis legibus conferantur. Christus virginitatem non exigit, ne videatur cum natura pugnare, licet beatos pronunciet qui hoc possint capere; sed addit *propter regnum Dei*. *Regnum* autem *Dei* vocat Euangelii prædicationem. Ut hoc ipsum ad ea tempora magis pertineat. Est tempus nubendi, est tempus abstinendi à nuptiis. An igitur æquum videtur ut maritus cum uxore flagitiis operta, quibus neque causam dedit nec mederi possit, cogatur vivere, cum qua vivere non sit vivere? aut si divertat, compellatur omnem ætatem orbus, destitutus ac velut eviratus degere? Sit æquum ei qui divortio causam dedit adimi jus iterandi conjugii, cur is plectitur qui nihil est commeritus nisi quod parum feliciter duxit uxorem? At quis unquam audivit fortunam puniri si absit culpa, præsertim lege Divina? Quid est hoc aliud quam afflicto afflictionem addere, cui subventum oportuit? Nam quod spuriis aut nothis ad quosdam honores & commoda interclusus est aditus, primum humanis legibus interclusus est, non Euangelicis: deinde, sic visum est ulcisci parentum intemperantiam: postremo, non sic interclusus est quin sua virtute possint fortunam sarcire. Quanquam nec omnino simile est, Non admitti ad dignitates, & per omnem vitam cruciari & nulla sua culpa tantis objici periculis. Si facit adulteram qui sine legitima causa repudiat uxorem, non facit adulteram qui vetat inire matrimonium, cum eo sit habitu corporis ut castitas non sit exigenda? Nam quod objiciunt exemplum Monacharum ac Monachorum, quibus ideo non fit injuria quod sua sponte susceperunt in abrogabilem professionem, fortasse respondere poteram,

Nil agit exemplum litem quod lite resolvit.

Et tamen, si credimus quibusdam Jureconsultis, Pontifex Romanus potest ex monacho non monachum facere. Siquidem quod adferunt de voto solenni & non solenni, ut constanter asseverari video, ita non video solidis rationibus esse nixum. Si pondus habebit hæc ratio, *Volentes susceperunt*, ut quod actum est sit perpetuum, omnes contractus qui inter volentes coierit debent esse perpetui, qui nunc novis causis emergentibus ex æquitate juris sæpenumero rescinduntur. Sed dicet aliquis, In matrimonio lex est præscripta ne dirimatur semel contractum; & hujus legis non ignari ultro præbent colla capistro. Atqui hoc est quod hic agimus, An hujus legis rigor possit aliquo pacto laxari, cum sæpe tales exsistant causæ ut crudele videatur non subvenire periclitanti. Quod si res pugnare videtur cum æquitate naturali, videndum est an secus interpretanda sint quæ super hac re leguntur in Euangelicis & Apostolicis literis. Liceat enim hic quod in aliis S. Scripturæ locis facere non veremur. Excutiamus, Quando, Quibus, Qua occasione dictum sit, & fortassis veram germanamque sententiam deprehendemus. Neque vero statim hic reclamet aliquis, *O cælum, ò terra! Iste convellit decreta Ecclesiæ.* Primum, non convello, ut ante testatus sum, sed disputandi gratia confero. Tum dispiciendum est quo animo hoc receperit Ecclesia. Quædam enim sic instituit ut ad tempus modo velit valere. Deinde, si nusquam sua placita mutavit vel Ecclesia, si sic libet appellare, vel Romanus Pontifex, non postulo ut hic quicquam demutet. Sin comperitur idem alias fecisse in rebus per se quidem gravioribus, sed fortasse non perinde facientibus ad salutem mortalium, cur idem hic vereamur facere, cum hac via tot hominum saluti liceat consulere? Christus non gravatur ob unam oviculam lustratis omnibus obambulare, quam humeris reducat; & nos gravabimur experiri, si qua tam multis pereuntibus succurri possit, præsertim cum Christus salutis sit autor, & humanæ leges non aliter valere debeant nisi quatenus ad salutem conducunt hominum? Denique, cum plerique Theologi tantum autoritatis tribuant Romano Pontifici ut possit abrogare quod ab Apostolis atque adeo ab ipso Petro sit institutum, nec desint qui vocent in quæstionem, *Num jus habeat & adversus Euangelicam doctrinam statuendi quippiam*, nec prorsus abnuunt quin aliqua ratione possit, si non abrogando quod statuit Christus, certe vel interpretando, vel astringendo, vel relaxando, quod non veritus est Paulus quoties ait, *Ego, non Dominus*, secundum indulgentiam agens non ex imperio, cur hic astringunt illius potestatem? Porro, quod ad matrimonium attinet, Joannes Andreæ, gravis apud Jureconsultos autor, asseverat *Romanum Pontificem posse constituere ut per secundum matrimonium irritetur prius, non consummatum, sicut irritatur per ingressum religionis.* Et in hujus sententiam pedibus discedit Panormitanus: quod liquet ex horum commentariis in capitulum *Quod votum*, titulo De voto & voti redemptione, lib. 6. Item in capitulo *Ex publico*, De Conversione conjugatorum. In Actis Apostolorum solenni celebrique Concilio decretum ac promulgatum est, *ut qui ex Paganismo coaptarentur in Christianos, abstinerent ab idolothytis, à suffocato animante, à sanguine & à stupro. Conciliabulum* dici non potest tam frequens cœtus, *acephalum* dici non potest ubi Petrus aderat ipse; & tamen quod ibi decretum est adeo est antiquatum ut nunc Judaizare crederetur qui abhorreret à gallina suffocata aut fartis sanguine distentis. Nec lædimus interim Apostolicam majestatem: tantum excusamus, hoc ad tempus fuisse constitutum ob placandos Judæorum animos. Paulus vetat *Episcopum fieri qui neophytus sit, aut percussor, aut vinolentus*: At hodie Romanus Pontifex vel heri baptizatum vel piratam publicum admittet ad honorem Episcopalem, si videatur, nihil deterritus Paulina constitutione. In Synaxi Transsubstantiationem sero definivit Ecclesia: diu satis erat credere sive sub pane consecrato sive quocunque modo adesse verum corpus Christi. Ubi rem propius contemplata est, ubi exactius expendit, certius præscripsit. Non erant hæretici qui olim credidissent Spiritum S. à Patre duntaxat procedere, & haud scio an maxima pars Christianorum primitus ita crediderit: Expensa re definiit Ecclesia quod hodie sequimur. Idem videtur accidisse in Conceptione B. Virginis; si tamen hoc Ecclesia sic definiit ut hæreticus sit habendus qui dubitet: nam mihi nondum satis liquet, etiamsi sunt qui prædicent hoc esse definitum in Concilio Basileensi. Hic rursus oritur dubitatio gemina; An valeant omnia in eo Concilio acta; tum, Quibus verbis & quo animo hoc sit definitum. Quod si ut articulus fidei, quid fiet Dominicanis, quorum plerique persistunt in diversa sententia? Sunt hujus generis alia multa. Nemo priscorum audebat clare pronunciare *Spiritum S. esse Patri Filioque homousion*, ne tum quidem cum quæstio de Filio tanta contentione per universum orbem agitaretur. Quin in epinicio quod post Arianos profligatos canere cœpit Ecclesia, quod tribuitur Filio, *Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero*, non idem dilucide tribuitur Spiritui S. Nunc audemus profiteri, *Spiritum S. homousion Patri & Filio, & Deum verum de Patre Deo vero & de Filio Deo vero.* Nullus, opinor, Ecclesiam Christi, quæ constat hominum consortio, sic omni prorsus errore liberat ut nihil ignoret. Satis est hactenus vacare errore ut religionis ac fidei summa constet. Nam fieri potest ut de die Paschæ statuendo labatur numero Ecclesia, cum is error ad pietatis aut fidei negotium proprie non pertineat. Loquor autem de Ecclesia cujus autoritatem sequimur, videlicet Romana. Porro, si verum est quod quidam asseverant, Romanum Pontificem errore judiciali non posse unquam errare, quid opus generalibus Conciliis? quid opus in Concilium accersere Jureconsultos ac Theologos eruditos, si pronuncians labi non potest? Cur datus est appellationi locus, vel ad Synodum, vel ad eundem rectius edoctum, postea quam semel de causa pronunciavit Pontifex? Quorsum attinet tot Academias in tractandis fidei quæstionibus distorqueri, cum ex uno Pontifice quod verum est audire liceat? Imo qui fit ut Pontificis hujus decreta cum illius pugnent decretis? Ut enim taceam de Formoso; nonne Papa Joannes XXII. & Nicolaus Decretis totis inter se pugnant, idque in his quæ videntur ad fidei negotium pertinere? quorum alter pronunciavit judi-

judicialiter, ut illorum more loquar, Christum & Apostolos nihil habuisse, nec in commune, nec privatim; alter contra pronunciat habuisse. Id ex ipsorum extravagantibus licebit cognoscere. Sed propius ad id quod hic agimus facit quod Innocentius III. ac Celestinus de Matrimonio dirimendo prorsus pugnantia definierunt, quorum hic jus facit alteri conjugum iterate matrimonium si alter fuerit in hæresim prolapsus, Innocentius negat, quemadmodum legimus libro Decretalium 4. tit. De divortiis, capite *Quanto*. Nec illic dissimulat Innocentius quendam prædecessorem suum secus statuisse, Celestinum indicans; ut aperit Glossema declarans Celestini super hac re Constitutionem olim exstitisse in Decretalibus, l. 3. tit. De Conversione infidelium, in fine. Id eo magis verisimile est quod is titulus paucissimis constet capitibus, ut intelligas esse decurtatum. Præterea Pelagius, ut exstat in Decretis, distinctione 31. cap. *Ante triennium*, constituerat *ut hypodiaconi Siciliæ ab uxoribus abstinerent*, quas ante Constitutionem legitime duxerant. Id Decretum *velut iniquum, & cum Euangelico pugnans præcepto*, retractat & abrogat Gregorius ejus nominis Primus, qui Pelagio successit, statuens ut in posterum *nemini ad eum ordinem pateret aditus nisi vovisset castitatem. Cæterum durum & iniquum esse ut ad castitatem cogatur qui non voverit castitatem, nec ulla culpa commeruerit ut eo debuerit compelli*. At quod hic iniquum videtur Gregorio, non visum est iniquum Innocentio III, loco quem modo adduximus, qui ita respondet iis qui objiciebant, *præter æquum videri conjugem relictum suo jure privari sine culpa, præsertim cum contumeliosior sit in Christum qui baptizatus recidit in hæresim aut paganismum quam qui natus ethnicus recusat ad Christi professionem converti*. Ad hæc seculis aliquot hanc sententiam complexa est Ecclesia Mutinensis, *ut qui contraxisset cum Barbara verbis legitimis & ex animo sed non intercedente coitu, postea contraheret cum Cornelia & coitum adjungeret, cogeretur priore relicta posteriori convivere*. Id palam rescindit Innocentius Romanus Pontifex, ex diametro, quod ajunt, diversam pronuncians sententiam, videlicet *priorem esse legitimam uxorem; quod cum posteriore sit actum, adulterium esse, non matrimonium*: ut proditum est libro Decretalium Epist. 4. tit. 4. cap. *Tuas dudum*: & ejusdem tit capite *Licet*. Alexander III. indicat suo Rescripto, *fuisse statutum ac definitum aliquando à prædecessoribus suis*, i. Romanis PP. *quod in Mutinensi Ecclesia damnat Innocentius*. Quanto id periculosius quam causa divortii? & tamen hic decreta Pontificum mutavit Romanus Pontifex. Ut non commemorem interim quod in causa fidei Schola Parisiensis aliquando publicitus improbarit Romani Pontificis sententiam, eumque ad palinodiam compulerit, si qua fides historiis. Nisi forte fabulam vanam esse putamus quod refert Joannes Gerson in sermone quodam Paschali de Joanne Pontifice ejus nominis XXII, qui decernebat ante diem judicii non esse puniendas animas impiorum: quem errorem publicitus explosit Schola Parisiorum, Pontificem adigens ad palinodiam. Nec dici potest hunc errorem privatum fuisse Pontificis: publicum fuisse oportet, scripto aut etiam decreto vulgatum, cum ea res adeo commoverit Galliæ Regnum. Sed quid ego de Pelagiis aut Alexandris loquor aut Innocentiis, cum non puduerit Petrum Apostolorum principem melioribus auscultare, postea quam admonitore Paulo suum agnovit errorem? si tamen amplectimur hac in parte D. Aurelii Augustini sententiam. Jam ut demus Conjugium legis esse Divinæ, certe pleraque quæ circa matrimoniorum causas tractantur ad jus positivum pertinent, veluti de Gradibus, de Impedimentis, de Rescissionibus. Neque hæc decreta à Synodis celebribus profecta sunt ad nos, sed à privatis Pontificum responsis, quibus hujus aut illius consultationibus pro tempore quod æquum videretur respondebant, nonnunquam & à seipsis dissentientes. Atque hæc Constitutio de qua nunc agimus, primum, opinor, ab uno aut altero Episcopo profecta est, deinde paulatim latius serpens invaluit. Homines erant illi & nemo nescit quantum valeat semel recepta consuetudo. Nec mirum est veteres illos tam iniquos fuisse divortio, quod & apud ethnicos semper fuit odiosum, qui conjugium etiam ægre admiserint, ægrius digamiam. Hæc eo prodimus, ne quis statim velut absurdam rejiciat disputationem de mutandis Divortii legibus. Sed jam, si placet, excutiamus Divinorum voluminum locos unde videmur ad hanc legem recipiendam fuisse compulsi. Dominus noster Christus apud Matthæum cap. 5. tradens coelestem illam suam Philosophiam, & absolutum præscribens exemplar, cujusmodi suos voluerit, loquitur ad hunc modum, *Dictum est autem, Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis quod omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterium committit*. Verum cum eodem in loco complura doceat quæ pure germaneque Christianis digna sunt, cur in cæteris omnibus recipimus interpretationem, in uno Divortio tam rigidi sumus ut magis etiam astringamus verba Christi? Etenim cum ille reliquerit marito unam causam repudiandæ conjugis, nos eam multis modis astringimus. Primum, ita licebit divertere ut postea vivat castratus & orbus. Deinde, si post suspicionem adulterii rem habuerit cum uxore, excidit à jure repudiandi. Ad hæc, si ipse quoque fuerit adulter cogetur cum adultera cohærere. Postremo, particulam exceptionis huc detorquemus, non ut jus faciat marito repudiandi, sed ut si repudiet, non facturus sit adulteram, quandoquidem jam adulteram abjicit, nam id Augustini commentum est. Divortium interim appello, verum, & quale solum illa novit ætas, qua licebat à repudio prioris alteram ducere. Nam quod nos interpretamur *divortium*, cum dirimitur domestica consuetudo, manente conjugii vinculo, quis unquam veterum vel Theologorum vel Jureconsultorum appellavit *divortium*? Sed de hoc mox. Hac igitur una in parte tam mordicus tenemus summum, quod ajunt, jus, in cæteris quamvis recipientes interpretationem. Vetat inibi, *Ne juremus omnino*, vetatque multo severius quam Divortium, & pluribus verbis inculcat, & tamen ob tres drachmas juramus passim, sic excusantes, *Non est jurandum temere*. Cur non item, *Non est divertendum ab uxore temere?* Vetat ille *irasci*: mox subjicimus *temere*. Vetat ille *compellare quenquam contumeliosius*: nos etiam colaphos impingimus, denique occidimus, & excusamus, *Non lædendi, sed castigandi animo*. Vetat ille *ne munus offeramus ni prius reditum sit in gratiam cum fratre*: excusamus, *Si petat ille sibi ignosci, & si satisfaciat*. Vetat ire ad Judices pro credito, sed rem transigi jubet cum adversario: Nos ob sex obolos conjicimus proximum in vincula, & jure agere dicimur. Imo definimus peccare eum, & negligentiæ reum agimus, qui jus suum hac via non persequatur. Vetat injuriam injuria retaliare, etiam jure: nam antiquitus talionis pœna sine judicio, ni fallor, non permittebatur. Nos ob paucos numos subductos hominem ad suspendium adigentes, excusamus, *Jus persequor, non vindictam*. Vetat ille *resisti malo*: Nos excusamus, *Consilii esse, non præcepti: licere nihilo secius vim vi repellere*. Et ne singula persequar, jubemur *diligere inimicos, benemereri de male merentibus, bene precari male precantibus*: Excusamus, *Optabo inimicis mentem meliorem, signa familiaritatis non teneor exhibere*. Postremo, communis omnium excusatio opponitur omnibus, *Perfectis hæc præcipiuntur*: Neque quisquam interim ex tam multis qui se Perfectionis titulo venditant, agnoscit perfectæ pietatis professionem, cum exigitur officium ut illa pene frustra dicta sint à Christo. Christus hæc locutus est, non turbis, sed discipulis, idque in monte, depingens purissimam illam sui corporis partem quam appellat *Regnum cælorum*, cui nullis sit opus legibus. Quorsum enim opus præcepto, *Ne occidas*, ubi nemo vel læsus irascitur aut maledicit? ubi placat ultro etiam is qui injuria affectus est? ubi quisque mavult de suo jure concedere quam apud Judicem experiri? Quid opus lege quæ vetat Adulterium, ubi nemo concupiscit quod alienum est? Quorsum opus Jurejurando, ubi nec fallere studet quisquam, neque diffidit quisquam? Quid opus ut Lex moderetur ultionis æquilibrium, ubi diliguntur & hostes, ubi malefactum beneficio pensatur, convitium benedictis? Ita nihil opus libello repudii ubi nemo malus est, aut si quid est humani vitii, vel toleratur invicem vel sanatur. Pone talem populum qualem Christus optat, nec Repudio fuerit opus nec Jurejurando. Quod si ob infirmos quos in tanto numero plurimos habet Ecclesia, nemo vetatur legibus suum jus persequi, nemo vetatur vim à capite propellere, nemo vetatur jurare, modo ob rem, & ne pejeret, nemo cogitur bene mereri de male merentibus, cur unum hoc de Divortio promiscue exigimus ab omnibus? Si ob duritiam cordis permissum est Judæis ob quamlibet causam uxorem abjicere, ne quid gravius admitterent; & videmus inter Christianos, præter assiduas conjugatorum rixas, graviora discrimina, nimirum cædes, veneficia, incantamenta; cur, cum idem sit morbus, non idem admovetur remedium? Non probat Paulus Digamiam, & tamen ob incontinentiam permittit quod non audet exigere, *satius esse* judicans *nubere quam uri*. Et nos de rigore Divortii nihil omnino laxamus? Judæi quod Moses scripserat de libello repudii sic interpretabantur quasi maritis jus esset quamlibet levi de causa rejicere conjugem, puta si quid in corpore fœditatis offenderet. Sic enim interrogant Christum Matth. 19. *An licet quacunque de causa dimittere uxorem?* Id Christus astringit ad unam Adulterii causam; non quod non sint alia flagitia adulterio sceleratiora, sed quod Adulterium tota ratione pugnet cum Conjugio. Matrimonium è duobus unum facit; eam copulam dissecat Adulterium. Ergo suis Christus unam duntaxat causam indulget divortii, Judæis non adimit quod indulsit Mo-

Moses ob ingenii duritiem, negans *ab initio fuisse sic.* Si ut conditus erat homo perseverasset, nullum erat futurum inter ullos divortium. Christus revocans suos ad pristinam innocentiam, non vult divortium, quia non vult duros corde; & tamen Paulus indulget humanæ fragilitati, relaxans sæpenumero Domini præceptum. Cur non idem facere possit Romanus Pontifex? Porro quod objicitur ex eodem loco, *Quod Deus conjunxit, homo ne separet*, non magno negotio solvi potest. Hoc Deus conjunxit quod rite conjungitur: hoc Deus dirimit quod recte dirimitur. Apud ethnicos non erat ratum matrimonium nisi parentum aut tutorum autoritate comprobatum; ne apud Judæos quidem; & tamen apud utrosque aliquo modo dirimi poterat matrimonium. Apud Christianos facillime coit conjugium, & semel initum nullo pacto potest divelli. Furtim inter pueros & puellas, per lenones ac lenas, inter stultos ac temulentos copulatur matrimonium; & tam turpiter initum indissolubile est, &, quod magis est novum, sic initum fit Sacramentum. Nam quæ nos de consensu & verbis de præsenti, de rato & non rato disserimus, humanæ sunt interpretationes, non oracula Dei. Fateor absque mutuo consensu non coire matrimonium; sed consensum requiro sobrium, consensum non per insidias ac temulentiam extortum, consensum ex amicorum consilio sic adhibitum ut par est in re quæ rescindi nunquam possit, & quæ mereatur inter Ecclesiæ Sacramenta numerari. Cæterum ubi cognitis causis Episcopus aut alii legitimi Judices dirimunt hujusmodi matrimonium, non hoc separat homo quod Deus conjunxit, sed quod male conglutinavit Pueritia, quod Vinum, quod Temeritas, quod Inscitia, quod male per lenas ac lenones, suos Diaconos, conjunxerat Diabolus, hoc per suos Ministros recte dirimit Deus. Atqui divortium, inquiunt, approbat Ecclesia, sed hactenus ut uterque maneat inconjugatus. Obsecro te, an de hoc divortio sensit Christus? A Judæis interrogatur, Judæis respondet. At illi nullum aliud noverant divortium nisi quod adimeret jus repetendi dimissam, & daret jus ducendi alteram. Siquidem licuisse Judæis etiam mulieribus à repudio alteri nubere, vel illud est argumento, quod Sacerdos prohibetur repudiatam ducere: quæ lex supervacanea fuisset si non erat fas repudiatæ cuiquam nubere. Imo in hoc dabatur libellus repudii ne jus esset repudiatam repetere, ac firmum esset alterum matrimonium. Siquidem hæc Chrysostomi ratio mihi videtur probabilior quam ea quam adfert Augustinus libro Adv. Faustum 19. cap. 25. Quod si Christus de vero divortio locutus est, unde nobis hoc novum divortii genus, quod nomine verius quam re divortium est? Sed fingamus de hoc divortio sensisse Christum cum is unicam duntaxat repudii causam indulserit; cur Augustinus addit Idololatriam & Hæresim, nec alio titulo quam quod hæc sit quædam fornicatio? Atqui ad eam rationem videtur omne facinus capitale, quod animam alienat à Deo, *fornicatio* quædam dici posse. Cur nostræ leges tot casus adjecerunt, pene innumeros, in quibus recipitur divortium? Hieronymus etiam ob adulterii suspicionem pronunciat libere rejici uxorem: *Ubicunque*, inquit, *est fornicatio, & fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur.* Si quid licet immutare in præceptis Christi, cur non consulitur saluti male cohærentium? Si nihil licet, cur ausi sunt ex unica causa tam multas reddere? Pontificiæ leges concedunt iterare conjugium alteri conjugum ad Christum converso, si altera nolit ab impietate blasphemiaque resipiscere: Christus Fornicationem excepit, hunc casum non excepit. Et tamen hic audemus concedere quod illic non audemus. A frigido dimissæ licet nubere; à parricida dimissæ non licet. Error conditionis irritat contractum & consummatum matrimonium, veluti si qua nubat servo quem credebat ingenuum; Error qualitatis non dirimit. Quasi non sit tolerabilius servo junctum esse quam venefico, aut mago, & homicidæ, aut etiam parricidæ. Quod levius est non exigitur; quod gravius est exigitur. Respondebit aliquis, Hic non dirimi matrimonium, sed declarari tantum non fuisse verum matrimonium quod esse videbatur. Audio; sed illud quæro, Quanam autoritate pronunciarint hanc causam valere ad dirimendum matrimonium creditum, aliam parem, aut multo etiam graviorem, non valere? Aut cur non eadem ratione succurritur male copulatis, ut pronuncietur non fuisse verum matrimonium quod inter pueros ac puellas, qui sunt in parentum potestate, citra parentum autoritatem per vinolentiam & lenarum insidias contractum erat? Sed jam, si placet, causas excutiamus quibus adducti veteres non concedunt iteratum conjugium, ne ob adulterii quidem crimen. Hieronymus hanc adducit causam, Ne si duxerit alteram, videatur non offensus prioris vitiis, sed aviditate formosioris mutasse conjugem. Quin ipsius verba subscribam; *Et quia poterat*, inquit, *accidere ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem jubetur dimittere uxorem ut secundam prima vivente non habeat. Quod enim dicit tale est, Si non propter libidinem sed propter injuriam dimittis uxorem, quare expertus infelices priores nuptias novarum te immittis periculo? Nec non quia poterat evenire ut juxta eandem legem uxor quoque marito daret repudium, eadem cautela præcipitur ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix, & quæ semel fuit adultera, opprobrium non timebat, secundo præcipitur viro quod, si talem duxerit, sub adulterii sit crimine.* Hactenus Hieronymus. At interim, seposita paulisper autoritate scriptoris, rem ipsam mecum expendat lector, num hæ satis graves sint causæ cur innoxius maritus debeat vel alligari sceleratæ mulieri, vel orbitatis molestiam & libidinis incendium ferre per omnem vitam, ne vel parum prudens habeatur quibusdam, quod rem quæ non successerit denuo sit aggressus (quasi turpe sit, qui semel tempestatem expertus sit, iterare navigationem, aut qui in deligendo amico erraverit, quenquam alium in amicitiam admittere) vel intemperans aut avarus, qui formam aut dotem mutare voluerit, non uxorem. Sed obsecro te, ubi res erit acta per Episcopos, per probatos & graves Judices, ubi divortium bonorum autoritate comprobatum erit, qui deinde suspicabuntur, probi, an improbi? Nimirum improbi. Sed æquumne censemus ut ob aliquot improbos male suspicaces tanta calamitate premantur maritus innoxius, aut mulier innocens? Consimiles ferme causas adducit Augustinus in libris ad Pollentium: *Ne in contumeliam*, inquit, *prioris mariti videatur alterum prætulisse, neve non tam videatur mariti vitiis offensa divertisse quam recentis aviditate*, jocum etiam admiscens, ac negans *ob malorum querelas oportere perverti Euangelium.* Atqui primum Euangelium non vetat iterare matrimonium ubi jure dimiseris uxorem. De Pauli verbis mox loquemur. Deinde, cum nec Christus nec Paulus continentiam exigat ab iis qui continere non possunt, cur *mali* dicantur qui continere nequeunt, nec se continentiæ voto astrinxerunt? Corporis hoc vitium est, non animi. Cur autem pœnas dare cogitur qui nihil admisit, imo qui afflictus est? Jam vero quod de Sacramento afferunt, cujusmodi sit videamus, per quod volunt omne matrimonium semel contractum esse indissolubile. Neque enim hic Augustinus, qui tria bona ponit in matrimonio, cum tertium *sacramentum* vocat, sentit unum è septem Sacramentis: quod ipsum subnotare videtur Petrus Lombardus dist. 31. Imo haud scio an hoc Sacramentum septimum veteribus fuerit cognitum. Primum, quod Dionysius enumerans nominatim singula, & singulorum vires, ritus ac ceremonias explicans, de Conjugio nullam facit mentionem. Nam quod causantur quidam, comprehendi sub Sacramento Ordinis, ita tale est ut efficiat ne nihil respondisse videaris, cum omnino nolueris obmutescere. Quasi vero iisdem ceremoniis consecretur Sacerdos & sponsus jungatur sponsæ. Saltem duobus verbis nomen addidisset, præsertim cum de eo tam multa scripserit Paulus. Deinde, cum tot voluminibus tractatum sit de Matrimonio vel à Græcis vel à Latinis, nullus est locus unde liqueat illos Conjugium inter septem Sacramenta commemorare, præsertim cum Augustinus, conjugii fautor, bona Matrimonii diligenter recenseat & inculcet. Quin Jovinianus, sic impense favens matrimonio ut hac de causa judicatus sit hæreticus, cum utriusque Testamenti libros omnes excusserit, nihil non detorquens ad laudem Matrimonii, non hoc tantum & plausibile ac palmarium argumentum vel in primis produxisset, passim ita clamitans, *Matrimonium est unum e septem Ecclesiæ Sacramentis, Virginitas non est?* Nec opinor Hieronymum tam libere stomachaturum fuisse in digamos, si constitisset & illic esse unum è septem Sacramentis. Verum cur hæc recenseo, cum Durandus fateatur Matrimonium à recentioribus Theologis denique numerari cœptum inter ea quæ proprie dicuntur Ecclesiæ Sacramenta? Porro quod Paulum secuti veteres Matrimonium aliquoties vocant *sacramentum*, id sentiunt, opinor, In copula viri & uxoris, quoniam est arctissima amicitia, repræsentari typum quendam & imaginem Christi Sponsam Ecclesiam sibi copulantis. Est quidem omnino res sancta sacraque matrimonium rite servatum, & tamen typus esse potest rei sacræ quod per se sanctum non sit; velut, Bethsabee erepta Uriæ & David juncta, & Oseæ Prophetæ stuprum, Samsonisque ac Dalilæ fabula: quod palam testatur Hieronymus. Ac rursus, nihil est necesse ut typus per omnia respondeat: Alioqui Sacramentum non erit ubi quis sterilem habet uxorem, aut ubi uxor fert maritum ebriosum aut infamem aut aleatorem. Ut demus interim, Matrimonium hic accipi pro vero Sacramento, Sacramentum non erit ubi vetulus ducit vetulam, ebrius ebriam; & tamen Ecclesia agnoscit Sacramentum. Alia sexcenta referri poterant in quibus imago non respondeat Matrimonii humani & mystici. Neque protinus injuria fit Sacramento Baptismi, si quidam illotam habent vitam.

 Neque

Neque continuo non est Sacramentum Conjugium, si quibus vitiis contaminentur conjugati; alioqui nostro divortio quod tam facile indulgemus, fiet injuria Sacramento Christi. Aliquo modo dissolvimus conjugium, cum Christus modis omnibus adhæreat suæ Sponsæ. Denique, ne morte quidem oportebat dirimi matrimonium, si postulemus ut typus respondeat undique. Imo, si typum urgeamus, interprete Origene, Synagogam repudiavit Christus ut interfectricem mariti, cujus illa vox est, *Tolle, tolle, crucifige eum*; & hac repudiata sibi junxit Ecclesiam. Ad hanc imaginem licebit abjicere quæ necem machinata sit viro, & alteram se dignam ducere. Quod ad mysterii congruentiam pertinet, satis est quod hoc animo semper unus uni jungitur ut nulla fiat divulsio, quod inter plerosque perpetuum est conjugium. Certe mirum est cum tot Græci veteres, simul ac Latini, causas exquirant cur sit indissolubile matrimonium, nihil hujusmodi venisse illis in mentem, quod nobis videtur indissolubile. Nemo contrahit matrimonium nisi hoc animo, ut sit perpetuum, neque vero quisquam hic velit ominari divortium. Quod si incidat necessario, ut sunt res humanæ, non fit injuria Sacramento si paucorum necessitati succurratur. Ut enim paucorum privilegium non irritat legem generalem, ita paucorum infelicitas non vitiat commune Sacramentum. Postremo, consequetur, aut in V. Testamento Matrimonium non fuisse Sacramentum, aut dirimi nullo pacto debuisse, præsertim cum homicidii periculis nostro divortio potuerit occurri. Chrysostomus duplicem adducit causam cur apud Judæos viro permittatur uxorem abjicere, sed dato libello, *Permittitur*, inquit, *repudiare, ne invisam occidat*. Itane prodesse debet apud Judæos flagitioso sua malitia, & apud nos non proderit marito sua innocentia? *Jubetur*, inquit, *dare libellum, ne liceat recipere quam repudiavit: alioqui futuram infinitam ac fœdam adulteriorum confusionem*. Atqui hæc causa nos non deterret quo minus faciamus marito jus recipiendi quam repudiarit. Atque is eandem putat esse causam cur liceat adulteram abjicere, ne passim misceantur adulteria mutua. Quæ causa si vera est, cur apud nos nemo cogitur adulteram repudiare, imo vetatur, nisi malit castrari? Innocentius III. cap. *Quanto*, quod superius à nobis adductum est, hanc reddit causam cur uxor mariti in hæresim prolapsi non possit cum alio novare conjugium, *Quod*, inquit, *in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa nubentibus conjugibus resilirent*. Glossema citat in eandem sententiam cap. *Dixit Dominus*, causa 32. quæst. 1. quod ipsi ex Hieronymo paulo ante citavimus. Atqui si hanc causam recipimus, non licebit nubere quæ per errorem nupserit Petro credens esse Joannem, aut servo credens esse ingenuum, ne quæ divortium affectet aut subornet hujusmodi causas: etiamsi capitulum quod citat Glossema mihi non videtur admodum facere ad Innocentii sententiam. Sentit enim maritum fingentem sese hæreticum quo deterreat uxorem, mox, illa juncta alteri, fingentem se resipuisse. Itidem poterat se servum fingere qui studeret abigere uxorem. Quin eadem prætexti poterant adversus divortium nostrum: Simulabit vitium aliquod cui uxor domi molesta est, quo illam ædibus exigat, satis magnum simulationis præmium esse ducens si quam odit domi non videat. Ac de causis quidem hactenus. Jam, si videtur, Pauli locos excutiamus unde potissimum videntur hausisse nostri Pontifices hanc in dirimendis conjugiis difficultatem. Paulus Rom. 7. *An ignoratis*, inquit, *fratres, (scientibus enim Legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Non agit hic Paulus de divortio, sed similitudinem adducit Judæis ex ipsorum lege, qua doceat ac persuadeat, antiquata jam Mosi Lege per Euangelium, non amplius illos teneri Legis ceremoniis, cum Christo novo Sponso nupserint. Nec est necesse similitudinem aut parabolam quadrare per omnia, alioqui parabolas de nocturno Suffossore domus, de Pecunia fœneratori debita, de Dispensatore iniquo, de Vite & Palmitibus, de Pueris in foro canentibus, & id genus innumeris, ad hanc legem ridicule exigemus. Satis est si hactenus congruant quatenus declarant id cujus gratia adhibentur. Est autem Paulo peculiare nihil non torquere ad Euangelii negotium, pia Christianaque vafritie, dum in omnia se vertit ut omnes Christo lucrifaciat. Cujus dissimillimi sunt hodie qui in omnia se vertunt ut à Christo avocent, & ipsi rem ac honorem lucrifaciant. Alioqui si quis urgere velit hunc Pauli sermonem juxta id quod verba sonant, ne adulteram quidem fas erit dimittere: nihil enim excipit. Rursus non apte citare videbitur legem Mosaicam Judæis Paulus in hanc sententiam, cum Lex permittat maritis qualibet ex causa repudiare, modo dent libellum repudii. Liquet igitur Paulum hic non exclusisse divortium, quod ipsa Lex palam indulget cujus adducit testimonium, sed suum agit negotium, dissimulans id quod ad præsentem causam non faciebat. Rursum 1 Cor. 7. in consimilem ferme modum scribit, *Igitur qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus liberata est à lege, cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium.* Ne hic quidem Paulus tractat materiam Divortii, sed adhortatur pro illorum temporum statu, ut quæ liberæ sint à conjugio, præsertim viduæ (nam ad harum causam videtur redire) abstineant à conjugio, quo liberiores sint à negotiis mundi, tum adhuc impii & idololatræ, quæ non poterant non commisceri affinitatibus. Et tamen hoc non exigit: tantum edicit, ut quæ non nupserint, si velint nubere, jungantur Christiano. Alioqui Christianam jam ethnico junctam non avellit à marito, nisi maritus ipse discedat: non enim peccare si libera nubat. Porro nihil esse opus marito quæ jam maritum habet. Opinor hanc esse præcipuam clavim ad intelligendam mysticam Scripturam, Dispicere quid agat is qui loquitur, præsertim in Paulo, qui lubricus est in disputando, nunc huc se proripiens nunc illuc, ut, quemadmodum inquit Origenes, *vix intelligat lector, unde egressus, quo educatur*. Restat locus omnium difficillimus qui præcessit in eodem capite, ubi de conjugatis agens sic loquitur, *Dico autem non nuptis & viduis, Bonum est illis si sic permanserint sicut & ego. Quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri. His autem qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Hæc dicta videntur de paribus matrimoniis, h. e. viri Christiani & mulieris item Christianæ. Sequitur enim de impari conjugio, *Nam cæteris dico ego, non Dominus.* Primum, quod Paulus nusquam addit, exceptionem Euangelicam Ambrosius admonuit ubique esse supplendam, ne videatur Apostolus pugnare cum præceptis sui Domini. Præterea Paulus non videtur hic agere de gravibus flagitiis, quæ crimen adulterii vel æquent vel superent etiam, sed de levioribus offensis, ob quas apud Græcos potissimum crebra fiebant divortia, juxta illud Juvenalis,

> —— *Sic fiunt octo mariti*
> *Quinque per autumnos.*

Id colligitur ex eo quod sequitur, *aut viro suo reconciliari*. Redeunt enim in gratiam quos offensa aliqua humana diremit. Et *reconciliatur* quæ offendit, non quæ offensa est. Quod si jure discessit, cur jubeat eam reconciliari, quæ magis erat placanda? Quod si mutuæ fuerant offensæ, sed mediocres, vetat ne protinus adjungat sese alteri viro, & reditum ad priorem sibi intercludat, sed maneat inupta, si forte detur utrique reditus in gratiam. Ad hæc, Apostolus hic de muliere duntaxat loquitur, quod huic sexui apud Judæos non esset ullum jus repudiandi. Virum tantum hortatur *ne* ob offensas hujusmodi *uxorem abjiciat*. Non addit autem, *quod si abjecerit, maneat cælebs, aut uxori suæ reconcilietur*. Id enim annotavit Ambrosius: etiamsi Augustinus vult ubique par esse jus tam uxori quam viro: quod ut fortiter ac constanter asseverat, ita non est quo certum doceat. Verum haud scio an Paulus tribuerit hac in parte nonnihil suæ Legi, quæ cum Viro permittat ob quamlibet causam mutare uxorem, atque zelotypæ quoque virili sævum remedium indulserit, uxori nihil hujusmodi concedit. Ad hæc, Apostolus in omnibus epistolis suis haud multum autoritatis tribuit Uxoribus, quas *subjicit potestati mariti*, quas non patitur *esse retecto capite*, quas non sinit *ne loqui quidem in Ecclesia*. Vetuisse igitur videtur Paulus ne ob vulgares offensas uxor virum relinqueret: quod si factum esset, abstineret à secundo conjugio, ne non liceret ad pristinum redire, reconciliatis animus. Neque enim probat ut divulsa à viro maneat innupta, viro nolente; sed hoc mavult quam iterato matrimonio novo vetus aboleri. Quod si Paulo proposita fuisset hujusmodi causa; Stultus cum stulta, Puer cum puella contraxit; Intercesserunt lenæ, vinum, temeritas; Arte in nassam inducti sunt; & hujusmodi matrimoniorum plenus est mundus, infinita mortalium millia male tenentur illaqueata; Nutu coit matrimonium, si modo coitus successerit: Imo si non successerit, nihil inter conjunctos convenit, tanta est morum & ingeniorum dissimilitudo, rixæ juges, odium immedicabile; timetur venenum, timetur cædes, nihil non malorum exspectatur: Neuter cœlebs potest vivere; Si cohærent, bis perit uterque; Si mutetur conjugium, spes est utrumque fore incolumem; fortassis pro causæ circumstantiis aliud responderet Apostolus, & nonnihil relaxaret de rigore consilii superioris,

suaque

suaque scripta civilius, opinor, nobis interpretaretur quam nos interpretamur. Aut si ad Paulum confugisset nobilis illa Fabiola, Hieronymi monumentis æternæ hominum memoriæ consecrata, quæ tecta cilicio, nudis pedibus publicitus egit pœnitentiam quod priore marito relicto puella nupsisset alteri (Subindicat autem Hieronymus virum abusum fuisse uxore secus quam decet maritum, cum referat illam ea pati coactam à marito quæ nulla ancilla pateretur à domino; Siquidem dabatur & mancipiis confugium ad statuam Principis si infami injuria tentata fuissent à dominis) atque hisce verbis eum compellasset, *Non exiges, Paule, ut hujusmodi maritum feram, cui non possum obsequi nisi fiam abominabilis. Imo non patieris ferre talem, etiamsi cupiam: & cum corporis habitum in me sentio ut tutum non sit carere connubio. Nec tu exigis tantum donum ab iis quibus hoc nondum contigit Divinitus, qui viduas etiam lasciviores jubes nubere*; Hæc, inquam, & hujusmodi si narrasset Fabiola, civiliorem, ni fallor, experta fuisset Apostolum quam Episcopum illum, quisquis fuit, qui innoxiam puellam adegit ad publicam pœnam, quasi matrem veneno necasset: præsertim cum illa, ut indicat Hieronymus, non contemptu constitutionis Pontificiæ, sed imprudentia, maritum alterum adscivisset. Quod si quis urgeat, Paulum hic agere de causa adulterii; cur non excipit quod excepit Dominus? imo cur addidit quod non addidit Dominus? *Maneat innupta*: cur viro prohibet ne dimittat, cui permittit Christus ut dimittat adulteram? Non tamen hæc dicimus quod velimus aperiri fenestram crebris divortiis: verum ubi nihil non frustra tentatum est, consuli cupiam saluti vel infelicium vel infirmiorum. Neque vero periculum est ne passim dirimantur connubia, quando & apud ethnicos suus constabat honos matrimonio, apud quos mutuum erat divortii jus, at non temere tamen. Vis rara esse divortia? Cura ut non tam facile coeant conjugia. Iudicio coeant; coeant autoritate parentum, aut eorum quorum interest, quemadmodum apud Hebræos, Græcos, Romanos ac Barbaros olim coire solebant. Quis enim apud Christianos hoc oraculum primus prodidit, Quod solo consensu contrahatur matrimonium? etiam invitis his sub quorum potestate Deus voluit liberos esse. Quod argumentum nimium facile discutit Thomas Aquinas, *Non est*, inquit, *in potestate patris ut ancilla, sed ut filia*. Cur igitur non itidem licebat apud Iudæos invitis parentibus nubere? Ac linum lino connectens, addit, *Sicut potest ingredi religionem absque consensu parentum, cum sit persona libera*. Ut liberi parentibus invitis se conferant ad professionem Euangelii, docent nos ipsa Euangelia. Hic tamen [illegible] hactenus tantum negligunt autoritatem parentum, quatenus cogunt ad impietatem. Cæterum ut puella aut puer, relictis Christianis parentibus, quibus duplici nomine debet obsequi, se addicat instituto Benedictinorum aut Dominicalium, apud quos fortasse licentius vivat & impunitius, non religiosius, ac præter publicum jus semet emancipet ab eorum potestate quibus illos & natura & humanæ Divinæque leges voluerunt esse subditos, ac se nescio quibus dedant in servitutem humanam, ut ex liberis fiant parentum perfugæ, hominum aliorum mancipia, non video qua ratione nitatur. Hæc constitutio videtur ab iisdem profecta qui statuerunt ut à sponsa legitime ducta sed nondum cognita liceat divertere ad vitam Monasticam, nec interim fas sit puellæ alteri nubere ante editam sponsi professionem, & si ante professionis diem migret in aliud monasterium, & hinc rursus in aliud, ut jam fiant anni quatuor, sponsa tamen cogetur manere innupta. Denique, si ille nusquam profiteatur, sed redeat ad sponsam, illa cogetur summa cum infamia maritum habere qui tot annis habitaverit in cuculla. Præclara æquitas! Egregius religionis favor, ob humanum institutum violare legem Divinam, cum injuria innocentis puellæ, atque etiam cum periculo non mediocri. Et hic adfertur nobis frigida subtilitas, *Monachi sunt mundo mortui. Mors corporis dirimit matrimonium, multo magis mors spiritualis.* Quasi vero non omnes Christiani in Baptismo hanc mortem professi sint, & Christo in Baptismo consepulti. Iactatur *addictio*; quasi non cæteri Christiani sint toti addicti Christo. Qui hæc statuerunt, aut non intellexerunt vigorem legis Divinæ, aut nimium tribuerunt humanis institutis. Verum ut ad rem, Saltem hoc apud nos detur infelici innocentiæ quod apud Iudæos datum est perversæ maritorum acerbitati, quod Paulus indulget viduis intemperantibus ne quid admittant sceleratius. Ei quæ frigido nupsit succurrit tacita conditio, & dirimitur matrimonium: At qualitas animi sæpe gravior est corporis vitio: cur hic non est tacitæ conditionis remedium? *Non probatur*, inquiunt, *apud Iudæos divortium, sed conceditur.* Conceduntur & apud Christianos lupanaria publica, ne quid admittatur deterius. At mihi non fit verisimile peccaturum fuisse Iudæum qui uxorem egregie sceleratam abjecisset, & alteram duxisset domum, cum id Lex palam concederet, nihil addens *hoc donatum duritia cordis*, præsertim cum ex sensu naturæ non possit sciri quod nos interpretamur. Et si concessum est duritiæ cordis, utique licet quod concedit Deus, præsertim si nullo signo declaret eos peccare qui permisso utantur. Verum hæc utcunque habeant, ita conceditur ut tamen impune sit marito duxisse quam velit, nec vetantur utcunque repudiatæ nubere. Interdum enim hoc *licere* dicitur quod Lex non punit. At apud nos idem non modo non toleratur, sed ut atrox flagitium punitur, & aliquanto gravius quam adulterium: cum Augustinus clare pronunciet *sceleratius esse extra connubium libidinari quam à divortio novo marito junctam vivere.* Neque simpliciter negat hujus esse uxorem, sed magis esse illius quem reliquit quam cui nupsit. Verum hujus disputationis jam modus esto, cum res voluminis sit non annotatiunculæ. Hæc tamen paucis libuit delibare, quo doctis ac studiosis uberiorem cogitandi materiam præberemus. Nec ullo pacto judicio majorum ob hæc præire conamur, multo minus Ecclesiæ catholicæ. Cæterum quoniam in priore editione votum [illegible] hac re nostrum, sive prudens sive imprudens, certe pium, subindicaveram, ne quis id aliorsum interpretaretur atque à me scriptum fuerat, declarandum putavi quibus rationibus adducti tale quiddam optaremus, si qua fieri possit per Ecclesiasticam autoritatem. Miserebat me illorum quos videbam hujusmodi vinculis inextricabilibus implicatos, quos sciebam esse plurimos, præsertim apud Britannos, apud quos hoc opus primum deformabam. Videbam viros olim probatæ doctrinæ sanctimoniæque non fuisse deterritos Euangelii Paulique verbis quo minus admitterent divortium. Videbam quædam secus posse exponi quam hactenus exposita sunt. Videbam hoc tribui Pontifici Romano ut Euangelicam & Apostolicam doctrinam interpretetur, astringat, laxet, dispenset, & juxta quosdam etiam abroget aliqua in parte. Videbam & hodie matrimonium dirimi ob errorem personæ & conditionis, etiam consummatum coitu; ob lapsum in hæresim etiam illud dissolvi de quo dubitari non poterat quin verum esset matrimonium. Videbam ob professionem instituti humani, ob mutatum pallium, sponsum legitimum fraudari sua sponsa. Videbam per Romanum Pontificem personas reddi inhabiles, quas neque natura neque lex Divina fecerat inhabiles; ac ejusdem videtur potestatis, hominis autoritate vetare ne coeat matrimonium, & efficere ut dirimatur matrimonium. Videbam Scripturam hac in parte, ut plerisque, esse perplexam & ancipitem. Videbam veteres interpretes doctissimos à recentioribus dissidere. Videbam quanta sit autoritas Ecclesiæ à Christo tributa, cui dederit claves Regni cœlorum. Cogitabam Ecclesiam habere Sponsi sui Spiritum, neque posse non recte statui quod ad hominum salutem illo autore statueretur. Videbam quam esset ingens Romani Pontificis clementia, quæ succurrat etiam iis qui apud inferos citra periculum exitii æterni cruciarentur. Cupiebam & iis succurri qui cum æternæ salutis periculo hic discruciarentur in vita, nihil commeriti. Videbam ea quæ objiciuntur facile posse dilui citra nostræ religionis injuriam. Videbam rationes quas adducunt hac in causa veteres ac neoterici non esse tam urgentes ut ad tantam adigant necessitatem hominum genus. His rebus commota charitas Christiana proposuit iis qui me plus cernunt, dispicerent, si qua ratione sermo Euangelicus ac Pauli dispensari posset ad plurimorum salutem, ad quam omnia scripta sunt nobis, & ad quam Paulus nonnunquam etiam detorquet S. literas. Quod si hoc quod opto fieri non potest, certe illud potest statui, ne matrimonia præter veterum omnium morem, præter æquitatem naturalem, tam facile, ne dicam tam temere, coeant. Etenim si Romanus Pontifex statuere potest ne conjugium inter tertio gradu conjunctos sit conjugium, idem videlicet statuere potest ne inter eos qui alienæ sunt potestatis, ne inter adolescentulos, puellas, ebrios, inconsultos, nullo majorum consilio, sed lenonum ac lenarum impulsu, vel stultitiæ potius consilio rem gerentes, ratum sit matrimonium. Hac certe via fiet ne tam multi miserabilibus nexibus implicentur.

40. *Beatior autem erit*] Gr. ἐστὶ, præsentis temporis, non *erit*. Vel ex hoc apparet cum superius diceret, *Mulierem non tangere, bonum esse*, non de vitio sed de vitæ commoditate sensisse. ¶ *Secundum meum consilium*] Κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην, *mea sententia*, sive *meo judicio*, liberum interim faciens hac [illegible]re suum cuique judicium.

VATABLUS.

1. M*Ulierem*] *Uxorem*, Heb. sic in sequentibus.

2. *Propter fornicationem autem*] *Sed propter fornicationes.* ¶ *Virum*] Vel, *maritum*, Heb. sic in seq.

3. *Debitum*] *Debitam benevolentiam.* Græca quædam exemplaria legunt *honorem*.

5. *Vacetis**] * *Jejunio &*, Vet. ¶ *Idipsum*] *Unum.* ¶ *Incontinentiam*] Vel, *intemperantiam*.

6. *Indulgentiam*] Vel, *sententiam*, aut *opinionem*: q.d. dico meam sententiam: sic Græca quædam exemplaria.

7. *Volo autem*] *Nam volo*, pro, *velim*.

8. *Permanserint*] *Maneant*, Vet.

9. *Nubant*] *Contrahant matrimonium*.

10. *Discedere*] *Separari*, & infra.

11. *Non*] *Ne*, Vet.

14. *Sanctificatus est enim vir*] i. Vir, quod ad congressum matrimonialem attinet, pro puro habetur, tametsi impurus; alioqui filii non essent legitimi, qui tamen legitimi sunt.

15. *In pace*] i. Ut cum tranquillitate vivamus. ¶ *Vos*] *Nos*, Vet.

16. *Facies*] *Facies, an non?* vel, *facies? utcumque est, unicuique*, &c.

17. *Unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet*] Heb. unusquisque ita vivat, ut Dominus distribuit ei gratiam, & vocavit. ¶ *Sicut*] *Sic.* ¶ *Doceo*] *Ordino, instituo.*

18. *Adducat*] *Accersat*: i. ne velit fieri Gentilis, sive, juxta Gentiles mores vivere. ¶ *In præputio*] Heb. cum esset Gentilis.

20. *Unusquisque*] Sub. *itaque*.

21. *Magis*] *Potius*.

22. *In Domino vocatus est servus*] i. Qui à Domino vocatus est ad Christi cognitionem cum esset servus.

23. *Nolite fieri servi hominum*] q. d. Non jam ad oculum serviatis Dominis, quasi hominibus placentes, sed ex animo omnia facite tanquam Christo servientes, Eph. 6. 6.

24. *Frater*] *Fratres*, Vet. ¶ *Permaneat*] *Maneat.* ¶ *Apud Deum*] i. In congregatione fidelium qui Dei sunt.

25. *Consilium autem do*] Vel, *sententiam autem dico*: aut, *opinionem meam.* ¶ *Deo*] *Domino*, Vet.

26. *Enim*] *Ergo*, Vet. ¶ *Instantem*] *Præsentem*: urgebantur enim persecutionibus.

27. *Solutionem*] *Divortium*.

28. *Tribulationem tamen carnis*] Vel, *afflictionem tamen in carne*: i. angoribus animi non carebunt conjuges. ¶ *Parco*] q. d. Hoc meo de castitate consilio libero vos à multis matrimonii molestiis.

29. *Itaque*] *Autem.* ¶ *Breve*] *Contractum*, vel, *breviatum*: q.d. brevi hinc abeundum est. ¶ *Ut**] * *Et*, Vet.

31. *Figura*] *Habitus*, vel, *status*.

32. *Volo*] Pro *velim* positum est: q.d. Quæ dico eo pertinent, quod cupiam vos quam minimum distineri curis mundanis. ¶ *Sine uxore est*] Vel, *cœlebs.* ¶ *Deo*] *Domino.*

33. *Cum uxore est*] Vel, *duxit uxorem.* ¶ *Et divisus est*] *Divisa sunt mulier & virgo*: i. diverso vitæ studio sunt.

34. *Et mulier innupta & virgo cogitat*] *Innupta curat ea quæ*, &c. ¶ *Sancta**] * *Et.*

35. *Ut laqueum vobis injiciam*] Metaphora ab aucupibus: q. d. non hoc dico ut cuiquam imponam prava docendo aut consolendo. ¶ *Ad id*] *Ut id.* ¶ *Facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi*] *Decorum est sequamini & adhæreatis Domino absque distractione.*

36. *Turpem se videri existimat*] *Putat sibi indecorum esse*: i. qui metuit nequid dedecoris sibi contrahat, si filiam virginem jam viro maturam ultra justum tempus domi clausam teneat, atque ita res suadet ut nubat, nihil obsto quominus id faciat quod videbitur facto opus. ¶ *Si nubat*] *Jungantur matrimonio*: pl. num. Vet. non legunt, *si*.

37. *Statuit*] *Stat.* ¶ *Non habens necessitatem*, &c.] i. Qui pater servus non est, ut pendeat ex alterius voluntate: sed liber ut possit elocare filiam cui velit. ¶ *Judicavit*] *Decrevit.*

39. *Legi*] Sub. *matrimonii.* ¶ *Dormierit*] Heb. mortuus fuerit. ¶ *Liberata est à lege*] *Libera est ad cui velit nubendum: tantum*, &c. Vet. non legunt, *à lege*, nec, *autem.* ¶ *Tantum in Domino*] q. d. Cum hac exceptione, ut Christiano marito nubat: vel, propter Dominum nubat, ne per fornicationem violet Legem Domini.

40. *Erit*] *Est.* ¶ *Secundum meum consilium*] Vel, *juxta meam sententiam.*

CASTALIO.

6. H*OC autem dico*] Scilicet de conjugio.

7. *Sic esse ut ego sum*] Esse cœlibes.

9. *Quam ardere*] Scilicet libidine.

14. *Sanctus enim fit vir infidens*, &c.] Fit aliquando ut vir infidens ab uxore fiat Christianus, (nam Christianos vocat *sanctos*) & contra: quam eandem sententiam paulo post aliis verbis repetit, *Qui scis autem, mulier*, &c. Alioquin si inter Christianam uxorem & non Christianum virum fiat divortium, natos abducet vir: ita fiet ut nati sint impuri, h. e. patris similes, qui eos docebit non esse Christianos. At si simul maneant, mater eos Christum docebit: ita fient Christiani.

15. *Non est in hujusmodi re servus*] Cogendus. ¶ *Quin nos ad pacem vocavit Deus*] Ut tranquille vivamus: quod fieri non posset si inviti conjuges una degerent.

16. *Qui scis autem, mulier, an tu virum servatura sis?*] Factura Christianum.

26. *Arbitror igitur id bonum esse*] Scilicet virginem esse. ¶ *Propter instantes res adversas*] Incommoda quæ paulo post dicit.

28. *Sed iis humanæ calamitates ferendæ sunt, & ego vobis parco*] Opto vos calamitatum expertes esse.

34. *Atque ita divisus est. Item mulier cœlebs, aut virgo*] Secutus sum Colinæi exemplar, in quo sic legitur, καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ, &c. *Divisum* autem virum dicit, cui sit & Deo & uxori serviendum. *Cœlibem mulierem* vocat viduam, aut etiam quæ meretrix fuerit (nihil enim vetat has quoque servire Deo) cui *virginem* adjungit: nam harum eadem est conditio quod ad colendum Deum attinet, quod utrisque marito carentibus vacat omnem operam in Dei conferre cultum. Hanc lectionem secutum esse V. interpretem apparet. Altera lectio est, Μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ, &c. in quo vitii hoc est, quod μεμέρισται pro διαφέρει male positum esset. Deinde quod hanc *divisionem* oportuisset ante priorem partem poni, ita, μεμέρισται ὁ ἄγαμος καὶ ὁ γαμήσας. Tertio, γυνὴ pro γαμήσασα minus bene dictum esset, & ἡ ἄγαμος pro ἡ παρθένος, quod non quadrat, cum & vidua sit ἄγαμος, & repudiata paulo ante eodem nomine appelletur. Adde quod viduis & repudiatis & meretricatis hoc negaretur, cum tamen eæ non minus à viro liberæ sint quam virgines.

CLARIUS.

1. D*E quibus autem scripsistis*] Intuere virtutem Euangelicæ prædicationis! Cernebant Christianam Philosophiam nihil esse aliud quam cœlestem quandam rempublicam, & imitationem eorum quæ in cœlo fiunt: idcirco consuluere Apostolum an omnino ab uxoribus sit abstinendum.

7. *Volo enim omnes homines*] Quod dixi, Non debere vos mutuo fraudare in re conjugali, hoc non dixi præcipiens, sed infirmitatis vestræ rationem habui: alioqui vellim ut omnes me imitemini, & incorrupti ab omni sorde carnis vivatis.

9. *Quam uri*] h.e. tentationibus superari.

11. *Et vir uxorem non dimittat*] Nimirum excepta causa fornicationis: hæc enim est Domini nostri lex.

12. *Reliquis vero ego dico, non Dominus*] Non ait se contrariam Domini sententiæ rem dicturum, sed non habere quidem se præfixam à Domino legem de hac re, cum hæc causa recens emerserit; sed tamen decernere sic esse faciendum.

14. *Sanctificatus est vir infidelis*] Quantum scilicet pertinet ad prolem, ne sint filii spurii, ut sunt in carnali scortatione: nunc enim etsi sint una caro, vincit tamen puritas ac munditiès ipsius fidelis.

15. *In pace autem vocavit nos Deus*] Quamvis dixi, Permittendum esse infidelem abire, tamen omnibus modis curandum est ne discedat. In primis enim Dominus pacem amat, & aversatur dissidia. Præsertim cum fieri possit ut convertatur. *Quid enim scis*, inquit, *mulier*, &c.

17. *Unicuique sicut divisit Deus, unumquemque sicut vocavit*] Nescimus, inquit, consilium Dei cur voluerit hunc fidelem illi infideli esse copulatum: quare veneremur quod ipse distribuit, non disperdamus.

21. *Non sit tibi cura: sed & si potes*] Nihil enim est hæc corporis servitus: & vide quid addat, *Sed etiam possis liber fieri, magis utere*, nempe hac servitute. Tantum abest, inquit, ut debeas hanc ægre ferre servitutem, aut impedimento tibi hæc esse possit ad hanc Philosophiam, ut moneam manere

in

in illa servitute quamvis liber esse possis. Omnes enim servi sumus, & uni Domino servimus, & omnes æque ab eo vera donati libertate.

23. *Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Unusquisque*] Hoc tam ad liberos quam ad servos dicit. Nam de servis jam dixerat, ne quærerent à servitute liberari. Hic ergo ait meminisse eos debere se pretio sanguinis Christi omnes esse redemptos, & ingenti libertate donatos: caveant ergo ne unquam ingrati sint tanto liberatori, & eo neglecto vitiose obsequantur hominibus: hæc enim una est pudenda servitus. Si quis igitur alicui domino honesta imperanti obtemperet, hic non est servus hominum, cum paratus sit non obtemperare impia mandanti. Sic & ad Ephesios admonet, *servientes Domino, & non hominibus.*

25. *Tanquam misericordiam consecutus*] *Consilium do, ut qui* gratus esse volo *misericordiæ Domini erga me, ut sim* prædicator *fidelis*, & dem recta consilia.

26. *Propter præsentem necessitatem*] Videtur intelligere ingruentes persecutiones. Facilius enim has feremus si uxores & liberos non habuerimus, quos circumferamus, quosque infinitis periculis exponamus: vel præsentes sive hujus vitæ varias & necessario comitaturas matrimonium curas.

28. *Ego autem vobis parco*] Tanquam filiis, quos vellem liberos esse ac sine tristitia, solutosque his vinculis: at qui uxorem habet alligatus est ei.

29. *Tempus breve est*] Jam illucescit Regnum Christi: voluptas nuptiarum brevis est, & quæ facile circumstantibus molestiis obruatur.

37. *Non habens necessitatem*] Non ex aliqua necessitate decrevit eam tradere viro, sed proposito pio ac sancto studio servandæ virginis filiæ suæ. At hunc illa inprimis dicantur Deo quas aliqua causa tradere viris parentes nequeunt: Paulum ergo hic audiant.

Z E G E R U S.

3. *Uxori vir debitum reddat*] Cum Ambrosius & Hieronymus *debitum* legant, non *debitam benevolentiam*, in suspicionem vocor à Paulo scriptum τὴν ὀφειλήν. Vide Erasmum.

5. *Ut vacetis orationi*] Τῇ νηστείᾳ non habet Cyprianus adducens hunc locum lib. 3. ad Quir. c. 32. nec Hieronymus lib. contra Jovinian. 1. nec Hesychius in Levit. 23. nec cæteri antiqui. ¶ *Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*] Iterum invicem, inquit, jungamini, ne Satanæ occasionem præbeatis vos in deteriora pertrahendi. Exploratam quippe habeo vestram incontinentiam.

7. *Volo autem omnes vos esse sicut meipsum*] i. Volo omnes ad exemplum mei ab uxoribus abstineant. De uxore Pauli in epist. ad Phil. dicemus c. 4.

12. *Nam cæteris ego dico*] h. e. Impari matrimonio junctis, utpote altero infideli. De conjugii ratione plura habes apud Augustinum lib. De serm. Domini in monte 1. siquis forte desiderabit. ¶ *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c.*] Hoc intelligas, si utrique antequam Christo fuissent initiati iniissent conjugium, mox alter ad fidem venisset. Nam si prius fuisset aut mulier aut vir Christum professus, haudquaquam cum alieno à Christianæ fidei sacramentis integrum fuisset matrimonio conjungi.

14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*] Confert hoc conjugis infidelis cum fideli consensus, ut hinc nil nocere illius immunditia, aut ullo modo convictus coinquinare valeat. Vincit enim sanctitas conjugis fidelis immunditiam infidelis. Vel, ut dilucidius dicam, *sanctificatus*, i. emundatus, *est conjux infidelis per consortem fidelem*, ita ut non possit hæc ab illo propter consuetudinem coinquinari. ¶ *Alioqui filii vestri immundi essent*] Bifariam exponi potest. Uno modo sic; *Alioqui* si impuritas increduli mariti vel incredulæ uxoris nitore credentis uxoris vel mariti non vinceretur, *essent sane liberi ipsi immundi*. Altero modo sic; *Alioqui*, si divortium intercederet, *liberi vestri impuri illegitimique censerentur*, tanquam ex illegitimo congressu geniti. Priorem expositionem arbitror germaniorem.

16, 17. *Unde scis, vir, si mulierem salvam facies? Nisi unicuique sicut divisit Dominus. Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet: & sicut in omnibus Ecclesiis doceo*] Duplex est apud Græcos horum verborum distinctio, verum neutra ex integro cum Vulgata editione nostra convenit. Et ut est distinctionum diversitas, ita quoque diversæ sunt intelligentiæ. Prior apud Græcos distinctio talis est, *Aut qui scis, vir, an uxorem salvabis necne?* sic enim vertunt quidam ἢ μή, vel, ut alias legitur, εἰ μή· deinde succedit, *Unusquisque sicut ipsi divisit Deus, unusquisque sicut ipsum vocavit, ita ambulet; & sicut in Ecclesiis omnibus ordino*, sive *statuo*. Huic ego hunc arbitror sensum assignari posse; Dixi, inquit, paulo superius *fidelem non esse infidelis conjugis servituti subjectum*, nisi forte consensus adsit ejus qui incredulus est: nam hinc spes est bona incredulum tandem crediturum. *At vero si discedere decreverit incredulus, prorsus discedat. Nam unde compertum habes, O marite, quod uxorem incredulam sis servaturus*, maxime cum videas eam divortium meditantem? Cum ergo non possis certo dignoscere, superest hoc sciatur & observetur, *ut unusquisque sicut ipsum divisit* à sua conjuge *Deus*, in eo statu, sive Gentili sive Judaico, in ipsa separatione, & absque consorte, repudiata videlicet adhuc vivente, *permaneat; & insuper sic versetur & ambulet quemadmodum in Ecclesiis omnibus instituo.* Neque vero hic quenquam moveat quod regimen verbi *divisit* commutans, accusativum illi casum dederim, cum in contextu dativum habeat: est enim Antiptosis Scripturæ non infrequens, qua casus pro casu substituitur; sicuti & ibi, *In tribulatione dilatasti mihi*, Psal. 4. Altera distinctio talis est, *Aut qui scis, vir, an uxorem salvabis? Nisi* (vel potius, *Quin*) *unusquisque sicut ipsi divisit Deus, unusquisque ut ipsum vocavit Dominus, ita ambulet. Et sic in Ecclesiis omnibus ordino.* Ab hac distinctione parum abhorreret sensus quem modo posuimus, si εἰ μή, quod *nisi* vertit Interpres, pro *quin* accipias. Subest tamen & alius sensus, nimirum hic; *Qui scire potes, vir, an forte* domestica consuetudine, conjugali affectu, suavi alloquio *sis tandem uxorem* incredulam *lucrifacturus* Christo? Certe spes nonnulla reliqua erit si Christianum te ferat maritum. Subdit ergo, *Nisi* (vel *Quinimo*) *unusquisque sicut ipsi*, &c. q. d. Non igitur aliud hic judicaverim opportunius utiliusque quam ut quisque in ea sorte qua est quando vocatur à Deo, sive in statu sit conjugali, sive conditionis sit servilis sive liberæ, sive Judæus sit sive Gentilis (nam hoc est quod dicit *unicuique sicut divisit Dominus*) in ea status conditione ad Christianam regulam victurus permaneat & ambulet. Atque hoc sensu hæc pertinebunt ad id quod superius præmiserat, *non dimittat illam*, & *non dimittat virum*. Jam vero, ne quid desideretur, vel tertiam paucis addam elucidationem, quæ Vulgatæ nostræ editioni respondeat, quanquam interim neutra præmissarum prorsus à Latina lectione dissideret: tantum si periodum non faceres post *sicut divisit Dominus*, ubi librariorum arbitratu factam suspicor periodum. Ut tamen hoc sequamur quod usu receptum est, sic intellige, *Unde scis, vir, si mulierem salvam facies, nisi sicut divisit*, i. partitus est, *Dominus* gratiam, vel sicut præordinavit unumquemque quando crediturus sit, & sustinet donec prævisa salutis ejus hora adveniat? *Ut vocatus est ergo quisque, ita* in suo statu *permaneat*. Si matrimonio conjunctus est qui credit, matrimonium suum non rumpat, nec vir nec mulier, sed sic maneat, tam Judæus quam Græcus. Ego tamen primum sensum (etiamsi eum apud nullum fortasse reperias interpretem) aliis prætulerim propter illud *enim*, ubi dicitur, *Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies, & unde scis, vir*: quod commodius propius præcedentis causa dicit quam ejus quod altius præcessit.

18 —— 23. *Circumcisus aliquis vocatus est? Non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est?* &c. *Circumcisio nihil est*, &c. usque ad id, *nolite fieri servi hominum*] Præter communem intellectum, qui fere in propatulo est, B. Hieronymus alium quendam profert, quem multis rationibus (quibus ob prolixitatem vitandam supersedeo) docet esse germanum. Sic enim lib. 1. adv. Jovin. totum hunc locum edisserens scribit, *Ad superiorem*, inquit, *disputationem, in qua docuerat fidelem ab infideli non debere discedere, sed permanere in matrimonio, sicut eos invenisset fides; & unumquemque vel cælibem vel maritum ita durare ut esset Christi baptismate deprehensus; infert subito parabolas Circumcisi & Ethnici, Servi & Liberi: & sub metaphora earum de nuptis disputat & innuptis.* Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. *Eo, inquit, tempore quo vocatus es, & credidisti in Christum, si circumcisus vocatus es ab uxore, & cælebs eras, noli ducere uxorem*, h. e. noli adducere præputium, *ne circumcisionis & pudicitiæ libertatem oneres sarcina nuptiarum. Rursum*, si in præputio quis vocatus est, non circumcidatur. *Habebas, inquit, uxorem cum credidisti, noli fidem Christi putare causam dissidii, quia* in pace vocavit nos Deus. Circumcisio nihil est, &c. *Nihil enim prodest absque operibus cælibatus & nuptiæ, cum etiam fides quæ proprie Christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur: & hac lege virgines quoque Vestæ & Junonis univiræ in sanctarum queant ordine numerari.* Unusquisque in qua

qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. *Quando credidit, sive habebat sive non habebat uxorem, in eo permaneat in quo vocatus est. Ac per hoc non tam virgines cogit ut nubant quam repudia prohibet.* Servus vocatus es? non sit tibi curæ; sed & si potes liber fieri, magis utere. *Etiamsi habes, inquit, uxorem, & illi alligatus es, & solvis debitum, & non habes corporis tui potestatem, atque (ut manifestius loquar) servus uxoris es, noli propter hoc habere tristitiam, nec de amissa virginitate suspires. Sed etiam si potes causas aliquas invenire dissidii, ut libertate pudicitiæ perfruaris, noli salutem tuam cum alterius interitu quærere. Habeto paulisper uxorem, nec præcurras morantem, exspecta dum sequitur. Si egeris patienter, conjunx mutabitur in sororem.* Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter, &c. *Reddit causas cur nolit uxorem deseri. Idcirco ait, Præcipio ut in Christum de Gentilitate credentes inita ante fidem matrimonia non relinquant, quia qui uxorem habens credidit, non tanto fidei [Dei] servitio detinetur quanto virgines & innuptæ, sed quodammodo est liberior, & servitutis ius frena laxantur: & dum uxoris est servus (ut ita dicam) libertus est Domini. Porro, qui uxorem non habens credidit, & liber à servitute conjugis vocatus est à Domino, ille vere servus est Christi. Quanta felicitas non uxoris servum esse, sed Christi; non carni servire, sed spiritui?* Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est. *Ac ne forsitan in eo quod supra dixerat*, Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes liber fieri, magis utere, *sugillasse continentiam videretur, & in famulatum nos tradidisse conjugum, infert sententiam quæ omnem amputet cavillationem*, Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. *Redempti sumus pretioso sanguine Christi; immolatus est pro nobis Agnus; & aspersi calidissimo rore hyssopi omnem pituitam noxiæ voluptatis excoximus. Quibus in baptismate mortuus est Pharao, & universus ejus suffocatus est exercitus, cur rursum Ægyptum quærimus, & post manna Angelorum cibum allia & cepe & pepones & carnes varias suspiramus?* Hactenus ille. Jam ne quid forte hæsites quod ad communem interpretum intelligentiam attinet, aliquot ex his clausulas quæ aliquid videntur lucis postulare explanando resumam. ❡ *Sed & si potes fieri liber, magis utere*] Nihil eram hic annotaturus nisi Chrysostomum vidissem cum iis contendentem qui hæc de libertate potius accipienda asserunt. Ne igitur quid ille senserit ignores, ipsius hic subjicio interpretamentum, MAGIS UTERE, *h. e.* inquit, *magis servias. Et quid tandem eum qui liber esse potest permanere jubet in servitute? Ut ostendat non modo nil nocere servitutem sed prodesse. Et non ignoro quod quidam illam particulam* MAGIS UTERE *de libertate dictum efferunt, dicentes,* QUOD SI POTES FIERI LIBER, FIAS LIBER. *Longe autem hoc verbum contrarium est à Pauli memoria, si hoc significatur. Non igitur hoc dicit: sed volens ostendere quod nihil amplius sit si liber fiat, inquit,* ET SI POTES LIBER FIERI, PERMANEAS IN SERVITUTE: *deinde causam adducit,* QUI ENIM IN DOMINO VOCATUS EST SERVUS, &c. Hactenus Chrysostomus. Hic autem sensus manifestior fuerit si illud *etsi*, i. εἰ καὶ, pro *quamvis* positum accipiamus. Vide præcedentia. ❡ *Libertus est Domini*] *Libertus* is dicitur qui cum esset servus factus est liber. ❡ *Nolite fieri servi hominum*] Non hæc eo intulit ut à dominis desciscant famuli & famulæ, sed ut nihil ad humanam gratiam factitent, ne illis qui Christi nomini adversantia imperant, obtemperent. Vide quæ supra ex Hieron. scripsimus.

25. *Tanquam misericordiam consecutus*] *Misericordiam* vocat vocationem suam ad munus Apostolicum.

28. *Tribulationem tamen carnis*] Ejusmodi qui conjugii legibus obvincti sunt, variis curis, laboribus, tribulationibus erunt obnoxii: veluti sunt parientium cruciatus, variæ tum ante tum post parturitionem ægrotationes, educandarum prolium solicitudines, vigiliæ, & id genus reliqua matrimonii incommoda. ❡ *Ego autem vobis parco*] Ὑμῶν φείδομαι, i. Accurate vobis loquor, vel vestri misereor, vel vobis parco, pro, *indulgeo, & permitto vobis matrimonium.* Augustinus ita intelligit ut perinde sit ac si dicat, tempero à commemorandis vobis malis quæ conjugium comitantur. Ambrosius vero, De Virg. c. 15, & 21. *parcit*, inquit, *quando ad hæc magis provocat quæ tribulationes carnis & solicitudines memoratas includunt.*

33, 34. *Quomodo placeat uxori, & divisus est. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt*]. Quemadmodum ad admonitionem Hieronymi restituti sunt in hanc lectionem codices nostri, ita restituendos censemus & Græcos, ut hoc pacto legatur, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί, καὶ μεμέρισται· ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου. Adserit enim idem Hieronymus contra Jovin. lib. 1. ita scripsisse B. Paulum, & id veritatis esse Apostolicæ. Nec mirum si secus scribant Ambrosius & Chrysostomus, cum etiam ipse se aliquando aliter legisse & edisseruisse prodat. Et fieri potuit ut postea primarium Apostoli exemplar, aut certe fidelius nactus fuerit, unde hæc pronunciarit.

35. *Sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Domino obsequendi.*] Alias *Dominum obsecrandi.* Ut habet hic contextus subaudiendum est *invitans*, vel *adhortans*, vel aliquid simile, alioqui inexpleta erit oratio. Sic ergo verba ipsa componito. Hoc quod dixi de virginitate potius servanda, non eo dixi ut laqueum vobis injiciam, & necessariam adferam virginitatem: sed invitans ad id quod decorum sit & honestum; invitans quoque ad id quod præbeat facultatem, opportunitatem & occasionem Dominum obsecrandi, vel Domino obsequendi sine impedimento. Quod ad Græca attinet, non est eadem illorum cum nostro interprete scriptura, ut quidem habent moderni Græcorum codices. Ita enim legimus, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως, quæ si ad verbum reddantur non erit quod intelligas. Sensus autem hujusmodi est, Sed ad honestatem & bonam perseverantiam Domino absque ulla distractione præstandam. Verbum verbo redditum si quis id forte requirat, tale est. *Sed ad honestatem & assidentiam Domino indivulse.* Ex verbis Ambrosii (qui tametsi verba non ponat Apostoli, sensum tamen ejus exsequitur) & ex eo quod Gregorius (in Past. par. 3. c. 28. legens *Domino observandi*) & nostri codices vetustiores emendatioresque cum Græcis respondent in dativo *Domino*, conjicio legendum esse non *Domino observandi*, nec *Dominum obsecrandi*, quod longius etiam recedit à Græcis, sed *Domino obsequendi:* id quod maxime innuptis convenit, ut Domino pareant tanquam suo marito sine impedimento, cum nuptæ contra in obsequio Christi impedimenta multa sustineant. Et ita tandem scriptum invenimus in Pastorali Gregorii, in antiquo exempl. cœnobii Enerbodiensis. B. Hieronymus l. 1. contra Jovin. hunc locum negans (ob translationis difficultatem) in Latinis inveniri, vertit ad hunc modum, *sed ut ad id quod honestum est, & intente facit servire Domino absque ulla distractione, vos adhorter.*

36, 37. *Si autem turpem se videri existimat super virgine sua quod sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicaverit in corde suo, scilicet servare virginem suam, bene facit.*] *Quod si quis* (inquit Photius quidam Græcus) *dedecori sibi futurum putet innuptam servari domi filiam quæ in virginitate educata fuerit, & putet sic potius debere fieri, videlicet in nuptias dari; faciat quod vult. Sin vero quispiam steterit in hac sententia firmus, ut in nuptias omnino non det illam, nec faciens hoc tanquam ex necessitate & à lege prohibitus: (si enim hoc fecerit vehementer errat) si, inquam, quispiam tanquam nulla necessitate ad actus hoc fecerit, sed tanquam suæ voluntatis dominus à lege effectus, ipse quod potius est eligens, videlicet non dare nuptum, etiam hic benefacit. Potest autem illud,* NON HABENS NECESSITATEM, *etiam aliter non minus proprie accipi, tanquam non coactus à filia secus facere. Si enim videt filia conditionem sibi ut eam elocet necessitatem adferre, non debet eam servare virginem. Vel τὸ* NON HABENS NECESSITATEM *etiam hoc significet, Non habens, inquit, necessitatem hoc facere, vel tanquam antea consecrarat Deo, & educaverat servandæ virginitati, vel tanquam filia ad hoc cogente. Cui enim ex alterutro prædictorum necessitas incumbit non dare in matrimonium, huic neque aliud consilium capere licet, neque aliam in corde meditari sententiam: quinetiam neque hæc præstanti tanta laus, quanta si non fecerit maneat condemnatio, sed multipliciter major.* Hactenus Photius ille. B. Hieronymus l. 1. Adv. Jovin. aliud quid intellexisse videtur, dum pro illo, *Si quis turpem se videri existimat super virgine sua*, sic legit & scribit, *Si quis considerat virginem suam, i. carnem, lascivire & ebullire in libidinem, nec refrænare se potest, duplexque ei incumbit necessitas, aut accipienda conjugis, aut urendi, quod vult faciat; non peccat si nubat.*

LUCAS BRUGEN.

33, & 34. DUplex hoc loco est lectio. Prior est, *Solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier * innupta -&, virgo cogitat quæ " Domini* [* *quæ est* 2 MS. - o. " *Dei* o.] *sunt.*] Hæc latinorum hodie fere codicum est: quam Autor commentariorum quæ apud Hieronymum exstant, Primasius, Haymo, atque hoc posteriores Latini Enarratores, edisserunt, & B. Ambrosius, initio libri

De

De viduis, profert. Posterior est, *Solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Divisa est mulier & virgo. Quæ innupta est, cogitat quæ Domini sunt.* Ista Græcorum hodie fere librorum est: ita enim habent, μεμέρισται * ἡ [* ϗ R.] γυνὴ ϗ ἡ παρθένο ἡ ἄγαμο μεριμνᾷ, &c. quibus Syrici consonant (*differentia autem est*, scribunt, *inter uxorem & Virginem. Ea quæ viro non est*, &c.) & Interpretes Græci, Chrysostomus, Theophylactus atque Oecumenius, & inter Latinos Sedulius, adstipulantur, cum D. Basilio libro De vera virginitate. Hunc ad modum Hieronymus citat, tum contra Helvidium disputans cap. 10. tum Eustochium ad custodiendam virginitatem adhortans cap. 9. Eundem ad modum reperi in duobus antiquis Latinis libris Scriptum, Malmundariensi majori & T. quanquam hoc habeat, *Et divisa mulier & virgo*; illud, *Et divisa est mulier & virgo.* Pl. m. habuit, *Et divisa est mulier innupta & virgo cogitat.* Cæterum ex hoc atque aliis locis constat exemplaria hæc multa ex veteri editione servare quæ in nostra emendata sunt. Hieronymus enim, Adv. Jovinianum lib. 1. cap. 7. testatur fuisse hanc suo tempore Latinorum codicum lectionem: sed alteram, quam in Græcis suis videtur habuisse antigraphis, ut quæ Apostolicæ sit veritatis, probat. Quare ex D. Hieronymi emendatione hanc in nostræ editionis esse libris manifestum est. Hieronymi Græcis antigraphis duo observarunt Parisienses, ι & ια, similiter legentia; nos unum, à Simone Colinæo anno 34 excusum, καὶ μεμέρισται· καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμο ϗ ἡ παρθένο μεριμνᾷ. Commentaria quæ sunt in Ambrosii operibus lectionem habent ex dictis duabus compositam, *Quomodo placeat uxori, & divisus est. Divisa est mulier & virgo. Quæ non est nupta, solicita est de iis quæ Domini sunt.*

STEPHANUS.

4. **T**Οῦ ἰδίε σώματο οὐκ ἐξεσιάζει] *Proprii corporis dominium non habet*: vel, *proprium corpus in potestate non habet.*

5. Ἐκ συμφώνε] *Ex consensu.* § Ἵνα σχολάζητε] *Ut vacetis.*

9. Οὐκ ἐγκρατεύονται] *Continentes non sunt.* § Πυρϑσθ] *Uri.*

11. Καταλλαγήτω] *Reconciliator.*

14. Ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι] *Alioqui certe liberi vestri impuri essent.*

17. Διατάσσομαι] *Constituo.*

18. Μὴ ἐπισπάσθω· ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ἐκλήθη; μὴ περιτεμνέσθω] *Ne attrahat præputium. In præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur.*

28. Ὑμῶν φείδομαι] *Vobis parco.*

31. Παράγει τὸ σχῆμα] *Fallit* (vel *transversos agit*) *species*: q. d. *l'apparence.*

35. Ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον ϗ εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως] *Sed decori rationem habens & commoditatis adhærendum Domino absque ulla distractione.*

36. Ἀσχημονεῖν] *Se decorum non servare.* § Ἐὰν ᾖ ὑπέρακμο] *Si florem ætatis excedat.*

38. Ὁ ἐκγαμίζων] *Qui dat nuptum.*

39. Μόνον] *Dummodo.*

DRUSIUS.

1. **B***Onum est homini*] i. Viro. Sic ἄνθρωπο ponitur pro ἀνήρ, & אדם pro איש, i. *vir.* Contra איש *vir* pro אדם *homo* usurpatur, ut alibi observavimus. § *Mulierem non tangere*] *Tangit mulierem* qui cum ea congreditur aut rem habet, ut Prov. 6. 29. *Quisquis tetigerit eam*, i. consuetudinem habuerit cum ea. Sic *tangere virginem* est ejus pudorem imminuere. Unde *virgo intacta*, quæ Lucilio *signata* dicitur, Terentio *integra à viro.* E contrario *imminuta virgo* dicitur quam aliquis cognovit concumbendo cum ea Gen. 20. 6. *Non sivi te tangere illam.* In Latio *tangere* significat furari; unde *tagaces* Lucilio furaces: item cum femina congredi. Ex hac amphibolia lusit Plautus in Aulularia, scena *Quis homo*,

> *Quid tibi ergo meam me invito tactio est?*

Nam *tangit mulierem* qui cum ea rem habet. Et legimus in eodem Plauto, *tetigit calicem clanculum*: item, *Istis ego te tetigi triginta minis.*

3. *Uxori vir debitum reddat*] Alius, *debitam benevolentiam.* Nam in Græco ∤ ὀφειλομένην εὔνοιαν Sic honeste significat tempus congrediendi, quod עונה Hebræi vocant. In libro qui vocatur per sigla מ״כ 126. 3. *Maritus debet uxori decem res. Tres ei debet ex Lege; videlicet alimoniam ejus, operimentum ejus, & tempus ejus, h.e. tempus congrediendi cum ea juxta viam universæ terræ. Septem ei debet ex verbis Scribarum. Prima res est fundamentum dotis, videlicet ducentos denarios, si virgo est; & centum, si subacta*, i. בעולה. Reliquæ sex continent conditiones dotis, de quibus vide Mosem de Kotsi loco citato. In eodem libro 32. 2, & 3. Mulier quæ non reddit marito debitum vocatur מורדת *rebellis* ac *refractaria.* Si rogata non vult cum eo congredi, aut respondet se non posse, jubetur eam expellere, & expellitur absque dote; si modo כתובה est *dos*, ut revera est. Dos virginum non erat minor CC denariis; ut viduarum, aut earum quæ maritale jugum subierant, centum. Id dicebatur עקר כתובה *fundamentum dotis.* Qui volebat addebat quantum ipsi videbatur. Id תוספת *additamentum* dicebatur. Sponsus autem mercedem scribæ solvebat. Conditiones dotis sex erant; 1. *ut curet ægrotam*, 2. *ut redimat captam*, 3. *ut sepeliat mortuam*, 4. *ut alat eam de suo*, & *habitet in domo ejus*, 5. *ut filiæ ipsius alantur*, 6. *ut filii mares adeant dotem ejus.* In eodem libro 31. 4. *Sapientes dicunt nomine* שאר *intelligi debere Alimenta*: כסות *autem esse quod sonat*, & עונה *significare Coitum. R. autem Eliezer F. Jacob dicit vestitum ejus & tempus ejus. Secundum tempus ejus da ei vestitum ejus, ne det videlicet vestes novas in diebus æstus aut solis, neque veteres detritasque in diebus imbrium, i. tempore pluvio. Secundum alimoniam ejus da ei vestitum ejus, ne videlicet quæ sunt adolescentulæ det anui, aut quæ ad anum pertinent det adolescentulæ.* Hæc illic. Vide, si placet.

8. *Innuptis*] Alius *cælibibus*, alius *viduis. Viduus* אלמן dicitur, & differt à *cælibe*, quia *viduus* est post nuptias, *cælebs* etiam ante nuptias. In eo pares sunt quod neuter uxorem habeat. Ἄγαμο ergo potius *cælebs* quam *viduus.* Sed *cælebs* cui concubina. An etiam *viduus*? *Viduus*, Græce χῆρο, & *vidua* χήρα, ut Hebraice אלמנה. Ἄγαμο etiam vocatur quæ à viro discessit, infra v. 11. *maneat innupta*, ne alteri nubat; aut *viro reconciliator.* Jure antiquo uxor viro reconciliari poterat ante datum libellum repudii, post datum libellum non poterat. Sic dico, Non licebat marito eam in domum suam ad torum conjugalem recipere: quod Apostolo hic est *reconciliari.*

14. *Impuri*] ממזרים. Phesictha 31. 2. *Israelitæ erant recti, & non inventus fuit in eis* ממזר *impurus, nisi unus.* § *Sancti sunt*] Quos hic dicit *sanctos*, Hebræi כשרים vocant, i. *rectos*; ut in testimonio quod modo citavimus. Sic cum dicunt, *Si Gentilis congrediatur cum filia Israel, puer inde natus rectus erit, i. sanctus.* Quod tamen obtinuit primum post datam Legem. *Nam tunc*, inquiunt, *Deus misericors liberum faciebat infantem à semine patris, ita ut matrem sequeretur.* Ante datam Legem alia ratio erat. Vide hac de re Hiscuni Levit. 24. 10.

17. *Nisi unicuique*] Hic *nisi* valet *sed*, ut apud autores Latinos. Cicero in epist. *De re nihil possum judicare; nisi illud mihi certe persuadeo, te talem virum nihil temere fecisse*: & ad Hirtium lib. 9. citante Nonio Marcello, *Dicis, Quid, quæso, istuc interest? Nescio, nisi tamen id erit mihi jocundum.* Plautus,

> *Miror quid fiet: nisi ut periculum fiat, visam quid velit.*

Rursum Cicero pro Sexto Roscio, *Quid erat quod Capitoni primum nunciarit nescio; nisi hoc video Capitonem in his bonis esse socium.* Sic εἰ μὴ pro ἀλλὰ usurpatur, ut כי אם Psal. 1. 4. & alibi passim. Hinc illustrabis locum illum, *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi ex fide*: ubi εἰ μὴ in Græco. Interdum כי per ἀλλὰ exponitur, ut Psal. 18. item Gen. 18. 15. ubi Hieronymus & alii interpretes *sed* ediderunt.

18. *Ne adducat præputium*] Tales Hebræi משוכים vocant, quasi ἐπισπαστικοὺς, ab *attractu pelliculæ* scilicet. Quod hic *adducere præputium*, sive, ut recentior editio habet, *attrahere præputium*, 1 Macc. 1. legitur ϗ ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας, de filiis Tobiæ: de quibus & Josephus Antiq. 12. 6. *Quo impetrato adduxerunt sibi præputia, ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles.* Id fiebat arte Medica. Epiphanius, Τὸ δὲ ἔτι τέτων χαλεπώτερον, ὅτι ϗ ἀπὸ σαμψαρκῶν ἀκροβυστίαι γίγνονται, ... [illegible] ... ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτοῖς ἀποτελέσαι. Quibus addo ex Jer. 9. 25. *Animadvertam in omnem circumcisum in præputio*, sive *cum præputio*: Vult dicere *præputium habentem*, h.e. in omnem qui cum circumcisus fuit postea præputium attraxit. Sequitur, *In Ægyptum, & in Judam, & in Edom, & in filios Ammon, & in Moab, & in omnes commorantes in extremo angulo mundi, qui habi-*

habitant in deserto. Autor Lexici quod Aruch vocant, *Quid est circumcisus in praeputio? Circumcidebantur, & attrahebant sibi praeputium. Hi numero quinque erant.* CONTRA ÆGYPTUM; *quia circumcisi erant in diebus Joseph, & eo mortuo attraxerunt sibi praeputium.* CONTRA JUDAM; *hic est Jojacim Rex Juda:* ET CONTRA EDOM; *hic est Esau:* ET CONTRA FILIOS AMMON; *hi sunt quos pepererunt filiae Lot:* ET CONTRA OMNES COMMORANTES IN EXTREMO ANGULO; *hic est Hiram Rex Tyri, & sunt qui dicunt Israelitas esse.* De hac attrahendi pelliculam ratione vide Masium in Josuam 5. 2. col. 1525. ubi refert Barchozibam omnes eos qui praeputium attraxissent iterum circumcidi mandasse, eosque qui à Judaeis ad Samaritanos defecerant, novo praeputio comparato nova circumcisione imitari solere: inter quos Symmachus interpres sub Severo Imperatore, qui ad Judaeos defecerat à Samaritanis, quorum religionem amplexus fuerat.

26. *Propter instantem necessitatem*] Quid hic sit ἀνάγκη diximus alibi; nisi fallor, Luc. 21. 23. Haud dubie aliud nihil est quam *angustia, vexatio, aerumna, afflictio:* nam Doctores eo sensu אננקי usurpant. Quid ambigis? Ecce Baal Aruch interpretatur דחק, & alius צרה: estque vox linguae Hellenisticae. Munsterus perperam שעה, i. *horam* aut *tempus*, exponit. Siquidem legimus in Thargum Jerosolymitano אננקי שעת *hora necessitatis.* Id in Aruch explicatum invenitur דחק שעת *hora vexationis* vel *angustiae.*

34. *Mulier innupta & virgo*] *Innupta* dicitur & quae nunquam nupsit, h. e. Virgo, & quae sine marito est quem amisit, i. Vidua. Utraque in coelibatu vivit. Nam *coelebs*, quae absque marito vivit. Virgo imminuta non est virgo proprie, quanquam *innupta*, i. ἄγαμος. Codices Graeci hic habent ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *uxor & virgo.* Γυνὴ ea est quam post appellat γαμήσασαν· παρθένος autem ἄγαμος dicitur, i. *innupta*, sive *quae nunquam nupsit:* nam de viduis postea.

36. *Superadulta*] Videtur eam significare quam Jurisprudentes Hebraei בוגרת vocant, quae est *puella plena pilis:* unde nomen accepit: nam בגיר *pilosus, hirsutus,* δασύς. Hinc בוגרת *pilosa, villosa.* Citatur ab Hiscuni Gen. 27. 11. ex Thargum Jerosolymitano; בוגרת ergo puella provectior sive adulta nubilesque annos egressa: quae aetas בגרות vocatur. David Pomarius in Lexico suo, בגרות *est aetas puellae major, h. e. intercapedo sex mensium postquam pubescere coepit.* Verbum è verbo, *postquam germinaverint duo pili:* nam id signum est pubertatis. Moses de Cotsi libro Praeceptorum magno 134. 2. *Postquam produxerit pilos vocatur* נערה Puella, *usque ad sex menses integros. A principio autem diei quo sex illi menses consummati sunt & deinceps vocatur* בוגרת *superadulta sive* adulta, *nec sunt amplius quam sex menses inter Puellam & Adultam.* Idem 138. 1. *Qui rem habet cum adulta non punitur: quia scriptum est, Puella virgo & non adulta.* Sermo est de eo qui virginem seducebat blandis verbis aut vi stuprabat, quem מפתה appellant, ut *seductorem* מפתה.

C A S A U B O N U S.

1. Γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι] Verbo ἅπτεσθαι significari τὴν συνουσίαν declarat elegantissimus locus Aristotelis 2. 171. Iterum Aristoteles Histor. 5. 14. in fine. Sic verbum ἅπτεσθαι accipit Xenophon p. 528. & in Enchiridio Epictetus cap. 47. Sic exprimitur verbum Hebraicum נגע. Vide vel Gen. 20. 6. ubi Graecum est ἅψασθαι. Terentius Hecyra, *Virginem non attigit*, h. e. non cognovit, ut alibi idem loquitur. Horatius p. 149.

— *sunt qui tetigisse nisi illas.*

ubi docte Acro, *Proprie*, inquit: inde *intactae virgines* Virgilio.

C A M E R O.

2. Τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω] *Habere uxorem* hic est debitum uxori reddere, quomodo supra cap. 5. 1. hujus Epistolae, *Omnino*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, & quidem talis fornicatio qualis nec inter Gentes nominatur*, ὥστε γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν, *ita ut quis uxorem patris habeat*, h. e. cum ea consuescat. Sic Terentius in Andria, *Quis hodie Chrysidem habuit?* Vulgo solet illud *habere* exponi per *ducere*, sed male: nam hoc loco est possidere eam quam longe ante duxeris, est *conjugale debitum ei reddere*, uti id praecipitur v. 3, 4, 5.

5. Ἵνα μὴ πειράζῃ ὑμᾶς, &c.] h. e. *Ne Diabolo tentante peccetis*, ut Gal. 6. 1. *ne & tu tenteris*, h. e. ne tentatus pecces. Antecedens ponitur pro consequente. *Tentatio* enim in Scriptura ponitur ea significatione ut non ipsam tentationem, sed peccatum, tentationis eventum seu effectum, notet: quomodo haud multum diversa ratione Deus *vocare*, Electi vero *vocari* dicuntur in Scriptura, non tam ut notetur ipsa vocandi actio quam vocationis efficacia, seu effectum potius, conversio nempe hominum.

12. Τοῖς δὲ λοιποῖς ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ Κύριος] Satan Corinthiis callide suaserat, omnem cum uxore consuetudinem ab ipsis, utpote spiritualibus, alienam esse debere. Unde factum ut qui uxores haberent dimittere jam parati essent; qui carebant, ab iis ducendis abstinere vellent: qua de re Apostolum per Epistolam consuluerant v. 1. *Caeterum de quibus scripsistis ad me*, &c. Qui *praecepto & consilio* iis super ea re respondet. Et *praecepto* quidem ut Dei legatus, qui quae ipsi à Domino mandata sunt urget acrius: de aliis consultus, ea *consilio* suadet quae iis quibuscum illi res erat profutura videt, quaeque non adeo à Domini sui mente & voluntate aliena fore prospiciebat. Itaque cum ut Domini legatus loquitur, utitur hac formula, *dicit Dominus, non ego*, v. 10. cum vero ut privatus, ista, *haec ego dico, non Dominus.*

14. Ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι, &c.] Ut sciamus de qua *sanctitate & impuritate* Paulus hic loquatur, notandum est in Ecclesia Corinthiaca fuisse feminas quae fugerent congressum cum maritis infidelibus, & viros similiter qui misceri nollent uxoribus infidelibus, quod se eo pollui existimarent. Hoc ut amoliatur Apostolus, dicit talem congressum in se quidem non esse sanctum, sed sanctificari in altera parte fideli, h. e. perinde se res habet, quod ad congressum attinet, ac si utraque pars fidelis esset: *alioqui enim*, inquit, *liberi vestri essent impuri: illi autem sancti sunt.* Sanctitas haec de qua hic loquitur non opponitur impuritati quae omnibus proprie convenit à natura propter peccatum Adami, sed impuritati illi quam mulieres illae metuebant à viri infidelis congressu.

25. Γνώμην δὲ δίδωμι] Doctissimus Interpres hoc loco nomen *consilii* refugit, ne videretur Pontificiorum quae vocant *Consiliis Euangelicis* aperire fenestram. Caeterum id de quo agit Apostolus plane consilium est. Id quod non una ratione demonstrari potest: ac primo quidem ista, Quod *mandatum* ἐπιταγὴν opponit γνώμῃ, *Non habeo mandatum Domini*, inquit, *sed* γνώμην δίδωμι· apertum ponit discrimen inter *mandatum* ἐπιταγὴν & γνώμην *consilium.* At, inquit doctissimus Interpres, γνώμη *sententia* est, non est *consilium.* Certe qui sententiam edit rogatus *consilium* dat: Itaque hominis rogati sententiam dicere. Sententia *consilium* est; alioqui certe non est *consilium*, sed *sententia.* Sed quaerat aliquis, Cur non igitur Apostolus δίδωμι βουλὴν dixit? Hic vero primum illud respondere est, quod *sententiam dare & consilium dare* idem est: itaque cum potuisset dixisse *consilium do*, quia tamen ea de re nihil caverat Dn. Jesus, *Mandatum Christi non habeo*, inquit, *sententiam meam edo.* Itaque sequitur continuo νομίζω, &c. quae verba nimis diluta sunt si *praeceptum* significant. Deinde etiam Interpres Syrus (cujus autoritas non est contemnenda) γνώμην hoc loco vertit מלכא. Jam vero מלכא Syriace *consilium* est. Illud vero multo maxime momentosum est & grave, quod v. 35. profitetur Apostolus se in eo hoc unum spectare quod eorum *commodo* fiat à quibus erat consultus: nam aperte profitetur *se nolle ipsis laqueum injicere*; itaque si major incumbit *necessitas*, eos vult consilii sui lege solutos. Quaenam autem sit ea *necessitas*, aut esse possit, statim exponit; quae exceptio in praeceptis Dominicis nullum habet locum: ea enim, uti sunt constantia, constans requirunt obsequium; nam *caelum & terra transibunt*, inquit Christus, *at ne vel jota unum Legis peribit.*

37. Ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος] Hoc loco abutuntur Novatores ad probandam fictitiam, quam Voluntati adscribunt, libertatem. *Nam*, inquiunt, *non potest aliquis potestatem habere in voluntatem suam nisi interventu voluntatis: Itaque Voluntas sui ipsius domina est.* At vero verba Apostoli sic detorquentur in alienum sensum. Non enim Apostolus ait patrem *habere potestatem in voluntatem suam*; tantum praescribit patri quid liceat & expediat, *modo potestatem habeat in voluntatem suam.* Itaque significat tacite Apostolus Voluntatem non esse sui ipsius dominam, atque hanc imaginariam voluntatis libertatem, quam illi urgent, non esse voluntati connaturalem. Si enim esset connaturalis, quid opus fuisset Apostolo adjicere, *si habeat potestatem in voluntatem suam?* Innuit ergo Apostolus aliquando accidere ut quis non habeat potestatem in voluntatem suam. Imo id aperte significat Apostolus: vult enim patres eos qui non habent potestatem in voluntatem suam, collocare nuptum filias suas. Atque inde patet Apostolum eo loco non agere de naturali libertate voluntatis, sed de ea libertate quae aliquando inest voluntati, aliquando non. Nam quae voluntati con-

congenita sunt, ea non possunt abesse sine ipsius voluntatis interitu. Itaque aliud voluerit Apostolus: Nempe nomine *voluntatis* intellexit actus voluntatis imperatos: qui in hoc genere semper sunt in potestate patris, si nempe uti voluerit summo jure; iidem non sunt semper in potestate patris, si uti voluerit ἐπιεικείᾳ. v.g. Potest pater dotem filiæ negare, atque ita privare matrimonio: at id est abuti jure paterno si ea filiæ conditio est ut opus habeat nubere. Dicitur ergo pater *habere potestatem in voluntatem suam* cum quod is vult id ipsum vult filia; contra non habet potestatem in voluntatem suam cum aliud filia vult, aliud pater, vel etiam cum aliud exigit commodum filiæ, aliud τὸ velle patris, quod eo loco Apostolus vult cedere necessitati. Apostolus ergo hæc duo requirit in iis patribus qui constituunt non dare filias nuptum: Primo, ut in hoc consilio non fluctuet eorum animus, sed *sit constans & firmus*, i. ut non distrahatur; quod iis solet evenire qui idem quodammodo volunt & nolunt, quomodo Syrus Interp. accepit illa verba μὴ ἔχων ἀνάγκην, quæ ipse reddit, *& non coegerit eum voluntas.* Voluntas enim tum *cogere* dici potest cum volumus aliquid vehementius quam nolumus, tametsi id nolumus: ita ut ex sententia Syri Interpretis Apostolus jubere videatur eos patres cavere ne filias collocent nuptum qui vehementius cupiunt filias vivere cœlibes quam cupiunt nuptum dare, etsi id cupiant: quod & confirmari videtur verbis Apostoli, ὃς ἕστηκεν ἑδραῖος, *qui manet obfirmatus.* Alterum quod in patribus hic requirit Apostolus hoc est, Ne putent rem esse arbitrii sui, sed pendere aliunde, nempe à statu & conditione filiæ & temporum.

JAC. CAPPELLUS.

6, 7, 8. H*OC autem dico ex concessione, non ex imperio; (Velim enim omnes homines esse ut & ipse sum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita.) Dico, inquam, cœlibibus & viduis, bonum est, si manserint ut maneo ego*] Hoc, inquam, non imperat, sed concedit Paulus. Pronomen autem *Hoc* versus sexti refertur non ad antecedentia, sed ad id quod sequitur 8 versu: quomodo Joel. 1. 2. pronomen *Hoc* evidenter refertur ad sequentia; ut & Psal. 49. 1. 1 Cor. 10. 23. vox *Omnia* restringi potest ad sequentia. Hanc autem esse Pauli mentem patet ex v. 25. Adeoque fieri potest ut v. 6. συγγνώμην sumatur eodem sensu quo simplex γνώμην v. 25, & 40. 2 Cor. 8. 10. Inter epistolas Hieronymi ea quæ est 14. de matrisfamilias institutione, ad Celantiam, fol. 92. *Quid*, inquit, *absolute velit* Apostolus, *manifeste dicit*, VOLO AUTEM OMNES HOMINES ESSE SICUT MEIPSUM, *id est, in jugi ac perpetua castitate vivere.* Sic Hieronymus ipse passim, ut ad Gerontiam ep. 11. fol. 42. Sed hanc Apostoli mentem non esse docet id quod addit, *Sed unusquisque proprium habet donum.* Igitur illud θέλω *volo* ponitur omnino pro *velim* aut *optarim*, estque referendum non ad actum sed ad habitum: q. d. Velim quidem vos omnes esse continentiæ dono præditos, ut ego sum; quomodo Moses quoque cupiebat omnes Israelitas Prophetiæ dono præditos esse: sed ita tamen ut neuter id imperet sed optet. Sic 1 Cor. 14. 5. Θέλω *Velim vos omnes loqui linguis.* Ut ad vers. 6. redeam, etiamsi συγγνώμην accipias pro *concessione*, nihil tamen inde consequetur absurdi. Licet enim castitas virginalis conjugali præstantior sit, tamen tum conjugium cœlibatu præstantius erat, 1. quia sterilitas, orbitas, eunuchismus maledictionis instar habebantur. 2. quia Gen. 2. legimus, *Non est bonum homini ut sit solus:* & in Ecclesiaste, *Væ soli.* Tibi tamen per Apostolum licet esse soli, hoc ille tibi concedit, modo te sentias esse continentiæ dono præditum. Præterea *concedendi* vocabulo utitur habita ratione non tantum antecedentium temporum, quibus infami quodammodo videbatur cœlibatus, sed etiam subsequentium, in quibus videbat contra futurum ut conjugium pro infami quodammodo haberetur. Ideo cœlibatum non imperare, sed suadere, sed concedere se dicit.

18. *Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat* præputium] Qui præputium attraxit ab Hebræis dicitur משוך: quod exquisite respondet Græcæ voci ὁ ἐπισπασθεὶς· de quo sic Rabba in Genesim sect. 46. *Traditum est* τὸν ἐπισπασθέντα *non opus habere circumcisione. R. Juda dixit, circumcidatur propterea quod illius præputium est* כבושה *subactum* (vel *coactum.*) *Dictum est coram R. Juda, An non multi fuerunt temporibus Filii Cosbæ? Omnes illi revertentes circumcisi sunt. Hoc est quod scribitur* Gen. 17. 14. *Circumcidendo circumcidatur, etiam quatuor, quinque vicibus. Fœdus meum violavit* בריתי הפר: *Is est* ἐπισπασθεὶς. Exempla vide 1 Macc. 1. 16. apud Josephum Antiq. l. 12. c. 6. Epiphanium De ponderibus & mensuris, Cornelium Celsum l. 7. c. 25. Male igitur Hieronymus in Jovinianum lib. 1. *Num qui semel amp[...] habet præputium, potest, si velit, rursum illud adducere*[...]

25. *De Virginibus autem mandatum Domini non habeo, sed consilium vobis do,* & quidem fidele, *ut cui misericorditer dederit Dominus esse fidelis*] q. d. Cum conjugali sanctimoniæ castitatem virginalem antepono, non id facio quasi Dei legatus, & Dei nomine jubens ut cœlibatum potius quam conjugium amplectamini, sed ut amicus, isque fidelis, docens quænam sit mea sententia. Sic & v. 40. & 2 Cor. 8. 10. & 11. 17. Solus Paulus hujusmodi distinctionibus utitur: solus igitur Paulus loquitur aliquando non quasi jubens, sed quasi suadens, consilium dans, sententiam suam aperiens de re proposita. Quin & ipse Paulus toties loquitur ut Dei legatus, ut Dei nomine mandata dans, quoties his cautionibus abstinet, quas in eum consulto finem adhibet ut ab universalibus Dei mandatis specialia sua consilia distinguat.

34. *Discrimen est inter uxorem & virginem*] V. V. *Divisa est virgo & mulier.* Hieronymus in Jovin. lib. 1. *Hoc quanquam habeat suum sensum, & à me quoque pro qualitate loci sic edissertum sit, tamen non est Apostolicæ veritatis. Siquidem Apostolus scripsit, Solicitus est ea quæ sunt mundi, quo modo placeat uxori, & divisus est. Mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt Domini.* Sane quidam codices Græci sic ut vult Hieronymus legunt, Rob. Stephano teste. Plures tamen codices etiam Græcos assentientes habet prior lectio, ac insuper Latinos, Syriacos, Arabicos.

40. *Sed beatior est si sic maneat*] Si per continentiæ donum illi liceat manere cœlibi. Non dicit autem *erit* in vita futura, sed *est* in hac vita. Sic cum dicit Act. 20. 35. *Beatius est dare quam accipere*, non dicit divitis liberalis majorem futuram in cœlo beatitudinem aut gloriam quam pauperis eleemosynam accipientis, sed docet in hac vita beatiorem ejus esse conditionem qui dare potest quam qui cogitur accipere, vel etiam petere. ¶ *Secundum meam sententiam*] Vide quæ diximus in v. 25. ¶ *Puto vero me quoque Dei Spiritum habere*] Consilium hoc Paulus jam Corinthiis dederat Corinthi cum esset; & ab aliis damnatum fuerat, quasi vellet novum conscientiis, idque δυσβάστακτον *intolerandum*, jugum imponere; ab aliis neglectum, quasi saperet id prudentiam carnis potius quam sapientiam Spiritus, quod Ethnici passim beatiores prædicarent cœlibes quam conjugatos, ut apud Terentium in Adelphis Mitio,

> —— *&, quod fortunatum isti putant,*
> *Uxorem nunquam habui.*

Has calumnias refellit quidem toto capite, sed imprimis v. 6, 25, 35, 40.

LUD. CAPPELLUS.

3. T*ΗΝ ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω*] Quid hic Apostolus significet planum est, & consentiunt Interpretes; sed cur & unde debitum maritale sic appellarit Apostolus, non videntur satis explicasse. Ab aliis jam est observatum εὔνοιαν hic esse illud quod Hebræis dicitur עונה Exod. 21. 10. ad quem locum videtur omnino respexisse Apostolus: idem enim illhic marito à Deo præcipitur quod hic ab Apostolo. עונה autem eo loco ὁμιλίαν secundum LXX sive συνουσιασμὸν significat, à radice ענה, quæ *humiliare, affligere* significat, passimque in V. Test. de feminarum compressione usurpatur. Porro ab eadem radice fit ענו πρᾶος *mansuetus, benignus*, sive εὔνους *benevolus*, & ענוה πραότης *mansuetudo*, vel εὔνοια *benevolentia:* quo sensu accipitur Psal. 18. 35. ועַנְוְתְךָ תַרְבֵּנִי *benignitas*, vel *benevolentia, tua auxit me:* & Psal. 45. 4. ענוה צדק εὔνοια δικαιοσύνης. ענוה autem in regimine habet regulariter ענות, verum per metathesim literarum (quæ frequens est) fieri potest עונת, ita ut eadem illa vox Exod. 21. 10. possit reddi & ὁμιλία sive συνουσιασμὸς, quomodo reddiderunt LXX, & εὔνοια, quam posteriorem significationem, ut honestiorem & verecundiorem, maluit usurpare hoc loco Apostolus; maxime cum debiti illius conjugalis redditio argumentum sit mutui inter conjuges amoris, mutuæ benevolentiæ indicium & argumentum.

14. Ἡγίασται ὁ ἀνὴρ ὁ ἄπιστος ἐν τῇ γυναικί, &c.] Simile quid tradunt Judæi apud Maimonidem in Misna, tom. 1. lib. 2. אהבה tract. de Oratione & benedictione Sacerdotum, cap. 12. §. 17. *Non licet*, inquit, *Chananæis* (sic vocat Gentiles Judaicam Religionem professos) *legere* (publice, in Synagoga scilicet, in libro Legis) *nisi septimo loco: dicunt enim* Sapientes, *Septimo omnia consummare permittunt. Quod si mater ejus sit Judæa, licet ei legere: dicunt enim*, עכו"ם ועבד הבא על בת ישראל הולד כשר *quod si Gentilis vel servus rem habeat cum Judæa, fœtus erit nihilominus genuinus, legitimus.* En quomodo secundum illos

 vir

vir etiam infidelis aliquatenus sanctificatur per mulierem fidelem, liberique inde orti sunt כשרים: illud est quod hic dicit Apostolus ἅγια, i. censentur in fœdere. Recte ab aliis observatum est, ἀκάθαρτα hic esse quod Judæi vocant פסולים: duo nempe ista, כשר & פסול, passim apud eos opponuntur, quomodo hic ἅγια & ἀκάθαρτα. At in hoc differt illa Judæorum regula atque definitio ab ista Apostoli sententia, quod illi id pronunciant de liberis natis ex impari conjugio contracto à fideli cum infideli, Apostolus vero de liberis qui nascuntur ex impari quidem conjugio, sed quod contractum fuerat in utriusque conjugis infidelitate, postea vero alter conjugum factus est fidelis. Itaque ille Judæorum Canon videtur adversari ei quod habetur Esd. 10 3. ubi Judæi qui duxerant uxores peregrinas coacti sunt ab Esdra eas expellere una cum liberis quos ex illis susceperant. Et liberi qui ex duobus Judæis conjugibus nati erant vocantur זרע הקדש *semen sanctum*. Et cap. 9. 2. qui duxerant uxores peregrinas dicuntur *miscuisse semen sanctum cum populis peregrinis*: quod non dicitur respectu commixtionis seminum quæ fit in congressu conjugum, sed ideo quod liberi ex ejusmodi impari conjugio prognati commiscerentur cum illis qui ex justis & legitimis nuptiis nascebantur, eodemque cum illis loco ac numero à patribus habebantur: quod fieri tamen non debuit. Non est casus ille (uti loquuntur Jurisconsulti) idem cum illo Apostoli, qui loquitur de conjugio in infidelitate contracto, cum alter conjugum postmodum fit fidelis, altero manente infideli.

G R O T I U S.

1, 2. Περὶ δὲ ὧν ἐγράψατέ μοι, καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι. Διὰ δὲ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω. *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum Virum habeat*] Frequens erat apud Philosophos quæstio, *An sapienti ducenda uxor*. Qui omnia ad se referebant, considerantes quam parum commoda sæpe sint mulierum ingenia, educatio liberorum quam molesta, quot periculis obnoxia, abstinendum à nuptiis censebant. Est in eam sententiam Antiphanis Philosophi locus apud Stobæum, & dicta Lycurgi, Thaletis, Socratis & aliorum. Contra qui publicas spectabant utilitates, dicebant Reipublicæ sicut alia tributa, & liberum sationem deberi. Et in eam partem habes apud Stobæum dicta illustria Musonii & Hieroclis. Menander sic ait,

> Γαμεῖν, ἐάν τις τὴν ἀλήθειαν σκοπῇ,
> Κακὸν μέν ἐστιν, ἀλλ' ἀναγκαῖον κακόν.
> [*Si vere rem putamus, conjugium quidem*
> *Malum est, sed hoc malum imperat necessitas*].

Metellus Numidicus in oratione quam Censor habuit, *Si sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati consulendum.* Itaque cum Corinthi sub Christianorum nomine Philosophi verius quam Christiani varie tractassent hanc controversiam, pii quidam homines, qui Apostolum illis Doctoribus præferrent, consulendum eum hac de re censuerunt. Is vero, ut in omnibus, ita in hac re Deum præcipue & Ecclesiam spectans, vitam quidem sine nuptiis præfert, quod sic expeditius quis Deo & Ecclesiæ & sanctorum singulis inservire possit. Cæterum iis qui temperare sibi à feminis aut non possent aut etiam nollent, nuptias dicit non conducibiles modo, sed & ἐξ ὑποθέσεως (*ex suppositione*) necessarias, ideo quod Deus scortatione vehementer offendatur. De liberis serendis non ita solliciti erant Christiani, ut ob id solum ducendæ uxoris necessitatem sibi imponerent, ideo quod finem sæculorum de proximo instare suspicarentur. Tertullianus de Monogamia, *Crescite & redundate, evacuavit extremitas temporum.* Si qui tamen inirent conjugium, iis hunc etiam finem propositum esse debere sentiebant. ἅπτεσθαι נגע [*tangere*] est dictum σεμνῶς [*honeste*] ut Prov. VI, 29. Gen. XX, 6. Terentius Hecyra,

> *Nocte illa prima virginem non attigit.*

Catullus,

> *Sic virgo dum intacta manet, dum intacta senescit.*

Hoc ergo dicit Paulus, *optimum esse cum nulla femina nupta aut innupta consuetudinem habere.* ἀνθρώπῳ [*homo*], hic est Vir, ut supra VI, 18. sic in jure, *Si homo, vel mulier.* Διὰ δὲ τὰς πορνείας [*Propter fornicationes autem*] *vitandas* scilicet. Pluraliter videtur dixisse πορνείας [*fornicationes*] ut omnia impuritatis genera includeret. *Suam quisque mulierem habeat*, non publicam scilicet. *Et mulier suo viro contenta alterum non norit.* Vide Hebr. XIII, 4. ἔχειν, [*habere*], ubi de conjugio agitur, & viro tribuitur & mulieri, ut diximus ad Matth. XIV, 4. Lactantius, *Quisquis affectus illos frænare non potest, cohibeat intra præscriptum legitimi tori.* Chrysostomus, γάμος, ἀσφάλεια σωφροσύνης [*nuptiæ, præsidium pudicitiæ*].

3. Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρί. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro*] Altera erat quæstio, *an ducta jam uxore rectius non foret causa ad domus regimen, non ad concubitum.* Id Paulus tutum negat talibus quales norat esse Corinthios. עונתה [*tempus ejus*] quod est Exodi XXI, 10. & à LXX vertitur ὁμιλία [*consuetudo*] Paulus σεμνῶς [*honeste*] admodum vocat εὔνοιαν [*benevolentiam*], quomodo Homerus φιλότητα [*amorem*], Plutarchus φιλοφροσύνην [*benevolentiam*]. In Amatorio: ἐν τῇ τοιαύτῃ φιλοφροσύνῃ [*in ejusmodi benevolentia*]. In Solone, Τιμή τις ἀνδρὸς αὕτη πρὸς σώφρονα γυναῖκα καὶ φιλοφροσύνη [*Honor hic qualisqualis à marito castæ mulieri habitus & benevolentia*]. Sed manuscriptus ille & alii hic habent ὀφειλὴν [*debitum*] eodem sensu, ita ut videatur alterum illud esse hujus interpretamentum. Est hoc præceptum quod hic ponit Paulus, inter præcepta jubentia legis centesimum primum & vicesimum.

4. Ἡ γυνὴ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει ἀλλ' ὁ ἀνήρ. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλ' ἡ γυνή. *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*] Οὐκ ἐξουσιάζει [*Potestatem non habet*], hic est, *non habet jus plenum atque integrum.* Nam non vitæ tantum, sed & corporum inita est κοινωνία [*societas*]. In re autem sociali, nemo sociorum jus plenum habet.

5. Μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, *Nolite fraudare invicem*] Isto jure. ¶ εἰ μή τι ἂν ἐκ συμφώνου πρὸς καιρόν, ἵνα σχολάζητε τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ. *nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi*] Εἰ μή τι אם לא [*si non*]. Ex consensu semper abstineri potest, quantum jus conjugum attinet; *volenti enim non fit injuria*: & eam continentiam sibi indixisse Christianos nonnullos, ex Salviano & aliis discimus. Sed id, ut dixi, Corinthiis non satis tutum judicavit Paulus. Itaque vult eos *secubare* aut *in casto esse*, ut Romani loquebantur, ad tempus breve, & hoc quoque ex more Judaico. Nam Judæi castimoniam servabant aut luctus causa, ut nos docet Paraphrastes Chaldæus, Ecclesiastæ III, 5. & Matthæus IX, 15. aut ut ad sacrum solenne se pararent, quod intelligi potest ex locis Exod. XIX, 15. 1 Sam. XXI, 4, ubi dicta à nobis vide. Tertullianus libro ad Uxorem secundo dissuadens feminis Christianis ne paganis nubant, inter alia incommoda & hoc adfert, *Quis denique solennibus Pascha abnoctantem securus sustinebit?* Preces amant comitatum jejunii Matth. XVII, 21. Marc. IX, 29. Luc. II, 37. Actor. XIV, 23. ¶ καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχεσθε, *& iterum revertimini in id ipsum*] *In eundem lectum convenite.* Nam ἐπὶ τὸ αὐτὸ est *in eundem locum*, ut Actor. II, 1, & infra XI, 20. ¶ ἵνα μὴ πειράζῃ ὑμᾶς ὁ Σατανᾶς διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν. *ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*] Nam Satanas vitiorum scintillas excitat. Ἀκρατεῖς [*Incontinentes*] Aristoteli dicuntur *qui in bono proposito constantes non sunt, sed illecebris vitiorum succumbunt.* is morbus ei dicitur ἀκρασία [*incontinentia*]. Tales autem multi erant Corinthi etiam inter eos qui Christianismum profitebantur, sed nondum satis in eo adoleverant.

6. Τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*] Hoc est, *id quod dixi, habeat quisque suum aut suam conjugem, non præcepi, sed suasi.* Est hoc עצה לא מצוה [*monitum non præceptum*]. Præcepta omnes tangunt, monita dantur prout cuique expedit. Συγγνώμη hic non *veniam delicti* significat, sed *æquam concessionem*, quomodo & סליחה Hebræorum interdum sumi diximus ad Luc. IV, 27. *Dixit hoc Apostolus indulgens, non præcipiens*, ait Tertullianus de Monogamia.

7. Θέλω γὰρ, *Volo enim*] *Vellem.* Vide quæ dicta ad Matth. XXVI, 39. Marc. X, 35. Rom. VII, 15. ¶ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν· *omnes homines esse sicut meipsum*] Paulus ubi ad magna hortatur, suum adducit exemplum. ¶ ἀλλ' ἕκαστος ἴδιον χάρισμα ἔχει ἐκ Θεοῦ, ὃς μὲν οὕτως, ὃς δὲ οὕτως. *sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic*] Non tantum illa Spiritus dona quæ nullo labore obtinentur dici χαρίσματα [*dona*] possunt, sed & illa quæ multo labore obtinentur. *Omne enim bonum datum à Deo*, Jac. I. 17. Quomodo autem continentia donum sit, vide Matth. XIX, 11, & ibi dicta.

dicta. Videmus vero hic etiam conjugalem castitatem *donum Dei* dici. Sunt enim Dei alia majora, alia minora dona.

8. Λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις, *Dico autem innuptis & viduis*] Hebræi dicunt אלמן & אלמנה, Græci *mulierem amisso conjugio* χήραν [*viduam*] vocant: ut vir amisso conjugio χῆρος [*viduus*] dicatur, ἀναλογία [*analogia*] permittit, usus popularis non recipit: quare aliam vocem quæsivit Paulus, & ἄγαμον [*innuptum*] dixit generis nomen pro specie usurpans. Nam ἄγαμος [*innuptus*] ex vi vocis est tam qui nunquam in conjugio fuit, quam cui periit conjugium. Sed in posteriore sensu hic usurpat Paulus, ut *viduarum* addita mentio nos docet, & vox ἄγαμος [*innuptus*] repetita infra 11. ❡ καλὸν αὐτοῖς ἐστιν ἐὰν μείνωσιν ὡς κἀγώ. *bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego*] Ex hoc loco non improbabiliter colligitur Paulo fuisse uxorem, quod & Clemens Alexandrinus putat, sed cum hæc scriberentur, mortuam. Καλὸν [*bonum*], id est, κάλλιον, *melius*. Vide quæ à nobis & aliis dicta ad Lucam 11, 36.

9. Εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, *Quod si non se continent*] *Si perseverare nolunt aut non possunt*, ut loquitur Cyprianus. ἐγκρατεύεσθαι idem est quod ἀπέχεσθαι, *ab aliqua re sibi temperare, abstinere*. Utroque modo vertitur פרק Hebræum. Et Aristoteli est ἐγκρατὴς [*continens*] qui *constans est in bene agendi proposito*. ❡ γαμησάτωσαν, *nubant*] *Nuptias faciant*. Id enim commune maribus & feminis. *Nubant* enim, Latine de feminis tantum dicitur, aut de effeminatis per irrisum. Sed Christiani scriptores non semper proprietates istas observant. ❡ κρεῖσσον γάρ ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι, *melius est enim nubere, quam uri*] בער vertitur πυροῦσθαι [*uri*] Prov. III, 31. ἐπιθυμεῖν [*concupiscere*] vero Esaiæ I, 29. צרף vero vertitur & πυροῦν [*urere*] & πειράζειν [*tentare*]. *inflammari ad cupiditates*, & *inflammatum libidinibus* dixit in Tusculanis Cicero. Virgilius,

Uritur infelix Dido. ——

In Glossario πυροῦμαι *calesco*, convenit hoc cum eo quod supra dixit, διὰ τὰς πορνείας [*propter fornicationes*].

10. Τοῖς δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω, *Iis autem qui matrimonio juncti sunt præcipio*] *Non jam moneo, sed jubeo*. ❡ οὐκ ἐγώ, ἀλλ' ὁ Κύριος, *non ego, sed Dominus*] Comparate dictum, *non ego ex me, sed ex Christi auctoritate*. Simile Matth. X, 20. ❡ γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι. *uxorem à viro non discedere*] Recte dicit hoc à Christo præceptum argumento à minori, id est, minus credibili. Lex Mosis indulserat marito uxorem dimittere: Christus ad majorem dilectionem & patientiam nos vocans, vetat id fieri, ubi abest impudicitia. Si hoc Christus viro dixit, cui tantum juris dederat Lex Mosis, quanto magis idem intelligi debet de femina, cui Lex Mosis nihil tale concesserat? Eadem ergo tolerantia, quam in exercenda Lege Mosis Christus viris præscripserat, multo justius erat observanda feminis, quibus jus à marito discedendi dabat non Lex Mosis, sed Græcæ & Romanæ Leges, illorum populorum ingeniis aptatæ. Accurate autem hic loquitur Paulus, cum de *muliere* dicit μὴ χωρισθῆναι [*non discedere*], id est, *ne se separet*: nam passivum hic, ut alibi, est pro reciproco: de *viro* μὴ ἀφιέναι [*non dimittere*]. Nam *dimittere à domo* quod Paulus dixit ἀφιέναι, Attici ἀποπέμπειν, est mariti, ut domini domus: χωρίζεσθαι, vel ἀποχωρίζεσθαι [*discedere*], quanquam aliquo sensu utrique aptari potest, magis tamen proprie convenit feminæ, ut apud Atticos ἀπολείπειν, *deserere*. Sic Josephus, Γυναικὶ ἰδίᾳ διαχωρισθείσῃ καθ' ἑαυτὴν ἔξεστι γαμηθῆναι [*Mulieri vero ne quidem si diverterit suo arbitratu nubere permittitur*]; & Justinus in Apologetico priore de femina loquens ἐχωρίσθη, quod Romani dicerent, *discessit* aut *divertit*.

11. Ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, *Quod si discesserit*] Si frigusculum aliquod intercesserit, & ob id de domo viri uxor alio se contulerit. ❡ μενέτω ἄγαμος, *maneat innupta*] *Cælebs maneat*, in spem resarciendi amoris. ❡ ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω· *aut viro suo reconciliatur*] Si exspectare non vult donec maritus ipse quærat vias se restituendi in ipsius gratiam: quod etiam facere debet, si in ipso aliquid fuit culpæ. Vide præceptum generale, quod huc etiam referri debet, perscriptum Matth. V, 24. sed cum hæc Paulus scriberet, memoria servatum ac voce traditum. ❡ καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι, *& vir uxorem ne dimittat*] Μὴ ἀποπέμψαι dicerent Attici, *ne repudiet, ne exigat*. Hebræi dicerent שלח אל, μὴ ἐκβάλλῃ [*ne ejiciat*]: ita enim ea vox ab interpretibus verti solet Levit. XXI, 7, 14. XXII, 13. Num. XXX, 10. Ezech. XLIV, 22. Intelligendum autem Christi præceptum hic breviter indicatum in eo sensu quem Christus explicaverat.

12. Τοῖς δὲ λοιποῖς ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ Κύριος. *Nam cæteris ego dico, non Dominus*] Christus præceptum dederat iis qui suæ futuri essent disciplinæ. De iis conjugiis in quibus alter esset Christianus, alter non esset, nihil dixerat. Restabat ergo ex præceptis generalibus de dilectione omnium hominum derivare monita, quæ tamen non possunt ita esse perpetua, ut non ex circumstantiis restringantur, ut debet fieri in dictis quidem καθόλου [*universaliter*], sed πρὸς τὰ καθ' ἕκαστα [*ad particularia*] applicandis. ❡ Εἴ τις ἀδελφός, *Si quis frater*] *Christianus*. ❡ γυναῖκα ἔχει ἄπιστον, *uxorem habet infidelem*] Idololatrida. Vide supra VI, 6. Sic infra 13, 14, 15. X, 27. XIV, 22, 23, 24. II Cor. VI, 14, 15. I Tim. V, 8. Tit. I, 15. Apoc. XXI, 8. *Habet*, id est, Christo credidit in tali matrimonio deprehensus. Nam post fidem talia matrimonia inire omnino non licebat. Vide Tertullianum ad Uxorem IV. ❡ καὶ αὐτὴ συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτοῦ, *& hæc consentit habitare cum illo*] Quæ prior causam non det divortio, contenta ipsius moribus, quanquam de rebus divinis non idem persuasa. συνευδοκεῖ dixit potius quam δοκεῖ, ut significaret voluntatem feminæ cum mariti voluntate concordantem. ❡ μὴ ἀφιέτω αὐτήν, *non dimittat illam*] Μὴ ἀποπεμπέτω· ne ipse prior bene concordans matrimonium dissolvat. Objici potest; At Nehemias conjugia Judæorum cum feminis alieni cultus dissolvi voluit. Responsum esto: hoc præceptum datum fuisse soli populo Hebræo Exod. XXXIV, 16. ut qui illo tempore quam longissime ab aliis populis debebat separari. Aliis populis ea lex non fuit data, nec expediebat eam dari post revelatum mysterium de vocatione Gentium.

13. Καὶ γυνὴ ἥτις ἔχει ἄνδρα ἄπιστον, *Et si qua mulier habet virum infidelem*] Paria dat monita utrique sexui. Exemplum in matre Timothei. ❡ καὶ αὐτὸς συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ' αὐτῆς, μὴ ἀφιέτω αὐτόν· *& hic consentit habitare cum illa; non dimittat eum*] Ἀφιέναι [*dimittere*] hic usurpat de muliere, non dura admodum καταχρήσει [*Abusione*], quia etiam ἡ ἀπολείπουσα [*quæ divortium facit*] potest dici ἀφιέναι [*dimittere*]. Sic חדל vertitur per ἀφιέναι [*dimittere*], & עזב, & alia quæ *deserendi* habent significationem.

14. Ἡγίασται γὰρ ὁ ἀνὴρ ὁ ἄπιστος ἐν τῇ γυναικί, καὶ ἡγίασται ἡ γυνὴ ἡ ἄπιστος ἐν τῷ ἀνδρί. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*] Hic ὁ ἀνὴρ [*vir*] & ἡ γυνὴ [*mulier*] dicuntur μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] pro *usu viri* aut *uxoris*, id est, consuetudine conjugali. Et ἐν τῇ γυναικί [*per mulierem*] & ἐν τῷ ἀνδρί [*per virum*] valet *propter mulierem Christianam, propter virum Christianum*. In Manuscripto vero pro τῷ ἀνδρί [*virum*], est ἀδελφῷ [*fratrem*], ex more Christianorum qui se mutuo *fratres* & *sorores* vocabant. Quod vult dicere, hoc est: Qui Christianus est, quæve Christiana, novit etiam in consuetudine illa officii sui limites. Vide historiam de femina Christiana apud Justinum Apologetico. Tertullianus II. ad Uxorem, *Non ut penes sanctos officia sexus, cum honore ipsius necessitatis tanquam sub oculis Dei modeste & moderate transiguntur*. Vide Clementem Alexandrinum Pædagogi II, 10. Idem Stromat. III. Τῶν ἁγιαζομένων ἅγιον καὶ τὸ σπέρμα [*sanctificatorum semen etiam sanctum est*]. Quare sicut *cibus*, id est, ciborum usus, *sanctificatur per preces & gratiarum actiones*, I Tim. IV, 5. hoc est, Deo gratus est: ita & ille conjugii usus propter pietatem quam etiam in ea re conjugum melior observat. Causam, cur hæc scripserit Paulus, Tertullianus annotat, *Verebantur ne non liceret eis matrimonio suo uti qui in carnem sanctam Christi credidissent*. Apud Hebræos dicitur *uxor viro sanctificari per arrham, scripturam, concubitum*; id est, fieri legitima conjux. Vide Mosem de Kotzi præcepto jubente 48. & de honestate feminarum Paraphrasten Chaldæum ad Cantic. IV, 12. ❡ ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι. *alioquin filii vestri immundi essent*] Ἐπεί, hic est *alioqui*, ut apud Græcos sæpe: & ἄρα, πλεονάζει [*abundat*]. Ita recte interpretantur hic & Syrus & Latinus. *Si uterque esset idololatra, liberi vestri essent immundi*, id est, טמאים *profani*, quia educarentur in cultum idolorum Deo displicentem. ❡ νῦν δὲ ἅγιά ἐστιν. *nunc autem sancti sunt*] *Jam vero liberi vestri sunt* כשרים *recti, mundi, Deo grati*, quia Deus ad educationem liberum opitulatur parti meliori. Cujus exemplum habemus in Timotheo: & haud dubium quin multa exstiterint alia ejusmodi, cum hæc Paulus scriberet. Tertullianus de Anima, *Hinc enim & Apostolus ex sanctificato altero sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina. Cæterum, inquit, immundi nascerentur, quasi designatos tamen sanctitati, & per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios, ut hujus spei pignore matrimoniis quæ retinenda censuerat, patrocinaretur.* Idem ad Uxorem II, *Si ergo ratum est apud Deum matrimonium ejusmodi, cur non & prospere cedat, ut pressuris & angustiis & impedimentis & inquinamentis non ita lacessatur, habens jam ex parte Divinæ gratiæ patrocinium?* Hieronymus quoque ad quæsita Paulini intelligit *sanctos* dici liberos, ideo quod candidati sint fidei, nati & educati extra inquinamenta idololatriæ. Idem ad Lætam, *Sancta & fidelis domus virum sanctificat infidelem.*

Jam

Jam candidatus est fidei, quem filiorum & nepotum credens turba circumdat: id est, de tali viro est cur bene speretur.

15. Εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, *Quod si infidelis discedit*] *Si se subtrahit*, id est, dirimit conjugium *pars pagana*. χωρίζεται [*discedit*] hic de utroque conjuge dicitur: passivum pro reciproco. ❡ χωριζέσθω. *discedat*] Sinatur facere quod vult. Idololatra mœcho similis: Hermas 11, 4. ❡ οὐ δεδούλωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοῖς τοιούτοις· *non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*] Non obligatur ut cœlebs maneat & reconciliationem exspectet aut procuret. Lex Christi de Christianæ disciplinæ consortibus agit: quos propius vinculum nectit, & apud quos si quid aberratum est, facilis est sanatio per Ecclesiæ auctoritatem. Vide quæ diximus ad Matth. v. Omnis obligatio servituti est similis, & ideo ex vicino id nomen arripit. ❡ ἐν δὲ εἰρήνῃ κέκληκεν ἡμᾶς ὁ Θεός. *in pace autem vocavit nos Deus*] Id est, εἰς εἰρήνην [*in pacem*], ut pacem servemus etiam cum paganis, quoad fieri potest. Vide Rom. xii, 28. *In id vocati sumus*, id est, hoc est officii nostri.

16. Τί γὰρ οἶδας, γύναι, εἰ τὸν ἄνδρα σώσεις; ἢ τί οἶδας, ἄνερ, εἰ τὴν γυναῖκα σώσεις; *Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies?*] Pertinet hoc ad id quod dictum supra 12, 13, 14. Nam illud 15 per παρένθεσιν [*Interpositionem*] tantum interjectum fuit. Simile habuimus supra 6, & alibi. Non frustra autem hoc dicit, quia lucrifactorum per mulieres virorum, & mulierum per viros erant exempla, quæ bonam spem facerent. Magnam enim vim habebat in animos sancta viri aut mulieris conversatio. Σώζειν [*Salvum facere*] dicuntur alii alios quos ad Christum perducunt, infra ix, 21. 1 Timoth. iv, 16. Jac. v, 20. Sic Josephus Jacobi filius, sic Moses τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας εἰς τὴν ἑαυτῶν μετῆξαν εὐσέβειαν [*uxores suas traduxerant ad religionem suam*], ait Scriptor Responsionum ad Orthodoxos, responsione x. Clemens Strom. iv. Ἑλέσθω οὖν ἡ κοσμία, πρῶτον μὲν πείθειν τὸν ἄνδρα κοινωνὸν αὐτῇ γίνεσθαι τῶν εἰς εὐδαιμονίαν φερόντων· εἰ δ' ἀδυνάτως ἔχοι, μόνη σπευδέτω ἐπ' ἀρετήν, πάντα κατὰ τὸν ἄνδρα πειθαρχοῦσα, ὡς μηδὲν ἄκοντός ποτε ἐκείνου πρᾶξαι, πλὴν ὅσα εἰς ἀρετὴν καὶ σωτηρίαν διαφέρειν νομίζει [*Eligat ergo mulier bene morata, primum quidem persuadere marito, ut consors ei fiat in iis quæ ad beatitudinem ferunt; si vero id impossibile sit, sola operam det virtuti, in omnibus tamen viro parebit, neque eo invito faciet quicquam extra ea quæ credet ad virtutem salutemque momentum habere*].

17. Εἰ μὴ ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεός, ἕκαστον ὡς κέκληκεν ὁ Κύριος, οὕτω περιπατείτω. *Nisi unicuique sicut divisit Deus, unumquemque sicut vocavit Dominus, ita ambulet*] Illud quidem quod dixi non scis, sed hoc debes scire, talia non obstare saluti. εἰ μὴ [*nisi*] pro ἀλλὰ [*sed*] poni notarunt viri egregii. Tale est Plautinum illud,

Ei liberorum, nisi divitiæ, nihil erat.

Id est, nihil ei erat liberorum, sed erant divitiæ. Vide Gal. i, 7. & ii, 16. Tum vero inverso ordine bis hic ὡς [*sicut*] positum, quomodo & supra iii, 5. Et in Manuscripto est: ἑκάστῳ ὡς ὁ Κύριος ἐμέρισεν [*unicuique sicut Dominus divisit*]. חלק, id est, μερίζειν [*dividere*] dicitur Deus, cum alicui sortem aliquam assignat natalium, fortunæ, conjugii. Bene autem addit, *ut quemque vocavit Deus*, explicans illud ἐμέρισεν [*divisit*]. Ex quo Deus te vocavit ad Euangelium, & tu scilicet vocanti paruisti, ex eo paternam & peculiarem tui gestat curam. Quod si putasset saluti tuæ esse noxium, Vivere cum pagano, Natum esse ex Israëlita aut pagano, Statu liberum esse aut servum, aliter ea dispensasset. Nunc cum non aliter dispensaverit, inde collige, nihil hoc saluti tuæ obstare, ut nimirum

—— quam tibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa
Contentus vivas. ——

περιπατεῖν hic ut הלך [*ambulare*] apud Hebræos est *vitæ genus sive institutum insistere.* Errant qui putant ab exscriptoribus hic transpositionem factam contra Pauli mentem. Mos est Pauli obiter quædam à re non aliena interjicere, ac deinde cœptum sermonem repetere. Itaque ex occasione eorum quæ de conjugio dispari dixerat, locum ingreditur communem de variis hujus vitæ conditionibus quæ saluti nihil obstent. Redit vero ad propositum commate 25. ❡ καὶ οὕτως ἐν ταῖς ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι. *& ita in omnibus Ecclesiis doceo*] Nihilo plus vos quam cæteros onero. Paria doceo ubique tum præcepta, tum monita.

18. Περιτετμημένος τις ἐκλήθη; *Circumcisus aliquis vocatus est?*] Vocatus quis est ad fidem cum à parentibus esset circumcisus, more Judaico. ❡ Μὴ ἐπισπάσθω. *Non adducat*] Subauditur τὴν ἀκροβυστίαν [*præputium*]. אל ימשך ערלה [*non protrahat præputium*]. *ne glandem tegat, cutem extendendo:* ita enim loquitur Celsus vii, 27. Josephus id vocat τὴν περιτομὴν ἐπικαλύπτειν [*circumcisionem obtegere*]. Faciebant hoc quidam odio Judaismi, qua de re diximus 1 Maccab. i, 16. Quo id fiebat, *spaster* dicebatur, teste Epiphanio. ❡ ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ἐκλήθη; *in præputio aliquis vocatus est?*] Natus scilicet ex Gentibus. ἐν ἀκροβυστίᾳ [*in præputio*], id est, ἀκροβυστίαν ἔχων [*habens præputium*] ut Rom. iv, 10. ❡ Μὴ περιτεμνέσθω. *Non circumcidatur*] Non est quod suscipias onus à Deo non impositum. Neque enim es ex Abrahami posteris.

19. Ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι, καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστιν, *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est*] Οὐδέν ἐστι [*nihil est*], id est, *nullius est momenti*, in salutis negotio, de quo hic agimus. ❡ ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν Θεοῦ. *sed observatio mandatorum Dei*] Supple *momentum habet maximum*. Ex hoc loco collato cum eo qui est Gal. v, 6. & vi, 15. discimus in idem recidere, sive dicas *observationem præceptorum Dei* (nempe in Euangelio), sive *fidem quæ per dilectionem operatur*, sive *novam creaturam*. Prima locutio rem significat, secunda partes ei rei assignat, tertia causam primariam indicat. Quando igitur ab hac re pendet salus, ad hanc studia omnia nostra referamus.

20. Ἕκαστος ἐν τῇ κλήσει ᾗ ἐκλήθη, ἐν ταύτῃ μενέτω. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*] Est παρονομασία [*Vocum allusio*]. Nam aliud significat κλῆσις, aliud ἐκλήθη. κλῆσις est *appellatio*, id est, conditio hominis ex qua appellatur Judæus, Græcus, liber, servus, per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] Hebræis frequentem, quibus נקרא καλεῖσθαι [*vocari*] *statum* alicujus, aut *conditionem* significat. Verbum autem ἐκλήθη [*vocatus est*] pertinet ad designationem temporis quo quis ad fidem pervenit. *In hac maneat*, id est, hac contentus sit, ut jam diximus. Nam μένειν [*manere*] pro ὑπομένειν, *tolerare*: & utroque modo vertitur Hebræum עמד & יחל.

21. Δοῦλος ἐκλήθης; *Servus vocatus es?*] Cum servus esses, Euangelii cognitionem es adeptus. ❡ Μή σοι μελέτω. *Non sit tibi curæ*] Ne id te eo usque commoveat, ut propterea à domino fugias. Nam specie libertatis, quam Christus suis paravit, quidam & magistratuum & dominorum imperia spernebant. Sic Stoica Secta, quæ *sapientem esse Regem* dicebat, *male intellecta arrogantes faciebat & turbidos*, notante Tacito Annalium xiv. Quidam etiam molesti erant Ecclesiæ, ut ejus sumptu libertatem adipiscerentur, quod reprehendit Ignatii dicta Epistola ad Polycarpum. Debebat quisque Christianorum qui similis esset conditionis, id cogitare quod Epictetus:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρός,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

[Servus Epictetus, tum corpore mancus, & Irus
Pauperie veniens, Dis sed amicus eram].

Aristonymus inter philosophiæ beneficia hoc recitat, βιώσῃ ἀρκούμενος τοῖς παροῦσι, τῶν ἀπόντων οὐκ ἐπιθυμῶν [*Vives præsenti rerum statu contentus, absentia non desiderans*]. ❡ ἀλλ' εἰ καὶ δύνασαι ἐλεύθερος γενέσθαι, μᾶλλον χρῆσαι. *sed & si potes fieri liber, magis utere*] Si potes volente domino libertatem obtinere, sume hoc, non tanquam ἀγαθὸν [*bonum*], sed tanquam προηγμένον [*præcipuum*], ut loquuntur Stoici. Fac autem hoc non aliam ob causam, quam ut expeditius Deo & Ecclesiæ servire possis. Nam servi non poterant Episcopi aut Presbyteri fieri nolente domino. Vide Canonem Apostolicum lxxxii. Non suadet ut illos Hebræos imitemur qui aures sibi perforari sinebant, Exodi xxi, 6.

22. Ὁ γὰρ ἐν Κυρίῳ κληθεὶς δοῦλος, ἀπελεύθερος Κυρίου ἐστίν· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἐλεύθερος κληθείς, δοῦλός ἐστι Χριστοῦ. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi*] Est hic & ἀντίθετον [*oppositum*] & ὀξύμωρον [*acutifatuum*] Rom. vi, 20, 21, 22. *Servus per Christum ad fidem perductus, libertus est Christi*, & quidem Orcinus, per ipsum scilicet liberatus à molestis dominis, cupiditatibus ac vitiis. *Vicissim homo ingenuus, servus nihilo minus esse debet, nempe Christi.* Vide quam brevi argumentatione Paulus servos liberis æquaverit. Ignatius, Εἰς δόξαν Θεοῦ πλεῖον δουλευέτωσαν ἵνα κρείττονος ἐλευθερίας τύχωσιν ἀπὸ Θεοῦ [*Ad Dei gloriam plus etiam serviant, quo præstantiorem libertatem à Deo consequantur*]. Tertullianus de Corona, *Coronat & libertas secularis; sed tu jam redemptus es à Christo, & quidem magno. Servum alienum quomodo seculum manumittit? Et si libertas videtur, sed & servitus videbatur. Omnia imaginaria in seculo, & nihil veri. Nam & tunc liber hominis eras redemptus à Christo, & nunc servus es Christi, licet manumissus ab homine.* Ἀπελεύθερος [*Libertus*] מתר Rabbinis & Chaldæis. Syrus hic posuit מחררא quod est ἐλευθερωθεὶς [*libertate donatus*].

23. Τι-

23. Τιμῆς ἠγοράσθητε· *Pretio empti estis*] Repetit quod supra dixerat VI, 20. quia nimis sæpe id dici non poterat. ¶ μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων. *nolite fieri servi hominum*] Christi estis: nolite in vos ultro accersere servitutem non necessariam, quam vobis imponere volunt isti doctores pro suo lubitu. Quasi dicat: Si servitus illa legibus introducta vobis est gravis, cur aliam sponte vestra in vos attrahitis?

24. Ἕκαστος ἐν ᾧ ἐκλήθη, ἀδελφοί, ἐν τούτῳ μενέτω παρὰ τῷ Θεῷ. *Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc maneat apud Deum*] Quisque in quo statu ad fidem pervenit, eum toleret tanquam Deo inspectante: לפני יהוה [*in conspectu Domini*].

25. Περὶ δὲ τῶν παρθένων, *De virginibus autem*] Redit ad propositum: nam cum de conjugibus & viduis egisset, æquum erat eum aliquid dicere & de virginibus. ¶ ἐπιταγὴν Κυρίου οὐκ ἔχω· *præceptum Domini non habeo*] Interpretare ut supra 6. & 10. *Nullum habeo Domini præceptum omnibus conveniens.* ¶ γνώμην δὲ δίδωμι, *consilium autem do*] *Consilium* do: quod si secuti eritis, laudabo vos; sin minus, non damnabo. Vide quæ diximus ad Matth. XIX, 12. γνώμη est *consilium* ut II Cor. VIII, 10. utitur sic Thucydides & alii. Et ita hic accepit Syrus. nam מלכא est *consilium*. Occurrit apud Paraphrastas Chaldæos sæpe. ¶ ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι. *tanquam misericordiam consecutus à Domino ut sim fidelis*] *Ut qui Domino fidelis sim servus, sed hoc ipsum consecutus Dei beneficio.* Ita semper Paulus quicquid in se & aliis est virtutis refert ad Dei misericordiam, quæ nunquam quidem hominibus defuit, sed in Euangelio apertissime patefacta est. ἐλεημένος ab ἐλεεῖσθαι quod est *beneficium consequi*, quod verbum passivum habemus Matth. V, 7. Rom. XI, 30, 31. II Cor. IV, 1. I Timoth. I, 13, 16. I Petr. II, 10. Idem est ἠλεημένος [*misericordiam consecutus*] quod κεχαριτωμένος [*beneficio affectus*], נחון. nam nostris scriptoribus ἔλεος [*misericordia*] omne *beneficium* significat. Vide quæ diximus ad Luc. I, 28.

26. Νομίζω οὖν τοῦτο καλὸν ὑπάρχειν διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, *Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem*] Καλὸν [*bonum*] id est, κάλλιον, *melius*, ut supra I. *ob præsentes angustias.* Nam ἐνεστὼς [*instans*] opponitur μέλλοντι [*futuro*] Rom. VIII, 38. supra III, 22. Gal. I, 4. ἀνάγκη [*necessitas*] vero *angustias* atque *ærumnas* significat, ut diximus ad Luc. XXI, 23. Quod autem de suis temporibus dicit Paulus, id omnibus temporibus post Christum convenit. Nam secundum Christum vivere volentibus nunquam deerunt vexationes, modo minores tamen, modo majores: sed etiam subito maximæ ingruere possunt. Et quanto est satius unum caput quam multa objicere talibus malis?

> Μία γὰρ ψυχὴ, ἧς ὑπὲρ ἀλγεῖν
> Μέτριον ἄχθος
> [*Namque una anima est, qua super angi*
> *Mediocre onus est*].

ait Euripides. Philippides verò,

> Τὸ Πλάτωνος ἀγαθὸν εἶπε τοῦτο Φιδύλη,
> Μὴ λαμβάνειν γυναῖκα, μηδὲ τῇ τύχῃ
> Διὰ πλειόνων αὐτὴν παραβάλλειν πραγμάτων
> [*Phidyle optime ajebat Plato,*
> *Vel eo carendas nuptias, negotia*
> *Ne plura ad ictum pateant fortunæ magis*].

Vide Matth. XXIV, 19. ¶ τὸ οὕτως εἶναι. *sic esse*] Quæstionem proposuerat de feminino sexu, & respondet de utroque: par enim ferme est ratio. τὸ οὕτως εἶναι [*sic esse*], id est, sicut virgines, sine conjugio scilicet.

27. Δέδεσαι γυναικί; Μὴ ζήτει λύσιν. *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem*] Ita cœlibem vitam præfert ut à fideli nolit incipere divortium. δέδεσαι; id est, *obligatus es?* Nam matrimonium vinculum est. Sic & Roman. VII, 2. λύσις [*solutio*] est χωρισμὸς [*separatio*]. Sic in Digestis, *Soluto matrimonio.* ¶ Λέλυσαι ἀπὸ γυναικός; *Solutus es ab uxore?*] Id est, *liber es?* Nam præcipue de nunquam nuptias expertis nunc loquitur. Sic apud Hebræos sæpe passiva sumuntur pro verbis neutris. ¶ Μὴ ζήτει γυναῖκα. *Noli quærere uxorem*] Hoc jam consilii est, ut supra dixit.

28. Ἐὰν δὲ καὶ γήμῃς, οὐχ ἥμαρτες· *Si autem acceperis uxorem, non peccasti*] *Non violasti fœdus*, ut loquitur in hac re Clemens Alexandrinus. ¶ Θλῖψιν δὲ τῇ σαρκὶ ἕξουσιν οἱ τοιοῦτοι. *tribulationem tamen carnis habebunt ejusmodi*] Ipsum quidem matrimonium semper per se multas habuit molestias, sed non potest non plurimas habere, ubi quis vivere proposuit contra sæculi morem. Mundus enim suos amat. Odit contrarios. ¶ ἐγὼ δὲ ὑμῶν φείδομαι. *ego autem vobis parco*] Id est, *vestrum miseratione ducor.* Vide Act. XX, 29.

29. Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοί, *Hoc itaque dico, fratres*] Utilitatem sui consilii, semper boni, commendat ex rebus futuris sibi à Deo revelatis, id est, à superventura persecutione per Neronem. Similem prædictionem Ephesiis factam à Paulo habes Actor. XX, 29. ¶ ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν, ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες γυναῖκας ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι· *tempus breve est reliquum, ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint*] Legenda hæc uno spiritu: sensus enim est, *breve post hac tempus futurum, cum si qui uxores habent, pares futuri sint non habentibus*, nempe quia quotidie in periculis erunt ne alter alteri abripiatur per sævitiam Judicum aut inimicorum. Καιρὸς συνεσταλμένος, *tempus contractum*, id est, breve. Τὸ λοιπὸν est *posthac*, ut Matth. XXVI, 45. Marci XIV, 41. Hebr. X, 13. Utitur & Demosthenes & alii. In Glossario λοιπὸν, ἐπίρρημα, *post*, *secus*, *jam*. Est autem hæc prophetia cum libertate quadam adumbrata ex illa Esaiæ XXIV. Cui similis locus Ezech. VII, 12, 13. Et ἵνα [*ut*] est pro ὅτι [*cum*] ut III Joh. 4. Ita sæpe כי ponitur apud Hebræos, ut Genes. XXXVIII, 9.

30. Καὶ οἱ κλαίοντες ὡς μὴ κλαίοντες· *Et qui flent tanquam non flentes*] Non vacabit iis qui in luctu erunt sumere lugubria, Ezech. XXIV, 16, 22. Jerem. XVI, 4. XXII, 18. Insuper erit cur gaudeant ob ereptos amicos calamitatibus, Jerem. XXII, 10. ¶ καὶ οἱ χαίροντες ὡς μὴ χαίροντες· *& qui gaudent tanquam non gaudentes*] Sponsi & sponsæ paria cum cæteris mala ferent, nec manebit eis gaudium, Joel. II, 16. ¶ καὶ οἱ ἀγοράζοντες ὡς μὴ κατέχοντες· *& qui emunt tanquam non possidentes*] Qui fundum emerunt, pares erunt nihil possidentibus. Hunc sensum habes dictis locis Ezech. VII, 12, 13. & Esaiæ XXIV, 2.

31. Καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ ὡς μὴ καταχρώμενοι· *Et qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur*] Καταχρᾶσθαι, idem est quod χρᾶσθαι [*uti*], nisi quod videtur plenius quiddam significare. Plato, οὐκ ὀρθῶς κατακέχρηται δωρεᾷ, *dono non recte usus est.* Lysias, ἀργύριον κατακέχρητο [*argentum abusus est*] *absumpsit*, sicut & Romani *abuti rem* dicunt pro *utendo consumere.* Sic σχολὴν καταχρᾶσθαι, *tempus insumere.* *Mundum* hic intelligit res hujus vitæ. Qui large eis usi sunt antea, pares erunt eis qui parce usi sunt. ¶ παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου· *præterit enim figura hujus mundi*] Idem sensus qui in illis Esaiæ XXIV, 4. נבלה תבל אמללה הארץ [*terra infirmata est, defluxit orbis*]. Sed locutio desumpta est à theatro. Dicitur παράγειν τὸ σχῆμα τῆς σκηνῆς, ubi scena invertitur aliamque plane ostendit faciem. Hoc vult: non manebunt, ut nunc sunt, res tranquillæ, sed mutabuntur in turbidas. Sic I Joh. II, 17, ὁ κόσμος παράγεται [*mundus transit*].

32. Θέλω δὲ ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι. *Volo autem vos sine sollicitudine esse*] Θέλω hic rursus est, *velim* aut *malim*, ut supra 7. Et ἀμερίμνους [*sine sollicitudine*] intelligendum comparate. Minus enim curarum habet qui se, non totam familiam curat. Hæc altera est ratio præter illam de persecutione, cur cœlibatus conjugio præferendus. Maxime autem hoc locum habet in iis qui se totos Ecclesiæ ministerio dederunt. ¶ ὁ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, πῶς ἀρέσει τῷ Κυρίῳ. *qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*] Hoc præcipue agit, vix aliud habet quod agat.

33. Ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. *Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori*] Sollicitus est in cultu corporis, in ornatu ædium, suique & uxoris: qualia amare solent mulieres. Vide Plautum Aulularia III, 5.

34. Μεμέρισται καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. *Discreta sunt & uxor & virgo*] Est & hic passivum pro verbo neutro, ut supra 27. μεμέρισται [*discreta est*], id est, *distat*: quia quæ dividuntur, distant. Sic פרש usurpant Hebræi & Syri. *Multum interest, nupta & virgo.* ¶ ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου, ἵνα ᾖ ἁγία καὶ σώματι καὶ πνεύματι. *innupta cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu*] Ἁγία [*Sancta*] hic intellige eximie. Nam & corpus habet intactum voluptatibus, & animum Christo plenius vacantem. Bene Naumachius,

> Καλὸν μὲν δέμας ἁγνὸν ἔχειν, ἀδμῆτι τε μίμνειν
> Παρθενικὴν, καθαροῖσι τ' ἀεὶ μελεδήμασι χαίρειν,
> Μήτε βαρυλλήτων λαχέειν περὶ φόρτον ἀγκῶν,
> Μήτε πόνον τρομέουσαν ἀμείλικτον Εἰλειθυίης.
> Ἀλλ' ἤδη βασίλειαν ἀφαυρὸν ἐπιλυτ...
> Ψυχῆς ἔμμεν φαεινὸν ὑπὲρ βιότοιο χίτωνα,
> Ἔνθα γάμοι κεδνοὶ καὶ ἀληθέες, ἔνθα μιγεῖσαι
> Θεσπεσίοις ἐπέεσσι νοήματα φαίδιμα τίκτει
> [*Pulchra quidem res est intacta in corpore casto*
> *Virginitas, animi sanctis exercita curis:*
> *Quæ nec onusta malis trahit ilia fessa laborum,*
> *Sæva nec immitis Lucinæ tela tremiscit.*

Hanc

Hanc sectata viam, veluti dea, cœtibus exstans
Fœmineis, trans vitam humilem sua lumina mittit,
Vera jugantur ibi connubia, fœtaque sanctis
Vocibus interno gaudet mens conscia partu].

¶ ἡ δὲ γαμήσασα μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῷ ἀνδρί. *qua autem nupta est cogitat qua sunt mundi, quomodo placeat viro*] Comit se oculis mariti, ei mores suos accommodat.

35. Τοῦτο δὲ πρὸς τὸ ὑμῶν αὐτῶν συμφέρον λέγω· *Porro hoc ad utilitatem vestram dico*] Consilium dantis est, spectare quod expedit cui consilium datur. Manuscriptus habet σύμφορον pari sensu. ¶ οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω, *non ut laqueum vobis injiciam*] Βρόχος est פח [*tendicula*] Prov. VI, 5. XXII, 25. alibi παγίς. *Non ut vobis laqueum injiciam*, id est, vobis præcepta dictem quæ Christus non dedit. Id enim אסר, id est, *ligare* dicunt Hebræi. Idem dicitur ἐπιθεῖναι ζυγὸν [*jugum imponere*] Act. XV, 10. & βάρος [*onus*] Act. XV, 28. Φορτία [*onera*] Matth. XXIII, 4. Translatio satis plana. Nam opinio de re aliqua ut illicita hominem pressum, adstrictum & quasi illaqueatum tenet. Sic Proverb. VI, 2, נוקשת, *obligatus es*. ¶ ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον, *sed ad id quod honestum est*] Comparate. Est enim honestum matrimonium, sed honestior castus cœlibatus. Sic εὐσχημοσύνη est *decor* infra XII, 23. & εὐσχημόνως, *decore*, Rom. XIII, 13. infra XIV, 40. I Thessal. IV, 2. in Glossario εὐσχήμων, *honestus*. ¶ καὶ εὐπάρεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως. *& quod facultatem prabeat sine impedimento Dominum obsecrandi*] Παρεδρεύειν dicitur qui *assidet*, Prov. VIII, 3. & per Translationem qui *inservit* infra IX, 13. Sic I Sam. II, 22. הצבאות Symmachus verterat προσεδρευουσῶν [*inservientium*]. Qui *alicui vacat*, dicitur ei esse πάρεδρος [*assidens*], aut eum habere πάρεδρον [*assessorem*]. Sapient. VI, 14. IX, 4. εὐπάρεδρον Græco more, qui adjectivum neutrum pro substantivo denominato usurpant, est *facilitas ad vacandum alicui*: nam eam vim habet εὖ in compositionibus. Ἀπερίσπαστος [*sine impedimento*] adjectivum habemus & Sapient. XVI, 11. & Sirach. XLI, 2. περισπᾶσθαι est *occupari*, *distrahi*, Ecclesiastæ I, 13. V, 19. Luc. X, 40. ἀπερισπάστως, *ita ut non distraharis*, sicut cura familiaris distrahit eos qui in conjugio vivunt à piis meditationibus & factis. Utitur hac voce Athenæus.

36. Εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει, ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος, καὶ οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι· ὃ θέλει ποιείτω· *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat*] Si quis putat ἀσχημονεῖν [*turpem videri*], id est, ἀσχημονήσειν [*turpem visum fore*], præsens pro futuro ut sæpe: *subiturum se dedecoris aliquid per virginem eo quod sit plus satis matura*. Respicit Corinthiarum puellarum ingenia. Idem de Hebræis puellis videntur existimasse magistri, quorum est sententia, *Si filia tua sit* בוגרת ὑπέρακμος [*superadulta*], *manumitte servum tuum ut ipsi eum facias maritum*. Hæc est causa cur Justinianus noluerit exheredari posse filiam, si quid in corpus suum peccaverit, postquam ad viginti quinque annos ætatis venerit, & parentes eam nuptum dare distulerint. Nov. CXV, 3. Menander:

> Θυγάτηρ ἐπίγαμος, κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ,
> Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὑτῆς λέγει.
> [*Ætate nata nubili, ut dicat nihil,*
> *Satis tamen ipso significat silentio*].

Ἀκμὴ est *flos ipse ætatis*. Eam quæ supergressæ sunt, magis ostendunt cujus sunt ingenii, & si eo ferantur, magis ὀργῶσι [*impatienter appetunt*].

> *Hac bona non primæ tribuit natura juventæ:*
> *Quæ cito post septem lustra venire solet.*

Ἀσχημοσύνη solet dici de *re turpi*, ut Rom. I, 27. Turpitudo autem liberum ad parentes redundat, Prov. XIX, 13. εἰ οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι [*si ita oporteat fieri*], *si urget necessitas* ex corpore aut animo puellæ. Huic opponitur μὴ ἔχων ἀνάγκην [*non habens necessitatem*], *cui nulla talis imponitur necessitas*. ὃ θέλει ποιείτω [*quod vult faciat*], Det eam nuptum. Ea enim res more Judæorum, qui & nunc obtinet, ex auctoritate patrum pendebat: nec minus more Græcorum:

> ——— ——— Τῶν δ' ἐμῶν νυμφευμάτων
> Πατὴρ μελήσει ———
> [——— ——— *Sed meis de nuptiis*
> *Patris mei sit cura* ——— ———],

est apud Euripidem. Et apud Sophoclem mulier sic loquitur,

> Ὅταν δ' ἐς ἥβην ἐξικώμεθ' εὔφρονες
> Ὠθούμεθ' ἔξω καὶ διεμπολώμεθα
> [*Ubi ad juventa venimus latas fores*
> *Lare è paterna mendica protrudimur*].

¶ γαμείτωσαν. *nubant*] Nempe ipsa & qui ipsam desiderat. In singulari cœperat, concludit in duali, quia res hæc nisi inter duos peragi non potest.

37. Ὃς δὲ ἕστηκεν ἑδραῖος ἐν τῇ καρδίᾳ, *Nam qui statuit in corde suo firmus*] *Qui primum ipse tenax est sui propositi*, filiam servandi virginem. Ἑδραῖος est *tenax propositi*, infra XV, 58. Coloss. I, 23. in Glossario ἑδραῖος, *firmus*, *stabilis*. ¶ μὴ ἔχων ἀνάγκην, *non habens necessitatem*] Id est, si præterea tali proposito nec corpus nec animus filiæ obsistit. ¶ ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, *potestatem autem habens sua voluntatis*] Multis verbis eandem rem exsequitur, quia non vult nolenti filiæ necessitatem virginitatis imponi. *Si libertatem habet faciendi quod vult*, id est, si per filiam non stat. Nam jus hac in re magnum est parentum, sed & spectanda filiæ voluntas.

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.

¶ καὶ τοῦτο κέκρικεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, τοῦ τηρεῖν τὴν ἑαυτοῦ παρθένον, *& hoc judicavit in corde suo servare virginem suam*] Κέκρικα [*judicavi*] dicunt Philosophi, ubi aliquid *plane decreverunt*. Vide & Rom. XIV, 13. Et τοῦ hic, ut alibi, sæpe præponitur infinitivo pro quo alii τὸ ponerent. Τὴν ἑαυτοῦ [*suam*] *filiam* scilicet, nam articuli sunt vice nominum quæ ex materia subjecta facile intelliguntur. ¶ καλῶς ποιεῖ. *bene facit*] *Rem facit valde laudabilem*. Dare vult filiæ quod longe optimum est.

38. Ὥστε καὶ ὁ ἐκγαμίζων, καλῶς ποιεῖ· *Itaque qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit*] Ἐκγαμίζειν est *spondere*, *nuptum collocare*. Vide Matth. XXII, 30. XXIV, 38. Luc. XVII, 27. XX, 34. 35. In Manuscripto bis est γαμίζων [*qui matrimonio jungit*]. ¶ ὁ δὲ μὴ ἐκγαμίζων, κρεῖσσον ποιεῖ. *& qui non jungit. melius facit*] Est enim aliquid licito melius. Vide quæ diximus libro III de Jure Belli ac Pacis IV, 12.

39. Γυνὴ δέδεται νόμῳ, ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit*] *Vincta est Lege conjugii*. Sic vocem νόμου [*Legis*] & verbum δεδέσθαι [*alligari*] habuimus & Rom. VII, 2. Sed ibi secundum jus Mosis, hic secundum jus à Christo datum. ¶ ἐὰν δὲ κοιμηθῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, *quod si dormierit vir ejus*] De hac locutione diximus ad Matth. IX, 24. XXVII, 52. Joh XI, 11. Act. XIII, 36. Vide & infra XI, 30. XV, 6, 18, 20, 51. I Thessal. IV, 13, 14, 15. II Petr. III, 4. In Manuscripto tamen est ἀποθάνῃ [*mortuus fuerit*]. ¶ ἐλευθέρα ἐστὶν ᾧ θέλει γαμηθῆναι· *liberata est cui vult nubat*] Id est, *jus habet de se statuendi*. Nubendo nihil facit contra Christum, Deum non offendit. ¶ μόνον ἐν Κυρίῳ. *tantum in Domino*] Id est, *intra Ecclesiam*, cum Christiano scilicet. Vide quæ de hac locutione dicta ad Rom. IX, 3. De re ipsa vide infra II Cor. VI, 14. & Tertulliani librum ad Uxorem secundum. Ita hic accepit Arabs.

40. Μακαριωτέρα δέ ἐστιν ἐὰν οὕτω μείνῃ, *Beatior autem erit, si sic permanserit*] *Felicior*, *tranquillior*, *securior*, *si ita maneat*, id est, qualis est, innupta nimirum. Ita οὕτως [*sic*] & supra habuimus 26. ¶ κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην· *secundum meum consilium*] *Secundum id consilium quod dedi* supra 25. ¶ δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν. *puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam*] Non intelligit revelationem, sed sincerum affectum Deo & piis serviendi. Vide supra IV, 21.

CAP. VIII.

ERASMUS.

1. SCientia inflat, charitas ædificat] Hunc locum eo torquent quidam ut dicant esse periculosum bonas literas attingere; cum ipse Paulus paulo ante de se dixerit, *Scimus quod omnes scientiam habemus*, videlicet de se suique similibus loquens. Proinde non vetat Paulus ne non amplectamur scientiam, sed ne desit Scientiæ Charitas: alioqui nihil æque inflat atque inscitia. Tractat hunc locum eleganter Augustinus lib. Adv. Faustum 15. c. 8.

2. *Si quis autem existimat se scire*] Εἰ δέ τις δοκεῖ εἰδέναι τι, *Si quis quid videtur sibi scire*: aut, *Si quis videtur sibi aliquid scire*: ut intelligas omnem scientiæ persuasionem oportere abesse. ¶ *Nondum cognovit*] Οὐδέπω οὐδὲν ἔγνωκεν, *nondum quicquam novit*: ut intelligamus hanc esse præcipuam scientiæ partem, nosse rationem sciendi. Jam tametsi Græcæ negationis congeminatio est ex idiomate sermonis, tamen nonnihil facit ad

ad vehementiam: alioqui vertendum erat ad verbum, *nondum nihil novit.* Hic rursus libet istos quosdam anxie religiosos appellare qui nihil omnino mutandum putant in Divinis literis, ne Jota quidem aut apicem, Cur hic ausus est Interpres totam negationem omittere? Aut quinam explicabunt hunc locum qui Dialecticorum regulas per omnia sanctas & ἀκινήτους esse contendunt?

3. *De escis*] Περὶ δὲ τῆς βρώσεως τῶν εἰδωλοθύτων, *De esu vero eorum quæ idolis immolantur.* Quidam vertunt *immolatitia.* Dure vertit Græca: quis enim dicitur *immolare escas*? Nec abest amphibologia: potest enim accipi quod *ea quæ immolantur idolis comedant.* Et miror hic *escarum* vocabulum placuisse Interpreti, cum Græca commode reddi potuerint, *De esu eorum quæ simulacris immolantur.* ❡ *Quia nihil est idolum*] Ὅτι οὐδὲν. Potest legi, *quod nullum est* (sive *nihil esse*) *idolum*: nam addit *in mundo.* Melius autem vertisset ὅτι *quod.* Ambrosius pro *idolo* semper legit *simulacrum*: nam *idolum* Græca vox, sed à Latinis jam usurpata, à θύω *sacrifico*: inde εἰδωλόθυτα *simulacris immolata*; pro quo vulgus legit *idolotica* mendose, cum in Paulino codice scriptum habeatur *idolothyta.* Thomas Aquinas adducit novam differentiam inter *idolum* & *simulacrum*, quod *simulacrum* sit effictum ad similitudinem alicujus rei naturalis: *idolum* contra, *ut*, inquit, *si corpori humano addatur caput equinum.* Quæ distinctio vera sit necne judicent alii; mihi lexico quod *Catholicon* inscribunt non indigna videtur. Certe Ambrosius nullum novit discrimen inter *idolum* & *simulacrum*: nec ego ullum video, nisi quod *simulacrum* est vox Latina à *simulando* dicta, *idolon* Græca, ab εἶδος *species*, quod speciem & imaginem inanem præ se ferat, cum absit veritas: unde quæ nos *spectra* vocamus Græci vocant εἴδωλα. ❡ *Nullus est Deus nisi unus*] Ἕτερος, *alius*, deest in nostris. Et sicut non est ullus Deus præter unum, ita non est idolum quod Deum aliquem repræsentet.

5. *Siquidem sunt Dii*] Ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοί, *quemadmodum sunt Dii multi.* Fortasse Interpres legit, εἴπερ, *Siquidem sunt dii multi, & domini multi*] Totum hoc deest apud Ambrosium, adeo ut nec edisserens indicet se legisse. Non erat autem hinc periculum ne plures Deos crederemus, cum satis manifeste testetur illos non esse simpliciter Deos aut Dominos, sed illis esse Deos ac Dominos à quibus colebantur. Quemadmodum & Paulus Romanis scribens dicit *Deum* pseudapostolorum esse *Ventrem.* Huic respondet quod sequitur, *Nobis autem*, &c. Itidem & de se paulo post, *Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum.* Rursus non appellat eos simpliciter *Deos* ac *Dominos*, sed ait *vocari Deos ac Dominos*, videlicet nomine non re, & opinione non virtute.

6. *Ex quo omnia, & nos in illo*] Gr. *& nos in illum.* Atque ita primum scriptum erat in exemplari, quæ viderim omnium emendatissimo, bibliothecæ Paulinæ: quod tamen ita fuit erasum ut evidentissimum rasuræ vestigium testetur adhuc germanam scripturam. Neque vero nescio Græcam præpositionem esse ancipitem, neque me fugit quid interpretentur Ambrosius ac Thomas; mihi tamen videtur germanius *in illum*, ut respondeat ei quod præcessit, *ex quo omnia*, tanquam ab Autore summo, *& nos in illum*, ad quem ceu Fontem omnia referenda sunt. Aut *omnia* quidem sunt *ex illo*, qui condidit universa, *nos* tamen qui credidimus per fidem *in illum* conversi sumus, & velut in unum commissi, quemadmodum interpretatur Theophylactus. ❡ *Et unus Dominus*] Hic locus facit ad id quod alias admonuimus, Paulum fere *Dei* vocabulum tribuere Patri, *Domini* Filio; cum alias & Pater vocetur *Dominus*, & Filius dicatur *Deus.*

8. *Esca autem nos non commendat Deo*] Οὐ παρίστησι τῷ Θεῷ, *commendatos* (sive *gratos*) *reddit Deo.* Quod si vere dixit Paulus, unde nunc inter Christianos tot præcepta de Ciborum generibus? unde tanta in his observandis superstitio, ut pene nulla ex re magis judicemur? ❡ *Deficiemus*] Ὑστερούμεθα, *minus habemus.* Ambrosius legit *non deerit nobis.* Sensus est, Nihil habere momenti ad pietatem quibus vescamur cibis. Porro Græcis utrumque verbum est præsentis temporis, περισσεύομεν & ὑστερούμεθα, *plus habemus* & *minus habemus.* Neque enim temporis rationem declarare voluit Paulus, sed rei naturam; veluti si quis dicat, *Pauperes ubique negliguntur.*

9. *Ne forte hæc licentia*] Ἡ ἐξουσία, *potestas*, sive *jus.*

10. *Eum*] *Te.* Ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σὲ τὸν ἔχοντα γνῶσιν, *Nam si quis viderit te qui habes scientiam.* Porro secundam personam ex consuetudine sermonis pro quavis persona posuit. ❡ *In idolio*] Ἐν εἰδωλείῳ, *in idoleo*, penultima producta. Est autem *idoleum* locus simulacrorum, aut mensa in qua carnes sacræ proponebantur. Et cur non *accumbentem* potius quam *recumbentem*? κατακείμενον· nam *recumbunt* resupinati.

❡ *Nonne conscientia ejus, cum sit infirma*] Ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος, *Conscientia ejus qui infirmus est ædificabitur*, &c. Interpres legisse videtur ἀσθενὴς οὖσα. ❡ *Idolotica*] Reliquit aliquoties hanc vocem non versam. *Idolothyta* vero scribendum est, i. *idolis immolata*, ἀπὸ τὸ εἴδωλον & θύω, ut modo admonuimus.

12. *In Christum peccatis*] Hoc loco nescio an subscribendum sit sententiæ Ambrosianæ, qui legit *in Christo*, non *in Christum.* Id enim declarat illius interpretatio, *Quando enim charitatis non amuli sunt quæ Christus nos liberavit, peccant in Christo, non in Christum; quia* IN CHRISTUM PECCARE *negare est Christum;* IN CHRISTO *autem, in hac quæ sunt Christi. Sicut & hic qui sub Lege est,* IN LEGE *dicitur* PECCARE, *ita & hi qui sub Christo sunt,* IN CHRISTO PECCARE *dicuntur.* Certe Græci legunt *in Christum*: qui sermo ut sit anceps, tamen Chrysostomus ac Theophylactus interpretatur hanc injuriam admitti in Christum, quandoquidem committitur in membrum Christi.

13. *Non manducabo carnem*] Οὐ μὴ φάγω, *non manduco*, sive *non edo*, aut *vescor carnibus.* Et est ἐμφατικώτερον per tempus præsens. Tametsi non negem in his verbis Græcos aliquoties abuti verbo præsentis temporis vice futuri, & geminatam negationem nihilo plus efficere quam unam nisi quod aliquid addit vehementiæ. Illud obiter annotandum, Cum Paulum in idolothytis nihil offendat præter offensionem infirmi, quem ferri vult duntaxat in hoc ut proficiat, mirum est cur Augustinus in epistola ad Publicolam 154. pronunciaverit melius respui Christiana virtute cibum in idolio repertum ei qui ob famem de vita periclitetur, etiamsi nullus adsit hominum, modo sciat eum cibum simulacris immolatum fuisse. Opinor & hunc locum retractaturum fuisse si monitus rem propius expendisset. Jam vero quod hic Paulus de Scandalo vitando disserit, non opinor ad quodvis scandalum vitandum esse pertrahendum. Nam ingens est scandalum idololatriæ, & illis temporibus suspicio pene invincibilis: Et tamen Paulus infirmum docet offendi non debere, & firmi scientiam magis approbat; tantum concedi vult infirmitati quæ vinci non possit. At nos dum quasvis ineptias vulgo receptas ultro sequimur, quid aliud quam alimus infirmitatem populi? Nec enim damus operam ut illi desinant esse infirmi, sed ut ipsi cum illis infirmemur. Quod si is qui firmior est semper obsecundabit infirmitati alienæ, & hujusmodi obsequiis semper in majus gliscent & augescent offendicula, quis tandem offendiculorum erit finis? aut quando habituri sumus Christianos in Christo fortes & adultos? Distinguamus igitur offendiculi causas, & stultam hujusmodi quorundam infirmitatem non alamus, sed corrigamus.

VATABLUS.

1. IMmolantur] *Sacrificantur.* ❡ *Scientiam*] *Scientiam* vocat, nosse immolata idolis nihil esse.

2. *Scire aliquid*] Sub. more Hebr. *& non habet charitatem.* ❡ *Nondum* *] * *Quicquam.*

3. *Cognitus est*] Heb. vicissim diligitur ab eo: vel, hic à Deo veram cognitionem & scientiam hausit vel edoctus est.

4. *Escis autem*] *Esu autem eorum.* ❡ *Nihil*] *Nullius momenti.* ❡ *Deus* *] * *Alius.*

5. *Sunt*] Sub. *opinione hominum.*

6. *Illo*] *Illum*, Vet.

7. *Autem*] *Vero.* ❡ *Cum conscientia usque nunc idoli*] *Judicantes apud se idolum esse aliquid.* ❡ *Quasi idolothytum*] *Tanquam simulacris immolatum.* ❡ *Et*] *Et*, pro *eoque.*

8. *Atqui esca non commendat nos Deo*, &c.] Verba sunt pseudoapostolorum usque ad, *Videte.* ❡ *Abundabimus*] *Abundamus*: i. non sumus præstantiores aliis apud Deum. ❡ *Deficiemus*] *Deficimus*, vel, *minus habemus*: i. non sumus aliis inferiores apud Deum.

9. *Licentia vestra*] *Potentia vestra*: vel, *hoc jus vestrum*: i. libera vescendi licentia. Vet. legunt *vestra*, secunda persona.

10. *Idolio*] *Idolium* significat *locum simulacrorum*, aut, *mensam super quam carnes sacra proponebantur.* ❡ *Cum sit infirma*] *Qui infirmus est.* ❡ *Ædificabitur*] Heb. *excitabitur.*

11. *Conscientia*] *Scientia*, Vet. i. propter tuam scientiam.

12. *Percutientes*] *Vulnerantes.* ❡ *In Christo*] *In Christum*, Vet.

CASTALIO.

1. D*E iis autem quæ sunt sacrificata deastris*] Εἴδωλα vocantur quæ Hebræi אלילים dicunt, Latini *divos* appellant, ut Jovem, Neptunum, &c. Sed quoniam id ambiguum esset (solet enim *Divus* in laude poni) nos verbum *deastros* finximus, quo non veri Dii significarentur: qua forma Latinis *philosophaster*, *oleaster*, & alia dicuntur. Tametsi *idola* dici solent etiam eorum simulacra. Sed Paulum non hic de simulacris loqui ex eo patet quod eos paulo post vocat θεούς, h. e. *Deos*: ut intelligas, quæ εἴδωλα vocat, ea esse quæ *deorum* nomine nuncupantur. Adde quod qui Jovi sacrificabant, non dicebantur Jovis simulacro sacrificare sed ipsi Jovi. ¶ *Scimus omnes nos*] Sc. qui alios docemus. ¶ *Ejus rei cognitionem*] Nihil esse deastros. ¶ *Charitas aliis prodest*] Οἰκοδομεῖ dicit, quod cap. 6, & 10. συμφέρει· ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. cui opponitur σκανδαλίζειν, *nocere*, *obesse*, *lædere*, *incommodare*, quod paulo post hunc locum ponitur. Sed hæc ad alios referuntur: ut sit οἰκοδομεῖν *prodesse aliis*.

6. *Pater ille, à quo omnia, & in quem nos*] Scilicet referimur, & ab eo pendemus.

9. *Sed videte ne vestra ista potestas*] Vescendi.

11. *Atque ita per tuam cognitionem peribit frater imbecillus*] Peccabit vescendo contra quam fieri à se debere putet.

CLARIUS.

1. S*Cimus quod omnes scientiam habemus*] Ipso verborum principio dejicit eorum arrogantiam qui, quasi soli scientiam hanc haberent atque agnitionem, non verebantur esse aliis offendiculo. *Omnes*, inquit, *scimus nihil esse idolum*, *nihil*, *inquam*, *eorum quæ sunt in mundo*, sed inane figmentum, & idcirco nihil agere posse in iis quæ immolantur: at hæc cognitio regenda tamen est prudentia & charitate. ¶ *Scientia inflat*] Non hic loquitur de disciplinis, ut simpliciores quidam arbitrantur: nam disciplinæ sua natura docent humiles fieri homines in sese ac modestos; cum Discere nihil sit aliud quam nosse quantum sibi desit ad scientiam; neque fieri unquam possit ut qui verum eruditionis, non fucatum, nomen sit assecutus, quicquam sibi arroget; qui vero sibimet quicquam arrogat, multum abest ab eo ut eruditus jure sit appellandus. Hic ergo *scientiam* appellat illam agnitionem fastuosam qua ii qui sciebant nihil esse idolum irridebant eos qui abstinerent à carnibus quæ immolatæ fuissent simulacris. Et quod in epistola ad Romanos admonet de vitandis disceptationibus in ciborum differentia, eadem hic de idolothytis ratio est. Vult ergo omnia agi ad ædificationem charitatis.

2. *Si quis existimat se scire*, &c.] Sic intellige; Arbitrari se aliquid scire, signum est hominis nondum intelligentis quo pacto scire quemque oporteat; cum Scientia utilitatis tantum atque ædificationis causa exercenda sit; at is qui se arbitratur scire, ostentationem potius atque arrogantiam præ se fert quam studium ædificationis.

3. *Hic cognitus est ab eo*] Is duntaxat, inquit, qui diligit Deum veram perfectamque agnitionem ab eo accipit, ut qui in ejus amicitiam sit receptus.

6. *Et nos in illum*] Scilicet *tendere decet*. ¶ *Per ipsum*] Novo scilicet ac spirituali modo. Bis enim sumus ipsius, creati, ac redempti.

7. *Cum conscientia idoli usque nunc*] Quidam erant qui suspicabantur pollutas esse illas immolatitias carnes; & dum illa conscientia tenebantur, si comedebant, maculabantur. Nam & Romanis dixerat, *eum qui dijudicaret cibos, si eis vesceretur, condemnari*, ob infirmam conscientiam.

8. *Esca autem nos non commendat Deo*] Si, inquit, vescendo illis carnibus rem gratiorem Deo faceretis quam abstinendo, recte vesceremini: nunc vero cum per se nihil referat apud Deum (hoc enim est *abundare & deficere*, h. e. placere vel displicere) vescamini, necne, id potius *cavendum est vobis, ne hæc libertas vestra offendiculo sit infirmioribus*.

11. *Et peribit*] Terrificum verbum. Vide, inquit, quid faciat illud, *Scire te nihil esse idolum*, dum cætera non circumspicis: *Peribit* enim *in hac tua scientia infirmioris conscientiæ frater*, *propter quem ipse Dei Filius mortuus est*. Hic locus contra illos facit qui volunt Christum tantum pro servandis mortuum esse: nam *propter hunc mortuus est* quem dicit *periturum*.

13. *Si esca scandalizat*] Quod ait, *se in æternum non usurum carnibus si ex eo offendatur frater*, nimirum id de qualibet re fecisset. At homines quam nihil curant esse suis factis proximo cuique offendiculo!

ZEGERUS.

1. D*E iis autem quæ idolis immolantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat*] Habebant quidem Corinthii complures hanc sententiam, ut crederent sese non inquinari posse ex esu ciborum qui idolis essent immolati, cum tamen Jehudæi hujusmodi cibos veluti immundos & illicitos exsecrarentur: Attamen quia hac scientia abutebantur, ita ut passim, & coram quibusvis qui talem scientiam non habebant, ejusmodi immolatitiis cibis vescerentur in scandalum infirmorum; qui videlicet vescentes sapientiores quidem hac in re imitabantur, sed ignorabant interim qua id mente faciundum esset, nimirum non ad idoli venerationem, non ut ex immolatione quippiam cibis inesse Numinis ostenderetur, sed ut sciretur omnem cibum quem Deus mortalium usibus creasset esse licitum & bonum; ideo hic & in sequentibus redarguit indiscretam illorum tumidamque scientiam, ostendens nihil illis prodesse scientiam sine Christiana charitate, quæ offendiculum omne præcavens omnibus ubique prodesse studet.

4. *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum*] Ac proinde carnibus illi immolatis nihil inest aut sacri aut profani, unde edi prohibeantur, modo offendiculum proximi evitetur.

7. *Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant*] *Nonnulli*, inquit, *cum conscientia*, h. e. pristinam mentem quam à suis majoribus accepere retinentes, *hucusque*, post susceptam fidem, *cibos edunt immolatitios*, non ut concessos & non immolatos, sed *ut idolothyta* & Numinis aliquid in se habentes. Porro *idolothyton* vox Græca est, & penultimam producit, significatque *simulacris immolatum*, ab εἴδωλον *simulacrum*, & θύω *sacrifico*, *macto*.

8. *Neque enim si manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus deficiemus*] h. e. Si vescamur idolothytis, non ob hoc efficiemur ditiores; neque si non vescamur, reddemur pauperiores. Aut, si mavis ad spiritum referre, Sive manducaverimus, sive non manducaverimus, nihilo sumus ex hoc futuri aut majoris aut minoris meriti apud Deum.

10. *In idolio recumbentem*] *Idolium* penultima longa, templum est simulacrorum: quod & *idoleum* scribitur.

11. *In tua scientia*] Potius quam *conscientia*.

STEPHANUS.

1. Π*Ερὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων*] *Quod autem attinet ad ea quæ idolis immolantur.*

8. Οὐ παρίστησι] *Non commendat.* ¶ Περισσεύομεν] *Aliquid hinc accedit nobis.* ¶ Ὑστερούμεθα] *Aliquid hinc decedit nobis.*

9. Βλέπετε δὲ] *Sed cavete.*

13. Οὐ μὴ φάγω] *Nolim vesci.*

DRUSIUS.

3. C*Ognitus est ab eo*] נודע לו *cognitus est ei*: quod idem cum *abs eo*. Qui Deum cognoscit, abs eo cognoscitur, i. approbatur. Nam est cognitio quædam approbationis, de qua diximus antea. מודיע הודיע alienum est ab hoc loco. Nam הודיע γνωρίζω, *notum facio*. Ejus passivum נודע *notus factus fuit*, non ἔγνωσται. Judicent qui hæc intelligunt. Sententia plana est. Nam qui amat Deum, eum novit Deus: qui non amat, non novit eum: unde illud, *Non novi vos*. Amat etiam Deus quos novit, & contra. *Cognitus* ergo *à Deo*, cujus scientia cognita & probata Deo.

4. *Nihil est idolum in mundo*] Ideo *Thohu* vocatur 1 Sam. 12. 21. & apud interp. Chaldæum לָאקָא, i. *nihil*, quasi לאקא *nequicquam*. Verba Jonathæ, *Ne colite idola, quæ nihil sunt, nec est in eis utilitas, nec liberant, quia nihil sunt*. Cæterum *nihil* esse idola dicuntur quia nihil sunt eorum quæ homines ea esse arbitrantur; h. e. non sunt Dii. Quamobrem etiam אלילים appellantur, q. *Dii nihili*.

5. *Dii multi*] אלהים רבים. Huc refer, *Juxta numerum urbium tuarum fuerunt Dii tui, Juda*: quod memorat R. D. Jer. 3. Locus autem est Jer. 2. 28. Et alibi *Dii*, h. e. idola. Nam idola *Elohim* appellantur, non quod revera *Dii* essent, sed quod pro *Diis* haberentur. Erant ergo *Dii* opinione hominum duntaxat. Sic Christus vocatur *Fabri filius*, quoniam à vulgo putabatur esse filius Josephi, qui faber erat. ¶ *Domini multi*] בעלים

בעלים רבים potius quam אדנים רבים. Nam licet utroque nomine *domini* significentur, tamen *idola* sæpius בעלים vocantur: cujus singularis בעל, i. κύριος. Unde *Baal-zebub*, *Baal-Phegor*, &c. Tot autem erant Domini, i. Baales, in Syria, quot regiones, ne dicam urbes. Quippe Moabitæ colebant Chamos; filii Ammon, Moloch; Sidonii, Astartem; Gazæi, Marnan; Tyrii, Herculem; Hemathitæ, Asimam, &c. Dies vix sufficeret omnibus enumerandis.

8. *Deficimus*] Ὑστερούμεθα *indigemus*, ut Deut. 15. 8. καθόσον ὑστερεῖ, *quantum ei deerit*. Hebraice לא אחסר *non egebo*, *nullius rei ero indigus*. Dan. 5. 27. חסיר ὑστεροῦσα ita LXX Senes. Interpres Latinus qui à *vulgo* nomen obtinuit, *minus habens*. Sic hoc loco ὑστερούμεθα interpres recentior, *minus habemus*: non displicet. Idem περισσεύομεν *abundamus*, quod antecedit, interpretatur *plus habemus*. Cave spernas.

10. *In idolio recumbentem*] Non in mensa, aut epulo, sed in delubro idoli: qua forma dicitur *Dianium* Διάνιον, & *Minervium* apud Plinium. Prudentius, *& quis in idolio recubans*, ἐν εἰδωλείῳ. Valde falluntur qui pro mensa vel epulo accipiunt. Nam quis unquam dixit *in mensa* vel *recumbere* vel *accumbere*, & non potius *lecto ad mensam*, vel *mensæ*? Εἰδωλεῖον hoc significatu legitur 1 Macch. 10. 83. ubi Vulgatus *idolum* edidit, i. εἴδωλον. Rursum 1 Macch. 1. 50. τεμένη καὶ εἰδωλεῖα, *lucos & idolia*; non *idola*, ut est in Bibliis interlinearibus & apud Interpretem nostrum.

CAMERO.

4. Ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ] Agit hoc loco Apostolus de cibis qui puri vel polluti censere debeant, & discutit an liceat ex Idolothytis comedere. Ait autem idolum non esse ejusmodi quod cibos vel polluere vel puros efficere possit; & hoc innuit locutione illa, *Idolum nihil est in mundo*: cui Deum opponit, qui solus id efficere potest; quod sub V. T. evenisse cernimus. At sub N. T. alia ratio est: evanuit enim cultus ceremonialis. Quare licet comedere ex idolothytis, cum idolum cibos ex puris pollutos reddere nequeat. Addit autem Apostolus, non semper nec intempestive hac libertate & potestate esse utendum: ait enim v. 7. ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις, *Non in omnibus est scientia: nam nonnulli idoli conscientia, usque nunc ut idolothytum comedunt; quorum conscientia, cum sit infirma, polluitur*. Quæ verba ostendunt veram esse interpretationem quam attulimus. Particula enim ἀλλὰ adversativa est. At quæ fuerit oppositio nisi ea qua statuitur nonnullos existimare Idolum jus seu potestatem habere ut cibos pollutos efficiat, alios vero contra sentire? Porro & *Idolum nihil esse* dupliciter dici potest, vel respectu significationis, & sic falsum est *Idolum nihil esse*, vel respectu rei significatæ, & sic *Idolum* potest *nihil esse*, nempe illud quod adhibetur ad repræsentandam rem quæ revera nunquam fuit, fingitur tamen fuisse. Sed non est tamen hoc loco hæc Apostoli mens.

JAC. CAPPELLUS.

4. *Scimus nullum idolum in mundo* esse Deum; *& nullum* esse *Deum alium nisi unum*] Ellipsis à consequente. q. d. Quantumvis multa toto mundo colantur idola, tamen scimus eorum nullum esse Deum, vim ullam Divinam habere, vel, quod eodem recidit, *scimus nihil* posse *idolum in mundo*. Sed & si vertas, *scimus idolum nihil esse in mundo*, res eodem recidet, ut *esse* sumatur pro *posse*, ut 1 Cor. 10. 19. Alioqui quodvis idolum est aliquid, non tantum ratione materiæ, sed & ratione formæ, qua videlicet est imago sive realis entis, sive notionalis vel ab intellectu ficti. Habent enim etiam entia rationis suum aliquod esse, nec usquam Scriptura restringit *idoli* significationem ad eas imagines significandas quæ sunt imagines rerum fictitiarum, quales sunt hippocentauri, tragelaphi, chimæræ. Sed *idolum nihil potest*, nullam vim habet neque sanctificandi neque polluendi cibos, aut quidquam aliud efficiendi, imprimis quale sibi persuadent ii qui serviunt idolis, aut qui cibos idolis sacrificatos respuebant ut simpliciter immundos.

5. *Nam etsi sint qui dicantur Dii & in cælo & in terra*, (*sicut sunt multi* qui dicuntur *Dii*, *& multi* qui dicuntur *Domini*).

6. *Nobis tamen unus est Deus, Pater ille à quo sunt omnia, & nos in ipso; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*] Videlicet etiamsi quis nuncupative *Deus* sit vel *Dominus*, tamen is demum *nobis*, fidelibus, piis, *Deus* ac *Dominus* est qui non nuncupative tantum sed & ὄντως, vere, reapse, proprie Deus est ac Dominus. Is autem unus est; quia nulla natura est cui proprie conveniat hoc elogium præter unam: & præterea, *unus Deus est*, nempe Pater; *unus Dominus*, nempe Filius; quia Pater & Filius unum sunt, Deus unus sunt. Licet autem etiam Pater sit Dominus, quo modo Filius quoque Deus est, & uterque dici potest *Spiritus* & *Sanctus*, tamen rei sublimitas infantiam nostram longe superans, & verborum infra majestatem tantam subsidentium penuria facit ut veluti distinctionis causa primæ Personæ potius tribuatur epithetum *Dei*, secundæ elogium *Domini*, tertiæ elogium *Spiritus Sancti*. At enim qui fit ut & hic & alias sæpe silentio transmittatur Sp. S.? Respondet Epiphanius de Noetianis hæresi 55. §. 5. Ταῦτα λέγων περὶ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, οὐ κατὰ λήθην τοῦ Πνεύματος ἁγίου, ἀλλ' ἐν Πνεύματι ἁγίῳ ἐφθέγγετο. Εἴωθε δὲ τὸ ἅγιον Πνεῦμα τὴν σύστασιν ἑαυτοῦ σιωπᾷν, ἵνα μὴ ἡμῖν ἀπογεγραμμένον δόξῃ τὸ περὶ ἑαυτοῦ καὶ ἡμᾶς τὴν σύστασιν ποιήσασθαι.

GROTIUS.

1. Περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων, *De iis autem quæ idolis sacrificantur*] Περὶ τῶν ἀλισγημάτων, *de immolatitiis carnibus*. Diximus ad cap. xv. Actorum, εἰδωλοθύτων [*idolis immolata*] quatenus Apostolico decreto, quod ubique prædicavit etiam Paulus, ut cognoscere est Actor. xvi, 4. vetita sunt, esse duum generum. Nam aut in aram data prosecta, & cætera exta reddita ei qui victimas obtulerat, qui deinde significabat amicis se sacrificasse, & orare se eos ut ad reddita exta venirent: aut apud mensam coram convivis in locum qui erat vice aræ data prosecta, ac deinde cœptum ibidem convivium. Corinthi & alius mos invaluerat, ut qui Isthmiis vicerant populo in ipso templo post sacrificium publicum darent epulum. Idem credo inter se fecisse alios συμμύστας sive συνθιασώτας [*sacrorum socios*]. Hæc omnia, sed supra cætera tertium hoc ex sensu communi aliam interpretationem vix poterat recipere, quam ab iis qui talibus immolatitiis vescebantur approbari cultum idolorum. Vide Num. xxv, 2. At isti Corinthii, nomine Christiani, intus Græcanici Philosophi, sicut illud de incestu, ita & hoc ad Dialecticas quasdam disputationes trahebant, *Idolum re ipsa non subsistit*; quod verum erat de diis illis Corinthiis: nam Juppiter, Apollo, Venus, Leucothea, Palæmon homines fuerant qui jam olim interierant: ideo εἰδωλόθυτα [*idolis immolata*] Hebræis זבחי מתים [*sacrificia hominum*]. *Quod non est, contaminare animum non potest. Nihil ergo in eo peccatur, si in Templo epuler: si ad exta vocatus eam: si post prosecta in focum data mensæ accumbam.* Sic illi de quibus & Tryphon, Καὶ μὴν πολλοὺς τῶν τὸν Ἰησοῦν λεγόντων ὁμολογεῖν, καὶ λεγομένων Χριστιανῶν, πυνθάνομαι ἐσθίειν τὰ εἰδωλόθυτα καὶ μηδὲν ἐκ τούτου βλάπτεσθαι λέγειν [*Atque plures, qui se Jesum profiteri dicunt, & Christiani nominantur audio simulacris mactata manducare, & nihil se ex eo capere detrimenti, dicere*]. Paulus qui Christi habebat Spiritum, & omnia non ad disputationum subtilitates, sed ad usum, ad Dei honorem, ad plurimos à paganismo abstrahendos, ad retinendos in Christianismo qui jam Christiani esse cœperant, referebat, & sincerius & quod sequi solet perspicacius talia tractabat. Itaque piis ex Corintho qui ipsum hac de re consuluerant Apostolica prudentia respondet. Cui consentiens Justinus Tryphoni hæc reponit, Καὶ ἐκ τοῦ πολλοὺς εἶναι ἄνδρας ὁμολογοῦντας ἑαυτοὺς εἶναι Χριστιανούς, καὶ τὸν σταυρωθέντα Ἰησοῦν ὁμολογεῖν καὶ Κύριον, καὶ Χριστόν, καὶ μὴ τὰ ἐκείνου διδάγματα διδάσκοντας, ἀλλὰ τὰ ἀπὸ τῶν τῆς πλάνης πνευμάτων, ἡμεῖς οἱ τῆς ἀληθινῆς Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ καθαρᾶς διδασκαλίας μαθηταὶ πιστότεροι καὶ βεβαιότεροι γινόμεθα [*Eo quoque quod sint istiusmodi viri, qui se Christianos fateantur, seque cum Jesu qui crucifixus est, & Dominum & Christum esse, profiteri dicant, neque tamen hujus dogmata, sed quæ ipsi à spiritibus seductionis acceperint, ea doceant; nos qui veræ ac sinceræ Jesu Christi doctrinæ discipuli sumus, firmiores in fide ac constantiores reddimur*]. Valeria, cum eam deponentes de sagmario hortarentur de idolothytis manducare, nec sibi omnino licitum testaretur, quia esset Christiana, mactata est. Sic Ado ad iv. Calendas Maji in Martyrologio. ❡ οἴδαμεν ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν. *scimus quia omnes scientiam habemus*] Ne isti πεφυσιωμένοι [*inflati*] putent se solos sapere, non minus & nos intelligimus quid sit idolum sive deus commentitius. πάντες [*omnes*], id est, *pars maxima nostrum*, ut Rom. iii, 12. Quomodo sumendum & sequitur, ❡ ἡ γνῶσις φυσιοῖ, *scientia inflat*] Solet hoc facere: facit in multis. ❡ ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ. *charitas vero ædificat*] Dilectio dictat in rebus omnibus videndum quid in commune expediat. Vide Rom. xiv, 19. xv, 2. ubi nomen est huic verbo respondens οἰκοδομὴ [*ædificatio*]. Sæpe & nomine hoc & verbo Paulus utitur.

2. Εἰ δέ τις δοκεῖ εἰδέναι τι, *Si quis autem se existimat scire aliquid*] Id est, Si quis in hoc uno sibi placeat, quod ingeniosius,

 quod

quod eruditus sit, quod Dialecticas disputationes norit. De hac significatione vocis δοκεῖν vide quæ diximus ad Matth. III, 9. & Mar. x, 42. Sic & infra XI, 16. In manuscripto est ἐγνωκέναι [*cognoscere*], ut una vox ter repetatur. ❡ οὐδέπω οὐδὲν ἔγνωκε καθὼς δεῖ γνῶναι. *nondum cognovit quemadmodum oportet eum scire*] Hoc quod præcipuum est ignorat: Cognitionem per se non esse salutiferam, sed quatenus ad dilectionem ducit. Scire ut oportet, est scientia recte uti ad suam & aliorum salutem.

3. Εἰ δέ τις ἀγαπᾷ τὸν Θεόν, *Si quis autem diligit Deum*] cui connexum est & illud, *ut proximus diligatur propter Deum*. ❡ οὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ. *hic cognitus est ab eo*] Rursum ἀντανάκλασις [*Refractio*], nam alio sensu dixerat ἔγνωκε [*cognovit*]: alio sensu dicit ἔγνωσται [*cognitus est*]. Matth. VII, 23. οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς [*nunquam novi vos*]. Sic & Rom. VII, 15. VIII, 29. XI, 2. II Tim. II, 19. I Thess. V, 12, 19. Joh. XVII, 3. Psalm. I, 6. γινώσκει Κύριος ὁδὸν δικαίων [*cognoscit Dominus viam justorum*], id est, *approbat*: ἀγαπᾷ [*diligit*]. Sic Sapientia Prov. VIII, 17, ἐγὼ τοὺς ἐμὲ φιλοῦντας ἀγαπῶ [*ego diligentes me diligo*]. Similis est ἀντανάκλασις [*Refractio*] in verbo *noscendi* Gal. IV, 9. & hic infra XIII, 12.

4. Περὶ τῆς βρώσεως οὖν τῶν εἰδωλοθύτων, *De escis autem quæ idolis immolantur*] Generalia quædam necessaria admodum præfatus, redit πρὸς τὸ εἰδικὸν κεφάλαιον [*ad caput speciale*]. ❡ οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, *Scimus quia nihil est idolum in mundo*] Dii isti res sunt imaginariæ: Ideo vocantur אלילים [*res nihili*] vel, הבלים ματαια [*res vana*], &, שקרים ψευδῆ [*res falsæ*]. Idolum est οὐκ ὄν [*non ens*]: ita Origenes in Exodum & eum secutus in Vita Theodori Cedrenus. Theophilus libro I. τὰ ὀνόματα ὧν φὴς σέβεσθαι θεῶν ὀνόματά ἐστι νεκρῶν ἀνθρώπων [*nomina eorum deorum quos te colere ais, nomina sunt mortuorum hominum*]. Arnobius libro VI, *Promptum est pro diis immortalibus mortuos vos colere*. Vide quæ ibi sequuntur, & Clementem Admonitione ad Gentes, & Lactantium I, 14. & sequentibus. Ideo Judæi *filii semper viventis Dei* in additionibus ad Estherem. ❡ καὶ ὅτι οὐδεὶς Θεὸς ἕτερος εἰ μὴ εἷς. *& quod nullus est Deus nisi unus*] *Non plures dii*.

5. Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοί, *Nam etsi sunt qui dicantur dii*] *Etiamsi aliqui exsistant revera qui deorum habeant nomen & dicantur* אלהים [*dii*]. Sic II Thess. II, 4. ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν [*supra omne quod dicitur Deus*]. ❡ εἴτε ἐν οὐρανῷ, *sive in cælo*] Ut Sol, Luna, Astra. ❡ εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς, *sive in terra*] Ut Reges viventes. Quod si illa astra & illi Reges dii nobis non sunt, multo minus ii qui non exsistunt. ❡ ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοί, *siquidem sunt dii multi*] Nempe more loquendi apud Gentes recepto: λεγόμενοι [*dicti*] ut dixit modo. ❡ καὶ κύριοι πολλοί. *& Domini multi*] בעלים [*Baalim*]. Sic enim in Oriente dii Gentium vocabantur.

6. Ἀλλ' ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ πατήρ, *Nobis tamen unus Deus Pater*] *Pater* nempe Christi & per eum noster. Joh. XVII, 3. ❡ ἐξ οὗ τὰ πάντα, *ex quo omnia*] Hæc præpositio causam significat primariam rerum. ❡ καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν. *& nos in illum*] Ad ejus gloriam. Creavit enim nos ut à nobis honoretur. Vide Rom. XI, 36. Et est hic Hebraismus, *& nos ipsius causa*: pro *cujus causa nos sumus*. ❡ καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστός, *& unus Dominus Jesus Christus*] Dicitur quidem is & Deus, sed nunquam apud hunc Apostolum ubi Patris est mentio. Itaque Κύριος [*Dominus*] significat excellentiam supra res omnes, excepto Patre, infra XV, 27. Act. II, 36. ❡ δι' οὗ τὰ πάντα, *per quem omnia*] Quæ ad novam creationem pertinent. I Tim. II, 5. ❡ καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ. *& nos per ipsum*] Per ipsum sumus quod sumus, nempe Christiani, I Petri I, 21.

7. Ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις. *Sed non in omnibus est scientia*] *Non omnes eam cognitionem habent, idola ista nihil esse; unum esse Deum; unum Dominum*. ❡ τινὲς δὲ τῇ συνειδήσει τοῦ εἰδώλου ἕως ἄρτι ὡς εἰδωλόθυτον ἐσθίουσι, *quidam autem cum conscientia usque nunc idoli quasi idolothytum manducant*] Συνείδησιν εἰδώλου [*conscientiam idoli*] hic vocat opinionem de idolo, quasi vim aliquam haberet. Est translatio à re vicina ad vicinam: nam opinio illa aliquid simile habet conscientiæ. Qui tales sunt, carnes immolatitias vescuntur tanquam immolatitias, id est, putant ex profectis aliquid illas accepisse sanctimoniæ à numine illo cui ara fuit dicata. Hunc sensum recte videtur assecutus Syrus. ἕως ἄρτι [*usque nunc*] recte dicit, quia multum adhuc vigebat paganismus etiam Corinthi. At in manuscripto est: τῇ συνηθείᾳ τοῦ εἰδώλου [*consuetudine idoli*], ut sit μετωνυμία [*Transnominatio*]. ❡ καὶ ἡ συνείδησις αὐτῶν ἀσθενὴς οὖσα μολύνεται. *& conscientia ipsorum cum sit infirma polluitur*] Ἀσθενὴς [*infirma*] hic est *morbida, male instituta*. Μολύνεται, *contaminatur*, quia talibus actibus magis magisque inolescit prava opinio. Omnis autem prava opinio, præsertim circa res divinas, inquinamentum quoddam est animi.

8. Βρῶμα δὲ ἡμᾶς οὐ παρίστησι τῷ Θεῷ. *Esca autem nos non commendat Deo*] Id est, epulæ cum infidelibus communes. Qui sine scrupulo talia convivia inibant, volebant credi sapientiores cæteris: at ait Paulus *non ob id Deo esse accepttores*. παρίστησι, id est, *commendat*: quia qui aliquem Regi commendant solent eum in Regis *conspectum adducere*, quod est παριστάναι. ❡ οὔτε γὰρ ἐὰν φάγωμεν, *neque enim si manducaverimus*] Si intersumus infidelium conviviis. ❡ περισσεύομεν *abundabimus*] Nihilo ob id erimus Deo gratiores. De verbo περισσεύειν [*abundare*] vide Rom. III, 7, V, 15. ❡ οὔτε ἐὰν μὴ φάγωμεν, ὑστερούμεθα. *neque si non manducaverimus, deficiemus*] Neque si abstineamus, eo minus habebimus de Domini benevolentia. De significatione verbi ὑστερεῖσθαι [*deficere*] vide supra I, 7. in Manuscripto est inversus ordo, οὔτε γὰρ ἐὰν μὴ φάγωμεν, περισσεύομεν· οὔτε ἐὰν φάγωμεν, ὑστερούμεθα [*Neque enim si non manducaverimus, abundamus; neque si manducaverimus, deficimus*].

9. Βλέπετε δέ, *Videte autem*] *Etiam atque etiam videte*, id est, cavete. ❡ μή πως ἡ ἐξουσία ὑμῶν αὕτη, *ne forte hæc licentia vestra*] Μετωνυμία [*Transnominatio*]: nam *libertatem* dixit, cum vellet intelligere libertatis usurpationem. Ἐξουσίας [*licentia*] vox *jus agendi* significat, ut Rom. IX, 21. supra VII, 37. Vide & supra VI, 12. ❡ πρόσκομμα γένηται, *offendiculum fiat*] Πρόσκομμα [*offendiculum*] est hic מכשול, *id per quod quis in ruinam impellitur*. Vide quæ ad Matth. V, 29. & Præceptum vetans CLXVIII, *ruinam* autem hic intellige discessionem à Christianismo. ❡ τοῖς ἀσθενοῦσιν. *infirmis*] In Manuscripto ἀσθενέσιν. Id hic non absolute intelligendum, ut modo, sed comparate de iis qui cum recens Christiano cœtui se addidissent, fidei erant teneræ, & quæ facile malis documentis aut exemplis convelli possent.

10. Ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σε τὸν ἔχοντα γνῶσιν, *Si enim quis viderit te qui habes scientiam*], *Te qui eruditus & tibi videris, & aliis crederis*. Vocabant enim illi se Γνωστικοὺς [*Gnosticos*] tanquam plus videntes cæteris. Vide I Tim. VI, 20. & Clemens Alexandrinus πεφυσιωμένους εἰς γνῶσιν [*scientia inflatos*] vocat Pædagog. I, 6. ❡ ἐν εἰδωλείῳ, *in idolio*] Εἰδωλεῖον [*idolium*] est *templum idoli*, ut diximus I Macc. I, 50. X, 83. Sic Ἀσταρτεῖον [*Astarteum*] habemus I Sam. XXXI, 10. Sic Ἀταργατεῖον [*Atergateum*] II Macc. XII, 26. sic & Ποσειδώνιον [*Neptunium*] Græcis est *templum Neptuni*; Μουσεῖον [*Museum*], *Musarum*; Νυμφαῖον [*Nymphæum*], *Nympharum*. ❡ κατακείμενον, *recumbentem*] *Accumbentem*, id est, epulantem more Græco. Sic Plato de Republica secundo, ἐπὶ κλινῶν κατακεῖσθαι [*in lectis accumbere*]. Virgilius,

—— Tu das epulis accumbere divum.

Vide Matth. XXVI, 20. ❡ οὐχὶ ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν; *nonne conscientia ejus cum sit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta?*] Συνείδησις rursum *opinio*. οἰκοδομηθήσεται, *confirmabitur*, quo modo Paulus hac voce uti solet. εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν [*ad manducandum idolothyta*], nempe in honorem idoli, sicut & te facere existimat. Itaque eo perducitur ut ἐν εἰδωλολατρείᾳ [*in cultura idolorum*] nihil mali esse arbitretur.

11. Καὶ ἀπολεῖται ὁ ἀσθενῶν ἀδελφός, *Et peribit infirmus frater*] Paulatim desinet esse Christianus, ita secum cogitans, cur persecutiones sustineam si ista sunt ἀδιάφορα; [*indifferentia*] In manuscripto paulo aliter, ἀπόλλυται γὰρ ἐν τῇ σῇ γνώσει ἀδελφός, δι' ὃν [*perit igitur in scientia tua frater, propter quem*], &c. ❡ ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει, *in tua scientia*] *Occasione scientiæ tuæ*, cujus obtentu ista defendis. ❡ δι' ὃν Χριστὸς ἀπέθανε; *propter quem Christus mortuus est?*] Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus est, ut per Evangelium converti possent. Ergo & pro iis qui pereunt, Rom. XIV, 15. II Petri II, 1. Hebr. X, 29.

12. Οὕτω δὲ ἁμαρτάνοντες εἰς τοὺς ἀδελφούς, καὶ τύπτοντες αὐτῶν τὴν συνείδησιν ἀσθενοῦσαν, *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam*] Τύπτειν hic est *vulnus infligere*. Prov. XXVI, 22. Συνείδησιν [*conscientiam*] hic vocat persuasionem de veritate & necessitate Evangelii, quæ cum adhuc sit tenera levi vulnere interrimitur. ❡ εἰς Χριστὸν ἁμαρτάνετε. *in Christum peccatis*] Eripitis enim ei discipulum, Fructum mortis Christi quantum in vobis est impeditis. Magna hæc est in Christum injuria.

13. Διόπερ εἰ βρῶμα σκανδαλίζει τὸν ἀδελφόν μου, οὐ μὴ φάγω κρέα εἰς τὸν αἰῶνα, ἵνα μὴ τὸν ἀδελφόν μου σκανδαλίσω. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem*

carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem] Est exaggeratio. Potius quam occasionem dem alicui Christiano redeundi ad idololatriam, malim non tantum epulis illis immolatitiis, sed omni omnino carne sive animato abstinere; & pane solo atque oleribus, ut nonnulli faciunt, victitare. Non autem hoc dicit quod hoc aliquo casu opus sit, sed ut ostendat multo graviora quam de quibus hic agitur sustinenda pro proximorum salute. Simile loquendi genus observavimus Matth. v, 29.

CAP. IX.

VALLA.

5. N*Umquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?*] Quid opus est addere *mulierem* cum dictum sit *sororem*? quare puto transferendum fuisse *uxorem*, cum præsertim dicatur numero sing. γυναῖκα. Ex quo datur intelligi, fuisse Apostolos suas uxores comitatas; quas ideo appellat *sorores* quod tanquam non uxores jam erant.

6. *Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?*] Græce abest *hoc*; sed sic legitur, *potestatem non operandi*, τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι· *non* enim mutatum est in *hoc*.

10. *Et qui triturat, in spe fructus percipiendi*] Gr. *Spei suæ participandi in spe*, τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι.

13. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? & qui altario deserviunt, cum altario participantur?*] Ego & verius & nitidius transtulissem, *Nescitis quod ii qui sacra faciunt, è templo* (sive *e sacro*) *vescuntur!* (sive *edunt?*) *qui altari assident, altaris participes sunt?* (sive *de altari participant?*) Οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσι; οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται; *Sacrum* tam Templum quam rem sacram significat: nonnunquam, ut in Jure Civili, *furari sacrum de sacro*, i. rem sacram de Templo. Hoc loco Remigius *sacrarium* ad idola, *altare* ad Deum refert. Quem, & item Thomam Aquinatem, non dico homines non sane excultos, neque ita multum bonis literis eruditos, sed ignaros omnino linguæ Græcæ, miror ausos commentari Paulum Græce loquentem, præsertim post tot Græcos commentatores, & Latinos ejusdem linguæ peritos. Et postea ajunt Paulum sese post confecta Commentaria Thomæ exhibuisse, testificantem à nemine magis quam à Thoma intellectum. Etiamne magis quam à Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo? Quid Græcos dico? Etiam magis quam ab Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino? Peream, nisi id commentitium. Nam cur eum Paulus non admonuit erratorum suorum, cum ob alia, tum ob ignorantiam linguæ Græcæ? Hæc res faceret mihi fidem, Paulum huic apparuisse, sicut eundem Apostolum apparuisse Ambrosio, & loculum Gervasii & Prothasii patefecisse, ipsius rei veritas indicavit. At ii quos modo nominavi nollent à se dici Commentarios illos esse factos, nedum crederetur à Paulo Apostolo tantopere fuisse comprobatos.

19. *Nam cum liber essem ab omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem:* 20. *Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer; iis qui sub Lege sunt, quasi sub Lege essem, cum ipse non essem sub Lege, ut eos qui sub Lege erant lucrificarem;* 21. *Iis qui sine Lege erant tanquam sine Lege essem* (*cum sine Lege Dei non essem, sed in Lege essem Christi*) *ut lucrifacerem eos qui sine Lege erant.* 22. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*] Græce illud non legitur; *Cum ipse non essem sub Lege*, sed aliquis de suo adjecit quasi necessarium. Nescio cur sic Interpres transtulerit potius quam sic, *ut Judæos lucrer sive lucrifaciam, nedum, quasi sub Lege sim*, cum dicat per tempus præsens indicativi, *iis qui sub Lege sunt*. Item, cum nunc per indicativum transferat, postea transfert per subjunctivum, cum dicere deberet, *eos qui sub Lege sunt; lucrifaciam; iis qui sine Lege sunt, tanquam sine Lege sim*. Abest à Græco verbum sive participium, à sequenti non abest, μὴ ὢν ἄνομος, ideoque dicendum, *tanquam sine Lege sim, cum sine Lege non sim, sed in Lege sim Christi, ut lucrifaciam eos qui sine Lege sunt.* Item, *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam. Omnia omnibus factus sum, ut omnes salvos faciam.* Hoc autem quod dico, probat id quod sequitur,

23. *Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar*] In præsenti *efficiar* dixit, non in futuro.

25. *Omnis qui in agone contendit*] Supervacua est præpositio. Est enim AGON *certamen*, non locus. Diciturque nunc Græce *agonissans*, ἀγωνιζόμενος.

26. *Non sic pugno, quasi aerem verberans*] Videtur Interpres accipere *pugnare* pro *pugnis certare*, quia qui cæstibus pugnant, pugnis utuntur, siquidem πυκτεύω est *pugnis certo*. Melius ergo illi, quorum est Ambrosius, qui transferunt *percutio pugnis*. Nam quis alioquin intelligat hoc, *quasi aerem verberans, ait, id est, non frustra pugnos jaciens, sed hostem verberans, qui est Diabolus, aut corpus?*

REVIUS in VALLAM.

5. S*Orores, quod tanquam non uxores*] Imo quod *fideles*: Erasmus, Beza. Sic Tobias uxorem suam alloquitur, μὴ λόγον ἔχε, ἀδελφή, c. 5. 26.

13. Οὐκ οἴδατε] Incommode hæc erant posita. ¶ *Nisi commentitium*] Hic Erasmus ut habeat quod rodat (dicendum enim quod res est) *Longius*, inquit, *evectus animi calore Valla demiratur impudentiam quorundam Theologorum*, &c. & mox, *Ceu fabulam* (id quod de Thoma narratur) *commentitiam & impudenter confictam deridet*. Profecto impudenter confingit hoc ipse Erasmus, cum nec *impudentia*, nec *fabula*, nec *figmenti*, nec *risus* mentio sit apud Vallam; ipse autem Erasmus *fabulæ* nomine eam narrationem traducat ad illa verba, v. 26. *Sic pugno*: ut & in 1 Tim. cap. 2. ubi præterea & *pudere se & pigere Thomæ nomine ait eorum quæ in illum locum commentatur*: & in Hebr. cap. 6. de eodem, *An non*, inquit, *hoc insignita cujusdam impudentia est, hæc cum autoritate docere, non consultis Græcis, sine quibus hæc definiri non possunt? sive ut* (forte *id*) *scriptum fuit ab illo viro, sive alius quispiam admiscuit*: & in cap. 11. *Equidem non possum ridere virum alioqui magnum Thomam Aquinatem, tamen miseret me ac pudet tam fœdi lapsus.*: in cap. 12. queritur, *neminem indignari Thomæ, qui, cum Græce nescierit, tamen indicat variam lectionem, idque nullius autoritate fultus; in se vero esse qui destomachentur, qui tot rebus ad hoc negotium instructus, indicet, non quod ipse somniet, sed quid legerint veteres*, &c. Postea dicit *Thomam Tenedia bipenni nodum secare, dum lectionem affert cujus nullum autorem indicare dignatur*: in 1 Cor. 14. 11. Aquinatis additionem *ridiculam* vocat. Eat nunc Erasmus & Vallam erga sanctos suos, & nominatim Thomam, modestiam doceat. ¶ *Loculum Gervasii & Prothasii*] Epist. Ambrosii 85. & Serm. 91. De Invent. corp. sanct. &c. Sed suppositititium est utrumque scriptum, testibus Erasmo, Possevino, Bellarmino, Baronio: licet ut verum citetur ab autore epistolæ de viro perfecto, inter opera Hieronymi tom. 4. p. 51. & Augustino Conf. l. 9. c. 7. De civitat. Dei, l. 22. c. 8.

ERASMUS.

1. N*ON sum Apostolus*] Apertius erat, *An non sum Apostolus?* nam plane Græci legunt per interrogationem, quæ tamen vehementius affirmet, ut sit impudens contradicere. Nec est quod metuamus ne hæc videantur arrogantius dicta à Paulo. Nihil enim magis in illum convenit quam hujusmodi sancta quædam ostentatio & pia insolentia, qua aliis quoque locis utitur.

2. *Signaculum Apostolatus mei vos estis*] Ἡ γὰρ σφραγίς, *sigillum*, quo certa fides fiat autoritatis Apostolicæ. Quemadmodum vulgatis etiam proverbiis quod vehementer certum & indubitatum intelligi volumus id dicimus *obsignatis literis testatum*.

3. *Qui me interrogant*] Τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσι, *iis qui me dijudicant*. Quanquam & hic sensus esse potest, *Hoc illis respondeo qui me interrogant*, h. e. qui rogant quo argumento doceam me esse Apostolum. Est enim verbum ambiguum, quod significat tum *interrogo*, tum *excutio & examino*: & tamen annotavit hoc quisquis fuit cujus exstant collectanea in hanc epistolam nomine Hieronymi. Chrysostomus varie interpretatur, *Qui scire quærunt unde constet quod sim Apostolus, aut qui mihi crimini vertunt quod accipiam pecunias, aut qui percontantur quamobrem non accipiam, aut qui conantur persuadere me non esse Apostolum, his omnibus respondeo, meum*

vobis declarasse quod sim Apostolus, & adversus eosdem me defendo iis rationibus quas mox dicam, An non habemus potestatem edendi ac bibendi? &c.

4. *Numquid non habeo*] Μὴ οὐκ, i. *An non habeam?*

5. *Sororem mulierculam*] Ἀδελφὴν γυναῖκα, *sororem mulierem:* atque ita scriptum in vetustiss. exemplaribus. Laurentius cavillatur hoc loco, cum dixisset *sororem*, quid opus erat addere *mulierem*, quasi soror sit quæ mulier non sit: unde colligit Apostolos uxores suas secum circumducere solitos, sed quæ jam essent loco sororum: imo *sororem* addidit ut intelligas Christianam, & hac gratia sequi Apostolos. Ambrosius legit *mulieres* pro *sororem mulierem.* Atque ita citat D. Hieronymus Adv. Jovinian. l. 2. sive quod hæc lectio magis faciebat ad causam quam illic agit, sive quod alteram lectionem nescierit: nam γυναῖκα Græcis & *uxorem* significat, ut crebro jam admonuimus. Certe Clemens, ut refert Eusebius Eccl. hist. lib. 3. locum hunc adducit, quo doceat Paulo fuisse uxorem, quam tamen non circumduxerit, consulens Euangelicæ libertati, cum Petrus & Philippus circumducerent suas.

6. *Aut ego solus & Barnabas*] *An* castigat & mutat Faber. Verum recte habebat *Aut*, cum præcesserit μὴ, i. *an*, quod hic tacite repetendum est. Etenim si fuisset novum interrogantis caput, dixisset rursus μὴ οὐκ, ut cœperat. ¶ *Hoc operandi*] *Hoc* additum est. Οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι; *An non habemus potestatem non operandi?* ut verbum *operandi* sit absolutum: & videtur esse sensus, *An nobis solis non licet in otio vivere, suppeditantibus aliis?* Sic & Chrysostomus ac Theophylactus μὴ ἐργάζεσθαι interpretatur *in otio vitam agere*; nimirum huc respiciens, quod Paulus & Barnabas opera manuaria sibi victum pararent, cum non reliqui tantum Apostoli sed ipse etiam Cephas aleretur aliena benignitate. Annotavit & hoc Theophylactus, subindicans quo præcellentior est Episcopus, hoc minus debere gravare gregem suum. At hodie quantum est onus ferre quosdam, Tyrannos verius quam Episcopos, quorum ut quisque maximus est, ita populo fere gravissimus imminet! Sed fortasse rectius est ut accipiamus in eum sensum in quem omnes interpretantur, *An non habemus potestatem ut hoc nobis liceat agere quod agunt omnes?* Nam duabus negationibus οὐ μὴ unius vice est abusus. Civilius enim erat dicere *faciendi quod alii faciunt* quam *circumducere mulierem*, præsertim cum nominasset *Petrum* & *fratres Domini.* Id subindicat Ambrosius. Verum id exactius expendat diligens lector.

7. *Stipendiis*] Ὀψωνίοις. De quo superius meminimus.

8. *An non & Lex hæc dicit*] Ταυτὶ legit Ambrosius, non ταῦτα, & ob id vertit *eadem*, non *hæc*.

10. *Propter nos utique*] Πάντως. Rursum, ut paulo superius, vertit *utique.* Est autem adverbium affirmantis. ¶ *Et qui triturat*] Græce paulo secus est, καὶ ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι, *& qui triturat, spem suam participare in spe.* Quanquam nos Hyperbaton Græci sermonis mutavimus, Ambrosium & alios secuti. Porro quod in nostris exempl. additum est, *fructus percipiendi*, videtur explanandæ rei gratia factum: illud certum, non adjici apud Græcos. Cæterum *sub spe*, quod apud nos non additur, interpretatur etiam nominatim Theophylactus, annotans, In aratione semel duntaxat poni spem, nec fieri mentionem participationis, propterea quod totus proventus aranti tantum in votis sit. At qui triturat, jam incipit esse particeps spei, fruiturque optatis, laborans interim in aliam spem anni secuturi. Quamvis haud nesciam, Theophylactum hanc clausulam ad Apostolos proprie referre, qui non cibi tantum causa docerent, sed uberius præmium in posterum exspectarent. Hæc Theophylactus hausit è Chrysostomo.

11. *Si carnalia vestra metamus*] Θερίσομεν, *metemus:* etiamsi id ad sensum nihil refert.

12. *Potestatis vestræ*] Ἐξουσίας ut intelligas non quamlibet potestatem, sed facultatem metendi, & circumducendi uxores sive mulieres, quam illi cæteris Apostolis permittebant. ¶ *Quare non potius*] *Quare* addidit de suo Interpres. Sat erat *nonne magis nos?* οὐ μᾶλλον ἡμεῖς; ¶ *Sed omnia sustinemus*] Στέγομεν quod proprie vasis est omnia capientis. ¶ *Ne quod offendiculum demus Euangelio*] Non est Græce σκάνδαλον quod hic vertit *offendiculum*, sed ἐγκοπὴν, quod *intercisionem* sive *interruptionem* sonat, *ne quid exsistat quod Euangelicæ prædicationi moram ullam adferat.* Annotavit hoc ante nos Theophylactus.

13. *Qui in sacrario operantur*] Paulo diversus est apud Græcos, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν, *qui sacro operantur, è sacro (sive templo) vescuntur:* nam ἱερὸν *victimam* significat & *templum.* ¶ *Qui altario deserviunt*] Τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, *sacrario assistentes*, sive *assidentes.* Cujus vocis emphasim & ante nos annotavit Theophylactus, & ante hunc Chrysostomus. Non enim ait *Sacerdotes*, sed *qui assident altario*; ut intelligamus assiduum cultum sacrorum. At hodie nulli fere magis absunt ab altari quam ii qui maxime participes sunt altariorum; nec ulli molestius exigunt à populo decimas quam ii qui nihil eorum præstant populo quorum gratia dandæ fuerant decimæ. Nec satis est assidere, sed operandum est: nec satis quidvis operari; sacra oportet operari & in his assiduum esse. Nec dixit *è sacro accipiunt*, sed *è sacro vescuntur*, ut admoneat victum deberi, non divitias. Et συμμερίζονται, *partem accipiunt cum sacrario.* Dividebatur enim hostia inter Sacerdotes & Levitas. Stomachatur hoc loco Valla, fortasse liberius aliquanto quam ut quorundam aures ferre possint, verum non omnino abs re, adversus Remigium, qui duas has voces, *sacrarium* & *altarium*, ita distinxerit, ut *sacrarium* ad Idola pertineat, *altare* ad Deum, cum earum vocum proprietas magis à Græcis fuerit petenda. Deinde longius evectus animi calore Valla demiratur impudentiam quorundam Theologorum qui Paulinas epistolas, cum Græce scriptæ sint, ausi sint interpretari, Græcarum literarum prorsus ignari. Nec hic à D. Thomæ nomine temperat, quod de hoc narrant quidam, confectis in Paulum Commentariis, visum illi Paulum, & ingenue confessum suas Epistolas ante id temporis à nemine fuisse intellectas præterquam à Thoma, ceu fabulam commentitiam & impudenter confictam deridet, cum ne fieri quidem possit ut exacte quisquam interpretetur ignarus ejus linguæ in qua scriptum fuit quod interpretatur. Ego sane ut non possum omnino refellere quod scribit Valla, ita talibus viris, præsertim sanctimonia quoque commendatis, nonnihil deferendum arbitror. Habenda ratio temporum in quibus illi vixerunt; postremo, meminisse oportet homines fuisse. Proinde ut & ingenuum est & ad eruditionem conducibile non dissimulare sicubi lapsi sunt veteres, ita probi hominis officium existimo à convitiis temperare, & ita mederi malo ut quoad licet non lædas hominem. Thomas hoc loco SACRARIUM interpretatur *Templum Judæorum vel Gentilium*; ALTARIUM, *altare Templi Hierosolymitani, sive ipsum Templum*; sensum, opinor, exponens ejus sermonis magis quam vocum proprietatem. Alioqui ut *domus* non magis dicitur Gallorum quam Britannorum, ita *sacrarium* & *altarium* quorumlibet est. Nisi quod θυσιαστήριον ab *immolando* dictum, *locus est ubi victimæ mactantur.*

15. *Quam ut gloriam meam*] Τὸ καύχημα, *gloriationem.* Sic enim paulo ante quasi glorians jactavit sese. ¶ *Evacuet*] Κενώσῃ, *irritam* (sive *inanem*) *reddat.*

16. *Et si euangelizavero*] Εὐαγγελίζωμαι, præsentis temporis est, *si euangelizo*, sive *euangelizem*, ut legit Ambrosius.

18. *Merces mea*] Pro *mea mihi* est apud Græcos, τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός; *Quid igitur mihi est mercedis?* Apparet Interpretem legisse μου pro μοι. ¶ *Sine sumptu ponam*] Ἀδάπανον θήσω, *gratuitum faciam.* Et jucunde vocat ἀδάπανον, *quod nemini sit sumptui.* Alioqui *sine sumptu facit* & is qui nihil impendit. Porro *ponere* apud Græcos passim pro *facere* obvium est. Et post *Euangelium* Græci addunt *Christi.* O gloriam vere Apostolicam, sed quam nemo nunc studet æmulari! Nihil nunc gratuitum, ne sepultura quidem, cum Augustinus epistola 64. nolit vendi mortualia.

21. *Tanquam sine lege essem*] Adverbium Græcum ὡς anceps est: tamen hic magis quadrabat *quasi*, atque ita legit D. Hieronymus in Esaiam, itaque Ambrosius in plerisque locis. Non enim ponitur exemplum, sed falsa rei species proponitur. Theophylactus legit ἄνομος Θεοῦ & ἔννομος Χριστοῦ, quod dure sonat, *exlex Dei*, & *sublex Christi.* ¶ *Sine lege Dei*] *Deo* est Græce, μὴ ὢν ἄνομος Θεῷ, *Cum Deo non sim sine lege.* Quanquam in hoc variant Græcorum exemplaria. Chrysostomus legit ἄνομος Θεοῦ.

22. *Infirmis infirmus*] Ὡς ἀσθενής, *tanquam* (vel *quasi*) *infirmus.* ¶ *Ut omnes facerem salvos*] Græce secus est, ἵνα πάντως τινὰς σώσω, *ut omnino aliquos salvos facerem.* Quanquam hic apparet Græcorum exemplaria variasse. Sane Theophylactus juxta id quod nos adduximus & legit & interpretatur, existimans hoc facere ad exaggerandam Pauli charitatem quod nihil non faciat ut aliquot saltem adducat ad salutem. Laurentium Vallam nonnihil offendit tempus verbi perperam immutatum, *ut omnes salvos facerem*, σώσω, velut ad præteritum referatur, cum verbum sit futuri temporis. Neque sensus est eum id olim egisse, nunc desinere, sed nunc item agere, & ita facturum. Porro quod hic dictum est σώσω, idem accipiendum est de eo quod præcessit, κερδήσω, *lucrifaciam*, potius quam *lucrifacerem.*

23. *Omnia autem facio*] Τοῦτο δὲ ποιῶ, *hoc autem facio:* atque ita legit Theophylactus. Chrysostomus habet πάντα, quanquam ex enarratione parum liquet quid legerit.

24. *Unus accipit bravium*] Ambrosius legit *palmam* pro *bravio*; itidem & Cyprianus: nam βραβεῖον est Græce. Atque est quidem omnino BRABION *præmium*, sed proprie *quod datur certantibus ac vincentibus.* Existimant enim dictum βραβεῖον quasi ῥαβδεῖον, commutatis ac translatis duabus literulis, propterea quod certaminum judices data virga palmea designarent victorem: unde & βραβευταὶ dicuntur Græcis, quasi ῥαβδευταὶ, qui victorem pronunciant. ¶ *Ut comprehendatis*] ἵνα καταλάβητε. Aut abusus est ἵνα pro ὥστε, aut sensus est, *Hoc animo currite, non tantum ut videamini certasse, sed appetisse victoriam*, quemadmodum palam interpretatur Theophylactus. Quæ sententia si probatur, *sic* adverbium non est referendum ad *ut*, quod sequitur, q. d. *Sic sequere ut sequaris*, sed ad similitudinem quæ præcessit, *Sic*, i. ad illorum exemplum, & *vos* in vestro stadio *currite.* Idem subindicat Chrysostomus his verbis, καὶ εἰπὼν, Οὕτως, τὸ τύπον ἐνδείκνυ, *Et cum ait, Sic, etiam formam* (sive *exemplum*) *commonstrat.* Mirum unde Cyprianus hic legat, *Sic currite ut omnes occupetis.* Quanquam recte *occupat* qui assequitur & antevertit.

*25. *Qui in agone contendit*] Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος, *Omnis enim qui certat*, sed proprie *in publicis certaminibus*, veluti palæstra, aut Olympiacis, aut Circensibus. Nam de cursu ac pugilibus ipse mox meminit. ¶ *Ab omnibus se abstinet*] Πάντα ἐγκρατεύεται, *omnia sustinet*, aut *tolerat*, sive, quod magis probo, *in omnibus temperans est*; ut subaudias κατὰ. Cyprianus legit, *in omnibus continens est.* Siquidem athletæ victus etiam ratione præparantur ad certamina. ¶ *Nos autem incorruptam*] φθαρτὸν, ἄφθαρτον, i. *corruptibilem* & *incorruptibilem:* miror cur variaverit.

26. *Sic pugno*] Non est *pugno*, quod Gr. μάχομαι, sed πυκτεύω, quod est *pugilum certamen exerceo*, & *pugnis certo.* Ad *pugnos* allusit Interpres, non ad *pugnas.* Ambrosius legit *percutio pugnis*, pro *pugno.* Atque ita locum adducit lib. De paradiso, c. 12. Augustinus enarrans Psal. 57. legit, *Non sic pugiller quasi aerem cædens:* adscribitque, PUGILLARI *est pancratium facere.* Rursum tract. De utilitate jejunii. Thomas tamen videtur PUGNARE interpretari *bellare*, primum cum ait, *Secundo, pugnam suam in victoria mali.* Ac mox, *Sic pugno*, inquit, *contra hostes decertando contra malum.* Condonandus lapsus, nisi quidam nimium urgerent nos fabula de Paulo commentariorum illius approbatore. ¶ *Aerem verberans*] Proverbiali schemate dictum est pro *frustra & inaniter laborare*, veluti pugil nihil agit, nisi corpus attingat. Cæterum hæc eo tendit parabola ut intelligamus non esse satis quomodocunque nostro fungi officio, nisi demus operam ut insigniter ac præter cæteros gessisse nos videamur.

27. *Castigo*] Ὑπωπιάζω, i. *coerceo*, sive *cohibeo*, *subigoque:* nam Interpres sensum expressit potius quam vocem Græcam reddidit. Eam Paulinus propius expressit epist. 58. ad Augustinum, *Lividum*, inquit, *facio corpus meum & in servitutem redigo.* Siquidem Græcis ὑπωπιάζειν est *livere*, seu *sanguinis nota*, *sugillare*, proprie *oculos*, quos illi ὦπας vocant, & ὑπώπια notas ejusmodi, autoribus Hesychio & Suida: licet hanc vocem diligenter explicarit etiam Theophylactus. Apparet sumptam Metaphoram à certamine pugilum, unde Paulus non illibenter solet similitudines ducere. Siquidem in his *supplantabat* qui dejiceret in humum antagonistam suum, *sugillabat* qui notam insignem inflixisset faciei.

VATABLUS.

1. LIber? non sum Apostolus?*] *Apostolus? non sum liber?*

2. *Signaculum*] *Sigillum.*

3. *Defensio*] Vel, *responsio.* ¶ *Interrogant*] Vel, *dijudicant:* quo scil. argumento doceam me esse Apostolum.

5. *Mulierculam*] *Mulierem*, Vet.

6. *Aut*] Vel, *An.* ¶ *Aut*] *Et*, Vet. ¶ *Hoc*] *Non:* q. d. nonne etiam nobis licet non operari manibus, sed ex prædicatione Euangelii vivere sicut & quidam faciunt?

7. *Plantavit*] *Plantat:* præs. temp. Vet.

8. *Numquid secundum hominem hæc dico?*] q. d. An humanis duntaxat argumentis hæc assero? nonne Lex, &c.

9. *Non alligabis*] Fut. pro imper. Hebr. ¶ *An*] *Nonne.* ¶ *Utique hoc*] *Omnino.* Vet. non legunt *hoc.*

10. *Trituras**] * *Sub spe.* ¶ *In spe fructus percipiendi*] *Spei suæ particeps esse debeat.*

11. *Metamus?*] *Metemus?*

12. *Vestra*] *Erga vos:* i. Si alii usi sunt potestate qua potuerunt uti erga vos. ¶ *Sustinemus*] *Sufferimus.* ¶ *Ne quod offendiculum*] *Ne quam interruptionem:* i. ne aliquam moram afferamus prædicationi Euangelii.

13. *In sacrario*] *Sacris.* ¶ *Altario*] *Altari*, Vet. ¶ *Altario*] *Altari*; Vet.

15. *Autem*] *Tamen.* ¶ *Non autem*] *Quanquam non.* ¶ *Bonum enim est mihi magis mori*] Hebr. malum enim mori. ¶ *Gloriam*] *Gloriationem:* quæ sc. in eo est posita, quod gratis euangelizem. ¶ *Evacuet*] *Inanem reddat.*

16. *Euangelizavero*] *Euangelizo.* ¶ *Enim*] *Autem:* q. d. damnabor si non, &c.

17. *Credita*] *Commissa.*

18. *Sine sumptu ponam*] *Gratuitum efficiam:* i. nemini oneri sim, & à nemine victum accipiam, tametsi possim. ¶ **Abutar*] *Abutar* pro *utar* positum.

19. *Ex*] *Ab.*

20. *Et*] *Et*, pro *Nam.*

21. *Dei*] *Deo:* i. apud Deum. ¶ *In lege essem Christi*] i. Obnoxius legi Christi.

22. *Infirmus**] * *Tanquam.* ¶ *Omnes*] *Omnino aliquos.*

23. *Omnia*] *Hoc.*

24. *Bravium?*] *Præmium?* Vox Græca proprie significat *præmium quod datur certantibus ac vincentibus.*

25. *Qui in agone contendit*] *Qui certat:* proprie in publicis certaminibus, ut in palæstra. ¶ *Ab omnibus se abstinet*] Vel, *Per omnia temperans est.*

26. *Non quasi*] Vel, *ut non.* ¶ *Pugno*] *Pugilum certamen exerceo*; vel, *pugnis certo.*

27. *Castigo*] *Coerceo, subjicio, cohibeo.*

CASTALIO.

5. S*Ororem*] Christianam.

9. *Bovesne curæ Deo sunt?*] Sunt quidem, sed eo in loco curat Deus pastores præcipue.

15. *Neque vero hæc eo scripsi ut in me sic fiat*] Mihi detur stipendium.

18. *Non abutendo mea in Euangelio potestate*] *Abuti* vocat, uti, cum possit non uti.

23. *Ut ejus fiam particeps*] Assequar quod promittit Euangelium.

CLARIUS.

1. NON *sum Apostolus?*] Nondum absolvit propositam rem de qua tractabat; sed cum sciret plurimi referre proximorum exempla in utramque partem, docet suo exemplo, non solum ea quæ facultatis sunt nostræ ac omnino licent, si offendant, esse prætermittenda, verum etiam si, quamvis non offendant, aliquis tamen prætextu imitandi nostri illis sit abusurus, etiam ab illis esse abstinendum. Hic ergo dicit, Nonne manifestissimum est mihi nihil deesse quod primates Apostoli, etiam in Domino viso, sint assecuti? quod si quis alius negat, id negare omnino vos non potestis, qui *sigillum quoddam estis mei Apostolatus.* Cum ergo habeam eandem potestatem quam cæteri omnes Apostoli, pluribus tamen in rebus ea non sum usus, ne occasionem præbeam iis qui eam quærunt.

3. *Mea defensio*] Potest referri ad superiora, ut dicat, Si quis scire quærat unde signa Apostoli ostenderim, vos in testimonium propono. Potest etiam ad sequentia referri, quod scilicet cum posset uti eadem qua cæteri Apostoli autoritate, tamen sine sumptu prædicaverit Euangelium, cujus rei ipsi erient testes.

5. *Sororem mulierem*] Mulieres opulentæ fideles sequebantur quosdam ex Apostolis, ministrantes necessariis eorum usibus.

6. *Ego solus & Barnabas*] Num solis duobus nobis adempta est *potestas non operandi?* ut scilicet non liceat nobis alieno sumptu, sine labore manuum nostro, vivere, dum prædicamus Euangelium? quod num liceat, sumite exempla à Militibus, ab Agricolis, à Pastoribus: quin & Lex ipsa id docet: & tamen noluimus uti hac potestate, utilitatis vestræ gratia.

8. *Numquid secundum hominem*] Num humana tantum cogitatione nitor, & non etiam Legis autoritate?

9. *Num-*

9. *Numquid de bobus*] Curæ quidem sunt omnia Deo: nam, *omnia*, inquit, *à te exspectant, ut des illis escam:* sed illam legem tulit, scilicet, *Non alligabis os bovi trituranti*, non Boum gratia, sed ad docendos Homines humanitatem.

11. *Si alii potestatis vestræ*) Si alii Apostoli possunt accipere à vobis alimenta, quanto magis nos? illud ergo *potestatis vestræ* intellige, *potestatis erga vos.*

16. *Nam si euangelizem*] Sensus est, Nullam mihi arbitror superesse in hac re gloriam aliam apud Christum quam hanc, *ut sine sumptu cujusquam prædicem Euangelium: nam quod euangelizem*, non ascribo meæ gloriæ, ut qui impleam duntaxat quod mihi præceptum est; quod cum implevero, dicendum est præterea, *me servum esse inutilem, qui id tantum fecerim quod debuerim. Si ergo invitus hoc facio* (nam viderer quasi invitus facere si refugerem sumptu proprio id facere) *dispensatio quædam mihi credita est*, à qua gloria mihi non est exspectanda: *sin volens ac sponte hoc facio*, h.e. non exspectata ab aliis mercede vel sumptu, hæc est *mea merces* & mea *gloria.* Generosum profecto animum!

21. *Iis qui sine Lege sunt*] *Sicut*, inquit, *cum Judæis ita versabar quasi Legem servans, sic cum Gentibus versabar quasi omnino hujus Legis expers.* Fiebat etiam *cum infirmis infirmus* cum dicebat, *Infirmum in fide suscipite*, &c.

24. *Nescitis quod ii*] Docet maximum esse negotium Christianæ Philosophiæ, & nisi quis omne studium adhibeat, non assequi tam ingens trophæum. Oportere ergo omnibus in rebus cavere ne impingamus, & aliqua offensione cursus noster intercidatur. Quod si ii qui in stadio currunt tanta cura munus suum exsequuntur, & qua gratia? exiguæ ac temporariæ coronæ gratia, quid nobis non est conandum pro maximis atque æternis præmiis ac coronis decertantibus? ¶ *Unus accipit bravium*] h.e. Omnes quidem currunt, sed non omnes assequuntur: de quo vide quid dictum sit in Joan. 2. 4.

26. *Ego igitur sic curro*] Optimus est docendi modus ex se ipso invenire exempla. Curro ergo, inquit, ego quasi qui scopum præfixum habeam; & pugno, cogitans quicum mihi sit pugnandum; quod qui facit, is demum evadet victor: contra, qui nullas sibi difficultates proponit, facile in medio deficit cursu.

27. *Castigo corpus meum*] Præcipuus ad omnia recte facta apparatus, efficere ut corpus legi Spiritus obtemperet. Castigabat Paulus corpus, quod magis spiritale erat quam nostræ ipsorum animæ. Cui ergo post Paulum non id faciendum est? Opportune autem meminit *castigandi corporis* ob eos quorum ventris ac gulæ vitium reprehenderat.

Z E G E R U S.

3. M*EA defensio hæc est*] Nimirum quam prædixi, *Apostolatus mei signaculum vos esse.*

5. *Sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri*] Clemens Alexandrinus, ut refert Eusebius Eccl. hist. l. 3. c. 30. præsentem locum, atque etiamnum illum Phil. 4. *Germane compar*, adducit, quo ostendat Paulo uxorem fuisse, quam tamen exemplo Petri non circumduxerit, quo videlicet expeditior esset ad negotium Euangelicum. Verum præcipui Ecclesiæ Doctores, Hieronymus lib. Adv. Jovinianum 1. & Augustinus De opere monachorum cap. 4. aperte ostendunt, cum ex *sororis* addito vocabulo, tum ex ipsorum ordine verborum, haudquaquam hunc locum de uxoribus intelligendum, sed de aliis sanctis mulieribus, quæ, juxta morem Judaicum, magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. In eundem etiam sensum & Ambrosius interpretatur, qui etiam non *sororem mulierem*, sed *mulieres* citra *sororis* vocabulum legisse videtur. De Pauli uxore in epistolam ad Philippenses dicemus.

8. *Numquid secundum hominem hæc dico?*] i. Numquid ex hominum sententia & humanis duntaxat exemplis hæc confirmo?

10. *Et qui triturat, in spe fructus percipiendi*] Supplendum est *triturare debet.* Quod si Græca requiras, verba quidem diversum quid sonant, sensus tamen non perinde diversus est. Ita enim legimus, Καὶ ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν, ἐπ' ἐλπίδι & subaudiendum est verbum ὀφείλει *debet.* Sensus igitur est, *Et qui in spe triturat, spei suæ*, h. e. mercedis, *particeps esse debet.* Unde & Ambrosius ita legit, *Quoniam qui in spe arat & triturat, debet spei suæ fructum percipere.* Hesychius idem legit quod nos, in Lev. c. 16.

12. *Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos?* &c. Εἰ ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσιν, οὐ μᾶλλον ἡμεῖς;] Hæc alii ad hunc modum interpretari maluerunt, *Si alii potestatem habent ut vestri sint participes*, (vel *dominentur & obsequentissimis servis utantur*) *nonne longe magis nos?* Ego tamen sic potius intellexerim, *Si alii communicant* (vel *utuntur*) *vestri potestate. facultate*, seu *licentia*, quæ jure ipsis in accipiendis vitæ necessariis permittitur, &c.

16, 17. *Nam & si euangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est si non euangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo*, &c.] Quidnam sibi vult Apostolus dicens, *Si euangelizavero, non est mihi gloria?* Numquid qui Christi Euangelium prædicarit gloria præmioque destituetur? Haudquaquam sane. Sed, *Non est mihi*, inquit, *gloria si invitus muneris injuncti necessitatem perficiam.* Non datur laudi Euangelii prædicatio quæ necessitate non promptæ voluntatis fit liberalitate. Necessario ex prædestinatione Divina, sive volens sive invitus, euangelizare cogor. Atqui si nullo modo præstem ad quod obstringor, supplicium me manet. Quod autem sequitur, ¶ *Si autem invitus, dispensatio mihi credita est*] Sive, ut Græce est, *dispensationi creditus sum*, perinde valet ac si dicat, *Si invitus prædico, nihil prædico: nil habeo aliud præterquam servilem ac mihi sterilem Euangelii administrationem.* Præter hanc tamen vulgatiorem posset & alia intelligentia assignari, de vitæ sustentandæ necessitate: & nescio an hanc priori præferendam quispiam pronunciabit. Præmiserat ergo Apostolus, usque adeo non appetere se Corinthiorum, ob prædicationem ipsis impensam, facultates ad vitam sustentandam necessarias; deinde, usque adeo tueri suam gloriationem, qua gloriabatur gratis se prædicasse, ut *citius emori* fame *optarit quam ut hanc quis* ob acceptum scandalum *inanem redderet.* Ad hæc igitur ita subdit, *Nam si euangelizavero*, scilicet ut privatis meis serviam necessitatibus, *non erit quod glorier* apud Deum: *nam* hujus vitæ sustentandæ *necessitas mihi* prædicandi causa est. *Væ enim mihi erit*, & in malum cedet meum, *si non euangelizavero. Si autem volens hoc egero*, nulla vitæ aut corporis fulciendi necessitate compulsus, *habeo mercedem. Si invitus* & coactus temporalium rerum carentia cupiditateve, tanquam invito servo alienæ rei *distributio mihi concredita est.*

22. *Ut omnes facerem salvos*] In archetypo aut ἵνα πάντως πάντας σώσω legendum est, ut intelligas nullum non voluisse salvare, non autem quosdam tantum, ut quidam vertit; siquidem πᾶς τις pro *unusquisque* Græcis usurpatur: aut certe ἵνα πάντας σώσω, *ut omnes salvem.* Nam hujusmodi sensum palam efflagitant quæ proxime præcedunt, & ipse verborum tenor. Quinimo hoc ipsum sequuntur Tertullianus lib. contra Marc. 5. Ambrosius, Chrysostomus & Augustinus Contra mendacium c. 12.

S T E P H A N U S.

1. ΟΥΚ εἰμὶ] *Nonne sum.*

2. Ἡ σφραγὶς τῆς ἐμῆς ἀποστολῆς] *Sigillum Apostolatus mei.*

7. Τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ;] *Quis unquam militat propriis stipendiis?*

12. Τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσιν] *Aliquid juris in vos obtinent.* Vel, *Aliquam in vos potestatem habent.* ¶ Ἵνα μὴ ἐγκοπήν τινα δῶμεν] *Nequam remoram demus:* vel, *interturbationem.* Gall. *quelque destourbier.*

13. Τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται] *Cum altari participant.*

17. Οἰκονομίαν πεπίστευμαι] *Dispensatio ejus* nihilominus *mihi credita est.*

20. Ὡς ὑπὸ νόμον] *Tanquam* essem *sub Lege.*

21. Τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος] *Exlegibus exlex.* Huic autem opponitur alterum.

22. Πάντως] *Quavis ratione:* vel, *Quovis modo.*

27. Ὑπωπιάζω] *Contundo & in servitutem redigo.* ¶ Ἀδόκιμος γένωμαι] *Reprobus fiam.*

D R U S I U S.

5. S*Ororem mulierem*] Verba Græca ambigua sunt. Nam γυνὴ tam *uxor* quam *mulier*, ut אשה apud Ebræos, & ܐܢܬܬܐ apud Syros. Hanc ambiguitatem non habet lingua Latina: ideo variant editiones illius idiomatis. Nam in aliis *sororem uxorem:* forte melius. Est etiam ubi scriptum sit *sorores mulieres.* Clemens Strom. lib. 3. pag. 210. *Non ut uxores*, inquit, *sed ut sorores circumducebant mulieres*, &c. Venerabilis Beda, citante Zacharia Chrysopolitano Episcopo, *Consuetudinis Judæorum fuit ut mulieres de substantia sua victum &*

& vestitum praeceptoribus ministrarent. Hoc tamen, quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulum abjecisse se memorat, NUMQUID NON HABEMUS POTESTATEM SORORES MULIERES CIRCUMDUCENDI, SICUT ET CÆTERI APOSTOLI? Vide quoque Hieronymum adv. Jovin. lib. 1. cap. 14.

9. *Num boves cura sunt Deo?* Manahem Ricinensis Judæus ad locum, NON ACCIPIES MATREM CUM FILIIS, i. pullis, *Intentio praecipientis non est misereri avium: sed propter homines hoc dicit quos ita voluit assuefaceri ad mansuetudinem & commiserationem.* Et, *Non est providentia Dei particularis erga aves, sed tantum erga genus humanum. Quod autem de avibus praecepit, id propter homines fecit. Sed alii aliter de hoc re sentiunt. Moses Ægyptius opinatur providentiam non extendi ad bestias ac feras. Quod probat ex illo,* FACIES HOMINES SICUT PISCES MARIS. Hæc Manahemus ille Comment. in Mosen fol. 110. col. 3, & 4.

20. *Qui sub Lege sunt,* οἱ ὑπὸ νόμον] Mirum si non intelligit Judæos, qui sub lege Mosis: ut idem iteret aliis verbis. Sic est profecto, οἱ ὑπὸ νόμον & οἱ Ἰουδαῖοι synonyma mihi videntur.

21. *Iis qui sine Lege erant*] Videtur Gentes intuere, qui *exleges* erant, quia carebant lege Mosis. Alioqui *exlex* dicitur qui vivit fine ulla omnino lege. Interdum ἄνομος *iniquus, injustus.* Ei opponitur ἔννομος, *qui sub lege vivit, sublex.* Dicitur etiam de re; ut ἄνομος ἔννοια, *cogitatio iniqua.*

27. *Ipse reprobus efficiar*] Tralatio ab Argento adulterino minimeque probo ac puro & à scoriis repurgato, quod vocant ἀδόκιμον ἀργύριον. Vide Græcam ed. Prov. 25. 4. Sed & Jes. 1. 22. τὸ ἀργύριον ὑμῶν ἀδόκιμον, ubi Th. κεκαρτωμένος, Sym. εἰς σκωρίαν, & Aq. σύμφυλα. Nam סיגים est in fonte. Sic mox v. 25. סיגך. Sym. τὴν σκωρίαν σου. Th. vero κεκαρτωμένος, & Aq. σύμφυλα. Vide 2 Cor. 13. 6.

CASAUBONUS.

26. ΩΣ οὐκ ἀέρα δέρων] De irrito conatu hoc dicitur. Sic infra 14. 9. Sic apud Ciceronem in illo carmine ad Atticum,

Πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήνας.

& Tibul. Eleg. 5. L. 1.

27. Ad ista Bezæ, *Vetusta tamen exemplaria legunt* ὑπωπιάζω] Hæc scriptura valde mihi probatur.

CAMERO.

1. ΟΥ'Κ εἰμὶ ἀπόστολος; &c.) Prophetarum, Patriarcharum, etiam Mosis vocatio fuit quidem extraordinaria; quin & istius plane singularis, quæ nulli mortalium præterquam ei uni contigit. At vero Apostolorum vocatio illam longo superavit intervallo. Prophetæ enim & Patriarchæ visionum, somniorum, enthusiasmorum, &c. interventu mittebantur; Apostoli vero ipsius Dei Filii voce missi sunt, quem nimirum alloquentem στόμα πρὸς στόμα, sine ullo involucro visionis & somnii, aperte & summa cum comitate audiverunt. Dominus, inquam, noster Jesus Christus, ὁ Θεὸς φανερωθεὶς ἐν σαρκί, Deus idem & Homo, quem qui vidit & Patrem vidit, nullius Angeli opera, per nullius obtentum veli, ipse immediate Apostolos suos misit. Atque hoc Apostolico muneri tam arcte conjunctum est tamque (ut ita loquar) essentiale, ut dum Paulus autoritatem Apostolatus sui asserit, non alio potius hic usus sit argumento, *Non sum*, inquit, *Apostolus? non sum liber? non vidi Dominum nostrum Jesum Christum?* q. d. *Quid? Estne quisquam qui in me jus habeat? Meane est eadem quæ caeterorum Ecclesiæ Doctorum conditio, in quos Apostoli jus habent, cum viderim Dominum Jesum, & hoc demum pacto fuerim vocatus?* Huc pertinet quod Actor. 10. 41. testatur Petrus, Christum *non toti populo indiscriminatim apparuisse, sed certis quibusdam testibus* προκεχειροτονημένοις *quos antea elegerat.* Nimirum ea Apostolatus prærogativa, id privilegium fuit.

JAC. CAPPELLUS.

25. QUisquis certat, *in omnibus est continens*] Horatius,

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit,
Abstinuit Venere & Baccho.

Chrysostomus in epist. ad Hebr. hom. 17. Ἐν τοῖς Ὀλυμπιακοῖς ἀγῶσιν οὐχ ἕστηκεν ὁ κῆρυξ βοῶν μέγα καὶ ὑψηλὸν, Εἴ τις τοῦτον ... πορνὸς, λέγων, μὴ δοῦλός ἐστι; μὴ κλέπτης; μὴ τρόπον ... κατὰ τὸ ἀγωνίσασθαι ἐκεῖνα ὅτι ψυχῆς ἐστι, ὅτι τρόπου ἀγαθοῦ, ἀλλὰ γνώμης (lege ῥώμης) καὶ σώματος.

27. *Sed contundo corpus meum & in servitutem redigo*] Nempe quia decreverat Euangelium ita prædicare ut nihil ab Ecclesiis acciperet, ut nullos sua causa sumptus facerent Ecclesiæ, ut dixit v. 18. necessario multi labores Apostolo fuerunt exantlandi, quo posset labore manuum victum sibi comparare: sæpe vigilandum ipsi fuit, sæpe jejunandum, aut tenuiter admodum vivendum, genius defraudandus, quo posset huic instituto suo satisfacere, ut videlicet quam plurimis Euangelium prædicaret, & tamen nullas aut quam paucissimas Ecclesias sumptibus oneraret. Ne vero quis putaret hoc ad ea referendum quibus homines ultro nulla necessitate semet ipsos discruciant inedia, flagellatione, vel aliis hujusmodi rationibus, quibus Baalitæ, quibus etiam Cybeles ac Isidis cultores gloriam sibi comparabant, nequis, inquam, hoc loco abuteretur ad tale quidpiam invehendum in Ecclesiam, antidotum dedit ipse Paulus Coloss. 2. 20, 21, 22, 23.

LUD. CAPPELLUS.

12. EI' ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσιν, οὐ μᾶλλον ἡμεῖς;] Dura admodum phrasis ad id significandum quod vult Apostolus. Nam primo juxta lectionem istam vulgo receptam dicendum est τῆς esse pro ταύτης, ut hæc ἐξουσία referatur ad id quod præcessit versu antecedente, & intelligatur de potestate edendi τὰ σαρκικά. Deinde, ἐξουσίας ὑμῶν positum fuerit pro ἐξουσίας εἰς ὑμᾶς *potestatis in vos:* cujus phraseos exemplum simile adferunt ex Matth. 10. 1. & Marc. 6. 7. ubi ἐξουσία πνευμάτων ponitur pro ἐξουσία κατὰ τῶν πνευμάτων· quæ phrasis est Hebraica: nam apud Hebræos affixa pronomina nominibus addita non sunt semper Possessiva h. e. non semper possessorem notant rei quæ nomine cui affixa sunt significatur, sed potius sunt Passiva, h. e. notant eum qui patitur: ut cum Deus Templum suum vocat בית תפלתי *domum orationis meæ*, non hoc vult, Templum illud esse locum in quo ipse orat, sed locum esse in quo preces ad eum funduntur. Sic dicitur חמסי *violentia mea*, non qua ego alios afficio, sed qua ego ab aliis afficior. Sed ut ut sic accipi & explicari possit illud ἐξουσίας ὑμῶν, insolens tamen est admodum in N. Testam. ut non immerito suspecta esse possit illa lectio (quamvis sane omnium codicum & veterum Interpretum fide confirmata) legique posse cuipiam non injuria videatur οὐσίας pro ἐξουσίας. Sic enim plana & aperta redditur sententia, (nam οὐσία passim pro *facultatibus, opibus, bonis & possessionibus* usurpatur) quæ alioqui perplexa & dura admodum videtur.

GROTIUS.

1. ΟΥΚ εἰμὶ ἀπόστολος; *Non sum Apostolus?*] Pergit arguere Doctores illos qui eruditionis nomine inflati plus Philosophicis disputationibus quam utilitati fidelium tribuebant. Urget autem eos suo exemplo, hoc dicit, *Si Apostolus sum, & sum, nihilo minor sum illis Doctoribus.* Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; *non sum liber?*] Libertas certe omnibus æqualis est, nec mihi minus quam illis competit. In Manuscripto melius crescit oratio, Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; [*Non sum liber? non sum Apostolus?*] Et sic legisse Syrum & Arabem apparet. Οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Κύριον ἡμῶν ἑώρακα; *nonne Jesum Christum Dominum nostrum vidi?*] Si illis auctoritatis aliquid confert Græcanica eruditio, at mihi Divinæ revelationes. Οὐ τὸ ἔργον μου ὑμεῖς ἐστε ἐν Κυρίῳ; *nonne opus meum vos estis in Domino?*] Ego vos Christo formavi. Sic

Et magnum magni Cæsaris illud opus,

de eo quia Cæsare institutus fuerat.

2. Εἰ ἄλλοις οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, ἀλλά γε ὑμῖν εἰμι· *Si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum*] Si alii dubitarent an Apostolus essem, vos certe dubitare non deberetis propter ingentia signa Apostolatus, quæ apud vos edidi. Ἡ γὰρ σφραγὶς τῆς ἐμῆς ἀποστολῆς ὑμεῖς ἐστε ἐν Κυρίῳ. *nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino*] Sicut per signa apposita constat instrumentum aliquod esse sincerum, ita per vestram conversionem constat me esse Apostolum. De voce σφραγὶς [*signaculi*] vide quæ dicta ad Johann. III, 33. & Rom. IV, 11. Ἀποστολὴ *munus Apostolicum*, Actor. 1, 25. Rom. 1, 5. Galat. II, 8. quomodo ἐπισκοπὴ, *munus Episcopi* Actorum 1, 20. 1 Timoth. III, 1. Ἐν Κυρίῳ [*in Domino*] supple ὄντες [*existentes*] eo ipso quod estis in Christo, quod estis Christiani. ἐμὸν γέρας τόδε [*honor meus hoc est*].

3. Η ἐμὴ ἀπολογία τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσιν αὕτη ἐστί. *Mea defensio apud eos qui me interrogant hæc est*] Melius putem hæc ad sequentia quam ad præcedentia referri. *Qui sibi id arrogant, ut de meis actionibus judicent, eis respondeo quæ sequuntur.* Doctores nonnulli Corinthiorum, γνωστικοὶ [*Gnostici*] illi scilicet, Paulo obtrectabant tanquam minus intelligentem quanta esset sapientis hominis libertas. Ostendit vero Paulus se id recte intelligere, & id multis argumentis docet; sed ■ usum libertatis circumscribere prudentiæ & dilectionis finibus.

5. Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου, καὶ Κηφᾶς; *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas?*] Crescit oratio: nam primum *Apostolos* nominat, deinde *fratres*, id est cognatos, *Domini*, postremo *Cepham* ipsum principem Apostolici cœtus. Cephas sive Petrus uxorem suam comitem habuit itinerum, quæ & coram ipso ad mortem ducta est, ut ex traditione refert Clemens Alexandrinus libro VII. Idem fecere & alii Apostoli & uxorum opera usi sunt ad matronas convertendas, ut idem narrat libro III. quanquam addit οὐχ ὡς γαμετὰς, ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς περιάγοντες γυναῖκας [*non ut nuptas, sed sicut sorores circumducentes mulieres*], quasi significare volens non usos Apostolos uxoribus ut uxoribus, cum tamen ante dixisset & Petro & Philippo natos filios, & à Philippo filias nuptum datas. Videtur ergo rectius, γυναῖκα [*mulierem*] hic accipere non de matronis talibus, quales Christum comitatæ olim fuerant. Solebant enim Judæi uxores suas appellare *sorores* ob communem originem, Tob. V, 18. in Græco. Christiani autem ob communem fidem, ut diximus supra VII, 14. Pari de causa Tertullianus uxorem suam *dilectissimam in Domino conservam* vocat. περιάγειν [*circumducere*] est *secum ducere quoque quis eat.* Sic περιήγαγε [*circumduxit*] sumitur Ezech. XXXVII, 2. ἄγεσθαι [*ducere*] hoc ipsum Justino, ubi de Judæis agit fine Colloquii cum Tryphone: *Ne feminæ in socios aut Gentes externas traherentur* ait Tacitus Annal. III, 2. Intellige autem περιάγειν [*circumducere*] sumptu Ecclesiarum, ut fieri solebat.

6. Η μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας, *Aut ego solus & Barnabas*] Barnabas Pauli diu comes multum ab exemplo ipsius traxerat. ¶ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι; *non habemus potestatem non operandi?*] Id est, jus parcendi operæ nostræ & vivendi impensis Ecclesiarum. Putatis forte nos duos jus nostrum non intelligere. Intelligimus sane; sed & intelligimus quando utilius sit eo jure non uti. Vide Actor. XVIII, 3.

7. Τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ; *Quis militat suis stipendiis unquam?*] Ut ostendat se jus suum intelligere, argumenta ejus juris adfert, primum ex consensu Gentium, deinde etiam ex Lege Mosis. ὀψώνια, *stipendia* Luc. III, 14. *suis stipendiis militare*, id est suo ære, suo sumptu. ¶ Τίς φυτεύει ἀμπελῶνα, καὶ ἐκ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ οὐκ ἐσθίει; *Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit?*] Vinitoribus licet uvas edere. ¶ Η τίς ποιμαίνει ποίμνην, καὶ ἐκ τοῦ γάλακτος τῆς ποίμνης οὐκ ἐσθίει; *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?*] Solent pastores, si qua necessitas urgeat, lacte pecudum se sustentare. Lac & *bibi* dicitur, ut supra III, 2. & *edi*, ut hic nimirum, cum pane quem in pera ferebant pastores, II Regum IV, 42. Judith. X, 5. XIII, 11.

8. Μὴ κατὰ ἄνθρωπον ταῦτα λαλῶ; *Numquid secundum hominem hæc dico?*] *An putatis me quæ dico sola humana auctoritate adstruere*, ex moribus scilicet? Vide Rom. VI, 19. ¶ ἢ οὐχὶ καὶ ὁ νόμος ταῦτα λέγει; *an & Lex hæc non dicit?*] Lex ipsa à Deo data, in qua nihil est iniqui.

9. Εν γὰρ τῷ νόμῳ Μωσέως γέγραπται· Οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα. *Scriptum est enim in Lege Moysi, non alligabis os bovi trituranti*] Verba LXX. Deut. XXV, 4. φιμοῦν, *capistrare*, ut loquuntur Plinius & Columella; *infrænare*, ut vertit Ambrosius; ἐπιστομίζειν, ut Hesychius, *os occludere*: unde per Translationem significat *silentium indicere*, Matth. XXII, 12, 34. Marc. I, 25. IV, 39. Luc. IV, 35. I Petr. II, 15. Ἀλοᾶν [*triturare*] dicuntur boves cum grana ex aristis exterunt pedibus: qui mos Orientis, sed & Græciæ, ut ex Theophrasto & aliis discimus. Vide de hac re Mosem de Cotzi Præcepto jubente XCI. vetante CLXXXIV. ¶ Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ; *Numquid de bobus cura est Deo?*] Non præcipue, sed ideo jubemur misericordiam etiam in jumentis exercere, ut eo magis eam noscamus in homines exercendam. Quintilianus V, 9. *Nec mihi videntur Areopagitæ cum damnaverint puerum coturnicum oculos eruentem, aliud judicasse, quam id signum esse perniciosissimæ mentis multisque malo futuræ si adolevisset.* Homines quos Deus à tutela sua destituit, dicitur habere velut pisces & insecta, quia Deus animantium ipsa genera tantum curat, homines etiam singulos, si tanti sint. Vide quæ hac de re φιλοσοφικῶς [*Philosophice*] disserit Maimonides Duce dubitantium III, 17. Philo libro de Sacrificantibus, Οὐ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀλόγων ὁ νόμος, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν νοῦν καὶ λόγον ἐχόντων· ὥστε οὐ τῶν θυομένων φροντίς ἐστιν, ἀλλὰ τῶν θυόντων, ἵνα μηδὲν πάθος κατεργάσωνται [*Nec enim bruta Legi curæ sunt, sed mente & ratione prædita: itaque de offerentibus non de victimis est sollicita, ne quod vitium eis insideat*]. Philostratus vita Apollonii VIII, 9. Τοῦτο δὲ οὐχ ὑπὲρ τῶν λεόντων εἶπεν. οὐ γὰρ ὑπὲρ θηρίων ἀγωγῆς σπουδάζομεν, ἀλλὰ ἡνίαν ἐπιβάλλειν τυράννοις ἀξιοῖς [*Hoc autem non de leonibus dixit, nam non sumus solliciti de educatione ferarum; sed ut frænum tyrannis injicias*]. Non dissimile illud Demosthenis contra Timocratem, Οὐ γὰρ ὑπὲρ τῶν οἰκετῶν ἐσπούδασεν ὁ νομοθέτης· ἀλλὰ βουλόμενος ὑμᾶς ἐθίζειν πολὺ ἀπέχειν τοῦ τῶν ἐλευθέρων ὕβρεως [*Neque enim servi curæ fuere legislatori; sed quo nos à liberorum contumelia quam longissime arceat*].

10. Η δι' ἡμᾶς πάντως λέγει; *An propter nos utique dicit?*] Πάντως est *præcipue*: sicut πάντες, *plerique*. ¶ Δι' ἡμᾶς γὰρ ἐγράφη, ὅτι ἐπ' ἐλπίδι ὀφείλει ὁ ἀροτριῶν ἀροτριᾶν· καὶ ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν, ἐπ' ἐλπίδι. *Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi*] Libri hic variant, ut est ab aliis annotatum. Manuscriptus ille, Οτι ὀφείλει ἐπ' ἐλπίδι ὁ ἀροτριῶν ἀροτριᾶν, καὶ ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν [*Quoniam debet in spe qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi*]. In qua lectione duo notanda; primum post ὁ ἀλοῶν [*qui triturat*] subaudiendum ἀλοᾶν [*triturare*], idque ex simili ἀροτριᾶν [*arare*] quod præcessit. Deinde μετέχειν [*fructus percipere*] referendum, non ad posterius tantum, sed & ad prius ἐπ' ἐλπίδι [*in spe*]. Qui jumentis consultum voluit, multo magis hominibus laborantibus, ut laborem soletur spes mercedis, sive ea detur in parte rei ipsius in qua laboratur, ut fit colonis partiariis, sive in pecunia quæ omnium rerum vicem subit.

11. Εἰ ἡμεῖς ὑμῖν τὰ πνευματικὰ ἐσπείραμεν, μέγα εἰ ἡμεῖς ὑμῶν τὰ σαρκικὰ θερίσομεν; *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*] Bis à minori ducit argumentum: Primum à jumentis ad homines; deinde ab hominibus laborantibus in iis quæ ad hanc vitam attinent, ad homines laborantes in rebus ducentibus ad vitam meliorem. Si illi digni sunt qui alantur, quanto magis hi. *Serere* & *metere* frequentia in proverbiis, ut notavimus ad Matth. XXV, 22. Joh. IV, 37. Hoc loco *serere* est operam præstare, *metere* pro opera aliquid accipere. μέγα [*magnum*], id est, *an mirum est?* sic οὐ μέγα [*non magnum*] *minime mirum*, II Corinth. XI, 15.

12. Εἰ ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσιν, οὐ μᾶλλον ἡμεῖς; *Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos?*] *Si alii fruuntur jure in vos, quanto magis nos*, supple *æquum fuit pari frui jure?* ἐξουσία ὑμῶν [*potestas vestra*], id est, εἰς ὑμᾶς [*in vos*], quomodo ἐξουσία πάσης σαρκὸς [*potestas omnis carnis*], Johan. XVII, 2. ἐξουσίαν πνευμάτων [*potestatem spirituum*] Matth. X, 1. ¶ Αλλ' οὐκ ἐχρησάμεθα τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ· *Sed non usi sumus hac potestate*] Qui jus habet, potest & ejus juris usu abstinere: alioqui dominus ejus juris non esset. ¶ Αλλὰ πάντα στέγομεν, *Sed omnia sustinemus*] *Perferimus.* Sic στέγειν [*sufferre*] habemus infra XIII, 7. II Thessal. III, 1, 5. ¶ ἵνα μὴ ἐγκοπήν τινα δῶμεν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ. *ne quod offendiculum demus Euangelio Christi*] Εγκόπτειν est *impedire*, Rom. XV, 22. Gal. V, 7. I Thess. II, 18. Hinc ἐγκοπή, *impedimentum*, ut ubi via intercisa est.

13. Οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt?*] Levitæ nimirum, quorum erat mactare pecudes. Hi *de sacro* vivebant, id est, de decimis. ¶ Οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται; *Qui altari deserviunt, cum altari participant?*] Manuscriptus hic habet παρεδρεύοντες [*inservientes*] de qua voce diximus supra VII, 35. Intellige Sacerdotes quorum erat exta aris imponere, partes autem sibi retinere, Levit. VII, 6. ideo recte hic dicuntur *partiri cum ipso altari* tam de Sacerdotibus quam de Levitis. Vide locum Deuteron. XVIII, 1. sic Jon. apud Euripidem,

Βωμοὶ μ' ἔφερβον

[*Pavere me aræ*].

14. Οὕτω καὶ ὁ Κύριος διέταξε τοῖς τὸ εὐαγγέλιον καταγγέλλουσιν ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν. *Ita & Dominus ordinavit iis qui Euangelium annuntiant de Euangelio vivere*] Nimirum

ex

ex dicto quod tunc per manus tradebatur: Cæterum nunc perscriptum est, Matth. x, 10. Luc. x, 8.

15. Ἐγὼ δὲ οὐδενὶ ἐχρησάμην τούτων. *Ego autem nullo horum usus sum*] Non alimenta accepi, non munera. ¶ Οὐκ ἔγραψα δὲ ταῦτα, ἵνα οὕτω γένηται ἐν ἐμοί. *Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me*] Id est, *mihi*. Non ideo scripsi ut mihi præstentur quæ aliis. ¶ καλὸν γάρ μοι μᾶλλον ἀποθανεῖν, ἢ τὸ καύχημά μου ἵνα τις κενώσῃ. *bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*] Καύχημα [*gloriam*] jam sæpe diximus esse ἀγαλλίαμα, *gaudium*. *Malim mori quam gaudium illud, quod parit mihi conscientia meo sumptu prædicati Euangelii auferri.* Magnum animum olim ostendit Abrahamus nihil de præda bello parta sibi cupiens, Genes. xiv, 22, 23. Multo majorem Paulus pro gravi ac salutifero labore ne alimenta quidem sibi sumens. Καλὸν [*bonum*] cum dativo pari sensu habuimus, Matth. xviii, 8, 9. xxvi, 24. Marci ix, 42, 43, 45, 47. Verbum vero κενοῦν [*evacuare*] habuimus, Rom. iv, 14. supra i, 17.

16. Ἐὰν γὰρ εὐαγγελίζωμαι, οὐκ ἔστι μοι καύχημα· *Nam etsi evangelizavero, non est mihi gloria*] Comparate intellige. Magis enim erigitur conscientia de iis quæ ex nulla obligatione egregia fecit. ¶ οὐαὶ δέ μοι ἐστὶν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι. *væ enim mihi est, si non evangelizavero*] Amos iii, 8. vii, 15, 16, 17. Jerem. xx, 8. *Qui à Deo in hoc illuminatus est, debet alios instruere etiam cum vitæ suæ periculo*, ait Maimonides Ducis dubitantium ii, 31. & Rabbi Israel de Anima, cap. 6. *Si quis defugiat, eveniet ei quod Jonæ, aut pejus aliquid.*

17. Εἰ γὰρ ἑκὼν τοῦτο πράσσω, μισθὸν ἔχω· *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo*] *Si id sponte fecissem, non jussus*, ut Frumentius & alii quidam. μισθὸν ἔχω [*mercedem habeo*] *sperare inde possem præmium non quodvis, sed eximium*: ὃ μὲν γὰρ ὑπὲρ τὴν ἐντολὴν γίνεται, πολὺν ἔχει τὸν μισθὸν κατὰ τοῦτο· ὃ δὲ ἐν ἐντολῆς τάξει, οὐ τοσοῦτον [*quod enim supra præceptum fit, id eo ipso magnam mercedem habet; quod autem juxta præceptum fit, non talem*] Vide dicta à nobis ad Luc. xvii, 10. ubi & hunc Pauli locum attigimus. ¶ εἰ δὲ ἄκων, *si autem invitus*] Ἄκων hic non est *invitus*, sed *jussus*, *non meopte arbitratu*. ¶ οἰκονομίαν πεπίστευμαι. *dispensatio mihi credita est*] *Ratio mihi reddenda est impositi muneris.* οἰκονομία τρπο [*dispensatio*] quod alibi ἐπισκοπὴ [*inspectio*]. Vide supra iv, 1. πεπίστευμαι [*mihi credita est*] cum accusativo, ut Rom. iii, 2. Potest mihi dici, *redde rationem villicationis tuæ*, Luc. xvi, 2.

18. Τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός; *Quæ est ergo merces mea?*] id est, *unde ergo spes eximii cujusdam præmii?* Augustinus, *Potuit beatus Paulus ex Euangelio sibi victum quærere. Quod maluit operari, amplius erogabat.* ¶ ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον θήσω τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, *ut Euangelium prædicans sine sumptu ponam Euangelium Christi*] ἵνα [*ut*] hic est *si*: sic supra vii, 29. habuimus ἵνα [*ut*] pro *quando*. θήσω [*ponam*] hic est dictum quomodo τιθέναι χάριν apud Græcos sæpe, *locare* aut *collocare beneficium* apud Latinos. ἀδάπανον [*sine sumptu*] nempe accipientibus: *ita ut ipsis nihilo constet*. In Glossario ἀδάπανος, *sine impensa partus*. ¶ εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· *ut non abutar potestate mea in Euangelio*] Non est καταχρήσασθαι, *male uti*, ut quidam putarunt, sed *uti* aut *peruti*, ut supra vii, 31, *in Euangelio prædicando* scilicet.

19. Ἐλεύθερος γὰρ ὢν ἐκ πάντων, *Nam cum liber essem ex omnibus*] Id est, *ab omnibus hominibus liber*: nemini sum obnoxius. ¶ πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, *omnium me servum feci*] *Sponte me ut omnium servum gessi*, nullum laborem, nulla incommoda ipsorum causa defugiens. ¶ ἵνα τοὺς πλείονας κερδήσω. *ut plures lucrifacerem*] *Ut eo plures lucrifaciam*, id est, servem. Vide Matth. xviii, 15. lucrifit enim quod servatur. Itaque pro eodem mox dicet σώσω [*salves facerem*].

20. Καὶ ἐγενόμην τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, *Et factus sum Judæis tanquam Judæus*] *Quasi Judæus essem*, nempe religione. Exemplum vide Actor. xxi, 23, 24, 25, 26. ¶ τοῖς ὑπὸ νόμον ὡς ὑπὸ νόμον, *iis qui sub Lege sunt, quasi sub Lege essem*] *Quasi proselytus essem.* Proselyti enim Legi se subjiciebant. Exemplum hujus rei vide Actor. xvi, 3.

21. Τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, *iis qui sine Lege erant, tanquam sine Lege essem*] Ἄνομοι hic dicuntur οἱ νόμον μὴ ἔχοντες [*qui legem non habent*], Rom. ii, 14. id est, quibus Lex Mosis data non est, quales erant omnes extra Israelitas & Proselytos: Exemplum hujus rei vide Actor. xvii, 22. Galat. ii, 3, 14. ¶ (μὴ ὢν ἄνομος Θεῷ, ἀλλ' ἔννομος Χριστῷ,) *cum sine Lege Dei non essem, sed in Lege essem Christi*] Hanc parenthesim addidit ne quis vocem ἄνομος [*exlex*] prave interpretaretur. nam alio sensu dicuntur ἄνομοι [*exleges*] qui pro animi lubitu vivunt, Marci xv, 28. Luc. xxii, 37. Actor. ii. 23. ii Thess. ii, 8. i Tim. i, 9. ii Petri ii, 8. Dicit ergo *se legem habere*, nempe *Christi*, & secundum eam vivere. Sic ἔννομον βίωσιν [*vitam legitimam*] dixit Sirachides. In manuscripto Θεοῦ [*Dei*] & Χριστοῦ [*Christi*] in Genitivo pari sensu, & sic legere Græci qui ad hunc locum scripsere.

22. Ἐγενόμην τοῖς ἀσθενέσιν ὡς ἀσθενής, *Factus sum infirmis infirmus*] *Tanquam novitius ac tener in fide.* ¶ τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα, *omnibus omnia factus sum*] In omnes formas me verti, prout ferebat utilitas eorum quibuscum mihi res erat. Prudentis est non inhærere τοῖς καθ' ὅλου [*universalibus*], sed spectare τὰ καθ' ἕκαστα [*singula*].

23. Τοῦτο δὲ ποιῶ διὰ τὸ Εὐαγγέλιον, ἵνα συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι. *Hoc autem facio propter Euangelium, ut particeps ejus efficiar*] Μετωνυμία [*Transnominatio*] *ut particeps Euangelii fiam*, id est, præmii ejus quod in Euangelio promittitur. Sic βραβεῖον [*bravium*] Syrus hic dixit *victoriam*.

24. Οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες, πάντες μὲν τρέχουσιν, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον; *Nescitis, quod ii qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?*] Trajectio pro πάντες μὲν οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες τρέχουσι [*omnes quidem in stadio currentes currunt*]. Et prius illud τρέχοντες [*currentes*] est participium pro nomine σταδιοδρόμοι [*stadiodromi*], more Hebræo. Στάδιον, *curriculum*, in Glossario. Βραβεῖον, *palma*, in eodem Glossario. Et in hoc loco citando ubi est βραβεῖον, *palmam* dixere Cyprianus & Ambrosius. Eandem vocem in sensu ad quem tendit hæc comparatio habes Philipp. iii, 14. ¶ οὕτω τρέχετε ἵνα καταλάβητε. *Sic currite ut comprehendatis*] *Ita currite ut* primi sitis in cursu, & sic *præmium possitis assequi.*

25. Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος, πάντα ἐγκρατεύεται· *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*] Horatius,

> *Qui studet optatam cursu contingere metam,*
> *Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit:*
> *Abstinuit Venere & Baccho.*

Epictetus, Θέλεις Ὀλύμπια νικῆσαι; κἀγώ, νὴ τοὺς θεούς· κομψὸν γάρ ἐστιν. ἀλλὰ σκόπει τὰ καθηγούμενα, καὶ τὰ ἀκόλουθα, καὶ οὕτως ἅπτου τοῦ ἔργου. Δεῖ σ' εὐτακτεῖν, ἀναγκοτροφεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην ἐν ὥρᾳ τεταγμένῃ, ἐν καύματι, ἐν ψύχει, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον, ὡς ἔτυχεν· ἁπλῶς, ὡς ἰατρῷ παραδεδωκέναι σεαυτὸν τῷ ἐπιστάτῃ [*Vis Olympia vincere? & ego medius fidius. Est enim præclarum: sed considera quid antecedere, quid sequi soleat: atque ita rem gerendam suscipito. Oportebit te conservare ordinem, edere ingratis, abstinere bellariis, exerceri necessario & certo tempore, in æstu, in frigore: non frigidam bibere, non vinum, nisi præfinito; ad summam, tanquam medico, sic lanistæ te tradas oportet*]. Late idem exequitur Chrysostomus xxi. de Statuis. Locum Tertulliani hac de re alii produxere. Vide Aristotelem Polit. viii, 4. & Hesychium in Ἀναγκοφαγεῖν [*Necessario edere*]. Utitur hoc argumento à certaminibus scenicis, gymnicis & equestribus ad certamen virtutis ducto. Philo quoque contra Flaccum libro. ¶ ἐκεῖνοι μὲν οὖν ἵνα φθαρτὸν στέφανον λάβωσιν, *illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant*] Puta ex oleastro aut picea, aut lauru. Philo, Ἀλλὰ γὰρ ὑπὲρ κοτίνου καὶ σελίνου εὐκλεῶς ἀγωνισαμένῳ καλὸν ἡ τελευτή· σοφοῖς δὲ οὐ πολὺ μᾶλλον ἐλευθερίας, ἧς ὁ πόθος ταῖς ψυχαῖς μόνον, εἰ δεῖ τἀληθὲς εἰπεῖν, ἐνίδρυται [*sed juvat gloriose pro apio, frondeve oleastri certantem occumbere. At sapientem multo magis pro tuenda libertate, quam solam, si verum fatendum est, animus desiderat*]. Basilius, Ἐπεὶ δὲ στεφάνων καὶ ἀθλητῶν ἐμνήσθην, ἐκεῖνοι μυρία παθόντες ἐπὶ μυρίοις, καὶ πολλαχόθεν τὴν ῥώμην ἑαυτοῖς συναυξήσαντες, πολλὰ μὲν γυμναστικοῖς ἐνιδρώσαντες πόνοις, πολλὰς δὲ πληγὰς ἐν παιδοτρίβου λαβόντες, δίαιταν δὲ οὐ τὴν ἡδίστην, ἀλλὰ τὴν παρὰ τῶν γυμναστῶν αἱρούμενοι, καὶ τἄλλα, ἵνα μὴ διατρίβω λέγων, οὕτω διάγοντες, ὡς τὸν πρὸ τῆς ἀγωνίας βίον, μελέτην εἶναι τῆς ἀγωνίας, τηνικαῦτα ἀποδύονται πρὸς τὸ στάδιον, καὶ πάντα πονοῦσι, καὶ κινδυνεύουσιν ὥστε κοτίνου λαβεῖν στέφανον ἢ σελίνου, ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τοιούτων [*Jam quoniam de coronis & de athletis cœpi dicere illi, postquam multa atque adeo infinita tulerunt, multaque fecerunt adaugendo robori: ubi gymnasii laboribus diu insudarunt, sæpe à pædotriba vapularunt, vivendi porro rationem eam secuti sunt, non quæ arridebat maxime, sed quam lanistæ præscripserant: postquam alia denique omnia, ne longum faciam, ita egerunt, ut omnis ante certamen acta vita certaminis meditatio fuerit; tum demum in stadium descendunt, atque ibi nihil non faciunt, pericula etiam subeunt, ut coronam ex

oleastro aut apio, aliave qua istiusmodi materia accipiant]. Eumenius, *An si fortissimi viri in sacris certaminibus summo labore atque etiam vitæ periculo solam vocem præconis, & coronæ testimonium putant, &c.* Et nota hæc scribi Corinthiis apud quos Isthmia agebantur. ¶ ἡμεῖς δὲ ἄφθαρτον, *nos autem incorruptam*] Subauditur ἵνα λάβωμεν [*ut accipiamus*] ex superioribus. Vitam æternam atque cœlestem vocat μεταφορικῶς [*per Translationem*] coronam ἄφθαρτον [*incorruptibilem*], sicut Petrus στέφανον ἀμαράντινον [*coronam immarcescibilem*], 1, v, 4.

26. Ἐγὼ τοίνυν οὕτω τρέχω, ὡς οὐκ ἀδήλως. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum*] Id est, ut appareat me promovere; non ut ille de quo est Epigramma,

> Τὸ στάδιον Περικλῆς εἴτ' ἔδραμεν, εἴτ' ἐκάθητο,
> Οὐδεὶς οἶδεν ὅλως· δαιμόνιος βραδύτης
>
> [*Stadium Pericles, sive curreret, sive sederet,*
> *Nemo novit omnino; Divina tarditas!*]

¶ οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, *sic pugno non quasi aërem verberans*] In Glossario πυκτεύω, *pugilo*. Pugiles sive pyctæ priusquam certarent *manum & brachia in ventum jactabant*, ut Seneca loquitur. *Ventilare* id dicunt alii. Virgilius de Darete,

> —— *alternaque jactat*
> *Brachia protendens, & verberat ictibus auras.*

Theophilus Antiochenus libro III, οἱ τὰ ἄδηλα συγγράφοντες ἀέρα δέρουσι [*Qui incerta conscribunt aërem feriunt*]. Eustathius ad illud Homeri Iliados υ.

> τρὶς δ' ἠέρα τύψε βαθεῖαν

καὶ ὅρα, τὸ ἀέρα τύψειν, ἐξ οὗ εἰλῆφθαι παροιμία δοκεῖ, ἀέρα δέρειν, ἐπὶ τῶν ἀνεπιτεύκτοις ἐγχειρούντων. τινὲς μέντοι ἀπὸ τῶν πυγμάχων τὴν τοιαύτην παροιμίαν εἰρῆσθαι δοκοῦσιν, οἳ πολλάκις οὐκ ἐντυχόντες μάτην κινοῦσι τὰς χεῖρας

[*Ter altum aërem percussit.*

Nota hoc, aërem verberavit: *unde natum videtur adagium, aërem ferire: de his qui ea aggrediuntur quæ perfici non possunt. Sunt tamen qui id verbum à pugilibus ortum putant, qui, cum, ut fit, aberrant, frustra movent manus*]. Idem Eustathius ad ψ. Iliados, Ἦν δέ ποτε αὐτοῖς τέχνη καὶ τρίβειν συχνὰς ὥρας ἐπὶ κενῷ τῶν ἀντιπάλων ἀνατάσει καὶ καταφορᾷ χειρῶν, ὡς εἰ καὶ ἀέρα (ὃ δὴ λέγεται) ἔδαιρον ἢ καὶ σκιαμαχοῦντο πολεμικῶς [*Erat his olim ars, multasque in eo horas terebant, ut nunc attollerent manus nunc vibrarent, quo malum adversario dare discerent, plane quasi aërem, quod dicitur, ferirent, aut cum umbra, nec sine bellici certaminis specie, decertarent*]. Seneca Naturalium quæstionum VII, 13. *Solvere ista quid aliud est quam manum exercere, & in ventum jactare brachia?*

27. Ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ, *Sed castigo corpus meum & in servitutem redigo*] Vera lectio hæc ὑπωπιάζω [*obtundo*], non ὑπωπίζω, nec ὑποπιάζω [*supprimo*]. Persequitur enim postremam similitudinem à pycta desumptam. Pyctarum est adversarium ὑπωπιάζειν [*obtundere*]. Sunt ὑπώπια [*sugillata*] proprie τὰ ὑπὸ τοῖς ὠψὶ τῶν πληγῶν ἴχνη [*quæ sub oculis apparent plagarum vestigia*] ut ait Pollux, sed latius dici sic cœpere ἀφ' οἱασδηποτοῦν πληγῆς τραύματα [*vulnera ex qualicunque plaga*], ut ait Scholiastes ad Acharnenses Aristophanis. Cicero Tusculanarum II. *Pugiles cæstibus contusi*, id est, ὑπωπιαζόμενοι. usum μεταφορικὸν [*Translatitium*] hujus vocis habuimus Luc. XVIII, 5. Cum Paulus pyctæ se comparasset, quæri poterat quis esset adversarius: *Ipsum*, inquit, *corpus meum*; *Hoc ego obtundo*, inquit, id est, multis afficio incommodis, de quibus vide supra IV, 11. אצער את גופי [*affligam corpus meum*], ut de eadem re Maimonides. Etiam δουλαγωγεῖν [*in servitutem redigere*] à pyctis desumptum est. Nam qui vicerat, victum trahebat adversarium quasi servum. Sic Paulus de corpore suo velut edomito triumphabat. Sic Seneca epistola VIII. dixit *durius tractandum corpus, ne animo male pareat.* Σκληραγωγίαν hoc vocat Josephus in Danielis historia: σωματικὴν γυμνασίαν [*exercitium corporale*] Paulus 1 Timoth. IV, 8. ἄσκησιν [*exercitationem*] Canon Apostolicus LII. Basilius de legendis Græcorum libris; Ἐν δὲ λόγῳ, παντὸς ὑπεροπτέον τοῦ σώματος τῷ μὴ ὡς ἐν βορβόρῳ ταῖς ἡδοναῖς αὐτοῦ κατορωρύχθαι μέλλοντι, ἢ τοσοῦτον ἀνθεκτέον αὐτοῦ, ὅσον, φησὶ Πλάτων, ὑπηρεσίαν φιλοσοφίᾳ κτώμενον, ἐοικότα που λέγων τῷ Παύλῳ, ὃς παραινεῖ μηδεμίαν χρῆναι τοῦ σώματος πρόνοιαν ἔχειν εἰς ἐπιθυμιῶν ἀφορμήν [*Breviter, corpus spernendum est, ni quis ejus voluptatibus tanquam cœno cupiat immergi, aut hactenus tantum ei tribuendum quatenus, ait Plato, ad sapientiæ studium inservit: quæ in re Paulo convenientia dicit, qui nos monet nullam corporis habere rationem ad cupiditates alendas*]. Vide Ambrosium epistola VII. Nazianzenum oratione VI. Augustinum de operibus Monachorum cap. I, 9, & 10. voce δουλαγωγεῖν [*in servitutem redigere*] hoc sensu etiam Athenagoras utitur. Tacita comparatione perstringit illos epulatores Corinthios. ¶ μή πως ἄλλοις κηρύξας, *ne forte cum aliis prædicaverim*] *Qui alios docui viam salutis.* ¶ αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι. *ipse reprobus efficiar*] *Ipse ea salute indignus fiam.* Ἀδόκιμος Rabinis est פסול, *rejiculus* Catoni & Varroni. Opponitur ἀδόκιμον γενέσθαι [*reprobum fieri*] ei quod supra habuimus συγκοινωνὸν γενέσθαι εὐαγγελίου, *participem esse præmii in Evangelio propositi.* Chrysostomus hoc loco, Εἰ δὲ Παῦλος τοῦτο δέδοικεν ὁ τοσούτους διδάξας, καὶ δέδοικε μετὰ τὸ κηρύξαι καὶ γενέσθαι ἄγγελος, καὶ τῆς οἰκουμένης τὴν προστασίαν ἐπιδείξασθαι, τί ἂν εἴποιμεν ἡμεῖς; μὴ γὰρ δὴ νομίσητε, φησιν, ἐπειδὴ ἐπιστεύσατε, ὅτι ἀρκεῖ τοῦτο εἰς σωτηρίαν ὑμῖν. Εἰ γὰρ ἐμοὶ τὸ κηρύξαι, τὸ διδάξαι, τὸ μυρίους προσαγαγεῖν οὐκ ἀρκεῖ εἰς σωτηρίαν, εἰ μὴ καὶ τὰ κατ' ἐμαυτὸν παρέχω ἀνεπίληπτα, πολλῷ μᾶλλον ὑμῖν [*Quod si Paulus hoc metuit, qui tot homines docuit: metuit autem, cum jam docuisset, jam nuncii munere functus, jam universi orbis ei præfectura concredita, atque adeo gesta, quid nos dicemus? neque enim putate, inquit, quod credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem. Etenim si mihi, annunciasse, docuisse, infinitam multitudinem ad fidem adduxisse ad salutem parum est, nisi & citra reprehensionem vixero: vobis certe multo magis præter virtutem nihil proderit*]. De voce ἀδόκιμος [*reprobus*] diximus ad Rom. I, 28.

CAP. X.

VALLA.

13. **T**Entatio non apprehendat] *Apprehendit* legendum est, temporis præteriti, non *apprehendat*, εἴληφεν.

22. *An æmulamur Dominum?*] Quidam hoc exponunt, *quod invidemus Domino*: quæ sententia longe abest à vero. Sed forsitan est culpa Interpretis, qui παραζηλοῦμεν maluit interpretari *æmulamur* quam *ad æmulationem provocamus*, sive *irritamus*, sive *ad æmulationem adducimus*; ut ibi; *Si quo modo ad æmulationem provocem carnem meam*, παραζηλώσω, Rom. 11. 14. Et ibi, *Ad æmulationem vos adducam*, παραζηλώσω, Rom. 10. 19. Ideoque respondet huic sententiæ quod sequitur, *Numquid illo fortiores sumus?* scilicet ut cum illo contendamus?

25. *Omne quod in macellum venit*] Melius in aliis codd. legitur *in macello*: est enim *venis* idem quod *venundatur*, πωλούμενον.

28, 29. *Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conscientiam: Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius*] Cur ait *conscientiam tuam*, cum alloquatur multos, & non *vestram*? Græce est, *Conscientiam dico, non ipsius, sed alterius*, τὴν ἑαυτοῦ. Nam si legendum est, *non tuam, sed alterius*, h.e. ejus qui indicavit, cur tanquam diversa posuit, *propter illum*, & *propter conscientiam*? cur non dixit *propter illius conscientiam*? Non dixit autem *propter conscientiam illius*, quia ille conscius erat, nos non in reverentiam idolorum comedere idolothyta, sed propter ignorantiam. Si cui hæc non placet sententia, dicamus dictum esse *tuam* pro *vestram*, quia ad singulos loquebatur; & Attice τὴν ἑαυτοῦ pro τὴν σεαυτοῦ.

REVIUS in VALLAM.

29. **N***ON ipsius, sed alterius*] Hæc argutiora esse, neque admodum ad rem facere judicat Erasmus: nec Vallam iis magnopere confisum fuisse, patet in fine notæ, ubi τῆς ἑαυτοῦ pro τὴν σεαυτοῦ Attice dici posse significat: quod & retinuit post Vulgatam Beza.

ERASMUS.

1. *NOlo enim*] Ὀυ θέλω δὲ, *Nolo autem.* Ambrosius legit *enim*, consentientibus & antiquis exempl. ut hæc cohæreant cum superioribus; si quod modo præcepit Corinthiis, idem Judæorum exemplis corroborat. Quod si mavis *autem*, erit ad alia digredientis.

2. *Et omnes in Moyse baptizati sunt*] Εἰς τὸν Μωυσῆν est Græce, i. *in Mosen.* Augustinus enarrans Psal. 77. legit *per Mosen.* Rectius arbitror accipi *in Mosen* pro, in legem Mosaicam: nondum enim in Christum, cujus adventus procul aberat. Interim Moses Christi typum gerebat, & figuris res adumbrabatur Euangelica.

4. *Bibebant autem*] Græcis est *enim.* Atque ita refert Augustinus lib. Adv. Faustum 12. cap. 29. ex vetusti codicis fide, ubi & Græce dixit *consequente eis.* Et alias aliquoties sic loquitur, *Consequens est hunc.* ¶ *Consequente eos*] Ἀκολουθούσης, *sequente*, sive *prosequente.* *Sequente* autem dixit tanquam itineris perpetua comite: id enim sonat ἀκολουθεῖν magis quam ἕπεσθαι. Origenes hom. in Exod. 5. *sequentem petram* refert ad Nubem quæ præcessisse legitur Hebræos, offensus, ut apparet, absurditate sensus, si *petra* dicatur *sequi proficiscentes.* Verum accipi potest, rivum, qui è petra prosilit, illos [illegible]isse comitatum. Et Augustinus cum aliis aliquot locis tum Contra adversarium Legis & Prophetarum, lib. 2. cap. 6. interpretatur, CHRISTUS ERAT PETRA, *id est*, *Petra significabat Christum.* Nec obstat quod hanc petram dixerit *spiritualem*: quicquid enim mysticum habet sensum *spirituale* dicimus. *Bibebant aquam de petra*, non qualibet, sed de *spirituali*; quæ significabat illam unicam Petram unde salutem hauriunt omnes credentes. Hieronymus, aut si quis alius is fuit, enarrans Psalmum 41. adducit hunc locum omisso pronomine *eos*: quod cum non sit apud Græcos, adjectum est ab Interprete quo sermo fieret explanatior, & nos item addidimus. Nec addit tamen Ambrosius, cum subinde locum hunc in suis libris adducat.

5. *Beneplacitum est Deo*] Εὐδόκησεν ὁ Θεός. Quod Ambrosius vertit *bene sensit Deus*, nos vertimus *approbavit.* De hoc verbo jam crebro monuimus.

6. *In figura facta sunt nostri*] *Figuræ*, sive *forma.* Est Græcis pluralis numeri, τύποι, sicut & paulo post, *Hac autem omnia in figura contingebant*, ταῦτα δὲ πάντα τύποι, i. *Hac omnia figura contingebant.* In Collectaneis Bedæ priore loco *figura* legitur, licet *nostri* depravatum erat in *nostra*: quod tamen ad eundem modum frequenter est obvium in libris Augustini: ac priore loco Græcis additur ἡμῶν, ut legant, *Hac autem figura nostri fuerunt.* Et ad eum modum citat hunc locum Augustinus, enarrans Psal. 113. rursus Adv. Faustum in fragmento quarti libri, aliisque locis compluribus.

7. *Neque idololatra efficiamini*] Opinor pro γίνεσθε mutatum esse γινώμεθα, i. *Neque efficeremur simulacrorum cultores*: quandoquidem in hoc quoque additur, *sicut quidam eorum*, ut γινώμεθα respondeat ad εἶναι. Alioqui in duobus mutavit personam, in *idololatris* & *murmuratoribus.*

9. *Sicut quidam eorum*] Καθώς καί τινες αὐτῶν, *quemadmodum & quidam illum tentaverunt.* Interpres legit αὐτῶν atque ita scriptum est in nonnullis exemplaribus. Nec ex Ambrosio nec ex Chrysostomo nec ex Theophylacto satis liquet quid legerint, nisi quod apud utrumque contextus habet αὐτῶν. Si legimus αὐτὸν, *eum*, ex hoc loco declaratur Christi Divinitas, quem à Judæis *tentatum* dicit prius quam hominem assumeret. Nam de eo quod præcessit, *Petra autem erat Christus*, posset aliquis interpretari, *Petra illa designabat Christum post nasciturum.* *Spiritalem* autem vocari quod typum haberet mysticæ petræ. Si legimus αὐτὸν, sensus erit, *Ne nos tentemus Christum sicut olim Judæi tentaverunt Deum.*

11. *Ad correptionem nostram*] Πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, *ad admonitionem nostram*, sive *nostri*: quod tamen nonnunquam pro *correptione* usurpatur.

13. *Tentatio vos non apprehendat*] Εἴληφεν *apprehendit*, præt. temporis, sive *cepit.* Subindicat enim Corinthios jam incidisse in tentationem, sed *humanam*, h. e. tolerabilem ac sanabilem. Et in hanc sane lectionem consentiunt exemplaria Græcorum quæ viderim omnia: tametsi apparet Ambrosium legisse *apprehendat*, ex his verbis quæ subjicit, *Ut autem humana tentatio illos apprehendat hortatur.* Quanquam quid simile inter καταλαμβανέτω & εἴληφεν? nisi forte Ambrosius legit εἰληφέτω. At mihi sensus Græcæ lectionis videtur magis germanus esse Paulo; atque eam palam est Chrysostomo & Theophylacto placuisse. Ante terruerat eos horrendis exemplis: mox, ne desperent, reficit eos, extenuans quod hactenus peccassent, dicensque leve quiddam esse, cum ipse gravioribus malis fuisset tentatus. ¶ *Proventum*] Τὴν ἔκβασιν, *exitum*, sive *eventum*: i. Is qui finit vos incidere in tentationem, idem faciet ut tentatio bene eveniat. Hieronymus in Commentariis Jonæ legit ad hunc modum, *sed faciet cum tentatione & exitum*: atque item Augustinus explicans Psal. 61. Nam *proventus* dicuntur sementis & è terra nascentium. Rursus epist. 89. At ne quis putaret sic esse dictum, *sed faciet cum tentatione proventum*, quasi Deus pacisceretur cum tentatione de eventu, nos vertimus, *sed faciet una cum tentatione eventum*; ut sit sensus, *Qui passus est incidere tentationem, idem dabit & exitum bonum.* ¶ *Ut possitis sustinere*] Græce magnificentius quiddam dicitur ὑπενεγκεῖν, quod est *ita ferre ut oneri superstis ac superes*; quemadmodum ad Romanos dixit ὑπερνικῶμεν.

16. *Cui benedicimus*] Ὃ εὐλογοῦμεν, *quem cum gratiarum actione sumimus.* Sic enim interpretantur Chrysostomus ac Theophylactus. Nonnulli recentiores interpretantur de *benedictione consecrantis.* ¶ *Et panis quem frangimus*] Τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, *panem quem frangimus.* Cur non offenduntur hoc loco, quos illud offendit, quod Græci in verbis quibus Latini consecrant corpus Christi, dicunt, *Hoc est corpus meum, quod frangitur pro vobis*, secuti, ut apparet, Paulum autorem, qui proximo capite ad hunc modum recenset verba Christi? Quod si quis cavilletur eum locum esse depravatum in exemplaribus, certe hoc loco consentiunt nostri codices cum Græcorum lectione. Et tamen sunt qui putent hic agi de Pane & Calice consecrato, aut certe in genere, ut possit locus ad utrumque sensum accommodari. Nam prisci Christiani omnem panem veluti sacrum habebant, ob memoriam Cœnæ Dominicæ, & calicem inter se porrigentes gratias agebant Domino, cum tamen non semper fieret consecratio Sacramentalis. Annotatum est hic, quod prius meminit *calicis* quam *panis.* In Luca bis fit *calicis* mentio, prioris illis edentibus, alterius post cœnam. ¶ *Nonne participatio corporis*] Κοινωνία. Modo *communionem* verterat, nunc vertit *participationem.* Ad quod conducat ista copia non video. Interim lector Græce ignarus comminiscitur aliquod discrimen inter *communicationem* & *participationem* frustra.

17. *Unus panis & unum corpus*] Abest Græcis copula, &, εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα, i. *unus panis, unum corpus.* Ita legit Chrysostomus ac Theophylactus, atque ita scriptum comperi in exempl. Paulino. Consentiebat utrumque Constantiense. Dixerit aliquis, Quid refert si addatur conjunctio &? Non admodum: tamen τὸ ἀσύνδετον melius congruit sensui quem adferunt Græci. Putant enim *nos* intelligi *panem illum qui est corpus Domini*, quandoquidem omnes Christiani membra Christi sunt, quasi correxerit quod prius dixerat *participamus*: plus est enim *unum & idem esse* quam *participem esse.* ¶ *Omnes qui*] Οἱ γὰρ πάντες, *omnes enim*, absque *qui.* *Omnes enim de uno pane participamus*: ita legit & Ambrosius. In vetustissimo codice scriptum reperi *omnesque*: ut verisimile sit *que* mutatum in *qui*: tametsi hæc lectionis varietas sensum non admodum variat. Cæterum non est mentio de *calice* nec apud Græcos, nec in codice Donatiani. In vetustiore codice Constantiensi non erat mentio *calicis*, sed recentiori manu aliquis adjecerat in spatio versuum. In nonnullis excusis reperi, *omnes quidem de uno pane*; & sic habebat uterque Constantiensis: ut probabile sit interpretem γὰρ vertisse per conjunctionem expletivam.

18. *Videte Israel secundum carnem*] Ad differentiam adjecit *secundum carnem*, ut ostenderet esse alium *secundum Spiritum*: licet Græcis non repetatur articulus, τὸν κατὰ σάρκα.

19. *Quid ergo? dico*] Ex Græcis exempl. locus ita debet distingui, *Quid igitur dico? idolum esse aliquid, aut idolis immolatum esse aliquid?* q. d. *Nequaquam hoc loquor.* Et veluti jam negasset se id sentire quod per se dictu sit absurdum, subjicit quid sentiat, *Sed quæ immolant*, &c. alioqui dure cohæreret quod sequitur, *Sed quæ Gentes immolant*, &c. Proinde nos non veriti sumus additis aliquot verbis orationem reddere lucidiorem. Ad hunc modum distinguunt & Latinorum vetusta exemplaria.

20. *Sed quæ immolant Gentes*] Ἀλλ' ὅτι ἃ θύει, *Sed quod ea quæ immolant*: ut intelligas, *Sed hoc dico, quæ Gentes immolant, ea immolari Dæmonibus, non Deo.* ¶ *Nolo autem vos socios fieri*] Κοινωνοὺς, *participes*, sive *communicatores*, aut *consortes.*

22. *An æmulamur Dominum?*] Παραζηλοῦμεν, *provocamus & irritamus*: quod superius vertit *ad æmulandum provoco.* Et ad eum modum interpretantur Græcorum Scholia, no-

nominatim Theophylactus, πειράζομεν ἢ παραζηλοῦμεν, *tentamus & irritamus.* Nam ζηλοῦμεν & in bonam partem dicitur, παραζηλοῦμεν fere non nisi in malam.

24. *Sed quod alterius*] Ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος, *sed quisque quod alterius.*

25. *Omne quod in macello venit*] *Venit* hoc loco significat *venundatur*, πωλούμενον. Et *in macello* legendum, non *in macellum.* Indicat hoc & D. Augustinus Adv. Adamantium, *Interrogare*, inquit, *vetat cum quid de macello emitur.* Atque hujusmodi amphibologiam tollere poterat accentus circumflexus notatus supra verbum *venit.* ¶ *Nihil interrogantes*] Μηδὲν ἀνακρίνοντες, *nihil dijudicantes:* quod idem verbum est paulo inferius. Ambrosius legit, *nihil disquirentes.* Est autem participium ejus quod superius vertit *interrogant.*

26. *Et plenitudo ejus*] *Ejus* ad *terram* refertur, non ad *Dominum:* αὐτῆς, h.e. Quicquid dives gignit terra, id omne Domini est.

28. *Hoc immolatum est idolis*] Vetusti cod. habent, *Hoc immolatitium est idolis:* atque ita legimus apud Ambrosium. Est autem Græcis eadem dictio quam Interpres toties reliquit, εἰδωλόθυτον. ¶ *Qui judicavit*] τὸν μηνύσαντα, *qui indicavit*, per *n*, non per *u*. Id tametsi minutulum est, tamen, quoniam facillimus in hujusmodi lapsus est, admonendum duxi: nam μηνύειν Græcis est *prodere rem prius occultam*; licet apud Ambrosium hæc particula non addatur, *propter eum qui indicavit*, haud scio an librariorum incuria.

29. *Conscientiam dico, non*, &c.] Ante hunc locum repetitur in Græcis cod. *Domini enim est terra, & plenitudo ejus*, quod paulo superius positum est, sed utrobique probe quadrat. Illic, Non refert quibus vescamur; omnia enim sunt Domini: & hic, Non est cur fratrem offendas, vescens idolis immolato, cum tantam ciborum copiam dives mundus suppeditet. Cæterum hoc posteriore loco videtur inferri sub alterius persona, velut objicientis Paulo quod ipse modo dixerat, *Quam mihi narras conscientiam, cum, ut ipse fateris, Domini sit terra & plenitudo ejus?* Idcirco subjicit ac distinguit conscientiam, *Conscientia*, inquit, *tua dicit, Domini est terra & plenitudo ejus: at non idem dicit alterius conscientia, quæ putat aliquid simulacris esse proprium, neque commune Deo.* Neque magnopere facit ad rem quod hic argutatur de ἑαυτοῦ, deque *illum* & *conscientiam* Laurentius. Cum enim ait *& propter conscientiam*, exponit quid ante dixerat *illum:* alioqui qui audierat sibi dictum *ne ederet propter illum qui indicavit*, rogare poterat, *Quid hoc ad illum?* Respondet Paulus, *Ob illius conscientiam, quam tuo facto vulneras, etiamsi tua firma sanaque est.* Deinde quod dicit *tuam*, suo more personam fingit; quandoquidem nonnunquam in se recipit personam alterius, quo rem magis exponat oculis. ¶ *Ab aliena conscientia*] Ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως, *Ab alia conscientia.* Atque ita legit Ambrosius, itaque scriptum visitur in vetustiss. exemplaribus, nominatim utroque Constantiensi: quanquam id quidem ad sensum haud magni refert.

30. *Cum gratia participo*] Ambrosius legit *gratia particeps sum.* Verum non reperio μετέχω dativo junctum, nisi referatur ad Socium communionis, non ad Rem cujus particeps es. Unde magis probo *cum gratia*, i. cum gratiarum actione. Potest & hunc in modum accipi, ut χάριτι sonet hic *beneficentiam*, sitque dativus Instrumenti, sive Modi; *Si ego particeps sum escarum, idque non per idolum, sed beneficio munificentiaque Dei, quid est cur male audiam?* In hunc sensum interpretatur Chrysostomus ac Theophylactus, *gratiam Dei* vocans animi fortitudinem contemnentis idolum, ac Dei bonitatem, qua fit ut ipsius dona per impiorum malitiam non inquinentur puris. ¶ *Pro eo quod gratias ago*] Ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ, *pro eo pro quo ego gratias ago.* Opponit autem hæc inter se veluti contraria, βλασφημοῦμαι & εὐχαριστῶ.

31. *Vel aliud quid*] Εἴτε τι, *sive quid. Aliud* additum est explicandæ rei gratia. Atque ita legit Ambrosius, *sive aliquid facitis*, quemadmodum habetur apud Græcos.

32. *Sine offensione estote*] Græce jucundius est, ἀπρόσκοποι, i. *tales ut nemo per vos offendatur.* ¶ *Judæis & Gentibus*] Pro *Gentibus* est Ἕλλησι, *Græcis.* Iteratur autem ad singula conjunctio καὶ, proinde nos vertimus per *neque.*

33. *Non quærens quod mihi utile est*] Simplicius & verius erat, *non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum*, μὴ ζητῶν τὸ ἐμαυτοῦ συμφέρον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν.

VATABLUS.

1. **E***Nim*] *Autem.* 2. *Mose*] *Mosem:* i. omnes miraculo Nubis & Maris veluti baptizati, Mosi fidem habuerunt.

4. *Autem*] *Enim.* ¶ *Spiritali*] i. Quæ symbolum erat Christi veræ rupis, è cujus corpore fluxit sanguis. ¶ *Consequente eos*] *Qua illos comitabatur.*

5. *Non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*] Heb. plures eorum non approbavit Deus.

6. *In figura facta sunt*] i. Exempla fuerunt nobis: vel, exemplo nobis esse debent.

7. *Idololatræ*] *Idolorum cultores*, Vet.

9. *Sicut**] **Et.*

10. *Murmuraveritis*] Frequens personarum mutatio, more Hebræorum.

11. *In figura contingebant*] *Figura contingerunt:* vel, *exempla accidebant illis:* i. ut essent nobis exempla. ¶ *Correptionem*] Vel, *admonitionem.* ¶ *Fines seculorum devenerunt*] *Termini ætatum incurrerunt:* qui in tempus ultimum incidimus.

13. *Apprehendat*] *Apprehendit*, Vet. Præt. temp. pro fut. *invadet.* ¶ *Proventum*] *Exitum:* q. d. qui passus est incidere in tentationem, idem dabit & exitum bonum.

16. *Calix benedictionis cui benedicimus*] Heb. Poculum gratiarum actionis quod benedicimus: i. quod sumimus cum benedictione, laude, & gratiarum actione. ¶ *Communicatio*] Vel, *participatio.*

17. *Omnes qui*] *Nam omnes*, Vet.

18. *Secundum carnem*] i. Eos qui carne Judæi sunt: q. d. videte an non idem habeatur in Lege Moysi.

20. *Socios*] *Participes, communicatores.*

21. *Mensa*] *Cibi.*

22. *Æmulamur*] *Provocamus, irritamus.*

23. *Expediunt*] *Conducunt.*

24. *Sed**] **Quisque.*

25. *Venit*] Vel, *venundatur.* ¶ *Interrogantes*] Vel, *disquirentes.* ¶ *Conscientiam*] Sub. *alienam:* ne tua interrogatio pariat addubitationem sodali.

26. *Domini**] **Enim*, Vet. i. Dominus purificat quicquid est in terra. ¶ *Plenitudo*] i. Quicquid est in ea.

27. *Conscientiam*] Sub. *alienam.*

28. *Si quis*] Sub. *fidelium infirmorum.* ¶ *Immolatum*] *Immolatitium*, Vet. ¶ *Et*] *Et*, pro, *id est.* ¶ *Conscientiam**] Sub. *illius*, ut mox declarat. * *Domini siquidem est terra, & plenitudo ejus:* Sic quædam exemplaria Græca.

29. *Sed**] **Illius.* ¶ *Ut quid*] Verba sunt Christiana libertate abutentium: quibus respondet Paulus, *sive*, &c. ¶ *Aliena*] *Alia*, Vet. i. Cur spolior mea libertate propter alios?

30. *Cum gratia*] i. Cum gratiarum actione, Hebr. ¶ *Quid blasphemor pro eo quod*] *Cur ob id mihi male dicitur* [i. reprehendor] *pro quo ego*, &c.

31. *Sive igitur manducatis*, &c.] Respondet Paulus objectioni. ¶ *Vel*] *Sive*, Vet. ¶ *In gloriam Dei*] i. Ita ut nullam occasionem detis vituperandi Dei.

33. *Ut salvi fiant*] Sub. *sic & vos facite, ut*, &c.

CASTALIO.

3. **S***Pirituali cibo usos fuisse*] Atqui & Manna & Aqua fluens ex petra res erant humanæ; cum Manna comederetur, & corpus hominis aleret, ac per excrementa ciborum ejiceretur, nec homines à morte vindicaret, non magis quam alii cibi: quod idem dico de Aqua. Sed *spiritualem* sive *divinum cibum* appellat eum, qui, cum humanus esset, rem aliam significabat: ut nihil aliud sit hoc loco *cibus spiritualis* quam τυπικὸς & aliud indicans, ut paulo post declarat Paulus; ut Apoc. 11. Idem in Petra intellige ex qua fons manabat, quæ Petra hic *Christum* appellatur, quod Christum indicaret perennis vitæ fontem. Hæc ideo dicit Paulus ut intelligi possint quæ mox de pane (qui Christus est) dicet, ut similia cum similibus conferantur. Atque his paucis Pauli verbis (si quis ea diligenter consideret) explicatur ea quæstio quæ doctos homines hodie tantopere vexat.

11. *Ut exempla*] Aliud indicantia.

25. *Quicquid in macello venale est, vescimini, nihil sciscitantes propter conscientiam*] Quasi sit vesci nefas.

27. *Ni-*

27. *Nihil sciscitantes propter conscientiam*] Hujus loci declarationem invenies in capite 8. & hæc est sententia, Si de empto aut apposito cibo percontabere, respondebitur esse Deastrorum victimam, aut fertum. Tum si tu vesceris, is qui id tibi indicaverit, Christianus ille quidem, sed in doctrina parum adhuc confirmatus, impelletur ad vescendum eodem cibo quo tu vesceris: & quia id dubitans an recte vescatur faciet, peccabit, quoniam incerto faciet, atque ita læseris ejus conscientiam: h. e. in causa fueris ut aliquid faciat contra quam se facere debere putet. Quod ergo te propter conscientiam vesci veto, de conscientia loquor alterius, ut dixi. Nam quod ad tuam, qui rem tenes, conscientiam attinet, ea lædi in eo non potest, neque damnari, cum scias quæcunque terra nascuntur ea esse ad hominum usum creata Divinitus, ideoque homini tanquam suis vesci licere. Neque potest in eo tua libertas ab altero qui sit infirmior damnari, si tu tibi quovis cibo vesci fas esse putes, cum te Deo præbeas non ingratum. Itaque non in eo peccas quod vesceris, sed quod in causa es ut alter cum dubitatione vescatur, atque ita peccet. Propter alterum igitur debes abstinere, ne cui officias. Ex hac Pauli doctrina liquet eos peccare qui homines mulcta aut minis aut alia quavis ratione cogunt diebus festis operari, aut quovis die quovis cibo vesci, aut in aliquam religionis formam jurare, aut aliud quidvis facere contra quam sibi fas esse putent. Hoc est miseros & imperitos homines ad peccandum cogere.

C L A R I U S.

1. NOlo *autem vos ignorare*] Dicet aliquis fortasse, inquit, *Jam adoptati in filios sumus, Baptismum accepimus, Ad panem cælestem admissi sumus; non est jam quod metuamus:* at fallitur qui hoc dicit. Videte enim quid patribus nostris factum sit, qui cum omnes Divinorum munerum participes fuissent (omnes enim beneficium illud Nubis divisique Maris, & Mannæ, & Aquæ è petra fluentis habuerunt) tamen tam multi à Deo rejecti sunt. In ipsa autem narratione Paulus declarat obiter illa omnia typos nostræ fuisse veritatis, cum ait, *omnes baptizatos fuisse in nube & in mari, & escam spiritalem comedisse & potum similiter. Mare* ergo figura fuit aquæ Baptismatis; *nubes*, Spiritus; *manna*, panis vitæ, qui Christus est; *potus*, cœlestis poculi. *In Mosen* ergo *baptizati sunt* dum in illum inspicientes & fidentes permiserunt se mari. Quod autem ait *consequentem petram*, significat, beneficium aquæ, quoties opus erat, fuisse eis oblatum, idque è petra, quæ Christum signabat.

5. *Non in pluribus*] Omnes enim qui viderant signa facta in Ægypto, interierunt, præter Caleb & Josue: sed moderatur orationem, ne mala videatur illis ominari.

6. *Concupiscentes malorum*] Illud est quod in Psalmo legimus, *concupierunt concupiscentiam in deserto*. Mala enim fuit illa concupiscentia; idcirco dixit *concupiscentes malorum*. Cætera facile in Exodo & Numeris reperiuntur.

11. *Fines seculorum*] Quos alias vocat *plenitudinem temporum*, dies scilicet salutis.

13. *Tentatio vos non apprehendit nisi humana*] *Humanum* appellare solet Paulus leve ac facile. Monet ergo eos ne sibi fidant tanquam perfectioribus, quando nihil eis hactenus accidit grave quo vires suas potuerint experiri. ¶ *Fidelis autem Deus*] In mediis monitis dat fiduciam, fore ut siquando major ingruat afflictio, Deus, qui fidem servat in suos, det ἔκβασιν, h. e. *evasionem*, ac finem malorum.

14. *Fugite ab idolorum cultura*] Jam revertitur ad rem propositam supra, de iis videlicet quæ idolis immolabantur: &, ut eos magis terreat, dicit esse quendam idolorum cultum iis vesci, nimirum ob eam causam quod illis vescentes viderentur aliquibus participes se facere culturæ simulacrorum: alioqui infra dicit non esse curiosius inquirendum, cum emitur in macello caro, immolatane fuerit, an non.

17. *Unum corpus multi sumus*] Videtur velle sic arguere, Si communicatio corporis & sanguinis Domini conjungit nos Christo, ut unum corpus unius Capitis efficiamur, sic communicatio immolatorum idolis nos illis videretur conjungere. Sic & carnalis Israel edebat illas hostias, & earum virtutis fiebat particeps. Quare demum pulcre concludit, Non esse quidem aliquid idolum; sed, quia Gentes Dæmoniis immolant, nolle se ut illi videantur fieri socii Dæmoniorum.

22. *An provocamus Dominum?*] Participem se facere mensæ Dæmonum, est quasi velle *provocare Deum ad æmulationem*. ¶ *Numquid fortiores*] Ut scilicet impune fore nobis putemus si ad iracundiam illum provocaverimus?

25. *Nihil interrogantes propter conscientiam*] Quantum ad rationem conscientiæ pertinet.

26. *Domini est terra*] Bis ponitur hæc sententia: & primo significat, nihil interrogandum, cum caro illa creata à Deo sit, & bona, Dei creatoris ratione. Secundo vero loco ponitur, cum ait, *Siquis dicat, Hoc immolatum est idolis, non debere tunc accipi carnes illas, ob conscientiam, non suam, sed illam alterius*, qui offendi posset: neque enim, quamvis Gentilis, negligendus est, cum creatura sit Dei, quandoquidem *Domini est terra & plenitudo ejus*. Legatur autem per parenthesin illud repetitum, *Domini est terra*, &c. Poteritque sic etiam exponi, *Abstinendum est propter conscientiam, non tuam*, (*Domini enim est terra*; h. e. scis enim esse omnem creaturam Dei) *sed ob conscientiam alterius*.

29. *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?*] Sensus est, Cur ego libertate hac mea abutor, ut ego ex ea re quæ alioqui mihi licita est condemner, dum proximi conscientiam offendo?

30. *Si ego cum gratia participo*] Ad eundem sensum pertinet cum superiore sententia, Si ego gratias ago Deo, qui intelligam nihil esse idolum, cur tam imprudens sum ut cum offensione conscientiæ alterius vescar immolatis, & ob factum quod alioqui bonum erat vituperer?

Z E G E R U S.

1. NOLO *enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt*, &c.] Totus hic sermo ab eo pendet quod post aliquanta subjungit, *sed non in pluribus eorum beneplacitum*, &c. respondetque ei quod præmiserat, *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*. Quod autem dicit hujusmodi est, Huc, inquit, tendit totus hic noster sermo, ne nobis sufficere putemus ad salutis bravium obtinendum quod per Baptismum coaptati sumus in familiam Christi, quod hujus beneficio exempti à vitiorum tyrannide libertati simus restituti, nisi posthac ab omni turpium cupiditatum commercio fuerimus immunes. Nam & majores nostri quotquot ab Ægypto regressi Mosæ ductu Pharaonis tyrannidem effugerunt, nube cœlitus famulante ab æstu Solis protecti sunt, mare Rubrum siccis vestigiis transierunt, multa denique Dei beneficia experti sunt; sed cum his omnibus fuerint ingrati, non illis profuere tanta beneficia, quinimo durius in illos animadversum est. Hæc itaque omnia cum figuræ ac typi sint earum quæ per Christum in nobis completæ sunt rerum ac mysteriorum, metuendum nobis est ne si similiter à gratia excidamus, vitamque agamus non Baptismo sed Ægypto dignam, gravissimis suppliciis reddamur obnoxii, &c.

2. *In Moyse baptizati sunt*] Quia illo in maris Rubri transgressu ad figuram veri baptismatis duce usi sunt.

5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός] h. e. Erga complures eorum male affectus fuit Deus, & improbavit illos.

9. *Neque tentemus Christum*] *Tentat Christum* qui periculis sese criminum objicit, qui signa & prodigia efflagitat, qui de Dei auxilio diffidit, qui Divinam potentiam experiri conatur.

11. *Scripta sunt autem ad correptionem nostram*] Ambrosius legit *correctionem*, quod mihi magis placeret nisi codices refragarentur. Tandem in codice Emsteiniensi offendi *correctionem*.

12. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat*] Quid hæc ad mox præcedentia? Sane nihil. Verum in his & proxime sequentibus ad eum locum respexit ubi de stadico meminit certamine.

13. *Sed faciet cum tentatione etiam proventum*] Sive, ut aliis placet interpretibus, *exitum:* h. e. dabit tentationi utilem lætumque finem: aut, si mavis, *faciet ex tentatione egressum.* Caveto autem ne *proventum* hic reditus signare dicas. Dicitur enim *proventus* à *pro* præpositoria particula (quæ non raro *ex* in compositione significat, ut in *promineo* & *prodeo*) & à verbo *venio*. Ita quoque ἔκβασις ἀπὸ τοῦ ἐκ καὶ βαίνειν dicitur, i. *ab Ex & Eundo*.

14. *Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura*] Rursus hic saltem facit ad id commonendum quod omnium maxime intendebat, de quo & superius nonnulla tradiderat cum 8. cap. tum cap. hoc 10. Monet igitur ut abstineant non simpliciter ab omni usu idolothytorum, sed à tali quo idolo cultura sive ex sese sive per offendiculum præstari posset. Proinde vult eos longe abesse à profanis epulis & impio simulacrorum cultu, qui sacri panis pretiosique sanguinis Christi sunt

par-

participes: atque etiam per occasionem hanc sacræ Synaxeos pandit Sacramentum. Hæc autem agit in sequentibus ad finem usque capitis.

17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus*] Sic lego in exemplaribus antiquis & Chrysostomo & Theophylacto, excepto, *& de uno calice*, quod consultum non arbitror his subtrahere cum id habeat & canat usus Ecclesiæ, & huic suffragentur codices vulgares, atque adeo contextus Ambrosianus, ex quo in nostra editione repositum puto à castigatore Ecclesiastico. Nonnulli cod. habent, *Omnes quidem de uno pane & de uno calice participamus*: quæ nec mihi improbatur. Alii item, *Nam omnes de uno*, & August. lib. Contra advers. Legis scribit, *Omnes enim de uno participamus*.

18. *Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?*] Attendite Israeliticum populum carnalis legis observationibus inhærentem: *Nonne qui edunt hostias* juxta Legem immolatas, *participes sunt altaris?* Consequens ergo est, Christi participes esse quicunque cibo reficiuntur Dominico. At si idolothytis idoli ad venerationem vescantur, constat idoli eos fieri participes, eoque mensæ Domini expertes.

19. *Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid?*] Cum dixisset ab immolatitiis esse cavendum, quatenus his idololatriæ locus præstari posset; ne ita loqui videretur tanquam aliqua inesset idolis virtus, vide quomodo id hisce verbis destruat, *Quid ergo dico? quod idolis immolatum*, &c. Tanquam diceret, Non eo vos ab idolis pariter & ab idolothytis abigo quasi illa aut obesse queant aut prodesse, quippe quæ nihil sunt prorsus: sed ea volo despiciatis, ne erroris socii esse videamini.

22. *An æmulamur Dominum? numquid fortiores illo sumus?*] Scrupum fortasse cuipiam allatura est persona subito commutata, nimirum secunda in primam: verum hæc loquendi phrasis in Scriptura usitatior est quam ut quenquam male habere debeat. Proinde quod dicit tale est, *Siccine audemus provocare & irritare Dominum*, cum scilicet cum ipsius adversariis Dæmonibus communicamus? *Num ipso sumus potentiores*, ut è tanto periculo idololatriæ, cui nosmet ultro ac sine causa committimus, incolumes effugere posse fidamus? Sane Servator ipse noster Christus nusquam legitur idololatris communicatus.

25. *Quicquid in macello venit*] Leviusculum hoc, *venit* pro *venundatur* dictum esse, à *veneo, venis*.

27. *Si quis vocat vos infidelium ad cænam*] Henricus Gravius & alii nonnulli expungunt *ad cænam*, quod tamen exstat apud Ambrosium & in libris vetustis.

29. *Conscientiam autem dico*] Ante hæc verba Græci repetunt, *Domini enim est terra, & plenitudo ejus*. Hoc an Apostolicæ sit veritatis, non satis constat. Nam ut Chrysostomus & Theophylactus Græcis, ita Ambrosius patrocinatur Latinis. ¶ *Ut quid enim mea libertas judicatur ab aliena conscientia?*] Tum Christiana libertas judicatur, cum quod recte fit & fieri potest in sinistram rapitur opinionem. Dicit ergo, Cum ab idoli devotione conscientia sit libera, quid opus est ut putetur quod venerationis causa edam idolis immolata?

30. *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago?*] h. e. *Si ego gratia & indulgentia Divina communico*, quæ mihi indulget vesci quibuslibet, *ut quid maledictis insector & vituperor pro eo pro quo gratias ago*, i. pro ea indulgentia, vel pro ea ciborum participatione, pro qua summas etiam gratias ago, sicuti & omnino agere debeo? Hunc habent sensum Pauli verba ita loquentis, Εἰ δὲ ἐγὼ χάριτι μετέχω, τί βλασφημοῦμαι ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ; Possunt tamen & sic accipi, *Si ego cum gratiarum actione*, vel χάριτι, *per gratiam & benignitatem Divinam participo*, cibis videlicet Lege vetitis, *ut quid pro eo blasphemor & male audio quod Deo in ea comestione gratias ago?* Præterea illud ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ potest esse *pro quo gratias ago*: ut post *blasphemor* sit finis quæstionis, ac deinde subjiciatur *pro quo*, nimirum pro tali blasphemia etiam gratias ago. Nemo autem propter hæc aut præcedentia Apostoli verba, contra Ecclesiæ instituta licentiam sibi permittere debet edendi carnes diebus ab Ecclesia interdictis. Longe enim aliud sentit Apostolus, quemadmodum facile colliquescit rem propius intuenti.

S T E P H A N U S.

5. Κατεστρώθησαν] *Prostrati sunt.*

6. Τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν] *Typi nostri fuerunt*: vel, *In exemplum proposita sunt.*

10. Ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ] *Ab exterminatore.*

13. Τὴν ἔκβασιν] *Evasionem*: i. Rationem ostendet qua possitis evadere. Vel aditum aperiet ad evadendum.

22. Ἢ παραζηλοῦμεν] *An provocamus ad zelotypi.*

28. Καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς] *Et omnia quibus plena est.*

31. Εἴτε τι ποιεῖτε] *Sive quidpiam aliud facitis.*

32. Ἀπρόσκοποι γίνεσθε] *Estote sine offendiculo.*

D R U S I U S.

4. *Ex sequente petra*] Nam cum aqua quæ ex petra fluebat eos sequebatur, videbatur petra sequi. *Petra* ergo, i. rivus è petra profluens. Cave aliter intelligas.

6. *Hæc autem typi nostri fuerunt*] Videtur respexisse ad dictum Magistrorum, *Quicquid accidit patribus signum est filiis*: quod commemorat Moses Ger. Gen. 12.6. Ebræa sunt, כל מה שאירע לאבות סימן לבנים, *Omne quod accidit*, &c.

8. *Viginti tria millia*] Εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες. Num. 25. 9. εἰκοσιτέσσαρες· quod ibi divisim legitur τέσσαρες καὶ εἴκοσι χιλιάδες. Forsan erratum ex numeris: nam in numeris nimium facile peccatur. Meo judicio, non recte sentit qui conjicit exemplarium vitio legi apud Mosen *viginti quatuor* pro *viginti tres*: nam cur non hic potius erratum existimabimus? Quanquam Syrus nihil variat à Græcis codicibus. Proclivis sane lapsus de τέσσαρες in τρεῖς.

9. *A serpentibus perierunt*] Vide quæ scripsimus de hoc genere locutionis Observ. l. 2. c. 12.

11. *In figura*] *Typice* τυπικῶς, quod in nonnullis cod. Syrus לטופסן *in typum eorum*, εἰς τύπον αὐτῶν. Vide supra v. 6. ¶ *Scripta sunt*] Hoc est quod Ebræi dicunt, *signum est filiis*. Nam ipsi patres, nos filii sumus. *Quæcunque* igitur *eis acciderunt, ad nostri admonitionem* acciderunt, & ideo etiam *conscripta*, sive *in scriptum relata, sunt*. ¶ *Fines seculorum*] Ultima secula.

20. *Dæmoniis immolant*] *Dii* enim *Gentium dæmonia*, ut habetur in Græca edit. Psalmorum Davidis. Quanquam in fonte אלילים *Deastrorum* aut *Deorum nihili*. Sic idola vocantur.

25. *In macello*] במקולין. Vox Latina, non Græca, ut scribit autor libri Aruch. Græci tamen ea utuntur, ut etiam Ebræi. Cum *Græcos* dico, intelligo Hellenistas. Sed & apud Plutarchum reperitur, qui κρεοπώλιον exponit, h. e. *locum ubi carnes venduntur*. Baal Aruch interpretatur *domum* sive *locum lanionum*, qui vernacule מקולין *macello* dicitur. In Gemara, *Conscindunt carnem ejus* במקולין ἐν μακέλλῳ. Et capite De nervo contractionis, *Non appendunt carnem mortuam in macello*. Genesis magnus, qui Ebraice *Bresith rabba*, *Joseph descendere faciebat in Ægyptum vaccam, quam trahebant in macellum*, למקולין. David Pomarius etiam *stabulum* interpretatur: viderit an recte: ego dubito. Vulgatum illud de R. Aquiba מחתכים בשרו במקולין, quo significant *carnes ejus conscissas fuisse in macello*, invenies etiam in Gerundensi Præf. in Job. & in libro Johasin. Lex. Græco-Lat. vetus, Μάκελλος, *macellus*. Μακελλάριος, *laniator, lanio*. μακελλεῖον, *laniatorium*. Et Latino-Græcum, *Macellarius*, ὀψωνιοπώλης, i. *venditor obsoniorum*, non carnium tantum. Nam in macello Romæ omnia venalia quæ ad victum humanum pertinebant. Quinetiam panis & frumentum ibi venundabantur.

C A M E R O.

2. Καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο, &c.] Omnino significans est hæc locutio, *baptizati sunt in Mosem*. Si enim hoc tantum Apostolus notavit, *baptizati sunt in ministerio Mosis*, videtur hoc admodum frigidum. Nam in Ecclesia quotidie ministerio Pastorum baptizantur infantes, &, si ferat occasio, adulti: nemo tamen dixerit infantes aut adultos *baptizari in eos* quorum ministerio baptizantur. Imo vero (quod haud dubie multo gravius est) *ut nequis dicat*, inquit Paulus 1 Cor. 1. 15. *me in nomen meum baptizare*. Quid igitur est? Nempe Moses Mediator fuit, sed typicus Mediator; id quod nulli contigit præter Mosem; nam Christus verus Mediator fuit: Typicæ vero Mediationis typica signa fuere. *Baptizati* ergo *in Mosem* typice Israelitæ dicuntur. Sed hic oritur gemina quæstio; & prior quidem, *Quomodo in nube & in mari baptizati*

zati fuerint Israelitæ, nam nec aqua maris tincti fuere neque nube madefacti. Deinde, ut maxime aqua tincti fuissent nubeque madefacti, cum Mare & Nubes res spirituales significarint, certe perperam videbuntur dici (absit blasphemia dicto) *baptizati in Mosen:* Cum enim agitur de rebus spiritualibus atque pertinentibus ad vitam cœlestem, signa nullius hominis (simpliciter, inquam, hominis) nomine exhiberi jure possunt. Itaque in Baptismo mentio fit Patris & Filii & Spiritus S. propterea quod unus Deus est in quem baptizamur, quanquam Baptismus res sit externa, externus, inquam, Baptismus. Utraque hæc quæstio nobis definienda est, ac primo quidem loco posterior, hoc pacto. ¶ *Transitus per mare* & *Nubes* duobus modis considerari possunt, vel ut Signa, vel ut Causæ. Si ut signa considerentur, habent Sacramenti rationem. Signa autem fuerunt quibus Deus probavit Mosen esse Liberatorem & Mediatorem. Itaque eo loco ubi fit mentio transitus per mare, dicitur populus *credidisse in Deum & in Mosen*, Exod. 14. 31. neque vero eo nomine reprehenditur populus, quin potius certo consilio id notatur. Nam & Exod. 19. 9. Deus ipse sic loquitur, dum commendat autoritatem quam Mosi tribuerat, *Ecce veniam ad te in crassa nube, ut populus audiat cum ego te alloquar*, וגם יאמינו בך לעולם *utque credant in te in perpetuum.* Verum ut diversa est Mediationis Christi & Mosis ratio, diversa etiam ratio est fidei in Mosen & in Christum, tam diversa, inquam, quam umbra à corpore, imago à re, & denique cœlum à terra, & vero res finitæ ab infinitis: unde sequitur nullam esse (ut loquuntur) proportionem fidei in Mosen & in Christum. Sin Transitus per mare & Nubes ut causæ considerentur, rationem habent typorum. Nam Typus hoc differt à Sacramento quod Sacramentum nullum alium habet usum quam ut significet & obsignet; (v.g. Non baptizamur ut abluantur sordes corporis: nam domi id posset fieri multo commodius. Neque vero cum accedimus ad sacram Cœnam, consilium nostrum est ut edamus & bibamus) at Typorum diversa ratio est: nam significant illi quidem, sed & alium habent usum. Ut ne abeamus longius; Transitus per mare significabat quidem liberationem quæ nobis obtingit per Christum; sed & aliquid præstabat revera, nempe ut pateret exitus populo Israelitico, qui alia via non potuit patere. Sic igitur, ut hæc accommodemus ad institutum, se res habet; *Transitus per mare* & *Nubes*, ut Sacramenti, h.e. signi, rationem habuerunt, obsignarunt Mosis ministerium, & confirmarunt hactenus populi fidem qua credebant Mosen esse Mediatorem. Neque vero inde efficitur continuo, Transitum per mare & Nubem hoc pacto fuisse rei spiritualis Sacramenta: etenim Mosis ministerium non fuit spirituale sed carnale: Hactenus vero duntaxat populus dicitur tum *credidisse* tum *baptizatus esse in Mosen.* In quo nihil est absurdi: nam cum agitur de liberatione spirituali, nefas est in ullum baptizari præter Christum Mediatorem: at ubi agitur de liberatione carnali, qualis fuit Israelitarum Mosis ministerio, dispar ratio est: nam qualis liberatio est, talis est & Baptismus. Qui Johannis Baptismate erant tincti, dicuntur quidem *baptizati fuisse in baptisma* (h.e. baptismate) *Johannis*, attamen non dicuntur *fuisse baptizati in Johannem:* & ratio est, Quia Johannis ministerium erat mere spirituale, nihil habebat carnale. Sic ergo unicum tantum habemus Mediatorem, verum, inquam, & spiritualem Mediatorem: illa tamen Mediatoris unitas non prohibet quominus & Moses Mediator fuerit; tantum prohibet quominus verus & spiritualis sit Mediator. Quod si Transitus per mare & nubes non jam considerentur ut signa Mosaici ministerii, sed ut typi & figuræ earum rerum quas Christus erat nobis exhibiturus, hoc pacto sane diversam habent rationem: non sunt enim sigilla Mosaici ministerii, sed typi officii & beneficii Christi Mediatoris. At secundum hanc rationem non considerantur hic ab Apostolo dum ait *Patres baptizatos esse in Mosen*, sed secundum priorem illam significationem. Nam certe Servitus Ægyptiaca, Moses, Exitus ex Ægypto, Nubes, Transitus per mare, Desertum, Fames & Sitis in deserto, Alimonia, Manna, Aqua profluens è Petra, Prælia, Introitus in terram Chanaan, Terra ipsa Chanaan, typi fuerunt Servitutis spiritualis, Redemptoris, Rationis qua redempti sumus, (quatenus fieri potuit) Mundi, Tentationum, & Patriæ cœlestis. Et hæc quidem de posteriore quæstione. Prior vero facile dissolvi potest. Non enim ideo Israelitæ dicuntur *fuisse baptizati in mari & in nube* quod essent mari & nube abluti; quod fit in nostro Baptismo; sed quia Corinthii de Baptismo gloriabantur, nomen *Baptismi* indidit Apostolus iis rebus de quibus æque licuisset Israelitis gloriari ac Corinthiis de Baptismo. Quæ dicendi ratio petita est ex consuetudine vitæ humanæ: v.g. (nam hic crassis utendum est exemplis & quæ ipsos sensus feriant) siquis glorietur se nobilem esse, qui vera virtute præditus est, respondebit & se esse nobilem: nempe hoc vult tantum significare, tantum se habere quantum haberet si nobilis esset. Vel (ut res clarius dicatur) siquis glorietur de pecunia, alius respondebit & se pecuniam habere, qui tamen forte pecuniam non habet, sed quod exæquet pecuniam id vero habet. Non fuit ergo hæc mens Apostoli, vere & proprie baptizatos fuisse Israelitas; tantum hoc voluit, æque licuisse Israelitis gloriari de Nube & Transitu per mare ac Corinthiis de Baptismo: ut fuerit hæc Apostoli mens, *Nolite ideo certe statuere vos adituros terram Chanaan quæ est in cælis quod eorundem estis participes Sacramentorum: nam qui eorundem participes fuere Sacramentorum inter Israelitas non fuerunt pariter introducti in terram Chanaan.* Quanquam dubium non est quin Apostolus ex omnibus illis signis (plura autem fuere) quibus Mosis ministerium confirmatum fuit: ea præcipue delegerit quæ, quod ad ipsam materiam attinet, similitudine quadam cum Sacramentis Ecclesiæ Christianæ convenirent: nam Nubes paululum distat ab aqua, Mare vero jam aqua est. Attamen ne Apostolus videretur hærere in designatione Sacramenti carnalis, hoc eodem capite monet hæc ad Christum esse referenda: nam *Petra*, inquit, *erat Christus.* Itaque ista ad Mosen relata carnalia erant, & carnalis Mosaici ministerii sigilla sive Sacramenta; ad Christum autem relata spiritualia fuerunt, beneficiorum nempe Christi spiritualium Typi. Cæterum ad Christum relata similitudinem quandam cum re significata habent. Nam Nubes typus erat Spiritus Christi, quo fit ut hostes in piis nihil agnoscant præter stultitiam & meras tenebras: nam Nubes illa hostibus Israelitarum caligo fuit, Israelitis vero lux: tum illius Nubis vi fiebat ut vinci ab hoste non potuerint Israelitæ: denique adversus æstum Solis umbra fuit, noctu vero lux. Rationem similitudinis nihil opus est reddere; nam proclivis est. Sic per Mare patuit exitus populo Israelitico, eodemque mari mersi sunt hostes populi Israelitici: Id ipsum præstitum est vere & sine typo effusione sanguinis Christi: Christus enim morte sua vicit hostes nostros, & nos præstitit incolumes.

4. Ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός] Hinc liquet Christi beneficium pertinuisse etiam ad Judæos, contra quam sentit Socinus. Nec est quod quis pro eo excipiat, *Petram fuisse Christum nobis, non fuisse autem Judæis*, h. e. Petram significasse Christum quatenus noster est, non autem quatenus pertineret ad Judæos. Nam pugnat hoc cum Apostoli scopo, qui vult probare eodem genere peccati peccare Christianos & Judæos olim, nempe quod aspernentur tam hi quam illi symbola gratiæ Dei in Christo. Itaque illud inseruit orationi, *Petra autem erat Christus*, nempe ut Christianis auferat materiam gloriandi eo quod Sacramentorum Christi participes facti sunt; cum hoc non fuerit olim negatum Judæis, quique non fuerunt continuo immunes ab ira Dei: ut & Christianorum eadem sit conditio. Itaque non esse gloriandum in rebus externis, sed cavendum ne iis abutamur. Quæ ratio nulla erit si Sacramenta Judæorum exhibebant Christum.

9. Καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν] Doctissimus Interpres existimat particulam καὶ redundare: quod profecto nemo possit satis mirari, cum non possit ea detrahi nisi tota sententia mutetur. Non enim Apostolus sic simpliciter dissuadet ac dehortatur Corinthios ne Christum tentent, sed eos etiam deterret exemplo Israelitarum in deserto, qui & Christum tentarunt. Profecto si simpliciter dixisset *qui Christum tentarunt*, potuisset id durius dictum videri, cum Christus nondum esset natus eo tempore: at hoc ita emollit Apostolus ut affirmet etiam tum exstitisse Christum. Et certe si hæc particula καὶ detrahatur, erit locus obnoxius cavillationi Hæreticorum, qui contendunt sic intelligendum hunc locum, *Ne tentemus Christum, quemadmodum nonnulli Deum tentarunt:* itaque negant ex hoc loco probari posse Christum esse Deum. Neque vero illis satis feceris si respondeas, quod annotavit doctiss. Interpr. in quibusdam exemplaribus legi αὐτὸν, non vero αὐτῶν. Nam ut illud taceam, quod non caret periculo, in disputationibus quæ instituuntur adversus Hæreticos, elevare fidem codicum, nulla fuerit sententia, *Ne tentemus Christum, quemadmodum quidam tentarunt Christum*; præsertim cum superioribus versibus facta sit mentio *Israelitarum.* Quod si locus esset conjecturæ, statuendum potius foret utrumque olim fuisse scriptum, αὐτὸν & αὐτῶν, sed lapsu temporis alterum in quibusdam codd. excidisse, alterum hæsisse. At si vis particulæ καὶ spectetur, neque vero habeatur pro redundanti, necessario sic erunt accipienda verba Apostoli ac si vellet (quod sane vult) *Christum tentatum esse ab Israelitis in deserto:* quorum enim attinuisset dixisse *quemadmodum &?* Cum in priori membro nulla *Dei* sed *Christi* mentio facta fuerit, certe non modo frigida sed absurda plane sententia est, *Ne tentemus Christum, quemadmodum & eorum nonnulli tentarunt Deum.* Deinde, non est dubitandum quin Apostolus respexerit ad id quod scriptum est

est Exod. 23. 21. quo loco Deus agit de Angelo quem præfecerat Ducem Israelitarum in deserto, his verbis, *Cave tibi à facie ejus* (simpliciter intellige, Quandoquidem ille adest inspector, caute te gere, ne committas quod ejus oculis non sit gratum) *audi verba ejus, ne irrites eum: non enim parcet tibi, neque remittet tibi peccata: nomen enim meum est in illo*, h. e. is est per quem tibi adsum, meus Legatus. Omnino hæc sunt hujusmodi ut nulli Angelo creato convenire possint. Haud dubie hic Angelus fuit Christus, atque idem ille qui Esai. *63. 9.* dicitur *Angelus faciei Dei*: nam Angelus creatus in Scriptura non est ea dignitate ut dici possit *irritari* aut *tentari*. Deinde, nulli creaturæ Scriptura tribuit potestatem remittendi peccata, nisi forte Ministris Euangelii ob ministerium. Atqui hic Angelus describitur qui *remittit peccata*, ut Christus. Nam quod excipit Hæreticus, Scriptum quidem à Paulo, *Ne tentetis Christum, sicuti nonnulli eorum tentarunt*, at non esse scriptum, *sicuti nonnulli eorum tentarunt Christum*, id vero futile est plane: nam hujus ellipticæ locutionis plurima exstant exempla in Scriptura. Sic Joh. 8. 56. *Abraham cupivit videre diem meum, & vidit*: non est repetitum, *& vidit diem meum*, sed subintelligitur. Et nos possemus vicissim quærere ex Hæretico cur non additum fuerit *sicut quidam eorum tentaverunt Deum*. Certe si ea est hujus versus sententia quam ei affingit Hæreticus, non potest reddi ratio hujus ellipseos: at si ea est sententia loci, ut est, quam nos tradidimus, potest reddi ratio ellipseos. Multo enim insolentior locutio fuisset, si repetitum fuisset nomen *Christi*: ut illud interim taceamus quod ab aliis observatum est, αὐτὸν & αὐτὸν gignere hiatum in oratione si jungantur simul. Porro αὐτῶν necessarium erat: non enim omnes Israelitæ in deserto tentarunt Christum, sed quidam duntaxat.

13. Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος.] *Tentatio* hoc loco afflictio est. Nam quod vir maximus *tentationem* hic interpretatur *peccatum*, videtur pugnare cum verbis Apostoli, qui tolerantiæ hoc loco meminit: non enim *tolerari peccatum*, sed *afflictio* dicitur. Id vero quo videtur permotus ut *tentationem* hoc loco sic acciperet, non videtur usque adeo magni momenti: nam ait Apostolum supra reprehendisse ob delictum Corinthios, & graviter objurgasse; itaque contendit opus fuisse consolatione, unde scilicet profectum fuit ut elevarit eorum peccatum quodammodo atque extenuarit, *Tentatio vos non cepit nisi humana*, h. e. Quod est à vobis patratum, profectum est ab infirmitate carnis. Nam cur non potius arbitremur Apostolum obviam ire excusationi quam Corinthii poterant non sine specie prætexere peccato, quod nempe inter eos versarentur quibus aliquid erat dandum, cum Christiano nomini usque adeo essent infesti, ut qui erant leniendi & demulcendi, ne oriretur in Ecclesia persecutio? Id quod sic diluit Apostolus, *Nihil vobis contigit ab adversariis religionis Christianæ quod vobis debuerit incutere terrorem, aut vero in posterum incutere debeat, cum Deus ita sui prospiciat ut ne patiatur eos tentari*, h. e. *affligi, supra vires. Magnæ calamitates magnæ patientiæ documenta sunt, quam patientiam suis Deus haud denegat.* Cæterum afflictiones *tentationes* nominari in Scriptura satis constat. Sic nempe Jacobus loquitur Epistolæ suæ Catholicæ cap. 1. 2. *Pro summo gaudio ducite, fratres, quoties in tentationes varias incideritis.* Et 1 Pet. 1. 6. *Qua in re exsultatis, ad tempus tristitia affecti in variis tentationibus.* Plane afflictiones notavit. Sed quæritur quid sit illud *humana tentatio*. Profecto *tentatio* (h. e. afflictio) *humana* est exacta ad modum virium humanarum, ut ea sit *tentatio humana* quæ viribus humanis non est major. *Vires* autem *humanas* hic non voco eas quæ ab humanis viribus proficiscuntur, sed quas in hac vita Deus, siquando opus est, hominibus indulget. Imo vero & *humana tentatio* dici possit ea quæ non superat eorum cruciatuum gravitatem, quos, cum agitur de rebus seculi, non detrectant tolerare ii quorum spes omnis in seculo est: ut fuerit hæc Apostoli mens, *Quid vobis, ô Corinthii, gravius contigit in causa religionis quam quod hominibus solet quotidie contingere?* At si quis requirat hujus locutionis rationem, ea certe petenda erit ex usu Scripturæ. Verba nempe federis quod Deus pepigit cum Davide hæc sunt 2 Sam. 7. 14. *Visitabo in virga hominis iniquitates eorum*, &c. In Scriptura frequenter occurrit ejusmodi locutio, ut cum *hominis* esse dicuntur ea quæ sunt accommodata ad vires humanas. Sic Esai. 8. 1. *Scribe stylo hominis*, h. e. stylo quo literæ sic imprimantur ut à quolibet quod scribitur legi possit. Contra, quæ sunt excelsa, quæque rapiunt in admirationem, ea *Dei* esse dicuntur, ut cum Scriptura quosdam montes vocat *montes Dei*, item cum Moses dicitur *pulcer à Deo*, h. e. insignem in modum pulcer. § Πιστὸς ὁ Θεὸς, &c.] Hinc liquet fideles posse esse certos se perseveraturos, quia (ut ait hic Apostolus) *Deus in tentatione dat illis semper exitum*: quæ verba sunt notanda. Nam quod nonnulli excipiunt, *Deus, si credidero, dabit exitum*, nugatorium est: idem enim est ac si diceretur, *Deus, si dabit exitum, dabit exitum*: nam *fide perseverare* est adipisci exitum. Itaque fideles, qui implorant Dei auxilium, petunt ab eo ut semper credant; Deus autem non daret illis quod petunt nisi det ut semper credant. Certe piorum nemo à Deo petit ut possit credere si velit, sed ut semper credat: itaque vel Deus non exaudit eorum preces, vel dat illis ut semper credant. Falsum itaque est quod docent Pontificii & Novatores de Perseverantia.

GUALTPERIUS.

6. Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν, *Hæc autem typi nostri fuerunt*] Τύπος, vox Græca, ex τύπτω descendens, Latinis sæpe voce eadem *typus* redditur. Chald. dicitur דפוס DEPHUS *exemplar, imago, typus*, ex radice דפס *formavit, modulis expressit, typis adumbravit*. Unde דפס *typographus, chalcographus*. Dicitur & iisdem טפסא *Taphsa*, literis radicalibus in utraque voce voci Græcæ respondentibus. Cæterum vocabulum τοῦ τύπου varie accipitur cum apud profanos tum Ecclesiasticos scriptores. Ad etymologiam si respiciamus, ὁ τύπος dicitur vestigium & nota quam impressit τὸ τύπτον· quomodo accipitur apud Euangelistam Joannem 20. 25. Ἐὰν μὴ ἴδω (inquit Thomas ὀλιγόπιστος) ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων, *Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & mittam digitum meum in vestigium clavorum*, &c. οὐ μὴ πιστεύσω *non credam*. Sic τύπος Metaphorice accipitur pro *nota nummo aureo argenteove impressa*. Plutarchus τύπους appellat *notas literarum tabula lapidea aut area insculptarum*. Sæpe vocabulum hoc significat *figuram, imaginem, simulacrum, effigiem*, eamque vel pictam, vel fictam, vel sculptam, vel quavis alia ratione expressam. Herodian. lib. 5. ἀπέστειλεν ἐν τῇ γραφῇ τὸν τύπον τοῦ ἐπιχωρίου θεοῦ, *figuram Dei, cujus Sacerdos erat, depictam in tabula Romam præmisit*. In κύβοις seu tesseris etiam dicuntur τύποι. Non raro etiam τύπος *descriptionem* notat *minus exactam & talem qua fiat vel facta sit rudiori seu pingui Minerva, paucis, brevibus, crassius, non exacto opere*: Aristot. Ethic. 1. c. 3. παχυλῶς καὶ ἐν τύπῳ. Qua ratione sibi opponuntur παχυλῶς καὶ ὡς ἐν τύπῳ, &, τὸ ἀκριβῶς διορίζειν. In Theologia Typi permulti sunt, qui & Christum & alios tanquam sua ἀντίτυπα haud obscure delinearunt. Isaac, quod Christum, ratione immolationis, passionem & mortem ejus præfiguravit. Sacrificia Levitica ferme omnia Christum typice repræsentarunt. David in multis Psalmis typum Christi gerit. Jonas per integrum triduum in ventre ceti detentus, typus fuit Christi per triduum in sepulcro detinendi. Josua, ratione introductionis filiorum Israel in terram Chanaan, typus exstitit invictissimi Herois Christi, qui nos aliquando in æternam illam & nunquam interituram Palæstinam est introducturus. Huc refer ea quæ de Agno paschatis habentur Joan. 19. de æneo Serpente Joan. 3. de duobus Filiis Abrahæ, qui τυπικῶς duo Testamenta præfigurabant, Gal. 4. de Jacobo & Esavo, quorum posterior sub ratione typi reprobationem Judæorum adumbrabat: ut hac vice de aliis typis plura non dicam. Præterea vox τύπου haud raro usurpatur pro *exemplo* seu *exemplari quod imitamur*. Latini *formam* & *formulam* appellant. Exemplo est Act. 23. 25. γράψας ἐπιστολὴν περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον, *Scripta epistola in hanc formam*, i. scripta epistola cujus hoc est exemplar. Et Paulus frequenter usurpat vocabulum hoc pro *exemplari*: 1 Thess. 1. 7. ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους πᾶσι τοῖς πιστεύουσι. Et 2 Thess. 3. 9. ἵνα ἑαυτοὺς τύπον δῶμεν ὑμῖν εἰς τὸ μιμεῖσθαι ἡμᾶς· 1 Tim. 4. 12. ἀλλὰ τύπος γίνου τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ. Tit. 2. 7. σεαυτὸν παρεχόμενος τύπον καλῶν ἔργων. 1 Pet. 5. 3. ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. Reliqua significata petantur ex Lexicis. Eadem hac opera adjungemus & vocabulum τὸ ἀντίτυπον· ὁ καὶ ἡ ἀντίτυπος *adversum & refractarium, asperum & contrarium* significat. Sed in neutro genere τὸ ἀντίτυπον *exemplar figuræ respondens* designat. Habetur in Scripturis N. T. bis; semel Heb. 9. 24. ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν· secundo 1 Pet. 3. 21. ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. Canon, *Typus antitypo non semper omni ex parte respondet; sed, ut in typis, parabolis & similitudinibus fieri consuevit, suffecerit, si typus in principali scopo, propter quem adhibetur, ad institutum quadret*, Hunn. ad Rom. 9.

25. Πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε, *Omne quod in macello venditur, edite.* Μάκελλον *macellum* vocem esse Latinam omnibus tam est notum quam quod notissimum. Syrus vocem Latinam retinet, ut in multis aliis.

JAC.

JAC. CAPPELLUS.

1. N*Olo vero vos ignorare, fratres, nostros patres* stricte sumptos, quatenus distinguuntur à *Patriarchis* (tum enim *Patriarchæ* quidem dicuntur Abraham, Isaac, Jacob, ejusque duodecim filii; *patres* autem ii peculiariter dicuntur quos eduxit Moses ex Ægypto) *fuisse omnes sub nube, & omnes per mare transiisse*; neque propterea promissionem adeptos: ne putetis esse quod gloriemini de Sacramentis Christi quæ percepistis.

2. *Et omnes in illa nube & in illa mari baptizatos in Mosem*] Eadem scilicet ratione qua dicuntur *in Mosem credidisse*. Enimvero fuerunt hæc non tantum typi beneficiorum Christi, sed etiam signa confirmantia munus Mosis, idque plane singulare. Fuit enim Moses typicus quidem Mediator, sed Mediator tamen tum Israelitarum apud Deum, tum etiam Dei apud Israelitas: quam ob causam Gal. 3. 19. dicitur lata lex *ministerio Mediatoris*, nempe Mosis. Sic hæc loca accipit Camero noster.

3. *Omnes eundem cibum spiritualem manducarunt*] Augustinus De utilitate pœnitentiæ, *Eundem non invenio quomodo intelligam, nisi eundem quem manducamus & nos.* Idem in Psal. 67. *Idem in mysterio cibus & potus illorum qui noster, sed significatione, non specie; quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Idem in Joh. 10. tract. 45. *In signu diversis eadem fides. Eundem potum spiritualem biberunt, non corporalem eundem. Videte ergo fide manente signa variata.* Anselmus in 1 Cor. 10. *Eandem escam spiritualem manducaverunt quam & nos.* Bertramus p. 1133. *Quæris forte, Quam eandem? Nimirum ipsam quam hodie populus credentium in Ecclesia manducat & bibit.* Thomas Aquinas in 1 Cor. 10. *Eandem escam spiritualem manducaverunt, i. Christi corpus in signo spiritualiter intellecto. Unde eandem escam spiritualem manducaverunt, idem scilicet quod nos.* P. Lombardus, *Spiritualem eundem quem & nos.* Sixtus Senensis Bibl. 6. cap. 196. *Paulus & Augustinus monent priscos Antiqui Testamenti Patres eandem quam nos spiritualem escam manducasse.*

4. *Petra autem erat Christus*] Augustinus in Joh. 10. tract. 45. *Videte fide manente signa variata. Ibi Petra Christus, nobis Christus quod in altari Dei ponitur.*

11. *Hæc omnia* miracula, *quæ contigerunt illis, fuerunt typica: scripta vero sunt ad nostri admonitionem, ad quos pervenerunt secula novissima*] Hæc, inquam, tum quæ præcedentibus decem versibus sunt enarrata, tum his cognata connexa ve reliqua, puta miracula. In genere quidem *Discipulus est prioris posterior dies*, imprimis vero Scriptura continet documenta tum seculis tum populis quibusvis salutaria: At inter omnia quæ Christi nativitatem antecesserunt secula nullum est quod illustriores rerum Apostolico seculo gestarum ac totius Ecclesiæ typos præferat quam seculum Mosaicum, sive Mosem spectes, sive eos cum quibus Mosi res fuit. In Mose considerandum quam multis nominibus fuerit Christi typus, sed typus tantum. Expressissimus Christi typus fuit, si spectes quid passus sit, quid fecerit, quis fuerit. Passus est persecutionem in ipsis cunis, à filia Regis educatus, in desertum abductus, colluctatus cum tyranno, cum populo, utroque longe pervicacissimo. Si quæ fecit spectes, vidit patravitque res plane mirabiles. Vidit rubum ardentem, montem flammis undique coruscantem, Dei majestatem apprime gloriosam propius & familiarius quam quisquam mortalium. Patravit plura majoraque quam quisquam ante Christum miracula. Fuit Princeps simul & Sacerdos, hostium Dei flagellum, fidelium Dux & Liberator omnium mansuetissimus. Ita multis nominibus fuit Moses Christi typus, sed typus tantum, ut in quo notentur aliquot nævi, cujus miracula Legis quam Euangelii ministro fuerint convenientiora. Hactenus Mosem ipsum spectavimus: nunc spectemus eos quibuscum illi res fuit. Res illi fuit cum Pharaone, cum Dei populo, cum Ægypto, cum Israele. Pharaonem ejusque populum multis ictibus contudit, ac denique dejecit in abyssum exitii sempiterni. Israelitas si spectes, considerari potest quid à Deo factum sit in illorum gratiam, quid ab illis ingrate factum sit. Dei in Israelitas beneficia fuerunt totidem typi Divinorum in Ecclesiam, eamque κατ' ἐξοχὴν dictam, charismatum; quippe totus & solus Israel exemptus fuit flagellis quibus Deus Ægyptios ultus est; totus & solus Israel luce fruebatur cum omnes Ægyptii jacerent in tenebris plusquam Cimmeriis; totus & solus Israel innoxius Erythræum mare transgressus à Mose veluti baptizatus est; totus & solus Israel habuit duces cœlestes columnas, nubis quidem interdiu, ignis vero noctu; totus & solus Israel fuit cœlesti Angelorum pane multos annos educatus, aqua de rupe miraculose prosiliente satiatus, per deserta & inhospita tesqua perductus in requiem pridem patribus promissam. Hæc Numinis in Israelitas beneficia designabant eas dotes quas verus ac spiritualis isque totus & solus Israel accipit à Christo. Si spectes ea quæ secus ab Israelis illius maxima parte facta sunt, typos habebis insignes eorum quæ facta sunt ab Israele carnali, quæque quotidie fiunt à falsis fratribus & adulterinis filiis adversus Christum, & eorum vicissim quæ passi sunt quæque perpetientur in æternum justo Dei judicio, inter quæ vel maxime notandum ac fremendum illud est, quod à Dei requie æternum excluduntur.

13. *Tentatio non invasit vos nisi humana*] h. e. Clemens ac mitis, inhumanum nihil habens. Sic 2 Sam. 7. 14. *Visitabo in virga hominis iniquitates eorum*, h. e. flagellis humanis. Non quod Deus unquam ulli sit inhumanus, sed quia talis videtur impiis, ut Caino conquerenti *pœnam suam graviorem esse quam ut sit ferenda.* Deus autem contestatur se saltem erga filios suos talem futurum, ut agnituri sint ipsi quam humana flagella perpessi fuerint, quam clemens & liberalis fuerit ipsorum servitus quam Deo servierunt. Imprimis autem afflictiones illæ quibus fidem Corinthiorum exercuerat Deus ejusmodi fuerant ut humanissimæ dici possent si cum iis compararentur quas passi fuerant Hierosolymitani, quasque ubique postea passi sunt fideles tum in imperio Romano tum etiam alibi.

LUD. CAPPELLUS.

31. E*Ἴ τι τι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε*] Sic rursus Col. 3. 17. *Πᾶν ὅ, τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι Κυρίου Ἰησοῦ.* Sic etiam loquuntur Judæi: R. Jona in libro Timoris, כל מעשיו יחשב לעשות לשם השמים *Omnia sua opera proponet sibi facere in nomine Dei.* Item, *In benedictione præcepti* (h. e. quæ præcepta est) *& in omni opere* האדם עשה דברים לשם פעלו *homo res faciet in nomine Factoris sui.* Paulo post, ubi de gratiarum actione post cibum, *Postea*, inquit, *bibet aquam vel vinum, &c.* והכל לשם שמים *omnia in nomine Dei.* Item, וכל עניניו ועסקיו יהיו לשם שמים *Omnia ejus negotia & studia* (vel *occupationes*) *erunt in nomine Dei.* Sic & autor libri חובת הלבבות, in Præfatione, *Cultus*, inquit, *occultus est* חובת לבבות, *atque in eo est ut credamus unum Deum, fidemque in eum habeamus*, ונכוין במעשינו לשמו *atque omnia opera nostra dirigamus ad nomen ipsius*, h. e. faciamus in ejus nomine. Ex paulo post, *& sic dicitur* à Sapientibus, שעושה מצוה ולא נתכון לעשותה לשם שמים אינו מקבל עליה שכר *quod qui fecit præceptum aliquod* (h. e. qui exsequitur id quod Deus aliquo præcepto jussit) *nec proponit sibi illud facere in nomine Dei, non accepturus est pro eo mercedem.* In his omnibus לשם idem est quod *εἰς δόξαν in honorem.*

GROTIUS.

1. O*Υ̓ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, Nolo autem vos ignorare, fratres*] Melius in Manuscripto, *οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἀγνοεῖν* [*nolo enim vos ignorare*], quomodo & Latinus legit & Ambrosius aliique. Bene cohæret id cum superioribus. Dixerat in præcedentibus se ipsum corpus suum male tractare ne sperato præmio excidat. Monet Corinthios idem ut faciant, ac ne sibi blandiantur, ut multi tunc faciebant & nunc faciunt, quod multa dona à Deo accepissent. Per ea enim eos non constitui extra periculum, sed eo magis obligari, ut sibi caveant. Quod ipsum ostendit adumbratum rebus antiqui populi Hebraici, in quibus figuram fuisse temporum Messiæ sapientissimi Hebræorum consentiebant. *Ἀγνοεῖν* (*ignorare*) hic valet *esse immemorem*; nam legerant isti Corinthii libros Veteris Testamenti, sed non omnia memoriâ retinebant, non omnium sensum reconditiorem intelligebant. Sic *ἀγνοεῖν* sumitur Rom. VI, 3. VII, 1.

¶ *ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν, quoniam Patres nostri*] Hebræorum, quorum erat Paulus. ¶ *Πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν, καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον· Omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt*] Illi nube protecti fuere contra calorem Solis Exod. XIII, 21. Nos Christus ita defendit ab ira Divina, ut viam nobis ad salutem monstret. Illi per mare transiere, Exod. XIV. Nos mundum cœpimus contemnere: sed restat transeundum ingens desertum.

2. *Καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ· Et omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari*] *Baptizati sunt*, id est, quasi baptizati sunt. Usurpat istam vocem ut eo magis ostendat umbram rerum nostrarum. Res enim baptismi est in illis duobus quæ jam diximus, liberatione ab ira Divina, & liberatione à Mundo. Deinde in eo quod conspicitur est aliquid simile. Nubes impendebat illorum capiti: sic & aqua iis qui baptizantur. Mare circumdabat eorum latera: sic & aqua eos qui baptizantur. *In Mosem baptizari* est, Mosi credere, & per eam fiduciam incipere iter sub nube,

deinde & per mare, ipso Mose præeunte. Sicut Christus nobis præivit. Vide Exod. XIV, 31. & quæ à nobis dicta ad Matth. XXVIII, 19. Tertullianus libro de Baptismo, *Primo quidem cum populus de Ægypto expeditus, vim Regis Ægypti per aquam transgressus evadit, ipsum Regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifestior in Baptismi sacramento? liberantur de sæculo nationes, per aquam scilicet, & diabolum dominatorem pristinum in aqua depressum derelinquunt.*

3. Καὶ πάντες τὸ αὐτὸ βρῶμα πνευματικὸν ἔφαγον· *Et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt*] Manna vocat βρῶμα πνευματικὸν [*escam spiritualem*], quia Deus in eo operabatur gustus varios, ut diximus ad Exodi XVI. Sic νόμος πνευματικὸς [*Lex spiritualis*] Roman. VII, 14. id est, à Deo datus. Nam Deus per excellentiam *spiritus* Johan. IV, 24. Cum dicit τὸ αὐτὸ non vult dicere *idem* nobiscum, sed *idem* qui tunc servati sunt, ut Josue & Caleb, & qui periere. Hæc paritas non impedit eventus discrimen. Verum in Manuscripto non est τὸ αὐτὸ [*idem*] neque hic, neque in sequente membro. Sed τὸ πνευματικὸν ἔφαγον βρῶμα [*spiritualem manducaverunt escam*], & τὸ πνευματικὸν ἔπιον πόμα [*spiritualem potum biberunt*]. Manna de cœlo datum figurat Christum nobis cœlitus missum ad animi alimentum cum variis virtutibus. Manna Θεοῦ λόγον [*verbum Dei*] bis interpretatur Philo libro, Pejorem insidiari meliori, & libro, Quis sit rerum Divinarum hæres.

4. Καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον· *Et omnes eundem potum spiritualem biberunt*] Expone ut priora. Tam qui sospites fuere quam qui perierunt eodem usi sunt potu divinitus dato. ❡ ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας· *bibebant autem de spirituali consequente eos petra*] Rupes illa *spiritualis* dicitur quia Deus ei aquam indiderat. Τότε πρῶτον ὕδατος ἀφανέσιν ὑπονόμοις εἰς αὐτὴν ἀθρόον συρρέοντος [*tum primum aqua vi per occultos meatus in eam confluente*] ut Philo exponit de Vita Mosis. Dicitur autem Israelitas *secuta rupes*, effectu scilicet, aqua ipsos sequente quæ è rupe manabat. Tertullianus dicto libro de Baptismo, *Hæc est aqua quæ de comite petra populo defluebat.* Philo dicto libro, Pejorem insidiari meliori, πέτραν [*petram*] explicat τὴν στερεὰν καὶ ἀδιάκοπον σοφίαν Θεοῦ [*solidam & indissolubilem sapientiam Dei*]. Deus צור [*petra*] in Veteri Testamento, Christus in Novo. ❡ ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός. *petra autem erat Christus*] Id est, *Christum præfigurabat.* Non illi hoc intelligebant, sed nos intelligimus quibus omnia ista præstruebantur. Rupes percussa aquam dedit, Christus ad mortem percussus Spiritum Sanctum suis obtinuit. Vide infra XII, 13. Per ipsam aquam rupes Hebræos comitabatur: & Christus per Spiritum *nobiscum est ad finem sæculi*, Matth. XXVIII, 20. Ut *septem boves & septem spicæ sunt septem anni*, Genes. XLI, 26. Id est, septem annos præfigurant. Vide & Apocal. XVII, 15.

5. Ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*] Εὐδόκησεν, רצה [*beneplacitum habuit*]. *Multo maximam eorum partem Deus gratam non habuit.* Idem eveniet multis Christianis qui magnis datis bene non utuntur. ❡ κατεστρώθησαν γὰρ ἐν τῇ ἐρήμῳ. *nam prostrati sunt in deserto*] Vocem ipsam usurpavit quæ est in Græco Num. XIV, 16. κατέστρωσεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ [*prostravit eos in deserto*]. Vide ibidem 29, 32. XXVI, 64, 65. Psalm. LXXVIII, 33. Hoc illorum exitium æterni exitii imago est.

6. Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν, *Hæc autem in figura facta sunt nostri*] *Typus* est rudis rei delineatio de qua fit imago perfectior. Inde ἐν τύπῳ [*in typo*] apud Aristotelem, *rudi docendi modo.* Opponitur ei τὸ ἀκριβὲς, τὸ λεπτομερὲς [*accuratum & subtile*]. Vide Rom. V, 14. Utitur voce τύπων [*typorum*] in hoc sensu & Justinus Colloquio cum Tryphone. ❡ εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν, καθὼς κἀκεῖνοι ἐπεθύμησαν. *ut non simus concupiscentes malorum sicut & illi concupierunt*] Ἐπιθυμηταὶ κακῶν [*concupiscentes malorum*] sunt qui necessariis non contenti plura ardenter desiderant, ut illi Israelitæ, Numer. XI, 4. Psalm. LXXVIII, 29. ἐπιθυμηταὶ מתאוים [*desiderantes*]. Hoc rursum tangit Corinthios epulatores.

7. Μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε καθώς τινες αὐτῶν, *Neque idolorum cultores efficiemini sicut quidam ex ipsis*] Hic tangit eos qui εἰδωλοθύτων [*immolatitiis*] vescebantur: quod aut idoli cultus erat, aut gradus ad cultum idoli. ❡ ὥσπερ γέγραπται, Ἐκάθισεν ὁ λαὸς τοῦ φαγεῖν καὶ πιεῖν, καὶ ἀνέστησαν παίζειν. *quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*] ipsa verba LXX Exodi XXXII, ubi παίζειν esse diximus *saltare*, pro quo & Virgilius dixit *ludere*. Εὐφραίνεσθαι [*lætari*] Act. VII, 41. *Sedit populus*, nempe sicut vos accumbitis: *Ad saltandum*, ut & vos facitis.

8. Μηδὲ πορνεύωμεν, *Neque fornicemur*] Sic solet Paulus, ubi aliquid odiosum dicit, uti plurali primæ personæ κατὰ κοίνωσιν [*per Communicationem*]. ❡ καθώς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν, *sicut quidam ex ipsis fornicati sunt*] Πορνεύειν manifeste hic est *cum feminis extra nuptias rem habere.* In Græco Numer. XXV, 1. ἐβεβηλώθη ὁ λαὸς ἐκπορνεῦσαι εἰς τὰς θυγατέρας Μωάβ [*pollutus est populus ut fornicaretur cum filiabus Moab*], זונות [*meretricibus*]. Tangitur hic ille incestu contaminatus. ❡ καὶ ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες. *& ceciderunt una die viginti tria millia*] In Hebræo & Græco Num. XXV, 9. εἰκοσιτέσσαρες χιλιάδες [*viginti quatuor millia*]. Sed intellige mille occisos à Phinee & sodalibus ejus, viginti vero & tria millia plaga divinitus immissa.

9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν, καθώς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, *Neque tentemus Christum sicut quidam eorum tentaverunt*] Omnino legendum est, μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Θεὸν [*neque tentemus Deum*], quomodo est in vetustissimo illo Manuscripto. Error commissus ex notis ΘΝ. & ΧΝ. *Christus* nomen est hominis. Ἐκπειράζειν [*tentare*] est נסה, Deuter. VI, 16. fecere id sæpe Hebræi, sed eximie eo tempore cujus narratio est Num. XXI, 5. & sequentibus. *Tentare Deum* est experimentum capere quousque itura sit ejus patientia. Tanguntur hic schismatum auctores. ❡ καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. *& à serpentibus perierunt*] *Ab illis ignitis serpentibus.* Sic & qui Deum irritant præda fiunt diaboli.

10. Μηδὲ γογγύζετε, *Neque murmuraveritis*] Γογγύζειν [*murmurare*] est *obloqui superioribus*, ut videre est Num. XIV, 1. Tanguntur hic illi qui de Apostolo hoc minus decenter loquebantur. ❡ καὶ ἀπώλοντο ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ. *& perierunt ab exterminatore*] In libro Num. XIV, 37. dicuntur *percussi & mactati coram Deo*: sed Dei mos est judicia sua per Angelos exsequi: ut videre est II Samuel. XXIV, 16. II Regum XIX, 35. Ecclesiastæ V, 5. sic & beneficia quædam per Angelos dispensat, Joh. V, 4. Angelus ὀλοθρευτὴς [*exterminator*], aut ὁ ὀλοθρεύων [*exterminans*] Hebr. XI, 28. & Sap. XVIII, 22, 25. est qui in Tobiæ libro אשמדי [*Asmodæus*], à שמד, id est, ἐξολοθρεύειν [*perdere*], משחית [*perditor*] Exod. XII, 23. Jerem. LI, 30.

11. Ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις· *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*] Manuscriptus pro τύποι [*in figura*] habet τυπικῶς [*figurate*]. *Erant quæ ipsis evenere præfigurationes*, rudia lineamenta. Ibi res temporariæ, hic æternæ: dicunt Hebræi אבות סימן לבני, *patres documentum filiis.* ❡ ἐγράφη δὲ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν. *scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt*] Nam in omnibus actionibus prisci sæculi Deus semper ob oculos habebat tempora Messiæ, in quibus non vaticinia tantum, sed & figuræ omnes implerentur. Vide quæ ad hanc rem attulimus ex Justino, Tertulliano, & aliis ad Matth. I, 22. τὰ τέλη τῶν αἰώνων [*fines seculorum*] est idem quod πλήρωμα τοῦ χρόνου [*plenitudo temporis*] Galat. IV, 4. πλήρωμα τῶν καιρῶν [*plenitudo temporum*] Ephes. I, 10. Id est, tempus illud post quod nulla nova Lex, aut major Prophetia erat exspectanda. Νουθεσία אזהרה [*admonitio*].

12. Ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι, *Itaque qui se existimat stare*] Præsens pro futuro, id est, *qui se semper staturum putat.* ❡ βλεπέτω μὴ πέσῃ. *Videat ne cadat*, id est, Caveat sibi, timendo quicquid evenire potest, Rom. XI, 20.

13. Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος. *Tentatio vos non apprehendit nisi humana*] Quia putare poterant se jam virium suarum experimentum habuisse, quod incommoda quædam ob Euangelium pertulerant; ostendit levia illa esse præ iis malis quæ posthac ipsis supervenire possent. Πειρασμὸς ἀνθρώπινος [*tentatio humana*] est *vulgaris tentatio, frequens inter homines.* Sic ῥάβδος ἀνδρῶν [*virga virorum*] & ἁφαὶ υἱῶν ἀνθρώπων [*plaga filiorum hominum*] *sunt castigationes communes, frequentes*, II Sam. VII, 14. Sic γραφὶς ἀνθρώπου [*stylus humanus*] *stylus qui in usu est*, Esaiæ VIII, 1. Sic ἀνθρώπινον λέγω [*humanum dico*] *loquor vulgi more*, Rom. VI, 19. Sic Levit. VI, 3. ὧν ἐὰν ποιήσῃ ὁ ἄνθρωπος [*quæcunque fecerit homo*], id est, *eorum quæ frequenter fiunt.* *Nondum ad sanguinem restitistis*, ait scriptor ad Hebræos XII, 4. εἴληφεν, *deprehendit.* ❡ πιστὸς δὲ ὁ Θεὸς ὃς οὐκ ἐάσει ὑμᾶς πειρασθῆναι, ὑπὲρ ὃ δύνασθε· ἀλλὰ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν τοῦ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπενεγκεῖν. *fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere*] Dixerat majora mala posse evenire ut eo magis cautos redderet. Nunc, ne nimium consternarentur, solatium addit, significans Deum, modo ipsi negligentes non sint, daturum vires pares tentationi. Ἔκβασις [*proventus*] quod alibi διέξοδος תוצאות [*exitus*]. Sic *exitus mortis* Psalm. LXVIII, 21. est evasio. *Incidit in tentationem* qui succumbit, ut diximus Matth. VI, 13. *Exit*, qui tentatio-

tationem vincit. ἐκβασιν, *evadendi facultatem ut possitis tolerare*, interpretatur Cyprianus Testimoniorum III, 9, ubi & hanc ponit sententiam, *Tantum unumquemque tentari, quantum potest sustinere.* Non dicit, *ut omnino perferatis*, sed *ut possitis perferre: ut possitis tolerare*, quomodo dicto loco Cyprianus. Arma Deus dabit per quæ valebitis vincere si non sitis ῥίψασπιδες [*desertores abjecto clypeo*]. Ideo autem dicit πιστὸς ὁ Θεὸς [*fidelis est Deus*], quia Deus in tali statu opem suam promisit. Matth. VII, 11. Luc. XI, 13. Vide supra I, 9. II Cor. I, 18. I Thess. V, 24. II Thess. III, 3.

14. Διόπερ ἀδελφοί μου ἀγαπητοί, φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας. *Propter quod, charissimi fratres mei, fugite ab Idolorum cultura*] *Fugite*, id est, quam longissime abeste. Bene hoc cohæret cum paulo ante dictis: si vosmetipsos assuefaciatis epulis in idolio, facile ubi gravior persecutio incubuerit, ad plenissimam idololatriam devolvemini.

> *Per numeros veniunt ista, gradusque suos.*

Et,

> *Nemo repente fit turpissimus.*

15. Ὡς φρονίμοις λέγω· *Ut prudentibus loquor*] Attentionem Corinthiorum excitat, cum ipsis ingenium tribuit. φρόνιμος [*prudens*] hic qui Homero φρενήρης [*mentis compos*]. ¶ κρίνατε ὑμεῖς ὅ φημι. *vos ipsi judicate quod dico*] Quasi dicat, Adeo æqua adferam ut non alios quam vosmetipsos sumam judices.

16. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, *Calix benedictionis, cui benedicimus*] Pro eodem poni εὐλογεῖν [*benedicere*] & εὐχαριστεῖν [*gratias agere*]; item εὐλογίαν [*benedictionem*] & εὐχαριστίαν [*gratiarum actionem*] diximus ad Matth. XXVI, 25. Intelligitur autem hic non εὐλογία [*benedictio*, aut εὐχαριστία [*gratiarum actio*] communis, sed illa huic negotio propria per quam orant fideles, ut panis ille & vinum illud fiant, sicut mox appellabuntur XI, 27, 29. *corpus & sanguis Christi*, alimentum novæ creationis. ¶ οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; *nonne communicatio sanguinis Christi est?*] Μετωνυμία [*Transnominatio*] qualis supra I, 18. Rom. I. 16. κοινωνίαν [*communicationem*] vocat id per quod fit ipsa communio. Sic & Irenæus V, 4. contra eos disputans qui mundum negabant à Deo conditum. *Sic autem, secundum hæc videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est.* Quod mox interpretatur, *Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percepit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* Est locutio non dissimilis apud Valerium Maximum VI, 2, ubi Scipio *Jovis epulo cum Graccho concordiam communicasse* dicitur. ¶ τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, *Panem quem frangimus*] Pro ὁ ἄρτος ὃν κλῶμεν [*panis quem frangimus*]. Sic,

> *Hos quos videtis stare hic captivos duos.*

pro *hi quos.* & *urbem quam statuo vestra est.* pro *urbs.* Simile loquendi genus Matth. XXI, 42. Fractio & *fractionem in cruce peractam* significat, & *ipsam communionem.*

17. Ὅτι εἷς ἄρτος, *Quoniam unus panis*] Supple ἐστι [*est*], ut hic accepit Syrus. Id autem subintelligendum per ὑποζεῦγμα [*Zeugma in parte posteriore*] ex eo quod sequitur ἐσμὲν [*sumus*]. *sicut hoc quod dispersum fuit, postquam est congregatum factus est unus panis*, ait Clemens Constitutionum VIII, 26. ¶ ἓν σῶμα, οἱ πολλοί ἐσμεν· *unum corpus, multi sumus*] *Unum sumus corpus*, idest, membra Christi qui est caput. Rom. XII, 4. 5. supra VI, 15. infra XII, 12, 14, 18, 19, 20, 22, 25, 26, 27. Ephes. I, 22. IV, 15, 25. V, 30. Coloss. I, 18. ¶ οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. *nam omnes de uno pane participamus*] *Omnes*, nempe qui eidem mensæ sacræ pariter accumbimus, & unam facimus φρατρίαν [*sodalitatem*], quæ φρατρία [*sodalitas*] totius Ecclesiæ gerit imaginem. Magni erant panes apud Syros & Græcos, ita ut facile deni aut plures eodem pane vescerentur. Diogenes Laërtius in vita Pythagoræ, Ἐφ' ἕνα ἄρτον οἱ πάλαι τῶν φίλων ἐφοίτων, καθάπερ καὶ νῦν οἱ βάρβαροι [*Uno pane olim amici, perinde ut nunc Barbari, vescebantur*].

18. Βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα· *Videte Israëlem secundum carnem*] Nos enim κατὰ πνεῦμα [*secundum spiritum*] Israelitæ sumus. Rom. IX, 6. Gal. VI, 16. ¶ οὐχὶ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας, *nonne qui edunt hostias*] שלמים, τὰς σωτηρίας θυσίας [*hostias salutares*], unde qui eas obtulerant vescebantur. ¶ κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσί; *participes sunt altaris?*] Per id ostendunt se eum Deum colere cujus est altare, in quod profecta victimæ data sunt.

19. Τί οὖν φημι; ὅτι εἴδωλόν τί ἐστιν; *Quid ergo dico? idolum aliquid esse?*] Quia facile visuri erant Corinthii quo tenderet ista comparatio, nempe ut qui immolatitia Græcanica ederent, censerentur eos Deos colere quorum aris data erant profecta; ideo hoc non exprimit, sed occurrit ei quod sciebat dicturos Philosophos, *idolum nihil esse*, ut supra VIII, 4.

> *Concedit ergo hoc illis, non esse ultra Jovem,*
> *Neptunum, Cererem: periisse eos pridem.*

20. Ἀλλ' ὅτι ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει, *Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant*] Id est, Dæmones mali per ista nomina, quæ nihil sunt, homines à vero Deo abducunt. Probat ex Deut. XXXII, 17, ubi in Græco ἔθυσαν δαιμονίοις, καὶ οὐ Θεῷ [*immolabant dæmoniis, & non Deo*], ubi pro δαιμονίοις [*Dæmoniis*] in Hebræo est לשדים, idest, *dæmonibus* τραγομόρφοις [*hirciformibus*]. Tertullianus de Spectaculis, *Scimus nihil esse nisi nomina mortuorum, sicut nec ipsa simulachra eorum; sed non ignoramus qui sub istis nominibus & institutis simulachris operentur & gaudeant, & divinitatem mentiantur nequam spiritus, scilicet dæmones.* ¶ οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι. *nolo autem vos socios fieri dæmoniorum*] Ne in speciem quidem velim vos sociari pessimis illis spiritibus, Dei & salutis humanæ inimicis: κοινωνοὺς γίνεσθαι [*socios fieri*], צמד, quod τελεῖσθαι, id est, *initiari* vertunt Græci Num. XXV, 3. Psalm. CVI, 28.

21. Οὐ δύνασθε ποτήριον Κυρίου πίνειν, καὶ ποτήριον δαιμονίων· *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*] Οὐ δύνασθε [*non potestis*] *non convenit, non decet.* Supra III, 11. Matth. IX, 15. ποτήριον δαιμονίων [*calicem dæmoniorum*] vocat vinum diis libatum, quod Hebræis יין עבודה זרה [*vinum cultus extranei*]. Vide quæ de ea re attulimus ad Matth. XXVI, 27. ¶ καὶ τραπέζης δαιμονίων. *& mensæ dæmoniorum*] Nam & in idoliis mensæ ponebantur populo, tribubus, sodalitatibus. ἱερὰν τράπεζαν [*Sacram mensam*] habes in Scholiaste Pluti.

22. Ἢ παραζηλοῦμεν τὸν Κύριον; *An æmulamur Dominum?*] Id est, *ad iram provocamus. Ira* enim sæpe קנא ζῆλος [*æmulatio*], unde & verbum קנא, sive הקניא, quod vertitur παραζηλοῦν, παροξύνειν, παροργίζειν [*ad æmulationem provocare, exasperare, ad iram provocare*]. Eminenter autem dici solet de iis qui idolis honorem exhibent, ut videre est Deut. XXXII, 21. ¶ μὴ ἰσχυρότεροι αὐτοῦ ἐσμεν; *numquid fortiores illo sumus?*] Ut nempe pœnas evadere possimus, quas iratus Deus nobis velit infligere. Sensus depromptus ex Jobo IX, 18. XXXVII, 23.

23 Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει· *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*] Ejus scilicet generis res de quibus & supra egit VI, 12, ubi idem dictum. In genere edere εἰδωλόθυτον [*idolis immolatum*] non est illicitum, ut si quis solus sit nec aliud habeat quod edat: In circumstantiis certis ideo fit illicitum, quia alios id potest pejores reddere. Transit hic Paulus, ut sæpe, à secunda persona ad primam: id enim perinde est ubi de quovis homine agitur. Sic & supra 6, 7, 8, 9, 10, similis mutatio fit aliquoties. ¶ ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. *sed non omnia ædificant*] Minus dixit, plus sensit. Illa adeo homines meliores non faciunt, ut etiam ad ruinam impellant.

24 Μηδεὶς τὸ ἑαυτοῦ ζητείτω, *Nemo quod suum est quærat*] Ne quis id unum spectet quod ex tali re ipsi esse boni aut mali possit. ¶ ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος. *sed quisque quod alterius est*] Nam inter Christianos partem nostri magnam sibi proximus vendicat. Qui proximum amat, Deum amat.

25. Πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε, *Omne quod in macello venit, manducate*] Μάκελλον [*macellum*] vox est Græca ex Latina, ut φραγελλοῦν [*flagellare*], κουστωδία [*custodia*], & similia. Utitur & Plutarchus exponens κρεοπώλιον, & Lexica Græcolatina. Retinuit eam & Syrus. Rabbini scribunt מקלין [*Macolin*]. Nomen habet à loco qui erat Romæ: is autem ab homine cujus id fuerat solum. Fieri poterat ut macellarius ὁ ὀψοπώλης [*obsoniorum venditor*] antequam ad macellum carnes ferret, aliquid de iis in aram dedisset. τὰ κατ' ἀγορὰν ὤνια τῶν σπονδαῖς καταμολύνοιτο [*res in foro venales libationibus inquinentur*]. Eusebius libro VIII. Fieri etiam poterat, quod Augustinus notavit, ut sacerdotes, partes quæ ipsis cedebant, venderent. De eo non vult sollicite inquiri, licet nescire talia, & nescisse se dicere. Tertullianus de Jejuniis, *Claves macelli tibi tradidit, permittens esus omnia ad constituendam idolothytorum exceptionem.* ¶ μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν. *nihil interrogantes propter conscientiam*] Ἀνακρίνειν hic est *damnare*, quomodo & κρίνειν sæpe ponitur. *Damnare* autem hic est pro *impuro habere.* διὰ τὴν συνείδησιν [*propter conscientiam*] *propter persuasionem* nempe *vestram.* Vide supra VIII, 7. Persuasionem autem intellige eam de qua sequitur, Nihil esse in cibis per se impurum. Vide quæ diximus ad Matth. XV, 11.

26. Τοῦ γὰρ Κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. *Domini enim est terra & plenitudo ejus*] Est ex Psalm. XXIV, 1. מלוא sive πλήρωμα [*plenitudo*] est *omne id quod super terram versatur*, sicut πλήρωμα θαλάσσης [*plenitudo maris*], *omne id quod in mari est*, Psalm. XCVI, 11. 1 Paralip. XVI, 32. Κυρίου [*Domini*] hic est יהוה [*Jehova.*] Nam cum Apostoli loca citant Veteris Testamenti sæpe Deum *Dominum* vocant, cum alioqui de suo loquentes Christo soleant dare *Domini* nomen.

27. Εἰ δέ τις καλεῖ ὑμᾶς τῶν ἀπίστων, *Si quis vocat vos infidelium*] Non significans scilicet se sacrificasse. καλεῖν [*vocare*] est *ad convivium vocare.* Qui ad id mittebantur servi, κλήτορες Græcis, Latinis *vocatores.* ¶ καὶ θέλετε πορεύεσθαι, *& vultis ire*] *Si omnino ire vultis*; Admonet tacite, melius forte facturos si non eant: Ire tamen non prohibet. Supra V, 10. ¶ πᾶν τὸ παρατιθέμενον ὑμῖν ἐσθίετε, *omne quod vobis apponitur manducate*] Id est, *edite de appositis quod lubet.* παρατίθεσθαι [*apponi*] vox propria mensæ, Marci VIII, 6, 7. Luc. IX, 16. X, 8. XI, 6. Actor. XVI, 34. ¶ μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν. *nihil interrogantes propter conscientiam*] Idem sensus qui supra 25.

28. Ἐὰν δέ τις ὑμῖν εἴπῃ· τοῦτο εἰδωλόθυτόν ἐστι, *Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis*] *Si quis*, nempe convivator, *vobis dixerit*, *Sacrificavi Cereri*, *& ad hæc exta vos vocavi.* In Manuscripto hic pro εἰδωλόθυτον [*immolatum idolis*] est ἱερόθυτον [*sacris immolatum*]. Est ea vox in Oeconomicis quæ Aristoteli tribuuntur. Phrynicus mavult dici θεόθυτον [*diis immolatum*] quam ἱερόθυτον [*sacris immolatum*]. ¶ μὴ ἐσθίετε δι' ἐκεῖνον τὸν μηνύσαντα, καὶ τὴν συνείδησιν. *nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam*] Nempe quia ille Cererem aliquid esse credit, & in ea opinione confirmatur, te de immolatitiis edente. Sic συνείδησιν [*conscientiam*] de Pagano habuimus supra VIII, 7. Habet hic καὶ [*&*] vim ἐξηγητικὴν [*explicativam*], ut sæpe. ¶ τοῦ γὰρ Κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. *Domini enim est terra & plenitudo ejus*] Terra & fruges Dei sunt, non Cereris; noli ergo alere falsas opiniones. Ita possunt hæc verba hoc loco exponi: sed rectius forte omittentur ut male repetita. Neque enim habet ea hoc loco manuscriptus; Syrus quoque, Latinus, Arabs non legerunt.

29. Συνείδησιν δὲ λέγω οὐχὶ τὴν ἑαυτοῦ, *Conscientiam autem dico, non tuam*] Id est, *Tuam* qui nosti Cererem nihil esse, & omnia ista in dominio esse Creatoris. ¶ ἀλλὰ τὴν τοῦ ἑτέρου. *sed alterius*] Illius qui te vocaverat, ἕτερος [*alter*], רעה [*proximus*] *is qui cum tibi negotium est.* ¶ ἵνα τί γὰρ ἡ ἐλευθερία μου κρίνεται ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως; *ut quid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia?*] Aliud est ἕτερος [*alter*], aliud ἄλλος [*alius*]· ἕτερος, ut dixi, *is qui cum negotium est*, ἄλλος, *quivis alius qui cum negotium non est.* Si quis conviva norit eas res esse immolatitias, ego autem id nesciam, ego libertate justa utor: ille si me propterea pro idololatra habeat, inique me damnat.

30. Εἰ δὲ ἐγὼ χάριτι μετέχω, *Si autem ego cum gratia participo*] Si ego, id ignorans scilicet, per Dei beneficium, id est, Deo dante & id concedente, participo, cibos scilicet appositos. In Manuscripto hoc εἰ ἐγὼ χάριτι μετέχω [*si ego cum gratia participo*] sine δὲ [*autem*] cohæret cum superioribus. ¶ τί βλασφημοῦμαι; *quid blasphemor?*] Cur calumniam patior? ¶ ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ; *pro eo quod gratias ago?*] Pro re de qua Deo gratias ago. Vide 1 Tim. IV, 4. Est hic ἀντίθετον [*oppositum*] qualia multa apud Paulum.

31. Εἴτε οὖν ἐσθίετε, εἴτε πίνετε, εἴτε τι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*] Id est, Cavete ne ullo vestro facto ἐκ περιστάσεως [*ex circumstantia*] Dei honor lædatur. Dictum est Hebræorum כל מעשיך יהיו לשם שמים. [*Omne quod agis, esto propter Deum*]. Est id in Pirke Aboth, & apud Maimonidem.

32. Ἀπρόσκοποι γίνεσθε καὶ Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησι καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ. *Sine offensione estote Judæis & Gentibus & Ecclesiæ Dei*] Ἀπρόσκοποι hic active sumitur pro eo *qui neminem offendit*, id est, deteriorem facit. בלא מכשול [*absque offendiculo*]. Vide præceptum vetans CLXVIII. Actor. XXIV, 16, ubi de hac voce egimus. Judæi, si quis Christianus in idolio ederet, aut ad immolatitia vocatus iret, dicebant: *Ecce quam vere illi dicant se unum Deum colere:* Græci dicebant, *Si illi hoc faciunt, nihil in idololatria mali esse censent:* Christiani adhuc teneri impendentibus malis aliquibus facile ad defectionem impellebantur.

33. καθὼς κἀγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω, *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*] Ἀρέσκω [*placeo*] hic est *prosum*, μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*]. Vide Rom. XV, 1, 2. ἀρέσκειν [*placere*] respondet verbis Hebræis טוב [*bonum esse*], & ישר [*rectum esse*]. Sensus idem qui supra IX, 19. ¶ μὴ ζητῶν τὸ ἐμαυτοῦ συμφέρον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν, ἵνα σωθῶσι. *non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*] Vide supra 24. Æterna salus alterius nostris commodis multum præponderat.

CAP. XI.

VALLA.

5, 6. **U**NUM *est enim atque idipsum si decalvetur*, &c. *Si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari*) Male in plerisque cod. aufertur *atque idipsum*, quod Latinus transfertur *idem*, τὸ αὐτό. Sed cur dixit *decalvetur* & *decalvari* potius quam *deradatur* & *deradi*? τῇ ἐξυρημένῃ, ξυρᾶσθαι.

10. *Velamen habere*] Melius ii cod. qui habent *potestatem habere*, ἐξουσίαν.

13. *Vos ipsi judicate; Decet mulierem non velatam orare Deum?* 14. *Nec ipsa natura docet vos quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi;* 15. *Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*] Gr. *In vobis ipsis judicate*, ἐν ὑμῖν αὐτοῖς· &, *An nec ipsa*, sive, *An ne ipsa quidem natura docet vos?* ἢ οὐδὲ αὐτὴ φύσις. Reliquam partem sic transtulissem, *Quod viro quidem, si comatus est, dedecus est ei; mulieri autem, si comata, honori ei est, quoniam coma pro velamine data est illi:* ὅτι ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία ἐστὶν αὐτῷ· γυνὴ δὲ ἐὰν κομᾷ, δόξα ἐστὶν αὐτῇ; ὅτι ἡ κόμη. Non dixi *capillitium*, quia Græce est *coma*, tum quia non sunt viro capilli interdicti, sed prælongi capilli, quam vocat Apostolus *comam*, tum quia capilli ad virilem formam attonsi non decent feminam.

21. *Suam cœnam præsumit ad manducandum*] Gr. *in manducando*, ἐν τῷ φαγεῖν.

22. *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?*] Ego dicerem *an* potius quam *aut.* ¶ *Quid dicam vobis? laudo vos? In hoc non laudo*] Gr. *Laudabo vos in hoc?* ἐπαινέσω.

23. *Et gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*] Gr. *Et cum gratias egisset*, εὐχαριστήσας. Neque est copula inter verba imperativa, sed tantum, *Accipite, comedite*, λάβετε, φάγετε· neque sequentium verborum idem ordo, sed hic, *Hoc meum est corpus*, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα. Verum, quod maximum est, non dicitur *quod pro vobis tradetur*, sed *quod pro vobis frangitur*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, quod congruit cum illo ex Actibus Apostolorum, 2. 46. *Quotidie quoque erant unanimiter perseverantes in Templo, & frangentes circa domos panes*, pro eo quod est, *dantes panem quem frangant.* ¶ *Hoc facite in meam commemorationem*] Plerique accipiunt *commemorationem* ut dicimus *commemorationem defunctorum*, &, ut omnes veteres accipiebant, pro *mentione*; ut apud Terentium Andria, act. 1. sc. 1.

Nam isthæc commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.

At nunc significat *recordationem.* Quare licet Græce sit *meam*, non *mei*, tamen quia illæ non differunt apud eos, ut apud nos, quemadmodum in opere De Elegantia probavi, dicerem potius *mei*, ad significandam passionem, sic, *in mei recordationem*, sive *in mei memoriam*, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

25. *Quotiescunque biberitis, in mei commemorationem*] Quidam hunc locum corrumpunt dicentes *bibitis*, πίνετε. Eodem modo corrumpunt sequentem,

26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*] Legendum est *manducaveritis & biberitis*, ἐσθίητε, πίνητε. Sed hoc levius est.

31. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*] Gr. *Si enim*, εἰ γάρ· nec addendum fuit *utique*: nemo enim veterum sic transtulit, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα.

REVIUS in VALLAM.

10. **I**I *codices*] Monuit hoc & Thomas Aquinas, & Erasmus, quem vide.

15. Ὅτι ἀνὴρ] Trajecta erant.

24. *Fran-*

24. *Frangentes circa domos panes*] Act. 2. 46. Beza de communi convictu intelligit.

ERASMUS.

1. I*Mitatores mei estote, sicut*, &c.] De hoc loco superius admonuimus hujus epistolæ c. 4. Vox est autem digna iis qui locum Apostolorum sibi vendicant. Se Paulus proponit exemplar, sibi conscius se nihil habere quod non sit imitandum; & tamen hoc exemplar non vult imitabile videri cuiquam nisi respondeat ad archetypum Christi. Nunc quidam suo arbitratu viventes (nihil enim dicam aliud) satis esse putant si minis denuncient quicquid ab aliis fieri collibuerit, sive rectum id fuerit sive secus. Sunt alii superstitiosi magis quam religiosi, qui ad suum quisque institutum vocant homines. Franciscani dicunt, *Imitatores nostri estote*: è diverso Prædicatores clamant, *Imitatores nostri estote*. Totidem verbis hinc clamant Carmelitæ, hinc Benedictini, hinc alii, atque alii. Et recte clamant, modo vere possint addere cum Paulo, *sicut & nos sumus Jesu Christi*. Nunc ipsi (de multis loquor) hominum æmulatores, tamen clamant, *Imitatores nostri estote*.

2. *Per omnia mei memores estis*] Ὅτι πάντα μου μέμνησθε, *quod omnia mea meministis*. Et in hunc sensum accipit Ambrosius: legit enim, *quod omnia mea memoria retinetis*. Et consentiunt Græcanica Scholia, nominatim Theophylactus. Præparat enim illos laude ad sequentem admonitionem: q.d. *Sicut in cæteris tenetis mea præcepta, ita in hoc quoque sequamini.* Hæc interpretatio mihi sane magis arridet quam Ambrosii. Scribit enim hunc in modum, *Postquam mores & conversationem illorum arguit, nunc traditiones vult corrigere. Ideo non hoc confirmat, sed succenset eis, quia cum esset Apostolus eorum, immemores erant traditionum ejus, neque quod adhuc non didicerant, ex aliarum Ecclesiarum traditione sequebantur, ac per hoc quasi noviter tradit illis, dicens, Volo autem vos scire*, &c. Fortassis Interpres legit πάντη, h.e. *in omnibus*, aut πάντα accepit per Synecdochen, κατὰ πάντα. Codex vetustior Constantiensis habebat, *omnia mei memores estis*, omissa præpositione, quæ nec apud Græcos est. ❡ *Et sicut tradidi vobis præcepta mea*] Hic apparet variam fuisse in Græcis cod. lectionem. Nam Ambrosius legit ad hunc modum, *& quomodo ubique trado traditiones meas tenetis*: id quod ex interpretatione quoque licet colligere. Interpretatur enim UBIQUE, *id est, in omnibus Ecclesiis*. Atqui πανταχοῦ, quod apparet legisse Ambrosium, non reperimus in Græcorum cod. nec usquam illius meminerunt interpretes, quos ego sane viderim. Mollior erat futurus sermo si priore loco posuisset μὲν, posteriore δὲ. *Laudo quidem vos quod in cæteris omnia mea tenetis; cæterum illud estis admonendi, quod parum videmini meminisse.* Seu prius illud δὲ tantum notat digressionem à cœpto sermone de Idolothytis, posterius vim habet adversativam, quasi præcessisset μὲν. In vetustissimo codice pro *tenetis* erat *tenete*. Nam Græca vox anceps est, κατέχετε. Nec est *præcepta* Græce, sed modestius verbum & Paulo dignius, παραδόσεις, *traditiones*, quæ nos *instituta* possumus dicere. Levius est enim *traditio* quam *præceptum*.

4. *Velato capite*] Gr. κατὰ κεφαλῆς ἔχων, *in capite habens*: ut intelligas non solum de pileo, verum etiam de coma, quæ & ipsa caput tegit. Atque id annotant Græcanica Scholia, nominatim Theophylactus. Et mox meminit de *tondendo*, sic argumentans, *Si mulier in hoc imitatur virum quod aperit caput, simul & in hoc imitetur, quod ille tonsus est.*

5. *Deturpat caput suum*] Καταισχύνει, *dedecerat*, sive *pudefacit*, aut *dehonestat*. ❡ *Unum est enim*] Ἓν γάρ ἐστι καὶ τὸ αὐτὸ, *unum est & idem*, h.e. nihil omnino refert. Aliquanto diversius legit Ambrosius, verum hoc nihil habet momenti ad sensum. ❡ *Ac si decalvetur*] Τῇ ἐξυρημένῃ, i. *cum derasa* sive *rasa*, h.e. perinde est ac si rasa sit. Ambrosius legit, *unum est enim atque idipsum ut decalvata*. Fortassis Interpres affectavit hoc verbum *decalvare* velut odiosius: & scommatis obnoxium est calvitium.

6. *Tondeatur*] Καὶ κειράσθω, *etiamsi tondeatur*. In exemplari Paulino ac Donatianico scriptum erat, *Si non velatur mulier, & tondeatur*. Consentiebat utrumque Constantiense. Nec enim est otiosa conjunctio, quæ perinde valet ac si dicas, *eadem opera tondeatur, quandoquidem retegit caput.* ❡ *Aut decalvari*] Ἢ ξυρᾶσθαι, *radi*: de quo modo meminimus. ❡ *Velet caput suum*] Κατακαλυπτέσθω, *veletur*: nec aliud quicquam additur apud Græcos. Ambrosius legit, *velet caput*.

10. *Velamen habere*] Ἐξουσίαν ἔχειν, *potestatem habere*. Porro Ambrosius & Græca Scholia indicant *potestatem* hoc loco accipi pro *velamine*, quod velamen impositum cogat illam demittere oculos, significetque illam esse subalterius imperio. Laurentius indicat in nonnullis etiam Latinis cod. scriptum fuisse *potestatem* pro *velamine*. Id quod admonuit & Thomas Aquinas: & nos in Paulino exemplari ita scriptum comperimus, suffragante utroque Constantiensi.

13. *Vos ipsi judicate*] Ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε, *Inter vos ipsos*, vel *In vobis ipsis, judicate*, h.e. in suo quisque animo.

14. *Nec ipsa natura docet*] Ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς; *An ne ipsa quidem natura docet vos?* Quanquam Latinis *nec* aliquoties pro *ne quidem* usurpatur. Interpres non videtur legisse ἢ, quod hodie videmus additum in Græcis codicibus. ❡ *Comam nutriat*] Κομᾷ, *comatus est*. *Coma*, capillitium, sed promissius & curatum.

15. *Capilli*] Ἡ κόμη *coma*. Cur quo modo vocat *comam*, nunc mutavit in *capillos*?

16. *Nec Ecclesia Dei*] *Ecclesia*, multitudinis numero, αἱ ἐκκλησίαι, suffragante codice Latino quem modo citavimus. Sunt & mundi conventiuncula, plena litium ac jurgiorum. Porro cœtus Christianorum ab hujusmodi vitiis debent abesse.

17. *Hoc autem præcipio non laudans*] Τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ, *Hoc autem præcipiens* (sive *denuncians*) *non laudo*. Laudarat ante quod *omnia tenerent*: nunc non laudat in hoc quod cogitur præcipere de Concordia; q.d. *Hoc non laudo, quod præcipio*. Oportebat enim vos vestra sponte quod rectum est tenere ac facere. In hanc sententiam Theophylactus, & ante hunc Chrysostomus in Homilia quam nobis vertit Hieronymus Donatus: item in Commentario. Abutuntur enim Græci participiis pro verbis infinitis. Interpres & Ambrosius legisse videntur, τοῦτο δὲ παραγγέλλω οὐκ ἐπαινῶν. Potest & hic accipi sensus, *Ante collaudati sunt quod meminissent ac tenerent omnia quæ Paulus ordinarat, hic reprehenduntur quod non servarent omnia quæ tenebant memoria.*

18. *Scissuras*] Σχίσματα, quod alibi relinquere solet: hic magis quadrabat *sectiones*, sive *dissidia*. ❡ Cæterum *inter vos* non additur in vetustis cod. Latinis, cum sit apud Græcos ἐν ὑμῖν. ❡ *Ex parte*] Μέρος τι, *ex parte aliqua*, sive *partem aliquam*.

19. Αἱρέσεις reliquit, cum *sectas* commode potuerit dicere. D. Chrysostomus, in Homilia quam unam vertit Hieronymus Donatus, magna contentione multisque verbis asseverat hic *hæreses* non esse opinionum sed animorum dissidia: idque probat duobus potissimum argumentis. Alterum est, quod nisi accipias *hæreses* pro *dissidiis*, non congruent quæ mox sequuntur, *Convenientibus ergo vobis in unum, non est Dominicam cœnam manducare*, &c. *Cœnam* autem *Dominicam* vocat, in qua sunt, velut inter ejusdem Domini conservos, omnia communia: quod apud Corinthios fieri desierat. Et hinc sermonem orsus fuerat, *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam*: ubi *schismatum* meminit, quæ nunc mutato vocabulo vocat *hæreses*. Alterum est, quod dicit Paulum acrius quam hic facit invehi solere in opinionum hæreticarum autores, quos & *canes* appellat & *operarios malos*, negans *vel Angelum de cœlo loquentem audiendum si diversa doceat ab iis quæ Paulus docuerat*. Eadem habentur in Græcis commentariis. Jam quamvis verum est & *per opinionum hæreses illustrari qui sunt probati*, tamen hoc loco Paulus non agit proprie de talibus; quales docuisset in Ecclesiam non esse recipiendos. ❡ *Ut qui probati sunt*] Ἵνα οἱ δόκιμοι *probi*: ut opponatur *reprobis*. Et conjunctio ἵνα non Causam significat sed Eventum: quod diligenter annotavit Chrysostomus.

21. *Ad manducandum*] Ἐν τῷ φαγεῖν *in edendo*: atque ita legit D. Ambrosius. Nec est otiosa verbi conjunctio πρὸ in προλαμβάνει, quod nos vertimus *occupat*. *Præsumit* enim aliud sonat Latinis auribus. Præveniebant enim alios, & illis non exspectatis suam quisque cœnam edebat: & ob id mox subjicit, *invicem exspectate*.

22. *Numquid domos non habetis?*] *Num domos non habetis?* vel, *an non habetis domos?* ❡ *Et confunditis*] Καταισχύνετε *pudefacitis*. Quanquam Hieronymus in Epist. ad Gal. c. 4. putat nihil interesse inter αἰσχύνειν & συγχέειν, licet apud idoneos autores secus esse comperiatur. Turbatur quidem & qui vehementer pudescit, h.e. animo confunditur; at non quisquis confunditur, pudefit. Et ὑστερεῖν, unde ὑστέρημα, non semper significat *egere*, sed interdum *inopem esse consilii animique perplexi*; ut non satis conveniat cum καταισχύνεσθαι, sed magis cum συγχεῖσθαι. ❡ *Laudo vos*, &c.] Ἐπαινέσω ὑμᾶς ἐν τούτῳ; οὐκ ἐπαινῶ, i. *Laudabo vos in hoc? non laudo*. Ad hunc modum distinguunt Græcanici codices. Poterat enim simpliciter dicere, *In isto vos non laudo*: sed interrogatio præmissa facit ardentiorem orationem. Quanquam video Theophylactum sic interpretari

tari ut hæc particula *Laudo vos* non percontative sed pronunciative sonetur. Ne nimium irritaret divites, in cæteris quidem collaudaturum se dicit illorum officium, in hoc negat se posse laudare. Sed & altera distinctio belle habet, *Laudabo vos? in hoc non laudo:* ut ad interrogationem subaudiatur, *Laudo in cæteris.*

23. *Quoniam Dominus noster Jesus*] *Noster* apud Græcos non additur. Latini codices variant. Sermo absolutior est non addito pronomine.

24. *Et gratias agens*] Καὶ εὐχαριστήσας, *actis gratiis*, vel *cum egisset gratias.* ❡ *Accipite, & manducate*] Λάβετε, φάγετε, *sumite, edite*, citra conjunctionem interpositam. Cæterum quod hæc duo verba, *sumite, edite*, non adduntur apud Ambrosium in editione posteriore, suspicor librariorum errore commissum. Quanquam in vetustiore Constantiensi addebantur hæc verba, sed in margine manu recentiore fuerant adjecta. ❡ *Hoc est corpus meum*] Τοῦτό μου τὸ σῶμα, *Hoc meum corpus*, absque verbo substantivo *est:* quanquam in quibusdam additum reperio. Fatetur Thomas fuisse qui dicerent Christum aliis verbis consecrasse panem prius quam porrigens Discipulis diceret, *Hoc est corpus meum.* Et eam opinionem licet refellat, non tamen vocat hæreticam, cum hæreticam dicat eorum qui contendebant corpus Christi non esse vere in Sacramento Synaxeos, sed velut in signo. Et sunt qui negent Verbo incarnato opus fuisse aliis verbis ad consecrandum. In omnibus accedendum est judicio Ecclesiæ, licet hic sermo videatur jam panem consecratum porrigentis. Quod nisi quis acquiescat in Ecclesiæ decretis, difficillimum fuerit probare sensui humano quibus verbis consecret Sacerdos. Nam ut donemus Christum ejusmodi verbis consecrasse, qui constat hoc pactum nobiscum initum ut referentes aliena verba consecremus & ipsi? Verum hic *captivandus est*, ut inquit Paulus, *intellectus humanus in obsequium fidei*, ut hoc majus sit fidei meritum quo minus assequitur humana ratio. ❡ *Quod pro vobis tradetur*] Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *quod pro vobis frangitur.* Atque in hoc tantus est Græcorum codicum consensus ut appareat apud nos varietatem ortam, aut certe data opera mutatam scripturam, quod absurdum videretur frangi corpus, non quod vere frangatur, sed quod, ut ait D. Augustinus, per partes sumatur: quod olim eodem pane sacro in multas partes dissecto, distribueretur omnibus Christi corpus. Quemadmodum autem Christus comesus à singulis, vivit, nec dentibus discerpitur, ita hoc quo dixi modo fractus, non laceratur in partes. Certe D. Ambrosius legit *frangitur.* Græcis consentiens, nihil offensus ea lectione. Nec aliter citat Beda enarrans Euangelium Lucæ. Porro si quid offendit quod prius dictus sit *fregisse panem*, & mox adjecisse *quod frangitur*, opinor aut primum cœpisse frangere panem, fortassis in duas aut tres partes, deinde ut cuique impartiebat, à majoribus fragmentis minora defregisse, aut *frangitur* sine certa ratione temporis esse positum, veluti *fieri* dicitur quod quoties solet aut opus est fieri, fit, etiamsi jam non fiat; & *solvi*, quod solvi debet, etiamsi sæpe non solvatur. Cæterum hic *frangi* nihil aliud esse quam *dispartiri* subindicat & interpres Theophylactus, *Corpus*, inquiens, *suum, quod omnibus æque dispartiens morti destinasset. Ipse vero in cibo sumendo tempore anticipato, neque communem hunc & cibarium panem in medium exponis, neque eundem frangis, ut multis detur, sed tibi ipsi reservas.* Atque ex Græcis exemplaribus palam est quod idem legerit Chrysostomus quod Theophylactus: id quod ex ipsa perspicuum est enarratione, quocunque consilio Hieronymus Donatus Latine reddidit, quod nostra vulgaris habet lectio. Postremo non satis constat ex veterum commentariis an hic Paulus tractet de Sacerdotali consecratione corporis & sanguinis Dominici. Siquidem Apostoli sermo cœpit à Conviviis idololatrarum & Christianorum: posteaquam autem ostenderat non convenire ut Christiani se misceant religiosis vel superstitiosis potius Gentium conviviis, progressus ostendit qualia debeant esse vere religiosa Christianorum convivia, quanta concordia quantaque communione rerum omnium sint peragenda. Totus autem Apostoli sermo videtur in hoc versari, ut reprehendat inæqualitatem convivii, revocetque illos ad archetypum exemplum Christi & Apostolorum. Nam in primordio subolescentis Ecclesiæ erant omnia communia: Ab hac summa charitate paulatim refrixerunt animi Græcorum, servato tamen aliquo pristinæ communionis vestigio, dum certis diebus, præcipue festis, ut est probabile, conveniunt simul, & ad convivium à divitibus apparatum adhibentur & pauperes. Tandem id quoque corruptum est à quibusdam, & conventus quidam fiebant, sed exclusis pauperibus: quisque cum suis epulabatur, etiam usque ad temulentiam, ita ut non solum pauperes non reficerentur, verum illis etiam exprobraretur conditionis humilitas. Eoque Paulus, ut exponunt Chrysostomus ac Theophylactus, injicit mentionem Cœnæ Dominicæ, ut illius sacratissimi convivii recordatione revocarentur ad sobrietatem ac fraternam communionem, quam Dominus inter suos exhibuit proprii corporis distributione. Neque enim semper Dominus consecravit corpus suum, quoties legitur *gratiis actis fregisse panem*, siquidem benedixit ac fregit convivium exhibens multis hominum millibus, & in Emaunte benedicit, frangit ac porrigit panem. Rursum quoties in S. libris fit mentio *fracti panis*, non statim accipiendum est inter Discipulos fuisse consecratum corpus & sanguinem Domini, quemadmodum in Actis cap. 2. bis fit mentio *fractionis panis quæ peragebatur quotidie per singulas domos.* Item Paulus Act. 27. in navigatione *benedicit ac frangit panem*, invitans alios ad sumendum cibum, &, ut est verisimile, panem fractum porrigens. In his igitur solennibus Christianorum conviviis erat aliqua Cœnæ Dominicæ commemoratio, cum tamen non consecraretur corpus & sanguis Domini. Quin & hodie multis in locis peracto sacro datur singulis frustulum panis in signum corporis Dominici, ut illius mysterii memores domi frugalius agant convivium, haudquaquam immemores pauperum. Fortasse talia fuerunt Corinthiorum convivia, quæ Paulus indecenter agi stomachatur. Et haud scio an panem illum & calicem quem inter sese conferebant Christiani, cum gratiarum actione ac significatione mutuæ inter ipsos charitatis, nonnunquam appellarint *corpus & calicem Domini*, quod essent illorum signa. Certe Chrysostomus ac Theophylactus Cœnam Dominicam interpretantur, non quod ibi consecraretur corpus & sanguis Domini, sed quod esset eduliorum potusque communio. Quanquam in fine nonnihil attingunt de indigna corporis & sanguinis sumptione, sed obscurius. Mihi quidem magis placet ut hic locus pertineat etiam ad consecrationem; attamen admonere lectorem visum est, quo diligentius excutiat. Cæterum *frangendi* verbum haud male congruit corpori Dominico. *Frangitur* panis triticeus, ut multis vitam conferat: *frangi* dicitur & corpus Domini, quod vitam ex æquo conferat omnibus digne sumentibus. Idem panis inter multos distributus Concordiæ symbolum est: idem corpus pro omnibus immolatum Amicitiæ signum est. ❡ *In meam commemorationem*] Εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *in mei memoriam*, aut *in mei commemorationem*, ut legit Ambrosius. Quanquam Græca vox parum commode reddi potest nisi circumloquaris, *ad renovandam mei memoriam.*

25. *Similiter & calicem*] Ambrosius *poculum* legit, propius Græcam exprimens vocem ποτήριον, à *potando* dictam, quemadmodum *poculum* apud nos. Nam *calix* poculi genus est: *Poculum* est unde bibitur, sive Cyathus sit, sive Calix, sive Urceus.

26. *Annunciabitis*] καταγγέλλετε, *annunciate*, sive *annunciatis.* Tametsi in hisce verbis video Apostolos abuti tempore, ut in his quæ mox præcesserunt, *quoties bibetis*, πίνητε. Ambrosius legit *annunciantes*, aliquot verbis in medio relictis, incuria, sicut arbitror, librariorum. Sic enim apud illum legimus, *Hoc facite quotiescunque bibetis in mei commemorationem, mortem Domini annunciantes donec veniat.* Non contendam cum eo qui mallet *annunciatis* indicandi modo, tamen arbitror utramque lectionem consistere: & qui legit *annunciabitis*, videtur imperandi sensu loqui.

27. *Panem*, &c.] Τὸν ἄρτον τοῦτον, *panem hunc.* Hic palam corpus consecratum *panem* vocat, non quod adhuc sit panis eo modo quo fuit, sed quod sit panis vivus & vitam conferens veram.

28. *De pane illo edat*] *Illo* hoc loco non additur apud Græcos, sed Interpres explicuit vim articuli: quod & alias sæpenumero facit. Ambrosius legit *de pane edat.*

29. *Indigne*] Ἀναξίως τοῦ Κυρίου, *indigne Domino.* Ad eum modum legit & Chrysostomus, utroque loco addens *Domini* nomen. Ambrosius item repetit *Domini* nomen, *Itaque quicunque ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne Domino*, licet proximo loco non apponat *Domino*, *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi ipsi manducat.* Quanquam in nonnullis Græcorum cod. legitur τοῦ Κυρίου ἀναξίως, ut Κυρίου utrolibet possit referri, *panem Domini*, aut *panem indigne Domino.*

31. *Quod si*] Εἰ γὰρ, *si enim*; non εἰ δέ.

32. *Ut non cum hoc mundo*] *Cum mundo* sat erat, σὺν τῷ κόσμῳ. Nec hic potuit servari non ingrata vocum allusio, κρινόμενοι & κατακριθῶμεν.

34. *Ut non in judicium conveniatis*] Εἰς κρίμα. Clarius erat *ad condemnationem:* ne quis accipiat eos Judices adire.

VATABLUS.

2. PER *omnia mei memores estis*] *Omnia mea memoria tenetis.* ¶ *Praecepta mea*] *Traditiones meas.*

4. *Prophetans*] *Qui interpretatur Scripturas, aut laudat Deum.* ¶ *Deturpat*] Vel, *probro afficit.* ¶ *Caput suum*] i. Christum.

5. *Caput suum*] i. Maritum suum. ¶ *Decalvetur*] *Rasa sit:* i. tam turpis est quam si esset rasa.

6. *Mulier**] * *Et*, Vet. vel, *etiam.* ¶ *Decalvari, velet*] *Radi, veletur.*

8. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro*] i. Nullus vir debet subditus esse uxori, ut Deus nulli est subditus.

10. *Velamen*] *Potestatem*, Vet. i. signum subjectionis, velamen aliquod. ¶ *Angelos*] De Angelis loquitur vitae observatoribus, qui apud Deum accusaturi sunt mulierem superbam, & signum subjectionis fastidientem. Aut de prophetis & sapientibus viris qui sunt in Ecclesia.

11. *Veruntamen neque vir sine muliere*, &c.] i. Vir indiget opera mulieris, & mulier opera viri in cultu Dei.

13. *Vosipsi*] *Inter vosipsos:* vel, *in vobisipsis.*

14. *Comam nutrias*] *Comatus est.*

15. *Capilli pro velamine ei dati sunt*] *Coma pro velamine ei data est.*

16. *Ecclesia*] *Ecclesia*, Vet.

17. *Praecipio: non laudans*] *Praecipiens non laudo:* i. hoc non laudo quod praecipio; oportebat enim vos vestra sponte quod rectum est tenere & facere.

18. *Scissuras*] *Sectiones, dissidia.*

19. *Oportet**] * *Et.* ¶ *Haereses**] *Sectas, factiones.* * *In vobis.* ¶ *Qui**] * *Probi.*

20. *Jam non est*] *Non licet:* Sub. *ea concordia qua Apostoli ederunt.*

21. *Praesumit*] *Occupat*, vel *anticipat, in edendo:* i. ante manducat quam veniat in Ecclesiam: nam in fine capitis dicit, *Invicem exspectate.*

22. *Ecclesiam*] Vel, *congregationem.* ¶ *Confunditis*] *Pudefacitis.* ¶ *Laudo*] *Laudabo.*

23. *Accepi*] Vel, *acceperam.* ¶ *Accepit panem*] Sub. *coena facta: post esum agni.*

24. *Gratias agens*] *Gratiis actis.* ¶ *Traditur*] *Frangitur.* ¶ *Meam commemorationem*] *Mei recordationem.*

25. *Calicem*] *Poculum.* ¶ *Testamentum est in meo sanguine*] i. Fedus quod meo sanguine, non sanguine vitulorum, confirmabitur.

26. *Manducabitis*] *Manducatis.* ¶ *Calicem bibetis*] *De poculo hoc bibitis.* ¶ *Annunciabitis*] *Annunciate:* vel, *annunciatis:* sive, *annunciare debetis.*

27. *Panem**] * *Hunc*, Vet. ¶ *Et*] *Vel*, Vet. ¶ *Indigne*] q. d. Sine fide: talis enim persuasum habet Christum interfectum esse non ut poenas peccatorum nostrorum lueret, sed quod sceleratus esset, similisque iis qui illum crucifixerunt.

28. *Homo*] Heb. *Quisque.*

29. *Indigne**] * *Domino.* ¶ *Judicium sibi manducat & bibit*] Heb. id manducat propter quod condemnabitur. ¶ *Dijudicans*] Vel, *expendens:* i. ob indignam sacramenti sumptionem.

30. *Dormiunt*] *Moriuntur*, Heb.

31. *Quod si*] *Si enim.* ¶ *Dijudicaremus: non utique judicaremur*] *Judicassemus, haudquaquam judicati fuissemus:* i. in has poenas non incidissemus.

32. *Judicamur*] Exponit quid per *judicari* intelligat.

34. *Siquis**] * *Autem.* ¶ *In judicium*] *Ad condemnationem:* i. poenam.

CASTALIO.

4. OMnis vir operto capite supplicans] Turpia vitiosaque tegi debent, honesta contra & vitio carentia detegi ac ostendi. Quod si vir operto capite preces agit, ostendit suum caput esse vitiosum & proinde tegendum: Atqui viri caput Christus est, qui vitii est expers: Itaque debet viri caput detegi, quo Christum (qui viri caput est) vitii expertem esse indicetur. Mulieris vero caput vir est, qui cum sit nocens & vitiosus, debet mulier suum caput tegere, ut caput suum, h. e. virum fontem esse fateatur. Hanc esse Pauli sententiam mihi dixit Italus quidam.

10. *Debet mulier habere in capite potestatis indicium propter Angelos*] Velamentum, quo se viro subditam indicet.

16. *Quod si cui contentiosum esse libet*] Quoniam dixerat comam natura viro turpem, feminae decoram esse, poterat quis contendere, id non natura fieri: Nam aeque viris ac feminis comam natura tribuit. Ad hoc ita respondet Paulus ut id propemodum sic esse fateatur, sed consuetudinis esse neget, quae sit in ejusmodi rebus quae sint indifferentes tenenda.

30. *Obdormiverunt*] E vita migrarunt.

32. *Dum punimur autem, à Domino castigamur, ne cum mundo damnemur*] Ideo nos in hac vita punit, ne simus in alia puniendi.

34. *Ne ad poenam conveniatis*] Ita ut peccetis, atque ita poenas luatis.

CLARIUS.

3. OMnis viri caput] Reprehendit quod mulieres aperto capite orarent: & vide quanta id agat cum majestate. Et ostendit, nihil in moribus Ecclesiae carere mysterio. Quod autem ait, *Caput Christi Deus*, Pater scilicet, quia genuit; *viri autem Caput Christus*, ut cujus membrum sit vir fidelis; *caput vero mulieris vir*, quia ex eo producta est. Oportet ergo, inquit, horum mysteriorum rationem in Ecclesiae moribus referre.

4. *Velato capite*] Κατὰ κεφαλῆς ἔχων, h. e. *in capite habens.* Ex eo quod non dixit *velato capite*, sed *in capite habens*, sunt qui intelligant, ne comam quidem viro nutriendam, quae velamen sit quoddam. Nam utrosque taxat in hac narratione, licet magis mulierem.

5. *Omnis autem mulier*] Dicit *mulierem quae detecto sit capite deturpare caput suum*, quae videatur non intelligere se subjectam esse viro: nam velamen subjectionem signat quandam. Contra vero, *virum, si velato capite oret, deturpare se*, ut qui non intelligat se esse caput mulieris. Quod vero ait, *mulier si non veletur, etiam tondeatur*, ostendit capillos quidem referre velamen, verum si velari recuset, indignam esse cui capilli permittantur, cum velamen refugiat.

7. *Imago & gloria Dei est*] Et mulier quoque facta est ad imaginem Dei, sed praecipuum hoc vult esse Viri, cui tanquam adjutrix addita sit mulier. Vir ergo, ut imago Dei, & qui primatum quendam referat, oret non velato capite; Mulier autem, ut viri gloria, agnoscatur unde sit profecta. Sunt qui illos genitivos, *Dei & viri*, passive accipiant, tanquam dicat, *Gloria, non qua gloriatur Deus de viro, sed vir de Deo, & mulier de viro.*

10. *Debet potestatem habere*] h. e. velamen, quo potestas viri in illam significatur. ¶ *Propter Angelos*] Ut videatur Angelos revereri, qui ubique praesentes sunt, & quae aguntur cernunt.

11. *Veruntamen neque vir*] Ne ex his verbis aut Viri insolescerent, aut dejicerentur nimis Mulieres, ait, *alterum sine altero esse non posse, ita statuente Domino.* Quod vero non dixit, *vir ex muliere*, sed *per mulierem*, ostendit in generatione virum primas tenere, & ex viro per mulierem virum nasci.

16. *Talem consuetudinem*] *Contendendi* videlicet: non enim syllogismos sed obedientiam quaerit Ecclesia Dei.

19. *Nam oportet & haereses*] Hoc loco per *haereses* non intelliguntur dissidia de dogmatibus fidei. Et illud *ut manifesti fiant*, non est accipiendum ut causa, sed ut eventus rerum, sic; *Quoniam vos divites contemnitis pauperes, fit ut pauperes ob patientiam probi appareant inter vos.*

21. *Suam coenam praesumit*] Dominicam, inquit, coenam privatam facit. In hac autem narratione Mysteriorum Christi Paulus admonet divites quo pacto se erga pauperes exhibeant. Si enim Dominus ille omnium, te, qui nihil es, participem corporis sui ac sanguinis facit, tu conservum tuum indignum judicas cum quo tua communices?

22. *Numquid domos*] Si comedendi tantum, inquit, ac bibendi rationem habetis, domi comedite & bibite. Nam ille conventus in Ecclesiam non ea causa fit, sed ut agnoscamus nos unum esse in Christo, neque divites pauperibus esse praestantiores: at hoc quod facitis *in contemptum Ecclesiae Dei* redundat, *& eorum pudorem qui minus habent.* Jubet ergo ut, si recte & cum fructu convenire volunt, cogitent Mysteria quae tractantur: quare addit, *Ego enim accepi à Domino*, &c.

ZEGERUS.

5. U*Num est enim ac si decalvetur*] i. Ἓν γάρ ἐστι καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ, *Perinde est & idem ac si esset detonsa.* In codd. vetustis alias, *unum est enim ac si decalvetur.*

10. *Debet mulier velamen habere*] Græca lectio habet, quemadmodum & Latini codd. nonnulli, *debet mulier potestatem habere.* Per *potestatem* tamen D. Ambrosius, *velamen* intelligit, astipulantibus & Græcorum Scholiis. Teste etiam Thoma. Quorum prius signum, posterius signatum, pariter & vocem refert Græcæ dictionis ἐξουσίαν. ¶ *Propter Angelos*] Vir & Angeli immediate creati à Deo sunt, idcirco Vir orans aut prophetans velamine (in hujus rei signum) uti non debet; quemadmodum nec Angeli velati sunt: Mulier vero non tam propter Virum quam propter Angelos velari debet, ut utrisque sese inferiorem agnoscat. Præterea non negaverim *Angelos* recte etiamnum Ecclesiæ Præfectos & Sacerdotes posse interpretari, juxta illud Mal. 2. 7. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam; & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.*

14. *Nec ipsa natura docet vos*, &c.] Moderni Græcorum codices quæsitive hæc habent, *Nec ipsa natura docet vos, quod vir*, &c. *mulier vero si comam nutriat, gloria est illi?* Non expostulaverim tamen cum eo qui secus pronunciarit.

15. *Capilli pro velamine ei dati*] Si *coma* mulieri tegminis loco data est, quorsum attinet flammeum superaddere? Hoc de causa fieri constat ut non solum natura verum etiam prompta voluntate inferiorem subditamque se viro declaret.

17. *Hoc autem præcipio, non laudans quod non in melius sed in deterius convenitis*] q. d. Collaudavi vos *quod mei memores sitis, & quæ tradiderim præcepta servetis:* Verum interim dum præcipio, admoneo, denuncioque, in solenni conventu *virum* quidem *aperto capite, mulierem* vero *tecto capite orare debere, non laudo* tamen vos in eo, quod etiam ad congregationes vestras spectat, *quia non in melius sed in pejus convenitis*, propter dissidia quorundam & cœnæ præoccupationes. Sciendum præterea est, in primitiva Ecclesia publica convivia celebrari solita, in quibus in rememorationem imitationemque Dominicæ cœnæ cum Discipulis peractæ, sacrosanctum Christi corpus pariter & sanguis sumebatur; in quibus etiam ad imitationem quandam Apostolicæ illius perfectionis, qua Jerosolymæ Christi Discipulis omnia erant communia, ditiores cibos parabant, aut certe facultates in hoc conferebant, & post sacri Mysterii communicationem tenuiores quosque fideles ad commune vocabant epulum: sed hæc consuetudo vivente adhuc Paulo corrumpi ac violari incipiebat. Audiens igitur Apostolus optimam hanc consuetudinem, utpote quæ dilectionis esset argumentum, pauperum consolatio, doctrina humilitatis, pacis & concordiæ symbolum, divitiarum comparticipatio, cum, inquam, intelligeret hanc consuetudinem vitio quorundam perverti, merito illos, ut resipiscant, coarguit.

21. *Præsumit ad manducandum*] i. *Anticipat*, vel *antesumit, cœnam ad manducandum:* vel ἐν τῷ φαγεῖν, i. *in manducando.*

22. *Et confunditis eos qui non habent*] Quod offerant & manducent. ¶ *Laudo vos: in hoc non laudo*] Minimum facit ad sensum, sive Græcos æmulans quæsitive pronuncies, *Laudabo vos?* sive Ecclesiæ communem consuetudinem servans, sub præsentis temporis forma, citra quæstionem pronuncies. De hujusmodi minutis non est animus anxius perquirere.

27. *Reus erit corporis & sanguinis*] i. Non meritum ex esu sacratissimi cibi, sed delictum quo pereat, sibi conciliabit quisquis indigne sumpserit. Vel, *reus erit corporis cruci affixi & sanguinis effusi;* h. e. Tali erit sceleri obnoxius quasi Christum Dominum cruci affixisset sanguinemque ipsius effudisset. ¶ *Non dijudicans corpus Domini*] Non discernens à cæteris cibis corporis Domini sublimitatem.

28. *Probet seipsum homo*] i. Examinet, discutiat.

30. *Et dormiunt multi*] i. Moriuntur & pereunt prematura morte.

STEPHANUS.

2. Π*Άντα μου μέμνησθε*] *In omnibus meministis mei.*

4. Κατὰ κεφαλῆς ἔχων] *Super capite* velamen aliquod *habens.*

5. Ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ] *Non velato capite.*

6. Καὶ κειρέσθω] *Etiam tondeatur:* q.d. *etiam tonderi illi liceat.*

14. Ἐὰν κομᾷ] *Si comatus sit.*

15. Ἀντὶ περιβολαίου] *Pro velamine.*

19. Οἱ δόκιμοι] *Qui probati sunt.*

28. Δοκιμαζέτω] *Examinet:* vel, *Probet.* ¶ Καὶ οὕτως] *Ac tum demum.*

31. Εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα] *Si dijudicaremus nos ipsos, non exerceretur in nos judicium.*

33. Ἀλλήλους ἐκδέχεσθε] *Alius alium exspectate.*

34. Ὡς ἂν ἔλθω διατάξομαι] *Cum venero, constituam.*

DRUSIUS.

4. V*Elato capite*] Tertullianus in Apologetico Christianos *capite nudo precatos semper* scribit, *quia non erubescerent.* Contra legimus in libro Musar, cap. 4. *Debet homo tegere caput qua hora precatur, propter Deum ante quem ipse erat & stat cum tremore ac metu.* Quin more antiquo, qui sacra faciebant caput velabant. Qua de re vide Brissonium De formulis, pag. 36. edit. Wechelianæ. Rursum in lib. Musar, cap. 6. *Cur vir cum exit caput apertum habet, & mulier tectum? Qui aliquid fœdum commisit, pudet eum; ideo tegit caput suum. Sic mulier quæ prima peccavit, & propter eam peccatum Ada, è quo morsus per universum mundum, ideo exit capite tecto.*

5. *Mulier prophetans*] Ut *mulier orans*, quæ interest precibus publicis, sic *mulier prophetans*, quæ interest cœtui prophetantium in ecclesia. Olim collegia erant mulierum prophetantium, quemadmodum ex Holdæ historia liquet. Sane Maria soror Mosis vocatur *prophetis:* & Euangelistæ Philippi filiæ quatuor in Actis *prophetasse* leguntur. Quo dono etiam præditus fuisse scribitur Agabus in iisdem Actis Apostolicis. Num ergo sensus, *Si contigerit eam prophetare, ne sit aperto capite, sed tecto?* Sic enim certe decet hunc sexum. ¶ *Non velato capite*] In Phesictha 31. 3. recensetur inter vitia corporis *si quis nudaverit caput mulieris*, ad locum Levit. 24. 19. *Vir cum dederit vitium proximo suo.* Verba sunt פרע ראש של אשה *nudavit caput mulieris.* R. S. Num. 5. 18. ad locum, *nudabis caput mulieris*, ita commentatur, *destruit vittam comæ ejus per contemptum. Hinc eliciunt dedecori esse filiabus Israel si fuerint capite retecto.* Debet etiam tecto capite mulier esse in platea. Liber Musar, 137. 1. *Mulier quæ in platea net aut filat caput nudum habens, peccat in legem Judaicam, & exit absque scriptura*, i. dote. Nam in lingua Jerosolymitana *dos* כתובה vocatur, i. *scriptura.* Mulier debebat esse tecto capite: nam detectum caput summum dedecus erat. Unde ignominiæ causa caput mulieris quæ suspecta erat marito de scortatione, nudabatur antequam aquam potarit, Num. 5. 18.

10. *Propter Angelos*] Vide quæ observavimus lib. 10. Observ. c. 9. Similis per omnia locus Cohel. 5. 6. *ne dixeris coram Angelo, Error est.* Ibi *Sacerdotem*, hic forte *Prophetam* significat: nam *Angelus* nomen erat officii. Quocirca tam convenit prophetantibus in Ecclesia quam Episcopis & Ministris. Vide Annotationes Theodori ad h. l.

32. *Corripimur*] Emendant, *erudimur* : nam in Græco παιδευόμεθα. Sic Psal. 33. 10. היסר גוים. LXX ὁ παιδεύων ἔθνη. Hieron. *qui erudit gentes.* Etenim qui aliquem castigat, eum erudit: juxta illud, *Nocumenta, documenta:* quod Græci dicunt, Τὰ παθήματα, μαθήματα. Sic Deus quos corripit, erudit. Sed *corripio* הוכיח, *erudio & castigo* יסר. Vide Proverb. 3. 12. Unde מוסר παιδεία *castigatio, eruditio.* Licet etiam vertere, *Cum judicamur à DOMINO, castigamur.* Sed nihil nobis accidit quod non sit à DOMINO, qui *castigat eos quos amat, ut pater filium quem benevolentia complectitur.* Tales castigationes vocantur ab Ebræis יסורין אהבה *castigationes amoris.* Sunt aliæ *castigationes odii*, quæ obtinent in improbis, quos castigat, non ut erudiat sed ut perdat.

CASAUBONUS.

34. Ὡς ἂν ἔλθω] Sic, ὡς ἂν λάβῃς, *cum acceperis*, Athen. pag. 27.

CAMERO.

10. Ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους] *Potestatem* pro *velamine* hic esse positum omnes consentiunt: at quid sibi velit *propter Angelos*, in eo vero discrepant Interpretes ut qui maxime. Simplex sensus hic esse videtur, ut Apostolus hortetur mulieres ad gestandum velamen in capite; atque Naturam ipsam hoc docere. Sed quoniam fortasse causari potuissent viris id gratum esse ut aperto capite incederent, sic occurrit ut dicat, Si hominum causa velamen non gestent, saltem caput velent *propter Angelos*, qui præsentes sunt, easque conspiciunt, quorum oculis (sit fas ita loqui) probrosum & inhonestum id videtur ut aperto capite incedant. Quod autem nonnulli per *Angelos* malos hic intelligunt Angelos, id profecto nulla subnixi ratione faciunt. Cum enim Angeli mali id moliantur & studeant ut Ecclesiam in lupanar, si fieri possit, transforment, si hoc spectasset hoc loco Apostolus, omnino Angelos malos odioso nomine hic indigitare debuisset potius quam ista *Angelorum* gloriosa appellatione, & *Diabolos* vocare non *Angelos*, ut Corinthiis mulieribus horrorem incuteret & absterreret à vestitu parum verecundo, utpote quam occasionem Diaboli avide arrepturi essent ad eas ad scortationem propellendas. Nullius vero momenti est quod ajunt hujus Epist. cap. 6. 3. Diabolos *Angelos* vocari ab Apostolo: nam Paulus eo loci vult fidelium dignitatem commendare, quod profecto non tam illustre fecisset si malos spiritus *Diabolos* vocasset, quod nomen est contemptus. At hic dispar omnino & contraria est ratio uti ostendimus.

18. Συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ] *Ecclesia* hic non locum (uti nonnulli arbitrantur) in quo convenitur, sed cœtum significat. Nam etsi non soleat dici *convenire in conventum*, attamen *convenire in Senatum* dicitur, quamvis *Senatus* conventus sit; & *convenire in Synodum*, quamvis *Synodus* conventus sit. Certe cum queritur Cicero Catilinam ausum fuisse *venire in Senatum*, non intellexit *Senatus* nomine locum, sed conventum Senatorum. Neque enim in quocunque loco Senatores una sunt *Senatus* est, sed quotiescunque conveniunt deliberandi causa *Senatus* dicitur. Et ubicunque Pastores Ecclesiæ simul sunt non continuo *Synodus* est, nisi deliberandi causa de rebus Ecclesiasticis convenerint. Pari ratione non ubicunque pii una sunt, *convenisse* dicuntur *in Ecclesiam*; sed ubicunque tandem sunt religionis causa, *coiisse* dicuntur *in Ecclesiam*. Itaque *in Ecclesiam* additum est τῷ συνέρχεσθαι ad designandam conventus rationem & conditionem, quæ designatio unice facit ad rem quam Apostolus agit. Vult enim argumentum ducere Apostolus à sanctitate conventus (à sanctitate loci neutiquam) ad Corinthios à dissensionibus absterrendos. Nam in omni sane conventu dissidia fugienda sunt, at detestanda in conventu Ecclesiastico, qui instituitur religionis causa multo vehementius.

19. Ἵνα οἱ δόκιμοι] Δόκιμοι hic sunt illi qui Rabbinis dicuntur בחונים, ut cum dicunt Abrahamum, Jacobum, &c. fuisse בחוני גני יחוד δοκίμους τοῦ Θεοῦ. Sic Kimhi in Hos. 1. 2. בני בחונך הם בני אברהם יצחק ויעקב *filii sunt à te probatorum*, *filii*, inquam, *Abraham*, &c. Quin & Herodoto lib. 1. c. 65. Lycurgus vocatur vir δόκιμος *probatus*, & Deioces item, c. 96.

20. Συνερχομένων ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ] Συνέρχεσθαι duobus modis dici potest, vel ut de singulis seorsim sumptis dicatur distributive, vel ut de omnibus simul sumptis dicatur collective. Posterius hoc dici non potest: nam congregatio non *congregatur*, sed *congregata est*: at de singulis seorsim coeuntibus id vero & vere & eleganter dicitur. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ autem hic non significat locum (quod nonnulli contendunt) sed personarum conjunctionem; ut sit sensus, συνέρχεσθαι ἐπὶ τὸ αὐτὸ *convenire simul*, nulla habita loci ratione, licet impossibile sit simul convenire qui non sint eodem loco: sed horum tamen alterum prius est, alterum posterius: appetitur enim locus propter conjunctionem, non conjunctio propter locum. Neque hæc locutio nova est, sed usitata. Nam Hebræum יחד, cum de conventu agitur, respectum notat non personarum ad locum, sed personarum inter se. Jam vero LXX Interp. exponunt ἐπὶ τὸ αὐτὸ, h. e. *simul*, ut cum quod scriptum est Psal. 2. 2. נוסדו יחד vertunt συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ. Sic & יחד vertunt ἐπὶ τὸ αὐτὸ. Jam vero יחד personarum certe conjunctionem notat; quod ex affixo facile colligi potest. Itaque ἐπὶ τὸ αὐτὸ est Latine *una*, additum ἐμφάσεως causa: quod faciebat vel maxime ad obtinendum quod Apostolus studet, ut ἐπὶ τὸ αὐτὸ hic sit ἅμα, ὁμοθυμαδόν. Turpe enim est eos qui ut conjunctim de re magna agerent convenerunt, inter se dissentire, & quod gravius est, damnosum & impium. Itaque ἐπὶ τὸ αὐτὸ personarum unitatem non identitatem loci designat, quanquam illa hanc sequitur.

22. Ἢ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταφρονεῖτε] *Ecclesia* hic privatis ædibus non opponitur (uti nonnulli existimant) tanquam locus loco, & quidem locus publicus loco privato, nisi forte secundum Grammaticam (ut ita loquamur) oppositionem. At non quæcunque hoc modo opponuntur ea etiam Logicè opponuntur: v. g. Si quispiam sit qui in publico facit quod domi factum oportuit, sic eum solemus objurgare, *Non tu ædes habes? non in ædibus est quo possis secedere? ita contemnis civitatem?* sane *civitatis* nomine non plateas urbis, sed ora civium, qui in publico versantur, intelligit. Itaque non opponuntur hic Logicè *aliquid hoc loco & illo loco facere*, sed *his inspectantibus & illis inspectantibus*, vel *nullis inspectantibus*. Atque hanc fuisse Apostoli mentem verba quæ continuo subjungit epexegetica satis demonstrant; *Num*, inquit, *pudore afficitis tenuiores?* Quid est igitur *Dei Ecclesiam contemnere?* Est ruborem & pudorem conciliare pauperibus & egenis, qui magnam Ecclesiæ partem constituebant. Sic infra cap. 14. 35. interdicit Apostolus mulieribus ne in Ecclesia loquantur; & statim addit, *Quod si velint aliquid discere, domi viros suos interrogent.* Profecto non opposuit locum loco nisi Grammatice, Logice non opposuit: non enim nefas est ut mulier loquatur in eo loco quo religionis causa convenitur, sed in conventu Ecclesiastico & publico. Itaque & hic *Ecclesia* significat cœtum Ecclesiasticum.

23. Ἐγὼ παρέλαβον] Utraque locutio, & quod dicit, *quod accepi à Domino*, & quod ait, *tradidi vobis*, Hebraica est. Sane Latine quidem dicimur *ea accipere* quæ audimus, sed quando sermo est de rebus gestis: At lingua Hebraica vel Chaldaica *accipere* audire est ita ut discas, &, si res spectat ad actionem, efficias quod audivisti. Itaque cum Prophetæ hortantur Israelitas *ut audiant verbum Domini*, Chaldæus Paraphrastes sic reddit, *ut accipiant*. Quare quod dicit Paulus *se accepisse à Domino quod ipsis tradiderat*, nihil aliud vult quam *quod didicerat*, *& sibi præscriptum fuerat faciendum Christo docente, se ipsis tradidisse*. ¶ Ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν] Locutio est etiam usurpata in Ecclesia Judaica, qua *tradere* significat docere. Hoc nempe vult Apostolus, *Quod ego didici Christo docente, id vos docui.* Unde verba illa apud Judæos jam ab ipsis in alienum detorta sensum קבלה & מסורה: nempe קבלה est *acceptio*, מסורה *traditio*. Hoc ergo Paulus vult, *Quod præscripsi vobis faciendum, hoc non confinxi pro ingenio, sed ut accepi & didici à Domino, eadem animi puritate id vos docui.* ¶ Ἧ παρεδίδοτο] h. e. *traditus est*. Hoc verbum non illam habet significationem hoc loco quam videtur habere in lingua Gallica, nempe *trahir*: nam *tradere* lingua Hebraica non est *prodere*, sed, *tradere ad mactandum*.

GUALTPERIUS.

18. Ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν, *Audio dissidia inter vos esse*] Σχίσμα vox Græca est significans *fissuram*, *dissidium*, ἀπὸ τοῦ σχίζεσθαι *findi*, *diffindi*, *dissecari*. Sic agricola dicitur τὴν ἄμπελον σχίζειν cum eam in brachia scindit seu findit: & ipsa arbor σχίζεσθαι dicitur cum in plures ramos spargitur seu finditur. Translate igitur dicitur multitudo aliqua σχίζεσθαι cum *scinditur studia in contraria*, ut Virgilius loquitur. Act. 14. 4. ἐσχίσθη τὸ πλῆθος τῆς πόλεως. Matth. 27. 51. τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο. & Marc. 15. 38. Luc. 23. 45. Sic & Actor. 23. 7. ἐγένετο στάσις, καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος, *divisa est multitudo in contraria studia*. Ita τὴν ἐκκλησίαν aliquis σχίζειν dicitur qui eam in contraria studia scindit, excitatis dissensionibus atque discordiis. Peculiariter autem id de hæreticis dicitur: quoniam novis allatis opinionibus unionem & consensum gregis scindunt, cum unio rumpitur, ac dissident qui prius consenserant atque concordes fuerant. Vox σχίσματος octies in N. T. habetur, Matth. 9. 16. Marc. 2. 21. Joan. 7. 43. & 9. 16. & 10. 19. 1 Cor. 1. 10. & 11. 18. & 12. 25. Syrus vocem habet פלגותא *palgevatha*, ex R. פלג *divisit*.

LUD. CAPPELLUS.

4 Πᾶς ἀνὴρ προσευχόμενος κατὰ κεφαλῆς ἔχων] Judæi contra jubent orare tecto capite. Maimonides Misnæ tom. 1. lib. 2. תפלה, Tract. De Oratione cap. 5. §. 5. לא יעמוד בתפלה באפונדתו ולא בראש מגולה ולא ברגלים מגולות, *Non orabit cum bulga* (sive *pera*) *neque retecto capite neque nudo pedibus.* Et mox subdit, *nisi forte mos loci illius sit ut quis stet coram Magnatibus nudis pedibus.* Unde liquet, Canonem de habitu precantis accommodandum esse ad consuetudinem loci in quo sumus, nempe eo habitu esse precandum quo solent homines reverentiam suam & cultum testari erga Magnates & Principes hujus seculi. Jam vero habitus ille variat pro locorum & temporum varietate. Ex. g. Turcæ & Mahumedani omnes non aperiunt caput coram Magnatibus & Monarchis suis, sed inclinato duntaxat corpore, aut decussatis cruribus sedendo testantur suam erga Superiores reverentiam; ideo neque inter precandum caput aperiunt. Maimonides Misnam suam in Ægypto conscripsit inter Mahumedanos: ideo jubet Judæos orare tecto capite, quia mos loci erat ut homines coram ipsis Imperatoribus tecto capite astarent. At inter Occidentales Christianos mos est, semperque fuit, ut apertione capitis homines cultum & reverentiam suam testentur erga Superiores; ideo etiam decet eos aperto capite Deum orare, etiam juxta Canonem illum Judæorum, qui etsi in speciem videatur contrarius, tamen ex subjecta exceptione liquet rationem Canonis congruere cum hac Christianorum praxi. At Judæi hodierni Europæi Occidentales, licet versantes inter Christianos (contrario Mahumedanis more utentes) rationemque illam Canonis Maimonidis ex subjectione non animadvertentes, in Synagogis suis caput nunquam aperiunt: quod proculdubio fœdum & indecorum in Europa est, & adversus Canonis illius Maimonidis rationem, licet juxta literam illius sit. Sed eo ritu voluerunt forte testari odium suum in Christianam Religionem, cum noluerunt eo habitu Deum precari quo solent Christiani inter quos versantur. ¶ Veteres Judæi sub Lege, tam Sacerdotes qui sacris operabantur quam populus qui sacris intererat, tecto erant capite, quod scilicet calanticis vel mitris atque ejusmodi aliis capitis tegminibus vulgo uterentur, quæ non tam facile eximi possunt quam pilei quibus hodie utimur; ita ut mos virilis inter eos fuerit caput vix unquam in publico aperire, nisi forte in luctu, cum radebant & cinere pulvereque asperso caput fœdabant: imo turpe & indecorum censebatur videri in publico aperto capite: (si forte formosiores & delicatos lascivientesque adolescentes excipias, qualis Absalom fuit, qui comæ suæ luxuriem ostentare gestiebant) qui mos inter Mahumedanos, Turcas, & plerasque gentes illas Orientales remansit, obtinetque. ¶ Græci vero, & maxime Romani, alio in civilibus, alio in sacris more hac in parte utebantur: Nam extra sacra vulgo erant aperto capite, vixque unquam caput tegebant, nisi forte in luctu (contra quam Judæi) vel in morbo, aut gravi cœli injuria, imbre, nive, grandine, Solis æstu vehementi, cumque iter faciebant; ita ut argumentum esset vel luctus, vel morbi, vel necessitatis, aut vero mollitiei nimiæ, si quis in publico appareret tecto capite. At in sacris Ethnici, Romani præsertim, tecto erant capite, tum Sacerdotes & Pontifices, qui vel pileo, vel apice, infulis & vittis utebantur, (ad imitationem, uti videtur, Judaicarum ceremoniarum: nam Diabolus in sacris illis constituendis Dei fuit simia) tum populus, qui sacris intererant & illis participabant, rejecta in caput vestis lacinia obnubilato astabant capite: quo habitu non ingenuam & liberalem erga Numen reverentiam testabantur, sed tristem potius & servilem Idolorum suorum metum (qui est à δεισιδαιμονίᾳ) prodebant. ¶ Apostolus in hoc Canone respiciens ad civilem qui tum temporis inter Græcos & Romanos, quibus scribebat, vulgo obtinebat morem, quo omnes ingenui in publicum communiter nudo & aperto capite prodibant, (neque caput tegere, nisi, uti dixi, vel luctu atrati, vel necessitate coacti, aut vero effeminata mollitie fracti, solebant) jubet Corinthios, Græcos homines, eo habitu, utpote tum inter eos decentissimo, orare. Judæis in Judæa versantibus, vel Ægyptiis aut Arabibus, qui alio more utebantur, id forte non præscripsisset. Noluit eos superstitiosorum & idololatrarum more obnubilare inter orandum caput; quod is ritus vel argueret perversam Judaici cultus imitationem, vel δεισιδαιμονίαν tristemque & servilem Divinitatis metum saperet atque redoleret, non vero ingenuam Christianorum, quam apud Deum habent, & profiteri debent, fiduciam atque libertatem; tum etiam ut ab Ecclesia Christiana submoveret delicatam & effeminatam Trimalcionum tum temporis mollitiem, qui semper erant tecto capite, quod nullam vel levissimam aëris & cœli intemperiem ferre possent.

¶ Nititur itaque hic Apostolicus de εὐταξίᾳ Canon civili consuetudine tum temporis inter eos ad quos scribebat vulgo recepta: quo docemur, εὐταξίαν Ecclesiasticam, quantum fieri potest, esse conformandam & accommodandam ad publicos & civiles mores atque consuetudines, modo nihil habeant turpe, indecorum atque inhonestum, quodque jure culpari debeat, ut ea scilicet in εὐταξίᾳ Ecclesiastica constituantur quæ non abhorrent, sed quadrant & conveniunt cum publica & honesta civili consuetudine. Itaque τὸ ῥητὸν hujus Canonis nil necesse est in praxi ubique omni loco & tempore urgere, sed ratio qua nititur, publica nempe civilis consuetudo quæ obtinet, potius spectanda est. Cum itaque civilis consuetudo non semper una sit & eadem ubique & omni tempore, sed plurimum variet pro temporum, locorum & gentium varietate, ea etiam quæ ad εὐταξίαν Ecclesiasticam pertinent non possunt semper & ubique esse eadem: hic enim id forte decebit vel maxime quod alibi erit vel maxime indecorum, vel nunc id decebit quod mox minus erit decorum. Neque enim omnia omnes, semper & ubique pariter decent. ¶ Occidentales pene omnes Europæi Christiani Deum aperto capite & genu flexo orant eique supplicant, quia tum humilitatem & reverentiam nostram erga Deum oportet nos testari: itaque id eo gestu & habitu fieri debet & decet quo in civili consuetudine solemus cultum & reverentiam nostram erga Superiores testari; quod sane jam inter Europæos fieri solet capitis apertione & genuflexione. Olim Judæi proni in faciem, vel etiam toto corpore in terram prostrati, adorabant, quia sic reverentiam suam in civili consuetudine erga Superiores declarabant, eratque is apud eos tum temporis supplicantium gestus: hodie is habitus orantis inter nos foret maxime indecorus, quia alia jam est plane civilis supplicantium consuetudo. Atque ita concurrit hodiernus ubique inter Christianos Europæos orantium gestus & habitus cum τῷ ῥητῷ hujus Canonis Apostolici, at non tam virtute, ut ita loquar, τοῦ ῥητοῦ ipsius quam rationis qua diximus eum niti, consuetudine nimirum civili supplicantium. ¶ Si forte in Livonia, Norvegia, Suedia, Moscovia, &c. hiberno tempore, capite adeoque & manibus tectis orant, ratio est manifesta: natura nempe cœli ob aëris inclementiam non patitur ut sint tum aperto capite. Itaque etsi tum adversus τὸ ῥητὸν hujus Canonis forte faciunt, non faciunt tamen adversus ejus mentem, & rationem qua nititur, consuetudinem nimirum civilem: nam tum apud eos ne supplices quidem caput forte aperire solent, aut inferiores coram Superioribus, ob cœli, uti dixi, inclementiam, stare. Si Christiani inter Turcas in Græcia, Asia, Ægypto, &c. versantes, Turcarum more induti, caput in Ecclesiis inter orandum non aperiunt, faciunt quidem adversus τὸ ῥητὸν hujus Canonis, at non contra ejus mentem & rationem: civilis nempe consuetudo non patitur ut iis in locis supplices aut inferior ullus Superiorem, ne summum quidem Magistratum, aperto capite alloquatur: alia ratione, alio gestu & ritu, humilitatem & reverentiam suam erga Superiores testantur: qua in re decet Christianos illis commixtos orantium gestum & habitum conformare: alioqui quod indecorum & turpe isthic est, ut quis in publico aperto videatur capite, in Ecclesia admitterent; quod esset adversus generalem Apostoli Canonem, ut *omnia* in Ecclesia *fiant* εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. Atque hæc de Orantium habitu juxta Apostoli Canonem. ¶ Ad Prophetantium habitum quod attinet, Apostolus jubet eos aperto esse capite non minus quam orantes, Πᾶς ἀνὴρ προσευχόμενος ἢ προφητεύων, &c. Quod, ut recte à doctissimo Interprete Beza annotatum est, intelligendum omnino videtur tam de iis qui audiunt Prophetiam sive sacras conciones quam de illis qui ipsas habent conciones sacras. Neque enim sequenti versiculo γυνὴ προφητεύουσα aliter potest accipi quam de ea quæ audit prophetiam, quia Paulus non permittit feminas loqui & docere in Ecclesia. Jam vero praxis hujus Canonis non est hodie ubique eadem inter Europæos Christianos, tam Pontificios quam Reformatos. Nam alii tecto, alii aperto capite sacras habent conciones, omnes eas audiunt tecto capite. Qua in re alii τὸ ῥητὸν hujus Canonis secuti sunt, eique mordicus adhærent, ii nimirum qui sacras habent conciones aperto capite; alii, etsi τὸ ῥητὸν non sequantur, mentem tamen & rationem, qua diximus eum niti, spectasse & secuti esse videntur, ii scilicet qui sacras & habent & audiunt tecto capite conciones. ¶ Nam ad eos quod attinet qui sacram habent concionem, quia in nomine Dei loquuntur, & cum autoritate auditores suos alloquuntur, utpote qui Verbum Dei & sacra ejus eloquia eis proponunt, (sunt enim mysteriorum Dei erga populum dispensatores) decet eos eo habitu loqui quo in civili consuetudine solent illi qui cum autoritate loquuntur & concionem habent vel subditis seu inferioribus, vel Discipulis. Pastores nempe gregis sui sunt Doctores. Jam vero qui docent in Scholis, qui in foro ad populum in publica concione orationem habent cum autoritate, ii sane jam non aperto sed tecto capite agunt.

agunt. Eorum est loqui aperto capite qui Superiores cum humilitate & reverentia alloquuntur. Tantum ergo abest ut damnandus videatur eorum mos qui sacras habent ad populum conciones tecto capite, ut is potius convenientissimus jam videatur Prophetantium habitus, quia cum autoritate populum Dei nomine alloquuntur, & tanquam ejus Legati. ❡ Nec repugnat Canon iste Apostolicus, quia non tam ejus verba quam ratio qua nititur, & quam in eo condendo spectavit Apostolus, nobis est spectanda. Jam vero Apostoli tempore qui conciones ad populum civiles cum autoritate habebant, aperto capite agebant; quia mos publicus & universalis erat ut ne quis in publicum nisi aperto capite prodiret: at hodie contra fit; mos ille est universaliter immutatus. Ergo qui aperto jam capite sacras habent conciones, ii τὸ ῥητὸν Canonis Apostolici sequuntur, rationem vero & mentem ejus sequi videntur qui tecto agunt capite. ❡ Ad auditores quod attinet, etsi in civilibus Superior concionem ad populum habeat, & inferiores alloquatur, tamen cum non agit pro imperio, cum non increpat & interminatur, sed vel docet vel monet, concio quæ adstat & audit, quia non supplicum & reorum personam sustinet sed civium & subditorum, non solet aperto sed tecto capite audire concionem; nisi forte summus ipse Magistratus, Rex & Princeps plane extra ordinem haberet præter consuetudinem orationem: propterea id ipsum obtinere æquum est in sacris ad populum concionibus. Populus quidem Dei eloquia per Ministrorum ipsius os accipit, at non tamen in audienda concione supplicum & reorum personam sustinet, sed civium potius quos Princeps ille cœlestis benigne & familiariter Ministrorum suorum ore compellat, quibuscum agit magna cum suavitate, comitate & affabilitate. Itaque & hic τὸ ῥητὸν Canonis non est urgendum, & à plerisque ubique in praxi jam neglectum est à multis seculis. Ergo hic ratio Canonis (non τὸ ῥητὸν) est spectanda & sequenda. Atque hæc de Viris. ❡ Ad Feminas quod attinet, duplex potest concipi capitis earum nudatio seu apertio; una nempe, si non modo facies retegatur, sed & reliquum caput sparsis vel præcisis etiam atque attonsis capillis nudetur; altera, cum facies quidem & frons aperitur, at reliquum caput obtegitur: quæritque potest tum utraque capitis apertio hic ab Apostolo damnetur. Sane priorem capitis apertionem ab eo hic damnari, nemini qui non insanit dubium esse potest. Nam apud omnes Gentes quæ non fuerunt plane barbaræ, quæque cultum & civilitatem aliquam habuerunt, semper & ubique fuit etiamnumque hodie est indecorum & turpe, feminas sparsis comis, instar Mænadum, nullo superinjecto velamine, in publicum procedere: quanto magis turpe & fœdum esset, feminas Christianas eo habitu sacra loca, sacras conciones frequentare? ❡ Posteriorem autem capitis nudationem quod attinet, qua facies quidem retegitur, sed reliquum caput velatur, quoniam apud omnes pene gentes (nescio an forte Judaica excipi debeat) Apostoli tempore hoc usu receptum erat & in more positum ut castæ & pudicæ atque modestæ matronæ, præsertim vero virgines nubiles, vix unquam in publicum nisi velata facie prodirent, habitusque ille pudori & verecundiæ quæ decet illum sexum convenientissimus sit: (qui mos inter Turcas, Mahumedanos, & Orientales Africanasque & Asiaticas gentes pene omnes remansit, etiamnumque hodie obtinet) propterea minime dubito quin juxta civilem illum morem Apostolus hic jubeat feminas in Ecclesia sacris concionibus non interesse nisi faciem reliquumque caput velatas; decet enim eas tum maxime pudorem & verecundiam testari atque demonstrare. Absurdum enim arbitror Canonem hunc Apostolicum velle cum nonnullis restringere ad recentiorem quarundam nobilium feminarum, præsertim in Gallia, morem, quæ, æstivo maxime tempore, caput solis implexis atque intortis crinibus, nullo alio superinjecto tegmine, velare solent; quasi Apostolus morem illum qui suo seculo orbi terrarum ignotus erat solum damnare hoc Canone voluerit. ❡ Sane quemadmodum operæ pretium esset civilem illum & antiquum velandi feminas, cum in publicum prodeunt, morem hodie inter nos obtinere, uti in longe maxima orbis terrarum parte adhuc obtinet, ita optandum foret praxim τοῦ ῥητοῦ hujus Apostolici Canonis, quatenus feminas spectat, etiam hodie in Ecclesia Christiana ubique vigere. Sed quandoquidem vetus ille mos civilis velandi feminas, cum prodeunt in publicum, jampridem inter Christianos Europæos Occidentales exolevit, contrariusque mos vulgo inolevit, ita ut jam facies feminarum non modestiæ & verecundiæ gratia, sed necessitatis causa, ob nimiam cœli inclementiam, velari soleat, (imo vero hodie velamen illud luxus & delicatæ mollitiei manifestum potius est argumentum) propterea non videtur jam τὸ ῥητὸν hujus Canonis importune atque intempestive urgendum, sed videndum potius quid in civili consuetudine obtineat, indeque quid deceat vel minus deceat in Ecclesia, hac in parte, judicandum est. Et quando (uti dictum) velare faciem hodie multis in locis luxus & mollitiei potius quam modestiæ & verecundiæ est argumentum, feminæ illæ iis in locis potius damnandæ & corrigendæ videntur quæ in sacris concionibus faciem velant quam quæ audiunt aperto vultu, utpote quæ velamine illo apertam prodant mollitiem & luxum vel fastum & superbiam, non verecundum pudorem. ❡ Hæc obiter circa Canonis istius Apostolici variam tum veterem tum hodiernam praxim libuit annotare ex occasione loci illius Maimonidis quem supra initio attulimus, qui exceptione illa sua, *nisi forte mos loci illius sit ut quis stet coram Magnatibus nudis pedibus*, clavem nobis præbuit qua in Canonis istius Apostolici sensum & mentem penetraremus, quidque de varia ejus praxi judicandum sit nobis ostendit. Nititur scilicet (uti dictum) Canon ille vulgo inter eos ad quos scribebat Apostolus recepta consuetudine; quæ quia pro varietate temporum & locorum diversarumque gentium variat, variare etiam Canonis illius (si τὸ ῥητὸν ejus duntaxat spectes) praxim necesse est.

10. Ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς] Non improbo aliorum de hac voce sententiam, qui ἐξουσίαν passive, non active, accipiunt, pro *signo seu indicio potestatis* quam in uxorem vir habet; non tamen dissimulabo suspicionem & conjecturam meam de voce illa; Nempe velum quo caput feminarum obnubilari vult Apostolus ideo ab eo vocari ἐξουσίαν quod ejusmodi *velum* Hebraice רדיד dicatur: Arabes illud vocant رداء רדיא: quarum vocum illa est à themate רדד, ista à רדה, utrumque autem thema רדד & רדה significat Hebræis κυριεύειν, *dominari*, ἐξουσιάζειν, *potestatem* in aliquem *exercere*: itaque רדיד ἐξουσία non male reddi possit, si primitivæ vocis propriam significationem spectemus. Velum autem illud dictum esse ab Hebræis רדיד ἐξουσίαν ideo quod esset signum subjectionis feminarum erga viros, facile concesserim. ❡ Διὰ τοὺς ἀγγέλους] Si Angeli singulis fidelibus veluti adstant eisque ministrant atque multis in rebus subserviunt, uti docet Scriptura, sane multo magis concedendum videtur eos sacris fidelium cœtibus interesse, testes scilicet pietatis filiorum seu electorum Dei, ipsosque Deum de ejus erga nos gratia laudare atque celebrare. Sane Judæi in hac sunt sententia, Angelos beatos cœtibus suis interesse & una secum Deum celebrare. Seder Tephilloth Lusitanorum Judæorum, pag. 175. *Coronam dant tibi*, (h. e. celebrant te) *Domine Deus noster, Angeli, turba illa superna, cum populo tuo Israel hic inferne congregato, omnesque simul ter tibi à Propheta tuo dictum ingeminant & inclamant illud*, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS DOMINUS EXERCITUUM, &c. Hoc posito, interesse Angelos sacris fidelium cœtibus, illud Apostoli διὰ τοὺς ἀγγέλους hoc loco aptissime de beatis illis Spiritibus potest accipi. Si enim Angelos præsentes habemus in sacris cœtibus testes eorum quæ isthic à nobis fiunt, quanta cum reverentia decet nos eo in loco versari? Cum itaque velum quo caput feminæ tegunt sit modestiæ, verecundiæ pudorisque (qui feminas vel maxime decet) subjectionisque earum ad viros vel parentes externum symbolum, sane eo præcipue in loco oportet eas gerere externum illud modestiæ & subjectionis suæ naturalis signum.

22. *Annon domos habetis ad edendum & bibendum*, &c.] De reverentia quæ locis sacris haberi debet similiter præcipiunt Judæi apud Maimonidem, Misnæ tom. 1. lib. 2. אהבה, Tract. de Orat. & Bened. Sacerdotum, cap. 11. §. 6. *Synagoga*, inquit, *& Schola reverenter haberi debent, ut nihil indecorum in iis fiat: puta, non licet in iis ridere, cachinnari, garrire, confabulari, neque vero edere, bibere, aut deambulare.* Contra quam in more positum erat olim apud Ethnicos, quorum Templa ita exstruebantur, & intercolumniis circa Idoli cellam cingebantur, ut commoda & ampla esset populi in iis deambulatio, uti videre est apud Vitruvium, qui eorum figuram & structuram in hunc finem describit atque docet: quæ ratio, forma & usus in magnis Pontificiorum Basilicis conspicua sunt; ut consuetudo illa ab Ethnicorum Templis in Christianorum Ecclesias lapsu temporis traducta sit. In iisdem Templis solebant Ethnici post peracta sacrificia agitare convivia: unde est illud Apostoli supra 8. 10. hujus Epistolæ, *Si quis te viderit* ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον, *accumbentem mensæ in Templo ipso Idolorum.* Qui mos manifestus est ex Josepho lib. 2. adv. Appionem, Οὗτοι (Græci nempe) εὔχονται θύειν ἱκανὰς ἑκατόμβας τοῖς θεοῖς, καὶ χρῶνται τοῖς ἱερείοις πρὸς εὐωχίαν. Sane plebi apud Judæos non videtur licuisse in Templo ipso epulari, at Sacerdotes Lege tenebantur multa de sacrificiis in loco sacro, h. e. Templi aliqua parte, comedere. Improbat ergo Apostolus illum tum Ethnicorum morem tum Judæorum usum (ut qui pertineret ad carnalem Legis cultum) epulandi in loco sacro, vetatque Christianos illum imitari. Nam Agapæ, quæ tempore Apostoli erant in usu, non fuerunt

fuerunt convivia quibus gulæ & ventri indulgerent, sed frugales erant & parcissimæ cœnæ, ad mutuæ charitatis tantum contesse-tationem, non ad implendam & farciendam alvum.

GROTIUS.

1. Μιμηταί μου γίνεσθε, *Imitatores mei estote*] Supra IV, 16. ¶ καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ. *sicut & ego Christi*] Desperare non debent Corinthii Paulum se posse imitari, si ipse Christum Dei Filium imitari potuit. Non dissimile illud Cyri apud Xenophontem libro VIII, Ὥσπερ δὴ ὑμᾶς κελεύω ἐμὲ μιμεῖσθαι, οὕτως ὑμεῖς τοὺς ὑφ' ὑμῶν ἀρχὰς ἔχοντας μιμεῖσθαι ὑμᾶς διδάσκετε [*Quemadmodum vos me imitari jubeo, sic & eos qui sub vobis imperant vos imitari docete*].

2. Ἐπαινῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, ὅτι πάντα μου μέμνησθε, *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis*] Hic sermo ad illos pios se vertit, qui ad ipsum scripserant. ¶ καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, τὰς παραδόσεις κατέχετε. *& sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*] Παραδόσεως [*traditionis*] nomine vocari *omne id quod docetur* diximus ad Matth. XV, 2. Hic vero significat præcepta quædam ejus generis quæ Christus Apostolorum & ἡγεμόνων [*Præsidum*] prudentiæ permiserat, pertinentia ad εὐταξίαν [*rectum ordinem*] & τὸ πρέπον [*decorem*], qualia non omnia perscripta sunt, quia sufficiebat ea auctoritate Apostolorum in usum esse perducta. Quorundam non ex proposito, sed obiter & occasione data in Epistolis fit mentio. Vide II Thess. II, 2, 15. Multa erant in hoc genere per se non ita magni ad pietatem momenti, sed in quibus utile erat aliquid in commune constitui, ne discrepans usus dedecoraret Ecclesiam, disputationes, & ex disputationibus, ut fit, schismata sereret. Ut ecce quærebatur in Ecclesiæ conventu, homines aperto esse deberent, an operto capite, & specialiter precum tempore, aut ubi revelationes à Deo acceptæ populo exponebantur. Hic primum feminas quod attinet, res non multum habebat difficultatis. Satis apparebat magis decere feminas operto esse capite ob pudorem sexus; de viris poterat in utramque partem disseri. Sicut apud Græcos γυμνῇ κεφαλῇ [*nudo capite*] fieri dicitur quod palam fit sine metu aut pudore, ita & Hebræis. Quare quod Exodi XIV, 8. *Israelitæ* dicuntur *egressi manu elata*, Chaldæus dixit ברישׁ גלי [*capite aperto*]. Et Ben Arama *Mosem* dicit *cum Deo collocutum* בראשׁ גלוי *capite aperto*. Et cum populum alloqueretur Moses Dei nomine, ὡς προφητεύων [*tanquam Prophetans*], non teginen habuit in capite, sed velum tantum oppansum vultui, ne fulgor præstingueret adstantium oculos. Exodi XXXIV, 34. At Levitæ in templo tecto erant capite, quasi metuentes, ne ipsi minus digni Dei majestatem conspicerent. Hoc vero sicut alia Templi ad Synagogam transtulere Judæi. Apud Græcos mos fuit sacra facere capite aperto. Legendum enim apud Macrobium I Sat. 8. illic *Græco ritu, capite aperto res divina fit*. Apparet ex loco ejusdem libri capite 10. ubi itidem De Saturno agitur, & *sacrum ei fieri* dicitur *aperto capite, ritu peregrino*, id est Græco. Et ex loco III, 6. ubi Varronem ait dicere, *Græci hoc esse moris aperto capite sacrificare*. ἀπαρακαλύπτῳ κεφαλῇ [*aperte capite*] ait de iisdem Saturni sacris agens Plutarchus in Romanis quæstionibus. *Lucem facere* id dici solitum Festus testatur. Eodem modo, id est, aperto capite, etiam Herculi in ara maxima sacrum fieri solere testatur præter Macrobium dicto lib. III, 6. Dionysius Halicarnassensis libro I. Nimirum quia id sacrum institutum erat ab Euandro homine Græco. Sed Æneas contrarium morem in Italiam intulit sacra faciendi velato capite, ne quod malum omen oculis aut auribus obveniret, ut Virgilius nos docet Æneidos III. & ad eum Servius, & in Breviario Aurelius Victor, sed & Plutarchus in Romanis quæstionibus. Et ejus moris etiam Plautus meminit in Comœdiis quibusdam, ut solet admiscere Romana Græcis. Paulus Græcis Corinthiis scribens Græcum præfert morem, & causas adfert quales ferebat negotii natura: ex Pauli præscripto perpetuo hunc morem tenuere Christiani veteres. Tertullianus Apologetico, *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus, &c.* Nihil huc pertinet mos Septentrionis in reverentiæ signum capita nudandi, qui quanquam per Germanicas nationes late manavit, & Judæis tamen & Græcis & veteri Italiæ fuit incognitus.

3. Θέλω δὲ ὑμᾶς εἰδέναι ὅτι παντὸς ἀνδρὸς, *Volo autem vos scire quod omnis viri*] Nempe Christiani. ¶ ἡ κεφαλὴ ὁ Χριστός ἐστι· *caput Christus est*] Imperans ipsi & per Spiritum influens. Vide adducta supra X, 17. ¶ κεφαλὴ δὲ γυναικὸς, ὁ ἀνήρ· *caput autem mulieris, vir*] Hoc non debet de nuptis tantum intelligi, sed de toto sexu, quomodo interpretatur Tertullianus libro quo ostendit etiam virgines in Ecclesia velandas, & id observatum perpetuo ait Corinthi ex hoc Pauli præscripto. *Majores nostri*, ait M. Porcius Cato apud Livium XXXIV, *nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt: In manu esse parentum, fratrum, virorum.* Idem mos honestis apud Hebræos feminis. Ideo meretrix dicitur שׁלטת [*dominatrix*] Ezech. XVI, 30. id est, *sibimet imperans*. Hoc per παρένθεσιν [*interpositionem*] interjectum est: nam redit oratio ad id quod antecesserat. ¶ κεφαλὴ δὲ Χριστοῦ ὁ Θεός. *caput vero Christi Deus*] *Ita viro Christiano Christus imperat, sicut Christo Deus.* Vide supra III, 23.

4. Πᾶς ἀνὴρ προσευχόμενος ἢ προφητεύων, *Omnis vir orans aut prophetans*] Id est, *etiam tunc cum precatur aut revelationes Dei exponit*. In publico viri Hebræi semper tecto erant capite, Musar. 6. Sic & apud Græcos & Romanos. ¶ κατὰ κεφαλῆς ἔχων, *velato capite*] Sic & κατὰ τῆς κεφαλῆς dixit Marcus XIV, 3. ubi Matthæus ἐπὶ τὴν κεφαλὴν [*super caput*] XXVI, 7. subauditur *pileum* vel *galerum*. ¶ καταισχύνει τὴν ἑαυτοῦ κεφαλὴν, *deturpat caput suum*] Id est, *sibi ipsi injuriam facit*. Sic *capitis tuo*, id est, *tibi*, apud Latinos.

5. Πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη ἢ προφητεύουσα, *Omnis autem mulier orans aut prophetans*] Sicut in vetere Testamento feminæ fuere προφήτιδες [*Prophetissæ*], ut Maria soror Mosis, Exodi XV, 20. Debora, Judic. V. uxor Esaiæ VIII, 3. Holda, II Regum XXII, 14. ita & in Novo, ut filiæ Philippi, Actor. XXI, 9. & aliæ postea. Solebant autem tales etiam publice prophetias sacras exponere, ut apparet dictis Veteris Testamenti locis. Quare quod Paulus vetat *feminas docendi munere fungi*, infra XIV, 34. id intelligendum cum exceptione, *nisi speciale Dei mandatum habeant*. ¶ ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ, *non velato capite*] Sic & Plutarchus loquitur, pro eo quod Latini dicunt *aperto capite*. Femina Hebræis in publico non aspiciebatur nisi operto capite, Musar. 37. Vide Gen. XXIV, 65. Inde *caput mulieris nudare* est eam contumeliose tractare, ut ex Phesichtha ad Levit. XXIV, 19. & ex Rabbi Solomone ad Num. V, 18. notavit vir eruditissimus. Apud Græcos videtur varius fuisse in publico feminarum habitus, ut & apud Romanos fuisse varium Plutarchus in Romanis quæstionibus nos docet. Paulus id prætulit quod maxime conveniebat verecundiæ. ¶ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς. *deturpat caput suum*] Interpretare ut supra 4. ¶ ἓν γάρ ἐστι καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ. *unum enim est ac si decalvaretur*] Quod feminis non fieri solebat nisi cum turpes videri vellent, ut in luctu. Deut. XXI, 12. Suetonius in Caligula, *Regulos quosdam barbam posuisse & uxorum capita rasisse ad indicium ultimi luctus.* Plus est radi quam tonderi.

6. εἰ δὲ αἰσχρὸν γυναικὶ τὸ κείρασθαι ἢ ξυρᾶσθαι, *si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari*] *Forma decus*, capilli apud Petronium. Servius ad Æn. I. *à cadendo dicta cæsaries. Ergo tantum virorum est. Feminis adulteris Germani crines accidebant*, Tacitus Germania. ¶ κατακαλυπτέσθω. *velet caput suum*] *Operto sit capite*: in Ecclesia scilicet, qui mos ex præscripto Pauli retentus. Clemens Constitutionum II, 27. αἱ γυναῖκες κατακεκαλυμμέναι τὴν κεφαλὴν (ὡς γὰρ ἁρμόζει γυναικῶν τάξει) προσερχέσθωσαν [*fœmina operto capite (sic enim convenit fœmineo sexui) accedant*].

7. Ἀνὴρ μὲν γὰρ, *Vir quidem*] *Vir* hic de toto sexu dicitur, ut & *mulier*. ¶ οὐκ ὀφείλει κατακαλύπτεσθαι τὴν κεφαλὴν, *non debet velare caput*] *Non decet virum esse velato capite.* ¶ εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων· *quoniam imago & gloria Dei est*] *Vir ad Dei effigiem factus*, nempe *imperio etiam in uxorem*, ut recte hoc explicat Isidorus, dicens ideo de muliere non dici, *conditam eam ad Dei imaginem*, Gen. I, 26, 27. Merito ergo vir vocatur Θεοῦ δόξα [*Dei gloria*], id est, ἀπαύγασμα, *effulgentia, radiatio*. Est Hebraica locutio. Nam Hebræi *effulgentiam* Divinæ Majestatis radium vocabant כבוד, Hellenistæ δόξαν [*gloriam*], ut Exod. XVI, 10. XXIV, 16, 17. XXXIII, 18, 22. XL, 34. Num. XIV, 10. XVI, 19, 42. Ezech. I, 28. III, 23. VIII, 4. X, 4. Augustinus Sermone IV. in octava Paschæ: *Revelanda sunt capita eorum, quod est indicium libertatis.* ¶ γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστι. *mulier autem gloria viri est*] Minus aliquid viro, ut Luna lumen minus Sole. τὸ θῆλυ, ἄῤῥεν ἀτελές [*femina est mas imperfectus*] Philosophis. Imperat materfamilias suæ familiæ, sed viri nomine.

8. Οὐ γάρ ἐστιν ἀνὴρ ἐκ γυναικὸς, ἀλλὰ γυνὴ ἐξ ἀνδρός· *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro*] Et hoc ex Mose, Gen. II, 21.

9. Καὶ

9. Καὶ γὰρ οὐκ ἐκτίσθη ἀνὴρ διὰ τὴν γυναῖκα, ἀλλὰ γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα. *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*] Si unum Deus esse hominem voluisset, vir is esse debuit non mulier: quin vir aptior ad actiones humanas, quippe humoris minus habens, plus autem caloris. Sed propter illud, *Crescite & multiplicamini*, femina quoque opus fuit.

10. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput*] Μετωνυμία [*Transnominatio*] frequens Hebræis, ubi signum rei significatæ nomen accipit. *Velamen* enim signum est imperii, sub quo est mulier. Et vicissim vir qui mulieri imperat *velamen* ejus ob id, ut quidam putant, dicitur, Genes. xx, 16. Sententia est Græca,

Γυναικὶ δ' ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ φύσις

[*Natura quippe femina imperium negat*].

¶ Διὰ τοὺς ἀγγέλους. *propter Angelos*] Si alibi velatæ esse volunt mulieres, certe in Ecclesia tales esse debent, ubi par est omnia geri summa cum verecundia, ordinemque & decorem servari; quippe ubi non tantum adsint homines, sed & ipsi Dei Angeli: sicut Cherubini erant in Templo ad significandam Angelorum præsentiam. Quo respiciens Agrippa in oratione ad Judæos libro II. Belli Judaici cap. 28. apud Josephum, Μαρτύρομαι δὲ ἐγὼ μὲν ὑμῶν τὰ ἅγια, καὶ τοὺς ἱεροὺς ἀγγέλους [*testor vero ego sancta vestra sacrosque Angelos*]. Sic & in Synagoga Angeli adesse crediti. Vide Deuter. XXXIII, 2. & Interpretes Hebræos ad initium Psalmi LXXXII. Philo libro περὶ φιλανθρωπίας [*de Charitate*] de Mose, ὑμνῳδίας ἐποίησε διὰ πάσης συμφωνίας καὶ ἁρμονίας εἴδους, ἵνα ἀνθρώπων τε καὶ ἄγγελοι λειτουργοί· οἱ μὲν ὡς γνώριμοι πρὸς τὴν τῆς ὁμοίας εὐχαριστίας διάθεσιν διδασκαλίαν, οἱ δ' ὡς ἔφοροι, κατὰ τὴν σοφῶν ἐμπειρίαν, θεασάμενοι μή τι τῆς ᾠδῆς ἐκμελές [*Carmen cecinit aptissimum auribus Angelorum & hominum: horum ut tanquam à magistro similiter gratias agere discerent; illorum, ut viderent (id quod peritis convenit) ne quid in eo carmine absonum*] &c. *Angelum orationis* nominat liber Hebræus *Chasidim* dictus. Tertullianus quoque de Oratione, *Angelo orationis adhuc adstante*. Meminit horum Angelorum & Chrysostomus de Eleemosyna oratione I. Vide & I Tim. V, 21. Etiam Plutarchus libro Cur oracula defecerint, quosdam ait esse δαίμονας ἐπισκόπους θείων ἱερῶν καὶ μυστηρίων ὀργιαστάς [*Genios qui sacra deum & orgia inspiciant atque obeant*]. & Iamblichus V, 26. *cuique templo suos esse custodes.* Vide & quæ ad Ecclesiasten V, 2. Athenagoras τὴν ἐπὶ μέρους πρόνοιαν [*providentiam circa singula*] Angelis tribuit. Peccavit Sara quod apud Angelos risit, Genes. XVIII, 12. Omnia in Angelorum conspectu seria esse debent.

11. Πλὴν οὔτε ἀνὴρ χωρὶς γυναικός, οὔτε γυνὴ χωρὶς ἀνδρὸς ἐν Κυρίῳ. *Veruntamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino*] Id est, Dominus neque viros exclusis feminis, neque feminas exclusis viris redemit. Dispares sunt sexus in creatione & officiis, pares in salutis negotio. Gal. III, 28.

12. Ὥσπερ γὰρ ἡ γυνὴ ἐκ τοῦ ἀνδρός, *Nam sicut mulier de viro*] Repetit quod dixerat supra 7. ut adjectione id ipsum mitiget. ¶ οὕτω καὶ ὁ ἀνὴρ διὰ τῆς γυναικός. *ita & vir per mulierem*] Articulus hic ut & alibi, totum genus virorum indicat excepto Adamo: omnes enim per feminas in lucem eduntur. De hoc usu articuli vide quæ ad Matth. XII, 32. & Marci III, 26. ¶ τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ. *omnia autem ex Deo*] Etiam primus homo Luc. III, 38. ac proinde & omnes ejus posteri. Præpositio ἐκ [*ex*] causam hic efficientem significat. Vide Rom. XI, 36. supra I. 30. Et hic ad creationem, alibi ad novam creationem refertur.

13. Ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε, *Vos ipsi judicate*] Simile supra X, 15. ¶ πρέπον ἐστὶ γυναῖκα ἀκατακάλυπτον τῷ Θεῷ προσεύχεσθαι; *decet mulierem non velatam orare Deum?*] In eo actu qui maxime requirit τὸ πρέπον [*decorum*]; cujus vocis quæ sit vis vide Ciceronem de Officiis primo.

14. Ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς; *Nec ipsa natura docet vos?*] Non est hoc plane naturale: sed sicut Jurisconsulti juri gentium sæpe dant nomen *juris naturæ*, ita & *naturalia* dicuntur quæ non sine probabili ratione longe & late recepta sunt, ut diximus libro II. de Jure Belli ac Pacis XII, 28. Tertullianus de Corona, *Quæris igitur Dei Legem? habes communem istam in publico Mundi, & in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet provocare, ut cum in velamine faciei, Non natura vos inquit, docet?* ¶ ὅτι ἀνὴρ μὲν ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία αὐτῷ ἐστι. *quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi*] Solet enim dici,

Οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ ψηλίζεται

[*Nullus comatus cui coma non præciditur*].

Quod intellige de longa coma quæ clericis per canones interdicta.

15. Γυνὴ δὲ ἐὰν κομᾷ, δόξα αὐτῇ ἐστι, *Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi*] Deus feminam fecit αὐτοφυεῖ τῇ κόμῃ μόνῃ, ὥσπερ ἵππον τῇ χαίτῃ, γαυρουμένην [*sola nativa coma, uti equum juba, exultantem*], ait Alexandrinus Clemens Strom. II. Plutarchus Quæstionibus Romanis: τοῖς μὲν (ἀνδράσι) τὸ κείρεσθαι, ταῖς δὲ (γυναιξὶ) τὸ κομᾶν σύνηθές ἐστι [*cum alioquin hi (viri) tonderi, illa (mulieres) comam alere soleant*]. Hebræi פאר quod proprie δόξαν [*gloriam*] significat. Ezech. XXIV, 17. interpretantur *cincinnos*. ¶ ὅτι ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται αὐτῇ. *quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*] Musonius apud Stobæum titulo περὶ ἀκολασίας [*De intemperantia*] comam vocat σκέπην ὑπὸ τῆς φύσεως πεποιημένην [*tegumentum à natura datum*].

16. Εἰ δέ τις δοκεῖ φιλόνεικος εἶναι, *Si quis autem videtur contentiosus esse*] Si cui libeat contra hæc disputare libertate illa adolescentioris Academiæ. De hoc usu vocis δοκεῖν diximus ad Matth. III, 9. ¶ ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, *nos talem consuetudinem non habemus*] *Nos Apostoli eo more non utimur*, ut scilicet in Ecclesiis mulieres sinamus esse capite aperto. ¶ οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ· *neque Ecclesia Dei*] Neque Ecclesiæ illæ quæ ubique sunt terrarum ita faciunt. Duabus securibus disputationes amputat, instituto Apostolico, & consuetudine Ecclesiarum. Quod per omnes Ecclesias receptum est disputando velle in controversiam vocare, est φιλονείκων [*contentiosorum*].

17. Τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ, *Hoc autem præcipiens non laudo*] In Manuscripto τοῦτο δὲ παραγγέλλω οὐκ ἐπαινῶν [*hoc autem præcipio non laudans*], quomodo & Latinum legisse apparet & Syrum. *Ut pergam*, inquit, *dare præcepta* περὶ εὐταξίας [*de recto ordine*] *sunt quorundam facta quæ laudare non possum.* Aliorum eorumque meliorum facta supra laudaverat XI, 2. Ita sæpe in hac epistola & aliis, sermonem variis eorum qui in eadem vivebant Ecclesia animis attemperat. ¶ ὅτι οὐκ εἰς τὸ κρεῖττον, ἀλλ' εἰς τὸ ἧττον συνέρχεσθε. *quod non in melius, sed in deterius convenitis*] *Quod conventus vestri non in melius, sed in pejus procedunt.* Mos vetus erat in Græcia, ut divites quædam offerrent diis, quæ deinde in usum cedebant pauperum, aut ut fieret κοινὴ δαίς [*commune convivium*] ubi alius plus, alius minus conferebat pro suis opibus: omnes autem de omnibus pari jure epulabantur. Meminit Scholiastes Aristophanis utriusque moris, illius quidem ad Plutum, hujus vero ad Pacem: Plutarchus Lycurgo, ubi συσσίτια [*convivia*] Laconica describit ἐπὶ ταυτὸ δεῖπνον τῷ πένητι τοῦ πλουσίου βαδίζοντος [*ubi ad eandem mensam juxta pauper & dives convenirent*]. Hunc morem non imitati tantum erant, sed multum superaverant primi illi in Achaja Christiani quos Paulus instituerat, & non dubium quin & exemplo illius κοινοβίου [*communicata vita societatis*] quod Hierosolymis instituerant Christiani, accenderat ut ad illud ipsum, quantum fieri posset, accederent. Itaque Dominicis diebus divitum sumptu fiebant convivia, de quibus pari jure & pauperes & divites vescebantur, & pauperes auferebant ἀποφόρητα [*reliquias*]. At Paulo digresso divites qui arctiore disciplina teneri nolebant, Doctores sibi adsciverant aptos suis ingeniis, cumque illis, spretis pauperibus, epulas habebant lautiores quam deceret. Hoc vero jam erat non progredi, sed retrocedere. Negat igitur Paulus se laudare hoc posse κατὰ λιτότητα [*per extenuationem*]: significans valde hoc sibi improbari.

18. Πρῶτον μὲν γὰρ συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam*] Id est, *in ea domo in qua conventus habentur.* Nam sicut συναγωγή [*Synagoga*] proprie est ipse *conventus*, improprie *locus in quem convenitur*, ita & nomen ἐκκλησίας [*Ecclesiæ*] utrumque habet significatum. Ita hic sumendam vocem ostendit quod sequitur 22. Fuisse autem Christianis, cum pacata essent tempora, certas ædes in quas convenirent, ex Eusebio, ubi ad Diocletiani venit tempora, manifestum est. ¶ ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν· *audio scissuras esse inter vos*] Accidebat jam illis temporibus, quod nostris multo magis evenit, ut res instituta ad concorporandos fideles in vexillum schismatis verteretur. ¶ καὶ μέρος τι πιστεύω. *& ex parte credo*] Id est, Credo in aliquibus eam esse culpam, non in omnibus. Vide supra I, 11. Sic ἀπὸ μέρους [*ex parte*] sumitur Rom. XI, 25.

19. Δεῖ γὰρ καὶ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, *Nam oportet & hæreses in vobis esse*] Habet ea res usum aliquem, ideoque judicat Deus eam non esse vi sua omnipotente impediendam. Vide quod diximus

mus Matth. XVIII, 7. & Luc. XVII, 1. Idem esse *σχίσματα* [*scissuras*] & *διχοστασίας* (*dissensiones*) vidimus supra I, 10. & Rom. XVI, 17. Nec aliud ex vi vocis *αἵρεσις* [*heresis*] significat; quanquam usus obtinuit, ut *αἵρεσις* [*heresis*] dicatur *ea scissura qua dogmate aliquo discrepat*: fuitque olim vox media, ut apparet Act. XXIV, 5, 14. XXVI, 5. & ex Philosophorum & Medicorum scriptis. quomodo & Latina vox *secta* in bonum sensum usurpatur, & à Philosophis & à Jurisconsultis Latinis. Sed frequentior Christianorum usus evicit, ut in culpæ parte poneretur, velut hic & Galat. V, 20. Plerumque autem, ut veterum quidam loquitur, *schisma in heresim eructat*. Quia qui sectarum sunt principes, ut eas faciant immortales, aliquid in dogmatibus populariter innovant, quale erat, *scortationes & incestum esse res medias*; *sapientibus nihil nocere si vescantur immolatitiis; & alia ejusmodi*. ¶ ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν. *ut qui probati sunt manifesti fiant in vobis*] Ii qui constantes sunt in fide & moribus. Οἱ δόκιμοι [*probati*] בחורים [*electi*] Rabbinis. His opponuntur ἀδόκιμοι [*reprobi*] II Cor. XIII, 5. Ubi talia eveniunt, discedit scoria à corpore, manet aurum. Chrysostomus bene ad hunc locum, quod & aliis locis convenit. Τὸ γὰρ ἵνα τοῦτο, οὐ πανταχοῦ αἰτιολογίας ἐστίν, ἀλλὰ πολλαχοῦ καὶ τῆς τῶν πραγμάτων ἐκβάσεως [*ut enim illud non ubique causam reddit, sed & sæpe rerum exitum significat*].

20. Συνερχομένων οὖν ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτό, *Convenientibus ergo vobis in unum*] יחד Psalm. II, 2. alibi יחדו [*pariter*]. Vide Act. II, 1. ¶ οὐκ ἔστι κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. *jam non est Dominicam Cœnam manducare*] Κυριακὸν δεῖπνον [*Dominica Cena*] est ἀγάπη, cujus pars erant sacra mysteria. Chrysostomus & alii putant præcessisse mysteria, secutum convivium. Et sane conveniebat id Græcorum moribus apud quos præcedebat convivium, sequebantur epulæ, ut supra diximus. At in Oriente congruenter Judaico mori præcedebat convivium, in fine ejus sequebatur panis & vini distributio, quod diu servatum in Ægypto ostendimus ad Matth. XXVI, 25. Vocat igitur δεῖπνον κυριακὸν [*Canam Dominicam*] totum illud convivium cujus partem aut primam aut postremam faciebant mysteria. *Hoc vero*, inquit Paulus, *non est celebrare convivium Domini*. Id enim omnes æquat, sicut Christus pro omnibus pariter est mortuus. Nec in hac re ullum discrimen esse debet divitis aut pauperis.

21. Ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν, *Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum*] Hoc vult, Divites primum inter se mensis diversis epulabantur; deinde reliquias suas dabant pauperibus. Ἕκαστος [*unusquisque*] etiam *de multis* dicitur, ut supra. ¶ καὶ ὃς μὲν πεινᾷ, *& alius quidem esurit*] *Pauperes interim esuriunt*. ¶ ὃς δὲ μεθύει. *alius autem ebrius est*] *Plus satis bibit*, quomodo Hebræi usurpant suum שכר, & quomodo μεθύειν habuimus Johan. II, 10.

22. Μὴ γὰρ οἰκίας οὐκ ἔχετε εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν; *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?*] Quantum lubet & quibuscum lubet. Domesticæ epulæ sunt quorum voltis, istæ communes fidelibus, ut ipse Dominus. ¶ Ἢ τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταφρονεῖτε; *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?*] Respicitur locus qui est Levit. XIX, 30. *Sanctuarium meum reveremini*. ¶ καὶ καταισχύνετε τοὺς μὴ ἔχοντας; *& confunditis eos qui non habent?*] *Hoc vero est*, inquit, *pauperibus exprobrare paupertatem*. Durum est quod interim esuriant; sentiant se contemni.

> *Nil habet infelix paupertas durius in se*
> *Quam quod ridiculos homines facit.* ——

¶ Τί ὑμῖν εἴπω; ἐπαινέσω ὑμᾶς ἐν τούτῳ; οὐκ ἐπαινῶ. *Quid dicam vobis? laudabo vos in hoc? non laudo*] Est schema quod ἐρώτησιν [*interrogationem*] vocant Veteres; quo sæpe uti hunc Apostolum notavit Isidorus Pelusiota libro III, epistola 183.

23. Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου, *Ego enim accepi à Domino*] Dubitari potest, didicerit hæc Paulus narrantibus Apostolis aliis, an insuper ex revelatione; quomodo credibile est Mosem quædam didicisse præteriti temporis. ¶ ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, *quod & tradidi vobis*] *Vos docui*. ¶ ὅτι ὁ Κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, *quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur*] Cum ei mors velut præsens esset ante oculos. Et vos, cum memoria talis rei celebratur, ob divitias vestras intumescitis? ¶ ἔλαβεν ἄρτον *accepit panem*] Vide quæ ad Matthæum de hac re diximus.

24. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον· *quod pro vobis frangitur*] Manuscripti quidam habent θρυπτόμενον [*quod comminuitur*], non male.

25. μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *postquam cœnavit*] Hoc addit ut mysticum poculum ab illis antecedentibus, quorum Lucas meminit, distinguat. Vide quæ dicta ad Matth. XXVI, 25. ¶ Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine*] Sunt verba Lucæ in hac historia. Unde credibile est ex ejus commentariis, quanquam tunc, ut puto, nondum editis, Paulum hæc sumpsisse.

26. Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*] Sunt verba Pauli ostendentis quo pertineant hæc mysteria. ¶ τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε, *mortem Domini annunciatis*] *Annunciatis*, id est, annunciare debetis. ¶ ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ. *donec veniat*] Ad judicium scilicet. Vide Actor. I, 11.

27. Ὥστε, *Itaque*] Ratio ex præcedentibus. ¶ ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον, ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ Κυρίου ἀναξίως, *quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne*] Notant Jurisconsulti sicut *conjuncta pro disjunctis*, ita *disjuncta pro conjunctis* interdum poni, ut cum dicitur *super pecunia tutelave sua*, L. sæpe ita verborum significationem. Et Syrus hoc loco pro disjunctiva particula conjunctivam posuit. Potest tamen disjunctiva hic in sua proprietate sumi, quia fieri poterat ut dives seorsim à pauperibus biberet, non ederet; aut ederet, non autem biberet seorsim. Cæterum veteres libros multos hic post ἀναξίως [*indigne*] habuisse τοῦ Κυρίου [*Domino*] docent nos Ambrosius & Chrysostomus hoc loco secundum quasdam editiones: Oecumenius quoque hic: Basilius capite ultimo libri primi, & quæstione tertia libri II. Augustinus contra Donatistas libro V, cap. 8, & libro IX, contra Fulgentium. *Indigne Domino edit vel bibit* qui in hoc actu curat quæ sua sunt, non quæ Domini. *Ne lusisse de Dominica communione videantur*, ait Canon III. Concilii Elibertini. ¶ ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου. *reus erit corporis & sanguinis Domini*] Par fecit quasi Christum trucidaret. Hebr. VI, 6. X, 19. ἔνοχος ἔσται [*reus erit*] hic idem valet quod apud Hebræos נגד חייב [*coram reus*], quo uti solent ubi peccata peccatis comparant.

28. Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτόν, *Probet autem seipsum homo*] Hoc dicit quia per schismata prostrata erit Ecclesiæ disciplina, ut vidimus supra VI. Ne credite, inquit, etiamsi Ecclesiæ judicia cessent, impune vos laturos contemptum mysteriorum.

29. Ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως, κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει, *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit*] Id est, *edendo & bibendo damnationem in se accersit*. Quod per se salutare est, in venenum ipsi vertitur. Ad supplicium participavit, ait Clemens Constitutionum VII, 26. ¶ μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου. *non dijudicans corpus Domini*] Id est, *propterea quod panem istum, factum Sacramento corpus Domini, à pane communi non discernat*. Justinus Apologetico II, Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ᾽ ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι᾽ εὐχῆς λόγου τοῦ παρ᾽ αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι [*Non enim ut vulgarem panem, neque ut vulgare poculum hoc sumimus: sed quemadmodum per Verbum Dei caro nobis factus Jesus Christus Servator noster carnem sanguinemque habuit salutis nostræ causa, sic etiam alimoniam istam super qua per preces verbi ab ipso traditi acta sunt gratiæ, per quam alimoniam sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius, qui caro factus fuit, Jesu carnem & sanguinem esse didicimus*].

30. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] *Propter hæc & similia*. ¶ ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς καὶ ἄῤῥωστοι, *inter vos multi infirmi & imbecilles*] Crescit oratio. Nam ἀσθενὴς [*infirmus*] est *qui languet* חלה vel רפה: ἄῤῥωστος [*imbecillis*] *qui ægrotat*, חלה. Vide Levit. XXVI, 16, 25. Deut. XXVIII, 21, 22. ¶ καὶ κοιμῶνται ἱκανοί. *& dormiunt multi*] Morte immatura, quæ in Lege significatur per נכרת ἐξολοθρευθήσεται [*exscindetur*], quod habes Exod. XII, 15, 19. de his qui Pascha celebrant cum fermento. Cum dicit κοιμῶνται [*dormiunt*] ostendit se loqui de iis qui pœnitentia tacti moriebantur. Nimirum Deus jus habet etiam pœnitentes afficiendi hujus vitæ damno. Clemens Strom. IV. Ἰστέον μέντοι τοὺς μετὰ τὸ λουτρὸν τοῖς ἁμαρτήμασι περιπίπτοντας τούτους εἶναι τοὺς παιδευομένους· τὰ μὲν γὰρ προενεργηθέντα ἀφείθη, τὰ δὲ ἐπιγενόμενα, ἐκκαθαίρεται [*Sciendum quidem illos, qui post lavacrum in peccata incidunt, eos esse, qui castigantur: ante enim facta dimissa sunt; quæ postea committuntur, expurgantur*].

31 Εἰ

31. Εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα. *Etenim si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*] Εἰ δὲ ἑαυτοὺς [*quod si nosmetipsos*] habet Manuscriptus sæpe nobis dictus, & ἐκρίνομεν [*dijudicaremus*] habent Chrysostomus, OEcumenius, Theophylactus. Si inde factorum pœnas de nobis ipsis exigeremus, animo contrito & humiliato, lachrymis, jejuniis, & aliis σκληραγωγίαις [*duris corporis tractationibus*], non opus haberet Deus pœnas nobis immittere. Simplicius ad Epictetum, Εἀν τις ἑαυτῷ γένηται δίκη, τάχα καὶ θᾶττον ὕτος κατορθοῖ, διὰ τὸ αὐτὸ προαιρέτως κολάζεσθαι [*Sin quis sibi ipse jus dicat, forte hic & citius efficiet, quod volet, quoniam sua voluntate pœnas dat*]. Potest etiam hic locus intelligi: *si in Ecclesia judicia, ita ut oportet, exercerentur.*

32. Κρινόμενοι δὲ, ὑπὸ τοῦ Κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν. *Dum judicamur autem à Domino corripimur, ut non cum mundo damnemur*] Κρίνεσθαι [*judicari*] dixit de malis hujus vitæ & morte immatura: κατακρίνεσθαι [*damnari*] de pœnis æternis. Omnia mala quæ in hac vita eveniunt fiunt νουθεσίαι [*admonitiones*] sive παιδεύσεις יסורים [*castigationes*], si sequatur seria pœnitentia & emendatio. Talibus dicunt Hebræi, *Sit tibi mors tua in expiationem omnium peccatorum tuorum. Mundum* hic intellige eos qui à Christo sunt alieni: ut Joh. XVII, 14, & alibi.

33. Ὥστε, ἀδελφοί μου, *Itaque, fratres mei*] Perterrefactos rursum hac blanda compellatione solatur. ¶ συνερχόμενοι εἰς τὸ φαγεῖν, *cum convenitis ad manducandum*] Nempe τὸ κυριακὸν δεῖπνον [*Dominicam cœnam*] quod hic ex superioribus subauditur. ¶ ἀλλήλους ἐκδέχεσθε· *invicem expectate*] Ut communis sit mensa divitum & pauperum.

34. Εἰ δέ τις πεινᾷ, *Si quis esurit*] Est χλευασμὸς [*irrisio acerba*]. Loquitur enim tanquam pueris qui ita solent esse ἐξώπεινοι [*famelici*] ut quidvis arripiant, nec alios ad partem vocent, neque velint σῦκα μερίζειν [*ficus partiri*]. ¶ ἐν οἴκῳ ἐσθιέτω, *domi manducet*] Quod volet & quantum volet & quibuscum volet, vel solus si ita lubet. Est enim quisque rex domi suæ. ¶ ἵνα μὴ εἰς κρῖμα συνέρχησθε· *ut non in judicium conveniatis*] Ne ea quæ in conventibus vestris perperam fiunt, causa vobis sint mali. ¶ Τὰ δὲ λοιπὰ, ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι. *Cætera autem cum venero, disponam*] Apostoli jus habebant constituendi quæ ad conventuum εὐταξίαν [*rectum ordinem*] & ad λειτουργίαν [*ministerium*] pertinebant. Vide supra VII, 17. infra XVI, 1. ubi idem est verbum. Hæc origo est *Canonum* qui dicuntur *Apostolici*, qui ab ipsis non quidem conscripti, sed in usum introducti fuere.

CAP. XII.

VALLA.

3. NEMO *in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu, & nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu S.*] Græce & pro *Jesu* & pro *Dominus Jesus* utrobique est casus accusativus, Ἰησοῦν, Κύριον Ἰησοῦν.

10. *Alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum*] Aliquis existimans non recte bis scribi *linguarum*, mutavit in *sermonum*, γλωσσῶν. Quod probat id quod paulo post sequitur v. 30. *Numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* videlicet *linguas*. Et iterum cap. 14. 5. *Nam major est qui prophetat quam qui loquitur linguis, nisi interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.* Ergo *interpretatio* ad *linguas* refertur: ut errent qui ajunt hanc *interpretationem* pertinere ad *prophetiam*, veluti si quis è Græco aut Hebræo in Latinum, aut è converso interpretetur: & illam aliam interpretationem, quæ ad sensum profundum eruendum pertinet, habere donum linguarum. Hæc peccant qui Græca ignorant.

13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi sive Gentiles, sive servi sive liberi: & omnes in uno Spiritu potati sumus*] Gr. *in unum Spiritum*, εἰς ἓν πνεῦμα· aut si transferre volumus *in uno Spiritu*, necesse est ut per ablativum & illud transferamus, *in uno corpore. Sive Judæi sive Gentiles* dicendo, parum constans est interpres, qui eandem dictionem nunc *Græci*, nunc *Gentiles* transfert.

25. *Sed in idipsum pro invicem solicita sint membra*] Melius in quibusdam cod. legitur *idipsum* sine præpositione: ut nihil dicant qui exponunt *in unitatem corporis*. Sed nonnihil causæ in interprete est, qui maluit dicere *solicita sint* quam *curent*. Ego sic transferrem, *sed idem mutuo curent membra*, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι τὰ μέλη.

26. *Sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*] Legendum est non, ut quidam sentiunt, quod *de bonis suis gaudeat*, quemadmodum de homine gloriabundo dicimus quod *gloriatur*, sed ut est apud Johannem 12. 28. *Clarifica nomen tuum. Et clarificavi, & iterum glorificabo*, δοξάσω· nam idem est verbum δοξάζεται. Ergo dicendum fuit, *Sive clarificatur, sive honorificatur.*

27. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*] Quid est *membra de membro?* Græce autem est *membra ex parte*, videlicet quod omnes qui boni sumus, sumus membra Christi ex parte, μέλη ἐκ μέρους. Forsitan Interpres incuria deceptus est, quod putavit scriptum ἐκ μέλους, λ pro ρ legens.

REVIUS in VALLAM.

26. LEgendum est] *Intelligendum*, ni fallor.

27. *Forsitan Interpres incuria deceptus est, quod putavit scriptum* ἐκ μέλους, *λ pro ρ legens*] Imo fortasse cod. Græcum nactus est in quo sic scriptum erat: nam & ita citatur ab Epiphanio Hæres. 66. p. 332.

ERASMUS.

1. DE *spiritualibus autem*] Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν. Incertum an sentiat de *donis Spiritus*, ut interpretantur D. Chrysostomus, Theophylactus & Ambrosius, an de *psallendo spiritu*, de quo videtur nata fuisse quæstio.

2. *Cum Gentes essetis*] Græci paulo diversius habent, ὅτι ἔθνη ἦτε πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα, ὡς ἂν ἤγεσθε, ἀπαγόμενοι, *quod Gentes fuistis ad simulacra muta, utcunque ducebamini, abeuntes*, sive *abducti*, aut, quod malim, *sequentes*. Nam si ὅτε legas, sermo penderet, nisi placet participium verbi loco positum esse, ἀπαγόμενοι pro ἀπήγεσθε. Neque enim participium ἀπαγόμενοι simpliciter adhæret nomini ἔθνη. Porro periphrasin Interpretis non improbo. Ambrosius legit, *cum Gentes eratis, simulacrorum forma euntes, prout ducebamini.* Quanquam hic puto superesse conjunctionem *cum*: id quod propemodum liquet ex illius interpretatione, cujus verba subscribam, si quis forte requiret, *Spiritualia*, inquit, *illis traditurus, exemplum prioris conversationis memorat, ut sicut simulacrorum fuerunt forma colentes idola, & ducebantur duce voluntate dæmoniorum, ita & colentes Deum, sint forma legis Dominicæ.* Hactenus ille. Revocat enim illis in memoriam quod aliquando fuerint Gentes, id cum jam esse desierint, admonet aliis moribus esse vivendum. Augustinus lib. Adv. Faustum 21. cap. 8. locum hunc ita refert, *Scitis quando Gentes eratis, ad simulacra sine voce quomodo ascendebatis inducti?* Satis liquet hunc interpretem legisse pro ὅτι ὅτε. Et haud scio an pro *ascendebatis* scriptum fuerit *incedebatis*. Porro quoniam vertit *inducti*, legisse videtur ἐπαγόμενοι pro ἀπαγόμενοι.

3. *Dicit anathema Jesu*] Λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν, *dicit anathema Jesum*, accusandi casu, i. *dicit Jesum esse anathema*, h. e. maledicit & exsecratur Jesum. Probabile est autem ita legisse & Ambrosium, vel hoc argumento, quod proxima pars adhuc casu mansit incorrupta, *Nemo potest dicere Dominum Jesum*. Certe ita refert Hilarius lib. De Trin. 8. juxta fidem vetustissimi codicis. ¶ *Et nemo potest dicere, Dominus*] Hieronymus in Johelem legit *Dominum Jesum*, atque item Hilarius lib. De Trinit. 2. Rursum Ambrosius lib. De Vocatione Gentium 2. cap. 2. rursum in Commentariis hunc ipsum enarrans locum sic adducit. Item lib. De Spiritu S. 1. cap. 10. Itidem Origenes in Genesim hom. 17. quemadmodum hodie legitur in omnibus Græcorum codicibus, δύναται εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν· ut opponatur ei quod supra dixit, *dicit anathema Jesum*, h. e. vocat illum anathema. *Neque rursus quisquam eum Dominum vocat, nisi*, &c. Sic enim veteres loquebantur, *Anathema sit*, quoties vitandum hominem significarent.

4. Ex hoc capite & proximo licet conjicere quæ fuerint dotes illius veteris Ecclesiæ Christianæ, prius quam tot ceremoniis, opibus, imperiis, copiis, bellis, aliisque id genus esset onerata. Nunc

Nunc fere tot præclara munia ad unam Potestatem redacta sunt, h. e. Christi titulo palliatam Tyrannidem. Quid enim est aliud potestas nisi adsit animus Apostolicus? ❡ *Divisiones gratiarum*] Χαρισμάτων, *donorum*: sic vertit Hieronymus in Epistolis & aliis item locis. Augustinus in libello De Præscientia Dei ad Dardanum, legit *divisiones donationum*. Sed χάρισμα est *donum gratuitum*: nam à *gratia* nomen habet.

6. *Divisiones operationum*] Ἐνεργημάτων quod non significat simpliciter *operationem*, sed *vim* quandam & *efficaciam* qua Deus agit in nobis. Sequitur enim mox ἐνεργῶν τὰ πάντα & paulo post ἐνεργεῖ, quod vertit *operatur*. Quanquam, ut dixi, aliud quiddam sonat Græcis; & *agit* magis quam *operatur*.

7. *Ad utilitatem*] Πρὸς τὸ συμφέρον, *ad id quod expedit*: ita vertit Hieronymus in Quæstionibus ad Hedybiam, ac rursum l. 2. adv. Jovinianum. Magis autem sonat ad verbum *ad id quod confert*: etiamsi recte vertit Interpres.

9. *Gratia sanitatum*] Χαρίσματα ἰαμάτων *dona sanationum*. ❡ *In uno Spiritu*] Ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι, *in eodem Spiritu*, seu potius *per eundem Spiritum*.

10. *Operatio virtutum*] Ἐνεργήματα, i. *operationes*, & magis, ut dictum est, *efficacia*. ❡ *Discretio spirituum*] Διακρίσεις *discretiones*. Interpres legit διάκρισις, tametsi ad sensum nihil refert. ❡ *Alii interpretatio sermonum*] Γλωσσῶν quam vocem modo verterat *linguas*, nunc vertit *sermones*. Nam Græci repetunt utrobique vocem eam γλωσσῶν. *Alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum.* Ita citat hunc locum Augustinus Adv. Faustum lib. 12. cap. 8. ex vetusti codicis fide manu descripti. Sic certe legisse Theophylactum ex ipsius liquet interpretatione, cum ait, *Nam doctrinæ gratia longe est excellentior: & simplex variis linguis loquendi donum plurimum antecedit linguarum interpretatio.* Quanquam aliquanto post repetens ordine dotes Spiritus, extremo loco recenset *genera linguarum* & *interpretationes sermonum*. Licet hæc posterior tantum apud Latinos illic addatur.

11. *Hæc autem omnia operatur*] Ἐνεργεῖ. Magis *efficit* quam *operatur*. Et *efficit* per occultam vim in nobis. D. Hilarius velut conans exprimere Græcam vocem, aliquoties vertit *inoperatur*, nominatim lib. De Trin. 8. ❡ *Unus & idem*] Τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτό. Articulus additus facit ut de certo Spiritu intelligamus. Proinde nos vertimus *unus ille atque idem Spiritus*. ❡ *Dividens singulis*] Διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ, *dividens privatim* (sive *peculiariter*) *unicuique*: quod Hieron. in Dialogo 1. adv. Pelagium vertit *proprie*, sive *propria*. ❡ *Prout vult*] Sermo Græcus habet amphibologiam, Διαιροῦν ἑκάστῳ καθὼς βούλεται, *dividens cuique ut vult*. Nam verbum *vult* referri potest ad *Spiritum dividentem* & ad Hominem cui dividitur, ut si Latine dicas, *impartiens cuique prout vult*. Anceps enim est utrum sit *ut vult ipse* an *vult quisque*. Atque in hunc posteriorem sensum alicubi torquet locum hunc Origenes enarrans Epist. ad Romanos, innuens in nobis situm ut quam plurimum gratiæ nobis impertiat Deus. Quin & apud Græcos additur vox ἰδίᾳ, quam Interpres non reddidit. Eam si vis adverbii vim habere, vertendum erat *dividens peculiariter*, sive *privatim*: sin malis nomen esse, transferendum erat, *dividens propria cuique*, sive *sua cuique*. Atque ita quidem adducit Augustinus lib. De Trinitate & Unitate Dei, c. 8. *dividens propria unicuique prout vult.* Totus autem hic sermo Pauli distributionibus, dictionum earundem iterationibus, idque nunc in principio, nunc in medio, nunc in fine, membris incisis, comparibus similiter cadentibus ac desinentibus, periodisque floridus est.

13. *Sive Gentiles*] Εἴτε Ἕλληνες id est, *Græci*: ut legit Ambrosius, de quo jam frequenter admonuimus. ❡ *In uno Spiritu*] Gr. *in unum Spiritum potati sumus*: sicut superius vertit *in unum corpus*, εἰς ἓν σῶμα. Ad eundem modum legit Ambrosius, Græca secutus exemplaria. Cæterum aliquanto superius miscuit diversas præpositiones, εἰς & ἐν. Καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν, *Etenim in uno Spiritu* (sive *per unum Spiritum*) *nos omnes in unum corpus baptizati sumus.* Quod si complexim legas, sensus erit, *Nos omnes Baptismo facti sumus unum corpus, idque per Spiritum omnibus communiter impertientem se*: sin divisim, subaudiendum erit verbum substantivum *sumus*, *Etenim in uno Spiritu sumus nos omnes.* At prior lectio mihi magis arridet. ❡ *Potati sumus*] Est quidem Græce ἐποτίσθημεν, *poti* (sive *potati*) *sumus*, sed ut *potatus* intelligatur is cui potus est datus. Sensum eleganter expressit Ambrosius, legens, *& omnes unum Spiritum potavimus.* Itidem legit Augustinus. Siquidem ποτίζεσθαι Græcis dicitur quod *irrigatur*; *combibitur* autem quicquid est liquidum. Proinde nos, quo dilucidiores essemus, vertimus, *eundem Spiritum hausimus.* In nonnullis exempl. pro *potati sumus* depravatum comperi *vocati sumus.* Tanta est librariorum audacia.

21. *Non estis mihi necessarii*] Χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω quod modo verterat, *opera vestra non indigeo.*

22. *Necessariora sunt*] Ἀναγκαῖα, *necessaria*, per positivum, non comparativum: nam comparatio redditur per *magis*. Certe juxta Græcorum codices citat Augustinus serm. 53. *Et quæ inhonesta sunt nostra, magis necessaria sunt.* Rursus Adv. Faustum lib. 27. cap. 8. Itidem Ambrosius libro quem inscripsit *De Noe & Arca*, cap. 8. Quanquam μᾶλλον pro *potius* accipi potest, ut corrigat verius quam comparet, sitque sensus, *Ea membra quæ putantur inhonesta, necessitate commendari & usu.* Nec enim apparet hoc sentire Paulum, membra pudenda quæ vocantur, esse magis necessaria cæteris, sed satis esse quod necessaria sint corpori, ad hoc ne putentur negligenda.

23. *Et quæ putamus ignobiliora*] Non reddidit Interpres festivam vocum allusionem ἀτιμότερα & τιμὴν, i. *inhonoratiora* & *honorem*. Pro ἀτιμότερα Augustinus legit *viliora*. ❡ *Et quæ inhonesta sunt nostri*] Ἀσχήμονα & εὐσχημοσύνην, i. *immodesta* sive *indecora*, & *modestiam* sive *decus*. Ambrosius legit, *Et quæ inferiora sunt nobis, reverentiam abundantiorem habent.* Verum haud scio an locus mendo vacet.

24. *Nullius egent*] Οὐ χρείαν ἔχει, *non habent opus*: ut subaudias *eo honore addito*. ❡ *Temperavit*] Συνεκέρασε *contemperavit*, h. e. simul moderatus est & miscuit membra temperatura quadam, ut sibi mutuo sint auxilio. ❡ *Et cui deerat*] Τῷ ὑστεροῦντι quod vertere solet *deficit*: sed hic sane bene reddidit.

25. *Ut non sit schisma in corpore*] Græcam vocem reliquit *schisma*: vertere poterat *dissidium*. ❡ *Sed in idipsum*] Ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι τὰ μέλη, *sed idem mutuo curent membra*: ut τὸ αὐτὸ parem indicet omnium membrorum solicitudinem.

26. *Sive gloriatur*] Δοξάζεται *glorificatur*, h. e. honore afficitur. Interpres videtur *gloriatur* dixisse pro *gloria afficitur*. Thomas Aquinas interpretatur GLORIATUR *vigoratur*: ut sentire possis eum nonnihil offensum fuisse hoc loco. Certe *glorificatur* legit Ambrosius cum Græcis consentiens. Et in eum sensum interpretatur Theophylactus. Ad eundem modum legit Augustinus tractatu in Epist. Johannis tertio, nec legit solum, verum etiam de *glorificatione* interpretatur. Rursus Adv. Faustum lib. 21. c. 8. Iterum Epist. 124. Rursus Posidonius sive Possidius in ejus Vita cap. 7.

27. *Membra de membro*] Μέλη ἐκ μέρους, *membra ex parte*. Hoc dicit, quod Corinthii non essent omnia membra corporis, sed aliqua pars membrorum. Quanquam Ambrosius legisse videtur ἐκ μέλους. Est autem facilis in hisce literis lapsus ob affinitatem vocum μέλους & μέρους, præsertim si accesserit aliquis Labdacismus. Ad eundem modum legit D. Thomas, trifariam hunc enarrans locum. Cæterum ille sensus minus est coactus, ut intelligamus *membra de membro*, h. e. aliud membrum ab alio pendere mutua connexione. At superiorem lectionem sequitur Theophylactus, quem versum Latine falsissimo Athanasii titulo quidam ediderant. Idque negant esse factum temeritate librariorum, sed astutia studioque ipsius Christophori Personæ, qui vertit hoc opus. Testatur id etiam codex ille quem Christophorus Sixto Pontifici hujus nominis IV. pulcre depictum obtulit. Titulum majusculis miniatis præfixerat Athanasii, cum in præfatione nec Athanasii nec Theophylacti faciat mentionem. Videtur itaque fucum fecisse Pontifici. Hæc scribunt qui codicem in bibliotheca Pontificia asservatum viderunt. Origenes hom. in Lev. 7. adducit hunc locum juxta id quod in Græcorum legitur codicibus.

28. *Et quosdam quidem*] Καὶ οὓς μέν. Articulum postpositivum Paulus aliquoties usurpat pro præpositivo in distribuendo. Verum hic non habet quod respondeat; cujusmodi multa sunt apud hunc Apostolum. Nam quod Faber Stapulensis mutat *quosdam* in *suos*, ut οὓς positum sit pro ἑοὺς, non est probabile, præsertim in oratione soluta, maxime cum nullum nomen adhæreat pronomini: alioqui dixisset τοὺς αὐτοῦ. Vitari poterat incommodum anapodoti, si primam particulam hujus divisionis conjunctim legas ad hunc modum, καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν ἐκκλησίᾳ, πρῶτον ἀποστόλους ut totum hoc unum efficiat ordinem: deinde succedat, δεύτερον προφήτας ut quod cœperat dicere per οὓς, postea mutata voce dicat per δεύτερον & ἔπειτα.

Quod

Quod ita explanatius efferri poterat, *Et alios quidem constituit primo loco, nempe Apostolos; alios secundo, nempe Prophetas; alios tertio, nempe Virtutes*, atque item de cæteris. ¶ *Opitulationes*] ἀντιλήψεις *subventiones*, sive *subsidia*: quod alibi vertit *suscipere*: est autem ἀντιλαβέσθαι *conantem porrecta manu adjutare.* ¶ *Interpretationes sermonum*] Non legitur apud Græcos hoc loco totum hoc, ac ne in vetustis quidem Latinorum codicibus, nominatim iis quos nobis exhibuit Collegium S. Donatiani Brugis, nec in duobus quos exhibuit hac editione Collegium Ecclesiæ Constantiensis. Idem enim videtur cum illo γένη γλωσσῶν, i. *genera linguarum*, quod modo recensuit. Opinor *interpretationes sermonum* adjectum ab interprete quopiam, aut, ut isti loquuntur, postillatore, quod postea traductum sit in contextum sermonis; præsertim cum ne mentio quidem hujus particulæ apud ullum Græcum interpretem reperiatur. Quanquam, ne quid dissimulem, Ambrosius legit quemadmodum nos vulgo legimus, nec legit solum verum etiam interpretatur. Deinde paulo post repetens hos gradus, hoc loco duos reddit, non unum. *Numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* nisi forte hæc duo velut inter se cognata unius loco posuit: ut interim dissimulem quod toties jam ἰαμάτα vertit *sanitates* pro *sanationes*: nam ἴαμα apud Græcos non est nisi *sanatio*.

31. *Æmulamini autem charismata*] Ζηλοῦτε τὰ κρείττονα χαρίσματα, *æmulamini potiora dona*, i. Ad ea nitamini dona Spiritus quæ sunt eximia. Non dixit μείζονα *majora*, sed κρείττονα *potiora*, quæque magis conducunt ad publicam utilitatem. Hic *charismata* reliquit vocem Græcam. D. Hieronymus Adv. Jovin. lib. 2. vertit *dona*, malens Latine loqui quam Græce. Nec est otiosa conjunctio δὲ. separat enim Charitatem à turba cæterorum donorum. Alia contingant aliis, cæterum *vos ea sectemini quæ sunt potiora.* ¶ *Excellentiorem viam*] Καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν, *excellentem viam*, sive *eximiam & egregiam viam.* Ambrosius legisse videtur ἔτι μᾶλλον vertit enim *magis excellentiorem.* Porro ut noster Interpres verterit per comparativum ἔτι *insuper* fuit in causa, quod aliquoties vim habeat comparativi.

VATABLUS.

1. Autem*] * *Fratres.*

2. *Muta prout ducebamini, euntes*] *Multa ducebamini, tanquam illi qui abducuntur*: vel, *muta utcunque ducebamini, sequentes.*

3. *In Spiritu*] Hebr. *per Spiritum.* ¶ *Jesu*] *Jesum*, Vet. i. maledicit & exsecratur Jesum. ¶ *Dominus Jesus*] *Dominum Jesum*: i. fateri Jesum esse Dominum.

4. *Vero*] *Autem.* ¶ *Gratiarum*] Vel, *donorum.*

5. *Ministrationum*] Vel, *ministeriorum.*

6. *Operationum*] Vox Græca significat *vim quandam & efficaciam qua Deus agit in nobis.*

7. *Ad utilitatem*] *Ad id quod confert*, seu, *expedit.*

8. *Scientiæ*] Vel, *peritiæ*: i. perite loquendi.

9. *Fides*] Qua sc. possit edere miracula. *Si habueritis*, inquit, *fidem sicut granum*, &c. ¶ *Gratia sanitatum*] *Dona sanationum, per eundem Spiritum.*

10. *Operatio virtutum*] *Efficacia potentiarum*: i. Vis edendi miracula. ¶ *Discretio*] *Discretiones.* ¶ *Sermonum*] Vel, *linguarum.*

11. *Operatur*] *Efficit.* ¶ *Singulis*] *Privatim*, sive, *peculiariter, unicuique.*

12. *Corporis**] * *Unius.* ¶ *Christus*] Id est, *Ecclesia*, inquit Theophilus.

13. *In uno Spiritu omnes nos in unum baptizati sumus*] i. Tincti sumus per unum Spiritum ut unum corpus simus. ¶ *Gentiles*] *Græci.* ¶ *In uno Spiritu potati sumus*] *Unum Spiritum potavimus*, Vet. vel, *in unum Spiritum potati sumus*: i. hausimus unum Spiritum.

17. *Oderatus*] *Olfactus.*

18. *Eorum**] * *Singulatim.*

22. *Infirmiora esse, necessariora*] Vel, *imbecilliora esse, necessaria.*

23. *Ignobiliora*] *Minus honesta.*

24. *Nostra*] *Nostri*, & infra. ¶ *Nullius eget*] *Non habent opus*: sub. *eo honore addito.* ¶ *Temperavit*] *Contemperavit*: i. simul moderatus est & miscuit membra temperatura quadam ut sibi mutuo sint auxilio.

25. *Schisma*] *Dissidium.* ¶ *In idipsum pro invicem solicita sint membra*] *Invicem alia pro aliis eandem solicitudinem gerant.*

26. *Et*] *Et* pro *itaque.* ¶ *Sive gloriatur*] *Et si glorificatur*: vel, *honorificatur.*

27. *De membro*] *Ex parte*: i. non estis omnia membra corporis sed aliqua pars.

28. *Virtutes*] *Potestates* posuisse videtur pro Magistratibus. ¶ *Opitulationes*] *Subsidia*: vel, *subventiones*: i. Diaconos aliosque qui negotiis Ecclesiasticis opitulantur.

30. *Linguis*] Sub. *peregrinis.*

31. *Æmulamini autem charismata meliora*] *Sectemini vero dona potiora*: i. ad ea nitamini dona Spiritus quæ sunt eximia.

CASTALIO.

2. Scitis, *cum extranei essetis*, &c.] Ad verbum sic legitur, *Scitis ut cum extranei essetis, ad mutos deastros ut duceremini*, Οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι ubi ὅτε & ὡς idem valent. Itaque sic Latine possit utrumque exprimi, *Scitis ut cum extranei essetis, ut, inquam, ad mutos*, &c. Sed quia hujusmodi particulas cum verbo *inquam* non solent Latini repetere, nisi post interjecta multa verba, ne quod verbum jam positum est, & adhuc pendet, memoria excidat, nisi iteretur; quoniam, inquam, id fieri solet memoriæ gratia, ego hoc loco, ubi memoriæ nullum erat periculum, quippe paucis verbis interjectis, eam particulam iterandam non putavi. Ἂν autem hoc loco supervacaneum est, ut sunt nonnulla apud Paulum. ἤγεσθε ἀπαγόμενοι pro ἤγεσθε καὶ ἀπήγεσθε, quod idem est: de quo Genes. 1. scripsimus.

3. *Neminem esse qui Divino afflatu loquens*, &c.] Quemadmodum quisquis Jesum verbis exsecratur, nec Dominum agnoscit, is Divini Spiritus expers est; ita quisquis Dominum agnoscit, is S. Spiritu præditus est: ut intelligatis non eos solum Divinitus afflari qui peregrinis linguis loquuntur, & cætera prodigiose faciunt. Est autem hujusmodi argumentatio, *Ex animi abundantia os loquitur: Si malus est animus, male loquitur os; itidem si bonus, bene*: & contra, *Si male loquitur os, malus est animus; sin bene, bonus, & Divinitus impulsus.* Hinc apparet Paulum de ea oris oratione loqui quæ dicitur ab animo, cum id dicatur quod sentitur; non quæ simulata sit & ab animo dissidens. Quod autem de Divinis & spiritualibus rebus loquitur, adhibenda distinctio est; Quicquid præclare agunt homines, id agunt Divinitus, ut apparet apud Mosem in Bezelele Tabernaculi fabricatore, quem dicit *Deus se implevisse suo Spiritu ad id opificium.* Item Esai. 28. ubi *agricolam* dicitur *docere Deus.* Ita si quis domum bene ædificat, agrum egregie colit, aut quidvis aliud prudenter facit, id habet Divinitus. Sed hoc loco Paulus non de his loquitur Spiritus S. donis: nec enim hæc *Divina* dicuntur, cum industria humana & labore comparentur, & fuerint etiam vulgaria ante effusum à Christo Spiritum in Christianos. Itaque si quis lingua peregrina loquitur quam longo labore didicerit, hujus ego loquendi scientiam non vocabo Divinam & πνευματικὴν, non magis quam Regis Mithridatis, aut Cleopatræ, aut aliorum qui multas linguas didicerant. Sed *Divina* vocat Paulus ea de quibus loquitur in Johannis 7. Christus, ubi dicit Johannes, *Nondum erat Spiritus sanctus*, h.e. Nondum homines afflaverat ut ea facerent quæ hic commemorat Paulus: quæ quia docet Spiritus ex tempore, & fiunt Divinitus ac contra naturam, *Divina* dicuntur. Igitur si quis Medicus morbum herbis aut alia ratione naturali curat, eam scientiam *humanam* dixeris, cujus tamen dator sit Deus, quippe omnium autor bonorum: Sin Petrus aut Paulus ægrotum nominato Jesu curat, id *contra naturam* & *Divinum* dicito. Item si Cicero Græco sermone, in quo discendo multum elaboravit, loquitur, humanum est; at si Petrus, homo piscator & parum literatus, Latine aut Germanice loquitur, cum nunquam didicerit, id Divinum est.

13. *Unum in corpus loti sumus*] h.e. Ut unum corpus efficeremur. Vocat autem *unum Christiana republica corpus*, cujus caput est Christus; quomodo *unum republica corpus* dicitur, cujus corpus est Magistratus, aut populi Rex, aut conjugum Maritus. Itaque paulo post dicit, *Vos vero aliquatenus Christi corpus estis*: ut intelligatur figuratam esse locutionem.

CLARIUS.

1. **D***E spiritualibus autem*] Subjectum loci hujus tale est; Ii qui apud Corinthios crediderant donati erant spiritualibus donis, ut alii linguis loquerentur, alii prophetarent, alii alia dona assequerentur: Accidebat autem ut apud eos etiam essent ii qui Vates dicerentur ac falsi Prophetæ, ut ignoraretur interdum qui à Spiritu S. aut qui à Dæmone ageretur. Quoniam igitur hæc eos perturbabant, dicit Apostolus quæ sint Vatis, quæve Prophetæ signa. *Vos*, inquit, *ipsi testes estis, ut cum Gentiles adhuc essetis agebat in Vobis Dæmon, cum insanientes & repleti furore Dæmonii duceremini ab eo ad eorum simulacra*, quasi Divinitatis aliquid in se haberent. Primum igitur differentiæ signum inter utrosque est, Quod veri Prophetæ cum futura prædicunt non insaniunt, falsi vero in furorem aguntur & extra se fiunt, tanquam vi acti à movente illos Dæmone. Alterum signum est, *Quod nemo in spiritu Dei loquens dicit Anathema Jesum*, h. e. Nihil blasphemum proferunt veri Prophetæ, sed de Deo quam optime loquuntur; at illi alii blasphemas & minime decentes voces proferunt. Cum ergo audis aliquem appellantem DOMINUM *Jesum* (quod reverentiæ signum est) intellige illum loqui per Spiritum sanctum.

4. *Divisi[ones] vero donorum*] Ex illa superiorum verborum occasione ingreditur ad commemoranda dona Spiritus S. & corrigit eorum errorem in hac parte, cum inter eos esset quædam æmulatio in his donis. Quas autem appellavit *gratias*, easdem & *ministrationes* & *operationes* vocat, docens non debere se in iis illos extollere, neque qui minus acceperit dolere, quando quo majus quis donum habet, major etiam illi labor imperetur. Cum vero ab eodem proficiscantur hæc Domino, pari se honore dignatos existiment, præsertim cum ad utilitatem cuique ista dentur.

8. *Sapientiam* hic accipe præstantius quid, ut quod habebant Apostoli; *scientiam* vero, ut quam habebant idiotæ fideles, qui sciebant quidem, sed docere alios non erant idonei. ¶ *Alii fides*] Non communem hic fidem intelligit, sed præcipuum quoddam donum, quod & Apostoli postularunt cum rogarent *augeri sibi fidem*.

10. *Operationes virtutum*] Ut excæcatio Elymæ magi, Ananiæ & Saphiræ mors. ¶ *Discretio spirituum*] Qua scitur quis Propheta sit verus, quis falsus.

12. *Sicut enim corpus unum est*] Docet hoc pulcerrimo corporis ac membrorum exemplo, unum nos esse, tametsi diversa acceperimus dona; neque debere qui majora accepit insolescere, neque qui minora tristari.

13. *Etenim in uno Spiritu*] Ut sciamus, inquit, nos unum corpus esse, idcirco unum Spiritum accepimus. Et quod ait, *uno poculo potati sumus*, accepta Metaphora est à plantis quæ ab uno fonte irrigantur.

27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte*] Omnes quidem qui ubique sunt fideles *corpus sunt Christi*, *vos vero*, Corinthii, *membra ex parte*: non enim soli vos estis totum corpus, sed membra, idque ex parte.

28. *Deinde virtutes*] Δυνάμεις, quod plura & majora complectebatur quam *donum sanationum*. ¶ *Opitulationes* vero, ut susceptio ac cura imbecillium & infirmorum. ¶ *Gubernationes* simile aliquid est.

31. *Charismata potiora*] h.e. Utiliora. Alii legunt per interrogationem, sic, *Amatis meliora charismata? ecce vobis excellet.* ¶ *Et adhuc his excellentiorem*] Hoc dicit quod de Charitate facturus est verba: nam Charitas omnibus & donis & bonis excellentior est.

ZEGERUS.

2. **S***Citis quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes*] Proxime quidem interpretans Græcam expressit veritatem: verum utrobique incompleta est oratio, quam absolvet si ad calcem subaudiatur *essetis*, quod quia durius repeteretur, subaudiendum relinquitur.

3. *Ideo notum vobis facio*] Dixerat jam illos necdum conversos à spiritu maligno ad simulacra adoranda abduci solitos, nunc vero de Spiritu S. disserit, quem qui habuerit, non poterit non simulacra exsecrari, non poterit non fateri Deum esse Jesum. ¶ *Dicit anathema Jesu*] *Nemo ipsi Jesu dicit, Anathema tu es*: vel, *nemo dicit anathema esse Dominum Jesum*: nam Græcis accusandi casus est *Jesum*. *Anathema* autem Græcis *sejunctionem* denotat, *exsecrationem & detestationem*, ab ἀναθεματίζειν, i. *detestari, exsecrari*; vel ab ἀναθεῖναι, h.e. à *seponendo* sive *suspendendo*. Hac voce utebantur Judæi cum extrema aliquem detestatione infamem reddere solerent.

12. *Ita & Christus*] Supplendum est ex superioribus, *unum corpus existens membra habet multa*.

23. *His honorem abundantiorem circumdamus*] i. Decentius cooperimus.

24. *Honesta autem nostra nullius egent*] Naturalem habentia decorem nullo ornatu, cura studiove nostro indigent.

28. *Opitulationes*] *Opitulatio* ab *ope* dicitur, subventio, auxilium. ¶ *Interpretationes sermonum*] Hanc clausulam, ut Græci non habent, nec Latini quidam codices quamvis vetusti, quos emendatos crediderim ad inemendatam amussim Græcam, adscriptam tamen fuisse ab ipso Apostolo arguunt duæ aliæ clausulæ huic respondentes, nempe, *alii interpretatio sermonum*, &, *numquid omnes interpretantur*, quarum illa supra v. 10. hæc ponitur infra v. 30. Hoc idem arguit & Ambrosii commentum, & citatio Augustini in Speculo. Unde admodum probabile est, scribæ Græco (etiam ante Chrysostomi ætatem, qui hoc non habet) imposuisse bis positum vocabulum γλωσσῶν, (nam idem bis ponitur supra γένη γλωσσῶν, ἑρμηνεία γλωσσῶν, v. 10. sicuti & hic bis positum fuisse credo) quorum dum scripsisset prius, reflectens visum ad codicem, [illegible] respexit & prosecutus est quod sequebatur post γλωσσῶν posterius. Cujusmodi occasione & alia nonnulla omissa offendimus. Hinc etiam discere possumus, non semper fidendum esse cod. antiquis, tametsi respondeant Græcis, sed ne Chrysostomo quidem quando ei adversantur vel antiquiores vel plures.

31. *Æmulamini charismata*] *Charisma* Græcum vocabubulum est *donum* significans.

STEPHANUS.

4. **Δ**ιαιρέσεις] *Discrimina*: vel, *Distributiones*.

5. Διακονιῶν] *Ministeriorum*.

6. Ἐνεργημάτων] *Effectionum*: vel, *effectuum*. ¶ Ὁ ἐνεργῶν] *Qui efficit*.

10. Ἐνεργήματα δυνάμεων] *Facultates edendarum virtutum*.

11. Διαιροῦν] *Distribuens*.

23. Καὶ τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει] *Et quæ indecora sunt in nobis plus decoris obtinent*.

24. Τῷ ὑστεροῦντι περισσοτέραν δοὺς τιμήν] *Plus honoris ei dans cui deerat*.

DRUSIUS.

2. **I***Dola muta*] Ut hic εἴδωλα ἄφωνα, sic Hab. 2. 18. vocantur אלילים אלמים, quod Senes interpretantur εἴδωλα κωφά, Sym. vero εἴδωλα ἄλαλα· quæ in idem recidunt. Nam κωφὸς & ἄλαλος *mutus*, i. ἄφωνος. Epitheta hæc optime conveniunt idolis. Etenim *os habent*, ut David ait, *& non loquuntur*. Quare non loquuntur? Quia penitus muta sunt; quia simulacra sunt χειροποίητα, h.e. *opera manuum facta*. Homines autem qui faciunt ea, si os effingere possunt, tamen sermonem dare non possunt: quod solius Dei est.

3. *Dicere Jesum anathema*] Ut Pharisæi, qui eos qui Jesum dicebant verum esse Messiam excommunicabant per genus quoddam excommunicationis, ut quidam volunt, quod peculiariter *anathema* vocant. Si ergo illi erant *anathema* qui Jesum esse Christum dicebant, quanto magis ipse Jesus. Tales non *loquebantur per Spiritum Dei*, sed per spiritum Diaboli. Vide nunc Annotationes Theodori ad h. l. ¶ *Dominus Jesus*] Malim *Dominum Jesum*: ut sensus sit, *neminem posse dicere Jesum Dominum*, i. יהוה, quod est nomen tetragrammaton soli Deo conveniens. Qui ergo hoc dicit, agnoscit Jesum esse verum Deum: quippe tribuit ei nomen quod Deo proprium. Ideo vocatur שם המפורש. Vide Tetragrammaton nostrum. Dicet aliquis, *Quomodo nomen est Deo proprium, quod etiam Angelis attribuitur? siquidem*, vel ipsis Ebræis testibus, *Legatus vocatur de nomine mittentis*. Meo judicio, non Angelus vocatur יהוה, sed idem dicitur Deus facere & Angelus; Deus per Angelum, Angelus nomine Dei. Sic Rex per Legatum suum dicit quæ etiam Legatus dicit, non tamen ideo Legatus vocatur *Rex*. Suum cuique judicium.

10. *Genera linguarum*] Quot linguæ, tot genera earum: nisi per γένη intelligit ipsas matres, quarum filiæ quidem *linguæ* sint, sed non *genera linguarum*. Ut ut sit, qui hæc genera linguarum callent, dicuntur *linguis loqui*, i. γλώσσαις λαλεῖν,

infra

infra c. 14. Distinguenda igitur *scientia linguarum ab interpretatione.* Ut diversa dona sunt, ita qui linguas sciunt, non semper eas bene interpretantur. V. g. scit aliquis linguam Ebræam, & loqui potest Ebraice, non tamen potest interpretari Vet. Instrumentum, quod scriptum lingua illa. Quapropter? Quia non habet donum interpretandi. Contra potest aliquis interpretari S. literas, quanquam non optime, sine scientia linguarum. Intelligentes intelligunt me & quid velim.

26. *Gloriatur*] Scripsit forte *glorificatur.* Nam in Græco δοξάζεται. Honor autem membrorum è vestitu, qui honestus ac decens. Vide supra v. 23, & 24. Quidam *exornatur,* κοσμεῖται. Augustinus tract. 100. in Johannem, *Verbum Græcum, quod est* δοξάσει, *alii* clarificabit, *alii* glorificabit, *Latini interpretes in sua quisque translatione posuerunt; quoniam ipsa quæ Græce dicitur* δόξα, *unde dictum est verbum* δοξάσει, *&* claritas *interpretatur &* gloria. *Gloria namque fit quisque clarus, & claritate gloriosus: & per hoc quod utroque verbo significatur idipsum est. Sicut autem definierunt antiqui Latinæ linguæ clarissimi autores*, Gloria *est frequens de aliquo fama cum laude.*

31. *Æmulamini*] Ζηλοῦτε, i. *studiose affectate.* Sic usurpatur hoc verbum Jac. 4. 2. Ebræi קנא eodem modo usurpant. R. D. Psal. 16. 5. כל־אחד מקנא לחלק חברו *unusquisque zelat partem proximi sui,* i. magno studio affectat aut ambit. Et mox, *Non ego zelo* (sive *affecto*) *partem aliam, quia mecum est pars optima.* Hinc קנאה *æmulatio:* ut in dicto illo, קנאת סופרים תרבה חכמה, *Æmulatio doctorum multiplicat sapientiam.* Hæc est illa ἀγαθὴ ἔρις de qua Hesiodus.

C A M E R O.

10. Ἄλλῳ δὲ διακρίσεις πνευμάτων] Hoc donum nihil aliud fuit quam extraordinaria facultas à Deo indita detegendi & redarguendi fanaticos spiritus. Hoc est quod Apostolus alibi vocat ἔλεγχον· quod temporibus Ecclesiæ primitivæ in cœtibus, etiam privatis hominibus, obtingebat, haud dubie non sine admiratione. Non est enim cujusvis convincere Adversarium: & si quando id contingat homini indocto & cæteroqui hebeti ingenio, res non caret admiratione. ¶ Ἄλλῳ δὲ ἑρμηνεία γλωσσῶν] Hinc concludunt Pontificii, penes Ecclesiæ arbitrium esse interpretationem Scripturæ; sed ridicule, cum eo in loco non agatur neque de Concilio neque de Papa, sed de donis extraordinariis, etiam privatis hominibus indultis, certe singulis seorsim. Deinde, non agitur eo loco de trahenda vera Scripturæ interpretatione, sed de interpretatione γλωσσῶν. Denique agitur eo loco de dono miraculoso: nam multi linguis loquebantur qui non poterunt tamen lingua vernacula explicate enunciare quæ erant prolocuti: unde illa hortatio Apostoli infra 14. 13. *oret ut interpretetur*, h. e. Qui lingua utitur exotica & peregrina, oret Deum ut possit quæ ea lingua effatus est interpretari. Sæpe etiam accidebat ut qui peregrina lingua uti non potuit tamen peregrina lingua loquentis mentem interpretabatur: id quod miraculi magnitudinem augebat.

G R O T I U S.

1. Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν, ἀδελφοί, *De spiritualibus autem, fratres*] Id est, περὶ τῶν πνευματοφόρων, *de iis qui spiritu afflantur,* sive impuro sive sancto. Est enim nomen πνεῦμα [*spiritus*] ad utrumque commune, ut videre est 1 Joh. IV, 1, 2, 3, 6. Sic & infra habes nomen masculinum πνευματικὸς [*spiritualis*] XIV, 37. ¶ οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν. *nolo vos ignorare*] Id est, *immemores esse*, ut supra X, 1.

2. Οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε, *Scitis quoniam cum Gentes essetis*] גוים [*Gentes*], id est, idololatræ. ¶ πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι. *ad simulacra muta prout deducebamini euntes*] *Quomodo ageremini ad idola muta, abducti* nempe à Deo. Ageremini spe discendi futura, *ad idola muta*, id est, ad vates qui illis aderant, ut in Templo Pythio, Amphiarai, Trophonii. Significanter autem dixit *muta idola*, ex Abac. II, 18. ubi in Græco εἴδωλα κωφά, [*simulacra surda*], quod idem est cum ἄφωνα [*muta*], ut daret intelligi, illam vim, qua vates isti sive mares sive feminæ prædicebant quædam quæ deinde eventus comprobabat, aut quædam humanam vim superantia efficiebant, non fuisse à simulacro, ut vocis ita intellectus experte, Psalm. CXIV, 4. sed à dæmonibus qui falsa ista persuasione populum à Deo abducebant. Vide supra X, 20. Non mirum autem si mali isti dæmones multa prædicunt quæ eveniunt, & alia quædam stupenda, Deo sinente, edunt, ideo quod præter ingenii perspicaciam, longam quoque habent rerum experientiam, & cum incredibili sint numero facile latentia rerum futurarum indicia explorant. Vide quæ diximus in Annotatis ad librum IV. de Veritate Religionis Christianæ. Hoc quod tunc cum idololatræ essetis vobis evenit, putate etiam nunc evenire posse. Nam & tales πνευματίας, βακχευτὰς, νυμφολήπτους [*Pythonii vates, Bacchantes, lymphatici*] diabolo instigante ad vestros cœtus possunt accedere, & quædam prædicere quibus exitus respondeat. Interdum id accidisse disces ex Eusebio Historiæ IV, 16.

3. Διὸ γνωρίζω ὑμῖν, *Ideo notum vobis facio*] מודיענא לכון *Doceo vos.* Quærere poterant Corinthii cum res ita se habeat, ut futura prædicere possint & à Deo & à dæmone afflati, quomodo eos dignoscemus? Hac de re eos edocet Paulus, ea quæ sunt legis κατ' ἀναλογίαν [*eadem ratione*] applicans ad Evangelii tempora. ¶ ὅτι οὐδεὶς ἐν πνεύματι Θεοῦ λαλῶν, λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν, *quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesum*] Sicut in Veteri Lege, ut quis Prophetis adscriberetur, non sufficiebat eventus cum prædictis respondens, sed præterea requirebatur ne à vero Deo homines abduceret; ut ostendit collatio locorum, Deut. XIII, 1, 2, 3, 4, 5. & XVIII, 21, 22. sic & sub Novo Testamento præter convenientiam eventus cum prædictis, requiritur ne homines à Jesu abducat. Nam sicut Deus & Dei providentia fundamentum fuit illis temporibus, ita nunc Jesus, sive Deus per Jesum cognitus fundamentum est totius religionis. Vide supra III, 11. Idem plane sensus 1 Joh. IV, 3. λέγειν ἀνάθεμα Ἰησοῦν [*dicere anathema Jesum*], de Jesu חרם dicere, est *ejus nomen exsecrari:* βλασφημεῖν [*blasphemare*] ut est Actor. XXVI, 11. & apud Justinum. *maledicere Christo*, ut est in Epistola Plinii. In Manuscripto est λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦς [*dicit anathema Jesu*] ut sit oratio μιμητικὴ [*dicta alterius imitans*]. ¶ καὶ οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν εἰ μὴ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *& nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu Sancto*] Id est, qui afflatum habet, is si constanter Jesum profiteatur suum esse Dominum cui per omnia parere velit, ne dubitate quin Divino non Satanico afflatus sit Spiritu. Plane idem dicit Johannes dicto jam loco, & Polycarpus in epistola ad Philippenses.

4. Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσί, *Divisiones vero gratiarum sunt*] Post datum discrimen, perquam necessarium cognitu, inter afflatos Divino & afflatos Satanæ spiritu, pergit dicere etiam afflatus Divini esse discrimina, non quod non omnia bona sint, sed quod non omnia omnibus data: & omnia data non ad ornandos singulos, sed ad utilitatem Ecclesiarum. Quod eo pertinet, ut & superbia auferatur & invidia: inculcetur autem modestia & studium omnibus fidelibus inserviendi. ¶ τὸ δὲ αὐτὸ Πνεῦμα· *idem autem Spiritus*] Non distant hæc origine, ut Divina à diabolicis, sed distant effectu. Idem hic Spiritus primordio, sed alius atque alius opere.

5. Καὶ διαιρέσεις διακονιῶν εἰσι, καὶ ὁ αὐτὸς Κύριος, *Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus*] Varia sunt ministeria in Ecclesia: sunt fideles, sunt Diaconi, sunt Presbyteri, sunt Principes Presbyterorum, sunt & horum Principes. Διακονία [*ministratio*] modo nomen est speciei infimæ, ut Actor. VI, 1. modo nomen generis, ut Actor. VI, 4. Roman. XI, 13. & alibi. *Idem Dominus*, id est, eidem Christo omnia hæc servire debere.

6. Καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσίν, *Et divisiones operationum sunt*] Pro diversis ministeriis Deus diversa dabat dona, non tamen omnibus eadem, nec semper: sed quibus & quando ipsi visum, ob causas ipsi, non hominibus cognitas. Ἐνεργεῖν [*operari*] proprium ei rei de qua hic agitur. Matth. XIV, 2. Marci VI, 14. Gal. II, 8. III, 5. Ephes. II, 2. III, 20. De hoc donorum discrimine sic Justinus Colloquio cum Tryphone, Οἱ δὲ λαμβάνουσι δόματα, ἕκαστος ὡς ἄξιοι εἰσι, φωτιζόμενοι διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ τούτου· ὁ μὲν γὰρ λαμβάνει συνέσεως πνεῦμα, ὁ δὲ βουλῆς, ὁ δὲ ἰσχύος, ὁ δὲ ἰάσεως, ὁ δὲ προγνώσεως, ὁ δὲ διδασκαλίας, ὁ δὲ φόβου Θεοῦ [*Qui & dona consequuntur, singuli prout digni sunt, per nomen hujus Christi illuminati: Hic quidem intelligentiæ spiritum consequitur; hic consilii, ille vero fortitudinis; hic sanationis, ille vero præscientiæ; hic doctrinæ, ille vero timoris Dei*]. ¶ ὁ δὲ αὐτός ἐστι Θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. *idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus*] Hæc omnia in iis qui Christum pro Domino habent ab uno procedunt Deo.

7. Ἑκάστῳ δὲ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον. *Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem*] Φανεροῦν est *dare ita ut appareat* גלה Jerem. XXXIII, 6. hinc φανέρωσις [*manifestatio*] *donum conspicuum.* Data sunt, inquit, non ipsorum causa, sed Ecclesiæ.

8. Ω μὲν γὰρ διὰ τοῦ πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας, *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ*] *Dicendi graves sententiæ* quales sunt in Solomonis libris. Hoc donum, ut alia sequentia, alii acquirebant multo labore: Christiani, Deo volente, solo afflatu, ἀπόνως [*citra laborem*]. Est hic σοφία quod in libris Solomonis חכמה [*sapientia*]. Vide supra I, 20. ¶ ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως, *alii autem sermo scientiæ*] Γνῶσις דעת [*Scientia*] est γραμματεία [*literatura*] *cognitio historiarum.* Vide dictum locum I, 20. In libris Solomonis sæpe sic sumitur. ¶ κατὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα· *secundum eundem Spiritum*] Idem hic valet κατὰ [*secundum*] quod ἐν [*in*] in sequentibus. Sic & Græci dicunt αἱ κατὰ τὸ σῶμα ἡδοναὶ [*voluptates corporis*].

9. Ἑτέρῳ δὲ πίστις, ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι, *Alii fides, in eodem Spiritu*] *Fides* hic intelligitur non ea quæ in omnibus Christianis requiritur, sed ea per quam quis credit Deum per se aliquid miri velle facere, ut infra XIII, 2. Matth. XVII, 20. Huc pertinet potestas dæmones ejiciendi. Solebat Deus hoc præmium dare adultæ & bene conservatæ fidei, Marci XVI, 17. ¶ ἄλλῳ δὲ χαρίσματα ἰαμάτων, ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι. *alii gratia sanitatum, in eodem Spiritu*] Hoc *donum sanandi morbos* Presbyteris Ecclesias gubernantibus maxime dabatur. Vide quæ diximus ad Marci XVI, 18.

10. Ἄλλῳ δὲ ἐνεργήματα δυνάμεων, *Alii operatio virtutum*] *Potestas puniendi sontes*, qualis exercita in Ananiam & Sapphiram, in Barjesum, in Hymenæum, & Philetum. Δυνάμεις [*Virtus*] nomen est generale istorum donorum, ut apparet Matth. XI, 21, 23, & alibi. Sed quia alia speciale habent nomen, ideo nomen commune huic dono adhæsit. Supra IV, 20. V, 4. ¶ ἄλλῳ δὲ προφητεία, *alii Prophetia*] *Prædictio futurorum* qualem habuit Agabus Actor. XI, 28. XXI, 11. & multi alii illis temporibus. Horum autem bene exploratorum fiebat matricula: & illorum erat post Apostolos prima dignitas. infra XII, 28. Ephes. III, 5. & IV, 11. ¶ ἄλλῳ δὲ διακρίσεις πνευμάτων, *alii discretio spirituum*] *Dijudicatio qui Prophetæ veri essent, qui falsi*, infra XIV, 29. Id autem fiebat hoc modo. Si à Christo homines non abduceret, annotabantur quæ dixerat, exspectabatur eventus: is si dictis congrueret, adscribebatur ordini Prophetarum. Pari modo de miraculis judicabatur. Nam pro Divinis habebantur, quæ Jesum profitebantur auctorem. Hoc donum videtur maxime datum Præsidibus Presbyterorum qui plures ad eam rem cognoscendam coibant. Huc illud pertinet infra XIV, 24. ἐλέγχεται ὑπὸ πάντων, ἀνακρίνεται ὑπὸ πάντων [*convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus*]. Tertullianus libro de Anima cum de visionibus egisset, *Diligentissime digeruntur ut etiam probentur.* Exemplum talis Conventus qualem dixi ad examinandas prophetias habes dicto Eusebii loco V, 16, 17, ubi voces ἐξεταζόντων [*examinantium*] & ἀποδοκιμαζόντων [*improbantium*] usurpat Apollinaris ut & vocem ἐξελέγχειν [*convincere*]. Eæ partes in Judaïca republica fuerant Synedrii. ¶ ἑτέρῳ δὲ γένη γλωσσῶν, *alii vero genera linguarum*] *Varia linguarum genera* pro hominibus quibuscum res erat. Hoc erat donum Apostolis maxime & Euangelistis datum. ¶ ἄλλῳ δὲ ἑρμηνεία γλωσσῶν. *alii interpretatio sermonum*] Quia fieri poterat, ut non omnes quibus Apostoli aut Euangelistæ loquebantur essent ejusdem linguæ, ideo erant in Ecclesia qui dono sibi divinitus dato eadem aliis interpretarentur, quam ad rem magna opus erat memoria. Vide infra XIV, 5.

11. Πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*] Dei, non diaboli. Agit enim hic de Christum profitentibus. Vide supra 4. ¶ διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. *dividens singulis prout vult*] *Liberrimo Dei arbitratu.* Nemini enim talia dare tenetur. Nec cuiquam singulatim id promisit. ἰδίᾳ hic valet quod Rabbinis פרט. [*particulatim*].

12. Καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἕν ἐστι, *Sicut enim corpus unum est*] Corpus φυσικὸν [*naturale*] puta hominis. ¶ καὶ μέλη ἔχει πολλά, *& membra habet multa*] Singula suis usibus destinata. Vide Galenum de usu partium. Vide & Rom. XII, 4. & supra VI, 15. ¶ πάντα δὲ τὰ μέλη τοῦ σώματος τοῦ ἑνὸς πολλὰ ὄντα ἕν ἐστι σῶμα· *omnia autem membra corporis cum sint multa unum tamen corpus sunt*] Subtiliter dictum: nam cunctæ partes à suo toto non re differunt, sed ratione. ¶ οὕτω καὶ ὁ Χριστός. *ita & Christus*] Nempe cum sua Ecclesia, quæ & ipsa venit sub *Christi* nomine, Rom. IX, 3. Regnum est in Rege & subditis.

13. Καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν· *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*] *In uno Spiritu*, id est, in spem Spiritus ejusdem, sive spiritualium donorum quæ ab eadem omnia origine veniunt, ut dictum est supra 4. Baptismus Fidei est consignatio. Deus autem dat ista dona credentibus & id profitentibus, Marci XVI, 16, 17. εἰς ἓν σῶμα [*in unum corpus*] *ut omnes simul unum essemus corpus.* ¶ εἴτε Ἰουδαῖοι, εἴτε Ἕλληνες, εἴτε δοῦλοι, εἴτε ἐλεύθεροι. *sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi*] Apud Mundum aliquid, apud Christum nihil valent hæc discrimina. Vide supra VII, 12, & sequentibus. Gal. III, 28. ¶ καὶ πάντες εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν. *& omnes in unum Spiritum potati sumus*] Calicem quoque Domini in hanc spem bibimus. Baptismus exteriora corporis lavat: calix irrigat interiora. Sic Spiritus Dei & intus & extra operatur; est pro melle & oleo. Sed in Manuscripto pro his verbis est καὶ πάντες ἓν σῶμα ἐσμέν [*& omnes unum corpus sumus*].

14. Καὶ γὰρ τὸ σῶμα οὐκ ἔστιν ἓν μέλος, ἀλλὰ πολλά. *Nam & corpus non est unum membrum, sed multa*] *Non unum aliquod membrum*, quamvis excellens, *facit corpus, sed cuncta simul*, ut supra 12. Dionysius Longinus, Τῶν γὰρ μελῶν ἓν μὲν οὐδὲν τμηθὲν ἀφ᾽ ἑτέρου τι ἀξιόλογον ἔχει· πάντα δὲ μετ᾽ ἀλλήλων ἐκπληροῖ τέλειον σύστημα σωματοποιούμενον τῇ κοινωνίᾳ, καὶ ἔτι τῷ δεσμῷ τῆς ἁρμονίας περικλειόμενον [*Nullum enim membrum unum à cæteris resectum magni pretii est. Juncta tamen corpus efficiunt, cui neque desit, neque in quo male congruat quidquam*]. Maximus Tyrius in Dissertatione pro vita activa, Ἡ τοῦ σώματος χρεία πολυμερής τε ἐστι καὶ πολυδεής, σώζεται τῇ συμπλοκῇ τῶν μερῶν πρὸς τὴν ὑπηρεσίαν τοῦ ὅλου· φέρουσι πόδες, ἐργάζονται χεῖρες, ὁρῶσιν ὀφθαλμοί, ἀκούουσιν ἀκοαί, καὶ τ᾽ ἄλλα ἵνα μὴ διατρίβω λέγων [*Corporis ratio diversas habet partes, neque paucis eget: quæ dum singula aliquid ad obsequium totius conferunt, totum servatur. Sustinent pedes, operantur manus, vident oculi, audiunt aures, atque ita deinceps, ne sim prolixior*].

15. Ἐὰν εἴπῃ ὁ πούς, Ὅτι οὐκ εἰμὶ χείρ, *Si dixerit pes, Quoniam non sum manus*] Pari festivitate membris humanis sermonem tribuit Menenius apud Livium libro II. qui locus cum hoc conferendus est: & Æsopus apud Maximum Tyrium dicto loco, pedem inducit querentem de onere & id destituere volentem. Significat autem non debere minores invidere majoribus.

17. Εἰ ὅλον τὸ σῶμα ὀφθαλμός, *Si totum corpus oculus*] Quintilianus VIII, 5. *Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cætera membra suum officium perdant.* ¶ ποῦ ἡ ἀκοή; *ubi auditus?*] Non dissimiliter Plotinus, οὐδὲ γὰρ δακτύλων τὸ βλέπειν [*nec enim videre digitorum est*].

18. Νυνὶ δὲ ὁ Θεὸς ἔθετο τὰ μέλη, ἓν ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῷ σώματι, καθὼς ἠθέλησεν. *Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit*] Loco conveniente non ex vi materiæ, sed ad usum totius ἐκ προνοίας [*ex providentia*] ut loquuntur Stoici. Vide Ephes. IV, 15. Plato X. de Legibus: μέρος μὲν ἕνεκα ὅλου καὶ οὐχ ὅλον μέρους ἕνεκα ἀπεργάζεται [*ac proinde non totum partis gratia, sed partem totius gratia efficit*].

19. Εἰ δὲ ἦν τὰ πάντα ἓν μέλος, ποῦ τὸ σῶμα; *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?*] Est enim corpus humanum σύνθετόν τι [*compositum quid*], constans ἐκ συναπτομένων [*è cohærentibus partibus*].

21. Οὐ δύναται δὲ ὀφθαλμὸς εἰπεῖν τῇ χειρί, Χρείαν σου οὐκ ἔχω· *Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo*] Sicut membra ventri indignata subtraxisse suum officium fabulatur Menenius. Manus alimenta præbet corpori in quo est oculus.] ἢ πάλιν ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσί, Χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω. *aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarii*] Non debent qui minores sunt à majoribus contemni.

22. Ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον, τὰ δοκοῦντα μέλη τοῦ σώματος ἀσθενέστερα ὑπάρχειν, ἀναγκαῖά ἐστι. *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt*] Oculo quid aut tenerius aut utilius.

23. Καὶ ἃ δοκοῦμεν ἀτιμότερα εἶναι τοῦ σώματος, τούτοις τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν. *Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus*] Ut ventri & iis quæ sub ventre damus tegmina. Nam multi populi brachiis & pedibus nudis aut ex parte nudis incedunt. Vestitum hic dixit τιμὴν [*honorem*]. Sic annulis damus dactylothecam, arcui corytum, custodiæ diligentioris causa: qui honos quidam. ¶ καὶ τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει. *& quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem habent*] ערוה Interpretes Græci ἀσχημοσύνην [*pudorem*] vocant eas partes quas à pudore nominamus. Eas tanquam mysteria à vulgi conspectu amovemus.

24. Τὰ δὲ εὐσχήμονα ἡμῶν οὐ χρείαν ἔχει. *Honesta autem nostra nullius egent*] Facies quæ in homine pulcherrima, non tegitur, non absconditur, patet omnibus, sicut templi extima.

¶ ἀλλ'

¶ ἀλλ᾽ ὁ Θεὸς συνεκέρασε τὸ σῶμα, *sed Deus temperavit corpus*] Temperamento opus est in corporis membris collocandis. ¶ τῷ ὑστεροῦντι, *ei cui deerat*] *Iis qua minus habent dignitatis*, qualia sunt per quæ fit egestio. ὑστερεῖν [*deesse*] quid sit vide Rom. III, 23. supra I, 7. VIII, 8. In Manuscripto est τῷ ὑστερουμένῳ [*ei cui deerat*]. ¶ περισσοτέραν δοὺς τιμήν. *abundantiorem tribuendo honorem*] Cicero de Officiis I. *Principio, corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quæ formam nostram reliquamque figuram in qua esset species honesta eam posuit in promptu: quæ partes autem corporis, ad naturæ necessitatem datæ, aspectum essent deformem habituræ atque turpem, eas contexit atque abdidit.*

25. Ἵνα μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι, *ut non sit schisma in corpore*] Est figurata locutio pro *ne ullæ partes negligerentur à corpore.* Sic etiam in Ecclesiæ corpore contemni non debent, quibus minus illustria dona contigere, ut expellendi dæmonas, interpretandi. ¶ ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι τὰ μέλη. *sed idipsum pro invicem sollicita sint membra*] *Ut omnia membra in unum consentiant*, quemadmodum Menenius loquitur,

—— Alterius sic
Altera poscit opem res & conspirat amice.

26. Καὶ εἴτε πάσχει ἓν μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη. *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*] Id *consensum membrorum* dixit Plinius, Celsus *consortium*. Plutarchus Bruto, Ὀρθῶς ἐθίζοντος ὁ νόμος τοὺς πολίτας ὥσπερ ἑνὸς μέρη σώματος συναισθάνεσθαι καὶ συναλγεῖν ἀλλήλοις [*Recte hoc quod vult lex, assuefieri cives, ut, quasi ejusdem corporis partes sint, ita & sentiant & doleant omnes, si quid cuiquam evenit mali*]. Chrysostomus de Pœnitentia x. Σώματος γὰρ καὶ μελῶν δίκην ἀλλήλοις ἐσμὲν συνδεδεμένοι· ὅταν δὲ ὁ σώματος κἂν ὁ ποὺς δέξηται τραῦμα, τὴν κεφαλὴν ἐπηρεάζεσθαι ὁρῶμεν. καί τοι τί ταύτης τιμιώτερον; ἀλλ᾽ οὐχ ὁρᾷ τὴν ἀξίαν ἐν τῷ καιρῷ τῆς συμφορᾶς [*Corporis enim & membrorum instar juncti sumus. In corpore ergo, si pes vulneretur, videas vel caput ea re affici. quid est autem capite augustius? tamen, si qua cui oritur calamitas, dignitatis suæ rationem non habet*]. ¶ εἴτε δοξάζεται ἓν μέλος, συγχαίρει πάντα τὰ μέλη. *sive glorietur unum membrum, congaudent omnia membra*] Δοξάζεται [*gloriatur*] hic est *bono aliquo afficitur*, sicut fieri solet eis quos honoramus. Ideo Cyprianus δοξάζεται, quod hic est, vertit *lætatur*.

27. Ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ, *vos autem estis corpus Christi*] *Omnes simul corpus mysticum Christi*, ut capitis. Eph. I, 23. Coloss. I, 18. ¶ καὶ μέλη ἐκ μέρους. *& membra ex parte*] Id est, *singuli membra estis*. Ἐκ μέρους [*ex parte*] pro οἱ καθ᾽ ἕνα [*singuli*], suppressis articulis.

28. Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos*] Illos nempe eminenter sic dictos à Christo, in id vocatos ut prima Ecclesiarum fundamenta jacerent. ¶ δεύτερον προφήτας, *secundo Prophetas*] Prophetæ Apostolis honore proximi. Eph. IV, 11. ¶ τρίτον διδασκάλους, *tertio Doctores*] Διδάσκαλοι [*Doctores*] hic & Actor. XIII, 1, & Ephes. IV, 11. διδάσκοντες [*qui docent*] Rom. XII, 7. sunt illi qui eruditione eminentes multis Ecclesiis instituendis præerant, qualis Titus in Græcia. Vide quæ dicta ad illum ad Romanos locum. ¶ ἔπειτα δυνάμεις, *deinde virtutes*] More Hebræo abstractum pro concreto, ut in sequentibus. Δυνάμεις [*virtutes*] enim hic dicuntur qui habent ἐνεργήματα δυνάμεων [*operationes virtutum*], *jus plectendi sontes.* Vide supra 10. Sic גבורות Hebræis *in potestate constituti.* ¶ εἶτα χαρίσματα ἰαμάτων, *exinde gratias curationum*] *Eos qui morbos sanandi potestatem accepere.* ¶ ἀντιλήψεις, *opitulationes*] Ἀντιλαμβάνεσθαι est *curam alicujus gerere*, ut diximus ad Luc. I, 54. Ea vox cum satis sit generalis hoc loco videtur significare Præsides presbyterii qui populum commonefacere officii sui solebant. Ideoque παρακαλοῦντες [*exhortantes*] dicuntur Rom. XII, 8, ubi dicta vide. Ad hoc quoque Deus dona dabat peculiaria. Græci complutes quod hic est ἀντιλήψεις [*opitulationes*] explicant προστασίας [*præfecturas*]. ¶ κυβερνήσεις, *gubernationes*] Hi sunt qui ποιμένες Eph. IV, 1. ex Syriaco פרנסא [*Pastores*], οἱ προϊστάμενοι [*præsides*]. Rom. XII, 8. & alibi πρεσβύτεροι [*Seniores*], qui singulas regebant Ecclesias. ¶ γένη γλωσσῶν. *genera linguarum*] Non omnes omnibus linguis loquebantur, ut Apostoli ex usu Gentium, sed alius hac, alius illa, & quidem tali, quam nunquam didicerat.

29. Μὴ πάντες ἀπόστολοι; *Numquid omnes Apostoli?*] *Non omnia possumus omnes.*

30. Μὴ πάντες διερμηνεύουσι? *Numquid omnes interpretantur?*] Interpretare ut supra 10. ¶ Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, *Æmulamini autem charismata meliora*] *Agite cum Deo precibus*, ut à Deo accipiatis dona optima, id est, maxime utilia. Nam ζηλοῦν hic est *expetere*, ut & infra XIV, 39. Sic & Sap. I, 12. In Manuscripto pro κρείττονα [*meliora*] est μείζονα [*majora*]. ¶ καὶ ἔτι καθ᾽ ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι. *Et adhuc excellentiorem viam demonstro*] *Viam vobis ostendam qua nosse possitis quæ sint utilissima.* Quanquam id forte opus non est, quia ipsa experientia id vos docet. Ideo dixit καθ᾽ ὑπερβολὴν, id est, ut Jurisconsulti loquuntur, *ex superabundanti.* יותר [*amplius*] ut Rabbini.

P R I C Æ U S.

Com. 1. Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν, &c.] Quod attinet autem ad, &c. Sic supra 8. 1. & infra 16. 1, & 12. Πνευματικῶν exponit Vir summus πνευματοφόρων. De personarum donis malim ego quam de personis intelligi, suppleo itaque χαρισμάτων, ut Rom. 1. 11. & infra hic com. 4. Sic & πνευματικὰ (χαρίσματα nempe) absolute infra hic 14. 1.

Com. 2. Οἴδατε ὅτι ἔθνη ἦτε] Idem ad Titum 3. 3. ἦμεν γάρ ποτε, &c. ubi dicta vide.

Ibid. πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα, ὡς ἂν ἤγεσθε, ἀπαγόμενοι] P. Chrysologus Serm. 18. de Dæmonibus, *Subjiciebant nos lignis, addicebant lapidibus.* Ὡς ἂν ἤγεσθε, est, temere, fortuito, prout libuit seductoribus vestris: πλανώμενοι, dicto ad Titum loco, ubi & notata vide.

Com. 3. οὐδεὶς ἐν πνεύματι Θεοῦ λαλῶν, λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν] Theophylactus ad Luc. 12. ea, ὁ ἀρνησάμενός με, Ὁ ἀρνούμενος (τὸν Ἰησοῦν) οὐκ ἐν τῷ Θεοῦ δυνάμει ἀρνεῖται, διὸ οὐδὲ προσέθηκεν, τὸ, ἐν ἐμοὶ, ἀλλ᾽, ὁ ἀρνησάμενός με.

Com. 4. Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσί, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα] Ἕκαστος ἴδιον χάρισμα ἔχει, &c. supra 7. 7. sic in lib. 3. § 14. ff. de acquir. vel amitt. possess. *Unum genus est possidendi, species infinitæ.* Euthymius ad Joh. 4. ex Chrysostomo, *Divinus Spiritus, cum unus sit, variis operationibus gratiam ac virtutem dividit.* Plutarchus in περὶ ἠθικ. ἀρετῆς, Τὸ μαχαίριον ἕν μέν ἐστιν, ἄλλοτε δὲ ἄλλο διαιρεῖ· καὶ τὸ πῦρ ἐνεργεῖ περὶ ὕλας διαφόρους μιᾷ φύσει χρώμενον. D. Augustinus Serm. 71. de Temp. *Pictor eadem arte facit murem qua elephantem: diversa opera, sed ars una.* Seneca Epist. 81. de Sapientibus, *Habebit unusquisque ex his proprias dotes: alius erit affabilior, alius expeditior, alius promptior in eloquendo, alius facundior: illud de quo agitur, quod beatum facit, æquale erit in omnibus.*

Com. 7. ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος] Conspicuum donum: hinc Joh. 7. 4. φανέρωσον σεαυτὸν, *conspicuum se* (id est, virtutes suas) *facere.*

Ibid. πρὸς τὸ συμφέρον] Quod Hebr. 12. 10. ἐπὶ τὸ συμφέρον. Vide supra 7. 35.

Com. 8. Ὧ μὲν γὰρ, &c. δίδοται λόγος σοφίας, ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως, &c. ἑτέρῳ δὲ πίστις, ἄλλῳ δὲ χαρίσματα ἰαμάτων, &c.] Voluit dicere,

—— Partitim singula multos
Nobilitant. ——

Euthymius ad Luc. 19. ea, VOCATIS DECEM SERVIS SUIS, DEDIT IIS DECEM MINAS, *Servos dicit omnes fidelium præceptores, Minas vero dona spiritualia.* Homerus Iliad. ν.

> Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήια ἔργα,
> Ἄλλῳ δ᾽ ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν·
> Ἄλλῳ δ᾽ ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς
> Ἐσθλόν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ᾽ ἄνθρωποι
> Καί τε πόλεις ἐσάωσε, μάλιστα δὲ κ᾽ αὐτὸς ἀνέγνω.

Vide & quæ ex Eodem Suidas in Ἄλλῳ. D. Ambrosius Offic. I. 44. *Alius distinguendæ lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis qui malo laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior habetur.* Propertius lib. 3.

> *Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,*
> *Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.*
> *Gloria Lysippo est animosa effingere signa,*
> *Exactis Calamis se mihi jactat equis.*
> *In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,*
> *Parrhasius parva vindicat arte locum.*
> *Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ,*
> *At Myos exiguum flectit acanthus iter.*
> *Phidiacus signo se Jupiter ornat eburno,*
> *Praxitelem proprius vindicat arte lapis.*

Sunt

Sunt quibus Elea concurrit palma quadriga,
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.

Æneas ad Hectorem in Euripidis Rhæso,

—— Οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ' ἐπίστασθαι βροτῶν
Πέφυκεν, ἄλλῳ δ' ἄλλο πρόσκειται γέρας,
Σὲ μὲν μάχεσθαι, σὺν δὲ βουλεύειν καλῶς.

Apud Senecam Procem. lib. 3. Controvers. Cassius Severus, *Corporum vires non ad omnia qua viribus efficiuntur apta sunt: illi nemo luctando par est, ille ad tollendam magni ponderis sarcinam pravalet; ille quicquid apprehendit, non remittit, sed in proclive nitentibus vehiculis moraturas manus injicit. Ad animalia venio: alii ad aprum, alii ad cervum canes faciunt: equorum non omnium, quamvis celerrimi sint, idonea curriculo velocitas est; quidam melius equitem patiuntur, quidam jugum.* Apud Phædrum Juno ad pavonem lusciniæ voci canoræ invidentem,

Fatorum arbitrio vobis sunt partes datæ;
Tibi forma, vires aquila, luscinia melos,
Augurium corvo, læva cornici omina.

Varro de R. R. 1. 7. *Non eadem omnia in eodem agro recte* (seri) *possunt: nam ut alius est ad vitem appositus, alius ad frumentum, sic de cæteris alius ad aliam rem.*

Com. 10. ἐνεργήματα δυνάμεων] Vide Galat. 3. 5. Ephes. 3. 7. & 20. Coloss. 1. 19. sic Marc. 6. 14. ἐνεργοῦσιν αἱ δυνάμεις, &c.

Ibid. διακρίσεις πνευμάτων] Pollux 2. 4. Onomastici, Εἴποις δὲ, δοκιμάζομεν τοὺς ἱερέας, διακρίνομεν τὰ πνεύματα. Glossæ Ms. ad hunc locum in Medic. biblioth. Διακρίσεις πνευμάτων, διάγνωσις τῦ τε ἀληθινῦ τῦ ψευδοῦς (lege καὶ ψευδοῦς) προφητευομένων. Glossæ aliæ in eadem bibliotheca, plut. 9. cod. 27. Διακρίσεις πνευμάτων, τὸ εἰδέναι τίς ὁ προφήτης, καὶ τίς ὁ ψευδοπροφήτης· τίς ὁ πνευματικός, τίς ὁ μὴ τοιῦτος.

Ibid. γένη γλωσσῶν] In priore jam citato Glossariolo, Γένη γλωσσῶν· ἰδιότητες διαλέκτων· in posteriore autem, τῦτο δὲ χαρίσματος ἠξιωμένοι ἦσαν οἱ Κορίνθιοι, καὶ ἐπ' αὐτῷ μέγα ἐφρόνουν· διὸ κατασπᾶ αὐτοὺς, ἔσχατον τῦτο τίθησι.

Com. 11. διαιρῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βύλεται] Κατὰ τὸ δοκῦν αὐτῷ. Heb. 12. 10. Rom. 12. 6. χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα ἔχοντες. Tertullianus in de Patientia, *Nec alius* (bonum) *quam qui possidet dispensat, ut cuique dignatur.* Justinus contra Tryphonem, Λαμβάνει δόματα ἕκαστος ὡς ἄξιοί εἰσιν. Plutarchus, lib. περὶ τῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα, &c. Οὐ μίαν πᾶσι πρὸς πάντα χρώμενον τῦ θεῦ κίνησιν, ἀλλ' ἑκάστῳ καθ' ἣν ἔχει δύναμιν ἢ τέχνην.

Com. 12. τὸ σῶμα ἕν ἐστι, καὶ μέλη ἔχει πολλά] Pro, ἓν ὂν, μέλη ἔχει πολλά. Athenagoras in Legatione, Χεὶρ, καὶ ὀφθαλμὸς, καὶ πῦς περὶ ἓν σῶμά εἰσιν συμπληρῦντες τὰ μέρη. Lactantius 2. 5. *Non recte quis dixerit membra unius hominis multos homines esse.* Isidorus Orig. 14. 5. de corpore, *Multa in se continens membra, sicut domus multa in se continens cubicula.* Lucretius,

—— *Multa vis unius corporis exstant,*
Quod genus in quovis animantum viscere vulgo
Est odor, & quidam calor, & sapor, & tamen ex his
Omnibus est unum perfectum corporis augmen.

Macrobius Saturnal. 1. *Vides quam multorum vocibus chorus constet, una tamen ex omnibus redditur.* Posidippus apud Dicæarchum,

Ἑλλὰς μέν ἐστι μία, πόλεις δὲ πλείονες.

Justinus lib. 34. *Achai, licet per civitates veluti per membra divisi sint, unum tamen corpus, &c. habent.* Euripides,

Πόλεως δ' ἁπάσης τοὔνομ' ἓν, πολλοῖς δ' ἔνι
Νόμοισι. ——

Martialis,

Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Apuleius in de Platonis dogmate, *Nam quamvis de diversis officiis hæc ei essent Philosophia membra suscepta, &c. unum tamen ex omnibus, & quasi propriis partus, corpus efficiunt.*

Ibid. οὕτω καὶ ὁ Χριστός] Id est, Christi Ecclesia: est enim metonymia. D. Augustinus in Psalm. 10. de Eadem, *Constat multis membris suis, sua quæque officia gerentibus, in unam ædificationem charitatis exstructis.*

Com. 13. καὶ πάντες εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν] Vide supra cap. 10. 2, 3, 4. Plutarchus de Alexandro M. Εἰς τὸ αὐτὸ συναγαγὼν τὰ πανταχόθεν, ὩΣΠΕΡ ἘΝ ΚΡΑΤΗ͂ΡΙ ΦΙΛΟΤΗΣΙ͂Ω ΜΙ͂ΞΑΣ σὺν βίους καὶ τὰ ἤθη, &c. Idem Alexander ad Persas apud Q. Curtium lib. 10. *Ejusdem juris esse debent qui sub eodem Rege victuri sunt.* Adde & Ephes. 2. 14.

Com. 15. Ἐὰν εἴπῃ ὁ πῦς ὅτι, &c. οὐκ εἰμὶ ἐκ τῦ σώματος, ὁ παρὰ τῦτο οὐκ ἔστιν ἐκ τῦ σώματος;] In Epistolis Heracliti dictis, Ἐὰν μὴ ἱδρυθῇ θεῦ βωμὸς, οὐκ ἔστι θεός; ἐὰν δὲ ἱδρυθῇ μὴ θεῷ, θεὸς ἐστι; Horatius,

—— *Si quis torvo vultu ferus, & pede nudus,*
Exiguæque toga simulet textore Catonem,
Virtutemne repræsentet moresque Catonis?

Theophilus Antiochenus, Οὐ παρὰ τὸ μὴ βλέπειν σὺν τυφλοὺς, ἤδη καὶ οὐκ ἔστι τὸ φῶς τῦ ἡλίου φαῖνον. At ista ad locutionem tantum. Mens Apostoli est, non debere inferiora munia sortitos, majores seque honoratiores ægris oculis adspicere: cum, si bene se gesserint, (1 Tim. 3. 13.) ad altiora bonum sibi gradum struant, nec non aliqua ædificationem communem juvandi facultatem omnis status suggerat. Seneca de Tranquill. cap. 3. de Reipublicæ, ut Paulus de Ecclesiæ, administratione agens, *Praclusum tibi tribunal erit, & rostris prohiberis, & comitiis? respice post te quantum latissimarum regionum pateat, quantum populorum; nunquam tibi ita magna pars obstruetur, ut non major relinquatur: sed vide ne totum illud vitium tuum sit. Non vis enim nisi Consul, aut Prytanis, aut Ceryx, aut Suffes administrare Rempublicam. Quid si militare nolis nisi Imperator, aut Tribunus? etiamsi alii primam frontem tenebunt, te sors inter triarios posuit: inde voce, adhortatione, exemplo, animo milita. Præcisis quoque manibus ille in prælio invenit quod partibus conferat, qui stat tantum, & clamore juvat, &c. nunquam inutilis est operacivis boni.*

Com. 17. Εἰ ὅλον τὸ σῶμα ὀφθαλμὸς, &c.] Chrysostomus ad 1 Cor. 4. Παντὸς ἐστι σώματος, καὶ ἑνὸς ἑκάστυ μέλυς ἡ διακονία. ὅταν δὲ ἑνὸς μόνυ μέλυς γίνηται, καὶ τὴν ἰδίαν ἀπόλλυσιν ἐνέργειαν, &c. αἱ χεῖρες διακονοῦνται, καὶ στόμα λεαίνει, καὶ γαστὴρ δέχεται· μὴ λέγε ἡ γαστὴρ, ἐπειδὴ ἐδεξάμην ἐφείλκυσα τὸ πᾶν κατέχειν; &c. ὁ ὀφθαλμὸς τὸ πᾶν δέχεται φῶς, ἀλλ' ὁ διὰ τῦτο αὐτὸς κατέχει μόνος, ἀλλ' ὁλόκληρον φωτίζει τὸ σῶμα, &c. αἱ βάσεις αἰωρῦνται διόδίας, ἀλλ' ὁ κατέχυσιν αὐτὴν μόναι, &c. οἱ πόδες μόνοι βαδίζυσι, ἀλλ' ὐχ ἑαυτὺς μεταφέρυσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ὅλον τὸ σῶμα μετακινῦσι. Idem ad Galat. 6. Καθάπερ ἐπὶ τῆς οἰκοδομῆς ὁ τὴν αὐτὴν ἅπαντες ἔδραν (sc. χρείαν) ἔχυσιν οἱ λίθοι, ἀλλ' ὁ μὲν πρὸς γωνίαν ἐπιτήδειος, ὁ δὲ πρὸς θεμελίυς· ὕτω καὶ ἐπὶ τῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἐπὶ τῦ σαρκὸς δὲ τῆς ἡμετέρας, τῦτ' αὐτὸ ἴδοι τις ἄν· ἀλλ' ὅμως ἅτερος θατέρυ διαίρεται, καὶ ὁ παρὰ τῦτον πάντας ζητῦμεν. ὁ γὰρ ἐκ τῶ κοινῶ γινόμενος ἔργος καὶ σῶμα καὶ οἰκοδομὴν συνίσησι & post, ἐν τῷ σώματι εἰ τὴν αὐτὴν τις ἀπαιτοίη παρὰ πάντων χρείαν, ὄλλυται τὸ σῶμα σύστασιν. Ὅλον ὀφθαλμὸς, locutio proverbialis. Catullus,

Quod tu cum olfacies, Deos rogabis
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

Achilles Tatius de Crocodilo, Τὸν μὲν ἄλλον χρόνον περὶ ὧν οὐκ ἔχυσι τὸ θηρίον, ἐστι κεφαλή, ὅταν δὲ χαίνῃ, &c. ὅλος σῶμα ἦν.

Com. 18. ὁ θεὸς ἔθετο τὰ μέλη ἓν ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῷ σώματι καθὼς ἠθέλησε] Quintilianus 7. 1. *Et, si quam in corporibus nostris aliorumve animalium partem permutes & transferas, licet habeant eadem omnia, prodigium sit tamen.* Ex quibus forte Lactantius cap. 7. de Dei opificio, *Ut si quid de altero in alterum transferatur, nihil impeditius ad utilitatem, nihil deformius ad adspectum videri necesse sit.* καθὼς ἠθέλησε, (quæ & infra 15. 38. locutio occurrit) ratione sibi soli cognita. Lactantius ubi supra, *Multa esse constat in corpore, quorum vim rationemque capere nemo nisi qui fecit, potest.* Vel, καθὼς ἠθέλησε, prout illi visum est, dedit unicuique membrorum sua propria munera. Plato in Protagora, Οἷα ἔσιν ὀφθαλμὸς οἷον τὰ ὦτα, ὐδ' ἡ δύναμις αὐτῦ ἡ αὐτὴ, ὐδὲ τῶν ἄλλων ὐδέν ἐστιν οἷον τὸ ἕτερον, ὔτε κατὰ τὴν δύναμιν, ὔτε κατὰ τὰ ἄλλα. Philo de mundi, ut Paulus heic de humani corporis, structura, Ὁ δημιυργὸς ἀγαθὸς ὢν, τά τε ἄλλα, καὶ τὴν ἐπιμέλειαν, εἰς ἕκαστον τῦ σώματος μερῶν κατὰ ἰδίαν καθ' αὐτὸ τὰς ἐπιβάλλοντας ἔχειν ἀριθμὸς, καὶ πρὸς τῦ ὅλυ κοινωνίαν ἁρμόσιος ἀπειργάσατο. Τὰ μέλη ἓν ἕκαστον αὐτῶν, pro, τῶν μελῶν ἐν ἕκαστον cujus locutionis exempla ad Luc. 21. 6. adduximus.

Com. 19. Εἰ δὲ ἦν τὰ πάντα ἓν μέλος, πῦ τὸ σῶμα;] Arnobius lib. 6. *Totum consistere nequit nisi partium fuerit congre-* gatione

gatione constatum. D. Basilius Constitut. Monastic. cap. 32. *Animadvertimus in corpore neque à manu dissidere pedem, neque manum pedem ipsam ad transigendas partes suas conari traducere, neque universam item manum digito minime suum opus imponere: sed de membris unumquodque delatam sibi sortito à Natura vim exercere.* Claudianus Mamercus 1.7. *Quacunque corporis sensibus tangimus, ita ad quosque eorum quaque ex illis speciatim pertinent, ut in communionem propriorum alios non admittant.* Cicero Offic. 3. *Si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse esset.* Vide supra ad com. 12. allata.

Com. 21. Οὐ δύναται δὲ ὀφθαλμὸς εἰπεῖν τῇ χειρί, Χρείαν σου οὐκ ἔχω] Lucretius 4.

> *An possunt oculos aures reprehendere? an aures*
> *Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris?*
> *An confutabunt nares oculive revincent?*
> *Non, ut opinor, ita est; nam seorsim cuique potestas*
> *Divisa est, sua vis cuique est,* &c. ——

Philo lib. de Cherubim, κέχρηκεν ὁ θεὸς πάντα πᾶσιν, οὐδὲν τῶν κατὰ μέρος τέλειον εἰργασάμενος ὁ μὴ πάντως χρείαν ἄλλου, ἵν᾽ ὁ δεόμενος τυχεῖν γλιχόμενος ἐξ ἀνάγκης τοῦ παρέχειν δυναμένου πλησιάζοι, καὶ ἐκεῖνο τυτῳ, καὶ ἀμφότερα ἀλλήλοις. Maximus Tyrius Dissert. 3. Τὸ ὅλον ἔχει τὴν αἰτίαν τοῦ ἔργου, συνεπιλαμβάνει δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ μορία. Idem Dissert. 17. de Spartano regimine, Ἑκάτερον ἐκατέρῳ ἐνδεὲς, τὸ ἄρχον τῶν ἀρχομένων, καὶ τὰ ἀρχόμενα τῶν σωζόντων. Clemens in Epistola ad Corinthios, de variis exercituum ordinibus, Οἱ μεγάλοι δίχα τῶν μικρῶν οὐ δύνανται εἶναι, οὐδὲ οἱ μικροὶ δίχα τῶν μεγάλων· σύγκρασίς τίς ἐστιν ἐν πᾶσι, καὶ ἐν τούτοις χρῆσις. Servius (si bene memini) ad Virgilium, *Non minus in fornicibus propter sinistram dextra stat, quam propter dextram sinistra.* Xenophon de marito & uxore, in Oeconomico, Δέονται ἀλλήλων, καὶ τὸ ζεῦγος ὠφελιμώτερον ἑαυτῷ γέγονεν ἃ τὸ ἕτερον ἐλλείπεται τὸ ἕτερον δυνάμενον. Salustius de vi corporis & virtute animi in arte militari, *Utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio veget.*

Ibid. ἢ πάλιν ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσί, Χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω] *Etsi caput, non pedes imperent,* ut apud Spartianum Severus loquitur. Chrysostomus Homil. 37. in Act. Apost. *Membra ita constituta sunt, ut seipsis invicem utantur necessario, & caput pedibus eget, & pedes capite.* Idem Homil. 14. ad Ephes. Ἐὰν βαθὺ ὄρυγμα ᾖ, εἶτα ἄνωθεν ὑπὸ τῆς καλάμης ἀφανιζόμενον, καὶ ὑπὸ τῆς κεκαλυμμένης, ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ σχίσας γῆς περιέχῃ δόξαν τοῖς ὀφθαλμοῖς· οὐχὶ τῷ ποδὶ χρῆται; καὶ ἔσται πτῶμα εἰ μὴ διακονὸν ἐστι κάτω, ἢ ἀντηρίδι, ἢ ἀναπτυ; &c. Corippus Africanus,

> *Obsequium pedibus Natura lege videmus*
> *Admotas prabere manus, oculosque ministros*
> *Cominus esse pedum quibus interiora tuemur.*

Ubi τὸ *quibus* ad oculos refero, & pro *interiora*, *inferiora* (nempe oculis) repono: vide Apulejum statim adducendum. Pro *cominus* videtur etiam *cernimus* reponendum.

Com. 22. Ἀλλὰ, &c. τὰ δοκοῦντα μέλη τοῦ σώματος ἀσθενέστερα ὑπάρχειν, ἀναγκαῖά ἐστι] Clemens ubi supra, Καὶ τὰ ἐλάχιστα μέλη τοῦ σώματος ἡμῶν ἀναγκαῖα εἰσιν ὅλῳ τῷ σώματι. Photius 241 Epist. de κοινῷ & ἀναγκαίῳ, Ταῦτα τῷ σώματι τοῦ ζῴου βραχύτερα πολλῶν μελῶν ὄντα, ὅμως ὑποστηρίζονται (melius ὑποστηρίζει) καὶ αναβαστάζει τὸν ὅλον τοῦ συγκείματος ὄγκον. Plutarchus in περὶ φιλαδελφ. Οὐδὲ γὰρ τῶν δακτύλων ἔλαττον ἔχει τὸ χειροῦν ἢ φαῦλον ὁ μὴ δυνάμενος τούτῳ ποιεῖν, μηδέ πεφυκὼς, ἀλλὰ συγκινοῦνται καὶ συνεργοῦσιν ἅπαντες ἀμφοτέραις ἀλλήλοις, ὥσπερ ἐπίτηδες ἄνισοι γεγονότες· καὶ τὸ συλλαμβάνειν ἐξ αἰσθήσεως πρὸς τὸ μέγιστον καὶ ἐμμελέστερον ἔχοντες. Apulejus in de Platonis dogmate, *Sed & totius corporis habitus & figura membrorum alia conditione sunt optima, alia longe pejora: inferiora reguntur optimatium praestantia, & ipsa ministerium suggerunt victuale.* Arrianus 2. 23. in Epictetum, Ἐστι τις καὶ ὄτα χρεία, ἀλλ᾽ οὐχ ἡλίκη ὀφθαλμῶν· ἐστι καὶ ποδός, ἀλλ᾽ οὐχ ἡλίκη τῆς κεφαλῆς· ἐστι καὶ σίνιτο, ἀλλ᾽ οὐχ ἡλίκη τῆς πολίτου ἐστι· καὶ τύτου, ἀλλ᾽ οὐχ ἡλίκη τῆς ἄρχοντος· ἐ μὲν τὸ διὰ τὸ ἄλλα εἶναι κρείττονα, καὶ ἣν παρέχει τι ἑτέρα χρείαν ἀτιμάσειν. Seneca 95 Epist. *Sine radice inutiles rami sunt, & ipsa radices his qua genuere adjuvantur.* Vegetius 4. 16. de piscibus musculis, *Cum minores sint, tamen balenis auxilium adminiculumque praestant.* In fragmentis Alcimi Aviti, *In ipsa graduum diversitate omnia possunt esse usui, etiamsi dignitate non sunt aequalea.* Ἀσθενέστερα heic (quae & statim ἀσχήμονα, & ἀτιμότερα vocat,) sunt partes corporis medio collocatae: Has, etsi caeteris abjectiores, (id enim heic ἀσθενέστερα) non minus tamen reliquis esse necessarias ait. Cicero eodem modo de iisdem, *Partes corporis ad naturae necessitatem data, aspectumque deformem habitura,* &c. Offic. lib. 1.

Com. 23. Καὶ ἃ δοκοῦμεν ἀτιμότερα εἶναι τοῦ σώματος, τούτοις τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν] Ὡς ἀσθενεστέροις ἐνδύσεσιν (ut 1 Pet. 3. 7.) τιμὴν ἀπονέμοντες. Isidorus Origin. 11. 1. de genitalibus, *Hac & pudenda,* &c. *unde & indumento operiuntur.* Phaedrus,

> *Natura partes veste quas tegit pudor.*

Τιμὴν in loco Pauli honorem amictus intellige. Cyprianus in De habitu virginum, *Cum amictu vestium honor corporis ponitur.* Cicero 3 de Oratore, *Vestis, frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi capta est ad ornatum corporis, & dignitatem.*

Ibid. καὶ τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν, &c.] *Partes turpem ac deformem aspectum habentes,* ut Ciceronem modo loquentem audivimus: vel (ut Idem ibidem) *partes quae non decore aspiciuntur: turpia ac vilia membra* Seneca 7. 2. de Beneficiis vocavit. Interpres vetus *inhonesta*; Recentior *indecora*: nil refert, utrumque Latinum satis. Isidorus ubi supra, *Dicuntur & inhonesta, quia non habent eam decoris speciem, sicut membra qua in promptu locata.* Justinus lib. 15. de Olympiade, Alexandri matre, *Exspirans,* &c. *veste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore ejus indecorum videri.* Onomasticon vetus, *Indecor,* ἀσχήμων. D. Ambrosius haec Apostoli vertens, *Et quae inferiora sunt nobis*: id est, quae inferius posita sunt circa abdomen & inguina: quare non est cur mendosa ea cum Erasmo putemus. Apulejus, corporis fabricam ex Platone describens, *Cupidinem atque appetitum, postremam mentis portionem, infernas abdominis partes tenere, ut popinas quasdam, & latrinarum latebras.*

Com. 24. τὰ δὲ εὐσχήμονα ἡμῶν, &c.] *Membra in quibus species honesta est,* ut citato jam Ciceronis loco. Isidorus ubi supra, *In corpore nostro quadam tantum utilitatis causa facta sunt, ut viscera; quadam & utilitatis & decoris, ut sensus in facie, & in corpore manus: quorum membrorum & utilitas magna est, & species decentissima.* Ubi pro *ut sensus*, scribendum *ut nasus*, pag. 130 ad Apulejum monuimus. Seneca 2. 1. de Ira, plane ut heic Paulus, *partes minime speciosa visu* dixit: & post, è converso, *partes quibus in faciem aspectumque decor est.*

Ibid. οὐ χρείαν ἔχει, &c.] Tegi nempe. D. Ambrosius Offic. 1. 18. de Natura loquens, *Perfecit quidem omnes partes nostri corporis explicavit, ut & necessitati consuleret, & gratiam venustaret: sed tamen eas qua decora aspectu forent, in quibus forma apex,* &c. *& figura suavitas, & vultus species eminerer,* &c. *obvias atque apertas reliquit.*

Ibid. ἀλλ᾽ ὁ θεὸς συνεκέρασε τὸ σῶμα, τῷ ὑστεροῦντι περισσοτέραν δοὺς τιμὴν] Ita sapienter corpus temperavit, ut membra in quibusdam causis posthabenda, in aliis nobiliora faceret. Apulejus in de Platonis dogmate, *Capitis verticem spectа, contectum tenuicute,* &c. *videbis,* &c. *at enim illa opima sunt partes quas labor subigit, ut femina ipsa, qua sessitandi regio est.* Seneca modo citato loco, *Vitalia, minime speciosa, prius formantur.* Philo de Deo, terram plantis, fructibus, &c. priusquam coelum luminibus adornante, Τῇ μὲν ἐλάττονι φύσει πρεσβείαν ἀδοὺς, τὴν δὲ κρείττονα ἐν ὑστέροις δευτερείων ἀξιῶν. Τῷ ὑστεροῦντι, naturali decore insignito minus: tales partes inferiores illae.

Com. 25. ἵνα μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι] Seneca 2. 31. de Ira, *Omnia inter se membra consentiunt, quia singula servari totius interest.* Scriptor de bono Pudicitiae in Cypriani Operibus, *Caput suis convenit membris, & membra capiti suo: Utraque naturali fibula in concordia mutua cohaerent, ne oriente discordia de divisione membrorum, pactum divini foederis rumperetur.* Nicetas Choniates in Alexio Comneno, Εἰ καθ᾽ ἑαυτὸν τὰ μέλη ὀπλίζεται, τίνι ἂν συναρμολογηθείης ζημίᾳ; Lactantius 3. 2. *Si tamen corpus vocari potest cujus partes & membra discordant.* Confer P. Chrysologi Serm. 132. de Unitate fidelium. Σχίσμα heic, ut Joh. 7. 43. Act. 14. 4. & 23. 7. quia Paulus de corpore naturali ut de politico locutus.

Ibid. ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι] Τῶν μελῶν (γὰρ) ἀμελουμένων ἀνάγκη χωρεῖν τὸ ὅλον διαφθειρόμενον, ut recte dixit Simplicius in cap. 38. Epicteti. Seneca 2. 32. de Ira, *Salva esse societas fine amore & custodia partium non potest.* Haec Dei ratio in structura humani corporis, quod vulgo microcosmus vocatur, est eadem quam & antea inivit in mundi majoris molitione, nec ob aliam, ut videtur, causam quam quae heic à Paulo memoratur. Seneca 87 Epist. de donis ejus, *In regiones descripta sunt, ut necessarium esset inter mortales commercium, si invicem alius ab alio quid peteret.* Conabimur autem illum Apostoli

stoli locum Scriptorum variis testimoniis illustrare, quid quoque loco illud μεριμνᾶν exprimat demonstretque signare minus usui ducturi: nam & illa agnitu facilia, & hoc nauseæ ac fastidio futurum. Hippodamus Pythagoricus, Ὀφθαλμοὶ ὁρῶντι ὑπὲρ τοῦ παντὸς σώματος, καὶ τὰ ἄλλα δὲ μόρια τε καὶ μέρεα ὑπὲρ τοῦ ὅλω καὶ τοῦ παντὸς συντέτακται. Clemens ad Corinthios, de totius corporis membris, Πάντα συμπνεῖ, καὶ ὑποταγῇ μιᾷ χρῆται εἰς τὸ σώζεσθαι. Maximus Tyrius Dissert. 5. Ἡ τοῦ σώματος χρεία πολυμερὴς τε καὶ πολυειδὴς, σώζεται τῇ συμπλοκῇ τῶν μερῶν πρὸς τὴν τοῦ ὅλου ὑπηρεσίαν· φέρουσι πόδες, ἐργάζονται χεῖρες, ὁρῶσιν ὀφθαλμοὶ, ἀκούουσιν ἀκοαὶ, &c. Suidas in voce Ἴδιον, Λέγομεν ἴδιον τοῦ ποδὸς βαδίζειν, ἀλλ' οὐχ ὡς μὴ δεόμενον τοῦ ὅλου, λέγομεν ἴδιον αὐτοῦ εἶναι τὸ βαδίζειν, δεῖται γὰρ, ἀλλ' ὡς τοῦ μορίου τούτου παρὰ τὰ ἄλλα μόρια ἴδιον ὄν. Marcus Antoninus, Γεγόναμεν πρὸς συνεργίαν, ὡς πόδες, ὡς χεῖρες, ὡς βλέφαρα, ὡς οἱ στοῖχοι τῶν ἄνω καὶ τῶν κάτω ὀδόντων. Gregorius Nyssenus Homil. 1. de pauper. amandis, *Carnisne partem ægrotantem aversamur? an contra potius reliquas corporis partes omnes ad illius laborantis curationem convertimus?* Chrysostomus Homil. 5. in Ephes. Ἐν τῇ σαρκὶ πολλὰ ἔχομεν ἐλαττώματα· ὁ μὲν ἐστι χωλὸς, ὁ δὲ διεστραμμένους ἔχει τοὺς πόδας, ἕτερος χεῖρας ξηρὰς, ἄλλος ἄλλο τι μέλος ἀσθενὲς, καὶ οὐκ ἀλγεῖ (legerim, καὶ οὐκ ἀπαλγεῖ) οὐδὲ ἐκκόπτει, ἀλλὰ καὶ προτίθησιν αὐτὸ πολλάκις τῶν ἄλλων· & eadem Homilia, Ἂν καταψυχῇ τοῦ σώματος ἡ κεφαλὴ, καὶ αὐτὴ περιστέλλεται, καὶ ἀντιβρέφει τὴν ὑπακοὴν εἰσάγεται τὴν ἀγάπην. οἷον, αἱ χεῖρες αὐτῇ διακονοῦσιν, οἱ πόδες, τὰ λοιπὰ πάντα μέλη· ἐκείνη αὐτῶν προνοεῖται, πᾶσαν ἐν αὐτῇ αἴσθησιν ἔχουσα. Idem Homil. 14. ad Ephes. Εἰ ἔφη ἰδεῖν ὁ ὀφθαλμὸς, ἢ χεῖλος, ψεύδεται τὸν πόδα; ἡ γλῶσσα ψεύδεται τὸν στόμαχον; οὐχ ἵνα μὲν πικρὸν ἴδῃ, ῥίπτει, ἂν δὲ γλυκὺ, παραπέμπει, &c. Apulejus in de Dogm. Platonis de capite loquens, *Prudentiam sensusque omnes non aliaquam illa parte corporis contineri, cætera membra ancillari, & observare, cibos & alia administrare, vectare ut in sublime possint, ut ad Ducem atque rectorem, prudentiaque ejus à periculis vindicari.* Ita ille locus legendus, qui vulgo corruptissimus. Plutarchus loco superius adducto, de digitis psallentis, Συγκινεῖται, καὶ συνεργοῦσιν ἅπαντες ἀμυσήτως ἀλλήλοις, ὥσπερ ἐπιτήδες ἀνισοι γεγονότες. Idem de Arato, Ἡγεῖτο ἀσθενεῖς ἰδίᾳ τὰς (τῶν Ἀχαιῶν) πόλεις ὑπαρχούσας, σώζεσθαι δι' ἀλλήλων, καὶ καθάπερ τὰ μέλη τοῦ σώματος ζῶντα καὶ συμπνέοντα διὰ τὴν πρὸς ἄλληλα συμφυΐαν, ὅταν ἀποσπασθῇ, καὶ γένηται χωρὶς, ἀτροφεῖ, καὶ σήπεται, παραπλησίως τὰς πόλεις, &c. ἀπόλλυσθαι μὲν ὑπὸ τῶν διασπώντων τὸ κοινὸν, αὔξεσθαι δὲ ὑπ' ἀλλήλων, &c. ὅταν, &c. Justinus de iisdem, *Unum corpus,* &c. *habent, singularumque urbium pericula mutuis viribus propulsant.* Apulejus in de Mundo, *Grammaticorum artes vide quæso quam ex diversis collectæ sint literis, ex quibus aliæ sunt insonæ, semisonantes aliæ, pars sonantes: & tamen mutuis se auxiliis adjuvantes, syllabas pariunt, & de syllabis voces.* Themistius Orat. 1. de Musis loquens, Ἐννέα οὖσαι, συγχορεύουσιν ἀλλήλαις, καὶ τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ οὐδεμία αὐτῶν ἀγανακτεῖ πρὸς τὰς ἄλλας, ὅτι μὴ μόνη σοφή ἐστι, μηδὲ αὐτὴ μόνη προστυγχάνουσιν οἱ ποιηταὶ, οὐδὲ μεταπέμπεται τὴν κιθάραν ἡ Καλλιόπη, οὐδὲ ἡ Θαλεία τὸν αὐλὸν, οὐδὲ τὴν λύραν ἡ Τερψιχόρη· ἀλλ' ἑκάστῃ τὸ τῆς αὐτῆς ἀγαπᾷ συμβάλλεσθαι εἰς τὸν χορὸν, καὶ συμπεριφέρονται, καὶ ἄδουσιν ἀμειβόμεναι ἀλλήλας, ὁ κωλύεται, καὶ βασκαίνεται, καὶ ἀντιτάττεται.

Com. 26. Καὶ εἴτε πάσχει ἓν μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη] Dio Cassius lib. 41. Τὸ νοσοῦν, &c. συγκάμνει καὶ τὸ λοιπὸν πᾶν, ὥσπερ ἐν τοῖς σώμασι ποιεῖ. Chrysostomus ad Rom. 12. Ὀφθαλμοὶ ὅταν πηρωθῇ, πάντα σκοτοῖ τὰ λοιπὰ μέλη. Lucretius lib. 2.

> —— *Nequeunt per se partes sentire, nec esse:*
> *Namque alios sensus membrorum res petit omnis.*
> *Nec manus à nobis potis est secreta, nec ulla*
> *Corporis omnino sensum pars sola tenere.*
> *Linquitur ut totis animalibus assimilentur,*
> *Vitali ut possint consentire undique sensu.*

Idem, ubi de ventriculo alimenti indigo,

> *Debile fit corpus, languescunt omnia membra,*
> *Brachia palpebræque cadunt, poplitesque procumbunt.*

Ausonius,

> —— *Exigui quamvis discrimine membri,*
> *Tota per innumeros artus compago vacillat.*

D. Ambrosius Offic. 3. 3. *In uno membro totum corpus violatur:* & paulo ante, *Sic nascimur, ut consentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio: quod si unum desit officio suo, impediantur & cætera.* Nazarius in Panegyrico, *In corpore cum aliqua pars ægra est, valetudo omnis contaminari solet.* Theophylactus ad 2 Tim. 5. 2. Ἐν τοῖς μέλεσιν ἡ τοῦ ἑνὸς βλάβη καὶ εἰς τὰ λοιπὰ διαβαίνει. Tertullianus in de Pœnitentia, *Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere, condoleat universum,* &c. *necesse est.* Galenus lib. De 5 sensibus, Εἴ τις τῇ λεπτοτάτῃ βελόνῃ τρώσειε τὸ δέρμα, πάντως μὲν ἀλγήσει τὸ ζῶον· αἰσθήσεται δὲ τῇ μιᾷ, ἢ δυοῖν, &c. ἀτόμοιν ἡ βελόνη. Maximus Tyrius Dissert. 18. Ἕτερον δ' αὖ ἐστιν ὀδυνῶν γένος, ἐπειδὰν μέρος μὲν ᾖ τὸ τὴν αἰτίαν ἔχον καὶ τὴν πηγὴν τοῦ νοσήματος, ὁρμηθὲν δὲ ἐντεῦθεν τὸ δεινὸν συνέλκυσε τε καὶ συνεπισπᾶσθαι τῇ ὀδύνῃ καὶ τὸ ἄλλο σῶμα πᾶν· καὶ ἔστιν οὗτος δή τις ὀξύτατος ὁ τοῦ ἀλγεῖν δρόμος ἐπὶ τὸ ὑγιαῖνον ἀπὸ τοῦ καμνοντος, ὡς μάθοις ἂν τοῖς προσπταιόμενοις ἄκρῳ τῷ ποδί· ἐκ γὰρ ὀνύχων φασὶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τὸ ἀλγεινὸν ἐν ἀκαρεῖ θεῖν. Hinc illud D. Augustini in Psal. 86. *Lingua solet dicere, calcato pede, Quid me calcas? linguam nullus tetigit, compassione clamat, non attritione:* & illud Petri Blesensis 18 Epist. *Omnia corporis membra participio quodam compassionis molestari:* participio harmonico nempe, non sensitivo: cum alioqui

> —— *Cum caput aut oculus tentante dolore*
> *Læditur, in nobis non omni concruciamur*
> *Corpore:* ——

ut olim à Lucretio dictum. Cicero Tuscul. 2. de Philoctete vulnerato, *Magnus mihi quidem videtur dolor; sed tamen non summus: nihil enim dolet nisi pes: possunt oculi, potest caput, latera, pulmones,* &c.

Ibid. συμπάσχει πάντα τὰ μέλη] Præsertim si pars affecta sit è nobilioribus. Corippus Africanus,

> *Venter alit corpus: fuerit si venter inanis,*
> *Omnia deficiunt, tenuantur robore membra,*
> *Et contracta rigent arentibus ossa medullis.*

Seneca 2. 2. de Clementia, *A capite bona valetudo, inde omnia vegeta atque erecta, aut languore demissa.* In Glossis, *Compatitur,* συμπάσχει.

Ibid. Εἰ τε δοξάζεται ἓν μέλος, συγχαίρει πάντα τὰ μέλη] Theophylactus Præfat. in Epist. ad Romanos, Ὁ τὴν κεφαλὴν ὠφελῶν, καὶ τὸ λοιπὸν σῶμα ὠφέλησε. Cicero Tuscul. 3. *Medici toto corpore curando, minimæ etiam parti, si condoluit, medentur.* In Charmide Platonis, Οἱ ἀγαθοὶ ἰατροὶ ἐπειδάν τις αὐτοὺς προσέλθοι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀλγῶν, λέγουσί πως, ὅτι οὐχ οἷον τε αὐτοὺς μόνους ἐπιχειρεῖν ἰᾶσθαι, ἀλλ' ἀναγκαῖον εἴη καὶ τὴν κεφαλὴν θεραπεύειν, εἰ μέλλοι τὰ τῶν ὀμμάτων εὖ ἔχειν· καὶ αὖ, τὸ τὴν κεφαλὴν οἴεσθαι ἄν ποτε θεραπεῦσαι αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς ἄνευ ὅλου τοῦ σώματος, πολλὴν ἄνοιαν εἶναι. Δοξάζεται heic, *honore afficitur:* hinc & τὸ ἑαυτοῦ σῶμα δοξάζειν, Hierocles in Pythag. carm.

Com. 27. ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ, καὶ μέλη] Theophylactus ad Luc. 10. Μέλη αὐτοῦ ἡμᾶς ἐποίησε, καὶ κοινωνοὺς τοῦ σώματος αὐτοῦ.

Com. 28. Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, πρῶτον ἀποστόλους] Suidas, Πῶς φησι πρῶτον ἀποστόλους; κατ' ἀναλογίαν τῶν ἀγώνων, καὶ τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ δόξας. Ἔθετο heic (quod Ephes. 4. 11. argumento pari ἔδωκε,) est, *fecit:* ut Sapient. 10. 21. & Act. 20. 28. Servius ad Æneid. 10. *Ponere, facere: sicut Lucilius Homerum secutus,*

> —— ἄλγε' ἔθηκεν.

Euripides Oreste,

> Στίλβουσι δ' οἵπερ καμ' ἔθηκαν ἄθλιον.

Hesychius, jam citatum Homeri locum respiciens, Ἔθηκεν, ἐποίησεν. Idem alibi, Θεῖναι, ποιῆσαι.

Ibid. ἔπειτα δυνάμεις, εἶτα, &c.] Synesius in Epistolis, Ὁ μὲν ἱερὸς, ὁ δὲ ἡγεμονικὸς ἀπεδείχθη. Theodoretus 7. περὶ Προνοίας, Τοὺς μὲν ἱερωσύνης ἠξίωσε, τοὺς δὲ τῆς τῶν ἡγεμονίας ἐπέδωσε, καὶ ἄλλα δὲ εἴδη ταγμάτων ὑπ' ἐκείνοις πεποίηκεν.

> *Dux bonus huic centum committit jure regendos,*
> *Huic equites, illi signa tuenda dabit.*
> *Curam habet è tantis quem quisque erit aptus in usum*
> *Inspicere, & certo ponere quemque loco.*

D. Hieronymus ad cap. 2. Ecclesiastis, *Diversa sunt gratia in Ecclesia, alius est oculus, alius manus, alius pes.* Basilius in Psalm. 33. Ἔθετο ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοὺς μὲν ὀφθαλμοὺς, τοὺς δὲ γνώσεως, ἑτέρους δὲ καὶ τὴν χειρῶν καὶ τὴν ποδῶν ἔχοντας τάξιν.

Ibid. ἀντιλήψεις] Glossarium in Biblioth. Medic. plut. 57. cod. 42. Ἀντιλήψεις, προστασίαι κατεστησμέναι. Glossæ aliæ ibidem plut. 9. cod. 27. Ἀντέχεσθαι (id est ἀντιλαμβάνεσθαι) τῶν ἀσθενῶν, καὶ προστατεῖν αὐτῶν. Accedunt Græci veteres, qui ἀντιλήψεις, προστασίας exposuere.

Ibid.

Ibid. κυβερνήσεις] In alio penes amicum meum Glossario, κυβερνήσεις, ἐπιστημονικαὶ ἐπιστήμαι. Unde opportune Hesychium corrige, apud quem male ἐπιστημονικαὶ legitur.

Com. 30. Μὴ πάντες, &c.] Plutarchus simili sententia, in περὶ εὐθυμίας, Οὐ πάντες πάντα ἐσί. Clemens ubi supra, de gradibus militaribus agens, Οὐ πάντες εἰσὶν ἔπαρχοι, οὐδὲ χιλίαρχοι, οὐδὲ ἑκατόνταρχοι, &c. Vide Senecam supra ad com. 15. & Themistium ad com. 25. adductos. Γλώσσαις heic quae Act. 2.6. διαλέκτῳ. D. Augustinus in Psal. 50. *Dicitur lingua illud frustum carnis quod in ore movetur*, &c. *& lingua quod per linguam fit: sicut dicimus aliam linguam Græcam, aliam Latinam: non enim caro diversa est, sed sonus.*

Com. 31. Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα] D. Basil. Homil. De abdicat. rerum, *Studete ut majorum virtutum compos efficiare, neque minores tamen negligito.* D. Augustinus de Virginitate, *Hæc sana doctrina est, sic eligere dona majora ne minora damnentur.* Hesychius, Ζηλῶ, μιμῶ, μεταδιώκω. Τὰ κρείττονα sunt unde maxima Ecclesiæ utilitas redundet. Idem sensus qui in iis infra 14. 12. πρὸς τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας ζητεῖτε ἵνα περισσεύητε. Interpres optimus Nicomacheorum 9. 12. Ἐν ἄλλοις πρακτικὴ δίωκειν τὰ βέλτιστα· quibus paria Plinii illa lib. 1. Epist. 5. *Stultissimum credo ad imitandum non optima quæque proponere.* Imo & Sedulius heic, *Æmulamini, id est, imitamini.* Esset optandum (inquit Paulus) omnes omnibus istis Spiritus donis conspicuos esse: at quia id fieri nequit, meliora ambite. Plutarchus fine libri De liber. educ. Τὰς μὲν οὖν πάσας προειρημένας συμπεριλαβεῖν παραινέσεις εὐχῆς ἴσως ἔργον ἐσί· τὸ δὲ τὰς πλείους ζηλῶσαι, καὶ αὐτὸ μὲν εὐμοιρίας δεόμενόν ἐσι, καὶ πολλῆς ἐπιμελείας· ubi & ζηλῶσαι, ut apud Apostolum ζηλοῦτε.

Ibid. καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι] Tale Sapient. 6.22. Τί δέ ἐσι σοφία, καὶ πῶς ἐγένετο, ἀπαγγελῶ (q. d. ὁδὸν ὑμῖν δείξω) &c. καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενέσεως ἐξιχνιάσω, &c. & apud Sirachidem 24.32. illud, Ἔτι παιδείαν ὡς ὄρθρον φωτιῶ· ubi τὸ ἔτι, ut in hoc Apostoli loco, sermonis continuationem notat. Pythagoras multis à se jam dictis additurus alia, sic loquitur apud Ovidium, Metam. 15.

> *Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis*
> *Vela dedi: Nihil est toto quod perstet in orbe*, &c.

Apostoli verba D. Augustinus in Psal. 71. sic vertit, *Adhuc supereminentem viam demonstro vobis.* Ego καθ' ὑπερβολὴν putem esse κατ' ἐξοχὴν. Ita 5. 15. apud Tobiæ Scriptorem, Καὶ ἔτι προσθήσω σοι ἐπὶ τὸν μισθὸν, &c ut Paulus hic, Καὶ ἔτι, &c. ὁδὸν δείκνυμι. Nec abit ab hujusmodi Expositione Vir summus H. Grotius, qui καθ' ὑπερβολὴν *ex superabundanti* vertit.

CAP. XIII.

VALLA.

1. F*Actus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*] Non legitur Græce *velut*, sed aliquis tanquam necessarium adjecit: γέγονα χαλκὸς ἠχῶν.

5. *Non cogitat malum*] Non id significat quod *non cogitat de malefaciendo*, sed quod *non putat malum de aliis.* Ideo dixissem, *non putat malum*, sive, ut solet Interpres, *non reputat malum*, οὐ λογίζεται κακόν. Sunt alia minora, sed in quibus nonnulli errant: ut in illo v. 4. *Charitas patiens est*, quod videlicet patiatur injurias. Græce est, ut more Interpretis transferam, *Charitas longanimis est*, μακροθυμεῖ. Et in illo v. 3. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*: hic quidam laudant virtutem distribuendi, quæ nunc Græce non nominatur, sed dicitur, *Et si convertam*, vel aliis modis, ψωμίσω. Et in illo,

8. *Sive scientia, destruetur*] Καταργηθήσεται· ubi idem est verbum quod illic, *sive prophetiæ, evacuabuntur.* Et illic,

10. *Evacuabitur quod ex parte est*] Sed melius illic quam hic usurpatur hoc verbum. Etsi dicatur paulo post,

11. *Evacuavi quæ erant parvuli*] Quod transferri non potest *destruxi*, sed vel *abolevi*, vel *missa feci*, & aliis item modis; & itidem superiora.

13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum est Charitas*] Gr. *manet*, non *manent*, μένει. Quidam cod. habent *harum*: quod videtur fuisse dicendum *horum*, ut ad illud *tria hæc* referatur. Sed si dicimus *horum*, dicendum erit *majus*, sed Græce non est generis neutri, μείζων. Hoc loquendi periculum fugiemus si dicamus *his*. Græce enim ambiguum est τούτων. Sed *major his* si dicimus, videtur major esse seipsa Charitas. Ego puto transferendum fuisse *major harum.*

REVIUS in VALLAM.

13. M*Ajor harum*] Imo *maxima harum* dicendum erat. Huic porro locutioni Erasmus & ex eo Beza similem arbitrantur illam Catulli,

> *Hespere, qui cœlo luces jucundior ignis.*

quasi *jucundior* sit pro *jucundissimus.* Sed fallitur uterque: nam *lucet* ibi scriptum est, non *luces.* Et ita legendum patet è præcedenti,

> *Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis?*

& sensus est, *Quis ignis fertur te crudelior? Quis ignis lucet te jucundior?* nihil ergo in istis est Græcanicæ phraseos, sed pure Latinæ.

ERASMUS.

1. F*Actus sum velut æs sonans*] *Velut* redundat, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, *factus sum æs resonans*, sive *tinniens*, aut *crepitans.* Nec *velut* adverbium additur apud Græcos, verum alius quispiam adjecit de suo. ¶ *Aut cymbalum tinniens*] Ἀλαλάζον quod alias vertunt *jubilare.* Est autem ἀλαλάζειν proprie *perpetuo sonitu strepere ac tinnire*, ut exponunt Etymologici Græci, sono sonum excipiente, quemadmodum fit in lebetibus Dodonæis. Qua de re copiosius dictum est in Chiliadibus nostris. Non opinor hic refellendos mihi qui putant prædicatorem Euangelicum conferri cum ære sonante, quod is suo tinnitu prosit quidem aliis, cæterum seipsum consumat. Siquidem hic *Prophetas* appellat prædicatores; cæterum qui lingua duntaxat loquuntur, velut inutiles per se, *cymbalis tinnientibus* comparat. Id magis ad eos pertinet qui verba sacra non intellecta canunt aut recitant in Templis.

2. *Et si noverim mysteria omnia*] Μυστήρια. Augustinus cum alias frequenter tum in libello De actis cum Emerito legit *sacramenta* pro *mysteria*; ut scias illic *sacramentum* interdum dici quod reconditum est. ¶ *Charitatem non habeam*] Augustinus ad Simplicianum lib. 2. fatetur ex hoc loco non exacte doceri Prophetiam aut Fidem esse sine Charitate, quod hæc sermonis forma non affirmet sed fingat interdum: quod genus si dicas, *Si corpus habeat figuram, colorem autem non habeat, cerni non possit*; non sequitur corpus carere colore, sed fingitur carere; quod si fiat, cerni non possit. Similiter Basilius M. in epistola ad Neocæsarienses referens hunc Apostoli locum, hæc subjicit, *Non quod horum quæ commemoravimus singula sine Charitate possint inveniri, sed quod S. Paulus voluerit testimoniis confirmare quod dixerat, præceptum Charitatis infinitis partibus reliquis omnibus excellentius esse.* Quod si quem offendit *fictionis* vocabulum, sunt enim qui putant *fingere* nihil aliud esse quam mentiri; sciant quoties audiunt in Theologorum diatribis *posito casu*, vel *dato*, idem illos dicere quod alii dicunt *Finge*, *Pone*, aut *Fac ita esse.* Rhetores autem docent & argumentandi & amplificandi rationem à fictione. Quanquam *fingendi* verbum in hoc sane sensu non est in S. literis, tamen ipsa res frequens est. Atque hoc sermonis tropo nihil vulgatius. Quoties audivimus illa? *Si filius meus esses, non potuissem tecum amantius agere. Si tibi corpus esset ferreum, non sufficeret istis laboribus. Si apud Scythas natus esses, non posses esse moribus asperioribus. Si mihi sint linguæ centum, non possim omnia commemorare.* Sic argumentatur Dominus, *Si ego in Beelzebul ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Et, *Si crederetis Mosi, crederetis utique & mihi.* Sic per fictionem argumentatur Apostolus 1 Cor. 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Ac mox, *Si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit.* Rursus, *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus*, &c. Tali fictione usus est Propheta David Psal. 139. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me*, &c. Nullus homo vivens potest ascendere in cœlum, aut descendere ad inferos, aut sumptis alis procul avolare; sed hæc per fictionem commemorat Propheta, quo magis asseverent neminem effugere posse manus Dei. Simili figura loquitur B. Paulus, *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia.* Paulus non erat imperitus sermone, qui apud Corinthios gloriatur *se plus cæteris*

loqui linguis. Simile & illud, *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.* Tum temporis pauci crediderant apud Corinthios; unde fieri non potuit ut haberent decem millia Præceptorum in doctrina fidei: nam hos appellat *pædagogos.* Ejusdem formæ est quod hic dicit, *Et si linguis hominum loquar & Angelorum.* Angeli non habent linguam; sed hoc per fictionem exaggerandi gratia est additum. Adde quod inter *dona Spiritus* hic commemoratur *opitulatio*; & Rom. 12. legimus, *Qui tribuit, in simplicitate; qui miseretur, in hilaritate:* & tamen per fictionem Paulus hoc loco disjungit quæ separari non possunt, *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam,* &c. Neque enim Paulus sentit de iis qui ob inanem gloriam dilargiuntur sua pauperibus, aut corpus suum tradunt incendio, quod fecisse legitur Peregrinus; (alioqui frigide vitiosam actionem conferret cum donis Spiritus) sed de his qui ad hæc parati sunt ob abundantiam Euangelicæ charitatis. Quid igitur agit hæc fictio? Non ut intelligamus hoc fieri posse sine Charitate, sed ut perspicuum sit, non ex modo liberalitatis, nec ex difficultate actionis, sed ex magnitudine charitatis Deum æstimare nostras actiones. Unde fit ut qui largitur assem interdum magis placeat Deo quam qui largitur decem millia Ducatorum. Idem sentiendum est de omnibus defunctionibus spiritualibus, quas Deo commendat charitas in proximum. Ne quis autem hoc velut a meo natum capite contemnat, sciat D. Chrysostomum & hunc imitatum Theophylactum ita disserere, quiadmonent, Apostolum respicere ad illa duo quæ Dominus proposuit ut argumenta summæ charitatis in proximum: Quorum alterum est cum dicit adolescenti, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus:* alterum cum ait discipulis, *Majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Qui convenit autem ut quæ perfectam declarant charitatem fiant absque charitate? Addunt & illud, Paulum compluribus locis vel exaggerandi vel confirmandi gratia fingere hoc esse quod non est, nec esse possit; veluti cum scribit Galatis, *Etsi nos aut Angelus de cælo aliud vobis euangelizaverit, præter hoc quod accepistis, anathema sit.* Si de malis Angelis loquitur, sermo non fuget modo, verumetiam absurdus est: Si de bonis, in eos non cadit nec prædicare falsa, nec anathematis exsecratio. Adferunt & eum locum qui est Rom. 8. cum ait *se neque per Angelos, neque per Principatus, neque per Virtutes posse sejungi a charitate Dei quæ est in Christo Jesu.* Atqui Angelorum est adlicere ad amorem Dei, non divellere. Addit, *neque alia creatura*; cum nulla sit alia creatura: universam enim creaturam, visibilem & invisibilem, summam, mediam & imam complexus est. Verum ad asseverationis certitudinem fingit hoc esse quod esse non possit. Videtur & hoc adjuvare quod ait, *Etsi habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia:* nulli enim hominum, excepto Christo, datum est nosse mysteria omnia, fortasse nec Angelorum cuiquam. Postremo illud constat, *Si* esse conditionale, cujus tamen usus est in ratiocinando & in amplificando. Nec minus conditionale est *sive*, qua voce hic utitur Paulus, *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Quanquam autem nec D. Basilius nec Augustinus asseverant cætera Spiritus dona non posse inveniri sine Charitate, tamen illud recte sentiunt, ex hoc loco non evidenter convinci Prophetiam aut Fidem inveniri sine Charitate. Opinor autem Apostolum hic loqui non de quacunque fide aut prophetia, sed de donis Spiritus post ascensionem Domini. Alioqui linguæ donum habuit asina Balaam; & ipse Balaam erat Propheta; & Caiphas prophetiam edidit, sed ab ipso non intellectam; & in extremo Judicio quidam dicturi sunt. *Domine, in nomine tuo prophetavimus,* sed audient, *Nescio vos.* Verum hujusmodi Prophetiæ genus non invenimus pro dono Spiritus commemoratum in S. literis post Christum sublatum in cœlum. Porro Apostolum hic loqui non de qualibet fide aut Prophetia declarant illa, *Et si habuerim prophetiam, ut noverim mysteria omnia:* rursus, *& si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Quomodo talis Prophetia contingeret absque Charitate? cum scriptum sit, *In malevolam animam non introibit sapientia.* Cumque vera Fides multa complectatur, certum assensum omnium quæ tradita sunt nobis ad salutem æternam necessaria, certam fiduciam de misericordia Domini, deque promissis vel in hac vita præstandis vel in futuro seculo, quomodo tale donum caderet in mentem Charitatis expertem? Nunc abutor illorum sententia qui *omnem fidem* interpretantur *perfectam.* Illud opinor nullus inficiabitur, Paulum hic loqui de charitate, non quacunque sed de vera & Euangelica. Quam si conferat cum aliis donis mortuis, friget amplificatio. Quid enim magni sit si vera charitas præferatur tali prophetiæ qualem habuit Balaam, aut tali fidei qualem habent & Dæmones? Hoc nimirum perinde fit quasi si quis volens exaggerare robur Tauri, comportat illum cum Leone vel mortuo vel unguibus ac dentibus exarmato. Probabile est igitur Paulum veram & Euangelicam Charitatem amplificandi gratia conferre cum veris ac perfectis donis Spiritus, per fictionem separando ea quæ cohærent. Illud extra controversiam est; Quoties Dominus aut Apostoli loquuntur de *fide*, sentiunt de viva fide: quod genus sunt, *Fides tua te salvam fecit*; &, *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*; & cum B. Paulus docet *Abraham ob fidem promeruisse justitiæ elogium*, aliisque locis innumeris. Per omnes enim Epistolas nihil magis inculcat quam *Gratiam* & *Fidem*; & *homines per fidem justificari*, ac *per fidem stare*, & *qui ex fide sunt benedictionem consecuturos*, & *habitare Christum in nobis per fidem:* denique cum Hebræis copiose decantat encomium Fidei. Similiter Petrus in Actis, *Fide purificans corda eorum.* Rursus cum in Epistola jubet nos *resistere Diabolo fortes fide.* Item cum Joannes scribit *nos vincere mundum per fidem.* Huic Fidei, toties prædicatæ in N. T. voluminibus, qui jungit individuam comitem Charitatem, obsecro quid peccat? Jam cum Fides gignat opera Charitatis, quemadmodum Romanis scribit Apostolus, *Quicquid ex fide non est, peccatum est,* & ad Galatas describit *fidem quæ per charitatem operatur*, opera Charitatis Fidei tribuenda sunt. Qui convenit ergo Charitatem a Fide separare, h. e. radicem a ramis? Sed quosdam offendit si quis dicat, *Sola fide contingere homini justitiam*, h. e. remissionem peccatorum. Qui nimirum mihi videntur aut ignorare aut non meminisse has voces *solus*, *singularis* & *unicus*, sic frequenter tum ab Ethnicis tum ab Orthodoxis usurpari ut declarent non Solitudinem sed Eminentiam. Veluti cum Satyricus ait,

— *Nobilitas sola est atque unica virtus,*

sentit summum & eximium nobilitatis genus esse nominis claritatem virtute propria partam. Et qui dicit hominem *singulari prudentia præditum*, non spoliat eum cæteris virtutibus, sed eximiam prudentiam tribuit. Rursus cum in Comœdia quidam dicit,

Solus est amico amicus,

non sentit præter illum neminem aliis esse amicum, sed hunc excellenter esse amico amicum. Similiter cum B. Hieronymus hortans Heliodorum ut amore religionis contemnat affectus parentum, ait, *Solum pietatis genus est hac in re esse crudelem*, non sentit aliis in rebus nullam esse pietatem, sed hanc pietatem esse præcipuam si quis amore Christi contemnat affectus naturæ. Cæterum ut hæc parum habeant ponderis, ex ipso sermonis tenore perpendendum est quid excludatur per hujusmodi voces. David cum ait, *Unam rem petii a Domino*, &c. non sentit se nihil aliud petere a Domino, cum toties in Psalmis petat remissionem peccatorum, auxilium adversus inimicos, intellectum Legis, stabilitatem Regni sui, prosperitatem urbis Hierosolymorum: sed sentit illud præcipue ab ipso desiderari. Item cum Lex dicit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies,* non excludit venerationem & honorem debitum Regibus ac Parentibus, aut Divis, opinor; nec obsequium quod servi debent Dominis; sed ostendit summum honorem summumque cultum deberi Deo. Præterea cum Christus Patri loquens dicit, *ut cognoscant te solum verum Deum*, &c. non excludit seipsum ac Spiritum S. a consortio Divinitatis, sed excludit Deos Gentium. Rursus cum ait, *Solus Deus bonus est*, non submovet omnes Angelos atque Homines a cognomine *boni*, cum idem in Parabolis Servos appellet *bonos*, & Pisces *bonos*, hac Metaphora designans homines bonos; sed summam ac nativam bonitatem tribuit Deo. Idem cum ait Archisynagogo, *Tantummodo crede; omnia possibilia credenti*, vox *tantummodo* non excludit alias virtutes, sed solicitudinem de morbo insanabili aut de morte filiæ. Eodem schemate Paulus appellat *solum Deum sapientem*, & *immortalem*, non excludens Angelos ac Prophetas, cum in Euangelio Virgines quinque dicantur *prudentes*, ac præter Salomonem complures *sapientiæ* nomine prædicentur in Canonicis literis; sed ostendit in Deum hæc cognomina singulariter competere. Quemadmodum Jesus dicitur *unigenitus* & *unicus Filius* Dei, non quod solus sit, sed quod eximie Filius. Similiter apud Lucam cap. 9. cum legimus, *Inventus est Jesus solus*, non excluduntur tres Discipuli, sed Moses & Elias, qui prius cum eo colloquebantur. In eodem capite v. 18. *Cum solus esset orans, erant autem cum illo & Discipuli*, vox *solus* excludit turbam, quæ solet adesse. Denique cum B. Thomas Aquinas in Prosa dicit, *Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit*, per dictionem *sola* non excluditur Charitas aliæque virtutes, sed tantum humana ratio sensuumque experientia. Hujusmodi locutionibus

cum

cum & S. volumina & Orthodoxorum libri & quotidianus hominum sermo plenus sit, velut cum dicimus, *Nihil hic esurit, nihil sitit, nisi aurum*, non excluditur panis & vinum, sed exaggeratur insignis avaritia. Itidem dicimus, *Regem ambulare solum*, etiamsi uno atque altero comitatus incedat, sed *solum* dicimus non stipatum solito comitatu. *Anachoretas* dicimus *solos habitare in nemoribus*, cum illic adsint ad diversa animantium genera, interdum & famulus. Itaque qui dicit *homines sola fide justificari*, non protinus excludit Charitatem neque Charitatis opera, sed Philosophiam humanam, aut ceremonias operaque legalia, aut vitam actam ante Baptismum, aut aliud simile, quod ex sermonis tenore colligitur. Apud Paulum quidem non additur dictio *sola*. Quid refert? cum tot locis inculcet *Abraham pronunciatum justum sine operibus*; *Nos omnes justificari per fidem, & non ex operibus; nam si ex operibus, jam abrogari gratiam*. Hoc genere sermonum omnes Paulinae scatent Epistolae, qui tamen nusquam separat Charitatem à Fide justificante, ac toties hortatur ad opera charitatis. Sed ad hanc salebram diutius restitimus quam patitur argumenti ratio.

3. *Distribuero in cibos pauperum*] Graecis una vox est, ψωμίσω. ¶ *Omnes facultates meas*] τὰ πάντα μου, *omnia mea*. In nonnullis tamen legimus τὰ πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου. ¶ *Ita ut ardeam*] *Ita* redundat. Nec addebatur in duobus Constantianis ἵνα καυθήσωμαι, *ut comburar*, *sive ad comburendum*. D. Hieronymus scribens in Epist. ad Galatas c. 5. dicit in Latinis cod. haberi *ita ut glorier*; eamque lectionem vocat *errorem*, sed addit *Graecorum etiam exemplaria esse diversa*. Nec dubium est quin error natus sit ex mutatione literae, καυχήσωμαι pro καυθήσωμαι. Theophylactus, & ante hunc Chrysostomus, nobiscum & legit & interpretatur καυχήσωμαι· eaque lectio mihi videtur esse germana. Quanquam Hispaniensis editio habebat καυθήσωμαι. Rem magnam facit qui *facultates omnes impendit alendis pauperibus*; at majorem facit qui *corpus suum tradit ignibus*, quod fecisse legitur Peregrinus. De *gloria* meminit nonnihil is cujus exstant Scholia in omnes Epistolas Pauli Hieronymi titulo, quasi legerit *ut glorier*. Basilius in Epistola quadam ad Neocaesareenses legit ἵνα καυθῇ, *ut ardeat*, subaudiatur *corpus*.

4. *Charitas patiens est*] Μακροθυμεῖ *longanimis est, sive leni animo est*. Et ita legit Ambrosius. Quanquam in vulgatis cod. pro *longanima* mutaverunt *magnanima*. Etiamsi apud Cyprianum aliquoties *magnanima* vocetur charitas ex hoc Pauli loco, quod μακρὸν ut *longum* ita & *magnum* sit. Mihi nec *longanimis* nec *magnanimus* satis exprimere videtur Graecae dictionis vim. Neque enim Latini sic dicimus *longum animum* ut dicimus *magnum animum*; quin pro *longo lenem* vocamus, h.e. non praecipitem ad iram aut vindictam. ¶ *Benigna est*] Χρηστεύεται. pro quo Ambrosius legit *jucunda est*. Significat autem *comitatem ac suavitatem morum*, quae opponitur asperitati ac difficultati seu morositati. Vera pietas nescit supercilium, simulata sanctitas asperitate morum gravis est. *Benignitas* Latinis plerumque ad beneficentiam pertinet. Sic enim à *bono* dicitur *benignus* ut à *malo malignus*. Thomas Aquinas novam adducit etymologiam, BENIGNITAS, inquiens, *dicitur quasi* BONA IGNEITAS, *quod quemadmodum ignis facit effluere, ita & charitas*. Atque id docet testimonio Solomonis Prov. 5. *Deriventur fontes tui foras*. Vir indignus qui ex tam indoctis autoribus hujusmodi naenias sacris Commentariis admisceret. Nam satis apparet huic si quid ad vocum enarrationem aut S. voluminum testimonia pertinet, fere non ex ipsis fontibus sed ex alienis collectaneis & indicibus petitum esse. ¶ *Non agit perperam*] Περπερεύεται. Repetitur hoc loco apud Gr. *charitas*. Ac Graeca quidem Scholia hanc vocem variis modis interpretantur. Quidam περπερεύεσθαι putant idem quod est *adulari*; alii quod *extolli & ostentare sese*, à nomine πέρπερος, quod dictum volunt quasi ἐπαιρόμενος. Id sensisse videtur & Hesychius. Alii interpretantur *garrire*, à πέρπερος, quod dictum volunt quasi [illegible], ὥσπερ τις λόγοις ἐπαιρόμενος, quod locutulei sermonis ambagibus molesti sint. Sunt qui interpretentur πέρπερον *praecipitem ac temerarium*, & περπερεύεσθαι *praecipitem esse*. Theophylactus interpretatur *inconstantem ac levem*. Mihi videtur vox à *Perperis* fratribus conficta, qui & *Cercopes* dicti sunt, quorum procacitas & improbitas etiam fabulis est nobilitata: de quibus plura retulimus in proverbio, *Ne in Melampygum incidas*, si cui libebit cognoscere. Nos vertimus, *non est procax*: quam interpretationem & Theophylactus recenset. Alioqui Latine *perperam agit* qui data opera secus agit quam oportet. Atque ita quidem interpretatur Aquinas PERPERAM, *id est, perverse*.

5. *Non est ambitiosa*] Οὐκ ἀσχημονεῖ, *non agit inhoneste*, sive *indecore*. Miror unde vox *ambitiosa* huc irrepserit, cum nihil habeant affinitatis ἀσχημονεῖν & φιλοτιμεῖσθαι: nisi forte quia praecessit *non inflatur*, quod videtur ambitionis esse. Quanquam Graeca Scholia sic interpretantur, οὐκ αἰσχύνεται, i. *nihil sibi indecorum putat, quamlibet humile officium, modo prosit*. Et Theophylactus ad eundem exponit modum, non dissimulata tamen altera quoque interpretatione. Ex Ambrosio nihil quitum est colligi, quod is contentus explicuisse summam hoc loco, singula negligat persequi. Augustinus De Gratia & libero arbitrio ad Valentinum c. 17. legit *non dehonestatur*. ¶ *Non cogitat malum*] Οὐ λογίζεται, h.e. *non imputat cuiquam malum, nec male cogitat de quoquam*, annotante Valla, sive quia omnes ex suo metitur animo, sive quia non molitur vindictam.

7. *Omnia suffert*] Στέγει, h.e. *nihil gravatur*. Translatum à tignis sustinentibus onus impositum, aut à vasis recipientibus quod infunditur. Cyprianus De Simplicitate Praelatorum tractatu 3. pro *omnia suffert* legit *omnia diligit*. Unde conjicere licet illius codicem habuisse πάντα στέργει, addita literula verbo στέγει. Et uterque sensus est tolerabilis, tametsi is quem nostra habet editio mihi magis probatur, quod haec omnia simul congesta videntur eodem pertinere, *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*: siquidem *in se recipit* quod traditur is qui *credit*, & qui credit *sperat*, & qui sperat *sustinet*, h.e. durat in tempus ut promissa appareant: id enim proprie sonat ὑπομένειν, diversum ab eo quod praecessit στέγειν.

8. *Charitas nunquam excidit*] Ἐκπίπτει, h.e. nunquam cessat, ubique prodest, ubique est usui, imo crescit indies. Etiamsi ἐκπίπτειν Graece est *exsulatum abire & ejici*. Ita sensus erit, *Nunquam non esse locum charitati*. ¶ *Sive Prophetiae evacuabuntur*] Graeci addunt δὲ atque ita legit D. Ambrosius, *Sive autem Prophetiae evacuabuntur*.

9. *Ex parte enim cognoscimus*] Nonnulli Graeci cod. habebant *autem* pro *enim*, δὲ pro γάρ.

11. *Cum essem parvulus*] Νήπιος, quod & *puerum* aut *infantem* significat & *parum prudentem*, quod ea aetas ob inscitiam rerum parum sapiat, ut crebro jam admonuimus. ¶ *Evacuavi ea quae sunt parvuli*] Quod Ambrosius legit *ea quae parvuli erant destruxi*. Atque hoc loco mihi videntur Graeci cod. depravati, in quibus ita scriptum comperio, consentiente & Aldina edit. κατήργηκε τὰ τοῦ νηπίου. Suspicor autem à Paulo scriptum fuisse κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου, aut κατήργησα τὰ τοῦ νηπίου· κατήργηκα legit Theoph. itidem & Chrysost.

13. *Major autem horum*] Μείζων δὲ τούτων, i. maxima ex his Charitas. Quanquam & Latini ad exemplum Graecorum aliquoties comparativum usurpant pro superlativo. Ut illud Catulli,

Hespere, qui coelo luces jucundior ignis.

Et Q. Curtius *duo majora omnium navigia* dixit. Et Graeci nonnunquam comparativis superlativorum vice abutuntur. Atque ita sane enarrat Theophylactus, *Charitatem inter ea quae manent summum tenere locum*. Nos maluimus auferendi casu uti, ut effugeremus incommodum generis *horum* aut *harum*. In codice Donatiani scriptum erat, *major autem his est Charitas*: qui sermo absurdus est: neque enim Charitas seipsa major est. Hoc incommodum exclusisset addita praepositio, *major inter haec*, aut *maxima in his*, ut intelligatur distributio. Exoritur hic alius scrupulus, quid nobis declaret adverbium *nunc*, an vitam praesentem in qua per fidem ambulamus, an Ecclesiae primordia. Posterius recipi non potest; alioqui sequeretur Ecclesiam militantem sine Fide, Spe & Charitate posse consistere. Si accipimus haec tria manere in hac vita, quasi cessatura sint in futura, de Fide & Spe rationi locus esset, verum de Charitate prius pronunciavit Apostolus quod etiamsi tollerentur caetera dona Spiritus, *Charitas* tamen *nunquam excideret*. Petrus Apostolus fatetur *à Paulo quaedam esse scripta difficilia intellectu*; & priscorum quidam in Divinis libris exercitatissimi fatentur Paulum in disserendo esse varium ac lubricum, quod obiter quaedam attingat, velut oblitus illius quod instituerat, eandemque vocem interdum usurpet non eodem sensu, nonnunquam subito dilabatur in aliud argumentum. *Legis* vocabulum frequenter apud hunc repetitur, at non semper eodem sensu. Fortassis & hic tale quiddam remoratur intelligentiam nostram. Quaedam enim dona quae rudimentis Ecclesiae erant necessaria nunc cessant, veluti donum Linguarum, Sanationes, Praescientia futurorum, reliquaque miracula, quae confirmatis in fide supervacanea sunt, siquidem *signa data sunt infidelibus, non fidelibus*. Tale quiddam videtur innuere cum ait, *Cum essem parvulus*, &c. quasi quaedam dona essent ad tempus data Ecclesiae subolescenti, cessatura postea quam illa profecisset *ad mensuram plenae aetatis Christi*. Ab hac autem perfectione digredi videtur ad majorem perfectionem, quae continget in futura vita: neque enim illa, *tunc videbimus facie ad faciem*, &, *tunc cognoscam sicut &*

cognitus sum, quadrant in Ecclesiam militantem. Quod si recipimus Apostolum hic per occasionem nonnihil digressum (quod & alias interdum facit) fortasse non absurde accipiemus hunc sensum, *Etiamsi cætera dona cessent in Ecclesia, Fidem tamen, Spem & Charitatem nunquam cessaturam: absque his enim non esset Ecclesia Christi sed Synagoga Satanæ. In vita autem cælesti nec Fidem, nec Spem, nec Charitatem mansuram. Fides enim substantia est rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Et, quod quis videt, quid sperat?* Sed absonum videtur apud superos cessare charitatem, ubi erit perfecta omnium charitas. At salvo aliorum judicio mihi videtur Apostolus hic agere, non de tota charitate qua diligimus Deum super omnia, & proximum propter Deum, sed de una tantum functione charitatis qua studemus prodesse proximo. Arguit hoc totius hujus disputationis tenor, in qua nulla mentio de dilectione Dei: sed huc tantum spectat, ut quodcunque donum aliquis accepit à Deo, conferat ad utilitatem proximi; licet vera charitas proximi non separetur à charitate Dei ex qua nascitur, fortassis & eadem est. Eoque vult *eum qui loquitur linguis tacere in Ecclesia, nisi sit qui interpretetur*; nec interpretem probat nisi adsit Propheta qui sensum mysticum enarret; nec Prophetam probat, nisi quod suggessit Spiritus proferat ad ædificationem Ecclesiæ, citra contentionem ac dissidium. Hæc autem functio charitatis cessabit apud superos, ubi nullus erit qui alterius officio desideret adjuvari, cum in hac vita nullus sit qui non egeat auxilio proximi. Jam forsitan & illud movebit aliquem, cum Dominus in Euangelio & Paulus in Epistolis tam insigniter Fidem prædicent, quomodo Paulus hic dicat *Charitatem esse maiorem*: siquidem ut nullum donum Deo gratum est absque charitate, ita nullum donum acceptum est absque fide, imo ne datur quidem absque fide. Nam Fides quasi manus animi sunt, quibus excipimus & amplectimur Spiritus munificentiam, sine qua nec Charitatis opera grata sunt Deo. Præterea Fides natura prior est Charitate: per fidem enim cognoscimus Deum; nihil autem amatur nisi cognitum. Præstantius autem videtur quod gignit quam quod gignitur. Adde quod si verum est extincta Charitate tamen in homine posse manere semen Fidei, magna Fidei commendatio est, quod Fides exstinctam se redaccendit cum idem non faciat Charitas. Denique Paulus ubique salutem hominis Fidei refert acceptam potius quam Charitati. Tum si donorum maxima est Charitas, in superiore capite, quo recensentur dona Spiritus, oportuit Charitati principem tribuere locum. Nunc illic Fides aliquem habet locum, Charitas ne nominatur quidem. Ad hoc responderi potest, Quamvis illic non exprimatur nomen, tamen Charitatis functiones multæ commemorantur, veluti *sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, opitulationes, gubernationes, interpretatio sermonum*, &c. per hæc enim opera sese profert Charitas. Qui ramos & fructus ostendit, satis commendat stirpem. Et quoniam totus hic locus hortatur ad utilitatem proximi, secundum hanc rationem charismata quæ magis conducunt pluribus dicuntur *meliora*, & Charitas dicitur *maxima*, quod omnia accommodat ad utilitatem Ecclesiæ. Nihil autem vetat quo minus eadem res juxta diversos respectus sit altera superior & inferior. Erit fortassis quem præter hæc illud movebit, Cum nullum Spiritus donum, ne ipsa quidem Charitas contingat aut grata sit absque Fide, quomodo Paulus ita recenset Fidem quasi inter membra corporis mystici aliis adsit, aliis non adsit? sic enim loquitur, *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum*, &c. Sed hunc scrupulum amovit Theophylactus, indicans hic *fidei* nomen non declarare credulitatem ac fiduciam illam erga Deum per quam dantur omnes gratiæ, sed eam tantum quæ edit miracula, quæ nec omnibus datur, nec ad salutem est necessaria: planeque videtur de hac ipsa sentire Apostolus cum ait, *Et si fidem omnem habuero, ita ut montes transferam.* Quemadmodum enim Dominum imitatus, summæ Charitatis exemplum posuit, *si quis tradiderit corpus suum ad incendium*, h.e. ad mortem horribilem; sic Dominum imitatus, summæ Fidei exemplum posuit, *ita ut montes transferam.* Atque hæc quoque Fides perfecta dici potest in suo genere, quamvis non sit simpliciter perfecta juxta vires universas. Nam hæc est radix ac fons omnium donorum spiritualium, ipsius etiam Charitatis. Sed Charitatis partes sunt, quicquid homini contingit boni, sive spiritualis, sive moralis, sive naturalis, sive fortuiti, ad utilitatem proximi conferre. Hæc ita disserui ut nihil asseverem, sed occasionem suggerere volui sapientibus meliora dispiciendi.

V A T A B L U S.

1. *CHaritatem autem non habeam*] i. Non adsit autem studium bene merendi de proximo ac Dei donum in communem usum conferendi: q.d. *& non ita loquar ut intelligar, conciones meæ abibunt in ventos ut æs sonans.* ¶ *Tinniens*] *Jubilans.*

2. *Mysteria*] *Arcana.*

3. *In cibos*] *In alimoniam.* ¶ *Ardeam*] *Comburar.*

4. *Patiens*] *Longanimis, lenis animo.* ¶ *Non æmulatur, non agit perperam*] *Invidet, charitas non est procax:* vel, *non adulatur* aut *ostentat sese.*

5. *Non est ambitiosa*] *Non agit inhoneste:* vel, *non est fastidiosa:* i. nihil sibi indecorum putat quamlibet humile officium, modo prosit. ¶ *Non cogitat malum*] Vel, *non imputat cuiquam malum.*

8. *Excidit*] *Cessat:* i. ubique prodest, ubique est usui, imo crescit in dies. ¶ *Evacuabuntur*] *Abolebuntur*, & infra.

10. *Quod perfectum est**] i. Perfecta cognitio. * *Tunc.*

11. *Evacuavi*] *Abolevi.*

12. *Videmus**] * *Enim.* ¶ *Ænigmate*] i. Cognoscimus obscure. ¶ *Tunc*] i. In cœlo.

13. *Manet*] *Manet*, sing. num. ¶ *Horum*] *His*, Vet. vel, *maxima ex his:* q.d. inter has virtutes fusissime & longissime se porrigit charitas.

C A S T A L I O.

8. *SCientia delebitur*] Scilicet hæc quæ imperfecta est, augerique potest, cui perfecta succedet.

C L A R I U S.

1. *SI linguis hominum loquar*] Inter cætera dona quæ Corinthii æmulabantur præcipuum erat illud Linguarum, propterea quod Apostoli primum id accepissent in Pentecoste. Ideo nunc ab eo exorditur Apostolus. *Linguas* autem *Angelorum* appellat morem illum versandi inter se: habent enim & illi significationem quandam in mutua consuetudine, quæ illa cunque sit. Et vide quanta sit majestas & dignitas Charitatis, præ qua tam admiranda dona, *Linguarum, Prophetiæ, Agnitionis omnium mysteriorum & omnis scientiæ*, cæterarumque rerum quas commemorat, nihil sint.

2. *Omnem fidem*] Hæc fides non est illa justificans, sive, ut Theologi vocant, donum gratum faciens, sed gratis datum: quod multis contigit quos Christus dixit *se non agniturum, cum dicent se in nomine ejus dæmonia ejecisse*, &c. At paulo post cum dicit, *Charitas omnia credit*, & ad Galatas, *bonitas, fides, Fidem* accipit pro *animi tractabilitate*, ut opponatur Pertinaciæ. ¶ *Ut montes transferam*] Opus transferendorum montium *omni fidei* ascribit Paulus, at Dominus ait posse hoc eum facere qui *habuerit tantam fidem quantum est granum sinapis*. Sed loquitur hic Paulus ad hominum phantasiam.

4. *Charitas*] Hic enumerat partes, seu mavis signa, Charitatis; ut cum quis scire velit num in charitate sit, facile discat. Et primum eam dicit esse *longanimem*: at quia longanimitas interdum habere aliquid indignationis secum potest, addit & *benignam* esse. Et hæc quidem ad ferendas proximorum injurias. At in eorum bonis *non æmulatur*, h.e. non est invida: in suis factis *non est proterva*, οὐ περπερεύεται, quod esse ait M. Basilius *cum quis aliquid aggreditur non ob necessitatem, sed jactantia quadam.*

5. *Non agit inhoneste*] Οὐκ ἀσχημονεῖ, h.e. ut idem Basilius ait, *non a proprio schemate discedit.* Schema autem & figura Charitatis eæ sunt proprietates quæ ab Apostolo eodem loco numerantur. Alii sic interpretantur, *Præfert charitas etiam ea quæ dedecus ei afferant, neque illud dedecus putat, ob amatum; vel non invehitur vehementer in alios, ut a decoro discedat.*

6. *Non gaudet super iniquitate*] h.e. ubi quis injuria afficitur; sed contra, cum nomen gloriamque quis assequitur, & veritati locus datur.

7. *Omnia suffert*] Etiam plagas & mortem. ¶ *Omnia credit*] *Sed non omnibus*, ait Augustinus. Hic autem ait eam nihil subdolum de amato suspicari. ¶ *Omnia sperat*] Meliora semper de proximo quoque exspectat; quæ si fraudetur sua spe, *omnia sustinet.*

8. *Nun-*

8. *Nunquam excidit*] Nunquam dissolvitur, nunquam intercidit. Semper novas sibi fingit occasiones quibus in proximi cujusque dilectione detineatur. ¶ *Sive prophetia*] Quia in Græco est *autem*, sic, *Sive autem prophetia*, videtur & hic quædam ἔλλειψις esse, quæ sic impletur, *Finem habebunt prophetiæ & linguæ & scientia, at charitas finem nescit.* Cessabunt Prophetiæ & Linguæ, quæ nutriendæ Fidei causa nunc perdurant, quæ cum propagata fuerit, otiosæ erunt. *Scientiam* vero videtur dicere illam docendi: nam dilatata pietate ac fide, doctrina non erit opus. Quid ergo tunc? De futuro enim tempore dixit *scientiam abolendam.* Tunc ergo in ignorantia erit degendum? Absit, sed de scientia loquitur hac imperfecta & quæ *ex parte* habetur; *at cum venerit illa perfectio, tunc ea quæ imperfecta sunt abolebuntur*, neque omnino cum illis stabunt. Hæc enim omnia nunc habemus ut res imperfectas, dum sumus tanquam *pueri*: cernimus autem cum quis *vir evadit*, eum *puerilia omnia abjicere.* Et hoc est quod ait, *Cum essem parvulus*, &c. At Charitas hic inchoata non abolebitur sed complebitur.

12. *Sicut & cognitus sum*] h. e. Exacte & perfecte, cum nostram mentem sibi adjunxerit, & imago ad exemplar suum accesserit. Ad hoc enim, inquit, ab initio cognovit me, ut & ipse agnoscam quatenus homini fas est, integre ac perfecte.

13. *Major est Charitas*] Tanquam durabilior & perseverantior.

Z E G E R U S.

3. *ITA ut ardeam*] Hieron. in Gal. 5. dicit in nostris inolevisse errorem ut *ardeam* legamus; testatur tamen idem inveniri in nonnullis Græcis: vult ergo legi *glorier* καυχήσωμαι, non *ardeam*, καυθήσωμαι. Verum hoc, ut alia multa, receptum non est. Item vocula *ita* hic submovenda est; non autem ibi, *ita ut montes.*

4. *Non agit perperam*] Περπερεύομαι vocabulum hoc loco positum à Latinis mutuatum esse puto, & à *perpero*, i. depravo, derivatum; unde *perperam*, i. prave, perverse: ideoque de hoc quasi exotico & peregrino vocabulo Græcos & horum æmulos expositores varie sensisse. Theophylactus exponit, *non est inconstans.*

5. *Non est ambitiosa*] Ne ignores quid Græcis legatur, οὐκ ἀσχημονεῖ illis idem est quod *non turpiter nec præter decorum agit.* Non male tamen Interpres, meo sane judicio, si *ambitiosa* accipiatur pro *pomposa & ornatus studiosa.* Nam σχῆμα, à quo ἀσχημονεῖν, præter alia etiam *ornatum* & *cultus ambitionem* declarat.

12. *In ænigmate*] *Ænigma* est sermo nodosus & involutus.

13. *Nunc autem manent fides*, &c.] Licet cæteræ dotes, Linguæ, Prophetiæ, Discretio spirituum, & reliquæ, ut minus necessariæ, aboleantur, & magna ex parte abolitæ jam sint, manent tamen ac permanebunt ut necessariæ in extremum usque seculi diem Fides & Spes: sed his etiam major Charitas ne unquam quidem cessatura est.

S T E P H A N U S.

2. *ΩΣτε ὄρη μεθιστάνειν*] *Ita ut montes loco suo moveam.*

3. Ἐὰν ψωμίσω] *Si in buccellas impendero*, quibus videlicet alantur pauperes.

4. Ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, χρηστεύεται] *Charitas non statim irascitur, benignitatem exercet.* ¶ Οὐ περπερεύεται] *Non agit perperam*, i. nequiter & insolenter. Alii aliter.

5. Οὐκ ἀσχημονεῖ] *Non agit indecore.*

D R U S I U S.

1. *ET Angelorum*] Nomen אלהים & *Deum* significat & *Angelos.* Suspicor igitur *linguam Angelorum* hic esse quam Ebræi vocant לשון אלהים *linguam Dei*, i. Divinam & excellentem. Deo enim tribuitur quicquid in suo genere excellit.

3. *Ut ardeam*] Aut *comburar.* Hieron. in epist. ad Galatas c. 5. *ut glorier*, ἵνα καυχήσωμαι, quod in variante scriptura, & una tantum litera differt à καυθήσωμαι *comburar.* Vide Hieron. loco citato, & Observ. nostras lib. 4. c. 7.

4. *Patiens est*] Μακροθυμεῖ, *iram differt*: quod Ebræi dicerent אף יאריך ex Prov. 19. 11. *Intellectus hominis* אפו האריך *differt iram ejus.* Verbum è verbo, *prolongat*, aut *longam facit*: unde ארך אפים *longus irarum*, h. e. tardus ad iram, qui non facile irascitur. Gr. μακρόθυμος Psal. 86. 15. & Prov. 14. 29. ubi ei opponitur ὀλιγόψυχος. Lexicon Græco-Lat. vetus, Μακρόθυμος, *longanimus*: & Latino Græcum, *Longanimis*, μακρόθυμος. Sic Horatius, *animum rege*, i. θυμόν. Ergo *longanimus*, sive *longanimis*, qui longe abest ab ira, sive qui potest iram cohibere, qui præditus est μακροθυμίᾳ, quam Cicero μακροψυχίαν appellat, quasi *longanimitatem* dicas. Usus est Strabo pro *obstinata ratione resistendi.* Scriptura vero semper in laude usurpat. Sirach. 2. 4. μακροθύμησον, *esto patiens.* 18. 10. ἐμακροθύμησε κύριος ἐπ' αὐτοῖς, *distulit iram in eos.* Baruch. 4. 18. μακροθυμήσατε τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ ὀργήν, *patienter sustinete eam quæ à Deo est iram.* Rursum Sirach 5. 13. ἐν μακροθυμίᾳ φθέγγου ἀπόκρισιν, *in patientia*, vel *longanimitate*, si sic loqui licet: & Prov. 19. 11. φρόνησις ἀνθρώπου μακροθυμία αὐτοῦ. Quod notatum ex Aquila & Theodotione interpretibus antiquis. Vide Rom. edit. ¶ *Non agit perperam*] Οὐ περπερεύεται. Lexicon Græco-Lat. vetus, Περπερεύομαι, *ago perperam.* Vide quæ notavimus de hoc verbo l. 7. Observ. c. 7.

6. *Congaudet veritati*] *Una gaudet & lætatur cum veritate lætante. Veritas* autem hic est sinceritas, quæ opponitur ficto & simulato. Hanc enim Ebræi אמת appellant, ut cum dicunt *facere veritatem* pro *agere sincere.* nec pro *justitia* non memini legere: quanquam in opposito ἀδικία.

7. *Omnia credit*] Quæ credi bona conscientia possunt ac debent: ita Theodorus, nec male. Nam etiam *simplex credit omni verbo*, sive *omni rei*: quod magis vitio ei datur quam laudi.

8. *Scientia*] Γνῶσις, *notio*, *cognitio.* Accipio ut ibi, *Excisus est populus meus absque scientia*: ubi דעת in fonte. Vult dicere quod non recte institutus & edoctus sit à Sacerdotibus aut aliis quibus docendi munus incumbebat. Sic alibi, *Quia sprevisti scientiam, spernam ego te quoque ne Sacerdotio mihi fungaris.* Utinam hæc in aures admittant qui scientiam rerum Divinarum non negligunt modo sed etiam contemnunt. Et unde, quæso, hæc dissidia? Nam imperitia mater omnium errorum. Aut ferre debemus qui dissident à nobis, aut eos revocare ad ipsam veritatem, h. e. ad verbum Dei, in quo norma credendi. Quæ in verbo illo expressa non continentur, temere obtrudenda non sunt ad credendum. Magis laborandum de moribus ac vita populi. Nam qui credit omnia quæ credenda nobis proponuntur, si vitam insipienter & aliter quam oportet instituerit, nec ab ea resipuerit & in viam redierit, servari non potest. Novit ille qui omnia. Sic est profecto. Omnes quid credendum sit præcipiunt, nemo quomodo vivendum sit curat.

12. *In ænigmate*] בחידה, qui *sermo* est *obscurus*: unde qui *per ænigma loquuntur* difficulter intelligi possunt: similiter non clare videt qui *per speculum & ænigma tantum videt aut cernit.* ¶ *Sicut & cognitus sum*] Emendant *prout edoctus fuero.* Aut igitur ἐγνώσθην positum pro ἐγνωρίσθην, ut γνῶναι idem sit cum γνωρίζω *notum facio*; aut alia expositio quærenda. Quid si, *Sicut cognitus sum* à Deo per visionem cœlestem, ita *tunc* omnia *cognoscam* eodem doctore ac præceptore? Vocatus enim sum ἄμεσος à Deo, qui *tunc*, h. e. in altera vita, me instruet de omnibus, & docebit *coram*, h. e. ut ipse loquitur, *facie ad faciem.*

C A S A U B O N U S.

1. *ΓΕ΄νονα χαλκὸς ἠχῶν*] Macrob. p. 447. [lib. 5. 19. ex Virgilio,

Curetum sonitus, crepitantiaque æra.]

4. Οὐ περπερεύεται] Σχολ. οὐκ ἀλαζονεύεται· quæ est verissima hujus loci interpretatio. Hesychius κατεπερπερεύσατο exponit χλευαστίζεσθαι. Vide eundem in περπερεύεσθαι.

C A M E R O.

2. *EA'N ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν*, &c.] Bellarminus hinc conficere conatur, Fidem miraculorum, qua montes transferuntur, esse excellentem & eminentem quendam gradum fidei justificantis. Nam, inquit, sub finem capitis Apostolus ait *hæc tria manere, Spem, Fidem, Charitatem.* Cum itaque sub finem capitis agat de fide justificante (ut est in confesso) necesse est etiam ut de eadem agat initio capitis, quando disputatio illa continua est: alioqui Apostolus diceret ἀνακόλουθα. Sed primo, nihil est quod nos cogat hoc Bellarmino concedere, De eadem fide agi ab Apostolo sub finem capitis de qua egit initio. Sed dato hoc tamen, etsi non concesso, Resp. secundo; Observandam esse phrasim qua usus est Apostolus. Initio enim capitis non dixit simpliciter, *Si habeam fidem*, sed, *Si habeam omnem fidem*; sub finem autem capitis non dixit, *Nunc autem manet omnis fides*, sed, *Nunc autem manet fides.* Ergo initio capitis egit de *omni fide*, sub finem vero de ea fide quæ *Fides* simpliciter dicitur.

Quor-

Quorsum autem ista observatio? Nempe initio capitis hoc Paulus voluit, *Etiamsi omnis generis fidem habeam, charitatem autem non habeam, nihil sum:* sub finem autem capitis tacite negat omnis generis fidem manere; fides enim miraculorum temporaria fuit, quæ non diu mansit in Ecclesia. Jam vero *omnis fides*, πᾶσα πίστις, pro *omni genere fides*, phrasis est Scripturæ familiarissima. Si hoc eodem cap. 13. eodemque vers. 2. πᾶσαν γνῶσιν dixit Apostolus pro *omni genere cognitionis*, & 2 Cor. 1. 4. πᾶσα θλίψις est *omne genus afflictionis.* ¶ Ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω] Hinc videtur confici Fidem justificantem separari posse à Charitate: at non id sequitur tamen; est enim hæc locutio illi similis quæ est Gal. 1. 8. *Si vel ego vel Angelus de cælo aliud Evangelium vobis annunciet, sit anathema.* Ejusmodi nempe locutiones, cum sint hypotheticæ, nihil positive statuunt. At quærat aliquis, Si Fides & Charitas insolubili nexu ita inter se conjunctæ sunt ut à se invicem separari non possint, cur Apostolus sic sit locutus, *Si habeam fidem, & charitatem non habeam?* Et ego vicissim quæro, Cum *esse anathema à Christo, ab eo separari*, & *eum odisse*, in homine mortali sint nexu insolubili indivulsa, qui fieri potuit ut Paulus Rom. 9. 3. alterum horum optaverit, nempe *esse anathema*, alterum autem quod ei cohæret, nempe *separari à Deo*, exsecratus sit? Nempe, hæc sunt ejusmodi ut licet separari actu non possint, alterum tamen possit sine altero concipi.

6. Οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ] H. e. Si quis deprehensus est reus, Charitas non hinc petit lætitiæ sed tristitiæ potius materiam: quod si compertum est quempiam esse innocentem qui suspectus fuerit de scelere, gaudet Charitas: ubi notandum est ἀληθείαν & ἀδικίαν opponi, nempe ἀλήθεια *justitiam* significat, & pro *justitia* ponitur, quemadmodum *mendacium* pro *injustitia*, Rom. 3. 7. Mens ergo Apostoli hæc est, *Charitas pugnat cum* ἐπιχαιρεκακίᾳ. Est autem ἐπιχαιρεκακία vitium quo fit ut non modo gaudeamus aliorum calamitatibus hominum, sed etiam avide bibamus rumores, & vero cum rumoribus subest veritas, ea re impense delectemur. Charitas vero facit ut simus patrum similes, qui filiorum laudes facile & lubentes admittunt, at vero vituperium, nisi re perspecta, non admittunt, &, si res est perspecta, gravissime dolent.

7. Πάντα πιστεύει] Isto (cum eo quod paulo ante præcessit v. 5. οὐ λογίζεται τὸ κακόν, h. e. *non suspicatur* de alio *malum*) videtur Apostolus nos revocare à dubitando. At quæstio est sane gravis, Qui fieri possit ut in hac naturæ corruptione atque infirmitate non sit justa & idonea causa dubitandi hac in parte: nam hoc negato videtur tolli à rebus humanis res plane necessaria, *Exploratio aliorum*, quæ non modo inter pares locum habet, sed etiam inter eos quorum conditio dispar est. Unde crebræ in Scriptura hortationes ut probemus quæ objiciuntur nobis; ut est illud, *Omnia probate*, &c. tum jubemur quidem *simplices esse ut Columba, attamen prudentes esse instar Serpentum:* quæ videntur pugnare cum Charitate, cujus est *omnia credere*, & *non esse suspicacem*; minime tamen pugnant. Aliud enim est *suspicacem esse & credulum*, aliud *omnia credere:* nam *suspicacem esse & credulum* extrema quædam sunt, *omnia* vero *credere* mediocritatem habet. Etenim ut quis dicatur suspicax tria ista intervenire necesse est: 1. ut qui suspicatur in deteriorem partem pronior sit: 2. ut quod in deteriorem partem pronior est proficiscatur ab amore sui, & odio proximi, aut certe contemptu, unde sequitur gaudium quoddam animi, si quod verum esse suspicio suasit reapse verum esse compertum est: id quod notavit Apostolus versu præcedente, *Non gaudet injustitia, gratulatur autem veritati.* 3. Ut quis habeatur pro suspicaci requiritur ut nullum habuerit argumentum suspicandi probabile. Credulitas vero vitium mentis est potius quam morum: nam is demum credulus est qui non jam pronior est in sequiorem partem, neque tantum in eam propendet, sed ruit potius sine consilio. At qui dicitur ab Apostolo *omnia credere*, is est qui in meliorem partem pronior est, maxime cum nondum habuerit argumentum diversum suspicandi. Neque vero id prohibet quominus & eos tentet, h. e. exploret, de quibus *omnia credit:* nempe qui sic affectus est non tentat animo maligno, aut quod putet inesse illis quidquam mali quod gaudeat illis inesse aut velit. Itaque qui *omnia credit* nunquam utitur tentatione nisi in causa gravi, cum res agitur magni momenti, quæ non est temere ullius fidei cujus ingenium non sit tibi notum committenda: ut si quis liberos velit alicui tradere in disciplinam, eum tentat, h. e. explorat ejus mores & doctrinam. Qui sic tentant, animo benevolo tentant, conscii scilicet imbecillitatis humanæ.

12. Βλέπομεν γὰρ ἄρτι, &c.] Hic δι' ἐσόπτρου est במראה: nam מראה non *visionem* modo sed & *speculum* aliquando significat. ¶ Ἐν αἰνίγματι] h. e. בחידות. ¶ Τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον] h. e. פה אל פה *os ad os*, item & במראה. nam מראה etiam *vultum* & *faciem* significat. Allusit nempe Apostolus ad locum Num. 12. 6. *Si sit Propheta inter vos, in visione notum me faciam ei, in somnio alloquar eum. Non ita servus meus Moses* (h. e. Non est ea conditio servi mei Mosis) *fidelis est in tota domo mea: ore ad os alloquar eum* (non vero in ænigmate) *& faciem & similitudinem Domini contemplabitur.* Ad quem etiam locum allusit idem Apostolus 2 Cor. 5. 7. Διὰ πίστεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους. Ubi V. Interpres reddidit *non per speciem*; non male: nam εἶδος omnino *species* est (porro *species* est מראה)

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

per speciem igitur est במראה. Sed oritur hic hæc quæstio, Cum Apostolus *videre in speculo, in ænigmate*, referat ad hanc vitam, *videre* autem *facie ad faciem*, item *ambulare per speciem* referat ad vitam futuram, numquid negarit Mosen vidisse Deum πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, & *ambulasse per speciem?* Sed visio Dei duobus modis potest considerari, *absolute*, & *comparate*. Atqui nihil prohibet Dei visionem eam quæ non est absolute *per speciem, facie ad faciem*, comparate tamen dici esse ejusmodi. Nam & major lux cum confertur cum minori, *lux* dicitur, minor lux *tenebræ*, nempe præ illa. Itaque cum illic instituta sit comparatio revelationis quæ Mosi obtigit cum revelatione quæ obtigit reliquis Prophetis, non disconvenit ut Mosi quæ obtigit revelatio ea dicatur *non in ænigmate, non in visione, neque per somnia fatidica* contigisse, sed *per speciem, & ore ad os* fuisse. At eadem si conferatur cum ea patefactione quæ obtinget in vita futura, omnino ænigmatica fuit. Imo vero & ænigmatica fuit si conferatur cum revelatione N. Testamenti.

GUALTPERIUS.

1. Ἢ Κύμβαλον ἀλαλάζον, *aut cymbalum tinniens*] κύμβαλον apud Græcos & Latinos usitatum. Genus instrumenti Musici, ex ære videlicet factum. Athenæus lib. 9. τυμπάνοισι καὶ βέμβοισι χαλκοτύπων βρεμόντες κυμβάλων. Chald. & Syr. צלצלא *Zazla*. Hebræis *cymbala* dicuntur צלצלים à *tinnitu*, 2 Sam. 6. 5. In statu syntactico Psal. 150. 5. בצלצלי *in cymbalis sonoris*. Verbum κυμβαλίζω significat *cymbalum pulso:* κυμβαλιστής *cymbalista, qui cymbalum pulsat*. Etymologus κύμβαλα quasi κύφαλα vult dici. Plura vide in voce κύμβος apud H. Stephanum in Append. pag. 1315.

12. Βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, *Cernimus nunc per speculum & per ænigma*] Vocabulum hoc αἴνιγμα (quod Latini etiam retinent) descendit ab αἰνίσσομαι, Attice αἰνίττομαι, *obscure significo, obscure* vel *occulte innuo, involucro quodam verborum significo.* Ponitur interdum absolute, ut apud Aristotelem Rhetor. 3. μεταφοραὶ γὰρ αἰνίττονται, i. *sunt ænigmata*, quatenus videlicet res obscure declarant, seu *ænigmaticum aliquid habent*, vel *sunt ænigmatica*. Inde αἰνιγμὸς & αἴνιγμα, *oratio verborum involucris tecta, ænigmatica oratio:* Germ. Ein Retzel. Sphingis αἴνιγμα apud Athenæum lib. 10. *quæstio est ænigmatica, sensum obscurum ac latentem habens.* Αἰνιγματώδης λόγος *ænigmatice*, vel *obscure, dictus aut scriptus sermo.* Adverbium, αἰνιγματωδῶς, *ænigmatice, per ænigmata*, δι' αἰνιγμάτων· αἰνιγματιστής, *sermonis ænigmatici affectator*. Syrus utitur voce בפלאתא *bepheleta*, ex radice פלא, quod est *exquirere, contendere & disputare:* פלאתא *explicatio*, Prov. 11. 1. Syre פלאתא *Parabola, simile, allegoria*, Matth. 13. Hebræi radicem habent חוד, quod est *ænigmatice loqui, ænigmatizare*, seu *ænigma proponere*. חוד חידה *propone ænigma* Ezech. 17. 2. Futur. אחודה נא לכם חידה *proponam nunc vobis ænigma*. חידה *ænigma:* חידות *ænigmata*, Psal. 78. 2. בחידות *per ænigmata*, Num. 12. 8. Chaldaice אחידן f. p. *ænigmata*, Dan. 5. 12.

JAC. CAPPELLUS.

12. Videmus nunc per speculum, tunc autem videbimus facie ad faciem] Est hæc figurata locutio, non simpliciter sed secundum quid & συγκριτικῶς intelligenda. Videlicet quanto gratius est nobis amicum facie ad faciem contemplari quam in speculo, quantoque perfectius aliquem videmus illo quam hoc modo, tanto gratius & perfectius Deum contemplantur comprehensores in patria quam ullus viator in hac vita. At utut amicum facie ad faciem contempleris, non propterea vides essentiam ejus; multo minus essentiam Dei videt vel Deum videt per essentiam ulla creatura, licet eum *videre* dicatur *facie ad faciem*. Hieronymus in Esa. 1. locum hunc respiciens, *Nunc*, inquit, *in speculo videmus*, &c. addit, *licet faciam Dei juxta*

juxta naturæ suæ proprietatem, h. e. essentiam Dei, *nulla videat creatura, & tunc mente cernatur quando invisibilis creditur.* Vide quæ notamus in Num. 12. 8.

GROTIUS.

1. Ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ; *Si linguis hominum loquar*] id est, *omnium Gentium linguis.* Hoc ideo dicit, quia multi qui id donum acceperant non modeste utebantur: nimium sibi placebant præ cæteris, cum tamen id donum non sit datum ostentationis causa, sed ad utilitatem aliorum. Nulla erant ejusmodi χαρίσματα [*dona*] quibus non male uti homines possent, & quæ non possent male utendo perdere. *Recedente enim disciplina*, ut loquitur Cyprianus, *recedebat & gratia.* ¶ καὶ τῶν ἀγγέλων, *& Angelorum*] Est & in Angelis aliquid ἀνάλογον [*simile*] linguis per quod conceptus sibi mutuo tradunt: Solent autem ἀνάλογα [*similia*] inter se recipere communicationem vocabulorum. Vide Dan. VIII, 13. Dubitat Nazianzenus an Angeli inter se etiam externis vocibus utantur. ¶ ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, *charitatem autem non habeam*] Nam & hoc est quo fides docit & ex quo censemur. Χαρίσματα [*dona*] illa modo dantur, modo non dantur, prout aliorum usus exigit. Dilectio est quæ Deum imitatur, & perpetuo adesse potest & nos in perpetuum Deo commendare. ¶ γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, *factus sum velut æs sonans*] Id est tintinnabulum animi causa sonans, nihil autem significans. Tintinnabula erant ex ære. ¶ ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον. *aut cymbalum tinniens*] *Cymbala* distinguit ab *ære*, quia erant pleraque ex argento. Ἀλαλάζειν [*tinnire*] est ὀνοματοποιΐα [*nominis fictio*] & quemvis *sonum inconditum* significat. Vide quæ ad Marcum v, 36. κύμβαλον [*cymbalum*] à sono dicitur צלצל [*tzeltzal*] II Sam. VI, 5. & in Psalmis & Paralipomenis sæpe.

2. Καὶ ἐὰν ἔχω προφητείαν, *Et si habuero prophetiam*] Nam & hanc habuisse quidam possunt, & tamen pietatem & salutem amittere, Matth. VII, 22. ¶ καὶ εἰδῶ τὰ μυστήρια πάντα, *& noverim mysteria omnia*] *Si intelligam quo tendant omnes istæ figuræ Veteris Testamenti.* ¶ καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν, *& omnem scientiam*] *Omnem historiarum cognitionem.* ¶ καὶ ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν, ὥστε ὄρη μεθιστάνειν, *& si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*] Fidei enim adultæ id erat præmium, res miras efficere, ut diximus supra 9. Est autem proverbialis locutio *montes transferre*, id est, res plane stupendas efficere, ut videre est ad Matth. XVII, 20, ubi dicta vide. Adde Apocalypsim VIII, 8. ¶ ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, *charitatem autem non habuero*] Fides multa promissa habet, quia via est ad dilectionem. Ipsa autem dilectio est quæ opera edit magis admiranda quam ea quæ *miracula* vocantur, & si operandi tempus desit aut occasio, participes factos Divinæ bonitatis, participes etiam facit Divinæ beatitatis. Hoc scire & hoc agere est esse Christianum. ¶ οὐδέν εἰμι. *nihil sum*] Nullo apud Deum ero in pretio ad consequendum vitam æternam. Manuscriptus hic habet, οὐδὲν ὠφελοῦμαι [*nihil mihi prodest*]. Vide Psalm. I, 15.

3. Καὶ ἐὰν ψωμίζω πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου, *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*] Hoc etiam gloriæ causa fieri potest, sicut à Thebano quodam factum commemorat Origenes ad Matth. XIX, ψωμίζειν proprie est *ad vescendum dare*, Num. XI, 4, 18. Deut. VIII, 3, 16. figurate, *in alicujus usus impendere*, Esai. LVIII, 14. ¶ καὶ ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσωμαι, *& si tradidero corpus meum ut ardeam*] Nam hoc fecit Calanus, & multo post Peregrinus Philosophus, ὑστεροφημίας [*famæ post mortem duraturæ*] causa, non Dei amore, ut socii Danielis. Adeo apud Deum res istæ ex proposito magis quam ex facto æstimantur. Vide quæ diximus ad Matth. VI, 1, & sequentibus. ¶ ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, *charitatem autem non habuero*] Illam quæ vere nos Dei filios facit. Vide Matth. v, 48. ¶ οὐδὲν ὠφελοῦμαι. *nihil mihi prodest*] Nempe ad præmium cœleste.

4. Ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, *Charitas patiens est*] Divina plane ἀγάπης [*charitatis*] descriptio, profecta ex pectore ejus pleno. μακροθυμεῖ, אפו יאריך [*differt iram suam*], Prov. XIX, 11. ¶ χρηστεύεται· *benigna est*] *Humanitatem ostendit.* Sic χρηστεύεσθαι sumitur Canone XI. Synodi Nicænæ. Hebræi dicerent עושה חסד [*operatur in benignitate*]. ¶ ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ. *charitas non æmulatur*] *Non invidet.* Quo sensu hanc vocem habemus Genes. XXX, 1. XXXVII, 11. Sic Theocritus,

> Ζαλωτὸς μὲν ἐμὶν ὁ τὸν ἄτροπον ὕπνον ἰαύων
> Ἐνδυμίων
>
> [*Felix, æterni quem vis tenet alta soporis,*
> *Endymion*].

¶ ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται, *charitas non agit perperam*] Περπερεύομαι, *perperam ago* in Glossario. Vox hæc in veteribus Græcis non reperitur; & quod in Cicerone ad Atticum lib. I, epist. XIII. legitur ἐνεπερπερεύσατο [*impositus*] omnino corruptum est. Unde conjicere est natam hanc vocem ex Latina. Nam in Latio vetus vox est. Accius,

> *Describere in theatro perperos populares.*

Item,

> *Et eo plectuntur Poëtæ quam suo vitio sæpius*
> *Ductabilitate nimia vestra, aut perperitudine.*

Sunt autem hæc contraria, *recte facere*, & *perperam*, ut ex Cicerone pro Cecina apparet. Sed Græci paulo strictius accepere in significatione *simulationis.* Nam περπερεία, καλλωπισμὸς [*cultus nimius*] apud Clementem Pædagogi III, 1. Sic & Basilius in Definitionibus, τί ἐστι τὸ περπερεύεσθαι; πᾶν ὃ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλλωπισμὸν παραλαμβάνεται [*quid est quod perperam fiat? quod cum ejus usus non sit, ad ornatum assumitur*]. Dilectionis mos non est is qui ambitionis, *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere.* Hebræi dicerent לא ירד [*non illudet*]. ¶ οὐ φυσιοῦται, *non inflatur*] *Non intumescit.* Vide supra IV, 6, 18, 19. V, 2. VIII, 1. Habet sibi adjunctum ingentem comitatum virtutum, inter eas & ταπεινοφροσύνην [*humilitatem*].

5. Οὐκ ἀσχημονεῖ, *Non agit indecore*] *Cavet quicquam agere quod vel opinione hominum turpe sit.* Non agit Cynicum. Vide Ciceronem de Officiis primo. ¶ οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς, *non quærit quæ sua sunt*] In omnibus rebus magis publicum quam suum agit negotium. Vide supra x, 24, 33. ¶ οὐ παροξύνεται, *non irritatur*] Difficile est nunquam *irasci*, quod est παροξύνεσθαι חרה. Sed hoc ingenium est eorum qui homines diligunt, ut non modo sine causa non irascantur, sed & in justa commotione modum servent. Vide quæ dicta ad Matth. v, 22. ad Acta xv, 39. ¶ οὐ λογίζεται τὸ κακόν. *non cogitat malum*] Id est, *non facile mali quicquam suspicatur.* Dubia in partem accipit meliorem. λογίζεσθαι sæpe est *cogitare, existimare.*

6. Οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, *Non gaudet super iniquitate*] *Non applaudit male agentibus.* χαίρει [*gaudet*] est μετωνυμία [*Transnominatio*]. ¶ συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ. *congaudet autem veritati*] *Amat integritatem, vias rectas.* Nam ἀλήθεια [*veritas*] late patet, ut & Hebræum אמת.

7. Πάντα στέγει, *Omnia suffert*] Fert quæ ferri ullo modo possunt. Vide supra IX, 12. Solent voces universales restringi ex materia subjacente. Sic Genes. III, 20. *Omnis viventis* Chaldæus interpretatur *omnium filiorum hominis.* ¶ πάντα πιστεύει, *omnia credit*] Mavult credere quæ credita nihil nocent, quam temere aliquem mendacii damnare. ¶ πάντα ἐλπίζει, *omnia sperat*] Non facile de quoquam desperat quin ad meliorem frugem venire possit. Euripides,

> Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος ὅστις ἐλπίσι
> Πέποιθεν αἰεί
>
> [*Longe optimus, qui sperat*].

¶ πάντα ὑπομένει. *omnia sustinet*] Ab iis qui in profectu sunt in dies meliora exspectat. Græca est sententia, Περιαιρεῖ τὴν ἁμαρτίαν ἡ εὔνοια [*Benevolentia peccatum minuit*]. Adde Proverb. x, 12.

8. Ἡ ἀγάπη οὐδέποτε ἐκπίπτει. *Charitas nunquam excidit*) לא נגרע, *Nunquam usu caret.* ¶ εἴτε δὲ προφητεῖαι καταργηθήσονται, εἴτε γλῶσσαι παύσονται, εἴτε γνῶσις καταργηθήσεται. *sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*] In sæculo illo meliore neque præsagia futurorum, neque commemoratio præteritorum usum habebit. Erit enim ibi cognitio præsentissima omnium quæ cognoscere pro illo statu expediet. Et hic ἔλλειψις [*defectus*], *si prophetiæ*, nempe *alicui obtigere.*

9. Ἐκ μέρους δὲ γινώσκομεν, *Ex parte enim cognoscimus*] Explicat quæ dixerat: Non deerit cognitio, sed non talis erit qualis nunc est. Nam si res præsentes spectamus, quantum est quod ignorant etiam qui maxima ea in re dona sunt consecuti? ¶ καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν· *& ex parte prophetamus*] Pauca sunt de quibus dantur prophetiæ: & eas ne Prophetæ quidem ipsi plene intelligunt, nisi post eventum.

10. Ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, *Cum autem venerit quod perfectum est*] Vita illa perfectior quæ αἰὼν τετελειωμένος [*æternum perfectum*] Hebr. VII, 28. ¶ τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται. *evacuabitur quod ex parte est*] Dona illa cessabunt, quia omnibus eadem erit cognitio.

11. Ὅτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν, ὡς νήπιος ἐφρόνουν, ὡς νήπιος ἐλογιζόμην· *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus,*

sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus] Similitudine rem illustrat qua & Maimonides utitur. Alius est sermo, alia studia, alii rerum conceptus pueris, alia hæc viris. Multo autem major erit differentia temporis hujus & illius cœlestis vitæ:

Reddere qui voces jam scit puer & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temere & mutatur in horam.

De voce νηπίων [*parvulorum*] Vide Matth. XXI, 16. ὅτε δὲ γέγονα ἀνὴρ, *quando autem factus sum vir*] *Vir plena ætatis*, Ephes. IV, 13. Sic apud Horatium

—— *Ætas animusque virilis.*

κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου. *evacuavi quæ erant parvuli*] Id est, sermonis vitia correxi, studui rebus majoribus, res ipsas intellexi clarius. Ita priora illa *obliteravi.*

12. Βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον· *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*] Apparet hæc sumpta ex Num. XII, ubi Moses aliis Prophetis præfertur eo quod non per figuras adumbrantes, sed apertis indiciis velut per amici colloquium sibi facienda & futura alia intelligeret. Multo autem majus discrimen erit inter cognitionem quam habuit Moses & cognitionem futuri ævi, quam tunc fuit inter Mosem & Prophetas alios. Addidit Paulus illud δι' ἐσόπτρου [*per speculum*], quia quæ in speculo videmus, ea palpari nequeunt: imago quædam est rei, non res ipsa. Quod hic dixit πρόσωπον πρὸς πρόσωπον [*facie ad faciem*], id dixit εἶδος II Corinth. V, 7. id est, Hebræis תמונה [*imago*]. ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, *nunc cognosco ex parte*] Quæ ipse ego qui sum Apostolus ex donis cognovi, exigua sunt præ cognitione sæculi melioris. Hoc eo tendit ne insolescant qui talia dona hic accepere. τότε δὲ ἐπιγνώσομαι, *tunc autem cognoscam*] Exacte novero omnem modum per quem Deus mundum gubernavit & salutem hominum procuravit, & dispensationum causas. Vide I Joh. III, 2. Ἐπιγινώσκειν [*cognoscere*] plus est quam γινώσκειν [*noscere*] Nam ἐπὶ auget, Vide Roman. III, 20. X, 2. Philo de Allegoriis, Οἱ δὲ οὕτως ἐπιλογιζόμενοι διὰ σκιᾶς τὸν Θεὸν καταλαμβάνουσι, διὰ τῶν ἔργων τὸν τεχνίτην κατανοοῦντες. ἔστι δέ τις τελειότερος καὶ μᾶλλον κεκαθαρμένος νοῦς, τὰ μεγάλα μυστήρια μυηθεὶς, ὅς τις οὐκ ἀπὸ τῶν γεγονότων τὸ αἴτιον γνωρίζει, ὡς ἂν ἀπὸ σκιᾶς τὸ μένον, ἀλλ' ὑπερκύψας τὸ γενητὸν, ἔμφασιν ἐναργῆ τοῦ ἀγενήτου λαμβάνει· ὡς ἀπ' αὐτοῦ αὐτὸν καταλαμβάνειν καὶ τὴν σκιὰν αὐτοῦ, ὅπερ ἦν τόν τε λόγον καὶ τόνδε τὸν κόσμον [*Qui ita colligunt per umbram Deum percipiunt, animadvertentes artificem per ipsius opera. Sed est & alius perfectior puriorque intellectus, magnis mysteriis initiatus, qui non ex operibus causam cognoscit, quasi ex umbra solidum corpus: sed emergens super creata omnia, manifeste increatum contemplatur, ut & ipsum per se comprehendat, & umbram ejus: hoc est, & verbum ejus & mundum hunc universum*]. Perfectam fore in vita altera cognitionem etiam Hebræi statuunt & Plato in Philosopho. καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. *sicut & cognitus sum*] Id est, sicut Deus mea consilia & cogitata exacte novit. Juvenalis de diis,

Notior est illis homo quam sibi. ——

Vide & supra IV, 4. I Joh. III, 20.

13. Νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη, τὰ τρία ταῦτα· *Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc*] Νυνὶ [*nunc*] hic non est temporis, sed oppositionis pro *at vero*, ut Rom. III, 21. VII, 17. supra V, 11. μένει [*manet*] oppositum est ei quod dixit καταργηθήσεται [*evacuabitur*]. Sed quomodo manebunt (præsens enim hic futuri habet significationem, ut infra XV, 32. XVI, 3.) in altero ævo? Nempe eo modo quo *rupes Israelitas sequebatur* effectu suo. Supra X, 4. Sic *mortuos sequuntur opera*. Apoc. XIV, 13. Fides, spes, dilectio præmium habebunt II Timoth. IV, 7, 8. non prophetiæ Matth. VII, 22. Balaam Prophetam egit, & Deo invisus fuit. Judæ 11. Addidit τρία ταῦτα [*tria hæc*] quia ternarius numerus Deo sacer. μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη. *major autem his est charitas*] Μείζων [*major*] etiam de pluribus dicitur, ut videre est Matth. XIII, 32. Luc. IX, 46. *Maxima est inter has tres*: quia fides & spes ad dilectionem ducunt. Dilectio nos Deo conjungit & similes facit I Joh. IV, 8. sine hac ipsæ quoque spes & fides manent infructuosæ, ut intelligi potest ex dictis initio capitis hujus. Gal. V, 6. Jac. II, 10, & sequentibus. Ignatius in Epistola ad Ephesios ἀρχὴ ζωῆς πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη [*initium vitæ Fides, finis vero Charitas*].

CAP. XIV.

VALLA.

7. Quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur?] Numquid quod *citharizatur*, non *canitur*? Cur ergo dixit, *quod canitur, aut quod citharizatur*? Græce est *quod canitur tibia*, &, ut ad verbum barbare transferam, *quod tibiatur*. Quare sic transtulissem, ne quid insolens & Græcanicum admiscerem, *quomodo scietur quod tibia canitur, aut cithara?* αὐλούμενον ἢ κιθαριζόμενον.

10. *Tam multa utputa genera linguarum sunt in hoc mundo, & nihil sine voce est*] Gr. *& nullum eorum*, οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον. Præterea *vocum*, non *linguarum*, φωνῶν· quod nescio an Interpres mutaverit in *linguarum*, an alius, ne diceretur, *nullum genus vocum sine voce est*. Ego transferrem, *& nullum absonum est*, sive *absurdum*: quod videlicet omnis vox habet locum suum & suam gratiam. Ideoque sequitur,

11. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus; & qui loquitur, mihi barbarus*] Est autem Græce *in me*, ἐν ἐμοί. Illud *mihi* magis transferrem *apud me*. *Barbarus* imperite quidam exponunt, nescientes Græcum esse nomen, & proprie significare *non Græcus*; unde illud Rom. I. 14. *Græci & Barbari*: postea significatio dilatata, ut est apud Quintilianum in *Barbarismo*.

13. *Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur*] Aut est sententia, ut *oret* Deum, non ad hoc obtinendum *ut interpretetur*, sed si aliqua lingua preces ad Deum faciat, sic faciat ut ejus linguæ interiorem sensum interpretetur: ideoque sequitur,

14. *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est*] h.e. *Spiritus meus* propter *donum linguæ precibus utitur*; *sensus autem animi mei sine fructu est*, quia non intelligit profunda ad interpretandum aliis. Quod autem idem sit *mens* & *sensus animi* patet, quia quod nunc dicitur *mens*, νοῦς, idem paulo post ab Interprete transfertur *sensus*; *sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui quam decem millia verborum in lingua*, νοός, v. 19. Aut ut *oret* Deum ad hoc obtinendum, ut quod una lingua loquitur, altera, quæ illorum est quos alloquitur, *interpretetur* id quod sentit, ne *mens ejus sine fructu sit*, sed alios instruendo ædificet: & tunc fiet quod sequitur,

15. *Quid ergo est? orabo spiritu, orabo & mente; psallam spiritu, psallam & mente*] i. *Orabo* Deum *spiritu*, *orabo & sensu atque intellectu*, ut ab his qui audiunt intelligar & sentiar. Item, *psallam* non modo *spiritu*, sed *etiam mente* ac *sensu*, quod sentiam me intelligi ab his qui audiunt. Alioqui quomodo is qui nescit quid dicam, *respondebit Amen super benedictione mea*? i. in oratione & cantione mea: hoc enim est psallere sine gratiarum actione. Verum nonnihil verba sequentia discrepant à Græca veritate.

16. *Ceterum si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? quomodo dicet Amen super benedictione tua? quoniam quid dicas nescit*] Nam ἐπεὶ potius significat *quoniam* quam *ceterum*. Verum hoc parvi refert. Illud quod pluris refert, ipsa inspectio literæ indicat, non *quis* legendum esse, sed *qui*, ut etiam quidam codices habent. Sed quid sibi vult illud, *is qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen*? Ego mallem dicere, *qui implet*, aut *qui replet*, ὁ ἀναπληρῶν, h. e. *qui non plus loci implet quam idiota*, non *qui locum supplet* alterius. Nam si *suppleret*, utique sciret quid diceres, cum ipse idiota non sit. Nec dicendum est *super benedictione*, sed *super gratiarum actione tua*, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ· quod probat id quod sequitur,

17. *Nam tu quidem bene gratias agis*] Εὐχαριστεῖς.

27. *Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut multum tres*] Et melius & verius transferat *plurimum*, sive *ad summum*, quam *multum*, πλεῖστον.

38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*] Græce secus est, *Si quis autem ignorat, ignoret*, εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω.

RE-

REVIUS in VALLAM.

11. EN ἐμοὶ] Transpositum erat. ❡ Barbarus *imperite quidam exponunt*] Forte, imperitum *quidam exponunt*.

16. Ἐπεὶ, *quoniam*] Imo & *alioqui*: quod ipse modo usurpabat. ❡ Ὁ ἀναπληρῶν] Trajectum erat. ❡ *Qui non plus loci implet quam idiota*] Imo, qui sedet inter idiotas. ❡ Ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ] Confusa hæc erant.

ERASMUS.

1. SEctamini charitatem, *æmulamini spiritualia*] Plerique Græcorum & hic addunt δὲ conjunctionem in secunda particula, Διώκετε τὴν ἀγάπην, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά· alioqui videretur adhortari ad utrumque ex æquo: nunc omni conatu vult nos eniti ad benemerendum; id enim vocat *charitatem*. Deinde ne quis offendatur, subjicit, reliqua tamen haud aspernanda, quæ *spiritualia* vocat, quod afflatu Spiritus dentur aliquoties & malis: inter quæ tamen primum locum tribuit Prophetiæ. Hoc loco Paulus *prophetiam* vocat non prædictionem futurorum, sed interpretationem Divinæ Scripturæ. Quemadmodum & Plato discernit *Vates* à *Prophetis*: Vates arrepti Numine nec ipsi quid loquantur intelligunt, ea Prophetæ interpretantur cæteris. Porro vehementius est verbum διώκετε quam ζηλοῦτε· ζηλοῦμεν enim ea quoque quæ probamus ac miramur tantum. διώκειν est *magno studio adniti ut assequaris*. Optandum est ut & illa contingant: verum hæc quæ sunt charitatis, toto conatu sunt affectanda, non optanda tantum.

2. *Spiritus autem loquitur*] Πνεύματι δὲ λαλεῖ, *Spiritu autem loquitur*, sive *Spiritui loquitur*, ut respondeat illi quod præcessit, *non hominibus loquitur, sed Deo*, & quod sequitur, *hominibus loquitur*, h. e. suo loquitur animo. Ambrosius legit *Spiritu* auferendi casu, cum adscribit, *Spiritu autem loquitur, non sensu, quia ignorat quod dicit*. Atque ita scriptum etiamnum visitur in vetustissimo juxta atque emendatissimo codice Paulino, consentiente paris vetustatis codice Donatiani, consentiente utroque Constantiensi. Atque adeo si quis attentius observet, comperiet ita legisse & D. Augustinum libro De Genesi ad literam, etiamsi in plerisque cod. mutatum est *Spiritu* in *Spiritus*: siquidem cum adduxisset hunc locum, subjicit alterum huic similem, *Si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiota*, quasi sic dictum sit hic *benedicere spiritu*, sicut illic *loqui spiritu*. Thomas plane testatur se legisse *Spiritus*, enarrans *Deum esse qui loquatur per eos*. Atqui videndum est quomodo id congruat ad extenuandam hanc dotem. Nam id agit Paulus, ut *loqui linguis* sit multo inferius *Prophetia*. Græcis, ut dixi, sermo est anceps, quod dativus πνεύματι possit esse instrumentalis, cujus vice Latini ponunt ablativum casum, & idem possit esse acquisitivus sive relativus, perinde ut si dicas, *loquitur lingua*, & *loquitur tibi*. Chrysostomus ac Theophylactus sic edisserunt hunc locum, ut constet eos legisse *Spiritu*, non *Spiritus*: cum hic ait, *h. e. nequaquam cognitu facilia narrant hominibus & aperta, sed in Spiritu S. loquuntur mysteria*; ille, cum ait *Paulum utrumque donum tribuere Spiritui*. Mihi magis arridet Ambrosii sententia, ut *spiritum* accipiamus pro *voce*. Quanquam hic in aliis aliquot opusculis, *Psallam Spiritu, psallam & mente*, sic adducit quasi *Spiritus* accipiatur pro *Spiritu Sancto*. Sed hujusmodi lapsus non paucos reperias in Ambrosio.

3. *Nam qui prophetat*] Ὁ δὲ προφητεύων, *qui prophetat autem*. ❡ *Hominibus loquitur ad ædificationem*] *Ad* præpositio apud Græcos abest, λαλεῖ οἰκοδομήν, *loquitur ædificationem*. Quemadmodum & Latine loqui solemus, *Voluptatem mihi narras*, pro eo quod est, *Narras quæ mihi sunt voluptati*. Suspicor ex interpretatione eodem modo legisse Ambrosium.

4. *Ecclesiam Dei ædificat*] *Dei* non additur apud Græcos, nec in codice vetustissimo Donatiani, ne in Constantiensi quidem.

5. *Nisi forte interpretetur*] *Forte* de suo addidit Interpres: nec est apud Græcos, nec apud Ambrosium, nec video quid faciat ad sententiam.

7. *Tamen quæ sine anima sunt*] Ὅμως τὰ ἄψυχα. Faber mutat *tamen* in *similiter* aut *perinde*, ac si codices haberent ὁμῶς sive ὁμοίως. Et omnino prima fronte magis quadrare videtur ad sensum. Atque in his facile labuntur scriptores. Mihi tamen non probatur hæc opinio, primum refragantibus tum Latinis tum Græcis exemplaribus. Deinde quod ad argutiam Paulinæ sententiæ non videatur attinere, præsertim cum hanc sermonis formam alias reperiamus apud Paulum, velut Gal. 3. *Tamen hominis testamentum*, &c. ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην· de quo suo dicetur loco. Sentit autem Paulus adeo non esse probandum inanem vocum strepitum in hominibus Christianis, ut ea quoque quæ carent anima, nec ad aliud parata sunt nisi ut sonent ac tinniant, nulli sint usui nisi distinctum ac significantem sonum dederint. Proinde verti poterat, *Etiam inanima*, sive *Inanima licet*, aut *Quin & inanima*. Et in hunc sensum enarrat Chrysostomus ac Theophylactus. Præterea pro *quæ sine anima sunt* dicere poterat *inanima*, sive *inanimata*. Olim ex harmoniis tibiarum vulgus agnoscebat sententiæ genus; & hodie è vario tubæ cantu miles intelligit quid velit Imperator; itidem in venatu, & qui procul absunt à fera, è cornu sonitu intelligunt quo in statu sit venatio. ❡ *Sonitum*] Τοῖς φθόγγοις *sonis*. Et ita probabile est legisse Ambrosium, apud quem adhuc legitur *sonus*, non *sonitum*. Et δῷ potest esse *dederint*, ut referatur ad *inanima* μὴ δῷ, quod nomen sit neutri generis. ❡ *Quod canitur*] Τὸ αὐλούμενον ἢ τὸ κιθαριζόμενον, *tibia citharave canitur*. Proinde Ambrosius legit, *quod per tibiam canitur*.

8. *Quis parabit se*] Τίς παρασκευάσεται; *quis præparabitur?* Quod data opera & alias facit Interpres, nec id sane non recte.

9. *Manifestum sermonem*] Εὔσημον *significantem*. Et sic legit D. Ambrosius in Commentariis. Quanquam utraque lectio bene habet.

10. *Ut puta*] Εἰ τύχοι, i. *verbi gratia*, nimirum cum exemplum fingimus aut ponimus. ❡ *Genera linguarum*] Φωνῶν *vocum*. Ita legit & interpretatur Chrysostomus ac Theophylactus. Loquitur enim de omnibus vocum generibus, non tantum de linguis. Quanquam Ambrosius legit *linguarum* pro *vocum*, h. e. γλωσσῶν. Et fieri potest ut *linguæ* vocabulo sit abusus Apostolus, ut abusus est vocabulo *vocis*. Sunt autem nationes quæ pro sermone habent sibilum aut stridorem. ❡ *In hoc mundo*] Rursus, ἐν κόσμῳ, i. *in mundo*, citra pronomen. ❡ *Et nihil sine voce*] Καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον, *& nullum horum*, sub. *genus*, *est aphonum*, i. *voce carens*, sive *mutum*. Et tamen Græcus non intelligit Scytham. Non igitur sufficit vox.

11. *Ero ei cui loquar*] Ἔσομαι τῷ λαλοῦντι, *ero loquenti barbarus*; nec intelligam, nec intelligar. Nam prisci peregrinum hoc nomine vocabant. ❡ *Et qui loquitur mihi*] Ἐν ἐμοὶ, *in me*, Græce est, pro *mihi*; veluti *meo judicio, meoque animo*: tametsi in se facundus est qui loquitur, tamen in meo animo barbarus est. Porro veteres, ut modo dixi, *barbarum* vocabant quicquid erat peregrinum: deinde vox deflexa est ad vocis ac sermonis absurditatem. Offendit enim sermo peregrinus imperitos, etiamsi concinnior sit nostrate lingua. Postremo cœpit accommodari & ad mores feros atque asperos. Olim Græci illi primi *Hellenes* dicti cæteros omnes *barbaros* appellabant. Homerus Caras ob peregrinum & absurdum linguæ sonum βαρβαροφώνους appellat. Et Ovidius apud Getas agens,

Barbarus, inquit, *hic ego sum, quia non intelligor ulli.*

Et Plautus ait se vertisse *barbare* Græcam fabulam, quam in Latinum sermonem transtulerat. Celebratur & Anacharsidis Scythæ Philosophi dictum, *Scythas barbaros esse apud Athenienses, sed Athenienses vicissim apud Scythas*. Porro quod hoc loco legitur de *Barbaris* plus quam barbarice scriptum in Commentariis Aquinatis, mihi suspicio est ab alio quodam adjectum, qui studuerit illius libris flosculorum nonnihil aspergere: alioqui quis credat talem virum de re quam prorsus non intellexerit tam arroganter pronunciare voluisse? Sed operæpretium fuerit ipsa verba subscribere, non ut rideat lector, sed ne posthac fidat hujusmodi magnificis interpretationibus, & in cæteris habeat suspectos, postea quam deprehenderit tanta autoritate pronunciantes de iis quæ nesciunt. *Nota*, inquit, *quod Barbari secundum quosdam dicuntur illi quorum idioma discordat omnino à Latino. Alii vero dicunt quod quilibet extraneus est Barbarus omni alii extraneo, quando scilicet non intelligitur ab eo. Sed hoc non est verum; quia secundum Isidorum Barbaria est specialis natio. Col. 3.* IN CHRISTO JESU NON EST BARBARUS ET SCYTHA. *Sed secundum quod verius dicitur, Barbari dicuntur proprie illi qui in virtute corporis vigent, in virtute rationis deficiunt, & sunt quasi extra leges & sine regimine juris. Et huic videtur consonare Aristoteles in Politicis suis.* Hactenus illius bellum annotamentum. Sed hæc utcunque rideri poterant, ni talium nugarum autores orbi Christiano leges præscripsissent, atque etiam præscriberent, nec deessent qui horum autoritatem pene parem esse velint Evangeliis.

gelia. Non hæc in Thomam dicta velim, persuasus hoc commentulum ab alio fuisse adsutum.

12. *Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum*] Theophylactus indicat hunc locum sic à nonnullis distingui, ut hæc particula, *Sic & vos*, referatur ad quæ præcedunt, *Sic & vos loquentes linguis non intellecta, barbari videmini audientibus:* deinde subjiciunt, velut initium alterius sententiæ, *Æmulatores estote*, &c. Verum hanc distinctionem rejicit ex autoritate Basilii, qui sic distinxerit quemadmodum nos vulgo distinguimus. Sed prior illa distinctio non video qui consistat, nisi tollatur ἐστε, aut nisi pro eo quod Theophylacti interpres vertit *estote*, vertamus *estis*. Chrysostomus distinguit quemadmodum nos.

14. *Spiritus meus orat, mens autem*] *Spiritum* vocem linguæ vocat; *mentem*, affectum animi, sive sensum animi; πνεῦμα, & νοῦς. Nec aliud est, *Spiritus meus orat*, quam *Lingua mea sonat pia verba*; ut intelligas id nec aliis prodesse, nec ei magnopere qui sonat. Citat Theophylactus hujus autorem sententiæ Basilium.

16. *Si benedixeris Spiritu*] Εὐλογήσῃς. Unica dictio est, h. e. *Si laudes & celebres Deum, & verba bene ominata dixeris. Spiritu* aberat in plerisque Græcorum exempl. adjecimus tamen ex aliis, sive quod ad sensum faceret, sive quod Ambrosius & Augustinus, cumque his Chrysostomus ac Theophylactus, ita legerint. ¶ *Quis supplet locum idiotæ*] Ὁ ἀναπληρῶν, *qui supplet locum idiotæ, & fungitur vice idiotæ.* Atque ita & hodie scriptum videre est in vetustissimo codice Paulinæ bibliothecæ, suffragante Constantiensi. *Idiota* vero Græca vox est, quæ significat & *privatum*, i. non fungentem aliquo magistratu, & *illiteratum*. Hoc loco vertere poterat *plebei*, aut *indocti*. Mos hic, ut promiscua plebs responderet in Ecclesia, durabat adhuc Hieronymi temporibus Romæ, ut testatur præloquens in 2. librum Commentariorum in Epist. ad Galatas, *Ubi*, inquiens, *sic ad similitudinem cœlestis tonitrui* AMEN *reboat?* ¶ *Super tuam benedictionem*] Ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, *super tuam gratiarum actionem*, sive *ad tuam*. Quanquam ex hoc loco colligimus minimum interesse inter εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν: utrumque enim ad laudem Dei pertinet.

18. *Omnium vestrum lingua loquor*] Græca diversum habent sensum, Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν, *Gratias ago Deo meo, omnibus vobis magis linguis loquens*, i. quod magis loquor linguis quam vos omnes. In hunc sensum interpretatur Chrysostomus. Hieronymus comparativum *magis* refert ad cæteros Apostolos, ut intelligas Paulum omnium linguis fuisse locutum magis quam reliquos Apostolos. Vide nonæ quæstionis expositionem ad Hedybiam, ubi non semel citat hunc locum secus quam habeat nostra editio: licet videam Ambrosio placere lectionem quam Vulgata habet editio.

19. *Quinque verba*] Πέντε λόγους, *quinque sermones*, aut *dicta:* nec enim verba annumerat. Et QUINQUE positum est pro *paucissimis*, sicut *decem millia* pro *plurimis*. Nam quis non protinus videat frigidum esse quod hic adducit Aquinas, haud scio unde haustum, *Ideo dictum esse* QUINQUE, *quod oratio perfecta debeat habere quinque, Subjectum, Prædicatum, Copulam verbalem, Determinationem subjecti, & Determinationem prædicati?* Quod si hæc parum arriserit opinio, alteram addit huic similem, *Doctor*, inquit, *debet docere quinque, Credenda, Agenda, Vitanda, Speranda, Timenda.* Minus frigidum erat futurum si dixisset *quinque libros Pentateuchi.* Qui scripsit Scholia in omnes Epistolas, quisquis fuit, non infacete ridet hujusmodi curiositatem in numeris; *Quidam*, inquit, *sane quærunt quæ sint* QUINQUE VERBA, *è quibus è contrario quæ sint* DECEM MILLIA *est quærendum.* Chrysostomus non putat in numeris esse magnum mysterium. ¶ *Sensu meo*] Διὰ τοῦ νοός μου, *per mentem meam.* ¶ *Ut & alios instruam*] Κατηχήσω, *erudiam:* quo verbo libenter utitur Paulus, & item Lucas. Id proprie est *viva voce instituere ac docere:* unde dicti & *Catechumeni*, quibus fidei nostræ mysteria non scripto sed vocis ministerio credebantur. ¶ *Quam decem millia*] Addendum erat *potius*, ut locus fieret huic conjunctioni *quam*. Apud Græcos sæpenumero subauditur: id apud Latinos est insolitatius. Hac in re mirum quam mutata sit Ecclesiæ consuetudo. Paulus *mavult quinque verba in sensu quam decem millia in spiritu*; at nunc in nonnullis regionibus totos dies psallitur spiritu, nec modus, nec finis cantionum; cum vix intra sex menses audiatur concio salubris adhortans ad veram pietatem: id enim Paulus vocat *in sensu loqui.* Ut omittam interim hujusmodi Musices genus inductum esse in cultum Divinum, ut ne liceat quidem ullam vocem liquido percipere. Nec iis qui cantillant otium est attendendi quid canant: tantum vocum tinnitus aures ferit, & mox peritura delectatiuncula mulcet. Ferendum & hoc, nisi vulgus Sacerdotum ac Monachorum in hujusmodi rebus summam constitueret pietatem, multum dissentiens à Paulo. Cur dubitat Ecclesia tantum autorem sequi? imo cur audet ab eo dissentire? Quid aliud auditur in Monasteriis, in Collegiis, in Templis ferme omnibus quam vocum strepitus? Atqui ætate Pauli non cantus erat, sed pronunciatio duntaxat. Vix à posterioribus receptus est cantus, sed talis ut nihil aliud esset quam distincta modulataque pronunciatio, cujusmodi superest etiamnum apud nos, qua sonamus in canone sacro Precationem Dominicam: & linguam qua hæc canebantur vulgus adhuc promiscuum intelligebat, respondens AMEN. Nunc vulgus quid aliud audit quam voces nihil significantes? & talis est fere pronunciatio ut nec voces exaudiantur, sonitus tantum aures feriat. Atque hæc primum specie pietatis recepta paulatim eo processerunt ut Psalmorum, Cantionum, Sacrorum, Mortualiorum neque modus sit ullus neque finis, quod sentiamus hinc aliquid accrescere proventibus nostris. Quodque gravius est, ad hæc præstanda Sacerdotes astringuntur arctioribus pene vinculis quam ad ea quæ præcipit Christus; ad hæc audienda cogitur populus depulsus ab opera qua liberos alit & uxorem, qua re quid esse potest sanctius? Habeant sane Templa solennes cantus, sed moderatos. Ad eadem cogimur privatim occupati, & publicum chorum in vehiculis, in pandochiis nobiscum circumferimus: ex his observatis aut neglectis pii aut impii judicamur. [illegible] quispiam Crasso avarior, Zoilo maledicentior, vir tamen pius habetur quod clara voce sonet eas preculas, etiamsi nihil intelligat. Obsecro, quid sentiunt de Christo qui credunt illum hujusmodi vocum strepitu delectari? Nec his contenti, operosam quandam ac theatricam Musicam in sacras ædes induximus, tumultuosum diversarum vocum garritum, qualem non opinor in Græcorum aut Romanorum theatris unquam auditum fuisse. Omnia tubis, lituis, fistulis ac sambucis perstrepunt, cumque his certant hominum voces: audiuntur amatoriæ fœdæque cantilenæ, ad quas scorta mimique saltitant: in sacram ædem velut in theatrum concurritur ad deliniendas aures. Et in hunc usum magis salariis aluntur organorum opifices, puerorum greges, quorum omnis ætas in perdiscendis hujusmodi gannitibus consumitur, nihil interim bonæ rei discentium. Alitur sordidorum ac levium, ut plerique sunt Dionysiaci, hominum colluvies, ac tantis sumptibus oneratur Ecclesia ob rem pestiferam etiam. Quæso te ut rationem ineas quot pauperes de vita periclitantes poterant ali cantorum salariis. Hæc adeo placent ut Monachi nihil aliud agant, præsertim apud Britannos: & quorum cantus debuit esse luctus, hi lascivis hinnitibus & mobili gutture Deum placari credunt. In hunc usum etiam in Benedictinorum collegiis apud Britannos aluntur ephebi puerique & vocum artifices, qui mane Virgini matri modulatissimo vocum garritu ac musicis organis sacrum decantent. Hujusmodi choros Episcopi coguntur alere domi: atque his rebus occupati nec attingunt bonas literas, nec audiunt quibus in rebus sita sit vera religio. Jam qui crassiores sunt quam ut artem Musicam queant perdiscere, non putant satisfieri festo diei nisi depravatum quoddam cantus genus adhibeant, quod illi *Fauburdum* appellant. Id ne thema præscriptum reddit, nec artis harmonias observat. Ad hæc, cum in hoc recepta sit in Ecclesiam Musica sobria quo verborum sensus efficacius influant in animos auditorum, quibusdam hoc quoque pulcrum videtur si unus aut alter cæteris admixtus ingenti boatu vocis efficiat ne verbum ullum percipiatur. In hoc indulgetur stultorum affectibus, & ventri consulitur. Cur hæc nobis sola placent quæ Paulus ceu parvulorum infantiam parcissime vult adhiberi, imo quæ nullo pacto laturus fuerat? Siquidem de sacra lectione loquitur ille, non de theatricis cantiunculis. Psallamus spiritu, sed psallamus Christiane, psallamus parce, magis autem psallamus mente. Loquamur linguis, sed parcius. Prophetemus studiosius. Audiatur in primis Prophetæ vox, quæ redarguat impii conscientiam, quæ consoletur dejectos, quæ exstimulet dormitantes, quæ mysteria Divini Spiritus proferat: & in hunc usum potius instituatur ætas tenera. Sed satius opinor quod institutum est persequi quam hæc deplorare, haud scio an frustra.

20. *Nolite pueri effici*] Μὴ γίνεσθε, quod magis sonat, *ne sitis.* ¶ *Sensibus*] Φρεσί· quod Augustinus legit *mentibus*, ac meo judicio rectius. ¶ *Sed malitia parvuli estote*] Νηπιάζετε, unica dictione, q. d. *pueremini*, & *pueros agatis.* Quanquam, ut sæpe jam admonui, νήπιοι dicuntur *pueri id ætatis quo nondum sapere possunt.* Unde pro *parvuli* Augustinus edisserens Psalmum 130. legit *infantes.*

21. *In*

21. *In aliis linguis*] Ἐν ἑτερογλώσσοις, *in iis qui sunt diversarum linguarum*; ac si dicas composita voce *in diversilinguis.* Id ita potest accipi ut intelligamus linguarum varietatem qua sunt usi Apostoli, aut novam linguam à superiore illa diversam, h.e. linguam inter se diversam, aut ab aliis diversam. Locus quem adducit est apud Esaiam capite 28. *In loquela enim labii & in lingua altera loquetur ad populum istum, cui dixit:* sic enim Hieronymus reddidit Hebraica. Nam juxta LXX ad hunc legimus modum, Διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας, ὅτι λαλήσουσι τῷ λαῷ τούτῳ λέγοντες, *Propter irrisionem labiorum, propter linguam alteram, qua loquentur populo huic, dicentes eis.* Paulus juxta Hebraicam veritatem adducit testimonium, cum LXX cæterique interpretes longe diversa legerint hoc loco, sed ita rursus ut sensum magis expresserit quam verba: id quod admonet & D. Hieronymus hunc enarrans locum. Jam illa, *& nec sic exaudient me, dicit Dominus*, nec habentur apud Hebræos nec apud Græcos interpretes, sed tamen aliquanto post sequitur in Vaticinio *& noluerunt audire*, quod Paulus videtur attexuisse. Nam hæc clausula, *dicit Dominus*, solenniter addi solet in Prophetiis, velut Epiphonema. Nisi forte aliunde sumptum est hoc testimonium. Siquidem Hieronymus non audet affirmare, sed ait ita sibi videri, ex eo sumptum loco.

22. *Fidelibus*] Πιστεύουσιν, *credentibus.*

23. *Idiota aut infideles*] *Infideles* priore loco non additur apud Ambrosium, haud scio an culpa scribarum: nam ex Commentario nihil liquet. Certe apud Græcos additur. ¶ *Quid insanitis*] Ὅτι μαίνεσθε, *quod insanitis.* Non enim rogaret cur insaniant, sed affirmaret eos insanire. *Quod insanitis* scriptum exstat in exemplari Paulino, & item in Constantiensi. Neque secus legit Ambrosius, apud quem est *quia insanitis*: quo magis sit evidens *quod* mutatum fuisse in *quid*. Idem libro De Spiritu S. 3. c. 19. legit, *nonne dicent quod insanitis?* Atque itidem scriptum comperi in codice Donatiani. Proinde ne quid superesset scrupuli, nos vertimus, *nonne dicent vos insanire?* quemadmodum planissime interpretatur Theophylactus & Chrysostomus.

25. *Occulta enim*] Καὶ οὕτω τὰ κρυπτὰ, *Et sic occulta cordis*: ut paulo post, *& ita cadens*, καὶ οὕτω πεσών. Ambrosius non addit *enim*, ut nec Græci. Nec tamen addit *ita*, nisi quod in secunda particula pro *ita* ponit *tunc*, *Et tunc cadens in faciem*, &c.

26. *Apocalypsim habet*] Cum ante verterit *revelationem*, nunc vocem Græcam reliquit ἀποκάλυψιν nec video cur id maluerit. Ambrosius hic quoque legit *revelationem*. Et paulo ante *Psalmum* Latine dicere poterat *canticum*.

27. *Secundum duos, aut ut multum tres*] Κατὰ δύο, ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς. Subaudiendum est *fiat*: præcessit enim, *Omnia fiant ad ædificationem. Sive quis loquitur lingua, fiat ad ædificationem*, sed ita ut in singulis conventibus *bini* duntaxat loquantur, *aut ad summum terni*, sed ita ut non simul loquantur omnes, sed vicissim sileant ac loquantur. Porro qui tandem sermonis color est quo usus est Interpres, *secundum duos, aut secundum tres?* Aut quorsum attinet quod hic adducit Aquinas, *In ore duorum aut trium testium?* Nam ideo Paulus non vult plures in eodem cœtu prophetare ne fiat confusio. *Ut multum.* Τὸ πλεῖστον, i. *ut plurimum*, sive *ad summum.* ¶ *Per partes*] Καὶ ἀνὰ μέρος, *vicissim.* Quid autem est *per partes?* Ambrosius legit *particulatim*.

31. *Per singulos*] Καθ' ἕνα, *singulatim.*

32. *Spiritus Prophetarum*] Πνεύματα. Græcis plurativi numeri est; quemadmodum citat Hieronymus Prologo in Esaiam, *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt.* ¶ *Subjiciuntur*] Ὑποτάσσεται, verbum præsentis temporis: ne sentiamus hoc dictum de ipso Spiritu S. sed dono Spiritus, quod ita datum esset singulis quibus contigit ut in ipsorum esset arbitrio uti aut non uti: quod afflatis & lymphatis non item licet.

33. *Non enim est dissensionis Deus*] Ἀκαταστασίας id quod magis sonat *confusionem, seditionem & turbatum rerum ordinem.* Ambrosius legit *dissensionis res*, non *dissensionis Deus*: atque ita edisserit, *Quia ergo pacis res est, dicente Salvatore*, PACEM MEAM DO VOBIS, PACEM RELINQUO VOBIS, *nemo alterum non sinat dicere.* Nisi forte pro *Rex* mutatum est *Res.* ¶ *Sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum*] Hoc loco verbum *doceo* à nostris additum videtur: nam apud Græcos non est. Apud Chrysostomum editionis Veronensis additur; sed in enarrando non attingit: unde [illegible]jectitium esse videtur. In editione Aldina non additur. Neque vero Paulus docebat in omnibus Ecclesiis, sed in omnibus Ecclesiis sanctorum ordine & absque tumultu res agebatur. Subaudiendum autem nonnihil, *sicut in omnibus Ecclesiis pax est & concordia.* Nam omnium exemplo adhortatur Corinthios ut similiter faciant: licet Ambrosius videatur addidisse cum adscripserit, *Hoc dicto hortatur illos ut quæ præcipit faciant, quia similiter se Ecclesiis sanctorum prædicare testatur.* Atque Theophylactus hoc Pauli dictum detorquet ad omnes Ecclesias, etiam Judæorum & Gentium, Cum in nullis Ecclesiis decora sit dissensio, in vestra pudeat istorum tumultuum. Porro *Ecclesias* appellat cœtus & conventus hominum. Siquidem & apud ethnicos indecorum habebatur in convivio aut in concilio tumultuari. Scholiastes ille Latinus cum Græcis legere videtur, eo quod hoc commentum adjecerit, *Sic est ubique, ne novi aliquid me vobis imperare putetis.*

34. *Permittitur*] Ἐπιτέτραπται *permissum est.* Interpres & Ambrosius legisse videntur ἐπιτέτραπται· quanquam Græca vox anceps est, ut quæ declaret interim *permittere*, interim *mandare* ac *committere*. Cum hoc aptius quadraret quod sequitur, *sed ut subditæ sint viris suis.*

35. *In Ecclesia*] Latine dixisset clarius *in congregatione*, sive *in cœtu.*

38. *Ignorat, ignorabitur*] Ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω, *ignorat, ignoret*: i. Si quis nolit hæc scire, nesciat suo periculo. Quanquam Ambrosius exponit *ignorabitur*, adducens illud ex Euangelio, *Amen dico vobis, Nescio vos.* Opinor enim legisse ἀγνοεῖται. Verum secus accipiunt Græcanica Scholia, nominatim Chrysostomus ac Theophylactus, *ignorat, ignoret.* Qua figura dictum est illud, *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

40. *Fiant in vobis*] *In vobis* apud Græcos non est.

VATABLUS.

1. Æ*Mulamini**] **Autem.* ¶ *Prophetis*] *Prophetare* est verbum Dei docere & exponere: quod verbi Dei interpres revelatione egeat. Taxat hoc capite Paulus eos qui apud Corinthiensem populum aliquando psalmum aut revelationem alia lingua quam Græca pronunciabant, quam ipsi Corinthii non intelligebant, nec tamen populo exponebant quod dicebant: quod fortasse non poterant, aut nolebant id præstare, contenti ostendere se Spiritum sanctum accepisse loquendo linguis alienis.

2. *Lingua*] Vel, *linguis*: sub. *peregrinis.* ¶ *Non hominibus loquitur sed Deo*] i. Non intelligitur ab hominibus, sed à solo Deo. ¶ *Spiritus*] *Spiritu*: ablativus, Vet. flatum verborum intelligit. ¶ *Mysteria*] *Arcana.*

3. *Nam qui*] *Qui autem.* ¶ *Loquitur ad ædificationem*] *Loqui ædificationem* [ita Vet.] eodem modo dictum quo *Voluptatem narras*: i. quæ ædificant & exhortantur & consolantur.

4. *Ecclesiam*] Vel, *congregationem.*

5. *Volo*] *Volo* pro *velim.* ¶ *Major*] i. Utilior Ecclesiæ. ¶ *Interpretetur*] Sub. *quod dicis peregrina lingua.*

6. *In*] *In* pro *per.*

7. *Tamen*] *Etiam*: vel, *quin*, &c. q.d. etiam hoc ex inanimatis deprehendi potest. ¶ *Sonitum*] *Sonis.* ¶ *Scietur*] Vel, *intelligetur.* ¶ *Quod**] **Tibia.*

8. *Incertam*] i. Ignotam militibus.

9. *Manifestum*] *Significantem.* ¶ *In aëra*] Sub. *tanquam*, ex proprietate Hebr. linguæ.

10. *Utputa*] *Verbi gratia.* ¶ *Nihil sine voce est*] *Nullum horum*, sub. *genus*, *est mutum*: aut *voce carens.*

11. *Virtutem*] *Vim*: i. significationem & usum. ¶ *Cui loquar*] *Qui loquitur.* ¶ *Mihi*] i. Meo judicio.

12. *Æmulatores*] *Sectatores.* ¶ *Spirituum*] i. Facultatum & donorum Spiritus. ¶ *Abundetis*] *Excellatis.*

13. *Lingua*] Sub. *peregrina.* ¶ *Interpretetur*] i. Ut exponere possit populo quæ legit.

14. *Spiritus*] *Spiritum* vocat linguæ sonum. ¶ *Mens autem mea sine fructu est*] i. At intelligentia mea, h.e. quod intelligo dum precor, indoctum non ædificat.

15. *Spiritu**] i. Voce. * *sed.* ¶ *Mente*] i. Intelligentia: q.d. ea lingua orabo quam alius intelligat. ¶ *Spiritu**] * *Sed.*

16. *Cæterum*] *Alioqui.* ¶ *Benedixeris Spiritu*] i. Laudaveris Deum voce tantum: vel, gratias egeris Deo, ut mox interpretatur, *Tu quidem gratias agis.* ¶ *Quis supplet locum idiotæ*] *Qui obtinet locum indocti*: Vet. legunt *qui.* ¶ *Amen*] *Ita fit.* ¶ *Nescit*] Vel, *non intelligit.*

18. *Deo**] * *Meo*, Vet. ¶ *Omnium vestrum linguis*] *Magis quam omnes vos linguis*: sub. *peregrinis.*

19. *Volo*] Sub. *potius*, propter [*quam*] subsequens: i. *malo*. ¶ *Quinque*] *Quinarius* pro exiguo numero. ¶ *Verba sensu meo*] *Sermones mente mea*: vel, *intelligentia mei*: i. ita ut intelligat. ¶ *Lingua*] Sub. *peregrina & incognita auditoribus*.

20. *Sensibus*] *Mentibus*: i. intelligentia: plur. pro sing.

21. *Et nec sic exaudient me*] i. Hac via fiet ut non intelligant me: q. d. Ne sinatis ejusmodi homines loqui in Ecclesia, qui peregrinis linguis loquantur quod non exponant vobis; nam signum esset Deum vos non amare, qui tales Prophetas solet infideli populo mittere, quem non vult veritatem intelligere, & sacras literas noscere.

22. *Infidelibus*] *Noncredentibus*. ¶ *Prophetia*] *Prophetia*, sing. num. Vet. q. d. Ubi est Propheta qui variis linguis loquitur, & simul exponit populo quod dicit, signum est illum populum esse fidelem, & diligi a Deo.

23. *Idiotæ*] *Indocti*: & infra. ¶ *Quid*] *Quod*, Vet.

24. *Convincitur*] *Protrahitur, coarguitur*: ut sentiat scelera sua taxari.

25. *Occulta enim cordis*] *Et sic occulta cordis*: i. incredulitas & impietas ejus. Vet. non legunt *enim*. ¶ *Pronuncians*] *Testificans plane*.

26. *Psalmum habet*] Vel, *canticum habere solet*. ¶ *Doctrinam*] Sub. *aut*, more Hebr. sic, *aut doctrinam*, *aut revelationem*, &c. ¶ *Apocalypsim*] *Revelationem*.

27. *Lingua*] Sub. *peregrina*. ¶ *Secundum duos, aut ut multum tres, & per partes*] *Fiat per binos, aut ad summum tres, & vicissim*. ¶ *Interpretetur*] Sub. *quod alii dixerint peregrina lingua*.

28. *Taceat*] Sub. *qui peregrina lingua loquitur*.

31. *Per singulos*] *Singulatim*. ¶ *Exhortentur*] *Consolationem accipiant*.

32. *Et*] *Et* pro *Nam*, Hebr. ¶ *Subjectus est*] *Subjecti sunt*, Vet. q. d. Nam fervor & studium prophetandi debet subjici Prophetis: vel, interpretationes quæ à Prophetis fiunt, subjectæ sunt aliis prophetis, ut de iis judicent, Scripturæ sacræ conveniant, an non.

33. *Dissensionis*] *Confusionis autor*. ¶ *Doceo*] Sub. *est pax & concordia*.

34. *Loqui*] i. Docere. ¶ *Subditas esse*] *Subjectæ sint*.

35. *Ecclesia*] Vel, *congregatione*.

36. *An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?*] q. d. Cum primi religionem Christi non teneatis, nec soli donati fuistis prophetia, cur piget ad aliorum ritus vos attemperare?

37. *Cognoscat*] *Agnoscat*.

38. *Ignorabitur*] Vel, *ignoret*: q. d. Siquis nolit hæc scire, & velit ignorare, suo periculo ignoret.

39. *Æmulamini prophetare*] *Ad id enitamini, ut prophetetis*.

CASTALIO.

1. SED *in primis ut vaticinemini*] Προφητεύειν, si verbi vim species, est *prædicere*: sed dicitur pro eo quod est Hebraice נבא, Græce μαντεύεσθαι, h. e. *arcana ignota*, *magna divina*, denique *oracula dicere*, sive quid sit *præteritum* aut *præsens*, quæ ἀποφθεγμα dicitur; sive *futurum*, quæ proprie προφητεία vocatur. Itaque ad Timotheum 1. Cretensium προφήτην Paulus appellat Epimenidem, non quia futura sed quia certa veraque dixerit, qualia sunt oracula. Hinc ille versus,

Qui bene conjiciet, hunc vatem puto optimum.

Itaque Vates olim apud Hebræos dicebantur *Videntes*, quod ea viderent quæ aliis ignota forent.

2. *Qui peregrina lingua loquitur*] Ὁ λαλῶν γλώσσῃ. idem est qui paulo post dicitur ὁ λαλῶν γλώσσαις· de quo idem paulo post, ἑτερογλώσσοις, καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις, ut *homines* pro *aliis hominibus* & *gentes* pro *externis gentibus* dici aliquando ostendimus. ¶ *Nemo audiat*] Intelligat. ¶ *Sed animo loquatur arcana*] h. e. Ita loquatur ut ipse se intelligat, non item ab aliis intelligatur. Cum sit enim is orationis usus ut animi sensa declaret aliis, qui ita loquitur ut alii non intelligant, is *animo* magis quam *ore loquitur*, cum nihil intersit utrum sic loquatur an tacitus cogitet. *Loqui* autem *arcana* idem est quod *vaticinari*. Sed cum *vaticinatorem* hoc loco Paulus opponat *ei qui peregrino sermone utitur*, intelligendum est *vaticinatorem* ab eo dici eum qui id noto auditoribus sermone faciat: ut sit *lingua loqui* lingua aliena loqui, & *vaticinari* lingua sua vaticinari.

6. *Nisi insit in oratione mea patefactio*, &c.] h. e. Nisi vos sic alloquar ut aliquid discatis quod mihi patefactum sit aut cognitum, &c. *Patefactionem* autem vocat cum aliquid declarat & patefacit Deus homini, ut Johanni ea quæ continentur in eo libro cui titulus est *Apocalypsis*, h. e. *Patefactio*. Ad eam si mentis accedat permotio ac incitatio, vocatur *Vaticinatio*; qualem videmus in LXX Senatoribus apud Mosem, itemque in Saulo, & aliis; quæ aliquando tanta est ut bacchentur extra se rapti homines. *Cognitionem* vocat quæ ex visa aut audita re proficiscitur; qualis est Johannis & Lucæ historia, qui narrant, hic quæ audivit & ab aliis cognovit, ille quæ vidit & nonnulla ex parte gessit. *Doctrinam* autem appellat eam quæ literis & ratione comparatur; qualis est Pauli de Abrahami fide disputatio, qui quod docet, id S. literarum autoritate & rationibus confirmat. Atque hæc postrema ratio si sit à superioribus destituta, est maxime periculosa, propterea quod homines S. literis non serviunt, sed eas suis adfectionibus & libidinibus servire cogunt. Hinc nascitur illa inter hodiernos Magistros discordia, quæ profecto nulla foret si in omnibus essent quæ esse deberent.

13. *Oret ut possit interpretari*, &c.] *Orare* dixit pro *Deum orare*: ut Latini dicunt *salutantes* pro iis qui Principes & divites mane salutatum eunt; ut *conturbare* pro *fortunas conturbare*, & *facere* pro *carmina facere*. Itaque nihil refert utrum dicas *orare Deum* an tantum *orare*, quomodo Livius etiam Latine locutus est: sicut paulo ante docuimus *lingua loqui* & *aliena lingua loqui* idem esse. Cæterum ex hoc loco apparet, eos qui linguis loquebantur, non omnes omnibus linguis loqui (nec enim uni dabat omnia Deus) sed alios aliis: alioquin non esset orandus Deus ob interpretationem.

14. *Quod ad sententiam attinet*] Νοῦς *mens* est, & pro *mentis sententia* ponitur etiam in 2 Thess. 2. & Apocal. 17. Sic & apud Latinos *mens* alicujus scriptoris appellari solet. Hinc *orare* νοΐ est *significanter orare*, &c, ut ante locutus est, λόγον εὔσημον δίδοναι, *efficereque ut auditor possit voci videre & intelligere quid dicatur*. ¶ *Sum infructuosus*] Nihil aliis confero.

19. *Malo quinque verba sic eloqui*] *Quinque* pro *paucis*, & λόγους pro ῥήματα dixit: id quod fieri solet in numero plurali: ut hujus Epistolæ 2. διδακτοῖς λόγοις *doctis verbis*, aut *docta oratione*. Hoc quidem loco *sermones dicere* per Latinam consuetudinem non licet. Non enim dicunt Latini, *Absolvam tribus sermonibus* (nam alia sententia foret) sed, *Absolvam tribus verbis*.

36. *A vobisne Divinus sermo prodiit? aut ad vos solos pervenit?*] Cum neque primi neque soli sitis Christiani, debetis priores imitari.

CLARIUS.

1. UT *prophetetis*] *Prophetare* hic vocat tractare Divina eloquia ad Ecclesiæ ædificationem.

2. *Spiritu autem loquitur mysteria*] h. e. Suo ipsius animo tantum loquitur.

6. *In revelatione*] Genera dicit charismatum quæ in sermone dabantur: hæc autem sunt, Interpretari linguas & *revelare* quæ ab eis dicerentur; aut utraque simul, & loqui linguis & revelare, quod & *scientiam* appellat, quia & loquitur & interpretatur, tanquam sciens quid dicat, tertium est *prophetare*, de quo diximus; postremum *docere*, quod diversum à supradictis donum est. Ait ergo, *si venero habens donum quidem linguarum, neque aliud præterea horum quatuor quæ dixi, quænam erit vobis utilitas? Quia & inanima nisi significantem vocem dent, nihil agunt*.

10. *Et nihil eorum sine voce est*] h. e. Sine significatione aliqua vocis, & quod non dignoscatur in voce.

14. *Spiritus meus orat*] Per *spiritum* intelligit hic vim illam pronunciandi: dixit autem *orat* pro *loquitur*.

19. *Qui supplet locum idiotæ*] *Qui tenet locum idiota*, qui idiota est.

20. *Pueri effici sensibus*] Puerorum enim proprium est parva & levia atque inutilia curare. Comparat autem eos qui tantum donum Linguæ habebant *pueris*, qui quæ loquuntur sine judicio loquuntur.

21. *In Lege scriptum est*] *Legis* hic nomine complectitur & Prophetas. Interdum fit distinctio, ut, *Lex & Propheta usque ad Joannem*. Admonet ergo ne tam vehementer ambiant loqui linguis, quæ nihil profuerunt populo credere nolenti.

22. *Lingua in signum*] Siquis linguis loquatur tantum, fideles non juvat, sed fortasse infideles in admirationem rapit, sic

sic tamen ut, si nihil adsit aliud, sæpius rideant, & pro insanis habeant loquentes potius, quam meliores fiant. Quare inter Spiritus S. dona minimum ad ædificationem vel infidelium conversionem efficaciæ habere videtur. ¶ *Prophetia autem non infidelibus*] i. Non solum infidelibus, non est inefficax signum ad convertendos illos, sed & fideles plerumque juvat.

24. *Dijudicatur ab omnibus*] Sentit in iis quæ ab eis tractantur Divinis narrationibus conscientiam suam moveri ad sui agnitionem atque emendationem.

32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*] Donum illud prophetandi in prophetantium potestate est, contra atque in Gentilium Vatibus accidit, qui acti à Dæmone loqui coguntur.

34. *Sicut & Lex dicit*] *Ipse*, nempe *vir*, *dominabitur tibi.*

36. *An à vobis*] Non estis, inquit, vos neque soli neque primi fideles in mundo, ut quicquam vobis usurpetis quod apud cæteros non fiat.

38. *Siquis autem ignorat, ignoret*] Siquis, inquit, non vult intelligere hæc à me dici ut Domini mandata, suum sit: Ego quod meum est feci. Hæc autem verba sunt hominis conscientia sua fidentis. Demum concludit ut sive *prophetent* (quod magis probat) sive *loquantur linguis* (quod *non prohibet*) *omnia ordinate & cum utilitate Ecclesiæ faciant.*

ZEGERUS.

1. M*Agis autem ut prophetetis*] *Prophetare* apud Paulum quid sit ipse idem explicat, dum ait v. 3. *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* *Prophetat* qui Divinarum Scripturarum mysteria enarrat, qui Prophetarum oracula explicat, qui bonis præmium, malis exitium ominatur prædicitve; in summa, quisquis concionatur, quodammodo Prophetam agit. Itidem *prophetia* nihil aliud dicit quam Scripturæ enarrationem.

2. *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur*] Qui utitur lingua auditoribus incognita, Deo quidem rem non ingratam facit, at hominibus nullum adfert fructum. ¶ *Spiritu autem loquitur*] Cave legas *spiritus*, contra Græcos & Latinos codices antiquos & Ambrosium.

7. *Nisi distinctionem sonitu dederint*] Hoc verius esse puto juxta exemplar quoddam Emsteiniense quam *sonituum*. Quidam codex habet *sonitus*; quomodo & Ambrosius.

10. *Utputa*] Posuit pro *verbi gratia:* quanquam & hoc minutulum sit.

12. *Æmulatores estis spirituum*] i. Spiritualium donorum.

14. *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est*] *Si orem*, inquit, *lingua* peregrina, *spiritus* quidem *meus*, i. habitus ipse seu vis illa animi linguæ plectrum agitans, *orat*; *mens autem mea*, qua intelligo, sentio, cogito, *fructu caret*, quia quod profert lingua mens ipsa non intelligit.

15. *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu*] *Spiritum* hic pro *voce* ponit, teste Eucherio, Quæst. N. T. in epist. ad Ephes.

19. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut alios instruam, quam decem millia verborum*, &c.] Sensus est, In publico fidelium cœtu præstat pauca verba, quæ ipse sensu ac mente comprehendam, intelligam, eademque interpretari valeam, quam innumera eloqui verba per linguam nec mihi nec cæteris cognitam.

20, 21. *Fratres, nolite pueri effici sensibus; sed malitia parvuli estote*, &c. *In Lege enim scriptum est, Quoniam in aliis linguis*, &c. *nec sic exaudient me*] Ideo nolim vos magnopere desiderare ut diversis utamini linguis: nam id esset puerorum affectibus indulgere, qui magis capiuntur novis & inauditis, ut est peregrinarum linguarum sonus, quam his quæ ad communem conducunt utilitatem. Certe quam parum adferant utilitatis diversarum linguarum strepitus Servator ipse contestatus est per Prophetam Jesaiam ita loquentem, *In loquela enim labii & lingua altera loquetur ad populum istum, cui dixit, Hæc requies mea, reficite lassum; & hoc est refrigerium meum; & noluerunt audire*, cap. 28. 11, 12. Truncate autem Apostolus hoc testimonium adducit, juxta quod suo congruebat instituto.

26. *Quid igitur est, fratres? Cum convenitis, unusquisque Psalmum habet*, &c.] Quorsum, inquies, hæc Pauli verba feruntur? Sane ut doceat quo pacto linguæ dono sit utendum. Extenuasse & propemodum vituperasse illud visus est, dum diceret *linguas in signum esse non fidelibus, sed infidelibus*; deinde *ex variis fidelium linguis auditis idiotas* aut *infideles dicturos illos insanire*: nunc corrigit, edocetque quid senserit, dicens, *Quid est igitur faciendum, fratres?* Scio etenim *dum convenitis* suam quemque dotem secum adferre: Alius *habet canticum* mysticum, alius *doctrinam habet* qua possit ad instituendam vitam erudire, alius *revelationem habet* qua retrusiora in S. literis possit eruere, alius *lingua* dono præditus: Nihil horum fastidiatur, sed *omnia ad publicam conferantur utilitatem.*

27. *Secundum duos, aut ut multum tres, & per partes*] Ne rudior quispiam hic hæreat, is scito *fiat* particulam hic esse subaudiendam. Dicit enim, *omnia ad ædificationem fiant. Sive quis loquitur lingua, fiat per duos, aut ad summum per tres, sed ita ut vicissim loquantur.*

33. *In omnibus Ecclesiis sanctorum doceo*] *Doceo* in Græcis expressum non est, subintelligi tamen debet, aut certe aliud magis accommodum.

34. *Sicut & Lex dicit*] Genes. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

36. *An à vobis Dei verbum processit? aut in vos solos pervenit?*] Perinde ac graverentur servare quod tradit, duriuscule percontatione hac eos corrigit: Cur, inquit, detrectatis hunc ritum observare? Num vos præceptores estis? Num à vobis profluxit in nos ac cæteros Euangelii prædicatio? vel in vobis solum stabilita est fides? Neque necesse est per vos ea admitti quæ ab aliis fuerint excepta. Non enim vos omnium primi estis fideles ac soli. Oportet igitur & vos his acquiescere quæ mundo sunt visa & cæteris comprobata.

LUCAS BRUGEN.

33. S*icut* * *in* [* & o.] *omnibus Ecclesiis sanctorum doceo*] Voculam *doceo* tollit Latinum Parisiensium exemplar Ge. l. conformiter libris Syricis & plerisque Græcis, suffragantibus enarratoribus Græcis, Theophylacto & Oecumenio. Hieronymianus Scholiastes dubito an legerit: *Sic est ubique*, inquit, *ne novi aliquid me imperare putetis.* Ex nostris manuscriptis, Malmundarii majori minori litera addita conspicitur. Videri possit ex septimo hujus epistolæ capite ver. 17. huc assumpta, ubi legitur juxta nostram editionem, *Et sicut* [*sic* R. G. S.] *in omnibus Ecclesiis doceo* (διατάσσομαι.) Cæterum ut in omnibus nostræ editionis sinceris codicibus reperimus, ita ab Autore commentariorum Ambrosio attributorum, Haymone, & qui hunc ætate sequuntur, Latinis explanatoribus, lectam observavimus. Adhæc in uno Græco exemplari, ια, Parisienses invenerunt, ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων διδάσκω· cui adstipulatur B. Chrysostomi textus, cum Latine, tum Veronæ Græce editus.

38. *Siquis autem ignorat, ignorabitur*] Græce est, εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω, quod est, *Siquis autem ignorat.* Syrice similiter est. Atque hoc modo Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius, non solum legunt, sed etiam intelligunt. Verum Latini, & codices & Interpretes, constanter scribunt, *Si quis autem ignorat, ignorabitur:* forte enim Vet. Interpres, non ἀγνοείτω, sed ἀγνοείσθω, ἀγνοηθῇ, aut ἀγνοηθήσεται legit.

STEPHANUS.

1. Διώκετε τὴν ἀγάπην] *Sectamini charitatem.*

13. Προσευχέσθω ἵνα διερμηνεύῃ] *Precibus petat à Deo facultatem interpretandi.*

15. Τί οὖν ἐστί;] *Quid igitur facto est opus?*

18. Λαλῶν] *Quod loquar.*

19. Θέλω] *Malim.*

20. Τῇ κακίᾳ νηπιάζετε] *Malitia pueruli estote:* vel, *infantes.* ¶ Τέλειοι] *Adulti.*

26. Τί οὖν ἐστί;] *Quid igitur facto est opus?* Sic supra.

33. Οὐ γάρ ἐστιν ἀκαταστασίας ὁ Θεός] *Non enim turbarum* fautor *Deus.*

34. Ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι] *Sed subjectas esse decet:* i. sed silere, utpote subjectas.

DRU-

DRUSIUS.

1. *Æmulamini*] *Studiose affectate*; ut supra 12. 31. Vide quæ scripsimus ad illum locum.

2. *Nemo enim audit*] i. Intelligit. Sic שמע usurpatur Gen. 42. 23. ubi Jonathan, *audiebat ipse linguam domus sanctuarii*, h. e. intelligebat: & Hieron. *Nesciebant autem quod intelligeret Joseph, eo quod per interpretem loqueretur ad eos.* Similiter Gen. 11. 7. *ut non audiat vir sermonem proximi sui.* Sic alibi, *gens cujus linguam non audies.* Psal. 38. 14. *Ut vir qui non audit*, i. מבין *intelligit*, expositore D. Camio. Vide Ægyptium Mosen in More part. 1. cap. 35. Augustinus ad locum Gen. 42. AUDIT *pro* INTELLIGIT. *Nam voces audit utique aure, etiam qui non intelligit linguam.* Hæc ille Locut. lib. 1.

11. *Barbarus*] Qui lingua utitur cuipiam ignota, ei cui loquitur *barbarus* est. Sic Ægyptii olim Græcis erant *barbari*, & Græci Ægyptiis: sic Ebræi Ægyptiis, & contra. Notum illud, *è populo barbaro.* Sic Ovidius apud Getas agens,

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.

Vide Quæstiones meas lib. 1. quæst. 17. Amelius Apamensis Platonis Philosophi sectator Johannem Euangelistam alicubi *barbarum* vocat, quod *externa & aliena esset lingua*, διὰ τὸ ἀλλότριον, inquit Cyrillus lib. 8. adv. Julianum Iamblichus quoque Chalcidensis eandem ob causam *barbara nomina* vocat Ebraica, ut Plautus Latina & Italica. In prologo Asinariæ,

Demophilus scripsit, M. Accius vertit barbare.
Asinariam vult esse.

In Milite de Nævio,

Nam os columnatum poeta esse inaudivi barbaro.

In Fœneratrice, *Heus tu, in Barbaria quod dixisse dicitur liberta sua patrona. In Barbaria*, inquit Festus, *est in Italia.* Idem, *Barbari antiquitus omnes gentes dicebantur exceptis Græcis.* Addit Paulus ejus epitomator, *Fortasse hinc noster Apostolus Græcis & barbaris se debitorem esse fatetur*, Rom. 1. Horatius etiam Trojanos, à quibus Romani ortum ducebant, vocat *barbaros*, lib. 1. Epist. 2.

Græcia Barbariæ lento collisa duello.

Vide nunc Observ. lib. 3. c. 3.

15. *Psallam*] אזמרה. Id etiam *canam* sive *cantabo* significat. Differt igitur à ᾄδειν, quia שיר etiam vocis est. שיר tantum *ore canere* significat: ut נגן *instrumenta pulsare*. PSALLERE, inquit Augustinus, *non est simpliciter canere, sed ad musicum instrumentum.* Locum Gellii, *qui canerent voce, & qui psallerent*, interpretatur Budæus *citharam pulsarent.* Hinc *psaltria*, i. fidicina, quæ instrumento aliquo musico canit. Lexicon Vet. Ψάλλω, *nablizo, psalmizo*: proprie de fidium tactu, ut *psallere* in illo Horatii,

Psallimus & luctamur Achivis doctius unctis.

& rursum, *docta psallere Chia.* Dixi שיר inter & זמר discrimen esse. Liquet ex Psal. 21. 13. *canemus & psallemus*, quod Ebræus dicit נשירה ונזמרה. Sic Ephes. 5. 19. ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες, i. *citharam aut lyram pulsantes: fidibus canentes.*

16. *Qui supplet locum idiotæ*] Vel, *implet*: qui sedet inter idiotas, i. inter indoctos. Ebraice המלא מקום הדיוט. Sic dicunt, *Implet locum patrum suorum*: i. pervenit ad dignitatem patrum suorum. Vide D. Camium Jes. 56. 5. *Locus duplex est*, גופני *corporeus*, & מקום מעלה וחשבה, *qui est locus dignitatis.* Sic יד *manus* sumitur in loco citato.

19. *Quinque verba*] i. Pauca. Sic Jes. 10. 19. *Numerus erunt, vel puer scribat ea*, i. pauca erunt quæ puer facile numeret aut scribat. Scholia Ebraica enarrant de *numero denario*, qui significatur per Jod literam decimam Alphabeti Ebraici. Sic alibi מתי מספר *mortales numeri*, i. pauci.

20. *Pueri intelligentia*] Qui & *pueri* simpliciter, ut Prov. 1. 4. *puero scientiam & cogitationem solertem.* Sensus est, *ei qui puer est intelligentia.* ¶ *Parvuli malitia* sunt homines minime mali, quos ἀκάκους vocant, qui non magis sapiunt in malitia quam pueri. Id Græci dicunt τῇ κακίᾳ νηπιάζειν, *malitia puerum esse.*

21. *In linguis aliis & labiis aliis*] Idem aliter. Nam *lingua alia* & *labium aliud* synonyma sunt. Sic, *Erat terra labium unum*, i. lingua una, sermo unus. *Lingua alia*, i. peregrina & ignota, aut alia ab ea quæ nobis vernacula & quam intelligimus. Sic *Deus alius* vel ignotus & peregrinus, vel alius à vero. Quæ hic *lingua alia*, vel *labium aliud*, alibi dicitur *lingua non intellecta*: unde, *Gens cujus linguam non audies*, i. intelliges. Omne igitur idioma quod non intelligimus vocatur *lingua alia & labium aliud*, i. לשון אחרת & שפה אחרת. Quanquam hic in fonte בלעגי שפה: de quo alias. Vide Annot. Theodori ad hunc locum.

24. *Idiota*] Et hoc vocabulo Ebræi utuntur. Dicunt enim הדיוט *Hedjoth*, & הדיוטא *Hedjota.* Sed apud eos denotat *hominem privatum & vulgarem*, item *vilem & abjectum*; hic significare videtur *hominem indoctum.*

33. *Sanctorum*] i. Christianorum. Sic enim Christiani olim vocabantur. Sed & feminæ Christianæ *sanctæ* dicebantur. Qua de re alias.

34. *In ecclesiis*] In cœtibus publicis piorum. Theodorus reposuit *in conventibus*: quod eo minus probo quia conventus possunt esse privati & in ædibus cujusque, ubi mulieres loqui non prohibentur: tantum tacere jubentur in publico Ecclesiæ cœtu. Quod si loqui illic non possunt, nec prophetare possunt. *Mulier ergo prophetans*, non quæ prophetat ipsa, sed quæ interest cœtui prophetantium.

39. *Æmulamini prophetare*] Hoc ardenti studio affectate & ambite, ut prophetetis. *Plus enim est prophetare quam linguis loqui.* Vide supra v. 5.

CASAUBONUS.

1. Διώκετε τὴν ἀγάπην, &c.] Quod in Corinthiorum Ecclesiam hic error invasisset loquendi lingua peregrina, videtur eo quod ait Clemens Strom. 1. de barbaris linguis loquens, ἐπεὶ καὶ τὰς εὐχὰς ὁμολογοῦσιν οἱ ἄνθρωποι δυνατωτέρας τὰς βαρβάρῳ φωνῇ λεγομένας.

2. Ὁ λαλῶν γλώσσῃ] Facit huc locus Clementis Strom. 1. ubi postquam docuit ex Euphori sententia, ἔθνη καὶ γλώσσας esse LXXV, aut LXXII, alias omnes esse per participationem δύο ἢ τριῶν διαλέκτων, addit, *Est autem* διάλεκτος, λέξις χαρακτῆρα ἴδιον τόπου ἐμφαίνουσα. Mox, *Ajunt Græci dialectos esse* πέντε παρ' αὐτοῖς, Ἀτθίδα, Ἰάδα, Δωρίδα, Αἰολίδα, & τὴν κοινήν. Ἀπεριλήπτους δ' οὔσας τὰς βαρβάρων φωνὰς, μηδὲ διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσας λέγεσθαι.

27. Εἴτε γλώσσῃ τις λαλεῖ, κατὰ δύο, ἢ τρεῖς] Simillima ellipsis 1 Pet. 4. 11. Εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ, &c.

29. Διακρινέτωσαν] h. e. *Explicent.* Nam id significat hæc vox.

CAMERO.

15. Προσεύξομαι τῷ πνεύματι, &c.] Νοῦς non est hoc loco *voluntas*, sed *mens* sive *intellectus*: quem *intellectum* Apostolus distinguit, imo opponit hic τῷ πνεύματι *Spiritui*; quia *Spiritus* dicitur vehemens affectus qui rapit in admirationem: nam etiamsi habeat pro objecto intellectum, tamen majus aliquid esse dicitur quam intellectus; significat nempe hoc loco intellectum ita affectum ut non possit distincte explicare quæ concepit. Duobus enim modis afficitur intellectus humanus, & quidem à Dei Spiritu, quorum alter hujusmodi est ut cum intellectus sic afficitur κατ' ἐξοχὴν *Spiritus* dicatur, alter cum intellectus sic afficitur ut dicatur simpliciter νοῦς *intellectus.* Ratio prioris affectus accedit ad Propheticam ecstasim, quanquam non est semper eadem cum illa; posterior accedit proxime ad nativam rationem mentis humanæ. Itaque si prior illa esset perpetua, non posset in hac quidem vita humanus animus tantam vim ferre.

32. Πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται] Pontificii hinc sic disputant, *Spiritus Prophetarum subjecti sunt Prophetis: Atqui Esaia, Pauls, &c. Spiritus est Propheticus: Subjectus est igitur Prophetis. Porro Propheta Ecclesiastici sunt quos vocant.* Sophisma est. Non enim eo loco agitur de probatione Spirituum, sed de ordine qui servandus est in Ecclesia. Nam cum apud Corinthios tumultuarie & confuse, prout quisque corripiebatur à Spiritu, institueretur Prophetia, Apostolus monet Prophetas esse Prophetis subjectos, hactenus ut si quis Propheta surgat ad dicendum reliqui taceant. Atque hanc esse Apostoli sententiam ratio subjecta facile evincit: addit enim continuo Apostolus, *Deum non esse Deum confusionis, sed ordinis.* Et v. 31. *Potestis enim omnes prophetare per singulos, ut omnes discant*, &c. quæ sunt ἐξηγητικὰ eorum quæ sequuntur v. 32. ita cohærebit v. 32. cum 30. Non est ergo hæc Apostoli mens hoc loco, ut qui Propheta est pendeat à judicio alterius Prophetæ: sic enim cum Michea pessime actum fuisset,

fuisset, & vero (ut blasphemavit quidam è Pontificiis) sic Spiritus Ecclesiæ judicio subjiceretur : sed hoc tantum vult Apostolus, ut ne qui Prophetæ sunt omnes loquantur simul, sed (ut subjicitur eodem loco) *omnia fiant* κατὰ τάξιν, *ordine*, & uno loquente Propheta cæteri sileant, etiamsi illos ceperit impetus.

GUALTPERIUS.

7. **E**ITE κιθάρα] Instrumentum musicum ex genere τῶν ἐντατῶν, i. *eorum quæ nervis intenduntur:* quod Hieronymus scribit, *effici in modum literæ* Δ, *cum chordis* XXIV, *& per digitos variis vocibus tinnulisque ictibus in diversis modis concitari.* Dicitur φόρμιγξ apud Homerum. Athenæus lib. 13. Μάγαδις ὄργανόν ἐστι ψαλτικὸν, καθάπερ καὶ κιθάρα, λύρα, βάρβιτον. Hinc κιθαρίζω *citharam pulso* Apocal. 14. 2. κιθαρῳδὸς, & κιθαρωδὸς, *qui cithara canit, qui citharam cum cantu pulsat.* Hoc enim volunt esse discriminis inter κιθαρῳδὸν & κιθαριστὴν, quod *citharista* tantum cithara canat, *citharœdus* vero simul citharæ accinat. Syrus vocem Græcam retinet, קיתרא *Kitara.* Hebræi *citharam* vocant כנור Gen. 4. 21. כנורות *Et citharas* 1 Reg. 10. 12. Chald. est קיתרס *Kateros* Dan. 3. 5. Juxta Masoretas vero legitur sine י nempe קתרס, &c.

JAC. CAPPELLUS.

2. **Q**UI *loquitur lingua* peregrina, *non homines alloquitur, sed Deum*] *Lingua* vocabulum absolute sumptum de peregrina lingua accipitur etiam apud Aristotelem De Poetica cap. 21. Λέγω δὲ κύριον μὲν (ὄνομα) ᾧ χρῶνται ἕκαστοι· γλῶτταν δὲ, ᾧ ἕτεροι· ὥστε φανερὸν ὅτι καὶ γλῶτταν καὶ κύριον εἶναι δυνατὸν τὸ αὐτὸ, μὴ τοῖς αὐτοῖς δέ· τὸ γὰρ σίγυνον Κυπρίοις μὲν κύριον, ἡμῖν δὲ γλῶττα· & cap. 22. ξενικὸν δὲ λέγω, γλῶτταν καὶ μεταφορὰν.

6. *Si venero ad vos linguis* peregrinis *loquens, quid vobis prodero*] Quid si loquar lingua ne mihi quidem cognita? tum certe ne mihi quidem prodero, nedum circumstantibus. Sed Judæi sibi persuaserunt eam esse linguæ quam *Sanctam* vocant præstantiam ut ea sola preces concipi debeant. Itaque quamvis Aramica sive Syriaca lingua propter affinitatem etiam *Hebraica* nonnunquam dicatur, tamen ne Syriaca quidem lingua preces concipi patiuntur; quanto minus iis linguis quæ longius absunt ab Hebraica dialecto? Talmudis tractatu De Benedictionibus cap. 2. sic ait Rab. לעולם אל ישאל אדם צרכיו בלשון ארמי *Nunquam petat quisquam ea quæ sibi necessaria sunt Aramica lingua.* Rationem addunt hoc canone dignam, de qua vide sis Hebr. 1. ult.

14. *Si orem lingua* peregrina, *spiritus quidem meus precatur, intelligentia vero mea infructuosa est*] h. e. Licet intelligat quæ dico, tamen pronunciatio mea, cum auditoribus nihil det intelligendum, est prorsus inutilis.

15. *Quid igitur? orabo spiritu, orabo & cum intelligentia*] Active scilicet, adeoque transitive sumpta. Sic Prov. 5. 1. לתבונתי הט אזנך *inclina aurem tuam ad ea quæ tibi daturus sum intelligenda.* Siquidem hic ab Apostolo νοῦς usurpatur eo sensu quo בינה vel תבונה. Verbalia verborum à quibus deducuntur vim retinere solent: בין autem sæpius quidem significat *intelligere*; ut 1 Sam. 3. 8. 2 Sam. 12. 19. 1 Reg. 3, 9, 11. 1 Chron. 25. 7, 8. 2 Chron. 26. 5. & 34. 12. & alibi passim. Hinc est quod בינה & תבונה sæpius significant eum actum quo percipimus ea quæ audimus vel de quibus cogitamus, ut 1 Chron. 12. 33. & 22. 12. 2 Chron. 2. 12, 13. Job. 28. 12, 20. 28. Sed cum הבין aliquando significet *intelligendum dare*, ut Deut. 32. 29. Ezræ 8. 16. Nehem. 13, 7. Dan. 10 14. possunt quoque verbalia בינה, תבונה, & ad illorum imitationem vox Græca νοῦς, eum actum designare quo mens suos conceptus alteri dat intelligendos.

LUD. CAPPELLUS.

34. **F**Eminæ *vestræ taceant in Ecclesiis*] Similem habent Judæi hac de re Canonem apud Maimonid. Misnæ tom. 1. lib. 2. הלכות Tract. de Orat. & Bened. Sacerdotum אשה לא תקרא בצבור מפני כבוד הצבור *Mulieri non licet legere (è suggestu) in Synagoga, propter reverentiam quæ haberi debet cœtui illi.*

GROTIUS.

1. **Δ**Ιώκετε τὴν ἀγάπην, *Sectamini charitatem*] Cohæret cum superioribus. Cum tanti sit dilectio, omnino efficite ut eam habeatis. De voce διώκειν [*sectari*] vide Rom. IX, 31. XII, 13. XIV, 19. ¶ ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικὰ, *æmulamini spiritualia*] Subaudi *charismata.* Expetite ut ea habeatis si fieri potest. Neque enim omnino illa ad salutem sunt necessaria. ¶ μᾶλλον δὲ, *magis autem*] Id est, *maxime.* Est enim hic μᾶλλον [*magis*] pro superlativo, ut modo μείζων [*major*]. ¶ ἵνα προφητεύητε, *ut prophetetis*] Prophetiam cæteris donis præfert, quia maximam ea res autoritatem præstabat Euangelio, convincebat incredulos, firmabat credentes. Divinum enim ab omnibus hominibus creditur esse prædictio, dicta ob id *divinatio.*

2. Ὁ γὰρ λαλῶν γλώσσῃ, *Qui enim loquitur lingua*] Maxime eos compescit qui linguarum dono non modeste utebantur apud ejus linguæ gnaros, sed in Ecclesia ubi aut nulli aut pauci erant qui intelligerent: & eo dono confisi spernebant cæteros. Non contigere quidem divinitus dona ista post Christum, nisi in Christum credentibus. Sed poterant qui crediderant, amittendo dilectionem, aut etiam fidem, dona ista in sese exstinguere, 1 Thessal. V, 19. *Recedente enim disciplina recedebat & gratia*, ut loquitur Cyprianus. ¶ οὐκ ἀνθρώποις λαλεῖ, *non hominibus loquitur*] Nempe nisi adsint ejusdem linguæ homines. ¶ ἀλλὰ τῷ Θεῷ, *sed Deo*] Deum solum habet conscium. ¶ οὐδεὶς γὰρ ἀκούει, *nemo enim audit*] Nempe in Ecclesia. Loquitur de eo quod plerumque fiebat. Rarum erat ut adessent peregrini. ἀκούειν hic est *intelligere*, ut שמע sæpe Hebræis. Vide Genes. XI, 7. Esaiæ XXXVI, 11. Rom. XI, 8. ¶ πνεύματι δὲ λαλεῖ μυστήρια. *Spiritu autem loquitur mysteria*] *Spiritu quidem afflante loquitur, sed res quæ non pateant.* Nam quicquid latet, sive id futurum est, sive præsens, μυστήριον [*mysterium*] dicitur. Rom. XI, 25. XVI, 25. II Thess. II, 17.

3. Ὁ δὲ προφητεύων, ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν, *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem*] *Prodest aliis*, id enim οἰκοδομεῖν [*ædificare*] Paulo, ut sæpius diximus. ¶ καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν. *& exhortationem & consolationem*] Generis nomen in species dispertit, *prodest monendo fragiles, solando afflictos*; illos periculorum, hos liberationis prædictione: utrumque cum circumstantiis quæ humanitus prospectari non poterant.

4. Ὁ λαλῶν γλώσσῃ, ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ. *Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat*] Sentit enim intra se vim Christi. ¶ ὁ δὲ προφητεύων, ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ. *qui autem prophetat, Ecclesiam ædificat*] Et præsentes & absentes. Solebant enim prophetiæ ab Ecclesiis ad Ecclesias transmitti.

5. Θέλω, *Volo*] *Velim*, ut Rom. VII, 16. & alibi. ¶ πάντας ὑμᾶς λαλεῖν γλώσσαις, *omnes vos loqui linguis*] Nempe si ita Deo placeret. Ostendit se pariter affectum ut olim Moses, Num. XI, 29. ¶ μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε. *magis autem prophetare*] Quia id pluribus conducit, ut jam dixit. ¶ μείζων γὰρ ὁ προφητεύων, ἢ ὁ λαλῶν γλώσσαις, *nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis*] *Major*, id est, Ecclesiæ utilior, ut supra XIII, 13. ¶ ἐκτὸς εἰ μὴ διερμηνεύῃ, *nisi interpretetur*] Est duplex negatio pro una, more Hebræo בלתי אם חוץ [*præterquam nisi*]. Sensus est, *Nisi idem qui linguæ donum habet, habeat & donum interpretandi*, id est, fidelem memoriam.

6. Νυνὶ δὲ, ἀδελφοὶ, *Nunc autem, fratres*] Νυνὶ [*Nunc*] hic quoque positum pro *At vero*, ut supra XIII, 13. ¶ ἐὰν ἔλθω πρὸς ὑμᾶς γλώσσαις λαλῶν, *si venero ad vos linguis loquens*] Solet sæpe Paulus personam primam ponere ὑποθετικῶς [*conditionaliter*]. ¶ τί ὑμᾶς ὠφελήσω, ἐὰν μὴ ὑμῖν λαλήσω, *quid vobis prodero, nisi vobis loquar*] Est hic ἐὰν μὴ [*nisi*] pro *sed.* Nam agit de alio genere alloquendi. Diximus de hoc usu istarum particularum supra VII, 17. ¶ ἢ ἐν ἀποκαλύψει, *aut in revelatione*] Ἀποκάλυψις [*revelatio*] hic est, *expositio figurarum latentium in Veteri Testamento*, qualia multa habet in Paulinis epistolis, & in illa ad Hebræos. Sumitur interdum generalius ut infra 30. ¶ ἢ ἐν γνώσει, *aut in scientia*] Γνῶσις [*Scientia*] est *historiarum cognitio*, ut diximus supra XII, 8. XIII, 2, 8. ¶ ἢ ἐν προφητείᾳ, *aut in prophetia*] *Prædicendo quæ eventura sunt.* ¶ ἢ ἐν διδαχῇ; *aut in doctrina?*] Διδαχὴν [*doctrinam*] hic vocat *præclaras sententias*, quales sunt in libris Solomonis. Quod supra σοφίαν, חכמה [*sapientiam*].

7. Ὅμως, *Tamen*] *Atqui*, ut Galat. III, 15. ¶ τὰ ἄψυχα φωνὴν διδόντα, *quæ sine anima sunt vocem dantia*] Ἄψυχα [*sine anima*] vocat *instrumenta sensu carentia.* ¶ εἴτε αὐλὸς, εἴτε

ὄντε κιθάρα, ἐὰν διαστολὴν τοῖς φθόγγοις μὴ δῷ, πῶς γνωσθήσεται τὸ αὐλούμενον ἢ τὸ κιθαριζόμενον; *sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur aut citharizatur?*] Si inauditum quid sonent instrumenta, nihil intelligi potest. Ideo distingui solent modi Dorii, Phrygii, Lydii. Thebarum urbs ad tibiam structa, ad tibiam est diruta. Est tibiæ usus in lætis Matth. XI, 17. est & in luctu Matth. IX, 23. Eadem cithara canit res heroum & amores.

8. Καὶ γὰρ, *etenim*] *Similiter.* ¶ ἐὰν ἄδηλον φωνὴν σάλπιγξ δῷ, τίς παρασκευάσεται εἰς πόλεμον; *si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?*] Olim alius erat tubæ sonus ad pugnam, alius ad receptum. Procopius Gothicorum II, Οἱ ταῖς σάλπιγξι τὸ παλαιὸν ἐν τῷ Ῥωμαίων στρατῷ χρώμενοι νόμους τινὰς ἠπίσταντο δύο, ὧν ἅτερος μὲν ἐγκελευομένῳ τὸ πλῆθος ἐοικὼς καὶ σὺν σπουδῇ τοὺς εἰς μάχην ὁρμῶντι· ὁ δὲ ἄλλος ἐπὶ τὸ στρατόπεδον ἀνεκάλει τοὺς μαχομένους, ἡνίκα ταῦτα ἐδόκει τῷ στρατηγῷ ὡς ἄριστα ἔχειν· ταύτῃ τε ἀεὶ οἱ μὲν στρατηγοὶ τὰ πρακτέα τοῖς στρατιώταις ἐνέλεγον, ἐκεῖνοι δὲ τὰ παραγγελλόμενα ἔργα ἐπιτελεῖν ἴσχυον. Κραυγὴ γὰρ ἐν ταῖς ξυμβολαῖς σημῆναι τι σαφὲς οὐδαμῶς πέφυκε [*Tubicines olim in Romanorum exercitu duobus sonis utebantur: quorum alter capessendæ pugnæ signum, in hostem ciebat militem: altero, ubi id Duci è re videretur, receptus canebatur. Hac ratione & Duci quæ ex usu erant imperare, & militi imperata exequi facile erat: cum alioqui clamor in prælio intelligi fere non possit*]. Id magno malo intermissum ad sua tempora ait Procopius ibidem. Sic apud Hebræos alius tubæ sonus ad conventus civiles, alius ad iter, Num. X, 2. φωνὴ [*vox*] est תרועה [*clangor*] ibidem Num. X, 6.

9. Οὕτω καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς γλώσσης ἐὰν μὴ εὔσημον λόγον δῶτε, *Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis*] Nempe iis qui adsunt, aut eorum plurimis. ¶ πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον; *quomodo scietur id quod dicitur?*] Τὸ λαλούμενον האמור [*id quod dicitur*]. ¶ ἔσεσθε γὰρ εἰς ἀέρα λαλοῦντες. *eritis enim in aëra loquentes*] Similis locutio illi quæ supra IX, 26. Ὡς ἀέρα δέρων [*tanquam aërem feriens*]. Nam qui à nemine intelligitur, is *ventis loquitur*.

10. Τοσαῦτα, εἰ τύχοι, γένη φωνῶν ἐστιν, *Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt*] Τοσαῦτα [*tam multa*] dixit quasi digito monstrans numerum septuagenarium. Tot enim linguas esse ajunt Hebræi. Sed addit, *si forte*, quia possunt esse & plures de quibus Hebræi nihil audierant. ¶ καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον. *& nihil sine voce est*] Hic αὐτῶν [*eorum*] non refertur ad φωνὰς [*voces*], sed ad ipsos *homines*, quanquam ii nominati non sunt, sed facile ex præcedentibus intelliguntur. Parem usum nominis αὐτῶν [*eorum*] & alibi notavimus. Hic nomen ex superioribus subauditur, Numer. VIII, 9. Esther. V, 9. Sed in Manuscripto deest αὐτῶν [*eorum*]: ut neutrum singulare sit pro plurali masculino. Sunt populi

Tam variis linguis, habitu quam veste & armis.

11. Ἐὰν οὖν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς, *Si ergo nescivero virtutem vocis*] Δύναμιν [*virtutem*] appellat vocum *significationem*. ¶ ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος καὶ ὁ λαλῶν, ἐν ἐμοὶ βάρβαρος. *ero ei qui loquitur barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus*] Usurpavit vocem *barbari* quæ respondet Hebrææ לעז, Psalm. CXIV, 1. in sensu τῆς πρός τι [*relatorum*], quomodo & Ovidius:

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.

Sic Homero Cares, βαρβαρόφωνοι [*barbare loquentes.*] Anacharsis ἐμοὶ δὲ πάντες Ἕλληνες Σκυθίζουσι [*mihi vero omnes Græci Scythice loquuntur*]. Est ἐν ἐμοὶ [*in me*] hic pro ἐμοὶ [*mihi*] quomodo sæpe ἐν [*in*] in his scriptis πλεονάζει [*abundat*].

12. Οὕτω καὶ ὑμεῖς, *Sic & vos*] Οὕτω hic valet *propterea*, כן. ¶ πρὸς τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας ζητεῖτε, ἵνα περισσεύητε. *ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis*] Trajectio: pro Ζητεῖτε ἵνα περισσεύητε πρὸς τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας [*Quærite ut abundetis ad ædificationem Ecclesiæ*] Optate ut abundetis iis maxime donis, unde plurimum utilitatis ad Ecclesiam redeat.

13. Διόπερ ὁ λαλῶν γλώσσῃ, προσευχέσθω ἵνα διερμηνεύῃ. *Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur*] Etiam oret ut memori animo retineat quæ lingua externa dixit, ut sic eadem Græce possit exponere.

14. Ἐὰν γὰρ προσεύχωμαι γλώσσῃ, *Nam si orem lingua*] Alioqui si vel optimas ad Deum preces lingua externa eloquar. ¶ τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται. *spiritus meus orat*] Πνεῦμα [*spiritum*] vocat *motum illum qui est ab afflatu.* ¶ ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι. *mens autem mea sine fructu est*] Mens mea nihil bene à se excogitatum profert.

15. Τί οὖν ἐστι; *Quid ergo est?*] Quid igitur est, nempe quod optandum sit? ¶ Προσεύξομαι τῷ πνεύματι, προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ, *Orabo spiritu, orabo & mente*] Ἵνα [*ut*] subauditur. *Hoc optandum est ut orem*, id est, *oret aliquis, non tantum motu illo afflatitio, verum etiam iis quæ ipse excogitavit.* ¶ ψαλῶ τῷ πνεύματι, ψαλῶ δὲ καὶ τῷ νοΐ. *psallam spiritu, psallam & mente*] Quod de precibus ad Deum dixit, idem de laudibus Dei, תהלים quæ solebant canendo pronuntiari. Vide quæ diximus Matth. XXVI, 30. Adde Marci XIV, 26. Actorum XVI, 25. Ephes. V, 19. Coloss. III, 16.

16. Ἐπεὶ, *Cæterum*] Ἐπεὶ hic est *alioqui*, ut Rom. XI, 6. ¶ ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι, *si benedixeris spiritu*] *Si Deum laudes tantum, dum durat ille motus lingua peregrina.* Εὐλογεῖν [*benedicere*] idem cum eo quod mox sequitur εὐχαριστεῖν [*gratias agere*]. Vide quæ diximus Matth. XXVI, 26. ¶ ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, *qui supplet locum idiotæ*] Ἰδιώτης ὁ ἀμαθής [*idiota est qui rudis est*]. Scholiastes ad Ranas. In Glossario, ἰδιώτης ὁ μὴ νοήμων, *rusticus, rudis.* Utitur sic & Alexis. Rabbini Hebræi inde fecerunt suum הדיוט [*Hadjoth*]. Vide Actor. IV, 13. Et ἀναπληρῶν τόπον, ממלא מקום [*qui supplet locum*] itidem Hebraismus, pro *in statu aliquo esse.* ¶ πῶς ἐρεῖ τὸ Ἀμὴν ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ; *quomodo dicet Amen super tuam benedictionem?*] In veteri Ecclesia Episcopo aut alio quovis Deum precante vel laudante plebs accinebat *Amen*, unde illud,

Et resonaturis ferit æthera vocibus Amen.

Ea voce dicta approbans, idque ex more Hebræo secundum quem *Amen* dicitur, ἐφύμνιον [*quod hymno succinitur*] Philoni. Vide Deut. XXVII, 15, & sequentibus. & quæ ad Matth. V, 18. In Aruc אין עונין אמן יתומה [*non respondentes Amen pupillum*]. Cum quis *Amen* dicit ad preces quas non intelligit, id vocatur Hebræis אמן יתומה, *Amen pupillum*. Ideo preces & laudes celebrabantur lingua populari tam apud Judæos quam apud Christianos. Origenes adversus Celsum VIII. Οἱ λοιποὶ τῶν Χριστιανῶν οὐδὲ τοῖς ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς κυρίοις ὀνόμασι καὶ τεταγμένοις ἐπὶ τοῦ Θεοῦ χρῶνται ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἀλλ' οἱ μὲν Ἕλληνες Ἑλληνικοῖς, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ῥωμαϊκοῖς· καὶ οὕτως ἕκαστος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ διάλεκτον εὔχεται τῷ Θεῷ, καὶ ὑμνεῖ αὐτὸν ὡς δύναται· καὶ ὁ πάσης διαλέκτου Κύριος τῶν ἀπὸ πάσης διαλέκτου εὐχομένων ἀκούει, ὡς μιᾶς (ἵν' οὕτως ὀνομάσω) φωνῆς τῆς κατὰ τὰ σημαινόμενα ἀκούων δηλουμένης ἐκ τῶν ποικίλων διαλέκτων. Οὐ γάρ ἐστιν ὁ ἐπὶ πᾶσι Θεὸς εἷς τῶν κεκληρωμένων διάλεκτόν τινα βάρβαρον ἢ Ἑλληνίδα, καὶ μηδὲν τὰς λοιπὰς ἐπισταμένων, ἢ μηκέτι τῶν ἐν ἄλλαις διαλέκτοις λεγόντων φροντίζων [*Germane Christiani ne usitatis quidem in Sacra Scriptura Dei nominibus utuntur inter precandum; sed Græci Græcis, Romani Romanis, singulique precantur propria lingua, Deumque celebrant pro viribus, & omnium linguarum Dominus omnibus linguis precantes exaudit tam varie loquentes haud secus quam consonos (ut ita dicam) & unius vocis homines intelligens. Non est enim Deus maximus unus eorum, qui certam aliquam linguam sortiti sunt, sive Græcam sive Barbaram, cæterarum ignari, nec solliciti de aliena lingua hominibus*]. ¶ ἐπειδὴ τί λέγεις, οὐκ οἶδε. *quoniam quid dicas, nescit*] *Non intelligit*, Græcam tantum linguam edoctus.

17. Σὺ μὲν γὰρ καλῶς εὐχαριστεῖς· *Nam tu quidem bene gratias agis*] מברך. ¶ ἀλλ' ὁ ἕτερος οὐκ οἰκοδομεῖται. *sed alter non ædificatur*] *Nihil inde proficit.*

18. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν. *Gratias ago Deo meo quod omnium vestrum magis linguis loquor*] Apostoli omnium donorum habebant ἐμπειρίαν [*universitatem*].

19. Ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι, ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, ἢ μυρίους λόγους ἐν γλώσσῃ. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam, quam decem millia verborum in lingua*] In Manuscripto est τῷ νοΐ μου [*sensu meo*]. *In Ecclesia*, id est, ubi pauci sunt plurium linguarum gnari, *malim quinque*, id est, *pauca, verba loqui à me ipso cogitata, quam multa per afflatum lingua peregrina & plerisque non intellecta.* Κατηχήσω [*instruam*] אשמיע, *faciam audire*, id est, intelligere. Μυρίους [*decem millia*] רבבות, id est, *innumera.*

20. Ἀδελφοὶ, μὴ παιδία γίνεσθε ταῖς φρεσὶν, *Fratres, nolite pueri effici sensibus*] Puerorum est ostentare se in rebus inutilibus. ¶ ἀλλὰ τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, *sed malitia pueri estote*] Innocentia pueros vos imitari non veto, ut nec Christus vetuit, Matth. XVIII, 3. ¶ ταῖς δὲ φρεσὶ τέλειοι γίνεσθε. *sensibus autem perfecti estote*] *Similes viris adultis*, Ephes. IV, 13.

21. Ἐν

21. Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται; *In Lege scriptum est*] Νόμου [*Legis*] vocabulo hic significat omnia scripta divinitus data, ut Johan. x, 34. xv, 25. ❡ Ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις, καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ, καὶ οὐδ' οὕτως εἰσακούσονταί μου. *Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic, & nec sic exaudient me*] Hæc citari à Paulo ex loco quidem Esaiæ xxviii, 11, & 12. non tamen ex versione LXX, sed ex versione Aquilæ docet nos Origenes Philocaliæ viii. Sunt autem verba quædam quæ Propheta in medio posuit omissa, ut ad rem hanc non pertinentia. Pœna est versari inter homines linguæ extraneæ. Et vos id Ecclesiæ imponitis? Labium apud Hebræos non minus quam Lingua *loquelam* significat, Genes. xi, 1.

22. Ὥστε αἱ γλῶσσαι εἰς σημεῖόν εἰσιν οὐ τοῖς πιστεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀπίστοις· *Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus*] *Præcipue dantur ad convertendos extraneos, infideles adhuc.* Comparate dictum. ❡ ἡ δὲ προφητεία οὐ τοῖς ἀπίστοις, *Prophetia autem non infidelibus*] Nempe *tantum.* ❡ ἀλλὰ τοῖς πιστεύουσιν, *sed fidelibus*] *Ad confirmandos fideles.*

23. Ἐὰν οὖν συνέλθῃ ἡ ἐκκλησία ὅλη ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum*] *In locum eundem.* Vide supra xi, 20. ❡ καὶ πάντες γλώσσαις λαλῶσιν, *& omnes linguis loquantur*] *Si alius alia lingua clamat, omnes barbara, non Græca.* ❡ εἰσέλθωσι δὲ ἰδιῶται, ἢ ἄπιστοι, *intrent autem idiotæ, aut infideles*] Christiani qui unam tantum linguam norint, aut etiam increduli nihilo peritiores. Solebant etiam Pagani adire Christianorum Ecclesias ad videnda quæ ibi agebantur. ❡ οὐκ ἐροῦσιν ὅτι μαίνεσθε; *nonne dicent quod insanitis?*] Quippe & insani ea loqui solent quæ nemo intelligat. Si ita agatur, erit Ecclesia similis turri Babylonicæ, aut judicio isti quod ex duobus surdis apud judicem surdum fuisse agitatum memorat Græcum epigramma.

24. Ἐὰν δὲ πάντες προφητεύωσιν, *Si autem omnes Prophetent*] Lingua Græca. ❡ εἰσέλθῃ δέ τις ἄπιστος ἢ ἰδιώτης, *intret autem quis infidelis vel idiota*] Græce intelligens Christianus aut Paganus. ❡ ἐλέγχεται ὑπὸ πάντων, ἀνακρίνεται ὑπὸ πάντων. Καὶ οὕτω τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας αὐτοῦ φανερὰ γίνεται. *convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Et sic occulta cordis ejus manifesta fiunt*] Diximus alibi προφητείαν [*Prophetiam*] dici etiam de rebus præteritis aut præsentibus, sed ita arcanis ut nulla vi humani ingenii cognosci possint. Vide Matth. [illegible]i, 68. Prophetæ ergo intrantibus talia dicebant qualia Christus Samaritidi, Johan. iv, 29. qualia Elisæus Giezi ii Regum v, 26. Dicit Irenæus i, 6. se multos novisse & audisse ipsum fratres, qui occulta hominum in apertum proferrent.

25. Καὶ οὕτω πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει τῷ Θεῷ, *Et ita cadens in faciem adorabit Deum*] *Deum venerabitur, & quidem prostrato corpore.* Sicut in Regum ita in Dei honore varii erant gestus: Summa autem demissio ostendebatur corpore projecto, ut diximus ad Matth. viii, 2. & in majoribus Annotatis ad Decalogum. Sic Jobi i, 20. πεσὼν χαμαὶ προσεκύνησε [*corruens in terram adoravit*]. ❡ ἀπαγγέλλων ὅτι ὁ Θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστι. *pronuntians quod vere Deus in vobis sit*] Sicut Ægyptii magi dicebant. *Digitus Dei est hic*, Exod. viii, 19. *Deus esse* dicitur ubi maxime mira operatur.

26. Τί οὖν ἐστιν, *Quid ergo est*] *Quid ergo faciendum est?* Sumit interrogantis personam, ut respondeat. ❡ Ὅταν συνέρχησθε, *cum convenitis*] Ut supra 23. ❡ ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει, *unusquisque vestrum psalmum habet*] Cum interrogatione legenda hæc membra. Etiam extemporales isti hymni sæpe ab afflatu erant. Talis fuit hymnus Simeonis & Annæ viduæ: &, ut credibile est, Mosis & Mariæ sororis ejus, & alter Mosis, & Deboræ, & Annæ quæ nupta Elcanæ, & Deboræ, & Esaiæ cap. v. Omnia quæ olim aut ex ingenio aut ex labore veniebant, tunc multis dabantur subito & divinitus, ut ex eo intelligeretur Dei summa beneficentia. ❡ διδαχὴν ἔχει, *doctrinam habet*] *Sententias eximias*, supra xiv, 6. ❡ γλῶσσαν ἔχει, *linguam habet*] *Donum linguæ alicujus quam non didicit.* ❡ ἀποκάλυψιν ἔχει, *revelationem habet*] *Donum explicandi ea quæ latent sub figuris Veteris Testamenti.* ❡ ἑρμηνείαν ἔχει, *interpretationem habet*] *Donum omnia ordine dicendi Græce quæ alter dixit lingua peregrina.* In Manuscripto hæc omnia paulo aliter scripta sunt; ψαλμὸν ἔχει, ἀποκάλυψιν ἔχει, γλῶσσαν ἔχει, ἑρμηνείαν ἔχει [*Psalmum habet, revelationem habet, linguam habet, interpretationem habet*]. ❡ πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γινέσθω. *omnia ad ædificationem fiant*] Non nostra spectatur gloria, sed utilitas Ecclesiæ.

27. Εἴτε γλώσσῃ τις λαλεῖ, κατὰ δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς, καὶ ἀνὰ μέρος. *Sive lingua quis loquitur secundum duos, aut ut multum tres, & per partes*] Quia multi erant illo tempore qui dona spiritus habebant, maximus εὐταξίας [*recti ordinis*] custos Apostolus, non vult omnes qui donum linguarum extranearum habebant, in uno conventus tempore eo uti, ne plus quam oportet plebs detineretur: neque vero alios in hac parte basilicæ, alios in ista ad fari & quasi distrahere plebem, ut in foro Agyrtæ faciunt; sed præcipit ut uno die non plures duobus aut tribus audientiam sibi poscant, idque divisis temporum spatiis, ut primum hic, deinde iste, mox alius audirentur. κατὰ hic valet καθ' ἡμέραν [*quotidie*]. Solet enim κατὰ in distributionibus usurpari. Matth. xxiv, 7. infra xvi, 2. Ἀνὰ μέρος [*per partes*] id est, *non simul, sed suo quisque ordine.* ❡ καὶ εἷς διερμηνευέτω. *& unus interpretetur*] Unus aliquis qui id donum habeat, & linguam utramque intelligat, dicta peregrino sermone explicet sermone Græco, nihil prætermittens aut immutans.

28. Ἐὰν δὲ μὴ ᾖ διερμηνευτὴς, *Si autem non fuerit interpres*] Si nemo adsit id donum habens. ❡ σιγάτω ἐν ἐκκλησίᾳ. *taceat in Ecclesia*] Si quis donum linguæ habet, reservet id aliis locis ubi peregrini sint convertendi: Publicos autem cœtus linguam illam non intelligentium ne obturbet. ❡ ἑαυτῷ δὲ λαλείτω καὶ τῷ Θεῷ. *sibi autem loquatur & Deo*] *Domi suæ*, si vult, *Deo teste.*

29. Προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν, *Prophetæ autem duo aut tres dicant*] Nempe uno die, sicut de linguæ donum habentibus dixit. ❡ καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν· *& cæteri dijudicent*] Præses Ecclesiæ, advocatis etiam, si res sit difficilior, vicinarum Ecclesiarum Præsidibus. Vide supra xii, 10.

30. Ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ καθημένῳ, *Quod si alii revelatum fuerit sedenti*] Nam stantes solebant prophetias promere, Jerem. xxvi, 2. quo posito etiam precabantur, ut diximus ad Matth. vi, 5. Si uno aliquo loquente Deus alium afflaverit, ne is alium interpellet, aut seorsim cum populo agat, sed exspectet donec prior ille desierit. De sedendi more vide Act. xxii, 3.

31. Δύνασθε γὰρ καθ' ἕνα πάντες προφητεύειν, *Potestis autem omnes per singulos prophetare*] Diversis aut diebus aut horis. ❡ ἵνα πάντες μανθάνωσι καὶ πάντες παρακαλῶνται, *ut omnes discant & omnes exhortentur*] Quod non fieret, si eodem tempore alius in hoc angulo, alius in illo plebem adfaretur.

32. Καὶ πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται. *Et spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*] Καὶ [*Et*] hic est pro *nam*, idque κατ' ἀνθυποφορὰν [*per subjectionem*]. Poterat aliquis dicere, Atqui ita urgeor ut differre nequeam: Respondet Paulus rem sic se non habere in divinitus afflatis hominibus, quomodo se habet in Pythonicis. Hos ita arripi atque agi ut suæ potestatis non sint: at Dei dona quanquam non ab hominis voluntate profecta, voluntate tamen ejus regi quoad actum, tempus & moram ordini necessariam facile pati. De Sibylla Virgilius,

> *At Phœbi nondum patiens immanis in antro*
> *Bacchatur vates, magnum si pectore possit*
> *Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat,*
> *Os rabidum, fera corda domans.*

Lucanus quinto de Phœbade,

> —— *bacchatur demens aliena per antrum*
> *Colla ferens, vittasque Dei Phœbeaque serta,*
> *Erectas discussa comas, per inania templi*
> *Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti*
> *Obstantes tripodas, magnoque exæstuat igne*
> *Iratum te Phœbe ferens.*

Non sic Esaias, Jeremias & Prophetæ alii afflatu Dei agebantur, sed leniter & cum modo. Adeo poterant non obsequi, ut Jonas munus detrectaverit. Nulla hic coactio, nisi ex pœnæ metu. Hunc sensum recte perviderunt Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Multum autem ab eo aberrant, qui putant *dona Prophetica aliis Prophetis esse subjecta.* Non pugnant inter se Dei dona: nec sententiæ exquirendæ sunt ubi Deum loqui constat.

33. Οὐ γάρ ἐστιν ἀκαταστασίας ὁ Θεὸς, ἀλλ' εἰρήνης, *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis*] Spiritus impuri violenti sunt, Deus pacificus & lenis. Vide i Regum xix, 12. Hoc per parenthesim legendum est. ἀκαταστασία [*dissensio*] est [illegible], Rabbinis. Habes hanc vocem & ii Cor. xii, 20. Jac. iii, 16. ❡ ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων. *Sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum*] Referendum ad id quod dixit *hominum liberis usibus subjici Dei dona.* Vide simile supra xi, 16.

34. Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν. *Mulieres vestra in Ecclesia taceant*] Ne doceant populum aut interrumpant loquentes. Tyrtæus,

> Πολλὰ λέγειν ἄνδρ' ἀνδρὶ, γυναικὶ δὲ πᾶσι χαρῆναι,
>
> [*Dicere multa viri est, mulieris at omnibus esse Contentam*].

Sophocles,

> Γυνὴ, γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
>
> [*Mulier, decus mulieri fert silentium*].

Quod maxime servandum in publico. Valerius Maximus III, 8. *Quid fœmina cum concione? Si patrius mos servatur, nihil.* Vide & L. 1. §. secundo. D. de postulando. & L. Feminæ. D. de regulis juris, & ibi à nobis dicta. In Manuscripto est ἐν ταῖς ἐκκλησίαις [*in Ecclesiis*], Intelligendum vero cum exceptione afflatus prophetici diximus supra XI, 5. ¶ οὐ γὰρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς λαλεῖν, *non enim permittitur eis loqui*] *Non permissum est*, ut 1 ad Timoth. II, 12. ¶ ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι, *sed subditas esse*] *Revereri sexum potiorem*, quod fit etiam silentio. Subauditur autem non ἐπιτρέπεται [*permittitur*], sed κελεύεται *jubetur*, idque ex contrario, ut 1 Tim. IV, 3. Sed in Manuscripto est simplicius: ἀλλ' ὑποτασσέσθωσαν τοῖς ἀνδράσιν [*sed subdita sint viris*]. ¶ καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει. *sicut & Lex dicit*] Gen. III, 16. Vide supra XI, 7, & ibi dicta.

35. Εἰ δέ τι μαθεῖν θέλουσιν, *Si quid autem volunt discere*] Si quid à doctore dictum non satis intellexerint. ¶ ἐν οἴκῳ τοὺς ἰδίους ἄνδρας ἐπερωτάτωσαν. *domi viros suos interrogent*] *Mares domus sua interrogent*, qui aut respondebunt ex se, aut consulent peritiores. Multum semper Ecclesiis mali dedit effrænis mulierum audacia. ¶ αἰσχρὸν γάρ ἐστιν ἐν ἐκκλησίᾳ γυναιξὶν λαλεῖν. *Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*] De suo scilicet. Et αἰσχρὸν [*turpe*], est οὐ πρέπει [*non decet*]. Vide supra XI, 13.

36. Ἢ ἀφ' ὑμῶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθεν; *An à vobis verbum Dei processit?*] Hoc ideo dicit, quia Corinthii illi doctores morem introduxerant contrarium omnium Ecclesiarum institutis, ut feminæ & docerent & interrogarent. At Hierosolymis exierat sermo Euangelii. Ibi aliter fiebat. ¶ ἢ εἰς ὑμᾶς μόνους κατήντησεν; *aut in vos solos pervenit?*] Sicut primi non estis qui credidistis, ita nec soli. Par vobiscum jus habent tot aliæ Ecclesiæ, & æquum est partem toti, non totum parti cedere.

37. Εἴ τις δοκεῖ προφήτης εἶναι, *Si quis videtur Propheta esse*] *Si quis apud vos creditur esse Propheta.* ¶ ἢ πνευματικὸς, *aut spiritualis*] *aut aliis donis Spiritus instructus.* Vide supra XII, 1. ¶ ἐπιγινωσκέτω ἃ γράφω ὑμῖν, *cognoscat quæ scribo vobis*] Cupio hoc ei ostendi. Nam si vere à Deo afflatum habet, his quæ dixi contradicere non poterit. ¶ ὅτι τοῦ Κυρίου εἰσὶν ἐντολαί. *quia Domini sunt mandata*] Non mea sponte, sed à Deo jussus hoc dico.

38. Εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, *Si quis autem ignorat*] *Si quis dicat se dubitare an mihi hoc imperatum sit.* In Manuscripto, ὅτι Θεοῦ ἐστιν ἐντολή [*quia Dei mandatum est*]. ¶ ἀγνοείτω. *ignarus esto*] Dubitet sane, sed suo periculo. Nam spreta auctoritas Apostolica Deum habet vindicem.

39. Ὥστε ἀδελφοί μου, *Itaque fratres mei*] Ex diverticulo de fœminis redit ad prius dicta, & quod maxime necessarium est repetere non gravatur. ¶ ζηλοῦτε τὸ προφητεύειν, *æmulamini Prophetare*] *Præcipue à Deo expetite donum Propheticum*, supra I. ¶ καὶ τὸ λαλεῖν γλώσσαις μὴ κωλύετε. *& loqui linguis nolite prohibere*] Neminem eo dono præditum prohibete eo uti, modo utatur ita ut modo dixi.

40. Πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. *Omnia honeste & secundum ordinem fiant*] Melius in Manuscripto & aliis quibusdam libris πάντα δὲ [*omnia autem*]. Est enim restrictio ejus quod præcessit. Εὐσχημόνως [*honeste*] idem est quod supra πρὸς τὸ εὔσχημον [*ad id quod honestum est*] VII, 35. κατὰ τάξιν [*secundum ordinem*] vero idem quod modo ἀνὰ μέρος [*per partes*]. *Partitis temporibus, suo quisque ordine.*

CAP. XV.

VALLA.

10. ET *gratia ejus in me vacua non fuit*] Gr. *Et gratia ejus quæ est in me*, ἡ εἰς ἐμέ. Clarius etiam translatum fuisset *inanis* quam *vacua*, κενή. Huic simile est quod statim sequitur. ¶ *Non autem ego, sed gratia Dei mecum*] Quomodo *non ego*, si *gratia Dei mecum?* Igitur dicendum est, *gratia Dei quæ est mecum*, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, ut nihil dicant qui hanc vocant *gratiam Dei cooperantem*. Paulus enim sibi hoc non tribuit, sed totum Deo refert acceptum.

23, 24. *Primitiæ Christus, deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt; deinde finis*] Græce non est bis *qui*, nec *crediderunt*, sed sic, *deinde ii qui sunt Christi in adventu ejus; deinde finis*, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ· εἶτα τὸ τέλος.

26. *Novissime autem inimica destruetur Mors*] Ego maluissem dicere, *Novissimus autem inimicus.* Non ideo hoc dico quia Græce ita habet; nam Græce *Mors* generis est m. sed quia solidior & consuetior sermo est si dicatur *inimicus* quam *inimica*, ἔσχατος ἐχθρός. Aut elegantius, *profligabitur novissimus hostis.* Mors namque non potest dici *inimicus*, sed *hostis.* Non enim potest Mors habere amorem aut odium, unde quis dicatur *amicus* aut *inimicus*, sed oppugnare, quod est *hostium.* Unde apud Curtium de quibusdam barbaris, qui negabant se fuisse *inimicos* Alexandro, sed *hostes*: & apud Sallustium de his qui inter cadavera *hostium* repererunt alius *amicum*, alius *inimicum.* Idem autem est hic verbum *destruetur*, seu potius *destruitur*, καταργεῖται, quod ibi *evacuaverit*, καταργήσῃ.

31. *Quotidie morior propter vestram gloriam*] Melius in quibusdam cod. legitur *per.* Est enim mos jurandi Græcis per adverbium, ut apud Latinos per *si*: ut cum dicimus, *Si qua fides; Si quid mihi creditis; Si homo sum.* Aliquando nomen Dei conjungunt, ut νὴ Δία. Tale est hoc jusjurandum Apostoli, quale cum jurat illud *in veritate.* Neque nunc accipienda est *gloria* illa quæ dicitur δόξα, sed *gloriatio*, καύχησις. Nec, ut quidam faciunt, legendum [illegible] *vestram*, [illegible] *nostram*, ἡμετέραν.

32. *Manducemus & bibamus; cras enim moriemur*] Melius in nonnullis editionibus legitur *morimur*, ἀποθνήσκομεν. Hoc proverbium fertur esse Laconicum, etsi eo Esaias utitur 22. 13.

33. *Corrumpunt mores bonos colloquia prava*] Non est Græce *colloquia*, i. mutua colloquia, sed *alloquia*, sive *loquela*, sive *sermones*: quo nomine jam pro Latino utimur, *homilia*, ὁμιλίαι.

34. *Evigilate justi, & nolite peccare*] Otiosum est adhortari *justos ad evigilandum, & ad non peccandum.* Ergo legendum est *juste*, δικαίως· præsertim cum sequatur, ¶ *Ignorantiam enim Dei quidam habent: ad reverentiam enim vobis loquor*] Imo *ad pudorem, ad ruborem, ad confusionem*, πρὸς ἐντροπήν.

38. *Deus autem dat illi corpus sicut vult*] *Sicut voluit* legendum est, ἠθέλησεν.

40, 41. *Alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate*] Idem nomen est Græce pro *gloria* & pro *claritate*, videlicet illud quod proprie transfertur *gloria*, δόξα. Veritus est, opinor, Interpres dicere, *Alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum*: sed mihi quiddam majus significare videtur *gloria* sive *majestas* sive *dignitas* (nam sic quoque transferri potest) quam *claritas*: utcunque sit, ego tamen non putassem variandas voces, cum id Apostolus ipse non faciat.

51. *Ecce mysterium vobis loquor: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*] Quod Latine affirmatur hoc loco, id Græce negatur; rursus, quod Latine negatur, hoc Græce affirmatur, sed uno verbo diverso: dicit enim, *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*: quod etiam Hieronymus testatur: πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Idem quoque probant sequentia, *Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*: quod videlicet erunt qui non morientur. Cui adstipulatur locus ille ad Thessalonicenses 1. 4, 14, —— 17. *Si enim credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum Christum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dici-*

dicimus in verbo Domini, quod nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de caelo: & qui in Christo sunt resurgent primi; deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera: & sic semper cum Christo erimus. Ecce quod non omnes dormiemus. Quidam autem, quorum est Augustinus, volunt eos qui residui erunt in adventu Domini, mori, & subito reviviscere: quasi veniente Christo, qui est vita nostra, cum mortui ad eum adventum vitam recipiant, ii qui vitam habent amittant, cum praesertim dicat Paulus, non tantum *qui residui sumus*, sed etiam *qui relinquimur*, i. *qui reliqui erimus à mortuis*: & quod resurrectio atque immutatio fiet *in ictu oculi*, quasi credibile sit aliquos & morituros & revicturos in ictu oculi. Quod si non omnes moriemur, quomodo omnes immutabimur? numquid & mali immutabuntur? Quidni? ut boni excellentiori corpore donabuntur, ita mali deteriori. Et nihilominus magna est corporum immutatio, ut non possint ullis ignibus cremari, neque ullis suppliciis ab anima sejungi. ¶ *In momento, in ictu oculi*] Gr. *in atomo*, ἐν ἀτόμῳ, quod est *in indivisibili*, quale dicunt esse punctum. Neque puto dici *in ictu*, sed *in nictu*, i. in uno motu oculi, ῥιπῇ.

55. *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?*] Graece aliter est: h. e. sic transferri debet, *Ubi tuus, mors, stimulus? ubi tua, inferne, victoria?* Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος;

57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam*] Gr. *Deo autem gratia, qui dat*, χάρις τῷ διδόντι.

REVIUS in VALLAM.

10. SED totum Deo refert acceptum] Erasmus negat se videre *quid hic locus faciat adversus illos qui ex eo gratiam cooperantem astruunt: nam σὺν*, inquit, *conjunctio Graeca, Favorem & Auxilium significat: auxilium autem non excludit operam ejus qui juvatur:* haec ille. Sed sciat Laurentium non argumentari è conjunctione σὺν, sed ex antithesi, οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί: quam si cum Vulgata verteris, *non ego, sed gratia Dei mecum*, & textum mutilaveris, & ἀσύνετα scripseris. Si enim *gratia Dei mecum hoc facit*, ergo *simul ego & gratia Dei*, & falsum erit illud, οὐκ ἐγὼ. At si verteris, ut oportet, *non ego, sed gratia Dei quae mecum est*, & textui satisfeceris, & totum gratiae Dei transcripseris. Simili illustrabo, *Non ego hoc feci, sed uxor mea mecum*, si quis dicat, simul & negabit se fecisse, & affirmabit: at si dicat, *Non ego hoc feci, sed uxor mea quae mecum est*, jam totum à se in uxorem quod factum est transmoverit. Vide autem, lector, quam contemptim de *gratia* Pontificiorum *cooperante* ipse Erasmus loquatur in 2 Cor. 1. 22. cujus hic adversus Laurentium patronus est.

26. *Non potest dici* inimicus, *sed* hostis] Hoc & Erasmus laudat, & Beza sequitur.

31. *In veritate*] Sed nusquam dixit νὴ τὴν ἀλήθειαν· quod unum ad rem faceret. Imo nec ἐν ἀληθείᾳ, nec ἐπ' ἀληθείας, juramenti vice ei usurpatum invenio. Licet postremum hoc aliquam jurandi formam habere videri possit Luc. 4. 25. Ἐπ' ἀληθείας δὲ λέγω ὑμῖν & 22. 59. Ἐπ' ἀληθείας καὶ οὗτος μετ' αὐτοῦ ἦν. Hieronymus ad Algas. tom. 3. p. 168. illud Rom. 9. 1. Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, *jusjurandum* vocat: sed jusjurandum hoc potius erit per *Christum* quam per *veritatem*: latet enim in vocibus ἐν Χριστῷ. ¶ Sed *nostram*, ἡμετέραν] Diversam tamen lectionem Beza sequi maluit, post Ambrosium & Augustinum: rationem probabilem apud ipsum vide. Confer & notam Erasmi.

32. *Hoc proverbium fertur esse Laconicum*] Vide Scalig. Lect. Auson. lib. 2. c. 25.

52. *In nictu*] Imo *in jactu*, ut arbitratur Beza: id enim est ῥιπή. Hieronymi tamen tempore lectum fuit *in ictu*, ad Miner. & Alex. tom. 3. p. 190. sed id versum videtur ex ῥιπῇ. Vide locum. Etiam Augustinus legit *in ictu*, in Psal. 64. pag. 659. Cornelius Severus in Aetna.

—— attentos oculorum transfugit ictus.

ubi Scaliger, OCULORUM ICTUS Ἑλληνικῶς *dixit*, ὀφθαλμῶν βολαῖς, *vel, ut S. Paulus*, ταῖς ῥιπαῖς.

ERASMUS.

2. QUA *ratione praedicaverim*] Τίνι λόγῳ. Apparet hic esse ordo, *si tenetis qua ratione praedicaverim vobis*. Quod ita ferme exponit Theophylactus quasi Paulus praedicaverit quidem Corinthiis futuram resurrectionem, caeterum de modo rationeque resurgendi nihil tradiderit. Apud Ambrosium legimus, *quod sermone annunciavi vobis, debetis tenere*. Fortassis Ambrosius scripserat *quo sermone*. ¶ *Si tenetis*] Hic locus videtur fuisse varius in Graecis exemplaribus. Ambrosius legit *tenere debetis*. Nisi forte est pro εἰ legendum ἦ, i. *certe tenetis*, aut ᾗ κατέχετε, *sicut tenetis*, pro καθὼς κατέχετε· nam id quoque Graecis sonare ᾗ docent Grammatici. Quod si non placet, erit nonnihil subaudiendum, *Si tenetis, & utique tenetis, nisi frustra credidistis*. Hujusmodi quaedam in Paulinis scriptis & alias demonstravimus.

5. *Et post hac undecim*] Graeci cod. habent εἶτα τοῖς δώδεκα, *& deinde duodecim illis*. Sed Graeca Scholia hic laborant, dubitantque num lapsu scriptoris habeatur *duodecim* pro *undecim*, an ut intelligamus Matthiae quoque Christum apparuisse, nondum quidem coaptato in ordinem Apostolicum, sed tamen à Deo jam destinato. Ita ferme & Theophylactus. Quo sane loco miror oscitantiam interpretis cujus opera Theophylactus Latinus est, qui cum videat quaestionem moveri de duodecim, in contextu tamen verterit *undecim* juxta Vulgatam editionem. Cujusmodi incogitantiam frequenter in hoc licet deprehendere, nisi forte malumus id scribis imputare. Ambrosius legit *undecim*, sed articulum quoque reddidit, τοῖς ἕνδεκα, i. *illis*, inquit, *undecim*. De articulo apposito diligenter annotat & Augustinus Quaestionum in V. Instrumentum lib. 1. τοῖς δώδεκα, i. *illis duodecim*; ut non possit accipi de quibuslibet numero duodecim, sed de illis duntaxat quos Dominus Jesus designarat. Caeterum nodum ita explicat ut dicat in majore numero reddendo non haberi rationem alicujus minutae particulae. Et ad hanc formam trahit locos aliquot consimiles, quos κατὰ συνεκδοχὴν dictos esse contendit. Differit hac de re idem Augustinus libro De consensu Euang. 3. suspicans *undecim* mendose legi à nonnullis, & addens numerum illum Duodenarium à Christo consecratum etiam in Undecim manere, praesertim mox in Judae locum sufficiendo Matthia.

6. *Plusquam quingentis fratribus*] Ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς· ἐπάνω non potest referri ad dativum casum *quingentis fratribus*, cum apud Graecos habeat gignendi casum, si usurpetur vice praepositionis, ni fallor. Et tamen Theophylactus fatetur quosdam in hanc sententiam interpretari juxta quam noster vertit Interpres, alios rursum accipere ἐπάνω pro *superne*, sive *caelitus*, quia non in solo sed è sublimi se Christus omnibus ostenderit. Ita Chrysostomus, ἐπάνω interpretans ἄνωθεν, negans aliter accipi posse. Quod factum videtur cum ascenderet in coelum. Alter sensus tolerabilis est si ἐπάνω sit adverbium, & subaudiatur ἢ, *quam*: quemadmodum nos dicimus, *plus mille*. ¶ *Simul*] Ἐφάπαξ *semel*: quanquam sensus ferme idem est. ¶ *Ex quibus multi*] Πλείους *plures*, sive *complures*: tametsi id quidem leviculum est. ¶ *Dormierunt*] Si quis velit cavillari de ratione sermonis, *dormierunt* qui experrecti sunt: proinde aut vertendum erat *dormiunt*, aut *obdormierunt*; ut ab *obdormiscendo* sit, quando quidem *obdormio* nescio an reperiatur.

9. *Non sum dignus*] Ἱκανὸς, *idoneus qui vocer*.

10. *Et gratia ejus in me*] Καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ, *Gratia illius erga me*, sive *favor quem in me praestitit*. Et cur non potius *inanis* quam *vacua*? Demiror autem quid legerit Ambrosius ut pro *vacua* verterit *pauper*, cum Graece sit κενή nisi forte juxta proprietatem Hebraei sermonis pauperes dicuntur *inanes*; ut illic, *Et divites dimisit inanes: inanes* enim opposuit *divitibus*. Hic *inanem* vocat sterilem & infrugiferam. ¶ *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*] Ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, *sed gratia Dei qua mecum est*. Corrigit enim Paulus quod modo dixerat, *se plus omnibus laborasse*. *Imo*, inquit, *non ego sum is qui hoc feci, sed gratia potius Dei, qua mihi adfuit*: ut intelligamus totum hoc Deo ferri acceptum. Laurentius hoc loco rejicit eos qui ex hisce verbis gratiam astruunt quam vocant *cooperantem*, quorum est Aquinas, sed ante hunc Augustinus. Nec video quid hic locus faciat adversus illos: nam σὺν conjunctio Graeca Favorem & Auxilium significat; auxilium autem non excludit operam ejus qui juvatur. ἡ σὺν ἐμοί, i. *qua est mecum*, seu potius *qua mihi auxilio est*. Nos vertimus *qua mihi adest*, quod, ut dixi, praepositio σὺν nonnunquam significet Opitulationem, ut σὺν τῇ Μινέρβᾳ. Hieronymus Adv. Pelagianos legit, *gratia Dei qua mecum est*, explicans vim articuli.

11. *Sic prædicavimus*] Οὕτω κηρύσσομεν, *ita prædicamus*, præsenti tempore. Ita legit & Ambrosius, suffragante vetustissimo codice Paulino. Atque ita refert hunc locum Augustinus lib. contra Faustum Manich. 2. cap. 2. juxta fidem vetustorum exemplarium manu descriptorum.

17. *Adhuc enim estis*] *Enim* redundat. Referuntur enim hæc ad superiorem argumentationem, *Si Christus non resurrexit, ergo adhuc estis in peccatis vestris.* Illud annotandum, apud Ambrosium posteriore loco non repeti, *vana est fides vestra*: sic enim legit, *Quod si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris; & qui dormierunt in Christo, perierunt.* Sed cum nostra consentit Theophylacti tum lectio tum enarratio.

19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus*] Εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν Χριστῷ μόνον. Significationem præteriti temporis participii sic poterat reddere, *Si ii sumus qui spem conjecerimus in Christum in hac duntaxat vita*, h. e. Si nostra spes quam habemus in Christo non porrigitur ultra terminum hujus vitæ. Nam in hunc sensum interpretatur Theophylactus, ut *tantum* referatur ad *hanc vitam*, non ad *Christum*: nec abhorret Ambrosius. ¶ *Miserabiliores sumus omnibus*] Ἐλεεινότεροι πάντων. Apparet Græcis comparativum positum loco superlativi, *omnium maxime miserabiles.* Quanquam ad hunc modum locutus est & Gellius. Alioqui vitari poterat scrupulus si quis vertisset, *miserabiliores sumus quibusvis hominibus*; quando in hoc certe sermone *omnis* & *quivis* in eundem sensum recidunt.

20. *Primitiæ dormientium*] In Græcis exempl. constanter additur verbum ἐγένετο, *factus est* sive *fuit*, quanquam duriuscule cohærens cum superioribus. Unde videtur à librariis additum apud Græcos. Ambrosius ἀπαρχὴν vertit *initium*; quod fuerit omnium primus.

21. *Quandoquidem per hominem mors*] In Græcis cod. quos ego sane viderim, ita habetur, Ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπου ἡ ἀνάστασις νεκρῶν, *Nam postquam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Siquidem conjunctio καὶ tacitam vim habet inferendi. Mortem ortam per unum hominem constabat; consequens erat ut per hominem oriretur resurrectio mortuorum. In hanc sententiam enarrat Theophylactus.

22. *Sicut in Adam omnes*] Ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδάμ, *Sicut enim in Adam*, sive *per Adam*, ut mox *per Christum. Enim* aberat in nostris codicibus. Ac more Græcorum legit Ambrosius: connectit enim Paulus probationem cum eo quod assumpserat, *Quoniam per unum hominem mors irrepserat, convenit ut per unum hominem vita detur omnibus. Nam sicut per Adam,* &c. ¶ *In Christo omnes vivificabuntur*] Cyprianus, sive Ruffinus, exponens Symbolum fidei, legit *vivificantur*; ut respondeat superiori verbo *moriuntur.* Atque hæc lectio mihi quidem longe magis probaretur nisi refragarentur exemplaria. Alioqui si nos offendit *vivificantur* quod olim futura sit resurrectio, debuit eadem opera offendere verbum *moriuntur* quod olim multi sint in Adam mortui. Paulus non hic habuit rationem temporis, sed perinde sensit ac si dixisset, *Sicut per Adam est mors, ita per Christum est resurrectio.* Hactenus in lucubrationibus meis Symboli Expositionem citavi Cypriani titulo, quanquam offendebat nonnihil orationis character, & alicubi sermo loquacior quam est Cypriani, tamen non audebam pronunciare; nec hic animum intenderam: & Ruffini Symbolum degustaram, non perlegeram. Verum eruditi multis argumentis docent hoc opus esse Ruffini, non Cypriani. Primum quod scribitur ad Gaudentium, cui Ruffinus & alias quasdam lucubrationes suas dicavit, veluti Petri Itinerarium. Præterea, quod illic commemorantur hæretici quos constat ætate Cypriani nondum fuisse natos, velut Arius, Manichæus, Eunomius, Donatianus, Photinus, & alii nonnulli, quorum aliquot totis seculis fuere Cypriano posteriores. Addunt & illud argumentum haud levis momenti, quod Ruffinus libro priore Invectivarum in Hieronymum scribit hunc in modum, *Verum ad majorem rei fidem addo aliquid amplius, & calumniosorum necessitate compulsus singulare & præcipuum Ecclesiæ nostræ mysterium pando. Etenim cum omnes Ecclesiæ ita sacramentum Symboli tradant ut postquam dixerint* PECCATORUM REMISSIONEM, *addant* CARNIS RESURRECTIONEM, *nos dicimus* HUJUS CARNIS RESURRECTIONEM. Ita Ruffinus. Huic respondet quod admonet in Symbolo, idque duobus locis; in principio, ubi docet Symbolum non per omnia idem haberi in omnibus Ecclesiis; rursus in fine, tractans hanc Symboli partem. In priore loco exprimit nomen *Ecclesiæ Aquileiensis*; *Nos tamen*, inquit, *illum ordinem sequimur quem in Aquileiensi Ecclesia lavacri gratia suscepimus.* Constat autem Ruffinum Aquileiæ tinctum esse, & Presbyteri locum tenuisse; cum Cyprianus fuerit Afer, primum Presbyter, post Episcopus Carthaginensis. Porro Gennadius inter ea quæ Ruffinus non vertit à Græcis, sed suo Marte conscripsit, magna cum laude commemorat Symboli Apostolorum Expositionem. Esse autem utrumque opus, & quod Ruffini titulo Hieronymianis operibus adjunctum fertur, & quod Cypriani titulo legitur, & idem & ejusdem autoris, irrefutabilibus constat argumentis: quo magis mirandum quid sibi voluerit qui locis innumeris scripturam variarit, præsertim in verbis. Etenim si hoc egit ut (furum artificio, qui poculis addunt inauraturam, aut novas affigunt ansas, ne videantur aliena) falleret lectorem, oportuit innovare præfationem, & eos sermones eaque nomina eradere quæ non sinunt videri à Cypriano conscriptum; præterea bonam orationis partem retexere. Nunc ut omittam signa necessaria quæ commemoravi, tanta est congruentia ut duo duorum opera videri non queant; rursus tanta verborum discrepantia, ut casui non possit adscribi. Hoc lectorem latere nolui, propterea quod cum aliis compluribus locis tum præcipue in Expositione Symboli librum hunc Cypriani titulo cito.

23. *Qui in adventum ejus crediderunt*] Οἱ τοῦ Χριστοῦ, ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, *qui sunt Christi in adventu ipsius.* [illegible] sic legit D. Ambrosius, ut intelligamus eos quos Christus suos deprehendet adveniens. Agit enim hic de resurrectione piorum.

24. *Cum evacuaverit omnem principatum*] Hunc locum ita legit Ambrosius, *Cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cum destituerit omnem principatum & omnem potestatem & omnem virtutem & omnem dominationem*: siquidem Græcam vocem καταργήσῃ vertit *destituerit*, cum & *aboleverit* verti posset, aut *antiquaverit.*

26. *Novissime autem inimica*] *Novissima*, nomen est, non adverbium, *novissime*; ac si dicas, *Mors omnium novissima destruetur*: & est καταργεῖται, *destruitur*, sive *aboletur*, præsentis temporis. D. Hieronymus in Commentariis Esaiæ non semel citat hoc modo, *Novissimus inimicus destruetur, Mors*: q. d. *Hostis omnium postremus destruetur, nempe Mors.* Nam, ut eleganter hoc loco docuit Valla, potest *inimicus* esse qui non sit *hostis.* Porro Græcis *mors* masculini generis est. Augustinus item enarrans Psalmum 51. legit *novissima*, nomen, non adverbium. Idem cum alias tum sermone De verbis Apostoli 3. rursum sæpicule in libris quos scripsit adversus Faustum Manichæum. Atque ita scriptum visitur etiamnum in exemplari Paulino. Consentiebant codices Constantienses. Hilarius nescio quid secutus aliquoties adducens hunc locum in libris De Trinitate, legit, *Novissima devicta est inimica Mors.*

27. *Sine dubio præter eum*] Δῆλον ὅτι. Id erat plenius reddendum: nam nunc oratio est inabsoluta, *Atqui cum dicat, Omnia subjecta, palam est quod excipitur is qui subjecit illi omnia.*

31. *Propter vestram gloriam*] Non est hic δόξα *gloria* sive *honor*, sed καύχησις *gloriatio*: νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, *per nostram gloriationem.* Est autem hoc loco *per* præpositio jurantis. Et quoniam multa jam gloriatus est sancta quadam jactantia de profectu Euangelii sui, *per eam gloriam qua gloriatur in Christo* nunc jurat tanquam per rem sacram sibique charissimam. Citat hunc locum & Augustinus Epist. 89. rursum copiosius Serm. De verbis Apostoli 28. ostendens hoc loco jurasse Paulum, idque liquere ex Græcis exemplaribus. Nec est quod tergiversemur, & negemus Apostolum jurasse, cum alibi non paucis locis palam juret. Verum in negotiis hujus mundi, pro prædiis, pro nummis jurare, fortasse non sit ingenui Christiani: Cæterum cum agitur negotium Christi, tum non sit nefas interponere jusjurandum. Neque enim Christus simpliciter vetuit jurare, [illegible] voluit nos esse tales ut non sit opus jurejurando, nolens ita jurare ut vulgus tum jurabat. Noluit nos esse divites ut divitum vulgus tum erat, & nunc fere est; noluit nos vocari *Rabbi* ut tum vocabantur: noluit nos appellari *patres*, ut vulgus hominum, omnem gloriam, omne subsidium collocans in parentibus, prorsus ab illis pendet. Quanquam Græca Scholia nonnihil hic laborent, dubitantque num ita legendum sit, διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, *propter vestram gloriationem*, i. ut gloriemini vos esse Jesu Christi. Atque ita legit Ambrosius & Augustinus, quod ad pronomen attinet, nisi quod Ambrosius accipit *vestram gloriam*, quam Paulus habebat de illis. D. Hieronymus in epistola cujus initium, *Sæpe & multum*, legit *propter vestram salutem*, haud scio memoriæne lapsu an quod potius à librariis corruptus sit is locus. Theophylactus legisse videtur *propter vestram gloriam*; ut gloria Corinthiorum redundet in gloriam Pauli. καύχησιν enim appellat *illorum profectum de quo gloriatur*

tur Apostolus, sed *in Christo*, cui debetur omnis gloria. Chrysostomus annotavit Corinthiorum in Euangelio profectum ideo dici *gloriam*, ne videretur exprobrare quod tam aspere passus esset ob Euangelium, cum ob hæc non solum non doleret, sed duplici nomine gauderet, & quod ea passus esset ob Euangelium Christi, & quod ea quæ passus erat cesserant in profectum Corinthiorum.

32. *Ad bestias pugnavi*] ἐθηριομάχησα, dictio composita Græcis. Solebant enim olim damnati bestiis objici. Mirum est hac de re nullam in Actis fieri mentionem. Nam mihi quidem non admodum satisfacit quod Græci interpretes, quorum est Theophylactus, detorquent hoc ad tumultum ab aurifice Demetrio concitatum ob Ephesiam Dianam. ❡ *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur*] Vox est diffidentium ac desperantium de promissis Dei. Ἀποθνήσκομεν, *morimur*. Laurentius admonet proverbium fuisse Laconicum. Exstat autem apud Esaiam c. 22. totidem verbis quot citavit Paulus: quanquam Hebræis verbum est futuri temporis נמות. Verum hoc ad sensum haud multum refert; & haud scio an Paulus scripserit ἀποθνήξομεν, præsertim cum hic in cæteris LXX non dissonent ab Hebræis. Certe apud LXX sic legimus, φάγωμεν καὶ πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.

33. *Corrumpunt mores*] Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Senarius est Menandri, quemadmodum indicat D. Hieronymus, & constat suis pedibus si servetur Apostrophus,

Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί.

Nos tamen carmine reddidimus,

Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

34. *Evigilate justi*] Ἐκνήψατε δικαίως. *Sobrii estote juste*, sive *Expergiscimini juste*: ut *juste* sit adverbium, i. sicut oportet & recte. Nam vigilant quidam etiam ad injustitiam: id quod annotavit & Theophylactus. Alioqui quorsum attinebat *justis* præcipere ut *vigilarent, & non peccarent*, quod si faciant justi non sint? Deinde qui convenit ut eos *justos* vocet quos arguit, & de quibus mox subjicit, *Ignorantiam Dei habent quidam*? Quin & Ambrosius, ut ex interpretatione conjicere licet, ita legit quemadmodum habetur apud Græcos, *Juste*, inquit, *esse præcipit*: quasi *Evigilate juste* perinde valeat ac si dixisset, *Expergiscimini ad justitiam*. Atqui qui *justos* appellat non præcipit ut sint justi: etiamsi in vulgatis exempl. scriptum habetur, *Evigilate, justi estote*. In vetustiore cod. Constantiensi resedit germana lectio, *Evigilate juste*; ne quis Græcorum consensum contemnat. ❡ *Ad reverentiam vobis*] Πρὸς ἐντροπὴν, *ad erubescentiam & ad pudorem*.

35. *Quomodo resurgent*] Ἐγείρονται *resurgunt*. ❡ *Venient*] Ἔρχονται, congruentius verteretur *veniunt*, ut conveniat verbo præcedenti. Non enim hic loquitur de tempore, sed de re; quod solet verbis præsentis temporis fieri; q. d. *Qualis est resurrectio, aut qualis adventus*: tum enim actio rei declaratur absque significatione temporis. Augustinus Adv. Faustum lib. 11. c. 3. legit *veniunt*, ἔρχονται, quanquam Græca vox anceps est.

36. *Insipiens tu*] Ἄφρον, *Stulte, amens*, sive *insipiens*: vox à *mente* dicta, addita particula privativa. Post *insipiens* ponenda erat distinctio, Ἄφρον, σὺ ὃ σπείρεις, i. *Stulte, tu quod seminas*: distinguit enim pronomine personam hominis à persona Dei, *Si quid tu seminas*, provenit longe praeclarius, multo id uberius efficiet Deus in resurrectione, cujus ille proprie est autor. ❡ *Nisi prius moriatur*]. Quorsum attinebat addere *prius*, cum Græce sit ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ *nisi fuerit emortuum*? Augustinus hunc adducens locum lib. Ad Catechumenos 3. cap. 10. non addit adverbium *prius*.

37. *Utputa*] Εἰ τύχοι. Ita vertit & paulo superius, ut sit exemplum ponentis. Augustinus Epist. 146. pro εἰ τύχοι vertit *fere*. Itidem super Genesim ad literam l. 5. c. 20.

38. *Sicut vult*] Καθὼς ἠθέλησεν, *sicut voluerit*: ut subjunctivi sit modi. Atque ita sane adducit Augustinus in eoquem modo adduximus loco.

39. *Non omnis caro*] Οὐ πᾶσα σὰρξ, *Non quævis caro*.

40. *Corpora cælestia, & terrestria*] Ἐπουράνια, & ἐπίγεια, quod ita sonat q. d. *quæ in cælo versantur, & quæ in terra versantur*; ne de ipsis cœlis, aut de materia cœli terrave intelligamus.

41. *Alia claritas*] Δόξα. Eandem vocem quam modo *gloriam* verterat, nunc vertit *claritatem*; fortasse quod absurdum putaret dicere *gloriam Solis*, aut *Lunæ*, aut *Stellarum*. Imo majus quiddam significare videtur *gloria, dignitas, majestas*, quam *claritas*. Ex alias Interpres δόξαν *majestatem* vertit. Denique cum Paulus eadem usus sit voce, quorsum attinebat Interpretem Latinis diversas voces objicere, cum ad id non cogat sensus. ❡ *Stella enim differt à stella*] Ἀστὴρ γὰρ ἀστέρος διαφέρει, *Stella enim stellam antecellit*: nam id quoque Græcis significat διαφέρειν.

43. *Seminatur in ignobilitate*] Ambrosius legit *ignominia*, & rectius, ἐν ἀτιμίᾳ.

44. *Si est corpus animale*] *Si* redundat. Ἔστι σῶμα, *Est corpus*. Quanquam hanc particulam non attingit Ambrosius vel legens vel enarrans; ne Scholiastes quidem. Theophylactus tamen interpretatur. Videri poterat huc repetitum ex superiore; & quod enarrator adjecit, relatum à scriba parum attento in contextum.

45. *Factus est primus homo Adam*] Faber Stapulensis admonet *homo* superesse. Quanquam in plerisque Græcis etiam cod. quos mihi videre contigit, adscriptum reperi, ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ, *primus homo Adam*: tametsi ex interpretatione Ambrosiana subodorari licet illum *Adam* legisse, omisso *hominis* vocabulo, cum ait ab Apostolo *duos* constitui *Adam*. Deinde in secunda particula *Adam* solus repetitur absque *hominis* mentione; *novissimus Adam in animam vivificantem*. Consentaneum autem est ab interprete quopiam additum, qui voluerit explicare quid sonaret ADAM apud Hebræos, nimirum *Hominem*. Proinde in Genesi quoties *hominis* vocabulum repetitur האדם ADAM ponitur. Et aliquanto post, omisso *Adam*, *hominem* duntaxat repetit, *Primus homo de terra*, &c. Cyprianus in Sermone de zelo & livore haud male addidit pronomen *ille*; *Qualis ille de limo, tales & qui de limo*, velut exprimens articuli vim: quod & alias ab Interprete factum optarim; *Primus ille homo de terra, terrenus*, ὁ πρῶτος. ❡ *In animam viventem*] Jam puto, lector, agnoscis elocutionis idioma, toties admonitus, sic dictum, *factus est in animam viventem*, pro eo quod erat, *factus est anima vivens*. Quemadmodum illud dicitur, *Esto mihi in Deum protectorem*.

47. *Secundus homo de cælo, cælestis*] Græci lectionem habent à nostra diversam, idque constanter; ad eundem modum interpretantibus Chrysostomo & Theophylacto, ὁ δὲ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *secundus autem homo, ipse Dominus è cælo*. Quanquam, ut ingenue dicam, mihi magis probatur quod in nostris cod. scriptum est, præsertim cum ita legant Hieronymus & Ambrosius, & magis respondet ad id quod præcessit, *de terra, terrenus*. Proinde arbitror ὁ Κύριος adscriptum à studioso quopiam qui voluerit orationem reddere explanatiorem: tametsi nos reddidimus, ne non responderent Latina Græcis.

49. *Portemus & imaginem cælestis*] *Portabimus*, futuri temporis est Græcis, φορέσομεν. Quanquam nonnulli cod. habent φορέσωμεν, i. *portemus*. Nec magni refert ad sententiam, nisi quod futurum tempus aptius erat huic loco, in quo Paulus agit de resurrectione futura. *Gestavimus imaginem terreni Adæ*, peccando & moriendo; *gestabimus imaginem posterioris*, innocenter vivendo, & immortalitatem ejus quodam modo imitabimur, quoniam hic initium ac meditatio quædam illius est. Tolerari poterat & verbum hortandi *portemus*. Utramque lectionem indicat Theophylactus; *portabimus*, ut sit prædicentis futuram immortalitatem; & *portemus*, ut sit adhortantis ad vitæ puritatem: cui satis congruit quod sequitur, *Caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt*. Ambrosius legit *portemus*, non *portabimus*. Neque vero periculum est si legamus *portabimus* ne videamur cum Arianis sentire, qui negabant nos à resurrectione carnem habituros. Habebimus carnem, & eandem, sed non per omnia talem. Attingit & hunc sensum D. Ambrosius.

50. *Possidere non possunt*] Κληρονομῆσαι *hereditate accipere*. ❡ *Possidebit*] Κληρονομεῖ *hereditate accipit*; verbo præsentis temporis, licet reclamantibus Latinorum exemplaribus. Theophylactus admonet Basilium hæc ita fuisse interpretatum ut diceret Paulum hisce verbis Corinthios ad innocentiam vitæ voluisse cohortari. Quæ sententia si placet, mollius erat verbum præsentis temporis, sed quo rem notet, non temporis discrimen. Atque ita legisse Chrysostomum ipsa docet enarratio. Quæso te, lector, ut hoc loco conferas Commentarios Ambrosianos cum his qui feruntur falso Hieronymi titulo: reperies eadem verba: idque multis aliis locis comperies: hoc autem loco plurimi versus ad verbum conveniunt. Subdubito tamen utrum hæc sint ex Ambrosii commentariis huc transcripta, an ex aliis commentariis Ambrosii commentariis supposita. Quid enim tum sibi non permisit scribarum audacia?

51. *Omnes quidem resurgemus*] Græca sic habent, Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, *Omnes quidem non*

non dormiemus, sed omnes immutabimur. At D. Hieronymus ad Minerium & Alexandrum, ostendit hunc locum bifariam legi apud Græcos, & hoc modo quem hic indicavi, & eo modo quem Vulgata habet editio. Atque hoc sane loco mirum quam sudant Græcanica Scholia. Theophylactus & Chrysostomus sic legunt, interpretanturque quemadmodum nos in Græcorum exemplaribus legimus ac vertimus. Chrysostomus itidem citat enarrans Epistolæ ad Romanos caput 11. ut sit sensus, *Non omnes morituros, omnes tamen immutandos esse.* Porro si quis diffidet citationi nostræ, sciat Chrysostomum ac Theophylactum haberi Basileæ in bibliotheca Dominicalium, unde multis voluminum eorum facta est copia. Qui Græce novit, is poterit excusso loco me vel comprobare vel refellere. Nec aliter legit Tertullianus libro De carnis resurrectione: quod palam ex illius interpretatione deprehenditur, quanquam Apostoli verba recitata depravavit scriba. Subjicit enim, *Quis enim non desiderabit dum in carne est superinduere immortalitatem, & continuare vitam lucrifactam morte per vicariam demutationem*, & cætera quæ sequuntur: quem locum citat & D. Hieronymus in epistola ad Marcellam, quæst. 3. atque locum qui est 1 Thess. 4. exponit in hanc sententiam, nec ullius alterius meminit. In hanc sententiam citat locum hunc & Origenes Adv. Celsum lib. 2. Sed præstiterit, opinor, ob eos qui diffidunt, ipsius verba adscribere; TUBA, inquit, SIGNUM DABIT, ET MORTUI RESURGENT INCORRUPTI. *De vivis autem immutandis & à mortuis surgentibus segregandis sic scribit*, ET NOS IMMUTABIMUR: *quod utique dixit ubi prius dixisset*, MORTUI RESURGENT. *Quinetiam & in prima ad Thessalonicenses epistola aliis verbis eandem differentiam proferens, cum alios quidem dormientes, alios viventes affirmet, sic inquit*, SI ENIM CREDIMUS QUOD JESUS MORTUUS EST, ET RESURREXIT, &c. Ex his satis perspicuum est quid senserit Origenes, nimirum immutandos omnes pios, & qui resurgent, & qui vivi deprehendentur, non morituri quidem illi, sed tamen cum iis qui mortui fuerant immutandi. Et ob id initio dixerat omnes immutandos, licet non omnes resurrecturos. Se vero ponit Paulus inter eos quos adventus Domini vivos deprehenderet, propterea quod Christus eum diem omnibus occultum esse voluit. Et ex aliis locis apparet Paulum semper eum diem exspectari voluisse, licet non nesciam ita posse intelligi, ut Paulus sub prima persona quosvis designarit quos adventus Domini sit repertturus, *Nos qui vivimus*, &c. Si nunc incidat adventus Domini, quod in nobis accideret, idem accidet in illis quicunque erunt. D. Ambrosius sequi videtur eam lectionem quam vulgo audimus, ut sentiamus non omnes immutandos ad gloriam, quanquam resurrecturi sint omnes ad vitam. Quanquam & is alteram subdit interpretationem, in qua significet fore qui non moriantur, atque ob id non resurgant, qui tamen immutantur. Neque enim resurgit nisi mortuus. Idem aliquanto inferius explicans eum locum, *In novissima tuba: canet enim tuba*, &c. partim meminit hujus sententiæ, *Mortui autem*, inquit, *vel peccatores intelligendi sunt, qui etiam viventes mortui esse dicuntur: vel certe simpliciter omnes mortuos resurgere dicit, & solos sanctos cum iis qui vivi justi inventi fuerint in gloriam immutari.* Sane cum eo quod Græci legunt magis consentiunt ea quæ Paulus scribit Thessalonicensibus, *Si enim credimus quod Jesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cælo: & qui in Christo sunt resurgent primi: deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* In eundem sensum refertur & illud 2 Cor. 5. *eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est à vita*, h. e. ut sine morte tribuatur immortalitas. Ex his liquet non omnes dormituros, sed aliquos fore residuos in adventu Christi. Sunt qui dicant in momento & illos subito morituros ac revicturos qui residui fuerint: quam opinionem refert Augustinus lib. De Civitate Dei 20. c. 20. sed ut conjecturam duntaxat quæ non sit omnino rejicienda, non ut sententiam aut decretum. Idem inibi declarat & Latina variasse exemplaria: In nonnullis scriptum fuisse, *Omnes quidem resurgemus*; in aliis, *Omnes quidem dormiemus.* Idem indicat in libello De octo quæstionibus Dulcitii, quæst. 3. Cæterum ex utraque lectione consequi ut moriantur omnes, propterea quod nemo resurgat nisi mortuus. Cæterum hanc lectionem, *Omnes quidem resurgemus*, quam sequitur Ambrosius, Hieronymus in epist. ad Minerium negat inveniri in codicibus Græcorum. Quin & is qui Commentariolos collegit in omnes Paulinas Epistolas, quos quidam Hieronymi putant, sed falso; quod vel ipsa satis testatur Præfatio: quanquam hanc puto alterius esse quam sit ipsa collectio Commentariorum, quos apparet esse studiosi cujuspiam, nec indocti, è diversis veterum commentariis compendium contrahentis. Quisquis enim is fuit qui Præfatiunculam adjecit, cum sit infans ac balbus, tamen impudenter affectavit haberi Hieronymus. Verum, ut dicere cœperam, quisquis fuit ejus operis rhapsodus, indicat triplicem hujus loci lectionem: Primam, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: ut Immutari sit proprium transeuntis ad vitam beatam: cujus lectionis & hunc sensum facit, *Omnes resurgemus qui mortui reperiemur; non omnes immutabimur qui in corpore vivi reperiemur*: quod soli pii sint immutandi, multi autem impii deprehendendi vivi sunt. Alteram, *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*: ut accipiamus, neminem non moriturum, non omnes item immutandos ad gloriam. Tertiam, *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*: ut intelligas, non omnes morituros, omnes tamen transformandos ad eandem gloriam. Siquidem totus hic sermo non ad omnes homines communiter sed ad justos proprie pertinet. Atque hanc postremam lectionem maxime probat, ut Apostolico sensui maxime congruentem. Nec Aquinas tacuit hanc triplicem lectionem, nullam improbans, licet Hieronymum secutus præferat vulgatam hanc, sed ita ut diversam neget pugnare cum fide aut habere sensum hæreticum. Porro quod quosdam offendit, parum videri verum quod scriptum est, *Statutum est omnibus semel mori*, si dicamus quosdam non morituros, facile solvitur, quando paucorum prærogativa non officit legi communi, quemadmodum aliquoties admonet Origenes. Neque enim ideo verum non est quod scripsit Paulus, *Omnes in Adam moriuntur*, &, *Omnes in Adam peccaverunt*, si Maria fuit ab omni peccato immunis. Neque continuo falsum est quod scripsit Propheta, *Non esse qui vacet peccato, ne infantem quidem unius diei*, si dicamus Jeremiam ac Joannem Baptistam absque ullo peccato & natos fuisse ac vixisse. Sed quid his argumentis utimur? cum ipse Hieronymus, quem ante citavimus, scribens ad Marcellam quæst. 3. palam affirmet fore qui vivi transformentur ad gloriam immortalitatis. Ejus verba subscriberem nisi hoc loco recensuisset Glossa, quam vocant Ordinariam. Atque hic unus est scrupulus qui commovit Augustinum & alios nonnullos ut à Græcorum lectione abhorrerent. Siquidem Augustinum etiam illud offendit, *In Christo omnes vivificabuntur*, præsertim cum addat, *Tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur*: atque his Pauli verbis existimat nos urgeri ut credamus vivos subito in ipso raptu morituros ac revicturos; cum mea sententia nihil sit necesse, si præsentem Pauli sermonem ad eos accommodemus qui obdormierint ante adventum Christi. Neque enim hic in hoc laborat Paulus ut persuadeat neminem non moriturum, quod nequaquam est creditu difficile, sed ut persuadeat eos qui sepulti sunt, seminis in terram conditi modo revicturos. Et tamen idem Augustinus libro De dogmatibus Ecclesiasticis, tametsi liber is non videtur ejusdem autoris, plane pronunciat æque Catholicos esse qui Græcorum lectionem, quam unam nunc habent, sequerentur. Cum enim commemorasset eorum sententiam qui nolebant quenquam exemptum esse à communi lege moriendi, subjicit, *Verum quia sunt & alii æque Catholici & eruditi viri qui credunt, anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem & immortalitatem eos qui in adventu Domini vivi inveniendi sunt, & hoc eis imputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant, non morte: quo libet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Ecclesia lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.* Augustinus, sive quisquis fuit ejus operis autor, æquat utramque lectionem. Ac mihi videtur is sensus quem Græci codices, quos hodie videmus, sequuntur efficacius astruere resurrectionem, quam alter. Cum enim in nonnullis eadem corpora dicuntur immutanda ad gloriam immortalitatis, magis profligatur illorum error qui negabant eadem corpora resurrectura. Quod si verum esset, jam esset inæqualitas inter beatos, aliis suum [illegible] possidentibus, aliis alia quædam quæ prius non habuerant. Porro quod August. libro De Civitate Dei 20. c. 20. torquet illud Pauli ad Corinthios, *Tu quod seminas non vivificatur nisi moriatur*, non hoc agit illic Paulus ut doceret neminem non esse moriturum, sed ne quis desperaret se à morte resurrecturum, cum semen etiam putrefactum in scrobe surgat in herbam. Proinde quæ lectio maxime sit amplectenda viderit eruditus lector. Non suscepi de hujusmodi pronunciandi negotium nisi quod, ut dixi, Græcorum lectio magis congruit cum altero loco qui est ad Thessalonicenses. Et quoties veteres fatentur lectionem esse diversam, semper mihi suspectior esse solet ea quæ prima specie videtur absurdior; ut consentaneum sit lectorem vel parum eruditum vel parum attentum offen-

offensum absurditatis imagine mutasse scripturam. Licet sciam, ut dixi, in libello Hieronymi ad Alexandrum & Minerium, commemorata & exposita utraque lectione, præferri hanc qua nunc vulgo utimur. Porro variandæ scripturæ suspicor hanc occasionem fuisse. Qui legebat, *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur*, non animadvertens Paulum hic loqui proprie de resurrectione piorum, existimavit non competere in omnes verbum *immutabimur* cum impii non sint immutandi; siquidem *immutationem* hic appellat transitum ad felicem immortalitatem. Ac mox cum subjicit, *& mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*, ostendit lectoris animum parum attenti, quo consilio, cum ante de piis dixisset, *omnes immutabimur*, nunc veluti supervacue quod dixerat repetens dicat, *& mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*. Nec animadvertit Paulum hic separasse pios mortuos à piis vivis. Cum enim ait, *& mortui resurgent incorrupti*, sentit de piis qui jam ante Christi adventum obdormierant in Christo: cum addit, *& nos immutabimur*, explicat id quod paulo ante cœperat dicere, *Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur*. Et tamen solus hic scrupulus movit Hieronymum ut præferret lectionem apud nos vulgatam. Porro se Paulus, ut dixi, numerat inter eos quos ille dies esset in vita reperturus, sive hoc vere putavit, sive docendi gratia transfert in primam personam quod sub quavis persona dici poterat. Jam quod de piis hic loquitur declarant tum ea quæ præcedunt, tum ea quæ sequuntur hunc locum. Nam ante docens hic meditandam esse nobis illius vitæ immortalitatem, *Hoc autem*, inquit, *dico, fratres, quoniam caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit*: ac mox ad idem redit, *Oportet enim incorruptibile hoc*, &c. ac rursum, *Ubi est, Mors, stimulus tuus?* &c. Hæc nimirum omnia congruunt in pios, non item in impios. Cum igitur plerosque hæc haberet opinio, Christum, quemadmodum in Euangelio promiserat, subito adventurum, jamque didicissent à Paulo resurrecturos esse mortuos ac Divino sistendos esse judicio, rogabant quid futurum esset de iis quos ille dies offendisset viventes. Respondet, Et hos, etiamsi non resurgant, eo quod mortui non sint, ad idem immortalitatis præmium transferendos, ac per omnia æquandos & jungendos iis qui revixissent. Vides, optime lector, quam hic nihil sit quod in me debeat reprehendi. Nam quod sequor eam lectionem quæ sola nunc habetur in libris Græcorum, cum Græca vertam, non licuit secus facere. Et tamen ex hoc loco duo quidam, tanti Theologi ut sibi persuaserint semel ruituram universam Ecclesiam nisi eam suis humeris fulcirent, alter Episcopi quoque dignitate præfulgens, uterque professor ejus religionis quæ Baptismi professionem pene reddidit irreligiosam, atrocem calumniam mihi struxerunt. Alter in corona frequenti nobilium & eruditorum hominum, apud summos Principes, impegit, quod *tollerem Resurrectionem*, propterea quod concederem, non asseverarem, aliquos in adventu Domini non morituros. Alter in publica & ordinaria professione impegit *hæresim*, quod inducerem lectionem contradictoriam ei quam sequitur Ecclesia. Primum, ut demus hic esse veram ἀντιλογίαν, ut demus Ecclesiam hanc lectionem sic approbare ut damnet diversam, ut demus inesse sensum hæreticum, tamen mihi non poterat impingi crimen, qui nihil aliud profiteor quam interpretem. Nisi forte semet hæreseos obligavit Hieronymus cum bona fide verteret libros Origenis περὶ ἀρχῶν· qui potius reprehendendus erat nisi quod ille scripserat reddidisset. Nunc documus tot orthodoxos viros utramque lectionem agnoscere, & adeo non damnare alteram hæreseos ut Thomas nominatim etiam admoneat, in ea quam Hieron. non reprobat, sed ei quam hodie tenent Latini postponit, non inesse sensum hæreticum. Porro causam cur Hieronymus hanc prætulerit ostendimus nullius esse momenti, item alias causas quæ movebant Augustinum indicavimus posse dilui. Quin & Petrus Lombardus lib. 4. dist. 43. referens Augustini verba ex libro De Civit. Dei 20. hæc attexuit quasi de suo, decerpta, ni fallor, ex octo ad Dulcitium Quæstionum tertia. Sed vellem de his potius audire doctiores. An ille tam hebes erat ut non videret hæresim & ἀντιλογίαν, quam viderunt isti? Certe pueri sciunt quot res requirantur ad hoc ut vera sit ἀντιλογία. Nam Ambrosius eundem facit sensum hujus proloquii, *Non omnes resurgemus*, & hujus, *Omnes resurgemus*. Etenim si loquaris de his qui ante Christi adventum decesserant, verum erit proloquium, *Omnes resurgemus*; si promiscue de iis qui prius decesserant & iis quos dies ille vivos offenderit, æque verum erit, *Non omnes resurgemus*. Nec hoc magis mirum quam si duo simul verum dicant, cum alter pronunciet *Omnes Theologos esse sinceros* de Lovaniensibus sentiens, alter, *Non omnes Theologos esse sinceros*, de cunctis in genere sentiens. Nec mirum si Paulus in utroque numero ponit seipsum, cum docendi gratia prima persona pro quavis abutatur. Hæc cum partim à nobis fuerint annotata, partim apud celebres autores habeantur, partim ita sint perspicua ut vel cæco (quod ajunt) appareant, quæ tandem ista rabies est in talibus viris qui se lumina mundi videri volunt? Sed istis opto mentem saniorem, Ecclesiæ patronos his meliores: nam hi plane *non quærunt ea quæ sunt Jesu Christi*, sed sub alio titulo plus quam Pharisæi gloriæ suæ ventrique suo serviunt. Amant πρωτοκαθεδρίας in scholis, gaudent iisdem in opiparis conviviis, amant salutari *Rabbini*, venantur mitras & abbatias, & adulantes hominibus adulterant sermonem Dei, suisque traditiunculis obscurant & obruunt scintillam charitatis Euangelicæ; idque faciunt adeo palam ut diffisi præsidiis quibus armatos decet esse Theologos ad violentiam confugiant, quasi cogi possit humanum ingenium ut aliud credat quam sentit. Utinam aliquando expergiscatur Christus, & hoc Judaismo atque hac tyrannide liberet populum suum: Nisi forte ideo nos redemit suo sanguine ut hujusmodi portentis serviamus. ❡ *In momento*] Ἐν ἀτόμῳ, i. *puncto temporis indivisibili*, à τέμνω *seco* & α particula privativa. ❡ Ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, *in ictu oculi*] Hieronymus ad Minerium indicat utrumque inveniri, & ῥιπῇ, i. *ictus*, & ῥοπῇ, i. *motus*. Prius translatum est ab ictu teli seu fulminis, secundum à motu lancis seu libræ; & alterum à ῥίπτω dictum, alterum à ῥέπω. Laurentius suspicatur Interpretem scripsisse non *ictu*, sed *nictu*, h. e. motu oculi.

52. *Canet enim tuba*] Σαλπίσει γάρ, *Canet enim*, & subauditur *tuba*, quæ præcessit: nisi mavis dicere, *Buccinabitur enim*, aut, sicuti vertit quidam in homilia Origenis in Matthæum 30. *Tubabit*, explanate potius quam Latine: nisi placet *Angelum* subaudire, de quo tamen hoc loco nulla mentio. In Ambrosianis Commentariis hæc non adduntur, *Canet enim tuba*: quod satis apparet librariorum vitio prætermissum, etiamsi nec in interpretatione significat se legisse. In codice Donatiani scriptum erat, *Canet enim, & mortui resurgent*.

54. *Cum autem mortale hoc induerit*] Repetitur Græcis utraque pars, *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem*, Ὅταν δὲ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσηται ἀθανασίαν· licet refragantibus exempl. Latinis. Augustinus tamen juxta Græcos citat hunc locum Serm. 43. in Joannem; rursum Serm. De verbis Apostoli 2, atque item 3. ❡ *In victoria*] Ambrosius legit *contentione*. Νεῖκος enim, si cum diphthongo scribatur, *contentionem* sonat; sin secus, *victoriam* significat. Atque ita Hieronymus legit alicubi in Epistola adversus Joannem Episcopum Hierosolymitanum. Rursus in Commentario Oseæ legit *contentione*, & pro *stimulo* legit *aculeum*. Nam illud est minutius, quod Græci sermonis ordinem immutavit vel interpres vel librarius, Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη τὸ νῖκος; i. *Ubi tuus, Mors, aculeus? ubi tua, Inferne, victoria?* Cæterum testimonium quod adducit sumptum est ex Oseæ 13. idque magis juxta LXX quam juxta Hebraicam veritatem, quæ sic habet, interprete Hieronymo, *Ero mors tua, ô Mors: ero morsus tuus, Inferne.* Juxta LXX ad hunc legimus modum, Ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη; *Ubi est causa (sive vindicta) tua, Mors? ubi est aculeus tuus, Inferne?* Porro quod LXX transtulerunt, ποῦ ἡ δίκη σου; h. e. *Ubi causa tua?* Hieronymus vertit, *Ero mors tua*. Symmachus interpretatus est, *Ero plaga tua*. Quinta editio & Aquila, *Ubi sunt sermones tui?* Hebræis est verbum דבר, quod si scribatur per duo Cametz, דָּבָר, sonat *verbum*; sin per sex puncta, דֶּבֶר, sonat *mortem* sive *pestem*: juxta illud quod in Esaia legimus, *Mortem misit Dominus in Jacob, & venit in Israel*. Hieronymus vertit, *Verbum misit in Jacob, & venit in Israel*. Præterea pro *aculeo*, quem Hieronymus maluit vertere *morsum*, Symmachus ἀπάντημα transtulit, h. e. *occursum*, Theodotion & Quinta editio *plagam* interpretati sunt.

57. *Deo autem gratias*] Τῷ δὲ Θεῷ χάρις, *Deo autem gratia*, ut subaudias *est*, aut *sit*; quomodo loquuntur & Latini.

58. *Stabiles sitis & immutabiles*] Ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι. *Et* copula redundat. Dicuntur autem ἑδραῖοι *qui firmam ac certam tenent sedem*; ἀμετακίνητοι, *qui alsunde alio moveri & abduci non possunt*.

VATABLUS.

1. *Notum autem vobis facio*] Vel, *In memoriam autem vobis revoco*. ❡ *In quo*] Vel, *per quod*.

2. *Qua ratione*] Vel, *quo pacto, quo sermone*.

3. *Accepi*] Vel, *acceperam*.

5. *Et post hoc Undecim*] *Deinde Duodecim*: sic quædam exemplaria Græca.

6. *Fratribus*] i. Christianis. ❡ *Simul*] *Semel*. ❡ *Multi*] *Plures*.

8. *Novissime*] *Novissimo.* ❡ *Abortivo*] i. Homini contempto & abjectitio.

9. *Dignus vocari*] Vel, *idoneus qui vocer.*

10. *In me*] *Erga me*: i. quam præstitit mihi. ❡ *Inanis*] *Vacua.* ❡ *Mecum*] *Qua mecum est*: vel, *qua mihi adest.*

11. *Enim*] *Igitur.* ❡ *Prædicavimus*] *Prædicamus*, præs. temp. Vet.

14. *Est* *] * *Ergo*, Vet.

15. *Si mortui non resurgunt*] Quædam exempl. Græca non legunt hæc, consentientibus Latinis.

17. *In peccatis vestris*] i. Adhuc obnoxii estis pœnæ peccatis vestris debitæ, nam Christus mortem non vicit.

18. *In Christo*] i. Hanc fiduciam Christo habentes, quod ipse resurrexerit devicta morte.

20. *Primitiæ*] Ambrosius legit, *initium.*

21. *Quoniam quidem*] *Nam postquam.* Vet. legunt, *Quoniam enim.*

22. *Et sicut in*] *Quemadmodum enim per.* ❡ *In Christo*] *Per Christum.*

23. *Primitiæ*] i. Primus resurrexit. ❡ *In adventu ejus*] *In adventu ipsius*; sub. *resurgent*: i. iterum cum corporibus suis: nam de resurrectione corporum intelligendum esse, sequentia docent.

24. *Evacuaverit*] *Aboleverit.*

25. *Ponat*] *Posuerit.* ❡ *Ejus*] *Suis.*

26. *Novissime*] *Novissima*: sic Vet. Græce est, *Novissimus hostis aboletur, mors.*

29. *Baptizantur*] Sub. *qui baptizantur.*

31. *Morior*] i. Morti me objicio. ❡ *Propter vestram gloriam*] *Per nostram gloriationem*: Vet. legunt *per*, & est jurantis.

32. (*Secundum hominem*)] *Non juxta humanum spiritum dico, quæ de resurrectione dico.* ❡ *Moriemur*] *Morimur*: præs. pro fut.

34. *Justi*] *Juste*, Vet. ❡ *Reverentiam*] *Pudorem.*

35. *Dicit*] *Dicet*, fut. temp. ❡ *Venient?*] *Veniunt*: præs. temp. Vet.

37. *Quid seminas?*] *Quod seminas, non*, Vet. ❡ *Ut puta*] *Exempli causa.* ❡ *Cæterorum*] *Ex cæteris.*

38. *Vult*] *Voluit*, Vet. Augustinus, *ut voluerit.*

39. *Omnis*] *Quævis.* ❡ *Alia* *] * *Quidem*, Vet. ❡ *Alia* *] * *Vero*, Vet. Græca addunt, *caro.*

40. *Cælestia & corpora terrestria*] Vel, *quæ in cælo versantur, & corpora quæ in terra versantur.*

41. *Claritas*] *Gloria.*

42. *A stella differt in claritate*] Vel, *stellam antecellit in gloria.* ❡ *Surget*] *Surgit*, præs. temp. Vet. & infra.

43. *In ignobilitate*] *Cum ignominia.* ❡ *In virtute*] *Cum potentia.*

44. *Animale, surget corpus spirituale*] i. Terrenum, quod animæ affectibus regitur: cujus collatione nunc *spirituale* dicitur, quod animæ commotionibus caret, spiritu impellitur. ❡ *Sicut* *] * *Et.*

45. *In animam viventem*] Heb. *anima vivens.* ❡ *Spiritum vivificantem*] Heb. *Spiritus vivificans.*

47. *Secundus homo * de cælo*] Hæc lectio licet discrepet nonnihil à Græcis, tamen magis germana videtur: apte enim refertur ad membrum præcedens & ea quoque quæ sequuntur, & fortasse Græca immutata sunt. * *Dominus.*

50. *Possidere*] *Hereditate accipere.* ❡ *Possidebit*] *Hereditate accipiet.*

51. *Mysterium*] i. Rem paucis cognitam. ❡ *Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur*] *Non omnes quidem dormiemus: omnes tamen immutabimur*: sic quædam exemplaria Græca.

52. *In novissima tuba*] *In extrema tuba*: i. cum in novissimo illo die dederit tuba Dei clangore suo signum judicii instantis: vel, in postremo tubæ signo. ❡ *Tuba*] Subaudiri debet, *vel angelus.*

54. *Cum autem* *] * *Corruptum hoc induerit incorruptionem, &*, Vet. ❡ *In victoria*] *Per victoriam.*

55. *Est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?*] *Tuus, mors, aculeus? ubi tua, inferne, victoria?*

56. *Virtus*] *Potentia*: i. quod reddebat peccatum potens.

57. *Dedit*] *Dat.*

58. *In Domino*] i. Propter Dominum susceptus.

CASTALIO.

5. *Deinde duodecim*] Quoniam duodecim fuerant lecti Apostoli, etiam post sublatum Judam retinent Duodenarii nomen, cum essent undecim: ut si quis decem millia militum habeat, deinde post aliquod prælium desideratis aliquot militibus, tamen *decem millia* appellare pergat, quod non tanta facta sit diminutio ut debeat prius illud & celebre nomen amitti. Aut si Romæ Decemvirorum unus moriatur, reliqui tamen non *novemviri* sed *decemviri* appellentur.

8. *Quasi abortivo apparuit etiam mihi*] *Abortus* non solum dicitur partus mortuus, sed etiam fœtus parvus & non justæ magnitudinis, quamvis vivat. Atque ita vulgo loquuntur mei conterranei, vocantes *avorton*. Sic Plinius loquitur lib. 12. c. 2. *Namque & chamæplatani vocantur coacta brevitatis, quoniam arborum etiam abortus invenimus. Hoc quoque ergo in genere pumilionum infelicitas dicta erit.* Hæc Plinius. Hinc se Paulus *abortum* vocat, ut minimum Apostolorum, & pumilionem ac quasi nanum.

17. *Adhuc estis in peccatis vestris*] Nondum justi facti, cum in ejus resurrectione vobis sita sit justitia.

29. *Alioquin quid facient qui pro mortuis baptizantur*] Ludent operam, dicet aliquis. Atqui hoc ipso ostendunt se sperare mortuorum resurrectionem. Frustra sperant (dicet is qui resurrectionem esse negat) nam si in eo quod pro mortuis baptizantur delirant (quid autem tam ineptum esse potest quam viventem pro mortuo baptizari?) non est absurdum dicere eos in eo etiam desipere quod resurrectionem sperant. Vides quam nihil valeat hoc Pauli argumentum adversus eos qui resurrectionem esse negant, si quidem hæc verba intelligas ut vulgo interpretantur, dicentes eo tempore fuisse qui pro aliis mortuis baptizarentur: quod neque fiebat, sicut ego puto; & si fiebat, debuit à Paulo reprehendi non in exemplum adduci. Ut igitur hunc Pauli locum intelligas, considera Baptismi rationem atque naturam, quæ describitur in Epistolæ ad Romanos capite sexto his verbis, *Quotquot in Dominum Jesum baptizati sumus, in ejus mortem baptizati sumus*, &c. Et paulo post, *Si enim ejus mortis similitudine sumus insititii, etiam resurrectionis erimus.* Est igitur hoc Pauli argumentum, Christiani dum baptizantur, in hoc baptizantur, ut cum Christo moriantur, deinde resurgant. Hoc est *baptizari pro mortuis*, i. pro seipsis, in spem rei quam post mortem assecuturi sint, videlicet resurrectionis: id quod stultum esset si nulla futura esset resurrectio. Hanc sententiam me docuit quidam Italus.

32. *Si humano more Ephesi cum bestiis pugnavi*] Nihil aliud spectans quam hanc vitam, ut solent homines.

52. *Nos mutabimur*] h. e. Ii qui tum vivent, ut nos nunc vivimus.

CLARIUS.

1. *Notum autem vobis facio*] Locuturus de re maximi momenti, de Resurrectione videlicet, novo quodam exordio utitur: quod & ad Romanos fecit cum tractaturus esset partem illam de Judæorum lapsu, *Veritatem*, inquit, *dico in Christo, non mentior*, &c. Ita nunc quasi summa rei Euangelicæ tractanda sit, ait, *Notum vobis facio, fratres, Euangelium quod annunciavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & servamini*: quæ omnia plena gravitatis & sententiæ sunt verba. Laborabat illa civitas hoc morbo ob eam, opinor, causam quod in ea erant plurimi humana ista sapientia elati: & hujus generis homines in primis minime omnium apti sunt percipiendis dogmatibus nostris, præsertim Resurrectionis. Quod apparuit tunc cum Athenis Paulus disputaret, ut in Actis observavimus.

3. *Secundum Scripturas*] Addit ad confirmationem Scripturarum testimonium, quæ hæc longe ante prædixerint.

5. *Et post hæc illis duodecim*] Sive inter eos fuerit Matthias, sive quod ne uno quidem detracto mutari debuit numeri appellatio; sicut & illud, *Thomas unus ex duodecim non erat cum illis quando venit Jesus.*

7. *Deinde Apostolis omnibus*] Hoc loco, *Apostoli* nomen ad longe plures quam duodecim relatum est, vocis potius significatione servata quam titulo ac dignitate. Quod alibi quoque Paulus servat; ut illud, *fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum.*

13. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit*] Proculdubio: nam cum ipse mortuus fuerit, si negetur Resurrectio mortuorum, ne ipse quidem resurrexit. Quod si fateantur Christum quidem resurrexisse, negent vero mortuos resurgere, ipsi secum pugnantia loquuntur. *Si ergo Christus*

non

non resurrexit, & prædicatio nostra & fides vestra inanis est. Quid enim ab eo speretis qui vinculis mortis & cæco carcere, ut cæteri, detineatur? Et illud præterea accedit turpissimum, *ut falsi testes Dei reperiamur.*

17. *Adhuc estis in peccatis vestris*] Quia quem liberatorem exspectavistis, hunc communis mortalium omnium carcer vinctum cohibet; nempe si mortui non resurgunt. Qui si eripere sese & vinculis expedire non potuit, nimirum frustratus etiam esse videtur spes omnes vestras.

18. *Et qui dormierunt*] Si hæc ita se habent, miseri quidem vos qui in tam vanam spem incidistis: sed viventibus tamen reliqua est spes aliqua resipiscendi; at multo miserrimi illi qui sub hac spe jam vita functi sunt.

19. *Si in hac vita*] Fingamus hanc vitam esse tantum, maluisset tamen Paulus pro Christo mille exponi mortibus quam indulgere genio: quod aperte declaravit cum optasset relegari in Gehennam pro salute fratrum. Sed demittit se nunc ad hominum consuetudinem: quod sæpe in Scriptura fit.

20. *Primitiæ dormientium fuit*] Quemadmodum Sol, dum luminis & caloris in sese principium habet, efficit ut quæcunque ejusdem luminis ac caloris partem amant, non nisi suo munere consequantur; sic spes omnis resurrectionis nostræ ad Fontem ipsum & Caput, Christum Dominum, referenda est, qui recte *primitiæ dormientium* appellatur, quem ante alios resurgere æquum fuit, sicut primitiæ ante factam messem offeruntur.

24. *Cum tradiderit regnum Deo & Patri*] Quasi Filius, qui dux à Patre missus sit ad subigendum Regnum aliquod, deinde regressus à certamine vires suas Patri ostentet, & subactos Principes ante se agat, & generose actam provinciam profiteatur quam suscipere jussus fuisset à Patre.

25. *Oportet enim illum regnare*] h. e. Exercere susceptam provinciam subigendorum hostium, alioquin inglorius Imperator futurus, si ante rerum finem poneret imperium & datam sibi administrationem abjiceret.

26. *Destruetur mors*] Quasi hostilis exercitus dux, ut fiat significatio certa victoriæ.

28. *Et ipse Filius subjectus erit*] Cautius agendum erat cum Corinthiis, qui nuper à simulacrorum cultu ad veritatem fuerant accersiti. Cum enim olim audissent Saturnum patrem ab Jove regno pulsum, ne forte, audita nunc tanta Filii Dei potestate, tanquam minus adhuc purgati, tale aliquid suspicarentur, prævenit eorum cogitationes, ut docerentur, perfectis omnibus, unam fore Filii cum Patre voluntatem. ¶ *Ut sit Deus omnia in omnibus*] Ut ad unum omnia principium referantur.

29. *Qui baptizantur pro mortuis*] Non dicit approbans factum, sed commemorat priorem eorum fidem, ob quam aliqui etiam ad superstitiosa descendissent.

32. *Secundum hominem*] Sunt qui interpretentur, *quantum ad hominum voluntatem, tametsi me Dominus eripuerit*; vel, *ut mihi possibile fuit*; vel, *nisi ob spem futuræ resurrectionis, sed ob humanam gloriam pugnavi cum bestiis*, &c. Ut dicat, Si nulla habita alia ratione quam hujus hominis qui nunc apparet, atque hujus duntaxat vitæ, hæc perpessus sum, quæ fuisset hæc insania, dulcem hanc vitam abrumpere frustra? Sed melius est ut sit parenthesis, ut sic dicas, *Quid mihi prodest (secundum hominem dico*, h. e. ut mos est hominum dicere) *pugnasse ad bestias, si mortui non resurgunt?*

33. *Corrumpunt*] Menandri Senarium est. Novi, inquit, unde hæc lues profecta sit, ex paucorum nimirum commercio, qui sese aliquid credentes arbitrantur suis commentis posse se evertere Divina fundamenta.

34. *Evigilate juste, & nolite peccare*] Adjecit *juste*, quia multi experrecti quidem sunt, sed ad res terrenas & carnis. Quod vero ait, *ignorantiam Dei quidam habent*, significat eos qui resurrectioni mortuorum detrahunt ignorare quid possit Deus: quæ res pudori esse fidelibus debet. Iccirco addit, *ad erubescentiam vobis loquor.* Qua facta reprehensione ut eos magis confirmet, docet quo pacto fiat Resurrectio.

36. *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur*] Observa, tantam rem Apostolum solis à natura acceptis exemplis ac similitudinibus probare, ut eos qui id non advertunt etiam *stultos* appellet, quasi qui rem ita patentem non intelligant. Quam diversa est ratio nostræ à cæteris Philosophiæ, & quam nostra purior! proponit autem exemplum grani: nam *nisi granum* (ut ait Veritas) *quod in terram cadit, mortuum fuerit, ipsum per se solum ac sine fructu manet; si autem mortuum fuerit & corruptum, multum fructum affert.* Simillime si immutanda nostra corpora sunt & novo quasi germine excitanda, mori illa prius & corrumpi necesse est. Respondit ergo primum ad id quod quis interrogaret *quomodo resurgant mortui?* h. e. Qui fieri potest ut is qui mortuus est resurgat? & dat exemplum Grani, quod si reviviscere debet, oportet ut prius moriatur.

37. *Non corpus quod futurum est*] *Quod* positum est pro *quale*, ut ex sequenti similitudine apparet, cum ait *nudum granum.* Et dudum dixerat, quasi alio interrogante, *Quali corpore venient?*

44. *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale*] *Corpus animale* accipiendum est, cui anima vitam præstet, ne intereat neve pro tempore dissolvatur. *Spiritus* vero appellatione significatur nescio quid vegetum & efficax, quod cum accesserit corpori, pondus illud auferat ac tarditatem,

Ne terreni hebetent artus moribundaque membra.

ut alacre, leve, agile sit & expeditum, tanquam cœlestia corpora, quibus nihil gravioris materiæ conjunctum est.

45. *Novissimus Adam in spiritum vivificantem*] Hæc verba, quamvis non eo loco quo præcedentia scripta sint, ex ipsa tamen rerum consequentia intelligi debent; ut cum audimus Adam illum priorem *factum in animam viventem*, i. quæ vitam duntaxat corpori præbeat, ut sit corpus animale quale nunc circumferimus, cogitemus posteriorem Adam præstantiora quædam allaturum, quæ *spiritus* appellatione vocanda sunt.

47. *Secundus homo ipse Dominus de cœlo*] Habuit quidem Dominus ejusdem substantiæ corpus cujus & nostra sunt, sed à præstantiori parte facta denominatio est, ob Divinitatem scilicet.

50. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*] Quæ? opinor quod sequitur, *corruptio incorruptionem.* Hæc in mediis dogmatibus admonitio interjecta est & adhortatio ad componendam vitam, docens, oportere eos quibus illa gloria & tam ingens arridet felicitas, virtute & recte factis eum imitari cujus assequi æternam hereditatem velint. Sed fortasse docet oportere per mortem hanc corporis ad æternam vitam transire. Nam dum corruptibile hoc, quod *carnem & sanguinem* vocat, perdurat, incorruptio non habet locum.

51. *Ecce mysterium vobis dico*] Hic locus etsi apud Græcos etiam variare inventus sit, videtur tamen illud aptius, *Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur:* & respondet illis ad Thessalonicenses verbis, *Deinde nos qui vivemus*, &c. Ut intelligantur ii qui superstites erunt in novissimo die non morituri sed immutandi tamen ad immortalitatem.

52. *In novissima tuba: canet enim*] Vel illud est quod in Apocalypsi legitur de *septem tubis*, in quarum ultima resurgunt mortui: vel, ut celeritatem resurgendi ostenderet, accepta à re militari est similitudo, ut dicat tam facile surrecturos quam milites audito extremo signo tubæ expediti ascendunt equos. Vel sic potius, *Signum quoddam edetur, veluti tuba, quo repente resurgent mortui:* nam sequitur, *canet enim*, &c. ¶ *Nos immutabimur*] Quod proprie electorum erit ut assequantur corpus plenum gloriæ ac virtutis.

54. *Absorpta est mors in victoriam*] Quæ alios quasi deglutiebat & absorbebat, ipsa absorpta est, ut victor Christus exsisteret. Hunc autem locum latius explicavimus in Osee.

56. *Virtus vero peccati, Lex*] Hic quasi transeundo facta Legis mentio est, ut intelligerent ii qui ex circumcisione frequenter & passim negotium facessebant Apostolo, Legem ipsam, remoto Christi sanguine, non prodesse, sed oneri esse potius. Et recte adjecit, *Sed Deo gratia*, &c. In hoc quintumdecimum caput alio loco tribus libris sumus exspatiati.

ZEGERUS.

2. PER *quod & salvamini, qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis; nisi frustra credidistis*] Belle ubique responderet verborum series, & simplicissima huic adhærens sententia, si, ut Apostolus ipse scripsit, εὐηγγελισάμην *prædicavi* legatur pro *prædicaverim:* nam arbitror locum esse adulteratum. Quod autem dicit, ejusmodi est; *Evangelium*, inquit, *à me vobis prædicatum bono estis olim corde amplexi, in quo etiam perseveratis hactenus, atque adeo hujus præsidio & salutem consequimini, (nam hac de causa prædicavi vobis) si tenetis, ut utique vos tenere par est: alioqui frustra credidistis.* Versio qua usus est Ambrosius sic habet, *Quod sermone annunciavi vobis, debetis tenere.* *Qua ratione prædicavi* lego in codice Emsteiniensi, & accommodatius est: sed refragatur lectio vulgaris, & Græca.

5. *Et post hoc undecim*] Non te moveat si Græce τοῖς δώδεκα legas: nam verisimile est Christum sese similiter Matthiæ exhibuisse, nondum quidem forte in Judæ locum suffecto, verum à Domino jam defunato ac forte etiam societate conjuncto. Quod autem nos *undecim* legimus, intelligendum juxta Apostolorum

lorum annumerationem, ut tamen interim non secludatur Matthias juxta prædestinationem electus. Indicat tamen D. Augustinus De consensu lib. 3. c. 25. fieri potuisse ut hi duodecim ex turba fuerint Discipulorum; non dissimulans etiam sese ambigere qui codices rectius habeant; qui *duodecim*, an qui *undecim*.

7. *Jacobo*] Qui frater Domini dictus est, cognomento *Justus*, primus Jerosolymorum Episcopus. ❡ *Deinde Apostolis omnibus*] Quidnam sibi vult *Apostolis omnibus*? Nonne jam præmisit *Christum visum duodecim*? Sed sciendum præter hos & alios LXX fuisse Apostolos, de quibus hæc accipienda sunt, teste Chrysostomo. Autore vero Augustino & Ambrosio, licebit hoc de apparitione in monte accipere, Matth. 28. 16.

8. *Tanquam abortivo*] *Abortivum* se dicit quod quasi imperfectus fœtus post maturos Apostolorum partus natus sit. Quemadmodum enim Benjamin *abortivus*, matre moriente, minimus, atque inter duodecim Jacob filios postremus natus est; ita & hic Benjamides, moriente Synagoga.

10. *Non ego, sed gratia Dei mecum*] Ne quis hic ex novæ versionis quorundam occasione hæretizet, recentioris cujusdam non infeliciter ea quæ ad hunc pertinent locum ad Augustini & veterum orthodoxorum sententiam pertractantis verba quædam subscribenda putavi: *Quicquid est*, inquit, *quod homo potest intellectu naturali & voluntatis libertate, totum debet ei à quo vires eas accepit. Et tamen Deus hoc ipsum nobis imputat pro meritis, quod non avertimus animum nostrum ab ejus gratia, quod naturæ vires ad simplicem obedientiam appellimus. Ita Paulus*, GRATIA, *inquit*, DEI SUM ID QUOD SUM. *Agnoscit autorem. Sed cum audis*, GRATIA EJUS IN ME VACUA NON FUIT, *agnoscis humanam voluntatem simul adnitentem auxilio Divino. Idem indicat cum ait*, NON EGO, SED GRATIA DEI QUÆ MIHI ADEST. *Nam Græce est*, ἡ σὺν ἐμοί. *Et Hebræus ille Sapientiæ prædicator optat sibi assistere Divinam sapientiam, ut secum sit, & secum laboret*, Sap. 9. 10. *Assistit tanquam moderatrix & rectrix, quemadmodum architectus assistit ministro. Præscribit quid sit agendum, ostendit agendi rationem: si quid ille perperam facere cœperit, revocat; si quid ille deficit, succurrit. Opus adscribitur architecto sine cujus ope nihil poterat effici: tamen nemo dicit ministrum ac discipulum nihil egisse. Quod architectus est discipulo, hoc gratia est voluntati nostræ. Ita Paulus Rom.* 8. SIMILITER ET SPIRITUS ADJUVAT INFIRMITATEM NOSTRAM. *Nemo vocat* INFIRMUM *qui nihil potest, sed cui vires non sufficiunt peragendo quod conatur; nec* ADJUTOR *dicitur qui totum solus facit. Tota Scriptura clamat* ADJUTORIUM, OPEM, AUXILIUM, *&c. Hac de re qui plura desiderabit, videat Augustinum De gratia & libero arbitrio. In præmissis tamen verbis ea versio qua dicit*, QUÆ MIHI ADEST, *tollere videtur quem adstruit humanum conatum, tum propter τὸ* QUÆ, *cujus loco in Græcis est articulus non postpositivus, sed præpositivus ἡ, tum propter verbum adjectum* ADEST, *quod nil opus erat adjicere, cum aliud præmittatur quod hic commode subaudiatur, nempe* LABORAVIT. *Rectius itaque interpretatur Ambrosius & Augustinus, qui cum Græcis consentientes simpliciter legunt* GRATIA DEI MECUM.

15. *Quem non suscitavit*] Quod hic sequitur, *si mortui non resurgunt*, adjectum videtur explicandi gratia: nam hoc neque Tertullianus De resurrect. addit, neque Ambrosius. Alias tamen constanter additur.

17. *Adhuc enim estis in peccatis vestris*] Si Christus non resurrexit.

20. *Primitiæ dormientium*] Redundat ἐγένετο *fuit*, ut liquet tum ex aliis tum ex Irenæo lib. 5. circa medium.

23. *Primitiæ Christus*] Primus enim omnium ad vitam resurrexit immortalem. Nam quod apud Matthæum c. 27. legis, mortuo Domino *multorum corpora sanctorum resurrexisse*, Augustinus cumque hoc complures alii per anticipationem dictum putant. ❡ *Qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt*] Græca editio & Latina aliquot exempl. licet pauca, cum Ambrosio, & Augustino Tract. in Joh. 68. tantum habent, *qui sunt Christi in adventu ejus*: quod quia videbatur obscurum, data opera videtur adauctum à castigatore, ut hoc intelligeremus de adventu Christi priore. In exemplari Gemblacensi minori erasa sunt *qui*, *m* litera, (ut *adventu* legatur) & *crediderunt*.

24. *Cum tradiderit Regnum Deo*] *Traditio Regni*, inquit Eucherius, *nostra provectio est, tunc cum esse ex integro filii meruerimus in Patris Regno.*

25. *Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*] Ex Pauli verbis duplex potest colligi sensus. Prior hic est, *Oportet Filium regnare quoadusque ponat*; ut hic ex superioribus subaudias *Pater*, qui universos hostes pedibus substravit Filii sui Christi. Atque hunc sensum secutus est noster Interpres. Alter verbum *ponat* facit habere suppositum *Filius*, & ita αὐτοῦ vertendum erit *suis*; ut sit, *donec Filius substraverit omnes inimicos pedibus suis.*

27. *Omnia enim subjecit sub pedibus ejus*] i. *Filii*, ne quis de *morte* putet accipiendum. ❡ *Cum autem dicat*] Per Prophetam Davidem Deus, Psal. 8. ❡ *Omnia subjecta sunt ei*] Rursus *ei* demonstrat *Filium*, non *mortem*. ❡ *Filius subjectus erit illi qui subjecit sibi omnia*] Patri, inquit, subjecturus est sese Filius, idque juxta assumptam conditionem humanam, quo nimirum Patre auctore factum est ut omnia cesserint in ditionem Filii.

29. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?*] Juxta Chrysostomum in memoriam illis reducit Apostolus qua fide quibusque juramentis ad Baptismi gratiam sint admissi. Nam Baptisma suscepturi inter Symbolum pronunciandum hoc quoque testabantur se credere, videlicet *mortuorum resurrectionem*, & in hanc fidem baptizabantur. Ad hæc quoque, quod *tingendi* confitebantur voce, idem Sacerdos figura ac ipsis demonstrabat rebus. Nam aqua mergi, & hinc remeare, descensus ad inferos, & isthinc reversionis symbolum est. Hoc igitur est cujus hic monet Paulus: *Nam si resurrectio mortuorum non est*, inquit, *nihil egerint qui baptizantur ob fidem quam tum de aliis, tum de mortuis ad vitam revocandis, habere se confitentur.* Simplicius tamen ac probabilius est quod intelligit assertque D. Ambrosius de quorundam consuetudine, qui tam erant de secutura resurrectione securi ut etiam mortuorum vice vivi baptizarentur, si qui forte ante Baptisma morte fuissent præoccupati, metuentes ne aut male aut non resurgerent: quorum non factum, sed fixam de Resurrectione fidem Apostolus comprobat. Quidam nobis fere coætaneus longam texit disputationem, quo doceat in persona nos mortuorum baptizari, cum quia vetus noster homo in Baptismate demoritur, & novus exsurgit, tum quia in morte tingimur Filii Dei, juxta id quod hic idem habet Apostolus Col. 2. *Consepulti in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei.* Verum ego Ambrosianæ malim subscribere sententiæ.

31. *Propter vestram gloriam*] Duplicem reperio apud veteres hujus verbi scripturam: altera est, διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, *propter vestram gloriam*: altera, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν *per vestram gloriam*; in qua νὴ vel juramentis est particula. Priorem sequitur Ambrosius & Chrysostomus, ut patet ex ipsorum commentariis pressius introspectis. Nam apud Chrysostomum versum in contextu Apostoli mendose *per vestram gloriam* scriptum est. Sed Theophylactus, Chrysostomi & abbreviator & adsecla, evidentius exprimens, *propter vestram gloriam*, i. inquit, *vestri profectus gratia*. Alteram sequitur Augustinus, qui tum lib. De concione Domini in monte, tum sermone De verbis Apostoli 28. palam testatur, hoc sermone Apostolum jurasse; idque liquere ex verbo Græco. Quod autem hodie pro ὑμετέραν *vestram* ἡμετέραν legamus, quando id non invenio apud veteres, librariorum errori adscribendum est. Reperio tamen apud unum Hieronymum *nostram*, in Epitaphio Nepotiani; sed nescio an recte.

32. *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi*] Illud, *ad bestias pugnavi Ephesi*, Ambrosius atque Chrysostomus simpliciter juxta literam intelligunt; quibus magis crediderim atque Græcorum Collectaneis Œcumenii titulo editis, quæ pugnam hanc controversiam illam esse volunt quam cum Judæis & Demetrio habuit Apostolus Act. 19. quos ob hoc feris comparatos dicunt quod nullam crederent futuram resurrectionem. Porro illud *secundum hominem* Varii varie explicant. Verum ne multa adducam, illud commodius apparet quod in Græcorum inter cætera reperio Collectaneis, ita habens, *Si non propter futuram spem & retributionem cum feris depugnavi, sed ob humanam gloriam, quid mihi profuit?* Nisi forte non displicet quod habet Ambrosius, *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi*, &c. *Id est*, inquit, *si secundum humanum sensum, qui videns hoc in rerum naturam non cadere, ut caro jam soluta reformetur ad vitam, minime credis futuram resurrectionem mortuorum, bestiis offerri, mori non timui, nihil profeci.* Tertullianus *bestias* interpretatur pressuram illam de qua 2 Cor. 1. 8. *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum*, &c. Philip. in Job. *homines bestiis similes.*

34. *Evigilate juste*] Sic est Græce, & apud Eucherium, primum, ni fallor, emendatæ jam antiquæ versionis sectatorem, & in exempl. quodam vetusto: cum vulgo legamus *justi*, consentiente Origene in Rom. 5. Non ita construendum est ut *justi* sit

sit vocandi casus, quasi justis præcipiatur ut *evigilent & ne peccent*; id quod absurdum sane esset: sed *Evigilate justi* perinde valet ac si dicas, *Evigilate ad justitiam, neque deinceps in peccatum prolabamini, vos qui hactenus peccatores fuistis.* Græce autem est, *Evigilate juste:* nec discrepat ab intelligentia modo indicata. Eandem loquendi formam & infra habes ubi legis, *Mortui resurgent incorrupti.* ¶ *Ad reverentiam vobis loquor*] *Reverentia* pro *erubescentia* & *pudore* positum est.

37. *Et quod seminas*] Vide ne *quid seminas* percontative sonet, pro *quod*.

44. *Si est corpus animale*] Simplicius est in archetypo, *Si* particula prætermissa, *Est corpus.*

47. *Secundus homo de cælo, cælestis*] In Græco legendum cum Interprete nostro & Ambrosio & Augustino, δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ, abjecto videlicet ὁ Κύριος, quod Tertullianus lib. 5. contra Marc. testatur hic positum fuisse à Marcione hæretico. Porro *cælestis* incertum est an sit additum ab Interprete: nam id ut legit Ambrosius & Augustinus De præs. Dei ad Dardanum, ita contra omittit Tertullianus & Cyprianus l. 2. contra Judæos, c. 6.

48. *Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes*] Qualis fuit Adam ille ex luto confictus, tales sunt & ipsius posteri, nempe terrenis addicti. Et qualis fuit Christus, Adam ille cœlestis, tales & cœlestes uno cum ipso Spiritu regenerati, quorum conversatio in cœlestibus est. Tractat hæc verba & alia huc spectantia copiose Irenæus lib. adv. hæres. 5.

49. *Portemus & imaginem cælestis*] Tertullianus contra Marc. lib. 5. admonet legendum φορέσωμεν, *non* φορέσομεν, *præceptive*, inquit, *non promissive.*

51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*] Sub. *ad gloriam.* Cum scriptores omnium vetustissimi Tertullianus (lib. De resur. carnis circa medium) & Origenes (contra Celsum, lib. 5. circa exordium, item περὶ ἀρχῶν c. 10. & alias) & post hos Hilarius (in Psal. 118.) & Ambrosius, idem legant quod vulgatus noster vertit interpres, hinc certam sumo conjecturam, Græcorum lectionem etiam Chrysostomi & Hieronymi ætate à sciolis aut hæreticis fuisse corruptam. Nam Hieronymi epistola ad Minerium & Alexandrum triplicem indicat hujus loci scripturam, quarum prima est, *Omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur:* ut sit sensus, Omnes quidem morituros, at non omnes glorificandos. Secunda, quæ hodie in Græcis exstat voluminibus, *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*, in qua Hieronymus, ex Acacii autoritate, *dormitionem* non mortem corporalem signare dicit, sed potius peccatum & Dei offensam; de qua etiam in epistola ad Corinthios priori scribitur c. 11. *Ideo inter vos multi infirmi sunt, & dormiunt multi:* & *immutationem* non ad gloriam, quæ solis debetur sanctis, sed ad incorruptibilitatem, quæ omnibus communis erit, vult intelligi. Non dissimulat tamen nonnullos fuisse (sicuti & hodie sunt) qui ex hac lectione asseruerunt multos in corporibus vivos reperiendos, adveniente ad judicium Domino, qui communi mortis lege exstinguendi non sunt: quos D. Augustinus De civ. Dei l. 20. c. 20. existimat eodem temporis spatio quo juxta eundem hunc Apostolum cum resurgentibus *rapientur in nubibus obviam Christo in aera*, & passuros mortem, & accepturos immortalitatem. Atque etiam huc spectare volunt quod 1 Thess. 4. scribitur, *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum*, &c. usque, *Qui vivemus, qui relinquemur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam* Christo *in aera.* Tertio lectio ea est quæ in Latinis duntaxat exstat codicibus, *Omnes quidem resurgemus*, &c. De his qui plura desiderabit, videat Annotationes nostras in illud 1 Thess. 4. *Nos qui vivimus:* item Hieronymi epistolam supra indicatam, & Augustinum lib. De civ. Dei 20. c. 20. & Tertullianum l. 5. advers. Marc. in 2 Cor.

54, 55. *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua?*] Duplex est hujus loci apud Græcos scriptura. Nam pro *victoria* Tertullianus lib. De resurr. carnis, Hieronymus in Osee 13. Cyprianus ad Quirinum l. 3. & Augustinus cap. 58. in variis locis, legunt *contentio*, h. e. νεῖκος cum diphthongo, præsertim loco posteriori. Irenæus vero lib. 5. Origenes περὶ ἀρχῶν lib. 2. c. 3. Chrysostomus & Ambrosius νῖκος, i. *victoria*; quod magis placet: nam & hoc hodie in Osee Græco scriptum cernitur, cap. 13.

56. *Stimulus mortis, peccatum; virtus vero peccati, Lex*] *Mors aculeum habet peccatum*, quo ferit mortales: non quod Mors delictum operetur, sed contra, delicti aculeus generat mortem. *Peccati vero robur Lex ipsa est:* non quod peccatum ipsa augeat suapte natura, sed quod delicti nobis magnitudinem commonstret, ita ut gravius sit delictum si delinquamus scientes. Virtus ergo, magnitudo & fortitudo additur peccato per Legem, utpote qua dignoscitur esse peccatum: quod autem morti stimulos addit eandemque mortalibus infert, Peccatum est.

LUCAS BRUGEN.

31. *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres*] Multi nostrorum codicum legunt *per*; plures *propter vestram gloriam:* ab utraque parte præstantia sunt scripta; sed à priore antiqua Epanorthotæ. Carensis, Lyranus, Gorran, *propter* edisserunt; Sedulius, Haymo, Primasius, Anselmus, *per*; Autor Glossæ, Lombardus, Thomas, Richelius, utrumque exponunt: sed Haymo, non *propter*, sed *pro vestra gloria* notat quosdam habere, quo modo & in Sedulio est, & in duobus scriptum vidimus exemplaribus, & in aliquot impressis ad marginem annotatum. Hieronymus in Epitaphio Marcellæ cap. 3. *propter vestram salutem*; Autor enarrationum apud Ambrosium *pro vestra salute* habet. Augustinus autem, sub finem epistolæ 89 libri primi De sermone Domini in monte, cap. 25. & serm. 28 De verbis Apostoli *per* legit: & jurasse Apostolum ex hoc loco, præsertim ut apud Græcos est, probat; νὴ τὴν ὑμετέραν [ἡμετέραν Gq.] καύχησιν est Græce; id quod Syri diserte transtulerunt, *Juro per gloriam vestram.* Scholiastes qui in Hieronymi est operibus, cum B. Augustino, legit *per:* sed studiose monet, *non posse hinc Apostoli juramentum convinci*, nimirum quia Pelagius vel Pelagianus est, quorum hæresis voluit jusjurandum auferre. Sed infirma nisus est similitudine. Nam si dicam, *Per puerum misi*, non statim per puerum jurasse recte putabor, Græcæ aut vocis aut proprietatis ignarus. Cæterum νὴ non solum μὰ, quod est jurantis, sed etiam διὰ, quod est causam dantis, significare, ita ut *propter* verti recte possit, his verbis Græca scholia docent, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν· ἢ ὀμνύς, λέγων, μὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν· ἢ διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν ἀποθνήσκω. λέγει δὲ τὴν αὐτῶν προκοπήν: quod est, *Aut jurat* (Apostolus dum ait, νὴ τὴν &c.) *dicens, Per vestram gloriationem; aut propter vestri gloriationem morior: dicit autem ipsorum profectum.* Photion est scholion. Chrysostomus & Theophylactus *propter* intellexisse videntur.

51. *Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*] Triplicem olim fuisse loci istius lectionem, ex Hieronymi ad Minerium & Alexandrum epistola numero 152, Augustini 20 De civitate Dei libro cap. 20. ac tertia ad Dulcitium quæstione, illis quæ Hieronymo tribuuntur commentariis, & Græcis Oecumenii scholiis, manifestum est. Una fuit, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:* altera, *Non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur:* tertia, *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur.* Prima frequentior erat in exemplaribus Latinis; tertia in nonnullis erat Latinis; secunda & tertia in Græcis. Hodie prima sola invenitur in exemplaribus Latinis; secunda est in Syricis, & plerisque omnibus Græcis; tertiam duntaxat in Complutensium Bibliorum, & eorum quæ ex illis excusa sunt, margine legimus, qui habet pro πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, aliam Græcam literam habere, πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, & in S. Pagnini versione, cujus hæc verba sunt, *Omnes siquidem dormiemus, sed non omnes immutabimur.* Huic tertio legendi modo, secundum rem, respondet noster, primus, inquam, qui Latinorum est: quem non facile debemus vel huic tertio, vel illi secundo postponere.

52. *In novissima tuba; canet enim tuba*] Quatuor Parisiensium manuscripta (Di. o. Ge. o. l. V.) tria Hentenii, & unum nostrum (Brug.) auferunt posterius *tuba:* *Canet enim* duntaxat habent. Nec Græce aliud est quam σαλπίσει γάρ, id quod multi hodie Interpretes *Canet enim*, Syri olim *dum canet* transtulerunt. Cæterum σαλπίζειν *tuba canere* significat, perinde ac si Latine dicas *tubare*; qua voce reddidit Origenis Interpres, tractatu in Matthæum 30 longe post medium, aut quod usitatum est, *buccinare.* Verum si *canere* hic tantum vertas, *tuba* ex eo quod præcedit subaudiendum relinquitur.

STEPHANUS.

6. Ἐπάνω πεντακοσίοις] *Plusquam quingentis.*

8. Ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι] *Tanquam ei qui inter cæteros fit abortivus.* Vel præ cæteris.

10. Οὐκ ἐγὼ δὲ] *Imo non ego.*

15. Εὑρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ] *Quinetiam comperimur falsa testati esse de Deo.*

20. Ἀπαρ-

20. Ἀπαρχὴ ἐγένετο] *Factus est primitiæ.*
23. Ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι] *In suo ordine.*
32. Κατὰ ἄνθρωπον] *Quantum humanæ vires ferre possunt.* Vel, *totis viribus, quanta in homine esse possunt.*
34. Ἐκνήψατε δικαίως] *Ad justam mentis sobrietatem redite.*
48. Οἷος ὁ χοϊκὸς] *Qualis terrenus ille.*
51. Ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ] *Momento & in nictu oculi.*
58. Ἑδραῖοι γίνεσθε] *Firmi estote & immoti.*

DRUSIUS.

4 *UNdecim*] In Græco est *δώδεκα duodecim.* Sic etiam in Syra editione. Sed si excipias Judam proditorem, tantum undecim erant. Vide Augustinum De consensu Euang. lib. 3. c. 25. ubi notat in quibusdam cod. fuisse scriptum *undecim.* Similis per omnia locus, Gen. 42. 13. *Duodecim servi tui fratres sumus*: quippe Josephum mortuum credebant: quomodo ergo duodecim, qui tantum undecim erant opinione illorum? Sic alibi inter filios Jacob qui nati sunt ei in Mesopotamia recensetur Benjamin, qui tamen natus fuit in terra Chanaan, quæ Australis est respectu Mesopotamiæ. Quocirca nomen inde accepit, ut quidam opinantur: siquidem *Benjamin*, quod interpretantur *Filius dexteræ*, sensum habet ut si dicas *Filius Austri.* Etenim Auster *dextera* vocatur, i. ימין, quod Orientem respicienti ea mundi plaga dexteram claudat. Qua ratione Septentrio *sinistra* vocabulo significatur. Vide sis Augustinum in libris Locutionum, & Annot. nostras in Genesin.

6. *Simul*] Ἅμα vel ὁμοῦ, quod Ebræi dicerent יחד vel יחדו *pariter.* In fonte Græco est ἐφάπαξ, quod & ὑπὸ ἅπαξ *semel.* Ebraice אחת פעם, quod Barbari dicunt *vice una*, sive *quadam vice.* Meo judicio, & simul & semel eis visus est. Sic ἀπαξάπαντες *semel & simul omnes.* Sane conjunctim eis apparuit, non separatim. Apud Aristophanem ἀπαξάπαντες Scholiastes interpretatur ὁμοῦ πάντες *simul omnes.* Si recte, ergo ἅπαξ, & quod idem ἐφάπαξ, etiam *simul* denotat. Quod noto propter Interpretem nostrum vulgatum, quem Erasmus hoc loco secutus est.

29. Οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν] Aliud est *baptizari pro mortuis*, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, & aliud *baptizari* ἀπὸ τοῦ νεκροῦ, quod invenies Sirac. 34. 26. nam hoc significat *post tactum cadaver se lavare.*

31. *Per vestram gloriam*] Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, *per vestram gloriationem*: ita recentior interpres, & melius. Nam *gloria* δόξα dicitur. Augustinus De verbis Apostoli, serm. 28. scribit hic juramentum esse. *Sic Græcus*, inquit, *cum dixeris*, νὴ τὸν Θεὸν, *jurat.* In eodem sermone ait, *Ergo nemo dubitet jurasse Apostolum Paulum cum dixit*, PER VESTRAM GLORIAM, FRATRES. Sermo ille habetur tom. 10. fol. 80. In quibusdam libris *per nostram gloriationem*, i. ἡμετέραν. Utro modo legas non potest juramentum esse nisi Deum aut Christum intelligas, in quo fideles gloriabantur. Nemo enim jurat nisi per majorem se. Quis autem major Deo? Ideo juramus per solum Deum. Quin ipse Deus non jurat nisi per seipsum. Quomodo enarrant, *juravit per animam suam, per sanctitatem suam, per excellentiam Jacobi.* Quod ultimum de Jerosolyma quidam accipiunt: unde forte manavit consuetudo vetus jurandi *per Urbem*, aut ipsum *Templum*: siquidem alii quidam de Templo interpretantur. Nos de ipso Deo enarramus. Tum iis assentimur qui hoc loco non jurandum sed obtestationis quandam speciem statuunt: nam sequitur, *quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.* Vide 2 Cor. 1. 14. Videtur sensus esse, *per gloriationem quam habeo de vobis.* Alioqui Corinthiorum gloriatio erat ipse Paulus.

32. *Cras enim moriemur*] Non *moriemur* est in Græco textu, sed ἀποθνήσκομεν *morimur*: (Vide Observat. lib. 3. cap. 16.) quod tempus non temere mutandum: nam emphasin habet. Quanquam in Ebraica veritate נמות *moriemur*, quod tamen etiam reddi potest *morimur*: nam futuro designant tempus continuum. Simile in Manilio,

> —— *dum quærimus ævum,*
> *Perdimus.*

ubi vulgati codices perperam *perdidimus.* Nec dissimile quod apud Macrobium in Laberio, *Porro, Quirites, libertatem perdimus.* Sic Laberius olim scripsit, non *perdidimus*, aut *amisimus*, ut alii supposuerunt. *Perdimus*, i. perditum imus.

33. *Corrumpunt*] *Versus iambicus de Menandri comœdia*, Hieron. in epist. ad Titum c. 1. *Trimeter iambicus de comœdia sumptus Menandri*: idem in Gal. 4. *Sumptus est hic versus ex Thaide Menandri, cujus comœdiæ mentio apud Athenæum lib.* 3. Hen. Steph. in Sententiis Comicis. ¶ *Colloquia mala*] *Congressus mali*, Tertullianus: *confabulationes pessimæ*, Hieron. in epist. ad Galatas, loco citato: *commercia mala*, Theodorus: *conversationes malæ*, alius.

34. *Evigilate*] הקיצו, ut Joel. 1. 5. *evigilate ebrii*, ἐκνήψατε & Gen. 9. 24. *evigilavit Noë à vino*, ἐξένηψε Νῶε ἀπὸ τοῦ οἴνου. Verbi הקיצו thema est קוץ, non יקץ, ut quidam volunt: nam tunc esset הקיצו, ut הישיבו.

39. *Alia piscium*] *Caro* de Piscibus dicitur etiam Levit. 11. 11. nam post factam mentionem *piscium* sequitur, *Non edetis de carne ipsorum.* Abenezra, *Ecce Piscis vocatur* CARO; *veruntamen, ut dixerunt Doctores nostri tractatu De votis, ex consuetudine illarum ætatum.* *Carnis piscium* idem meminit Levit. 17. 2. Forte *carnem* pro *corpore* usurpant in hoc sermone.

41. *Claritas*] Δόξα. Augustinus, δόξα & claritas *interpretatur* & gloria. *Gloria namque fit quisque clarus & claritate gloriosus; & per hoc quod utroque verbo significatur idipsum est.* Ab hoc nomine verbum est δοξάζω, quod reddunt *clarifico* aut *glorifico.* Vide dictum Augustinum tract. 100. in Johannem. ¶ *Alia claritas Lunæ*] *Claritas*, ut diximus, hic est *gloria* vel *decor*, i. δόξα, an potius *lumen* aut *splendor*? Lucet enim Luna, si non propria, saltem aliena luce: unde *obscurari* dicitur, & legimus Jes. 13. 10. *Luna non faciet splendere lumen suum*: item Ezech. 32. 7. *Luna non faciet lucere lucem suam.* Lunam propria luce non lucere, sed à Sole mutuata, docet Abenezra Exod. 23. 22. Dicitur ergo *lux Lunæ* quæ Solis est. Videndus & R. D. Psal. 104. 19. Etiam *stellis splendor* quidam tribuitur: unde apud Prophetam, *stellæ contrahent splendorem suum*; & *lumen*: unde apud Davidem *stellæ luminis* Psal. 148. 3. quo nomine ibi significantur quinque Planetæ, videlicet Venus, Saturnus, Jupiter, Mercurius & Mars. Vide Scholia D. Camii ad illum locum.

47. *Terrenus*] Ita Tertullianus lib. 5. adv. Marcionem. Sed in De resurr. carnis, cap. 49. *Primus homo de terra choicus, id est limaceus*: & mox, *Qualis choicus, tales & choici. Choicus*, i. χοϊκὸς, Gen. 2. 7. עפר LXX χοῦν, quod alii *pulverem*, alii *limum* reddunt. Est autem χοῦς contractum ex χόος, ut ex νόος νοῦς. A χόος autem derivatum χοϊκὸς *terreus* aut *terrenus*, quasi *limeus*, si sic loqui liceret, ipsumque adeo *limum.* Nam factus fuit è limo terræ. *Limaceus* non à *limo* deductum videtur, sed à *limax*, i. cochlea; quæ tamen à *limo* nomen habet, in quo hieme delitescit, vere prodiens. Χοϊκὸς melius forte reddetur *pulvereus*: nam χόος *pulvis.* Lex. Vet. Χοῦς, ὁ κονιορτὸς, *pulver, pulvis.*

50. *Caro & sanguis*] i. Homo quatenus corruptus est. Sic בשר ודם de natura hominis corrupta, sive de non regeneratis, in libro Precum, 463. 1. *Qui videt sapientes nationum hujus mundi, dicit, Benedictus qui dedit sapientiam suam carni & sanguini. Qui videt Reges nationum hujus mundi* (aut *seculi*) *dicit, Benedictus qui partitus est de gloria sua carni & sanguini.* Sirach. 14. 15. *Generatio carnis & sanguinis*, γενεὰ σαρκὸς καὶ αἵματος, i. genus humanum. Ad sequentia referendum videtur: & 17. 30. *cujus cogitatio est* σὰρξ καὶ αἷμα, *caro & sanguis.* Dicitur etiam de natura humana per se, non quatenus corrupta. מלך בשר ודם *Rex caro & sanguis* R. S. Exod. 15. 1. פרח בשר ודם Lib. Musar, 25. 1. Et de animantibus. R. David, ubi respondet Christianis ad loca quædam Psalterii Davidici, *offerunt carnem & sanguinem*, i. animalia.

51. *Non omnes quidem resurgemus*] Alii ex Græco fonte legunt, *Non omnes quidem obdormiemus*, κοιμηθησόμεθα, i. moriemur. Quam sententiam hodie Judæi quidam tenent; nam opinantur ætatem quæ tempore resurrectionis erit non morituram: alii censent aliter. Commentarius in librum Aboth, 53. 2. *Sunt sententiæ quæ dicunt ætatem illam quæ resurrectionem mortuorum præcedit non morituram.* Quo pertinet illud, *Judicabit vivos & mortuos: vivos*, qui tunc erunt; & *mortuos*, qui resurrexerint. Idem Commentarius, pag. 1. *Nati ad mortem: etiam illa ætas quæ proxima resurrectioni carnis morietur similiter.* Ecce duæ contrariæ opiniones, quas ita concilio. Immutatio erit eis mortis loco, atque ita morientur omnes. Non morientur qui mutabuntur, quoniam Immutatio diversum quid à Morte: nam qui moritur mutatur quidem, sed non omnis qui mutatur moritur.

52. *Et nos immutabimur*] Qui tunc vivi erimus. Immutabimur, & non moriemur, ac proinde non resurgemus: nam non resurgit nisi quod cadit, h. e. moritur. Perinde igitur est sive legas *non obdormiemus*, sive *non resurgemus*: quippe resurrectio non est nisi mortuorum. Vivi non resurgunt, sed immutantur.

54. *In*

54. *In victoria*] Malim *ad victoriam*, quod Ebræi dicunt לנצח, & interpretantur *in perpetuum*. Sed quia נצח *vinco* significat, ideo Græci reddunt εἰς νῖκος. Vide quæ notavimus Job. 36. 7.

S C A L I G E R.

29. QUæritur quid sit apud Apostolum, Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; &c. τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Non frustra idem Apostolus secunda ad Thessalonicenses ait, ἤδη μυστήριον τῆς ἀνομίας ἐνεργεῖται. Tunc enim exitiabiles ritus & errores incipiebant primulum, quorum partem verbis castigavit, quia nocebant *exemplo trahenti Perniciem veniens in ævum*; partem, quia tollere non poterat, insuper habuit. Ex priore genere erant delicta quæ etiam legibus vindicabantur, qualis fuit incestus privigni cum noverca. Ex posteriore genere sunt errores & delicta quæ altissimas radices egerant, magna Christiani nominis infamia: ejusmodi erat bigamia Judæorum, qui cum Christo nomen dedissent, negabant se alterutram uxorum suarum sine summo scelere posse dimittere, quia cum haberent duas, aut tres, id se facere exemplo Davidis & majorum testabantur. Contra, pastores Ecclesiæ unius tantum mulieris maritum esse debere hominem Christianum arguebant. Ergo Apostolus Tito scribens, qualem esse velit pastorem Ecclesiæ, ab eo petit ut eorum vitiorum purum eum eligat quibus vitiis majorem partem Ecclesiæ laborare queritur post; [illegible] præsertim præcipit c. 1. v. 6. esse μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. Quare? Ut, inquit, ἐπιγαμιζόμενοι σὺν ἐκ ἀθεμιτῶν, qui eo tempore, ut ex Josepho discimus, aut plures uxores ducebant, aut uni concubinas superinducebant, ut hodie iidem Judæi sub Turcico imperio viventes. Paganos vero concubinas uxori superinduxisse si coner probare, abutar otio meo. Eas etiam postquam Christo nomen dederant, non dimittebant: Adeo ut vetustissimi Canones Græci à Tilio editi non admittant Christianum hominem ad Diaconatum qui concubinam domui aleret. Paulus ergo rejicit hominem à munere Ecclesiastico qui aut duas uxores haberet, ut Judæi neophyti, aut qui uxorem & concubinam ex paganismo Christum profitentes. At ii qui proxime abfuerunt ab ætate Pauli, quomodo interpretati sunt illa verba μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, i. ἅπαξ γεγαμηκότα, quis Grammaticus, aut JC. aut Philosophus hanc interpretationem sine risu audiverit? Grammaticus nunquam concedet dici μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, nisi quamdiu habet unam tantum, tametsi mille alias habuerit. Jurisconsultus negat mortuorum liberorum memoriam prodesse patri ad jus trium liberorum adipiscendum, censens patrem trium liberorum esse eum qui tres superstites habuerit, quamvis viginti antea habuerit. Philosophus ait, τῶν πρός τι sublato altero, alterum tolli. Patri unicus filius è vivis excessit: Non est amplius pater. Helena à Lycophrone dicitur τριάνωρ, quod Theseo, Menelao & Paridi nupsisset. Quid? τριῶν ἀνδρῶν γυνὴ diceretur? Minime. Theseus enim jam mortem obiverat; sed Menelao & Paride superstitibus recte dicitur δύο ἀνδρῶν γυνή· sublato Paride, in patriam reversa, ἑνὸς γυνὴ ἀνδρὸς, & τριάνωρ. Quare Episcopum aut presbyterum nego μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα dici, nisi quamdiu ei una nupta est. Ea de medio sublata non modo non μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, sed ne γυναικὸς quidem ἀνήρ, dicetur: sublatum enim est alterum τῶν πρός τι. Qua pace conscientiæ suæ Tertullianus & alii veteres hunc locum interpretati sunt, non dicam contra Apostoli, sed contra animi sui sententiam? Eam igitur & ejusmodi alias pravas consuetudines evellere non potuit, ne, ut ait parabola in Euangelio, inutiles herbas simul cum frugibus eradicaret. Sed ille error de quo nunc agimus, quanquam minus sceleris habet, superstitionis tamen plus habuit. Primum verba Apostoli parum adverterunt hactenus etiam acutissimi interpretes. Aliud est ὑπὲρ νεκρῶν βαπτίζεσθαι, si ita diceretur, aliud ὑπὲρ τῶν νεκρῶν· ut aliud ἀνάστασις τῶν νεκρῶν, aliud ἀνάστασις νεκρῶν, quomodo in articulis fidei pronunciamus. Nam in canone fidei dicimus, Πιστεύω νεκρῶν ἀνάστασιν, quia credimus omnes resurrecturos; sed qui loquitur de resurrectione patris, matris & sororis, ille dicit, Πιστεύω τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν, καὶ τοὺς νεκροὺς ἀναστήσεσθαι, nimirum intelligit eos de quibus tunc tantum sentit, patre, matre, sorore. Adjectio articuli (τῶν) ἐμφατικὴ est καὶ δεικτική· ast absentia articuli est ἀόριστος. Et sine articulo omnes νεκροὶ comprehenduntur, cum articulo illi & illi tantum, οἱ δεῖνα καὶ οἱ δεῖνα. Ergo οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, h. e. οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν δεῖνα νεκρῶν. Multum interest hanc distinctionem considerasse; quam qui non adverterunt, parum vident in Hellenismo: sed qui Hellenismum plane tenent, recurrent ad causam illius comprehendendam, & propius ipsius Apostoli verba putabunt, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *super quibusdam mortuis*. Deinde, τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Non dixit, τί ποιήσομεν ἡμεῖς οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Non ergo Paulus, neque omnes, sed quidam pro quibusdam mortuis baptizabantur. Si non Paulus, neque omnes, ergo non bene qui hoc faciebant. Solos igitur qui hoc faciebant notat, & de illis paulo post dixit v. 34. ἀγνωσίαν Θεοῦ τινες ἔχουσιν. Et ne alibi quærendi essent quam in ipsa Corinthiorum Ecclesia, πρὸς ἐντροπὴν, inquit, ὑμῖν λέγω. Cujusmodi igitur fuerit & unde consuetudo ista videamus. Omnes veteres Christiani, etiam infra ætatem Augustini (pudet me ignorantiæ) putabant animas tam piorum quam impiorum in centro terræ tanquam in quodam conceptaculo exspectare diem judicii; quod Tertullianus eleganter dixit *in candida exspectare diem judicii*, ut candidati magistratum ambientes exspectabant suffragia tribuum aut centuriarum. Tertullianus quater profitetur eam opinionem in libris suis, nimirum eam quæ nunc omnium fuit super ea re: Augustinus vero amplissime in Enchiridio, *Tempus quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut quæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viveret.* Neque aliter Lactantius, & alii omnes. Prærogativam tamen dant martyribus, quos uno saltu recta in paradisum deferri volunt: Et hoc beneficio usum latronum illum cui Dominus eo die condixit. Quid alias ineptias Patrum majorum gentium dicam, quæ non Doctorum Ecclesiæ, sed ne cujuspiam de vulgo Christianitatis esse deberent? Ex eo errore sero tandem propagata est Christi κατάβασις εἰς ᾅδου, & quicquid inscitia bonarum literarum solet περιττεύεται in Christianismo. Cum igitur ita animati essent de carcere animarum piarum, impiarum, magna incessebat eos homines solicitudo charorum suorum, qui jam defuncti in ea loca penetraverant, super suspiriis & anxio desiderio quo putabant eos conflictari, *exspectantes in candida diem judicii*, ut cum Tertulliano loquar. Ita unusquisque satagebat pro fratre, patre, sorore defunctis, & annua die afferebat pro illis, &, ut ait Tertullianus, *adpostulabat* aliquod *refrigerium* in die resurrectionis, quod refrigerium quale sit, ne ipsis quidem, puto, constabat: ita bonis in eo carcere male esse, ne ipsi quidem putabant, ut etiam testatur Tertullianus; pro malis autem orare, ne animum quidem induxissent; pro charis enim afferebant. Quater aut quinquies illius vesaniæ meminit Tertullianus. Eosque locos ineptissimi homines non verentur hodie objicere, cum oblationem pro mortuis & fabulam πυρκαθαρτηρίου defendunt. Neque enim advertunt non posse se locos illos probare, quin statim & carcerem animarum piarum & impiarum probent. Præterea illis omnibus locis Tertulliani, Cypriani, Augustini, probatur eam oblationem εὐχαριστικὴν non ἱλαστικὴν fuisse. Et, ut ait Augustinus, *non erat præsidium salutis, sed humanitatis officium, quo nemo unquam carnem suam odio habuit.* Et tamen cum ita scripserit, alibi aliter dicit, oblitus sui scilicet in re nugatoria, quam consuetudine non autoritate Scripturæ poterat defendere. *Pro valde bonis*, inquit, *gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, tamen vivorum consolationes sunt.* Hæc valde nugatoria sunt. Igitur veteres putabant annua die orandum aliquod refrigerium suis, quamdiu exspectabant diem judicii in illis specubus terræ abditissimis: Sed antiquius, puta propius tempora Apostolorum, nescio an par dementia fuerit, offerre pro refrigerio charorum; scilicet idem erat, cum pro eodem eorundem refrigerio baptizabantur, idque annua die, Calend. sc. Februarii. Tertullianus in Marcionem 5. *Quid facient qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt?* Post verba Pauli adjicit sua: *Viderit institutio ista Calendæ si forte Februariæ respondebunt illi, pro mortuis petere.* Calendis igitur Februariis & baptizari solitos in spem resurrectionis, & munuscula pro charis peti solita dicit, Apostolum vero illius insaniæ autorem aut adstipulatorem negat. *Noli ergo*, inquit, *novum statim autorem aut confirmatorem denotare; ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent.* Plane interpretatur verba Apostoli. Apostolus, inquit, non dixit, *Quid faciemus nos qui baptizamur pro mortuis?* sed potius, *Quid facient illi qui baptizantur pro mortuis?* Nam quamvis mos ille improbandus est, tamen si baptizantur pro mortuis ut refrigerium habeant in die resurrectionis, quomodo ergo sui obliti à se dissentiunt, & resurrectionem negant? Itaquamvis morem non laudat, tamen eos suo sibi gladio jugulat. Sed quare Kalendis Februariis potius quam alia die? vetustissimi Christiani diem γενέσεως καὶ βαπτίσματος κυριακοῦ, quem plane ignorabant, conjecturis indagare conati sunt; atque eatenus inter se digladiati sunt, ut de die Baptismi diversa sentirent, quemadmodum testatur Clemens Alexandrinus. Tandem vetustiorum consensus in id conspiravit, ut censerent 7. Mechir, h. e. Kalendis Februariis,

à

à Joanne baptizatum: ergo morem baptizandi jure in eum diem contulerunt quo Dominum ipsum baptizatum putabant. Sed postea vicit opinio eorum qui Baptismum Christi in VI Januarii rejecerunt, & morem igitur in eum diem transtulerunt, quem adhuc Æthiopum vetustissima Ecclesia observat, non tantum delibans de eo, imo penitus indelibatum observans: nam adhuc XI. VI mensis, qui convenit in VI Januarii, ex illa veteri consuetudine quotannis baptismum instaurant, quanquam dicant se in honorem Christi facere. Sed & illi quamdiu pro mortuis baptizabantur, non Kal. Februarias, quo die Christum baptizatum putabant, elegissent, nisi Christo honorem se habere credidissent. Porro sciunt omnes diem θεοφανίων φωσφόρον ἡμέραν dictum, quia nimirum τὸ φωτίζεσθαι erat βαπτίζεσθαι, & φωτισμὸν τὸ βαπτισμόν. In cap. 6. ad Hebr. ἅπαξ φωτισθέντας paraphrastæ Syrus, Arabs, Æthiops *baptizatos*: Item c. 10. ἐν αἷς φωτισθέντες paraphrastæ iidem *baptizati*. Paulinus de baptisterio Paschali, *pleno flumine lumen agit*. Mentio igitur hujus facta in epistola ad Hebræos. Ejus rei vetustatem ad ipsos Apostolos, qui Judæi erant, referendam esse docet. Vetustissimis enim Judæis & Samaritanis Circumcisio, in cujus locum successit Baptismus, *cordis & animæ illuminatio* dicitur. Sed quod Græci φωτισμόν, ipsi lingua Hierosolymitana ἄνοιξιν vocant, ἐφφαθά, τοῦτ' ἔστιν ἀνοίχθητι, sed purus Hellenismus dixisset φωτίσθητι, & propterea retinuerunt verbum ἐφφαθά in Baptismo, h. e. φωτίσθητι, *Illuminentur tibi oculi*. Ejus verbi vim ut testarentur, non solum diem baptismi φωσφόρον ἡμέραν vocabant, sed etiam cereos aut lucernas in baptismo accendebant; quod cum facerent Kalendis Februariis, quamvis consuetudo in VI Januarii translata est, hæc tamen φωταγωγία Kalendis Febr. remansit, quæ propter solenne Purificationis in perendinum translata, hodieque durat in Ecclesiis quæ errores Patrum doctrinæ Christi præferre solent. Tantum de loco Apostoli ex priore ad Corinthios. Sed & alios vetustissimos Christianorum errores qui volet scire, adeat Tertullianum De idololatria, item De oratione, & Corybantiasmos, & alios errores Latinæ & Græcæ Ecclesiæ ab illis maximam partem manasse fatebitur.

32. Ἐθηριομάχησα] Feros & præfracti ingenii viros, quibuscum illi negotium & contentio fuit, vocat θηρία. Legendum vero, καὶ ἀπέχθειαν.

CASAUBONUS.

5. KAὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα] Græci hunc versum ita citant ut videantur addere καὶ ἀρχάγγελοι ὃ παρέλαβεν, & de Lucæ Euangelio accipiunt. Vide Præfat. in Acta.

28. Ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν] Vide Notas in Laertium, pag. 195. Lucianus, Καὶ ἐστι, καὶ ἔσται, καὶ πάντα ἦν, 174.

29. Ὑπὲρ τῶν νεκρῶν] Quidam interpretantur ὑπὲρ *pro*, eo sensu quo dicitur, aliquis *quid facere pro aliquo*, i. ejus vice. Et ita accipi ὑπὲρ apparet ex Dionysii Halicarnassensis loco, p. 333. Quasi institutum fuisset ut mortuorum loco, qui baptizari non poterant, alii baptizarentur.

32. Φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν] Thucydides p. 65. hoc narrat de Atheniensibus, quibus cum pestis imminerer, dicebant, τὸν αὐτίκα ἡμέραν ..., εἰκὸς εἶναι ... ἀπολαύειν.

33. Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί] Pertinet huc lex Charondæ περὶ κακομιλίας, Diod. Sicul. p. 296. lib. 12.

CAMERO.

22. ΩΣπερ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσι] Instituitur hic comparatio inter duo summa generis humani capita, carnale unum, alterum spirituale: ita ut Apostoli sensus hic sit simplicissimus, *Ut omnes qui oriundi sunt Adamo natura ordine, in eo moriuntur, itaqui Christo oriundi sunt omnes in eo vivunt*; ii scilicet *qui non sunt nati ex carne & sanguine, aut ex voluntate hominis, sed ex Spiritu S.* Joh. 3. qui credunt in Christum, adeoque filii ejus sunt. Non est autem urgenda comparatio inter voces *omnes*.

24. Ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ] Duplex est Christi dominium in creaturas: alterum essentiale, quod ab æterno habet commune cum Patre & Spiritu S. nimirum quatenus est Deus; alterum vero quatenus est Mediator. Dominium istud jus est aliquod, ut ita dicam, vicarium, quod pendet à Munere: cujus ea ratio est, quod postquam Deus apud se decrevit Ecclesiam sibi comparare per Mediatorem, unita natura Filii Divina cum natura nostra humana, Personæ quæ ex ipsis duabus naturis constat opus illud demandavit, Munus id ei dedit conjunctum cum Hereditate, h. e. dominio, universi illius Mundi. Atque ita Filium suum, qua Mediator est, constituit inter se & creaturas suas peccato contaminatas, ut se non amplius iis communicet nisi mediate per Christum. Et sic remansit quidem Christus, quatenus est Deus, una cum Patre suo rerum omnium æternus & naturalis Dominus. At quatenus idem est Deus & homo, una eademque Persona Mediatoris vicariam istam potestatem accepit à Patre, juxta illud Matthæi cap. ult. *Omnis potestas mihi data est in cœlo & in terra.* Ideoque non tantum ipse se in victimam obtulit pro peccato, sed etiam misit Spiritum S. in Apostolos, & quotidie mittit in fideles, laboranti Ecclesiæ succurrit, & quicquid est inimicum Ecclesiæ & gloriæ Dei prosternit ac frangit & sceptro ferreo comminuit. Tametsi enim Deus id facere vere dicatur, id præstat tamen per Filium, cui id muneris ab eo demandatum est. *Regnare* igitur Christus dicitur, quatenus utitur potentia sua & potestate ista sibi demandata ad Ecclesiam tuendam & vim hostium Ecclesiæ repellendam. Ea autem est imperii illius conditio atque natura, ut tamdiu duraturum sit quamdiu supererit peccatum: nulla enim immediata communio intercedere potest inter Deum & creaturam quamdiu peccatum superest; opus est Mediatore qui stet medius inter utrumque, & per quem omnia à Deo ad nos dimanent. At postquam peccatum omnino deletum & abolitum fuerit, tunc Imperium illud cessabit; deletum, inquam, non tantum imputatione justitiæ, sive non imputatione peccati, sed etiam revera, cum nulla amplius erit in Ecclesia labes. Consequens erit ut tum dicatur *traditurus Regnum Patri*, postquam hoc opus peregerit; peregerit vero tum cum Ecclesiæ hostes eo redigentur ut nullam vim habeant qua Ecclesiæ damnum possint inferre.

28. Αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται, &c.] *Subjectum esse Patri* hic idem est cum eo quod supra v. 24. dixit *tradere Regnum Patri*: quomodo autem dicatur tum *traditurus Regnum Patri*, vide illhic quæ ad id explicandum diximus. *Tradere* autem *Regnum Patri & subjectum esse Patri* idem esse Apostolo, vel hinc demonstrari potest, quod Apostolus hanc subjectionem aliquando futuram pronunciat. Unde manifesto apparet non agi hic de ulla essentiali subjectione Filii, quæ nimirum ei conveniat vel secundum Divinam naturam vel etiam secundum humanam. Nam juxta illam Filius Patri non est subjectus, cum hactenus sit æqualis Patri; secundum hanc vero semper est subjectus Patri. Sed quoniam quamdiu Christus, qui idem Deus est & homo, exercet hoc Imperium vicarium de quo supra dictum est, non apparet quomodo quatenus homo Patri sit subjectus, (nam dominatur jam membris suis & hostes suos debellat) propterea tantisper non dicitur Patri subjectus; quoniam vero cum hoc pacto desierit regnare, illud clarissime apparebit (nulli enim erunt amplius hostes subigendi) tum demum dicitur fore subjectus Patri. Cum ergo Christus quam in hac vita inchoat salutem nostram perfecerit, tunc se munere illo abdicabit, quo plene & perfecte defunctus erit; & sic, *subjicietur Christus Patri*, &c. Nam Christus quamdiu Mediator est, si absolute eum consideres, subjectus quidem est Patri, non quatenus, inquam, est Deus, sed quatenus est Mediator; eatenus enim est inferior Patre: At si comparetur cum Ecclesia sua, habet aliquid peculiare quare subjectus non dicatur. Non est enim eadem conditio Christi quatenus est Mediator, & membrorum ejus. Ipse Rex est, nos vero subditi; illi data est omnis potestas, nos vero sumus ii ad quorum salutem & redemptionem peragendam potentia ista utitur. At cum cessabit illud munus, opere peracto & debellatis omnibus hostibus, tunc dicetur *traditurus Regnum Deo & Patri*, & tunc dicetur etiam *Patri subjectus*, quia Christus quatenus homo est partem Ecclesiæ suæ constituet (quanquam ejus sit futurus Caput; quemadmodum Adamus, quamvis esset generis humani caput, ejus pars fuit aliqua) ac propterea aget Deus in eum immediate hactenus, quemadmodum in reliquos fideles. ¶ Τὰ πάντα ἐν πᾶσι] h. e. Non amplius se communicabit Deus Ecclesiæ suæ mediate per Christum, sed immediate per se, quoniam deleto peccato, & abolitis ac pessumdatis omnibus Ecclesiæ hostibus, opere redemptionis peracto, nihil amplius opus erit Mediatore qui inter Deum & creaturam intercedat, sed creatura Deum recta accedet, & sine ullo medio gloriam & sanctitatem ejus participabit; tum immediata erit unio nostri cum Deo, ita tamen ut Christo hæc laus propria sit & sempiterna quod hujus unionis fuerit conciliator.

29. Οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν] Notat Tertullianus abusum quendam (quem hic designat Apostolus) quo defunctorum amici defunctorum loco & vice baptizabantur, eo testantes in fide Christiana fuisse defunctos. Atque hoc indicat tum particula καὶ, (τί καὶ βαπτίζονται) tum etiam personæ mutatio. Non enim unquam solet Apostolus de fidelibus in tertia persona

loqui

loqui cum de iis agit quæ fidelibus omnibus communia sunt. Male vero redditur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *quasi mortui*: neque enim id patitur phrasis Græca, neque ullo Scripturæ loco vel autoris probati testimonio probari potest. Est autem argumentum illud Apostoli *ad hominem*, uti appellant, non secus ac siquis jam adversus Pontificios sic agat, *Si plebi pro libris & Doctorum loco sunt imagines, si ad pietatem (uti jactatis) excitant, cur Quadragesima tempore, quo potissimum ad pietatem excitatur populus, perstrepentibus viva Doctoris voce suggestis, imagines velatis & obvolvitis lineamentibus?*

45. Ὁ πρῶτος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, &c.] Opponit Apostolus *spiritum animæ*, deinde *viventi vivificantem*: hoc enim majus est illo: nam qui dicit *viventem*, denotat actum immanentem in aliquo; qui vero dicit *vivificantem*, non modo actum in aliquo immanentem denotat, sed etiam emanantem & promanantem quique in alio recipitur.

47. Ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ] Sic notat Apostolus haud dubie originem Christi hominis, qui *è cœlo* dicitur esse, non quod homo è cœlo ad nos descenderit, sed quod Spiritus S. vi humana natura coagmentata fuit & coaptata Divinæ naturæ. Sic cum quæsivit Christus à Pharisæis *numquid Baptisma Johannis esset è cœlo*, non hoc voluit, num Johannis baptisma esset è cœlo delapsum, sed, an autorem habuerit cœlestem.

JAC. CAPPELLUS.

22. UT *in Adamo omnes moriuntur*, qui sunt Adami, *sic in Christo vivificantur omnes*, videlicet qui sunt Christi: quæ restrictio petitur ex sequente versiculo: vel sic, *Quemadmodum omnes* qui moriuntur *in Adamo moriuntur*, *sic omnes* qui vivificantur *in Christo vivificantur*.

29. *Alioqui quid facient qui sub mortis tempus baptizantur? Quorsum etiam sub mortis tempus baptizantur?*] Vocem ὑπὲρ νεκρῶν putamus vertendum hic *sub mortis tempus*, ut τὸ ἐπὶ νεκροῖς Hebr. 9. 17. διαθήκη γὰρ ἐπὶ νεκροῖς βεβαία, h. e. *Testamentum enim in morte demum* (vel *sub mortis demum tempus*) *est validum*. Interpretationi nostræ suffragatur Epiphanius de Cerinthianis hæresi 28. §. 6. Is primum refert eorum sententiam qui volunt quosdam Baptismum postulare solitos eorum qui sine Baptismo mortui fuerant nomine; deinde, καλῶς, inquit, ἄλλοι τὸ ῥητὸν ἑρμηνεύοντες φασιν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτᾶν, ἐὰν ὦσι κατηχούμενοι, ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι πρὸ τῆς τελευτῆς λουτροῦ καταξιοῦνται. Homines isti ἐβαπτίζοντο ὑπὲρ νεκρῶν, h. e. tum demum baptizabantur cum jam pro mortuis habebantur, ac essent velut in ipsis mortis faucibus. Quod certe fuisset illis prorsus inutile si nec resurrectio mortuorum nec animarum immortalitas ulla esset, prout volebant ii adversus quos disputat Paulus. Qui *baptizari* volunt hic sumi pro *semetipsum cruciare*, ii Paulo syllogismum hunc affingant necesse est, *Quisquis semetipsum cruciat pro mortuis, is credit resurrectionem mortuorum: alioqui quorsum ita se cruciaret? Inter Christianos multi sese cruciant pro mortuis: Ergo saltem illi credunt resurrectionem mortuorum.* At enim hic syllogismus multis vitiis laborat. Nam 1. verbo *baptizari* significationem affingit cujus nullum exstat exemplum, nec in Scriptura, nec apud probos autores linguæ Græcæ, adeoque nec apud ullum, opinor, scriptorem Græcum Paulo vetustiorem. 2. In Minore principium petitur, ac præsupponitur res quasi sub Apostolis inter Christianos frequentissima, cujus nullum exemplum exstat in Scriptura. 3. Major est falsi manifestissima. Nam Ethnici plerique multis modis sese cruciabant pro mortuis, & tamen inter eos quotusquisque credidit resurrectionem mortuorum?

39. *Non omnis caro eadem caro: sed alia quidem est hominum caro, alia jumentorum, alia piscium*] Atqui carnibus abstinere se putant qui pisces edunt. Et sane *caro* nonnunquam opponitur *pisci*, aliquando piscibus quoque tribuitur *caro*. Misnajoth. Tract. חולין cap. 8. §. 1. in Exod. 23. 19. *Nullam carnem coquere licet cum lacte præter carnem piscium & locustarum. Nullam carnem apponere licet mensæ cum caseo præter carnem piscium & locustarum. Qui vovit se non esurum carnem, huic edere licet carnem piscium & locustarum* מכבים.

50. *Caro & sanguis non possidebunt regnum cælorum*] Ab hoc regno secluduntur duo, Peccatum & Pœna: nihil pollutum, nihil caducum, mortale nihil conscendere potest ad fastigium illud. Postremum istud membrum designatur hoc loco. Nam hæ voces *caro & sanguis* spectant ac significant non tam corruptionem quam infirmitatem naturæ nostræ. Patet id ex Hebr. 2. 14. *Quia filii participes sunt carnis & sanguinis, etiam ipse* Christus *eorundem particeps est factus.* Sic Ephes. 6. 12. *Non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem*, h. e. adversus hostes infirmos, & mortales. Hebraismus est frequens, non quidem apud Prophetas, sed apud Rabbinos. רבה in Genel. §. 1. *Rex carnis & sanguinis ædificat palatium ubi prius erant cloaca.* §. 4. *Rex carnis & sanguinis ædificans palatium laquearia facit ex lapidibus, lignis, pulvere; Deus autem laquearia mundi non nisi ex aqua fecit.* §. 49. *Caro & sanguis ab ira subiguntur; Deus iram subigit. Caro & sanguis à zelotypia subiguntur; Deus zelotypiam subigit.* §. 53. *Angeli sciunt se vivere & stare in æternum; Ego vero caro & sanguis hodie sto, cras moriturus.* Jacob Esavo misisse dicitur *Maleacim* Gen. 32. 3. Hic notat Rabba quosdam quidem id accipere de *Angelis* simpliciter dictis, alios vero de *Angelis carnis & sanguinis*, h. e de nuncius mortalibus.

54. *Tunc implebitur id quod scriptum est* Esa. 25. 8. *Absorpta est mors in victoriam*] Possunt etiam Esaiæ verba verti *Absorpsit Dominus mortem in æternum*: sed idem est utrobique sensus.

55. *Ubi tuus, ô mors, stimulus? Ubi tua, ô inferne, victoria?*] Hæc ex Oseæ 13. 14. petita sunt, & quidem ex versione LXX-virali, cum inversione vocabulorum νῖκος & κέντρον. Hodie quidem editio Græca sic habet, Ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη; Et jam ita legebatur Hieronymi tempore. Sed omnino sic scripsisse videtur interpres Philadelphi, Ποῦ ἡ νίκη σου, &c. ut hæc causa sit cur Apostolus ita quoque vertat, non quod id proprie significent Hoseæ verba, sed quia non abludunt à Prophetæ scopo. Quod autem Hieronymus in Ose. 13. & Tertullianus De resurr. carnis & Adv. Marcion. lib. 5. vertunt, *Ubi est contentio tua?* pro *victoria tua*, sapit id manifestum mendum codicis quo Vet. interpres usus fuerat, qui legerat νεῖκος, pro νῖκος, quasi νῖκος non sit Græcum.

LUD. CAPPELLUS.

45. ΕΓένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ, &c.] Ratio oppositionis sequentis membri postulare videtur, ut in priore hoc membro deleatur vox ἄνθρωπος, legaturque Ἐγένετο ὁ πρῶτος Ἀδὰμ, quomodo in sequenti dicitur, ὁ ἔσχατος Ἀδάμ. Et sane phrasis est à Judæis (uti videtur) petita, qui Adamum vocant אדם הראשון *primum Adamum*, nempe quia Hebræis אדם nomen est etiam speciei, non proprium duntaxat individui illius hominis: itaque distinctionis gratia cum Adamum significare volunt, addunt illud הראשון. Si itaque harum vocum ἄνθρωπος & Ἀδὰμ altera est expungenda, expungi malim ἄνθρωπος quam Ἀδὰμ, contra quam sentit Stapulensis. Verum utraque hic retineri posse videtur. Sic enim mox infra ver. 47. ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος. Ubi conjungit Κύριος cum ἄνθρωπος, non vero cum Ἀδάμ. Nisi quis malit dicere, ἄνθρωπος hic ἐξηγητικῶς positum est pro Ἀδάμ. Porro quomodo hic ab Apostolo Christus Adamo opponitur & præfertur, sic à Judæis Moses eidem Adamo opponitur & præfertur, sed alio respectu quam hic fit ab Apostolo, ita tamen ut alterum alterius sit imitamentum quoddam. Sic ergo illi nugantur in Rabboth, ultima Deut. Parascha, in hunc locum Prov. 31. FILIÆ MULTÆ FORTITER FECERUNT, SED TU OMNES SUPERASTI. *Quid sibi vult*, inquiunt, *illud*, TU EAS OMNES SUPERASTI? *Dictum est nempe de Mose, qui elevatus est supra omnes homines. Exempli gr. Primus Adam dixit Mosi, Ego te sum major, quia creatus sum ad imaginem Dei: dictum est enim*, ET CREAVIT DEUS HOMINEM AD IMAGINEM SUAM. *Dixit ei Moses, Imo vero ego te sum major: gloria enim quæ tibi data est, ablata fuit à te; dictum est enim* Psal. 49. HOMO IN HONORE CONSTITUTUS NON PERMANEBIT: *at splendor faciei meæ qui mihi datus est à Deo, permansit mecum; scriptum est enim* Deut. 34. OCULI EJUS NON CALIGARANT, NEQUE IMMINUTUS ERAT EJUS VIGOR.

54. Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος] *Absorpta est mors in perpetuum*; h. e. non vigebit, non dominabitur amplius in æternum in fideles. Christus enim vim omnem illi eripuit morte sua. Recte observat Beza, locum esse desumptum ex Esai. 25. 8. ubi tamen LXX habent, κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, h. e. *Mors prævalens* (seu *robusta*) *deglutivit*, vel *deglutiet*. Apostolus melius & commodius verba Prophetæ reddidit, κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Ubi εἰς νῖκος significat *in æternum*, *in perpetuum*, non vero *in victoriam*, phrasi τῶν LXX familiari, qui sæpius לנצח reddunt εἰς νῖκος, & quidem iis in locis ubi *victoria* significatio non quadrat, sed *perpetuitatis*, uti 2 Sam. 2. 26. Jer. 3. 5. & Thren. 5. 20. ἵνα τί εἰς νῖκος ἐπιλήσῃ ἡμῶν; Amos 1. 11. & 8. 7. Ita passim eodem sensu εἰς τέλος pro *in perpetuum*.

G R O T I U S.

1. Γνωρίζω δὲ ὑμῖν, ἀδελφοὶ, *Notum autem vobis facio, fratres*] Maximum malum, sed non ita late diffusum per Corinthiorum Ecclesiam, ultimo loco medicari aggreditur Paulus. Nam quia resurrectionis dogma Philosophicis quibusdam ratiunculis oppugnari solebat, ut cognoscere est Actor. XVII, 18. ex Athenagora, ex objectis de Resurrectione quæ sunt in Justini operibus, & ex libro Tertulliani de Resurrectione, eo evenerat ut quidam facti quidem Christiani, sed Philosophorum quorundam opinionibus non satis liberati, quorum fuere Hymenæus & Philetus, dogma illud in ἀλληγορίαν [*sensum reconditum*] verterent, seque jam nunc resurrectionis esse compotes dicerent, quod Gnosticos fecisse testatur Clemens Alexandrinus Strom. III. Resurrectionem itaque arbitrabantur, non vacare rebus hujus vitæ, inter quas est matrimonium, sed soli meditationi ad exemplum Cœlibum Essenorum. Hoc enim cum nova quædam ipsis vita esse censeretur, cui comparata vita prior mors erat, ideo & illud *mortem*, & hoc *resurrectionem* vocabant, ut ex loco Pauli II Tim. II, 17, 18. & dicto Clementis loco, & ex iis quæ de Saturnino habent tum Irenæus tum Tertullianus, datur intelligi. Et ad hoc & ad alia quædam dogmata pertinet & illud Tertulliani in Apologetico. *Ex horum semine etiam nostram hanc novitiolam paraturam viri quidam sui opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt, & de una via obliquos multos & inexplicabiles tramites sciderunt.* Hoc vero cum revera nihil esset aliud quam ipsa doctrinæ Christianæ fundamenta convellere, sollicite sibi refutandum censuit Apostolus. ¶ τὸ εὐαγγέλιον ὃ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, *evangelium quod prædicavi vobis*] Vox *Euangelii* primum quidem τὸ κήρυγμα [*præconium*] Christi significat, deinde & illa per quæ κήρυγμα [*præconium*] illud confirmatum est: id est, historiam de vita, miraculis, morte, resurrectione, & in cœlum evectione Christi, ut diximus in Prolegomenis ad Euangelia. ¶ ὃ καὶ παρελάβετε, *quod & accepistis*] *Quod tanquam verum recepistis.* Sic לקח [*accipere*] sumitur apud Hebræos. Unde & nomen לקח pro *doctrina* frequens. ¶ ἐν ᾧ καὶ ἑστήκατε. *in quo & statis*] *In cujus professione perstitistis hactenus pars maxima.*

2. Δι᾽ οὗ καὶ σώζεσθε, *Per quod & salvamini*] Est & hic præsens pro futuro, ut supra XIII, 13. infra XVI, 5. II Petri III, 11. *per quod salutem consequemini.* ¶ τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, εἰ κατέχετε. *qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis*] Est & hic trajectio, & λόγῳ [*ratione*] positum est pro *modo. Si recte meministis quomodo id vobis annuntiaverim*, id est, & historiam cum suis circumstantiis, & dogmata cum sua explicatione. Ita enim facile videbitis quantum hæc distent ab iis quæ isti ex Philosophis male Christiani dictitant. ¶ ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε. *nisi frustra credidistis*] Est & hic duplex negatio pro una, ut supra XIV, 5. Cum dicit, *nisi frustra credidistis*, hoc vult, nisi illa omnia prius credita vobis exciderunt.

3. Παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις, *Tradidi enim vobis in primis*] *Inter præcipua quæ credere debebatis.* ¶ ὃ καὶ παρέλαβον, *quod & accepi*] *Quod ego ipse acceperam*, ab Anania primum, deinde & ab Apostolis, accedente forte & speciali revelatione, ut diximus supra XI, 23. ¶ ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν, *quoniam Christus mortuus est*] Vere, non imaginarie. Ideo omnia quæ ad mortem & resurrectionem pertinent, tam accurate observata, tradita ac postremum conscripta sunt. ¶ ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *pro peccatis nostris*] Sic διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν [*propter delicta nostra*] Rom. IV, 25, ubi dicta vide. ¶ κατὰ τὰς γραφάς· *secundum Scripturas*] Sicut Esaias, Daniel & alii prædixerant. Vide quæ dicta ad Luc. XXIV, 26, 27. Actor. XXVI, 22, 23.

4. καὶ ὅτι ἐτάφη. *& quia sepultus est*] Exanimis repositus fuit in monumento adhuc vacuo. Vide quæ ad Euangelium Matthæi. ¶ καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, *& quia resurrexit tertia die*] Reditus Christi in vitam, modo per ἀναστῆναι [*resurgere*], modo per ἐγείρεσθαι [*resuscitari*] significatur: quia scilicet mors & casui & somno comparatur. ¶ κατὰ τὰς γραφάς. *secundum Scripturas*] Nam & hoc Esaias & Daniel prædixerant, & præfiguraverat Jonas.

5. Καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, *Et quia visus est Cephæ*] Res tanti momenti neque facilis creditu multis egebat testibus. Quod hic tangitur idem est cum eo quod habet Lucas XXIV, 34. ¶ εἶτα τοῖς δώδεκα. *& post hoc duodecim*] Spectat hoc ad historiam quæ est Luc. XXIV, 36. Vocantur autem Apostoli οἱ δώδεκα [*duodecim*] non quod tot essent, mortuo Juda & Thoma absente, sed quia eo numero institutum erat eorum collegium. Vide quæ dicta apud Joh. XX, 24.

6. Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ, *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul*] Hæc apparitio contigit in Galilæa Matth. XXVIII, 7. in monte, ut traditio habet, Thabor sive Itabyrio. ἐφάπαξ כאחד [*simul*] *eodem tempore.* ἐπάνω πεντακοσίοις [*plusquam quingentis*] constructio est ἐλλειπτική [*defectiva*] sicut Latine dicimus, *interfecit plus trecentos.* ¶ ἐξ ὧν οἱ πλείους μένουσιν ἕως ἄρτι, *ex quibus multi manent usque adhuc*] Ex quibus qui volet testimonium poterit exquirere. ¶ τινὲς δὲ καὶ ἐκοιμήθησαν. *quidam autem & dormierunt*] Quorum liberi & familiares testari adhuc possunt, quid ex ipsorum ore ista de re audiverint.

7. Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ. *Deinde visus est Jacobo*] Videtur ἔπειτα [*deinde*] hic esse non *postea*, sed *præterea*, ut supra XII, 28. Jacob. III, 17. Nam apparitio Christi Jacobo facta est statim post resurrectionem, ut habet traditio quam ex Hieronymo commemoravimus in Prolegomenis ad Matthæum. ¶ ἔπειτα τοῖς Ἀποστόλοις πᾶσιν. *deinde Apostolis omnibus*] De quo vide Johan. XX, 25, & sequentibus, & XXI.

8. Ἔσχατον δὲ πάντων ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη κἀμοί. *Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est & mihi*] Est & hic Trajectio. Recta enim elocutio fuerat ὤφθη κἀμοὶ, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι. *Conspectus est & mihi qui sum velut partus ex abortione*, נפל, Job. III, 16. Eccles. VI, 3. Hoc autem ideo dicit, quia non longa institutione ad Christianismum perductus fuit, quo esset velut naturalis partio, sed vi subita, quomodo immaturi partus ejici solent. Imitatus hoc est Ignatius, aut quisquis est scriptor Epistolæ ad Romanos inter Ignatianas, οὐ γάρ εἰμι ἄξιος, ὢν ἔσχατος αὐτῶν καὶ ἔκτρωμα [*non enim sum dignus, cum sim extremus inter eos & abortivus*].

9. Ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστόλων, *Ego enim sum minimus Apostolorum*] Ad augendam testimonii fidem, magna de se prædicaturus primum quantum potest se dejicit, ne glorias flare videretur. ¶ ὃς οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι ἀπόστολος, *qui non sum dignus vocari Apostolus*] Ἱκανὸς est ἄξιος [*dignus*] ut apparet collatione loci Matth. III, 11. & Joh. I, 27. Indignum se negat tanto honore, ob vitam priorem. Atqui alibi dixit *miserationem sibi obtigisse ideo quod quæ fecerat, ea fecisset per ignorantiam*, I Tim. I, 13. Verum est: sed id culpam minuit, non detrahit. Et qui talia peccat, si summo jure agatur, Apostolico honore non est dignus. ¶ διότι ἐδίωξα τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. *quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*] Deus id jam condonaverat, & ipse meminit.

10. Χάριτι δὲ Θεοῦ εἰμι ὅ εἰμι. *Gratia autem Dei sum id quod sum*] *Dei miseratione sum Apostolus.* ¶ καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ οὐ κενὴ ἐγενήθη, *& gratia ejus in me vacua non fuit*] *Collatus mihi honos fructu suo non caruit.* ¶ ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα. *sed abundantius illis omnibus laboravi*] Περισσότερον יותר מן *plus, amplius* effecit. Vide Rom. XV, 19, 20. ¶ οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ᾽ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. *non ego autem, sed gratia Dei mecum*] Comparate & hoc dictum, non ut se excludat, sed ut potentiæ divinæ potissimas tribuat partes. Similis locutio Matth. X, 20. *Gratia Dei cum aliquo esse dicitur*, cui favet atque opitulatur. Vide Matth. XXVIII, 20. Quod hic per σὺν [*cum*] explicatur id alibi per ἐπὶ [*in*] Actor. IV, 33. per μετὰ I Tim. VI, 21. Est hæc explicatio vocabuli עמנואל [*Immanuel*].

11. Εἴτε οὖν ἐγὼ, *sive enim ego*] Ego qui tot struxi Ecclesias. ¶ εἴτε ἐκεῖνοι, *sive illi*] *Apostoli alii*, supple *respiciuntur.* Similis locutio supra XIII, 8. ¶ οὕτω κηρύσσομεν, *sic prædicamus*] Et Christum reipsa κατὰ τὸ ῥητὸν [*secundum id quod verba sonant*] resurrexisse & nos resurrecturos. ¶ καὶ οὕτως ἐπιστεύσατε. *& sic credidistis*] Regula Christi in quam baptizati estis, utrumque continet.

12. Εἰ δὲ Χριστὸς κηρύσσεται ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται, πῶς λέγουσί τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν; *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?*] Id est, esse τῶν ἁπλῶς ἀδυνάτων (*ex iis, quæ fieri omnino non possunt*), quæ sunt οὐκ ὄντα, οὐκ ἐνδεχόμενα [*ejusmodi ut nec sint, nec esse possint*]. Nam certe quod factum est, fieri potest. Contra tales disputat Abarbaniel ad prima Esaiæ.

13. Εἰ δὲ ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται· *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit*] Sublato genere tollitur & species. Est argumentum, ut Scholæ dicunt, in Ferio, ideo adductum ut convicta falsitatis illatione & assumptione manifesta, nempe *Christum fuisse mortuum*, perimatur propositio quæ est, *Nullum mortuum resurgere.*

14. Εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴ δὲ καὶ ἡ πίστις ὑμῶν, *Si autem Christus non resurrexit,*

inanis

inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra] Id ideo quia hoc præcipue argumento usi erant Apostoli, ut evincerent verum esse Christi dogma, quod Deus eum, si falsa docuisset, non resuscitasset è mortuis. Vide Actor. I, 22. II, 32. IV, 10, 33. XIII, 37. Rom. I, 4. IV, 24.

15. Εὑρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ. *Invenimur autem & falsi testes Dei*] *Deprehendimur nomine Dei falsum tulisse testimonium*, abusi Dei nomine contra præceptum Exodi XX, 7. Quod scilicet de nobis minime credendum est, quos vita tam emendata facile ab omni falsimoniæ suspicione liberat. ¶ ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἤγειρε τὸν Χριστόν. *Quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum*] Contra Deum enim est testimonium omne quod Deum fecisse dicit id quod non fecit. Si de homine falsum dicere, magnum est scelus, quanto magis de Deo? Si quis Regis monetam adulterat, gravissime punitur, quanto magis qui Dei? Miracula enim Dei moneta. ¶ ὃν οὐκ ἤγειρεν, εἴπερ ἄρα νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται. *Quem non suscitavit, si mortui non resurgunt*] Est eadem connexio quæ supra 13.

17. Εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, ματαία ἡ πίστις ὑμῶν· *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra*] Idem quod supra 14. Nam valde necessaria Apostoli sæpe repetunt. ¶ ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν· *adhuc enim estis in peccatis vestris*] Non estis certi de remissione peccatorum vestrorum quam Christus promisit Dei mandato: cujus mandati fidem non alia magis facit res quam ipsius ex morte resuscitatio, Rom. IV, 25.

18. Ἄρα καὶ οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ, ἀπώλοντο. *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt*] *Perierunt igitur* sine spe vitæ melioris, *qui Christi*, id est, Euangelii *causa mortem obierunt*, ut Stephanus & alii. Ἐν [*in*] hic positum est pro *propter*, & quod hic est ἐν Χριστῷ [*in Christo*] idem dicitur διὰ τοῦ Ἰησοῦ [*per Jesum*] 1 Thess. IV, 14.

19. Εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν Χριστῷ μόνον, ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων ἐσμέν. *Si in hac vita tantum sperantes in Christo sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*] Argumentum maximi ponderis, quod etiam latius deducit Apostolus infra 30. Non amentes esse Apostolos satis constabat ex vita ipsorum, dictis & scriptis. Atqui amentium fuerat objicere se tot odiis, incommodis, periculis, morti ipsi, nisi præmium aliquod post hanc vitam exspectarent, cujus præmii fidem nulla magis illis res fecerat quam Christi resurrectio. Vere ergo miserandi erant Apostoli si eousque insanirent. Quid enim à Christo in hac vita sperare poterant, quod cum tantis malis compararetur? Μόνον [*tantum*] construendum cum τῇ ζωῇ ταύτῃ [*hac vita*]. ἐλεεινότεροι πάντων [*miserabiliores omnibus*], constructio qualis supra XIII, 13.

20. Νυνὶ δὲ Χριστὸς ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν· *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis*] Νυνὶ [*nunc*] etiam hic, ut Rom. III, 21. VII, 10. supra V, 11. VII, 14. XII, 20. XIV, 6. ¶ ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο. *primitiæ dormientium factus est*] Sequitur Clemens in Epistola, Κατανοήσωμεν, ἀγαπητοί, πῶς ὁ δεσπότης ἐπιδείκνυται διηνεκῶς ἡμῖν τὴν μέλλουσαν ἀνάστασιν ἔσεσθαι, ἧς τὴν ἀπαρχὴν ἐποιήσατο τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναστήσας [*Consideremus, dilecti, quemadmodum Dominus futuram resurrectionem nobis perpetuo ostendat, cujus primitias Dominum Jesum Christum fecit, eum à mortuis suscitans*]. De usu vocis ἀπαρχῆς [*primitiarum*] vide Rom. VIII, 23. XI, 16. XVI, 5. Dicitur autem Christus ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων [*primitiæ dormientium*] non ob mortem, sed ob vitam immortalem, quam omnium hominum primus post mortem est consecutus. Loquor jam secundum Hebræos, quibus *vivere* dicitur non animus solus, sed homo totus. Eodem sensu Christus dicitur Coloss. I, 18. & Apocal. I, 5, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν [*primogenitus ex mortuis*].

21. Ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, *Quoniam enim per hominem mors*] Idem est sensus qui Rom. V, 14, 15, 16, 17, 18, 19. *Sicut per unum Adamum mors pertigit* scilicet *ad omnes qui naturam ejus participabant.* ¶ καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν. *& per hominem resurrectio mortuorum*] Καὶ [*Et*] hic valet *ita*, more Hebræo. Et ἀνάστασις νεκρῶν [*resurrectio mortuorum*] hic est, תחיה *resurrectio beata*, sumpta voce in partem meliorem. *Resurrectio beata omnibus continget, qui naturæ Christi sunt participes*: quod proprie quidem pertinet ad eos qui Christo crediderunt eam pollicenti: attamen etiam sine pollicitatione continget piis qui ante Christum fuere, quia τὸν λόγον [*sermonem*] sunt secuti qui in Christo σὰρξ ἐγένετο [*caro factus est*]. Data enim illis sunt velut pro mutuo dona quædam de donis Christo destinatis, quibus pro temporum ratione recte sunt usi.

22. Ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, *Et sicut in Adam omnes moriuntur*] Id est, *per Adamum*, ob vitam ab ipso datam. Ἐν τῷ Ἀδὰμ [*in Adamo*] hic idem quod δι' ἑνὸς ἀνθρώπου [*per unum hominem*] Rom. V, 12. ¶ οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται. *ita & in Christo omnes vivificabuntur*] *In Christo*, id est, per Christum *omnes*, nempe qui participes sunt naturæ Christi. Sic vox *omnes* sumitur & Rom. V, 18. Ἐν τῷ Χριστῷ [*In Christo*] idem quod ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ [*in gratia unius hominis Jesu Christi*], Rom. V, 15, & διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ, [*per unum Jesum Christum*], Rom. V, 17. διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς [*per unius obedientiam*], Rom. V, 19, ubi dicta vide. Verbum ζωοποιεῖν in sensu *beatæ resurrectionis* habuimus Joh. V, 21. VI, 63. Rom. IV, 17. VIII, 11. Proprie respondet Hebræo החיה [*vivificare*].

23. Ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι. *Unusquisque autem in suo ordine*] Tertullianus III. adversus Marcionem intelligit intra mille annos quorum mentio fit in Apocalypsi XX, 3, 4, 5, 6, 7. pro meritis alios maturius, alios tardius resurrecturos. Nec aliud videtur velle libro de Resurrectione carnis cum dicit, *Unusquisque autem in suo ordine, scilicet quia & in suo corpore. Ordo enim non alius quam meritorum dispositor.* Sed mihi certum habetur illud de resurrectione priore Martyrum, quod est in Apocalypsi, neque Paulo, neque Christianis ante Apocalypsis editionem fuisse cognitum. Sed illud credibile est & scivisse & hic indicasse Paulum, resurrecturos ita prius singulos, [illegible]out Christi imaginem propius expresserint. Simili quodammodo sensu habuimus κατὰ τάξιν [*secundum ordinem*] supra XIV, 40. ¶ ἀπαρχὴ Χριστός, *primitiæ Christus*] Is jam resurrexit. ¶ ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ, *deinde is qui sunt Christi*] *Qui Christo fideliter servierunt.* ¶ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. *in adventu ejus*] Nempe ζωοποιηθήσονται [*vivificabuntur*].

24. Εἶτα τὸ τέλος, *Deinde finis*] Nempe regni illius quod Dei Patris vice ac nomine Christus administravit, ut sequitur. ¶ ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ πατρί· *cum tradiderit Regnum Deo & Patri*] Nempe sicut Præsides in provincias missi reddebant Cæsaribus acceptam potestatem. ¶ ὅταν καταργήσῃ πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν. *cum evacuaverit omnem principatum & potestatem & virtutem*] Illud καταργήσῃ [*evacuaverit*] quod est ἀόριστον [*indefinitum*], hic plusquam perfecti habet significationem. Nam quod hic dicitur, præcedit παρουσίαν [*adventum*]. Illa autem nomina ἀρχὴν, ἐξουσίαν, δύναμιν [*principatum, potestatem, virtutem*], significant omnia imperia & regna mundi ac regimina minora. Respicitur enim, sed sublimiore sensu id quod est apud Danielem VII, 14, 27. Tunc vere Christus erit ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς & βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων [*Princeps Regum terræ & Rex Regum*] quomodo vocatur Apocal. I, 5. 1 Timoth. VI, 15. cum destructo omni illo potentatu de Regibus non minus quam de infimis quibusque sententiam feret.

25. Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρις οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. *Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*] In Manuscripto τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ [*inimicos ejus*]. *Donec ejus inimicos omnes ei subjiciat.* Ex Psalmo CX. sic intellecto quomodo eum Christus explicat Matth. XXII, 44. Ad illud θῇ [*ponas*] subaudiri debere ὁ Θεὸς [*Deus*] tum ex Psalmo apparet, tum ex eo quod sequitur 27.

27. Πάντα γὰρ ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. *Omnia enim subjecit sub pedibus ejus*] Hoc est ex Psalm. VIII. mystice intellecto, quomodo eum accepit Scriptor ad Hebr. II, 8. Nam Christus alter Adam, in quo omnia majora & æterna. ¶ Ὅταν δὲ εἴπῃ, ὅτι πάντα ὑποτέτακται, δῆλον ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα. *Cum autem dicit, Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia*] Ne Deo rerum omnium opifici, quem & Judæi & pii in Gentibus colebant, credatur facere injuriam si diceret *Christo omnia fore subjecta*, occurrit pravæ interpretationi, & ex ipso verbo שתה [*posuisti*] quod est in Psalm. VIII. ostendit, satis apertum esse omnibus *eum qui cætera Christo subjecit excipi.* Irenæus dicebat se ne Christo quidem crediturum fuisse si alium Deum quam Mundi opificem prædicasset. Est autem hæc interpretatio ejus generis quod Græci vocant καθ' ὑπεξαίρεσιν [*per exceptionem*], quo sæpe uti cogit necessitas: ut cum dicimus, *Et quod tegit omnia cœlum.* ὅταν εἴπῃ [*cum dicit*], nempe *Scriptura*, ut Hebr. I, 7.

28. Ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα. *Cum autem subjecta fuerint ei omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia*] Erit sicut Legatus qui deposito legationis onere digni-

dignitatem retinet. ¶ ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι. *ut sit Deus omnia in omnibus*] *Omnia erunt Dei plena. Illic omnibus omne cognatum*, ait Seneca ad Marciam de vita cœlesti pro suo modulo loquens. *Angeli & pii adunabuntur cum Deo sicut scintilla cum Sole*, ait R. Solomo in libro Keter Malchut, & huc mystico sensu Hebræi trahunt locum Seph. III, 9.

29. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?*] Hic ἐπεὶ est *praeterea* : & καὶ est *ergo*. τί ποιήσουσι, *quid efficient*. Est novum argumentum ex ritu tunc per Ecclesias recepto, unde appareat ab omnibus creditam resurrectionem. Nam si quis in statu κατηχουμένου [*catechumeni*] esset mortuus, erat qui ipsius vice ac nomine baptizabatur, sic mortui fidem apud Ecclesiam obsignans. Tertullianus de Resurrectione carnis, *Si autem baptizantur quidam pro mortuis, videbimus an ratione. Certe illa præsumptione hoc eos instituisse contendit, qua alii etiam carni, ut vicarium baptisma, profuturum existimarunt ad spem resurrectionis, quam nisi corporalis non alias sic baptismate corporali obligaretur. Quid & ipsos baptizari ait, si non qua baptizantur corpora resurgunt?* Idem adversus Marcionem, *Quid, ait, facient qui pro mortuis baptizantur si mortui non resurgunt? Viderit institutio ista. Kalendæ, si forte, Februariæ, (respondebant illi) pro mortuis peterent. Noli ergo Apostolum novum auctorem aut confirmatorem ejus denotare, ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi qui varie pro mortuis baptizarentur spe resurrectionis hoc facerent.* Ambrosius aut quisquis est qui sub ejus nomine ad hunc locum legitur, *In tantum stabilem & ratam vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum eorum qui tam securi erant de futura resurrectione ut etiam pro mortuis baptizarentur si quem mors prævenisset, timentes ne aut male aut non resurgeret qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur. Unde subjecit, Quid & baptizantur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit.* Marcionitas hoc more usos tum ex Tertulliani verbis intelligitur, tum aperte id dicit Chrysostomus, & post eum alii. Volebant autem videri Marcionitæ omnium quæ Paulus aut instituerat aut probaverat seduli sectatores. Mirari hunc ritum eo minus debemus quod nonnullis in locis ipsa mortuorum corpora sint baptizata, ut apparet ex Canone qui aliis est XVIII, aliis XIX Concilii Carthaginiensis, nec minus mortuis corporibus data Eucharistia, ut nos docet idem Canon Carthaginensis & LXXXIII. Synodi in Trullo habitæ. Crede autem inter alia usurpatum illum vicarium baptismum ut Ecclesia pro defunctis oraret. Non solebant enim publicæ preces fieri pro Catechumenis, quanquam eleemosynas pro eis licebat dare.

30. Τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; *Ut quid & nos periclitamur per omnem horam?*] Nos Apostoli, & Euangelistæ adjutores nostri, si nulla est resurrectio mortuorum exspectanda, stultissimi nos hominum sumus. Vide supra 19.

31. Καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, *Quotidie morior*] Id est, *quotidie paratus sum mori*. Vide II Cor. IV, 11, 12. Sic Paulus *quotidie moriebatur*, quomodo dicitur *adulterium fecisse* qui id voluit. ¶ νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. *per vestram gloriam, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro*] Pronomen hic possessivum quod vice genitivi est, sicut alibi genitivus, causam designat efficientem. Hoc enim vult dicere, *Quam vere ego gaudeo* (id enim est καυχᾶσθαι [*gloriari*]) *de vestro profectu in Christo, ita verum est me quotidie paratum mori: Tantum abest ut dubitem an futura sit resurrectio.* Responsio ad objecta Græcorum quæ est in Justini operibus, Εἰ καθ' ὑμᾶς οὐκ ἔστιν ἀληθὴς ὁ περὶ τῆς ἀναστάσεως δόγματος, ὑπὲρ τίνος τῆς ἑαυτῶν ζωῆς περιεποίησαν οἱ μάρτυρες τὸν ἑαυτῶν θάνατον· τίνος δὲ ἐξ ἀιδίας θρησκείας πολυτρόποις βασάνοις τε καὶ θανάτοις ἐβεβαιώθη τὸ δόγμα, ὡς τῆς ἑαυτῶν θρησκείας, λέγω δὴ τῶν χριστιανῶν περὶ τῶν νεκρῶν ἀναστάσεως; [*Si juxta vestram sententiam doctrina de resurrectione vera non est, vitam ipsi suam propter eam morti posthabuere martyres? Cujus vero unquam religionis tot cruciatibus atque adeo mortis suppliciis confirmata est doctrina, quot illa horum doctrina, Christianorum, inquam, de resurrectione mortuorum?*]

32. Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi*] Quidam putant Paulum revera cum bestiis coactum depugnare Ephesi & Dei ope salvum evasisse, quomodo Ignatium feris objectum legimus, & Christianos ad Leonem damnatos apud Tertullianum. Sed primum non erat rem tam insignem præteriturus Lucas, qui & minora Pauli, & quidem illorum temporum, annotat. Quare rectius erit intelligere, concertandum sibi fuisse Ephesi cum hominibus ferinis, quomodo θηριώδεις τυράννους [*ferinos Tyrannos*] dixit in Lycurgo Plutarchus. Sic & Deut. XXXIII, 33. impii feris comparantur, & passim Reges in literis Prophetarum, & II Tim. IV, 17. Erat enim vulgo receptum ut quibus negotium erat cum hominibus efferatis, ii dicerentur θηριομαχεῖν [*cum bestiis pugnare*]. Assentior autem Tertulliano qui eandem rem hic tangi putat quæ tangitur II Cor. I, 8. Ita enim ille de Resurrectione, *Per quam & repugnavit ad bestias Ephesi, illas scilicet bestias Asiaticæ pressuræ.* ¶ τί μοι τὸ ὄφελος, εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; *quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?*] Facile mihi fuisset placare illorum animos, nisi fiducia resurrectionis effecisset ut omnia pericula contemnerem. τί τὸ ὄφελος; יתר מה [*quid lucri?*]. ¶ Φάγωμεν καὶ πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν. *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur*] Μίμησις [*Imitatio*] Epicureos & ejus generis alios ipsorum verbis depingens. Verba sunt deprompta ex Græco Esaiæ XXII, 13. Multa talia habet Horatius.

Strato,

> Καὶ πῖνε καὶ τέρπευ Δημόκρατες· οὐ γὰρ ἐς αἰεὶ
> Πιόμεθ' οὐδ' αἰεὶ παισὶ συνεσσόμεθα
>
> [*Et bibe Democrates, & delectare bibendo,*
> *Tempore non omni, vina bibemus ita;*
> *Nec delectantes jucunda tempora vitæ*
> *Læta crebro madidi semper agemus ibi*].

Et alius,

> Πῖνε καὶ εὐφραίνου, τί γὰρ αὔριον, ἢ τί τὸ μέλλον
> Οὐδεὶς γινώσκει.
>
> [*Indulge Baccho, sorbens lætare, futurum*
> *Quid sit cras hominum noscere nemo potest*].

Palladas vero,

> Πᾶσι θανεῖν μερόπεσσιν ὀφείλεται· οὐδέ τίς ἐστιν
> Αὔριον εἰ ζήσει θνητὸς ἐπιστάμενος.
> Τοῦτο σαφῶς, ἄνθρωπε, μαθὼν, εὔφραινε σεαυτόν
>
> [*Debita fata manent omnes, quem crastina vivum*
> *Sit visura dies, noscere nemo potest.*
> *Hæc bene cum noris te delectare memento*].

Tam in Esaia quam hic αὔριον ἀποθνήσκομεν [*cras moriemur*] est *brevi moriemur*. Brevis est vita. Præsens hic iterum pro futuro, ut supra XIII, 13.

33. Μὴ πλανᾶσθε. *Nolite seduci*] Monendi forma supra VI, 9. Gal. VI, 7. ¶ Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*] Est versus ex Thaide Menandri, ut Hieronymus nos docet, ita scriptus ab ipso Menandro,

> Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί.

Est enim Trimeter ex Spondæis & Jambis: sed Spondæis in sua sede. Tertullianus Trimetro liberiore, qualem Comœdiæ Latinæ usurpant, sic transtulit,

> *Bonos corrumpunt mores congressus mali.*

Sententiæ huic non dissimilis,

> Κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός
>
> [*Facient malorum te malum commercia*].

Et Theognidis,

> Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
> Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον
>
> [*A bonis enim bona disces, si vero malis*
> *Commiscearis, perdes & quam habebas mentem*].

Donatus ad Eunuchum II, 2. *Vide ut sententiose demonstrat, malos ex bonis contagione fieri, exemplis in pravum prævalentibus.* Significat Paulus periculosa maxime esse colloquia eorum qui spem tollunt vitæ alterius.

34. Ἐκνήψατε δικαίως, *Evigilate juste*] Ἐκνήφειν [*evigilare*] proprie dicuntur qui ex vinolentia ad se redeunt, ut Gen. IX, 24. I Sam. XXV, 37. Joel. I, 5. Transfertur ad eos omnes qui ab errore liberantur, ut Abac. II, 19. Δικαίως [*juste*] autem breviter dictum est pro ζήσαντες δικαίως, *in posterum juste victuri*. ¶ καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. *& nolite peccare*] Ne vos date voluptatibus, ut faciunt isti Epicurei. ¶ ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινες ἔχουσι. *ignorantiam enim Dei quidam habent*] Latent inter vos quidam ἄθεοι [*impii*] אשר לא ידעו יי [qui

[*qui Deum non norunt*] ut loquuntur Hebræi. Vicina sunt ἀσέβεια [*impietas*] & desperatio vitæ melioris. ¶ πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω. *ad reverentiam vobis loquor*] Ut supra VI, 5. Castigat eos quod talium hominum commercia non fugiant.

35. Ἀλλ' ἐρεῖ τις· Πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; *Sed dicet aliquis, Quomodo resurgunt mortui?*] Id est, *quomodo fieri potest ut mortui reviviscant?* Nam postquam sua adstruxerat Paulus, refellit Philosophorum objecta. ¶ ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται; *quali autem corpore venient?*] Nempe *in vitam*. Ita argumentabantur Philosophi isti. Si in eodem corpore redibunt, quorsum hoc? Neque enim edent neque bibent, neque gignent. Si in alio, non iidem erunt. Respondet Paulus fore aliquatenus idem, aliquatenus non idem, idque per similitudines illustrat.

36. Ἄφρον, *Insipiens*] Merito sic eos vocat qui miracula fieri non credunt, cum natura ipsa plena sit miraculis, sed quæ sui frequentia migrant in nomen aliud. ¶ σὺ ὃ σπείρεις οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ. *tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur*] Vetus erat apud Rabbinos corpus sepultum grano comparare. Usus ea similitudine ad Cleopatram Rabbinus Meir, ut legimus in Gemara de Synedrio cap. XI. utitur & Rabbi Hya. Satis diligenter hanc similitudinem explicat Clemens V, 6. Theophilus Antiochenus lib. I. Εἰ γὰρ τύχοι εἰπεῖν κόκκος σίτου ἢ τῶν λοιπῶν σπερμάτων, ἐπὰν βληθῇ εἰς τὴν γῆν, πρῶτον ἀποθνήσκει καὶ λύεται, εἶτα ἐγείρεται καὶ γίνεται στάχυς [*Granum frumenti, verbi gratia, alteriusve seminis, in terram conjectum, moritur primum & solvitur, tum deinde exortum fit spica*]. Et libro II, Ὥσπερ γὰρ ὂν ἡ γῆ φαινομένη ἤδη ἐστερήκει ἀκαλλωπίστου. Κατασκευάσει οὖν αὐτὴν καὶ κατακόσμησεν ὁ Θεὸς διὰ παντοδαπῶν χλόης καὶ σπερμάτων καὶ φυτῶν. σκόπει τὸ λοιπὸν τὴν ἐν τούτοις ποικιλίαν καὶ διάφορον κάλλος καὶ πλῆθος, καὶ ὅτι δι' αὐτῶν δείκνυται ἡ ἀνάστασις εἰς δεῖγμα τῆς μελλούσης ἔσεσθαι ἀναστάσεως ἁπάντων ἀνθρώπων [*Terra quidem, etsi videri jam poterat, tamen ornatu carebat. Instruxit itaque eam & ornavit Deus herbis omnigenis, seminibus, & plantis. Horum igitur varietatem & numerum & suam cuique pulchritudinem considera, quamque in iis videre est resurrectionem, futuræ hominum resurrectionis exemplar*]. Granum *mori* dicitur cum aëri ereptum terra occultatur. In Manuscripto est ζωογονεῖται. Hebræum החיה modo hoc, modo illo modo vertitur. *Vivescit* dixit de semine Plinius.

37. Καὶ ὃ σπείρεις οὐ τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον σπείρεις, *Et quod seminas non corpus quod futurum est seminas*] Multa enim ex uno prodeunt. Minutius, *Semina nonnisi corrupta revirescunt*. Tertullianus in Apologetico, *Semina nonnisi corrupta & dissoluta fœcundius surgunt*. ¶ ἀλλὰ γυμνὸν κόκκον, *sed nudum granum*] Granum sine culmo, sine arista. ¶ εἰ τύχοι, σίτου,] Latine recte vertes, *puta tritici*. ¶ ἤ τινος τῶν λοιπῶν. *aut alicujus cæterorum*] Hordei, farris, milii.

38. Ὁ δὲ Θεὸς αὐτῷ δίδωσι σῶμα καθὼς ἠθέλησε, *Deus autem dat illi corpus sicut voluit*] Nam & opera naturæ à Deo sunt qui naturam instituit.

39. Οὐ πᾶσα σὰρξ ἡ αὐτὴ σάρξ· *Non omnis caro eadem caro*] *Caro* species est corporis. Sicut carnes, quanquam multum inter se differentes, non desinunt esse carnes: Sic & corpora multum inter se distantia tamen corpora sunt. *Caro* Hebræis non dicitur, nisi de corpore mortali. ¶ ἀλλὰ ἄλλη μὲν σὰρξ ἀνθρώπων, ἄλλη δὲ σὰρξ κτηνῶν, ἄλλη δὲ ἰχθύων, ἄλλη δὲ πτηνῶν. *sed alia quidem caro hominum, alia vero caro pecorum, alia piscium, alia volucrum*] Vox κτηνῶν hic respondet Hebræo בהמה, quo nomine veniunt omnia *animantia muta super terram pedibus gradientia*. *Carnem* autem piscium dixit etiam Plinius non uno loco, sicut Hebræi Levit. XIV.

40. Καὶ σώματα ἐπουράνια, καὶ σώματα ἐπίγεια· ἀλλ' ἑτέρα μὲν ἡ τῶν ἐπουρανίων δόξα, ἑτέρα δὲ ἡ τῶν ἐπιγείων. *Et corpora cælestia & corpora terrestria: sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium*] Δόξαν [*gloriam*] hic vocat rerum *speciem*, τὸ εἶδος, Luc. IX, 29. quæ ἰδέα, Matth. XXVIII, 3. זיו Hebræis.

41. Ἄλλη δόξα ἡλίου, καὶ ἄλλη δόξα σελήνης, καὶ ἄλλη δόξα ἀστέρων· ἀστὴρ γὰρ ἀστέρος διαφέρει ἐν δόξῃ. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate*] Non tantum alia est species terrenis, alia cœlestibus corporibus, sed & ipsa inter se corpora cœlestia differunt specie, sive eo quod conspicitur. Sol omnium siderum fulgorem abscondit. ὁ ἥλιος πολὺ διαφέρει τῆς σελήνης δυνάμει καὶ δόξῃ [*Sol lunam & vi & splendore longe vincit*] ait Theophilus Antiochenus. At vero,

—— Micat inter ignes
Luna minores.

Inter stellas alias, sunt errantes, sunt fixæ: & inter has aliæ eximiæ, Arcturus, Sirius, Spica Virginis; aliæ minores, idque per multos gradus. Vide Dan. XII, 3. & Psalm. CXLVIII, 3.

42. Οὕτω καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν. *Sic & resurrectio mortuorum*] *Sic etiam res se habet in resurrectione mortuorum*. Simile loquendi genus Matth. XIII, 24. ¶ σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ. *seminatur in corruptione, surgit in incorruptione*] Quasi dicat, Tota illa quam attuli comparatio huc tendit, ut intelligatur longe alia esse species mortalis, alia immortalis corporis. Et cum posset dicere, *sepelitur*, maluit dicere, *seritur*, ut magis insisteret similitudini supra sumtæ de grano. Ἐν φθορᾷ [*in corruptione*] Hebræo more, id est, φθαρτόν [*corruptibile*] *quod diffluit & sic corrumpitur*. ἐν ἀφθαρσίᾳ [*in incorruptione*], id est, ἄφθαρτον, *quod corrumpi nequit*. Vide supra IX, 25. In aureo carmine Pythagoræ,

> Ἔσσεαι ἀθάνατος Θεὸς, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός
> [*Immortalis eris Deus, incorruptibilis, nec*
> *Amplius in numero mortalium* ——].

43. Σπείρεται ἐν ἀτιμίᾳ, *Seminatur in ignobilitate*] Abjectum ab hominibus ne fœtor noceat. Nam mortuos sepeliri, viventium interest. *Cadaveris facies*, in contemptu dicitur apud Terentium. ¶ ἐγείρεται ἐν δόξῃ. *surgit in gloria*] Hic δόξα (*gloria*) non quamvis speciem, sed pulchram atque venerabilem significat, כבוד. ¶ σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, *seminatur in infirmitate*] Sine sensu, sine potestate durandi in eo statu. ¶ ἐγείρεται ἐν δυνάμει. *surgit in virtute*] Vegetum, firmum, cum sensibus multis quos nunc non intelligimus. ¶ σπείρεται σῶμα ψυχικὸν, *seminatur corpus animale*] Id est, quod fuit ψυχικόν [*animale*]. Simile loquendi genus habes Matth. XXII, 23. Rom. IV, 5. Dicitur autem σῶμα ψυχικόν [*corpus animale*] id quod ad tempus vivit, dum anima adest. *Anima* est vox hujus vitæ. Postea nonnisi improprie sic dicitur. Itaque Maimonides *animam in hac vita* ait *potentia esse spiritum, in altera vita actu fore*. ¶ ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν. *surgit corpus spirituale*] Habens in se vice animæ spiritum immutabilem nunquam abscessurum, conservatorem & ducem corporis, quem spiritum *naturam Divinam* appellat Petrus II, I, 4. Irenæus V, 12. & dicitur *spiritus circumdans intus & foris hominem*. Tale corpus כסוי של חיים [*operimentum vitæ*] dicitur Aquibæ in libro super litteras. Hujus spiritus arrhabo est Spiritus qui in hac vita Christianis datur. Vide Irenæum V, 11. & Tertullianum de Resurrectione carnis. Eum spiritum Tatianus *animæ alam* vocat.

44. Ἔστι σῶμα ψυχικὸν, καὶ ἔστι σῶμα πνευματικόν. *Est corpus animale, & est corpus spirituale*] Quasi dicat, Distant multum illa inter se.

45. Οὕτω καὶ γέγραπται· Ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν. *Sicut scriptum est, Factus est primus homo Adam in animam viventem*] Genes. II, 7. ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν [*factus est homo in animam viventem*]. Paulus addit nomen Ἀδὰμ [*Adam*] ex præcedentibus apud Mosem, & nomen πρῶτος [*primus*] ut melius Christum ei componeret. Vide Rom. V, 14. & supra 22. *Factus est homo in animam viventem*, id est, factus est vivens animal. Est enim abstractum pro concreto. Animalium est vivere ad tempus. ¶ ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ, *novissimus Adam*] Christus. ¶ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. *in spiritum vivificantem*] Factus est per resurrectionem & evectionem in cœlum homo plane Divinus, qui potestatem habeat etiam aliis dandi vitam, & quidem æternam, Johan. VI, 33, 40, 47, 50, 57. supra 22. In Adam fuit ἐπιτηδειότης [*idoneitas*] quædam ad vivendum; in Christo ἐνέργεια [*efficacia sive actus*] ait Cyrillus.

46. Ἀλλ' οὐ πρῶτον τὸ πνευματικὸν, ἀλλὰ τὸ ψυχικὸν, ἔπειτα τὸ πνευματικόν. *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale*] Nempe *corpus* quod subaudiendum ex superiori 44. Promisit Deus imperfectiora ut perfectiora sequerentur. Sic ante pueri sumus quam viri. Sic prius Lex, deinde Euangelium. Prius cœlum & terra quæ cernimus, posterius cœlum & terra, id est, Universum multo pulchrius.

47. Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς, χοϊκός. *Primus homo de terra, terrenus*] Dixit de anima & spiritu. Nunc de corpore loquitur. Χοϊκὸς *limaceus* Tertulliano, *ex limo*, in Latino Irenæi V, 11. Respicitur illud Genes. II, 7. ἔπλασεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον χοῦν λαβὼν [*formavit Deus hominem assumpta terra*].

ra]. Hebræum est עפר quod habes & Genes. III, 19. Significat autem quamvis terræ particulam. Philo, Διττὰ ἀνθρώπων γένη· ὁ μὲν γάρ ἐστιν οὐράνιος ἄνθρωπος, ὁ δὲ γήϊνος· ὁ μὲν οὖν οὐράνιος, ἅτε κατ᾽ εἰκόνα Θεοῦ γεγονὼς, φθαρτῆς καὶ συνόλως γεώδους οὐσίας ἀμέτοχος· ὁ δὲ γήϊνος ἐκ σποράδος ὕλης, ἣν χοῦν κέκληκεν, ἐπάγη. [*Duplex hominum genus; alter est cœlestis, terrestris alter: cœlestis quidem, utpote ad imaginem Dei factus, expers corruptibilis & in totum terrenæ essentiæ, terrestris vero è seminali materia, quam humum vocat, compactus est.*] Theophilus χοῦν unde sumptus est Adam interpretatur οὐ τῆς ξηρᾶς, ἀλλὰ τῆς πολυμεροῦς καὶ ποικίλης ὕλης μέρος [*non sicca, sed mixta nec uniformis materiæ, partem*]. ¶ ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. *secundus homo, Dominus de cœlo*] Hic ἐξ οὐρανοῦ [*de cœlo*] dicitur Hebræo more pro οὐράνιος, id est, *cœlestis*, habens jam corpus cœleste.

48. Οἷος ὁ χοϊκὸς, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοί. *Qualis terrenus, tales & terreni*] Quale corpus Adamus habuit, tale & sevit in posteros. *In Adami persona genus humanum describitur*, Origenes contra Celsum IV. ¶ καὶ οἷος ὁ ἐπουράνιος, τοιοῦτοι καὶ οἱ ἐπουράνιοι. *& qualis supercœlestis, tales & supercœlestes*] Sic & Christus qui nos regenuit, nobis corpus dabit suo simile. Cum autem dixit ἐπουράνιος [*supercœlestis*] intelligi vult corpus fore dignum habitaculo supercœlesti. Vide Hebr. VI, 4. de voce ἐπουρανίου [*supercælestis*] vide Ephes. I, 3. Sedes III, in qua est Dei majestas & Angeli dicitur quidem *cœlum*, nimirum *tertium* excellentius cæteris, ideoque dictum שמי שמים [*cœli cœlorum*] & οὐρανοὶ [*cœli*] pluraliter, sed id nec minus ἐπουράνιος, *supercœlestis*, respectu habito ad cœlum spectabile. Origenes Philocalia XVIII, Πῶς οὐ δυνατὸν καὶ τὴν σάρκα τοῦ Ἰησοῦ ἀμειψάσης ποιότητας γεγονέναι τοιαύτην ὁποίαν ἐχρῆν εἶναι τὴν ἐν αἰθέρι καὶ τοῖς ἀνωτέρω αὐτοῦ τόποις πολιτευομένην; [*Cur tandem fieri non potest, ut caro Jesu postquam qualitates suas mutarit talis evaserit, qualem in æthere & ultra habitantem fieri oportuit?*]

49. Καὶ καθὼς ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ, *Igitur sicut portavimus imaginem terreni*] Corpus simile corpori Adami, & ob id morbis, malis & morti obnoxium. ¶ φορέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου. *portemus & imaginem cœlestis*] Φορέσομεν [*portabimus*] habent alii codices & sic legerunt Syrus, Arabs, & sic citat Origenes contra Celsum. Corpus habebimus simile corpori Jesu, in suo tamen gradu. Sic vox εἰκόνος [*imagines*] sumitur Rom. VIII, 29.

50. Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοὶ, *Hoc autem dico, fratres*] Clarius sua dicta explicat. Sic & supra VII, 29. ¶ ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται, *quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*] Hic apparet per *carnem & sanguinem*, בשר ודם intelligi corpus tale quale hic habemus, fluidum, fragile, caducum, Sirach. XIV, 19. Hebr. II, 14. *constans ex particulis minimis quæ decedunt quotidie & quarum in locum aliæ extrinsecus accedunt*, ut ait Alfenus in L. Proponebatur, D. de Judiciis. Talia corpora non conveniunt isti regno immutabili. Κληρονομεῖν, *tenere, possidere jure certo*. Sic emolliendus interpretatione Augustinus cum dicit libro contra Adimantium XII. *in resurrectione non fore carnem aut sanguinem*. ¶ οὐδὲ ἡ φθορὰ, *neque corruptio*] Et hic est abstractum pro concreto. Nam per φθορὰν [*corruptionem*] vult intelligi φθαρτὸν [*corruptibile*]. Et ita explicat quid intelligi voluerit per σάρκα [*carnem*] & αἷμα [*sanguinem*]. ¶ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ. *incorruptelam possidebit*] *Pertingere ad statum illum immutabilem non potest.*

51. Ἰδοὺ, μυστήριον ὑμῖν λέγω· *Ecce, mysterium vobis dico*] *Rem hactenus vobis aliisque incognitam.* Vide Rom. XI, 25. XVI, 25. supra II, 7. IV, 1. XIII, 2. XIV, 2. ¶ Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα· *Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes immutabimur*] Variant hic libri. Optime Manuscriptus ille, Οἱ πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα· οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα· *neque omnes obdormiemus*, id est, moriemur; *neque omnes mutabimur*. Veram hanc lectionem ostendunt sequentia. Eadem sententia in Commentario ad librum Aboth LIII, 2. & Notis ad caput I. Rabbini Israelis de Anima. Eodem spectat locus Actor. X, 42. & verba Symboli.

52. Ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι, *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba*] Hæc referenda ad proximum quod præcessit. Dicit mutationem istam corporis caduci in corpus immortale ita subitam fore ut tempus percipi non possit. Ἐν ἀτόμῳ [*in momento*], idem quod alibi ὡς στιγμὴ [*ut punctum*] Esaiæ XXIX, 5. פתאם. ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ כהרף עין [*in ictu oculi*] apud Rabbinos; רפף עינא Syrus hic. Illud ἐν ἀτόμῳ [*in momento*] etiam Philosophi usurpant, alterum, *in ictu oculi*, multæ gentes. *In ultima tuba*, id est, ad sonum tubæ ultimæ, sive ad signum ultimum quale per tubam in militia dari solet. ¶ σαλπίσει γὰρ, *canet enim*] *Dabitur enim signum.* Vide Matth. XXIV, 31. ubi dicta vide. Et 1 Thess. IV, 16. Sensus mysticus loci Zach. IX, 14. ¶ καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται, *& mortui resuscitabuntur*] Καὶ hic notat *tunc*: in Manuscripto pro ἐγερθήσονται [*resuscitabuntur*] est ἀναστήσονται [*resurgent*]. ¶ ἄφθαρτοι, *incorrupti*] Vide supra 50. ¶ καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα. *& nos immutabimur*] Nempe quos vivos Deus illic deprehenderit, inter quos Paulus putavit fieri posse ut & ipse esset & alii multi qui cum ipso vivebant. Sic ἡμεῖς οἱ ζῶντες [*nos qui vivimus*] dixit de eadem re Paulus 1 Thess. IV, 17. Id eo evenit quia de die ultimo, quando is futurus esset, nihil Christus suis revelaverat; ut semper exspectaretur. Et propiores fuere Apostoli & qui eos secuti sunt Christiani, ut crederent brevi id futurum. Vide si placet quæ hac de re notavimus ad III. librum de Veritate Religionis Christianæ, & in Appendice ad nostra de Antichristo.

53. Δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*] Tertullianus libro de Resurrectione carnis ita hunc locum explicat, *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptelam, & mortale istud induere immortalitatem. Hoc erit illud domicilium de cœlo quod gementes in hac carne superinduere desideramus, utique super carnem in qua deprehendemur: quia gravari nos ait qui sumus in tabernaculo, quod nolimus exui, sed potius superindui, uti devoretur mortale à vita, scilicet, dum demutatur superinduendo quod est de cœlis. Quid enim non desiderabit, dum in carne est, superinduere immortalitatem & continuare vitam, lucrifacta morte per vicariam demutationem? &c.* Rursus eodem libro, *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem, & mortale istud induere immortalitatem. Quid mortale, nisi caro? Quid corruptivum, nisi sanguis? Ac ne putes aliud sentire Apostolum, providentem tibi, & ut de carne dictum intelligas laborantem, quum dicit istud corruptivum, & istud mortale, cutem ipsam tenens dicit. Certe istud nisi de subjecto nisi de comparenti pronuntiasse non potuit. Demonstrationis corporalis est verbum.* Et adversus Marcionem ita, *Oportet enim corruptivum hoc, tenens utique carnem suam dicebat Apostolus.* Paria habet Justinus ad Symbolum. Plutarchus Bruto de Cæsare, Τῇ χειρὶ τοῦ σώματος ἁπτόμενος εἶπεν, Τί δ᾽; οὐκ ἂν ὑμῖν δοκεῖ Βροῦτος ἀναμεῖναι τουτὶ τὸ σαρκίον; [*Manu corpus attingens, Quid vobis, inquit, nonne videtur Brutus hoc corpusculum exspectaturus?*] Ἐνδύσασθαι [*induere*] valet התלבש, quod Hebræi usurpant cum de corpore immortali agitur. ¶ καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν. *& mortale hoc induere immortalitatem*] Potest esse corpus mortale etiam quod non moritur.

54. Τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος· *Tunc fiet sermo qui scriptus est*] Λόγος [*sermo*], דבר, *res ipsa. Tunc fiet illud quod scriptum est.* Solet hoc dici cum Prophetarum verba trahuntur in sensum eminentiorem. Locus est Esaiæ XXV, 8. ¶ Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. *Absorpta est mors in victoriam*] בלע המות לנצח [*absorpsit mortem in victoriam*] quod LXX quidem vertunt κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας [*absorpsit mors prævalens*]. At alii melius, puto, verterant κατέπιε τὸν θάνατον εἰς νῖκος [*absorpsit mortem ad victoriam*] לנצח sæpissime vertitur εἰς νῖκος [*ad victoriam*], secundum ἐτυμολογίαν [*originem*] ut II Samuel. II, 26. Jerem. III, 5. Lam. V, 20. Amos I, 11. VIII, 7. Prov. XXI, 28. ubi Symmachus, Aquila, Theodotion, omnes vertunt εἰς νῖκος [*ad victoriam*]. At sensus est, *in perpetuum*. Itaque vertitur εἰς τὸν αἰῶνα [*in perpetuum*] & ἕως αἰῶνος [*usque in perpetuum*] Esaiæ XIII, 20. Et Chaldæus sæpe transfert לעלמין [*in secula*]: Græcos alibi εἰς τέλος [*ad finem usque*] ut Psalm. XIII, 1, *plene, perfecte*.

55. Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος; *Ubi est mors stimulus tuus? ubi inferne victoria tua?*] LXX in Osea XIII, 14. ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου ᾅδη; [*ubi est judicatio tua mors? ubi est stimulus tuus inferne?*] sensu eodem qui hic est, verbis paulum mutatis, ut fieri solet ab iis qui memoriter locum citant. Apparet autem Græcos Interpretes in Hebræo non legisse אהי [*ero*] ut nos, sed איה [*ubi*] & pro דבריך [*pestes tuæ*] legisse דבריך [*verba tua*]. Apostolus hic quasi in re præsente, ut sæpe Prophetæ, triumphum canit de *morte* & *inferno*, id est, statu mortuorum. Solent enim conjungi, ut Esaiæ XXVIII, 15.

56. Τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου, ἡ ἁμαρτία. *Stimulus autem mortis peccatum est*] Egregie sensu Euangelico explicat dictum Oseæ. *Aculeus* scorpionis, aut feræ similis, est id quo maxime

maxime nocet. Sic quo maxime nocere mors potest, si detineat homines sub suo imperio ita ut reviviscere non possint. Hoc jus morti dat inobedientia hominum gravis adversus Deum. ❡ ἡ ϳ δύναμις τ̃ ἁμαρτίας, ὁ νόμ☉. *virtus vero peccati Lex*] *Legem* hic intellige quodcunque præceptum divinum, ut Rom. III, 20. IV, 16. V, 13. VIII, 2, 7. supra IX, 21. *Peccatum* eo est gravius, quo voluntas Dei magis patet: quod fit maxime per Legem à Deo datam, Rom. V, 13. VII, 8, 9, 10.

57. Τῷ ϳ Θεῷ χάρις τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος διὰ ꞇ̃ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum*] Nempe dedit nobis vincere peccatum, ac proinde & mortem vincere. Peccatum in Novo Fœdere plerumque significat aut consuetudinem peccandi, aut etiam malefacta ἐκ προαιρέσεως [*destinato commissa*]. Sic, *qui natus est ex Deo, non peccat*.

58. Ὥςε, *Itaque*] *Ergo*. Est enim illationis nota, ut supra III, 21. IV, 5. XIV, 39. ❡ ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι, *stabiles estote, immobiles*] Bis idem dixit ut ostendat magnam requiri constantiam in officio faciendo. Sic τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι [*fundati & stabiles*], Coloss. I, 23. Vide & supra VII, 37. & Abac. II, 3, 4. Simonides ἄνδρα ἀγαθὸν [*virum bonum*] vocat χερσί τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον [*manibusque pedibusque & mente quadratum*]. ❡ περισσεύοντες ἐν τῷ ἔργῳ ꞇ̃ Κυρίȣ πάντοτε, *abundantes in opere Domini semper*] Omnia quæ Deo grata sunt facientes abunde, etiam plus quam quisquam exigere audeat, ut Paulus fecit suo sumptu Euangelium annuntians. ❡ εἰδότες ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔςι κενὸς ἐν Κυρίῳ. *scientes quod labor vester non est inanis in Domino*] λιτότης [*Extenuatio*], vult enim dicere *magna fore laboris præmia*. ὁ κόπος ἐν Κυρίῳ [*labor in Domino*] *labor secundum Dominum*, secundum Christi præceptum. Bene hanc admonitionem contexuit cum sermone de Resurrectione. Nam si verum est dogma de Resurrectione, nullus labor gravis videri debet. Quid enim suavius vita, eaque immortali, ac beatissima.

CAP. XVI.

VALLA.

1, 2. **D**E *collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, sic & vos facite. Per unam sabbati*] *De collecta* legendum est, *quæ fit*, & *per unam Sabbatorum*; Περὶ ϳ τ̃ λογίας τ̃ εἰς τȣ̀ς ἁγίȣς. κτ̃ μίαν σαββάτων. ❡ *Recondens quod ei bene placuerit*] Non est Græce *bene placuerit*, sed *quod facile fit*, sive *quod leve fit*, sive *quod facile factu fit*, sive *quod bene cedat*; ὅ, τι ἂν εὐοδῶται.

9. *Ostium mihi apertum est magnum & evidens*] *Et efficax* dicendum erat: non enim dicitur ἐναργὴς, sed ἐνεργής. Et aliud est ἐνάργεια, quod est *evidentia* & *illustratio*, & aliud ἐνέργεια, quod est *efficacia* sive *effectio*: nisi forte ita scribi Græce debuit.

11. *Veniet autem cum ei vacuum fuerit*] Imo *cum opportunum erit*, sine illo *ei* vel *sibi*; εὐκαιρήσῃ.

21. *Salutatio mea manu Pauli*] Hoc dici Latine non potuit, *Manu mea Pauli*, ut in alio opere disserui; τῇ ἐμῇ χειρὶ.

REVIUS in VALLAM.

2. **Q**UOD *facile fit*] Confer quæ Erasmus & Beza annotant.

21. *Hoc dici Latine non potuit*, Manu mea Pauli, *ut in alio opere disserui*] Elegant. l. 2. c. 1. ubi tria pronomina, *mei*, *tui*, *sui*, in genitivo passive, sive mutata in vocem possessivorum active, negat admittere in suum consortium ullos genitivos substantivorum. Itaque non fuisse dicendum *manu mea Pauli* (hoc exemplum ibi citat) sed *manu mea qui sum Paulus*. Exstat tamen hæc phrasis apud Ausonium, in istis,

Anticipesque tuum Samii Lucumonis acumen:

tuum Lucumonis, i. *tuum qui es Lucumo*. ep. 5. ad Theonem. Et Beza eum Hellenismum hic retinuit.

ERASMUS.

1. **D**E *collectis*] Περὶ ϳ τ̃ λογίας, *De collecta*, sive *collectione*: novum apud Paulum verbum, à *colligendo* sive à *legendo* dictum. Apparet Metaphoram ductam à fœtibus arborum aut terræ, quæ *legi* dicuntur: unde & *leguminibus* vocabulum. *Collationem* poterat vertere, nisi verbum hoc *collecta* tum, ut arbitror, solenniter receptum vulgo magis placuisset.

2. *Per unam Sabbati*] Σαββάτων *Sabbatorum*. Theophylactus admonet *unam* dictam esse pro *primam*: significari autem diem Dominicum. In quo consentit Chrysostomus. ❡ *Recondens*] θησαυρίζων *thesaurizans*; quod tandem vertit Latine, solitus antehac Græcam vocem relinquere. ❡ *Quod ei bene placuerit*] Ὅ, τι ἂν εὐοδῶται. Laurentius ita vertendum existimat, *quod facile* (aut *leve*) *fit*, sive *quod bene cedat*. Mihi rectius vertendum videtur *quicquid commodum fuerit*, & *quicquid de prospero contigerit*. Hoc autem addidit ne forte puderet muneris parum magnifici. Interpres legisse videtur εὐδοκῇ pro εὐοδῶται. Certe Theophylactus nobiscum facit, sic enarrans, ὅ, τι ἂν ὁ Θεὸς εὐοδώσῃ καὶ πέμψῃ, καὶ ὃ εὐχερὲς ἔχῃ, *quicquid Deus bene fortunaverit ac miserit*, & *quod in promptu fuerit*. Annotavit Chrysostomus non esse dictum, *quicquid lucratus fueris*, sed *quicquid prospere obtigerit*, ut intelligerent facultates etiam à Deo suppeditari, & in hoc ipsum ut inde subleventur egentes. Ex Ambrosio non liquet quid legerit.

3. *Perferre gratiam vestram*] Τὴν χάριν ὑμῶν. Hic plane *gratiam* pro *beneficio* posuit, sed *gratis collato*.

4. *Quod si dignum fuerit*] Ἐὰν ϳ ᾖ ἄξιον. Græcis hæc vox aliquando secus usurpatur nonnunquam atque apud nos, pro *tanti est*: unde nos vertimus, *Quod si fuerit operæpretium*, h. e. Si res fuerit tanti.

5. *Nam Macedoniam pertransibo*] Nihil refert ad sententiam, tametsi διέρχομαι ambiguum est ad utrumque tempus: unde non perperam vertit *pertransibo*.

6. *Vel etiam hiemabo*] Quanquam *hiemandi* verbum apud Suetonium in Cæsare Augusto sic videtur usurpari quasi sonet *affligi incommodo hiemis*, & apud Sallustium, notante Seneca, nove dictum est *hiemare mare* cum tempestate molestum est, tamen subinde reperitur idem verbum in Commentariis Cæsaris pro *hibernare*, h. e. hiemen transigere. Apud Suetonium autem ipse sensus admonet ut Augustus accipiatur Romæ solere frigore hiberno offendi. Verba Suetonii sic habent, *Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme & æstate mansit, quamvis parum salubrem valetudini suæ Urbem experiretur, assiduèque in Urbe hiemaret*. Hæc ille. Cum Suetonius adferat hoc argumentum quo doceat Augustum exiguam habuisse curam valetudinis, & utraque sermonis particula pendeat à dictione *quamvis*, quid ad rem facit quod assidue hiemem agebat Romæ? ut omittam dubium esse an recte dicatur *assidue hiemare* pro *semper*. Sed illud sentit, Augustum assidue Romæ ob rigorem pejus habere: & hæc posterior particula probat superiorem, quæ dicit Romam fuisse incommodam valetudini ejus, quod illic in hieme semper periclitaretur. Hæc non addidissem nisi fuisset qui hinc struxisset calumniam.

7. *In transitu videre*] Ἐν παρόδῳ, i. *obiter, ac velut alio properans*.

8. *Usque ad Pentecosten*] Ἕως τ̃ πεντηκοςῆς, & *usque ad quinquagesimum*, ut subaudias *diem*: neque enim de festo loquitur, opinor. Et haud scio an Pentecostes festum id temporis notum fuerit Gentium auribus, præsertim cum Paulus in Epistola ad Romanos, quam constat post hanc esse scriptam, tollat omne discrimen dierum, & *infirmos* vocet qui *diem cum die conferunt*. Certe nullus veterum interpretum, quantum equidem memini, facit ullam festi mentionem. Thomas satis frigide se hinc explicat, adscribens, *Forte hæc epistola missa fuit in hieme, seu in vere, & tunc post Pentecosten debebat ire in Macedoniam, & morari ibi usque ad hiemem, & tunc ire Corinthum & hiemare*. Theophylactus citra controversiam interpretatur *usque ad quinquagesimum diem*, adscribens hoc esse argumentum insigniter amantis quod temporis etiam modum præscripsisset. Haud dissentanea his scribit Chrysostomus, tametsi non perinde liquet an de Judæorum festo die senserit an de spatio moræ. Item Ambrosius interpretatur, ideo diutius manendum Ephesi quod illic multos haberet adversarios, & fructus esset ingens. Neuter de festo verbum facit. Quanquam in Actis cap. 20. cum ait τὴν ἡμέραν τ̃ πεντηκοςῆς, videtur aliquod festum Judæis significare. Etiamsi Beda in Glossa Ordinaria

dinaria putat Paschæ & Pentecostes festum etiam Apostolorum temporibus fuisse celebratum ritu Christiano. Hoc commentum opinor ab illis repertum ne Paulus crederetur observare dies festos Judæorum, quos docuerat esse negligendos. Apud priscos illos magna contentio fuit de tempore rituque celebrandi Paschæ festum: Quod si ab hoc die numerentur quinquaginta, erit eadem controversia de Pentecostes die; de quo tamen nulla fuit controversia. Verum hac in re suo quisque judicio fruatur incolumi charitate.

9. *Magnum & evidens*] Μεγάλη καὶ ἐνεργής, i. *magnum & efficax*. Scribitur enim per ε, non per α. Interpres legisse videtur ἐναργής, per α. idque Græcis sonat *evidens*: atque ita legit Ambrosius; secus Chrysostomus & Theophylactus. ❡ *Et adversarii multi*] Consentiunt quidem Græci codices cum nostra Vulgata editione. Quanquam aptius alioqui videbatur quod adducit Hieron. in Commentariis quibus explicat Joelem, *Ostium mihi apertum est magnum & evidens, sed adversarii multi*: ut intelligas spem fructus esse uberem, sed non sine negotio, ob eos qui conarentur impedire.

12. *De Apollo autem fratre*] *Fratre*, & *notum vobis facio*, hæc verba in Gr. cod. non invenio: *fratre* invenio in quibusdam. Verum hæc eclipsis familiaris est epistolis, ut subaudiatur *respondeo*, aut *scito*, aut aliud huic simile: veluti, *De libris quos putabas periisse, sunt in tuto apud generum.* Itaque ob simplicem lectorem Interpres adjecisse videtur, *notum vobis facio.* ❡ *Et utique*] Πάντως. More suo vertit *utique* pro *omnino*. ❡ *Non fuit ei voluntas*] Οὐκ ἦν θέλημα, *non erat voluntas.* *Ei* addidit Interpres explicandi causa. Theophylactus ad *Dei voluntatem* refert, cui non fuerit ita visum. Chrysostomus legit ut Theophylactus; de *voluntate Dei* dissimulat. ❡ *Cum ei vacuum fuerit*] Ὅταν εὐκαιρήσῃ, *cum erit opportunum*: quanquam *vacat* idem efficit: & ita vertit in Actis Apostolorum, *Athenienses ad nihil aliud vacabant*, εὐκαίρουν. Hæc particula facit pro commento Theophylacti. Nam si venturus erat simul atque vacaret, non deerat ipsius voluntas, sed deerat opportunitas.

14. *Omnia enim vestra*] *Enim* hoc loco prorsus otiosum est; nec est usquam apud Græcos, sed πάντα ὑμῶν. nec additur apud Ambrosium, ac ne in Paulino quidem exemplari, aut Constantiensi. Exponit enim quid dixerit *confortari*. Superstitio reddit infirmos, charitas fortes.

15. *Nostis domum Stephanæ & Fortunati & Achaici*] *Fortunatum & Achaicum* hoc loco Græci cod. non habent, sed tantum *Stephanam*; licet hi tres paulo post conjungantur. In Constantiensi *Fortunatus* addebatur, *Achaicus* nequaquam. Et hoc loco DOMUS *familiam* significat; quam *primitias Achaiæ* vocat quod prima susceperit Christum. Porro quod οἴδατε vertit *nostis*, potest intelligi & *noveritis*: ut jubeat agnosci benemeritos: maxime, quia paulo post de iisdem loquens, *Cognoscite ergo*, inquit, *hujusmodi*. Ambrosius interpretatur COGNOSCERE *honorem habere*, assentiente & Theophylacto. Ex hoc loco videntur arripuisse occasionem qui in Epistola ad Romanos cap. ult. pro *primitiæ Asiæ* mutaverunt *primitias Achaiæ*.

17. *Quod vobis deerat*] τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, *vestrum defectum*: nempe quoniam pro omnibus venerant ad Paulum. Ita *quod deerat*, i. quod Paulus desiderabat, in Corinthiis, nimirum præsentiam illorum, id isti suo adventu supplerunt. Faber legit ὅτι ὑστέρημά μου, *quoniam defectum meum*: verum id ad sensum perparvi refert. Et paulo superius ἐν παρουσίᾳ vertere poterat *in adventu*. Ambrosius anceps hoc loco utrumque sensum attingit, ita edisserens, *Quia præsentes sunt apud vos, & in illis magnum potestis habere profectum; sive quia mihi venerunt pro vobis ministrare officium charitatis.* ❡ *Ipsi suppleverunt*] Οὗτοι, *hi*. Interpres legisse videtur αὐτοί.

19. *Prisca*] Gr. *Priscilla*, quemadmodum & superius. ❡ *Cum domestica sua ecclesia*] Recte quidem vertit, sed non ad verbum, ut Ambrosius, *cum ea quæ in domo eorum est ecclesia*, σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ. Verum hic maluissem *congregationem* quam *ecclesiam*, cum significet familiam Christianam. ❡ *Apud quos & hospitor*] Hoc non reperio additum in Græcis cod. quanquam ita legit Ambrosius.

21. *Mea manu Pauli*] *Mea* casus est ablativi. *Mea*, nempe Pauli.

22. *Anathema sit*] Hac voce Paulus solet extremum exitium significare, quod Hebræi vocant חרם. Cæterum MARAN ATHA Ambrosius putat vocem Syram esse potius quam Hebraicam, licet inter has linguas nonnulla fuerit affinitas; sonare autem apud illos, *Dominus noster venit.* Quanquam inter Hebraica Vocabula quæ nullo certo autore feruntur reperio MARAN ATHA expositum *in adventu Domini nostri*, ut cohæreat cum superiori, *sit anathema in adventu Domini nostri*; veluti referat finem Malachiæ, *ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Theophylactus ad Ambrosii sententiam interpretatur, *Dominus venit*; vultque videri ceu jusjurandum quo confirmet Dominum adventurum. Eadem ferme D. Hieronymus in epistola quadam ad Marcellam, cujus super hac re verba non gravabor adscribere, MARAN ATHA *magis Syrum est quam Hebræum; tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & Hebræum sonat, & interpretatur* [Hebrew] *pro* DOMINUS NOSTER VENIT: *ut sit sensus, Si quis non amat Dominum Jesum, anathema sit: & illo completo deinceps inferatur, Dominus noster venit. Quod superfluum sit odiis pertinacibus adversus eum velle contendere quem venisse jam constet.* Hactenus Hieronymus. Nec his dissimilia scripsit Augustinus. Illud admonendum erat, in *Dominus noster venit*, VENIT esse præteriti temporis: est enim ἦλθε, id declarantibus Græcis interpretibus, si parum ex interpretatione Hieronymi liqueret. Rursus hic monendus est lector; Hæc verba quæ modo retuli ex Hieronymo, MARAN ATHA *magis Syrum est quam Hebræum; tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & Hebræum sonat, & interpretatur* DOMINUS NOSTER VENIT, habentur eadem in Commentariis Ambrosianis & in his Scholiis quæ feruntur Hieronymi titulo.

VATABLUS.

1. *Collectis autem quæ fiunt*] *Collatione autem quæ fit.*

2. *Sabbati*] *Sabbatorum*: i. prima die hebdomadæ. ❡ *Ei bene placuerit*] *Commodum fuerit*: vel, *quicquid Deo prospere contigerit.*

3. *Gratiam vestram*] Hebr. magnificentiam & beneficium gratis collatum.

4. *Dignum*] *Operæpretium*: i. si res tanti fuerit. ❡ *Ut**] **Et*, Vet.

8. *Pentecosten*] *Quinquagesimum*: sub. *diem*. Videtur de festo intelligendum, ut Act. 2.

9. *Evidens*] *Efficax*: i. maxima occasio euangelizandi mihi hic nata est, & quæ jam fuerit efficax & utilis licet multi adversentur. ❡ *Et*] Heb. *Et* pro *quamvis*.

11. *Exspecto*] *Exspectabo*.

12. *Rogavi*] *Hortatus sum.* ❡ *Cum ei vacuum fuerit*] *Cum opportunitatem erit nactus.*

13. *Confortamini*] *Estote fortes.*

15. *Domum Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam sunt primitiæ*] *Familiam Stephanæ esse primitias.* Vet. non legunt, *& Achaici.* ❡ *Et*] *Et quod.*

17. *In præsentia*] *De adventu.* ❡ *Vobis*] *Mihi vestri*: i. quod ego desiderabam in vobis, nimirum præsentiam vestram, id isti suo adventu suppleverunt.

18. *Refecerunt*] *Refocillaverunt.* ❡ *Cognoscite*] *Agnoscite.*

22. *Sit anathema*] i. Perdatur funditus & deleatur. ❡ *Maran atha*] Voces Chaldææ quæ significant, *Dominus noster venit.*

23. *Gratia Domini nostri Jesu Christi*] i. Faveat vobis Jesus.

24. *Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu*] i. Diligo vos omnes propter Christum: vel, quod Christi sitis.

CASTALIO.

22. *Maranatha*] *Dominus noster venit.* Quod si quis eum non amat, frustra alium exspectat.

CLARIUS.

10. *Sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur*] Non metuo, inquit, à Gentilibus, sed ne qui inter vos sunt insidiatores quicquam lædant.

22. *Maranatha*] h.e. *Dominus noster venit.* q.d. In adventu Domini res agetur factis, non fastu ac fuco verborum. Uno autem verbo omnes admonuit officii sui.

Z E-

ZEGERUS.

1. D*E collectis autem quæ fiunt in sanctos*] i. De eleemosynarum vestrarum collectione quæ sublevandis pauperum Christianorum necessitatibus impertiuntur.

2. *Quod ei bene placuerit*] Hanc puto germanam esse Apostoli scripturam, utpote quam & Ambrosius sequitur & Augustinus. Chrysostomus tamen id secutus videtur quod hodie in Græcis est, ὅ, τι ἂν εὐοδῶται, i. *quicquid prospere contigerit*, non proprie, ut quidam vertit, *quicquid commodum fuerit*: pro quo vetus Interpres εὐδοκῆται videtur legisse. Unde Chrysostomus in sermone quodam de Eleemosyna, *Verbo* εὐοδωθῇ *Paulus demonstrat quod superne favor & felix eventus eis assistet.* Idem exprimit & Theophylactus.

9. *Ostium mihi apertum est magnum & evidens, & adversarii multi*] Quid est, *ostium apertum est magnum*? Multi ad amplectendam fidem parati; ampla mihi patet via, nimirum tantopere sitientibus multorum animis ad Euangelii prædicationem: Sed rursus *adversarii quamplurimi*, quibus nititur Satan & illorum profectum & nostrum præpedire accessum.

12. *De Apollo autem fratre, vobis notum facio quoniam*] Ne quid arbitreris in Græcis diminutum, scito hæc verba, *vobis notum facio quoniam*, à correctore Ecclesiastico (ni fallor) adjecta esse, quo videlicet sensus esset plenior: nam tale quid subaudire necesse est. Codex Gemblacensis minor in margine tantum habet. Apud Ambrosium exstant.

15. *Nostis domum Stephanæ & Fortunati & Achaici*] Ex eo quod in Græcis hic non additur *Fortunati & Achaici*, consentientibus commentatoribus Græcis, & rursus ex eo quod nec Latinis paulo antiquioribus adsit *Achaici*, in suspicionem vocor utrumque esse adjectum à quopiam qui adverteritr hæc conjungi in sequentibus, & qui putarit parum constare sermonem Apostoli subdentis *qui seipsos ordinaverunt*, &c. cum pluralitas hæc referri possit ad nomen collectivum *domum*, ut in illo Apoc. 7. *Vidi turbam magnam*, &c. *stantes ante thronum*. Ex Ambrosii Comment. nihil patet certi: nam soli contextui illic posito fidere non ausim, quod non raro deprehendatur enarratio ab ipso contextu discrepare.

19. *Cum domestica sua ecclesia, apud quos & hospitor*] Casu nescio quo è Græcis sublatum videtur, *apud quos & hospitor*: nam id & Ambrosianus habet contextus, & idem exponere videtur Chrysostomus (tametsi contextus ipse non habeat) dum dicit, *Apud hos enim versabatur cum opifex tentoriorum esset.* Quem sequuntur Theophylactus & Oecumenius. Codex Gemblacensis vetustior & Enerbodiensis, & multi alii habent.

22. *Anathema, Maran atha*] *Anathema* quid sit supra explicuimus cap. 12. cæterum MARAN ATHA *magis Syrum est*, inquit, Hieronymus, *quàm Hebraicum, & interpretatur*, DOMINUS NOSTER VENIT: *ut sit sensus*, SI QUIS NON AMAT DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, ANATHEMA SIT: *& illo completo deinceps inferatur*, DOMINUS NOSTER VENIT: *quod superfluum sit adversus eum odiis pertinacibus velle contendere, quem venisse jam constet.* Hæc ille epist. 137. ad Marcellam. Alii MARAN ATHA exponunt *in adventu Domini nostri*, ut cohæreat superioribus, *sit anathema in adventu Domini nostri.*

LUCAS BRUGEN.

15. O*Bsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ & Fortunati*] Multi libri addunt, multi tollunt, *& Achaici: Stephanæ, & Fortunati, & Achaici.* Eis qui tollunt adstipulatur inter Latinos enarratores diserte Haymo; adhæc Græci & codices & Interpretes, & Syriacus textus. Porro Græci plerique codices, suffragantibus plerisque Græcorum Interpretum & Syriaco textu, etiam *& Fortunati* tollunt. Videri certe possint *Fortunati* & *Achaici* nomina ex 17 versu proximo, quo cum *Stephana* conjunguntur (*Gaudeo autem*, legitur ibi, *in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici*) huic fuisse adjecta, quod sequatur hic multitudinis numero, *Quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos*: id quod ad *domum*, sive *familiam*, *Stephanæ* (quod erroneè multi mulieris esse nomen existimant) referendum sit. Cæterum inter Græcos Parisiensium codices undecimus, & Græca Colinæi editio, conformiter Latinis libris & Enarratoribus, *& Fortunati* legunt, τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ καὶ Φορτουνάτου.

STEPHANUS.

1. Π*Ερὶ τῆς λογίας*] *De collectis.*

2. Κατὰ μίαν σαββάτων] *Primo quoque die hebdomadis.* ¶ Ὅ, τι ἂν εὐοδῶται] *Quodcunque sibi licuerit pro suo successu*: vel *quantumcunque.*

6. Παραχειμάσω] *Hibernabo.*

12. Περὶ δὲ Ἀπολλὼ] *Quantum autem attinet ad Apollo.* ¶ Ὅταν εὐκαιρήσῃ] *Cum tempus opportunum nactus fueris.*

17. Τὸ ὑμῶν ὑστέρημα] *Quod mihi à vobis deerat.*

18. Ἀνέπαυσαν τὸ ἐμὸν πνεῦμα] *Requiem dederunt spiritui meo*: vel, *Fecerunt ut spiritus meus requiesceret.*

DRUSIUS.

22. A*Nathema, Maranatha*] Genus cum sua specie. Nam *anathema* nomen est generis aliquando, quod Ebraice חרם dicitur. Ejus tres species, *Niddui*, *Herem*, & *Samatha*, quæ hic dicitur *Maranatha.* Utraque vox sonat *DOMINUS venit.* MARAN, *Dominus*; & ATHA, *venit.* Syriacum est SEM, *nomen.* Id pro tetragrammato usurpatur, unde SAMATHA, *DOMINUS venit.* Nam τὸ ὄνομα idem quod יהוה *DOMINUS.* Alii ἐτυμολογίζουσι, SAM, *ibi*; MITHA, *mors.* Hinc verbum שמתא מסמתין *feriunt eum ultima excommunicatione*, quam *Samatha* vocant, in libro Præceptorum 28. 3. *Absit ea à nobis*, inquit Elias. Μαραναθὰ unica dictione & conjunctim, vel Μαρὰν ἀθὰ, duabus & divisim. *Maranatha*, extrema & ultima species excommunicationis quæ Ebræis *Samatha* dicitur: cujus mentionem facit Jonathan Gen. 42. 37. *Duos filios meos occidas* בשמתא *per samatha.* Sunt verba Rubenis ad patrem. Vide Quæst. l. 1. quæst. 9. Vox est mere Syriaca; quam interpretantur, *Dominus noster venit*, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus; *Dominus venit*, Theodoretus, & alii. מרא, & מר *mare*, *Dominus*, etiam מר, & cum pronomine מרן *Dominus noster*, vel certe *Dominus*, ut Nun sit litera heemantica: unde & *Marna* sive *Marnas*, Deus Gazæorum. Significat eadem vox *rebellem* & *refractarium*; à quo *Marani* nomen. Thema מרד *rebellavit.* Hoc Rabbinicum est, illud Syriacum.

CASAUBONUS.

2. Θ*Ησαυρίζων ὅ, τι ἂν εὐοδῶται*] Bezæ explicationem amplector, sed versionem non probo. Malim, *prout illi benedictum fuerit.*

CAMERO.

3. A*Πενεγκεῖν τὴν χάριν ὑμῶν*] Corinthiorum collectam sive eleemosynam Apostolus vocat χάριν *gratiam*, non quod profecta sit à gratia & favore quo valebant apud eos ii quibus subvenerunt, sed potius quod profecta esset à gratia Dei erga Corinthios: quod potest colligi ex 2 Cor. 8. Nam toto eo capite propensionem Corinthiorum ad benefaciendum & beneficia ipsa Corinthiorum Apostolus vocat *gratiam*, nempe effectum gratiæ Dei erga Corinthios. Id vero intelligitur nullo negotio ex v. 1. ejusdem capitis, *Notam facimus vobis, fratres, gratiam Dei quæ data est Ecclesiis Macedoniæ*: deinde exponit quæ sit illa *gratia data à Deo*, v. 2. *Quod in multa probatione afflictionis, profunda eorum paupertas redundavit in copiosam eorum benignitatem.* Unde fit manifestum charitatem & charitatis effecta dici *gratiam*, quia à Deo est, & quidem gratis data.

GUALTPERIUS.

22. Ἤ*Τω ἀνάθεμα μαρὰν ἀθὰ, sit anathema, Maran atha*] De voce ἀναθέματος supra dictum satis. De מרן אתא sic Tremellius, *In codice Syro divisim ita scribitur: neque video cur fides librariorum quibusdam hac in parte suspecta sit. Nihil enim occurrit mihi hactenus magis consentaneum aut aptum quam ut his verbis extremi anathematis formula attingatur, quia extrema Christi mundi Judicis condemnationi absque spe veniæ addicebatur peccator. Huc vero accommodari utcunque posset ratio nominis quo ejusmodi anathema vocant Thalmudistæ,* שמתא, *quod ex duobus propter frequentem ejus usum videtur coaluisse, nempe ex* שם *&* מיתה, *quod est*, DOMINE, VENI. Guid. Fabr. in Lex. Syro-chald. שמתא, inquit, *una est, eaque gravissima, species Excommunicationis, ut vocant. Sunt autem tres species apud Hebræos.* 1. נדוי, h. e. *profliga-*

fligatio. 2. נדוי *& Syre* חרם *anathema, quo utebantur in eum qui monitus non resipiscebat: & sic dicitur, ut inquiunt, quod vis ipsius in 148 ossa sive membra hominis dira imprecatione hujusmodi percussi penetraret; qui numerus literis* חרם *continetur.* 3. *Quod si nec dum pœnitentiam ageret, tum reum mortis eum judicabant: & illud dicebatur* שמתא*, q.* שם מיתה *Ibi mors;* Elias in Thisb. Hieron. *Magis Syrum est,* inquit, MARAN-ATHA *quam Hebræum, tametsi ex confinio utrarumque literarum aliquid Hebræum sonet, & interpretatur,* DOMINUS NOSTER VENIT.

GROTIUS.

1. Περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους, *De collectis autem quæ fiunt in sanctos*] Nisi codicum consensus me retineret, libens hic legerim εὐλογίας [*benedictione*]. Nam eam vocem in sensu liberalitatis usurpat Paulus & II Corinth. IX,6. Solet sic sumi Hebræum ברכה [*benedictio*] à verbis ad res ducta translatione. Intelligit autem collationem pecuniarum ad sublevandam paupertatem fidelium in Judæa, Rom. XV,26. ¶ ὥσπερ διέταξα ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας, *sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ*] Amabant Apostoli easdem consuetudines ubique introducere. Et hæ sunt traditiones Apostolicæ relatæ, ut diximus, in συλλογῇ Κανόνων [*syllogen Canonum*]. Hoc est iter per Galatiam cujus mentio Actor. XVI,6.

2. Κατὰ μίαν σαββάτων, *Per unam Sabbati*] Συμφοιτήσεις Ἰουδαίων, ait Philo, ἀπαρχῶν ἕνεκα καὶ τῆς ἄλλης εὐσεβείας [*conventus Judæorum primitiarum & in universum religionis ergo*], nempe etiam extra Sabbata. Christiani maxime Sabbatis & diebus Dominicis qui sunt μία σαββάτων [*una sive prima Sabbatorum*] Matth. XXVIII,1. conveniebant, sed quia hi qui ex Judæis facti erant Christiani moris Judaici retinentes Sabbatis pecunias non tractabant, ideo ad eam rem aptior erat dies sequens. Tertullianus Apologetico, *Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, itemque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis vel in custodiis duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.* ¶ ἕκαστος ὑμῶν παρ' ἑαυτῷ τιθέτω, θησαυρίζων, *unusquisque vestrum apud se seponat recondens*] *Sibi seponat, paulatim cumulum aliquem faciens.* Id enim est אצר quod modo per θησαυρίζειν [*thesaurizare*], modo per συνάγειν [*colligere*] vertitur. Id successit in locum decimarum. ¶ ὅ, τι ἐὰν εὐοδῶται· *quod ei bene placuerit*] In Manuscripto clarius, ὅ, τι ἂν εὐοδωθῇ; est autem brevis locutio, *Quodcumque Deus prosperaverit* pro *quodcumque Deus prosperans ei dederit.* εὐοδοῦν הצליח (*prosperum iter prabere*). Hebræi hunc sensum sic exprimunt, אשר תמצא ידו [*quicquid invenerit manus ejus*]. ¶ ἵνα μὴ ὅταν ἔλθω, τότε λογίαι γίνωνται. *ut non cum venero, tunc collectæ fiant*] Id est, *tunc primum.* Quod si esset, tenuiores futuræ erant collationes quam quæ ex longo tempore primum crevissent.

3. Ὅταν δὲ παραγένωμαι οὓς ἐὰν δοκιμάσητε δι' ἐπιστολῶν, τούτους πέμψω ἀπενεγκεῖν τὴν χάριν ὑμῶν εἰς Ἱερουσαλήμ. *Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem*] Notam interpungentem ponendam post δοκιμάσητε [*probaveritis*] recte monet Theophylactus. Et rursum brevis est locutio, *mittam per litteras*, id est, mittens per litteras eos commendabo, testimonio meo eos prosequar. Vide quomodo vir tantus nullam suspicioni rimam aperire voluerit. χάριν [*gratiam*] dixit *beneficium.* Vide supra X,30. Sirach. XVII,18.

4. Ἐὰν δὲ ᾖ ἄξιον τοῦ κἀμὲ πορεύεσθαι, σὺν ἐμοὶ πορεύσονται. *Quod si dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt*] Vide quomodo eos excitat ut dent quam plurimum. *Si summa collecta tanti erit, ego pro epistola eos comitabor.*

5. Ἐλεύσομαι δὲ πρὸς ὑμᾶς ὅταν Μακεδονίαν διέλθω. *Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero*] Macedoniam quidem transiit Actor. XX,3. Sed angustiis temporis exclusus non adiit Ephesum, sed Presbyteros ad se accivit, ibid. 16, & sequentibus. ¶ Μακεδονίαν γὰρ διέρχομαι. *nam Macedoniam pertransibo*] Rursum hic præsens pro futuro. Vide quæ dicta ad Matth. XXVI,28.

6. Πρὸς ὑμᾶς δὲ τυχὸν παραμενῶ, ἢ καὶ παραχειμάσω, ἵνα ὑμεῖς με προπέμψητε οὗ ἐὰν πορεύωμαι. *Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocumque iero*] Ab hoc proposito, cujus mentio & Actor. XIX,21. alia graviora Apostolum diverterunt, ut jam diximus. Solebant autem quidam ex Ecclesiis Apostolo se itineris aliquousque comites addere, ut videre est Actor. XV,3. XVII,4,15. XX,38. XXI,5. *Quo ibi,* id est, in Judæam, II Corinth. I,16.

7. Οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἄρτι ἐν παρόδῳ ἰδεῖν· *Nolo enim vos modo in transitu videre*] Hic θέλω [*volo*] votum & desiderium significat. ἄρτι, id est, *nunc.* Hoc vero *nunc* hic significat futurum imminens. ἐν παρόδῳ, *in transcursu, obiter.* ¶ ἐλπίζω δὲ χρόνον τινὰ ἐπιμεῖναι πρὸς ὑμᾶς, ἐὰν ὁ Κύριος ἐπιτρέπῃ. *spero vero me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit*] Melius in Manuscripto, ἐλπίζω γὰρ [*spero enim*]. Explicat quod præcesserat. Et de futuro incerto loquens usurpat solitam Christianis cautionem. Sic Rom. I,10. supra IV,19. Jac. IV,15. *Si Deus voluerit* etiam Paganis usitatum ostendit Tertullianus de Testimonio Animæ. Alii rudiores eorum dicebant, *Si dii volent*, ut Plautus Pænulo IV, scena ultima, Cicero IV. Verrina, Suetonius Caligula 8. Aut, *cum diis volentibus*, quod est apud Ennium, Plautum aliquoties, & Catonem de Re rustica.

8. Ἐπιμενῶ δὲ ἐν Ἐφέσῳ ἕως τῆς πεντηκοστῆς. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten*] Postea aliæ occasiones fecere ut magis properaret, velletque *in ipsa Pentecoste*, id est, fine dierum quinquaginta à Paschate *esse Hierosolymis.* Actor. XX,16. Ita ambulatoriæ sunt hominum voluntates.

9. Θύρα γάρ μοι ἀνέῳγε μεγάλη καὶ ἐνεργής, *Ostium enim mihi apertum est magnum & efficax*] Ostium spem significat, ut videre est Oseæ II,15. Quia sicut ostium aditum dat in domum, ita spes ad rem. Sic & Actor. XIV,27. II Corinth. II,12. Melius in aliis codicibus ἐναργής [*evidens*]. Spes conspicua. In Glossario ἐναργής, *liquidus, evidens.* Ita apparet legisse hic Ambrosium. ¶ καὶ ἀντικείμενοι πολλοί. *& adversarii multi*] Quod alium terruisset, hoc Paulum invitat. *Multi ibi sunt hostes* Euangelii, ideo desidero ibi esse, ut me iis opponam.

10. Ἐὰν δὲ ἔλθῃ Τιμόθεος, *Si autem venerit Timotheus*] Timotheum sibi & Domino fidum miserat quidem Paulus, ut apparet supra IV,17. Sed ita ut in itinere multas Ecclesias haberet invisendas. Quare pericula prospiciens dicit, *Si ad vos venerit.* ¶ βλέπετε ἵνα ἀφόβως γένηται πρὸς ὑμᾶς. *videte ut sine timore sit apud vos*] Curate ne illi homines inter vos divitiis aut eruditione turgidi, schismatum auctores, quorum culpas arguet, quicquam nocere ei possint. Curate quantum in vobis est: non enim omnia pericula illo tempore vitari poterant. Sed bonorum est omnia experiri ne mali bonis aliis noceant. ¶ τὸ γὰρ ἔργον Κυρίου ἐργάζεται, ὡς καὶ ἐγώ. *opus enim Domini operatur sicut & ego*] Magnum præconium. Nam quid non fecerat Paulus? *opus Domini* est Euangelii promotio. Actor. XIII,2. XIV,26. XV,38. Vide & Matth. XXI,28.

11. Μή τις οὖν αὐτὸν ἐξουθενήσῃ. *Ne quis ergo illum spernat*] Monet pios ut eum pro meritis revereantur. Vide I Timoth. IV,12. ¶ προπέμψατε δὲ αὐτὸν ἐν εἰρήνῃ, ἵνα ἔλθῃ πρός με· *deducite autem illum in pace ut veniat ad me*] Id est, facite ut ad me rediturus à vobis discedat sospite ea quæ inter vos esse debet amicitia. ¶ ἐκδέχομαι γὰρ αὐτὸν μετὰ τῶν ἀδελφῶν. *exspecto enim illum cum fratribus*] Multum ejus comitumque ejus (nam & alii cum Timotheo Corinthum iverant, ut & sequentia ostendunt) reditum desidero, opera eorum usurus.

12. Περὶ δὲ Ἀπολλὼ τοῦ ἀδελφοῦ, *De Apollo autem fratre*] Noverant hunc Corinthii. Nam apud ipsos fuerat, Actor. XVIII, 27. Et cum viri & pietatem & eruditionem haberent cognitam, multum optaverant pii qui erant Corinthi, ipsum potissimum ad res Corinthi corrigendas mitti. ¶ καὶ πάντως οὐκ ἦν θέλημα ἵνα νῦν ἔλθῃ· *& utique non fuit voluntas ut nunc veniret*] Non potui id ab eo obtinere, nempe quia alia magis urgentia eum distinebant. ¶ ἐλεύσεται δὲ ὅταν εὐκαιρήσῃ. *veniet autem cum ei vacuum fuerit*] Id est, ubi ab illis negotiis se expedierit. Εὐκαιρεῖν est *vacare ab aliis rebus*, ut Marci VI,31. Actor. XVII,21. Hinc εὐκαιρία [*opportunitas*], Sirach. XXXVIII,26. I Maccab. XI,42.

13. Γρηγορεῖτε, *Vigilate*] Vide Matth. XXIV,42. XXV,13. XXVI,41. Actor. XX,31. ¶ στήκετε ἐν τῇ πίστει, *state in fide*] *State*, id est, perstate. Vide supra XV,1. Verbum στήκειν pro ἑστάναι [*stare*] habet & Marc. XI,25. Rom. XIV,4. Gal. V,1. Philipp. I,27. IV,1. I Thess. III,8. II Thess. II,15. ¶ ἀνδρίζεσθε, *viriliter agite*] *Nunc site viri*, ut loquitur vetus Poeta Latinus, & Homerus: ἀνέρες ἐστέ, φίλοι, ἀνδρίζεσθε, II Paralip. XXXII,7. Deus Josuam sæpe hoc verbo animat Jos. I, 6, 7, 9, 18. David Solomonem I Paralip. XXVIII, 20. ¶ κραταιοῦσθε· *confortamini*] Est & hic passivum pro reciproco, *fortes vosmet præstate.* Nam I Samuel. IV,9. ubi in Græco est κραταιοῦσθε, in Hebræo est התחזקו [*confortamini*], sic & alibi.

14. Πάν-

14. Πάντα ὑμῶν ἐν ἀγάπῃ γινέσθω. *Omnia vestra in charitate fiant*] Quæ ubi est, ibi non sunt schismata. Ideo toties eam Corinthiis Paulus commendat. VIII, 1. XIII, 1, 3, 4, 8, 13. XIV, 1. II Cor. 11, 4, 8. VI, 6.

15. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, οἴδατε τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ, ὅτι ἐστὶν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, καὶ εἰς διακονίαν τοῖς ἁγίοις ἔταξαν ἑαυτούς· *Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, quoniam est primitiæ Achaiæ, & in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos*] De hoc Stephana vide quæ diximus supra I, 16. De significatu autem vocis ἀπαρχῆς [*primitiarum*] Rom. XVI. *Scitis*, ait, *Stephanam cum suis & inter primos esse qui crediderunt, & multum eos inservivisse fidelibus aliis.*

16. Ἵνα καὶ ὑμεῖς ὑποτάσσησθε τοῖς τοιούτοις, *Ut & vos subditi sitis ejusmodi*] Ὑποτάσσεσθαι hoc quidem loco est *revereri, honorem & obsequia deferre*, ut Ephes. V, 21. I Petri V, 5. ¶ καὶ παντὶ τῷ συνεργοῦντι καὶ κοπιῶντι. *& omni cooperanti & laboranti*] *Qui cooperantur ad propagationem Evangelii & laborant ad sublevandos fideles*, ostendit quod dixit non personis se deferre, sed meritis.

17. Χαίρω δὲ ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ Στεφανᾶ καὶ Φορτουνάτου καὶ Ἀχαϊκοῦ, *Gaudeo autem in præsentia Stephanæ & Fortunati & Achaici*) *Fortunatus* nomen est Romanum. *Achaicus* nomen Græcum. Sed nomina Romana etiam apud Græcos eo tempore erant frequentia. Et mihi videntur Fortunatus iste & Achaicus liberi fuisse Chloes. Vide supra I, 11. ¶ ὅτι τὸ ὑμῶν ὑστέρημα οὗτοι ἀνεπλήρωσαν· *quoniam id quod vobis deerat, illi suppleverunt*] *Quod vos omnes facere oportuit, id illi fecerunt.* Certiorem me fecere de vestris morbis. Simili modo προσαναπληροῦν τὸ ὑστέρημα dixit II Cor. IX, 12. מלא מחסור [*supplere quod deest*].

18. Ἀνέπαυσαν γὰρ τὸ ἐμὸν πνεῦμα καὶ τὸ ὑμῶν. *Refecerunt enim meum spiritum & vestrum*] Ἀνέπαυσαν הניחו, id est, *recrearunt*, Zach. VI, 8. II Cor. VII, 13. Philem. 7, 20. Vide & Matth. XI, 29. Recrearunt Paulum cum intellexit multos adhuc in Ecclesia Corinthiaca esse qui vera dogmata retinerent: pietatem & pacem colerent. Recrearunt vicissim pios illos, cum eis significarunt quo amore eos Paulus prosequeretur. τὸ πνεῦμα [*spiritum*], pro *animum meum* aut *me*, locutio frequens. Ignatius in epistola ad Romanos ἀσπάζεταί ὑμᾶς τὸ ἐμὸν πνεῦμα [*salutat vos animus meus*], & quidem cum verbo ἀναπαύειν [*recreare*] reperitur dictis Zachariæ & ad Philemonem locis. ¶ Ἐπιγινώσκετε οὖν τοὺς τοιούτους. *Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt*] Id est, *magni facite*: μετωνυμία [*Transnominatio*] frequens apud Hebræos.

19. Ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι τῆς Ἀσίας. *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ*] Hinc probabilis conjectura sumitur Ephesi potius, ut habent Syriaci & Arabici libri, quam Philippis in Macedonia, ut habent Græci, scriptam hanc epistolam. Favet huic sententiæ id quod supra habuimus 6, & 8. & quod est II Cor. 11. 12. ¶ Ἀσπάζονται ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ, *Salutant vos in Domino*] Id est, *à Christo omnia bona vobis adprecantur.* ¶ Ἀκύλας καὶ Πρίσκιλλα, *Aquila & Priscilla*] Qui Paulum Corintho Ephesum erant secuti, Actor. XVIII, 19. ¶ σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ. *cum domestica sua Ecclesia*] Id est, *cum tota familia sua quæ erat Christiana.* Vide Rom. XVI, 5. Quocunque illi ibant, secum ferebant Ecclesiam.

20. Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀδελφοὶ πάντες. *Salutant vos omnes fratres*] Nempe qui in hoc sunt tractu. Simile Rom. XVI, 16. ¶ ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ. *salutate invicem in osculo sancto*] Vide Rom. XVI, 16. Et recte osculum pacis iis imperat qui in periculo erant ne per schismata abriperentur.

21. Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου. *Salutatio mea manu Pauli*] Priora ex autographo Pauli descripserat Tertius aut Timotheus aut alius quis. Cætera adscripsit Paulus sua manu. Vide II Thess. III, 17.

22. Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, ἤτω ἀνάθεμα Μαρὰν ἀθά. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit Anathema Maran atha*] Sua manu adscribit sententiam, cujus maxime eos meminisse volebat, ut Augustus aliquando faciebat ad Provinciarum Præsides. Ἀνάθεμα Μαρὰν ἀθά [*Anathema Maran atha*, sive *Dominus venit*] est gravissimum חרם [*execratio gravissima*], addita precatione ut Deus quamprimum in eum vindicet. Vide quæ diximus ad Luc. VI, 22. מרי Syris est *Dominus*, unde Syri *Maronita* quia Christum מרן [*Dominum*] vocant, & *Murrani* Reges in veteri Latio, de quibus ad XI. Æneidos: & *Marnas* Gazæorum deus Epiphanio, & virgines Cretensibus Μάρνα [*Marna*]; sicut alibi κυρίαι [*Domina*]. Hinc in Hispania solebat dici ut historiæ narrant, *Sit anathema Marano & excommunicatus.* Arabs hoc loco فليكن مفروزا من رجا الرب, *is omnis sit excommunicatus à spe Domini*; id est, ab ea spe quam Dominus nobis dedit. Simile Gal. I, 8, 9.

23. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' ὑμῶν, *Gratia Domini Jesu Christi vobiscum*] Rom. XVI, 24.

24. Ἡ ἀγάπη μου μετὰ πάντων ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu*] Id est, *Ego propter Christum vos omnes sincere diligo.* Et vim habet illa locutio, μεθ' ὑμῶν [*vobiscum*]. Dicuntur amicitiæ dissolvi intervallis locorum; hoc negat apud se fieri: se animo ipsis esse præsentem, res eorum curare.

ANNOTATA

In Epistolam II. D. PAULI ad

CORINTHIOS.

CAP. I.

VALLA.

GRatia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo] An sic, an *Domini Jesu Christi*, ut in alia epistola dixi, (I Cor. I. 3.) legendum sit, anceps est; Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

3, 4. *Et Deus totius consolationis: Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur ipsi à Deo*] Quidam putant aliud esse *exhortationem* quam *consolationem*: cujus erroris in culpa est Interpres, qui idem nomen varie transfert. Nam illud *totius consolationis* dicitur πάσης παρακλήσεως, & hoc *per exhortationem* dicitur διὰ τῆς παρακλήσεως, & ita in reliquis. Ideoque supervacuo addunt,

6. *Sive exhortamur, pro vestra exhortatione & salute*] Quod Græce non legi, ex eo probatur quod dixi, quod eodem forent Græce verba.

11. *Ut ex multarum personis facierum ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratia agantur pro vobis*] Non est Græce utrumque *personis* & *facierum*, quæ ambo & apud illos & apud nos idem significant, dico *personam* sive *faciem*, πρόσωπον. Hunc locum (nam perplexe translatus est) sic transtulissem, *Ut de gratia in me ex multis personis* (sive *respectu multorum*) *collata per multos gratia agantur propter vos*: ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ὑμῶν.

12. *Abundantius autem ad vos*] Melius diceretur *apud vos*, πρὸς ὑμᾶς.

17. *Cum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est & Non?*

18. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fit apud vos, non est in illo Est & Non.*

19. *Dei enim Filius Dominus Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Silvanum & Timotheum, non fuit in illo Est & Non, sed Est in illo fuit.*

20. *Quotquot enim promissiones Dei, sunt in illo Est, ideo & per ipsum Amen, Deo ad gloriam nostram*] Græce est, *Hoc igitur volens, numquid levitate usus sum? aut quæ consulo, secundum carnem consulo, ut sit apud me Etiam quod est Etiam, & Non quod est Non? Fidelis autem Deus, quod sermo noster apud vos non fuit Etiam & Non. Dei enim Filius Dominus Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Silvanum & Timotheum, non fuit Etiam & Non, sed Etiam in ipso fuit. Quotquot autem promissiones Dei sunt, in ipso Etiam sunt, & in ipso Amen, Deo ad gloriam per nos.* Nihil hic obscuri est, nisi in insolentia dictionis indeclinabilis *Etiam*, de qua superius disputavi Matth. 13. 51. præsertim cum nos careamus articulo, quem Græci habent. Itaque in illo, *sed Etiam in ipso fuit*, subintelligas *in ipso etiam*, non ut quidam imperite referunt *in illo* sive *in ipso* ad *Christum*. Τοῦτο οὖν βουλευόμενος, μήτι ἄρα τῇ ἐλαφρείᾳ ἐχρησάμην; ἢ ἃ βουλεύομαι, κατὰ σάρκα βουλεύομαι, ἵνα ᾖ παρ᾽ ἐμοὶ τὸ ναὶ ναί, καὶ τὸ οὒ οὔ; πιστὸς δὲ ὁ Θεός, ὅτι ὁ λόγος ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ. ὁ γὰρ τοῦ Θεοῦ υἱὸς ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ ἐν ὑμῖν δι᾽ ἡμῶν κηρυχθεὶς, δι᾽ ἐμοῦ, καὶ Σιλουανοῦ, καὶ Τιμοθέου, οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ, ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν· ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν, τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν δι᾽ ἡμῶν.

22. *Qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*] Nunc *pignus* Græce dicitur *arrhabo*, ἀῤῥαβῶνα· quo quidam jam tanquam Latino utuntur; ut Plautus in Mustellaria, & in Penilio.

REVIUS in VALLAM.

2. AN *sic, an* Domini, &c.] Leviculum hoc Erasmo videtur, qui tamen mox se alias idem monuisse ait. Ita propria vineta cædit.

6. *Quod Græce non legi*] Confer Bezam.

11. *Ut te gratia in me*] Hoc *commentum Laurentii* vocat Erasmus: at illum præclare Beza defendit: quem consule.

17. *Etiam quod est Etiam, & Non quod est Non*] Melius ii codd. qui hæc non duplicant: quos & Beza sequitur.

30. *In ipso Etiam*] *Quod Laurentius* (verba sunt Erasmi) *non vult* IN ILLO & IN IPSO *referri ad* CHRISTUM, *non video quid hominem moverit. Nam vehementer ridiculum est, quod Valla vult* IN IPSO *subaudiri* ETIAM, *non* CHRISTUM. *Imo Paulus felicem exitum promissorum Deo fert acceptum, & Christo per quem hoc sit impetratum*, &c. Vult ergo Erasmus *Etiam*, i. veritatem promissorum, fuisse in Deo, & in Christo: non male, ut arbitror, saltem melius quam Valla. Beza tamen secus, hoc videlicet modo, *Christum fuisse Etiam in Deo, ut constantissimam Patris veritatem.*

22. Ἀῤῥαβῶνα] Trajectum erat. ¶ *In Mustellaria, & in Penillo*] Melius, *in Mostellaria, & in Pœnulo.*

ERASMUS.

1. IN *universa Achaia*] Ἐν ὅλῃ, *in tota*, nimirum reliqua: nam ipsa Corinthus est in Achaia, cujus & metropolis est.

2. *A Deo Patre nostro, & Domino*] Leviculum est quod admonet Laurentius de amphibologia, quasi legi possit, *à Deo Patre nostro & Domini Jesu Christi:* siquidem id Paulo est peculiare, Patrem vocare *Deum*, Christum *Dominum*. Admonuimus & alias sermonem Græcis esse ancipitem: nam potest accipi ut gratia proficiscatur à Patre & à Filio, aut ut proficiscatur à Patre communi Christo & nobis. Cæterum quod Ambrosius tantum legit *à Deo*, nec addit *Patre & Domino nostro Jesu Christo*, id fortassis scribarum accidit vitio.

3. *Benedictus Deus & Pater*] Ὁ Θεὸς καὶ πατήρ. Unicus apud Græcos articulus facit ut *Deus & Pater* ad eundem pertineant, cum apud Latinos possint intelligi duo, *Deus, & Pater.* Idem fuisset apud Græcos si dixisset, ὁ Θεὸς καὶ ὁ πατήρ. Expressius reddi poterat, *ille qui est Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi.* ¶ *Totius consolationis*] Magis hic quadrabat *omnis consolationis*. Atque ad eum modum refert Hieronymus in Commentariis Esaiæ. Quidam exponunt *perfectam consolationem*. Et in hac Epistola, lector, si non pigebit conferre Commentarios Ambrosii cum Scholiis quæ feruntur nomine Hieronymi, videbis miram confusionem. Hoc studium non erat omnino damnandum, si quod factum est in Aurea catena idem hic fuisset factum. Nunc mutilum habemus Ambrosium, imo confusum, nec hos habemus integros.

4. *Per exhortationem*] Διὰ τῆς παρακλήσεως, *per consolationem*. Est eadem vox quam modo *consolationem* verterat. ¶ *Qua exhortamur*] Παρακαλούμεθα, *consolamur*. Quam intempestiva copiæ affectatio! ¶ *Et ipsi*] Interpres legit καὶ αὐτοὶ, *& ipsi*, cum apud Græcos non addatur conjunctio καὶ· nec mihi displicet addi: *Sicut nos consolante Deo fortes sumus in rebus asperis, ita convenit nostra fortitudine vicissim confirmari animos aliorum vel exemplo vel exhortatione.* Et *consolamur* hoc loco passivum est: unde Ambrosius legit, *exhortationem consequimur*. Cum sint autem duæ partes orationis, *sive*, & *sive*, quarum utraque respondet uni clausulæ, nempe huic, *& spes nostra firma est pro vobis*, quæ apud nos adjicitur posteriori, Græcis in medio ponitur: à quibus tamen hic dissentimus. Cæterum miror quod secutus exemplar Aquinas ex duabus partibus tres facit, *Sive tribulamur pro vestra exhortatione, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione:* sed reclamantibus Græcorum pariter ac Latinorum exemplaribus, etiam vetustis, nominatim Paulino & Donatianico; ad hæc utroque Constantiensi. Neque video quis locus hic esse possit tertiæ parti, cum *consolari* & *exhortari* Græcis idem sit verbum. Et tamen ad eum modum ille interpretatur etiam, non solum legit. Nam apud Ambrosium opinor eandem sententiam aliis verbis repetitam, cum ita legit, *Sive autem angustiam patimur, pro vestra exhortatione & salute:* ac mox interjecto commentariolo, *Sive autem pressuram patimur, pro vestra exhortatione & salute; sive exhortationem consequimur, pro vestra exhortatione quæ operatur*, &c. Item in Theophylacto verso de suo addidit interpres, bis explicans Græca: tametsi nec Chrysostomus diligenter enarrans hunc locum, nec Theophylactus attingat plures partes quàm duas. Quanquam alioqui potest & hic accipi sensus, ut singulis particulis proxima respondeat; *Sive tribulamur, id fit ad exhortandos vos & ad salutem vestram, ut nostro exemplo roboremini, si quid afflictionis inciderit; sive refocillamur consolatione, id fit ad consolationem vestri, ut eadem passi speretis eadem.* Atque ita particula quæ sequitur, *& spes nostra*, peculiariter pertinebit ad partem posteriorem. Hoc adjeci quod videam Paulum & alias hujusmodi sermonis forma usum, velut illic, *Neque enim qui in manifesto Judæus est, aut in carne circumcisio.* Nam conjunctio δὲ non patitur has particulas adhærere superioribus.

5. *Sicut abundant passiones Christi*] Περισσεύει· quod absolute dictum accipi potest. Chrysostomus indicat & ad *Christum* posse referri, quasi plura pertulerint quam Christus.

6. *Pro vestra exhortatione*] Rursum est παρακλήσεως, i. *consolatione*. Quanquam & apud Ambrosium hæc video confundi, quasi nihil admodum intersit inter *exhortationem* & *consolationem*, quod quisquis consolatur hortatur ut forti sit animo. ¶ *Quæ operatur tolerantiam*] Τῆς ἐνεργούσης (sive, ut quidam habent, ἐνεργουμένης) ἐν ὑπομονῇ πολλῇ, *quæ operatur in tolerantia multa. Operatur* autem est *agit, ac vim suam explicat & aperit.* Etiam Chrysostomus legendum putat ἐνεργουμένης passive, non ἐνεργούσης, ut locus sit gratiæ Dei, cui præcipua laus nostræ salutis debetur: & ἐνεργεῖται interpretatur δείκνυται, αὔξεται, ἐπιτείνεται, i. *ostenditur, crescit & intenditur, fitque major.* ¶ *Earundem passionum*] Τῶν αὐτῶν παθημάτων, *eorundem malorum* sive *dolorum*, aut *earundem afflictionum*. Et paulo post, κοινωνοί ἐστε τῶν παθημάτων, *participes estis malorum*, aut *afflictionum:* nam *passio* vox est dura Latinis auribus.

7. *Sic eritis & consolationis*] *Eritis* additum est. Videtur autem subaudiendum *estis* potius quam *eritis:* nam apud Græcos non additur. Sentit enim hic quoque utrumque esse commune, afflictionem malorum, & consolationem Dei. Et in hanc sententiam interpretatur Theophylactus, suo more secutus Chrysostomum. Siquidem Ambrosius legit, *ita ut desperaremus nos etiam vivere:* & interpretatur *afflictiones processisse usque ad mortem illatam.*

8. *Quæ facta est in Asia*] Græci addunt *nobis*, τῆς γενομένης ἡμῖν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, *quæ contigit nobis in Asia.* ¶ *Ita ut taderet nos etiam vivere*] Ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν. Potest accipi, *ut desperaremus etiam de vita.* Atque in hunc sensum accipit D. Ambrosius, & huic consentiens Theophylactus: nec dissonat Chrysostomus.

9. *Responsum mortis*] Ἀπόκριμα· velut ipsis periculis nihil aliud denunciantibus quam mortem.

10. *De tantis periculis*] Ἐκ τηλικούτου θανάτου, *tanta morte:* est enim τηλικοῦτος, quod quantitatem significat potius quam qualitatem. Ambrosius propius accedens ad Græcam veritatem legit *de tantis mortibus*; quemadmodum legit Chrysostomus, ostendens ὑπερβολικῶς ingentia discrimina dicta esse *mortes*. Noster Interpres sat habuit reddidisse sententiam: sentit enim mor-

mortes afflictiones morti proximas. Si nihil licet mutare, cur hoc ausus est Interpres? ❡ *Eripuit, & eruet*] Ἐῤῥύσατο, καὶ ῥύεται, i. *eripuit, & eripit*: idem verbum apud Græcos, nisi quod posterius est præsentis temporis. Alioqui si legamus hic *eruet*, qui congruit quod mox sequitur, *in quem speramus quod & adhuc eripiet?* In Ambrosio verbum præsentis temporis, quod est in medio, non additur, sed omissum est, ut arbitror, scriptoris incuria. ❡ *In quem speramus*] Εἰς ὃν ἠλπίκαμεν, *in quem speravimus*: tametsi in hujusmodi verbis sæpius utuntur præterito pro præsenti, ut δέδια, γέγηθα· nam illud *speravimus* sonat q.d. *spem fiximus*.

11. *Ut ex multarum personis facierum*] Gr. ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων, τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν, *ut ex multis personis de dono in me collato multis modis gratiæ agantur pro nobis.* Pro ἐκ πολλῶν προσώπων Ambrosius vertit *in multorum facie*: ut intelligamus gratias publicitus agendas: nam πρόσωπον apud Græcos non solum *personam* sed & *aspectum* ac *faciem* sonat: & sic διὰ πολλῶν erit *per multos*, ut subaudias ἀνθρώπων. Potest & sic accipi, ἐκ πολλῶν προσώπων, i. *multis modis*: quandoquidem speciem rei *faciem* vocamus. Nec satis queo divinare quid noster legerit Interpres, cum eadem vox Græcis & *faciem* significet & *personam*: nisi fortasse quispiam Græce peritulus adjecit *facierum*, volens interpretari quid Græcis esset προσώπων. Nam vetustior codex Constantiensis habebat rasuram: prima scriptura fuisse videtur *ex multorum facie*: *personis* adscriptum erat in spatio. Laurentius diversam sententiam commentus est, videlicet hanc, *ut de gratia in me ex multis personis* (sive *respectu multorum*) *collata per multos gratiæ agantur propter vos.* Neque mihi displicet hoc inventum, nisi quod nonnihil reclamat articulus parum commode positus ad hanc sententiam. Commodius enim fuerat, ἵνα τὸ ἐκ πολλῶν προσώπων εἰς ἡμᾶς χάρισμα, *quod in nobis est*, sive, ut vertit Ambrosius, *donum in nos collatum*. Et ὑπὲρ ἡμῶν, ut habet Theophylactus & Ambrosius, *pro nobis*, primæ personæ. Quibusdam Græcis est ὑπὲρ ὑμῶν *pro vobis*; atque ita legisse videtur Valla. Utrumque tolerabile, *agantur gratiæ pro vobis* quorum precibus & quorum bono servatus sum, & *pro nobis* qui sumus servati. Chrysostomus dissentiens à Theophylacto legit, ἵνα ἐν πολλῷ προσώπῳ τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν. Quanquam & hic ἐν πολλῷ προσώπῳ accipi potest pro *multis modis*. Nec absurdum si intelligamus *in magna hominum frequentia*, sive *multis testibus*. Aut, si hoc mavis referre ad frequentiam agentium gratias, διὰ πολλῶν referri poteris ad multiformes afflictiones unde liberatus fuerat. Cæterum εὐχαριστηθῇ passive posuit, sicut & Latini dicunt *gratulari reditum incolumem*, pro *gratulari de reditu incolumi*. Ambrosius circumlocutus est, *in gratiarum actione celebretur*. Interpres noster obscurius, *gratia ejus donationis*, pro eo quod erat *pro ea donatione*, sive *dono* potius. Sunt qui stomachentur à me nonnunquam notari, ab hoc Interprete præter causam affectari copiam. Sed obsecro te, lector, quid hic usus habet verbum mutatum? *Salutem* autem hic appellat incolumitatem, quod è tantis malis salvus ac vivus emerserit.

12. *Nam gloria nostra*] Καύχησις, *gloriatio*: tametsi *gloriam* pro *gloriatione* legimus, sed in malam partem: unde & *gloriosi* dicuntur jactabundi. ❡ *In simplicitate cordis*] *Cordis* abest in Græcis cod. nec additur apud Ambrosium, nec apud Chrysostomum, nec apud Theophylactum Græcum, etiamsi de suo addidit interpres; nec additum erat in utroque Constantiensi. ❡ *Abundantius autem ad vos*] Πρὸς ὑμᾶς, *apud vos*, sive *erga vos*, secundæ personæ.

13. *Legistis & cognovistis*] Utrumque verbum Græcis præsentis temporis est, ἀναγινώσκετε, ἐπιγινώσκετε. Atque ita legisse Ambrosium vel ex ipsius enarratione licet colligere: *Ea*, inquit, *se dicit scribere quæ non solum literis cernerent, sed & operibus ejus manifesta haberent.* Sed offensus lector quisquam eruditulus quod prima specie sermo videretur absurdus, *Non alia scribimus vobis quam quæ legitis*, mutavit scripturam, quod nihil videatur legi nisi quod scriptum est. Atqui Paulus suo more expressit hanc sententiam, *Non alia scribimus vobis quam ea quæ non solum legitis à nobis scripta, verum etiam agnoscitis à nobis expressa re factisque.* Græci addunt conjunctionem ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε, *aut etiam agnoscitis*: agnoscimus enim quæ vidimus. Sed suspicor articulum ἃ mutatum in ἢ. Codex Donatianicus habebat *& cognoscitis*, in altero certe verbo servans integritatem veteris scripturæ.

14. *In die Domini nostri Jesu Christi*] Græcus habet *in die Domini Jesu*, ἐν ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, *nec addit Christi*. Porro *diem* suo more vocat Judicium. Quamvis vulgi judicio non est mihi causa gloriandi de vobis, aut vobis de me, tamen apud Christum est quod gloriemur utrique de alteris.

15. *Ut secundam gratiam*] Δευτέραν χάριν, quod verti poterat *iteratum beneficium*, sive *geminum beneficium*, nempe prius per epistolam, postea per præsentiam ipsius. Græcanica Scholia & Chrysostomus admonent χάριν positum pro χαρὰν, i. *gratiam* pro *gaudio*. Nam apud Latinos quoque *gratiam habere* dicuntur quæ delectant.

17. *Cum autem hoc voluissem*] Βουλευόμενος, *Cum hoc deliberarem*, sive *statuerem*. Idem verbum mox sequitur, ἃ βουλεύομαι, quod Interpres vertit *quæ cogito*. Adeo sibi permittit Interpres mutare quocunque modo quod libuerit. Ambrosius legit *cogitans*. Theophylactus interpres satis indicat de *consilio* sive *decreto* sentiendum esse: similiter Chrysostomus, quanquam in prioribus legit ἐβουλόμην. Ad sententiam refert minimum. Nec est hoc loco *autem*, sed οὖν, *igitur*: & *ergo* legit Ambrosius: etiamsi mihi non displicet ἢ, quod sit adversativa. Videtur enim diluere quod illi tacite forent objecturi, *Si statueras venire, cur mutasti consilium?* ❡ *Levitate usus sum*] Ἐλαφρίᾳ· à *cervo* dicta vox, ob celeritatem mutandi consilii. Et hic *levitate sum usus* Græce dixit magis quam Latine, pro eo quod est *leviter* (sive *inconstanter*) *me gessi*. ❡ *Secundum carnem cogito?*] Hic subaudienda est responsio, *Non cogito*, sive *Nequaquam*: ut apte cohæreat quod sequitur, *ut sit apud me*, &c. Atque hic sensus magis congruit si legamus ut legunt Latini, *ut sit apud me Est & Non*. Nam protinus diversa lectio diversum reddit sensum. Quanquam ut constet lectio, tamen sermo nonnihil habet obscuritatis. Nam prima fronte offert sese hic sensus, *Nec inconstans sum, nec dolosus sum, hominum more, qui vel mutant propositum, vel dolo pollicentur quod non est animus præstare.* Nunc ex interpretatione Chrysostomi videtur aliud sentire Paulus, nimirum hoc, *Quod distuli promissum reditum non est mutata sententia: volebam enim tum, & adhuc volo: sed quod in animo volvo, non sic volvo juxta carnem*, h.e. juxta voluntatem hominum, qui in rebus gerendis animo suo obsequuntur, *ut sit apud me Est Est, & Non Non*, h.e. ut quicquid velim faciam, & quicquid nolim vitem. Imo subditus sum Spiritui Dei, per quem aliquando vetor facere quod volo, & jubeor facere quod nolebam. Per hunc igitur stetit quo minus venerim. *Apud illum enim est Ne, Ne, & οὐ, οὔ.* & hinc est quod non præstiti quæ promisi. *Sed tamen quanquam in hac parte frustratus est vos sermo meus, tamen in prædicatione Euangelii vos non fefelli, sed auxiliante Deo firmum est & indubitatum quicquid docui.* ❡ *Ut sit apud me Est*] Hic locus apud nos confusus, apud Græcos sic habet, ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναί, καὶ τὸ οὒ οὔ, *ut sit apud nos quod est Etiam Etiam, & quod Non Non.* Certe Ambrosius legit, *Est, Est, Non, Non.* Et exemplar Paulinum vetustissimum manifesta rasuræ vestigia præ se ferebat. Porro illud *Etiam* apud Græcos vox est affirmantis, ναί, & οὐ negantis. Ergo qui non faciunt quod negant se facturos, iis *Non est Non*: & qui faciunt quod affirmant se facturos, iis *Etiam est Etiam*. Cæterum quod Laurentius non vult *in illo* & *in ipso* referri ad *Christum*, non video quid hominem moverit. Nam vehementer ridiculum est quod Valla vult *in ipso* subaudiri *Etiam*, non *Christum*. Imo Paulus felicem exitum promissorum Deo fert acceptum & Christo per quem hoc sit impetratum, ne videretur suis viribus arrogare quicquam: id quod testatur & hujus sermonis clausula, *Deo ad gloriam, per nos.* Deus autor est, Christus imperator, nos duntaxat horum ministri. Dilucidius autem ac Latinius erat *penes me* quam *apud me*, παρ' ἐμοί, h.e. in potestate mea. *Non*, inquit, *hoc cogito secundum carnem*, h.e. Non mihi vindico ut penes me sit præstare quod volo. Agnoscit autem Paulus aliquo modo culpam non præstitæ fidei, sed in humano promisso, modo constet fides ipsius in prædicatione Euangelii.

18. *Fidelis autem Deus*] Recte usus est *fidelis* pro *fido*; cum alias usurpemus hoc nominis pro *fidenti*. Ne videretur enim hoc arrogare sibi quod dixit, adjecit, *Fidelis autem Deus, quo autore & adjutore præsto quod præsto.* Potest & ita distingui hic sermo, *Aut enim quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me quod est Etiam Etiam, & quod est Non Non?* ut hæc sit interrogatio. Deinde quasi responderit, *Nequaquam hæc secundum carnalem affectum loquor, ut mihi arrogem si quid præstiti*, subjicit, *Imo Deus fidelis, qui per me præstat quicquid voluit.* Et ad hunc modum distinguit Ambrosius. Atque ita ἢ conjunctio adversativa vim habet corrigendi, cujus vice poni poterat, *Quin potius*, aut *Imo*. ❡ *Qui fuit ναί, καὶ οὔ, apud vos*] Ὁ πρὸς ὑμᾶς, i. *quem dixi vobis*. Sentit enim, ni fallor, de iis quæ promisit Epistola priore. ❡ *Non fuit in illo Est*] Οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ, *non fuit Etiam & Non.* Porro hæc verba *sed Est in illo* in Græcis cod. non leguntur hoc loco, licet mox in proximo sermone adjiciantur, suffragante vetustissimo exemplari Paulino, in quo scriptum visitur, *Fidelis autem Deus,*

 qua

quia sermo noster qui fuit ad vos, non est in illo Est & Non. Dei enim Filius, &c.

19. *Per me & Silvanum*] Hieronymus admonet *Silam* esse legendum, non *Silvanum*, cujus crebra mentio fit in Actis Apostolorum: sed reclamant quæ viderim Græcorum exemplaria. ¶ *Non fuit in illo*] Οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ, ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν, *Non fuit Etiam & Non, sed Etiam in ipso fuit.* Cum dicit *Est Est, & Non Non*, sentit agendi quod velis libertatem. Cum dicit *Est & Non*, significat lubricam fidem, h.e. falsitatem. Cum dicit *Non*, significat frustratam spem ac vanam pollicitationem. Cum dicit *Etiam* sive *Est*, significat inviolabilem veritatem. Quod autem addit *in illo*, *in* præpositio posita est loco *per*, *per illum*, ne quid arrogaret sibi.

20. *Quotquot enim*] Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ ἐν αὐτῷ τὸ ναί, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμήν, *Quotquot enim promissiones Dei in ipso* (sive *per ipsum*) *Etiam, & in ipso Amen.* Nam apud Hebræos *Amen* confirmantis est, ut apud Græcos ναί. ¶ *Ideo per ipsum*] *Ideo* abjiciendum: καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμήν, *& in eodem Amen Deo.* Et rursum hic *Amen* habet suum articulum τὸ, sicut ναὶ & οὔ superius, ut intelligas certitudinem quam significare voluit per *Amen*. Et in illo, *Amen Deo*, significat omnia certa & rata quæ Deus pollicitus est. Interpres ἐν αὐτῷ vertit *per ipsum*; quod mirum est eum in cæteris non idem voluisse facere.

22. *Et qui signavit nos*] καὶ σφραγισάμενος· quo verbo significare solet rei certitudinem, velut cum obsignamus instrumentum aut vas: atque id mox explicat, indicans *datam arram* quo certius esset promissum. Hoc admonendum ratus sum quod videbam recentiores interpretes hic multa philosophari de *Gratia cooperante*, quæ ad rem non admodum pertinent. ¶ *Pignus Spiritus*] τὸν ἀρραβῶνα, *arrhabonem*, sive *arram*, quæ fidem faciat totius promissi præstandi.

23. *Non veni ultra Corinthum*] Magis quadrabat *nondum* quam *ultra*: est enim οὐκ ἔτι ἦλθον, *non adhuc*. Sentit enim se distulisse reditum: nisi mavis ἔτι pro *denuo* accipere. Cæterum Ambrosius de dilato reditu interpretatur, atque item Chrysostomus & Theophylactus.

24. *Dominamur fidei vestræ*] Vide num hic sensus accipi possit, *dominamur vobis propter fidem*, vel *fidei gratia*, ut more Græcorum sub. ἕνεκα. Græca sic habent, οὐχ ὅτι κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως. Atque ut ita sentiam facit articulus post ὑμῶν positus; alioqui magis conveniebat τῆς ὑμῶν πίστεως· licet Chrysostomus nihil offendatur articulo. Hæc autem dicit quod ante dixerat *parcens*, velut alioqui sæviturus. Non est autem *dominium* nisi cum peccatum est alicubi: sed in fide nondum peccarant, qua firmi stabant; libidine, contentione dissidiisque peccarant: id igitur verbi mitigat hac ratione. In hanc sententiam Chrysostomus. Theophylactus, in cæteris mecum faciens, de transposito articulo nullum movet scrupulum: quanquam & alter sensus probe habet, *Fides libera est, dominium necessitatis est*, ut interpretatur Ambrosius. Hæc animadvertenda nobis, qui fidei ac religionis titulo ad tyrannidem abutimur. Nec alio fortassis studio quidam cupimus Orbem redigi ad professionem Christi quam ut ipsi latius regnemus. Qui subigunt Turcas, ne spectent dominium aut prædam. ¶ *Fide statis*] Ἑστήκατε, *stamus*, sive *constitimus*. Tametsi variant hic Græca exemplaria: & magis quadrat *statis*, ne videantur usquequaque objurgandi. Itaque legit Chrysostomus.

VATABLUS.

1. C*Hristi Jesu*] *Jesu Christi*, Vet.

2. *Gratia*] Sub. *multiplicetur*. Sic in 1 Pet. 1. 2.

3. *Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum*, &c.] i. Deus misericors & consolator. ¶ *Totius*] *Omnis.*

4. *Consolatur*] *Consolatus est.* ¶ *In omni pressura*] Vel, *in quavis afflictione.* ¶ *Exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo*] *Consolationem qua consolatur nos ipsos Deus.*

5. *Passiones*] *Afflictiones.*

6. *Sive autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute; sive consolamur*, &c.] *Sive autem affligimur*, [id fit] *pro vestri consolatione ac salute, quæ efficitur* [vel, *paratur*] *tolerantia earundem afflictionum, quas & nos patimur; sive consolationem accipimus*, [id fit] *pro vestri consolatione ac salute: nam spes nostra firma est, scientes*, &c. Vet. non legunt, *sive consolamur pro vestra consolatione.* ¶ *Operatur**] * *In*, Vet.

7. *Ut spes nostra firma sit*] *Et spes nostra firma est.*

8. *Facta est**] * *Nobis.* ¶ *Virtutem*] Vel, *vires.* ¶ *Tæderet nos etiam vivere*] Vel, *desperaremus de vita.*

9. *Responsum*] *Sententiam*: i. tanta erat persecutionum violentia, ut animus noster nihil aliud præsagiret & exspectaret quam mortem.

10. *Tantis periculis*] *Tanta morte.* ¶ *Eruit*] *Eripit.* ¶ *Speramus quoniam*] *Speravimus quod.*

11. *Adjuvantibus**] * *Et*, Vet. ¶ *Ex multarum personis facierum, ejus quæ in nobis est donationis*] *Ex multis personis pro dono in nos collato*: vel, *multis modis*: aut, *in magna hominum frequentia.* Ambrosius vertit, *in magna hominum frequentia*, ut intelligamus gratias publicitus agendas.

12. *Dei*] i. Sancta & Divina. ¶ *Ad vos*] *Erga vos.*

13. *Legistis & cognovistis*] *Legitis & cognoscitis*, Vet.

14. *In finem**] * *Quoque.*

15. *Volui*] *Volebam.* ¶ *Secundam gratiam*] Vel, *geminum beneficium*: nempe prius per epistolam, alterum per præsentiam meam.

16. *Transirem*] *Transire*, Vet.

17. *Voluissem*] *In animo versarem.* ¶ *Cogito*] *Statuo apud me.* ¶ *Secundum carnem*] i. More hominum carnalium. ¶ *Est, & Non*] i. Sed potius operam do, ut si quod sit (*etiam*) apud me; h.e. si quid pollicear me facturum, id fit (*etiam:*) i. ut illud impleam. Contra do operam ut siquod est (*non*) apud me; h.e. siquid negavero me facturum, id sit (*non:*) i. ne illud agam. Alii vertunt, *cogito ut sit modo etiam, etiam: modo non, non?* i. ut aliud dicam, aliud faciam?

18. *Fidelis autem*] *Imo fideles.* Paulus hoc agit ut Corinthiis probet se constantem esse non levem, sive quid promisisset de sua profectione ad ipsos, sive in doctrina qua docuerat eos de Christo: q.d. Deus est mihi testis fidelis, quod, &c. quæ dixi vobis fuerunt certa. ¶ *Fuit*] *Fit*, Vet. ¶ *Non est in illo Est & Non, sed est in illo Est*] *Non fuit Etiam & Non*: i. non fui inconstans, ut modo aliquid affirmaverim, modo negaverim.

19. *Est & Non; sed est in illo Fuit*] *Etiam & Non, sed Etiam in illo fuit*: i. in prædicatione quam de Christo habuimus apud vos, non fuimus inconstantes, sed de ipso semper idem affirmavimus.

20. *In illo est*] *De illo sunt Etiam*: i. veræ sunt, adimpletæ in illo: quod semper affirmavi. ¶ *Et per ipsum Amen, Deo in gloriam vestram*] *Et de ipso veritas*: i. quod de ipso vere dicimus, Deo cedit in gloriam. *Amen* significat *veritatem*. Vetus unum exemplar legit, *ad gloriam per nos.*

21. *Christo*] *Christum*, Vet. i. in fide in Christum. ¶ *Unxit nos*] i. Donavit nos Spiritu suo.

22. *Signavit nos*] i. Certos reddidit de vita æterna: ut solent certa esse & stabilia quæ obsignata sunt. ¶ *Pignus*] Vel, *arram*: i. Spiritum suum pro arra.

23. *Testem Deum invoco in animam meam*] i. Deum cito testem animi mei: vel, in perniciem animæ meæ: q.d. ea conditione ut me interficiat, nisi vera dixero. ¶ *Parcens vobis*] i. Sumptibus vestris. ¶ *Non veni ultra*] *Nondum venerim.*

24. *Non quia dominamur fidei vestræ*] *Non certe volumus vobis dominari propter fidem*, quam sc. à nobis audivistis: q.d. non solum non volumus vobis dominari fidei, quam à nobis audivistis, nomine, sed adjutores vestri esse cupimus gaudii causa: i. ut gaudio vos afficiamus potius quam tristitia. Ostendisset Paulus se velle dominari Corinthiis fidei nomine, si suo jure exegisset ab illis alimenta & vestes.

CASTALIO.

9. D*E nobis latam mortis sententiam sensimus*] In extremo vitæ periculo fuimus.

11. *Ut à multis personis*] Ἐκ pro ὑπὸ positum est, sicut capite sequenti ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ pro ὑπ' ἐμοῦ· ὑμῶν autem in secunda persona legendum est in secundo loco, ut habent nonnulla exemplaria, ut respondeat verbo συνυπουργούντων, ut sit, *Beneficium vestra opera atque causa collatum.*

14. *Nos vestra sumus gloriatio*] Ii sumus, de quibus gloriemini vos.

17. *Hoc igitur deliberans, numquid levitate usus sum*, &c.] Levitatis est, certo aliquid promittere quod fortasse præstiturus non sis. Si ego me certo ad vos venturum promisissem, levis essem, cum non venerim. Nunc non certo promisi: dixi enim *venturum me si Deus voluerit* (sic enim scripsit superiore Epistola, cap. 4. & ultimo) quæ exceptio me à levitatis & inconstantiæ crimine vindicat. *Non enim ita delibero ut solent homines* suæ fragilitatis immemores, *ut Etiam sit apud me Etiam, & Non,*

Non, *Non*; h.e. ut cum aliquid me facturum dico, id certo affirmem, quasi omnino facturus; aut cum nego, id certo negem, quasi omnino non facturus. Nam apud me fit aliquando ut *Etiam* sit *Non*, & *Non* sit *Etiam*: ut quod dixi *venturum me ad vos*, id erat *Etiam*; at idem nunc factum est *Non*, quoniam non veni: non enim permisit Deus, penes quem sunt actiones nostræ; ut nihil ipsi de nobis certo affirmare aut negare possimus. Non enim certæ sunt nostræ promissiones, quemadmodum Dei. Nos homunciones impedimur: Deus non potest impediri; sed quod semel promisit, id fideliter præstat. Itaque quæ nos de Christo vos docuimus, non ita docuimus ut modo affirmaremus modo negaremus, sed idem semper & constanter de Christo affirmavimus: quippe cum non nostra sed Dei promissa forent, qui quæ de Christo promisit, certo & nulla cum conditione aut exceptione promisit. Nec mirum: est enim Deus, qui impediri non potest: itaque ejus promissa nobis certa sunt, ejus afflatus pignore confirmata. At ego homo sum: quod si ad vos non veni, non certo promiseram, & non veniendi justa causa fuit. Id enim feci *ut vobis parcerem*. Nam si venissem, cum virga venissem (ut in priore Epistola minatus sum) h.e. vos gravius propter illud incesti flagitium castigassem. Dicet quis, Ergone nos tam parvæ fiduciæ & constantiæ esse putas ut tuam præsentis castigationem ferre nequeamus? Ego vero non puto. Scio enim, vos in *fiducia* constantes esse, *nec eam vobis derogo*, *sed gaudii vestri rationem habeo*. Nam si vos præsens castigassem, ea res vobis (ut de me taceam) dolorem fecisset; qui dolor nunc aberit: κυριεύειν autem, quod *derogare* vertimus, est non solum *dominum esse*, sed etiam *dominum fieri & potiri*; sicut ante de βασιλεύειν scripsimus: ut sit κυριεύειν τῆς πίστεως *dominum se facere fiducia alterius*, h.e. alteri fiduciam & robur detrahere, & esse negare.

C L A R I U S.

3. **D***Eus omnis consolationis*] Ergo quæ aliunde comparatur, etiam videatur, non est consolatio.

6. *Sive autem tribulamur*, *pro vestri consolatione*] Quod solatium præbere poterat fidelibus afflictio Pauli? Multum: nam ex eo colligebant veram esse ejus prædicationem, qui, nullis exspectatis ab hac vita commodis, quotidianis se mortibus objiciebat. Præterea magis provocabantur ad eadem perferenda, atque animabantur, quæ erat eorum salus. ¶ *Qua operatur*] Τῆς ἐνεργουμένης *qua efficitur*: ut sit sensus, quæ salus efficitur in vobis, dum nostro exemplo eadem patimini quæ & nos.

9. *Responsum mortis*] Res ipsæ, inquit, loquebantur & respondebant, desperatam esse vitæ salutem: & mirum addit verbum, Deum scilicet id permisisse, *ne sibi ipsis fiderent*, *sed Deo*. Ergo hæc afflictionum natura est ut Divinæ benignitati magis fidentes faciat, ut cum nutrix puerum incipientem ingredi permittit interdum sibi, ut metu lapsus acrius nutrici adhæreat.

11. *Ut ex multis personis*] *Ut per multos gratia coram multis agantur Deo.*

12. *Nam gloriatio nostra*] Quod audemus, inquit, & speramus, ex testimonio conscientiæ nostræ proficiscitur, cui omnis gloriatio nostra innititur.

13. *Quam quæ legistis*] Non nova quædam scribimus, sed quæ ipsi meminisse potestis, & inscripta habetis animo, & quæ legentes vera esse cognoscere potestis. Sciendum autem est totam hanc fere Epistolam apologiam quandam esse.

15. *Geminam gratiam*] Δευτέραν, *secundam*, videlicet vel ex repetito accessu ad eos, vel post priorem Epistolam præsentiam suam exhibendo.

18. *Non fuit Est & Non*] h.e. Non fuit vanus & levis & non sibi constans: nam quæ vobis prædico promissiones Dei sunt, non inventa hominum. Plenus autem est hic locus Hebraica phrasi, qui sic leniendus est, *Quotquot promissiones Dei sunt*, *stabiles sunt & certa*: sic enim significat illud, *sunt in illo Est*: quod verbum Deo attribuitur, cum dicitur, *Qui est*, *misit me ad vos*.

20. *Et per ipsum Amen*] Per Christum, inquit, est affirmatio veritatis. ¶ *Deo ad gloriam per nos*] h.e. Ut glorificetur Deus per nos.

24. *Nam fide*] Non nostra, inquit, sed fidei virtute statis: idcirco non utimur libera auctoritate in vos: hoc enim esset *dominari vestra fidei*.

Z E G E R U S.

6. **S***Ive consolamur*, *pro vestra consolatione*] Hoc adjectum est occasione ambiguitatis hujus clausulæ, εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας· quæ significat utrumque, nimirum, *sive consolamur*, *pro vestra consolatione & salute*, &, *sive exhortamur*, *pro vestra exhortatione & salute*. Hic etiam admonendum, alium esse ordinem contextus ipsius in Græcis modernis, alium in Chrysostomo, Theophylacto & Oecumenio, alium item in Latinis. Sic enim habet ordo in Græcis, *Sive autem tribulamur*, *pro vestra exhortatione & salute*, *qua operatur in tolerantia earundem passionum quas & nos patimur*: *sive consolamur*, *pro vestra consolatione & salute*: *& spes nostra firma est pro vobis*, *scientes quoniam*, &c. Sed quia Græci scriptores diversum huic ordinem ponunt, sibique consentiunt, sic potius scribendum censuerim, Εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας τῆς ἐνεργουμένης [al. ἐνεργουμένης] ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν· καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν· εἴτε παρακαλούμεθα ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας, εἰδότες, &c. Sed hic scias oportet in Commentariis Theophylacti perperam inserta esse Porsenam verba illa, *sive consolamur*, *pro vestra consolatione*; *sive tribulamur*, &c. cum eo loco tantum debeat poni id quod post prædicta verba subjungitur, *quæ operatur in tolerantia earundem passionum*, &c. Deinde etiam in enarratione ejus quod sequitur, *sive consolamur*, legendum puto, *vestra salutis gratia consolamur*, *& in vestri animi sublevationem*. Quod ad nostræ attinet editionis ordinem, ne quis forte ipsum putet parum authenticum, eundem habent Eusebius Papa, & primus post Clementem Papa Euaristus, & Ambrosius. Hic proinde ignorandum non est *exhortandi* verbum differre à verbo *monendi*, & comprehendere in se blandulum quid & consolatorium, ut *exhortari* verti possit *consolando monere*.

8. *Supra modum gravati sumus*, *supra virtutem*] Apostolus his verbis usus est, καθ᾽ ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν ὑπὲρ δύναμιν. Sensus est, *Per excessum* (vel *excessive*) *gravati sumus ultra potentiam*; talisque fuit tribulatio ut nostras etiam vires excederet.

9. *Sed ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus*] i. Ipsi nobis in tali persecutione ac pressura constitutis etiam mortis denunciationem sive responsum pollicebamur.

11. *Ut ex multarum persona facierum*, *ejus quæ in nobis est donationis per multos gratia agantur pro nobis*] Archetypus ad hunc habet modum, ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν, h.e. *ut ex multis personis* (vel secundum alios, *ut ex multorum facie*) *super dono in nos collato per multos gratia agantur pro nobis*. Porro Interpres in reddenda voce προσώπων, quo magis vocabuli energiam exprimeret, periphrasi usus est. Nam πρόσωπον non modo *personam* sed & *faciem* ipsam declarat: & ex facie persona dinoscitur. Dicit ergo *ex personis multarum facierum*, h.e. ex diversis diversorum aspectuum & conditionum mortalibus.

12. *In simplicitate* (*cordis*) *& sinceritate*] *Cordis* redundat juxta exempl. antiqua, & Græca. ¶ *Abundantius autem ad vos*] i. *Maxime autem apud vos*, ut quibus gratis Euangelium deprædicarim.

15. *Ut secundam gratiam haberetis*] i. Ut duplex vobis gaudium vel donum adderetur; de epistola alterum, alterum de præsentia; vel prius de meo ad vos accessu priore, posterius de secundo.

17, 18, 19, 20. *Ut sit apud me Etiam & Non?*] *Fidelis autem Deus*, *quia sermo noster qui fuit* [alias *fit*] *apud vos*, *non est in illo Etiam & Non*, *sed Etiam in illo est*. *Dei enim Filius Jesus Christus*, *qui in vobis per nos prædicatus est*, *per me & Silvanum & Timotheum*, *non fuit in illo Etiam & Non*, *sed Etiam in illo fuit*. *Quotquot enim promissiones Dei*, *sunt in illo Etiam*. *Ideo & per ipsum Amen*, *Deo ad gloriam nostram*. Sic lego in codicibus fidelioribus. *Ut sit apud me Est & Non?* i. ita ut instabilis sim ac nutabundus. *Ut* particula sequelam hic indicat. *Non est in illo Est & Non*, *sed Est in illo est*. Haudquaquam, inquit, ulla est in sermone nostro instabilitas aut levitas, ut sui possit esse dissimilis; sed inconcussa firmitas & perpetuus in ipso tenor perseverat. Cæterum τὸ *Est* pro *Etiam* posuit Interpres: nam Græcis est, οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ. *Quotquot enim promissiones Dei*, *sunt in illo Est*. *Ideo per ipsum Amen Deo*, *ad gloriam nostram*. Græci nonnihil evidentiora sunt, sed discrepant interim à nostris. Nam quod illis est, Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναί, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμήν, τῷ Θεῷ

πρὸς

πρὸς δόξαν, δι' ἡμῶν, nobis sonat, *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in ipso Etiam, & in ipso Amen, Deo ad gloriam per nos.* Verum ambiguum adhuc relinquitur *ipso* particula, *Filiumne* referat an *Etiam*. Mihi probabilius videtur ut in priori *ipsum* quod adjungitur *Etiam* demonstretur, in altero *ipsum Amen*, in hanc sententiam, *Quotquot sunt Dei pollicitationes, per nos*, supple *fiunt*, *ac fidelissima ipsa veritate ac certitudine manifestantur; & id quidem non nobis sed Deo ad gloriam.* Atque ita suberit Hyperbati figura Paulo non infrequens. Quanquam non negaverim sanam esse sententiam ut sic dicatur, *Quotquot sunt promissiones Dei, per ipsum Etiam & per ipsum Amen sunt*, vel cum hac assertione *Etiam* & *Amen* conjunctæ sunt, h. e. veræ, efficaces & fideles sunt, *ad Dei gloriam per nos*, qui promissorum Dei sumus participes. Vel *ad Dei gloriam*, quæ illi per nos exhibetur. Cæterum qui Vulgatam nostram editionem sequi maluerit, hanc habeat intelligentiam, *Quotquot promissiones Dei sunt in illo*, scilicet Christo Dei Filio, *Etiam sunt*, h. e. veritatem habent & implentur in Christo. *Ideo per hunc Amen dicimus Patri Deo*, veluti promissorum firmitati fidelitatique consentientes, eique veritatem ipsam acceptam ferentes, *ad gloriam nostram*.

23. *Quod parcens vobis non veni ultra Corinthum*] *Non veni*, inquit, *Corinthum in amplius*, sive *hactenus*, ut vos tandem adveniens emendatos offenderem, quos acrius severiusque castigassem si citius adveniens necdum resipiscentes vidissem.

24. *Non quod dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii*] Fides cum primum amplectitur voluntaria fit oportet, non imperio coacta: & ideo, *non dominamur*, inquit, *vestræ fidei*, *sed nihil non facimus gaudii vestri gratia*, quod sane imminueretur si severiore vos increpatione præoccupassem.

LUCAS BRUGEN.

6. *Sive autem tribulamur, pro vestra exhortatione* [*tribulatione* o.] *& salute: - sive exhortamur, pro vestra exhortatione* " *&* ' [- o. " *in* o.] *salute qua operatur tolerantiam earundem passionum quas & nos patimur: &* [*ut* o.] *spes nostra firma* " *- est* [" *sit* o. - MS. antiqua] *pro vobis scientes*, &c.] Multi codices ante *sive exhortamur* tertium addunt membrum, *Sive consolamur, pro vestra consolatione*, Autore Glossæ cum schola sua suffragante. Cæterum antiqui libri, Pau. Const. Di. o. l. Ge. o. l. Brug. Mal. ma. mi. Leod. Lob. O. G. id non agnoscunt; duo solum membra scribunt: quibus vetustus Autor commentariorum quæ Ambrosio adscribuntur, Græci Tractatores, Græci & Syrici codices, suffragantur. Quare id Hentenius & Zegerus Castigatores textu expulerunt. Adjectum fuisse videtur ex altera interpretatione, primum forte ab aliquibus margine adscripta, quod Vulgata translatio, quæ *exhortari* pro Consolationem accipere utitur, minus conveniens judicaretur, & tandem ab aliis in textum relata. Græcis enim unica sententia est, εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, quæ, & *Sive consolamur pro vestra consolatione*, & *Sive exhortamur pro vestra exhortatione*, verti potest. Ipse noster Interpres, eodem quarto versu proxime præcedenti, παρακαλεῖν, nunc *consolari*, nunc *exhortari*, vertit: ita ut ambiguum hoc loco esset utra ejus esset conversio, nisi veterum MSS. fide doceretur. Nam quod quidam impressi codices illud legant solum, *Sive consolamur pro vestra consolatione*, pro eorum qui ediderunt arbitrio factum esse est manifestum. Duo scripta T & So. la. utrumque vertendi modum miscuerunt: habent enim, *Sive exhortamur pro vestra consolatione*. Autor commentariorum quæ in Ambrosii sunt operibus legit, *Sive exhortationem consequimur, pro vestra exhortatione*. Is qui Græca Syriace reddidit, & plurimi eorum qui eadem Latine reddiderunt, interpretati sunt, *Sive consolationem accipimus, pro vestri consolatione*.

Ex posteriori hoc membro emendatiores nostri codices novem numero, Brugen. Lob. Mal. mi. So. la. T, O, E, Pl. m. G. cum sex Hentenii, auferunt *& salute*, Ambrosiano textui & Syriacis editionibus conformiter. Legunt id porro utroque membro, cum aliis Latinis libris, & Autore Glossæ ejusque schola, Græca exemplaria, Græco Interprete Oecumenio manifeste consentiente. Qui tertium addunt membrum secundo loco, *Sive consolamur pro vestra consolatione*, Latinorum, sive codicum sive Interpretum, quidam, sed pauci, & huic *salute* adjiciunt.

Quod sequitur, *qua operatur tolerantiam*, Græci τῆς ἐνεργουμένης aut ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ scribunt, *operante in tolerantia*. Ita vero & Latinum Malmundarii majus exemplar habet, *in tolerantia*; minus *in tolerantiam* legit, quo modo est & in Lob. Brug. O. G. Ge. o. l. ac duobus Hentenii. Societatis latum utramque notat lectionem. Quædam antigrapha habent, *Quæ operatur in vobis tolerantiam*, quibus adjectum est à sciolis *vobis*; pro quo alias legitur *nobis*; ut salva maneret præpositio, quam alii similiter non intellectam audacius abstulerunt. Commentator apud Ambrosium, *Quæ operatur per patientiam*, legit. Syrorum sententia, sed plenior, hæc est, *Ut vos consolationem accipiatis, & sit in vos sedula operatio*, seu *perseverantia, qua sustineatis eas passiones quas & nos patimur.* Hic quoque notandum, alium esse textus ordinem in Græcis codicibus, alium in Græcis Interpretibus, alium denique in Latinis codicibus atque Interpretibus. Græci codices plerumque hoc ordine legunt, *Sive autem tribulamur, pro vestri consolatione & salute, quæ operatur in tolerantia earum passionum quas & nos patimur. Sive consolationem accipimus, pro vestri consolatione & salute, & spes nostra firma pro vobis, scientes.* Græci Interpretes (Chrys. Theod. Theophylact. Oecum.) isto, *Sive autem tribulamur, pro vestri consolatione & salute, quæ operatur in tolerantia earum passionum quas & nos patimur, & spes nostra firma pro vobis. Sive consolationem accipimus, pro vestra consolatione & salute, scientes.* Latini codices atque Interpretes eo ordine legunt quem initio proposuimus. Et his quidem Syri consentiunt. Græcis autem Interpretibus Græcæ Aldi & Colinæi editiones, & sex Parisiensium antigrapha (α. δ. ζ. ι. ια. ιγ.) consonant. Inter Parisiensium antigrapha Complutense est, cui regia respondent.

11. *Ut ex multarum personis facierum, ejus* [*multorum facie* Mal. ma. Const. Amb.] *quæ in nobis* [*vobis* 3 MS.] *est donationis, per multos* * *gratiæ* [* *participes* o. * *principes* o.] *agantur* * *pro* [* *Deo* o.] *nobis*] Quatuor nostra Latina exemplaria, So. la. Pl. m. Arr. Pl. par. & quinque Parisiensium Græca, (α. δ. ζ. ι. ιγ.) cum Græca Aldi editione, *pro vobis* legunt, Græco enarratore Oecumenio adstipulante. *Pro nobis* autem habent & Latina exemplaria pleraque, consentientibus Latinis commentatoribus, & Græca complura, Græcis tractatoribus Theodoreto & Theophylacto concinentibus. Syri ab hac parte stant. Cæterum quanquam hoc, *pro nobis* inquam, similius vero, præsertim nostræ editioni; verum est utrumque: *agantur gratiæ pro vobis*, quorum precibus & quorum bono servatus sum; & *pro nobis*, qui sumus servati.

13. *Non enim alia scribimus* [*scripsimus* o.] *vobis quam quæ legistis - & cognoscitis* [- o.] Hæc Hentenii est emendatio. Quamvis enim vulgaris lectio sit, *legistis & cognovistis*; optimi libri, nec ii pauci, præsenti tempore *cognoscitis* habent. Lobiense vero manuscriptum, præstantissimum illud, & Plantini angustum, ac Nicolai Zegeri editio, utrumque præsenti tempore scribunt, *Quam quæ legitis & cognoscitis*: atque ita est Græce, ἀλλ' ἢ ἃ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε, *Quam quæ legitis, aut & cognoscitis.* Syri transtulerunt, *Quam ea quæ cognoscitis, & vobis persuasa habetis.* In hunc modum, præter Græcorum exegeses, commentaria in Ambrosii operibus interpretari videntur, his verbis, *Ea se dicit scribere, quæ non solum literis cernerent, sed & operibus ejus manifesta haberent.* Ita & Primasii scholia, *Hæc legentes in epistola quæ cognoscatis in conscientia.*

21. *Qui autem* * *confirmat* [* *dico* o.] *nos* * *vobiscum* [* *esi* o.] *in Christo*, - *&* [o.] *qui unxit nos, Deus*] Nonnulli libri *vos nobiscum* legunt; tres nostri, So. ru. pl. par. R. quibus Græca Complutensis editio, cum filiabus, adstipulatur. Videtur & Ambrosiaster adstipulari: ait enim, *Christum dicit confirmare gentes in fide promissa Judæis.* Porro *nos vobiscum* habent plerique omnes & Latini & Græci codices, consentientibus Syris, & tractatoribus, Chrysostomo, Haymone, Theophylacto, Lombardo, Anselmo, Oecumenio, Gorrano. Quamvis autem convenientius dictum videri possit *Qui confirmat vos nobiscum*, quam *Qui confirmat nos vobiscum*, quia Paulus Corinthiis in Christo fuerat prior, non tempore solum, verum & merito ac dignitate, atque adeo Apostolus eorum; tamen quia suam hic asserit firmitudinem atque constantiam, quæ quodam modo in dubium vocata erat, ideo eos sibi præposuisse videtur, dicens, *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo.* Manuscriptum Germani latum, & Quenteliana Biblia, *in Christum* legunt, Græco, ut suspicor, accommodata. Ambrosiaster, illum volumus quem Ambrosium plerique nominant, Ambrosii operibus conjunctum, *Christus Dominus* habet: quo modo & Malmundarii exemplar majus, veterum lectioni sæpe conforme, habuisse mihi sane videtur, *Qui autem confirmat nos vobiscum, Christus Dominus.* T litera notatum manuscriptum huc accedens, *In Christo Domino* legit.

STE-

STEPHANUS.

I. ΩΣτε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν] *Ita ut in dubium de vita etiam venerimus.*

9. Τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου] *Denuntiationem mortis.*

12. Ἀνεστράφημεν] *Vitam instituimus*: ad verb. *versati sumus.*

17. Τῇ ἐλαφρίᾳ] *Levitate.* ¶ Ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὔ;] *Ut sit apud me Etiam & Non?* i. Ut aliquid modo affirmem, modo negem?

DRUSIUS.

1. CUM *sanctis*] Sic loquendo innuit eos qui nomen dederant Christo. Etenim illi antiquitus, h.e. in primitiva Ecclesia, *sancti* dicebantur: unde *sanctissimi* Episcopi; quod epitheton Episcopo Romano nunc tribuitur. *Sancti*, hoc est, קדשים aut חסידים. Sed *Hasidim* proprie ὅσιοι, ut *Kedoschim* ἅγιοι. In veteri Synagoga commune erat hoc nomen omnibus, quibus dicitur, *Sancti estote, quia ego sanctus sum*: peculiariter autem ita vocabantur Sacerdotes, ut Levitæ *Hasidim* dicebantur: de qua re alias.

3. *Pater misericordiarum*] Est cur malim *miserationum*: nam in fonte οἰκτιρμῶν. Id Hebræi dicerent אב הרחמים. Nam *misericordiarum*, i. ἐλέων. *Misericordia* enim ἔλεος, ut *miseratio* οἰκτιρμός. Sic differunt ἐλεήμων *misericors*, & οἰκτίρμων *miserator*. Qui hic *Pater miserationum*, alibi vocatur רחום *Miserator*, & Syriace רחמנא: unde vulgatum illud, רחמנא לבא בעי *Miserator cor requirit*: elegans dictum & auro contra non carum.

10. *De tantis periculis*] Videtur legisse cum Ambrosio ἐκ τηλικούτων θανάτων. Siquidem Hebræi pericula *mortes* appellant. In cod. Græcis, ἐκ τηλικούτου θανάτου *ex tanta morte*. *Mortem* autem vocant pericula in quibus de vita periclitamur, aut graviores ærumnas & vexationes. Itaque locum illum Salomonis, *Justitia liberat à morte*, Jesus Sirach interpretatur exponens, *Eleemosyna liberat ab omni vexatione*, ἐκ πάσης κακώσεως.

11. *Ex multis personis*] Πρόσωπον ἀντὶ τοῦ λογικοῦ ὑφισταμένου etiam Ecclesiastici scriptores usurpant. Demosthenes appellat σώματα. Phocylides,

—— ἄδικον μὴ κρῖνε πρόσωπον,

i. *hominem*. Aut πρόσωπον dicit *externam speciem*; ut Marc. 12. 14. μὴ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων. Sic *accipere personam in judicio*, quod Græci dicunt λαμβάνειν πρόσωπον. Dialectici etiam modos figurarum vocant פנים πρόσωπα: & in Particulis Rabbinicis est על כל פנים sive בכל פנים *omnino, omnibus modis, omnimodo*.

13. *Usque in finem*] Ἕως τέλους· videtur esse עד נצח *ad finem usque*, h.e. in perpetuum. Sic לנצח dicunt pro *in seculum*. Interpretes autem reddunt εἰς τέλος, & Hier. *in æternum*, Psal. 9. 18. Sane לעולם *in seculum* Psal. 9. 7. & pro eo לנצח Psal. 68. 16. Quin vocem סלה, quam Sym. interpretatur εἰς τὸν αἰῶνα, Th. transtulit εἰς τέλος. Manahemus annotat נצח, *Sela*, & עד dici de tempore infinito, 159. 3. Reperio eodem significatu & διὰ τέλους. Hesychius, Διὰ τέλους, διαπαντός, *semper, perpetuo*. Lex. V. Εἰς τέλος, *usque finem*. Malim ἕως τέλους. Nam εἰς τέλος *in finem*. Prov. 21. 28. לנצח, A.S. Th. εἰς νῖκος, alias, νεῖκος. Vide 1 Cor. 15. 54. Psal. 13. 1. נצח LXX εἰς τέλος alius εἰς νῖκος alius τέλεον. Hier. *penitus*. Santes *in seculum*. Arias *æternum*.

15. *Secundam gratiam*] Quidam interpretantur *secundum gaudium*. Nam χάρις *gaudium*, i. χαρά· ut alibi in his epistolis πολλὴν χάριν ἔχομεν, *magnum gaudium habemus*. Expende.

17. *Ut sit apud me Est & Non*] הן ולא. Vide Matth. 5. 37. *Sit sermo vester Est, est; Non, non.* Quo pertinet dictum Hebræorum, ITTIAH *justorum est* ETIAM, *& eorum* NON *est* NON, צדיקים הן שלהם הן ולא שלהם לאו הן est *etiam*, ναί. Plerique codices hic habent ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ, *ut sit apud me Est, Est; & Non, Non.* Prior scriptura melior, verior. Mox. v. 18, *Non fuit Est & Non*, i. varius & inconstans, qui modo affirmat aliquid, modo negat. Ausonius,

Est respondebat, aut Non,

ναί, οὐ ἤ.

20. *In ipso sunt Amen*] i. *Firma ac rata*: aut τὸ ἀμὴν, i. *veritas*. Sic באלהי אמן *per Deum verum*, ἀληθινόν, Jes. 65. 16. Idem dicit, *in ipso sunt Est*, aut *Etiam*: quæ tamen alii distinguunt. Vide Theodorum.

21. *Qui unxit nos*] Donis spiritualibus. Ab hac *unctione* qui existimant *Christianos* appellatos esse, falluntur. Nam non agit hic de Christianis omnibus, sed de Ministris tantum: hoc primum. Deinde liquet ex Actis *Christianos* à *Christo* primum Antiochiæ dictos fuisse; qui prius *discipuli* & *Nazaræi* vocabantur. Huc refer illud Jesaiæ, *Ad evangelizandum pauperibus unxit me*. Spiritus enim Dei ut olim in Veteri Prophetas, sic in Novo Fœdere *ungere* dicitur Ministros verbi. Qui sic uncti erant non *Christiani* sed *Christi* dicebantur, ut apud Davidem, *Et unctos meos ne vexate*.

23. *In animam meam*] Explicant, *in caput meum*: sic *hostis in animam*, i. capitalis, Psal. 17. 9. Aut *vita mea periculo*. Sic *animam in manu gestare* aut *habere* dicitur qui in summo discrimine versatur. Usus fuit hoc adagio Xenarchus apud Athenæum, Ἐν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχει· item David Hymnographus Psal. 119. & compositor Historiæ Hebraicæ l. 4. c. 34. Vide Proverbia mea sacra.

GUALTPERIUS.

22. KAI δοὺς τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος, *deditque arrhabonem Spiritus*] Ἀῤῥαβὼν, ὦνος, ὁ, ex interpretatione H. Stephani secundum Suidam & Etymologum *pecunia est quæ in emptionibus primo dependitur ad fidem majorem faciendam iis quæ empta sunt persolvendis*; seu *pars solutionis quæ fidem facit totius summæ persolvendæ*: qua etiam re differt à *pignore* seu *hypotheca*, ut Hieronymus quoque notavit. Hunc locum sane exponens, *& dedit pignus Spiritus*, subjicit, *id est, pro arra Spiritus gratiam. Omnis autem arra pro magnitudine pretii dari solet. Quantum igitur est pretium, cujus tanta est arra?* Et ad Ephes. 1. Tom. 9. p. 102. b. PIGNUS, inquit, *Latinus interpres pro* ARRHABONE *posuit: Non autem idipsum* ARRHABO *quod* PIGNUS *sonat. Arrhabo enim futuræ emptioni quasi quoddam testimonium & obligamentum datur: Pignus vero, h. e.* ἐνέχυρον, *pro mutua pecunia opponitur; ut cum illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus à creditore reddatur. Rursum in eo ubi ait*, IN REDEMPTIONEM ADOPTIONIS, *non habet in Græco* υἱοθεσίας, *sed* περιποιήσεως, *quam nos Acquisitionem sive Possessionem possumus dicere; nec tamen vim sermonis expressimus. Multa enim verba sunt quæ nec de Græco in Latinum transferri valent, nec de Hebraico in Græcum; & reciproce, nec de Latino in Græcum, nec de Græco in Hebræum. Quicumque igitur non tantum Spiritum sanctum, sed Spiritum S. repromissionis acceperit, simul consequetur & arrhabonem hereditatis: quæ hereditas vita perpetua est. Et quomodo ex arrhabone æstimatur qualis emptio futura sit, & quæ possessio; v. c. ex decem solidis centum solidorum villa, & ex centum solidis mille solidorum possessio; ita ex varietate arrhabonis hereditatis quoque postea secutura magnitudo cognoscitur. Quamvis autem sanctus sit aliquis atque perfectus, & omnium judicio beatitudine dignus putetur, tamen ad futuram hereditatem, nunc arrhabonem Spiritus est consecutus. Si autem arrhabo tantus, quanta erit ipsa possessio? Quo modo autem arrhabo qui nobis tribuitur non est extra nos, sed intra nos est; sic & ipsa hereditas, h. e. regnum Dei, quod intra nos est, in nobis versatur intrinsecus. Quæ enim potest esse major hereditas quam contemplari & videre sensu pulcritudinem sapientiæ, & verbi, & veritatis, & luminis, & ipsius ineffabilem & magnificam Dei considerare naturam, omniumque quæ ad similitudinem Dei condita sunt substantiam contueri. Iste autem Spiritus repromissionis sanctus, qui est arrhabo hereditatis nostræ, idcirco nunc Sanctis datur, ut redimantur & copulentur Deo in laudem gloriæ ipsius. Non quod Deus laude alicujus indigeat, sed quod laus Dei laudatoribus prosit, & dum per singula opera majestatem ipsius magnitudinemque cognoscunt, ad laudandum eum miraculo stuporis erumpant.* Idem Hieronymus tom. eodem pag. 174. b. *Hinc cognoscimini unum esse, quia eundem Spiritum accepistis: Cujus signa, arra sunt hereditatis futuræ. Si ergo mortuos suscitare arra est, quanta erit ista possessio? pignus vero promissi fidem operatur Spiritu promissionis, qui non carni promissus est.* Hactenus Hieronymus. Alii sic, *Arrhabo est omne id quo dato confirmatur promissio.* Syrus vocem habet affinem רהבונא *Rahabuna*. Hebræis est ערבון ARABON, *arra, pignus, arrhabo*, Gen. 38. 17.

LUD. CAPPELLUS.

8. Ὑπὲρ τῆς θλίψεως ἡμῶν τῆς γενομένης ἡμῖν ἐν τῇ Ἀσίᾳ] Videtur omnino illam denotare afflictionem quæ illi contigit per tumultum Demetrianum Ephesi excitatum, quo Paulus de vita periclitatus est, Act. 19. Scripta enim est hæc Epistola cum post tumultum illum sedatum recens in Macedoniam venisset, Act. 20. 1.

19. Κηρυχθεὶς δι' ἐμοῦ καὶ Σιλουανοῦ καὶ Τιμοθέου] *Silam* & *Silvanum* eundem esse certum est, & liquet ex collatione hujus loci cum Act. 18. Et hic *Silvanus* idem est cum illo cujus & Timothei nomine salutat Thessalonicenses 1 Thess. 1. 1. Scripta est enim prior illa ad Thessalonicenses Epistola Athenis, paulo postquam Paulus Thessalonica Athenas cum Sila & Timotheo venisset, Act. 17. 15, 16. Idem etiam est cum *Silvano* cujus meminit Petrus 1 Cath. 5. 12. Nempe ubique est idem ille Silas qui Pauli socius & administer fuit in Euangelii prædicatione. Nomen nimirum *Silas* Græcum versum est in Latinum *Silvanus* proxime affine, quomodo *Saulus* in *Paulus* mutatum est, Hebraicum scilicet nomen in Latinum.

GROTIUS.

NEque statim post priorem, neque multo post scripsit hanc ad Corinthios epistolam Paulus. Tantum enim intervalli fuit quo Timotheus à Paulo missus ire Corinthum potuit, mandata Pauli explicare & ut eis pareretur laborare, & ad Paulum redire. Labor autem ejus Corinthi apud plerosque bene successerat, unde & lenior aliquanto hæc est Epistola, quam prior. Manebant tamen quidam Paulo invidentes, quorum obtrectationibus passim hac Epistola respondet.

1. Διὰ θελήματος Θεοῦ, *Per voluntatem Dei*] Sic & 1 Cor. 1, 1. ¶ σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ. *cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia*] Voluit Paulus exempla hujus Epistolæ mitti ad alias in Achaia Ecclesias, ut tum fieri solebat.

2. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη, *Gratia vobis & pax*] Vide Rom. 1, 7. 1 Cor. 1, 3.

3. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, *Benedictus Deus*] Formula solemnis gratias agendi. Rom. 1, 25. IX, 5. ¶ ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν, *Pater misericordiarum*] Genitivus pro adjectivo ut & in verbis subsequentibus. *Pater*, inquit, *summe misericors*. Vide Exodi XXXIV, 6. *Deus* רחמים [*miserationum*] Syris & Arabibus.

4. Ὁ παρακαλῶν ἡμᾶς ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν, *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*] Non sine causa hoc dixit adversus eos qui Deo exosos putant eos qui in multis incommodis versantur. Confer Rom. V, 3. VIII, 35. ¶ εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς παρακαλεῖν τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει, *ut possimus & nos consolari eos qui in omni pressura sunt*] Omnia sua Paulus ad Ecclesiæ utilitatem refert. ¶ διὰ τῆς παρακλήσεως ἧς παρακαλούμεθα αὐτοὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *per exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo*] Id est, per dona illa Spiritus quibus Deus me solatur. Vide Actor. IV, 36. IX, 31. XIII, 15.

5. περισσεύει, *abundant*] *Multa sunt & magna.* Vide Rom. III, 7. V, 15. XV, 13.

6. Εἴτε δὲ θλιβόμεθα, *Sive autem tribulamur*] In Manuscripto, εἴτε παρακαλούμεθα [*sive exhortamur*], ut pendeat hoc à verbo præcedente περισσεύει [*abundant*], quod & de afflictionibus & solatiis positum fuit. Afflictiones sibi evenire dicit ipsorum salutis causa, id est, propter Euangelium: unde supra dixit, παθήματα Χριστοῦ [*passiones Christi*], id est, *quæ Christi causa feruntur.* Vide 1 Petri IV, 16. ¶ καὶ σωτηρίας, *& salute*] Deest in Manuscripto. ¶ τῆς ἐνεργουμένης, *quæ efficitur*] Id est, κατεργαζομένης [*quæ operatur*]. Vide Rom. V, 3. ἐνεργεῖσθαι [*effici*] modo deponentialiter sumitur, modo, ut hic, passive. ¶ τῶν αὐτῶν παθημάτων, *earundem passionum*] *Eadem* dicuntur quæ eandem ob causam sufferuntur. ¶ καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν. *& spes nostra firma est pro vobis*] Hæc per parenthesim legi debent. Nam quod sequitur εἴτε παρακαλούμεθα [*sive exhortamur*] respondet ei quod præcessit εἴτε θλιβόμεθα [*sive tribulamur*]. Hoc autem hic dicit, *firmam se habere spem* de constantia etiam Corinthiorum in sufferendis malis. Cæterum non prætereundum duxi in illo Manuscripto, de quo dixi toties, verba præcedentia alio posita ordine, hunc in modum, παρακλήσεως καὶ σωτηρίας, εἴτε παρακαλούμεθα ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν, καὶ ἡ ἐλπὶς [*solatio & salute, sive solatio fruimur vestri solatii causa, quod gignitur per tolerantiam earundem afflictionum quas & nos patimur, & spes*], &c.

7. Εἰδότες, *Scientes*] Hoc non ad Corinthios refertur, sed ad Paulum & Timotheum. Et scire se dicit Corinthios tangi sensu ut adversorum ita & bonorum quæ ipsi Deo dante contingebant.

8. Οὐ γὰρ θέλομεν ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὑπὲρ τῆς θλίψεως, *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione*] Est hic ὑπὲρ [*super*] pro περὶ [*de*]. Imo Manuscriptus habet hic περὶ [*de*]. Et ἀγνοεῖν [*ignorare*] pro ἀγνοοῦντας εἶναι [*ignorantes esse*]. ¶ τῆς γενομένης ἡμῖν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, *nostra quæ facta est in Asia*] Videntur indicari illa pericula de quibus Actor. XX, 19. ¶ ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν ὑπὲρ δύναμιν, *quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem*] καθ' ὑπερβολὴν [*supra modum*] *valde*, ut Rom. VII, 13. 1 Cor. XII, 31. ἐβαρήθημεν, *pressi sumus*, ut infra V, 4. ὑπὲρ δύναμιν, *supra quam vires humanæ sustinerent.* Fuit πειρασμὸς οὐκ ἀνθρώπινος [*tentatio non humana*]. 1 Cor. X, 13. ¶ ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν· *ita ut tæderet nos etiam vivere*] *Ita ut spem vitæ abjicerem.* Ἐξαπορεῖσθαι [*tædere*] Psalm. LXXXVIII, 15. infra IV, 8.

9. Ἀλλ' αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν, *Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus*] Ἀπόκριμα θανάτου, גזרת המות, *sententiam mortis.* Id est, ita affecti fuimus quomodo ii de quibus sententia ad mortem pronunciata est. Locutio similis illi 1 Cor. XV, 32. ¶ ἵνα μὴ πεποιθότες ὦμεν ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀλλ' ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ ἐγείροντι τοὺς νεκρούς. *ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos*]. Causam adfert cur Deus in tanta pericula Paulum pervenire voluerit. Hebræis interdum *mortui* dicuntur qui quasi mortui sunt, & *resuscitati* qui liberantur, ut videre est Ezechiel. XXXVII.

10. Ὃς ἐκ τηλικούτου θανάτου ἐῤῥύσατο ἡμᾶς, *Qui de tanta morte nos eripuit*] *Liberari* dicimur non tantum è malis quæ sentimus, sed etiam ab iis quæ imminent. Vide Proverb. X, 2. XI, 4. & confer XXIV, 1. Vide & Canticum sodalium Danielis circa finem. τηλικούτου [*tanta*] *à morte tam tristi*, per manus popularium, per manus eorum qui unum Deum colere se profitentur. ¶ καὶ ῥύεται· *& eruit*] Hoc neque Græci commentatores legerunt, neque Syrus. ¶ εἰς ὃν ἠλπίκαμεν ὅτι καὶ ἔτι ῥύσεται· *in quem speramus quoniam & adhuc eripiet*] Dicit hoc non quod mortem metueret, sed quod longiorem suam vitam sciret è magna re esse Ecclesiarum. Vide Philip. 1, 24.

11. Συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει, *Adjuvantibus & vobis pro nobis in oratione*] Est & hic trajectio pro τῇ δεήσει ὑπὲρ ἡμῶν [*in oratione pro nobis*]. Magno honore Corinthios afficit Paulus, cum vult eorum precibus adjuvari. ¶ ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ὑμῶν. *Ut ex multorum personis, ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro vobis*] Plurimi codices habent ὑπὲρ ἡμῶν [*pro nobis*], & sic Syrus Græcique multi legerunt. Est & hic trajectio. Rectus sermo τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα ἐκ πολλῶν προσώπων, id est, *donum Dei respectu multorum hominum mihi datum*, incolumitas nempe concessa in gratiam multorum fidelium. פנה est *respicere*, inde פנים, quod πρόσωπον vertitur, est *respectus*. Sic & infra II, 10. Hinc מפני est *propter*: εὐχαριστηθῇ, *gratiarum actione celebretur*: ὑπὲρ ἡμῶν, *mea vice, meo nomine.*

12. Ἡ γὰρ καύχησις ἡμῶν αὕτη ἐστὶ, *Nam gloria nostra hæc est*] Gaudium nostrum: ut jam sæpe nomen hoc καύχησις & καύχημα, & verbum καυχᾶσθαι exposuimus. ¶ τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως ἡμῶν, *testimonium conscientiæ nostræ*] Vide Rom. II, 15. IX, 1. ¶ ὅτι ἐν ἁπλότητι καὶ εἰλικρινείᾳ Θεοῦ, *quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei*] *Sincero animo tanquam Deo inspectante.* Vide 1 Cor. V, 8. Hoc ideo dicit, quia quidam ipsum incusabant, quasi reditum pollicitus esset, nihil tale cogitans. Dicit igitur, se qualis fuit Corinthi & nunc esse, fidei optimæ, sed eventum præstare non esse suum, multa intervenire quæ cogant mutare consilium. *Omnia debent eadem esse quæ fuerint cum promitteres, ut promittentis fidem teneas*, ait Seneca de Beneficiis, ubi multa habes exempla ei rei, de qua hic agitur, similia. In Manuscripto pro ἁπλότητι [*simplicitate*] est ἁγιότητι [*sanctitate*]. ¶ οὐκ ἐν σοφίᾳ σαρκικῇ, *non in sapientia carnali*] Est obliqua oratio. Perstringit enim obtrectatores suos, eruditione Græcanica turgentes. Confer 1 Cor. II, 1, 4. ¶ ἀλλ' ἐν χάριτι Θεοῦ, *sed in gratia Dei*] Ἐν [*in*] pro *cum*. *Cum multis donis spiritualibus.* ¶ ἀνεστράφημεν ἐν τῷ κόσμῳ, *conversati sumus in mundo*] Ubicunque fuimus. ἀνεστράφημεν התהלכנו [*conversati sumus*] ¶ περισσοτέρως δὲ πρὸς ὑμᾶς. *abundantius autem ad vos*] *Maxime apud vos.* Vide dictum locum 1 Corinth.

13. Οὐ

13. Οὐ γὰρ ἄλλα γράφομεν ὑμῖν, ἀλλ' ἢ ἃ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε. *Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legitis aut etiam agnoscitis*] Manuscriptus, ἀλλ' ἀναγινώσκετε καὶ ἐπιγινώσκετε [*sed legitis & agnoscitis*]. Veram lectionem esse arbitror quam secutus est Syrus, ἀλλ' ἃ ἀναγινώσκετε καὶ ἐπιγινώσκετε [*sed quæ legitis & agnoscitis*]. *Non alia vobis scribimus* (quam quæ vera sunt scilicet) *sed quæ hic legitis, ea sic gesta agnoscitis.* ❡ ἐλπίζω δὲ ὅτι καὶ ἕως τέλους ἐπιγνώσεσθε. *spero autem quod usque in finem agnoscetis*] Ostendit se non omnem spem abjecisse ad ipsos veniendi. *Agnoscetis me, ita spero, perpetuo talem:* nempe ubi ad vos venero.

14. Καθὼς καὶ ἐπέγνωτε ἡμᾶς ἀπὸ μέρους, *Sicut & cognovistis nos ex parte*] Ἀπὸ μέρους [*ex parte*], id est, *quidam vestrum*, quomodo Rom. XI, 25. *qualem me novistis quidam*, id est, ostendistis vos me talem agnoscere, cum Timotheum tam benigne excepistis, ejusque monita secuti estis. ❡ ὅτι καύχημα ὑμῶν ἐσμεν, *quod gloria vestra sumus*] *Gaudetis enim me doctore.* ❡ καθάπερ καὶ ὑμεῖς ἡμῶν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *sicut & vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi*] *Eritis* scilicet *gaudium mihi*, id est, causa gaudii, cum videbo vos ejusdem salutis & gloriæ participes.

15. Καὶ ταύτῃ τῇ πεποιθήσει, *Et hac confidentia*] *Confisus me vobis plerisque esse cordi.* πεποίθησις est בטחון [*confidentia*] II Reg. XVIII, 20. ❡ ἐβουλόμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς τὸ πρότερον, *volui prius venire ad vos*] Hic quoque Trajectio est, nam τὸ πρότερον [*prius*] constituendum est cum ἐβουλόμην [*volui*]. *Volueram ante hac ad vos venire*, nempe cum priorem epistolam scriberem, quam vide XVI, 5, & sequentibus. Non finxi me velle, sed reipsa volui. Dixi quod sentiebam. ❡ ἵνα δευτέραν χάριν ἔχητε. *ut secundam gratiam haberetis*] *Ut alterum hoc à me habeatis beneficium*, ut I Cor. XVI, 3.

16. Καὶ δι' ὑμῶν διελθεῖν εἰς Μακεδονίαν, καὶ πάλιν ἀπὸ Μακεδονίας ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, *Et per vos transire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos*] Subauditur με [*me*], quasi dicat; primum beneficium fuit quod apud vos substiti in Macedoniam iturus, alterum sperabam fore quod ex Macedonia ad vos me reciperem. Est constructio πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad significatum relata*]. Nam in voce δευτέραν [*secundam*] tacite inest duplex beneficium, quod quale sit explicat. ❡ καὶ ὑφ' ὑμῶν προπεμφθῆναι εἰς τὴν Ἰουδαίαν. *& à vobis deduci in Judæam*] Id est, ut quosdam de vobis comites sumerem mei in Judæam itineris, si forte eo irem. Vide I Cor. XVI, 4, 5, 6, 7. & ibi dicta.

17. Τοῦτο οὖν βουλόμενος, *Cum ergo hoc voluissem*] *Cum revera id meum consilium fuerit eo tempore.* ❡ μήτι ἄρα τῇ ἐλαφρίᾳ ἐχρησάμην; *numquid levitate usus sum?*] Possumne accusari, quod aliud tunc dixissem quam haberem in animo? Ἐλαφρία [*levitas*] hic idem quod κουφότης, id est, *vanitas*, ut exponit Glossarium. *Vanos* vocare solemus eos qui mendaces sunt, quia verba eorum carent pondere. *Vanum mendacemque* conjunctim dixit Virgilius. ❡ ἢ ἃ βουλεύομαι, κατὰ σάρκα βουλεύομαι; *aut quæ cogito secundum carnem cogito*] At dicet aliquis, Mutasti consilium. Respondet Paulus, Mutavine ob mea commoda? id si fecissem, poterat aliqua esse species me accusandi. ❡ ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ; *ut sit apud me est est, & non non?* Omnino legendum hic est, quomodo hic legit Syrus, & mox sequitur, ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ, καὶ τὸ οὔ [*ut sit apud me est & non*]. Id est, ut propterea aliud dicam, aliud faciam. Nam ναὶ, item οὔ, modo promissum illud addictivum, hoc vero abnuitivum significant, modo ipsum promissi talis implementum: itaque ex duplici hoc significatu facta hic est πλοκὴ [*copulatio*] ut diximus libro II. de Jure Belli ac Pacis XXX, 21. & ad Matth. V, 37. Festus ubi explicat vocem *nauci*: *Quidam ex Græco quod sit ναὶ καὶ οὐχὶ levem hominem significari volentes. Levem*, ἐλαφρόν. Ita optime Festi ille locus hunc Pauli explicat.

18. Πιστὸς δὲ ὁ Θεὸς, ὅτι ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fit apud vos non est in illo Est & Non*] Id est, *quam verus est Deus, tam verum est, & vos scitis, me nulla apud vos fraude usum.* Similis locutio, *Vivit Dominus*, id est, quam vere vivit Dominus.

19. Ὁ γὰρ τοῦ Θεοῦ υἱὸς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἐν ὑμῖν δι' ἡμῶν κηρυχθεὶς, δι' ἐμοῦ καὶ Σιλουανοῦ καὶ Τιμοθέου, *Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Silvanum & Timotheum*] Explicat quid sit δι' ἡμῶν [*per nos*]. Et *Silvanus* hic, ut recte notavit Hieronymus, non alius est quam qui *Silas* in Actis, varia pronuntiatione. ❡ οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὒ, ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν, *non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit*] Christus ipse non irrita habuit verba nostra, sed multis miraculis ea confirmavit.

20. Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι τοῦ Θεοῦ, *Quotquot enim promissiones Dei sunt*] *Quotquot sunt promissa Dei* in Veteri Testamento ad novam creationem pertinentia. ❡ ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ Ἀμήν. *in illo Est, & per ipsum Amen*] *Ea per Christum habent suum implementum.* ναὶ & Ἀμὴν idem valent, ideoque & conjungi solent. Vide dictum locum de Jure Belli ac Pacis. Altera vox Græca est, altera Hebræa. simile Ἀββᾶ ὁ πατήρ [*Abba pater*]. In Manuscripto, ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ, διὸ καὶ δι' αὐτοῦ τὸ Ἀμὴν [*in illo est: ideo & per ipsum Amen*]. Id est, quia Deus promissa per Christum implet, ideo etiam ejus honori canitur *Amen* in Ecclesiis. Et sic legit & interpretatus est Syrus. ❡ τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν, *Deo ad gloriam*] Trajectio pro πρὸς δόξαν τῷ Θεῷ, *ut Deo laus sit.* At si Manuscripti lectionem in iis quæ præcedunt sequimur, τῷ Θεῷ [*Deo*] recte cohærebit cum illo Ἀμὴν [*Amen*]. ❡ δι' ἡμῶν. *per nos*] *Nostro ministerio.* Spectat præcipue Gentium conversionem.

21. Ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν, καὶ χρίσας ἡμᾶς, Θεός· *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus*] Supple *est*, & δὲ hic valet *nam*. Causam enim reddit cur ista omnia cedant ad honorem Dei, quia à Patre ista potestas proficiscitur. Ab eo procedit ista *unctio*, id est, Spiritus operatio interior, fidem in Christum fulciens & roborans. Hæc *unctio* dicitur etiam I Joh. II, 20. nempe quia mystice significabatur per illam unctionem quam accipiebant Reges & Sacerdotes, ut videre est loco Psalm. XLV, 8. collato eo qui est ad Hebræos I, 9. Christiani *Sacerdotes*, quia animum & corpus & bona Deo offerunt; *Reges*, quia ad regnum destinantur.

22. Ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, *Qui & signavit nos*] Qui & externis testimoniis apparere voluit Spiritus illius vim atque naturam. Vide Ephes. I, 13. Instrumentis fides accedit ex testium signis. Vide Rom. IV, 11. I Corinth. IX, 2. ❡ καὶ δοὺς τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. *& dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris*] Conscios nos facit illorum donorum spiritualium, quæ dona spiritualia sunt arrhabo futuræ vitæ spiritualis, infra V, 5. Ephes. I, 14. *Arrhabo* ערבון vox est primitus Hebraica ac proinde & Phœnicia, à Phœnicibus eximiis mercatoribus in Græciam venit. Origo vocis à ערב quod est ἐγγυᾶν, *fidejubere*. Vide Genes. XXXVIII, 18. *Arrhabo* pars est pretii, & spondet pro toto pretio. Vide quæ diximus ad I Corinth. XV, 46. Latini *arrhabonem* ἀποκόπτοντες [*abscissa parte*] *arrham* dicunt. Sed & *arrhabonis* vox est apud Plautum, Terentium, Varronem.

23. Ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν, *Ego autem testem Deum invoco in animam meam*] Est juramentum perfectum, sed in re gravissima. Sic Job XVI, 20. ἰδοὺ ἐν οὐρανοῖς ὁ μάρτυς μου, ὁ δὲ συνίστωρ μου ἐν ὑψίστοις [*ecce in cœlis testis meus, conscius vero meus in excelsis*]. Vide quæ à nobis dicta ad Matth. V, 34. *In animam meam*, id est, cum maximo meo malo, si fallo. Tale illud jusjurandum Job. XXII, 23. ירחם אלוה יבקש, *Deus vindicet.* Sic, *Ne vivam*, jurandi formula apud Ciceronem & Martialem, *Ne salvus sim* apud Ciceronem alibi. ❡ ὅτι φειδόμενος ὑμῶν οὐκέτι ἦλθον εἰς Κόρινθον. *quod parcens vobis non veni ultra Corinthum*] Erant & aliæ causæ cur iter differret Corinthum, sed hoc non minima quod vellet eos ante adventum suum penitus corrigi, ne aut verbis aut factis asperioribus uti cogetur. Vide I Cor. IV, 21. & infra XII, 20, 21.

24. Οὐχ ὅτι κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως, *Non quia dominamur fidei vestræ*] Est ἀνθυποφορά [*Subjectio*]. Videbatur enim imperiose dixisse, *non parcens.* Itaque removet à se hanc suspicionem. Nihil volumus à vobis credi nisi quæ Christus præcepit. Si quid pro nostro lubitu imponeremus, hoc esset *dominatum exercere in fidem*, ut hic; *in populum peculiarem Deo*, ut I Petr. V, 3. ❡ ἀλλὰ συνεργοί ἐσμεν τῆς χαρᾶς ὑμῶν. *sed adjutores sumus gaudii vestri*] Cum Deo & Christo, ac sub illis *in id laboramus ut gaudii fiatis participes*, nempe æterni. Sic χαρὰ [*gaudium*] sumitur Hebr. XII, 2. ❡ τῇ γὰρ πίστει ἑστήκατε. *nam & fide statis*] Præteritum more Hebræo pro præsenti. *Statis fide*, id est, per fidem, nempe operantem, in eo estis statu ut illud æternum gaudium jure optimo sperare possitis. Ideo tantum operæ impendo ut fides ista vobis constet: nihil quæro, nihil exigo aliud.

CAP. II.

VALLA.

10. NAM *& ego quod donavi, si quid donavi*] Legendum est, *Nam & ego* (sive, *etenim ego*) *si quid donavi, cui donavi*, καὶ γὰρ ἐγὼ εἴ τι κεχάρισμαι, ᾧ κεχάρισμαι.

16. *Et ad hæc quis tam idoneus?*] Abest à Græco *tam*, ratioque ostendit abesse debere, ne sit sententia arrogantior. Dicitur autem, *Et ad hæc quis idoneus?* τίς ἱκανός; sive *quis sufficiens?* ut paulo post c. 3. 5. *Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*: ἱκανοί, ἱκανότης. Mutavi *quasi* in *tanquam*, quia *quasi* improprium erat.

17. *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo*] Primum *sicut* proprium est, ultimum improprium, quippe in quo non est similitudo: ideoque dicendum *velut* seu *tanquam*. Dixi *ultimum*, quia Græce ter dicitur ὡς, bis ubi ostendi, & tertio ubi dicitur, h. e. ubi dici debet, *sed tanquam ex sinceritate*. Neque Græce dicitur *adulterantes*, sed *cauponantes*, καπηλεύοντες. Quo verbo usum Ennium Cicero in testimonium citat,

Non cauponantes bellum, sed belligerantes.

Estque hoc loco venustior metaphora *cauponari* quam *adulterare*.

ERASMUS.

2. NIsi *qui contristatur ex me*] Ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ. *Contristari* suo more ponit pro *dolore affici*, cum aliud quiddam sonet Latinis. Sentit autem, hoc ipsum sibi voluptati esse quod admoniti indolescant, quod id argumentum sit animi resipiscentis. Ita vicissim gaudium è dolore nascitur.

3. *Tristitiam super tristitiam*] *Super tristitiam* superest, μὴ ἐλθὼν λύπην ἔχω. Verum id aliunde huc translatum est, videlicet ex Epistolæ ad Philippenses c. 2. Certe apud Ambrosium non additur, & congruit cum hujus lectione ipsius interpretatio. Consentit cum Ambrosio & Theophylactus, licet interpres in contextu addiderit de suo, Vulgatam secutus editionem. Quidam indicat in uno quodam codice deprehendi scripturam Græcam cum nostra translatione congruentem, ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἐπὶ λύπῃ σχῶ. Hunc ait è Rhodo missum R. P. Francisco Civerio Cardinali quondam Toletano, cujus equidem viri memoriæ cum primis faveo, quod ipse faverit pietati bonisque studiis omnibus. Sed cum Ambrosius nobiscum faciat, cum tot exemplaria suffragentur huic lectioni quam indicamus, fieri potuit ut Rhodiensis ille liber fuerit depravatus, præsertim cum causam indicaverimus depravandi; fieri potuit ut ad Latinorum codices fuerit emendatus, præsertim cum sit Rhodiensis: nam id fuisse factum constat in nonnullis, ut post concordiam initam cum Ecclesia Romana hac quoque in parte concordarent. Porro codices ejus generis nihil aliud sunt quam amussis alba in albo lapide. Neque enim velim corrigere nostram translationem ex fide codicis qui per omnia congrueret cum nostris. Nec tamen res est ulla digna contentione: sensus est pius ac sanus.

4. *Angustia cordis*] Συνοχῆς *coarctatione*, sive *anxietate*. Nam *angustia cordis* est pusillanimitas, & in vitium sonat. ¶ *Ut sciatis quam charitatem*] Gr. *ut charitatem sciatis quam habeo abundantius in vobis*; ut legit & Ambrosius. Et *in vos* rectius est quam *in vobis*: est enim εἰς ὑμᾶς, sive *erga vos*.

5. *Si quis autem contristavit me*] *Me* non est apud Græcos, nec apud Chrysostomum aut Theophylactum. Εἰ δέ τις λελύπηκεν, i. *Si quis dolore affecit*; ut subaudias id quod commodum fuerit, *aliquem*, aut *vos*, aut *me*. D. item Ambrosius non addit pronomen, verum juxta Græcos legit, *Si quis autem contristavit, non me contristavit*. Gravat enim peccantem, qui contristaverit omnes, neque Paulum tantum, verum omnes bonos apud Corinthum. Nam quod post ait, *non me contristavit*, perinde valet ac si dicat, *Non me propriè ac solum contristavit, verum ex parte duntaxat, ut cui dolor hic sit cum omnibus vobis communis.* Chrysostomus, si modo non fallit titulus, videtur aliter distinguere, ut πάντας referatur non ad verbum *gravem*, sed ad superius *contristavit*; *Non me contristavit, sed ex parte (ne gravem) omnes.* Durum enim erat dicere, *Non solum me contristavit, sed vos omnes mecum*: ideo sublevat eum qui peccaverat, addens *ex parte*, velut mitigans quod dicit; *ex parte*, h. e. aliquo modo. Theophylactus apertius sic interpretatur, ἀπὸ μέρους, ὀλίγον τι, i. *paululum quiddam*: quanquam hunc Theophylacti locum interpres non intellexit. Nec tamen absurdum est quod interpretatur Ambrosius, diversum sensum secutus. Denique non est simpliciter *onerem*, sed ἐπιβαρῶ *aggravem*, h. e. addam onus gravato.

6. *Objurgatio hæc*] Ἐπιτιμία· quam vertere solet *increpationem*. ¶ *Quæ fit à pluribus*] Ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων· verti poterat, *quæ facta est à pluribus*.

7. *Ita ut è contrario magis donetis*] Ὥστε τοὐναντίον μᾶλλον ὑμᾶς χαρίσασθαι καὶ παρακαλέσαι, *adeo ut diverso potius condonare & consolari debeatis.* Videtur enim in his orationibus subesse Synecdoche, aut, si mavis, Eclipsis, ut subaudiatur δεῖ aut aliud simile.

8. *Ut confirmetis in illum*] Κυρῶσαι· quod propemodum valet ac si dicas, *Facite ut pondus & autoritatem habeat charitas erga illum.* Loquitur enim velut ad Judices & concionem, quorum suffragiis velit absolvi eum qui traditus fuerat Satanæ. Nam κυρία *concionem* significat *in qua creantur Magistratus*, quæ Latini vocant *comitia*, & *diem alicujus rei causa præstitutum*, & *jus aliquid agendi.* Quin & κύριον Græci dicunt *scriptum authenticum*, autoribus Hesychio & Suida. Mihi videtur & *ea sententia quæ vicisset in suffragiis* dicta fuisse κυρία: unde proverbium, αὕτη κυρία. Κῦρος item significat *efficacem probationem*, seu *pondus & autoritatem sententiæ*, quæ κύρωσις dicitur. Aristoteles l. 1. Rhetoricorum pacta priora vocat ἄκυρα, posteriora κύρια, quod prius pactum posteriore reddatur irritum & inefficax: unde ductum κυρόω, veluti *suffragiis comprobo & ratum facio.* Quidam hic depravate legunt *in illo* pro *in illum*.

10. *Quod donavi*] Καὶ γὰρ ἐγὼ εἴ τι κεχάρισμαι, ᾧ κεχάρισμαι, *Etenim ego si quid donavi, cui donavi*: sive, *Si cujus rei gratiam feci.* Nam *donare* vocat condonare culpam. Deinde *cui donavi*, subaudiendum est denuo verbum *donavi*, ut ter repetatur *donavi*: alioqui erit imperfectus sermo. *Nam & ego si quid condonavi, cui condonavi, propter vos condonavi.* Subindicat hoc Chrysostomus de suo supplens ἐποίησα *feci.* Animadvertendum autem quam paucos Paulus tradiderit Satanæ, & quanto affectu hunc suis commendet, cum nos ob tres drachmas effulminemus passim. Nec tamen hunc tradidit Satanæ privata sua autoritate, sed publico omnium judicio, qui apud nos recta in ignem conjiceretur. Et in ipsa condemnatione miscet indicium charitatis, *in interitum carnis, ut spiritus*, &c. Tanta est ejus in malos clementia, qui ipse nullis peccatis erat obnoxius: nos nobis tam male conscii, quam non Christiane sævimus in alios delinquentes? ¶ *In persona*] Ἐν προσώπῳ, quod est vel *in persona*, vel *in facie*, sive *conspectu*. Nam Græce vox ambigua est, & Scholia varie exponunt. Chrysostomus interpretatur, ἢ κατὰ Θεόν, ἢ εἰς δόξαν τοῦ Χριστοῦ, ἢ ὡς τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦτο κελεύοντος, i. *Vel secundum Deum, vel in gloriam Christi, aut velut & hoc jubente Christo.* Theophylactus, IN PERSONA CHRISTI, *i. in conspectu Dei, ac velut illo hoc jubente, & velut illius vicem gerens*, καὶ ὡς ἐκεῖνος ἐπιτρέψαντος ἂν ἐποίησα· quanquam interpres Theophylacti tantum hic vertit, *h. e. haud secus ac si Christus ipse donasset.* Id quo casu quove studio factum sit nescio. Ambrosius interpretatur *in persona Christi* pro *vice Christi.* ¶ *Ut non circumveniamur à Satana*] Ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν, *ne occupemur & usurpemur velut ab injusto possessore Satana.* Ambrosius legit *ut non possideamur*; & propius expressit vocem Græcam. Nam πλεονεκτεῖν est *occupare quod tuum non est*, ut faciunt avidi, & alienorum usurpatores. Græcæ vocis emphasim diligenter exponit Chrysostomus & Theophylactus.

12. *Non habeo requiem spiritui meo*] Nimium bona fide reddidit dativum Græcum, qui vertendus erat in auferendi casum: siquidem illi Instrumentum & Modum actionis dandi casu efferunt, nos auferendi. Ambrosius propius accedit ad Græca: legit enim, *Non habui requiem in spiritu meo*, οὐκ ἔσχηκα ἄνεσιν τῷ πνεύματί μου, h. e. *non conquievi animo.* Hic est ille Titus quem Paulus à nonnullis ideo putatur desiderasse quod is esset ejus linguæ peritior. Horum de numero est Theophylactus. Quin & D. Hieronymus ad Hedybiam quæst. 11. non veritus est scribere *Paulum, cum haberet scientiam Scripturarum, variisque linguis loqueretur, non potuisse tamen Divinorum sensuum majestatem digno Græci sermo-*

sermonis explicare eloquio, & ob id hujus *interpretem* fuisse *Titum*, quemadmodum *Petri interpres* fuit *Marcus*. Meminit & Thomas hujus interpretationis, sed rejicit, ne spoliaret Apostolos dono linguarum. At vel hinc colligitur illum adjutum fuisse Commentariis è Græco versis, cum nihil hujusmodi attingat Ambrosius.

13. *Sed valefaciens*] Ἀποταξάμενος, i. *dimissis fratribus*, aut *renunciato Vale*. Ambrosius legit, *sed Vale illis dixi*, & *profectus sum*, &c.

14. *Deo autem Gratias*] *Gratia* est Græce χάρις atque ita, ni fallor, vertit Interpres. ¶ *Qui semper triumphat nos*] Τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς. D. Hieronymus ad Hedybiam quæst. 11. exponit *triumphat nos*, i. *de nobis*, vel *triumphum suum agit per nos*. Ambrosius item, *triumphat nos*, *facit nos victores*, vincente perfidiam fide. Latinis *triumphari* dicuntur qui victi ducuntur in triumpho. Sic miles quoque qui navavit bonam operam in bello, ducitur in triumpho honoris causa, ut particeps sit suo duci. ¶ *In Christo*] Potest accipi *per Christum*, sive *in Christo*, in quo nostra est gloria. Subnotavit hoc Theophylactus.

15. *Bonus odor sumus Deo*] Εὐωδία, *fragrantia*, sive *benevolentia*, ut ad verbum efferam: nam Græcis dictio est composita. Et *Deum* rursum appellat Patrem, suo more. Quoties enim absolute hoc utitur verbo, fere Deum Patrem intelligit, præsertim si jungatur Filii mentio.

16. *Aliis quidem*] Elegantius vertisset *his & illis*. ¶ *Tam idoneus*] *Tam* Græcis non legitur, nec apud Ambrosium, nec Augustinum, qui citat hunc locum edisserens Psalmum 7. legitque, *Et ad hæc quis idoneus?* Itidem adducit Origenes hom. in Gen. 13. Fortassis Interpres de suo addiderat *quisnam*: id versum est in *quis tam*. Subauditur autem responsio, *Perpauci*, aut simile quippiam. Intelligit enim rem esse vehementer arduam & quæ non queat à quibusvis præstari: nisi mavis per Hyperbatum referre ad id quod aliquanto post sequitur, *Ad hæc quis idoneus?* & posteaquam dilata responsione auxit facti magnitudinem, deinde respondeat, *Fiduciam autem talem habemus*, &c.

17. *Sicut plurimi*] Ὡς οἱ λοιποὶ, *sicut cæteri*. Alii habent ὡς οἱ πολλοὶ, *sicut multi*, aut *plerique*. ¶ *Adulterantes*] καπηλεύοντες, *cauponantes*. Hieronymus ad Hedybiam quæst. 11. vertit *venundantes* & *venditantes*. Est enim καπηλεύειν *ad quæstum abuti re quapiam*: quod Petrus accommodavit ad ipsos etiam homines, *cauponantes vos*. Quo quidem verbo usus est Ennius in Officiis Ciceronis,

Non cauponantes bellum, sed belligerantes.

Interpres *adulterantes* vertit pro *corrumpentes*: idque secutus est Ambrosius, nec inerudite. Siquidem veteres quicquid esset *insincerum ac dolo fraudeque vitiatum* id κάπηλον appellant, velut Æschylus, citante, quisquis is fuit, Etymologiarum Græcanicarum coacervatore, κάπηλα προσφέρων τεχνήματα, i. *cauponias proferens artes*: propterea quod hoc hominum genus plerumque insincerum est, utpote quæstu metiens omnia. Græca vox proprie quadrat in eos qui venditant esculenta aut poculenta; quorum præcipuum est studium vitiata pro sinceris vendere. ¶ *Sed ex sinceritate*] Ἀλλ' ὡς, *sed tanquam ex sinceritate*, *sed tanquam ex Deo*, additis adverbiis. Et tamen nisi subaudias aliquid, erit imperfectus sermo, *non adulterantes*, *sed velut ex sinceritate prædicantes.*

V A T A B L U S.

1. STatui] *Statueram.*

3. *Scripsi*] *Scripseram.* ¶ *Ut non cum venero tristitiam habeam de*, &c.] *Ne cum venero* [sub. *ad vos*] *dolorem capiam* [sub. *de iis*] *de*, &c. ¶ *Confidens in omnibus vobis, quia*] *Fiduciam hanc habens erga vos omnes, quod.*

4. *Angustia*] Vel, *coarctatione*, sive *anxietate*. ¶ *Scripsi*] *Scripseram.* ¶ *Contristemini*] *Contristaremini.* ¶ *Ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis*] *Cognosceretis charitatem quam habeo abundantius erga vos.*

5. *Contristavit*] Sub. *tantum*, more Heb. ¶ *Onerem*] *Addam onus gravatis vobis*: q. d. vos majore tristitia afficiam, si dixero & me & omnes contristasse.

6. *Fit*] *Facta est.*

7. *Donetis & consolemini*] *Condonare debeatis & consolari.*

8. *Ut confirmetis in illum charitatem*] Vel, *efficite ut in illum valeat charitas.*

9. *Scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum*] *Scripseram ut cognoscerem probationem vestri*: i. ut probarem vos.

10. *Donastis*] *Donatis*, Vet. ¶ *Donavi, si quid donavi, propter vos*] *Siquid condonavi, cui condonavi, propter vos condonavi.* ¶ *In persona Christi*] i. Non secus ac si Christus ipse condonasset. Legi potest, *in conspectu Christi*: i. bona conscientia, ac si Christus mihi adstaret.

11. *Circumveniamur*] *Occupemur*: i. ne possideamur & usurpemur velut ab injusto possessore Satana: Hoc enim Græcum verbum significat.

12. *Propter*] *In.* ¶ *In Domino*] *Per Dominum.*

13. *Requiem spiritus*] *Relaxationem spiritu.* ¶ *Valefaciens*] *Dimissis.*

14. *Triumphat nos in Christo Jesu*] i. Triumphare nos semper facit, & donat nobis victoriam in his quæ sunt Christi. ¶ *Odorem notitiæ suæ*] i. Suavissimam de ipso cognitionem.

15. *Bonus odor*] *Bona fragrantia*: i. quoniam Christum docemus suavissimum & fragrantissimum in honorem Dei, iis quidem qui vita æterna donabuntur: iis vero qui perituri sunt, nequaquam, sed putidissimum. Per fœtida, ingrata intelligunt Hebræi, ut per odorata, grata.

16. *Mortis*] Heb. *mortem afferens.* ¶ *Vitæ*] *Vitam afferens.* ¶ *Ad hæc*] i. Ad Christum pure annunciandum. ¶ *Idoneus*] Sub. *nisi Titus.*

17. *Adulterantes*] *Cauponantes.* Vox Græca significat *abuti re quapiam ad quæstum.* ¶ *Sed**] **Velut*: vel, *certe.* ¶ *Sinceritate**] **Sed*: q. d. sed tanquam à Deo acceptum; vere: h. e. perinde atque si præsentem Deum haberemus, de Christo loquimur.

C A S T A L I O.

3. MEUM *gaudium, omnium esse vestrum*] Vos omnes gaudente me gaudere.

5. *Non me contristavit nisi aliquatenus, ne vos omnes onerem*) h. e. Non solum mihi dolorem fecit, sed etiam vobis. Quod si dicerem me solum id flagitium doluisse, onerarem & crimine gravarem vos omnes, quasi non & ipsi doluerit is ejus flagitio: id quod esset in vobis vitiosum.

10. *Id feci propter vos in persona Christi*, &c.] h. e. Ut Christi personam gerens, ejusque vicarius, qui docuit, *quicquid nos in terris solverimus, id fore solutum in cælo.* Quod si id faceremus in nostra persona, h. e. nostra autoritate atque nomine, *circumveniret nos Satan* & in peccatum conjiceret. Peccaremus enim si quod Dei est (videlicet peccata alteri condonare) id nobis usurparemus. Πρόσωπον autem pro *persona* dici, si quis dubitat, inveniet & alibi, & ad Galatas 2.

17. *Nec enim sumus ut multi*, &c.] Quoniam dixerat suum officium ejusmodi esse ut *nemo ad id esse posset idoneus*, posset aliquis ita objicere, Quasi vero difficile sit istud facere quod tu facis, h. e. Christum docere. Fateor, inquit Paulus, de Christo garrire, & eum perfunctorie docere ac quæstui habere, non esse difficile; atque id faciunt multi: *Sed id sincere Divinitus facere*, & suum munus Deo probare (id quod nos facimus) hoc vero est omnium maxime arduum & humanis viribus majus.

C L A R I U S.

1. IN *tristitia venirem*] Ut scilicet corripiendo tristitia afficerem quempiam vestrum: quod cum facio, non est tamen unde lætificer nisi ab iis ipsis qui ex me tristantur: nam gaudium meum vestrum omnium est, & vestrum meum.

3. *Confidens in omnibus vobis*] h. e. Quia eam fiduciam habere de vobis solitus sum: ut referatur ad id quod præcedit, *gaudere oportuerat.* Mos enim est loquendi Hebræis. Nostro more apertius dixisset, *de quibus oportuerat me gaudere, confidentem in omnibus vobis.*

5. *Non me contristavit*] Non arbitror me unum injuria aut tristitia affectum: sed pars vestri sum, ne hoc onus in vos omnes rejiciam.

6. *Sufficit illi*] Intelligit scortatorem illum de quo priore Epistola scripserat.

8. *Ut confirmetis in illum*] h. e. Erga illum. Commoti, inquit, estis ob sceleratum ejus factum: nunc priorem charitatem, quam antea erga eum habueratis, eandem confirmate.

9. *Ideo enim*] h. e. Præcipua scribendi causa fuit.

16. *Quis idoneus*] Quam pauci scilicet. Et hoc ait, ut ex sequentibus patet, ob falsos Apostolos, qui *cauponabantur*, h. e. lucri & gloriæ propriæ causa tractabant, *verbum Dei*.

17. *Sed sicut ex Deo*] Loquimur, inquit, hæc ut quià Deo acceperimus, & *coram Deo* hæc tractamus, solum Deum intuentes, & eo teste contenti, idque *in Christo*, h. e. per Christum per quem hæc veritas in mundum est invecta.

ZEGERUS.

1. Statui autem hoc ipsum apud me] Nempe *non iterato cum mœrore ad vos venire*.

5. *Si quis autem contristavit*] Sic habet exemp. Emsteiniense & Gemblacense, & Græca editio. ¶ *Non me contristavit, sed ex parte, ut non onerem omnes vos*] *Non me* in totum *tristitia affecit*, ut mœrore conficiar, *sed ex parte duntaxat, ne vos quoque ex mea tristitia gravemini*. Vel, *ut non onerem omnes vos*, i. ne vobis omnibus mœroris mei causam imputem. Theodorus Græcus hunc sensum facit, *Non me solum, sed in parte etiam vos contristavit: nec enim vos omnes incusso tanquam fornicario illi consentientes*.

8. *Obsecro vos ut confirmetis in illum charitatem*] De fornicario loquitur quem priore epistola Satanæ tradiderat: erga quem vult sive in corripiendo sive in condonando firmam stabilemque semper esse dilectionem.

9. *Et scripsi* vobis *ut*] *Vobis* non est in cod. Emsteiniensi, nec in Gemblacensi, nec in Græcis.

10. *Cui autem aliquid donastis, & ego*] Supplendum *donavi*, sive *condonavi*: subest enim Eclipsis, sicuti & in his quæ sequuntur, *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos*: ubi similiter *donavi* subaudiendum est.

14. *Qui semper triumphat nos in Christo*] h. e. *Victores nos per Christum efficit*: vel, ut Hieronymus ad Hedybiam, quæst. 11. explicat, *triumphat nos, pro eo quod est*, inquit, *triumphat de nobis, sive triumphum suum agit per nos*.

16. *Ad hæc quis tam idoneus?*] *Tam* particula adjecta ab Interprete est, quo & sensus sit dilucidior, & aptius cohæreant hæc sequentibus. Sentit autem ad Christi spargendum odorem sese idoneum, quippe qui ad quæstum non abuteretur Dei verbo.

17. *Adulterantes verbum Dei*] i. Falso sensu corrumpentes. Græce est καπηλεύοντες *cauponantes*, h. e. cauponum more ad quæstum venditantes. Priorem sensum indicat Ambrosius, alterum Hieronymus epist. ad Hedyb. quæst. 11. At Chrysostomus Græcæ vocis edisserens Metaphoram comprehendit utrumque: Nam *hoc est*, inquit, *cauponari, ubi quis adulterat vinum, ubi quis pecunia vendit quod gratis donari oportuit: quandoquidem hic mihi videtur illos taxare de quæstu, & quod dicebam rursus subindicare, quod sua miscerent Divinis. Quod reprehendens & Esaias dicebat, Caupones tui miscent vinum aqua*, Esa. 1. juxta LXX.

STEPHANUS.

4. Ἐκ γὰρ πολλῆς θλίψεως καὶ συνοχῆς καρδίας] *Ex corde in magna anxietate magnisque angustiis constituto*.

5. Ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ] *Ne illum aggravem*.

7. Καταποθῇ] *Absorbeatur*.

11. Τὰ νοήματα] *Cogitationes*.

14. Θριαμβεύοντι ἡμᾶς] *Qui nobis triumphandi materiam præbet*: vel, *facit ut triumphemus*.

17. Καπηλεύοντες] *Cauponantes*: vel, *adulterantes*: vide v. 2. c. 4.

DRUSIUS.

11. Cogitationes ejus] *Satanæ* videlicet. Græce αὐτοῦ τὰ νοήματα. Id alius interpretatur *machinationes ejus*, αὐτοῦ τὰ μηχανήματα. Νόημα vocabulum est μέσον, ut מחשבה, unde איש מחשבות, qui & בעל מחשבות, *vir malarum & sceleratarum cogitationum*. Contra legimus, *ad dandum puero scientiam & cogitationem*, bonam & solertem scilicet. Sic *machinatio* in laude sumi potest, cum *machinor* ita sumatur aliquando. Probabo alias.

14. *Triumphat nos*] Victis nobis, qui prius hostes ejus fuimus. Sic in Latio, *Triumphavit Mummius Achaos*, i. victis Achæis. Aut de nobis, ut Col. 2. 15. θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν σταυρῷ, *triumphans de illis in cruce*, vel *per crucem*. Quidam *per nos*. Alius, *qui facit ut triumphemus in Christo*. Probarem si probari posset ea illius verbi notio. Syrus, *qui triumphum facit nobis*, si modo שוח est *triumphus*.

17. *Sicut plurimi*] Syrus איך שרכא ὡς οἱ λοιποὶ, *sicut reliqui, qui miscent*, &c. שרכא λοιποὶ Act. 2. 37. unde שרכא יהודי *reliqui Judæi*, in Thargum secundo libri Esther. ¶ *Adulterantes*] Idem ממזגין *qui miscent*. Plus dicit quam interpres noster: quippe non omnes qui miscent vinum, adulterant illud; Prov. 9. *miscui vinum meum*: omnes tamen qui adulterant miscent. Eo forte respexit interpres ille. Græci codices habent καπηλεύοντες, quod reddunt *cauponantes*, & melius. Nam κάπηλος, *caupo*, qui & *copo*. In Glossario vet. *Copo, caupo*: ut *Corus, Caurus*. In eodem Glossario, Καπηλεύω, *ganeo*: malim *caupono*. Qui sermonem Dei cauponantur, à Nazianzeno Χριστέμποροι audiunt, q. *cauponarii Christi*, religione ad avaritiam abutentes, & turpe lucrum ex ea venantes. Idem enim est *cauponare Christum & cauponari sermonem ejus*: quod faciunt illi qui fraudulenter & non sincere illud tractant. Ut hic *sermonem cauponari*, sic Ennius dixit *cauponari bellum*, & Plato τὰ μαθήματα καπηλεύειν, & Herodianus *pacem*, & Herodotus πάντα τὰ πρήγματα *omnes res quæstui habere*, & alius τὴν σοφίαν *sapientiam cauponari*. Budæus quoque κεκαπηλευμένος exponit κεκιβδηλευμένος *adulteratus*.

CASAUBONUS.

13. Ἀλλ' ἢ ὃ ἀναγινώσκετε] Ἀλλ' ἢ *nisi*, Aristot. Ethic. 5. & passim. Syri tamen lectionem comprobat locus Strabonis p. 4. ἢ τις οὐκ ἄλλη τις ἐστὶν ἀλλ' ἢ Ὠκεανός.

17. Τὸ ναὶ ναὶ καὶ τὸ οὒ οὔ] i. *Ita ut sim homo nauci*. Nam *nauci* vocantur qui dicunt ναὶ καὶ οὐχί. Vide Festum. Aristoteles autem Nicom. 2. 5. de rebus βελτίστοις agens, τὸ μὴ ἐξ ἧς τὸ ναὶ non dissimiliter usurpat.

GUALTPERIUS.

14. Τῷ δὲ Θεῷ χάρις τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ Χριστῷ] Verbum est θριαμβεύω *triumpho, triumphare facio*, sicut & Col. 2. 15. θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ *triumphans de illis per semetipsum*. Θρίαμβος Græcis est *triumphus*. Inde θριαμβικὸς *triumphalis, ad triumphum pertinens*. Pass. θριαμβεύομαι, *ducor in triumpho*, Plut. θριαμβεύσας, *triumphator*. Syrus, *ostentavit principatus & potestates* (i. victoris instar in triumphum ignominiæ causa produxit) *& pudefecit palam in semetipso*.

LUD. CAPPELLUS.

14. Καὶ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως αὐτοῦ φανεροῦντι, &c.] Doctissimus Beza putat Apostolum in ea phrasi respicere ad unguentum quo summus Sacerdos ungebatur, tum etiam ad incensum & suffitum sacrum. Verum respicere potius & alludere videtur Apostolus ad id quod dicitur statim initio Cantici Canticorum, *Ad odorem unguentorum tuorum præstantissimorum nomen tuum est sicut oleum diffusum*, vel, *instar unguenti diffunditur*. Isthic enim *nomen*, h. e. fama bona, comparatur *unguento pretiosissimo*, juxta illud Eccl. 7. 1. טוב שם משמן טוב *Nomen bonum melius est unguento bono*. *Nomen* seu *Christi fama* & ejus cognitio (quæ per Euangelii prædicationem diffunditur quaquaversum) idem sunt. Cum itaque Sponsa Sponsi sui, h. e. Christi, nomen seu famam similem esse dicat pretiosissimo unguento, cujus odor & bona fragrantia in omnes partes diffunditur, videtur omnino Apostolus eo respexisse cum hic ait Deum ministerio & opera sua (h. e. prædicatione Euangelii à se facta) *manifestasse ubique* bonam *fragrantiam cognitionis* Christi: ut sic nomen Christi, instar unguenti fragrantissimi, dicatur prædicatione illa fuisse quaquaversum diffusum, h. e. prædicatione illa factum esse ut ubique per universum terrarum orbem diffusa & propagata sit bona Christi fama, ita ut bene de eo senserint homines, & apud eos magna fuerit in existimatione Christus. Bona illa Christi fama & existimatio adumbrata sane fuit olim unguento illo pretioso quo summus Sacerdos sacrabatur, at secundario non primario: nam primario eo significabantur χαρίσματα Spiritus S. πνευματικὰ, quibus Christus in Baptismo à Deo collocupletatus est, cum Spiritu in eum descendente, gratia ejus (velut oleo quodam spirituali) inunctus & veluti inauguratus fuit in munus Mediatorium.

16. Οἷς μὲν ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον, οἷς δὲ ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωήν] Εὐωδία sive *bona fragrantia* est sensui olfactus suavissima atque jucundissima: itaque ea quæ sunt εὐώδη solent nobis esse gratissima & acceptissima; contra vero τὰ δυσώδη nobis sunt

sunt ingrata & molesta, ab iis refugimus, ea abhorremus. Inde est quod ea quæ ex Dei præscripto sub Lege adolebantur super altari, dicuntur passim adoleri לריח ניחח *in odorem quietis* seu *placamentis:* quod LXX Interp. semper reddiderunt *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας*. Nempe *τὰ δυσώδη*, quia olfactum lædunt, bilem in nobis excitant & ad iram veluti provocant: contra *τὰ εὐώδη*, quia grata & suavia sunt olfactui, sedant veluti iram & componunt bilem. Phrasi itaque illa vult Scriptura significare, sacrificia rite à Deo oblata fuisse illi gratissima & acceptissima, quomodo solent nobis esse grata & accepta *τὰ εὐώδη*. Atque eo magis ad hoc usurpata est phrasis illa, quod ea quæ Deo adolebantur, redolebant, h. e. odorem emittebant gratum & suavem: nam primum suffitus & incensus gratissimum edebat odorem: carnes autem & adeps victimarum, liba, &c. quæ cremabantur, etsi plenis & saturis minus gratum emittunt odorem, at certe esurienti & latranti stomacho nidor ille non est ingratus sed jucundus. Itaque eo respiciens Apostolus, quomodo Phil. 2. 17. prædicationem Euangelii vocat *θυσίαν πίστεως*, (*ἀλλ᾽ εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν*, h. e. *si propter Euangelii prædicationem, cui vos credidistis, sanguis meus instar libaminis super victimam effunditur*) ita hic Euangelium vocat *εὐωδίαν*, comparatque illud rebus quæ Deo sub Lege adolebantur *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας*· ut ita significet nihil Deo gratius & acceptius fuisse Euangelii prædicatione, longeque gratiorem illi fuisse quam ea quæ olim ipsi sub Lege adolebantur לריח ניחח, tum etiam ut significet Euangelium fuisse illis à quibus recipiebatur gratissimum, jucundissimum & acceptissimum. Quia autem non omnes illud recipiebant; erant nempe ex Gentilibus multi quibus Euangelium stultitia videbatur, Judæorum vero plerisque erat scandalum, unde fiebat ut isti oblatum Euangelium respuerent; hic dicit Euangelium factum illis fuisse *ὀσμὴν θανάτου odorem mortiferum*, h. e. illos ab eo refugisse & abhorruisse, quomodo abominamur & refugimus *τὰ δυσώδη*, atque ita cessisse illis Euangelium *εἰς θάνατον*, h. e. causam mortis eis fuisse, non quasi viventes interfecerit, sed quatenus salutare illud & vere vivificum *φάρμακον* respuendo mortui sunt in peccatis suis, à quibus salvi facti fuissent si Euangelio credidissent. Est autem phrasis illa, *ὀσμὴ θανάτου*, & *ὀσμὴ ζωῆς*, Rabbinica: nam *ὀσμὴ θανάτου* illud est quod Rabbini dicunt סם המות, & Syri atque Chaldæi סמא דמותא Jer. 11. 19. & Esth. 2. 21. Est autem illis סם המות *lethale pharmacum*, sive *venenum*. Nempe סם vox est illis media, significatque in genere idem quod Græcis *φάρμακον*, Gallis *drogue*, sive pharmaca illa sint suaveolentia sive graveolentia, sive salutifera sive mortifera, ideoque distinctionis gratia addunt המות, ut significetur *mortiferum pharmacum.* Jam ex oppositorum & contrariorum ratione סם החיים erit *salubre* & *salutiferum pharmacum*, quod Apostolus hic vocat *ὀσμὴν ζωῆς*. Et Paulus quidem סם reddit *ὀσμὴν*, non vero *φάρμακον*, (etsi cum additione vocis המות & החיים *φάρμακον* potius designet quam *ὀσμὴν*) quia respicit ad primariam & propriam vocis Hebraicæ סמים significationem. סמים enim proprie significat *aromata*, tum quia sunt venena quædam quæ solo odore necant, tum ut perstaret in allegoria de suffituum, libaminum & incensorum *εὐωδίᾳ*, de qua versibus præcedentibus. Porro Elias Levita in suo Thisbi discrimen hoc statuit inter סמים & בשמים, ut בשמים ea duntaxat complectatur aromata quæ sunt edulia, qualia sunt Ambra sive Succinum, Piper, Gingiber, Caryophyllum, &c. סמים vero vox sit generalior, quæ præterea complectatur etiam ea quæ in medicamentis adhibentur, ut sunt Thus, Stacte, Styrax, Casia, &c. Ego malim hoc inter illa duo vocabula discrimen statuere, ut בשמים usurpetur duntaxat de suaveolentibus aromatis, (nam בשם Arabibus significat *dulcem, gratum & jucundum esse*) סמים vero videtur esse vox media & generalis, quæ de omni genere odoratorum pharmacorum usurpatur, sive ea sint suaveolentia sive graveolentia. Quod hinc colligi posse videtur, quod Exod. 30. 34. ubi nominantur סמים aromata illa quæ ingrediebantur compositionem suffitus, commemoratur inter ea חלבנה *Galbanum*, quod sane est gravissimi odoris, item שחלת, quod à quibusdam *ungula* dicitur, & quidem *caballina.* Vel si hoc discrimen non placet, potest & aliud assignari, ut בשמים designet omne genus aromatum bene fragrantium ex quibus unguenta suaveolentia confici solebant, סמים autem ea tantum ex quibus fiebat suffitus: nam revera non occurrit hæc vox in Scriptura nisi conjuncta voci קטרת, vel iis in locis in quibus agitur de suffitu faciendo. Unde efficitur ut סם significet in genere res odoratas, sive grati sint sive gravis odoris, quæ solebant ingredi compositionem suffitus, distinctionis autem ergo סם המות usurpatum fuisse ad ea significanda quæ gravis sunt & tetri odoris, סם החיים vero ad ea designanda quæ sunt suaveolentia. Nam quoniam morte nihil gravius & molestius est, vita vero nihil jucundius & suavius, ideo voces illæ *mortis* & *vitæ* in Scriptura usurpantur per translationem ad ea significanda quæ in suo quæque genere ingrata sunt & molesta, vel grata & jucunda. Sic nempe 2 Reg. 4. 40. *mors* dicitur *fuisse in olla*, quia illa fuit amarissimi & insuavissimi saporis: & Eccles. 10. 1 זבובי מות *muscæ mortis* dicuntur muscæ odoris fœtidi & gravis, ex quibus si vel una in unguentum aromatarii deciderit dum conficitur, corrumpit illud & tetro inficit odore: quales sunt muscæ illæ quæ *Cantharides* dicuntur. Et quoniam quædam sunt venena quæ solo odore necant, hinc factum est ut סם המות postea usurpatum sit de quolibet veneno seu lethali pharmaco, contra vero סם החיים dici possit de quolibet salutifero pharmaco. Atque hæc significatio huic Apostoli loco potest apte quadrare, ut Euangelium scilicet hic dicatur fuisse nonnullis, nempe fidelibus, סם החיים *pharmacum salutiferum*, quo à lethali antiqui Serpentis morsu & vulnere sanati sumus; aliis vero, nimirum incredulis, fuisse סם המות instar *lethalis pharmaci*, quia (uti dixi) respuendo Euangelium, mortem (quam per fidem in Christum vitare poterant) in se accersiverunt, mortuique sunt non secus ac qui venenum bibisset.

GROTIUS.

1. Ἔκρινα δὲ ἐμαυτῷ τοῦτο, *Statui autem hoc ipsum apud me*] Ἔκρινα, *constitui*, ut est Actor. XX, 16. XXVII, 1. ἐμαυτῷ, *mihi*, id est, *apud me*, ad imitationem לי [*mihi*] Hebraici. ¶ τὸ μὴ πάλιν ἐν λύπῃ πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν. *ne iterum in tristitia venirem ad vos*] Et hic trajectio est, & duæ voces pro una. Sensus enim est, μὴ ἀνελθεῖν πρὸς ὑμᾶς καὶ τοῦτο ἐν λύπῃ [*non redire ad vos & hoc in tristitia*], *non redire ad vos ita ut reditus meus mœrorem vobis adferat.*

2. Εἰ γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς, καὶ τίς ἐστιν ὁ εὐφραίνων με, *Si enim ego contristo vos, & quis est qui me lætificet*] Id est, qui me consolari deberet ut Doctorem suum. ¶ εἰ μὴ ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ; *nisi qui contristatur ex me?*] Ac proinde nemo: Quomodo enim tristis alium solabitur? Singulare pro plurali, ut in collectivis.

3. Καὶ ἔγραψα ὑμῖν τοῦτο αὐτὸ, *Et hoc ipsum scripsi vobis*] In hac epistola scripsi vobis causam, cur reditum ad vos differam, ut eam auferatis. ¶ ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἐπὶ λύπῃ σχῶ, *ut non cum venero, tristitiam super tristitiam habeam*] Inter tot pericula, in quibus versatus sum, novum mœrorem ob severitatem verborum aut rerum qua uti cogar adversus inemendatos. Erat Apostolus talis qualis describitur bonus Princeps,

Qui quoties sævus cogitur esse, dolet.

Vide infra XII, 21. ¶ ἀφ᾽ ὧν ἔδει με χαίρειν· *de quibus oportuerat me gaudere*] Ex quorum profectu ego maximum percipere gaudium debebam:

Τίς πατέρ᾽ αἰνήσει εἰ μὴ εὐδαίμονες υἱοί;

[*Quis patrem laudat recte nisi forte creati?*]

¶ πεποιθὼς ἐπὶ πάντας ὑμᾶς, ὅτι ἡ ἐμὴ χαρὰ πάντων ὑμῶν ἐστι. *confidens in omnibus vobis quia gaudium meum omnium vestrum est*] *Ita bene de vobis sentio, ut credam vos nihil malle quam ut gaudeam.* Monstro viam, qua id consequamini, sicut בטח [*confidit*] Hebræum solet post se trahere על [*super*], ita Græcum πέποιθα [*confido*] secum habet ἐπὶ [*in*], ut videre est secundo Regum XVIII, 21, & alibi.

4. Ἐκ γὰρ πολλῆς θλίψεως καὶ συνοχῆς καρδίας, *Nam ex multa tribulatione & angustia cordis*] Συνοχὴ est *anxietas*, ut Lucæ XXI, 25. Judic. 11, 3. συνέχεσθαι, *angi*, ut Luc. XII, 50. Job. XXX, 3. ¶ διὰ πολλῶν δακρύων, *per multas lacrymas*] Διὰ [*per*] hic valet *cum*. Sic δι᾽ ἀκριβείας λέγειν [*accurate loqui*] apud Aristotelem. ¶ οὐχ ἵνα λυπηθῆτε, *non ut contristemini*] Non enim hoc erat προηγούμενον θέλημα [*præcipua voluntas*] Pauli. ¶ ἀλλὰ τὴν ἀγάπην ἵνα γνῶτε ἣν ἔχω περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς. *sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis*] Et hic locutio est per Trajectionem vocum: deinde περισσοτέρως [*abundantius*] intellige *plus quam Ecclesias alias.*

5. Εἰ δέ τις λελύπηκεν, *Si quis autem contristavit*] *Si qua Ecclesia me mœrore affecit.* Hæc enim vox ex præcedentibus intelligitur, κατὰ τὸ σημαινόμενον [*secundum id quod significatur*]. Cum autem indefinite dicit εἴ τις [*si quis*], notat ipsam Corinthiorum Ecclesiam, ut ostendunt sequentia. ¶ οὐκ ἐμὲ λελύπηκεν, ἀλλ᾽ ἀπὸ μέρους, *non me contristavit, sed ex parte*] Hic quoque ὅλη [*tota*] vel ὅλος [*totus*] si λαὸς [*populus*] subaudias,

audias; intelligendum ex appofito membro ἀπὸ μέρους [*ex parte*] *non totum cœtum me mæstitia affecit, sed quidam*: hoc enim eft ἀπὸ μέρους [*ex parte*] Rom. XI, 25. fupra I, 14. Sic & μέρος τι [*pars aliqua*] I Cor. XI. 18. ¶ ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ πάντας ὑμᾶς. *ut non onerem omnes vos*] Quafi dicat, *Hoc ideo exprimo, ne quis putet fingulos veftrum à me accufari.* Ἐπιβαρεῖν eft *oneri effe*, ut I Theffal. II, 9. II Theffal. III, 8. Eft autem accufatio *oneris quædam impofitio*, ficut & Prophetarum objurgationes & minæ vocantur משא, id eft, *onus.*

6. Ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ, *Sufficit illi qui ejufmodi eft*] Hoc dicit velut digito indicans illum, qui maximum dolorem Paulo attulerat, doctus, & dives, & novercæ maritus. Tertullianus de Pudicitia non vult hic de illo homine agi. Ponit enim quod verum eft, in prima Ecclefia poft baptifmum in adulterium aut fimile quid prolapfos nunquam ad communionem reftitutos: aliorum criminum reos, puta inceftus in novercam, diutius tamen abftentos, quam fuit intervallum illud temporis intra fcriptionem priorem & hanc alteram ad Corinthios. Sed in eo cum multis aliis fallitur quod agi hic putat de reftituenda communione, cum agatur de auferendo morbo, quem ei Satanas ad preces piorum Corinthiorum immiferat. ¶ ἡ ἐπιτιμία αὕτη ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων *objurgatio hæc quæ fit à pluribus*] *Caftigatio illa* quæ à presbyterio fieri folet more Judaico. Pœnæ Canonicæ vocantur ἐπιτιμίαι [*objurgationes*] & ἐπιτίμια [*pœnæ*]. Repetitur eo fenfu fæpe in Conciliorum Actis, & apud Chryfoftomum de Sacerdotio. Sufficit, inquit, fi abftineatur à communione & σκληραγωγίαι [*dura corporis tractationes*] quædam ei adjungantur. Eas fi fufcipiat licebit pro eo precari. Vide Joh. V, 16. Reftitutum enim jam erat Corinthi presbyterium & cum eo difciplina quæ per fchifmatum diftractiones ceffaverant.

7. Ὥστε τοὐναντίον μᾶλλον ὑμᾶς χαρίσασθαι καὶ παρακαλέσαι, *Ita ut è contrario magis condonetis & confolemini*] Μᾶλλον [*magis*] deeft in Manufcripto. Subintelligitur autem hic *velim*, & τοὐναντίον [*e contrario*] opponitur ei, quod videri poffet de omnibus queri, quafi dicat, *Nihil vos accufo ut nimium remiffos*; *Imo ad lenitatem ultro hortor.* *Condonare* & *folari* hoc loco eft Deum orare ut morbus ille definat, *Solvere peccata* etiam de privatis dici notavimus ad Matth. XVIII, 18. χαρίζεσθαι hic refpondet סלח, vide II Maccab. IV, 32. ¶ μήπως τῇ περισσοτέρᾳ λύπῃ καταποθῇ ὁ τοιοῦτος. *ne forte abundantiori triftitia abforbeatur qui ejufmodi eft*] Καταπίνειν hic eft בלע, quod proprie quidem eft *abforbere*, tranflate vero *quovis modo perdere*, ἀπολλύειν, quomodo & interdum vertitur illud בלע. Si ad morbum accedat animi cruciatus, facile inde mors fequi poteft. De illo novercæ marito hic agi cenfet & Origenes ad Pfalmum XXXVII.

8. Διὸ παρακαλῶ ὑμᾶς κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην. *Propter quod obfecro vos ut confirmetis in illum charitatem*] Κυροῦν proprie eft *alicui rei formam fuam legitimam dare, ac fic eam ratam firmamque facere*; hic per tranflationem eft *facto oftendere*. Nam qui hoc facit, is aliquo modo ratum facit quod in animo habebat. Factum autem quod hic requiritur funt preces totius Ecclefiæ pro illo graviter afflicto.

9. Εἰς τοῦτο γὰρ ἔγραψα, *Ideo enim fcripfi*] Nempe ea quæ funt in prima epiftola cap. V. Aoriftus hic fignificationem habet plufquam perfecti. ¶ ἵνα γνῶ τὴν δοκιμὴν ὑμῶν, εἰ εἰς πάντα ὑπήκοοί ἐστε. *ut cognofcam experimentum veftrum an in omnibus obedientes fitis*] Δοκιμὴ eft *experimentum*, ut Rom. V, 4. infra VIII, 2. IX, 13. XIII, 3. Philipp. II, 22. hic vero per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] ipfe animus, qui ex periculo patefcit. *Ut noffem experiendo an* mihi ut Chrifti Apoftolo *per omnia obedire velletis.*

10. ᾧ δέ τι χαρίζεσθε, *Cui autem aliquid donaftis*) *Si cui aliquid condonatur* ex æquitatis & lenitatis regulis. ¶ κἀγώ. *& ego*] *Tanquam animo præfens*, ficut in illo Satanæ tradendo fueram, I Cor. V, 4. ¶ καὶ γὰρ ἐγὼ εἴ τι κεχάρισμαι δι' ὑμᾶς ἐν προσώπῳ Χριστοῦ, *nam & ego fi quid condonavi propter vos in perfona Chrifti*] In Manufcripto eft quomodo & Latinus legit: καὶ γὰρ ὃ κεχάρισμαι, εἴ τι κεχάρισμαι, δι' ὑμᾶς [*nam & ego, quod condonavi, fi quid condonavi propter vos*], ut poft δι' ὑμᾶς [*propter vos*] iterum fubaudiatur κεχάρισμαι [*condonavi*] ex fuperioribus. Simplicius legit Arabs, ὃ κεχάρισμαι, κεχάρισμαι δι' ὑμᾶς [*quod condonavi, propter vos condonavi*]. Oftendit fe jam præiviffe condonando, ficut ante præiverat condemnando. *Propter vos*; inquit, *hoc feci, veftro bono, ut meo exemplo difceretis lenitate non minus quam feveritate uti.* ἐν προσώπῳ Χριστοῦ [*in perfona Chrifti*] id eft, *in hac re Chriftum refpiciens*, ut homines fervem in fide Chrifti. Sic fupra I, 11. ἐκ πολλῶν προσώπων, *refpectu multorum.* ¶ ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ· *ut non circumveniamur à Satana*] *Ne circumveniamur à Satana*, ut hic Latinus: *ne fraudemur*, ut Tertullianus. Eft & hic Metonymia. Nam qui alios circumveniunt, plus fuo habere folent. Pari modo בצע quod proprie eft πλεονεκτεῖν [*plus habere*], etiam *vulnerare* & *quovis modo lædere* fignificat. Sic & infra hoc verbum fumitur, XII, 17, 18. Pluraliter autem loquitur, quia etiam unius exitium damnum eft Chrifti & Ecclefiæ.

11. Οὐ γὰρ αὐτοῦ τὰ νοήματα ἀγνοοῦμεν. *Non enim ignoramus cogitationes ejus*] Νοήματα, מזמות [*cogitationes*] μεθοδείας [*infidias*] Ephef. VI, 11. Diverfis modis hoc agit Satanas, ut homines à Deo abducat, aut illecebris, aut injecta defperatione. Vide infra XI, 3. I Petri V, 8. Chriftiani veteres etiam eos quos ob gravia crimina ad communionem nunquam admittebant, nolebant tamen defperare de Dei mifericordia. Tertullianus de Pudicitia, *Hæc erit pœnitentia, quam & nos deberi quidem agnofcimus multo magis, fed de venia Deo refervamus.* Multo magis ad tempus abftentis jubebant bene fperare.

12. Ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν Τρωάδα εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, *Cum veniffem autem Troadem propter Evangelium Chrifti*] Spectat hoc ad hiftoriam quam habemus Actor. XX, 6. II Tim. IV, 13. ¶ καὶ θύρας μοι ἀνεῳγμένης ἐν Κυρίῳ, *& oftium mihi apertum effet in Domino*] Magna fpe mihi data multos Chrifto acquirendi. Vide I Cor. XVI, 9. καὶ [*&*] hic eft *quamvis.* ¶ οὐκ ἔσχηκα ἄνεσιν τῷ πνεύματί μου, *non habui requiem fpiritui meo*] Ἄνεσις *requiem animi* fignificat. Actor. XXIV, 23. infra VII, 5. VIII, 13. II Theff. I, 7. ¶ τῷ μὴ εὑρεῖν με Τίτον τὸν ἀδελφόν μου. *eo quod non invenerim Titum fratrem meum*] Quia Titus ex occafione aliqua Corinthi fuerat, & bene exceptus infra VII, 7, 13, 14. Ideo oftendit Paulus & hic, & alibi, quam id fibi gratum fit. Plurimi enim à fe Titum fieri, ita ut abfentiam tam boni adjutoris graviffime tulerit.

13. Ἀλλ' ἀποταξάμενος αὐτοῖς, *fed valefaciens eis*] Et hic αὐτοῖς [*eis*] nomen non habet expreffum quo referatur, fed fubintelligitur nomen ex voce *Troadis.* Intelliguntur enim *qui erant Troade.* ¶ ἐξῆλθον εἰς Μακεδονίαν. *profectus fum in Macedoniam*] Ut propior effem Tito, & eum ad me vocarem, infra VIII, 6, 16.

14. Τῷ δὲ Θεῷ χάρις τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ Χριστῷ, *Deo autem gratias qui femper triumphat nos in Chrifto*] Verum eft quod viri eruditi notarunt θριαμβεύειν hic effe pro Hiphil, ficut βασιλεύειν [*regnare*] eft *facere ut quis regnet*, I Sam. VIII, 22. XII, I. XV, 35. & ἐπισπεύδειν [*feftinare*] *ad feftinandum incitare*, Efther. VI, 14. Refpondet autem θριαμβεύειν Hebræo הגביר [*prævalere*]. Deus per Chriftum *facit ut omnia adverfa fuperemus.* Ita videntur accepiffe hoc verbum, tum Syrus, tum Ambrofius. ¶ καὶ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως αὐτοῦ φανεροῦντι δι' ἡμῶν ἐν παντὶ τόπῳ. *& odorem notitiæ fuæ manifeftat per nos in omni loco*] Alludit ad unguentum illud odoratum quo ungebatur fummus Sacerdos, Exodi XXX, 23. Pfalm. CXXXIII, 2. Per *bonum odorem* autem hic fignificatur bona fama, Ofeæ XIV, 7. Jerem. XLVIII, 11. Sicut per *malum odorem* mala fama, Gen. XXXIV, 30. Exodi V, 21.

15. Ὅτι Χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ ἐν τοῖς σῳζομένοις καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. *Quia Chrifti bonus odor fumus Deo in iis qui falvi fiunt & in iis qui pereunt*] Subaudiendum hic eft in fecundo membro κακωδία [*malus odor*] ex vi contrariorum. Similis ἔλλειψις [*defectus*] contrarii I Corinth. XIV, 34. I Tim. II, 12. IV, 3. Pii bene de Apoftolis & Euangelio loquuntur, & impii male. Vocantur autem ex eventu pii οἱ σῳζόμενοι [*ii qui falvi fiunt*], Actor. III, 47. contra impii οἱ ἀπολλύμενοι [*ii qui pereunt*] I Cor. I, 18. Θεῷ [*Deo*], id eft, in honorem Dei.

16. Οἷς μὲν ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον. *Aliis quidem odor mortis in mortem*] Hic prior vox θανάτου [*mortis*] qualitatem fignificat, ut II Reg. IV, 40. Altera eventum fignificat. Sunt odores quidam tam mali ut etiam exitium adferant, ut Averni & Afphaltitæ halitus. Fama illa mala de Euangelio credita, multis adfert perniciem æternam. In Manufcripto eft, ἐκ θανάτου εἰς θάνατον [*ex morte in mortem*], nimirum quia mala illa fama auctores habet homines in peccatis mortuos. ¶ οἷς δὲ ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωήν. *aliis autem odor vitæ in vitam*] Sicut odores quidam animo defectos velut in vitam reftituunt, ita bona de Euangelio fama eos qui eam hauriunt perducit ad vitam æternam. Et hic Manufcriptus habet ἐκ ζωῆς [*ex vita*]. Nimirum quia bona illa fama eft à Deo auctore vitæ. Simile loquendi genus ἐκ πίστεως εἰς πίστιν [*ex fide in fidem*], Rom. I, 17. & infra III, 18. ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν [*à claritate in claritatem*]. & ita hoc & præcedens membrum legit Clemens Alexandrinus. ¶ καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; *& adhuc quifnam idoneus?*] Id eft, Quam difficile eft hoc quod nos præftamus,

stamus, qui & tot adversa & pessimos de nobis rumores Christi causa contemnimus. Huic quæstioni responsio subjicietur, infra III, 5. Nam quæ intercedunt explicatio sunt difficultatis.

17. Οὐ γάρ ἐσμεν ὡς οἱ πολλοὶ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *Non enim sumus sicut plurimi cauponantes Verbum Dei*] Tangit manentes adhuc Corinthi malorum reliquias, in Doctoribus magis quam in populo. κάπηλος est *qui esculenta & poculenta vendit*, ut diximus ad Sirach. XXVI, 28. hinc transferri cœpit ad omnia quæ quæstui habentur. Sic καπηλεύειν τὰ πρήγματα [*res cauponari*] dixit Herodotus, καπηλεύειν εἰρήνην [*cauponari pacem*] Herodianus, *cauponari bellum* Ennius. Pari modo eos qui Euangelium habent quæstui χριστεμπόρους [*Christi institores*] vocat Ignatius ad Trallianos. Vide & infra IV, 2. ¶ ἀλλ' ὡς ἐξ εἰλικρινείας, *sed velut ex sinceritate*] *Sincere*. Vide I Corinth. V, 8. supra I, 12. Philip. I, 10. ὡς [*velut*] hic est כאמת [*Caph veritatis*], ut dicunt Hebræi. ¶ ἀλλ' ὡς ἐκ Θεοῦ, *sed sicut ex Deo*] *A Deo jussi.* ¶ κατενώπιον τοῦ Θεοῦ, *coram Deo*] *Deum præ oculis habentes.* ¶ ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν, *in Christo loquimur*] *Ea dicimus in Christo*, id est, Christi nomine, tanquam legati ipsius, infra V, 20. Simpliciter peccata reprehendimus, pœnitentes erigimus. Non ut illi, qui ut suo quæstui studeant, etiam vitam non emendantibus Dei veniam pollicentur, Deo id non probante, II Timoth. III, 6.

CAP. III.

VALLA.

6. QUI & idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non litera, sed spiritu] Quid sibi vult *fecit nos ministros non litera*, h. e. *per literam*? Quis enim minister factus est per literam? Certe nemo. Ergo dicendum, *Qui fecit nos ministros non literæ*, quod est Vetus Testamentum, *sed spiritus*, quod est Novum Testamentum: *quia litera* Veteris Testamenti *occidebat*, *spiritus* ejusdem, quod est Novum Testamentum, *vivificat*. Οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος.

7. *Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria*] Hoc loco nihil dicerem nisi propter nonnullos qui exponunt participium *deformata* nunc *perfecte*, nunc *imperfecte formata*. Græce est *in literis informata*, ἐν γράμμασιν, ἐντετυπωμένη. Sed Interpres voluit loqui elegantius, *deformata* pro *formata*, ut *demolitur* pro *molitur*, *deosculatur* pro *osculatur*. Licet in exponendo verbo *Depositum*, Ulpianus velit *de* augere; nunc autem non auget; nec ad hoc respexit Interpres veteres secutus, ut est apud Quintilianum, *Marmora deformata prima manu*.

10. *Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam*] Transferam & ipse hunc locum meo arbitratu, deinde exponam. *Neque enim glorificatum est id quod fuit glorificatum in hac parte, propter excellentem gloriam.* Καὶ γὰρ οὐδὲ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον ἐν τούτῳ τῷ μέρει, ἕνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης. Et est sensus, Testamentum Vetus & Lex Mosaica, etsi gloriosum fuit, tamen quantum ad hunc locum pertinet, i. comparatum cum Novo, non debet haberi pro glorioso propter gloriam illi præcellentem.

13. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus quod evacuatur*] Nescio quo pacto mutatum sit *finem* in *faciem*: sic enim legitur Græce, *in finem ejus quod evacuatur*, sive *destruitur*, εἰς τὸ τέλος nisi propter affinitatem literarum, quæ sunt *in finem*, & *in faciem*.

14. *Sed obtusi sunt sensus eorum*] Ego maluissem dicere *cæcati*, quia de cæcitate Israel nunc agitur, ἐπωρώθη. Et *sensus* nunc proprie diceretur *sensa*, quæ sunt mentis; *Sed cæcata sunt sensa eorum*, τὰ νοήματα.

18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu*] Nusquam reperi *speculari* à *speculum*, ut hic est, sed à *specula*: quanquam Græce magis est significatio passiva, κατοπτριζόμενοι, h. e. *illuminati, gloria Domini*, tanquam specula quæ lumen accipiunt: sic enim Græci intelligunt. Neque apud eos legitur *in eandem*, sed sine præpositione. Neque aliud nomen est *à claritate in claritatem* quam *gloria*, ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, h. e. ut illi exponunt, *à gloria Divinitatis in nostram*. Quidam exponunt *claritatem* alio modo, recedentes à significatione Græcæ dictionis: sed erroris eorum, ut dixi, in culpa est Interpres varie transferens. Sed cur non possit dici, *à Domino Spiritu*? nam incertum quo modo accipiatur; an etiam tertio modo, qui mihi minus probatur, *à Domino spiritus*, ἀπὸ Κυρίου πνεύματος.

REVIUS in VALLAM.

6. NON litera, &c.] *Quod offendit Vallam*, ait Erasmus, *ita vitari poterat*, QUI FECIT UT ESSEMUS IDONEI NOVI TESTAMENTI MINISTRI, *quod spirituale est, non literale, sicut Vetus: ut* LITERÆ & SPIRITUS *referatur ad* TESTAMENTUM *aut* MINISTROS NOVI TESTAMENTI, *h. e.* NON LITERÆ, SED SPIRITUS. In quibus quid Erasmus sibi velit difficile est divinare. Si enim vulgatam interpretationem adjuvare vult, nihil agit, cum hæc ad ablativos *litera* & *spiritu* accommodari non possint: sin idem vult dicere quod Valla, actum agit, neque quod eum offendit tollit.

10. Καὶ γὰρ οὐδὲ, &c. & 13. Εἰς τὸ τέλος] Hæc trajecta erant. Versu 10. etiam *glorificatum* deerat secundo loco, quod necessario supplevi.

18. *A Domino Spiritu*] Alterum illud simplicius est. Videatur Beza.

ERASMUS.

1. INcipimus iterum nosmetipsos commendare?] Συνιστάνειν quod non simpliciter sonat *laudare*; id quod vulgus existimat; sed *insinuare in alterius benevolentiam*. ¶ *Ad vos, aut ex vobis*] Græci repetunt *commendatitiis*, licet reclamantibus exempl. Latinis quæ viderim omnibus, neque temere tamen. *Commendatitiis ad vos*; h. e. quæ ab aliis profectæ commendent nos vobis, aut à vobis profectæ commendent nos aliis. Nam ad eundem modum & legit & interpretatur Theophylactus.

2. *Epistola nostra*] Suam vocat, non quam scripserit, sed qua commendetur. Studium curandæ salutis illorum, argumentum erat & epistolæ vice. *Nostra* autem dixit vel modestiæ causa pro *mea*, vel quod pari studio essent & alii quidam Pauli collegæ. ¶ *Quæ scitur & legitur*] Interpres non reddidit venustatem Græcanici schematis, γινωσκομένη καὶ ἀναγινωσκομένη, i. *quæ intelligitur & legitur*.

3. *Manifestati quoniam epistola estis*] Φανερούμενοι. Verbum est medium; unde commode verti poterat, *dum manifestatis vos esse epistolam*, &c. aut, *dum manifestamini quod estis epistola*, &c. ¶ *Et scripta non atramento*] Græcis non additur *&*, nec apud Ambrosium. Nec est *scripta* sed *inscripta*, ἐγγεγραμμένη. ¶ *In tabulis cordis carnalibus*] Σαρκίναις, *carneis*: ut materiam intelligas, non qualitatem, quam notant cum dicunt σαρκικός. Nam quod alibi *carnalibus* legimus, σαρκικοῖς est Græce. Καρδίαις habent quidam codices, h. e. *cordibus*, sed mendose, opinor. Qui sic legunt volebant esse appositionem, *in tabulis carneis*. Quibus, Nimirum *ipsis cordibus*.

5. *Sed sufficientia nostra*] Ἡ ἱκανότης, *idoneitas*, ut ita loquar.

6. *Qui & idoneos nos fecit ministros*] Ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους, *qui idoneos nos fecit ut essemus ministri Novi Testamenti*: q. d. *idoneavit*. Est autem verbum ab eo nomine quod mox vertit *sufficientes* & *sufficientia*. ¶ *Non litera sed Spiritu*] Græcis genitivus est, *literæ sed Spiritus*: ut referas ad *ministros*, & intelligas Novum Testamentum *Spiritum*, Vetus *literam*. At Apostoli delecti sunt ut Spiritum administrarent, non ceremonias Legis tantum ac præcepta Legis, quas suo more *literam* vocat. Per Mosen enim non dabatur Spiritus quemadmodum per Apostolos. Ex Ambrosiana interpretatione non potest certum deprehendi quid legerit, & ad sensum haud magni sane refert. Nam quod offendit Vallam, ita vitari poterat, *Qui fecit ut essemus idonei Novi Testamenti ministri, quod spirituale est, non literale*, sicut Vetus: ut *litera* & *Spiritus* referatur ad *Testamentum* aut *ministros Novi Testamenti*, h. e. *non literæ sed Spiritus*. Ac ne quis existimet nos rem adferre novam, uterque codex Constantiensis consentiebat cum Græcis, nec locus ullam habebat rasuram. Neque secus citat Augustinus libro De Spiritu & litera, cap. 179. quanquam ejusdem operis cap. 14. scriba locum depravarat, qui cum videret scripturam sibi constare, non ausus est omnia corrumpere.

7. *Literis deformata*] Quidam *deformata* interpretatur *turpiter formata*. Id quo magis credamus, Carrensis adjicit, *sicut mulier dicitur deformis*. O columen Theologiæ! quasi vero sola mulier dicatur *deformis*. Deinde post aliquod [illegible] genus

genus nugas addit aliud commentum, si cui hoc parum probatur, *Deformata*] *Id est, valde bene formata.* Quasi vero hoc agat Paulus ut intelligant eam legem valde bene formatam quam præ Euangelio contemni vult. Verum quorsum attinet hæc insectari? cum in summa totum hoc sit impudentissimum, Novum Testamentum Græce scriptum ab Apostolis interpretari velle si Græce prorsus nescias. Paulus scripsit ἐντετυπωμένη, i. *informata*, ut ad verbum reddam, h. e. insculpta. Quanquam eleganter Interpres dixit *deformata* pro *formata*. Nec enim hic auget *de*, non magis quam in *deambulare* ac *deosculari*. Et Quintilianus, *Marmora prima deformata manu.* Ambrosius *formata* legit, non *deformata*.

9. *Damnationis in gloria est*] *In* superest, Δόξα, i. *gloria:* atque ita legit Ambrosius. *Gloriam* more Hebræorum dixit pro *gloriosam:* quanquam hoc non admodum variat sensum. Variantque Græcorum codices. Et mox *per gloriam est*, διὰ δόξης, dixit pro *in gloria*.

10. *Nam nec glorificatum est quod claruit*] Καὶ γὰρ οὐδὲ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον, *Etenim ne glorificatum quidem est quod glorificatum est:* i. Quod tum glorificabatur accedente gloria Euangelii perdidit gloriam. Et ideo addidit *in hac parte*, i. *in comparatione.* Sic exponunt Græca Scholia.

12. *Multa fiducia*] Πολλῇ παῤῥησίᾳ· quæ vox apud Græcos significat *loquendi libertatem*, cum palam quis eloquitur quod sentit. Hoc ad Mosen refert, qui palam & aperte non est ausus loqui, sed velata facie. ❡ Χρώμεθα] *Utimur.* Idem potest esse *utamur:* atque ita sane legit Ambrosius, ut sit adhortantis ad libertatem mere Christianam.

13. *In faciem*] Εἰς τὸ τέλος, i. *in finem:* in quod haud dubie librariorum accidit errore. Certe Ambrosius legit *usque ad finem ejus quod evacuatur*, & ad eum modum interpretatur. Volebat Mosi faciem esse obtectam nec aspici donec id quod erat abolendum coruscante Euangelio evanesceret, & sic licebat intueri faciem Mosi. Et τέλος legit simul & interpretatur Chrysostomus ac Theophylactus: *Non poterat crassus populus perspicere quod Lex illa finem esset habitura.* Porro ut hic sermo sit absolutus, subaudiendum est aliquid, *Et non facimus sicut Moses, qui ponebat*, &c. Et tamen in nonnullis Græcorum cod. comperimus scriptum εἰς τὸ πρόσωπον, quemadmodum nos legimus: sed hos suspicor ad Latinorum lectionem fuisse correctos. Quod hic vertit *intenderent* Græce est ἀτενίσαι, i. *defigere oculos, & immotis oculis intueri*, quemadmodum solent amantes, & qui attente audiunt loquentem. Aspicere poterant, sed fixis oculis & diu inhærentibus non poterant. Unde, re cognita, Moses quoties loqueretur populo, faciem velo obtexit. *In finem:* videlicet ne illic conquiescerent. Et *quod evacuatur* sonat quasi dicas *ejus qui evacuatur* vel *aboletur*, ut referas ad *Mosen* moriturum. Moses mortalis erat, Christus immortalis. Mosis lex ad tempus erat instituta, Christi lex finem nescit. Aut absolute *in finem ejus rei quæ evacuatur.* Et *evacuatur* hic est καταργούμενον, i. *quod aboletur & irritum redditur.* Id annotavit & Theophylactus. Tametsi Lex non aboletur proprie, sed figuræ cedunt veritati.

14. *Obtusi sunt*] Ἐπωρώθη, *excæcati sunt.* ❡ Et *cogitationes* potius quam *sensus*, νοήματα, quod paulo ante vertit *cogitationes.* ❡ *Manet non revelatum*] Maluissem *nec tollitur*, quo sensus sit apertior.

16. *Cum autem conversus fuerit*] Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ. Augustinus lib. Adv. Faustum 12. cap. 4. legit, *Cum autem transieris:* ut ἐπιστρέψῃ sit à verbo medio, & secunda persona pro quavis persona: nisi forte malumus vitio librarii *transieris* scriptum pro *transierit*. Quanquam & alias totidem verbis adducit hunc locum, velut ejusdem libri cap. 39. Sin verbum activum, erit *conversus fuerit*, tertia persona, ut subaudias *Israel*, pro *Israelita:* atque ita legit D. Ambrosius, *Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Usus est eodem verbo capite quod proxime sequitur. Neque quicquam tamen officit sententiæ quod noster Interpres mutavit numerum: neque enim refert utrum dicas, *Equa gestat fœtum decem mensibus*, an *Equæ gestant decem mensibus.* Origenes hunc adducens locum in Exodum hom. 12. legit, *Ubi conversus quis fuerit, auferetur velamen:* rursus in Leviticum hom. 2.

17. *Dominus autem Spiritus est*] Non simpliciter ait *Dominum esse Spiritum*, & corpus esse negat, sed addit articulum τὸ πνεῦμα, h. e. *ille Spiritus*, nempe Legis: quasi Moses fuerit caro, utpote mortalis & imbecillis & crassus, juxta typum quem gerit; Christus *Spiritus*, ut efficax & immortalis.

18. *Speculantes*] Κατοπτριζόμενοι, *speculantes*, hoc loco à *speculo* ductum est, non à *specula:* ut intelligas Dei gloriam à purgatis animis seu speculo excipi ac reddi. Ad hunc enim sensum exponunt Græca Scholia, ut κατοπτριζόμενοι sit *velut speculo exprimentes ac referentes.* Græcæ vocis emphasim annotavit & Augustinus lib. De Trin. 15. cap. 8. ❡ *In eandem imaginem*] Præpositio Græcis abest, τὴν αὐτὴν εἰκόνα, i. *juxta eandem imaginem:* ut subaudias κατὰ. ❡ *A claritate in claritatem*] *A gloria in gloriam*, ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν· sic enim aliquoties vertit hanc vocem. Verum hæc varietas interpretandi nonnunquam ansam errandi Latinis expositoribus præbet, dum aliud quiddam à Paulo dici putant *claritatem* & *gloriam*, cum apud illum eadem sit vox. ❡ *A Domini Spiritu*] Trifariam hic locus accipi potest apud Græcos; *à Domini Spiritu*; sive *à Domino Spiritus*; sive *à Domino Spiritu*, ut accipiamus ipsum *Dominum esse Spiritum.* Cæterum media lectio mihi magis probatur, ἀπὸ Κυρίου πνεύματος. Primam secutus videtur Theophylactus, atque item Ambrosius: Ultimam sequitur commentarius in hanc epistolam Chrysostomi titulo, torquens in Arianos; item D. Basilius in opere De Spiritu S. ad Amphilochium cap. 21. Mirum quid secutus Augustinus lib. De Civit. Dei 22. cap. 29. legit *tanquam ad Domini Spiritum*, si modo scriptura mendo vacat. Cæterum ὡς hic non sonat Similitudinem sed Congruentiam, *tanquam à Spiritu Domini:* ut intelligas eximiam dignamque quam conferat Domini Spiritus. Similis locus est apud Joannem, *quasi unigeniti à Patre.*

VATABLUS.

1. AUT *numquid*] *Num.* ❡ *Aut**] * *Commendatitiis.*

2. *Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris*] q.d. Id satis aliis nos commendat, quod opera nostra Christum didicistis, qui in vobis tanquam in epistola descriptus est & legitur. ❡ *Scitur*] *Intelligitur.* ❡ *Hominibus**] * *Dum declaratis.*

3. *Epistola estis Christi*] i. Quod in vobis ministerio nostro, tanquam in epistola descriptus est Christus. ❡ *Scripta**]* *A nobis.* ❡ *Carnalibus*] *Carneis.*

5. *Cogitare*] Vel, *vulgare:* i. docere verbum salutis. ❡ *A nobis, quasi ex nobis*] *Ex nobisipsis, tanquam ex nobisipsis.* ❡ *Sufficientia nostra*] Gr. *idoneitas nostra.*

6. *Litera, sed Spiritu*] *Litera sed Spiritus*, genitivi casus, Vet. i. non Legis Mosaicæ, sed Euangelii conferentis Spiritum, ut Act. 10. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus S.* &c. ❡ *Litera enim occidit, Spiritus autem vivificat*] i. Lex dictat sententiam mortis in eos qui eam non implent: Euangelium vero per quod confertur Spiritus S. confert vitam æternam.

7. *Si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria*] i. Si fuit gloriosum fuisse ministrum Legis in lapidibus scriptæ, quæ mortem afferebat: vel, si tantus honor fuit legi quæ damnabat. ❡ *Evacuatur*] *Abolетur:* i. quæ tamen abolenda erat.

8. *Ministratio Spiritus erit in gloria?*] i. Doctrina Euangelica, quæ Spiritum administrat, erit in reverentia?

9. *Ministratio damnationis*] i. Lex quæ condemnat. ❡ *Abundat*] *Excellit:* i. multo magis gloriosum est ministrum fuisse Euangelii per quod confertur justitia.

10. *Nec glorificatum est quod claruit, hac in parte*] *Glorificatum, non fuit in gloria in hanc partem*; i. causa superantis gloriæ: q.d. lex non fuit in gloria, quo eas partes consequeretur, ut gloria superaret Euangelium: vel, quandoquidem ne glorificatum quidem fuit quod glorificatum est, *in hac parte*, i. in comparatione, h.e. si compararetur Euangelio.

11. *Evacuatur*] *Aboletur:* vel, *abolendum erat, fuit in gloria.* ❡ *Manet*] i. Verbum Euangelii quod manet in æternum.

12. *Talem spem*] i. Quod nunquam abolebitur. ❡ *Fiducia utimur*] *Libertate utamur:* sub. *dicendi*, *ut reveletur Christus.* Vetera legunt, *utamur.*

13. *Intenderent*] Vel, *viderent.* ❡ *In faciem ejus quod evacuatur*] *In finem ejus qui evacuatur*; sive *aboletur*, aut *abolendus erat:* i. ne viderent faciem Moysi, qui tandem finem accepturus erat & abolendus nato Christo: q.d. ut Moses velabat faciem suam, sic non velamus faciem Christi, sed illum magna libertate omnibus proponimus.

14. *Obtusi*] *Obcæcati.* ❡ *Non revelatum*] *Nec tollitur.* ❡ *Quoniam*] *Quod*, Vet.

15. *Moyses*] i. Lex.

16. *Conversi fuerint ad Dominum*] *Conversus fuerit*, sub. *Israel*, *ad Deum*, Vet.

17. *Libertas*] q.d. Ubi Israel conversus fuerit ad Dominum, & acceperit ab illo Spiritum verum Legis & prophetarum interpretem, tunc Legem intelliget, & eodem Spiritu duce

duce erit expers omnis metus, quo corripi solet cum Legem audit.

18. *Facie*] Sub. *Christi.* ¶ *Domini*] Heb. ejus: antecedens pro relativo. ¶ *Speculantes: in eandem imaginem transformamur à claritudine, &c.*] *Velut in speculum inspicientes, eadem imagine donamur à gloria ejus in gloriam, sicut est ea quam à Domini Spiritu accepit*: i. Aspicientes in Christum, per veram in ipsum fidem, metu non afficimur, ut qui splendorem Mosaicum aspiciebant: sed ut in speculo splendenti novam formam accipere solemus, sic formam accipimus similem ei quam accepit à Deo: i. Deo efficimur similes; exemplar quoddam Divinæ justitiæ, æquitatis & bonitatis ejus reddimur.

CASTALIO.

1. ETenim *ne splendidum quidem fuit id quod splendidum fuit, si cum superante splendore conferatur*] Legis splendor nullus est si cum Euangelio comparetur.

CLARIUS.

1. I*Ncipimus iterum*] Dicet fortasse aliquis hæc nos scribere commendandi nostri apud vos gratia, nimirum quasi hoc egeamus, & non reliquerimus jam olim apud vos pignora graviora, quæ commendent nos magis quam quævis epistolæ. ¶ *Aut ex vobis*] Non egemus literis commendatitiis, neque aliorum ad vos, neque vestris ad alios.

5. *A nobis quasi ex nobis*] Nam quæ non solis naturæ viribus sed Divina etiam adjuvante gratia fiunt, ut quæ ultra naturæ nostræ terminos ferentur, *à nobis* quidem fiunt, sed non *quasi ex nobis*, h. e. virtute naturæ, sed ex cœlesti lumine, quod naturam superat nostram. Cætera ita *à nobis quasi ex nobis* fiunt, h. e. vi naturæ, ut semper tamen vires ipsas accepisse nos à Deo agnoscamus. Neque dixit *non posse nos*, sed *non sufficere* vires nostras, ut libertatem servaret, & gratiam Dei ostenderet necessariam.

6. *Non litera*] Idcirco *novum* est, quia non secundum *literam* sed secundum *Spiritum* interpretamur. Ex hac autem occasione horum verborum comparat novam hanc prædicationem illi veteri legi, & describit quanta sit hujus majestas præ illa. ¶ *Litera enim occidit*] Dum, ut ad Romanos ait, *Lex iram operatur.*

7. *Quod si ministratio mortis*] Appellat Legem *ministram mortis*, quia auctum est magisque grave factum peccatum occasione Legis, vitio tamen hominum, cum Lex vellet eos abstinere à peccato. Si ergo Lex, ex qua nihil aliud lucri homines fecerunt quam ut augeretur peccatum, tanta cum majestate data est ut ejus ministri Mosis facies ita radiaret *ut non possent filii Israel intendere oculos in eum*, quanto majoris est gloriæ ministerium hoc Novæ Legis, quæ vitam affert, eamque sempiternam?

10. *Nam nec glorificatum est*] h.e. Illud Vetus Testamentum, quod cum tanta gloria fuit datum, non habet gloriam ullam si cum hoc conferatur; tam *excellens* est hujus *gloria: nam si id quod evacuatur* & aboletur & finem habet, *fuit cum gloria, quanto magis hoc quod manet* ac perpetuum est, debet esse plenum *gloriæ?*

13. *In finem ejus*] Velamen, inquit, illud Mosis significabat infirmum Judæorum ingenium, qui nequirent intueri *finem ejus* Legis *quæ erat abolenda*: at hic finis erat Christus. Idcirco quamdiu ignorant Christum, *velamen illud perdurat in lectione* Mosis, *nunquam* auferendum neque *abolendum* nisi *per Christum*, *cum* scilicet *conversi ad Dominum fuerint.* Nam *Dominus est ille Spiritus* quem dixi, cujus nos ministri sumus, qui nos in *libertatem* vendicat; quod nunquam Lex fecit. Ideo ait, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

18. *Transformamur à claritate in claritatem*] In ampliorem semper gloriam: ut illud, *de virtute in virtutem*, & *ex fide in fidem.*

ZEGERUS.

3. M*Anifestati*] Ad illud *vos estis*, quod præcessit, referendum est.

4. *Fiduciam autem talem*] Qua tam fidenter gloriamur *vos nostram esse epistolam, nosque vobis bonum esse Christi odorem*, &c. *talem* ac tantam, inquit, *habemus fiduciam ad Deum per Christum.*

6. *Non litera, sed Spiritus. Litera enim occidit, Spiritus autem vivificat*] Ita legendum arbitror, ut Græcis respondeat, simul & sensus sit apertior. Genitivos *litera* & *Spiritus* cum utrolibet, sive cum *ministros* sive cum *Testamentum*, poteris construere. *Ministros*, inquit, *nos effecit Novi Testamenti*: & quidnam hoc sit quasi explanando subdit, *non ministros literæ, sed Spiritus.* Vel, *Ministros nos effecit N. Testamenti: quod Testamentum non litera*, i. non literale, *sed spirituale est.* Attamen si malis genitivos Græcos per ablativos resolvere, sensus erit, *Ministros nos effecit, non secundum literam*, ut olim in Lege Veteri, *sed secundum Spiritum*, ut spiritu serviamus Deo. Porro *litera* Lex illa vetus est, sed juxta elementa intellecta: alioqui & ipsa, hoc eodem teste Apostolo Rom. 7. *spiritualis* est. *Spiritus* Lex fidei seu gratia ipsa est. Illa supplicio afficit & mactat delinquentes, hoc resipiscentem peccatorem justificat, à morte peccati liberat & vivificat. In hoc sensu (quod ad *literam occidentem & Spiritum vivificantem* attinet) sunt Chrysost. & Ambrosius. At Aug. duos alios adfert De Spiritu & litera, c. 4. & 5. Juxta priorem *litera occidit*, cum quæ figurate dicta sunt & absurditatem habent, ut pleraque in Cantico canticorum, carnaliter intelligo: *Spiritus vivificat*, cum interiorem hominem spirituali intelligentia nutrio. Juxta alterum sensum *litera occidit* cum Lex docet non esse peccandum, & scire potius docet quam cavere peccatum, atque adeo auget potius quam minuit desiderium malum, ac tandem post prævaricationem occidit. *Nam concupiscentiam*, inquit, *nesciebam nisi Lex diceret, Non concupisces*, Rom. 7. 7. Et, *Occasione accepta peccatum per mandatum seduxit me, & per illud occidit*, v. 11. Ecce quid sit *litera occidens. Spiritus vivificat* cum inspirat pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, h. e. *charitatem diffundit in cordibus nostris.* Hunc posteriorem sensum asserit idem Augustinus altero illo potiorem. Eligat tamen ex his studiosus quisque quem maluerit: ego magis quod Ambrosius & Chrysostomus habent probarim: imo, nisi D. Augustinus tam esset autor gravis, hoc postremum ut obscurius ita & judicarem violentius. *Non litera sed Spiritu* habet lectio antiqua & Ambrosiana: eoque hanc nolim temere mutari in *literæ & Spiritus* juxta Græcos & exempl. Constantiensia ab Erasmo adducta, & Augustinum lib. De Spiritu & litera. Poterit tamen posterior ad marginem adnotari.

7. *Quod si ministratio mortis literis deformata*] *Ministrationem mortis* Veterem Legem appellat, eo quod prævaricatoribus mortem ministraret. Quod autem hic dicitur *deformata*, ab Apostolo ἐντετυπωμένη scribitur, i. *insculpta, impressa, deformata*, h. e. formata, ne vocis capiaris ambiguitate.

10. *Nam nec glorificatum est quod claruit, in hac parte, propter excellentem gloriam*] q.d. Tanta est Novæ Legis gloria ut propter hanc ne glorificatum quidem existimetur Veteris Legis ministerium, quod aliqua ex parte clarere visum est ob Mosi relucentem faciem.

12. *Multa fiducia utimur*] Græca vox παῤῥησία amplius & aliud quiddam significat quam Latinis *fiducia* aut *libertas*, nimirum talem fiduciam cum palam quis loquitur quod sentit, omni posito timore, nullius respectu commotus: estque contraria fere *assentationi.*

13. *Et non, sicut ponebat Moses velamen super faciem suam*] Sermo anapodoton habet: supplendum est enim, *& non facimus*, aut simile quippiam. ¶ *Ut non intenderent filii Israel*] Non simpliciter ne intenderent, sed quoniam intendere haudquaquam valebant: Non valebant vero quia peccatis obtenebrati, quia fide vacui. Atque ideo Moses, quoties loqueretur populo, velo faciem obtegebat, duas res hoc argumento demonstrans; primum quidem Israelitarum cæcam (ut ita dixerim) stupiditatem aut, si mavis, stupidam cæcitatem: deinde subindicans abolendam tandem illius Legis gloriam, quæ neque tum quidem apparuerit aut conspici potuerit cum exhiberetur: quippe gloria illa ut videri non poterat, sic nec gloriæ est habenda loco. Jam vero quod sequitur, ¶ *In faciem ejus quod evacuatur*] In Græcis exempl. *in finem* legitur (id quod Ambrosius & Augustinus secuti sunt) εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου, *in finem ejus quod aboletur*, vel *ejus rei quæ aboletur. Ut ne perspicerent*, inquit, *filii Israel in finem*; quippe qui consummatam & penetrantem Legis cognitionem non haberent. *Finis* autem *ejus rei quæ aboletur*, sive hanc Legem veterem, sive ipsum Mosen accipias, qui mortalis & ob id abolendus erat, Christus est: quem Judæi infirmos fidei oculos habentes aspectare nequeunt, sed velo Legis carnaliter intellectæ suos oculos obtexunt. Neque vero alius se sensus offert etiamsi *in faciem* legamus juxta Latinorum codicum communem consensum, quemadmodum & Græci nonnulli habere dicuntur, assipulante etiam Chrysostomo, (licet id quidam neget) qui palam *in faciem* legit, sed interpretatur *in finem legis* juxta sensum supra indicatum.

dicatum. Cæterum ne quid desit quod vel curiose desideret studiosus, D. Ambrosii aliquanto secius hunc enarrantis locum commentum subscribo, *Ideo ponebat velamen quoniam splendorem vultus ejus ferre non poterant causa peccati: quo sublato potestas datur videndi gloriam Dei usque in finem ejus, qui tamdiu non revelatur quamdiu relicta Lege convertantur ad gratiam fidei, & sic evacuatur. Accedente enim dignitate per fidem, evacuatur indignitas.*

14. *Sed obtusi sunt*] Velamen quidem veteris Legis evacuatur, sed excæcatæ sunt Judæorum *mentes* νοήματα, nec valent nudatæ jam veritatis contueri fulgorem.

16. *Cum autem conversus fuerit*] Aut *conversi fuerint*. Per me neutram improbare licebit lectionem; hic ut *filii Israel*, ibi ut *Israel* tantum subaudiatur.

17. *Dominus autem Spiritus est*] Non, ut Moses, corporalis & crassus. Et quicunque à crasso Mose, h. e. à carnali Lege ad spiritum sese converterint, liberi efficientur à Legis oneribus. Quod Apostolus manifestat dum subdit, ¶ *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*] Non quod à tota simus Lege liberi, sed ab iis duntaxat quæ ad Ceremonias & Judicia pertinent. Nam de iis quæ ad Mores spectant ita Dominus præcipit, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Nec rursus liberi sumus ut licentius peccemus, quæ servitus est longe turpissima, sed ut tali servitute liberi volentes pietati & bonis operibus insistemus.

18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*] Respexit ad Mosen, qui cum montem conscenderet Domino locuturus retectam habuit faciem, in qua seu in speculo excipiebatur reddebaturque Domini gloria, tametsi eam conspectare Israelitæ nequirent. Ita & nos omni per sinceram fidem remoto velamine, *Domini gloriam* κατοπτριζόμενοι, i. *quasi è speculo (vel per speculum) contemplantes, in eandem gloriæ imaginem transformamur*, h. e. Divinæ gloriæ splendorisque participes efficimur, ita ut non modo intueamur ipsi, verum etiam à nobis exceptum Dei splendorem cum in cæteros tum maxime in eum à quo proficiscitur reflectamus. *Transformamur* autem *à claritate in claritatem*, sive *à gloria in gloriam*, h. e. à gloria Spiritus in gloriam nostram quæ gignitur in nobis; vel, juxta Augustinum, *de gloria qua filii sumus Dei, in eam qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*; vel etiam *à gloria in gloriam magis ac magis exuberantem. Transformamur*, dico, *tanquam* qui gloriam hanc atque imaginem non ab homine quopiam mortali, sed à summo illo gloriæ totius fonte *Domini Spiritu* accipiamus. Aut, si mavis sententiam Ambrosianam, *à gloria ad gloriam sicut à Domini Spiritu*, i. *sublato beneficio Dei à gloria Moysi, quam reatus causa cernere nequibamus, transformamur ad gloriam quam credimus dari nobis à Domini Spiritu.* Atque ita illud *tanquam à Domini Spiritu* ad *gloriam* pertinebit, cum juxta sententiam præcedentem pertineat ad *transformamur*. Cæterum quod ad Græcam attinet lectionem, scito illud κατοπτριζόμενοι haudquaquam significare *in speculo repræsentantes*, ut à quodam conversum est, cum hoc ipsum ad explanationem potius faciat ejus quod sequitur τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα, i. *eandem imaginem transformamur*, de quo mox dicemus; sed proprie significare *speculantes*, sive *quasi per speculum videntes*, ut intelligas non tam à *speculo* quam à *spectando* sumendam etymologiam: quemadmodum & Græcis κατοπτρίζομαι dicitur quidem ἀπὸ τοῦ κατόπτρου, *à speculo*, sed interim utrumque vocabulum ab ὄπτω primam ducit originem. Quod si mihi diffidis, vide quid interpretetur Ambrosius, quid Theophylactus, quid Tertullianus l. 5. contra Marc. denique quid Augustinus, qui lib. De Trin. 15. c. 8. totum etiam hunc locum accuratius explanat. Jam in eo quod in Græcis legitur, τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα, pro quo in Vulg. versione legimus *in eandem imaginem transformamur*, ut eadem utriusque sit sententia, ibi subaudienda est εἰς præpositionis particula: alioqui quoniam vox illa μεταμορφούμεθα ad actionem & passionem significandam ambigua est, poterit & hæc esse intelligentia, *dum gloriam Domini speculamur, eandem etiam gloriæ imaginem transformamus.* In eo autem quod legitur ἀπὸ κυρίου πνεύματος non est quod te moveat constructionis amphibologia: una tibi placeat sufficiatque constructio Ecclesiæ & plurium usu probata. Prædictis item astipulatur & D. Hieronymus in Commentariis in Ezech. 38. adducens hunc locum his verbis, *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eandem imaginem reformamur à gloria in gloriam, quasi à Domini Spiritu*: itemque Hesychius in Levit. 9.

STEPHANUS.

1. Ἀρχόμεθα πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνειν;] *Incipimus rursum nosipsos commendare?* ¶ Ἢ μὴ χρήζομεν, ὥς τινες, συστατικῶν ἐπιστολῶν; *Num egemus, ut quidam, commendatitiis epistolis?*

5. Ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ] *Sed quod idonei sumus, id ex Deo est.*

6. Ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης] *Qui etiam nos idoneos N.T. ministros reddidit.*

14. Ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν] *Occalluerunt mentes illorum.*

18. Κατοπτριζόμενοι] *Velut in speculo intuentes.*

DRUSIUS.

7. P*Ropter gloriam vultus ejus*] i. Splendorem. Nam *cornuta erat facies ejus*, i. splendebat ut cornu. Vide Quæst. meas. Id Hebræis קרן dicitur.

12. *Multa fiducia utimur*] Alius *libertate*, alius *evidentia*. Nam παῤῥησία, quam Hebræi פרהסיא dicunt, notat etiam *perspicuitatem in loquendo*: unde per פרסום exponitur *id quod est evidens ac manifestum*. Dicunt sane בפרהסיא ἐν παῤῥησίᾳ pro *palam*, *publice*, *aperte*, *evidenter*, *perspicue*. Vide Particulas Rabbinicas. Dixi פרסום *evidentiam* denotare: unde אדם מפורסם, *qui est ἐν παῤῥησίᾳ*, ut loquitur Euangelista Joh. 7. 4. *homo clarus & celebris, qui publice omnium sermonibus celebratur.* Moses de Kotsi explicat בגלוי עם in בסמ״ג, qui est liber Præceptorum grandior, 28. 3. השכל המפורסם *intellectus evidens*; חטא מפורסם *peccatum manifestum & perspicuum.* Sed פרהסיא non reperitur absque Beth, quod sciam. Vide Thesbiten Eliæ Levitæ Germani.

15. *Cum legitur Moses*] i. Lex. Sic alibi, *Habent Mosen & Prophetas*. Aut *Moses*, i. Vetus Instrumentum: nam id *Lex* aliquando vocatur. Si *Lex*, cur non etiam *Moses*? Prophetæ enim explicant Mosen, eandem doctrinam cum illo continentes. Sed hoc pono, non statuo. ¶ *Velamen positum est super cor eorum*] De iis dici solet quorum occalluit mens, quique obtusi adeo sunt ut Dei mysteria penetrare non possint. Sic Thren. 3. 65. *Dabis illis tegumentum cordis*, i. Callum obduces menti eorum.

16. *Cum conversi fuerint*] Israelitæ videlicet. Sed in fonte ἐπιστρέψῃ *conversum fuerit*, nempe *cor eorum*. ¶ *Tolletur velamen*] Quod impositum ei fuerat. Leve hoc & ab aliis observatum.

18. *A Domini Spiritu*] Vel *à Domino Spiritu*. Verba Græca dubia sunt ad utramque interpretationem. Syrus autem posteriorem elegit מן מריא רוחא *tanquam à Domino Spiritu*. Ego priorem prætulerim. Nam *Domini Spiritus* passim obvium; *Dominus Spiritus* non facile usspiam invenias.

CASAUBONUS.

17. Καπηλεύοντες τὸν λόγον] Vide hic Bezam ex Ennio, &c. Æschylus, p. 97. Sic apud Porphyrium lib. 3. apud Eusebium p. 62. b. Apud Herodotum 3. Darius vocatur κάπηλος, quia ἐκαπήλευε πάντα τὰ πράγματα. ¶ Ὡς ἐξ εἰλικρινείας] Quidam repetunt οἱ· ἀλλ' ὡς οἱ ἐξ εἰλικρινείας.

CAMERO.

13. ΠΡὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι] Doctissimus Interpres vertit *ne intuerentur filii Israel*, &c. Atqui non videtur sic fuisse vertendum hunc locum, sed ita potius, *quoniam non intuebantur*, vel potius, *non tendebant contra oculos*, quod est ἀτενίζειν· neque enim id poterant; id quod ipse Apostolus docet v. 7. *Quod si*, inquit, *mortis ministerium literis infixum in saxis fuit gloriosum, adeo ut non possent filii Israel intueri faciem Mosis.* En quod postmodum dicit πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι *quia non intuebantur*, prius dixerat ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι *adeo ut non potuerint intueri*. Itaque hic πρὸς est pro διὰ de qua præpositionum enallage vide supra ad Matth. 19. 8. Atque hanc esse genuinam Apostoli sententiam constare potest tribus rationibus; quarum prima ducta est ab historiæ veritate. Non enim sponte & ultro, &, ut ita dicam, prævertendo Moses obvelavit faciem; neque enim (quod exserte traditur in Scriptura)

ra) splendoris faciei suæ conscius fuit; sed trepidatione atque adversatione Israelitarum admonitus fuit ut velum injiceret faciei. Itaque velum non imposuit Moses ne viderent Israelitæ splendorem vultus sui, sed quia rectis oculis eum intueri non poterant. Deinde antithesis Apostoli idipsum demonstrat, *sed occalluerunt mentes eorum*; quod dictum foret frigide nisi sit eorum quæ præcedunt sensus, *non potuerunt ferre tantam lucem, sed eorum oculi caligarunt*: nam si dicas, *Impositum est velum ne viderent splendorem illum, sed eorum mentes occalluerunt*, non videntur illa cohærere. Denique rei natura respuit hoc. Nam quod *occallust intellectus* Israelitarum in vitio ponitur hoc loco: ut illud interim taceamus, quod non debuit celari Israelitas finis Legis Christus: atqui velo fit ut celetur, docente Apostolo: non enim patefit Christus nisi velo sublato. Quid igitur est? Nempe totum hoc mysterium & typicum fuit. Nam Mosis facies splenduit, quia (inquit Scriptura) obversa fuerat Deo; h.e. Ministerium Mosis, quatenus ad Dei mentem & consilium refertur, omnino splendidum est & illustre, *Christus enim finis Legis est in justitiam omni credenti*, Rom. 10.4. At populus carnalis istum splendorem ferre non potest: itaque velatur populo carnali Lex donec accedat Spiritus qui velamen aufert. Tum ipse Moses splendoris sui sibi conscius non est: non enim pertinet ad Mosen, qui *literæ minister* est, sed ad Spiritum, nosse Euangelii mysteria. *Spiritum* autem voco non ἐνθουσιασμὸν aliquem, ut ita dicam, irregularem, sed Spiritum illum qui solius Euangelii Christi comes est & dux. Itaque egregie Apostolus, cum in antithesi ponendum esset, *sed eorum perstricti*, vel potius *præstincti, sunt oculi*, non id posuit, sed loco signi rem significatam reddidit. Nam splendor faciei Mosis cum esset typus Euangelii Christi, quod populus ille splendorem illum ferre non poterat, typus erat cæcitatis spiritualis populi Judaici, quæ postea temporibus Christi & Apostolorum sese prodidit. Et hoc itidem præclare Apostolus, quod perstitit in Allegoria plane Divina, Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα, ubi illud ἡνίκα non *postquam* sed *quando* reddendum est, *Quando autem convertitur ad Dominum tollitur velamen*. Nam diserte notatum est in historia, Mosen, cum Deum accederet, deposuisse velamen. Certe Lex, quique Legis justitiam sectantur, quamdiu non convertuntur, non referunt ulterius Legem, nempe Legis justitiam, ad Legis finem Christum; manet illis Lex velata.

16. Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον] Habet locus iste primo ambiguitatem, deinde etiam, sublata ambiguitate, aliquam difficultatem. Nam illud *convertetur* referri potest ad V.T. seu ad Mosem. Sed id nobis videtur paulo durius: quanquam ut ad personas referatur videtur repugnare in versu antecedente numerus pluralis. Nam si rei Grammaticæ ratio habeatur, hoc pacto dicendum fuit, *Quando convertentur ad Dominum*. Sed tamen nos id debet magis movere quod ἐπιστροφὴ in Scriptura est *conversio personarum*: itaque non est temere discedendum ab illa significatione. Deinde, Enallage numerorum frequens est in Scriptura, præsertim cum de gente aliqua agitur. Nam quia Gens unum quid est & multa simul, hinc fit ut indiscriminatim pluralis & singularis numerus adhibeatur cum de gente agitur. Sed superest expedienda difficultas. Nam videtur Apostolus requirere, ante *ablationem veli*, *conversionem ad Deum*. Jam cum *velum* sit ignoratio finis Legis, & Christi, mirum videri possit ut sequatur *conversionem ad Deum*, non præcedat potius cognitio finis Legis, qui est Christus. Sed si verba Apostoli propius inspiciantur, deprehendemus non hic agi de rebus quarum altera alterâ prior est, sed de iis quæ simul peraguntur. Etenim (ut ait Apostolus) *quando convertetur ad Dominum tollitur velamen*. Non dicit *postquam*, non dicit *tolletur*; tantum ostendit quid fiat quando aliquis convertitur ad Dominum. Plura vide in Annotatione ad v. 13.

JAC. CAPPELLUS.

5. NON *quod idonei simus ex nobis ipsis velut ex nobis ipsis ad cogitandum quidquam* quod spectet Deum, Christum, aut fiduciam hujusmodi, *sed quod idonei sumus, id ex Deo est*] Quævis quidem ἱκανότης, *capacitas*, virtus est ex Deo, cum etiam ipsa natura sit ex Deo; sed peculiariter *ex Deo nobis inesse* dicitur quod à natura nobis non inest, sed à gratia regenerante, sine qua nullam habemus ἱκανότητα, non tantum ad præstandum, sed ne ad cogitandum quidem τὶ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν, πρὸς Χριστὸν, πρὸς τὴν πεποίθησιν τοιαύτην versu præcedente memoratam: nec enim aliunde quam ex proxime præcedente versu repetendum quod hic subintelligitur.

13. *Nec sumus sicut Moses, qui velum imponebat faciei suæ, quod Israelitæ non possent intendere oculos contra* splendorem *qui tandem erat abolendus*] Quod subintelligimus verbum *possent*, id monitore Camerone nostro petimus ex v. 7. Ex eodem versu colligimus hæc verba πρὸς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου idem significare quod πρὸς τὴν δόξαν ἧς τὸ τέλος ἦν εἰς τὸ καταργεῖσθαι. Ut Hebr. 6.8. ἧς τὸ τέλος εἰς καῦσιν. Hic autem subintelligitur alterum membrum antitheseos idque tum modestiæ tum scandali vitandi causa. Duobus vitiis laborabat splendor Mosaici vultus, utut gloriosus, 1. quod spectantium oculos præstinguebat, 2. quod erat πρόσκαιρος *momentaneus*. Euangelico ministerio suus est splendor, isque neutro vitio laborat. Nam 1. oculos sanat, confirmat, nedum præstinguat: 2. non est momentaneus, sed æternum duraturus.

14. *At eorum*, qui ministerium Euangelicum cum Mosaico comparatum putant esse nihil, *mentes occalluerunt*, ita quidem ut nec quo spectet Mosis ministerium nec quanti pretii sit ministerium Euangelicum intelligant, ut docent sequentia.

16. *Cum autem conversio facta fuerit ad Dominum, tolletur illud velamen*] Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ impersonaliter hic ponitur, vel pro ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψωσι. Utrumque sapit Hebraismum.

17. *Spiritus autem*, per quem fiet illa conversio, *est ille Dominus*] In Græcis verbis ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν. Omnino videtur posterior articulus esse syntacticus, prior autem ἀναφορικὸς sive *relativus* ad *Dominum*, de quo v. 16. vel emphaticus ad distinguendum supremum & absolute dictum *Dominum* à quovis alio. Id omnino postulat Hellenismus, Scripturæ stylus, & analogia fidei. Hellenismus & Scripturæ phrasis postulant uti pro subjecto sumamus potius secundum quam primum substantivum, ut Joh. 1, 1. καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Si Scripturæ mens esset hic docere *Deum esse Spiritum*, ut Johann. 4. 24. dixisset, Πνεῦμα δὲ ὁ Κύριος, ut Joh. 4. 24. Πνεῦμα ὁ Θεός. Cum Spiritus S. sit infinitæ virtutis, ut diserte docetur 1 Cor. 12. 11. æquum erat ut semel saltem in Scriptura diceretur Spiritus S. ὁ Θεός, vel ὁ Κύριος· quod tamen vel hoc loco fit vel nusquam fit, mea quidem sententia.

LUD. CAPPELLUS.

16. ΗΝίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα] Locus ambiguus & obscurus variis de causis. Nam primo illud ἐπιστρέψῃ videtur referendum ad *Mosem* (h. e. ad Legem) de quo versu præcedente locutus est Apostolus. Sed ab aliis jam est observatum duram esse hanc locutionem, *Mosem* (sive *Legem*) *converti ad Dominum*; nisi forte per *Mosem* sive *Legem* intelligantur illi qui Legis, ministerio Mosis à Deo traditæ, regimini subjiciuntur, Judæi nempe: ut hic sit sensus, *Cum quis è Judæis ad Christum convertitur, tum velum illud Legis quo oculi ejus prius velabantur tollitur, atque sic Christum in Lege tum videt, quem prius in ea cognoscere & deprehendere non poterat*. Atque sic locum istum accepisse videtur Syrus Interpres cum eum sic reddidit, *Cum aliquis ex eis* (Judæis nimirum) *conversus fuerit ad Dominum, tolletur ab eo velamen*. Deinde ἐπιστρέψῃ potest esse tertia persona singularis Subjunctivi, activæ formæ, quomodo pene omnes Interpretes illud accipiunt, qui reddunt vel *sese converterit*, active, vel *conversus fuerit*, passive: sed etiam potest esse secunda persona singularis futuri primi, formæ Mediæ, quomodo illud accepit vel Augustinus vel Interpres quem secutus est Augustinus, cum reddit *transieris*. Ego mallem reddere *conversus fueris*, ut sit hæc Apostoli ad Gentes Apostrophe, *Cum vos, ô Gentes, conversi fueritis* (h. e. uti alibi loquitur, *cum plenitudo Gentium* ingressa fuerit in Ecclesiam) *tum tolletur à Judæorum jam cæcutientium oculis velamen illud Legis, quo nunc veluti occæcantur, ne Christum in ea videant*. Notum nempe est ex cap. 11. ad Rom. induratos esse Judæos ad illud usque tempus, neque prius eos esse ad Christum φυληδὸν convertendos. Manet itaque super eorum oculos velum illud donec Gentes ad Christum plene conversæ fuerint; tum vero tolletur à Judæorum oculis, ut Christum agnoscant. Sed quia videri potest Apostrophe ista hoc loco durior & insolentior, ἐπιστρέψῃ accipi potest priore significatione, nempe *convertetur*, manente tamen hoc posteriore totius versiculi sensu, hoc modo, *Cum convertetur* Israel, (h. e. cum advenerit tempus à Deo præfinitum conversioni Judæorum, quod Paulus prædixit Rom. 11. 26.) *tum auferetur velum illud quod nunc cordibus & oculis eorum obductum est*, ut in ipsa Lege Christum videant, quem jam cæcutientes, propter velum induratæ mentis, videre non possunt. Duplex enim

jam

jam velum eorum oculis obductum est, prius induratæ mentis sive odii adversus Christum, posterius Legis ipsius. Nempe Christus quidem in Lege traditur, sed obscurus, & veluti per nubem atque involucrum: non fulget in ea neque splendet, ut in Euangelio, Sol ille justitiæ. Atque hic videtur esse simplicissimus loci hujus sensus, & scopo atque doctrinæ Apostoli accommodatissimus. Porro duplicatum illud velum, ejusque ablatio, innui ab Esaia videtur, cap. 25. 7. cum ait, *fore ut Deus absorbeat* פני הלוט הלוט *faciem duplicati veli quod est super omnes populos.* Etsi enim isthic agat proprie Propheta de Gentium ad Christum conversione, potest tamen etiam istud per analogiam accommodari conversioni Judæorum: non enim minus crassum velum eorum cordibus est obductum quam olim obductum fuit Gentilium cordibus antequam ad Christum converterentur. Denique περιαιρεῖται est quidem præsentis temporis, & *tollitur* proprie significat; verum cum sint frequentes ἐναλλαγαὶ temporum, positum omnino videtur istud pro futuro *tolletur.* Quod si quis, ablato jota, legat περιαιρεῖται, erit istud futurum secundum medium, quod reddi poterit *tolletur,* sine ulla Enallage: quod quia forte raro usurpatur, ejus loco videtur ab Apostolo, vel Librario, positum præsens περιαιρεῖται *tollitur.* Porro huic Apostoli dicto affine valde atque simile & pene geminum habet autor libri שער הלבבות חובת Porta prima cap. 3. ubi de Dei summa unitate disputans, proponit quæstionem, *Num omnes teneantur accurata & exquisita speculatione nosse Divinam unitatem*; respondetque, *Omnes teneri id nosse, quisque pro captu & modulo suo*; eorumque socordiam arguit qui negligunt diligenter & accurate inquirere in illud dogma de vera & propria Dei unitate: probatque Scripturæ & veterum Magistrorum autoritate & dictis, omnes ad ejusmodi accuratam cognitionem (qualem ipse tradit) obligari à Deo: tum subjicit, *Atque Scriptura futurum aliquando ut exsurgant homines qui doceant nos signa ex excellenti sapientia & intelligentia, ita ut proferant nobis argumenta & demonstrationes & testimonia intelligentiæ* (h. e. ad quæ capienda & intelligenda opus acumine & perspicacia) *pro confirmatione Legis & fidei nostræ: jam pridem enim promisit nobis Creator noster se ablaturum* מך המכלות מסך שכלנו *velum insipientiæ desuper intellectu nostro; dicemque tum, Venite, ascendamus in montem Domini.* Ubi videtur autor ille respexisse ad locum Esaiæ modo laudatum, è cap. 25. 7.

17. Ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι] Hic τὸ est pro τῶν, quomodo 1 Corinth. 9. 12. τῆ ἐξουσίας ὑμῶν pro ταύτης ἐξουσίας. Conjungique debet hic versiculus cum sexto, ubi dixit Apostolus, *Ministros Euangelii non esse literæ occidentis sed Spiritus vivificantis Ministros*: hic jam dicit *Dominum* (h. e. Jesum Christum) *esse Spiritum illum*, i. subministrare Spiritum illum, per eum solum haberi Spiritum, non per Legem. Itaque quæ sunt à fine versus sexti ad versum 17. parenthesi sunt includenda: nam cum v. 6. dixisset *literam* (h. e. Legem, seu Legale ministerium) *occidere*, (quatenus nempe est διακονία θανάτου, quomodo eam postmodum vocat) *Spiritum vero* (h. e. tum Euangelii doctrinam, quæ Legis doctrinæ comparata tota spiritualis est, tum spirituale Euangelii regimen per Spiritum regenerantem) *vivificare*, excurrit, ab initio versus septimi ad finem capitis, in solutionem objectionis quam ipse Judæorum nomine sibi facit, *Qui possit esse tanta Euangelii supra Legem præstantia, cum Lex tam gloriosa fuerit?* Respondet, *Fuit gloriosa certe, sed nihil fuit tamen gloria illa si comparetur cum Euangelii gloria, quæ longe fuit major. Gloria nempe Legis obtentum habuit velum quo obumbrabatur, quod etiamnum hodie manet impositum cordibus & oculis eorum qui toti sunt Legi addicti; at sub Euangelio sublatum est velum, ita ut retecta jam facie non amplius* (uti antea sub Lege) *per velum, Dei gloriam & Majestatem rectis oculis intueamur: velum autem illud aufertur per Spiritum Domini, qui à solo Domino nostro Jesu Christo per Euangelii prædicationem subministratur, per quem Spiritum libertatem* (h. e. liberum ad Deum accessum) *habemus, plenamque veluti potestatem cum retecta facie intuendi, ut in eandem imaginem gloriosam, tanquam à Spiritu Domini, transformemur.*

GROTIUS.

1. Ἀρχόμεθα πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνειν; *Incipimus iterum nosmetipsos commendare?*] Cohærent hæc cum superioribus: itaque nova sectio hic non erat facienda. Cum enim cœpisset ostendere quam esset difficile omnes partes implere hominis vere & solide Christiani, & ob id quædam de se quasi coactus commemorasset, reprimens se ne diutius hunc sermonem continuet, ait non opus eo esse apud Corinthios, qui testes fuissent suæ integritatis, laboris & constantiæ. Illud πάλιν [*iterum*] spectat ad ea, quæ sunt in priore ad Corinthios cap. v, ix, xiv. puto etiam ad ea quæ erant in epistolis quæ nunc periere. Est autem positum ἀρχόμεθα [*incipimus*] pro *opusne est ut incipiamus?* & interrogatio pro negativa, quasi dicat, *minime est opus*: cum quo sensu bene cohærent sequentia. ¶ Εἰ μὴ χρῄζομεν, *aut numquid egemus*] Illud εἰ μὴ est formula objicientis sibimet id quod facillime solvitur. Utitur sic voce *nisi* sæpe Cicero, & alii. ¶ ὥς τινες, *sicut quidam*] Ut alii minus noti. ¶ συστατικῶν ἐπιστολῶν πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐξ ὑμῶν συστατικῶν; *commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis?*] Commendatitiis literis utrimque opus inter ignotos. Multa talium epistolarum exempla: apud Ciceronem non pauca, & apud Nazianzenum & Isidorum.

2. Ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐστε, *Epistola nostra vos estis*] Solet Paulus ex vocibus præcedentibus occasionem captare eas transferendi ad aliquid μυστικώτερον [*magis mysticum*]. *Vos estis mea Epistola*: ut Roman. xii, 9, & alibi. *Vos estis mea Epistola*, id est, ego Euangelium vestris inscripsi animis. Et dat totius nomen parti. Nam ipsos dixit, & ostendit se loqui de eorum studio & affectu. ¶ γινωσκομένη καὶ ἀναγινωσκομένη ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων. *quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus*] Amat & παρονομασίας [*vocum allusiones*] Paulus, ut infra iv, 8. Prius *agnoscitur* manus, deinde *legitur* epistola. Sic Corinthios Christianos omnes sciebant esse Apostoli Pauli discipulos: deinde videbant sensus ipsius in illorum vita expressos.

3. Φανερούμενοι ὅτι ἐστὲ ἐπιστολὴ Χριστοῦ, *Manifestati quod epistola estis Christi*] Refertur hoc ad illud ὑμεῖς ἐστε [*vos estis*]. Est & hic φανερούμενοι [*manifestati*] passivum pro reciproco quod *Hithpael* Hebræi vocant: Sic φανερῶσθαι est הראות [*se videndum exhibere*]. Simul est hic ἐπανόρθωσις [*Correctio*] quædam, qualis supra xv, 10. Nam cum Corinthios dixisset *suam esse epistolam*, ut invidiam dicti mitiget, dicit eos esse *epistolam Christi, sed suo scriptam ministerio.* ¶ Διακονηθεῖσα ὑφ' ἡμῶν, *ministrata à nobis*] Et hæc est compendiosa locutio: nam ministratam à se & suis adjutoribus dixit, pro suo ministerio perscriptam. Christus dictaverat Epistolam, Paulus tabellio fuerat. ¶ ἐγγεγραμμένη οὐ μέλανι, *scripta non atramento*] Quomodo scribi solent hominum litteræ: μέλαν est *sepia cruor.* ¶ ἀλλὰ πνεύματι Θεοῦ ζῶντος, *sed Spiritu Dei vivi*] Conspectu miraculorum. ¶ οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, *non in tabulis lapideis*] Euangelium non humanis tantum litteris præfert, sed & Divinis antiquioris temporis. לחת Exodi xxxi, 18, πλάκες [*tabulæ*]. Unde & Orphicorum scriptor dixit δίπλακα θεσμὸν [*legem duarum tabularum*]. ¶ ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις, *sed in tabulis cordis carnalibus*] Illud σαρκίναις [*carnalibus*] hic alludit quidem materiam cordis quæ est *carnea*, sed proprie significat animos ductiles, & non saxeos. Ostendit impletum quod prædixerat Jeremias xxxi, 33. Similis oppositio apud Plutarchum de Lycurgo, Τὰ μὲν γὰρ κυριώτατα καὶ μέγιστα πρὸς εὐδαιμονίαν πόλεως καὶ ἀρετὴν ἐν τοῖς ἤθεσιν, ᾤετο καὶ ταῖς ἀγωγαῖς τῶν πολιτῶν ἐγκατεστοιχειωμένα μένειν, ἀκίνητα καὶ βέβαιαι ἔχοντα τὴν προαίρεσιν, δεσμὸν ἰσχυρότερον τῆς ἀνάγκης. καὶ ἣν παιδεύσις ἐποίει τοῖς νέοις, νομοθέτου διάθεσιν ἀπεργαζομένη ἐν ἑκάστῳ αὐτῶν [*Præcipua atque ea quæ maxime referrent ad civitatis felicitatem virtutemque, moribus putavit & institutionibus civium sicut rudimenta impressa hærere inconcussa, cum stabili nitantur voluntate, validissimo ad compellendum vinculo & habitu, quo institutio imbuebat juventutem, quæ efficiebat ut sibi quisque eorum esset veluti legislator*]. Dion autem Prusiensis eo sermone, quo consuetudinem legi præfert, Ἐκεῖνοι μὲν (οἱ νόμοι) ἐν σανίσιν ἢ στήλαις φυλάττονται, τὰ δὲ ἔθη ἐν ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς ἀσφαλέστερα δὲ καὶ κρείττων ἡ τοιαύτη φυλακή [*Illa* (*Leges*) *in tabulis aut columnis, hæc in cujusque animo servantur: quæ & tutior custodia est & melior*]. In Lege veteri scriptum præcipuum est: vocalis institutio ei servit: In Euangelico vocalis institutio præcipua: scriptura ei custodiendæ servit.

4. Πεποίθησιν δὲ τοιαύτην ἔχομεν διὰ τοῦ Χριστοῦ πρὸς τὸν Θεόν, *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum*] Hic post παρένθεσιν [*interpositionem*] repetit sermonem quem habuimus supra ii, 16, 17. *Quod dixi vix esse ut præstetur, id tamen præsto, & præstiturum me deinceps confido, non viribus nativis, sed iis quas Deus per Christum promisit credentibus.*

5. Οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν ἀφ' ἑαυτῶν λογίσασθαί τι, ὡς ἐξ ἑαυτῶν, *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*] Ea quæ tot sæculis incognita, per Euangelium

Deus

Deus patefecit, unde nascuntur vires tam eximia edendi opera, ejusmodi sunt ut nemini quamvis ingeniosissimo in mentem venire potuerint. Ideo autem cum dixisset ἀφ' ἑαυτῶν [*à nobis*] repetit ὡς ἐξ ἑαυτῶν [*quasi ex nobis*], quia potest quidem homo ista capere, sed non ex se reperire. Talia sunt Verbi ἐνσάρκωσις [*incarnatio*], Crux filii Dei, ejusdem mors & Resurrectio. ¶ ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ· *sed sufficientia nostra ex Deo est*] Deus est qui illis rationibus à se repertis nobis vires tantas indit.

6. Ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς, *Qui & idoneos nos fecit*] Ἱκανοῦν [*idoneum facere*] habes & Coloss. I, 12. respondens Hebræo הכין, & magis etiam Rabbinico מסגל. *Deus nos ministerio tanto aptos non reperit, sed fecit.* Sic Saulus hic *factus est in virum alium*, ut olim alius ejusdem nominis, 1 Samuel. X, 6. ¶ διακόνους καινῆς διαθήκης, *ministros Novi Testamenti*] Vox διακόνοι [*ministri*] hic generaliter sumitur, ut 1 Corint. III, 5. Sic & διακονία [*ministerium*] Actor. I, 17, & alibi sæpius. De nomine καινῆς διαθήκης [*Novi Testamenti*] vide Prolegomena nostra ad Euangelia. ¶ οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος· *non literæ, sed spiritus*] Moses scripturam in tabulis lapideis populo attulit: Apostoli verbum comitatum illustrioribus signis quam Moses dederat, ut linguis, sanationibus, mortuorum resuscitatione, quin & potestate dona talia aliis conferendi, quod nunquam visum fuerat. ¶ τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, *litera enim occidit*] Sicut החיה Hebræis ζωοποιεῖν [*vivificare*] dicitur de eo qui aliquem non interficit, ut Exod. I, 17. & Judicum VIII, 19. Sic *interficere* dicitur qui hominem morti relinquit, nec ab ea liberat. Hoc autem facit Lex Mosis, nulla habens promissa novæ vitæ, secundum ipsam viventibus, Johann. VI, 49. Galat. III, 21. Præterea *occidit*, id est, morte violenta punit peccantes. ¶ τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. *Spiritus autem vivificat*] *Spiritus Dei est qui vitam præstat æternam.*

7. Εἰ δὲ ἡ διακονία τοῦ θανάτου, *Quod si ministratio mortis*] Id est, Legis cujus omnia promissa morte terminabantur sine ulla spe restitutionis. Vide Levit. XXVI. Deut. V, & XXVIII. ¶ ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, *deformata in lapidibus*] Dicit ministerium Mosis *inscriptum fuisse saxeis tabulis*, quia illæ tabulæ ostendebant ipsum cui Deus eas tradiderat esse μεσίτην [*mediatorem*] illius fœderis. est ergo μετωνυμία [*transnominatio*] causæ pro effectu. Ἐντυποῦν [*deformare*] est חרת κολάπτειν [*sculpere*] Exod. XXXII, 15, ubi de eisdem tabulis agitur. ¶ ἐγενήθη ἐν δόξῃ, *fuit in gloria*] Gloriosum fuit Mosi ministerium illud. ¶ ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μωϋσέως, διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus*] Bene explicat quod est Exodi XXXIV, 30. *metuebant accedere ad eum.* Ideo enim non audebant accedere quia non poterant eum *contra tueri*, quod est ἀτενίζειν, Luc. IV, 20. XXII, 56. Actor. III, 4, 12. VI, 15. VII, 55. XI, 6. XIII, 9. XIV, 9. Et *fulgorem faciei* Mosis recte δόξαν [*gloriam*] dixit, quia & LXX verbum Hebræum קרן vertunt ἦν δεδοξασμένη [*erat clarificatus*] & δεδόξασθαι [*clarificari*]. Vide quæ à nobis dicta ad illum Exodi locum, & 1 Corinth. XI, 7. ¶ τὴν καταργουμένην· *quæ evacuatur*] Quia, inquit, splendor cum morte, si non & ante, erat cessaturus. Vide 1 Corinth. II, 6. VI, 13. XIII, 8, 10.

8. Πῶς οὐχὶ μᾶλλον ἡ διακονία τοῦ πνεύματος ἔσται ἐν δόξῃ; *Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?*] *Quanto honoratius est ministerium illius Spiritus* qui arrhabo est vitæ æternæ?

9. Εἰ γὰρ ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως, δόξα, *Nam si ministratio damnationis gloria est*] Lex enim destructa ab iis, quæ ante legem fuerant & in lege sunt tralaticia, nihil aliud quam damnabat peccatum, id est, fœditatem ejus faciebat apertiorem, Roman. VII, 7, 8. Galat. III, 19. & sequentibus: & plures occasiones peccandi dabat. ¶ πολλῷ μᾶλλον περισσεύει ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης ἐν δόξῃ. *multo magis abundabit ministerium justitiæ in gloria*] Hic illud δόξῃ [*gloria*] construendum est cum περισσεύει [*abundabit*]. *Multo gloriosius erit ministerium justitiæ*, nempe illius internæ, & ita Deo gratæ, ut & ei vitam alteram eamque sempiternam polliceatur. De qua justitia vide Epistolam ad Romanos.

10. Καὶ γὰρ οὐ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον ἐν τούτῳ τῷ μέρει εἵνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης. *Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam*] Illud δεδόξασται [*glorificatum est*] Syrus interpres non male vertit, *æquum non fuit honorari illud ministerium (quamvis per se honoratum) hactenus si ratio habeatur eminentioris gloriæ* Euangelio scilicet reservatæ, per tot dona spiritualia & promissa æterna. Ἐν τούτῳ τῷ μέρει [*in hac parte*] hic & infra IX, 3. & 1 Petr. IV, 16. est *hactenus*, *in hoc*. Sic ἐν μέρει [*in parte*] Colossens. II, 16. *quod attinet*, quomodo & Græci scriptores dicunt, τὸ ἐμὸν μέρος, *me quod attinet.* εἵνεκεν autem in significatu comparationis poni recte ab aliis notatum est.

11. Εἰ γὰρ τὸ καταργούμενον, *Si enim quod evacuatur*] *Illud ministerium cujus omnis fructus cum vita hac interibat.* Διακονία quidem est femininum: sed constructio est ad rem, ut,

Triste lupus stabulis. ——

¶ διὰ δόξης, *per gloriam*] Etiam hic διὰ [*per*] est pro μετὰ [*cum*] ut supra II, 4. ¶ πολλῷ μᾶλλον τὸ μένον ἐν δόξῃ. *multo magis quod manet, in gloria est*] *Ministerium quod manet*, id est, quod fructum habet perpetuum nunquam desiturum.

12. Ἔχοντες οὖν τοιαύτην ἐλπίδα, *Habentes igitur talem spem*] Quæ in æternum prominet. ¶ πολλῇ παῤῥησίᾳ χρώμεθα· *multa fiducia utimur*] *Aperte & agimus & loquimur.* Nam utrumque Syris פרהסיא [*parrhesia*], ut alibi diximus.

13. Καὶ οὐ καθάπερ Μωϋσῆς ἐτίθει κάλυμμα ἐπὶ τὸ πρόσωπον ἑαυτοῦ, *Et non sicut Moses ponebat velamen super faciem suam*] Est ἔλλειψις [*Defectio*]. Sensus enim plenus est, *Non ita se res nostræ habent, ut cum Moses faciei suæ velum imposuit*: κάλυμμα [*velamen*] vertit, ut & LXX, Hebræum מסוה, Exod. XXXIV, 33. ¶ πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου· *ut non intenderent filii Israel in faciem ejus quæ evacuatur*] Hic Paulus incipit דרש, id est, *mystice explicare*, fulgorem Mosis & velum. Fulgor ille Mosis præfigurabat fulgorem Messiæ, quem cognoscere illis temporibus non dabatur. *Christus finis est Legis*, Roman. X, 4. ac proinde & legalis ministerii, quod καταργεῖται [*evacuatur*], ut jam exposuimus, supra 7, 11. πρὸς τὸ μὴ ἀτενίζειν, *ita ut non inspectarent.*

14. Ἀλλ' ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν, *Sed obtusi sunt sensus eorum*] Id est, quanquam nunc eum agnoscere debebant tam clare revelatum, non agnoscunt tamen. Ita ad internæ justitiæ neglectum complurium animi induruere. Volunt vitam æternam per Legem, quæ nullibi in lege promissa est. ἐπωρώθη, כהו, [*caligaverunt*]. ¶ ἄχρι γὰρ τῆς σήμερον τὸ αὐτὸ κάλυμμα, *usque in hodiernum enim diem idipsum velamen*] *Illud ipsum velum* mysticum, quod per velum illud adspectabile significabatur. *Lex data die nubilo ad significandum velum quod oculis nostris adimit prospectum veri.* Ita Maimonides Ductore dubitantium III, 9. ¶ ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης, *in lectione Veteris Testamenti*] Quæ in templo & Synagogis fiebat, Sabbatis maxime. Per Vetus Testamentum intelliguntur libri Mosis, cujus pars potissima Fœdus Sinaiticum. ¶ μένει μὴ ἀνακαλυπτόμενον ὅ, τι ἐν Χριστῷ καταργεῖται. *manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur*] Ideo manet impendens ipsis, quia tolli nisi Christo cognito non potest, secundum sensum mysticum Esaiæ XXV, 7. καταργεῖται hic est quod mox περιαιρεῖται [*aufertur*].

15. Ἀλλ' ἕως σήμερον, ἡνίκα ἀναγινώσκεται Μωϋσῆς, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται· *Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*] Repetit sensum quem jam semel posuerat, ut rem omnibus Christianis admirandam instigat animo. *Moses* hic pro *libris Mosis*, ut Actor. XV, 21. *Tegumentum cordis* etiam Lam. III, 65. quidam interpretantur animi cæcitatem.

16. Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ, *Cum autem conversus fuerit*] Nempe ἡ καρδία [*cor*] ex præcedente, & ἐπιστρέψῃ est passivum pro reciproco, *ubi se converterit*, nempe *ad Christum*, ubi eum respexerit. ¶ περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα. *auferetur velamen*] Tunc videbunt quantus sit splendor Euangelii olim præfiguratus. Origenes contra Celsum quinto, Καὶ λέγομεν δ' ὅτι ἡνίκα ἂν ἀναγινώσκηται Μωϋσῆς κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν κεῖται, τοῖς τὴν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ μὴ ἀσπασαμένοις ὁδὸν ἐπικεκρύφθαι τὸ βούλημα τοῦ Μωϋσέως νόμου. Ἴσμεν δ' ὅτι ἐὰν ἐπιστρέψῃ τις πρὸς τὸν Κύριον (ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι) περιαιρεθέντος τοῦ καλύμματος ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν ἐν τοῖς κεκρυμμένοις νοήμασι κατὰ τὸ γράμμα δόξαν τοῦ Κυρίου ὡσπερεὶ κατοπτρίζεται καὶ μεταλαμβάνει τῆς καλυπτομένης θείας δόξης εἰς τὴν ἑαυτοῦ δόξαν [*Idcirco dicimus, velum cordi eorum injectum dum legitur Moses, quod, qui aliam viam sequuntur quam quæ est per Jesum Christum, his nec mens Mosaicæ Legis pateat; scimus autem, si quis se ad Dominum convertat, (est autem Spiritus Dominus) hunc, ablato velo, detecto vultu,*

volis, Dei gloriam, quæ in sensibus sub verborum cortice abdita latet, tanquam in speculo intueri, fruique illa quæ Dei nominatur gloria, in suammet ipsius gloriam]. Habes eodem pertinentia etiam contra Celsum libro VII. & apud Rabbinum Israelem cap. III.

17. Ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν· *Dominus autem spiritus est*] Christus homo quidem fuit, sed cum vi Divina, quæ *spiritus* dicitur Marci II, 8. & Roman. I, 4, ubi dicta vide. Itaque dicit Paulus se, cum hic de *Domino* loquitur, præcipue de vi illa Divina loqui. ¶ οὗ δὲ τὸ πνεῦμα Κυρίου, *ubi autem Spiritus Domini*] Sicut ipse vim Divinam in se habet, ita & aliquid de vi Divina nobis communicat, pro nostro modulo. Is est *Spiritus Christi* de quo Johan. XIV, 26. XV, 26. Dicitur autem *Spiritus Christi* & hic & Galat. IV, 6. Philip. I, 19. quia per Christum & propter Christum datur. ¶ ἐκεῖ ἐλευθερία. *ibi libertas*] Ac proinde cessat velum, signum subjectionis I Cor. XI, 10. *Libertatem* hic intellige à vitiis. Vide Rom. VI.

18. Ἡμεῖς δὲ πάντες, *Nos vero omnes*] Nos Christiani tam ex Judæis quam ex Gentibus facti. ¶ ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ, *revelata facie*] Recta, non per tot ceremoniarum umbracula. ¶ τὴν δόξαν Κυρίου κατοπτριζόμενοι, *gloriam Domini speculantes*] Id est, *attente spectantes*, quomodo & Latini dicunt *speculari*: nimirum quia qui speculum consulunt omnia singulatim intuentur. Sic Christiani attente meditantur, quanta sit Christi in cœlo regnantis gloria. Plus illis contigit quam olim Mosi ipsi, Exod. XXXIII, & XXXIV. ¶ τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα, *in eandem imaginem transformamur*] Non una hic figura. Nam & præsens ob certitudinem ponitur pro futuro. Et, *transformabimur in speciem Christi*, est, transformati eam consequemur. *Cœlestes erimus quomodo ipse cœlestis est*, I Cor. XV, 48. Sicut ille regnat, ita & nos regnabimus II Timoth. II, 12. Apocal. V, 10. ¶ ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *à claritate in claritatem*] Magnus honor fuit hic Christo ministrasse, ut jam dictum est: major erit, cum ipso regnare. ¶ καθάπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος. *tanquam à Domini spiritu*] Καθάπερ hic est *quippe*, & rem ipsam significat, ut & supra I, 14. & ἀπὸ hic valet ut מן [*à*] interdum apud Hebræos. Per Spiritum Christi pervenimus ad illam gloriam. Is enim animum hic nostrum imbuens donat eum immortalitate, & olim etiam corpora efficiet spiritualia, ut diximus I Cor. XV, 44. & supra I, 22. V, 5. & hoc capite 6. confer & Rom. V, 5. ubi διὰ [*secundum*] quod hic ἀπὸ [*à*]. Est & hic trajectio ἀπὸ Κυρίου πνεύματος [*à Domini Spiritu*] pro ἀπὸ πνεύματος Κυρίου [*à Spiritu Domini*].

CAP. IV.

VALLA.

2. **N**ON *adulterantes verbum Dei*] Non idem hic quod superius est Græce verbum, sed quod à *dolo* descendit, δολοῦντες, h.e. *dolose utentes verbo* (seu *sermone*) *Dei*.

6. *Quia Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris*] Legendum est *qui illuxit*, videlicet, *quia Deus est, qui dixit, qui illuxit*, ὃς ἔλαμψεν. ¶ *Ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Jesu Christi*] Desino amplius loqui de *claritate*, quæ eadem dicitur *gloria* sive *majestas*, δόξης. Sed cur magis *in facie* quam *in persona*, προσώπῳ? ut in illo superiori, c. 2. 10. *si quid donavi in persona Christi*, προσώπῳ.

7, 8, 9. *Habentes autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; Persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus*) Melius in quibusdam codd. legitur, *Habemus autem*, ἔχομεν. Nec legendum est *ut sublimitas sit virtutis Dei*, sed *ut sublimitas virtutis sit Dei, & non ex nobis*, h.e. virtutis nostræ. Nec tam *sublimitas* transferendum fuit quam *excessus* sive *supergressio*, ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ. Nec Græce est *tribulationem patimur*, sed per participium; & ita in sequentibus; quæ est multo amœnior oratio: sic, *In omnibus tribulati, sed non angustiati; aporiati*, sive *afflictati, sed non exaporiati*, sive *destituti*, sive, *animo defecti*; *persecutionem patientes, sed non derelicti*, seu *destituti*; *dejecti, sed non pereuntes*: θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι· ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι· διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι· καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι.

15. *Ut gratia abundans per multas gratiarum actiones, abundet in gloriam Dei*] Græce sic habetur, *ut gratia multiplicata propter plurium gratiarum actiones, abundet in gloriam Dei*, πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων εὐχαριστίαν.

17. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ*] Non legitur Græce *momentaneum*, sed tantum *leve*, ἐλαφρόν.

REVIUS in VALLAM.

6. **C**UR *magis* in facie *quam* in persona] Quia *Paulus alludit ad Mosi faciem velamine opertam, cum in Christi facie clare refulserit gloria Patris, velut in imagine absolutissima*, ut erudite annotat Erasmus; quem Beza sequitur.

ERASMUS.

1. **J**Uxta *quod misericordiam consecuti sumus*] Καθὼς ἠλεήθημεν. Ambrosius vertit *prout misericordiam consecuti sumus*. Interpres pro καθὼς legisse videtur καθ' ὃ. Cæterum *misericordiam consecuti sumus* suo more modestiæ causa dixit pro eo quod est *delecti sumus ad officium Apostolicum*. ¶ *Non deficiemus*] Οὐκ ἐκκακοῦμεν, *non deficimus*, sive *segnescimus*, aut *degeneramus*. Nam Græcis κακὸς aliquando *inertem* significat ac *instrenuum*, ut & alias indicatum est. Ambrosius legit *non deficiamus*, & *renunciemus*; ut utrumque sit hortantis: quasi legerit μὴ ἐκκακῶμεν & ἀπειπώμεθα. Mihi magis probatur ut indicandi modo legantur, & ad Pauli personam pertineant, qui contemptis Mosi ceremoniis Christi Philosophiam libere prædicabat.

2. *Sed abdicamus*] Ἀπειπάμεθα, *abdicavimus*, sive *abnegavimus*, *rejecimus*. Ambrosius legit *renunciemus*; ut verba sint invitantis. Verum hæc omnia Chrysostomus ac Theophylactus legunt & interpretantur indicandi modo. Non enim illis præcepit Apostolus quid debeant facere, sed ostendit qualis sit ipsius functio, obiter taxans Pseudapostolos, qui fumos objiciebant discipulis, quemadmodum & hodie Judæi jactant mysteria Talmudica & Cabalistica. ¶ *Occulta pudoris*] Τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης. Aptius est *probri* sive *dedecoris* quam *pudoris*: non enim dixit αἰδοῦς sed αἰσχύνης atque ita legit Ambrosius. *Probrum* enim opponit *gloriæ* quam tribuit Euangelio. Porro *occulta* dixit pro *occultamentis*: nam turpitudo amat latebras. ¶ *Nec adulterantes*] Δολοῦντες, *dolo utentes*, sive *tractantes*. Neque est hic καπηλεύοντες, quod antea vertit *adulterantes*, sed δολοῦντες, q. d. *falsificantes*. ¶ Nec est *in manifestatione*, sed *manifestatione*; ut referatur ad *commendantes*: h.e. non dolo captantes hominum favores, sed sinceritate prædicationis.

3. *Opertum est*] Κεκαλυμμένον. Quod hactenus *velatum* vertit, nunc mutat *opertum*, cum Græcis eadem sit vox.

4. *Deus hujus seculi*] Ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, *Deus ævi hujus*. Theophylactus ac Scholia Græca putant legi posse per Hyperbaton ad hunc modum, *In quibus Deus excæcavit cogitationes incredulorum hujus seculi*: ut intelligamus Deum verum, ultorem scelerum, excæcare mentes infidelium hujus seculi. Atque hic quidem sensus accipi potest si *Deus* subjecta hypostigme separetur ab his quæ sequuntur, hoc pacto, *In quibus Deus, seculi hujus excæcavit mentes infidelium*, h.e. *in quibus Deus excæcavit mentes infidelium hujus seculi*: eamque lectionem plerisque placuisse nostrorum testis est Augustinus lib. Adv. Faustum 21. cap. 2. quod Manichæi duos Deos facerent, alterum verum, alterum unde scaterent mala, quem *Hylen* vocabant. At idem aliquanto post negat absurdum videri debere si Diabolus dicatur *Deus hujus seculi*, quemadmodum & illud dictum est Paulo, *Quorum Deus venter est*: item illud in Psalmo, *Dii Gentium, dæmonia*. Idem repetit Contra adversarium Legis & Prophetarum l. 2. c. 7. In hanc sententiam enarrat Ambrosius. Proinde quod priore loco diximus ex Græcis Scholiis, id videtur affectatum ac violentum. Simplicius est ac verius ut intelligamus *Deum hujus seculi* Satanam, quemadmodum sentit Cyrillus, citantibus Scholiis Græcanicis. Nec moveat quod illi tribuatur vocabulum *Dei*. Non est enim simpliciter *Deus* Diabolus, sed illis est *Deus* qui illum anteponunt Christo. Velut avaris Pecunia sive Mammona *Deus* est, nepotibus Gula *Deus* est, & homo homini *Deus* est, juxta proverbium. Certe Ambrosius non veretur interpretari Diabolum *hujus seculi Deum* malo-

malorum. Nam in Divinis literis triplici differentia reperitur nomen *Dei* ac *Domini*: juxta naturam ac veritatem; ita solus Deus dicitur *Deus* ac *Dominus*: juxta adoptionem, *Ego dixi, Dii estis*: & juxta opinionem, 1 Cor. 8. *Nam etsi sunt qui dicantur Dii in cœlo sive in terra.* Chrysostomus studiose repugnat ne Diabolus dicatur *Deus*, odio Marcionis & Manichæi, vultque hunc locum accipi de Deo vero; & indicat ordinem orationis quem ante commonstravi. Mox remisso hoc effugio tamen urget eundem sensum, ac submovet duplicem scrupum, Quomodo Deus cœli ac terræ dicatur *Deus hujus seculi*, deinde, Quomodo dicatur *excæcare*. Primum excusat consuetudine Scripturæ mysticæ, quæ Deum appellat *Deum Abraham, Isaac & Jacob*, item *Deum Israel*, rursum *Deum cœli*, cum sit Deus universorum. Alterum sic expedit, ex more sermonis mystici Deum frequenter dici facere quod permittit fieri, quemadmodum in epistola ad Romanos dicitur *Philosophos tradidisse in reprobum sensum*, & in Exodo dicitur *indurasse cor Pharaonis*. Pie quidem Chrysostomus, quanquam alteram sententiam arbitror esse germanam. At non video quorsum pertineant hæc suffugia, cum Paulus alibi manifeste *Dei* nomen tribuat iis qui vere Dii non sunt sed pro Diis habentur, veluti 1 Cor. 8. *Sicut sunt Dii multi & Domini multi*: & Ephes. 6. impios spiritus appellat κοσμοκράτορας, *mundipotentes*, *mundum* utique pro *malis* accipiens, quemadmodum hic usurpat vocem *seculi*. Itane protinus triumphaturi sunt Manichæi si hic Satanas dicatur *Deus hujus seculi*? & ad coactas defensiunculas confugiemus potius quam ad germanam interpretationem? Illud addam, Commentarios qui Chrysostomi titulo feruntur in hanc Epistolam non esse illius, sed simii cujuspiam. ❡ *Illuminatio Evangelii gloriæ Christi*] Congeries genitivorum reddit orationem ancipitem. Potest enim sic accipi, *ne illucesceret illis illustratio Evangelii* (h. e. prædicationis) *gloriæ Christi*: aut, *ne illucesceret illis lumen gloriæ Evangelii Christi*: aut, *ne illucesceret illis lux Evangelii quæ est gloria Christi*. Demiror autem quid legerit Ambrosius Græce cum ita vertat hunc locum, *In quibus Deus seculi hujus obcæcavit sensus infidelium, ut non pervideant lumen Evangelii gloriæ Christi*: ni forte pro αὐτοῖς legit αὐτοὺς ad hunc modum, εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοὺς τὸν φωτισμόν. Nam autore Hesychio, αὐγάζω & αὐγάζομαι Græcis est ὁρῶ καὶ βλέπω, *video*, sive *intueor*. Deinde φωτισμὸν proprie sonat *illuminationem* sive *illustrationem*, quod Ambrosius vertit *lumen*. Sed lumen cum profertur, φωτισμός est. Chrysostomus & huic succinens Theophylactus αὐγὴν interpretantur *sublustre quiddam & quasi gustum futuræ gloriæ*, quem ante dixit *arrhabonem Spiritus*, φωτισμὸν, *lucem illam ineffabilem*, quæ post aperitur. ❡ *Qui est imago Dei*] In Aldina editione additur ἀοράτου, cum non sit in nostris Latinis, sed videtur à studioso quopiam adjectum ex Col. 1. præsertim cum in aliis Græcis non reperiatur, cumque Chrysostomus ac Theophylactus nec legat nec interpretetur. Imo neuter codex Constantiensis habebat *invisibilis*.

5. *Sed Jesum Christum Dominum nostrum*] *Nostrum* redundat: nec habebatur apud Theophylactum & Chrysostomum, nec in vetustiore codice Constantiensi, sed adscriptum erat recentiore manu in margine: & plenius est ut intelligamus omnium esse Dominum. Præterea discernit suam personam à persona Christi, cum ipse sit minister, alienum agens negotium, ille *Dominus*, ad cujus gloriam omnia referenda sunt quæ facit servus. ❡ *Nos autem servos vestros per Jesum*] *Propter Jesum* legendum est, διὰ τὸν Ἰησοῦν. Atque ita legit D. Ambrosius.

6. *Qui dixit*] Ὁ εἰπών. Commodius erat *qui jussit*: & addendum erat verbum substantivum; *Deus est qui jussit lumen illucescere*, &c. ❡ *Ipse illuxit*] Pro *ipse* Græce est ὃς *qui*. Nam ipse qui jussit, illuxit. Cæterum Græca verba sunt λάμψαι & ἔλαμψε, pro quibus Augustinus in opere Adversus calumniatorem Legis Mosaicæ legit *clarescere* & *claruit*. Rursus contra Faustum disputans l. 22. c. 8. ❡ *Scientia claritatis*] τῆς γνώσεως τῆς δόξης, *cognitionis gloriæ*. Interpretatur enim quid dixerit φωτισμὸν, nempe *cognitionem gloriæ Jesu*. Item pro *Dei* Ambrosius legit *suæ*; *ad illuminationem gloriæ suæ*, propterea quod præcessit *Deus*. ❡ *In facie Christi Jesu*] Ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *in facie Jesu Christi*. Faber hoc loco mavult legere *persona* pro *facie*, Laurentium, opinor, secutus. At mihi multo magis quadrare videtur ad Pauli sententiam si legamus *in vultu*, sive *in facie*. Adludit enim ad Mosi faciem velamine opertam, cum in Christi facie clare refulserit gloria Dei Patris, velut in imagine absolutissima. In hunc ferme sensum Chrysostomus ac Theophylactus.

7. *In vasis fictilibus*] Ὀστρακίνοις *testaceis*: licet idem sit sensus. ❡ *Ut sublimitas*] Ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ, *ut sublimitas virtutis sit Dei, & non ex nobis*. Hic constanter Græci dissentiunt à Latinis. Nam Ambrosius non solum legit quod nostra habet translatio, verum etiam interpretatur: sic enim loquitur, *ut eminentia virtutis ejus appareat per homines prædicatores*, &c. Quanquam hic quoque *virtutis* sic accipitur, non ut opponatur *vitio*, sed *infirmitati*. Proinde Hieronymus in Dialogis adv. Pelagium citat hunc locum his verbis, *ut abundantia fortitudinis nostræ sit ex Deo*. Cæterum ea vox *virtutis* ad *nos* refertur, non ad *Deum*: ut sit sensus, *ut nostra virtus tam eximia non tribuatur nobis, sed Deo*. Neque rursum est *sublimitas*, sed ἡ ὑπερβολή *excessus*, sive *excellentia*, sive, ut Ambrosius, *eminentia*. Augustinus aliquoties legit *eminentia*, aptissimo vocabulo; & *eminentia* conjungit cum *virtute*, *ut eminentia virtutis sit Dei*, cum alias frequenter, tum enarrans Psalmos, item Epist. 153. rursus Serm. De verbis Apostoli 15.

8. *In omnibus tribulationem patimur*] Interpres neque sensum Pauli dilucide reddidit neque schematis jucunditatem. ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι, i. *ubique pressi* (sive *afflicti*) *sed non coarctati*, sive *non anxii redditi*. Alioqui consequitur ut qui prematur, is adigatur in angustum. Ambrosius propius reddidit Græca ad hunc modum, *In omnibus pressuram passi, sed non coangustati*. ❡ *Aporiamur, sed non destituimur*] Est apud Græcos jucunda vocum allusio, ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι, quorum alterum significat *hærentem & consilii inopem ac perplexum*, alterum significat *plane desperantem ac tædio victum*. Quanquam ἀπορῶ significat & *egere*, sed *anxie*; quod secutus est Interpres. Ambrosius vertit *inopiam passi* pro *egentes*. Et quod hic vertit *destituti*, participium est ejus verbi quod ante vertit *tædere*, ἐξαπορεῖσθαι, *ita ut nos tæderet vivere*. Græci sic interpretantur ut ἀπορεῖσθαι sit *redigi ad summam angustiam & inopiam*, sed ἐξαπορεῖσθαι *vinci & opprimi malis*.

9. *Sed non derelinquimur*] Διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι· quorum posterius sonat *in periculo deseri ac destitui*, ob præpositionem additam ἐν. ❡ *Humiliamur, sed non confundimur*] Hæc nec habentur in Græcis cod. nec in lectione Ambrosiana, nec in vetustissimo cod. S. Donatiani, nec in utroque Constantiensi: unde miror unde irrepserint. Chrysostomus ac Theophylactus nec legit nec interpretatur; ac ne is quidem cujus commentariolus fertur falso Hieronymi titulo. Et tamen ad Pauli sensum non inepte accederent, quod *humiliationi* proxima sit *confusio*. Quod autem hic Interpres vertit per verba, Græci dicunt per participia: atque ita legit Ambrosius, *In omnibus pressuram passi, sed non coangustati, inopiam passi, sed non destituti*. Verum quoniam tempus participii non conveniebat, Interpres maluit per verba reddere.

10. *Semper mortificationem Jesu Christi*] Gr. *Domini Jesu*, νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Sed obstrepet aliquis, Quid ista faciunt ad sensum an sit *Domini Jesu*, an *Jesu Christi*? Primum arbitror esse nefas in Divinis literis si vel unum apicem sciens ac volens mutes. Quod si quis propius introspexerit, videbit ne hanc in Paulo varietatem otiosam esse, in quo nihil omnino est otiosum. Addidit *Domini* cognomen ne servos pigeret similia pati; item ne *mortis* nomen adderet contemptum Christo, addidit *Domini* cognomen. Ambrosius pro νέκρωσιν legit non *mortificationem* sed *mortem*; nec id absurde, mea sententia. ❡ *Vita Jesu manifestetur in corporibus nostris*] Ἐν τῷ σώματι ἡμῶν, *In corpore nostro*. Atque ita legit Ambrosius cum Græcis consentiens, ut non respicias tuum aut meum corpus, verum id quod opponitur spiritui.

12. *Ergo mors in nobis operatur*] Ὥστε ὁ μὲν θάνατος ἐν ἡμῖν ἐνεργεῖται, *Itaque mors quidem in nobis operatur*. Quanquam est *agis* potius quam *operatur*: de quo toties jam dictum est.

13. *Sicut scriptum est*] κατὰ τὸ γεγραμμένον. Faber putat posse legi *à quo scriptum est*. Verum id Græci sermonis ratio nullo pacto patitur: unde miror si diversum habuit exemplar, aut certe tam erudito viro quid in mentem venerit. ❡ *Credidi propter quod locutus*] Locus est in Psalmo 116. Sermo Græcus est anceps: Si conjunctim legas, sensus est, *Credidi eo quod locutus sum*; si disjunctim, sensus erit, *Credidi, & ideo locutus sum*: ut juxta priorem distinctionem accipias *eum non fuisse crediturum nisi locutus fuisset*. juxta posteriorem, *non fuisse locuturum nisi credidisset*: διὸ, *quapropter*, sive *propterea quod*.

14. *Scientes quoniam qui suscitavit Jesum*] Græci legunt *Dominum Jesum*, ὁ ἐγείρας τὸν Κύριον Ἰησοῦν. Porro quod vertit ὅτι nunc *quia*, nunc *quoniam*, frequentius occurrit quam ut vacet castigare. Nam poterat Latine dicere, *Scientes qui Jesum suscitavit, eum nos quoque per Jesum suscitaturum esse*. Aut, *scientes quod qui Jesum suscitavit, is & nos per Jesum suscitaturus est*. ❡ *Cum Jesu*] Gr. per

per Jesum, διὰ Ἰησοῦ. Neque enim *cum Jesu*, qui jam olim resurrexit; sed *per illum*, cujus membra facti sumus, & per quem donavit nobis omnia. Etiamsi Ambrosius legit *cum Jesu*, non ad tempus respiciens, sed ad communem resurrectionem & Capitis & membrorum. ❡ *Et constituet vobiscum*] Καὶ παραστήσει σὺν ὑμῖν, *& exhibebit* (sive *adjunget sibi*) *una nobiscum*, h.e. non solum nos Judæos, verum etiam vos Gentes.

15. *Ut gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei*] Ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα, διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, *ut gratia exuberans* (sive *redundans*, sive *quæ redundavit*) *propter multorum gratiarum actionem abundet in gloriam Dei*. Est enim *propter*, non *per*, nisi διὰ referas ad πλειόνων, at tum non habes quo referas εὐχαριστίαν. Videtur autem Paulus aliquoties abusus hac præpositione. Et Ambrosius ita propemodum legit, *per multorum gratiarum actionem*; h.e. Si plures agant gratias, id cedet in gloriam Dei. Potest & verbum περισσεύσῃ accipi transitive, adhærente huic accusativo εὐχαριστίαν, ut ita distinguamus, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων· hic post hypostigmen subjiciantur reliqua, τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ, i. *ut gratia quæ per plures sparsa exuberavit, faciat ut exuberet etiam gratiarum actio in gloriam Dei*. Hoc ne prorsus videatur esse somnium, in exemplari vetustiori Constantiensi sic habebatur, *ut gratia abundans per multos gratiarum actio abundet in gloriam Dei*. Alterum in hoc consentiebat, quod *gratiarum actiones* & colo & majuscula separabatur à superioribus: q.d. *redundante gratia per multos, similiter & gratiarum actio redundet per multos in gloriam Dei*: ut prior nominativus ponatur absolute pro genitivo, & διὰ πλειόνων referatur ad utramque partem, πλεονάσασα & περισσεύσῃ.

16. *Non deficimus*] Οὐκ ἐκκακοῦμεν· quemadmodum vertit & supra, pro eo quod est *non segnescimus, nec defatigamur*.

17. *Quod in præsenti est momentaneum & leve*] Τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν, *quod enim in momento est leve*: nam *in præsenti* non est in Græcis, nisi quod Interpres voluit reddere adverbium τὸ παραυτίκα. Poterat autem vertere ad hunc modum, Τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν, *Momentanea levitas afflictionis nostræ insigniter supra modum æternum pondus gloriæ operatur* (sive *efficit*) *nobis*: ut τὸ ἐλαφρὸν *leve* ponatur pro nomine substantivo, & τὸ παραυτίκα fungatur vice adjectivi: quod Græcis est familiarissimum. Opposuit autem Paulus τὸ ἐλαφρὸν τῷ βάρος, quod utique substantivum est. Nec hic ἐλαφρὸν dicitur quod sit *leve toleratu*, sed quod *cito transeat*; quemadmodum nec βάρος dicitur quod *gravet*, sed quod *solidum sit ac permaneat*: unde & ἐν βάρει dicuntur esse *qui gravitatem præ se ferunt*. Jam illud καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, quod constanter habetur in omnibus Græcis exempl. & repetitur in Scholiis, nihil aliud sibi vult quam *insignem & ineffabilem præcellentiam*, q.d. *Egregie egregium est*; ita bis dixit *supra modum*. Nihil enim aliud significat καθ' ὑπερβολὴν quam εἰς ὑπερβολήν. Et alias admonuimus, Hebræos hujusmodi conduplicatione epitasin exprimere. ❡ Nec est *in nobis* apud Græcos, sed *nobis* absque præpositione. Hujus particulæ ἀναδίπλωσιν annotavit Chrysostomus ac Theophylactus. Noster Interpres pro altera vertit *supra modum*, pro altera *in sublimitate*. Hæc quoniam ignorant recentiores quidam, ut Thomas & Lyranus non admodum apte hic philosophantur de *modo & proportione præmiorum ad merita*, deque *sublimitate vitæ cælestis*. Hoc tamen admonebo, epitheton αἰώνιον posse utroque referri, ad *hyperbolen* quæ præcessit, & ad βάρος quod sequitur. Totus autem hic sermo picturatus est ex contrariis inter sese relatis: quod indicavit etiam Chrysostomus. Nam θλίψι opponit δόξαν, ἐλαφρὸν opponit βάρος, τὸ παραυτίκα opponit αἰώνιον. Rursum committit τὰ βλεπόμενα & τὰ μὴ βλεπόμενα. Item πρόσκαιρα & αἰώνια. Jam quod paulo superius dixit *de die in diem*, Græce non est καθ' ἡμέραν, sed nove ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, ut incrementum etiam intelligas renovationis, quemadmodum corpus indies magis ac magis deficit, præsertim in provectioribus. Sapit autem hic sermo Pauli dialecton Hebraicam: quod genus, *in progeniem & progenies*, pro eo quod erat *in omnes progenies*.

18. *Temporalia*] Πρόσκαιρα, i. *temporaria & ad tempus durantia*: quo vocabulo usus est Euangelista de semine mox exarescente.

VATABLUS.

1. *Administrationem*] *Ministrationem*, Vet. ❡ *Juxta*] *Prout*: i. cum misericordia Dei simus designati ministri Euangelii. ❡ *Deficimus*] Vel, *segnescimus*.

2. *Abdicamus occulta dedecoris*] Vel, *rejecimus occulta dedecora*, vel, *ignominiosa*: i. probra quæ nobis occulte objiciuntur. ❡ *Adulterantes*] *Dolo tractantes*. ❡ *In manifestatione veritatis commendantis*, &c.] Heb. manifestando veritatem, dantes operam ut probemur ab omnibus hominibus, etiam judice Deo.

4. *In quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium*] Heb. Quorum Deus hujus seculi excæcavit mentes, cum sint de numero incredulorum. ❡ *Fulgeat**] * *Eis*. ❡ *Gloria Christi*] i. Per quod Christus glorificatur.

5. *Christum*] Sub. *esse*. ❡ *Per*] *Propter*.

6. *Deus*] Sub. *est*. ❡ *Dixit*] Heb. jussit. ❡ *Ipse*] *Qui*, Vet. ❡ *Scientia claritatis*] *Cognitionis gloriæ*. ❡ *In facie*] Sub. *quæ relucet*.

7. *Sublimitas sit virtutis*] *Virtutis eminentia* (i. excellens illa potentia, sive fortitudo) *sit*: *virtutem* enim hic non vitio sed infirmitati opponit.

8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*] *Qui in omnibus premimur, tamen non coarctamur*, vel *anxii reddimur*. ❡ *Aporiamur, sed non destituimur*] *Redigimur ad summam angustiam & inopiam: sed non vincimur & opprimimur malis*: id significant voces Græcæ.

10. *Mortificationem*] Heb. mortem: q.d. assidue mortis periculo exponimur, idque propter Christum. ❡ *Jesu Christi*] *Domini Jesu*. ❡ *Corporibus nostris*] *Corpore nostro*.

11. *In mortem tradimur*] i. *Mortis periculis exponimur*. Hoc versu declarat præcedentem. ❡ *Et vita Jesu*] *Etiam vita Jesu*: i. nostra liberatione clarum reddatur Christum excitatum à mortuis, posse etiam nos excitare, & vita donare.

12. *Ergo mors*] *Itaque mors quidem*.

14. *Suscitavit**] * *Dominum*. ❡ *Cum Jesu*] *Per Jesum*. ❡ *Constituet vobiscum*] *Adjunget sibi una vobiscum*. ❡ *Per multos in gratiarum actione, abundet*] *Multis gratias agentibus exuberet*.

16. *Deficimus*] *Segnescimus*.

17. *Id enim quod in præsens est momentaneum & leve*, &c.] *Nam momentanea levitas afflictionis nostræ mire supra modum æternum gloriæ pondus parit nobis, dum non spectamus ea quæ*, &c. Vet. legunt *operatur nobis*.

18. *Temporalia*] *Temporaria*, ad tempus durantia.

CLARIUS.

2. *Occultamenta dedecoris*] Quæ in occulto cum dedecore fiunt, quæque illos qui ea agunt oportet in occulto ob pudorem agere. Clam autem notat falsos Apostolos.

3. *Quod si etiam opertum est*] Quod si quis dicat se ignorare prædicationem nostram, id ab ejus incredulitate proficiscitur; non culpa est prædicationis.

4. *Deus hujus seculi*] Quem homines huic seculo dediti tanquam Deum sequuntur, h.e. Satanas. Alii per Hyperbatum accipiunt, sic, *Infidelium hujus seculi excæcavit Deus mentes*.

6. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere*] Qui jussit ut fieret lux atque è tenebris emergeret, Gen. 1. ❡ *In facie Christi Jesu*] Alludit ad historiam vultus Mosis qui claruerat; quæ claritas multo fuit illustrior in Christo atque in Euangelii prædicatione.

7. *In vasis fictilibus*] Non agnoscitur, inquit, hæc hujus prædicationis majestas dum contemplantur homines nos tanti operis ministros viles esse atque inhonoros. Quanquam id demum in gloriam Euangelii convertatur, dum per hoc intelligitur totum quod fit Divinæ virtutis esse atque potentiæ. Ideo ait, *ut eminentia sit virtutis Dei, & non ex nobis*, quando *vasa* ista *fictilia* ex omni parte agitantur, & non franguntur, dum *in omnibus premimur*, &c.

11. *Nos qui vivimus*] *Nos viventes tradimur in mortem, ut vita quam Jesus attulit manifestetur* dum *in hac mortali carne* degimus. Quo fit *ut mors quidem operetur & agat in nobis*, dum quotidianis mortibus exponimur propter vos, ut scilicet *vita operetur in vobis*.

13. *Habentes autem eundem Spiritum fidei*] Eundem quem habebat Propheta qui hæc loquebatur. ❡ *Credidi*] Quid credidit Propheta? Quod præcedenti versu (nam unus est Psalmus apud Hebræos) dixerat, *Placebo Domino in regione vivorum*, intelligens resurrectionem mortuorum futuram: tunc enim erit vera

vera *vivorum regio.* Hæc fides, inquit, tolerantissimos nos malorum facit. Quia ergo credidi, ait Propheta, ausus sum mihi polliceri eventura omnia mihi quæ promisit Deus, etiamsi tam valde affligerer & in illas angustias redactus essem ut de humano auxilio desperarem. Vide Psalm. 116. & historiam 1 Reg. 23. de David sic cincto ab exercitu Saul ut de vita cœperit desperare.

15. *Omnia enim propter vos*] Hoc dicit ut soli Deo grati sint horum omnium gratia, non agnoscant quicquam à falsis Apostolis, qui sibi gratiam vendicabant. Dum autem *gratia abundat, à multis actio gratiarum redundant in gloriam Dei.*

17. *Id enim quod in præsenti est*] Conatus est hoc loco Paulus, quantum homo paucis verbis potest, exprimere quantæ sint futurorum bonorum divitiæ, & quam exigua re comparentur, dum *afflictionem* appellat *momentaneam* ac *levem*, illam vero non tantum *gloriam* vocat, sed *pondus gloriæ*; nec *pondus* solum, sed *pondus æternum*; neque eo contentus adjecit *in sublimitate*, vel *eminenter.* Quis cogitasset iis addi quicquam posse aliud? Excogitavit adhuc & illud, *supra modum*, *καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν.* Mirificum profecto virum!

ZEGERUS.

2. **S**ED *abdicamus occulta dedecoris*] i. Abnegamus, rejicimus, propulsamus fucata & occulta scelera, quæ manifestata probo sunt perpetranti. § *Adulterantes verbum Dei*] i. Vitiantes. *δολοῦντες* anceps est ad *dolo tractantes* & *falsificantes.* D. Ambrosius cum Interprete idem hic intelligit quod supra cap. 2. ubi est *καπηλεύοντες cauponantes.*

4. *In quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium*] Idem quod explanatius diceretur *mentes infideles.* Quod ad reliquam præsentis loci partem attinet, poteris *Deum hujus seculi* summum illum universorum Deum intelligere; qui eodem modo *sensus incredulorum excæcare* dicitur quo Rom. 1. *tradidisse* Philosophos *in reprobum sensum*, & quo Servator ipse Joh. 9. *in hunc se mundum advenisse* dicit *ut qui vident cæci fierent.* Verum interim mihi magis probabitur si Ambrosianæ sententiæ cum hujus sequacibus subscribentes *Deum seculi hujus* Satanam intelligamus, secularium hominum Deum: quem etiamnum Servator ipse Joh. 12. 31. *hujus seculi Principem* appellare non veretur. Neque absurdum videri debet si Diabolo *Dei* communicetur vocabulum, cum scriptum sit Psal. 96. *Omnes Dii Gentium dæmonia:* &, *Si expandi manus meas ad Deum alienum*, Psal. 44. Cæterum quod nonnulli clausulam *hujus seculi* ad posteriora referunt, meo sane judicio, violentum quid & à mente Pauli videretur alienum, nisi interim veterum quorundam in ea opinione terrerer autoritate, quorum sententiis temere contraire nefas est. Vide Iren. lib. 3. c. 7. At vero ne ignores quid illos moverit ut ejusmodi distinctionem præscriberent, qua *hujus seculi* per Hyberbasis figuram cum *infidelium* construeretur, fecit tum Manichæorum dogma, qui hujus mundi Diabolum prædicant fabricatorem, proque errore suo tuendo hunc Pauli locum adducunt in testimonium; tum etiam Marcionistarum dementia, qui de Opifice ipso orbis terrarum Deo, justo solum, at non bono, asserunt hoc esse dictum. Horum itaque assertionibus contraire volentes orthodoxæ propugnatores fidei, de vero Deo hæc dicta esse affirmarunt. Atque id quo esset evidentius, indicant ordinem orationis supra commemoratum. Quæ occasio si defuisset, non arbitror sane quod tam affectatam distinctionem præscribere studuissent. Neque vero si complexim legamus, *Deus hujus seculi*, mox consequitur Diabolum aut alium nescio quem hujus fuisse mundi fabricatorem; cum è multis aliis Divinæ Scripturæ locis pateat contrarium: ut ne commemorem (nisi de vero hæc Deo accipias) *αἰών* hoc loco *ævum* potius significare. De hoc etiam habes apud Tertullianum l. 5. contra Marcionem. § *Ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi*] Ut ne possit, inquit, illos lætum illud gloriosi Evangelii Christi lumen illuminare. Possunt & sic construi genitivi, *ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii*, h. e. prædicationis, *gloria Christi.* Item sic, *ne illucesceret illis lumen gloriæ Evangelii Christi.* Verum illud *Evangelium gloriæ* pro *Evangelio gloria pleno*, seu *glorioso*, solennius est phrasi Apostolicæ.

6. *Deus qui dixit* (h. e. verbo fecit) *è tenebris lucem*, &c.] Utitur autem *dicendi* vocabulo propterea quod ita in Genesi scriptum sit, *Dixitque Deus, Fiat lux:* ubi & sequitur, *& divisit lucem à tenebris.* § *Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi*] Et hic anceps est verborum & sensus & syntaxis. Licebit enim sic dicere, *Deus ipse illuxit cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ*, h. e. ut illuminati simus scientia, cognitionemque habeamus *majestatis ac gloriæ ejus quæ in facie est Christi Jesu.* Dicens autem *in facie* potius quam *in Christo* respexit ad Mosi vultum Dei claritate refulgentem, de quo jam supra meminerat capite præcedenti. Item sic, *Is cujus olim claritas in vultu resplenduit Mosi, cujus tamen splendor ne oculis quidem carnis tum conspici potuit, ipse nunc tandem cordibus nostris per Christi refulgentem faciem illuxit, quo & per nos latius dilucescat ac propagetur majestatis claritatisque Divinæ cognitio.* Durïusculum videtur quod Chrysostomus illud *in facie Christi* cum *γνώσεως scientiæ* conjungit, dicens *hoc ipso monstrari per Christum nos ad Patris venire cognitionem.*

7. *Habemus autem thesaurum istum*] Illuminationis scilicet & cognitionis Divinæ, qua cæteris Christi bonum odorem spargimus. § *Ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis*] Ut eminentia gratiæ nobis collatæ non nostris viribus ascribatur, sed potentiæ Dei. Quanquam ex Apostolo ita loquente *ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ*, duplex possit haberi distinctio. Altera illud *sublimitas* subjecto punctulo segregat à sequentibus, jungitque *virtutis* cum *Dei*, hoc pacto, *Ut sublimitas*, scilicet *nostra, virtutis sit Divinæ.* Atque hanc secutus est V. interpres. Altera *virtutis* à *Dei* disjunctum cum *sublimitas* jungit, in hunc modum, *ut sublimitas virtutis nostræ, Dei sit sublimitas, non ex nobis*, h. e. ut nostra tam eximia tamque excellens virtus haudquaquam nobis sed Deo tribuatur. Porro *δυνάμεως* significantia in multis Scripturæ locis non magis angusta est quam apud Latinos *virtutis.*

8. *Aporiamur*] *Aporiari* est perplexum esse, inopia premi, consilio & auxilio egere, à Græco verbo *ἀπορεῖσθαι*, *dubitare, hærere, consilii inopem esse, deficere.* Hinc *ἀπορία*, *inopia, perplexitas, dubitatio.*

9. *Humiliamur, sed non confundimur*] Incertum, desitne hoc in Græcis, omissum incuria librarii (ut fere usu venire solet quoties plura similia scribenda sunt) an potius redundet in nostris, utpote adjectum aliunde ex occasione vicinitatis cum aliis. Nam Ambrosius quidem & Augustinus non addunt: Sedulius vero contra. Sed & Chrysost. idem legisse videtur, dum totum hunc locum ab illo, *In omnibus tribulationem patimur*, usque ad *dejicimur, sed non perimus*, quinque distinguit partibus, cum alioqui quatuor tantum sint, hac prætermissa. Sic enim scribit, ut certe ipsius habent interpretis verba, *Dum angustiis premimur, anxii non reddimur; laboramus, at non destituimur, hoc est, non excidimus in fine; perplexi animo efficimur ubique, & consilio destituimur, sed neque sic ut ab iis quæ proposita sunt excidamus*, &c. *persecutionem patimur, sed non in ea deserimur; dejicimur, sed non perimus.* Nostri codices antiqui hanc partem non habent.

10. *Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in nobis*] h. e. Morti mortisque periculis quotidie subjicimur, in hac parte Dominum imitantes, ut si commoriamur, simul etiam cum Christo vivamus.

12. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis*] i. Nos variis periculis, tentationibus ac mortibus sumus ob fidem quam annunciamus vobis expositi; at ex hoc *vita* qua vere vivitis, victuri in æternum, *operatur in vobis:* nam vestræ salutis gratia hæc ipsa perpetimur.

13, 14. *Habentes autem eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi*, &c. *Scientes quoniam qui*, &c.] Quod inquit hujusmodi est, Cum eundem cum Davide nacti simus *fidei Spiritum*, quo in persecutionibus & tentationibus constitutus, & ex eis solius Dei ope ereptus confidenter ajebat, *Credidi, propter quod locutus sum*; ita *& nos* indubitata fide *credimus, & eam ob causam confidenter loquimur.* Sed quidnam, inquies, credimus ac loquimur? Quod non modo ab universis periculis ac mortibus simus eximendi, verum etiam *quod qui suscitavit Jesum, & nos item una cum ipso sit suscitaturus, simulque vobiscum*, qui & fidei & tribulationum nostrarum estis participes, in commune etiam gloriæ consortium sit exhibiturus.

15. *Omnia autem*, quæ jam supra commemorata sunt, *propter vos*] & facimus & dicimus. Sic autem præmiserat Apostolus, *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur*, &c. § *Ut gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei*] Utraque lectio non unam admittit constructionem. Potest enim sic construi, *Ut abundans Dei gratia abundet ad gloriam Dei in gratiarum actionem per multos*, i. apud multos. Rursus sic, *Ut Dei gratia abundans per multos, in* (i. per) *gratiarum actionem, abundet in gloriam Dei.* Item, *Ut ea gratia quæ per multos abundat in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.* Cæterum Græca lectio, *ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα, διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν, περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ*, sic accipi & construi potest, *Ut gratia quæ exuberavit*, *abun-*

abundet propter multorum gratiarum actionem in gloriam Dei. Vel sic, *Ut gratia propter multorum gratiarum actionem exuberans, abundet in gloriam Dei.* Potest & verbum περισσεύσῃ transitive accipi, adhærente huic accusativo εὐχαριστίαν, hoc pacto, *Ut gratia quæ per plures sparsa exuberavit, faciat ut exuberet etiam gratiarum actio in gloriam Dei.* Atque hunc sensum apud Theophylactum reperio Latinitate donatum. Istiusmodi humilioribus cogor nonnunquam bonas horas perdere, cum ob pueros, tum etiam ob alios quosdam in ejusmodi discutiendis ad superstitionem fere curiosos. Et tamen nihil fere prædictorum exacte videtur indicare quod sentit Apostolus. Proinde neglecta, ut veteres fere faciunt, tam exactæ constructionis ratione, ex præcedentibus Apostoli verbis & Ambrosio tale quid insinuari mihi persuadeo, *Nihil refugio laborum periculorumve vestra salutis gratia, quo videlicet Dei tam dives & larga gratia, pluribus semper prodesse gestiens, apud quamplurimos propagari semper cum gratiarum actione possit atque augeri, ad laudem & gloriam Dei.*

STEPHANUS.

1. Οὐκ ἐκκακοῦμεν] *Non cedimus malis:* q. d. malorum oneri.

2. Ἀλλ' ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης] *Sed abdicavimus tegumenta turpitudinis.* Vel, *Renunciavimus tegumentis turpitudinis.* ¶ Δολοῦντες] *Adulterantes.*

4. Εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν] *Ne irradiet eos lumen.*

7. Ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν] *In testaceis vasis.*

8. Ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι· ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι] *Dum coarctamur, sed non in extremas angustias adducimur; dum premimur difficultatibus, sed non opprimimur.*

16. Οὐκ ἐκκακοῦμεν] *Non cedimus malis:* vel, *animum non despondemus.*

17. Τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν] *Oppressio enim nostra, quæ momentanea & levis est, excellenter excellentis gloriæ pondus, quod æternum est, in nobis efficit.*

DRUSIUS.

4. QUI *est imago Dei*] Εἰκὼν τοῦ Θεοῦ. Alibi est εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου, *imago Dei invisibilis*, videlicet Col. 1. 15. & in libro Sapientiæ, ἐσόπτρου καὶ εἰκών. Autor epistolæ ad Ebræos eum vocat χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ *characterem subsistentiæ ipsius*, i. *Personæ.* Hinc eruimus Personam esse aliquid *subsistens.* Tertullianus olim *substantiam ipsius:* quod nunc nemo toleraret. Si tamen mentem ejus recte percipimus, *substantiam* vocat subsistentiam, quam Latini Theologi *Personam* dicunt. Sic idem Christum *factum* & *creatum* dixit, i. *genitum*; verbum *gigno* accipiendo in propria significatione, & *facio* vel *creo* in impropria, videlicet pro *gigno.* Aliter Arius, qui Christum dicebat *creatum* proprie, & *genitum* improprie: nam, *Omnis creatio*, inquiebat, *in Deo generatio est.* Quod si verum, Christus non esset unigenitus. Phui τῆς θεολογίας ταύτης. Nam si *creatus*, creatus fuit ex substantia Patris, i. genitus: quæ est impropria verbi significatio, ut recte Athanasius observavit Orat. 3. adversus Arianos. Qui hoc nescit, nescit quod doctis Theologis notissimum. Ab Athanasio in eo dissentio, quod *creandi* verbum retulerit ad humanam naturam, ut etiam Hieronymus, qui non veretur Christum *creaturam* dicere. Quippe scio *creare* & *facere* pro *gignere* usitatum esse in quatuor præcipuis linguis, Ebraica, Chaldaica, Græca & Latina. Scitum illud, *Quæritur uxor liberis creandis.* Item, *Sunt liberi humandi, rursum creandi.* Ciceronis est. Sunt plura exempla quæ nunc mihi non occurrunt: alias producam.

6. *Dixit è tenebris lucem splendescere*] i. Jussit. Respexit ad historiam Creationis. Nam Deus è tenebris lucem eduxit, dicendo, *Sit lux*, Gen. 1. 3. Siquidem *dicere* est jubere, præcipere, ut Job. 9. 7. *Qui dixit Soli*, i. interprete Hieronymo, *præcepit.* Hinc intelliges quid sit *juxta verbum Regis.* Sic *decem verba*, δεκάλογος, i. *præcepta.*

8. *Non angustiamur*] Rectius fortasse *non angustamur:* nam *angusto* dicimus, non *angustio.* Lex. V. Στενοχωρῶ & στενῶ, *angusto.* Aliis *non coarctamur.* Id Ebræi exprimunt verbo צר, unde Esai. 49. 19. תצרי מיושב. LXX στενοχωρήσει (στενοχωρήσουσι) ἀπὸ τῶν κατοικούντων, *angustior & artior erit quam ut possit omnes habitatores capere.* Sic Prov. 4. 12. לא יצר צעדך *non arctabitur gressus tuus.* Scholion οὐ στενωθήσεται, melius sane quam Symmachus οὐ θλιβήσεται. Quod vel ex hoc loco evinci potest. Nam plus est στενοχωρεῖσθαι quam θλίβεσθαι. Qui *premitur* non semper *arctatur.* Οὐ στενοχωρούμενοι ergo, *non in arctum*, sive *angustias, redigimur sic ut evadere non possimus.* Similiter, *non arctabitur gressus tuus*, non ita ut impingas aut elabi nequeas. Jes. 28. 20. στενοχωρούμενοι οὐ δυνάμεθα μάχεσθαι, *arctati nonvalemus pugnare.* Lex. Græco-Lat. vetus, Στενοχωρία, *arctacio.* Στενοχωρίαι, *angustiæ: singulare non habet.*

17. *Momentanea levitas*] τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν ita dicitur ut apud Xenophontem αἱ παραυτίκα ἡδοναὶ *momentaneæ voluptates*, & apud Salomonem מורא פתאם *metum repente*, i. repentinum: adverbium pro nomine adjectivo. Talia sunt *hostes circum* pro *circumvicini*, & *via longe* pro *via longinqua*, &c. ¶ *Pondus gloriæ*] Βάρος δόξης ita dicitur ut βάρος πλούτου *pondus divitiarum*, i. copia, abundantia. Ebraice כבר הכבוד. Quanquam כבד potius βαρύτης *gravitas*, ut Jes. 21. 15. *gravitas belli*, ubi LXX τὸ πλῆθος τῶν πεπτωκότων ἐν πολέμῳ, *multitudo eorum qui in bello ceciderunt.* Ut ut sit, *grave* dicitur quod multum est; ut, *populus tuus gravis iste*, i. multus. Sic, *fames gravis*, i. magna, Gen. 12. 10. *gravis pecore* Gen. 13. 2. qui Virgilio *dives pecoris*, Ecl. 2. Quin ipsa *gloria* Ebraice à *gravitate* כבד dicta. Vile enim quod leve, & contra, æstimatum quod grave.

CASAUBONUS.

14. Ἀλλ' ἐπωρώθη τὰ νοήματα] Vide Bezam. Recte Erasmus: nam ita quoque Suidas vocem explicat; neque aliter potest verti.

CAMERO.

13. Ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα] Hoc vult Apostolus, ut ex antecedentibus & consequentibus constat, (legatur cap. 3, 4, & 5. agit nempe de patientia & constantia sua) *Vis ac vehementia fidei mea tanta est ut fieri non possit quin id quod credo omnibus annunciem, cum ad id munus à Deo vocatus sim.* Nempe hoc arcte tenendum est, actum Fidei & actum Charitatis non posse à se divelli; sed ita tamen, ut si remissus sit & minus vehemens Fidei actus, remissus item sit & minus vehemens Charitatis actus: etenim amamus prout credimus, amamus prout cognoscimus; & vehemens & contentus Fidei actus vehementem gignit & contentum Charitatis actum.

17. Αἰώνιον βάρος δόξης] *Gloria* non uno modo dicitur: nam vel Rem significat, vel Opinionem de re, vel Deprædicationem. Cum rem significat, nihil aliud est quam *magnitudo virtutis aut pulcritudinis*, quæcunque tandem illa sit. Itaque lingua Hebræa כבוד dicitur (porro כבד *pondus* est, pondus vero magnitudo quædam) & lingua Chaldaica יקר, quæ vox itidem *pondus* significat. Ad hanc significationem vocis *gloriæ* respexit hic Apostolus: nempe allusit (ut solet) ad Hebræum illud & Chaldæum nomen *gloriæ*, quorum utrumque & *pondus* & *gloriam* simul significat.

GUALTPERIUS.

2. Μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ] Verbum est δολόω *falsifico*, ex δόλος *dolus.* Vide Matth. 26. 4.

JAC. CAPPELLUS.

18. NE *spectemus*, ne nobis instar scopi proponamus, *ea quæ videntur*] Seneca ep. 59. *Omnia ista quæ sensibus serviunt, quæ nos accendunt & irritant, negat Plato ex iis esse quæ vere sunt. Igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt. Nihil horum stabile nec solidum est, & nos tamen cupimus tanquam aut semper futura, aut semper habituri. Imbecilli fluidique per intervalla consistimus. Mittamus animum ad illa quæ æterna sunt. Contemnamus omnia quæ adeo pretiosa non sunt, ut an sint omnino dubium sit.*

GROTIUS.

1. Ἔχοντες τὴν διακονίαν ταύτην, *Habentes ministerium hoc*] Vox διακονίας [*ministerii*] hic sumitur ut supra III, 8. ¶ καθὼς ἠλεήθημεν, *juxta quod misericordiam consecuti sumus*] Quodvis beneficium Dei ἔλεος [*misericordia*] nostris scriptoribus dicitur. Magnum est autem beneficium vocari ad tam salutare ministerium. Vide 1 Cor. VII, 25. ¶ οὐκ ἐκκακοῦμεν· *non deficimus*] *Non pigrescimus.* Vide Luc. XVIII, 1. עצל לא.

2. Ἀλλ'

2. Ἀλλ' ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, *Sed abdicamus occulta dedecoris*] Notat doctores lucripetas, qui captationes suas volebant esse ignotas. ἀπειπάμεθα, *longe à nobis repellimus*, גרשנו. τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης [*occulta dedecoris*] sunt ea quæ ob puderem occultantur. Nam genitivus hic & alibi sæpe causam impellentem significat. τὰ κρυπτὰ מסתרים [*abscondita*], ut Jerem. XLIX, 10. ¶ μὴ περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ, *non ambulantes in astutia*] בערמה vel בערמות, *non vafritie utentes*, ut qui aliud sunt, aliud videri volunt. ¶ μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *neque adulterantes verbum Dei*] Δολοῦν [*adulterare*] habuimus Rom. III, 13. δολοῦν habemus Psalm. XV, 3. XXXVI, 3. *dolo tractant verbum Dei*, qui ut hominibus placeant aut partem veri tacent, aut falsa admiscent. ¶ ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας, *sed in manifestatione veritatis*] *Libera veri apparitione*, נכחים דברים Proverb. VIII, 9. ¶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων, *commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum*] Placentes non omnibus (id enim fieri nequit) sed bonis conscientiis. ¶ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *coram Deo*] *Velut Deo inspectante.*

3. Εἰ δὲ καὶ ἔστι κεκαλυμμένον τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν, *Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum*] Videbat objici sibi posse, multos esse, qui veritatem istam non agnoscant, καλύπτεσθαι aut κρύπτεσθαι [*abscondi*] ut Luc. XIX, 42. id etiam dicitur quod, quamvis per se conspicuum sit, reipsa tamen non conspicitur, ut Sol à cæcis. ¶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις ἐστὶ κεκαλυμμένον· *in iis qui pereunt est opertum*] Est μετωνυμία [*Transnominatio*] Nam *pereuntes* vocat eos qui perire meruerunt, qui vitiis suis favent, & vera videri nolunt quæ vitiis adversantur.

4. Ἐν οἷς ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα, *In quibus deus hujus seculi excæcavit mentem*] Satanam sive dæmonem principem intelligit. Porphyrius de malis dæmonibus agens, ἡ προεστῶσα αὐτῶν δύναμις δοκεῖ Θεὸς εἶναι μέγιστος [*qui eorum princeps est, ipse Deus vult haberi maximus*]. Itaque tanquam si Deus esset, hominibus imperat: & idolorum cultus ad ipsius usum redit. Dixit autem eum *deum seculi* sive *mundi hujus*, sicut Christus *principem mundi hujus* Joh. XII, 31. ex maxima parte, ut 1 Joh. V, 19. Eph. VI, 12. οἱ πλείους κακοί [*plures mali*]. Plutarchus de Iside: πᾶσα φύσις ἄλογος καὶ θηριώδης τῆς τοῦ κακοῦ δαίμονος γέγονε μοίρας [*omnis bruta & bellu ina natura malo genio subest*]. Excæcat omnia diabolus agendo, Eph. II, 2. Deus sinendo. Diabolus sic *deus*, quomodo *venter*, Philipp. III, 19. quia Dei vice colitur. ¶ τῶν ἀπίστων, *infidelium*] Constructio Hebraïzans. Nam recta constructio fuerat ἐν οἷς ἀπίστοις [*in quibus infidelibus*], deinde νοήματα αὐτῶν [*mentes eorum*]. Hebræi pro relativo sæpe ponunt id quod antecessit, aut antecedere debuit. Vide quæ diximus ad Gen. VI, 3. ¶ εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ, *ut non fulgeat eis illuminatio Euangelii gloria Christi*] Ne participes essent ejus boni quod prædixit Esaias XLII, 6, 16. αὐγάσαι, יזהיר [*splendere*]. In Manuscripto est διαυγάσαι, & abest αὐτοῖς [*illis*], non male, id est, *non videant illam lucem.* Nam αὐγάζειν & αὐγάζεσθαι sæpe est videre. τὸν φωτισμὸν [*illuminationem*] dixit μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*], effectus nomen ponens pro causa. τὸ φῶς אור [*lux*]. Nam אור plerumque φῶς [*lux*] vertitur interdum φωτισμὸς [*illuminatio*], ut Job. III, 9. Psalm. XXVII, 1. XLIV, 4. LXXVIII, 14. *Euangelium splendens Christi* vocat annuntiationem de Christi miraculis, resurrectione, adscensu in cœlos, regno cœlesti, demissione Spiritus per eum facta. ¶ ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου. *qui est imago Dei invisibilis*] Nimirum quia sicut ex imagine hominis species cognoscitur, ita ex iis quæ egit & locutus est Christus, Dei potentia, sapientia, sanctitas, bonitas. Hebr. I, 3. Etiam Hebræis Messias dicitur צלם אלהים [*imago Dei*], ut in Zohar & alibi. Adde Coloss. I, 15. 1 Tim. III, 16. Joh. I, 18.

5. Οὐ γὰρ ἑαυτοὺς κηρύσσομεν, *Non enim nosmetipsos prædicamus*] Non dicimus nos esse hujus negotii principes, non nostram rem agimus. ¶ ἀλλὰ Χριστὸν Ἰησοῦν κύριον. *sed Jesum Christum Dominum*] Eum dicimus esse *Dominum* cui per omnia parendum sit. ¶ ἑαυτοὺς δὲ δούλους ὑμῶν διὰ Ἰησοῦν. *nos autem servos vestros per Jesum*] Vide quam modeste loquitur, qui se non Jesu tantum *servum* dicit, sed & omnium eorum qui in Jesum credunt.

6. Ὅτι ὁ Θεὸς, *Quoniam Deus*] Hoc ipsum quod *servus sit Christianorum* agnoscit maximum esse Dei in se beneficium. ¶ ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι, *qui dixit de tenebris lucem splendescere*] Gen. I, 3. ὁ εἰπὼν [*qui dixit*], id est, *qui jussit*, צוה. Sæpe comparantur beneficia creationis veteris & novæ. Vide quæ ad initium Euangelii Johannis dicta. *Ex tenebris* Legis *lux* Euangelii. ¶ ὃς ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, *qui illuxit in cordibus nostris*] Deest vocula *est*, more Hebræo. *Deus idem is est qui lucem accendit in animis nostris.* ἔλαμψεν [*illuxit*] hic est pro Hiphil, ut supra θριαμβεύειν [*triumphare*]. Sic יאיר quod est in Hiphil vertitur φωτιεῖς [*illuminabis*] Psalm. XVIII, 29. ¶ πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως, *ad illuminationem scientiæ*] *Ut alios eadem cognitione illustraremus.* Agit enim de ministris Euangelii ut patuit supra I. ¶ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, *claritatis Dei*] *Majestatem Dei* vocat eam quæ à Deo data est. ¶ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ. *in facie Christi Jesu*] Πρόσωπον פנים. Hebræis id omne significat quod sensibus exterioribus percipitur, ut Christi dicta & facta, & splendor ille in monte, & resurrectio, & quæ eam sunt secuta. In hoc Dei majestas sine velo apparuit.

7. Ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον, *Habemus autem thesaurum hunc*] Sic vocat cognitionem Euangelii. Vide Matth. XIII, 44. ¶ ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, *in vasis fictilibus*] In corpore multis malis obnoxio sicut fictile quod facile frangitur, Jerem. XXII, 28. Platonici corpus hominis palpabile, quod vocant ὀστράκινον [*fictile*], opponunt τῷ λεπτοτάτῳ σώματι [*tenuissimo corpori*] quod vocant ὄχημα ψυχῆς [*vehiculum animæ*]. ¶ ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ, *ut sublimitas sit virtutis Dei*] Hic ᾖ [*sit*] significat *appareat.* Adversa quæ patimur ostendunt illa quæ facimus mira non nostra virtute nos facere. Nam si ea virtus in nostro esset dominio, careremus adversis. ¶ καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν. *& non ex nobis*] Vide supra III, 5. Est vis quædam divina in nobis, non ex nobis. Ideo agit cum vult.

8. Ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur*] Hic στενοχωρία [*angustia*] plus aliquid est quam θλίψις [*tribulatio*]. *Premimur, non opprimimur.* Solent alibi istæ voces promiscue usurpari, ut diximus ad Rom. II, 9. Hebræi dicerent, לחוצים ולא נלחצים [*pressi, sed non oppressi*]. ¶ ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. *confundimur, sed non destituimur*] Ἀπορεῖσθαι [*confundi*] hic est *perplexum esse*, quomodo hoc verbum sumitur Gal. IV, 20. & nomen ἀπορία [*angustia*] Esai. VIII, 22. Luc. XXI, 25. ἐξαπορεῖσθαι, *ita perplexum esse ut desperes*, ut supra I, 8.

9. Διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι. *Persecutionem patimur, sed non derelinquimur*] נרדפים ולא נעזבים [*persecuti, sed non derelicti*]. Ab hominibus quidem male tractamur, sed Deus nos non deserit. Solatur nos Spiritu suo. ¶ καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι. *dejicimur, sed non perimus*] נדחים ולא נבלעים [*pulsi, sed non omnino perditi*], similitudo sumpta à militibus qui dejecti resurgunt. Sic hic Israëlitæ apud Jerem. LI, 34. הממני נבוכדנאצר, *Dejecit me Nabuchodonosor.* Omnia hæc præsignificata in rubo ardenti, & per iter in deserto, & per tempora Antiochi.

10. Πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, *Semper mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes*] Νέκρωσις [*mortificatio*] חרב תמות sunt miseriæ, & mortis pericula, Psalm. LXXIX, 11. Sic & Rabbinis כתות עצם [*mortificatio sui ipsius*] νέκρωσις τῆς ἰσχύος [*mortificatio virium*], quomodo νέκρωσις μήτρας [*mortificatio uteri*] Rom. IV, 19. *Domini*, id est, ad exemplum Domini. Solent enim similia similium nominibus nuncupari, ut & in sequenti opposito. ¶ ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν φανερωθῇ. *ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris*] Id est, *vita talis, qualis est Christi*, immortalis, beata, cœlestis.

11. Ἀεὶ γὰρ, *Semper enim*] *Quotidie*, id est, sæpissime. ¶ ἡμεῖς οἱ ζῶντες, *nos qui vivimus*] *Nos qui adhuc vivimus*, qui nondum ex hac vita excessimus, ut multi jam Christianorum. ¶ εἰς θάνατον παραδιδόμεθα, *in mortem tradimur*] Iterum hic *mortem* vocat mortis pericula μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*]. ¶ διὰ Ἰησοῦν, *propter Jesum*] Euangelii causa quod à Christo nobis commendatum est. ¶ ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ φανερωθῇ ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν. *ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali*] Hic ζωὴ [*vita*] significat *vim & efficaciam Christi.* Vita enim in actione consistit. Christus immortalis per Apostolos adhuc mortales agit & loquitur.

12. Ὥστε ὁ μὲν θάνατος ἐν ἡμῖν ἐνεργεῖται, ἡ δὲ ζωὴ ἐν ὑμῖν. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis*] Sumitur hic ἐνεργεῖται [*operatur*] passive, ut sensus sit, *Euangelii prædicatio in nobis efficit mortem*, id est, mortis pericula; *eadem autem Euangelii prædicatio vobis*, qui nulla ob id incommoda sentitis, *vitam efficiet æternam.* Sed ne ipsi Apostoli ideo minoris haberentur, quod tot subjacerent incommodis, prudenter subjicit.

13. Ἔχοντες δὲ τὸ αὐτὸ πνεῦμα τῆς πίστεως, *Habentes autem eundem spiritum fidei*] *Habentes communem nobiscum Dei Spiritum, qui non datur nisi credentibus.* Iterum hic genitivus causam significat, id est, conditionem requisitam. ¶ κατὰ τὸ γεγραμ-

γεγραμμένον. Ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα· καὶ ἡμεῖς πιστεύομεν, διὸ καὶ λαλοῦμεν. *sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur*] Hæc inter se cohærent, & dixit ἡμεῖς πιστεύομεν διὸ καὶ λαλοῦμεν [*nos credimus propter quod & loquimur*] pro ἡμεῖς πιστεύοντες διὰ τοῦτο καὶ λαλοῦμεν [*nos credentes ideo & loquimur*]. In Psalmo unde hoc desumptum est (est autem locus in Hebræo codice CXVI, 10.) Græca sic habent, ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα, *quia credidi, ideo loquor*.

14. Εἰδότες ὅτι ὁ ἐγείρας τὸν Κύριον Ἰησοῦν, καὶ ἡμᾶς διὰ Ἰησοῦ ἐγερεῖ καὶ παραστήσει σὺν ὑμῖν. *Scientes quoniam qui suscitavit Jesum, & nos cum Jesu suscitabit, & constituet vobiscum*] Ejus boni quod vobis per tot mala acquirimus, nos non erimus expertes. Deo Patri tribuitur excitatio Christi è mortuis, Actor. III, 15. XIII, 30. Rom. IV, 24. X, 9. 1 Cor. VI, 14. Nostra autem & Deo & Christo, Rom. VIII, 11. Joh. V, 21. Παραστήσει *exhibebit*, sistet ante tribunal Christi. Sic infra XI, 2. Ephes. V, 27. Sic *stare* dicitur qui judici sui copiam facit, Actor. XXVII, 24.

15. Τὰ γὰρ πάντα δι' ὑμᾶς, *Omnia enim propter vos*] Hoc omne quod Christus mortuus est, quod resuscitatus, non mea magis quam vestra causa accidit. ¶ ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. *ut gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei*] Ὑποδιαστολὴ [*distinctio*] ponenda post πλεονάσασα [*abundans*]. Sensus enim est, ut quo amplius est beneficium, eo abundantiorem efficiat Dei gloriam, multis admodum gratias ei agentibus.

16. Διὸ οὐκ ἐκκακοῦμεν, *Propter quod non deficimus*] Id repetit quod dixerat supra 1. ¶ ἀλλ' εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται, ἀλλ' ὁ ἔσω ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ. *sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem*] Quid dicantur ὁ ἔσω καὶ ὁ ἔξω ἄνθρωπος [*qui intus & qui foris est homo*] satis exposuimus ad Rom. VII, 22. *Corpus per tot adversa attenuatur*, (id enim hic est διαφθείρεται [*corrumpitur*]. Nam & in jure *perire* dicuntur quæ deteriora fiunt) at animus indies fit vegetior: hoc enim est ἀνακαινοῦται [*renovatur*], quasi dicat *juvenescit*: quod ἀνανεοῦσθαι [*renovari*] Ephes. IV, 23. תתחדש Psalm. CIII, 5. Illud quoque ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, יום יום [*de die in diem*] est Hebraismus qui vertitur καθ' ἑκάστην ἡμέραν, 1 Sam. XVIII, 10. Esther III, 4. Job. I, 4. Id Latinis est *indies*.

17. Τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ*] τὸ ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως [*leve tribulationis*] Græca locutio pro ἡ θλίψις ἐλαφρά [*levis tribulatio*]· & ante παραυτίκα [*momentanea*] subaudiatur articulus ἡ, id est, *hujus temporis afflictio*, quomodo sumpsere & Syrus & Latinus. Ita sumunt & Græci interpretes & sic παραυτίκα usurpant Xenophon & Demosthenes. *Levis* autem dicitur comparata ad *gloriam* quæ ei opponitur membro altero antitheti. ¶ καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν. *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*] Hic quoque βάρος δόξης [*pondus gloriæ*] dixit pro δόξαν βαρεῖαν [*gravem gloriam*], & quasi ita dixisset adjecit, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν [*supra modum in sublimitate*], id est, *excellentissime gravem gloriam*. καθ' ὑπερβολὴν [*supra modum*] habuimus & Rom. VII, 13. Sed hic Hebræo more per verbum geminans Apostolus summam quandam excellentiam indicavit. *Gravem* autem dixit *gloriam* eam quæ solida est. Nam quæ solida sunt ex auro plus pendent, quam mixta. Ipsa *gloria*, כבוד, apud Hebræos à *gravitate* nomen habet. Cujus adjectivum כבד Chaldæus sæpe vertit per יקר, id est, τίμιον [*pretiosum*].

18. Μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*] Hebr. XI, 1. ¶ τὰ γὰρ βλεπόμενα, πρόσκαιρα· *quæ enim videntur, temporalia sunt*] Πρόσκαιρα [*temporalia*] dicuntur *quæ non diu durant*, ut Matth. XIII, 21. Marc. IV, 17. Hebr. XI, 25. ¶ τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα, αἰώνια. *quæ autem non videntur, æterna sunt*] Id est, *sine ullo fine*. Nam ita vox hæc in libris Novi Fœderis ex ipsa Fœderis natura sumitur.

CAP. V.

VALLA.

4. EO *quod nolumus exspoliari, sed supervestiri*] *Spoliari* est per vim, Græce est *exui*, ἐκδύσασθαι. Etiam melius dicatur *superindui* quam *supervestiri*, ἐπενδύσασθαι, sicut dixerat paulo ante v. 12. *superindui cupientes*, ἐπενδύσασθαι.

8, 9. *Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum. Et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentes placere illi*] Ego sic transferrem, *Confidimus autem & præoptamus peregrinari à corpore, & non peregrinari à Domino*, (sive *foris esse à corpore, & domi esse apud Deum*) *Ideoque studemus, sive non peregrinantes sive peregrinantes illi placere*. Non possumus leporem Græcorum verborum exprimere, ἐνδημῆσαι, quod est *in populo* (sive *domi suæ*) *esse*, & ἐκδημῆσαι, quod est *domo*, & *à suis abesse*.

11. *Deo autem manifesti sumus, spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse*] Græce est præteriti temporis, *manifestati sumus*, πεφανερώμεθα, & *manifestatos nos esse*, πεφανερῶσθαι.

13. *Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis*] Quidam putant *excedere* esse mente ad Divina transcendere: nunc autem dicitur *cedere è mente*, quod Græci appellant *ecstasim*, in quo nomine non est *mens*, sed *extra se hominem*. Nunc autem Paulus hoc sentit, *Sive desipimus, Deo desipimus; sive sapimus, vobis sapimus*: ἐξέστημεν.

15. *Æstimantes hoc*] Gr. *Judicantes*, κρίναντας.

16. *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem*] Neque Græco respondet, neque aperte dicitur Latine. Græce enim dicitur, *exnunc*, sive secundum quosdam, *à modo*, ἀπὸ τοῦ νῦν. Latine dicimus *posthac*, *deinceps*, & secundum Curtium *de cætero*.

19. *Non reputans illis delicta ipsorum*] Mallem dicere, *non imputans illis delicta sua*, λογιζόμενος.

REVIUS in VALLAM.

11. M*Anifestatos*] Scriptum erat *manifestos*. At hoc est quod autor reprehendit.

ERASMUS.

1. S*Cimus enim quoniam si*] Græci legunt ad hunc modum, Οἴδαμεν γὰρ ὅτι ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, *Novimus enim quod si terrena nostra domus tabernaculi dissoluta fuerit*. Nec additur *hujus*, nisi quod τοῦ certum indicat tabernaculum. Addidit autem *tabernaculi*, ut ostenderet domicilium hoc non esse perpetuum, sed ad paucos paratum dies; cujusmodi sunt tabernacula. ¶ *Non manufactam*] Jucundius est Græce, dictione composita, ἀχειροποίητον, h. e. *dissimile his quæ opera manuaria construuntur ac destruuntur*.

2. *Nam & in hoc ingemiscimus*] Καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζομεν, *Etenim in hoc gemimus*. Incertum autem an pronomen *hoc* demonstret *tabernaculum corporis*, an absolute ponatur pro *ob id gemimus quod cupiamus supervestiri* aut, quod mavult Valla, *superindui*, ἐπενδύσασθαι. Unde *ependytes* dicta vestis exterior, veluti toga aut pallium. Ad id facit quod sequitur, *Si tamen induti & non nudi reperiamur*. Neque enim supervestiri potest qui prius non sit vestitus. ¶ *Habitationem nostram*] Τὸ οἰκητήριον ἡμῶν, *domicilium nostrum*. Refertur autem ad verbum *superindui*. Corpus enim *domicilium* est animi: & Ambrosius legit *domicilio*. Porro quod addit *quod è cælo est*, sentit, ut opinor, Christi corpus, cui nostra conformantur societate immortalitatis.

3. *Si tamen vestiti, & non nudi inveniamur*] Ambrosius indicat in nonnullis cod. diversam lectionem, *Siquidem exspoliati, non nudi inveniamur*; h. e. si exspoliati hoc corpore non deprehendamur nudi, sed induti Christo. Idem annotant Græcanica Scholia, in nonnullis esse ἐκδυσάμενοι, in aliis rursus ἐνδυσάμενοι. Est autem participium activum, *cum exuerimus nos*, aut *cum induerimus*. Sic enim de corpore loquitur quasi de veste.

4. *In hoc tabernaculo*] Ἐν τῷ σκήνει, *in tabernaculo*. Annotavit vocum emphasim Chrysostomus. Mortale corpus vocat σκῆ-

αἰώνιος, immortale jam factum οἰκίαν καὶ οἰκητήριον, quod *tabernaculum* viatoris est ac militis, eoque temporarium; *domum*, inhabitantis ac permanentis. ❡ *Ut absorbeatur quod mortale est à vita*] Τὸ θνητόν. Cur non potius *mortalitas* quam *mortale*, quo magis respondeat *vita*? Et ad eum modum Græci abutuntur adjectivis neutri generis.

5. *Qui autem effecit nos in hoc ipsum*] Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο Θεός, *Porro qui nos fecit* (sive *paravit*) *in hoc ipsum, Deus*: ut subaudias *est*: quod in participiis passim fit apud Græcos. Deus renovabit nos in resurrectione, qui in hoc ipsum nos condidit. Ambrosius legit *perfecit* pro *effecit*. Nam *effecit*, quod addit Faber, non video quomodo respondeat Græcæ voci. ❡ *Pignus*] Ἀῤῥαβῶνα. ❡ Nec est *qui dedit*, sed *qui etiam dedit*. ὁ καὶ δούς. ut referatur ad eum *qui paravit nos in hoc*, & postea *pignus quoque dederit sui Spiritus*, quo certius speremus.

6. *Audentes igitur*] Θαῤῥοῦντες *confidentes*, sive *fidentes*. Hoc loco videtur Paulus participio pro verbo abusus: quod frequentius fit apud Græcos quam apud Latinos. Nisi malis ad hunc modum ordinare sermonem ut illa, *Per fidem enim ambulamus*, per parenthesin sint interjecta, deinde veluti recepto gradu redeat ad interruptam orationem, θαῤῥοῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν· cœperat enim ab hujus verbi participio θαῤῥοῦντες· ut hic sit sensus, *Fidentes igitur semper, & scientes quod cum versamur in corpore, absumus à Domino: Nam per fidem ambulamus, non per speciem: & tamen fidentes, inquam, sumus, & non solum fidentes, verum etiam sic animati ut malimus abesse à corpore, quo liceat adesse Deo.* ❡ *Dum sumus in hoc corpore*] Ἐνδημοῦντες, ἐκδημοῦμεν. Opposuit verba contraria, quæ Latinus Interpres non potuit commode reddere, nisi dicas, *dum adsumus, absumus*. Siquidem in Græcis verbis conduplicata ἐναντίωσις geminam habet gratiam, quod & in vocibus sita sit & in rebus. ἐκδημεῖν est *foris agere*, h. e. domi non esse: ἐνδημεῖν est *domi agere*. Interpres varie reddidit, idque suo more.

8. *Audemus autem*] Rursus θαῤῥοῦμεν, i. *confidimus*. ❡ *Et bonam voluntatem habemus*] Εὐδοκοῦμεν· quod Ambrosius, *consentimus*: nos maluimus, *probamus*. *Probatur* enim quod placet.

9. *Et ideo contendimus*] Φιλοτιμούμεθα, *certamus & ambimus*. Ambrosius legit *conamur*: quanquam *contendimus* bene quadrat, modo bene intelligatur à nobis. Est enim φιλοτιμεῖσθαι *ambitiose quippiam contendere, sic ut te non patiaris ab alio vinci*. ❡ *Sive absentes, sive præsentes*] Participia sunt eorum verborum quæ ante vertit *peregrinari*. Verti poterat, *sive foris agentes, sive domi*. Sentit enim de domicilio corporis in quo cum domi sumus, tum foris sumus, sejuncti à Domino. Tertullianus De resurr. carnis vertit, *sive peregrinantes, sive immorantes*. Ambrosius, *sive præsentes, sive peregrinantes*. Interpres propemodum reddidit gratiam schematis quam Græcis verbis addit ἐναντίωσις & παρονομασία.

10. *Propria corporis*] Gr. τὰ διὰ τοῦ σώματος, *quæ per corpus fiunt*. Interpres legisse videtur τὰ ἴδια σώματος· atque ita legit Ambrosius. Theophylactus legit & interpretatur τὰ διὰ τοῦ σώματος. Tertullianus legit διὰ, subindicans amphibologiam orationis. Sensus enim esse potest, *ut unusquisque reportet per corpus*, vel *quæ gessit per corpus*. ❡ *Prout gessit*] Πρὸς ἃ ἔπραξε, *ad ea quæ gessit*, h.e. pro ratione & portione eorum quæ fecit in corpore. Quidam codex habebat πρὸς ὃ ἔπραξε *ad id quod gessit*.

11. *Deo autem manifesti sumus*] Græcis non est *manifesti*, nomen, sed *manifestati sumus*, verbum πεφανερώμεθα. Et item mox, *in conscientiis vestris manifestos nos esse*, πεφανερῶσθαι. Id sive à librariis fuit immutatum sive ab Interprete positum non magni refert ad sensum Pauli.

12. *Occasionem damus*] Gr. διδόντες *dantes*. Sed recte Interpres participium commutavit in verbum. ❡ *Ut habeatis ad eos*] Πρὸς τοὺς *adversus eos*. Et *habeatis* posuit pro *possitis gloriari*.

13. *Excedimus*] Ἐξέστημεν· q. d. *rapti sumus extra nos*: quem vocant *mentis excessum*, sive *raptum*. Forrasse scriptum erat *excidimus mente*, non *excedimus*: h.e. *sive insanimus, sive sani sumus. Sive sapimus, sive desipimus*. Id magis explicat id quod mox consequitur. ❡ *Sive sobrii sumus*] Εἴτε σωφρονοῦμεν. Ambrosius legit, *sive sanum sapimus*: ut referatur ad illud, *excidimus mente*. Nam id quoque significat aliquoties σωφρονεῖν. Et Græcanica Scholia admonent, *insanorum esse ingentia loqui velut oblitos sui*: quod idem indicat Ambrosius. Augustinus cum aliis compluribus locis tum enarrans Psalm. 30. ad ecstasin refert *excessum*; & *excessimus* compluribus locis legit, non *excedimus*, observato tempore verbi Græci. Quanquam in hujusmodi quæ ad animi pertinent affectiones solet præteritum tempus pro præsenti usurpari. Et lib. Adv. Faustum 12. cap. 26. pro *sobrii sumus* legit *temperantes sumus*. Theophylactus triplex commentum adscripsit: De magnis rebus locuturus *ecstasin*, inquit, vocat: rursum, *sive videmur insanire, sive sobrii esse*: postremo tribuit Paulo *insaniam*, sed ἐρωτικήν, h. e. *amatoriam*. Nam Plato triplicem furorem docet, Vatum, Poëtarum & Amantium, quorum postremum putat esse felicissimum. Talem furorem Theophylactus tribuit Paulo, qui non in se sed in Christo vixerit, quemadmodum *amantis anima non est ubi animat, sed ubi amat*, quique *pro fratribus* optarit *anathema fieri à Christo*. Illud annotandum, nisi repetas utrumque verbum, sermonem inabsolutum videri, *Sive enim mente excidimus, Deo excidimus; sive sana mentis sumus, vobis sani sumus*. Nam si quid gloriatur Paulus, id non ad ipsius sed ad Dei gloriam pertinet. Si mediocria loquitur, id tribuit infirmioribus, quorum affectibus & capacitati semet accommodat. Adsimili figura dictum est illud ad Romanos, *Non enim qui in manifesto Judæus est, nec quæ in manifesto in carne est circumcisio*, &c. ut illic indicavimus.

14. *Urget nos*] Συνέχει, *constringit*, sive *compellit*: quanquam *urget* belle habet.

15. *Æstimantes*] Κρίναντας *judicantes*, sive *qui judicavimus ac statuimus illud*. *Judicantes* legit Augustinus lib. Adv. Faustum 11. cap. 8. quemadmodum Ambrosius. ❡ *Quoniam si unus pro omnibus*] *Si* non est apud Græcos in quibusdam codicibus. Certe apud Theophylactum non additur, nec apud Ambrosium, quantum ex illius liquet interpretatione: separat enim hoc ab iis quæ sequuntur interjecto commentario, *Ergo omnes mortui sunt*, &c. Assumit Paulus id quod indubitatum est, *Christum pro omnibus mortuum*; ac mox infert quod hinc consequitur. Verum id ad sensum perpusillum refert, nisi quod asseverantius est quod legunt Græci, *Christus mortuus est*; de hoc non est disputandum: eoque dicit κρίναντας. Consequitur igitur *omnes fuisse mortuos*.

16. *Ex hoc*] Ἀπὸ τοῦ νῦν, *posthac*: quod hic vertere solet *amodo*. Ambrosius legit *ex hoc tempore*. Apud Q. Curtium legimus *de cætero*.

17. *Si qua ergo in Christo nova creatura*] Ambrosius interpretatur, *Si quis est in Christo, nova creatura est*: ut bis subaudiatur verbum substantivum; etiamsi in Ambrosianis codicibus verba contextus depravata sunt. At idem adducens hunc Pauli locum libro Epistolarum 2. epist. 8. palam indicat quid legerit, ita scribens, *Et ideo addidit*, SI QUIS IN CHRISTO, NOVA CREATURA, *id est*, *Qui perfectus in Christo, nova creatura est*. Consentit per omnia cum Ambrosio Theophylactus interpres, etiamsi apud hujus quoque interpretem verba contextus depravata habebantur in editione Romana, quæ falso titulo quod erat Theophylacti Bulgariensis Archiepiscopi Athanasio inscripsit. Quid? quod in eundem sensum adducit hunc locum Origenes hom. in Levit. 12. *Omnis ergo*, inquit, *secundum Apostolum, qui in Christo est, nova creatura est*. Origenes enim *si quis* exponit *quisquis*. Denique Chrysostomus sic explicat, Εἴ τις ἐπίστευσεν αὐτῷ, φησίν, εἰς ἑτέραν ἦλθε δημιουργίαν· καὶ γὰρ ἄνωθεν ἐγεννήθη διὰ πνεύματος, *Si quis credidit illi, in aliam transiit creationem: etenim cælitus natus est per Spiritum*. Notat idem epitasin, quod vehementem mutationem appellarit καινὴν κτίσιν.

19. *Quandoquidem Deus erat in Christo*] Ὡς ὅτι. Propemodum sonat, *Sic, quia*, ut modum ostendat quomodo Deus reconciliaverit sibi nos. Ita videntur significare Græca Scholia, & clarius etiam Theophylactus. *Reconciliavit*. Quomodo? *Non imputans peccata*. ❡ *Non reputans*] Μὴ λογιζόμενος. Melius, *non imputans*.

20. *Legatione fungimur*] Πρεσβεύομεν· quod & *oramus* significat. Quanquam & *oratores* dicti qui alterius nomine postulant aliquid. ❡ *Tanquam Deo exhortante per nos*] Παρακαλοῦντος. Scio vocem Græcam esse ancipitem. Neque pugnarim si cui magis placet *exhortante*. Me tamen nihil movet scrupulus eorum qui putant indecorum Deo *obsecrare*. Certe mox per Paulum *orat*, δεόμεθα. Chrysostomus ita scribit in hunc locum, Εἶδες πῶς ἐστι τὸ πρᾶγμα, τὸν Χριστὸν εἰσαγαγὼν τιθέντα τὴν ἱκετηρίαν ταύτην; μᾶλλον δὲ οὐ τὸν Χριστὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν Πατέρα; *Vides quomodo rem exaggerarit, Christum inducens hanc supplicationem peragentem? imo non Christum tantum, sed & ipsum Patrem?*

21. *Eum qui non novit peccatum, fecit peccatum*] Prius peccatum est admissum, posterius est hostia destinata expiando peccato. Mirum cur Faber tam solicitus sit ne quis intelligat Christum peccasse, cum ex his verbis is sensus nullo pacto possit accipi, *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit.*

Non

Non enim dixit *peccatorem fecit*, sed *peccatum*: h.e. voluit pati supplicium perinde quasi peccasset omnia, cum solus nihil peccasset: ut *peccatum* accipias *hostiam quæ pro expiando peccato solet immolari*; sicuti legimus, *Peccata populi comedent*. Ita ferme Scholia Græcanica. Denique sic hoc loco Christum vocavit *peccatum* ut nos paulo superius *justitiam Dei* dixit, & alibi Christum appellavit *maledictum*. Nec abhorret Augustinus ab hoc sermone lib. Adv. Faustum 14. à capite tertio aliquot deinceps capitulis: etiamsi locis aliquot ita sententiam hanc edisserit quasi verbum *fecit* pertineat ad *Christum*, non ad *Patrem*. ❡ *Justitia Dei*] Hebraico idiomate *justitiam* dixit pro *justus*: & addidit *Dei* ut excluderet fiduciam ac supercilium nostrorum operum. Ita Chrysostomus. Annotandum est schema in traductione, *peccati & peccati*; item in ἐναντιώσει, *peccatum & justitia*.

V A T A B L U S.

1. *TErrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur*] *Terrenum nostrum domicilium hujus habitaculi destructum fuerit*.

2. *In hoc*] Sub. *domicilio*: vel, *ob id*. ❡ *Habitationem nostram qua*] *Domicilium nostrum quod*.

4. *Gravati*] *Onerati*. ❡ *Quod mortale est*] *Mortalitas*.

5. *Efficit*] *Paravit*, vel, *fecit*. ❡ *Qui**] * *Etiam*. ❡ *Pignus*] Vel, *arrhabonem*.

6. *Audentes*, &c.] *Confidentes igitur semper & scientes quod*.

8. *Audemus autem*] *Confidimus inquam*. ❡ *Bonam voluntatem habemus*] *Probamus*. ❡ *Ad*] *Apud*.

9. *Contendimus*] *Certamus, ambimus*. ❡ *Sive absentes, sive præsentes*] Vel, *sive domi agentes, sive foris*.

10. *Propria corporis prout gessit*] *Ea quæ fiunt per corpus, juxta id quod fecit*: vel, *pro eorum portione quæ fecit*.

11. *Timorem*] *Terrorem illum*: i. Timentes igitur Dominum. ❡ *Manifesti*] *Manifestati*. ❡ *Manifestos*] *Manifestatos*.

12. *Non**] * *Enim*. ❡ *Pro nobis*] *De nobis*. ❡ *Habeatis*] Sub. *quod respondeatis*.

13. *Mente excedimus*] *Insanimus*, vel, *rapti sumus extra nos*: q.d. Si quid glorior, id non ad meam, sed ad Dei gloriam pertinet. Si mediocria loquor, id tribuite infirmis, quorum affectibus & capacitati memet accommodo. Vet. legunt, *excidimus*, præt. temp.

14. *Urget nos*] Sive *compellit*, vel *adducit*, scil. *eo, ut tanto animi zelo prædicemus*. ❡ *Si*] Græca quædam exemplaria non legunt, *si*. ❡ *Omnes mortui sunt*] i. Digni morte fuerunt.

15. *Et pro omnibus*] Vel, *pro omnibus autem*. ❡ *Ex hoc*] *Posthac*.

16. *Neminem novimus secundum carnem*] i. Neminem agnoscimus Christianum qui vivat secundum carnem, & non secundum Christum: vel, nihil moramur carnalia: i. externa. Persona pro ipsa re. ❡ *Cognovimus*] Vel, *cognovissemus*. ❡ *Carnem*] i. Corpus: h.e. mortalem: q.d. Christus carnem deposuit ut secundum illam hodie non cognoscatur: abjiciamus ergo & nostram; i. opera carnalia. ❡ *Jam*] *Amplius*.

17. *Si qua ergo in Christo nova creatura*] *Proinde si quis in Christo, nova creatura est*. ❡ *Vetera transierunt*] i. Quæ erant veteris hominis abolita sunt: Christiani [illegible]ti sunt novæ creaturæ, quam novitatem tueri debent.

18. *Ministerium reconciliationis*] i. Provinciam annunciandi hanc reconciliationem.

19. *Erat*] *Fuit*. ❡ *Reputans*] *Imputans*. ❡ *Et posuit*] *Posuit, inquam*.

20. *Exhortante*] Vel, *rogante*. ❡ *Pro Christo*] Vel, *per Christum*.

21. *Eum**] * *Enim*. ❡ *Peccatum*] Heb. Hostiam destinatam peccato expiando. ❡ *Justitia Dei in ipso*] Heb. ita ut Deus haberet nos pro justis per ipsum, sive propter ipsum.

C A S T A L I O.

2, 3, 4. *DOmicilium nostrum cæleste superinduere cupientes*, &c.] h.e. Cœleste corpus, quod habituri sumus in altera vita. Id corpus cupimus *superinduere*, *si modo induti, non nudi, reperiemur*, h.e. si in Christi adventu erimus adhuc in vita, nec dum nudi & hoc corpore exuti. *Nam nollemus exui* hoc corpore, si fieri posset, h.e. nollemus mori, sed vellemus adventu Christi subito *confecta mortalitate* mutari, & immortalitatem *superindui*. Loquitur autem Paulus de cunctis Christianis, qui immortalitatem optantes, à morte natura abhorrent; & cuperent, si fieri posset, eorum esse de quibus superiore Epistola dictum est, *non omnes obdormituros esse*.

7. *Nam in rei fiducia*] Certa spe. ❡ *Non in ipsa re versamur*] Τὸ εἶδος dixit, τὸ εἰδόμενον καὶ φανερόν· sicut Latini Jurisconsulti *speciem* vocant rem ipsam quæ accidit. Sic מראה Esai. 1. & מראה Exod. 20. ut ibi annotavimus. Isocrates in Helenæ Laudatione ἰδέας vocat, de pulcritudine loquens his verbis, Τῶν δὲ κάλλους ἀπεστερημένων οὐδὲν εὑρήσομεν ἀγαπώμενον, ἀλλὰ πάντα καταφρονούμενα, πλὴν ὅσα τῆς ἰδέας ταύτης κεκοινώνηκε, *At eorum quæ pulcritudine carent nihil amari comperiemus, sed omnia contemni nisi quæ hanc speciem habeant*, h.e. hanc rem. Idem paulo post eodem modo usus est. Hebr. 10. vocatur εἰκών. Non dissimile est quod Marc. 10. scriptum est, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν *qui videntur imperare*, h.e. quos videmus imperare, qui imperant.

19. *Quippe cum Deus esset in Christo*, &c.] Per Christum, in quo erat, dedit nobis reconciliationis administrationem. ❡ *Ess*] Mundanis, h.e. hominibus. ❡ *Reconciliationis orationem*] Evangelium.

C L A R I U S.

1. *SCimus enim*] Magni quidam sunt opinatores Philosophi Gentium, at nostri non nituntur opinionibus. *Scimus*, inquit: & quanta de re? De *æternis illis habitationibus*. Appellat autem hanc in hac vita commorationem *tabernaculum*, nempe quod facile ac cito transferatur; illam autem alteram, *ædificationem*. Atque hoc unum est, inquit, quod *ingemiscimus*, dum *vellemus non spoliari*, *sed superindui domicilium quod è cœlo est*.

3. *Siquidem etiam vestiti*] Dixerat, *superindui cupientes domicilium nostrum quod è cælo est*: ut declaret quid sit illud *superindui*, addit, *Siquidem etiam vestiti, non nudi inveniemur*: induti erimus hoc corpore, sed *ingemiscit* natura nostra *in hoc*, *quod nollet spoliari*, *sed supervestiri* illa incorruptione & gloria, nempe *ut absorbeatur mortalitas hæc à vita*. Neque enim corpus per se grave est & odiosum, sed corruptibile corpus ipsaque corruptibilitas. Alii interpretantur, *si tamen vestiti*, bonis scilicet operibus.

5. *Qui autem fecit nos*] Dixerat optare nos, quod ad appetitionem nostram attinet, *supervestiri*, & *nolle exspoliari*: nunc docet his verbis, acquiescendum esse tamen Divinæ institutioni: *Deus* enim, inquit, *est qui fecit*, h.e. aptavit, *nos in hoc ipsum*, atque ita instituit; interea tamen *dedit arrhabonem Spiritus* tanquam solatium quoddam. ❡ *Qui & dedit nobis arrhabonem Spiritus*] Significatio, inquit, certa consequendæ hereditatis est ingens ille *arrhabo Spiritus* quem *dedit nobis*.

6. *Audentes igitur*] Sensus totius contextus hic est, Nunc in quodam tabernaculo tanquam *peregrini* habitamus: quare ab hac peregrinatione discedere animose optamus & *esse cum Domino*. Interea tamen *admitimur placere illi*: *nam oportet nos ante illius tribunal aliquando sisti*.

11. *Deo autem manifesti sumus*] In hoc quidem *incumbimus*, quod dixi: quod si quis aliter de nobis suspicatur, hoc nihil ad nos: nam satis nobis est *Deo nos esse cognitos*.

13. *Sive enim mente excidimus*] Ἐξέστημεν. Significat autem *insanire & extra se fieri*: quod duobus modis accipi potest; ut dicat, *Non egemus vestra commendatione*: *sive enim judicemur insanire, hoc judicio Dei reservetur*; *sin prudentes esse, & sani hominis verba loqui, hoc vos magis quam ullos alios opinari decet*. Vel sic, *Si quando aliquid gloriamur* (quam appellat *insaniam*) *id ob honorem Dei facimus*; *sin sobrii in dicendo sumus, id vestri gratia facimus*.

14. *Charitas enim Christi*] Causa, inquit, cur nullam nostri ipsorum rationem habeamus, sed solam Dei gloriam curemus, hæc est, quod fortissimo astringimur argumento id agere, sic colligentes, *Si Christus pro omnibus mortuus est, significatio fit omnes fuisse morti obnoxios*: quod si ita est, cum ipse nobis vitæ autor fuerit, reliquum est ut intelligamus, quicquid vivimus, hoc totum nos illi debere qui, ut nobis hanc compararet vitam, pro nobis mortuus est & resurrexit.

16. *Itaque nos ex hoc*] Superioris, inquit, argumenti contemplatione id *statui*, *neminem posthac agnoscere secundum carnem*, h.e. nullam hic agnoscere carnalem cognationem. Nam Judæos quidem, meum sanguinem, meum genus, amo: sed

sed quatenus ad gloriam Christi pertinet, cætera neminem eorum agnosco, quandoquidem *ne Christum* quidem ipse *nunc secundum carnem agnosco*, quod olim faciebam antequam hanc veritatem agnoscerem. Nam existimabam Christum, qui à nobis exspectabatur, ad Judæos duntaxat pertinere; cogitabam ejus Regnum longe aliter quam est: & hoc erat *Christum nosse secundum carnem*; quod nunc non facio. Aliis videtur Paulus notare quosdam velle qui ob id sibi autoritatis plus vendicabant quod Christum olim vivum cognovissent.

17. *Siquis ergo*] Videtur ad proxima verba esse referendum, *Non esse* scilicet *Christum secundum carnem agnoscendum*. Siquis, inquit, novus per Christum homo est effectus, novis etiam intelligendi Christi modis utatur, & vetustatem literæ relinquat. Hæc autem omnia ex Deo sunt, non hominum inventa.

21. *Pro nobis peccatum fecit*] Hebraismus est; h. e. *hostiam & oblationem pro peccato.* Sic & quod sequitur, *ut nos efficeremur justitia Dei in eo*, h. e. ut nos efficeremur justi apud Deum per ipsum Christum.

ZEGERUS.

1. S*I terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis*] *Terrestrem* sive *tabernaculi domum* carnem hanc dicit mortalem; *domum æternam*, corpus immortale: quod *in cœlis* esse dicit propterea quod ibi sit in Christi Capitis nostri corpore nostræ futuræ incorruptibilitatis gratia.

2, 3. *Nam in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est superindui cupientes*, &c.] Non uno incommodo præsens locus implicitus est. Nam præterquam quod sensus ipse Metaphora convestitus est, habet & phrasin quandam (ne dicam solœcon) Latinis auribus inauditam, quæ facit ne vel facile possit animadverti eum his verbis sensum comprehendi quem veteres tradunt explanatores. Nam cum dicit *ingemiscentem se percupere ut domicilium illud cœleste supervestiri* mereatur, sentiens resuscitati corporis beatam immortalitatem, supervacaneum videtur ut hanc adjiceret clausulam, *si tamen vestiti & non nudi inveniamur*, cum haudquaquam fieri queat, ut qui gloria illa fuerit immortalitatis supervestitus possit nudus aut non vestitus eadem ipsa gloria reperiri. Quod autem in hac clausula de nuditate sentiat ab ista jam dicta gloria, palam indicant veterum Commentarii. Animadvertendum igitur quod cum prius non satis aperte dixisset cujusmodi habitationem superinduere cuperet, quasi explanando sese subjungit, *Si tamen vestiti, & non nudi inveniamur*; tanquam si ita apertius inquiat, Hic interim in hujus vitæ tribulationibus suspiramus, cœleste & incorruptibile domicilium optantes induere: sic tamen ut ne nudi, etiamsi simus immortali corpore induti, sed cum immortalitate etiam gloria inveniamur supervestiti. Frustra siquidem imo misere fuerimus immortales nisi cum immortalitate cœlesti fuerimus claritate donati. Quandoquidem juxta eundem hunc Apostolum 1 Cor. 15. 51. *omnes* quidem & pii & impii ad immortalitatem *resurgemus, at non omnes* ad cœlestem claritatem *immutabimur.* Cæterum quod ad voces quasdam attinet, illud ἐν τούτῳ *in hoc* incertum est an accipiendum sit pro *hac de re*, vel *hac in re*, nempe in tribulationibus quas supra commemoravit, an referat τὸ οἰκητήριον *habitationem*, denique an ponatur pro, *ob id gemimus quod cupiamus superindui.* Admonent præterea Veteres, pro *vestiti* in nonnullis cod. *exspoliati* ἐκδυσάμενοι scriptum fuisse, hoc sensu, *Siquidem exspoliati hoc corpore, Christum fuerimus vestiti.* Nam *quicunque in Christo baptizantur, Christum induunt*: qui sensus etiam apte quadrat in lectionem priorem, tametsi hoc illi non indicent. Tertullianus l. 5. adv. Marc. habet *despoliati*: *Siquidem & despoliati*, inquit, *non inveniemur nudi, id est, recipientes quod despoliati sumus, id est, corpus.* Alibi, nempe lib. De resurrect. *exuti*, quod idem est. Item Paulinus, *Si despoliatus à corpore, non inveniaris nudus ab opere*, epist. ad Sever. 6. ¶ *Si tamen exuti, non nudi*] Alias, *induti.* Multa suspicari me faciunt olim *exuti* in *induti*, & ἐκδυσάμενοι in ἐνδυσάμενοι mutata; lectio scilicet Tertulliani habens *exuti*, sermonis quæ prima facie videtur absurditas, admonitio Ambrosii & Chrysostomi de lectione diversa, & copula & superaddita.

4. *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est à vita*] Rursus hic semet quasi explanat, & cur dixerit *sese ingemiscere*, *Propterea*, inquit, *quod nolimus hoc corpore* (quod ad substantiam attinet) *despoliari*; & quid dixerit *supervestiri*, *Ut absorbeatur*, inquit, *mortalitas à vita.* Sensus ergo est, *Qui in hoc versamur* corporis nostri *tuguriolo*, variis ipsius *pressi* molestiis atque incommodis, *gemendo* precibus Deum solicitamus (ita enim fere Ambrosius *ingemiscimus* explicat) non ut corpore ipso exspoliemur quod ad ipsius substantiam attinet; *nolumus* enim *hoc exui*; *sed ut absorpta* quæ nobis negotium facessit *corruptibilitate*, *superinduatur* immortalitate cum gloria, ne ultra mori possit aut passionibus implicari: hoc enim est *absorberi à vita.* Nec enim dicendus est *absorberi à vita* qui ad hoc surgit ut agatur pœnis. Hic jam animadvertis, ni fallor, quo illud *gravati* quoque *ingemiscimus* referendum; ne arbitreris *gravati* ad immediate sequentia pertinere, *eo quod nolumus exspoliari.* Pulcre autem corpus hoc mortale *tabernaculum* appellavit, quod pastorum, militum & viatorum est, eoque & temporarium; cum supra corpus immortale *domum* & *habitationem* vocarit, ut quæ sit firmius permansura.

6. *Audentes igitur*, &c.] Θαῤῥοῦντες. Verbi emphasin reddere cupiens Interpres non *confidentes* sed *audentes* ait, h. e. audaci & infracto animo fidentes. Ac mox, *audemus*, i. constanter confidimus. Porro in *audentes* & *scientes* SUMUS subintellige, aut complexim, si malis, ad hunc modum lege, *Audentes igitur semper, & scientes quoniam dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino*] h. e. *peregre agimus*, nimirum à Domino semoti; (*per fidem enim ambulamus non per speciem*) *Audemus autem, & εὐδοκοῦμεν, bonam voluntatem habemus*, sive *probamus*, *ut possimus à corpore potius esse peregrini, Domino autem præsentes, quam contra, in corpore præsentes, à Domino autem peregrini.* Hic autem animadvertendum quod quia per Parenthesim illam, *per fidem enim*, interceperat orationem, ad eandem regrediens, verbo utatur, *gaudemus*, quia supra *audentes* dixerat.

11. *Scientes igitur timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus*] Terrorem, inquit, extremi illius judicii Dei cum certo sciamus, attemperamus nosmet, omnique studio connitimur, ne quenquam hominum offendamus, ut probati quoque simus hominibus, (id enim est *hominibus suademus*) Deo autem non est quod suadeamus, nam illius oculis *conspicui sumus ac manifesti.* Cave autem ad hunc modum construas, *suademus hominibus timorem Domini.* Nove enim usurpatur verbum *suadeo* & hic & Gal. 1. *Modo enim hominibus suadeo*: quod Augustinus utrobique sic enarrat quasi *suademus* idem sit quod *probatos nos reddere cupimus*, sicuti hic fere accipit Chrysostomus juxta sensum supra positum. At Ambrosius illic quidem *suadeo* interpretatur *satisfacio*, hic autem secus accipere videtur: sic enim (ut paucis comprehendam) explicando supplet, *Suademus ad bonum sensum & vitam, & ut credant, sibique ante Judicium prospiciant.*

12. *Ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur*] Subintelligendum est aliquid, quo sermo sit absolutus, veluti, *ut habeatis unde gloriari possitis adversus ejusmodi qui inaniter in conspectu hominum gloriantur, vacui interim vera, quæ in corde coram Deo est, gloriatione.* Vel, *ut habeatis quod respondere possitis his qui facietenus gloriantur.* Est recentior quidam qui tradit *habeatis* positum esse pro *possitis gloriari.*

13. *Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis,*] Hoc dicit, Sive per excessum mentis sublime quid loquimur, certe ad Dei gloriam id agimus, ut ne vos existimantes nos viles contemnatis, & pereatis: sive humilia & mediocria loquimur, id vestri profectus causa facimus. *Quid enim est*, inquit Augustinus in Collect. Bedæ, MENTE EXCESSIMUS DEO? *Ut illa videamus quæ non licet homini loqui. Quid est* TEMPERANTES SUMUS VOBIS? *Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Quod ergo mente excessimus, Deo; vos capere non potestis, quia carnales estis, nos carnalia omnia excessimus: Deo ergo mente excessimus. Quod autem temperantes sumus, vobis temperantes sumus, ut vestris commodis serviamus.* Qui plures desiderabit explanationes, legat Theophylacti Commentarios, itemque Bedæ ex Augustino Collectanea.

14, 15. *Charitas enim Christi urget nos: Æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*] Sive, inquit, excedimus, sublime quid loquentes, sive dejicimur, humilius quid proferentes, ad vestrum profectum omnia; non ut nostrum nomen, sed ut Christi cognitio latius proferatur in multorum salutem. Nam immensa illa *Christi* in nos *charitas* huc *nos exstimulat*, *expendentes hoc*, nempe *si Christus mortem oppetiit, unus pro omnibus, ergo omnes* una cum ipso jam *demortui sunt*, & per consequens omnium cogor quærere salutem, ne frustra pro ipsis Christus videatur dependisse. Quanquam varie sumi potest illud, *Omnes ἀπέθανον*

mortui sunt, sive *mortui fuere*, ut intelligamus omnes fuisse æternæ morti obnoxios. Vel *omnes mortui sunt*, i. omnes sumus corporali morti obnoxii propter primi parentis transgressionem. Vel *mortui sunt* morte peccati, *sive originali*, *sive nostra voluntate additi*, juxta Augustinum De Civit. Dei l. 20. c. 6. Item *omnes mortui sumus* veteri vitæ, ut deinceps nova simus creatura, per Christi mortem & novam vitam regenerati. Ad hoc postremum magis quadrant quæ sequuntur, *ut qui vivunt, jam non sibi vivant*, &c.

16, 17. *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non cognovimus. Siqua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova*] Ut sermo sit undique absolutus & apte respondeat tam superioribus quam inferioribus, hunc habeas oportet lectionis modum, *Ita cum omnes mortui in Christo ipsi vivant, nos novimus neminem ex hoc tempore vivere secundum carnem. Et si novimus secundum carnem vixisse olim mortalem Christum, sed jam amplius non ita vivere indubitata fide novimus. Quisquis igitur in Christo nova effectus est creatura, ab hoc vetera transierunt, factaque sunt illi nova omnia.* Et quemadmodum Christus non amplius in carne hac mortali, ita nec nos juxta carnis affectiones de cætero militamus. Verum ne mihi diffidas, cum hac sententia consentire Chrysostomum & hujus æmulum Theophylactum palam indicat ipsius Theophylacti commentarium ita habens, *Postquam omnes qui morti obnoxii scelerum ratione jam fuissent, per Christum Baptismi gratia revixere, merito, inquit, neminem fidelium cognoveramus secundum carnem qui viveret, h. e. secundum veterem illum & carnalem vivendi modum. Omnes namque fideles Spiritu ipso renati novam quandam & spiritualem transigunt vitam.* Deinde post interjecta Apostoli verba, *Et si cognovimus*, &c. subdit, *Ostendit vel in degenda non secundum carnem hanc vita Christum nos pravium habere & ducem, inquitque, Etsi fuit unquam carnali conditione Christus, haud tamen in præsentia est.* Porro D. Augustinus Adv. Faustum lib. 11. c. 7. de futura vita potius hæc docet intelligenda, *Apostolus*, inquiens, *suo more vitam nostram futuram, quæ jam in ipso homine Mediatore Christo Jesu capite nostro resurgente completa est, ita spe certa meditatur tanquam jam adsit præsensque teneatur: quæ utique vita non erit secundum carnem, sicut Christi vita non est secundum carnem.* CARNEM *namque hoc loco non ipsam corporis nostri substantiam, quam Dominus etiam post resurrectionem suam* CARNEM *appellat, dicens*, PALPATE ET VIDETE: QUIA SPIRITUS CARNEM ET OSSA NON HABET, SICUT ME VIDETIS HABERE, *sed corruptionem mortalitatemque carnis vult intelligi, quæ tunc non erit in nobis, sicut jam non est in Christo.* Deinde ad præcedentia Apostoli verba respiciens, *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est*, ita post multa subjungit, ibid. cap. 8. *Itaque eorum pro quibus mortuus est Christus & resurrexit, & qui jam non sibi sed illi vivunt, neminem secundum carnem Apostolus noverat, propter spem futuræ immortalitatis, in cujus exspectatione vivebant, quæ in Christo jam non spes sed res erat: quem etsi noverat secundum carnem cum adhuc moriturus esset, jam tamen non noverat, quia eum resurrexisse noverat, & ultra ei mortem non dominaturam. Et quia omnes in illo etsi nondum jam re, jam tamen spe hoc sumus, sequitur & dicit*, SIQUA IGITUR IN CHRISTO NOVA CREATURA, VETERA TRANSIERUNT, ECCE FACTA SUNT OMNIA NOVA, *&c. Omnis ergo nova creatura, i. populus innovatus per fidem, ut habeat interim in spe quod in re postea perficiatur, in Christo habet etiam quod in se sperat.* Hæc ille. Probatur sane mihi utraque intelligentia, Chrysostomi tamen assentior libentius. At quod hunc locum de carnali quidam cognatione intelligendum existimant, violentum quid judico.

19. *Et posuit in nobis verbum reconciliationis*] i. Prædicationem de reconciliatione humani generis.

21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*] Subaudiendum *Deus Pater*. Simile autem est ac si dicamus, *Eum qui malus nunquam est, nostri causa malum effecit*, h. e. Cum re ipsa impius esse haudquaquam possit, Pater tamen eum impii ac scelerosi imagine voluit vestiri, & quasi peccatorem mori. Vel, Filium suum à peccato penitus alienum Deus Pater *peccatum fecit*, h. e. autore Augustino Enchir. cap. 41. *sacrificium pro peccatis*, ut nos, qui nihil aliud quam peccatum eramus, justi efficeremur per illum.

STEPHANUS.

6. ΕΝδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ Κυρίου] *Dum habitamus in corpore, procul à Domino habitamus.* Vel, *Dum sumus in corpore, procul à Domino absumus.*

12. Συνιστάνομεν] *Commendamus.* ¶ Ἵνα ἔχητε] *Ut habeatis* gloriationem.

13. Εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, Θεῷ· εἴτε σωφρονοῦμεν] *Sive mente moti sumus, Deo; sive sana mente sumus.*

19. Καταλλάσσων] *Reconcilians.*

20. Πρεσβεύομεν] *Legatione fungimur.*

DRUSIUS.

1. D*Omus nostra hujus tabernaculi*] Corpus vocatur *domus hominis*, item *tabernaculum ejus.* Utrumque simul hic habes quasi ἐκ παραλλήλου. Nec refert utrum dicas *domus nostra hujus tabernaculi* an *tabernaculum hujus domus nostræ*: eodem redit. Sic infra v. 4. *qui sumus in hoc tabernaculo*, vult dicere *in hoc corpore*. Hier. in Jes. 39. *Quod autem corpus nostrum appelletur Tabernaculum & Apostolus instruit, dicens, Nos qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus aggravati.* *Tabernaculum* in his locis σκῆνος dicitur, & alibi σκήνωμα, videlicet 2 Pet. 1. 13. *Quamdiu sum in hoc tabernaculo*: & v. 14. *Cum sciam brevi futurum ut deponam hoc tabernaculum meum.* Æmulatus est Eusebius Hist. Eccles. l. 2. cap. 25. περὶ τῶν πάντων ἔθος τῶν εἰρημένων ἀποστόλων τοῖς ἱεροῖς σκηνώμασι κατατίθεσθαι, i. corpora eorum, fol. 20. Corpus vocatur non solum *domus tabernaculi nostri*, aut *tabernaculum domus nostræ*, sed *domus lutea*, quoniam ex luto pulveris extractum: unde *fundamentum* dicitur *esse pulvis* Job. 4. 19. *Qui habitant domus luteas, quorum in pulvere fundamentum est.* Vide sis Annotationes. ¶ *Dissolutum fuerit*] Per mortem. Hebraice נמוג. unde illud, *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Notavi alias. ¶ *Domum æternam*] Οἰκίαν αἰώνιον. Sic vocatur aliquando Sepulcrum, ut cum legimus, *Abiit in domum seculi sui.* Nam quia diu manemus in sepulcro, ideo *domus seculi nostri* dicitur. Aliquando *æterna domus* vocatur ipsum Templum, quod multo tempore steterit antequam everteretur. Hic magis proprie *domus æterna* vocatur habitatio cœlestis, quæ finem nullum accipiet, & quam ex Deo habemus.

2. *Superindui cupientes*] Nam corpore induimur: unde *indumentum* vocatur. Manahem, 137. 1. *Indumentum hominis est corpus*; &, *Caro est indumentum hominis*: idem aliter: nam *caro* est corpus; ut ibi, *Erunt caro una*, i. unum corpus. Infra v. 4. *in quo non cupimus exui, sed superindui.* Sensus est, *In quo corpore constituti, non cupimus exui eo, sed superindui, corpus mortale cum immortali commutantes.* Hoc significat cum ait, *ut absorbeatur quod mortale est a vita*, h. e. ab immortalitate.

6. *Dum sumus in corpore*] i. *Commoramur*, aut *habitamus.* Sed *commoramur* magis placet, quoniam non habitandi locum hic habemus, sed commorandi. *Esse* autem pro *commorari* etiam Hebræi autores usurpant; ut in historia Ruth, *& fuerunt ibi.* Sic, *Pater noster qui es in cælo*, i. habitas. Scire licet in fonte Græco haberi non ὄντες sed ἐνδημοῦντες, quod proprie *domi* aut *in populo suo esse* significat. Syrus autem interpretatur דעמרין, *dum habitamus*, aut *commoramur*, *nos in corpore*, hoc mortali. Nam qui ad Dominum it habitatum, corpus induit immortale. Unum quidem & idem corpus, sed qualitatibus diversum est, quod hic *tabernaculum* vocatur, ut diximus, ibi, h.e. in altera vita, *domicilium* erit ἢ οἰκοδομὴ, i. stabile ac firmum ædificium.

11. *Timorem Domini*] φόβος, *timor*, *metus* ac *terror*: unde φοβερὸς *terribilis*, i. נורא. Itaque emendant *terrorem illum Domini*, qui à Prophetis vocatur *dies Domini terribilis*, videlicet dies ultimi judicii, qui terribilis erit, si non justis, saltem improbis. *Metus* etiam dicitur id quod metuimus. Ergo *metus ille Domini*, judicium Domini metuendum ac terribile. Utro modo exponas hilum non interest: φόβος, ut dixi, tam *timor* quam *metus.* Sed *timor* Ebraice יראה, *metus* autem פחד quæ tamen confundi scias.

12. *In facie gloriantur*] *De facie*, h. e. externa specie: unde qui gloriam venantur, de interna pietate non admodum laborant ut hypocritæ, qui propterea vocantur *sepulcra dealbata*, *quæ intus plena sunt cadaverum.* Affine in Latio,

——— *Ego te intus & in cute novi.*

vult

vult dicere, *intus & extra*. Qui aliquem intus novit, cor novit, quod intra hominem. Proprie cor novit Deus, qui propterea καρδιογνώστης vocatur. De hypocritis alibi legimus, *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum procul abest à me*. Hi vero etiam de eo gloriantur, quæ extrema dementia est. Nam Deus externam pietatem passim abominatur; potissimum autem requirit cor, sine quo nemo ei placere potest. Valeant ergo qui externa in cultu Divino, non interna, sectantur. Quidam hic legunt *ex facie gloriam captans, non ex corde*. Eodem recidit.

CAMERO.

5. Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς, &c.] Apud LXX Interp. τὸ κατεργάζεσθαι significat *rem expolire rudem & informem*. Itaque vim verborum עשה & חרש ista voce expresserunt, ut Exod. 35. 33. ubi est עץ בחרשת vetterunt κατεργάζεσθαι τὰ ξύλα· & 1 Reg. 6. 56. אבן שלמה ארדם τὰ λίθοι κατειργασμένης λίθου. Eam hujus vocis significationem eleganter Paulus traduxit hoc loco ad significandam vim gratiæ qua nos comparamur & idonei reddimur qui compotes simus immortalitatis. Nos enim natura à cœlesti illa vita sumus alieni, non minus quam ligna & lapides illa figura vacui sunt qua deinde sculptoris arte exornantur. Quam ob causam etiam Dei οἰκοδομὴ 1 Cor. 3. 9. & κτίσις 2 Cor. 5. 17. & ποίημα Eph. 2. 10. dicimur, & *lapides vivi* 1 Pet. 2. 5.

JAC. CAPPELLUS.

17. Itaque si quis, i. quisquis est, *in Christo*, est *nova creatura*. Potest etiam subintelligi, *sit*, *esto*. *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova*] Non est hæc, mea quidem sententia, Scripturæ citatio, sed parodia Scripturæ verbis utens in re consimili potius quam eadem. Non agitur quidem Esa. 43. 19. de primo, nedum de novissimo, Christi die, sed de reditu Judæorum ab exsilio Babylonico. Sed si tum dici potuit Deus *omnia nova facere*, quanto magis in primo, quanto magis in novissimo Christi adventu? Quamobrem ut Paulus ad primum, sic Apoc. 21. 5. Johannes ad novissimum adventum Christi describendum usurpavit id quod de Judæorum ex Babylonia reditu dictum fuerat Esa. 43. 19.

18. *Hæc autem omnia sunt ex Deo*] Τὰ δὲ πάντα, pro ταῦτα δὲ πάντα, ut recte Beza monuit, h. e. Hæc autem omnis innovatio non est ullius hominis, sed unius Dei.

19. *Quia* tum cum omnia nova fecit, ut dicitur v. 16, & 17. *Deus erat in Christo mundum*, maximam hominum partem, quam antea per tot secula fuerat aversatus, *quasi reconcilians sibi*] Particulam ὡς, i. *ὡσεὶ*, *quasi*, Paulus hic addidit, quia qui sibi reconciliat aliquem, is quodam modo se demittit, ut alterum exæquet sibi & cum illo paria faciat. Cum igitur creatura Creatori par esse nullo modo possit, neque cum illo paria facere, merito phraseos hujus ἀνθρωπολογίαν emollit Apostolus adjectione particulæ *quasi*.

GROTIUS.

1. Οἴδαμεν γὰρ, *Scimus enim*] Cohærent hæc cum superioribus. ❡ ὅτι ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur*] Ἐὰν hic est *etsi*. *Etiamsi*, inquit, *corpus hoc non tantum affligatur, sed etiam dissolvatur ante diem Domini*. Σκῆνος [*tabernaculum*] & Hebræis & Pythagoricis est *corpus*. Sic γεῶδες σκῆνος [*terrenum tabernaculum*] idem quod φθαρτὸν σῶμα [*corpus quod corrumpitur*] Sap. IX, 15. Appellat sic & Eurysus libro de Fortuna, Theagis libro de Virtutibus, Pythagorici ambo, & Plato Axiocho, & Hebræus liber Zoar. οἰκία τοῦ σκήνους [*domus habitationis sive tabernaculi*] quomodo *fons Timavi*, *oppidum Antiochia*, *amnis Eridani*, *arbor fici*, ἐξηγητικῶς [*per explicationis modum*]. Σκήνωμα [*tabernaculum*] eodem sensu apud Petrum II, I, 13. apud Philonem libro, Virum bonum esse liberum, Ὁ νοῦς, ὁ πρὸς ἀλήθειαν ἄνθρωπος ἐστὶ, τὸ σκῆνος περιφερόμενος τὸ αἰσθητὸν εἶδος [*Mens, quæ vere homo est, domicilium hoc sensibile circumferens*]. Animus noster in corpore habitat, non tanquam in *domo diu statura*, quæ jam dicetur οἰκοδομὴ [*ædificatio*], sed tanquam in tentorio quod facilè tollitur. Annotavit hoc & Chrysostomus, nec aliter interpretatur Hieronymus ad XXXIX. Esaiæ. ❡ οἰκοδομὴν ἐκ Θεοῦ ἔχομεν, *ædificationem ex Deo habemus*] Præsens pro futuro. *Habebimus ædificium à Deo factum*, id est, corpus ἐπουράνιον [*cæleste*], πνευματικὸν [*spirituale*], de quo 1 Cor. XV, 44, 46, 48, 49. Nihil nobis peribit. ❡ οἰκίαν, ἀχειροποίητον, *domum non manufactam*] Perstat quanquam de corpore loquens in similitudine ædificii. Sic ναὸν ἀχειροποίητον [*templum non manufactum*] habemus Marci XIV, 58. περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ [*circumcisionem non manufactam*] Coloss. II, 11. Vult dicere *corpus factum divinitus*. Sic ἅγια οὐ χειροποίητα [*sancta non manufacta*]. Hebr. IX, 24. ❡ αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *æternam in cælis*] Corpus non immortale tantum, sed & loco isti, id est, *summo cælo*, conveniens.

2. Καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζομεν, *Nam & in hoc ingemiscimus*] *In hoc corpore gemimus*, Rom. VIII, 23. Nempe ob quotidianas molestias. ❡ τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι ἐπιποθοῦντες, *habitationem nostram quæ de cælo est superindui cupientes*] Vox ἐπενδύσασθαι aut ἐνδύσασθαι [*superindui*], utitur qua Paulus 1 Corinth. XV, 53. respondet Hebrææ מלבש, qua in hac re utitur liber Zoar, & alii. Exemplum ponunt in Enocho & Elia.

3. Εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι, οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα. *Si tamen vestiti non nudi inveniamur*] Id est, Si nos dies iste deprehendat cum corpore, non exutos à corpore, si erimus inter mutandos, non inter mortuos. Nam ita existimasse Paulum, fieri posse ut ipse & qui ejusdem erant temporis vivi ab illo die deprehenderentur, manifestum facit locus ille quem dixi ad Corinthios, & primo Thess. IV, 15, 17. ideo ambigue loquitur: ἐὰν καταλυθῇ [*dissolvatur*], & εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι [*si tamen vestiti*]. *Utrumvis futurum est*, inquit, *non fraudabimur nostro præmio*.

4. Καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει τούτῳ στενάζομεν βαρούμενοι, *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati*] Repetit quod dixerat, & addit causam cur gemant, οἱ ὄντες [*qui sumus*] *dum moramur*. Sic Ruth. I, 4. וישבו שם [*& manserunt ibi*] in Græco καὶ ἦσαν ἐκεῖ [*& erant ibi*]. ❡ ἐφ' ᾧ οὐ θέλομεν ἐκδύσασθαι ἀλλ' ἐπενδύσασθαι, *eo quod nolumus exspoliari sed supervestiri*] Dictum hoc comparate. *Malumus non exui hoc corpore, sed per mutationem superindui corpore immortali*. Malumus mortem lucrifacere. ❡ ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς, *ut absorbeatur quod mortale est à vita*] *Ut consumatur mortale ab immortali*. Ita loquitur & liber Hebræus qui dicitur *Succus malorum granatorum*. Nempe sine dolore.

5. Ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο Θεὸς, *Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus*] *Qui nos ad hoc præparavit*, per Euangelii nempe sui cognitionem. Sic עשה [*facere*] Hebræum sæpe significat ἑτοιμάζειν [*parare*], & sic vertitur interdum. Vide & Deut. XXXII, 6, ubi עשה [*facere*] exponitur per כון [*aptare*]. ❡ ὁ καὶ δοὺς ἡμῖν τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος, *qui etiam dedit nobis arrhabonem spiritus*] *Spiritus ille qui credentibus à Deo datur est velut promutuum vitæ illius plene spiritualis*. Vide supra I, 22. Est & hic genitivus positus ἐξηγητικῶς [*explicative*]. Nam ipse spiritus est *arrhabo*. Et subauditur hic rursus particula *est*, ut supra I, 21. IV, 6.

6. Θαῤῥοῦντες οὖν πάντοτε, *Audentes igitur semper*] Subaudiendum rursum, *sumus*. Sic enim solent Hebræi participia sine verbo ponere pro verbo præsentis temporis, quod Hebræi in verbis non habent. *Sumus bono animo*. ❡ Καὶ εἰδότες ὅτι ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ Κυρίου. *scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*] Id est, *à conspectu ipsius absumus*: ut peregrini qui à fratribus suis absunt.

7. Διὰ πίστεως γὰρ περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους. *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem*] Hoc per parenthesin legendum est. Sensus est, *Vitam nostram componimus* (id enim הלך [*ambulare*] Hebræis) *per fidem*, *rem vero visam consecuti nondum sumus*. Εἶδος מראה [*species*] est *res ipsa*, Num. XI, 8. Par sensus, Rom. VIII, 24. 1 Cor. XIII, 12.

8. Θαῤῥοῦμεν δὲ, *Audemus autem*] Repetit quod dicere cœperat, ut fieri interdum solet absoluta parenthesi. ❡ καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον, *& bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad Dominum*] *Malumus*, nempe si nostram tantum conditionem respicimus, ut explicatur Philipp. I, 23.

9. Διὸ καὶ φιλοτιμούμεθα, εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. *Et ideo contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi*] *Quapropter*, id est, quia de resurrectione non dubitamus, *omni studio contendimus* (id enim est φιλοτιμεῖν, ut Rom. XV, 20. 1 Thess. IV, 11.) *ut & nunc & tunc Christo placeamus*, nunc vitam nostram ipsi probando, tunc ab ipso præmium accipiendo.

10. Τοὺς γὰρ πάντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ, *Omnes enim nos manifestari oportet*] Id est, *stare*, παραστῆναι Rom. XIV, 10. נראה *conspici*. ❡ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ, *ante tribunal Christi*] Ut solent qui causam dicunt stare in loco conspicuo coram judice. ❡ ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος, *ut referat*

rat unusquisque propria corporis] Sic habent optima exemplaria, & sic legit Latinus, non διὰ τοῦ σώματος [*per corpus*]. Ἴδια [*propria*] sunt ea quæ corpori debentur; sicut justitia dicitur *suum cuique reddere*, quod sæpe est τὸ ἀρμόζον [*conveniens*]. *Referet quisque præmium vel pœnam, quod corpori ipsum*, id est, ipsi, *debebitur*. ❡ πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακόν. *prout gessit, sive bonum, sive malum*] *Convenienter vitæ quam duxerit.*

11. Εἰδότες οὖν τὸν φόβον τοῦ Κυρίου, *Scientes ergo timorem Domini*] Cum igitur notum nobis sit quæ sit vera religio: quam Hebræi circumscribentes vocant יראת יהוה [*timorem Domini*], ut in Proverbiis sæpe. ❡ Ἀνθρώπους πείθομεν, *hominibus suademus*] *Damus operam ut aliis persuadeamus eam religionem sequi.* ❡ Θεῷ δὲ πεφανερώμεθα· *Deo autem manifesti sumus*] Id est, *hujus sinceri nostri propositi Deum habemus testem.* Præteritum pro quovis tempore, more Hebræo. ❡ ἐλπίζω δὲ καὶ ἐν ταῖς συνειδήσεσιν ὑμῶν πεφανερῶσθαι. *spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse*] *Non dubito quin me quod attinet etiam vestra conscientia mihi talis propositi testis sit.*

12. Οὐ γὰρ πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνομεν ὑμῖν, *Non enim iterum commendamus nos vobis*] Repetit quod dixerat supra III, 1. Ideo dicit πάλιν [*iterum*] hoc sensu. *Iterum dico non opus esse, ut me vobis commendem, satis me nostis.* Est trajectio verborum pro πάλιν γὰρ οὐ συνιστάνομεν [*iterum enim non commendamus*] & οὐ συνιστάνομεν [*non commendamus*] pro λέγομεν οὐ συνιστᾶν [*dicimus non commendare*]. ❡ ἀλλὰ ἀφορμὴν διδόντες ὑμῖν καυχήματος ὑπὲρ ἡμῶν. *sed occasionem dantes vobis gloriandi pro nobis*] Supple, *hæc dicimus*. Et ἀφορμὴν καυχήματος [*occasionem gloriandi*] intellige, *magni gaudii occasionem*. De quo significatu verbi καυχᾶσθαι [*gloriari*] & nominum καυχήσεως & καυχήματος [*gloriationis*] satis jam diximus. ❡ ἵνα ἔχητε πρὸς τοὺς ἐν προσώπῳ καυχωμένους, καὶ οὐ καρδίᾳ. *ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde*] *Ut habeatis*, nempe *unde causam meam tueamini adversus eos qui sibi placent in rebus externis*, ut eruditione & divitiis, *non autem in cordis puritate*, qualem mei actus testantur. πρόσωπον [*faciem*] עינים 1 Samuel. XVI, 5, ubi ὄψιν [*aspectum*] posuere Græci, omne id quod inter homines humana sapientes magni fieri solet.

13. Εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, Θεῷ· *Sive enim mente excidimus, Deo*] Inimici Pauli ἐκστάσεις [*alienationes mentis*] ejus calumniabantur, tanquam signum animi non semper sui compotis. At Paulus contingere sibi ἐκστάσεις [*mentis alienationes*] non negat (nam & Petro contigerat Actor. XI, 7.) sed dicit hoc sibi evenire in Dei honorem, qui etiam eo modo Pauli ministerium illustrabat, infra XII, 1. Subintelligitur ἐξιστάμεθα [*mente excidimus*] ex verbo præcedenti. Simile loquendi genus, Rom. II, 28. ❡ εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν. *sive sobrii sumus, vobis*] Repete iterum σωφρονοῦμεν [*sobrii sumus*] quod subintelligitur. Σωφρονεῖν [*sobrius esse*] hic est ea agere, *quæ sunt hominis qui est extra ἔκστασιν* [*alienationem mentis*]. Vide Marci V, 15. *Talis sum vobis*, id est, in vestros usus, cum doceo, cum scribo.

14. Ἡ γὰρ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς· *Charitas enim Christi urget nos*] *Dilectio quam Christo debemus nos compellit*, ut omnia Dei & Christianorum causa agamus. Συνέχειν [*urgere*] similitudo sumpta à parturientibus. Vide Luc. XII, 50.

15. Κρίναντας τοῦτο, *æstimantes hoc*] *Ut qui hoc statuamus.* ❡ ὅτι εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, *quoniam si unus pro omnibus mortuus est*) *Si*, id est, quandoquidem. ❡ ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον· *ergo omnes mortui sunt*] Hic quoque actum dixit pro officio aut eo quod debetur. Debent & omnes mori nempe peccato. Sensus enim est idem, sed brevius enunciatus, qui Rom. VI. in principio, 1 Petr. IV, 1, 2. ❡ καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, *& pro omnibus mortuus est*] Καὶ hic valet *nam*. Ostendit qualem Christus mortem pertulerit. ❡ ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, *ut qui vivunt jam non sibi vivant*] *Non ex suo arbitratu.* ❡ ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι. *sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit*] Ex Christi præscripto. In ejus honorem. Simile loquendi genus Rom. VI, 2. XIV, 7.

16. Ὥστε ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα· *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem*] Non æstimamus quenquam è divitiis, aut eruditione, quæ sunt res *carnales*, id est, hujus sæculi. ❡ εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστὸν, ἀλλὰ νῦν οὐκ ἔτι γινώσκομεν. *& si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*] Ἐγνώκαμεν (*cognovimus*) hic est indicativus pro subjunctivo more Hebræo. *Etiamsi*, inquit, *Christum in carne*, id est, cum vitam adhuc mortalem ageret, *familiariter cognitum habuissemus, nunc tamen eum non ut talem consideramus & colimus, sed ut Regem cælestem & Judicem humani generis.* Est ἀντανάκλασις [*Refractio*] in verbo γινώσκειν [*cognoscere*] quod & *notitiam* significat & *æstimationem*. Dictum autem hoc est adversus illos, qui cum ex Judæa Corinthum venissent, se præferebant cæteris eo quod Christum ipsum docentem audiissent, vidissent, forte & cognatione aliqua contingerent, ut illi qui ob id dicti fuere δεσπόσυνοι [*heriles*]. Vide quæ dicta ad 1 Corinth. I, 12.

17. Ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ καινὴ κτίσις· *Si quis ergo in Christo nova creatura*] *Qui Christum profitetur est velut homo novus*, & æstimandus ex profectu quem fecit in via Christi. *Nova creatio* modo de vita Christiana, ut Galat. VI, 16. modo de ipso Christiano homine dicitur. Recte utrumque. Nam vitam illam producit Deus & hominem refingit. Confer Roman. VI, 6. Non multum abit hinc id quod Plato dicit citatus Eusebio Præparationis XI. Καὶ γηγενεῖς δὲ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον ἐξ ἀνάγκης φυομένους, οὕτως ἔχειν τοὔνομα καὶ τὸν λόγον, ὅσους μὴ Θεὸς αὐτῶν εἰς ἄλλην μοῖραν ᾤχετο [*Atque ita terrigenas necessario productos, hoc nomen atque hanc causam habere, quotquot quidem eorum non in aliam sortem à Deo sunt deducti*]. Adde quæ ad Johan. III, 3. ❡ τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, *vetera transierunt*] Nobilitas, opes, Philosophia, nihili sunt. ❡ ἰδοὺ γέγονε τὰ πάντα καινά. *ecce facta sunt omnia nova*] *Nova sunt omnia*, quæ ad salutem æternam nos ducunt, ex quibus nunc æstimandi sumus. Vide Ephes. III, 9. Est autem mystica applicatio loci Esaiæ XLIII, 18, 19.

18. Τὰ δὲ πάντα, *Omnia autem*] Hæc scilicet, ex quibus censendi sumus. ❡ καὶ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς· *& dedit nobis ministerium reconciliationis*] *Ministros nos fecit ipsius sui propositi.*

19. Ὡς ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*] Hic ὡς [*quoniam*] est ἐξηγητικὸν [*explicativum*]. *Hoc est, quod Dei nomine annuntiamus.* ❡ μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, *non reputans illis delicta ipsorum*] Non ita imputans, ut non eos à peccatis & pœnis peccatorum vellet liberare per eam viam, quam Christus & monstraverat & inierat. Vide Luc. XXIII, 34. Sunt enim peccatorum remissionis, ut & aliorum Dei beneficiorum, sui gradus. Vide Johan. III, 16. ❡ καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς. *& posuit in nobis verbum reconciliationis*] *Ponere verba in aliquo, aut in ore alicujus*, est mandata alicui dare, Exodi IV, 15. Sic Deus Apostolis mandata dederat humanum genus ad suam amicitiam revocandi.

20. Ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν· *Pro Christo ergo legatione fungimur*] Christus Dei nomine hoc annuntiavit, nos vero *Christi nomine*, quippe ab ipso in hoc munus substituti, Johan. VI, 57. ❡ ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν, *tanquam Deo exhortante per nos*] Legati quod dicunt id Rex dicere videtur. Deus Christum Legatum fecerat, Christus ex potestate sibi à Patre data Apostolos. ❡ δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ· *obsecramus pro Christo*] *Christi nomine.* ❡ καταλλάγητε τῷ Θεῷ. *Reconciliamini Deo*] *Redite cum Deo in gratiam.* Dicitur καταλλάσσεσθαι [*redire in gratiam*], etiam is qui alium offendit, ut videre est Matth. V, 23, 24. 1 Cor. VII, 11. Rom. XI, 15.

21. Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, *Eum enim qui non noverat peccatum*] Christum insontem. Joh. VIII, 46. 1 Petri II, 22. *Nosse peccatum* est conscium sibi esse peccati. ❡ ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis*] *Nostri causa.* ❡ ἁμαρτίαν ἐποίησεν, *peccatum fecit*] Duplex figura. Nam & abstractum est pro concreto, ut in membro opposito *justitia*, id est, *justi*, & præterea subaudiendum ὡς [*tanquam*]. *Fecit peccatorem*, id est, *tanquam peccatorem*. Sinit eum tractari tanquam scelerosum. Ita explicant Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus non male. ❡ ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ. *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*] *Ut nos per ipsum fieremus justi ea justitia quam Deus approbat*, cujus pars potissima est in corde. In Christo, id est, per Christum, Christo duce.

CAP.

CAP. VI.

VALLA.

1. ADjuvantes autem exhortamur vos] Non dicit Apostolus, ut quidam volunt, *adjuvantes vos*, sed *Deum*. At adjuvari Deum ab homine, nefas dictu isti putant, qui adjuvari potius homines à Paulo volunt. Sciant ergo hi se recte sentire, & Græce esse *cooperantes*, συνεργοῦντες.

4. *Sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia*] Cur non potius, *Sed in omnibus* (sive *in omni re*) *commendantes nosmetipsos veluti Dei ministros?* ἀλλ' ἐν παντὶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς ὡς Θεοῦ διάκονοι.

8, 9, 10. *Ut seductores, & veraces; Sicut ignoti, & cogniti; quasi morientes, & ecce vivimus; ut castigati, & non mortificati; Quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*] Ajunt quidam docti plus inesse majestatis in illa Homeri simplicitate quam gratiæ in illa Virgilii festivitate, ubi ille Græcos Principes populosque, hic Italos enumerat. Ita hoc loco mihi videtur festivitas hæc Interpretis in variandis dictionibus, ut nunc dicat *quasi*, nunc *tanquam*, nunc *sicut*, nunc *ut*, non tantum decoris habere quantum Græca ipsa simplicitas, i. Paulina oratio sublimis atque urgens ejusdem dictionis repetitione in principio sententiarum, hoc modo, *Ut seductores, & veraces; ut ignoti, & cogniti; ut morientes, & ecce vivimus; ut castigati, & non mortificati, ut tristes, sed semper gaudentes; ut egentes, multos tamen locupletantes; ut nihil habentes, & omnia possidentes.* Possemus itidem incipere per *quasi*, per *tanquam*, per *velut*, sed non per *sicut*. Itaque Interpres dum more suo accersit gratiam varietatis, ostendit se non plene tenere significata harum dictionum, quas nil differre existimat.

ERASMUS.

1. ADjuvantes autem exhortamur] Thomas hoc loco torquet sese, primum bifariam interpretans *adjuvantes vos*, ut referatur ad Corinthios; deinde, *adjuvantes Deum*. Cæterum quoniam hoc jam absurdum videtur, *Deum adjuvari ab homine*, distinctiunculam adhibet, qua tamen nihil erat opus si Græca consuluisset, in quibus est συνεργοῦντες, *cooperantes*. Cur enim horreamus hunc sermonem, cum in superioris epistolæ cap. 3. legamus, *Dei enim adjutores sumus*, συνεργοί; Chrysostomus tamen & priorem sententiam retulit, quemadmodum & Theophylactus. Verum altera magis congruit his quæ præcedunt & sequuntur. Pater est autor negotii; Christus, Princeps legationis; Apostoli, ministri. In Christo operatur Pater; Christus in Apostolis. Nec conjunctio caret emphasi, καὶ παρακαλοῦμεν. Magnum erat illis prædicasse Evangelium, tantaque perpessum fuisse, & tamen his addit etiam obsecrationem. Deinde quod sequitur, *exhortamur*, Græce est παρακαλοῦμεν, quod, ut crebro dictum est, sonat & *obsecramus & consolamur*; ut paulo superius, *Tanquam Deo exhortante per nos.* Utroque loco non male quadrabat *obsecrandi* verbum, præsertim cum sequatur δέομαι *rogo*, quod Interpres vertit *obsecro*. Illud annotandum, quo se dimittat tantus Apostolus, etiam apud illos qui peccaverant; cum nunc longe dissimiles huic miro supercilio nil nisi mandata, minas, excommunicationes & anathemata crepent. Bis autem rogat, primum nomine Christi, *cujus vice fungitur*, deinde suo, tanquam illius *cooperarius*: quasi hoc nonnihil etiam ad se pertineret. Deinde *gratiam Dei* vocat beneficium Dei.

2. *Tempore accepto exaudivi te*] Cum dicit *ait*, subaudiendum est *Dominus*, sive *Scriptura*: quæ sermonis forma non est infrequens apud Paulum. Locus quem adducit est apud Esaiam c. 49. Hebraica D. Hieronymus ita reddidit, *In tempore placito exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui.* Neque dissident ab his LXX, *Tempore opportuno exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui*. Illud interim miror, qui factum sit ut pro *tibi* legamus *tui*, cum Græce sit dativus, ἐβοήθησά σοι: quod tamen magis est *succurri tibi* quam quod hic vertit, *adjuvi*.

3. *Nemini dantes ullam offensionem*] Interpres legisse videtur μηδεμίαν μηδενὶ διδόντες, cum in his quos mihi videre contigit Græcis cod. scriptum habeatur μηδεμίαν ἐν μηδενὶ, *ne quam usquam*, sive *ulla in re*. Ita legit & Theophylactus & Chrysostomus. Itidem citat Augustinus De Triade lib. 8. c. 9. *Nullam in quoquam dantes offensionem*: ut μηδενὶ referatur ad Rem, non ad Personam. ❡ *Ministerium nostrum*] *Nostrum* apud Græcos non est additum; & præstat non addi, quo plenior sit sensus. Salus est munus Dei, ea per nos administratur. Sic igitur se gerat qui ministrat ne munus ipsum contemnatur vitio administrantis. Interpres exprimere voluit vim articuli, ἡ διακονία.

4. *Exhibeamus*] Συνιστῶντες ἑαυτοὺς, *commendantes nosipsos*: atque ita legit D. Ambrosius, cumque hoc consentiens Augustinus lib. De doctr. Chr. 4. c. 20. Incertum autem an sit *exhibeamus* an *exhibemus*. Nam mox ingreditur laudes suas. Hanc enim vocat *commendationem* quæ factis ipsis conciliat favorem & autoritatem. Nec est *sicut Dei ministros*, sed *sicut Dei ministri*: ut subaudias *sumus*: quemadmodum & illic, *Nemini dantes*, &c. nisi magis placeat referre ad illud superius, παρακαλοῦμεν *exhortamur*: deinde post multa interjecta respondeat, *Nemini dantes*. Ita omnia hæc pertinebunt ad personam Pauli, atque ita consentaneum est. Denique Ambrosius legit, *ut Dei ministri*; non *ministros*. ❡ *In patientia multa*] In harum enumeratione rerum nonnihil variant exemplaria: quod fere solet usu venire quoties recensentur hujusmodi complusculа, fallente scriptorem, opinor, sua memoria. Tum præpositio *in* toties repetita propemodum per abusum usurpari videtur pro *per*.

6. *In suavitate*] Ἐν χρηστότητι *in benignitate*, seu *bonitate*, & *comitate*; quæ opponitur supercilio & asperitati morum. ❡ *In charitate non ficta*] Jucundior est apud Græcos vox composita, ἀνυποκρίτῳ, i. *quæ expers sit simulationis*. Ambrosius legit *non simulata*.

7. *In virtute Dei*] Ἐν δυνάμει Θεοῦ. Ut de *signis* ac *miraculis* intelligas, quemadmodum interpretatur & Ambrosius. ❡ *A dextris & a sinistris*] Faber Stapulensis hoc loco mutat pro DEXTRIS AC SINISTRIS, *secundorum & adversorum*: quod quid sibi velit prorsus non intelligo. Nam primum longe aliud est *sinistrum ac dextrum* quam *adversum & secundum*. Quanquam nec illud video, quomodo arma quæ tergo gerimus *secunda*, quæ à pectore *adversa* dici possint. Verum ut demus hæc ita habere, non erat tamen dicendum *secundorum & adversorum*, sed *secunda & adversa*: referuntur enim hæc epitheta ad *arma*, ni fallor. Sed Faber, opinor, voluit interpretari *dextra & sinistra*, quasi per *dextra* significentur res secundæ, per *sinistra* res adversæ. Atqui istud est officium commentarium scribentis, non interpretis. Nec est absurdum quod vocat *arma dextra* quæ ad dextram nos muniunt adversus indulgentiam fortunæ; & *sinistra*, quibus à sinistra tegimur adversus incursum malorum & afflictionum. Quanquam mihi simplicius videtur ut accipiamus *à dextris & à sinistris* quasi dicas, *undique armati adversus omnia*: id enim figura proverbialis efficit. Certe D. Aurelius Augustinus cum alibi tum in Commentariis Psalmi 92. legit, *per arma justitiæ dextra & sinistra*. Eodem modo citat lib. De Triade 8. c. 9.

8. *Per gloriam & ignobilitatem*] Διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, *per gloriam & ignominiam*, sive *contemtum*. ❡ *Per infamiam & bonam famam*] Διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας, q. d. *maledicentiam & benedicentiam*. ❡ *Ut seductores*] Ὡς πλάνοι, *ut impostores*, vel potius *quasi*, sicut mox vertit. Quanquam oportuit ita perpetuo vertere, cum sit ubique ὡς. Sed Interpres mire sibi placuit sua copia, nunc vertens *ut*, nunc *quasi*, nunc *sicut*, nunc *tanquam*, perinde quasi nihil intersit apud Latinos inter has omnes voces. Jam ut demus nihil interesse, certe vocis ejusdem iteratio non solum ad decus orationis facit verum etiam ad vehementiam. Sic enim totus hic sermo per Contraria, per Membra, per Comparia, per Similiter desinentia, per ἀναδιπλώσεις, aliaque id genus schemata variatur, volvitur ac rotatur ut nihil esse possit nec venustius nec ardentius. Unde D. Augustinus hunc locum producit in libris De doctrina Christiana tanquam exemplum grandiloquæ dictionis. Nam velut in ecstasin raptus tandem addit, *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii.*

9. *Sicut qui ignoti, & cogniti*] Ὡς ἀγνοούμενοι, καὶ ἐπιγινωσκόμενοι. Augustinus lib. De doctr. Chr. 4. c. 20. servata temporis ratione legit, *Ut qui ignoramur, & cognoscimur.* Quo quidem in loco totius hujus orationis ardorem & harmoniam annotavit, si quis cupiet cognoscere. ❡ *Tanquam castigati, non mortificati*] Ὡς παιδευόμενοι. Quod Augustinus cum alias tum lib. De civit. Dei 11. legit *ut coerciti, & non mortificati*. Græcum participium præsentis est temporis, quod sic efferri possit, *ut qui corripimur, non occidimur*. Significat enim pios corripi à Deo, sed veluti filios à patre, qui castigat & emendat flagello, non interimit.

10. *Quasi*

10. *Quasi tristes*] Ὡς λυπούμενοι, *dolentes* potius. ❡ *Ut nihil habentes, & omnia possidentes*] Fortassis hoc loco venia danda Interpreti quod Græci schematis gratiam non reddidit, ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες, q.d. *ut nihil tenentes, & omnia continentes.* Dilucidius autem erat, *quasi nihil habentes cum omnia possideamus.*

12. *Non angustiamini in nobis*] Οὐ στενοχωρεῖσθε. Primum admonendus est lector, hic *angustiamini* non esse dictum imperandi modo, sed indicandi: neque enim Græce dixit μὴ, sed οὐ. Et Interpres hoc orationis genus reddere solitus est ad hanc formam, *Nolite angustiari*; ut paulo post, *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Deinde στενοχωρεῖσθαι dicuntur qui *loci angustia premuntur.* Sentit igitur *sibi esse amplissimum animum in Christo: cæterum illos angustos esse, non in Paulo, sed suis ipsorum affectibus*, quos *viscera* vocat. Ac mox hortatur ut *& ipsi desinant esse angusti.* Siquidem *angustiam* vocat hoc loco non afflictionem aut molestiam animi, sed trepidam observationem ceremoniarum legis Mosaicæ aut humanarum traditionum. Superius enim disputavit de Idolothytis. Nisi mavis ad mœrorem referre quem conceperant ex eo quem Paulus jusserat *tradi Satanæ.*

13. *Eandem autem habentes retributionem*] *Habentes* non habetur in Græcis exempl. unde videtur subaudienda præpositio κατὰ, i. *juxta eandem retributionem dilatamini & vos.* Theophylactus de suo supplet verbum εἰσενέγκατε, *adferte.* Quanquam Ambrosius legit *mercedis retributionem*, ut exprimeret Græcam vocem ἀντιμισθίαν. Idem ita distinguit ut participium *habentes* pertineat ad *angustiamini*: *Angustiam patimini non per me, qui sum amplissimo & animo & ore erga vos, sed in vestris ipsorum animis, cum habeatis eandem pensationem mercedis quam cæteri atque ego.* Deinde subjicit, *Ut filiis loquor, dilatemini vos quoque*, videlicet ut parenti respondeatis. Verum ex Chrysostomo deprehendimus hujus loci lectionem, ut nec præpositione sit opus nec verbo aliunde ascito. Quod Paulus appellat *amplitudinem*, est eximiæ charitatis; quod *angustiam*, est charitatis non ex æquo respondentis. Expostulat igitur cum Corinthiis quod minus ab illis diligatur quam ipse diligat. Cum igitur dixisset, *Angustiamini in visceribus vestris*, perinde quasi rogassent Corinthii, *Quorsum ista, Paule?* respondet, *Non exigo à vobis quicquam arduum, neque reposco meritum cum usura; tantum hoc postulo pater à filiis, ut in charitate respondeatis: omnia putabo pensata si pariter ametis. Hæc erit merces officiorum meorum erga vos.* Itaque *dico* est velut exponentis quod tectius dixerat, *Non angustiamini in me, sed in visceribus vestris.* Quemadmodum solemus dicere, *Novercam loquor*, h. e. De noverca loquor. Hæc loquor tanquam cum filiis, exigens ab eis mutuam charitatem. Chrysostomi verba subscribam, Καὶ οὐκ εἶπεν, Οὐ δέχεσθε ἡμᾶς, ἀλλ᾽ ὅτι στενοχωρεῖσθε. τὸ αὐτὸ μὲν αἰνιττόμενος, μετὰ φειδοῦς δὲ, καὶ τοῦ μὴ σφόδρα καθάψασθαι. Τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν, ὡς τέκνοις λέγω. καίτοι οὐκ ἔστιν ἴσον, πρότερον ἀγαπηθῆναι· κἂν γὰρ τὸ ἴσον τις εἰσενέγκῃ μέτρον, ἠλάττωται τῷ δεύτερος ἐπελθεῖν. ἀλλ᾽ ὅμως οὐδὲν ἀκριβολογοῦμαι φησι, κἂν παρ᾽ ἐμοῦ λαβόντες τὰς ἀρχὰς τὸ αὐτὸ μέτρον ἐπιδείξησθε· ἀγαπῶ καὶ στέργω. εἶτα ἵνα δείξῃ ὅτι καὶ ὀφειλὴ τὸ πρᾶγμα ἦν, καὶ ὅτι κολακείας ἐκτὸς τὰ εἰρημένα, ὡς τέκνοις λέγω, φησί. τί ἐστιν, ὡς τέκνοις; οὐδὲν μέγα αἰτῶ, εἰ πατὴρ ὢν βούλομαι φιλεῖσθαι παρ᾽ ὑμῶν, *Non dixit, Non capitis nos, sed,* ANGUSTIAMINI, *idem tacite significans, sed parcens illis, nec acriter mordens.* EANDEM AUTEM RETRIBUTIONEM, UT FILIIS DICO. *Atqui non est æqualitas, cum prius sint dilecti. Nam etsi quis eandem reponat mensuram, tamen hoc inferior est quod posterior accessit. Attamen nihil, inquit, ad vivum reseco. Quanquam à me profectum est amoris in vos exordium, tamen eandem mensuram reponite. Diligo & amo. Deinde quo videatur res esse debiti, nihilque dictum per assentationem,* UT FILIIS, *inquit,* LOQUOR. *Quid est,* UT FILIIS? *Nihil magni postulo, si, cum sim pater, postulem à vobis diligi.* Ex his Chrysostomi verbis apparet illud λέγω non referri ad sequentem orationem, *dilatamini & vos*, sed ad *retributionem.*

14. *Nolite jugum ducere*] Sensum probe reddidit Interpres; quanquam Græcus sermo significantior est, μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες, *Ne jungamini eodem jugo cum infidelibus.* Nam si Christianus ducat uxorem ethnicam, aut Christianus in gerendo magistratu collega sit ethnico, dicetur ἑτεροζυγεῖν. Hujusmodi matrimonia Hieronymus *imparia* vocat. ἕτερον apud Græcos interdum significat *alterum e duobus*, interdum *diversum sive è duobus sive e pluribus.* Ἑτερόφθαλμος, *qui altero caret oculo.* Ἑτερόδοξος, *qui diversæ est opinionis.* Unde incertum est an Paulus dicat ἑτεροζυγοῦντας, *qui alteram jugi partem sustinent*, an *qui cum diversæ conditionis homine jugum ducunt*, veluti si equum ac bovem jugo copules. Posterius est probabilius ex his quæ sequuntur, *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?* &c.

15. *Conventio*] Συμφώνησις, *consensus*, aut *concordia.* ❡ *Christi ad Belial*] Græci legunt *Beliar*, Βελίαρ, ob id, ni fallor, quod Græcis nullum nomen desinit in *L.* Græca Scholia indicant *Belial* Hebræis significare *desertorem*, h. e. Luciferum. At eximius ille Joannes Reuchlinus, vir undequaque doctissimus, & alterum post Rodolphum Agricolam decus & ornamentum nostræ Germaniæ, in suo Lexico docet BELIAL apud Hebræos significare *malum & iniquum* aut etiam *noxium dæmonem*: quod satis quadrat. Nam Christus omnia fecit ut prosit; contra Belial, etiam cum juvat, in hoc juvat ut noceat.

16. *Sicut dixit Deus*] Hoc testimonium D. Thomas Aquinas sumptum putat ex Levitici capite 26. ubi legimus ad hunc modum, *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis mihi populus meus.* At Carrensis, autore Didymo, refert ad Ezechielis caput 37. ubi legimus ad hunc modum, *Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient Gentes quia ego sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Atqui cum neutro horum locorum per omnia respondet citatio Paulina. Proinde sciat lector hoc testimonium non ex uno prolatum loco sed è pluribus conflatum; id quod & alias factum ostendimus. Siquidem prima pars è Levitico deprompta videtur; deinde quæ sequuntur, *Quapropter exite de medio illorum*, &c. ex Esaia decerpta sunt, apud quem legis cap. 22. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus: mundamini qui fertis vasa Domini.* Demum quod adjecit, *& ero vobis in Patrem*, &c. sumptum videri potest ex Jerem. 31. *Quia factus sum Israel Pater; & Ephraim, primogenitus meus.* ❡ *Et inambulabo inter eos*] *Inter eos* non est Græcis, sed tamen Interpres conatus est exprimere verbum ἐμπεριπατήσω, quod significat *in aliquo ambulare.* Nam *inambulare* Latinis nihil aliud est aliquoties quam *ambulare.* Tametsi melius erat *in eis* quam *inter eos*, nisi putamus utrobique præpositionem *in* positam pro *inter.* Ambrosius utramque scripsit, ita legens, *inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo.*

VATABLUS.

1. A*Utem* *] * *Et*, Vet. vel, *etiam.* ❡ *Exhortamur*] Vel, *obsecramus.* ❡ *Recipiatis*] *Receperitis.*

2. *Ait*] Sub. *Dominus.*

3. *Nemini dantes ullam*] *Ne quam usquam demus.* ❡ *Vituperetur*] *Reprehendatur.*

4. *Exhibeamus*] *Commendemus.* ❡ *Sicut Dei ministros*] *Ut Dei ministri.* ❡ *Angustiis*] *Anxietatibus.*

6. *Castitate*] *Puritate.* ❡ *Longanimitate*] *Animi lenitate.* ❡ *Suavitate*] *Benignitate*, vel *comitate.*

7. *Verbo veritatis*] Heb. Sermone veraci. ❡ *In virtute Dei*] i. Per miracula quæ per nos edit Deus.

8. *Ignobilitatem*] *Ignominiam, contemptum.* ❡ *Infamiam, & bonam famam*] *Convitia & laudes.*

9. *Mortificati*] *Occisi*: q.d. ut qui corripiamur, non occidamur.

10. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*] Vel, *quasi nihil habentes cum omnia possideamus.*

11. *Patet*] *Apertum est*: i. libere dico quæ sentio apud vos. ❡ *Cor nostrum dilatatum est*] Heb. copiosa benevolentia vos prosequimur.

12. *Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris*] *Non constringimini in nobis, sed constringimini in præcordiis vestris*: i. locum angustum non habetis in nobis, sed præcordia vestra angusta sunt, ita ut in illis locum nullum habeam: q.d. in amore & benevolentia mihi non respondetis. Diligo vos vehementer, at vos non æque me diligitis.

13. *Habentes*] Hæc dictio Græce non legitur, sub. autem *propter*: q.d. Propter repensionem autem benevolentiæ nostræ dilatemini vos quoque, amplificate cor vestrum, ut nos capiat, & mutuo diligat.

14. *Jugum ducere*] i. Commercium inire, jugari & copulari. Metaphora à bubus jugo colligatis. ❡ *Quæ enim participatio*] *Quod enim consortium.*

15. *Conventio*] *Concordia.*

18. *Et ero vobis in patrem, & vos,* &c.] Heb. pro, *Ero vester pater, & vos eritis mei filii, & meæ filiæ.*

CASTALIO.

12. V*OS non erga nos, sed erga hominem cui estis intimi, estis angusti*] Ego vobis large meum animum aperio, officiumque præsto. Quod si vos vestrum officium anguste & parce præstatis, id non mihi, h.e. non Paulo, facitis, sed vestri amantissimo, & plane vestro patri. Proinde videte ut mihi vestro patri officiose & liberaliter pareatis, quemadmodum ego vobis, ut filiis, officiose ac liberaliter præcepta do. Quod vertimus, *erga hominem cui estis intimi*, ad verbum sic legitur, *erga vestra viscera*: qui Hebraismus sic explicandus ac invertendus est, *erga nos*, *quorum vos estis viscera*, h.e. cui vos estis charissimi, *& qui estis in animis nostris*, ut dicit cap. 7. 3. ad hunc locum alludens.

CLARIUS.

5. I*N seditionibus*] Gr. *ἀκαταστασίαις*, h.e. *crebris expulsionibus, ut nusquam possent consistere.* Sic quod ait, *in castitate*, sive *puritate*, significat vel continentiam, vel ut gratis Euangelium prædicetur.

7. *In virtute Dei*] Ἐν δυνάμει Θεοῦ, vel dictum est ob signa & miracula, vel quod nihil sibi sed omnia ascribit Divinæ potentiæ.

11. *Os nostrum patet*] Intuere immensam paterni affectus copiam. Observat autem hoc caput D. Augustinus De doctr. Christ. lib. 4. & pertinere vult ad grande genus dicendi; quod genus ait *non tam verborum ornatibus constare quam violentis animi affectibus, quibus interdum non desint ornamenta*: & notat illa verba, *Ecce nunc tempus acceptabile*, &c. Et hoc, *Os nostrum apertum est erga vos, Corinthii.* Non possum, ait Paulus, finem dicendi facere ob amorem immensum quo vos prosequor: sed vos *angusto* estis corde: sed obsecro vos, *dilatamini, & hanc* mihi, *ut legitimi filii, vicissitudinem rependite*, tanquam remunerationem: hoc enim vult quod ait, *Eandem autem remunerationem tanquam filiis dico.* Et quid volo nisi quod ad salutem vestram pertinet? ut muniamini adversus malos & infideles. Hoc enim est quod ait, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, h.e. Nolite in morem infidelium sub peccati jugo duci.

16. *Sicut dicit Deus*] Hoc testimonium ex pluribus locis conflatum est.

ZEGERUS.

4. E*Xhibeamus nosmetipsos*] Quod nos legimus *exhibeamus*, Græcis est Συνιστῶντες, quod Ambrosius cum Augustino De doctr. Christ. lib. 4. cap. 20. legit *commendantes*: Itaque si intelligamus, pertinebunt omnia ad personam Pauli, *Adjuvantes exhortamur ne in vacuum*, &c. *nemini dantes offensionem, sed in omnibus commendantes nos, sicut Dei διάκονοι ministri, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis*, &c. Hanc enim sui laudationem *commendationem* vocat, quæ factis ipsis conciliat favorem & autoritatem.

11. *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est*] In hæc verba prorumpit immenso amoris erga illos stimulatus ardore, & securæ beneque sibi consciæ mentis confisus libertate; quæ ipsius non modo *os patefecerant* sed & *cor* quoque *dilatarant ad Corinthios* exhortandos pariter & suscipiendos. Corpus, inquit variis prematur angustiis licet, vis tamen amoris confidentiaque & *os* mihi *patefacit* sermonis exuberantia & intimos *cordis mei dilatat* affectus.

12, 13. *Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem habentes remunerationem, (tanquam filiis dico) dilatamini & vos*] Primum, quod ad literæ rationem attinet, scito utrumque *angustiamini* indicandi modo accipiendum, *dilatamini* vero imperandi; illud quoque *habentes* apud Græcos non haberi; denique variam esse hujus loci distinctionem, unde necesse est variam etiamnum subesse intelligentiam. Nos tamen unam atque alteram subnexuri, reliquas curiosioribus aliunde petendas relinquemus. Priorem igitur hanc habeto intelligentiam, *Haudquaquam*, ait, *angustia coarctamini per me, cujus cor erga vos dilatatum est*: *imo in vestris ipsorum animis atque affectibus angustiamini*: ac si inquiat, Ipse equidem ingenti amploque vos prosequor amore; vos vero etsi complexum me in vestris præcordiis detineretis, angustior tamen est vestra charitas qua me complectimini. Sed agite, *eandem* utrique, & vos & ego, mutuo *præstantes*, sive *habentes*, amoris *remunerationem* benevolentiæque vicissitudinem, amplissimos & vos quoque erga nos ad meum exemplum habetote affectus. Neque enim arduum est quod reposco: tantum ut patri *filii* in charitate respondeatis efflagito. Et omnino condignum est hoc in parentem liberos præstare officium. Altera intelligentia hujusmodi est, Non angustiamini in aliquo, nostri vel exemplo vel causa; quin potius contra, cum nostro exemplo amplo & securo animo esse deberetis ob libertatem Euangelii, magna afficimini angustia, vestris pravis servientes affectibus, quibus Pseudapostolorum vos coangustantium & à Spiritus libertate in servitutem Legis retrahentium dogmatibus estis intenti. Sed cum eandem nobiscum exspectetis & habituri sitis mercedis retributionem, modo obsequentes sitis filii (nam hæc *filiis loquor*) ne, quæso, diutius ejusmodi angustiis premamini, sed *dilatemini* libertate Spiritus, in fide Christi Jesu. Hinc & subdit, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, &c. Porro, in Græcis quoniam illud *habentes* non ascribitur, aut κατὰ particula subaudienda est, *secundum eandem remunerationem dilatamini & vos*, aut accusativus *eandem remunerationem* cum *dico* jungendus est, *eandem remunerationem dico*; atque ita *dico* erit veluti exponentis quod dixerat, *non angustiamini in nobis, angustiamini*, &c. quemadmodum cum dicimus, *Novercam loquor*, h.e. de noverca.

15. *Quæ autem conventio*] Συμφώνησις, i. *consensus, concordia.* ¶ *Belial*] BELIJAAL Hebræis *iniquum*, *dæmonem*, *apostatam*, *absque jugo*, & *prævaricatorem* declarat.

STEPHANUS.

1. Σ*υνεργοῦντες*] *Operam nostram accommodantes.*

3. Προσκοπὴν] *Offensionem.*

5. Ἐν ἀκαταστασίαις] *In tumultuationibus*: vel, *in turbulentis motibus.*

8. Ὡς πλάνοι] *Ut impostores.*

9. Ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι] *Ut qui castigamur*, non tamen *occidimur.*

13. Ἀντιμισθίαν] *Compensationem.*

14. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις] *Ne cum infidelibus jugo copulemini*: quasi ad trahendam alteram ejus partem.

16. Συγκατάθεσις] *Consensus.*

DRUSIUS.

4. I*N necessitatibus*] Accipio ut ibi, *propter instantem necessitatem.* Vide quæ notavimus ad illum locum. Certe in lingua Sapientum עקא est *ærumna, vexatio, miseria*: unde pluralis esset עקאות, quem tamen non memini legere.

8. *Ut seductores*] Ὡς πλάνοι, non seductores revera, sed *tanquam seductores*, quia pro talibus habebantur. Sic Christus à Pharisæis ὁ πλάνος vocatur Matth. 27. Vocabulum *planus* usurpat in Latino sermone Cicero Pro Cluentio, & Horatius l. 1. Epistolarum. Exponunt autem, *seductor, error, impostor*; item *præstigiator*, quem γόητα vocant.

9. *Quasi morientes*] Nam qui miser est pro mortuo habetur. Ideo dicit *ut morientes*: non enim revera moritur. Hujus oppositum *vivere*, quando significat facile ac jocunde vivere. Vivit ergo & non vivit quisquis in angustia est. ¶ *Nec tamen occidimur*] Alibi tamen, *Propter nomen tuum occidimur tota die; sumus ut oves mactationi destinatæ.* Hunc locum ex Davide, nisi fallor, Apostolus laudat Rom. 8. 36.

11. *Cor nostrum dilatatum est*] *Erga vos* videlicet, quod repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex superiori membro. *Cor* autem dicit affectus cordis. Alibi Cor dilatatur in gaudio. Dicunt enim Physici Lætitiam esse affectum quo se dilatat & extendit cor, amplectendo suaviter præsens bonum; ut Spes, absens bonum. Contra, Tristitia cor contrahit & constringit, retractis nimirum ad principia sua spiritibus, ut malum præsens evitetur. Nove sumitur Psal. 25. 17. *Adversitates cor meum dilatarunt.* Nam explicant, *dilatarunt sedem suam in corde meo*, aut *late cor meum occuparunt*, q.d. multis animi premor angoribus. Sed quid si, *dilatarunt cor meum gaudio*? secundum illud, *Gaudete cum in tentationes varias incideritis.* Hoc ambigens pono, non affirmans.

14. *Ne impari jugo copulemini*] Ἑτεροζυγοῦντες, ut Levit. 19. 19. κτῆνος ἑτεροζύγον *jumentum alterijuge*, i. diversi generis. Ebraice כלאים. Ἑτεροζυγοῦντες Masius à *libra* deducit *cujus lanx altera propendeat in unam partem*, quæ ζυγὸς ἑτερόζυγος dicatur. Vide illum in Jos. 23. 7.

15. *Cum Belial*] Contracte dicitur pro *Beliaal*. Est enim in scriptura Ebraica בליעל. Quomodo & *Jacob* dicebant pro *Jaacob*, i. יעקב. De nominis etymo tres opiniones sunt. Prima deducit à בלי *non*, & עלה *ascendit*, ut significet *hominem*

minem qui nunquam ad frugem ascendit. Secunda compositum esse dicit ex בלי *non*, & יעל, unde הועיל *profuit, utilis fuit*, q. *hominem ἀχρεῖον & inutilem* dicas, qui videlicet nec sibi nec aliis utilis est. *Hominem nequam* non male quis vocet. Tertia opinio est, ut sit compositio vocabuli ex בלי *non*, & עול *jugum*: quæ firmatur primum autoritate Deuterotarum, deinde ipsius Hieron. qui scribens in epist. ad Ephes. *Belial* interpretatur *absque jugo*. Sic etiam vetus interp. exponit Jud. 19. 22. Nec alienum quod in LXX, Deut. 13. 13. בליעל παράνομοι. Quanquam 1 Samuel. 1. 16. & 2. 12. & 10. 27. & 25. 17. iidem habeant λοιμικός. Metaphora sumpta à bubus indomitis, quæ Festo *injuges boves*, quod nunquam jugum subierint. Has Virgilius dixit *intacta cervice*, hoc versu,

—— *& intacta totidem cervice juvencas.*

Macrobius lib. 3. cap. 5. appellat *juvencos de grege intacto*, eodem sensu. Superest difficultas ex scriptura Græca βελίας, quam Hieron. corruptam esse censet; & potest ita esse. Nam etiam in Bibliis Regiis Gen. 11. Φιχὸλ legitur pro Φιχὼλ, errore librariorum. Vide quæ habentur ad Ephes. 4. 27. Quibus addo in verbis Hieron. *licet plurimi pro Belial corrupte in Apostolo Beliar legunt*, retineri posse receptam scripturam *Belian*. Locus est 2 Cor. 6. 15. Quem Theodoritus in Epitoma Divinorum dogmatum ita laudat, τίς δὲ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαν; Est autem obliquus casus à recto Βελίας, ut *Golias* pro *Goliath* dicebant. Amant enim Græci ultimam nominis barbari in σίγμα mutare. Cujus consuetudinis sunt Ἀντίβας & Ἀσδρύβας. Adi ad Observationes meas. Aut abjecta fuit ultima, ut in *Maria* & *Golia*, quæ declinantur, *Maria, Golia*. Sic Tertullianus De corona militis, *Quæ communio Christi & Belia?* Reperio & *Beliar* pro *Beliar*, nisi mendum ex Βελία, ut Ἀδὰν, Ὀνία, &c. Docti expendent. Ex his quæ diximus lux aliqua accedat Hesychio, in quo, Βελίας, δράκων. Nam innuit Diabolum, qui Apostolo *Beliar*, Prophetis autem *Draco* dicitur. Sane interpres Syrus hoc loco edidit, *Christo cum Satana.* Sic vocatur κατ' ἐξοχὴν, ut alibi ὁ πονηρὸς *improbus*. Nam *Belial, nequam.* ¶ *Quæ pars fideli cum infideli?*] i. Communio, vel societas: q. d. Nihil inter se commune habent. Ita Christus ad Petrum Joh. 13. 8. *non erit tibi pars mecum.* Vide Deut. 14. 27. & 18. 1. Dicunt etiam, *Non erit vobis pars in* DOMINO, quod invenies Jos. 22. 25, 27.

17. *Immundum ne tetigeritis*] Vel *hominem immundum*, vel *id quod immundum est*, i. rem immundam quam qui tangebat etiam immundus reddebatur. Etiam tactu hominis immundi polluebantur: unde cum obviam venirent Gentili aut Samaritano, dicebant, *Ne attingas me.* Vide De tribus Sectis.

18. *Ero vobis in Patrem*] i. Vere Pater. Sic, *vos eritis mihi in filios & filias*, i. vere filii & filiæ. Sic, *fuit ei in uxorem*, i. vere uxor. Idem tamen alibi significat *pro uxore*, aut *uxoris loco*.

GUALTPERIUS.

15. Βελίαλ] Vox Hebræa est, quæ in Novo quidem Testam. tantum hoc loco, in Veteri vero frequentissime usurpatur. Producam primo Deut. 13. 13. *Egressi sunt homines filii* בליעל *Belijaal* (Pagn. *impietatis*) *è medio tui.* Ubi Fagius ad paraphr. Chaldaicam, *Observarunt*, inquit, *quidam Latinum Vulg. interpretem nunquam fere quid hoc nomine significaretur in edendo explicuisse: quod propter multiplicem ac dubiam ejus sententiam factum esse autumant: quod idem & in aliis plerisque similem ob causam fecisse dicunt, ne si uno modo transtulisset, respuere aliorum in eo sententias visus fuisset, cum multiplices sint. Cum ergo* בליעל BELIJAAL *alii dicant significare* hominem inutilem, à בלי BELI, *i.* non, & יעל JAAL, *i.* profuit, *alii nomen esse Dæmonis contendant, ductum à* בל non & יעל ascendet, *quia nos ascendere sursum non permittat, editio vero Chaldaica interpretetur* malignitatem *sive* impietatem, *quæ propria Diaboli est, ex eo effectum est ut ipsum Hebraicum nomen posuerit Latinus interpres, ut liceret cuique quod vellet super eo arbitrari. In hoc autem omnes fere Hebræi consentiunt, homines malignos, pessimos, impiissimos, quibus tanquam suorum scelerum ministris utitur Diabolus, hoc nomine significari. Hoc idem senserunt* LXX, *qui* FILIOS BELIJAAL *hoc loco interpretantur* παρανόμους, *i.* exleges, perversos, pravos, sceleratos. Ita Fagius. Legitur præterea Jud. 20. 13. 1 Sam. 1. 16. & 2. 12. 2 Samuel. 16. 7. Vide Concordantias Hebræas, in quibus vigesies septies hanc vocem in V. T. exstare animadvertes.

JAC. CAPPELLUS.

7. *Armis justitiæ dextris & sinistris*] i. Offensivis & defensivis. Offensiva quippe, puta Gladius, Hasta, Telum, dextra vibrantur; defensiva vero, puta Clypeus, Parma, sinistra tenentur. Subjunguntur quidem fausta, quæ dextræ, infausta, quæ sinistræ deputari possent, modo *dextræ* tantum & *sinistræ* mentio facta fuisset: sed res adversæ dici non possunt *arma sinistra*, sed sinistris armis excipiendæ, scuto videlicet fidei; res autem secundæ gladium Spiritus potius postulant, ad resecandum veternum, luxum & fastum, rerum prosperarum comites, tam infidos quam individuos.

GROTIUS.

1. Συνεργοῦντες δὲ καὶ, *Adjuvantes autem &*] Cohæret sermo cum superioribus, & intellige συνεργοῦντες τῷ Θεῷ [*adjuvantes Deum*], ut 1 Cor. III, 9. Post καὶ [&] subintelligitur ἡμεῖς [*nos*]. ¶ παρακαλοῦμεν μὴ εἰς κενὸν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δέξασθαι ὑμᾶς. *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*] Est & hic μετωνυμία [*Transnominatio*]. Sensus enim est, *monemus vos, ne ita vos geratis ut appareat frustra in vos collatum hoc Dei beneficium.* Omne beneficium Dei solet appellari χάρις [*gratia*]; hic vero intelligitur vocatio per Euangelium. Sicut *dari* ita *accipi* dicitur interdum etiam sine effectu, Johan. VI, 33. Actor. II, 32. Apoc. III, 8.

2. Λέγει γὰρ, Καιρῷ δεκτῷ ἐπήκουσά σου, καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας ἐβοήθησά σοι. *Ait enim, Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te*] Ipsa verba LXX Interpretum Esaiæ XLIX, 8. καιρὸς δεκτὸς [*tempus acceptum*] in Hebræo בעת רצון [*in tempore voluntatis*] est tempus illud quod Deus elegit ad salutem populi procurandam. Quod ab Esaia dictum de salute temporali, mystice ad salutem æternam refert Apostolus. ¶ ἰδοὺ νῦν καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἰδοὺ νῦν ἡμέρα σωτηρίας. *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*] Hoc tempore quo nos Apostoli vivimus, tanta rerum notitia, tantis miraculis instructi, hoc vere est tempus quo Deus eximiis modis vobis offert salutem. Sensus idem qui Hebr. III, 7, 13, 15. IV, 7.

3. Μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπὴν, *Nemini dantes ullam offensionem*] Cohæret hoc cum παρακαλοῦμεν [*exhortamur*]. Ostendit enim quam serio moneat, qui ut aliquid proficiat, nullis terreatur incommodis, nulla non commoda negligat. Προσκοπὴ [*offensio*] hic quod alibi πρόσκομμα [*offendiculum*], ut Rom. XIV, 13. id est, omne id per quod aliquis averti posset ab Euangelio, ὥστε ¶ ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία· *ut non vituperetur ministerium*] Id est, *nostra Euangelii prædicatio.*

4. Ἀλλ' ἐν παντὶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς ὡς Θεοῦ διάκονοι, *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*] Id est, *probantes omnibus nostram in hoc ministerio fidem.* Vide supra IV, 2. Ἐν παντὶ [*in omnibus*], id est, *in quavis re*, sicut modo ἐν μηδενὶ, *in nulla re.* Cohærent autem & hæc cum illo παρακαλοῦμεν [*exhortamur*]. ¶ ἐν ὑπομονῇ πολλῇ, ἐν θλίψεσιν, ἐν ἀνάγκαις, ἐν στενοχωρίαις *in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis*] Hæc ita connectenda sunt, usque dum sequitur, ἐν ἁγνότητι [*in castitate*]. Explicat enim quibus in rebus ista *tolerantia*, aut ut Tertullianus loquitur *sufferentia* versetur. Θλίψεις [*tribulationes*] & στενοχωρίας [*angustias*] hic conjunxit, ut Rom. II, 9. De voce ἀνάγκης [*necessitatis*] vide Luc. XXI, 23. 1 Cor. VII, 26. supra negavit se στενοχωρεῖσθαι [*destitui*] respiciens Dei solatia. Sed hic res quales in se erant, exponit.

5. Ἐν πληγαῖς, *in plagis*] Actor. XVI, 23. infra XI, 23, 24. ¶ ἐν φυλακαῖς, *in carceribus*] Dicto loco Actorum. ¶ ἐν ἀκαταστασίαις, *in seditionibus*] Intelligunt quidam Veterum idipsum quod ἀστατεῖν [*jactari*] dixit 1 Corinth. IV, 11. Sed rectius Syrus interpretatur *seditiones*. Ita enim vox illa Græca sumitur Proverb. XXVI, 28. Luc. XXI, 9. 1 Corinth. XIV, 33. infra XII, 20. Jacob. III, 16. Utitur hoc sensu & Polybius in fragmentis à Valesio editis. Exempla vide Actor. XVI, 12. XVII, 23, & sequentibus. ¶ ἐν κόποις, *in laboribus*] Κόποι sunt *labores ad lassitudinem.* Vide 1 Corinth. XV, 58. & infra XI, 23, 27. 1 Thess. II, 9. III, 5. Adde Actor. XX, 35. 1 Corinth. XV, 10. Galat. IV, 11. Coloss. I, 29. 1 Timoth. IV, 10. ¶ ἐν ἀγρυπνίαις, *in vigiliis*] Sic & infra XI, 27. ¶ ἐν νηστείαις, *in jejuniis*] 1 Corinth. IV, 11. Philip. IV, 12.

6. In

6. *Ἐν ἁγνότητι, in castitate*] *In abstinentia à Venere*, atque etiam à rebus quæ talis culpæ suspicionem parere poterant. Vide infra XI, 2. I Timoth. V, 22. ¶ *ἐν γνώσει, in scientia*] *In cognitione Legis κατὰ τὸ ῥητὸν* [*secundum verba*] & *κατὰ τὴν μυστικωτέραν διάνοιαν* [*secundum sensum magis mysticum*]. ¶ *ἐν μακροθυμίᾳ, in longanimitate*] *In lenitate adversum eos qui in ipsum deliquerant.* ¶ *ἐν χρηστότητι, in suavitate*] *In beneficentia adversus omnes*, חסד. ¶ *ἐν πνεύματι ἁγίῳ, in Spiritu Sancto*] Cum prophetiis, linguis, sanationibus. ¶ *ἐν ἀγάπῃ ἀνυποκρίτῳ. in charitate non ficta*] Rom. XII, 9. I Petri I, 22.

7. *Ἐν λόγῳ ἀληθείας, In verbo veritatis*] Prædicando Euangelium nulla ex parte adulteratum supra IV, 2. ¶ *ἐν δυνάμει Θεοῦ, διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & sinistris*] *Dei virtute nobis arma subministrante, tam dextra quam sinistra, ad justitiam implendam.* Milites dextra hastam gerunt, scutum sinistra. In rebus secundis hasta utuntur, in rebus duris scuto. Sic Deus Apostolo & adjutoribus ejus vires dabat eximias per quas & secundis & adversis rebus recte uterentur. Hunc sensum exigunt sequentia. Simile proverbium apud Homerum,

> *Οἶδ' ἐπὶ δεξιὰ, οἶδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν*
> [*Sum gnarus scuti dextra lævaque movendi*].

8. *Διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, Per gloriam & ignobilitatem*] *Sive honor nobis habetur, sive contemnimur.* ¶ *διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας· per infamiam & bonam famam*] *Sive male sive bene de nobis homines loquuntur.* ¶ *ὡς πλάνοι, καὶ ἀληθεῖς, ut seductores, & veraces*] Desunt verba duo. *Tanquam impostores habemur, & veridici sumus.* Non deterrent nos calumniæ per quas ut impostores traducimur, quo minus pergamus doctrinam illam quæ vera est & ob quam traducimur eloqui. De nomine *πλάνων* [*seductorum*], & *impostorum*, quod datum Christo, Apostolis ac Christianis, diximus ad Matth. XXVII, 63. *πλάνος* [*seductor*] Hebræis מסית.

9. *Ὡς ἀγνοούμενοι, καὶ ἐπιγινωσκόμενοι· sicut qui ignoti, & cogniti*] *Multi nos nosse non curant, sed aliis bene noti & chari sumus.* Vide quæ dicta à nobis ad Matth. XIX, 29. *ἀγνοούμενοι* מנוכרים [*ignoti*], *ἐπιγινωσκόμενοι* נכרים [*cogniti*]. ¶ *ὡς ἀποθνήσκοντες, quasi morientes*] Credimur quotidie morituri.

> *Semper casuris similes, nunquamque cadentes.*

¶ *καὶ ἰδοὺ ζῶμεν. & ecce vivimus*] Adhuc vivimus Dei ope, & vivimus donec Deus ipse morte gloriosa nos honestare voluerit. ¶ *ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι· ut castigati, & non mortificati*] Id ipsum quod jam dixerat explicat adducto Psalmi loco CXVIII, 18, ubi in Græco *παιδεύων ἐπαίδευσέ με ὁ Κύριος, καὶ τῷ θανάτῳ οὐ παρέδωκέ με* [*castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me*]. Dicuntur *παιδεύεσθαι* [*castigari*] proprie pueri *qui verberibus emendantur*, improprie viri summe pii qui per ista tentamenta semper meliores fiunt.

10. *Ὡς λυπούμενοι, ἀεὶ δὲ χαίροντες· Quasi tristes, semper autem gaudentes*] *Videmur semper in mœrore esse* ob tot res adversas, *interim gaudemus* ob testimonium bonæ conscientiæ, & Dei solatia. ¶ *ὡς πτωχοὶ, πολλοὺς δὲ πλουτίζοντες· sicut egentes, multos autem locupletantes*] *Habemur egenissimi, interim in alios conferimus summas divitias*, dona scilicet Spiritus Sancti. ¶ *ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες. tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*] *Nihil mancipio habentes: usu omnia.* Nam qui oculos suos pro ipso daturi erant, ecquid ipsi de bonis suis negassent? Gal. IV, 15. Ipse quidem de his nihil sibi sumebat, sed dabat pauperibus Judæis quantum volebat tanquam de suo. Sic impletum eminenter vaticinium Esaiæ LXI, 4.

11. *Τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγε πρὸς ὑμᾶς, Κορίνθιοι, Os nostrum patet ad vos, ò Corinthii*] Hoc *ἀνέῳγε* [*patet*] hic est pro Hithpael, ut & passivum sequens, התפתח [*patefecit se*]. *Aperire os* frequens Hebræis locutio, ut Job. III, 1. Matth. V, 2. XIII, 35. Significat autem hic non *quovis modo loqui*, sed *liberaliter & aperte loqui.* Elucet enim in verbis præcedentibus mira quædam *δεινότης* [*dicendi vehementia*], quam observavit Augustinus. ¶ *ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται. cor nostrum dilatatum est*] Non verbis tantum liberalis sum in vos, sed & affectu animi, רחמים sic לב רחב [*latitudo cordis*] I Reg. IV, 29. Pari modo dicitur *dilectio effusa in cordibus* Rom. V, 5. Hunc affectum etiam infra commemorat VII, 3.

12. *Οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν. Non angustiamini in nobis*] Id est, *non exiguum locum in animo nostro possidetis.* ¶ *στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν. angustiamini autem in visceribus vestris*] *Vestra ex parte est cor angustum*, affectus tenuis, in me scilicet. *Σπλάγχνα* [*viscera*] non tantum de *miseratione*, sed & de alio quovis *affectu* dicuntur infra VII, 15. Philem. 7, 20. Dicit autem hoc Corinthiis non omnibus, sed quibusdam. ¶ *τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν ὡς τέκνοις λέγω· Πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς. eandem autem habentes remunerationem tanquam filiis dico; Dilatamini & vos*] Distinguenda hæc in hunc modum, *Τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν* (*ὡς τέκνοις λέγω*) *πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς* [*eadem autem remuneratione* (*tanquam filiis dico*) *dilatamini & vos*]. *Vicissim & vos* (*nam ut filiis loquor*) *dilatate vos*: *τὴν ἀντιμισθίαν* [*remunerationem*] est pro *κατ' ἀντιμισθίαν*, *ad vicem rependendam*. *τὴν αὐτὴν eandem*, id est, parem affectui meo. Ita hunc locum accepere & Syrus & Arabs: recte. Vocem *ἀντιμισθίας* [*remunerationis*] habuimus & Rom. I, 27. Idem postulat Apostolus infra VII, 2.

14. *Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις· Nolite jugum ducere cum infidelibus*] Monet eos, ut & in priore epistola, ne in idoleis convivarentur. *Ἑτεροζυγεῖν* est *alteram partem jugi trahere*, id est, *idem jugum subire.* Quare Syrus hic dixit, *Ne sitis filii unius jugi cum iis qui non credunt.* Et est hic applicatio mystica Legis Deut. XXII, 10. ubi loca attulimus Plauti & Calphurnii. Vide præceptum vetans CCLXXXI. Ovidius,

> *Non bene inæquales veniunt ad aratra juvenci.*

Papinius primo Thebaidos, de æqualibus quidem tauris, sed rudibus adhuc,

> *Sic ubi delectos per torva armenta juvencos*
> *Agricola imposito sociare affectat aratro,*
> *Illi indignantes queis nondum vomere multo*
> *Ardua nodosos cervix descendit in armos,*
> *In diversa trahunt, atque æquis vincula laxant*
> *Viribus, & vario confundunt limite sulcos.*

¶ *Τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ; Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?*] Amicitia pares aut recipit aut facit. Intelligendum hoc pro materia de qua agitur. Est enim inter homines omnes quædam societas, sed non talis. Sunt hæc כלאים [*species diversæ*] Levit. XIX, 19, ubi *ἑτερόζυγα* [*non ejusdem jugi*] quidam interpretes. *Δικαιοσύνη* [*justitia*] hic est *cultus Dei ex ipsius præscripto*, *Ἀνομία* [*iniquitas*] *religio sine Lege divina, & contra eam.* Eadem sententia Sirach. XIII, 20. & in Psalmo I. ¶ *Τίς δὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; Aut quæ societas luci ad tenebras?*] *Lux* est Euangelium; *tenebræ*, gentium fabulæ.

15. *Τίς δὲ συμφώνησις Χριστοῦ πρὸς Βελίαλ; Quæ autem conventio Christi ad Belial?*] Id est, *cum quovis homine exlege.* Nam בליעל [*Belial*] *παράνομον* [*legirupam*] vertunt LXX Deuter. XIII, 13. Jud. XIX, 22. II Sam. XVI, 7. XX, 1. XXIII, 5. I Reg. XXI, 10. 13. Prov. VI, 12. Nimirum à בלי [*sine*] quod est *στερητικὸν* [*privativum*], & עול quod *jugum* significat, quæ est Hieronymi etymologia. Alii alias adferunt: sed Græci hanc sunt secuti. Christus obedire Deo nos docuit, illi cupiditatibus tantum suis obsequuntur. Quidam libri habent *Βελίαρ* [*Beliar*] mutata ultima. Sic *Βεελζεβοὺλ* [*Beelzebul*] pro *Βεελζεβοὺβ* [*Beelzebub*], *Ἀβακοὺμ* [*Abacum*] pro *Ἀβακοὺκ* [*Abacuc*], *Ἰωβὰρ* [*Jobar*] pro *Ἰωβὰβ* [*Jobab*], *Συχὰρ* [*Sychar*] pro *Συχὲμ* [*Sychem*]. Vide quæ ad Matth. X, 25. & ad Joh. IV, 5. ¶ *ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου; Aut quæ pars fideli cum infideli?*] *Quid commune?* Ita enim loquuntur Hebræi II Sam. XX, 1. Actor. VIII, 21.

16. *Τίς δὲ συγκατάθεσις ναῷ Θεοῦ μετὰ εἰδώλων; Quis autem consensus templo Dei cum idolis?*] *Συγκατάθεσις*, *societas.* Nam Exodi XXIII, ubi est in Hebræo אל תשת ידך עם־רשע, *ne ponas manum tuam cum impio*, Græca versio habet, *οὐ συγκαταθήσῃ μετὰ τοῦ ἀδίκου* [*impio ne sociare*]. Philosophi *συγκατάθεσιν* vocant *animi assensionem.* ¶ *ὑμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐστε ζῶντος· vos enim estis templum Dei vivi*] *Templum* est ubi Deus habitat: In piis habitat Deus per Spiritum Sanctum. Sunt igitur *templum Dei.* Idem sensus I Cor. III, 17. & VI, 19. Nec frustra addidit *ζῶντος* [*viventis*], quia dii gentium erant homines mortui. Vide Matth. XXVI, 63. Joh. VI, 69. Actor. XIV, 15. I Thessal. I, 9. I Tim. III, 15. VI, 17. ¶ *καθὼς εἶπεν ὁ Θεός· Ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω· sicut dicit Deus; Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo inter eos*] Est applicatio mystica loci Levitici XXVI, 11, & 12, ubi in Græco: *θήσω τὴν σκηνήν μου ἐν ὑμῖν* [*ponam tabernaculum meum inter vos*] Deinde verbis quibusdam interpositis, *καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ὑμῖν* [*& inambulabo inter vos*]. Citavit hunc locum, ut & alios, cum libertate aliqua Paulus: itaque & in medio posita omittit, & personam mutat, salvo sensu. Et משכני [*habitationem meam*] quod LXX, *θήσω σκηνήν* [*ponam tabernaculum*], recte vertit *ἐνοικήσω* [*inhabitabo*], quomodo & Græci Esaiæ XXXII, 18. alibi per *οἰκεῖν* [*habitare*] aut *κατοικεῖν* [*incolere*]. Confer Ezech. XXXVII, 27. Rom. VIII, 11. II Tim. I, 14.

¶ *καὶ ἔσομαι αὐτῶν Θεὸς, καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι λαός· & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus*] Sunt hæc quoque verba ex sequentibus in Levitico, ubi Græci: καὶ ἔσομαι ὑμῶν Θεὸς, καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαός [*& ero Deus vester, & vos eritis mihi populus*], quæ verba Christianis multo magis quam veteribus Israelitis competunt.

17. *Διὸ ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν, καὶ ἀφορίσθητε, λέγει Κύριος. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus*] Quod de Babyloniis deserendis dixerat Esaias LII, 11. id pari jure aptat ad idololatras alios. In Græco Esaiæ est: ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῆς, ἀφορίσθητε [*exite de medio ejus, separamini*]. ¶ *καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε· κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς. & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos*] In Isaiæ dicto loco ante ea quæ habuimus præcessit, ἀκαθάρτου μὴ ἅψησθε [*immundum ne tetigeritis*]. Sequitur porro quibusdam interjectis: ὁ ἐπισυνάγων ὑμᾶς Θεὸς Ἰσραήλ [*qui colligit vos Deus Israel*]. In Hebræo מקבצכם [*qui congregat vos*]. Verbum קבץ plerumque vertitur ἐπισυνάγειν & συνάγειν [*colligere*]. Sed & προσλαμβάνειν [*acceptare*] ut Psalm. XXVI, 9. quod idem est cum εἰσδέχεσθαι [*recipere*]. Vide Rom. XIV, 3. XV, 7. Philem. XII, 17. Per *animalia immunda* & *res immundas* significari idololatras sentiunt & Hebræi. Vide quæ diximus ad Actor. X.

18. *Καὶ ἔσομαι ὑμῖν εἰς πατέρα, καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι εἰς υἱοὺς καὶ θυγατέρας, λέγει Κύριος παντοκράτωρ. Et ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens*] Vulgo putant desumptum ex loco Jerem. XXXI, 1. Propius accedit locus Jeremiæ eodem capite, 9. Sed puto desumptum ex hymno aliquo celebri apud Hebræos. παντοκράτωρ respondet Hebræo שדי [*omnipotens*] aut צבאות [*Zebaoth*]. Nam utraque hæc vox Græce sic vertitur.

CAP. VII.

VALLA.

10. QUÆ *enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*] Non refertur *stabilem* ad *salutem*, sed ad *pœnitentiam*; quod Græce dicitur *impœnitibilem*, ἀμεταμέλητον· quanquam duo vocabula Græca μετάνοια & μεταμέλεια differunt à nostro. Nam *pœnitentia* dicta est à *pœnitet*, quod est *tædet*, vel *piget*; ut apud Virgilium,

Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.

De quo vocabulo Aul. Gellius pro M. Tullio contra Asinium Pollionem disputat. Græca vocabula dicta sunt à *sensu retractando*, & *cura in melius mutanda*. *Elegantior dictio*, ut ait Lactantius, *quam nostra*. Itaque in nostro verbo significatio est, *tristitia commissi*; in Græcis, *mentis emendatio*. Quare nihil dicunt qui super hunc locum disputantes an *tristitia* idem sit quod *pœnitentia*, ajunt triplicem esse pœnitentiam, unam quæ est Contritio, alteram quæ est Confessio, tertiam quæ est Satisfactio. Quæ sententia cum falsa sit, tum nihil ad explanandam sententiam Pauli faciens.

REVIUS in VALLAM.

10. *Pœnitentia dicta est à pœnitet*] Erasmus negat se Vallæ assentiri, *pœnitere* à *pœna* dictum, sed magis arbitratur dictum à *pone tenendo*, &c. Profecto aliud agebat Erasmus cum hoc scriberet. Neque enim ait Valla *pœnitere* dictum à *pœna*, sed *pœnitentiam* à *pœnitet*. Quanquam si Valla illud dixisset, vadimonium ei deferendum non putarem: nam haud paulo concinnius *pœnitet me* explicatur per *pœna tenet me* quam per *pone tenet me*: quod nihili est. ¶ *Cum falsa sit*] *Cum falsa est* puto Vallam scripsisse, propter sequens ejus correlativum *tum*. Ita enim ipse nos docuit loqui, Elegant. l. 2. c. 22.

ERASMUS.

2. CApite nos] Χωρήσατε ἡμᾶς· quia dixit ante, *angustiamini*. Nec hic est *capite* pro *intelligite*, sed sicuti vas aut locus aliquid capit. Ambrosius propemodum explicuit, qui legit *capaces estote nostri*: quem nos secuti sumus. Retricat enim quod ante dixit, *dilatamini & vos*. ¶ *Circumvenimus*] Ἐπλεονεκτήσαμεν· quod & alibi vertit ad eundem modum, *ne circumveniamur à Satana*. Est autem proprie *per fraudem abstulimus quod jure non debebatur*. Ambrosius ita legit hoc loco, *Nemini nocuimus, neminem gravavimus, neminem circumvenimus*: atque ita exponit, *Nocent Pseudoapostoli cum sensus suorum corrumpunt, & gravant sacculos circumventione serpentina astutia.* Græca sic habent, οὐδένα ἠδικήσαμεν, οὐδένα ἐφθείραμεν, οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν, *Neminem injuria affecimus, neminem corrupimus, neminem fraudavimus*, h. e. nullius rem præter jus occupavimus & in nostrum vertimus commodum. ἀδικεῖ qui tyrannidem exercet, φθείρει qui falsa docet, πλεονεκτεῖ qui dolo usurpat aliena. Sic enim oblique taxat Pseudoapostolos. Alioqui nequaquam magna laus erat, hæc non fecisse Paulum. O gloriam vere Sacerdotalem! & utinam omnibus Episcopis ad eundem modum vere liceret gloriari.

3. *Prædiximus enim*] Προείρηκα γάρ, *prædixi enim*: atque ita legit Ambrosius. ¶ *Ad commoriendum & ad convivendum*] Εἰς τὸ συναποθανεῖν καὶ συζῆν. Id erat apud veteres amicitiæ genus ut amico forte exstincto amicus ultro sibi mortem consciceret: quod amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mecœnate. Unde dicti συναποθνήσκοντες. Non quod Paulus hujusmodi quippiam sentiat quale legimus olim fuisse apud Ethnicos, verum hoc modo arctissimam amicitiam voluit indicare.

4. *Gloriatio pro vobis*] Ὑπὲρ ὑμῶν. Melius hic *de vobis*, h. e. nomine vestro. ¶ *Superabundo gaudio*] Ὑπερπερισσεύομαι, quod est *supra modum*, aut *vehementer*, *abundo*, seu potius *superfluo*. Nec idem apud Latinos facit *super* additum quod apud Græcos ὑπὲρ sive πέρι in compositione: proinde diversa ratione conveniebat epitasin explicare Latinis.

5. *Sed omnem tribulationem passi sumus*] Ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι, *sed in omnibus afflicti*, ut subaudias *eramus*. Nam Hebræis & Græcis frequenter familiare est subaudire verbum substantivum.

7. *Qua consolatus est in vobis*] *Consolatus est* hic passive accipiendum est, ᾗ παρεκλήθη.

8. *Et si pœniteret*] Εἰ καὶ μετεμελόμην, *etiamsi pœnituisset*: ut accipias Paulum non quidem fateri pœnitentiam quod eos ante mœrore affecisset, nunc tamen adeo gaudere quod ex Tito cognovisset rem bene cessisse, ut etiam si qua pœnitudo tenuisset ipsum prioris facti, nunc eam abjecturus fuerit. Annotat hoc diligenter Chrysostomus, *Non enim dixit*, *Prius pœnitebat*, *nunc non pœnitet*; *sed*, *Non pœnitet*, *etiamsi pœnituisset*. Sic loquimur cum & errata feliciter cadunt. Et refertur ad superiora, non ad sequentia. Nam sequitur apud Græcos, βλέπω γάρ, *video enim*. Quamvis me non fugiat secus distingui ab Ambrosio, qui sic ordinat, *Etsi pœniteret*, *video*, &c. nec addit *enim*. In hoc certe congruit cum Græcis quod legit βλέπω, non βλέπων. Verum sive legamus *video* sive *videns*, fateri cogimur unam sermonis particulam inabsolutam esse nisi accipiamus juxta primam lectionem quam indicavimus. Id incommodum hac ratione tolli poterat, *Quamvis ea epistola vos ad tempus contristavit*, *nunc tamen gaudeo*, *non quod contristaverim vos*, *sed quod videam contristatos ad pœnitentiam*.

9. *Ut in nullo detrimentum patiamini*] Ἵνα ἐν μηδενὶ, *ne qua in re detrimentum pateremini*: nisi forte Paulus abusus est hac voce ἵνα pro ὥστε, quod aliquoties videtur facere.

10. *Stabilem*] Ἀμεταμέλητον, *non pœnitendam*. *Impœnitendam* legit Augustinus lib. De Civ. Dei 14. cap. 8. juxta fidem vetustissimi codicis Longobardici. Refertur autem, ut arbitror, ad *pœnitentiam*, non ad *salutem*, μετάνοιαν ἀμεταμέλητον, elegantissime conjunctis contrariis, q. d. *impœnitendam pœnitentiam*. Quanquam Ambrosius videtur adjectivum ad *salutem* referre, non ad *pœnitentiam*. Est autem sententiæ genus simul & schema ex contrariis contextum, *mundo & Deo*, *morte & salute*, *pœnitentia non pœnitenda*. Hujus generis esse putat Fabius illam sententiam,

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Ex Chrysostomo & Theophylacto non satis liquet utro retulerint ἀμεταμέλητον. Uterque sensus probe consistit; *efficit pœnitentiam non pœnitendam* (nam & pœnitentiæ frequenter pœnitentiam agimus) aut, *efficit pœnitentiam quæ adducit ad salutem quæ nescit pœnitentiam*, *sed habet gratulationem perpetuam*. Annotavit Laurentius, eidem voci Latinæ *pœnitentia* duas respondere Græcas, μετάνοια & μεταμέλεια, quarum prior dicta est à *sensu retractando*, posterior à *cura in melius mutanda*. Et quemadmodum Cicero *convivium* aptius vocabulum judicat Latinum quam sit Græcorum συμπόσιον, ita Laurentius putat hic Græcas voces elegantiores quam Latina sit, quod *pœnitentia* significet *tristitiam commissi*, illæ *mentis emendationem*: siquidem *pœnitere* pigere est tædereque. Proinde nihil agere qui ex

ex hoc loco triplicem inducant pœnitentiam, unam quæ sit Contritio, alteram quæ sit Confessio, tertiam quæ sit Satisfactio. In hanc fere sententiam Valla noster. Quanquam illi non prorsus in hoc assentior, *pœnitere à pœna* dictum, sed magis arbitror dictum à *pone tenendo*, h.e. ab intelligendo post factum; unde & Græcis dicta est *metanœa*. Atque hæc cum dicimus, non tollimus neque Contritionem, neque Confessionem, neque Satisfactionem, sed vim ostendimus Euangelicæ vocis. Nam veram Resipiscentiam illa tria comitantur, Dolor, Confessio, quæ meo judicio pars est satisfactionis, & Satisfactio, quæ male facta benefactis pensat. Nam hoc satisfactionis genus arbitror optimum, cum juvandis proximis suscipiuntur labores potius quam cum accersiuntur cruciatus, graves ferenti, præterea nulli utiles, quales sunt apud inferos. ¶ *Seculi autem tristitia mortem operatur*] Alibi αἰῶνα vertit *seculum*, hic κόσμον, i. *mundum*. Ambrosius legit *hujus mundi*.

11. *Secundum Deum contristari*] Τὸ κατὰ Θεὸν λυπηθῆναι ὑμᾶς, *quod secundum Deum contristati fuistis*. ¶ *Sed defensionem, sed indignationem*] Ambrosius ita legit, *sed excusationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*. Græca sic habent, ἀλλὰ ἀπολογίαν, ἀλλὰ ἀγανάκτησιν, ἀλλὰ φόβον, ἀλλὰ ἐπιπόθησιν, ἀλλὰ ζῆλον, ἀλλὰ ἐκδίκησιν, i. *sed excusationem* (sive *purgationem*) *sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*. Græca Scholia monent ἀλλὰ *sed*, hoc loco poni pro καὶ *&*, cum potius usurpetur pro *imo*, sive *insuper*, mea quidem sententia. Auget enim ac veluti corrigit quod dixerat σπουδὴν *solicitudinem*, imo plus aliquid, usque ad *vindictam* turpis admissi. In hoc catalogo pars una deest apud Ambrosium, cujus nec in Commentario meminit: non enim meminit *indignationis*, quocunque casu id esse factum libet conjectare. ¶ *In omnibus exhibuistis vos*] Συνεστήσατε, *commendastis*. Quanquam hic non male quadrabat *præstitistis*. Et ἐν παντὶ, quod etiam superius vertit *in omnibus*, melius redderetur per *ubique*. ¶ *In negotio*] Articulus Græcus additus, τῷ πράγματι, significat eum loqui non de quavis re, sed de certo quodam negotio, nimirum eo de quo scripserat in priore Epistola, *Quendam habuisse rem cum uxore patris*. *In eo negotio ostenderunt se puros esse*, ejecto & punito hujusmodi homine, cum ibi Paulus etiam nonnihil illis imputaret, *Et vos*, inquiens, *inflati estis*.

12. *Igitur etsi scripsi*] *Scripsi* bis intelligendum est, *etsi scripsi, scripsi*: quanquam apud Græcos non nisi semel ponitur, *Etsi scripsi vobis, non propter eum scripsi*, &c. velut ibi, *Etsi quid donavi propter vos*. Admonent Græcorum Commentarii, hic negationem habere vim comparativam. Nam omnino scripserat etiam illorum causa qui peccarant: nam hos sentit, *qui injuriam fecit, & qui passus est*; sed non hæc erat præcipua causa. Quod genus est & illud, *Misericordiam volo, & non sacrificium*: &, *Non est cura Deo de bubus*. ¶ *Non propter eum qui fecit injuriam*] Ambrosius ita legit, *non propter eum qui inique versatus est, sed neque propter eum qui inique tractatus est*. ¶ *Ad manifestandum solicitudinem nostram quam habemus pro vobis*] In eundem sensum legit Ambrosius, *sed ut manifestaretur solicitudo nostra quam pro vobis habemus coram Deo*, videlicet inversis his pronominibus ὑμῶν & ἡμῶν. Id quod facile committitur vel scriptoris oblivione. At Græci sic legunt, ἕνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ὑμῶν, τὴν ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Quibus ex verbis apparet hoc sensisse Paulum, *se gaudere quod ex ea tristitia consecutum sit ut palam fieret quo studio essent Corinthii erga se*. Et particula πρὸς ὑμᾶς potest accipi *apud vos*, ut referatur ad verbum *manifestetur* quod præcessit, ut sit sensus, *Paulum hoc egisse ut qui apud Corinthios faverent Pseudoapostolis, intelligerent quo affectu tota Corinthiorum Ecclesia esset erga se*. Porro quod adjicit *apud vos coram Deo*, veluti jurantis esse potest, & illos & Deum conscium testantis. Nam & paulo superius meminit de studio Corinthiorum quod ex Tito cognoverat. Theophylactus tamen legit & interpretatur quemadmodum Ambrosius.

13. *Abundantius magis*] Aut duo comparativa conjunxit ad exprimendam majorem emphasim, aut pro *magis* vertendum erat *potius*. μᾶλλον enim apud Græcos, ut & apud nos Potius, corrigit nonnunquam, ut intelligas *illum multum accepisse solatii ex correctis Corinthiis, sed verius ex gaudio Titi*. Ambrosius pro *abundantius* ac *magis*, legit *magis magisque*. Verum illud haud dissimulandum, hunc locum longe secus apud Græcos distingui quam apud Latinos: nam V. editio & Ambrosius sic habent, *Ideoque consolati sumus. In consolatione autem nostra abundantius magis gavisi sumus*. Græca sic habent, Διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν, περισσοτέρως δὲ μᾶλλον, *Propterea consolationem accepimus in consolatione vestra, abundantius autem magis*, &c. Sed Ambrosius nostram sequitur distinctionem, intersecans commentariolo interjecto quæ Græci conjungunt. ¶ *Refectus est spiritus ejus*] Ἀναπέπαυται, *refocillatus fuit*: quod est proprium ejus qui laboravit ac fatigatus est, & postea requie refocillatur. Ambrosius hunc locum diverse legit, diversum, opinor, exemplar nactus, *Quia*, inquit, *requievit spiritus ejus in omnibus vobis*.

14. *Non sum confusus*] Οὐ κατῃσχύνθην, *non sum pudefactus*.

15. *Abundantius in vobis*] Εἰς ὑμᾶς, *in vos*, sive *erga vos*. ¶ *Reminiscentis*] Ἀναμιμνησκομένου, *recordantis*, sive *commemorantis*, seu *in memoriam revocantis*.

16. *Quod in omnibus confido in vobis*] *In* non est in Græcis exemplaribus. θαῤῥῶ ὑμῖν, *confidimus vobis*. Nonnulli tamen habebant θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν, itaque legit Theophylactus. Et in his syllabis lapsus facillimus est librariorum, interposito *μ*.

VATABLUS.

1. *CHarissimi*] *Dilecti*. ¶ *Perficientes sanctificationem in timore Dei*] i. Ut perfecte sancti sitis, Deum timentes.

2. *Capite nos*] *Capaces estote nostri*: q.d. cum vos toto complectar animo, vos vicissim me in vestros animos recipite. ¶ *Circumvenimus*] *Fraudavimus*: i. nullius rem præter jus occupavimus. Hoc enim valet dictio Græca.

3. *Prædiximus*] *Prædixi*, Vet. ¶ *In cordibus nostris estis*] Heb. vehementer vos amo, ita ut paratus sim una vobiscum vivere & mori.

4. *Fiducia*] Vel potius, *libertas*; sc. *dicendi*. ¶ *Pro vobis*] Vel, *de vobis*: sive, *nomine vestro*. ¶ *Vestra*] *Nostra*, Vet.

5. *Requiem*] *Relaxationem*. ¶ *Omnem tribulationem passi sumus*] *In omnibus afflicti*: sub. *eramus*.

7. *In adventu ejus, sed etiam in consolatione qua consolatus est in vobis*] *In* pro *propter*: i. non solum per præsentiam ejus, sed etiam propter consolationem quam accepit à vobis. ¶ *Vestram æmulationem*] *Vestrum studium*. ¶ *Gauderem*] *Gavisus sum*.

8. *In epistola*] Vel, *per epistolam*. ¶ *Etsi pœniteret, videns*] *Etiam si pœnituisset. Video enim*.

9. *Patiamini*] *Passi sitis*.

10. *Stabilem operatur*] *Non pœnitendam parit*. ¶ *Operatur*] Vel, *affert*.

11. *Secundum Deum contristari vos*] *Quod secundum Deum contristati estis*. ¶ *Operatur*] *Genuit*. ¶ *Sed defensionem*] *Imo satisfactionem*: vel, *insuper excusationem & purgationem*. Ambrosius legisse videtur, *confessionem*. ¶ *Exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio*] *Commendastis*, vel, *præstitistis, vos, quod incontaminati sitis in eo negotio*: i. quantum pertinet ad eum qui rem habuerat cum noverca sua.

12. *Non*] Sub. *Scripseram*. ¶ *Passus est*] *Læsus fuerat*. ¶ *Nostram quam habemus pro vobis*] *Vestram pro vobis apud vos*. Vet. legunt, *ad vos*. ¶ *Consolati sumus*, &c. *Consolationem accepimus ex consolatione vestri. Multo autem abundantius*.

13. *Refectus*] *Refocillatus*. ¶ *Vobis*] *Vobis, quod*.

14. *Confusus*] *Pudefactus*. ¶ *Vobis*] Sub. *de*. ¶ *Quæ fuit ad Titum*] *Quanfus eram apud Titum*. ¶ *Viscera ejus abundantius in vobis sunt*, &c.] Heb. abundantius autem vos amat, dum in memoriam revocat, &c.

CLARIUS.

2. *NEminem læsimus*] Rursus dilectionis erga eos verba aggreditur. Cur, inquit, non *capitis nos*? *neque enim quenquam vestrum læsimus, neminem falsis dogmatibus corrupimus*.

3. *Et ad convivendum*] h.e. Parati sumus lætari in vestris bonis atque successibus, tantum abest ut invideamus.

5. *Nam & cum venissemus*] Dicit quid sit quod ei fecerit *gaudium*, nempe auditis eorum recte factis.

9. *Nunc gaudeo*] Connecte sic, *Video enim quod etsi epistola illa vos ad horam atque exiguum tempus tristes reddidit*, causa tamen mihi fuit *gaudii*, cum intelligam *salutarem vobis fuisse tristitiam ejusmodi*.

10. *Seculi autem tristitia*] Dicit *seculi tristitiam mortem operari*, quia excitat affectus pravos, qui mortem animæ afferunt.

11. *Imo defensionem*] Vel *satisfactionem*, ἀπολογίαν, dum satis Paulo facere studebant; *Indignationem* vero contra eum qui peccaverat; *Timorem*, vel Dei, vel etiam Pauli: *Desiderium*, erga eundem Pauli; *Æmulationem*, zelum erga Deum; *Vindictam*, dum ulti sunt eos qui in Divinas leges peccaverant.

12. *Non propter eum qui fecit injuriam*] h. e. Non hæc præcipua fuit causa. ¶ *Ad manifestandam*] Chrysostomus legit *ad manifestandam solicitudinem nostram erga vos apud vos*, h. e. ut sciatis quomodo vos amem.

16. *Gaudeo quod in omnibus confidam vobis*] Sive coram Tito velim de vobis gloriari, sive apud alium quempiam, in omni etiam re, sive cum increpandus & castigandus fuit scortator ille, sive cum reconciliandus ac revocandus post pœnitentiam, sive quid aliud agendum est, video vos paratos ad omnia, ut audere possim & confidere erga vos.

ZEGERUS.

1. MUndemus nos ab omni inquinatione carnis & spiritus, *perficientes sanctificationem*, &c.] In potestate legentis est, teste Augustino lib. De doct. Christ. 3. c. 2. sive velit distinguere, *ab omni inquinatione carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*, juxta illud 1 Cor. 7. *Ut sit sancta & corpore & spiritu*; sive sic malit, *ab omni inquinatione carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*.

2. *Capite nos*] *Capite* hoc loco est *amplectimini & recipite*. Unde & paulo superius c. 6. sui capaces illos fieri cupiens, ad latitudinem fuerat cohortatus, dicens, *Dilatamini & vos*.

4. *Multa mihi gloriatio pro vobis*] Magis quadrat *de vobis*, vel *propter vos*, tametsi ὑπὲρ proprie *pro* signet junctum genitivo.

10. *Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*] Incertum utro referatur *stabilem* sive, quod recentiores vocetenus, vertunt ἀμεταμέλητον *non pœnitendam*, ad *salutem*ne videlicet an ad *pœnitentiam*. Mihi sane commodius videtur si *stabilem* cum *salutem* conjungas. Quod si vero placet *non pœnitendam*, congruentius cohærebit cum *pœnitentiam*, ut junctis festiviter contrariis *impœnitenda* dicatur *pœnitentia*. Vetus interpres non ἀμεταμέλητον, ut moderni habent codices, sed ἀμετακίνητον legisse videtur, h. e. *immobilem*.

11. *Quantam in vobis operetur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*] Omnia hæc in laudem enumerat Corinthiorum, ut quæ illis obvenissent ex tristitia illa salutem operante: *solicitudo* pro admissis tum auferendis tum præcavendis; *defensio* sive *purgatio*, qua excusabantur apud Apostolum propter pœnitudinem, vel qua ipsi Apostolum purgabant apud incredulos & Pseudapostolos; *indignatio*, adversus fornicarium illum de quo in priori epistola c. 5. atque etiam adversus seductores; *timor*, quia verebantur ne *inciderent in manus Dei viventis*, neve indignationem Apostoli incurrerent acriorem; *desiderium* corrigendi admissi, vel *desiderium* erga Apostolum; *æmulatio*, h. e. zelus, ad profligandam turpitudinem, atque virtutem amplectendam; *vindicta*, qua pœnas dederat qui peccarat. Est autem in his auxesis quædam ab inferioribus ad summa (quam declarat junctiva particula *sed* identidem repetita) & ad vehementiora gradatim conscendens. Ut si dicas, *Mœror ille attulit non modo solicitudinem, sed & purgationem, insuper indignationem, imo etiam timorem*, &c. usque ad *vindictam*. ¶ *In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio*] Græce est, ἐν παντὶ συνεστήσατε ἑαυτοὺς ἁγνοὺς εἶναι ἐν τῷ πράγματι quod exponi potest, *In omnibus commendastis vosipsos quod puri sitis in negotio* fornicarii illius qui patris abusus est uxore, ipso ejecto & punito. Vel, *omnino puros atque incontaminatos jam vos esse declarastis & exhibuistis per hoc negotium*; nempe quod *contristati sitis ad pœnitudinem*. Nam de certo aliquo negotio illum loqui declarat articulus, τῷ πράγματι.

12. *Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est*, (supple *scripsi*) *sed ad manifestandam solicitudinem nostram quam habemus pro vobis coram Deo*] Dixerit hic aliquis, Cur *non propter eum qui fecit injuriam scripsisse se* dicit, cum ea vel justissima potuerit esse scribendi causa? Scripseram equidem, ait, illius scelere impulsus qui per incestum proximo intulit injuriam, & ejus causa qui eam perpessus est; haud tamen priores illi, neque potissimam mihi ut scriberem attulere causam, sed vestri ob gratiam hoc mihi negotium susceptum est, quo videlicet palam declararem quanto studio quantaque cura (quam teste ac spectante Deo habeo) adnitar ne paucorum morbo inficiantur universi. Est autem hic locutionis modus qualis est in eo quod scriptum est 1 Cor. 9. *Numquid de bobus cura est Deo?* Admodum probabile est in Græcis exempl. ἡμῶν in ὑμῶν & ὑμῶν in ἡμῶν à librariis esse perversa, denique & illud πρὸς ὑμᾶς redundare; primum quidem quod Ambrosius, Chrysostomus & Theophylactus non secus legant atque nos, nisi quod Chrysostomi interpres loco πρὸς ὑμᾶς adjiciat *apud vos*, sed superflue, ni fallor; deinde etiam quod Græcæ lectioni ipse reclamet sermonis tenor, ut liquet rem propius intuenti. Proinde ita scribendum arbitramur, ἀλλ' ἕνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ἡμῶν τὴν ὑπὲρ ὑμῶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, h. e. *ad manifestandum studium* (sive *solicitudinem*) *nostrum pro vobis in conspectu Dei*: nam illud *quam habemus* interpretans de suo adjecit.

13. *Ideo consolati sumus: in consolatione autem*, &c.] Hic rursus Græcæ distinctioni non deesse mendum ex eorundem autorum liquere potest Commentariis, cum à nostra distinctione non discordent. Lectio autem Græca (si quis forte desiderabit) hujusmodi est, Διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα, ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν περισσοτέρως δὲ μᾶλλον, *Propter hoc consolationem habuimus, in consolatione vestra abundantius autem magis*, &c. Et hunc itaque locum ita restitue, Διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα. Ἐπὶ δὲ τῇ παρακλήσει ὑμῶν περισσοτέρως μᾶλλον ἐχάρημεν, &c.

14. *Veritas facta est*] Ex Hebraici sermonis idiomate abstractum concreti loco substituit, *veritas facta est* pro *vera ac solida facta est*.

15. *Et viscera ejus*] *Viscera*, inquit, intimos illius demonstrans affectus & flagrantissimum erga Corinthienses amorem.

STEPHANUS.

2. Χωρήσατε] *Recipite*. ¶ Οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν] *Neminem fraudavimus, plus habendi desiderio*: vel, *Nemini quicquam eripuimus*.

4. Ὑπερπερισσεύομαι τῇ χαρᾷ] *Abundo gaudio supra quam dici possit*.

5. Ἄνεσιν] *Requiem*: vel *relaxationem*.

14. Εἴ τι αὐτῷ ὑπὲρ ὑμῶν κεκαύχημαι, οὐ κατῃσχύνθην] *Siquid apud eum de vobis gloriatus eram, pudefactus non sum*.

DRUSIUS.

5. TRibulationem passi sumus] Qui hic olim reposuit *fuimus oppressi*, idem supra ἐν θλίψεσιν convertit *in oppressionibus*: malim *in afflictionibus*, ut hic *afflicti fuimus*. Θλίψις proprie *pressura*, à θλίβω *premo*. In Lexico V. Θλίψις, ἡ ἔφιξις, *pressura*. Θλίψις, ἡ φροντίς, *tribulatio*. Θλίβω, *tribulo, presso, premo*. Θλίβομαι, *conflictor, adflictor*. Qui *premitur* non semper *opprimitur*. Qui enim opprimitur, non evadit. Multi vero pressi sive adflicti evadunt. Ex quo illud, Θλιβόμενοι, καὶ οὐ στενοχωρούμενοι, *pressi* sive *adflicti, sed non coarctati*. Vult dicere *ita coarctati ut inde non potuerimus elabi*. Est ergo duplex στενοχωρία sive *angustia*: nam ex alia elabimur; cujusmodi fere sunt angustiæ piorum, de quibus ibi agit Apostolus. Vide supra 6. 4.

6. *Humiles*] Ταπεινοὺς, quasi *adflictos*. Hebraice עניים vel ענוים· nam confundi scio. Sane ענוי ארץ Jes. 11. 4. LXX τοὺς ταπεινοὺς τῆς γῆς, & עניי עמו 14. 32. iidem οἱ ταπεινοὶ τοῦ λαοῦ. Sic עני *pauper, adflictus*: aliquando *mansuetum* denotat, i. ענו. Ab hoc ענוה *mansuetudo*, πραΰτης, ab illo עני *paupertas, adflictio*; quam Seniores ταπείνωσιν interpretantur, Deut. 26. 7. & alibi. עני autem etiam R. D. exponit נכנע שפל Psal. 25. 16. i. *humilis*: unde שפל רוח Prov. 16. 19. *humilis spiritu*: ubi LXX πραΰθυμος *mansuetus* aut *mitis animo*. Sic est profecto: qui humiles, mansueti sunt; & contra, qui mansueti, humiles. Idem dicendum de adflictis: nam & adflicti, humiles. *Qui ergo consolatur humiles*, h. e. adflictos, ענוים.

JAC. CAPPELLUS.

10. NAM ea quæ secundum Deum est tristitia resipiscentiam efficit ad salutem, cujus Deum nunquam pœniteat] Si te serio pœniteat peccati tui, Deum nunquam pœnitebit beneficii sui. Deus videlicet quos ad salutem æternam destinavit iis dat resipiscentiam seriam & fidem invictam: quo modo Rom. 11. 29. dicuntur ἀμεταμέλητα *dona vocationis Dei*, vocationis, inquam, illius quæ fluit à Dei proposito, quod est secundum electionem: de qua vocatione Rom. 8. 30. dicitur, *Quos prædestinavit, hos & vocavit*. Hujus κόμματος [illegible] cum esset ea benedictio quam Deus Jacobo per Isaacum impertitus fuerat, Esau μετανοίας τόπον οὐχ εὗρε, *nullam rationem in-*

invenit qua fieret ut Deum propositi sui pœniteret, quamvis id cum lacrymis expetivisset Esau, ut dicitur Hebr. 12.17.

12. *Nempe, etiamsi scripserim vobis acerbe*, 1 Cor. 5.1. *non ita scripsi propter eum qui laserat* abutendo patris uxore, *nec propter eum qui lædebatur*, non ullo privato affectu motus, non ita in filium, non favore erga patrem, *sed*, paterna in vos omnes charitate, *ut manifestum vobis fiat nostrum erga vos studium in conspectu Dei*, i. veracissimum. Possunt hominibus multa videri quæ re vera talia non sunt, in conspectu vero Dei nihil est laudabile bonumve quod non sit re vera tale. Hinc est quod ὄντως & ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *veraciter sive reapse & in conspectu Dei*, sunt synonyma vel ἀντίστροφα.

GROTIUS.

1. Ταύτας οὖν ἔχοντες τὰς ἐπαγγελίας, *Has ergo habentes promissiones*] *Deum in nobis semper habitaturum, Deum nobis fore Patrem.* ¶ καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς, *mundemus nos*] טהר. ¶ ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς, *ab omni inquinamento carnis*] Qui opponitur τῇ ἁγνότητι [*castitati*], de qua supra VI, 6. Euangelica explicatio Legum de נדה [*immunditia*]. ¶ καὶ πνεύματος, *& spiritus*] Inquinatur spiritus per mala dogmata & actus malos. ¶ ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ Θεοῦ. *perficientes sanctificationem in timore Dei*] *Sanctitatem animi implentes opere, idque respectu Dei.*

2. Χωρήσατε ἡμᾶς· *Capite nos*] *Recipite nos, in cor* scilicet *vestrum.* Est enim sensus repetitus ex superiore VI, 13. ¶ οὐδένα ἠδικήσαμεν, *neminem læsimus*] *Nemini fuimus malo exemplo.* Vide 1 Cor. VI, 10. Syrus hic posuit verbum עלב, quod est *illudere alicui*. Ex contrario significat se aperte & ingenue cum eis egisse.

3. Οὐ πρὸς κατάκρισιν λέγω· *Non ad condemnationem dico*] Corrigere eos vult, non *traducere*, quod hic est κατακρίνειν. Antecedens pro consequente. ¶ προείρηκα γὰρ ὅτι ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν ἐστε, *prædixi enim quod in cordibus nostris estis*] Nempe supra VI, 12. *magnum ibi habetis locum.* ¶ εἰς τὸ συναποθανεῖν καὶ συζῆν. *ad commoriendum & ad convivendum*] Sic Horatius,

> *Tecum vivere amem, tecum obeam libens.*

& alibi,

> —— *Ibimus, ibimus*
> *Utcunque præcedes, supremum*
> *Carpere iter comites parati.*

Egregius χαρακτὴρ [*character*] boni pastoris Johann. X, 11.

4. Πολλή μοι παῤῥησία πρὸς ὑμᾶς, *Multa mihi fiducia est apud vos*] *Magnum mihi jus libere apud vos loquendi.* Est & hic μετωνυμία [*Transnominatio*]. ¶ πολλή μοι καύχησις ὑπὲρ ὑμῶν· *multa mihi gloriatio pro vobis*] *Multum gaudeo vestri causa*, ubi vos in pietate perseverare ac proficere intelligo. ¶ πεπλήρωμαι τῇ παρακλήσει, ὑπερπερισσεύομαι τῇ χαρᾷ ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν. *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*] Ἐπὶ hic significat *post*. Sic ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσι, *post eventum*. Apud Demosthenem, ἐπὶ τούτοις πολλὰ ἕτερα διεξῄει, *Posthac multa commemorabat alia.* Dicit hic generaliter quod jam explicabit specialius: primum dicens quæ fuerint *adversa*; deinde, quod illud *gaudium* atque *solatium*.

5. Καὶ γὰρ ἐλθόντων ἡμῶν εἰς Μακεδονίαν, *Nam & cum venissemus in Macedoniam*] Actor. XX, 3. supra I, 16. ¶ οὐδεμίαν ἔσχηκεν ἄνεσιν ἡ σὰρξ ἡμῶν, *nullam requiem habuit caro nostra*] Idem loquendi genus habes supra II, 12. Vide & Actor. XXIV, 23. & infra VIII, 13. Vix respirare nobis à malis licuit, tot erant hostes, tot insidiatores. ¶ ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι· *sed omnem tribulationem passi*] Rursum subauditur *fuimus*, more Hebræo ut supra V, 6. & alibi sæpe. Ἐν παντὶ [*In omnibus*] ut supra VI, 4. ¶ ἔξωθεν μάχαι, *foris pugnæ*] A Gentibus & Judæis. Hi enim sunt οἱ ἔξω [*extranei*], 1 Cor. V, 12. ¶ ἔσωθεν φόβοι· *intus timores*] *A falsis fratribus* XI, 26. Est allusio ad locum Deut. XXXII, 25. ἔξωθεν ἀτεκνώσει αὐτοὺς μάχαιρα καὶ ἐκ τῶν ταμιείων φόβος. [*foris prole orbabit eos gladius atque è conclavibus pavor*].

6. Ἀλλ' ὁ παρακαλῶν τοὺς ταπεινοὺς, *Sed qui consolatur humiles*] *Is qui consolatur afflictos.* Respicitur locus Esaiæ LXI, 1, 3. Vide & Luc. I, 52. ¶ παρεκάλεσεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς, ἐν τῇ παρουσίᾳ Τίτου. *consolatus est nos Deus, in adventu Titi*] Vide supra II, 12. Ostendit quanti Titum faciat, ut eo magis attollat officia quæ Corinthii Tito præstiterant.

7. Οὐ μόνον δὲ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ παρακλήσει ᾗ παρεκλήθη ἐφ' ὑμῖν, *Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis*] Gaudet non tam Titi causa quam ipsorum, quod in Tito ostendissent, quanti Paulum & Euangelium à Paulo prædicatum facerent. Dicit autem ἐν τῇ παρακλήσει [*in consolatione*], intelligens ipsam narrationem τῆς παρακλήσεως [*consolationis*] per μετάληψιν [*Transsumptionem*], qualem & alibi observavimus. ¶ ἀναγγέλλων ἡμῖν τὴν ὑμῶν ἐπιπόθησιν, *referens nobis vestrum desiderium*] *Desiderium vestrum mei videndi.* Sic & ἐπιποθίαν [*desiderii*] nomen habuimus Roman. XV, 23. Ἐπιποθεῖν [*desiderare*] respondet cum vocibus תאוה, אוה, כסף. ¶ τὸν ὑμῶν ὀδυρμὸν, *vestrum fletum*] *Mœrorem* nempe piorum Corinthi ob ea mala, quæ in Asia & Macedonia Paulus pertulerat. Ὀδυρμὸν habuimus & Matth. II, 18. ubi respondet voci תמרורים [*amaritudinum*]. Jerem. XXXI, 15. נהה vertitur ὀδύρομαι [*lamentor*]. ¶ τὸν ὑμῶν ζῆλον ὑπὲρ ἐμοῦ, *vestram æmulationem pro me*] Intelligit ardens studium illorum piorum Corinthi in defendenda bona Pauli fama contra calumnias. Vide Joh. II, 17. 1 Cor. XII, 31. infra XI, 2. ¶ ὥστε με μᾶλλον χαρῆναι· *ita ut magis gauderem*] *Ut eo magis gauderem* videns honorem Titi cum meo esse conjunctum.

8. Ὅτι εἰ καὶ ἐλύπησα ὑμᾶς ἐν τῇ ἐπιστολῇ, *Quoniam etsi contristavi vos in epistola*] In illa priore in qua multa sunt asperiora, quia multa erant mala & late serpserant. ¶ οὐ μεταμέλομαι, *non me pœnitet*] Dicturus eandem sententiam si in iisdem rebus pœneretur, ita olim de se dixit Phocion. ¶ εἰ καὶ μετεμελόμην· *& si pœniteret*] Id est, *quanquam doluit mihi*, nempe quod illa generalitate verborum multi pii se quoque notari putaverant. ¶ βλέπω γὰρ ὅτι ἡ ἐπιστολὴ ἐκείνη, εἰ καὶ πρὸς ὥραν, ἐλύπησεν ὑμᾶς. *videns quod epistola illa, & si ad horam, vos contristavit*] Πρὸς ὥραν [*ad horam*], id est, *modico tempore*. Sic sumitur hæc locutio etiam Galat. II, 5. Philem. 15. Sic πρὸς καιρὸν ὥρας [*ad tempus horæ*], I Thess. II, 17. Sumpsit autem Apostolus vocem ὥρας [*horæ*] magis Latino quam Græco significatu. Nam Græcia vetus *anni tempestates & rerum occasiones* hoc vocabulo expressit; Latini vero & Græci posteriores, *congruam temporis partem* sic vocant: & proprie quidem *diei partem duodecimam*: per abusionem vero *quodvis tempus non diuturnum*.

9. Νῦν χαίρω, οὐχ ὅτι ἐλυπήθητε, ἀλλ' ὅτι ἐλυπήθητε εἰς μετάνοιαν· *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*] *Gaudeo non* ἁπλῶς [*simpliciter*] *quod doluistis*, sed κατά τι [*secundum quid*] *quia dolor ille emendationem toti Ecclesiæ attulit. Dolor secundum Deum* est is qui ob id suscipitur, quod sciatur Deus offendi peccatis. ¶ ἐλυπήθητε γὰρ κατὰ Θεὸν, *contristati enim estis secundum Deum*] Id est, *convenienter divinæ voluntati.* Sic κατ' ἀρετὴν πράξεις, *actiones quæ virtuti conveniunt.* ¶ ἵνα ἐν μηδενὶ ζημιωθῆτε ἐξ ἡμῶν. *ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis*] *Ita ut nullum per nos damnum acceperitis.* Quid enim damni accipit, qui melior fit?

10. Ἡ γὰρ κατὰ Θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται· *Quæ enim secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur*] Per μετάνοιαν [*pœnitentiam*] intelligit ipsam *emendationem*, quæ talem dolorem subsequi solet. Et est hic quasi ἀντανάκλασις [*Refractio*]. Nam μετάνοιαν ἀμετανόητον [*pœnitentiam non pœnitendam*] si dixisset, perfecta fuisset ἀντανάκλασις [*Refractio*], ut cum Plinius dicit, *Superest ut meæ pœnitentiæ pœnitentiam agam.* ¶ ἡ δὲ τοῦ κόσμου λύπη θάνατον κατεργάζεται. *seculi autem tristitia mortem operatur*] Mœror ob ignominiam acceptam, ob res amissas, ob ereptos amicos, sæpe aut morbos mortiferos parit, aut etiam homines ad ultro quærendam mortem adigit. Piis neutrum eveniet, ut qui didicerint ἀνθρώπινα φέρειν ἀνθρωπίνως [*humana æquo animo ferre*].

11. Ἰδοὺ γὰρ, *Ecce enim*] Hoc *ecce* est exemplum recens adferentis ejus quod dixerat. ¶ σπουδήν; ἀλλὰ ἀπολογίαν, *solicitudinem? sed defensionem*] Ἀλλὰ [*sed*] hic valet *imo &*, אף. Ἀπολογίαν, id est, *excusationem* suæ negligentiæ, primum apud Timotheum, deinde apud Titum. In Glossario, Ἀπολογία *excusatio, purgatio, satisfactio.* Et alibi, *excusatus* ἀπολογησάμενος. ¶ ἀλλὰ φόβον, *sed timorem*] Propter illa quæ scripserat in priore Epistola IV, 2, 19, 20, 21. ¶ ἀλλὰ ἐπιπόθησιν, *sed desiderium*] Nempe quia spem reditus sui Paulus fecerat 1 Corinth. IV, 19. XVI, 5, & sequentibus. ¶ ἀλλὰ ζῆλον· *sed æmulationem*] Pro Pauli bona existimatione, supra 7. ¶ ἀλλ' ἐκδίκησιν, *sed vindictam*] *Vindictam* appellat hoc quod tales Doctores Corinthii deseruerant. ¶ ἐν παντὶ συνεστήσατε ἑαυτοὺς ἁγνοὺς εἶναι ἐν τῷ πράγματι. *In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in hoc negotio*] Συνεστήσατε hic est *rebus probastis*. Sic συνιστάναι per δεικνύειν [*demonstrare*] exponit Demosthenes contra Callippum. *Manifestum fecistis vos insontes esse in hoc negotio*, nem-

pe in iis quæ ad mei contemptum dictaque factaque erant.

12. Ἄρα εἰ καὶ ἔγραψα ὑμῖν, *Igitur etsi scripsi vobis*] *Si quid scripsi*, nempe ea de re, & subaudiendum *id scripsi*, ut supra II, 10. v, 13, & alibi sæpe. ¶ οὐχ εἵνεκεν τοῦ ἀδικήσαντος, *non propter eum qui fecit injuriam*] Non quod ei male vellem. ¶ οὐδὲ εἵνεκεν τοῦ ἀδικηθέντος, *nec propter eum qui passus est*] Nec quod mihi ex ipsius dolore solatium quærerem. Inest enim τῇ τιμωρίᾳ τὸ παρηγορεῖν τοὺς πεπονθότας [*pœna ut injuria affectos maxime consoletur*], ut diximus libro II. de Jure Belli ac Pacis xx, 6. ¶ ἀλλ' εἵνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ἡμῶν τὴν ὑπὲρ ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *sed ad manifestandam sollicitudinem nostram quam habemus pro vobis apud vos coram Deo*] Sic Græci. At Syrus, & forte melius, τὴν σπουδὴν ὑμῶν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν [*sollicitudinem vestram quam habetis pro nobis*], sine illo πρὸς ὑμᾶς [*apud vos*], quod & in aliis codicibus deest: ut sensus sit, *In hoc ea de re scripseram, ut appareret omnibus quam me ametis coram Deo*, id est, sincere, Deo conscio.

13. Διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν· *Ideo consolati sumus in consolatione vestra*] id est, ex litteris vestris quas ad me miseratis per Timotheum. ¶ περισσοτέρως δὲ μᾶλλον, *abundantius magis*] Duplex comparativus, ut Marci v, 26, & VII, 36. Talia sunt μᾶλλον ἐνδικώτεροι [*magis justiores*] apud Æschylum, μᾶλλον εὐτυχέστερος [*magis fortunatior*] apud Euripidem, μᾶλλον ὀλβιώτερος [*magis beatior*] apud Aristophanem, αἱρετώτερον μᾶλλον [*eligibilius magis*] apud Aristotelem. Sic & apud Plautum *magis certius*, *magis majores*, *magis dulcius*, apud Virgilium *magis beatior*, apud Valerium Maximum *magis locupletior*, quæ notata in doctissimis de Grammatica Vossii libris. ¶ ἐχάρημεν ἐπὶ τῇ χαρᾷ Τίτου, *gavisi sumus super gaudio Titi*] *Gaudio nobis fuit id gaudium, quod Titus à vobis secum attulit.* ¶ Ὅτι ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἀπὸ πάντων ὑμῶν· *quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis*] *Quod per vos omnes recreatus fuerat ejus animus.* De hoc significatu vocis ἀναπαύειν [*reficere*] diximus 1 Corinth. XVI, 18.

14. Ὅτι εἴ τι αὐτῷ ὑπὲρ ὑμῶν κεκαύχημαι, οὐ κατῃσχύνθην· *Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus*] *Ita ut siquid magnifice de vestro in me affectu apud Titum prædicaverim, in eo non vanus apparuerim.* Est autem in voce κατῃσχύνθην [*sum confusus*] Effectum positum pro Causa. Nam qui mendacii convincuntur, eos pudor sequi solet. ¶ ἀλλ' ὡς πάντα ἐν ἀληθείᾳ ἐλαλήσαμεν ὑμῖν, οὕτω καὶ ἡ καύχησις ἡμῶν ἡ ἐπὶ Τίτου ἀλήθεια ἐγενήθη· *sed sicut omnia in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est*] Ἐπὶ Τίτου hic est *apud Titum*. Sic ἐπὶ τοσούτων μαρτύρων, *apud tot testes*, apud Lucianum. *Sicut vos quæcunque vobis dixi, vera comperistis, sic & Titus vera comperit, quæ ipsi de vobis dixeram.*

15. Καὶ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς ἐστιν, *Et viscera ejus abundantius in vobis sunt*] *Amor ejus erga vos multo magis est*, id est, fertur. Locutio similis Psalm. CXLV, 9. ¶ ἀναμιμνησκομένου τὴν πάντων ὑμῶν ὑπακοὴν, *reminiscentis omnium vestrum obedientiam*] Eam scilicet quam Corinthii Tito tanquam Pauli vicario exhibuerant. Vide infra VIII, 23. ¶ ὡς μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἐδέξασθε αὐτόν. *quomodo cum timore & tremore excepistis illum*] Vide supra II, & Psalm. II, 11.

16. Χαίρω ὅτι ἐν παντὶ θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν. *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis*] *Quod tales sitis ut de vobis mihi omnia optima possim polliceri.* Est & hic μετωνυμία [*Transnominatio*] Effectus pro Causa. Sic infra X, 1. Adde Proverb. XXXI, 11.

CAP. VIII.

VALLA.

2, 3. ET *altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. Quia secundum virtutem (testimonium illis reddo) & supra virtutem voluntarii fuerunt*] Si Interpres transtulisset *profundissima*, nemo accepisset hoc vocabulum aut pro *nobilissima* aut pro *excellentissima*; verum Interpres accipit *altissima* pro *profundissima*, κατὰ βάθους, sicut alibi, *O altitudo divitiarum*, Rom. 11. 33. pro eo quod est *profunditas divitiarum*: quanquam nunc non est superlativum. Si dixisset idem *pro viribus* & *supra vires*, nemo accepisset pro *virtute animi*: nam δύναμις proprie *vim* aut *vires* significat, sive *potestatem*, sive *facultatem*. Etiam illud *voluntarii* Græce dicitur αὐθαίρετος, quod quidam, non tamen priscorum, quod sciam, transferrent, nunc *ultronei*, nunc *spontanei*, quod frequentius dicitur *ultro* aut *sua sponte*.

8. *Non quasi imperans dico, sed per aliorum solicitudinem etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans*] Vix ullo in codice Græco legitur *bonum*: ac ne *ingenium* quidem puto legendum, γνήσιον, quod ad Philippenses 4. 3. transfertur *germanum*, ubi dicitur, *germane compar*, σύζυγε γνήσιε. Forte Interpres transtulit *ingenuum* pro *ingenuitate*: nos autem sciamus Græce significari *germanitatem* quandam mentis, sive animi *ingenuitatem*; nec *ingenium* nominari. Illud autem *comprobans* solet Interpres sæpius transferre *experiens*, sive *experimentum capiens*, h. e. δοκιμάζων, pro *experimento*, δοκιμῇ.

19. *Non solum autem, sed & ordinatus ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*] Non dicitur Latine, *Non solum autem*, sine ullo verbo, sed sic, *Neque id solum*. *Ordinatus* non plane respondet Græco χειροτονηθεὶς, quod est *creatus* vel *electus*: quod verbum tractum est à *tollenda manu* in alicujus rei approbationem. ¶ *In hac gratia quæ ministratur à vobis ad gloriam Domini & destinatam voluntatem vestram*] Imo *ad promptitudinem* (seu *alacritatem*) *vestram* id dando, προθυμίαν. Quod vocabulum paulo post transfert, *Scio enim promptum animum vestrum*, προθυμίαν, c. 9. 2. & paulo ante, *Quemadmodum promptus est animus voluntatis*, προθυμία, v. 11. *Voluntatis* Græce est *volendi*, θέλειν. Et mox v. 12. *Si enim voluntas prompta est*, προθυμία. Hunc locum ridicule quidam exponunt, DESTINATAM VOLUNTATEM, *prædestinatam a Deo, qui prædestinavit ab æterno vos talem voluntatem habere.* Has ineptias effutiunt qui Græcæ linguæ ignari exponunt è Græco traducta.

21. *Providemus enim bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*] Græce abest *enim*. Nec verbum est, sed participium, sic, *Providentes bona*, προνοούμενοι.

23. *Sive pro Tito, qui est socius meus & adjutor in vobis; sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum gloria Christi*] Abest Græce relativum, sed sic, *Sive pro Tito socio nostro*, εἴτε ὑπὲρ Τίτου, κοινωνὸς ἐμός. Nec *gloriæ* genitivi sed *gloria* nominativi legendum est, δόξα. Nec intelligendum est, ut quidam sentiunt, quod *Apostoli miserunt*, sive induxerunt, hunc ad solicitudinem pro vobis habendam, sed quod hi sunt *Apostoli Ecclesiarum* Judææ ad exigendam collectam, *missi*, inquam, *ab Ecclesiis*, non alterum mittentes.

REVIUS in VALLAM.

8. INgenium bonum] Sic est in Vulgata, & prioribus Vallæ editionibus, quod perperam mutavit postremus editor. Fecit enim intelligendo ut non possemus intelligere quid Valla reprehenderet. ¶ *Ac ne* ingenium *quidem puto legendum*] Hoc ultimus mutarat in *ac ne* ingenuum *puto legendum*: falso, & contra mentem Vallæ, qui contendit *ingenuum* pro *ingenio* legendum. ¶ Γνήσιον] Puto aliquid deesse tale, *In Græco enim est* γνήσιον. Sic jam sensus constat. ¶ *Nec* ingenium *nominari*] Verissime: ut falso supposuit ultimus, *nec* ingenuum *nominari*. ¶ Δοκιμάζων· δοκιμῇ] Turpiter inversus erat ordo harum vocum: ut &

23. Εἴτε ὑπὲρ Τίτου, &c. ¶ *Socio nostro*] Hoc profecto sciolus quispiam interpolavit. Legendum enim *socius meus* (scilicet *est*) ex textu & mente Vallæ. Tantummodo enim relativum, i. voculam *qui*, in Vulgata redundare docet.

ERASMUS.

2. ET *quod*] *Et* redundat, nec est in Græcis cod. nec additur ab Ambrosio, ne in nostris quidem emendationibus. ¶ *In multo experimento*] Ἐν πολλῇ δοκιμῇ, *in multa probatione*: atque ita legit D. Ambrosius. ¶ *Abundantia gaudii*] Ἡ περισσεία. Sed Ambrosius recte mutavit nomen in verbum, legens *abundat gaudium*. ¶ *Altissima paupertas*] Ἡ κατὰ βάθους πτωχεία. Ambrosius legit *profunda paupertas*. Sumptum apparet à Vase seu Scrinio jam ad imum exhausto. Ad quod pertinet illud quod Hesiodus scripsit, *Seram in fundo esse parsimoniam*. Proinde non omnino pessime vertit Interpres. Opposuit autem Paulus inter se contraria, *profunda paupertas*, h. e. exhaustissima, & *exuberavit*. Non exuberas

berat quod est *inane*; & *paupertas* cum *divitiis* pugnat. ❡ *In divitias simplicitatis*] Εἰς τὸν πλοῦτον ἁπλότητος, *in opulentiam simplicitatis*. Simplicior est qui libenter erogat; & hoc magis ditescit candoris ac benignitatis bono quo pauperior redditur pecunia.

3. *Quia secundum virtutem*] Ὅτι κατὰ δύναμιν, *quia pro virili*, sive *pro viribus*. Et sic legit D. Ambrosius, ne quis hic *virtutem* accipiat oppositam *vitio*. ❡ *Supra virtutem*] Καὶ ὑπὲρ δύναμιν, *ultra vires*. Et sic legit Ambrosius, quemadmodum & supra *pro viribus*. Quanquam dilucidius erat *etiam supra vires*. Ex Ambrosio propemodum subolet verbum μαρτυρῶ, quod ille vertit *testimonio illis sum*, per parenthesim interseri; *Siquidem pro viribus, me teste, imo supra vires, ultro dare volebant*. ❡ *Voluntarii*] Αὐθαίρετοι, *spontanei*; ut subaudias *fuerunt*; h.e. non rogati, non provocati.

4. *Cum multa exhortatione obsecrantes nos*] Græci secus legunt, Μετὰ πολλῆς παρακλήσεως δεόμενοι ἡμῶν, τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους δέξασθαι ἡμᾶς, *Multa cum obtestatione rogantes nos ut gratiam & communionem ministerii quod est in sanctos susciperemus*.

5. *Et non sicut speravimus*] Καὶ οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν, i. *multo amplius quam sperare audebamus*: ne putemus id accidisse Paulo præter spem. Proinde nos vertimus *quatenus*. Hoc loco ridiculum quiddam incidit in exemplari Corsendoncensi, codice alioqui per quam eleganti, sed pulcro verius quam emendato. Lector, ut facile licet conjicere, cum reperisset à studioso quopiam annotatum quiddam in spatio marginali, credens à scriba prætermissum, transtulit in medium versum ad hunc modum, δέξασθαι ἡμᾶς, ἐν πολλοῖς τῶν ἀντιγράφων οὕτως εὕρηται, καὶ οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν. Siquidem is indicans ἡμᾶς in plerisque non addi, in aliis rursus addi, asscripserat hæc, *In plerisque exemplaribus sic invenitur*: ea verba scriptor indoctus medio Pauli sermoni admiscuit. Simile quiddam accidit in epistola Paulini ad Augustinum, quæ numero fertur 58. In medio epistolæ contextu, quoniam præcesserat mentio *Apostolorum* & *Prophetarum*, longum somnium intermiscet indoctus scriba de etymologia vocum *Apostoli* & *Propheta*, quod male feriatus quispiam ex Catholico fortassis asscripserat in margine, *Ut enim*, inquit, *ad vim termini proficiscar*, APOSTOLUS *Græcum dicitur ab* APOS, *quod notat* AUGMENTUM *vel* PRÆEMINENTIAM, *&* STOLON *quod est* MISSIO, *quasi* PRÆEMINENTER MISSUS, *ad augmentationem scilicet fidei catholicæ*. Ac mox, PROPHETA *autem*, inquit, *à* PRO, *id est*, PROCUL, *&* FOR FARIS, *quasi Quæ sunt, erunt vel fuerunt locuturus*. Aliaque id genus multa deblaterat in media viri eloquentis juxta ac docti epistola supposititius ille Paulinus. Atque hæc cum ab eruditis multa deprehendantur in libris qui cum autoritate leguntur, quid futurum arbitramur si quicquid quocunque modo libris illitum fuerit, citra judicium citraque censuram velimus recipere? Et hac occasione comperimus innumeros locos esse depravatos.

6. *Ita ut rogaremus Titum*] Εἰς τὸ παρακαλέσαι ἡμᾶς Τίτον, *in hoc ut adhortaremur Titum*. ❡ *Ita & perficiat*] *Et consummaret*. ❡ *In vobis*] Εἰς ὑμᾶς, *in vos*, vel *erga vos*. ❡ *Etiam gratiam istam*] Rursum χάριν *gratiam* vertit, rectius versurus *beneficium*, aut *munificentiam*, sive, ut nos vertimus, *beneficentiam*, quo nomine frequenter usus est Cicero, cum alias, tum 1. libro Officiorum, ne quis calumniaretur. Deinde cur non potius *erga vos* quam *in vobis*, cum Græce sit εἰς ὑμᾶς, præsertim cum ita legat Ambrosius? *ut quemadmodum cœpit, ita consummet etiam in vos gratiam istam*. Interpretatur autem, *ut quemadmodum hortatu Titi cœpistis imitari munificentiam aliorum, ita eodem hortatore perficiatis*. Est autem Græcis gemina conjunctio καὶ, quarum prior refertur ad priorem partem incipiendi, posterior ad cæteras dotes quibus valebant Corinthii: *Qui cœpit, idem perficiat; ut quemadmodum probamini cæteris virtutibus, ita in hac quoque laudem promereamini*. Ut autem egregius artifex laudem admiscuit exhortationi, juxta Rhetorum præcepta.

7. *Insuper & charitate*] καὶ τῇ ἐξ ὑμῶν ἐν ἡμῖν ἀγάπῃ, *& charitate quæ in nobis est ex vobis*. Pro τῇ ἐξ ὑμῶν Interpres vertit *vestra*, nec male. Nec est *insuper* apud Græcos, ne in Paulino quidem vetustissimo exemplari, ne in Constantiensi quidem, licet sit apud Ambrosium. Videtur autem dictum *in nobis* pro *in nos*. Theophylactus & Græca Scholia interpretantur *charitatem Corinthiorum erga Paulum*; Ambrosius videtur invertere pronomina, *illa quæ ex nobis in vobis est charitate*, h.e. abundatis ea charitate quam ex nobis didicistis. Etiamsi in libris vulgatis habebatur *& vobis* pro *in vobis*: opinor emendandum *ex vobis in nobis*. ❡ *Et in hac gratia abundetis*] *Gratia* hoc loco pro *beneficio* seu *eleemosyna* accipitur, & paulo superius. Loquitur enim de adjuvandis liberalitate sanctis. Subaudiendum est autem verbum *hortor*, aut *date operam*; alioqui sermo non erit absolutus.

8. *Non quasi imperans*] Οὐ κατ' ἐπιταγὴν, *non juxta imperium*, h.e. non tanquam imperans. Ambrosius legit, *non secundum imperium*. ❡ *Sed per aliorum solicitudinem*] Græce διὰ est, h.e. *per*, non *propter*. Est enim sensus, *Ut vestra charitas probatior fiat ex aliorum erga nos officio, non quod aliquid exigam à vobis*: tametsi sermo Græcus ancipitem habet sensum. Potest enim sic accipi, *Ut vestra quoque charitas, sicut cæterorum Achaicorum, reddatur probatior ac spectatior, si vestra solicitudine sublevetur paupertas sanctorum*. Potest & sic accipi, *Ut & vestra charitas magis à me probari possit ac prædicari, si vos aliorum exemplo provocati non cesseritis cæteris in hoc beneficentiæ genere, cum in cæteris non sitis inferiores*. ❡ *Vestræ charitatis ingenium bonum*] Græce secus habet, καὶ τὸ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον, *& charitatis vestræ ingenuitatem*, sive *sinceritatem*. *Ingenuum* autem pro *ingenuitate* dictum est: γνήσιον autem vocant *quod est verum, germanum, ingenuum, minimeque fucatum & adulterinum*. Ambrosius legit *bonum*, omisso *ingenio*. Et sane suspicor in nostris cod. olim scriptum fuisse *ingenuum*, non *ingenium*, idque parum intellectum à sciolo quopiam depravatum. Jam vero quorsum attinet commemorare quid hic somnient recentes quidam Theologi? nimirum hoc impudentiores quo indoctiores, cum Thomas pluribus verbis philosophetur in hoc verbo *ingenium*. Sic enim legit & ille, suum secutus exemplar. Quid enim aliud faceret, ignarus Græcanicæ literaturæ? Atque hic quo studiosius laborat, hoc magis erret necesse est, non secus quam si quis semel aberrarit à via, is quo vehementius currat, hoc magis erret oportet. Cæterum illi sane veniam tribuendam arbitror cui nihil omnino defuisse video præter cognitionem linguarum. Verum præstabat aliquanto minus Aristotelicum esse quam hoc carere adminiculo. Is cujus Scholia feruntur falso Hieronymi titulo, videtur legisse *ingenitum*, quasi genuinum: nam ascribit, *Est enim vobis sic ingenita pietas ut eam ab aliis discere minime egeatis*.

9. *Quoniam propter vos egenus factus est*] *Quoniam* vel *quia* rectius vertisset per *quod*. Hoc loco Faber mutat *vos* secundam personam in *nos* primam, idque ita inveniri prædicat in archetypis. At reclamant constanter exemplaria Græca quæ quidem ego viderim, & insuper Latina, & magis quadrat *vos*, quia præcessit *scitis*, & sequitur *divites essetis*. Atque hoc sermone Corinthiorum liberalitatem studet elicere, tametsi non multum habet momenti ad sensum utrum legas ἡμᾶς an ὑμᾶς. Verum illud *egenus factus est* est Gr. ἐπτώχευσε *pauper fuit*, sive potius *mendicavit*: ut hinc possint argumentum sumere qui gaudent Mendicitatem suam ad Christum autorem referre. Nec retulit Interpres vocum allusionem, ἐπτώχευσε, πτωχείᾳ, i. *pauper fuit* & *paupertate*: quam mirum cur ceu data opera confuderit, cum nullo incommodo licuerit reddere.

10. *Et consilium in hoc do*] Καὶ γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι. Hic videtur plane γνώμην accipere pro *consilio*. Porro *in hoc*, i. in hac re: ne quis hic erret, putans *hoc* esse accusativum casum. ❡ *Sed etiam velle*] Sensus ambiguus est, *an cœperint simul & velle & facere ante annum*, ut hoc beneficium non nuper cœptum intelligas; *an cœperint non solum facere, sed etiam ultro facere & suapte sponte*: nam id plus est quam *facere*. Est autem gemina laus Corinthiorum, qui non solum cœperint largiri pauperibus suapte voluntate, non provocati alienis exemplis, sed hoc ipsum etiam animi propositum ultro nec provocati sumpserint. Atque hunc quidem posteriorem sensum sequuntur interpretes. ❡ *Ab anno priore*] Ἀπὸ πέρυσι, *ab anno superiori*.

11. *Animus voluntatis*] Καθάπερ ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, *quemadmodum promptus est animus ut velit*, sive *ad volendum*. ❡ *Ita sit & perficiendi ex eo quod habetis*] Οὕτω καὶ τὸ ἐπιτελέσαι ἐκ τοῦ ἔχειν, *sic & perficere sit* (sive *perficite*) *ex habendo*, i. ex hoc quia habetis, h.e. quia potestis: siquidem *habere* videtur abusus pro *posse*. Velle est animi prompti; præstare quod velis est facultatis.

12. *Si enim voluntas prompta est*] Εἰ γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται, *Si enim prius adsit animi promptitudo*, aut *si præcesserit animi promptitudo*, quasi fundamentum beneficentiæ. ❡ *Secundum id quod habet*] Καθὸ ἐὰν ἔχῃ τις. Hic *habet* accipio more Græcorum pro *potest*. Id innuit D. Ambrosius, qui legit *secundum facultatem*. Et potius est *juxta id quicquid illud est quod possit*, ut subaudias *dare*. Quanquam hoc ad sententiam Pauli non admodum refert.

13. *Ut aliis sit remissio*] Ἄνεσις, *i. remissio & relaxatio laborum*. Proinde Ambrosius vertit *refrigerium*. ❡ *Vobis autem*

tem tribulatio] θλίψις. Hoc loco melius redditur ab Ambrosio *angustia*: nam *angustiam rei familiaris* dicimus. *Relaxatur* iis quibus minus *angusta* sit res familiaris. Atque hic subaudiendum est aliquid, quo sermo reddatur absolutus, *Non enim sic dandum est ut aliis*, &c. ❡ *Vestra abundantia*] Hic *suppleat* additum est, cum Græce sic habeatur, τὸ ὑμῶν περίσσευμα εἰς τὸ ἐκείνων ὑστέρημα, ἵνα καὶ τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένηται εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, ut γένηται referatur ad utramque partem. Poterat autem reddi ad hunc modum, *Ut vestra abundantia illorum inopiæ, & illorum abundantia vestræ succurrat inopiæ.* Nam sermo Græcus contrariis inter se redditis & repetitione vocis ἐκείνων figuratus est: quin & in *vestra* & *illorum* tacita ἀντίθεσις est.

15. *Qui multum*] Ὁ πολύ. Etiam Græcis subauditur participium ἔχων, i. *qui habebat*. ❡ *Non minoravit*] Οὐκ ἠλαττόνησεν, *non fuit inferior*, aut *non minus habuit*. Cæterum testimonium quod adducit est Exod. 16. juxta Hebraicam veritatem. D. Hieronymus vertit ad hunc modum, *Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat reperit minus.* Dictum est autem de colligendo Manna, quod Paulus deflexit ad suum negotium. Apud Theophylactum talem reperi lectionem, ὅτι πολὺ οὐκ ἐπλεόνασεν, καὶ τὸ ὀλίγον οὐκ ἠλαττόνησεν, q. d. *Copia nihil superfuit, & inopia nihil defuit.* In enarrando addit verbum ἔχων.

16. *Gratias autem ago Deo*] Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, *Gratia autem Deo*: ut subaudias *est* aut *sit*. ❡ *Eandem solicitudinem*] Quod jam sæpius vertit *solicitudinem*, Græcis est σπουδὴ, i. *studium* sive *cura*. Et Interpres atque Ambrosius legerunt τὴν αὐτὴν *eandem*, sive, ut vertit Ambrosius, *hanc ipsam*. Item Augustinus, qui legit *idem studium*. Atque ita legitur in nonnullis Græcorum exempl. cum in aliquot pro τὴν αὐτὴν sit τοιαύτην *talem*. Chrysostomus legit τὴν αὐτήν.

17. *Quoniam exhortationem quidem*] Ambrosius legit *consolationem*: sed melius noster Interpres *adhortationem*. Significat enim suo rogatu venisse, sed tamen suapte sponte ad id propensum & alacrem. In hanc sententiam Theophylactus. ❡ *Sed cum solicitior esset*] Σπουδαιότερος, i. *studiosior ac diligentior & alacrior*. Atque hoc sane loco conjunctio δὲ vim habet Corrigendi, ut non absurde verti potuerit per *imo*. Siquidem quod modo dixerat *Titum adductum suis precibus suscepisse negotium*, id mutat; *imo*, inquiens, *non meo impulsu hoc fecit, verum cum sua sponte ad id esset promptus, me rogante factus est alacrior ac diligentior, veluti cum ultro currentem incitamus.* ❡ *Sua voluntate*] Αὐθαίρετος, *spontaneus*, sive *ultroneus*. Ambrosius legit *voluntarius*.

18. *Cum illo fratrem nostrum*] *Nostrum* non est Græce, sed tantum τὸν ἀδελφόν· nec addebatur in codice Donatianico. Sic enim vocat Christianum. Cæterum articulus additus facit ut certum aliquem designatum intelligamus, cujus nomen data opera suppresserit, malens eum elogio quam vocabulo describere. Proinde vertendum erat, *Misimus autem una cum illo fratrem cum cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* At paulo inferius additur *nostrum*, *Misimus autem una cum illis & fratrem nostrum quem probavimus in multis.* ❡ *Cujus laus est in Evangelio*] Sermo videtur anceps. Nam apparet accipi posse *laudem illius esse scriptam in Evangelio*. Verum illud dicit, *Illum* quisquis est de quo dicit (nam id incertum est) *ita versatum esse in prædicatione Christi* (quam hic *Evangelium* vocat) *ut omnium testimonio Ecclesiarum laudetur*. Nec ea res tamen vetat quo minus accipiatur de Luca; quod sensisse videtur Hieronymus; cum alii Barnabam opinentur designari, rursus alii Apollo. Verum illud admonere volui, hic magis de prædicatione fieri verba quam de scripto Euangelio, propter id quod sequitur, *per omnes Ecclesias*. Porro incertum an id temporis quo hæc scribebat Paulus Lucas scripserit Euangelium.

19. *Non solum autem*] Vertendum erat, *Nec id solum*, ut intelligamus eum non solum spectatum prædicatione Euangelii, verum etiam Paulo comitem fuisse delectum. ❡ *Sed & ordinatus est*] Χειροτονηθεὶς, *electus*, sive *suffragiis creatus*: id quod proprie significat Græca vox. ❡ Συνέκδημος, *comes peregrinationis meæ*] Recte, nisi quod *comes* minus est quam συνέκδημος, i. *collega* sive *socius*: ut æqualem intelligas, non sequentem. ❡ *In hanc gratiam*] Græci habent σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ, *cum gratia hac*. Quanquam *gratia* hoc loco *beneficium* sonat. ❡ *Ad Domini gloriam*] Πρὸς τὴν αὐτοῦ τοῦ Κυρίου δόξαν, *ad ejusdem Domini gloriam*. ❡ *Destinatam voluntatem*] Καὶ προθυμίαν, *animi promptitudinem*. Ambrosius legit *solicitudinem*. Opinor vitium esse librariorum, qui pro *promptitudine* mutarint *solicitudinem*. Thomas Aquinas DESTINATAM VOLUNTATEM interpretatur *à Deo prædestinatam, qui prædestinaris ab æterno vos talem voluntatem habere.* Non libet insectari conviciis virum tam eruditum tamque celebrem. Malim quicquid est imputare seculo, modo lector intelligat ne doctissimos quidem absque periculo lapsus interpretari posse Divinas literas citra linguarum peritiam, sentiatque id quod Thomas huc adduxit ἐκ δὶς διὰ πασῶν abesse à sensu Paulino. Sentit enim *hoc beneficium à se administrari ad Domini gloriam, simulque ad provehendam ac declarandam animi promptitudinem eorum qui largiebantur ultro.* Ambrosius ut pro προθυμίαν legit *solicitudinem*; ita pro ὑμῶν secundæ personæ legit ἡμῶν primæ; sed secus interpretantibus Græcorum Scholiis ac Theophylacto.

20. *Devitantes hoc*] Στελλόμενοι τοῦτο *caventes illud*. Sumptum est à nautis, qui flexo cursu declinant scopulum aut periculum. ❡ *In hac plenitudine*] Ἐν τῇ ἁδρότητι, *abundantia*, sive *exuberantia*. Solet enim magna pecuniarum vis obnoxia esse suspicioni fraudis. ❡ *Quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam*] Non repetitur hoc loco apud Græcos *ad Domini gloriam*.

21. *Providemus enim*] Προνοούμενοι, *Providentes*, absque *enim*. Pendet enim à superioribus *misimus*: quanquam id quidem ad sensum nihil refert. Et καλὰ magis sonat *honesta* quam *bona*.

22. *In multis sæpenumero*] Interpres ne potuit quidem reddere jucunditatem Græcanici schematis, ἐν πολλοῖς πολλάκις, q. d. *in multis multifariam*, aut *in multis multoties*, si sic liceat loqui. ❡ *Solicitum esse*] Σπουδαῖον ὄντα, *diligentem*, aut *promptum*; aut etiam *probum*. Nam hoc quoque significat σπουδαῖος. ❡ *Confidentia multa in vos*] Πεποιθήσει πολλῇ τῇ εἰς ὑμᾶς, *ob fiduciam multam quam habent erga vos.* Græca sunt ambigua. Nam *fiducia* referri potest ad Paulum, qui confidat illum nunc fore diligentiorem, quod speret illos bene tractaturos hominem. Non solum autem confidit de hoc, verum etiam de *Tito*. Quamobrem? Quod *socius ipsius sit, & in juvandis Corinthiis adjutor*. Item de cæteris, quod Pauli sint *fratres*, & *missi ab Ecclesiis*, sicut ante dixit. Et idcirco malumus hic APOSTOLOS vertere *legatos*.

23. *Et in vobis adjutor*] Καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός, *& erga vos cooperator*, sive *collega*. Præterea hi nominativi dure subjiciuntur. Simplicius erat, *pro Tito socio meo, & in vos cooperatore*, sive *adjutore*. ❡ *Gloria Christi*] Δόξα Χριστοῦ, ut intelligas ipsos *Apostolos esse gloriam Christi*. Quanquam totus hic locus varie legitur. Ambrosius ita legit, *Sive per Titum qui est socius meus & adjutor in vobis, sive per fratres nostros Apostolos Ecclesiarum gloria Christi.* Græca sic habent, Εἴτε ὑπὲρ Τίτου, κοινωνὸς ἐμὸς, καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός· εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, δόξα Χριστοῦ. Scholia explicant ad hunc modum, *Sive de Tito*, ut subaudias, *aliquid dicendum est, hoc possum dicere, quod est socius meus*, &c. *Sive de cæteris dicendum est aliquid, hoc dico, quod sunt Apostoli Ecclesiarum, & gloria Christi, quorum prædicatione & vita illustrius fit Euangelium Christi.* Hæc autem omnia eo pertinent ut commendet Corinthiis eos quos illò mittit. Nec me fugit quid Faber Stapulensis hoc loco scripserit; verum illius sententiæ hac quidem in parte non subscribo, præsertim refragantibus Græcis Scholiis, & nominatim Chrysostomo ac Theophylacto, atque ipso denique Ambrosio. Cæterum quæ Thomas & hoc recentiores in hunc adducunt locum non libet referre. Quanquam sensit nonnihil Aquinas, cum *gloria* legens tamen interpretatur *ad gloriam*, quasi *gloria* sit dativus casus, cum apud Græcos sit rectus. Chrysostomus ac Theophylactus attingunt & alteram sententiam, nimirum hanc, *Quocunque nomine eos receperitis, quicquid officiorum in eos contuleritis, gloria erit Christi. Nam in hunc redundat quicquid impenditur Euangelii Ministris.* Potest & sic accipi, *Quicquid sunt illi quos laudo, pertinet ad gloriam Christi.*

24. *Ostensionem ergo quæ est charitatis vestræ*] Græce est simpliciter *ostensionem charitatis vestræ*. Neque secus legit Ambrosius. ❡ *Et nostræ gloriæ*] Rursus est καυχήσεως, quod Ambrosius hoc loco vertit *exsultationem*. ❡ *In facie Ecclesiarum Dei*] Εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν. *Dei* non additur in Græcis, nec in Ambrosio. Porro illud *in faciem*, magis quadrabat *in personam Ecclesiarum*. Redundat enim *in personam Ecclesiarum* honor habitus iis quos miserant Ecclesiæ. Ita quidem Theophylactus. Quanquam & alterum probo sensum, nimirum hunc, *ut cæteræ quoque Ecclesiæ videant charitatem vestram de qua soleo apud illas gloriari*: ut *in facie* sonet *in conspectu*.

V A-

VATABLUS.

1. GRatiam Dei] i. Notum facimus de eleemosyna illa divina.

2. *In multo experimento tribulationis*] *In multa probatione tribulationis*: Heb. pro, *in multa tribulatione qua probabantur*; sub. *à Deo*: h. e. in multa inopia & penuria rerum qua affligebantur, suppeditatio hilaris eorum exuberavit. ¶ *Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum*] i. Et quod maxima illorum paupertas in largitionem simplicem abundavit: h. e. quamvis pauperes essent, tamen ingenuo animo, & non fucato, suppeditaverunt necessaria Jerosolymitanis.

3. *Secundum virtutem*] Vel, *pro viribus*. ¶ *Virtutem voluntarii*] *Vires prompti*: i. *non rogati*, *nec provocati*.

4. *Exhortatione obsecrantes nos gratiam*, &c.] *Obtestatione rogantes nos*, *ut gratiam & communionem ministerii, quod confertur sanctis, susciperemus*.

5. *Speravimus*] *Speraveramus*: sub. *fecerunt*: q. d. multo amplius quam sperare audebamus.

6. *Rogaremus*] Vel, *adhortaremur*. ¶ *Cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam*] *Cœperat*, *ita & perficeret erga vos etiam beneficentiam hanc*.

7. *Sed*] *Imo*. ¶ *Gratia*] *Gratiam* pro *beneficio* & *eleemosyna* accipit.

8. *Quasi*] *Tanquam*. ¶ *Aliorum solicitudinem*] *Per solicitudinem erga alios*: i. ut vestra solicitudine sublevando paupertatem sanctorum, ultro declaretis charitatis vestræ sinceritatem. ¶ *Ingenium bonum*] *Ingenuum bonum*, Vet. vel, *ingenuitatem*, aut, *sinceritatem*.

10. *In hoc*] *In hac re*. ¶ *Priore*] *Superiore*.

11. *Voluntatis*] *Ut velis*: vel, *ad volendum*. ¶ *Perficiendi*] *Ad perficiendum*.

13. *Remissio, vobis autem tribulatio*] *Relaxatio*, *vobis autem angustia*: sub. *dandum est vobis*: vel, *petimus ut detis*.

14. *Inopiam suppleat*] Vel, *succurrat inopiæ*. ¶ *Sit supplementum*] *Succurrat*.

15. *Multum*] Sub. *collegerat*. Vet. legunt, *habuit*. ¶ *Non minoravit*] *Nihilo minus habuit*.

16. *Dedit*] *Dat*.

17. *Exhortationem*] Sub. *nostram*. ¶ *Solicitior*] *Studiosior*, *diligentior*, *alacrior*.

18. *In Euangelio*] i. In prædicatione Euangelii.

19. *Autem**] * *Id*. ¶ *Ordinatus*] *Electus*, *suffragiis creatus*. ¶ *In hanc gratiam*] *Cum hac gratia*: i. ut sit nobis adjutor in colligenda pecunia quam vestra largitur benignitas. ¶ *Ad**] * *Ejusdem*. ¶ *Destinatam voluntatem nostram*] *Animi vestri promptitudinem*.

20. *Devitantes*] *Caventes*. ¶ *Plenitudine*] *Exuberantia*, *abundantia*: i. in hac pecunia exuberante.

21. *Providentes*] *Procurantes*.

22. *Solicitum*] *Diligentem*, *promptum*. ¶ *Confidentia multa in*] *Ob multam fiduciam erga*.

23. *Pro Tito*] Vel, *de Tito*: sub. *loquamur*. ¶ *In vobis adjutor*] *Erga vos cooperator*. Vet. *in vos*. ¶ *Fratres nostri*, *Apostoli*] *De fratribus nostris* [sub. *loquamur*] *qui sunt legati*. ¶ *Gloria*] *Gloria*, Vet. l. qui promovent gloriam Christi.

24. *Gloria pro*] *Gloriationis de*. ¶ *In facie*] *Etiam in conspectu*.

CASTALIO.

6. UT *nos Titum hortati sumus*] Scilicet ut nos moneat urgeatque, quo Deus pro sua benignitate vobis eam det mentem ut quod jam facere cœpistis id perficiatis, videlicet de benignitate in egentes.

10. *Non solum facere, sed etiam velle*] Non rerum magnitudinem inter se comparat: alioquin diceret, *non solum velle, sed etiam facere*, cum facere plus sit quam velle; sed res inter sese conjungit, ut sit *non solum facere*, *sed etiam velle*, idem quod *& facere & velle, ut utrumque ab anno superiore cœperit*. Eodem modo locutus est ad Rom. 1. *Non solum ea faciunt*, *verum etiam facientibus consentiunt*, h. e. & faciunt & consentiunt.

13. *Non enim aliis laxitatem*, *vobis angustiam esse oportet*] Ἵνα pro δεῖ aliquando ponitur: ut Joh. 13. ἐγὼ οἶδα οὓς ἐξελεξάμην· ἀλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, h. e. δεῖ πληρωθῆναι. Et idem in Epistola 1. cap. 2. ἀλλ' ἵνα φανερωθῶσιν, quod Hebraico more dicitur, ut Jer. 3. לאמר, h. e. ἵνα λέγητε, pro λέγειν, h. e. *quæratur*, aut *respondeatur*.

CLARIUS.

1. NOtam *autem facimus vobis*] Opportunum nactus est locum adhortandi eos ad eleemosynam, commendata eorum *obedientia*, & quod *in omnibus confidat eis*.

2. *In multo experimento*] Duplex commendatio istorum magna, & quod *in maxima afflictione copia non minor eorum gaudii fuerit*, & quod *in summa inopia tam alacrem in præbendo animum præ se tulerint*. Proponendum sæpe hominibus exemplum.

6. *Perficiat in vos etiam gratiam istam*] Neque enim, cum eos ad eleemosynas hortatur, quicquam in Paulum redit, sed totus est Corinthiorum fructus.

9. *Propter vos egenus factus est*] Quem non moveat ad profundendas pro Christo divitias hujus exempli cogitatio?

10. *Non solum facere*] h. e. Non solum cœpistis hoc sponte facere, sed etiam superiore anno sine ulla adhortatione volueratis hoc facere: nunc id perficite.

15. *Qui multum, non abundavit*] Ut nunc vobis accidat quod de Manna factum legimus. Quibus verbis admonemur, oportere Christianum hominem ita suas facultates distribuere ut nihilo plus aliis habere videatur.

17. *Sua voluntate profectus est*] Licet, inquit, à me rogatus meam adhortationem susceperit, non tamen hinc excitatus est, sed sua voluntate est profectus.

18. *Misimus etiam cum illo fratrem*] Chrysostomus arbitratur esse Barnabam potius quam Lucam.

23. *Sive pro Tito*] Subintelligendum est aliquod verbum, ut si dicas, *Quia primo Titi feci mentionem*, *sive commendem Titum*, *sive alios*, *omnes charos habete*; *quia sunt gloria Christi*.

ZEGERUS.

2. IN *multo* (δοκιμῇ) *experimento tribulationis*] i. In variis quas experti estis tribulationibus, sive in multiplici vestri per afflictiones probatione. ¶ *Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum*] Tale quid sentit ac si dicamus, *Profundissima & extrema eorum paupertas opulentissima & beneficentissima fuit propter ditissimum simplicis animi affectum & ad impertiendum promptissimum*. Neque enim de beneficiorum copia sed de voluntate dantium liberalitas æstimatur. Vel tale, Cum sint tenues extremæque paupertatis, tamen erat tanta animorum promptitudo ut ex inanibus etiam scriniis pene quicquid supererat depromerent in subsidia pauperum. Unde factum est ut quo pauperiores redderentur & exhaustiores pia liberalitate, hoc magis ac magis ditescerent promptissimi pectoris candore & benignitate. *Simplicitas* enim hoc in loco, ut annotavit Theophylactus, *animum* signat *invidia vacantem & ad impertiendum facilem*.

3. *Quia secundum virtutem* (*testimonium illis reddo*) *& supra virtutem*] i. Pro viribus & ultra vires.

4. *Gratiam & communicationem ministerii quod fit in sanctos*] Quod ad absolutionem hujus sermonis supplendum erat, id modo in Græcis expressum visitur, duabus additis vocibus, δέξασθαι ἡμᾶς, i. *ut susciperemus*; quod tamen nec Ambrosio lectum est, nec Augustino in Speculo, sed ne Chrysostomo quidem, nisi fallor, (tametsi Latinitate donatus id habeat) id quod Theophylactus ipsius abbreviator indicare videtur, dum *deesse hic* dicit *quod merito erat dicendum*, HORTABAR VOS AD SUSCIPIENDUM ID MINISTRANDI MUNUS. Ut sileam interim quod periodum faciat ante *Gratiam & communicationem*.

6. *Ita ut rogaremus Titum ut quemadmodum cœpit ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam*] Commendarat Macedones quod proptissimos sese exhibuissent in erogandis eleemosynis: quorum munificentia adeo se dicit delectatum *ut rogarit Titum* discipulum suum, Corinthiorum prædicatorem, *ut quemadmodum* ipse Corinthios ipsos jamdudum adhortari ad munificentiam *cœpisset*, *ita & perficeret quod instituerat*, ut tanto Macedonum, qui pauperes erant, provocati exemplo, *in hac gratia*, i. eleemosyna conferenda, nequaquam se illis declararent inferiores. Vel, *quemadmodum cœpit*, *ita & perficiat*, &c. h. e. quomodo in cæteris virtutibus persuadendis exhortationis suæ habuit fructum, haberet & in hac gratiam & felicem successum.

8. *Sed per aliorum solicitudinem etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans*] Ne existimetis, inquit, me jure quodam ad Macedonum imitationem vos velle inducere ad eleemosynas liberalius erogandas; *non ut imperans loquor, sed ut bonum ac sincerum vestræ charitatis ingenium*, i. affectum & animum, *comprobans*; ut scilicet illorum vobis proposito atque audito in pauperes studio ac solicitudine, vos quoque ad majorem charitatis affectum ac beneficentiam acuam, provocem atque exhorter. In hunc sensum illud γνήσιον sive *ingenium bonum* interpretantur Chrysostomus & Ambrosius. Recentiores quidam ex eo quod Græce est γνήσιον, i. *genuinum* vel *ingenuitatem*, suspicantur ab Interprete scriptum *ingenuum bonum*, idque parum intellectum à sciolo quopiam esse depravatum: quorum sane opinioni hoc accedo libentius quod idipsum scriptum offenderim tum in vetusto quodam exemplari calamo descripto, in Cœnobio nimirum Iheneit. tum etiam apud B. Augustinum in Speculo. Quanquam inferim *ingenium* non ausim prorsus explodere, partim quod *ingenium* vim quandam animi & quandam homini ingenitam propensionem seu naturam declaret, (juxta illud Terentii, *Rursus ad ingenium redit*) id quod & γνήσιον signat; partim quod hocipsum longo jam usu receptum sit. Cæterum δοκιμάζων interpretari potest *comprobans*, vel *probans*, ac *experimentum capiens*, de affectu videlicet vestræ dilectionis.

10. *Qui non solum facere sed & velle cœpistis ab anno priore*] Non uno modo intelligi potest, *non solum hoc tempore largiri cœpistis egentibus, quinimo & ac anno superiore ad idem spontanei fuistis.* Vel, *non solum me hortatore cœpistis facere, verum etiam idem officium ultro & non provocati præstare volebatis ab anno superiore*: sic ut illud *ab anno superiore* ad utramque orationis partem pertineat. Fortasse & sic poterit construi, *qui non solum velle sed & facere cœpistis*: ut scilicet ordo intelligatur per Hysterologiam inversus.

12. *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, & non secundum id quod non habet*] Si voluntas, ait, parata fuerit juxta rationem facultatis, & non supra quam suppetat facultas, grata proculdubio erit. Neque enim exigitur ut dones, quod citra tuum dispendium non possis. Porro Græca etiam hoc pacto possunt converti, *Si enim præcesserit animi promptitudo, juxta id quicquid illud est quod potest* (ut subaudias *dare*) *accepta est, non juxta id quod non potest.* Sic enim habent, Εἰ γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται, καθὸ ἐὰν ἔχῃ τις, εὐπρόσδεκτος, οὐ καθὸ οὐκ ἔχει. Et ἔχω sæpenumero pro *possum* accipitur.

13. *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio*] h. e. Non ut alii per quietem & otium in deliciis sint, vos autem indigentiam sustineatis, supple *ita impertiendum est*, &c.

15. *Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit*] *Nil minus habuit.* In nonnullis inseritur, *Qui multum habuit*; id quod & in Ambrosio cernitur: sed Augustinus & codices emendatiores cum Græcis subaudiendum relinquunt. Pro *minoravit*, quod & Ambrosius ponit, codex Emsteiniensis & Gemblacensis habent *minorabitur*; nisi quod in posteriori quidam fecit *minoravit*, ut vulgo legimus.

18. *Fratrem cujus laus est in Euangelio*] Interpretes fere omnes Lucam hic designari asserunt; nisi quod pauci admoneant alios maluisse Barnabam, paucissimi vero Apollo hunc *fratrem* fuisse; quorum sane *laus* atque præconium per *Euangelii* prædicationem *in omnibus est Ecclesiis.*

19. *Non solum autem, sed & ordinatus est comes*] *Neque modo*, inquit, *Euangelio prædicando laudem promeruit, sed ab Ecclesiis peregrinationis nostræ comes delectus est.* ¶ *Destinatam voluntatem nostram*] Προθυμίαν, i. *promptam animi nostri voluntatem.*

20. *In hac plenitudine*] Ἁδρότητι, i. *plenitudine, magnitudine*, sive *abundantia*, scilicet vestræ beneficentiæ. ¶ *Ministratur à nobis*] Quod hic adjungitur, *ad Domini gloriam*, nec Apostoli est nec Interpretis, ut liquet ex multis quæ præterimus brevitatis causa. Habetur autem paulo superius, ubi sic legitur, *in hanc gratiam quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam & destinatam voluntatem.* Inter vetustos codex unus Emsteiniensis & sic habet.

22. *Misimus autem cum illis & fratrem nostrum*] Tertius hic legatus juxta plurium & antiquiorum opinionem Apollos fuisse creditur.

23. *Sive pro Tito, qui est socius meus & in vobis adjutor: sive fratres nostri, apostoli Ecclesiarum, gloria Christi*] *Quid est*, inquit Chrysostomus, SIVE TITI NOMINE? *Si dicendum est, inquit, hac possum dicere, quod* SOCIUS MEUS EST ETIAM ERGA VOS: *vel enim hoc inquit, vel quod Titi nomine aliquid facietis, quia non vulgari homini facturi estis: nam* SOCIUS MEUS EST. Deinde post pauca subdit, *Sive aliorum, inquit, nomine audire aliquid vultis, & hi tam bene meriti sunt ut justissime propter se vobis commendentur. Etenim & ipsi* FRATRES NOSTRI SUNT ET APOSTOLI ECCLESIARUM, *h. e. ab Ecclesiis missi. Deinde, quod majus his omnibus*, GLORIA CHRISTI. *In illum enim referuntur quæcunque his facta fuerint. Sive igitur ut fratres illos volueritis excipere, sive ut Apostolos Ecclesiarum, sive ut aliquid in gloriam Christi facientes, multas habetis occasiones benevolentiæ erga illos.* Hactenus ille. Sunt præterea qui illud *socius meus* asseverent referendum non ad *Titum*, ut cæteri volunt interpretes, sed ad *fratrem* illum suum quem commendat Apostolus, idque propterea quod Græcis nec *qui* relativum exprimatur, nec *Titi* nomen cum *socius meus* in casu conveniat. Sic enim legimus, Εἴτε ὑπὲρ Τίτου, κοινωνὸς ἐμὸς, καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός, quod ad verbum ita sonat, si quis forte desiderabit, *Sive pro Tito, socius meus & in vobis cooperator: sive fratres nostri, Apostoli*, &c. Verum id præterquam quod à veteribus proditum non est, etiam violentum videtur. Quod ad distinctionem attinet, ex Commentariis D. Hieronymo inscriptis colligo ibi, *Sive pro Tito*, novum esse orationis caput; & quod sequitur, *ostensionem ergo*, citra periodum hærere proxime præcedentibus, ut sic legatur, *Sive pro Tito* (ut hic subaudias, *id feceritis ad quod vos adhortor*, aut aliud magis accommodum) *qui est socius meus*, vel (ut ad Græca respiciam) *ipse socius meus est, & in vobis adjutor: sive pro fratribus meis Apostolis Ecclesiæ gloria Dei Christi* (sic enim vetustum quoddam habet exemplar) vel *sive* (supple *pro iis id feceritis qui sunt*) *fratres nostri & Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi: ostensionem ergo quæ est charitatis vestræ & nostræ gloriæ in illos, ostendite in facie Ecclesiarum.* Dictum autem Commentarium si quis forte requirat, sic habet, *Quod dicit*, inquit, *hoc est; Tam Titi causa, qui eorum obedientiam collaudaverat, quam eorum qui ad ipsos fuerant pariter destinati, ita se exhiberent ut & charitatis sinceritatem & Apostolicæ pro ipsis gloriæ veritatem in conspectu omnium comprobarent.* Cæterum illud *gloria*, quod vulgarius & usitatius legitur, cum Græce sit *gloria*, incertum est nominativine sit pluralis, ut per appositionem cohæreat cum *Apostoli*, an genitivi casus singularis, ut est apud Ambrosium, ut construi possit vel cum *Ecclesiarum*, pro eo quod est *Ecclesiarum gloriosarum*, vel cum *Apostoli*, pro *Apostoli gloriosi*, juxta phrasim videlicet Scripturæ familiarem. Recentiores emendant *gloria Christi* juxta Græcos: verum codices nostri *gloriæ* habent, uno atque altero exceptis in editione Lovaniensi.

24. *In facie Ecclesiarum*] i. *In conspectu*, sive etiam *in personam, Ecclesiarum*: est enim εἰς πρόσωπον.

STEPHANUS.

3. Κατὰ δύναμιν καὶ ὑπὲρ δύναμιν αὐθαίρετοι] *Pro viribus & supra vires voluntarii fuerunt.*

8. Τὸ γνήσιον] *Sinceritatem.*

9. Ἐπτώχευσε] *Mendicitatem sustinuit.*

10. Ἀπὸ πέρυσι] *Jam ab anno superiore*: vel, *Jamdudum.*

12. Εἰ γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται] *Si enim prompta voluntas adest.* ¶ Εὐπρόσδεκτος] *Acceptus est.*

19. Χειροτονηθεὶς] *Suffragiis electus.*

20. Στελλόμενοι τοῦτο] *Caventes hoc.* ¶ Ἐν τῇ ἁδρότητι ταύτῃ] *In hac grandi liberalitate.*

DRUSIUS.

2. *Altissima paupertas*] Alii, *profunda paupertas.* Eodem redit. Nam quod *altum*, etiam *profundum* est, & contra. Origenes hom. 2. in Genesin, *Profundum & Altitudo idem significant; tantum non quod Altitudo spatium de inferioribus videtur ad superiora metiri, Profundum vero de superioribus incipere & ad inferiora descendere.* Sic Dan. 4. 11. τὸ κύτος, quod significat *cavum* & *profundum* (nam exponitur βάθος) Hieron. interpretatur *altitudo*; ut Jes. 33. 19. *profundi labio*, idem transfert *alti sermonis*, quod in fonte עמקי שפה. Sic dicimus *profundus* & *altus somnus* pro eodem. Reperio & *alta profunditas* in Vulgata nostra Cohel. 7. 24. ubi codex Ebræus, *profundum, profundum.* Sed quid *profunda paupertas*? an ita dicitur ut apud Sal-

Sallustium *profunda libido, cupido, avaritia?* Id exponunt *magna* vel *multa libido*, &c. Sic *profundus somnus*, *profundum arcanum*, quod Abenezra scribit esse in nomine plurali *Elohim*, quando de uno Deo dicitur. Item *profunda gula*, i. immensa & magna; *profunda apostasia*, &c. ❡ *In divitias simplicitatis eorum*] Alius, *in copiosam benignitatem ipsorum*: si recte, ἁπλότης erit *benignitas*, ut Roman. 12. 8. *Qui distribuit*, ἐν ἁπλότητι, *in simplicitate*, sub. *distribuat*, h.e. *cum benignitate*, *benigne*, *liberaliter*.

9. *Egenus factus est*] Alius, *pauper factus est*. Lex. V. *Egenus*, πτωχός. Idem Lexicon, Πτωχός, *mendicus*, *pauper*, *egenus*. Si discrimen est, *egenus* proprie ἐνδεής, *pauper* πτωχός dicitur. Ebraice עני Psal. 86. 1. Nam πένης אביון Psal. 109. 22. unde *Ebion*, quem Eusebius πτωχόν interpretatur. Vides confundi. Etymon diversum est. אביון dictus quod semper *aveat*. Cur semper avet? Quia nihil habet, quia semper eget. עני quasi *afflictus*, unde Salomo, *Omnes dies pauperis mali sunt*, h. e. miseri: עני proprie qui de victu laborat. Id facit quia non habet unde vitam sustentet. Psal. 25. 16. *quia pauper ego*, i. afflictus. David enim certe non erat pauper proprie loquendo.

10. *Non solum facere, sed etiam velle*] Syrus, *non velle solum, sed etiam facere*: רצא non tantum *velle* significat, sed etiam *perficere*, *consummare*, i. שלם, Levit. 26. 34. *Tunc perficiet* (sive *consummabit*) *terra Sabbatha sua* תרצה את: unde נרצה *consummata est* Jes. 40. 2. *Libenter aliquid velle ita ut eo quod vis delecteris & voluptatem inde capias* potius חפץ dicitur, ut apud Davidem, *Non Deus volens iniquitatem tu es*, qui delecteris iniquitate: nam absolute vult eam. Si enim nollet, non fieret iniquitas. Sic Psal. 1. 2. *In lege DOMINI voluntas ejus*, i. oblectatio.

18. *Cujus laus est in Euangelio*] In scriptione an prædicatione Euangelii? Si in scriptione, potest de Luca commode accipi: si in prædicatione Euangelii, non incommode de eodem intelligitur, licet de alio etiam accipi possit. Relinquamus hoc in medio. Nam in talia inquirere quæ Deus celata nos voluit, curiosi magis quam prudentis est. 2 Cor. 10. 14. *usque ad vos etiam pervenimus in Euangelio Christi*, i. *prædicando Euangelium Christi*.

23. *Legati Ecclesiarum*] שלוחי הקהלות, *qui missi erant ab Ecclesiis*, ut 3 Reg. 14. 6. ἐγώ εἰμι ἀπόστολος πρὸς σὲ σκληρός, *ego sum missus ad te legatus durus*. ❡ *Gloria Christi*] Syrus תשבוחתה דמשיחא *gloria Christi*. Cave spernas. *Ecclesiarum gloria Christi*, h. e. Christianarum, quæ & *Ecclesia Christi*. Siquidem *gloria Christi* sic dicitur ut *gloria DOMINI* pro ipso *Domino*; sic *gloria Christi*, ipse Christus. Hoc arbitrarium esse volo, nolo sit certum aut indubitatum.

JAC. CAPPELLUS.

3, 4, 5. NAM *pro viribus (testor) adeoque supra vires prompti* fuerunt, *Multis precibus rogantes*, &c. *Non*, inquam, tenuiter, *ut speraveramus*, ut putaveramus, propter eorum summam egestatem, de qua v. 2. *sed enim semetipsos primum dederunt Domino*. Hæc videlicet est causa cur supra vires liberales fuerint Macedones, quia non sua tantum sed semetipsos primum totos Domino consecraverant.

10. *In ea vero re consilium do*] Non *præceptum*, ut jam dixerat v. 8. q.d. Cum hortor vos ad eleemosynas conferendas quæ mittantur Hierosolyma, non id facio quasi Dei legatus, nomine Dei jubens ut id faciatis, sed ut amicus suadens, consilium dans, sententiam super ea re meam aperiens. Vide quæ diximus in 1 Corinth. 7. 25, 40. *Hoc enim vobis conducit*. Sic 1 Corinth. 7. 35. docet consilium suum versari circa τὸ συμφέρον, cum Dei mandata nobis obsequendi necessitatem imponant. Sunt quidem obsequentibus utilissima Dei præcepta: At non tantum invitant nos ab utili, sed etiam à necessario. Hæc autem, quibus hic & 1 Corinth. 7. 25. Corinthios affatur Paulus, sunt non salutis præcepta sed consilia prudentiæ. ❡ *Ut qui non solum facere sed etiam, velle ante cœpistis anno superiore*] Est hoc ὑστερόπρωτον, sed non minus vere quam eleganter & acute dictum. Videtur quidem plus esse facere quam velle, sed Apostolus testatur hic pluris se facere Corinthiorum alacritatem in capiendo consilio, προθυμίαν εἰς τὸ θέλειν, quam opus ipsum quod inchoaverant. Hujusmodi fere ὑστερόπρωτον habes Rom. 1. 32. q. d. *Ut qui jam anno superiore cœpistis hoc opus aggredi, idque non perfunctorie, sed summa voluntate.*

GROTIUS.

1. ΓΝωρίζομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί, τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ τὴν δεδομένην ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Μακεδονίας. *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei quæ data est Ecclesiis Macedoniæ*] Multum sane erat quod fecerant Macedones, quorum exemplo Paulus Corinthios vult excitare. Sed Paulus, ut solent Apostoli, pro effectu causam nominat, docens omnia quæ à Christianis fiunt, deberi non cuivis, sed eximiæ Dei bonitati, ut qui tot & tam gravia peccata remiserit, voluntatem suam aperte revelaverit, ultro vocaverit à se abalienatos, & id per tot miracula. Hæ sunt causæ propter quas in Novo Testamento quam in Vetere uberior est, & esse debet, gratiæ commemoratio.

2. Ὅτι ἐν πολλῇ δοκιμῇ θλίψεως ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς αὐτῶν, καὶ ἡ κατὰ βάθους πτωχεία αὐτῶν ἐπερίσσευσεν εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν. *Quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum & altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum*] In priore membro subaudiendum est *fuit*. *Magnum fuit eorum gaudium* (nempe ex pace conscientiæ, ut supra VI, 10.) *etiam tunc cum per adversa maxima explorarentur*. Vide supra II, 9. Macedones enim Christiani vehementer vexati fuerant, & à Gentibus, Actor. XVI, 20, & sequentibus, & à Judæis Actor. XVII, 5, 13. πτωχεία εἰς τὸ βάθος est *summa paupertas*, partim ex confiscatione bonorum, partim quia divites Ecclesiam deseruerant. πτωχοὶ vox in his libris sæpe non *ad mendicitatem redactum*, sed *re tenuem* significat, ut Marci XII, 42. κατὰ βάθους, id est, *infima paupertas*. Sic *conditio abjecta* vocatur, βάθος Psalm. CXXX, 1. βάθος [*altitudo*] Rom. VIII, 39. ἁπλότης [*simplicitas*] est hoc quidem loco *liberalitas*, ut infra IX, 11, 13. & Roman. XII, 8. quomodo & ἁπλῶς [*simpliciter*] sumitur Jacob. I, 5. Est alioqui vox generalis quæ quamvis animi integritatem significat, ut apparet 1 Paral. XXIX, 17. 1 Samuel. XV, 11. Proverb. XIX, 1. supra I, 12. infra XI, 3. Ephes. VI, 5. Colossens. III, 22. Πλοῦτος [*Divitiæ*] vero Paulo est omne *id*, *quod amplum eximiumque est*, ut vidimus Romanor. II, 4. IX, 23. XI, 12, 33. Ἐπερίσσευσεν [*abundavit*] שטף. Egregium est ἀντίθετον [*oppositum*] in vocibus βάθος [*profunditas*] & ἐπερίσσευσεν [*exundavit*]. *Ipsorum summa paupertas*, id est, ipsi Macedones valde pauperes, *exundarunt in egregiam liberalitatem*. Magna apparet hic Pauli sapientia. Macedones pauperes laudat, ut tanto plus à locupletibus Corinthiis obtineat ad sublevandos in Judæa pauperes.

3, 4. Ὅτι κατὰ δύναμιν (μαρτυρῶ) καὶ ὑπὲρ δύναμιν αὐθαίρετοι, Μετὰ πολλῆς παρακλήσεως δεόμενοι ἡμῶν, τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας, τῆς εἰς τοὺς ἁγίους δέξασθαι ἡμᾶς. *Quia secundum virtutem (testimonium illis reddo) & supra virtutem voluntarii fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam & communicationem ministerii quod fit in sanctos suscipere nos*] Hic quoque ad δεόμενοι [*obsecrantes*] subauditur ἦσαν [*fuerunt*], ut modo vox *fuit*. Sic & infra IX, 13. Deinde est vocum Trajectio. Nam μαρτυρῶ [*testimonium reddo*] est παρένθεσις [*interpositio*]. Illa autem κατὰ δύναμιν [*secundum virtutem*] & ὑπὲρ δύναμιν [*supra virtutem*] cum sequentibus cohærent. Αὐθαίρετοι [*voluntarii*] respondet Hebræo מתנדבים Neh. XI, 2. quod ἑκουσιαζόμενοι [*sponte se offerentes*] ibi vertunt Græci. Sic dicuntur qui non ex Legis præscripto, sed sponte sua aliquid donant, *qualia à pauperibus non postulanda, sed si ultro dent recipi posse* dicit Maimonides, Tom. III, fol 85. *Dedere*, inquit, *pro viribus*, *imo supra vires*, id est, ita, ut sibimet ipsis incommodarent: deinde, *multum me & socios meos rogarunt*, *ne hoc recusaremus*: τὴν χάριν, *beneficium hoc*, ut 1 Corinth. XVI, 3. Rogarunt etiam *ut in nosmetipsos reciperemus partem laboris istas pecunias deferendi ad sanctos in Judæa*. Id enim διακονία (*ministerium*) dicitur, sicut & omne *id in quo aliis utiles nos reddimus*, infra IX, 1, 12, 13. 1 Cor. XVI, 15.

5. Καὶ οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν, *Et non sicut speravimus*] *Non hoc tantum fecere quod sperabamus.* Subauditur enim μόνον [*tantum*]. ❡ Ἀλλ' ἑαυτοὺς ἔδωκαν πρῶτον τῷ Κυρίῳ, καὶ ἡμῖν διὰ θελήματος Θεοῦ· *sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei*] Non bona tantum sua, sed & de suo numero polliciti sunt se daturos, qui Corinthum irent. Hic καὶ [*&*] ponitur pro ἔπειτα [*deinde*], ut respondeat voci πρῶτον [*primum*]. *In ea re*, inquit, *ipsi semet devoverunt & Christo & mihi.* Διὰ θελήματος Θεοῦ [*per voluntatem Dei*], *Deo ipsorum animos movente.* Varie sumitur hæc locutio: alibi enim *Divinam gubernationem*, ut Rom. XV, 32. alibi *munus à Deo impositum significat.*

6. Εἰς

6. Εἰς τὸ παρακαλέσαι ἡμᾶς Τίτον, ἵνα καθὼς προενήρξατο, οὕτω καὶ ἐπιτελέσῃ εἰς ὑμᾶς καὶ τὴν χάριν ταύτην. *Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit ita & perficiat in vos etiam gratiam istam*] *Fecerunt hoc ut eo efficacius me rogarent, ut Titum ad vos mitterem, impleturum id beneficium quod cœpit*, excitandi scilicet vos ad sublevandam fratrum in Judæa inopiam. *Cœpit*, nempe cum per vos transiret.

7. Ἀλλ' ὥσπερ ἐν παντὶ περισσεύετε πίστει, *Sed sicut in omnibus abundatis fide*] Non ignoravit Paulus artem Rhetorum, movere laudando. Optimum vero erit post ἐν παντὶ [*in omnibus*] ponere ὑποδιαστολὴν [*interpunctionem*], ut quod in genere dixit, deinde per species explicet. *In omnibus excellitis, primum in fide*, credendo ea quæ credi debent. ¶ καὶ λόγῳ, *& sermone*] *In instituendis aliis.* ¶ καὶ γνώσει, *& scientia*] *Cognitione* historiarum, Poetarum rerumque aliarum, quæ etiam in docendo suum usum habere possunt, ut Paulus in his ad Corinthios epistolis ostendit. ¶ καὶ πάσῃ σπουδῇ, *& omni sollicitudine*] Studium ad agendas res bonas. ¶ καὶ τῇ ἐξ ὑμῶν ἐν ἡμῖν ἀγάπῃ, *& charitate vestra in nobis*] Ἐν ἡμῖν [*in nobis*] pro εἰς ἡμᾶς [*in nos*]. *In dilectione illa quæ ex vobis*, ex animo scilicet vestro, *ad nos*, supple *fertur*. ¶ ἵνα καὶ ἐν ταύτῃ τῇ χάριτι περισσεύητε. οὐ κατ' ἐπιταγὴν λέγω, *ut & in hac gratia abundetis non quasi imperans dico*] Ita hæc puto optime conjungi, *ut in hac etiam beneficentia vincatis alios, id dico quidem* adhortans scilicet, *non tamen impero.*

8. Ἀλλὰ διὰ τῆς ἑτέρων σπουδῆς, καὶ τὸ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον δοκιμάζων. *Sed per aliorum sollicitudinem etiam vestra charitatis ingenium bonum comprobans*] Dico scilicet hoc, *ut comparatione ejus quod fecere Macedones, discam quam sit sincera vestra dilectio*, nempe in illos fratres qui in Judæa sunt. Ut hic δοκιμάζων [*comprobare*] ita infra δοκιμὴν [*approbationem*] dixit in re eadem IX, 13.

9. Γινώσκετε γὰρ τὴν χάριν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi*] *Beneficentiam Christi in nobis*, cujus exemplo & nos benefici in alios esse debemus. ¶ ὅτι δι' ὑμᾶς ἐπτώχευσε πλούσιος ὤν, *quoniam propter nos egenus factus est cum esset dives*] Id est, cum vi illa polleret omnis generis miracula patrandi, etiam mortuos resuscitandi, personam tamen gessit tam humilem, ut ne domum quidem haberet propriam Matth. VIII, 20. idque propterea quod id ad salutem nostram conduceret. עני [*pauper*] & דל [*tenuis*] epitheta Messiæ. ¶ ἵνα ὑμεῖς τῇ ἐκείνου πτωχείᾳ πλουτήσητε. *ut illius inopia vos divites essetis*] Illa Christi humilitas, perfectissimam obedientiam habens comitem, causa fuit per quam vos ad veram justitiam perducti estis. Dona Spiritus accepistis, vitam accipietis æternam.

10. Καὶ γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι· *Et consilium in hoc do*] Est quidem præceptum Christi juvare pauperes, sed modus aliquis libertati relinquitur. quod Macedones fecerant, tale erat ut suaderi magis, quam juberi posset. Sic γνώμην δίδωμι [*consilium do*] de cœlibatu habuimus 1 Cor. VII, 25. ¶ τοῦτο γὰρ ὑμῖν συμφέρει, *hoc enim vobis utile est*] Expedit vobis tueri bonam famam quam cœpistis consequi. Vestrum jam vobis exemplum proponam. Non est pulchrum audire,

> *Cœpisti melius quam desinis: ultima primis*
> *Distant.*

¶ οἵτινες οὐ μόνον τὸ ποιῆσαι, ἀλλὰ καὶ τὸ θέλειν προενήρξασθε ἀπὸ πέρυσι. *qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore*] Potest aliquo sensu defendi hoc dictum: sed siquis sequentia comparet, videbit esse loquendi genus inversum, qualia multa in Jure civili Romano & in aliis scriptoribus à viris eruditis notata sunt, ubi in disparium comparatione præcedit quod naturali ordine subsequi debuit: & ita hunc locum interpretati sunt recte & Syrus & Arabs. Πέρυσι, in Glossario vertitur, *anno præterito.* quanquam solet & usurpari de vetustiori tempore. Causa autem cur Corinthii antehac aliquid quidem, sed pauxillum, contulissent ad juvandos in Judæa fratres, videtur fuisse quod confiscationibus aut mulctis plurimi essent exhausti, quo spectat id quod habuimus 1 Cor. X, 13.

11. Νυνὶ δὲ καὶ τὸ ποιῆσαι ἐπιτελέσατε· *Nunc vero & facto perficite*] *Nunc perficite quod bene inchoatum est.* Amat Paulus ut & Græci infinitivos ponere vice nominum idque cum articulo neutro. ¶ ὅπως καθάπερ ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, *ut quemadmodum promptus animus voluntatis*] Ea laudanda fuit cum vires non suppeterent. Πρόθυμος נדיב לב [*promptus*] II Paral. XXIX, 31. ¶ οὕτω καὶ τὸ ἐπιτελέσαι, *ita & perficiendi*] *Adsit* scilicet: de quali ἐλλείψει [*defectu*] egimus jam aliquoties. ¶ ἐκ τοῦ ἔχειν. *ex eo quod habetis*] *Ex copia* quæ nunc vobis major est quam tunc erat די לאשר [*ad manum*].

12. Εἰ γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται, καθὸ ἐὰν ἔχῃ τις εὐπρόσδεκτος, οὐ καθὸ οὐκ ἔχει. *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet*] Etiam hic verbum aliquod subaudiendum est, ut 1 Corint. XIV, 34. 1 Timoth. IV, 3. *Grata est Deo voluntas pro facultatibus: supra facultates non exigitur.* Non postulat Deus id quod impossibile est.

13. Οὐ γὰρ ἵνα ἄλλοις ἄνεσις, ὑμῖν δὲ θλίψις· *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio*] Subaudiendum illud *exigitur.* Plus dicit quam dixerat. Non modo impossibilia non exegi, sed nec quæ supra modum molesta essent. Seneca, *Dabo egenti, sed ut ipse non egeam.* ¶ ἀλλ' ἐξ ἰσότητος, *sed ex æqualitate*] Idem jus Actio quod Titio. ¶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, *in præsenti tempore*] Jam cum cessat illa in vos vexatio. Est locutio non infrequens LXX Interpretibus, ut Genes. XXIX, 34. הפעם [*hac vice*]. ¶ τὸ ὑμῶν περίσσευμα εἰς τὸ ἐκείνων ὑστέρημα· *vestra abundantia in illorum inopiam*] Supple γένηται [*fiat*] per πρόζευγμα [*zeugma à priore*]: sequitur enim ea vox. Περίσσευμα est יתר [*redundantia*], ὑστέρημα חסרון [*indigentia*]. Sensus is qui in Cyro Xenophontis, ἃ ἂν ἴδω περιττὰ ὄντα τῶν ἐμοὶ ἀρκούντων, τούτοις τὰς ἐνδείας τῶν φίλων ἐξακοῦμαι [*quæ superare video id, quod mihi satis est, inde amicorum necessitatibus subvenio*]. Livius, *Ut ex eo quod affluit opibus vestris, sustineatis necessitates aliorum.*

14. Ἵνα καὶ τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένηται εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, *Ut & illorum abundantia vestra inopia sit supplementum*] Ut si quando fames illa, quæ nunc Judææ incumbit, cessaverit, & vobis forte aliquid acciderit adversi, eveniat vobis id quod dicitur,

> *Habet in adversis præsidia, qui in secundis commodat.*

¶ ὅπως γένηται ἰσότης· *ut fiat æqualitas*] Id est, ut mutua sint officia, quemadmodum inter amicos esse debent.

15. Καθὼς γέγραπται· Ὁ τὸ πολὺ, οὐκ ἐπλεόνασε· καὶ ὁ τὸ ὀλίγον, οὐκ ἠλαττόνησε· *Sicut scriptum est, Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit*] Interpretes LXX, Exodi XVI, 18. iisdem prope verbis, οὐκ ἐπλεόνασεν ὁ τὸ πολὺ, καὶ ὁ τὸ ἔλαττον οὐκ ἠλαττόνησεν [*non superfuit ei qui multum & non defuit ei qui minus*]. Subauditur post τὸ πολὺ [*multum*], & post τὸ ἔλαττον [*minus*], ἔχων [*habet*]. Egregia ἀλληγορία [*allegoria*] historiæ de manna. Vidit eam & Philo in Allegoriis, Καὶ ἐπὶ τοῦ μάννα δὲ, καὶ ἐπὶ πάσης δωρεᾶς ἣν ὁ Θεὸς δωρεῖται τῷ γένει ἡμῶν, καλὸν τὸ ὑπέρμετρον καὶ μεμετρημένον, καὶ μὴ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς λαμβάνειν πλεονεξίᾳ. Τὸ γε τὸ τῆς ἡμέρας εἰς ἡμέραν συναγαγέτω ἡ ψυχὴ, ἵνα μὴ ἑαυτὴν φύλακα τῶν ἀγαθῶν, ἀλλὰ τὸν φιλόδωρον Θεὸν ἀποφήνῃ [*Et in manna ergo, & in quovis munere, quod à Deo accipit nostrum genus, pulchrum illud, nec numerum excedere nec modum, neque per avaritiam ultra id quod satis sit, sumere. In diem itaque colligat anima quo nisi in diem uti non potest, ne se meliorem bonorum custodem quam munificentissimum Deum putare videatur*]. Et in libro, *Quis sit hæres rerum Divinarum*, cum dicta jam verba ex LXX Interpretibus protulisset, addit, ἡνίκα τῷ τῆς ἀναλογίας ἐχρήσαντο θαυμαστῷ καὶ περιμαχήτῳ μέτρῳ [*quando præclara illa atque egregia analogia mensura usi sunt*]. Spectat & huc ea quam in symbolo profitemur sanctorum communio.

16. Χάρις δὲ τῷ Θεῷ τῷ διδόντι τὴν αὐτὴν σπουδὴν ὑπὲρ ὑμῶν ἐν τῇ καρδίᾳ Τίτου· *Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi*] Vide ut omnia ad bonorum auctorem Deum referat, ut & supra VIII, 1.

17. Ὅτι τὴν μὲν παράκλησιν ἐδέξατο. *Quoniam exhortationem quidem suscepit*] Illam de qua supra 6. ¶ σπουδαιότερος δὲ ὑπάρχων αὐθαίρετος ἐξῆλθε πρὸς ὑμᾶς. *sed cum sollicitior esset sua voluntate profectus est ad vos*] Sensus est, *Titus, cum eum hortarer ut hoc iter susciperet, ostendit se prævenisse mea desideria, & sua sponte jam id cupiisse.* Αὐθαίρετος, id est, αὐτοπροαίρετος (*sponte se offerens*), ut diximus supra 3.

18. Συνεπέμψαμεν δὲ μετ' αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν, οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν· *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Euangelio per omnes Ecclesias*] Mos erat Hebræorum eleemosynis dispensandis tres præficere, ut monet Maimonides Tom. III, fol. 85. Eum hic sequitur Paulus. Mihi non displicet illorum sententia qui hic Lucam designari putant: ita tamen ut per *Euangelium* non intelligatur liber, qui tunc editus nondum erat, sed ipsum munus Euangelistæ, quod Lucas Pauli vice multis in locis fideliter obierat, sive ipsa Euangelii prædicatio, ut infra X, 14. ἐν [*in*] pro διὰ [*per*].

19. Οὐ

19. Οὐ μόνον δὲ, *Non solum autem*] Non tantum dignus est qui magni fiat ob hoc quod dixi. ¶ ἀλλὰ καὶ χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, *sed & ordinatus ab Ecclesiis*] Mos erat Pauli electionem eorum qui pecunias administrarent, non sibi sumere, sed Synodo permittere, 1 Cor. XVI, 3. Adeo non satis illi erat à culpa abesse, nisi & suspiciones excluderet. Subauditur & hic ἐγένετο [*fuit*]. De verbo χειροτονεῖν [*ordinare*] vide quæ dicta Actor. XIV, 23. ¶ συνέκδημος ἡμῶν, *comes peregrinationis nostræ*] Hoc per parenthesin interjectum est, & Lucæ optime convenit, ut ex Actis ab ipso scriptis apparet. ¶ σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ, *in hanc gratiam*] Μετωνυμικῶς χάριν [*figurate gratiam*] vocat, id quod ex liberalitate datum est, ut & 1 Cor. XVI, 3. ¶ τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν, *quæ ministratur à nobis*] *Quam nos procuravimus*, in Macedonia scilicet. Sumitur hic verbum διακονεῖσθαι [*ministrari*] sicut διακονίας [*ministerii*] vox supra 4. ¶ πρὸς τὴν αὐτοῦ τοῦ Κυρίου δόξαν, *ad ipsius Domini gloriam*] Domini enim honor est cum servi bene officium faciunt. ¶ καὶ προθυμίαν ὑμῶν. *& destinatam voluntatem vestram*] Nempe excitandam, exemplo Macedonum, ut supra 1.

20. Στελλόμενοι τοῦτο, *Devitantes hoc*] Hoc referendum est ad συνεπέμψαμεν [*misimus*], ut illa οὐ μόνον δὲ [*non solum autem*] & sequentia sint παρενθετικῶς [*per parenthesin*] dicta. Στελλόμενος, *metuens*, ut Matth. II, 15. id vero hic ponitur pro *cavens*, Causa pro Effectu. Sic & II Thess. III, 6. Illa est μεταφορὰ [*Tralatio*] ducta à nautis vela contrahentibus. ¶ μή τις ἡμᾶς μωμήσηται ἐν τῇ ἁδρότητι ταύτῃ τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν· *ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ ministratur à nobis*]. Ἁδρότητα [*plenitudinem*] vocat *summam pecuniæ satis magnam*. שרים vertitur ἁδροὶ [*potentes*] Job. XXIX, 9. XXXIV, 19. In Glossario, ἁδρὸς, *grandis*. Donatus in Virgilii vita ἁδρὸν *validum* interpretatur. Scholiastæ Græci ἁδρότητα exponunt δύναμιν [*potentiam*], μέγεθος [*magnitudinem*].

21. Προνοούμενοι καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον Κυρίου, ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον ἀνθρώπων. *Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*] *Curantes ea quæ sunt honesta.* Sumptum est hoc ex Græco, Proverb. III, 4. προνοοῦ καλὰ ἐνώπιον Κυρίου καὶ ἀνθρώπων [*procura bona coram Deo & hominibus*]. Ubi in Hebræo LXX legerunt שכל cum punctis iis ut non Nomen esset, sed Verbum modi imperantis: recte sane. Ἐνώπιον Κυρίου καὶ ἀνθρώπων [*coram Domino & hominibus*]. *Ea quæ & Deus probat & viri boni.* Similis locutio Rom. XII, 17.

22. Συνεπέμψαμεν δὲ αὐτοῖς τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, *Misimus autem cum illis & fratrem nostrum*] Tertium aliquem qui cum Tito & Luca iret. Hic forte fuerit Epænetus memoratus Rom. XVI, 5. ¶ ὃν ἐδοκιμάσαμεν ἐν πολλοῖς πολλάκις σπουδαῖον ὄντα, *quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse*] *Experti sumus sedulum.* In Glossario, σπουδαῖος, *sedulus, studiosus, efficax.* ¶ νυνὶ δὲ πολὺ σπουδαιότερον, *nunc autem multo sollicitiorem*] Si fieri potest, adjecit aliquid ad sedulitatem priorem. ¶ πεποιθήσει πολλῇ τῇ εἰς ὑμᾶς. *confidentia multa in vos*] Id est, *ideo quod de vobis omnia sperat optima me auctore.* Vide supra I, 15.

23. Εἴτε ὑπὲρ Τίτου, *Sive pro Tito*] Supple *quæstio est. Si de Tito agitur.* ¶ κοινωνὸς ἐμὸς, *qui est socius meus*] *Socius laboris in Evangelio prædicando.* ¶ καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός· *& in vos adjutor*] Quod propius vos spectat, *etiam in vobis partim corroborandis, partim corrigendis mihi adjutor fuit.* ¶ εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, *sive fratres nostri*] Nempe *in disquisitionem veniunt.* Amat ἐλλείψεις [*defectus*] Paulus, rem eloqui properans. De Luca & altero hic loquitur. ¶ ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, *Apostoli Ecclesiarum*] Aliud sunt ἀπόστολοι Χριστοῦ [*Apostoli Christi*] à *Christo* eorum principe *Legati*, aliud *Legati Ecclesiarum.* In Thalmudicis שלוחין sunt, *qui decimas & alia Levitis debita ad ipsos deferebant*, qui ἀπόστολοι [*Apostoli*] in Codice Theodosiano de Judæis, ut diximus ad Matth. X, 1. ἀποστολὴ [*missio*] eorum munus Juliano & Epiphanio. Inde sumptum hoc nomen. ¶ δόξα Χριστοῦ. *gloria Christi*] Μετωνυμικῶς [*Transnominative*], id est, *instrumenta sunt gloriæ Christi.*

24. Τὴν οὖν ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης ὑμῶν, καὶ ἡμῶν καυχήσεως ὑπὲρ ὑμῶν, εἰς αὐτοὺς ἐνδείξασθε, *Ostensionem ergo quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis in illos ostendite*] Est Hebraismus, ἐνδείξασθε ἔνδειξιν ἀγάπης καὶ καυχήσεως [*ostendite ostensionem charitatis & gloriæ*], pro ἀγάπην [*charitatem*] & καύχησιν [*gloriam*]. *Ostendite eos à vobis diligi. Ostendite vera esse quæ de vestro in me & meos affectu prædico.* ¶ εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν, *in faciem Ecclesiarum*] *Ita ut illa vestra dilectio appareat omnibus circum Ecclesiis*, & iis maxime quarum decreta ad vos venerunt.

CAP. IX.

VALLA.

7. **N**ON *ex tristitia, aut ex necessitate*] Non est accipiendum *ex necessitate* pro *necessario* & *coacte*, ut quidam volunt, non enim præponeretur præpositio; sed *ex indigentia*. Quis enim cogebat dare Corinthios? ἐξ ἀνάγκης.

8. *Potens enim est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*] Non est Græce *facere*, ideoque transtulissem *omnem gratiam suppeditare in vobis*, περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς.

10. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*] Græce legitur & aliis dictionibus, & optative, sic, *Qui autem ministrat semen seminanti, & panem in cibum ministret, & multiplicet semen vestrum, & augeat genimina justitiæ vestræ*, Ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν, χορηγήσαι καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσαι τὰ γενήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν.

11. *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem*] Duæ dictiones redundant, *ut* & *abundetis*: siquidem sic legitur Græce, *locupletati*, sive *ditescentes*, πλουτιζόμενοι, *in omnem simplicitatem.* Dependet enim oratio ab illo superiori, v. 8. *abundetis in omne opus bonum.*

REVIUS in VALLAM.

7. **E**X *indigentia*] Recte hoc refellit Erasmus, quem Beza sequitur.

10. *Optative*] Miror ubi Erasmo oculi fuerint cum χορηγήσαι, πληθύναι, αὐξήσαι posuit, & infinita putavit, quibus μέλλει, aut nescio quid, subaudiendum sit. *Nam in tam multis verbis*, inquit, *non est consentaneum, tempus casu fuisse commutatum, ut legas* χορηγήσει (ita ibi scripsit Erasmus, ut patet è sequentibus) πληθυνεῖ, αὐξήσει, &c. Quid? an non vidit χορηγήσαι, &c. penacute legendum, & esse aoristi communis? Traducit se cum addit, *Certe Græcorum Scholia* χορηγήσαι *interpretantur* χορηγήσειεν, *i. suppeditet*, &c. quid enim aliud quam aoristum communem interpretantur per Æolicum?

11. Redundant *ut* & *abundetis*] Erasmus ait *Paulum aliquoties suo more participiis abuti; unde recte versum esse* πλουτιζόμενοι *in verbum.* At non est ita: versum enim est *locupletati*; & verbum *abundetis* adjectum est. Alterum ex illis redundare quis non videt. ¶ *Dependet enim oratio*] Hoc & Beza aliquando cum Valla putavit: sed mutavit sententiam. Vide apud ipsum.

ERASMUS.

1. **E**X *abundanti est*] Περισσόν μοί, *supervacaneum est.* Et ita legit Ambrosius, *supervacuum est.* Quæso, quorsum opus erat huc accersere Periphrasin? nisi quod sic libuit Interpreti ludere.

2. *Promptum animum vestrum*] Τὴν προθυμίαν ὑμῶν, *animi vestri promptitudinem*, sive, ut Ambrosius legit, *promptam voluntatem vestram.* Eadem vox Græcis quam modo vertit *destinatam voluntatem*, in qua sic philosophabatur Thomas. ¶ *Pro quo de vobis*] Ἣν ὑπὲρ ὑμῶν καυχῶμαι Μακεδόσιν, *quam de vobis jacto Macedonibus*, sive *apud Macedones.* Sic enim dixit *quam glorior* quemadmodum nos dicimus, *Gratulor tibi reditum in patriam.* ¶ *Quoniam & Achaia*] *Et* conjunctio redundat, nec additur apud Ambrosium. Cæterum ὅτι fortassis aptius vertisset *quod*: siquidem hoc erat quod jactabat Paulus. ¶ *Ab anno præterito*] Ἀπὸ πέρυσι, *ab anno superiori.* Ambrosius legit *ab anno priore.* ¶ *Et vestra æmulatio*] Καὶ ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος, *ex vobis orta æmulatio*, h. e. vestrum exemplum. Quanquam ζῆλος sonat etiam *studium* & *fervorem.* ¶ *Provocavit plurimos*] Sic Interpres dixit *plurimos* pro *multis*, ut vulgo Sacerdotes in preculis horariis pro *de pluribus martyribus* legunt *de plurimis.* Græce est πλείονας, i. *plures*, sive *complures.* Abutuntur enim & Græci comparativo hoc vice positivi nominis. Ambrosius legit *plures*, non *plurimos*: quanquam id videri potest scriptoris accidisse culpa.

3. *Misimus autem*] Ἔπεμψα δὲ, *Misi vero.* Sed hoc loco *fratres* accusandi casu legendum est, non nominandi, aut vocandi, τοὺς ἀδελφούς. Excusat autem Paulus quod tam multa verba fecerit de *administranda eleemosyna in sanctos*, sed tamen *mittendos fratres* omnino putavit, *ne offenderentur imparati:* h. e. Non dubitat quin libenter sint subventuri pauperibus, sed præmonendos duxit, ut in tempore conferant quod velint conferre, ne videantur minus libenter dare quam ceteræ Ecclesiæ.

4. *Ut non dicamus vos in hac substantia*] Ἵνα μὴ λέγωμεν ὑμᾶς ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως, *ut non dicamus vos in hac substantia gloriationis.* Ambrosius legit, *ut non dicam omnes in hac parte.* Verum exemplaria consentiunt: & pulcre habet ut intelligamus ad hunc modum, *Ne erubescamus tunc nos, qui videbimur vani si non præstetis quod præstaturos diximus:* deinde per occupationem additur, *ut ne dicam vos*, significans fore ut is pudor ad illos maxime pertineat si descivérint à pio decreto animi. Verum id maluit intelligi quam explicare, ne quid offenderet animos Corinthiorum. Postea quod sequitur, *in hac substantia gloriationis*, referendum est ad illud superius, *erubescamus nos*, nimirum pudefacti *in hoc argumento gloriationis meæ* qua gloriatus sum de vobis. Aut, non in omnibus, in quibus merito gloriatus sum, sed *in hac quoque parte*, quo nihil sit in quo non jure videar de vobis gloriatus. ὑπόστασιν autem dixit *argumentum, & cui innititur sermonis fides.*

5. *Rogare fratres*] Rursum *fratres* accusandi casu legendum est, non vocandi. ¶ *Ut præveniant*] Ἵνα προέλθωσιν, *ut prius veniant*, sive *præcedant*, ut legit Ambrosius. ¶ *Repromissam benedictionem*] Προκατηγγελμένην, *ante promissam.* Porro *benedictionem* hoc loco vult intelligi beneficentiam, non manum motam. Nam ante λογίας, i. *collectiones*, eleemosynas vocavit, hic easdem εὐλογίας vocat, non à λόγος *ratio*, sed à λέγω *colligo.* Ad hanc sententiam facit quod mox adducit, *Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.* Nam *benedictionem* opposuit *parsimoniæ*, velut à *bona benignaque collectione* dictam. Proinde non absurde videtur εὐλογία verti potuisse *munificentia* sive *largitas: qui parce seminat, parce & metet; qui largiter seminarit, largiter item metet.* Nisi mavis huc torquere, quod beneficium alacriter & benignis verbis dandum est, & ob id *benedictionem* vocarit. Etenim inter avaros hoc agitur ut quam minimum detur; & si quid forte coguntur dare, dant verbis male ominatis. At beneficium hoc animo & vultu dandum est quasi dando lucrum facias. In hunc sensum explanant Græcanica Scholia. Et addendum est *vestram*, quod abest in nostris cod. cum addatur apud Ambrosium. ¶ *Paratam esse*] Maluissem vertere per nominandi casum, τὴν προκατηγγελμένην εὐλογίαν ὑμῶν ταύτην ἑτοίμην εἶναι, *ut ante promissa vestra ista benedictio prompta sit*; h. e. ut alacriter detis quod daturos vos ante polliciti estis. ¶ *Quasi benedictionem*] Οὕτως εἰς εὐλογίαν, καὶ μὴ ὥσπερ πλεονεξίαν, *sic veluti sit benedictio; & non velut sit avaritia.* Nam beneficentia debet alacris esse, cum avarus det tristis. Nihil vetat quo minus πλεονεξίαν interpretemur *usurpationem, occupationem, fraudationem*, sive *extorsionem.* Nam hæc dantur ab invitis, & tali ominatione quali utitur pastor ille Virgilianus,

Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos.

Ambrosius pro πλεονεξία legit *circumventionem.* Nam tales fere sunt eulogiæ populi cum novus Episcopus exigit à sacris ac profanis *preces*, ut vocant, *primarias.* Ceterum hic πλεονεξία referri videtur ad accipientes: unde non male vertisset *spoliationem.*

6. *Hoc autem dico*] *Dico* non exprimitur in Græcis cod. sed tantum est, *Hoc autem*, τοῦτο δὲ, & cetera subaudiuntur: & à Latinis additum est verbum explicandæ rei gratia. Poterat & aliud verbum subaudiri, *memineritis*, aut si quod aliud magis placet. Non cogit Paulus quenquam dare, nec præscribit quantum cuique dandum sit: tantum admonet, Pro modo largitionis fore modum præmii. ¶ *De benedictionibus*] *In benedictionibus:* nam utrobique est ἐπ' εὐλογίαις. Interpres mutavit suo arbitratu, cum apud Ambrosium utrobique sit *in*; quæ præpositio Latinis non perinde est familiaris in hoc sensu. Rursum agnoscis hic genus sententiæ ex contrariis contextæ, *Parce & largiter, seminat & metet.* Addunt decus, repetitio ejusdem vocis, quam diximus appellari Traductionem; tum duo membra in bina commata divisa; rursus alterum colon similiter sectum, quibus superadditur unum membrum simplex, velut epiphonema, *Hilarem datorem diligit Deus.* Hæc passim annotare superstitiosum esset; verum aliquoties indicasse in hoc profuerit ut jucundior ac dilucidior sit oratio Pauli.

7. *Ut destinavit*] Προαιρεῖται, *proponit*, præsentis temporis. Et Ambrosius legit *secundum propositum cordis*: nec additur *suo*, aut *sui*, ut sit sensus absolutior. Nec enim agit de hujus aut illius animo: tantum indicat, Libenter & ex animo dandum esse quod datur. Ne præpositio quidem additur, sed est προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ, *destinat corde.* ¶ *Ex necessitate*] Ἐξ ἀνάγκης. Laurentius putat hoc loco *necessitatem* accipiendam pro *indigentia*, non pro *coactione*; cui non assentior hoc sane loco. Nam hanc particulam *ex necessitate* opposuit illi quæ præcessit ὡς προαιρεῖται, *ut sponte sua statuit:* & qui coactus dat, tristis dat: ob quod citavit illud, *Hilarem datorem diligit Deus.* Mecum faciunt interpretes omnes, Græci pariter ac Latini.

8. *Abundare facere in vobis*] Εἰς ὑμᾶς, *in vos.* Et περισσεῦσαι accepit transitive, quod alibi solet neutraliter: velut apud nos *suppeditare* nonnunquam est *suppetere*, nonnunquam *subministrare.* Atque hic quoque *gratiam* appellat beneficentiam. Sentit enim libenter dandum, quod Deus potens sit efficere ut quicquid in sanctos illius contulerint, id multo cum fœnore ad ipsos redeat; ne vel ea res illos à largiendo deterreat, quod benignitas exhaurire videatur rem familiarem. ¶ *Ut in omnibus semper*] Ἵνα ἐν παντὶ πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, *ut in omnibus omnem sufficientiam habentes.* Est autem αὐτάρκεια, *ubi quis suis est contentus suaque sorte, nec aliunde desiderat quicquam.* Interpres & Ambrosius, si modo codices mendo vacant, legisse videntur ad hunc modum, ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν, *ut in omnibus semper omnem.* Est autem jucunda vocis ejusdem iteratio in παντί, πάσῃ & πᾶν.

9. *In seculum seculi*] Græce tantum est εἰς τὸν αἰῶνα, *in ævum.*

10. *Qui autem subministrat*] Ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν. Hic locus apud Græcos paulo diversius habetur, Ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγήσαι, καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσαι τὰ γεννήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν, *Qui autem suppeditat semen seminanti, & panem in cibum ministret, & multiplicet semen vestrum, & augeat proventus justitiæ vestræ:* ut χορηγήσαι, πληθύναι, αὐξήσαι infinita videantur vertenda potius per imperativum modum, *suppeditet, impleat, augeat.* Nisi forte subaudiatur verbum μέλλει, quod additum infinitivis futurum tempus efficit. Nam in tam multis verbis non est consentaneum tempus casu fuisse commutatum, ut legas χορηγήσει, πληθυνεῖ, αὐξήσει, tametsi in hunc sensum legit Ambrosius. Certe Græcorum Scholia χορηγήσαι interpretantur χορηγήσειεν, i. *suppeditet.* Nominatim Theophylactus indicat esse sermonem optantis pro corporalibus spiritualia. ¶ *Augebit incrementa frugum*] Γεννήματα τῆς δικαιοσύνης, i. *proventum*, sive *annonam, justitiæ.* Quod hic vertit *incrementa frugum*, Ambrosius vertit *fructum.*

11. *In omnibus locupletati*] Paulus aliquoties suo more participiis abutitur: unde recte vertit πλουτιζόμενοι in verbum. Laurentius referendum putat ad particulam quæ præcessit, *abundetis in omne opus bonum.* ¶ *Quæ operatur per nos*] Ambrosius pro ἥτις legisse videtur εἴ τις· vertit enim *si quis:* & consentiunt cum hac lectione Scholia illius. Græci legunt ἥτις.

12. *Ministerium hujus officii*] Διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης, *administratio hujus ministerii:* sic enim vocat officium subministrandæ pecuniæ. Sed λειτουργία nonnunquam Græcis significat *sacrificium suo ritu peractum:* ut accipias pecuniam quasi victimam offerri Deo, cujus minister sit Paulus, *ut sacerdos sacrum peragens.* ¶ *Per multas gratiarum actiones in Domino*] Διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ Θεῷ, i. *per hoc quod multi gratias agunt Deo:* etiamsi in nonnullis exempl. scriptum comperi διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν· quo modo legisse videtur Interpres. Atqui si sequamur id quod prius apud Græcos comperi, participium περισσεύουσα transitive capiatur oportet, ut hic pendeat infinitum εὐχαριστεῖν, sitque hic sensus, *verum etiam efficit ut copiose agantur gratiæ Deo per multos.* In eum sensum interpretantur Græcorum Scholia. Theophylactus legit hunc in modum, ἥτις κατεργάζεται δι' ὑμῶν εὐχαριστίαν τῷ Θεῷ. Similiter legit Chrysostomus, nisi quod δι' ἡμῶν habet, *per nos*, prima persona; & quod legit interpretatur.

13. *Et in obedientia confessionis*] Faber vult esse Hypallagen; ut intelligamus *in confessione obedientiæ vestræ.* Verum nihil video causæ cur reclamantibus exemplaribus & interpretationibus ad Hypallagen hujusmodi confugiamus. Nam *obedientia confessionis* potest accipi, quod obedientes Euangelio in eleemosynis largiendis declararent se vere & ex animo confiteri Euangelium. Quod si mavis ὁμολογία pro *assensu*, laudat il-

lorum

lorum obedientiam, quod ipsi id suadenti ac monenti non sint refragati. Ambrosius pro *obedientia* legit *subjectione*, magis exprimens Græcam vocem ὑποταγῇ. Quanquam ὁμολογία non solum *confessionem* significat, verumetiam *consensum*: ut accipias *futurum ut multi gratias agant Deo cum viderint Corinthios tanto consensu obedire Paulo.* Atque ita tacite monet ut omnes conferant pro sua quisque voluntate & facultate. Porro quod addit *in Euangelium Christi*, sensit hoc pertinere ad negotium Euangelii si Christiani omnes inter se consentiant in benefactis. Et Euangelium admonet *dandam eleemosynam*, pollicens *omnia fore munda.*

14. *Desiderantium vos*] Ἐπιποθούντων ὑμᾶς. Ambrosius addidit *desiderantium videre vos*, sive quod aliud habuerit exemplar, sive quod voluerit explicare sensum, in quem & Græcanica Scholia interpretantur. Quanquam hoc loco *gratiam* verti poterat *beneficium*, ut intelligas illos esse cupidos videndi Corinthios, in quibus Deus tantam beneficentiam ipsis contulisset.

15. *Gratias ago Deo*] Rursus est χάρις δὲ τῷ Θεῷ, *Gratia autem Deo*: ut subaudias *sit*.

V A T A B L U S.

1. M*Inisterio quod*] *Ministratione quæ.* ❡ *Ex abundanti*] *Supervacuum.*

2. *Pro quo de vobis glorior*] Vel, *quam de vobis jacto.* ❡ *Quoniam*] *Nempe quod.* ❡ *Præterito*] *Superiore.* ❡ *Et vestra æmulatio*] *Et ex vobis orta æmulatio* [aut *vester fervor*: i. vestrum exemplum.]

3. *Misimus*] *Misi*, Vet. ❡ *Autem**] *Tamen.* * *Hos.* ❡ *Evacuetur*] *Inane fiat.* ❡ *Dixi*] *Dicebam*: sub. *apud Macedonas.*

4. *Cum venerint*] *Si venerint.* ❡ *Non dicamus*] *Ne dicam.* ❡ *In hac substantia*] *In hoc argumento gloriationis.*

5. *Ut præveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem*, &c.] *Ut prius accederent ad vos, & præpararent jam ante promissam benedictionem vestram, ut ea sit in promptu: sic veluti sit benedictio, & non tanquam avaritia*: i. ut palam fiat hoc vos liberaliter conferre, & non ægre ut avari solent.

6. *De benedictionibus*] *In benedictionibus*, Heb. pro, *Qui copiose seminat, copiose & metet.*

7. *Destinavit*] *Deliberat, proponit.*

8. *Omnem gratiam*] Vel, *omne donum*: i. quicquid donaveritis.

9. *Seculum seculi*] *Æternum*, Vet.

10. *Præstabit*] Vel, *præstare*: ut subaudiatur ex præcedentibus, *potens est.* Sic in duobus verbis sequentibus. ❡ *Incrementa frugum*] *Proventus.*

11. *Operatur per nos gratiarum actionem*] *Efficit ut per nos gratiæ agantur.*

12. *Ministerium hujus officii*] *Functio hujus ministerii*: vel, *subministrationis*, sc. in Sanctos. ❡ *Per multas gratiarum actiones in Domino*] *Per hoc quod multi gratias agant Deo*: vel, *sed etiam efficit ut copiose agantur gratiæ Deo per multos.*

13. *Per probationem ministerii hujus glorificantes*] i. Experti eleemosynam vestram cum eis ministramus, glorificant, &c. ❡ *In obedientia*] i. Propter obedientiam vestram in Euangelium Christi, quam confessi estis & ostendistis eleemosynis vestris. ❡ *Confessionis vestræ*] Vel, *consensus vestri*: i. quod tanto consensu videant vos obedire Euangelio. ❡ *In Euangelio*] *In Euangelium*, Vet. ❡ *Simplicitate communicationis*] i. Simplici & candida communicatione, vel, beneficentia.

14. *Desiderantium*] *Amant*, aut, *desiderant*; sub. *videre vos.*

15. *Gratias**] * *Autem*: sub. *ago.* Vet. non legunt *ago.*

C L A R I U S.

1. N*AM de ministerio*] De hac, inquit, re, h. e. de eleemosyna, satis dixi, & *superfluum mihi* videtur plura *scribere.* Quibus verbis eos provocat ad benigne faciendum: nam erubescit homo in tanta de se opinione, si inferior ea opinione videatur.

5. *Quasi benedictionem, non tanquam avaritiam*] h. e. Hilari ac liberali animo, non avarorum more, qui dando tristantur.

6. *Qui parce seminat*] Pulcre comparat Eleemosynam semini, unde messis exspectatur; ut ad tempus messis intendentes oculos, & cogitantes pro quantitate seminis futuram & messem, abundantius præbeant. ❡ *Qui seminat in benedictionibus*] Opponitur ei quod dixerat, *parce*: nam in Scripturis *benedictio* affluentiam quandam secum affert; ut illud, *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos*; h. e. augeantur hæ res vestræ.

8. *Potens est autem Deus*] Eleemosyna, inquit, non imminuit opes, cum offeratur ei qui & potest & solet efficere ut qui in hoc incumbunt abundent & carnalibus & spiritualibus bonis, ut in melius semper proficiant.

9. *Justitia ejus*] Hebraismus est ut *justitia* pro *eleemosyna* accipiatur: sicut & Dominus de eleemosyna loquens dixit, *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*

11. *In omnem simplicitatem*] Sic ad Romanos, *Qui tribuit, in simplicitate*, h.e. alacriter & cum gaudio, non ut timens damnum, sed magis se lucrari certo sciens.

12. *Non solum supplet*] Accedit ad eleemosynam alter fructus ingens, ut per eam præparentur multi ad gratias agendas Deo, non solum quod eorum indigentiæ subveneritis, verum etiam quod subjecti sitis confessioni Euangelii, cujus rei signum est eleemosyna.

14. *Et in ipsorum obsecratione*] Pendet ab illis verbis, multi gratias agunt Deo, dum scilicet ob tantam vestram charitatem isti optant videri vos, *& ob eminentem gratiam Dei in vobis.*

Z E G E R U S.

1. E*X abundanti est*] i. *Superfluum*, περισσὸν, *quod restat.*

2. *Quoniam & Achaia*] *Achaiam* dicens etiam Corinthios comprehendit: nam & horum civitas in Achaia sita est.

3. *Misimus autem fratres*] Potius quam *misi*, ut Græce est: nam *misimus* legit Ambrosius & codices nostri emendatiores. Sed quod infra ponitur *dicamus*, singulariter potius legendum *dicam*, juxta eosdem, & juxta illud infra *quemadmodum dixi*: quæ peculiariter ad Paulum pertinent, alia vero etiam ad Timotheum.

4. *Ut non dicamus vos, in hac substantia*] Illud, *ut non dicamus vos*, quasi per Parenthesin intelligi debet interjectum; tanquam dixerit, *Ne si una mecum Macedones advenerint, deprehenderintque vos detrectantes eleemosynam, erubescamus nos (ut vestram interim sileamus erubescentiam) in hac beneficentia vestra substantia*: vel *in hac substantia*, sive *hypostasi*, *gloriationis*, ut Græcis est, i. audacia sive etiam argumento gloriationis, qua de vobis apud Macedones sum gloriatus de vestra ad beneficentiam promptitudine.

5. *Benedictionem*] Sicut in prioris epistolæ c. 16. eleemosynam vocavit λογίαν, i. *collectionem*, à λέγω pro *colligo*, ut opinor, ita & nunc εὐλογίαν (quod *benedictionem* Interpres transtulit) *bonam & uberem* dicit *collectionem.* ❡ *Sic quasi benedictionem, non tanquam avaritiam*] h. e. Ita ut sit liberaliter donata eleemosyna, non propter avaritiam violenta aut tristis. Vel, *tanquam bonam & largam collationem, non tamen immodica cupiditate*, quæ abundantiam comitari solet, *vitiatam.* Cæterum πλεονεξία varie interpretari potest, nimirum *spoliatio, occupatio, fraudatio, circumventio.*

6. *Qui seminat in benedictionibus*] Jam indicavimus *benedictiones* dici largas ac liberales eleemosynas sive beneficentias. Itaque hujus loci sensus erit, *Qui liberaliter & copiose elargitus fuerit, copiosam item retributionis mercedem reportabit.*

9. *Justitia ejus manet in æternum*] Quod vulgo legamus *in seculum seculi* occasione factum puto quod ita sit in Psalmo.

11. *In omnem simplicitatem*] *Simplicitatem* pro *candore, sinceritate & munifico affectu* posuit Apostolus, sicut supra cap. 8.

12, 13. *Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, Per probationem ministerii hujus glorificantes Deum*, &c.] *Administratio*, ait, *officii hujus non modo supplet ea quæ desunt* Christianis pauperibus, *verum etiam*

etiam plusquam usus postulat suppeditat, adeo ut ex hoc per multos multa agantur gratiæ Deo, qui per experimentum ministerii hujus ipsum glorificant, primum quidem *propter obedientiam vestram credentem atque obtemperantem Evangelio Christi*, deinde *propter simplicitatem* (sive benevolentiam) *communicationis vestra non solum in illos, sed in omnes*, postremo *propter omnium obsecrationes quas vestri gratia faciunt*, ut fit eis aliquando facultas visendi vos. Nam hoc desiderant non propter pecunias, sed ut gratiæ vobis datæ fiant spectatores. Istiusmodi fere D. Chrysostomus, atque huic suo more accinens Theophylactus. Interpres legit διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ Κυρίῳ, cum alii codices habeant διὰ πολλῶν εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ, i. *per hoc quod multi gratias agant Deo.*

13. *Confessionis vestræ in Evangelio Christi, & simplicitate communicationis in illos*] Quanquam Græce sit εἰς *in Evangelium*, ut neoterici emendant, Interpres tamen hic, ut alias passim, vertit per ablativum, ut liquet ex codicibus vetustis & Ambrosio. Porro in *communicationis* subaudiri potest *vestræ*, quod in nonnullis exprimitur, at non in paulo antiquioribus, nec in Græcis.

14. *Desiderantium vos*] Subaudi *videre*: nam ita legit Ambrosius, *Desiderantium videre vos.*

STEPHANUS.

2. Ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος ἠρέθισε] Vide v. 10. cap. 4. *Ex vobis ortus zelus provocavit.*

4. Καταισχυνθῶμεν ἡμεῖς ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως] *Pudefiamus ob præsidentem istam* (vel *obfirmatam*) *gloriationem.*

5. Προκαταρτίσωσι τὴν προκατηγγελμένην εὐλογίαν] *Præparent divulgatam jam eleemosynam liberalem.* ❡ Μὴ ὥσπερ πλεονεξίαν] *Non tanquam ea quæ ab avaris conferuntur*: vel, *Non ut ea quæ ab avaris extorqueri solent.*

DRUSIUS.

2. *Achaiam paratam esse*] Notatum hic *Achaiam* dici pro *Græcia*, cum proprie sit pars Græciæ. Sic Act. 18. 12. Gallio vocatur *Proconsul Achaiæ*, i. totius Græciæ. Id firmabo autoritate Hesychii Lexicographi, Ἀχαιοὶ, inquit, οἱ Ἕλληνες. κυρίως δὲ Ἀχαιοὶ οἱ κατοικοῦντες μέρος τι τῆς Πελοποννήσου τῆς καλουμένης Ἀχαΐας. Ecce *Achæi* late & stricte dicuntur, late pro ipsis *Græcis*, stricte pro *iis qui partem quandam Peloponnesi incolunt, quæ Achaia vocatur*. Rursum Hesychius, Ἀχαιΐδα γαῖαν, ἡ τῶν Ἑλλήνων γῆ. & Ἀχαΐζειν, Ἑλληνίζειν. ❡ *Ex vobis zelus*] Ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος. Vulg. *vestra æmulatio*. Nam *zelus* est קנאה, quæ vox interdum *æmulationem* significat; ut in illo dicto, *Zelus scribarum* (sive *doctorum*) *multiplicat sapientiam*. Hæc est illa ἀγαθὴ ἔρις de qua Hesiodus, & nos aliquid supra. Vide sodes.

5. *Benedictionem*] i. *Benignitatem*, vel *beneficentiam*, vel certe *munus*. Hebraice ברכה unde *Anima benedictionis*, i. benefica: & Sirach. 7. 33. *ut perfecta sit benedictio tua*, i. benignitas. Psal. 24. 5. *Tollet benedictionem à Domino. Donum* interpretantur, i. δῶρον (Jonathan דורון) aut מנחה *munus* Gen. 33. 11. *Accipe benedictionem meam*: ubi LXX λάβε τὰς εὐλογίας μου. Sic alibi, *Accipe benedictionem à servo tuo*. R. S. exponit *monsalut*, i. *salutationem meam*, vel *munus quo te saluto*. Nam *benedicit* etiam qui salutat aliquem. *Anima benedictionis* exstat apud Salomonem in Proverbiis, *Anima benedictionis benedicetur*, i. homo benignus, liberalis, beneficus.

6. *Qui seminat in benedictionibus*] i. Benigne, largiter, copiose, ut supra. Hebræi hoc dicerent לברכות, vel certe בברכות. Etenim *benedictio* ברכה dicitur, non נדבה, quæ potius denotat *ultroneam oblationem*. Dicunt etiam לצדקה eodem sensu, q. *ad justitiam*, ut Hos. 10. 12. *Seminate ad justitiam*, i. benigne, largiter: & Joel. 2. 23. *Dabit vobis pluviam ad justitiam*, i. large, prolixe, copiose. Sequitur in Hosea, *& metetis ad benignitatem*, i. quam largissime. Nam *benignitas* plus est quam *justitia*, ut quidem Hebræi arbitrantur. Illa חסד dicitur, hæc צדקה. Quanquam in hac quidem significatione discrimen exiguum est. Quippe *justitia* etiam benignitas, liberalitas: unde *Sol justitiæ* Mal. 4. 2. qui benigne impertit lumen & calorem suum. Psal. 103. 17. *Benignitas Domini à seculo usque in seculum erga timentes eum, & justitia ejus erga filios filiorum.* Hic locus facit contra eos qui *benignitatem* à *justitia* differre eo dicunt quod *justitia* proprie dicatur de eo qui facit quod facere ex æquo tenetur, *benignitas* vero de eo qui benefacit ei cui nullo modo devinctus aut obstrictus est. Atque hanc ob causam *justitiæ* vocabulum usurpari ajunt de eleemosyna, quia pauperibus ex parte devincti sumus; juxta illud, *Ne prohibe bonum à dominis suis*, i. à pauperibus, qui *domini bonorum nostrorum* vocantur, quæ nobis data sunt non tanquam propriis dominis sed dispensatoribus tantum. Nam quæ à Deo accepimus ideo accepimus ut ea cum egentibus, h. e. cum suis dominis, libenter communicemus. Atqui ut hoc verum sit, tamen differentiam illam non veram esse liquet ex eo quod Deo etiam tribuatur *justitia*, qui nullis omnino nominibus nobis obstrictus est, qui quod facit nobis, non ex jure facit aut debito, sed ex mera benignitate. Redeamus unde digressi sumus. Psal. 24. 5. *Tollet benedictionem à Domino, & justitiam à Deo salutis suæ*: idem aliter: nam *benedictio* & *justitia* hoc quidem in loco synonyma sunt. Sensus autem est, *accipiet benignitatem*, h. e. benignam & largam mercedem, *à Domino Deo conservatore suo.*

9. *Justitia ejus*] i. *Benignitas* aut *beneficentia ejus*. Locus est Psal. 112. 9. Vide quæ notavimus ad v. 6. Aut *eleemosyna ejus*, quæ benignitas est proprie in pauperes. Quod enim egenis datur *eleemosyna* dicitur. *Justitiam* autem pro *eleemosyna* poni notius est quam ut probari debeat. Sane R. Juda in libro Musar caput De eleemosyna non alio titulo insignit, quam *de justitia*. Hinc etiam gazophylacium ab Hebræis vocatur תבה של צדקה *capsa* (vel *arca*) *justitiæ*. ❡ *In æternum*] Magis se probat mihi quam quod in nupera editione *in seculum*. Nam *in seculum* est לעולם, hic autem est לעד in fonte, quo vocabulo *æternitatem* significant, si non fallunt nos Grammatici. *Manet ergo justitia ipsius*, ei & filiis ejus, *in æternum*, etiam in altera vita. Unde tam in Romano quam in Gallico Psalterio *in seculum seculi*. Hier. quoque apud Davidem *in æternum*, & non *in seculum*: quod de certo ac finito tempore dici non dubitabit qui ejus quod de servo legimus, *serviet ei in seculum*, veram interpretationem esse novit, *usque ad annum Jobilæum*. Quod si hic locus Apostoli ad vitam hominis restringi debet, sic etiam accipitur *æterni* vocabulum in illo Horatii,

Serviet æternum qui parvo nesciet uti,

h. e. interprete Augustino, *quamdiu vivet.*

10. *Panem*] Frumentum: ut alibi, *vidit* (i. audivit) *panem esse in Ægypto*. Sic Ruth. 1. *Quod visitasset populum suum, dando eis panem*, i. frumentum. ❡ *Ad manducandum*] לאכול. In Græco est βρῶσιν, quod alii reddunt *ad escam* לאכל. Tantum potest transpositio unius literæ: nam vocales olim adscriptæ non erant. Forte nomen est pro infinito, ut apud Isaiam למשרה *ad imperandum*, & alibi למקרא *ad convocandum*, למסע *ad proficiscendum*. Quidam referunt has ultimas voces ad dialectum Chaldaicam, in qua Mem litera infinito præponitur. ❡ *Incrementa frugum justitiæ vestræ*] i. *Eleemosynæ*, aut *benignitatis*, *vestræ*. γεννήματα, i. *fructus*, *proventus*, ut Hos. 10. 12. in Græca ed. ἕως τοῦ ἐλθεῖν γεννήματα δικαιοσύνης ὑμῶν, *donec venerint proventus justitiæ vestræ*. Vocabulum Hebraicum est תבואה, quod aliquando καρπὸν, sæpius γέννημα, interpretantur: significat autem *proventum*. Sic nomen פרי, quod *fructum* denotat, modo γέννημα, modo καρπὸν, & quidem sæpius, reddunt. De LXX loquor, quos Apostolus plerumque sequitur.

11. *In omnem simplicitatem*] h. e. *Beneficentiam*, quæ fit animo simplici ac sincero. Apostolus non semel vocat *beneficentiam* ἁπλότητα· quod mihi sane durum videtur. Utut sit, notabis hic, amice lector, pluscula nomina quibus eandem rem exprimit. Sunt autem χάρις *gratia*, supra 8. 9. εὐλογία *benedictio*, δικαιοσύνη *justitia*, & ἁπλότης *simplicitas*, isto capite.

LUD. CAPPELLUS.

4. Ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως] Ὑπόστασις est *firma & constans exspectatio*, Metaphora ducta à venatoribus qui feram dicuntur ὑφίστασθαι cum eam constanter exspectant, & irruentem fortiter excipiunt. Itaque ὑπόστασις τῆς καυχήσεως hic est ὑπόστασις περὶ ἧς κεκαύχημαι, *exspectatio* liberalitatis vestræ, *de qua* apud Macedonas non semel *gloriatus sum*. Sensus ergo est, *Præmisi ad vos Timotheum & reliquos fratres, ut excitarent vos ad collectas conficiendas, ne forte, cum advenero cum Macedonibus, imparati sitis, ac pudore suffundar apud eos ob exspectationem illam certam quam concepi de liberalitate vestra, de qua sæpius apud eos gloriatus sum, quam illis multoties deprædicavi.* Alio sensu infra 11. 17. utitur hac eadem phrasi ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως· significat enim isthic *firmam & certam gloriationem*, h. e. quæ non vano, futili vel falso nititur argumento, sed vera & solida gloriandi materia.

ria. Pseudo-Apostolorum nempe (quos isthic arguit Paulus) gloriatio futilis erat & evanida; at Paulus justam & solidam gloriandi materiam habuit, quam propterea vocat ὑποστάσιν καυχήσεως, pro καύχησιν ὑφισαμένην, *gloriationem constantem & firmam.*

GROTIUS.

1. ΠΕρὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους περισσόν μοι ἐστι τὸ γράφειν ὑμῖν. *Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis*] Hæc connectenda fuerant cum superioribus. Ostendit enim se nullis ultra hortatibus uti velle super isto negotio pauperum, cum de ipsis omnia maxima multis de causis exspectet. De voce διακονίας [*ministerii*] vide supra VIII, 4.

2. Οἶδα γὰρ τὴν προθυμίαν ὑμῶν, *Scio enim promptum animum vestrum*] Vide supra VIII, 12, 19. ❡ ἣν ὑπὲρ ὑμῶν καυχῶμαι Μακεδόσι, *pro quo de vobis glorior apud Macedones*] *Quam apud Macedonas magnifice prædico, de qua triumpho.* ❡ ὅτι Ἀχαΐα παρεσκεύασται ἀπὸ πέρυσι. *quoniam Achaia parata est ab anno præterito*] Idem dicit quod supra VIII, 10. Ne Macedonibus plus tribuere videretur, quod plus dedissent, Achæos, quorum præcipui Corinthii, hoc honore solatur, quod priores incepissent. ❡ ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος, *& vestra æmulatio*] *Æmulatio vestri exempli*, קנאה. ❡ ἠρέθισε, *provocavit*] העירו [*incitavit*] vel הֵעִיר [*excitavit*].

3. Ἔπεμψα δὲ τοὺς ἀδελφοὺς, *Misi autem fratres*] Titum & duos alios præmisit, ipse, si posset, secuturus. Præmisit autem ut cuncta parata inveniret in suo adventu.

4. Ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως. *In substantia hac gloriationis*] *In hoc fundamento mea jactationis*, ut Ezechiel. XXVI, 11. in Græco. Sic & infra XI, 17. Hebræi dicerent מצב [*statu*].

5. Τὴν προκατηγγελμένην εὐλογίαν ὑμῶν, *Repromissam benedictionem vestram*] Εὐλογία, ברכה [*benedictio*] *largitio*, ut 1 Samuel. XXV, 27. Προκατηγγελμένην [*repromissam*], id est, προηγγελμένην, *prædictam*, de qua jam multum dixi. Sic προεκδεδηλωμένην [*edictam*] habemus in tertio Maccabaico. ❡ οὕτως ὡς εὐλογίαν, καὶ μὴ ὡς πλεονεξίαν. *quasi benedictionem non tanquam avaritiam*] *Volenter data.* Rogamus, non eripimus.

6. Τοῦτο δὲ, *Hoc autem*] *Præterea vero.* Supple, *censui vos monendos*, è superioribus. ❡ ἐπ' εὐλογίαις, *in benedictionibus*] Id est, *liberaliter*. Sic & Ezech. XXXIV, 26. ❡ ἐπ' εὐλογίαις καὶ θερίσει. *de benedictionibus & metet*] Id est, *à Deo recipiet.* Frequens Hebræis translatio, Job IV, 8. Matth XXV, 24, 26. Luc. XIX, 21, 22. Johan. IV, 35, 36, 37, 38. 1 Corint. IX, 11. Galat. VI, 7, 8, 9.

7. Ἕκαστος καθὼς προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ. *Unusquisque prout destinavit in corde suo*] *Ut vult in corde suo*, נדיב לבו [*sponte cordis sui*] Exod. XXXV, 5. Nam προαιρεῖσθαι [*destinare*] hic est *velle*, ut Prov. XXI, 25. in Græco προαίρεσις, Aristoteli *deliberata voluntas.* Subauditur hic *det.* ❡ μὴ ἐκ λύπης ἢ ἐξ ἀνάγκης. *non ex tristitia aut necessitate*] Nam τὸ ἀκούσιον [*involuntarium*] laudem detrahit actioni. ❡ ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός. *hilarem enim datorem diligit Deus*] Est sententia trita apud Hebræos. Hinc Sirachides XXXII. in Græcis, in Latinis XXXV, 11. ἐν πάσῃ δόσει ἱλάρωσον τὸ πρόσωπόν σου [*in omni dato hilarem fac vultum tuum*].

8. Πᾶσαν χάριν, *Omnem gratiam*] Sic appellat, *Dei dona*, ut 1 Corinth. III, 10, & alibi. ❡ περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς *abundare facere in vobis*] *Facere ut abundent* יותיר. Nam Græci activa sumunt pro dupliciter activis, quæ *Hiphil* vocant Hebræi. Sic βασιλεύειν, *facere ut quis regnet.* ❡ πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, *omnem sufficientiam habentes*] Id est, *contenti iis quæ natura desiderat.* Sic αὐτάρκεια [*sufficientia*] sumitur 1 Timoth. VI, 6. & αὐτάρκης [*sufficiens*] Philip. IV, 11. Usurpat & Polybius αὐτάρκειαν hoc sensu. Qui suis parce utitur, multum aliis poterit dare.

9. Καθὼς γέγραπται· Ἐσκόρπισεν, ἔδωκε τοῖς πένησιν· ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα. *Sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum*] Sunt verba LXX in Psalmo qui Hebræis CXII, 8. Ἐσκόρπισεν, *sparsit*, id est, *liberaliter erogavit*, ut Prov. XI, 24. Δικαιοσύνη [*Justitia*] hic est *misericordia*, ut Matth. VI, 1. Itaque in dicto Psalmo alii posuere ἐλεημοσύνην [*eleemosyna*], alii φιλανθρωπίαν [*humanitas*]. *Manet in perpetuum* in Psalmo significat *famam post se longam relinquit.* At ex sensu Pauli *præmia parit æterna.* Nempe si & aliæ virtutes adsint quæ adesse debent, sed ita tamen ut inter eas misericordia plurimum valeat.

10. Ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, *Qui autem administrat semen seminanti*] *Qui vobis dedit quod daretur pauperibus.* Nam id hic *seminare*, ut supra 6. Sunt autem verba hæc & sequentia ex Esaia LV, 10. ❡ καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγήσαι, *& panem ad manducandum præstabit*] *Non tantum vobis det ad vitam necessaria.* Vide Matth. VI, 11. ❡ καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, *& multiplicabit semen vestrum*] *Verum etiam det ut in posterum plura dare possitis.* Respicitur locus Deut. XXVIII, 12. ❡ καὶ αὐξήσαι τὰ γεννήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν. *& augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*] Idem sensus qui in superiori membro. Nam δικαιοσύνην [*justitiam*] etiam hic vult intelligi τὴν ἐλεημοσύνην [*eleemosynam*]. Respicitur autem locus Oseæ X, 13. ubi γεννήματα δικαιοσύνης [*fructum justitiæ*] Græci, qui omisso י legerunt ירה [*pluvia tempestiva*], & sumpserunt ut nomen, non ut verbum.

11. Ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι, *In omnibus locupletati*] Hic rursus subauditur ἐστὲ [*estis*]. Vide & Rom. IX, 28. ❡ εἰς πᾶσαν ἁπλότητα, *in omnem simplicitatem*] Ἁπλότης [*simplicitas*] hic est *liberalitas*, ut Roman. XII, 8. supra VIII, 2. ❡ ἥτις κατεργάζεται δι' ἡμῶν εὐχαριστίαν τῷ Θεῷ, *quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo*] *Quæ causa est, cur nos gratias Deo agamus.* Δι' ἡμῶν [*per nos*] non δι' ὑμῶν [*per vos*] legit Syrus.

12. Ὅτι ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης] *Quoniam ministerium hujus officii*] Sume ut initio hujus capitis. ❡ οὐ μόνον ἐστὶ προσαναπληροῦσα τὰ ὑστερήματα τῶν ἁγίων, *non solum supplet ea quæ desunt sanctis*] Ut supra VIII, 14. ❡ ἀλλὰ καὶ περισσεύουσα διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ Θεῷ, *sed etiam abundat per multas gratiarum actiones Deo*] Ipsa liberalitas per se Deo grata est, deinde alium etiam fructum Deo fert, eo quod qui ea liberalitate sublevantur gratias Deo agant.

13. Διὰ τῆς δοκιμῆς τῆς διακονίας ταύτης, *per probationem ministerii hujus*] *Experimenta hujus rei*, supra II, 9. VIII, 2. ❡ δοξάζοντες τὸν Θεὸν, *glorificantes Deum*] Sermo naturalis fuerat δοξαζόντων [*glorificantium*]. Sed ostendimus ad Marcum VI, 40. rectum pro obliquo sæpe poni, non apud nostros tantum scriptores, sed & apud elegantiores Græcos, quale illud in Homero Iliados Z.

> Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος,
> Ἠετίων, ὃς ἔναιεν ὑπὸ Πλάκῳ ὑληέσσῃ
>
> [*Magnanimi illius gnata Andromache Eetionis,*
> *Qui Eetion quondam coluit sylvosum Hypoplacum*].

Item Iliad. Γ.

> Ἄμφω δ' ἑζομένω γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς
>
> [*Ambo at cum sedeant mage erat venerandus Ulysses*].

Potest tamen dubitari an non sit error exscriptoris, quia mox sequitur ἐπιποθούντων [*desiderantium*]. ❡ ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, *in obedientia confessionis vestræ in Evangelium Christi*] Id est, διὰ ὁμολογίας [*per confessionem*]; *Gaudent fratres Judæi, quod vos quoque per professionem factam in baptismo subjeceritis vosmet Evangelio Christi.* Sic ὁμολογία [*confessio*] dicitur & Hebr. III, 1. IV, 14. X, 23. Sic & verbum ὁμολογεῖν [*confiteri*] sumitur 1 Joh. IV, 3, 15. II Joh. 7. ❡ καὶ ἁπλότητι τῆς κοινωνίας εἰς αὐτοὺς, *& simplicitate communicationis in illos*] *Deinde gaudent de liberali vestra bonorum communicatione.* Vide Rom. XV, 26. supra VIII, 4. Hebr. XIII, 16. ❡ καὶ εἰς πάντας. *& in omnes*] *Etiam de vestra in alios beneficentia gaudent & Deo gratias agunt*, ne credantur suum tantum negotium gerere.

14. Καὶ αὐτῶν δεήσει ὑπὲρ ὑμῶν, ἐπιποθούντων ὑμᾶς διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν χάριν τοῦ Θεοῦ ἐφ' ὑμῖν. *Et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis*] Et hic est μετωνυμία [*Transnominatio*]. Nam ἐπιποθούντων *amantium* est pro *amorem suum ostendentium.* *Cum vos viderint tam liberales propter Evangelii consortium, Deum pro vobis precantur: & sic quomodo possunt, ostendunt vos à se vehementer diligi.* ἐπιποθεῖν [*desiderare*] in hoc sensu habes Psalm. CXIX, 131.

15. Χάρις δὲ τῷ Θεῷ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγήτῳ αὐτοῦ δωρεᾷ. *Gratia Deo super inenarrabili dono ejus*] Paulus in gratiarum actionem se illis in Judæa fratribus adjungit, & quasi *Amen* illis accinit, ἀνεκδιήγητον, *id quod tantum est ut explicari nequeat.* Idem alibi ἀνεκλάλητον, ut 1 Petr. I, 8. *Ineffabile*, & alibi *inenarrabile*, dixit Plinius Major.

CAP. X.

VALLA.

4.5. NAM arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, Consilia destruentes] Ego ad tollendam ambiguitatem dixissem, *sed Deo valida ad demolitionem munitionum*, πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων, ut intelligatur *munitiones* bellicas esse, non alias, sicut ipse Interpres fecit, qui pro *cogitationes*, λογισμοὺς, posuit *consilia*, ne foret ambiguum, & lector illud *destruentes* referret potius ad *cogitationes* quam ad *nos*.

7. *Quæ secundum faciem sunt videte*] Imo *videtis*. Est autem Græce ambiguum, sed plerique Græcorum etiam interrogative legunt, ut imperativum esse non possit, βλέπετε.

12, 13. *Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis: Nos autem non in immensum gloriabimur*] Multum hoc differt à Græca veritate, quæ est hæc, *sed ipsi se apud se metientes, & comparantes seipsos secum, non intelligunt: nos autem*, &c. ἀλλ' αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσιν. Hoc quod dico, confirmant Augustini in lib. De Civitate verba, dicentis, *Et fit illis quod ait Apostolus, comparantes enim semetipsos sibimetipsis, non intelligunt.*

ERASMUS.

1. IPse autem ego Paulus] Αὐτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος. Mire Paulus tribus vocibus, Παῦλος, αὐτὸς δὲ & ἐγὼ, separavit suam personam à cæteris Apostolis, quod antehac egerit negotium aliorum, nunc è suo loquatur affectu. ¶ *Et modestiam*] Καὶ ἐπιεικείας, quod *comitatem* magis & *facilitatem* aut *humanitatem* sonat quam *modestiam*, quæ opponitur Arrogantiæ. ¶ *In facie*] κατὰ πρόσωπον, *juxta faciem*, pro eo quod est *in specie*. Græci tamen interpretantur de præsentia Pauli: *Ubi coram adsum, humilis videor.* Quidam putant esse Ironiam. ¶ *Absens autem confido in vobis*] Θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς. Græca quidem sunt ambigua; verum magis congruit ut intelligamus, *audax* (sive *confidens*) *sum erga vos*, sicut alibi dicit, *Epistolæ fortes, præsentia infirma.* Quanquam Scholia Græcorum non eodem exponunt modo. Theophylactus Chrysostomum secutus, cui non displicet Ironia, sic accipit quasi Paulus referat hæc sub aliorum persona, *Præsens abjecte se gerit, absens scribit minaces ac severas epistolas.* Quanquam indicant & citra Ironiam consistere sensum. Nec ego sane video causam quare ad Ironiam confugiamus.

2. *Rogo autem vos*] Cum ante dixerit *se obsecrare*, non adjecit quid obsecraret. Unde capitis hujus initium utroque referri potest, ad superiora, ut sit sensus, *Rogo ut meo quoque nomine libenter conferatis hanc pecuniam*; aut ad sequentia, quemadmodum modo diximus. Atque ita δέομαι repetit quod dictum erat παρακαλῶ, ut sit redeuntis ad id quod cœperat, q. d. *Rogo, inquam.* Id subindicat Ambrosius cum ait, *Idem sensus est, quem ut dilucidet, repetit.* ¶ *Existimor*] Λογίζομαι. Non convenit expositioni veterum. Chrysostomus enim ostendit hunc sermonem esse comminantis Apostoli, qui quoniam existimabant ipsum *juxta carnem ambulare*, h. e. non habere Christi Spiritum, contemnebant illum, velut impune peccantes. Hos territare volens Paulus rogat Corinthios ne cogatur *ea audacia* (Sic enim appellat potestatem suam quam dicebant epistolis inesse) *præsens uti*. Porro mitigans minas, non ait *qua decrevi*, aut *volo, uti*, sed *quam cogito*, etiamnum invitans illos ad resipiscentiam. Idque putat esse summæ bonitatis in Paulo, qui in commeritos non statuerit decreveritque pœnam quam & pro sua autoritate poterat infligere & pro illorum duritia debebat, sed tantum dicit se de ea *recogitare*, quasi libenter mutaturus sententiam si vellent illi sua sponte redire ad mentem meliorem. Theophylactus λογίζομαι exponit duobus verbis, ὑπολαμβάνω & στοχάζομαι, i. *suspicor* & *destino*. *Suspicio* enim est nondum certa cogitantis; & qui *destinat* & ad scopum dirigit oculum, nondum emisit telum manibus, sed veluti minatur se missurum, circumspiciens in quos mittat, & quomodo mittat. ¶ *Qui arbitrantur nos tanquam*] Τοὺς λογιζομένους, *qui cogitant*, aut *æstimant*, vel *qui sic habent nos, quasi secundum carnem ambulantes.*

4. *Non carnalia*] Οὐ σαρκικά. Diversum ab illo σάρκινα, quod tamen eadem voce Latina reddidit, ut superius admonuimus. ¶ *Sed potentia Deo*] Græcis est δυνατὰ τῷ Θεῷ. Ambrosius legit *fortia Deo*. Laurentius mavult *valida Deo*. Cæterum illud *Deo* Græcis dativus est Instrumenti, polletque perinde ac si dicas *fortia per Deum & opera Divina*. Utinam liceret omnibus Episcopis, maximeque iis qui in Pauli locum successerunt, tam vere suoque jure hanc usurpare vocem quam ipse Paulus usurpavit, *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed fortia Deo, non ad demolitionem oppidorum, arcium, sed impiarum cogitationum.* Hæc sunt arma, hæc bella, hæ pugnæ, hæc victoria, hi triumphi digni successoribus Apostolorum. Nunc videre est aliquot qui cum res postulat, copias habent, gladios, lanceas, & bombardas habent, denique quicquid forti bellatore dignum est; cæterum ubi gladio verbi Divini demolienda est acies vitiorum, nec linguam habent nec manus.

5. *Consilia destruentes*] Λογισμοὺς *cogitationes*. Et rursum participium addidit quod nusquam referatur, καθαιροῦντες *destruentes*, h.e. *quibus armis destruimus*. Porro cum de *armis* meminerit, mire subjecit Metaphoras *munimentorum*, quorum alia artificio, alia sublimitate sunt inexpugnabilia. Nos, quo magis perspicuus esset sensus, vertimus hoc pacto, *sed potentia per Deum ad demolitionem munitionum, quibus cogitationes demolimur, & omnem celsitudinem quæ extollitur adversus scientiam.* ¶ *Extollentem se*] Ἐπαιρόμενον *insurgentem*, sive *qui attollitur*. Erat enim hujusmodi machinarum genus quod repente sublatum in altum muris inveheret hostem. ¶ *Omnem intellectum*] Πᾶν νόημα *omnem cogitationem*. ¶ *In obsequium Christi*] Εἰς ὑπακοὴν *in obedientiam*, ut semper antehac vertit: sed apertius erat, *ad obediendum Christo*. Captivi sub jugum eunt: At felices qui sic capti ducuntur ut submittant se Christo. Utinam hujusmodi triumphos ambiant Episcopi.

7. *Quæ secundum faciem sunt videte*] Græci codices ex sententia Theodoreti legunt hoc per interrogationem, ut sit *videtis*, non *videte*; quasi fingat id fieri quod velit objurgare. *Num ea cernitis quæ sunt juxta faciem?* h. e. quæ foris videntur, & ostentationem habent potius quam efficaciam. Meminit enim quod dixerit *se humilem fuisse apud illos juxta faciem*, h. e. contempto similem, cum alii quidem magno fastu agerent Apostolos. Ambrosius legit *secundum faciem*, pro eo quod est *quæ in conspicuo sunt & aperta*; ut pertineat ad sequentia, *Si quis confidit se esse servum Christi:* quasi velit ea clarissima videri facillimaque judicatu quæ dicturus sit. Alii *secundum faciem* interpretantur de signis evidentibus, quibus deprehendi possint Pseudapostoli, veluti, Si quis dives sit, Si quis elatus, Si quis jactabundus, Si quis falsa virtutis imagine personatus. Theophylactus vult esse objurgantis quod ex opibus, è cultu fastuve æstimarent hominem, ac non potius ex animi bonis; cui magis assentior. Theophylacto suffragatur Gennadius, citantibus Græcorum Scholiis. Acrior est autem objurgatio per interrogationem. Chrysostomus item vult hunc esse sermonem objurgantis eos quod ex rebus extrariis æstimarent hominem. ¶ *Cogitet iterum apud se*] Ἀφ' ἑαυτοῦ *ex se ipso*, nimirum non exspectans nostram increpationem. ¶ *Ita & nos*] Græcus addidit *Christi*, ὅτι καθὼς αὐτὸς Χριστοῦ, οὕτω καὶ ἡμεῖς Χριστοῦ, *quod quemadmodum ille Christi, sic & nos Christi:* quod tamen apud Græcos additum videri potest explicandæ rei gratia. Porro *Christi* genitivus est non rectus casus. Nam in hanc sententiam interpretatur & Ambrosius, velut hactenus se parem faciat illis quod & ipse non sit à Christo alienus, si illi se putant servos Christi; quo majore fide post declaret quanto illos antecellat cæteris.

8. *Non in destructionem*] Οὐκ εἰς καθαίρεσιν ὑμῶν, *ad perdendos vos*. Porro *ædificare* more suo vocat prodesse, *destruere* lædere. Hic locus annotandus est iis qui summi Pontificis autoritatem in immensum attollunt, asseverantes uni homini universum Ecclesiæ Christianæ corpus debere cedere, adeo ut si animas omnes deduceret ad inferos, non foret jus illi resistendi. Paulus ab ipso Christo acceperat autoritatem Apostolicam, non à Petro, cum quo postea contulit, sed ita ut diceret *ab illo sibi nihil accessisse*; & tamen ingenue fatetur hoc quicquid est potestatis in hoc datum *ut prosit, non ut lædat.* At qui nunc tribuunt Romano Pontifici tantam potestatem, utinam possint & cæteras dotes Pontificias tribuere, Sapientiam, Puritatem, Charitatem, Contemptum rerum omnium. Græci interpretantur *destructionem* hanc de vindicandis Pseudapostolis.

10. *Inquiunt*] Φησὶ, i. *inquit*, ut subaudias *aliquis*, aut certum hominem qui hoc dixerit. Nam & præcessit, & mox sequitur, τοῦτο λογιζέσθω ὁ τοιοῦτος, *hoc perpendat istiusmodi.*

Fingit

Fingit enim personam obtrectatoris cui respondeat. ❡ *Sermo contemptibilis*] Ἐξουθενημένος, *contemptus* potius.

12. *Inserere aut comparare*] Ἐγκρῖναι, ἢ συγκρῖναι. Interpres non potuit reddere vocum affinitatem Græcarum, q. d. *inserre & conferre*, aut *inserere & conserere*. Porro τολμῶμεν, quod interpretatur *audemus*, idem significat ac *sustinemus*. Quo verbo utimur quoties res est ejusmodi ut non possimus imperare animo nostro sive inducere animum. Sic frequenter usus est Suetonius. Alioqui cur *non audeat* Paulus *se conferre* Pseudapostolis, qui se non dubitat & anteferre probis Apostolis? Quin potius *non libet conferri* cum talibus. Nisi legamus dictum per Ironiam, ut video Græcis quibusdam placere. ❡ *Sed ipsi in nobis*] Gr. secus est, ἀλλ' αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσιν, *Sed ipsi in seipsis seipsos metientes, & comparantes seipsos sibiipsis, non intelligunt*, &c. Atque ita Græca exponunt Scholia ut intelligamus arrogantes illos *ex suo ipsius animo metiri sese, & sibi magnos esse, & alios ab aliis laudari mutua quadam talione*. Atque hunc sensum secutus est D. Augustinus in opere De doctrina Christiana, cum ait, *Et fit illis quod ait Apostolus*, COMPARANTES ENIM SEMETIPSOS SIBIMETIPSIS, NON INTELLIGUNT. Rursus explanans Psalmum 34. ET COMPARANTES, *ait Apostolus*, SEMETIPSOS SIBIMETIPSIS, NON INTELLIGUNT, NEQUE QUÆ LOQUUNTUR NEQUE DE QUIBUS AFFIRMANT. Iterum in Psal. 118. Rursus in Psal. 141. *Impii metientes semetipsos ex semetipsis*. Item Adver. Faust. lib. 22. cap. 27. interpretans etiam juxta Græcorum sententiam. Ad eum modum interpretatur & Theophylactus, Paulinarum Epistolarum non indiligens interpres. Quanquam Ambrosius diversum exemplar secutus videtur, & sermonem facit perpetuum, ejectis his verbis *non intelligunt*, hoc pacto, *sed ipsi in nobis nosmetipsos mensurantes, & comparantes nosmetipsos nobis, non in immensum gloriabimur*, &c. Porro quod addidit, *non intelligunt*, Græci interpretes putant imperfectum esse sermonem, ut subaudias *quam sint aliis derisiculi*. At mihi videtur hoc loco participium esse positum loco verbi infinitivi: id quod apud Græcos non raro fieri solet. Ac tum quidem hic erit sensus, *At ipsi non intelligunt quod seipsos inter sese metiuntur & conferunt, & non potius cum iis qui meliores sunt illis, neque juxta regulam Christi*. Atque hic sensus magis quadrat cum his quæ sequuntur. Nam quod Theophylactus vult subaudiri, *non intelligunt quam sint aliis ridiculi*, mihi videtur coactius. Etiamsi Scholia quædam Græcanica videntur hunc sermonem sic dividere ut prior pars pertineat ad Paulum, *sed ipsi in nobismetipsis nosmetipsos mensurantes & comparantes*; ut intelligamus Paulum non metiri se ex opinione aut laude aliorum, sed suis ipsius virtutibus ac potestate à Christo tradita: mox quod sequitur, ad Pseudapostolos, ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιοῦσιν, i. *seipsos sibiipsis*, subaudi *comparantes*, *non intelligunt*, h. e. Dum Pseudapostolus Pseudapostolo comparatur, & mali mutuo se laudant, non intelligunt sese ridiculos videri. Cæterum *regulam* hic vocat mensuram, sumpta Metaphora à regulis fabrorum. Ne quis tale quippiam somniet quale est cum dicimus *regulam Francisci*, aut *Benedicti*.

13. *Qua mensus est*] Οὗ ἐμέρισεν, *qua partitus est nobis Deus mensura*, q. d. *ea quoque mensura, quatenus ad vos usque gloriemur*. Nec est simpliciter *ad vos*, sed *etiam ad vos*, ἄχρι καὶ ὑμῶν· ut intelligamus non esse mediocre pertingere ad modum Corinthiorum. Respondet autem ei quod mox sequitur, ἄχρι γὰρ καὶ ὑμῶν ἐφθάσαμεν, *nam usque ad vos quoque pervenimus*. Quemadmodum autem gloriari solent ambitiosi Principes si longissime prorogarint imperium, ita Paulus Christi ductor gloriatur quod eo usque propagaverit ditionem Principis sui, sperans fore ut longius etiam proferat imperium. Interpres legisse videtur ἐμέτρησεν pro ἐμέρισεν.

15. *Crescentis fidei*] Αὐξανομένης πίστεως, *augescente fide vestra*, sive *subolescente*; ut Græcis sit genitivus absolutus. ❡ *Magnificari secundum regulam*] Rectius hæc infinita vertisset in alium modum, *Spem habentes fore ut augescente fide vestra in vobis amplier juxta regulam nostram in abundantiam, ad euangelizandum ea quæ ultra vos sunt, non ut aliena regula in his quæ parata sunt gloriemur*. Significat se sperare futurum ut, indies *crescente fide* Corinthiorum, *crescat & ipse* ac major majorque fiat, adeo ut jam *prædicatio sua longius porrigatur, etiam ad eos qui ultra Corinthios sunt*; idque *juxta suam regulam, non alienam*, h. e. suo Marte, *ne videatur gloriari de iis quæ jam parata sunt & ab aliis laborata*, quemadmodum faciebant Pseudapostoli.

16. *Etiam in illa quæ ultra vos sunt euangelizare*] Εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν. Faber hoc loco legit, εἰς τὰ ὑπὲρ ἐκεῖνα ὑμῶν, *in illa quæ supra illa vestra*. Sed fallitur, meo quidem judicio. Nam ὑπερέκεινα adverbium est, cui additur articulus ut fiat epitheton, i. *ulteriora vobis*, i. *quæ ultra vos*, h. e. longius, & in alios etiam populos. Et in hanc sententiam interpretantur non solum Chrysostomus, Theophylactus cæterique Græci, verum etiam D. Ambrosius. Proinde nonnihil demiror Stapulensem, mutata etiam scriptura, à tot autoribus voluisse dissentire, præsertim cum hic nihil sit quod offendat aut alio suadeat confugere. Verum *quandoque bonus dormitat Homerus*. Neque vero nos gravatim aliis ignoscimus, eandem vicissim ab aliis veniam flagitantes.

VATABLUS.

1. M*Ansuetudinem & modestiam*] *Lenitatem & comitatem*. ❡ *In facie*] i. *Ubi coram adsum*. ❡ *Confido in vobis*] *Audax sum in vos*.

2. *Rogo autem*] *Rogo inquam*. ❡ *Arbitrantur nos tanquam*] *Æstimant nos veluti*.

3. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus*] i. Quamvis simus homines, non tamen negotium humanum agimus.

4. *Potentia*] *Fortia*: i. valida per Deum. ❡ *Consilia destruentes*] Vel, *cogitationes destruentes*: vel, *quibus demolimur consilia*.

5. *Scientiam*] *Cognitionem*. ❡ *Intellectum in obsequium Christi*] *Cognitionem ad obediendum Christo*.

7. *Secundum faciem sunt videte*] *In conspectu sunt videtis?* q. d. Num ea cernitis quæ foris videntur & ostentationem habent potius quam efficaciam? ❡ *Apud se*] *Ex seipso*: q. d. non exspectans nostram increpationem. ❡ *Nos**] **Christi*.

8. *Erubescam*] *Pudefiam*: ne videar ceu perterrefacere.

10. *Inquiunt*] *Inquit*: sub. *aliquis*. ❡ *Fortes*] *Robusta*.

12. *Audemus inserere aut comparare*] *Sustinemus*, vel, *possumus inducere animum ut inseramus, aut conferamus*. ❡ *In nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis*] *In seipsis seipsos metientes, ac sibiipsis seipsos conferentes, non intelligunt*: i. imprudentes sunt, cum ex suo ipsius animo se metiuntur, & sibi magni sunt.

13. *Mensus*] *Partitus*. ❡ *Pertingendi**] **Etiam*.

14. *Nos*] *Nosmetipsos supra modum*.

15. *Crescentis fides vestra, in vobis magnificari secundum regulam*, &c.] *Quod crescente fide vestra, per vos majorem laudem consequamur juxta regulam nostram*: i. meo labore. Vet. legunt, *in abundantiam*.

16. *Etiam in illa quæ ultra vos sunt euangelizare, non in aliena regula, in iis quæ*, &c.] *Ut iis quoque regionibus quæ ultra vos sunt euangelizem: non per alienam regulam, ut de iis quæ parata sunt gloriemur. Sed qui*, &c.

18. *Deus*] *Dominus*, Vet.

CASTALIO.

1. A*Bsens vero sum in vos confidens*] *Sum*, i. esse videor.
2. *Ut detis operam ne mihi præsenti sit audendum confidentia*, &c.] Ita vos geratis ut mihi necesse non sit asperius quosdam tractare.

4. *Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed Divinipotentia*] Pauli militia erat *oppugnare & deturbare cogitationes hominum*, h. e. tanta virtute loqui & docere ut hominum animi rei veritate victi cogerentur ita cogitare, *Vera dicis, & quæ refelli nequeant*. Ad eam spiritualem pugnam utebatur telis non carnalibus, sed spiritualibus. Ut enim insanus sit si quis gladium aut missile velit vincere cogitatione, sic insanus sit si quis cogitationem velit vincere gladio. Atqui Christiani præconis virtus polita est in vincenda cogitatione: ex quo consequitur, eum non posse uti nisi iis telis quibus vinci possint cogitationes hominum. Exemplum habemus insigne in Nerone, de quo Tacitus lib. 14. pag. 203. Is Græciam peragrans edebat obibatque ipsemet certamina musicæ. Si alios musicos vincebat, coronabatur: hoc erat legitimum certamen. Sin ab eis vincebatur, curabat ut interficerentur: hoc vero non erat musicum vincere, sed hominem occidere: qua inepta iniquitate illud consequebatur, ut hominum ficta voce tanquam victor in præsentia laudaretur, & cæteri musici deinceps data opera male canerent ne eum offenderent: cogitationes quidem hominum (quamvis Princeps esset omnium potentissimus) non vincebat, quin eum pro insano & illi tunc haberent & nos nunc habeamus.

At cæteri musici, qui eum artis peritia superabant, vincebant non solum aliorum sed etiam ipsius Neronis cogitationem, ut ita ejus animus, quamvis invitus, loqueretur, *Hi melius canunt quam ego.* Similiter accidit & in religione. Disputatur de multis rebus. Si quem verbis vincimus, coronamur; & hoc est legitimum certamen: Si quis à nobis vinci non potest, hæreticus appellatur, & interficitur; hoc vero non est hæreticum vincere, sed hominem occidere: qua inepta iniquitate illud consequimur, ut in præsentia ficta hominum voce victores pronunciemur, & cæteri deinceps minus bene dicant quam possent, ne pereant: cogitationes quidem hominum (quamvis potentes simus) non vincimus, quin nos pro insanis & nunc qui cæci non sunt habeant, & posteri habituri sint, atque ita de nobis judicaturi ut nos nunc de Nerone & cæteris Christianorum persecutoribus judicamus. *Nihil enim tam tectum est quod non sit detegendum.* Promisit Deus obedientibus virtutem tantam ut unus centum, & centum decem millia fugare possint. Sic pugnavit Paulus, qui unus poterat Divinis illis suis armis deturbare non centum sed omnium hominum cogitationes. At nunc centeni singulos interficimus, & Christum carnalibus armis defendimus; ut intelligatur nos carere spiritualibus, & Christum habere carnalem. Si enim Apostoli, qui nobis Ecclesiam plantarunt, contenti fuerunt armis spiritualibus, apparet eos qui carnalia adhibent non satis confidere spiritualibus; quibus tamen confiderent si ea haberent, quippe quæ sint omnipotentia: ut apparebit in adventu Domini, qui Antichristum, h. e. Christi hostem summum, non aliis armis debellabit quam *spiritu oris sui.* Scriptum est Exod. 35. tabernaculum factum esse ex populi donis ultro oblatis, nemine coacto: quod idem de Ecclesia intelligendum est; ut patet in Psal. 110. in quo dicuntur Christi copiæ esse *voluntariæ:* itemque in Lege, in qua jubetur ut *timidi discedant, ne in acie cæterorum animos emolliant.* Sic est gerendum bellum Christi militibus voluntariis & solo Dei verbo coactis. Aliter qui militant alii quam Christo militant. Itaque ostendit eventus moresque nostri quis sit fructus coactæ militiæ.

12. *Nec enim ausimus comparare aut conferre nos cum quibusdam,* &c.] Indigni sunt illi, cum quibus nos comparemus.

C L A R I U S.

1. IPSE *autem ego Paulus*] Cogitur post mentionem Eleemosynæ, antequam finem Epistolæ faciat, defendere se adversus falsos Apostolos & convitiatores suos, idque non sui sed discipulorum gratia. Ipse, inquit, *ego Paulus,* quem mei vituperatores dicunt *in præsentia quidem vile quid esse, verum scribendo esse animosiorem,* obsecro vos ut caveatis ne cogar etiam præsens audere, & autoritate mea uti.

4. *Ad destructionem munitionum*] Intuere vim Euangelicæ Philosophiæ cui necesse sit omnes quamvis munitas arces ac turres humanæ sapientiæ cedere & tanquam captivas subjici.

6. *Cum impleta fuerit vestra obedientia*] Cum videro vos plene subjectos apertius intelligere fallacias istorum; nunc autem metuo ne, dum illos castigare voluero, & vos tangat plaga.

7. *Quæ secundum faciem sunt videtis?*] Increpatio est per interrogationem contra falsos Apostolos. Non, inquit, dum inquiritis in nos, vestras has inquisitiones secundum rerum veritatem facitis, sed tanquam in superficie, sed *cogitent* isti quod *si quis persuadet sibi Christi se esse,* &c.

12. *Non enim audemus*] Non enim volumus audere quod plerique istorum faciunt. ¶ *Sed ipsi in seipsis*] Isti, inquit, neminem dignum existimantes qui sibi conferatur, seipsos mutuo sibiipsis conferunt, & se in immensum jactant: nos vero nostris nos viribus metimur. Quanquam Græci diverse interpretantur hunc locum.

13. *Secundum mensuram regulæ*] Verisimile est falsos Apostolos gloriari solere se totum prædicando perambulasse terrarum orbem: at ego, inquit, quousque perveni, eousque glorior & perveni usque ad vos.

17. *Qui autem gloriatur*] Si quis, inquit, gloriari vult, glorietur secundum veritatem: hoc enim est *gloriari in Domino.* Nam temere gloriari, & tantum se jactare, non est commendatione res digna, sed cum Dei testimonio sua quis recte facta potest commemorare.

Z E G E R U S.

1. IPSE *autem ego Paulus obsecro vos*] Ab hoc capite Apostolus novum orditur argumentum, agitque adversus Pseudapostolos ac detractores, qui Apostolicæ dignitati & autoritati derogantes, Inscitiæ, in absentes Severitatis, Audaciæ, Hypocrisis & Insolentiæ ipsum incusabant. Hos itaque obtestatur & obsecrat per lenitatem Christi ut resipiscant, ne præsens cogatur in illos severius agere. ¶ *Qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis*] h. e. Præsens, cum vobis adsum, humilem & abjectum memet ostendo, dissimulans autoritatem meam ac dignitatem; absens autem confisus & præsumens de vestra subjectione, minacibus ac severis literis, ut quidam calumniantur, vos exterreo. Possent quoque hæc in leniorem partem accipi, perinde quasi dixerit, Præsens quidem, abjectus & humilis, non ut cæteri Pseudapostoli fastu turgentes appareo; absens nihilominus confido quod mea humilitate nihil offensi in fidei veritate perstabitis.

2. *Rogo autem vos ne præsens audeam per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam*] Jam tandem ingreditur inceptam petitionem, *Illud,* inquiens, *obsecro & rogo, ne qua mihi præstetur occasio ut liberius adversus quosdam mea potestate præsens uti debeam qua existimor & judicor mihiipsi plus satis fidere.* Scito etiam pro *audeam* & *audere* Græcis duas diversas haberi voces, quarum θαῤῥῶ *confido, audaciam sumo,* & *audeo contraire* significat; posterior τολμάω absolute *audeo,* vel *quicquam grave in animum induco. Confidentiam* autem potentiam suam appellat.

4. *Potentia Deo*] i. Fortia virtute Dei.

7. *Quæ secundum faciem sunt videte*] Æquivocatio Græcæ vocis βλέπετε communis ad Indicativum atque Imperativum facit ut Percontantis possint esse verba sive Asserentis, respiciendo ad Pauli humilitatem juxta faciem abjecti, deinde & Jubentis. Verum imperative aut certe assertive legunt interpretes fere omnes, sub eo sensu, ut is *quæ secundum faciem sunt videre* dicatur, qui ea quæ parent & manifesta sunt, videlicet quæ hic subjiciuntur, considerat & dijudicat; vel qui ex strepitu, opibus, virtutis figura, & è cæteris externis indiciis dijudicat & æstimat.

9. *Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas*] Græcismus evitatus clariorem reddit sententiam, hoc modo, *Ne videar ceu perterrefacere vos per epistolas.* Hanc autem partem, omissa conjunctiva particula *autem,* Græci cum superioribus indistincte connectunt: Latinorum tamen distinctio non potest mihi non placere.

12, 13. *Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. Nos autem non in immensum*] Gr. sic habent, ἀλλ' αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δέ· quæ quidem ejusmodi sunt ut diversas admittant intelligentias, & illud *non intelligunt,* i. οὐ συνιοῦσιν, superaddant præter ea quæ ad sermonis absolutionem subaudienda sunt, ut inferius indicabimus. Primum itaque ob vocum personalium ambiguitatem vel ad Pauli possunt personam pertinere, ut Vetus reddidit Interpres, subaudiendo *sumus,* vel Pseudapostolorum personam. Utrumque indicat Theophylactus, & ante hunc Chrysostomus. Proinde illius commentum, ut scias quid senserit, & quid suppleverit ad sensum subjiciam. *Illi* (inquit, falsos Apostolos sentiens) *nequaquam dignum existimant sese cum ullo posse conferri mortalium; quin potius sibipsis se comparant mutua quadam concertatione; neque intelligunt quæ sint irrisione dignissimi qui hunc in modum superbiant. Nam cum singuli potiores esse se glorientur, aliis detrahunt. Quo fit ut omnes invicem arguantur improbitatis: quod quam ridiculum sit, nil sentiunt. Nos vero contra nosipsos metimur, cum nihil aliud nobis quam quod injunctum est vendicamus, & comparamus nos nobis, quia quod nostrum officium exigit facitamus.* Hæc ille. Rursus alii hujus sermonis priorem modo partem ad ipsum Apostolum pertinere volunt, intelligentes Paulum non metiri se ex opinione aut laude aliorum, sed suis ipsius virtutibus ac potestate à Christo tradita: reliquam vero partem ad Pseudapostolos referunt, ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς οὐ συνιοῦσιν, i. *seipsos sibiipsis,* subaudi *comparantes, non intelligunt;* h. e. dum mali malis comparantur, & mutuo se collaudant, non intelligunt se ridiculos videri. Postremo, ne quid prætereum, contextus B. Ambrosii, autoris vetustissimi, quibusdam prætermissis, nempe his, *non intelligunt,* & *nos autem,* ad hunc habet modum, *Sed ipsi in nobis nosmetipsos mensurantes, & comparantes nosmetipsos nobis, non in immensum gloriabimur; sed secundum mensuram,* &c. Unde non nihil addubito num hic pro suo arbitrio luserint vel scribæ vel hæretici.

15, 16. *Spem*

15, 16. *Spem autem habentes crescentis fidei vestra in vobis magnificari, secundum regulam nostram in abundantia, etiam in illa qua ultra vos sunt euangelizare*, &c.] Græcanica phrasis Latinis auribus transfusa adumbrat nonnihil orationis seriem. Declinari autem poterit si interpretando hujuscemodi utamur periphrasi, *Speramus autem futurum ut indies crescente fide vestra, inter vos (vel in vobis) magnificemur, & id quidem juxta regulam nostram, sed tamen ad abundantiam usque, ita ut regionibus etiam qua ultra vos sunt euangelizemus; sic tamen ne in aliena regula de iis qua ab aliis praparata sunt gloriemur.* *Regulam* appellat, opinor, non hominis Martem, ut quidam explicat, sed ditionem & præscriptum prædicationis limitem seu terminum, sumpta, ut Chrysostomus indicat, ab agricolis vineam distribuentibus Metaphora.

STEPHANUS.

1. Θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς] *Confidentia utor erga vos.*
9. Ἐκφοβεῖν ὑμᾶς] *Metum injicere vobis.*
14. Ὡς μὴ ἐφικνούμενοι εἰς ὑμᾶς, ὑπερεκτείνομεν ἑαυτούς] *Quasi ad vos non pertingamus, extendimus nos supra quam oporteat.*

DRUSIUS.

1. PER *mansuetudinem*] Διὰ τῆς πραότητος. Lex. V. Πραότης, *lenitas, mansuetudo.* Ebraice ענוה. Theodorus *per clementiam.* Idem Lexicon, *Clemens*, πρᾶος, sed addit ἐπιεικής. Et *clementia* eidem ἐπιείκεια, quam Vulgatus noster improprie *modestiam*, Theodorus *aquitatem* interpretatur. Cæterum *clementia* delicta magis respicit, ut *mansuetudo* animi mores.

CAMERO.

15. Κατὰ τὸν κανόνα ὑμῶν] In hoc considerandа venit muneris Apostolici amplitudo, quod scilicet eorum non erat operam unicuipiam vel diœcesi vel parœciæ addicere. Apostolorum parœciæ & diœceses tam late patebant quam late patet orbis terrarum: quin totus orbis eorum parœcia & diœcesis dici potuit; nisi quod solicite caverent ne iis locis prædicarent Euangelium in quibus ab aliis prædicatum jam fuerat, nisi forte vel obiter vel necessaria de causa. Itaque Paulus Rom. 15. 20. testatur se φιλοτιμεῖσθαι, h. e. *pene ambitiose studere, ne adificaret super alienum fundamentum.* Hic autem dicit se habere suum κανόνα. Est vero κανὼν Architectis ἰχνογραφία· ut hac voce Apostolus designaverit districtum veluti suum sive attributum sibi à Deo spatium & veluti aream cui Ecclesiam inædificaret. Alioqui cap. 11. 28. profitetur se *angi cura omnium Ecclesiarum.* In quo videre est discrimen Episcoporum & Apostolorum. Apostolis nempe omnium (ut Consulibus Imperii Rom.) cura incumbebat, quod ad jus attinet & potestatem, quamvis οἰκονομικῶς inter se operas partirentur, pro eo ac Euangelii propagandi ratio postulabat.

JAC. CAPPELLUS.

12. NON *enim audemus* (h. e. non dignamur, Ironice dictum) *inserere vel comparare nos quibusdam qui seipsos commendant: sed cum ipsi seipsos in seipsis metiantur, & sese sibimetipsis comparent, nihil intelligunt*] Quintilianus lib. 1. cap. 3. *Necesse est sibi nimium tribuat qui se nemini comparat.*

13. *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed gloriabimur nos ad vos etiam usque pervenisse, secundum mensuram canonis mensurarii quam nobis despertitus est Deus*] Erant canonum multa genera. Leges & præcepta sunt instar canonum. *Canones* autem *mensurarii* sunt ii quibus præscribitur quid quisque debeat dare vel accipere: v. c. *canon frumentantium* Romæ dicebatur catalogus eorum qui certam frumenti mensuram accipiebant quotannis ex ærario publico. Et tabulæ censuales præscribentes quantum quisque solvere debeat *canonicaria* dicebantur. Theodericus Rex apud Cassiodorum Variarum lib. 3. epist. 8. Venantio correctori Lucaniæ & Brutiorum scribens, *Secundum canonicaria fidem tempora debes constituta complere, ne quicquid dispendii assis publicum sustinuerit, de proprio tu exsolvere cogaris.* De vocis hujus *canon* usu plura notamus in nostro De Scripturæ canone tractatu, cap. 1.

GROTIUS.

1. ΑΥτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος, *Ipse autem ego Paulus*] Quia erant adhuc pauci quidem, sed erant tamen Corinthi qui Paulo obtrectabant, adversus eos Paulus dignitatem muneris sui tuetur. ¶ Διὰ τῆς πραότητος καὶ ἐπιεικείας τοῦ Χριστοῦ, *per mansuetudinem & aquitatem Christi*] Ἐπιείκεια hic *bonitatem* significat, ut Baruch 11, 21. Cant. Puer. 13. Sapient. XII, 18. II Macc II, 23. X, 4. quomodo & ἐπιεικεῖς sunt *viri boni ac faciles* Philipp. IV, 5. 1 Tim. III, 3. Tit. III, 2. Merito autem has præcipue Christi virtutes commemorat, quia propter earum imitationem maxime spernebatur. ¶ ὃς κατὰ πρόσωπον μὲν ταπεινὸς ἐν ὑμῖν, ἀπὼν δὲ θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς. *qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis*] Sunt hæc dicta μιμητικῶς [*imitative*] ut Græci quidam interpretes recte monuerunt. Idem enim est quod infra 10. Dicebant obtrectatores eum præsentem multo lenius agere, quod offensas metueret, aut gratias captaret. Similes μεμψιμοίρους [*obtrectationes*] etiam in Epistola ad Romanos habuimus.

2. Δέομαι δὲ τὸ μὴ παρὼν θαῤῥῆσαι τῇ πεποιθήσει, *Rogo autem vos ne præsens audeam per eam confidentiam*] *Rogo ne cogar ubi adero audacter uti ea fiducia quam in Deum habeo*, nempe impleturum Deum mea justa desideria. πεποίθησις [*confidentia*] hic quod πίστις [*fides*] 1 Corinth. XII, 9. Sic πεποίθησιν pro *fide* habes & Ephes. III, 12. respondet Hebræo בטח. Hoc est quod dixit *venire cum virga*, 1 Corinth. IV, 21. ¶ ᾗ λογίζομαι τολμῆσαι ἐπί τινας τοὺς λογιζομένους ἡμᾶς ὡς κατὰ σάρκα περιπατοῦντας. *qua cogito audere in quosdam qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus*] Prius illud λογίζομαι est *cogito*, ut Rom. II, 3. & alibi: alterum illud λογιζομένους est *astimantes*, ut Marci XV, 28. Rom. II, 26. *In carne ambulant*, qui in ministerio Euangelii gratias captant, aut offensas improborum metuunt.

3. Ἐν σαρκὶ γὰρ περιπατοῦντες, *In carne enim ambulantes*] Aliud est κατὰ σάρκα περιπατεῖν [*secundum carnem ambulare*] quod jam habuimus, aliud ἐν σαρκὶ [*in carne*]. Hoc enim significat *in conditione esse infirma & multis malis obnoxia.* Vide Hebr. V, 7. & II, 14. Galat. IV, 13. 1 Joh. IV, 2. ¶ οὐ κατὰ σάρκα στρατευόμεθα. *non secundum carnem militamus*] *Bella gerimus non infirma.*

4. Τὰ γὰρ ὅπλα τῆς στρατείας ἡμῶν, *nam arma militia nostra*] Pari ferme translatione Chaldæus Genes. XLVIII, 22. per *arcum & gladium* preces Jacobi intelligit. Vide & Ephes. VI, 11, usque ad 18. 1 Thess. V, 8. & supra VI, 7. ¶ οὐ σαρκικὰ, *non carnalia*] *Non invalida.* ¶ ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ, *sed potentia Deo*] Id est, *per Deum.* Hinc sume explicationem vaticiniorum de victoria Messiæ. ¶ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων. *ad destructionem munitionum*] Respicit historiam Jesu, qui ad buccinæ sonum Deo agente, dejecit munimenta Jerichuntis. Quod ibi in Græco est τεῖχος [*murus*] id hic ὀχύρωμα [*munitionis*]. Solent homines mœnibus fidere, Jerem. XLVIII, 7. Ideo quicquid est cui quis confidit per similitudinem dicitur ὀχύρωμα [*munitio*], Prov. XXI, 22. Qualis erat apud Corinthios humana eruditio, eloquentia, divitiæ.

5. Λογισμοὺς καθαιροῦντες, καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, *Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei*] Cohærent hæc cum στρατευόμεθα [*militamus*] cæteris per παρένθεσιν [*interpositionem*] interjectis. Est autem hic primum Trajectio pro καθαιροῦντες λογισμοὺς καὶ πᾶν ὕψωμα (*destruentes consilia & omnem altitudinem*), deinde ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*]. Nam λογισμοὺς καὶ πᾶν ὕψωμα [*consilia & omnem altitudinem*] positum est pro ὕψωμα λόγων [*altitudinem sermonum*]. Explicat ἀπόῤῥητον [*latentem sensum*]. Nam ὕψωμα [*altitudo*] idem quod ὀχύρωμα [*munitio*], *turris & pinna murorum.* Iis comparat ratiocinationes Philosophorum *qua Euangelio opponebantur.* εὐαγγέλιον [*euangelium*] hic κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] dicitur γνῶσις τοῦ Θεοῦ [*scientia Dei*], ut supra IV, 6. Vide & Lucæ I, 77. ¶ καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, *& in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*] Intelligendum hoc non de effectu, (neque enim in omnibus res succedit) sed de argumentis sufficientibus ad effectum totum producendum. Sic *dari* dicitur etiam quod non accipitur. Sic Actor. V, 31. Joh. VI, 33.

6. Καὶ ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες ἐκδικῆσαι πᾶσαν παρακοήν, *Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*] Hæc est illa virga de qua modò dicebamus, quali usus Paulus in Elymam, in

 reum

reum incesti, in Hymenæum, in Philetum. ¶ ὅταν πληρωθῇ ὑμῶν ἡ ὑπακοή. *cum impleta fuerit vestra obedientia*] *Si vos quod vestri est officii feceritis.* Neque enim duris remediis locus est, ubi tota Ecclesia in morbo cubat. *Necessaria est venia ubi totus deseruit exercitus*, ait Seneca. Videtur respici historia Num. XVI, 26.

7. Τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε; *Quæ secundum faciem sunt, videte?*] *Adeone illa tantum quæ apud homines valent respicitis?* Id enim πρόσωπον [*facies*] ut vidimus supra V, 12. Galat. II, 6. ¶ εἴ τις πέποιθεν ἑαυτῷ, *si quis confidit sibi*] Hebraismus, לו, *apud se.* ¶ Χριστοῦ εἶναι, *Christi esse*] Subauditur ex superiore ἑαυτὸν [*se*], *se à Christo diligi.* ¶ τοῦτο λογιζέσθω πάλιν ἀφ' ἑαυτοῦ, *hoc cogitet iterum apud se*] *Vel me non monente hoc cogitet.* ¶ ὅτι καθὼς αὐτὸς Χριστοῦ, οὕτω καὶ ἡμεῖς Χριστοῦ. *quia sicut ipse Christi est, ita & nos Christi*] Apparet id omnibus, inquit, ex vita mea & ex miraculis adeo eximiis & frequentibus.

8. Ἐάν τε καὶ γὰρ περισσότερόν τι καυχήσωμαι, *Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero*] *Si quid plus de me dixero, quam alii possent dicere.* In περιαυτολογίαις [*de se prædicationibus*] mira semper Pauli gravitas cum modestia conjuncta. ¶ περὶ τῆς ἐξουσίας ἡμῶν, *de potestate nostra*] Patres *jus* aliquod habent in liberos. Paulus autem sub Deo & Christo *pater* Ecclesiæ, 1 Corinth. IV, 15. hoc illi alii de se dicere non poterant. ¶ ἧς ἔδωκεν ὁ Κύριος ἡμῖν εἰς οἰκοδομὴν καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν ὑμῶν, *quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem vestram*] Jus parentum bono liberûm, non malo introductum est. Jeremias mandata habebat *diruendi* & *destruendi* I, 10. Paulus *ædificandi.* ¶ οὐκ αἰσχυνθήσομαι. *non erubescam*] *Non deprehendar vanus*, ut supra VII, 14.

9. Ἵνα δὲ μὴ δόξω ὡς ἂν ἐκφοβεῖν ὑμᾶς διὰ τῶν ἐπιστολῶν. *ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas*] *Territare* ירוח. Non addam plura ea de re, ne quis inania esse putet *terriculamenta.* Res docebit.

10. Ὅτι αἱ μὲν ἐπιστολαί, φησί, *Quoniam quidem epistolæ, inquit*] *Ait ille* quem denoto, & nominare nolo

Quisquis is est: nam nomen adhuc utcunque tacebo.

¶ βαρεῖαι, *graves*] *Pondus habent sententiarum.* ¶ καὶ ἰσχυραί· *& fortes*] *Pressæ argumentis.* ¶ ἡ δὲ παρουσία τοῦ σώματος ἀσθενής, *fiducia autem corporis infirma*] *Vultus & gestus nihil habet magnificum.* Nam ut diximus supra III, 12. παρρησία [*fiducia*] Syris etiam ad actiones refertur. ¶ καὶ ὁ λόγος ἐξουθενημένος· *& sermo contemptibilis*] Non erant verba ejus inflata rore Achaïco, ut est in Catalectis.

11. Τοῦτο λογιζέσθω ὁ τοιοῦτος, *Hoc cogitet qui ejusmodi est*] *Ille quem meus intelligit:* ut Ovidius in Ibin loquitur. ¶ ὅτι οἷοί ἐσμεν τῷ λόγῳ δι' ἐπιστολῶν ἀπόντες, τοιοῦτοι καὶ παρόντες τῷ ἔργῳ. *quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto*] Non curat sibi eloquentiam vindicare, sed dicit *se præsentem rebus impleturum, quæ per epistolas minatur in eos qui se non corrigunt.*

12. Οὐ γὰρ τολμῶμεν ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι ἑαυτούς τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων· *Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam qui seipsos commendant*] *Nolo enim*, inquit, *me illis eruditis & disertis aut addere aut comparare.* Non quæro ex isto mustaceo laureolam, illi se jactent in ista aula. ¶ ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσιν. *sed ipsi in semetipsis sese metientes & comparantes sese semetipsis non intelligunt*] Longe aliter quam cæteri hæc accepit Photius. Putat enim Paulum hæc de semet dicere, ut συνιοῦσιν interpretetur tanquam participium de auditoribus. Sed verior est aliorum interpretatio. *Non vident illi quam ipsi non publicis, sed quas ipsi fecere mensuris se metiantur*, id est, sibi sint suffeni, *deinde quomodo ipsi inter se laudes dent mutuas*, id est, mutuum muli scabant. Illud ἑαυτοὺς [*semetipsos*] modo de *singulis* dicitur, ut Rom. XI, 25. XII, 16. infra XIII, 5. modo *de pluribus inter se*, ut 1 Cor. VI, 7.

13. Ἡμεῖς δὲ οὐχὶ εἰς τὰ ἄμετρα καυχησόμεθα· *Nos autem non in immensum gloriabimur*] *Non placebimus nobis supra modum*, לבלי חק [*absque modo*]. Ex contrario illos notat. ¶ ἀλλὰ κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος, *sed secundum mensuram regulæ*] Κανὼν est *funis per quem agrimensores cuique possessori partes terrarum assignant.* Ita Aquila vertit קו Job XXXVIII, 5. quod alii σχοινίον & σπαρτίον [*funiculum*]. Sic Apostoli alii alias instituerunt Ecclesias, plurimas Paulus, Pauli obtrectatores nullas. ¶ οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεὸς μέτρου, *qua mensus est nobis Deus mensuram*] Videtur scripsisse Paulus μέτρον [*mensuram*], & ita legisse Syrus & Araba. In Manuscripto illo quem multum sequor, hoc caput, & præcedentis & sequentis quædam desunt. *Ejus*, inquam, *funiculi cujus mensuram Deus nobis attribuit.* Inter Apostolicos qui dicuntur Canonas est & ille: ἐπίσκοπον μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν ἑαυτοῦ ὅρων χειροτονίας ποιεῖσθαι [*Episcopus ne quem ultra terminos suos eligere ausit*]. Termini autem primi facti sunt occupando: ex hac æquitate nemo debuerat Corinthi recipi in ministerium Ecclesiasticum, nisi Paulo approbante, aut eo cui Paulus id mandasset. ¶ ἐφικέσθαι ἄχρι καὶ ὑμῶν. *pertingendi usque ad vos*] *Ita ut illa mensura mei Apostolatus ad vos usque pertingeret.*

14. Οὐ γὰρ ὡς μὴ ἐφικνούμενοι εἰς ὑμᾶς ὑπερεκτείνομεν ἑαυτούς. *Non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos*] *Non extendimus nos ipsos*, (id est, κατὰ μετωνυμίαν [*per Transnominationem*], possessionem; hoc vero est inspectionem nostram) *in ea loca in quæ non pervenimus*, id est, in quæ juris nihil habemus. Nihil facimus contra legem Deuter. XIX, 14. ¶ ἄχρι γὰρ καὶ ὑμῶν ἐφθάσαμεν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ. *usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi*] Ἐφθάσαμεν idem quod ἐφικόμεθα [*pervenimus*]. Sic Matth XII, 28. Luc. XI, 20. Rom. IX, 31. Philip. III, 16. 1 Thess. II, 16. Sic Dan. IV, 11, 20. ἔφθασεν ἕως τοῦ οὐρανοῦ [*pervenit ad cælum usque*] & ἔφθασεν εἰς τὸν οὐρανὸν [*pervenit in cælum*], מטא [*pertigit*]. Ἐν τῷ εὐαγγελίῳ [*in Evangelio*] Hebraico more pro *per Evangelium.*

15. Οὐκ εἰς τὰ ἄμετρα καυχώμενοι ἐν ἀλλοτρίοις κόποις, *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus*] Ut illi faciebant obtrectatores Pauli,

— aliena ad pabula fuci.

¶ ἐλπίδα δὲ ἔχοντες αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν ἐν ὑμῖν μεγαλυνθῆναι κατὰ τὸν κανόνα ἡμῶν εἰς περισσείαν. *spem autem habentes crescentis fidei vestræ in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam*] *Spem habentes ut augescente fide vestra per vos multo magis increscamus in funiculo*, id est, in possessione nostra. Quia Corinthii magni erant navigatores & mercatores, sperabat per eos aliquam famam Evangelii ad oras exteras perventuram, quæ ipsi Paulo aditum ad prædicandum daret, ut olim factum erat Antiochiæ, ut per mercatorem Frumentium postea factum apud Indos. Ideo sequitur,

16. Εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν εὐαγγελίσασθαι· *In illa quæ ultra vos sunt evangelizare*] Videtur Syrus legisse εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν εὐαγγελίσασθαι, *ut in locis ultra vos positis Evangelium annuntiare possim*, nimirum aditu per vos præparato. Videtur innuere Græcas civitates ad Pontum Euxinum positas. ¶ οὐκ ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι εἰς τὰ ἕτοιμα καυχήσασθαι. *non in aliena regula in iis quæ præparata sunt gloriari*] *Non autem sibi placere jactantem se in alienis terminis*, quod facile est. εἰς τὰ ἕτοιμα [*in iis quæ præparata sunt*], id est, ἑτοίμως [*prompte*]. Sicut modo εἰς τὰ ἄμετρα [*in immensum*] fuit pro ἀμέτρως [*immoderate*].

17. Ὁ δὲ καυχώμενος ἐν Κυρίῳ καυχάσθω. *Qui enim gloriatur in Domino glorietur*] *Qui sibi in aliquo placere vult, in eo placeat sibi quod Christum novit & ei servit.* Sic & 1 Cor. I, 31. Simile Jer. IX, 24.

18. Οὐ γὰρ ὁ ἑαυτὸν συνιστῶν, ἐκεῖνός ἐστι δόκιμος, ἀλλ' ὃν ὁ Κύριος συνίστησιν. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Dominus commendat*] *Commendare* hic est *laudare*, ut interpretatur Syrus; quia qui commendare aliquem volunt, solent eum laudare. Δόκιμος [*Probatus*], id est, *idoneus ad vitam æternam.* Similitudo à nummis probis sumpta.

CAP.

CAP. XI.

VALLA.

1. UTinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ] Non legitur Græce *quid*. Hoc autem totum sic transferrem, *Utinam susciperetis parumper insipientiam meam*, vel, *Utinam susciperetis me parumper propter insipientiam meam*, Ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρὸν τῇ ἀφροσύνῃ.

3. *Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Jesu*] Non legitur Græce *& excidant*; quod aliquis ideo adjecit quod absurdum videbatur, *corrumpantur à simplicitate quæ est in Christo*: quæ absurditas in Græco fonte non timetur, quia non dicitur ὑπὸ, sed ἀπό. Hoc periculum devitari poterat ab Interprete si fuisset usus verbo quod vulgo vocatur Inchoativum, quod à passivo non differt nisi quod non postulat ablativum cum præpositione *à* vel *ab*; ut *calesco à Sole*, non autem *calesco à Sole*. Ita nunc dici poterat, *ne tabescant*, *ne marcescant*, *ne exolescant*, si modo hæc verba sint accommoda. Illud autem νοήματα maluissem transferre *sensa* quam *sensus*: nam solet transferri *cogitationes*. A *mente* enim derivatur, sive ab *intelligendo*, ut superius dixi.

5. *Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis*] Ego sic transferrem, *Existimo enim nihilo me inferiorem fuisse præcellentibus Apostolis*, μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων.

6. *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia*] Propter hoc quod Interpres ait *imperitus sermone* quidam exponunt quod Paulus erat balbus & impedita lingua, q. d. *impedito sermone*. Homines vere impedito sermone, atque adeo impedita scientia, qui sic sentiunt & loquuntur. Græce legitur *idiota verbo* sive *sermone*, ἰδιώτης τῷ λόγῳ.

7. *Aut numquid peccatum feci?*] Gr. *An peccatum feci?* ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα;

13. *Nam hujusmodi pseudoapostoli*] Non est legendum *pseudo*, sed sine *o*, ut sit una dictio, ψευδαπόστολοι. *Pseudo* enim nihil est, sed in compositione, ut in *Pseudopropheta*, in *Pseudochristo*, atque in cæteris sic dicitur: quia ut nos *i* utimur in componendo, ut in *armiger*, *primipilaris*, *mellifluus*, ita Græci utuntur *o*, ut *discophorus*, *protomartyr*, *Timotheus*, *Theophilus*, *Allophylus*.

16. *Ut ego modicum quid glorier*] Græcanice locutus est *modicum quid* pro *aliquantulum*, sive *aliquantisper*, μικρόν τι.

23. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum*] Græce in duobus prioribus idem adverbium est *abundantius*, περισσοτέρως. In tertio quoque Græce dicitur uno adverbio, quod non habens interpres, dixit duabus dictionibus. Aliquis barbarus transtulisset *excessive*, quod adverbium respondet Græco ὑπερβαλλόντως. Hoc ideo dixi quod non est accipiendum, ut quidam volunt, *supra modum humana virtutis*.

24. *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi*] Græce est *quadraginta*, τεσσαράκοντα, ut subaudiatur *plagas*, quia sequitur, *una minus*. Latinius tamen dicitur *quinquies undequadraginta accepi*, h. e. *una dempta de quadraginta*: qui mos loquendi à Græcis ad nos traductus est.

REVIUS in VALLAM.

1. NON *legitur Græce* quid] In duobus Bezæ codd. legebatur τι, sed conjungendum cum ἀνείχεσθε, non cum ἀφροσύνῃ. ¶ *Susciperetis*] Male hoc Valla pro *sufferretis*. Vide Erasmum. ¶ Μικρὸν τῇ ἀφροσύνῃ] Μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης apud Bezam.

7. Ἁμαρτίαν ἐποίησα] Deerat ἐποίησα, quod supplevi.

13. Ψευδαπόστολοι] Hoc alio se subduxerat.

24. *Græce est* quadraginta] Recte tamen Vulgata vertit *quadragenas*, significans *illum quinquies vapulasse, & unoquoque tempore quadraginta plagis cæsum fuisse*, ut erudite notat Erasmus; cujus judicium Beza secutus est.

ERASMUS.

1. UTinam *sustineretis modicum*] Ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρὸν τῇ ἀφροσύνῃ, *Utinam sufferatis me paulisper in insipientia*. Et est *sustinuissetis* magis quam *sustineretis*. Cæterum quid Laurentio Vallæ venerit in mentem ut pro *sustineretis* mutandum putarit *susciperetis*, ut ingenue dicam, prorsus non intelligo: nisi forte somniavit ἀναδέχεσθε pro ἀνέχεσθε. Nam ἀνέχεσθε magis ad verbum reddi ne possit quidem quam si dicas *sustinete*. Alioqui, ut donemus ἀνέχεσθαι interdum idem valere quod ἀναδέχεσθαι, quid est *suscipite me*? nisi forte *recipite curam mei*. Hesychius admonet interdum ἀναδέχεσθαι idem valere quod ἀνέχεσθαι, quod ut demus alicubi verum esse, hic certe non congruit. Illud recte admonet, in MODICUM QUID *quid* abesse in sermone Græco. Et *modicum* Interpres suo more posuit pro *pusillo*. Nos vertimus *paulisper*, ut ad Tempus pertineat: quod alias factum admonuimus, *Adhuc modicum lumen in vobis est*: &, *Modicum & jam non videbitis me*. ¶ *Supportate me*] Ἀνέχεσθε Græca vox anceps est: at magis quadrat ut sit indicativi modi, *sustinetis*. Corrigit enim quod dixerat, *Utinam sustinuissetis*; *imo*, inquit, *sustinetis*, *& quod opto factum, facitis*. In hunc sensum exponunt Græcanica Scholia.

2. *Æmulor enim vos*] Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς. Ambrosius usus est Græca voce, opinor, non inveniens quo vim verbi explicaret. Nam hic *zelum* appellat ingentem &, ut ita dixerim, immodicum quendam amorem, velut ambiat ut apud illos primus esset, nec ferat alios Apostolos in partem amoris admitti. Siquidem agit hic de quibusdam Apostolis qui pluris haberi volebant apud Corinthios quam Paulus esset. Addit autem *zelo Dei*, ne quis arbitraretur illum sua gloria suove compendio commoveri. Nos vertimus, *zelotypi sumus erga vos*. Quid autem vereamur sic intelligere de Paulo, cum ad eundem modum interpretetur Origenes, Theologorum sui temporis sine controversia princeps, de Deo, quod *zelotes* dictus sit, *quasi zelotypus nostri amator, qui nullum in amore ferat rivalem*? ¶ *Despondi enim*] Ἡρμοσάμην *adaptavi*, sive *adjunxi*. Ambrosius legit *paravi*, quem pro ἡρμοσάμην legisse suspicor ἡτοιμασάμην. Hieronymus in Amos legit *statui*, sed lapsus, opinor, memoria. Augustinus Adv. Manichæos pro Genesi, lib. 2. legit *aptavi vos uni viro*. Nam ἁρμόζω Græcis proprie est *apte & concinne applico, velut ea quæ glutino aut ferrumine committuntur*.

3. *Astutia sua*] Græcus addit *in*, *in astutia sua*, idque juxta proprietatem sermonis Hebraici, pro eo quod est *per astutiam suam*. Atque quod hic recte omisit Interpres, haud scio quo consilio libenter addat alibi. ¶ *Corrumpantur sensus*] φθαρῇ. Accommodato usus est verbo, cum de *virgine* meminisset. Et *sensus* Græcis non est αἰσθήσεις, ut de Visu, Auditu aut aliis similibus queat accipi, sed νοήματα, quod proprie ad Mentem Animumque pertinet. Certe *mentes* pro *sensus* legit Augustinus, loco quem mox adducemus. Accommodat enim Allegoriam; Evæ decepti sunt oculi, Corinthiis timendum erat menti. Cæterum illud verbum *excidant* nec est apud Græcos nec apud Ambrosium: proinde videtur adjectum ab Interprete, quod alioqui durius videretur dicere *corrumpantur à simplicitate*. Neque enim *Simplicitas corrumpit animum*, sed *animus corruptus degenerat à simplicitate*. Perinde ut Virgilius dixit,

—— quantum mutatus ab illo,

non quod ille mutasset, sed quod illi dissimilis esset factus. Et appolite *virgini* tribuit *simplicitatem*, memor Allegoriæ suæ: tametsi Ambrosius legisse videtur ἁγνότητα, cum pro *simplicitate* legat *castitate*. Neque secus adducit Augustinus cum aliis aliquot locis, tum lib. Adv. Faustum 15. cap. 3. rursus ejusdem operis lib. 22. cap. 49. nisi quod hic utrumque conjungit, *ne corrumpantur mentes vestræ à simplicitate & castitate quæ est in Christo Jesu*. Denique non est simpliciter *ne*, sed μήπως *ne quo pacto*: nos vertimus *ne qua*. Vehementius est enim addita conjunctione expletiva. Quin & illud annotandum, ut objurgaturus Corinthios arte sublevat illos, omnem invidiam derivans in corruptorem. ¶ *Quæ est in Christo Jesu*] Τῆς εἰς τὸν Χριστόν, *quæ est erga Christum*, sive *in Christum*, quia pure ac simpliciter illi obtemperamus.

4. *Alium Christum*] Ἄλλον Ἰησοῦν, *alium* (sive *alterum*) *Jesum*. Ita consentiunt Græci codices, quos ego quidem viderim. Atque ita legit & interpretatur Theophylactus, consentientibus Scholiis. Ambrosius nobiscum legit *Christum*. Illud

illud obiter annotandum. Quod Paulus admonet Corinthios, id nobis quoque magnopere cavendum, ne nobis alterum Jesum accersamus, ac fingamus potius, onustum opibus, onustum imperio, ditione, voluptatibus, & quicquid hic mundus habet præstigiarum, ad hæc ceremoniis plusquam Judaicis obsitum, cum verus ille ab omnibus hisce rebus fuerit purissimus. ❡ *Recte pateremini*] Cur non & hic *sustinuissetis?* ἠνείχεσθε; videlicet illos Pseudoapostolos, si quid docerent quod nos non docuimus. Nunc cum nihil adferant de Christo quod nos non docuerimus, cur illos ostentantes sese tolerastis?

5. *Nihil me minus fecisse*] Μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων, *nihilo inferiorem fuisse excellentibus Apostolis.* Et in hunc sensum legit Ambrosius, *Æstimo enim me in nullo inferiorem fuisse ab iis qui valde sunt Apostoli.* Sentit enim de Petro, Jacobo & Joanne, qui *summates* habebantur, ut indicant Græcanica Scholia, cumque his consentiens Chrysostomus ac Theophylactus. Sed mirum quomodo quæ præcedunt & sequuntur in illos competant. Recentiores excusant non de his dictum, sed de his qui se fingebant à Petro ac cæteris missos. Porro τῶν ὑπὲρ λίαν plus quiddam sonat quam *excellentes*, ob additam præpositionem ὑπὲρ q. d. *supra modum excellentes Apostoli*: quod non absque stomacho dictum videtur.

6. *Nam & si*] Εἰ δὲ καὶ. Hic Interp. frequenter pro δὲ vertit *nam.* Porro *quamvis imperitus*: adversatur enim superiori parti, qua jactat *se nihilo inferiorem summis Apostolis.* ❡ *Sed non scientia*] Cur non potius & Latinius & simplicius, *non autem scientia*, sive *cognitione?* Laurentius merito ridet nonnullos qui ex hoc loco Paulum colligunt balbum quempiam & impeditæ fuisse linguæ; quasi nihil intersit inter *impeditum* & *imperitum*: *homines*, inquit, *vere impedito sermone, atque adeo scientia*: cum Græce sit ἰδιώτης, *idiota*; quæ vox illis tum *privatum* tum *indoctum* significat. Hieronymus hac in re varius est, compluribus locis clamans Paulum Græci sermonis elegantioris ignarum fuisse, quod aliquoties suis quibusdam utatur vocibus, Ciliciæ vernaculis; nonnunquam conjunctioni μὲν non reddat eam quæ respondet, δὲ· ad hæc quod Hyperbatorum anfractibus molestus sit alicubi; quod interdum anapodoton relinquat orationem. Rursus alias in diversum declamat, procul submovens eos qui putant Paulum hoc ex animo dixisse, cum omnes sermonis proprietates pulcre tenuerit, omnes argumentationum strophas ad unguem callurerit. Quin & D. Augustinus in opere De doctr. Christ. pleraque Rhetorum schemata ex Paulinis adducit Epistolis. Idem alicubi monet, *& si* hoc loco non esse Fatentis, sed Concedentis ac Donantis, veluti si dicas, *Fac me esse imperitum sermone, certe non sum imperitus scientia.* Porro quod ad sensus attinet, nihil potest esse Paulo divinius: sermo vero, licet his vacet solœcismis quos plerosque illi addidit Interpres, tamen politus dici non potest juxta morem humanum, cum Græci interpretes passim torqueantur incommoditatibus orationis: quod non accidisset si nobis Isocratis aut Luciani lingua fuisset locutus. ❡ *In omnibus autem manifestus sum vobis*] Sive, ut habent vetusti codices, *manifestatus sum.* Græca secus habent, ἀλλ' ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς. Quæ quidem ad verbum ita sonant, *sed in omni manifestati in omnibus in vos.* Sensus autem hic est, *Non sicut Pseudoapostoli sumus, qui fucati & personati simulatione sanctimoniæ vobis imponunt, sed in omni re & inter omnes declarati sumus, & apparet, quales simus erga vos.* Et illud παντὶ referri potest ad Rem, & ἐν πᾶσιν ad Personam; nisi mavis conduplicationem facere ad vehementiam.

7. *Aut numquid peccatum feci*] Græca sic habent, ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα, *an peccatum feci*, sive *an peccavi.* Græci non distinguunt inter *an* & *aut*: apud Latinos plurimum interest. Et quorsum attinebat addere *quid*, cum id Græcus sermo non habeat?

8. *Alias Ecclesias exspoliavi*] Ἐσύλησα *depradatus sum.* Nam bellicis Metaphoris libenter abutitur Paulus; ut mox, *accepto stipendio.* ❡ *In ministerium vestrum*] Εἰς (sive, ut est in quibusdam, πρὸς) τὴν ὑμῶν διακονίαν, *in hoc ut vobis ministrarem.* h. e. Vobis inservivi sine vestro sumptu, stipendio interim ab aliis accepto. ❡ *Et egerem*] Καὶ ὑστερηθεὶς, *destitutus*, vel *cum deessent.* Neque vero simplex, ut opinor, est emphasis conjunctionis καὶ, sed epitasin habet hoc loco: ut sit sensus, *Adeo non gravavi vos, ut nec egens id voluerim facere.* ❡ *Onerosus fui*] Κατενάρκησα quod verbum dictum est ab *otio* & *torpore.* Nam hi premunt & imminent aliis, unde petunt assidue: dictione composita à ναρκᾶν, quod est *torpere*, unde & νάρκη *torpedo* piscis, & præpositione κατὰ, quæ frequenter in malam significat partem, veluti in καταψεύδεσθαι & καταφρονεῖν, præsertim cum hic quoque paterno jungatur casui, κατενάρκησα οὐδενός. Hieronymus in libello ad Algasiam admonet vocem esse Cilicibus peculiarem. At si Paulus noluit cuiquam esse *onerosus*, qui tantum laboravit, qua fronte quidam expilant plebem cum nulli sint usui?

9. *In omnibus sine onere*] Ἀβαρῆ *minime gravem*, dictione composita.

10. *Et veritas Christi in me*] Hoc veluti jusjurandum adjecit, quo confirmat quod dixit. Id subindicat Ambrosius cum sit *sub testimonio Christi.* ❡ *Non infringetur*] Οὐ φραγήσεται. Id Scholia Græca exponunt *non interrumpetur*, *neque deficiet*; hoc, ajunt, significans *se nec in posterum aliquid ab illis accepturum*, ut *non præcludatur sibi hæc occasio gloriandi*, quod gratis docuerit Euangelium. *Interrumpitur* enim quod non est perpetuum. At ille jurat eam gloriam sibi fore perpetuam, ne cui gravis esset. Verbum dictum est ab *intersepiendo*: nam sæpe objecta excludimur. Nec enim est *in me* auferendi casu, sed accusandi, εἰς ἐμὲ, q. d. *adversum me.*

11. *Quia non diligo vos?*] Apertius erat, *an quod non diligam vos?* mutato verbi modo. Nam Græci negligunt differentiam hujusmodi.

12. *Quod autem facio, & faciam*] Non sensisse videtur Interpres elegantiam hujus conjunctionis καὶ, quam hoc loco & similibus habet apud Græcos, ὃ δὲ ποιῶ, καὶ ποιήσω, i. *Quod facio, hoc etiam sum facturus in posterum*, sive *Quod facio, idem & in posterum sum facturus.* Deinde licet Græcis unica sit conjunctio δὲ, quæ pluribus Latinis respondeat, *autem*, *sed*, *vero*, *verum*, *porro*, *cæterum*, *rursum*, *contra*, & his similibus, nonnihil tamen apud nos interest quam quo loco colloces. Hic magis congruebat *sed* quam *autem*; *An quod non diligam vos? Deus novit. Sed quod facio*, &c. ❡ *Ut in quo gloriantur*] Ἵνα ἐν ᾧ καυχῶνται. Ambrosius propius accessit ad Græca, *ut in eo quod gloriantur, reperiamur ut & nos*: h. e. Si & illi gloriantur se gratis euangelizare, nec in hoc erunt nobis præstantiores, cum ipse gratis doceam & egens.

13. *Ejusmodi Pseudoapostoli*] *Pseudoapostoli* dicendum composita dictione, quemadmodum est apud Græcos; nec potest in duas dividi. Latine sonat *falso titulo Apostolos. Apostolus* enim ejus agit negotium à quo missus est, isti suis commodis serviunt.

15. *Si ministri ejus*] Εἰ καὶ οἱ διάκονοι, *Si & ministri*: & ita legit Ambrosius. Et *transfigurat se* Græce est *transfiguratur*; & *transfigurantur*: μετασχηματίζεται, μετασχηματίζονται.

16. *Alioqui*] Εἰ δὲ μήγε, *Sin aliter*; i. Si minus persuadeo me non esse insipientem, qui non ob inanem gloriam sed necessitate compulsus hæc de me prædicem, *tolerate me tamen* gloriantem *tanquam insipientem.* ❡ *Velut insipientem accipite me*] Κἂν ὡς ἄφρονα, *etiam ut insipientem.* Fortassis Interpres καὶ vertit in VEL, *vel ut insipientem*: eas conjunctiones nos male conjunximus. ❡ *Modicum quid*] Μικρόν τι, *paululum*, sive *paulisper*, aut *aliquantisper.*

17. *Secundum Deum*] Κατὰ Κύριον, *secundum Dominum*, quemadmodum & in superiori Epistola scripsit, *Ego, non Dominus*; &, *Dominus, non ego.* Humanum quiddam parumque severum significat, quod negat esse *secundum Dominum.* ❡ *In hac substantia gloriæ*] Ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως, *in hac parte* (sive *materia*) *gloriationis.* Et sic legit D. Ambrosius, *substantia gloriationis.*

20. *Si quis accipit*] Εἴ τις λαμβάνει. Quod præcessit κατεσθίει videtur ad Cibum pertinere, quem illi sumebant apud discipulos, hoc, ad Munera. Theophylactus putat idem bis dictum *devorat* & *accipit*, ut intelligamus insatiabilem auferendi aviditatem in Pseudoapostolis cum summa conjunctam arrogantia.

21. *Secundum ignobilitatem dico*] Κατὰ ἀτιμίαν. Magis quadrabat *juxta contumeliam.* Exponit enim illa atrocia, *si quis vos devorat, si quis in faciem cædit*, &c. *Non*, inquit, *quod ista vos patiamini à Pseudoapostolis, sed quod, quantum ad contumeliæ rationem attinet, non leviora patiamini ab istis quam si ista pateremini.* ❡ *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte*] *In hac parte* non reperio in Græcis cod. quos ego sane viderim. ❡ *In quo quis audet*] Ἐν ᾧ δ' ἄν τις, *in quocunque vero aliquis audet.* Corrigit enim quod modo dixerat, *quasi nos minus valuerimus in hac parte*, h.e. *in argumento gloriandi.* Tantum autem hoc abest ut illis hic quoque par sim in omnibus, in nonnullis etiam superior. Proinde nos vertimus per *imo*, quo foret evidentior correctio.

❡ *In*

§ *In insipientia dico*] Hoc per Parenthesin interjecit, memor ejus quod ante dixerat, *non loquor secundum Dominum, sed velut in insipientia.*

23. *Ministri Christi sunt*] Post hanc partem Græcis non repetitur *& ego.* Imo id additum subvertit totam sententiam: sic enim legendum, *Ministri Christi sunt, plus ego:* deinde illud παραφρονῶν λαλῶ, *desipiens dico*, per Parenthesin interjectum est, ut modo submonui. Consentit cum Græcorum exemplaribus Ambrosius, ad hunc legens modum, *Ministri Christi sunt; velut insipiens dico, magis ego.* Nam in cæteris quidem æquabat sese cæteris Apostolis, at in eo quod Apostolorum est proprium semet illis anteponit, non solum æquat. Verum quoniam id arrogantius dictum videri poterat, præmunit *stultitiæ* prætextu, quemadmodum & initio fecit. Quod si maxime sic legeretur, *Ministri Christi sunt; & ego: ut minus sapiens dico, plus ego*, nihil erat necesse sensum eum inducere quem ex Aquinatis sententia induxit Nicolaus cognomento de Lyra, qui ab hoc loco, *Ut minus sapiens dico, plus ego*, novum facit orationis caput, & ad hunc edisserit modum, *Si videor*, inquit, *vobis insipiens me Pseudoapostolis adæquando, adhuc videbor vobis minus sapiens me eis præferendo.* Poterat enim illud *plus ego* per correctionem subjici, præmissa mitigatione insolentiæ, nempe hoc modo, *Ministri Christi sunt; sum & ego. Quid autem dixi, & ego? Imo, ut stultorum more loquar gloriosius, plus ego.* Quanquam non est hujus instituti discutere quid hujusmodi scriptores senserint quos constat veterum ignaros literarum, tumultuario studio hinc atque hinc consarcinatis glossematis, Sacras tractasse literas. Cum antiquis potius nobis res est. Cæterum de orationis ornamentis & schematibus quibus totus hic sermo picturatus ac modulatus est, qui plenius velit cognoscere, legat quarti De Doctrina Christiana libri caput quartum. § *In laboribus plurimis*] Περισσοτέρως, i. *in laboribus abundantius.* Fortassis Interpres vertit *pluribus*; id quod erat tolerabile. Quanquam apud Græcos alius est ordo, ἐν κόποις περισσοτέρως, ἐν πληγαῖς ὑπερβαλλόντως, ἐν φυλακαῖς περισσοτέρως, *in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in carceribus abundantius.* Nam quod Interpres bifariam reddidit, Græcis unicum est adverbium, περισσοτέρως· etiamsi comparativum positum est vice superlativi. § *Supra modum*] Ὑπερβαλλόντως, *eximie &*, ut ita dicam, *excessive, & supra quam credi possit:* ut non admodum ad rem faciant qui interpretantur *supra modum humanæ virtutis.*

24. *Quadragenas*] Τεσσαράκοντα *quadraginta.* Quanquam recte vertit, significans illum *quinquies vapulasse, & unoquoque tempore quadraginta plagis cæsum fuisse*; si modo id verum est, quod certe verisimillimum est, præsertim cum apud Judæos vapularit. Sic enim sentit D. Ambrosius, addens id præceptum in libro Deuteronomii ut plagis triginta novem emendarentur qui commeruissent. Legimus autem ad hunc modum Deut. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus; ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.* Proinde probabile est ob humanitatem unam plagam remitti solitam, ut citra numerum præscriptum consisterent. Quod quidem haud scio unde haustum, indicat Lyranus & Glossa quam vocant *ordinariam.* Valla mavult, *quinquies undequadraginta accepi*, subaudiendum autem haud dubie *plagas.*

25. *Ter naufragium feci*] Τρὶς ἐναυάγησα, q. d. *naufragatus sum.* Latine sane vertit *naufragium feci* pro *naufragium passus sum.* Quemadmodum Terentius dixit, *Is navem fregit apud Andrum*, de eo cui navis esset fracta tempestate. § *Nocte & die*] Νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, *noctem & diem in profundo egi:* nec additur *maris*; etiamsi de Mari interpretatur Ambrosius, atque etiam Theophylactus: potest tamen βυθὸς & alterius rei *profunditas* dici, veluti carceris.

26. *Periculis ex genere*] Non sentit proprie de *cognatis*, sed Judæorum gentem *genus suum* vocat; cui mox opponit *Gentes.* § *In falsis fratribus*] Græcis unica dictio est, ψευδαδέλφοις, h. e. *falso Christianis*, qui se fingerent esse discipulos Christi cum non essent. Nam, ut sæpius jam admonui, *fratres* absolute dicebantur omnes Christiani. Quod quidem cognominis nunc à paucis occupatum est, velut ad illos solos reciderit Christianismus, ac vulgo pene invisum habetur, cum non sit aliud charitatis nomen plausibilius.

27. *In labore & ærumna*] Κόπῳ καὶ μόχθῳ. Propemodum bis idem dixit: nam μόχθος quoque *labor* est, sed *qui difficultatem habeat adjunctam.* Hinc Græcis μοχθηροὶ dicuntur *calamitosi.* Unde Ambrosius *molestiam* legit pro *ærumna.* § *Vigiliis multis*] Pro *multis* Græce est πολλάκις *sæpe.* Itidem est *in jejuniis sæpe*, πολλάκις, non πολλαῖς.

28. *Præter illa quæ extrinsecus sunt*] Χωρὶς τῶν παρεκτὸς, *præter ea quæ foris & extrinsecus accidunt.* Ad eum quidem modum plerique edisserunt. Cæterum Chrysostomus & hunc secutus Theophylactus παρεκτὸς accipit pro *præter*, q. d. *præter ea quæ prætermitto:* ut sit sensus, Paulum nec in hoc suorum malorum catalogo recensuisse omnia. Consentiunt & Græcanica Scholia. Verum utra sententia magis approbanda, prudenti lectori perpendendum relinquo. § *Instantia mea quotidiana*] Hoc separatum est à superioribus, ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ᾽ ἡμέραν. Quanquam hæc particula καθ᾽ ἡμέραν potest utroque referri, ad *instantiam* & ad *solicitudinem quotidianam.* Chrysostomus ac Theophylactus referunt ad id quod præcessit, ἐπισύστασιν. Nam commentario interjecto subjiciunt *solicitudo omnium Ecclesiarum.* Græcanica Scholia interpretantur ἐπισύστασιν non *curam* ac *diligentiam*, sed *conspirationem in Paulum:* ut intelligas, *præter eas persecutiones quæ foris erant*, h. e. ab Ethnicis, *quotidie ferendas insidias & insultus populorum ac civitatum seditionem moventium in Evangelium.* Cæterum Ambrosius interpretatur, *urgentes curas omnium Ecclesiarum, quæ Paulo imminebant.* Atque in hanc sane sententiam adducit locum hunc Augustinus edisserens Psalmum 98. *Incursus in me quotidianus, solicitudo omnium Ecclesiarum*, ut per appositionem copules ἐπισύστασις & μέριμνα. Et in hunc sensum commode verti poterat, *incumbens mihi quotidiana solicitudo pro Ecclesiis.*

31. *Et Pater Domini nostri Jesu Christi*] *Nostri* in nonnullis Græcorum exempl. non apponitur. Et est absolutius simpliciter vocari *Dominum*, qui Dominus sit omnium, nisi quid aliud suaserit addi.

32. *Damasci Præpositus*] Genitivus *Damasci* hic est adverbialis: nam *Præpositus* ad sequentia refertur, ἐθνάρχης Ἀρέτα, i. *gentis Præfectus Aretæ Regis. Aretas rex*, is erat socer Herodis Tetrarchæ, siquidem is Rex fuit Arabiæ, Petræ, & Damascenæ civitatis, quæ Arabiæ vicina est, Dominus, ut docet Josephus lib. Jud. Antiq. 18. Eum igitur significat quem Aretas Rex Damasco præfecerat. § *Ut me comprehenderet*] Πιάσαι με θέλων, *comprehendere me volens.*

33. *Et sic effugi manus ejus*] *Sic* non est apud Græcos, sed tantum est καὶ ἐξέφυγον, *& effugi:* nec addebatur in codice Donatiani, ne in Constantiensi quidem.

VATABLUS.

1. *Sustineretis modicum quid insipientiæ meæ*] *Sufferatis me paulisper in insipientia mea.* § *Supportate*] *Supportatis:* corrigit quod dixerat.

2. *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi*] *Zelotypus enim sum erga vos Dei zelo. Adjunxi.* § *Virginem castam exhibere*] *Ut virginem castam exhibeam.*

3. *Est in Christo*] *Erat erga Christum.*

4. *Pateremini*] *Sustinuissetis:* sub. *pseudapostolos.*

5. *Nihil me minus fecisse à magnis*] *Me nihilo inferiorem fuisse excellentibus.*

6. *Sed non*] *Non tamen.* § *In omnibus autem manifestus sum vobis*] *Sed in omni, manifesti in omnibus in vos:* i. in omni re, & inter omnes declarati sumus, & apparet quales simus erga vos. Vet. legunt, *manifestati sumus.*

7. *Aut numquid*] *An.*

8. *Stipendia*] *Stipendium*, Vet. § *Ad ministerium vestrum*] *Quo vobis inservirem.*

10. *Est veritas Christi in me*] Hoc veluti jusjurandum adjecit. § *Infringetur in me*] *Obstruetur adversum me:* i. nemo mihi obstruere os poterit, quin me jactem quod nihil in Achaia acceperim.

12. *Glorientur*] Se sc. gratis evangelizare. § *Inveniantur sicut & nos*] i. Comperiantur in hoc nihilo præstantiores nobis, cum etiam gratis doceamus sicut & ipsi.

14. *Transfigurat se*] *Transfiguratur.*

15. *Si**] * *Et.*

16. *Modicum quid*] *Paulisper.*

17. *Deum*] *Dominum*, Vet. § *Substantia gloriæ*] *Materia gloriationis.*

21. *Secundum ignobilitatem dico, quasi, &c.*] *Ad ignominiam dico, quod in hac re fuimus imbecilles:* i. quod quasi ad hæc imbecilles, non ita vos tractavimus, & tamen paruistis illis libentius quam nobis.

23. *Ut minus sapiens dico*] *Desipiens loquor.* § *Plurimis*] *Pluribus*, vel, *copiosius.* § *Supra modum*] *Eximie*, vel, *supra quam credi potest.*

24. *Quadragenas*] Sub. *plagas.*

25. *Profundum*] *Profundo*, Vet. sub. *carcere.*

26. *Ex genere*] Judæorum gentem intelligit.

27. *Ærumna*] *Molestia.* § *Multis*] *Sæpe:* & sic versu eodem.

28. *Sunt*] *Accidunt*: i. quæ mihi inferuntur ab Ethnicis: vel, quæ corpus affligunt. ¶ *Instantia mea*) *Conspiratio in me*: vel, ut Augustinus legit, *incursus in me*: *quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum*.

29. *Scandalizatur*] *Offenditur*.

30. *Quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*] *Jactabo ego quæ perituli propter Christum*.

31. *Benedictus*] *Laudandus*.

32. *Damasci*] Genitivus adverbialis. ¶ *Custodiebat civitatem*] *Excubias posuerat in urbe*.

33. *Dimissus*] *Demissus*.

CASTALIO.

1, 2. UTinam paululum aliquid stultitiæ meæ ferretis] Μικρόν τι ἀφροσύνης recte in quibusdam legitur, & ita legit V. interpres. *Stultitiam suam* vocat gloriationem, quam ab eis ferri optat; deinde, quod plus est, ut ferant petit. Itaque ἀνέχεσθε imperativi modi est. Deinde causam reddit cur ferre debeant, *Quoniam vobis*, inquit, *obtrecto*, h.e. de vobis sum zelotypus, sed *Divina obtrectatione*: *despondi enim vos Christo*: sic enim recte vertitur ἡρμοσάμην à V. interprete, ut & sententia postulat (hic enim agitur de Christi & Ecclesiæ conjugio) & verbi ἁρμόζεσθαι natura patitur: nam eo sic usus est Plutarchus.

3. *A simplicitate corrupta deflectant*] φθαρῇ ἀπὸ τῆς ἁπλότητος. Brevis & obscura oratio, in qua verbum φθαρῇ per duo verba, ut nos fecimus, declarandum est: id quod aliquando in S. literis fieri animadverti: ut Gen. 45. *Ego sum Josephus frater vester, quem vendidistis in Ægyptum*: & Actor. 7. τὸν Ἰωσὴφ ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον, *Josephum vendiderunt in Ægyptum*, h.e. *vendiderunt, isque ab eis venditus, ductus est in Ægyptum*.

12. *Quo sibi in quo glorientur suppetat*, &c.] Simulatores illi, inquit, quærunt occasionem gloriandi, ut nos gloriamur. Quod si Euangelium non gratis doceremus, possent gloriari idem se facere quod nos. Nunc cum nos gratis doceamus, non habent eam occasionem: nec enim gratis docere sustinent, cum suo serviant abdomini. εὑρεθῶσι autem positum est ut in Hebræo sermone מצא, quod sæpe in passivo est *exstare & suppetere*, & in Hiphil est *suppeditare & suggerere*. Jam hic εὑρεθῶσιν ἐν ᾧ καυχῶνται dictum est pro εὑρεθῇ αὐτοῖς ἐν ᾧ καυχῶνται· quemadmodum ad Phil. 3. ἵνα Χριστὸν κερδήσω, καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ, *ut Christum lucrer, & in eo mihi satis suppetat*. Itemque Eccl. 15. in Latino (nam Græce non exstat is versus) sic legitur, *Viri mendaces non erunt illius memores, & viri veraces invenientur in illa*, (scilicet *sapientia*) *& successum habebunt usque ad inspectionem Dei*, h.e. veracibus tantum conferet sapientia, ut, &c. Simile est quod ad Rom. 6. declaravimus, εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. Nec admodum discrepat illud Horatii,

> —— *Equitem gravatus*
> *Bellerophontem*,

h.e. Fuit ei gravis eques Bellerophon. Et illud Matth. 13. *Qui secundum viam satus est*, h.e. semen accepit.

15. *Itaque non magnum est*] *Magnum*, i. mirum.

21. *Indecore dicam*] Quomodo κατ' ἄνθρωπον & κατὰ σάρκα *humane*, ita hic κατ' ἀτιμίαν *indecore*: h.e. Dicam contra quam me deceret loqui. Dedecet enim me gloriari: sed gloriabor, ut insipiens. Quasi vero nos nequeamus scilicet idem de nobis gloriari quod illi de se. ἠσθενήκαμεν autem indicativus est pro conjunctivo, ut sæpe ponitur à Paulo Hebræorum more, quorum lingua conjunctivo caret.

23. *In mortibus*] Capitalibus malis.

29. *Quis offenditur, quin ego urar?*] Multo magis offendar.

CLARIUS.

1. UTinam sustineretis] Nihil molestius est viro gravi quam cum ei necesse est sese prædicare. Cum ergo nunc id agere ob falsos Apostolos Paulo sit necesse, hoc factum *insipientiam* appellat: *Opto*, inquit, *ut paulisper me toleretis in hac insipientia, imo & toleratis*, cum expertus sim vos me amare & quæ dico in bonam partem accipere, *quandoquidem æmulatio mea est secundum Deum* atque ob salutem vestram, qui optem vos tanquam *virginem* quandam servare incorruptos: *sed metuo ne in morem Evæ sensus vestri corrumpantur ac degenerent ab illa simplicitate quæ in Christum* credidistis, in externam fallaciam, quæ syllogismis potius & humanis rationibus nititur quam fide.

6. *Imperitus sermone*] Non quod defuerit dicendi gratia, quatenus ad dicendum pertineret; nam hac re (liceat enim vera dicentem audacter loqui) omnes etiam externos superavit; [illegible] fucum illum Gentilis eloquentiæ recusavit, *ne inanis fieret crux Christi*.

7. *Peccatum feci meipsum humilians*] Ut video, quod mihi summæ laudi esse debuerat, hoc vertitur in dejectionem meam, quamvis hoc fecerim utilitatis tantum ac salutis vestræ gratia.

10. *Hæc gloriatio non infringetur*] *Gloriationem* appellat illud, ab his non accipere, ne putarent eum indignari in eo quod nihil ab eis acceperit.

12. *Ut in quo gloriantur inveniantur*] Ut deprehendantur tandem quibus in rebus queant gloriari: fortasse enim falsi Apostoli simulabant se nihil accipere.

16. *Iterum dico*] Vide quanta cum verecundia ingrediatur in sermonem hunc, quanquam id ob solam discipulorum salutem faceret, ne insolentia falsorum Apostolorum tantos Pauli labores perderet & opus Dei destrueret. ¶ *Ut & ego modicum quid glorier*] Et ego, inquit, cogor nunc facere quod falsi Apostoli faciunt: nam illi, dum vestro cum damno gloriantur, in hunc me sermonem trahunt.

17. *Quod loquor non loquor secundum Dominum*] Jubet enim Dominus non gloriari, sed scopus tamen Pauli in hac gloriatione erat *secundum Dominum*.

20. *Sustinetis enim*] Vos, inquit, causa estis cur necesse habeam gloriari, qui hujusmodi *imprudentes homines sustinetis*, vos viri *prudentes*.

21. *Secundum ignominiam dico*] Quod dixi, inquit, *sustinere vos, si quis in faciem vos cædit*, & talia, non dixi quod ista ipsa vos patiamini à Pseudoapostolis, sed quod, quantum ad contumeliæ rationem attinet, non leviora patiamini ab istis quam si ista pateremini. ¶ *Quasi nos infirmi fuerimus*] Quasi non potuerimus & nos eadem facere, sed noluimus.

23. *Ministri Christi sunt*] Hactenus in gloria carnis nihilo se majorem facere curat: Verum cum ad *ministerii pro Christo* mentionem venit, non fuit hac æqualitate contentus, neque dixit *& ego*, sed *plus ego*, idque modeste, interserens ista verba, *ut minus sapiens dico*.

24. *Quadragenas*] In Mose præcipitur ut pro mensura peccati sit plagarum modus, ita duntaxat ut *quadragenarium numerum non excedant*: idque fiebat loro taurino.

25. *Noctem & diem in profundo egi*] Alii quidem, ait Chrysostomus, intelligunt, *in medio mari*: alii vero, *quasi natans*; quod & verius est.

30. *Quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*] *Infirmitatem* appellat persecutiones & tentationes & adversa quæ enumeravit. In his igitur, inquit, *gloriabor*, quæ etsi Deo adjuvante superavi, laborem tamen meum patientiamque declarant. Nam signa & admiranda facta non commemoro, in quibus nullum laborem impendi.

ZEGERUS.

1. UTinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ] i. *Utinam sufferatis pusillum aliquid & exiguum meæ insipientiæ*. Posset quoque illud *modicum*, i. μικρόν, ad *tempus* referri, ut subaudiatur χρόνον, *pro aliquanto tempore*. Et Ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρὸν τῇ ἀφροσύνῃ, ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου, verti potest, *Utinam sustinuissetis* (vel *tolerassetis*) *me paulisper in imprudentia, imo & sufferitis* (vel *toleratis*) *me*. Magis tamen placet Imperandi modus propter illud *utinam*.

2. *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*] *Adaptavi vos viro, ut exhiberem vos* pariter omnes *quasi virginem unam uni viro Christo*: ut intelligas *vos* cum *virginem*, rursus *uni viro* cum *Christo*, ceu per appositionem connecti. B. Ambrosius pro *despondi* legit *paravi*; pro *exhibere*, *assignare*.

3. *Corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate*] Pro *sensus* Græce est νοήματα *intellectus* & *cogitationes* potius declarans. Augustinus sermone quodam exponit *mentes*; *quod magis proprium est*, inquit: *sensus enim intelliguntur & hujus corporis, audiendi, videndi*, &c. Huc accedit & B. Ambrosius dum in hymno canit, *Non nostris adauge sensibus, Sed nostris adauge mentibus, Nescire prorsus omnia, Corruptionis vulnera*. Denique ne quem moveat quod in Græcis non legatur *excidant*, sciat id adjectum esse ne à simplicitate tanquam ab agente mentes corrumpi putarentur. Dictum est enim *corrumpantur à simplicitate* pro *corruptela ipsa à simplicitate alieni reddantur*: *quæ simplicitas* habetur *erga Christum*, ipsique nos commendat. Prosper legit sine *corrumpantur*. Illud *excidant*,

sive

sive *excedant*, ut habet codex Gemblacensis, nec Pauli est nec Interpretis, sed castigatoris Ecclesiastici, qui hoc inserut ad tollendam amphibologiam. Ambrosius & Augustinus legunt *corrumpantur sensus vestri à castitate:* sed *excidant* & *simplicitate* habent codices nostri.

4. *Nam si is qui venit alium Christum prædicat quem non prædicavimus, aut alium Spiritum accipitis quem non accepistis, aut aliud Euangelium quod non recepistis, recte pateremini*] De prædicatoribus quibusdam loquitur, qui mundana sapientia tumidi, inani verborum ornatu & alio quodam modo Christum prædicantes, amplius quid ac magnificentius adferre videbantur: à quibus metuens Apostolus ne permitterent sese abduci, primum, *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens Hevam seduxit*, &c. deinde subdit, *Si quispiam adveniens Christum alium prædicaret quem prædicari oportebat, & ejusdem ipse præconium præterissem, aut si etiam in hoc prædicando viderer inferior;* aut si excellentior (dum is prædicat) *Spiritus alius* ab eo quem me prædicatore accepistis confertur; aut præstantius aliquod *Euangelium*, quod per me nunciari debuerat, accipitis per illum; *optimo sane jure me posthabito illum vobis pateremini dominari, quod illius haudquaquam fecissem mentionem qui merito erat prædicandus. Verum si ipsa jecimus fidei fundamenta & necessaria vobis patefecimus, quid ille amplius attulit quam attulerimus ipsi?* Hujusmodi fere Theophylactus; ne forte nobis diffidas.

5. *A magnis Apostolis*] *Magnos Apostolos* vocat vel eos qui inter cæteros Christi Apostolos præcipui erant, ut Petrus & Johannes; vel eos qui ab ipsis Corinthiis magni habebantur ob pompam, eloquentiam aut divitias. Vetustiores de veris Apostolis accipiunt, quibus & ipse assentior libentius. Comparat enim se præcipuis, ut sibi non minus quam illis in sua prædicatione fidatur, sed nec fastidiatur ob *imperitiam sermonis*, quam nec aliis defuisse Apostolis constat.

6. *Manifestus sum vobis*] Hoc malim cum Ambrosio quam quod aliis est, *manifestati sumus*, ut Græcis est.

7. *Aut numquid peccatum feci, meipsum humilians ut vos exaltemini*] Supple *in fide*. Debet autem perpetuo legi usque ad *euangelizavi vobis*, etiamsi media oratione loco coli percontationis nota cernatur.

8. *In ministerium vestrum*] Ut vobis inservirem in prædicando Euangelio.

12. *Ut in quo gloriantur*] Videlicet non captare se munera ob prædicationem: quanquam falso hoc gloriarentur nomine, tum quod nullius egerent, tum quod clam oblata acciperent. ¶ *Inveniantur sicut & nos*] h.e. Nihilo inveniantur nobis præstantiores, qui nec inopia pressi quicquam accipimus. Juxta Ambrosium vero gloriabantur Pseudapostoli in accipiendis. Hos itaque Apostolus vult sibi esse similes, h.e. ut sincere prædicantes & nihil interim accipientes glorientur.

16. *Iterum dico, ne quis me putet insipientem*] Quod in exordio hujus capitis præmiserat, *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ*, idem nunc repetit: quodque ibi proposuerat, id modo enarrare occipit.

17. *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed in insipientia, in hac substantia gloriæ*] *Quod loquor*, ait, *in hac parte gloriationis* (sive *in hoc genere gloriandi*) *non loquor secundum Deum, sed in insipientia.*

19. *Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes*, &c.] Volunt nonnulli hæc per Ironiam dicta esse, & per sensum contrarium accipienda. Possunt tamen vel absque Ironia intelligi hoc pacto, *Multi gloriantur inter vos secundum carnem*, quos tamen sic *insipienter* gloriantes, *vos, qui haudquaquam estis*, ut illi, *insipientes*, utpote per me instituti in doctrina Christi, *libenter toleratis. Nam suffertis eos qui in servitutem vos adigunt. Sustinetis eos qui vestra devorant, qui vos dolo capiunt* (juxta Ambrosium, vel *qui munera accipiunt*, juxta Theophylactum) *qui in faciem convitiantur*, &c. Cum ergo in hujusmodi æquo animo toleretis alios, par est ut & me bono feratis animo de meipso gloriantem & meipsum commendantem. Vide contextum Apostolicum.

21. *Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte*] Illud *secundum ignobilitatem dico* refert Chrysostomus ad præcedentem particulam, *si quis in faciem vos cædit. Hæc enim dicebat*, inquit, *non quod in faciem cædebant, sed quod respuebant illos & contemnebant: ideo adjecit*, JUXTA CONTUMELIAM LOQUOR. *Non minus enim patiebamini quam si in faciem cæsi essetis.* Ambrosius vero sentit *ignobilitatem* quod supra dixerat, *& ego gloriabor secundum carnem.* Juxta hunc ergo illud *secundum ignobilitatem* periodo separandum est à superioribus; juxta illum vero continue legendum est cum superioribus, aut certe parenthesios notis includendum. Cæterum quod dicit, *quasi nos infirmi fuerimus in hac parte*, hunc habet sensum, Hæc cum ab illis patiamini, toleratis tamen & magni illos æstimatis, *tanquam nos imbecilliores essemus in hac parte*, nec eodem quo illi possemus ad gravandos & premendos vos uti imperio & autoritate. Quasi dicat, liceret quidem, sed malumus consulere vestræ saluti, & illis præripere ansam nos calumniandi, quam nostra abuti dignitate. Græcis non est *in hac parte*, sed quia apud Ambrosium est & in omnibus nostris, nolim abjicere, etiamsi uno quodam exemplari confodiatur in editione Lovaniensi.

26. *Periculis ex genere*] *Genus* suum dicit gentem Judaicam.

28. *Instantia mea quotidiana*] Scito hic *instantia* substantivum esse, non adjectivum: est enim ἐπισύστασις, significans *incursum, insidiosam factionem & instantiam.* Theophylactus interpretatur *furibundum insultum & insidias quas in ipsum communi consensu populi parabant.* Aug. l. 4. De doctr. Christ. c. 7. legit *incursus in me quotidianus.*

32. *Damasci, Præpositus gentis Aretæ Regis*] *Damasci*, subaudi *accidit quod refero;* ut sit genitivus adverbialis: nam Græcis est *in Damasco.* Et *Præpositus gentis* apud eosdem unica vox est, ἐθνάρχης. Cæterum *Aretas* hic socer fuit Herodis illius Antipæ cognomento, & Baptistæ peremptoris, & Majoris Herodis filii: fuitque Rex Arabiæ Petrææ, & Damascenæ civitatis (quæ Arabiæ vicina est) Dominus, ut tradit Josephus l. Jud Antiq. 18. Corripit autem *Aretæ*, sive, ut alii scribunt, *Aretæ*, mediam.

STEPHANUS.

1. Ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου] *Atque adeo tolerate me:* q.d. Atque adeo rogo ut me toleretis.

2. Ἡρμοσάμην ὑμᾶς παραστῆσαι] *Præparavi vos ad sistendum:* vel, *quos sisterem:* aut etiam, *aptavi*, vel *aptos reddidi.*

3. Φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν] *Corrupta mentes vestræ deficiant:* vel, *aberrent.*

5. Μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων] *Me nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis.*

8. Ἐσύλησα] *Spoliavi.* ¶ Οὐ κατενάρκησα οὐδενός] *Non incubui in quenquam cum quodam torpore:* vel, *Non gravavi quenquam.*

13. Μετασχηματιζόμενοι] *Qui se transformant.* Sic in duobus versibus sequentibus.

17. Ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως] Vide v. 4. cap. 9.

23. Ὑπὲρ ἐγώ] *Sum ego supra quam illi.* ¶ Ἐν φυλακαῖς περισσοτέρως, ἐν θανάτοις] *In carceribus amplius, in mortibus:* i. periculis de vita, vel mortem intentantibus.

25. Τρὶς ἐῤῥαβδίσθην] *Ter virgis cæsus fui.*

33. Διὰ θυρίδος ἐν σαργάνῃ ἐχαλάσθην] *Per fenestram in sporta demissus fui:* vel, *in corbe.*

DRUSIUS.

2. *Despondi*] Ἡρμοσάμην. Lex. V. Ἁρμόζομαι, *spondeo.* Hebraice יעד, ut Exod. 21. 8, 9. Theodorus in ultimis Annotationibus *aptavi* התקנתי. In Exodo locis allegatis LXX usi sunt verbo καθομολογεῖν, quod similiter *despondere* interpretantur. Syrus interpres מכרתכון *despondi vos:* unde מכירתא *desponsa* Matth. 1. Sic usurpant Syri. Alioqui מכר in lingua Sancta significat *vendere*, & quandoque *tradere:* quo significatu & Chaldæi utuntur. Ergo מכירתא quasi *tradita*, & מכרתכון *tradidi vos* proprie. Sic ἁρμόζεσθαι *tradere viro, jungere connubio, nuptui dare.* Hic tamen aliud significare videtur. Nam aptatur & præparatur virgo cum desponsa exornatur ad ipsum sponsum deducenda.

8. Ὀψώνιον] אפסוניא. Usus fuit hoc vocabulo R. S. Deut. 17. 17. Halcumi exponit הוצאה *sumptus, impensa.* Sic etiam David Pomarius. Baal Aruch, *In lingua Græca vocant impensas* אפסוניא ὀψώνιον. In Lexico Munsteri minus recte צדה, quod potius *viaticum* significat. הוצאה etiam *stipendium* notat *quod Rex solvit militibus suis.* Sane ὀψώνιον hic redditur *stipendium.* Rursum Baal Aruch, הוצאות *stipendium quod dat rex exercitibus suis de mense in mensem*, i. singulis mensibus.

14. *In Angelum lucis*] i. In Angelum Dei. Qua ratione Angelus Satanæ posset dici *Angelus tenebrarum*, h. e. מלאך חשך, quemadmodum vocatur *Angelus mortis* מלאך המות.

24. *Quadragenas una minus*] De *plagis quadragenis una minus*, & cur plures non fuerint inflictæ, aliquid singulare Buxtorfius noster in Synag. Judaica, pag. 410. editionis Hanovianæ.

vianæ. Vide, si otium tibi est, & si vis. Nihil addendum ad plagas quadragenas statuerat Moses Deut. 25. 3. Sapientes qui secuti sunt, nescio qua de causa, detraxerunt unam, ita ut non liceret postea ullam addere ad plagas triginta novem, quæ sunt quadragenæ una minus, h. e. ut ipsi loquuntur, ארבעים חסר אחת. Videndi sunt Jonathan & R. Salomo ad locum citatum. Manahemus Ricmensis in Mosen, 29. 1, & 2. ait *inflictas fuisse* XXXIX *plagas respectu maledictionum Legis, quæ* XXXIX *sunt:* de quibus idem ibidem. Abenezra videtur probare hanc traditionem, quam *Cabbala* vocat & veram esse asserit: ego dubito. Nam quid est demere verbo Dei si hoc non est? Sed vitare voluerunt periculum transgressionis? Igitur Mose, vel potius Deo, sapientiores fuerunt, qui periculum hoc non præviderunt. Utut sit, plagarum quadragenarum mentio in libro qui vocatur *Maschal Cadmoni*, cap. 2. his verbis,

Et ecce ipse tenetur plagis quadraginta,
Secundum morem seducentium.
Dicuntque lictori ut cadat eum,
Et juxta numerum hunc percutiat eum.

Sunt rhythmi Hebraici, quos non pigrabor adscribere,

הנה הוא חוב מלקות ארבעים
כמשפט המבעים
ויאמרו אל השוטר להלקיו
וכמספר הזה להכותו:

Quorum autor numero rotundo usus est. Nam ex Rabbanitiim cum esset intellexit absque dubio plagas quadragenas minus una. Qui has plagas infligebat השוטר dicebatur. Flagellum autem quo utebatur erat ex corio vitulino, quod Baal Hatturim appellat רצועה של עגל *lorum vitulinum*. Moses Ger. *Qui comedit morticinum domi suæ vapulat; item qui serit agrum diversi generis seminibus; item qui rem habet cum una aliqua mulierum prohibitarum*, &c. Caput est in Thalmud, quod vocatur פרק לוקים. Id male Theodorus ערך לקים vocat, & *tractatum de verberandis* interpretatur. Nam *tractatus* מסכת *Massecheth* dicitur. Habetur istud caput in tractatu De plagis, ordine, quem *Seder* appellant, quarto: estque tertium caput, quod incipit אלו הן הלוקין. Ut hoc intelligas, sciendum Thalmud, h. e. Jus civile Judæorum, hodie divisum esse in sex Sedarim, i. ordines, ordines autem singulos habere suos tractatus, & tractatus certa quædam capita, quæ פרקים vocant: veluti tractatus iste plagarum, ubi de plagis infligendis iis qui rei sunt agitur, habet duntaxat capita tria. De his XXXIX plagis fuse Buxtorfius in epistola dedicatoria ad Plessæum libro De Abbreviaturis Hebraicis. כמספר ארבעים potest exponi *circiter numerum quadraginta*, h. e. numero qui ad quadragesimum proxime accedit. Est autem trigesimus nonus, quem sequitur quadragesimus. Porro Mahumedes statuit pœnam XL ictuum Ebrietati, ut Arabes natura calidos à potatione arceret & facilius in officio retineret. Idem quoque usum vini suis interdixit. Ajunt præterea pœnam Blasphemiæ apud Turcas esse quinquaginta ictus fustium. Sed hæc aliena. Sunt qui existimant unam plagam remissam fuisse in significationem misericordiæ. Alii scribunt flagellum constitisse ex tribus loris (quorum quod in medio tam longum fuerit ut potuerit totum corpus circumdare) è corio vitulino. Plagæ igitur ter decies verberando infligebantur XXXIX. Quod si minister iterum verberasset, fuissent plagæ XLII.

25. *In profundo maris fui*] Alius, *in profundo egi*. Græcus habet πεποίηκα *feci*. Apud Alfenum l. c. *Is servus fugerat, & annum in fuga fecerat.* Apud Smetium in tabula marmorea, *cum qua fecit annos octo*, i. vixit. Seneca epist. 67. *quamvis paucissimos una fecerimus dies.* Ut ergo Jurisconsultus dixit *annum in fuga facere*: sic Apostolus *diem & noctem in profundo facere.* Nihil ergo mutandum. Syrus hic edidit *absque navi in mari fui.* Scholia Græca, νυχθήμερον ἐν τῷ χείμῶνι διηγεῖτο μετὰ ναυάγιον. Sulpicius epist. 1. *Non minor mihi videtur Gentium prædicator, quem fluctus absorbuit, & post triduum totidemque noctes emergentem e profundo unda restituit.* Non hoc Apostolus dicit. Unde igitur habet? nam in Actis altum silentium de hac re, ut & de *quadraginta plagis una minus* nulla ibi mentio. Quod argumentum est certissimum quædam eorum quæ Paulus pertulit Lucam præteriisse, h. e. non omnia narrasse: nisi quod hic locus referri posset ad ea quæ narrantur Act. 27. 43. Quanquam totum νυχθήμερον tunc fuisse in mari Apostolum vix est credibile.

CASAUBONUS.

20, 21. Εἴ τις *κατεσθίει* etc. Κατὰ ἀτιμίαν λέγω] Sic apud Hebræos, & in his libris, *cadere in os*, est κατὰ ἀτιμίαν.

28. Ἡ ἐπισύστασίς μου] Vaticanæ Bibliothecæ codex & alius Constantinopoli allatus legunt ἐπίστασις· & Gregorius Nazianzenus in Oratione Apologetica habet ἐπισυστασίας.

CAMERO.

2. Ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ] h. e. *Desponsavi vos uni viro.* Alludit nimirum (uti videtur) ad locum illum Oseæ 2. 19. *Desponsabo te mihi*, inquit Dominus, *in æternum.* & passim in V. T. Christus dicitur *Sponsus Ecclesiæ suæ.* Doctiss. Interpres negat verba ista cohærere. Attamen diversum sensit Syrus Interpres, qui hæc verba sic interpretatus est, מכרתכון לגברא חד, h. e. *desponsavi vos uni viro.* מכר enim Chaldaica & Syriaca Dialecto est *desponsare*. Etiam in V. T. vox hæc ἁρμόζεσθαι de *desponsatione* dicitur, ut Prov. 19. 14. quod in Hebræo est מיהוה אשה משכלת LXX reddiderunt παρὰ δὲ Κυρίου ἁρμόζεται γυνὴ ἀνδρὶ, *à Domino desponsatur uxor viro.* Ubi pro Hebræo משכלת quod hodie legitur videntur legisse משכרת, facili lapsu ל Lamed in Resch: ut & legit Chaldæus P. qui משכלת reddidit per מתמכרא, h. e. *desponsata*.

JAC. CAPPELLUS.

4. *Quod si quis ad vos veniens alium Jesum, quem non prædicavimus, prædicaret, aut alium Spiritum, quem non accepistis, acciperetis*, h. e. si vobis offerret alium Spiritum ab eo quem accepistis, *aut aliud, quod non accepistis, Evangelium* prædicaret, vos illum *pulcre toleraretis*] Ita voces has καλῶς ἠνείχεσθε accipiendas colligimus ex v. 19, & 20. Sic Marc. 7. 9. καλῶς ἀθετεῖτε. *Pulcre abrogatis Dei mandatum, ut vestram traditionem servetis.*

5. *Persuasum enim habebo* me *nulla in re posteriorem*, h. e. inferiorem, *esse ullo præstantissimorum quorumcunque Apostolorum*] Λογίζομαι non significat simpliciter *puto*, sed *rationibus subductis concludo*, ut Rom. 3. 28. vel *persuasum habeo.* Cæterum quod hic dicit Apostolus, id repetit infra 12. 11.

6. *Quod si* cui videor *idiota in sermone, non tamen* sum idiota *in scientia, sed in quavis re, apud quosvis, inter vos manifesti facti* fuimus] h. e. Palam fecimus, vel potius palam fecit Deus, quam non simus idiotæ, rudes, imperiti.

10. *Hæc gloriatio non obstruetur in me*] Sic Beza. Legit enim οὐ φραγήσεται. Sic quoque legit, ut Erasmus, Oecumenius, Chrysostomus. Sic quoque legisse videtur V. interpres, Syrus, Arabs: sic & Henricus Stephanus A. D. 1567. editio Lugdunensis A. D. 1571. At σφραγίσεται legunt Robertus Stephanus A. D. 1549, 1550, 1551. Plantinus A. D. 1571, & 1574. Videlicet σφραγίζω significat idem propemodum quod φράσσω: nam quod *obsignatur*, id *occluditur*: ut Cant. 4. 12. *scaturigo conclusa, fons obsignatus* pro eodem sumuntur. Tamen prior lectio φραγήσεται melior videtur altera: alioqui dicendum fuerat potius σφραγισθήσεται quam σφραγίσεται.

17. *Quod dico, non dico secundum Dominum, sed ut insipienter, fretus hac fiducia de qua gloriati sumus*] Vocem ὑπόστασις à Paulo semper (si locum unum excipias Hebr. 1. 3.) accipi pro *fiducia* docuimus in Hebr. 11. 1. Hanc igitur Pauli mentem esse censeo, Liceat mihi per vos Legati Divinitus ad vos missi personam deponere, ut vos alloquar non ut Dei nomine vobis mandata præscribens, sed ut amicus amice scribens, & quidem fretus ea fiducia quæ fecit ut hactenus de vobis gloriatus sim, idque forsan non satis prudenter. Sed & nostrorum erga nostros amicos meritorum, nostræque erga illos benevolentiæ conscientia, fiduciaque quam de mutua illorum erga nos benevolentia concipimus, facit ut aliquando liberius quam prudentius cum illis agamus, sed ita ut hæc ipsa insipientia placeat æquis rerum æstimatoribus, & sinceritatis nostræ fidem faciat. Vide si vis quæ diximus in 1 Cor. 7. 25.

20. *Toleratis enim, si quis vos in servitutem adigit, si quis vos exedit, si quis* vobis quidpiam *eripit, si quis* in vos *insurgit, si quis vos in faciem cædit*, me vero non toleratis] Ellipsis oppositi, cujus exempla multa damus in Rhetorica nostra.

21. *Ad ignominiam* vestram id *dico, quasi* (ὡς ὅτι pro *quasi* sumitur, supra 5. 19.) *fuerimus inter vos viribus destituti*] Fuerat quidem infirmus inter Corinthios Paulus, si spectes externum apparatum; sed si prædicationis efficaciam & miraculorum gloriam consideres, infirmus non fuerat.

24. 25.

24, 25. *A Judæis quinquies undequadragenas plagas accepi. Ter ἐῤῥαβδίσθην*] Deut. 25. 3. Deus vetat ne reus ultra quadragenas plagas accipiat. In hanc legem sic R. Moses de Kotsi Affirm. mand. 105. *Flagellandus denudari debet usque ad cor: fasciles fiet a tergo lorum vitulinum habens ita longum ut cingere queat ventrem ejus; & una manu percutiat quanta maxima vi potest undequadragies.* Josephus Antiq. l. 4. c. 8. p. 124. πληγὰς μιᾶς λειπούσης τεσσαράκοντα τῇ δημοσίᾳ σκύτῃ λαβὼν, &c. *Plagas undequadraginta publica scutica accipiens*, &c. Quod autem *ter* ῥαβδισθῆναι *virgis cæsum* se dicit Apostolus, fuit id Romanum supplicium, cujus exemplum habes Act. 16. 22. Athenienses infligebant plagas quinquaginta. Æschines adversus Timarchum p. 19. ὁ νομοθέτης εἶπεν, δῦλον ἐλευθέρου παιδὸς μὴ ἐρᾷν, μηδ' ἐπακολουθεῖν, ἢ τύπτεσθαι τῇ δημοσίᾳ μάστιγι πεντήκοντα πληγάς.

LUD. CAPPELLUS.

9. Οἱ ἀδελφοὶ ἐλθόντες ἀπὸ Μακεδονίας] Solos hic intelligit Philippenses, à quibus solis testatur se aliquid accepisse, Phil. 4. 15. A Thessalonicensibus noluit quidquam accipere, 1 Thess. 2. 9. & 2 Thess. 3. 8, 9. Cum itaque paulo ante dixit, ἄλλας ἐκκλησίας ἐσύλησα, istud proprie de Philippensibus est intelligendum, à quibus non semel subsidium acceperat, Phil. 4. 15.

28. Χωρὶς τῶν παρεκτὸς] Vulgata versio, *præter ea quæ extrinsecus sunt*: quam reliqui interpretes sequuntur. At vero ea *quæ extrinsecus sunt* dicuntur τὰ ἔξω vel τὰ ἔξωθεν, non vero τὰ παρεκτός. Chrysostomus ita accipit acsi sensus esset, *præter ea quæ ego omitto*, siquidem longum fuisset omnia Apostolum recensere. Sane παρεκτὸς est exceptiva particula, uti liquet ex Matth. 5. 32. & Act. 26. 29. Itaque τὰ παρεκτὸς possunt esse *ea quæ excipiuntur à reliquorum numero*, h. e. quæ non cum aliis enumerantur. Et χωρὶς item alia est exceptiva particula, quæ idem interdum significat quod Latine *insuper*, *præterea*. Ut in Theophrasti Characteribus Ethicis, capite περὶ μεμψιμοιρίας, sub finem, καὶ χωρὶς τούτων, h. e. *atque insuper*, sive *præterea*; Gallice *& par dessus tout cela*. Atque ita ego simpliciter acciperem ista Pauli verba χωρὶς τῶν παρεκτὸς, *præter ea omnia quæ ego longa serie enumeravi, accedunt & ista*, ἡ ἐπισύστασις, &c.

GROTIUS.

1. Ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρὸν τῇ ἀφροσύνῃ· *Utinam toleraretis paulisper insipientiam meam*] Melius codices alii, ἀνείχεσθέ μου μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης. Est autem trajectio pro μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης μου, *Utinam ferre possitis paululum meam insipientiam*. Ita autem vocat extortam περιαυτολογίαν [*prædicationem de se*], ideo quod speciem quandam insipientiæ habeat, apud eos qui rem non penitus inspiciunt cum suis circumstantiis. ὄφελον, אחלי [*utinam*] II Reg. v, 3. Psalm. CXIX, 4. Alibi ponitur pro Hebræo מי יתן [*quis dabit*] quod & ipsum est optantis, ut *unde* Latinis. ❡ ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου. *sed & supportate me*] Modi precativi. *Attamen, quæso, me ferte.*

2. Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς ζήλῳ Θεοῦ. *Æmulor enim vos Dei æmulatione*] *Sollicite vos custodio sicut mariti qui uxores suas ardenter amant, idque facio propter Deum.* ❡ ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*] Persequitur cœptam similitudinem, & explicat mysticum sensum Cantici Salomonis, & Legis illius in Levit. XXI, 14. *Virgines* sunt *incorruptæ*: Talis esse debet Ecclesia, & qui ad eam pertinent, Apoc. XIV, 4. Vide quæ diximus ad Luc. I, 27. ἡρμοσάμην, *paravi*. Sic Proverb. XIX, 14. παρὰ δὲ Κυρίου ἁρμόζεται γυνὴ ἀνδρί [*à Domino autem paratur mulier viro*], ubi Græci in Hebræo legere מכלה [*desponsata*] pro משכלת [*secundata*]: Chaldæus autem videtur legisse, מזווגא [*elocata*], vertit enim מזדווגא, παραστῆσαι est hic *in manus tradere quomodo pacta viro traditur.* Vide Genes. XXIX, 21. Hoc est quod *collocare in matrimonium* dicunt Latini. *Paravi*, inquit, *ut traderem*: ornavi vos omnibus modis. Sic & Esth. v, 27. כלה Hebræis *sponsa* ab *ornatu*. Est & hic trajectio: nam ἑνὶ ἀνδρὶ [*uni viro*] & τῷ Χριστῷ [*Christo*] loco dissita sunt, re cohærent.

3. Ὡς ὁ ὄφις, *Sicut serpens*] *Serpens ille* sive *draco* per quem Satanas intelligitur dictus Hebræis נחש הקדמוני [*serpens antiquus*]. Vide Apoc. XII, 3, 9, & pluribus locis aliis. ❡ Εὔαν ἐξηπάτησεν, *Evam seduxit*] 1 Tim. II, 14. ❡ ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, *in astutia sua*] *Vafritie sua.* Sic ὄφις ἦν πανοῦργος [*serpens erat callidus*] verterat Aquila Genes. III, 1. ❡ οὕτω φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριστόν. *ita corrumpantur sensus vestri & excidant à simplicitate quæ est in Christo*] Est & hic contracta locutio. *Ne corrumpantur cogitata vestra à simplicitate quæ in Christum*, pro *ne corrupta cogitata vestra avertantur ab ea simplicitate quæ in Christum fertur*, quæ Christum respicit. Hoc fit ubi Philosophicis doctrinis adulteratur sermo Euangelii. Vide supra IV, 2. ἁπλότης [*simplicitas*] hic est *sinceritas*, sive *puritas*, *nihil alieni admixtum habens*, quæ virginitati de qua cœptum dici respondet.

4. Εἰ μὲν γὰρ ὁ ἐρχόμενος, *Nam si is qui venit*] *Ille qui ex* Judæa ad vos *venit*, & à Christo se institutum dicit, 1 Corinth. I, 12. ❡ ἄλλον Ἰησοῦν κηρύσσει ὃν οὐκ ἐκηρύξαμεν, *alium Jesum prædicat quem non prædicavimus*] Ἰησοῦν [*Jesum*] hic intellige appellative *servatorem*. *Si servatorem vobis certiorem annuntiare potuit, quam nos annuntiavimus.* ❡ ἢ πνεῦμα ἕτερον λαμβάνετε, ὃ οὐκ ἐλάβετε, *aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis*] *Aut si is vobis potiora dona Spiritus conferre potuit, quam nos per manuum impositionem vobis contulimus.* ❡ ἢ εὐαγγέλιον ἕτερον ὃ οὐκ ἐδέξασθε, *aut aliud Euangelium quod non recepistis*] *Si doctrinam adferre potuit nostra cælestiorem.* ❡ καλῶς ἠνείχεσθε. *recte pateremini*] *Merito eum ferretis*, nempe in eo quod me longe infra se ponit.

5. Λογίζομαι γὰρ μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων. *Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis*] At nunc aliter res se habet: neque ego in prædicatione habeo cui cedam, non dicam illis, sed nec ipsis Apostolis, imo *Apostolorum præcipuis*, id est, Petro, Jacobo, Johanni, Gal. II, 9. Eadem prope verba infra XII, 11. Est autem hic duplex nota magnitudinis ὑπὲρ [*supra*] & λίαν [*valde*], sicut λίαν ἐκ περισσοῦ [*plus magis*] Marci VI, 51. & adverbium præposito articulo, simul pro adjectivo. Hebræi dicerent המגדלים מאד מאד [*magnificatos maxime*]. Dicit hoc præcipue adversus eos qui Petri se sectatores profitebantur.

6. Εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, *Nam etsi imperitus sermone*,] Redit ad id quod sibi objectum supra dicit. ἰδιώτης [*imperitus*], id est, similis ἰδιώτῃ [*imperito*]. Vide Actor. IV, 13. ❡ ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει· *sed non scientia*] *Cognitione legis & mysteriorum in lege latentium.* ❡ ἀλλ' ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς. *in omnibus autem manifestati sumus vobis*] Fucum nulla in re fecimus. *In omnibus & omnino aperte vobiscum agimus.* Ἐν παντὶ, בכל [*in omnibus*] valet *omnino*. Oblique notat adversarios.

7. Ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα, *Aut numquid peccatum feci*] Vehementer cor ferit quærens an peccaverit in eo quod eximiæ erat virtutis, & unde illi adversarii longe aberant. ❡ ἐμαυτὸν ταπεινῶν, *meipsum humilians*] Ita vili vivens, quasi servus essem. ❡ ἵνα ὑμεῖς ὑψωθῆτε; *ut vos exaltemini?*] Ut vos per fidem dona Spiritus consequeremini. ❡ ὅτι δωρεὰν τὸ τοῦ Θεοῦ εὐαγγέλιον εὐηγγελισάμην ὑμῖν; *quoniam gratis Euangelium Dei euangelizavi vobis?*] *Sine vestro sumptu*, Actor. XVIII, 3. 1 Corinth. IX, 4, & sequentibus.

8. Ἄλλας ἐκκλησίας ἐσύλησα, λαβὼν ὀψώνιον πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν· *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum*] Ἐσύλησα [*exspoliavi*] id est, ὡς ἐσύλησα [*quasi exspoliavi*], *accepi ab illis*. ὀψώνιον vocat modicum aliquid quale est quod militi datur. πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν [*ad ministerium vestrum*], *ad sustentandos pauperes vestros*, id enim διακονία [*ministerium*] supra VI, 3. VIII, 4. IX, 1, 12, 13. Corinthi aut initio pauci erant divites in Ecclesia, aut præparci. ❡ καὶ παρὼν πρὸς ὑμᾶς καὶ ὑστερηθεὶς, *& cum essem apud vos & egerem*] Id est, ex vestris collationibus non satis reperiens unde pauperes vestri alerentur. ❡ οὐ κατενάρκησα οὐδενός. *nulli onerosus fui*] Habemus hoc verbum & quidem addito personæ genitivo bis infra XII, 13, 14. Dicit autem Hieronymus vocem hanc desumptam ex Cilicum idiomate. Videtur autem de iis dici *qui cum sint ignavi ac torpidi aliis ob id fiunt oneri.* In Jobi Græco XXXIII, 19. πλῆθος ὀστῶν αὐτοῦ ἐνάρκησε [*multitudo ossium ipsius obtorpuit*]. In Glossario καταναρκῶ, *obtorpeo*.

9. Τὸ γὰρ ὑστέρημά μου προσανεπλήρωσαν οἱ ἀδελφοὶ ἐλθόντες ἀπὸ Μακεδονίας· *Nam quod mihi deerat suppleverunt fratres qui venerunt ex Macedonia*] Nempe Philippenses, Philipp. IV, 15, 16. Cum manibus mihi victum tenuem pararem, ab illis accepi unde pauperes juvarem. ❡ καὶ ἐν παντὶ ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα καὶ τηρήσω· *& in omnibus sine onere me vobis servavi & servabo*] In Glossario, ἀβαρὴς, *non gravis*.

10. Ἔστιν ἀλήθεια Χριστοῦ ἐν ἐμοὶ, *Est veritas Christi in me*] *Verum loquor Christo teste*, Rom. IX, 1. ❡ ὅτι ἡ καύχησις αὕτη, *quoniam hæc gloriatio*] Hoc gaudium meum, quod vobis oneri nunquam fuerim. ❡ οὐ σφραγίσεται εἰς ἐμὲ ἐν τοῖς κλίμασι τῆς Ἀχαΐας. *non infringetur in me in regionibus Achaiæ*] Melius alii codices, οὐ φραγήσεται, לא יסכר, *non conti-*

tinebitur intra me, non tacebitur. Nam φράσσειν στόμα est *os occludere*, Rom. III, 19. Hebr. XI, 33. Et est λιτότης [*Extenuatio*], pro *longe ac late manabit per omnem Achaiam.*

11. Διατί; *Quare?*] *Quæ causa est*, inquit, *cur id sciri velim?* ¶ ὅτι οὐκ ἀγαπῶ ὑμᾶς; *Quia non diligo vos?*] *An quod vos non amem?* Nam qui aliquem non amant, solent ei benefacta sua exprobrare. ¶ Ὁ Θεὸς οἶδεν. *Deus scit*] Qui corda novit, scit vos à me tenere amari. Est in his verbis, ut & alibi, vis jurisjurandi.

12. Ὃ δὲ ποιῶ, καὶ ποιήσω, *Quod autem facio & faciam*] Pergam hoc ipsum publicare. ¶ ἵνα ἐκκόψω τὴν ἀφορμὴν τῶν θελόντων ἀφορμήν, *ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem*] *Ut abscindam prætextum quærentibus eum* ut se nobis anteponant. De voce ἀφορμῆς [*occasionis*] vide Rom. VII, 8, 11. Jactabant illi Doctores divites se nihil de arca Ecclesiæ sibi sumere. ¶ ἵνα ἐν ᾧ καυχῶνται, εὑρεθῶσι καθὼς καὶ ἡμεῖς. *ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos*] Ut saltem meo exemplo reipsa præstent quod se dicunt facere.

13. Οἱ γὰρ τοιοῦτοι ψευδαπόστολοι, *Nam ejusmodi Pseudapostoli*] Illos præcipue notat qui cum Christum vidissent, dicebant se ab ipso mandata prædicandi accepisse. Sic ψευδοπροφῆται [*Pseudoprophetæ*] *qui se Prophetas dicunt, cum à Deo non sint vocati.* ¶ ἐργάται δόλιοι, *operarii subdoli*] *Operantur Evangelio, sed non bona fide.* De voce ἐργατῶν [*operariorum*] vide Matth. IX, 37, 38. X, 10. XXI, 2, 8. Cur malæ fidei? Nihil sumebant de arca Ecclesiæ, sed clam sumebant plurima ab iis, qui peccatis onerati, neque ab iis se liberantes, sperabant ipsorum precibus se posse servari: quo genere hominum nihil pernitiosius, II Tim. III, 6. Vide & Matth. XXIII, 14. ¶ μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ. *Transfigurantes se in Apostolos Christi*] מתחפשים [*dissimulantes se*]. Vide 1 Samuel. XXVIII, 8. Unde intelliges hoc hic dici, illos homines *personam induere Apostolorum Christi*, cum ab eorum virtutibus longe absint. Subintelligitur hic rursum *sunt*, ut supra 6. subintellectum *fui*. Solent Hebræi, qui præsentis temporis verba non habent, participiis ad eum modum uti.

14. Καὶ οὐ θαυμαστόν· *Et non mirum*] *Nihil in hac re novi.* ¶ αὐτὸς γὰρ ὁ Σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός. *ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis*] Id est, φωταγωγὸν [*luciferum*] ut loquitur in Epistola Barnabas. Quod dicit confessum erat apud eruditos, quales illi Paulo adversantes videri volebant. Porphyrius apud Eusebium Præparationis IV. de Dæmonibus, ἐνίοτε δὲ καὶ μεταβάλλουσι τὰς μορφὰς οἵγε χείρους [*modo vultum speciemque mutant, ii saltem, qui deteriores sunt*]. Ac paulo post: Σφοδροὶ καὶ αἰφνίδιοι οἷον ἐνέδρας, ὡς τὸ πολὺ ποιοῦνται τὰς ἐμπτώσεις, πῇ μὲν λανθάνειν πειρώμενοι, &c. [*Vehementes ac repentinos ut plurimum impetus habent, insidiisque persimiles, partim ut facilius lateant*]. Idem Porphyrius II. de Abstinentia ab animalibus, de iisdem, οὗτοι γὰρ ἱκανοὶ διὰ τῆς τερατουργίας ἀπατῆσαι [*possunt enim hi prodigiorum specie imponere*]. Id ipsum Dæmonum genus vocat ἀπατηλῆς φύσεως, παντόμορφον καὶ πολύτροπον [*omni fraudulentiæ inserviens, multiforme & versutum*]. Arnobius ait ex Magorum sententia, *antitheos sæpe obrepere pro veris.* Citavimus & Jamblichi loca ad eandem rem facientia in Annotatis ad lib. IV. de Veritate Religionis Christianæ.

15. Οὐ μέγα οὖν, *Non est ergo magnum*] Id est, οὐ θαυμαστὸν [*non mirum*] ut modo dixerat. Vide 1 Corinth. IX, 11. ¶ εἰ καὶ οἱ διάκονοι αὐτοῦ, *si & ministri ejus*] Nam certe *Satanæ ministri* sunt, qui sui commodi causa fovent peccata. ¶ μετασχηματίζονται ὡς διάκονοι δικαιοσύνης. *transfigurentur veluti ministri justitiæ*] Id est, *Evangelii*, quæ causa veræ apud Deum *justitiæ.* Vide Roman. I, 17. III, 22. ¶ ὧν τὸ τέλος ἔσται κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν. *quorum finis erit secundum opera ipsorum*] Id est, quæ nunc clam faciunt aperta fient, & summam illis infamiam parient. Vide II Timoth. II, 16, ubi de iisdem agitur hominibus.

16. Πάλιν λέγω, *Iterum dico*] Aliquoties repeto quomodo inter vos vixerim. ¶ μή τίς με δόξῃ ἄφρονα εἶναι· *ne quis me putet insipientem esse*] Ne quis putet mihi imprudenti excidisse quæ dixi. ¶ εἰ δὲ μήγε, *alioquin*] Si non vultis credere hæc omnia prudenter à me dici. ¶ κἂν ὡς ἄφρονα δέξασθέ με, ἵνα κἀγὼ μικρόν τι καυχήσωμαι. *velut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier*] Δέξασθε, *ferte, tolerate.* קבל est & δέχεσθαι [*accipere*] & ἀνέχειν [*sustinere*]. Ferte me paulo lætius loqui de rebus meis, etiamsi vos hoc putaretis esse imprudentiæ. Nam περιαυτολογία [*de se prædicatio*] omnis speciem habet ἀφροσύνης [*insipientiæ*], non tamen semper est ἀφροσύνη [*insipientia*], ut disci potest ex libro quem de ea re eoque titulo fecit Plutarchus.

17. Ὃ λαλῶ, οὐ λαλῶ κατὰ Κύριον, *Quod loquor non loquor secundum Dominum*] Non hic jam loquor ex Dei aut Christi mandato, sed pro affectu meo. Vide 1 Cor. VII, 25. ¶ ἀλλ' ὡς ἐν ἀφροσύνῃ, *sed quasi in insipientia*] Nota ὡς [*quasi*], non enim hæc de se prædicatio in se est ἀφροσύνη [*insipientia*], sed circumstantias non bene expendentibus speciem ejus rei potest præbere. ¶ ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως. *in hac substantia gloriæ*] In hoc firmamento gaudii mei. Vide supra IX, 4, & ibi dicta.

18. Ἐπεὶ πολλοὶ καυχῶνται κατὰ τὴν σάρκα, *Quoniam multi gloriantur secundum carnem*] Quia multi sibi placent magis in externis, quam in internis rebus. Vide supra V, 16. ¶ κἀγὼ καυχήσομαι. *& ego gloriabor*] Habeo & ego de quo gaudeam in rebus illis in aspectum cadentibus, si ea tanti habentur.

19. Ἡδέως γὰρ ἀνέχεσθε τῶν ἀφρόνων, *libenter enim suffertis insipientes*] Ferre soletis jactabundos. ¶ φρόνιμοι ὄντες. *cum sitis ipsi sapientes*] Ut quidem vobis videmini. Est enim συγχώρησις [*Concessio*].

20. Ἀνέχεσθε γὰρ εἴ τις ὑμᾶς καταδουλοῖ, *Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit*] Ut erant qui Corinthios victui & diebus legalibus volebant subjicere. ¶ εἴ τις κατεσθίει, *si quis devorat*] Interpretare ex Matth. XXIII, 14. ¶ εἴ τις λαμβάνει, *si quis accipit*] Clam scilicet, ut modo diximus. ¶ εἴ τις ὑμᾶς εἰς πρόσωπον δέρει. *si quis in faciem vos cædit*] Id est, *ludibrio habet.* Species pro genere. Nam faciem verberare inter maxima ludibria est. Luc. XXII, 64. Matth. V, 39. 1 Reg. XXII, 24.

21. Κατὰ ἀτιμίαν λέγω, ὡς ὅτι ἡμεῖς ἠσθενήσαμεν· *secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus*] Sensus est, Si de ignominiis agitur nos eas pertulimus maximas. κατὰ hic valet *de*, aut *quod attinet.* ἀσθενεῖν est *affligi*, ut ἀσθενεῖς *afflicti* 1 Corinth. IV, 10. ἀσθένεια, *miseria, ærumna*, 1 Cor. II, 3. Rom. VIII, 26. infra 30. ὡς [*quasi*] hic abundat ut sæpe. ¶ ἐν ᾧ δ' ἄν τις τολμᾷ (ἐν ἀφροσύνῃ λέγω) τολμῶ κἀγώ. *in quo quis audet, (in insipientia dico) audeo & ego*] Τολμᾶν hic valet παῤῥησιάζεσθαι, *loqui audentius*, ut Philipp. I, 14. Judæ 4. ἐν ἀφροσύνῃ [*in insipientia*] hic rursum valet ὡς ἐν ἀφροσύνῃ [*quasi in insipientia*]. Facile id intelligitur ex superioribus.

22. Ἑβραῖοί εἰσι; κἀγώ. *Hebræi sunt? & ego*] Id est, *ab Abrahamo orti.* Nam Abraham dictus עברי [*Hebræus*] quod venisset ex locis trans Euphratem, ut diximus ad Genes. XI, 1. Legenda hæc priora membra cum interrogatione. ¶ Ἰσραηλῖταί εἰσι; κἀγώ. *Israëlitæ sunt? & ego*] Si ob Jacobum sanguinis auctorem magis sibi placent; & ego ex eo sum. Hæc dicta adversus illos magistros, qui ex Judæa venerant.

23. Διάκονοι Χριστοῦ εἰσι; (παραφρονῶν λαλῶ) ὑπὲρ ἐγώ. *Ministri Christi sunt, (minus sapiens dico) plus ego*] Plusquam illi. Deest enim αὐτοὺς [*illis*]. Et παραφρονῶν [*minus sapiens*] pro ὡς παραφρονῶν [*ut minus sapiens*]. ¶ ἐν κόποις περισσοτέρως, *in laboribus plurimis*] Resumit jam & membratim explicat id quod dixerat ἠσθενήσαμεν [*infirmi fuerimus*]. De voce κόπων [*laborum*] vide supra VI, 5. ¶ ἐν πληγαῖς ὑπερβαλλόντως, *in plagis supramodum*] Vide supra VI, 5. ¶ ἐν φυλακαῖς περισσοτέρως, *in carceribus abundantius*] Vide ibidem. ¶ ἐν θανάτοις πολλάκις. *in mortibus frequenter*] Id est, in mortis periculis, supra I, 9, 10. IV, 11, 12. 1 Corinth. XV, 30, 31.

24. Ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον. *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi*] Subauditur πληγάς [*plagas*]. Similis breviloquentia Luc. XII, 47. Quadraginta verbera infligi ferebat Lex, non jubebat, Deut. XXV, 3. Vide præceptum jubens CV, & vetans CXCIX. Sapientes citra eum numerum consisti voluere. Sic ante & post Sabbatum addidere horam, hæc sunt quæ vocant *sepimenta*, προφυλακὰς Legis, in odiosis minus, in favorabilibus paulo plus facere quam Lex imperat. Neque hoc pugnat cum interdicto quod est Deut. IV, 2. Nam addere ad Legem est facere quod Lex vetat. Diminuere est omittere quod Lex jubet: horum neutrum fit in ista & similibus traditionibus. Judæi Romanorum permissu in Judæa & quibusdam locis vicinis jus in suos animadvertendi ad verbera usque habebant. ¶ ἅπαξ ἐλιθάσθην, *semel lapidatus sum*] Actor. XIV, 18. Nempe per seditionem multitudinis, ut videre est Joh. X, 31. Actor. V, 26. XIV, 5. Virgilius in seditionis descriptione,

Jamque faces & saxa volant. ——

Idem λιθάζειν [*lapidare*] hic & dicto Johannis loco, & Actor. V, 26. XIV, 19. Hebr. XI, 37. quod λιθοβολεῖν [*lapidibus obruere*] Matth. XXI, 35, 37. Marci XII, 4. Luc. XIII, 34. Actor. VII. 58, 59. XIV, 5. Hebr. XII, 20. רגם. ¶ τρὶς ἐναυάγησα, *ter naufragium feci*] De tribus his Pauli naufragiis unum in Actis narratum habemus. Alia evenere priusquam Lucas Paulo se conjunxisset. ¶ νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα. *noctem & diem in profundo maris egi*] Ποιεῖν [*agere*] tempori adjunctum *durationem* significat, ut Jacob. IV, 13. Apoc. XIII, 5. Νυχθήμερον [*diemnoctium*] vox Græcis frequens respondens Hebræis

bræis duobus ערב ובקר [*vespera & mane*]. Βυθὸς מצולה [*profundum*], ut Exodi xv, 5. Psalm. LXVIII, 23. CVII, 24, est *altum mare*.

26. Ὁδοιπορίαις πολλάκις, *In itineribus sæpe*] Ἐν [*in*] hic & in sequentibus subauditur, κοινῇ κοινῷ [*ut communiter dictum*] ex eo quod præcesserat ἐν κόποις, ἐν φυλακαῖς, ἐν θανάτοις [*in laboribus, in carceribus, in mortibus*]. ¶ κινδύνοις ἐκ γένους, *periculis ex genere*] Nempe ἐμῷ [*meo*] à mea gente, à Judæis. Sic Actor. VII, 19. Galat. I, 14. ¶ ἐξ ἐθνῶν, *ex Gentibus*] Ita vocare solent omnes qui Judæi non sunt, neque Judæis addicti, גוים [*gentes*]. ¶ κινδύνοις ἐν πόλει, κινδύνοις ἐν ἐρημίᾳ, *periculis in civitate, periculis in solitudine*] Hæc singularia ponuntur pro pluralibus. ¶ ἐν ψευδαδέλφοις· *in falsis fratribus*] Vide Gal. II, 4. Hi sunt qui Christianos se simulabant, ut res Christianorum perdiscerent, deinde eos proderent. Similis compositio in ψευδομάρτυς, ψευδαπόστολος, ψευδοπροφήτης [*Pseudomartyr, Pseudapostolus, Pseudopropheta*].

27. Ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ, *in labore & ærumna*] Μόχθος hic est *miseria*, עמל. ¶ ἐν ἀγρυπνίαις πολλάκις, *in vigiliis multis*] *In pervigiliis*, supra VI, 5. Exemplum vide Actor. XX, 7, & sequentibus. ¶ ἐν λιμῷ καὶ δίψει, *in fame & siti*] In locis scilicet ubi nihil erat esculenti aut poculenti. ¶ ἐν νηστείαις πολλάκις, *in jejuniis multis*] Intellige jejunia sponte suscepta ad accendendas preces, ut Actor. XIII, 2, 3. XIV, 23. 1 Corinth. VII, 5. ¶ ἐν ψύχει καὶ γυμνότητι, *in frigore & nuditate*] Actor. XXVIII, 2. & Rom. VIII, 35. γυμνότητα [*nuditatem*] autem intellige comparate, id est, vestitum tam levem qui corpus non satis defenderet, vide Marci XIV, 52. Joh. XXI, 7.

28. χωρὶς τῶν παρεκτὸς, *præter illa quæ extrinsecus sunt*] Præter hæc corporis incommoda. ¶ ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. *instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*] Oppugnor quotidie ab ea anxietate in qua versari Ecclesias video. Ἐπισύστασις, *oppugnatio*, Num. XXVI, 9. הצה, à נצה, quod est *irruere velut globo facto*. Vide & Actor. XXIV, 12.

29. Τίς ἀσθενεῖ, καὶ οὐκ ἀσθενῶ; *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*] Quæ Ecclesia adfligitur ut ego non adfligar? Id enim ἀσθενεῖν, ut diximus supra 21. כשל. Similis sensus Job. VI, 9. ¶ τίς σκανδαλίζεται, καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι; *quis scandalizatur, & ego non uror?*] Quis est cui offensa objicitur in via pietatis, ut non ego urar? πυροῦσθαι Græcum, ut & Latinum *uri*, modo de cupidine dicitur, ut 1 Cor. VII, 9. modo de animi cruciatu. Sic apud Terentium *uro hominem*. Hebræi בער eodem modo usurpant.

30. Εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, τὰ τῆς ἀσθενείας μου καυχήσομαι. *Si gloriari oportet quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*] In eo gaudio ac triumpho quod tot mala Christi causa pertulerim. Vide Actor. V, 41.

31. Ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οἶδεν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὅτι οὐ ψεύδομαι. *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quod non mentior*] Est & hic Trajectio, nam οἶδεν [*scit*] naturali ordine poni debuit ante illa ὅτι οὐ ψεύδομαι [*quod non mentior*]. Et hic iterum jurat Paulus, sed in re gravissima, & ad Deum pertinente. ὁ εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας [*benedictus in secula*], המברך לעולמים, titulus Dei, Rom. I, 25. IX, 5.

32. Ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως, *Damasci Gentis Præpositus Areta Regis*] Est eadem historia quæ Actor. IX, 23, 24, 25. Aretas hic fuit Arabum Rex cujus meminit Josephus XVIII, 7, & alibi. Is hoc tempore Damascum tenebat, eique præfectum imposuerat qui hic dicitur ἐθνάρχης [*Gentis Præpositus*], ideo quod toti Syriæ Damascenæ præesset. Habemus eandem vocem in Macchabaicis & Josepho sæpe, & in Strabone. Etiam qui Princeps erat Judæorum Alexandriæ, sic vocatur in Edicto Claudii quod est apud eundem Josephum. Justinus Colloquio cum Tryphone, Ὅτι δὲ Δαμασκὸς τῆς Ἀραβικῆς γῆς ἦν καὶ ἔστιν, εἰ καὶ νῦν προσνενέμηται τῇ Συροφοινίκῃ λεγομένῃ, οὐδ' ὑμῶν τινες ἀρνήσασθαι δύνανται [*Cæterum quod Damascus Arabiæ terræ fuerit & sit, quamvis nunc ei, quæ Syrophœnice vocatur, accenseatur, nec vestrum aliqui inficiari possunt*]. Tertullianus Adversus Marcianum III, *Et Damascus Arabiæ retro deputabatur antequam transcripta esset in Syrophœnicen, ex distinctione Syriarum.* ¶ πιάσαι με θέλων. *ut me comprehenderet*] Sic πιάσαι [*comprehendere*] habemus Joh. VII, 30, 32, 44. VIII, 20. X, 39. XI, 57. Actor. XII, 4. Hebræi dicerent תפש.

33. διὰ θυρίδος, *per fenestram*] Per fenestram muro injunctam. ¶ ἐν σαργάνῃ, *in sporta*] Actor. IX, 25. ἐν σπυρίδι. At σαργάνη est *funis* apud Æschylum. Intellige hic *funem quo sporta attinebatur*. Aut ἐν hic sit more Hebræo nota instrumenti. Rabbinis סרגו est *cilicium*. ¶ ἐχαλάσθην, *demissus sum*] הורדתי. Vide Josephum II, 15, & dictum locum Actorum.

CAP. XII.

VALLA.

1. SI gloriari oportet, non expedit quidem] Græce non legitur adverbium *Si*, & vix ullo in codice verbum *oportet*, sed dictio quædam adverbialis sive conjunctiva, *vix* vel aliquid tale significans, δὴ, quæ simillima est in literis & sono verbo *oportet*, δεῖ. Nec legitur Græce *quidem*, sed *mihi*, ἐμοὶ, ut sit, *Gloriari non expedit mihi.*

4. *Arcana verba, quæ non licet homini loqui*] Gr. *ineffabilia verba*, ἄρρητα.

7, 8. *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* ¶ *Propter quod ter Dominum rogavi*] Gr. *Et superlatione* (sive *excellentia*) *revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus* (sive *sudes*) *carni*, (sive *in carne*) *Angelus Satan, ut me colaphizet, ne extollar*; Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι· ὑπὲρ τούτου.

9. *Nam virtus in infirmitate perficitur*] Gr. *Nam virtus mea*, δύναμίς μου. Cum quo congruit quod sequitur de virtute Christi. ¶ *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*] Gr. *Libentissime* (h. e. cum maxima voluptate) *igitur magis gloriabor*, ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι.

11, 12. *Nihil enim minus fui ab his qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum. Tamen signa Apostolatus mei facta sunt super vos*] Dixi superius quomodo transferendum erat illud *minus fui*. Hoc autem quod dicitur, *Apostolatus mei*, Græce non ita legitur, sed *signa Apostoli*, τοῦ ἀποστόλου.

14. *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos*] Non hic sed paulo post c. 13. 1. legitur *hoc tertio* cum dicitur, *Ecce tertio hoc venio ad vos*, Τρίτον τοῦτο ἔρχομαι. Non dicitur Latine *tertio hoc*, quia *tertio* non est nomen. Quid igitur? *hac tertia vice*? Non reperi apud elegantissimos autores in hanc significationem accipi *vicem*. Ego mallem dicere, *Ecce jam tertio venio*, sive, quod Græco magis respondet, *tertium*.

19. *Olim putatis quod excusemus nos*] Non est legendum *olim* sed *iterum*, πάλιν. Forte Interpres putavit se legere propter similitudinem literarum πάλαι, quod significat *olim*.

REVIUS in VALLAM.

1. VIX. Δὴ] Imo *sane, profecto, equidem*. Nam *vix* est μόλις, μόγις.

9. Δύναμίς μου] Hoc abjectum erat post verba *virtus Christi*. Quapropter videns absurditatem ultimus editor mutavit μου in Χριστοῦ. Sed nihil opus erat: propria tantum sedes ei reddenda.

ERASMUS.

1. SI gloriari oportet] Gr. Καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μοι. Quanquam Laurentius in plerisque cod. δὴ legit, non δεῖ, ut sit sensus, *Gloriari certe non expedit mihi*. Ita sane Chrysostomus etiam interpretatur, & hujus imitator Theophylactus, admonens hunc esse transitum ad commemorationem eorum quæ plus etiam habent gloriæ. Quod si cui placet δεῖ, *oportet*, ita legendum est ut *Gloriari oportet* legatur per interrogationem, deinde ipse sibi respondeat, *Non expedit*. In hunc sensum legit Ambrosius. Verum superior lectio mihi sane multo magis probatur, quod appareat hunc locum ex superiore mutatum, ubi dixerat, *Si gloriari oportet, in his quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*: minus etiam illic periculi. Cæterum ubi ventum est ad revelationes, contrahit sese, negans esse gloriandum, etiamsi vera sint quæ dicturus est; quod hæc magis obnoxia sint suspicioni jactantiæ quam illa. Jam quemadmodum erratum est à librariis in δεῖ & δὴ sive δὲ ob affinitatem & elementorum & vocum, ita consentaneum est erratum fuisse in μὲν & μοι. Neque enim Græci legunt, *Non expedit quidem*, sed, *Non expedit mihi*, οὐ συμφέρει μοι. Idque accommodatius est ad Pauli sententiam, ut sit sensus, Vobis quidem expedit ut cognoscatis qualem habeatis Apostolum, longe alium quam sint isti supercilioli: *Verum mihi non expedit* narrare, ut cui tutum non sit sive propter discrimen inanis gloriæ, sive propter suspicionem hominum, quibus videbor hæc jactantiæ gratia comminisci, quemadmodum plerique solent. Et *mihi* legit Ambrosius, nec *quidem* addidit;

Si

Si gloriari oportet, sed non expedit mihi. Jam quod sequitur multo cohæret aptius cum superioribus, *Veniam enim ad visiones*: veluti causam reddens cur dixisset *non expedire sibi* super hisce rebus *gloriari*. Neque enim apud Græcos est hoc loco *autem* δὲ, sed γὰρ *enim*, mire consentientibus exemplaribus.

2. *Scio hominem*] Annotandum hoc loco non apponi Græcum articulum, ne certum aliquem hominem designare videretur, sed in genere dixit *hominem*; οἶδα ἄνθρωπον. ❡ *Sive in corpore*] Post hanc particulam additur οὐκ οἶδα, *non novi*, quæ post alteram item repetitur; *sive in corpore non novi, sive extra corpus non novi*. Consentiebat Græcis codex Donatiani, qui sic habebat scriptum, *sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio*. Eandem scripturam habebat codex Constantiensis. Et pro *sive* Latinius vertisset *an*.

4. *Arcana verba*] Ἄῤῥητα ῥήματα, *non dicenda* (sive *ineffabilia*) *verba*. Subest tacita gratia in Græcis vocibus cognatis & contrariis, q. Latine dicas, *indicenda dicta*, pro *non dicenda dicta*.

5. *Pro hujusmodi gloriabor*] Ὑπὲρ δὲ τοιούτου. Et videtur magis pertinere ad Hominem quam ad Rem. Narrat enim Paulus hanc rem veluti de alio quopiam, quem tamen noverit. Ergo, *de me*, inquit, *non gloriabor*; *verum de hujusmodi homine* quem novi *gloriabor*; veluti dissimulans se esse illum de quo loquitur. Sic ferme Theophylactus. ❡ *Pro me autem nihil*] Ὑπὲρ δὲ ἐμαυτοῦ οὐ καυχήσομαι, *de meipso autem non gloriabor*.

6. *Ne quis me existimet*] Μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με, ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ, *ne quis existimet in me supra id quod videt me, aut audit aliquid ex me*. Illud autem *in me* perinde est ac si dicas, *cogitet de me*, aut *tribuat mihi*. *Videt me* legit Ambrosius, reddens ad verbum sermonem: atque idem habebat uterque codex Constantiensis.

7. *Et ne magnitudo*) Gr. Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, ἄγγελος Σατᾶν, *Et ne excellentia revelationum extollar, datus est mihi stimulus carni* (sive *in carne*) *Angelus Satan*: atque ita ferme legit Ambrosius. Augustinus in Quæst. super librum Judicum legit, *Et in magnitudine revelationum ne extollar*, q. legisset ἐν τῇ ὑπερβολῇ. Cæterum non est hic κέντρον, ut in Actis, sed σκόλοψ, quod *palum præacutum* sonat. Nonnulli *stimulum* hunc interpretantur Motus & affectus Libidinis: quod demiror ulli docto Theologo placere. Quid enim absurdius quam putare tantum Apostolum jam senem adhuc solicitari urtica libidinis, & ita solicitari ut *hac gratia* coactus sit *ter interpellare Dominum*? Movet istos mentio *carnis*, ac statim putant de Venere verba fieri, quemadmodum Augustinus *concupiscentiæ* vocem ferme interpretatur Affectum coitus; cum Paulus omnem Affectum humanum qui non proficiscitur à Spiritu Dei *carnem* appellare soleat. Sed item externas Molestias quas humana vita secum defert *carnem* appellat; veluti cum de conjugatis loquens dicit, *Veruntamen tribulationem carnis habebunt hujusmodi*. Quod autem hoc loco *infirmitatem* sentiat non Morbum corporis, sed Afflictionem ab inimicis illatam, testantur ea quæ sequuntur, *libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, &c. Ac mox explicat quas dicat *infirmitates*; *Propter quod*, inquit, *placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo*. Et superiori capite præfatus est, *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*. D. Hieronymus in Commentariis quos edidit in epistolam ad Galatas refert quosdam sensisse *stimulum* hunc fuisse corporis adversam valetudinem, quod Paulus crebro capitis dolore solitus sit affligtari. Refert hoc Theophylactus. Thomas Aquinas, haud scio quem secutus, ait eum *iliaco morbo* fuisse obnoxium. Chrysostomus Hom. De laudibus Pauli 6. interpretatur de *contempto corporis dolore*. At mihi vero proximum videtur quod ait Ambrosius, Insectationem malorum hominum quæ illi negotium facessebat assidue, vocari *stimulum*: sic enim inquit, *Hoc ergo remedium datum est Apostolo, ut injuriis adversariorum pressus, animo non posset extolli*. Siquidem hac parte prosunt nonnunquam & inimici, docentes nos sobrietatem ac modestiam. Theophylactus indicat quosdam ὑπεραίρωμαι interpretari *extollar*, h.e. *supra modum glorificer ab hominibus*: verum hoc commentum rejicit. Movet autem quæstionem, Cur, cum multos pateretur adversarios, Hermogenem, Phygellum, Alexandrum, Pseudoapostolos, dixerit *Satan*, & cur hunc vocet *Angelum*. ❡ *Qui me colaphizet*] Ἵνα με, *ut me*: & sic legit Ambrosius. Quanquam *qui* pro *ut* poni solet interdum. Post hæc verba rursum invenio repetitum ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, *ut ne extollar*: atque ita legit Ambrosius. Quanquam plus sonat Græca vox quam *extollar*, imo *supra modum efferar*, q. d. *superefferar plus satis*.

8. *Propter quod*] Ὑπὲρ τούτου, *De hoc*, vel *Pro hoc*: & refertur ad superiora, non ad sequentia.

9. *Nam virtus*] Gr. *virtus mea*, ἡ δύναμίς μου. Sunt enim verba Domini Paulo respondentis. Nec est *virtus* ἀρετή, ut opponatur Vitio, sed δύναμις, ut opponatur Infirmitati. Sentit enim, Virtutem ac potentiam Divinam longe diversa ratione declarari quam potentiam mundi: Siquidem hæc viribus & vi innotescit, illa contra tolerando. Potest & hic accipi sensus, *Virtus Divina maxime illustratur, cum is per quem fit, infirmitati suæ conscius, nihil inde sibi vendicat, sed universam laudem uni Deo tribuit*. Ambrosius videtur diversam sententiam sequi, quæ mihi tamen non admodum probatur: tametsi Theophylactus attingit eandem. Et Augustinus lib. ad Bonifacium Episcopum 3. c. 7. refert ad *virtutem hominis, quæ in futuro seculo perficietur*; cum hic non sit ἀρετή sed δύναμις. Ascribit enim Ambrosius, *Ut devotio, dum infirmitate pressuræ accedentis non frangitur, probata videatur*: ut respondeat illi quod mox sequitur, *Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Porro festiviter retulit inter se duo pugnantia, δύναμιν & ἀσθένειαν. ❡ *Libenter*] Ἥδιστα, *libentissime*. Et non simpliciter est *gloriabor*, sed μᾶλλον καυχήσομαι, *magis* (sive *potius*) *gloriabor*. Neque pugnat hic comparativum cum superlativo, cum *potius* non pertineat ad modum gloriandi sed ad argumentum & materiam gloriandi. Utrumque autem conjunxit Ambrosius. Sed ego *potius* hoc loco malim quam *magis*.

10. *Propter quod placebo*] Διὸ εὐδοκῶ, *Propter quod placeo*, sive *placitum est mihi*; concordantibus & Latinis emendatioribus. ❡ Nec additur *meis*: tantum est *infirmitatibus*. Consentiebat exemplar Constantiense: mox enim exponit quid appellet *infirmitates*.

11. *Factus sum insipiens*] Γέγονα ἄφρων καυχώμενος. Potest accipi & hoc sensu, *Fui insipiens, glorians*, sive *gloriando*. ❡ *Nihil minus feci*] Id quo pacto vertendum fuerit superius ostendimus, *nihilo inferior fui*. Ambrosius legit, *Nihil enim minus feci*. ❡ *Supra modum Apostoli*] Τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων, *excellentissimis Apostolis*. Ambrosius legit *quam illi valde Apostoli*. Conduplicavit enim adverbium epitaseos, quo vehementior esset oratio: quandoquidem hoc loco ὑπὲρ adverbium est, non præpositio, declarans Excellentiam. Idque non citra stomachum dixit, non quod tales essent, sed quod tales haberi vellent; ne videatur de Petro & Jacobo sensisse. ❡ *Tametsi nihil sum*] Εἰ καὶ οὐδέν εἰμι. Hæc particula referenda est ad superiora, ut mitiget quod dictum videri poterat arrogantius, *Nihil inferior fui summis Apostolis*: nam proximus sermo habet μὲν, quæ prohibet sic legi ut legit Ambrosius, qui addidit *tamen* loco *quidem*: legit enim ad hunc modum, *Nihil enim minus feci quam illi valde Apostoli*: & interjecto commentario subjicit, velut alterius sermonis initium, *Etsi nihil sum, tamen signa Apostoli*, &c.

12. *Signa Apostolatus*] Gr. *Apostoli*, ἀποστόλου, non ἀποστολῆς, *Signa Apostoli*, non *Apostolatus*. Nec vero prorsus otiosa est Græca conjunctio μὲν· extenuat enim, q. dicas *certe*. ❡ *Facta sunt super vos*] Ἐν ὑμῖν *in vobis*, ut legit Ambrosius, vel potius *inter vos*, h.e. vobis videntibus. Interpres legisse videtur ἐφ' ὑμῖν. ❡ *Et virtutibus*] Δυνάμεσι· ut intelligas *potentiam miraculorum*.

13. *Minus habuistis præ cæteris Ecclesiis*] Ὃ ἡττήθητε, *in quo inferiores fuistis cæteris Ecclesiis*. ❡ *Donate mihi hanc injuriam*] Χαρίσασθε quod ego maluissem *condonate*, sive, ut magis exprimam vocem Græcam, *hujus injuriæ mihi gratiam facite*: siquidem hic sermonis color frequens est apud Suetonium & apud Sallustium. Admonet D. Augustinus lib. 1. contra Advers. Legis & Prophet. non hoc simpliciter dictum à Paulo, sed Ironia potius exprobrantis, quale putat illud in Genesi, *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis*. Cur enim rogaret sibi ignosci qui profuerit officio?

14. *Ecce tertio hoc*] *Hoc* non est apud Græcos, ἰδοὺ τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, *Ecce tertio paratus sum venire ad vos*. Interpres & Ambrosius legisse videntur τρίτον τοῦτο, *hac tertia vice*, ut paulo post.

15. *Superimpendar ego ipse*] *Ego ipse* non est apud Græcos. Nec est *superimpendar* sed *expendar*, ἐκδαπανηθήσομαι etiamsi ad hunc modum legit Ambrosius: unde conjici potest exemplaria variasse.

16. *Sed ego vos gravavi*] Gr. *Sed esto, ego vos non gravavi*, suffragantibus nostris cod. emendatioribus, atque item Ambrosio, qui legit, *Sed esto, ego vos non gravavi*. Dilucidius erat si *ego* vertisset in *ipse*, quo Pauli persona discernatur à Pseudoapostolis.

17. *Numquid per aliquem eorum*] Gr. μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι' αὐτοῦ ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς; *Num aliquem eorum quos misi ad vos, per hunc vos circumveni, sive fraudavi vos?* Sed hoc loco parum respondet ordo Grammaticus. Cum enim dice-

diceret μή τινα, videtur aliud quippiam adjecturus fuisse, quod oblivione mutarit, præsertim cum non respondeat casus. Alioqui videri poterat ex idiomate Hebraico repetisse *per hunc*, cum præcesserit *per aliquem*. Admonendus & hoc lector rudis, ὧν articulum non congruere suo verbo ἀπέσταλκα, sed nomini præcedenti τινά.

18. *Numquid Titus vos circumvenit?*] Ἐπλεονέκτησε, quod Paulus aliquoties usurpat transitive, pro eo quod est *per aviditatem extorquere*, sive *occupare plus quam oportet*. Nec male hoc loco legit Ambrosius, *Numquid avarus in vos fuit Titus?* Nos vertimus, *Numquid à vobis extorsit?*

19. *Olim putatis*] Non est *olim*, sed πάλιν, *rursum*, sive *iterum*. Interpres fortassis legit, aut certe somniavit, πάλαι, quod significat *olim*. Ambrosius legit *iterum*, h. e. πάλιν, quod ante visus sit sese prædicasse. ¶ *Omnia enim*] *Omnia autem*. ¶ *Charissimi*] Ἀγαπητοί, *dilecti*.

20. *Et ego inveniar à vobis*] *A* superest juxta Græcos codices: sat enim erat *inveniar vobis*. ¶ *Animositates*] Θυμοί, *iræ*: etiamsi θυμὸς sonat *impetum animi effervescentis*. Est enim Græcis θυμὸς ea pars animi quam Plato ponit in præcordiis, & obstrepit Rationi, cui sedem tribuit in cerebro. Alibi vertit *furorem*; *Domine, ne in furore tuo*, ἐν θυμῷ σε. ¶ *Dissensiones*] Ἐριθεῖαι, *contentiones*, vel *certamina*. ¶ *Sint inter vos*] Hæc tria verba, quoniam in Græcis quæ quidem legerim exemplaribus non habentur, addita conjicio quo sermo fieret dilucidior. Cæterum Græce non est simpliciter ne μή, sed μήπως, quod reddi poterat *ne quo pacto*, aut *ne quo modo*. Nam expletiva conjunctio ita verbum diminuit ut sententiam augeat. Vult enim Paulus nullo pacto inter illos esse quicquam omnino dissidii.

21. *Et non egerunt pœnitentiam*] Μὴ μετανοησάντων, *qui non pœnituerunt*, sive *quos non pœnituit*. Quanquam alias admonuimus *agere pœnitentiam* idem esse Latinis quod *pœnitere*, quemadmodum *agere vitam* idem quod *vivere*: verum durius est nisi addas genitivum significantem id cujus nos pœnitet.

VATABLUS.

1. SI *gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem*] Vel, *gloriari jam non expedit mihi*: *veniam enim*: i. Iis quæ jam dicturus sum, gloriari non expedit: narrare enim volo visiones. &c. Quædam exemplaria Græca legunt, *Gloriari oportet? non expedit mihi*. Ita Ambrosius legit.

2. *Hominem in Christo*] i. Christianum. ¶ *Corpore**] **Nescio*, Vet.

4. *Arcana verba*] i. Non dicenda, sive ineffabilia.

5. *Pro me*] *De meipso*. ¶ *Nihil**] **Gloriabor*, Vet. ¶ *Infirmitatibus*] *Calamitatibus*.

6. *Me existimet*] *De me cogitet*: vel, *mihi tribuat*. Vet. legunt *in me*. ¶ *Aliquid*] *Quod*.

7. *Magnitudo*] *Excellentia*. ¶ *Carnis*] *Carni*: vel, *propter carnem*: i. ad affligendum corpus meum. ¶ *Angelus Satanæ*] *Angelus insidiator*: i. data est angelo insidiatori potestas in corpus meum. ¶ *Qui*] *Ut*, Vet. ¶ *Colaphizet**] * *Ne supra modum efferrer*.

8. *Propter quod*] *Pro hoc*.

9. *Virtus*] *Potentia mea*: q. d. fine te calamitatibus exerceri, ut tandem potentia mea hostibus tuis illustrior reddatur, cum te ab eis liberavero. ¶ *Libenter*] *Libentissime*. ¶ *In*] Potius *super*.

10. *Placeo*] Vel potius, *acquiesco*, *tranquillo sum animo*.

11. *Debui*] *Debebam*. ¶ *Feci*] *Fui*, Vet. Vel, *nulla enim in re inferior fui summis Apostolis*.

12. *Apostolatus mei*] *Apostoli*, Vet. ¶ *Super*] *Inter*. ¶ *In*] *Cum*, Heb. ¶ *Virtutibus*] *Potentibus factis*.

13. *Quod minus habuistis præ*] *In quo inferiores fuistis*.

14. *Gravis*] *Onerosus*.

15. *Impendam*] Sub. *quæ habeo*. ¶ *Superimpendar*] *Expendar*.

17. *Circumveni*] Vel, *fraudavi*.

18. *Vos circumvenit?*] *A vobis extorsit?*

19. *Olim*] *Rursum*. ¶ *Coram Deo, in Christo loquimur*] Hebr. Testis est Deus & Christus eorum quæ loquimur. ¶ *Enim*] *Autem*, Vet.

20. *Animositates*] *Iræ, concertationes*.

21. *Gesserunt*] *Patraverunt*.

CASTALIO.

6. PArco] Contineo me.

7. *Stimulus*] Iste stimulus non potest dici peccatum: nam ita Deus in discipulo suo peccatum reliquerat, ne discipulus peccaret. ¶ *Carni*] h. e. Ad carnem: quomodo solet Cato loqui De Re rustica, *Ornamenta bubus*, *instrata asinis*, *opercula doliis*, *centones pueris*, & multa talia.

9. *Mea fortitudo in imbecillitate perficitur*] h. e. Homo Christianus, qui à me *Christo* nomen habet, fortissimus evadere non potest nisi certando cum hoste, in quo certamine sentiat se imparem esse nisi meus adsit favor, atque ita mihi confidens, perfecte fortis & me dignus fiat. *Perficitur*, i. præstatur: q. d. Nisi tentarere, vincere non posses: nunc tentatus, vincis beneficio meo. Et ista demum Christiana virtus est, vincere certantem: nam sine pugna non venit victoria.

21. *Multosque deplorem qui ante peccaverint*] Καὶ πενθήσω πολλοὺς τῶν προημαρτηκότων, h. e. πολλοὺς προημαρτηκότας ut cap. 10. συγκρῖναι ἑαυτόν τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστάντων, h. e. τισὶν οἵτινες ἑαυτοὺς συνιστᾶσι. Nec enim est divisio, ut cum eorum aliis se conferre audeat, cum aliis non item. Tale quiddam declaravimus in Psalmo 54.

CLARIUS.

1. GLoriari certe non expedit mihi] Et causam cur hoc dicat adjungit, *Veniam enim*, inquiens, *ad visiones & revelationes Domini*. Et cum de his locuturus est, tacet nomen suum, & alium quendam ponit sine nomine, indicans velle se id latere, si adversarii permitterent.

2. *Sive in corpore, sive extra corpus*] h. e. Solutane omnino esset anima à corpore ignoro, an vivente corpore facta fuerit mentis abalienatio à sensibus. *Proinde quod vidit*, ait Augustinus, *proprie vidit, non imaginaliter: sed quia ipsa à corpore alienatio, utrum omnino mortuum corpus reliquerit, an secundum modum quendam viventis corporis ibi anima fuerit, sed mens ejus ad videnda vel audienda illa arrepta sit, hoc incertum erat*. ¶ *Usque ad tertium cælum*] Hebræi tres duntaxat cœlos faciunt quorum tertius sit spiritualis, & quasi sedes Dei.

6. *Supra id quod videt me*] Ne quis me aliquid supra hominem esse opinetur, idcirco nolem quenquam de me aliud scire quam quod exterius videt atque audit.

7. *Et ne magnitudine revelationum extollar*] Rectius hoc quam si dixisset, *ne magnitudo revelationum extollat me*, quasi ipsæ revelationes causæ fuissent elationis, & non potius ipse abusus eis fuisset. Quod & de Scientia idem dici potest. ¶ *Datus est mihi stimulus ipsi carni*] Intelligit Chrysostomus per *stimulum* adversa tam multa quæ in prædicatione ei accidebant, quæ cum cerneret plerumque impedire cursum Euangelii, precabatur liberationem. Idcirco appellat *Angelum Satanæ*, h. e. *adversarium*: ut libro Regum 3. de Salomone, *Non erat Satan in diebus ejus*, h. e. *adversarius & hostis*. Neque probat sententiam illam quam Hieronymus in epist. ad Galatas adducit, *fuisse qui crederent crebro eum dolore capitis solitum laborare*. Quem autem *stimulum* hic appellat, ad Galatas vocat *tentationem in carne*. Plurimi refert observare proprietatem dicendi.

16. *Rursum putatis quod excusemus nos*] Ἀπολογούμεθα unde ἀπολογία: atqui apologiæ plena est Epistola: sed intelligit hic, se non uti malitiose verbis excusationis aut defensionis; qui Pseudapostolorum mos est.

20. *Ne forte sint contentiones*] M. Basilius docet quo differant *contentio* atque *dissensio*, h. e. ἔρις & ἐριθεία, his verbis, Ἔρις *quidem est cum quis, ne inferior videatur altero, studet aliquid agere*; ἐριθεία *vero, cum ex iis quæ quis facit, cum ostentatione aut inani gloria irritat alios ad se imitandum*.

21. *Immunditia*] Idem Basilius etiam *immunditiæ* & *impudicitiæ* differentiam ponit, quod ait hic Paulus ἀκαθαρσίᾳ καὶ ἀσελγείᾳ. Ἀκαθαρσίαν, inquit, *Lex demonstravit, cum hoc nomine usa est in iis quæ invitis & ex natura necessitate eveniunt*; ἀσέλγεια *vero est affectus qui non ferat laboriosum dolorem*.

ZEGERUS.

6. PArco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me] *Ipse*, inquit, *mihi tempero* ab his recensendis, *ne quis me majorem existimet*

stimet aut *suspicetur quam aut videat re ipsa, aut audiat aliquid de me*, h. e. quam res ipsa & dignitas mea postulet. Sermo autem commodior nonnihil foret si quod in archetypo est ad hunc verteretur modum, *Tempero autem ne quis me cogitet super id quod videt esse me, aut super id quod audit ex me.*

7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ*] *Stimulum carnis* non libidinosam carnis commotionem, sed externas quibus ob Euangelium divexabatur afflictiones, sentit; aut certe *dolorem aliquem corporis, qui* (inquit Augustinus) *traditur fuisse exagitatus. Dolores enim corporum*, eodem teste Augustino, *plerumque ab Angelis Satanæ immittuntur.* Et quamvis opinionem hanc explodere videantur Scholia Græcorum, ego tamen Augustini dictum non ausim improbare. Juxta priorem autem sententiam Paulo veluti pungens quidam *stimulus* erat *Angelus* ille (sive *nuncius*) *Satanæ*, Alexander ærarius, de quo habes 2 Tim. 4. item Hymenæus & Philetus, de quibus 2 Tim. 2. aut, si mavis, ipse in his agens & persequens Diabolus. Quod Augustinus dicit, id hausit ex Hieronymo super illud Galat. 4. *Tentationem vestram in carne mea* exponente utrumque locum de *molestissimo quodam dolore capitis.* ¶ *Qui me colaphizet*] Alius *ut me colaphizet.* Ambrosius & Cyprianus Serm. 5. juxta Græcam editionem adjiciunt *ut non extollar*: sed Augustinus Serm. 3. De verbis Apostoli, & prædictis antiquior Irenæus lib. 5. juxta Latinam editionem non adjiciunt. Quin & tenor ipse sermonis Apostolici magis postulat ut non adjiciatur. Videtur autem irrepsisse in contextum ex adnotatione marginali.

9. *Virtus in infirmitate perficitur*] *Mea* in te *potentia*, dum *infirmitate* pressuræ accedentis non frangitur, *excellens declaratur & perfecta.* Vel *virtus in infirmitate perficitur*, dum imbecillitas humana roboratur & invicta redditur in afflictionibus virtute Divina. Redundat μȣ, *virtus mea*, tum juxta alios multos, tum juxta Irenæum. Subaudiri tamen debet: sunt enim verba Domini Paulo respondentis.

10. *In infirmitatibus meis.* Et infra, *in necessitatibus meis*] Utrobique *meis* adjectitium esse arguunt Græca & Latina paulo vetustiora.

12. *Signa tamen Apostolatus mei*] Ambrosius, Græca editio & pauca exempl. Latina habent, *signa tamen Apostoli facta sunt.*

16. *Sed esto, ego vos non gravavi; sed cum essem astutus, dolo vos cepi*] *Sed esto*, inquit, verum sit quod *ipse non gravaverim vos*, vestra exigendo aut accipiendo: *sed tamen calliditate quadam & astutia aut avaritia* hoc ipsum feci, (sic enim nonnulli vestrum factum meum calumniando interpretantur) *& meos ad vos transmisi* ut illi aliquid à vobis flagitarent, ea arte ut sic per meos accipiens ipse nihil accipere viderer: aut certe ideo recusavi quod parva atque indigna essent quæ offerebantur, ut sic consequerer majora. Verum ita rem non se habere manifestat dum subdit, *Numquid per aliquem*, &c.

19. *Olim putatis*] Interpres πάλαι videtur legisse, quod signat *olim, quondam, antea, diu*, cum nostra exemplaria πάλιν habeant, i. *iterum.*

LUCAS BRUGEN.

11. *Nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli*] Plerumque legitur, *Nihil enim minus feci*: sed *fui* vertisse Interpretem, quo modo emendavit Hentenius, manuscripta exemplaria veriora docent. Vetus Scholiastes, qui Hieronymo conjunctus est, & B. Anselmus, *fui* se legisse declarant. Græca habent ὐδὲν γὰρ ὑστέρησα· quæ recte hoc modo transferas, *Nihilo enim inferior fui iis*, &c. Syra isto, *Propterea quod non defeci ab iis*, &c.

STEPHANUS.

7. Σκόλοψ] *Aculeus.*

11. Οὐδὲν γὰρ ὑστέρησα τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων] Vide cap. 11. ver. 5.

13. Οὐ κατενάρκησα ὑμῶν] Vide cap. 11. ver. 8.

17. Ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς] *Avare aliquid extorsi à vobis.*

DRUSIUS.

2. *Usque ad tertium cœlum*] Tres memorari Cœlos in S. literis olim observavimus. Primum est Aëreum, cujus tres regiones, suprema, media, infima. Secundum est cœlum Sidereum, in quo Sol, Luna & Stellæ. Tertium est sedes Beatorum spirituum, quod *cœlum cœli* appellat David Hymnographus. Cur *cœlum cœli*? Quia sublimissimum, quia excellentissimum. Sic, *Canticum Canticorum*: nullum enim eo excellentius.

4. *In Paradisum*] Aut idem dicit, aut *paradisus* locus alius est à *cœlo*; quod ipsi Ebræi fatentur: quippe dicunt *Paradisum esse receptaculum animarum post hanc vitam; Cœlum autem recipere omnes post judicium extremum, quod immediate resurrectionem sequetur*: omnes, dico, salvandos, h. e. justos; ne quis de improbis me loqui putet, quos non cœlum sed inferi suscipient. Res est, non conjectura. ¶ *Arcana verba*] Ἄρρητα, *non dicenda.* Sic ἄρρητον ὄνομα *non dicendum nomen.* Ita vocant Tetragrammaton, quod & *ineffabile*, i. ἀνεκλάλητον. Quomodo Hermeti, qui & *Mercurius.* Deus dicitur ἀνεκλάλητ☉, ἄρρητ☉, σιωπῇ φωνέμεν☉, *ineffabilis, non dicendus, silentio exprimendus.* Ἄρρητα igitur ῥήματα, non *arcana*, sed *quæ dici nequeunt, effari ve non possunt*, aut *eloqui fas non est.*

7. *Angelus Satanæ*] Ἄγγελ☉ Σατᾶν tam potest verti *Angelus Satan* quam *Angelus Satanæ.* Hoc nullam ambiguitatem habet. Illud ambiguum est, ut nescias dicatne *Satan Angelus* an *Angelus Satan*, i. Satanæ, ut *filii Abraham*, i. Abrahæ. Alibi, *Satan & Angeli ejus.* Σατᾶν, Ebraice שטן. Interpretatur à Græcis ἐναντί☉, ἀντικείμεν☉, διάβολ☉, παραβάτης, à Latinis *contrarius, transgressor, adversarius.* Ἐναντί☉, i. *contrarius.* Origenes Tract. 1. in Matth. Hieronymus in lib. De nom. Ebr. & in Commentar. Matth. 16. Ἀντικείμεν☉, i. *adversarius.* Origenes lib. 10. ad Rom. & Hom. 15. in Jesum Nave. Chrysostomus Hom. 26. in epist. 2. ad Corinth. Hieronymus passim in Collectaneis Nominum Ebr. Διάβολ☉. Num. 22. לשטן LXX εἰς διαβολήν. Vide Annot. Erasmi Johan. 6. 70. Παραβάτης, i. *transgressor.* Hieron. in *Satan* ex epist. ad Roman. & ex Apocalypsi. Ἀποστάτης. Irenæus lib. 5. adver. hæres. Justinus Martyr in Disput. cum Tryphone. Theophylactus Matth. 12. Σατᾶν λέγεται ὁ ἀντικείμεν☉· optima interpretatio vocis. David Grammaticus in libro ubi dictionum sensa collegit, שטן לשון אויב. Hoc vult, *Satan significat* ἐχθρὸν καὶ ἀντικείμενον, *hostem, inimicum, adversarium.* Itaque de Petro legitur, Ὕπαγε ὀπίσω μȣ σατανᾶ, quod Christo temere adversaretur. Verissime Origenes, *Omnes*, ait, *qui adversantur Divinæ voluntati, Satanæ dici possunt.* Igitur Satan Dei ac generis humani hostis. Græco vocabulo etiam διάβολ☉ vocatur, sed alia ratione. *Satan* dicitur tanquam *adversarius*; *diabolus*, tanquam *criminator.* Non enim idem est *adversari* & *criminari.* Criminatio sine verbis non fit; adversari & verbis & factis possumus. Hieron. Isai. 27. *Tradunt Ebræi diabolum, i. criminatorem, quod Græcum nomen est, Ebraice appellari Satan, i. adversarium. Unde & in Zacharia dicitur,* STABAT SATAN *i. adversarius,* A DEXTRIS EJUS, UT ADVERSARETUR EI. Qui Σατανᾶν vertunt, ut Irenæus & Justinus, videntur deducere à verbo שט, quod *desicere* significat, ut Nun sit heemanthicum: sic Grammatici appellant literas quæ extrinsecus accedunt ad thema formandis nominibus. Justinum induxit terminatio Græca σατανᾶς ut compositum putarit ex שט σατανᾶς, & νᾶς, τȣτ' ἐςι, ὄφις prorsus inepte: ex quo tamen hoc discimus, νᾶς Ἀρχαϊκῶς pro ναὰς, i. נחש. Ita solitum antiquis euphoniæ q. gratia abscondere literam Heth in medio. Sic reperio שמש pro שמחש apud Magistros. Vide, si vacat, D. Camium ad Psalm. 35. Locus Justini quem hic tango, Græce exstat pag. 103. libris Lutetiæ impressis: Τὸ γὰρ Σατᾶν τῇ Ἰȣδαίων κ̀ Σύρων φωνῇ Ἀποστάτης ἐςί· τὸ δὲ Νᾶς ὄνομα, ἐξ ȣ̃ ἡ ἑρμηνεία, Ὄφις ἐκλήθη ταυτὸν ἐςι Σατᾶν τῇ Ἑβραίων ἑρμηνευθεῖσῃ φωνῇ· ἐξ ὧν ἀμφοτέρων τῶν εἰρημένων ἓν ὄνομα γίνεται, Σατανᾶς.

CAMERO.

2. Εἴτε ἐν σώματι] h. e. (ut nobis quidem videtur) *Sive anima in corpore constituta, sive ad tempus sejuncta à corpore & segregata.* Quæ sententia stare potest si statuamus animam rationalem, etiam in Homine, distinctam esse à sensitiva, quamvis non sit divisa: quæ summorum Philosophorum opinio fuit. Itaque illa Pauli ecstasis, etiamsi (quod nolumus tamen affirmare, maxime cum ipse Paulus non affirmet) statuatur peracta separatione animæ rationalis quam vocant, tamen mors dicenda non est, quando non secuta est animæ quam vegetativam & sensitivam vocant exstinctio; quod in morte proprie dicta contingit.

4. Εἰς

4. εἰς τὸν παράδεισον] Paulus *Paradisum* sedes beatorum vocat phrasi usitata ea ætate, & quæ eam ætatem proxime præcesserat, in Ecclesia Judaica. גן עדן dicunt, Græci vero παράδεισον, quæ vox proprie *hortum* significat, sed in quo amœnitas potius & voluptas quam utilitas quæritur: quod nomen cum horto Eden, ex quo ejectus fuit Adam, κατ' ἐξοχὴν esset tributum ἀντονομαστικῶς, cœpit etiam adhiberi ad significandum locum illum in quo beata requie & gloria inestabili, quibus id datum est per Christum, fruuntur. Qui locus & *tertium cœlum* vocatur, quod sit supra cœlos aspectabiles atque hoc totum quod nobis inane videtur, quodque *cœlum* nominatur, cum sit interjectum inter terram & cœlum aspectabile.] Ἄρρητα ῥήματα] Vulg. Interpres illud exposuit *arcana*, Syrus *verba quæ non dicuntur*. Numquid hic ἄρρητα sunt *quæ dici nequeant*, an vero *quæ* si dici queant, attamen *dicere nefas sit*. Certe ἄρρητον lingua Græca duo tantum significat, quantum nobis observare licuit, vel *id quod non dicitur*, vel *id quod non licet dicere*. Non licet autem aliquid dicere duas ob causas, vel quia nefandum est & ejusmodi ut vel auribus admitti vel ore proferri haud possit sine culpa, vel etiam ἄρρητον est quod ideo nefas est dici quod sit arcanum & ejusmodi ut non debeat evulgari. At ut ἄρρητον dicatur *quod nulla lingua exprimi ullo modo potest*, ægre impetrari potest ab iis quorum aures Græco idiomati assuetæ sunt. Huc & illud etiam accedit quod Paulus subjicit quasi ἐξηγητικῶς,] Ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι] h. e. *quæ nulli licet eloqui*, vel *quæ non licet eloqui ulli homini*. Etsi *licet* lingua Lat. & ἔξεστι Gr. non modo *potestatem* quam vocant & *jus* sed etiam *potentiam* quam dicunt significat, tamen hoc infrequentius quam illud hac formula significatur. Deinde, quod magnopere observandum est, in libris N. T. *licet* semper potestatem significat, *non licet* negationem potestatis. Itaque nonnisi gravi de causa à recepta hujus particulæ significatione discedendum est. Cæterum si hoc loco *licet* significat potestatem, non multum interest utrum dativus *homini* connectatur cum verbo *licet* (ut sit sensus, *Nulli, quantumvis magna præditus sit autoritate, ne Apostolo quidem, quales ego sum, quæ sunt ejusmodi licet revelare*) an vero cum verbo *loqui*, ut sit sensus, *non licet hæc revelare ulli*. At doctiss. Interpres ἄρρητα interpretatus est *quod nequid proferri*, & ἃ οὐκ ἐξὸν λαλῆσαι *quod dici non potest*, hac adductus ratione, quod non sit credibile Paulum habuisse ullam rerum Divinarum arcanam notitiam quam nefas esset cum Ecclesia communicare. Certe duplex est, saltem animo cogitari potest, rerum Divinarum notitia: Altera quæ sit earum quarum notitia toti Ecclesiæ vel necessaria vel utilis sit. Profecto ejusmodi nullam habuit Paulus notitiam quam cum Ecclesia non communicarit: tametsi certum sit etiam in Ecclesia omnia non esse omnibus cognitu pariter necessaria, imo & quædam esse nonnullis scitu utilia quæ omnibus & singulis non modo non sint utilia, sed & damnosa etiam, utpote qui illa nondum possint capere: unde illud Christi, *Multa habeo vobis dicenda, sed nunc non potestis ferre*. Sed & est notitia rerum Divinarum quæ etsi tali viro qualis fuit Paulus utilis sit, tamen non est invulganda, propterea quod non est datum omnibus esse Paulis, quemadmodum neque rapi in tertium cœlum. Itaque habuerit sane Paulus cognitionem quandam rerum Divinarum arcanam, quarundam, inquam, rerum Divinarum, quam cum Ecclesia non communicarit, at hinc tamen non efficitur ullam Paulum habuisse cognitionem utilem Ecclesiæ aut necessariam quam Ecclesiam celarit. Etenim testatur disertis verbis Actor. 20. 20. *se nihil illis subtraxisse*, τῶν συμφερόντων, *eorum quæ utilia sunt, quominus ea annunciaret, & publice doceret, & per singulas domos*. Certe qui non reticuit utilia, necessaria non reticuit. Et ejusdem capitis v. 27. *Non subterfugi quominus annunciarem vobis omne consilium Dei*. Ubi observandum est illud *omne* & *consilium*. Hanc si distinctionem adhibeamus non erit verendum (etiamsi verba Pauli *quæ non licet* de potestate quam vocant intelligamus) ne Hæretici inde colligere possint Paulum non omnia revelasse quæ quidem fuerint scitu & utilia & necessaria: tantum enim colligere possint Paulum non omnia promiscue quæ noverat atque indiscriminatim revelasse; quod nullo periculo concedi potest. Nihil igitur opus erat ut doctiss. Interpres à recepta verborum & locutionis qua utitur Paulus significatione, hujus metu periculi, quod nullum est, recederet. Quanquam hæc à nobis disputantur, non ut negemus prorsus eam esse potuisse Pauli mentem quam ei tribuit doctiss. Interpres: tantum monemus nihil esse necesse eo devenire: maxime cum hæc sit eorum ratio quæ lingua humana nequis effari, ut possit ea tamen quodammodo effari, siquidem ejusmodi sint quæ capi animo queant. Nam subsidit quidem, fateor, immane quantum sermo infra cogitationem de rebus maximis, haud ita tamen ut nullo penitus possint humano sermone res illæ adumbrari, siquidem ejusmodi sint ut mentis humanæ vi capi & comprehendi possint. Jam hæc quæ vidit Paulus percepit animo haud dubie: esto igitur ea non potuerit effari pro dignitate rerum, atqua adantenus potuit describere: non descripsit autem. Quando igitur ita se res habet, videtur multo facilius esse os hæreticis hominibus obstruere si demus Paulum hic agere de *potestate* non autem de *potentia*, quam si id omnino negemus. Quod si demus Paulum hic agere de *potentia*, necesse est intelligamus Pauli verba dicta esse hyperbolice: porro Hyperbolæ usitatissimæ sunt in Scriptura. Sed hæc responsio hæretico homini fortasse minus satisfecerit, præsertim cum sic verbis Pauli vis quædam videatur afferri, quia (uti modo monuimus,) *licet* in N. T. nusquam significat aliud quam potestatem, *non licet* negationem potestatis.

7. Ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, &c.] Sunt qui arbitrantur Paulum hac locutione notare eam quæ vulgo dicitur *carnis concupiscentiam*; sunt qui aliud vitium quocum conflictatus sit Paulus designari existimant; sunt denique qui adversarium quendam insignem, qui Paulo immineret indesinenter, puta Alexandrum ærarium, intelligi volunt; ac sunt denique qui morbum aliquem & cruciatum corporis à Paulo statuunt subindicari. Ea tamen sententia simplicissima videtur quæ statuit Paulum cæsum plagis ab Angelo quodam Satanæ: porro non est obscurum in Scriptura *Angelos Satanæ* dici quos *Cacodæmones* vocamus. Paulus enim nullo consilio hic usus fuisset, ut videtur, allegoricis locutionibus, cum narret (certe videatur narrare) rem gestam. Ait quidem *inditum esse sibi stimulum in carne* (quanquam σκόλοψ, ut mox dicemus, aliud videatur significare) sed id explicat quid sit, *Angelus Satanæ*, inquit, *qui me colaphizet*: more Scripturæ, quod priore loco dixit figurate, posteriore nudis & significantibus verbis proponit. Deinde (quod maximopere observandum est) Paulus revelationi atque superbiæ quæ inde (ni providisset Deus) nasci potuisset opponit crucem longe gravissimam, quæque tantum potuit demere de fastu ingenito quantum addere potuit illa excellentia & magnitudo revelationum, ut ipse loquitur. Itaque describit hic nobis haud dubie afflictionis quoddam genus pene intolerandum, quod ideo σκόλοψ vocatur ἐν τῇ σαρκί. Est autem σκόλοψ *assula*, vel etiam *quicquid acuminatum humano corpori infigitur*, unde nascitur dolor acutissimus. Etiam σκόλοψ ξύλον est, non quilibet tamen σταυρὸς, sed quo damnatorum corpora transfigebantur. Atque in hoc genere neque corporis morbum, nec item adversariorum calumnias numerari decet, multo minus concupiscentiam, aut aliud vitium ullum: nam vitium vitio non curatur. Hoc primum. Tum concupiscentiæ non fuit obnoxius, h. e. conflictatus Paulus; superbiam vero Pauli curatam fuisse superbia non est credibile. Denique, gloriatur Paulus v. 10. in hac infirmitate; itaque non est hæc infirmitas ullum vitium. Postremo, non est temere discedendum ab eo quod Scripturæ verba præ se ferunt statim atque (ut loquitur) prima fronte: oportet subesse causam, quæ hic (ut nobis quidem videtur) nulla potest afferri. Etenim si esset ulla, dignitas Apostolici muneris & sanctitas Pauli causa foret: at cum (uti fatentur plerique omnes) tantum permissum sit Diabolo in corpus Christi ut illud huc & illuc transferret, qui mirum videatur licuisse Diabolo sævire in corpus Pauli? Deinde, Jobus, vir proculdubio sanctissimus, expertus est corpore tenus Diaboli sævitiam: ut ne hoc insolens videatur quod in Sanctorum corpora sæviat Diabolus.

9. Ἡ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται] Certe Dei virtus nec augetur nec minuitur, sed tum *perfici* dicitur cum se prodit in re summa, cum judicio humano facit quod summum est. *Vivimus enim & movemur in Deo*; atque hoc potentiæ Dei est: at cum in summis angustiis & in ipsa morte constituti, vivimus tamen & respiramus, singulari quodam modo *virtus Dei* se exserit, itaque *perficitur* in nobis, h. e. ostendit se summam esse, quæ non possit vinci aut superari: quemadmodum etsi qui patientes sunt semper sunt patientes, attamen tum *perfecte* dicuntur cum in summis malis patientes sunt.

JAC. CAPPELLUS.

2. IN *tertium cœlum*] Aerem vocari solitum ab Hebræis *cœlum* primum, colliges ex Rabba in Gen. §. 6. *Justitiam*, h. e. benignitatem, *exercuit Deus cum mundo*, *quod non posuit luminaria in expanso primo. Nam si posuisset illa in expanso primo, nulla creatura potuisset subsistere præ ardore diei*. R. David Ganaz ex Talmude refert *R. Josuam Lev. F. in hortum Edenis, dum adhuc viveret, ingressum* בגן עדן בחייו. Nempe, quod Paulo revera contigit, id quibusdam suis Doctoribus contigisse fabulantur Judæi.

GROTIUS.

1. Καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι. *Gloriari sane non expedit mihi*] *Lætitia gestire non expedit.* Saluberrimum animo ἡ τῆς οἰήσεως συστολή [*arrogantiæ contractio*]. ❡ ἐλεύσομαι γὰρ εἰς ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις Κυρίου. *veniam enim ad visiones & revelationes Domini*] *Eo*, inquit, *veniendum esset*, *si gestiendi & exultandi quærerem materiam.* ὀπτασία [*visio*], quomodo apud Danielem sæpe vertitur מראה sive ὅραμα, est *species visibilis objecta vigilanti aut somnianti.* ἀποκάλυψις [*revelatio*] est quidem generale, sed hic ponitur pro *afflatu*, sive *luce qua mens perfunditur.*

2. Οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ, *Scio hominem in Christo*] *Christianum.* Hæc Paulus prædicat, quasi non sua: quasi diceret,

> —— *qua non fecimus ipsi*
> *Vix ea nostra puto.*

Ideo in tertia persona hoc eloquitur, ut ille in Controversiis Senecæ, *Scio quendam in hac civitate propter hoc adoptatum.* Sicut contra ubi aliquid dicendum est quod odiosum est, pro secunda persona primam assumit. ❡ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, *ante annos quatuordecim*] Referam hoc ad illud ἐν Χριστῷ [*in Christo*]. *Hominem talem qui per annos jam quatuordecim Christo serviat.* ❡ (εἴτε ἐν σώματι οὐκ οἶδα· εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος οὐκ οἶδα, ὁ Θεὸς οἶδεν) ἁρπαγέντα τὸν τοιοῦτον ἕως τρίτου οὐρανοῦ. (*sive in corpore nescio*, *sive extra corpus nescio*, *Deus scit*) *raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum*] Est & hic Trajectio: nam illa εἴτε ἐν σώματι [*sive in corpore*] & quæ sequuntur in fine hujus versus poni naturaliter debuerant. Hebræi orbes in cœlo diversos non agnoscunt, sed cœlum partiuntur in tres regiones, quarum prima est Nubifera, altera Astrifera, tertia Angelifera. Prima dicitur Hebræis עולם השפל [*Mundus infimus*], secunda עולם התיכון [*Mundus medius*], tertia עולם העליון [*Mundus supremus*]. Alii primam vocant רקיע [*expansionem*] secundam שמים [*cœlum*], tertiam שמי השמים [*cœlum cœlorum*]. Ergo *tertium cœlum* hic dicitur quod alibi *cœlum cœlorum*, *cœlum summum*, *Angelicum.* Potest autem evenire alicui ut longe remota videat duplici modo, aut si per Angelum aliquo avehatur, quod in Additamentis ad Danielem de Abacuco refertur, & quomodo à Satana avectus creditur Christus; aut ut sine loci mutatione ea quæ sunt absentia tanquam præsentiæ ei exhibeantur divinitus excitata specie, quomodo Christus vidit omnia regna mundi, Ezechiel cum ad Chaboram esset ea quæ gerebantur in templo Hierosolymitano. Dicit autem Paulus nescire se utro modo ei de quo agit id evenerit. Ἐν σώματι [*in corpore*] est *corpore translato*: ἐκτὸς τοῦ σώματος [*extra corpus*] est *in animo sine ulla corporis motione.*

4. Ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, *Quoniam raptus est in Paradisum*] More Hebræorum distinguitur *cœlum* sive mundus supremus à *Paradiso.* Cœlum illud supremum promittitur piis post resurrectionem: post mortem & ante resurrectionem Paradisus: ille locus gloriæ, hic solatii. Diximus ea de re ad Lucam XXIII, 43. Reperies idem discrimen apud Rabbinum Israëlem de Anima. Et distinctum quid à *cœlo tertio Paradisum* intelligunt hic Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Ἡρπάγη, pon [*adscendere factus est*]. ❡ καὶ ἤκουσεν ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. *& audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*] Sicut Moses intellexerat omnem illam dispensationem qua Deus populum Israeliticum tuebatur ac regebat, sic Paulus illam per quam Christus Ecclesiam suam gubernat, unde factum est ut ad danda consilia aptior fuerit ipso Petro qui primas in Ecclesia obtinebat. Sed hæc quæ intellexerat vetitus fuit enuntiare.

5. Ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι. *Pro hujusmodi gloriabor*] Futurum pro potentiali more Hebræo. *De tali homine gaudere & exsultare possem.* ❡ ὑπὲρ δὲ ἐμαυτοῦ οὐ καυχήσομαι, εἰ μὴ ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου. *pro me autem nihil gloriabor*, *nisi in infirmitatibus meis*] *Non dicam quæ feci*, *sed quæ pertuli*, id enim minus invidiosum est: & pauci sunt qui talis gaudii societatem appetant.

6. Ἐὰν γὰρ θελήσω καυχήσασθαι, οὐκ ἔσομαι ἄφρων. *Nam & si voluero gloriari*, *non ero insipiens*] *Si de factis meis dicere aliquid vellem*, *nihil mihi opus esset vaniloquentia.* Satis rerum mihi suppeteret. ἄφρων [*insipiens*] antea habuimus pro ὡς ἄφρων [*quasi insipiens*]. Hic vero magis proprie ἄφρων [*insipiens*] dicitur, qui διὰ τῆς χαυνότητος [*per vaniloquentiam*] sibi non sua adscribit,

> *Hoc faciunt stulti quos gloria vexat inanis.*

❡ ἀλήθειαν γὰρ ἐρῶ. *veritatem enim dicam*] *Dicerem enim vera.* ❡ φείδομαι δὲ, *parco autem*] *Consulto ab illarum rerum commemoratione abstineo.* ❡ μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με, ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ. *ne quis in me existimet supra id quod videt me, aut aliquid audit ex me*] *Nolo quisquam me aliunde æstimet, quam ex ipsis quæ ipse vidit me facientem, aut docentem audit.* Præsentia mihi sufficiunt. Præterita malo occultare silentio.

7. Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, *Et ne magnitudo revelationum extollat me*] *Etiam ob illas quas dixi revelationes ne exultem*, grave mihi frænum datum est. ❡ ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, *datus est mihi stimulus carnis*] Ezechielis XXVIII, 24. in Græco est σκόλοψ πικρίας [*offendiculum amaritudinis*] ubi in Hebræo סלון ממאיר [*spina pungens*]: est autem סלון *spina.* Et in Oseæ II, 6, ubi in Græco est φράσσω τὴν ὁδὸν αὐτῆς ἐν σκόλοψι [*sepio viam ejus in spinis*], in Hebræo est, בסירים quod itidem *spinas* significat. Etiam Num. XXXIII, 55. σκόλοπες ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ὑμῶν, [*clavi in oculis vestris*] שכים quidam *sentes* interpretantur. Per *spinam* autem *carni inditam* significatur per similitudinem dolor admodum pungens. *Dolorem auricula* vel *capitis* significari ait Tertullianus de Pudicitia, κεφαλαλγίαν [*capitis dolorem*] Chrysostomus & Hieronymus, *carnis & corporis multa ac gravia tormenta* Cyprianus de mortalitate. ❡ ἄγγελος Σατᾶν, *Angelus Satanæ*] Id est, *immissus mihi à Satana:* nam ἀγγέλου [*angeli*] vox tribuitur etiam rebus non animatis, ut vento & igni, Psalm. CIV, 4. Vide quæ dicta nobis ad Gen. III, 24. A Satana autem morbos etiam piis immitti, Deo id sinente, ex Jobi historia discimus. Vide & Lucæ XIII, 16. ❡ ἵνα με κολαφίζῃ, *ut me colaphizet*] Id est *vexet.* Est enim species pro genere, ut supra XI, 20. Sic κολαφίζεσθαι [*colaphizare*] sumitur & 1 Cor. IV, 11. ❡ ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. *ne supra modum efferar*] *Ut omnis animi ἔπαρσις* [*elatio*] *tam gravi & assiduo dolore reprimeretur.* Sed hæc verba in Manuscripto hic non reperiuntur, & satis esset supra esse posita.

8. Ὑπὲρ τούτου τρὶς τὸν Κύριον παρεκάλεσα ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ, *Propter quod ter Dominum rogavi*, *ut discederet à me*] *Ut abiret à me dolor ille.* De ternario numero in precibus vide quæ dicta ad Matthæum XXVI, 44.

9. Καὶ εἴρηκέ μοι. *Et dixit mihi*] Nempe *Christus per* בת קול [*filiam vocis seu divinam vocem*]. ❡ ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου. *sufficit tibi gratia mea*] *Sufficiet tibi quod tibi bene volo.* ἀρκεῖ, id est, *sufficere debet.* Pii, cum malorum levamenta orant, non semper exaudiuntur: quia nec precantur nisi sub conditione, si ipsorum bono & Dei honori id sit conducibilius. ❡ ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται. *nam virtus mea in infirmitate perficitur*] Causam hic reddit cur malum hoc ei non auferat, *quia potentia ipsius*, nempe Christi, *hoc magis perficitur*, id est, illustratur, *quo ii per quos agit magis sunt adversis obnoxii.* Qui à Paulo videt morbos sanari, sciat hoc non ab ipso esse (ægrotat enim & ipse) sed à Christo. τελειοῦται hic est *perfectius agnoscitur*, sicut sæpe verba Hebræa Hiphil ad notitiæ effectum referuntur. Alioqui verum etiam hoc est quod Plinius dicit VII, Epist. 26. *Optimos nos esse dum infirmi sumus.* Cui congruit Senecæ illud, *Calamitas virtutis occasio est.* Et Quintiliani, *Temeritas omnis animorum*, *calamitate corporum frangitur.* Et Minutii Felicis, *Calamitas sæpius disciplina virtutis est.* Et Salviani, *Adfectis artubus vires corporum in virtutes transferuntur animorum.* Et hoc ejusdem, *Sancti viri infirmiores se faciunt, quia si fortes fuerint sancti esse vix possunt.* ❡ Ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου, *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis*] Ἥδιστα μᾶλλον [*libenter magis*] hic dictum est pro ἥδιον [*libentius*] ut καλὸν μᾶλλον [*bonum magis*] pro κάλλιον [*melius*], Marc. IX, 42. Alibi μᾶλλον κρεῖττον [*magis melius*], μᾶλλον περισσότερον [*magis plus*], μᾶλλον περισσοτέρως [*magis abundantius*]: ita ut μᾶλλον [*magis*] conjungatur cum positivo, comparativo, & superlativo. ❡ ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ. *ut inhabitet in me virtus Christi*] Id est, *ut eo magis vis illa Christi per me appareat:* nam σκηνοῦν, ἐπισκηνοῦν ex Syriaco שכן est *habitare.* *Habitare* autem hoc loco est *frequenter se ostendere:* sicut homines sæpius domi sunt, quam extra domum.

10. Διὸ εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις, *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus*] שמחתי aut רציתי. *Amo ipsa illa adversa.* ❡ ἐν ὕβρεσιν, *in contumeliis*] *Imo contumeliose tractari Christi causa.* ❡ ἐν ἀνάγκαις, *in necessitatibus*] Vide supra VI, 4. & 1 Cor. VII. 26. ❡ ἐν διωγμοῖς, *in persecutionibus*] Vide Matth. XIII, 21. Marci IV, 17. Actor. VIII, 1. Rom. VIII, 35. ❡ ὅταν γὰρ ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι, *cum enim infirmor*, *tunc potens sum*] *Quo magis adversis premor*, *eo majora Deus per me operatur.*

11. Γέγονα ἄφρων καυχώμενος. *Factus sum insipiens gloriando*] In Manuscripto non est καυχώμενος [*gloriando*]. Nam ἄφρων [*insipiens*], id est, ὡς ἄφρων [*quasi insipiens*], ut sæpe in capite præcedente, hic idem valet quod καυχώμενος [*glorians*]. ❡ ὑμεῖς με ἠναγκάσατε *vos me coëgistis*] Sunt quædam περιαυτολογίαι [*prædicationes de se*] extortæ ac pro-

propterea extra culpam. ¶ ἐγὼ γὰρ ὤφειλον ὑφ᾽ ὑμῶν συνίστασθαι, *ego enim à vobis debui commendari*] Non debueratis exspectare ut quicquam ad me commendandum dicerem. Nemo me melius noverat quam vos: nemo melius de me testimonium præbere poterat. ¶ οὐδὲν γὰρ ὑστέρησα τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων, *nihil enim minus fui ab eis qui sunt supra modum Apostoli*] Supra XI, 5. ¶ εἰ καὶ οὐδέν εἰμι. *tametsi nihil sum*] Si in me spectet extra Christum *nihil sum*, nullius pretii apud Deum. Hic οὐδὲν [*nihil*] sumitur sicut oppositum τὶ [*quid*], Gal. VI, 3.

12. Τὰ μὲν σημεῖα τοῦ ἀποστόλου, *Signa tamen Apostoli*] Per quæ cognoscor ego esse *Apostolus* non minus quam illi Duodecim. ¶ ἐν πάσῃ ὑπομονῇ, *in omni patientia*] Tanquam [*patientiam*] posuit ante charismata. Vere Apostolicum est plura quam cæteri adversa fortiter tolerare. ¶ ἐν σημείοις καὶ τέρασι καὶ δυνάμεσι. *in signis & prodigiis & virtutibus*] בגבורות, במופתים, ובאותות.

13. Τί γάρ ἐστιν ὃ ἡττήθητε ὑπὲρ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας; *Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis?*] An minora dona per impositionem manuum mearum vos recepistis, quam illæ Ecclesiæ quas Petrus & alii Apostoli fundarunt? ¶ εἰ μὴ, *nisi*] Specie exceptionis magis firmat quod dicit; est enim εἰρωνεία [*Irrisio*]. ¶ ὅτι αὐτὸς ἐγὼ οὐ κατενάρκησα ὑμῶν, *quod ipse ego non gravavi vos?*] *Non fui piger vestro damno.* Non sumpsi à vobis quæ me à manuum labore liberarent. Vide supra XI, 8, 9. ¶ χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην. *Donate mihi hanc injuriam*] Et hæc valde efficax est εἰρωνεία [*Irrisio*]. ἄδικοι [*injusti*] *sunt qui plus sumunt quam oportet.* Paulus hic ex contrario fecit figuram. *Si apud vos injustitia est, minus quam debetur sumere, rogo hanc culpam mihi condonetis.* χαρίσασθε est quod Rabbini dicerent, מחלו [*ignoscite*].

14. Ἰδοὺ τρίτον τοῦτο ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos*] Non hoc dicit *tertio se venturum*, sed *jam tertium esse quod se parat itineri ad ipsos, & impeditur.* ἑτοίμως ἔχω [*paratus sum*] *animo* nempe, ut Actor. XXI, 13. Vide & Dan. III, 15. ¶ καὶ οὐ καταναρκήσω ὑμῶν. *& non ero gravis vobis*] *Constitui perstare in meo instituto, nihil vos gravandi*, supra XI, 8, 9. ¶ οὐ γὰρ ζητῶ τὰ ὑμῶν, ἀλλ᾽ ὑμᾶς. *non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos*] *Nihil vestrum expeto, sed vos in æternum salvos præstare cupio.* Dictum vere Apostolicum. ¶ οὐ γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θησαυρίζειν, ἀλλ᾽ οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις. *nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*] Supple ὀφείλουσι θησαυρίζειν [*debent thesaurizare*]. *Ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicit*, ait Jurisconsultus Paulus. Vide quæ diximus de Jure Belli ac Pacis lib. II, cap. VII, 5.

15. Ἐγὼ δὲ ἥδιστα δαπανήσω, *Ego autem libentissime impendam*] *Res meas, quanquam tenues sunt, impendam.* ¶ καὶ ἐκδαπανηθήσομαι ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν. *& superimpendar pro animabus vestris*] *Memetipsum impendam.* Nam passivum hic ut sæpe est pro reciproco, quod Hebræi dicunt *Niphal* pro *Hitpahel*. ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, id est, *pro vobis*, בעד נפשותיכם [*pro animabus vestris*]. ¶ εἰ καὶ περισσοτέρως ὑμᾶς ἀγαπῶν, *licet plus vos diligens*] *Cum vos diligam plus quam alias Ecclesias.* ¶ ἧττον ἀγαπῶμαι. *minus diligar*] *Minus à vobis diligar quam Doctores alii.*

16. Ἔστω δὲ, ἐγὼ οὐ κατεβάρησα ὑμᾶς. *Sed esto, ego vos non gravavi*] *Forte mihi hoc concedent illi me vobis palam gravem non fuisse.* ¶ ἀλλ᾽ ὑπάρχων πανοῦργος, δόλῳ ὑμᾶς ἔλαβον. *sed cum essem astutus, dolo vos cepi*] *Forte dicent me ut hominem versutum fecisse per interpositas personas, quod per memetipsum facere nolueram.* Objicit hoc sibi tanquam ex adversariorum verbis, ut statim solvat.

17. Μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι᾽ αὐτοῦ ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς; *Numquid per aliquem eorum quos misi ad vos, per ipsum circumveni vos?*] Puta per Timotheum 1 Cor. XVI, 10. ἐπλεονέκτησα בצעתי [*circumveni, lucratus sum*]. Vide supra VII, 2. Est hic ἀντίπτωσις [*mutatio casus*] ut,

Urbem quam statuo vestra est. ——

18. Παρεκάλεσα Τίτον, *Rogavi Titum*] *Hortatus sum ad vos ut iret*, supra VIII, 6. ¶ καὶ συναπέστειλα τὸν ἀδελφόν. *& misi cum illo fratrem*] Qui putatur Lucas. Vide supra VIII, 18. ¶ μήτι ἐπλεονέκτησεν ὑμᾶς Τίτος; *numquid Titus vos circumvenit?*] *An ex vobis lucrum fecit?* ¶ οὐ τῷ αὐτῷ πνεύματι περιεπατήσαμεν; *nonne eodem spiritu ambulavimus?*] Πνεῦμα [*spiritus*] hic *affectum animi* significat. ¶ οὐ τοῖς αὐτοῖς ἴχνεσι; *nonne iisdem vestigiis?*] *nonne illi meis institerunt vestigiis?* id est, me per omnia imitati sunt?

19. Πάλιν δοκεῖτε ὅτι ὑμῖν ἀπολογούμεθα; *Rursum putatis quod excusemus nos apud vos?*] *Putatis forte me hoc toties repetere mei tantum purgandi causa?* Aliud est quod præcipue hic specto. ¶ κατενώπιον τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν· τὰ δὲ πάντα, ἀγαπητοὶ, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν οἰκοδομῆς. *coram Deo in Christo loquimur: omnia autem, charissimi, propter ædificationem vestram*] Puto auferendam διαστολὴν [*distinctionem*] post λαλοῦμεν [*loquimur*], & legendum ταῦτα πάντα [*omnia hæc*]. *Dicimus hæc omnia, conscio Deo & ea veracitate, quam Christus nos docuit, vestri profectus causa*, nempe ne si ego vobis vilescam, vilescat vobis & Euangelium, quale id vobis prædicavi. Confer Gal. I, 20. Coloss. I, 22.

20. Φοβοῦμαι γὰρ μή πως ἐλθὼν οὐχ οἵους θέλω εὕρω ὑμᾶς, *Timeo enim ne forte cum venero non quales volo inveniam vos*] *Metuo ne vos inveniam corruptos à doctoribus illis qui vobis blandiuntur.* ¶ κἀγὼ εὑρεθῶ ὑμῖν οἷον οὐ θέλετε· *& ego inveniar à vobis, qualem non vultis*] Id est, ne severitate in vos uti cogar, ut 1 Cor. IV, 21. supra X, 6. ¶ μήπως ἔρεις, *ne forte contentiones*] Supple, *etiamnum post tot remedia adhibita inter vos reperiantur*, 1 Cor. I, 11. III, 3. ¶ ζῆλοι, *æmulationes*] Dicto loco 1 Cor. III, 3. ¶ θυμοὶ, *animositates*] *Iræ*, ut Actor. XIX, 28. Gal. V, 20. Ephes. IV, 31. Coloss. III, 8. ¶ ἐριθεῖαι, *dissensiones*] Quarum mentio dicto ad Gal. loco. Vide & Roman. II, 8. Philipp. I, 16. Jac. III, 14, 16. ¶ καταλαλιαὶ, *detractiones*] Habes hoc nomen & 1 Petr. II, 1. & καταλάλους [*detractores*] Rom. I, 30, ubi de significatu diximus. ¶ ψιθυρισμοὶ, *susurrationes*] Ψιθυριστὰς [*susurrones*] habes in eodem ad Romanos loco, ubi dicta vide. ¶ φυσιώσεις, *inflationes*] *Gloriarum flatus* ob divitias, eruditionem, eloquentiam. Notat illos quos 1 Cor. IV, 18, 19. V, 2, ubi habes verbum φυσιοῦσθαι [*inflare*], ut & 1 Cor. VIII, 1. XIII, 4. ¶ ἀκαταστασίαι. *seditiones*] *Seditiones* quæ ex schismate nasci solent, ut nos docet epistola Clementis ad Corinthios. De hoc vocabulo vide Luc. XXI, 9. 1 Corinth. XIV, 33. supra VI, 5.

21. Μὴ πάλιν ἐλθόντα με ταπεινώσῃ ὁ Θεός μου πρὸς ὑμᾶς, *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos*] Est & hic trajectio: nam πάλιν ἐλθόντα με [*iterum cum venero*] cohæret cum πρὸς ὑμᾶς [*apud vos*], *ubi ad vos rediero.* ταπεινοῦν hic est *mœrore afficere*, unde ταπείνωσις [*afflictio*] Luc. I, 48. Actor. VIII, 33. Psalm. XC, 3. in Græco. *Deus me mœrore afficiat*, id est, Dei causa mœream. ¶ καὶ πενθήσω πολλοὺς τῶν προημαρτηκότων, *& lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt*] Est hic μετωνυμία [*Transnominatio*]. Nam *lugeam* dicit pro *punire cogar*, quod Apostoli non faciebant sine signis. Sicut Romani civem damnaturi sumebant pullam togam. De hoc sensu vocis πενθεῖν [*lugere*] vide quæ dicta 1 Corinth. V, 2. ¶ καὶ μὴ μετανοησάντων, *& non egerunt pœnitentiam*] *Eos dico qui ante adventum meum se non correxerint.* ¶ ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ, *super immunditia*] Illas libidines intelligit quas eadem voce ad Rom. I, 24. ¶ καὶ πορνείᾳ, *& fornicatione*] Hoc vocabulo diximus & *scortationem* comprehendi & *nuptias illicitas*. Vide Actor. XV, 20. 1 Corinth. V, 1. ¶ καὶ ἀσελγείᾳ ᾗ ἔπραξαν. *& impudentia quam gesserunt*] *Omni genere lasciviæ.* Vide Marci VII, 22. & Rom. XIII, 13. ἀσελγεία hoc loco Tertullianus transfert *vilitate*, libro de Pudicitia.

CAP. XIII.

VALLA.

3. AN experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?] Non legitur Græce interrogative, nec per *an* sive *aut*, sed per *quoniam*, ἐπεὶ. Præterea male additur *ejus*, quasi multi sint Christi. Postremo nec Græco respondet, nec Latine dicitur *Christus*, cum præcedat *ejus*. Ego sic ad verbum transtulissem, *Quoniam documentum quæritis in me loquentis Christi*, τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος Χριστοῦ. Dixi *documentum* pro *comprobatione* & *experimento*; quod forte dicatur elegantius *specimen*, & id respondeat magis ad significatum Græci nominis, *documentum* magis ad sonum: quod nescio cur quidam accipiant pro *doctrina*, ut in Hymno, *Et antiquum documentum novo cedat ritui.*

7. *Oramus autem Deum vivum*] Græce non pluraliter, sed singulariter; nec *Oro*, sed *Opto*; nec *Deum*, sed *ad Deum*, seu *apud Deum vivum*, εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν Θεόν. Paulo post pluraliter legitur,

9. *Hoc & oramus, vestram consummationem*] *Optamus* legendum est, εὐχόμεθα.

10. *Ut non præsens durius agam*] Gr. *ne præsens abscisse utar*, ἀποτόμως χρήσωμαι.

11. *De cætero, fratres, gaudete*] Posset etiam transferri *valete*, χαίρετε.

REVIUS in VALLAM.

11. **V***Alete*, χαίρετε] Et hoc sequitur Beza post Erasmum. Prætulerim tamen *gaudete*. Exhortatio enim est, ut in sequentibus patet, non valedictio. Confer Phil. 3. 1. & 4. 4. 1 Thess. 5. 16.

ERASMUS.

1. **E***Cce tertio*] τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, *Hac tertia vice venio ad vos.* Nam τρίτον, i. *tertium*, hic adverbium est, non nomen. Nec additur *ecce* hoc loco vel apud Græcos vel apud Ambrosium; verum ex superiori loco huc deportatum fuit, quemadmodum illuc pronomen *hoc* ex hoc loco. ¶ *Ut in ore duorum*] *Ut* redundat: tantum est, *In ore duorum testium vel trium stabit omne verbum.* Ita legitur & apud Ambrosium.

2. *Prædixi enim & prædico*] *Enim* redundat, licet addatur apud Ambrosium in contextu: quanquam in Commentariis non liquet quid legerit. ¶ *Ut præsens vobis*] Gr. ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν γράφω, *Ut præsens iterum* (sive *secundo*) *& absens nunc scribo*: ut intelligas eum cum adesset secundo prædixisse quod nunc absens tertio prædicit scribens. Ambrosius τὸ δεύτερον vertit *secundo adventu*, ut referatur ad participium παρὼν, & non ad sequentia καὶ ἀπὼν νῦν γράφω, ut intelligamus eum bis fuisse Corinthi: & in hunc sensum exponit & Theophylactus.

3. *An experimentum quæritis*] Non est *an* sed *quandoquidem*, ἐπεὶ. Et rectius vertisset *loquentis in me Christi*, i. an Christus in me loquatur. In Ambrosio legitur *quomodo*; unde legisse videtur πῶς, *Quomodo probationem quæritis*, &c. Sed opinor scriptum fuisse *quoniam*, aut certe *quando*. Pendet enim à superioribus, *non parcam*, *quandoquidem quæritis experimentum an & in me Christus loquatur*, quemadmodum & in cæteris Apostolis; h. e. an mea præcepta sint ab humano profecta spiritu, an Dei. Jam vero quorsum opus erat Interpreti addere EJUS, *ejus qui in me loquitur Christus?* quod primum non est apud Græcos, deinde non citra solœcismum accessit orationi. Laurentius mavult *documentum* aut *specimen* pro δοκιμὴν. Quod hic vertit *experimentum*, Ambrosius legit *probationem*. ¶ *Qui in vobis non infirmatur*] *In vos* est εἰς ὑμᾶς, h. e. *erga vos*. Et item paulo post,

4. *In virtute Dei in vobis*] Εἰς ὑμᾶς, *erga vos*: & ita legit Ambrosius.

5. *Nisi forte reprobi estis*] Εἰ μήτι, *nisi in aliquo*. Ambrosius omittit *forte*: nam τι solet nonnunquam addi festivitatis causa magis quam usus.

6. *Quod cognoscitis*] Ὅτι γνώσεσθε, *cognoscetis*. Ambrosius legit, *Spero autem cognituros vos*.

7. *Oramus autem Deum*] Εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν Θεὸν, *Opto autem apud Deum*, numero singulari. Ac mox, *hoc & oramus*.

9. *Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes*] Palam est hic *quando* mutatum esse in *quoniam*, quandoquidem Ambrosius legit, *cum nos infirmamur*, *vos autem fortes estis*. Exemplar Constantiense utrumque habebat *quando*, non *quoniam*. Et Græca sic habent, ὅταν ἡμεῖς ἀσθενῶμεν, ὑμεῖς δὲ δυνατοὶ ἦτε, *cum nos infirmi fuerimus*, *vos autem fortes fueritis*. Neque enim id affirmat esse, sed *gaudere* se dicit si ita sit. Et hic Apostolus omisit alteram conjunctionem μὲν, quod Hieronymus alicubi tribuit imperitiæ Græci sermonis. Rursus χαίρομεν verti poterat *gloriamur*, vos esse tales. Se vocat *infirmum* quod nihil valeat adversus innocentes: & *potentes* sunt qui non peccant: non enim est quod metuant Apostolum. ¶ *Hoc & oramus*] Τοῦτο δὲ καὶ εὐχόμεθα, *hoc autem etiam optamus*; tantum abest ut doleamus. Ambrosius legit *in vestram consummationem*, haud scio an depravata scriptura: nam apud Græcos *in* non additur. Consentiebat cum Græcis uterque codex Constantiensis. Hoc ipsum enim est quod optat, nimirum illorum *consummationem*.

10. *Durius agam*] Ἀποτόμως χρήσωμαι, *præcise*, sive *exacte*, quod Latini vocant *ad vivum*, ut superius admonuimus. Græcus sermo ad verbum sonat *ne rigide utar*, h. e. ne severe me geram.

11. *De cætero*] Λοιπὸν, *quod superest*. ¶ Et χαίρετε] quod & *valete* significat, hic potius erat vertendum ad eum modum. ¶ *Perfecti estote*] Καταρτίζεσθε. Ea vox convenit quoties *rem laceram sarcimus ac reconcinnamus*. Notat autem hoc verbo dissidia Corinthiorum. ¶ *Exhortamini*] Παρακαλεῖσθε. Rectius hoc loco *consolamini*, ut passive tamen accipias. ¶ *Idipsum sapite*] Τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, *idem sentite*. Ambrosius legit *idem sapite*. Apertius erat *concordes* (sive *unanimes*) *sitis*: siquidem hoc sensit Paulus. Nec enim agit de opinionibus, sed de affectu animorum. ¶ *Pacem habete*] Εἰρηνεύετε, *in pace vivite*. Ambrosius recte legit *in pace agite*. Ut autem à pace exorsus, ita in pacem desinit, vir vere Apostolicus. Exponit enim quod dixerat, IDIPSUM SAPITE, *Estote concordes*, *& pace conglutinemini*. Hoc ob contentiosos.

12. *In osculo*] *In* additur ex proprietate sermonis Hebraici.

13. *Gratia Domini*] Suo more Patrem appellat *Deum*, Filium *Dominum*. Et *Spiritui* tribuit *communionem*, cum Filio tribuerit *gratiam*, Patri *charitatem*. A Patre cœpit exordium humani generis redempti, qui *sic dilexit mundum ut Filium unigenitum traderet* in mortem: Per Filium venit *gratia*, qui nos nihil promeritos sua morte redemit: Donorum distributio per *Spiritum S.* facta. Ex hoc loco Chrysostomus refellit eos qui negabant Spiritum S. ejusdem esse naturæ cum Patre & Filio, quod Paulus in frontispiciis Epistolarum semper conjungit *Patrem* & *Filium*, omissa mentione *Spiritus*.

VATABLUS.

1. **T***Ertio hoc*] Hac tertia vice. ¶ *Stabit*] Vel, *constituetur*: i. accusatio ipsa erit rata & stabilis, si duo aut tres testimonium dixerint.

2. *Vobis & nunc absens*] *Cum essem iterum, ita & absens nunc scribo.*

3. *An experimentum quæritis ejus*, &c.] *Quandoquidem probationem quæritis loquentis per me Christi, qui erga vos non est impotens*, vel, *imbecillis*. Vet. legunt, *in vos*.

4. *Infirmitate: sed vivit*] Sub. *suscepti corporis: vivit tamen.* ¶ *Infirmi sumus in illo*] i. Propter illum affligimur & nihili sumus ab incredulis: vel, Licet afflictionibus & morti simus obnoxii, quemadmodum & ille, tamen per potentiam Dei vivemus aliquando quemadmodum & ille.

5. *Vosmetipsos*] *Ex vobisipsis.* ¶ *Forte*] Vel, *aliqua in re*: i. ob rem aliquam. ¶ *Reprobi estis*] *Sine probatione*, vel *experimento*, *estis*: i. nisi forte tales sitis qui fidem in vobis esse experientia non cognoveritis: quod certe tum demum cognoscitur, cum affligimur.

6. *Cognoscetis*] *Cognoscetis*, Vet. ¶ *Reprobi*] *Sine probatione.* Active sumptum: i. Existimo vos cognoscere quod nos probavimus reipsa Christum in nobis habitare, doctrina sc. & miraculis.

7. *Oramus autem*] *Opto autem apud.* ¶ *Non ut nos probati*] Sub. *non autem oro ut cogar probare vobis meam autoritatem erga vos, quæ mihi data est per Christum inhabitantem.* ¶ *Pareamus*] *Appareamus*, Vet. ¶ *Reprobi simus*] *Sine probatione*: i. ut non cogamur experientia ipsa ostendere autoritatem nostram in vos.

8. *Veritatem*] *Veritatem* vocat vitæ integritatem.

9. *Quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis*] *Cum nos infirmi fuerimus, vos autem validi fueritis.* ¶ *Hoc & oramus*] *Hoc autem etiam optamus*, *nempe*, ¶ *Consummationem*] Vel, *Perfectionem*, aut *integritatem*.

10. *Durius agam secundum*] *Rigidus sim juxta.* Gr. *præcise utar potestate*, &c.

11. *De cætero*] *Quod superest.* ¶ *Gaudete: perfecti*] Vel, *valete: integri.* ¶ *Exhortamini*] *Consolationem habete.* ¶ *Idipsum sapite*] *Idem*, Vet. i. Sitis unanimes.

CLARIUS.

3. **N***AM experimentum quæritis*] Videmini, inquit, velle experiri num virtutem Christi in me habitantis habeam, si exspectatis dum vos castigem: qua potestate usus fuit in illo scortatore. ¶ *Non infirmatur*] Cujus potentiam experti estis vos inprimis. Terret autem eos commemoratione *potentiæ Christi*.

4. *Et nos infirmi sumus*] Dicit sibi id accidere quod & Domino Christo, qui cum Divinitatis virtute præditus esset, tamen *crucifixus fuit ex infirmitate*, videlicet ex assumpta infirma natura nostra: sic *nos*, *infirmi sumus in illo*, h. e. affligimur propter illum, *sed servamur cum illo ex potentia Dei*.

5. *Vosmetipsos tentate*] Quid, inquit, dico de me quod *Christus in me loquatur? & vos ipsi, nisi reprobi estis, habetis in vobis Christum*: an non ejus præsentiam in variis charismatibus experti estis?

7. *Nos autem ut reprobi simus*] *Tanquam reprobi simus*: non enim revera esse poterat. Ait ergo, Precor ut ita probi sitis, ut cum venero non necesse mihi sit vires meas exercere, sed tanquam invalidos sim inter vos. Nam cum *pro veritate* non est exercenda ultio aut castigatio, nihil posse volumus.

ZEGERUS.

1. *Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*] Secundum Ambrosium & Chrysostomum *testium* loco ponit frequentem suam ad illos profectionem & denunciationem. Nihil tamen vetat quo minus homines *testes* intelligamus, quorum testimonio *confirmandum sit omne verbum*, sive in defensionem sive in condemnationem.

2. *Prædico ut præsens vobis, & nunc absens iis*] Græca pleniora sunt, duobus videlicet verbis adjunctis, quorum prius ab Ambrosio, & utrumque lectum est à Chrysostomo, si modo fidendum Latine loquenti. Sic enim habent, ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν γράφω τοῖς, *sicut præsens secundo, ita nunc absens scribo*; quasi hic subaudiendum sit *tertio*. Vel *secundo*, i. juxta Ambrosium, *secundo meo ad vos adventu*. Unde in suspicionem vocor, pro illo *vobis* prius scriptum fuisse τὸ *bis* (uti in quodam vidimus codice membranaceo) atque id à sciolo demutatum esse in *vobis*. Unde & editio Lovaniensis quatuor annotat exemplaria *bis* habentia.

3. *Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis*] *Non est*, inquit, *imbecillus Christus in vobis & erga vos, sed validus ac potens* ad afficiendum suppliciis delinquentes, nimirum eos qui ipsius in se iram per maleficia commeruerint.

7. *Oramus autem Deum ut mali nihil faciatis; non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus*] Sensus est, *Precibus id obtinere à Deo contendimus ut nihil unquam delinquatis, non quod* metuamus haberi *reprobi*, eoque videri quasi nulla potestate præditi, si vos nobis bona vestra conversatione animadvertendi in vos tollatis occasionem; *quinimo ut veluti improbi* & imbecilles *habeamur* optamus atque oramus, *modo ipsi mecum faciatis quod rectum est*. Illud etiam advertas oportet, τὸ *ut* postremo loco positum, *ut reprobi simus*, non Causam indicare sed Imaginem: est enim ὡς, i. *veluti*, vel *tanquam*.

8. *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate*] Quod ad eloquii consecutionem attinet, causam hic adfert cur non recuset imbecillis haberi si concessa non utatur potestate; *Quandoquidem non mihi*, inquit, *ejusmodi potestas tradita est ut quippiam moliri possim in hominem probe & cum veritate versantem, sed tantum adversus delinquentem*.

11. *Idipsum sapite*] *Idem sapite*; vel *sentite*: ne sitis in dogmatibus discordes.

LUCAS BRUGEN.

2. *Prædixi* * [*enim o.] *& prædico* * [* *vobis* o.] *ut præsens, & nunc absens, iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, -quoniam* [o.] *si venero iterum, -non* [o.] *parcam.*] Complures (So. la. Mal. ma. Pl. m. L. Pl. ang, &c.) codices addunt *vobis*, *Ut præsens vobis*: id quod quidam scribunt *bis*, quatuor Hentenii, unus Zegeri, quatuor (Q. H. A. Pl. long. V. I. K.) nostri, *Ut præsens bis*. Quintus ex nostris utrumque jungit, *Ut præsens vobis bis*. Sextus & septimus in spatiis notant *bis*. His qui *bis* habent adstipulantur editionis nostræ enarratores, Autor Glossæ, Lombardus, Carensis, Thomas, Gorranus. Græci constantissime ὡς παρὼν τὸ δεύτερον legunt, quod est, *ut præsens secundo*, vel *iterum*. Sic & Syri, qui clarissimum dederunt loci sensum, *Prædixi vobis, & iterum prædico vobis: sicut & duabus vicibus, cum fui apud vos, dixi vobis*, (ita) *& nunc absens scribo*, iis, &c. Autor commentariorum Ambrosii nomine τὸ δεύτερον *secundo adventu* interpretatur, *Ut præsens secundo adventu*; hoc sensu, *Sicut cum secundo venissem, dixi; ita & nunc absens dico*: quæ & Græcorum Interpretum expositio est. Omnino igitur addendum legendumque videtur *bis*; idque non intellectum alios abstulisse, alios cum *vobis* mutavisse: quanquam id quod demiror, præstantiores sincerioresque libri (Brug. Lob. Leod. Mal. mi. O. T. Di. o. 1, &c.) auferant, nec *bis*, nec *vobis* habeant. Ei quod sequitur à Græcis & Syris constanter concorditerque adjicitur *scribo*, *Et absens nunc scribo, iis*: quod à Latinis non minus constanter omittitur, minime necessarium.

STEPHANUS.

3. *Δοκιμὴν*] *Experimentum*.

9. *Τὴν ὑμῶν κατάρτισιν*] *Ut in integrum restituamini.*

10. *Μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι*] *Ne severitate in vos utar.*

DRUSIUS.

1. *Stabit*] *Stabile erit*. Alibi est *verum erit*, hoc sensu, *verum*, i. ratum. Nam quod *stabile* simul *ratum* est.

5. *Reprobi*] Vide 1 Cor. 9. 27. Sic *argentum reprobum*, ἀδόκιμον, quod à scoriis non est repurgatum. Jer. 6. 30. כסף נמאס LXX ἀργύριον ἀποδεδοκιμασμένον, i. *reprobatum*. Sequitur, ὅτι ἀπεδοκίμασεν αὐτοὺς ὁ Κύριος כי מאס יהוה בהם *quia reprobavit eos*.

12. *In osculo sancto*] Satis erat *osculo sancto*, quo finitis precibus alii alios osculabantur. Rom. 16. 16. *Salutate invicem osculo sancto*, vel, *alii alios*. Origenes ad hunc postremum locum, *Ex hoc sermone & aliis nonnullis similibus mos Ecclesiæ traditus est ut post orationes osculo se invicem suscipiant fratres*. De hoc osculo vide sis Baronium in 1. Annalium, pag. 391. Videtur idem fuisse cum eo quod *osculum charitatis* vocatur 1 Petr. 5. 14. Sane V. interpres & Syrus ibi habent *osculo sancto*. Cæterum osculandi mos perantiquus est. Osculabantur autem os, scapulas vel humeros, genas, manum, tergum, manus, labia; etiam pedes. De quo postremo vide Cl. Ritterhusium ad Salvianum, pag. 379. *Persæ, si pares erant, ore osculabantur: sin alter paulo inferior erat, ei genas deosculandas præbebat is qui dignitate vel generis nobilitate antecellebat. Infima vero sortis Persa procumbens venerabatur digniorem*, ait Brissonius pag. 241, & 242. De Regno Persarum.

CAMERO.

2. *Οὐ φείσομαι*] In hoc etiam, inter alia, sita fuit Apostolici muneris autoritas, quod nimirum Apostolis licebat in flagitiosos, scelestos ac refractarios & contumaces in Ecclesia Christi non modo censura Ecclesiastica animadvertere, sed pœna etiam afficere corporea, & quidem, si res posceret, capitali. Sic Petrus Ananiam & Sapphiram exanimavit, Paulus Barjesu (qui & *Elymas*) excæcavit, Hymenæum & Philetum Satanæ tradidit, Corinthium incestum erat traditurus nisi Ecclesiæ precibus id condonasset. Atque ad hanc Apostolicæ autoritatis partem referenda videntur hæc verba, οὐ φείσομαι, ut & illa item v. 10. ἵνα παρὼν μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκέ μοι ὁ Κύριος. Certe designat autoritatem solis Apostolis peculiarem. Itaque & cum de Corinthio illo incesti reo agit, 1 Cor. 5. 3. *Jam*, inquit, *ut præsens judicavi, ut is qui id perpetravit, per potestatem Domini nostri Jesu Christi, ejusmodi, inquam, homo tradatur Satanæ ad interitum carnis*. Quæ verba diligenter expendenda sunt: neque enim, si de ordinaria aliqua potestate verba faceret, sic loqueretur.

JAC. CAPPELLUS.

8. *Nihil possumus contra veritatem*] Vir probus, quod non licet ipsi facere, putat id se non posse quidem facere. Sic & Jureconsulti, Pandectarum lib. 7. tit. 8. §. 22. *Usuaria rei speciem is cujus proprietas est nullo modo commutare potest*: & lib. 8. tit. 1. §. 8. *Servitus imponi non potest*, à non domino scilicet. Igitur non potest is, quia non licet illi per leges: & si forte fecerit id, lex pronunciat id irritum futurum, & habitum iri pro nullo. Sic Marc. 2. 19. *Non possunt*, h. e. non debent, *filii thalami lugere*, &c. Vide quæ notamus in Act. 4. 20.

GROTIUS.

1. *Ἰδοὺ τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. Ecce tertio hoc venio ad vos*] Id est, *tertium me jam itineri paro*. Est enim idem quod dixerat supra XII, 14. & solet conatibus dari nomen affectus. In Manuscripto autem est planius, ita ut supra: ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς [*paratus sum venire ad vos*]. Et sic legit Syrus. ¶ *Ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα. in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*] Id est, *cum jam bis terve id dixerim, tandem ratum erit*, quod Hebræi dicunt יקום [*stabit*]. Est enim applicatio, quasi per παρῳδίαν [*sermonis imitationem*] Legis, Deut. XIX, 15. Similis ferme applicatio Legis ejusdem, Matth XVIII, 16.

2. *Ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, Ut præsens iterum*] Præsens pro futuro, *velut iterum apud vos futurus*. ¶ *τοῖς προημαρτηκόσι, iis qui ante peccaverunt*] *Iis qui jam peccarunt gravius*. Supra XII, 21. ¶ *καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσιν, & cæteris omnibus*] *Si qui adhuc peccaturi sunt*. ¶ *ὅτι ἐὰν ἔλθω εἰς τὸ πάλιν, quoniam si venero iterum*] Ἐὰν hic valet *quando*. *Ubi ad vos rediero*. ¶ *οὐ φείσομαι· non parcam*] *Agam severe pro criminum meritis*.

3. Ἐπεὶ δοκιμὴν ζητεῖτε τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος Χριστοῦ, *Quandoquidem experimentum quaritis ejus qui in me loquitur Christus*] *Quandoquidem ita agitis ut videamini periculum facere velle quid Christus, cujus nomine Euangelium prædico, per me efficere possit.* Vide supra v. 20. ❡ ὃς εἰς ὑμᾶς οὐκ ἀσθενεῖ, ἀλλὰ δυνατεῖ ἐν ὑμῖν. *qui in vos non infirmatur, sed potens est in vobis*] Est præsens pro præterito. Non opus habetis ejus rei periculum facere, cum jampridem Christus per me apud vos ingentia dederit potentiæ suæ signa. Vide supra XII, 12.

4. Καὶ γὰρ εἰ ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ ζῇ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ· *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*] Ἀσθένεια hic est *conditio caduca & infirma*, quam Christus nostri causa susceperat. *Virtutem Dei* intellige eandem quæ in ipso operata fuerat, & confer Rom. I, 3, 4. I Petri III, 18. Tacite autem indicat Paulus non debere se propter multa quæ ferebat adversa contemni, cum eadem via Christus ingressus fuerit. ❡ καὶ γὰρ ἡμεῖς ἀσθενοῦμεν ἐν αὐτῷ, *nam & nos infirmi sumus in illo*] Id est, *propter ipsum multa patimur.* Id enim esse ἀσθενεῖν sæpe jam vidimus. Particula ב sæpe apud Hebræos valet *propter*. At in Manuscripto est σὺν αὐτῷ [*cum illo*] non male, *ad illius exemplum.* ❡ ἀλλὰ ζησόμεθα σὺν αὐτῷ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ εἰς ὑμᾶς. *sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis*] Id est, *vitam consequemur immortalem per eandem Dei virtutem quæ per nos inter vos tam magna operata est.* Vide quæ diximus ad I Corinth. XV, 44.

5. Ἑαυτοὺς πειράζετε εἰ ἐστὲ ἐν τῇ πίστει, *Vosmetipsos tentate si estis in fide*] *Etiam atque etiam circumspicite, an omnia ea dogmata bene retineatis, quæ vobis tradidi.* ❡ ἑαυτοὺς δοκιμάζετε, *ipsi vos probate*] I Cor. XI, 28. Sensus idem Soph. II, I. secundum quosdam interpretes. Deest hoc in Manuscripto. ❡ ἢ οὐκ ἐπιγινώσκετε ἑαυτοὺς ὅτι Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν ὑμῖν ἐστι; *an non cognoscitis vosmetipsos, quia Jesus Christus est in vobis?*] *Nonne sentitis Christum per Spiritum suum in vobis præsentem esse?* Si id sentitis, bene tractate tantum hospitem, Ephes. IV, 30. ❡ εἰ μή τι ἀδόκιμοί ἐστε. *nisi forte reprobi estis*] *Nisi adulterini estis*, id est, nomine non re Christiani, I Cor. IX, 27. II Timoth. III, 8. Tit. I, 16. Hebr. VI, 8. His oppositi δόκιμοι, *probi, qui sunt quod videntur*, Rom. XIV, 18. XVI, 10. I Corinth. XI, 19. supra X, 18. II Tim. II, 15. Jac. I, 12. & hic mox 7.

6. Ἐλπίζω δὲ ὅτι γνώσεσθε ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἐσμὲν ἀδόκιμοι. *Spero autem quod cognoscetis quia nos non sumus reprobi*] Ostendemus hoc factis ipsis, non connivendo ad crimina, ut alii faciunt.

7. Εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν Θεὸν, *Oro autem Deum*] Id est, *ad Deum preces ea de causa fundo.* ❡ μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακὸν μηδέν· *ut nihil mali faciatis*] *Ne cogar cuiquam pœnam infligere*, quæ *malum* dicitur, quia dura est toleratu. ποιῆσαι [*facere*] cum accusativo pro quo Latini dativum ponerent, Matth. XXVII, 22. Luc. XV, 19. ❡ οὐχ ἵνα ἡμεῖς δόκιμοι φανῶμεν, ἀλλ' ἵνα ὑμεῖς τὸ καλὸν ποιῆτε, ἡμεῖς δὲ ὡς ἀδόκιμοι ὦμεν. *non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus*] Est hic Transpositio οὐχ ἵνα [*non ut*] pro ἵν' οὐχ [*ut non*]. Qualis Trajectio in eadem voce ἵνα [*ut*] est Ephes. III, 18. Sensus est, *preces illas facio, quod malo vos bonos esse, quam meam sinceritatem vestris pœnis testatam fieri.* Maneam ego potius sine tali documento, quam vos in peccata talia incidatis.

8. οὐ γὰρ δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἀληθείας. *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate*] *Potestas illa nobis data est ut recte ea utamur, non ut male.* Absit à nobis ut auctoritatis nostræ augendæ causa adfligamus innocentes. ἀλήθεια [*veritas*] nostris scriptoribus, ut Hebræis אמת vel אמונה, sæpe significat *id quod rectum justumque est.* Joh. III, 21, ubi dicta vide, & III Joh. 3.

9. Χαίρομεν γὰρ ὅταν ἡμεῖς ἀσθενῶμεν, *Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus*] Id est, *appareamus velut infirmi*, non edentes illa quæ diximus potentiæ in nobis Divinæ documenta. ❡ ὑμεῖς δὲ δυνατοὶ ἦτε. *vos autem potentes estis*] *Ut vos sitis valentes ac vegeti.* ❡ τοῦτο δὲ καὶ εὐχόμεθα τὴν ὑμῶν κατάρτισιν. *hoc & oramus vestram consummationem*] *Ut officium faciatis*, ne in mala incidatis. κατάρτισις est תכונה quod ἑτοιμασία solet verti, *recta constitutio*, sicut κατηρτισμένος כון [*verus, rectus*] ut diximus ad Luc. VI, 40. Adde quod diximus ad Genesin XXXIV, 21.

10. Διὰ τοῦτο ταῦτα ἀπὼν γράφω, ἵνα παρὼν μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκέ μοι ὁ Κύριος εἰς οἰκοδομὴν, καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν. *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem*] *Ideo*, inquit, *minas adhibeo, ne eas exsequi cogar.* χρῆσθαι ἀποτόμως est *severe agere.* Nam χρῆσθαι [*agere*] interdum absolute ponitur nullo nomine sequente. Sic ἀναγωγότερον ἐχρῶντο [*remissius agebant*], II Maccab. XII, 14. ἀποτόμως, *severe.* Sic & Tit. I, 13. ἀποτομία, *severitas*, Rom. XI, 22. ἀπότομος ὀργὴ, κρίσις ἀπότομος [*severa ira, judicium severum*], Sap. V, 20. VI, 5. In Glossario ἀπότομον, *rigidum.* ἐξουσίαν hic intelligit *potestatem illam divinitus datam* ad immittendos morbos, cæcitatem, mortem etiam, *quæ data Apostolis, non ad damnum, sed ad utilitatem & profectum Ecclesiæ.* Vide supra X, 8.

11. Λοιπὸν ἀδελφοὶ, *De cætero fratres*] *Quod restat.* Verbum est properantis sermonem absolvere. ❡ χαίρετε, *gaudete*] *Bene valete.* Ita enim Græci hoc usurpant. ❡ καταρτίζεσθε, *perfecti estote*] *Facite quod vos decet.* Vide supra 9. Est & hic Niphal pro Hitpahel. ❡ παρακαλεῖσθε, *exhortamini*] Et hoc ejusdem formæ. Solemini vosmet, nempe siquid adversi inciderit. ❡ τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, *idem sapite*] *Concordes esse.* Nam φρονεῖν [*sapere*] Paulo ad affectum non ad intellectum refertur. Simili modo τὸ αὐτὸ φρονεῖν [*idem sapere*] habuimus Rom. XII, 16. XV, 5. Philipp. II, 2. III, 16. IV, 2. ❡ εἰρηνεύετε, *pacem habete*] Marci IX, 50. Rom. XII, 18. I Thess. V, 13. ❡ καὶ ὁ Θεὸς τῆς ἀγάπης καὶ τῆς εἰρήνης ἔσται μεθ' ὑμῶν. *& Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*] *Vobis favebit, & auxilio erit.* Vide Luc. I, 28, & ibi dicta. *Deus pacis & dilectionis*, id est, auctor pacis & dilectionis. Vide Rom. XV, 33. XVI, 20. I Corinth. XIV, 33. Sic Hebræi dicunt, אל האהבה [*Deus dilectionis*], אל שלום [*Deus pacis*].

12. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ· *Salutate invicem in osculo sancto*] Rom. XVI, 16. ❡ ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἅγιοι πάντες. *Salutant vos omnes sancti*] Nempe qui in Macedonia sunt.

13. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος μετὰ πάντων ὑμῶν. *Gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis*] Supple *sit*, ut Rom. XVI, 24. I Corinth. XVI, 23. Sunt autem hic, ut & in Baptismo, aperte nomina τῆς Τριάδος [*Trinitatis*] ejus quam Christiani colunt. ❡ Ἀμήν. *Amen*] Deest in Manuscripto. Additum hoc ab Ecclesia Corinthiaca, quæ id respondere solebat, quoties Epistola hæc lecta erat.

ANNOTATA
In Epistolam D. PAULI ad
GALATAS.

CAP. I.

VALLA.

6. M*Iror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi*] Aut *sic* aut *tam* esse supervacuum probat non solùm Græca veritas sed etiam ipsa loquendi absurditas, ὅτω ταχέως. Neque *in gratiam* legendum est sed *in gratia*, ἐν χάριτι.

7. *Nisi sunt aliqui qui vos conturbant*] Maluissem dicere, *nisi quidam sunt*, εἰ μή τινές εἰσι.

10. *Modò enim hominibus suadeo, an Deo?*] Nescio an meliùs, ut Græcè est, per accusativum transferatur, *homines suadeo* (sive *persuadeo*) *an Deum?* non dico ut idem significet quod *Per Deum*, sed *suadeo humana, an Divina?* ἀνθρώπους πείθω, ἢ τὸν Θεόν;

13. *Persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam*] Contumelia fit Deo, cujus Ecclesia dicitur *expugnari*. Ergò *oppugnabat*, non *expugnabat*, i. e. oppugnando capiebat: ἐπόρθουν.

17. *Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos*] Gr. *Neque redii Hierosolyma ad eos qui fuerant ante me Apostoli*, οὐδὲ ἀνῆλθον εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους.

23. *Tantùm autem auditum habebant*] Cur non potiùs, *Tantùm autem audierunt?* nam Græcè est, *Tantùm autem audientes fuerunt*, ἀκούοντες ἦσαν.

REVIUS in VALLAM.

13. C*Ontumelia fit Deo, cujus Ecclesia dicitur expugnari*] Quæ hic ab Erasmo adversùs Vallam pro Vulgata disputantur, solidè ac graviter à Beza sunt confutata: quem, si libet, adi.

ERASMUS.

1. P*Aulus Apostolus*] Hieronymus indicat *Apostolum* esse vocem Hebræis peculiarem, illis dictam SILAS. Id Latinè sonat *missus*, aut *legatus*. Et perinde quasi dixisset *missus*, adjungit. ¶ *Non ab hominibus*] Non *ab hominibus* velut ab autoribus, non *per homines* veluti commendantes aut approbantes.

3. *A Deo Patre nostro*] *Nostro* referendum est ad *Dominum*, non ad *Patrem*, ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς, καὶ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Concordabant cum Græcis duo codices Constantienses.

4. *De præsenti seculo*] Ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος, *ex instanti:* quanquam id Græci nonnunquam *præsens* appellant. ¶ *Nequam*] Ambrosius & Augustinus legit *maligno*, & Hieronymus *malo*. Gr. πονηροῦ, quod & *versutum* significat & *miserum* ac *laboriosum*. *Malum* autem vocat hoc seculum ad comparationem seculi futuri. ¶ Augustinus pro *eriperet* legit *eximeret* in Commentariis hujus Epistolæ.

5. *Cui est gloria*] *Est* non est in Græcis, sed tantùm *cui gloria:* ut sit optantis.

6, 7. *Quod sic tam citò*] Οὕτω ταχέως. Non est *sic tam*, sed *tam citò*, aut *sic cito:* nam οὕτως utrumque significat. Quam sanè lectionem alioqui absurdam, & à Græcis exemplaribus dissonantem, mirum est adeò inolevisse ut & apud Ambrosium & apud Augustinum & apud Tertullianum reperiatur. Quanquam ex Commentariis D. Hieronymi subodorari licet adverbium *sic* ab eo non fuisse additum. Verùm cùm in nonnullis cod. haberetur *tam*, in nonnullis *sic*, quod studiosus aliquis annotarat in margine, id scriba parùm attentus retulit in contextum. ¶ *Transferemini ab eo*] Μετατίθεσθε· quod si ad verbum reddas, sonat *transponimini:* rectè mutavit Interpres. Verisimile est quod submonuit Hieronymus, Paulum allusisse ad Hebræam vocem *Galata*, quæ illis *translatos* sive *deductos* sonat, similitudine sumptâ à rotis aut rotundis, quæ facilè aliunde aliò devolvuntur. ¶ *In gratiam Christi*] Ἐν χάριτι *in gratia*. Augustinus enarrans hunc locum pro *in gratiam* legit *in gloriam*, attestante id ipsius expositione. Certè palàm est *in gratia* Hieronymum per auferendi casum legisse; quod ex ipsius verbis facilè docebitur: sic enim scribit in Commentariis, *Habet autem & locus ipse Hyperbaton, quod ità suo ordine legi potest*, MIROR QUÒD TAM CITÒ TRANSFERIMINI À CHRISTO JESU, QUI VOS VOCAVIT IN GRATIA, *dicens*, NON VENI VOCARE JUSTOS, &c. Quanquam hîc rursus aliud exsistit incommodum amphibologiæ, *qui vocavit vos per gratiam in aliud Euangelium*. Potest enim accipi quòd *Christus vocaverit illos in aliud Euangelium*, ut ordinat Ambrosius. Proinde nos ordine commutato sic vertimus, *Miror quòd à Christo, qui vos vocavit in gratia* (sive *per gratiam*,) *adeò citò transferamini in aliud Euangelium*. Cæterùm in eo quod mox sequitur, *Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizavimus vobis*, idem Hieronymus indicat hunc sermonem per Hyperbolen accipi posse, non quòd Angelus aut Paulus aliud Euangelium esset prædicaturus, sed sentit ab Euangelio semel recepto nullo pacto recedendum. Quòd si quis tropos & schemata rejiciat in S. literis, sæpenumero aut hærebit perplexus, aut frigidissimis rationibus se cogetur explicare. Porrò quod addit hoc agi *ut non esset magna Petri ac Joannis autoritas, cùm nec sibi liceret* aliud Euangelium prædicare, sic arbitror accipiendum, si Petrus aut Joannes Judaïsmum admisceret Christo, quod velut illis autoribus Pseudapostoli conabantur: alioqui videretur Paulus suam autoritatem Petro anteferre. Et *Christi* potest vel ad *gratiam* referri, vel ad præpositionem *ab*, ut sit apud nos auferendi casus *à Christo*, seu potiùs *à Deo*. Ego malim auferendi casum. Et quidam codices pro *Christo Deum* habent. Semper enim Paulus Deum *vocantem* facit, sed *per Christum*. Et in Euangelio *Pater* est *qui suos trahit ad Christum*. Cæterùm *in gratia* dixit pro eo quod est *per gratiam*. ¶ *In aliud Euangelium, quod non est aliud*] Video veteres diversam, alios aliam, secutos lectionem. Hieronymus, ut ex ipsius liquet enarratione, ità legit, *Quòd sic cito transferimini in aliud Euangelium, quod non est*, ut subaudias *aliud*. Aut si malis ab ipso additum nomen *aliud*, hîc subjicis stigmen; ut sit sensus, Eum demirari illorum inconstantiam *qui transferantur*; deinde, qui transferantur *tam cito*; postremò, qui *in aliud Euangelium*, adeò non melius eo quod acceperant ut *nullum sit*. Hujus rei causam *admiratur* Apostolus. At nè videatur ingenium Gallicum damnare, ceu per conjecturam facti culpam rejicit in Apostolos plùs satis Judaïzantes, dicens, *nisi si sunt*, &c. Sic enim legit Hieronymus. Chrysost. & Theophyl. in sensu concordat cum Hieron. nisi quòd addit *aliud*, & quod sequitur *nisi quod* separat à superioribus. Ambrosius legit ad hunc modum, *ab eo qui vocavit vos in gratiam Christi, in aliud Euangelium:* nec addidit *quod non est aliud*. Nec potest ex illius enarratione colligi illum secùs legisse. Is hanc particulam *in aliud Euangelium* referens non ad verbum *transferemini*, sed ad *vocavit*, sermonem ordinat hunc in modum, *Demiror quòd adeò citò trans-*

feremini ab eo qui vos vocavit, in aliud Euangelium, i. e. in aliud & diversum ab eo quod Pseudoapostoli vobis prædicarunt, ad Judaïsmum revocantes. Quod dicimus perspicuum erit si quis evolvat Ambrosianos Commentarios. Porrò, ut suspicer Hieronymum legisse *quod non est*, nec addidisse *aliud*, in causa est quod subjicit, *Quia omne quod falsum est, non subsistit; & quod veritati contrarium est, non est: ut illud, Ne tradas, Domine, sceptrum tuum iis qui non sunt: &, Ea quæ non erant vocavit Deus.* Ac mox ibidem, *Si autem hoc de iis, qui in eundem credebant Deum & easdem Scripturas habebant, dicitur quod translati sint in aliud Euangelium, quod non est Euangelium, quid de Marcione & cæteris hæreticis*, &c. At Ambrosius *nisi sunt aliqui*, &c. interjecto Commentario separat à superioribus, ut *nisi sunt* non referatur ad *quod non est aliud*, sed ad *miramur*. Tertullianus lib. Adver. Marc. 4. si codices mendo vacant, addere videtur *aliud*, sed ità ut idem sit sensus quem diximus. ¶ *Et volunt convertere Euangelium*] Equidem malim *invertere*, tametsi constanter sic legunt Ambrosius, Augustinus, atque item Hieronymus. Est autem Græca vox μεταστρέψαι, quod sonat *ad aliud detorquere*, sive *in diversum detorquere*. Nobis autem quò magis arrideat *invertendi* dictio Hieronymiana facit interpretatio, cujus ipsa verba subscribam, *Omnis qui Euangelium alio interpretatur spiritu & mente quàm scriptum est, credentes turbat, convertit Euangelium Christi, ut quod in facie est post tergum faciat, & ea quæ post tergum sunt vertat in faciem. Si quis tantum literam sequitur, posteriora ponit in faciem: Si quis Judæorum interpretationibus acquiescit, post tergum mittit ea quæ ex natura sua in facie constituta sunt.* Hactenus Hieronymus. Atqui *invertere* propriè declarat *in diversum ac præposterè vertere*. Christus ejusmodi doctrinam tradidit ut quam plurimum esset pietatis, quàm minimum ceremoniarum. Isti contrà volebant plurimum esse ceremoniarum, pietatis minimum. ¶ *Præterquam quod*] Παρ' ὅ, *præter id quod*: atque ità erit aptius. ¶ *Anathema sit*] D. Hieronymus admonet *anathema* verbum esse proprium Judæis, quo extremam detestationem significare soleant.

10. *Modò enim hominibus suadeo*] Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω, ἢ τὸν Θεόν; *Nunc enim homines suadeo, an Deum?* h. e. An humana suadeo, an Divina? Et in hanc quidem sententiam interpretatur Theophylactus. Quanquam & *hominibus suadeo* potest tolerari, cùm πείθω apud Græcos in hoc sensu habeat aliquoties accusandi casum, non item cum significat *confidere* aut *credere* aut *morem gerere*, quemadmodum videtur arbitrari Faber Stapulensis noster. Quanquam scio Hieronymum, Augustinum & Ambrosium diversam sequi sententiam. Cæterum *modo* positum est pro *nunc*. Significat enim, Postea quam factus sit Apostolus, nihil aliud spectare se quàm quod ad Dei pertineat honorem, cum olim in Judaïsmo diversa senserit. ¶ *Si adhuc*] Εἰ γὰρ ἔτι, *Si enim adhuc*.

12. *Accepi illud, neque didici*] Παρέλαβον αὐτὸ, οὔτε ἐδιδάχθην. Hieronymus distinguit inter *accipere* & *discere*. *Accipimus* quod nostrum non est, sed ab alio traditum; *discimus*, cujus mysterium nobis aperitur. Tametsi Græcè non est *didici*, sed *doctus sum*; id quod vel absolutè potest accipi, *non doctus sum, sed afflatus*; vel, *non doctus sum ab homine*. Deinde vocabulum *revelationis* Hieronymus negat usquam apud Ethnicos scriptores inveniri, ἀποκάλυψις, verùm id, cum aliis multis, novum fuisse confictum à LXX. quò commodiùs explicarent nova Dei mysteria.

13. *Et expugnabam*] Καὶ ἐπόρθουν quod verbum proprium est *populantium & exscindentium captas armis urbes*. Neque video cur hic stomachetur Laurentius, velut id contumeliosè dictum sit adversùs Ecclesiam Dei quòd *expugnata fuerit* à Paulo, malitque *oppugnabam* quàm *expugnabam*. Nec inficior aliud esse Latinis *expugnare*, aliud *oppugnare*, quemadmodum aliud est *suadere*, aliud *persuadere*, aliud *orare*, aliud *exorare*. Verùm quid facias ubi Græca vox πορθεῖν nihil aliud significet quàm *expugnare* aut *capere*? Cæterùm *Ecclesiam* vocant congregatiunculam illam Christianorum quam prorsus *expugnabat* quantum erat in illo. Jam enim hoc agebat Paulus: proinde quod ait *expugnabam* non ad eventum rei sed ad illius animum & conatus est referendum. Accommodatius autem erat quod legunt in Commentariis Hieronymus, & Augustinus De sermone habito in monte, *devastabam*, aut *vastabam*, more hostis ac feræ populantis omnia. Ac paulò inferiùs, *Qui aliquando nos persequebatur, nunc euangelizat fidem quam aliquando vastabat.* Grammatici vocem dictam putant à πρήθω, quod est *incendo*, transpositis duabus literulis, πέρθω, hinc πορθῶ, quòd incendiis populatur hostis victor. Alii malunt πέρθω dictum q. περιθέω, *circumcurro*; quod id quoque fiat in urbe capta.

14. *Coætaneos*] Optarim hoc verbum esse receptum apud Latinos. Græcè dixit συνηλικιώτας, i. e. *æquales*, h. e. *ejusdem ætatis*: quanquam utraque vox est ambigua. Nam *ejusdem ætatis* dicuntur qui vixerunt eodem seculo, quos Græci vocant συγχρόνους, & *æquales* dicuntur divitiis aut eruditione pares. ¶ *In genere meo*] *Genus* gentem appellat Judaïcam: sicut in proxima Epistola, *in periculis ex genere*. ¶ *Æmulator*] Ζηλωτής. Ab immodico & superstitioso studio & amore *zelotem* appellavit seipsum. ¶ *Paternarum mearum traditionum*] Πατρικῶν, *à patribus ac majoribus traditarum*. *Mearum* addit, non quòd eas *suas* esse duceret, quemadmodum interpretatur Aquinas, sed ut excusatiùs videatur errasse, qui natus Pharisæus majorum suorum instituta sequeretur, quæ tamen non dubitavit relinquere, edoctus meliora.

15. *Cùm autem placuit ei*] Ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ Θεὸς, *Cùm autem visum est Deo*.

16. *Non acquievi*] Οὐ προσανεθέμην, *non contuli cum carne & sanguine*. Sic enim Græca vertit Hieronymus in suis Commentariis, consentientibus & Græcorum Scholiis. Atque ad hunc modum paulò pòst ipse vertit Interpres: i. e. *non communicavi Euangelium meum cum homine*, sed cum Deo commercium habui. Quidam habent προανεθέμην, h. e. *prius contuli*. Proinde palàm est Thomam & Carrensem nihil agere, qui *carnem & sanguinem* interpretantur pro *vitiis carnalibus*, quibus nunquam legimus Paulum obnoxium fuisse: etiamsi Thomas addit alteram expositionem, *carnem & sanguinem* interpretans *affectum erga cognatos*. At ne id quidem sensit Paulus. Verùm hujus erroris ansam præbuit Interpres, qui προσανεθέμην vertere *acquievi*, cùm vertendum fuerit *contuli* (sive *communicavi*) *cum carne & sanguine*. Quanquam hoc in loco majorem in modum laboravit D. Hieronymus, cupiens hunc explicare nodum, quòd Paulus contumeliosiùs Petrum, Joannem & Jacobum *carnem & sanguinem* appellarit, præsertim cùm Porphyrius hinc calumnietur arrogantiam Pauli, quòd non dignatus sit suum Euangelium conferre cum cæteris Apostolis. In summa, nè consistere quidem ut qui priùs *non contulerit cum carne & sanguine*, postea contulerit, veluti sibi diffidens rei periculo facto. His angustiis constrictus Hieronymus eò confugit ut adverbium εὐθέως, i. e. *continuò*, non referat ad ea quæ sequuntur, *non acquievi carni & sanguini*, nè fretus revelatione postimus videatur hominum commercium despexisse; sed ad illa superiora, *Cùm autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ*, ac deinde sequatur, *ut revelaret Filium suum in me*, & ad extremum, *ut euangelizarem illum in Gentibus continuò*: & post hæc velut à novo exordio sequatur illud, *Non acquievi carni & sanguini*: ut sit sensus, Paulum jussum ut continuò citraque moram accingeretur ad prædicationem Euangelii, proinde non cunctatum neque moras trivisse adeundis ac consulendis Apostolis, sed protinus, ut erat jussus, aggressum euangelizandi munus. Variant hic & Græcorum Commentarii. Verùm hæc longiùs discutere non est hujus instituti. Nos quod ad lectionis rationem pertinere visum est annotamus. Proinde nec illud hujus operis est, quòd hæc Pauli narratio multis modis dissentire videtur cum ea quæ est apud Lucam in Actis Apostolicis, cap. 9. quemadmodum Hieronymus in Commentariis suis satis diligenter explicat.

17. *Veni Hierosolymam*] ἀνῆλθον, *redii*, sive *ascendi*. ¶ *Ad antecessores meos Apostolos*] Πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους, *ad eos qui ante me fuerant Apostoli*, & quibusdam ob hoc majores videbantur quod priùs essent vocati.

18. *Videre Petrum*] Ἱστορῆσαι quod verbum apud Græcos plus aliquid significat quàm *videre*, nempe *percontandi discendique causâ videre*: quanquam id negat Hieronymus.

19. *Jacobum fratrem Domini*] In Epist. ad Galatas notat Hieronymus eorum errorem qui putant hunc Jacobum fuisse de numero 12 Apostolorum, *fratrem Joannis* cujus mentio fit in Euangelio, cùm is in Actis Apostolorum legatur mox à Stephani nece sanguinem fudisse pro Domino. Sed affirmat hunc esse Jacobum cognomento *Justum*, filium Mariæ quæ fuerit soror Mariæ matris Jesu. Nam & hi *fratres* vocantur more Judæorum. Theophylactus indicat honoris gratiâ fuisse vocatum *fratrem Domini*. Hic primus Hierosolymorum Episcopus fuit ordinatus: atque hujus plerique judicarunt esse Epistolam quam hodie quoque nomine JACOBI legimus. *Apostolus* autem dicitur eo modo quo cæteri omnes *Apostoli* dicuntur qui Christum in carne conspectum postea prædicabant.

20. *Quia non mentior*] Hic ὅτι poterat omitti, quod vim habet asseverandi, sed apud Græcos duntaxat: nisi malis addere, *Ecce coram Deo testificor quòd non mentior.* Nam id additum est veluti à jurante: quod sanè non negat Hieronymus. Sed quod addit ἀνεγωγίζων, CORAM DEO SUNT, *id est, digna conspectu Dei*, mihi videtur aliquanto coactius. Verùm in his

nonnihil

nonnihil indulgent sibi veteres, velut in hoc quoque de nominum interpretationibus, *Arabia*, *Cilicia*, *Damasci*, &c. Ambrosius fatetur esse jurantis, Theophylactus asseverantis.

21. *Partes*] Κλίματα, i. e. *plagas*. ¶ *Cilicia*] Τῆς Κιλικίας.

22. *Quæ erant in Christo*] Cur non potiùs *quæ sunt in Christo*, ταῖς ἐν Χριστῷ;

23. *Auditum habebant*] Ἀκούοντες ἦσαν, *audierant*: ad v. *audientes erant*, h. e. rumor apud illos erat. Latinissimum erat *auditum erat illis*, sive *hic rumor apud illos erat*, eò quòd participium ἀκούοντες sit præsentis temporis. Nè hic quidem necesse erat vertere ὅτι, vetante id pronomine *nos*. ¶ *Quam aliquando expugnabat*] Ἐπόρθει. Rursus eo verbo est usus quo suprà, sicut annotavimus.

24. *Clarificabant Deum*] Ἐδόξαζον *glorificabant*: atque ità legit D. Hieronymus. Ambrosius *magnificabant*.

VATABLUS.

2. FRatres] Sub. *dicunt*: vel potiùs *multiplicetur*.

3. *Gratia*] i. e. *Amor*. ¶ *Pax*] Heb. omnia prospera. ¶ *Nostro & Domino*] *Et Domino nostro*.

4. *Nequam*] *Ærumnoso*: i. e. à peccatis quæ admittimus in hac vita, quæ peccandi occasiones multas habet.

6. *Quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in*, &c.] *Quòd à Christo qui vocavit vos per gratiam* (i. e. præ amore) *adeò citò transferamini in aliud*, &c.

7. *Quod non est aliud*] Vel, *cùm tamen non sit aliud*: sub. *præter id quod vobis annuntiavi*. ¶ *Convertere*] *Invertere*, vel, *evertere*, *suis mendaciis doctrinam Christi quam vos docui*.

8. *Sed licèt*] *Verùm etiamsi*. ¶ *Anathema sit*] i. e. Perdatur prorsus & deleatur, morte æternâ puniatur.

9. *Præter id*] Vel, *diversum ab eo*.

10. *Hominibus suadeo, an Deo?*] *Homines suadeo, an Deum?* i. e. num humana suadeo, an Divina? Significat se, postea quàm Apostolus Christi factus est, nihil aliud spectasse quàm quod pertineret ad Dei gloriam. ¶ *An*] *Aut*, Vet. ¶ *Si**] * *Enim*.

11. *Secundum hominem*] i.e. Non est profectum ab opinione hominum, quod declarat sequentibus verbis.

13. *In Judaïsmo*] i.e. Cùm Judæus essem. ¶ *Expugnabam*] *Depopulabar*.

14. *In genere meo*] i.e. In natione mea Judaïca. ¶ *Abundantiùs æmulator exsistens paternarum mearum traditionum*] *Cùm vehementer essem studiosus à majoribus meis traditorum institutorum*: i.e. rationis vivendi à majoribus acceptæ.

15. *Ei*] *Deo*. ¶ *Segregavit*] *Segregaverat*. ¶ *In me*] *Per me*.

16. *Continuò*] Adverbium, *continuò*, referri potest & ad præcedentia & ad sequentia. ¶ *Non acquievi carni & sanguini*] *Non contuli cum carne & sanguine*. Heb. non adhibui in consilium carnem & sanguinem: i. e. homines, Petrum, Jacobum, aut Johannem, super provincia mea Euangelica, quasi dubius essem num esset proba & utilis.

17. *Veni*] *Redii*. ¶ *Antecessores meos Apostolos*] i. e. Ad eos quibus ante me commissa fuerat provincia Euangelica.

18. *Videre Petrum*] Dictio Græca non modò *videre aliquem* significat, sed *percontandi & discendi causâ aliquem invisere*, vel, *convenire & colloqui*.

20. *Ecce coram Deo, quia*] *Certè Deo teste*, Heb.

22. *Quæ erant in Christo*] i. e. Quæ Christum receperant.

23. *Auditum habebant*] *Hic rumor apud illos erat*. Gr. *audientes erant*: vel, *auditum ab illis erat*. ¶ *Expugnabat*] *Oppugnabat*, *depopulabatur*, *vastabat*.

24. *Clarificabant*] *Glorificabant*.

CASTALIO.

EPistola hæc mixti generis est, partim didactici, partim demonstrativi: docens simul quid verum falsumve sit in articulo Justificationis, & objurgans vituperansque auditores seductos, atque adeò condemnans & anathematizans eorum seductores cum suis erroribus, illosque ad sanitatem veritatemque revocans: & contrà, Pauli personam, munus & doctrinam eximiè ornans, auditoribusque commendans & persuadens insinuansque.

Occasio verò ipsius fuit eadem quæ quarundam aliarum, quod eò tempore erant quidam Pseudapostoli Nazaræi nominati: qui nomine quidem volebant videri Christiani, cùm revera Christi meritum ac justitiam ignorarent, & ex virtutibus operibusque aut Legis justitia prorsus penderent. Ii ergò flagrantes, partim pravo quodam Legis zelo, partim etiam ambitione, & denique commodorum gloriæque aviditate, aut potiùs ipsius mali genii instinctu impulsi, neque tamen vel à Christo vel ab Apostolis jussi, passim discursabant, præsertim per Ecclesias rectè institutas ac constitutas, contendebantque solum Christi meritum minimè sufficere, sed etiam circumcisionem Mosaicorumque rituum observationem, & alia bona opera esse omnibus modis necessaria ad salutem. Atque ità tum Christum suâ gloriâ privabant, tum & ipsius fideles per ejus Euangelium beneficiaque à maledicto Legis & servitute Mosaïca liberatos ac omnino justificatos, regeneratos & sanctificatos, multipliciter suâ libertate bonâque conscientiâ spoliabant, & in pristinam Legis servitutem maledictionemque retrahebant.

Habebant autem illi præter usitatam vulgi levitatem, ruditatem novarumque rerem aviditatem, & Satanæ potentem efficaciam, domesticamque facundiam & autoritatem, aliasque malas artes, etiam illa duo maxima sui pessimi conatûs adjumenta; alterum, quod homines tunc adhuc erant planè persuasi, legem Mosis perpetuam esse, nulloque modo abolendam; alterum, quòd maximè naturale nobis est, ex nobis ipsis pendere, & in nobismet virtutum operumque justitiam quærere: quod erroris potissimùm præstantibus viris & ad disciplinam virtutemque assuefactis prorsus insitum esse solet: sicut hæc ipsa persuasio est totius moralis Philosophiæ, teste etiam ipso Cicerone, caput scopusque primarius.

Huc quoque facit, quod tota doctrina Euangelii non solùm mysterium quoddam est, omni creaturæ per sese imperceptibile, sed etiam plane stultitia quædam, ut ipsemet Apostolus 1 Cor. 1. copiose ostendit: quod totus noster Adamus aut prava natura prorsus abhorret à fide & fiducia erga creatorem suum ejusque verbum, promptiùs creditura cuivis impostori, fabulæ ac imposturæ, quantumvis absurdæ: & denique quod Satan admirabili rhetoricâ, & etiam quadam violenta efficaciâ, de corde nostro semen Euangelii omnemque ejus notitiam, ne in illo radices agat aut fructificet, obscurat & plane obliterat. Quæ omnia & alia etiam plura efficacia impedimenta & scandala crucis, sicut tunc seductoribus contra doctrinam gratiæ Paulique suffragata sunt, ità etiam hodierna die suffragantur & cooperantur.

Videmus sane tum olim semper, tum & hodiernâ die id accidere, ut cùm multum gratuita salus per Christum inculcetur, plerumque tamen homines etiam diligenter instituti eò decurrant, ut etiam operibus Legis aliquid tribuant, eaque statuant esse prorsus necessaria ad salutem, nec omnino sine eis quenquam salvari posse.

Habe-

Habemus de hac ipsa hæresi ejusque condemnatione etiam Act. 10. 11. & 15. ubi ea in integra Synodo, de communi consensu Apostolorum, aliorumque præstantium in cognitione Dei & vera pietate virorum, condemnata fuit. Illi igitur Pseudapostoli cum aliis sinceris gratiæ Christi doctoribus, tum præsertim Paulo erant infestissimi, easque cum primis Ecclesias, quas ille rectè instituerat, cupidissimè percursabant & perturbabant, aut etiam prorsus subvertebant. Tale quid non irrito conatu etiam apud Galatas, optimè priùs à Paulo institutos, tentaverant. Nam primum Pauli personam, ejus vocationem ac universam doctrinam non solùm suspectam reddiderant, sed etiam prorsus exosam. Deinde specialiter articulum Justificationis, admixtione necessitatis Legis aut operum ad salutem, tanquam venenato quodam fermento prorsus vitiaverant, aut etiam planè everterant.

Voluit igitur Apostolus hâc epistolâ suam doctrinam & famam, præsertim autem articulum Justificationis per solam fidem in Christum, sine operibus, asserere, ac vindicare à seductorum calumniis, & simul ipsos Galatas in veritatis viam, ex qua fœdè exorbitaverant, denuo revocare. Atque hæc de occasione & scopo, nunc de ordine hujus Epistolæ agamus.

Tres verò propositiones primarias post epistolares partes aut parerga ponit: primùm generalem quandam de totius suæ doctrinæ certitudine: secundò specialem de sola gratuita justificatione: tertiò de nova obedientia: quarum singulas ferè binis capitibus absolvit.

In prima igitur agit de immota veritate suæ doctrinæ, & de Apostolatu ac vocatione sua, quâ simul & totam illam Galatarum declinationem à veritate gravissimè condemnat. Confirmat autem hanc propositionem primùm vehementi suæ Apostolicæ autoritatis assertione: Apostolo enim, tanquam plane Divino indubitatæque fidei testi, etiam sine aliis testimoniis ac probationibus, credendum est. Deinde longâ narratione suæ vocationis, conversionis & actionum idem comprobat, in qua illud præcipue urget, quomodo doctrinam suam immediatè à Christo acceperit, & non à Petro aut ullo homine, quomodo item semper omnibus aliis Apostolis aut æqualis aut etiam superior habitus sit, & denique quomodo etiam Petro claudicanti in faciem restiterit: ubi admodum leni transitu progreditur ad secundam principalem propositionem, quod fit circa finem secundi capitis.

Secunda propositio est, quod per solum Christum gratis justificemur fide, sine ullis nostris operibus, quam multis argumentis ac etiam testimoniis Scripturæ confirmat. Quod usque ad medium quinti capitis agitur.

Ultima propositio est de nova obedientia, quam simul & confirmat & explicat usque ad finem Epistolæ.

Hæc de occasione, argumento, aut summa & ordine hujus Epistolæ nunc dixisse sufficiat. Nunc ad Epistolam ipsam accedamus.

Initio sunt quædam partes epistolares, tanquam quædam semiparerga: ut Titulus, Subscriptio, Inscriptio & Salutatio: quæ ipsa quoque non sunt otiosa. Plerumque enim Paulus ità in Subscriptionibus ornat se suumque officium, ut sibi & autoritatem quandam, benevolentiamque & reverentiam apud auditores comparet. Sic & in salutationibus eos plerumque Divini numinis majestate territat, & rerum, quas tractaturus est, sanctitate eis religionem incutit, ut in timore Dei summaque attentione quæ proponuntur audire cogantur: quod ad profectum omnium maximum utilissimumque est. Sicut Deus etiam in Propheta requirit auditorem trementem ad sermones suos.

6. M*irer vos tam citò ab eo*] A me doctrinaque mea. ¶ *Qui vos in Christi beneficio*] In religione Christiana.

10. *Nam utrùm tandem homines persuadeo, an Deum?*] Non homines prædico, sed Christum.

16. *Non equidem cum carne & sanguine contuli*] Cum hominibus.

C L A R I U S.

1. P*Aulus Apostolus, non ab hominibus*] Cùm pluribus Epistolarum Pauli locis liceat agnoscere ejus vehementiam, tum hoc uno hujus Epistolæ principio atque ipsâ salutatione perspicitur quàm efficax in dicendo fuerit quamque in scriptis suis vivat. In primis ipsis verbis, quæ salutationis locum habent, exprimit ubi totius causæ quæ ageretur versaretur summa, & quod esset eorum erroris, cur à Pseudoapostolis decipi se paterentur, fundamentum. *Paulus* ille sum, inquit, *Apostolus non ab hominibus* adductus ad fidem, *neque per hominem* ad hoc munus electus ac missus (quod isti somniant, ut derogantes meæ autoritati faciliùs vos in laqueos suos trahant) *sed per Jesum Christum* Apostolus sum, sicut & Cephas & maximi quique Apostoli. Neque addit *Ecclesiis Dei*, aut *vocatis sanctis*, de more, sed absolutè *Ecclesiis Galatiæ*: ut ipso initio admonerentur tanti erroris. Deinde meminit *excitati à mortuis Christi*, & *pro peccatis etiam nostris traditi*, quasi increpans cur tanti muneris obliti rursum Legis umbræ semetipsos tradiderint servituros.

4. *De præsenti seculo nequam*] h. e. Malis quibus homines hujus seculi omnes erant obnoxii, peccatis videlicet, atque concupiscentiâ, radice malorum omnium.

6. *Transferemini*] Aptavit *Galatis*, ait Hieronymus, verbum *translationis*. Γαλατία enim *Transmigrationem* sonat. ¶ *In aliud Euangelium*] Cum stomacho legendum est, quasi plura eaque pugnantia inter se possint esse Euangelia.

8. *Aut Angelus de cœlo*] Per Hyperbolen accipiendum est Nam sancti Angeli nunquam aliud persuadere conarentur hominibus quàm quod verum est.

10. *Hominibus suadeo, an Deo?*] Calumniati fuerant illi impostores, Paulum apud alios prædicare Circumcisionem, apud alios prohibere. Idcirco ait, *Num* ego in his quæ prædico *satisfacere hominibus curo*, & non potiùs *Deo*, cujus causâ omnia facio? alioqui *si quæsivissem servire hominum studiis, nondum Christi servus essem.*

15. *Qui me segregavit ex utero matris*] Nempe ad hanc prædicationem. Sed quadam Dei dispensatione permissus fuit priùs persequi Ecclesiam, ut illa repentina mutatio pluribus faceret fidem.

16. *Non contuli cum carne & sanguine*] Hebraïsmus est *carnem & sanguinem* pro *homine* ponere. Ait ergò *se non contulisse* Euangelium *cum quoquam hominum*; cùm nihil necesse esset, quando illud plenè edoctus fuerat à Christo, *neque ascendisse Hierosolymam*, videlicet ut quicquam ab *Apostolis* disceret. Nam ascendit à Damasco, ut Acta Apostolorum memorant; de qua re eo loco dictum est: nam videtur hic locus ab illo discrepare.

19. *Jacobum fratrem Domini*] Ait D. Hieronymus hunc Jacobum non esse de numero Duodecim, sed illum cognomento *Justum*, filium Mariæ, quæ fuerit soror Mariæ matris Jesu. Nam & hi *fratres* vocantur more Judæorum. Hic primus Jerosolymorum Episcopus fuit ordinatus.

Z E G E R U S.

3. A *Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo*] Aliàs, *à Deo Patre, & Domino nostro Jesu*: item aliàs, *à Deo Patre nostro, & Domino nostro.* Augustinus omnino non legit *nostro.*

6, 7. *In aliud Euangelium: Quod non est aliud*] h. e. In prædicationem Legis Mosaïcæ, super Sabbato & Circumcisione:

ne: sed *non est aliud* verum *Euangelium*, quapropter nec audiendum.

8. *Anathema sit*] h. e. Detestabilis atque exsecrabilis habeatur hujusmodi prædicator. *Anathema*, ab ἀναθεῖναι, h. e. à *sejungendo* vel *seponendo*, *sejunctio* vel *alienatio* interpretari potest.

10. *Modò enim hominibus suadeo, an Deo?*] Sensus est, An dum ascitus sum ad munus Apostolicum, hominum affectibus servio, dum ea suadéo quæ fidei sunt? anne potiùs Deo servio? Quod autem Græcè legitur, Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω, ἢ τὸν Θεόν; non uno modo reddi potest. Nam præter communem versionem interpretari potest, primùm, *Nunc enim homines suadeo, an Deum ipsum?* h. e. An humana suadeo an Divina? sic enim recentior quidam explicat: deinde, *Nunc enim hominibus fido, an Deo?* tertiò, *Nunc enim hominibus pareo, an Deo?* Nihil tamen horum apud veteres reperio, quod sanè ad verba attinet. Augustinus hunc locum dicens cum illo congruere qui est 2 Cor. 5. *Hominibus suadeo*, sic enarrat quasi *suadeo* idem sit quod *probatum me reddere cupio, idque non Deo, sed hominibus. Nemo enim*, inquit, *Deo suadet, quia manifesta sunt illi omnia: sed hominibus ille bene suadet qui non se illis placere vult, sed ipsam quam suadet veritatem.* Ambrosius verò contrà *suadeo* interpretatur *satisfacio, non utique hominibus, sed Deo*, videlicet juxta sensum primo loco positum; *Numquid enim hominibus*, inquit, *satisfacio, suadendo reverti ad gratiam Christi, aut Deo? Non hominibus utique, sed Deo, ut per satisfactionem revertantur ad Deum.* Chrysostomus hoc loco obscurus est.

14. *In genere meo*] In gente Judaïca.

16. *Non acquievi carni & sanguini*] Οὐ προσανεθέμην σαρκὶ, alii vertere maluerunt *non contuli cum carne & sanguine*, i. e. nullo hominum, qui nihil aliud quàm *caro & sanguis* sunt, usus sum consilio.

17. *Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos*] Cur commemorat Jerosolymam haudquaquam se repedasse? Ut ostendat se nè ab Apostolis quidem ipsis suum hausisse fidei prædicandique Euangelii spiritum, sed à supremo Doctore Deo potissimùm didicisse, eoque cunctis persuadeat prædicationis suæ dignitatem, nullique resideret dubitatio prædicatæ veritatis.

19. *Jacobum fratrem Domini*] *Fratrem Domini* appellat quòd Joseph nutritii Salvatoris ex alia uxore, ut nonnulli existimant, filius fuerit, aut (quod magis placet Hieronymo De Script. Eccles. quem & Beda sequitur) quòd ex Maria Cleophæ, matris Domini sorore, Christo fuerit cognatus. Vide Bedam in Acta Apost. cap. 1.

23. *Tantùm autem auditum habebant*] i. e. Audierant.

H. STEPHANUS.

6. Μετατίθεσθε] *Mutatâ sententiâ traducimini.*

7. Μεταστρέψαι] *Invertere*: vel, *pervertere.*

13. Τὴν ἐμὴν ἀναστροφήν ποτε ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ] *Quomodo me gesserim cum versarer in Judaismo.* ¶ Ἐπόρθουν αὐτήν] *Grassabar in illam*: vel, *oppugnabam illam.*

16. Οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι] *Non communicavi rem cum carne & sanguine*, tanquam ea in consilium adhibens. Vide v. 2. c. seq.

18. Ἱστορῆσαι] *Ut viserem.*

23. Ἐπόρθει] Vide v. 13.

DRUSIUS.

14. *Paternarum mearum traditionum*] i. e. Traditionum quas à patribus meis acceperam. His verbis significat se Pharisæum fuisse: nam Pharisæi paternarum traditionum observantissimi erant. *Patres* autem vocat majores suos. Sulpicius Hist. sacræ lib. 2. *Daniel paternarum traditionum memor*: ubi Sigonius mavult *patriarum*. Sic in historia Estheræ, *admonita ne paternarum traditionum immemor Gentilium cibis participaret.* Vide 1 Pet. 1. 18. Hinc πατροπαράδοτοι ἐντολαί. Ebræi *Cabbalam* appellant quicquid à patribus per manus traditum acceperunt, & legem non scriptam sive oretenus traditam: de qua hodie magna contentio est inter Rabbanjim & eos Judæos quos *Caraim* vocant, q. *Scripturarios* aut *Lectionarios* dicas. Mirum autem in ea gente, quæ hodie per totum orbem terrarum sparsa est, tantùm duas sectas esse, cùm in Christiana religione propemodum innumeræ sint. Causam aliis divinandam relinquo; quam ego si scirem hoc tempore tamen non ederem. Alii hoc facient.

GUALTPERIUS.

13. Ἰουδαϊσμῷ] *Judaismus*, ipsa Judæorum secta & professio. Dicuntur autem *Jehudæi* à *Jehuda* filio Patriarchæ Jacobi; quæ vox *Celebratorem* significat. Gen. 29. 35. *Hâc vice celebrabo Deum: idcirco vocavit nomen ejus Jehudam.* Radix apud Hebræos est יהד, quam interpretatur Avenarius in Lexico, *Judaizavit, factus est Judæus, addixit se religioni & ritibus Judæorum.* Cognationem habere ait cum ירה *emanavit*: unde הורה *fecit manare*, i. e. *promulgavit Dei gloriam, celebravit Deum emissione vocis. Nam Judæi præ cæteris gentibus habentes veram religionem, soli erant qui verum Deum celebrabant.* Ità Avenarius. Alii radicem retinent ידה, quæ in Cal significat *jecit, projecit, jaculatus est.* Jer. 50. 14. ידו אליה, *Jaculamini in eam.* In Hiphil, *fateri, confiteri, celebrare, gratias agere.* Construitur cum dativo & accusativo. הודינו לך *Celebramus te, Deus*, Psal 75. 1. יודו שמך נא *Celebrabunt nomen tuum.* Inde תודה *confessio, celebratio, laudatio.* יהודי *Judæus*, plur. יהודים *Judæi.* יהודית *Judaicè, linguâ Judaicâ*, i. e. Hebraïcâ, 2 Reg. 18. 26. Quales autem hodie sint Confessores Judæi, toti mundo patet. Græci hæc nomina retinent: Ἰουδαῖος *Judæus*, passim. Ἰουδαϊκὸς *Judaicus*, Tit. 1. 14. Ἰουδαΐζω Judaïζω, Gal 2. 14.

JAC. CAPPELLUS.

16. *Statim* obsecutus sum, nihil cunctatus, & *non contuli cum carne & sanguine*, h. e. cum hominibus] Hebraismus est frequens apud Rabbinos. Rabba in Genesim §. 1. f. 3. d. *Hoc fit more seculi hujus. Rex carnis & sanguinis ædificat palatium eo loco in quo priùs erant cloacæ*, &c. Et §. 4. f. 6. *Rex carnis & sanguinis ædificat palatium, & laquearia facit lapidibus, lignis, pulvere; Deus autem mundi laquearia non nisi ex aqua fecit.* Et §. 49. *Caro & sanguis ab ira subiguntur; Deus verò subigit iram. Dicitur enim Nahum 1. Ultor & dominus iræ. R. Jonatan dixit, Caro & sanguis à zelotypia subiguntur; Deus verò zelotypiam subigit.* Hæc phrasis, ut Judæis, sic & Apostolis est in usu. Matth. 16. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi.* 1 Cor. 15. 50. *Caro & sanguis non possidebunt regnum cælorum.* Eph. 6. 12. *Non est nobis lucta adversùs carnem & sanguinem.* Hebr. 2. 14. *Participes sunt carnis & sanguinis.* Vide quæ notamus in Jacob. 4. 14. & 1 Cor. 15. 50.

LUD. CAPPELLUS.

16. Οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι] Quid hîc intelligat per σάρκα καὶ αἷμα exponit seq. ver. cùm ait, Οὐδὲ ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους alterum enim alterius est ἐξηγητικόν. Sic nempe vocat Apostolos Petrum, Jacobum, Johannem, &c. phrasi Rabbinicâ, quâ Judæi solent homines & quicquid hominum est, quatenus à spirituali & cœlesti distinguitur, vocare בשר ודם *carnem & sanguinem.* Unde passim in eorum scriptis מלך בשר ודם *Rex carnis & sanguinis* est Rex mundanus, hujus mundi. Hoc igitur vult simpliciter Apostolus, Se non homines (nè quidem Apostolos ipsos) consuluisse quid sibi esset faciendum, sed solo Dei Spiritûs motu atque instinctu actum, & ab ipso Christo in raptu triduano post conversionem suam edoctum, statim prædicasse Christum. Institutio quam ab Apostolis accepisset (siquidem eos consuluisset) si cum ea quam à Christo ipso immediatè in raptu habuit comparetur, potest sine Apostolorum contumelia vel contemptu rectè dici לכוד בשר ודם *institutio humana.* Itaque negat se voluisse consulendo Apostolos προσανατίθεσθαι αἵματι καὶ σαρκὶ, *ab hominibus edoceri, institui*: quomodo statim initio hujus Epistolæ negat se ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου constitutum esse Apostolum. Infrà 2. 6. utitur hoc eodem verbo προσανατίθεσθαι, sed alio significatu, ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο, *Petrus, Jacobus & Johannes, qui videntur esse columnæ, nihil mihi contulerunt*, autoritatis scilicet, dignitatis, potestatis, aut verò etiam doctrinæ & cognitionis amplioris.

9. Δεξιὰς ἔδωκαν κοινωνίας] Phrasis est Rabbinica, תשומת יד: nam שתף est *communicare.* Exstat phrasis illa apud Eliam in Tisbi in voce שתף: ubi adducit locum Lev. 5. 21. או בתשומת יד: quam phrasim Targum ista explicat, בשותפות ידא, h. e. κοινωνίᾳ χειρὸς sive δεξιᾶς. Nam יד absolutè positum sæpe pro *dextera* usurpatur. Phrasis autem illa Hebraïca תשומת יד eo loco videtur omnino accipienda de *data mutuò utrimque dextera*, quâ alter alteri fidem dat & facit, mutuusque consensus de aliquo negotio confirmatur. Quæ significatio huic Apostoli loco aptè quadrat. Consentiebant nempe Petrus & Jacobus & Johannes cum Paulo & Bar-

& Barnaba, ut illi Gentibus, ipsi verò Judæis prædicarent Euangelium; in mutui illius consensûs confirmationem dexteras in vicem dederunt. Illa dexterarum consociatio Heb. quidem תנומת יד χειροθεσία, Chaldaicè verò תשומת ידא κοινωνία δεξιᾶς sive χειρὸς dicitur.

GROTIUS.

TErtullianus in primo Adversùs Marcionem hanc Epistolam inter primas Pauli fuisse existimat. Verba ejus sunt, *Ab illo certè Paulo qui adhuc in gratia rudis, trepidans denique ne in vacuum cucurrisset aut curreret, tum primum cum antecessoribus Apostolis conferebat. Igitur si ferventer, ut adhuc Neophytus, adversùs Judaismum aliquid in conversatione reprehendendum existimavit, passivum scilicet convictum, postmodum & ipse usu omnia omnibus futurus ut omnes lucraretur, Judæis quasi Judæus, & eis qui sub lege tanquam sub lege; tu illam solius conversationis placitura postea accusatori suo reprehensionem suspectam vis haberi*, &c. Vehementiorem in hac quàm in aliis Epistolis esse satis apparet. Causas tamen alias quàm suspicatur Tertullianus existimo, nempe quòd illi, qui libertatem rituum Judaïcorum vocatis è gentibus volebant eripere, non Judæi essent, quibus aliquid ea in re erat condonandum, sed alienigenæ qui in Judæa vixerant; quorum princeps erat Cerinthus; quales fuere & illi qui Philippis eadem docuerunt, ut index est ipse Paulus Philipp. 3. 3. quòd iidem Judaizandi necessitatem docerent, nullâ pietate moti, sed ut eâ ratione honores & commoda à Judæis adipiscerentur, simulque effugerent incommoda quæ Christianos premebant: nam eis temporibus Judæis, per Leges Romanas & edicta, libera erat religionis functio, non item Christianis, quos vexari jam tunc cœpisse ex Actis & aliis Pauli Epistolis apparet. Videbat autem Paulus, cui specialiùs quàm cæteris incumbebat gentium conversio, quantum impedimentum ei rei allatura esset hæc novi oneris injunctio. Cùm autem isti Pauli libertatem strenuè defendentis obtrectatores dicerent Paulum jus docendi non nisi a Petro, Johanne & Jacobo accepisse, ac proinde illorum instituta Pauli institutis antehabenda, præterea Paulum ipsum in hac re fuisse varium, Paulus contra magno animo ostendit se non minùs quàm alios Apostolos Apostolatum suum à Christo accepisse, neque Petrum, Johannem & Jacobum aliud docere quàm ipse doceat; se quoque, etsi in usu aut omissione rituum solitus esset se accommodare utilitati eorum quibuscum viveret, idem tamen de ista libertate docuisse semper: & hoc suum dogma typis Veteris Testamenti μυστικῶς [*sensu recondito*] explicatis confirmat. Tempus quo scripta est hæc ad Gallogræcos epistola, sicut designate indicare non possum, ita videre mihi videor non longè abfuisse ab eo tempore quo ad Romanos scripta est epistola.

1. Οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, *Non ab hominibus, neque per hominem*] Munus hoc mihi *neque ab hominibus* suopte arbitratu impositum est, *neque etiam* Dei jussu *per meros homines*, quomodo multi in ecclesiis ordinati fuere per Apostolos, dictante Spiritu, ut Matthias ab Apostolis nominatus, *sed ab ipso Christo* jam extra homines in Divina potestate constituto. Christus per evectionem suam in cœlum non est *homo*, nempe qualis fuit, & quales nos sumus, id est, mortales. ¶ ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *sed per Jesum Christum*] Ab eo qui statim à resurrectione *Deus* à Thoma dici cœpit. Vide Johan. 20. 28. ¶ καὶ Θεοῦ πατρὸς τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. *& Deum Patrem qui suscitavit eum à mortuis*] Quo magis suum munus commendet, per causam mediam ascendit ad primam; nam potestas illa quâ Christus Ecclesiam regit & Paulum ad Apostolatum vocavit, venit ei à Deo Patre, supra quem nihil est.

2. Καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἀδελφοὶ, *Et qui mecum sunt omnes fratres*] Corinthii, ut ego arbitror. Fuit apud Galatas Paulus aliquantò antè quàm Corinthum veniret, Actor. 16. 6. & 18. 1, videtur autem secundum ad Galatas iter, de quo Actor. 18. 23 instituisse post hanc scriptionem. ¶ ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας· *Ecclesiis Galatiæ*] Ancyranis, Tavianis, Pessinuntiis: non addit hic titulum *sanctis*, quia cœperant ab Euangelio declinare.

3. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino nostro Jesu Christo*] In Manuscripto καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ [*& Domino Jesu Christo*] ut Rom. 1. 7. & 1 Cor. 1. 3. 2 Cor. 1. 2.

4. Τοῦ δόντος ἑαυτὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος πονηροῦ. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam*] Dedit, subaudi, *in mortem*, ut Rom. 4. 25. 8. 32. Ephes. 5. 2. Tit. 2. 14. Mors Christi multos habet effectus, hunc inter alios ut admirabilis obedientiæ exemplo nos à peccatis abstrahat, 1 Pet. 1. 18. αἰὼν [*ævum*] hic quod γενεὰ [*generatio*] Actorum 2. 40. κόσμος [*mundus*] 1 Johan. 2. 17. 5. 19. Videtur autem maximè Judæos tangere qui regnum hujus mundi exspectabant. Ἐξέληται [*eriperet*] יציל Esaiæ 42. 22. alii libri hic habent ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν [*pro peccatis*:] quomodo baptismum dari ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λαῶν [*pro iniquitate populorum*] dicit Justinus Colloquio cum Tryphone. ¶ κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν *secundum voluntatem Dei & Patris nostri*] Ostendit obiter Christum non tantùm volentem esse mortuum, sed ex decreto Patris, nempe ad sanciendum fœdus novum diversum a legali. Laudantur exordia quæ auditorem ad id quod præstandum est præparant: καὶ [*&*] hic diversa attributa conjungit, ut Ephes. 1. 3. 1 Thess. 1. 3. 1 Petri 1. 3.]

5. ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Cui est gloria in sæcula sæculorum*] Vide Rom. 16. 27. Deuter. 32. 3.

6. Θαυμάζω ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον. *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratia Christi in aliud Euangelium*] Μετατίθεσθε [*transferimini*] id est, sinitis vos transferri per novos illos Doctores. Hebraicè גלים, quod ad nomen *Galatarum* alludere ait Hieronymus. Cæsar Gallos, unde orti Galatæ, ait *in consiliis capiendis fuisse mobiles, & novis plerumque rebus studuisse.* καλέσαντος [*qui vocavit*] rectè conjungitur cum voce Χριστοῦ [*Christi.*] *vocare nos*, id est, nihil cogitantes ad salutem invitare, *Deus Pater* sæpissime dicitur, sed quia id facit per Christum, rectè & *Christus* hoc facere dicitur. ἐν χάριτι [*in gratia*,] id est, *benignè, amanter admodum*: id enim Hebræi dicunt בחן [*in gratia.*] *Christum* autem cùm dicit, ipsius doctrinam intelligit. Et *alterum Euangelium* dicit figurâ a simili, id est, novam doctrinam quasi esset Euangelium. Sic Satanas *Deus hujus sæculi*, quia quasi Deus colitur.

7. Ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο· *Quod non est aliud*] *Quæ res nihil in se habet aliud*, ὃ [*quod*] enim ad totam rem refertur. ¶ Εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς, *nisi sunt aliqui qui vos conturbant*] *Nisi quod sunt quidam qui animos vestros commovent*, עכרים, *qui scrupulos vobis injiciunt.* ¶ καὶ θέλοντες μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ· *& volunt convertere Euangelium Christi*] Mutat mercem qui aliquid admiscet extraneum; ut hi Doctores doctrinæ Christi miscebant Legis Judaïcæ necessitatem, quam Christus noluerat imponi iis, præsertim qui ex Gentibus erant vocati, idque vitam quidem mortalem agens innuerat magis quàm dixerat: apertiùs autem explicaverat Apostolis post resurrectionem, tum per se, tum per Spiritum sanctum.

8. Ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω, *sed licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema sit*] Παρ' ὃ hic significat *contra quàm* ut Actor. 18. 13. Rom. 1. 26. 4. 18. 11. 24. & εὐαγγελίζηται [*euangelizet*] hic sume pro *doceat*, eâ figurâ quam jam observavimus. Quod de *Angelo* dicit, est quidem exaggeranter dictum, non tamen planè ἀδύνατον [*impossibile*;] nam Angeli desertores olim in cœlo fuere: neque semel, sed sæpius accidisse ut Angeli ex bonis mali fierent, putant Hebræi. In Veteri Fœdere mentio est *fœderis* cujusdam *novi*: at in Christi fœdere non modò nullum posterius promittitur, sed etiam asseritur nullum exstiturum posterius, ut videre est Matth. 28. 20. ἀνάθεμα ἔστω [*anathema sit*] יהי חרם, id est, *cum eo nihil nobis sit commercii, non magis quàm cum iis quos Synagoga aut Ecclesia penitus abscidit.* Vide Roman. 9. 3. 1 Corinth. 12. 3. 16. 22.

9. Ὡς προειρήκαμεν, καὶ ἄρτι πάλιν λέγω, *sicut prædiximus, & nunc iterum dico*] Solemus quæ valde inculcare animis volumus, sæpius repetere. ἄρτι hic valet *nunc*, ut Matth. 3. 15. 9. 18, ubi dicta vide. ¶ εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, *si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis*] Contra quàm ego vos ex Christi mandato docui.

10. Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν; *Modo enim homines suadeo, an Deum?*] *Nunc*, id est, ex quo Apostolus factus sum. πείθω [*suadeo*] hic significat *propositum mihi facio*, ut diximus ad Matth. 28. 14. Sic in Græco 1 Sam. 24. 7. καὶ ἔπεισε Δαβὶδ τοὺς ἄνδρας αὐτοῦ ἐν λόγοις [*& suasit David viros suos in sermonibus.* Ex obliquo adversarios ferit, qui dum hominum iras effugerent Dei iram non curabant. ¶ ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; *An quæro hominibus placere?*] An facio ut illi, qui Judæorum captant gratias? ¶ εἰ γὰρ ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, *si adhuc hominibus placerem*] Sicut antea faciebam. ¶ Χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην. *Christi servus non essem*] Non essem genuinus Christi servus: in enim solidum hominem postulat, Matth. 6. 24. de se loquendo illos alios ex contrario notat.

11. Οὐκ ἔστι κατὰ ἄνθρωπον. *Non est secundum hominem*] *Nihil humani affectûs admixtum habet.*

12. Οὐδὲ

12. *Οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτό, Neque enim ego ab homine accepi illud*] *Non ex* Hillelis *traditione hoc ad me venit.* ¶ *οὔτε ἐδιδάχθην, neque didici*] *Non hoc me* Gamaliel *docuit.* ¶ *ἀλλὰ δι᾽ ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. sed per revelationem Jesu Christi*] *Per revelationem cœlestem addidici.* Iterum Jesum Christum hominibus, id est, mortalibus, opponit. Sic Moses vocatur per Angelum in rubo.

13. *Τὴν ἐμὴν ἀναστροφήν. Conversationem meam*] Habes hanc vocem Tobiæ 4. 14. Ephes. 4. 22. 1 Timoth. 4. 12. Hebr. 13. 7. Jac. 3. 13. & in utraque Petri non semel, significat autem *vitæ genus ac modum.* ¶ *ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ, in Judaismo*] *In Judaica religione.* Sic Ἰουδαΐζων [*Judaizans*] habes Esth. 8. 17. ¶ *ὅτι καθ᾽ ὑπερβολήν, quoniam supra modum*] Locutio Paulina, ut Rom. 7. 13. 2 Cor. 4. 17. ¶ *ἐδίωκον τὴν ἐκκλησίαν, persequebar Ecclesiam*] Idem habes 1 Cor. 15. 9. ¶ *καὶ ἐπόρθουν αὐτήν, & expugnabam illam*] Habes hoc verbum de re eadem Actor. 9. 21.

14. *Καὶ προέκοπτον ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ, Et proficiebam in Judaismo*] *In notitia Judaicæ religionis, sive in legis studio.* ¶ *ὑπὲρ πολλοὺς συνηλικιώτας ἐν τῷ γένει μου, supra multos coætaneos meos in genere meo*] מן הילדים אשר בגילי, [*præ adolescentibus mihi coævis,*] ut est Dan. 1. 10. על כל בני גילי, [*super omnes filios mihi coætaneos,*] ut loquitur alicubi Maimonides. *Genus* autem hic dixit pro *gente*, ut 2 Corinth. 11. 26. ¶ *περισσοτέρως ζηλωτὴς ὑπάρχων τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum*] Παραδόσεων [*traditionum*] voce tum ipsam Legem, tum Legis interpretationem intelligit. Vide Matth. 15. 2. & ζηλωτὴς est *ardenter studiosus.* Vide Actor. 21. 20. Rom. 10. 2. Philipp. cap. 3. 6. *πατρικαὶ παραδόσεις* [*paternæ traditiones*] hic, ut ἔθη πατρῷα [*mores patrii*] Actor. 28. 17. *sunt leges & instituta à majoribus accepta.* Vide Actorum 23. 6.

15. *Ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ Θεός, Cum autem placuit Deo*] Hoc εὐδόκησεν [*placuit*] cohæret cum illo quod sequitur ἀποκαλύψαι [*ut revelaret.*] *Cum Deo visum est per me cognitum facere Filium suum.* εὐδόκησε [*placuit,*] חפץ dicitur de iis quorum Deus rationes reddere non solet. ¶ *ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου, qui me segregavit ex utero matris meæ*] Solet quidem hæc locutio proverbialiter & sæpe ὑπερβολικῶς [*exsuperanter*] usurpari, ut Psalm. 22. 10. 58. 4. 71. 6. Esaiæ 48. 8. Sed hic tamen proprietas significationis retinenda est; respicitur enim locus Jeremiæ 1. 4. quem bene explicat Maimonides Doctoris dubitantium 11. 32. *Requiritur ad Prophetiam bonum cerebri temperamentum: non tamen qui id habent Prophetæ fiunt, sed ii quibus hoc Deus vult concedere.* Non dissimilis locutio est apud Philonem, *Ἔτι κατὰ γαστρὸς ἐν τῷ τῆς Φύσεως ἐργαστηρίῳ διαπλασθέντα αὐτοκράτορα* [*Formatum jam inde ab utero, in officina naturæ, Imperatorem.*] ¶ *καὶ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ, & vocavit per gratiam suam*] *Vocationem* illam intellige de qua Actor. 9. 5, & sequentibus: illa autem proveniebat *ex singulari quadam Dei benevolentia in eum*, qui tunc cùm maximè hostem agebat Christianismi.

16. *Ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί, Ut revelaret Filium suum in me,*] Ἐν [*In*] hic est, *per.* *Voluit Filium suum per me cognitum facere plurimis.* Et sic accepit Syrus. ¶ *ἵνα εὐαγγελίζωμαι αὐτὸν ἐν τοῖς ἔθνεσιν, Ut evangelizarem illum in Gentibus*] Ἵνα hic sumo pro *ita ut*, quo sensu ponitur in 1 Corinth. 9. 24. & Apoc. 13. 13. Explicat enim modum quo Deus voluerit per Paulum Filium suum cognosci, *nempe Paulo Gentibus prædicante*, Actor. 9. 15. ¶ *εὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, continuò non acquievi carni & sanguini*] Significat *statim* se, id est, nullà morà interpositâ, cœpisse fungi suo munere, ut dicto Actorum loco commate 20. videre est. Sed maluit id efferre per negationem. *προσανατίθεσθαι* idem quod *ἀνατίθεσθαι*, *aliquem adire consilii capiendi causâ.* Usurpant sic Diodorus Siculus & Lucianus. *Caro & sanguis* significant hic Hominem & quidem mortalem, ut Ephes. 6. 12. Matth. 16. 17. Non quæsivi ex homine ullo an parendum mihi esset: Sciebam enim mihi gravissimas pœnas imminere nisi paruissem, 1 Corinth. 9. 16. Hæc omnino eo pertinent ut ostendat se nihil dare aut amori in Gentes, aut odio in Judæos, sed se quæ facit facere Dei & Christi causâ.

17. *Οὐδὲ ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους· Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos*] Petrum, Johannem, Jacobum, qui plurimum circa illa tempora Hierosolymis agebant. ¶ *ἀλλ᾽ ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν, sed abii in Arabiam*] In loca Damasco proxima: ipsa enim Damascus tunc sub Arabum erat regno. Hæc prima est Gentium cui Paulus Euangelium annuntiavit: in hoc quoque Mosi similis, cui post relictam Ægyptum prima statio in Arabia. Sic impletum mysticè vaticinium Esaiæ 42. 2. Hoc iter Lucas non enarravit, quia ei non adfuit.

18. *ἱστορῆσαι Πέτρον· videre Petrum*] *Ut Petrum inviserem*, ita hic interpretatur Chrysostomus. Sic *ἱστορῆσαι χώρας* [*invisere regiones*] Plutarchus Theseo. Usurpat sic & Lycophron. Pro Πέτρον [*Petrum*] hic in Manuscripto est Κηφᾶν [*Cepham*,] & sic in omni hac Epistola, & credo sic scripsisse Paulum, sed exscriptorem reposuisse nomen inter Græcos notius.

19. *Εἰ μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου. Nisi Jacobum fratrem Domini*] Εἰ μὴ hic valet, *sed*, ut Matth. 12. 4 Gal. 1. 7. 2. 16. Apoc. 9. 4. & alibi, *nullum reperi Apostolorum*, quippe qui aliò iverant Euangelii spargendi causâ, *sed reperi eum qui eorum vices obibat, Jacobum fratrem Domini.* ¶ *ἐπέμεινα πρὸς αὐτὸν ἡμέρας δεκαπέντε. mansi apud eum dies quindecim*] Magnus hospes, magni hospitis.

20. *Ἃ δὲ γράφω ὑμῖν, ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*] Juramentum adhibet, ut Rom. 1. 9. 2 Corinth. 1. 23, & alibi sæpe. Causa autem gravis erat ut crederetur Apostolus à Christo factus, non ab aliis Apostolis substitutus.

21. *Ἔπειτα ἦλθον εἰς τὰ κλίματα τῆς Συρίας καὶ τῆς Κιλικίας. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ.*] Actor. 9. 30. Vocem κλίματος [*regionis*] habuimus & Rom. 15. 23. 2 Cor. 11. 10.

22. *Ἤμην δὲ ἀγνοούμενος τῷ προσώπῳ ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Ἰουδαίας ταῖς ἐν Χριστῷ· Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo*] Τῷ προσώπῳ hic est quod Latini dicunt *de facie.* Ita Cicero ad Pisonem, & alii. Hoc interserit ut appareat falsum esse quod de illo spargebatur, ipsum in Judæa docuisse necessitatem rituum Judaïcorum.

23. *Μόνον δὲ ἀκούοντες ἦσαν· Tantum autem auditum habebant*] Præcessit ἐκκλησίαις [*Ecclesiis*,] & sequitur masculinum, intelliguntur enim *illi qui in Ecclesiis erant.* ¶ *ὅτι ὁ διώκων ἡμᾶς ποτε, quoniam qui persequebatur nos aliquando*] Id est, διώξας [*qui persequutus est*;] nam sic Benoni sæpe ponitur apud Hebræos. Vide Sirach. 48. 7. ¶ *νῦν εὐαγγελίζεται τὴν πίστιν ἥν ποτε ἐπόρθει. Nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat*] Πίστιν [*Fidem*] vocat *μετωνυμικῶς τὸν λόγον* [*per Transnominationem verbum*] cui creditur. Sic & infra 3. 2, 5, 23, 25. De voce πορθεῖν [*expugnare*] vide supra 13. de re Actor. 9. 21.

24. *Καὶ ἐδόξαζον ἐν ἐμοὶ τὸν Θεόν. Et in me glorificabant Deum,*] Ἐν ἐμοί, *mei causâ*: Hebraismus.

CAP. II.

VALLA.

2. SEorsum autem iis qui videbantur esse aliquid*] Non hic Græcè legitur *esse aliquid*, sed paulò pòst v. 6 cùm legitur, *Ab iis autem qui videbantur esse aliquid.* Sed neque tertiò legitur, ubi dicitur, *Mihi autem qui videbantur esse aliquid*; quod nescio an ab Interprete an ab alio sit adjectum, quasi subaudiretur.

5. *Quibus neque ad horam cessimus subjectioni*] Est quidem Græcè dativus *subjectioni*, quia ablativus esse non potest, sed transferendus; ut opinor, nunc per ablativum *subjectione*, h. e. *non cessimus subjiciendo nos.*

6. *Nihil contulerunt*] Imò *nihil addiderunt*, nè quis putet Apostolos nihil Paulo contulisse, προσανέθεντο.

16. *Et nos in Jesu Christo credimus, ut justificemur ex fide*] Græcè est *Credidimus*, ἐπιστεύσαμεν· & *in Jesum Christum*, εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν.

20. *Christo confixus sum cruci*] Gr. *Cum Christo crucifixus sum*, Χριστῷ συνεσταύρωμαι.

REVIUS in VALLAM.

6. NIhil addiderunt*] Parùm hic attentum fuisse Vallam putat Erasmus, & *contulerunt* præfert. Beza, *præterea contulerunt*, expressâ particulâ πρὸς, ad quam & Valla videtur respexisse.

ERASMUS.

1. POst annos*] Διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, *per quatuordecim annos.* Quanquam sensum probè reddidit Interpres.

2. *Et contuli cum illis*] Ἀνεθέμην. Quod verbum D. Hieronymus negat Græcis significare propriè *conferre*, sed *quæ novimus ea in sinum amici exponere, & in medium adferre, communi*

muni consilio vel probanda vel improbanda. Unde quod superiùs habuimus προσανεθέμην significat *præterea cum quoquam contuli*, scilicet post vocationem Christi. Aut si legas προανεθέμην, id est *prius contuli*, nempe quàm iret in Arabiam. In illo videtur Paulus non diffisus suæ vocationi, in hoc videtur non eguisse aliorum consilio ut in Arabia doceret Christum. Cæterùm quod Hieronymus admonet de proprietate verbi ἀνεθέμην, huc, opinor, spectavit, quòd ἀνατίθεσθαι Græcis dicitur tam is *qui suscipit onus* quàm *qui alteri imponit*: qui verò cum aliis confert, in medium deponit sarcinam suam, velut onerans eos quos suorum factorum judices facit, suscepturus, si quid illi detrahant addantve sarcinæ. Unde & *quæ seposita sunt & in alto suspensa* ἀναθήματα vocamus. Euripides in Iphigenia Aulidensi pro eodem dixit συνενεγκεῖν, q.d. *simul importare*. Ità Clytemnestra Agamemnoni, συνενέγκαι δ' ὅμως. ¶ *Qui videbantur aliquid*] Τοῖς δοκοῦσι, *qui videbantur*, ut legit Augustinus, sive *probatis*. Porrò *aliquid* additum est abs quopiam cui sermo videbatur parùm absolutus. Perperàm igitur qui legunt *qui videbantur aliquid*; sed pejus qui legunt *qui sibi videbantur aliquid*; quorum est Ambrosius, si modò codices mendo vacant. Contumeliosum enim erat *qui sibi videbantur aliquid*, quasi nullius alioqui pretii, sed suâ duntaxat opinione forent aliquid, cùm id magis ad aliorum referatur æstimationem. δοκοῦντες enim absolutè dicuntur Græcis *qui magnæ sunt autoritatis*; velut ἀδοξοῦντας, *quorum levis est autoritas*. Ità Euripides in Hecuba,

——— Λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων, αὐτὸς οὐ ταὐτὸ σθένει.

Nam oratio profecta ab iis qui magnæ sunt existimationis, & qui non sunt alicujus existimationis, eadem non idem valet. Apud Græcos primo & tertio loco non additur τὶ *aliquid*: medio tantùm loco additur, *ab iis autem qui videbantur esse aliquid*: quod haud scio an adjectum fuerit abs quopiam qui putarit esse subaudiendum: tametsi mirè consentiunt exemplaria: quandoquidem & Ambrosius legit *qui existimabantur esse aliquid*. Mihi probabile videtur quod Valla conjectat, videlicet adjectitium esse. Atque ex interpretatione Hieronymi propemodum liquet illum non legisse *qui videbantur esse aliquid*, sed tantùm *qui videbantur*, cùm ità scribit, *Solicitus itaque requirebam quidnam esset quod diceret*, QUI VIDEBANTUR: *sed nunc me omni scrupulo liberavit*, *adjiciens*: QUI VIDEBANTUR COLUMNÆ ESSE. Atque in exemplari Paulino primo loco tantùm est *qui videbantur*. Deinde cùm Paulus sentiat eos *in magno pretio habitos*, quod mox apertius explicat, *qui videbantur columnæ esse*, quomodo congruet huic loco *qui videbantur esse aliquid*? sic enim loquimur de his rebus quibus nolimus nihil omnino tribui. Cæterùm quamvis Hieronymus hactenus à me stat quòd non addit *aliquid*, non tamen videtur satis perpendisse vim participii Græci δοκοῦντες. Proinde nos vertimus *cum iis qui erant in pretio*. Nè quid tamen celem lectorem, quoniam apud Græcos semel hic additur τί, fieri potest ut eodem sensu posuerit hic *aliquid* quo Lucas Act. 5. dixit *aliquem* pro *magno*; *Ante hos enim dies exstitit Theudas, dicens se esse aliquem.* Ambrosius obiter indicat hoc loco quod in Actis magis erat annotandum. Nam ubi nos legimus ejus voluminis capite 15. præscriptum Gentibus *ut abstinerent* à quatuor, *ab Idolothytis, à Scortatione, à Sanguine, à Suffocato*, ille monet ab Apostolis non fuisse præscripta nisi tria, quartum à Græcis additum. Siquidem disputationem ità claudit, *Quæ sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen à sanguine abstinendum, adulterarunt scripturam, quartum mandatum addentes, & à Suffocato observandum: quod puto nunc Dei nutu intellecturi sunt, quia jam suprà dictum erat, quod addiderunt.* Et *Sanguinis abstinentiam* interpretatur non *ab Homicidio temperandum*, id quod Ethnicorum quoque legibus vetitum erat, sed ab *Esu carnium cum sanguine*, more Noe juxta Pythagoræ dogma. Cæterùm illi secus interpretantes *interdictum Sanguinem*, addidere confine quiddam ex Judæorum ceremoniis, de *Suffocato*. Porrò frustra vetari nè vescamur pecude suffocatâ, cùm jubeamur ab esu carnium omnium abstinere, juxta Ambrosii sententiam. Cui quantum tribuendum sit alii viderint: certè Irenæus aliquoties refert locum ex Actis, nec addit mentionem *suffocatorum*, nominatim lib. 3. adv. Hæreticos, cap. 12.

3. *Cùm esset Gentilis*] Ἕλλην ὤν, *Græcus cum esset*: quo tamen abutitur pro *Ethnico*.

4. *Sed propter introductos falsos fratres*] Παρεισάκτους q.d. *obiter ingressos*. Nam παρὰ apud Græcos plerumque in malam significat partem, & nomen est, non participium; velut dicas *subinductitios fratres*. Sic & mox, οἵτινες παρεισῆλθον, *obiter ingressi sunt*, nobis aliud agentibus: id quod solent exploratores ac molientes insidias. Jam *falsos fratres* est ψευδαδέλφους, i.e. falso nomine Christianos: de quo superiùs admonuimus. D. Hieronymus conjunctionem *autem* sive *sed* putat hoc loco supervacaneam & abjiciendam, partim quod, si ponatur, non habeat partem quæ illi respondeat (solet enim apud Græcos δὲ semper respondere μὲν) partim quod sensui hujus Epistolæ vehementer repugnet. Intelligit enim D. Hieronymus Paulum *nullâ vi potuisse compelli ut Titum, cùm esset Gentilis, circumciderет*; idque ad *veritatem Euangelii* pertinuisse. Atque ità quòd sequitur *propter superintroductos falsos fratres* cohæret cum superioribus, *non fuit compulsus circumcidi propter falsos fratres*, &c. In hanc sententiam interpretatur Augustinus; tametsi secùs legit Ambrosius.

5. *Cessimus subjectioni*] Est quidem dativus apud Græcos ὑποταγῇ, sed per ablativum vertendus, *subjectione*, i.e. ut illis subjiceremus. Atque in exemplari Paulino primâ manu scriptum fuerat *subjectione*, casu auferendi. Hieronymus indicat in Latinis cod. quibusdam non haberi οἷς, ut intelligas *Titum cessisse ad horam*; in Græcis addi, ut sensus sit, *illum nullo modo cessisse*. Quod si legatur *cessisse ad horam*, hoc tamen Hieronymus non putat pertinere ad *circumcisionem Titi*, sed ad id duntaxat quòd *Hierosolymam redierit quo illis satisfaceret*. Et tamen quod Hieronymus negat esse in Latinis cod. nunc in omnibus Latinis exempl. visitur scriptum, præterquam apud Ambrosium, qui secùs etiam atque nos ordinat orationem, nimirum hoc pacto, *Propter autem subintroductos fratres falsos, qui subintraverunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem subjicerent, ad horam cessimus subjectioni*: atque ità legisse declarat ejusdem interpretatio. Omittit ille pronomen *quibus*, quod additum videtur orationem inabsolutam reddere, nisi sic ordinemus, *Titus non compulsus est circumcidi propter Apostolos, quibus aliquousque cessimus, sed propter subintroductos fratres, quibus ne tantulum quidem cessimus.* At quomodo *non cessit* qui Timotheum coactus est circumcidere? Argutatur pluribus verbis super hoc loco Ambrosius. Nec video quomodo locus possit explicari nisi fateamur Pauli sermonem esse imperfectum; ut intelligamus hoc pacto, *Apostoli non compellebant; sed propter fratres falsos videbamur compellendi, quòd ii odiosius instarent; quibus tamen pro eo tempore non cessimus eousque ut quenquam è Gentibus circumcideremus.* ¶ *Apud vos*] Πρὸς ὑμᾶς, *erga vos*.

6. *Ab iis autem qui videbantur*] Rursum Paulus orationem inceptam non absolvit, quòd interloquatur quædam; deinde mutatâ sermonis forma redit ad id quod instituerat. Videbatur enim adjecturus, *Ab his qui habebantur in pretio nihil adjutus sum.* Deinde cùm ceu per Parenthesim interjecisset, *quales olim fuerint meâ non refert: Deus personam hominis non accipit* (nam id illi obiter apparet venisse in mentem ex eo quod dixerat, *qui nunc videntur esse magni*) mox redit ad id quod cœperat, sed diversâ sermonis formâ, ¶ *Mihi enim qui videbantur esse aliquid*, &c.] Rursum hoc tertio loco non est *esse aliquid*, sed tantùm οἱ δοκοῦντες, *qui videbantur*; h. e. *in pretio habiti*, quos vulgò vocant *reputatos*. ¶ *Nihil contulerunt*] Οὐδὲν προσανέθεντο, *nihil communicarunt*; idem verbum quod sæpius vertit *acquievi*: id quod admonet & D. Hieronymus. *Contulerat* cum illis Paulus suum *Euangelium*; illi *non contulerunt* vicissim suum, sed duntaxat probarunt Euangelium Pauli. Itaque hoc loco *contulerunt* non significat idem quod *addiderunt*, ut quidam arbitrantur; sed illud hinc consequitur. Nam quid potuerant *addere* Paulo qui *ne communicarunt* quidem de suo Euangelio? Poterant aliquid à Paulo accipere, nihil poterant adjungere. D. Hieronymus putat hic Hyperbaton esse, ut multis quæ in medio sunt interjecta sublatis legamus ad hunc modum, *Mihi enim qui videbantur esse, nihil contulerunt, sed è contrà dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis.* Quanquam possumus juxta superiorem sensum ità legere ut citra jactantiam occultè significarit Paulus, *ab illis nihil collatum sibi*, sed à se potiùs illis: quod tamen ex re consequitur veriùs, ut modò diximus, quàm verbis significatur. Est enim hic idem verbum προσανέθεντο, quod significat *communicare de re quapiam consultandi gratiâ.* Quo quidem in loco parùm attentus fuit Valla, qui putat hic *contulerunt* idem esse quod *addiderunt*.

7. *Cùm vidissent quia creditum est*] Ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον, *esse mihi creditum* (sive *commissum*) *Euangelium*. Sic enim Græci loquuntur, *Creditus sum hanc rem*, &, *Commissus sum hanc rem.* ὅτι aut omittendum erat aut vertendum in *quod*.

8. *Qui enim operatus est Petro*] Propius erat Græcæ lectioni *in Petro* & *in me*: ἐνεργήσας Πέτρῳ, ἐνήργησε καὶ ἐμοί· siquidem præpositio est in voce composita. Nec est simpliciter *operatus*, sed *efficax fuit & vim suam ostendit*. Nam Origenes in epist. ad Rom. existimat idem pollere ἐντελέχειαν & ἐνέργειαν, h. e. *actum* & *vim ex se moventem organum*. Sentit enim,

Quæ-

Quicquid per Petrum effectum est, non ipsius viribus sed Deo autore perfectum: Cujus ope præsidioque & ipse adjutus non minora patraverit inter incircumcisos quam ille inter circumcisos. Atque hic rursum opus est Parenthesi, ut legamus ad hunc modum, *Imò contra, cum vidissent mihi concreditum fuisse Evangelium Præputii, quemadmodum Petro Circumcisionis*: deinde quæ sequuntur Parenthesi separentur, *Nam qui operatus est in Petro ad Apostolatum Circumcisionis, operatus fuit & in me erga Gentes*: mox quod sequitur connectatur cum superioribus, *cumque cognovissent gratiam mihi datam*, &c. ¶ *Inter gentes*] Εἰς τὰ ἔθνη, *in Gentes*, ut legit Ambrosius. Alicubi citat *ad Gentes*, sive *ergà Gentes*: ut respondeat ei quod præcessit, εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς.

9. *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis*] Aut subaudiendum *ἕνεκα*, aut juxta Hebræum idioma dixit *dexteras societatis*, ut *osculum pacis*, pro *dexteris socialibus*, ut ità loquamur. ¶ *Ut nos in Gentes, ipsi autem*] Hic sermo non est absolutus, sed subaudiendum est *Apostolico munere fungerentur*. Nam *in* positum est pro *erga*. Et *circumcisionem* vocat ipsam gentem Judaïcam, quam opponit *Gentibus*, quas aliquando vocat *præputium*.

10. *Tantum ut pauperum*] *Tantum* adverbium referendum est ad sequentia, non ad præcedentia. Hoc admonui quia nonnulli secus distinguunt. Subaudiendum autem est aliquid, *tantum admonuerunt*, aut *mandarunt*.

11. *In faciem ei restiti*] Κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, *juxta faciem illi restiti*, aut certè *in facie*, non *in faciem*, i. e. palàm & in conspectu omnium: nam *in faciem* erat contumeliosius. Nec est Græcè κατὰ πρόσωπα, sed κατὰ πρόσωπον. Consentiunt cum his & Græcorum Scholia & Ambrosius, qui *in facie* interpretatur *palàm & coràm*. D. autem Hieronymus accipit *secundum faciem* pro eo quod est *non ex animo*, sed ut iis qui aderant speciem reprehensionis exhiberet, quò Petri simulatio, quam videbat noxiam fore Gentibus, simulatâ reprehensione corrigeretur. Et hanc utriusque hypocrisin *dispensationem* appellat. Cæterùm juxta hunc sensum dilutius erit quòd Paulus hoc lemmate Galatas à Judaïsmo deterreat quia *Cephæ fictè restiterit in faciem*, &, cùm ille nihil peccarit, hanc ansam objurgandi quæsierit. Quanquam hæc Græcorum quorundam interpretatio alia quoque de causa non probatur Augustino. Et hinc nata est illa magnifica de Mendacio inter illos disputatio, cùm *simulatio* ac *dissimulatio* sit potiùs quam *mendacium*. A quo verbo adeò non abhorret Hieronymus ut *hypocrisin* hujusmodi non vereatur & Prophetis atque adeò ipsi Christo tribuere. Petrus enim, cùm advenissent Judæi, surgens è convivio dissimulabat se vesci cibis communibus, nè offenderentur quibus persuaderi non poterat id licere, cùm ille sciret licere. Ac rursum, ubi Paulus sensit ex ea dissimulatione, quâ Petrus studuerat mederi Judæis, nasci grave offendiculum, adeò ut Barnabæ quoque timeret, opposuit acrem objurgationem, sed *secundum faciem*, h. e. in speciem & per simulationem; non quòd crederet Petrum peccasse suâ dissimulatione, sed quòd videret id quod in suæ gentis remedium fecerat Petrus in Gentium perniciem vergere, quarum curam agebat Paulus. Augustinus explanans hanc Epistolam, sanè quam durè, meâ quidem sententia, tractat Petrum, his verbis de illo loquens, *Petrus autem cum venisset Antiochiam, objurgatus est à Paulo, non quia servabat consuetudinem Judæorum in qua natus atque educatus erat, quanquam apud Gentes eam non servaret; sed objurgatus est quia Gentibus eam volebat imponere.* Hactenus Augustinus. Videtur enim perversitatem quandam sapere, si quis onus studeat aliis imponere quod non judicet esse suscipiendum. Atqui hujus vox est in Actis Apostolicis cap. 15. *Nunc ergò quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?* Qui convenit ut cui *tentare Deum* dicatur qui jugum Legis vellet imponere Gentibus, ipse tanto studio conatus sit imponere ut ad id simulatione sit usus? Rursus Augustinus libro De agone Christiano cap. 30. factum hoc Petri *superstitiosam simulationem* appellat, & cæteris illius peccatis, Diffidentiæ, Pugnæ, Abnegationis, admiscet: atque adeò paulò post in eodem capite *pravam simulationem* appellat, *Hos*, inquiens, *Ecclesia Catholica materno recipit sinu, tanquam Petrum post fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tanquam eundem post pravam simulationem Pauli voce correctum.* At operæpretium videre est quantum absit Hieronymus ab Augustini sententia. Hic non veretur Petro Apostolorum Principi, etiam post acceptum cœlestem Spiritum, impingere *perversam simulationem*; ille non fert vel *errorem* tribui Petro. Sic enim loquitur in Præfatione Commentariorum quos in hanc edidit Epistolam, *Quamobrem ita caute inter utrumque & medius incedit ut nec Evangelii prodat gratiam, pressus pondere & autoritate majorum; nec præcessoribus faciat injuriam dum assertor est gratiæ. Obliquè verò & quasi per cuniculos latenter incedens, ut Petrum doceat pro commissa sibi circumcisionis plebe facere, ne ab antiquo repentè vivendi more desciscens, in crucem scandalizata non crederet; & sibi prædicatione Gentium creditâ, æquum esse id pro veritate defendere quod alius pro dispensatione simularet. Quod nequaquam intelligens Bataneotes & sceleratus ille Porphyrius, in primo operis sui adversum nos libro, Petrum à Paulo objecit esse reprehensum quòd non recto pede incederet ad evangelizandum, volens & illi maculam erroris inurere, & huic procacitatis, & in commune ficti dogmatis accusare mendacium, dum inter se Ecclesiarum principes discrepant.* Hactenus Hieronymi verba retulimus. Nonnulli verò dum non possunt ex his difficultatibus explicare sese, commenti sunt *Cepham* hunc cui *in os restitit* Paulus non fuisse Petrum Apostolum, sed alium quempiam. Hujus opinionis autorem Græcorum Scholia citant Eusebium in Historia Ecclesiastica, qui rem fecerit hoc argumento probabiliorem, *Quorsum*, inquit, *opus erat ut Petrus sese à convivio subduceret ob interventum Judæorum, cùm multò antè satisfecerit omnibus expostulantibus quod cum Cornelio incircumciso commercium habuisset, & adeo satisfecerit ut illi, cognito negotio, concorditer gratias egerint Deo; præsertim cùm hujusce rei nulla mentio fiat in Actis Apostolorum?* Sed hanc opinionem ceu commenticiam ac frigidam fortiter rejicit Hieronymus, cùm ipsa res doceat totum hunc sermonem ad Petrum & illius collegas pertinere. Negat autem ullum Cepham notum nobis præter Apostolum, qui Syrorum linguâ *Cephas* dicitur, quòd illis *Cephas* idem sonet quod Græcis ac nobis *Petrus*. Deinde, non mirum si hoc omisit Lucas, à quo tam multa præterea sint prætermissa, velut illud, quòd Petrus primùm sederit Antiochiæ, deinde Romam sedem suam transtulerit. Postremò, non oportere nobis tanti esse Porphyrium sycophantam ut in illius gratiam novum Cepham fingamus. Alioqui si conemur è Scripturis eradere quicquid hæreticorum calumniis obnoxium sit, plura alia forent eradenda. Thomas Aquinas verbosissimam disputationem quæ super hac re versatur inter Hieronymum & Augustinum non inscitè contraxit in compendium, indicans controversiæ summam quatuor in rebus potissimùm esse sitam: I. Primùm in tempore, quod Hieronymus in duas, Augustinus in tres partes distinxerit, sic ut Legalia ante Evangelium fuerint *viva*; mox à morte Christi *mortua, sed non mortifera, Judæis duntaxat, modò ne spem aliquam salutis in eis collocarent*; demum Evangelio latè divulgato, *eadem omnibus fuisse mortifera*. Ut hæc verè distinxerit Augustinus, Hieronymus putat jam satis divulgatum fuisse Evangelium cùm Petro visione monstratum est *nihil esse commune*, cùm hac de re satisfecit Judæis ex postulantibus, cùm ipse publicâ concione testatus est *onus Legis nemini imponendum, quod nec ipsi ferre potuissent, nec majores ipsorum*. Et negabimus *Evangelii gratiam divulgatam*, cùm ubique gentium tot hominum millia tenerent Evangelium? præsertim cùm multò antè palàm dixisset ipse Christus, *Lex & Prophetæ usque ad Johannem*, cùm *velum Templi scissum esset à summo usque ad imum*. Nec in hoc Legi fiebat injuria, si quatenus erat umbra cederet veritati. Neque tantum, opinor, honoris debebatur Synagogæ, quam Christus repudiavit ut viricidam, præsertim cùm ex eo honore tantum immineret periculi ut parùm abfuerit quin Gentes quoque pertraherentur in Judaïsmum. Neque nihil erat futurum discriminis inter sacrificia Gentium & Judæorum, quòd cùm illa semper fuerint exsecranda, hæc pro tempore suum habuerunt honorem. Jam confinium illud quod Augustinus inducit inter duo tempora quà notâ disterminabimus? an donec erunt qui non poterunt negligere? Atqui sunt hujus generis multi, nostris quoque temporibus, inter Christianos. Quanquam totum hoc quod adducit Augustinus de *mortuis, at non mortiferis*, de *tempore medio*, de *Synagoga cum honore deferenda ad tumulum*, magis humanâ ratione quàm Divinæ Scripturæ testimoniis subnixum est. Quis autem sanus velit ea servare è quibus nullum speraret fructum? Quòd si Judæi hoc animo servabant Legalia ut nec utilia nec inutilia, cur ea exigunt à Paulo? imò cur à Gentibus? Certè qui hæc faciebant, putabant ad rem pertinere. Cur hos non redarguunt Apostoli? Quòd si nihil erat ab illis fructûs, certè vel ob hoc erant fugienda quòd qui servarent ea speciem præbebant infirmis, quasi sine his non sufficeret Evangelium. Atque hinc sanè nata hæresis Ebionitarum, præter alias aliquot, quæ Christum cum Mose miscebat, cùm ille puritinus esse vellet. II. Jam in secundo discrimine, ait, juxta Hieronymi sententiam, *Apostolos non servasse Legalia, sed* aliquoties pro tempore *simulasse*, sed tamen propter aliquas causas: putà, *quiescebant Sabbato*, non superstitione, sed *ob quietem*; *abstinebant* à quibusdam *cibis*, non ut vetitis,

sed

sed *propter abominationem.* Nam hæc, ni fallor, Thomas addidit de suo. Quasi verò nunc non eadem liceant; aut quasi peccaturus sit si quis itinere fessus Sabbato interquiescat, aut capo apposito fastidat laridum rancidum: Aut quasi conveniat abominationem istiusmodi superstitiosam tribuere Apostolis qualem videmus in stultis mulierculis. Juxta Augustinum verò, inquit, *Apostoli servabant legalia, & hoc intendentes, sed tamen non ponentes in eis spem. Et hoc licebat eis, utpote Judæis.* Si hoc tantùm concessum est infirmitati quorundam, quid hoc ad Apostolos, per quos solos aliorum infirmitas erat erigenda? Deinde, quid interest inter eum qui coactus observat nè quos offendat, & eum qui quavis de causa rem ut inutilem servat? Quid autem *intendit* qui hoc facit? Aut nihilne *intendit* qui *simulatè servat* nè quos alienet ab Euangelió? III. Tertio loco in hoc discrepant, inquit, quòd Hieronymus utrumque liberat omni *peccato*, cùm uterque suum, h.e. Euangelii, egerit negotium; Augustinus Petrum onerat *peccato*, sed *veniali* duntaxat. Atqui ex his Augustini verbis quæ modò citavimus non apparet illi visum hoc *peccatum veniale.* Deinde favorabilior est sententia quæ utrumque Apostolum peccato liberat, quàm quæ alterum onerat: sed de hoc mox dicetur. Jam quod Thomas adducit de pondere autorum mihi subfrigidum videtur. E *septem Doctoribus* quorum testimonio nititur Hieronymus, Thomas quatuor rejicit, *Laodicensem*, *Alexandrum*, *Origenem* & *Didymum*, veluti *infames de hæresi* At ego in Scripturarum enarratione unum Origenem decem orthodoxis anteposuerim, exceptis aliquot dogmatibus fidei. At si rejiciendi sunt in quorum libris inveniuntur hæretica, fortassis rejicientur & *Cyprianus* & *Ambrosius*. Jam quale est *Paulum*, de cujus scriptis est controversia, in testium numero producere, nè non *tres tribus opponerentur*? At nihil interim de Mendacio. Neque enim Simulatio aut Dissimulatio, si facto constet, sic *mendacium* appellari potest ut semper sit cum vitio conjunctum. Porrò, quod à Paulo dictum est, *Non rectè incedunt ad Euangelium*, id de cæteris dictum videtur, non de Petro. Superest igitur unus scrupulus, quòd *Cephas* à Paulo dicitur *reprehensibilis*. Aut enim id verè dictum est, & consequitur peccasse Petrum; aut falsò, & mendacio obnoxius tenetur Paulus. Sed mox ostendemus ex Veterum interpretatione quo pacto possit & hic dissolvi nodus. IV. Quarto loco, nè singula persequar, illud inter cætera commemorat Thomas, *Petrum peccasse, quod ex ejus dissimulatione natum sit scandalum; Paulum non item, quod ex hujus reprehensione nullum ortum sit offendiculum.* Verùm qui potuit scire Petrus fore ut offenderentur qui accumbebant, cùm scirent Petrum hoc dare Judæis fortasse infirmis aut seditiosis? Si sciebant licere Judæo vesci & non vesci, cur offenduntur si ille pro tempore facit quod optimum putat? Probabilius erat futurum ut Judæi offenderentur quàm Ethnici. Quod si non dissimulasset, rursum peccasset graviùs, quia graviùs offendisset suos, quibus magis consultum oportuit. Quanquam non omne scandalum cum vitio conjunctum est. Quin ex tam acerba Pauli reprehensione grave poterat nasci offendiculum. Primùm suspicari poterant inter principes Apostolos nonnihil rancoris intercedere, cùm Paulus ob rem leviculam sic in os incesserit Petrum. Deinde periculum erat nè minueretur autoritas Petri apud fideles, quam oportebat esse sacrosanctam. Hæc visum est adjicere, quòd vulgus Theologorum putat pulcrè depugnatum ab Augustino, & à Thoma rem bellè explanatam. Certè locus est obscurus, & qui doctissimos Græciæ magnopere torserit. Ego non video cur odio Mendacii Petrum tam durè tractemus quàm illum tractavit Augustinus. Duriùs autem Articuli Parisienses, qui dicunt *Petrum errasse in fide.* Legimus inter Paulum & Barnabam incidisse dissensionem: Sed Apostolos post acceptum Spiritum cœlestem, *qui deduceret eos in omnem veritatem*, errasse in dogmatibus fidei, mihi videtur dictu impium. Arbitror autem Paulum incanduisse quòd nondum illa vacillatio Judaismi sublata foret inter Christianos; atque id esse quod ait Paulus, οὐκ ὀρθοποδοῦσιν, quod claudicantium est. Jam enim par erat, explosâ omni superstitione, ingenuè apud omnes Christum profiteri. Quòd si nonnihil roboris hac in parte Paulus desideravit in Petro, non protinus sequitur Petrum peccasse, quandoquidem illa claudicatio non aliunde quàm à studio pietatis proficiscebatur. Proinde Pauli objurgatio nihil aliud fuit quàm confirmatio parùm adhuc sibi constantium. Hæc pro mea virili in medium adduxi, libenter accepturus si quis meliora proferet. ¶ *Quia reprehensibilis erat*] Ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *quoniam reprehensus erat*, & damnatus ab iis qui malè de illo judicabant, etiamsi reprehensibilis non erat. Et hic consentiunt Græcorum Scholia. Ambrosius item *reprehensus* legit, non *reprehensibilis.* Et addit, *Reprehensus. Unde? Utique ab Euangelica veritate, cui hoc factum adversabatur*: hic à Græcis dissentiens, & cum Augustino sentiens. Græcorum Scholia indicant & alium sensum: *Erat, inquit Paulus, mihi data occasio palàm obsistendi Petro, quòd ante fuisset ab Apostolis reprehensus Hierosolymis quòd cum Cornelio sumpsisset cibum Cæsareæ. Quòd ni fuisset objurgatus antea, nunc non se subduxisset, sed veritus ne rursus aliquid tumultûs nasceretur, subducere se parabat ne convivio.* Porrò Paulus occasionem nactus palàm objurgat illum, non quòd illi indignaretur, sed ut confirmaret alios vacillantes. Nam si quid verè peccasset Petrus, atque ex animo Paulus huic fuisset indignatus, privatim expostulasset, non coram omnibus. Neque verò hæc Paulus narrat gloriosè, sed ut Galatarum saluti consulat. Postremò, mihi planè videntur Jacobus cum suis in hac fuisse opinione, ut crederent Legem Mosaïcam, etiam post proditum Euangelium, observandam Judæis, quoad ceremonias quoque, sicut admonuimus in Actis cap. 21. non quòd absque his crederent Euangelii gratiam non sufficere ad salutem, sed quòd ob invincibilem quorundam superstitionem putarent expedire non omnino negligi.

13. *Et simulationi ejus consenserunt*] Συνυπεκρίθησαν, *unà cum illo simulaverunt*: & ità legit D. Ambrosius. ¶ *Cæteri Judæi*] Et addendum, καὶ οἱ λοιποί, *& cæteri*, aut *cæteri quoque.* ¶ *Ab eis in illam simulationem*] Græcè sic est, συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει, *pariter abduceretur in illorum simulationem*, sive *illorum simulatione.* Faber legit, ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπεχθῆναι, i.e. *ut Barnabas simul abstineret.* Verùm hoc nec in Græcis habetur cod. nec à quoquam legitur; nec opinor usquam inveniri ἀπεχθῆναι ab ἀπέχεσθαι.

14. *Rectè ambularent*] Græcis unica est dictio, ὀρθοποδοῦσι. Unde D. Hieronymus adv. Pelag. itemque in Commentariis vertit, *quod non recto pede incedunt.* Id autem refertur ad cæteros, non ad Petrum. Aliter enim hi simulabant, aliter Petrus. Petrus dissimulabat potiùs quàm simulabat, nè quid offenderet suos; cæteri dissimulabant, suspicantes aliquid admissum adversùs bonos mores. Certè Augustinus in Epistolis quibus super hoc loco conflictatur cum Hieronymo, multitudinis numero legit, ac similiter citat capite ult. ad Consentium De mendacio. Item Ambrosius, *rectâ viâ incedunt.* Neque rursus est *non rectè ambulare*, h.e. errare à via, sed *claudicare* & *vacillare*, quòd parùm essent firmi in eo quod erat ingenuè tuendum, nunc huc propensi, nunc illuc. At quoniam Mosaica lex erat in confinio, fieri potest, ut Petrus quoque nonnihil addubitarit an palàm Lex esset negligenda Verùm hoc ipsum erat *vacillare*, non autem flagitium admittere, cùm neque Paulus neque Petrus judicarit Legis observationem ad salutem requiri; licèt Paulus quoque coactus sit Timotheum circumcidere, & tondere caput, non superstitione, sed obsequio. Hactenus certè nulla mentio de mendacio. Neque quisquam negat, pium hominem alicubi rectè simulare ac dissimulare. Et ostendimus ex hoc loco nihil esse necesse producere mendacium. Neque Petrus *cogebat Gentes Judaizare* quasi id ageret ut illos in Judaismum pertraheret, sed quòd hanc ansam quidam arriperent ex illius dissimulatione. ¶ *Dixi Cephæ*] Græci legunt Πέτρῳ *Petro.* Neque refert ad sensum. Quod enim Græcis sonat Πέτρος, id Hebræis ac Syris sonat *Cephas*, autore Hieronymo. ¶ *Coram omnibus*] Hic exponit quid antè dixerit κατὰ πρόσωπον, i.e. in conspectu omnium quorum gratiâ hæc dicuntur.

16. *Scientes autem*] *Autem* conjunctionem non reperio in Græcis exempl. nec opus est, nisi subaudias in superiori parte verbum *sumus*: ut ità legamus, *Nos sumus nati Judæi*, ex sanctis patribus orti, sub Lege sancta nati, *non autem Ethnici*, qui sine Lege ex impiis ac profanis majoribus producti sunt. Et tamen ipsi sic nati cogimur, diffisi Legi nostræ, ad Christi fidem confugere si velimus esse salvi: quo minùs persuadendum est Ethnicis ut à Lege Moysi sperent salutem. Porrò *naturâ Judæos* dixit ad discretionem proselytorum. ¶ *Nisi per fidem Jesu*] Ἐὰν μὴ *si non.* Est autem sermonis nova forma. Vulgari more dicendum erat, *non justificatur ex operibus Legis, sed tantùm per fidem.* ¶ *In Jesu Christo credimus*] Ἐπιστεύσαμεν, *credidimus*, præt. temporis: & ità legit Hieronymus. ¶ *Propter quod*] *Propterea quòd*, si voluisset Latinè dicere, διότι.

18. *Reædifico*] Οἰκοδομῶ *ædifico*: nam præcedit πάλιν *rursus.*

19. *Mortuus sum*] Ἀπέθανον *mortuus fui*: ut sit præt. temporis, hoc est, Per legem fidei desii esse obnoxius legi Mosaicæ.

20. *Confixus sum cruci*] Χριστῷ συνεσταύρωμαι, *Christo concrucifixus sum*, sive *cum Christo crucifixus sum.* ¶ *Quod autem nunc vivo*] Rursum ὃ pro ὅτι posuit, quemadmodum indicavimus in Epist. ad Romanos, *Quod enim vivit, vivit Deo.* ¶ *In fide vivo Filii Dei*] Ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ Θεοῦ. Articulus additus discernit fidem Christi à reliqua fide: quod ità poterat exprimi, *In fide vivo, fide, inquam, Filii Dei.* Mirum autem

rem ut relictâ narratione, velut oblitus sui, sic rem prosequatur ut parùm liqueat ubi desierit objurgare Petrum. Etiamsi Hieronymus existimat usque ad hujus capitis finem esse Pauli reprehensionem, consentiente Theophylacto, qui sic finit hujus capitis commentarium, *Quod si ipse asseveraveris, vides quo impietatis progressura esset blasphemia.* Sunt tamen in eo sermone quæ magis convenirent præceptori in discipulum quàm Paulo in Petrum. Unde probabilius est Paulum reliqua ad eos qui aderant dixisse, aut, eo quod instituerat omisso, clàm ad Galatas deflexisse sermonem. Alioqui nimis abruptum erat, *O insensati Galatæ.* Ex Ambrosio nihil satis liquebat.

21. *Non abjicio*] Οὐκ ἀθετῶ, *non rejicio: non repello: non sperno.* Ambrosius legit, *Non sum ingratus gratiæ Dei.* Augustinus, *Non irritam facio gratiam Dei.* Videbatur aspernaturus Christi gratiam si Moysi legem recepisset ut necessariam ad salutem. ¶ *Gratis Christus mortuus est*] Δωρεὰν· quod idem & *gratis* sonat. Est autem ratiocinatio ab impossibili, Quòd si nemo tam demens est ut dicat *Christum gratis esse mortuum*, non contingit salus ex observatione legis Mosaïcæ.

VATABLUS.

1. QUatuordecim] Sub. *à conversione mea.*

2. *Contuli*] i. e. Exposui illis familiariter Euangelium quod prædicare soleo Gentibus. ¶ *Seorsim autem*] *Sed privatim.* ¶ *Aliquid esse*] Vel, *esse in pretio.* ¶ *Ne forte*] Sub. *quis dicat quod in*, &c.

4. *Sed*] Istud *sed* supervacuum est. ¶ *Subintroductos*] *Obiter ingressos.* ¶ *Subintroierunt*] *Irrepserant*: sub. *in concionem nostram*, qui non vocati advenerant, sed admissi fuerant præter decorum.

5. *Subjectionis*] *Subjectione*, Vet. i. nos legi subjiciendo quæ jubet circumcisionem.

6. *Ab iis*] Sub. *nihil edoctus sum.* Sermo imperfectus qui statim perficitur interpositâ parenthesi. ¶ *Aliquid*] *In pretio.* ¶ *Contulerunt*] Vel, *impertierunt*, aut, *communicarunt.*

7. *Quòd creditum est mihi Euangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis*] i. e. Delegatam mihi esse provinciam prædicandi Euangelium apud Gentes, quemadmodum Petro apud Judæos. *Præputium* vocat Gentes, quibus præputium non erat circumcisum: ut *Circumcisionem* Judæos quibus præputium circumcisum erat.

8. *Operatus est Petro*] *Efficax fuit in Petro*: vel, *vim suam ostendit in Petro.* ¶ *Operatus est & mihi*] *Efficax fuit & in me*: i. e. Qui dedit provinciam Petro annunciandi Euangelii circumcisis, dedit quoque mihi provinciam annunciandi Euangelium Gentibus.

9. *In Gentes*] Sub. *Apostolatum fungeremur.*

10. *Tantum ut pauperum memores essemus*] i. e. Tantùm hoc ab illis accepi in mandatis, ut pauperum qui erant Jerosolymis, &c. ¶ *Quod*] *In quo.*

11. *Petrus*] *Cephas*: sic quædam exempl. Græca, & Vet. ¶ *In faciem*] i. e. Palàm, coram omnibus. ¶ *Reprehensibilis erat*] *Reprehensus esset*: Heb. reprehendendus erat.

12. *Se* *] * *Ab illis.*

13. *Simulationi ejus consenserunt*] Vel, *simulabant unà cum illo.* ¶ *Cæteri* *] * *Quoque.* ¶ *Duceretur ab eis in illam simulationem*] *Pariter abductus fuerit in illorum simulationem.* Quidam Græci codd. legunt, *ità ut simul abstinuerit Barnabas per simulationem.*

14. *Rectè*] *Recto pede.* ¶ *Cephæ*] *Petro.* ¶ *Quomodo*] *Cur.*

15. *Peccatores*] Jungitur cum *nos*, nos peccatores, nati ex Judæis parentibus.

16. *Justificatur homo*] Heb. justus pronuntiatur homo quòd legem præstiterit. ¶ *Credimus*] *Credidimus*, Vet. ¶ *Propter quod*] *Propterea quod.* ¶ *Omnis caro*] *Ullus homo.*

17. *Inventi sumus & ipsi peccatores*] *Peccatorem inveniri*, est cum lege Euangelica docere legis Mosaïcæ observationem esse necessariam ad justificationem. ¶ *Christus peccati minister est?*] *Christus* pro *doctrina Christi*: q. d. numquid lex Christi, doctrina Euangelica, ministra est, sive docet, legis Mosaïcæ observationem necessariam esse ad salutem? quod sanè docere, peccatum est.

18. *Destruxi, iterum hæc*] i. e. Si postquam docui legis Mosaïcæ observationem non esse necessariam ad justificationem, nunc doceo esse necessariam. ¶ *Reædifico*] *Ædifico*, Vet.

19. *Sum*] *Fui*: i. e. per legem fidei desii esse obnoxius legi Mosaïcæ. ¶ *Confixus sum*] *Concrucifixus sum*: vel, *cum Christo crucifixus sum.*

20. *In fide*] *Propter fidem*: i. e. ut fidem doceam: vel, *in fide vivo, fide, inquam, filii Dei.*

CASTALIO.

11. QUoniam reprehendendus erat] Κατεγνωσμένος participium pro nomine, ut εὐλογημένος pro εὐλογητός, & ὁ πειράζων pro πειραστής.

14. *Si tu Judæus alienigenarum more vivis*, &c.] Si liberè quovis cibo vesceris, ut solent *alienigenæ*, & ità tibi facere licere sentis, cur non abstines, & istâ simulatione in causâ es ut non modò Judæi non vescantur quovis cibo, sed etiam extranei te imitentur, cibisque abstineant, atque ità *Judaïzent?* Cur Christiani facti sumus ego & tu cæterique Judæi? Nimirum ut *justi fieremus.* Quòd si id per Legem consequi poteramus, cur ad Christum nos conferremus causa nulla fuit, cùm id in Lege haberemus quod in Christo quærimus: Sed quia id nobis præstare Lex non poterat, ad Christum, qui posset, confugimus. Ex quo sequitur, nos nunc qui Christiani sumus, esse insontes. Atqui si Mosaïcæ Legi paremus (id quod tu nunc facis) cum ideo pareamus ut justitiam consequamur, sequitur, nos esse sontes, qui Christo contenti non sumus: Ità fit ut à Christo *peccatum* non justitiam consequamur: *id quod absurdum est.* Atqui si quis *quod demolitus est, idem instaurat*, h. e. ad Legem (quam ad Christum transiens repudiaverat, eique valedixerat) recurrit, & ab ea rursus præsidium petit, is se *nocentem* fatetur esse, qui à Lege petat innocentiam. Qui enim ad Christum se contulit, is Legi valedixit, cumque ea nihil jam habet commercii; sed *vivit*, justusque & insons est *Christi fide*, id quod *Dei beneficium* est. Quòd si ad Legem redit repudiat hoc beneficium, qui nolit à Christo sed à Lege insons fieri. Ità fit ut ei *Christi mors* (quam ob delenda suorum peccata oppetiit) nihil prosit. Hactenus Petrum reprehendit Paulus. Quod autem verto, εἰ γὰρ διὰ νόμου, *atqui si*, &c. sciendum est γὰρ quandoque adversativam esse, ut apud Latinos *at enim*: ut ad Rom. 3. εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ, &c. *At enim si Dei veritas, &c.* παραβάτην autem dixit pro ἁμαρτωλὸν, ut patet ex verbo ἁμαρτίας protinus antè eadem de re posito.

CLARIUS.

2. IIs qui videbantur] Qui tanquam primates Apostoli erant in pretio: *nè fortè*, inquit, *in vanum currerem*; non metuens nè quid deesset suæ prædicationi (nam fidissimum habuerat Magistrum Christum) sed nè quisquam aliorum ambigeret, & in controversiam vocaret ejus prædicationem, tanquam dissidentem ab aliis. *Seorsim* autem ait, nè cùm disputaret esse abrogandam circumcisionem, ii qui nuper ex Judæis crediderant offenderentur.

4. *Propter subintroductos falsos fratres*] Permissus fuisset, inquit, circumcidi; sicut & Timotheum ego circumcidi ob infirmos fratres, ad quorum imbecillitatem me sæpe demittebam: at hi non infirmi sed *falsi* erant *fratres*, idcirco non est factum. Videtur tamen posse & sic dici, *Neque Titus coactus est* ab Apostolis *circumcidi* quasi necessaria esset circumcisio, *sed propter subintroductos falsos fratres* permissum hoc est: nam orta esset turbatio: est enim in Græco ἔλλειψις hoc loco. Sed prior interpretatio videtur magis respondere iis quæ sequuntur, *quibus neque ad horam cessimus*, &c.

5. *Ut veritas Euangelii*] Ut puritas Euangelii à servitute Legis libera *maneret apud vos.*

6. *Quales aliquando fuerint*] h. e. Quo se pacto antea gesserint in permittenda circumcisione. Noluit apertè dicere hoc fecisse Apostolos dispensatione quadam ac permissione, nè audientes ex Judæis fideles, qui circumcisioni favebant, abalienarentur ab Apostolis, quasi qui non ex animo admitterent circumcisionem; sed ait, Si sic prædicaverunt ipsi, reddent rationem: non enim hominibus sed Deo rationem sunt reddituri, etsi primates sint: nam *Deus personam hominum non accipit.*

11. *In faciem ei restiti, quia reprehensus erat*] Hæc non tam fuit Petri quàm malæ aliorum opinionis reprehensio. Atque hæc causa fuit cur palàm & non seorsum reprehenderit Petrum; ut cùm cernerent ii qui ex Judæis erant fideles Magistrum ipsum apertè reprehensum silere, & fateri, nihil respondendo, errorem, intelligerent non esse posthac utilem Legis observationem post acceptam Fidem. At Petro grata fuit ista coram fratribus reprehensio, ut non esset ei posthac necesse subducere se metu offendendorum fratrum. Videtur ergò ex utriusque consensu facta ista reprehensio, utilitatis causâ discipulorum: & vera tamen fuit reprehensio & jure facta, *quia* jam, inquit, *reprehensus erat* ab aliis, qui ignorarent illam Petri dispensationem,

cur

ctur scilicet venientibus à Jacobo fratribus subduceret se à Gentibus, cum quibus tamen vescebatur absentibus Judæis.

15. *Et non ex Gentibus peccatores*] h. e. Infideles. Sic & Dominus dixit *se tradendum in manus peccatorum*, nempe Gentilium Nam propriè Infidelitas *peccatum* vocatur. Unde alibi legitur, *Arguet mundum de peccato.* Quo? *Quia*, inquit, *non crediderunt in me.*

17. *Quod si quærentes justificari*] Sensus est, Qui dicunt Legem servandam esse, volunt eam ad salutem esse necessariam atque ad justificationem; quam nos dum *quærebamus à Christo*, secundùm horum sententiam *invenimur peccatores*, qui eam rem reliquerimus à qua justificatio proficiscatur; invenitur & *Christus minister fuisse peccati*, quia ob fidem in illum recesseramus à Lege: quod quàm sit absurdum vos judicate.

18. *Si enim quæ destruxi*] Si ad Legem, quam reliqueram, revertor, proculdubio significo velle me corrigere quod peccaveram: & dum eam servo, *transgressorem me declaro:* quod vos aliter putatis, quòd scilicet *transgressor* sit qui eam non servet. Sed absit ut quicquam transgrediar: *nam per Legem ego Legi mortuus sum*; h. e. Ipsa Lex me ducit ad Christum, qui est finis Legis: & eadem Lex docet se abolendam esse per Christi adventum. Vel certe *per Legem* scriptam à Spiritu Christi in corde meo *Legi* Mosis *mortuus sum.*

20. *Vivo autem, jam non ego*] Non sum ampliùs obnoxius Legi: nam *Lex imperium habet in homine duntaxat dum vivit*; at *ego jam non vivo, sed Christus vivit in me.* ¶ *Quod autem nunc vivo in carne*] Non solùm, inquit, spirituali vitâ propter Christum vivo, verùm etiam corporeâ hâc & in carne vitâ. Quo pacto? Quia secundùm Legem obnoxius eram ob peccata mea morti etiam huic corporeæ, sed condonatis mihi peccatis à Filio Dei, *qui tradidit ob charitatem semetipsum pro me*, redemptus sum ab illa damnatione Legis; idcirco & *hoc, quod in carne vivo*, illi debeo: vel sic, Dixi me *non amplius vivere*; quod si cui videor *in carne vivere adhuc*, id tamen *vivo in spe Filii Dei*, quæ totum hoc quicquid vivo occupat.

21. *Non despicio gratiam Dei*] *Si enim* (ut subditur) diximus *justitiam esse per Legem*, continuò concludendum est, *frustrà Christum esse mortuum*, cùm sine eo justitia esse possit: quod est *despicere gratiam Dei* & tantum munus traditi in mortem pro nobis Filii.

ZEGERUS.

2. S*Eorsum autem his*] Privatim cum Apostolis gratiam Euangelicæ libertatis & Legis antiquatæ vetustatem contulit, propter multitudinem credentium Judæorum, qui necdum poterant Christum ad impletionem & finem Legis audire, qui & absente Paulo Jerosolymæ jactitaverant *frustra eum currere aut cucurrisse*, qui putaret Legem veterem non observandam. ¶ *Qui videbantur esse aliquid*] Τοῖς δοκοῦσιν, i. e. *æstimatis* seu *eminentibus*, quod & Interpres cum Ambrosio consentiens indicat, cùm dicit, *qui videbantur esse aliquid*, periphrasi videlicet rem explicans: quod ità vertisse videtur quia & ipse Paulus sic se in sequentibus interpretatus est, dicens, ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναί τι alioqui δοκοῦσι simpliciter est *visis*, vel *iis qui videntur.*

3, 4, 5. *Sed neque Titus qui mecum erat, cùm esset Gentilis, compulsus est circumcidi: Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Euangelii permaneret apud vos*] Hoc toto sermonis sui contextu agit, ut doceat se omnia quondam Legis opera servantem, nihilominus tamen ob Euangelicam libertatem eadem nunc Legis opera contemnere. Nam cùm *venisset Jerosolymam*, & quidam ex circumcisione *falsi fratres explorarent*, & conarentur ejus *libertatem in servitutem* & observationem Legis *convertere*, ut & *Titum* discipulum suum *circumciderent*, *nec* sic tamen *cessit* persuasionibus, *quo veritas Euangelii firma consisteret*, nullaque ulli daretur occasio ab Euangelii gratia recedendi. In hunc sensum interpretatur Hieronymus: qui & illud admonet, particulam *autem* (quam ipse loco *sed* legit, ibi, *Sed propter*) vim suam perdere, eoque illud, *propter subintroductos falsos fratres*, causam dicere unde Titus ad circumcisionem impelleretur invitus: ut sic continuè legatur, *compulsus est circumcidi propter subintroductos falsos fratres.* Quod ipsum locum fortasse habere potest in lectione & distinctione Græcorum; at in altera, quæ ipsius tempore, uti fatetur, Latinorum erat, non item: Quæ sanè ut longè commodior ac dilucidior est, ità mihi magis probatur. Sic enim, ut ex Ambrosio patet, habet, *Sed neque Titus*, &c. *Propter autem subintroductos fratres falsos (qui subintraverunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem subjicerent) ad horam cessimus subjectioni, ut veritas* &c. Quam idem Ambrosius interpretatur paucis dicam) ad hunc modum, *Illo tempore quo fui Jerosolymis*, inquit, *Titus qui mecum erat compulsus non est circumcidi. Cùm utique inter Apostolos & eos qui ex Judæis crediderant essemus, nemo eum de his compulit circumcidi. Et subintelligitur, Quid est ut vos circumcidamini, cùm Titus ab Apostolis, qui videbantur aliquid esse, non est compulsus circumcidi, sed susceptus est incircumcisus? Sed ne fortè opponeretur ei quia ipse circumciderat Timotheum, nunc causas exponit cur fecerit quod faciendum negabat, dicens*, PROPTER SUBINTRODUCTOS AUTEM FALSOS FRATRES, QUI SUBINTROIERENT, *h. e. cum humilitate intraverunt, fingentes amicitiam, cum essent inimici:* EXPLORARE LIBERTATEM, &c. EXPLORARE *est sic intrare ut aliud quis fingat, & aliud quærat: quo posset accusare* LIBERTATEM NOSTRAM QUAM HABEMUS IN CHRISTO JESU. *Libertas in Christo Jesu hæc est, non subjici Legi.* UT NOS IN SERVITUTEM SUBJICERENT, *cogentes nos subjici legi Circumcisionis.* AD HORAM CESSIMUS SUBJECTIONI, *h. e. ad horam nos subjecimus servituti, humiliantes nos Legi, ut circumciso Timotheo cessaret dolus & scandalum Judæorum. Parati enim erant, sicuti datur intelligi, commovere illi tumultum & seditionem.* Hactenus Ambrosius. Cùm autem dicitur *cedere subjectioni*, illud *subjectioni* activè sumendum est, h. e. *ad illorum subjectionem*: nisi fortè legas *subjectione*, i. e. ut illis subjiceremur. Hujus autem clausulæ citra negationem lectæ accommodatior videtur intellectus quem adfert Hieronymus, dicens Paulum *ad horam cessisse*, in eo quòd ipse & Barnabas, obortâ Antiochiæ ob Legem seditione, Jerosolymam ascenderint, suum collaturi cum Apostolis Euangelium. Tertullianus inter Latinos scriptores ferè primus docet sermonem hunc legendum esse sine *neque*, *Quibus ad horam cessimus*: atque ità legitur ab hoc etiam antiquiore Irenæo lib. 3. c. 13. quam etiam lectionem hac atque aliis de causis optatim recipi ab Ecclesia: etiamsi non nesciam Augustinum legere cum *neque.*

6, 7, 8. *Ab his autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint nihil meâ interest. Deus enim personam hominis non accipit*] Varia apud varios est præsentis loci enarratio. Alii ad hunc modum edisserunt, *Qui videbantur esse aliquid, ab his* Jerosolymitanis scilicet, *quales aliquando fuerint, nil meâ interest.* Alii volunt Paulum orationem cœptam, quibusdam ceu per Parenthesin interjectis, tandem absolvisse, sed mutatâ orationis formâ, hoc pacto, *Ab his autem qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint nihil meâ interest. Deus enim personam hominis non accipit) Mihi enim* (nam hoc statim post proposita verba subditur) *qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt.* Primasius inter veteres unus in contextu legit, *ab his qui videbantur esse aliquid nihil accessit.* Atque equidem hoc illis prætulerim: & licet illud *nihil accessit* nobis non exprimatur, subintelligi tamen commodè potest, quando tam est frequens in concisis sententiis hujus Apostoli dictio. ¶ *Qui videbantur esse aliquid*] Οἱ δοκοῦντες. Tertiùm hoc verbum repetitur: sed apud Græcos uno duntaxat loco apponitur εἶναί τι *esse aliquid*, nempe loco medio: & ex hoc ab adnotatore quopiam etiam in cæteris idem apud nos additum est, quò videlicet sensus esset evidentior; non autem ab ipso Interprete, uti liquet ex Hieronymo, qui ipsius utitur in suis Commentariis versione; cum qua consentit & ea quà utitur Augustinus; deinde etiam ex exemplaribus vetustis. Nescio tamen an hoc ipsum adjectum sit ab eo qui N. Instrumentum reparavit circa tempora Hieronymi, idque ex ea translatione quà utitur B. Ambrosius. Sunt enim multi codices vel vetustissimi qui hoc contineant. ¶ *Nihil contulerunt. Sed contrà, cùm vidissent quod creditum est mihi Euangelium Præputii, sicut & Petro Circumcisionis (Qui enim, &c.)* D. Hieronymus hic indicat Hyperbaton, itaque, multis quæ in medio sunt dissimulatis, breviter legendum, *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt; sed econtrà dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis.* Et adjungens, *Aut certè*, inquit, *ille absque jactatione sui occultus est sensus, mihi qui videbantur esse, nil contulerunt; sed contrà, à me eis collatum est, dum fiunt in Euangelii gratia firmiores.*

9. *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis*] i. e. Mecum & cum Barnaba illi, nempe *Jacobus, Cephas & Joannes*, porrectis & junctis invicem manibus *dexteris societatem* inierunt. Quanquam potiùs hujuscemodi symbolo testatos fuisse, declarasse ac firmasse, credendum est mutuam inter sese concordiam & societatem Apostolos Judæorum & Apostolos Gentilium.

11. *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*] Contextus ipse satis videtur manifestus, si ultrà nil spectetur. Quòd si

quis

quis retrusiora cupiat, putà de Petri offensa, de tempore cessationis Legalium, de affectu reprehendentis, videat disputationem Augustini cum Hieronymo, & Thomam. *Reprehensibilis erat* lego apud Hieronymum in Commentariis & in Epistola ad Augustinum, ut cæteros sileam: & in exempl. antiquis, *non reprehensus.*

17. *Quod si quærentes justificari in Christo inventi sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est?*] *Quærimus*, inquit, desertâ Lege, per Euangelicam gratiam justificari, idque autore *Christo* Deo. Sed si Legem relinquere peccatum est (ut vos adfirmatis) quis dubitaverit *Christum* ejusmodi *peccati* nobis *fuisse ministrum?*

18. *Si enim quæ destruxi, iterum hæc reædifico, prævaricatorem me constituo*] h. e. Si statuere veterem Legem contendo, indubiè prævaricator fio, utpote qui ea statuam quæ sunt antiquata à Deo.

19. *Ego enim per Legem*] Gratiæ scilicet, *Legi* Mosaïcæ *demortuus sum.*

20. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei*] Præmiserat, *non ego*, inquiens, *jam vivo.* Ratio est, Quia legis meæ transgressor, imò oppugnator, factus, tormentis & morti destinatus sum. Dico ampliùs, Lex me jam interemit: me scilicet, olim quidem crassum & carnalem Legis observatorem, modò autem transgressorem. Interemit, inquam, quantum in ipsa est: sed quòd minus jam è medio sustulerit, meæ debetur in Christum fidei, qui me à Legis damnatione eripuit.

LUCAS BRUG.

5. QUibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Euangelii permaneat apud vos [nos o.] Usque ad B. Hieronymi tempora Latina exemplaria sine negatione legerunt, *Quibus ad horam cessimus subjectioni*: id quod ex Irenæo 3 Adversùs hæreses librum scribente cap. 13. & Hieronymo locum hunc exponente, aliisque veteribus, patet. Atque ad hunc modum cum Latinis exemplaribus legendum esse Tertullianus lib. 5. in Marcionem, & Autor enarrationum quæ Ambrosii ferunt nomen docent: quibus, ex Neotericis, Nicolaus Zegerus adhæret. Verùm Græcorum codicum lectionem, οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, *Quibus neque ad horam cessimus subjectioni*, quam Tertullianus vitiatam esse existimat, Hieronymus præfert: eamque cum Hieronymo nobilissimi Tractatores, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Sedulius, Theophylactus, Haymo, Anselmus, Oecumenius, sequuntur. Apud posteriores plerosque omnes Latinos enarratores tenet: ac sola hodie tam in Latinis & Syriacis quàm in Græcis codicibus reperitur.

Latini porrò codices non pauci, ex MSS. nostris quindecim, omittunt τὸ *quibus*, quemadmodum & Tertullianus atque Ambrosiaster ille, ac inter recentiores Bruno Carthusianorum Patriarcha. Sic cohæreat hic versus superiori per se imperfecto; *Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt, &c. - neque ad horam cessimus subjectioni.* Cæterùm præstantissimi quique Latini libri, cùm nostri tum Gorrani & Epanorthotæ (vulgares sunt illi: præcipui eorum Q. & L.) addunt *quibus*, Hieronymo, Augustino, & Græcis, cùm codicibus tum Interpretibus, adstipulantibus. Utramque varietatis rationem explicat Nicolaus Gorranus.

Ultimam hujus pericopes vocem pleraque omnia exemplaria *subjectioni* legunt, nonnulla *subjectione*; Parisiensium unum, Hentenii unum, nostrum unum (Pau. Atr.) Græcè dativus est ὑποταγῇ· sed Latinè per ablativum transferendus *subjectione.* At quia in omnibus penè libris, atque apud omnes Enarratores, priores & posteriores (quanquam apud Titelmannum sit *subjectione*) dativus *subjectioni* legitur; fortassis vel ab Interprete ex Græco, vel à castigatore ex veteri editione, quæ relativo *quibus* caruerit, relictus est. Utrovis modo legatur, ille est sensus quem exprimunt Syri, *Sed nè ad horæ quidem plenitudinem abjecimus nos ad subjectionem eorum*; h. e. ut pseudadelphis subjiceremur.

H. STEPHANUS.

1. ΔΙὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν] *Interjecto annorum quatuordecim spatio.*

2. Ἀνεθέμην] *Exposui*: q. d. Auribus eorum commisi: vel, In sinum eorum deposui. ¶ Τοῖς δοκοῦσι] *In quorum aliqua erat existimatio.*

6. Οὐδὲν προσανέθεντο] *Nihil præterea contulerunt.*

8. Ὁ γὰρ ἐνεργήσας Πέτρῳ] *Qui enim efficax fuit in Petro*: vel, *Efficaciam indidit Petro*: aut, *Qui Petro usus est*, seu organo.

9. Δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ κοινωνίας] *Fide datâ mecum convenerunt de societate.*

12. Ὑπέστελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτὸν] *Subtrahebat se & sejungebat*: vel, *subducebat se & separabat.*

13. Συνυπεκρίθησαν αὐτῷ] *Simulationem ejus secuti sunt.*

14. Οὐκ ὀρθοποδοῦσι] *Non tenent rectam viam.* Ad verb. *Recto pede non incedunt.*

16. Ἐὰν μὴ διὰ πίστεως] *Sed tantùm per fidem.*

18. Παραβάτην] *Transgressorem.*

21. Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν] *Christus mortem suam frustrà donavit.* q. d. Mors Christi infructuosum quoddam est donum.

DRUSIUS.

2. IN vacuum] Εἰς κενὸν. Id Ebræi dicunt לריק, quod Senes interpretantur κενῶς *frustrà* Jes. 49. 4. & ματαίως Psal. 73. 13. & διακενῆς Lev. 26. 16. Psal. 25. 3. Lex. Vet. Κενῶς, *vane*: Ματαίως, *nequicquam*, *vane*: Διακενῆς, μάτην, *supervacuè.* Idem Lex. Μάτην, *frustrà*, *nequicquam*, *cassum.* Posses etiam exponere εἰς κενὸν, *incassum.* Nam κενὸς, *vanus*, *inanis*, *cassus.*

11. *Quia reprehensibilis erat*] Emendant, *eò quod condemnandus esset*: κατεγνωσμένος, *condemnandus* aut *condemnabilis*, ut נתעב *abominandus* aut *abominabilis*, נבזה *contemnendus* aut *contemptibilis*, נחמד *expetendus* aut *expetibilis.* Syrus, *eò quod scandalizarentur* (aut *offenderentur*) *in eo.*

16. *Nisi per fidem*] Hic *nisi* valet *sed*, ut apud autores Latinos interdum: quod exemplis antea probavimus. Sic εἰ μὴ Psal. 1. 2. ubi codex Ebræus כי אם, ut & v. 4. Sic in Particulis Rabbinicis אלא ἀλλὰ *sed* compositum videtur ex אם לא *si non*, *nisi.* Siquidem Dages in Lamed indicat absentem literam Nun; אלא pro אן לא. Nam ut sit Græcum ἀλλὰ mihi persuaderi non potest. Tamen hoc pono, non statuo. Particulâ אלא usus fuit hoc loco Interpres Syrus; quod hanc expositionem meam non parùm confirmat. Quippe אלא in communi usu *sed*, h. e. ἀλλά. Sign. etiam *tantùm*, *duntaxat.* Vide Particulas Rabbinicas. ¶ *Ex fide Christi, & non ex operibus Legis*] Vel hic locus docet particulam ἐὰν μὴ *nisi* accipiendam esse pro *sed*; ut mirer esse qui de illo jam dubitent. Si enim *justificamur ex fide & non ex operibus Legis*, sequitur necessariò hominem justificari non ex operibus Legis, sed ex *fide sola*: quod vocabulum alibi addit Apostolus, nè ullus omnino dubitationi locus relinqueretur. ¶ *Omnis caro*] i. e. *Ulla caro.* Negatio enim cadit non in particulam universalem sed in verbum *justificabitur*; *Omnis non justificabitur*, i. e. *nullus justificabitur.* Sic, *Non est ἀδύνατον apud Deum omne verbum*: *omne verbum non est* ἀδύνατον, i. e. *nullum verbum*, vel *non est ἀδύνατον ullum verbum*, quod in idem recidit. כל דבר שום דבר: Sic explicant in hac locutione. Vide Comment. super Aboth 43. 1. & D. Camium Jer. 13. 6. & Observat. l. 9. c. 4. Dixi negationem ibi verbum afficere, non particulam: id verum est. Nam ubi negatio in verbum cadit, tum aliud significat; ut in illo Christi, *Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Sensus est, *Aliquis intrabit, & aliquis non.* Sic Num. 23. 13. *Omnem ipsum non videbis*, i. e. Interprete Elia, *partem tantum ipsius videbis, non totum ipsum.* Vide illum in voce כל *omnis.* Igitur aliud est, *Non justificabitur omnis*, & aliud, *Non omnis justificabitur.* Tantum potest collocatio verborum.

CASAUBONUS.

11. ῌλθε Πέτρος] Apud Eusebium Hist. p. 9. legitur Κηφᾶς. Et vult Clemens non esse hunc Petrum, sed alium cognominem, unum è LXX, quam opinionem refutat Hieronymus; cui assentior.

CAMERON.

2. MH'πως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον] Hinc colligunt Pontificii nè prædicationem quidem Pauli ullam habere autoritatem nisi accedat Ecclesiæ autoritas, quandoquidem ipse Paulus profiteatur vanam fore operam navatam, quamque erat navaturus, nisi *consilia cum iis qui videbantur esse aliquid communicasset.* Sed primò, Adversarii hic nobiscum agunt parùm constanter. Nam illud *ne fortè*, quoties alibi occurrit in Scriptura, ut & illam formulam *si fortè*, ità interpretantur ac si dubitatio significaretur; at hic *ne fortè* volunt significare rem certissimam.

tissimam. Nam si formula dubitationem significat, concidit eorum ratio. Non voluerit Paulus autoritatem Euangelii, quod prædicarat pendere quoad nos ex autoritate eorum *qui videntur esse aliquid*, i. e. non existimarit id esse de jure, metuerit tantùm nè id contingat de facto. Itaque si nobis luberet eos sic premere, res esset, facilis & proclivis: μή πως, *nè fortè, nè aliquo modo*, significat alibi dubitationem; quidni & hic significet? Neque verò esset quòd illi responsarent, Nos id negare. Nam etsi locutionem istam *nè fortè* velimus significare aliquando eventûs certitudinem, tamen non dicimus hoc significari semper hâc formulâ. Itaque contendimus hic quærendum esse in subjecta materia sensum formulæ. Nam si materia est contingens, ut loquuntur, formula notarit illam contingentiam; sin necessaria, non potest de vi sermonis (ut loquuntur in Scholis) aliquid concludi. Deinde, aberrant isti homines à scopo: nam Paulus eorum nomine *qui videntur esse aliquid* haud dubiè eos designat quibus jam tum nimium tribuebatur: verba enim οἱ δοκοῦντες εἶναί τι hoc designant. Itaque non notat istos quos designat elogiis officii & dignitatis; tantùm eos designat ab hominum opinione: Id quod pugnat cum Pontificiorum consilio, qui volunt judicium de verbo Dei pertinere ad officium & munus aliquod quo funguntur in Ecclesia multi, vel, si minùs hoc volunt, quo fungitur unus, Papa nimirum. Et isti quidem non habent in hoc loco ubi pedem figant. Nam si Petrus fuit Papa, non debuit Paulus meminisse plurium, sed unius. Sed nec qui in priori sententia sunt possint hic exsculpere quod ipsorum caussam juvet, ob eam rationem quæ jam allata est: nam haud dubiè διασυρτικῶς dictum est *iis qui videbantur*: reprehendit enim tacitè Paulus præposteram multorum de quibusdam in Ecclesia præ reliquis magnis viris opinionem. Denique, respondemus quod res est, Consulendum esse aliquando infirmis. Nempe multi sunt quibus veritas displicet eo solo nomine quòd certis quibusdam hominibus non placuit, nempe quorum autoritas magna est; diffidunt sibi, omnia istis tribuunt: itaque & autoritate omnia metiuntur. Ergò, siquis hoc scandalum potest amoliri, sapienter fecerit, atque ideo fecerit nè laboret incassum scandalo non amoto; nec, dum sic facit, testabitur se velle veritatis autoritatem ab hominum autoritate suspendere, quin potiùs sic agit quemadmodum hoc loco Paulus; Quando sunt qui videntur esse aliquid, & eos consulamus sanè, quando Veritas ipsa se non commendavit quod profectò indignum est. In summa, Paulus cùm videret se traduci ab Adversariis ac si doceret aliud quàm Apostoli qui autoritate & existimatione apud vulgus hominum ipsum antecedebant, & hac in parte voluit eorum os obstruere, nè sic intercluderetur via Euangelio. Sensus est planus & apertus. Sic etiamsi Paulo licuisset vivere de Euangelio, noluit tamen; noluit, inquam, nè Adversarii haberent quod objicerent, veritus nimirum nè id officeret profectui Euangelii. Itaque Adversarii hic jus cum facto confundunt: Non enim ideo quòd iniquitate temporum & hominum vel incredulitate vel infirmitate id contigit, continuò sequitur rem ità se habere debuisse. Imò verò res apud plerosque aliter se habuit: nam Paulus multò antea prædicarat Euangelium quàm ascenderet Jerosolymam, & quidem non sine ingenti fructu. Imò hoc eodem capite in eo gloriatur quòd nonnisi certâ quadam occasione fuerit coactus hoc iter capessere. Quod si Adversariorum ratio ullum haberet pondus, Paulus totâ hâc disputatione sese planè ridiculum præbuisset: quod est impium cogitatu. Etenim consilium Pauli est omnibus probare autoritatem suam, quam vult esse Apostolicam, ut fuit revera; Apostolica autem esse non potuit si penderet aliunde quàm à Christo & Deo immediate. Itaque totus in eo est ut neget se quidpiam hominibus debere. Quod verò ascenderit Jerosolymam, quia id ei potuisset fortasse objici, respondet hoc fuisse factum ut turbas compesceret objectantium dissensionem in doctrina à viris summis in Ecclesia. Id quod eo fecit lubentiùs quod nè hâc quidem ratione cessit illis summis viris: non enim ascendit ideo quod essent tales, sed quia *videbantur esse*. Ergò in eo respexit aliorum opinionem, non suam.

16. Ἐὰν μὴ διὰ πίστεως] Hic ἐὰν μὴ non est Exceptivum: nam nè Pontificii quidem dicent Fidem esse opus, multò minùs esse opus Legis: etenim ipsi distinguunt inter Fidem & Opera cum dicunt *nos justificari partim fide, partim operibus*; item cum dicunt *fidem posse separari à bonis operibus*. Sed ἐὰν μὴ hoc loco est Adversativum, neque reddi debet *nisi* verum *sed tantum*; ut sensus sit, *Hominem justificari non Legis operibus, sed duntaxat fide.*

LUD. CAPPELLUS.

5. **Q**Uibus nè ad horam quidem cessimus] Proverbialis locutio Judæis familiaris, ut colligi potest ex Misnajot, tractatu De Benedictionibus cap. 2. §. 5. *Non audio vos*, ajebat Gamaliel, *ut amoveam à me regnum cælorum vel horam unam*, אני שומע לכם לבטל מכני מלכות שמים אפילו שעה אחת. Cicero Catilinariâ primâ, *Ego, si hoc optimum factu judicarem, P. C. Catilinam morte multari, unius horæ usuram gladiatori isti ad vivendum non dedissem.*

6. *Mihi enim nihil contulerunt qui sunt in pretio*] V.V. *qui videntur esse aliquid.* Putavit enim ex hemistichio proximè præcedenti repetendas voces εἶναί τι· quod non est necesse. Nam οἱ δοκοῦντες absolutè dicuntur, *qui sunt in pretio*, vel, si mavis, *inclyti, celebres, illustres.* Euripides,

——— Λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων, αὐτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.

Ennius ità vertit,

Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta, eademque oratio æqua, non æquè valet.

Hanc versionem Gellius l. 11. c. 4. sibi satisfacere negat; & merito. *Nam*, inquit, *neque omnes ignobiles* ἀδοξοῦσι, *neque omnes opulenti* εὐδοκοῦσι. Utut sit, οἱ δοκοῦντες opponuntur τοῖς ἀδοξοῦσι, h. e. *iis qui nullâ, vel minore sunt autoritate præditi apud homines.*

16. *Scientes non justificari hominem ex operibus Legis, sed tantum per fidem*] Vocem ἐὰν μὴ vertendum hoc loco *sed*, vel etiam *sed tantum*, colligimus ex Rom. 3. 27. Eâdem significatione sumitur Apoc. 9. 4. quo loco Vetus quidem Interpres vertit *nisi tantum*, Beza verò *sed tantum*. Reliquis locis etiamsi V. Interpres vertat pro more *nisi*, tamen tam illud *nisi* quàm Græcum εἰ μὴ sumitur pro *sed*, vel *sed tantum*, ut Matth. 12. 4. Marc. 13. 32. 1 Cor. 7. 17. Gal. 1. 7. Apoc. 9. 4. & 21. 27.

GROTIUS.

1. **E**Πειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, *Deinde post annos quatuordecim*] Assentior codicibus si qui pro δεκατεσσάρων [*quatuordecim*] habent τεσσάρων [*quatuor*.] Cùm enim numeri per notas scriberentur, facilè fieri potuit ut ante δ' per errorum ι adderetur: & ex uno sæpe exemplari scripturæ vitia in multa fluxisse alia ostendimus ad Luc. 4. 26. & alibi. In numeris autem plurimos admissos errores ab exscribentibus apertum fecimus ad multa Veteris Testamenti loca. Nihil autem credibilius reperio quam notari hic illud ipsum Pauli iter cujus mentio Actorum 15. 2. quod non potest totis *quatuordecim annis* posteriùs fuisse aut conversione Pauli, aut etiam, si quis id malit, fine Arabicæ peregrinationis. διὰ [*post*] hic sumitur, ut Matt. 24. 61. & Marc. 2. 1. ¶ ἀνέβην εἰς Ἱεροσόλυμα μετὰ Βαρνάβα, *ascendi Jerosolymam cum Barnaba*] Hic idem Barnabas Paulo comes adjungitur dicto Actorum loco. Semper quoties de Hierosolymis loquuntur Hebræi dicunt *ascendere*, etiam ubi in externis sunt locis, quia domi ita loqui erant soliti, Actor. 15. 2. 21. 4, 12, 15. 25. 1. Βαρνάβα genitivus, quales Ἀλεύα, Παυσανία. ¶ συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον. *assumpto & Tito*] Titus eo tempore non erat Euangelista, sed comes Pauli, qualis diu Timotheus.

2. Ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν, *Ascendi autem secundùm revelationem*] Occasionem ab hominibus natam Christus viso aliquo diurno aut nocturno confirmaverat. ¶ καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι. *& contuli cum illis euangelium, quod prædico in Gentibus*] Hic ἀνεθέμην significat *narravi*, ut Actor. 25. 14. quo sensu eâ voce & Plutarchus utitur. Illud αὐτοῖς [*illis*] hic, si voculas captamus, non habet quò referatur: si sensum, facile est intelligi *eos* significari *qui Hierosolymis erant*, quia nomen id urbis præcessit. ¶ κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι, *seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse*] Δοκοῦντες sunt *qui præter cæteros illustri sunt in fama.* Euripides:

——— Λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταὐτὸν σθένει.
——— [*nam viri prænobilis*
Et tenuis idem sermo diversum valet.]

Utitur sic hac voce & Plato aliquoties. Rabbini dicerent חשובים [*æstimatos*.] Apparet autem ex iis quæ sequuntur intelligi non Apostolos alios, sed illorum Apostolorum nimis fervidos sectatores. ¶ μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον. *ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem*] Ne in irritum caderet meus labor tum ejus temporis, tum anteactus: nempe si fama ea spargeretur aliud me docere, aliud eos qui ante me vocati erant Apostoli. Loquendi genus quod attinet habes simile Philipp. 2. 16. Tertullianus adversùs Marcionem 4. *Ascendit ad cognoscendos Apostolos & consultandos, ne fortè in vacuum cucurrisset, id est, ne secundùm illos credidisset & non secundùm illos euangelizaret.*

3. Ἀλλ' οὐδὲ Τίτος ὁ σὺν ἐμοὶ Ἕλλην ὢν ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι.

θῆναι. *Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi*] Id est, Non exegerunt hoc à me illi Hierosolymis Apostoli ut Titum facerem circumcidi, facturi id fortè si Judæus fuisset aliqua ex parte, ut Timotheus ex matre, Actor. 16. 2, 3. at cùm esset gentis alterius, nemo id ab eo exegit.

4. 5. Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν ἣν ἔχομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται. Οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς. *Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos*] In Manuscripto καταδουλώσουσι [*in servitutem redigerent:*] apparet autem οἷς [*quibus*] illud hic παρέλκειν [*abundare,*] aut abundantiâ sermonis non infrequente Hebræis, aut exscribentis errore. Sensus est, *At illorum Judæorum causâ qui se Christianos simulabant, ut libertatem per Christum partam nobis extorquerent, nihil cessimus de proposito ejus libertatis & tuendæ & ad vos omnes transmittendæ.* Παρείσακτοι [*subintroducti*] sunt qui παρεισδύοντες [*subintrantes*] Judæ 4. ita dicuntur *qui se arte insinuant, subinducunt, subinferunt.* Simile παρεισάγειν [*introducere,*] 2 Petri 2. 1. ψευδαδέλφων [*falsorum fratrum*] vocem habemus & 2 Cor. 11. 26. *Explorandi* verbum apparet esse castrense. Significat autem hic per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] specie amicitiæ malum aliis struere ut solent exploratores; est autem malum, etiam opinio servitutem adferens inutilem. ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ [*in Christo Jesu*] id est, *per Christum Jesum* qui nobis hujus libertatis plenam notitiam fecit, cùm ante rei esset controversæ. οὐδὲ πρὸς ὥραν [*neque ad horam,*] *ne ad momentum quidem temporis*, ut 2 Cor. 7. 8. 1 Thess. 2. 17. Philem. 15. τῇ ὑποταγῇ [*subjectione,*] id est, ita ut non agnosceremus pios ex Gentibus isti jugo esse obnoxios.

6. Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι, ὁποῖοί ποτε ἦσαν, οὐδέν μοι διαφέρει· πρόσωπον Θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει. ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. *Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil meâ interest. Deus personam hominis non accipit. mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*] In Manuscripto πρόσωπον ὁ Θεὸς οὐ λαμβάνει [*personam Deus non accipit*] rectiùs. Vide quæ dicta Act. 10. 34. scribenda autem sunt ista ab ὁποῖοι [*quales*] usque ad λαμβάνει [*accipit*] per παρένθεσιν [*interpositionem.*] Cœperat ita instituere sermonem Apostolus quasi dicturus esset ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναί τι οὐδὲν προσελαβόμην [*ab iis qui videbantur esse aliquid nihil accepi.*] sed interjectâ παρενθέσει [*interpositione*] repetiit vocem δοκοῦντες [*qui videbantur*] & subintulit; οὐδὲν προσανέθεντο [*nihil contulerunt,*] id est, *addiderunt*, aut authoritatis aut cognitionis scilicet. Similem transitum habes Ephes. 1. 13. & alibi sæpe. δοκούντων τι εἶναι [*qui videbantur aliquid esse,*] id est, *qui magni aliquid esse videbantur.* Sic 1 Cor. 3. 7. 2 Cor. 3. 5. sic contra οὐδὲν [*nihil,*] est *nihil magni* 1 Cor. 8. 4. quomodo & τὰ μὴ ὄντα [*ea quæ non sunt*] 1 Cor. 1. 28. Agit de illis qui in Judæa inter Christianos doctissimi putabantur. *Quales autem sint* (nam ἦσαν [*fuerint*] hic est pro indefinito tempore, & fieri potest ut quidam eorum cum hæc scriberet Paulus mortui fuerint) *de eo negat se esse sollicitum, cum Deus in salutis negotio talia non attendat:* προσώπου [*personæ*] enim vox hic sumitur, ut 2 Cor. 5. 12. 10. 7. ibi dicta vide. Οὐδέν μοι διαφέρει [*nihil meâ interest,*] *non curo* Syrus.

7, 8, 9. Ἀλλὰ τοὐναντίον, ἰδόντες ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας, καθὼς Πέτρος τῆς περιτομῆς (Ὁ γὰρ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς, ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη) Καὶ γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι, Ἰάκωβος, καὶ Κηφᾶς, καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας. *Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis: (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes) & cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus & Cephas & Johannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis*] Primùm in Manuscripto illo antiquissimo non est interpositum inter *Jacobi* & *Johannis*, nomen *Cephæ*, quod rectius arbitror: Satis enim fuit præcessisse *Petri* sive *Cephæ* nomen: neque moris est eum qui Princeps sit Collegii medio loco nominari, sed aut primo, ut Matth. 10. 2. aut postremo, ut Marci 16. 7. Præterea scriptores veteres de hoc loco agentes Petrum primo loco nominant. Est autem & hic παρένθεσις [*interpositio*] incipiens ab ὁ γὰρ [*qui enim*] & desinens in ἔθνη [*gentes,*] & Trajectio quædam: nam secundùm naturalem loquendi ordinem *Jacobus* & *Johannes* nominari debuerant cum participio ἰδόντες [*cum vidissent.*] Sensus enim est, *Tantum abest ut illi Judæi mihi quicquam contulerint aut authoritatis aut notitiæ, ipsi illi in Ecclesia præcipui Jacobus & Johannes me non imparem, sed ut collegam agnovere, & ut tali dedere dextram:* nam *dextram dare* apud Hebræos signum societatis, ut videre est Lev. 6. 2. Jeremiæ 50. 15. Hoc autem cur fecerint causam adfert, quòd viderent & Jacobus & Johannes res non minores effectas per Paulum apud Gentes quam per ipsum Petrum apud Judæos, ita ut nihil haberet Paulus cur in Apostolico munere aut aliis aut ipsi Petro quicquam cederet: illa autem ἐνήργησε [*operatus est*] & χάριν δοθεῖσαν [*gratiam quæ data est*] tum ad miracula pertinent, tum ad ingentis hominum numeri conversionem. Quod autem dicit hic Paulus *Petro creditum fuisse Apostolatum circumcisionis, sibi autem incircumcisorum*, id intelligendum est ἐπὶ τὸ πολὺ sive κατ᾽ ἐπικράτειαν [*ex parte potiore;*] nam & Petrus Cornelium convertit incircumcisum, & Paulus Judæos nonnullos, ut ex Actis discimus. Vide Actor. 9. 15. sed præcipuum studium Petro erat circa Judæos: Paulo circa gentes alias. Petro autem adjutores & velut adstipulatores plerùnque Jacobus, & Johannes, Paulo autem Barnabas, & ipso divinitus ad hoc vocatus, quem proinde Græci non malè *Apostolum decimum quartum* nominant. Dativus ille Πέτρῳ [*Petro*] ut & ἐμοὶ [*mihi*] regitur à præpositione ἐν [*in*] quæ est in verbo ἐνήργησε [*operatus est.*] Dicit autem de *Jacobo* & *Johanne* οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι [*qui videbantur columnæ esse,*] quia Ecclesia superædificata illis duobus quasi *columnis* sustentari credebatur: quales scilicet *columnas* Græci παραστάτας vocant. Videtur autem Paulus alludere ad columnas illas duas quæ erant in templo Salomonis 2 Paral. 3. 17. ἀκροβυστίαν [*præputium*] pro *hominibus incircumcisis* habuimus Rom. 2. 25. ¶ ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν. *ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem*] In Manuscripto ἡμεῖς μὲν [*nos quidem:*] est autem hic ἔλλειψις [*defectus,*] quæ optimè supplebitur *Apostolatu fungeremur*, nempe ex illo ἀποστολὴν [*apostolatum*] quod jam præcesserat.

10. Μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν *Tantùm ut pauperum memores essemus*] Pauperum scilicet qui in Judæa. Meminisse est *curam gerere*, Psal. 8. 5. 106. 4. Luc. 23. 42. & alibi. Rogarunt Petrus, Johannes, Jacobus, Paulum & Barnabam, ut quod facere jam cœperant (vide Act. 11. 29, 30.) id porrò facerent, ex Gentibus pecuniam colligentes quibus Judæorum egestas sublevaretur. ¶ ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι. *quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere*] Hebraismus est: nam Hebræi post relativum אשר [*quod,*] addunt pronomen demonstrativum rei aut personæ. De re ipsa vide 1 Cor. 16. 1. 2 Cor. 8.

11. Ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν, *Cum autem venisset Petrus Antiochiam*] In Manuscripto hic rursum Κηφᾶς [*Cephas.*] Videtur significare id tempus de quo in Actis 13. 1. ¶ Κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, *in faciem ei restiti*] *Coram ipso improbavi ejus consilium:* nam κατὰ πρόσωπον est *coram* לפני: quod & ἐνώπιον & ἔναντι verti solet, & sæpe solet poni cum ἀντιστῆναι [*resistere,*] ut Deut. 7. 24. 9. 2. Josuæ 1. 5. ἀντέστην [*restiti*] autem hic intelligendum verbis amicis: nam & ענה, quod est *respondere*, per ἀνθίστασθαι [*resistere*] vertitur. ¶ ὅτι κατεγνωσμένος ἦν *quia reprehensibilis erat*] Καταγινώσκειν sæpe nihil aliud est quàm *minus probare*, apud Demosthenem, Æschinem & alios, & κατεγνωσμένος hic est more Hebræo participium, pro verbali κατάγνωστος [*reprehensibilis.*]

12. Πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινας ἀπὸ Ἰακώβου, *Prius enim quàm venirent quidam a Jacobo*] Id est, ab Hierosolymis cui Ecclesiæ tum præsidebat Jacobus: *Jacobo*, id est, ab eo loco ubi erat Jacobus, quomodo rectè hic sumit Syrus. Sic dicimus, *venimus ad me.* ¶ μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν *cum Gentibus edebat*] Non erat quæstio de re eo quod liceret (neque enim de eo Petrus dubitabat) sed de eo quod esset utilius. ¶ ὅτε δὲ ἦλθον, *cum autem venissent*] Illi Hierosolymitani. ¶ ὑπέστελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν, *subtrahebat & segregabat se*] Ὑποστέλλειν, *se subducere.* Job. 13. 8. Abac. 2. 4. ¶ φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς. *timens eos qui ex circumcisione erant*] Metuens ne eos offenderet, & sic occasionem daret Christianismum deserendi. τοὺς ἐκ περιτομῆς [*qui ex circumcisione erant,*] ut Actor. 10. 45.

13. Καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ καὶ οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι. *Et simulationi ejus consenserunt & cæteri Judæi*] Nempe qui Antiochiæ erant. Si codices vetusti assentirentur, legendum hic putarem συνυπεκλίθησαν [*una se subduxerunt*] & mox τῇ ὑποκλίσει [*segregationi:*] nam ὑποκλίνεσθαι idem est cum eo quod modò dictum est ὑποστέλλειν [*subtrahere. Subduxerunt se a familiari consuetudine Christianorum circumcisorum*, & certè sic legit Syrus, nam אתפני est ὑποκλίνειν. ¶ ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. *ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem*] Ὥστε [*ita ut*] cum indicativo vice infinitivi habemus apud optimos scriptores Græcos, Isocratem, Aristophanem, Platonem, Xenophontem, Plutarchum. Rem autem magnam dicit, tantam ejus exempli à Petro editi fuisse vim, ut etiam Bar-

nabas,

magis sonat *rudes parumque cordatos*; præsertim quòd Galatæ è ferocioribus Galliarum partibus sint profecti. Hilarius ipse Gallus in carmine Hymnorum Gallos *indociles* appellat. Addit Hieronymus, sibi visam Ancyram Galatiæ metropolim, in qua magna vetustæ ruditatis vestigia resederint, & ex horum finitimis prodigiosas hæreses exortas, τῆς κατὰ Φρύγας, Ophitarum, Borboritarum, & Manichæorum; cæterùm linguam, exceptâ Græcâ, quâ tunc totus ferè Oriens utebatur, ferme eandem fuisse quæ tum esset Trevirorum. Nam apud hos versatus est Hieronymus. Atque haud scio an quæ nunc est Germanorum lingua fuerit olim Gallorum. Interpres quod hic *insensatos* vertit mox vertit *stultos*, suo more lasciviens copiâ. ¶ *Quis vos fascinavit*] *Fascinare* dicuntur Latinis qui aspectu malefico lædunt: sed apud Græcos βασκαίνειν, quo verbo hic usus est Paulus, significat & *invidere*: ut intelligas invidiâ motos quosdam voluisse Galatas ad servitutem Legis revocare. At Paulus videtur hoc verbum usurpasse pro eo, quod est *incantavit & oculis veluti præstigio imposuit*: βασκαίνειν enim Græcis dictum est παρὰ τὸ φάεσι καίνειν, quòd *per oculos noceat* fascinator. Porrò Paulum de *oculis delusis* sentire testantur propemodum quæ mox sequuntur, *ante quorum oculos Christus Jesus præscriptus est, & in vobis crucifixus.* Est autem planè præstigii genus ut id quod coràm cernas non videas, tum quod non est id videre te putes. Etiamsi Demosthenes eo verbo usus est pro *calumniari* sive *accusare* in Oratione pro Ctesiphonte. Hesychius addit propriè de *ingrato* dici. Fascinum autem pueris potissimùm creditum est nocere: & ob id illos *stultos* appellat, nihil veritus sententiam Euangelicam, *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis*: siquidem hoc non indignationis sed charitatis convitium est. Et tamen mitigat illorum admissum cùm tantam cæcitatem *fascino* tribuat, magnam culpæ partem in alios rejiciens. ¶ *Non credere veritati*] *Non obedire*; μὴ πείθεσθαι, i.e. *nè obtemperaretis veritati.* Quanquam hæc particula ab Hieronymo prorsus omittitur quòd neget inveniri *in exemplaribus Adamantii.* In vetustissimo atque emendatissimo exemplari bibliothecæ Paulinæ non addebatur in contextu, sed nescio quis recentiore manu subnotarat procul in ima margine. In codice Constantiensi recentiore prorsus non habebatur, in vetustiore legebatur, *Quis vos fascinavit non obedire*? nec additum erat *veritati.* Eandem particulam adjecerunt & alio loco inferius, ubi pro ἐβάσκανεν mutatum est ἀνέκοψεν. Hic est unus locus è multis quo arguitur hæc editio non esse tota Hieronymi. Etenim cùm ille testetur se hanc particulam omisisse quòd in Adamantii codicibus non inveniretur, in nostris exempl. constanter habetur: & quod in Epistolæ cap. 5. dicit Interpretem hoc loco vertisse, *non credere veritati*, nostri codices habent *non obedire veritati.* Chrysostomus nihil aliud legit quàm *quis vos fascinavit*? Nec aliud Theophylactus; tametsi Interpres suo more nostram sequitur lectionem, cum in enarratione nulla syllaba sit quæ explanet hanc particulam. ¶ *Ante quorum oculos*] Οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη, *quibus sub oculis Christus Jesus præscriptus est.* Quod miror quare verterit *proscriptus*, cum ea vox Latinis multò aliud significet, nisi quod Græci quoque *proscriptionem* (id erat apud Romanos damnationis genus) προγραφὴν appellant. Potest autem sensus esse duplex, Galatas adeò dementatos fuisse, ut id quod manifestissimum esset & oculis expositum tamen non cernerent obcæcati, aut adeò nihil videre ut crederent Christum proscriptione perisse & vulgari more crucifixum esse. Posteriorem sensum sequuntur Augustinus & Ambrosius. Mihi prior magis arridet, ut simplicior minusque coactus. Quanquam Augustinus legisse videtur *præscriptus*, non *proscriptus*, utpote loquens de præscriptione possessionum quæ per occupationem transferuntur [illegible]jus alterius. Ipsius verba, si quis fortè requiret, adscribam; ANTE QUORUM OCULOS, inquit, CHRISTUS JESUS PROSCRIPTUS EST, CRUCIFIXUS: *hoc est, Quibus videntibus, Christus Jesus hereditatem suam possessionemque suam amisit, his utique auferentibus eam, Dominumque indè expellentibus, qui ex gratia fidei, per quam Christus possidet Gentes, ad Legis opera eos qui crediderant revocabant, Christo auferendo possessionem suam.* Ac paulò inferius, *Ut hinc eos maximè moveret, cum considerarent quo pretio emerit possessionem quam in eis amittebat, ut parum esset gratis eum mortuum, quod superiùs dixerat. Illud enim ità sonat tanquam non pervenerit ad possessionem pro qua sanguinem dedit, proscriptione autem etiam quæ tenebat aufertur. Sed hæc proscriptio non obest Christo, qui etiam per Divinitatem Dominus est omnium, sed ipsi possessioni, quæ hujus gratia culturâ caret.* Hactenus August. Quibus ex verbis satis opinor liquere illum agere de præscriptione juris, & toto hoc sermone *pro* positum loco *præ* in dictione *proscriptionis.* At Ambrosius legit *proscriptus*, mentionem faciens *damnationis.* Nè hujus quidem verba gravabor adducere lectori pigro ac diffidenti, *Quia stultorum*, inquit, *oculis Christus proscriptus videtur, id est, spoliatus vel condemnatus, prudentium verò oculis & sensibus non solùm non condemnatus, sed ipse Mortem cruce suâ damnasse videtur.* Ac mox, *Sed quia hi indignè cœperant sentire, translati ad Legem, idcirco mentibus eorum Christum condemnatum videri conqueritur.* Huc usque Ambrosiana recensuimus. Theophylactus legit *præscriptus*, h. e. *ante oculos veluti depictus.* Nam Græcis γράφειν & *pingere* est. Hâc Hyperbolâ notat certissimam illorum fidem, qui certiùs crediderint Christum morte suâ liberasse genus hominum quàm qui coràm conspexerant illum sublatum in crucem. Et ob hoc ipsum magis indignatur illos relabi in Judaïsmum veluti desciscentes à Christo. Hieronymus legisse videtur *præscriptus*, h. e. antè scriptus, *in vobis crucifixus*, quàm illud in Euangelio legeritis, videlicet legentibus & credentibus Vaticinis Prophetarum, qui multo antè id fore prædixerant. Illud admonendum, Græcam vocem προεγράφη communem esse *scripturæ* & *picturæ.* Quòd si placet prior illa sententia, quæ mihi certè magis probatur, & consentiunt Græcorum Scholia, magis quadrabit *depictus ante oculos* quàm *præscriptus.* Sic enim crediderant Christum crucifixum quasi conspexissent oculis. Codex Donatiani habebat *præscriptus*, & Constantiensis uterque nullo rasuræ vestigio. Est autem hic sermo conjunctim legendus, *ante quorum oculos Christus in vobis est præscriptus crucifixus*, q. d. *Veluti depictus in cruce pendens vestris oculis exhibitus est.* Neque enim erat apud Galatas crucifixus, sed illis per fidem repræsentatus est crucifixus. Id tacitè monet Chrysostomus, qui nihil attingit de præpositione in προεγράφη, quam Paulus usurpasse videtur pro *præscriptus est.* Apud Latinos præpositio *pro* interdum significat aliquid palàm fieri, ut *prodere, promulgare, proferre, proloqui, prostare.* Et olim nomina damnatorum publicitus in foro proponebantur: unde hoc damnationis genus *proscriptio* dicta est. ¶ *Et in vobis crucifixus*] *Et* redundat. Et *in vobis* accipi potest pro *inter vos*, si primus sensus placet quem recensuimus: Non quod inter eos Christus fuerit crucifixus, sed quòd hoc ità notum ac prædicatum ut non minùs nossent credidissentque quàm si inter ipsos res fuisset gesta.

2. *Ex operibus Legis*] *An* hic redundat, nec additur à D. Hieronymo, nec ab Augustino, nec habetur in vetustis exemplaribus. Nec enim simpliciter rogat utrum sit è duobus, sed prius proponit velut absurdum dictu, deinde per correctionem infert quod verum est, perinde q. d. *Ex operibus Legis Spiritum accepistis an potius ex auditu!* Jam illud *ex auditu fidei*, tametsi à nobis intelligitur, tamen Latinis auribus insolens est. Neque enim ut Græci *famam* sive *rumorem*, ἀκοὴν vocant, itidem & Romani. Proinde dilucidius erat *ex prædicatione fidei*; h. e. ex fide quam ex nobis audistis, non ex lege didicistis. Quis enim ferat sic loquentem, *Auditus occisi Regis consternavit populum*, pro eo quod erat, *Rumor de Rege occiso*? Nos itaque pro *auditu* vertimus *prædicationem.*

3. *Ut cùm spiritu*] *Ut* apud Græcos non est; sed, *Spiritu cùm cœperitis, nunc carne consummamini?* ἐναρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε; nisi quod præpositio est in verbo composito: velut Horatius,

> —— *congestis undique saccis*
> *Indormis inhians.*

Item Virgilius,

> *Viribus indubitate meis.*

Atque hoc ipsum *in* positum est pro *per.* Unde magis quadrat *spiritu* & *carne.* Annotavit Chrysostomus quod Apostolus non dixit τελεῖσθε sed ἐπιτελεῖσθε, q.d. *pòst consummamini, dissidentes ab institutis.*

4. *Sine causa*] Εἰκῆ, *frustrà*, sive *temere.*

5. *Tribuit vobis*] Ὁ ἐπιχορηγῶν, *suppeditans*, sive *subministrans.* ὁ ἐπιχορηγῶν & ὁ ἐνεργῶν poterant esse præt. temporis, id est, *qui suppeditabat* & *qui operabatur*, ut subaudias deinde verbum item præt. temp. *tribuerat*, aut simile quippiam. Verùm Hieronymus admonet rectiùs legi verbum præsentis temporis, quod Spiritus non desierit subministrare dotes suas. Atque ità sanè legit Ambrosius. Petrus Lombardus Theologicarum Sententiarum lib. 1. dist. 14. capite *Sed hinc*, ex Augustini sententia putat hoc, *Qui præbuit vobis*, ad Pauli personam referendum; cum Hieronymus & Theophylactus ad Deum referant; quod palam est ex illorum interpretatione. ¶ *Et operatur virtutes*] *Operatur* non ad *Spiritum* sed ad eum refertur *qui suppeditat.* Eclipsim habet hic sermo: subaudiendum enim *id facit.* Est hoc idiomatis Hebraïci, sicut crebrò jam indicavimus.

6. *Sicut scriptum est*] *Scriptum est* redundat. Et Hieronymus legit, *Sicut Abraham credidit Deo.* Nec apparet aliter legisse

legisse Ambrosium, qui subjicit, *Ostendit exemplo Abrahæ, qui pater fidei est*, &c. Exemplum igitur adduxit, non Scripturæ testimonium. Suffragabatur germanæ lectioni uterque codex Constantiensis.

7. *Cognoscite ergò*] Γινώσκετε ἄρα, *Scitis igitur*. Atque ità legit D. Hieronymus *Cognoscitis ergo* & huic consentiens Ambrosius; etiamsi Græca vox anceps est.

8. *Prænunciavit Abrahæ*] Προευηγγελίσατο, *anteevangelizavit*, ut exponendi gratiâ sic loquamur. Nam *evangelium* Græcis sonat *bonum ac lætum nuncium*. Etiamsi apud Homerum Ulysses poscit *evangelium*, h.e. *præmium quod dari solet iis qui rem lætam primi nunciarint*. Proinde quod in Euangelio Christi fuit exhibitum, id multò ante Euangelium promissum est Abrahæ: quod hic appellat *præevangelizavit*.

9. *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur*] Εὐλογοῦνται, *benedicuntur*, præs. temporis. In promisso verbum erat futuri temporis ἐνευλογηθήσονται, hic præsentis. Scio parum esse Latinum *benedicentur* & *benedicuntur*; sed hujusmodi quædam vitari prorsus non possunt. Dici poterat *benedictionem consequentur*: at nè sic quidem vitatum fuisset orationis vitium. Conjicere licet & Ambrosium ità legisse, licèt depravatus sit locus. Certè Græcorum Scholia cum sua scriptura consentiunt. Congruit huic verbum præsentis temporis quod sequitur.

10. *Sub maledicto sunt*] Ὑπὸ κατάραν, *sub maledictione*, sive *exsecratione*. Quod commodè reddi poterat *maledictioni obnoxii sunt*. ¶ *Maledictus omnis*] Locus est Deut. 27. Juxta LXX ità legitur, *Maledictus omnis homo qui non permanserit in omnibus sermonibus Legis hujus ut faciat illos: & dicet omnis populus, Fiat.* Apud Aquilam verò sic, *Maledictus qui non statuerit verba Legis hujus ut faciat ea: & dicet omnis populus, Verè.* Symmachus ad hunc vertit modum, *Maledictus qui non firmaverit sermones Legis istius ut faciat eos: & dicet omnis populus, Amen.* Theodotio sic transtulit, *Maledictus qui non suscitaverit sermones Legis hujus facere eos: & dicet omnis populus, Amen.* Addit Hieronymus, in hoc testimonio, quemadmodum & in cæteris, magis curæ fuisse Apostolo ut sensum redderet quàm verba: Deinde hæc verba *omnis homo* & *in omnibus*, quoniam apud solos habentur LXX. aut addita fuisse à LXX. aut à Judæis fuisse erasa, præsertim cùm ea compererit Hieronymus in Hebræis voluminibus Samaritanorum. At ego non video causam admodum gravem cur quisquam Judæus voluerit ea radere, quæ pro Judæis faciant, non contra Judæos. Nam iis optandum etiam erat, universum hominum genus Legi suæ reddi obnoxium. Et adeò volebant omnia quæ Legis sunt observari debere ut multa etiam adjecerint. ¶ *Qui non permanserit*] Ὃς οὐκ ἐμμένει, *qui non permanet*; etiamsi id nihil ad sensum.

11. *Quoniam autem*] Ὅτι δὲ, *Quòd autem*: & sic legit Ambrosius: nam *quoniam* hoc loco non quadrat. ¶ *Ex fide vivit*] *Vivet*, ζήσεται, ut antea admonuimus in Epist. ad Romanos. Indicat Hieronymus & ità posse distingui, *Justus ex fide*, deinde subdatur *vivet*: ut sit sensus, *Qui verè justus est, non ex operibus Legis, sed ex fide, is victurus est.* Ex ejusdem interpretatione palam est illum legisse *vivet*, non *vivit*. Porrò quomodo variè habeatur hic locus apud interpretes Græcos dictum est in Epistola ad Romanos.

13. *De maledicto Legis*] Ἐκ τῆς κατάρας, i.e. *Ex maledictione*, ut legit Hieronymus in 2. Dialogo adv. Pelagianos, sive *detestatione*. Et rursum, *factus pro nobis maledictum*, κατάρα, i.e. *exsecratio*. Miror cur hic placuerit *maledictum*, cùm ea vox Latinis longè aliud significet, nempe *convitium*. ¶ *Factus pro nobis maledictus*] Κατάρα, i.e. *maledictum*, ut habetur in vetustis exempl. sive *maledictio*, aut *exsecratio*: sicuti pestilentem *pestem* vocamus. ¶ *Maledictus omnis qui pendet in ligno*] Locus est Deut. 21. Paulus prudens ac sciens, opinor, in hoc testimonio prætermisit mentionem Dei. Nam. Aq. & Theodotion verterunt *maledictio Dei est*, LXX. *maledictus à Deo*, Sym. *in blasphemiam Dei suspensus est*. Hebion hæresiarches semijudæus ac semichristianus ad hunc interpretatur modum, ὅτι ὕβρις Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, *injuria* (sive *contumelia*) *Dei est qui pendet*. Addit Hieronymus *in altercatione Jasonis & Papisci, quæ Græco sermone conscripta fuerit, reperisse*, λοιδορία Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, *convitium Dei qui pendet*. Ad hæc Judæus Bathanina, quo nocturno præceptore fuit usus Hieronymus, adjecit & ità legi posse, *Quia contumeliosè Deus suspensus est.* Demiror autem cur hic tantopere laboret nè Christus dicatur *maledictus*, cùm Paulus eundem dicat *esse factum peccatum*. Nimirum ut *peccatum* erat Christus, ità erat & *maledictio*: Tropo dictus est *peccatum*, tropo dictus *maledictio*.

15. *Tamen hominis*] Ὅμως ἀνθρώπου quod reddi poterat, *hominis licèt testamentum*; ut statim subaudias, *multo magis id oportere fieri in Deo*. Etiamsi video posse committi cum eo quod præcessit, *secundum hominem loquor*; h.e. *Adferam exemplum rerum humanarum, quæ nullo pacto conferenda sunt cum rebus Divinis*; *Et tamen in humano testamento nemo quicquam rescindit aut immutat: tantum valet hominis decretum ac placitum.* ¶ *Confirmatum testamentum nemo spernit*] Κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ, *confirmatum* (sive *comprobatum*) *testamentum nemo rejicit, aut rescindit.* Nam verbum hoc ἀθετεῖ paulò superiùs vertit *Abjicit*. Ambrosius legit *confirmatum auctoritate*. Contrarium est illi ἀκυροῦν, quod est *irritum facere & rescindere*. Participium est à verbo de quo meminimus in proxima Epistola, *Confirmate in illo charitatem.* ¶ *Aut superordinat*] Ἐπιδιατάσσεται, i.e. *adjungit & præter illud aliquid ordinat*; h.e. nec demit nec addit, nec derogat nec arrogat.

16. *Quasi in multis*] Ὡς. Melius hic quadrabat *tanquam*. Subnotat D. Hieronymus, Paulum hoc argumento abusum apud crassos Galatas quod sciret alioqui non probatum iri prudentibus aut eruditis; atque ob id præmonuisse prudentem lectorem, *Fratres, secundum hominem dico.* Negat enim usquam *seminis* vocem poni in literis S. nisi numero singulari: Et tamen hoc torquet Apostolus velut in argumentum quo doceat promissum hoc in solum Christum competere. Mihi magis videtur ideo testatus quod *humano more loqueretur*, quod à rebus humanis similitudinem ducturus esset ad res Divinas docendi gratiâ. Sic & Virgilius,

Si parva licet componere magnis.

Jam illud vel citra monitorem oportet esse notum, præpositionem IN usurpari loco PER; *In semine tuo*, *Per semen tuum*. *Semen* autem vocat posteritatem.

17. *Testamentum confirmatum à Deo*] Διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν, *Testamentum ante confirmatum à Deo in Christum*. *In Christum* additur apud Græcos, & item apud Ambrosium. Admonet hoc loco D. Hieronymus, si quis diligenter expendat Hebræa volumina, quoties LXX. verterunt διαθήκην, i.e. *Testamentum*, Hebræis esse ברית, quod *pactum* sonat potius quàm *testamentum*. Nam in pactis requiritur fides. Cæterùm apud crassos Galatas Paulus non putavit agendum exactius. Ità Hieronymus. Quasi verò Paulus non & aliis compluribus locis secutus sit editionem LXX. Jam vero de numero annorum, an satis consentiant cum narratione Geneseos, disserit acutè D. Augustinus lib. De Civit. Dei 16. cap. 24. nè nos hujusmodi appendicibus plus satis oneremus hoc institutum. ¶ *Non irritum facit*] Οὐκ ἀκυροῖ quod contrarium est illi κυροῦν, quod non tam est *comprobare* quàm *cum auctoritate decernere & legitimè transigere rem, ut deinde ratum sit quod actum fuerit.*

18. *Per repromissionem donavit Deus*] Κεχάρισται verbum à χάρις, dictum à *gratia*, quam Paulus ubique opponit operibus Legis Mosaicæ.

19. *Quid igitur Lex? Propter transgressiones*] Augustinus in Commentariis ità jubet distingui, *Quid ergo?* deinde subnectatur responsio, *Lex propter transgressores addita fuit.* Atque hæc distinctio habebatur in utroque codice constantiensi. Verum id retractat, putatque satius esse distinguere quemadmodum nos distinximus, *Quid ergo Lex?* ac deinde sibi respondeat Paulus, *Propter transgressiones addita fuit.* Hanc distinctionem didicit, ut arbitror, ex Græcis. Sic enim Theophylactus, Τί οὖν ὁ νόμος; ¶ *Posita est*] Προσετέθη, *addita est*, sive *apposita est*. Nisi legas προετέθη. Sed προσετέθη legit Theophylactus, nec indiligenter explicat. Non enim dixit *positam*, sed *additam*, nè quis existimaret hanc esse præcipuam, sed obiter adjunctam inter primam promissionem & Euangelium. ¶ *Cui promiserat*] In quodam codice legi Ὃ ἐπήγγελται, *quod promissum fuit*: in aliis erat ᾧ. Neque enim oportet apud Græcos idem fieri in recto quod in hujusmodi sit obliquis, ut articulus postpositivus congruat antecedenti, non suo verbo: nisi quod Græcis dicuntur *evangelizari* quibus adfertur nuncius. Hoc sanè tropo idem erit sensus sive legas ὃ sive ᾧ. Theophylactus legit ᾧ. ¶ *In manu mediatoris*] Μεσίτου. Fortassis & hæc una est ex his distinctionibus quas ceu peculiares Divinæ Scripturæ mutare non possumus; nisi placet *conciliator* aut *intercessor*. Hic Hieronymus meminit Hyperbati, & ordinem sermonis confusum ad hunc restituit modum, *Lex posita est per Angelos in manu mediatoris, propter transgressiones ordinata per Angelos, donec veniret Semen cui repromissum erat.*

24. *Pædagogus noster fuit in Christo*] Melius hoc loco *in Christum*, sive *ad Christum*, εἰς Χριστόν. Atque ità legit Hieronymus, in 2. Dialogo adv. Pelagium. *Pædagogus* enim Græcis vile nomen est servi cui committitur ad tempus cura pueri, nè quid per ætatem peccet; dictus à *ducendo puero*; quo magis quadrat

drat quod sequitur, *ad Christum*. ¶ *Ut ex fide justificemur*] Ambrosius legit *justificaremur*, ἵνα δικαιωθῶμεν.

28. *Non est masculus neque fœmina*] In cæteris usus est conjunctione *neque*, in hoc ultimo jugo usus est καὶ *&*, quæ tamen conjunctio idem pollet, ἄρσεν καὶ θῆλυ. Admonet Hieronymus hic Ἕλληνα *Græcum* pro *Ethnico* poni. ¶ *Omnes enim vos unum estis*] *Unum* legere videtur Hieronymus, Ambrosius & Augustinus, nisi quod subolet Ambrosium *unus* legisse, non *unum*, ex his quæ asscribit, *Apud Deum enim nulla discretio personarum est, nisi morum & vitæ, ut homines unius fidei meritis distinguantur, non personis.* Cæterum Græci *unus* legunt genere masc. εἷς ἐστε, & interpretatur Theophylactus, *sive quod jam Christi formam simus induti, sive quod unum corpus sumus sub uno Capite Christo.* Chrysostomus legit quidem *unus*, sed interpretatio talis est ut quadret etiam si legas *unum*. Ac mihi sanè nostra lectio magis probatur, nisi quod magno consensu dissentiunt ab hac Græcorum exemplaria. Nec video tamen cur abhorreamus ab hoc tropo quo multi dicuntur *unus*, cum nec *unum* dicantur absque tropo, nec *unanimes*.

29. *Si autem vos Christi*] Hoc loco video veteres trifariàm legisse. D. Hieronymus ad eum legit modum ad quem scriptum comperimus in Græcorum exemplaribus, Εἰ δὲ ὑμεῖς Χριστοῦ, *quod si vos estis Christi*. D. Augustinus hoc pacto legit, *Omnes vos unum estis in Christo Jesu*; deinde subjicit, *Quod si*; ut hic interpositâ subdistinctione subaudiatur *vos estis unum in Christo*, ac deinde inferatur, *Ergo semen Abrahæ estis.* Porrò jam quod Augustinus putat subaudiendum, id Ambrosius explicat, ad hunc legens modum, *Si ergo vos unum estis in Christo Jesu, ergò semen Abrahæ estis.* Annotavit Hieronymus, Quoties de Christo fit mentio, *promissiones* multitudinis numero poni; velut illic, *Abrahæ autem dictæ sunt promissiones, & semini ejus, h. e. Christo.* Rursus ubi *de his qui per Christum semen sunt Abrahæ* numero singulari; velut hoc loco, κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι.

VATABLUS.

1. INsensati] *Stulti.* ¶ *Fascinavit*] vel, *incantavit.* ¶ *Ante quorum oculos*] *Quibus præ oculis.* ¶ *Proscriptus est*] *Præscriptus fuit*: vel, *antè fuit depictus.* ¶ *In vobis*] *Inter vos.*

2. *Auditu*] i.e. Ex fide quam audivistis doceri vos. Alii *ex auditu*, i.e. ex eo quod fidei paruistis, interpretantur.

4. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa*] *Tam multa passi estis frustra? si tamen & frustra.*

5. *Tribuit*] *Subministrat, suppeditat.* ¶ *Ex auditu fidei?*] i.e. Ex eo quod fidei paruistis?

7. *Cognoscite*] *Cognoscitis*, Vet. ¶ *Qui ex fide sunt*] Heb. Qui justitiam fidei amplectuntur.

8. *Providens autem*] *Cum autem prævidisset.* ¶ *Prænunciavit*] *Prius rem lætam nunciavit.* ¶ *In te*] i.e. In semine tuo qui est Christus.

9. *Benedicentur*] *Benedicuntur.*

10. *Ex operibus legis sunt*] i.e. Quicunque justificationem exspectant ab operibus quæ Lex præcipit. ¶ *Permanserit*] *Permanet.*

11. *Quoniam*] *Quod.* ¶ *Vivit*] *Vivet*, fut. temp. Vet.

12. *Ex fide*] i.e. In Lege nusquam scriptum est hominem ex fide victurum; sed tantum siquis eam opere perficiat.

13. *De maledicto*] *Ex maledictione.*

14. *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu*] i.e. Ut felicitas Abrahæ promissa, ad Gentes quoque perveniret per Jesum Christum. ¶ *Pollicitationem Spiritus*] Heb. promissum Spiritum.

15. *Secundum hominem dico*] Vel, *humano more loquor*: i.e. rerum humanarum exemplum assero. ¶ *Spernit*] *Rescindit.*

16. *Dictæ*] Heb. factæ.

17. *Testamentum confirmatum*] *Pactum antè comprobatum.* ¶ *A Deo**] * *Erga Christum.* ¶ *Ad evacuandum*] *Ut abroget.*

18. *Repromissionem*] *Promissionem.*

19. *Transgressionem*] *Transgressiones*, Vet. ¶ *Cui*] Sub. *ei populo cui*, &c. Alii legunt ὃ, i.e. *quod*, ut referatur ad *semen.* ¶ *In manu mediatoris*] Sub. *& tradita*: i.e. operâ, vel per potentiam & virtutem, intercessoris tradita.

21. *Posset*] *Possit*, Vet.

22. *Ex fide Jesu Christi*] i.e. Quæ facta erat iis qui fiderent Christo Jesu.

23. *Veniret*] *Venisset*: i.e. ante promulgatum Euangelium quod docet fidem. ¶ *In eam fidem quæ revelanda erat*] i.e. Donec tempus adveniret in quo doceretur fides in Christum. *Legem* vocat ceremonias quæ Christum adumbrabant.

24. *In Christo*] *Ad Christum*, Vet.

28. *Græcus*] Pro quovis Ethnico ponitur. ¶ *Unum*] *Unus*: i.e. veluti unus, Heb.

29. *Estis**] * *Es.*

CASTALIO.

1. QUibus ob oculos Jesus Christus antea depictus fuit, apud vos crucifixus] Ità declaratus ut apud vos crucifixus esse videatur.

8. *Prævidentes autem literæ*] Deus, ut in literis habetur.

19. *Delictorum causâ adjecta est*, &c.] *Lege* latâ effectum est ut *delicta* cognoscerentur (nam *cupiditatem non novissem nisi Lex vetaret*, ad Rom. 7.) duratura *donec veniret semen* Abrahami Christus, *cui promissum erat fore ut in eo bearentur omnes nationes*; *instituta per Angelos*, ut intelligatur Divinam esse; *lata* ac administrata & promulgata *per sequestrum*, scilicet Mosem. *Sequester autem* internuncius est duorum qui inter sese aliquid paciscuntur: *Atqui Deus unus est*, non duo: itaque necesse est Mosem Dei & Israëlitarum internuncium fuisse. Nec enim potest Dei & Dei internuncius fuisse, cùm duo Dii non sint. Quod si est, oportet in eo fœdere faciendo aliquid ab utraque parte promissum esse: nam ea est fœderum natura. Quid promisit Deus? *Vitam.* Nam *Qui ista præstiterit, vivet*, inquit. Quid promiserunt Israëlitæ? Obedientiam. Cùm enim pronunciaretur, *Exsecrabiles esse qui essent contumaces*, responderunt *Amen*; & *se omnia Jovæ imperata facturos* spoponderunt. Nunc quoniam Legi parêre nequeunt, supplicio sunt obnoxii. Ità fit ut Lex eorum peccata patefaciat, pœnâque dignos ostendat. At si ità est, videtur *Lex Dei promissis esse contraria*, cùm Dei promissa *justitiam* & felicitatem conferant, Lex autem *peccatum* & pœnam; quibus nihil potest magis esse contrarium. Verum tantum abest ut sit Lex contraria promissis ut idem conetur efficere quod promissa. Promittit enim Lex *vitam* & *justitiam* obedientibus. Quod si non obediunt homines, per Legem non stat, sed per hominum infirmitatem, qui obedire nequeant. Nam si obedirent, vitam consequerentur per eam obedientiam, atque ità justi fierent per Legem. Sed quia (ut literis proditum est) omnes peccant, omnes egent Christi justitiâ, qui Legi obediens, justus fuit, & nobis suam justitiam impertit, quæ in eo *justitia Legis* est (ut appareat in Lege sitam esse justitiam, cùm Christus Legis justitiâ justus sit, quippe qui Legi paruerit) eademque in nobis *fidei justitia* est, quòd fidendo Christo simus ejus justitiæ compotes.

22. *Sed concluserunt literæ omnia sub peccatum*] Omnia sub peccato sunt, ut docent literæ.

24. *Itaque Lex pædagogus noster fuit ad Christum*] Ut nobis præesset usque ad adventum Christi.

CLARIUS.

1. O *Stulti Galatæ*] Gallos *stultos & indociles* appellat Hilarius ipse Gallus; & Galatæ à fortioribus Galliarum partibus sunt profecti; quare aptè *stultos* vocat. D. autem Hieronymus ait visam sibi Ancyram Galatiæ metropolim, in qua magna vetustæ ruditatis vestigia resederint; & ex horum finitimis prodigiosas hæreses ortas, Cataphrygum, Ophitarum, Borboritarum & Manichæorum. ¶ *Quis vos fascinavit*] Videtur deductum Latinum verbum à Græco βασκαίνω, quod dictum volunt παρὰ τὸ φάεσι καίνειν, quod fascinator *per oculos noceat.* Fascinum autem pueris potissimùm creditum est nocere: & ob hanc causam *stultos* illos appellat. Neque dixit, *quis vos decepit?* sed, *quis vos fascinavit?* h. e. quis vobis invidit (nam & *invidere* βασκαίνω significat) tantum vestrum bonum, quo ità fueratis ditati ut invidere vobis alii possent? ¶ *Depictus fuit*] Tanta erat fides vestra ut videretur *ante oculos vestros Christus* sublatus fuisse in crucem: hoc enim significat *depictus est crucifixus.* Vos, inquit, fidei oculis quasi præsentem suffixum cruci diligentiùs intuiti eratis quàm multi qui aderant dum crucifigeretur. Potest & ad diligentiam Pauli referri, qui accuratè eis Christum crucifixum prædicaverat.

2. *Hoc solum à vobis volo discere*] Tantùm huic rei de qua nunc interrogo respondere, & satis est ad vos revincendos; Dona illa *Spiritûs* quæ *accepistis* habuistis ex circumcisione ac cæteris *factis Legis, an ex auditu fidei?* Quod si ex fide in Christum (quod inficiari non audebitis) omnia hæc bona estis assecuti, quæ est hæc insania, redire ad Legem quasi necessariam, quæ tamen nihil unquam vobis aliud attulit quàm minas & pœnas?

3. *Cùm spiritu cœperitis*] Cùm Lege spiritualiter intellectâ

Christum agnoveritis, nunc ad carnalem Legis intelligentiam reversi, videmini velle à *spiritu* in *carnem* desinere: quod contrà opus erat.

4. *Tanta passi estis frustra?*] Quid vobis prodest tot persecutionum tolerantia, cùm uno hoc facto omnia perdatis? Nam dum circumcidimini, judicatis non posse Christi mortem vobis salutem dare: quod est excidere à Christo. Adjecit autem, *si tamen & frustra*, dans spem & spatium resipiscendi, nè nimio terrore dissolverentur.

8. *Prævidens autem Scriptura*] Sensus est, Cùm justificatus fuerit Abraham ex eo quòd credidit Deo, cùm dictum fuit Abrahæ *Benedicendas esse in eo omnes gentes*, nimirum significavit Scriptura per eandem fidem & ejus imitationem Gentes esse benedicendas. Non contentus autem Paulus fuit dicere *scriptum esse*, sed *Scripturam prævidisse* hos errores istorum, atque *antea annunciasse*, &c.

10. *Sub maledicto sunt*] Hanc scilicet ob causam quòd cùm *exsecratur* Lex *omnes qui non permanerent in iis quæ scripta essent in ea*, nemo verò unquam implere eam potuerit, sequitur ut *qui pendent ex factis Legis*, *sub exsecratione sint* necessario.

12. *Lex autem non est ex fide*] Cùm enim dicat Lex, *Qui fecerit ea, vivet in eis*, significatio fit, Justificationem Legis ex factis Legis esse exspectandam, *non ex fide*. Lex enim non novit gratiam vel condonationem, sed tantùm exactionem. Atque hoc est quod hic dicit, *sed, Qui fecerit ea homo vivet in illis*; &, *Quisquis non fecerit, morietur*, sive, ut suprà dictum est, *maledictus erit*. Quod autem in libris Mosis expiationes quædam promittuntur, non Legis est, sed Autoris Legis condonantis per quæ Lex violata fuerit. Ex diametro enim pugnat cum Lege Condonare, cùm natura illius sit Debitum exigere. Lex enim non ut justum quemque faciat lata est, sed ut injustos coërceat & accuset. Quare eleganter & verè dictum est, *Bonas leges ex malis moribus natas esse*: &, *Justo ne positam quidem Legem esse*: & paulò pòst, *Lex propter transgressiones apposita est*.

13. *Factus pro nobis maledictum*] h.e. Crucifixus pro nobis tanquam exsecratus & sceleratus. Nam qui in crucem agebantur, erant exsecrati, ut qui ob scelera sua id essent passi: & ipse tanquam peccator occisus est.

15. *Secundum hominem dico*] h.e. Exemplum vobis apud omnes homines tritum adducam, *Nemo rejicit testamentum hominis, quod sit comprobatum*: Dei verò testamentum audebit quispiam rejicere? At testamentum hoc Dei cum Abraham fuit ut *in semine ejus, qui est Christus, benedicerentur omnes gentes*. At hoc contigit annis ante Legem datam plùs quàm quadringentis. Quod si Lex (ut vos velle videmini) benedictionem hanc largitur, fœdus illud Dei cum Abraham rejicitur atque *irritum fit*. De hoc autem annorum numero vide Augustinum lib. De civit. Dei 16. c. 24.

19. *Quid igitur Lex?*] Cur, inquiunt, data est Lex, si servare non potest? Respondet, Non ob hoc institutam ut servaret, cùm hæc ejus natura non sit, sed *additam esse* non ut præcipuum quiddam, sed tanquam, additamentum & veluti *pædagogum*, ut cohiberentur *transgressiones*, donec deducerentur homines *ad Christum*. ¶ *In manu mediatoris*] Ut ostendat Christum esse Dominum Legis, dicit hanc Legem datam ab eo *ministerio Angelorum*: Cujus figuram Moses prætulit, qui cum fuerit medius & intercessor inter Deum & homines, signabat futurum verum Mediatorem Christum, qui nos reconciliaret Deo. Nam idcirco, inquit, *Mediator* appellatus est, cùm nemo *unius* sed duorum *mediator* dicatur: at cùm *Deus unus sit*, quorum erit *Mediator* nisi Dei atque hominum? Usus autem est Paulus vocabulo *mediatoris*, alludens ad illud Deut. 5. *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos*.

21. *Lex ergò adversus promissa Dei? Absit*] Admirandum Pauli ingenium! Arguit rem contrà omnino se habere atque ipsi autumant. Vos, inquit, judicatis oportere Legem justificare, alioqui eam fore *adversus promissa Dei*: atque ità cogitatis, Cùm *Lex*, ut ais, *castigandi gratiâ apposita sit*, & vim habeat augendi delicti, fiet ut vitiis nostris atque peccatis Lex remoretur promissiones. Ego verò totum prorsus contrarium arguo: *Nam si Lex data esset quæ posset justificare*, tunc esset Lex *adversus promissa Dei*, quæ eriperet ipsa promissiones, & eas daret quæ ex illo fœdere quod pactus erat Deus cum Abraham dandæ erant.

22. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato*] h.e. Declaravit & docuit omnes obnoxios esse peccato, ut justificationem acciperemus *per fidem in Christum*.

25, 26. *Jam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filii Dei estis per fidem*] Cùm enim ob hoc data Lex ut qui pravis affectibus adhuc serviunt coërceantur, vos qui *per fidem in Christum facti estis filii Dei*, & abominamini vitia, non egetis Legis ministerio.

ZEGERUS.

1. *Quis vos fascinavit non credere veritati*] Βασκαίνειν hoc loco *ob invidiam incantare & decipere*, alioqui *invidere* significat: ut intelligamus livore fuisse percitos qui Galatis persuadere conati sunt, Legi esse obtemperandum; idque objecto eorum oculis quodam veluti præstigio, quo fiebat nè intelligerent quidem Galatæ sese deludi. B. Hieronymus testatur se omittere illud *non credere veritati*, quòd non haberetur apud Adamantium, sed tantùm in exempl. nonnullis: id quod etiam omittunt Ambrosius, Augustinus, Sedulius: ut hinc colligi possit à castigatore Ecclesiastico in nostris additum esse; cujus loco in Græcis *non obedire veritati* adjectum est. ¶ *Ante quorum oculos Christus Jesus proscriptus est, & in vobis crucifixus*] Tam in bonam potest accipi partem quàm in malam. In bonam, si intelligamus *ob illorum oculos*, mentis dico, Dominum *Christum fuisse descriptum* seu *depictum*, *atque inter ipsos veluti cruci affixum*, tantoque acriùs utiliusque illis fuisse conspectum quàm ipsis Judæis crucifixoribus, quantò interni mentis fideique oculi præferuntur corporeis. Itaque *proscriptus* nihil aliud est quàm *ante* (vel *coram*) *scriptus*; ut vim habeat localem; Porrò *præscriptus* (quemadmodum scribunt nonnulli) temporalem magis vim habet; nè quis sic putet esse legendum. In malam partem accipitur si intelligamus illos in tantum dementatos ut judicarint Christum *proscriptione damnatum*, exspoliatum, &, ut iniquum aliquem meritò crucifixum, despiciendum esse.

4. *Si tamen sine causa*] q.d. Nonnulla adhuc est spes reliqua commutandæ in melius vitæ, neque frustrà vos tantum afflictionum onus ab infidelibus pertulisse. Vide Hieronymum.

5. *Qui ergò tribuit vobis*, &c. *an ex auditu fidei?*] Subaudiendum, *arbitramini hoc fieri*, aut id genus aliud. Subest enim sermoni Anapodoton.

6. *Sicut scriptum est, Credidit Abraham*] *Scriptum est* redundat. Testimoniis supersedeo.

12. *Lex autem non est ex fide*] Quippe quæ nihil mandet credendum.

14. *Ut pollicitationem Spiritûs accipiamus*] *Pollicitatio Spiritûs* phrasi Hebraicâ *pollicitatio* est *spiritualis*, aut *juxta spiritum facta*. Quæ enim Abrahæ pollicitus est Deus spiritualia esse intelligit Apostolus, & eadem nunc tradita esse fidelibus, benedictionem scilicet & reliqua bona.

15. *Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat*] Totum istud ceu per parenthesin infernum accipi debet. Et ὅμως *tamen* pro *certè* positum.

17. *Hoc autem dico, Testamentum confirmatum*] Cave conjunctim pronuncies, *Hoc autem dico testamentum*.

18. *Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus*] Ipsam videlicet hæreditatem.

19. *Donec veniret Semen cui promiserat*] Hoc *Semen* Christus erat. Huic etenim Deus *promiserat*, h.e. promissionem fecerat, quod *per ipsum benedicerentur omnes gentes*, Gen. 22. 18. Pro ἐπήγγελται Ambrosius legit *promissum est*, & exponit *promissio facta est*: atque hinc liquet non esse legendum *quod promiserat*. ¶ *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris*] *Ordinata, disposita, data per ministerium Angelorum, in potestate Mediatoris nostri Christi*. *Angelos* etiam accipere possumus Mosen & Aaron, per quos Deus Legem dedit: nam *Angelus* officii nomen est, non naturæ. Ordinem autem orationis Hyperbato confusum sic B. Hieronymus putat reddendum, *Lex posita est per Angelos in manu Mediatoris, propter transgressiones ordinata per Angelos, donec veniret semen cui promissum erat*. Cùm autem dicit *in manu Mediatoris*, indicat Christum & Legis esse latorem & abrogandi ipsam habere autoritatem.

20. *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est*] B. Hieronymus edisserens hunc locum aliud quiddam intellexisse se indicat quàm quod vulgus Interpretum: scribit enim ad hunc modum, MANUM MEDIATORIS *potentiam & virtutem debemus accipere; qui cùm secundum Deum unum sit ipse cum Patre, secundum Mediatoris officium alius ab eo intelligitur*. Hanc interpretationem deprehendo ipsum etiam Primasium, ejusdem ferè cum Hieronymo ætatis scriptorem, apertiùs etiam indicasse, ità tamen ut alteram communem non dissimulaverit. Præmittens enim Apostoli verba, MEDIATOR AUTEM UNIUS NON EST, DEUS AUTEM UNUS EST, ità subdit, *Subauditur* SUBSTANTIÆ, *vel* UNIUS PARTIS, *quia inter Deum & homines exstitit Mediator. Ideo autem addidit*, DEUS AUTEM UNUS EST, *nè quis eum*

propter

propter officium carnis assumpta ab unitate Divina substantia separaret. UNIUS *non est, ut subaudias* SUBSTANTIÆ; *quia in Christo sicut una Persona, ità gemina substantia.* Hanc quoque interpretationem probatiorem reddit, quòd durè ad præcedentem particulam subnecti videatur, *Deus autem unus est*, si videlicet *unus* referas ad illa inter quæ Christus Mediator est; deinde quòd D. Hieronymus utrobique *unus* legat in suo contextu, non *unum*: nec enim librarii vitio ibi ità scriptum arbitror.

21, 22. *Lex ergò adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato*] Referenda sunt hæc ad id quod superiùs dictum est, *Abraha per repromissionem Deum donasse futuram benedictionem.* Eò enim retulisse videtur D. Chrysostomus, qui enarrat ad hunc modum, *Nam si in semine, inquit, Abrahæ repromissiones data sunt, Lex autem inducit maledictionem, est utique adversus promissa Dei. Quomodo igitur solvit objectionem? Primùm quidem negat, dicens,* ABSIT. *Deinde etiam probat, ita loquens,* NAM SI FUISSET DATA LEX UT POSSET VIVIFICARE, VERE EX LEGE FUISSET JUSTITIA. *Quod autem dicit, hoc est, Si in Lege vita spiritum habuissemus, & hæc potestatem habuisset nostra salutis, fortasse ista rectè diceres. Contrà, si per fidem servaris, etiamsi Lex reddat exsecrabiles, nihil detrimenti capiebas, postequam venit fides omnia dissolvens. Nam si per Legem fuisset repromissio, jure metueres ne exclusus à Lege, simul & à justitia excludereris. At si ideo data est Lex ut omnes concluderet, h.e. coargueret, ostenderetque eis ipsorum peccata, non solùm non obstat quo minus consequaris repromissiones, verum etiam confert ad eas adipiscendas. Hoc itaque significans dicebat,* SED CONCLUSIT SCRIPTURA OMNIA SUB PECCATUM, UT PROMISSIO PER FIDEM JESU CHRISTI DARETUR CREDENTIBUS. *Nam quoniam Judæi ne sentiebant quidem sua peccata, non sentientes autem nec desiderabant remissionem, dedit Legem quæ proderet vulnera, quo Medicum requirerent.* Hæc ille.

23. *Sub Lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat*] *Lege*, inquit, veluti muro quodam *conclusi custodiebamur*, nè ad profanos vagaremur ritus Gentilium, aut ad alia opera prava; atque ità *servabamur fidei quæ* aliquando per Christum *erat revelanda*: quâ jam revelatâ, à Legis sumus custodia vindicati.

24, 26. *Lex pædagogus noster fuit in Christo*] Lex ipsa suis auditoribus quasi rudem quendam præstitit ductorem, instructorem & formatorem, ipsos adhuc veluti pueros manu ducens ac transmittens *εἰς Χριστὸν, ad Christum* Doctorem & Magistrum Legis verum, primarium & absolutum. *Pædagogus à ducendis pueris* dicitur. ¶ *Ut ex fide justificemur.* Item infrà, *Omnes enim filii Dei estis per fidem quæ est in Christo*] De viva & operosa fide intelligenda hæc sunt. Nemo enim verè justus & Dei efficitur filius nisi per Fidem vivam, quæ cum Spe & Dilectione etiam bona opera, aut certè bene operandi voluntatem, includit, cum detestatione admissorum. Omittendum *quæ est* juxta Græcos & Latinos cod. antiquos. Quod si quis tamen secùs sentiat, quod legatur apud Ambrosium & Hieronymum, cum hoc non contendam.

LUCAS BRUG.

1. O *Insensati* [*stulti* Mal. ma.] *Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati* [aliàs *veritati non obedire?*] Plurimi libri *obedire* legunt, multi *credere*; antiqui Epanorthotæ, sex Hentenii, quindecim nostri, Brug. Lob. Leod. T. O, &c. Catensis, Thomas, Gorranus & Richelius, *obedire*; Autor Glossæ, ut eam scriptam habemus, Anselmus & Bruno Carthusiensis *credere* exponunt. Græcè est, & quidem in omnibus quæ vidimus antigraphis, - τῇ [Compl. R.] ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι· quod & *credere* verti potest, & *obedire*. *Credere* autem à Latino Interprete hoc loco versum esse, si quidem particula hæc ab eo hic versa sit, quinto verò hujus epistolæ capite, v. 7. ubi similis est sententia (*Quis vos impedivit veritati non obedire?*) *obedire*, Hieronymus, quintum caput enarrans testatur. Ex eo igitur loco hic scriptum est *obedire*; quemadmodum, ut videtur, ex hoc ibi *fascinavit*, in codicibus quibusdam, etiam fide præstantibus (Brug. Leod. O.) Notat porrò Hieronymus, tum in quintum tum in tertium caput, à quibusdam non legi hæc verba tertio capite, *non credere*, sive *non obedire*, *veritati*. In quintum caput ait, *Id quod nunc Latinus posuit Interpres*, veritati non obedire, *& in Græco scriptum est*, τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι, *in superiori loco ità interpretatus est*, non credere veritati. [Non ait B. Hieronymus, in aliquibus quinto capite non legi.] Quod quidem nos in vetustis codicibus non haberi in suo loco annotavimus, licèt & Græca exemplaria hoc errore confusa sint. In tertium, *Legitur in quibusdam codicibus*, Quis vos fascinavit non credere veritati? *sed hoc, quia in exemplaribus Adamantii non habetur, omisimus.* Omittunt idipsum & alii Veterum. Nam Augustinus, Chrysostomus, Ambrosiaster, quem vocamus, Haymo, nec legunt nec exponunt. Theodoritus, Pseudhieronymus, Primasius, Theophylactus, Sedulius, Oecumenius, etsi adjunctis Scripturæ verbis addatur, in commentariis nè attingunt quidem. Syrici libri non agnoscunt. Latinum Paulinæ Bibliothecæ antiquissimum exemplar in contextu non habuit; tantùm procul in ima margine manu recentiore subnotatum. Constantiensis Collegii recentior codex prorsus omisit; vetustior τὸ *veritati* tantùm non addidit. In Malmundarii majore τὸ *veritati* expunctum erat. Quidam existimant, ex cap. 5. ver. 7. quem mox recitavimus, adjectum hoc istud fuisse. Chrysostomus porrò, quanquam contra alios nec ibi legit, duntaxat, *Quis vos impedivit?* habet, quemadmodum hîc, *Quis vos fascinavit?*

7 *Cognoscite* [*Intelligite* Mal. ma.] *ergò, quia qui ex fide sunt, ii sunt - filii* [O.] *Abrahæ*] *Cognoscite* legunt plerique omnes Latini codices, *cognoscitis* duo Parisiensium (Di. o. Ge. l.) duo Hentenii, unus noster (So. la.) quibus Malmundarii minor conformis fuisse videtur. Apud Hieronymum est *cognoscitis*: Syri *cognoscite* translulerunt, ידעו. Vox prototypi γινώσκετε dubia est.

H. STEPHANUS.

1. TΊς ὑμᾶς ἐβάσκανε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι; *Quis vos ità fascinavit ut non obsequamini veritati?* vel, *non credatis?*

3. Ἐναρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε;] *Itane finis vester est per carnem, cùm per spiritum fuerit vobis initium?*

15. Κατὰ ἄνθρωπον λέγω] q. d. In exemplum affero quod fit inter homines.

19. Ἐν χειρὶ μεσίτου] *Per manum internuntii*: i. e. operâ & ministerio.

DRUSIUS.

7. QUi ex fide sunt, &c.] Duplices ergò filii Abrahæ, *secundum carnem*, & *secundum fidem. Secundum carnem filii Abrahæ* sunt omnes Israëlitæ; *secundum fidem*, omnes qui credunt in Christum, qui unà cum toto corpore suo *semen Abrahæ* vocatur infrà v. 16. Rursum, *filius Abrahæ secundum carnem* est Ismaël; *secundum promissionem*, Isahac.

10. *Qui non manserit in omnibus*, &c.] Qui stabilit verba Legis, *manet in omnibus quæ scripta sunt in iis.* Contrà, *qui non manet in omnibus*, &c. non stabilit Legem sive, quod idem, verba Legis. Transgressor enim Legis est qui vel unum præceptum ejus transgreditur. Apostolus igitur nihil addit sententiæ nec Judæi expunxerunt particulam כל *omnis*, ut suspicatur Hieronymus. Quorsum enim expunxissent cùm necessario subaudiatur? Quippe, sive adsit sive non, eadem sententia est. Sic ad Mosis illud *erunt caro una* Christus adjecit *duo*. Quis culpat, cùm necessariò subintelligatur? Non enim tres faciunt connubium, sed duo, h. e. mas & fœmina, de quibus dicitur, *erunt in carnem unam*, sive, quod idem, *una caro*.

16. *Seminibus*] זרעים, quod de *semine humano* non memini legere. Nam זרעית, quod in monumentis Doctorum, non tam *prolem* aut *sobolem* denotat quàm *cognationem*. Sanè in libro Præceptorum majore 188. 2. *In judiciis animarum sanguis ejus & sanguis seminum ejus pendet ab eo usque ad finem mundi*, licèt exponi posse videatur de filiis, tamen quod mox sequitur, SANGUINES FRATRIS TUI *significat sanguinem seminum ejus*, de filiis accipi non potest, cùm Habel sine liberis obierit. זרעיותיו verto *seminum ejus*; dubito an rectè. Nam videtur potiùs vertendum *cognationum ejus*; cujus singularis זרעית *cognatio*, *familia*, *prosapia*. ¶ *Qui est Christus*] Consideratus non per se, sed cum corpore fidelium, cujus ipse Caput est. Sic locus ille, *Angelis suis præcipiet de te*, tam corpori quàm Capiti ejus accommodatur: sanè in Euangeliis de Christo exponitur.

17. *Post quadringentos & triginta annos*] Hos annos putant à promissione facta Abrahæ, quæ accidit anno 75. ætatis ipsius. Sed vide sis Scaligerum in Can. Isagog. 322.

CAMERON.

2. TO πνεῦμα ἐλάβετε, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως] Hinc Novatores confici posse putant nos priùs credere, deinde verò acci-

pere

pere Spiritum adoptionis. At hoc mirum est: Nam fides aut est à Spiritu, aut à ratione; Jam vero non est à ratione; Ergò à Spiritu. Quid ergo est quod Apostolus hic dicit *nos accipere Spiritum per fidem, sive ex auditu fidei?* Spiritum nempe intelligit non credendi seu fidei, sed Spiritum consolationis & sanctitatis. Etenim consolatio non præcedit fidem, sed sequitur: nam quia credo Christum esse Servatorem meum, sentio summam pacem. Itaque credendo accipimus Spiritum sanctitatis & consolationis, quemadmodum dicimus sapientiâ accipi *sapientiam:* nam stultus non est capax sapientiæ.

16. Οὐ λέγει, Καὶ τοῖς σπέρμασιν, &c.] Paulus hic non argumentatur, sed Judæis respondet gloriantibus ob promissionem Abrahamo *factam & semini ejus:* existimabant nempe se semen esse Abrahæ. Ait Apostolus, Promissionem non esse factam *seminibus:* quid ita? Quia scilicet cùm dicimus *semina,* notamus rerum specie differentium semina: At non diversis factæ sunt promissiones, carnalibus putà & spiritualibus simul, sed fidelibus tantùm per Christum. Quanquam autem *semina* plurali numero non inveniatur in V. T. dici tamen potest Hebraïcè זרעים.

19. Διαταγεὶς δι᾽ ἀγγέλων] Cùm Lex in monte Sina data est, de *Angelis* nulla fit mentio eo loco quo Legis datæ historia narratur, Exod. 19, & 20. Paulus tamen hic ait *dispositam fuisse per Angelos.* Quæ verba aliter intelligi non possunt quàm si dicamus terræ motum, procellam, tonitru, fulmina, quæ facta esse narrantur cùm Lex in monte Sina data est, orta & excitata esse Angelorum operâ, qui possunt statum elementorum & regionis elementaris facilè immutare. Unde quicquid factum est apud Ægyptios, operâ Angelorum factum prædicatur Psal. 78. 49. *immisit in eos* משלחת מלאכי רעים, quâ voce non significantur Cacodæmones: sic enim dicendum fuisset מלאכים, non vero מלאכי in regimine. Excitant ergo Angeli, etiam boni, in sublimi tempestates & procellas, cum Deo visum est, ut cum Dei illustranda est gloria, vel puniendi sunt ejus hostes, vel ad vindicandam Dei majestatem à contemptu, ut cum data est Lex in monte Sina. Vide etiam ea quæ annotata sunt ad Hebr. 2. 2. in hæc verba, ὁ δι᾽ ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος. ¶ Ἐν χειρὶ μεσίτου] Locutio est Hebraïca, *in manu Mediatoris,* h. e. per Mediatorem, Mediatoris operâ & ministerio. Mosen autem intelligit haud dubiè: nam præcedunt illa δι᾽ ἀγγέλων *per Angelos. Angelorum* autem nomine intelligit (uti dictum) Spiritus illos ministros quorum operâ Deus utitur sæpenumero vel in turbando (ut nobis videtur) ordine naturæ, ut cum Sol sistitur, aut excitantur præter Leges naturæ tempestates, fulgura, &c. quod factum est cum Lex daretur per Mosen.

20. Ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν] Quia mirum videri potuit si alius esset Mediator quam Euangelii Mediator Christus, ut nè hoc mirum videatur monet Apostolus *Mediatorem non esse unius* tantum, sed & alterius Fœderis: itaque illud ἑνὸς neutrius est generis, non masculini. Deinde, quia videbantur ista pugnantia, ut *Mediator non sit unius* Fœderis, &, quod consequens est, ut non sit unum Fœdus, monet Apostolus ista optimè inter se quadrare, quia *Deus unus est,* unum eundemque scopum constituit in utriusque Fœderis pactione: nam *finis Legis est Christus in justitiam omni credenti.* Cum ergo ministerium Mosis subordinatum fuerit, ut ità loquamur, ministerio Christi, idque autore Deo, subordinata verò inter se non pugnent, quanquam diversarum rerum fuere Mediatores, unus tamen (quod ad consilium & voluntatem attinet) erat Deus: nam de naturæ Divinæ unitate non videtur agi hoc loco. Diversitas ergò Mediatorum non facit continuò ut fuerit consilii & propositi diversitas in Deo: idem enim Deus est cujus (si ità loqui fas est) ductu & auspiciis Lex & Euangelium data sunt: nempe Euangelii & Legis idem finis est, ejusdemque est intueri finem, & persequi, prospicereque de mediis.

23. Ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα] Notanda vis verbi ἐφρουρούμεθα, *custodiebamur.* Nam *custodire* Pædagogi est: itaque idem *pædagogus* & *custos* est. Horatius,

——— *custode remoto*
Gaudet equis

Et Hebraïcè *pædagogus* est שמר. *Num* (inquit Cain) *ego sum Custos,* h. e. pædagogus, *fratris mei,* ut mihi sit ratio reddenda siquid secius illi accidit? Itaque *custodiebamur sub Lege* hoc loco idem est Apostolo ac id quod mox dicitur, *Lex erat nobis Pædagogus,* v. 24.

JAC. CAPPELLUS.

12. L*Ex autem non est ex fide*] h. e. Lex autem non dicit, *Qui credet, servabitur,* sed, *Qui fecerit hæc homo vivet in ipsis,* Levit. 18. 5.

19. *Quorsum igitur Lex* est data?] Τί, *quid,* respondet hic Hebræo למה διὰ τί. ¶ *Propter transgressiones est data*] Ut tantò luculentiùs constaret quanta sit in nobis vis peccati; ut fusiùs docetur Rom. 7. 13. & seqq. Non est data Lex ut semper hunc usum præstet, sed *donec veniat Semen illud cui promissum est* jus & vis benedictionis gentibus omnibus impertiendæ, & ità quidem ut nemo benedictionem consequi possit nisi per ipsum. ¶ *Est autem lata per Angelos ministerio Mediatoris*] Mosis videlicet, qui typicus erat Mediator, quo modo Legale fœdus erat fœdus typicum. Moses, inquam, typus erat Christi, quo modo Lex typus erat Euangelii.

20. *Mediator autem non est unius* partis, sed duarum, earumque dissidentium. Cùm igitur Moses Mediatorem ageret inter Deum & populum, hoc ipso testatur esse dissidium inter duas illas partes. ¶ *Deus autem unus est*] Isque semper idem, semper sibi constans. Dissidium igitur illud non Dei sed Hominis mutationi deputandum est.

23. *Antequam veniret fides,* antequam promulgaretur Euangelium, *eramus sub custodia Legis,* fœderis Legalis à Mose promulgati, *donec adveniret tempus quo revelaretur fides,* i. e. fœdus Euangelicum.

24. *Itaque Lex erat pædagogus noster ad Christum*] Fœdus illud Legale nobis erat instar custodis & pædagogi. שמר enim utrumque significat, ut ex Gen. 4. 9. colligit acutè J. Camero. Εἰς Χριστὸν, *ad Christum,* i. e. ἕως Χριστοῦ *usque ad tempus adventûs Christi. Ut per fidem,* non per Legem, *justificemur.*

25. *Ex quo fides advenit,* ex quo promulgatum est Euangelium, *non amplius sub pædagogo sumus,* non ampliùs obtinet in nos Lex suam illam vim pædagogicam.

GROTIUS.

1. Ω᾽Ανόητοι Γαλάται, *O insensati Galatæ*] Hanc paternam increpationem non pugnare cum præcepto Christi apparet ex iis quæ dicta ad Matth. 5. 22. ἀνόητοι, כסילים [*stulti.*] ¶ τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε, *quis vos fascinavit*] Βασκαίνειν propriè est *oculos corrumpere:* sed ab oculis ad animum transfertur, ut & Latinum inde deductum *fascinare.* ¶ τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι, *non obedire veritati*] Id est, *ita ut non pareretis veritati semel traditæ;* ut eam non retineretis. ¶ οἷς κατ᾽ ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη, ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος; *ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?*] Construi debet ἐν οἷς ὑμῖν, *in quibus,* nempe *vobis.* Est loquendi genus Hebraïcum. Sic Josue 13. 21. ὃν ἐπάταξε Μωσῆς αὐτὸν [*quem percussit Moses.*] Sic Petrus 1. 11. 24. οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε [*cujus livore sanati estis.*] Sed meliùs in Manuscripto omittitur illud ἐν ὑμῖν [*in vobis,*] ut supervacuum. Sensus est, *Ita antehac descriptus est vobis Christus, cum sua cruce, ut quasi ob oculos vobis versaretur.* Πρὸ [*præ*] enim in voce προεγράφη [*præscriptus est*] hic, ut & Roman. 15. 4. & προέγραψα [*præscripsi*] Eph. 3. 3. tempus anteactum significat, ut in προῃτιασάμεθα [*præcausati sumus*] Rom. 3. 9. sic προεῖπον [*prædixi*] infra 5. 21. 1 Thess. 4. 6. & προελέγομεν [*prædicebamus*] 1 Thess. 3. 4. nec aliter mox in προευηγγελίσατο [*prænuntiavit.*] Solet sermo historicus conferri picturæ, & hinc διατυπώσεως nomen quod *subjectionem sub aspectum* vocare liceat. Quintilianus, *formam rerum expressam verbis.* Intelligit autem hic Apostolus mortem Christi cum suis effectibus.

2. Τοῦτο μόνον θέλω μαθεῖν ἀφ᾽ ὑμῶν, *Hoc solùm à vobis volo discere*] Ἐρώτησις [*Interrogatio,*] figura specie volentis aliquid discere urgens adversarium. ¶ ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, *ex operibus Legis Spiritum accepistis*] Spiritus sanctus non datur nisi jam justis sive mundatis animo; justi ergo eratis cùm eum accepistis. At non per opera Legis: neque enim eo tempore Legem sequebamini. ¶ ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; *an ex auditu fidei?*] Idest, *per prædicatam vobis Euangelium.* Nam ἀκοὴ, ut & Hebræum שמועה *sermonem* significat, ut Johann. 12. 38. Rom. 10. 16. *Fidem* autem pro *eo quod creditur* habuimus & supra 1. 23. sic & 1 Tim. 4. 1.

3. Οὕτως ἀνόητοί ἐστε; ἐναρξάμενοι πνεύματι, *sic stulti estis? ut cùm spiritu cœperitis*] Consecuti jam illa cœlestia dona. Ἐναρξάμενοι πνεύματι [*cum inceperitis spiritu*] Græcus loquendi modus pro ἀρξάμενοι ἐν πνεύματι [*cœperitis in spiritu.*] ¶ νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε; *nunc carne consummemini?*] Reditis ad carnalia præcepta qualia sunt illa Legis, Hebr. 7. 16. infra 6. 12, 13. Philipp. 3. 3, 4. ἐπιτελεῖσθαι [*consummari*] hic, ut alibi ἐνεργεῖσθαι [*confici,*] est passivum voce, sensu activum, more Attico.

4. Τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῇ; *Tanta passi estis sine causa?*] *Mala tot tolerastis* ob professionem Christianismi frustra, cùm ea

ea evitare potueritis Judaïsmum, quod illi suadent, profitendo. ¶ *εἴγε καὶ εἰκῆ. si tamen sine causa*] Id est, *si tamen frustra tantum*, id est, sine commodo. Tacitè innuit hanc mutationem non modò priorem patientiam reddere irritam, sed & cum maximo damno, amissione nempe illius Spiritûs, fore conjunctam, nisi ad bonam mentem redeant.

5. Ὁ οὖν ἐπιχορηγῶν ὑμῖν τὸ πνεῦμα, καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν, ἐξ ἔργων νόμου ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus Legis an ex auditu fidei?*] Manuscriptum ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε [*ex operibus Legis Spiritum accepistis*,] nec aliter putem scripsisse Paulum. Est enim constructio similis ei quam habuimus supra 2. 6. utraque est non κατὰ λέξιν [*ad verba*,] sed κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad sensum relata.*] Ubi de accipiente inchoans sermonem desinit in dantem, hic de dante cùm sermonem cœpisset transit ad accipientem. Simile Joh. 17. 2. usitata locutio fuerat ἐξ ἔργων νόμου ἐχορήγησε [*ex operibus Legis tribuit.*] Et nota ἐξ [*ex*] rursum hìc valere διὰ [*per*] ut supra 2. 16. Dona Spiritûs quam illis temporibus fuerint frequentia, cognosci potest ex 1 Corinth. 12.

6. Καθὼς Ἀβραὰμ ἐπίστευσε τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. *Sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam*] Non mirum est fidem nunc à Deo magni fieri, cùm semper eam Deus pro re egregia habuerit. Hoc enim est λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην [*reputari ad justitiam*,] ut ostendimus in Prolegomenis in Epistolam ad Romanos, & 4. 3.

7. Γινώσκετε ἄρα, ὅτι οἱ ἐκ πίστεως, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Ἀβραάμ. *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abraha*] Proles ejus μυστικὴ [*mystica*,] ut Rom. 4. 12. γινώσκετε, *scitote*, quomodo hic Syrus.

8. Προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφὴ, *Providens autem Scriptura*] De Scriptura ut de homine loquitur, & *prævidere* eam dicit quod præsignificat. Simile habes infra 3. 22. Vide & Joh. 7. 38, 42. Rom. 4. 3. 9. 17. 10. 11. 11. 2. ¶ ὅτι ἐκ πίστεως δικαιοῖ τὰ ἔθνη ὁ Θεὸς, *quia ex fide justificat Gentes Deus*] Præsens pro futuro; respicit enim tempus Euangelii, cùm non Judæi tantùm, sed & Gentes ad justitiam veram perducti sunt per fidem. ¶ προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ; *prænuntiavit Abrahæ*] *Multo ante prædixit Abrahamo*: sed maluit Paulus illo uti verbo, quod significaret latenter in his vocibus contineri rem Euangelii. ¶ Ὅτι ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη. *quia benedicentur in te omnes Gentes*] Ἐνευλογηθήσονται habes in Græco Genes. 12. 3. sic & Genes. 22. 18. in quibusdam exemplaribus; nam in aliis est εὐλογηθήσονται [*benedicentur.*] Sic & Psalm. 72. 17. Sic & Actor. 3. 25. sensus est, *per te summa bona adipiscentur Gentes omnes*, aut etiam *adeptas se agnoscent*, quod vult והתברכו [*benedicentur*] Genes. 22. 18.

9. Ὥστε οἱ ἐκ πίστεως, *Igitur qui ex fide sunt*] Id est, *credentes*. Vide idem loquendi genus Rom. 4. 12. & infrà 10. ¶ εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ. *benedicentur cum fideli Abraham*] *Maxima bona consequentur ad exemplum Abrahami.* Ita σὺν sumitur Roman. 8. 32. sic עם Ecclesiastæ 2. 16. Latinè vertitur, *similiter*. Nec aliter sumenda verba συμπάσχειν, συνδοξάζεσθαι [*compati, conglorificari*,] & alia ejusmodi.

10. Ὅσοι γὰρ ἐξ ἔργων νόμου εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσί. *Quicunque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt*] Id est, nulla habent illi promissa vitæ æternæ atque cœlestis. Solent στερήσεις [*privationes*] sumere nomen τῶν ἐναντίων [*contrariorum*] quia comparatè talia videntur. ¶ γέγραπται γάρ· ἐπικατάρατος πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου τοῦ ποιῆσαι αὐτά. *Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea*] Ex Græco Deuter. 27. 26. ubi legimus, Ἐπικατάρατος πᾶς ἄνθρωπος ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου ποιῆσαι αὐτούς [*Maledictus omnis homo qui non permanserit in omnibus verbis Legis hujus, ut faciat ea*:] ubi ἐν πᾶσι [*in omnibus*] Græci addidere ad sensum & ex Græcis Samaritani jam Hieronymi tempore; intelliguntur enim *omnia præcepta cætera* quæ nondum eo capite nominata fuerant. Objici hìc potest, esse quorundam commissorum, multoque magis omissorum expiationes quasdam proditas. Verum id est, sed illæ expiationes liberabant à morte aut violenta aut immatura, nullum autem contra mortem remedium adferebant: non pollicebantur resurrectionem & vitam æternam, ut remissio illa peccatorum quæ est in Euangelio; quòd si in Prophetis tale aliquid innuitur magis quàm dicitur, id promutuum est, sumptum de gratia Euangelica. In Manuscripto est ὅτι ἐπικατάρατος [*quia maledictus.*] Particula illa sæpe præponitur allegationibus. Vide Johan. 15. 25.

11. Ὅτι δὲ ἐν τῷ νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται παρὰ τῷ Θεῷ δῆλον· *Quoniam autem in Lege nemo justificatur apud Deum manifestum est*] *Neminem esse qui per Legem Mosis eam justitiam assequatur quæ Deo placet.* Valet illa justitia apud homines, non apud Deum; nempe ut datorem vitæ æternæ. ¶ ὅτι ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται· *quia justus ex fide vivet*] Vide Rom. 1. 17. & ibi dicta. Multa sunt quæ me movent ut credam hanc Epistolam & illam ad Romanos prope eodem dictatas tempore; sed hæc est asperior, quia malum apud Galatas erat gravius.

12. Ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως· *Lex autem non est ex fide*] *Legem* hìc intelligit præcepta in Sinaï data in quibus nulla fidei mentio; ea autem præcipuè respicit, quia ii, quibuscum res ipsi erat cætera parvi ducebant. ¶ ἀλλ' ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς· *sed qui fecerit ea homo vivet in illis*] Id est, *vitam hìc habebit felicem*, Levit. 18. 5. nam *vivere* Hebræis sæpe est feliciter vivere, *mori* miserè.

13. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, *Christus nos redemit de maledicto Legis*] Nempe auctor & revelator vitæ æternæ ac cœlestis. Ἐξαγοράζειν [*redimere*,] ut & ἀγοράζειν [*emere*,] sæpe *quamvis liberationem* significat: hìc ut & infra 4, 5. eam significat quæ facta est magno pretio. Κατάρα νόμου [*maledictum Legis*] est mors sub qua Lex homines relinquit, ea verò sors etiam iis communis erat qui Legem à Deo datam non habebant: quare & liberatio ad omnes pertinet, id hìc valet ἡμᾶς [*nos.*] ¶ γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. *factus pro nobis maledictum*] Duplex hìc figura: nam & κατάρα [*maledictum*] pro κατάρατος [*maledictus*,] quomodo *circumcisio* pro circumcisis: & subauditur ὡς [*quasi*:] nam Christus ita tractatus est quasi esset Deo κατάρατος [*maledictus.*] Nihil homini pessimo in hac vita pejus evenire poterat. Vide 2 Corinth. 5. 21. & ibi dicta. Inde apparet quanti nostram salutem fecerit. Id verò eò spectat, ne parvi ducantur ejus beneficia. ¶ γέγραπται γάρ· Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου, *quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno*] In Manuscripto hìc rursum est ὅτι [*quia*] nota scilicet loci citandi. Apud Hebræos non erat pœna aut crucis aut patibuli; nam strangulandi stantes strangulabantur; sed eorum qui ob gravia crimina, putà idololatriam, erant lapidati, corpora patibulo suspensa per aliquot horas erant ostentui populo, ut qui supplicio ipsi non interfuissent eo conspectu à criminibus absterrerentur. At si tam contumeliosum erat post mortem suspendi, multò certè contumeliosius erat crucis supplicium, quod & ipsum cum afflictione suspensionem conjunctam habet, & Romanis moribus erat maximè infame, unde nomen *cruciarii*.

14. Ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ γένηται ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu*] Ἐν pro *per*: & nomen repetitum pro pronomine. Sensus enim est *per ipsum*: & εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ [*benedictio Abrahæ*] sunt bona illa magna quæ Gentibus per Abrahamum, id est, per aliquem ex ipsius stirpe, eventura prædictum fuerat. ¶ ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος λάβωμεν διὰ τῆς πίστεως. *ut pollicitationem Spiritûs accipiamus per fidem*] Subauditur hìc *nempe*; est enim hoc ἵνα [*ut*] præcedentis ἐξηγητικόν [*explicativum.*] Nam quod majus bonum in hac vita poterat sperari Spiritûs sancti donis, præsertim cùm illa ipsa certos faciant homines de vita cœlesti? illa autem dona manifestum dari credentibus in Christum, non per Legis opera incedentibus. Ἐπαγγελία τοῦ πνεύματος [*promissio Spiritûs*,] id est, *Spiritus promissus*, more Hebræo: vide Actor. 2. 33. adde Actor. 1. 4. Hebr. 6. 12, 15. 10. 36.

15. Κατὰ ἄνθρωπον λέγω. *secundum hominem dico*] Id est, *exemplum sumam à re merè humana.* Solent Thalmudici eâ emollitione uti quoties Deo humani aliquid tribuunt. Vide quæ diximus Rom. 3. 6. In Manuscripto hìc additur, ἀδελφοί [*fratres*] quod & Latinus & Syrus legerunt. ¶ ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται. *tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat*] Διαθήκη [*Testamentum*] hìc significat *promissum*, de qua voce diximus in Prolegomenis ad novum Testamentum: & ὅμως ἀνθρώπου hìc est *vel hominis*; ita enim loquimur ubi minus aliquid adferimus quàm id est quod indicare volumus. Si quis alteri quid promiserit ita ut quæ ad legitimam promissionem requiruntur adfuerint (id enim est κυροῦσθαι, קום [*confirmari*,] Genes. 23. 20.) nemo qui sit bonæ fidei, aut contra faciet, aut instrumentum illud mutabit. Particula ἐπὶ hìc aliquid posterius significat, ut ἐπιγινομένου [*superveniente*] Actor. 28. 13. Est ergo ἐπιδιατάσσεσθαι, *posterius aliquid constituere*, nempe tale quo id quod prius factum fuerat immutetur. διατάσσεσθαι ponitur pro Hebræo שים [*constituere.*]

16. Τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐῤῥέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, *Abrahæ verò dictæ sunt promissiones*] Nempe à Deo qui optimæ est fidei: *promissa*, aliquoties repetita. ¶ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. *& semini ejus*] Rectè: nam quod uno loco Genes. 12. 3. dictum erat de Abrahamo, id Genes. 22. 18. de semine ejus dicitur: ut nimi-

nimirum intelligamus illud magnum bonum eventurum humano generi per Abrahamum, quia scilicet ex sanguine Abrahami sit exstiturus qui id effecturus sit. ¶ *οὐ λέγει· Καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός, καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι Χριστός. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: & semini tuo, qui est Christus.*] Nam quanquam Hebræum זרע [*semen*] plurali numero dici non solet, poterat tamen Moses usurpasse vocem בנים [*filiorum*] aut ילדים [*gnatorum*] quæ isti Græco *σπέρμασι* [*seminibus*] responderet: at id non fecit, quia indicabat unum aliquem fore inter posteros Abrahami eximium qui illud bonum Gentibus esset allaturus, & eum quidem non ex Ismaële oriturum, sed ex Isaaco, qui in eo sacrificio, de quo ibi agitur, Christi gesserat figuram: simili modo Christus singulariter ille esset qui ex Davide oriri debebat, Actor. 2. 30.

17. *Τοῦτο δὲ λέγω, Hoc autem dico*] Postquam promissi sensum explicavit, redit ad sermonem quem interruperat, & ostendit quò pertineat illud quod dixerat *promissa perfectionem suam habentia non rescindi.* ¶ *διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστόν, testamentum confirmatum a Deo in Christum*] Id est, *promissum illud jam perfectum à Deo, pertinens ad Christum.* In Manuscripto deest illud *εἰς Χριστόν* [*in Christum.*] ¶ *ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex non irritum facit*] Numerus hic desumitur ex loco Exod. 12. 40. ubi diximus initium videri sumendum ab ea revelatione Abrahamo facta, quæ describitur Genes. 15. 13. paulò verò ante id præcesserat promissio illa memorata Genes. 12. 3. Quare hunc numerum Hebræis notissimum servare, quam aliquantillum adjicere maluit Paulus; nec quicquam intererat, quando in numero majore comprehenditur minor. Non ob id tanto post tempore data est Lex, ut quod Abrahamus, Isaacus, Jacobus, & Patriarchæ crediderant futurum, id irritum fieret. Respiciendum ergo quid Christus adferat, non quid Lex attulerit. ¶ *εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν. ad evacuandam promissionem*] Explicat quod dixerat. Eadem verba habes Rom. 4. 14. ubi dicta vide.

18. *Εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία, Nam si ex Lege hereditas*] Possessio æternæ vitæ & felicitatis. Vide jam dictum ad Romanos locum. ¶ *οὐκ ἔτι ἐξ ἐπαγγελίας· jam non ex promissione*] Nempe de Christo: nam hæc *ἐπαγγελία* [*promissio*] dicitur per eminentiam, Actorum 2. 39. 7. 17. 13. 32. ¶ *τῷ δὲ Ἀβραὰμ δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται ὁ Θεός. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus*] Nempe Christum nepotem post multos gradus *Abrahamo dedit*, idque *secundum* vetus *promissum.* Sic Deus dicitur *lucernam dedisse Davidi* multo post mortem ejus tempore, 2 Regum 8. 19.

19. *Τί οὖν; ὁ νόμος τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη. Quid igitur? Lex propter transgressiones apposita est*] Melius alii codices *τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη* [*quid igitur Lex? propter transgressiones apposita est.*] *Quorsum ergo Lex?* dicat aliquis; respondet Paulus, *appositam fuisse Legem*, nempe post promissa, quia vitia populi Israëlitici in Ægypto increverant, & pœnarum malis debebant coerceri, ne pravâ illâ consuetudine paulatim ad impietatem prolaberentur. Vide infra 5. 23. & 1 Timoth. 1. 9. Lectio Irenæi, *ὁ νόμος τῶν πράξεων προσετέθη* [*Lex operum apposita est*] quem ille sequitur & 3. 7. ut monuit Beza, & 5. 21. minùs huic loco convenit. ¶ *ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, donec veniret semen cui promiserat*] Id est, vim suam habitura (id enim hic subintelligitur) donec veniret ille nepos Abrahami, per quem Gentes bona summa debebant accipere, & ad quem promissio illa Abrahamo facta spectabat, planè quasi ipsi facta esset. Idem hic dicit quod initio capitis 7. ad Romanos. Planè germanæ sunt istæ Epistolæ: & validum est argumentum, si nè Judæos quidem Lex nunc obligat, multò minùs Gentes. Alii codices *ὃ ἐπήγγελται, semen promissum.* ¶ *διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, ordinata per Angelos*] *Legem* ait *præceptam per Angelos*, id est, Angelo uno nomine Dei eam pronuntiante Actor. 7. 38. cæteris eum stipantibus Deuter. 33. 2. Hebr. 2. 2. Vide quæ à nobis dicta in Commentario ad Decalogum. Opponit *Angelos* Filio per quem datum est Euangelium. ¶ *ἐν χειρὶ μεσίτου· in manu mediatoris*] Mose medium se interponente inter Deum & populum, Deuter. 10. 5. ubi Græci, *Κἀγὼ ἀν εἱστήκειν ἀνὰ μέσον Κυρίου καὶ ὑμῶν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ.* Latinus, *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos tempore illo*, nempe tanquam inter partes litigantes *pararius*, qui Rabbinis סרסור. Id verò ideo quia populo gravia vitia adhuc adhærebant: unde & terribilis fuit sonus Legis, quem sonum quidem perceptum populo volunt Hebræorum doctissimi, sed vocem distinctè non perceptam nisi à Mose. Alii idem sentiunt, nisi quòd excipiunt duo prima præcepta. Qua de re vide Mosem Maimonidem. *ἐν χειρὶ* [*in manu*] Hebræa locutio pro *per.*

20. *Ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· Mediator autem unius non est*] *Ἑνὸς* [*unius*] hic sumo à neutro *ἕν* [*unum.*] *Non solet sequester se interponere inter eos qui unum sunt*, id est, bene conveniunt. Sic *εἶναι ἕν* [*unum esse*] sumitur Johan. 10. 30. 17. 11, 21, 22. 1 Corinth. 3. 8. ¶ *ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστιν. Deus autem unus est*] Id est, *Deus sibi constat, sibi est similis.* sic dicunt Latini: *Rex Jupiter omnibus idem.* Sic Cicero, *Idem qui semper fueris inventus es.* Par sensus Ephes. 4. 6. *non mutatur Deus*, Malach. 3. 6. nempe nisi homine mutato. Quare nisi multa ac gravia intervenissent delicta, Deus tam placidum se atque amicum exhibiturus fuerat Israëlitis quàm se exhibuerat olim eorum Majoribus, neque nunc magis quàm tunc opus fuisset medio aliquo qui se interponeret.

21. *Ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ; μὴ γένοιτο. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit*] Distulit Deus promissum, non abstulit. ¶ *εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, Si enim data esset Lex quæ posset vivificare*] Si Lex promissa habuisset vitæ, nempe æternæ: nam dicitur Lex facere quod promittit, more Hebræo. Locutio non dissimilis 2 Corinth. 3. 6. Tangit præcipuum errorem Judæorum illius temporis, ut & in Epistola ad Romanos. ¶ *ὄντως ἐκ νόμου ἦν ἡ δικαιοσύνη. vere ex Lege esset justitia*] In Manuscripto *ἂν ἦν: tunc etiam justitia per legem fuisset revelata vitæ æternæ conveniens*, id est, interna ac spiritualis, qualis est Euangelica.

22. *Ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν, Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato*] *Πάντα* [*omnia*] nempe *τὰ ἔθνη* [*gentes.*] *Scriptura omnes populos peccatis involvit*, id est, involutos declaravit, non illos tantùm qui diluvii tempore fuerant, & Sodomitas & Amorrhæos & Ægyptios, sed & Israëlitas. Est hic locutio similis ei quam jam habuimus: nam facere Scriptura dicitur id quod ostendit. ¶ *ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ δοθῇ τοῖς πιστεύουσι. ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus*] Ut tantò insignius esset beneficium, cùm olim justitia illa vera ac spiritualis daretur per fidem iis qui in Jesum Christum erant credituri. *ἐπαγγελία* [*promissio*,] hic est *res promissa*, ut supra 14.

23. *Πρὸ τοῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίστιν, Priùs autem quàm veniret fides*] Id est, *priusquam veniret Euangelium*, quod *μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem*] fides dicitur. Sic vocem *πίστεως* [*fidei*] habuimus & supra 1. 23. & hic supra 2. ¶ *ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα συγκεκλεισμένοι, sub Lege custodiebamur conclusi*] In Manuscripto *συγκλειόμενοι* [*conclusi.*] *Nos* Israëlitæ *involuti peccatis*, ut cæteri, *per Legem custodiebamur*, id est, pœnarum legalium formidine coërcebamur, ne nimiùm exsiliret

——— *frænis naturæ remotis.*

Vide hac de re Eleazari epistolam quæ est in Præparatione Eusebii. Agit de populo qualis erat *ἐπὶ τὸ πλεῖστον* [*ut plurimum*,] nam *νόμοι ἐμφράγματα τῶν ἁμαρτημάτων* [*leges peccatorum sunt obices*,] ait Isocrates Areopagitico. ¶ *εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι. in eam fidem quæ revelanda erat*] Id est, *ad tempus usque dum revelaretur Euangelium.*

24. *Ὥστε ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστόν, Itaque Lex pædagogus noster fuit in Christum*] Sunt ut *hominum* ita & *populorum ætates*, ut Florus ostendit. Ætas Israëlitici populi sub Lege erat quasi pueritia, infra 4. 1. nempe illa cui solet addi *παιδαγωγός* [*pædagogus*,] sive *custos*, ut Horatius loquitur, השמר Genes. 4. 9. qui eos à gravioribus delictis retrahat. Hoc officium Lex illi populo præstitit: quod ni fuisset, prolapsi fuissent ad tantam impietatem per quam obsurduissent ad vocem Euangelii. Est autem *παιδαγωγοῦ* [*pædagogi*] non nisi temporaria auctoritas. Simplicius ad Epictetum pædagogi similitudine paullò aliter utitur, sed quæ ab hac non longè abit, *Οἱ ἀπαίδευτοι τῶν νέων τοὺς μὲν παιδαγωγοὺς ὡς κακῶν αὐτοῖς αἰτίους μισοῦσι* [*Inerudita adolescentes Pædagogos, ut à quibus male tractentur, oderunt.*] Postea, *Παιδεία μὲν γάρ ἐστι κυρίως ἡ τοῦ ἐν ἡμῖν παιδὸς ὑπὸ τοῦ ἐν ἡμῖν παιδαγωγοῦ ἐπανόρθωσις· καὶ παῖς μὲν ἡ ἐν ἡμῖν ἀλογία τὸ μὲν ὠφέλιμον μὴ ὁρῶσα, πρὸς δὲ τὸ ἡδὺ τεταμένη μόνον, ὥσπερ οἱ παῖδες· παιδαγωγὸς δὲ ὁ λόγος ῥυθμίζων καὶ μετρῶν τὰς ἀλόγους ἐν ἡμῖν ὀρέξεις καὶ πρὸς τὸ ὠφέλιμον ἀπευθύνων αὐτάς* [*Nam ea propriè est eruditio, cùm puer, qui in nobis est, à pædagogo, qui & ipse in nobis est, castigatur. Puer autem in nobis est bruta illa pars, quæ cùm utile non videat in solum jucundum est intenta, ut pueri. Pædagogus vero est ratio, quæ componit & moderatur brutas in nobis appetitiones, easque ad utilitatem dirigit.*] Videat si cui vacat locum totum ad illud Epicteti, *ἀπαιδεύτου ἔργον* [*Inerudita opus*,] &c. ¶ *ἵνα ἐκ πίστεως δικαιωθῶμεν. ut ex fide justificemur*] *Ut suo tempore veram justitiam consequerentur per Euangelium.*

25. Ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως, *At ubi venit fides*] Ut supra 23. ¶ οὐκ ἔτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν. *jam non sumus sub pædagogo*] Alia ætas alios mores postulat:

Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,

ait Horatius.

26. Πάντες γὰρ υἱοὶ Θεοῦ ἐστε διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu*] *Vos qui in Christum credidistis*, ita ut oportet, ac sic credere perseveratis, *estis filii Dei*, nempe adulti, quales qui sunt incipiunt bonis paternis frui. Sic & vos accepistis Patris Spiritum. Dicuntur quidem & Israëlitæ sub Lege *Dei filii* Deuter. 14. 1. sed tanquam pueri, quorum dignitas nondum apparebat: regebantur enim servilem in modum, infra 4. 1.

27. Ὅσοι γὰρ εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, *Quicunque enim in Christo baptizati estis*] *In Christum baptizari* est per Baptismum se profiteri Christi discipulum. Vide quæ dicta ad Matth. 28. 19. ¶ Χριστὸν ἐνεδύσασθε. *Christum induistis*] Sicut à Baptismo vestes sumuntur, ita vos promisistis vos *induturos Christum*, id est, victuros secundùm Christi regulam, Rom. 13. 14. Similis allusio ad ritum Baptismi, Rom. 6. 3, 4. & Col. 2. 12.

28. Οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος οὐδὲ Ἕλλην, *Non est Judæus neque Græcus*] *Non est in hac re Judæus aut Græcus*, id est, illa discrimina in hoc negotio non attenduntur: idem sensus & eadem locutio Coloss. 3. 2. præterea ἔνι pro ἔνεστι [*inest*] habemus & Jacob. 1. 17. quare immeritò suspecta quibusdam est hæc lectio. *Græci* hic omnes non Judæi, in quibus & Galatæ. ¶ οὐκ ἔνι δοῦλος οὐδὲ ἐλεύθερος, *non est servus neque liber*] Nam & servi liberi sunt à peccatis, & ingenui servi sunt Christi, 1 Cor. 7. 21, 22. Ephes. 6. 8. Coloss. 3. 2. ¶ οὐκ ἔνι ἄρσεν οὐδὲ θῆλυ· *non est masculus neque fœmina*] Conditionum & sexuum diversitas nihil hic efficit. In Judaïsmo magnum erat privilegium virilis sexus: Is solus Fœderis signum in corpore gerebat, solus Regni ac Sacerdotii erat capax, solus exclusis fœminis gradus paris ad hæreditatem admittebatur. ¶ πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*] Manuscriptus brevius ac simpliciùs habet, Ἅπαντες γὰρ ὑμεῖς ἐστε ἐν Χριστῷ [*omnes enim vos estis in Christo*,] quod & bene cum sequentibus cohæret. *Esse in Christo* dicuntur qui Christum induêre, qui Christo obediunt, Joh. 17. 21. Rom. 16. 7. qui *Christi sunt*, ut jam sequitur. Dicit autem tales esse Galatas Christianos Paulus ex parte potiore, & quia optabat ut omnes tales essent, & de multis bene sperabat.

29. Εἰ δὲ ὑμεῖς Χριστοῦ, *Si autem Christi*] *Si Christi estis*: si non nomine tantùm, sed & re ad Christum pertinetis. ¶ ἄρα τοῦ Ἀβραὰμ σπέρμα ἐστέ, *ergo semen Abrahæ estis*] *Filii* mysticè *Abrahami*, ut supra 7. Christus nomen suum & dignitatem vobis communicat: etiam per vos convertuntur gentes aliæ. ¶ καὶ κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι. *& secundum promissionem hæredes*] Nempe vitæ cœlestis. Vide supra 18.

CAP. IV.

VALLA.

9. NUnc autem cùm cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo] Gr. *Nunc vero cùm cognoveritis Deum, potius autem cùm cogniti sitis à Deo*, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες.

12. *Estote sicut ego, quia & ego sicut vos*] Ego potiùs dicerem *efficiamini* quàm *estote*, γίνεσθε. Præterea tutius est dicere *ut ego* & *ut vos* quàm *sicut ego* & *sicut vos*. Ambiguum est enim an sensus sit, *Efficiamini ut ego, quia ego factus sum ut vos*, ut est in illo 1 Cor. 9. 20. *Factus sum Judæis ut Judæus*, &c. an, *Efficiamini ut ego, quia ego sum ut vos*, &c.

13, 14. *Scitis autem quod per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem: Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum*] Græcè non est *jampridem*, sed *prius*, πρότερον· nec *tentationem vestram*, sed *meam*, μοῦ· nec *sicut*, sed *velut*: non enim exceperant unquam Galatæ *Angelum Dei* aut *Christum*, ut dicatur, *Excepistis me sicut excepistis Angelum Dei, aut Christum Jesum*; sed, *Excepistis me velut* (seu *tanquam*) *essem Angelus Dei, aut Christus Jesus*, &c.

18. *Bonum autem æmulamini in bono*] Quis sensus hîc est nisi indignus Paulo? Ipse ait, *Bonum est æmulari* (sive *Bona est æmulatio*) *in bono*, etsi non adest verbum substantivum Græcè, sed subauditur, Καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι.

24, 25, 26. *Hæc enim sunt duo testamenta: unum quod in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Hierusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est nunc mater nostra*] Non dicam quomodo sit deceptus Interpres, quoque modo sit depravata scriptura: tantùm dicam qualis esse debeat vera translatio, quæ est hæc, *Hæc enim sunt duo testamenta: unum quidem à monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Nam Agar Sina mons est in Arabia, quod conjunctum est quæ nunc est Hierusalem, servit autem cum filiis suis. Alterum verò sursum Hierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrûm*, μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ· τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς· ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστίν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν.

ERASMUS.

1. DIco autem] Hoc more Paulus loqui solet quoties ingreditur interpretari quæ dixerit. Proinde dilucidius erat, *Quod dico, tale est*; aut, *Illud autem est quod dico*. ¶ *Heres parvulus est*] Νήπιος, i. e. *puer*, sive *infans*, *& ea ætate qua nondum sapit*. Latinè tamen vertit Interpres. ¶ *Nihil differt à servo*] Διαφέρει ambiguum est: nam significat & *antecellit*. Verùm hoc loco nihil refert. Imò servo subjectus est.

2. *Tutoribus & actoribus*] Ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους, *curatoribus & dispensatoribus*, h. e. rei familiaris procuratoribus. Quanquam Hieronymus & Ambrosius atque item Augustinus legunt *sub actoribus*, pro οἰκονόμοις, qui administrant res minorum. Porrò pueris pupillis dabantur *tutores*, furiosis & adolescentibus *curatores*, qui pro illis rem administrarent: licet existimem hos & *actores* dici. *Actor* ambigua vox est. Prior vox Græca dicta est à *permisso arbitrio* seu *jure*; posterior à *dispensatione rerum domesticarum*. ¶ *Præfinitum tempus*] Προθεσμίας, quæ vox significat *diem præscriptum ad quem jus alicujus duraret*, *ultra quem non liceret agere*. Tale est jus tutorum.

3. *Parvuli*] Νήπιοι de quo sæpius jam admonuimus. ¶ *Sub elementis mundi eramus servientes*] Δεδουλωμένοι *in servitutem redacti*: quod Ambrosius legit *subjecti*: & referendum videtur ad *sub elementa*, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα· q. d. *sub elementa in servitutem redacti*. Latino vox *elementi* anceps est, quemadmodum & στοιχεῖον apud Græcos, quæ declarat interim *initium ac primordium rei nascentis*, interim ipsas *literas*. Nam & Aristoteles in Physicis inter ea unde cognitio rerum nascitur recenset στοιχεῖα, i. e. *elementa*, subjiciens hæc Principiis & Causis. Et Justinianus libro Institutionum *elementa juris* appellat, veluti rudimenta. Paulus eodem verbo usus est in Epist. ad Colossenses, *Videte nè quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem, secundùm traditionem hominum, secundum elementa mundi*, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου. Ac rursus in eadem, *Si mortui estis cum Christo ab elementis*, ἀπὸ τῶν στοιχείων. Nec video cur D. Hieronymus aliud quiddam velit esse *elementum* hoc loco ad Galatas, aliud in Epist. ad Colossenses. Certè utrobique de Ceremoniis Judæorum agit & hominum institutionibus, quæ velut exordia data sunt hominibus rudibus adhuc & nondum capacibus Euangelicæ doctrinæ. Nec ab his diversum est quod scribit ad Hebræos, *Et cùm deberetis esse magistri propter tempus, rursum necesse habetis ut doceamini quæ sint elementa principii sermonum Dei*, τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς. Hic sensus mihi videtur esse germanus: reliqui, meo judicio, magis ostentant eruditionem aut ingenium interpretis quàm ostendunt mentem Pauli. Neque est cur nos moveat quod Paulus adjecit *elementa mundi*. *Mundum* enim vocat quicquid est visibile ac caducum. In hujusmodi rebus sita est superstitio ceremoniarum, *Ne gustaveris, Ne tetigeris, Nè contrectaris*.

4. *Misit Deus Filium*] Ἐξαπέστειλεν, *emisit* vel potiùs *legavit*, nempe *cum mandatis*: nam id propriè sonat Græca vox: aliud enim est πέμπειν. ¶ *Factum ex muliere*] Prius *factum* est Græcè γενόμενον, posterius γενόμενον, ut illud vertas *natum*, hoc *factum*. Quanquam Græci codices non omnes distinguunt. Certè Theophylactus utrobique legit γενόμενον. Atqui Augustinus libro De Trinitate & Unitate Dei, cap. 3. refert ad hunc modum, *Misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub Lege*: ac mox ejusdem operis cap. 6. *Factum* autem hic nihil aliud sonat quàm *subditum Legi*; quemadmodum dicitur *factus pallidus* qui expalluit: nè quis hic frustrà philosophetur de *creatura*.

5. *Redimeret*] Ἐξαγοράσῃ quod ad verbum sonat *emercaretur*, h. e. dato pretio assereret in libertatem: quod dicas licet *eximeret*. ¶ *Ut adoptionem*] Græcis unica dictio est, υἱοθεσίαν, quam Interpres, quò pleniùs exprimeret, periphrasi reddidit,

didit, quòd *adoptio* videatur latiùs patere. ¶ *Reciperemus*] Ἀπολάβωμεν. Augustinus annotat *reciperemus* dictum, non *acciperemus*, ut intelligamus restitui quod fuerat amissum. Id magis haberet locum si Græcè dixisset *ἀναλάβωμεν*.

6. *Quoniam autem estis filii Dei*] Redundat *Dei* juxta constantem Græcorum lectionem, nec admodum ad sensum facit: tantùm agit de conditione liberorum: licèt refragentur omnes Latini quos ego viderim, excepto vetustissimo codice Donatiani. ¶ *In corda vestra*] Ἡμῶν, *nostra*, consentiente cum Græcis utroque codice Constantiensi, Ambrosio & Hieronymo. Quoniam autem præcessit *estis*, lector parùm attentus depravavit scripturam. Et sicuti superiùs ostensum est Ἀββᾶ ὁ πατήρ, *Abba Pater*, non est *ἀναδίπλωσις* juxta Hieronymum, consentiente & Augustino &, ni fallor, Ambrosio. Sed *Abba* peregrinum est verbum, Hebræis Syrisque commune: id interpretatur adjecto verbo Græco: qui mos peculiaris est Scripturæ Divinæ: ut *Bartimæus*, *filius Timæi*, in Euangelio, *Aser*, *Divitiæ*; *Thabita*, *Dorcas*, in Actis; & in Genesi *Mesech*, *Vernaculus*, aliaque his consimilia.

7. *Jam non est servus*] *Es* secundæ personæ, non tertiæ, *εἶ*. In nonnullis exempl. omnino non additur: tantùm est οὐκ ἔτι δοῦλος, ut subaudias *est*, aut *es*, si mavis. Et Interpres *jam* suum nimis amat, aliàs gaudens vel intempestivâ varietate; *οὐκ ἔτι εἶ*, i. e. *non deinde es: non amplius es*. ¶ *Et heres Dei per Christum*, καὶ κληρονόμος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ. Hieronymus legit *& heres per Christum*, omissâ mentione *Dei*. Ambrosius & Augustinus legunt ut nostra habet editio. Mihi magis probatur quod legit Hieronymus. Porrò *Dei* videtur additum ab interprete quopiam; absolutius enim erat *heres* si nihil addas, ut opponatur *servo*. Denique quod adjecit *per Christum*; suo more fecit Paulus, qui sic omnia Dei beneficia vult ad nos à Patre proficisci ut per Christum Filium ad nos veniant, veluti insitos Christo: per quem adoptione & *filii* sumus *& heredes*. Hoc loco plus habet Theophylactus, sic legens, Εἰ δὲ υἱός, καὶ κληρονόμος, κληρονόμος μὲν Θεοῦ, συγκληρονόμος δὲ Χριστοῦ, *Quod si filius, & heres, heres quidem Dei, coheres vero Christi*. Quemadmodum autem legit, ità & interpretatur. Verùm quod hic superest, transcriptum apparet ex cap. Epist. ad Romanos 8.

9. *Cùm cognoveritis*] Νῦν δὲ γνόντες, *Nunc autem posteaquam cognovistis Deum*. ¶ *Imò cogniti sitis*] Μᾶλλον δὲ *magis autem*. Et ità legit Hieronymus. Quanquam magis hoc loco correctionem habet veriùs quàm comparationem. ¶ *Quibus denuò*] Pro *denuo* Græcis est πάλιν ἄνωθεν, *rursum ab initio*. Et ἀναδίπλωσις ad vehementiam facit. Nos vertimus *iterum ab integro*.

10. *Et tempora*] Καιροὺς *opportunitates*. Neque enim est χρόνους. Hæc autem ad festos Judæorum dies pertinent, quibus hoc aut illud fas erat aut nefas.

11. *Timeo ne*] φοβοῦμαι ὑμᾶς, *Timeo vos*. Atque ità legit Ambrosius, & item Augustinus: nec secùs habetur in vetustis exemplaribus. Verti poterat, *Timeo de vobis*.

12. *Fratres, obsecro vos*] Δέομαι ὑμῶν, *rogo vos*. Hæc vult D. Hieronymus ad superiora referri ad hunc modum, *Fratres, obsecro vos, sitis ut ego, quoniam ego ut vos*; h. e. Abjicite superstitionem Judaicam, quam videtis abjecisse me: aut, Proficite ad meam perfectionem, quandoquidem ego memetipsum ad vestram infirmitatem inclinavi. Nam *ut* mavult Valla quàm *sicut* non solùm hic verùm etiam in proximo loco.

13. *Jam pridem*] Græcis est *prius*, πρότερον.

14. *Tentationem vestram*] Πειρασμόν μου, *tentationem meam*, sive *mei*; imò *meam*, ut intelligas Paulum tentasse Galatas suo sermone humili & incondito. Quanquam sermo Græcus anceps, & Hieronymus variè exponit. Nimirum *tentatio Galatarum* erat quòd homo humilis & malis humanis obnoxius, cùm Christum crucifixum prædicaret, neque quicquam præterea magnificum, tamen immortalitatem polliceretur. Aut certè laboravit illic adversâ valetudine, & cùm cernerent corpusculum morbis afflictum, tamen immortalitatem prædicanti crediderunt. Sunt enim qui putant Paulum crebro capitis dolore fuisse vexatum, atque hunc ab eo vocatum *stimulum Satanæ*. Sive, quod vero propius est, quòd cernerent suum Apostolum contumeliis oneratum, insectationibus agitatum, flagris cæsum, lapidibus obrutum; poterant hæc illos ab admiratione illius alienare. Cæterùm non legimus vel ipsum Dominum vel Apostolos ullo laborasse morbo.

15. *Ubi est ergo*] Τίς οὖν ἦν, *Quæ ergo erat*. Et ità legit Ambrosius. Cæterùm *beatitudo* non est μακαριότης, sed μακαρισμός, quod magis sonat *beatificationem*, à verbo μακαρίζειν, quod est *beatum dicere* sive *judicare*: id quod non obscurè significat D. Hieronymus his quidem verbis, *Quamvis*, inquit, *vos eo tempore quo Euangelium juxta carnem susceperatis, beatos dicerem, quòd in initiis fervebatis; tamen nunc, quia non video ædificio culmen impositum, & penè nequicquam jacta fundamenta, cogor dicere*, UBI EST BEATITUDO VESTRA *quâ vos beatos arbitrans antè laudabam?* Itidem exponit & Theophylactus, nimirum de *laude quâ prædicabantur ab omnibus quod essent* Φιλοδιδάσκαλοι.

17. *Æmulantur vos*] Ζηλοῦσιν ὑμᾶς. Ea vox cùm Græcis diversos habeat usus, tamen hoc loco rectè verteretur *diligunt*, sive *affectant*, sive *ambiunt*, & *zelotypiâ laborant erga vos*; quod in fine subnotat & Hieronymus. Agit enim de quibusdam qui sub prætextu amoris & studii erga Galatas hoc agebant ut illos pertraherent in servitutem legis Mosaïcæ. ¶ *Sed excludere vos*] Græcè est ἐγκλεῖσαι *includere*. Quanquam Græci codices hic variant, cùm in nonnullis sit ἐκκλεῖσαι. *Concludere*, Legi involvere; *excludere*, à libertate Christi. Theophylactus legit & interpretatur *excludere*, ἐκβαλεῖν. Nam *excluditur* qui non admittitur, & *excluditur* qui ejicitur. Utinam hodie nulli sint apud Christianos in quos competat hæc Pauli querimonia. ¶ *Ut illos æmulemini*] Αὐτούς, *ut se*, sive *ut ipsos*, *æmulemini*.

18. *Bonum autem æmulamini in bono*] Καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ, *Bonum autem scilicet est æmulari in bono semper*. Bonum est alios imitari velle, sed non in quavis re, verùm in re bona. Et ad hunc modum legit Augustinus, *Bonum autem est*, ait, *æmulari in bono semper*. Interpres legisse videtur καλὸν δὲ ζηλοῦσθε, ut extrema syllaba verbi desinat in ἐψιλόν. Nec sono vocis distingui possunt Græcis *æmulari* & *æmulamini*; quin & Infinitum accipi poterat pro Imperativo ni additus esset articulus. Aliud autem declarat *æmulari* primo loco quàm duobus sequentibus, in quibus tamen non est simpliciter *imitari*, sed *imitari cum admiratione studioque insequendi*. Nam id est quod paulò pòst dicit apertiùs, *sed ut in carne vestra glorientur*. ¶ *Cùm præsens sum apud vos*] Tametsi consentiunt omnes, tamen sermo Græcus anceps est, qui & hunc sensum habere potest, μὴ μόνον ἐν τῷ παρεῖναί με πρὸς ὑμᾶς, *non solùm in hoc quòd adsum apud vos*, quia dixit antè ἐν τῷ καλῷ. Honestum enim semper sequendum est, etiamsi absit is qui tradidit. Invenit enim suam absentiam fuisse in causa ut aliò delaberentur.

20. *Vellem autem esse apud vos modo*] *Modò* hoc loco pro *nunc* positum est, ἄρτι. Nec est *esse* sed παρεῖναι, i. e. *adesse*. ¶ *Quoniam confundor in vobis*] Ἀπορoῦμαι, *perplexus sum*, sive *indigus sum*. Sic enim explicat D. Hieronymus. Quanquam apud Græcos ἀπορεῖσθαι est aliquoties *hærere & inopem esse consilii*. Sic erat affectus Paulus ut nesciret quid ageret cum Galatis, quos videbat omnino tendere ad servitutem Legis, & hoc magnis Apostolis, ut putabatur, eò vocantibus. Cæterùm vulgus nullum facit discrimen inter *confusionem*, quæ Græcis σύγχυσις dicitur, & *pudorem* sive *erubescentiam*, quæ αἰσχύνη dicitur sive ἐντροπή. Sed aliud est *pudere & erubescere*, aliud *animo turbatum esse ut nescias quid sit agendum*. Etiamsi nonnunquam detorqueatur ad *vehementem pudorem*, qui turbare solet animum & tenebras offundere, velut apud Euripidem,

Ὡς δ' ἄνολβον εἶχες ὄνομα σύγχυσίν τε.

Quanquam hìc quoque *perplexus* potest intelligi magis quàm *pudefactus*. Nec erat quòd hoc loco verbum *confundor* mutaretur, nisi Interpres aliàs libenter & frequenter usus esset eo pro *erubescere*: alioqui bellè explicabat Græcam vocem ἀποροῦμαι.

21. *Legem non legistis*] *Auditis* est Græcè, ἀκούετε. Hieronymus legit *audistis*, nisi mendum subest: nam arbitror fuisse scriptum *auditis*. Habet autem tropus suam gratiam, quasi Lex ipsa loquatur, vetans nè posthac servetur. Itaque hoc ipso repugnabant Legi quòd affectarent observare Legem.

24. *Per allegoriam dicta*] Ἀλληγορούμενα, *quæ per allegoriam dicuntur*. Est autem Allegoria, cùm aliud dicitur, aliud significatur. Augustinus lib. De Trinitate 15. cap. 9. testatur se legisse *quæ sunt in allegoria*: & cùm *allegoria* Græca vox sit, quosdam Latinos interpretes ità reddidisse, *quæ sunt aliud ex alio significantia*. Chrysostomus admonet, Paulum abusum hâc voce *allegoria* pro *typo* & *figura*. Nam Allegoria propriè est perpetua Metaphora: verùm Apostolus hic veram historiam refert quæ typus sit alterius. ¶ *Hæc enim sunt duo testamenta*] Chrysostomus quærit quid referat αὗται. Refert duas matres, *ancillam* Agar, & *liberam* Saram, quarum præcesserat mentio. Id mollius est in sermone Græco, in quo *testamentum* est fem. generis, διαθήκη. Et rursus *sunt* positum est pro *significant*. ¶ *Unum quidem in monte*] *A monte* est Græcè, ἀπὸ ὄρους & ità legunt & Hieronymus & Ambrosius: neque secùs habebat codex Donatiani. In altero Constantiensi, nempe vetustiore, manebat germana scriptura; in altero rasura testabatur operam depravatoris. Quanquam locus hic multis modis depravatus est. Porrò Gr.

ὸ Gr. sic habet, *ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ· τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ· συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστίν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν, A monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar. Nam Agar Sina mons est in Arabia; confinis est autem ei quæ nunc est Hierusalem, servit autem cum filiis suis. Porrò quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrûm.* Admonent Græcorum Scholia, cumque his Theophylactus, montem Sina Arabum linguâ *Agar* appellari; eundem autem esse montem diversis nominibus: tametsi nihil hujusmodi meminit Hieronymus in hujus Epistolæ Commentariis. Augustinus & Ambrosius legunt *quod est Agar*, non *quæ est*: tametsi utraque lectio sensum eundem exprimit, quòd relativum nomen inter duo intercedens substantiva cum utrovis solet congruere: præcessit enim *testamenta*, & sequitur nomen mulieris *Agar*. Nisi quòd cùm legimus *quæ est Agar*, amphibolon est an *quæ* pertineat ad *servitutem*; etiamsi in hac lectione sensus ferè eodèm recidit: siquidem *est* hoc loco positum est pro *significat*: quod genus illud, *Petra autem erat Christus*; annotante Augustino locis aliquot. Perpusillum enim refert utrùm AGAR typum habeat *testamenti generantis in servitutem Legis*, an ipsius *servitutis* quam habebat testamentum. Porrò illud *generans* necesse ut ad *testamentum* referatur quod significatum fuisse vult in typo Agar. Deinde quod sequitur *τὸ γὰρ Ἄγαρ* non ad *ancillam*, sed ad *montem* pertinet: quod vel ex ipso genere deprehenditur, quòd *mons* apud Græcos neutri generis sit. Ambrosius videtur Græcum genus reliquisse, cùm ait *in servitutem generans, quod est Agar*; nisi quis vocem relativam malit ad sermonis contextum pertinere, *quod est*, videlicet *generare in servitutem*. Hujus enim rei typum gerebat *Agar* sive ancilla, sive mons ab ancilla sortitus nomen. Cæterùm quod addit *quæ nunc est Hierusalem* huc pertinet quòd olim ea civitas aliis nominibus fuerit appellata; primùm, *Jebus*; deinde, *Salem*; deinde, *Hierusalem*, velut ex utriusque composito vocabulo; postremò, *Ælia*. Nec mirum videri debet si vulg. usus pro *Jebusalem* dixit *Hierusalem*, cùm *Salem* verterit in *Solymam*, & *Hierusalem* in *Hierosolymam*.

25. *Qui conjunctus est ei quæ nunc est Hierusalem*] *Συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ.* Pro *conjunctus est* nos vertimus *confinis est*: nam hoc verbo usus est D. Hieronymus hunc enarrans locum. Nec obstat quòd Sina mons itinere multorum dierum dissitus est à monte Sion: Paulus enim hic non metitur spatium intervalli, sed confert similitudinem Allegoriæ. Nam quæ inter se similitudine quapiam respondent, *vicina* & *confinia* dicuntur; quod Paulus Græcè dixit *συστοιχεῖν*, q. d. *in eadem esse serie*. Unde & Grammatici *στοιχεῖα* vocant Literas, quòd serie quadam sibi jungantur. Philosophi rerum Elementa *στοιχεῖα* vocant, putà Terram, Aquam, Aërem & Ignem, quòd horum unumquodque suo consistat ordine. Item Versus *στίχοι* dicuntur, & Acies ordine compositæ *στίχοι* vocantur; quæ voces aliæque similes derivantur à verbo *στείχειν*, quod est *ordine progredi* sive *in serie stare*. *Mons* autem *Sina*, tametsi longo intervallo disjunctus est ab *Hierosolymis*, tamen hàc similitudine illi *contiguus* est, quòd quemadmodum in Sina primùm Lex est prodita magnis terroribus, ità in monte Sion eadem Lex est promulgata & ad alienigenas etiam propagata, juxta Vaticinium, *De Sion exibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Illud autem agit hoc loco Apostolus, ut ostendat Legem absque gratia terrorem incutere minis & præceptis: Cogi verò metu servile est. Judæi itaque, qui vacui charitate Legem juxta literam ac ritus externos observabant, quanquam a monte Sina migraverant Hierosolymam, tamen à servili conditione non degenerabant, tanquam filii Agar, non Saræ. Verbum autem *συστοιχεῖν* in hunc sensum reperitur apud probatos Græcorum autores, nominatim apud Theophr. De Causis, & Aristot. *ἐν τοῖς μετὰ τὰ Φυσικά.* Nec Suidas de hoc verbo siluit in dictione *Σύστοιχα*: sic enim appellantur *quæ sunt ejusdem ordinis ac sortis*. Et *Συστοιχία* dicitur *rerum inter se similium series*: veluti si ponas π, κ, τ, una *συστοιχία* fuerit; conveniunt enim in hoc quòd sunt exiles: altera huic opponetur, continens φ, χ, θ, & hæc elementa inter se collata *σύστοιχα* sunt, ad superiorem verò seriem comparata *ἀντίστοιχα*. D. Chrysost. *συστοιχεῖ* interpretatur *γειτνιάζει καὶ ἅπτεται, vicinus est & contiguus.* Idem dilucidiùs interpretatur Theophyl. addens viciniam hanc non esse Loci, sed Similitudinis. Et Glossa quæ dicitur Ordinaria CONJUNCTUS verbo exponit *similis*. Verùm hanc interpretationem Aquinas rejicit, quòd existimet hanc non fuisse mentem Pauli: mavultque montem Sina ideo dictum *conjunctum Hierosolymæ* quòd illinc huc profecti sint Israëlitæ: ut intelligamus montem Arabiæ confinem esse Hierosolymæ non propinquitate sitûs sed continuatione itineris. Huic commento obstat nonnihil *συστοιχεῖ* verbum præsentis temporis, quod Ambrosius vertit *qui conjungitur*: iter autem multis seculis præcesserat. Qui collegit Scholia in omnes Pauli Epistolas ita scribit in hunc locum, *Ex qualitatibus locorum vult intelligi diversitatem Testamentorum.* Is, quisquis fuit, sensisse videtur Sina typum esse Veteris Testamenti, Hierusalem Novi. Hoc si recipimus, quomodo dicuntur *συστοιχεῖν*? Mihi Paulus æquare videtur Judæos, Arabes, & Hierosolymitanos, quòd utrique pariter servirent Legi, & ad Synagogam pertinerent non ad Ecclesiam. *Hierosolyma* verò Terrenæ, quam non discernit à monte Sina, opponit Cœlestem *Hierosolymam*, quæ est Ecclesia. Mirum est autem nec Hieronymum nec Ambrosium hunc de Vicinia scrupulum attingere.

27. *Lætare sterilis quæ non paris*] Testimonium adductum est ex Esa. 54. Hebræa sic extulit Hieronymus, *Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudem & hinni quæ non parturiebas: quoniam plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Verùm juxta LXX. legimus hunc in modum, *Εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα· ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα, Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis; quia plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Symmachus ita vertit, *Lætare sterilis quæ non peperisti, gaude in exsultatione & hinni quæ non parturisti: plures enim filii dissipatæ magis quàm ejus quæ erat sub viro.* Ab hoc non discrepant Theodotion & Aquila, præterquam in pauculis verbis. Unde palàm est in hoc loco Paulum usum verbis LXX. quòd per omnia sensus concordet cum Hebraica veritate.

30. *Cum filio liberæ*] Hieronymus legit *cum filio meo Isaac*: atque ità sanè legitur Gen. 21. Ad eundem modum legit Ambrosius. Quò magis admiror unde hæc scriptura in Græcorum ac nostros codices invaserit. Ex interpretatione Theophylacti non satis liquet quid legerit, nisi quòd contextus cum nostra Vulgata lectione consentit. Chrysostomus legit quemadmodum Latini: nec refert ad sensum. Apostolus pro persona *Saræ* supposuit personam *Scripturæ*, quò plus esset ponderis, sensumque reddidit ad causam quam tractat commodum. In hoc testimonio Paulus nec Hebraicam autoritatem nec LXX. secutus est, contentus suis verbis Scripturæ sensum reddere.

31. *Quâ libertate nos Christus*] Græca sic habent, *Τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε στήκετε, καὶ μὴ, Libertate igitur quâ Christus nos liberavit state*, &c. ut *Libertate* ad sequentia pertineat, non superiora: tametsi Hieronymus secùs vertit, ac secùs legunt Ambrosius & Augustinus, hinc novum sermonis caput ordientes, *State igitur*, &c. Mecum haud obscurè facit Chrysost. ac Theophylactus, *στήκετε* verbum etiam interjecto commentario separans ab iis quæ sequuntur. Nec Interpres hoc mutare potuit. Ad sensum haud magnopere refert.

VATABLUS.

1. CUm] *Tametsi.*

2. *Tutoribus & actoribus*] *Curatoribus & dispensatoribus*: i. e. rei familiaris procuratoribus.

3. *Elementis mundi*] Quid vocet, *elementa mundi*, vide Col. 2. 8. Et paulò post Observationem dierum vocat *elementa*. ¶ *Servientes*] *In servitutem redacti.*

4. *Venit plenitudo temporis*] Hebr. ubi impletum fuit tempus. ¶ *Misit*] *Emisit, legavit*; nempe cum mandatis. ¶ *Factum sub lege*] i. e. Subditum legi.

5. *Adoptionem*] Vel, *adoptionis jus.*

6. *Vestra*] *Nostra*, Vet.

7. *Est*] *Es*, secunda pers. ¶ *Et*] *Et* pro *ergò*, Heb. ¶ *Per Deum*] *Dei per Christum.*

8. *Serviebatis*] Vel, *servistis.*

9. *Imo*] *Magis autem.* ¶ *Infirma & egena*] i. e. Quæ vitam æternam vobis conciliare non possunt. ¶ *Denuo*] *Rursum ab initio.*

11. *Vos, ne fortè sine causa*] *De vobis, nè frustra.*

12. *Estote sicut ego*] i. e. Quemadmodum videtis me neglectâ observatione legis, solo Christo fidere, ità facite. ¶ *Vos*] Sub. *fui aliquando quales vos nunc estis, existimans pietatem esse circumcidi, sabbata servare*, &c.

13. *Jampridem*] *Priùs.* ¶ *Vestram*] *Meam*, Vet. i. e. me tentatum variis afflictionibus.

14. *Angelum*] *Legatum.*

15. *Ubi*] *Quæ.* ¶ *Posset*] *Potuisset.*

17. *Æmulantur*] *Ambiunt, affectant, zelotypiâ laborant erga vos.* ¶ *Sed*] *Imò.* ¶ *Excludere*] Quædam exemplaria Græca legunt, *includere*: i. e. involvere legi & excludere à libertate Christiana.

18. *Æmulamini in bono semper*] Est *æmulari* in re bona semper.

20. *Confundor*] *Consilii inops*, vel, *perplexus sum*.

21. *Legistis? Auditis?*

23. *Secundùm carnem natus*] Vel, modo naturali, quo solent gigni liberi: vel, ex consilio carnis, Saræ nimirum, &c. ¶ *Sunt per allegoriam dicta*] *Per allegoriam dicuntur*, i. e. aliud ex alio significant. Chrysost. dicit *allegoriam* hic pro *typo* & *figura* poni.

24. *Hæc enim*] *Nam hæ*: i. e. Agar & Sara significant, &c. ¶ *In monte*] *A monte*, Vet. ¶ *In servitutem*] i. e. Servos. ¶ *Quæ est Agar: Sina enim mons*] *Quod est Agar. Nam Agar Sina mons*: i. e. quod Testamentum Agar repræsentat: rursus dico, Agar repræsentat montem illum Sina. Est enim repetitio Hebraica.

25. *Conjunctus est*] i. e. Similis, aut similitudinem habet cum Hierusalem terrestri, quæ nobis præsens est, & quam videmus: ea enim, sicut & Sina, servos gignit. ¶ *Et servit*] *Servit enim*.

26. *Nostra*] *Omnium nostrûm*.

29. *Secundùm spiritum*] *Dei operâ*.

31. *Quâ libertate Christus nos liberavit*] *In libertate igitur quâ Christus nos liberavit, state.* Jungitur finis hujus capitis sequenti.

CASTALIO.

3. SUb *mundanis rudimentis eramus emancipati*] Sub Lege, quæ doctrinæ rudimenta humana sunt.

15. *Quæ ergo est beatitudo vestra*] Nihil est in quo vos beatos dicere possitis nisi meam doctrinam retinetis.

24. *Nam ea sunt duo fœdera*, &c.] Agar & Sara, inquit, *sunt*, h. e. significant (animadverte diligenter, lector, hoc verbum) *duo fœdera*. *Agar* significat *unum fœdus* quod ictum est *in monte Sina*, videlicet Legem: quod Legis fœdus *gignit in servitutem*, h. e. qui à Lege sunt, servi sunt, sicut Agaris filii servi sunt. *Nam Agar est Sina*, h. e. significat Sinam *Arabiæ montem*, quo in monte lata Lex est. Quemadmodum enim serva erat Agar, ità mons Sina, qui ab Agare significatur, *servit*, videlicet Romanis: in quo sanè *congruit cum hac* terrestri *Hierosolyma, quæ & ipsa cum suis civibus* Romanorum imperio *subjecta est*. Igitur *Agar serva* notat *Sinam*, & porrò terrestrem *Hierosolymam*, *quæ serva est*. At *Sara libera* notat *cœlestem Hierosolymam*, *quæ libera est*; cujus nos filii sumus. Quod si est, sumus *liberi*, *ut mater nostra*; sumus *promissionis filii*, *ut Isaacus*. Itaque non debemus servire Legi, quasi servi simus. τὸ γὰρ Ἄγαρ dixit τεχνικῶς, per neutrum genus: Σινᾶ ὄρος ἐστὶ, h. e. *notat ac significat*. δουλεύει γὰρ legendum est, ut in Colinæi exemplari, non δουλεύει δέ· reddit enim rationem cur *Sina sit Hierosolymæ similis*, in eo scilicet quòd *Hierosolyma servit* ut Sina. Nam δουλεύει de *Hierosolyma* dicitur, ut patet ex pronomine αὐτῆς, quod ad τὸ Ἄγαρ referri non potest.

CLARIUS.

1. QUanto tempore hæres parvulus est] Id accidebat, inquit, nobis cùm essemus sub Lege quod iis usu venit qui nondum ad ætatem idoneam pervenere: Nam ii, *quamvis hæredes sint* & bonorum paternorum *omnium domini*, tamen *dum pueri sunt*, tamdiu arcentur quasi *servi* quidam ab eorum possessione, quam interea *curatores & dispensatores* administrant: *sic nos*, *dum* tanquam *pueri eramus* minùs capaces secretiorum mysteriorum, habuimus Legem, quæ curatoris & dispensatoris cujusdam officio fungeretur. *At cùm quasi plena ætas accessit, emisit Deus Filium suum*, cum quo integra rerum scientia & thesauri illi hæreditatis propositi nobis sunt, quasi hæredibus non jam sub tutoribus constitutis.

3. *Sub elementis mundi*] Appellat *elementa mundi* corporeos illos ritus colendi, sub quibus tanquam visibilibus elementis serviebant. Alii intelligunt Sabbata, Neomenias, anniversarias Festivitates, quæ tempore reguntur, quod ex hoc visibili mundo constare videatur. Erant etiam veluti elementa quæ dantur primò pueris ut per ea ad majora progrediantur.

5. *Ut eos qui sub Lege erant redimeret*] Sicut & *venit in similitudine carnis peccatricis*, ut eos qui peccato erant obnoxii liberaret.

9. *Cogniti sitis à Deo*] Correctio est. Deus ipse vos prævenit, qui nunquam *agnovissetis eum* nisi *ab eo fuissetis cogniti*, h. e. miseratione & dilectione ejus attracti, & liberati à servitute filii facti.

10. *Dies observatis*] Hæc non multum, inquit, distant à moribus eorum qui colunt simulachra. Si sic interpretemur, non erit necesse intelligere per *elementa* Solem & Lunam, &c. quod quidam arbitrati sunt, opinor, quia cùm dixisset *eos*, *cùm nescirent Deum, servisse iis qui Dii non essent*, posteà redarguit quòd nunc *ad infirma elementa redire* velint.

12. *Quia & ego sicut vos*] Ego olim fui æmulator Legis, *sicut vos* nunc estis: nunc contrà opus est ut me imitemini in abroganda Lege. Vel, Cupio ut inter nos similes simus, & locum non habeant acres objurgationes, quæ tamen ob vestram utilitatem fiunt. ¶ *Nihil me læsistis*] Si qua in re habuissem quod de vobis meâ ipsius causâ quererer, dubitare potuissetis me inimico in vos animo ista protulisse: sed non ità est: nam, quod ad me attinet, ego ubique vestram in me charitatem prædico: verùm hìc agitur vestra salus.

13. *Per infirmitatem carnis*] Plagas intelligit & vincula & persecutiones. Quam autem infrà appellat *tentationem in carne*, eandem appellat ad Corinthios *stimulum adhibitum carni*. Testimonium ergò reddit quo affectu illum prosequerentur, cùm cernerent illum ab omnibus exagitari, & tamen maximo erga eum tenerentur affectu.

15. *Ubi est ergò beatitudo vestra?*] Quà vos scilicet tam beatos judicastis quod me Doctorem eratis nacti. Alii interpretantur, *Qua erat*, quàm ingens scilicet tunc erat, *illa beatitudo vestra?*

17. *Æmulantur vos non bene*] Mala æmulatio est cùm quis conatur rectè agentem à virtute depellere & ad inferiorem gradum dejicere. Hoc enim est quod ait, *excludere vos volunt, ut illos æmulemini*. Quare subdit, adhortans ut *æmulentur ad bonum* & virtutis incrementum, idque etiam absente magistro; subindicans, suam absentiam hujus mali fuisse causam.

20. *Mutare vocem meam*] Non satis, inquit, mihi facio scribendo, sed *vellem adesse*, & coràm deflere vestrum damnum, sicut antea beatos vos ex illa ingenti fide prædicabam. Vel sic, *Vellem adesse apud vos*, & mutatos videre, ut & ego quoque *vocem meam mutare* possem. Vult autem significare sibi molestam fore moram illam quâ cogetur exspectare responsum hujus Epistolæ.

21. *Qui sub Lege vultis esse*] Pulcre. Discite, inquit, ab ipsa Lege, quam mordicus tenetis, quæ nunc vos ipse doceo. O thesauros hujus hominis!

25. *Agar enim Sina mons est in Arabia*] h. e. *Agar* significat *montem illum Sina*, ubi data Lex est, *in servitutem generans*. Quod autem ait, *conjunctum* (sive *confinem esse Jerusalem*, non intelligit de loci confinio, sed significationis. Quod enim *Agar* ad *Saram* est, h. e. ancilla ad liberam, hoc *Sina* ad *Jerusalem*, Nec ait simpliciter *contermina est Jerusalem*, sed *ei quæ nunc est*, quæ videlicet nunc intelligitur, *Jerusalem*; quam etiam vocat *illam sursum Jerusalem*. Nam Euangelium è cœlo est: idcirco factus est in Pentecoste è cœlo sonitus, non ex aliquo monte. Quanquam illud quod ait, *quæ nunc est Jerusalem*, sunt qui putent dictum quòd olim aliis nominibus esset appellata.

26. *Libera est*] A servitute Legis scilicet.

27. *Lætare sterilis*] Ex sterili Sara semen multiplicatum est sicut stellæ cœli; & Ecclesia ex Gentibus sterilis erat ac deserta, & plures multò postea genuit liberos quàm Judæa.

ZEGERUS.

2. SUb *tutoribus & actoribus*] *Actor* dicitur qui cujuspiam causas & res agit & curat. In archetypo est, ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐστὶ καὶ οἰκονόμους, *sub curatoribus & dispensatoribus*: quæ ferè cum illis coincidunt.

3. *Sub elementis Mundi hujus*] Quia in Græcis abest *hujus*, etiam in nostris sublatum est, etiam juxta cod. antiquissimos, sed contra Ambrosium, Hieronymum & Augustinum: Interpres enim passim, ubi reperit *mundi* vocem cum articulo, adjecit pronomen. Hic & rursus v. 9. *Elementa mundi hujus* vocat crassas illas & initiales elementalesque Legis observationes, ad mundi hujus elementa, putà Aquam, Ignem, Terram, Solem & Lunam, pertinentes; cujusmodi erant Purificationes, Neomeniæ, Sabbata, Oblationes frugum, Victimæ, Holocausta, Discrimen inter animantia munda & immunda, traditiones de Igne & Lucernis non accendendis Sabbato. Hæc ipsa paulò inferiùs *infirma & egena*, vocat, quod vim nullam haberent ad conferendam justitiam, neque efficacia essent ad obtinendam salutem.

6. *Estis filii Dei*] Vox *Dei* sublata videtur à sciolis, tam è Græcis quàm Latinis, utpote quæ legatur Ambrosio & Hieronymo, & in cod. vulgatioribus.

7. *Hæres per Deum*] Apud Græcos redundat Θεοῦ juxta Ambrosium

brosium, Augustinum & alios veteres. Caeterum sive per *Deum* legatur, sive διὰ Χριστοῦ, non perinde magni refert.

10. *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos*] Quid ergò? nullasne observabimus sacrae quietis ferias? nullasne celebrabimus Domini nostri & Sanctorum Sanctarumque festivitates? Audi quid respondeat B. Hieron. nam hujus te malo audire quàm vel meam vel neoterici alicujus sententiam: *Dicat*, inquit, *aliquis, Si dies observare non licet, & menses, & tempora, & annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati observantes, & Parasceven, & diem Dominicam, & jejunium Quadragesimae, & Paschae festivitatem, & Pentecostes laetitiam: & pro varietate regionum, diversa in honore Martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet, Non eosdem Judaicae observationis dies esse quos nostros. Nos enim non azymorum Pascha celebramus, sed resurrectionis & Crucis. Nec septem juxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus S. veneramur adventum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in CHRISTO, propterea dies aliqui constituti sunt ut in unum pariter omnes veniremus: Non quò celebrior sit dies illa quâ convenimus, sed quò quacunque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo laetitia major oriatur. Qui verò oppositae quaestioni acutius respondere conatur, illud affirmat, Omnes dies aequales esse; nec per Parasceven tantum CHRISTUM crucifigi, & die Dominicâ resurgere, sed semper sanctum Resurrectionis esse diem, & semper eum carne vesci Dominicâ: Jejunia autem & congregationes inter dies propter eos à viris prudentibus constitutos qui magis seculo vacant quàm Deo, nec possunt, imò nolunt toto in Ecclesia vitae suae tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est qui saltem haec pauca quae statuta sunt vel orandi tempora vel jejunandi semper exerceat? Itaque sicut nobis licet vel jejunare semper, vel semper orare, & diem Dominicam accepto Domini corpore indesinenter celebrare gaudentibus; non ità & Judaeis fas est omni tempore immolare agnum, Pentecosten agere, tabernacula figere, jejunare quotidie.* Idem quoque sensum indicans Apostolicum tradit hunc locum plenius ab Apostolo explicari in Epist. ad Colossenses, ubi ità scribit, *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut Sabbatorum; quae sunt umbra futurorum*, &c. *Si ergò mortui estis cum Christo ab elementis mundi hujus*, &c. Col. 2.

11. *Timeo vos*] Pro *timeo vobis*, vel *de vobis*.

12. *Estote sicut ego, quia & ego sicut vos*] Judaeis haec loquitur qui in Christum crediderant, Me, inquiens, imitamini, quia & ipse desertâ Lege ad fidem accurri; *quandoquidem & ego sicut vos eram*, Legem observans & magnifaciens. Vel, si magis placet quod habet Ambrosius, *hoc dicebat ut darent operam ut sese corrigerent, quia non est impossibile ut fiat sicut ipse, quia & ipse hoc erat nempe (homo) quod & illi: & cùm fuisset in errore persequens Ecclesiam Dei, correptus tandem sese convertit.* ¶ *Fratres, obsecro vos: nihil me laesistis*] Quanquam B. Hieronymus illud *obsecro* dicit pertinere ad praecedentia, *Obsecro vos, sitis ut ego*, mihi tamen videtur ad sequentia referri commodiùs; sed ità ut sit vox non propriè quippiam efflagitantis, sed blandientis potiùs aut plaudentis. Nam hoc sensu usus est Symmachus verbo Graeco δέομαι Psal. 116. 4. ubi legimus, *O Domine, libera animam meam*: cujus loco in archetypo est *Anna*, pro quo hic à LXX. ὦ, Ps. verò 118. ab Aq. Sym. & Theodotione ἆ δὴ scriptum est. Vide Hieron. ad Damasum, tom. 3. epist 43. *Multi.* Quod ergò dicit tale est, Quòd sic acriter vos objurgarim, ô fratres, nolim id interpretemini quod tanquam laesus à vobis aut odio percitus id egerim: nihil enim (mihi credite) me laesistis; quinimo honoribus ac gratiis etiam operibus estis prosecuti.

13. *Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis*, &c.] *Per infirmitatem carnis, non suae*, inquit Hieronymus, *sed audientium Galatis annunciavit, qui non poterant carnem subjicere verbo Dei, altioraque suscipere sacramenta; sed quasi carnei nihil intelligentiae suscepere spiritalis.* Alii per *infirmitatem*, h. e. per vexationes & discrimina, praedicasse Apostolum dicunt; nec tamen tentationibus, plagis & persecutionibus divexatum, contemptum ab illis fuisse, aut ejusmodi plagis Galatas ipsos offensos fuisse quò minùs illum exceperint. Aut certè cum B. Hieronymo *suspicari possumus Apostolum cùm primùm Galatas adiret, aliquâ infirmitate corporali detentum fuisse. Nam tradunt eum gravissimum capitis dolorem saepe perpessum; & hunc esse Satanae Angelum qui appositus ei fuerit ut ipsum colaphizaret.*

15. *Ubi est ergò beatitudo vestra?*] Beatos vos praedicabant caeterae Ecclesiae ob vestram in praedicatorem benevolentiam. At qualis nunc est *beatitudo vestra*? & quò tandem est redacta? quandoquidem animadverto vos longè contrà hoc tempore erga me esse affectos.

17. *Excludere vos volunt*] A me scilicet & Euangelio Christi.

20. *Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam*] Quid porrò? Num Apostolum poenitebat praedicati Euangelii? Num praedicationis vocem in diversum commutatam volebat? Haudquaquam. Verum Apostolus, qui *factus fuerat infirmus infirmis: Judaeis Judaeus*, breviter, *omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret, pro qualitate eorum quos salvare cupiebat mutabat vocem suam, & in histrionum similitudinem habitum in diversas figuras vertebat & voces. Cernebat Galatas aliâ indigere doctrina, aliâque ab illa quâ ad Christi fidem fuerant conversi via debere salvari; & compellebatur dicere, Vellem nunc esse apud vos, & mutare vocem meam*: tanquam si dicat, Video me non prodesse blandum & lenem, qualem aliquando estis experti: insuper & literis diffido meis: quapropter opto pristinum inefficacem tam oris quam epistolae in vehementiorem commutare sermonem. *Et quomodo prudens Medicus, cùm per mollitiem emplastri alicujus nequaquam sanitatem conferri conspexerit, mordacioris pulveris* addit medicamentum; *ità ego, quia confundor in vobis, vellem literatum vocem praesens de meo ore proferre, ut vos solitò severior ipse corriperem: quoniam epistola non potest vocem objurgantis exprimere, non valet irascentis resonare clamorem, & dolorem pectoris apicibus explicare.* Haec ferè Hieronymus. Alios intelligendi modos cùm aliunde tum ex Hieronymi Commentariis petendos relinquimus. Illud tantùm obiter adjicimus, Graecos explanatores interpretari de *voce mutanda in fletum & luctum.* ¶ *Quoniam confundor in vobis*] Graecus sermo ἀπορῶ, μαι polysemos est, non paulò latius patens quàm *confundor.* Unde fit ut Ambrosius pro *ruborem patior* accipiat, quemadmodum *confundor* ferè accipitur in Scriptura S. Graeci autores *haereo, perplexus sum, inops consilii sum*, & *in ambiguo sum* interpretantur. Hieronymus *indigeo* exponit, quod scilicet Apostolus in Galatis *non haberet fructus quos*, inquit, *de discipulis solent habere Doctores.* Et exponens quid in Graeca includatur voce, ἀπορῶμαι, inquit, *non tam Confusionem, quae Graecis αἰσχύνη sive σύγχυσις appellatur, quàm Indigentiam & Inopiam sonat.* Ad haec, si literatoribus credimus, signat etiam *dubito, deficio* & *perturbor*, h. e. confundor.

23. *Qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem*] Ismaël, qui ex Abrahae *ancilla* nomine *Hagar* natus est, juxta naturalem & communem humanae generationis consuetudinem natus est; utpote qui nullo praenunciatus oraculo utrumque habuerit parentem ad generandum habilem. Isahac verò, qui ex Sara uxore *libera* progenitus est; virtute magis Divinae promissionis ortus est. Nam & Divino oraculo fuit promissus, dicente Domino ad Abraham, *Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium*, &c. Uterque parens ad gignendam prolem fuit invalidus, quod videlicet alter defecto esset prae senio corpore, altera verò non modò emortuâ matrice anus, verùm etiam alioqui prorsus esset sterilis. Quae hic adducit Hieronymus de repromissione Ismaëlis coactiora sunt quam ut mihi possint probari, nè quis fortè ea putet amplectenda.

24, 25, 26. *Duo testamenta*] Sive *duae ostensiones*, sicut invenimus, inquit Tertullianus, interpretatum. ¶ *Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quae est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei quae nunc est Hierusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem quae sursum est Hierusalem libera est: quae est mater nostra*] In Graecis cod. ità ad verbum legimus, *Unum quidem à monte Sina in servitutem generans, quod* (sive *quae*) *est Agar. Agar enim Sina mons est in Arabia: conjungitur* (vel *coordinatur*) *autem ei quae nunc est Hierusalem: servit autem cum filiis suis. Quae autem sursum est Hierusalem libera est: quae est mater omnium nostrûm.* Ubi advertendum, *Agar* secundo loco positum montem ipsum Sina Arabum linguâ indicare, ut intelligas duo haec, *Agar* & *Sina*, appositivè conjungi: (quanquam praestaret, nè dicam deberet, *Agar* eo loco abesse, ut scriptura cum veterum consentiret lectione) deinde συστοιχεῖ aliud quid quàm *conjunctus est* sonare, cujus emphasin appropriato vocabulo reddere nequeas. Indicat namque *qualitatis conjunctionem* quandam montis Sina cum Jerusalem, quia ei comparatur & proportione quadam similis est. Quemadmodum enim in Sina lex servitutis tradita est, ità in Jerusalem à monte Sion lex Evangelica promulgata est, juxta illud Jesaiae vaticinium 2. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Alioqui, quod ad locorum intercapedinem attinet, Sina mons ab Jerusalem multis passuum millibus distitus est: nimirum (ut nonnulli putant) itinere 8 dierum, milliaribus vero horariis seu Brabanticis circiter LXX. Satis autem obscurè ponit hanc Allegoriam Apostolus, propterea quod non

 perstet

extitet in præsumpta voce *testamentorum*, sed ejus loco primùm *Agar* substituat, mox *Sina*, indè *Jerusalem*: Quæ ut sit aliquantò dilucidior, ità construe sermonem, sed juxta sensum potiùs quàm juxta numerum verborum. Duæ, inquit, matres, Hagar & Sara, *duo* indicant *testamenta*. *Prius* Testamentum, *quod est*, i. e. signatur, *per Hagar*, datum *in monte Sinai*, *servile est*, *prolemque suam*, ut Hagar serva, *in servitutem progignit*. Porrò, *mons ipse Sinai affinitatem & copulam habet cum Jerosolyma hac temporali*, quòd utrumque terrenum, utrumque servile, & utrobique Lex data sit. *Servit* itaque conditionemque habet servilem Vetus illud Testamentum, quasi Hagar quædam, *unà cum suis filiis*: & Jerusalem terrena, h. e. cum Synagoga Judaïca. Cæterum quod ad posterius attinet Testamentum, est alia *Jerusalem supernè constituta*, utpote spiritualis ac sursum tendens, cujus typum gerit altera illa mater, *Sara* nomine: hæc *libera est* à servitute legis Mosaicæ eademque *mater est nostra*, videlicet *omnium* Christianorum. De Græcanica lectione nonnihil diximus. Cætera quæ admoneri possunt perpusilla sunt. Illud tantùm obiter indico, apud Hesychium in Lev. 19 reperisse me hunc locum ita descriptum, *Unum quidem ex monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Sina autem mons est in Arabia, conjunctus ei qua*, &c. Hieronymus, Chrysostomus, Sedulius, & plures cod. vetusti, cum Græcis legunt *qua est mater omnium nostrûm*. At Ambrosius & alii ferè *mater nostra* legunt, & similiter Gregorius.

31. *Sed liberæ: quâ libertate Christus nos liberavit. State, & nolite*, &c.] Græci cod. ad hunc modum legunt atque distinguunt, *Libertate igitur quâ Christus vos liberavit, state, & nolite*: quod ut sequuntur scriptores Græci, ità quod nos habemus sequuntur Latini. De Chrysostomo tamen dubitari potest, si propius non textus Pauli inibi positus sed ipsum commentum inspiciatur.

H. STEPHANUS.

2. Ἄχρι τῆς προθεσμίας τῦ πατρὸς] *Usque ad tempus a patre præfinitum.*

4. Ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τῦ χρόνυ] *Postquam expletum fuit tempus.*

5. Ἐξαγοράσῃ] *Redimeret.* ¶ Τὴν υἱοθεσίαν] *Adoptionem.*

10. Ἡμέρας παρατηρεῖσθε] *Dies observatis*: i. e. Dierum rationem habetis.

11. Φοβῦμαι ὑμᾶς] *Metuo vobis*: vel, *de vobis.*

14. Οὐδὲ ἐξεπτύσατε] *Neque respuistis.*

25. Συςοιχεῖ] *Respondet*: quod vulgò *correspondet.*

DRUSIUS.

6. *ABba, Pater*] *Abba* & *Pater* differunt. *Abba* nomen est dignitatis, *Pater* naturæ tantùm. Non ergo idem dicit qui dicit *Abba, Pater*; nec est Pleonasmus, ut quidam volunt. Malè quoque redditur, *Abba, id est, Pater*. Interdum *Pater* idem quod *Abba*; ut in Euangelio, *Ne vocemini Pater*, i. e. *Abba*: ubi nomen est non naturæ, sed dignitatis tantum. Vide quæ scripsimus ad illum locum. אבא i. e. *Pater*, Syrum est Grammaticus nuperus mutat אַבָּא ex analogia: sed אַבָּא scriptum in libris Chaldæorum, & ita scribendum argumento mihi ἀββᾶ, quod in N. T. Dictus אבא pater ab affectu quo est in liberos, אב ab אבה. Quod autem ἐκ παραλλήλυ legimus ἀββᾶ ὁ πατὴρ Rom. 8. 15. interpreti post Hieronymum & alios placet ex Marci 14. 36. Græcum additum Syriaco vocabulo explicando. Mihi aliud videtur: quod tamen arbitrarium esse volo, nolo sit certum. Conjicio Christum pronunciasse *Abba Pater* אבא פטר ex consuetudine veterum Hebræorum: Nam eos scilicet usitasse voces Græcas, quas addebant vocibus suæ linguæ. In Itinerario Benjamini Tudelensis Hispani נמל הנמים λιμὴν *portus*, פגאנים הכפרים *pagani qui in pagis habitant*: ubi nomen Latinum præcedit, Hebraïcum sequitur. Sic reperio פיילי פטירן in Lexico Juris ex Genesi magno, cap. 10. & ex Levitico majore, qui Hebraicè vocatur *Vaicra rabba*. Est autem פיילי vocabulum Jerosolymitanum, פטירי Græcum ποτήριον utrumque significat *poculum*, quod Hebraicè כוס *chos* dicitur, ait autor Lexici. Φιάλη, vox Græca: tamen autor Lexici dicit vocem esse linguæ Jerosolymitanæ. Potest ita esse. Ego scio in ea urbe receptas fuisse olim multas voces Græcas. Etiam scio ab Oriente mutuasse Græcos innumera vocabula, inter quæ potuit esse Φιάλη. Quòd si declaratio est ὁ πατὴρ, mirum cur Euangelista non scripsit ἀββᾶ, ὅ ἐςι πατὴρ, ut alibi κορβᾶν, ὅ ἐςι δῶρον. Neque me turbant exempla Hieronymi. Jam diximus *filium Timæi* non videri declarationem τοῦ *Bartimæi*, cùm præcedat υἱὸς Τιμαίυ Βαρτίμαιος. Nam par est ut declaratio sequatur: potiùs patris nomen voluit indicatum Euangelista. *Aser divitiæ* non memini legere, ut nec *Tabitha dorcas*, sed quidem Ταβιθὰ, ἣ διερμηνευομένη λέγεται δορκὰς, quod parùm adjuvat mentem Hieronymi. Pro *Mesech vernaculus* in Genesi est בן משק ביתי Gen. 15. 12. in quo explicando licèt varient interpretes, nemo tamen de *vernaculo Mesec* exposuit, neque ipse Vulg. Interpres, qui sic reddit, *Filius procuratoris domûs meæ iste Damascus Eliezer*. Unicum exemplum est in Actis, *Elymas magus*. Cui simile si dicas, *Adonai domine*. Locus Hieronymi est in Commentariis super epist. ad Galatas, *Abba Hebraicum est, id ipsum significans quod & Pater. Et hanc consuetudinem in pluribus locis Scriptura conservat, ut Hebraicum verbum cum interpretatione sua ponat; Bartimæus filium Timæi, Aser divitiæ, Tabitha dorcas; & in Genesi, Mesech vernaculus, & cætera his similia.* Non per omnia displicet sententia Augustini, epist. 178. 14 colloquio cum Pascentio Arriano, *Non accipiatur Paulus qui dicit Romanis scribens*, IN QUO CLAMAMUS, ABBA PATER: *in uno nomine duabus utitur linguis. Dicit enim Abba Græco* (imò Hebraïco) *vocabulo Patrem, & Latinè* (Græcè) *nominat identidem Patrem*. In ABBA PATER cùm duo nomina sint, alterum, meo judicio, est ex nominibus Dei, alterum est nomen commune sive appellativum, ut si dicas ADONAI PATER, & ADONAI DOMINE. Deus enim Abba vocatur juxta illud Matth. 23. 9. PATREM VESTRUM NEMINEM VOCETIS IN TERRA: UNUS ENIM PATER VESTER, QUI IN COELIS EST. *Abba* nomen est dignitatis apud Hebræos. Vide Mar. 14. 36. Etiam *Avum* significat. Phælictha, 44. 2. *Pueri vocant patrem patris sui* אבא *Abba*.

14. *Ut Angelum Dei*] כמלאך אלהים, ut 2 Sam. 19. 27. *Et dominus meus Rex sicut Angelus Dei.*

15. *Oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*] Magna vis amoris; quem exprimunt etiam cùm dicunt *animam alicui tradere*. Vide Observ. l. 3. c. 17. & 1 Thess. 2. 8.

22. *Unum ex ancilla*] Ismael scilicet. Ità scribendum, non *Ismahel*. Nam scribitur cum Ain in syllaba ultima, quam veteres leniter efferebant. Testes *Arabia*, *Emmanuel*, *Elamita*, & alia sexcenta.

24. *A monte Sina*] Videtur ex *Sinai*, h. e. Σιναῒ, factum Σινᾷ vel Σινᾶ, deinde Σινᾶ, neglecto puncto, quod pro Jota subscriptum erat. Sanè Hebræi scribunt סיני *Sinai*, nec unquam aliter, quod sciam. Mons iste dictus existimatur à סנה, quod *rubum* denotat: nam in ejus lapidibus figuræ ruborum erant. Quod se observasse testatur Moses Narbonensis, citatus ad More a Sem Tob fol 48 pag. 1. ¶ *Quæ est Agar*] Potiùs *Hagar* cum adspiratione. Nam Hebraice הגר Græci tamen adspirationem rejecerunt, ἥτις ἐςὶν Ἄγαρ. Admonent Græcorum scholia montem Sina Arabum linguâ *Agar* appellari. Notavit etiam Theophylactus, teste Erasmo, eundem esse montem diversis nominibus. De quo ego valde dubito. Hinc origo nominis *Hagareni*, qui Psal. 83. 6 הגרים vocantur, videlicet à singulari הגרי, quod ab הגר formatum, ancilla Abrahami, quam R. S. nuncupat ספחת כלה *ancillam mundi muliebris*. Prisci Arabes vocant Hagarenos אלהגרין *Elmahgerim*: unde μαγαρίζειν apud Cedrenum & μαγαρισμὸς est μαομετίζειν & μαομετισμός. Multa genera Arabum, sed præcipui sunt Hagareni, & Saraceni, qui & *Ismaelitæ*.

25. *Sina mons est*] Errant igitur qui hoc negant, in queis Sigonius. Montis hujus meminit Sulpicius Dialog. 1. cap. 11. per hæc verba, *Ex Oriente reversus* (Postumianus loquitur) *Rubrum mare vidi: jugum Sina montis ascendi, cujus summum cacumen cœlo pene contiguum nequaquam adiri potest.* ¶ *Conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem*] Συςοιχεῖ, *pars serie respondet*, nempe quoad Allegoriam aut Anagogen, aut κατ' ἀναλογίαν. Præterea ut lex Mosis è Sinai, sic lex Christi, h. e. Euangelium, è Jerusalem. Qui ad situm referunt, ex tabulis Geographicis refutari possunt. Viderit ergò Genebrardus in Psal. 133. 3. ita scribens, *Judæa montosa erat tota. Quâ ratione Sinai* CONJUNCTUS *dicitur* EI QUÆ EST JERUSALEM *Gal.* 4. *perpetuo enim dorso sese versus Sionios montes exporrigit.*

27. *Desertæ*] Vel *desolatæ*. שוממה *quæ virum non habet*. R. D. addit *nec liberos*, i. e. orbæ. Sic *Thamar mansit deserta in domo Absolom*, h. e. sine marito, 2 Sam. 13. 20. Verbum è verbo, *mansit & desolata fuit in domo Absalom fratris sui*. Sic, *posuit me desolatam, toto die mœrentem*, Thren. 1. 13. Præcedit autem v. 1. *Quomodo sedet sola*: &, *fuit tanquam vidua.*

CAME-

CAMERON.

1. Ἐφ' ὅσον χρόνον, &c.] Ut distincta fuerunt tempora Ecclesiæ, decebat etiam Divinam sapientiam (cujus est omnia facere lege quadam quæ sapiat autorem suum) diversis temporibus sive diversis ætatibus Ecclesiæ diversimodè etiam cum Ecclesia agere. Nam cùm certis de causis non visum esset Deo statim mittere Filium suum, necesse fuit ut pedetentim & paulatim (donec iste Sol justitiæ oriens tenebras noctis prorsus depelleret) lux affulgeret Ecclesiæ. Quod significasse videtur Apostolus hoc loco, ubi persamiliarem simul & egregiam affert hujus rei adumbrationem quandam. Nam, inquit, non solet pater cum filio puero aliter agere quàm si puer servus esset, licèt sit filius & hæres. Non aperit ei animum suum: neque enim ætas illa capax est significationis tam nudæ & apertæ moris & mentis paternæ. Sed ubi filius pervenit ad ætatem adultam, pater solet cum eo agere familiariùs, ac primùm incipit exuere severitatem illam paterni vultûs, & cum filio mentis suæ arcana communicare. Sic planè se res habet, inquit Apostolus, in ista Dei œconomia.

GUALTPERIUS.

24. Ἀλληγορούμενα. *Per quæ aliud figuratur*] Semel, hoc loco, in N. T. habetur. Verbum est ἀλληγορέω, quasi ἄλλα ἀγορεύω *aliis verbis significo*, vel *sub aliis verbis allegoricè significo*; vel, *aliud verbis*, *aliud sensu ostendo*. ἀλληγορεῖν τὸν μῦθον apud Synesium, *alium fabulæ sensum afferre quam qui sub verbis apparet*, i. e. *allegoricè fabulam interpretari*, vel *Allegoriam fabulæ exponere*. Ἀλληγορεῖσθαι, *allegoricè dici*. Indè ἀλληγόρημα, *allegorica interpretatio*. Eustathius, σημείωσαι ὅτι εἰς τὸν θυμὸν ὁ Κύκλωψ ἀλληγορεῖται, *per Cyclopem Iracundia allegoricè significatur*. Ἀλληγορία, *figura quâ aliud dicitur*, *aliud significatur*, Fab.

JAC. CAPPELLUS.

1. Hoc autem dico, *Quamdiu hæres est infans*, *nihil differt à servo*] Ideo tum peculiariter dicebatur ἄρχειν λήξεως, i. e. οὐσίας, cùm jugum illud excutiebat, suum nomen inscribebat tablino publico, quod eam ob causam ληξιαρχικὸν dicebatur, ut testatur Harpocration. Æschines adversùs Timarchum, Ἐπειδὰν δ' ἐγγραφῇ εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, καὶ τοὺς νόμους γνῷ καὶ εἰδῇ τῆς πόλεως.

2. *Sed est sub tutoribus ac curatoribus*, ὑπὸ ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους, *usque ad tempus à patre definitum*] Definiebatur enim à patre 1. Numerus, 2. Nomina tutorum ac curatorum, 3. Potestas illorum, 4. Tempus potestatis. Docet id Aristotelis testamentum apud Diogenem Laertium, Τάδε διέθετο Ἀριστοτέλης, ἐπίτροπον μὲν εἶναι πάντων καὶ διαπαντὸς Ἀντίπατρον, ἕως ἂν Νικάνωρ καταλάβῃ ἐπιμελεῖσθαι Ἀριστομένη, Τίμαρχον, Διοτέλη, Θεόφραστον, &c. & paulò pòst, τοὺς ἐπιτρόπους βουλευομένους μετὰ Ἀντιπάτρου. &, ἐπιμελεῖσθαι δὲ τοὺς ἐπιτρόπους καὶ Νικάνορα τῆς Ἑρπυλλίδος, &c. Ætatem quod attinet, si pater eam non definivisset, Athenienses eam definiebant anno vicesimo. Quippe duodevicesimo censebantur ἔφηβοι, biennio post incipiebant esse domini rerum suarum. Hyperides apud Harpocrationem in voce ἐπιδιετὲς, Ὁ νόμος κελεύει κυρίους εἶναι τῆς ἐπικλήρου καὶ τῆς οὐσίας ἁπάσης τοὺς παῖδας, ἐπειδὰν ἐπὶ διετὲς ἡβῶσι.

8. *Tunc verò cùm Deum non cognosceretis*, *serviebatis iis qui naturâ non sunt Dii*] Hic Φύσει *naturâ* sumitur pro *re verâ*. Eo sensu sæpe sumitur apud Epiphanium, imprimis adversùs Melchisedekianos hæresi 55. Ἐν δὲ τῇ ἐκκλησίᾳ Φύσει τινὲς διαφόρως τοῦτον τὸν Μελχισεδὲκ ὁρίζονται. Οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν νομίζουσι Φύσει τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. Idem de Noëtianis hæresi 57. §. 2. ἐκεῖνος μὲν (Θεόδοτος) Φύσει ἀκροτάτως ἄνθρωπον ψιλὸν Χριστὸν) διηγήσατο & §. 3. Φησὶ Πατρὸς δεικνύουσα Φύσει Υἱόν. & paulò pòst, τὸ δὲ, Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν, σημαίνει Πατέρα Φύσει Πατέρα, καὶ Υἱὸν Φύσει Υἱόν.

24. *Quæ sunt typica*: *sunt enim hæ* mulieres *duo fœdera*, i. e. typi duorum fœderum, duorumque fœderatorum populorum. *Una quidem*, *nempe Agar*, *ex monte Sina* proficiscens *generans* liberos ad *servitutem*. Agar, inquam, cum sua stirpe typus est tum Legis quatenus consideratur ut fœdus, tum eorum qui non aliter Legem considerant quàm ut fœdus, quales hodie sunt omnes Judæi: quales jam tum erant illi Judæi adversùs quos disputat Apostolus. Hi cùm spectarent ac hodieque spectent Legem ut fœdus, cujus vi cœlestem hæreditatem consequi volunt, cùm ab ea perfectione quam exigit fœdus illud absint quàm longissimè, nihil ex illo fœdere reportare possunt præter miserrimam servitutem. Sara verò cum sua stirpe typus est eorum qui Legis quidem observationi student ex animo, considerant tamen illam ut normam cui quàm maximè conformes esse cupiunt, ut non fœdus à quo, cujusve virtute, salutem exspectent, ut qui sciant quàm procul absint ab ea sanctitate quam exigit Legis ἀκριβοδικαιον. Salutem igitur totam exspectant à Dei gratia propter Christum secundùm fœdus Euangelicum.

LUD. CAPPELLUS.

25. Non pigebit hic apponere quod meum non est, sed Rob. Constantini in Lexico suo Græcolatino, voce Συστοιχία ubi totum hunc Apostoli locum videtur mihi omnino rectè explicasse atque illustrasse sequenti Diagrammate.

ἈΝΤΙΣΤΟΙΧΑ.

ΣΥΣΤΟΙΧΑ. | ΣΥΣΤΟΙΧΑ.

Uxores Abrahami duæ:

AGAR, pellex & ancilla.	SARA, libera, & uxor legitima.

Filii duo:

ISMAEL, servus, secundùm carnem natus.	ISAAC, liber & ingenuus, vi promissionis, non carnis, natus.

Montes duo:

SINAI, in Arabiæ deserto.	SION, in terra Chanaan.

Testamenta duo:

LEX, in monte Sina à Mose data.	EUANGELIUM, à Christo de cœlo, Sione cœlesti, & sinu Patris, allatum.

Civitates duæ:

JERUSALEM terrestris, mater Judæorum.	JERUSALEM cœlestis, mater omnium fidelium.

Populi duo:

JUDÆI, Legi addicti, per eamque justificari volentes, ei servientes, Spiritu servitutis donati, adeoque & servituti corporali justo Dei judicio jam ubique terrarum addicti.	CHRISTIANI veri; sive Fideles omnes, qui gratiam Christi in Euangelio oblatam amplectuntur, per eamque fide apprehensam justificari cupiunt, Spiritu adoptionis donati, per quem clamant, *Abba, Pater*.

Status, sive Conditiones duæ:

SERVITUS spiritualis, quæ metum gignit.	LIBERTAS spiritualis, quæ fiduciam parit & consolationem.

ἈΝΤΙΣΤΟΙΧΑ.

Idem Constantinus rectè monet, hæc verba, τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν Ἀραβίᾳ, includenda esse parenthesi: ut hic sit eorum sensus, *Agar enim significat montem Sina*, h. e. typus est *montis Sinai*, *qui est in Arabia*, i. e. Deus per Agarem Abrahami ancillam voluit adumbrari Legem in monte Sinai datam. Et fortè in his verbis Apostolus allusit ad ipsum vocis Ἄγαρ sonum, quasi Ἄγαρ idem esset quod Arabicè [Hebrew] sive [Hebrew], quod illis significat *petram* sive *lapidem*. Unde etiam *Petra* (Arabiæ Petrææ metropolis) dicitur Arabicè [Hebrew], à qua *Petra* metropoli Arabia *Petræa* nomen habet, non à *petris* & silicibus, quasi tota πετρώδης *saxosa* & confragosa sit. Sic autem dicta est Metropolis illa quòd sita & exstructa esset in summa *rupe* sive *petra*: unde etiam apud Esaiam 16. 1. dici videtur *Petra deserti*: (atque illuc Damasco paulò post conversionem suam contendisse videtur Apostolus ad prædicandum Euangelium: nam post triennium cùm ex Arabia Damascum repetiisset Paulus, procurante Areta Arabum Rege, qui regiam suam isthic in Petra habuit, à Præfecto Damasci observatæ sunt portæ ad capiendum Paulum: quod ideo videtur factum quia Aretas prædicatione Pauli offensus fuerat.) Quin & *Agareni* dici videntur Arabes, non ab *Agare* Abrahæ ancilla, (non enim omnes ex ea nati sunt Arabes, sed magna etiam pars è Keturæ filiis orta est: neque sic dicti sunt à Christianis per contemptum & contumeliam: nam ante Mahomedem Ismaële oriundum *Agarenorum* nomen no-

tum

tum fuit) sed à Metropoli illa Arabiæ Petrææ חגרא dicta. Quandoquidem ergò Arabicè חגר *petram* significat, jam verò *petra* & *mons* idem ferme sunt, quasi Ἄγαρ idem esset quod Arabicum חגר, videtur (uti dixi) Paulus, alludendo ad duarum illarum vocum soni affinitatem, dixisse, τὸ Ἄγαρ ὄρος ἐστὶν ἐν Ἀραβίᾳ. Fortè etiam in Agaris memoriam ab Arabibus ejus posteris inditum est Metropoli suæ nomen חגר, literâ ה in ח commutatâ, ob soni & naturæ affinitatem: utraque enim est gutturalis litera. Quæ vox quia linguâ Arabicâ *petram* significat, Græci vocem illam interpretantes Πέτραν dixerunt, atque indè Arabia ei subjecta ab iisdem dicta est *Petræa*, quæ *Agarena* dicenda erat, (unde *Agareni* postea dicti) quomodo vocem סוף Hebraicam interpretantes, θάλασσαν ἐρυθραίαν (atque post eos Latini *mare Rubrum*) dixere mare illud quod proculdubio in partibus illis ים אדום *mare Edom* sive *Idumææ* dicebatur, quòd Idumæa eò usque pertingeret, uti à docto Fullero rectè est observatum & animadversum. Hoc etiam videtur hìc observandum, *Sinai* montem dictum esse à voce סנה, quæ & Hebraïcè & Arabicè *spinam*, *rubum* & *senticetum* significat. Deus enim isthic מסנה *de rubo* Mosen allocutus est. הגר autem Arabicè *fugere* significat, & חגר *petram*, uti diximus. Mons item *Horeb* (unde Lex data est) in deserto Sinai חורב Hebraïcè dicitur, quod *siccitatem* & *vastitatem* sonat. Deus nempe ejusmodi loca & nomina certo consilio in danda Lege delegit, ut rebus nomina & typis suis res τυπωθεῖσαι responderent. Lex nempe in monte Sinai & Horeb (quæ unius montis duo fuerunt juga modico spatio divisa) data, & Agare adumbrata, Homini corrupto (cui data est) quovis saxo & silice *durior* est & molestior atque gravior & *aridior*, à qua nè gutta quidem veræ pietatis è corde humano exprimi possit, horrendam etiam in eo *vastitatem* & *desolationem* minis suis & maledictionis interminatione facit, quibus ceu *spinis* & *aculeis* quibusdam acutissimis fodicat & pungit stimulatque ejus conscientiam; *fugat* etiam à Deo Hominem & absterret, iisdem minis eum terrendo. Quomodo etiam Agar ab hera vexata & afflicta ultro ab ea fugit, iterumque postea ab eadem fugata est, & è domo ejecta in exsilium pulsa est: sic homines Lege territi & conscientiæ stimulis excarnificati à Deo refugiunt, & desertum hujus mundi petunt; unde postea à Deo jure domo suâ ejiciuntur, & in horrendum vastumque inferni desertum expelluntur.

26. Ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν) Targum in Cant. 8. 5. postquam dixit futurum esse ut tempore Messiæ findatur mons Olearum, omnesque mortui Israëlis egrediantur per fissuram illam, resurgantque à mortuis, subdit, עתידא ציון דהיא אמא דישראל בנ״ *futurum est ut Sion, quæ mater est Israëlis, pariat filios, & Jerusalem suscipiat filios captivitatis.* Quæ utcunque accedunt ad id quod hic ab Apostolo & Hebr. 12. 22. dicitur, sed illud fabulis suis involverunt & dehonestarunt.

GROTIUS.

1. ΛΈγω δὲ, ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστι, *Dico autem, quanto tempore hæres parvulus est*] Κληρονόμος [*Hæres*,] id est, filius. Similitudinem sumit à puero cujus pater peregrinatur. Tali patri comparatur Deus multa humana facta dissimulans. Similis comparatio Matth. 21. 33. ubi dicta vide. ¶ οὐδὲν διαφέρει δούλου, *nihil differt à servo*] Nam & cæditur ut servus, Sirach 30. 1. ¶ κύριος πάντων ὤν. *cùm sit Dominus omnium*] Locutio figurata. Quod significat vox *quodammodo* addito *dominii* titulo, cùm is filiis tribuitur, ut Institut. de heredum qualitate & differentia, L. in suis. D. de liberis & posthumis, nimirum dicitur *herus exspectatione*. *Herum minorem* dicunt servi in comoediis.

2. Ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐστὶ καὶ οἰκονόμους, *sed sub tutoribus & actoribus est*] Ἐπιτρόπους vocat quasi *tutores*, qui patre absente ipsius vice funguntur. Est enim vox hæc Græca etiam ad Judæos ac Syros deducta אפיטרופוס [*Epitropus*,] nec semper *tutorem*, sed quemvis alium *personæ aut rei præpositum* significat, ut videre est apud Chaldæos Paraphrastas Genes. 39. 4. 41. 34. 43. 15. Esther. 1. 8. 2. 3. οἰκονόμοι sunt *actores* qui sub tutorum inspectione res pupilli administrant, nec eum patiuntur eis uti nisi tutorum arbitratu. ¶ ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρός. *usque ad præfinitum tempus à Patre*] *Ad tempus illud quod pater præfinierit*: donec pater eum judicarit idoneum ut sit suæ tutelæ. προθεσμία [*præfinitum tempus*] vox est bene Græca apud Aristotelem & alios, pro eo Rabbini dicunt עת קצוב vel זמן קצוב [*tempus contractum*.]

3. Οὕτω καὶ ἡμεῖς, *Ita & nos*] De Judæis loquitur, ut ostendunt sequentia. ¶ ὅτε ἦμεν νήπιοι, *cùm essemus parvuli*] Ætati ephebicæ respondet omnis ætas Israëlitici populi, post exitum ex Ægypto ad Christum. ¶ ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένοι. *sub elementis mundi eramus servientes*] *Eramus subjecti ritibus illis qui nobis cum mundo erant communes*: qualia sunt templa, aræ, victimæ, liba, νεομηνίαι [*novilunia*] & similia, imposita Israëlitis in hoc, ne talium amore ad idola dilaberentur. στοιχεῖα [*elementa*] dicuntur in quâque arte ejus *rudimenta*, quia quod in rerum natura sunt elementa, id illa in artibus. Ita in re pietatis sunt quædam στοιχεῖα [*elementa*] Hebr. 5. 12. quæ quia Judæis cum mundo sunt communia, vocantur τοῦ κόσμου [*mundi*] à majore ea usurpantium parte, ut & Coloss. 2. 8, 20. Similis translatio in voce Rabbinica יסודים [*fundamenta*.]

4. Ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου *At ubi venit plenitudo temporis*] Id est, *finis illius* προθεσμίας [*temporis præfiniti*.] Sic enim πληροῦσθαι [*impleri*] aut συμπληροῦσθαι [*compleri*] sumitur de *fine temporis*, Act. 2. 1. Gen. 25. 24. 29. 21. 50. 3. Levit. 8. 33, & alibi sæpe. Sic πλήρωμα καιρῶν [*plenitudo temporis*] Ephes. 1. 10. ¶ ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, *misit Deus Filium suum*] Primogenitum, ad quem absente patre cura pertinebat. *Misit*, id est, potestatem ei dedit eximiam. ¶ γενόμενον ἐκ γυναικὸς, *factum ex muliere*] Non creatum eo modo quo Adamus creatus fuerat, sed *natum partu muliebri*, quò nobis esset similior. ¶ γενόμενον ὑπὸ νόμον. *factum sub Lege*] Plerique codices rectiùs γενόμενον ὑπὸ νόμου [*factum sub Lege*,] id est, *subditum Legi*, quia scilicet natus erat Judæus.

5. Ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, *Ut eos qui sub Lege erant redimeret*] *Ut Legi subditos liberaret* à vitiis primùm, deinde & ab obligatione Legis. οἱ ὑπὸ νόμον [*qui sub Lege erant*,] Judæi & Proselyti, 1 Corinth. 9. 21. ¶ ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. *ut adoptionem filiorum reciperemus*] Pariter scilicet Judæi & Gentes, sublato vallo quo dispescebantur. Sicut filios puerros comparaverat servis, ità persequens hanc similitudinem, υἱοθεσίαν [*adoptionem filiorum*] vocat illud permissum patris, quo permittuntur filii res quasdam suas habere & suo arbitratu res quasdam agere, nempe manente in partem obsequio, [illegible] sine specialibus præscriptis. Vide quæ dicta ad Luc. 17. 10.

6. Ὅτι δέ ἐστε υἱοὶ, *Quoniam autem estis filii*] Similes facti Deo per cor à vitiis mundatum. ¶ ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, *misit Deus Spiritum Filii sui*] Tanquam partem de hereditate pro mutuo datam. Solent interdum patres aliquid de hereditate liberis dispensandum dare. Vide Luc. 15. 12. Spiritus autem ille eximius sæpe vocatur *Dei*, sæpe & *Christi*, quia per Christum obtinetur, Joh. 14. 16. Sensus idem hoc loco qui Rom. 8. 15, 16. ¶ εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν, *in corda vestra*] Non in cuticulam, ubi est circumcisio. Manuscriptus ἡμῶν [*nostra*] non malè. ¶ κρᾶζον, *clamantem*] Id est, *clamare nos facientem*. Hebraïsmus, quem interpretatur ille par huic ad Romanos locus. ¶ Ἀββᾶ ὁ πατήρ. *Abba, Pater*] Vox filiorum amorem suum erga patres testantium. Vide dictum locum Rom. 8. 15, & ibi dicta.

7. Ὥστε οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος, *Itaque jam non es servus*] Tu Galata. ¶ ἀλλ᾽ υἱός. *sed filius*] Nempe pleno jure, major annis. ¶ εἰ δὲ υἱὸς, καὶ κληρονόμος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ. *quòd si filius, & hæres per Deum*] *Hæres futurus* non exspectatione tantùm, sed & rei possessione quam Christus dabit. Vide Rom. 8. 17. Jure Hebræo filii tantùm heredes, sed sub illo nomine indicantur omnes fideles, cujuscunque sint sexûs.

8. Ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες Θεὸν, *Sed tunc quidem ignorantes Deum*] Τότε [*tunc*] quasi digito intento designat omne tempus quod ante vocationem Galatarum exierat. Cùm dixit οὐκ εἰδότες Θεὸν, *non noscentes Deum*, illum scilicet æternum universi opificem, maximam partem intelligit, ad quam comparati Philosophi non omnes (nam nec Aristotelici excipi debent, nec Epicurei & multi horum similes) valde erant pauci, ac ne ii quidem rectè exprimebant id quod credebant animo. ¶ ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς· *serviebatis iis qui non naturâ sunt dii*] In Manuscripto: τοῖς φύσει μὴ οὖσι θεοῖς [*iis qui naturâ non sunt dii*,] id est, *qui reipsa dii non erant*: τοῖς λεγομένοις θεοῖς [*iis qui dicebantur dii*,] 1 Cor. 8. 5. non dissimile loquendi genus apud Aristotelem de partibus animalium, 2. 2. ὅτι τὸ ψυχρὸν φύσις τίς ἀλλ᾽ οὐ στέρησίς ἐστιν [*frigus reale aliquid non privationem esse*.] Deut. 32. 21. בלא אל [*in non Deo*,] ibi Græci, ἐπ᾽ οὐ Θεῷ, id est, τῷ φύσει μὴ ὄντι Θεῷ [*in eo qui reipsa non erat Deus*.] Sic φύσει [*naturâ*] sumitur & Ephes. cap. 2. 3.

9. Νῦν δὲ γνόντες Θεὸν, *Nunc autem cùm cognoveritis Deum*] Christi beneficio Joh. 1. 18. 17. 3. ¶ μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ, *imo cogniti sitis à Deo*] *Quod plus est à Deo ipso approbati*: nam & id ידע Hebræis. Vide Psalm 1. 6. 1 Cor. 8. 3. & amat Paulus voces easdem mutato nonnihil significatu jungere: approbaverat autem eos Deus datis spiritualibus donis.

¶ τῆς

¶ *πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa*] Reverti illos dicit ad illa elementa pietatis, non quòd Judaïzassent antea, sed quòd multa usurpassent cum Judæis communia, ut ciborum delectum, dierum discrimina: & Galli deûm matris, quæ culta à Galatis, non circumcidebantur quidem, sed castrabantur. Talia Elementa vocat *ἀσθενῆ* [*infirma*,] quia vim non habebant mundandi animum, & *πτωχὰ* [*egena*,] quia divitias illas donorum spiritualium secum non ferebant. Confer. Hebr. 7. 18, 19. ¶ *οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε; quibus denuo servire vultis?*] Πάλιν [*rursus*] & ἄνωθεν [*denuo*] idem valent ut *αὖψ' αὖθις* [*rursus iterum*] sæpe apud Homerum, *πάλιν ἐξ ἀρχῆς* [*iterum ab initio*] apud Aristophanem, *πάλιν ἐκ δευτέρου* [*iterum secundo*] Matth. 26. 42. quæ repetitio rei novitatem aut indignitatem notat.

10. *Ἡμέρας παρατηρεῖσθε, dies observatis*] Sabbata. ¶ *καὶ μῆνας, & menses*] Νεομηνίας [*Novilunia.*] ¶ *καὶ καιρούς, & tempora*] חגים [*festo dies*,] ut azyma, tabernaculorum diem, diem propitiationum. ¶ *καὶ ἐνιαυτούς. & annos*] Annum sabbaticum.

11. *Φοβοῦμαι ὑμᾶς, Timeo vos*] Id est, res vestræ mihi timorem incutiunt. ¶ *μήπως εἰκῇ κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς. ne fortè sine causa laboraverim in vobis*] Ne fortè totus labor à me in vos impensus in irritum cadat. Hoc ideo quia illa æmulatio Judaïcorum rituum gradus esse poterat ad exuendum penitus Christianismum. Voce *μήπως* [*ne forte*] bene temperat sermonem inter metum ac spem: nihil certi prædicit, sed ostendit periculum.

12. *Γίνεσθε ὡς ἐγώ, Estote sicut ego*] *Estote velut ego*, id est, *alter ego*, nimirum amicissimi mihi. Hæc est dilectio maxima, alterum diligere tanquam semetipsum. Cicero quoque pari modo, *quasi me alterum* dixit, ut docti notarunt. ¶ *ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς, ἀδελφοί, quia & ego sicut vos, fratres*] כנפשכם [*sicut anima vestra*,] *tanquam vos ipsi*, amicissimus sum vobis. ¶ *δέομαι ὑμῶν. obsecro vos*] Verba *περιπαθῆ* [*affectibus plena.*] ¶ *οὐδέν με ἠδικήσατε. nihil me læsistis*] *Nihil me privatim læsistis*, cur credere debeatis vos à me tractari duriùs quàm amechac. Quæ dixi ex amore nascuntur.

13. *Οἴδατε δὲ ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem*] Quasi dicat:

Per varios casus, per mille pericula rerum

perrexi ut vos instituerem; id enim *ἀσθένεια* [*infirmitas*] Rom. 8. 26. 1 Cor. 2. 2. 2 Cor. 11. 30. 12. 9. *σάρξ* [*caro*] autem hîc significat omne id hominis quod in aspectum venit. *τὸ πρότερον* [*jam pridem*,] nempe cùm præsens essem. Nam & absens nunc eos docet.

14. *Καὶ τὸν πειρασμόν μου τὸν ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουθενήσατε οὐδὲ ἐξεπτύσατε, Et tentationem meam in carne mea non sprevistis neque respuistis*] *Tentationes* vocat ipsa diversa per quæ explorari homines solent, Jacob. 1. 2. & plus est *ἐκπτύειν* [*exspuere*] quàm *ἐξουθενεῖν* [*spernere*;] hoc enim contemptum, illud & abominationem significat, qualem multi ostendere solent adversùm infelices. Et est translatio ducta ab esculentis & potulentis, quæ si vehementer displiceant exspuere solemus. Sic Catullus,

——— precesque nostras
Oramus, cave despuas. ———

¶ *ἀλλ' ὡς ἄγγελον Θεοῦ ἐδέξασθέ με, sed sicut angelum Dei excepistis me*] Locutio Hebræa, summum honorem ipsi habitum aut habendum significans, 2 Samuël. 19. 27. ¶ *ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν. sicut Christum Jesum*] Ipsum Christum, si in carne ad vos venisset, vix potuissetis majore honore excipere. *ὑπερβολὴ* [*Superjectio*,] sed efficax. Revocat illis in mentem ab ipsis collata in se beneficia, quò minus crederetur eis infensus esse: quasi diceret, Non ita sum durus ut talium obliviscar.

15. *Τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; Quæ erat ergo beatitudo vestra?*] Manuscriptus *ποῦ οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν;* [*ubi ergo beatitudo vestra?*] quomodo & alii habent codices perveteres. *Ubi nunc illa prædicatio felicitatis vestræ ex adventu meo?* *μακαρισμοῦ* [*beatitudinis*] vocem habes & Rom. 4. 6. quomodo & *μακαρίζειν* [*beatum dicere*] Luc. 1. 48. Jacob. 5. 11. & in Sapientiæ libro & apud Sirachidem aliquoties. ¶ *μαρτυρῶ γὰρ ὑμῖν, testimonium enim perhibeo vobis*] *Ubique hoc ego de vobis testari soleo.* ¶ *ὅτι εἰ δυνατόν, quia si fieri posset*] Id est, *si id mihi prodesse potuisset.* ¶ *τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαντες ἂν ἐδώκατέ μοι, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi*] Tale illud,

Ni te plus oculis meis amarem.

Idem & *fodere oculum* dixit, ut & Seneca in Oedipode, quod alii *exsculpere*, *eruere*.

16. *Ὥστε ἐχθρὸς ὑμῶν γέγονα ἀληθεύων ὑμῖν; Ergo inimicus vobis factus sum verum dicens vobis?*] Id est, *an nunc quia vera vobis dico, ideo putatis me inimico in vos esse animo?* Hic sensus optimè cum præcedentibus & sequentibus convenit.

17. *Ζηλοῦσιν ὑμᾶς, Æmulantur vos*] Ζηλοῦν [*æmulari*] aliquem dicitur *qui valde ab eo amari affectat*: quia talis cupiditas comitem solet habere *ζηλοτυπίαν* [*zelotypiam.*] Est ergo *μετωνυμία* [*Transnominatio.*] Vide 2 Cor. 11. 2. agit autem hic de novis illis Doctoribus de quibus & supra. ¶ *οὐ καλῶς, non bene*] Non eam ineunt quam oportet viam: debebant hoc bene merendo à vobis consequi, non dolo grassari. ¶ *ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, sed excludere vos volunt*] Sic & Manuscriptus, non ἡμᾶς [*nos.*] Sensus est, *excludere vos volunt a mea amicitia.* Syrus legit *ἐγκλεῖσαι* [*includere*,] quomodo & multi Græci codices habent. *Volunt vos sibi servare.* Vide infra 6. 12, 13. ¶ *ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε. ut illos æmulemini*] *Ut & vos magni habeatis ab ipsis amari.*

18. *Καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε, Bonum autem æmulari in bono semper*] Rectum erat ut semper operam daretis ut ego à vobis amari expeterem; est enim hoc amari honestum. Theocritus,

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε ———
[*Tityre syncero quem diligo amore ———.*]

¶ *καὶ μὴ μόνον ἐν τῷ παρεῖναί με πρὸς ὑμᾶς. & non tantùm cùm præsens sum apud vos*] Cùm adessem, magni id faciebatis quod nunc cœpistis contemnere: amicitias bene fundatas intervalla locorum non disjungunt.

19. *Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, Filioli mei, quos iterum parturio*] Comparat se matri cujus est tenerrimus in liberos affectus. Est autem hic *ὠδίνω* הרה, id est, *utero gesto*: nam הרה quod *ὠδίνειν* [*parturire*] dixere LXX. apud Esaiam 26. 17. multis in locis vertitur *ἐν γαστρὶ ἔχειν* [*in utero gestare.*] Fœtus Physicus non nisi semel gestari & edi potest: fœtus moralis sæpius. Alibi Paulus patri se comparat, ut 1 Cor. 4. 15. Philipp. 2. 22. sed matris comparatio aptior ad molestias ac labores unà significandos: simul ostendit plus se amare Galatas quàm Moses amaverat Israëlem, Numer. 11. 12. ¶ *ἄχρις οὗ μορφωθῇ ὁ Χριστὸς ἐν ὑμῖν. donec formetur Christus in vobis*] Fœtus paulatim in utero formam suam accipit, quod *ἐξεικονίζεσθαι* [*formari*] dicunt LXX. Exod. 21. 22. uterum *formandi hominis monetam* dixit Macrobius. *Christum* hic intellige ipsum dogma Christi, quod impressum animis hominem facit Christianum, confer Apocal. 12. Similis locutio apud Philonem in Legatione, *Θεόχρηστα γὰρ λόγια τοὺς νόμους εἶναι ὑπολαμβάνοντες, καὶ τοῦτο ἐκ πρώτης ἡλικίας τὸ μάθημα παιδευθέντες, ἐν ταῖς ψυχαῖς ἀγαλματοφοροῦσι τὰς τῶν διατεταγμένων εἰκόνας· εἶτα ἐναργεῖς τύπους καὶ μορφὰς αὐτῶν καθορῶντες ἀεὶ τοῖς λογισμοῖς αὐτῶν τεθήπασι* [*Cum enim Leges Divina oracula putent, hac disciplinâ inde à prima ætate imbuti, expressas in animis præceptorum imagines gerunt: quorum illi speciem ac formam cum deinde evidentiùs vident, perpetuò ea posteà mirantur & colunt.*]

20. *Ἤθελον δὲ παρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἄρτι, καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου. Vellem autem esse apud vos modò, & mutare vocem meam*] Id est, modò asperiùs, modò leniùs loqui, prout vos reperirem affectos: id enim præsentibus & coram loquentibus magis patet. ¶ *ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν. quoniam confundor in vobis*] *Hæsito circa vos*, nempe quo genere sermonis uti debeam.

21. *Λέγετέ μοι οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε; Dicite mihi qui sub Lege vultis esse, Legem non auditis?*] Non consideratis sensum *μυστικώτερον* [*abstrusiorem*] verborum Mosis?

22. *Γέγραπται γάρ, ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν, ἕνα ἐκ τῆς παιδίσκης, καὶ ἕνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας. Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancillâ, & unum de libera*] Sensum historiæ refert cum iis notis quæ ad *ἀλληγορίαν* [*sensum latentem*] pertineant, de qua agere cœpimus ad Rom. 9. 7, 8, 9. Saram in *ἀλληγοριῶν* [*Allegoriarum*] libro *τὴν ἀρετὴν* [*virtutem*] interpretatur Philo quæ ingenua est; Agarem verò, *artium cognitionem* quæ virtuti famulari debet, aut alioquin expelli, tum in libro Cherubim, tum alibi: utrumque habes ab eodem Philone fusè explicatum in libro *περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου* [*de Congressu eruditionis quærendæ gratiâ.*]

23. *Ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης κατὰ σάρκα γεγέννηται. Sed qui de ancilla secundùm carnem natus est*] Id est, secundùm consuetum naturæ ordinem, justis parentum ætatibus על דרך בשר [*secundùm viam carnis.*] Sic Judæi Abrahamidæ modo naturali. Vocem *παιδίσκης* pro *ancilla* sæpe usurpant LXX. Vide ad Matthæum 26. 69. ¶ *ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας, διὰ τῆς ἐπαγγελίας. qui autem de libera per repromissionem*] Μετωνυμία [*Transnominatio*,] id est, per eam vim extraordinariam quam Deus promiserat. Sic per Dei verbum Christiani fiunt credentes, mystica Abrahami soboles.

24 Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα· *Quæ sunt per allegoriam dicta*] Sumit quod confessum erat inter Judæos, in historiis illis præter sensum historicum alium eminentiorem *occultari*, qui מדרש dicitur. Lex דברי כפולים *verba duplicata* Mosi Maimonidæ. Sunt ἀλληγορούμενα [*per allegoriam dicta*,] id est, *figuram rei majoris continent*, ut hic explicat Chrysostomus. ¶ αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι· *hæc enim sunt duo Testamenta*] Simile loquendi genus Genes. 41. 26. & 1 Cor. 10 4. ¶ μία μὲν, *unum quidem*] Nempe διαθήκη [*Testamentum.*] ¶ ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, *a monte Sina*] Nempe *data*. Σινᾶ [*Sina*] scribit quomodo Strabo, Justinus, & Sulpitius: in Hebræo סיני [*Sinai*:] Σιναῖον ὄρος [*Sinæus mons*] Appioni. Jod facilè perit in pronuntiatione. ¶ εἰς δουλείαν γεννῶσα, *in servitutem generans*] *Generans prolem in conditionem servilem.* ¶ ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. *quæ est Agar*] Hic contra rei significatæ dat nomen rei significantis: sensus enim est *per Agar significari fœdus in Sina factum.*

25. Τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, *Illud enim Agar est Sina mons in Arabia*] In Manuscripto τὸ δὲ Ἄγαρ [*illud autem Agar.*] Causam reddit cur *Agar illud fœdus significaverit*, quia & *mons Sina*, ubi factum est illud fœdus, *vocatur Agar*, κατὰ συνεκδοχὴν [*per Complexionem.*] Nempe, quia ibi est oppidum *Agra* Plinio, *Agara* Dioni in rebus Trajani: gens ipsa, Ἀγραῖοι [*Agræi*] Straboni & Stephano: pro quo Græci posteriores dicunt Ἀγαρηνοί, & Chaldæi הגרי [*Agareni.*] ¶ συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, *qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem*] *Pari jure est cum Hierosolymis Judææ.* Nam σύστοιχα λέγεται ἀλλήλοις, καὶ τὰ ὁμοίως ἔχοντα πρός τινα [*cognata invicem dicuntur & ea, quæ eodem modo se habent ad aliquid.*] Hebræi dicerent הוא כנגד [*illa quasi correspondet.*] ¶ δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. *& servit cum filiis suis*] In Manuscripto: δουλεύει γὰρ [*servit enim*] *pari jure est*, *quia pariter subjecta est Agar*, i.e. gens Agarena, *& singuli ad eam pertinentes*, circumcisioni & sacrificiis & dierum discrimini, quanquam non Lege Mosis, sed ex suis legibus, aut moribus Ismaëlitarum, qui & *Agareni* & *Sarraceni*. De circumcisione diximus in Annotatis ad librum primum de Veritate Religionis Christianæ. In conditione libera aut servili non apud Romanos tantùm & Græcos, sed & apud Hebræos & Arabas, partus jus maternum sequebatur.

26. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλήμ, *Illa autem quæ sursum est Jerusalem*] Ἡ ἄνω [*quæ sursum est*] pro ἄνωθεν [*superne*] ut Philipp. 3. 14. Nomine autem *Jerusalem* hic intelligitur alterum fœdus nempe Euangelicum, idque ob ἐτυμολογίαν [*originem vocis*:] nam Jerusalem significat *visionem pacis*, quod nomen Euangelio eximiè competit Luc. 2. 14. Roman. 5. 1. 10. 15. 1 Cor. 7. 15. Ephes. 2. 17. Hebræi *pulchriorem Jerusalem exspectant*; Zohar ad Numeros, Jarchi ad Canticum: sed verè illa pulchra Jerusalem jam advenit, Apoc. 21. 2. Dicitur autem *superne* venisse, quia Deus Pater eam non in montem descendens, sed in cœlo manens misso Filio suo revelavit. Hunc sensum docet nos scriptor ad Hebræos 12. 25. ¶ ἐλευθέρα ἐστίν, *libera est*] *Libera* à vitiis & ritibus, Saræ similis. ¶ ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. *quæ est mater omnium nostrum*] *Matris* nomen convenit Græcæ voci τῇ διαθήκῃ [*Testamento*;] illa est pactio quæ nos Deo peperit: nos, tam conversos ex Judæis quàm ex Gentibus.

27. Γέγραπται γάρ· Εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα· ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα. *Scriptum est enim: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum*] Sunt ipsa verba LXX. Senum, Esaiæ 54. 1. ubi primò notandum participia præsentia poni pro præteritis, quod & sensus exigit & in Hebræo manifestum est. Quod autem ibi dicitur de urbe Hierosolymorum diu deserta & regno destituta, majorem ejus fore sobolem quam terrarum semper habitatarum ac regnatarum, id μυστικῶς [*sensu recondito*] perquam eleganter ad Euangelium aptat Paulus, quod Christo prædicante paucos peperit, eo vitæ mortali exempto plurimos, ita ut Judæi præ Christianis pauci essent. Ἔρημον hic quod in Hebræo est שוממה apparet ex membro opposito intelligendum *viduam*, quomodo sumitur & Lament. 1. 13. alioquin vox & Hebræa & Græca potest significare *orbam liberis*, *desertam ab amicis*, & multa similia. Ῥήγνυσθαι [*erumpere*] potest quidem & ipsum partum significare: sed Hebræus textus magis exigit ut eruptio vocis intelligatur, quomodo ῥήξει φωνὴν [*erumpit vocem*] habemus Job. 6 5. & verbum ipsum quod hic in Hebræo est פצח per βοᾶν vertitur Esaiæ 14. 7. 44. 23. Philo de Caino, τὴν δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ῥήξουσι φωνὴν [*rebus ipsis clamabunt.*] Non abscedit à cœpta similitudine: nam & Sarà quasi vidua fuerat cùm Agar Abrahamum possideret.

28. Ἡμεῖς δὲ, ἀδελφοὶ, κατὰ Ἰσαὰκ ἐπαγγελίας τέκνα ἐσμέν. *Nos autem, fratres, secundùm Isaac promissionis filii sumus*] Κατὰ Ἰσαὰκ [*secundùm Isaac*] id est, *ad exemplum Isaaci filii promissionis.* Adepti sumus novam naturam per Dei gratiam olim promissam. Sic & Rom. 9. 7.

29. Ἀλλ' ὥσπερ τότε ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς, *Sed quomodo tunc is qui secundùm carnem natus fuerat*] Ismaël ὁ σοφιστὴς [*sophista*] Philoni. Ostendit non in omnibus meliorem esse conditionem Ecclesiæ, quippe quæ à Synagoga gravissimè vexaretur: sed hoc esse leve & temporarium pro tantis bonis. ¶ ἐδίωκε τὸν κατὰ πνεῦμα. *persequebatur secundùm spiritum*] Supple *genitum*. πνεῦμα [*spiritum*] vocat vim illam divinam per quam Sara fœcunditatem alieno tempore acceperat. Vide 2 ad Corinthios 10. 3. Dicitur *persecutus esse* Ismaël Isaacum, quia eum irrisit, id est, pietatem ejus, ut ex Hebræis diximus ad Genes. 21. 3. Per Isaacum intelligit Philo *gaudium quod est in animis piorum.* Idem in ἀλληγορίαις [*Allegoriis.*] Φησὶ σεμνυνομένη, γέλωτα ἐποίησέ μοι ὁ Κύριος· ὃς γὰρ ἂν ἀκούσῃ, συγχαρεῖταί μοι· ἀναπετάσαντες οὖν ὦτα οἱ μύσται παραδέξασθε τελετὰς ἱερωτάτας. ὁ γέλως ἐστὶν ἡ χαρά· τὸ δὲ ἐποίησεν ἴσον τῷ ἐγέννησεν. ὥστ' εἶναι τὸ λεγόμενον τοιοῦτον. Ἰσαὰκ ἐγέννησεν ὁ Κύριος. αὐτὸς γὰρ πατήρ ἐστι τῆς τελείας φύσεως [*Sibi placens dicit: risum fecit mihi Dominus: nam quicunque rem audierit, mihi gratulabitur. Itaque quotquot estis initiati, expansis auribus accipite mysteria sacratissima. Risus est gaudium: fecit perinde valet ac genuit. Ex quibus verbis colligitur hæc sententia, Isaacum genuit Dominus, nam ipse est perfectæ naturæ genitor.*] ¶ οὕτω καὶ νῦν· *ita & nunc*] *Sic & nunc* Judæi illi ritibus addicti quos vos vultis imitari, maximo odio prosequuntur Christianos.

30. Ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή; ἔκβαλε τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς. οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσῃ ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας. *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ*] Manuscriptus hîc παιδίσκην αὐτήν [*ancillam illam.*] in LXX. Genes. 21. 10. ἔκβαλε τὴν παιδίσκην ταύτην, καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς· οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσει ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης ταύτης μετὰ τοῦ υἱοῦ μου Ἰσαάκ [*ejice ancillam hanc & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ hujus cum filio meo Isaac.*] Est autem Sara quæ ibi loquitur, quæ erat ingenua & matrona. Apud Hebræos ex vetustissimo more, qui & ante Abrahamum obtinuisse videtur, filii concubinarum quæ liberæ essent & in uxorem duci jure potuissent, succedebant patri intestato ante cæteros: at filii ex ancilla nati minimè: Maimonides in Titulo, יבמות [*Jebamoth.*] Illa ejectio significat eos qui in ritibus hærent non perventuros ad justitiam veram & cœlestem. Confer Joh. 8. 35.

31. Ἄρα, ἀδελφοί, οὐκ ἐσμὲν παιδίσκης τέκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας. *Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ*] In Manuscripto, Ἄρα ἡμεῖς ἀδελφοί [*Itaque nos fratres.*] *Nos* Christiani. & ἄρα hic valet [*ergo*, & οὐκ ἐσμὲν [*non sumus*] significat *meminerimus nos non esse ancillæ liberos*, id est, obligatos ritibus Judaïcis.

CAP. V.

VALLA.

1. I*Taque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, quâ libertate nos Christus liberavit. State ergò, & nolite iterum jugo servitutis contineri*] Græcè aliter legitur, *Libertate ergo quâ Christus nos liberavit state, & nè iterum jugo servitutis detineamini*, Τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν ᾗ ὁ Χριστὸς ἠλευθέρωσεν ἡμᾶς στήκετε, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε.

7, 8, 9. *Quis vos impedivit veritati non obedire? Nemini consenseritis: persuasio illa non est ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit*] Non legitur Græcè, *Nemini consenseritis*: nec *persuasio illa*, sed *persuasio*. Præterea ego transtulissem, *Quis vos impedivit veritati obedire*, sive *quò minus veritati obediretis*? Græcè tamen est elegantius *persuaderi*, πείθεσθαι, quod congruit cum illo statim sequenti *persuasio* πεισμονή. Non autem esse dicendum *massam corrumpit*, sed *conspersionem fermentat*, superiùs admonui, 1 Cor. 5. 6. φύραμα ζυμοῖ.

12, 13. *Utinam & abscindantur qui vos conturbant. Vos autem, fratres, in libertatem vocati estis*] Gr. *qui vos commovent*, sive *de statu submovent*, ἀναστατοῦντες. Neque *in libertatem*, sed *in libertate*, hoc est, extra servitutem Legis, ἐπ' ἐλευθερίᾳ. ¶ *Tantum ne libertatem vestram in occasionem detis carnis, sed per charitatem servite invicem*] Abest à Græca veritate *detis*: nec legitur *carnis* sed *carni*, τῇ σαρκί, h. e. ut ita loquar, *nè serviatis libertatem vestram carni.*

25. *Si spiritu vivimus, spiritu & ambulamus*] Imò *spiritu contenti simus*, h. e. sine Lege & circumcisione: στοιχῶμεν

R E-

REVIUS in VALLAM.

1. ZΥγῷ δυλείας] Deerat ab omnibus, vel descriptoris vel typographorum incuriâ.

13. Nè serviatis libertatem vestram carni] *Apparet Vallam accusativum* libertatem *referre ad verbum quod sequitur*, serviatis. *Verùm id, præterquam quòd ab omnium sententia dissidet, duriusculum est & coactius*, ait rectè Erasmus. Addo ego, tam barbarum apud Gr. esse δυλεύω cum accusativo copulare quàm *servio* apud Latinos. δυλεύω ità rectè usurparetur; verùm id in textu non est.

25. *Contenti simus*] Meritò hoc reprehendit Erasmus, qui suspicatur Vallam legisse σέγωμεν. Forte ibi Erasmus scripsit στέργωμεν· id enim est *contentum esse*, seu *acquiescere*. In eadem Erasmi nota lege *scopum* pro *scopulum*.

ERASMUS.

1. COntineri] Μὴ ἐνέχεσθε, *obnoxii sitis*, aut *implicemini*, seu *illaqueemini*.

3. *Circumcidenti se*] Περιτεμνομένῳ, *qui circumciditur*.

4. *Evacuati estis à Christo*] Κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριςοῦ. Hanc vocem Interpres constanter ità vertit, cùm significet aliquid *aboleri & irritum otiosumque fieri ac velut antiquari*. Idem est cum eo quod paulò superiùs dixit, *Nihil Christus vobis proderit*. *Si addictis vos legi Mosi, Christus vobis est antiquatus & otiosus*. Hieronymus indicat hanc vocem καταργεῖσθαι non rectè verti ab Interprete, cùm sit potiùs *in opere cessare*: ἀργὸς enim *otiosus* est, velut ἄεργος· unde dictum est καταργεῖσθαι.

6. *Per charitatem operatur*] Rursum hic *operans* non significat quod vulgus somniat, sed *qua vim suam occultam exerceat in nobis*; quod proprium est Spiritûs: sentitur enim vis, cùm ipse nusquam appareat. Nam Legem vult parùm efficacem videri, contrà Fidem *efficacem*: ἐνεργυμένη, quod *agens* rectiùs verti poterat.

7. *Quis vos fascinavit*] Ἀνέκοψεν· quod Hieronymus & Ambrosius vertunt *impedivit*. Et Glossa Ordinaria indicat in Latinis cod. fuisse duplicem lectionem, cùm apud Græcos non sit nisi una. Certè in codice Donatiani scriptum comperi *fascinavit*. Ex hoc loco videtur additum *non credere veritati*, de quo superiùs cap. 3. admonuimus: & quod illic vertit *non credere*, hic vertit *non obedire*. Imò Hieronymus hic admonet, totum hoc *non obedire veritati* non inveniri in vetustis cod. etiamsi Græci cod. hoc errore sunt confusi. Quanquam autem hoc loco nihil interest inter Græcos cod. & Latinos, nisi quòd illi legunt *impedivit* non *fascinavit*, tamen nè hic quidem multum ad sensum facit addita particula. Sensus enim plenus erat, *Bene currebatis; quis interrupit cursum vestrum?* Rursus aliud argumentum hanc editionem non esse purè Hieronymi: nam ille cum Græcis legit *impedivit*.

8. *Nemini consenseritis*] Et hanc particulam velut adjectitiam præterit Hieronymus, cùm nec in Græcis reperiatur codicibus, nec apud ullum illorum qui commentaria scripserint in Paulum. Etiamsi Theophylacti Interpres in contextu de suo addidit, cùm nec sit apud Græcos, nec in interpretatione fiat ulla mentio. Certè in codice Donatiani non addebatur, nec in utroque Constantiensi. Et tamen propemodum addivinare licet Ambrosium hanc particulam addidisse, non addidisse autem superiorem, *non credere veritati*: sic enim explanat, *Exercitium illorum in opere fidei bonum fuisse testatur, sed nequitiâ malorum hominum detentos nè cursum suum officio perseverante consummarent: unde ut resipiscant hortatur, de cætero nulli eorum credentes qui, ut opera Legis servanda suaderent, Euangelicæ veritati non eos obedire sinebant*. Certè in contextu non additur apud Ambrosium hæc particula, *Nemini consenseritis*, nè apud Augustinum quidem. ¶ *Persuasio hæc non est*, &c.] Græcis nec est *hæc*, nec *vestra*, ut legit Augustinus, sed duntaxat ἡ πεισμονὴ, *persuasio*. Quanquam sensus non admodum pugnat, nisi quòd hic significat *persuasionem* non *obtemperantium*, sed *persuadentium*; ut referatur ad superiorem interrogationem, *Quis vos impedivit bene currentes?* Nempe quorundam *persuasio* avocantium vos ad Mosaïcas ceremonias, *quæ* persuasio *non est profecta à* Christo, *qui* aliò *vos vocavit*, nimirum ad spiritualia.

9. *Totam massam corrumpit*] Ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, *totam conspersionem fermentat*. Sic enim vertit D. Hieron. in Comment. palàm damnans ac rejiciens verbum *massa*. Nec tamen reddit causam cur rejiciat, nec abstinet ab usu vocis damnatæ, in interpretatione. Neque tamen negari potest *massam* esse vocem Latinam, etiamsi conspersio in hoc sensu reperitur apud Columellam, & magis exprimit vocem Græcam φύραμα. Vel hic locus arguit hanc translationem non esse Hieronymi, quæ dictionem habet quam ille testatur à se correctam fuisse. Pro *corrumpit* Hieronymus legit *fermentat*: est enim Græcè ζυμοῖ. Siquidem non protinus *corrumpitur* quod afficitur fermento. Nam Christus suam doctrinam comparat *fermento in farinam abdito*.

10. *Nihil aliud sapietis*] Φρονήσετε. Meliùs Ambrosius, qui legit *sentietis*, h.e. non eritis in alia sententia, & non cogitabitis de novando vitæ instituto. Nam id est *nihil aliud*, nihil diversum, nihil novum: quemadmodum dicimus *aliud ab illo*. ¶ *Quicunque est ille*] Ὅς τις ἂν ᾖ, *quicunque fuerit*, sive *sit*. Atque ità legit D. Ambrosius.

11. *Ergò evacuatum est scandalum*] Ἄρα κατήργηται, *ergò cessavit*, ut non ineleganter exponit D. Hieronymus: quod vulgò vocant *cassatum*. Admonet autem & hic Græcam vocem rectiùs exprimere Pauli mentem quàm Latinam. *Cassatur* enim quod desiit habere vigorem.

12. *Utinam abscindantur*] *Utinam & abscindantur*, additâ copulâ, καὶ ἀποκόψονται, i. e. *Amputentur etiam*, sive *resecentur*. Est nonnihil emphaseos in conjunctione; Non solùm judicentur sed etiam anathema fiant, penitus resecti à vestro consortio. Aut, Qui vos volunt circumcidi, ipsi *prorsus exsecentur*; ut Paulus imprecetur exsectionem totius membri, qui docerent Circumcisionem. Attingit hunc sensum Ambrosius, & item Theophyl. secutus Chrysost. Sed alter mihi videtur Apostolicâ gravitate dignior. August. ex maledictione facit benedictionem, sic interpretans quasi Paulus precetur Pseudoapostolis, *non ut circumcidantur*, sed *abscindantur*, h. e. *spadones fiant propter Regnum cælorum*: sic enim futurum ut desinant prædicare Judaïcam Circumcisionem. Hoc commentum maluit amplecti quàm tribuere Paulo imprecationem. ¶ *Qui vos conturbant*] Οἱ ἀναςατῦντες, *qui vos à statu dimovent*. Unde Ambrosius legit, *hi qui vos subvertunt*. Nos vertimus *qui vos labefactant*. Respexit enim ad id quod dixerat, *State*. *Labefactatur* autem quod à statu suo dimovetur. Annotat vocis hujus emphasim diligenter Theophylactus, sed ante hunc Chrysostomus.

13. *In occasionem detis carnis*] *Detis* verbum apud Græcos non habetur. Et *carni* dandi casu profertur, non *carnis* paterno. Et subaudiendum est *detis*, ut admonet D. Hieronymus, aut aliud accommodatius. Apparet Vallam accusativum *libertatem* referre ad verbum quod sequitur *serviatis*, q. d. *Nè serviatis libertatem vestram carni*. Verùm id præterquam quòd ab omnium sententia dissidet, duriusculum est & coactius. Theophylactus subaudiendum putat ἔχωμεν *habeamus*. Certè, ut modò dixi, testatur Hieronymus verbum *detis* additum ab Interprete, non positum à Paulo. Et nescio quid gratiæ peculiaris habet hæc Aposiopesis in deterrendis iis quos nolis offendere. ¶ *Sed per charitatem spiritûs*] *Spiritûs* in Græcis cod. non habetur, nec in Hieronymo, nec in Augustino: tantùm apud Ambrosium legere memini, qui sic etiam interpretatur ut sic quod opponat *carni*.

14. *Diliges proximum tuum*] Græci habent, ἐν τῷ, Ἀγαπήσεις, i. e. *nempe in hoc*, *Diliges proximum*, &c. unde & nos ità vertimus. Admonet Augustinus multis verbis, hic de *Dei dilectione* sileri, *quod ea fingi possit*, *dilectio proximi faciliùs queat convinci*. Et consequitur ut qui proximum durè tractat, is nec Deum amet. Subindicat idem, licèt obscuriùs, Ambrosius. Hoc admonendum putavi, nè quis de suo adjiciat velut omissum quòd à Paulo non est additum.

15. *Mordetis & comeditis*] Pro *comeditis* Ambrosius legit *criminatis*, si modò codex mendo vacat. Haud scio an exemplar illius habuerit διαβάλλετε, i. e. *calumniamini*.

16. *Dico autem in Christo*] *In Christo* non additum est apud Græcos, nec apud Hieronymum, nec apud Ambrosium, nè in vetustissimo quidem exemplari Paulino: suffragabatur uterque codex Ecclesiæ Constantiensis: tantùm est, *Dico autem*, *Spiritu ambulate*: sic enim indicat quorsum tendat totus hic sermo. ¶ *Et desideria*] *Desiderium* est Græcè ἐπιθυμίαν. Ambrosius legit *concupiscentiam carnis non perficietis*, tametsi id nihil ad sententiam.

17. *Hæc enim sibi invicem*] Apud Græcos pro *enim* est δὲ *autem*, ταῦτα δὲ *hæc autem*. Quanquam id quidem ad sensum haud magni refert.

19. *Quæ sunt*] In plerisque hujusmodi recensendis Latina nonnihil à Græcis discrepant, librariorum, opinor, oblivione. Hæc Græcè sic habent, Μοιχεία, πορνεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, εἰδωλολατρεία, φαρμακεία, ἔχθραι, ἔρεις, ζῆλοι, θυμοὶ, ἐριθεῖαι, διχοςασίαι, αἱρέσεις, φθόνοι, φόνοι, μέθαι, κῶμοι, *Adulterium*, *scortatio*, *immunditia*, *lascivia*, *idolorum cultus*, *vene-*

neficium, simultates, lis, æmulationes, iræ, contentiones, factiones, secta, invidia, cædes, ebrietates, comessationes. Ità legit & Chrysostomus, nisi quòd primo loco refert πορνείαν. D. Hieronymus sic legit, *Quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, invidia, ebrietates, comessationes.* Ambrosius legit ad hunc modum, *Adulterium, fornicatio, impuritas, obscœnitas, idololatria, veneficium, inimicitia, contentiones, simulationes, iræ, simultates, dissensiones, hæreses, invidia, ebrietates, comessationes.* De quorum singulis si quis volet pleniùs edoceri, legat D. Hieronymi in hunc locum Commentaria. Illud jam admonuimus in Epistolam ad Romanos, in Φθόνοι & Φόνοι jucundam esse vocum allusionem, quam Interpres nè potuit quidem reddere. Nec suâ gratiâ caret Asyndeton, & Homœoptota.

21. *Non consequentur*] Οὐ κληρονομήσουσι· pro quo Hieronymus *possidebunt*. Et expressiùs Ambrosius, *Regni Dei hæreditatem non consequentur.*

22. *Patientia*] Μακροθυμία, *longanimitas*, seu *lenitas animi*; quod iste suo more ferè vertit Patientiam, quæ frequentiùs corporis quàm animi dicitur; etiamsi D. Hieronymus putat nihil interesse. Ambrosius vertit *lenitatem*. Et hic catalogus *fructuum Spiritûs* apud Græcos sic habet, Ἀγάπη, χαρὰ, εἰρήνη, μακροθυμία, χρηστότης, ἀγαθωσύνη, πίστις, πραότης, ἐγκράτεια, *Charitas, gaudium, pax, lenitas animi, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.* D. Hier. Adv. Jovin. sic legit, *Charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.* Ambrosius ad hunc legit modum, *Charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, spes, lenitas, continentia, castitas, bonitas*, &c. Proinde non admodum probandam reor quorundam anxiam diligentiam, qui in hujusmodi catalogis solent de numero laborare, & in distinguendis singulis superstitiosè torqueri, cum probabile sit Paulum congeriem quandam malorum & bonorum produxisse, quæ ferè consequi solent, non quòd hæc sola sint, sed quòd in his sit summa.

24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam*] Hoc loco Origenes, omissâ unâ conjunctione δὲ, totam variat sententiam, legens ad hunc modum, κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος, οἱ τοῦ Χριστοῦ τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις, *Adversus hujusmodi non est lex, qui Christi carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*: ut intelligas, non *eos esse Christi qui carnem suam crucifixerunt*, sed *adversus eos non esse legem, qui Christi carnem in se crucifixerunt cum vitiis*, &c. Nam Christi carnem cum laude crucifigi in piis hominibus, in quibus domiti sunt carnis affectus, sed malè recrucifigi (quod Græci dicunt ἀνασταυροῦσθαι) ab iis qui redeunt ad pristinam vitam post Christum semel acceptum. Verùm exemplaria Græca refragantur huic lectioni: etiamsi Hieronymo probatur Origenis sententia. Ambrosius legisse videtur ad hunc modum, οἱ δὲ Χριστοὶ, &c. ut *Christi* nominandi casu sit, numero multitudinis, non paterni. Addit enim eos vocari CHRISTOS, *id est*, *unctos*, *qui Christo devoti sint.* ¶ *Cum vitiis & concupiscentiis*] Παθήματα, *passiones* sive, ut legit Augustinus, *affectus*. Adversus Manichæos de Genesi pro *affectus* ponit *perturbationes*. In epist. 39. legit *cum passionibus & desideriis*; tametsi ea videtur Paulini. Quanquam omnis *cruciatus* aut *morbus* etiam *corporis* potest vocari πάθημα: & idcirco addidit ἐπιθυμίαις, quod proprium est *animi cupiditatibus*, quemadmodum indicavit & Hieronymus.

25. *Spiritu & ambulemus*] Καὶ στοιχῶμεν· quod Valla corrigit *contenti simus*. Verum hoc magis ad sententiam Pauli facit quàm ad vocem Gr. στοιχῶμεν, quæ sign. *ordine suo incedere*: ut intelligas, Contineamus nos intra Spiritum, nè respiciamus Legem. Actio velut motus quidam est animantis: at motus ab eodem proficiscitur unde vita: Quòd si vita nobis contigit è Spiritu Euangelico, non ex Lege, secundùm eundem agamus. Neque video quid Vallam moverit, nisi fortè legit στέργωμεν pro στοιχῶμεν. Etiamsi non me clam est, ad Vallæ sententiam interpretari Theophylactum, στοιχῶμεν ἀντὶ τοῦ ἀρκεσθῶμεν. D. Augustinus legit, *Spiritu vivimus, spiritu & sectemur*: neque secùs interpretatur quàm legit. Ad quem modum qui vertit, aut legit, aut certè somniavit στοχῶμεν, unde στοχάζω, quod significat *ad scopum oculum intendere*. Cæterum hoc verbum στοιχῶ apud Græcos πολύσημον est, sed tamen ab *ordine directoque cursu* ductum, unde & στίχος *versus*, & στοιχεῖα *elementa* sive *literæ*.

26. *Inanis gloriæ cupidi*] Græcis una dictio est κενόδοξοι, i. e. *inaniter gloriosi*, &c. aut, ut legit Ambrosius, *inanem gloriam sectantes.*

VATABLUS.

2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*] Scil. ad salutem: nam justitia operum & justitia ex fide non simul constant.

3. *Circumcidenti*] *Qui circumcidit.*

4. *Evacuati estis à Christo*] i. e. Christus vobis factus est otiosus: vel, nihil vobis prodest.

6. *Operatur*] i. e. Quæ vim suam exercet in nobis: quæ agit scil. occultâ & innatâ sibi virtute.

9. *Massam corrumpit*] *Conspersionem fermentat.*

10. *In vobis*] *De vobis.* ¶ *Sapietis*] *Sentietis.* ¶ *Est ille*] *Fuerit.*

11. *Evacuatum est scandalum*] *Abolitum est offendiculum*; i. e. nemo posthac offendetur, cum Christus crucifixus prædicabitur.

12. *Conturbant*] *Labefactant*: vel, *à statu dimovent.*

13. *Carnis*] *Carni*: dativus.

14. *Impletur* *] * *Nempe in hoc.*

16. *Spiritu ambulate*] i. e. Juxta doctrinam Spiritûs. ¶ *Desideria*] *Desiderium, concupiscentiam.*

17. *Enim*] *Autem.*

18. *Ducemini*] *Ducimini*; præs. temp. Vet.

19. *Sunt* *] * *Adulterium.*

21. *Sicut* *] * *Et.* ¶ *Regnum Dei non consequentur*] Vel, *regnum Dei non possidebunt*: secundùm Hebræos enim *hæreditatem consequi* vel *habere* idem dicitur quod *possidere.*

22. *Patientia*] *Lenitas animi*, vel, *longanimitas.*

23. *Modestia*] *Temperantia.* ¶ *Adversus hujusmodi non est Lex*] i. e. Hæc qui præstant, Lege non habent opus, ut 1 Tim. 1. *Justo non est Lex posita.*

24. *Vitiis*] *Affectibus.*

25. *Si vivimus Spiritu, Spiritu & ambulemus*] i. e. Si vitam æternam per Spiritum consecuti sumus, sequamur eam vitæ rationem quam Spiritus docet.

CASTALIO.

11. *Si adhuc circumcisionem prædico, qui fit ut tamen infester? Si ità esset, non esset ea quæ est crucis offensio*] Si circumcisionem docerem, non infestarent me Judæi, nec eos offenderet Euangelium.

CLARIUS.

2. *Si circumcidamini*] *Christus*, inquit, *nihil proderit vobis si circumcidamini*, ob hanc videlicet causam, Quia dum circumcidamini, exspectatis justificationem à Lege; idcirco *Christus otiosus* vobis erit.

3. *Debitor est universæ Legis faciendæ*] Nam si justificationem quis à Lege exspectat, oportet impleat totam Legem: alioqui, *qui in uno offenderit, factus est omnium reus.*

4. *Evacuati estis*] *Qui justificari* quæritis *ex Legis* ceremoniis, quæ figura erant futuræ per Christum justificationis, significant Christum nondum advenisse, qui tamen venit: quare *otiosus illis factus est.*

9. *Modicum fermentum*] Quæ videntur minima, gravissima secum trahunt mala.

11. *Quid adhuc persecutionem patior?*] Si verum est quod isti dicunt, me prædicare Circumcisionem, *cur adhuc me persequuntur* Judæi, qui mihi ob hanc causam hostes sunt quòd aufero Circumcisionem? ¶ *Ergò sublatum est scandalum crucis*] Si Circumcisionem prædico, nihil est cur mecum jam contendant Judæi adversùs *crucem*, quam prædico: at nunc propter hoc ipsum hostes *crucis* sunt, & *in ea offenduntur*, quia abolet Circumcisionem & Legem: vel sic, *Si* justitiam Legis sive *circumcisionis prædico*, contumeliosa Christi mors *reddita est inutilis.*

12. *Utinam & abscindantur*] Si tanta est, inquit, apud hos amputatæ pelliculæ gloria, per me non solùm circumcidantur, verùm etiam penitus *abscindantur*, & amputent eas partes in quibus tantum gloriantur.

13. *In occasionem detis carni*] Nè dicerent, quod ad Romanos tangit, *Peccabimus quia non sumus sub Lege?* Deinceps ergò à dogmatibus de more descendit ad morum ac vitæ documenta, sine quibus dogmatum agnitio nihil prodest.

18. *Si Spiritu ducimini*] Si consilio Spiritûs S. regamini, non aberrabitis; neque erit necessaria Lex, quæ terreat ac minetur. Et ad Rom. 8. 2. *Lex enim Spiritûs vitæ liberavit me à lege peccati & mortis.*

10. Æmu-

20. *Æmulationes*] *Æmulatio*, ait Cicero, *est interdum virtutis, interdum ægritudo, si eo quod quis concupierit alius potiatur, ipse careat.*

22. *Fructus autem Spiritûs*] *Fructum* appellat, non *opus*, ut ostendat opus esse Divino auxilio, ut quis fructificet: superiùs autem dixit *opera carnis*, non *fructus*: nam minùs aptè hoc nomen ad vitia convenit. ¶ *Benignitas, bonitas*] Χρηστότης, ἀγαθωσύνη· de quibus sic ait Hieronymus, Χρηστότης, *ita definitur à Stoicis, Benignitas, id est, suavitas, est virtus sponte ad benefaciendum exposita.* *Bonitas* ferè idem est, sed *in eo potest differre, quod potest esse Bonitas tristior, & fronte severis moribus irrugatâ, bene quidem facere & præstare quod poscitur, non tamen suavis esse consortio, & suâ cunctos invitare dulcedine. Hanc sectatores Zenonis ità definiunt, Bonitas est virtus ex qua oritur utilitas, aut affectus qui fons est utilitatum.*

23. *Adversus hujusmodi non est lex*] Nam lex non datur adversùs rectè facta sed adversùs iniquè facta: at qui aguntur Spiritu Christi oderunt iniquè facta; ergò illis otiosa est lex: Quia *qui Christi sunt, crucifixerunt carnem cum vitiis & concupiscentiis.*

ZEGERUS.

3. T*Estificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ*] Hoc ideo dicit quia tam erant pertinaces in tuenda observatione Circumcisionis, ut digni essent quibus universa imponerentur Legis onera.

5. *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus*] Ex quali autem fide spes exspectanda sit justitiæ, Apostolus ipse manifestat dum subdit, *fides quæ per charitatem operatur.*

7. *Quis vos fascinavit* (aliàs *impedivit*) *non obedire veritati? Nemini consenseritis*] Hanc particulam *nemini consenseritis* negat Hieronymus haberi in cod. Græcis; negatque ab ullo Commentatore exponi, quemadmodum nec hodie habetur in Græcis, nec attingitur à Chrysostomo, Augustino, Theophylacto, Oecumenio. Verùm cùm hoc testetur fuisse in versione Latina, & indè continenter habitum sit & hactenus habeatur in nostris, licèt non in omnibus antiquis, nec probabile sit adsutum fuisse instar glossæ, in suspicionem adducor sublatum hoc fuisse ab hæreticis, etiam porrò ante ætatem Hieronymi. Nam idem & aliis multis locis præsumptum est, uti patet ex Tertulliano, qui Hieronymum longo temporis intervallo præcessit. Atque hanc meam suspicionem vehementiorem facit commentum Ambrosii, qui (tametsi *nemini consenseritis* ibi scriptum non sit) hanc particulam spectasse videtur, dum ait, *Unde ut resipiscant hortatur, de cætero nulli eorum credentes, qui ut opera Legis servanda suadebant, Evangelicæ veritati non eos obedire sinebant.* Porrò illud *non obedire veritati* non modò ipse Hieronymus admittit & edisserit (quamvis interim neget fuisse in nonnullis Græcis vetustis) verùm etiam cæteri; ut exemplarium interim testimonium sileam.

8. *Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos*] Sic habet lectio vulgaris. Sed Hieronymus improbans quod olim scriptum fuit in Latinis, *Persuasio vestra ex Deo est*, *Melius*, inquit, *& verius sic legitur, Persuasio vestra non est ex eo qui vocavit vos.* Et ità legit Augustinus, Sedulius & Chrysostomus, nisi quod hic non addit pronomen *vestra*, sed neque *hæc*, quibus consentiunt exemplaria vetusta. ¶ *Persuasio hæc*] De servandis ritibus Judaicis.

11. *Ergò evacuatum est scandalum crucis*] *Si circumcisionem prædico*, inquit, *cessabit* haud dubiè *scandalum* quo *crucis* ratione offenduntur Judæi. Nam nullam ob causam aliam crucis hi sunt prædicatione perculsi, neque aliâ ratione eam repudiant, nisi quia Circumcisionem simul tollit & Legem.

13 —— 17. *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantùm*, &c.] Ut & brevem horum versuum explicationem habeas, & simul etiam scias cujusmodi sit hæc *ad quam vocati sumus Christiana libertas*, audi quid scribat Hieronymus: *Fratres, de servitute*, inquit, *Legis vocati estis in Evangelii libertatem. Verùm obsecro vos nè libertate pro licentia abutamini, & putetis vobis cuncta expedire quæ licent, detisque occasionem carni & luxuriæ. Quin potius discite quòd libertas hæc major sit servitus, ut quod antè Lex ab invitis extorquebat obsequium, nunc per charitatem vobis invicem serviatis. Siquidem omne illud onus Legis & multiplicia præcepta non tam exclusa sunt per Evangelii gratiam quàm uno Charitatis sermone breviata, ut* DILIGAMUS PROXIMOS SICUT NOSMETIPSOS. QUI ENIM DILIGIT PROXIMUM, TOTAM LEGEM IMPLET, *bona ei tribuens, mala non inferens. Quòd si cesset dilectio, & non sit charitas, per quam Lex universa completur, publicum quoddam inter homines latrocinium erit, ut contra se invicem deferentes, seque mordentes, consumantur ab invicem. Vos autem, fratres, propterea secundùm spiritualem legem debetis vivere, nè desideria quæ carnis sunt perficiatis. Caro enim frigus timet, aspernatur famem, attenuatur vigiliis, libidinibus exardescit, mollia quæque & jocunda desiderat: Et contrà spiritus ea quæ carni contraria sunt, & ea quæ illam debilitare queant, expetit. Et ità fit ut non ideo quia sub servitute Legis esse cessastis, putetis esse vos liberos, sed sciatis magis naturæ vos lege retineri: quia non statim si Lex non imperat & natura cessavit, nè voluntatem scilicet vestram opera subsequantur, sed frequenter ea facere compellamini, repugnante carne adversus spiritum, quæ facere non vultis. Ex quo, fratres, obsecro ut non detis libertatem vestram in occasionem carnis, sed magis spiritu serviatis, ut incipiatis ea facere quæ vultis, & nihil debere Legi, id est, non esse sub carne. Quia libertatem Legis abolitæ tunc verè in Evangelio habere poteritis cùm vos nequaquam caro compulerit facere quæ non vultis; sed spiritui servientes, docueritis vos non esse sub Lege.* Hactenus ille. Cùm autem dicit *totam Legem impleri per dilectionem proximi*, intelligendum est in hac etiam includi Dilectionem Dei; quia altera sine alterâ servari haud potest, teste B. Johanne, 1 Epist. 4. qui ait, *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est.* Item, *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Constat autem in proximi dilectione includi vel maximè dilectionem Dei, quòd nemo nobis propinquior sit quàm ipse Deus. ¶ *Per charitatem spiritûs servite*] *Spiritûs* non est in Græcis, nec in exempl. Latinis antiquis, sed nec apud Hieronymum nec Augustinum. Addubito tamen num & hoc adjectum sit ab eo, qui correctorem egit N. Instrumenti ex ea versione quâ usus est Ambrosius, quem sequitur & Sedulius. B. Gregorius in Job. non addit *spiritus*. ¶ *Deo autem in Christo Jesu, Spiritu ambulate*] Illud *in Christo Jesu* non esse contextûs Apostolici, arguunt multa, quæ prætereo.

19. *Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*] Quatuor sunt voces ad libidinem pertinentes, juxta Ambrosium & Chrysostomum, juxta Hieronymum verò & Augustinum tres.

22. *Charitas, gaudium*] Novem tantùm fructus numerantur Græcis, consentiente Cypriano ad Quir. c. 64. Eucherio in Gen. c. 3. Chrysostomo & omnibus ferè veteribus: cum nobis numerentur duodecim. Unus Ambrosius decem ponit.

23. *Adversus hujusmodi non est lex*] Lex enim vitiis & malefactis adversatur, non benefactis: & propter peccata leges dantur ut illa coërceant ac damnent; non autem propter virtutes, nisi ut eos commendent.

LUCAS BRUG.

7. C*Urrebatis bene? quis vos impedivit veritati non obedire?*] *Sequitur*, ait Hieronymus hoc caput enarrans, Nemini consenseritis: *sed quia nec in Græcis libris, nec in his qui in Apostolum commentati sunt, hoc scriptum invenimus, prætereundum videtur.* Hæc Hieronymus. Neque etiam, qui in Apostolum post Hieronymum sunt commentati, Augustinus, Chrysostomus, Theodoritus, Primasius, Theophylactus, Oecumenius, Lyranus, hujus pericopes meminerunt: neque in Græcis hodie libris aut Syriacis invenitur. Latini libri antiquitate ac fide dignissimi quique omittunt; nostri undecim, Brug. Lob. Leod. Mal. ma. mi. So. la. T. O. E. L. G. Parisiensium septem, Const. 2. Di. o. l. Ge. o. l. V. Quare Hentenius castigator textu expulit. Zegerus autem suspicatur ab hæreticis id olim, etiam longè ante Hieronymi ætatem, ex Græcis libris sublatum fuisse, quemadmodum de aliis non paucis Tertullianus censuit, quòd non appareat unde id adjectum fuisse potuerit. Autores commentariorum quæ Ambrosium & Hieronymum mentiuntur illud exponunt. Sed nihil indè ampliùs evincitur quàm, id quod constat, lectum hoc olim apud Latinos fuisse, ut & hodie legitur in vulgaribus libris, lectumque est ab Autore Glossæ, Carensi, Lombardo, Anselmo, Thoma, Gorrano, Brunone, Richelio.

H. STEPHANUS.

1. M*Ὴ ζυγῷ ἐνέχεσθε*] *Nè implicemini jugo.*

7. Τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι;] *Quis vos è cursu revocans fecit ut non obsequeremini veritati?* vel, *crederetis?*

12. Οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς] *Qui turbant vos.*

25. Πνεύματι καὶ στοιχῶμεν] *Viam quæ spiritui convenit, teneamus.*

DRUSIUS.

6. *IN Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet*, &c.] Eadem verba habentur infrà 6. 15. quanquam paulò aliter: nam ibi ἀλλὰ καινὴ κτίσις, *sed nova creatio.* Sumpta verò putantur ex Apocalypsi Mosis. Vide quæ notavimus ad illum locum.

7. *Veritati non obsequi*] Τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι. Membrum hoc legitur suprà 3. 1. ubi tamen olim aberat in codicibus Adamantii aliisque nonnullis & apud Syrum Interpretem: unde credibile hinc translatum eò fuisse. Vide Comment. Hieron. ad illum locum.

9. *Totam massam corrumpit*] Hieron. *totam conspersionem fermentat.* Lex. V. Ζυμῶ, *fermento.* Φύραμα, μάγμα, *massa.* Malim ergò *totam massam fermentat.* Vide Adagia mea sacra. Lex. Lat. Græcum, *Massa*, Φύραμα, μᾶζα. Quære utrum rectius sit μᾶζα an μάγμα. Nam mihi nunc non vacat. *Corrumpit*, i. e. Φθείρει.

14. *Tota Lex*] Nam qui diligit proximum, diligit etiam Deum. Ergò *tota Lex*, etiam prima Tabula, *in dilectione proximi completur.* Alii *Legem* restringunt ad secundam Tabulam. Probarem nisi addita esset particula πᾶς *omnis* vel *tota.* Sed tamen nihil decerno. Quidam duobus verbis Legem compleri scribunt, videlicet, *Diliges DOMINUM Deum tuum, & Proximum tanquam teipsum.* De quo diximus alibi, quæ nunc non repero.

CAMERON.

6. Πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη] Syrus Interpres vertit מתגמרא *perficitur*, quo nomine à doctissimo Interprete reprehensus fuit, sed sine causa. Non est enim מתגמרא *ea quæ perficitur*, sed potiùs *quæ ostendit se esse perfectam.* Sic enim. 1 Thess. 2. 13. eâdem verbi formâ vertit Apostoli verba, qui eo loco ait *Verbum Dei esse* ἐνεργούμενον· item verba Apostoli quæ exstant Eph. 3. 20. quibus docet *potentiam Dei esse* ἐνεργουμένην. Ergò πίστις ἐνεργουμένη διὰ τῆς ἀγάπης rectè redditur *fides quæ operatur per charitatem.* Jam verò *operari* non est passivum, sed activum, quomodo loco modò jam allato ex 1 Thess. 2. 13. λόγος *verbum Dei* dicitur ἐνεργούμενος ἐν τοῖς πιστεύουσι. Quis enim dixerit *verbum Dei* dici *efficax in credentibus* quòd credentes tribuant vim aliquam verbo? quin potiùs *verbum* dicitur *efficax in credentibus* quia illud verbum operatur fidem in credentibus: quo sensu dicitur etiam verbum *vivum, penetrans tanquam gladius anceps*, Heb. 4. 12. Ridiculi ergò sunt Pontificii, qui hinc volunt probare Fidem à Charitate generari: ajunt nempe ἐνεργουμένη sumi debere passive. Liquet enim ex locis modò adductis necesse non esse ut ἐνεργουμένη passivè sumatur. Sed etsi passivè sumeretur, nihil tamen indè concludi posset adversùs nos; esset enim locutio illi similis ac cùm dicitur 2 Cor. 12. 9. *virtus Dei perfici in infirmitate*, h. e. eam se tum vel maximè exserere, & prodere atque ostendere quanta sit quamque summè potens.

JAC. CAPPELLUS.

6. *IN Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur*] h. e. Ut simus Christi, non efficit id circumcisio, nec præputium, sed fides, cum fides nos uniat Christo; at non quævis fides, sed vera, ἡ ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης. Id verò peritè reddit V. Interpres *quæ per charitatem operatur*, non *quæ perficitur.* Verbum enim ἐνεργοῦμαι significationis est mediæ, significans idem quod ἐνεργῶ. Ut Rom. 7. 5. *passiones* ἐνηργεῖτο *operabantur in membris nostris.* 2 Cor. 1. 6. *pro vestra exhortatione & salute* τῆς ἐνεργουμένης *quæ operatur tolerantiam.* Et 4. 12. *mors* ἐνεργεῖται *operatur in nobis, vita autem in vobis*: h. e. Nos quidem morti tradimur ab hostibus Christi, vos autem vivificamini à Spiritu Christi. Eph. 3. 20. *secundùm virtutem* τὴν ἐνεργουμένην *quæ operatur in nobis.* Col. 1. 29. κατὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει, *secundùm operationem quæ operatur in me in virtute.* 1 Thess. 2. 13. *qui* Deus *operatur in vobis qui credidistis.* 2 Thess. 2. 7. *Nam mysterium jam operatur iniquitatis.* Jac. 5. 16. *Multum valet* (h. e. *operatur*) *oratio justi* ἐνεργουμένη *assidua.* In omnibus istis locis expressimus verba V. Interpretis, ut constet eum semper accepisse verbum ἐνεργεῖσθαι activè, passivè nunquam. Licèt autem Gal. 5. 6. τὸ ἐνεργουμένη vertitur Syriacè מתגמרא, non indè sequitur eam vocem à Syro passivè sumi. Nam Syrorum Hitpeal, licèt propriè sit passivæ significationis, tamen etiam activè sumitur, ut 2 Cor. 4. 12. *Mors in vobis* מתגמרא *operatur.* Ephes. 3. 20. *secundùm virtutem* דמתגמרא *quæ operatur in vobis.* Itidemque 1 Thess. 2. 13. מתגמרא: & 2 Thess. 2. 7. *Mysterium enim iniquitatis jam nunc incipit* למתגמרו *operari.* Quod autem quidam ajunt, *Si fides operatur per charitatem, Ergò Charitas est forma Fidei*, non valet; sed valeret, si dicerent, *Ergò Charitas est qualitas quæ separari non potest à Fide.* Sic cum dicitur ignis calefacere per calorem, non indè sequitur calorem esse formam ignis, sed esse qualitatem quæ separari non potest ab ignis forma. Vide Jac. 2. 22.

GROTIUS.

1. Τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε *Quâ libertate Christus nos liberavit state, & nolite iterum jugo servitutis contineri*] Hæc sic rectè cohærent, malè in quibusdam codicibus divulsa, ita ut pars horum capiti præcedenti adhæreat. Nativa locutio fuerat, ἐν τῇ ἐλευθερίᾳ [*in libertate.*] nam cum ea præpositione verba standi poni solent, ut 1 Corinth. 16.13. Philip. 1. 27. 4. 1. 1 Thess. 3. 8. sed tales particulæ sæpe subintelliguntur: & ᾗ [*quâ*] hic est πρὸς ἥν, לאשר [*ad quam.*] ζυγὸν δουλείας [*jugum servitutis*] vocat non tantùm id quod Hebræi dicunt תורה עול, *Legis jugum*, sed & opiniones ac ritus quibus Gentes semetipsos devinxerant. Ἐνέχεσθαι hic, *vinciri, adstringi*, frequens apud bonos scriptores verbum. In Glossario ἐνεχόμενος, *obligatus.* Christus etiam jugum nobis imposuit, sed suave. Vide Matth. 11. 29.

2. Ἴδε, *Ecce*] Vox est attentionem excitantis. ¶ ἐγὼ Παῦλος, *ego Paulus*] Apostolus à Christo vocatus, quod illi vestri Doctores de se dicere non possunt. ¶ λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει. *dico vobis: Quoniam si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit*] *Si circumcidimini*, id est, circumcidi vos procuratis, nempe cum certa persuasione vos qui ex Gentibus estis in id obligari. Nam viam salutis æternæ Deus constituit aut Judaïsmum, aut Christianismum. Paganismum enim à Deo non esse satis constat. Si Judaïsmus ea via est, Christianismus ea via non est: si Christianismus ea via est, Judaïsmus ea via non est. Alioquin circumcisionem per se non damnari, & Paulus sæpe ostendit, & Justinus contra Tryphonem. Opponitur hæc assertio illi falsæ assertioni de qua agitur Act. 15. 1.

3. Μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ, ὅτι ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se; quoniam debitor est universæ Legis faciendæ*] Intellige rursum, *circumciso ex ea opinione quam jam diximus.* Si Judaïsmus via est ad salutem, totus Judaïsmus est observandus; non ex eo eligendum & spernendum quod velis. Isti novi Doctores multa Legis non observabant, infrà 6. 13. nimirum quia illud unum spectabant, ut Romani ipsos pro Judæis haberent, ac sic liberos esse finerent à legibus novas religiones vetantibus. Id autem videbant satis obtineri posse per circumcisionem. Ex circumcisione nosci Judæos dicit etiam Arrianus in Epicteteis, & Martialis *damnatam tributis* dicit eam partem quæ circumciditur.

4. Κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, *Evacuati estis à Christo*] Ostenditis vos Christi legibus obligari nolle. Similis locutio Rom. 7. 2. ¶ οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε *qui in Lege justificamini*] Hoc est, *qui eâ justitiâ contenti estis quam Lex potest producere*, quæ justitia est carnalis, præmia habet terrena. ¶ τῆς χάριτος ἐξεπέσατε. *à gratia excidistis*] *Gratiam* κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] intelligit Euangelicam. Jam ultra Euangelium ad vos non pertinet. Ἐξεπέσατε נפלתון [*excidistis.*]

5. Ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα. *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus*] *Nos intra animum per fidem exspectamus spem illam quæ justitiæ* (nempe spirituali) *proposita est.* Πνεῦμα [*spiritum*] hic *animum* interpretor, qui opponitur Cuti in qua est circumcisio. *Spem* verò dixit μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] ipsum præmium quod speratur, id verò est vita æterna. Sic *spei* nomen ponitur & Rom. 8. 24. Coloss. 1. 5. 1 Thess. 1. 3. 1 Petri 1. 3, & alibi. *Spes justitiæ* hic, quæ *corona justitiæ*, 2 Timoth. 4. 8.

6. Ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ, *Nam in Christo Jesu*] Id est, *in Lege Christi.* Sic & *Moses* pro *Lege* sæpe ponitur. ¶ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, *neque circumcisio aliquid valet*] Ac proinde nec alia Legis præcepta, nam præceptum Circumcisionis Judæi *præcipuum* ac *stabile* vocant, quia hoc solum de tot præceptis Jubentibus si omittatur, pœnam habet additam ἐξολοθρεύσεως [*perditionis.*] *Angeli illius, qui vim habebat exscindendi non circumcisos, vim à Christo destructam*, ait Origenes contra Celsum 4. ¶ οὔτε ἀκροβυστία, *neque præputium*] Hoc ideo dicit, ne quis ob id quòd incircumcisus est Deo se gratiorem putet.

¶ ἀλλὰ

¶ ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. *sed fides quæ per charitatem operatur*] *Fides* hic spem etiam comprehendit, quibus si accedat *dilectio operans*, nihil desideratur amplius ad obtinendam salutem æternam. Planeque idem valet πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη [*fides quæ per charitatem operatur*,] quod *nova creatio*, infra 6. 15. & *observatio præceptorum Dei*, nempe Euangelicorum 1 Corinth. 7. 19. 1 Joh. 2. 3. hoc est in Christianismo τὸ πᾶν [*omne*.]

7. Ἐτρέχετε καλῶς, *Currebatis bene*] Sæpe vita Christiana Cursui comparatur, quia magnâ ad eam alacritate & contentione opus est: supra 2. 2. Philip. 2. 16. Hebr. 12. 1. 2 Timoth. 4. 7. 1 Corinth. 9. 24. ¶ τίς ὑμᾶς ἐνέκοψε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι; *quis vos impedivit veritati non obedire?*] In Manuscripto est, ἐνέκοψε ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι [*impedivit veritati non obedire*,] non ut quidam volunt ἀνέκοψε [*inhibuit*.] ἐγκόπτειν propriè est *transversum aliquid struere quo iter impediatur*, unde translatione quadam significat *impedire*, Actor. 24. 4. Rom. 15. 22. 1 Thess. 2. 18. & ἐγκοπή, *impedimentum*, 1 Corinth. 9. 12. *Veritatem* eximiè vocat ipsum Euangelium. Vide supra 3. 1.

8. Ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς. *Persuasio non est ex eo qui vocat vos*] Ἡ hic demonstrat: est enim positum pro αὕτη ἡ πεισμονὴ [*hæc persuasio*.] οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς [*non ex eo qui vocat vos*,] *non ex Deo qui vos* ad vitam æternam *vocavit*, ita ut eam vellet haberi viam unicam per Christum, 2 Timoth. 1. 11, 12. Non est Deus sibi contrarius.

9. Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*] Similitudo est per quam significatur è paucis facto initio latè admodum inter Galatas sparsam fallacem istam persuasionem. Vide Matth. 13. 33. & 1 Cor. 5. 6.

10. Ἐγὼ πέποιθα εἰς ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ, ὅτι οὐδὲν ἄλλο φρονήσετε. *Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis*] Id est, *Ego eam spem habeo* in Dei erga vos bonitate, *ut tandem*, re nempe bene expensâ *futuri sitis affecti ita ut ego sum*. Hoc ideo dicit quia videbat illos non malâ malitiâ, sed incogitantiâ quadam & metu lapsos. ¶ ὁ δὲ ταράσσων ὑμᾶς βαστάσει τὸ κρίμα ὅστις ἂν ᾖ, *qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille*] *Pœnas dabunt quicumque harum turbarum causæ sunt*. ὁ ταράσσων [*qui conturbat*] המדיח. Vide Actor. 15. 24. ubi de eodem dogmate agitur. Βαστάζειν [*portare*] est *ferre aliquid quod grave est*, ut 2 Regum 18. 14. Matth. 20. 12. Actor. 15. 10. κρίμα [*judicium*] *pœna*, Matth. 23. 14. Marc. 12. 40. Luc. 20. 47. 23. 40.

11. Ἐγὼ δέ, ἀδελφοί, εἰ περιτομὴν ἔτι κηρύσσω, τί ἔτι διώκομαι; *Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior?*] Si verum esset quod illi dicunt, me ipsum post conversionem docuisse necessitatem circumcisionis, nullam haberem curam tamdura ferendi quàm fero: nam Judæi, ut diximus, religionis causâ nulla mala patiebantur. ¶ ἄρα κατήργηται τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ· *ergo evacuatum est scandalum crucis*] In Manuscripto additur τοῦ Χριστοῦ [*Christi*] sensus est, *Jam si id est, cessabit crux quæ tam multos offendit*. σκάνδαλον σταυροῦ [*scandalum crucis*] id est, ὁ σταυρὸς ὅ ἐστι σκάνδαλον [*crux quæ est scandalum*.] Nam genitivus sæpissime apud Hebræos, interdum & apud alias gentes, appositivo sensu ponitur. *Crux* dicitur quicquid Christi causâ ferimus Matth. 16. 24. Luc. 9. 23. 14. 27.

12. Ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς. *Utinam & abscindantur qui vos conturbant*] Καὶ [*&*] hic est ἐπιτατικὸν [*intensivum*.] quandoquidem illi in pellicula abscissa ita gloriantur, *utinam illis abscindatur* insuper totum seminale membrum, quo magis triumphent, כרות שפכה, Græcè ὁ ἀποκεκομμένος, Deuter. 23. 1. est *is cui*, ut cum Horatio loquar, *cauda salax demessa est*. ¶ ἀποκόψαι τὰ αἰδοῖα [*abscindere pudenda*] etiam Stephano, ubi de Gallis matris deûm, quales & Pessinunte erant, urbe tunc Galatiæ, cùm hæc epistola scriberetur. Dion de Heliogabalo, Τὸ αἰδοῖον περιέτεμε, καὶ χοιρείων κρεῶν, ὡς καὶ καθαρώτερον ἐκ τούτων θρησκεύων, ἀπείχετο. ἐβουλεύσατο μὲν παντάπασιν αὐτὸ κατακόψαι [*circumcidit veretrum, suillâ carne, tanquam si hinc purior cultus foret, abstinebat. Quin & in animo habebat universum illud membrum abscindere*.] Hic κατακόψαι idem est quod ἀποκόψαι [*abscindere*] apud LXX. & Paulum; & sic hunc locum accepisse Chrysostomum apparet, Εἰ βούλονται μὴ περιτεμνέσθωσαν μόνον, ἀλλὰ καὶ περικοπτέσθωσαν. ποῦ τοίνυν εἰσὶν οἱ τολμῶντες ἀποκόπτειν ἑαυτούς, καὶ τὴν ἀρὰν ἐπισπώμενοι καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ δημιουργίαν διαβάλλοντες; [*Ne circumcidantur solum, sed, si id malunt, etiam abscindantur: ubi sunt ergo, qui sibi id abscindere audeant; qui sibi diras hasce arcessant ipsi; quibus Dei opus displiceat?*] Nec aliter Hieronymus, *Si putant sibi hoc prodesse, non solùm circumcidantur, sed etiam abscindantur: si enim exspoliatio membri proficit, multo magis abolitio*. Videtur ad hunc locum respicere Lex Wisigottica 12. 3. 4. *Illi verò qui carnis circumcisiones in Judæis vel Christianis exercere præsumpserint, quisquis hæc aut intulit alteri, aut fieri ab altero permiserit sibi, veretri ex toto amputatione plectetur*. ἀναστατοῦντες [*qui perturbant*] hic idem quod ταράσσοντες [*qui conturbant*.] Vide Actor. 17. 6. 21. 38.

13. Ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε, ἀδελφοί. *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres*] *Vocati estis*, nempe ad salutem, *in statu libertatis*. Ἐπὶ apud Græcos scriptores sæpe statum aut conditionem significat. ¶ μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί, *tantum ne libertatem in occasionem detis carnis*] Apostolus hic partem moralem, quam alibi tractare incipit absolutâ parte dogmaticâ, dogmaticis interserit, occasione sumptâ ex voce *libertatis*. Libertatem Christus suis dedit in rebus quæ per se nihil habent honesti: in illis verò rebus quæ naturâ aut sensu communis utilitatis commendantur, plus exigit quam lex ulla. Deest hic vox *date* aut *ostendite*: quales ἐλλείψεις multæ [*defectus multi*] in his libris. ἀφορμὴ [*occasio*] est *prætextus*, uti Rom. 7. 8. *nolite carni*, id est, carnis cupiditatibus, *hoc nomen libertatis largiri in obsequium vitiorum*: nimirum, quasi tanta sit Dei misericordia, ut hominibus quomodocumque viventibus velit dare vitam æternam, quomodo Judaïci Doctores dicebant, *omnem Israelitam partem habiturum in futuro sæculo*. Non sic intelligenda est Christiana libertas. ¶ ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. *sed per charitatem servite invicem*] Non tantùm non nocete, sed & *servite* omnibus.

14. Ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πληροῦται, *Omnis enim lex in uno sermone impletur*] Sicuti rudimenta implentur per doctrinam perfectiorem. Lex Israëlitas tantùm inter se jungit, Euangelium homines omnes; idque non quovis modo, sed propter Deum. Tum illud ἀγαπήσεις [*diliges*] in Lege intelligitur secundùm præcepta Legis, in Euangelio secundùm præcepta Euangelica multò sublimiora. Vide Rom. 13. 8, 9. in Manuscripto est πεπλήρωται [*impleta est*.] ¶ ἐν τῷ, Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν. *in hoc, Diliges proximum tuum sicut teipsum*] Exstant quidem hæc verba Levit. 19. 18. sed ibi ὁ πλησίον [*proximus*] est Israëlita aut proselytus, hic omnis homo: ibi dilectio exigitur in factis quibusdam, hic & in animo & in factis majoribus.

15. Εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε, *Quòd si invicem mordetis*] Verbis; erant enim dissidia inter Galatas. ¶ καὶ κατεσθίετε, *& comeditis*] Id est, læditis factis. ¶ βλέπετε μὴ ὑπὸ ἀλλήλων ἀναλωθῆτε. *videte ne ab invicem consumamini*] Cavete vobis, inquit, à talibus, ne mutuis istis odiis Dei iram, & pœnas gravissimas in vosmetipsos concitetis. Vide Hebr. 12. 29.

16. Λέγω δέ, Πνεύματι περιπατεῖτε, *Dico autem, Spiritu ambulate*] Id est, *vitam instituite secundùm Spiritum Christi*, qui semper Christi verbis consonat, Rom. 8. 1, 10, 13, 14. & hic infra 18, & 25. ¶ καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς οὐ μὴ τελέσητε. *& desideria carnis non perficietis*] *Ita fiet ut non agatis ea quæ carni* (supple *tantùm*) *placent*; quod qui faciunt dicuntur *carnis curam habere ad cupiditates*, Rom. 13. 14. *ambulare secundùm carnem*, Rom. 8. 1. *in carne esse*, Rom. 8. 5. Caro & affectus qui ex carne oriuntur quærunt jucunda, nec considerant quid rectum aut non rectum sit; quod discrimen aliquatenus dictat ratio, Dei autem præcepta plenissimè. Tales affectus vocantur ἐπιθυμία σαρκὸς [*desiderium carnis*] 1 Joh. 2. 16. Ephes. 2. 3. 1 Petr. 2. 11. Errant qui οὐ μὴ τελέσητε [*non perficietis*] putant esse imperativi, nec locus quem citant id ullo modo ostendit: contra οὐ μὴ [*non*] sequentem habens subjunctivum significat id quod fieri potest aut solet, Matth. 5. 18. οὐ μὴ παρέλθῃ [*non præteribit*,] ut & Luc. 21. 32. Matth. 10. 23. οὐ μὴ τελέσητε [*non consummabitis*,] & 42. οὐ μὴ ἀπολέσῃ [*non perdet*,] 16. 28. οὐ μὴ γεύσωνται [*non gustabunt*,] Hebr. 8. 11. οὐ μὴ διδάξωσιν [*non docebunt*,] Apoc. 18. 7 οὐ μὴ ἴδω [*non videbo*.] τελεῖν ἐπιθυμίαν [*perficere desiderium*,] *opere eam perficere*; sic ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα [*peccatum consummatum*] Jac. 1. 15.

17. Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*] Id est, naturâ in diversum feruntur: caro in suavia, spiritus in ea quæ pia & sancta sunt. ¶ ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις, *hæc enim sibi invicem adversantur*] Nempe in multis rebus multa delectant, quæ non decent: & contra. Hoc dictum vim habet παρενθέσεως [*Interpositionis*.] ¶ ἵνα μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε. *ut non quæcumque vultis, illa faciatis*] Hoc construendum est cum proximo membro τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ σαρκός [*spiritus autem adversus carnem*.] *Ideo spiritus se carni opponit, ut ea faciatis quæ alioqui velletis*, nempe si caro sola vos duceret. Vide Rom. 8. 13.

18. Εἰ δὲ πνεύματι ἄγεσθε, *Quòd si spiritu ducimini*] Hoc iterum cum illo quod dixi membro cohæret. ἄγεσθαι hic est *duci, regi, gubernari*, ut Rom. 8. 14. ¶ οὐκ ἐστὲ ὑπὸ νόμον. *non estis*

stis sub Lege] Male in quibusdam codicibus ἀπὸ νόμου [*ex Lege.*] *Qui spiritu ducuntur*, ut jam majores annis facti non opus habebant Lege adolescentiæ custode; supra 3. 25.

19. Φανερὰ δέ ἐστι τὰ ἔργα τῆς σαρκός. *Manifesta sunt autem opera carnis*] Ut ostendat quò ducat caro remotis frænis, turpissima quædam digito ostendit. Confer Matth. 15. 19. ¶ ἅτινά ἐστι, μοιχεία, *quæ sunt, fornicatio*] Μοιχεία [*fornicatio*] in Lege Mosis est *concubitus viri cælibis, aut mariti, cum nupta aliena*; in Euangelio *etiam mariti cum ea quæ nupta non est*: quia Christus jura sexuum æqualia esse voluit, contra quàm factum est ubi soli viri exclusis fœminis legum erant Domini. ¶ πορνεία, *scortatio*]. Sub hoc nomine veniunt & *concubitus extra nuptias & nuptiæ illegitimæ*, ut videre est 1 Cor. 5. 1. Vide ea quæ dicta Act. 15. 20. ¶ ἀκαθαρσία, *immunditia*] Vox hæc satis latè patet, ut diximus ad Matth. 23. 27. sed videtur hic, ut & Rom. 1. 24. & 2 Cor. 12. 21. contrahi ad libidinem extra naturam. Sic Barnabas in epistola ἀκαθαρσίαν [*immunditiam*] vocat eam ἀνομίαν [*peccandi rationem*] quæ ore fit. Balsamo ad Basilicum ἀκαθαρσίαν [*immunditiam*] interpretatur αἱμομιξίαν [*incestus*,] id est, ערוה [*nuditatem.*] ¶ ἀσέλγεια, *luxuria*] Significat ut dicto 2. ad Corinthios loco diximus, omne lasciviæ genus, in quo primas obtinent partes libidinum incitamenta.

20. Εἰδωλολατρεία, *Idolorum servitus*] *Cultus falsorum numinum*, qui plerunque apud simulachra celebrari solebat. ¶ Φαρμακεία, *veneficia*] Propriè quidem *veneficium* significat, sed sæpe respondet Hebrææ voci להטים [*incantationes*] Exod. 7. 11, 22. & כשפים [*præstigiæ*] Esaiæ 47. 9, 12. ubi de magicis artibus agitur: credo quòd iidem plerunque essent & venefici. Vide Pharmaceutriam Theocriti & Virgilii. ¶ ἔχθραι] *Inimicitiæ*, id est, manentia odia. ¶ ἔρεις, *contentiones*] *Verborum certamina ex ira*, Rom. 1. 29. 13. 13. 1 Cor. 1. 11. 3. 3. 2 Cor. 12. 20. ¶ ζῆλοι, *æmulationes*] *Æmulatio improba de honore*: solet jungi cum voce ἔριδος [*contentionis*] ut Rom. 13. 13. 1 Cor. 3. 3. 2 Cor. 12. 20. sicut & Φθόνοι [*invidiæ*] & ἔρις [*contentio*] junguntur Philipp. 1. 15. 1 Tim. 6. 4. ¶ θυμοὶ, *iræ*] *Ira immoderata*, 2 Cor. 12. 20. ¶ ἐριθεῖαι, *rixæ*] *Contumacia*, ut Rom. 2. 8. 2 Cor. 12. 20. Jac. 3. 16. ¶ διχοστασίαι, *dissensiones*] Sic & Rom. 16. 17. 1 Cor. 3. 3. idem quod σχίσματα [*schismata*] 1 Cor. 1. 10. 11. 18. 12. 25. *dissidia quæ sine opinionum diversitate Ecclesiam scindunt*: putà ex Episcoporum electione discordi, ex contemptu disciplinæ. ¶ αἱρέσεις, *sectæ*] *Sectæ quæ ex placitis humanis vehementius defensis trahunt originem.* Vide quæ dicta 1 Cor. 11. 19.

21. Φθόνοι, *invidiæ*] *Invidia*: dolor ex bonis alienis. ¶ Φόνοι, *homicidia*] Voces paris soni amat jungere Apostolus, ut has ipsas Rom. 1. 29. ¶ μέθαι, κῶμοι, *ebrietates, comessationes*] Hæc rebus cohærent. Vide Rom. 13. 13. & ibi dicta. ¶ καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, *& his similia*] De partibus par judicium. ¶ ἃ προλέγω ὑμῖν, καθὼς καὶ προεῖπον, *quæ prædico vobis, sicut prædixi*] Breviter, supra 13. ¶ ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν. *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*] Illud τὰ τοιαῦτα [*talia*] abundat hic. Satis enim fuerat dixisse ἅπερ [*quæ.*] Sed quia voces quædam intercesserant nihil nocuit eandem significationem aliis voculis reponere. πράσσοντες [*qui agunt*] noli restringere ad ἕξιν [*habitum*,] sed sume etiam de actibus προαιρέτοις [*qui deliberato animo fiunt*,] ubi hæc reperiuntur, ibi nondum regnat Spiritus.

22. Ὁ δὲ καρπὸς τοῦ πνεύματός ἐστιν, *Fructus autem Spiritus est*] *Fructus*, id est, opera, ut Matth. 3. 8, 10. 7. 16, 17, 18, 19, 20. 12. 33. Luc. 3. 8. 6. 43. Joh. 12. 24. 15. 2, & alibi. πνεῦμα [*spiritus*] hic intellige ut supra, *Spiritum sanctum.* ¶ ἀγάπη, *charitas*] Alibi generaliùs sumitur, hic *beneficentiam* significat: Opponitur ἔχθραις [*inimicitiis*] & Φόνοις [*homicidiis.*] ¶ χαρὰ, *gaudium*] *Gaudium ex bonis alterius*, quod invidiæ opponitur. ¶ εἰρήνη, *pax*] *Fuga dissidiorum*, opponitur ἔρισι [*contentionibus.*] ¶ μακροθυμία, *patientia*] *Spes de lapsorum emendatione*, opposita ζήλοις [*æmulationibus.*] ¶ χρηστότης, *benignitas*] *Suavitas in convictu*, opposita ἐριθείαις [*rixis.*] ¶ ἀγαθωσύνη, *bonitas*] *Bonitas illa quæ dubia accipit in partem meliorem, nec facilè quenquam aut condemnat aut contemnit*, Rom. 15. 14. Hæc impedit διχοστασίας [*dissensiones.*] ¶ πίστις, *fides*] Intelligenda hic *aperta professio veræ fidei*, opponitur ταῖς αἱρέσεσι [*sectis.*] ¶ πραότης, *mansuetudo*] *Iræ fuga*, opponitur θυμοῖς [*iris.*] ¶ ἐγκράτεια. *temperantia*] *Temperantia* quæ & *libidinibus* supra memoratis, & *ebrietati* opponitur.

23. Κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος, *Adversus hujusmodi non est lex*] Si homines fuissent tales, nihil opus fuisset Lege Mosis, aut alia lege pœnali, supra 3. 19. Græcorum est dictum.

> Δίκαιος ἐὰν ᾖς, τῷ τρόπῳ χρήσῃ νόμῳ
> [*Si sis probus, pro lege erit tibi probitas.*]

Tacitus Annalium 3. *vetustissimi mortalium nullâ adhuc malâ libidine, sine probro & scelere, eoque sine pœna aut coërcitionibus agebant.*

24. Οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ, *Qui autem sunt Christi*] In Manuscripto οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ, *Qui verò ad Jesum Christum pertinent*: qui se ei dedere regendos. ¶ τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν, *carnem crucifixerunt*] Ii carnem constrictam tenent, viresque ejus, ad peccandum scilicet, confringunt, sicut homo cruci affixus, constringitur, frangitur, & cum sanguine vires ei abscedunt. Vide Rom. 6. 6. ¶ σὺν τοῖς παθήμασι, *cum affectibus*] Παθήματα hic intellige *affectus* τοῦ θυμοειδοῦς [*facultatis irascibilis.*] ¶ καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. *& concupiscentiis*] *Affectibus* τοῦ ἐπιθυμητικοῦ sive ὀρεκτικοῦ [*facultatis appetentis.*]

25. Εἰ ζῶμεν πνεύματι, *Si vivimus Spiritu*] *Si animus noster Dei Spiritu movetur.* Sic & infra 6. 16. nam Moveri est Vivere. ¶ πνεύματι καὶ στοιχῶμεν. *spiritu & ambulemus*] Actibus id ipsum exprimamus, quòd הלך [*ambulare*] Hebræi dicunt. Vide quæ dicta ad Joh. 11. 9, 10. 1 Cor. 7. 17. 2 Cor. 5. 7 Ephes. 4. 1, 17. 5. 15.

26. Μὴ γινώμεθα κενόδοξοι, ἀλλήλους προκαλούμενοι, ἀλλήλοις Φθονοῦντες. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes*] Hæc ideo specialiùs inculcat Paulus, quòd hæc mala maximè in Ecclesiis Galaticis invaluissent. κενόδοξοι sunt qui honorem venantur ex iis rebus in quibus verus honor situs non est, ut ex opibus, eruditione, eloquentia: horum vitium κενοδοξία Sap. 14. 14. Philipp. 2. 3. Προκαλεῖσθαι, *provocare* dicitur de iis qui ad certamen aut bellicum aut judiciale alios vocant: inde per translationem dicitur de iis qui in quovis alio certamine, putà eruditionis aut eloquentiæ, sperant se aliis superiores fore: hoc est eorum qui potiores se arbitrantur; aliorum est invidia: neutrum vero Christiano convenit.

CAP. VI.

VALLA.

2. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*] Non dicitur Latinè de multis *alter alterius*, sed de duobus. Latiniùs autem & veriùs dicetur, *Mutua onera portate*, Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε. Nec *adimplebitis*, sed *adimplete*, ἀναπληρώσατε.

4. *Et sic in seipso gloriam habebit, & non in altero*] Gr. *in seipsum, & non in alterum*, εἰς ἑαυτὸν εἰς τὸν ἕτερον quod an perinde sit ac si diceretur per ablativum, aliorum judicio relinquo.

6. *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui catechizat in omnibus bonis*] Quid sibi vult Interpres cùm idem verbum alibi transfert, alibi non transfert? An non alibi hoc verbum transtulit? quare nunc sic transferre formidavit? *Communicet autem is qui docetur verbum, cum eo qui ipsum docet in omnibus bonis*, ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι.

7, 8. *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne*] Gr. *Quod enim seminaverit homo, hoc & metet*, ὃ γὰρ ἐὰν, τοῦτο. Nec est *in carne*, sed *in carnem*, εἰς τὴν σάρκα, quod perinde est ac si diceretur *in carne*. Idem dico de sequenti, *in spiritu*: nam Græcè dicitur *in spiritum*, εἰς τὸ πνεῦμα.

9. *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes*] Non est idem Græcè verbum in illo *deficiamus*, ἐκκακῶμεν, & hoc *deficientes*, ἐκλυόμενοι quare ego dixissem *non defatigemur*. Illud etiam Græcè *suo* dicitur *proprio*, ἰδίῳ nam sine aliquo hujusmodi, quale est *fructum*, *frugem*, *messem*, non videtur satis commodè dici, *metemus tempore suo*.

12. *Quicunque volunt placere in carne*] Græcè non legitur *in carne*: neque tamen reprehendo Interpretem, sed tantùm significo non respondere verbum verbo, quia respondere non potest.

REVIUS in VALLAM.

4. Εἰς ἑαυτὸν] Transpositum erat: ut & v. 8. εἰς τὴν σάρκα.

6. *Catechizatur*] Scriptum erat *qui catechizat verbo ei qui catechizat*. Prius necessario mutavi.

12. *Græcè non legitur* in carne] Falsum: legitur enim ἐν σαρκί. ¶ *Neque tamen reprehendo Interpretem*] Quomodo

non

non reprehendendus si ponat quod non est in textu! ¶ *Sed tantum significo non respondere verbum verbo, quia respondere non potest*) Quomodo? cùm quod in textu non est, possit etiam omitti in versione. Absolvam te, lector. Pro *Græcè non legitur* IN CARNE, lege meo periculo *Græcè non legitur* PLACERE, *nec tamen reprehendo*, &c. *quia respondere non potest*. Id est, quia Latini vocem non habent quâ τὸ εὐπροσωπῆσαι exprimant.

ERASMUS.

1. S*I praeoccupatus*] Προληφθῇ, i.e. *occupatus*, h.e. præventus antequam potuerit cavere. Quibus verbis excludit omnino destinatam malitiam & peccandi voluntatem. ¶ *Hujusmodi instruite*] Καταρτίζετε, *instaurate*, *reficite*, sive *sarcite*. Suspicor Interpretem vertisse *instaurate*, id scribam vertisse in *instruite*. Hieronym. enarrans cap. Ezechielis 16. refert *perficite hujuscemodi*. Ambrosius legit *humiliate*; si tamen scriptura mendo vacat, quæ mihi prorsus suspecta est; nam ex illius interpretatione non potest percipi quid legerit; aut, si quid potest, legit *emendate*, cùm ait, *Cum mansuetudine provocandi sunt ad reformandos se*. Quod admonet hic Paulus ac sacri Doctores, nos parum meminimus. Sed si quid emendandum exstiterit, tanto supercilio, tantâ sævitiâ protinus intonamus. Ea res multos egregios viros à communione Ecclesiæ abalienavit: quod aperte de Tertulliano prodidit Hieronymus. ¶ *Considerans teipsum*] Mirè mutavit repentè numerum, σκοπῶν σεαυτὸν, magis ad sensum respiciens quàm ad verborum ordinem. Et ex hoc loco D. Hieronymus colligit *verè dictum à Paulo*, non tantum modestiæ causâ, quod *imperitus esset sermone*. At mihi videtur non abs re mutasse subitò numerum, quod singularis numerus magis esset idoneus ad compellandam uniuscujusque conscientiam. Porrò durius erat dicere omnibus, *Considerate vosipsos, nè & vos tentemini*. Et mirâ cautione semper hoc agit Paulus, nè quid offendat eos quos studet corrigere. Admonet autem Theophylactus additum *eò ut eos commonefaceret humanæ fragilitatis*: siquidem hoc dictum non solum pertinet ad Galatas, sed peculiariter unumquemque mortalem appellat. Et hanc ob causam mutatus est numerus; quod & aliàs à Paulo factum indicavimus.

2. *Alter alterius onera*] Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, Latiniùs reddidit Ambrosius, atque item Augustinus, serm. De verbis Dom. 21. *Invicem onera vestra portate*, citante ad eundem modum & alias utroque. Verti poterat & ad hunc modum, *Alii vicissim aliorum onera bajulate*. Nam *alter alterius* de duobus dicitur Latiniùs. ¶ *Et sic adimplebitis*] Καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε, *& sic adimplete*. Interpres legit ἀναπληρώσετε: nec magnopere refert ad sensum. Rursum rediit ad numerum multitudinis. Quanquam Græca vox magis sonat *readimplete*, h.e. *denuo adimplete*; q.d. Quod alterius delicto diminutum fuit in Legis observatione, id aliorum sarciat charitas. Annotavit diligenter hujus vocis emphasim Chrysostomus.

3. *Si quis existimet se*] Græcè paulò secùs habet, Εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι, *Si enim videtur aliquis esse aliquid*, ut subaudias *sibi*. Et verbum *seducit* apud Græcos composita vox est, φρεναπατᾷ, i.e. *mentem seducit*, & *mentem suam decipit*, ut exponit D. Hieronymus. Est autem perniciosissimum fallendi genus ubi quis imponit sibi. Augustinus libro De singularitate Clericorum, cap. 2. legit *seipsum implanat*: ac veluti Græcam interpretans vocem subjicit, *Sed implanator certè proprius, suam animam decipit*. *Planus* apud Latinos invenitur pro *impostore*; an reperiatur *implanare* nescio.

4. *Et sic in semetipso*] Καὶ τότε, *& tunc*, ut legit Ambrosius. Nec additur *tantum* apud Græcos plerosque, licèt in nonnullis addatur μόνον. Præterea quod Græcis est εἰς ἑαυτὸν, i.e. *in seipsum*, mox item καὶ οὐκ εἰς τὸν ἕτερον, i.e. *& non in alium*, fortassis rectiùs transtulisset *apud seipsum*; *& non apud alium*. Quanquam haud me fugit hujus præpositionis ancipitem esse naturam. Chrysostomus interpretatur εἰς ἕτερον, καθ' ἑτέρου, *adversus alium*.

5. *Unusquisque onus suum portabit*] Φορτίον. Quod Ambrosius legit *sarcinam*. Et *portabit* est βαστάσει, quod est bajulorum propriè.

6. *Communicet autem qui catechizatur verbo*] Græcè non est *verbo*, sed *verbum* accusandi casu, τὸν λόγον. Quanquam accipi potest per Synecdochen, ut subaudias κατὰ præpositionem. Aut ità dixit *catechizatur verbum* sicut nos dicimus *docetur Grammaticam*. Ambrosius Græcam vocem expressit ad hunc modum, ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον, h.e. *Qui verbum Dei audiens est*. Nam *catechizare* est tradere mysteria religionis Christianæ. ¶ Illud autem *in omnibus bonis* ad *communicet* referendum est, non ad *catechizat*. Marcion, ut indicat Hieronymus, accusativum λόγον refert ad verbum *communicet*, intelligens *fideles & catechumenos simul orare debere, & magistrum in oratione communicare cum discipulis, illo vel maximè elatus quòd sequatur* IN OMNIBUS BONIS. Atqui *si de oratione fuit sermo, non debebat præcipi ei qui catechizatur, sed qui catechizat, h.e. non discipulo, sed magistro*. Quanquam ea quæ consequuntur, hanc refellunt interpretationem, *Quæ seminaverit homo, hæc & metet*. Hic verò Laurentius Valla nonnihil stomachatur quod Interpres Græcam vocem reliquerit, cùm alibi vertat; atque ità vertendum putat, *Communicet autem qui docetur verbum, cum eo qui ipsum docet in omnibus bonis*. Illud addam de meo, Posse λόγον hoc loco accipi pro *ratione*; ut intelligamus Paulum admonere ut ratio dati & accepti constet inter eum qui religionem tradidit & eum qui accepit; sed ità demum, si qui tradidit, sincerè tradidit: alioqui iniquam fore permutationem, si pro perperam tradita religionis doctrina reponatur beneficium. Atque ideo addidit *in omnibus bonis*, repetens quod superiùs dixit, *Bonum est æmulari in bono semper*. Adversùs illos autem qui ad gloriam & quæstum insincerè tradebant Christum, objicit quod sequitur, *Deus non irridetur*. Id sensisse videtur Ambrosius, ascribens, In malis *dissentiendum* ab illis, *ut magis Lex nobis dux sit quàm homo*. Theophylactus interpretatur de munificentia catechumenorum in catechistas, & huic consentiens Hieronymus.

7. *Non irridetur*] Οὐ μυκτηρίζεται, quod propriè est *scommate ridere & subsannare, nasoque suspendere*. Siquidem Græci μυκτῆρα *nasum* vocant. ¶ *Quæ enim seminaverit*] Græcis est sing. numero, *Quod enim seminaverit homo, hoc & metet*: itaque legit Ambrosius, & item D. Augustinus.

8. *In carne*] Gr. εἰς σάρκα *in carnem*: quemadmodum mox εἰς τὸ πνεῦμα *in spiritum*: tametsi præpositio εἰς variè usurpatur. ¶ *Metet corruptionem*] Θερίσει φθορὰν *metet corruptelam*, h.e. periturum fructum: nam huic opponit *vitam æternam*. Caro mortalis fructus habet item mortales; Spiritus æternus fructus habet immortales. Siquidem aliàs quoque ἄφθαρτον transfert *immortalem*, & ἀφθαρσίαν *immortalitatem*.

9. *Deficiamus* & *deficientes* apud Græcos diversa sunt verba. Nam *deficiamus* est ἐκκακῶμεν, *deficientes* ἐκλυόμενοι, id est, *defatigati*. Ambrosius legit *infatigabiles*, ut tempus quoque participii redderet. Tertullianus pro *nè deficiamus* legit *nè tædeat*.

10. *Ad omnes*] Cur non potiùs *erga omnes*?

11. *Qualibus literis*] Πηλίκοις, i.e. *qualibus*, sed ità ut magnitudinem & admirationem significet. Hic magis ad affectum Pauli refertur, cui hæc res adeò fuerit cordi ut non gravatus sit suapte manu super ea scribere. D. Hieronymus putat reliquam Epistolam alienâ manu scriptam fuisse; Paulum autem, ut omnem excluderet suspicionem supposititiarum literarum, reliquum Epistolæ suapte manu scripsisse. At cur non potiùs (ut cum Hieronymi pace dixerim) vel ex hoc loco conjicimus totam hanc Epistolam Pauli digitis exaratam fuisse? Fatetur Hieronymus vocem Græcam πηλίκοις *magnitudinem* significare potius quàm Qualitatem. Quod idem in Psalmos notavit Hilarius, Origenem, opinor, secutus. Nam Græca vox *magnitudinem* sonat, Latina non item. Tametsi D. Hilarius *magnitudinem* refert non ad formam elementorum, sed sublimitatem sensuum: quod mihi sanè videtur coactius. Porrò D. Hieronymus laborat ut explicet quomodo *grandes* sint hæ literæ; quasi illud senserit Paulus, *hanc Epistolam grandibus literarum figuris scriptam fuisse*. Imò Græci *literas* numero multitudinis & unam vocant epistolam, quemadmodum & nos. Igitur Apostolus, ut ostenderet quantopere sibi hæc res esset cordi, *Videtis*, inquit, *quam grandem epistolam meâ ipsius manu scripsi*: jam enim finierat Epistolam. Nam in cæteris solet duntaxat subscribere, MEA MANU PAULI. Nec est quod quenquam offendat dativus γράμμασι, non γράμματα. Ut enim *loquimur multis & multa*, ità *scribimus paucis & pauca*. Mecum facit Ambrosius; qui ex hoc loco colligit haud Epistolam esse *holographam*. Et tamen miror quare idem pro *videte* sive *videtis* legat *scitote*, nisi fortè scriptum habebat ἴδετε. Augustinus legit, *Vidistis qualibus literis vobis scripsi*; quasi Paulus manûs agnitæ admoneat, nè per alios fictis epistolis decipiantur. Theophylactus Chrysostomum secutus fatetur ex hoc loco colligi, hanc *Epistolam Pauli manu scriptam fuisse*. Cæterum quod dixit QUALIBUS non pertinere ad *magnitudinem literarum* sed ad *deformitatem*, quod Paulum videri velit *imperitum scribendi, & tamen non gravatum utcunque totam Epistolam sua manu describere*.

12. *Volunt placere in carne*] Εὐπροσωπῆσαι, *juxta faciem placere* (nam hinc Græca vox composita est) & hoc *in carne*. ¶ *Tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur*] Græcè sic habet, μόνον ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ διώκωνται, i.e. *nè cruce*

cruce Christi persequantur: ut *persequantur* passivè accipias; h.e. nè crux Christi adducat illis persecutionem. Apud Ambrosium non additur *tantùm*, etiamsi additur apud Augustinum. Supplendum est aliquid quo sermo reddatur absolutus. Tantùm hoc agunt ut fugiant invidiam crucis Christi.

13. *Legem custodiunt*] *Ipsi* deest, αὐτοὶ, quod addit & Ambrosius. Hieronymus legit *hi*, quasi Græcè legerit οὗτοι.

14. *Absit gloriari*] *Absit ut glorier*, sive *ne contingat gloriari*.

16. *Et quicunque hanc regulam secuti fuerint*] Καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι. Idem verbum quod superiùs vertit *ambulemus*, στοιχῶμεν: h.e. *Quicunque ad hanc incedent regulam*. ¶ *Et super Israël Dei*] Τὸν Ἰσραὴλ, ut intelligas *virum* aut *populum*. Et addit *Dei* propter synagogam Satanæ.

17. *De cætero*] Τοῦ λοιποῦ. Non est τὸ λοιπὸν, quod aliàs vertit *quod superest*, aut *quod reliquum est*. Siquidem hic magis loqui videtur de quæstionibus quam de tempore, ut subaudias περὶ, περὶ λοιποῦ. *Tradidi quicquid erat tradendum; hoc firmum esse volo, nec patiar rursus in dubium vocari.* ¶ *Nemo mihi molestus sit*] Κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω, *labores mihi nullus exhibeat*. Et ad hunc modum vertit & exponit D. Hieronymus. Augustinus legit, *nemo laborem mihi præstet*: haud tamen dissimulans in plerisque cod. haberi scriptum *nemo mihi molestus sit*, lib. De Prædest. sanctorum, in ipso statim initio. ¶ *Stigmata*] Græca vox est, significat autem *notam impressam*. Solent autem servi notari à dominis, nè quis alienus illos pro suis posset asserere. Sentit igitur se certas habere notas quòd sit servus Jesu Christi, pro quo tam multa passus fuerat; toties cæsus virgis, toties lapidatus, toties objectus bestiis, toties conjectus in vincula. Ex his omnibus sibi parat autoritatem adversùs Pseudoapostolos. Illi gloriabantur in cicatricibus circumcisorum, Paulus in suo corpore circumferebat notas crucis Christi. Tali igitur Doctori potiùs credendum quàm delicatis Magistris qui in alieno vulnere gloriantur.

VATABLUS.

1. PRæoccupatus] *Occupatus*: i.e. Præventus antequam potuerit cavere. ¶ *Instruite*] *Instaurate*, *reficite*, *emendate*. ¶ *In Spiritu lenitatis*] i.e. Blandis verbis.

2. *Alter alterius*] *Invicem alii aliorum*: id est, alii alios juvent. ¶ *Adimplebitis*] *Adimplere legem Christi* vocat, *Diliges*, &c.

3. *Se seducit*] *Mentem suam decipit*.

4. *Sic*] *Tunc*. ¶ *Gloriam*] *Gloriationem*.

5. *Suum*] *Proprium*.

6. *Verbo*] *Verbum*: accus. casus, sic Vet. i.e. Qui docetur mysteria religionis Christianæ, h.e. fidem in Christum, quod verbo fiebat, aut scripto, communicet omnes suas facultates cum eo à quo instituitur.

7. *Quæ*] *Quicquid*. ¶ *Hæc*] *Hoc*.

8. *In carne sua*] *Per carnem suam*: i.e. qui carnalem tradiderit doctrinam. ¶ *Corruptionem*] *Corruptelam*: i.e. periturum fructum. ¶ *In Spiritu*] *Per Spiritum*.

9. *Non deficientes*] *Non defatigati*.

10. *Ad*] *Erga*.

11. *Qualibus literis*] Vel, *quàm longâ epistolâ*.

12. *Volunt* *] * *Juxta faciem*. ¶ *Ut crucis Christi persecutionem non patiantur*] *Nè ob crucem Christi persecutionem patiantur*.

13. *Legem* *] Sub. *de circumcisione*. * *ipsi*. ¶ *In carne vestra*] i.e. Ob circumcisionem carnis vestræ.

14. *Gloriari*] Vel, *glorier*. ¶ *In carne*] *Ob crucem*. ¶ *Mihi mundus crucifixus est*, *& ego mundo*] i.e. Mundus nullam potestatem habet in me, neque ei servio.

16. *Hanc regulam secuti fuerint*] *Juxta hanc regulam incedunt*. ¶ *Et*] *Et pro id est*, Heb. i.e. populum Dei.

17. *Stigmata*] i.e. Notas impressas: q.d. satis habeo molestiarum quotidianarum propter Christum, ut nihil opus sit vos addere ad eas afflictiones.

CASTALIO.

1. ITa Christi lege perfungimini] i.e. Præcepto.

4. *Exploret autem suum quisque opus*, &c.] Eos reprehendit qui sibi ideo placent quòd sint aliis præstantiores. Nemo est quin, si se cum aliis conferat, deteriores inveniat, aut certè æquè malos. Misera est gloriatio quæ ab aliorum improbitate pendet. Ergò si alii non essent improbi, tu de te gloriari non posses. Ego fœnerator non sum: igitur si fœneratores non essent, tu tibi placere non posses. Præclarum verò, posse quenquam talem esse ut eo reperiatur aliquis deterior. At non ità de nobis feret judicium Deus: non faciet hominum collationem. Tu niger es, damnaberis. Sed sunt & alii nigri: & alii damnabuntur, nec eorum nigror te faciet album. Quamobrem inspice, non an sis aliis melior, sed an sis bonus, & Deo obedias: ità fiet ut tua gloriatio tibi propria sit, nec ab aliis pendeat. Probitas in te, non in collatione. Est autem εἰς ἑαυτὸν dictum pro ἐν ἑαυτῷ, quale est quod in 1 Cor. 6. scripsimus.

14. *Et mundus mihi crucifixus est*, *& ego mundo*] Nihil mihi cum mundo est commercii.

CLARIUS.

2. ONera portate] *Portare*, ait M. Basilius, *est tollere & curare. Onerosum enim est peccatum, deprimens animam in fundum inferni: quod peccatum mutuò tollimus & amputamus cum peccantibus persuademus ut convertantur.* ¶ *Legem verò Christi implebimus*, dicentis, *Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam*: qui & legem nobis tulit, *Si peccaverit frater tuus, vade, corripe eum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum.*

4. *Opus autem suum*] Unusquisque examinet sese, neque existimet se aliquid esse ex alterius comparatione. Nam ad legis Dei regulam metiri facta nostra debemus, non ad infirmitatem eorum qui nobis videantur inferiores. Vel, Curet quisque quomodo *opus suum probatum reddat*, & non quomodo ab altero laudem venetur, &c.

6. *Qui catechizatur*] Servavit verbum Græcum Interpres, aut illud est imitatus. Ex eo verbo *Catechumeni* vocabantur qui erudiebantur & instruebantur ad fidem. Vult ergò ut qui ità instruuntur impertiantur corporea bona magistris & eruditoribus suis.

7. *Deus non irridetur*] Taxat eos qui simulato & non recto animo incedebant.

9. *Metemus non deficientes*] h.e. *Non defatigati*. Nam agricolæ non solùm cùm seminant, sed etiam cùm metunt, defatigantur: nos verò cùm metemus fructus rectè factorum nostrorum non defatigabimur.

11. *Qualibus literis*] Quantâ scilicet epistolâ *meâ manu* præter morem *scripsi vobis*; ut vel ex hoc intelligatis quantæ mihi vestra salus sit curæ.

12. *Quicunque volunt*] Quibus placet gloria hæc amputatæ pelliculæ, vel qui quærunt Judæis placere. Quanquam D. Hieronymus putat hoc dictum esse ab Apostolo quòd *C. Cæsar*, *Octavianus Augustus*, *& Tiberius successor Augusti leges promulgaverant ut Judæi, qui erant in toto Romani Imperii orbe dispersi, proprio ritu viverent. Quicunque ergò circumcisus erat, licet Christianus esset, quasi Judæus habebatur*, & persecutionem evadebat.

14. *Mihi mundus*] Et mihi ille displicet, & ego illi. Sed observa: non enim dixit *mihi mortuus est*, sed *crucifixus est*; ut significaret, ob unam Christi crucem sibi ista omnia esse pro nihilo.

16. *Super Israël Dei*] Ut distinguat ab illo Israële qui erat tantùm secundùm carnem.

17. *Stigmata*] Jam, inquit, quibusdam quasi stigmatibus inustum corpus circumfero, more servorum, ut quivis agnoscat me Christo penitus addictum, nulli ampliùs quicquam debere. At *stigmata* illa & signa erant, plagæ, carceres, &c. Pseudapostoli verò, nè persecutionem patiantur, Judæis blandiuntur, & ventris potius curam gerunt quàm veritatis, & ab ejusmodi stigmatibus sibi diligenter cavent.

ZEGERUS.

1. HUjusmodi instruite] Aptius est ad sensum quod habet Alexander Papa I. *sustentate*. Hieronymus interpretatur *perficite*. καταρτίζω enim polysemon est. Vide Budæum.

4. *Et non in altero*] i.e. Cùm ab alio quopiam laudatur, autore Augustino.

5. *Unusquisque onus suum portabit*] Huic adversari videtur quod præmisit, *Alter alterius onera portate. Sed alia sunt onera*, inquit Augustinus, *participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris. Illa cum fratribus sustentanda communicantur, hæc propria ab unoquoque portantur.*

6. *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis*] Locus in sententia & constructione varius est: nos tamen satisfecisse videbimur, si unâ indicatâ reliquas sagaci lectori aliunde quærendas relinquamus. Dicit ergò, *Is qui catechizatur*, h.e. instituitur, eruditur, & docetur Christianæ fidei mysteria, *communicet* & impertiat *suo catechistæ*,

chiste, seu doctori, *quæcunque* habet fortunæ *bona*, victum, vestitum, opem, denique benevolentiam & honorem.

11. *Videte qualibus literis scripsi vobis meâ manu*] *Qualibus*, inquit, *characteribus*, nempe *meâ ipsius* (uti cernere potestis) qualiquali *manu* delineatis. Nam Chrysostomus in illo πηλίκοις, i. e. *qualibus* vel *quantis*, indicari putat Pauli in pingendo ruditatem, & elementorum non magnitudinem sed deformitatem.

12. *Quicunque volunt placere in carne*] *Placere in carne* est placere hominibus, vel probari apud homines.

14. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*] Quicquid extra Christum mundi hujus est, mihi, velut abominandâ cruce dignum, mortuum est: & ego vicissim, ut pari cum Domino meo cruce mundi judicio dignus, ipsi mundo sum demortuus. Quo fit ut nec illecebræ nec mortalium terriculamenta quicquam in me sibi vindicare possint, neque ego eisdem, quamvis obviis præsentibusque, aut capi queam aut commoveri.

16. *Quicunque hanc regulam*] *Hanc novæ creaturæ* seu vitæ *formam* ac *regulam secuti fuerint*, aversati invalidas Legis ceremonias, *pax super illos & misericordia*.

17. *De cætero, nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*] Quousque, inquit, dum fluctuatis, dum in errore perstatis, exhibetis mihi labores & molestias? Laborem præstat magistro qui aliter & sentit & vivit quàm magister & docuit & fecit. Persuadeamini ac corrigamini, si non ob aliud, saltem vel ob stigmata quæ propter vos & prædicationem erga vos in corpore circumfero. Hæc evidentia atque indubitata testimonia esse possunt quàm non fuerim in mea doctrina vacillans: cùm vos contra tantâ facilitate desciveritis ad ritus Judaïcos; item quàm procul absim à probanda Circumcisione, cùm non jam de resecta præputii pellicula sed de acceptis in corpore plagis quasi de quibusdam militiæ meæ glorier tropæis.

H. STEPHANUS.

1. **K**Αταρτίζετε] *Instaurate*: vel, *in integrum restituite*.
3. Ἑαυτὸν φρεναπατᾷ] *Hunc animus suus fallit*.
7. Θεὸς ὀ μυκτηρίζεται] *Deus non deluditur*.
9. Μὴ ἐκκακῶμεν] *Ne defatigemur*: vel, *animum despondeamus*. ¶ Μὴ ἐκλυόμενοι] *Si non defatigemur*.
12. Εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ] *Externâ carnis specie se commendare*.
13. Αὐτοὶ] *Ipsimet*.

DRUSIUS.

2. **S***Ic adimplebitis legem Christi*] h. e. Euangelium, quod completur Charitate, quæ in eo consistit ut alter alterum diligat, *alter alterius onera portet*. Fortè an de hac lege capiendum illud, *Tota Lex uno verbo completur*, *isto videlicet*, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: quod tamen mihi non videtur.

15. *Sed nova creatura*, Ἀλλὰ καινὴ κτίσις. Interpres recentior, *sed nova creatio*. Sumpta putant hæc verba ex Apocalypsi Mosis. Georgius Syncellus, καὶ πάλιν ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας ἐκ τῆς Μωϋσέως Ἀποκαλύψεως, Οὔτε περιτομή τί ἐστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις. Omnia conveniunt, nisi quòd τί ἐστιν *quicquam est*, pro τὶ ἰσχύει *quicquam valet*. Supra 5. 6. pro καινὴ κτίσις lectum πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, *fides per charitatem agens*, sive *quæ per charitatem operatur*.

CAMERON.

3. **E**Ι γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι] quæritur an intelligat eum qui propriâ virtute nihil potest, ita ut sermo pendeat à v. 1. an verò eum qui extra communionem Christi fidelium, & fraternam tolerantiam, putet se posse præstare quidpiam excellens. Resp. Hic omnino probo priorem sensum. Is enim demum *se putat esse aliquid* qui non meminit & se Hominem esse, nec ullum esse tam fœdum flagitium vel exsecrandum scelus quod & ipse non patraret nisi Deus Spiritu suo naturæ impetum vel cohiberet vel debilitaret & frangeret. Δοκεῖν τι εἶναι nihil aliud est quàm *magnificè de se sentire*, seseque efferre supra reliquorum hominum conditionem; quasi verò ullus quicquam habeat quod Deo non debeat acceptum referre.

4. Καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν μόνον τὸ καύχημα ἕξει] An eum designat qui præ se alios contemnat, & collatione habitâ suorum operum cum alienis, se præstare videat, indè ansam sese efferendi arripiat? an verò hic restrictionem superioris sententiæ affert? Resp. Ea demum vera laus est quæ ex conscientia officii rectè facti oritur, non quæ pendet indè quòd alii sint qui nobis graviùs peccant. Neque verò ab Apostoli mente abhorret illud,

——— *Nec te quæsiveris extra.*

Itaque præstat ut priore sensu verba accipiantur, uti mihi quidem videtur. Sic enim hominum ingenium est ut aliorum peccatis eò delectentur quòd hinc sibi ad sanctitatis gloriam & famam aliquid accedere videatur. Deinde verò, si alios videant fœdè lapsos, eò sibi indulgeant securiùs, propterea quòd sibi conscii [illegible] se aliquem facere peccati modum, nec eò prorupisse ut flagitium admiserint vel scelus.

12. Μόνον ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ διώκωνται] Quæ est hæc afflictio? An est persecutio à falsis fratribus & à Judæis? an verò significat dura illa exercitia Spiritûs quæ fidelibus incumbunt? Resp. Exercitia pietatis, quæ tu *Spiritus exercitia* vocas, διωγμοὶ, meo qualicumque judicio, dici haud possunt: nam διωγμὸς ab hoste est. Itaque hic prior interpretatio mihi maximè probatur, quam adeò præcedentia & subsequentia verba confirmant, Ὅσοι θέλουσι εὐπροσωπῆσαι (τοῖς Ἰουδαΐζουσι τῶν Χριστιανῶν δηλαδὴ, καὶ ζηλωταῖς τοῦ νόμου) & sequentia, ἵνα ἐν τῇ ὑμετέρᾳ σαρκὶ καυχήσωνται ἐπὶ τούτῳ γαυριῶντες καὶ ἀλαζονεύοντες, ὅτι οὐ (καθάπερ ἐγὼ ὁ Παῦλος) τὰ τοῦ εὐαγγελίου διδάσκοντες, τὸν νόμον καὶ τὰς πατρικὰς παραδόσεις ἀθετοῦσι, προβαλλόμενοι τὸ πλῆθος τῶν περιτετμημένων μαθητῶν. In quo mihi videtur Paulus θαυμασίως χαρακτηρίζειν τὸ ἦθος καὶ τὴν φύσιν τῶν τῆς δόξης καὶ τῆς γαστρὸς δούλων σοφιστῶν.

GUALTPERIUS.

6. **K**Ατηχούμενος] Κατηχέω, *instituo*. Κατηχέομαι, *auditione accipio*. Κατηχημένος, *initiatus*. Κατηχῶν, *qui instituit*. Κατηχούμενος *qui instituitur*. Primigenium verbi κατηχεῖν est ἦχος *sonus* vel *sonitus*. Usurpatur autem verbum κατηχεῖν bifariam, generaliter, & specialiter: generaliter, ut cùm dico, κατηχῶ σε τοῦτο, *insono tibi hoc*, *insono tuis auribus*: specialiter, quando de eo accipitur, qui *alium instituit & docet*. Et sic κατηχεῖν est *aliquem vivâ voce docere & erudire*: quemadmodum etiam à Luciano exponitur per vocem διδάσκειν. Et Lucas in prooemiolo historiæ suæ eodem modo usurpat, ἵνα ἐπιγνῷς, inquit, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν, *quò agnoscas eorum de quibus edoctus fueras sermonum certitudinem*. In hac speciali significatione iterum duo modi sunt distincti. Aliter enim usurpant hanc vocem scriptores profani, aliter Ecclesiastici. Apud profanos κατηχεῖν significat *docere prima artis seu scientiæ alicujus rudimenta*, & *iis quasi auditorem initiare*. Unde κατήχησις, *institutio quâ prima scientiæ alicujus rudimenta traduntur*, Porphyr. in princ. Quæst. Homer. Ecclesiastici verò presliùs accipiunt hanc vocem, pro *docere rudimenta Christianæ religionis*. Et sic in pass. diathesi κατηχοῦμαι significat *disco prima elementa doctrinæ seu religionis Christianæ*, ut hoc loco. In hac significatione κατήχησις est *institutio illa quâ prima doctrinæ Christianæ elementa traduntur*, *idque oretenus*, *clarè*, *distinctè*, *perspicuè*, *sic ut à teneriori etiam ætate percipi queant*. Definitur Catechesis Christiana, *Doctrina repetita ex Scripturis Propheticis & Apostolicis*, *quæ continet summam totius religionis Christianæ*, *succinctè & breviter eam in finem comprehensam ut rudioribus etiam facilè per institutionem vocalem possit instillari*. Definitio Græca ità habet, Κατήχησίς ἐστι διδασκαλία τῶν τοῦ θείου λόγου κηρύκων ἐπιτηδευθεῖσα πρὸς τὴν τῶν νέων καὶ ἀνηκόων ἔννοιαν, καὶ διὰ βραχέων συνοπτικῶς ἀνακεφαλαιοῦσα ἅπαντα τῆς ἀληθείας ῥήματα, καὶ ἐνηχοῦσα τοῖς ὠσὶ τῶν διδασκομένων τὴν τοῦ Χριστιανισμοῦ εὐσέβειαν, h. e. *Catechesis est doctrina verbi Divini præconum*, *instituta ad juniorum & imperitiorum intelligentiam*, *brevibus & summatim repetens omnia veritatis Divinæ verba*, & *insonans ea auribus eorum qui erudiuntur in pietate ad Christianismum pertinente*. D. Brentius, *Catechismus*, inquit, *significat eam doctrinam quæ voce è scriptis Propheticis & Apostolicis de vera religione Domini nostri Jesu Christi auditoribus traditur*. Item, *Superioribus quidem temporibus*, *cùm Ecclesia revelato Euangelio colligeretur ex Judæis & Gentibus*, *dicti sunt* Catechumeni *hi qui cùm nondum accepissent Sacramentum Baptismi*, *auditores & discipuli erant Ecclesiasticæ doctrinæ*. *Sic Catechumenus fuit Augustinus*, *sic Ambrosius*, *qui & adhuc Catechumenus electus est in Episcopum*. *Nunc autem*, *postquam infantes*, *qui vocalis doctrinæ nondum sunt capaces*, *baptizantur*, *vocamus* Catechumenos *eos qui cùm post acceptum in infantia Baptismum adoleverint*, *in vera & pia doctrina Christi erudiuntur*, *ut quod in infantia suo modo crediderunt & beneficio S. S. acceperunt*, *hoc in adolescentia revelatè credere & intelligere incipiant*. *Sed & Catechismi vocabulum per se tam latè patet in Ecclesia ut comprehendat omnem quamvis prolixam expli-*

cationem Prophetica & Apoſtolica Scriptura. Preſſius autem nomine Catechiſmi *intelligimus Decalogum, Symbolum Apoſtolicum, Precationem Dominicam, Inſtitutionem Baptiſmi, Cœna Dominica, & Clavium regni cælorum: Quæ quidem paucis verbis recitari ſolent, ſed profectò ſunt epitome & compendium univerſæ Scripturæ, & continent in ſeſe quicquid nobis ad veram & æternam ſalutem cognitu neceſſarium eſt,* &c. Ità Brentius. Κατηχητὴς ſeu κατηχιςὴς eſt *is qui capita illa doctrinæ Chriſtianæ tradit:* alter verò *qui percipit & eruditur* dicitur κατηχούμενος.

GROTIUS.

1. Ἐὰν καὶ προληφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι, *Et ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*] Προληφθῇ hic eſt *deprehenſus fuerit*, quomodo προληφθεὶς ſumitur Sap. 17. 17. Vult autem dicere, *deprehenſus antequam hæc epiſtola ad vos veniat, in aliquo delicto*, nempe eorum quæ jam dixi, præſertim διχοςασίας (*diſſenſionis*] aut αἱρέσεως (*ſecta.*) Illud ἄνθρωπος (*homo*) ponitur pro *aliquis*, ut & infra 7. quia Hebræi ſic ponunt איש. ¶ ὑμεῖς οἱ πνευματικοὶ, *vos qui ſpirituales eſtis*] *Vos qui carnem crucifixiſtis, qui ſpiritu ducimini.* ¶ καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον, *hujuſmodi inſtruite*] Καταρτίζειν eſt *aptum reddere*: interdum & *ſanare quod corruptum eſt*, Matth. 4. 21. Marci 1. 19. quæ ſignificatio bene congruit huic loco. Si jumentum prolapſum reſtitui debet, Exodi 23. 5. quantò magis homo. ¶ ἐν πνεύματι πρᾳότητος· *in ſpiritu lenitatis*] *Leni animo* ſecundùm regulas quidem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſed accedentibus etiam fraternis monitis; ipſa enim diſciplina Eccleſiaſtica, cùm bono etiam ipſorum qui lapſi ſunt ſit inſtituta, lenitati non obſtat, 2 Theſſ. 3. 15. ¶ σκοπῶν σεαυτὸν, *conſiderans teipſum*] *Temet circumſpectans. Circumſpectare* autem ponitur pro *cavere*: ſolent enim qui ſibi cavent circumſpicere. Eſt autem hìc tranſitus à plurali ad ſingularem, quia utrum priùs dicas, perinde eſt. Sic & ſupra 4. 6, 7. ¶ μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς. *ne & tu tenteris*] Intelligendum hoc verbum hìc cum pleno effectu, id eſt, *ne & tu aliquando tentationi alicui ſuccumbas.* Sic & activum πειράζειν [*tentare*] ſumitur 1 Cor. 7. 5. 1 Theſſal. 3. 5. adde quæ dicta ad Matth. 6. 13.

2. Ἀλλήλων τὰ βάρη βαςάζετε, *Alter alterius onera portate*] Etiam peccata ſunt *onera*: *portat* aliena peccat qui non ſuperbè lapſum contemnit, ſed ſperat de eo meliora. ¶ καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ Χριςοῦ. *& ſic adimplete Legem Chriſti*] Sic plerique codices habent ut ſit imperantis: *etiam hoc modo oſtendite vos eſſe amantes proximi, quod jubet Lex Chriſti,* Johan. 13. 34. 15. 12.

3. Εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι, μηδὲν ὢν, *Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe cùm nihil ſit*] Hìc & τὶ [*aliquid*] & μηδὲν [*nihil*] ſumuntur comparatè, id eſt, *ſi quis pluris ſe æſtimet quàm ſit.* Vide 1 Cor. 3. 7. 10. 19. 13. 2. 2 Cor. 12. 12. δοκεῖ, *putat.* ¶ ἑαυτὸν φρεναπατᾷ. *ipſe ſe ſeducit*] *Decipit cor ſuum*, ut loquitur Jacob. 1. 26. ſe citiùs fallet quàm alios. Ab hoc verbo φρεναπάται ad Titum 1. 10. *qui animos ſeducunt.*

4. Τὸ δὲ ἔργον ἑαυτοῦ δοκιμαζέτω ἕκαςος, *Opus autem ſuum probet unuſquiſque*] Singulare pro plurali, quomodo idem vocabulum ἔργον (*opus*) habemus 1 Petr. 1. 17. & Apoc. 22. 12. *Sua quiſque facta expendat*, 1 Cor. 11. 27. Multi apud Galatas magni ſe faciebant quòd minus mali eſſent quàm alii. at

Nulla eſt gloria præterire aſellos.

¶ καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν μόνον τὸ καύχημα ἕξει, *& ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit*] *Gaudebit recto ſui examine.* ¶ καὶ οὐκ εἰς τὸν ἕτερον. *& non in altero*] Non deteriorum comparatione.

5. Ἕκαςος γὰρ τὸ ἴδιον φορτίον βαςάσει. *Unuſquiſque enim onus ſuum portabit*] *Quiſque ſuum onus feret*, id eſt, pro delictis feret pœnam, משא [*onus*] non ſublevabitur pejorum comparatione. Ut delictorum, ita pœnarum ſunt gradus.

6. Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. *Communicet autem is qui catechizatur verbo ei qui ſe catechizat in omnibus bonis*] Non eſt hìc ponenda ὑποςιγμὴ (*ſubdiſtinctio*) poſt κατηχοῦντι [*ei qui ſe catechizat.*] Hoc vult dicere: *is qui docetur verbum*, id eſt, Euangelium, quod κατ' ἐξοχὴν (*per excellentiam*) dicitur λόγος [*verbum*] Actor. 16. 6. (nam vox κατηχεῖν [*catechizare*] hìc paulò laxiùs ſumitur, ut & Rom. 2. 18. non ut alibi de primis tantùm rudimentis) *de rebus omnibus bonis participem faciat Doctorem ſuum.* Κοινωνεῖν, ut Latinum *participare*, dicitur & de dante, ut Roman. 12. 13. Philippenſ. 4. 15. & de accipiente, ut Roman. 15. 27. reſpondet Hebræo חבר. Ἐν hìc valet *per*, *per omnes res bonas*, id eſt, non per alimenta tantùm, ſed & alia obſequia & officia. Vide 1 Cor. 9. 11. 1 Tim. 5. 17. Neceſſe erat dici hoc Galatis, quia illi novi Doctores accipiebant non à Chriſtianis, ſed à Judæis. Hos multi Galatæ ſequebantur per tenacitatem, quia nihil in eos ſumptûs faciendum habebant. De talibus dicitur ארור נוכל [*maledictus doloſus*] Malach. 1. 14.

7. Μὴ πλανᾶσθε· *Nolite errare*] Id eſt, *ne decipite voſmetipſos.* Niphal pro Hithpael. ¶ Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται· *Deus non irridetur*] Job. 13. 9. *Deus non ſinit ſibi illudi.* Nam verbum hoc quoque cum effectu intelligendum eſt. Habet hanc ſententiam & Polycarpus. ¶ ὃ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει. *Quæ enim ſeminaverit homo hæc & metet*] Eſt proverbium frequens apud omnes Gentes. Utuntur eo Æſchylus, Euripides, Gorgias, Plautus Captivis, Cicero 2. de Oratore, *Ut ſementem feceris ita & metes.* Similes ſententias habes Job. 4. 8. Proverb. 11. 18. & alibi. *Serere* Hebræis ſæpe operari, *metere* pœnam aut præmium ferre, Matth. 25. 24, 26. 2 Corinth. 9. 6. & ſequentibus.

8. Ὅτι ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ, *Quoniam qui ſeminat in carne ſua*] *Qui omnia impendia facit in corporis voluptates.* ¶ ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν· *de carne metet corruptionem*] Nam & caro ipſa φθαρτόν τι [*corruptibile quid.*] 1 Cor. 15. 53. meritò talem exitum reperiet, quale eſt id cui ſtuduit. ¶ ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα, *qui autem ſeminat in ſpiritu*] *Qui impendium facit in eas res quas dictat Dei Spiritus.* ¶ ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον. *de ſpiritu metet vitam æternam*] Ἐκ τοῦ πνεύματος [*de ſpiritu*,] id eſt, *propter illum ſpiritum* qui eſt ἄφθαρτος [*incorruptibilis.*] Sic Hebræi מן uſurpant.

9. Τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν· *Bonum autem facientes non deficiamus*] Τὸ καλὸν [*bonum*,] id eſt, primùm ea quæ ſunt juſtitiæ, deinde ea quæ ſunt miſericordiæ: qui illa non facit, ut Galatæ tenaces, hæc multò minùs faciet. Ἐκκακεῖν, *ſegneſcere*: Luc. 18. 1. 2 Cor. 4. 1, 16. Epheſ. 3. 13. 2 Theſſ. 3. 13. ¶ καιρῷ γὰρ ἰδίῳ θερίσομεν, *tempore enim ſuo metemus*] Illo die quem Deus præfinivit. ¶ μὴ ἐκλυόμενοι. *non deficientes*] Participium hoc vim habet conditionis, *modò ne defatigemur*; id enim ἐκλύεσθαι יעף. Sic ſumitur hæc vox Judith. 15. 2. Sirac. 43. 12. 1 Macc. 3. 17. 10. 82. Matth. 9. 36. 15. 32. Marc. 8. 3. Hebr. 12. 3, 5.

10. Ἄρα οὖν ὡς καιρὸν ἔχομεν, *ergo dum tempus habemus*] Aut ἕως ſcriptum fuit, aut ὡς poſitum pro ἕως. Sic ἄχρις οὗ [*donec*] Hebr. 3. 13. *dum manet hæc vita*, ſecundùm cujus actiones judicabimur. ¶ ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, *operemur bonum ad omnes*] *Benefaciamus quibuſvis hominibus*, ut proximis noſtris, ex Chriſti lege. ¶ μάλιςα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίςεως. *maximè autem ad domeſticos fidei*] Οἰκεῖος (*domeſticus*] 1 Tim. 5. 8. בן הבית [*filius familiæ*] *qui de familia alicujus eſt.* Sic Chriſtiani ſunt *de familia Dei*, Epheſ. 2. 19. *familia* autem *Dei*, 1 Timoth. 3. 15. 1 Petri 4. 17. eſt talis per fidem: ideo eadem rectè *fidei familia*, genitivo inſtrumentum ſignificante. Eadem *familia ſpiritualis* 1 Petri 2. 5. quod ſi omnibus fidelibus conſulere debemus, multò magis iis qui in id unum incumbunt, ut nos inſtituant.

11. Ἴδετε πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. *Videte quantis literis ſcripſi vobis mea manu*] In aliarum Epiſtolarum fine quædam ſcribebat ſuâ manu, 1 Corinth. 16. 21. 2 Theſſ. 3. 17. & Coloſſ. 4. 18. cætera manu alienâ, ut videre eſt Roman. 16. 22. hìc verò Paulus ſuâ manu ſcripſit omnia quæ jam ſequuntur, ut rectè putat Hieronymus. Id autem multum erat in homine adeò occupato, &, ut videtur, non multum aſſueto Græcè ſcribere. *Quantis literis*, id eſt, *quàm multis.* Solent adjectiva magnitudinis poni pro adjectivis ad numerum pertinentibus. Sic Græcum τόσοι (*tanti*] utroque ſenſu uſurpatum. Solebat ſuâ manu Paulus ſcribere ſententias quaſdam inſigniores ac perpetuo retinendas.

12. Ὅσοι θέλουσιν εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ, *Quicunque volunt placere in carne*] Id eſt, *qui apud homines magni videri volunt.* Ἐν σαρκὶ [*in carne*] pro παρὰ σαρκὶ [*apud carnem*,] & *caro* pro *homine.* Εὐπρόσωπος propriè *pulcher*, יפה תאר, per tranſlationem *quidquid placet aliis.* Sic λόγους εὐπροσώπους [*verba ſpecioſa*] dixit Demoſthenes. ¶ οὗτοι ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, *hi cogunt vos circumcidi*] Nempe exemplo & doctrinâ. Vide ſupra 2. 3, 4. ¶ μόνον ἵνα μὴ τῷ ςαυρῷ τοῦ Χριςοῦ διώκωνται. *tantum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur*] Σταυρὸν Χριςοῦ [*crucem Chriſti*] vocat incommoda ob Chriſtum ferenda, alludens ſimul ad illud peculiare ſupplicium quod paſſus eſt Chriſtus, inter alia, ut nobis patientiæ exemplum daret. Sic & Philipp. 3. 18. quæ Epiſtola ſub idem tempus ſcripta videtur, & paribus de cauſis. Vide quæ diximus in Præfatione ad hanc Epiſtolam & ſupra 5. 11. *Crux Chriſti* eo modo dicitur, quomodo *perpeſſiones Chriſti* 2 Corinth. 1. 5.

13. Οὐδὲ γὰρ οἱ περιτεμνόμενοι αὐτοὶ νόμον φυλάσσουσιν

Neque

Neque enim qui circumciduntur Legem custodiunt] Non tanto tenentur studio Legis, ut omnia ejus præcepta exactè observent: facilè inveniunt exceptiunculas. Vide quæ diximus Matth. 23. 4. & supra 5. 3. ¶ ἀλλὰ θέλουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι. *sed volunt vos circumcidi*] *Volunt*, id est, in id laborant. Μετωνυμία [*Transnominatio*.] Manuscriptus eodem sensu ἀλλὰ βούλονται. ¶ ἵνα ἐν τῇ ὑμετέρᾳ σαρκὶ καυχήσωνται. *ut in carne vestra glorientur*] *Ut exsultent ex vestro metu carnali.* Ut vestra inconstantia in ferendis incommodis ipsis honori cedat apud Judæos.

14. Ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*] Meum est gaudere, non quòd mutando aliquid doctrinæ incommoda defugiam, sed quòd ob doctrinam tuendam omnia fortiter patiar. Idem sensus 2 Cor. 11. 30. & 12. 5, 9. adde ea quæ Philipp. 1. 29. ¶ δι' οὗ ἐμοὶ ὁ κόσμος ἐσταύρωται, *per quem mihi mundus crucifixus est*] Mores illos hominum mundo servientium ego despicio, quomodo cruciarii ab adstantibus despici solent. Vide Matth. 27. 39. ¶ κἀγὼ τῷ κόσμῳ. *& ego mundo*] Ego ab illis vicissim despicior.

15. Ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ, οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις. *In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*] Οὔτε περιτομή τί ἐστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις [*nec circumcisio aliquid est, nec præputium, sed nova creatura*] dicunt Veterum quidam scriptum fuisse in libro cui nomen ἀποκάλυψις Μωσέως [*Apocalypsis Moysis*:] & iisdem verbis locus hic legitur in Manuscripto. Fortè is liber ab aliquo Christiano scriptus fuerit: nam καινὴ κτίσις [*nova creatura*] locutio est Christiana, ut videre est 2 Corinth. 5. 17. Quanquam res ipsa prædicta Esaiæ 42. 9. significatque statum *novi hominis*, de quo Paulus Coloss. 3. 10. Ephes. 2. 15. Roman. 6. 4. Sensus hujus sententiæ idem qui supra 5. 6.

16. Καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος, *Et quicunque hanc regulam sequentur, pax super illos & misericordia*] In Manuscripto στοιχοῦσιν [*sequuntur*] de qua voce vide quæ supra 5. 25. Locutionem κανόνι στοιχεῖν [*regulam sequi*] habemus & Philipp. 3. 16. sic Michææ 7. 4. in Græco legimus: ὁ βαδίζων ἐπὶ κανόνος [*ambulans in via*.] Κανὼν [*regula*] hic dicitur *via quasi ad regulam facta*, id est, planè recta, *ad rigorem*, ut dicunt mensores. Talis est via illa novæ creationis. *Pax, & misericordia*, id est, felicia omnia à Deo favente. Sic χάριν [*gratiam*] & εἰρήνην [*pacem*] conjuncta habemus, 1 Corinth. 1. 3. 2 Corinth. 1. 2. Ephes. 1. 2. Colossens. 1. 2. 1 Thessalon. 1. 1. χάρις, ἔλεος, εἰρήνη [*gratia, misericordia, pax*,] 1 Timoth. 1. 2. 2 Timoth. 1. 2. ¶ καὶ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ. *& super Israel Dei*] Quasi dicat non ita hæc opto gentibus, ut Israelitas excludam, dummodo iidem etiam *veri apud Deum* sint *Israelitæ*, id est, spirituales Jacobi imitatores, precibus Deum quasi vincentes, malis ut Jacobus exerciti. Vide Joh. 1. 47. Rom. 9. 6. nota τὸν Ἰσραὴλ [*Israel*] cum articulo, quomodo ישראל [*Israelem*] Psalm. 25. 22.

17. Τοῦ λοιποῦ, *De cætero*] Id est, *posthac*. Utitur sic Demosthenes. ¶ κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω· *nemo mihi molestus sit*] *Abstineant quæso me vexare* ii qui Christiani dici volunt. Satis aliunde habeo quod feram. ¶ ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω. *ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*] Circumcisi sunt isti novi Doctores; sum & ego; sed hoc nihili æstimo præ certioribus meæ in Christum fidei *notis*, id est, vibicibus ac cicatricibus *ex plagis illis, lapidationibus*, & *verberibus*, quorum meminit 2 Cor. 11. 23, 24, 25. Similitudinem autem sumpsit à militibus, qui *victuris in cute punctis* signabantur, ut diximus ad Apoc. 13. 16. ubi & vocem στίγματα [*stigmata*] eo sensu ab Æliano sumi ostendimus.

18. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν ἀδελφοί. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro fratres*] In aliis Epistolis dicit: μετὰ πάντων ὑμῶν [*cum omnibus vobis*.] hîc μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν [*cum spiritu vestro*,] ut significet se ea præcipuè precari, quæ non ad corporis commoda, sed ad animi perfectionem pertinent. Eodem modo finit epistola Barnabæ, & eadem est locutio in Liturgia Græca, Latina, & aliis.

ANNOTATA

In Epistolam D. PAULI ad

EPHESIOS.

CAP. I.

VALLA.

2. A *Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo*] *Domino Jesu Christo* legendum esse an *Domino Jesu Christi*, dixi ambiguum esse 1 Cor. 1. 3. Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

5. *Secundum propositum voluntatis suæ*] Paulò post, v. 11. *secundum propositum ejus*, ibi verè est Gr. *propositum*, πρόθεσιν· nunc est *secundùm beneplacitum voluntatis suæ*, εὐδοκίαν. Hoc vocabulum in Euangelio Lucæ transfertur *bona voluntas* 2. 14. cùm dicitur, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntas*, εὐδοκία.

9. *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundùm beneplacitum ejus*] En quod paulò antè transtulerat *propositum*, nunc transfert *beneplacitum*, εὐδοκίαν. Neque Græcè est *ut notum faceret*, quòd absurdum dictu sit Deum nos redemisse *ut notum faceret nobis sacramentum*, imò *noto facto nobis sacramento*, sive *faciens nobis notum sacramentum suum* redemit. *Sacramentum* dicitur Græcè *mysterium*, h.e. *arcanum*, γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον. Neque dicendum fuit *ejus* sed *suum*.

10. *Instaurare omnia in Christo*] Sciamus *instaurare* ab Interprete accipi pro *in summam redigere*, sive *ad caput* vel *ad capita redigere*: ità enim Græcè habetur, ἀνακεφαλαιώσασθαι.

11. *In quo & nos sorte vocati sumus*] Meliùs ii cod. habent in quibus non legitur *nos*. Nec legendum est *in sorte*, sed *in sortem*, h.e. *in partem*: nunc Græcè sic dicitur ut si dicatur *in quo & participati sumus*, ἐκληρώθημεν.

22. *Et ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*] *Super omnia Ecclesiæ* legendum est, ut sit dativi casûs *Ecclesiæ*: ut fuerit ad sensûs lucem sic transferendum, *& ipsum super omnia Caput dedit Ecclesiæ*, ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ.

REVIUS in VALLAM.

9. N*Oto facto*] Deerat *noto*, quod necessariò inserui.

ERASMUS.

IDem in hac epistola Pauli fervor, eadem profunditas, idem omnino spiritus ac pectus: verùm non alibi sermo Hyperbatis, Anapodotis aliisque incommoditatibus molestior, sive id Inter-

Interpretis fuit quo fuit usus in hac, sive sensuum sublimitatem sermonis facultas non est assecuta. Certè stylus tantum dissonat à cæteris Pauli Epistolis ut alterius videri possit, nisi pectus atque indoles Paulinæ mentis hanc prorsus illi vindicaret.

1. *Qui sunt Ephesi*] Τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ. Quod potest & in secunda legi persona, *qui estis Ephesi*. Est autem Ephesus metropolis Asiæ quæ propriè Minor dicitur.

2. *Gratia vobis & pax*] Hieronymus admonet *gratiam* & *pacem* pariter referri ad utrumque, *Patrem* videlicet & *Filium*: posse tamen sic accipi ut *gratia* referatur ad *Patrem*, *pax* ad *Filium*: *ut gratia Patris* intelligatur *in eo quod Filium pro salute nostra dignatus est mittere*; *pax autem Filii in eo quod per ipsum Patri reconciliati sumus*. Hujus cogitationis occasionem præbuit Hieronymo quod inibi mox sequitur, *in laudem gloria gratia sua, in qua gratificavit nos in dilecto*. Certum est enim hunc sermonem ad Patrem pertinere.

3. *Benedictus Deus*] Bifariam potest distingui, *Benedictus Deus*, ut hactenus sit diastole; deinde separatim adjiciatur, *& Pater Domini nostri Jesu Christi*: aut conjunctim, *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi*. *Pater*, quia genuit; *Deus Jesu*, secundùm assumptum hominem. Id annotavit Hieronymus. ¶ *In cœlestibus in Christo*] Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Χριστῷ, *in cœlestibus* (sive *supercœlestibus*) *Christo*: ut sit *Christo* dativi casûs. Ambrosius omittit hanc particulam *in Christo*. Hieronymus legit *in Christo*. Si legis *benedixit nos Christo*, sensus erit, *Benedixit nos in gloriam Christi*. Si *in Christo*, sensus erit, *Per fidem Christi conferri nobis hanc benedictionem*. Atque in hunc sensum interpretatur Theophylactus, quem nuper Athanasium falsò fecerunt: nam is legit ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

4. *Ante mundi constitutionem*] Πρὸ καταβολῆς· quæ vox ità sonat q. d. *ante jacta fundamenta mundi*. Sic admonet & D. Hieronymus, idque verbis compluribus. ¶ *Et immaculati*] Ἀμώμους· quod magis *inculpatos* sive *irreprehensibiles* quàm *immaculatos* significat. Μῶμος enim Græcis *reprehensio* est, sive *Deus reprehensionis*. ¶ *In charitate*] Hæc verba referri possunt ad superiora, ut intelligas *nos inculpatos esse & electos in charitate*; vel ad ea quæ sequuntur, ut accipias *nos prædestinatos in charitate*: quanquam Græci cod. annectunt hæc superioribus. Et hoc annotavit Hieronymus.

5. *Qui prædestinavit nos*] Προορίσας. Hieronymus & Ambrosius legunt, *In charitate prædestinans nos*. Verùm illud *prædestinans* apud Græcos præteriti temporis est, quasi si genus verbi mutari poterat, dixisset *prædestinatos* sive *præfinitos*. Atque hoc sanè loco verè verbum est *prædestinandi*, de quo in Epist. ad Romanos nonnihil attigimus. D. Hieronymus hoc putat interesse inter ὁρίζειν & προορίζειν, quòd prius illud tribuatur iis quæ nunquam non fuerint; hoc posterius, iis quæ cùm aliquando non fuerint, deinde cœperint esse, de quibus si quid decretum aut cogitatum fuerit priusquam essent, *prædestinatio* est: Rursum si quid de Domino Jesu Christo, qui nunquam non fuit cum Patre, neque unquam eum ut esset voluntas paterna præcessit, *destinatio* est. Unde in Epistola ad Romanos de Filio Dei loquens, ὁρισθέντος dixit, non προορισθέντος. ¶ *In adoptionem filiorum*] Græcis una vox, υἱοθεσίαν, quâ significant *eam adoptionem quâ quis in filii locum adoptatur*, ut superiùs admonuimus. Nam & nepotes ac neptes adoptantur. ¶ *In ipsum*] Εἰς αὐτόν, i. e. *in sese*; ut ad *Patrem* fiat reciprocatio: quanquam potest & ad *Christum* referri, sed coactiùs. Nam per adoptionem efficimur *fratres Jesu Christi*, non *filii*, juxta mystici sermonis proprietatem; sed *filii Dei Patris*, velut insiti corpori Christi, & unum cum illo effecti. ¶ *Secundùm propositum*] Κατὰ τὴν εὐδοκίαν, *secundùm placitum*, aut potiùs *secundùm beneplacitum*. Hieronymus putat vocem esse novam, & à LXX. fictam, quò possent explicare quod est apud Hebræos רצון RASON. Porrò, εὐδοκίαν propriè dici ubi quid non solùm placuit sed etiam rectè placuit. Nam placent & quæ non rectè placent. Ambrosius legit *secundùm placitum voluntatis*.

6. *In laudem gloria gratia suæ*] Quidam cod. perperàm addunt conjunctionem, *gloria & gratia sua*, cùm sit δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, *gloria gratia sua*; ut intelligas laudari gloriam gratiæ Divinæ. Atque ità sanè legit Hieronymus. Ambrosius legit *in laudem claritatis suæ*, omissâ mentione *gratiæ*. Nam pro δόξης reddidit *claritatis*, & tamen in enarrando meminit *gratiæ*. δόξαν vertere solet *majestatem*: At Potentiæ magis convenit *majestas*, hic eam tribuit Gratiæ. Mirabilior enim Deus apparuit in redimendo homine quàm in creando. Nusquam Apostolus hic non extollit Gratiam, extenuans Operum humanorum fiduciam, Nunc sunt qui peccent in utramque partem. Medio tutissima via est. Quòd si deflectendum est, tutius est deflectere in partem Gratiæ, quâ glorificatur Christus, quàm Operum nostrorum, quâ glorificantur homines. ¶ *In qua gratificavit*] Ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν. Et *gratificavit* hîc sonat *gratos* sive *charos reddidit*, ἐχαρίτωσεν· unde participium est, κεχαριτωμένη Μαρία. Quòd sicillic vertendum erat *gratiâ plena*, hic vertere debuerat *gratiâ implevit*. Nam *gratificare* vox est Latinis auribus insolens: *Gratificari* est *in gratiam alterius aliquid facere*. ¶ *In dilecto Filio suo*] *Filio suo* apud Græcos & apud Hieronymum non adduntur, ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, *in eo qui dilectus est*: neque enim hic est ἀγαπητός. Ambrosius legit ut Vulgata habet editio, & omnino sentit de Filio. Verùm eum maluit signare nomine *dilecti*, ut intelligeres nos amari à Deo, non ex nostris meritis, sed ob amorem quo Filium prosequitur Pater, cui nos fratres esse voluit. Annotavit hoc diligenter Hieronymus, non esse dictum *dilecto Filio*, (quid enim magni si pater diligit filium?) neque *dilecto præ omnibus*, sed absolutè *dilecto*, in omnibus, ac præ omnibus, & sine quo nemo diligitur cæterorum.

7. *In remissionem peccatorum*] *In* præpositio nec est apud Græcos, nec apud Ambrosium, nec apud Hieronymum, sed oportet annectere casum accusativum per appositionem exponentem. Exponens enim quæ sit illa *redemptio*, subjecit *remissionem peccatorum*. Nam hæc est servitus unde redemit nos Christus. Suffragabatur hic uterque codex Constantiensis.

8. *In nobis*] Εἰς ἡμᾶς, *in nos*. ¶ *In omni sapientia & prudentia*] Hæc vel ad superiora possunt referri, vel ad sequentia, ut sit sensus, *Quam affatim effudit in nos in omni sapientia & prudentia*; sive, *Notum faciens nobis mysterium in omni sapientia & prudentia*. Hieronymus posteriorem hanc distinctionem sequitur.

9. *Ut notum faceret*] Γνωρίσας ἡμῖν, i. e. *Patefacto* (sive *Notificato*) *nobis mysterio*. Interpres & Ambrosius, opinor, legit γνωρίσαι. Hieronymus legit, *Notum faciens*; ut intelligas participium esse, quanquam est præt. temporis. Quod dicam, etiamsi non admodum pertinet ad sensum, tamen haud est meo judicio negligendum. Videntur mihi cæteri parùm animadvertisse quod legitur in Græcorum codicibus: habent enim ad hunc modum, ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει, γνωρίσας ἡμῖν. Verbum ἐπερίσσευσεν hoc loco positum est transitivè, h. e. *exuberare fecit*: alioqui participium γνωρίσας non habet unde pendeat. Verti poterat in hunc modum, *de qua ubertim impartivit nobis patefacto nobis mysterio*, &c. Certè palàm est Chrysost. ac Theophylactum ità sensisse, qui ἐπερίσσευσεν interpretans subjicit, τοῦτ᾽ ἔστι, ἀφθόνως ἐξέχεεν, *id est*, *ampliter effudit*. Gemino augmento auxit Gratiæ magnitudinem, cùm πλοῦτον nominat, & addit non ἔδωκε sed ἐπερίσσευσεν. ¶ *Sacramentum*] Hoc loco *mysterium* significat, μυστήριον. Et Græcâ voce utitur Ambrosius. *Mysterium* autem Græcis dicitur *res arcana*, *neque vulgo efferenda*. Quod quidem deinde translatum est ad res sacras, quas potissimùm silentio veneramur. Hic sentit, Divinam voluntatem de Gentibus ad fidem vocandis superioribus seculis incognitam fuisse mundo, Judæis existimantibus hoc promissum ad se propriè pertinere; at nunc quod latebat, innotuisse. ¶ *Secundùm beneplacitum ejus*] Hieronymus legit *secundùm beneplacitum*, sive *juxta placitum suum*, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ. ¶ *Quod proposuit in eo*] Si legas ἐν αὑτῷ, Alphâ aspirato, significat *in seipso*. Si mavis αὐτῷ, primâ vocali tenui, refertur ad *Filium*, in quo Pater proposuit nos sibi gratificare. Atque hanc sententiam sequuntur Interpretes magno consensu. Hieronymus indicat differentiam inter προορισμὸν & πρόθεσιν, h. e. inter *prædestinationem* & *propositionem* sive *propositum*, quòd illud pertineat ad ea quæ *multo antè* definimus in animo quam fiant, hoc *cùm jam vicina est machinatio*, *ut penè cognitionem sequatur effectus*.

10. *In dispensatione*] Εἰς οἰκονομίαν, *In dispensationem*. ¶ *Instaurare*] Ἀνακεφαλαιώσασθαι *recapitulare*, h. e. *ut in summam conferrentur*. Nam Oratores vocant ἀνακεφαλαίωσιν, *Recapitulationem*, cùm ea quæ sparsim ac fusiùs dicta sunt summatim repetuntur & simul Judici renovantur. D. Hieron. legit *recapitulare*, putatque rectè verbum hoc à Latinis usurpari posse, & miratur quamobrem in Latinis cod. magis habeatur *instaurare* quàm *recapitulare*. Sunt, quorum est Theophyl. & Chrysost. qui interpretantur ἀνακεφαλαίωσιν, ut Christus fieret & Angelorum & Hominum & Judæorum & Gentium Caput: id quod convenit iis quæ paulò pòst sequuntur, *Et ipsum dedit caput*. Atque adeò Græca vox ità sonat, q. d. *ad caput revocare*. ¶ *Quæ in terra sunt*] Τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, *& quæ in cœlis sunt, & quæ in terra*.

11. Quod additur in Græcis cod. ἐν αὐτῷ *in ipso*, nec apud Ambrosium reperio, nec apud Hieronymum, nè apud Theophylactum quidem aut Chrysostomum, certè quod attinet ad enarrationem illorum: nam in contextu addit Theophylactus. Et magis quadrabat *in eodem* quàm *in ipso*: nam Græca vox an-

ceps est, ut intelligas *in uno & eodem comprehendi universa*, & *universam omnium rerum summam ad unum Christum revocari*, & *in uno semel esse quod per partes à multis antè petebatur.* Nisi mavis *per eundem*; ut respondeat ad id quod sequitur, *in quo*, &c. sive *per quem*: ut sit sensus, *Per eundem instaurata omnia, per quem nos quoque sumus adsciti in sortem & communionem.* Jam quod nos legimus *omnia in Christo*, apud Theophylactum legebatur πάντα τὰ ἐν Χριστῷ, i. e. *omnia quæ sunt in Christo.* Quanquam arbitror errore scribæ factum. ¶ *Sorte vocati sumus*] Ἐκληρώθημεν, *sorte electi sumus.* Significat Hieronymus verbum hoc partim à *sorte*, partim ab *hæreditate* dici, quòd κλῆρος ambiguum sit. Ambrosius legit *sortiti sumus*, h. e. in sortem & ad partem hæreditatis sumus adsciti. In libello ad Virgines legit *sorte constituti sumus.* ¶ *Secundum propositum*] Non est Græcis εὐδοκίαν, sed πρόθεσιν. ¶ *Qui operatur omnia*] Τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος. Ambrosius legit *ejus qui cuncta creavit*; si modò scriptura vacat mendo. At Græca vox magis sonat *ejus cujus vi & virtute fiunt omnia*, h. e. omnia agentis ac moderantis, sicut jam sæpius admonuimus; atque hoc pacto nos vertimus.

12. *Qui antè speramus*] Προηλπικότας, *qui antè speravimus.* Hoc D. Hieronymus refert ad præscientiam Divinam, in qua speravimus & antequam mundus conderetur, videlicet motus hâc præpositione πρό. Theophylactus aliò refert; *Speramus jam nunc quæ nobis contingent in futuro seculo.* Aut sperare cœpimus pridem cùm in Christum crederemus. Ambrosius huc deflectit ut pertineat ad *Apostolos*, qui in Judaïsmo quoque versantes tamen spem habebant in Christo, quem ex Prophetarum oraculis exspectabant. Id sequitur Tertullianus lib. Adv. Marcion. 5. legens interim *præsperavimus* pro *antè speravimus.*

13. *In quo & vos cum audissetis*] Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον, *In quo & vos qui audistis verbum.* D. Hieronymus non ineleganter legit, *In quo & vos audito verbo veritatis.* Illud admonendum, apud Græcos in nonnullis cod. primam esse personam *nos*, non secundam *vos.* Etiamsi secùs legisse videntur Ambrosius & Hieronymus, ut ex illorum interpretatione licet conjicere. Theophylactus enarrans non declarat quid legerit, licèt contextus habeat ὑμεῖς & ὑμῶν. Aldina habebat ἡμεῖς & ὑμῶν, mixtis personis. Hispaniensis utrobique secundam personam. Cæteri ab hoc loco faciunt distinctionem, *Qui antè speravimus in Christo*; deinde separatim adjiciunt, *In quo & vos*: ut prius illud referatur ad *Apostolos* sive *Judæos*, secundum ad *Ephesios* aut Gentes. At mihi videtur Paulus hoc loco subitò mutasse personam, sensum magis attendens quàm sermonis leges. Cùm enim dixisset, *ut nos essemus in laudem gloriæ illius*, velut exponens quos dixisset *nos*, nè quis putaret eum loqui tantùm de Judæis, continenter adjecit τοὺς προηλπικότας. q. d. *Cùm* NOS *dico, sentio omnes qui speraverunt in Christo, inter quos sumus & nos.* Atque illud *nos* ità dicit ut suam personam conjungat cum persona Gentium, cùm sit Doctor Gentium. Verùm in hoc sensu nonnihil obstrepit Græca præpositio πρὸ *ante.* Nam si de universis accipiatur qui crediderant in Christum, qui erunt illi qui *antè crediderunt*? Nisi placet sequi sensum Hieronymi, quem calumniatur Ruffinus ut Origenicum quiddam resipientem. Porrò si placet mutare personam, & legimus, *In quo sperastis & vos*, quemadmodum legit Hieronymus (id quod ex illius interpretatione palàm est) nihil est quod nos offendat præpositio; siquidem *antè* referetur ad Judæos, qui priores vocati sunt ad fidem, & priores crediderunt in Christum; deinde secutæ Gentes. Quod si omnino placet prima persona, quemadmodum legunt Græci quidam, tum *ante* præpositio referri potest ad alios postea credituros: nam illi inter Gentes primi crediderant. Nisi mavis accipere confusam Spem quam Ethnici sanabiles habebant, & ante prædicatum Euangelium, etsi nondum noverant Christum, sperabant tamen aliquo modo salutem veluti per somnium. ¶ *Euangelii salutis*] Græcis per appositionem adjungitur *Euangelium*, ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας τὸ εὐαγγέλιον, *qui audistis sermonem veritatis, quod est Euangelium salutis.* Quasi cæteri nihil veri promittant qui præter Euangelium aliquid doceant. ¶ *In quo & credentes*] *Credentes* apud Græcos præt. temporis est, πιστεύσαντες, i. e. *postquam credidistis*, vel *quia credidistis*, sive *accepta fide*, aut *fideles facti.* ¶ *Signati estis*] Ἐσφραγίσθητε· quod significat *obsignati estis*, quemadmodum tabulas obsignamus in pactis: quia postea sequitur de *arrabone*: ut ostendat spem esse certam. Hunc locum adducit Didymus in libello De Spiritu S. ratiocinans hinc, Spiritum S. non *participatione alterius* sed suapte naturâ *sanctum ac bonum esse*, quod in sigillo quo character imprimitur archetypus sit boni: *Si enim*, inquit, *signantur quidam Spiritu S. formam & speciem ejus assumentes, ex his est Spiritus S. quæ habentur & non habent, habentibus illum signaculo ejus impressis. Ad Corinthios quoque idem scribens*, NOLITE, *inquit*, CONTRISTARE SPIRITUM SANCTUM IN QUO SIGNATI ESTIS, *signatos esse contestans eos qui communionem susceperunt Spiritus sancti.* Hæc adduximus ut intelligat lector me non abs re Græcum *obsignandi* verbum annotasse, neu qui philosophari volet in Divinis literis, Græcæ literaturæ expers, ἔξω τῶν ἐλαιῶν, quod dici solet, currat.

14. *Qui est pignus*] Ἀῤῥαβὼν *arrabo.* Atque ità mavult legi D. Hieronymus, existimans non idem sonare Latinis *arrabonem* & *pignus*; quòd *pignus* dari soleat creditori donec solvatur debita pecunia, *arrabo* ceu signum sit & *obligamentum* futuræ possessionis. *Pignus* datur in mutuo; *arrabo* in contractu vendentis & ementis, quò firma sit obligatio. Quòd si tanta est arra quam Deus dat suis, quanta erit res ipsa quam præstabit suo tempore? Et ἀῤῥαβῶνα appellant & Græci, *pignus* ἐνέχυρον, sive *hypothecam.* Et *qui* non *Christum* refert, sed *Spiritum*; h. e. *qui Spiritus est arrabo.* ¶ *In redemptionem acquisitionis*]. Εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, i. e. *in redemptionem acquisitionis*, sive *possessionis*, ut legit Hieronymus, emendans Vulg. editionem, quæ habebat *in redemptionem adoptionis.* Unde conjicere licet nec hanc quâ vulgò utimur eandem fuisse cum ea quam tunc habebat Hieronymus. Verùm ille, quisquis fuit, mihi videtur interpretari voluisse verbum alioquin anceps, *acquisitionis.* Nam sensus est, *Spiritum S. à Deo datum fidelibus velut arrabonem, quo certum scirent fore ut aliquando vindicaret sibi possessionem suam quam redemptione acquisierat.* Proinde nos vertimus *in redemptionem acquisitæ possessionis.* Rem enim quæ acquirebatur ac parabatur *acquisitionem* vocat, ut nos *possessionem* rem possessam.

15. *Audiens fidem*] Ἀκούσας, *auditâ fide vestrâ.*

16. *Cesso gratias agens*] Græcam figuram vertit. Dicendum erat Latinè, *Non cesso gratias agere*: atque ità legit Hieronymus. Ambrosius legit *gratias agendo.* ¶ *Memoriam vestri*] Cur non *mentionem vestrî*, μνείαν ὑμῶν, quandoquidem orantes cum Deo colloquimur?

17. *Deus Domini nostri*] Ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Hìc palàm est Patrem vocari *Deum Jesu Christi*; quod in aliis erat ambiguum. ¶ *In agnitionem*] Ἐν ἐπιγνώσει, *in agnitione*; quemadmodum legit Ambrosius, atque item Hieronymus, annotans emphasin vocis *agnitionis*, quâ agnoscamus olim cognita, sed quæ nosse desierimus aliquandiu, cùm γνῶσις sit eorum quæ priùs incognita nosse cœperimus. Et subindicat hìc nescio quid Platonicum, ex Origenis (ni fallor) sententia, de Patre priùs cognito, cujus per revelationem Spiritûs denuo cœperimus recordari. Verùm nihil erat hìc opus fabulâ Platonicâ. Philosophi *cognoscebant* Deum, sed non *agnoscebant*, h. e. non amplectebantur: quemadmodum multi filii *cognoscunt* quidem patrem, sed non *agnoscunt.* Et his congruunt quæ sequuntur, *Illuminatos oculos cordis.* Nam antè videntes non videbant.

18. *Illuminatos oculos*] Totus hic sermonis contextus parùm cohæret: in quo tamen admiror laborare Hieronymum ut Paulum defendat adversùs eos qui illum calumniabantur quòd imperitus esset Græcanici sermonis, ut qui solœcismis scateret, cùm aliàs sæpenumero ipse fateatur illum Græcè nescisse, idque defendat adversùs eos qui quod Paulus scripserat, *Etsi imperitus sermone*, nolunt modestiæ tribui sed veræ confessioni. Putat autem lectionis ordinem ad hunc modum reddi posse, *Audiens fidem vestram in Domino Jesu, & in omnes sanctos ejus, vidensque excellentiam fidei vestræ in Dominum & in omnes sanctos ejus, non cesso gratias agere, & memoriam vestri facere in orationibus meis, ut Domini nostri Jesu Christi Deus, Pater autem gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis.* Porrò quod sequitur, *Illuminatos oculos cordis vestri*, ità per Hyperbaton reddi posse putat, *Quapropter & ego audiens fidem vestram in Domino Jesu in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, non cesso gratias agere pro vobis, memoriam vestri facere in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis*, &c. At Ambrosius *illuminatos oculos* refert ad verbum *det.* Addit enim de suo *illuminatos habere oculos.* Mirum autem cur Chrysostomus ac Theophylactus hic nullum senserint scrupulum, aut, si senserunt, dissimularint. ¶ *Cordis vestri*] Διανοίας ὑμῶν, *mentis vestræ.*

19. *Supereminens magnitudo*] Τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος, *sublimis magnitudo*, ut Hieronymus; *excelsa magnitudo*, ut legit Ambrosius. ¶ *Operationem potentiæ virtutis ejus*] Κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *secundum efficaciam* (seu *vim*) *potentiæ fortitudinis* (sive *roboris*) *ejus*: nam est *energia.* Ac mox repetit ἐνήργησεν, quod nos vertimus *exercuit*; non ut voluimus, quod ajunt, sed ut potuimus.

20. *Suscitans eum*] Ἐγείρας αὐτὸν, *suscitato eo.* ¶ *Et constituens*] Καὶ ἐκάθισεν, *sedere fecit.* Hieronymus legit *sedere eum*

cum faciens; Ambrosius *collocavit*: nam Græca vox aliàs neutralem, aliàs transitivam habet significationem.

21. *Et virtutem & dominationem*] *Virtus* hic est δύναμις, non ἀρετή· & *dominatio* est κυριότης, quod *autoritatem* sonat ac *jus possidentis*. Atque id magis exprimit Latinis *dominium* quàm *dominatio*. Neque enim de Angelis loquitur tantùm, sed in genere de universis.

22. *Sub pedibus*] Ὑπὸ τοὺς πόδας, *sub pedes*. ¶ *Super omnem Ecclesiam*] Ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, *super omnia Ecclesiæ*: ut *Ecclesia* sit dativi casûs, non genitivi: h. e. *dedit illi ut sit caput Ecclesiæ, præpositus universis*. Atque ità legit Hieron. in Commentariis, consentiens cum Græcis; etsi secùs Ambrosius videatur legisse. Theophylactus enarrans, apertè declarat se legisse quemadmodum nos edidimus, addens sic Christum esse Caput Ecclesiæ ut non solùm excellat membra sua, verum etiam universa condita in cœlo & in terra. In eundem sensum Chrysostomus, sed bifariàm *super omnia*; simpliciter, ut accipiamus *Christum omnibus visibilibus & intelligibilibus creaturis esse superiorem*; aut, *hoc esse supra omnia quæ nobis fecit Pater, quod tale Caput dedit Ecclesiæ*. Nobiscum faciebat vetustior codex Constantiensis, in quo nullo rasuræ vestigio scriptum erat *super omnia Ecclesiæ*.

23. *Et plenitudo*] *Et* conjunctio non est in Græcis cod. nec addebatur in vetustissimo codice S. Donatiani. Suffragabatur uterque codex Constantiensis. Et τὸ πλήρωμα videtur accusandi casu legendum, ut referatur ad *Christum*: ad quod faciunt ea quæ sequuntur; ¶ *Qui omnia in omnibus adimpletur*] Τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, *plenitudo* (sive *impletio*) *ejus qui omnia in omnibus implet*, sive *impletur*: nam participium est verbi medii. Et utroque modo videtur interpretari D. Hieronymus: ut intelligas *corpus*, h. e. fideles, esse *consummationem* ipsius Christi, qui est *Caput*, *qui ità adimpletur ut sit omnia in omnibus*; aut, *ità implet ut omnia fit omnibus*, quæ nunc in singulos, alia in alios, sparsa sunt. Verùm si accipias passivè πληρουμένου, accipi potest τὰ πάντα, i. e. *in omnibus*, ut subaudias præpositionem κατὰ, ut sit sensus, *Christum per omnia adimpleri in omnibus corporis sui membris simul collectis*. Et in hunc sensum interpretantur Chrysostomus ac Theophylactus, ut πλήρωμα sit Ecclesia, & πληρουμένου passivè ponatur.

VATABLUS.

1. *Christi Jesu*] *Jesu Christi*, Vet. ¶ *Fidelibus in Christo Jesu*] Heb. Credentibus in Christum.

2. *Gratia*] *Multiplicetur*.

3. *Benedictus Deus*] Heb. *Sit Deo laus*, &c. ¶ *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo*] Heb. donavit nos omni dono, vel, fructu spirituali, ut locum haberemus in cœlo cum Christo: vel, idque per Christum.

4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*] *Quemadmodum elegerat nos per ipsum antequam jacerentur fundamenta mundi*. ¶ *Immaculati*] *Irreprehensibiles*. ¶ *In charitate*] *Per charitatem*.

5. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum*] *Qui destinavit nos in filios antequam ab utero prodiremus*. ¶ *In ipsum*] *In se*: i. e. in suos. ¶ *Secundum propositum voluntatis suæ*] *Juxta beneplacitum*: i. e. pro bona sua voluntate.

6. *In laudem gloriæ gratiæ suæ*] i. e. Ut illustrior redderetur magnitudo & excellentia benevolentiæ suæ. ¶ *In qua gratificavit nos in dilecto filio suo*] *Quâ gratos nos sibi reddidit per illum dilectum*; *per quem*: Vet. non legunt, *filio suo*.

7. *Secundùm divitias gratiæ ejus*] i. e. Ex copiosa & divite benevolentia sua.

8. *Quæ superabundavit in nobis in*] *Quam ubertim nobis impertivit cum omni*, &c.

9. *Ut notum faceret nobis sacramentum*, &c.] *Patefactâ nobis arcanâ suâ voluntate, juxta beneplacitum suum, quod proposuerat secum*.

10. *In dispensatione plenitudinis temporum*] i. e. Cùm dispensata & constituta ab eo tempora essent impleta. ¶ *Instaurare omnia in Christo*] Vel, *restituere omnia per Christum*. Gr. *ad caput revocare*: vel, *in summam & compendium redigere*. ¶ *In ipso*] *Per ipsum*: vel, *per eundem, non per alium*.

11. *In quo etiam nos sorte vocati sumus*] *Per quem nos etiam in sortem adsciti sumus*: i. e. facti sumus hæredes. ¶ *Qui operatur omnia*] *Cujus vi fiunt omnia*. ¶ *Consilium*] *Decretum*.

12. *Ut simus in laudem gloriæ*] Heb. ut per nos laudetur; vel, celebris reddatur gloria ejus. ¶ *Ante*] *Priores*. ¶ *Et vos*] Sub. *speravistis*: vel, *per quem & hæredes facti estis*. ¶ *Salutis vestræ*] Vel, *de salute vestra*.

13. *In quo & credentes*] Cui [sub: *Euangelio*] *posteaquàm credidistis*. ¶ *Signati estis Spiritu*] *Obsignati estis*: i. e. quasi sigillo apposito confirmationem & (ut ità dicam) certificationem accepistis à Spiritu omnibus credentibus promisso. ¶ *Promissionis*] *Promisso*: sub. *credentibus*, Hebr.

14. *Pignus*] Vel, *arrabo*. ¶ *In redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius*] i. e. Ut certi sitis de redemptione vobis acquisita, ut laudetis gloriam ipsius: i. e. bonitatem & misericordiam, unde sibi gloriam acquirit.

15. *Christo*] *Domino*, Vet. vel, *quam habetis in Dominum Jesum*.

16. *Agens*] *Agere*. ¶ *Memoriam*] *Mentionem*.

17. *Deus*] Hæc vox jungenda est genitivo *gloriæ*, ut *Deum gloriæ* vocet Deum gloriâ & laude dignissimum. ¶ *Sapientiæ & revelationis*] *Sapientiam conferentem & arcana revelantem*. ¶ *In agnitionem ejus*] *In agnitione ejus*: i. e. ut agnoscatis ipsum.

18. *Illuminatos oculos cordis vestri*] *Mentis vestræ*: i. e. Et illuminet oculos cognitionis & intelligentiæ vestræ. ¶ *Vocationis ejus*] *Ad quam ille vocavit*: i. e. quid sperare debeant vocati ab illo. ¶ *Divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis*] i. e. Quàm copiosa sit gloria hæreditatis illius quam paravit Sanctis.

19. *Quæ sit supereminens*] *Quàm sit excellens*. ¶ *Operationem potentiæ virtutis*] *Efficaciam potentiæ fortitudinis*: i. e. efficacem potentiam, Hebr.

20. *Operatus est*] *Exhibuit*, vel, *demonstravit*. ¶ *Constituens*] *Sedere faciens*.

22. *Supra omnem Ecclesiam*] *Super omnia ipsi Ecclesiæ*.

23. *Adimpletur*] *Adimplet*; i. e. qui est is per quem ille qui omnia in omnibus perficit, solet complere & perficere omnia in omnibus.

CASTALIO.

Ephesus fuit civitas mercatoria, admodum frequens ac opulenta, &, sicut Plinius lib. 5. inquit, *alterum lumen Minoris Asiæ*: fuitque valde dedita tum Idololatriæ, præsertim idoli & templi Dianæ, quod plenius describit l. 36. tum & Magiæ, quorum utrumque etiam ex Act. 19. liquet. In ea convertenda Apostolus diu multumque & cum ingenti periculo sudavit, duabus potissimum causis, sicut & Corinthi, ità Spiritu Dei eum regente, motus, nempe quòd cum ob mercaturam & magnitudinem tum ob navigationis commoditatem maxima ibi semper erat hominum frequentia, ut & ibi multos docere ac convertere, & per illos conversos porrò latè per orbem terrarum spargere Euangelium potuerit. Sita enim est in extremo litore Asiæ Minoris, versus Occasum & ferme etiam Meridiem, ut illàc transeundum fuerit navigantibus ex Syria aut Ægypto in Græciam, Macedoniam & Pontum, ac contrà; ac item ex Asia Minore Romam, & vicissim; sicut & ipse Apostolus sæpe proficiscens in Macedoniam aut Græciam, & iterum rediens, illàc transivit. Eisdem commoditatibus ac occasionibus verisimile est ipsum quoque Johannem Euangelistam motum ut ibi diutissimè, sicut omnes Sacri Historici scribunt, docuerit, atque adeò etiam ibidem consenuerit mortuusque sit. Quare ipsemet scribit 1 Cor. 16. *sibi esse illic apertum magnum & efficax ostium* ad prædicandum Euangelium, *& adversarios multos*. Sic & 15. ejusdem narrat *se Ephesi cum bestiis depugnasse*. Quamobrem *ad triennium ibi die ac nocte docuit, patefaciens ipsis omne consilium Dei, & non prætermittens quicquam eorum quæ ad salutem facerent, sed cum obtestationibus & lacrymis omnes instruens & monens*, ut ipsemet affirmat Act. 20. Discedens quoque reliquit eis pro se Timotheum; qui etiam postea ipsorum Episcopus fuisse scribitur.

Quibus ergò de causis eos tam solicitè ac tamdiu docuit, iisdem quoque postea motus tum postremò Hierosolymam navigando eorum Ministros evocans gravissimè de custodienda puritate doctrinæ & urgendo pietatis studio longâ concione Act. 20. monuit, tum etiam aliquanto post Romæ captivus exsistens hanc Epistolam eis scripsit. Quibus tamen causis fortè & illud accessit, quod veritus est ne suis crucibus ac captivitate & aliarum Ecclesiarum piorumque afflictionibus ut à vera doctrina resilirent permoverentur. Fortè quoque timuit ne à Pseudapostolis aliisque impostoribus, qui passim oberrabant etiam per Asiam, præsertim autem in locis opulentioribus, seducerentur; sicut & Galatas non ità nimis procul ab eis dissitos seduxerant. Imo ex epistola priore ad Timotheum Ephesiorum Episcopum apparet, illos turbatores

turbatores ac seductores illic quoque dudum antea fuisse: hortatus enim eum fuerat ut eis resisteret.

Scopus Epistolæ est, ut tanquam brevi moriturus Ephesiis aliisque vicinis tum in memoriam reducat & veluti in perpetuum usum deponat summam veræ doctrinæ, præsertim de Gratia, quam legentes perpetuò contemplarentur, eosque in ea summâ constantiâ retinenda confirmet; tum porrò etiam ut ipsos ad studium honestæ sanctæque vitæ inflammet; quod in illa opulenta mercatoriaque urbe & summa licentia turpitudineque Gentilium vitæ profectò valde fuit necessarium. Hoc verò ipsum ille agit formâ expositionis, non disputationis; sicut in Romanis & Galatis disputando ac confirmando veram doctrinam proposuit.

Ordo porrò partium hic est: Duæ sunt primariæ partes, in quarum priore tribus capitibus contenta agit de Gratia & conjunctis doctrinæ capitibus, sed summâ brevitate: ut sunt, Electio Dei, Justificatio, Fides, Redemptio, & Christi Exaltatio, Peccatum, & Ministerium Apostoli studiumque in ipsis convertendis. Tota verò hæc prior pars potissimùm eò directa est ut non tantum eos doceat de tantis Christianæ Religionis capitibus, sed etiam ipsos confirmet in eis, & inflammet ad summam constantiam ardensque studium proficiendi in recepta religione. Id verò in Primo capite agit, primum commemorando plurima maximaque beneficia quæ à cœlesti Patre ex mera misericordia per Christum acceperint: deinde à spe futurorum bonorum, quæ eis ingentia planè in altera vita reposita essent. In Secundo porrò capite illos eodem inflammat, conferendo ipsorum tristissimum statum in Ethnicismo cum præsenti felicitate in Christianismo. Eum verò statum duplicem facit, seu etiam dupliciter considerat; primum quasi internum, quatenus fuerunt injustissimi tum originali & habituali tum & actuali peccato; deinde externum seu correlativè, quatenus fuerant à Deo, ejus verbo & vera Ecclesia prorsus separati alienique, & vicissim postea in Christianismo eidem arctissimè conjuncti ac consociati. Ulteriùs, in Tertio capite illos ad eundem scopum incitat, ostendendo certitudinem suæ Divinæ legationis & doctrinæ ipsorumque Divinæ conversionis & vocationis, ut qui sit Divinitus ad ipsos & omnes alios Gentiles ablegatus ut eos de vero Deo doceat, ad illum convertat, & eis cœlestes opes per Euangelium & Sacramenta communicet. Postremo, totam istam adhortationem concludit precatione & gratiarum actione, orando eis benedictionem à Domino & omnium veræ pietatis partium donorumque incrementum. In posteriore Epistolæ parte disserens de Nova obedientia, primùm capite Quarto agit potissimùm de servanda Unitate ac Concordia multis argumentis: ubi quasi per digressionem tractat illud sublime mysterium de Christi regimine suæ Ecclesiæ: quo peracto mox hortatur ad exuendum Veterem Adamum cum suis malis operibus, & induendum Novum cum suis bonis effectis. Postea, in Quinto de variis virtutibus ac vitiis disputat: ubi itidem salutare mysterium interserit de Conjugio Christi ac Ecclesiæ. Postremò, sub finem Quinti capitis ac ferme per totum Sextum præscribit singulis ordinibus aut statibus sua officia. Tandem in fine totius Epistolæ redit ad generalem adhortationem, proponens omnibus Christianis communem Armaturam, quâ muniti instructique Christo suo Duci ac Regi contra Satanam, Mundum & Carnem strenuè militare possint debeantque

3. *In rebus Christi cœlestibus*] Ἐπουρανίοις Χριστῷ dixit quomodo in 2 Cor. 10. arma sua vocat δυνατὰ Θεῷ, h.e. *Divinipotentia*, sive *Deipotentia*, ut ità loquar, i.e. *Divinam virtutem habentia*. Ità hic vocat ἐπουράνια Χριστῷ *Christi cœlestia*, h.e. cœlestia & ad Christum pertinentia. Est autem hæc Epistola obscura & in immensas verborum complexiones extensa: quas nos, ubi licuit, secuimus, &, quoad ejus fieri potuit, perspicuitati servivimus.

5. *Destinaverat enim nos adoptioni per Jesum Christum, in eundem*] Ut in ipsum Jesum adoptaremur; h.e. per eum Dei Filium fieremus Dei filii.

13. *Consignati estis sancto Spiritu promissionis*] Qui nobis fidem faciat fore ut nobis promissa præstetur hæreditas.

23. *Complementum omnia complentis in omnibus*] Christus est per quem Deus complet ac perficit omnia.

CLARIUS.

1. SAnctis qui sunt Ephesi] M. Basilius in opere contra Eunomium ait se invenisse in vetustis exemplaribus locum hunc ità scriptum, τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι καὶ πιστοῖς, &c. *Sanctis qui sunt & fidelibus*, &c. non addito illo verbo *Ephesi*, quòd videlicet fideles verè esse dicantur. Plena autem mysteriorum hæc Epistola est.

3. *Omni benedictione spirituali*] Ad differentiam Legis, quæ *benedictiones* quidem dabat, sed *terrenas*; Christus autem & fides in eum dat *cœlestes*. *Omni*, inquit, *benedictione:* quid enim deest? factus es liber à peccato, immortalis, filius Dei, frater & cohæres Christi.

5. *In adoptionem filiorum*] Quæ nimirum adoptio ad ipsum ferret Deum. ¶ *Secundùm beneplacitum voluntatis suæ*] Significat primariam illam & vehementer erga nos affectam voluntatem & salutis nostræ desiderium.

6. *Ut laudetur gloria*] Non contentus fuit dicere *ut laudetur gratia*, sed *gloria gratiæ*. Consuevit enim, cùm magnitudinem rei declarare vult, appellare *gloriam*, quando nihil majus apud homines creditur esse quàm Gloria. Et profectò gloria ingens Divinæ gratiæ ac benignitatis, tantam ostendere erga genus nostrum charitatem. Et paulò pòst appellat *divitias gratiæ*.

10. *Instaurare omnia*] Ἀνακεφαλαιώσασθαι, quasi *recapitulare* (ut sic dicam) h. e. summatim comprehendere & compendiosè instaurare. Nam per incarnationem Filii Dei resurgit natura hominum & incorruptionem induit; & visibilis hæc creatura aliquando liberata à corruptione, sortietur incorruptionem: Addetur cœlis sua perfectio, recepto in Angelorum consortium Homine, ut utrorumque unum Caput sit Christus.

11. *Sorte vocati sumus*] h. e. In sortem ac partem asciti, neque id temere ac fortuitò, sed jam olim prædestinati.

12. *Qui antè speravimus*] *Qui* quasi primitiæ credentium *priores speravimus in Christo:* vel Judæi, *qui antè speravimus* quàm vos potuistis, propter promissiones nobis factas de illo.

13. *In quo & nos*] Illud *in quo* accipitur pro *per quem*, scilicet *Christum:* sicut & ad Hebræos dixit, *locutus est nobis in Filio*, h.e. per Filium. Illud quoque *nos* Chrysostomus legit *vos:* & rectius sanè videtur, & facile fuit variare lectionem etiam in Græco, ut pro ὑμεῖς repositum sit ἡμεῖς. ¶ *Obsignati estis*] Ἐσφραγίσθητε *obsignati estis quasi sigillo quodam*, munere Spiritûs S. quem *arrabonem* vocat, ut ex arrabonis quantitate agnoscatur quanta sit futura hæreditas. Neque idem est *pignus & arrabo*, ut ait Hieronymus, *Pignus*, inquiens, *hoc est*, ἐνέχυρον, *pro mutua pecunia apponitur; Arrabo futuræ emptioni quasi quoddam testimonium & obligamentum datur.*

14. *In redemptionem*] *Acquisitionem* nos appellat, quia nos acquisivit Deus; qui redempti sumus certique de acquirenda possessione æternitatis facti. Arrabo igitur ille, inquit, etiam ad hoc est, ut redimat acquisitam possessionem suam. Illic autem erit pura ac plena redemptio, cùm non solùm à peccatis verùm etiam ab eo ut cum peccatoribus habitent redempti fuerint sancti.

17. *Pater gloriæ*] *Cùm naturæ distinguuntur cogitatione*, ait Gregorius Nazianzenus, *simul distinguuntur & nomina*, *Paulo dicente*, UT DEUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, PATER GLORIÆ, *Christi quidem Deus*, *gloriæ autem Pater: & si enim utrumque simul unum est*, *sed non natura. Sæpe verò ob conjunctionem naturarum permutantur nomina: quare occasionem erroris acceperunt hæretici.* Hic autem locus ad finem usque hujus capitis mirè exprimit magnitudinem Christianæ Philosophiæ ejusque mysteriorum, si quis usquam alius Scripturarum Divinarum locus.

18. *Divitiæ gloriæ*] Vide eminentiam verborum, quibus videtur quasi significare, se non assequi tamen ut excogitet idonea tantæ rei verba. Sicut & cùm pòst ait, *supereminens magnitudo potentiæ ejus in nos, qui credimus secundùm efficaciam roboris fortitudinis ejus.* Ingentem, inquit, ad subigendum sibi mundum & homines jam in ferinam versos naturam exercuit potentiam, quam in primis declaravit *in Christo*, *cùm suscitavit eum à mortuis*, *& sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus*, *super omnem principatum & potestatem*, &c. Apud quos Platones ista reperies?

23. *Plenitudo ejus*] Per omnia enim membra impletur corpus Christi, quia *omnia in omnibus implet*, dum ipse agit in omnibus; vel per omnes homines omnia hæc implet membra. Sive, *plenitudinem & complementum omne suum habet ipsa Ecclesia ab illo, qui omnia in omnibus adimplet.*

ZEGERUS.

5. PEr *Jesum Christum in ipsum*] Εἰς αὐτόν, *in se:* ut ad *Patrem* intelligas fieri reciprocationem.

6. *Gratificavit*] i.e. Gratos & charos reddidit. ¶ *In dilecto Filio suo*] Vetus Interpres non addidit *Filio suo*, ut patet ex Commentariis Hieronymi; sicuti nec habetur in Græcis, nec in paucis aliquot Latinis: non ausim tamen omnino abjicere, tum quòd fortasse à recognitore adjectum sit ex versione antiquissima quâ usus est Ambrosius, tum quòd hoc ubique ferè occupet codices

codices nostros. Smaragdus testatur quidem esse in Latinis, non vult tamen legi.

9, 10 *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cœlis sunt, & quæ in terra*] Sensus & ordo verborum hic est, *Ut quod Deus Pater proposuit ac prædestinavit sacramentum* (sive *mysterium*) *voluntatis suæ, notum faceret nobis, secundum beneplacitum* αὐτῦ *suum*; *in eo*, h. e. per Filium suum, *in dispensata jam plenitudine temporis.* Quodnam verò sit arcanum illud, manifestat dum subdit, *restaurare*, i. e. in priorem statum quasi ad caput revocare, aut, si mavis, ἀνακεφαλαιώσασθαι *recapitulare*, h. e. brevi recapitulatione implere & summatim complecti universa mysteria longo tempore prænunciata, *tam quoad cœlum quàm quoad mundum hunc. Restaurantur* autem *quæ in cœlis sunt*, dum quod in Angelis lapsum est per Homines reparatur. *Instaurantur quæ in terris*, dum qui ad perennem prædestinati sunt vitam, ad ipsam à corruptionis vetustate reducuntur. Potest tamen illud, *in eo in dispositione plenitudinis temporis*, cum iis quæ subsequuntur conjungi; rursus, *in dispositione*, quoniam Græcis est *in dispositionem*, cum *proposuit* construi; item *in eo* potest cum eodem verbo *proposuit* jungi.

11. *Sorte vocati sumus*] h. e. occulto Dei favore, sicuti sors occulto Numinis consilio obtingit. Pro tribus his Paulus unicam vocem posuit ἐκληρώθημεν quam neotericorum alii *in sortem adsciti sumus*, alii *in hæreditatem adsciti sumus* vertunt: nam vox est ad *sortem* & *hæreditatem* ambigua.

14. *In redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius*] h. e. ad redemptionem fidelis populi pretio acquisiti, ut ex hoc etiam Dei gloriam attollamus præconiis.

17, 18. *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis*, &c.] Oro, inquit, *ut Deus Domini Dei nostri Jesu Christi*, idemque *Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientem & revelantem vosque illustrantem in agnitionem sui*, vel *in* ἐπιγνώσει αὐτοῦ *cognitione ejus*, nimirum Christi; *det, inquam, vobis illuminatos oculos mentis vestræ, ut sciatis quæ sit spes.* Hic, uti cernis, clausula *in agnitionem ejus* jungitur superioribus: nihil tamen prohibet quò minùs jungatur sequentibus, *illuminatos oculos in cognitionem Christi.*

22. *Et ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*] Quod in Græcis legitur, adstipulante Chrysostomo simul & Hieronymo, ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, *super omnia ipsi Ecclesiæ*, ità explicat OEcumenius, *Aut super Angelos & Archangelos ipsum Filium dedit caput; aut eum qui est super omnia visibilia & intelligibilia, nempe Christum; aut super omnia bona hoc fecit, ut Filium daret caput.* Quanquam equidem schemate quodam sic dictum puto, quo sublato (nè quid sermo haberet absurdi) sensum nobis dedit Interpres, quemadmodum & alibi in phrasibus Latinis auribus inauditis prudenter simul & eruditè fecit. Et hic unus est (ni fallor) inter cæteros locus qui à reparatore Ecclesiastico mutatus sit in lectionem clariorem pariter & commodiorem, idque ex ea versione quâ usus cernitur Ambrosius. Interpres enim verterat *caput super omnia Ecclesiæ* (ut *Ecclesiæ* sit casûs dativi) id quod adhuc visitur apud Hieronymum, & ex hoc in aliquot Bibliis vetustis. Non inconsultum autem fuerit hoc ipsum adnotare in margine, ut alia nonnulla.

23. *Et plenitudo ejus, quia omnia in omnibus adimplet*] *Plenitudo* quædam & perfectio *Christi* Ecclesia ipsa est, quæ caput suum Christum, *qui implet omnia in omnibus*, absolutum quodammodo reddit & complet quando ei perfectâ dilectione conjungitur. Christus itaque *adimplet in omnibus omnia*, nimirum unus omnium autor, creator & fons; sed prout Caput Ecclesiæ est, & ipse per unita sibi membra perficitur. Licebit etiam πληρουμένου passive accipere, sicuti major habet pars codicum Latinorum. Itaque *Christus impletur ut sit omnia in omnibus*: vel per præpositoriam voculam κατὰ subauditam, *impletur Christus per omnia, in omnibus* corporis sui membris simul charitate conglutinatis.

LUCAS BRUG.

6. IN *qua gratificavit* [*gratificat* o. *glorificavit* o.] *nos in dilecto filio suo.*] Græci libri *filio suo* non legunt; tantùm ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Quamobrem Hieronymus, in hujus loci commentariis, *Nec putandum*, inquit, *quod in Latinis codicibus habetur, scriptum esse, in dilecto filio suo, sed simpliciter, in dilecto.* Consentiunt, qui Hieronymum secuti videntur, Primasius & Sedulius, atque Interpretes Græci, Chrysostomus, Theodoritus & OEcumenius: à quibus non facilè separandus est Theophylactus. Duo Latinorum MSS. Germani latum & Societatis latum, ad hunc scribunt modum; sed, quod vereor, aut ex Græco, aut ex Hieronymi commentario immutata. Cætera omnia, quotquot vidimus, Latina exemplaria *filio suo* addunt: quibus Ambrosiastri, Haymonis, Autoris Glossæ, hujusque scholæ, lectio consonat. Syri habent *per dilectum suum.*

H. STEPHANUS.

4. Ἀμώμους] *Inculpatos.*

6. Τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς] *Gratiæ, quam nobis conferens gratos reddidit.*

8. Ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς] *Quâ exuberavit in nos.*

10. Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ] *Ut in Christo tanquam capite recolligeret omnia*: vide ver. 22.

14. Εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως] *Ad redimendam possessionem partam*: vel, *ad redemptionem acquisitionis.*

22. Κεφαλὴν] Vide ver. 10.

DRUSIUS.

3. IN *cœlestibus*] Sub. *locis*, h. e. in cœlis: ità Theodorus, & bene. Sic infrà v. 20. ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *in cœlis.* Idem Ebraïcè interpretatur במרומים, sed minùs bene. Nam id Græcè potiùs diceretur ἐν ὑψίστοις, ut Job. 16. 19. Sic Job. 31. 2. ממרומים ἐξ ὑψίστων. Sententia quidem est *è cœlo*, sed alia ratio nominis. Nam *cœlum* מרום dicitur quòd in *alto* sit; cujus periphrasis ἐπουράνιος, ut τόπος subaudiatur. Syrus certè hîc habet בשמיא *in cœlo*, sive *in cœlis.* Ἐπουράνιος à Tertulliano redditur modò *cœlestis*, modò *supercœlestis*, ut in De resurr. carnis, cap. 49. *Portemus imaginem supercœlestis*: &, *Alia supercœlestium gloria.* Ex dictis patet ἐν τοῖς ἐπουρανίοις &, ἐν τοῖς οὐρανοῖς synonyma esse. Nam ἐπουράνιοι τόποι sunt ipsi cœli. Sed in במרומים, quod reddunt *in excelsis*, non potest subaudiri מקומות, eò quòd מרום nomen sit substantivum sive, ut Dialectici loquuntur, abstractum: siquidem מרום *altitudo*, τὸ ὕψος. Ergò במרומים verbum è verbo *in altitudinibus.* Notabis autem de cœlo usurpari tam in sing. numero quàm in plurali; unde *Oriens ex alto*, quod Græcè legitur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, & est sensus, *germen è cœlo.* Ebraïcè ממרום צמח.

5. *Juxta beneplacitum voluntatis suæ*] כרצון חפצו κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Dictum ἐκ παραλλήλου, ut *lutum cœni, terra pulveris.* Nam רצון εὐδοκία, item θέλημα, propriè *bona voluntas*, ut εὐδοξία *bona gloria.* Senes τὸ רצון modò εὐδοκίαν, modò θέλημα interpretantur, ut Dan. 8. 4. כרצונו κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ. Sic 11. 3, & 16. Rursum Psal. 30. 7. ubi LXX. ἐν τῷ θελήματί σου, Sym. edidit ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου. Quod noto nè quis existimet multùm differre hæc duo. Si discrimen est, חפץ dicetur *voluntas*, רצון autem *benevola & propensa voluntas.* Sic distingues inter εὐδοκίαν & τὸ θέλημα. Et omnino plus mihi dicere videtur, qui dicit κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ quàm qui dicit simpliciter κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ. Ideo recentior Interpres hîc legit *pro benevolo affectu voluntatis suæ.* Syrus *prout pulcrum fuit*, i. e. placuit, *voluntati ejus.*

6. *Gratificavit*] i. e. *Gratiâ vel voluntate suâ gratos nos sibi fecit in eo. Sic dicitur* GRATIFICAVIT *à* GRATIA *sicut* JUSTIFICAVIT *à* JUSTITIA, Primasius ad h. l. Græcè ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, quod reddunt *nos gratis effecit sibi gratos.* Ebraïcè הרצה *placavit*, quod à רצה: unde & רצון εὐδοκία, θέλημα, χάρις. Vide Prov. 10. 32. & 11. 27. & 12. 2. nam in his locis רצון antiquâ interpretatione χάρις.

9. *Sacramentum voluntatis suæ juxta beneplacitum ejus*] סוד כרצונו חפצו. Hîc notabis *sacramentum* dici quod in Græco μυστήριον, h. e. *arcanum.* Ideo verti סוד. Origo vocabuli Ebraïca est סתר, q. *occultum* & *absconditum* quid. Nam הסתר *absconde*: unde & *Saturnus*, à *latendo.* חפץ θέλημα redditur à LXX. passim, ut Psal. 1. 2. & alibi. רצון autem est εὐδοκία, ut diximus. [illegible] antiquus Interpres, quem *Vulgatum* nuncupant, *beneplacitum* convertit; alii *benevolentiam gratuitam*, & alibi *affectum benevolum* interpretantur. Sign. etiam *favorem.*

10. *Instaurare*] Alius *summatim instaurare*; alius *recolligere.* Scire licet antiquitus hunc locum expositum fuisse de instauratione Angelorum: quod indicat Primasius per hæc verba, *Restaurari non dicitur nisi lapsum: ideo melius si Angelorum gaudium per salutem Hominum restauratum esse dicamus, quod ante habuerunt quàm Homines à justitia penitus declinarent.* Et, *Reparatur in cœlo illa quæ cum Principe suo cecidit, Angelorum portio, per augmentum & societatem sanctorum, de quibus scribitur,* SED SUNT SICUT ANGELI IN COELO.

20. *In cœlestibus*] Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, sub. τόποις. Sic ἐν ὑψίστοις, *in excelsis*, sub. *locis.* Idem aliter. Sed in במרומים non potest subaudiri מקומות, quoniam vox illa sign. *celsitudines* & *sublimitates*, non *loca celsa*, quæ potiùs מקומות מרומים dicerentur. מרום enim

enim est *altitudo*, *sublimitas*, *celsitudo*, i.e. ὕψος, & pro *cælo* usurpatur, ut diximus ad v. 3. Vide, si placet.

21. *Omne nomen quod nominatur*] Vel ad Personam refertur, vel ad Rem ipsam. Si ad Personam, tunc significat Homines celebres, qui *viri nominis* appellantur, quasi ὀνομαστοὶ *nominati*: Si ad Rem, tum sign. *omne id quod exsistit in rerum natura*. Omne enim quod *exsistit*, *nomen* habet; & quod *nominatur*, id *est*. Cui firmando liber More, ubi Moses Cordubensis, qui vulgò *Ægyptius* cognominatur eò quod in Ægypto Medicinam fecerit, observat per *nomen* significari *rei substantiam*. Sanè *nomen Domini* usurpatur pro ipso *Domino*. Qua de re aliàs, si Deus permiserit.

CAMERON.

10. Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα) Duo hîc quæri possunt: 1. Quorum sit ista ἀνακεφαλαίωσις, deinde, Quid illa sit. Sunt autem qui nomine *eorum quæ sunt in cælis* intelligunt animas Patrum in cœlum receptas, eorum nomine verò *quæ sunt in terra* hominum animas nondum corpore solutas. Sed hæc interpretatio videtur nimis arguta; quia si intelligatur reconciliatio cum Deo significatio erit diluta: sensus enim erit, *Christus tam reconciliavit Patres quam nos Deo*. Sed videtur majus aliquid designasse Apostolus, & creaturas omnes divisisse in *terrestres* & *cælestes*, & affirmare Christum ista *omnia esse recapitulatum*, h. e. Angelos & Homines. Itaque dubitandum non est quin Apostolus hic intellexerit Angelos, quorum sedes propria *cælum* est, & Homines, quorum nativa sedes est *terra*, supernaturalis autem *cælum* est *in Christo*. Sanè quod Anima recipitur in cœlum sejuncta à corpore superat naturam: quod Angeli sunt in cœlo non superat naturam; imò nonnisi ob œconomiam & λειτουργίαν versantur in terra. Itaque aptissimè Spiritus cœlestes dicuntur τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, fideles autem τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Sed quid sit hæc ἀνακεφαλαίωσις jam videndum, ac primo quid significet ista vox hoc loco. Putant esse Metaphoram ductam à re Oratoria: nam ἀνακεφαλαίωσις apud Rhetores est *brevis recollectio eorum omnium quæ dicta sunt fusè & copiosè*. Cæterùm non videtur convenire ut Apostolus mutuatus sit ab Oratoribus Græcis & Sophistis locutiones quibus voluerit exprimere rem tantam. Et certè propiùs intuenti ista similitudo non videbitur satis gravis, neque satis familiaris plebi ad quam scripsit Apostolus. Non enim solent Christus & Apostoli uti similitudinibus quæ redolent seculi sapientiam, sed iis quæ sunt familiares & obviæ & penè petitæ à trivio. Itaque ἀνακεφαλαιώσασθαι potiùs eo loco verbum est deductum ἀπὸ τοῦ κεφαλαίου. Est autem κεφάλαιον vox Gr. quæ significat συναριθμησιν *summam plurium numerorum*, quam *caput* liceat appellare: ut in Additione Arithmetica, quæ etiam vulgo manifesta est, summa additionis κεφάλαιον dicitur, in quo plures numeri unum faciunt. Itaque Apostolus dum voluit significare rudibus hominibus unionem nostram cum Angelis per Christum, similitudine usus est perquam familiari: nam & artis Arithmeticæ imperiti, & penè infantes ac pueri, naturæ ductu ἀνακεφαλαιοῦνται. Huc etiam & illud accedit, quòd linguà quæ Apostoli temporibus familiaris erat Judæis (cujus linguæ phrasim ubique ferè sequitur Spiritus S. in N. T.) הסכמה *consensum* significat. Est autem הסכמה à voce Chaldaïca סכום, quæ vox κεφάλαιον *summam numeri* Chaldæis significat (itaque Exod. 5. quo loco agitur de laterum numero præscripto, pro Hebraïco תכן & מתכנת ubique Chaldæus Interpres posuit סכום, i. e. κεφάλαιον *summam numeri*) unde הסכים *convenire* & *consentire* significat, significatione in speciem neutrà, reapse activà: est enim in Hiphil, quæ significationis est activæ. הסכים igitur *convenire* est, ut qui convenit autor sibi sit ut conveniat. Cùm igitur הסכמה *consensum* significat, à סכום quod *summam* significat, nullum dubium est quin intelligatur ab Apostolo coadunatio Angelorum & hominum veluti in unam summam. Nam in ἀνακεφαλαιώσει Rhetorica non est coadunatio in unum, sed brevis multorum repetitio; at in ἀνακεφαλαιώσει Arithmetica unus fit numerus. Hæc ἀνακεφαλαίωσις duo complectitur. Primùm, Homines, qui in prima creatione erant terreni & animales, redduntur (quantum substantia & natura eorum ferre potest citra implicationem contradictionis) ἰσάγγελοι, uti loquitur Christus, quatenus *corpus hoc mortale & animale reddetur immortale & spirituale*, 1 Cor. 15. Deinde, Angeli, perinde atque omnes Dei creaturæ, propter peccatum infensi sunt Homini; at hàc ἀνακεφαλαιώσει Homini reconciliantur, Homo vicissim illis. Unde factum est ut Christo nato Angeli statim advolarint, & Deo gratias egerint, Hominibus autem fuerint gratulati: Indidemque est quòd lætitià singulari perfunduntur quoties conscii sunt pœnitentiæ & conversionis peccatorum. Nam ut Deus creaturam quà est creatura non potest odisse (unde fit ut sublato peccato per Christum reconcilietur creaturæ) sic item boni Angeli, perinde ac pii inter homines, non oderunt malos quà homines sunt, sed quatenus mali sunt. Porrò hæc ἀνακεφαλαίωσις facta est sublatà Lege & peccato per Christum. In cruce nempe discrimen illud abolevit quo Gentes à Judæis distinguebantur, productâ in lucem veritate typorum & umbrarum Legalium, quibus intergerino quodam veluti pariete Judæi à Gentibus segregabantur; & peccatum abolevit, quo Angeli boni ab hominibus malis separati fuerant ac sejuncti. Ergò Christus dicitur *reconciliasse per crucem* Judæos & Gentes, Angelos & Homines, quia occasionem inimicitiarum sustulit in cruce: Hoc autem fieri non potuit nisi Judæi & Gentiles reconciliarentur Deo: ut id fieret tamen nihil opus fuit ut Angeli Deo reconciliarentur. Cujus rei hoc esto obvium & familiare exemplum: In Regno quandoque magna subditorum pars à Rege descisc it, atque ità non modò Regis sed etiam bonorum civium odia in se accersunt: Si mali illi subditi redierint in gratiam cum Principe, continuò fit ut & cum bonis civibus in gratiam redeant, atque ità fit *recapitulatio* quædam, & quæ fuerunt disjecta & dissipata membra in unum coalescunt.

19. Τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος, &c.] Planum est hinc Deum in fidelium conversione singularem quandam vim seu omnipotentiam exserere ad eorum cor flectendum, *qualem exseruit in Christi excitatione à mortuis*. Novatores tamen hunc locum sic conantur eludere ut dicant non agi isthic de fidei generatione, sed de fidelibus qui jam crediderunt; tum etiam non agi de ea vi quà fides gignitur, sed de ea quà & Christus excitatus fuit à mortuis, & nos aliquando etiam excitandi sumus. Sed ad prius illud respondeo, Agi quidem eo loco de fidelibus qui crediderunt, sed & agi de modo quo crediderunt. Etenim si ad fidem conservandam tantà vi opus est, quantò magis eà vi opus fuerit ad eam ingenerandam? Ad posterius verò quod attinet, dicimus liquere eo loco agi de vi quà gignitur fides, non de excitatione nostra à mortuis aliquando futura. Nam priùs meminit Apostolus *divitiarum hæreditatis in sanctis*, quibus verbis haud dubiè intellexit τοὺς τετελειωμένους cœlo receptos; tum subjungit, *& quæ sit erga nos qui credimus*, &c. non dicit *quæ futura sit*, sed *quæ sit*. Tum personam mutavit: non enim dixit ἐν τοῖς ἁγίοις, ut priùs, sed εἰς ἡμᾶς, neque dicit πιστεύσαντας (uti alibi προηλπικότας dixit) sed πιστεύοντας. Tùm sequitur initio capitis sequentis, *Et vos unà vivificavit cum essetis mortui in offensis*; quæ cohærent & connecti debent cum præcedentibus, *quam exseruit in Christo, excitando eum à mortuis*, reliquis quæ interjecta sunt per Parenthesim inclusis.

23. Τὸ πλήρωμα] Hebræum est מלא. Dicitur autem מלא non uno modo in Vet. Test. Nam aliquando πλῆθος significat, *multitudinem*; ut cùm dicitur מלא רעים *multitudo Pastorum* Esa. 31. 4. Significat etiam מלא *id quod implet & occupat* locum, ut cùm dicitur Psal. 24. 1. *Domini est terra*, *& plenitudo ejus*. Et Esa. 42. 10. *plenitudo maris* dicitur. Et Amosi 6. 8. oppidani dicuntur *plenitudo oppidi*. Tertiò πλήρωμα מלא refertur ad mensuram; ut cùm dicitur *plenitudo funiculi* מלא החבל, & *plenitudo pugilli* מלא קמצו Lev. 2. 2. h. e. justa funiculi aut pugilli mensura. Sic & מלא הקנה *plenitudo calami* Ezech. 41. 8. Denique ad staturam refertur; ut cùm Saül dicitur *concidisse in terram* מלא קומתו *plenitudine staturæ suæ* 1 Sam. 28. 20. Atque hæc ultima significatio hic locum habet, tametsi & reliquæ omnes locum habere possint. Nam & Ecclesia multitudo est, & quidem multitudo quæ colligetur aliquando in unum locum, & habet certam quandam mensuram. Attamen Apostolus, cùm vocat Ecclesiam πλήρωμα *Christi*, ad ultimam significationem respexit. Id quod colligere facilè possumus ex cap. 4. hujus Epist. *ex quo* (inquit, Christo nempe) *totum corpus compactum est & connexum*, &c. Et Col. 2. 19. *non tenens caput*, *ex quo totum corpus per nexus & connexiones est coagmentatum*, &c. Itaque cum Ecclesia dicitur *plenitudo Christi*, intelligamus plenitudinem illam quæ est in corpore: huc enim haud dubiè respexit Apostolus. Verum quoniam si Ecclesia est *plenitudo Christi*, Christus videtur esse imperfectus sine Ecclesia, (nam corpus, si desit ei sua plenitudo, imperfectum est) subjunxit Apostolus, Christum esse autorem hujus plenitudinis, cum ait, *qui implet omnia in omnibus*. Nam ut Philosophi dicunt *Animam fabricare sibi corpus*, ità Christus Ecclesiam sibi fabricatur; quamquam longè dispar ratio est. Nam Anima non est perfecta sejuncta à corpore: alioqui resurrectione nihil foret opus. Itaque si (ut dicunt) anima fabricatur sibi corpus, facit id quo indiget: At Christus Ecclesiam quidem sibi aptat, non est tamen indigus Ecclesiæ suæ: Sed quia constituit se unire Ecclesiæ, sibi unire Ecclesiam, id est, esse unum

cum Ecclesia, indè fit ut Ecclesia dicatur etiam *Christi complementum*. Ut si quis constitueret pauperculam ducere in uxorem, nullâ necessitate, sed tantùm quia vult itá vitam instituere, non vult solus vivere: licèt in genere humano (quod indignum est & egens alienæ opis) vix occurrit exemplum quod vel leviter adumbret rem tantam. Ecclesia igitur dicitur *Christi plenitudo*, ex hypothesi nempe, quia Christus sic voluit. ¶ Τοῦ *πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου*] Non est hoc ità accipiendum ac si Christus omnes faceret membra corporis sui; nempe videmus rem multò aliter evenire: neque enim omnes sunt Christi membra: sed quod de Apostolis Christus dixit, *Novi quos elegerim*, latissimè patet. Quid igitur sibi volunt verba illa, *quæ omnia in omnibus implet*? Nempe quod nos significamus (neque enim Apostolus loquitur obscurè aut ambiguè) cùm dicimus *Solem omnia illustrare*, nempe hoc tantùm volumus significare, nihil illustrari quod Sol lumine suo non illustrarit. Et certè nihil aliud voluit Apostolus. Ut si quis dicat, *Deum omnia bona omnibus concedere*, nemo hinc colliget, si sanus sit, Deum in omnibus eadem operari bona: tantùm sic loquendo significamus nihil esse boni quod non oriatur à Deo; Deum esse autorem omnis boni. Sic vult Apostolus omnem plenitudinem esse à Christo; non vult omnes participes esse hujus plenitudinis quæ est à Christo. Ubiquitariorum autem glossema contemnendum est, qui hinc probare corporis Christi *πανταχουσίαν* volunt. Non enim hic agitur de impletione creaturarum inanimatarum, sed de complemento corporis Christi.

JAC. CAPPELLUS.

10. UT *pro dispensatione plenitudinis temporum*] h.e. Pro dispensatione temporum quæ Deus destinaverat complemento Prophetiarum. Venit enim Christus eo seculo quo, siqua Prophetia nondum erat completa, tum certè complementum suum obtinere debuit & obtinuit. ¶ *Omnia sub unum caput recolligeret in Christo*] Hæc actio videlicet Patri tribuitur omnia Filio suo subjicienti, & hujus ipsius subjectionis beneficio facienti ut omnia quæ sic Filio subjiciuntur etiam unum sint per Filium & in Filio.

GROTIUS.

1. ΠΑῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Paulus Apostolus Jesu Christi*] Epistola hæc semper inter eximias est habita, scripta ab Apostolo jam diu functo Apostolicum munus, cùm in vinculis esset Romæ, ad Ephesios, civitatem Asiæ præcipuam, è qua urbe multi viri docti & in sæculi rebus sapientes prodierant. Itaque sollicitè ostendit quantum omnes doctrinæ sordere debeant præ Euangelio, cujus sublimitatem admirandis & verè Apostolicis cogitatis exprimit. Apostolicam autem dignitatem sibi adscribit, & in hac, & in aliis epistolis, cogente re, quod multi essent qui ipsum docendi munus à Petro, Johanne & Jacobo accepisse dicerent, eorumque nomine, quanquam ipsis illis nolentibus, uterentur, ut rituum Judaicorum servitutem iis qui è Gentibus vocati erant, imponerent. Pertinet autem maximè hæc epistola ad demendam auctoritatem iis qui eruditionis extraneæ nomine se venditantes ob id *Gnostici* vocabantur: Cujus argumenti est & ad Colossenses huic planè germana, & illa ad Titum, utraque ad Timotheum, Petri altera & Judæ. Scripsit Paulus eodem planè exemplo epistolam ad Laodicenses, ut ex Tertulliani libris contra Marcionem colligere est. Et illa fortè est epistola *Λαοδικείας*, id est, *Laodicensibus scripta*, cujus mentio Coloss. 4. 16. ¶ *διὰ θελήματος Θεοῦ*, *per voluntatem Dei*] Non humano arbitratu factus Apostolus. Sic & 1 ad Corinth. 1. 1. & 2 Corinth. 1. 1. & Coloss. 1. & 2 Timoth. 1. idem valet quod expressius initio ad Gal. *οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ διὰ ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ*, *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum*. & initio prioris ad Timotheum, *κατ' ἐπιταγὴν Θεοῦ Πατρὸς καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, *secundum imperium Dei Patris & Servatoris nostri Jesu Christi*. ¶ *τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ*, *omnibus Sanctis qui sunt Ephesi*] Sic appellat non coelibes tantùm, sed & conjugio sanctè utentes. Vide infra 5. 22. & sequentibus. ¶ *καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*. *& fidelibus in Christo Jesu*] Πιστὸς Græco sermone propriè est *qui fidem præstat, ac pollicita sua rata facit*. A scriptoribus Græcis Novi Fœderis sæpe sumitur in sensu minùs proprio, ut *πιστεύοντα credentem* significet, ut videre est Johan. 20. 27. Actor. 10. 45. 16. 1. 1 Timoth. 4. 3, 12. 5. 16. Tit. 1. 6. Sed hoc loco rectiùs & significatu illo magis proprio sumi, quomodo Matth. 24. 45. 25. 21, & 23. Lucæ 12. 42. 16. 10, 11, 12. 19. 17. 2 Timoth. 2. 2. & de Deo 2 Corinth. 1. 18. 1 Thessal. 5. 24. 2 Thessal. 3. 3. 2 Timoth. 2. 13. Hebr. 10. 23. 11. 11. 1 Petri 4. 19. quia post titulum *sanctorum* melius subjungitur titulus qui constantiam in sanctimonia significet, quàm qui assensum Euangelio habitum. Eodem modo *πιστοὶ* [*fideles*] dicuntur qui ante *κλητοὶ* & *ἐκλεκτοί*, *vocati & electi*, Apocal. cap. 17. 14.

2. *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ*. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*] Favorem eis Dei Christique optat, &, quæ ei connexa est, veram felicitatem, quam nostri scriptores ad Hebræorum exemplum *pacis* nomine appellant.

3. *Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi*] *Εὐλογεῖν benedicere*, & *laudare* significat & *benefacere* (ut Jobi 42. 12. & alibi,) quia nimirum id ex benevolo proficiscitur animo, non minùs quàm bona dicta. Ita sæpe similia similium obtinent nomen. ¶ *ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ*, *in omni benedictione spirituali*] Non illis nos beneficiis affecit quæ ad hanc vitam spectantia Hebræis Deus promiserat, tum alibi, tum Deuteronomii 7. 13. sed æternis ac cœlestibus: ideo addit, ¶ *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ*· *in supercœlestibus in Christo*] Illa in terris peragebantur, Exod. 3. 8. hæc nos & spe & jure in cœlo collocant, Matth. 5. 3, 10. Philip. 3. 20.

4. *Καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ*, *Sicut elegit nos in ipso*] Rem novam esse Euangelium objectabant & Judæi & Pagani. Ideo multis in locis ostendit fluxisse hoc ex vetustissimo decreto, quod sæpe & ex typis veteribus & ex prædictionibus probat. *Eligere*, ut in sermone communi, ita in Sacris Literis, varios habet significatus. Est electio ad vitam suavem & diuturnam, ad possessionem terræ uberrimæ, ad legis cognitionem, ad regnum, ad sacerdotium, ad prophetiam, ad libertatem reditumque in patriam, ad alia. In Novo autem Fœdere electio itidem multa significat; ut est electio ad Apostolicum munus, ad legationem aliquam, ad functionem Diaconi. Sæpe *electio* significat approbationem eorum qui Euangelio credunt, ut videre est maximè Jacobi 2. 5. quò rectè referas & illa 1 Cor. 1. 27, 28. & 2 Thessal. 2. 13. & ad Romanos multa. Hoc verò loco videtur significari vocatio per Christum sive per Euangelium ejus: sicut contra illa credentium electio, *vocatio* interdum dicitur, ut 1 Corinth. 1. 24, & 26. Non immeritò autem *electionis* voce indicatur beneficium illud eximium, reservatum iis qui Messiæ temporibus aut non multò post erant victuri, & spectatores futuri tot miraculorum ac donorum Spiritûs Sancti. Sic *ἐκλογῆς* [*electionis*] vox sumitur 1 Thessal. 1. 4. Sed & hoc hic notandum est, hic non ipsam vocationem designari, sed de vocandis Judæis & Gentibus, atque inter eas etiam Ephesiis, decretum, per *μετωνυμίαν* [*transnominationem*] satis frequentem, quæ consilio dat effectûs nomen. Simili fermè modo Paulus 2 ad Timoth. 1. 9. ait, *χάριν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων*, *gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia*. Et mox dicturus est, cap. 2. 6. *nos à Deo collocatos in locis cœlestibus per Christum*: quem in sensum & Augustinus locum Johan. 17. 5. exponit. ¶ *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, *ante mundi constitutionem*] Non temerè quibusvis Dei decretis adjectam hanc notam reperias, sed eximiis, comparatione ab iis sumpta qui domum structuri omnem ejus usum animo sibi præfigurant, & ad id cuncta dirigunt. Vide Matth. 25. 34. Johan. 17. 24. 1 Petri 1. 20. Sic *ἐξ αἰῶνος à seculo*, Ecclesiast. 1. 4. *ἀπ' αἰῶνος* Actor. 15. 18. *ἀπὸ τῶν αἰώνων*, *à seculis*, hâc epistolâ 3. 9. & Coloss. 1. 26. *πρὸ τῶν αἰώνων*, *ante secula*, 1 Corinth. 2. 7. *πρὸ χρόνων αἰωνίων*, *ante tempora secularia*, 2 Timoth. 1. 9. Tit. 1. 2. Hôc sensu ajunt Hebræi Legem, Nomen Messiæ, & Pœnitentiam fuisse ante Mundum conditum. Vide, si libet, titulum Thalmudicum de Votis & Rabbi Israëlem. *καταβάλλεσθαι*, est *jacere fundamentum*. Ab ea similitudine *καταβολὴ κόσμου*, *initium Mundi conditi* locis jam dictis & Matth. 13. 35. Lucæ 11. 50. Hebr. 4. 3. 9. 26. Apocal. 13. 8. 17. 8. ¶ *εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ*, *ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate*] Ἔλλειψις [*defectus*] vocularum *εἰς τὸ* vel *πρὸς τὸ*, ut sæpe. Huc scilicet spectat & decretum vocandi, & ipsa per Euangelium vocatio, ut qui vocationi obtemperant, eximia quadam fulgeant probitate atque innocentiâ quæ Deo placeat, procedens quippe ex animo Deum diligente, tum ob beneficia jam præstita, tum ob sperata ab ipso præmia. Bene ad hunc locum Chrysostomus, Ἵνα τοίνυν μὴ, ἀκούσας ὅτι ἐξελέξατο, τὴν πίστιν ἀρκεῖν νομίσῃς μόνον, καὶ τὸν βίον προστίθησι. *Ne igitur, cùm audis Elegit, fidem solam sufficere existimes, adjecit & vitam*. Sicut quidam sunt *ἄμεμπτοι*, *sine querela*, secundùm Mosis legem, Lucæ 1. 6. Philip. 3. 6. sic sunt quidam secundùm Euangelii præscripta *ἄμεμπτοι*, Philip. 2. 15.

1 Thess.

1 Thess. 2. 10. 3. 13. *ἀμέμπτοι* sive *ἄμωμοι immaculati* hic infra 5. 27. Philipp. 2. 15. Coloss. 1. 22. 2 Petri 3. 14. Judæ 24. Apocal. 14. 5. abstinentes scilicet ab omnibus illis culpis quæ hominem ab Euangelico Fœdere excludunt, quo sensu etiam dicuntur *non peccare*, 1 Johan. 3. 6, 9.

5. *Προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν, Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum*] Hoc & hic & alibi sedulò agit Apostolus, ut ostendat ex multo ante constituto venisse quæ tum dispensabantur. Ea antecedens constitutio vocatur *προορίζειν*, *prædecernere*. *Πρόθεσις propositum*, interdum & *πρόγνωσις præcognitio*. Prima vox legitur Actor. 4. 28. ubi de provida permissione & directione agitur, Roman. 8. 28, 30. 1 Corinth. 2. 7. & mox vers. 11. Alterius vocis verbum Roman. 3. 25. & hic mox v. 9. nomen inde factum Roman. 8. 28. & 9. 11. & hic mox 3. 11. Tertiæ verbum hoc sensu (est enim ubi *approbationem* magis significat) 1 Petri 1. 20. nomen autem Actor. 2. 23. ubi itidem de provida permissione ac directione sermo, & 1 Petri 1. 2. Talium autem antecedentium constitutorum cùm sit mentio, conditio non semper additur, quippe quæ ex ipsa negotii natura, sæpe & ex verbis præcedentibus, & ex sequentibus seriis admonitionibus, satis potest intelligi. Sic Paulus dicit Romanis 1. 13. *προεθέμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, proposui venire ad vos*: nempe si negotia magis necessaria id patiantur. Sic Roman. 8. 29. quo capite de malis sufferendis agitur, *Καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, Prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, id est, decrevit ut & ipsi ad summa bona perveniant, eadem quâ Christus viâ, modò scilicet crucis signa non deserant, ut ante dixerat 8. 17. *εἴπερ συμπάσχομεν, si tamen compatimur*. Paulus ad Apostolicum munus Deo sepositus, Galat. 1. 15. sed nimirum ita, si non inobediens esset cœlesti viso. Actor. 26. 19. Eidem & comitibus promissa in summo maris periculo salus Actor. 27. 24. si & ipsi scilicet, quod in ipsis erat facerent, nautas in navi retinerent, 27. 31. alimentis uterentur, 34. jactum facerent, 38. natarent, 43, 44. Ita hic dicit ante constitutum à Deo, ut illos vocatos non tantùm ex inimicis amicos faciat, sed & sibi (nam *εἰς αὐτὸν, in ipsum*, hic & alibi valet *αὐτῷ sibi*, id est, *ei*) filios adoptet, pro filiis habeat tractetque per & propter Christum, nempe si vocationi, ut debent, obediant. Ita passim conditiones tum ex rei qualitate, tum ex locis aliis plurimis & clarissimis, tacitæ pro expressis haberi debent. Hieronymus ad hunc locum, *Hoc prædestinavit ut haberent potestatem filii Dei fieri homines, qui credere voluissent.* ¶ *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, secundùm propositum voluntatis suæ*] *Εὐδοκία* & *εὐδοκεῖν*, ubi absolutè ponuntur, id est, non addita præpositione personæ nomen regente, aut aliqua re simili, *decretum* significant, ita liberum ut ejus rationem aliquis alteri reddere non teneatur. Lucæ 12. 32. Roman. 15. 26, 27. 1 Corinth. 1. 21. Galat. 1. 15. Coloss. 1. 19. 1 Thessal. 2. 8. Matt. 11. 26. Lucæ 10. 21. Sic & 2 Maccab. 14. 35. Si quis quærat cur Deus tanta illa bona illorum temporum hominibus impartiverit, pro Deo responderi potest, *Non licet mihi de meo facere quod volo?* Matth. 20. 15. *& miserebor cujus miserebor*, Roman. 9. 15. Sic חפץ poni de decretis quorum causa ignoratur notat Abrabaniel ad Esaiam 53. 10. Servius ad initium tertiæ Æneidos, *Quotiescunque ratio vel judicium non apparet*, SIC VISUM *interponitur*. Sic Mundum à Deo conditum *ἐξ εὐδοκίας, ex lubitu*, ait Rabbi Israël ex Rabbi Josepho filio Carnitolis.

6. *Εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, in laudem gloriæ gratiæ suæ*] Non hic finis Dei primarius indicatur, sed id quod æquum est nos pro summis beneficiis Deo reddere 1 Petri. 2. 8. 1 Cor. 6. 19, 20. Neque verò quicquam à nobis proficisci potest, quod naturæ nostræ sit convenientius, aut Deo gratius. Vide Psal. 50. 14. & sequentibus. Agitur autem hic de ea laude & gratiarum actione quæ statum adoptionis consequitur. ¶ *ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, in qua gratificavit nos*] *Χάρις* est *beneficium*, *χαριτοῦν afficere beneficio*, respondens planè Hebræo חן. Est autem *ἐν χάριτι χαριτοῦν gratificari gratiâ* Hebraïcus *πλεονασμός, abundantia sermonis*, aut potiùs locutio *ἐνεργητική, efficax locutio*, ut *morte mori*, *servitutem servire*, & mille ejus generis alia. ¶ *ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, in dilecto*] *Ἐν* pro *propter*, ut infra 3. 13. & alibi. Sicut Deus in Fœdere Veteri sæpe se benefacere ait Hebræis *propter Abrahamum*, *Isaacum*, *Jacobum*, *propter Mosem*, *propter Davidem*; ita in Novo Fœdere benefacit credentibus in Christum *propter Christum*, quo nullum amavit ardentiùs. Vide Matth. 3. 17.

7. *Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*] *Remissionem peccatorum* optimè hic interpreteris Clementiam Dei in eo spectatam, quod cum ob plurima & gravia peccata vias nobis ad pœnitentiam præcludere jure suo potuerit, id tamen non fecerit, imò novas & inauditas ad id vias hominibus patefecerit. Vide quæ dicta ad Lucam 23. 34. Quanquam autem vox *ἀπολύτρωσις* [*redemptio*] tralatione quadam ad liberationem quamvis referri interdum solet, in hoc tamen argumento talem intelligi liberationem quæ non sine magno impendio fiat, ostendit locus Matth. 20. 28. ubi Christi vita nobis impensa *λύτρον redemptio* dicitur. Philo, *Ὁ σπουδαῖος τοῦ φαύλου λύτρον, Vir bonus hominis mali redemptio.* ¶ *κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ. secundùm divitias gratiæ ejus*] Id est, *pro uberrima sui bonitate*, ut & infra 2. 7. Sic *πλοῦτος χρηστότητος*, *divitiæ bonitatis*, Rom. 2. 4. *πλοῦτος δόξης divitiæ gloriæ*, Rom. 9. 23. & infra hic v. 18. & 3. 16. & Colos. 1. 27. Sic & *πλοῦτος πληροφορίας τῆς συνέσεως*, *divitiæ plenitudinis intellectûs*, Coloss. 2. 2.

8. *Ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς, qua superabundavit in nobis*] *Περισσεύειν abundare*, alibi de eo qui accipit aut habet dicitur. Hic verò ut & 2 Cor. 9. 8, & 12. & 1 Thess. 3. 12. de liberaliter dante. ¶ *ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει· in omni sapientia & prudentia*] Eò scilicet quod nobis omnem eam sapientiam & cognitionem dedit quæ ad salutem sufficit, quæ *φρόνησις δικαίων*, *prudentia justorum*, Luc. 1. 17. Hunc sensum monstrant & explicant quæ sequuntur. Opposita hæc sunt ei eruditioni de qua Græci & Asiatici gloriabantur.

9. *Γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ*] *Μυστήριον θελήματος*, *sacramentum voluntatis*, Hebræo loquendi genere est *consilium arcanum*, id est, quod diu latuit. Sic *μυστηρίου sacramenti* voce intelligi *τὸ ἀγνοούμενον, id quod ignotum est*, in epistolam ad Romanos 11. 25. & 1 Cor. 15. 51. notavit Chrysostomus. *Sacramentum voluntatis* vertit Tertullianus. Fuerat hoc consilium diu non hominibus tantùm, sed & Angelis ignotum. 1 Petr. 1. 12. Justinus epistola ad Diognetum, *Ἐννοήσας δὲ μεγάλην καὶ ἄφραστον ἔννοιαν, ἣν ἐκοινώσατο μόνῳ τῷ παιδί· ἐν ὅσῳ μὲν οὖν κατεῖχεν ἐν μυστηρίῳ καὶ διετήρει τὴν σοφὴν αὐτοῦ βουλὴν, ἀμελεῖν ἡμῶν καὶ ἀφροντιστεῖν ἐδόκει· ἐπεὶ δὲ ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ ἀγαπητοῦ παιδὸς καὶ ἐφανέρωσε τὰ ἐξ ἀρχῆς ἡτοιμασμένα, πάνθ᾽ ἅμα παρέσχεν ἡμῖν. Expende autem magnum illud & inexplicabile consilium quod soli aperuit Filio. Quamdiu in arcano clausit secumque continuit sapientem voluntatem, negligere nos & extra curam suam ponere videbatur. At ex quo per dilectum filium aperuit & manifesta nobis fecit quæ ab initio præparaverat, unà omnia nobis præbuit.* & quæ sequuntur. Quod autem hoc fuerit consilium, explicant sequentia. ¶ *κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ· secundùm beneplacitum ejus quod proposuit in semetipso*] Sæpe aut iisdem aut mutatis verbis inculcat, & ex libero hoc decreto fluere, & ex antiquissimo: illud, ne Deum suo jure utentem ad rationes vocemus: hoc, ne suspecta sit novitas, ac ne Judæi se antiquitate jactent. *ἐν αὐτῷ* est hic ut alibi sæpe *ἐν ἑαυτῷ intra se*.

10. *εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, ad dispensationem plenitudinis temporum*] *Οἰκονομεῖν* est *penum asservatam distribuere*, ut Lucæ 16. 2. & sequentibus. Latinissimè id dicitur *dispensare*, unde *munus dispensatorum*. Sic consilii illius distributio in Judæos & Gentes *οἰκονομίας*, *dispensationis* dicitur nomine 1 Cor. 9. 17. Hîc infra 3. 2. Et in illa ad Colossenses, hujus epistolæ velut consanguinea, 1. 25. & 1 Tim. 1. 4. Ideo retinuerat apud se illud Deus, ut convenienti tempore publicaret. *Πλήρωμα τῶν καιρῶν, plenitudo temporum*, quod & *πλήρωμα χρόνου* Gal. 4. 4. est tempus illud quo vaticinia pleraque ac potissima impleta sunt eventumque habuere. ¶ *ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, instaurare omnia in Christo*] *Ærum collectio* sive *summa κεφάλαιον* Græcis, Hebræis est [illegible] aut [illegible], Chaldæis [illegible], unde verbum Chaldaicum [illegible], *ἀνακεφαλαιοῦν*, *colligere æra*: quæ voces deinde per tralationem à simili ad qualemcunque collectionem cœpere aptari. Sic qui dispersos milites in unum agmen contrahit rectè dici potest *ἀνακεφαλαιοῦν*· quæ significatio huic loco maximè convenit. *Τὰ πάντα omnia* intellige *τὰ νοερὰ*, *intellectu utentia*: *ἐν τῷ Χριστῷ, in Christo*, id est, sub Christo duce. ¶ *τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, quæ in cœlis*] Antea inter Angelos factiones erant & studia pro populis. Vide Danielem 10. 13. Et adde Jobum 4. 18. & ea quæ de Angelis dicit Hieronymus adversùs Jovinianum 2. & Maximus in dialogo. Ea sustulit Christus, Rex factus etiam Angelorum, unum ex tot populis sibi populum colligens, cui Angeli ministerium nunc debeant, Hebr. 1. 14. Vide exemplum Actor. 5. 19. 12. 11. 16. 26. 27. 23, 44. Adde Matth. 18. 10. & 1 Cor. 11. 10. ubi de Angelis orationis agitur quorum & liber Hebræus Chasidin meminit, & Tertullianus

libro de Oratione. Et Cyprianus de Mortalitate. Philo περὶ Φιλανθρωπίας, *de humanitate*, eosdem vocat ἐφόρους κατὰ τὴν σοφῶν ἐμπειρίαν, θεασαμένους μή τι τῆς ᾠδῆς ἐκμελές, *inspectores, ut docet sapientum experientia, ne quid in cantu sit absonum.* Ad Christi regnum, quod in Angelos est adeptus, nonnulli referunt id quod est Coloss. 1. 16. quia κτίζειν *creare*, sæpe ordinationem novam significat. Certè ut pleraque epistolæ ad Colossenses cum hac epistola congruunt, ita & locus iste huic lucem adferre & vicissim ab eo lucem mutuari videtur. Angeli infensi Gentibus ob idololatricos cultus favent iisdem ad Christum conversis. ¶ καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· *& quæ in terra sunt*] Judæos & ex Gentibus genitos, quotquot vocationi obtemperant, rupto intersepto: sublato insuper odio quod maximum fuerat. Nam sicut Judæi illos alienigenas habebant pro hominibus abominandis, in quos nec homicidium nec adulterium committi posset, cùm ipsos ducerent feris deteriores, & nuptias eorum innuptas, ut ex Josepho Albo, Mose Maimonide, Bachai & aliis in explicatione Deut. 21. 11. discimus; ita vicissim hi Judæos habebant pro hostibus deorum immortalium, ut Cicero pro Flacco nos docet, & pro violatoribus humanæ societatis, ut ex Apollonio Molone, Diodoro Siculo, aliisque multis apparet. Quòd si Deum respicimus, per multa sæcula soli Judæi Dei populus: nunc omnes in Christum credentes Christi, & per Christum Dei populus. Judæi ipsi quoque, contemta vera pietate, & in solis ritibus positâ inani fiducia, plerique Deo invisi. Nunc mutata omnia: conciliati & Deo & inter se utriusque generis homines, qui vocationi paruere.

11. Ἐν αὐτῷ, *In ipso*] Satis fuerat quod præcessit ἐν Χριστῷ [*in Christo*,] sed repetere id voluit, quò magis animis legentium imprimeret, unum esse cœlitum & terras colentium, piorum scilicet, Regem, Matth. 28. 18. ¶ ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, *in quo etiam nos sortem adepti sumus*] *Per quem & possessionem*, id est, *jus cælestia possidendi adepti sumus.* Κληροῦν dicitur qui alteri dat possessionem, κληροῦσθαι, qui eam accipit. Jus autem ad rem rei nomine appellatur. Loquitur autem hic propriè de Judæis qui priores sunt vocati, Matth. 10. 5. 15. 24. Actor. 13. 46. mox ad alios credentes deducturus orationem, ut rectè observavit Tertullianus adversùs Marcionem libro quinto. ¶ προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν, *prædestinati secundum propositum*] Quod generaliter supra dixerat, id distributo humano genere in duas partes Judæis, ut priùs vocatis, priùs aptat: itaque idem hic est πρόθεσις, *propositum*, quod supra εὐδοκία [*beneplacitum.*] ¶ τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ· *ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*] Circumlocutione ad rem valde appositâ Deum designat, ut intelligamus revelationem Euangelii (de eo enim & rebus inde pendentibus hîc agitur, ut solet vox τὰ πάντα, *omnia*, ad id negotium de quo agitur adstringi) fluxisse non ex alio fonte, quàm ex liberrima Dei constitutione.

12. Εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *Ut simus in laudem gloriæ ejus*] Unde fit ut nostro ministerio ipse meritissimas laudes assequatur. Vide quæ supra. ¶ τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ Χριστῷ. *nos qui ante speravimus in Christo*] Nos scilicet Judæos.

13. Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν· *In quo & vos cùm audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ*] Vos nimirum Ephesii Christiani jam facti. Euangelium, λόγος ἀληθείας, *verbum veritatis*, opponitur umbris antiquæ Legis, ita ut *veritas* soliditatem simul significet, Johan. 1. 17. Roman. 15. 8. Hebr. 9. 24. Primum quod exigitur est, *ut audiatur Euangelium.* ¶ ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες, *in quo & credentes*] Alterum, *ut fides ei habeatur.* Rectus sermo fuerat, καὶ αὐτῷ πιστεύσαντες, *& ipsi credentes.* Sed Apostoli minutas illas constructionis regulas non curabant: itaque genera, casus, pronomina sæpe commutabant, verborum incuriosi, dum tantæ res mentem ambiunt. ¶ ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ· *signati estis Spiritu promissionis Sancto*] Quid magis stupendum, quam gentes illas à Deo alienas, ab Hebræis contemtas, non modo ad pietatem conversas sed & Prophetis æquatas, donis linguarum, sanationum, vaticiniorum, aliisque similibus? Sed auget rei magnitudinem, quod hoc ipsum futurum Prophetæ significaverant, ut Joël 3. 1. & Christus disertè promiserat Marci 16. 17. Luc. 24. 49. Joh. 7. 38, 39. Sicut autem signum annuli impressum tabulis contractûs, firmum atque indubitabile reddit quod actum est, ita & dona illa credentes de Dei in se paterna benevolentia dubitare non sinebant, Roman. 5. 5. 8. 15, 16. Eodem sensu usurpatur vox σφραγίζεσθαι, *signare*, 2 Cor. 1. 22. Frequens autem est sanctis scriptoribus ut in una re explicanda plures adhibeant similitudines, idque permixtè: Sic vita æterna, *pretium* & *hæreditas*; dona Spiritus, *sigilli impressio* & *arrhabo*. Notandum autem hanc obsignationem non datam nisi jam credentibus, Joh. 14. 17. Galat. 4. 6. Et opponitur hæc obsignatio, ut multo dignior, ei quæ Judæis erat data, qui in cute signabantur, ut Samphoræ & Coppatiæ.

14. Ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν· *qui est arrhabo hæreditatis nostræ*] Sic & alibi dona ista *arræ* vocabulo appellat, ut dicto loco 2 ad Cor. 1. 22. & 5. 5. Vox ἀῤῥαβὼν non Græca est origine, sed Syriaca ערבון ut apparet Gen. 38. 17. à voce ערב, quod *spondere* significat. Nimirum à Phœnicibus, mercatoribus antiquissimis, hanc vocem Græci per commercia accepere. Est autem *arrhabo*, sive ut Latini breviùs dicunt, *arra*, pars pretii data in antecessum, ut de toto pretio secuturo fides fiat. Sic illa dona ex cœlo venientia, pars quædam erant futuræ felicitatis & rei principalis secuturæ (quæ, quòd perpetuo jure Christianos sequebatur, hæreditas dicitur) fidem ipsis faciebant certissimam. Sic ne factæ paci diffidatur, obsides dari solent. ¶ εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, *in redemtionem acquisitionis*] Id est, Arrhabo ille nos certos facit secuturæ beatæ resurrectionis. ἀπολύτρωσις, *redemtio*, præter eam quæ est à vitiorum consuetudine, duplex in Novo Fœdere memoratur, prior à peccatorum reatu, altera à miseriis & morte ipsa, quæ nihil est aliud quàm beata quam dixi resurrectio: quæ eodem nomine appellatur Rom. 8. 23. & infra 4. 30. περιποίησις, *acquisitio*, id est, *res acquisita*, abstractum pro concreto more Hebræo; verò hic optimè intelligetur Ecclesia sive universitas Christianorum quæ Petro 1. 2. 9. λαὸς εἰς περιποίησιν, *populus acquisitionis*. Vocatur autem sic Ecclesia Dei respectu, qui eam περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *acquisivit per sanguinem suum*, id est, per mortem cruentam Filii sui. Solemus plurimi ea facere quæ magno nobis constant. ¶ εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ· *in laudem gloriæ ipsius*] Sæpe id repetit, ne unquam obliviscamur Deo pro tot beneficiis gratias agere, primùm pro vocatione, deinde pro jure dato ad vitam æternam, præterea verò quòd ejus juris certos nos fecerit.

15. Διὰ τοῦτο, *propterea*] Quia tenemur Dei benefacta grato animo agnoscere. ¶ ἀκούσας τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν ἐν τῷ Κυρίῳ Ἰησοῦ, *& ego audiens fidem vestram quæ est in Domino Jesu*] Id est εἰς τὸν Κύριον Ἰησοῦν [*in Dominum Jesum.*] Sæpe enim tales particulas permutant hi scriptores. ¶ καὶ τὴν ἀγάπην εἰς πάντας τοὺς ἁγίους. *& dilectionem in omnes sanctos*] Rectè hanc adjunxit, quia ea demum fides salutem adfert quæ per dilectionem, dato tempore, se ostendit. Vide Jacobum. Fidem & Dilectionem θαυμαστὴν ξυνωρίδα [*par admirabile*] Græci vocant Doctores.

16. Οὐ παύομαι εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν, *Non cesso gratias agens pro vobis*] Non pro nobis tantùm, sed & pro fratribus gratias Deo debemus: & hæc pars est aliqua nostræ concorporationis. ¶ μνείαν ὑμῶν ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου. *memoriam vestri faciens in orationibus meis*] Cum gratiarum actione plerunque Apostolus preces jungit: illæ ad præteritum, hæ ad futurum referuntur.

17. Ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi*] Deus *Christi Pater* & *ipsius* & *noster Deus* dicitur Joh. 20. 17. Respondet nimirum hic vox Θεὸς *Deus* Hebrææ אלהים, quæ *jus* atque *imperium* significat. ¶ ὁ πατὴρ τῆς δόξης, *Pater gloriæ*] Futuræ claritatis auctor primarius. ¶ δώῃ ὑμῖν πνεῦμα σοφίας, *det vobis spiritum sapientiæ*] Spiritus Sanctus qui fidem subsequitur, tum alia adfert, tum etiam ut mens credentium magis magisque illustretur sapientiâ, non hujus sæculi, quâ gloriati olim erant Ephesii sed spirituali. Vide Actor. 6. 3. 1 Cor. 2. 6. 2 Cor. 1. 12. Col. 1. 9, 28. Jac. 1. 5. ¶ καὶ ἀποκαλύψεως, *& revelationis*] Hæc vox singularem quandam & eximiarum rerum non omnibus cognitarum patefactionem significat 1 Cor. 14. 6, & 26. hic infra 3. 3. ¶ ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ· *in agnitione ejus*] Ἐπίγνωσις propriè est *major exactiorque cognitio*, ut Rom. 3. 20. Coloss. 1. 10. 2 Petri 1. 2. Cognitionem autem Dei intellige, non naturæ Divinæ imperscrutabilis, sed proprietatum ejus & consiliorum actionumque ad nos pertinentium.

18. Πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν, *Illuminatos oculos cordis vestri*] Κατὰ πρόσθεσιν ἐξηγητικήν, *appositione explicante rem*, explicat qualis sit illa cognitio, in mentis, ut diximus, illustratione consistens. καρδία *cor* hic pro *animo humano* ponitur, cui mens pro oculis. Philo de Mundi conditura, Ὅπερ νοῦς ἐν ψυχῇ, τοῦτ' ὀφθαλμὸς ἐν σώματι, *Quod mens in animo, id oculus in corpore.* Vide quæ multis ad eam rem notata ad Matth. 6. 22. ¶ εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ, *ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus*] Cùm modum adipiscendæ cognitionis designasset, jam & cognoscendorum explicat præcipua. Spes vocationi proposita, ἡ

ἐλπὶς

ἐλπὶς ἡ ἀποκειμένη ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *ſpes repoſita in cælis*, Coloſſ. 1. 5. eſt vita illa immortalis ac beatiſſima, quam variis figuris explicant Sacræ Literæ, Convivii, Veſtitûs magnifici, Templi, Regni; præterea verbis quàm poſſunt efficaciſſimis oſtendunt ei ineſſe non tantùm à malo liberationem, ſed & pleniſſimam bonorum, quæ nomine *divitiarum*, *honoris*, *gaudii* intelligi ſolent, poſſeſſionem, cum Deo ſimilitudinem, corpus, intellectum, voluntatem, perfectiſſima omnia, conſuetudinem cum Deo, Angelis, ſanctiſque omnium temporum ac locorum. Hæc atque his ſimilia ita per ſpiritum Deus imprimit mentibus piorum ut ea velut præſentia conſpiciant, præque eis omnem hujus ſæculi pompam, vitæque commoda, vitam denique ipſam pro nihilo ducant. Vide Joh. 12. 25, 26. 1 Cor. 15. 19. ¶ *καὶ τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις· & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis*] *Hæreditas ſanctis promiſſa* cur dicatur illa beatitudo, ex aliis locis apparet, nempe quod perpetua ſit, nec à poſſeſſoribus alienetur. *πλοῦτος δόξης*, *divitiæ gloriæ*, quæ cum ea beatitudine conjuncta eſt, eſt ſplendor eximius, cujus guſtum aliquem Apoſtolis ſuis Chriſtus dedit in monte. Vide loquendi genus ſimile ſupra 8.

19. *Καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας*, *Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus*] Illa beatitudo promiſſa non tantùm ſummam Dei bonitatem, ſed & admirabilem ejus oſtendit potentiam. Vide Philipp. 3. 21. ubi hæc ipſa potentia *ἐνεργείας* *efficaciæ* voce ſignificatur. Quod enim potentiæ majus argumentum, quàm omnes qui unquam credidere ex mortuis vivos facere, & terrenæ compagis corpora meliora efficere cœleſtibus, & ſupra omnes cognitas cœli regiones illis domicilium ſemper manſurum dare? Quia autem non de quavis reſurrectione, ſed de beata agit, quæ תחיה Hebræis, ideo ad vocem *ἡμᾶς* [*nos*,] ne de omnibus hominibus loqui crederetur, adjecit *τοὺς πιστεύοντας* [*qui credimus.*]

20. *Κατὰ ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ἣν ἐνήργησεν ἐν Χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸν ἐκ τῶν νεκρῶν· Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis*] Cohærent hæc cum illis *τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως*, *ſupereminens magnitudo virtutis.* Ut futura magis crederentur, Deus oculis humanis quantum poſſet in Chriſto, Capite & Duce noſtro, oſtendit. Illud futurum potentiæ documentum huic jam exhibito reſpondebit: quod ſignificat præpoſitio *κατὰ* [*ſecundum.*] Nec aliud eſt *κράτος ἰσχύος*, *potentia virtutis*, quàm *ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως*, *ſupereminens magnitudo virtutis.* Chriſtum à mortuis excitare potuit: poterit ergo & nos excitare. Cui cùm accedat apertiſſima promiſſio Dei & Chriſti, nihil eſt quod dubitemus. Sadducæis reſurrectionem negantibus optimè Chriſtus, *Erratis*, inquit, *ignorantes Scripturas*, quæ ſcilicet id pollicentur, *& Dei potentiam*, quæ nimirum etiam eouſque ſe extendit, Matth. 22. 29. Tertullianus hunc locum ſic vertit, *Inoperatus eſt in Chriſtum valentiam ſuam, ſuſcitando eum à mortuis.* ¶ *καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, & conſtituens ad dextram ſuam in ſupercæleſtibus*] Sicut potentia Dei nos non tantùm è mortuis excitatura eſt, ſed & maximis auctura honoribus & ſupra cœlum collocatura, ita hoc quoque, non minus quàm illud, in Chriſto apparere voluit. Nam Chriſtum in cœlum ſublatum vidère Apoſtoli: regnantem in majeſtate ſupercœleſti vidère Stephanus, Paulus, Johannes, alii. Nec minus ejus rei teſtimonium eſt in Spiritu Sancto, quem ipſe, ut promiſerat, in Apoſtolos credenteſque è ſublimi regia miſit. Ergo quin nos quoque in ſummum honorem, noſtri tamen gradûs. evehere poſſit, nulla dubitandi eſt ratio. Vide Johan. 17. 24. *Ἐπουράνια* *ſupercæleſtia*, vocantur loca illa beatæ ſedis Matth. 18. 25. Johan. 3. 12. 1 Corinth. 15. 40, 48, 49. in hac epiſtola aliquoties, Philipp. 2. 10. 2 Timoth. 4. 18. in epiſtola ad Hebræos ſæpe, reſpectu ad illam cœli regionem quæ ſidera continet. Alioqui eadem regio etiam *cœlum* vocatur Hebræis, & quidem *tertium*, ſupra aerem ætheremque. *Ad dextram ſedere* locutio eſt Orientis, proximam à Rege dignitatem ſignificans. 1 Reg. 2. 19. Pſalm. 45. 10. Sic apud Danielem ſolia poſita duo, interpretatur Rabbi Akiba *poſita Deo & Meſſiæ.* Et in Apocalypſi, *Τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ τῷ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* v. 13. Vide quæ Matthæi 20. 21. Sicut autem ſolio Dei, ut loquitur ſcriptor ad Hebr. 12. 3. & Apocal. 7. 10. & 14. 5. quod *ſolium gloriæ* כסא כבוד magiſtris Hebræis, proximum eſt ſolium Meſſiæ, ita Meſſiæ ſolio proxima ſolia Apoſtolorum, Lucæ 22. 30. deinde aliorum præconum Euangelii Apocal. 4. 4. ac poſtremo credentium omnium qui & ipſi regnabunt. 2 Timoth. 2. 12. in ſuo ſcilicet ordine ac gradu.

21. *Ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, Supra omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem*] Chriſti majeſtatem magis magiſque depingit, ut eo major etiam ſatraparum ejus, id eſt, Chriſtianorum, honor intelligatur. Sunt autem iſta *ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις, κυριότητες*, *principatus*, *poteſtates*, *virtutes*, *dominationes*, nomina ſublimiſſimarum claſſium Angelicarum frequentia apud Hebræos, ut apparet Roman. 8. 38. 1 Cor. 15. 24. Col. 1. 16. deſumpta ex nominibus dignitatum imperii Perſici, quaſi dicas, ut ex Romano imperio poſteriore ſumamus nomina, *Præfectos prætorio*, *Vicarios*, *Præſides*, *Comites*; *θρόνοι* qui in epiſtola ad Coloſſenſes adduntur, ſunt *Reges*, quales nonnulli erant ſub Magno Perſarum Rege, qui ob id dictus *βασιλεὺς βασιλέων*, *Rex Regum.* Chriſtus igitur omnibus illis etiam excelſiſſimis ſpiritibus imperare hic dicitur ut *Rex Regum & Dominus Dominantium.* ¶ *καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed & in futuro*] Si qui erunt ſpiritus illis quos deſignavimus digniores, putà quales apud Ezechielem nomine חיות [*animalium*] obſcurè denotari putantur ab Hebræis, (*αἰῶνας* [*ſæcula*] eam vocem verterunt veteres Chriſtianorum hæretici ut & Tatianus) quorum in futuro ſæculo cognoſcentur vera nomina ac munera, etiam in illos imperium Chriſtus obtinet, nullâ naturâ exceptâ, præter Patrem 1 Corinth. 15. 27.

22. *Καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ· Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus*] Id eſt poteſtatem ei dedit omnia inimica, ac poſtremo mortem ipſam ſubjugandi. Confer 1 Corinth. 15. 27. Philipp. 3. 21. ¶ *καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*] In bonum Eccleſiæ obtinet hoc imperium. Vide Hebræor. 1. 14.

23. *Ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ, Quæ eſt corpus ipſius*] Vide infra 4. 12, 15, 16. 5. 23. Coloſſ. 1. 18. Sicut in humano corpore ex capite defluens ſpiritus omnia membra continet, nutrit, augetque, ita Chriſti ſpiritus omnia Eccleſiæ membra: quod ſapienter admodum nos docet Paulus Coloſſ. 2. 19. & alia ſimilitudine illuſtrat Chriſtus ipſe Johannis 5. initio capitis. ¶ *τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου. & plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimplet*] *Πλήρωμα* ſignificat tum id *quod implet*, ut Johan. 1. 16. Coloſſ. 2. 9. tum id *quod impletur*, ut Roman. 11. 25. 15. 29. poſteriore ſenſu rectiùs hìc accipias. Sic infra 5. 18. *πληροῦσθε ἐν πνεύματι*, *implemini Spiritu Sancto*, & Coloſſ. 2. 10. *ἐστὲ ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας*, *eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis*, qui locus huic idem valet. Et ob id Eccleſia vocatur *πλήρωμα*, *plenitudo*, in eadem ad Coloſſ. 1. 19. Sic & quod ſequitur de Chriſto *τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου*, *qui omnia in omnibus adimplet*, idem eſt quod infra 4. 10. *ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα*, *qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.* Nam *πληροῦσθαι* hìc ponitur Atticè ſono paſſivo, ſenſu activo. Chriſtus, in omnibus, credentibus ſcilicet, nam de iis hìc agitur, omnia implet, mentem luce, voluntatem piis affectibus, corpus ipſum facultate obſequendi: ad quæ accedebant illis temporibus, quibus loquebatur Apoſtolus, admiranda illa *χαρίσματα πνευματικὰ*, *dona ſpiritualia*, quorum ſupra meminit.

I D E M.

AD Epiſtolæ hujus caput primum, ad ſecundum caput ejus quæ ſecunda dicitur ad Theſſalonicenſes, ad Johannis epiſtolam 2. 18, & ſequentibus, 3. 9. 4. 1, & ſequentibus, & ad quædam Apocalypſeos fuſiorem explicationem edidimus pone Annotata noſtra ad Euangelia. Eam conſulere poterunt quibus id eſt otii. Nos & inde & aliunde ſumemus, quantum hujus tractationis modo convenit. Epheſi Eccleſiam Paulus ſeverat, ut videre eſt, Actor. 18. & 19. Eo digreſſo multi exſtitere, qui Chriſtianis multa mala ferentibus, & majora metuentibus Euangelii causâ, perſuaderent, poſſe homines & rectè vivere & vitam æternam conſequi ſequendo Philoſophorum ſcita, putà Heracliti, qui Epheſius fuerat, aut Pythagoræ, qui, ut hic Græci notant, multos habebat Epheſi ſectatores. Præterea multi erant Epheſi Judæi, ut ex Actis & Joſepho apparet: Hi quoque ſtudebant Chriſtianos ad ſuos ritus traducere. Ideo Paulus jam vetus in Apoſtolico munere, & ob Euangelium Romæ vinctus, oſtendit illis quanta ſit vis Euangelii præ doctrinis omnibus: quomodo omnia Dei conſilia ab omni ævo eo tetenderint, quàm admiranda ſit in eo Dei efficacia, rerum ſublimitatem adæquans verbis ſublimioribus quàm ulla unquam habuit lingua humana. Proxima huic & argumento, & verbis etiam, eſt illa ad Coloſſenſes, eodem, ni fallor, ſcripta tempore. Ad Laodicenſes verò

planè

planè eodem tenore scriptam fuisse epistolam colligere licet ex iis quæ Tertullianus habet contra Marcionem. 'Nam Marcio hanc Epistolam vocat ad Laodicenses, ex fide, ut credibile est, Ecclesiæ Laodicensis. Nam cur in ea re mentiretur, nihil erat causæ. Et hanc esse credimus quam Paulus dicit τὴν Λαοδικείας [*eam quæ Laodicensium est*] Coloss. 4. 16. non scriptam à Laodicenis, sed ad Laodicenos pertinentem: quod ipsum rectè significatur casu possessivo: nam literæ ejus sunt, cujus tabellario sunt traditæ, multoque magis ubi & redditæ sunt. L. si epistolam. D. de acquir. rerum dominio. Exponit autem breviter hæc Epistola summa Dei beneficia, & gratiam quam ei debemus verbis factisque.

1. *Διὰ θελήματος Θεοῦ, Per voluntatem Dei*] Sic & 1 Cor. 1. 1. 2 Corinth. 1. 1. Coloss. 1. 1. Idem dicitur Galat. 1. 4. κατὰ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, [*secundum voluntatem Patris,*] & κατ᾽ ἐπιταγὴν Θεοῦ πατρὸς [*secundum imperium Dei Patris,*] 1 Timoth. 1. 1. Ostendit suo exemplo quantum sit beneficium vocationis. Et ipse enim, & homines cæteri longè aliud agebant. ¶ *τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ, sanctis qui sunt Ephesi*] Idem titulus Christianis datur 1 Cor. 1. 2. 2 Cor. 1. 1. Christiani primùm fiunt צדיקים [*justi,*] deinde קדושים [*sancti.*] Vide Prolegomena in Epistolam ad Romanos. In Manuscripto τοῖς ἁγίοις πᾶσι τοῖς οὖσι, [*sanctis omnibus qui sunt,*] &c. ¶ *καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. & fidelibus in Christo Jesu*] Id est, qui hactenus in pio isto instituto perseverarunt, quomodo nomen πιστῶν [*fidelium*] sæpissime sumitur, ut respondeat Hebræo מאמינים [*credentium.*]

2. *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*] Rom. 1. 7. 1 Cor. 1. 3. 2 Cor. 1. 2. Gal. 1. 3.

3. *Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi*] A laude Dei orditur, ut 2 Cor. 1. 3, ubi verba eadem. Εὐλογητὸς ברוך [*benedictus*] Gen. 9. 26, & alibi sæpe. ¶ *ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς, qui benedixit nos*] Evenit hìc, quod frequens est Paulo, ut eadem vox vix ullo intervallo in sensu diverso sumatur. Εὐλογεῖν [*benedicere*] enim jam fuit *laudare*, nunc est *benefacere*, ut Job 42. 12. nimirum quia utrumque ex benigno animo proficiscitur. Et solent similia inter se nomen permutare. ¶ *ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ, in omni benedictione spirituali*] Non illis beneficiis terrenis quæ habes Levit. 26 Deut. 7. 13. & 28. ¶ *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, in supercælestibus*] Perfectio hujus felicitatis non erit in terra Canaan, sed in summo cœlo. Vide quæ dicentur infra 20. *ἐπουράνια supercælestia* reddidit aliquoties Tertullianus. *ἐπὶ* tum per se, tum in compositione modò valet *super*, modò *in*. Si priori modo sumas, *cælum* hic intelligere debebis astriferam regionem: si posterius, ipsum cœlum summum sive tertium. ¶ *ἐν Χριστῷ. in Christo*] Id est, *per Christum* tanquam causam secundariam. Sic plerique codices, non Χριστῷ [*Christo.*]

4. *Καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, Sicut elegit nos in ipso*] Hic decretum sumit nomen actûs, ut infra 2. 6. & 2 Timoth. 1. 9. Vocationi interdum postponitur Electio. Sed & ipsa vocatio est electio quædam, id est, beneficium quoddam eximium, ducens ad vitam æternam: cujus generis quæ sunt beneficia, illa omnia tam nunc rectè sub *electionis* nomine veniunt, quàm olim ea quæ ad hujus vitæ commoda & honores spectabant. *ἐν αὐτῷ, per ipsum.* Nam & quod Apostoli hac in re fecere, Christi fecere mandato, adeò ut Christus ipse id fecisse dicatur, Act. 13. 47 Joh. 12. 32. *Per ipsum*, non per Mosem. ¶ *πρὸ καταβολῆς κόσμου, ante mundi constitutionem*] Judæi electionem suam ab Abrahamo auspicantur, eàque se jactant antiquitate, aut & interdum ab exitu ex Ægypto, quod tempus dicitur קדם [*olim*] Psalm. 74. 2. At in constitutione Divina multò prior fuit Abrahamo Christus, ut ipse docet Johan. 8. 56. & sequentibus. *καταβάλλεσθαι* est *jacere fundamenta* Hebr. 6. 1. יסד, hinc *καταβολὴ* de domo dicitur 2 Maccab. 2. 30. & per similitudinem de mundo Matth. 13. 35. 25. 34. Luc. 11. 50. Joh. 17. 24. Hebr. 4. 3. 9. 26. 1 Petri 1. 20. Apoc. 13. 8. 17. 8. Solet Scriptura de Deo ut de homine loqui. Homo domum structurus prius usum ejus animo figurat. Deus mundum conditurus hominis causâ, hominem verò ut Deum coleret, cultum quendam perfectissimum sibi proposuit, ad quem, præstructis gradibus quibusdam, hominem esset perducturus, idque per Filium suum. Simili modo Hebræi dicunt, *ante mundum fuisse Legem, Pœnitentiam, & nomen Messiæ.* Sic *mysterium Evangelii* dicitur *absconditum ἀπὸ τῶν αἰώνων* [*à seculis*] infra 3. 9. Coloss. 1. 26. *πρὸ τῶν αἰώνων* [*ante secula*] 1 Corinth. 2. 7. quo ipsum dicitur *κεκρυμμένον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* (*absconditum à constitutione mundi*] dicto loco Matth. 13. 35. *Gratia data*, id est, dari destinata *πρὸ χρόνων αἰωνίων* [*ante tempora secularia,*] 2 Timoth. 1. 9. quod idem valet atque *regnum paratum ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* [*à constitutione mundi,*] Matth. 25. 34. *Gloria Christo data πρὸ καταβολῆς κόσμου* [*ante constitutionem mundi,*] Joh. 17. 24. Christus *προεγνωσμένος*, id est, *prædecretus, πρὸ καταβολῆς κόσμου* [*ante constitutionem mundi,*] 1 Petri 1. 20. ¶ *εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ. ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate*] Subauditur hìc εἰς τὸ [*ut*] Ostendit quò tendat vocatio illa priùs in decreto, deinde in actu, nempe ut sic vocati edant magnæ pietatis opera, & ab omni crimine vacent. In veteri Lege arietes & boves, qui Deo offerebantur, debebant esse תמימים ἄμωμοι [*immaculati,*] Exodi 29. 1. Levit. 1. 3, 10. 3. 1, 6, & alibi sæpe. Christiani nunc semet offerunt, Rom. 12. 1. Æquum ergo est, ut & ipsi sint ἄμωμοι [*immaculati,*] infra 5. 27. Coloss. 1. 22. Judæ 24. Apocal. 14. 5. sive ἀμώμητοι [*sine reprehensione,*] ut Philipp. 2. 15. 2 Petri 3. 14. sive ἄμεμπτοι [*sine querela,*] ut Philipp. 2. 15. 1 Thess. 3. 13. Eximia & probitas & innocentia requiritur, ut plenum sortiatur effectum illa tam admiranda vocatio. Hæc autem duo optimè comprehenduntur in nomine *dilectionis*, in qua est Evangelii τὸ πᾶν [*omne.*] Et rectè additur *κατενώπιον αὐτοῦ* [*in conspectu ejus*] nam & animi puritas requiritur, quam solus Deus inspicit.

5. *Προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν, Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in sese*] *Cum constituisset nos sibi per Christum filios facere.* Nam *εἰς αὐτὸν in sese*] est pro dativo, ad modum Hebræi לו: & nomen *υἱοθεσίαν* [*adoptionem filiorum*] sic dativum regit, quomodo ipsum verbum *υἱοθετεῖν* [*in filios adoptare,*] qualis est illa constructio, *quid tibi illam tactio est?* Olim Israel בני בכור [*filius primogenitus.*] Vocatio huc tendit, ut purgati adipiscamur Spiritum illum qui nos faciat Dei filios, id est, Divinæ voluntatis imitatores. Sicut diversi generis sunt Dei decreta, sic & verba *προτιθέναι, προορίζειν, προγινώσκειν* [*proponere, prædecernere, prænoscere,*] & deducta inde nomina, *πρόθεσις, προορισμὸς, πρόγνωσις* [*propositum, prædestinatio, præcognitio,*] non eodem sumuntur modo. Significant enim interdum *decretum permittendi cum præscientia quadam conjunctum*, ut Actor. 2. 23. 4. 28. Rom. 3. 25. interdum *decretum Dei sine conditione*, Rom. 8. 28. 9. 11. hic infra 3. 11. 1 Petri 1. 20. 1 Corinth. 2. 7. hic verò, & alibi, *decretum ejus quod Deus facere vult, si & homines faciant quod debent*; quanquam illa conditio non semper exprimuntur, sed ex aliis locis, imò etiam ex iis quæ eodem loco sunt cohærentia, satis intelligitur. Sic Deus constituerat Paulum & ei in navigatione comites servare, nempe si & ipsi omnem ad id adhiberent operam: & Paulum Apostolum facere, si *non inobediens esset viso cælesti.* Simili modo *προτίθεσθαι* [*proponere*] etiam de humano proposito sumi solet, Rom. 1. 13. ¶ *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, secundum propositum voluntatis suæ*] *Ita ut placuit voluntati ipsius.* Εὐδοκεῖν [*beneplacere*] & *εὐδοκία* רצון [*beneplacitum,*] ubi non personam directè respiciunt, cui tunc præpositio *ἐν* [*in*] solet præponi, sed actionem, talem denotant actionem, cujus ratio non soleat reddi. Deus judiciorum suorum vindicantium rationes liberaliter solet reddere: beneficiorum autem reddit interdum, interdum non reddit. De secundo hoc beneficiorum nihil quod in homine sit respicientium genere agitur Esaiæ 40. 13. item Rom. 11. 34. 35. Sic *mundum conditum ἐξ εὐδοκίας, quia Deo ita visum fuit*, dicunt Hebræi. Etiam apud Latinos quoties judicium aut ratio non apparet, solere interponi, *sic visum*, notavit Servius. Ita si quærat aliquis cur illa tam eximia Vocatio contigerit illius sæculi hominibus, & inter eos Ephesiis, responderi nihil aliud potest, quam *ita visum Deo.* Add si placet quæ à nobis dicta ad Exodi 33. 19.

6. *Εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, in laudem gloriæ suæ*] *Ut laus gloriosa ei reddatur pro beneficio tanto.* Nam *ἔπαινον δόξης* [*laudem gloriæ,*] hìc valet *ἔπαινον ἔνδοξον* [*laudem gloriosam,*] Hebræorum more qui genitivos ponunt pro adjectivis. Et *εἰς* [*in*] non hìc finem, saltem primarium, sed consequens aliquid significat. Nihil æquius quam pro tanto beneficio laudes Deo semper reddi. Etiam Aristoteles Nicomachiorum 9. 2. *Diis & parentibus reddi ait honorem; æquale enim nihil reddi posse.* Vide Deut. 26. ¶ *ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, in qua gratificavit nos*] In Manuscripto pari sensu ἧς ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, *qua nos affecit.* Sed Hebræi, ut & Latini interdum, amant nominibus addere verba cognata. חן est χάρις [*gratia,*] חנן verbum *χαριτοῦν* [*afficere beneficio,*] quod per ἐλεεῖν & οἰκτείρειν [*misereri*] sæpe vertunt LXX. Vide quæ dicta ad Lucam 1. 28. Maria Ecclesiæ gerebat imaginem. ¶ *ἐν τῷ ἠγαπημένῳ in dilecto*] בחירי. Vide Esai. 5. 1. Cùm nullum Deus unquam magis quàm Christum dilexerit, Matth. 3. 17. nihil mirum est si non modò *per eum*, sed & *propter eum* clementem & beneficum se osten-

se ostenderit humano generi. Nam & talem sæpe se Israëlitis ostendit propter Abrahamum, Isaacum & Jacobum.

7. Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem lapsuum*] Eadem verba Coloss. 1. 14. nisi quod pro παραπτωμάτων [*lapsuum*] ibi est ἁμαρτιῶν [*peccatorum*] sensu eodem. Retro videtur gradi & hic & illo ad Colossenses loco, quia locutus de adoptione & sanctitate venit ad peccatorum remissionem. Sed hoc non frustra facit, ut Chrysostomus & alii hîc notant. Nulla enim in re magis apparet Dei bonitas, quàm quòd pro nobis, hostibus adhuc suis, filium dilectissimum in mortem dederit. *Remissionem peccatorum* hîc optimè intelligas illam Dei indulgentiam, quâ humano generi in gravissima lapso crimina, non tantùm vias pœnitentiæ præcludere noluit, sed novas insuper & nunquam antehac auditas rationes aperuit per quas ad pœnitentiam invitaretur. Ea verò ipsa *remissio* etiam ἀπολύτρωσις [*redemptio*] dicitur, id est, פדיון, quomodo vocari solet id *quod ad redimendum datur*, Exodi 21. 30. nempe ut sciamus hanc remissionem non contigisse sine gravi impendio, non quidem à nobis facto, ut in illa Exodi Lege, sed in Christo pro nobis. Vide quæ diximus ad Luc. 23. 34. Poterat Deus suo jure id facere nullâ victimâ intercedente: sed quia non Judæi tantùm, sed & Gentes solitæ erant ab annis ferme quatuor mille ad expianda peccata uti victimis, ne facilitas veniæ peccata minoris duci faceret, ideo & hîc Deus victimam multò digniorem voluit intercedere, sed quo magis ejus bonitas appareret, à se, non à nobis datam. Actio est ἀπολύτρωσις [*redemptio.*] Vita Christi impensa nobis, λύτρον [*redemptio.*] Matth. 20. 28. & ἀντίλυτρον [*redemptionis pretium,*] 1 Timoth. 2. 6. ¶ κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ. *secundum divitias gratiæ ejus*] In Manuscripto τῆς χρηστότητος αὐτοῦ [*bonitatis ejus.*] Πλοῦτος [*divitiæ*] Paulo *abundantiam* significat, ut diximus ad Roman. 2. 4. 9. 23. 2 Cor. 8. 2. sic & infra 18. 3, 16. Coloss. 1. 27. & eadem locutio πλοῦτος τῆς χάριτος [*divitiæ gratiæ*] infra 2. 7. Rursum in eo Hebraismus, quòd *abundantia bonitatis*, dicitur *pro bonitate abundante.* Verè *abundans bonitas*, quòd qui nostri nulla in re indiget, nos à se aversos ultro ad se vocavit, & ut id fieret, Filium mori voluit.

8. Ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς, *Quæ superabundavit in nobis*] Περισσεύειν [*abundare*] ut Hebræa עשר, יתר, רבב modò de eo qui accepit dicuntur, modò de eo qui dat, ut hîc & 2 Cor. 9. 8, 12. 1 Thess. 3. 12. Non contentus posuisse nomen πλούτου [*divitiarum,*] addidit verbum περισσεύειν [*abundare,*] ut bonitatis hujus ἀκατάληπτον [*incomprehensibilem*] magnitudinem imprimeret animis. ¶ ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει, *in omni sapientia & prudentia*] Σοφία חכמה [*sapientia:*] Φρόνησις בינה [*prudentia,*] Proverb. 1. 2. *Sapientia* fuit invenire rationes sanandi generis humani: *Prudentia* eas disponere. In morte Christi fuit & testimonium de veritate doctrinæ ab ipso promulgatæ, & simul omnium virtutum Christianarum perfectissimum exemplum. Secutâ autem & resurrectione, pignus promissi nobis præmii.

9. Γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ*] *Arcanum*, sive, ut Tertullianus loquitur, *sacramentum voluntatis*, est voluntas Dei diu abscondita, partim silentio, partim involucris figurarum tam tenebrosis, ut ne Angeli quidem id quod futurum erat perspicerent, 1 Petri 1. 12. Κατεῖχεν ἐν μυστηρίῳ καὶ διετήρει τὴν σοφὴν αὐτοῦ βουλὴν [*in arcano clausit secumque continuit sapientem suam voluntatem,*] ait Justinus ad Diognetum. ¶ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ· *secundum beneplacitum suum quod proposuit in semetipso*] Ostendit qualis fuerit ista Dei voluntas, nempe liberrima, antiquissima, recondita. Nam ἐν αὐτῷ hîc est *intra se.* αὐτῷ enim in his libris sæpe valet ἑαυτῷ [*se.*].

10. Εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, *Ad dispensationem plenitudinis temporum*] Ideo hoc Deus penes se retinuerat, ut suo demum tempore id publicaret, dispartiretque in Judæos & Gentes. Est similitudo sumpta à familia, in qua paterfamilias, aut aliquis ejus loco, ex cella deprompta dimensa dat singulis. Id hîc Deo tribuitur, alibi ministris Dei, ut infra 3. 2. 1 Corinth. 9. 17. Coloss. 1. 25. 1 Timoth. 1. 4. πλήρωμα καιρῶν [*plenitudo temporum*] est *maturitas temporis*, aut clariùs, *maturum tempus.* Nam πληροῦσθαι [*impleri*] Hebræis dicitur tempus quod ad metam suam perductum est, Act. 2. 1. Sic πλήρωμα χρόνου [*plenitudo temporis*] Gal. 4. 4. πλήρωσις ἡμερῶν [*completio dierum*] Ezech. 5. 2. Dan. 10. 3. Credibile est respici hîc ad hebdomadas Danielis. ¶ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, *instaurare omnia in Christo*] Κεφαλαιοῦν Sirach. 32. 9. ἀνακεφαλαιοῦν Rom. 13. 9. est *ita in summam colligere*: nam κεφάλαιον est *summa*, Hebræis כלל aut כללות, Chaldæis כללא. Hinc procedente similitudine qui dispersos in unum agmen cogit, rectè dicitur eos ἀνακεφαλαιοῦν, sicut Latinè *colligere.* ἐν τῷ Χριστῷ [*in Christo*] *per Christum tanquam caput.* ¶ τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· *quæ in cœlis & quæ in terra sunt*] Hoc est quod Hebræi dicunt *familiam Dei superiorem & inferiorem.* Confer Coloss. 1. 20. *Christo enim omnis potestas data & in cœlo & in terra*, Matt. 28. 18 Vide infra 21. & cum eo loco confer Coloss. 1. 16. ubi ἐκτίσθη videtur esse *ordinata sunt*, de qua hujus vocis significatione diximus aliquid in Prolegomenis ad Euangelia. Angeli olim alii Judæis, alii Persis, alii Græcis favebant, ut videre est apud Danielem 10. 13, 20. 12. 1. Nunc omnes propter Christum libenter inserviunt Christianis, ut ad Angelicam dignitatem vocatis, Hebr. 1. 14. Exempla vide Matth. 18. 10. Actor. 5. 19. 12. 7. 16. 26. 27. 23. Judæi alienigenas oderant ut idololatras. Gentibus invisi Judæi ob institutorum diversitatem. Qua de re diximus libro secundo de Jure Belli & Pacis 15. 9. Nunc qui ex utroque genere ad Christum veniunt, amici, imò fratres inter se, unus simul Dei populus.

11. Ἐν αὐτῷ, *In ipso*] Satis fuerat dixisse ἐν τῷ Χριστῷ [*in Christo.*] Sed repetendum censuit, quasi diceret, *per ipsum, inquam, unum, non per ullum alium.* Non hoc factum per Mosem, non per Philosophos. ¶ ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, *in quo etiam nos sortem simus adepti*] נחלו, *possessionem*, id est, jus possessionis *accepimus*, non terrestris ut Majores nostri per Jesum filium Nun, sed cœlestis. Sic pater dicitur κληροῦν τοὺς υἱούς, in Græcis codicibus nonnullis, Esaiæ 17. id est, *possessionem filiis relinquere.* Sæpe autem jus ad rem rei nomen accipit, ut infra 2. 6. Philipp. 3. 20. Quæ priùs generaliter de Christianis dixerat, jam distinctiùs in duo genera dispertit, priusque agit de se & Apostolis & aliis qui ex Judæis vocati fuerant. In Manuscripto est ἐκλήθημεν [*vocati sumus,*] non malè.

12. Προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *Prædestinati secundùm propositum ejus qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: Ut simus in laudem gloriæ ejus*] Ostendit illam Judæorum ante alios vocationem venisse ex Dei decreto, nempe ut ipsi per omnem terram in Dei laudem perferrent ea quæ Christus egerat, quæque Christo evenerant. De verbo προορίζεσθαι [*prædecernere,*] & de voce προθέσεως [*propositi*] diximus ante. Deum autem Paulus hîc describit hoc titulo quòd *omnia efficit quæ voluit* ex Esaiæ 46. 10. Quod intelligendum de iis actionibus quæ Dei solius sunt, quale est Christum mittere cum mandatis, & eum mortuum resuscitare. Vide Roman. 9. 19. ¶ τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ Χριστῷ· *nos qui ante speravimus in Christo*] Hæc est descriptio Judæorum qui priores vocati, & priores in Christum credidere, ac spem suam in eo collocarunt. Sic 2 Thess. 2. 13. ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς [*quòd elegerit vos Deus primitias,*] pertinet ad Judæos qui ob Christianismum à Judæis pulsi Thessalonicam concesserant.

13. Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ἡμῶν, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες, *In quo & vos cùm audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis nostræ, in quo & credentes*] Rectus ordo fuerat, καὶ αὐτῷ πιστεύσαντες [*& ipsi credentes.*] Sed & Græci articulum postpositivum nonnunquam ponunt pro demonstrativo. Euangelium vocatur hîc ut & 2 Corinth. 6. 7. ἀλήθεια [*veritas,*] quia nihil habet admixtum falsi, quod habent doctrinæ Philosophorum: neque umbras habet, ut Lex Mosis, sed res solidas. Vocatur & *Euangelium* τῆς σωτηρίας ἡμῶν [*salutis nostræ,*] quia via est non tantùm certissima, sed hoc tempore etiam unica quæ ad æternam salutem homines perducat. ¶ ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ· *signati estis Spiritu promissionis sancto*] Non extra signati estis, quomodo Judæi circumcisi, & Græci idolorum punctis notati, sed intus Spiritu sancto, quem Deus per Christum promiserat Luc. 24. 49. Actor. 1. 4. 2. 33. Signum annuli instrumento impressi reddit indubitabile quod actum est. Vide quæ dicta ad Joh. 3. 33. & 6. 27. Sic & dona illa Dei, putà Prophetiæ, sanationes, linguæ, ejectiones dæmonum, certos reddebant credentes de paterna Dei in se benevolentia. Rom. 5. 5. 8. 15. 16.

14. Ὅς ἐστιν ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν. *Qui est arrhabo hæreditatis nostræ*] In Manuscripto ὅ ἐστιν [*quod est,*] pari sensu. De voce ἀρραβὼν [*arrhabo*] diximus 2 Corinth. 1. 22. & 5. 5. Vox est Cananæa sive Phœnissa, quæ per commercia inde in Græciam venit. Et valde huic rei convenit. Est enim *arrhabo* pars pretii in antecessum data, quò minùs de plena solutione dubitetur. Sic dona illa Spiritus cœlestia portio quædam erant felicitatis cœlestis & æternæ, & de ea fidem faciebant. Dicitur autem felicitas illa cœlestis *hæreditas*, quia nunquam à no-

bis discedet, non magis quàm terræ hæreditariæ apud Hebræos, quarum proprietas semper redibat ad veteres Dominos. ¶ *εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, in redemptionem acquisitionis*] Id est, ad fidem faciendam, futurum ut qui credidère & obsecuti sunt, etiam resuscitentur ad vitam cœlestem. *ἀπολύτρωσις* [*redemptio*] hic, ut & infra 4. 30. intelligitur non illa quæ viam facit ad pœnitentiam, neque ipsa quæ in hac vita contingit à vitiis emundatio, sed illa plena libertas ab omnibus animi corporisque infirmitatibus, id est, beata resurrectio, Rom. 8. 23. infra 4. 30. *περιποίησις* [*acquisitio*] autem, Hebræo more abstractum pro concreto, *Populus ille Deo acquisitus*, ut dicitur 1 Petri 2. 9. & Actor. 20. 28. Habet autem ea vox *ἔμφασιν* [*efficacem sensum.*] Solemus enim magni facere ea quæ nobis magni constant. Alius fortè malit *ἀπολύτρωσιν περιποιήσεως* [*redemptionem acquisitionis*] hic intelligere eam liberationem quæ vitam secum ferat. Nam מחיה Hebræum, est *ζωοποίησις* [*vivificatio,*] Esdræ 9. 8. 9. *περιποίησις* [*acquisitio,*] 2 Paral. 14 13. ¶ *εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ. in laudem gloriæ ipsius*] Sæpe repetit Apostolus vocem *ἐπαίνου* [*laudis.*] Dona illa Spiritûs quæ olim paucis in Hebræo populo contigerant, nunc contingebant plerisque Christianorum, etiam illis qui non ab Abrahamo, Isaaco & Jacobo, sed ab idololatris orti, ante & ipsi idololatræ fuerant.

15. *Διὰ τοῦτο*, *Propterea*] Quia Deo pro tantis beneficiis gratiam debemus, quod unum ei reddere possumus. ¶ *ἀκούσας τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν, audiens fidem vestram*] *Vestram spectatam fidem.* Nam *κατὰ* est partitivum. Loquitur autem Paulus de profectu Euangelii apud Ephesios ex quo ipse ab illis discesserat. ¶ *ἐν τῷ Κυρίῳ Ἰησοῦ, quæ est in Domino Jesu*] Fidem in Deum fundatam in Christo. ¶ *καὶ τὴν ἀγάπην τὴν εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, & dilectionem in omnes sanctos*] Bene conjunxit *fidem & dilectionem*, *θαυμαστὴν ξυνωρίδα* [*par admirabile,*] ut loquuntur Græci Patres. Fides nisi dilectio accedat nos ad vitam æternam non perducet. Vide quæ dicta Gal. 5. 6.

16. *Οὐ παύομαι εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν*, *Non cesso gratias agens pro vobis*] Deo enim gratias non pro nobis tantùm, sed & pro aliis ad Christum perductis debemus Hæc pars est communionis sanctorum. ¶ *μνείαν ὑμῶν ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου memoriam vestri faciens in orationibus meis*] Amant jungi gratiarum actio, & preces: illæ pro impetratis, hæc ad alia impetranda.

17. *Ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi*] Vide Joh. 20. 17. Si Deus dicitur *Deus Abrahami*, *Isaaci & Jacobi*, multò justiùs dicetur *Deus Christi*, quem in cœlestem regiam Deus evexit, summumque ei secundùm se imperium tribuit. ¶ *ὁ πατὴρ τῆς δόξης*, *Pater gloriæ*] אל כבוד [*Deus gloriæ*] ut ajunt Hebræi: מלך הכבוד [*Rex gloriæ,*] Psal. 24 7. Simile *ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν* [*Pater misericordiarum,*] 2 Corinth. 1. 3. Deus non tantùm *claritudinem* habet, sed & *claritudinem* dedit Christo & dabit Christianis. *Pater* apter dicitur qui causa est alicujus rei. ¶ *δώῃ ὑμῖν πνεῦμα σοφίας*, *det vobis Spiritum sapientiæ*] Spiritus Dei qui credentibus datur, inter alias dotes etiam *sapientiam* imprimit animis, non rerum hujus sæculi, quâ Philosophi se jactabant, sed earum quæ ad vitam meliorem ducunt, Actorum 6. 3. 1 Corinth. 2. 7. 2 Cor. 1. 12. Coloss. 1. 9, 28. Jac. 1. 5. ¶ *καὶ ἀποκαλύψεως*, *& revelationis*] Idem Spiritus etiam res futuras aut latentes, quæ humanâ ope sciri nequeunt, suis revelat. Vide 1 Cor. 14. 6, 26. & ibi dicta: & infra 3. 3. ¶ *ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ in agnitione ejus*) Id est, *εἰς ἐπίγνωσιν αὐτοῦ* [*in agnitionem ejus*] *ut magis magisque Deum noscamus. γνῶσις* est *cognitio*, *ἐπίγνωσις*, *cognitio Dei exactior*, Rom. 3. 20. infra 4. 13. Coloss. 1. 9, 10. 2. 2. 3. 10. 1 Timoth. 2. 4 2 Timoth. 2. 25. 3. 7. Tit. 1. 1. Philem. 6. 2 Petri 1. 2, 3, 8. 2. 20. Sic & Oseæ 6. 6, & alibi.

18. *Πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν*, *Illuminatos oculos cordis vestri*] *Καρδίας* [*cordis*] non *διανοίας* [*cogitationis,*] habet etiam Manuscriptus. Per *πρόσθεσιν* [*appositionem*] ostendit illam *sapientiam* & *revelationem*, veram & eximiam esse *illuminationem oculorum internorum*, quam optare solebant viri magni, Psalm. 13. 4. & quam Lex Mosis exiguâ quâdam parte præstabat, Psalm. 19. 9. לב, *καρδία*, Hebræis est *animus*; ei tribuuntur oculi, ut multis ostendimus ad Matth. 6. 22. Clemens in Epist. ad Corinthios, *ἐμβλέψωμεν τοῖς ὄμμασι τῆς ψυχῆς* [*animæ oculis intueamur.*] tribuuntur ei & aures, quia est in animo aliquid illis *ἀνάλογον* [*proportionatum.* ¶ *εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ*, *ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus*] Ostendit porrò quæ sint præcipua illa circa quæ illa & *sapientia* & *revelatio* versentur: nempe bona illa æterna & cœlestia quæ dicuntur *spes vocationis Divinæ*: quia & vocatio eò tendit, ut ea sperentur. Itaque in voce *spei* est *μετωνυμία* [*Transnominatio,*] qualis in eadem voce Galat. 5. 5. Colossens. 1. 5. Tit. 1. 2. 2. 13. Hebr. 6. 18. ¶ *καὶ τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis*] *Πλοῦτος δόξης* [*divitiæ gloriæ*] est *abundans claritudo.* Vide supra 7. 8. Ea futura erit *in sanctis.* Illa autem *claritudo* dicitur esse *τῆς κληρονομίας* [*hæreditatis,*] id est, *κληρονομεῖσθαι* [*hæreditari,*] quia habebitur non fructuario, sed mancupii jure, idque dante Deo, quod hic per genitivum *αὐτοῦ* [*ejus*] indicatur, ut & Rom. 8 17. Israelitæ habuerant à Deo *κληρονομίαν* [*hæreditatem*] non spernendam: sed quæ ad cœlestem illam comparata meritò sordent.

19 *Καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας*, *Et quæ supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus*] Videtur retrocedere à vita cœlesti ad resuscitationem, sed id consultò fecit, ut ostensâ Dei bonitate, etiam potentiam ejus summam ostendat. Vide Philipp. 3. 21. Magnæ sanè potentiæ est omnia piorum corpora non tantùm in vitam restituere, sed & efferre supra omnes quas cognoscimus cœli regiones.

20. *Κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸν ἐκ τῶν νεκρῶν. Secundùm operationem potentiæ virtutis ejus quam operatus est in Christo, suscitans illum ex mortuis*] Cohærent hæc cum illis quæ præcessere, *ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως* [*supereminens magnitudo virtutis.*] & quod de nobis dictum erat, de Christo dicitur, sed verbis aliis quò copiosior sit oratio. Mirari non debemus tantam vim potentiæ Deum in nobis exserturum, cùm talem jam exseruerit in Christo, cùm eum è mortuis excitavit. Vocabulum *κατὰ* [*secundùm*] rei similitudinem significat. Quod factum apparet, id iterum fieri potest. *ἐνεργεῖν* [*operari*] hic est *actu ostendere*, ut infra 3. 20. ¶ *καὶ ἐκάθισεν*, *& constituens*] In Manuscripto *καὶ καθίσας αὐτὸν*, *& postquam eum collocasset.* Nam *καθίζω* hic transitivum est, ut in multis locis quos produximus in Commentario ad caput secundum secundæ ad Thessalonicenses. ¶ *ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ*, *ad dexteram suam*] In Manuscripto *ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ* [*à dextris suis.*] Dignitatem ei à se proximam tribuit. Vide quæ dicta Matth. 20. 21. Finguntur in cœlo duo solia, alterum *Dei*, alterum *Agni*, id est, Christi. Apoc. 22. 1, 3. Sed illud Dei intelligendum ubi simpliciter *θρόνος* [*solium*] nominatur, Apoc. 5. 13. Hebræis כסא כבוד, *θρόνος δόξης* [*solium gloriæ.*]

21. *Ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος*, *Supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem*] Intelligunt quidam de imperiis terrenis; sed locus Coloss. 1. 16. & quod hic infra est 3. 10. evincit agi hic de eximiis Angelorum classibus. Similis ordinum distinctio etiam in Satanæ regno infra 6. 12. 1 Corinth. 15. 24. Rom. 8. 38. ubi exposuimus unde ortum habeant hæc nomina. ¶ *καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo sed & in futuro*] Si quæ sint adhuc illis nominibus augustiora Angelorum vocabula, quæ noscemus in sæculo altero, בעולם הבא [*in sæculo venturo,*] etiam illis Christus imperat. שם *nomen* apud Hebræos *dignitatem* sæpe significat. Participium præsens per *σύλληψιν* [*complexionem*] continet & futurum.

22. *Καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ Et omnia subjecit sub pedibus ejus*] Mystica applicatio Psalm. 8. 7. ubi Græcè *πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ* [*qui omnia subjecit sub pedibus ejus.*] Vide quantum secundus Adamus priori præstet. Huic subjecta pecora & armenta, illi Angelorum exercitus. ¶ *καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ*, *& ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ*] Est trajectio, sensus est: *ipsum super omnia*, supple *positum*, *dedit Ecclesiæ*, *ut caput ejus.* Magna consolatio quod tantum imperium habeat is, qui id exercet Ecclesiæ bono, sicut caput consulit corpori: vide Hebr. 1. 14. *Capitis* nomen respectu Ecclesiæ Christo datum vidimus 1 Cor. 11. 3. Vide & infra 4. 15. 5. 23. Coloss. 1. 18. 2. 19.

23. *Τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου. plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimplet*] Causam reddit cur Ecclesia *corpus* dicatur *Christi*, quia ab illo *impletur* sicut corpus humanum è cerebro. *πλήρωμα* [*plenitudo*] alibi activam, alibi passivam habet significationem: hic passiva rectiùs convenit, ob locum huic geminum Coloss. 2. 10. & infra hic 5. 18. Nec aliter sumenda vox eadem Coloss. 1. 19. Et *πληρουμένου* hic dictum formâ Atticâ, sono passivo, sensu activo, quomodo hoc verbum usurpant & Plato in Timæo, & Xenophon Græcæ historiæ sexto. Christus in omnibus, credentibus scilicet, *implet omnia*, mentem luce, voluntatem piis affectibus, corpus ipsum obsequendi facultate: ad quæ dona perpetua accedebant primis temporibus etiam *χαρίσματα* [*dona*] illa *πνευματικὰ* [*spiritualia,*] quorum mentio multa in priore ad Corinthios, & de quibus etiam hic supra aliquid attigimus.

CAP.

CAP. II.

VALLA.

2. *IN filios diffidentiæ*] Insolens est verbum *diffidentia* pro *incredulitate* sive *inobedientia* sive *obstinatione*, h. e. *quod persuaderi recusatur* ἀπειθείας.

4. *Propter nimiam charitatem suam*] Cur ais *nimiam*, cùm Græcè legas *multam*? πολλήν.

10. *Quæ præparavit Deus*] Gr. *quibus præparavit*, οἷς προητοίμασεν· quod ambiguum est propter naturam linguæ, an intelligendum sit *quæ præparavit*, an, quòd usitatius & elegantius est, *quibus præparavit*. Quòd si dativi casûs est haud dubium referendum est ad Homines, i. e. ad *nos*, non ad *opera*.

12. *Alienati à conversatione Israël, & hospites testamentorum promissionis*] Non minùs bellè dicatur *à civilitate Israëlis*, & *peregrini pactorum promissionis*, πολιτείας καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν.

REVIUS in VALLAM.

10. OΙ͂ς. προητοίμασεν] Trajectum erat.

12. *Civilitate*] *Civitate*, opinor, scripsit Valla. Vide in Act. 22. 28.

ERASMUS.

1. *ET vos convivificavit*] Verbum *convivificavit* hoc loco non invenio in Græco codice, nec apud Hieronymum, nec Ambrosium: nec in vetusto codice S. Donatiani, nec in utroque Constantiensi: unde miror quomodo in vulgatos libros irrepserit: nisi fortè sumptum est ex commentatione Thomæ Aquinatis, aut Hieronymi, qui sermonem hujus loci ordinans putat *convivificavit* esse subaudiendum, quasi bis positum sit propter Hyperbaton prolixius. Sic enim loquitur, *Et vos, cùm mortui essetis delictis & peccatis vestris, convivificavit Christo Deus qui dives est in misericordia, propter multam charitatem suam quâ dilexit nos; & cùm essetis mortui delictis, in quibus aliquando ambulavimus secundum seculum mundi hujus, secundum principem potestatis aëris, spiritûs qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes conversati sumus aliquando in desideriis carnis nostræ, facientes voluntates carnis & mentium, & eramus naturâ filii iræ, convivificavit nos Christo*: ut ἀπὸ κοινοῦ subaudiatur, quasi bis dictum, *& nos convivificavit Christo*. Ità Hieronymus. Quod igitur erat subaudiendum, aliquis adjecit in contextum. Hyperbati longioris ambitum ipse correxit Apostolus dicens, *Deus autem qui dives est*, &c. Cæterùm accusativus *vos* referri poterat ad verbum superius *dedit*; *dedit illum Caput, vos membra*. Sed vero propius est huc repetendum ex Hyperbato; de quo paulò inferiùs dicemus. ¶ *Cùm essetis mortui delictis & peccatis*] Dubitare posset dativi sint, an ablativi: q. d. *Tibi mortuus sum*: tametsi D. Hieronymus ità videtur accipere quasi Græcis sit dativus Instrumenti, h. e. *mortui per peccatum*. Quod hic vertit *delictum* Græcè est παράπτωμα quod Hieronymus existimat esse primum illum lapsum ad peccandum. Nam *peccatum* est Græcè ἁμαρτία, quod gravius esse putat, cum ad ipsum facinus perventum est. ¶ *Vestris*] Redundat, juxta Græcorum exemplaria. Loquitur enim in genere de peccatis, quæ mortem adferunt omnibus. Novè dixit *mortuis peccatis*, cùm aliàs vocet *mortuos peccato*, in quibus exstinctum est peccatum. Hîc *mortui* dicuntur *peccatis* quos occidit Peccatum. Porrò hòc magis redundat pronomen *vestris*, quod sequitur, *in quibus aliquando ambulastis*.

2. *Potestatis aëris hujus spiritûs*] Κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος τοῦ πνεύματος. Bifariàm accipi potest, ut per appositionem cohæreat *aër* cum *spiritu*; *potestatis aëris, qui quidem est spiritus*. Atque ut sic accipiamus invitat articulus, τοῦ, τοῦ πνεύματος. Sic enim per articulum solent interpretari Græci. Verum obstrepit nonnihil quod sequitur τοῦ ἐνεργοῦντος. Nec enim *hic aër* agit quicquam in filiis inobedientiæ, sed instigatio diaboli Proinde præstiterit ità legere, *juxta principem cujus & potestas est aëris, & spiritûs illius qui agit in filiis diffidentiæ*: ut *aërem* intelligas hanc infimam orbis partem, in qua sola regnat ille, non veluti dominus, cùm Christus Dominus sit omnium, sed ut tyrannus, & non nisi nostro vitio potens. Deinde *spiritum* accipias affectum mundanum, diversum ab illo cœlesti Spiritu Christi nihil amantis nisi cœlestia. Et utrumque genitivum, *aëris* & *spiritûs*, referas ad tertium qui præcessit, *potestatis*. Quæ quidem hic non est δύναμις, sed ἐξουσία, ut *jus* & *autoritatem* intelligamus. Cæterùm *hujus* pronomen Interpres addit de suo, cùm non sit apud Græcos, nec apud Hieronymum quidem; quanquam antè præcessit *mundi hujus*, κόσμου τούτου. ¶ *In filiis diffidentiæ*] Ἐν υἱοῖς ἀπειθείας, *in filiis inobedientiæ*, sive *immorigeris*; aut, ut vertit Cyprianus, *contumacibus*. Est enim filiorum proprium esse dicto audientes ac morigeros parentibus. De tropo jam sæpius admonuimus, *filii inobedientiæ* pro *filiis inobedientibus*; ut paulò antè *Pater gloriæ* pro *Pater gloriosus*. In nonnullis cod. depravatum erat *in filios diffidentiæ*.

3. *Facientes voluntatem*] Θελήματα, *voluntates*: nam affectus varii sunt. Cæterùm in multis cod. depravaverant *voluptates* pro *voluntates*. ¶ *Et cogitationum*] Καὶ τῶν διανοιῶν. Hieronymus magis videtur probare *& mentium*, distinguens peccata *carnis* & *mentium*; quòd illa sint crassiora, veluti Libido, Gula, Ebrietas; hæc animi magis, velut Hæresis. Ambrosius legit *consiliorum*. ¶ *Naturâ filii iræ*] Φύσει. Pro quo quidam verterant *omnino*, ut indicat Hieronymus, quòd Græca vox sit ambigua. Et Theophylactus admonet, *naturâ* positum pro *verè ac propriè*. Quemadmodum dicimus *hominem naturâ miserum*, qui sic est addictus miseriæ ut nolit effugere si possit. Chrysostomus addit, *Sicut ex homine natus nihil aliud est quàm homo, ità nos nihil aliud quàm filii iræ*. Mihi videtur Naturam opposuisse Gratiæ, quia paulò post sequitur, *Gratiâ salvi facti estis*. *Ira* erat nostræ Naturæ sive Nativitatis; *Salus* erat Gratiæ, & ob id Christo imputanda, non nobisipsis.

4. *Deus autem qui dives est*] Hieronymus admonet, in *Deus autem* conjunctionem aut ab inductis additam esse, aut ab ipso Paulo per imperitiam Græci sermonis superfluè adjectam: interrumpit enim orationis seriem. Sed demiror quare Hieronymus *autem* appellet conjunctionem causalem. Fortasse pro *autem* legit *enim*. Adversativa conjunctio non erat hic otiosa: opponitur enim calamitati quam Apostolus multis verbis exaggerarat: magnis enim malis opus erat opulenta misericordia. Quod si pro *autem* legas *tamen*, nihil impeditur sermonis fluxus. ¶ *Propter nimiam*] Διὰ πολλήν, *propter multam*: & ità legit Hieronymus ac Ambrosius. Alioqui *nimium* dicitur quod sit immodicum.

5. *Et cùm essemus*] Καὶ ὄντας, i. e. *Etiam cùm essemus*: ut conjunctio, quæ apud Latinos & Græcos geminam vim habet, non copulet, sed exaggeret. ¶ *Mortui peccatis*] Vitasset ambiguitatem si dixisset *mortui per peccata*: nam alioqui Paulus vocat *mortuos peccato* qui jam non peccant, quemadmodum paulò antè admonuimus. Ambrosius hoc loco non addidit *peccatis*; tantùm legit *cùm mortui essemus*. ¶ *Convivificavit nos in Christo*] Neque *nos* pronomen neque *in* præpositio est in Græcis cod. tantùm est συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ, *convivificavit Christo*; ut intelligas *nos unà cum Christo revixisse*. Ità refert Augustinus lib. Adv. Faustum 11. cap. 8. in libris manu descriptis. Retinebat germanam lectionem exemplar vetustius Constantiense, deletis manu non recenti duabus vocibus *nos* & *cujus*. Nam *in* præpositio in neutro addebatur.

8. *Cujus gratiâ*] Neque *cujus* additum est, sed tantùm, χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, *Gratiâ salvi facti estis*. Et ità legit D. Hieronymus, ut hæc particula ceu per parenthesim interseratur: quod palàm admonuit Theophylactus. Latini quidam adjecerunt *enim*, sed perperam. Cæterùm ordinem sermonis hoc in loco, quoniam videtur perturbatus, Hieronymus restituit ad hunc modum, *Et vos, cùm mortui essetis delictis & peccatis vestris, convivificavit Christo Deus, qui dives est in misericordia; propter multam charitatem quâ dilexit nos, misertus est nostri. Et cùm essemus mortui delictis, in quibus aliquando ambulavimus secundùm seculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris, spiritûs qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes conversati sumus aliquando in desideriis carnis nostræ, facientes voluntates carnis & mentium, & eramus naturâ filii iræ, convivificavit nos Christo*: ut bis repetas *convivificavit nos*, & tollas conjunctionem causalem, *Deus enim*. Nam ità legisse videtur Hieronymus, ὁ γὰρ Θεός, quod hanc putet vel ab imperitis librariis adjectam, vel ab ipso Paulo propter imperitiam Græcanici sermonis additam, cùm in plerisque sit δὲ, *autem*. Quanquam utraque conjunctio facit quò minùs absolvatur superior orationis pars, *Cùm essetes*, &c. Verùm opinor Paulum addidisse conjunctionem δὲ adversativam, ut redderet contrariam partem superioribus, h. e. *convivificatos esse ei*, quod est *mortuos esse peccatis*: & quoniam intermiscuerat multa, velut ad novum orationis caput addidit præpositionem. Melius autem erat si dixisset interpres, *nihilominus Deus convivificavit*. Annotandum & hoc, quòd in hoc sermone Paulus subindè variat personam, nunc illos compellans secundâ personâ, nunc seipsum illis admiscens. Addendum & illud, apud

Ambrosium aliam esse lectionem quàm nos habemus, sed haud scio an à scribis inductam. Scriptum est autem hunc in modum, *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter multam charitatem misertus est nostri.*

6. *Et conresuscitavit & consedere fecit*] Συνήγειρε καὶ συνεκάθισεν, *pariter cum illo suscitavit, simulque cum illo sedere fecit.*

7. *In bonitate*] Ἐν χρηστότητι. Quod Augustinus libro adv. Faustum 11. vertit *in benignitate.* Significat enim Dei erga nos clementiam lenitatemque.

8. *Gratiâ enim*] *Enim* non additur in nonnullis Græcorum codicibus, sicut nec paulò inferiùs, *Dei enim donum, enim* non additur, quanquam ità legit Ambrosius.

10. *Ipsius enim sumus factura*] Ποίημα. Ambrosius legit *figmentum*, velut aliquid è materia factum. Atque ità nos verteramus, quòd *factura* vox videretur parùm Latina; sed ab amicis eruditis admoniti mutavimus *figmentum* in *opus*: Verebantur enim illi nè quem imperitiorem offenderet *figmenti* vocabulum. Atqui si visum est istorum offensas omnes simili studio vitare, nihil erat omnino mutandum. Nos tamen hac in parte obsecuti sumus amicorum voluntati potiùs quàm nostro judicio. ¶ *In operibus bonis*] Ἐπ' ἔργοις ἀγαθοῖς, *ad opera bona.* ¶ *Quæ præparavit Deus*] Οἷς, *quibus*, ad Homines arbitror referendum: tametsi juxta Græcanici sermonis proprietatem & ad *opera* referri potest, ut dativus Græcus in accusativum vertatur, quemadmodum legit Ambrosius, *quæ præparavit Deus*, & item Hieronymus.

11. *Ab ea quæ dicitur Circumcisio*] Ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς, i.e. ab ipsis Judæis: nam Græca lucidiora sunt. Populus Hebræorum ob membrum genitale præfectum *circumcisio* vocabatur; cæteri *præputium* dicebantur, sed duntaxat Judæis, quibus ut illud cognomen erat honorificum, ità hoc ignominiosum. ¶ *Manufacta*] Referendum est ad *circumcisionem*, non ad *carnem.*

12. *Qui eratis*] Legendum *quia eratis*, aut *quoniam*, ut legunt Ambrosius Græcis consentiens & Hieronymus, suffragante utroque Constantiensi ὅτι ἦτε, ut sit iterata conjunctio, quasi posuisset, *Quod, inquam, eratis.* ¶ *Alienati à conversatione*] Τῆς πολιτείας, *à civilitate* (sive *à republ.*) *Israël*, sive *Israëlis.* ¶ *Et hospites testamentorum*] Καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν, *peregrini* (sive *extranei*) *à pactis*, sive *testamentis.* Allusit enim ad Rempublicam cujus modò meminerat: unde *hospites* vocat alienos à jure civium. Et *testamentorum promissionis* dixit juxta idioma Hebræorum. Cæterùm Ambrosius addit pronomen, legens, *promissionis eorum.* ¶ *Et sine Deo*] Ἄθεοι, *qui nullum credunt esse Deum.* Et ἀθεότης, quam Plutarchus ostendit minus malum esse quàm *superstitionem*, δεισιδαιμονίαν, quòd hæc Deos imaginetur morosos ac vindices, cùm Deus naturâ beneficus sit. ¶ *In hoc mundo*] *Hoc* redundat; nisi quòd opinor Interpretem voluisse reddere vim articuli τῷ.

14. *Et medium parietem maceriæ solvens inimicitias*] Gr. ità distinguunt ut accusativus *inimicitias* referatur ad inferius participium καταργήσας. Quanquam utroque potest referri, ad λύσας quod præcessit, & ad καταργήσας quod sequitur, ut *inimicitiam* appositivè cohæreat cum *medium parietem*, aut cum *legem mandatorum.* Et mirum cur cùm ὁ ποιήσας verterit in verbum, non mutarit & alterum λύσας, i.e. *qui solvit*, aut *soluto pariete.* Rursum, Græcè est τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, q.d. *interstitium septi*, sive *sepis.* Et apud Comicum Mitio jubet *maceriam dirui, ut fiat una domus.* Id ergò quod dirimit ædes ab ædibus μεσότοιχον vocat. Nec tamen malè vertit Interpres, nisi quòd sermo non caret *amphibologiâ*: siquidem *medium parietem* ferit qui mediam partem percutit.

15. *Decretis evacuans*] *In* præpositio omissa totum subvertit sensum, quasi *decretis aboleverit Legem*: imò *abolevit Legem sitam in præceptis ac decretis.* Quædam editio quam citat Hieron. habebat *in dogmatibus*, usurpatâ Græcâ voce. Ambrosius legit *in decretis.* Alicubi citat *edictis*, ut lib. De Abraham Patriarcha 2. c. 6. Si Græcis esset additus articulus, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν τὸν ἐν δόγμασι, nullus supererat scrupulus: nunc sermo habet amphibologiam. Nam ἐν δόγμασι referri potest ad præcedentia, simul & ad sequentia: Si ad præcedentia, sensus erit, *abrogavit legem præceptorum sitam in decretis*; si ad sequentia, sensus erit, *antiquavit legem præceptorum ceremonialium per dogmata Euangelica*, ut ἐν præpositio posita sit vice *per.* Hoc secutus videtur Interpres, qui præpositionem, ut nobis supervacuam, omisit. Hanc interpretationem apud unum Theophyl. invenio, qui videtur Chrysost. secutus. Is putat *dogmata* esse *fidem quâ servamur*, aut *præcepta Euangelica*, quale est, *Ego autem dico vobis, Omnino non irasci.* Diversam sequitur Ambrosius, cujus verba subscribam, *Quia legem quæ data erat Judæis in Circumcisione, & in Neomeniis, & in Escis, & in Sacrificiis, & in Sabbatis,* EVACUAVIT, *hoc est, cessare jam jussit, quæ oneri erant, & sic* FECIT PACEM. *Unde Petrus Apostolus dicit in Actis Apostolorum,* QUID IMPONITIS JUGUM SUPER CERVICEM FRATRUM, QUOD NEQUE PATRES NOSTRI NEQUE NOS POTUIMUS PORTARE? In his Ambrosii verbis nulla fit mentio *decretorum* per quæ Lex fuerit antiquata. Subindicat autem Ambrosius Circumcisionem & similes Legis observationes obstitisse quò minùs conveniret inter Gentes & Judæos. His ergò per Christum antiquatis, fide conciliati sumus, quæ tam Judæis quàm Gentibus absque Legis observatione conferret salutem. Hieronymus hunc in modum, *Lex quoque mandatorum subversa est in dogmatibus, postquam Circumcisio, & Sabbatismus qui relictus est populo Dei, & Pascha, & Pentecoste, & Non apparere in conspectu Dei vacuum, sunt altiùs intellecta quàm resonant, & ab occidente litera recedentes, cœpimus vivificantem Spiritum sequi.* Ex his Hieronymi verbis perspicuum est, eum sentire Legem abrogatam non per decreta, sed per eorum quæ decernebat intelligentiam spiritualem. Nec abhorret ab his commentum Scholiastæ cui nomen fecerunt *Hieronymo*, *Per solam*, inquit, *fidem justificans, moralia sola decernens.* Jam & aliàs Paulus Legis præscriptiones appellat *dogmata*, velut Col. 2. *Delens quod adversùm nos erat chirographum decretis:* quo loco Græci legunt τοῖς δόγμασιν pro eo quod est ἐν δόγμασιν. Nam præpositio addita est ex idiomate sermonis Hebraici. Rursus alibi, τί ἔτι δογματίζεσθε; Porrò nusquam legimus apud Paulum Euangelii præcepta dicta *dogmata.* Submovendus est igitur & ille scrupulus de articulo. Mihi videtur omissus ob congeriem articulorum si dixisset τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν τὸν (sive τῶν) ἐν δόγμασι. Nam mihi videtur *in decretis* magis adhærere proximæ dictioni; alioqui bis idem dici videbatur, νόμον τῶν ἐντολῶν τὸν ἐν δόγμασι. Nunc ostendens Legem imperiosam, appellat illam τῶν ἐντολῶν, q.d. ἐντέλλοντος, *præcipientem*; Quomodo? Non persuasione & lenitate aut promissis, sed *præscriptis*, quæ vocat *dogmata.* Latini *placita* dicunt. Etenim si quæras, *Quare Deus jussit nos à talibus ac talibus abstinere cibis?* responderet Judæus, *Quia sic Deo visum est.* Et *evacuans* præteriti temporis est, q.d. *antiquatâ Lege.* ¶ *Et duos condat*] Hic est *crearet*, sive *pararet*, κτίσῃ, velut explicans sententiam. ¶ *In uno novo homine*] *In unum novum hominem* est Græcè εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον. Atque ità refert Augustinus lib. adv. Faustum 22. c. 89. Suffragabatur exemplar utrumque Constantiense. Cæterùm quod est Gr. ἀποκαταλλάξῃ, Latinè versum *reconciliet*, Augustinus vertit *commutaret.* Qui sic vertit legisse videtur ἀλλάξῃ.

16. *Inimicitias in semetipso*] Ἐν αὐτῷ. Hieronymus legit *in ea*, ut referatur ad *crucem*, non ad *Christum.* Siquidem & *crux* apud Græcos m. generis est. Verùm si reciprocum esset, i.e. *in seipso*, haberet à aspiratum, ἐν αὑτῷ. Quanquam nè id quidem à Græcis scriptoribus observatur. Postremo secùs legit Ambrosius.

17. *Et pacem iis qui propè*] *Et pacem* non repetitur Græcis.

18. *Habemus accessum*] Προσαγωγήν, id est, *Aditum* sive *introductionem*: veluti cùm quis introducitur ad conspectum principis.

19. *Hospites & advenæ*] Ξένοι καὶ πάροικοι, i.e. *Peregrini & incolæ*, sive *accolæ*, hoc est, qui aliunde commigrarunt in alienam civitatem. Augustinus aliquoties legit pro *advenæ*, *inquilini.* ¶ *Sed estis cives*] Ἀλλὰ συμπολῖται, i.e. *Concives*, ut verbum verbo reddatur.

20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*] Hanc particulam *& Prophetarum* eraserant Marcionitæ, nimirum odio V. Testamenti. ¶ *Angulari lapide*] Græcis unica vox est, ἀκρογωνιαίου, quâ significatur *summus lapis in angulo ædificii*, qui solet esse validissimus. Est autem ablativus absolutè positus, veluti si dicas, *in qua structura Christus summus est in angulo lapis.* Et ob id Augustinus adducens hunc locum in enarratione Psalmi 81. addit *existente*, dilucidè magis quàm Latinè. Rursus adv. Faustum lib. 12. c. 24. *in ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Et hic ablativus ponitur absolutè, ac si dicas *Christo duce*; ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *ipso Jesu Christo ente summo lapide angulari.*

21. *Constructa*] Græcè significantiùs συναρμολογουμένη, *coagmentata*, sive *commissa*, sive *coaptata.* Hieronymus legit *compaginata*, Ambrosius *compacta.* Nec significat *omnem structuram hoc angulari lapide compactam esse*, sed *quæcunque illo lapide connectatur, eam surgere in templum Domini.* Est enim participium præs. temp. συναρμολογουμένη. Quanquam πᾶσα verti poterat *tota structura*; ut non quamvis intelligas, sed integram. Atque ità interpretatur Theophylactus.

22. *In*

22. *In Spiritu Sancto*] *Sancto* redundat juxta Græca & Ambrosium, atque item Hieron. quorum & interpretatio declarat quid legerint. *Spiritum* enim opponit adversùs carnalem Judaïsmum, quem nusquam non insectatur Paulus.

VATABLUS.

1. D*Elictis & peccatis*] *Per delicta & peccata:* i. e. morte æternâ digni propter peccata.

2. *Seculum*] *Homines.* ¶ *Potestatis*] *Cui potestas est aëris:* i. e. potestatem habet in hoc mundo. ¶ *Spiritûs*] Gr. Genitivus est sing. pro plur. q. d. principem, inquam, spirituum qui nunc agunt: vel genitivus est sing. quem sic connectes, secundùm principem, cui jus & potestas est aëris & spiritûs illius qui nunc, &c. ¶ *Operatur in filios diffidentiæ*] *Agit in filiis immorigeris:* i. e. hominibus incredulis Deo.

3. *In quibus*] *Inter quos.* ¶ *Voluntatem*] *Voluntates*, Vet. ¶ *Cogitationum*] *Mentium.* ¶ *Filii iræ*] Heb. digni irâ Dei & supplicio.

4. *Deus autem*] *Sed Deus.* ¶ *Nimiam*] *Multam.*

5. *Et*] *Etiam.* ¶ *Peccatis*] *Per delicta.* ¶ *Convivificavit nos in*] i. e. Dignos fecit qui viveremus unà cum Christo. ¶ *In Christo Jesu*] i. e. Per fidem in Christum.

7. *Abundantes divitias*] *Eminentem opulentiam*, Heb. ¶ *In bonitate super nos in Christo Jesu*] *Per benignitatem quâ utitur erga nos per Christum Jesum.*

10. *Factura*] *Figmentum*, vel, *creatura.* ¶ *Creati in Christo Jesu*] i. e. Recreati per fidem in Christum. ¶ *In operibus bonis*] *Ad opera bona.*

11. *In carne*] i. e. Ob carnem non circumcisam. ¶ *Præputium*] *Præputiati.* ¶ *Circumcisio in carne manufacta*] i. e. A Judæis, qui circumcisi vocantur ob carnem præputii circumcisam.

12. *Qui*] *Quod.* ¶ *Conversatione*] *Republica, civilitate:* i. e. ratione vivendi Israëlitarum. ¶ *Hospites testamentorum*] *Extranei à testamentis:* i. e. cum quibus Deus nihil pepigerat. ¶ *Promissionis*] i. e. Promissi Christi. ¶ *Sine Deo*] i. e. Deum verum non agnoscentes.

13. *In*] *In proper.* ¶ *In sanguine Christi*] i. e. Per mortem Christi.

14. Utraque] *Ex utrisque.* ¶ *Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias*] *Interstitium sepis diruit, simultatem per carnem suam:* i. e. dissidii causam abstulit, cùm pro Judæis & Gentibus est mortuus. Vet. legunt, *inimicitia.*

15. *Decretis evacuans*] *In decretis sitam abrogans.* ¶ *Condat in semetipso*] *Conderet per semetipsum.* ¶ *In uno novo homine*] *In unum novum hominem*, Vet.

16. *Inimicitias*] *Inimicitiam*, Vet. ¶ *In semetipso*] *Per eam:* sub. *crucem.*

18. *In uno Spiritu*] i. e. Per eundem Spiritum testificantem nobis quòd simus filii Dei.

19. *Advenæ*] *Incolæ.* ¶ *Cives*] *Concives.*

21. *In quo omnis ædificatio constructa*] *Per quem omne ædificium quod compingitur.* ¶ *In Domino in quo*] *Per Dominum, per quem.*

22. *In Spiritu Sancto*] *Per Spiritum.*

CASTALIO.

6. I*N Christo Jesu*] In eo quòd Christiani sumus.

8. *Dei donum est*] Scilicet quòd servati estis, sicut paulò antè dixerat.

14. *Qui ex ambobus unum fecit*] Ex alienigenis & Judæis.

CLARIUS.

2. P*Rincipem potestatis*] Hebraïsmus est, pro *Principem potentissimum.*

6. *Consedere fecit*] Nam cùm Christus tanquam primitiæ generis nostri surrexerit & consederit ad dexteram Dei, jam ejusdem dignitatis nos participes sumus. Iccirco cùm dixisset *consedere fecit in cœlestibus*, adjecit *in Christo*, h. e. per Christum.

8. *Donum Dei est*] Non dicit *Fidem* quam sancto Euangelio adhibemus esse *donum Dei*, ut quidam hâc ætate Prædestinatores volunt: Si enim hoc esset, non dixisset *hoc est donum Dei*, sed *hæc est donum Dei.* Sed quia nemo per se surgere potest à morte animæ, & in novam regenerationem vivificari, atque à tyrannide inferni hostis liberari ac concupiscentiis corruptionis, nisi per Divinam gratiam, intercedente Christianâ redemptione, iccirco Apostolus ait, quòd nos servati simus ab ejusmodi subjectione, & consortes facti humanitatis ac Divinitatis Christi, & coheredes ejus Regni, *hoc* fuisse Dei *gratiâ* factum, *non ex operibus* nostris. Ait ergò, *Gratiâ servati estis per fidem*, quæ adhibetur sancto Euangelio, *& hoc*, videlicet quòd redempti & servati simus, *non ex nobis est*, *sed est donum Dei:* sed vult Deus ut illud donum accipiamus credendo; Nam *credere oportet accedentem ad Deum.*

10. *Ipsius enim sumus factura*] Quod ait *nos esse facturam Dei*, & *creatos in operibus bonis per Christum*, non hîc intelligit de prima creatione sed de secunda, cùm postea quàm credidimus Euangelio, gratia Dei & illa Spiritûs innovatio agit in nobis, ut simus instructi ad omne opus bonum ad quod nos aptos facit, *ut in eo ambulemus.*

11. *Eratis Gentes in carne*] Hæc commemoratio *præputii & circumcisionis* duo facit; Primum, ut Gentes agnoscant quanta fuerit Dei erga se beneficentia, quæ, ejectis filiis Regni ob eorum incredulitatem, ipsos adoptarit in filios. Deinde, ut dejiciatur supercilium Judæorum, qui ob carnis circumcisionem tantum insolescerent. Iccirco addit utrobique *in carne*; *Gentes in carne*, & *circumcisio in carne manufacta:* ut indicet neque Gentibus obfuisse præputium, neque Judæis prodesse circumcisionem, cùm utraque signa quædam in carne sint, nihil ad animum pertinentia; & ob eam causam *neque circumcisio quicquam est*, *neque præputium.*

14. *Interstitium maceriæ*] Μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ· quasi *interpositionem sepis.* *Ex ambobus*, Judæis scilicet ac Gentilibus, *unum fecit*, dum hos à cultu simulacrorum, illos ab umbra Legis abductos in unam fidem copulavit, & *inimicitias*, quæ quasi sepis cujusdam interstitium erat inter nos & Deum, *dissolvit per carnem suam.* *Interstitium* ergò *maceriæ:* i. e. maceriam ipsam, Legem intelligit, ut quidam volunt, non solùm scriptam in libris Mosis, sed & insculptam Gentilium mentibus & Philosophorum libris comprehensam. Utramque ergò hanc (si tamen dici duæ possint, & non una potiùs) *in decretis sitam* Christus *abrogavit*, quatenus præstatu utraque erat impossibilis; & loco ejus substituit, non aliam Legem, quæ hominibus infirmis plura quàm hæ duæ leges facienda præscriberet, sed legem Fidei. Vide ad Rom. 3. *Medium* ergò *parietem*, appositivè *inimicitias, solvit.* Legem enim Judæi jactabant, Gentes Philosophiâ tumebant, cujus tumoris à Paulo sæpe accusantur: Christus ergò venit ut *in carne sua* has *inimicitias tolleret*, ostenderetque stultissimam esse utriusque gentis gloriationem, cùm neutrius decreta ad perfectionem perducerent.

15. *Legem mandatorum*] Abolevit Legem, quæ suis decretis tanquam pædagogus pueros regebat. Quanquam illud *in decretis* sunt qui intelligant decreta Fidei & Euangelii, quibus Legem Christus aboleverit.

19. *Cives sanctorum*] Noluit dicere *Judæorum*, sed *sanctorum*; Abrahæ scilicet & Prophetarum. Eratis, inquit, alienigenæ, nunc *cives* facti estis & socii electorum atque amicorum Dei.

20. *Ipso summo angulari lapide*] Omnia continens & complectens Christus est. *Summus* enim *angularis lapis* & parietes continet & fundamenta.

ZEGERUS.

1. E*T vos convivificavit cùm essetis mortui*] *Convivificavit* huic loco ab interpretante interjectum est, quò longissimi Hyperbati incommodum vitaretur. Nec enim alibi perfectâ periodo clauditur verborum series quàm ubi dicitur *super nos in Christo Jesu.* Quin & ipse Apostolus, ut ostenderet cui potissimùm verbo niteretur sermonis structura, priusquam id exprimat, prima hujus capitis verba, licèt mutatâ personâ, repetit, dicens, *cùm essemus mortui peccatis convivificavit*, &c. Hæc propter eos qui Pauli fontem quàm Interpretis malunt rivum sectari, nè offendantur non legentes τὸ συνεζωοποίησε in ipso statim exordio. Quanquam equidem rivum hunc nostrum æstimo in multis hodie fonte ipso non paulò puriorem.

2. *Seculum mundi hujus*] Vitam dicit mundanam & impiam. ¶ *Secundum principem potestatis aëris hujus spiritûs.*] Pluralitas hæc genitivorum orationem reddit perplexam. B. Ambrosius genitivum πνεύματος per accusantem casum extulit, ut appositione cohæreat cum *principem*, ut sic dicatur, *Secundum spiritum illum principem potestatis* (vel *præpotentem*) *aëris hujus.* Quod ad nostram attinet lectionem, illud commodius videtur ut dicamus genitivos nonnullos Hebraico more vice adjectivorum positos, sicque esse resolvendos, *Secundum præpotentem principem spiritûs hujus aërei.* Verùm non est quòd anxii simus in rebus hujusmodi non perinde magni momenti: illud hic in summa sufficiat, utcunque construamus, si totâ hâc clausulâ Principem tenebrarum Diabolum intelligamus designari. ¶ *In filios diffidentiæ*] Hebræâ phrasi dictum, pro *filiis diffidentiæ*

dentiæ addictis, vel *diffidentibus*. Illud quoque memineris, ἀπείθειαν non modo *diffidentiam* sed etiam *contumaciam*, *inobedientiam* & *impersuasibilitatem* declarare.

3. *Eramus naturâ filii iræ*] Non eâ naturâ quâ primùm à Deo conditi, sed quâ sumus per peccatum Adæ depravati. Vel juxta Augustinum in Joh. 12. *ideo naturâ filii iræ, quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit.*

8. *Gratiâ enim estis salvati per fidem: & hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur*] Nè fortè hic tibi persuadeas non esse vacandum piis operibus, audi quid ipse Apostolus tandem subjiciat, *Creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Audi quid Dominus dicat in Euangelio, Joh. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum adferatis.* Unde graviter simul & Christianè ità dicit Augustinus, *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Cætera prætereo.

10. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*] Nè cui absurdum videatur quod dicit *creati in operibus bonis*, sciat id in Græcis haberi ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς *ad opera bona.* In hoc enim *creati sumus in Christo*, h. e. recreati per Baptismum, ut piis vacemus actionibus.

11 *Præputium*] Gentiles. *Circumcisionem* Judæos dicit, ut aliàs non semel admonuimus.

12. *Hospites testamentorum promissionis*] i.e. Peregrini & alieni à pactis & testamentis promissoriis: nam quod sequitur *spem non habentes* colo separandum est à *promissionis*; ut subaudias *futurorum.* Tertullianus tamen secus distinguit lib. contra Marc. 5.

14. 15. *Et medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem*] Illud *inimicitias* per appositionem cum *parietem* jungendum est; quod neoterici quidam cum *legem* jungunt, sed perperàm, ut liquet ex veterum Commentariis, etiam ex ipso Chrysostomo, si commentum ipsius propiùs inspicias, & bene distinguas & intelligas. Vocat autem interjacentem parietem *inimicitiam*, non tam quòd populum divideret à populo, quam quòd utrumque dirimeret à Deo. Præterea in eo quod dicitur τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ advertendum priorem vocem à μέσος & τοῖχος compositam non propriè *interstitium*, ut moderni vertunt, sed sonare quasi dicas *intermurale* vel *intermurium*, nimirum eum parietem qui domum à domo dirimit; alteram verò, à φράττειν *sepiendo* & *muniendo* dictam, propriè *sepem* declarare. Verùm Scriptura *sepem* & *maceriam* pro eodem usurpat, nunc hanc nunc illam vocem habens pro φραγμός: pro quo Paulinus *vallum* habet Epist. ad Amandum 2. & per *parietem* intelligit Peccatum. Connectit autem hæc duo *parietem maceriæ* ex more loquendi Hebraïco, quasi dicat *parietem* (vel *intermurium*) *maceriaceum*, indicans neque Gentilitatem stabilem fuisse, neque Judaïsmum, utpote quæ cessatura erant adveniente Christo. Postremò, nè quid prætercam, nolim te cum neotericis legere *legem mandatorum in decretis sitam*, cùm quòd huic obstrepat illud *mandatorum* (ut interim sileam *sitam* non esse in Græcis) tum maximè quòd nulli veterum sic exponant, nè Chrysostomus quidem, si propiùs inspicias. Nam etsi ipsius Interpres sermonem Pauli in medio Commento non semel repetat his verbis, *legem mandatorum in decretis sitam abrogans*, ipse tamen Chrysostomus *decreta* dicit intelligenda aut *fidei*, aut *Christi*, ità dicentis, *Ego autem dico vobis*, &c. Christus ergò, inquit, *pax nostra, duos populos unum fecit, simul & dividentem parietem maceriæ*, nempe *inimicitias* utriusque populi, *in sua carne* & morte *diruens*, & *legem mandatorum*, sub. *carnalium* (juxta illud Heb. 7. *secundum legem mandati carnalis*) *decretis* (vel ἐν δόγμασι *in decretis*, i.e. per decreta seu placita Euangelii & fidei) *abrogans*; *ut duos*, nempe Judæum & Gentilem, *in semetipso*, i.e. per semetipsum, *crearet hominem unum novum.*

19. *Hospites & advenæ*] Ξένοι καὶ πάροικοι propriè sunt *peregrini & incolæ.*

20. *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*] *Fundamentum Apostolorum & Prophetarum* propriè non ipsi Apostoli & Prophetæ sunt, sed Dominus ipse Christus Jesus, de quo legis 1 Cor. 2. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Quanquam & ipsi *fundamentum* dici possunt, quòd fundamento proximè conjuncti atque adeò pars quædam ipsius sint. Idem quoque qui aliàs cœlestis fabricæ *fundamentum* scribitur propter soliditatem & omnis boni originem, hic etiam *lapis angularis* dicitur propter fidelium conglutinationem; isque non imus sed *summus*, quia *Caput & consummatio Ecclesiæ est omnia in omnibus adimplens* suprà 1. *qui est*, inquit aliàs, *caput, Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum*, &c. Cæterùm post illud *lapide* Augustinus & Eucherius lib. in Gen. 2. c. 9. addunt *exsistente*; id quod sermonem facit dilucidum.

LUCAS BRUG.

16. ET [Ut *in.*] *reconciliet* [*reconcilians* o. *reconciliat* o.] *ambos in uno corpore Deo, per crucem, interficiens inimicitiam* [*inimicitias* o.] *in semetipso.*] Quod Græcis est ἐν αὐτῷ, pro eo quod nos habemus *in semetipso*, tum ad *corpus*, tum ad *crucem*, quæ Græcè σταυρὸς dicitur, referri posse Theophylactus monet. Hieronymus & *in semetipso*, & *in ea*, i.e. cruce, propter pronominis ambiguitatem, intelligi posse docet: ipse autem ad *crucem* referre, & proinde *in ea* vertere, mavult. Quo planè modo intellexerunt & Syri: qui quod de cruce habetur sequentibus verbis conjunxerunt, pronomine illo omisso, hunc in modum, *Et in cruce sua interfecit inimicitiam.* Latini codices, & olim & nunc, *in semetipso* legunt: quos, præter posteriores Enarratores, Haymonem & alios, Autor enarrationum apud Ambrosium & Primasius sequuntur. His Testamentum Græcum, quod cum interpretatione Latina contextûs lineis inserta in Regiis Bibliis exstat, atque id quod ex eo editum est anno 74 omnino conforme est; nam ἐν ἑαυτῷ legit, id quod non aliud quàm *in semetipso* significat.

H. STEPHANUS.

2. ΚΑτὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου] *Secundùm eam quæ in hoc mundo est vivendi rationem.*

5. Χάριτί ἐστε σεσωσμένοι] Quidam subaudiunt relativum, ut intelligas *cujus gratiâ estis servati*: & non sit parenthesis.

12. Ἄθεοι] *Dei expertes.*

14. Τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ] *Intergerini parietis septum.*

18. Τὴν προσαγωγὴν] *Auditum.*

19. Πάροικοι] *Inquilini.*

20 Ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ] *Cujus lapis in extremo angulo situs, est ipse Jesus Christus.*

22. Εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ] *Ut sitis habitaculum Dei.*

DRUSIUS.

1. CUm *essetis mortui peccatis*] h. e. in peccatis: ità poscit sententia. Nam *moritur* etiam *peccatis* renatus: nisi aliud *mori peccatis* & *mori peccato.* Sanè *mortuus peccato* dicitur qui non ampliùs peccat ad mortem, in quo velut exstinctum est Peccatum, ità ut vires suas exserere nequeat.

2. *Secundum seculum mundi hujus*] Αἰὼν & *seculum* & *ævum.* Αἰὼν *ævum*, ut Δᾶος *Davus*, Δῖος *divus*, Ἰαὼ *Javo.* Et *ævum*, *vita*, ut apud Horatium,

Vive memor quàm sis ævi brevis.

Quidam, *ut est vita mundi*: quod Ebraicè dici ait כדור העולם: dubito an rectè. Nam דור γενεὰ *generatio* vel *ætas.* עולם καὶ τὸν αἰῶνα καὶ τὸν κόσμον σημαίνει, h.e. *tam Mundum quàm Seculum*, aut *Ævum*: unde commodè in ea lingua exprimi hic locus non potest. Nam *vita* חיים dicitur: דור autem est *tempus vitæ humanæ*, aut *genus hominum simul orientium & occidentium.* Syrus *ævum* עלמא interpretatur, & mundum עלמא. Trem. *juxta mundanitatem* (i.e. *vanitatem*) *mundi hujus.* Sed vide, si placet. ¶ *Secundum principem potestatis aëris hujus*] Κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, i. e. *cui potestas aëris.* De *potestate aëris* vide Munus novum (liber est qui מנחה חדשה inscribitur) 83. 2. *Sciendum à terra usque ad expansum omnia plena esse turmis & præfectis*, &c. Joseph Castiliensis in Porta lucis, *A terra usque ad expansum non est locus vacuus, sed omnia plena sunt ὄχλοις, i. e. turbis. Ex iis quidam sunt puri, & ex iis capaces benignitatis & miserationum: & sunt infrà multa creaturæ pollutæ, lædentes & accusantes; & omnes stant volantque in aëre: nec est à terra usque ad firmamentum locus vacuus*, &c. Vide Cabbalam Reuchlini, pag. 883. Vide etiam quæ annotavimus ex libro Aboth Ephes. 6. 12. ¶ *In filios diffidentiæ*] i.e. Incredulos. Lex. Vet. Ἀπειθία, *incredulitas*, *insolentia.* Vox eadem denotat *contumaciam*: unde in alia editione, *in hominibus contumacibus.* Ebraïsmus est *filii contumaciæ.* In Notis ad h. l. perperam *impatientia* legitur pro *imparentia.* Nam *imparentia* verbum antiquum est, ut *imparens* apud Festum, & *inobsequens* apud Senecam. Lex. Vet. Ἀπειθής, ὁ αὐθάδης, *contumax*, *inobtemperans*, *inobediens.* Ἀπειθὴς, ὁ μὴ πιστεύων, *incredulus*, *diffidens.* Ergò ἀπειθία tam *diffidentia* quàm *contumacia.* Nihil certius.

3. Filii

3. *Filii iræ*] De Ira Dei capiendum, cujus effectus mors est tam prima quàm secunda; causa verò, peccatum Adæ. Igitur ex quo ille peccavit facti sumus omnes *filii iræ*, & quidem φύσει, h. e. *naturâ*, quatenus corrupta fuit per peccatum illud. Cæterùm *irasci* dicitur Deus cùm punit aliquem. Ideo *iram Dei* Vindictam interpretantur nonnulli & Pœnam. Ergò *filii iræ*, i.e. pœnæ Divinæ obnoxii; ut *filii mortis*, qui mortis rei sunt.

5. *Peccatis*] Suprà παραπτώματα verterat *delicta*, hic *peccata* reddit: neutrum bene. Nam *delicta* πλημμέλειαι vel πλημμελήματα dicuntur, *peccata* verò ἁμαρτίαι καὶ ἁμαρτήματα. Ideo recentior Interpres substituit *offensis*. Desideratur autem particula, ut sit *in offensis* aut *per offensas*. Sic Prov. 6. 12. *Ambulat perversitate oris*: plenum est *in perversitate*: sicut dicimus *ambulare in offensis & peccatis*. Contrà legimus *ambulare in operibus bonis* infrà v. 10. cui cognatum *ambulare in justitia*; quod explicant *vivere justè*; ut *ambulare in integritate*, *vivere integre*. Plautus,

> ——— *qui estis boni*,
> *Quiquè ætatem agitis cum pietate & cum fide.*

Hoc Ebraismus diceret, *qui ambulatis in pietate & in fide*. 1 Reg. 3. 6. *ambulavit coram te in veritate ac justitia, & in rectitudine cordis tecum. In veritate*, h. e. verè, sincerè, absque fuco & simulatione. ¶ *Cujus gratiâ*] ענו שחן. Nam *gratia* חן dicitur. Sed & חסדא vocatur in lingua Chaldæorum: unde יעלת חסדא *caprea gratiæ*, i. e. gratiosa.

10. *Nam ipsius sumus opus*] כי מעשיו אנחנו, *Nam opus ejus nos*. מעשה ποίημα, ut Psal. 64. 9. & alibi. Sæpius ἔργον interpretantur. De LXX. loquor, quibus יצר est πλάσμα, i. e. *figmentum*. Psal. 119. 73. *Manus tuæ fecerunt me*. Sed hîc agitur de Gratia. Nam alioqui omnes homines sunt *opus ejus*. Angustiùs accipitur in illo, *Qui fecit Mosen & Aharonem*. Vulg. *Ipsius enim sumus factura*, ποίησις. Sic etiam מעשה interpretantur Psal. 18. 1. qui Ebræis est 19. item Dan. 9. 14. & Exod. 28. 8. & alibi. ¶ *Ut in illis ambulemus*] Magis implet aures meas quàm *versemur* aut *versaremur*. Vide nunc quæ scripsimus ad v. 5. Ut hic *ambulare in operibus bonis*, ità suprà v. 2. dixit *ambulare in offensis & peccatis*. Latinè id meliùs exprimas *vivendi* verbo. Sanè *ambulare cum Deo* Persius dixit *vivere cum Deo*, in his versibus,

> *Vare, regustatum digito terebrare salinum*
> *Contemptus perages, si vivere cum Jove tentes.*

11. *Præputium*] A majore parte. Nam pleræque omnes incircumcisæ erant: ex quo illud, *Omnes gentes præputium habent*: quod verum erit si quasdam excipias. Nam & Ægyptii & Æthiopes & Colchi & Arabes & alii circumcisione olim usi sunt. Vide sis Herodotum lib. 2. Hier. Jer. 9. Alexandrum ab Alexandro Genialium lib. 2. c. 25. ¶ *Circumcisio in carne*] h. e. in pudendo. *Carnem* enim vocant id quo Viri sumus: unde, *Caro asinorum caro eorum*: & גדלי בשר *mutoniati*. Hoc primum. Deinde *circumcisionem* dicit ipsos circumcisos, ità tamen ut ad solos Israëlitas restringatur hoc loco. Sic Abraham appellatur *pater circumcisionis* Rom. 4. 12. h. e. Israëlitarum circumcisorum: quanquam etiam *Arabum pater* dici possit. Nam Arabes ab Israële oriundi, quos tamen excludit, ut Act. 10. *qui erant ex circumcisione credentes*, h. e. ex Judæis: nisi hæc ei ex illo Ciceronis *qui sunt ab ea disciplina*. Sic fortè *pater circumcisionis*, i. e. primus autor, sive qui eam primus instituit: quomodo Rufinus de Hieronymo loquens, *ut pater verbi sit potius quàm Interpres*, in Prologo περὶ ἀρχῶν, pag. 155. Vocatur & *circumcisio carnis*. A qua diversa *circumcisio cordis* & *aurium* & *linguæ*. Unde dicunt esse *quinque circumcisiones*, videlicet *quatuor in Homine, & unam in Arbore. In Homine sunt circumcisio Carnis, Cordis, Aurium, & Linguæ*, Ilmedenu, vel, si mavis, Jelammedenu, cujus autor R. Thanchuma, 8. 1. ¶ *Quæ manu fit*] Sacerdotis, qui מוהל dicitur, ut *circumcisus* מהול. Cæterùm Orientales Judæi circumcidunt super aquam; & Occidentales, qui & *filii terræ Israël*, super pulverem. Filii autem Mahasiæ, h. e. cives illius urbis quæ *Mattha Mahasia* & *Sura* dicitur, circumcidunt in aquis elixis, in quibus myrtus generaque aromatum, &c. Vide sis Altare aureum, 19. 1. De ritu Circumcisionis aliqua in libro Precum, fol 466. p. 1. ubi is qui circumcidit פורע vocatur, qui post circumcisionem pelliculam dilacerabat, & sanguinem ore sugebat. Dicunt autem, *Qui circumcidit nec lacerat, ac si non circumcidaret*: item, *Quicunque circumcidit, & non exsugit* מציץ, *removent eum, & alium in locum ejus substituunt*.

12. *Hospites testamentorum*] *Hospites à testamentis*, i. e. pactis aut fœderibus: nam διαθηκῶν in fonte. Diximus autem eam vocem usurpari pro συνθηκῶν, i. e. *pactorum*, aut *fœderum*. Hoc notum. Usus autem fuit plurali numero pro sing. aut διαθηκῶν dixit propter Legem & Circumcisionem. Nam & Circumcisio vocatur ברית של אברהם *pactum* (sive *fœdus*) *Abrahami*. Sic vocatur in libro Aboth, c. 3. ¶ *Sine Deo*] *Sine Deo vero*. Nam alioqui Gentes multos Deos colebant. Ἄθεοι ergò qui Deum verum ignorant. Quo sensu etiam Turcæ ἄθεοι vocari possent: sed & Judæi hodie. Nam Deum non novit qui Christum non novit.

13. *Qui creatis procul*] Quia *gentes*, *aliena à pactis*, & *sine Deo*. Etiam improbi *procul absunt à Deo*: unde vocantur רחוקים ממך Psal. 73. 27. *Ecce qui procul absunt à te peribunt*. Contrà justi & qui verum Deum colunt vocantur *propinqui ejus*, ut ibi, *In propinquis meis glorificabor*.

17. *Vobis qui procul eratis*] h. e. Gentibus. ¶ *Iis qui propè erant*] h. e. Judæis. Nam hic locus nihil ad improbos, nihil ad justos.

21. *Templum sanctum in Domino*] h. e. *Templum sanctum Domini*. Sic dicimus *vinctus in Domino* & *vinctus Domini*; *circumcisio in carne*, & *circumcisio carnis*. *Vinctus in Domino* quidam explicant *propter Dominum*, aut *Domini causâ*. Porrò autem *templum Domini* non tantùm ipsa Ecclesia, sed singuli fideles appellantur. Videndus Theodorus ad h. l.

22. *In habitaculum Dei*] לשכון אלהים, vel certè למשכן, *ut sitis habitaculum* (aut *domicilium*) *Dei*. Psal. 33. 14. מכון שבתו, LXX. ἐξ ἑτοίμου κατοικητηρίου αὐτοῦ. 107. 4. & 7. עיר מושב, iidem πόλις κατοικητηρίου *civitas habitationis*, h. e. habitata. Exod. 15. 17. מכון לשבתך κατοικητήριόν σου, de Templo.

JAC. CAPPELLUS.

12. Illo *tempore fuistis absque Christo, alieni à Rep. Israëlis*, quæ sola tum erat Dei Resp. *& à pactis promissionis extranei, item non habentes* extra vitam hanc, *& expertes Dei in mundo*] h. e. Vitam hic ducentes irreligiosam, nihil minùs sibi proponentes quàm ut obsequantur & placeant Deo. Ut scias quàm id verè dicatur, exemplum dabo. Quis tum vivebat Senecâ sapientior inter Ethnicos, qui de Sapiente sæpius & fortiùs agat, qui de Deo magnificentiùs loquatur? Et tamen hunc ipsum dicere possumus *fuisse sine Deo*, *sine spe*. *Sine Deo*; quia quisquis hominem exæquat Deo, is atheis annumerari meritò potest: At hoc subindè facit Seneca, prout multis argumentis probamus ad annum V. C. 446. ubi docemus, in hac atheismi specie conspirare Stoicos cum Epicureis. His adde quod ait Ep. 59. *Sapiens ille est qui plenus gaudio, hilaris & placidus, inconcussus cum Diis ex pari vivit*. Erat quoque Seneca *sine spe*. Nam licèt aliquando cum Platone doceat Immortalitatem animorum, erat tamen hæc oratio non in pectore sed in labris. Quid ea de re sentiat, alibi docet ingenue; *Ego diu mortem expertus sum*, inquit Ep. 54. *Quando, inquis? Antequam nascerer. Mors est, non esse. Id quale sit* (non fuisse) *jam scio: hoc erit post me quod ante me fuit. Accendimur, & extinguimur. Medio illo tempore aliquid patimur; Utrimque verò alta securitas est*. Ep. 57. *Stoici existimant animam hominis magno pondere extritis permeare non posse & statim spargi, quia non fuerit illi exitus liber*. Ità mortales quidem faciebant animas nostras, sed in quibusdam hominibus aliquantò vivaciores corpore. Seneca damnat hanc sententiam: & tamen, *Quærendum est*, inquit, *an immortalis esse possit. Hoc quidem certum habe, si superstes est corpori, propter hoc animum nullo genere posse perire, propter quod non perit, quoniam nulla immortalitas cum exceptione est, nec quicquam noxium æterno est*. Contrà, videmus, quot cruces etiam hic sibi figat animus, quibus aculeis ipse sese pungat homo,

> *Occultum quatiente animo tortore flagellum*,

inquit Juvenalis. Eò verò pertinent Senecæ verba ut Dei metum excutiat: At qui nihil à Deo metuit extra vitam hanc, is nec sperat quidem à Deo quidquam extra seculum hoc. Hinc est quòd Seneca toties suadet aut laudat αὐτοχειρίαν. Ut Ep. 58. *Si inutile ministeriis est corpus, quidni oporteat educere animum laborantem? Imbecillus est & ignavus qui propter dolorem moritur; stultus, qui doloris causâ vivit*. At doloris causâ non vivit qui dolores, utut immedicabiles & acutos, perfert ut Deo pareat, ut præmia, quæ perseverantibus pollicetur Deus, accipiat. Ep. 63. *Fortasse (si modò sapientium vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus perisse, præmissus est*. Sperabat quidem id aliquando, adeoque credebat, sed ità tamen ut suam hanc spem ac ὑπόληψιν ipse *somnium* vocet Ep. 102.

LUD. CAPPELLUS.

14. Τὸ *μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας*] Volunt Interpretes Metaphoram esse ductam à pariete intergerino qui duas solet conjunctas domos separare & discludere, familiasque in iis habitantes

habitantes dividere. Ego potiùs existimarim Apostolum respicere & alludere ad Templi Hierosolymitani structuram & Judæorum sui temporis in eo consuetudinem. Templum nempe Hierosolymitanum, tempore Apostoli, ità fuit constructum (teste Josepho Antiq. Jud. l. 8. c. 2. & l. 15. c. 14. & De Bello Jud. l. 6. c. 6.) ut duplici constaret quadrangulari Septo amplissimo, quorum alterum intra alterius ambitum, inque ejus medio, situm erat. In secundi autem sive interioris Septi medio היכל *Templum* propriè & strictè sic dictum (quod Locum sanctum, Sanctumque sanctorum cum vestibulo complectebatur) collocatum fuit. Utrumque Septum, tum exterius illud, tum interius istud, undique quatuor ex partibus latis & amplissimis cingebatur Porticibus, quibus populus excipiebatur. Inter utrumque autem Septum spatium fuit *ὕπαιθρον sub dio* sive patente cœlo vacuum & apertum, latum circiter 40. vel 50 cubitos. In eo spatio ὑπαίθρῳ lorica fuit lapidea, sive paries quidam humilis, altus tres cubitos, quo undique cingebatur Septum interius, & ab exteriore separabatur. Jam verò ad prius istud & exterius Septum admittebantur non Judæi modò qui non usquequaque mundi erant secundùm Legem, sed & ipsi Gentiles sive Ethnici qui adorandi gratiâ Hierosolymam veniebant, sed loricâ illâ lapideâ discludebantur & arcebantur ab interioris Septi aditu, quo solis Judæis, & quidem ex Lege mundis, patebat ingressus. Quin & Josephus De Bello Jud. l. 6. c. 6. & alibi notat disertè, loricæ isti impositas fuisse & paribus intervallis dispositas columellas Græcis & Latinis literis inscriptas, quibus significabatur nemini licere alienigenæ sub capitis pœna transgredi loricam illam, & irrumpere in interius Septum. Pariter & in interiori Septo alia fuit isti similis lorica, quâ populus a Templi ingressu & Atrio Sacerdotum, qui sacris in eo operabantur, discludebatur. Hanc Josephus Antiq. Jud. l. 8. c. 2. dicit vocatam fuisse *γεῖσον μὲν κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν, θριγκὸν δὲ παρ' Ἕλλησι.* Illud *γεῖσον* est Syriacum חיצא ab Hebræo חיץ, quod *luteum & humilem parietem* significat. Chaldaicè à Targumistis & Talmudistis præpositâ literâ Mem מחיצה dicitur, quod idem est cum Hebræo כותל *paries*, קיר *murus*, גדר *maceria*. Apostolus hoc loco omnino alludit ad utramque illam loricam sive lapideum parietem, quo tum temporis populus Judæorum a Templo & Sacerdotibus in interiori Templi Septo separabatur, tum Ethnici à Judæis in exteriori Septo distinguebantur; illamque loricam vocat hîc *μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ*· & *μεσότοιχον* quidem, quia revera fuit *μέσος τοῖχος paries medius & intergerinus* inter populum & Sacerdotes, item inter Judæos & Gentiles. *Φραγμὸν* autem vocat quia paries ille hos ab illis *ἔφραττε arcebat* & quasi sepe quadam separabat. Fuit autem paries ille geminus typus Ceremoniarum legalium, quibus Judæi tum à Deo veroque Dei cultu spirituali cordis submovebantur, tum ab Ethnicis in Religionis cultu externo distinguebantur: proptereaque ab Apostolo v. 15. *ἔχθρα odium* seu *inimicitia* vocatur. Nam I. earum observatio dura fuit, gravis, odiosa & molesta. Unde Mal. 1. 13. Sacerdotes inducuntur conquerentes de earum gravitate & molestia, & Petrus Act. 15 vocat eas *jugum δυσβάστακτον*· atque indè accendebatur hominis ψυχικοῦ adversùs Deum odium & indignatio, quòd leges tam duras & molestas homini tulerit. II. Ceremoniæ erant signaculum quoddam odii quo Deus hominem peccatorem ex naturali justitia prosequitur, docebantque nos esse Deo naturaliter exosos, naturà iræ filios, abalienatos ab eo; quatenus reatus noster iis significabatur, opusque erat sub Lege hominem ritibus illis purgari & veluti expiari, priusquam pateret illi ad Deum accessus. III. Denique, Ceremoniæ illæ mutuum gignebant Judæorum adversùs Ethnicos, vicissimque Ethnicorum adversùs Judæos, odium atque simultatem. Ethnicis enim exosæ erant & ridiculæ atque absonæ videbantur non paucæ Judæorum Ceremoniæ ritusque Legales; unde eorum odium & contemptus adversùs gentem tam absurdis (uti quidem ipsis videbatur) ritibus utentem accendebatur; indidemque Judæorum adversùs Ethnicos mutuum excitabatur odium, quòd Ethnici uterentur ritibus non Divinitus institutis, quales erant Judaïci, sed merè humanis, aut verò etiam Diabolicis. Hoc ergò vult Apostolus, Christum *in carne sua*, h. e. corporis sui sacrificio, Legales omnes umbras atque Ceremonias implevisse, & implendo sustulisse atque abrogasse, sicque sustulisse sive exstinxisse tum nostri adversùs Deum odium (innovando scilicet Spiritu suo mentes nostras, studiumque pietatis & justitiæ spiritualisque Dei cultûs, quo nihil est jucundius & suavius præ jugi Legis molestissima gravitate, ingenerando) tum Dei etiam in nos *inimicitiam*, sublatâ Legis maledictione, & abolito reatu nostro; mutuam denique quæ inter Judæos & Gentes intercedebat *simultatem*; sicque veluti disjecisse & evertisse geminum illum *parietem intergerinum* quo in Templo tum Gentiles à Judæis tum Judæi ipsi à Sacerdotibus & Templi ingressu arcebantur, ità ut jam per fidem in Christi mortem & nos simus Deo reconciliati, (ità paries quo populus à Templi ingressu & Sacerdotum Atrio arcebatur sublatus est) & liber pateat per eandem fidem Ethnicis, unà cum Judæis, ad verum Dei cultum & Templum accessus, sublato velati intergerino pariete quo antea alii ab aliis in Templo Hierosolymitano separabantur. Atque ità *pax* undequaque per Christum parta est, & *reconciliatio* facta tum nostri cum Deo Deique erga nos, tum Judæorum & Gentilium inter se, qui ante Christi mortem dissidebant mutuisque odiis invicem ardebant, sed jam per fidem in Christi mortem concordant, atque unà in spiritu & veritate Deum uno animo unoque corde, non ampliùs in χειροποιήτῳ Templo Hierosolymitano, sed ubique terrarum omnique loco, colunt & verà pietate observant. Hæc videtur esse breviter Apostoli mens, totis hisce decem versibus, à 10. ad 20 qui lucem aliquam, ut puto, accipiunt planique fiunt ex hac duplicis loricæ in Templo Hierosolymitano observatione. De qua duplici lorica vide in Historia nostra Apostolica Templi Hierosolymitani ἰχνογραφίαν.

GROTIUS.

1. KAὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις· *Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris*] Non ita difficile est solvere Pauli ἀνταπόδοτα [*Redditiones*,] quæ in illo frequentia esse notarunt Hieronymus & alii. Nam si quæ hic sequuntur usque ad comma 4. sumas ut παρένθεσιν [*Interpositionem*,] & deinde δὲ [*autem*] quod sequitur commate 4. & καὶ [*&*] quod sequitur commate 5. (nisi malis δὲ [*autem*] sumere pro ὅμως [*tamen*] & καὶ [*&*] pro καίπερ [*quamvis*]) sumas ut πλεονάζοντα [*abundantia*] more Hebræo, qui suum ו quod & δὲ [*autem*] & καὶ [*&*] valet, sæpe sic interponunt, habebis orationem bene cohærentem. Est autem hic ἔλλειψις [*defectus*] voculæ ἐν [*in*,] qualis Prov. 6. 12. Plena locutio est in loco qui huic est geminus Coloss. 2. 13. & hîc in Syriaco, ut & infra 6. est ergo hic dativus pro casu qui sextus dicitur, & causam significat. Alioqui si dativus in proprio suo sensu sumatur, ἀποθνήσκειν τῇ ἁμαρτίᾳ [*mori peccato*] longè aliud indicat, ab eo quod hic significatur, ut videre est Rom. 6. 2. *Mortui in peccatis* sunt homines immersi vitiis, ita ut vix ulla spes sit eos ad vitam meliorem posse resurgere, qualibus Pythagorei struebant κενοτάφιον [*sepulchrum inane*,] & qualium exempla vitanda docet lex Nazaræatus in sensu mystico. In Seror Hamor habes הרשעים בחייהם קרוים מתים [*impii per vitam suam evenerunt mortui.*] Tales autem fuerant in Gentibus plerique, etiam ex Philosophis, ut ostendimus ad Rom. 1. Voces istæ παραπτώματα [*delicta*] & ἁμαρτίαι [*peccata*,] interdum permutantur, ut patuit supra 1. 7. interdum distinguuntur ita ut ἁμαρτία sit חטאת [*peccatum*] vel אשם [*delictum:*] (utrunque enim Hebræum illa voce transfertur) παράπτωμα verò מעל [*prævaricatio*,] quomodo vertitur ista vox Hebræa Ezech. 14. 13. 15. 8. 18. 24. 20. 27. Alibi ἀνομία, ἀπόστασις, ἀποστασία [*factum legi contrarium*, *defectio.*] Sic Latini distinguunt *flagitium* à *scelere.*

2. Ἐν αἷς ποτε περιεπατήσατε, *In quibus aliquando ambulastis*] Vos etiam Ephesii, dediti tum vitiis aliis, tum magicis artibus. Vide quæ dicta Actor. 19. 19. περιπατεῖν הלך [*ambulare*] *consuetudinem* significat. ¶ κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, *secundum seculum mundi hujus*] Αἰὼν [*seculum*] multa significat: interdum vitam, & per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *rationem vivendi*, quæ דרך [*via*] Hebræis. *Vixistis ut mos erat plerisque.* ¶ κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *secundum principem potestatis aeris*] Dæmonum multa sunt genera. Ignatius ad Ephesios, Ἐν ᾗ πᾶς πόλεμος καταργεῖται ἀερίων καὶ ἐπιγείων πνευμάτων [*in qua aboletur omne bellum aëreorum & subterraneorum spirituum.*] Illi terrestres vocantur κοσμοκράτορες τοῦ σκότους [*rectores mundi tenebrarum*,] quia qui sub terra latent obscuri sunt; illi verò in aëre, τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν ἐπουρανίοις [*spiritualia nequitiæ in supracœlestibus.*] Infra 6. 12. Plato, Δαίμονες ἀέριον γένος [*Dæmones genus aëreum.*] Habes idem in libro Hebræo qui dicitur *Cedrus Libani*: & liber מנחה חדשה [*Mincha chadascha*] ait *à terra ad cœlum omnia plena spiritibus.* Terrestres illi suggerunt appetitus crassiores, quales sunt qui externis sensibus percipiuntur: illi verò aërei superbiam, ultionem, κενοδοξίαν [*inanis gloriæ studium*,] idololatriam, vitia non minora, sed subtiliora. ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος [*Princeps potestatis aëris*] est is, *qui omnibus illis potestatibus aëris imperat*, singulari posito vice pluralis. De eo Principe vide Matth. 9. 34. 12. 24. Marc. 3. 22. Luc. 11. 15. Joh. 12. 31. ¶ τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, *spiritûs qui nunc operatur in filios diffidentiæ*] Τοῦ

πνεύματος

πνεύματος [*spiritûs*,] singulare pro plurali, quod frequens ubi de toto genere agitur, quomodo ἄνθρωπος [*homo*] est *humanum genus*. *Illorum*, inquit, *spirituum, qui etiam nunc dominantur*, non in vobis, sed in omnibus illis qui Euangelium sibi oblatum repudiarunt. υἱοὶ ἀπειθείας [*filii diffidentiæ*] & hic & Coloss. 3. 6. locutione Hebræa sunt homines, qui Divinis Legibus, quanquam & sanctis, & clara divinæ potentiæ testimonia habentibus, subjicere se nolunt. Similis descriptio Deut. 32. 20.

3. Ἐν οἷς καὶ ἡμεῖς ἀνεστράφημέν ποτε, *In quibus & nos aliquando conversati sumus*] Ne nimirum onerari se putarent Gentes, addit & Judæos qui illo tempore ἐπιτοπολὺ [*magna ex parte*] nihilo meliores fuerant, ut & ex Sacris literis & ex Josepho apparet. Dicit autem ἡμεῖς [*nos*,] quanquam ipse talis non fuerat (vixerat enim vitam non quidem ullo modo comparandam cum ea quam duxit postea Christianus, sed tamen probiorem quàm sui temporis Judæi, Philipp. 3. 6.) utens figurâ κοινώσεως [*communicationis*,] per quam ea quæ sunt odiosa facimus nobis communia. Vide Dan. 9. 5. Servius ad illud, *& dubitamus adhuc? Et dubitas. Miscuit personam suam.* Tale & illud Homeri,

> Τυδείδη, τί παθόντε λελάσμεθα θούριδος ἀλκῆς;
> [*Unde ea virtutis, Tydide, oblivio nobis?*]

Vide & quæ diximus in 7. ad Romanos. ἐν οἷς [*in quibus*] nempe παραπτώμασι [*delictis*.] Vide Coloss. 3. 7. ¶ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς ἡμῶν, *in desideriis carnis nostræ*] Ad exemplum Majorum nostrorum, quorum historia est Num. 11. 34. ¶ ποιοῦντες τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς, *facientes voluntates carnis*] Indulgentes actionibus illis crassioribus, putà scortationibus, adulteriis, & vinolentiis. ¶ καὶ τῶν διανοιῶν. *& cogitationum*] Subtilioribus illis vitiis, quæ sunt magis ἐν τῷ θυμοειδεῖ [*in facultate illa, quâ irascimur*,] & propiùs ad virtutes videntur accedere. ¶ καὶ ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς ὡς καὶ οἱ λοιποί. *& eramus naturâ filii iræ sicut & cæteri*] In Manuscripto καὶ ἦμεν φύσει τέκνα [*& eramus naturâ filii*.] Non agi hic de labe originaria satis ostendunt præcedentia, ubi describuntur vitia à quibus multi Veterum fuere immunes. *Ira* in his libris sæpe est pœna, *filii iræ* sunt qui pœnam meruere, sicut *filii mortis*, qui mortem. 2 Sam. 12. 5. Joh. 17. 12. 2 Thess. 2. 3. φύσει [*naturâ*] autem significat *non opinione, sed reverà*, ut Gal. 4. 8. ἀληθῶς, γνησίως [*verè, reverà*,] ut hic habet Œcumenius. Nec aliter Theophylactus. Syrus בכליה, *plenè, omnino*: quomodo & Hieronymus ait à Veteribus acceptum. Tales erant plerique Israelitæ, quales fore prædixerat Moses Deut. 32. 5, 20. & quales describit Esai. 57. 5.

4. Ὁ δὲ Θεὸς πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει, *Deus autem qui dives est in misericordia*] רב רחמים [*multæ miserationis*] Exodi 34. 7. ¶ διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, *propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos*] *Nos*, id est, totum humanum genus. Hæc est dilectio illa antecedens de qua Rom. 5. 8. 1 Joh. 4. 10.

5. Καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ. *Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo*] De istis duabus particulis δὲ [*autem*] & καὶ [*&*,] quæ hic πλεονάζουσι [*abundant*,] diximus supra. *Fecit nos vivere cum Christo*, id est, ad exemplum Christi. ζωοποιεῖν [*vivificare*] adumbratum ex Hebræo החיה, quod habemus Deut. 32. 39. & alibi. ¶ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι *gratiâ estis salvati*] Sumunt multi Interpretes ut παρένθεσιν [*interpositionem*.] Sed Chrysostomus istud hoc loco non videtur legisse, & credi potest festinatione scriptoris positum, ex eo quod est infra 8.

6. Καὶ συνήγειρε, *& conresuscitavit*] Nempe spe, ut dicitur Rom. 8. 24. Ideo Christum excitavit, ut sciremus nobis idem eventurum. ¶ καὶ συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *& consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu*] Etiam nos ergo regnabimus, Matth. 19. 28. 20. 21. 2 Tim. 2. 12. In quos ergo? difficile dictu. *Mysterium est*, ut ait hic Chrysostomus, Res tamen vera. Per ἀπαρχὰς [*primitias*] sanctificatur tota frugum congeries. Sic Christus cœli possessionem adeptus est, non pro se tantùm, sed & pro nobis. Jus ad rem, ut & supra diximus, sæpe rei nomen accipit.

7. Ἵνα ἐνδείξηται ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu*] Quod nunc spe ac jure obtinemus, tunc in re ipsa obtinebimus. Αἰῶνες οἱ ἐπερχόμενοι, עולם הבא [*secula supervenientia*,] tempus post resurrectionem, αἰὼν ὁ μέλλων [*seculum futurum*] supra 1. 21. Hebr. 6. 5. πλοῦτος χάριτος [*divitiæ gratiæ*,] ut supra 1. 8. Et augendi causâ adjecit ὑπερβάλλοντα [*abundantes*,] ut 2 Cor. 3. 10. 9. 14. supra 1. 19. infra 3. 19. Et post χάριτος [*gratiæ*] adjecit ἐν χρηστότητι [*in bonitate*,] ut istâ verborum abundantiâ magnitudinem beneficii significaret. Sic Esaias 63. 7. posuit רב טוב [*multitudinem bonorum*,] & רחמיו [*indulgentias suas*,] & rursus רב חסדיו [*multitudinem miserationum suarum*.] Rursum addit ἐν Χριστῷ [*in Christo*,] ut sciamus nos post Deum Christo omnia ista debere. In Manuscripto est ὑπερβάλλον πλοῦτος, quasi πλοῦτος esset neutrum declinationis tertiæ. Et ita perpetuò in illo libro poni solet πλοῦτος cum adjectivis neutris.

8. Τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, Θεοῦ τὸ δῶρον. *Gratiâ enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est*] Σώζεσθαι [*salvari*] hic est *purgari à vitiis, justum reddi*, ut Actor. 2. 40. & 1 Cor. 1. 21. Nempe sicut vita in peccatis *mors* dicitur, sic ab iis liberari appellatur servari. Hoc autem per fidem fieri latè ostendit Apostolus in Epistola ad Romanos. Ea fides sive in Deum fiducia procedit non ab argumentis humanitus repertis, qualibus utebantur Philosophi; sed ab iis quæ Deus non rogatus in Christi miraculis & morte, & resurrectione nobis exhibuit. Meritò igitur hoc Dei bonitati adscribit, ejusque *donum* vocat. τοῦτο [*hoc*,] id est, *illud ipsum quod credidimus*, Philipp. 1. 29.

9. Οὐκ ἐξ ἔργων, *Non ex operibus*] Supple ex prioribus, *servati estis*. Non acquisivistis istam justitiam longâ exercitatione, quomodo Philosophi dicunt acquiri virtutes. Subitò & sine labore ea vobis obvenit per compendiosam viam fidei. Vide Rom. 4. 2. & ibi dicta. ¶ ἵνα μή τις καυχήσηται. *ut ne quis glorietur*] *Ne quis id laudi sibi tribuat*, quasi suopte ingenio aut labore pervenisset ad istam justitiam quam sanctitas & sancta opera sequuntur. Quicquid est in flumine fonti debetur.

10. Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, *Ipsius enim sumus factura*] Ex Deut. 32. 6. & Esai. 43. 21. & 44. 21. Populum Israëliticum Deus *sibi fecerat*, liberando eos Israëlitas à servitute Ægypti. Populum Christianum *sibi* Deus *fecit*, liberando nos à servitute vitiorum. Hæc est *nova creatio* 2 Cor. 5. 17. Gal. 6. 15. Unde hic sequitur, ¶ κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, *creati in Christo Jesu in operibus bonis*] *Ut bona opera ederemus.* Sicut ex rudi mole terram Deus condidit ut fruges ederet, ita ex hominibus ἀτάκτοις [*incompositis*] Deus fecit compositos homines, ut deinde bona opera ederent. παραπλησίως τῇ φύσει ἡ διδασκαλία [*naturam imitatur disciplina*,] ait Theodoretus. Adde quæ de hac voce diximus in Prolegomenis ad Euangelia. ἐπὶ [*in*] hic significat id cujus causâ aliquid fit, quomodo Græci dicunt, ἐπὶ κέρδει, ἐπὶ μισθῷ [*lucri causâ, mercedis gratiâ*.] ¶ οἷς προητοίμασεν ὁ Θεὸς, ἵνα ἐν αὐτοῖς περιπατήσωμεν. *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*] *Præparavit*, tum præscribendo formam operum, tum dando Spiritum, qui ad optima quæque nos agat: quasi in mari aliquis & viam præsignaret, & simul ventos daret ferentes.

11. Διὸ μνημονεύετε, *Propter quod memores estote*] Concludit ex antedictis, omnes ad Christum conversos perpetuò gratias Deo debere, sed maximè illos ex Gentibus. ¶ ὅτι ὑμεῖς ποτὲ τὰ ἔθνη ἐν σαρκὶ, *quòd vos aliquando gentes in carne*] *Carne*, id est, origine carnali: (nam ita caro sumitur Rom. 1. 3. 9. 3. 1 Cor. 10. 18.) *eratis* גוים [*Gentes*.] Eo enim nomine vocabantur qui non erant de Israëlis populo, Matth. 6. 32. & alibi sæpe. In Manuscripto ὅτι ποτὲ ὑμεῖς [*quòd aliquando vos*,] &c. ¶ οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς ἐν σαρκὶ χειροποιήτου. *qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta*] Contemptim à Judæis etiam piis dicebamini ἀκροβυστία [*præputium*,] id est, ἀκροβυστίαν ἔχοντες [*præputium habentes*,] quod legimus Actor. 11. 3. ערלים [*præputiati*] Judic. 14. 3. 15. 18. 1 Sam. 14. 6. 17. 26, 36. 31. 4. 2 Sam. 1. 20. 1 Paralip. 10. 4. Esai. 52. 1. Ezech. 28. 10. 31. 18. & alibi sæpe. Quæ vox Hebræa à Græcis plerumque vertitur ἀπερίτμητοι [*incircumcisi*,] at Josuæ 5. 7. ἀκρόβυστος [*præputiatus*.] ἀκροβυστίας [*præputii*] vocem pro ἀκροβύστοις [*præputiatis*] habuimus & Rom. 2. 25, 26, 27. Sic περιτομὴ [*circumcisio*] pari μετωνυμίᾳ [*Transnominatione*] pro *circumcisis* Rom. 3. 30. 4. 9. Non frustra autem additur ἐν σαρκὶ [*in carne*] & χειροποιήτου [*manufacta*;] quia est & alia circumcisio mystica *cordis* sive *animi*, quæ est ἀχειροποίητος [*non manufacta*] Coloss. 2. 11. Hæc per Euangelium communis facta est Judæis & Gentibus.

12. Ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ. *Quòd eratis in illo tempore sine Christo*] Quia promissiones de Messia ad solos Judæos a Prophetis annuntiatæ fuerant. Vide Rom. 9. 4. Nunc cum possidetis non minùs vos, quàm ii quibus promissus fuerat. ¶ ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, *alienati à conversatione Israel*] In illa Republica à Deo instituta non modò honores non poteratis capere, sed nec pro civibus haberi: adeò distabant instituta. Vide Esther. 3. 8. & Tacitum de Judæis. Nunc verò aliam sibi Rempublicam Deus fecit, Ecclesiam scilicet, in qua per omnes honorum gradus provehi potestis, non minùs quàm

quam Judæi. Sic impleta eminenter prædictio Esai. 54. 5. ¶ *καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, & hospites testamentorum promissionis*] Pacta illa cum Abrahamo facta, deinde cum Isaaco & Jacobo, ac deinde pactum legale per Mosem datum, nihil ad vos pertinebant, id est, nihil de vobis loquebantur, Psalm. 147. 20. Nunc pactum illud quod Christus attulit vos Judæis æquat. Omnia autem ista pacta vetera rectè vocantur *pacta* *ἐπαγγελίας* [*promissionis*,] quia annexas habent promissiones ex Dei parte, quæ videri possunt suis locis. ¶ *ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, spem non habentes*] Resurrectionis scilicet & vitæ æternæ, ut hoc explicatur infra 4. 18. Omne tempus post reditum ex Babylone erat vestibulum Euangelii. Resurrectio & vita æterna plenè & certò revelanda erant per Messiam. Sed ex mystica Prophetarum explicatione per Esdram facta aliquem rerum illarum gustum Judæi acceperant, ut ex Maccabaicis libris, Pharisaïcarum sententiarum descriptione quæ est apud Josephum & Act. 23. 8. apparet. Gentes verò nullam habebant ea de re Divinam revelationem. Epicurus & Aristoteles nihil ejus credebant. Stoici animas putabant manere, sed non ultra quam ad tempus *ἐκπυρώσεως* [*conflagrationis*.] Platonici animas perpetuis vicibus, nunc beatas, nunc verò miseras fieri. Quicquid dicebant, conjecturæ erant incertæ, vagæ, fragiles. ¶ *καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. & sine Deo in mundo*] Id est, per omnes terrarum oras verum Deum, Mundi scilicet opificem, aut ignorabatis, aut certè non colebatis, sed pro eo deos ab hominibus fictos. Est autem sensus desumptus ex Oseæ 4. 1. ואין דעת אלהים בארץ [*& non est scientia Dei in terra.*] *οὐκ εἰδότες Θεὸν* [*ignorantes Deum*,] Gal. 4. 8.

13. *Νυνὶ δὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, Nunc autem in Christo Jesu*] *Per Jesum Christum.* ¶ *ὑμεῖς οἱ ποτὲ ὄντες μακρὰν, vos qui aliquando eratis longe*] *Qui longe eratis* à cognitione Dei veri, & à spe vitæ cœlestis. ¶ *ἐγγὺς ἐγενήθητε, facti estis prope*] Clare illa conspicitis, ut solent qui prope ad rem aliquam accessere. ¶ *ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ. in sanguine Christi*] Mors Christi & eam secuta resurrectio vos rerum istarum certos fecere.

14. *Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, Ipse enim est pax nostra*] Christus causa est concordiæ inter conversos ex Judæis & ex Gentibus. Vide supra 1. 10. Similis locutio Michææ 5. 4. ¶ *ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἓν, qui fecit utraque unum*] *Τὰ ἀμφότερα* [*utraque*] nempe *γένη* [*genera*.] *ἓν* nempe *σῶμα*, *unum corpus* קרב אתם אחד אל אחד (*adjunge illa unum ad alterum*) Ezech. 37. 17. cujus loci mystica impletio hic docetur. Vide Joh. 10. 16. ¶ *καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας. & medium parietem maceriæ solvens*] קיר פרד, *intergerinum* (ita Plinius loquitur) *separans*. Nam genitivus hic more Hebræo est vice ἐπιθέτου [*agnominis*:] Sic apud Terentium jubetur *maceria diruí, ut fiat una domus.*

15. *Τὴν ἔχθραν, inimicitiam*] Est *πρόσθεσις* [*appositio*] simul & *μετωνυμία* [*Transnominatio*.] *Causam*, inquit, *illam inimicitiæ*, ob quam Gentes ab Israëlitis spernebantur, contrà Israëlitæ in Gentium erant odio tanquam *ἄμικτοι, ἀσύμφυλοι, ἀκοινώνητοι* [*qui aliena consortia, cognationes, communiones aversabantur*.] Ponenda hîc *ὑποστιγμή* [*interpunctio*.] ¶ *ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, in carne sua*] Hoc refer ad illud *ποιήσας ἓν* [*faciens unum*] & *λύσας* [*solvens*.] Fecit illud non victimarum carne, per quas fœdera sancire solebant, ut diximus ad Matth. 26. 27, 28. Idem est quod mox dicit, *per crucem*. ¶ *τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας. Legem mandatorum in decretis evacuans*] *Καταργεῖν* [*evacuare*] respondet Hebræo בטל [*abolere*,] quomodo & à Syro hîc vertitur. Dicuntur autem *καταργεῖσθαι* [*aboleri*] ea quæ vim amittunt: vis autem quæ hîc intelligitur est vis obligandi. *νόμος τῶν ἐντολῶν* [*Lex mandatorum*] dicitur ea pars Legis quæ consistit in rebus per se nec honestis nec turpibus, & respondet vox *ἐντολῶν* [*præceptorum*] Hebraicæ חקים, ut videre est Deut. 16. 12. 1 Reg. 2. 3. 3. 14. Ezech. 18. 21. Hoc nomine intelliguntur præcepta de diebus, de victimis, de cibis vetitis & similia. Horum vim sustulit Christus *δόγμασι* [*decretis*] Coloss. 2. 14. quod hîc dicitur *ἐν δόγμασι, per dogmata* nempe sua, ut hîc rectè intellexerunt Syrus, Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Docuit enim per Apostolos suos hæc in se nihil habere egregii, & Deum istorum aut sequendorum aut non sequendorum indulgere libertatem, quò intentiores sint homines ad potissima. *δόγμα* vox est Græca, quæ frequens ad significandas Philosophorum doctrinas. Eâ hîc utitur Paulus, scribens hominibus tritis in Philosophorum scriptis. Sic Græci Patres sæpe Christianam doctrinam *φιλοσοφίας* [*Philosophiæ*] nomine appellant. ¶ *ἵνα τοὺς δύο κτίσῃ ἐν ἑαυτῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον ποιῶν εἰρήνην, ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem faciens pacem*] Sicut populus totus est una [illegible] civilis, sic & Ecclesia. *κτίσῃ* [*conderet*,] id est, *formaret*, ut supra 10. *τοὺς δύο* [*duos*] quod infra *τοὺς ἀμφοτέρους* [*ambos*,] Judæos nempe & Gentes, pro quo ante dixerat *ἀμφότερα* [*ambo*,] nempe *γένη* [*genera*,] ut jam diximus. *ἐν ἑαυτῷ* [*in semetipso*] est *μετωνυμία* [*Transnominatio*] efficientis pro effecto: *in se*, id est, per suam doctrinam. *καινὸν ἄνθρωπον* [*novum hominem*,] id est, *novum corpus*, non priscis illis, sed novis utens legibus: *ποιῶν εἰρήνην* [*faciens pacem*] *concordiâ constitutâ*. Vide supra 14. in Manuscripto est *ἐν αὐτῷ* [*in ipso*] pro *ἐν ἑαυτῷ* [*in semetipso*] sensu eodem.

16. *Καὶ ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ Θεῷ, Et reconciliaret ambos in uno corpore Deo*] Hîc *corpus* dixit, quod modo *ἄνθρωπον* [*hominem*,] sicut Latinis collegia vocantur *corpora*. Sic *corpus civitatis* dixit Livius, & *sui corporis regem*. Hæc sunt corpora *ἐκ διεστώτων*, ut loquuntur Græci, *ex distantibus compacta*, ut Pomponius Jurisconsultus. *ἀποκαταλλάξῃ* [*reconciliaret*,] nempe inter se. *τῷ Θεῷ* [*Deo*] breviter dictum pro *ut Deo serviant*. ¶ *διὰ τοῦ σταυροῦ, per crucem*] Cùm *crucem* dicit, simul intelligit doctrinam cruce sancitam: sed crucem dicere maluit, ut intelligamus quanti res ista Christo steterit, ut eò majoris faciamus hoc beneficium. ¶ *ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ. interficiens inimicitiam in eâ*] *Ἐν αὐτῷ* [*in eâ*] nempe *σταυρῷ* [*cruce*,] ut rectè hîc accepit Syrus. Idem hîc valet *ἀποκτείνας* [*interficiens*,] quod modo *λύσας* [*solvens*,] sed *crucis* factâ mentione aptior fuit translatio verbi *ἀποκτείνας* [*interficiens*,] quia crux mortem adfert. Similis allusio Gal. 5. 24.

17. *Καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν καὶ τοῖς ἐγγύς. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, & pacem iis qui prope*] Sumptum ex Esai. 57. 19. *ἐλθὼν* [*veniens*] & *πορευθεὶς* [*abiens*] voces sunt sæpe *παρέλκουσαι* [*superfluæ*,] ut alibi diximus, aut si quid significant, significant operam diligentem. *Christus εὐηγγελίσατο* [*evangelizavit*] [illegible] vox actionis simplicis pro actione duplici. Sensus enim est, *fecit ut pax prædicaretur*. Vide Matth. 28. 19. Marci 16. 15. Luc. 24. 47. Actor. 1. 8. *qui longe* erant, nempe à cognitione veri, sunt gentes; qui *prope*, Judæi, ob prophetias de Messia, & traditiones de vita æterna. Vide supra 13. in Manuscripto *εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν, καὶ εἰρήνην ὑμῖν τοῖς ἐγγύς* [*pacem vobis qui longe fuistis, & pacem vobis qui prope.*]

18. *Ὅτι ἐν αὐτῷ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν οἱ ἀμφότεροι ἐν ἑνὶ πνεύματι πρὸς τὸν πατέρα. Quoniam in ipso habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem*] *Ἐν* [*in*] hîc bis pro *per* positum. Qui Spiritum sanctum accepere certi sunt se esse Dei filios, ac proinde magna cum libertate ac fiducia Deum, ut *Patrem* suum, alloquuntur, Rom. 8. 15. Gal. 4. 6. De voce *προσαγωγὴ* vide Rom. 5. 2. occurrit & infra 3. 12. *προσαγωγὴ aditus*, quasi ad Regem. *προσάγειν admittere, aditum dare*, 1 Petri 3. 18.

19. *Ἄρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, Ergo jam non estis hospites & advenæ*] *Non ultra estis exclusi à jure civitatis* in populo Dei, ut ante. Vide supra 12. *ξένοι* sunt *qui peregrinantur*: *πάροικοι, qui domicilium in aliquo loco habent sine jure civitatis*: *Incolæ* in Digestis, & alibi. ¶ *ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων, sed estis concives sanctorum*] Est enim Ecclesia *πολιτεία* [*Respublica*] quædam, non locorum, sed legum consortio. In Glossario *συμπολίτης, concivis*. at Latini dicunt *civis meus, municeps meus*, id est, ejusdem civitatis aut municipii. ¶ *καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ. & domestici Dei*] *Ad familiam Dei pertinentes. οἰκεῖοι*, ut Gal. 6. 10. 1 Tim. 5. 8. vel *οἰκιακοὶ* [*domestici*,] ut Matth. 10. 25, 36. Hebraicè & Syriacè, בני ביתא [*filii domus*,] sunt ii *qui ad familiam alicujus pertinent*, quales primo loco sunt filii familias.

20. *Ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων καὶ Προφητῶν, super ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*] *Prophetarum*, nempe Novi Testamenti, qui proximi dignitate Apostolis, 1 Cor. 12. 28. infra 3. 5. 4. 11. Voces per translationem usurpatæ aliis aliter aptantur, Jesus *fundamentum* 1 Cor. 3. 11. & Apostoli *fundamenta* Apoc. 21. 14. Apostolorum testimonium de iis quæ viderunt, audiverunt, palparunt, congruens cum prædicationibus propheticis, inconcussam facit fidem Christianorum, sicut fundamenta templum Hierosolymitanum 1 Reg. 5. 17. 7. 9. ¶ *ὄντος ἀκρογωνιαίου λίθου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ. ipso summo angulari lapide Jesu Christo*] Qui *κεφαλὴ γωνίας* [*caput anguli*] Matth. 21. 42. ex Psalm. 118. 22. ipsa vox *ἀκρογωνιαίου* [*summus angularis*] est in Græco, Esai. 28. 16. In angulis præcipua vis est quà ædificia sustinentur, ut ad illum Matthæi locum diximus. *Ἀκρογωνιαῖος λίθος* [*summus angularis lapis*] est is unde angulatæ structuræ initium ducunt.

21. *Ἐν ᾧ πᾶσα ἡ οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη, In quo omnis ædificatio constructa*] In Glossis *συναρμολογῶ, compagino*. Idem est *διὰ ἁφῶν καὶ συνδέσμων συμβιβαζόμενον* [*per nexus & conjun-*

ctiones

ctiones constructum,] Coloss. 2. 19. sed ibi à corpore humano similitudo ducitur, hic à templi ædificio. In structura lapides sunt alii propiores fundamento, alii remotiores, idque per multos gradus: In corpore est caput, sunt arteriæ, sunt venæ, sunt musculi, sunt nervi. Sic in Ecclesia sunt & semper esse debent gradus per quos Dei Spiritus ad minimas usque partes influit. ¶ *αὔξει, crescit*] Id est, *assurgit*. Est translatio in allegoria: nam augeri propriè est corporis naturalis, *surgere* de ædificiis dici solet,

—— quorum jam mœnia surgunt.

Sed nec alterum extra usum est. ¶ *εἰς ναὸν ἅγιον ἐν Κυρίῳ· in Templum sanctum in Domino*] Sicut דביר *adytum* cœli summi, ita היכל [*templum*] Ecclesiæ figura. ἐν Κυρίῳ [*in Domino*,] *per Christum*: & est nomen pro relativo pronomine *αὐτῷ* [*ipso*] more Hebræorum.

22. *Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*] *Per Christum & per ejus Spiritum vos quoque fitis Dei templum*. nam נוה, *κατοικητήριον*, significat *tabernaculum* Exodi 15. 17. 33. 14. & postea *templum* quod in Tabernaculi locum successit. Non tantùm tota fidelium collectio, sed & fideles singuli rectè appellantur *templum*, quia in ipsorum mentibus Spiritus Dei habitat 1 Cor. 3. 16, 17. 6. 19. 2 Corinth. 6. 16. Philo de Præmiis, *Καὶ γάρ ἐςι τῷ ὄντι βασίλειον καὶ οἶκος Θεοῦ, σοφοῦ διάνοια* [*Verè equidem sapientis animus Dei domus est & palatium.*]

CAP. III.

VALLA.

15. EX *quo omnis paternitas*] Quid est *omnis paternitas*? Quot enim sunt paternitates? Hoc equidem non intelligo. Græcè est *omnis familia, πατριά*· unde illud in Psalmo 22. 27. *omnes familiæ gentium, πατριαί.*

19. *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*] Non est dativi casûs *scientiæ*, ut ii qui Græca nesciunt volunt, sed genitivi, *γνώσεως*. Quòd si intelligendum est quòd *charitas antecellat scientiæ*, fuit transferendum Interpreti clarius: verùm ipsius non interest sensum veriorem excutere, ac scientia humana intelligenda sit an Divina, an alio etiam modo intelligendum: ergò per genitivum transtulit, ut invenit.

20. *Superabundanter quàm petimus*] Legendum est *quæ petimus*, *ὧν*.

REVIUS in VALLAM.

20. QU*æ petimus*] Hoc ad sensum non magni referre putat Erasmus: at refert ad nitorem orationis, & imprimis veritatem versionis, quæ Vallæ ubique proposita.

ERASMUS.

1. V*inctus Christi Jesu*] *Vinctus* nomen Græcis *δέσμιος*· & ob id mollius cohæret cum genitivo *Jesu Christo*. ¶ *Pro vobis Gentibus*] Arbitror mendum esse, quod in Ambrosianis cod. legitur *pro vobis fratribus*.

2. *Dispensationem gratiæ*] *Οἰκονομίαν dispensationem*, sive *administrationem*. ¶ *Data est mihi in vobis*] *Εἰς ὑμᾶς in vos*. Hunc quoque locum *ἀνακόλουθον* Hieronymus reddit ad hunc modum, *Hujus rei gratiâ ego Paulus vinctus Jesu Christi, & vinctus pro vobis qui estis ex Gentibus, cognovi mysterium, ut vobis quoque illud traderem: sicut in hac eadem Epistola paulò antè sum locutus. Debetis autem audire dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis qui estis ex Gentibus, pro quibus & vinctus sum Jesu Christi.* Quanquam existimat esse simplicius, fateri Paulum in aliena lingua balbutisse, & sensu magis quàm verbis æstimandum. Poterat & hoc pacto tolli sermonis imperfecti incommodum, si subaudias verbum substantivum *sum*, *Ego Paulus vinctus sum Jesu Christi.*

3. *Notum factum mihi est*] *Ἐγνώρισέ μοι, notum mihi fecit mysterium*: quod rursum Interpres vertit *sacramentum*. ¶ *Sicut suprà scripsi*] *Καθὼς προέγραψα, sicut antè scripsi*, ut Ambrosius. *Præscripsi* legit D. Hieronymus. ¶ *In brevi*] *Ἐν ὀλίγῳ, in modico*, legit Hieronymus & Ambrosius. Significat enim *se paucis de his scripsisse*, ut Græca exponunt Scholia. Potest esse sensus & hic, *quemadmodum scripsi paulò antè*. Meminit enim de *his qui procul essent*, Gentes significans. In eum sensum ferme Theophylactus.

4. *In mysterio Christi*] *Ἐν τῷ μυςηρίῳ, in mysterio*, quod solet vertere *sacramentum*.

5. *Aliis generationibus*] Apertius est quod legit Ambrosius, *aliis seculis*. Nam de ætatibus loquitur, non de nationibus. ¶ *Non est agnitum*] *Οὐκ ἐγνωρίσθη, non notificatum*, sive *reseratum*. ¶ *In Spiritu*] Græcis additum est *sancto*. Neque lectio solùm diversa est, verùm etiam distinctio. Theophylactus sic ordinat sermonem, *sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus in Spiritu sancto*, ut intelligamus *hoc illis per Spiritum sanctum fuisse revelatum*. Ambrosius contrà *Spiritu* connectit cum his quæ sequuntur, *sicut nunc revelatum est sanctis ejus & Prophetis, Spiritu esse Gentes cohæredes.* Id palàm arguit ejusdem interpretatio docens Gentes esse cohæredes, non ceremoniis Mosaicæ legis, sed spiritu, h. e. doctrinâ Euangelicâ. D. Hieronymus Græcorum sequitur distinctionem. Mihi magis probatur quod sequitur Ambrosius.

6. *Esse Gentes*] *Εἶναι τὰ ἔθνη, Ut sint Gentes.* ¶ *Concorporales*] *Σύσσωμα*, q. d. *unius corporis*. Hoc loco offendit aures Hieronymi conjunctionum congeries, ut ipsi videtur, inconcinna, *cohæredes & concorporales & comparticipes*. Mirum est autem illum tantillâ re offendi, qui toties Paulum facit *imperitum Græci sermonis*, licèt fateatur *non imperitum scientiâ*. Deinde cùm hic fateatur legendum esse *comparticipes*, nec dubium quin in bonam partem, tamen in hujus Epistolæ capite 5. negat hanc vocem legi in literis Sacris nisi in malam partem. Verùm hac de re illic plura dicentur. ¶ *Promissionis in Christo Jesu*] Deest apud nos *αὐτοῦ, suæ*, sive *ejus*; ut referatur ad *Spiritum*, ut sensisse videtur Ambrosius cùm subscribit, *Hoc est quod dicit*, SPIRITU GENTES ESSE COHÆREDES ET CONCORPORATAS ET PARTICIPES PROMISSIONIS EJUS IN CHRISTO. *Qui enim Spiritu Deum colit, operè Legis opus non habet.*

8. *Omnium sanctorum*] In nonnullis Græcis addebatur *hominum*, sed mendosè, ni fallor. ¶ *Ἐλαχιςοτέρῳ*] *Infimo*, ut vertit Hieronymus. Sed Paulus, ut magis se diminuat, à superlativo finxit comparativum, ac si dicas *infimiori* pro *infimo*, aut *postremiori*. ¶ *Investigabiles*] *Ἀνεξιχνίαςον πλοῦτον, imperuestigabiles divitias*. Nam quod apud Ambrosium legitur *inæstimabiles* haud scio an errore sit factum librarii: certè interpretatur *incomprehensibiles*.

9. *Et illuminare*] *Καὶ φωτίσαι πάντας.* Ambrosius non addet *omnes*; & sermo commodior est. Nec apud Hieronymum ulla mentio hujus nominis additi; sed tantùm est *illuminare*. Neque Paulus *illuminat* homines, sed in lucem profert, & quod antè fuerat reconditum facit omnibus perspicuum. ¶ *Quæ sit dispensatio*] Legitur & *ὁ πλοῦτος*, i. e. *quæ divitiæ*. ¶ Rursum *μυςήριον* vertit *sacramentum*. ¶ *Qui omnia creavit*] *Διὰ Ἰησοῦ Χριςοῦ, per Jesum Christum*, additum est hoc loco apud Græcos; quanquam Hieronymus non habet, nec Ambrosius, nec vetusti cod. Latini.

10. *Ut innotescat*] *Ἵνα γνωρισθῇ νῦν, ut innotescat nunc. Et nunc* Hieronymus legit, additâ conjunctione, si modò codex mendo vacat. ¶ *Potestatibus in cælestibus*] *Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις in cælestibus.* ¶ *Per Ecclesiam*] *Διὰ τῆς ἐκκλησίας.* Præpositio *per* hoc loco significat Instrumentum, q. d. *operâ Ecclesiæ*. Quanquam, ut ingenuè fatear, sermo Græcus planè anceps esset nisi additus fuisset articulus *τῆς*, atque ita sensus fuisset, *propter congregationes*, sive *Ecclesias*. ¶ *Multiformis sapientia*] *Πολυποίκιλος*, sive aliàs *παμποίκιλος*, *maximè varia*, & *modis omnibus varia*. Nam *πᾶν* in compositione additum adjungit epitasin.

11. *Secundùm præfinitionem*] *Κατὰ πρόθεσιν, secundum propositum*, ut legit Hieronymus. ¶ *Quam fecit*] *Ἣν ἐποίησεν.* Sermo Græcus anceps est. Nam Græcus articulus referre potest vel *sapientiam*, vel *Ecclesiam*, vel *præfinitionem*, quam Ambrosius & Hieronymus *propositum* vocant. Si ad *propositum* referatur, sensus est, *juxta tempus quod proposuerat* (sive *præfinierat*) *in Christo*. Si ad *Ecclesiam*, sensus fuerit, *Ecclesiam factam in Christo Jesu*. Si ad *sapientiam*, intelligis *in Christo factam*, h. e. creatam, *fuisse sapientiam*. Atque hic sensus postremus maximè probatur Hieronymo.

12. *Fiduciam*] *Παῤῥησίαν*· quam Ambrosius vertit *libertatem*. Est autem *audacia liberè loquendi*. Porrò nihil timidius animo sibi malè conscio; ut contrà, innocentiâ nihil fidentius.

13. *In tribulationibus meis pro vobis*] D. Hieronymus admonet Græcum sermonem *Αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν* esse ambiguum, quòd verbum *ἐκκακεῖν* ad quamvis personam accommodari possit, *nè deficiam ego*; *nè deficiatis vos*; *nè deficiant illi*. Certè juxta primum ac secundum sensum interpretatur Hieronymus,

Pet oni deficiam, ne me superent aëreæ potestates oppugnantes undique. ¶ *Quæ est gloria*] In quibusdam Græcis cod. habebatur *quæ erit*, ἥ τις ἐστι. Hoc loco nonnihil se torquet Hieronymus, nec satis intelligo cur se torqueat, existimans hujus sermonis rationem non posse consistere nisi fateamur Paulum *imperitè locutum*, qui *tribulationibus* numero multitudinis subjecerit relativum singulare, *quæ est gloria*. Quasi verò non hoc doceat Grammatica, rectiùs etiam ad hunc modum nos loqui quàm si dicamus, *in tribulationibus, quæ sunt gloria vestra.* Atque ille hoc tantum ducit incommodum ut per Hyperbaton tentet hanc particulam *quæ est gloria vestra* ad ea quæ præcesserunt detorquere, *In quo habemus fiduciam & accessum & fidem*, &c. *quæ fiducia, accessus & fides, vestra est gloria.* Verùm quoniam hoc vidit esse durius, mavult Paulum *loquendi imperitum* facere. Sed quid hic interim facient Hieronymo qui volunt Apostolis omnibus scientiam linguarum dono Spiritûs sancti contigisse, idque donum eis fuisse perpetuum? quorum de numero videtur & Aquinas in Epist. ad Galatas. At Hieronymus toties non veretur Paulum *imperitum Græci sermonis* facere. Quanquam hoc sanè loco non video quid imperitè dictum videri possit, nisi quòd Hebraïcè magis quàm Græcè dixit *in tribulationibus* pro *ob tribulationes.*

14. *Ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*] D. Hieronymus indicat in Latinis cod. addita quatuor verba, *Domini nostri Jesu Christi*, cùm in Græcis scriptura germana maneat. Non enim loquitur hic propriè de *Patre Domini nostri Jesu Christi*, sed in genere *ad illum Patrem flectit genua* quem omnes creaturæ rationabiles agnoscunt Conditorem & Autorem. Et tamen mirum est quod Hieronymus scribit *additum in Latinis codicibus* nunc in Græcis reperiri. Quanquam Chrysostomus ac Theophylactus enarrantes locum non attingunt hanc particulam: unde conjectandum est, aut è nostris codicibus additam Græcis, aut Græcorum codices & olim variasse.

15. *Omnis paternitas*] Πᾶσα πατριὰ, *omnis familia*, ut indicat & D. Hieronymus in Commentariis. Idem adversùs Helvidium scribens fatetur Latinos *parentelas* vocare quas Græci vocant πατριὰς, cùm ex una radice multa generis turba diffunditur. Sed apud Græcos manet allusio vocum, quam Latinus conatus est observare. Jam quæstiones illæ quas movet hoc loco Thomas Aquinas, Num qua paternitas sit in cœlo, &c. Num omnis paternitas quæ est in cœlo & in terris, derivata sit ab ea Paternitate quæ est in Divinis, quàm aptè pertineant ad hunc locum, viderint Theologi; quandoquidem vocem unde quæstionem omnem elicit non intellexit. Certè alibi Interpres vertit *familiam*, velut in Psalmo, *Omnes familiæ Gentium*, πατριαὶ item in Luca, *De domo & familia David.* Subnotavit hoc Interpres Origenis, hom. 2. in Numeros Chrysostomus exponit φυλὰς *tribus.* Verùm Interpres, ut dicere cœperam, affectavit reddere vocum affinitatem, *pater* & *paternitas.* Atqui ea non erat tanti ut hujus gratiâ fuerit perdenda sententia. *Parentela* satis explicabat rem, si modò verbum esset probum. Et tamen hoc ætate suâ vulgo fuisse usurpatum testatur Hieronymus, vel ob hoc tolerabilius quàm *paternitas*, præsertim cùm hic suffragetur analogia. Quemadmodum enim à *cliens clientela*, ità à *parens parentela.* Nos circumitione ut potuimus reddidimus.

16. *Virtute corroborari*] δυνάμει, i. e. *virtute.* Manifestior erat sensus si Græca infinita vertisset per verbum subjunctivum, *ut corroboremini.*

18. *Sublimitas & profundum*] Καὶ βάθος καὶ ὕψος, *& profunditas & sublimitas.* Hieron. *& profundum & altitudo.*

19. *Scire etiam*] Non est initium novi capitis, ut sit opus *etiam.* γνῶναί τε, *scireque* vel *utque sciretis.* ¶ *Supereminentem scientiæ charitatem*] Apud nos incertum est dativíne casûs sit *scientiæ*, an genitivi; ut aut intelligas *charitatem Christi sciri, quæ sit major quàm ut cognosci possit*, seu juxta Ambrosium *quæ præmineat scientiæ nostræ*; aut ut intelligas *eximiam dilectionem cognitionis.* Sed posterior sensus magis quadrat ad Græcum sermonem: & hunc sequitur Hieronymus. Porrò quòd Ambrosius senserit id quod dixi, declarant hæc illius verba, *Post Dei Patris infinitam & incomprehensibilem cognitionem & inenarrabilem clementiam, Christi quoque agnoscere nos vult charitatem, quæ* SUPEREMINENTIS *est* SCIENTIÆ, *& subintelligitur* HUMANÆ, *ut super scientiam hominum habeatur dilectio Christi. Quis enim poterat colligere mysterii hujus charitatis rationem, ut & Deus hominis causâ homo nasceretur?* &c. Quanquam in hac scriptura suspicor non abesse mendum; siquidem in contextu habetur, *cognoscereque supereminentem scientiam charitatis Christi*, quomodo citat & Augustinus Epist. 120. quæ lectio multùm dissonat à Græca. Præterea quod habetur in Commentario, *supereminentis est scientiæ* suspicor ipsum scripsisse *supereminens est scientiæ.* Porrò quæ Hieronymus hoc loco disserit mihi videntur aliquantò duriora. Nec refert hanc vocem *scientiæ* ad *supereminentem* sed ad *charitatem.* Certè Theophylactus in eandem sententiam interpretatur in quam Ambrosius. Et cum Ambrosio consentit August. citans hunc locum libro De gratia & libero arbitrio, cap. 19. *Item*, inquit, *cùm dicat Apostolus* SUPEREMINENTEM SCIENTIÆ CHARITATEM CHRISTI, *quid insanius quàm putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est charitati, & ex hominibus esse charitatem, quæ supereminet scientiæ?* Nihil autem esset scrupuli si ὑπερβάλλω patiatur sibi jungi casum paternum, quemadmodum habet ὑπερνικίζω & ὑπερκολακεύω & ὑπερέχω idem significans quod ὑπερβάλλω. Neque enim huc libet confugere ut dicam Paulum abusum casu ob Græci sermonis vel neglectum vel inscitiam. Theophylactus in hanc sententiam edisserit, *Ut possitis*, inquit, *cognoscere charitatem Christi, antecellentem omni scientiæ. Quomodo cognoscemus nos? Primum quidem dicit hanc antecellere scientiæ, nimirum humanæ, vos autem non per humanam scientiam, sed per Spiritum cognoscetis hanc. Deinde nec hoc dixit, Cognoscetis eam quanta sit; sed, hoc ipsum, quid magna est, quod excellit omnem scientiam: hoc precor ut à Spiritu discatis. Et quis hoc*, inquit, *nescit? Omnes, & hi qui molestè ferunt quæ quotidie accidunt, & hi qui Mammonam præferunt Deo. Quod si hanc cognosceremus, haudquaquam vel obmurmuraremus Divinæ providentiæ, vel rebus præsentibus animum addiceremus, à Deo deficientes qui nos sic dilexit. Illud autem attende; Si dilectio præcellit omnem scientiam, quantò magis ipsa substantia?* Hactenus Theophylactus; ex quibus apparet eum sensisse *charitatem excellentiorem scientiâ.* Chrysostomus hunc scrupulum non attingit.

20. *Ei autem qui potens est omnia facere*] Gr. ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι, *super omnia facere.* Atque ità legit Ambrosius & Hieronymus: sed ità ut ὑπὲρ adverbium videatur non præpositio, pollere autem tantundem quasi dicas *eximie.* Certè proximo loco cùm repetitur, ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ, non potest aliud quàm adverbium esse. Est autem epitasis gemina, quemadmodum annotavit Chrysostomus & Theophylactus. Deus *potest omnia*; quod nullus hominum: & *potest cumulatissimè* præstare quicquid vult, & *ultra quàm nos petimus.* Jam illud, lector, vel non monitus animadvertis, hanc esse coronidem quandam, quales aliquoties Paulus ceu raptus & afflatus subnectit suæ disputationi. ¶ *Superabundanter*] Ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα, *ex abundanti supra ea quæ petimus.* ¶ *Quàm petimus aut intelligimus*] Ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, *supra omnia quæ petimus aut cogitamus.* Sic enim emendat Laurentius, licèt id quidem ad sensum non ità magni refert. Illud tantùm submonendus est rudis lector, articulum ὧν congruere cum præcedenti dictione, cùm à suo verbo dissentiat, idque ex proprietate sermonis Græcanici.

21. *In Ecclesia & in Christo*] Copula & redundat. Ambrosius ordine diverso legit, *in Christo Jesu & in Ecclesia*: ac juxta hunc ordinem interpretatur. In altero loco præpositio simpliciter usurpata est, *in Ecclesia*, q. d. *in senatu*; in altero juxta proprietatem sermonis Hebraïci. Optat enim ut glorificetur Pater in congregatione sanctorum per Filium Jesum Christum; & in hoc sensu nullus est usus præpositionis.

VATABLUS.

1. CUjus] *Hujus*, Vet. ¶ *Pro vobis Gentibus*] Sub. *legatione fungor.*

2. *Dispensationem*] *Distributionem.* ¶ *In vobis*] *In vos*: i. e. ut vobis manifesta fiat.

3. *Secundùm*] *Per.* ¶ *Factum est sacramentum, sicut suprà scripsi in brevi. Prout*, &c.] *Fecit secretum, sicut antè scripsi paucis, ex quibus*, &c.

4. *Prudentiam*] *Cognitionem.* ¶ *Ministerio*] *Mysterio*, Vet.

5. *Generationibus*] *Seculis, ætatibus.* ¶ *Agnitum*] *Reseratum.* ¶ *In Spiritu*] *Per Spiritum.*

6. *Concorporales*] *Ejusdem corporis.* ¶ *Promissionis* *] * *Ejus*, Vet. sub. *Dei.* ¶ *In Christo*] id est, Implendæ per Christum.

7. *Secundum*] *Per.* ¶ *Secundum operationem virtutis*] Heb. per efficacem potentiam: vel, cum efficaci potentia.

8. *Omnium Sanctorum minimo*,] Vel, *longè infimo.* Est enim comparativus ex superlativo factus, ut si nos dicamus, *infimiori*, &c. ¶ *Investigabiles divitias Christi*] *Impervestigabiles*: i. e. copiam bonorum quæ per Christum consequimur.

9. *Illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti*] Vel, *manifestare*

nifestare omnibus quæ sit communio mysterii. ¶ *Creavit**] ** Per Jesum Christum.*

10. *Innotescat**] ** Nunc*, Vet. ¶ *Principibus*] *Principatibus*, Vet. ¶ *In cœlestibus*] i.e. Spiritibus malis qui in aëre versantur. ¶ *Multiformis*] *Vehementer varia.*

11. *Seculorum*] i.e. Æternam: q.d. sicut ab æterno præfinitum fuerat ab eo. ¶ *Fecit*] Vel, *implevit.*

12. *In quo habemus fiduciam*] *per quem habemus libertatem dicendi*: i.e. cujus ope sine metu Euangelizo. ¶ *Accessum in confidentia per fidem ejus*] *Aditum* [sub. *ad patrem*] *cum fiducia, quæ est per fidem in illum.*

13. *Quæ est gloria vestra*] id est, Propter quas gloriari debetis, quod ad confirmationem fidei vestræ eas feram libenter.

15. *Paternitas*] *Parentela, cognatio*: i.e. per quem fit ut & qui in cœlis, & qui in terra sunt, cognatione unâ spirituali conjungantur.

16. *Secundum divitias gloriæ suæ*] Vel, *per copiosam misericordiam suam.* ¶ *Virtutem*] *Virtute*: ablativus, Vet. vel, *fortitudine.* ¶ *In interiori homine*] *In interiorem hominem*, Vet. i.e. ut internus homo Spiritu Dei crescat, & vires colligat, quibus externus homo pessundetur.

17. *Christum habitare*] *Ut Christus inhabitet.*

18. *Sublimitas & profundum*] *Profunditas & sublimitas*: i.e. quàm sit lata, longa, profunda, & sublimis bonitas Dei.

19. *Supereminentem scientiæ*] *Superantem captum humanum*: vel, *excellentiorem quàm ut cognosci possit.* ¶ *In omnem plenitudinem Dei*] *Omni plenitudine Dei*: id est, plenâ Dei cognitione.

20. *Superabundanter*] *Cumulatè ultrà.* ¶ *Intelligimus*] *Cogitamus.* ¶ *Secundum virtutem quæ operatur*] *Juxta vim agentem*: i.e. per Spiritum.

21. *In*] *In* pro *per.* ¶ *Generationes*] *Ætates.*

CASTALIO.

1. *Legatione fungor*] Πρεσβεύω additur in Colinæo, & rectè, ut ostendunt sequentia: alioquin deest verbum. Quod si dicas in ὁ δέσμιος intelligi verbum εἰμὶ, primùm non addidisset articulum ὁ· deinde sequentia *legationis* non *vinculorum* rationem explicant. Adde quod initio sequentis capitis τὸ ὁ δέσμιος conjungit cum verbo παρακαλῶ, & in cap. 6. πρεσβεύω ἐν ἁλύσει.

12. *Aditum*] Scilicet ad Patrem.

17, 18. *In vestris animis, Et sitis in charitate radicati*] Ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι, pro ἐῤῥιζωμένων, mutatione casûs: Quæ in Paulo frequens est, & apud profanos autores exstat aliquando; ut in Isocrate in Panathenaico, id quod annotavit Hieronymus Wolfius, δοκεῖς γάρ μοι ζῆν μὲν, &c. τελευτήσαντα δὲ τὸν βίον, pro τελευτήσας. Neque verò dici potest, inscienter Isocratem fecisse, cùm traditum sit, eum in illo tam parvo opere componendo duodecim annos consumpsisse.

CLARIUS.

2. *Siquidem audistis*] Nam cùm hanc scripsit Epistolam, nondum illum viderant Ephesii.

3. *Scripsi in brevi*] Ex his, inquit, quæ attigi *brevibus*, *intelligere legentes potestis meam* harum rerum *cognitionem.*

8. *Mihi omnium sanctorum minimo*] Ἐλαχιστοτέρῳ, q.d. *minimiori*, non contentus dixisse ἐλαχίστῳ *minimo*, ut quantum posset se dejiceret, imò plusquam ferret linguæ usus Græcæ. Observant Græci hoc loco, cùm non sit particula *enim*, esse ἀνταπόδοσιν ad illud *Hujus rei gratiâ*, sic, *Hujus rei gratiâ mihi omnium sanctorum minimo*: quo dicendi modo & Thucydides & Demosthenes sæpe usi sint.

10. *Ut innotescat nunc principatibus*] Vide Christianas divitias. Ista, inquit, nè Principatus quidem & Potestates norant quæ nunc per Gentium fidem in Christum revelantur.

13. *Quæ est gloria vestra*] Deum enim cernitis nos nullâ propositâ spe bonorum hujus vitæ aut commodorum tanta perferre, gloriari potestis de hujus fidei certitudine.

15. *Ex quo omnis parentela*] Cùm *parentela* vocem Græcam explicet, non recusavimus eam ponere, cùm rebus omnibus præponenda sit explicatio veritatis. Quod autem ait *in cœlo & in terra*, in terra quidem genus agnoscimus, ex quo etiam *parentes* vocantur; in cœlo autem, ubi alter ab altero non gignuntur, ordines eorum accipimus: ipse enim tam superiores quàm inferiores tribus & genera condidit.

18. *Quæ sit latitudo*] Cùm ea de quibus loquitur mente magis comprehendi quàm verbis exprimi possint, non illa commemoravit, sed his nominibus voluit earum rerum copiam atque adeò infinitatem significare, dum spatium ingens proponit quod nos mentis oculis perlustremus. Sic & Propheta, *O Israël, quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis ejus!*

19. *Supereminentem scientiæ*] *Ut & scire possitis charitatem Christi*, quæ tam ingens est ut omnem hominum *scientiam superet.*

ZEGERUS.

1, 2. *Hujus rei gratiâ ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis Gentibus: si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi*] Neque solœcismus hic commissus est, ut putat Hieronymus, neque subaudire quippiam necessum est, ut, *vinctus sum Christi*: tantùm sermo interruptus & suspensus est, qui tandem absolvitur ubi repetitur, *Hujus rei gratiâ*. Occasione enim ejus quod dixerat *vinctus pro vobis Gentibus* interserit quædam quasi præter institutum, & quod primum proferre volebat intermittit: Tandem verò rediens ad institutum, expressurus quod distulerat, ut digressionis incommodum leniret, ad eadem verba recurrit quibus interruptum sermonem inchoarat, indicans se ibi tandem exprimere quod distulerat.

3. *Sacramentum*] Nimirum hoc quod ipse tandem exprimit, *Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis.*

8. *Investigabiles*] Pro *inpervestigabiles*: quemadmodum & Rom. 11. *investigabiles viæ ejus.*

9. *Illuminare omnes quæ sit dispensatio*] i.e. *Declarare omnibus quæ sit communicatio*, h.e. κοινωνία, quod hodie in Græcis loco οἰκονομίας legitur, sed refragantibus scriptoribus antiquis. Legendum non κοινωνία sed οἰκονομία juxta explanatores veteres, & Cyrillum lib. De recta fide, & edit. Complut.

10. *Ut innotescat Principibus & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*] Ne mireris quod nunc tandem Angelicis mentibus innotuisse dicat Divinam sapientiam, quandoquidem neque superiores neque inferiores Angeli mysterii Christi de Gentium vocatione habuere cognitionem: Sed quando cognovimus nos, tum per nos cognoverunt & illi. Quando collata in nos beneficia sunt contuiti, tum tandem intellexere variam illam vehementer Divinorum mysteriorum sapientiam. Porrò illud *per* hic indicare Instrumentum palàm facit genitivus additus ipsi διά. Quamvis autem hæc communis sit interpretum sententia, ipse tamen sermonis Apostolici tenor magis postulare videtur ut de Principibus ac Potestatibus terrenis accipiatur, & *in cœlestibus* additum intelligatur propter Principatûs ipsius celsitudinem.

11. *Secundum præfinitionem seculorum quam fecit in Christo*] In *quam* relativo magis *sapientia*, teste Hieronymo, resonare debet quàm *Ecclesia* aut *præfinitio*. *Secundum præfinitionem seculorum*, h.e. æternam, utpote factam ante secula. Vel *seculorum*, sub. *futurorum.*

16, 17. *Virtutem corroborari per spiritum ejus: in interiori homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris*] Sic legendum ac distinguendum juxta exempl. antiqua, Ambrosium & Augustinum, nisi quod pauci codices habent *virtute*. *Virtute corroborari*, item *Christum habitare*, Græcismus est pro *ut roboremini, ut Christus habitet.*

18. *In charitate radicati & fundati ut possitis*, &c.] Ante hæc verba subaudiendum videtur *qui estis*, aut simile quid, *In cordibus vestris, qui in charitate estis radicati fundatique*: aut necesse est transpositâ voculâ *ut* hunc facias ordinem, *ut in charitate radicati & fundati possitis comprehendere*, &c. ¶ *Quæ sit latitudo, longitudo*, &c.] Dubitari posset cujus rei comprehendi velit latitudinem; sed ex eo quod præmittit *in charitate radicati*, atque mox subjicit *supereminentem scientiæ charitatem*, palàm fit de *charitatis* agi *latitudine & longitudine*. Ambrosius tamen hæc de *immensitate Dei*, Oecumenius de *mysterio vocationis Gentium* intelligit. Augustinus etiam ad *Christi crucem* accommodat.

19. *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*] Hoc probabilius veroque similius judicaverim ut *scientiæ* dicatur casûs esse dativi, ac regi à *supereminentem*; idemque quod nobis dativum postulabat, Græcis paternum regere casum. Dicit ergò, *Non precor solùm scire vos mysterii nobiscum dispensati latitudinem, longitudinem*, &c. *quin etiam nosse vos volo Christi charitatem omni nostræ scientiæ præminentem, utpote quæ major sit quàm ut possit comprehendi. Sed si ita est, quo pacto fiemus nos charitatem hujusmodi cogniturì? Excedit quidem omnem humanam scientiam: at verò non humana scientia, sed Divina, sed cœlestis adsequi utcunque potest. Ad hæc non ait, ut quanta sit*

pernoscatis, sed humanam scientiam excedentem. Ità ferè Theophylactus. Sunt tamen quibus Hieronymi magis sententia placet, qui *scientiæ* per paternum casum accipit, ut ad *charitatem* pertineat, & edisserit ad hunc modum, *Non iste sit*, inquit, *terminus, habere notitiam supereminentis charitatis, nisi addamus & aliud, ut supereminentem charitatem scientia consequamur. Ex quo animadvertendum est, quia grandem & immensam Christus scientia habet charitatem, id est, eorum qui se scire desiderant, qui in lege ejus meditantur die ac nocte, qui verba vertunt in opera, & quod ore meditantur, consummant manu*, &c.

20. *Ei autem qui potens est omnia facere abundanter quàm petimus*] Verbis nonnihil discrepant Græca à nostris, at sensu ferè coincidunt. Hoc tantùm submonuisse sat esse reor, nè leviusculis hujuscemodi rebus plùs satis implicati videamur, curiosis tamen interim præstantes occasionem hujusmodi requirendi.

H. STEPHANUS.

6. Εἶναι τὰ ἔθνη συγκληρονόμα καὶ σύσσωμα καὶ συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας] Nimirum *Gentes esse cohæredes & concorpores ac consortes promissionis.*

8. Τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον] *Impervestigabiles opes.*

9. Φωτίσαι] *Illuminando docere.*

10. Πολυποίκιλος] *Multis modis varia.*

12. Τὴν προσαγωγὴν] *Introductionem*, i.e. Hoc beneficium, quod introducamur.

13. Αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου ὑπὲρ ὑμῶν] *Peto* à vobis *ne animum despondeatis ob afflictiones meas pro vobis*: vel, *Peto à* Deo *ne animum despondeam in afflictionibus.*

20. Ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν] *Præstare longè majora & copiosiora omnibus quæ petimus aut cogitamus*: vel, *mente concipimus.*

DRUSIUS.

1. *Vinctus Christi*] Non à *Christo*, sed *propter eum* aut *causâ ejus.* Sic in Epist. quæ ad Philem. *Paulus vinctus Christi Jesu*, δέσμιος Χριστοῦ, nisi quod hic ὁ δέσμιος, i.e. האסיר, quasi *vinctus* (aut *captivus*) *ille*, qui & ὁ δεσμώτης. ¶ *Pro vobis Gentibus*] Lucem accipit ex historia. Nam quia Gentes Judæis adæquabat, incidit in suorum popularium odium, à quibus accusatus Romam deductus est, ubi captivus tenebatur, cùm provocasset ad Cæsarem. Ergo Christi nomen & Gentes causa fuerunt captivitatis & vinculorum ipsius.

3. *In brevi*] Sub. *sermone*, h.e. breviter; quod Ebræi dicunt בקצרה. Græcus habet ἐν ὀλίγῳ *in pauco* sermone, h.e. paucis. Id pleniùs enunciant dicentes *paucis verbis*: cujus oppositum *multis verbis.*

15. *Omnis paternitas*] Πατριὰ meliùs redditur *familia*, & πᾶσα, i.e. כל *omnis* vel *tota*. Πᾶσα ergò πατριὰ Ebraïcè diceretur כל משפחה: sic enim certè LXX. nomen Ebræum interpretantur cùm alibi tum 2 Sam. 14. 7. & Esth. 9. 27. Interdum Φυλὴν reddunt: unde fortè Hesychius, Πατριὰ, Φυλή. Simul hæc leguntur Tob. 5. 13. Φυλὴν καὶ πατριὰν σὺ ζητεῖς; *tribum & familiam.* Exod. 12. 3. לבית אבת *secundùm domus patrum*, LXX. κατ᾽ οἴκους πατριῶν. Cyprianus lib. 2. Adv. Judæos, *per domus tribuum.* Augustinus in libris Locutionum, *Quas dicit* PATRIAS *non facile est intelligere: utrùm civitates in quibus commanebant? an potiùs numerosas familias à cujusque velut paternitate propagatas? hoc enim magis in Græco significari perhibetur.*

16. *In interiorem hominem*] Alius *in interiore homine*, εἰς pro ἐν, ut v. 2. εἰς ὑμᾶς *in vobis*, i.e. inter vos. *In vobis*, ἐν ὑμῖν. Sic Interpres Vulg.

21. *Seculi seculorum*] *Seculum seculorum* quod omnia secula in se continet nec ullo fine terminatur. Alioqui *seculum* עולם tempus denotat certum, nec ità longum; ut illic, *serviet ei in seculum*, h.e. usque ad annum Jobilæum.

CAMERON.

18. Ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι, &c.] Hic καταλαβέσθαι est *comprehendere*, i.e. *certò intelligere & animo assequi*: unde ei oppositum ἀκαταληψία Academica, quia Academici negabant aliquid posse comprehendi seu intelligi certò. Porrò videtur Apostolus dicere pugnantia: sequitur enim τὴν ὑπερβάλλουσαν γνώσεως ἀγάπην, *charitatem Christi omni cognitione supereminentiorem*: nam qui *noverimus* aut verò *certò comprehendamus* id quod *omnem superat notitiam*? Nempe capit hanc vim mens humana, & non capit; atque in eo capit, quod rapitur in admirationem, & videt aliquid semper superesse quod persentiscere quidem potest, attamen non ità percipere ut possit explicare totum. ¶ Τί τὸ πλάτος καὶ μῆκος, &c.] Sic ostendit Apostolus immensum esse quod comprehenditur, & veluti infinitum, quale Aristoteles describit cùm Infinitum describit *extra quod semper potest aliquid capi.* Non sunt autem vexanda ista Apostoli verba, *longitudo*, *latitudo*, &c. simpliciter enim loquitur. Nempe in hoc Universo aliquid consideramus ut longum, aliquid ut latum, aliquid ut profundum, aliquid ut sublime supra nos positum. His igitur verbis usus est Apostolus ut extendat veluti & dilatet humanam mentem: q.d. *ut immensitatem illam amoris Divini possitis comprehendere.*

GROTIUS.

1. Τούτου χάριν ἐγὼ Παῦλος, *Hujus rei gratiâ ego Paulus*] Non raro evenit Paulo, ut inchoato nec absoluto sermone, interjiciat ingentem παρένθεσιν [*interpositionem*,] deinde ubi rediturus est ad id quod animo conceperat, inferat aliam constructionem, quæ non verbis, sed sensu cum prioribus consonat. Hîc παρένθεσις [*interpositio*] incipit in verbis εἴγε ἠκούσατε [*si tamen audistis*,] finit in verbis τῆς δυνάμεως αὐτοῦ [*virtutis ejus.*] deinde cùm secundùm Grammaticas regulas dicendum fuisset ἐλαχιστότερος πάντων ἔλαβον τὴν χάριν ταύτην [*minimus omnium accepi gratiam hanc*] dixit ἐμοὶ τῷ ἐλαχιστοτέρῳ πάντων ἐδόθη ἡ χάρις αὕτη [*mihi minimo omnium data est hæc gratia*;] planè quomodo Gal. 2. 6. cùm dixisset ἀπὸ τῶν δοκούντων [*ab iis qui videbantur*] & exspectaretur οὐδὲν ἔλαβον [*nihil accepi*] subintulit οὐδὲν προσανέθεντο [*nihil contulerunt.*] ¶ ὁ δέσμιος τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ, *vinctus Christi Jesu*] Hic genitivus causam ob quam denotat. Sic & 2 Tim. 1. 8. & Philem. 1. & 9. pro quo infra 4. 1. dixit δέσμιος ἐν Κυρίῳ [*vinctus in Domino.*] Sic δεσμὰ εὐαγγελίου [*vincula Evangelii*] Philemon. 13. Scripta hæc epistola, ut & ad Colossenses, Philippenses, altera ad Timotheum, & illa ad Philemonem, intra biennium illud quo Paulus militi alligatus Romæ vixit, Act. 28. 16, 30. ¶ ὑπὲρ ὑμῶν, *pro vobis*] Quia Gentes incircumcisas vocavi ad Euangelium, accusatus sum à Judæis: & ex eo vinctus Romam veni.

2. Εἴγε ἠκούσατε, *Si quidem audistis*] Vestro bono mihi hæc evenere, videlicet si modo ea bene intellexeritis quæ jam dixi & dicam. שמע Hebræum propriè est *audire*, sed alibi εἰδέναι [*scire*] & γινώσκειν [*cognoscere*,] per quas voces etiam vertitur interdum. ¶ τὴν οἰκονομίαν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ τῆς δοθείσης μοι εἰς ὑμᾶς. *dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis*] מנת חסדת אל עלי [*portionem gratiæ Dei in me*] *partem illam Apostolatûs mihi datam quæ ad Gentes pertinet*, Gal. 2. 7, 8. Actor. 9. 15. In Manuscripto est τῆς χάριτος αὐτοῦ [*gratiæ ipsius.*] οἰκονομία dicitur *assignatio partium qualem in familia facere solent dispensatores*, 1 Cor. 9. 17. supra 1. 10. χάριν [*gratiam*] autem κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vocat ipsum Apostolatum, summum in Ecclesiis honorem, ut & Gal. 2. 9. Sic Roman. 1. 5. χάριν καὶ ἀποστολὴν [*gratiam & Apostolatum*,] id est, χάριν ἀποστολῆς [*gratiam Apostolatûs.*] Addit εἰς ὑμᾶς עליכם [*in vobis*] *Apostolatum*, inquam, *circa vos administrandum.*

3. Ὅτι κατ᾽ ἀποκάλυψιν ἐγνώρισέ μοι τὸ μυστήριον, *Quoniam secundùm revelationem notum mihi fecit mysterium*] In Manuscripto ἐγνωρίσθη μοι [*notum factum est mihi*] quomodo & Latinus legit & Syrus: nempe non tantùm prima ista revelatione de qua Actor. 9. sed & multis subsequentibus, de quibus 2 Cor. 12. 1, 7. Patuit mihi, inquit, apertiùs quàm ipsi Petro, rituum Judaicorum onera non modo non imponenda Gentibus, sed ne à Judæis quidem observanda post hac, quasi ex præcepti necessitate. Vide Rom. 7. & Gal. 4. Itaque Paulus in hac re, ut Propheta magis illustratus, Petrum illustravit. Meritò autem μυστήριον [*mysterium*] vocat quod etiam Apostolorum præcipuis non satis patuerat antea. ¶ καθὼς προέγραψα ἐν ὀλίγῳ *sicut supra scripsi in brevi*] Προέγραψα ἐν ὀλίγῳ [*supra scripsi in brevi*,] id est, ὀλίγῳ πρότερον ἔγραψα, *paulo ante scripsi*: nempe capitibus duobus præcedentibus, ubi multa de hoc mysterio dicta.

4. Πρὸς ὅ, *Prout*] Id est, quò certiùs credatis me à Deo datum Apostolum Gentibus. ¶ δύνασθε ἀναγινώσκοντες, *potestis legentes*] Repetentes aliquoties ea quæ jam scripsi. δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά [*bis & ter ea quæ pulchra sunt.*] ¶ νοῆσαι τὴν σύνεσίν μου ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῦ Χριστοῦ. *Intelligere prudentiam meam in mysterio Christi*] Percipere inde poteritis quousque ego in illius arcani cognitione Deo dante penetraverim.

5. Ὃ ἐν ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων. *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum*] בני האדם [*filiis hominis*;] nam quæ ſunt apud Eſaiam & Prophetarum veterum alios, valde generalia ſunt, & ante eventum erant perobſcura. ¶ ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις ἀποςόλοις ἀυτοῦ καὶ προφήταις ἐν πνεύματι. *ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in Spiritu*] Nempe ex promiſſo Chriſti, Joh. 16. 12. *Prophetas* intellige Novi Teſtamenti, ut diximus ſupra 2. 20. Aliquid didicerat Petrus in re Cornelii, plus poſtea Paulus, & poſt Paulum alii.

6. Εἶναι τὰ ἔθνη συγκληρονόμα καὶ σύσσωμα καὶ συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας ἀυτοῦ ἐν τῷ Χριςῷ, *Gentes eſſe cohæredes & concorporales & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto*] *Gentes* intellige natos ex Gentibus manentes in ſua libertate, non factos proſelytos. συγκληρονόμα [*cohæredes*] pari jure vocatos ad vitam cœleſtem quæ hæreditas dicitur. Vide Rom. 8. 17. Hebr. 11. 9. 1 Petr. 3. 7. σύσσωμα, *concorpores*, partes ejuſdem corporis, id eſt, Eccleſiæ. Vide ſupra 2. 16. ¶ συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας ἀυτοῦ, *comparticipes promiſſionis ejus*] Participes Spiritûs Sancti, qui dicitur ἐπαγγελία Θεοῦ [*promiſſio Dei*,] ut vidimus ſupra 1. 13. ἀυτοῦ [*ejus*] enim hic refertur ad illud Θεοῦ [*Dei*] quod ſatis longè præceſſit. ἐν Χριςῷ [*in Chriſto*,] *per Chriſtum*, quia iſta bona nobis obtinuit. ¶ διὰ τοῦ ἐυαγγελίου. *per Evangelium*] Tanquam per inſtrumentum quo Chriſtus ad res illas efficiendas utitur. Per Evangelium colligitur Eccleſia, credentibus datur jus ad vitam cœleſtem, & interim dona Spiritûs.

7. Οὗ ἐγενόμην διάκονος, *Cujus factus ſum miniſter*] Voce nempe διακόνου [*miniſtri*] ſumpta generaliùs, ut 1 Corinth 3. 5. 2 Cor. 3. 6. 6. 4. 11. 23. Coloſſ. 1. 23, 25. ¶ κατὰ τὴν δωρεὰν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως ἀυτοῦ. *ſecundum donum gratiæ Dei quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis ejus*] Donum hic notat linguarum, eximium effectum admirabilis potentiæ divinæ ad convertendas Gentes 1 Corinth. 14. 18. κατὰ τὴν ἐνέργειαν aut κατ᾽ ἐνέργειαν [*ſecundum operationem*] habemus ſupra 1. 19. & infra 4. 16. & Philipp. 3. 21. & Coloſſ. 1. 29. Vinctus ſum ego, ſed Deus etiam nunc per me eſt efficax.

8. Ἐμοὶ τῷ ἐλαχιςοτέρῳ πάντων, *Mihi omnium minimo*] In Manuſcriptis & in aliis libris additur τῶν ἁγίων [*ſanctorum*.] Redit ad ſermonem quem per παρένθεσιν [*interpoſitionem*] interruperat, ſed mutatâ conſtructione, ut modo diximus. ἐλαχιςότερον comparativum ex ſuperlativo factum. Sic ſuperlativum ex ſuperlativo ἐλαχιςότατον *pauxillum* in Gloſſario. Talia ſunt apud Poëtas ἐσχατώτατος, χερειότερος, χειρότερος, κυδίςατος, λωΐτερος, προτεραίτερος, ῥηΐτερος [*ultimus*, *pejor*, *deterior*, *glorioſiſſimus*, *melior*, *prior*, *facilior*.] Notanda autem Pauli, ubi de ſe, non de munere ſuo agit, ſumma modeſtia. Confer 1 Corinth. 15. 9. ubi eſt vox ἐλάχιςος זעיר [*minimus*.] ¶ ἐδόθη ἡ χάρις ἄυτη, ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἐυαγγελίσασθαι τὸν ἀνεξιχνίαςον πλοῦτον τοῦ Χριςοῦ, *data eſt gratia hæc in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti*] In Manuſcripto abeſt ἐν [in.] πλοῦτον [*divitias*] intellige χάριτος [*gratiæ*,] ut ſupra 1. 7. & 2. 7. *gratiam ubertimam*. ἀνεξιχνίαςον [*inperveſtigabile*] habemus & Rom. 11. 33. reſpondet Hebræo אין חקר, ut videre eſt Job. 5. 9. 9. 10. 34. 24.

9. Καὶ φωτίσαι πάντας, *Et illuminare omnes*] Ad implendum eminenter vaticinium Eſaiæ 42. 16. Vide ſupra 1. 18. Φωτίζειν הזהיר [*illuminare*,] *docere*, ut Pſalm. 119. 130. & rectè conſtruitur cum accuſativo perſonæ, ut Joh. 1. 9. Ignatius Romanæ Eccleſiæ ſcribens vocat eam πεφωτισμένην ἐν θελήματι Θεοῦ [*illuminatam in voluntate Dei*.] ¶ τίς ἡ οἰκονομία τοῦ μυςηρίου, *quæ ſit diſpenſatio myſterii*] *Diſpenſatio ſive exſecutio iſtius arcani*. ¶ τοῦ ἀποκεκρυμμένου ἀπὸ τῶν ἀιώνων ἐν τῷ Θεῷ, *abſconditi à ſeculis in Deo*] Ἀπὸ τῶν ἀιώνων [*à ſeculis*] hic valet, *à longiſſimo tempore*. Vide 1 Corinth. 2. 7. ἐν τῷ Θεῷ [*in Deo*] *intra Deum*, ut ſupra 1. 9. ¶ τῷ τὰ πάντα κτίσαντι διὰ Ἰησοῦ Χριςοῦ· *qui omnia creavit per Jeſum Chriſtum*] Quid ſit κτίζειν [*creare*.] vide ſupra 2. 10, 15. & in Prolegomenis noſtris ad Evangelia. Omnia Chriſtus fecit nova, 2 Corinth. 5. 17. & divinior hæc creatio quàm prior illa.

10. Ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *Ut innoteſcat nunc principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus*] Ut pateſiat etiam maximis Angelorum ordinibus id quod ante & ipſi & Prophetæ ignorarunt, Deo iſtud conſilium apud ſe retinente. De re vide 1 Petri 1. 12. de nominibus verò ἀρχῶν [*Principatuum*] & ἐξουσιῶν [*poteſtatum*] ſupra 1. 21. & ibi dicta. ¶ διὰ τῆς ἐκκλησίας, *per Eccleſiam*] Vide quantus honos hominum; quòd hæc arcana conſilia per ipſos, maximè per Apoſtolos, Deus innoteſcere Angelis voluit. Ideo Angeli poſt hoc tempus nolunt ab Apoſtolis coli tanquam in miniſterio majore collocatis, Apoc. 19. 10 & meritò: multa enim magna mandata fuerant data Angelis, ſed nullum huic par. ¶ ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ. *multiformis ſapientia Dei*] *Verè miranda tam varia Dei diſpenſatio*. Adamo leges dedit faciles: Labi ſinit ad coërcendum humanam ſuperbiam: Sinit vitia creſcere ante diluvium: Rurſus poſt diluvium auctis iterum vitiis, & vitiorum maximè Idololatriâ, unum hominem excitavit per quem veri Dei cultus inſtauraretur: Ejus poſteros voluit experiri ſuo malo quantum eſſet diſcriminis inter inſtituta Abrahami & aliarum Gentium, etiam earum quæ ſapientiſſimæ habebantur: Deinde gliſcente apud alias Gentes idololatriâ, multis quoque Iſraelitis ad ejus imitationem tractis, eduxit ex eâ contage Abrahami poſteros, eoſque in locis ſolitariis per quadraginta annos, etiam morbis mortibuſque immiſſis in contumaces, purgavit; deinde dedit eis terram egregiam & rectores Dei Spiritu donatos, ut viderent quanta res eſſet à Deo regi. Volentibus permiſit habere Reges, & pleroſque malos: Sub regibus tamen fines bene tutati ſunt & protulere, ſed illis bonis malè uſi & Regum ſecuti exempla, prolapſi ſunt in idololatriam, & ad omnia vitia alia, quæ plerumque idololatriam, ut impietatis ducem, ſequi ſolent. Deus per gradus eos admonuit, ſciſſo primum regno, denique parte utrâque multùm vexatâ per principes externos, poſt decem tribuum primum parte exigua, deinde quod reliquum erat abductis, ut & ipſi corrigerentur, & exemplo iſto terrerentur alii. Cùm ne hac quidem tam ſeverâ admonitione rectè uſæ eſſent tribus quæ reſtabant, eas quoque abduci fecit, & longo ac duro ſeptuaginta annorum exſilio experiri eos voluit quali eſſent ingenio idololatræ, quò magis in poſterum ab idololatria abhorrerent, quæ medicinia ità fuit valida ut ad omnia alia potiùs quàm ad idololatriam relapſi ſint poſtea Judæi. In illo exſilio multos ex Gentibus ſuâ inſtitutione & exemplo ad cognitionem veri Dei perduxerunt. Hoc de ipſis ſumpto experimento Deus per Cyrum, Regem non idololatram, eos in patriam reſtituit, non tamen cum plena libertate, ut paullatim ad contemptum rerum terrenarum, & ſpem rerum cœleſtium, quas plenè erat revelaturus Meſſias, aſſueſcerent. Et hoc tempus omne ad Meſſiam uſque verè, ut modò dixi, veſtibulum fuit Evangelii: nam & multi ex Gentibus per ea tempora Deum verum agnovere Judæorum exemplo. At cùm rurſus idem ille populus, non quidem ad idololatriam, ſed ad alia vitia plurima, quæ & ipſa μυςικῶς [*tecto ſenſu*] rectè dicuntur *idololatria*, decidiſſet, per Macedonas primùm, deinde per Romanos repreſſit eorum ferociam. Ac pleriſque nihil correctis, miſit Eliam, id eſt, Johannem Baptiſtam; deinde Meſſiam ipſum, qui per triennium, & vitæ ſanctitate & miraculis omnes Prophetas ipſumque Moſem ſuperans, omnia fecit quæ fieri poterant ad corrigendos Judæos. Frugem collegit aliquam, ſed in tanta multitudine exiguam. Idem poſt ipſum tam malè tractatum à Judæis evenit Apoſtolis ejus: quid fecit Deus? Legem illam ritualem, nihil in ſe habentem aut boni aut mali, ſed in hoc repertam, primùm ut iſtis ritibus onerata plebs rituum amans, eò minùs cauſæ haberet ſequendi ritus idololatricos, deinde ut ſub illis figuris res intelligerent majores, cùm nec prius illud ante Babylonicum exſilium, nec poſterius illud poſt Babylonicum exſilium ἐπιτοπολὺ [*magna ex parte*] bene ſucceſſiſſet, antiquavit: rem orſus eſt planè novam, inauditam, atque incredibilem, oſtenditque ſe illos ex Gentibus, qui pietatem à Chriſto præceptam vellent ſequi, etiamſi non fierent proſelyti, nihilo minoris ducere quàm aut Judæos aut proſelytos, eâque ratione tum Judæos multos exemplo Gentium quas contempſerant ad pietatem adduxit, tum innumeram hominum multitudinem, Pauli maximè miniſterio, ad eum perduxit pietatis gradum & rerum omnium terrenarum atque ipſius vitæ hujus contemptum ad quem ne optimi quidem ex Judæis pervenerant. Hæc qui bene expenderit (& tamen exiguam tantùm partem dixi illius diſpenſationis, neque enim omnia aut concipere aut eloqui meum eſt) is certè cauſam habebit cur admiretur ac veneretur τὴν πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ Θεοῦ [*multiformem Dei ſapientiam*.] Vide Eſaiæ 55. 9.

11. Κατὰ πρόθεσιν τῶν ἀιώνων, *Secundùm præfinitionem ſeculorum*] *Secundùm propoſitum antiquiſſimum*, cujus indicium eſt promiſſio facta Abrahamo de ingentibus bonis quæ per aliquem ex poſteris Abrahami Gentes eſſent adepturæ. Sic interpretamur ex Tito 1. 2. De voce προθέσεως [*propoſiti*] vide Roman. 8. 28. 9. 11. & de verbo προτίθεσθαι [*proponere*] Rom. 3. 25. ſupra 1. 9. ¶ ἣν ἐποίησεν ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. *quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro*] Ἐποίησεν [*fecit*,] id eſt, *exſecutus eſt per Chriſtum*.

12. Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν, *In quo habemus fiduciam*] Παῤῥησία ex origine quidem *loquendi* ſignificat *libertatem*, ſed longiùs perductâ ſignificatione *fiduciam*, ut videre eſt Levit. 26. 13.

26. 13. ubi in Hebræo תִּשְׁמַרְנָה. Magnam autem fiduciam parit Spiritus ille attestans Deum nobis esse Patrem, Rom. 8. 15. Gal. 4. 6. Philo de Herede rerum divinarum, *Πότε οὖν ἄγει παῤῥησίαν οἰκέτης πρὸς δεσπότην, ἆρ' οὐχ ὅταν ἠδικηκότι μὲν ἑαυτῷ οὐδὲν συνειδῇ, πάντα δὲ ὑπὲρ τοῦ κεκτημένου καὶ λέγοντι καὶ πράττοντι; πότε οὖν ἄξιον καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον ἐλευθεροστομεῖν πρὸς τὸν ἑαυτοῦ καὶ τοῦ παντὸς ἡγεμόνα καὶ δεσπότην, ἢ ὅταν ἁμαρτημάτων καθαρεύῃ, καὶ τὸ φιλοδέσποτον ἐκ τοῦ συνειδότος κρίνῃ, πλείονι χαρᾷ χρώμενος ἐπὶ τῷ θεράπων γενέσθαι Θεοῦ, ἢ εἰ τοῦ παντὸς ἀνθρώπων γένους ἐβασίλευσε;*] *Quando igitur servus cum fiduciâ accedit ad Dominum? nonne quando nullius maleficii sibi est conscius, certus nihil sibi dictum factumve nisi in utilitatem Domini? quando igitur decet Dei quoque famulum libertate lingua uti erga suum rerumque omnium principem atque Dominum, nisi quando à peccatis purus & charitatis erga Dominum sibi conscius, magis gaudet se esse Dei famulum, quam si in universum hominum genus nactus esset imperium?*] ¶ *καὶ τὴν προσαγωγὴν, & accessum*] *Aditum liberum* supra 2. 18. קִרְבַת אֱלֹהִים [*accessus ad Deum*] Esaiæ 58. 2. in Manuscripto deest *τήν.* ¶ *ἐν πεποιθήσει, in confidentia*] *Cum spe magna rerum futurarum.* בטח Hebræum plerumque *ἐλπὶς* [*spes*] vertitur: *πεποίθησις* [*confidentia*] autem 2 Reg. 18. 20. vide 2 Corinth. 1. 15. 3. 4. 8. 22. 10. 2. Philipp. 3. 4. ¶ *διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ. per fidem ejus*] Id est, *per eam fidem quam Christus in nobis effecit.* Iste genitivus non causam ex qua, ut supra 1. sed objectum significat, ut Marci 11. 22. ubi dicta vide.

13. *Διὸ αἰτοῦμαι. Propter quod peto*] Cùm tam justa sit nostra in Deum fiducia, *precor vos.* ¶ *μὴ ἐκκακεῖν, ne deficiatis*] 'Εκκακεῖν quidem alibi est *segnescere*, sed hic potiùs *expavescere*: nam & Græci *κακοὺς* sæpe vocant eos qui sunt *timidi*: & vicina sunt timor periculi ac laboris. in Glossario *ἐκκακῶ, deficio.* ¶ *ἐν ταῖς θλίψεσί μου, in tribulationibus meis*] Ob hæc vincula, & mala alia quæ fero. ¶ *ὑπὲρ ὑμῶν, pro vobis*] Repetit quod dixerat supra 1. vestri causâ hæc mihi eveniunt, æquum est ne vos pœniteat rei, cujus me non pœnitet. ¶ *ἥτις ἐστὶ δόξα ὑμῶν. quæ est gloria vestra*] Potuerat dicere *αἵτινές εἰσι δόξα ὑμῶν* [*quæ sunt gloria vestra,*] *quæ mala multum vobis honoris adferunt*, sed & apud Hebræos & apud Græcos & apud Latinos relativum pronomen tam posteriori quàm priori parti conformari solet. Tale illud Ciceronis: *ignibus quæ sidera vocatis.* Verè honos erat omnium Christianorum, maximè eorum qui ex Gentibus vocati erant, quod Paulus nulla mala pati recusabat pro ea quam tradebat disciplina.

14. *Τούτου χάριν, Hujus rei gratiâ*] Nempe in hoc, ne meis malis territi labascatis. ¶ *κάμπτω τὰ γόνατά μου, flecto genua mea*] Qui mos precantium in rebus anxiis. Vide quæ dicta ad Matth. 6. 5. Marci 15. 19. Luc. 22. 41. Actor. 7. 60. 9. 40. 20. 36 21. 5. ¶ *πρὸς τὸν πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*] Vide supra 1. 2. in Manuscripto desunt illa *τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* [*Domini nostri Jesu Christi,*] & sine illis meliùs cohærent sequentia, & suo quoque tempore à Græcis hæc abfuisse docet nos Hieronymus. Sensus idem manet.

15. *Ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται, Ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur*] Πατριὰ בית אבות, est *familia*, ut videre est Exod. 6. 25. 12. 3. & locis aliis magno numero. Solemne autem est Hebræis, ut & supra attigimus, cùm de Angelis & hominibus piis loquuntur, nominare eos *familiam Dei superiorem & inferiorem.* Utrique *Dei filii* dicuntur, utraque vocatur *Dei familia*, & hoc est quod hîc dicitur. Non longè abit illud Simplicii in Epicteteis, *αἱ πολλαὶ ἀρχαὶ πάντων ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς ἔχουσι τὸ τῆς ἀρχῆς ἀξίωμα* [*multa illa principia rerum omnium ab uno principio sortita sunt principii dignitatem;*] & hoc Procli ad Timæum, *Πάντα τὰ δημιουργικὰ αἴτια ὡς ὑφ' ἓν κέντρον συννεύει τὴν μίαν τῶν πάντων πατρικὴν αἰτίαν* [*Causæ omnes quæcunque aliquid in creationem contulerunt tanquam ad unum centrum ad paternam causam vergunt.*] Magnificum putant Hebræi quod genus suum referre possunt ad Judam, Rubenum, & alios Jacobi filios: at nos Deo Patre censemur:

— *τοῖς πατρὸς εὐχόμεθ' εἶναι*

[*Jactamus tali genitos nos esse Parente.*]

16. *Ἵνα δῴη ὑμῖν κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ, Ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ*] Δόξα *majestatem* significat: sed hîc *μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem*] ipsam *Dei potentiam*; quam sequitur majestas, quomodo Hebræis עז poni solet modò hoc modò illo significatu. *πλοῦτος* [*divitiæ*] est ejus *potentiæ abundantia.* Vide supra 1. 7, 18. 2. 7. ¶ *δυνάμει κραταιωθῆναι, virtute corroborari*] *Augeri viribus.* ¶ *διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον. per Spiritum suum in interiorem hominem*] Id est, *ἐν τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ* [*in interiori homine,*] in mente ipsa. Vide Rom. 7. 22. & ibi dicta. Falluntur qui *ἔσω ἄνθρωπον* [*interiorem hominem*] confundunt cum *καινῷ ἀνθρώπῳ* [*novo homine.*]

17. *Κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Christum habitare per fidem in cordibus vestris*] Hoc quoque construitur cum *δῴη* [*det*] & est *ἀσύνδετον* [*injuge.*] De sensu vide Joh. 14 23.

18. *Ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι, ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, In charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis*] Est trajectio vocis *ἵνα* [*ut*] qualis Joh. 13. 29. Rom. 11. 31. 1 Cor. 9. 15. 2 Cor. 2. 4. Gal. 2. 10. Constantia duabus similitudinibus rectè exprimitur, Arboris in altum radices agentis, Matth. 13. 6, 21. Marci 4. 6, 17. Luc. 8. 13. & Ædificii benè fundati, Matth. 7. 24. Luc. 6. 48. ubi vox *θεμέλιος* [*fundamentum.*] Vide & supra 2. 20. & Apoc. 21. 14. & confer Coloss. 2. 7. Philo de Linguarum confusione, *Πεπηγότα βεβαίως τῇ τοῦ τετραγώνου σχήματος οἰκειουμένα φύσει. ἀκράδαντον γὰρ τοῦτό γε ἕνα πλίνθου τινὰ τρόπον ἀκλινῶς ἐρηρεισμένα βεβαίως καὶ τὰ ἐποικοδομούμενα δέχηται* (*Fixa firmaque manent, assumptâ quadratæ formæ naturâ: hæc enim cum sit inconcussa inflexaque laterculi more, etiam quæ superædificabuntur sustinebit firmiter.*) ¶ *τί τὸ πλάτος, καὶ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ ὕψος, quæ sit latitudo, & longitudo, & profundum & sublimitas.*) Est allusio ad locum Jobi 11. 7. Dei bonitas & *latissimè* in omnes homines se effundit, & *in longum*, id est, in omnia secula se extendit, & ex *infima depressione* hominem liberat & in loca suprema evehit. Eodem spectabant motiones rerum oblatarum, prior in altum & profundum quæ dicebatur תרומה [*elatio,*] deinde altera in latum & longum, quæ dicebatur תנופה [*agitatio.*]

19. *Γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*] In Manuscripto, *τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀγάπην τῆς γνώσεως τοῦ Χριστοῦ* [*supereminentem charitatem scientiæ Christi,*] *summam illam dilectionem*, Dei scilicet & proximi, *quæ ex cognitione Christi oritur.* Videntur etiam Hieronymi tempore quidam libri sic habuisse: nam ipse sic hunc locum exponit. Vide Philip. 3. 8. & *γνῶναι* [*scire*] hic est *in semet experiri.* ¶ *ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ. ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*] Πλήρωμα [*plenitudo*] hic sumo activè, Joh. 1. 16. Coloss. 2. 9. Sensus est, *ut impleamini omnibus illis donis quibus Deus implere homines solet.*

20. *Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus*] Simili ferme *δοξολογίᾳ* [*laudatione*] finitur ad Romanos Epistola. Primùm dicit *posse super omnia* nempe quæ visa sunt hactenus; deinde addit etiam *plurimum supra ea quæ petere aut cogitare audeamus.* *ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ* [*superabundanter,*] sunt particulæ plures *αὐξητικαὶ* [*augentes*] cumulatæ, quod loquendi genus amat Paulus, ut videre est 2 Cor. 3. 9. 7. 13. Philipp. 1. 9. 1 Thess. 4. 1, 10. Item Rom. 5. 20. 2 Cor. 7. 4. 1 Tim. 1 14. supra 1. 21. infra 4. 10. ¶ *κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν, secundum virtutem quæ operatur in nobis*] In Manuscripto *ἐν ὑμῖν* [*in vobis,*] id est, *ita ut incepit operari*; nam *κατὰ* [*secundum*] sæpe similitudinem significat.

21. *Αὐτῷ ἡ δόξα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, Ipsi gloria in Ecclesia in Christo Jesu*] In Ecclesia sicut mos est per Christum precari, ita enim per Christum gratias Deo agere, Rom. 1. 8. 7. 25. ¶ *εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων. Ἀμήν. in omnes generationes seculi seculorum. Amen*] Hic quoque augendi causâ duas locutiones Hebraïcas miscuit Apostolus: quarum prior est לדר ודר [*ad generationem & generationem*] Psalm. 10. 6. altera עלמי עד [*secula seculi*] Esaiæ 45. 17. & alibi. Solebant talibus *δοξολογίαις* [*laudationibus*] Ecclesiæ acclamare, *Amen*: quod ut faciant, præit eis Paulus.

CAP. IV.

VALLA.

2. **H***Umilitate & mansuetudine*] Nescio cur illud *ταπείνωσιν*, ut illud Luc. 1. 28. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, quæ propriè est *conditionis vilitas*, & hoc *ταπεινοφροσύνη*, quod est *humilitas sensûs*, transferuntur eodem modo, & non potiùs hoc, quod compositum est, transferunt ut dixi, *humilitatem sensûs* sive *animi*. Quale est etiam illud Phil. 2. 3. *in humilitate invicem*, *ταπεινοφροσύνῃ*.

6. Qui

6. *Qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*] Cur ait *super omnes, & per omnia*: variando genera, quod Græcè incertum est, cùm utrobique sit casus genitivus? ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων. Ego puto dicendum *per omnes*, aut (quod non tantopere mihi probatur) *super omnia & per omnia*. Involvere autem res & homines, ut fecit Interpres, mihi non placet.

15. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est Caput, Christus*] Gr. *Veritatem sectantes*: sed hoc parvi refert; non enim potest verbum è verbo transferri, ἀληθεύοντες. Illud majus, quod Græcè dicitur *augeamus in illum omnia*, αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, h.e. quod *augeamus in Christum omnia membra*: quod probat id quod sequitur, *in mensura uniuscujusque membri augmentum corporis facit*, αὔξησιν.

17. *Ut jam non ambuletis sicut & Gentes ambulant, in vanitate sensûs sui*] Plerique cod. habent *sicut & cæteræ gentes*, καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη. Illud verò *sensûs* maluissem ego transferre *mentis*, νοός. Quod si fecisset Interpres, ut fecit paulò pòst v. 23. *Renovamini autem Spiritu mentis vestræ*, nemo exposuisset *sensûs* per *sensualitatis*: quod nomen ideo volui proferre ut notarem tanquam viris eruditis indignum pariter & in loquendo supervacuum.

18, 19. *Alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum: Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ*] Gr. *propter ignorantiam*, διὰ τὴν ἄγνοιαν. Nec dicendum erat *cordis ipsorum*, sed *cordis sui*, etsi Græcè sit *ipsorum*. Nec est *desperantes*, sed, ut uni Græco duo Latina reddam, *secordiâ retenti sive retardati*, sive *per secordiam*, sive *ignaviter secorditerque*, sive *secordes atque ignavi, tradiderunt sese impudicitiæ*: ἀπηλγηκότες.

REVIUS in VALLAM.

15. AUgeamus in illum] Rectiùs omnino Vulgata. Consulantur Erasmus & Beza.

19. Ἀπηλγηκότες] Eosdem & hic adi. Nam Vallæ versio, ut mihi videtur, nec cœlum nec terram tangit.

ERASMUS.

1. DIgnè vocatione] Ἀξίως τῆς κλήσεως. Addidit nominis casum adverbio; q.d. *Canit similiter tibi*. Et rursus articulus respondet nomini antecedenti, dissonans suo verbo: alioqui dicendum erat ᾗ ἐκλήθητε.

2. *Cum omni humilitate*] Ταπεινοφροσύνης· quæ significat animi habitum contrarium Arrogantiæ: nam *humilitas*, quæ ταπείνωσις, aliud quiddam significat. Et ob id Ambrosius addit *humilitate animi*, nè fortunæ humilitatem acciperemus. ¶ *Cum patientia*] Μακροθυμίας, i.e. *longanimitate*, si quis ad verbum reddat. Ambrosius sic legit, *Cum omni humilitate animi & modestia, cum magnanimitate*, μακροθυμίαν vertens *magnanimitatem*, cùm magis sonet *animi lenitatem ac moderationem, quâ fit ut non facile commoveamur, neque rapiamur ad vindictæ cupiditatem*. *Longanimitas* propiùs exprimit Græcam vocem quam *magnanimitas*: & tamen aliud est *longus animus* quàm *lenis & lentus ad iram*. *Patientia* rectè habebat, nisi quòd anceps est, & sæpius ad *tolerantiam corporis* quàm ad *animi lenitatem* pertinet.

3. *Soliciti servare*] Σπουδάζοντες, *studentes*. Quod Augustinus l. 2. adv. literas Petil. c. 69. vertit *solicite agentes*. Ac mox cap. 78. vertit *studentes servare*, quemadmodum nos vertimus. Ambrosius, *solicitè servantes*. ¶ *In vinculo pacis*] Ἐν τῷ συνδέσμῳ· q.d. *in colligatione & concatenatione*. Augustinus in eodem loco vertit *conjunctione*. Nam *vinculum* unius dici potest: σύνδεσμος est *quo aliud alii connectitur*.

6. *Qui super omnes & per omnia*] Satius erat in eodem genere perseverare, & non miscere res personis, *super omnia & per omnia*, aut *super omnes & per omnes*: nam apud Græcos incertum est genus. Hieronymus magis videtur amplecti neutrum genus, adducens illud Virgilianum,

——— Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.

Utcunque scribæ insulserunt *omnes*, sed refragante sensu. Sic enim enarrat Hieronymus, SUPER OMNES *enim est Deus Pater, quia autor est omnium*; PER OMNES, *Filius, quia cuncta transcurrit, vaditque per omnia*; IN OMNIBUS, *Spiritus sanctus, quia nihil absque eo est*. Hæc ille. In prima particula, quoniam *omnium* est omnis generis, non liquet an ad omnes homines an ad omnia quæ sunt referatur. In secunda, cùm addit hanc causam, *quia transcurrit vaditque per omnia*, declarat se legisse non *per omnes*, sed *per omnia*. *In omnibus* rursum ambiguum est; sed quod subnectitur, *quia sine eo nihil est*, declarat *in omnibus* neutro genere dictum: alioqui dixisset *sine eo nullus est*. Ad id facit quæstio quam mox subjicit Hieronymus, *Nec verò putandum est*, inquit, *unum Deum & Patrem omnium esse communiter, ut scilicet ad irrationabilia jumenta nomen* PATRIS *possit aptari*, &c. Hic scrupulus frustrà movetur si legit *Patrem super omnes esse*. Eodèm pertinet quod subjicit, *Tale quid de creaturis & de Deo etiam Zeno cum suis Stoicis suspicatur*. Sentit enim de dogmate Zenonis, quod ità refert Laertius; Θεὸν δὲ εἶναι ζῶον ἀθάνατον, λογικὸν ἢ νοερὸν, ἐν εὐδαιμονίᾳ, κακοῦ τινος ἀνεπίδεκτον, προνοητικὸν κόσμου τε καὶ τῶν ἐν κόσμῳ· μὴ εἶναι δὲ μέντοι ἀνθρωπόμορφον, εἶναι δὲ τὸν δημιουργὸν τῶν ὅλων, ὥσπερ καὶ πατέρα πάντων, κοινῶς τε καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ τὸ διῆκον διὰ πάντων, ὃ πολλαῖς προσηγορίαις προσονομάζεται κατὰ τὰς δυνάμεις. Δία μὲν γάρ φασι, δι' ὃν τὰ πάντα. Ζῆνα δὲ καλοῦσι, παρ' ὅσον τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστιν, &c. i.e. *Deum autem esse animal immortale, rationale aut intellectuale, ità felix ut nullius mali sit capax, providentiam & curam habens tum mundi tum eorum quæ sunt in mundo. Attamen non esse specie humanâ, sed opificem esse cunctorum, quemadmodum & Pater est omnium communiter quidem, sed ità ut sit pars ipsius mundi, quæ* (sive *quod*) *penetrat per omnia. Quod variis cognomentis appellatur juxta vires diversas.* Δία, i.e. *Jovem, enim appellant, quod per ipsum sint omnia*: Ζῆνα, i.e. *Jovem, appellant, quòd autor sit vitæ*. Ità Laertius. In cujus verbis suspicor esse mendum, quod Interpres videtur secutus. Pro eò quod scriptum est δι' ὃν τὰ πάντα, scribendum arbitror διῆκον τὰ πάντα, ut subaudias ζῶον, aut διήκοντα πάντα, aut certè δι' οὗ τὰ πάντα. Nam δι' ὃν τὰ πάντα non sonat *per quem omnia*, sed *propter quem omnia*. Ad igitur Zenonis opinionem respiciens Hieronymus subjicit, *Quem secutus Virgilius ait*,

——— Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.

Et,

Principio cœlum ac terras, &c.

Hæc testimonia non congruunt nisi legamus *per omnia*. His suffragatur & illud quod subjicit, *Quidam hoc quod est*, SUPER OMNES, PER OMNES, ET IN OMNIBUS, *ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum sic existimant referendum ut* SUPER OMNIA *Patris sit, quia major est omnium*; PER OMNES, *Filius, quia per Filium creata sunt omnia*; IN OMNIBUS, *Spiritus: ipse enim credentibus datur, & templum sumus Spiritûs sancti, & Pater & Filius habitant in nobis*. Hic rursus vides in interpretatione poni *omnia*, non *omnes*, exceptâ postremâ particulâ. Quanquam ut & illic congruant *omnia* facit Sapientiæ testimonium, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hic qui continet omnia, scientiam habet vocis*. Item in principio Geneseωs, *Spiritus Domini expanditur super aquas*. Quid autem magni diceret Apostolus si doceret *Deum Patrem esse super omnes homines*? cùm Angeli sint humano genere præstantiores. Scrupulus quem movet Hieronymus poterat aliter submoveri, quòd cùm à Deo Patre sint simpliciter omnia, non absurdè dicitur *Pater omnium* generali usu nominis paterni; quemadmodum Diabolus dicitur *mendacii pater*, quòd is primus docuit mentiri. Hujusmodi scholiis non onerarem lectorem nisi quidam magno supercilio reprehendissent quòd dixerim *Hieronymianam enarrationem videri magis amplecti neutrum genus*. Chrysostomus enarrans hunc locum admonet, ἐπὶ πάντων dictum pro ἐπάνω πάντων. Dignitas autem Dei excellit non Homines tantùm, sed universam creaturam. Deinde cùm *per omnia* exponit de gubernatione Dei, is profectò gubernat universa. In enarratione Chrysostomi tertio loco additur pronomen, ἐν πᾶσιν ὑμῖν, *in omnibus vobis*: atqui in contextu non additur. Ambrosius mavult genus masc. *super omnes, per omnes, & in omnibus vobis*, quorum postremum non potest non esse masc. generis. Theophylactus utrumque ad nos refert genere masculino. ¶ *Et in omnibus vobis*] Pro quo Ambrosius Legit *in omnibus credentibus*. Apud Hieronymum non additur *vobis*; tantùm est *in omnibus*: nec potest aliud ex illius interpretatione deprehendi. Ex hoc loco Græci refellunt hæreticos facientes Filium Patre, & Spiritum S. utroque minorem, quòd præpositionem διὰ propriè dicerent competere in Filium, ἐν in Spiritum S. cùm ἐξ tribuatur Patri. Hîc utraque præpositio tribuitur Patri, διὰ & ἐν nec tamen habent vim diminuendi.

8. *Ascendens in altum*] Ἀναβὰς εἰς ὕψος, *postquam ascenderat in altum*, præteriti temporis. Jam testimonium quod adducit est Psalmo 68. Lxx. transtulerunt hoc pacto, ἀνέβης εἰς ὕψος, ᾐχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν, ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις. Paulus sciens ac prudens ab Hebræis unicam dictionem mutavit, ut indicat Hieronymus hunc edisserens locum. Cùm enim apud

illos legatur *accepit dona in hominibus*, hic mutavit, *dedit dona in hominibus*. Nec ea varietas quicquam officit sententiæ; quandoquidem in Psalmo promittitur futurum quod nondum erat factum, & ob id dicitur *accepisse dona* quæ pòst elargiretur; hic, quoniam Apostolus describit quod jam erat factum, fundatis ubique per orbem Ecclesiis *dedisse* scribitur, non *accepisse*.

9. *Quod autem ascendit*] Τὸ δὲ ἀνέβη, τί ἐστιν, *Illud autem quod dictum est, Ascendit, quid est?* &c.

11. *Alios autem Pastores & Doctores*] Annotavit Hieronymus, & hunc secutus Augustinus Epist. 59. quòd cùm in cæteris discreverit officiorum genera, hic duo conjunxit: neque enim dictum est, *quosdam Pastores*, *quosdam Doctores*; sed *alios Pastores & Doctores*: quòd quicunque Pastores sunt, iidem debeant esse Doctores. Cùm Ambrosius id non animadvertens, opinor, distinctim accipiat, quasi diversi sint *Pastores* ac *Magistri*. Rursum parùm videtur observasse quòd apud Græcos pro *Magistris* est διδασκάλους, i. e. *Doctores*. *Magistros* enim interpretatur *Exercistas, qui in Ecclesia coërceant ac verberent inquietos*. Quanquam Theophylactus proposito sensu quem ostendimus & hunc attingat de Diaconis.

12. *Ad consummationem sanctorum*] Πρὸς τὸν καταρτισμόν. Hieronymus legit *ad instructionem*. Significat autem & *refectionem* sive *reparationem* aut *instaurationem rei collapsæ*. Doctores enim succurrunt lapsis & dejectis. Maximè verò probatur quod nobiscum vertit Ambrosius, *ad consummationem sanctorum*: nam & hoc sonat Græcis καταρτίζεσθαι. Ità probè congruit quod sequitur, *in ædificationem corporis Christi*; nimirum ut corpus undique sit perfectum.

13. *In agnitione Filii Dei*] *Et agnitionis Filii Dei*, καὶ τῆς ἐπιγνώσεως· pendet enim ab ἑνότητος, quemadmodum & *fidei*. Et ità legit D. Hieronymus, qui & alibi monet, propriè *agnosci* quod antea fuerat cognitum.

14. *Et circumferamur*] Græcis est participium, περιφερόμενοι, *circumacti*. Augustinus legit *circumlati*. Cætera commodè, si tempus responderet. Et *parvuli* est νήπιοι, quod ità significat *puerum* ut & *parum prudentem* significet. ¶ *Omni vento*] Rectius erat *quovis vento*: nam Græca vox παντὶ anceps est. ¶ *In nequitia hominum*] Ἐν κυβείᾳ. Quod verbum ductum est lusu tesserarum, in quo qui potest imponit & circumvenit alterum: etiamsi Faber in prima sanè editione mutat pro NEQUITIA *confusionem* & *perturbationem*; sed deceptus, ut videtur, similitudine figuræ μ. quæ Cappa videri possit. Itaque κυκείᾳ legit pro κυβείᾳ, cùm sit β. Et mutavit ille quidem hunc locum in posteriore editione, sed ità ut nec ibi suffraget homini. Qua de re nonnihil attigimus in nostra ad illum Apologia. Videtur autem verbum esse fictum à κυβεύω, quod est *tesseris ludo*, quòd in hujusmodi ludis arte opus est; & quisque nititur circumvenire collusorem si possit, ad suum duntaxat commodum spectans: ut κυβείαν dicere possis *aleationem*, h. e. *versutiam*, & *fallax artificium*, vel potiùs *artificem fallaciam*. Testatur & Hesychius, κυβεῦσαι præter cætera significare & χλευάσαι, quod est *irridere* aut *subsannare*. Idque Hieronymus ad Dialecticorum argutias & insidiosas captiones refert. Hæc cùm animi nostri conjecturam, tametsi magnopere probabilem, secuti literis prodidissemus, nacti Theophylacti Episcopi in Paulinas Epistolas Commentarios haudquaquam aspernandos, comperimus & illum nobiscum sentire; cujus equidem verba, quod ad hanc rem pertinet, non gravabor adscribere; Κυβευταὶ λέγονται οἱ τοῖς πεττοῖς κεχρημένοι. τοιοῦτοί εἰσιν οἱ ψευδοδιδάσκαλοι, μετατιθέντες τοὺς ἀφελεστέρους ὥσπερ πεττοὺς ὡς βούλονται, *Cybeutæ dicuntur qui talis utuntur. Ejusmodi sunt falsi Doctores, transponentes simpliciores, ceu talos, prout volunt.* Mihi quidem satisfaciebat mea conjectura tam consentanea vero. Cæterùm quoniam nonnullos magis commovet autoritas quàm ipsa res, Græci interpretis suffragium addidimus. Theophylactus Chrysostomum, ut ferè solet, est secutus. Illud mirum, neutrum differentiam ponere inter κύβους καὶ πεττοὺς, i. e. inter *tesseras & talos*, nisi quòd in utrisque locus est fraudi. Illud admonet Hieronymus, totum hunc locum, si quis Græca legat, manifestiorem esse; sed dum Latinis ad verbum redditur, sensum fieri obscuriorem. Paraphrasi poterat explicare ad hunc modum, *Donec eò perveniamus omnes ut eadem sit omnium fides, & æquè cognitus* (sive *agnitus*) *Filius Dei: hoc est, ut pertingamus ad perfectam, solidam ac virilem ætatem, videlicet ad eam mensuram ætatis quæ nos plenè adultos reddat in Christo, nè posthac simus infantes, qui circumagantur ac circumferantur quovis vento doctrinæ, imponente nobis hominum astu, hoc agentium, non ut Christum sincerè nos doceant, sed callidis artibus adorti nos illaqueent capiantque. Quin potius istis neglectis, quæ vera Christoque digna sunt sectantes, per omnia adolescamus in illum qui est caput omnium. Is autem est Christus, non Moses: hic enim membrum duntaxat est, non caput.* Hieronymus legit *in fallacia hominum*, *in astutia*, &c. ¶ *Ad circumventionem*] Πρὸς τὴν μεθοδείαν. Dictum est autem à μεθοδεύειν, quod est *hominem adoriri ex insidiis*. ¶ *Erroris*] Τῆς πλάνης. Meliùs vertisset *impostura*: nam πλάνη & decipientis est, at *error* decepti. Mirum est autem quid secutus Ambrosius legerit *ad remedium erroris*; nisi fortè *methodum* ille scripsit, idque aliquis transformavit in *remedium*. Augustinus vertit *machinationem*.

15. *Veritatem autem*] Dilucidius erat *sed* quàm *autem*, aut *Sed potius*: corrigit enim quod præcessit. ¶ *Facientes*] Ἀληθεύοντες, *veritatem sectantes*. Nam ἀληθεύειν est vel *præstare quod dixeris*, vel *vera loqui*. Nam hoc opposuit τῇ κυβείᾳ καὶ τῇ πλάνῃ, h. e. *versutiæ & imposturæ*. ¶ *Crescamus in illo*] Αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, *augeamus in illum omnia*. Sic quidem emendat Laurentius. Ego sanè puto rectè verti posse *augescamus in illum per omnia*: ut ad τὰ πάντα subaudias præpositionem κατά. Tametsi Hieronymus legit *ut augeamus in ipso omnia*: & item Ambrosius, si tamen codices mendo vacant. Nec ab his dissentit Theophylactus, interpretans *omnia in nobis esse augenda, & vitam & dogmata*. Chrysostomus trifariam interpretatur; primùm, ut intelligamus *corpus augmentum facere, dum in singulis membris operatur spiritus juxta cujusque modum*; altero modo, ut accipiam *singula membra capere augmentum ex subministratione Spiritûs*; tertio, ut intelligamus *Spiritum augeri, dum à capite fluens meat per omnia membra, contingens & connectens singula*. Potest autem in verbo transitivo subaudiri *nos* pronomen: etiamsi αὐξάνω apud Græcos neutralem habet significationem, nec memini in alio significatu comperisse. Proinde sequatur lector quod maximè probaverit, etiamsi nostra lectio ab horum interpretatione minimè dissidet, præsertim cùm mox sequatur, τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος.

16. *Compactum*] Συναρμολογούμενον· quod antè verterat *constructum*. ¶ *Connexum*] Συμβιβαζόμενον, *coagmentatum*. Hieronymus legit *conglutinatum*. ¶ *Per omnem juncturam*] Ἁφῆς· quod non possis aptiùs vertere quàm *commissuram*. Est enim ἁφὴ *commissio*: sic ut utrumque se mutuò contingat, veluti membrum membro connexum. Proinde Augustinus in Psal. 10. legit *per omnem tactum*. Idem libro De Civitate Dei 22. cap. 18. locum hunc adducit hisce verbis, *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Evangelistas, quosdam autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut ultra non simus parvuli, jactati & circumlati omni vento doctrinæ, in illusione hominum, in astutia, ad machinationem erroris: veritatem autem facientes in charitate, augeamur in illo per omnia, qui est caput, Christus; ex quo totum corpus connexum & compactum, per omnem tactum subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque partis, incrementum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* ¶ *Secundùm operationem*] Κατ' ἐνέργειαν. Rursum est illud nomen toties obvium, quod *actum ac vim occultam* significat. Sentit de spiritu vitali, qui à capite proficiscens impartit vim suam, non omnibus parem, sed quatenus conducit toti corpori. Ad eum modum interpretatur Chrysostomus & Theophylactus, ut ἐνέργεια, quam hic *operationem* vertit, pertineat ad actum Spiritûs Christi in membris suis, non ad opera nostra, quemadmodum exponit Lyranus. Thomas ità moderatur interpretationem ut videatur utrumque sensisse. ¶ *In mensuram*] Ἐν μέτρῳ, i. e. *in mensura*: etiamsi dissentiant Latina exemplaria: ut intelligas, in corpore cuique membro juxta suum modulum impartiri de vita corporis & alimento. Sic enim dixit *in mensura* quasi dixisset *per mensuram*, sive *juxta modum*. *Uniuscujusque membri*] Μέρους, *partis*. Quanquam Græcis exiguum discrimen inter μέλους & μέρους. μέλους legit Chrysostomus. ¶ *In ædificationem sui*] Ἑαυτοῦ, *suipsius*.

17. *In Domino*] Quidam Græci cod. habent ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *in conspectu Dei*. ¶ *Sicut & Gentes*] Nonnulli cod. habent *sicut & reliquæ gentes*, τὰ λοιπὰ ἔθνη. ¶ *In vanitate sensus*] Νοὸς, i. e. *mentis* potiùs quàm *sensûs*. Atque ad eum modum mox vertit Interpres, *Renovamini spiritu mentis vestræ*. Valla jure taxat eos qui SENSUM interpretantur *sensualitatem*, cùm Græcis νοῦς sit ea pars animi quæ maximè semota est à materia corporis, quæque sola putatur aliquid agere sine corporis organis.

18. *Obscuratum habentes intellectum*] Ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, *obscurati cogitatione*, sive *animo*. Hieronymus legit *obscurati mente*. Ambrosius *obscurati intellectu*. At noster Interpres hoc sanè loco clariùs extulit ὄντες. ¶ *Alienati*] Ἀπηλλοτριωμένοι

μένοι, *abalienati*. Et ità legit D. Hieronymus. ¶ *A vita Dei*] Quidam cod. habent *à via Dei*, sed mendosè. Est enim *à vita*, τῆς ζωῆς. Ambrosius legit *à fide Dei*. Potest & hic esse sensus, *à vita, qui est Deus*. Id enim subindicant articuli utrobique appositi, τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ, *à vera vita, qui est Deus*. ¶ *Per ignorantiam*] Διὰ τὴν ἄγνοιαν *propter ignorantiam*. ¶ *Propter cæcitatem*] Πώρωσιν quod magis sonat *excæcationem*. Mirum unde Ambrosius legat pro CÆCITATEM *duritiam*; nisi fortè codex illius pro πώρωσιν habebat σκλήρωσιν.

19. *Qui desperantes semetipsos*] Οἵτινες ἀπηλγηκότες ἑαυτοὺς παρέδωκαν, *Qui socordiâ detenti tradiderunt semetipsos*, emendatore Vallâ. At D. Hieronymus existimat rectè verti posse *indolentes* pro *desperantes*, quòd vox Græca hinc videtur deducta, cùm quis vacat dolore & sensu sui mali, & ob id stupens fertur in omne vitium. Ad eundem modum interpretantur Græcanica Scholia. Et abutitur quidem M. Tullius verbo indolentiæ, sed cupiens utcunque explicare Græcam ἀναλγησίαν· ἀλγεῖν enim Græcis *dolere* significat, ἀπηλγηκὼς dicitur *qui*, ut ità loquar, *dedoluit*, sive, ut Comicus loquitur, *perdoluit*, quique eò duritiæ pervenit ut ad omnem mali sensum obsurduerit: sicut *deferbuisse* dicitur Latinis qui desierit fervere, & *desipere* qui sapere desierit. Haud scio an Interpres legerit ἀπηλπικότες. Et facillimus est lapsus in una literula. Quin & Ambrosius legit atque interpretatur *desperantes*. Chrysostomus interpretatur ἀπηλγηκότες ἑαυτῶν, etiamsi contextus habet ἀπηλγηκότες ἑαυτούς. & in Commentario meminit ἀναλγησίας· quòd ista duo cohærent, *desperatio*, & *indolentia*. Ac meà quidem sententià magis quadrabat ad sententiæ tenorem *desperantes*. Siquidem qui desperant esse vitam à morte corporis, avidissimè rapiunt hujus vitæ voluptates, atque his sese ingurgitant, velut amissis illis nihil habituri suave. Nec arbitror Græcos sic loqui, ἀπήλγησεν ἑαυτόν. ¶ *Immunditiæ omnis in avaritiam*] Videtur *Avaritia* nihil habere confine cum *Immunditia* aut *Libidine*: atque ob id admonet Hieronymus, Græcis non esse φιλαργυρίαν aut φιλοχρηματίαν, quæ voces ab *aviditate pecuniæ* dictæ sunt, sed πλεονεξίαν ab *habendo plus quàm æquum est* vocatam. Porrò qui vehementer est avidus voluptatum, non est contentus uxore suà, sed alienam quoque constuprat, & subindè aliam invadit, quò voluptatis satietatem evitet. Hoc pacto putat accipiendum & eum Pauli locum qui est 1 Thess. 4. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrûm suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in libidine desiderii, sicut & Gentes, quæ non noverunt Deum; ut ne quis supergrediatur & circumscribat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Nam & illic quod Interpres vertit *circumveniat* est πλεονεκτεῖν. Mihi videtur & ità posse accipi ut ἐν πλεονεξίᾳ dictum sit pro eo quod erat *avide*. Theophylactus refert ad omnem *concupiscentiam immoderatam*; nam hæc pertrahit homines in cæcitatem mentis: Chrysostomus, ad *avaritiam*. ¶ *In avaritiam*] *In avaritia*, ἐν πλεονεξίᾳ, q. d. *per avaritiam*, sive *cupiditatem rei alienæ*.

21. *Si tamen illum*] Εἴγε, i. e. *siquidem*, aut *si sanè*. Admonet Theophylactus non esse Dubitantis, sed Confirmantis. Atqui *tamen* additum dubiam reddit orationem.

22. *Deponite vos*] Græcè sic est, ἀποθέσθαι ὑμᾶς, ἀνανεοῦσθαι, καὶ ἐνδύσασθαι, i. e. *deposuisse vos veterem hominem, & renovatos fuisse spiritu, & induisse novum hominem*. Aut, ut legit D. Hieronymus, *deponere vos*; ut referatur ad *didicistis*: sed tum omittendum erat pronomen *vos*: nam is ordinat in hunc modum, *Vos autem non ità didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in illo docti estis, deponere vos secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta desideria erroris*. Ambrosius ad hunc legit modum, *Ut exponatis secundum priorem conversationem veterem hominem*. Sed mox infinita vertit in imperativa, *renovamini, induimini*. Theophylactus putat infinita posse referri vel ad illud *estis edocti*, vel ad hoc *sicut est veritas*: quasi interroges, *Quid estis edocti*? nempe, *deponere veterem hominem*: aut, *Quæ est veritas*? nempe, *deponere*, &c. Posteriorem sensum sequitur Chrysostomus; *Ut*, inquit, *dogmatibus vita consentiat*. ¶ *Secundum desideria erroris*] Hilarius libro De Trinitate 12. addit pronomen, *secundum concupiscentiam ejus deceptionis*; fortassis exprimere cupiens vim articuli, τῆς ἀπάτης.

23. *Renovamini autem*] Et hic infinita sunt, sicut admonuimus, quæ possunt pariter ad idem referri, *si didicistis*.

24. *Et sanctitate veritatis*] Ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. Ambrosius legit *in veritate & justitia*. Verti poterat *in religione veritatis*. Nam Græci literatores putant ὅσιον dictum quasi ἄζιον, à verbo ἄζω, quod est *veneror ut Numen*.

25. *Cum proximo*] Μετὰ τοῦ πλησίον, *ad proximum*. Tametsi rectè vertit Interpres. Nam *cum eo loqui* dicimur cui loquimur, ut *pugnare cum eo* adversùs quem pugnamus.

26. *Irascimini, & nolite peccare*] Id quemadmodum è Psalmo sumptum est, ità juxta formam Hebræi sermonis extulit. Nam sensus est, *Si continget irasci, tamen ne peccetis*: h. e. compescite iram. Neque enim Paulus jubet nos irasci, sed iram non vult esse diuturnam, nec ad injuriam usque progredi. Nec est *iracundia* Græcè, quæ vox Latinis non tam iram quàm naturæ vitium aut certè habitum significat animi facilè irascentis, sed παροργισμῷ, i. e. *iram*, sive *commotionem*, aut *irritationem*: ut intelligamus ei qui lacessitus sit injurià, etiamsi quid doleat, tamen eum dolorem brevem esse oportere, & citra retaliationem injuriæ debere consistere inter Christianos.

27. *Nolite dare*] Μήτε δίδοτε, *Neque detis Diabolo*] Haud scio an hic pro *calumniatore* possit accipi. Sitis, inquit, concordes, nè si justè etiam ulciscamini, præbeatis ansam calumniandi ethnicis, quibus videbimini vindictæ cupidi. Siquidem calumniatur & Diabolus per organa sua. Neque quicquam vetat *calumniatorem* appellari Latinè Diabolum ipsum. Quandoquidem non defuit & huic loco sic à me reddito diabolus. Utrumque sensum attingit Chrysostomus. Discordia locum dat hosti, Satanæ, & homini calumniatori.

28. *Manibus suis*] Ταῖς ἰδίαις χερσὶν, *propriis manibus*. Quanquam hic ἴδιον & ἑαυτοῦ per idem pronomen *suus* perpetuò consuevit vertere. Quidam codices non addunt *suis*, ut nec Ambrosius. ¶ *Quod bonum est*] Potest legi Parenthesim *quod bonum est*, quæ res bona est: vel *operetur rem bonam*; h. e. non è turpi opificio quærat victum, sed honesto. ¶ *Necessitatem patienti*] Τῷ χρείαν ἔχοντι, *opus habenti*. Hoc admonet propter quosdam qui docent nos non obligari ad subveniendum proximo nisi in necessitate. *Necessitatem* autem interpretantur cùm certò constat periturum proximum ni demus quod desiderat. Et tamen hoc ipsum quod sic donatum est, putant jure repeti, si qui accepit possit reddere. Ad has angustias detrusimus illam amplissimam Charitatem Euangelicam. Hieronymus legit *ei qui indiget*. Et est ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι, i. e. *ut possit impartire*. Nam ἔχω adjunctum verbis infinitivis aliquoties usurpatur pro *possum*.

29. *Sermo malus*] Λόγος σαπρὸς, *sermo spurcus*, aut *vitiosus*. Neque enim sentit, opinor, de sermone levi aut supervacaneo, sed obscœno aut pestilenti. Annotavit Græcæ vocis emphasin Theophylactus: etiamsi in Euangeliis de *arbore mala* loquens, eâdem voce est usus Euangelista. ¶ *Ædificationem fidei*] In Græcis cod. τῆς χρείας, *utilitatis*, lego non *fidei*. Hieronymus testatur emendasse se *ad ædificationem opportunitatis*; sed in Latinis cod. pro *opportunitatis* legi *fidei*, propter euphoniam. Atque ità legit D. Ambrosius. Admonet & Theophylactus de dictione χρείας. Chrysostomus item χρείας legit. Nec video tamen quæ sit cacophonia in *opportunitatis*, aut, quod malim, *utilitatis*. Nam *opportunitas* aliud sonat Latinis quàm χρεία· neque *opportunitas* respondet verbo *oportet*. Ex hoc loco colligere licet Hieronymum in hac Epistola sequi quod ipse emendarat, & tamen non in alia Epistola plura sunt quæ discrepant à Vulgata lectione. Ubi sunt igitur qui cœlum terræ miscent, quòd aliqui dubitant an Vulgaris editio sit Hieronymi? Quòd autem hos Commentarios scripserit post castigatum Novum T. arguit liber ipsius De scriptoribus illustribus, in quo commemorat Commentarios in Epistolam ad Galatas, ad Titum, ad Philemonem, præterea castigatum Novum Testamentum, cùm hujus operis nullam faciat mentionem, utique facturus nisi hos Commentarios scripsisset post editum Catalogum De Viris illustribus. Hîc cerdo quispiam fortasse respondebit, oblivionem in causa fuisse, aut Spiritum hoc noluisse.

30. *In die*] Εἰς ἡμέραν *in diem*.

31. *Ira & indignatio*] Θυμὸς καὶ ὀργὴ *ferocia & ira*. θυμὸς propriè est *impetus animi effervescentis & concitati*.

32. *Invicem benigni*] Χρηστοί. Hieronymus putat rectiùs verti *suavitatem* quàm *benignitatem*, ut opponatur *amarulentiæ* & *asperitati morum*: nam & χρηστολόγοι dicti sunt *vehementer comes & blandi*. *Benignitas* enim propriè ad dandum pertinet, h. e. ad liberalitatem. ¶ *Misericordes*] Εὔσπλαγχνοι. Quod non solùm ad *misericordiam*, sed ad omnem *pietatis affectum* pertinet, q. d. *bonorum viscerum*. Nam *viscera* pro *affectibus* usurpant Divinæ literæ. ¶ *Donantes invicem*] Χαριζόμενοι ἑαυτοῖς *donantes vobis ipsis*: ut intelligas quod in alios benefeceris, id tuo bono tuoque lucro fieri magis quàm illius qui accipit. Ita Hieronymus. Neque enim hic est *donantes* pro *condonantes* seu *ignoscentes* positum, sed χαριζόμενοι *largientes* seu *libenter dantes*. Ambrosius legit & interpretatur *donantes, ignoscentes & remittentes peccatum*. Atque ità sanè Paulus usus est in Epist. 2. ad Corinthios eodem verbo χαρίζεσθαι, *Et ego si quid donavi*, &c.

quod

quod quidem & hic secutus est Chrysostomus ac Theophylactus. Proinde si placet hic sensus, qui mihi magis arridet, ἑαυτοῖς vertendum erat *vobis invicem*: ut mutuò ignoscamus alii aliorum erratis: nam & hoc ad misericordiam pertinet. ¶ *Donavit vobis*] Ἡμῖν *nobis*, primâ personâ. Tametsi Græci codices variant.

VATABLUS.

1. OBsecro] Vel, *Hortor*. ¶ *In Domino*] *Propter Dominum*: i.e. Christum. ¶ *Digne ambuletis vocatione quâ donati estis*] i.e. Vivatis ut decet eos qui vocati sunt à Deo.

2. *Humilitate*] *Submissione*. Vox Græca significat eam virtutem quâ quis humiliter de se sentit.

3. *Soliciti*] *Studentes*. ¶ *In vinculo*] *Per vinculum*: i.e. per pacem quæ animos conjungit.

4. *Corpus*] Sub. *Sit*. ¶ *Sicut* *] * *Et*, Vet. ¶ *In una spe*] *In unam spem*: sub. *vitæ æternæ, quam ex vocatione nostra per Euangelium exspectare debetis.*

6. *Omnes*] *Omnia*. ¶ *Nobis*] *Vobis*.

7. *Donationis Christi*] i.e. Quam Christus largiri voluit.

8. *Ascendens*] *Cum ascendisset*. ¶ *Captivam duxit captivitatem*] Heb. captivos aliquot duxit: mortem scil. Satanam & peccatum. ¶ * *Dedit*] * *Et*.

9. *Quod autem*] *Cæterùm illud*.

10. *Ad impleret*] *Impleret*, Vet.

12. *Ad consummationem sanctorum*] i.e. Ad complendum numerum electorum. ¶ *In opus ministerii*] *In opus dispensationis*: i.e. ad dispensandum & docendum verbum.

13. *Occurramus*] *Perveniamus*, vel, *obviemus nobis invicem*. Metaphora sumpta ab illis qui è diversis locis egressi in unum locum conveniunt. ¶ *Plenitudinis*] *Plenè adulta*: i.e. donec adultâ in Christum fide præditi simus.

14. *In nequitia*] *Per versutiam*: sub. *inventa*. ¶ *In astutia ad circumventionem erroris: veritatem autem facientes cum charitate*] *Per fallaciam quâ insidiantur nobis ut decipiant: sed veritatem sectantes cum charitate.* Metaphora ducta ab aleatoribus dolosis.

15. *In illo*] *Per illum*.

16. *Compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis*, &c.] *Quod conjungitur & connectitur per omnem juncturam subministrationis* (i.e. per mutuam officiorum subministrationem) *factam pro mensura uniuscujusque partis augmentum corporis accipit usque ad perfectam constructionem suiipsius quæ fit per charitatem.*

17. *In Domino: ut jam non*] *Per Dominum: nè posthac.* ¶ *Et* *] * *Reliqua*: sic quædam exempl. Græca. ¶ *Sensûs sui*] *Mentis suæ*.

18. *Obscuratum habentes intellectum*] *Obscuratam habentes mentem*. ¶ *A vita Dei per*] i.e. A vivendi modo quem Deus præcepit, propter, &c.

19. *Desperantes*] Posteaquam pervenerunt eò ut dolere desierint, sub. peccata sua. ¶ *In avaritiam*] *Cum aviditate*.

12. *Tamen*] *Certe*. ¶ *Sicut est veritas in Jesu*] Vel, *sicuti verum est, per Jesum juro*. Aut, *si per ipsum edocti estis quænam sit veritas doctrinæ ipsius Jesu, quæ docet deponendam esse pristinam conversationem.*

22. *Deponere*] Sub. *oportet*. ¶ *Secundùm pristinam conversationem*] Heb. servitutem priori vivendi modo. ¶ *Secundùm desideria erroris*] *Desideriis quæ decipiunt*.

23. *Renovamini*] *Renovari*: sub. *oportet*.

24. *Induite*] *Induere* sub. *oportet*. ¶ *Secundùm Deum*] Heb. à Deo. ¶ *Veritatis*] Heb. vera.

26. *Irascimini, & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram*] i.e. Ità excandescite in scelera fratrum, ut ira vestra non vergat in odium & contemptum: redite in gratiam ante occasum Solis.

28. *Tribuat*] *Impertiat*.

29. *Malus*] *Obscœnus*. ¶ *Fidei*] Vel, *opportunitatis*, Vet. i.e. quoties opus est: vel, ad docendum sunt necessaria. ¶ *Det gratiam*] *Conferat*, sive, *utilitatem afferat*, Heb.

30. *In die*] *In diem*, Vet. i.e. certi facti quòd in die judicii redemptionem consequemini.

31. *Ira & indignatio*] *Tumor & ira*. ¶ *Blasphemia*] *Maledicentia*.

32. *Benigni*] Vel, *comes*. ¶ *Donantes invicem*] *Largientes*, seu, *libenter dantes*, *vobisipsis*; ut intelligas quod in alios benefeceris, id tuo bono tuoque lucro fieri, magis quàm illius qui accipit: vel, *donantes vobis invicem, ut mutuò agnoscamus alii aliorum errata.* ¶ *In Christo donavit*] *Propter Christum largitus est.*

CASTALIO.

12. CHristi corporis] Christianorum reipub.

15. *In eum adolescamus*] In Christum, h.e. in Christi corpus.

23. *Mentis vestræ spiritu renovari*] Spiritu S. vestris mentibus infuso.

27. *Neve locum date Diabolo*] Nè per iram detis locum Diabolo circumveniendi vestri.

CLARIUS.

6. QUi super omnes] Præsidet omnibus, omne gubernat, in nobis omnibus habitat. Quanquam hoc tertium additamentum videtur, ut exprimeret peculiare quoddam electorum munus.

7. *Unicuique autem*] Dixerat omnes *unum corpus* esse: nunc ostendit varia esse dona, sicut in uno corpore varia officia.

8. *Captivam duxit captivitatem*] Hebraïsmus est: produxit captivos, nempe nos prædam hosti ereptam. Quod autem addit, *dedit dona hominibus*, cùm in Hebræo sit *accepisti dona in hominibus*, sensum maluit Paulus reddere quàm verba. Hunc autem locum in eo Psalmo unde acceptus est latiùs explicuimus.

9. *In inferiores partes terræ*] h.e. In terram, quæ infima est mundi pars. Vult ergò Paulus intelligi, Cùm audis, *ascendit*, id dictum de Christo, *qui descenderat* per incarnationem priùs, deinde *ascendit super omnes cœlos.*

10. *Ut impleret omnia*] Ut agnosceretur illius potentia & dominatio, quodque omnia impleat.

11. *Pastores & Doctores*] Non ait, *alios Pastores, alios Doctores*, sed junxit utrumque; ut qui Pastor est, sit & Magister: alioqui nè Pastor quidem est.

13. *In mensuram ætatis plenitudinis*] *In mensuram plenæ ætatis Christi.* Perstat in Metaphora. Dixerat Ecclesiam esse *corpus Christi*: ait ergò, in hoc incumbi ut corpus hoc perficiatur, ut cùm absolutum fuerit, sit quædam *plena ætas Christi*, quando corpus Christi plenitudinem suam fuerit assecutum. Perfectio autem agnitionis hanc efficit *ætatis plenitudinem*: quod aperit dum subdit, *Nè simus posthac pueri, fluctuantes*, &c.

14. *In versutia hominum*] Ἐν κυβείᾳ, quod verbum à *lusu tesserarum* dictum est, in quo malitiosè alter alteri imponit in transferendis talis: sic falsi doctores transferunt simpliciores pro arbitrio, tanquam talos.

16. *Per omnem juncturam*] Illa, inquit, à Christo descendens spiritualis vis, unumquodque membrum suum tangens, sic agit atque efficax est prout invenerit quemque aptum ad suscipiendum: q.d. Membra Christi nos homines secundùm proportionem privatæ spiritualis mensuræ, accipientes subministrationem à Christo, crescimus.

19. *Qui cùm dedoluerint*] Ἀπηλγηκότες q. *indolentes*, & *dolere nescientes, ac sine sensu effecti.* ¶ *In avaritia*] Admonet Hieronymus hic non esse φιλαργυρίαν, neque φιλοχρηματίαν, sed πλεονεξίαν, quæ nomen habet ab *habendo plus quam æquum est*. At qui vehementer avidus est voluptatum, non est contentus uxore suâ, sed alienam quoque constuprat.

21. *Sicut est veritas in Jesu*] Sicut Christiana dogmata vera sunt, ità sit & vita. Peccatum enim est vanitas.

22. *Qui corrumpitur*] Per hoc corrumpitur, quòd spiritus non sinit illum desideria sua complere: sicut Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit propter justificationem.* Vel illud est quod ait Propheta, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

24. *Sanctitate veritatis*] Hebraïsmus est pro *sanctitate vera.* Nam quæ in Judaïcis ritibus erat sanctitas, non veritatis erat, [illegible] figuræ. At in Baptismo fit, quod ait, *novus homo, qui secundùm Deum creatus est.*

26. *Irascimini, & nolite peccare*] Contremiscite & consternamini dum contra fratres ira subit, nè quid præter dilectionem agentes contra illos peccetis. Vel, si quid iniquum fieri videritis, moveamini justo zelo, ità tamen ut nè vos peccetis. Chrysostomus sic, *Bonum quidem est non irasci: quòd si quis incidat aliquando in hunc affectum, non tamen usque eò progrediatur ut peccet. Sol*, inquit, *non occidat super iracundiam vestram. Si vos ergò commoveri contigerit, videte nè peccetis.*

27. *Nolite locum dare Diabolo*] Nam perstantes in iracundia, ampliùs nos irritandi adversùs fratrem locum ei damus.

29. *Sed si quis bonus*] Colligit ex hoc loco M. Basilius, *omne verbum, quamvis bonum, nisi tamen ad ædificationem sit, non ex eo carere periculo quod quis locutus sit bonum, sed ex eo quod*

non ad ædificationem fuerit, contristare Spiritum sanctum. Hoc, inquit, *manifeste docuit Apostolus, dicens,* OMNIS SERMO SPURCUS DE ORE VESTRO NON PROCEDAT, SED SI QUIS BONUS AD ÆDIFICATIONEM FIDEI, UT DET GRATIAM AUDIENTIBUS: *& hoc adjiciens,* ET NOLITE CONTRISTARE SPIRITUM SANCTUM DEI, IN QUO OBSIGNATI ESTIS. *At tristitiâ afficere Spiritum sanctum, quam ingens sit malum, quid vel dicere opus est?* Hæc ille.

30. *In diem redemptionis*] *Obsignati estis*, tanquam selectus grex, in Baptismate: Vel quia non dixit *in die*, sed *in diem*, fortasse significat nos *obsignatos* tanquam servandos *in diem plenæ redemptionis*: hoc enim est ἀπολυτρώσεως.

31. *Omnis amaritudo*] Quid differant πικρία, θυμός, ὀργή, quæ Interpres vertit *amaritudo, ira, indignatio*, idem Basilius sic docet ἐν τοῖς Ἀσκητικοῖς, *Iræ & Indignationis differentia fortasse in affectu atque impetu est: ut qui indignetur, in solo habeat affectu illam passionem, ut declarat qui dicit,* IRASCIMINI, ET NOLITE PECCARE: *at is qui irascitur, jam plus aliquid profert extra se. Ira,* inquit, *illis secundum similitudinem serpentis. Amaritudo verò gravius quoddam vitium significat.* Alio item loco dicit, *videri sibi additum esse hoc,* OMNIS AMARITUDO, ET IRA, *&c. ab Apostolo, quia mentionem fecerat verborum quæ dicta erant in Lege veteri, scilicet,* IRASCIMINI, ET NOLITE PECCARE, *ut hic quasi perfectionem Legi ex Evangelio adderet: quod & Dominus fecit, cùm, postquam dixisset,* AUDISTIS QUOD DICTUM SIT ANTIQUIS, *ipse adjecit,* EGO AUTEM DICO VOBIS.

ZEGERUS.

1. *UT dignè ambuletis vocatione*] h.e. Ut vitam agatis istâ vocatione dignam. Additur enim is casus particulæ adverbiali ἀξίως qui adderetur primitivo ἄξιος, quemadmodum si diceremus, *similiter tibi*.

7. *Unicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*] Δωρεὰ hic potiùs pro *liberalitate* & *munificentia* accipiendum videtur.

13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*] *Donec perveniamus*, inquit, *pariter omnes in unitatem fidei simul & agnitionis Filii Dei*; ut pertingamus ad ætatem perfectam ac virilem, nimirum *ad mensuram ætatis plenam perfectamque ætate Christi*, quæ nos plenè *adultos* reddat in Christo. Dicitur autem *ætas plenitudinis Christi* per Hebraïsmum pro *ætate perfectissima quæ Christi est*. Hoc tamen veteribus ferè observatum non est. Quod autem dixerat *in virum perfectum*, idem quasi explicando repetit, dicens, *in mensuram*, &c. Quod edisserens Ambrosius, *Ità*, inquit, *laborandum hortatur, ut perfectio fidei apprehendatur: cujus hæc ratio est, ut Christum perfectum ac plenum Deum teneat fides, nè mensura humana metiatur, sed in plenitudine Divinitatis quasi perfectus Deus habeatur. Nec enim* PERFECTUM *dicens* VIRUM, *temporali ætate & mensurâ significat; sed per hoc dictum perfectos nos vult fieri in plenitudine intellectus Divinitatis Filii Dei.*

15, 16. *Crescamus in illo per omnia*] Eundem in Græcis sensum reddet κατὰ subauditum ad τὰ πάντα· alioqui αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα erit quod Ambrosius & Hieronymus scribunt, *augeamus in ipsum omnia*. Verùm hoc rectiùs illis noster vertit Interpres, ut complura alia. ¶ *Caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*] Elegantem juxtà ac eruditam nobis proponit Divinus Doctor Metaphoram, sed verbis illis obscurioribus: quam ut aptè & graphicè enarret in suis Commentariis Theophylactus, ipsius hic verbis adscriptis manifestare collibuit: *Quemadmodum*, inquit, *spiritus per nervos à cerebro ipso descendens sensum omnibus membris ad proportionem cuique impertitur, sic Christus nostris animis, qui illius sunt membra, sua dona suppeditat. Nec fortuitò & temere, sed pro mensura membri cujusque, hoc est, ut quodque capere potest: & hunc in modum coædificari sibi universum corpus & coalescere facit. Alias enim nequiret anima à supernè Spiritu descendente, à quo & vitam accepimus & incrementum, subministrata excipere, nisi charitate (corporis instar unius) compacti essemus & juncti. Nam ut manus à reliquo corpore avulsa haudquaquam ultrà est vegetantem spiritum receptura, ut quæ à membrorum sit nexu discissa; sic sanè & nos, nisi unitatem servemus & animorum conjunctionem, haudquaquam aliquando simus Spiritûs gratiam admissuri, qui à Christo (qui Caput nostrum est) profluxit. Idcirco &* CORPUS COMPACTUM ET CONNEXUM *dixit, hoc est, nihil temerè dispositis membris, sed copulatis, vel singulis suo loco hærentibus, non disjectis, vel sine forma jacentibus.* Hactenus ille. Pro pleniori hujus loci elucidatione, quod in archetypo legitur potest aliquantò dilucidiùs vel in hæc verba transponi; *Augeamur in illum per omnia qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus, si compingitur & conglutinetur* (sive *conspiret*) *per omnem commissuram subministrationis, juxta uniuscujusque partis* (seu *membri*) *ad mensuratam energiam* (seu *operationem*) *augmentum corporis facit in ædificationem sui ipsius in dilectione.* Sed unus adhuc hic restat scrupulus, quid sibi velit *commissura* (vel *junctura*) *administrationis*. Ego ità dictum puto Pauli sive Hebræorum more pro *commissura subministrante*, quòd ea subministret ac præbeat unde membrum à capite spiritualem sumat vigorem. Quanquam non perinde magni referat utrùm legatur μέλους an μέρους, quia tamen veteres nonnulli μέρους habent, probabile est hoc esse Apostoli; & Interpretem nostrum vel recognitorem sensum nobis potiùs quàm verbum tradidisse. Quòd autem quidam μέλους habeant, hinc factum autumo, quòd hoc magis congruere videretur, illudque corruptum putaretur. Irenæus lib. 4. cap. 52. legit *partis*, Hesychius in Levit. 1. *membri*.

19. *Qui desperantes*] Pœnam impiorum & præmium justorum. Pro ἀπηλπικότες Græci autores legunt ἀπηλγηκότες, quos *indolentes* sive *indolorios*, teste Hieronymo, dicere possumus. Sunt enim ii *qui postquam peccaverint non dolent; qui nequaquam sentientes ruinam suam feruntur in pronum* & omne vitium. Verisimile est ob vicinitatem vocum, ex ἀπηλγηκότες factum esse ἀπηλπικότες, etiam ante tempora Hieronymi: nam ipse posterius legit. Facillimus enim lapsus est in una literula. Certè Ambrosius & Papa Marcellinus Epist. 2. cum Interprete nostro consentiunt, legentes *desperantes*, non *indolentes*. ¶ *In operationem immunditiæ omnis in avaritiam*] Πλεονεξία in præsenti loco non simpliciter *avaritiam*, ut Φιλαργυρία καὶ Φιλοχρηματία ab *amore argenti & pecuniæ*, sed *immodicam rei appetentiam* sonat, ut dum quis luxuriando satiatur nunquam, nec ipsius terminum habet voluptas. Et quemadmodum πλεονεξία ab *habendo plus quàm æquum est*, ità *avaritia* ab *avendo*, i.e. concupiscendo, dicitur. Græcè autem est *in avaritia*, i.e. per avaritiam.

22. *Deponite*, &c. *Renovamini*, &c.] Apud Græcos infinitivi ἀποθέσθαι, ἀνανεοῦσθαι & ἐνδύσασθαι, *deponere, renovare & induere*, vel simpliciter accipi possunt, ut pendeant ab illo ἐδιδάχθητε *edocti estis*, vel loco imperativorum juxta Vulgatam versionem positi sunt, quemadmodum & in Epist. ad Rom. c. 12. *Gaudere cum gaudentibus, & flere*, &c. pro *Gaudete & flete* dictum est.

26. *Irascimini, & nolite peccare*] i.e. Si contingat irasci, operam date nè peccetis, & nè ira aliquatenus ingravescat. Scripta est & Alcuini sententia ità explicantis, *Irascimini contra peccata, & postea nolite peccare, unde iterum habebitis irasci.*

29. *Ad ædificationem fidei*] Sermo simplex ac facilis, nisi quòd pro *fidei* Græcis est χρείας, cujus loco D. Hieronymus vertit *opportunitatis*, sed commodiùs erat meo judicio *ad ædificationem negotii, nempe fidei*: nam & hunc sensum interpretantur Scholia Græca; & Tertullianus De Resurr. atque Ambrosius cum Interprete nostro legunt *fidei*, rem potiùs quàm vocem indicantes. Porrò ei versioni quæ habet *quoties opus est* equidem non suffragor. In Epist. Antheri Papæ sic lego, *Si quis bonus est spectet ad ædificationem opportunitatis.* Hieronymus testatur, Interpretem *fidei* posuisse propter euphoniam, cùm Græcè sit *opportunitatis*, ut nè quis fortè hoc reponat. Et *fidei* habes in omnibus exemplaribus.

LUCAS BRUG.

29. *OMnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus * ad* [* est o.] *ædificationem * fidei* [* Dei o.] *Pro eo*, inquit Hieronymus, *quod nos posuimus*, ad ædificationem opportunitatis, *h. e. quod Græcè dicitur*, τῆς χρείας, *in Latinis codicibus, propter euphoniam, mutavit Interpres, & posuit*, ad ædificationem fidei. Hanc veteris Interpretis mutationem Enarratores hujus epistolæ qui in Hieronymi & Ambrosii operibus exstant, unaque Primasius, retinent; & plerique Latini codices etiam hodie reservant, cum Lyrano manifestè, Thoma, Gorrano, Brunone, Richelio. Deprehendimus autem duo miræ vetustatis exemplaria, unum Malmundariensis Abbatiæ majus, alterum Patrum Societatis Jesu, quod latum dicimus, juxta Hieronymi translationem *opportunitatis* legere: quibus tertium concinit, G literâ notatum. Quatuor alia utrumque

jungunt,

jungunt, sic, *Ad ædificationem fidei opportunitatis*; E. Pl. m. I. Ge l. Sanè quod Græcè legitur, & quidem constanter, πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, optimè transferas, *ad ædificationem opportunitatis*, sive *usus*: id quod per Hypallagen dictum videtur, pro, *ad opportunitatem*, sive *usum*, *ædificationis*: in quem sensum reddiderunt Syri, *Sed is qui decorus*, & *utilis*, commodus, seu opportunus, *ad ædificationem*. Nec insolens est figura ista Scripturis sacris: habemus Isai. 1. 3. *Cognovit asinus præsepe domini sui*, pro, cognovit dominum præsepis sui: aliaque similia multa sunt loca.

H. STEPHANUS.

3. ΈΝ τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης] *Per vinculum pacis.*

12. Πρὸς τὸ καταρτισμὸν] *Ad instaurationem*: vel, *coagmentationem.*

13. Εἰς μέτρον ἡλικίας τῦ πληρώματος τῦ Χριςῦ] *Ad mensuram staturæ adulti Christi.*

14. Κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι] *Qui fluctuemus & agitemur.*

16. Συναρμολογύμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας] *Congruenter coagmentatum & compactum per omnes commissuras suppeditatas.*

19. Ἀπηλγηκότες] *Postquam sensum omnem amiserunt doloris* conscientiam pungentis.

21. Κατὰ τὴν προτέραν ἀναςροφὴν] *Quod ad pristinam conversationem attinet.*

29. Λόγος σαπρὸς] *Sermo putidus*: vel, *vitiosus.*

31. Πικρία, καὶ θυμὸς, καὶ ὀργὴ] *Amarulentia*, & *excandescentia*, & *ira.*

32. Εὔσπλαγχνοι] *Misericordes.*

DRUSIUS.

1. V*Inctus in Domino*] Qui *vinctus Domini* 2 Tim. 1. 8. & *vinctus Christi* suprà 3. 1. Sic dicimus *templum in Domino*, & *templum Domini*. Vide quæ notavimus ad c. 2. 21.

2. *Cum patientia*] Μετὰ μακροθυμίας *cum longanimitate*: quomodo fortasse legendum est apud Ambrosium. Quippe *magnanimitati* nihil μετὰ μακροθυμίας quam recentior Interpres *animi lenitatem* appellat.

8. *In altum*] *In cælum*. Vox enim Hebræa מרום, quæ hic ὕψος redditur, *cælum* significat; ut ibi, *Germen ex alto*. Sic Psal. 7. 7. *propter eum in altum ascende*: & 18. 16. *misit ex alto*, & *suscepit me*. Locus iste habetur Psal. 68. 18. ubi in fonte, *Ascendisti in altum*, *captivam duxisti captivitatem*, &c. ὕψος propriè *altitudo*, *sublimitas*, *celsitudo*. *Cælum* autem hic denotare docet Chaldæus P. referens לרקיע: nisi per רקיע *aërem* intellexit, in quem Moses ascendit cùm esset in monte Sinai: de quo hunc locum enarrat etiam R. Salomo, sed perperam. ¶ *Dedit dona*] *Accepit donanda*, vel *accepta dedit* & *distribuit*. Nam in Hebræo לקחת *accepisti*, unum pro duobus, i. e. *accepta dedisti*. Simile, *capies carbones ignis super caput ejus*, pro *capies* & *pones*. Nec dissimile, *Accepit eum super pinnaculum Templi*, pro *acceptum transtulit*. Talium exemplorum pleni sunt libri. Notavi alias. ¶ *Hominibus*] Hebraicè באדם *in hominibus*, h. e. inter homines. Quod malo quàm *propter homines*, ut ב hîc *propter* significet, i. e. בעבור.

9. *In inferiores partes terræ*] בתחתיות ארץ explicant *in terra*, *quæ infima pars mundi est*. Sed tum dixisset, meo judicio, εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῦ κόσμυ *in inferiores* (vel *infimas*) *partes mundi*. Videtur potiùs Sepulcrum innuere, quod *in corde terræ*, h. e. in medio. Medium autem terræ est infima ejus pars, & quicquid intra terram. Quo sensu Tyrus legitur *sita esse in corde maris*. Sunt qui Apostolum respexisse putant ad locum Davidis Psal. 139. 15. ubi תחתיות ארץ appellat uterum matris suæ. Sic enim certè Chaldæus P. ipsique adeò Rabbini locum illum interpretantur, ut dubitare de eo nemo jam possit aut debeat.

10. *Supra omnes cælos*] Supra omnes coelos visibiles, h. e. supra regiones aëris & cœlum sidereum, in quo Sol, Luna & Stellæ. *Cælum* aliquando vocatur infimus aër; ut cùm legimus *aves cæli*, & *aquæ supra cælum*. Nec refert *cælum* an *cælos* dicas, cùm vox Ebræa tantùm dualis sit. Tertium cœlum ideo dicitur *cælum cælorum*, quia *supra omnes cælos*, in quod *Christus ascendit ut omnia impleret* ceu verus Deus: qui propterea מקום appellatur, i. e. *locus*, quòd omnia impleat, nec ullus locus sit qui abs eo non impleatur. Qua de re fusè dicam aliàs.

11. *Doctores*] Qui מורים & מלמדים Ebræis. Etiam רבנים sunt *Doctores*, & רבי διδάσκαλος. Malè Serarius רבות eos appellat. Nam licèt cum pronominibus inveniatur רבותינו *Doctores nostri*, & רבותיו *Doctores ejus*, & רבותי *Doctores mei*, tamen absolutè de Rabbinis dici non invenitur רבות *Doctores*, sed רבנן: nam cùm dicunt רבות, significant Commentarios cujusdam in quinque libros Mosis, quorum qui in Genesin vocatur *Bresith rabba*, & qui in Exodum אלה שמות רבה, & qui in Leviticum *Vaicra rabba*, & sic deinceps. Vide quid sit Ebræa illotis manibus tractare. Si à talibus abstinuisset, magnus Rabbi nunc esset, præsertim apud eos qui hæc non intelligunt. Inter cæcos luscus Rex est.

14. *Parvuli*] פתאים *simplices*, *deceptuque faciles*, & *omni verbo credentes*: aut *pueri* sensu & intelligentiâ. Sic נער accipitur in illo, *Ad dandum puero intelligentiam*. Vide Scholia nostra in Proverbia Salomonis. ¶ *In nequitia hominum*] Bene corrigunt *in alea hominum*. Nam κυβεία *alea*, quæ Doctoribus קוביא dicitur: unde קוביוסטים quasi κυβευςής, i. e. κυβευτὴς *aleator*, *aleo*, videlicet משחק בקוביא *qui ludit aleas*, ut exponit Elias; aut משחק בקביא *qui ludit aleam*, ut est in libro Johasin 88. 1. Varro De re rustica l. 1. c. 4. *Etenim ubi ratio cum orco habetur*, *ibi non modo fructus est incertus*, *sed etiam colentium vita*. *Quare ubi salubritas non est*, *cultura non aliud est atque alea domini vitæ ac rei familiaris*. Lex. V. Κυβεύω, *aleo*, *aleam ludo*. Κυβεία, *alea*. Κυβευτὴς, *aleator*. Syrus hic habet נכלא, i. e. *fraus*, *dolus*, *insidiæ*.

15. *Veritatem facientes*] Ποιῦντες ἀλήθειαν, ut Joh. 3. 21. ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν *qui facit veritatem*, h. e. qui agit sincerè. Nam *veritas* est vita ingenua & omnis fraudis expers. Sensum expressit, non verba. Nam in fonte ἀληθεύοντες. Id sign. *verum dicere*, ut Gen. 42. 16. εἰ ἀληθεύετε, quod Ebræus ibi dicit, *an veritas est vobiscum*: & *ingenuum esse minimeque tectum*, *omnisque simulationis expertem*: unde recentior Interpres *sincerè nos gerentes*. Reperio ἀληθεύειν in Græco ubi codex Ebræus habet *facere judicium*, Prov. 21. 3. & novè βυλὴν τῶν ἀγγέλων αὐτῦ ἀληθεύων Jes. 44. 26. quasi *verum faciens*, i. e. ratum, firmum, stabile. In Ebræo fonte legitur ישלים *perficiet*.

24. *In justitia & sanctitate veritatis*] Malim & *pietate vera*: nam ὁσιότης *pietas*. Hic perspicuè distinguitur à *justitia*. Si δικαιοσύνη & ὁσιότης differunt, ergò etiam δίκαιος & ὅσιος, quæ tamen Serarius confundit. Sed quid non audet imperitia? *Sanctitas* in Latio duobus Græcis respondet: nam & ἁγιότης est *sanctitas*, & ὁσιότης. Sic uno nomine *sanctus* interpretantur ἅγιος καὶ ὅσιος. *Sanctitas veritatis*, i. e. vera, sincera, minimè fucata. Id alius dixit *sanctimonia vera*.

27. *Diabolo*] Vidimus nuperrimè Hieronymum correctum à Mariano Victorio Reatino: sed Deus bone, quàm multa corrector ille non vidit, aut, si vidit, non correxit! credo, quia ea levia duxit nec digna quæ subirent ipsius censuram. Hieronymus in comment. Ephes. 4. *Sciendum ubicunque in veteri lege* FILII PESTILENTIÆ *scribantur*, *sicut ibi*, FILII AUTEM ELI, FILII PESTILENTIÆ, *ibi in Ebraïcis voluminibus* BELIAL, *h. e. diabolum*, *pro Pestilentia nominari*: *licèt plurimi pro* BELIAL *corruptè in Apostolo* BELIAR *legant*. Ità restitui: libri vulgati, *Belian*. Simile mendum hæret in hac eadem voce lib. De nom. Ebr. ex 2. Cor. *Beliar*, *Cæca angustia*, *vel Cæcum lumen*, *vel Filius prævaricationis*: *sed rectius Belial dicitur*. Libri omnes editi, *Belvir*. Quod miror Episcopum illum non vidisse, qui in Erasmi erratulis tam vidit acutum. Glossæ veteres, *Belial*, *Absque jugo*. *Beliar*, *Cæcum lumen*, *aut Cæca angustia*. Locus est 2 Cor. 6. 15. qui sic legitur in libris Græcis, Τίς δὲ συμφώνησις Χριςῷ πρὸς Βελίαρ; & in Latinis verteribus, *Quæ autem conventio Christi ad Beliar?* Visum Hieronymo hanc scripturam mendosam esse. Itaque mutavit, *Belial*: quem secuti sunt nuperi omnes Interpretes: Etiam in Græco Βελίαλ reposuerunt homines audaces. Tantæ audaciæ non sim ego, Potiùs dixerim Βελίαρ, esse pro Βελίαλ, scribendi ratione olim tralatitiâ ex proprietate linguæ Syriacæ, quæ mutat λ in ρ, ut ארמלתא vidua ארמלתא: & est alioqui facilis migratio inter has literas. Sicuti enim κρίβανος dicimus & κλίβανος, ἀργαλέος, & ἀλγαλέος, & in Latio ex *parma palma* deducitur, ex *squarore squalor*, ex *furvo fulvum*, ità pro בליעל credibile est Syros usitasse בליער, i. e. Βελίαρ. Igitur *Belial* & *Beliar* idem sunt: hoc tantùm differunt, quòd Βελίαρ medii temporis vocabulum sit & corruptum; *Belial*, vetus ac probum. Est autem Βελίαλ archaicῶs pro Βελιάαλ ex more eo quo literam gutturatam in medio abscondunt: de quo more dictum est alias sæpe. Ebraïcè בליעל vox haud rarenter usurpata scriptoribus sacris. A Camio interpretatur רשע, i. e. *improbus*. Idem ἐτυμολογίζει *Belial* בלי־עול, i. e. ἀχρεῖος, qui nec sibi nec aliis prodest, homo nequam. Ante Camium sic exposuerunt hanc vocem Interpretes juris: disco ex Lexico juris, in quo *filii Belial*

lial בל יעלה. Alia expositio *Belial*, בלי על, *absque jugo*, *exlex*; tralatio à bubus nullo jugo domitis, qui Festo *injuges* dicuntur. *Injuges* Festo, qui sub jugo non fuerint: *Filii Belial*, qui licèt sub jugo fuerint, tamen illud repellunt à se. In Sanhedrin, אשר בני בליעל. Glossa Thalmudica in Gemara, בנים שפרקו על שמים מצואריהן, i. e. *filii qui fregerunt jugum cœli*, & *abjecerunt illud de collo suo. Jugum cœli*, i. e. *jugum Dei*. Nam *cœlum* pro *Deo* ponunt Ebræi μετωνυμικῶς. Hieronymus, *Diabolus Græcum verbum est, quod Latinè dicitur Criminator; linguâ verò Ebræa Satan appellatur, i. e. Adversarius sive Contrarius, & ab Apostolo Belial, i. e. Absque jugo, quòd de collo suo Dei abjecerit servitutem: quem Aquila ἀποςάτην transtulit.* Suidas, Βελίαρ τῇ Ἑβραίων φωνῇ ἀποςάτην δηλοῖ· ὁ ἀπόςολος, Τίς δὲ συμφώνησις Χριςῷ πρὸς Βελίαρ; In Fragmentis vet. Interpretum ad Psal. 4. 9. דבר בליעל, Symmachus λόγος παράνομος, *sermo iniquus*. Deut. 13. 13. בני בליעל *filii Belial*, LXX. παρανόμους. Isidorus, *Belial*, *Absque jugo*. Quod autem idem addidit *Belial* Ebraïcè *Bel* dici idolum Ninivitarum, erratum in nomine: transcripsit *Belial* pro *Baal*.

29. *Sermo malus*] Σαπρὸς *putris*, i. e. malus. Tralatio ab arboribus. In lingua Chaldæorum ביש *malus*. Id Syri scribunt באיש cum Aleph. Sed & Ezræ 4. 12. obvium בישתא *mala*, *putrida*. Origo nominis באש *putreo*, unde באשׁ *putor*, *fœtor*; & באשים *uvæ putridæ ac malæ*; & הבאשתם Exod. 5. 21. ubi Aq. & Sym. ἐσαπρίσατε *putere fecistis*. Nam σαπρίζω *putreo*, *marceo*. Σαπρὸς ergò *malus*, *putris*, *putidus*. Quidam prætulerunt *spurcus*, *obscænus* ac *corruptus*. Dicunt etiam באש *malum fuit* pro *displicuit*: de Chaldæis loquor. Cæterùm σαπρὸς *malum* denotare hoc loco liquet ex opposito ἀγαθός. ¶ *Ad ædificationem fidei*] Videtur legisse πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίςεως, pro eo quod in fonte Græco τῆς χρείας. Quo vocabulo utuntur interpretantes Ebræum צרך *necessitas* 2 Par. 2. 16. & חפץ, unde Jer. 22. 28. כלי אין חפץ בו σκεῦος ἐκ ἔςι χρεία αὐτῷ, *cujus nullus usus*. Sirac. 29. 2. ἐν καιρῷ χρείας *quando usus erit*. Cohel. 3. 1. לכל חפץ Aq. & Sym. πάσης χρείας *omnis negotii*, vel *rei quâ indigemus*. χρεία etiam *munus necessarium* Act. 6. 3. Syrus neutrum legit.

32. *Donavit vobis*] i. e. condonavit; & subintelliguntur *peccata* sive *delicta*, quod expressum Col. 2. 13. Vide quæ notavimus ad illum locum. *Donare* pro *condonare*, h. e. simplex pro composito, usurpat Interpres & 2 Cor. 2. 10. Hinc intelliges quid sit in hoc versu *donantes invicem*: nam sensus est, *condonantes offensas* aut *peccata*. Affine quod apud Ciceronem, *Tu tuas inimicitias ut reip. donares, te vicisti*. È contrario *condonare* pro *donare* usurpatur, h. e. compositum pro simplici, ut apud Plautum,

Ego illam non condonavi, sed sic utendam dedi.

& apud Ciceronem, *ut ejus filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimùm condones.*

CASAUBONUS.

16. Τῆς ἐπιχορηγίας] Aristoteles initio 4. Πολιτ. de corpore bene à natura informato vocem χορηγημένως usurpat. ¶ Ibid. ad Diodori locum à Beza in Notis allatum, κεχορηγημένη] Sic Athenæus pag. 286. Ità & κεχορηγημένος τι, *re aliquâ instructus*, Athen. p. 189.

26. Ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω] Sumptum loquendi genus ex Deut. 24. 15. [An potiùs ex Pythagoreorum consuetudine, de quâ Plutarchus, περὶ Φιλαδελφ. Εἶτα μιμεῖσθαι τοὺς Πυθαγορικοὺς, &c. ubi hæc ipsa verba, πρὶν ἢ τὸν ἥλιον δῦναι.]

CAMERON.

8. Ἠχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, &c.] Hinc Pontificii *Limbum* quem vocant *Patrum* exsculpere conantur. Quo argumento? Nempe, inquiunt, *abduxit Christus captivitatem captivam*, h. e. Patres à Limbo eductos, cùm in cœlum ascenderet. At verò phrasis ista *captivitas captiva* nunquam adhibetur in Scriptura nisi cùm agitur de hostibus. Patres verò estne quisquam qui dicat Dei hostes fuisse, aut fuisse ductos captivos cùm liberarentur?

9. Εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς] Phrasis est Hebræa תחתיות הארץ, quæ propriè *quemvis locum subterraneum* & Metaphoricè *uterum* Psal. 139. 15. significat. Frustrà ergò de Limbo Patrum hunc locum accipiunt Pontificii. Nec est quòd huc in subsidium adferant quod Matth. 12. 40. dicitur, *fuisse Christum* ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς (quibus verbis Limbum volunt rursus designari) Nam & Tyrus dicitur esse ἐν καρδίᾳ τῆς θαλάσσης Ezech 27. 27. cùm tamen sit insula terræ proxima. Locutiones S. Scripturæ sunt ex ejus usu interpretandæ.

11. Καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποςόλους, &c.] Hinc Pontificii sic arguunt pro perpetua Ecclesiæ conspicuitate; Pollicetur hic aliquid Deus quod semper durabit: non enim *occurrimus in unitatem fidei & in hominem perfectum* nisi in ultimo & magno illo die: Ergò in Ecclesia erunt perpetuò Pastores & Doctores ad finem usque seculi. Sed primò, si ex hoc loco potest comprobari conspicuitas perpetua Ecclesiæ, oportet semper fuisse in Ecclesia atque fore semper Apostolos & Prophetas & Euangelistas, non Doctores modò & Pastores: nam hoc loco tam fit mentio *Apostolorum*, *Prophetarum* & *Euangelistarum* quàm fit mentio *Doctorum*. Deinde, Nulla hic fit mentio *finis seculorum*. Apostoli nempe consilium hoc est, ut nè qui sunt in fide confirmati contemnant inferiores, quia, inquit, apud Deum constitutum est ut hujus ordinis interventu qui nunc obtinet in Ecclesia omnes colligamur in unum, *omnes*, h. e. tam infirmi quàm qui firmi sunt. Itaque verba illa v. 13. *donec occurramus in unitatem fidei*, accipienda sunt de unione quæ hìc fit in Ecclesia ministerio Verbi, non de illa quæ fiet in ultimo die. Tertiò, Esto, Deus semper dederit Ecclesiæ suæ Pastores (quod nos non negamus) attamen dispiciendum est qui sint hi Pastores. Nam ut homo homini lupus est, ità nihil prohibet hominem homini pastorem esse. Atque ut non ii soli Medici sunt qui solenni quadam pompâ ad id muneris provecti sunt, sed Medici sæpenumero sunt qui rem tenent, à rei pompa quàm maximè sunt alieni; sic non ii soli sunt Pastores & Doctores qui in Scholis solenni ritu sunt in eo munere inaugurati, imò verò privati multi, qui sanam tenent doctrinam, possunt alios eam docere, & salutari illo cibo eos pascere. Denique, Esto, Deus voluerit perpetuâ quadam serie continuari Pastores; non sequetur tamen indè, Pastores istos fuisse ejusmodi qui oves non duxerint in ea pascua quibus cicuta & aconitum nascatur; satis est ut duxerint in ea pascua quibus etsi insit virus, tamen inest unde oves pascantur. Jam verò non est aliquid planè extraordinarium ut quod faciunt belluæ, homines facere possint, præsertim Christiani qui Spiritu Dei ducuntur: atqui belluæ non attingunt, aut leviter attingunt, ea quæ pugnant cum natura sua. Quis igitur miretur si oves Christi à Pastoribus ductæ in ea pascua in quibus multa bona erant admixta, multa item lurida, abstinuerint à noxiis, quæ bona erant attigerint, atque sic usæ sint nihilominus Pastoribus suis? Nam *uti Pastore* idipsum hìc est quod Christus docet cùm ait, *Sedent in cathedra Mosis*. Nam eo loco agit Christus de Pastoribus qui oves ducebant ad pascua venenata, attamen quibus inerant salubria, unde nos jubet *cavere à fermento Scribarum & Pharisæorum*, & simul *ea facere quæ sedentes in cathedra Mosis jubent* nos *facere*.

26. Ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε] Videtur Apostolus Iracundiæ (in quam optimi quique ferè proni sunt) aliquid dare; sed id fit eâ figurâ quam *Concessionem* dicunt. Occurrunt nempe interdum in Scriptura (ut nè mandati specie decipiamur) quæ per concessionem dicuntur, cùm non probetur tamen quod conceditur. Nam laudabilem iram Apostolus hìc non intellexit: sequitur enim, *Nè Sol occidat super iram vestram*. Neque item legenda sunt ista cum interrogationis nota, ut doctissimus Interpres arbitratus est: non enim dixit Apostolus, *Irascimini? nè etiam peccetis*; q. d. Si tanta est infirmitas etiam in regenitis ut prorumpant in iram, irascantur sanè, at nè excandescant usque adeò ut aliquid vel dicant vel faciant quod eos peccatoribus & irregenitis faciat pares, i. e. nè utantur verbis, & multò magis abstineant factis, quæ testentur animum immanem & ferum.

LUD. CAPPELLUS.

26. *NE Sol occidat super iram vestram*] Sic ferè R. Jona in libro Timoris, *Nè*, inquit, *moretur super te indignatio cujusquam, & nè tecum dormiat nox & ira adversùs aliquem; sed abi, & concilia eum tibi, ità ut persuadeatur, quamvis ipse te prior offenderit.*

GROTIUS.

1. Παρακαλῶ ὖν ὑμᾶς, *Obsecro itaque vos*] Parte doctrinæ absolutâ venit, ut solet, ad adhortationes. ¶ ἐγὼ ὁ δέσμιος ἐν Κυρίῳ, *ego vinctus in Domino*] Idem est quod supra 3. 1. dicit δέσμιος τοῦ Χριςοῦ [*vinctus Christi*.] nam ב Hebræis ut alia, ita & *propter* significat. ¶ ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως ἧς ἐκλήθητε, *ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis*] Ita ut par est eos vivere quos tanto & tam inexspectato beneficio Deus affecit. Simile loquendi genus Rom. 16. 2. Philipp. 1. 27. Coloss. 1. 10. 1 Thess. 2. 12.

2. Μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης, *Cum omni humilitate*] Actor.

Actor. 20. 19. Philipp. 2. 3. Coloss. 2. 18. 23. 3. 12. Magna hæc virtus est Philosophis ferme omnibus incognita, ad quam præcipuè ducere homines debuit memoria ejus quod fuerunt ante tam benignam vocationem, unde cætera bona fluunt: ideo toties ejus meminere Apostoli. ¶ *καὶ πραότητος μετὰ μακροθυμίας, & mansuetudine cum patientia*] Lenitatis est non moveri ob res leves: *μακροθυμίας* [*patientiæ*] etiam in gravioribus cohibere iram. De hoc vide Matth. 18. 26, 29. 1 Cor. 13. 4. 1 Thess. 5. 14. 2 Cor. 6. 6. Gal. 5. 22. Utrunque conjunctum habes & Coloss. 3. 12. ¶ *ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ, supportantes invicem in charitate*] Sic & Coloss. 3. 13. *ἀνέχεσθαι* סבל [*supportare*] est *aliorum ignorantias*, quanquam nobis molestas, *leniter ferre.* Similitudo ab onere deducta. Ita autem fecit constructionem quasi dixisset non *περιπατῆσαι* [*ambulare,*] sed *περιπατεῖτε* [*ambulate.*] Frequens Paulo respicere *τὸ νοούμενον* [*quod subintelligitur.*]

3. *Σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης. Solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis*] *Ἑνότητα τοῦ πνεύματος* [*unitatem spiritûs*] vocat unitatem Ecclesiæ, quæ est corpus spirituale. Ea servari non potest ubi regnant fastus, æmulatio, invidentia, & alia dilectioni contraria. Vide utramque ad Corinthios.

4. *Ἓν σῶμα, Unum corpus*] *Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere*, ait Tertullianus in Apologetico. Est autem breviter dictum *unum corpus*, pro *Ecclesia est unum corpus.* Hujus figura unum tabernaculum Hebræorum, & ejus vice postea templum unum. ¶ *καὶ ἓν πνεῦμα, & unus Spiritus,*] *Unus Spiritus* supple, *est qui Ecclesiam gubernat*; non Satanicus, non humanus, sed Divinus, 1 Cor. 12. 4. ¶ *καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν. sicut & vocati estis in una spe vocationis vestræ*] Id est, *εἰς μίαν ἐλπίδα* [*in unam spem.*] Et *spem* vocat ipsam rem ad quam sperandam vocati sumus, id est, vitam æternam. Vide supra 1. 18.

5. *Εἷς Κύριος, Unus Dominus*] Christus Ecclesiæ *Dominus* ex Dei Patris decreto, 1 Corinth. 8. 6. ¶ *μία πίστις, una fides*] *Una regula fidei*, de qua diximus ad Matth. 28. 19. ¶ *ἓν βάπτισμα· unum baptisma*] Unus modus profitendi eam fidem nempe per baptismum, Vide ad eundem Matthæi locum.

6. *Εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, Unus Deus & Pater omnium*] Habes & hoc dicto loco 1 Cor. 8. 6. *ὁ ἐπὶ πάντων, qui super omnes*] Id est, *ἐπάνω πάντων* [*supra omnes*] *qui imperium in nos omnes habet.* ¶ *καὶ διὰ πάντων, & per omnes*] *Per omnes* diffundit providam gubernationem suam. ¶ *καὶ ἐν πᾶσιν ὑμῖν. & in omnibus vobis*] Ὑμῖν [*vobis*] abest in Manuscripto. *Intra vos* agit per Spiritum à se procedentem.

7. *Ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ. Unicuique autem nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi*] Quia objici poterat, *Non eadem omnes accepimus*, respondet, *Dona sunt, quorum mensura à voluntate pendet donantis, & hæc ipsa non uni, sed omnibus serviunt*, Rom. 12. 3, 6. Sic non omnibus tribubus tantundem datum terræ, sed plus copiosioribus.

8. *Ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus*] In Græco prima verba eadem: nisi quòd ibi ad Deum sermo, hîc de Deo: deinde *ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις* [*accepisti dona in hominibus.*] at Paulus ut meliùs ad mysticum sensum hæc traheret, לקח [*accipere*] sumpsit in sensu *dandi*: nec id mirum, cùm quæ dare volumus accipiamus ut demus, ut videre est Exodi 25. 2. & 1 Reg. 17. 10. quare & per *ἐκβάλλειν* vertitur Job. 22. 22. Jer. 23. 31. & sic sumpto verbo ב valebit *propter*, de quo significatu diximus supra 1. Optimè autem Christo convenit hic locus, qui in cœlum ascendere conspectus est, deinde per Apostolorum doctrinam vicit & velut captivam egit idololatriam, & vitia alia: Sumpsitque à Patre dona quæ hominibus dispartiretur. *αἰχμαλωσία* שבי in Psalmis & Num. 31. 12. est *captivorum multitudo.*

9. *Τὸ δὲ, ἀνέβη, τί ἐστιν, εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς; Quod autem ascendit quid est nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?*] Etiam Deus, de quo sensu primum obvio agit Psalmus, primùm descenderat, sed in montem Sinai: Christus verò multò inferius in eam partem in qua homines solent vivere. Vide Joh. 3. 13. 6. 33, 38, 41, 42, 50, 51, 58. sic *κάτω* [*deorsum*] sumitur Joh. 8. 23. Actor. 2. 19. Posset aliquis credere agi hîc de utero materno ob locum Psalm. 139. 15. sed credibilius est agi de divina Christi potentia in terris exercita coram multis testibus, de quo agitur & 1 Tim. 3. 16.

10. *Ὁ καταβὰς, Qui descendit*] Vide modò dicta Johannis loca. ¶ *αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ipse est & qui ascendit supra omnes cælos*] Id est, supra aërem & æthera, quæ regio *cælum tertium* dicitur, & *cælum cælorum*, & pluraliter *οὐρανοὶ* [*cæli,*] & *κατ᾽ ἐξοχὴν, ὁ οὐρανὸς* [*per excellentiam, cælum*] Vide Act. 2. 34. & 1. 10. 1 Cor. 15. 41. & hic infra 6. 9. ¶ *ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. ut impleret omnia*] Neutrum pro communi: *ut impleret* sive *satiaret omnes*, nempe fideles, donis suis. Vide supra 3. 19.

11. *Καὶ αὐτὸς ἔδωκε, τοὺς μὲν, ἀποστόλους, Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*] Sicut Deus per Mosem constituerat tribuum Principes, Chiliarchos, Centuriones, atque ita deinceps; ita & nunc fecit Christus. Apostoli tribuum principibus respondent. ¶ *τοὺς δὲ, προφήτας, quosdam autem Prophetas*] Qui semper proximi Apostolis ponuntur, ut supra 3. 5. 1 Cor. 12. 28. ¶ *τοὺς δὲ, εὐαγγελιστὰς, alios verò Euangelistas*] Adjutores Apostolorum, Act. 21. 8. 2 Tim. 4. 5. Tales aliquamdiu fuere, Titus, Timotheus, Apollos, Silas, Marcus, Lucas. Vide 2 Cor. 8. 18. ¶ *τοὺς δὲ, ποιμένας, alios autem Pastores*] פרנסין [*pastores.*] *Pastor* apud Judæos vocabatur Gubernator Synagogæ. Id nomen in Ecclesia competit *τῷ προεστῶτι, τῷ κοπιῶντι ἐν λόγῳ* [*præsidi, laboranti in verbo,*] 1 Tim. 5. 17. qui *κατ᾽ ἐξοχὴν* [*per excellentiam*] dictus *ἐπίσκοπος* [*Episcopus,*] *inspector gregis*: nam *docere* est *pascere.* ¶ *καὶ διδασκάλους, & Doctores*] Hi erant Episcopi & ipsi, sed in eminentiore gradu positi; quales dicti postea *μητροπολῖται* [*Metropolitæ,*] ut diximus Rom. 12. 7. & 1 Cor. 12. 28.

12. *Πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, Ad consummationem sanctorum, in opus ministerii*] Est & hîc trajectio: nam genuina constructio fuerat, *εἰς ἔργον διακονίας πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων* [*in opus ministerii ad consummationem sanctorum.*] Opus illis injunctum est, & quidem ut sanctis ministrent, eos perficiendo magis & magis & fide & cognitione rerum earum quæ ad Euangelium aliquo modo pertinent. Vide de hoc verbo 1 Cor. 1. 10. 2 Cor. 13. 11. Gal. 6. 1. ¶ *εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. in ædificationem corporis Christi*] Ut ad eum modum illi quoque sancti apti fiant ædificandæ Ecclesiæ, id est, docendis aliis.

13. *Μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum*] Est rursum *κοίνωσις* [*communicatio.*] nam Paulus supra alios perfectus se imperfectis accenset: & *εἰς τὴν ἑνότητα* [*in unitatem*] positum est pro *ἐν τῇ ἑνότητι* [*in unitate;*] tam diu aliis magistris quisque opus habet donec ipse quoque in fide & accedente ad fidem cognitione (de qua supra 1. 17. Coloss. 1. 10. 2. 2.) consummatus fuerit. *Ἀνὴρ τέλειος* [*vir perfectus*] dicitur Luciano & Græcis aliis, is qui virium complevit augmentum, quod quinta fieri annorum hebdomada ait Macrobius Saturnalium 1. 6. Pro eodem *ἀνὴρ* [*vir*] sine adjectione legitur 1 Cor. 13. 11. ejus habitudinis nomen hic à corpore ad animum transfertur. ¶ *εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. in mensuram ætatis plenitudinis Christi*] *Ad eam staturæ modum qui plenus sit Christi*, id est, cognitionis de Christo. *ἡλικίαν* esse *staturam* vidimus Matth. 6. 27.

14. *Ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, Ut amplius non simus parvuli*] Plenius ostendit qualis sit illa virilis habitudo, comparatione aliorum qui nondum eousque pervenere, *νήπιοι* נערים [*parvuli*] sunt qui adhuc institui aut roborari debent, Rom. 2. 20. 1 Cor. 3. 1. 13. 11. Hebr. 5. 13. ¶ *κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, fluctuantes & circumlati omni vento doctrinæ*] Ostendit non tantùm quod evenire poterat, sed & quod multis Ephesi evenerat: *doctrinis* enim partim Philosophorum, partim Judæorum *concussi & huc illuc jactati* fuerant, *tanquam procellis.* Hoc enim *κλύδων* [*turbo*] Prov. 23. 34. Jon. 1. 4, 11, 12. Luc. 8. 25. Jacob. 1. 6. unde *κλυδωνίζεσθαι* [*turbine agitari.*] Videtur autem alludi ad locum Esaiæ 57. 13. ubi in Græco: *τούτους γὰρ πάντας ἄνεμος λήψεται, καὶ ἀποίσει καταιγίς* [*istos enim omnes tollet ventus, & auferet tempestas.*] Seneca fine libri de Vita beata, *Turbo quidam animos vestros rotat & involvit, fugientes petentesque eadem: & nunc in sublime allevatos, nunc in infima allisos rapit.* ¶ *ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, in nequitia hominum*] Illorum culpam sublevat, graviter accusando ipsos seductores. *κυβεία* [*nequitia*] Græca vox est, sed Thalmudicis quoque & Rabbinis frequens קוביא [kubia, *alea*;] & quia in aleæ ludo solent simpliciores circumveniri, ideo ad quamvis *circumventionem* hæc vox transferri solet. Nam

Aleator quanto in arte est melior tanto est nequior.

& ita apparet hic Syrum accepisse. ¶ *ἐν πανουργίᾳ, in astutia*] Planiùs explicat quod dixerat; & utroque loco *ἐν* [*in*] valet *per.* *πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. ad circumventionem erroris*] In Manuscripto *πρὸς τὰς μεθοδείας τῆς πλάνης τοῦ διαβόλου* [*ad circum-*

circumventiones erroris diaboli.] Nempe ut intelligamus versutè agere illos homines, idque ex arte seducendi quam habent à diabolo. Videntur Pythagorei maximè indicari, quorum plerique Magi. Magicas autem artes multum exercitas fuisse Ephesi, videmus Actor. 19. 19. μεθοδεία idem quod μέθοδος, *via ac ratio agendi.* Confer quod infra 6. 11. ubi *rationes* vertit Ambrosius non malè. μεθοδεύειν רגל *astu, agere,* 2 Sam. 19. 27.

15. Ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ, *Veritatem autem facientes in charitate*] Sicut ἀλήθεια *sinceritatem* significat Matth. 22. 16. Tob. 8. 9. ita ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ est *sincerè alios diligere.* ¶ αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, *crescamus in ipsum per omnia*] Rursum εἰς αὐτὸν [*in ipsum*] pro ἐν αὐτῷ, *in ipso*, id est, ipsius cognitione *proficiamus per omnia.* τὰ πάντα ut πάντα 1 Cor. 9. 25. *per omnia, in omnibus scitu dignis.* Sic in illa ad Colossenses 1. 10. dicitur αὐξανόμενοι εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ Θεοῦ [*crescentes in scientia Dei,*] quod idem est cum illo quod sequitur 2. 19. αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ [*crescit augmentum Dei.*] ¶ ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ ὁ Χριστός. *qui est caput Christus*] Nativa constructio fuerat, εἰς αὐτὸν τὸν Χριστὸν, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλή [*in illum Christum, qui est caput.*]

16. Ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους, τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται, *Ex quo totum corpus connexum & compactum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensura uniuscujusque membri augmentum corporis facit*] Meliùs Manuscriptus: ἑκάστου μέλους [*cujusque membri.*] *Corpus* Ecclesia; ejus *membra* singuli, Roman. 12. 4, 5. 1 Corinth. 12. 12, 14, 18, 19, 20, 22, 25, 26. & alius Hebraïsmus, quod secundo loco τοῦ σώματος [*corporis*] dixit pro ἑαυτοῦ [*ipsius,*] id est, nomen repetit ubi alius posuisset nomen reciprocans. Christus in Ecclesia non capitis tantùm, sed & cordis habet rationem, unde & sanguis & spiritus per multos inter se cohærentes meatus ad extimas partes fertur, incrementumque præstat singulis, dum incremento habent opus. Συναρμολογῶ, *compagino* in Glossis, dicitur & de ædificio, ut supra 2. 21. & de corpore, ut hic. Idem est quod συναρμόζειν. Xenophon, τὸ σῶμα συνήρμοσταί σοι. [*corpus tuum aptè est dispositum.*] Συμβιβάζω *cogo* in Glossario, videtur arctiùs quoddam coagulum significare quàm vox præcedens. Vide geminum huic locum Colossens. 2. 19. & 2. 2. ἁφὴ, in plurali ἁφαὶ in illo ad Colossenses loco, ubi & συνδέσμων [*conjunctionum*] vox additur, sunt *junctura corporis*, quia per contactum mutuò sibi & cum aliis membris cohærent, ut venæ & arteriæ. Vocantur autem illæ ἁφὴ τῆς ἐπιχορηγίας [*junctura subministrationis,*] genitivo significante usum rei, quia spiritum & succum corpori suppeditant: sicut in loco illo ad Colossenses dicitur corpus per illas juncturas ἐπιχορηγεῖσθαι [*subministrari,*] id est, *accipere quæ sibi sunt necessaria.* Fit autem ista ἐπιχορηγία, id est, *subministratio* sive *alitura*, per operationem in membrum unumquodque, idque ἐν μέτρῳ [*in modo,*] id est, *pro modo* quo quodque membrum alimenti indiget, tum ad sustentationem, tum ad incrementum sui. Sicut ædificii ita corporis juncturis respondent in Ecclesia omnes illi Præpositorum gradus, de quibus supra 1. 21. & hoc capite 2. ¶ εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ. *in ædificationem suiipsius in charitate*] Miscet comparativè ἀπόδοσιν [*redditionem.*] Hæc, inquit, eo pertinent, ut corpus illud, id est, Ecclesia, *per dilectionem* mutuam, id est, per dilectionis officia, *ædificetur*, id est, magis magisque instruatur. Magnæ autem dilectionis opus est docere alios.

17. Τοῦτο οὖν λέγω, *Hoc igitur dico*] Redit ad id quod cœperat dicere capitis hujus initio. ¶ καὶ μαρτύρομαι ἐν Κυρίῳ, *& testificor in Domino*] Id est, *per Christum vos obtestor*, palam quasi testibus adhibitis denuntio, העידתי [*testor.*] Vide Actor. 20. 26. Gal. 5. 3. ¶ μηκέτι ὑμᾶς περιπατεῖν, καθὼς καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη περιπατεῖ, *ut jam non ambuletis, sicut & reliqua Gentes ambulant*] *Ne eam vitam ducatis quam ducunt illi ex Gentibus* qui ad Christum conversi non sunt. ¶ ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν, *in vanitate sensus sui*] Philosophos maximè tangit, ut & Rom. 1. 21. ubi verbum ἐματαιώθησαν [*evanuerunt.*] vide ibi dicta: Hebræi tales homines vocant אבירי לב [*duri corde*] Esaiæ 46. 12.

18. Ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, *tenebris obscuratum habentes intellectum*] Appetitus corrupti etiam mentem obnubilant, Rom. 1. 21. infra 5. 8. ¶ ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ, *alienati à vita Dei*] *Longè remoti à vita illa quæ secundùm Deum est.* Vide Gal. 2. 19. Vocem ἀπηλλοτριωμένοι [*abalienati*] habuimus & supra 2. 12. ¶ διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, *per ignorantiam quæ est in illis*] Explicat id quod de *tenebris* modò dixerat. ¶ διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν· *propter obdurationem cordis ipsorum*] Diximus ad Marcum 6. 52. omnia vitia inolita designari voce πωρώσεως [*obdurationum.*] Sic & Latinis *callum obduxisse* dicuntur, qui bona monita non persentiscunt. Vide Esaiæ 6. 10.

19. Οἵτινες ἀπηλγηκότες, *Qui dedolentes*] Ampliùs explicat quid per πώρωσιν [*obdurationem*] intelligat. Sicut partes quædam corporis à spiritu vitali destitutæ dolorem nullum sentiunt, ita illis animus, etiam cùm turpissima faciant, nullo ob id dolore commovetur. ¶ ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ, *seipsos tradiderunt impudicitiæ*] Ἀσέλγειαι sunt impudicitiæ initia, primæ, ut loquuntur, lineæ. Diximus ad 2 Corinth. 12. 21. ¶ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης, *in operationem immunditiæ omnis*] Basilius ad Diodorum, Τῷ τῆς ἀκαθαρσίας ὀνόματι τάς τε τῶν ἀῤῥένων ἀῤῥητοποιίας καὶ τὰς θηλειῶν περιλαμβάνων [*Nomine immunditiæ nefanda facinora marium & fœminarum comprehendens.*] Iones, quorum principes Ephesii, *molles* Martiali, didicerant mores Persicos, itaque regnabant apud eos ea vitia quæ ἀκαθαρσίας [*immunditiæ*] nomine Paulus notat ad Rom. 1. 24. 6. 19. ut & apud Corinthios 2 Cor. 12. 21. & Gal. 5. 19. ¶ ἐν πλεονεξίᾳ. *in avaritia*] Hoc ideo addit, quia multi mares ob pretium se prostituebant. Ideo Sallustius dicit; *avaritia corpus animumque effeminat.* בצע Hebræis *lucrum* significat, sæpe autem vertitur πλεονεξία [*avaritia.*]

20 Ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως ἐμάθετε τὸν Χριστόν. *Vos autem non ita didicistis Christum*] *Christum*, id est, doctrinam Christi, per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] frequentem: *non ita didicistis*, ut scilicet illa flagitia imitari debeatis.

21. Εἴγε αὐτὸν ἠκούσατε, *Si tamen illum audistis*] Id est, *si modò Evangelium benè comprehendistis.* Sic ἀκούειν [*audire*] habuimus & supra 3. 2. ¶ καὶ ἐν αὐτῷ ἐδιδάχθητε, καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ. *& in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu*] *Et si ita edocti estis Evangelium quomodo illud revera se habet, prout à Jesu ipso prædicatum est.* Hoc ideo dicit, quia post suum abitum quidam sub nomine Evangelii profanam quandam docuerant libertatem, ut & Corinthi.

22. Ἀποθέσθαι ὑμᾶς κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν, τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, *Deponere vos secundum pristinam conversationem, veterem hominem*] Explicat quales fuerint, & quid exigat Domini Jesu doctrina, Matth. 16. 24. & alibi, prædicta ab Esaia 55. 7. & est Trajectio: *ut exuatis veterem hominem, id est, eum qui erat in priore vestro vivendi genere. Veterem hominem* habuimus & Rom. 6. 6. quod hic ἀποθέσθαι [*deponere,*] id est, ἀπεκδύσασθαι [*exuere*] Coloss. 3. 9. cujus contrarium est ἐνδύσασθαι [*induere*] quod jam sequetur, utrumque alludens ad ritum Baptismi, in quo vestes deponebantur, & resumebantur. ἀναστροφὴ [*conversatio*] est *vitæ quoddam genus inter homines*, ut Gal. 1. 13. Jac. 3. 13. 1 Petr. 1. 15, 18. 2. 12. 3. 16. 2 Petr. 2. 7. 3. 11. Tob. 4. 19. Sic *conversari* pro συνομιλεῖν dixit & Seneca. ¶ τὸν φθειρόμενον, *qui corrumpitur*] *Qui tendit ad exitium*, Gal. 6. 8. ¶ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης· *secundùm desideria erroris*] Id est, *per cupiditates seducentes.* Dulcis radix, sed fructus amarissimi: lotos Homerica.

23. Ἀνανεοῦσθαι δὲ τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν, *Renovari autem spiritu mentis vestræ*] Hic *spiritus mentis* est ipsa mens. Sic Hebræi dicunt *lutum cœni, terram pulveris*, ubi genitivus est ἐξηγητικός [*explicativus præcedentis.*]

24. Καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον, *Et induere novum hominem*] Quem τὸν νέον ἄνθρωπον [*novum hominem*] eodem sensu dixit Coloss. 3. 9. ¶ τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα, *qui secundùm Deum creatus est*] *Qui formatus est secundùm Dei voluntatem.* de verbo κτίζεσθαι [*creari*] vide supra 2. 10. 3. 9. 2 Cor. 5. 17. ¶ ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. *in justitia & sanctitate veritatis*] Prior est δικαιοσύνη צדק [*justitia,*] id est, *innocentia*, quàm חסד ὁσιότης [*sanctitas*] ut ista distinguunt Hebræi. Addit autem Paulus τῆς ἀληθείας [*veritatis*] pro ἀληθέσι [*veris,*] id est, *tali innocentia & deinde sanctitate, quæ sint in esse, non in videri.*

25. Διὸ ἀποθέμενοι τὸ ψεῦδος, *Propter quod deponentes mendacium*] Hoc adversùs eos dicit, qui ut gratias captarent aut Judæorum aut Gentium, alia dicebant quàm sentirent. ¶ λαλεῖτε ἀλήθειαν ἕκαστος μετὰ τοῦ πλησίον αὐτοῦ· *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*] Ex Zach. 8. 16. ubi eadem verba in Græco, nisi quòd pro μετὰ τοῦ πλησίον [*cum proximo*] est πρὸς τὸν πλησίον [*ad proximum.*] Apertè loquimini quod sentitis, non tantùm apud Christianos, sed etiam apud alios, qui sicut ante Legem dicebant οἱ πλησίον [*proximi,*] ut Exod. 11. 2. ita etiam in nova Lege. Sic Augustinus hunc locum interpretatur libro contra mendacium. Contrarium huic *mendacium loqui* Psalm. 12. 2. ¶ ὅτι ἐσμὲν ἀλλήλων μέλη. *quoniam sumus invicem membra*] id est, præter illam societatem de qua egimus, est & alia quædam societas aut civitatis, aut humani generis: & hæc quoque observanda est, quod fieri nequit si aliud lingua dicat, quàm mens concipit.

26. Ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε *Irascimini, & nolite peccare*] Miror esse qui dubitent an hoc sit ex Psalmo 4. 5. nam versio LXX. ibi eadem habet verba: ὀργίζεσθε; καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, ubi diximus rectè verti posse, *Irascimini? at ne peccate*, eo loquendi genere quod habemus Jacob. 5. 14. ¶ ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν. *sol non occidat super iracundiam vestram*] Est locutio Hebræa de eo quod protrahendum non est, Deut. 24. 15. & simul applicatio ejus legis, quæ est Deuter. 21. 23. argumento à minori ad majus. Si pœnæ Lege præscriptæ non extendantur usque ad vesperam, multò minùs extendi ultra eam debet ira privatim suscepta. Plutarchus, Πυθαγορικοὶ γένει μηδὲν προσήκοντες ἀλλὰ κοινοῦ λόγου μετέχοντες, εἴποτε προαχθεῖεν εἰς λοιδορίαν ὑπ' ὀργῆς, πρὶν ἢ τὸν ἥλιον δῦναι, τὰς δεξιὰς ἐμβάλλοντες ἀλλήλοις καὶ ἀσπασάμενοι διελύοντο [*Pythagorici non generis sed doctrina saltem societate juncti, si quando per iram ad maledicta proripuissent, ante solis occasum dextris manu datis & salutatione facta gratiam redintegrabant.*]

27. Μήτε δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ. *Nolite locum dare diabolo*] Optima monitio: nam si motus animi negligendo foveantur, transeunt in ἕξιν [*habitum,*] diabolo jus quoddam in tales nanciscente. Qua de re diximus ad Luc. 22. 3. Joh. 13. 27. Actor. 5. 3. Sic,

Neglectis urenda filix innascitur agris.

28. Ὁ κλέπτων μηκέτι κλεπτέτω, *Qui furatur jam non amplius furetur*] Id est, ὁ κλέψας [*qui furatus est,*] nam apud Hebræos sicut verbum præteritum usurpatur pro præsente, ita participium præsens pro præterito, quia plures formas Hebræi non habent. ¶ μᾶλλον δὲ κοπιάτω ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθὸν ταῖς ἰδίαις χερσὶν, *magis autem laboret operando manibus propriis*] Simile loquendi genus 1 Cor. 4. 12. 1 Thess. 4. 11. Adde Actor. 20. 34. Bene autem addit τὸ ἀγαθὸν [*bonum,*] ne quis putet quemvis quæstum probari, qualis est scortorum & lenonum. ¶ ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. *ut habeat unde tribuat necessitatem patienti*] Est brevis locutio. Sensus enim est, *ut non tantum ipse habeat unde vivat, sed & insuper aliquid quo egenos adjuvet*, ut illa paupercula, Luc. 21. 2.

29. Πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω *Omnis sermo putris ex ore vestro non egrediatur*] *Exire ex ore* dicitur quod loquimur, Matth. 4. 4. 15. 18. λόγος σαπρὸς דבר סרוח vel נבלה Joel. 2. 20. Job. 41. 18. *sermo putridus*, id est, obscœnus, qualia multa, ut credo, haberemus, si existerent Ephesiaca Xenophontis. In Glossario σαπρὸς, *fœdus*. ¶ ἀλλ' εἴτις ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, *sed si quis bonus ad ædificationem usus*] *Sed is sermo exeat, qui aptus est ad institutionem eam quæ cuique est necessaria*. Genitivus pro adjectivo, more Hebræo. χρεία vox frequens apud Syrachiden. ¶ ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι, *ut det gratiam audientibus*] *Per quem bene merearis de auditoribus*. Sic ἐπιτελεῖν χάριν [*perficere gratiam*] habuimus 2 Cor. 8. 6. Bene de aliquo meretur qui à vitiis abducit. *Prosit* hic Latinus rectè.

30. Καὶ μὴ λυπεῖτε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, *Et nolite contristare Spiritum sanctum*] Major est Spiritus sanctus Angelis; at moniti sæpe Israelitæ ne Angelum offenderent. Exod. 23. 21. ubi in Hebræo בו אל תמר [*ne sis rebellis in eum,*] in Græco μὴ ἀπείθει αὐτῷ [*non sis incredulus ei.*] Esaiæ 63. 10. παρώξυναν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον αὐτοῦ [*exacerbaverunt Spiritum sanctum ejus.*] Hermas 2. 10. *Tristitia enim omnium spirituum nequissima est & pessima servis Dei, & omnium spiritus exterminat: & cruciat Spiritum sanctum.* Postea, *Tristitia hæc intrat in hominem, & tristem facit Spiritum sanctum & vexat eum.* Mox, *Noli offendere Spiritum sanctum qui in te habitat.* Nec planè alienum hinc est illud Senecæ Epistola 41. *Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet bonorum malorumque nostrorum observator & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.* Tertullianus de Spectaculis, *Deus præcepit Spiritum sanctum, utpote pro natura sua bono tenerum & delicatum tranquillitate & lenitate & quiete & pace tractari.* ¶ ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. *in quo signati estis in diem redemptionis*] *Per quem signati estis, ut certi sitis de ventura die redemptionis*: nempe *corporum*, quæ est resurrectio Rom 8. 23. Sic εἰς ἀπολύτρωσιν [*in redemptionem*] supra 1. 14. ubi & verbum ἐσφραγίσθητε [*signati estis*] præcessit. Vide ibi dicta.

31. Πᾶσα πικρία, *Omnis amaritudo*] *Maledicentia*. Vide Rom. 3. 14. ¶ καὶ θυμὸς, *& excandescentia*] Prima inflammatio animi, Rom. 2. 8. 2 Cor. 12. 20. Gal. 5. 20. Coloss. 3. 8. ¶ καὶ ὀργὴ, *& ira*] Motus transiens in πάθος [*perturbationem animi.*] ¶ καὶ κραυγὴ, *& clamor*] *Clamor equus est iræ*, ait hic Chrysostomus, *cum equum prostraveris, equitem dejeceris.* ¶ καὶ βλασφημία, *& blasphemia*] Omnis quidem *maledicentia* dicitur βλασφημία [*blasphemia;*] sed ut distinguatur ἀπὸ τῆς πικρίας [*ab amaritudine,*] videntur hic intelligenda verba quæ Dei honôrem quoquomodo lædunt: nam sic & Menander usurpavit hanc vocem, & in nostris literis sic usurpari solet. Vide Matth. 9. 3. 2 Reg. 19. 6, 22. Esaiæ 52. 5. ¶ ἀρθήτω ἀφ' ὑμῶν, *tollatur à vobis*] *Longè absit*, יסור. ¶ σὺν πάσῃ κακίᾳ. *cum omni malitia*] Vide Rom. 1. 29. 1 Corinth. 5. 8. 14. 20. Coloss. 3. 8. Tit. 3. 3.

32. Γίνεσθε δὲ εἰς ἀλλήλους χρηστοὶ, *Estote autem invicem benigni*] *Benigni*, qualis Abrahamus erga Lothum, Gen. 13. 8. ¶ εὔσπλαγχνοι,] *Misericordes*. Sic 1 Petri 3. 8. Idem sensus ubi σπλάγχνα οἰκτιρμῶν [*viscera miserationum*] commendat Paulus Coloss. 3. 12. ¶ χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, *donantes invicem*] *Condonantes*, nempe *offensas*, ex præcepto Christi Matth. 18. 22. de usu hoc hujus verbi vide 2 Corinth. 2. 7, 10. 12. 13. ἑαυτοῖς hic est *alter alteri*, ut & Coloss. 3. 13. & hic infra 5. 19. ¶ καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἐχαρίσατο ὑμῖν. *sicut & Christus donavit vobis*] Est sensus hic non malus, sed plerique & optimi codices habent, ὁ Θεὸς ἐν Χριστῷ ἐχαρίσατο ὑμῖν [*Deus in Christo donavit vobis.*] Sic legit & Syrus & Chrysostomus, & Theophylactus & Latinus. ἐν Χριστῷ [*in Christo,*] id est, ob Christum, Christo deprecante, Esaiæ 53. 12. Luc. 23. 34.

CAP. V.

VALLA.

2. IN *odorem suavitatis*] Magis dicitur *suavitas odoris* quàm *odor suavitatis*. Gr. est *in odorem fragrantiæ*, nisi quòd *fragrantia* de vehementi odore dicitur; sive, si sic dicere liceat, *in odorem redolentiæ*. Certè non ab re sit dicere *in odorem suavem*, seu *in suavitatem odoris*, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας.

5. *Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*] Pluralis numeri legendum est *pertinent*, quanquam Græcè magis dicitur *quæ non sunt convenientia* sive *decentia*, τὰ οὐκ ἀνήκοντα. An verò dicendum fuerit *scurrilitas* an *facetia* dicere omitto, quia nonnulli in laudem, nonnulli in vitium accipiunt εὐτραπελίαν.

5. *Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus*] Gr. *Hoc enim estis intelligentes*, ἴστε γινώσκοντες· ergò sat erat dicere *scitote*, sine illo *intelligentes*. Præterea non dicitur *quod est idolorum servitus*, sed *qui est idolorum servus*, qui Græcè dicitur *Idololatra*, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης.

7. *Nolite ergò fieri participes eorum*] Gr. *comparticipes*, συμμέτοχοι. Ideo ego dixissem *participes eis*. Aliud enim est *participare illorum*, i. e. *de illis*, aliud *participare illis*, h. e. *cum illis*, ut cùm apud alios quosdam, tum verò apud Quintilianum, *Perdura priscis moribus mater, frigoribus ac solibus pernix, & in plerisque ruris operibus marito particeps.*

16. *Redimentes tempus*] Accipiendum est pro *ementes tempus*; quemadmodum dicimus *redemptores vectigalium*, tum alibi, tum in Jure Civili: ἐξαγοραζόμενοι.

18. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria*] Non est in ebrietate luxuria, sed in luxuria vini ebrietas. Nescio igitur an meliùs dicatur *in quo est vecordia*, ἀσωτία.

22—25. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino*, &c.] Plerique cod. Græci habent in secunda persona, *Mulieres viris propriis subditæ sitis*, τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθε. Sed cur *mulieres* potiùs quàm *uxores*, cùm paulò pòst dicantur *uxores*, & nunc dicatur *propriis viris*? neque enim *proprios viros* habent nisi quæ *uxores* sunt. Præterea comparatio fit de Conjugio humano ad Conjugium mysticum Christi & Ecclesiæ. Quare ego sic transtulissem, *Uxores, maritis propriis subditæ sitis veluti Domino. Quoniam maritus caput est uxoris, sicut Christus Caput est Ecclesiæ, & ipse Salvator est corporis. Sed ut Ecclesia subjecta est Christo, ità & uxores maritis suis omni iure* (sive *in omnibus*) ἐν παντί. *Mariti, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.*

31, 32. *Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia*] Dixi superiùs *in una carne* esse accusativi casûs Græcè, nunc idem de *Christo & Ecclesia*, εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν.

REVIUS in VALLAM.

4. EΥτραπέλειαν] Εὐτραπελίαν. Quod autem dicit *nonnullos in vitium accipere* hanc dictionem, id exemplo uno & altero ostendam. Pindarus Pyth. Od. 1. μὴ δολωθῇς φίλε κέρδεσιν εὐτραπέλοις, *lucris scurrilibus*, ut rectè vertit Stephanus Basilius in Psal. 62. (ipsi 61.) πολλοί εἰσιν οἱ τὰς πονηρὰς πράξεις ἀποδεχόμενοι, καὶ χαρίεντα μὲν τὸν εὐτράπελον λέγοντες, τὸν δὲ αἰσχρολόγον πολιτικὸν, τὸν πικρὸν καὶ ὀργίλον ἀκαταφρόνητον ὀνομά-

ὀνομάζεσθω, &c. Ubi vides τὸ εὐτράπελον in vitio poni, at τὸ χαρίεν in bono. Addit enim καὶ ἀπαξαπλῶς πᾶσαν κακίαν ἐκ τῆς παρακειμένης ἀρετῆς ὑποκορίζονται.

5. Ἴστε γινώσκοντες] Loco motum erat.

18. *Vecordia*] Beza *luxus*, rectiùs.

ERASMUS.

2. IN *odorem suavitatis*] Εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *in odorem redolentiæ*, sive *bonæ fragantiæ*. Hieronymus in Præfatione Zachariæ reddidit *odorem bonæ fragrantiæ*.

3. *Nec nominetur*] Μηδὲ ὀνομαζέσθω *ne nominetur quidem*.

4. *Aut turpitudo, aut stultiloquium*] Græcis hoc loco non repetitur *aut*, sed *&*; & tamen laudo quod mutavit Interpres. Etenim cum sensus sit idem, tamen commodior est oratio. Quod si rectè fit in aliquot locis quoties libuit Interpreti, quid vetat quò minùs idem fiat quoties ratio postulat? ¶ *Aut scurrilitas*] Εὐτραπελία *facetia*, sive *lepos*. Nam in bonam partem apud Philosophos accipitur. Sentit autem urbanitatem scurrilem & indignam gravi viro. Tametsi Hieronymus ejusmodi quoque sales qui tantùm risûs causâ dicuntur indignos esse putat verè Christianis, adducens ex Hebraico Euangelio, *Nunquam læteris nisi cum videris fratrem tuum in charitate*. Equidem ut jocos utcunque tolero, modò docti sint & sale conditi, ita non fero quosdam qui quoties urbani videri volunt, è Divinis literis ad suas ineptias detorquent aliquid. Quod infestivum festivitatis genus impensè video placere Monachis quibusdam ac Sacerdotibus etiam nonnullis, qui si cupiant vel insectari quempiam, canticum Mariæ, vulgò dictum MAGNIFICAT, aut canticum vulgò dictum TE DEUM, commutatis aliquot verbis, detorquent ad virulentiam. Hujusmodi sales illis merito placent quibus placet Catholicon, Mammætractus, & id genus insulsissima glossemata, quibus arrident frigidissimæ quæstiunculæ; ut ubique sui sint similes, non minus ridiculi dum jocantur, h. e. dum camelus saltat, quàm dum serias res agunt. ¶ *Quæ ad rem non pertinent*] Τὰ οὐκ ἀνήκοντα *non convenientia*, sive *quæ non conveniunt*, quemadmodum alibi vertit, ut ad Personam referatur. Alius sermo scurram decet, alius servum Christi. Et si jocandum est, debet adhiberi jocus decorus. Videmus & inter Paulum Eremitam & Antonium jocos quosdam intercessisse, Hilarionem multa falsè dixisse. Verum hujusmodi sales non stultum risum excitant, sed laudem Dei sonant. ¶ *Gratiarum actio*] Gr. εὐχαριστία. Id verbi D. Hieronymus interpretatur *gratiositatem*, seu *gratiam*, quod apud Hebræos *gratiosus* & *gratias agens* eodem verbo dicatur. Putat enim in Proverbiis ita scriptum, Γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν, *Mulier grata, suscitat viro gloriam*. Nam cæteri quoque Interpretes, Aquila, Theodotion & Symmachus, verterunt χαριτός, i. e. *gratiosa*, non εὐχάριστος. Hæc huc tendunt ut sermo Christianorum absit à scurrilibus jocis, sed suâ quadam gratiâ conditus sit. Verùm id lectori expendendum relinquo. Mihi Hieronymianum commentum hoc loco non usquequaque probatur, præsertim Græcis non suffragantibus. Ambrosius interpretatur εὐχαριστίαν *sermonem ad Dei laudem facientem*.

5. *Scitote intelligentes*] Ἴστε γινώσκοντες *sitis cognoscentes*. Quanquam quidam cod. habent ἴστε, *sciatis*; ut congeminatio epitasin habeat. Priorem lectionem sequitur Ambrosius & Hieronymus. ¶ Πλεονέκτης, quod Cyprianus vertit *fraudator*, nos *avarus* legimus. De voce πλεονεκτεῖν admonet D. Hieronymus à πλέον ἔχειν dictam, ubi quis occupat alienum. Proinde illud 1 Thess. 4. *Ne quis circumveniat in negotio fratrem*, de Adulterio interpretatus est, & hic πλεονεξίαν putat pro *stupro* accipi posse. ¶ *Quod est idolorum servitus*] Ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, *qui est idolorum cultor*. Hieronymus legit *qui est idolis serviens*. Hic Interpres λατρείαν modò *cultum* vertit, modò *obsequium*, modò *servitutem*. Augustinus libr. De civit. Dei 10. admonet *servitutem quâ quis non est sui juris* appellari δουλείαν, cæterum *cultum quo colimus Deum* plerumque λατρείαν dici in S. literis. ¶ *In Regno Christi & Dei*] Sic Patrem videtur appellare *Deum* quasi Christus non esset Deus. Verùm id aliàs admonuimus, Patrem ex consuetudine sermonis Apostolici significari quoties *Deum* absolutè nominarit, cùm ex plurimis locis palàm sit & Christum illis vocari *Deum*.

6. *Venit ira*] Ἔρχεται. *Venit* hoc loco præsentis temporis est, aut certè futuri: nam præteriti esse non potest. Rectiùs opinor accipi præsenti tempore, ut intelligamus *ob hujusmodi Divinam iram solere sævire in filios malè morigeros minusque dicto audientes*. ¶ *In filios diffidentiæ*] Ἀπειθείας, *inobedientiæ*, sive *incredulitatis*, quemadmodum antea meminimus. Hieronymus putat rectiùs verti *insuasibilitatis*: quos nos *intractabiles* appellamus. Mirum autem Hieronymo placere verbum *insuasibilitatis* Latinis auribus inauditum. Cyprianus in Epist. ad Epictetum legit *in filios contumaciæ*. Porro de colore sermonis Hebraici quo filium contumacem *contumaciæ filium* vocant, crebrò jam admonuimus.

7. *Participes eorum*] Συμμέτοχοι, *comparticipes*, i. e. *Ne sitis participes malorum cum illis*. Agit enim de fructibus impietatis, quorum non vult eos esse participes cum impiis: ut altera pars communionis pertineat ad Rem, altera ad Personam. Id quidem diligenter ac multis verbis annotavit Hieronymus. Mihi quisquis *particeps* est, & alicujus rei particeps sit oportet, & cum aliquo particeps. Addit ille, in Divinis literis *participem* dici in bonam partem, *comparticipem* in malam. An hoc perpetuum sit, nescio. Certè hujus Epist. c. 3. usurpavit in bonam partem, loquens de Gentibus ad Christum conversis, Συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ, *comparticipes promissionis*. Non est insectandus vir sanctus, sed tamen hic insignis lapsus est memoriæ. Primùm jubet hoc discrimen diligenter observari, negatque se meminisse sibi lectam *comparticipis* vocem in Divinis literis nisi significatione mali, cùm ipse hujus Epistolæ cap. 3. diligenter indicet additam his dictionibus præpositionem, *concorporales & comparticipes*, durè quidem sonare Latinis auribus, sed tamen non omittendam, quòd in Divinis literis nec apices nec puncta careant mysterio. Hæc admonere visum est, ut in his qui prodesse student moderatiùs feramus humanos lapsus, cùm id usu venerit viro sic in Divinis voluminibus exercitato.

9. *Fructus enim lucis*] Gr. *Fructus enim Spiritûs*, ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ πνεύματος. Quanquam Latini codices & consensus Interpretum & ipse sermonis ordo refragatur huic lectioni. Præcessit enim *lucis* mentio, *nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate*. Quanquam Theophylactus legit & interpretatur *fructus lucis*. Chrysostomus videtur legisse *Spiritûs*. Item sequitur, *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*.

10. *Beneplacitum Deo*] Gr. *Domino*.

11. *Magis autem redarguite*] Omissa est conjunctio *&*, καί. Et *redarguite* pro *arguite*. Ambrosius legit *objurgate*. Sed accommodatius erat *arguite*, ἐλέγχετε· siquidem ipsa lux bonæ vitæ arguit & prodit turpia facta tenebrarum, etiamsi nihil objurges. Memor igitur Metaphoræ subjecit, *magis autem arguite*. *Arguit* enim qui reprehendit, & vincit, & *arguit* qui prodit. Et sermo qui consequitur, *Omnia autem à luce manifestantur*, magis exigit ut legamus *arguite* pro *prodite* quàm pro *objurgate*: quanquam hic quoque legit Ambrosius *objurgantur*, quemadmodum antè legit & exposuit *objurgate*. Mecum hactenus facit Theophylactus.

13. *Omne enim quod*] Τὸ φανερούμενον. Quoniam participium est medium, ambiguam reddit orationem. Nam potest esse sensus, *Quicquid manifestatur, lux est*: aut, *Quicquid manifestat, lux est*. Apparet autem potiùs activè legendum quàm passivè. Nisi me moveret articulus participio appositus non nomini, interpretarer ad hunc modum, *Id quod omnia manifestat, lux est*, τὸ πᾶν φανερούμενον φῶς ἐστιν. Quicquid enim celat nox & caligo, id lumen retegit aperitque. Ex sanctâ piorum vita & ex prædicata veritate omnia palàm fiunt quæ ab hac dissident. Nunc autem habemus, πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστιν. Et Theophylactus cum Chrysostomo passivè interpretatur φανερούμενον, exponens, *delictum simul atque proditum ac retectum fuerit, verti è tenebris in lumen*. Atque hoc nos secuti sumus. Hieronymus legit *arguta*: sed Interpres melius, qui temporis quoque rationem expressit. Rursus ex hoc loco & proximo liquet Vulgatam translationem non esse Hieronymi.

14. *Surge qui dormis*] Id quod Paulus citat, Hieronymus negat usquam reperiri in Divinis literis, sed vel ex apocryphis depromptum existimat, vel ab ipso Paulo Prophetico spiritu proferri. Mirum est autem hunc scrupulum à Græcis dissimulari. ¶ *Et illuminabit te*] Καὶ ἐπιφαύσει σοι, *& illucescet tibi Christus*, sive *orietur, tibi Christus*, ut vertit & emendat D. Hieronymus. Cæterùm quod idem admonet, à quibusdam legi non ἐπιφαύσει sed ἐφάψεται, i. e. *continget*, qui velint hoc videri dictum à Christo pendente in cruce ad Adam illic sepultum, qui sanguine Redemptoris contactus vitam receperit, coactius est & Judaïcas sapit fabulas. Et tamen Hieronymus testatur se interfuisse in concione in qua commentum hoc miro plebis applausu sit exceptum. Quemadmodum & ipse audivi de litera Sin, quæ linguâ Britannicâ sonat *peccatum*, mediâ in Hebraïco nomine JESUS; item de tribus inflexionibus JESUS, JESU, JESUM, quas interpretabatur ex postremis literis, *summum*, *ultimum* & *medium*. Quanquam ita propemodum video legisse Ambrosium, nonnihil tamen & aliàs dissidentem à nostra lectione. Legit enim hunc ad modum, *Exsurge de mortuis, & continget Christum*. Augustinus item enarrans Psalmum 3. legit

& continget te Christus. Utriusque lectionis meminerunt Græci Commentarii qui Chrysostomi titulo feruntur, licèt hanc quam nos sequimur magis probent. Et profectò magis quadrat iis quæ præcedunt, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum :* &c. *Omne quod manifestatur, lumen est.* Non est autem improbabile quod admonet B. Thomas, Apostolum hunc locum nec ex apocryphis sumpsisse nec Prophetico more protulisse, sed velut exposuisse quibusdam de suo admixtis locum qui est apud Esaiam 60. *Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* *Surgere* jubentur qui dormiunt, & *exsurgere*, qui sepulti non possunt videre lumen mundi.

15. *Videte itaque, fratres*] *Fratres* non est apud Græcos. ¶ *Cautè ambuletis*] Ἀκριβῶς, *diligenter & accuratè*, nimirum in tanta luce. Unde bene dixit, *Videte*, quòd in tenebris non liceat cernere.

16. *Redimentes tempus*] Ἐξαγοραζόμενοι, quasi *mercantes & ementes.* Et *tempus* hic *occasionem* sonat sive *opportunitatem*, quam vult emi cæterarum rerum dispendio, τὸν καιρόν. ¶ *Mali sunt*] Πονηραί· quod ipsum verbum ambiguum est ad *afflictum* & *sceleratum*, utpote à *labore* dictum: siquidem laboriosa res est & impostura.

17. *Voluntas Dei*] *Domini est* Gr. pro *Dei*, τοῦ Κυρίου.

18. *In quo est luxuria*] Ἀσωτία, *luxus.* Hoc admonui, nè quis hic *luxuriam* accipiat pro *libidine*, ità ut vulgus facit. Nec video cur Faber malit pro LUXURIA *insalubritatem*, quasi hoc agat Paulus ceu Medicus, ut simus salubri corpore, temperantes ab ebrietate. Nam ut donemus ἀσώτους dictos à verbo σώζεσθαι *servatum est*, additâ particulâ privativâ α & abjecto ο, non potest tamen significare *insalubritatem*, nec usquam apud scriptores Græcos hoc sensu reperitur usurpatum. Imò populus *Asotorum* sic dictus est Græcis quòd essent luxu perditi, sic assiduè versantes in comessationibus ut nunquam viderent Solem nec orientem nec occidentem; quorum meminit & Plato, præter alios innumeros. Hinc & verbum deductum ἀσωτεύεσθαι *luxu diffluo*, quo usus est Athenæus libro Dipnosophistarum 8. Jam dictio *quo*, meâ sententiâ, non simpliciter refert *vinum*, sed totam orationis particulam quæ præcessit, *Nolite inebriari vino, in quo*, h. e. in qua re, & in qua vini temulentia, *est luxus.* Porrò quod hic vocat ἀσωτίαν, alibi dixit ἀσέλγειαν. Nec omnino sit absurdum si quis aliquando abutatur *luxuria* pro *vitio libidinis*, propter cognationem hujusmodi vitiorum, Comessationis, Temulentiæ, Chorearum, & Libidinis. Tamen impudens mihi videtur quod Thomas extorquere conatur, *Luxuriam* propriè dici de immodico usu rei Venereæ: adeò ut hic etiam rejiciat Augustinum suum, qui in libris quibus titulum fecit *De confessionibus* scripserit, *Luxuria ad satietatem & abundantiam se cupit vocari.* Solvit autem hunc nodum hâc arte, *quòd sicut temperantia principaliter quidem & propriè est circa delectationes tactûs, dicitur autem ex consequenti & per similitudinem quandam in quibusdam aliis materiis; ita luxuria principaliter quidem est in voluptatibus Venereis, quæ maximè & præcipuè animum hominis resolvunt, secundario autem dicitur in quibuscunque aliis ad excessum pertinentibus.* Hactenus Thomæ verba recensuimus. Jam nè quid exagitemus quod tam facilè recedit ab Augustini sententia, qui cum primis novit Romani sermonis proprietatem, quis unquam dixit Temperantiam præcipuè versari circa voluptates tactûs, cum sit moderatio omnium affectuum? Sed sit Libido maximè affectus impotens, an præcipua pars hujus mali sita est in tactu, ac non magis in oculis, in sermone, in animo? Deinde an *luxuria* transfertur ad quemvis *excessum*? An qui immodicè amat pecuniam dicetur *luxuriosus*? qui præter modum frugalis est dicetur *luxuriosus*? Atqui hic *excessus* est. Denique si Euclio amet, neque det quicquam, dicetur *luxuriosus*? Et tamen hanc opinionem confirmat autoritate Glossæ quæ est in epist. ad Gal. 5. quæ dicit, *quòd luxuria est qualibet superfluitas.* Ac mirum quod hunc Pauli locum non adduxerit, cùm citet locum è Proverbiis, *Luxuriosa res est vinum; sed usus vini pertinet ad potum; ergo*, &c. Sed hunc nodum satis feliciter explicat. Tertius nodus difficilis est. *Luxuria*, inquit, *dicitur libidinosæ voluptatis appetitus*, &c. Hic cùm nullum citet autorem, imaginatur *libidinosam voluptatem* accipi pro *voluptate Venerea*, cùm Augustinus testetur *libidinem* frequenter accipi pro *quocunque affectu non obtemperante rationi.* Princeps occidit immerentem, *libido* est. Et tamen, ut fatetur Augustinus, sermonis usus aliquoties accommodat hanc vocem propriè ad rem Veneream, quod de *luxuria* nemo probus autor unquam scripsit. Sed his etiam festivius est quod interjecit inter antitheses & lyses, *Dicitur in libro De vera religione, de luxuriosis, Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: Sed seminatio carnis fit per voluptates Venereas: Ergò ad has pertinet luxuria.* Primò appello lectorem sobrium an ibi Paulus senserit de voluptate Venerea, ac non potius de lege Mosaïca; & si sensit, an propriè senserit. Quod si sensit de impio amore rerum omnium visibilium, quid hoc conducit Thomæ, qui vult *Luxuriam* propriè convenire voluptati Venereæ? Sub hæc inducit nobis Isidorum, qui putat *luxuriosum* dici *quasi solutum*, suspicor à *luxando*, sive à *laxando*: sed *Venus maximè solvit animum*; igitur huc pertinet *luxuria.* Atqui hoc non proposuerat Thomas, sed an propriè huc pertineret. Postremò, quid hic agit Thomas nisi de vocabulo vitii? Porrò vocabulum unde potius petendum fuit quàm ab autoribus Latinis? Quorsum autem opus erat huc detorquere *luxuriam*, cùm essent *libido* & *impudicitia* Latina notaque vocabula? Et tamen velut evictâ re, secat Luxuriam in omnes libidinum species. Non insector Thomam, sed planè miseret me illorum qui nihil aliud discunt, & mihi minùs displiceo, qui non perinde multum ætatis in hujusmodi scriptoribus consumpserim. ¶ *Implemini Spiritu sancto*] Græcè est *sed implemini Spiritu*, nec additur *sancto*, nec apud Græcos, nec apud Ambrosium, nec apud Hieronymum, nec in vet. exemplaribus, suffragante utroque Constantiensi: tantùm est *Spiritu*, ἐν πνεύματι. Id opposuit *temulentiæ vini*, rem subtilem crassæ.

19. *In Psalmis*] *In* redundat, ψαλμοῖς. Nec est *in cordibus*, sed *in corde.* Cæterùm *Psalmus* & *Hymnus* utrumque Græcum est: illud significat *cantionem*; hoc, *laudem*, sed propriè *Dei.* Et hæc opposuit ebriis cantionibus.

21. *In timore Christi*] jam frequenter admonui, *in timore* perinde valere ac si dixisset *per timorem.* Hieron. putat hanc particulam sic accipi posse quasi sit genus propositum quod mox dividatur suis partibus; videlicet, *Mulieres subditæ sint viris, Servi dominis, Filii parentibus.*

22. *Subditæ sint*] *Subditæ estote*, ὑποτάσσεσθε. Hieronymus negat hanc particulam addi in Græcis cod. *subditæ sint*, [illegible] hunc sermonem pendere ex capite superiori, *subjecti invicem in timore*: nimirum, *mulieres subditæ viris*, &c. Et tamen [illegible] hodie reperitur in Græcorum codicibus, adjectum, ut appareat, quò & sensus sit dilucidior, & capitulum hoc separatim legi queat, si res ità postulet.

23. *Ipse Salvator corporis*] Καὶ αὐτός ἐστι, *& ipse Servator corporis est.* Et *ejus* pronomen apud Græcos non additur, nec apud Ambrosium, nec apud Hieronymum.

26. *In verbo vitæ*] *Vitæ* apud Græcos non additur, nec apud Ambrosium, nec apud Hieronymum.

27. *Ut exhiberet*] Ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ, *ut adjungeret eam sibiipsi.* Et continuò additur *gloriosam*, ἔνδοξον, deinde τὴν ἐκκλησίαν, i. e. *nempe Ecclesiam.* ¶ *Sancta & immaculata*] καὶ ἄμωμος *irreprehensibilis.* Tametsi *immaculata* non damno.

28. *Ità & viri*] *Et* conjunctio redundat. ¶ *Ut corpora sua*] Ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα, *ut sua ipsorum corpora.*

30. *Corporis ejus*) Potest legi & *ejusdem* pro *ejus*, αὐτοῦ.

31. *Propter hoc relinquet*] Ἀντὶ τούτου, *pro hoc*, vel *loco illius.* Quod quidem annotavit & D. Hieronymus, pro ἕνεκεν τούτου dictum à Paulo ἀντὶ τούτου, quod ferme valet quasi dicas, *Pro patre ac pro matre.* Testimonium assumpsit ex Gen. 2. sed suo more decerpens quod ad præsentem locum commodum videbatur. Nam omissis pronominibus *suum* & *suam* tantùm posuit *patrem* & *matrem.* Deinde quod erat in medio, *& adhærebit uxori suæ*, prætermisit, & annexuit quod sequitur, *& erunt duo in carnem unam*, quod id efficacius sit quàm *adhærere*, nempe è duobus unum hominem fieri. ¶ *Et adhærebit*] Καὶ προσκολληθήσεται, *adglutinabitur*: quæ vox non caret emphasi. Nec est *uxori suæ*, sed *ad uxorem suam.* ¶ *In carne una*] Εἰς σάρκα μίαν, *in carnem unam*: h. e. è duobus fiet unus homo, juxta proprietatem Hebraici sermonis, qui totum hominem *carnem* appellat nonnunquam, nonnunquam *animas* ipsos homines vocat. Itidem apud Græcos δέμας sæpe pro *homine* positum reperies. Verùm de hoc aliàs à nobis dictum est: & item de tropo quo *in unam carnem esse* dicuntur qui sunt una caro.

32. *Sacramentum hoc*] Μυστήριον, *Mysterium.* Id nolui eos nescire qui ex hoc loco faciunt Matrimonium unum ex Sacramentis septem, juxta peculiarem & exactam hujus vocis rationem. Non quòd de hoc sit dubitandum, cùm probabile sit hanc traditionem ab Apostolis, aut certè sanctis Patribus, ad nos usque fuisse profectam. Etiamsi de hoc dubitatum est olim ab orthodoxis Scholasticis, imò diversa comprobata sententia. Nam quod objicitur à nonnullis, à Dionysio, qui ex professo tractat de Sacramentis Ecclesiasticis, singulorum ritus ac ceremonias diligenter explicans, nullam Matrimonii factam mentionem; tum nec in tot voluminibus in quibus Hieronymus

de

de Matrimonio disputat, usquam appellari *Sacramentum*; imò nec ab Augustino, qui in hanc partem Hieronymo propensior etiam De Bonis conjugii scripsit, nomen hoc tribui; quodque his etiam magis mirum videri possit, nec apud Jovinianum, qui patronus erat Matrimonii, usquam de *sacramenti* vocabulo fit mentio. Nam si facta fuisset, erat is locus attingendus Hieronymo diluenti illius libros, præsertim cum id faciat tam accuratè. Atqui hoc telo in primis erat opus Joviniano, conjugium æquanti cœlibatui. Etenim ratiocinari poterat, Si sacramentum est Matrimonium, & Virginitas non est sacramentum, vincit etiam hoc sanè calculo Matrimonii dignitas. Hæc, inquam, atque hujusmodi facilè dissolvuntur ab eruditis. Non igitur hæc dixerim quasi in dubium vocans an sacramentum sit Matrimonium, cujus ego dignitati majorem in modum faveo, sed quòd ex his Apostoli verbis non videatur admodum efficaciter colligi. Siquidem particula adversativa, *Ego autem*, satis indicat *hoc magnum mysterium* ad *Christum & Ecclesiam* pertinere, non ad Maritum & Uxorem. Neque enim in hoc *magnum* est *sacramentum* si vir jungatur uxori; quod & apud Ethnicos fieri consuevit. Id sensit, ni fallor, D. Augustinus edisserens Psalmum 118. ERUNT, *inquit*, DUO IN CARNEM UNAM: *quod magnum sacramentum Apostolus Paulus exponens*, EGO *inquit*, DICO, IN CHRISTO ET IN ECCLESIA. Quanquam idem evidenter explicat lib. De nuptiis ad Valerium, *Quod magnum*, inquit, *sacramentum dixit Apostolus in Christo & in Ecclesia. Quod ergò est in Christo & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis sacramentum.* Simili colore usus est Paulus in Epistola ad Corinthios priore, *Et propter conscientiam*; mox exclusurus errorem, subnectit, *Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Tum, ut dicere cœperam, hoc loco Græca vox non propriè *sacramentum* significat, cujusmodi septem vocat Ecclesia, sed *arcanum* & *secretum*: quo verbo frequenter usus est Paulus & de aliis quæ longè absunt à natura Sacramentorum. Siquidem ad Thessalonicenses scribens & *iniquitatis mysterium* appellat. Rursus 1 Corinth. 13. ubi nos legimus, *Etsi noverim mysteria omnia*, Augustinus ad Valentinum De Gratia & libero arbitrio legit, *Etsi scirem omnia sacramenta*: quasi nihil intersit inter *mysterium* & *sacramentum*. Veteres *sacramentum* appellabant jusjurandum aut religiosam obligationem; opinor, quod hæc arcanis quibusdam ceremoniis peragerentur. Et hic locus fuit à duobus impetitus, quorum alteri respondimus, alter sic rem tractat ut indignus sit cui respondeatur. Neque enim nego Matrimonium esse Sacramentum, sed an ex hoc loco doceri possit propriè dici *sacramentum*, quemadmodum Baptismus dicitur, excuti volo. ¶ *In Christo*] *In Christum*, *& in Ecclesiam*. Tametsi non ignoro accusativum apud Græcos aliquoties idem pollere quod alter casus. Potest autem accipi *de Christo & de Ecclesia*. Nam & in hunc sensum usurpatur à Græcis, εἰς Ἑρμῆν, & εἰς Ἀπόλλωνα, in titulis.

33. *Et vos singuli, unusquisque suam uxorem sicut seipsum diligat*] Hic sermo nec apud Græcos nec apud nos juxta rationem Grammaticæ constat: Neque difficile tamen fuerit ei mederi incommodo ad hunc modum, *Quanquam vos quoque singulatim hoc præstate, ut suam quisque uxorem diligat ut seipsum.* ¶ *Uxor autem timeat*] Gr. *ut timeat*, ἵνα φοβῆται, i. e. *ut revereatur*. Nam in hunc sensum putat accipi posse D. Hieronymus verbum φοβεῖσθαι.

VATABLUS.

2. S*Uavitatis*] Heb. bene olentem & gratum Deo.

3. *Nec nominetur*] *Ne nominetur quidem.*

4. *Scurrilitas*] *Urbanitas scurrilis*, *facetia.* ¶ *Pertinet*,] *Pertinent*, Vet. vel, *quæ non conveniunt.*

5. *Scitote intelligentes*] *Scitis cognoscentes*: vel, *sciatis.* ¶ *Quod est idolorum servitus*] *Qui est idolorum servus*, Vet. vel, *cultor.* ¶ *In regno Christi & Dei*] i. e. In Ecclesia & inter electos.

6. *Venit ira Dei in*, &c.] Heb. ventura est ultio Dei in incredulos. ¶ *Diffidentiæ*] *Inobedientiæ.*

7. *Participes*] *Comparticipes*: i. e. nolite illis socii scelerum esse.

8. *In Domino*] Heb. beneficio Christi. ¶ *Filii lucis*] Heb. ut lucem habentes & cognitionem voluntatis Dei.

9. *Lucis*] *Spiritus.*

10. *Probantes*] Vel, *explorantes*, aut, *expendentes.* ¶ *Beneplacitum Deo*] *Acceptum Domino.*

11. *Communicare operibus infructuosis*] i. e. Nolite sequi opera infructuosa. ¶ *Autem* *] * *Et*, Vet.

13. *Manifestatur*] *Manifestat*; activè, Vet.

14. *Surge*] *Expergiscere.* ¶ *Illuminabit te*] *Illucescet tibi.*

15. *Cautè*] *Circumspectè.* ¶ *Non quasi*] *Non ut.*

16. *Tempus*] Vel, *occasionem*, aut, *opportunitatem*: i. e. omni diligentiâ quærentes occasionem benè agendi.

17. *Dei*] *Domini.*

18. *Luxuria*] Vel, *luxus*: in qua vini temulentiæ est luxus.

19. *Psalmis* *] * *Et.* ¶ *Cordibus vestris*] *Corde vestro.*

21. *Subjecti invicem*] *Subditi vicissim alius alii*: vel, *cedentes vobis invicem*: i. e. sine contentione res sacras tractate. ¶ *In timore Christi*] *Cum timore Dei.*

22. *Viris suis subditæ sint*] *Propriis viris subditæ estote.*

23. * *Ipse*] * *Et.* ¶ *Salvator corporis*] Vel, *qui dat salutem corpori*: i. e. Ecclesiæ.

26. *In verbo vitæ*] i. e. Per fidem in verbum Euangelicum, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.*

27. *Exhiberet ipse sibi*] *Adjungeret eam sibiipsi.* Vet. legunt, *ipsam.* ¶ *Immaculata*] *Irreprehensibilis.*

28. *Corpora sua*] *Sua ipsorum corpora.*

29. *Christus*] *Dominus.*

30. *De carne ejus*, *& de ossibus ejus*] i. e. Per corporis ejus & sanguinis pretium redempti.

31. *Adhærebit*] *Agglutinabitur.* ¶ *In carne una*] *In carnem unam*: i. e. veluti una caro, Heb.

32. *Sacramentum*] *Mysterium.* ¶ *In Christo: & in Ecclesia*] Vel, *de Christo & de Ecclesia*: i. e. quantum attinet ad Christum & ad Ecclesiam.

33. *Autem* *] * *Ut*, Vet. sub. *det operam*; vel, *dico ut*, &c.

CASTALIO.

3. N*E quidem nominetur*] Ità absit ut nulla sit ejus mentio

8. *Tenebricosi*, *nunc lucidi*] Σκότος & Φῶς pro σκοτεινοὶ & φωτεινοὶ dixit, substantivo utens pro adjectivo, ut sæpe; ut cùm *præputium* pro *præputiatis* dixit, & 2 Cor. 3. δόξα pro δεδοξασμένον, & 5. ἁμαρτίαν pro ἁμαρτωλόν, & alia infinita: qualia sunt apud Latinos *scelus* pro *scelerato*, *pernicies* pro *pernicioso*, & *Quantis conducis tenebras*, pro *obscuram domum*, apud Juvenalem.

9. *Est autem lucis*] Φωτὸς rectè legitur in Colinæo, & [illegible] postulat sententia, non πνεύματος.

16. *Ementes tempus*] Nè temporis occasionem amittatis caventes; ut solent diligenter servari quæ empta sunt.

26. *Divinis verbis*] Ἐν ῥήματι per Antonomasiam dictum est pro ἐς ῥήματι Θεοῦ, ut in capite sequenti scriptum est. Dicit autem ῥῆμα quod alibi magis propriè solet vocare λόγον. Eodem modo paulò antè dictum est *pleni Spiritu* pro *pleni Spiritu sancto*, sicut ibi non malè reddidit V. Interpres. Sic Lev. 24. dicitur quidam *nomini convitium fecisse*, h. e. *Dei nomini*. Latini quoque solent *Bonam* dicere pro *bona Dea*, & *rectam* pro *recta cœna*, & *Flaminiam* pro *via Flaminia*; & id ità liberè facere ut modò utrumque modò alterum duntaxat ponant. Quod idem nobis quoque licere puto, dum sententiæ & perspicuitatis habeatur ratio.

CLARIUS.

4. A*Ut urbanitas*] Εὐτραπελία, quam & *facetiam* appellare possumus. Vide quàm exactam à Christianis hominibus requirat Paulus Philosophiam, & quàm nostri ab ea degenerent mores, qui penè nascimur Christiani. At iis qui dudum à cultu simulacrorum & belluina vita recesserant, præcipit Paulus ut non solùm ab obscœnis verbis abstineant, verùm etiam ab iis quæ *faceta* & *urbana* vocantur. Nam post agnitam hanc veritatem nullus hujuscemodi levitatibus locus esse debet. Prohibentur ergò etiam *urbanitates*: at ætas nostra sepulcrum patens est, nec curamus.

6. *Nemo vos seducat inanibus verbis*] *Inanibus verbis seducunt* qui momentaneas oblectationes proponunt. *Propter hæc*, inquit, videlicet *fornicationem*, &c. *venit ira in filios inobedientes.*

13. *Quæ arguuntur à lumine manifestantur: omne enim*] *Quæ revincuntur.* Dum vestris, inquit, factis & dictis probis revincitis & arguitis eorum facta esse scelerata, non jam in illis tenebris degent: & convertent iniquè facta, dum redarguuntur, in opera lucis: hoc enim est *fieri lucem omne quod manifestatur.* Quòd verò id *quod manifestatur atque detegitur lux fiat*, testatur & ipse usus. *Surge enim*, inquit, *qui dormis*, tanquam excitare

tare ab illo affectu quo decumbebas in vitiis: *& surge à mortuis*, quasi è tenebris; sine ut ipsa vitia mortua & turpia, quemadmodum sunt, appareant: quod ubi feceris, *illucescet tibi Christus*. Itaque *quod manifestatur*, efficitur *lumen*, atque illustratur: vel, quod quis in manifesto facere non erubescit, *lumen est*, h. e. tenebrarum expers.

16. *Redimentes tempus*] Nullam omittentes opportunitatem (nam hic καιρὸς *occasionem* & *opportunitatem* sonat) sed eam cum cæterarum rerum dispendio ementes, & dies bonos de *malis* facientes, ac temporis rationem habentes.

20. *Gratias agentes semper pro omnibus*] *Pro omnibus*, inquit, non solùm quæ cedunt ad vota, verùm multò etiam magis pro iis quæ adversa videntur: nam ea in primis sunt salutaria.

26. *Lavacro aquæ in verbo*] Quo verbo? Ipse dixit Apostolis, *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*.

30. *Membra sumus corporis ejus*] Alludit ad illud Gen. 2. *Et ædificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*. Vult ergò significare hoc loco, magis nos junctos esse Christo & corpus unum factos cum illo quàm facta fuit Eva cum Adam: quæ formatio sive unio tantùm typus fuit hujus unitissimæ unionis. Atque hoc est quod ait, *quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus*: &, *Mysterium hoc* Matrimonii *magnum est, ego autem dico in Christum & in Ecclesiam*: tanquam dicat, Unio illa mariti & uxoris vix umbra est illius intimæ unionis Christi cum Ecclesiâ.

31. *Propter hoc relinquet homo*] *Propter hoc*, ut fiat hæc agglutinatio.

32. *Ego autem dico*] Dixi, inquit, hic *magnum* latere *mysterium*: *at ego*, quantum assequi possum, *dico in Christum, & in Ecclesiam*: quasi opinetur altiora etiam subesse mysteria.

33. *Veruntamen & vos singuli*] q. d. Non tamen iccirco hæc altior ac spiritualis interpretatio propriam evertit, de qua dicebamus: stat enim utraque. Quamvis hæc anagogica interpretatio ad commune quiddam spectet, h. e. *ad Ecclesiam, vos singuli tamen, unusquisque suam uxorem diligat*, &c.

ZEGERUS.

4. STultiloquium, *aut scurrilitas*] Inter *stultiloquium* & *scurrilitatem* hoc, teste Hieronymo, *interest, quod Stultiloquium nil in se sapiens & cor de hominis dignum habeat, Scurrilitas verò de prudenti mente descendat, & consultò appetat quædam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, ut risum moveat audientibus*. Verùm & hæc porrò à viris sanctis vult abesse; non quòd omnes jocos & risus penitus interdicat, sed quatenus *ad rem*, inquit, *non pertinent*. Pro *scurrilitate* in Græcis est εὐτραπελία, quod nonnulli *urbanitas* vertunt: verùm hic in malam partem accipi debet, nimirum pro *scurrili urbanitate*. ¶ *Quæ ad rem non pertinet*] Sic lego in Ambrosio & codd. vetustis, cùm Græcè & in paucis sit *pertinent*. ¶ *Sed magis gratiarum actio*] D. Hieronymus existimat hoc loco εὐχαριστίαν dici *non eam quâ gratias agimus Deo, sed quâ grati sive gratiosi & salsi apud homines appellamur. Stultiloquum enim & scurram, non decet esse Christianum: Decet autem sermonem ejus sale esse conditum, ut gratiam apud audientes habeat*. B. verò Ambrosius indicat Apostolum hoc verbo monuisse *ea agenda esse & loquenda quæ ad utilitatem proficiant nostram, & Dei laudem*.

5. *Avarus, quod est idolorum servitus*] Simplicius est ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, h. e. *qui est idololatra*.

9. *Fructus enim lucis*] Cùm huic lectioni suffragentur primùm ipse sermonis ordo, deinde probatissimi interpretes, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Theophylactus, & insuper Marcellinus Papa & Papa Antherus, constat depravatè nunc scriptum καρπὸς τοῦ πνεύματος pro καρπὸς τοῦ φωτός. id quod occasione, ni fallor, accidit illius, *Fructus autem Spiritus est charitas*, Gal. 5.

13. *Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur*] Omnia, inquit, quæ arguuntur, confutantur, accusantur, luce accedente redduntur manifesta. Potest & ità distingui, *Omnia quæ arguuntur à lumine, manifestantur*.

14. *Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus*] De testimonii hujus loco dicendum, aut quòd ex Apocryphis hoc depromspserit Apostolus, non quidem Apocrypha hujusmodi comprobans, sed quomodo & Arati, Epimenidis & Menandri versibus abusus est, ea duntaxat quæ volebat in tempore confirmans; aut quòd mutatis quibusdam verbis, aliis additis, sensum desumpserit ex Jes. 60. ubi sic legimus, *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*. Graphicè explicat hoc verbi Paulinus Nolanus Epist. ad Sever. 12. post carmina, legens quidem cum Græcis, & attingens Christum, sed utramque lectionem exponendo comprehendens.

16. *Redimentes tempus*] i. e. Emendantes, sive per bene facta compensantes. Vide Augustinum ser. De ver. Apost. 24.

18. *In quo est luxuria*] Τῆς ἀσωτίας vocabulum latiùs patet quàm ex *luxuria* simplex lector intelligat. Signum enim *prodigalitatem, lasciviam, luxuriam, intemperantiam, popinationem*, & in summa *omnem fœdum luxum*. ¶ *Implemini Spiritu sancto*] Non adjiciatur *sancto*. Vide Erasmum.

26. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*] *Abluens*, inquit, *eam* à peccatorum sordibus pretiosissimi sui sanguinis *undâ*, purgansque *lavacro* Baptismi *per verbum vitæ*, i. e. per virtutem verbi prolati vitam conferentis æternam. *Vitæ* non habent cod. Græci, nec scriptores antiqui, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus Tract. in Joh. 80. Sedulius, Pseudieronymus, quod ad explanationem attinet; sed nec codices nostri antiquiores.

27. *Ut exhiberet*] Sive *adjungeret eam sibi*, ἵνα παραστήσῃ.

32. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia*] Magnum & ineffabile est hujus conjugii mysterium, Christi, dico, cum sponsa sua Ecclesia. Vide sequentia.

33. *Veruntamen & vos singuli*] Supplendum est *curate, ut unusquisque uxorem suam*, &c. Dixi, inquit, *mysterium hoc ingens esse* & admirandum *in Christo & Ecclesia, & propter Christum & Ecclesiam*; veruntamen non propter id solum, sed etiam in viro & uxore, & propter eorundem indissolubilem unitatem, ut *unusquisque suam uxorem æquè atque seipsum diligat*.

LUCAS BRUG.

5. HOc enim scitote intelligentes, *quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*.] Complutensis excusio, &, quæ ex ea expressa est, Regia, *Qui est idolorum servus*, legunt; quo modo Græci codices, Græcis Interpretibus consentientibus, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης. Porrò MSS. omnia Latina exemplaria, quotquot habemus, numero 36. & cætera typis excusa, concorditer, *quod est idolorum servitus*, servant, adstipulantibus Enarratoribus iis qui nostram editionem explicant; ità ut videatur germana hæc nostræ editionis esse lectio, atque Interpres legisse, ut Gagneius monet, ὅ ἐστιν εἰδωλολατρεία. In Hieronymo est, quod ex parte convenit, *Quod est idolis serviens*; in Ambrosiastro, quod integrè, *Quod est idololatria*. Syrica editio, tam Regia quàm Cæsarea, legit, *Aut avarus, aut cultor idolorum*. Verùm antiquissimum exemplar Syriacum manuscriptum, ex Orientis partibus huc allatum, cujus videndi copiam vir antiquarum linguarum cognitione præstantissimus, Franciscus Raphelengius, nobis fecit, hoc, Græcis consentiens, habet, *Aut avarus, qui est cultor idolorum*. Pro *aut* namque, conjunctione disjunctiva, [illegible] *qui est* habet: id quod Raphelengius ipse, editis cum N. Test. Syriaco manuscripti illius variis lectionibus, jam annotavit.

13. *Omne* *enim [*autem* O. - O.] *quod manifestatur, lumen est*.] Ità habent libri nostri omnes, scripti & impressi leguntque B. Hieronymus, ac cæteri Latini enarratores, antiqui & recentiores, quoscunque vidi. Cæterùm malint recentiores quidam, Cajetanus nominatim, activè *manifestat* legi: quo modo notarunt Parisienses in codice Di. I. scriptum esse. Græcè quod est τὸ φανερούμενον (πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι) quia participium medium est, & activè exponi potest & passive. Activè exposuerunt Syri; passivè tractatores Græci.

27. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*] Græci plerique codices *ipsam* legunt, αὐτήν quo modo est & Latinè in Complutensi opere, ac Regio, unoque Hentenii exemplari. Cætera porrò nostra omnia antigrapha, tum impressa tum scripta, *ipse* servant: quibus Enarratores adstipulantur, Richelius luculenter, Gorranus & Anselmus, suffraganturque duo Græci Parisiensium codices, ε & ια, qui αὐτὸς habent.

H. STEPHANUS.

4. KAὶ αἰσχρότης καὶ μωρολογία ἢ εὐτραπελία] *Et obscœnitas, & stultiloquium vel scurrilitas*: sive, *scurrilis dicacitas*.

16. Ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν] *Redimentes occasionem*: i. e. Non sinentes tempus vobis elabi agendi quæ decet.

18. Ἀσωτία] *Luxus*.

27. Σπῖλον] *Maculam*.

29. Ἐκτρέφει

29. Ἐκτρέφει καὶ θάλπει] *Alit & fovet.*

31. Προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ] *Adhaerebit uxori tanquam agglutinatus.*

33. Ὑμεῖς οἱ καθ᾽ ἕνα] *Vos singuli.*

DRUSIUS.

3. N*E nominetur inter vos*] Nam sensus afficiunt quae saepe nominantur. Ideo David ait de idolis loquens, *Non usurpabo nomina eorum labiis meis*: & Jos. 23. 7. *Nomina Deorum illarum* (Gentium) *non memorabitis.* Quocirca Deus apud Hoseam non vult vocari *Baali*, i. e. *marite mi*, sed אישי *vir mi.* Nam *Baal* commune nomen cum idolis. BAAL, *Jupiter.* BAAL PHEGOR, *Jupiter Phegorius*; sicut dicimus *Jupiter Olympius*: Erat enim *Phegor* nomen montis: Ob eandem causam Judaei non nominant *porcum* apud pueros suos. Nam cùm *porcus* חזיר dicatur, si ejus mentio incidat apud pueros, dicunt דבר אחר *res alia.* Vide Quaestiones meas.

5. *Qui est idolorum servus*] Aut *cultor*, h. e. *idololatra.* Syrus habet *aut idololatra*, ut alius sit *avarus* ab eo qui vocatur *idololatra*, quem Graeca lectio eundem facit. Cui firmando quod Hos. 12. 8. *Omnes labores mei non sufficiunt mihi: iniquitas haec est quae sit peccatum*, verba sunt hominis avari: nam ei nihil satis est. Semper enim avet, quia semper eget; siquidem ei deest tam quod habet quàm quod non habet. *Haec iniquitas*, inquit Propheta, *est peccatum*, h. e. idololatria: nam ità vocatur quandoque, ut Sirach. 49. 5. *Praeter David & Ezeciam & Josiam omnes peccatum commiserunt.* Loquitur de Regibus Juda, quos dicit omnes Deos falsos coluisse praeter tres, qui ab hac labe immunes fuerunt. Sic accipies Thren. 1. 8. *Peccatum peccavit Jerusalem, ideo in commotionem fuit*: & Exod. 32. 21, & 30. *peccastis peccatum magnum.* Hinc etiam intelliges quid sit quod de Jeroboamo passim obvium, *peccare fecit Israëlem.* Instituit enim cultum Vitulorum, quem *peccati* vocabulo Scriptura passim insinuat. Nolo mihi fraudi sit si Hoseae locum novè & seorsum ab aliis sim interpretatus. Fruatur quisque judicio suo: ego hic nemini praescribo; tantùm dico quid mihi videatur. Solem è mundo tollet qui hanc libertatem adimet Ecclesiae.

14. *Surge qui dormis*, &c.] Ex Jeremiae apocryphis desumpta haec putat Georgius Syncellus, cujus verba non pigrabor adscribere, Πλὴν καὶ ὁ μακάριος Παῦλος σπανίως ἐχρήσατό τισιν ἐξ ἀποκρύφων χρήσεσιν, ὡς ὅταν φησὶν ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους πρώτῃ ἐπιστολῇ, Ἃ ὀ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, καὶ τὰ ἑξῆς, Ἠλία ἀποκρύφων. Καὶ πάλιν ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας, ἐκ τῆς Μωϋσέως Ἀποκαλύψεως, Οὔτε περιτομή τι ἐστὶν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις. Καὶ ἐν τῇ πρὸς Ἐφεσίους, ἐκ τῶν Ἰερεμίου λεγομένων ἀποκρύφων, Ἔγειραι ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός. Vide Epiphanium Contra haereses, pag. 141.

25. *Viri, diligite uxores vestras*] *Non solùm diligendas esse uxores, sed etiam honorandas* monent Hebraei. *Honorantur autem cibo ac potu & vestibus pulcris*, sive *decoris*: *quod viro cedit in magnum honorem. Nam consequitur gratiam ob id in oculis Dei & hominum*, Comment. super Aboth, 10. 1.

28. *Debent diligere uxores suas ut corpora sua*] Autor libri qui vocatur *Arbaa Turim*, quem Serarius perperàm *Arba Tura* vocat, ordine primo, qui nuncupatur *Lapis auxilii* sive *auxiliaris*, *Debet homo diligere uxorem suam sicut corpus suum, & honorare illam supra corpus; tum etiam indulgere ei & custodire illam ut custodit unum è membris suis.* In Hebraeo est ראוי לאדם *Convenit homini*, aut *Par est ut homo diligat*, &c.

29. *Nemo unquam carnem suam odio habuit*] h. e. Corpus suum. Nam vir & mulier sunt *una caro*, i. e. unum corpus. Si ergò uxorem suam odit, odit corpus suum; & si eam diligit, diligit corpus suum, h. e. seipsum. Uxor enim altera pars est Hominis, qui constat ex Viro & Foemina. Ideo dictitant *virum absque uxore tantùm esse semihominem*, sive *hominem dimidiatum.* Vide sis Notas nostras in Sulpicium.

SCALIGER.

26. E*N ῥήματι*] *In verbo Dei*, quod implicitam in se gratiae promissionem habet. Ità sine articulo ῥῆμα pro *verbo Dei*, Rom. 10. 8, 17. & 6. 17.

CASAUBONUS.

2. E*Ις ὀσμὴν εὐωδίας*] Utitur hoc loquendi genere & infrà, ad Phil. 4. 18. Sic in fine libri Judith. Vide ad Gen. 8. 21. & ibi Not. Hilderb.

4. Ἡ *εὐτραπελία*] Cùm testetur Aristoteles *εὐτραπελίαν* saepe poni pro *βωμολοχίᾳ*, non dubito sic in hoc loco accipiendam esse vocem. Vide locum Nicom. 4. 8.

CAMERON.

32. E*Γὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν*, &c.] Hoc vult Apostolus, in conjunctione maris & foeminae atque conditione illius conjunctionis elucere imaginem conjunctionis Christi cum Ecclesia: Certè Judaei (teste Munstero) fatentur *creationem foeminae ex costa viri factam esse* להורות לנו זוג האדם העליון יתברך h. e. *ad significandum* (sive *notandum*) *conjugium Viri superni qui benedictus est.* Id quod illi haud dubiè à Majoribus suis acceperunt, ab ipsis tamen perperàm intellectum: nam ignorant planè quae sit Messiae & Ecclesiae conjunctio. Porrò similitudo illa quae intercedit inter ut Viri & Uxoris sic Christi & Ecclesiae conjunctionem, in his duobus potissimùm spectari potest. Ac I. quidem in eo quòd *mulieris caput virum esse* docet Apostolus tum hoc capite v. 23. tum 1 Cor. 11. ità ut eandem habeat rationem Vir ad Mulierem quam Caput habet ad Corpus. Nempe caput & corpus *unum* quidem constituunt, sed hoc tamen inter se discrimine, ut à capite sit motus animalis & sensus, cujus facultas per totum corpus diffunditur: unde fit ut uxorem viro subditam esse oporteat. Quòd si contingit ut Vir qui est non iis praeditus sit dotibus quas conditio capitis requirit (ut in vita usuvenit, quamvis rariùs) id non à primigenia naturae conditione, sed à peccato est ortum. Ut igitur mulier à viro omnia accipit, nisi naturae ordo perturbetur, nihil verò dat, sic planè Ecclesia à Christo omnia accipit, Christo nihil dat praeter amorem & reverentiam, quae duo sola, non perturbato ordine naturae, uxor viro exhibere potest. Deinde, apud neminem viri praeceptum & exemplum valere tantum debet aut potest quàm apud uxorem, nisi turbetur ordo naturae; unde efficitur ut vir uxorem sibi reddat quàm simillimam, (indè veteri proverbio dictum est, *Uxorem esse viri speculum*) sic Christus Ecclesiam suam sibi similem facit tum secundùm animam tum etiam secundùm corpus. In quo tamen elucet duplex discrimen atque disparitas: ac primò quidem illud, Quòd vir hanc uxoris conformitatem non potest aliter efficere quàm praecepto & exemplo, quorum utrumque solum si Christus praestaret nihil fieret; sed Christus facit ut exemplum & praeceptum quod exhibet sit efficax: nam mentem illuminat & cor flectit. Deinde, Non est situm in mariti arbitrio corporis dotes cum uxore communicare, ut sit firmâ valetudine, &c. at Christus hoc facit: etenim *transformat corpus hoc vile nostrum, ut reddat conforme corpori suo glorioso.* Et in hoc item disparitas quaedam est quòd, ut ait Apostolus 1 Cor. 11. *Mulier propter virum est*, (interpretatur nempe illud, *Faciamus Homini auxilium*) at unionis nostrae cum Christo ratio diversa: neque enim nos adjuncti sumus Christo ut Christus auxilium habeat, neque unio nostri cum Christo ulterius tendit: nam in Christo unimur Deo, quae hominis felicitas est summa. II. Alterum in quo ratio similitudinis inter utramque conjunctionem spectatur in eo est quòd Deus Foeminam sic condidit ut eam ex Viri costa effinxerit: Sic enim Ecclesia ex Christo condita est: quod ità accipiendum est. Christus primùm exemplar & archetypus est Ecclesiae: nam dicitur Ecclesia *σύμφυτος γεγονέναι τῷ Χριστῷ* Rom. 6. 5. ideo quòd qualis fuit Christus, talis redditur Ecclesia per Christum. Igitur Christus origo hujus conformitatis est atque exemplar. Deinde à Christo, quicquid in nobis inest hujus conformitatis, profectum est: enimvero *ex ejus plenitudine hausimus omnes.* Denique per Christum ad nos pervenit benedictio. Itaque ut Adam primò conditus est, tum deinde veluti appendix Adami condita est Eva, sic planè Christus veluti fundamentum substratum est Ecclesiae, unde & dicitur *Ecclesia fundamentum*, & Ecclesia *Christo superaedificata*: quò referendum est quòd *Mulier* dicitur *exaedificata ex Viri costa.* Id quod non sine mysterio significatum est illâ lateris Christi pertusione, quae non fuit frustrà, sed certo consilio notata; quâ pertusione factum est ut efflueret sanguis & aqua, sanguis ad expiationem, aqua ad sanctificationem. Atque in ista similitudine conjunctionis utriusque situm est *mysterium* illud *magnum* de quo hoc loco loquitur Apostolus, *Mysterium hoc magnum est: dico autem de Christo & de Ecclesia.* Nam *μυστήριον* dicitur in Scriptura quicquid est obscurum & latet. *Res* verò latet, vel *Signum* rei. Matrimonium autem Adami & Evae *mysterium* dicitur quia signum fuit & typus matrimonii Christi cum Ecclesia. Nam certè prima creatio typus fuit & signum secundae creationis: unde & Apostolus primum Adamum & secundum inter se confert Rom. 5. & 1 Cor. 15. Signa autem *mysteria* etiam appellantur, vel quia rem latentem significant, vel quia non facile est & obvium divinare quae sit signi significatio, ut apud Danielem 2. 28. Deus dicitur

dicitur *revelator mysteriorum*, h. e. arcanorum signorum. Cæterùm quicquid signum est & typus non est continuò Sacramentum. Terra nempe Chanaan typus fuit, sacramentum tamen minimè fuit. Neque verò Sacramenti ratio in eo potissimùm sita est ut signum sit, sed ut sit sigillum & obsignet atque confirmet. Sed quæri potest, Fueritne hæc creandi Mulierem ex Viri costa instituta à Deo ratio ut significaretur conjunctio Christi cum Ecclesia. Et verò si dicamus, consequens esse videtur ut priùs cogitarit veluti Deus de Christo & de Ecclesia quàm de creatione: Id quod non videtur convenire: nam Christi conjunctio cum Ecclesia peccatum præsupponit. RESP. Typi duorum sunt generum. Sunt enim typi qui instituto tantùm significant; quales sunt typi legales: cujusmodi typus non est hæc Mulieris ex Viri costa creandæ ratio. Sunt & typi qui ob similitudinem *Typi* dicuntur, quales sunt typi, ut ità dicam, *naturales*. Nam in operibus Dei etiam diversi generis est similitudo quædam; v. g. Deus hominem creavit ex terræ pulvere, materià informi, jussit lucem splendescere è tenebris, haud dubiè typus est & similitudo (quam etiam Apostolus notavit 2 Cor. 4. 6.) novæ creationis. Hujus generis typus est Mulieris ex Adami costa efformatio. Nec indè propterea sequitur, Deum priùs de Christo dando & Ecclesia redimenda quàm de Homine creando cogitasse consiliumve cepisse; quemadmodum ex eo quòd lux primigenia, splendescens Dei jussu in creatione è tenebris, typus est novæ illius lucis quà in regeneratione tenebræ nostræ illuminantur, non sequitur Deum priùs cogitasse de spirituali ista luce nobis conferenda quàm de prima illa luce creanda.

GUALTPERIUS.

19. Ψάλμοῖς] Ψαλμὸς, *Psalmus*, *Canticum*, ex verbo ψάλλω *cano:* Hebræis מזמור, à radice זמר *putavit*, *præcidit*. In Piel זמר *psallere* significat, *psallendo prædicare*, vel *concisum & numeris distinctum carmen canere*. Propriè refertur ad instrumenta, notatque *modulationes artificiosas certis cæsuris & numeris incisas*. Chald. זמר *cantor*, *Musicus*, Esr. 7. 24. Et זמרא *Musica*, Dan. 3. 5. Peculiarem Psalmorum librum in Scripturis Divinis habemus, qui inscribitur ספר תהלים, i. e. *Liber Laudum*, sive *Hymnorum*. Epigraphe autem illa ob id ità præfigitur quòd Psalmi seu Hymni isti omnes, præterquam quòd varios alios usus habeant præcipuè & potissimùm ad gloriam Dei & nominis ejus celebritatem sint directi. Cujus generis hymnos apud Ethnicos etiam in suorum fictitiorum Deorum laudes compositos esse constat, sicut id abunde docent libri Homeri, Orphei, Callimachi, & aliorum priscorum Theologorum Ethnicorum, in quibus singulis ferme Diis singuli hymni sunt concinnati & decantati. LXX. Interpretes libro Psalmorum præfixerunt titulum τοῦ Ψαλτηρίου· quæ vox Græca est, ut censet Hieronymus in præfatione in hunc librum: Significat autem *organum* seu *instrumentum Musicum quo psallitur*. Hebræis dicitur נבל *Nebel*, quod itidem Græci τὰ νάβλα, & Latini utrosque imitati *nablium* vocare consueverunt. Cæterùm quale fuerit instrumenti genus τὸ ψαλτήριον ex Athenæo colligi quodammodo potest. Affirmat enim libro ejus 14. Apollodorus ψαλτήριον suà ætate vocatum esse instrumentum istud quod Græci μάγαδιν dixere. Μάγαδις autem cum *harpa* nostra vulgata coincidit. Nam ut harpa viginti & unà chordis intenditur, sic olim & μάγαδις, teste Anacreonte apud eundem Athenæum, cùm inquit, ψάλλω δὲ εἴκοσι χορδαῖσι μάγαδιν ἔχων, *psallo viginti chordis, magadin manu tenens*; nimirum volens τῷ ἀρτίῳ χρήσασθαι ἀριθμῷ, τὴν μίαν ἀφελὼν, *uti numero æquali (vel pari) superfluâ neglectâ unitate*. Secundò, ut harpa nostra triangularis est figuræ, ità apud Aristotelem quoque in Problematis ψαλτήρια legimus τρίγωνα, i. e. *psalteria triquetra*. Ex quibus probabiliter apparet, Psalmos olim ad harpam, h. e. ψαλτήριον vel μάγαδιν, decantatos fuisse. Cui rei & Patres astipulantur, Hilarius, Augustinus & alii: Qui quomodo mysticum etiam in hoc instrumento quæsiverint concentum, in ipsorum scriptis videre est.

LUD. CAPPELLUS.

12. Τὰ γὰρ κρυφῇ γινόμενα ὑπ' αὐτῶν αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν] Similis penè est apud Sophoclem sententia in OEdypo Tyranno,

> Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἔσθ' ἃ μηδ' ὁρᾶν καλόν.

20. Εὐχαριστοῦντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων] Πάντων hîc est neutrius generis, non masculini. Idem enim est cum eo quod ait 1 Thess. 5. 18. Ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε. Nempe jubet nos Apostolus gaudere & gratias agere Deo de rebus omnibus, etiam adversis, utpote quæ per Dei benedictionem cedunt in majus nostrum commodum & emolumentum spirituale. Sic & Judæi præcipiunt. R. Jona in libro Timoris, מן הצור על כל הבא על טוב ועל הרע *Lauda Deum de omni eventu, sive prospero sive adverso, & lætare de omni mensura quam admetitur tibi. Nam illud est quod dicitur*, DOMINUM DEUM TUUM DILIGES בכל מאדך OMNI STUDIO ET CONATU TUO. *Et ne calcitres adversus castigationem, sed cogita omnia cessura tibi in bonum, & dicito*, כל דעביד רחמנא לטב *Quicquid Deus miserator facit, in bonum cedit.*

28. *Ità debent viri diligere uxores suas ut sua ipsorum corpora*] Sic R. Jona in libro Timoris, *Da operam*, inquit, *ut honores uxorem tuam, juxta verba Sapientum, qui dixerunt* האוהב אשתו כגופו והמכבדה יותר מגופו *Qui amat uxorem suam ut proprium corpus, & honorat eam magis quam proprium corpus*, h. e. iisdem secum cibis pascit, & cultioribus atque elegantioribus vestibus eam induit.

GROTIUS.

1. Γίνεσθε οὖν μιμηταὶ τοῦ Θεοῦ, *Estote igitur imitatores Dei*] Quod præcipuè fit bene omnibus faciendo, Matth. 5. 48. nam sic *Homo homini Deus*. ¶ ὡς τέκνα ἀγαπητά. *sicut filii charissimi*] *Dei* nempe. Liberorum est patrem moribus referre.

2. Καὶ περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ, *Et ambulate in dilectione*] Περιπατεῖν הלך [*ambulare*] non actum unum aut alterum significat, sed perpetuum vitæ tenorem. ¶ καὶ παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, *& tradidit semetipsum pro nobis*] *In mortem* scilicet, sic & Gal. 2. 20. Adfert maximum dilectionis testimonium, Joh. 15. 13. Rom. 5. 8. & sequentibus. ¶ προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, *oblationem & hostiam Deo*] Hæc duo simul habes & Psal. 40. 7. ubi pro προσφορὰν in Hebræo est מנחה *oblatio*, nimirum *triticea*, de qua vide dicta ad Levit. 2. & Marci 9. 49. quare θυσία זבח [*sacrificium*,] quod alioqui generale est, de *victimis* intelligendum. Similitudo in eo, quod de utroque pars sacrata in honorem Dei imposita altari absumebatur. ¶ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, *in odorem suavitatis*] Usurpatur id & de victimis Levit. 1. 9. & de Μαναά [*libo è simila*.] Levit. 3. 16. ac primùm occurrit in Noæ historia Genes. 8. 21. ריח ניחח [*odorem quietis*,] ubi ad ipsum *Noe* nomen fit allusio. Christus alter Noë, qui ex diluvio vitiorum servat, princeps novi sæculi. Nullum sacrificium Deo potest esse gratius, quàm ubi idem est & Sacerdos & Victima. Accedit quòd in nullo sacrificio perfectior obedientia: & fructus ejus, salus humani generis.

3. Πορνεία δὲ, *Fornicatio autem*] Jam nominat vitia quæ Ephesi maximè regnabant. Sub. πορνείας nomine rectè hic & adulteria comprehendas, ut & Latini sub *stupri* nomine. ¶ καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία, *& omnis immunditia*] Ἀρσενοκοιτία, τριβαδικὴ ἀσέλγεια, λεσβιασμός [*concubitus cum masculis, Tribadum & Lesbidum libido*.] Vide supra 4. 19. ¶ ἢ πλεονεξία, *aut avaritia*] Quia urbs mercatrix Ephesus 50. 2. de eo quòd certo loco dare oportet. In talibus autem urbibus maximè regnat per fas & nefas rem augendi cupido,

> *Nam non quæritur unde habeas, sed oportet habere.*

¶ μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν, *nec nominetur in vobis*] Simile loquendi genus 1 Corinth. 5. 1. nemo Christianus illis nominibus vel suspectus sit. ¶ καθὼς πρέπει ἁγίοις· *sicut decet sanctos*] Quia ad sanctitatem nemo pervenit, nisi prius liberetur à talibus vitiis.

4. Καὶ αἰσχρότης, *Et turpitudo*] Quam αἰσχρολογίαν vocat Coloss. 3. 8. *inverecundiam in verbis*, quam Stoïci probabant. Vide Ciceronis epistolam ad Papirium Pætum 9. 22. in Glossario αἰσχρολογία, *turpiloquium*. ¶ καὶ μωρολογία, ἢ εὐτραπελία, *& stultiloquium, aut scurrilitas*] Id est, μωρολογία quam [*stultiloquium* quod] homines ὑποκορίζοντες [*honestum nomen prætexentes*] vocant εὐτραπελίαν [*urbanitatem*.] Talia sunt dicta Mimorum, item Parasitorum in Comœdiis Græcis & Latinis. Qui talibus dictis scatent γελωτοποιοὶ Græcis, *ridicularii* Latinis. Talia verò personam graviorem, qualis est hominis Christiani, non decent. Egregiè hunc locum explicat & γελωτοποιοὺς [*ridicularios*] illos describit Chrysostomus Homilia 6. in Matthæum. ¶ τὰ οὐκ ἀνήκοντα. *quæ ad rem non pertinent*] In Manuscripto ἃ οὐκ ἀνῆκεν [*quæ non conveniunt*] לא יעשה [*quod non est faciendum*.] ¶ ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία. *sed magis gratiarum actio*] Sermonis vestri præcipua materia sit *gratiarum actio* pro beneficiis à Deo acceptis. Confer quod infra 19. 20.

5. Τοῦτο γάρ ἐστε γινώσκοντες, *Hoc enim este cognoscentes*] Imperativum potiùs esse reor quàm indicativum: nam & sic paris sensûs monitum Paulus inchoat 1 Corinth. 6. 9. μὴ πλανᾶσθε [*ne erretis*,] & ἐστὲ γινώσκοντες [*este cognoscentes*] pro

γινώσκετε

γινώσκετε [*cognoscite*] circumlocutio Græca; at in Manuscripto est *ἴστε γινώσκοντες* [*scitote cognoscentes*,] id est, *bene scitote*, locutione Hebræa. ¶ *ὅτι πᾶς πόρνος, quòd omnis fornicator*] Id est, *scortator*. Sic enim nostri scriptores hanc vocem usurpant ut ostendimus. Universalis vox sequente negatione apud Hebræos est pro negativa universali, ut jam sæpe vidimus. ¶ *ἢ ἀκάθαρτος, aut immundus*] Hi sunt *μαλακοὶ* [*molles*] & *ἀρσενοκοῖται* [*masculorum concubitores*] in dicto ad Corinthios loco. ¶ *ἢ πλεονέκτης, aut avarus*] Habes & hoc dicto ad Corinthios loco, *fraudatorem* interpretatur Cyprianus Epistola 52. ¶ *ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, qui est idololatra*] Rectè, ut & Colossens. 3. 5. nam pro Deo habent *Mammonam*, id est, divitias, Matth. 6. 24. in iis spes totas collocant; iis totos se devovent; earum causâ nihil non faciunt. Par loquendi genus est, *quorum Deus est venter*, Philipp. 3. 19. Facit pulchrè huic dicto explicando locus Philonis *περὶ μοναρχίας* [*de Monarchia*] primo, *Διελέγχων οὐ δὲ μετρίως τοὺς φιλοχρημάτους, οἳ πανταχόθεν μὲν ἀργύριον καὶ χρυσίον ἐκπορίζουσι, τὸ δὲ πορισθὲν, ὡς ἄγαλμα θεῖον, ἐν ἀδύτοις θησαυροφυλακοῦσιν, ἀγαθῶν αἴτιον καὶ τῆς συμπάσης εὐδαιμονίας τοῦτ᾽ εἶναι νομίζοντες* [*Avaros non mediocriter arguens, qui cùm undique argentum & aurum quærant, acquisitum non secus ac divinam imaginem in penetralibus recondunt, dum hanc bonorum atque universæ adeò felicitatis causam putant.*] Idem libro de Præmiis & pœnis, *τὰ πάθη τῆς ἡδονῆς* [*affectus voluptuarios*] vocat *τὰ εἴδωλα* [*Idola.*] ¶ *οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ. non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*] *Regnum Christi est in judicio, regnum Dei post judicium*, 1 Cor. 15. 24. Hebræi dicerent אין לו חלק בעולם הבא [*pars ei non est in venturo seculo.*]

6. *Μηδεὶς ὑμᾶς ἀπατάτω κενοῖς λόγοις· Nemo vos seducat inanibus verbis*] Similis monitio 1 Cor. 3. 18. Notat autem Philosophos qui docebant nihil mali esse in incestibus & *ἀρσενοκοιτίᾳ* [*concubitu cum masculis*·] & qui laudabant *κοινογαμίαν* [*communes nuptias*·] & qui putabant vendentibus & ementibus licitum circumvenire se invicem, ideo quòd volenti non fiat injuria, & leges civiles id permittant; sed & Judæos qui *omnibus Judaïzantibus*, quomodocunque vixissent, partem fore dicebant *in seculo altero.* ¶ *διὰ ταῦτα γὰρ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ, propter hæc enim venit ira Dei*] *Divina ultio*, Rom. 1. 18. Coloss. 3. 6. ¶ *ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. in filios diffidentiæ*] *In eos qui Evangelium spernunt*, supra 2. 2. Coloss. dicto jam loco, בנים לא אמן בם [*infideles filii*] Deut. 32. 20.

7. *Μὴ οὖν γίνεσθε συμμέτοχοι αὐτῶν. nolite ergo effici participes eorum*] Quales illi qui describuntur Psalm. 50. 18. & Job. 34. 8.

8. *Ἦτε γάρ ποτε σκότος, Eratis enim aliquando tenebræ*] Per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem*] hîc *σκότος* [*tenebræ*] esse dicuntur qui alibi *ἐν σκότει* [*in tenebris*] Rom. 2. 19. 1 Thess. 5. 4. qui in magna rerum bonarum ignorantia versantur. Vide Rom. 3. 12. ¶ *νῦν δὲ φῶς ἐν Κυρίῳ. nunc autem lux in Domino*] *Illuminati per Christum*, supra 1. 18. Impletur in vobis mysterium lychni incensi in templo: & similes estis Angelo de quo Dan. 10. 6. ¶ *ὡς τέκνα φωτὸς περιπατεῖτε. ut filii lucis ambulate*] Locutio Hebræa בני אור [*filii lucis*] quæ significat *homines luce perfusos*. Sic & 1 Thess. 5. 5. pro eodem *ambulare in luce* dixit Johannes 1 Epist. 1. 7.

9. *Ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ πνεύματος, Fructus enim Spiritus*] In Manuscripto *ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ φωτὸς* [*fructus enim lucis*] quod cum præcedentibus meliùs cohæret. His opponuntur mox *ἔργα σκότους* [*opera tenebrarum.*] Hebræorum mos est *fructuum* nomine appellare opera, Matth. 3. 8. Joh. 15. 16. Gal. 5. 22. ex quo loco hæc lectio à scribis malè mutata est. hoc autem comma totum per *παρένθεσιν* [*interpositionem*] legendum est. ¶ *ἐν πάσῃ ἀγαθωσύνῃ, in omni bonitate*] Rom. 15. 14. Gal. 5. 22. ¶ *καὶ δικαιοσύνῃ, & justitia*] Quæ opponitur *τῇ πλεονεξίᾳ* [*avaritiæ*] quam supra damnavit. ¶ *καὶ ἀληθείᾳ. & veritate*] Quæ opponitur *mendacio*, quod itidem damnavit supra 4. 25.

10. *Δοκιμάζοντες τί ἐστιν εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ. Probantes quid sit beneplacitum Domino*] Pendet hoc à verbo *περιπατεῖτε* [*ambulate:*] nam absolutâ *παρενθέσει* [*interpositione*] reditur ad cœptum sermonem. Quod hîc dicit, idem est cum eo quod dicitur Rom. 12. 1, 2.

11. *Καὶ μὴ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τοῦ σκότους, Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*] Participes se faciunt etiam qui laudant talia aut approbant: Rom. 1. 32. ubi dicta vide. *Opera tenebrarum*, verè *ἄκαρπα*, [*infructuosa*;] nullum enim fructum ferunt, nisi exitium, Rom. 6. 21. Gal. 6. 8. supra 4. 22. ¶ *μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε. magis autem & redarguite*] Ex præscripto Levit. 19. 17. ubi in Græco *ἐλεγμῷ ἐλέγξεις τὸν πλησίον σου* [*reprehensione reprehendes proximum tuum*] הוכח תוכיח [*corripiendo corripies:*] quæ est Hebræis inter leges jubentes ducentesima & quinta.

12. *Τὰ γὰρ κρυφῇ γινόμενα ὑπ᾽ αὐτῶν, αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere*] Meritò dixi reprehendendos esse illos qui turpia loquuntur aut faciunt: nam nisi id fiat, audebunt clam etiam turpiora. *Nota sunt ista ubi incipiunt, & nox pudorem adimit*, teste etiam Tacito.

13. *Τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα, ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται· Omnia autem quæ arguuntur à luce manifestantur*] Cùm ista reprehendantur ab homine luce divina perfuso, tunc apparet quàm sint turpia. ¶ *πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι. omne enim quod manifestat lux est*] Πᾶν [*Omne*] puto hîc esse accusativum: & *φανερούμενον* Atticâ formâ, sensu activo, qualem & supra habuimus 1. 32. *Lux*, id est, quod rem quamvis detegit. Sic quales sint cujusque actiones is qui luce divinâ perfusus est & videt, & ut alii videant facit. Trajectiones vocum tales frequentes Paulo, qualis & infra 27.

14. *Διὸ λέγει. Propterea dicit*] *Propterea lux illa*, id est, homo luce perfusus dicit alteri. ¶ *Ἔγειραι ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοὶ ὁ Χριστός. Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus*] Epiphanius & alii dicunt hoc esse ex Apocryphis Jeremiæ: & fieri potest ut fuerit, sed non addita voce Χριστός [*Christus*,] qui illis temporibus in hoc sensu non congruit. Sunt non eadem verba, sed sensus prope idem Esaiæ 26. 19. & 60. 1, 2. Sed mihi non videtur Paulus locum aliquem adducere, sed dare *luci*, id est, homini luce perfuso, verba quæ eo digna sunt. Vita in peccatis & Somno comparatur Rom. 13. 11. & Morti supra 2. 1. Somnolenti nihil boni agunt, mortui etiam nocent odore. [illegible] qui purgati sunt dat Christus *τὸν φωτισμὸν* [*illuminationem*,] de quo supra 1. 18. & Matth. 28. 19. Alii codices hic habuere *ἐπιψαύσεις τοῦ Χριστοῦ* [*continges Christum*,] sed minùs rectè, ni fallor.

15. *Βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε. Videte itaque quomodo cautè ambuletis*] *Videte quomodo possitis vitam instituere exactam:* id enim est *ἀκριβῶς*. Vide Dan. 7. 16. Sap. 19. 17. Matth. 2. 8. Luc. 1. 3. 1 Thess. 5. 2. Et est hîc indicativus pro potentiali more Hebræo. ¶ *μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ᾽ ὡς σοφοί. non quasi insipientes, sed ut sapientes*] Philosophos per allusionem nominis *ἀσόφους* [*insipientes*] vocat, ut alibi *περιτομὴν, κατατομὴν* [*circumcisionem, concisionem.*] Illi inania sapiunt, vos & certa, quippe à Deo revelata, & in æternum profutura. Contraria nomina dat Israëlitis Moses Deut. 32. 6. nempe respiciens ad tempora idololatriæ.

16. *Ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι. Redimentes tempus quoniam dies mali sunt*] Sic & Coloss. 4. 5. *Tempora sunt plena periculis* ob hominum in vos odia. Hæc locutio est ex Gen. 47. 9. eadem in Psal. 49. 6. *ideo redimunt tempus*, id est, quovis labore ac verborum honestis obsequiis vitate pericula, & diem de die ducite. Hæc locutio est Dan. 2. 8. ubi in Græco, *ὅτι καιρὸν ὑμεῖς ἐξαγοράζετε* [*quoniam tempus vos redimitis.*]

17. *Διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, Propterea nolite fieri imprudentes*] *Estote ut serpentes*, Matth. 10. 16. ¶ *ἀλλὰ συνιέντες τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου. sed intelligentes quæ sit voluntas Domini*] *Ita tamen ut semper attendatis quid Christus jusserit.* Vide supra 10. plus est *συνιέναι* quàm *γινώσκειν*, ut apparet ex hoc loco collato cum Luc. 12. 47. *γινώσκειν* est *nosse*: *συνιέναι*, *attentè expendere.* *Voluntas Dei est sanctificatio nostra*, 1 Thess. 4. 3.

18. *Καὶ μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, Et nolite inebriari vino*] Major hac in re temperantia à Christianis exigitur quàm à Judæis priori tempore. Crevit gratia, crescere debent & virtutes. Malum mos perditum ire, vel ad tempus, id quod Deus nobis optimum dedit. ¶ *ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία, in quo est luxuria*] Græci *ἄσωτον* vocant quem Latini *perditum*, quæ verba specialiter quidem eum denotant, qui rem patriam avitamque prodigit; nam hoc esse *citò perire* dixit Martialis: verùm etiam transferuntur ad omne genus hominum ita immersorum vitiis, ut eorum salus deplorata sit; quod plerunque evenire solet ebriosis. Est enim ebrietas omnium vitiorum & mater & nutrix. Gellius 7. 11. *nequam hominem* Græcè vertit *ἄσωτον*, & aliis vocibus *ἀκόλαστον, ἀχρεῖον, ἄχρηστον* [*incastigabilem, nullius frugi, improbum.*] Servavit Græcam vocem Syrus, eandemque posuit 1 Petr. 4. 3. & Chaldæi verbum זלל [*comessari*] Prov. 23. 20. vertunt אסוט [*Azath:*] & nomen זולל [*comessator*] Prov. 23. 21. vertunt אסוט [*azath.*] Alexis,

Εἶτ᾽ οὐχ ἁπάντων ἐστὶ τὸ μεθύειν κακὸν
Μέγιστον ἀνθρώποισι καὶ βλαβερώτατον;
[*At nonne pestis pessima est mortalibus*
Ebrietas, atque damnum damnosissimum?]

Crobylus,

> *Τὸ γὰρ ἐνδελεχῶς μεθύειν τίν' ἡδονὴν ἔχει,*
> *Ἀποστεροῦντα ζῶνθ' ἑαυτὸν τοῦ φρονεῖν,*
> *Ὃ μέγιστον ἡμῖν ἀγαθὸν ἔσχεν ἡ φύσις;*
> [*Quanam est voluptas ebriulare perpetim,*
> *Vivumque sese orbare mentis regimine,*
> *Quod maximum est humana natura bonum?*]

¶ *ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι. sed implemini in Spiritu*] Opponit res in aliquo similes: illi *vino* implentur, vos *Spiritu*: illud illis gaudium parit, hoc verò quanto justius vobis? vide *ἀντίθετον* [*oppositum*] simile Actor. 2. 15, 16.

19. *Λαλοῦντες ἑαυτοῖς, Loquentes vobismetipsis*] *Inter vos*, ut supra 4. 32. ¶ *ψαλμοῖς, psalmis*] תהלים [*laudes*] Hebræis, Græcè ψαλμοὶ [*Psalmi*] vocantur eximia carmina illa Davidis & aliorum, quæ in templo cytharis & nabliis aptari solebant. In his multa sunt quæ Christiani apud Christianos utiliter recitare possunt. Cæterum Christianos veteres assa voce cecinisse, non *μετ' ὀργάνων* [*cum instrumentis*,] docet responso ad orthodoxos 107. quisquis ille scriptor est Justino addi solitus. ¶ *καὶ ὕμνοις, & hymnis*] Ὕμνοι [*Hymni*] dici videntur extemporales Dei laudes ex occasione natæ, Actor. 16. 25. Adde quæ diximus ad Matth. 26. 30. ¶ *καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς. & canticis spiritualibus*] ᾠδαὶ שירים [*cantica*] sunt *carmina præmeditata*, non sine arte aliqua, qualia illa Exod. 15. 1. Deut. 31. 19. Jud. 5. 12. 2 Sam. 22. 1. 1 Reg. 4. 32. bene autem addidit *πνευματικαὶ* [*spiritualia*.] nam sunt & aliæ *ᾠδαὶ* [*cantica*] quales de quibus Amos 8. 10. sic & Coloss. 3. 16. Simile supra 1. 3. ¶ *ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες, cantantes & psallentes*] Sive vestra, sive aliena recitantes. Tertullianus Apologetico, *Ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere.* In Manuscripto est *ἐν χάριτι ᾄδοντες* [*in gratia canentes*:] non malè, ut & Coloss. 3. 16. ¶ *ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, in corde vestro*] Corde consentiente cum oris sono, Oseæ 7. 2. Vide 1 Cor. 14. 15. hoc est, משכיל [*carmen intellectûs*] in Psalmis. ¶ *τῷ Κυρίῳ. Domino*] In honorem Christi. *Carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem*, Plinius epistolâ de Christianis.

20. *Εὐχαριστοῦντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων, Gratias agentes semper pro omnibus*] *De omnibus bonis acceptis semper gratias habentes* Deo Patri, ut causæ principi, Esai. 63. 7. ¶ *ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, in nomine Domini nostri Jesu Christi*] Supra 3. 21.

21. *Ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Χριστοῦ. Subjecti alii aliis in timore Christi*] Nempe secundùm ordinem naturalem, civilem, ecclesiasticum. Quæ omnia nobis servanda *propter Christum*, ne ejus favorem amittamus. Alii libri habent *ἐν φόβῳ Θεοῦ* [*in timore Dei*.] sed *ἐν φόβῳ Χριστοῦ* [*in timore Christi*] habet & noster ille quo tam sæpe utimur Manuscriptus, nec aliter Syrus & Arabs. Rectè autem hic notarunt eruditi *ὑποτασσόμενος* [*subjectus*] esse sono passivum, sensu reciprocum: quomodo verba formæ Niphal sæpissimè usurpantur apud Hebræos. Est autem id frequentissimum in verbo *τάσσεσθαι* [*ordinari*] & inde deductis. Sic & in sequentibus.

22. *Αἱ γυναῖκες τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθε, Mulieres viris propriis subditæ estote*] Vir in id conditus ut imperet: id initio fuit naturale, 1 Cor. 11. 8. 1 Tim. 2. 13. postea ob vitia hominum factum pœnale, Genes. 3. 16. Rursum in Euangelio suave redditum propter imaginem Christi & Ecclesiæ. Idem sensus Coloss. 3. 18. 1 Tim. 2. 12. Tit. 2. 5. 1 Petri 3. 1, 5. ¶ *ὡς τῷ Κυρίῳ. sicut Domino*] *Sicut vos mulieres Christo paretis, sic & ob Christum viris parete*: nam vir Christi imago.

23. *Ὅτι ὁ ἀνήρ ἐστι κεφαλὴ τῆς γυναικός, Quoniam vir caput est mulieris*] 1 Cor. 11. 3. imperium in uxorem vir habet naturæ privilegio & gentium jure. Menander,

> *Τὰ δευτερεῖα τὴν γυναῖκα δεῖ λέγειν·*
> *Τὴν δ' ἡγεμονίαν τῶν ὅλων τὸν ἄνδρ' ἔχειν*
> [*Partes secundas quæ sapit credat suas*
> *Matrona: summam cedat imperii viro.*]

Philemon,

> *Ἀγαθῆς γυναικός ἐστιν ὦ Νικοστράτη,*
> *Μὴ κρείττον' εἶναι τ' ἀνδρὸς, ἀλλ' ὑπήκοον·*
> *Γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρα, κακόν ἐστι μέγα*
> [*Bona mulieris, o Nicostrata, est dare*
> *Non imperiosam; sed morigeram se viro:*
> *Viro superior fœmina, immensum est malum.*]

Menander,

> *Ἡ δ' οἰκία ἐν ᾗ πάντα πρωτεύει γυνὴ*
> *Οὐκ ἔστιν ἥτις πώποτ' οὐκ ἀπώλετο*
> [*Nam quos penates fœmina arbitrio suo*
> *Moderatur, illos certa pernicies manet.*]

Josephus adversùs Appionem 2. instituta Mosis describens, *Γυνὴ δὲ χείρων φύσει ἀνδρὸς εἰς τὰ πάντα* [*Mulier naturâ ad omnia est inferior viro.*] Deinde, *Τοιγαροῦν ὑπακουέτω μὴ πρὸς ὕβριν ταῦθ' ἡγουμένη, ἀλλ' ἵν' ἄρχηται. Θεὸς γὰρ ἀνδρὶ τὸ κράτος ἔδωκε* [*Sit igitur dicto audiens, neque hæc in sui contumeliam, sed eò dicta sciat, ut se regi patiatur. Viro enim Deus imperium dedit.*] ¶ *ὡς καὶ ὁ Χριστὸς κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας. sicut & Christus caput Ecclesiæ*] Supra 1. 22. 4. 15. Coloss. 1. 18. 2. 19. ¶ *καὶ αὐτός ἐστι σωτὴρ τοῦ σώματος. & ipse est salvator corporis*] Nihil non facit Christus pro salute Ecclesiæ, quæ dicitur *corpus ipsius* 1 Cor. 12. 27. supra 1. 23. 4. 12. sic & viri nihil non facere debent, ut uxores & hic protegant, & ad salutem perducant æternam. *ἀνταπόδοτον* [*Redditivum*] sequitur infra 25. nam priùs vult Apostolus id inferre quod priori parti hujus commatis respondet, venturus deinde ad partem alteram.

24. *Ἀλλ' ὥσπερ ἡ ἐκκλησία ὑποτάσσεται τῷ Χριστῷ, sed sicut Ecclesia subjecta est Christo*] Ἀλλὰ [*sed*] hic est ut Corinthus Grammaticus ait sæpe esse, *παρακελευσματικόν* [*adhortativum*,] quomodo & אך [*sed*] sæpe Hebræis. *Ecclesia libenter se Christo subjicit.* ¶ *οὕτω καὶ αἱ γυναῖκες τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ἐν παντί. ita & mulieres viris suis in omnibus*] Nempe *ἐν Κυρίῳ* [*in Domino*] Coloss. 3. 18. *intra limites disciplinæ*, ut loquitur Tertullianus. Clemens Strom. 7. *Πάντα μὲν τῷ ἀνδρὶ πειθομένη, ὡς μηδὲν ἄκοντος ἐκείνου πρᾶξαι ποτὲ, πλὴν ὅσα εἰς ἀρετήν τε καὶ σοφίαν διαφέρειν νομίζεται* [*in omnibus morigera viro, ita ut nihil unquam illo invito faciat, nisi si quid ad virtutem & sapientiam facere videatur.*]

25. *Οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησε τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea*] Id est, ita eam amavit ut ejus bono morti se traderet, quo nullum amoris testimonium majus. Vide supra 5. 2. Tiberius Gracchus salutem uxoris suæ prætulit, Valerius Maximus 6. 1. Vocem *ἑαυτῶν* Græci de omnibus personis usurpant.

26. *Ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ, Ut illam sanctificaret*] *Ut ei Spiritum suum sanctum daret* velut conjugale munus. ¶ *καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι. mundans eam lavacro aquæ in verbo*] Subintelligendum *ὡς* [*quasi*.] *postquam eam mundasset verbo suo, quasi balneo.* Sicut in *lavacro*, quod רחצה Cant. 4. 2. aut in mari Æneo templi (nam & hoc & illud *λουτρὸν* [*lavacrum*] dicitur, *ἐξηγητικῶς* [*explicativè*,] ut *lutum cœni* Hebræis, & similia) sordes corporis deponuntur, ita per verbum Euangelii, nempe fide perceptum, sordes animi. Vide quæ dicta ad Joh. 3. 5. Est autem in his verbis allusio ad ritum Baptismi ut & Tit. 3. 5, 6. 1 Petr. 3. 21. Quales allusiones jam pluribus locis habuimus.

27. *Ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, Ut exhiberet ipsam sibi gloriosam Ecclesiam*] Trajectio rursus, pro *ἵνα παραστήσῃ ἑαυτῷ αὐτὴν ἐκκλησίαν* (illam nempe de qua jam agi cœpit) *ἔνδοξον* [*ut exhiberet sibi Ecclesiam illam gloriosam.*] In Manuscripto fortè rectiùs *αὐτὸς ἑαυτῷ παραστήσῃ* [*ipse sibi exhiberet*] *sibi admoveat*, quod verbum Christo similiter tribuitur Coloss. 1. 22. Apostolis 2 Cor. 11. 2. singulis Christianis de se Rom. 6. 13. Ἔνδοξον [*gloriosam*,] id est, *magnificam*, qualis Salomonis uxor, כבודה [*inclyta*,] Psalm. 45. 14. ¶ *μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα, non habentem maculam aut rugam*] Σπίλος vel *σπίλωμα* sunt *sordes* צאה Esai. 28. 8. ubi LXX. vertere *σπιλωμάτων* [*sordium*,] Theodotion *δυσαλίας.* ἢ ῥυτίδα, [*aut rugam*] *Rugam similem.* Prius illud significat Christianos carere debere vitiis: alterum vegetos semper esse debere ad agenda ea quæ recta sunt. ¶ *ἤ τι τῶν τοιούτων, aut aliquid ejusmodi*] Non cæcam, non claudam: quæ omnia hîc ad animum referenda. ¶ *ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος. sed ut sit sancta & immaculata*] Quales victimæ esse debebant in veteri Lege *sanctæ*, id est, solemniter Deo oblatæ per sacerdotes: *& sine illis vitiis quæ* מום, id est, *μῶμοι* [*maculæ*] dicuntur Levit. 21. 16. & sequentibus, 22. 20. Exod. 29. 2. & Levitic. 1. 3. תמים [*integer*] vertitur *ἄμωμος* [*immaculatus*.] Videat, cui id vacat, illa Legis loca, quæ notavimus. Salomon sponsæ suæ, quæ Ecclesiæ referebat imaginem, מום אין בך, *μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί* [*macula non est in te.*]

28. *Οὕτως ὀφείλουσιν οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶν τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα. Ita viri debent diligere uxores suas ut corpora sua*] *Ut unam carnem*, Gen. 2. 24. Extant eadem quæ hic sunt verba in libro Hebræo Arbaa Turim, ut ab aliis notatum. Sicut corpus instrumentum animi, ita uxor instrumentum viri ad res domesticas, ad quærendos liberos. Amare debent nempe eo modo, ut non monitis tantùm, sed & exemplo sanctæ vitæ uxoribus præeant, sicut Christus suis præivit. ¶ *ὁ ἀγαπῶν τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, ἑαυτὸν ἀγαπᾷ. qui suam uxorem diligit,*

seipsum

seipsum diligit] Sunt enim conjuges unum quid per individuam vitæ societatem.

29. Οὐδεὶς γάρ ποτε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit*] Curtius libro 7. *Corporibus nostris quæ utique non odimus*. Seneca Epistola 14. *Fateor insitam nobis esse corporis nostri charitatem*. Et hinc argumentum petit Seneca simile planè huic Apostolico libro de Clementia 1. 5. ubi principi sic loquitur, *Si, quod adhuc colligitur, animus reipublicæ tu es, illa corpus tuum, vides, ut puto, quàm necessaria clementia sit: tibi enim parcis cùm videris alteri parcere*. ¶ ἀλλ' ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτήν, *sed nutrit & fovet eam*] *Curam gerit corporis ut alatur & vestiatur*, nam θάλπειν [*fovere*] ut & θερμαίνειν [*calefacere*] est *vestire*, Job. 31. 20. Jacob. 2. 16. θάλπω [*foveo*] idem quod θερμαίνω [*calefacio*,] itaque חמם utrovis modo vertitur. *Generi animantium omni à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur*, ait Cicero de Officiis 1. ¶ καθὼς καὶ ὁ Κύριος τὴν ἐκκλησίαν. *sicut & Dominus Ecclesiam*] Nutrit eam verbo & Spiritu, vestit virtutibus.

30. Ὅτι μέλη ἐσμὲν τοῦ σώματος αὐτοῦ, *Quia membra sumus corporis ejus*] *Singuli*, 1 Cor. 12. 27. ¶ ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. *de carne ejus & ossibus ejus*] Locutio Hebræa & Punica, de qua diximus ad Genes. 2. 24. 29. 14. 2 Sam. 5. 2. Sensus hoc loco *ex carne ejus & ossibus crucifixis*, id est, ex passione ejus prædicata & credita, *ortum habuit Ecclesia*. Sicut autem modò allusit ad Baptismum, ita hic ad Eucharistiam, in qua corpus & sanguis Domini sumuntur Sacramentali modo. In Manuscripto tamen absunt hæ voces: & potest fieri ut aliquis ad marginem adscripserit.

31. Ἀντὶ τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. *Propter hoc relinquet homo Patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam*] Id est, sicut Christus nihil tam carum habuit quod non nostri causâ abdicaverit, ita nos quoque tanquam conjugii fide ipsi conglutinari debemus, Joh. 17. 21. In Manuscripto: προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ [*adhærebit uxori*,] quomodo Matth. 19. 5.

32. Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν· *Mysterium hoc magnum est*] Id est, verba ista quæ apud Mosem extant explicavi vobis non κατὰ πόδας [*ad verbum*,] sed sensu μυστικωτέρῳ [*abstrusiore*,] בדרוש [*expositione allegorica*.] Sic & Hebræi ajunt, *mulierem de latere viri desumptam ad significandum conjugium viri supremi, benedicti*. Quæ autem in Vetere Testamento applicantur Deo, ea Christo applicantur in Novo. Dixit autem hic Paulus, ἀντὶ τούτου [*propter hoc*] pro eo quod in Græco Geneseos est ἕνεκεν τούτου על כן [*ideirco*.] Sic ἀνθ' ὧν sæpe habemus pro *quia*. ¶ ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστόν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. *ego autem dico in Christum, & in Ecclesiam*] *Verba ista*, inquit, *ego usurpavi de Christo, & Ecclesia*.

33. Πλὴν, *Verumtamen*] Quanquam iste locus μυστικῶς [*arcano sensu*] sic rectè explicetur, tamen & κατὰ πόδας [*ad verbum*] à vobis impleri debet. πλὴν hic est אך *attamen*. ¶ καὶ ὑμεῖς οἱ καθ' ἕνα, *& vos singuli*] Vos singuli. ¶ ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα οὕτως ἀγαπάτω ὡς ἑαυτόν. *unusquisque uxorem suam sic diligat ut seipsum*] *Suam quisque sic diligat ut se*. Ut supra 28. ¶ ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα. *uxor autem ut timeat virum*] Et hic est trajecta vox ἵνα [*ut*:] & ἵνα φοβῆται [*ut timeat*] est pro φοβείσθω [*timeat*.] *Timere* autem hic obedire significat, quomodo & ירא Hebræum sumi solet: & est hoc monitum & in libro Musar.

CAP. VI.

ERASMUS.

1. IN *Domino*] Hæc particula non additur apud Ambrosium, nec in Commentariis, haud scio an casu omissa. Hieronymus indicat geminam distinctionem. Potest enim hæc clausula *in Domino* referri vel ad verbum *obedite*, vel ad nomen *parentibus*. *Parentes in Domino* sunt qui nos sacrâ doctrinâ genuerunt Christo. *Obediunt* autem *parentibus suis in Domino* qui illis amore Christi obtemperant, modò nè præcipiant impia: nam his qui obediunt, non *obediunt in Domino*. Prior distinctio, quam refert Hieronymus, esset probabilior si fuisset additus articulus, γονεῦσι τοῖς ἐν Κυρίῳ. verùm tunc excluderet naturales parentes, de quibus haud dubiè Paulus hic loquitur.

2. *In repromissione*] Quidam conjunctim legunt *primum in repromissione*. *Primum*, non simpliciter, quia in Decalogo quartum habet locum lex De honorandis parentibus, sed *primum in repromissione*, quòd huic uni sit addita merces, *ut bene sit tibi, & sis longævus*. Hanc solutionem non satis probat Hieronymus, quòd in secundo quoque mandato sit adjuncta repromissio *faciens misericordiam in millia*: ac subjicit aliam, ut accipiamus *primum mandatum* totum Decalogum, quòd hæc lex primùm sit lata Hebræis post relictam Ægyptum. Nè hoc quidem commentum illi satisfacit: Sequeretur enim quòd omnibus præceptis esset adjuncta repromissio: at Paulus hoc tribuit huic præcepto tanquam peculiare. Nec multò solidius est quod adferunt recentiores, Hoc præceptum esse *primum* in secunda tabula. In priore præcipiuntur ea quæ spectant ad cultum Dei, eaque sunt quatuor; in secunda, quæ pertinent ad proximos, & in hoc ordine principem locum tenet præceptum De honorandis parentibus. Verùm hæc distinctio non est fundata in S. literis, sed est commentum recentiorum Theologorum. Meâ sententiâ dici posset quòd huic uni præcepto addita est promissio, non illa generalis quæ frequenter fit observantibus præcepta Dei, sed propria & peculiaris. Congruit enim ut qui pius est in eos à quibus vitam accepit, lætè diuque fruatur illâ. Secundo verò mandato adduntur & minæ, ac misericordia quæ promittitur generaliter ad omnia Legis præcepta pertinet. Verba Decalogi sic habent, *Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, qui reddo peccata patrum in filios usque ad tertiam & quartam generationem iis qui me oderunt; & faciens misericordiam in millia iis qui diligunt me & custodiunt mandata mea*. Ità Decalogus. Hic porrò sermo generalis est, *qui custodiunt mandata mea*. In altero præcepto promissio est peculiaris, & tanquam uni dicitur, *ut bene sit tibi*. Admonet & illud Hieronymus, quòd Apostolus omiserit novissima verba testimonii quod citat ex Exodo: illic enim habetur, *ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*. Ex his postrema verba studio prætermisit Apostolus, nè Judæi crederent aliam terram sibi esse exspectandam per Messiam: cùm enim Moses illam legem ferret, nondum pervenerant ad terram fluentem lacte & melle. Videmus autem Scripturam ubique populum rudem lactare fœcundissimæ. Unde quod hic Apostolus ait, hoc præceptum fuisse *primum in repromissione*, sic accipi potest ut intelligamus non quamvis promissionem, sed illam quâ potissimùm ducebantur Judæi: Hujus autem mentio primùm fit in hoc præcepto. Nec est necesse ut cum Hieronymo confugiamus ad Allegoriam; siquidem Augustinus docet etiam impiis pro quibusdam benefactis à Deo rependi præmia temporaria, veluti pro pietate in parentes. Quòd si non omnibus qui pietatem in parentes coluerunt contingit felix longævitas in hoc mundo, nihil necesse est sub generali proloquio comprehendi singula citra exceptionem: quanquam Paulus non dixit *& bene erit tibi, & eris longævus*, sed, *ut bene sit tibi, & sis longævus*. Talibus enim officiis provocatur Deus ad dandam rerum vitæque prosperitatem, non obligatur. Chrysostomus & huic assentiens Theophylactus indicant ideo *primum in repromissione* dictum quòd Exodi 20. cætera præcepta tantùm vetant mala, *Non adorabis Deos alienos; Non assumes nomen Dei tui in vanum; Non facies opus Sabbato; Non occides; Non mœchaberis; Non furtum facies; Non loquêris adversùs proximum falsum testimonium; Non concupisces rem, non uxorem*, &c. at qui abstinet à vetitis, pœnam quidem effugit sed nihil præmii promeretur. Cæterùm cùm ait, *Honora patrem & matrem*, non vetat malè facere, sed jubet benefacere cui debetur præmium. Juxta hoc commentum præceptum De honorandis parentibus non modò *primum* est in repromissione, verùm etiam solum. Illud rectè annotarunt, repromissionem convenire filiis adolescentibus, quòd illa ætas præ cæteris optat diu ac suaviter vivere.

3. *Et sis longævus*] Καὶ ἔσῃ, *& eris*. Quanquam hoc loco ambiguum est. Potest enim referri ad ἵνα· potest & absolutè legi, ut *&* conjunctio sonet consequentiam eventûs, *Si hoc feceris, eris*.

4. *Et vos, patres*] *Vos* redundat: nam Græcis subauditur. ¶ *In disciplina & correptione*] Ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ, *in eruditione* (sive *institutione*) *& admonitione*. Nam id verbi magis arridet D. Hieronymo, quippe mollius quàm *correptio*, quo usus est Ambrosius. Quanquam non satis intelligo unde irrepserit verbum *conversationis* in libris primùm à Frobenio nostro excusis, in quibus legitur *in disciplina & conversatione Domini*. Cæterùm utraque vox Græcis anceps est. παιδεία tum *eruditionem* significat tum *castigationem*, à *puero* dicta; νουθεσία *admonitionem* & *objurgationem* sive *correptionem*, indè dicta quòd *in animum* alicujus *ponas & ingeras* quid factum oporteat aut oportuerit.

5. *Dominis carnalibus*] Τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα, *dominis secundum carnem*. Verùm id rectè mutavit, ut effugeret

amphibologiam, nè quis *secundum carnem* referat ad *servire*.

6. *Non ad oculum servientes*] Græcis vox est composita, μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν. q. d. *non juxta oculare servitium*, si quis studeat verbum verbo reddere. ¶ *Hominibus placentes*] Et hic composita vox est, ἀνθρωπάρεσκοι, multò jucundior quàm Latina periphrasis, sed Interpres non potuit reddere. Sonat q. d. *homoplacitos*, eos qui student probari hominibus potiùs quàm Deo.

7. *Cum bona voluntate*] Μετ' εὐνοίας, *cum benevolentia*. Mirum cur id Interpres putarit immutandum. Mihi sanè non admodum arridet quod Augustinus ex hoc dicto colligit, servos non debere flagitare libertatem à dominis Christianis, quòd lex Mosaïca septimo quoque anno voluerit omnes servos manumitti. Tametsi non negarim verum esse quod dixit. Siquidem Paulus hic agit etiam de dominis ethnicis, non modò Christianis. Vult enim servum Christianum amore Christi fideliter servire domino suo, quemadmodum vult Christianos cives obtemperare Principum idololatrarum imperatis. Et si fas non est servis flagitare eam libertatem, tamen parùm Christianum videtur, Christianos dominos non id concedere servis suis quod lex illa multò Christianâ inclementior indulsit suis. Imò turpe videtur, inter Christianos omnino nomen Heri aut Servi audiri: cùm enim Baptismus omnes fratres reddat, qui convenit fratrem fratri servum appellari? Sit hoc sanè cui videtur juris Cæsarei, modò nè juris Euangelici, juxta quod servus ex animo morem gerit domino, dominus contra servum tractat ut fratrem in Christo. ¶ *Servientes sicut domino*] *Sicut* adverbium redundat, nec additur ab Ambrosio. Sentit enim hoc obsequii quod impenditur impiis aut morosis dominis, non impendi hominibus, sed Christo, cujus amore servus fert hominis tyrannidem, nè quod offendiculum ponat Euangelio. Apud Chrysostomum additur ὡς, sed ex enarratione parùm liquet quid legerit. Theophylacti commentum magis indicat ὡς non additum; alioqui dicendum erat, *servientes sicut Domino, & non sicut hominibus*. Ei dicimur *servire* unde præmium exspectamus: eoque mox subjicit Apostolus, *unusquisque quod fecerit bonum, à Domino recipiet*.

9. *Remittentes minas*] Ἀνιέντες τὴν ἀπειλήν, *relaxantes minas*, h. e. minùs feroces, minusque minabundi. Vult enim eos esse minùs imperiosos quàm sint ethnici in suos. ¶ *Quia & illorum & vester Dominus*] Εἰδότες ὅτι καὶ ὑμῶν αὐτῶν, *scientes quod & vester ipsorum Dominus est in cælis*: ut sit sensus, *cum sciatis & vobis esse Dominum in cælis, quem vereri debeatis*. Ambrosius & Hieronymus legisse videntur ὑμῶν τε καὶ αὐτῶν, i. e. *vester simul & illorum*: ut intelligas *communem ambobus Dominum*.

10. *Fratres*] *Mei* pronomen additum est apud Græcos, ἀδελφοί μου. Porrò nec Hieronymus nec Ambrosius addit *fratres*: τὸ λοιπὸν autem meliùs vertisset, *Quod superest*.

11. *Induite vos armaturam Dei*] Πανοπλίαν. Ea vox semel significat quicquid ad armandum in pugnam militem pertinet: q. d. *omnia simul arma quæ ad virum pertinent*. Unde paulò inferiùs admonet D. Hieronymus vertendum fuisse non *arma*, quod Græci dicunt ὅπλα, sed *universa arma*, πανοπλίαν. Et Ambrosius legit *universitatem armorum*. Cyprianus alicubi vertit *tota arma*. ¶ *Adversùs insidias*] Μεθοδείας, idem quod antè verterat *circumventionem*. Ambrosius legit *adversùs nationes*, sed codice, opinor, depravato. Fortè scriptum erat *rationes*. Nam μέθοδος *ratio* est, sed *rei aggrediendæ*. Est autem μεθοδεία, si quis ex insidiis aggreditur alium. Hieron. legit & interpretatur *contra versutias Diaboli*. Quanquam hic potuisset vertere *calumniatoris*.

12. *Colluctatio*] Ἡ πάλη, *lucta*. ¶ *Mundi rectores*] Κοσμοκράτορας, *mundi dominos*: quam dictionem planè novam nec usquam alibi repertam D. Hieronymus putat à Paulo primùm fictam fuisse, quò novis rebus explicandis nova accommodaret vocabula. Est autem Græcis dictio composita, atque idcirco commodiùs cohæret genitivus *tenebrarum harum*. Tertullianus libro Adv. Marc. 5. κοσμοκράτορας vertit *munditenentes*. Hilarius in Psalm. vertit *mundipotentes*, non ineleganter effictâ compositâ dictione. ¶ *Tenebrarum harum*] Gr. τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, *tenebrarum hujus seculi*. ¶ *Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*] Quod Faber admonet, posse accipi *in cælestibus* pro eo quod est *adversùs cælestes*, id sermonis Græcanici ratio nullo modo patitur, meo quidem judicio. Jam quod inibi graviter stomachatur adversùs superstitiosos Astrologos & prognostas, ut demus non sine causa factum, certè non suo actum est loco. Porrò *spiritualia nequitiæ* dixit pro *spirituales nequitias*, seu potiùs *versutias*: est enim Græcè πονηρίας. Ambrosius in libro De paradiso, cap. 12. sic invertit, ut sensum explicet, *adversùs nequitiam spiritualium quæ sunt in cælestibus*.

13. *Et in omnibus perfecti stare*] Gr. καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, *omnibus confectis, (sive perfectis) stare*; i. e. *postquam omnia perfeceritis stare*. Hieronymus legit atque exponit *omnia operati stare*. Cyprianus item in epistola quarti libri sexta, *ut cum omnia*, inquit, *perfeceritis, stetis accincti lumbos vestros*, &c. Quemadmodum nihil non facit miles quò possit hosti resistere ac suam tueri vitam, ità nobis omnia sunt facienda cum spiritibus assiduè luctaturis. Jam ut hæc quidem indicasse non magni negotii judico, ità non arbitror tutum hæc minuta vel nescire vel negligere. Quid enim si Theologus hic mihi prolixo & elaborato sermone multa philosophetur de *perfectè stantibus*, aut *imperfectè stantibus*, nonne Græcè peritis risum moveret? nec id sane injuriâ. Chrysostomus admonet non simpliciter dictum ἐργασάμενοι, i. e. *postquam feceritis* sed κατεργασάμενοι, i. e. *posteaquam perfeceritis omnia*. Persistit autem Apostolus in Metaphora Belli. Multa sunt militum munia, Circumdare fossam, Attollere aggerem, Castra munire vallis, Expedire arma, Depellere hostem. His omnibus gnaviter peractis, superest ut stent, semper accincti ad prælium. Multis enim victoria adfert securitatem & otium: securitas mutatis vicibus ex victoribus facit victos. Quod Apostolus senserit de vigilantia militari, declarat quod mox sequitur, *State igitur succincti*, &c. Thomas IN OMNIBUS interpretatur *in prosperis & in adversis*: & occasione hujus nominis *perfecti* facit duplicem Perfectionem, unam juxta modum viatoris, alteram juxta plenitudinem patriæ. Quæ rectè dicta fateor, sed parùm suo loco. Mihi subolet Latinos codices hic fuisse depravatos, & Interpretem vertisse *ut possitis omnibus perfectis stare*: non enim arbitror eum legisse κατειργασμένοι.

14. *State ergo succincti*] Περιζωσάμενοι, *accincti*, sive *circumcincti*, h. e. muniti. Nam ea pars corporis balteo laminis conserto tegi solet in bello: Ad quem nunc alludit Apostolus. Ac D. Hieronymus hunc enarrans locum meminit *zonæ pelliceæ* quâ legitur accinctus fuisse Joannes Baptista: ac mox meminit *baltei spiritualis*. Quin & adagium illud à militia sumptum est, *Zonam perdidit*. Muniuntur & Pedes & Tibiæ ad prælium: utcunque JCti negant Calceamenta *armorum* nomine contineri. Ambrosius duplicem Zonæ usum indicat, & quod subductâ veste reddit hominem expeditum, & quod munit medii corporis mollia. Hoc adjicere visum est, quod intelligo doctis magis probari *subligaculi* vocem quàm *baltei*.

16. *Tela nequissimi*] Βέλη τοῦ πονηροῦ, *tela mali* (sive *scelesti*) *illius*.

17. *Galeam salutis*] Τοῦ σωτηρίου, *salutaris*. Atque ità legit Hieronymus in Commentariis. ¶ *Assumite*] *Capite*, δέξασθε.

19. *Et in ipso vigilantes*] Καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο, *& in ipsum hoc vigilantes*, quemadmodum legit Ambrosius. Incertum apud Gr. an referatur ad *Spiritum* an ad Rem, quod πνεῦμα apud illos sit neutri generis. ¶ *In omni instantia*] Ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει· de quo superiùs. Ambrosius legit *perseverantia*.

19. *Cum fiducia*] Ἐν παῤῥησίᾳ, quæ propriè *libertas* est & *audacia loquendi*: quod Ambrosius vertit *exserte*. ¶ *Notum facere*] Cur non potiùs *ut notum faciam*?

20. *In catena ista*] *Ista* redundat. Nec est apud Ambrosium, nec apud Hieronymum, ac nè in vetustissimis quidem exempl. nominatim Paulino ac Donatianico, suffragante utroque Constantiensi. ¶ *In ipso audeam*] Ἵνα παῤῥησιάσωμαι. Quod verbum explicans Ambrosius dicit *ut in ipso exsertâ libertate utar, prout oportet me loqui*. Nec est *ità*, sed *ut*, ἵνα παῤῥησιάσωμαι, i. e. *ut audeam*.

21. *Charissimus frater noster*] Ἀγαπητός, *dilectus*: atque ità legit Hieronymus, quod hic veluti datâ operâ semper vertit *charissimus*.

22. *Ut cognoscatis quæ circa nos sunt*] Τὰ περὶ ἡμῶν, *quæ de nobis sunt*, h. e. res nostras & statum nostrum.

23. *A Deo Patre nostro*] *Nostro* non additur nec apud Græcos, nec apud Hieronymum, nec apud Ambrosium, ac nè in Paulino quidem exemplari. Suffragabatur uterque Constantiensis.

24. *Incorruptione*] Ἐν ἀφθαρσίᾳ· quod aliàs rectè verti solet *immortalitas*, hic sonat *integritatem ac sinceritatem animi, vacantis omni corruptelâ vitiorum*. Hieronymus non approbat eos qui ἀφθαρσίαν propriè ad corporis castimoniam applicant. Astipulatur nobis Chrysostomus & Theophylactus, qui & illud admonent, præpositionem ἐν hic idem pollere quod διὰ, *per*. Sic enim diligitur Christus, si nos servemus incontaminatos ab hoc seculo. Apud Ambrosium non additur *Amen* in calce

hujus

hujus Epistolæ; nec licet ex illius Commentariis conjicere quid legerit.

VATABLUS.

2. IN *promissione*] Vel, *promissionem habens adjunctam.*

4. *In disciplina & correptione*] *In eruditione & admonitione*, id est, date eis vivendi modum secundùm doctrinam & monita Christi. Vox Græca significat etiam *castigationem.*

6. *Quasi hominibus placentes*] *Velut hominibus placere studentes.*

7. *Bona voluntate*] *Benevolentia* : id est, amicè & non gravatè.

9. *Remittentes minas*] i.e. Minùs feroces aut minabundi. ¶ *Illorum & vester*] *Vester ipsorum.*

10. *De cætero*] *Quod superest.* ¶ *Fratres* *] * *Mei. Confortamini in Domino*] *Sitis fortes per Dominum* : i.e. constanti & forti animo estote adversùs Satanam, freti auxiliatore Domino & potenti fortitudine ejus.

11. *Vos* *] * *Omnem.* ¶ *Insidias*] Vel, *insultus*, vel, *insidiosos congressus.*

12. *Adversus*] Sub. *Tantùm*, more Hebr. ¶ *Carnem & sanguinem*] Hebr. periphrasis *homines* notans & *humana omnia.* ¶ *Principes*] *Principatus.* ¶ *Mundi rectores*] *Mundi dominos.* Græcè unica dictio est, κοσμοκράτορας. ¶ *Tenebrarum harum*] *Seculi hujus* : i.e. adversùs imperatores hujus mundi tenebrosi, Heb. ¶ *Spiritualia nequitia in cælestibus*] *Spirituales nequitias in aëre.*

13. *Accipite* *] * *Universam.* ¶ *Et in omnibus perfecti*] *Et omnibus perfectis*, Vet.

14. *Loricam*] *Thoracem.*

15. *In præparationem Euangelii pacis*] i.e. Ut parati sitis ad Euangelium pacis annunciandum.

16. *In quo*] *Per quod.*

17. *Salutis*] i.e. Salutarem, sive fidem in Christum.

18. *In Spiritu*] i.e. Cum favore Spiritûs: h.e. cum intimo & fervent spiritu. ¶ *In ipso*] i.e. Ad hoc ipsum. ¶ *Instantia*] *Sedulitate.*

19. *Ut detur mihi sermo in apertione oris cum fiducia*] Heb. ut detur mihi aperto ore loqui liberè, ut notum faciam arcanum: vel, ut quoties os meum aperio docendi causâ, mihi detur sermo absque dicendi metu, ut, &c.

20. *In ipso*] *De ipso*, Heb.

21. *Quæ circa me sunt*] *Quæ de nobis sunt* : i.e. res nostras & statum nostrum. ¶ *In Domino*] i.e. In negotio Domini, in Euangelio administrando.

22. *Quæ circa nos sunt*] *De rebus nostris.*

24. *Incorruptione*] Vel, *sinceritate*, *integritate.*

CASTALIO.

6. AD *oculum serviendo*] Simulatè, non verè.

12. *Spiritus malitiæ*] *Spiritualem malitiam.* Τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας dixit quomodo Latini *plana camporum* & *ardua montium* pro *planis campis* & *arduis montibus.* ¶ *In rebus cælestibus*] Intelligo, in Euangelii & Religionis negotio quæ in Euangelio *cælum* dici solet.

CLARIUS.

1. PRimum *in promissione*] Primum inter mandata quæ habent conjunctam promissionem. Quam? *Ut bene tibi sit*, &c.

4. *Nolite ad iracundiam provocare filios*] Ut ii qui hæreditate privant, aut serviliter admodum imperant.

7. *Servientes Domino, & non hominibus*] Arbitrantes *servire vos Deo, & non hominibus.* In eundem sensum dixit ad Corinthios, *Pretio empti estis* : *nolite fieri servi hominum.*

12. *Adversus carnem*] Hebraïsmus est, sicut & illud, *Caro & sanguis non revelavit tibi* : &, *Continuò non contuli cum carne & sanguine.* Significat ergò, hostes quibuscum luctamur non esse visibiles, ut sunt Homines. ¶ *Mundi dominos*] Per *mundum* accipe sceleratos homines: qui dicendi modus in Euangelio frequens est. ¶ *Contra spirituales astutias in cælestibus*] h.e. Pro cœlestibus: vel, quæ insidiantur cœlestibus, sive Spiritûs S. donis, ut iis spoliemur, q.d. Lucta hæc non est exiguis de rebus, sed de cœlorum Regno. Quocirca assumit, inquit, non unum tantùm armorum genus, sed *universam armaturam.* Et vide ut Divinitus in modum armet Christianum virum; qui si ità armatus his oculis cerni posset, quàm admirandum sui spectaculum præberet? Hunc ergò in primis, ut mos est militum, accingit & constringit. Nam defluentes vestes impedimento sunt. Cingulum autem vult esse *Veritatem* dogmatum & vitæ; nè quid simulatum, nè quid dolosum sit in nobis ex ulla parte, quasi defluens. Cætera deinceps arma tute contemplare: non enim hic est exspatiandi locus.

15. *Calceati pedes in præparationem Euangelii pacis*] Videtur alludere ad illud Esaïæ, *Quàm pulcri pedes Euangelizantium pacem?*

17. *Galeam salutaris*] *Salutis*, h.e. spei. [*Gladium Spiritûs*] h.e. *Spiritualem gladium*, more Hebræo: vel certè *gladium ipsius Spiritûs.*

18. *Orationem & obsecrationem*] Προσευχῆς καὶ δεήσεως· ut προσευχὴ sit cùm petimus ut nobis contingant bona; quod est propriè *obsecratio.* δέησις verò, *deprecatio*, cùm petimus ut liberemur à malis. Sic Græci interpretantur.

ZEGERUS.

2. QUod *est mandatum primum in promissione*] *Primum* dixit non ordine, sed *per promissionem* huic uni præcepto adjunctam, nempe hanc, *Ut longo vivas tempore, & bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* *Primum* etiamnum vocatur quia & in altera Tabula & inter ea quæ ad Hominem pertinent primum occupat locum.

4. *Correptione Domini*] Quæ sit *correptio Domini* Paulus Hebræis scribens expedit, *Quem diligit Dominus corrigit*; *flagellat autem omnem filium quem recipit*, Heb. 12. Talis sit ergò patris correptio, charitate temperata & ex charitate profecta.

9. *Remittentes minas*] h.e. Inter minandum nè nimiùm sitis graves atque molesti.

12. *Adversùs mundi rectores tenebrarum harum*] *Mundi rectores* Græcis una dictio est, κοσμοκράτορας, atque ideo molliùs cohæret genitivis *tenebrarum harum.* ¶ *Contra spiritualia nequitiæ*] Perinde valet quasi dicat *contra spirituales nequitias.*

14. *Succincti lumbos*] Ex tenore verborum palàm fit respexisse Apostolum ad balteum illum militarem lumbos circumcingentem contutantemque.

15. *Calceati pedes in præparatione Euangelii*] *Calceati*, inquit, *per præparationem Euangelii pacis*, ut parati sitis & ipsi per Euangelii iter incedere, & alios ad idem docendo præparare, ἐν ἑτοιμασίᾳ.

24. *In incorruptione*] i.e. In animi integritate, & in fine omni vitiorum inquinatione. Quemadmodum enim virginem *corrumpi* dicimus, & ità anima vitiorum sordibus violatur. Propterea & alio loco idem hic Apostolus, *Timeo*, inquit, *nè sicut serpens Hevam seduxit, ità corrumpantur sensus vestri*, 2 Corinth. 11, 3.

LUCAS BRUG.

13. UT *possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.*] Manuscriptum Germani latum, & textus Glossæ Ordinariæ, quam à D. Lævino Torrentino scriptam habemus, habent, *Et omnibus perfectis stare*: id quod conforme est Græcorum codicum Græcorumque enarratorum lectioni, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, quam D. Hieronymus κατὰ πόδα reddidit, *Et universa operati stare.* B. Cyprianus, epistolâ sextâ libri quarti, scribit, *Ut cum omnia perfeceritis stetis*; M. N. Augustini Hunnæi exemplaria, D & K literis signata, habent, *Et in omnibus perfectis stare*, hunc fortè legendi modum, quem diximus, referentia, *in* præpositione ex vulgata lectione redundante. Cæterùm, ut habet vulgata lectio, quæ est in plerisque omnibus Latinis libris, ita exposuit olim Autor Scholiorum quæ in Hieronymi exstant operibus, unaque Primasius: Haymo item, Autor Glossæ, hujusque scholia, atque alii. Quin & Syricum Testamentum huic lectioni accedere videtur: scribit enim, *Et, postquam præparati fueritis in omni re, consistatis.* Quid si Syrus Latinusque Interpres præterito passivo κατειργασμένοι legerint?

H. STEPHANUS.

4. MH' παροργίζετε] *Ne irritate.*

6. Μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι] *Non ad oculum servientes, ut qui hominibus placere student*: i.e. non fungentes suo officio propter herum qui inspiciat, aut inspecturus sit.

11. Πρὸς τὰς μεθοδείας] *Adversùs insidias*; vel, *artes callidas.*

 15. Τὸ-

15. Ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης] *Habentes pedes calceatos præparatione Euangelii pacis*: i.e. Præparati cognitione Euangelii.

18. Προσκαρτερήσει] *Perseverantia.*

20. Πρεσβεύω] *Legatione fungor.*

DRUSIUS.

12. ADversùs imperia, &c.] De his unus ex autoribus Commentariorum super librum Aboth, fol. 83. pag. 2. *Debet homo intelligere ac scire, à terra usque ad firmamentum, quod* RAKIA, i.e. *Expansum, appellant, omnia plena esse turmis & præfectis, & infrà plurimas esse creaturas lædentes & accusantes, omnesque stare ac volare in aëre; neque à terra usque ad firmamentum locum esse vacuum, sed omnia plena esse præpositis, quorum alii ad pacem, alii ad bellum, alii ad bonum, alii ad malum, ad vitam & ad mortem incitant. Ob id compositum fuit Canticum occursuum, quod incipit*, SEDET IN OCCULTO SUPREMUS. ¶ *Rectores tenebrarum*] Nam eorum imperium in regiones mediam & supremam aëris, quæ lumine carent, quòd eousque radii Solis non regerantur. Sed expende. Nam Joseph Castiliensis de his turbis, quas אכלוסין, i. e. ὄχλους, vocat, loquens, ait *eas versari in habitaculo inferiore, in quo nos sumus.*

19. *In apertione oris mei*] Ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου. Id Syrus dixit פתחא דפום. Ebraicè autem diceretur פ בפתוח, ut Prov. 8. 6. *Apertio labiorum meorum æquitates*: ubi codex Ebræus habet פ מפתח *ad apertionem*, i. e. לפתוח, idem ferè cum illo *ad aperiendum os meum*. Vide Theodorum. ¶ *Cum fiducia*] Alius *cum libertate*. Græcè est. ἐν παῤῥησίᾳ, quod Rabbini dicunt בפרהסיא. Id sonat in eorum lingua *palam, apertè, manifestò, propalam, publicè, in propatulo*: quod & בפרסום dicunt, & in opposito habet בסתר & בצנעא *clam, in occulto.* Ità sumitur ἐν παῤῥησίᾳ Joh. 11. 14. & Mar. 8. 32. Vide, si placet.

24. *In incorruptione*] *Cum incorruptione. In* pro *cum* notius est quàm ut probari debeat. Sic in Hellenistica ἐν pro σὺν usurpatur, & in Ebraismo ב pro עם. *Gratia cum incorruptione*, h. e. *incorruptibilis*, sive *quæ non corrumpitur*: sic Interpres è Syria, quem sæpius laudo, nec immeritò.

GUALTPERIUS.

14. TὸΝ θώρακα] Θώραξ, *thorax*, seu *pectus*. Sic dicta à veteribus ea pars corporis quæ à collo ad pudenda usque trunca pertendit, definiente Aristoteles De Animal. c. 7. Secundò θώραξ capitur pro *veste & armatura quæ eam corporis partem ambit*; ut vice versâ ζώνη *ea pars corporis* dicitur *quam cingulum ambit*. Habet & alias significationes vox θώραξ, de quibus in Lexicis. Luth. *Angezogen mit dem Krebs der Gerechtigkeit*. Chald. שריון *Lorica*. Syrus habet שרינא.

JAC. CAPPELLUS.

9. ET vos, domini, paria facite cum illis servis, relaxatis minis] Seneca Ep. 47. *Servi sunt? imò homines. Servi sunt? imò contubernales. Servi sunt? imò humiles amici. Servi sunt? imò conservi. Arrogantia proverbium est, Totidem esse hostes, quot servos. Non habemus illos hostes, sed facimus. Sic tu cum inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem velles vivere.*

LUD. CAPPELLUS.

19. EN ἀνοίξει τοῦ στόματος] Ἄνοιξιν στόματος phrasis est Rabbinica, פה פתחון, frequens in eorum scriptis. In Bereschith rabba, Paraschâ 1. quærit Rabi quidam cur liber Geneseos incipiat à litera Beth, non verò à litera Aleph; respondetque, שלא ליתן פתחון פה למינים, *Nè daretur oris apertio hæreticis*, h. e. Nè haberent hæretici aliquid quod jure excipere & objicere possent adversùs Legem; vel potiùs, Nè habeant Christiani (quos isti solent vocare מינים) aliquid quo nos redarguere & convincere possint. Postulat ergò Paulus sibi à Deo dari quod illi volunt nobis esse in Lege negatum. Est autem ducta (uti videtur) phrasis illa ex Scripturæ dictis, *Aperiam os meum in parabolis* Psal. 78. 2. & Job. 32. 20. *Loquar*, inquit Elihu, *aperiam labia mea*. Et 33. 2. *Aperio os meum*, &c. Sic alibi sæpe, cùm res magna agitur. Hanc phrasim secutus est Matthæus cap. 5. 2. ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ ἐδίδασκεν αὐτούς.

GROTIUS.

1. TA' τέκνα, Nati] Hoc sic dictum ut modo αἱ γυναῖκες [*mulieres.*] ¶ ὑπακούετε τοῖς γονεῦσιν ὑμῶν ἐν Κυρίῳ *obedite parentibus vestris in Domino*] Vide supra 5. 24. rectè ad hunc locum Hieronymus; *Peccatum filiorum est non obedire parentibus: & quia poterant parentes aliquid imperare perversum, adjunxit, in Domino.* Vide quæ de hac re & de dominorum imperiis dicta à nobis 2. de Jure Belli ac Pacis 26. 3. ¶ τοῦτο γάρ ἐςι δίκαιον. *hoc enim justum est*) כשר [*rectum*] quid enim æquius, quàm ut eis obsequare, per quos in rerum naturam introductus es, quibus parem gratiam nunquam possis reddere. Rectè Antiphanes,

> Τοῦ γὰρ πατρὸς κρατεῖν μὲν αἰσχύνην φέρει.
> Ἡττωμένῳ δὲ δόξα νικητήριον
> [*Nam res pudore digna est, Patrem vincere;*
> *A patre vinci nobilis victoria.*]

& Latinus,

> *Ames parentem si æquus est, si non, feras.*

2. Τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα· *Honora patrem tuum & matrem*] Sic & LXX in Decalogo. Diximus in fusiore nostro ad Decalogum commentario sub verbo τιμᾶν [*honorare*] comprehendi & curam ne quid eis necessariorum desit. Quò spectant illæ Græcorum sententiæ,

> Ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς
> [*Senes parentes qui fovet, vivet bene.*]

ita &,

> Ἔλπιζε τιμῶν τοὺς γονεῖς πράξειν καλῶς
> [*Quisquis parentes bene colit, speret bene.*]

adde Proverb. 13. 1. ¶ ἥτις ἐςὶ πρώτη ἐντολὴ ἐν ἐπαγγελίᾳ *quod est mandatum primum in promissione*] Verum est: nam quod præcedit, *Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*, generale est & ad totam Legem pertinet, & præterea opponitur minis præcedentibus: hoc verò speciale. Ac sapienter, loquens quasi pueris, qui cœlestia & æterna nondum concipiunt animo, ostendit ex hoc facto promitti id quod homines, simul ac aliquâ ratione uti cœpere, maximè amant, id est, vitam longam & simul fœlicem. In omni Decalogo id unum præceptum est jubens, cætera vetantia: Notant autem Hebræi vetantibus præceptis minas addi, promissa jubentibus.

3. Ἵνα εὖ σοι γένηται, καὶ ἔσῃ μακροχρόνιος ἐπὶ τῆς γῆς. *Ut bene sit tibi, & sis longævus super terram*] Sunt ipsa verba LXX. interpretum. Simul vult intelligi Paulus, quod tunc promissum est in terra illa, idem & nunc præstari in terris aliis. Et hinc & aliunde apparet, aliquid in potestate hominis situm, unde ad longævitatem perveniat.

4. Καὶ οἱ πατέρες μὴ παροργίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν, *Et vos Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros*] Cavete ne sine causâ eos malè tractetis: nam sic ne equum quidem reddas docilem. ¶ ἀλλ' ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Κυρίου. *sed educate illos in disciplina & correptione Domini*] Παιδεία [*disciplina*] sæpe quidem latiùs extenditur, sed hic significare videtur *institutionem per pœnas*, quæ adhibendæ sunt filiis simulatque aliquam liciti ac illiciti cognitionem haurire possunt. Sic παιδεύειν usurpat Scriptor ad Hebræos 12. 7. & Sirachides 7. 23. 30. 2, 13 Latini modò *castigare* dicunt, modò *emendare*. νουθεσία autem est *ea institutio quæ fit verbis*, olim quidem Legis Deuter. 6. 7. Prov. 22. 3. nunc verò Euangelii: unde additur hic Κυρίου [*Domini*,] id est, Christi.

5. Οἱ δοῦλοι, *Servi*] Non tollit morem tunc receptum servis utendi: habet enim sua commoda, & licet eo rectè uti. ¶ ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα, *obedite Dominis carnalibus*] Id est, eis qui secundùm leges humanas jus in vos habent. Sic & Coloss. 3. 22. *servitus non in totum hominem descendit*, ait Seneca, *excipitur animus*. Animo tam herorum quàm servorum Deus imperat, & nunc sub Deo Christus, infra 9. Coloss. 3. 24. 4. 1. ¶ μετὰ φόβου καὶ τρόμου, *cum timore & tremore*] *Cum obedientia & metu ipsis displicendi*. Etiam de nostris ad versùs Deum officiis eadem vocabula usurpantur Philipp. 2. 12. ¶ ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας ὑμῶν, ὡς τῷ Χριςῷ· *in simplicitate cordis vestri, sicut Christo*] Fide non fictâ, quomodo Christo servimus. Vide 2 Corinth. 1. 12. & supra 5. 22. loco 1 Paralip. 29. 17. בישר לבבי [*in rectitudine cordis mei*] vertitur ἐν ἁπλότητι καρδίας [*in simplicitate cordis.*] Utitur hac locutione & Sapiens 1. 1.

6. Μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, *Non ad oculum servientes quasi hominibus placentes*] Ut Giezi qui alius erat in heri conspectu, alius extra conspectum, 2 Reg. 5. aut ut aulici Saulis, qui in rebus improbis ei adulabantur. Habet interdum

interdum voces eleganter compoſitas Paulus, quales ſunt hæ duæ ὀφθαλμοδουλεία [*ſervitus ad oculum*] & ἀνθρωπάρεσκοι [*hominibus placentes.*] *In oculis* frequens Ciceroni pro *in conſpectu.* Vox ἀνθρωπαρέσκων [*hominibus placentium*] eſt & Coloſſ. 3. 22. deſumpta ex Græco Pſalm 53. 5. Significat eos qui non cogitant quod ſui ſit officii, ſed quomodo per fas aut nefas gratias captent. ἀρέσκεια, ἔντευξις οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ ἡδονῆς παρασκευαστική [*Blanditia, ſermo id quod optimum ſit inſuper habens, ad voluptatem modò & gratiam comparatus.*] Tales videas ſervos comicos, apud heros minores. Tales erant aulici Saulis. ¶ ἀλλ᾽ ὡς δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ, *ſed ut ſervi Chriſti*] Juſſit Chriſtus Cæſari pareri. Eadem autem eſt ratio in republica & in familia; nec ad ſalutem noſtram quicquam refert quà parte in humana re locati ſimus. Licet quamvis perſonam bene agere. ὡς δοῦλοι Θεοῦ [*ſicut ſervi Dei*] ait Petrus 1 Epiſt. 2. 16. ¶ ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ἐκ ψυχῆς, *facientes voluntatem Dei ex animo*] בכל לבב [*ex toto corde*] Pſalm. 111. 1. id eſt, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν [*non ſolum propter iram ſed etiam propter conſcientiam*] ut in re ſimili loquitur hic Apoſtolus Rom. 13. 5. in quibuſdam exemplaribus illud ἐκ ψυχῆς [*ex animo*] refertur ad ſenſum ſequentem.

7. Μετ᾽ εὐνοίας δουλεύοντες ὡς τῷ Κυρίῳ, καὶ οὐκ ἀνθρώποις· *Cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus*] id eſt, reſpicientes præcipuè non illos homines ſub quibus poſiti eſtis, ſed Chriſtum qui id exigit, & qui præmium reddit. Bene autem addidit μετ᾽ εὐνοίας [*cum bona voluntate,*] eſſe enim poteſt inter dominum & ſervum, quanquam in diſpari fortuna, amicitia quædam. Servi *humiles amici*, Senecæ. Vide quæ diximus 3. de Jure Belli ac Pacis 14. 2. itaque &

— *δοῦλον εὐμενῆ δόμοις*
[— *benevolum ſervum Lari,*]

dixit Euripides, &

Δούλων ὅσοι φιλοῦσι δεσποτῶν γένος
[*Quicunque Dominis exhibent ſervi fidem.*]

Tales illi qui *in conviviis loquebantur, ſed in tormentis tacebant*, ut ait Seneca Epiſt. 47. *contumax, etiam adverſus tormenta, ſervorum fides*, ait Tacitus Hiſtoriarum 1. Exempla vide apud Valerium 6. 8.

8. Εἰδότες ὅτι ὃ ἐάν τι ἕκαστος ποιήσῃ ἀγαθὸν, τοῦτο κομιεῖται παρὰ τοῦ Κυρίου, *Scientes quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino*] *Hoc referet*, id eſt, hujus præmium, κατὰ μετωνυμίαν [*per Transnominationem*] ſatis frequentem. Similis locutio 2 Cor. 5. 10. ¶ εἴτε δοῦλος, εἴτε ἐλεύθερος, *ſive ſervus, ſive liber*] Neque enim Chriſtus hæc diſcrimina aut nunc reſpicit, aut in judicio reſpiciet. 1 Corinth. 7. 22. 12. 13. Gal. 3. 28. Coloſſ. 3. 11.

9. Καὶ οἱ κύριοι τὰ αὐτὰ ποιεῖτε πρὸς αὐτούς, *Et vos domini eadem facite illis*] Id eſt, viciſſim in eos benevolentiam oſtendite. Vide Plinii & aliorum monita dicto loco de Jure Belli ac Pacis.

Ὅταν τύχῃ τις εὐνοοῦντος οἰκέτου,
Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον βίῳ
[*Quoties benignus Dominus ſervo contigit*
Hoc eſſe ſummum munus fortunæ, puta.]

Chriſtiani omnibus Chriſtianis fratres: itaque parem, imò majorem, bonitatem oſtendere debent in ſervos Chriſtianos, quàm olim Hebræi in Hebræos. Vide Deuter 15. 12. Jerem. 34. 14. ¶ ἀνιέντες τὴν ἀπειλήν· *remittentes minas*] Nolite iracundè agere ubi aliter jus veſtrum tenere poteſtis. Noli eſſe

Antiphates trepidi laris, aut Polyphemus.

Vide Levit. 25. 43. dixi *iracundè*; nam זעם quod *iracundiam* ſignificat, Græcè vertitur ἀπειλή. Clemens Romanus eodem ſenſu dixit, Οὐκ ἐπιτάξεις δούλῳ σου ἢ παιδίσκῃ σου ἐν πικρίᾳ ψυχῆς [*cave ſervo aut ancillæ imperes acerbo animo.*] ¶ εἰδότες ὅτι καὶ ὑμῶν καὶ αὐτῶν ὁ Κύριός ἐστιν ἐν οὐρανοῖς, *ſcientes quia & veſter & illorum Dominus eſt in cœlis.*] *Et ipſis & vobis idem imperat.* Homines eſtis, גם בני אדם גם בני איש [*etiam filii hominis, etiam filii viri.*]

Omne ſub regno graviore regnum eſt.

Barnabas in Epiſtola: οὐ μὴ ἐπιτάξῃς παιδίσκῃ ἢ δούλῳ σου ἐν πικρίᾳ, τοῖς ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἐλπίζουσι, μήποτε οὐ φοβηθήσῃ τὸν ἐπ᾽ ἀμφοτέροις Θεὸν [*noli acerbè imperare ſervo aut ancillæ tuæ in Chriſtum ſperantibus, ne eo ipſo oſtendas non timere te communem tibi & ipſi Dominum.*] In Manuſcripto καὶ αὐτῶν καὶ ὑμῶν [*illorum & noſtrum,*] parùm refert. Si in Lege veteri ſervi molliter tractati fuere quia Deus eos ſibi acquiſiverat, educendo ex Ægypto Levit. 25. 42. quantò nunc magis, cùm idem Dominus & dominos & ſervos, à ſervitute multò duriore liberaverit? Lactantius: *Tametſi corporum ſit diverſa conditio, nobis tamen ſervi non ſunt, ſed eos & habemus & dicimus ſpiritu fratres, religione conſervos.* ¶ καὶ προσωποληψία οὐκ ἔστι παρ᾽ αὐτῷ, *& perſonarum acceptio non eſt apud eum*] Non curat, ut jam diximus, Chriſtus iſta fabulæ humanæ choragia: Vide quæ dicta Actor. 10. 34. Rom. 2. 11. Gal 2. 6. adde Coloſſ. 3. 25. Sumpta locutio ex Deut. 10. 17. & 2 Paralip. 19. 7.

10. Τὸ λοιπὸν ἀδελφοί μου, *De cætero fratres mei*] Locutio ad finem feſtinantis. In Manuſcripto τοῦ λοιποῦ [*de cætero,*] ut Gal. 6. 17. ¶ ἐνδυναμοῦσθε ἐν Κυρίῳ, *confortamini in Domino*] Et hic eſt paſſivum pro reciproco, ut & 2 Tim. 2. 1. & in Græco Pſalm. 52. 7. ¶ καὶ ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *& in potentia virtutis ejus*] Genitivus ἐξηγητικός [*explicativus*] ut ſupra 5. 26. Habes hanc geminationem & ſupra 1. 19. Reſpici videtur locus Eſaiæ 52. 1.

11. Ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, *Induite vos armaturam Dei*] Incipit jam à re militari figuras ducere. Locus huic geminus 2 Cor. 10 4. & alter 1 Theſſ. 5. 8. Simile illud Eſaiæ 61. 10. ἐνέδυσε με ἱμάτιον σωτηρίου καὶ χιτῶνα εὐφροσύνης [*induit me veſtimentis ſalutis & indumento lætitiæ.*] Habes πανοπλίας [*armaturæ*] vocem in Græco Jobi 39. 20. & 2 Sam. 2. 21. ubi in Hebræo חליצות [*exuvia.*] In Gloſſario πανοπλίας, *armatura*; *Univerſitatem armorum* dixit Ambroſius. Par armatura etiam Deo tribuitur, Sap. 5. 18, 19, 20, 21, 22. ¶ πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου. *ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli*] *Adverſus diaboli vias agendi aſtutas* תחבולות [*fraudes.*] Vide ſupra 4. 14. ὁ διάβολος [*Diabolus,*] ut alibi ὁ Σατανᾶς [*Satanas,*] totam univerſitatem malorum dæmonum ſignificat. Confer locum Apoc. 12. 7.

12. Ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, *Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*] *Tantùm* ſcilicet, quæ vocula ſæpe ſubauditur. בשר ודם [*caro & ſanguis*] dicuntur homines, ubi comparantur Deo aut Angelis. ¶ ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, *ſed adverſus Principes, adverſus Poteſtates*] Eadem graduum nomina uſurpantur de dæmonibus; quæ de Angelis: nam & Satanæ imperium ordine conſtat, Matth. 12. 26. ἀρχὰς [*principatus*] & ἐξουσίας [*poteſtates*] de ſanctis Angelis habes & ſupra 1. 21. 3. 10. Coloſſ. 1. 16. de malis Angelis 1 Cor. 15. 24. Coloſſ. 2. 15. ἀρχὰς [*principatus*] & δυνάμεις [*virtutes*] de iiſdem malis Angelis Rom. 8. 38. ¶ πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, *adverſus mundi rectores tenebrarum hujus ſeculi*] In Manuſcripto, τοῦ σκότους τούτου [*harum tenebrarum*] quomodo legerunt & Syrus, & Latinus. *Illos dicit qui imperium habent in mundum hunc tenebricoſum*, id eſt, magnam partem humani generis, qui υἱοὶ ἀπειθείας [*filii diffidentiæ*] ſupra 2. 2. Simili modo princeps ejus univerſitatis, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου [*Princeps mundi*] Johann. 12. 31. ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου [*Deus hujus ſeculi*] 2 Cor. 4. 4. κοσμοκράτορες τοῦ σκότους [*mundi rectores tenebrarum,*] idem eſt quaſi dixiſſet τοὺς κρατοῦντας τοῦ κόσμου τοῦ σκότους [*imperium habentes in mundum tenebrarum.*] opponit τὸν κόσμον τοῦ σκότους [*mundum tenebrarum*] *filiis lucis*, de quibus ſupra 5. 8. ubi itidem dicuntur illi antea fuiſſe σκότος [*tenebræ.*] ἔργα σκότους [*opera tenebrarum*] habuimus ſupra 5. 11. ¶ πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*] Apparet Syrum legiſſe πρὸς τὰ πνεύματα τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις [*contra ſpiritus nequitiæ in cœleſtibus,*] rectè Πνεύματα πονηρίας [*ſpiritus nequitiæ*] Hebræo more quæ πνεύματα πονηρὰ [*mali ſpiritus,*] Matth. 12. 45. loca ἐπουράνια [*cœleſtia*] ſunt loca *aerea* ſupra 2. 2. ubi retulimus Hebræorum ſententiam, *omnia à terra ad cœlum*, nempe aſtriferum, *plena eſſe talium ſpirituum.*

ἠέρα ἑσσάμενοι —
[*Aëre veſtiti*] —

Heſiodus de Dæmonibus.

13. Διὰ τοῦτο ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, *propterea accipite armaturam Dei*] Repetit quod dixerat, ut armaturam nobis deſcribat longè aliam, quàm aut Homerus in rebus Achillis, aut in rebus Æneæ Virgilius. ¶ ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, *ut poſſitis reſiſtere in die malo*] Id eſt, etiam tunc cùm dæmonum arte homines ſuſcitati vobis mala maxima minabuntur, ſupra 5. 16. ¶ καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. *& omnibus perfectis ſtare*] Militis eſt non fatigari, & ſtare in prælio.

14. Στῆτε οὖν περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate*] Milites ζωστῆρα habent, id eſt, *baltheum*, qualem Hectori dedit Ajax. In Gloſſario, ζωστὴρ, *cingula, baltheum, cingulum.* Et rectè baltheo comparatur veritas, ſive ſinceritas. Mendaciorum magna eſt laxitas: Veritas adſtringit hominem והאמונה אזור חלציו Eſaiæ 11. 5. *bona fides erit baltheus lumborum ejus.* ¶ καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, *& induti loricam juſtitiæ*] Ex Eſaiæ 59. 17. וילבש צדקה כשרין ἐνεδύσατο δικαιοσύνην

δικαιοσύνην ὡς θώρακα [*induit justitiam ut loricam* :] θώραξ inde dicitur quòd pectus tegat, *Lorica* Latinis: de qua habet Epigramma Martialis,

Invia Sarmaticis domini lorica sagittis.

In pectore cor, quod adversùs tentationes tutum est consuetudine rectè agendi.

15. *Καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. Et calceati pedes in præparationem Euangelii pacis*] Milites caligati sunt. *Pedes* significant quotidianas actiones, ut diximus ad Johann. 13. 10. Ez non sordescent, si semper insultant cogitationibus exsequendi & propagandi Euangelii. Dixit autem *Euangelium pacis*, alludens ad illud Esaiæ 52. 7. quo Paulus utitur Rom. 10. 15. *ἑτοιμασία* Græcè, Dan. 11. 20, 21. est כן, id est, *statio*.

16. *Ἐπὶ πᾶσιν ἀναλαβόντες τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως, ἐν ᾧ δυνήσεσθε πάντα τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ τὰ πεπυρωμένα σβέσαι. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere*] Solebant à funditoribus mitti glandes quæ ipso motu ardescebant. Ez scuto firmo repulsæ vim suam perdebant, non minùs quàm ignis qui exstinguitur. Tale σάκος ἑπταβόειον [*clypei septemplicis orbis*] verum מגן דוד [*scutum Davidis*] quod nomen Judæi stultè indunt suis ϛοιχειωματικοῖς, est fides in Christum, repellens libidines omnes, quæ *tela* sunt *diaboli ignita. Fides vincit mundum* 1 Joh. 5. 4.

17. *Καὶ τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου δέξασθε, Et galeam salutis assumite*] Et hoc ex dicto jam Esaiæ loco, וכובע ישועה בראשו [*& galea salutis in capite ejus*] περιέθετο περικεφαλαίαν σωτηρίου [*induit galeam salutis.*] Per σωτήριον [*salutem*] hic μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] intelligitur spes de salute æterna ex Euangelio concepta. Apparet idem ex 1 Thess. 5. 8. ubi est καὶ περικεφαλαίαν ἐλπίδα σωτηρίας [*& galeam spem salutis.*] Caput inter præcipua tuendum militi, tum quia lethales ferme sunt ictus qui in eam partem cadunt, tum quia toti corpori caput imperat. In capite nostro mens est, quam falsis doctrinis seduci non patitur spes illa vitæ æternæ, quæ solidè in nulla alia doctrina præterquam in Euangelio revelatur. ¶ *καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος, ὅ ἐστι ῥῆμα Θεοῦ. & gladium spiritûs quod est verbum Dei*] Μάχαιραν πνεύματος [*gladium spiritûs,*] id est, πνευματικήν [*spiritualem.*] Solent talia addi translationibus molliendis, ut diximus ad Matth. 26. 29. Μάχαιρα δίστομος sive ῥομφαία δίστομος [*gladius anceps*] (nam hæ duæ voces eodem sensu ponuntur in his libris, & apud Veteris Testamenti interpretes) est doctrina omnis quæ à Deo procedit, quia intima penetrat; separatque affectus malos à bonis. Vide Hebr. 4. 12. Apoc. 1. 16. 2. 12. sumpta autem hæc similitudo ex Esai. 49. 2. & simul mysticè explicantur verba Psalm. 149. 5.

18. *Διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως, per omnem orationem & deprecationem*] Προσευχῆς [*Orationis*] vox est quidem generalis, quo sensu & verbum προσεύχεσθαι [*orare*] illico habebimus; sed cùm opponitur ei δέησις [*deprecatio,*] ut hîc & 1 Timoth. 2. 1. προσευχὴ significat *preces ad bona impetranda*, δέησις *deprecationem arcendis malis quæ metuimus*: est enim ἀπὸ τοῦ δέος [*à metu*] deductum nomen. In Glossario, δέησις *deprecatio.* Solet plerumque δέησις [*deprecatio*] in Græco poni ubi in Hebræo est תחנה aut תחנונים, quæ voces *implorationem misericordiæ* significant. ¶ *ἐν παντὶ καιρῷ, omni tempore*] Πάντοτε [*semper*] Luc. 18. 1. ἀδιαλείπτως [*indesinenter.*] 1 Thess. 5. 7. ¶ *ἐν πνεύματι, in spiritu*] Non voce tantùm, sed & animo. Vide supra 5. 19. ¶ *καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες, & in ipso vigilantes*] שקדים [*pervigilantes.*] Militare dictum est, *Mars vigila.* Conjungi solent preces & vigiliæ, Matth. 26. 41. Psalm. 5. 4. 88. 14. In templo semper aliquibus erat pervigilium. εἰς αὐτὸ τοῦτο [*in ipso*] ad rem totam præcedentem refertur. ¶ *ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει, in omni instantia*] In sacris gentium dicebatur, *hoc age.* Docet nos hoc Plutarchus in Numa, atque eis verbis homines juberi προσέχειν τοῖς ἱεροῖς, καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβαλεῖν μεταξὺ, μηδὲ χρείαν ἀσχολίας [*sacris attendere, nec aliud opus ullum, ne si necessarium quidem videatur, interponere.*] ¶ *καὶ δεήσει περὶ πάντων τῶν ἁγίων, & obsecratione pro omnibus sanctis*] Non pro se tantùm orare vult unumquemque, sed & pro aliis, quod ἐντεύξεις [*postulationes*] vocat 1 Tim. 2. 1.

19. *Καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ, & pro me*] Ecce quanti Paulus preces piorum faciat, cùm ille, tantæ apud Deum gratiæ, speret se aliorum precibus posse adjuvari. Et nos existimabimus Pauli cum Christo regnantis preces nihil nobis prodesse? ¶ *ἵνα μοι δοθῇ λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου, ἐν παρρησίᾳ γνωρίσαι τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelii*] Id est, ut ab hac custodia militari liber per omnem urbem perferre possim sermonem Euangelii eum, cujus res antehac occultæ fuere. *Ut detur mihi sermo*, id est, ut loqui mihi liceat: *in apertione oris*, id est, occasione data; nam occasio loquendi Rabbinis פתחון פה [*apertio oris.*] Sic Deus labia aperire dicitur, ubi materiam suppeditat sibi gratias agendi, Psalm. 51. 17. & παρρησία non tam hic *fiduciam* Pauli, quàm *impedimentorum extrinsecus advenientium remotionem* significat, vocabulo quidem Græcæ originis, sed Syrâ locutione. Nam בפרהסיא [*beparhesia*] pro *palam* & *apertè* usurpant Rabbini. Sic & Joh. 11. 54.

20. *Ὑπὲρ οὗ πρεσβεύω ἐν ἁλύσει, Pro quo legatione fungor in catena*] Nunc quoque non desino *obire legationem mihi mandatam*: sed cum magnis molestiis, ac difficultatibus: quippe eâdem *catenâ* me & appositum mihi custodem tenente. Vide quæ diximus ad finem Actorum, ubi ipsum nomen habes ἅλυσιν [*catenam*] 28. 20. ut & 2 Tim. 1. 16. pro quo δεσμὰ [*vincula*] dixit Philipp. 1. 7, 13, 14, 16. Coloss. 4. 18. 2 Tim. 2. 9. Philem. 10, 13. ¶ *ἵνα ἐν αὐτῷ παρρησιάσωμαι ὡς δεῖ με λαλῆσαι. ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui*] *Ut liberè ubique enuntiem quæ mihi dicenda sunt.*

21. *Ἵνα δὲ εἰδῆτε καὶ ὑμεῖς τὰ κατ' ἐμὲ, Ut autem & vos sciatis quæ circa me sunt*] *Ea quæ ad me pertinent.* ¶ *τί πράσσω, πάντα ὑμῖν γνωρίσει Τυχικὸς, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus*] Πάντα [*Omnia*] non legit Syrus: & rectiùs sine eo cohæret oratio: notatum etiam in quibusdam libris eam vocem non extare. Ex Asia erat hic Tychicus Actor. 20. 4. & fortè Ephesius. Sic ad Corinthios missus Titus, Corinthius & ipse. ¶ *ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς, charissimus frater*] Hoc titulo idem Tychicus insignitur Coloss. 4. 7. Credibile est provectiorem fuisse ætate. Juniores enim τέκνα [*filiolos*] magis appellat Paulus. *provectiores* Rabbinis dicuntur חברים [*socii.*] ¶ *καὶ πιστὸς διάκονος ἐν Κυρίῳ. & fidelis minister in Domino*] Διακόνου [*Ministri*] vox hic sumitur ut comprehendat omnes qui Euangelio navant operam, quales erant Euangelistæ ipsique imprimis Apostoli. Vide 1 Cor. 3. 5. 2 Cor. 3. 6. 6. 4. 11. 23. supra 3. 7. cùm dicit fidelem, ostendit tutò ei credi.

22. *Ὃν ἔπεμψα πρὸς ὑμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν, καὶ παρακαλέσῃ τὰς καρδίας ὑμῶν. Quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra*] Brevis locutio pro καὶ ἵνα αὐτὸς παρακαλέσῃ [*& ut ipse consoletur,*] &c.

23. *Εἰρήνη τοῖς ἀδελφοῖς, Pax fratribus*] *Res prospera.* ¶ *καὶ ἀγάπη μετὰ πίστεως, & charitas cum fide*] Quæ duo juncta promissum habent vitæ æternæ. In Manuscripto καὶ ἔλεος μετὰ πίστεως [*& misericordia cum fide.*] ¶ *ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. à Deo Patre & Domino Jesu Christo*] Conjunxit causam principem cum causa secunda, ut semper meminerimus nos utrique obligatos.

24. *Ἡ χάρις μετὰ πάντων τῶν ἀγαπώντων τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν ἀφθαρσίᾳ. Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione*] Non Ephesios tantùm salutat, sed & omnes in Asia Christianos. Ἀφθαρσίας [*incorruptionis*] vox ad animam relata legitur & Tit 2. 7. ubi tamen ea abest in nonnullis codicibus, quia præcessit vox idem valens ἀδιαφθορίαν. In Glossario ἀδιάφθορος, *incorruptus.* Utuntur Plato & Demosthenes. Plato & ἀδιαφθάρτῳ voce sensu eodem. Significatur is qui nullâ vi, nullis precibus, nullis illecebris se corrumpi, id est, à recto abduci patitur. Talis animi status hic dicitur ἀφθαρσία [*incorruptio.*] Potestque hoc ἐν ἀφθαρσίᾳ [*in incorruptione*] verti, *constanter. Sicut virgo stupro corrumpitur, sic peccato quovis animus.* Ita hic Chrysostomus, & ex illo Græci alii.

ANNO-

ANNOTATA

In Epistolam D. PAULI ad

PHILIPPENSES.

CAP. I.

VALLA.

1, 2. *Cum Episcopis & Diaconibus. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo*] Nescio quomodo factum sit ut dicamus *Diaconibus* à nominativo *Diacon*, quod nec Latina vox agnoscit, neque Græca veritas habet; διακόνοις. Illud quoque jam aliquoties attigi, ambiguum esse an sit legendum *Jesu Christo* an *Jesu Christi*, quia non repetitur præpositio.

13. *In omni prætorio, & in cæteris omnibus*] Gr. *in toto prætorio*, ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ. Fortè Interpres accipit *omni* pro *toto*, sed non ità accipit lector, nisi exponatur, Paulum fuisse ductum in multa prætoria. Ideoque nec legendum est *& in cæteris omnibus*, sed *cæteris omnibus*, i. e. *hominibus*; καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι.

25. *Quia manebo & permanebo omnibus vobis*) Gr. *quòd manebo, & apud vos omnes unà manebo*, sive *permanebo cum omnibus vobis*, καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν.

26. *Ut gratulatio vestra*] Gr. *gloriatio*, & ità Interpres transtulit, sed negligentià librariorum factum est *gratulatio*, καύχημα.

28. *Et in nullo terreamini*] Potiùs *turbemini* ac *tumultuemini*, πτυρόμενοι.

REVIUS in VALLAM.

13. Ἐν ὅλῳ] Trajectum erat.

28. *Ac tumultuemini*] *Aut tumultuemini*, ni fallor, scripsit.

ERASMUS.

1. *Et Timotheus*] Quanquam id quidem nihil attinet ad sententiam Pauli, tamen admonendum duxi *Timotheum* pronunciandum antepenultimâ acutâ, sive Græcam rationem sequaris, sive Latinam: quod contrà nunc fit in Templis omnibus. Et licèt optandum foret ut hoc esset gravissimum erratum in vita Christianorum, tamen fœdùm est nos publicitus in re tam manifestaria perpetuò peccare. Quanquam exstitit qui religiosum existimet lapsus etiam hujusmodi mutare, tanquam à patribus traditos. Quasi hoc lemmate non possit defendi quicquid quocunque modo receptum fuerit. Et tamen quod dicit aliquid est, si sermo fiat apud populum linguâ populo notâ. Hanc Epistolam Theophylactus postposuit ei quæ est ad Colossenses. ¶ *Cum Episcopis*] Græcis aliquot cod. unica dictio est *coepiscopis*, συνεπισκόποις· quasi communicet suum officium cum illorum Presbyteris. Quanquam hìc Græca variant exemplaria, & in nonnullis scriptum erat σὺν ἐπισκόποις, *unà cum Episcopis*. Posteriorem lectionem sequitur Ambrosius, à quo nos nolumus dissentire. Theophylactus conjunctim & legit & interpretatur. Honoris enim gratià Presbyteros appellat *Episcopos*. Etenim, ut indicat Chrysostomus, *non erant unius civitatis plures Episcopi*. Timotheum Episcopum fuisse liquet ex iis quæ illi scribit Paulus, *Nemini citò manus imposueris*. Et olim Episcopi *Diaconi* vocabantur, veluti alibi, *Ministerium tuum imple*. ¶ *Et Diaconibus*] Διακόνοις, *ministris*, ut sæpius vertit. Quòd si Græca vox placet, *Diaconis* dicendum erat, non *Diaconibus*. Et tamen hanc vocem aliquoties reperire est in libris Augustini juxta tertiam inflexionem, opinor, quòd sic esset vulgò usurpata, quemadmodum *baptismum* genere neutro.

3. *In omni memoria vestri*] Ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν, μετὰ

χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος, *in omni memoria vestrî, cum gaudio obsecrationem faciens*. Ambrosius legit ad hunc modum, *super omni memoria vestra semper in omni oratione mea prò omnibus vobis, cum gaudio orationem faciens, super communicatione vestra*: ut *gaudium* referas ad *communicationem* veluti gaudii causam.

4. *In cunctis orationibus*] Ἐν πάσῃ δεήσει, *in omni obsecratione*.

6. *Confidens in hoc ipsum*] Πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο, *persuasum habens hoc ipsum*.

7. *Socios gaudii*] Græcis est χάριτος *gratiæ*. Sed facilis lapsus in χάριτος & χαρᾶς· & aliàs ostendimus alterum pro altero usurpari. Ambrosius legit *gaudii*; Chrysostomus ac Theophylactus, *gratiæ*. Quod autem dixit *socios*, Græcè est συγκοινωνούς, q. d. *ex æquo participes*. ¶ *Omnes vos esse*] Ὄντας. Rectiùs vertisset *cum sitis socii gratiæ*, vel *qui & estis socii gratiæ*, συγκοινωνούς.

8. *Vos esse in visceribus*] *Esse* redundat: tantùm est *in visceribus Jesu Christi*. Siquidem hoc adjecit nè quis suspicaretur quicquam hìc esse affectus humani cur eos tantopere amaret. *Viscera* vocat affectum animi. Addidit *Jesu Christi*, ut declaret hunc affectum esse pietatis, non humanum.

9. *Magis ac magis*] Ἔτι μᾶλλον, *adhuc magis*.

10. *Potiora*] Τὰ διαφέροντα, *præstantia*. Ambrosius legit *utilia*. Suspicor illius codicem habuisse scriptum συμφέροντα pro διαφέροντα nisi διαφέρειν, i. e. *differre*, dicamus quæ ad rem nostram pertinent. Theophylactus sine controversia διαφέροντα interpretatur συμφέροντα. Chrysostomus hanc vocem non attingit. Ad Rom. 2. Interpres διαφέροντα vertit *utiliora*. Quæ ἀδιάφορα sunt, non refert utrùm facias an non facias: Contrà διαφέροντα faciunt ad rem. ¶ *Et sine offensa*] Ambrosius legit *inoffensi*; q. d. *robustos, qui non possint offendi*, aut *qui nusquam offendant*. Quanquam Græca vox ambigua est, ἀπρόσκοποι, q. d. *tales ut nemini sitis offendiculo*. Et in hunc sensum interpretantur Græcanica Scholia.

11. *Per Jesum Christum*] Τὸν δι' Ἰησοῦ Χριστοῦ, *qui est* (sive *contingit*) *per Jesum Christum*: ut articulus Græcus distinguat hunc fructum à cæteris.

13. *In omni prætorio*] Ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, *in toto prætorio*. Nè quis accipiat Paulum per omnia prætoria ductum fuisse, cùm ipse dicat aliud, nimirum *captivi prædicationem usque ad ipsam Neronis regiam pervenisse, & indè per universam Urbem fuisse vulgatam*. Nam Theophylactus *prætorium* ad Neronis familiam refert, *cæteris omnibus* ad reliquos cives, secutus Chrysostomum, admonens Imperatorum domos id temporis appellari solere *prætoria*, voce Latinâ à Græcis usurpatâ. Ambrosius subduriè *prætorium* refert ad Judaïsmum; *in cæteris omnibus*, ad Ecclesias Gentium. Interpres autem non rarò abuti solet *omni* pro *toto*. ¶ *Et in cæteris omnibus*] *In* redundat: an subaudiendum sit, aliis expendendum relinquo. Neque *cæteris* refert *prætoria*, ut sit sensus, *Evangelium notum fuisse cæteris item prætoriis*, sed *cæteris ejus civitatis, qui in prætorio non versabantur*. Ità Theophylactus. Proinde conjunctio *in* nullum habebat usum, nec additur ab Ambrosio.

14. *Abundantius auderent*] Ambrosius Græcam figuram explanavit Latinè, *amplius cœperunt audere*. Nam in ἄρα τολμᾷν videtur subesse Synecdoche aut, si mavis, Eclipsis, quam tamen ausus est imitari Flaccus in Odis,

—— *ut melius quicquid erit pati.*

ut subaudias *possis*, aut *incipias*, aut simile verbum accommodum sententiæ.

15. *Propter bonam voluntatem*] Δι' εὐδοκίαν quod vertere solet *beneplacitum*. Ordo hujus loci diversus est apud Latinos &

Græcos.

Græcos. Græca sic habent, Οἱ *μὲν ἐξ ἐριθείας τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν οὐχ ἁγνῶς, οἰόμενοι θλῖψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου· οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης, εἰδότες ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι, Alii quidem ex contentione Christum annunciant non pure, arbitrantes pressuram addere sese vinculis meis: Alii vero ex charitate, scientes quòd in defensionem Euangelii positus sum.* Nostra lectio sic, *Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant; quidam ex charitate, scientes*, &c. Apud Græcos bis est *contentionis* vocabulum, priore loco ἔρις, posteriore ἐρίθεια.

17. *Non sincerè*] Οὐχ ἁγνῶς, *non purè*. Itá Theophylactus. Ambrosius legit *non simpliciter*. Fortassis illius codex habebat οὐχ ἁπλῶς. Et in tanta vocum affinitate facillimus est lapsus. Augustinus lib. 2. contra Petilianum legit *non caste*.

18. *Dum omni modo, sive per occasionem*] Græci paulò diversiùs legunt, Τί γάρ; πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται, *Quid enim? attamen quovis modo, sive per occasionem, sive vere, Christus annunciatur.* Neque enim jubet hoc esse faciendum, ut Christum aliquis insincerè prædicet; sed ex iis quæ non rectè fiebant id quod est boni excerpit, & contemnit illorum in se odium, modò quocunque modo prosint Euangelio. Itá ferme Chrysostomus in libello De profectu Euangelii, & in Commentariis Theophylactus. Proinde *omni modo* rectiùs vertisset *quovis modo*. Neque Paulus de his loquitur qui docerent hæreticè, sed qui rectè docerent Christum, licèt animo parùm sincero. Nec hos probat tamen, sed negat tibi discutiendum quo animo id faciant, modò prosint. Porrò quod hic vertit *occasionem*, πρόφασις est, quod & *prætextum* sonat: opponitur enim *veritati*. Tertullianus libro Adv. Marc. 5. pro προφάσει legit *causatione*, sentiens, opinor, quòd prætexerent se Christi negotium agere, cùm suis commodis servirent.

20. *Secundùm exspectationem*] Κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν· quod plus quiddam significat quàm *exspectationem*, nimirum *vehemens cordis desiderium*, dictione hinc compositá, quòd *toto animo quippiam exspectetur*. Non enim dixit προσδοκίαν, sed ἀποκαραδοκίαν, à gestu vehementer inhiantium *totoque capite inflexo* hinc voce compositá Græcis. Mirum quid legerit apud Græcos Ambrosius, qui verterit *secundùm contemplationem meam*: nisi fortè commissum est hoc scribarum incuriâ. Attamen καραδοκεῖν Græcis etiam sonat *contemplari scopum inflexo capite*. Id opinor exprimere voluit Ambrosius. ¶ *Quia in nullo*] *Quòd in nullo*, ὅτι. ¶ *Fiduciâ*] Παῤῥησίᾳ. ¶ *Sicut semper nunc*] *Et nunc* legendum.

22. *Et quid eligam ignoro*] Conjunctio *&* obscuriorem reddit sententiam. Quandoquidem hoc sensit Paulus, *Si vivo, Christi causâ vivo: si morior, meo commodo morior: Quod si procedit mea prædicatio, & prosum Ecclesiis, adeo non præfero meum commodum vestro bono ut dubitem etiam utrum eligam.* Habet hoc loco καὶ peculiarem & occultam vim excludendi quod diversum erat. Poterat & itá legi, εἰ δὲ τὸ ζῆν, ut hic subaudias *contigerit*, aut *fuerit*; deinde subjicias, *hoc mihi fructus est operis*. Atque itá conjunctio more vulgari copulat quod sequitur. Verùm prior lectio magis probatur; & eam sequitur Theophylactus. Adducit hunc locum Augustinus velut exemplum ambiguæ distinctionis, lib. De doct. Chr. 3. c. 2. Nam potest ad hunc modum legi, *Coartor è duobus, concupiscentiam habens*: ut sit sensus, Illum utriusque rei torqueri desiderio, & vitæ, & mortis. Potest & hoc pacto, *Coartor è duobus*; & hic distinctione interpositá sequatur, *concupiscentiam habens dissolvi*. Verùm ex eo quod sequitur, *Multò autem magis melius dissolvi*, &c. colligitur *concupiscentiam habens* ad sequentia referendum esse. Quanquam Augustinus pro *melius* legit *optimum*.

23. *Coartor enim è duobus*] Συνέχομαι· q. d. *utrinque teneor*. Ambrosius legit, *ex his duobus*, velut exprimens vim articuli τῶν δύο· siquidem de Morte & Vita loquitur; in quorum utroque est quod invitet, est quod deterreat. ¶ *Multò magis melius*] Ambrosius legit *multo enim melius*. Verùm Paulus aliàs quoque conduplicat comparativum, ad vehementiam, ut plurimum excessum significet, idque juxta idioma sermonis Hebraïci. Proinde nos vertimus *multò longeque melius est*. Porrò quod hic vertit *dissolvi*, Græcè est ἀναλῦσαι. D. Hieronymus Adv. Ruffinum non semel vertit *reverti*. Tertullianus lib. De patientia vertit *recipi*. Nec video quomodo legi possit *dissolvi*, nisi Græcè esset ἀναλύεσθαι· etsi interpretemur eum dissolvi qui dimittitur ut redeat. Nunc est ἀναλῦσαι verbum activum; quod an neutraliter inveniatur, quemadmodum apud Latinos *solvere* dicitur qui discedit, expendat lector eruditus. κατάλυμα pro *diversorio* est apud Lucam c. 2. & 22. Unde quemadmodum καταλύειν dicuntur qui *se componunt in diversorium*, itá ἀναλύειν dicuntur qui *movent sarcinas, mutantque diversorium*. Quod tamen à nautis translatum est, qui *solvunt* rudentes. *Solvuntur* & tabernaculorum funes. Sensus quidem est idem, sed Græca vox est significantior. Chrysostomus ἀναλύειν vertit μεθίστασθαι, i. e. *emigrare*, aut *commutare sedem*.

24. *Necessarium propter vos*] Ἀναγκαιότερον, i. e. *magis necessarium*.

25. *Et hoc confidens scio*] Πεποιθὼς οἶδα, *certum scio*, sive *persuasum scio*. ¶ *Quia manebo & permanebo*] Ὅτι μενῶ καὶ συμπαραμενῶ, *quòd manebo & permanebo simul cum omnibus vobis*. Quanquam quidam cod. habent μένω, *maneo* sive *maneam*.

26. *Ut gratulatio vestra*] Τὸ καύχημα, *gloriatio*: quod semper consuevit vertere *gloriam*. ¶ *In me*] Ἐν ἐμοὶ, ut *me* sit ablativi casûs.

27. *Audiam de vobis*] Ἀκούσω τὰ περὶ ὑμῶν, ὅτι στήκετε, *ut audiam de vobis* (vel potiùs *ea quæ sunt de vobis*) *quòd statis*, &c. ¶ *Unanimes*] Μιᾷ ψυχῇ, *unâ animâ*, videlicet *in uno spiritu, in una anima*. ¶ *Collaborantes*] Συναθλοῦντες, *concertantes*, h. e. in hoc certamine adjuvantes nos. Ambrosius sic explicat, *Pariter cum fide Euangelii certantes.* Nam *collaborat illi* fortassis in carmine probari poterit: & *concertant* qui inter se certant. At hic Paulus sensit, Fidem periclitari & velut in certamine versari, quæ vincet si sint qui certamen idem cum illa capessant. Quanquam in Ambrosianis quoque verbis est Amphibologia. Potest enim accipi CERTANTES CUM FIDE EUANGELII, *certantes adversùs fidem*, aut *certantes per fidem Euangelii*. Proinde nos itá vertimus, *adjuvantes decertantem fidem Euangelii*.

28. *Terreamini*] Μὴ πτυρόμενοι, *non turbati*, sive *tumultuantes*. Ambrosius legit *non pavescentes*. Hoc ad sensum nihil refert. ¶ *Quæ est illis causa*] Gr. *illis quidem* ἔνδειξις, i. e. *ostensio*. Et ideo Ambrosius legit *ostentatio interitûs*. Neque tamen non rectè mutavit Interpres, quandoquidem Græcis ἐνδεῖξαι sive ἀποδεῖξαι dicitur etiam qui facit. Sic & aliàs apud Paulum *ostendit mihi multa mala* pro eo quod est *fecit mihi multa mala*.

30. *Et nunc audistis*] Ἀκούετε, *auditis*. ¶ *De me*] Gr. ἐν ἐμοὶ, *in me*. Sed haud scio an nostra lectio sit verior.

VATABLUS.

1. *IN Christo Jesu*] i. e. Per fidem in Christum. ¶ *Episcopis*] *Coepiscopis*. ¶ *Diaconibus*] *Diaconis*, Vet. i. e. ministris.

3. *In omni memoria vestrî*] *Quoties vestrî recordor.*

5. *Super communicatione vestra*] *Quòd communiter perseveraveritis.*

6. *Confidens*] *Persuasum habens.*

7. *Justum*] Vel, *æquum*. ¶ *Pro*] *De*. ¶ *Habeam vos in corde*] Heb. vos diligam. ¶ *Et*] *Etiam*. ¶ *Socios gaudii mei omnes vos esse*] *Cùm sitis omnes mihi consortes gratiæ*: i. e. qui mecum ad vitam æternam electi estis à Deo.

8. *In visceribus Jesu Christi*] Heb. quantum cupiam Christum suam misericordiam effundere in vos.

9. *Vestra* *] * *Adhuc*. ¶ *Sensu*] *Intelligentia*: i. e. cum cognitione & perfecta intelligentia.

10. *Probetis potiora*] Vel, *judicare possitis utilia*. ¶ *Sinceros*] *Sinceri*, Vet. ¶ *Offensa in*] *Offendiculo cuiquam, usque ad.*

11. *Fructu*] *Fructibus.*

12. *Circa me sunt*] *Mihi acciderunt*. ¶ *Ad profectum*] Sub. *quàm ad eversionem.*

13. *Vincula mea manifesta fierent in Christo*, &c.] i. e. Quòd vincirer propter Christum: vel, itá ut vincula mea, quibus vinctus sum propter Christum, fuerint causa ut prædicatio Euangelii clarescere, etiam per omnem Neronis regiam.

14. *Ut*] *Usque*. ¶ *In Domino*] *Per fidem in Christum.*

16. *Quidam*] Apud Græcos iste est ordo, *Alii quidem ex contentione Christum*, &c. *Alii rursus ex charitate*. ¶ *Ex charitate*] Vel, *incitante eos charitate*. ¶ *In defensione*] *In defensionem*, Vet.

17. *Ex contentione*] Vel, *impellente eos studio contentionis*. ¶ *Pressuram se suscitare*] *Afflictionem addere se.*

18. *Dum omni*] *Attamen quovis*. ¶ *Per occasionem, sive per veritatem*] q. d. Sive fictè, sive verè. ¶ *Annunciatur*] *Annunciatur*, Vet.

19. *Subministrationem Spiritûs Jesu Christi*] i. e. Auxilium mihi subministrante Spiritu Jesu.

20. *Secundùm exspectationem & spem meam, quia in nullo confundar*] Heb. quod vehementer exspecto & spero futurum: quo-

quoniam in nulla re sive prospera sive adversa erubescam, sub. Christum.

21. *Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum*] i. e. Causa optandi mihi vitam longiorem est ut pluribus Christum annunciem: vita autem æterna quam lucrum existimo, incitat ad mortem optandam.

22. *Hic*, &c.] *Hoc* * neutr. gen. Vet. i. e. si vivere in hoc mundo mihi permittatur: vel, si vivendo fructum aliquem facere possum.

23. *Autem*] *Enim.*

24. * *Necessarium*] * *Magis*, Vet.

25. *Confidens*] *Certus sum* [sive *certo.*] ¶ *Permanebo* *] * *Unà cum.* ¶ *Gaudium fidei*] i. e. *Gaudium meum de fide vestra.*

26. *Gratulatio*] *Gloriatio.* ¶ *In*] Heb. *De.* ¶ *In me*] *Propter me*, Heb. ¶ *Adventum iterum*] *Reditum.*

27. *Digne Euangelio*] i. e. Sicut Euangelium exigit. ¶ *Statis in uno Spiritu*] i. e. Perseveratis in pari religionis fervore. ¶ *Collaborantes fidei Euangelii*] i. e. Labores sustinentes pro fide quam Euangelium docet.

28. *Et*] *Et quod.*

30. *Audistis*] *Auditis:* præs. temp. Vet.

CASTALIO.

PHilippos, urbem Macedoniæ metallicam nobilemque & jam coloniam Romanam, à conditore vel potiùs tantùm instauratore suo Philippo Alexandri Macedonis patre sic dictam, ex parte aliqua Apostolus converterat cùm primùm Divinitus evocatus fuit in Macedoniam, uti copiosè narratur Act. 18. Eandem etiam postea sæpius revisit, eundo & redeundo per Macedoniam, ut etiam Act. 20. indicatur. Mediocria autem sanè fuerunt initia ejus Ecclesiæ; sed tamen postea valde aucta est tum credentium numero tum & ferventi pietatis studio. Quare sæpius suâ liberalitate Paulum sublevarunt, dando ei coràm, & mittendo postea tum Thessalonicam tum etiam Romam usque subsidia. Hanc igitur Epistolam ad eos scribit, studio retinendi eam Ecclesiam in officio, quò ex tanta urbe etiam vicini cœtus Ecclesiæque in vera pietate promoverentur. Credibile autem est, eum aliqua ex parte etiam ab Epaphrodito pastore Philippensium admonitum simul & persuasum esse de necessitate scribendi ad eos: per quem illi ei suum subsidium miserant. Ille igitur, (ut credibile est) indicaverat ei statum & pericula aut etiam imbecillitates ejus Ecclesiæ, quibus paternâ admonitione & instructione occurreret. Nulla alioqui Paulina Epistola perinde pathetica est paternisque affectibus referta ut hæc ipsa. Est autem hæc quoque ad Philippenses Epistola sub finem prioris captivitatis Romanæ scripta: facit enim mentionem Timothei secum agentis, quem nempe aliquantò antea per posteriorem ad ipsum Epistolam evocarat: quinetiam sui reditûs ad ipsos spem facit, & simul indicat hanc Epistolam tum demum scriptam esse cùm jam sua vincula passim facta erant non tantùm Romæ sed & in aliis locis celebria, & insuper latè Euangelium propagaverunt. Sunt ergò quinque Paulinæ Epistolæ circa idem tempus, nempe sub finem prioris Romanæ captivitatis, scriptæ, præcedens ad Ephesios, hæc, sequens ad Colossenses, illa brevis ad Philemonem, & denique ea quæ est ad Hebræos. Nam posterior ad Timotheum & illa ad Galatas fortè paulò prius, in eadem tamen captivitate, scriptæ sunt. Præcipuus igitur scopus totius Epistolæ est ut eos in accepta religione, & præsertim in doctrina sincera de ineffabili mysterio Exinanitionis Christi & Justificationis ejus confirmet, & porrò in studio piæ vitæ ad omne pietatis officium inflammet; ut illi non tantum non deficiant, sicut Galatæ, sed etiam amplissimè proficiant in Euangelio & Christianismo. Ad hunc verò finem, ut eos permoveat, multis utitur mediis & argumentis. In Primo capite id efficere conatur, primùm in exordio laudando eorum præteriti temporis pietatem, deinde ostendendo suam optimam spem de iis in posterum, tertiò narrando suæ crucis ac captivitatis fructus præsentes & futuros, ac declarando suum studium in promovendo Regno Christi & eorum salute. In Secundo capite idem agit, primùm obtestando eos & vehementissimè adhortando ad concordiam & consensum in vera doctrina; deinde proponendo eis exemplum Christi, qui semetipsum salutis ipsorum gratiâ exinaniverit extremaque perpessus sit; tertiò adhortando eos ad obedientiam erga suam doctrinam; postremò promittendo adventum Timothei & Epaphroditi, qui sint eos erudituri, & ipsorum statum cogituri, quòd item sui quoque adventûs aliquam spem facit. In Tertio capite eodem contendit, primùm excitando eos ut sibi caveant à seductoribus & errore justitiæ operum, omnemque justitiam ac salutem soli Christo adscribendo, ejusque efficaciam celebrando; deinde suum exemplum ipsis proponendo, qui omni studio ad profectum in vera pietate contendat. In postremo capite idem urget, incitando eos ad omnes virtutes pii hominis, & ipsorum erga se studium officiaque celebrando. Posset etiam videri esse quædam latens œconomia hujus Epistolæ, quòd post primi capitis adhortationem ad Christianam pietatem, mox in secundo veluti aliud agens copiosè de mysterio Exinanitionis & Victoriæ Glorificationisque Christi disserit; in tertio verò tum beneficia ejus, tum & modum ea apprehendendi prædicat, & falsam rationem Justificationis per opera redarguit: quæ materia est totius hujus Epistolæ pars primaria & veluti corpus ipsum. Quare totum corpus doctrinæ Christianæ in hac Epistola pertractat, dum primùm valde commendat Christianam Religionem, ad eamque omnes ardentissimè hortatur; deinde, Divinitatem Christi, ejusque Incarnationem, atque ità duas Naturas in una Persona describit; tertiò, dum ejus Exinanitionem ac Passionem Acquisitionemque ingentium meritorum exponit; quartò, ejusdem Glorificationem seu gloriosam Resurrectionem & Ascensionem ac Potentiam; postremò etiam modum apprehendendi merita ac Gloriam ex hac parte Christi gloria potentiaque.

8. *Dignâ Jesu Christo affectione desidero*] i. e. Christianâ.

13. *Perspicua per totum prætorium*] i. e. Aulam.

16. *Putantes se afflictionem meis addituros vinculis*] i. e. Mihi vincto; quòd quantò plures erunt Christiani, tantò majus in me futurum sit adversariorum odium.

21. *Nam mihi & vivere Christus est*] Hoc quid sit mox declarat cùm dicit, *Quòd si mihi in eo situs est profectus operis, si vivam in corpore.* καρπὸν ἔργυ, h. e. *profectum operis*, quid vocet, patet paulò pòst, ubi dicit, εἰς τὴν ὑμῶν προκοπήν· ut sit idem καρπὸς quod προκοπὴ, ut & ad Rom. 1. h. e. *profectus Euangelii; qui in eo situs est, si vivat in corpore.* Nam mortuus Euangelium promovere non posset. Igitur *mihi vivere Christus est*, h. e. Si vivam, docebo Christum: ità fiet ut promoveatur Christianitas.

23. *Et migrare quidem cupio*] Sic ponitur verbum ἀναλύειν Luc. 12. 36. & Judith. 13. & Sap. 2.

CLARIUS.

3. IN *omni memoria vestri*] Quoties memor, inquit, vestri sum, toties *gratias ago Deo*, & precor ut vester hic animus perduret.

7. *Et in defensione*] *Vincula* erant *defensio & confirmatio Euangelii.* Et tam erat Philippensibus affectus ut in mediis illis laboribus eorum meminisset, eò quòd *socii essent gratiæ*, h. e. communicarent afflictionibus Pauli.

8. *In visceribus*] Propter Christum, inquit, vos cupio, ut qui propter eum paterna erga vos viscera induerim, non ob hoc quòd mihi communicaveritis.

9. *In agnitione & omni intelligentia*] Αἰσθήσει, *sensu. Precor*, inquit, *ut dilectio vestra crescat*, idque *in agnitione*, h. e. cum judicio, atque *ut sentiatis & probetis potiora*, ut nullum adulterinum dogma recipiatis, sed *sinceri sitis.*

13. *Ut vincula mea*] Ut sciatur ab omnibus, me his vinculis ob nullam causam legitimam gravari, causamque Christi ob quem hæc patior justissimam.

16. *Existimantes pressuram se suscitare*] Ubi detentus est Paulus, multi vel infidelium, vel invidentium Paulo, optantes provocare Neronem, ut omnino eum interficeret, disseminabant has de Christiana Philosophia narrationes, ut audiens Imperator augeri prædicationem hanc & latiùs fundi, eum, qui hujus facti causa esset, occideret.

18. *Et gaudebo*] Ampliùs, inquit, hoc accidat opto: nam mihi vel inviti cooperantur.

21. *Mihi enim vivere*] Quòd vivo, inquit, ob unum hoc placet ut per ministerium meum crescat Christi gloria: cætera nihil hanc vitam curo: nam *mori mihi lucrum est.* Hoc est quod alibi ait, *Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Vel, Christo posse frui, & cognoscere illum sicut nunc cognoscor ab illo, verè *vivere* judico: atque ut eò pervenire felicitatis possim, *mori lucrum* sive *compendium* ad eam felicitatem consequendam aptissimum puto.

22. *Quòd si contingat vivere in carne*] *Si contingat vivere in carne, hic est mihi fructus operis:* nam quotidie fructificabo. Quidam sic continuant, *Quoniam & vivere in carne hic est fructus operis, nescio quid eligam, & coarctor ex duobus*, &c.

29. *Vobis donatum est*] Mira Christianæ Philosophiæ felicitas, ubi & ipsum *pro Christo pati* inter Dei dona numeratur.

ZEGERUS.

1. **C**Um *Episcopis*] *Episcopos* Sacerdotes dicit: nec enim plures erant unius civitatis Episcopi.

5. *Super communicatione vestra in Euangelio*] i.e. *Eò quòd facti sitis participes Euangelii.* Ità Ambrosius. Sed meliùs Chrysostomus, qui hoc de beneficentia Paulo à Philippensibus exhibita intelligit. Vide Chrysostomum. ¶ *A prima die*] Quà estis amplexati fidem Euangelicam.

7. *Pro omnibus vobis*] Sive *de omnibus vobis.* ¶ *Eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & in confirmatione Euangelii, socios gaudii mei omnes vos esse*] Græca ità sonant ad verbum reddita, *Propter hoc quòd habeam in corde meo vos, & in vinculis meis, & in excusatione & in confirmatione Euangelii consortes gaudii mei omnes vos existentes,* i.e. *propterea quòd vos in corde meo habeam* per affectum dilectionis, deinde & *comparticipes omnes vos* habeam *gaudii mei*, quod unà mecum habetis *in his vinculis meis* quibus sum alligatus, *& in defensione* sive *apologia* veritatis ac mei ipsius, *& in confirmatione Euangelii.* Alii ità edisseruerunt, *Propterea quòd habeam vos in corde meo, & in vinculis, & in defensione mea, & in confirmatione Euangelii, omnes vos, inquam, qui mihi consortes estis gratiæ.* Græcis enim loco *gaudii* χάριτος est, propriè *gratiam* & *beneficium* signans. Mihi magis cum Ambrosio atque Interprete placet *gaudii* vocabulum: nam χάρις non infrequenter pro *gaudio* usurpatur: ut sileam interim quædam fortasse olim exemplaria χαρίτας sive χαρᾶς habuisse pro χάριτος. Poterit quoque & hic sensus assignari, *Eò quòd cordi meo de vobis persuasum sit, tam in vinculis meis istis quàm in Euangelii defensione & confirmatione participes vos omnes esse gaudii mei*; ità ut duæ priores copulæ τε & καὶ non nisi illud *in vinculis meis* cum *defensione* conjungant; quemadmodum & Latinè dicere possumus *in vinculis meis atque etiam in defensione.*

8. *In visceribus Christi*] h.e. Per charitatem & intimos animi affectus, non naturales aut vulgares, sed ferventiores illos, quippe ipsius *Christi*, & qui secundùm Christum sunt.

9. *In omni scientia & in omni sensu*] i.e. In omni cognitione & intelligentia judicioque ut non temere omnibus benevolentiam impertiamini.

18. *Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annunciatur,* &c.] *Quid enim* mihi hæc curæ sunt, *dum quovis modo Christus annunciatur, sive per occasionem,* h.e. per contentionem, astum & simulationem, *sive per veritatem,* i.e. animi rectitudine? Exstat in hunc locum homilia Chrysostomi, titulo *De profectu Euangelii*; si quis fortè plura desiderabit.

22. *Quod si vivere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro*] Mihi videtur in & copula schemate quodam hæsitantis animi affectum esse relictum, eò quòd oppositam orationis partem quam adjecturus videbatur subticuerit. Cùm enim utrumque & *vivere & mori*, bonum ac utile pronunciasset, apparet eum expendere voluisse utrum eorum præstantius & optabilius esset; cumque prius expendisset, dicens, *Quod si vivere in carne mihi fructus operis est,* alterum jam mente pertractans, nempe *& mori lucrum*, hæsitabundus in & reticuit, subjecitque, *quid eligam certè ignoro.*

23. *Coarctor autem e duobus, desiderium habens*] Ex eo quod sequitur *multò magis melius* rectius putat Augustinus, De doctr. Christ. l. 3. c. 2. si sic legamus, *Coarctor è duobus*: ut hic distinctione interpositâ sequatur, *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius*: ut cùm *ex duobus compellatur*, intelligas alterius tamen *habere desiderium*, scilicet *esse cum Christo*; alterius verò *necessitatem*, scilicet *manere in carne.*

28. *Quæ est illis causa perditionis*] Bis repetendum *causa*, ut sensum habeas absolutum. *Quæ causa*, nimirum *terreri ab adversariis*, quod præmiserat, *illis causa est perditionis, vobis autem salutis.* Pro *causa* autem Græcè est ἔνδειξις, *ostensio, accusatio, delatio.* Ad sensum non magni refert.

H. STEPHANUS.

10. **Α**Πρόσκοποι εἰς ἡμέραν Χριστοῦ] *Inoffenso cursu pergatis ad diem usque Christi.*

15. Δι' εὐδοκίαν] *Propensâ voluntate.*

16. Ἐξ ἐριθείας] *Contendendi studio.*

18. Προφάσει] *In speciem.* Gall. *En apparence.*

20. Κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου] *Secundùm intentam & avidam exspectationem meam.*

23. Συνέχομαι γὰρ ἐκ τῶν δύο, τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι.] *Coarctor enim utrinque, & cupio quidem migrare.*

25. Πεποιθὼς οἶδα] *Cum certa fiducia novi.*

27. Μόνον ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου πολιτεύεσθε] *Videte tantum ut vos geratis sicut dignum est Euangelio.*

28. Καὶ μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων] *Nec percellamini ulla in re ab adversariis*: vel, *terreamini.*

DRUSIUS.

9. **I**N *scientia*] Alius *in cognitione.* Nam *scientia* ἀισθησις. Sed דעת Seniores ἐπίγνωσιν reddunt Hos. 4. 1, & 6. Prov. 2. 5. Rursum Hos. 6. 6. Syrus hic edidit בירעתא, an *cognitione* an *scientiâ*? Ego parùm referre arbitror hoc an illo modo vertas. ¶ *In omni sensu*] Πάσῃ αἰσθήσει verti potest *omni scientiâ.* Nam דעת priscâ interpretatione αἴσθησις, ut Prov. 1. 7. & 10. 15. & 12. 1. & alibi passim. Porrò דעת *scientia* etiam in antiquis editionibus. Syrus, *& in omni intelligentia spiritus.*

22. *Ignoro*] Οὐ γνωρίζω, *non cognosco, non novi.* Sic Job. 34. 25. LXX. ὁ γνωρίζων αὐτῶν τὰ ἔργα· Interpres Rom. *qui cognoscit eorum opera*, & Vulg. noster, *novit enim eorum opera.* Hebraicè יכיר *cognoscit.* Sed Thargum מודע *nota facit* aut *reddit.* Id γνωρίζω sæpius denotat. Ut γνωρίζω *cognosco*, γνωρίζομαι *cognoscor, innotesco* Exod. 21. 36. Sic. Ruth. 3. 3. μὴ γνωρισθῇς τῷ ἀνδρὶ *ne innotescas viro.*

23. *Dissolvi*] Ex hoc mundo, vel corpore. Videtur hic ἀναλῦσαι positum esse pro ἀναλύεσθαι, quomodo in Syra ed. לפטר est pro לאפטר. Sic etiam Doctores loquuntur. Dicunt לפטור מן העולם *discedere*, aut *dissolvi, ex hoc mundo*, & לפטור pro *migrare ex hac vita.* Nec insolens est ut infinitum activum ponatur pro ejus passivo. Exemplis aliquot id clarum faciam: Gen. 4. 26. *Tunc cœptum est* לקרא *invocari.* Prov. 25. 7. טוב אמר *Satius est dici.* Sic alibi בשפטך *cùm tu judicas*, vel potiùs *judicio contendis, litigas.* Ab hoc verbo *mortuus* sivè *defunctus* vocatur נפטר. Vide sis Eliam Germanum in Thesbite.

29. *Ut in eum credatis*] ב *in eum*, non ל, quod magis valet *ei.* Eodèm tamen recidit. Nam *credit in Deum* qui *credit Deo*, & contra. Similiter *credere in Mosen* & *credere Mosi* synonyma sunt: quod exemplis antea probavi: nunc probabo autoritate viri doctissimi cui nos omnes multum debemus, IN EUM, *id est*, EI. *Nam* εἰς *respondet literæ* ל *Hebræorum: ut non satis firmum sit discrimen illud quod statuitur inter* CREDERE DEO & CREDERE IN DEUM. Vide sis illum in Annot. ad h. l.

CASAUBONUS.

1. **Ε**Ν Φιλίπποις] De hac urbe Diodorus Siculus hist. l. 16. p. 514. & suprà in Actis.

5. Ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν] Scholiastes ad ἐλεημοσύνας refert: & sanè ità Rom. 15. 26.

21. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς] q.d. *Mihi enim dum vivam Christus erit τὸ πᾶν.* ¶ Ibid. ad ista Bezæ, *Firma est igitur doctissimi Interpretis sententia*] Ego puto commodissimam sententiam ex alia interpretatione elici, hoc modo, *Deus in mea seu vita seu morte glorificabitur. Vitâ; quia non alia futura est quàm quæ Christianum, & quidem Paulum Apostolum, deceat. Morte; quia si mihi pro Christo moriendum, ità alacriter id facturus sim ut lucrum mortem sim mihi reputaturus.* Et sanè mors antè maturum tempus, magnum Christiano lucrum.

22. Καρπὸς ἔργου] Beza *opera pretium.* Aliter Græci. Sanè καρπὸς ἔργου ut alibi καρπὸς χειλέων videtur dici. An quicquam facit phrasis Hebræa (ut in Psalmis, &c.) *fructus operum*? Videtur autem esse sensus, *Sive vivam, sive moriar, spero fore ut Deus in me glorificetur. Nam vita, si vivam, erit Christum redolens & Christiano conveniens. Mors autem, si moriar, hoc verò est quod opto, eoque quo citius continget, eo majus me fecisse lucrum putabo. Quanquam si vivere adhuc mihi ad operandum in agro Domino, & prædicandum Euangelium, amplius utile est, ut est, tunc verò ego quid malim nescio. Utrinque enim moveor vehementer. Si me respiciam & ipsum me in consilium adhibeam, mors sanè vehementer opto; & melius est: Sin vos respiciam, necesse est mihi adhuc vivere, ac me victurum scio.* Hæc ut non malè dici videntur, ità prorsus assentior Calvino & Bezæ. Sic Χριστὸν κερδαίνειν infra, 3. 8. ¶ Καὶ τί αἱρήσομαι οὐ γνωρίζω] Καὶ vacat, ut sæpe: aut ex Hebræorum idiotismo pro *tum* accipiendum, ut in simili loco Gen. 13. 9. *Si tu ad sinistram, & ego dexteram petam*; pro *tum.*

25. Καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα] Πεποιθὼς, ἀντὶ, πεπεισμένως.

CAMERON.

29. **Ο**Υ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ] Hinc probare se posse putant Pontificii *Charitatem posse sejungi à Fide*: sic

sic enim colligunt, Potest quis in Christum credere etiamsi non patiatur pro Christo: Itaque fieri potest ut quis credat in Christum etiamsi Christum non amet. Antecedens putant sequi ex verbis Apostoli: Nam si cuicunque datur credere in Christum, eidem daretur pati pro eo, frustrà, imò nugatoriè (quod absit) dictum esset ab Apostolo, *Datum est vobis non modò credere in Christum, sed & pati pro eo.* RESP. Etiamsi detur fieri posse ut quis credat in Christum cùm tamen idem non patiatur pro Christo, non sequi tamen continuò veram fidem posse esse sine charitate. Fieri enim potest ut is amet Christum qui pro Christo nihil unquam passus est, ut ii qui nunquam ad hoc vocati sunt à Deo ut patiantur persecutionem ob nomen Christi, quod est apud Apostolum *pati pro Christo.* Nec obstat quòd Apostolus id numerat inter dona Dei, cùm Apostoli flagris cæsi ob nomen Christi gratias agant Deo *quòd digni habiti essent qui Christi causâ affligerentur* Act. 5. 41. Hæc itaque est mens Apostoli, *Non modo vobis datum est credere in Christum, sed etiam hoc vos honore affecit Deus peculiari, ut pro Christo patiamini.* Sed esto, Apostolus aliud voluerit, nempe datum esse Philippensibus non modò ut credant, sed etiam ut æquo animo tolerent res adversas, non sequetur tamen alterum ab altero posse sejungi. Nam & Apostolus Rom. 5. 2, 3. affirmat, *fide justificatos gloriari in spe gloriæ Dei: neque id solum,* inquit, *verùm etiam gloriamur in afflictionibus.* Num quòd Apostolus sic locutus est, vel pronunciabimus Apostolum nugatoriè locutum, vel fieri posse ut qui *glorianur in spe gloriæ Dei*, iidem non *glorientur in afflictionibus*? Nam quod ajunt committi ἀδολεσχίαν si Fides à Patientia non possit se jungi, id ipsum de Spe vera & Gloriatione filiorum Dei, quam Apostolus docet etiam vigere in afflictionibus, dici posset. Cæterùm dona quæ sunt distincta inter se non continuò divisa sunt & separata. Certè aliud est *Credere*, aliud *Ferre res adversas patienter*; at fieri non potest ut qui credit ἀνυποκρίτως, idem non ferat patienter crucem.

GUALTPERIUS.

1. Ἐπισκόποις καὶ διακόνοις, *Episcopis & Diaconis*] Ἐπίσκοπος, *inspector.* Ἐπισκοπή, *inspectio*: de qua voce vide Act. 1. 20. διάκονος, *minister, ministrator, famulus.* Peculiariter verò ità dicebantur, in Ecclesia qui eleemosynas distribuebant pauperibus, ac eorum curam gerebant; seu ærarii Ecclesiastici OEconomi, quo nomine comprehendebatur & Viduarum collegium. Ii autem Diaconi Presbyteris suberant. Διακονέω, *ministro*: Διακονία, *ministerium.* Syrus habet עם קשישא ומשמשנא *cum Senioribus & Ministris.* Vide & Matth. 20. 26.

GROTIUS.

Est hæc Epistola, quanquam & ipsa Romæ in vinculis scripta, lætior alacriorque & blandior cæteris, ideo quod Philippis, quæ urbs præcipua est Macedoniæ & colonia, bis fuisset Paulus, Actor. 16. & 20. & bene successisset ibi Pauli prædicatio, conversâ muliere purpurariâ, ejecto Spiritu Pythonico, converso & per miraculum commentariensi, acceptâ à magistratibus ob injuriam acceptam satisfactione. Post quæ tempora Philippenses plerique fideliter custodierant ea quæ à Paulo acceperant, amoremque in tam bonum Magistrum & reverentiam multis modis erant testati. Insurgit tamen nonnunquam in asperitatem aliquam oratio adversùs homines similes illis quos ad Galatas notat, qui cùm Judæi ipsi non essent, illis tamen quos Paulus ex Gentibus converterat, suadebant Judaïsmum, occasione captâ ex vinculis Pauli & malis quæ Christianis non Judaïzantibus imminere videbantur. In quod consilium ex sola carnis cura profectum, quà debet fortitudine despuit Paulus.

1. Παῦλος καὶ Τιμόθεος, *Paulus & Timotheus*] Timothei nomen ideo addit, quòd cùm in utroque Philippos itinere Paulum esset comitatus, notus ob id charusque esset Philippensibus. ¶ δοῦλοι Ἰησοῦ Χριστοῦ, *servi Jesu Christi*] Modestè eum quæsivit titulum, in quo Timotheum secum sociaret. Apostolicam auctoritatem hic opus non habebat sibi adstruere, quando ea Philippis in controversiam non vocabatur. ¶ πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τοῖς οὖσιν ἐν Φιλίπποις σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις, *omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis*] Ità plerique codices & Syrus, non, ut Chrysostomus & secuti eum Græci legunt, συνεπισκόποις [*Coëpiscopis.*] Non novum est præcipuas personas postremo loco nominari, qua de re diximus ad Marcum 16. 7. ἐπισκόπων [*Episcoporum*] vox in Græcis versionibus respondet Hebræis פקידים, פקודים, מפקד, quomodo vocari solent omnes qui cujuslibet rei curam & inspectionem habent. In Novo Testamento vocati sic Presbyteri omnes, quia in gregem habebant *inspectionem* Actor. 20. 28. quæ inspectio ἐπισκοπὴ [*Episcopatus*] Actor. 1. 20. At is qui in eo ordine primas habebat, dicebatur per excellentiam ὁ ἐπίσκοπος [*Episcopus*,] unde factum ut id ei nomen proprio quodam jure manserit, sicut *Senum* nomen Episcoporum primis in Africa. Princeps autem hujus Presbyterii Philippensis videtur fuisse ipse Epaphroditus, qui Philippis ad Paulum ivit, quem mox Paulus vocabit συνεργὸν [*cooperatorem*] & συστρατιώτην [*commilitonem.*]

2. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη. *Gratia vobis & pax*] Rom. 1. 7. 1 Corinth. 1. 3. 2 Corinth. 1. 2. Gal. 1. 3. Ephes. 1. 2.

3. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν, *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri*] *Quotiescunque vestri memini Deo gratias ago.* Simile Rom. 1. 8. 1 Corinth. 1. 4. Ephes. 1. 16.

4 Πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει μου ὑπὲρ πάντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος. *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens*] Magni sanè affectûs testimonium, omnibus suis precibus pro ipsis preces admiscere. Et laus magna, quod addit, *cum gaudio.* Audiebat enim de plerisque eorum quæ vellet.

5. Ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ Εὐαγγέλιον, *Super communicatione vestra in Euangelio*] Id gaudeo, *quod Euangelii participes facti estis.* εἰς τὸ εὐαγγέλιον [*in Euangelium*,] pro ἐν τῷ εὐαγγελίῳ [*in Euangelio.*] Eadem κοινωνία τοῦ υἱοῦ [*societas filii*] 1 Corinth. 1. 9. & κοινωνία τοῦ μυστηρίου [*societas mysterii*] Ephes. 3. 9. κοινωνία μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ [*societas cum Patre & Filio*] 1 Joh. 1. 3. ¶ ἀπὸ πρώτης ἡμέρας ἄχρι τοῦ νῦν *à prima die usque nunc*] Laudat & constantiam in accepta fide.

6. Πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο, *Confidens hoc ipsum*] סבר, *sperans.* Vide Ephes. 3. 12. & ibi dicta. ¶ ὅτι ὁ ἐναρξάμενος ἐν ὑμῖν ἔργον ἀγαθὸν, ἐπιτελέσει ἄχρις ἡμέρας Χριστοῦ Ἰησοῦ, *qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu*] Nempe vobis cooperantibus, quod sequentia indicant. Sed maluit nominare causam principem ac digniorem. Simile Philonis illud in Allegoriis, Πολλοὶ ἀσκηταὶ γενόμενοι τῆς ἀρετῆς, ἐπὶ τῷ τέλει μετέβαλον· ᾧ δὲ παρέχει ὁ Θεὸς ἐπιστήμην βεβαίαν, τούτῳ δίδωσιν ἀμφότερα, τὸ ἐργάζεσθαι τὰς ἀρετὰς, καὶ μηδέποτε αὐτῶν ἀφίστασθαι, ἀλλ' ἀεὶ ταμιεύειν καὶ φυλάττειν αὐτάς [*Multi, cum se ad virtutem applicassent, ad extremum defecerunt: At cui stabilem scientiam largitur Deus, ei utrumque dat; ut & recte agat, neque ab eo absistat unquam, virtutesque omnes & promat & servet semper.*]

7 Καθώς ἐστι δίκαιον ἐμοὶ τοῦτο φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν, *Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis*] Ita antehac vos gessistis, ut optima de vobis sperare in posterum debeam. Vobis autem sic pergentibus, Deus quoque perget vos cumulare donis. δίκαιόν ἐστι [*justum est*] *par est*, ut Actor. 4. 19. ישר [*rectum.*] ¶ διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς, ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου, καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ βεβαιώσει τοῦ εὐαγγελίου, συγκοινωνούς μου τῆς χάριτος πάντας ὑμᾶς ὄντας. *eò quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelii, socios gaudii mei omnes vos esse*] Sunt Veteres qui putant scriptum hoc in secundis vinculis post primam causæ dictionem apud Neronem, quo tempore nemo Paulo adfuerat, 2 Tim. 4. 16. atque eo ipso tempore Timotheus Romæ non fuerat, ut ex eodem loco apparet. At mihi videtur ἀπολογία [*defensio*] posse intelligi illa apud Judæos qui Romæ erant, de qua in Actis. In omnibus autem his malis quæ Paulus ferebat, in eo se solabatur, quòd Philippenses Christiani non eadem modò de causa, sed pari modo, suscitantibus Romanos Magistratus Judæis, multa mala toleraverant, ac tolerabant, ut videre est infra 29. *Gratiam* autem hoc ipsum vocat, *pati pro Christo*, ut & infra ἐχαρίσθη [*donatum est.*] Magnus in hac re honos, magna præmia. ἀπολογία καὶ βεβαίωσις εὐαγγελίου [*defensio & confirmatio Euangelii*] dictum per ἐπεξήγησιν [*fusiorem explicationem*,] quod brevius ἀπολογία εὐαγγελίου [*defensio Euangelii*] infra 17. βεβαίωσις [*confirmatio*] est קם.

8. Μάρτυς γάρ μοι ἐστιν ὁ Θεὸς, *Testis enim est mihi Deus*] Juramentum, ut Rom. 1. 9. 2 Corinth. 1. 23. 1 Thess. 2. 5, 10. עד אלהים [*Deus testis*] Genes. 31. 50. בשמים עדי ושהדי במרומים [*in cælis est testis meus & testificator meus in excelsis*] Job. 16. 18. ¶ ὡς ἐπιποθῶ πάντας ὑμᾶς ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ *quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi*] Id est, amo vos amore non illo communi, sed verè Christiano. σπλάγχνα [*viscera*,] omnis *affectus*, 2 Cor. 6. 12. Philem. 7, 12, 20. 1 Joh. 3. 17.

9. Ἵνα ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον περισσεύῃ, *Ut charitas vestra magis ac magis abundet*] Est μετωνυμία [*Transnominatio*,] hoc enim vult dicere, *Oro ut iste vester in me amor à Deo majora indies dona accipiat.* Ex illo enim accipere, sequetur

sequetur τὸ περισσεύειν [*abundare.*] ¶ ἐν ἐπιγνώσει, *in scientia*] *Sic vocatur major rerum divinarum cognitio*, ut Rom. 3. 20. Ephes. 1. 17. 4. 13. ¶ καὶ πάσῃ αἰσθήσει *& omni sensu*] Id est, *experientia.* Sic דעת Lxx. vertunt αἴσθησιν [*sensum*] Prov. 1. 4. & sæpe alibi in eodem libro: quod alibi σύνεσιν, ἐπιστήμην [*intelligentiam, scientiam*] & aliis modis.

10. Εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα, *Ut probetis potiora*] Id est, *ut in quaque rerum circumstantia, quid rectum quid non sit intelligatis*: quomodo hanc locutionem explicavimus Rom. 2. 18. ¶ ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς, *ut sitis sinceri*] Id est, *ut clare omnia perspiciatis.* Sic τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν [*sinceram mentem*] dixit Petrus 2 Epist. 3. 1. ¶ καὶ ἀπρόσκοποι, *& sine offensa*] Vide 1 Cor. 10. 32. Actor. 24. 16. ¶ εἰς ἡμέραν Χριστοῦ *in diem Christi*] Id est, semper. Vide supra 6.

11. Πεπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης, *Repleti fructu justitiæ*] Sic כרב לפריו [*secundum multitudinem fructus ejus*] habes Oseæ 10. 1. Sensus est, *ut largè fructum feratis bonorum operum*: quæ omnia veniunt δικαιοσύνης [*justitiæ*] nomine. ¶ τῶν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *qui per Jesum Christum*] Quæ consummatiora esse debent; quam Legis opera. ¶ εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον Θεοῦ. *in gloriam & laudem Dei*] Omnia enim illa hominum, ante impiorum, pia opera ad magnam redundant laudem Divinæ gratiæ, Ephes. 1 6, 12, 14.

12. Τὰ κατ' ἐμὲ, *Quæ circa me sunt*] Res meæ, ut Ephes. 6. 21. ¶ μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ Εὐαγγελίου ἐλήλυθεν *magis ad profectum venerunt Euangelii*] Rectè facitis quòd non terremini his vinculis meis: nam ea ipsa Euangelio serviunt. Vocem προκοπῆς [*profectûs*] habemus & infra 25. & 1 Timoth. 4. 15. Est & apud Siraciden.

13. Ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, *Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio*] Μετωνυμία [*Transnominatio.*] *Vincula mea in Christo nota facta sunt*, id est, innotuit me vinctum esse tantùm Christi causâ. Qui rumor latiùs latiusque manans etiam in aulam pervenerat, ita ut & ibi quidam servorum aut libertorum Cæsaris facti essent Christiani, infra 4. 22. *Prætor* olim dictus is qui præiret exercitui, ut Varro explicat, hinc *cohors prætoria*, *navis prætoria.* Hinc *prætorium* dici cœpit tentorium Imperatoris: inde etiam Præsidis Provinciæ domus: *duo prætoria coli*, apud Tacitum. Romæ Cæsarum domus. *Palatium* dicebatur: sed provinciales assueti vocabulo *prætorii*, appellabant & hanc πραιτώριον [*prætorium.*] ¶ καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι. *& cæteris omnibus*] Apud plebem Romanam.

14. Καὶ τοὺς πλείονας τῶν ἀδελφῶν ἐν Κυρίῳ, *Et plures è fratribus in Domino*] Quales illi qui salutantur Rom. 16. ¶ πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μου, *confidentes vinculis meis*] Excitati, inquit, meæ patientiæ exemplo. ¶ περισσοτέρως τολμᾶν ἀφόβως, τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον λαλεῖν. *abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui*] Περισσοτέρως ἀφόβως [*abundantius sine timore,*] id est, ἀφοβωτέρως [*magis intrepide.*]

15. Τινὲς μὲν καὶ διὰ φθόνον καὶ ἔριν *Quidam quidem & propter invidiam & contentionem*] Judæos indicat, qui ut progressum Christianismi impedirent, ubique rumoribus differebant qualis esset illa doctrina, quibus se argumentis fulciret: quæ res efficiebat ut multi ad Paulum concurrerent, ex ipso rem totam intellecturi. ¶ τινὲς δὲ καὶ δι' εὐδοκίαν τὸν Χριστὸν κηρύσσουσιν. *quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant*] *Quidam etiam vulgabant Christianum dogma, ideo quod ipsi id probarent*: ὅτι ἐν αὐτῷ ηὐδόκουν [*quia in illo sibi placebant,*] qualis locutio 2 Corinth. 12. 10. Nec multò aliter εὐδοκία [*beneplacitum*] Roman. 10. 1.

16. Οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας, *Quidam quidem ex contentione*] Id est, ἐξ ἔριδος [*ex lite.*] Et ἐξ [*ex*] hoc loco est vice adjectivi, ut Rom. 4. 12. & cum eadem voce ἐριθείας [*contentionis*] Rom. 2. 8. ¶ τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν οὐχ ἁγνῶς, *Christum non purè annuntiant*] *Non pio, puroque animo.* ¶ οἰόμενοι θλῖψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου *existimantes pressuram se suscitare vinculis meis*] Hoc quærunt ut in arctiorem der custodiam: ideo enim ubique de dogmate loquuntur, quod sperent se & mihi & dogmati odium concitaturos. In Manuscripto pro ἐπιφέρειν [*inferre*] est ἐγείρειν [*suscitare.*] quomodo & Latinum legisse apparet.

17. Οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης, *Quidam verò ex charitate*] *Ideo quòd me ament*, dicunt quæ sint, quæ doceam, spectantia scilicet ad emendandos mores, minimè seditiosa. ¶ εἰδότες ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι. *scientes quoniam in defensionem Euangelii positus sum*] Κεῖμαι, id est, τέθειμαι [*positus sum.*] Sic κεῖται [*positus est*] habuimus Luc. 2. 34. Sic & κείμεθα [*positi sumus*] 1 Thess. 3. 3. sic שכב vertitur ἦν κείμενος [*positus erat*] 2 Sam. 13. 32. Ideo me amant & me miserantur, quia sciunt me ad munus prædicandi Euangelii hujus non sponte venisse, sed à Deo vocatum. ἀνάγκη μοι ἐπίκειται [*necessitas mihi incumbit*] dicit ipse 1 Corinth. 9. 16. In Manuscripto præcedit οἱ μὲν ἐξ ἀγάπης [*illi quidem ex charitate,*] &c. sequitur verò οἱ δὲ ἐξ ἐριθείας [*illi autem ex contentione.*] Simili codice usus est Latinus interpres.

18. Τί γάρ; *Quid enim?*] Est oratio ἐλλειπτική [*defectiva.*] hoc vult: *quid hinc sequitur? nihil nisi*, &c. ¶ πλὴν παντὶ τρόπῳ εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ Χριστὸς καταγγέλλεται. *dum omni modo sive per occasionem sive per veritatem Christus annuntiatur*] In Manuscripto, πλὴν ὅτι [*præterquam quod,*] non malè. προφάσει hic non significat *prætextu*, sed *occasione.* nam ex occasione illi Judæi, dum nocere Paulo student, multos pertrahebant ad Euangelium. Sic Prov. 18. 1. προφάσεις ζητεῖ Latinus vertit *occasiones quærit.* Sic ἐν προφάσει πλεονεξίας, Latinus *in occasione avaritiæ.* in Glossario: πρόφασις, *occasio.* Sic πρόφασιν λαμβάνειν apud Platonem, *occasionem arripere.* Sic & Euripides,

Ἐπεὶ βραχείας προφάσεως ἔδει μόνον.
[*Occasione opus brevi solummodo.*]

Contra ἀληθείᾳ [*per veritatem*] hic est *animo sincero.* ¶ καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι. *& in hoc gaudeo, sed & gaudebo*] In bono eventu etiam malorum consiliorum.

19. Οἶδα γὰρ ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν, *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem*] Exibit hoc ad salutem, nempe multorum hominum. ¶ διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *per vestram orationem & subministrationem Spiritus Jesu Christi*] Vobis precantibus, & ad vestras preces Christo mihi suppeditante vim perpetuam Spiritûs sui. χορηγία מנה [*donum.*]

20. Κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ τὴν ἐλπίδα μου, *Secundùm exspectationem & spem meam*] De voce ἀποκαραδοκίας [*exspectationis*] vide Rom. 8. 19. Psalmo 37. 7. התחולל vertitur ab Aquila ἀποκαραδόκει [*exspectat.*] ¶ ὅτι ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι, *quia in nullo confundar*] *Fore ut non in vanum laborem.* Est μετωνυμία [*Transnominatio,*] quales 2 Corinth. 10. 8. לא אבוש [*non pudefiam*] Psalm. 119. 80. Esaiæ 49. 23. ¶ ἀλλ' ἐν πάσῃ παῤῥησίᾳ, *sed in omni fiducia*] *Per liberam professionem* credentium, ut Actor. 4. 13, 29, 31. ¶ ὡς πάντοτε καὶ νῦν μεγαλυνθήσεται Χριστὸς, *sicut semper & nunc magnificabitur Christus*] *Sicut ante, ita & nunc magnum consequetur nomen.* De voce μεγαλύνεσθαι [*magnificari*] vide Luc. 1. 46, 58. Actor. 10. 46. 19. 17. Psal. 104. 1. & alibi sæpe. ¶ ἐν τῷ σώματί μου, εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου. *in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem*] Bene *corporis* vocem ad utrumque retulit: nam & corpus loquitur, & corpus occiditur. Dicuntur Martyres *morte suâ* δοξάζειν τὸν Θεὸν [*glorificare Deum,*] ut vidimus ad Joh. 21. 19.

21. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστός· *Mihi enim vivere Christus est*] Id est, *si vivo, Christo servio.* Vita mea non nisi in Christi rebus occupatur. Gregorius Nazianzenus,

Βίου τὸ κέρδος ἐκθνῄσκειν καθ' ἡμέραν.
[*Est maximum vitæ lucrum in dies mori.*]

¶ καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. *& mori lucrum*] *Et si moriar, morte meâ* aliquos Christo *lucrabor.* Sic κερδαίνειν [*lucrari*] habemus 1 Corinth. 9. 19, 20, 21, 22. 1 Petr. 3. 1. Est hoc oppositum ei quod est in Psalm. 30. 10. מה־בצע בדמי [*quæ utilitas in sanguine meo.*]

22. Εἰ δὲ τὸ ζῆν ἐν σαρκὶ, *Quod si vivere in carne*] Sic & Gal. 2. 20. Designatur vita hæc morti obnoxia. ¶ τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου, *hic mihi fructus operis est*] Latina locutio, *operæpretium.* Qualia ἐρωτᾷν pro *rogare*: ἱκανὸν λαμβάνειν, *satis accipere*: διδόναι ἐργασίαν, *dare operam.* ¶ καὶ τί αἱρήσομαι, *& quid eligam*] Τί [*quid*] pro πότερον [*utrum,*] quomodo & Latini scriptores *quis* ponunt pro *uter.* ¶ οὐ γνωρίζω, *ignoro*] *Non satis mihi liquet.*

23. Συνέχομαι δὲ ἐκ τῶν δύο, *Coarctor autem è duobus*] Id est, *utrinque cogor.* Sic συνέχεσθαι [*coarctari*] habemus Luc. 12 50. Actor. 17. 5. 2 Cor. 5. 14. id est, causæ sunt graves quæ me hoc & quæ me illud præoptare compellunt. Sic David 2 Sam. 24. 14. צר לי מאד, στενά μοι πάντοθεν σφόδρα ἐστι [*angusta mihi undique valde sunt.*] Post vocem δύο [*duobus*] ponenda hic διαστολὴ [*distinctio,*] ut rectè monet Augustinus de Doctrina Christiana 3. 2. ¶ τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, *desiderium habens dissolvi*] Id est, נפטר [*dimitti*] quod Hebræis frequens, ut & nomen פטירה [*animæ de corpore discessus,*] ad significandam piorum mortem. Syrus eadem voce hic usus. Sed ἀναλύειν propriè est *redire*: *recipi* vertit Tertullianus. *Spiritus à Deo est*, & *ad Deum redit*, Ecclesiastæ 12. 7. Loquitur sic & Philostratus in Vita Apollonii, & Cicero de Divinatione primo, Eudemi somnium exponens, *Ut cùm animus Eudemi è corpore excesserit, tum demum revertisse videatur.* Hieronymus quoque hunc locum citans priore Apologiâ contra Ruffinum

num ἀναλῦσαι vertit *reverti.* ¶ καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι *& esse cum Christo*] Id est, in Christi custodia, quoad partem potiorem, Actor. 7. 59. Nihil hinc de loco definiri potest. Polycarpus in Epistola itidem Philippensibus inscripta, ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ Κυρίῳ [*quod sint in debito suo loco apud Dominum.*] Hieronymus in Epitaphio Nepotiani, *Scimus Nepotianum nostrum esse cum Christo & Sanctorum mixtum choris.* ¶ πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον, *multò magis melius.*] Hoc dicitur per appositionem de toto eo quod præcessit: quasi diceret: *quod quidem mihi multo est melius:* quia sic scilicet futurum erat ut Paulus *requiesceret à* tot *laboribus*, Apoc. 14. 13.

24. Τὸ δὲ ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκὶ, *Permanere autem in carne*] *In hoc mortali corpore*, ut suprà 22. ¶ ἀναγκαιότερον δι' ὑμᾶς, *magis necessarium propter vos*] Non Philippenses tantùm, sed & alios Christianos hoc nomine complectitur.

25. Καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα, *Et hoc confidens scio*] Non dicit scire se diu mansurum, sed dicit se ita sibi esse conscium, ut quia videat suam vitam Christianis multis adhuc necessariam, ideo magis speret se in vita, quamvis molesta, mansurum, & ad ipsos rediturum. οἶδα πεποιθὼς, *scio me hoc sperare*, id est, malle. Vide supra 6. ¶ ὅτι μενῶ καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν, *quia manebo & permanebo omnibus vobis*] Omnibus in Christum credentibus. ¶ εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν, *ad profectum vestrum*] *Ad profectum vestrum majorem.* Vide supra 12. & 1 Timoth. 4. 15. ¶ καὶ χαρὰν τῆς πίστεως, *& gaudium fidei*] *Quo majori cum gaudio conjuncta sit fides vestra.*

26. Ἵνα τὸ καύχημα ὑμῶν περισσεύῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐν ἐμοὶ, *Ut gloriatio vestra abundet in Christo Jesu in me*] Καύχημα [*gloriatio*] hic ut & alibi est ἀγαλλίαμα, *exsultatio.* ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ [*in Christo Jesu,*] *per Christum Jesum* tanquam boni hujus auctorem. ἐν ἐμοὶ [*in me,*] id est, *propter me*, *meâ causâ.*

27. Μόνον ἀξίως τοῦ Εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ πολιτεύεσθε, *Tantùm dignè Euangelio Christi conversamini*] Πολιτεύεσθαι [*conversari*] locutione bene Græcâ significat *vivendi rationem*, הלך [*ambulare*,] ut Actor. 23. 1. *Hinc* πολιτεία frequens vox Chrysostomo & aliis pro *vitæ instituto.* Est translatio ducta à civibus qui secundùm civitatis suæ leges vivunt. ¶ ἵνα εἴτε ἐλθὼν καὶ ἰδὼν ὑμᾶς, *ut sive cùm venero & videro vos*] Quod velim. ¶ εἴτε ἀπὼν, *sive absens*] Quod fieri potest. ¶ ἀκούσω τὰ περὶ ὑμῶν, *audiam de vobis*] Τὰ, id est, *ταῦτα hæc quæ sequentur.* Simile loquendi genus Rom. 11. 29. ¶ ὅτι στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι, *quia statis in uno spiritu*] *Pariter affecti.* Nam πνεῦμα [*spiritus*] *affectum* significat 1 Corinth. 4. 21. & alibi sæpe. ¶ μιᾷ ψυχῇ, *unanimes*] Amantes vos mutuò. ¶ συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου, *collaborantes fidei Euangelii*] *Certantes quasi facto agmine* contra hostes Euangelii, idque *per fidem habitam & servatam ipsi Euangelio.* συναθλεῖν יחד פחתז [*unà certare.*]

28. Καὶ μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων, *Et nihil territi ab adversariis*] *Nihil territi illorum hostium minis.* In Glossario πτύρομαι, *trepido*, *terresio.* Utitur Plutarchus hac voce de equo consternato. ¶ ἥτις αὐτοῖς μέν ἐστιν ἔνδειξις ἀπωλείας, ὑμῖν δὲ σωτηρίας, *quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis*] Ἔνδειξις *argumentum.* nam הוכיח vertitur ἐνδείκνυσθαι [*ostendere*] Hesychius ἔνδειξις, ἀπόδειξις [*argumentum*, *demonstratio.*] Cùm videant minas suas nihil proficere, vos autem in mediis malis à Deo sustentari, inde capere argumentum debent, quis futurus sit utrorumque exitus. ¶ καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ· *& hoc à Deo*] *Omnia hæc eveniunt Deo sic dispensante.*

29. Ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ οὐ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν *Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*] Est πλεονασμὸς [*abundans locutio*] ut rectè vidit Syrus. Satis enim fuerat dixisse ὑμῖν ἐχαρίσθη οὐ μόνον τὸ εἰς Χριστὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ πάσχειν [*vobis donatum est non solùm in Christum credere, sed & pro Christo pati.*] Sicut fides dicitur *Dei donum* Ephes. 2. 8. sic etiam occasiones illæ pro Christo dura patiendi, qui honos summus. *Christo credit* qui eum credit vera dicere: *In Christum credit* qui per Christum accepturum se confidit vitam æternam.

30. Τὸν αὐτὸν ἀγῶνα ἔχοντες οἷον ἴδετε ἐν ἐμοὶ, *Idem certamen habentes quod & vidistis in me*] *Idem certamen* dicit quod ex eadem venit causa. *Quod vidistis in me*, tangit historiam quæ est Actor. 16. 19. & sequentibus. Est hic nominativus ἔχοντες [*habentes*] pro dativo ἔχουσι [*habentibus*,] qualia & apud Homerum nonnulla. ¶ καὶ νῦν ἀκούετε ἐν ἐμοί. *& nunc audistis de me*] Ἐν ἐμοὶ [*in me*] hic est, *de me*, quomodo accepere Syrus & Latinus. Vincula sua intelligit.

CAP. II.

VALLA.

2. *UT idem sapiatis, eandem charitatem habentes unanimes, idipsum sentientes*] Græcè *idem* & *ipsum* eodem modo dicitur, τὸ αὐτὸ item *sapere* & *sentire*, φρονεῖν quomodo ergò nunc different *idem sapiatis* & *idipsum sentientes?* Sciamus igitur Græcè non legi *idipsum*, sed *unum*, τὸ ἓν φρονοῦντες.

4, 5. *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis quod in Christo Jesu*] Plerique cod. Græci habent *considerate*, σκοπεῖτε. Certè omnes habent *sentiat*, non *sentite*, φρονείσθω, quod refertur ad *unusquisque*, quod Interpres pluraliter transtulit *singuli*, ἕκαστος.

11. *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris*] Græcè non legitur *est*, nec *in gloria*, sed *in gloriam*, εἰς δόξαν. Est autem sententia, Quòd *omnis lingua confiteatur quòd Dominus noster est Jesus Christus*, & hoc *in gloriam Dei Patris*; sive quòd *Jesus Christus est Dominus noster in gloriam Patris.*

13. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*] Idem verbum Græcum est in illo *operatur*, ἐνεργῶν, & in hoc *perficere*, ἐνεργεῖν, nè quis putet *perficere* nunc esse *ad finem perducere.*

22. *Experimentum autem ejus cognoscite, quoniam sicuti patri filius mecum servivit in Euangelio*] Puto potiùs transferendum fuisse *cognoscitis*, cùm sequatur *enim*, γινώσκετε. Item *velut patre*, non *patri*, ut congruat cum illo *mecum.*

27. *Nam infirmatus est usque ad mortem*] Gr. *proximè mortem*, sive *prope ad mortem*, παραπλήσιον θανάτῳ. Cui nonnihil simile est quod sequitur v. 30. *usque ad mortem accessit*, quod Græcè est *usque ad mortem appropinquavit*, quod dicitur Latiniùs *proximè ad mortem accessit*, μέχρι θανάτου ἤγγισεν.

29. *Et hujusmodi cum honore habetote*] Quanquam de uno Epaphrodito loquatur Paulus, tamen illud *hujusmodi* pluralis numeri est: quod tribus dictionibus Græcis pluralis numeri probatur, τοὺς τοιούτους ἐντίμους ἔχετε.

ERASMUS.

1. *SI qua ergò consolatio*] Παράκλησις. Ambrosius legit, *Si qua exhortatio*, nè bis diceret *consolationem.* Nihil tamen vetat quò minùs conduplicatio faciat ad Epitasin. Sentit enim consolationem quam illi debebant Paulo tot malis afflicto. Totum enim hoc officium eò vergit ut pro his omnibus inter se sint concordes. *Si qua viscera miserationis*] Gr. *Si qua viscera & miserationes*, σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί. Atque ità legit Ambrosius, suffragantibus & pervetustis exempl. Latinis. Nam in eo cod. quem exhibuit bibliotheca Pauli apud Londinum manifesta rasura testabatur *&* conjunctionem fuisse deletam, & *miserationes* adhuc erat scriptum nominandi casu, *e* literâ calamo dispunctâ. Manifestius etiam germanæ lectionis vestigium exstabat in utroque Constantiensi. Cæterùm in Græcis cod. non reperio scriptum εἴτινα σπλάγχνα, sed εἴτις σπλάγχνα, *si quis viscera.* Idque cùm in emendatis scriptis exempl. habeatur, demiror neminem Interpretum offensum hàc lectione. Nisi fortè σπλάγχνα hominem ipsum dixit *affectu misericordiæ præditum*, & Paulus magis rem ipsam respexit quam vocem. Certè Chrysostomus ac Theophylactus legit εἴτις σπλάγχνα, nec ullum tamen movet scrupulum. Nec potest subaudiri verbum *habet* propter nominandi casum qui mox sequitur, οἰκτιρμοί.

2. *Ut idem sapiatis*] *Sentiatis*, φρονῆτε, h. e. sitis concordes. ¶ *Idipsum sentientes*] Τὸ ἓν φρονοῦντες, *unum* (sive *idem*) *sentientes.* Est autem participium ejus verbi quod modò verterat *sapiatis.*

3. *Nihil per contentionem*] Κατὰ ἐριθείαν. Ambrosius legit *irritationem*, h. e. ad provocandum alios. ¶ *In humilitate*] Gr. *sed humilitate alii alios existimantes superiores seipsis*, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Et rursus *humilitatem* vocat modestiam animi, quâ quis sibi nihil arrogat.

4. *Considerantes*] Σκοπεῖτε, *considerate*, seu *spectate. Spectamus* enim quod experimus: unde & *scopus* dictus. Ambrosius legit *contemplantes.* ¶ *Quæ aliorum*] Græci addunt ἕκαστος, *quisque*; addunt & conjunctionem καὶ, hoc pacto, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστος, *sed & aliorum*: verùm hanc non attingunt Interpretes: proinde vim habet, opinor, eandem ac si dicas, *imò*; *imò magis aliorum.*

5. *Hoc enim sentite*] Φρονείσθω, *sentiat*, ut subaudias *unusquisque*, quod modò præcessit; sive *sentiatur.* Quanquam Interpres

terpres bene reddidit sensum, h. e. *Is sensus, is affectus sit in vobis qui fuit in Christo Jesu.* Aut, *Ità sitis affecti vicissim alii in alios, ut Christus fuit erga vos affectus.*

6. *Esse se æqualem Deo*] Τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, *ut esset aequaliter Deo.* Nam ἴσα nomen est adverbii loco positum. Loquitur enim de Christo quatenus erat homo. Nec est otiosus articulus apud Græcos, nimirum interpretans quid dixisset *rapinam*, haud dubium quin hoc ipsum, *ut esset par Deo.* Non usurpabat sibi æqualitatem cum Deo, sed dejecit sese. Porrò *forma* hic est μορφὴ, quod *speciem* sonat aut *figuram*, quam in Epist. ad Hebr. *characterem* vocat. Cæterùm utrùm hic *forma* sit ea qua Aristoteles disputat in libris Naturalium, quæ respondet Materiæ, videant ii qui hujusmodi disputationes in hunc invehunt locum, præsertim cùm idem Paulus mox subjiciat *formam servi accipiens.* Certè juxta Chrysostomi sententiam Christus *servus* non dicitur, sed *filius.* Tametsi D. Hieronymus in epist. Pauli ad Titum, id quod est apud Esaiam, cap. 49. *Magnum est tibi vocari puerum meum*, putat à Patre dici Filio, & παῖδα, quod transtulerunt LXX. Hebræis esse עבד, quod *famulum meum* duntaxat significat. D. Ambrosius FORMAM interpretatur *specimen* seu *exemplum*, quòd in corpore humano obambulans ederet tamen argumenta Divinitatis: *Forma enim*, inquiens, *Dei quid est nisi exemplum, quòd Deus apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat.* Jam quòd *accepit formam servi*, non propriè referri videtur ad humanam naturam assumptam, sed ad speciem & similitudinem hominis nocentis, cujus personam pro nobis gessit, dum flagellatur, damnatur, crucifigitur. *Servi*, inquit, *ex peccato fiunt, sicut Cham filius Noë, qui primus meritò nomen Servi accepit.* Non enim mihi, sicut quibusdam, videtur sic *formam servi accepisse* dum homo natus est. Porrò quod hic ait, *Non arbitratus est rapinam*, Ambrosius velut explicans, dicit, *Non sibi defendit æqualitatem*, h. e. non arrogavit sibi, quò nobis exemplum ostenderet humilitatis, *sed subjecit se*, ut exaltaretur à patre. Siquidem ad exemplum Paulus huc produxit Christum sponte humiliatum & Patris autoritate exaltatum. Neque tamen me clam est locum hunc à veteribus ferè secùs exponi, quantum ad quædam: Quorum ego sententiæ non præjudico; sed quod adjiciendum videbatur lectoris studio in medium confero. Scio magnos autores, Hilarium, Augustinum, ut cæteros taceam, sic interpretari, *Non arbitratus est rapinam quod esset æqualis Deo: nam quod erat natura, non putavit esse rapina. Cùm esset in forma Dei*, h. e. *cùm verè esset Deus.* Atque hanc præcipuam habent clavam quâ conficiantur Ariani, qui solum Patrem verè volunt esse Deum. Atqui si veris agere fas est, quid magni tribuit Paulus Christo, si *cùm Deus esset naturâ, intellexit id non esse rapina*, h. e. novit seipsum? Illud autem compertum est, nusquam majorem vim fieri Scripturis S. quàm ubi cum hæreticis agentes nihil non detorquemus ad victoriam. Tametsi non video quid hic locus propriè faciat adversùs Arianos, qui non negabant Dei Filium esse Deum, imò & magnum Deum fatebantur, & benedictum super omnia Deum; sed arbitrabantur Patrem aliquo modo peculiari dici Deum quo Filius aut Spiritus sanctus non diceretur. Non hic agit Paulus quid esset Christus, sed qualem se gereret, videlicet nobis edens exemplum. Deus erat, homo erat: Deum celavit, hominem exhibuit usque ad sepulturam: nam miraculis & alii pii claruerunt: & tamen si quas Divinæ naturæ scintillas obiter ostendit, semper ad Patrem autorem refert, sibi nihil arrogans. Proinde totus hic locus mihi videtur violentiùs detorqueri ad Christi naturam, cùm Paulus agat de specie exhibita nobis. Ad quem intellectum probè quadrat quod sequitur, *Propter quod Deus exaltavit illum.* Quid est *humiliavit*? Ostendit speciem servi & contempti. Quid est *exaltavit*? Declaravit speciem evecti, qui per se summus erat. Jam quod amicus quidam eruditis literis ad me suis argutatur, hæc verba, *Qui cùm in forma Dei esset, non arbitratus est rapinam esse se æqualem Deo*, non competere in Christum quatenus est homo, cùm juxta eam naturam verè *rapina* fuerit futura si se Deo æquasset, opinor suâ sponte dilutum hâc interpretatione; Hominem abjectum, hominem damnatum Christus agere non potuit nisi fuisset homo. Nec est quòd me quisquam magnis autorum nominibus obruat: imò non hoc admonuissem nisi mihi cognitum esset hoc magni nominis scriptoribus placuisse. Neque tamen inficias iverim Græca sic accipi posse, *Qui cùm in forma Dei fuisset*, h. e. qui cùm ab æterno fuisset Deus, *haudquaquam cogitasset rapinam si se gessisset pro Deo*: tamen homo factus, non id præ se tulit quod semper fuit: non ostentavit quantus esset, sed quàm humilis esset, quàm mitis, quàm obediens, hanc nobis ostendens viam ad summa perveniendi. Jam quod hic vertit *similitudine*, Græcè est ὁμοιώματι, quod magis sonat *assimilationem*: & quod hic *habitu*, illis est σχήματι, quod magis sonat *figuram.* Hæc paucis indicanda putavi, ut appareat quædam non admodum quadrare ad sensum Pauli quæ Thomas adducit de *habitu* juxta consuetudinem Dialecticorum, qui Aristoteli dicitur ἕξις, quam & Latini vocant *habitum*, diversa ab eo quæ dicitur διάθεσις. Qualitas enim velut in naturam versa Græcis dicitur ἕξις, ab *hærendo*; contrà quæ facilè tollitur, διάθεσις, quam Latinè possis *affectionem* dicere. Has ponit in primo genere qualitatis, σχῆμα verò & μορφὴν recenset in quarto genere, & sic recenset quasi inter has duas voces aut nihil aut quàm minimum intersit. Est autem & Forma substantialis, quam ἐντελέχειαν, nonnunquam εἶδος, interdum μορφὴν (quanquam hæc duo posteriora frequenter de *externa corporis specie* usurpantur) appellat. Nec tamen malè vertit Interpres. Nam *habitus* Latinis nonnunquam & ad *corporis speciem* refertur, at Græcis non item. Cæterùm *inventus* dixit pro *compertus*, εὑρεθεὶς, nimirum certissimis argumentis. Nam Latinis *inventum* dicitur quod quæsitum contigit. Sic & illud dictum est, *Inventa est in utero habens.* Et *ut homo* potest accipi, *ut homo quivis alius*, qualis non erat, etiamsi verè homo erat, quantum ad naturam hominis attinet: aut *specie hominis*, nimirum id præ se ferens quod erat, ut indicat Theophylactus. Cyprianus hunc citans locum lib. 2. adv. Judæos c. 13. legit, *Qui cùm in figura Dei esset.* Chrysostomus fusiùs hunc locum tractat, ex eo pugnans adversùs omnes hæreses quæ de Christi Divina natura perperàm senserunt. Quanquam hic Commentarii mihi videntur νόθοι. Quisquis fuit, Chrysostomi χολώδης vincit, argutiam non est assecutus.

7. *Exinanivit semetipsum*] Ἐκένωσεν ἑαυτὸν, *inanivit.* Nam Q. Curtius lib. 4. *exinanire* dixit pro *exhaurire*: *Ità ut nec circumvenirentur si arctiùs starent, nec tamen mediam aciem exinanirent.* Hic ἐκένωσε dictum videtur pro *fecit humillimum & nihili*: ut nihil agant qui contendunt Christum pauxillulùm quiddam imminutum à Deo juxta naturam Hominis assumptam. Certè qui tantillo minor sit non diceretur *inanitus.* Porrò quomodo dicatur *diminutus* aut *inanitus* non est hujus instituti persequi.

8. *Humiliavit seipsum*] Sunt qui putent *humiliare* vocem esse parùm Latinam. Ego certè optarim esse, etiamsi nondum contigit reperire apud idoneum autorem. Latinè reddi poterat *submisit* aut *dejecit.*

9. *Deus exaltavit illum*] Plus explicat sermo Græcus ὑπερύψωσεν, h. e. *vehementer exaltavit*, sive *insigniter.* Proinde Ambrosius legit *superexaltavit*, studens exprimere Græcam vocem.

10. *Omne genu flectatur*] Πᾶν γόνυ κάμψῃ, *omne genu flectat*, ut subaudias *se.* Simili formâ scripsit Matthæus aut hujus Interpres μὴ ἀνακάμψαι, *ne redirent ad Herodem.* Et Latinis *mox præcipitare* dicitur quæ imminet. ¶ *Et infernorum*] Καταχθονίων, *subterraneorum.*

11. *In gloria*] Εἰς δόξαν, *in gloriam*, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός, *quòd Dominus Jesus Christus in gloriam Dei Patris*, ut intelligas *hoc omnem confiteri linguam, quòd Jesus Christus est Dominus, idque in gloriam Dei Patris.* Quanquam illud *in gloriam Dei Patris* referri potest ad verbum *confiteatur*, quod præcessit, *ut omnis lingua confiteatur ad gloriam Dei.*

12. *Vestram salutem*] Τὴν ἑαυτῶν, *vestram ipsorum.* Quanquam, ut admonui, ista pronomina composita ferè vertit per simplicia. ¶ *Operamini*] Et mox, *Deus enim est qui operatur in vobis.* Prius verbum est κατεργάζεσθε, alterum est ab ἐνεργεῖν, quod nos vertimus *qui agit*; nè quis in hoc erraret.

13. *In vobis*] Ἐν ὑμῖν est in quibusdam, in aliis ἐν ἡμῖν *in nobis.* Quanquam hoc nihil interest ad sensum. ¶ *Et perficere*] Καὶ τὸ ἐνεργεῖν, *facere* sive *operari.* Est autem infinitum participii quod modò præcessit, ὁ ἐνεργῶν, *qui operatur*: nè quis putet esse novum mysterium in verbo *perficere*, quasi sit *ad finem perducere.* Ambrosius legit *operari.* ¶ *Pro bona voluntate*] Ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Sermo est anceps. Potest enim intelligi *bona voluntas* vel Dei vel Philippensium. Theophylactus refert ad Deum, Ambrosius ad Homines.

14. *Sine murmurationibus*] Quidam Græci cod. habent χωρὶς ὀργῆς, *sine ira.* Alii γογγυσμῶν, *murmurationibus.* ¶ *Et hæsitationibus*] Καὶ διαλογισμῶν, *disceptationibus.* Id aliquoties vertit *cogitationibus.* Diffidens enim disputat & argutatur.

15. *Sine querela*] Ἄμεμπτοι, *de quibus nemo queri* (sive *conqueri*) *possit*: alioqui *sine querela* est qui de nullo queritur. ¶ *Et simplices*] Καὶ ἀκέραιοι *sinceri, absque fuco.* ¶ *Sine reprehensione*] Ἀμώμητα, *irreprehensibiles*, sive *inculpati*: quod frequenter vertit *immaculati.* ¶ *Prava*] Σκολιᾶς. Quod non significat simpliciter *pravum*, h. e. malum, ut vulgò putant, sed *tortuosum & asperum*, ut respondeat illi quod superiùs posuit ἀκέραιοι, *simplices*: id quod velut interpretans explicat, adjungens καὶ διεστραμμένης, *distorta.* Augustinus enarrans Psal. 146. pro

pro *prava* legit *tortuosa*. ¶ *Inter quos lucetis*] Φαίνεσθε. Anceps est utrùm sit Imperandi modus an Indicandi, i. e. utrùm *lucete* an *lucetis*. Certè *lucete* Imperandi modo legit Cyprianus, in Epist. ad Rogatianum Presbyterum. Et Ambrosius sic exponit ut declaret hæc non pronunciari à Paulo quòd fiant, sed præcipi ut fiant, *Commonet*, inquiens, *ut memores suæ professioni respondeant, ut inter diffidentes tam clari appareant vitâ, conversatione, moribus, quemadmodum Sol & Luna inter stellas splendore sublimes sunt.* Porrò Φαίνεσθαι non simpliciter sign. *lucere*, sed *in conspicuo esse ut omnibus appareant*, veluti lumen in edito positum. ¶ *Luminaria*] Φωστῆρες. Cùm erecta machina tollitur in altum lumen sustinens. Unde addit *verbum vitæ sustinentes*, h. e. in vertice tenentes.

16. *Ad gloriam*] Εἰς καύχημα de quo jam sæpius admonuimus. Et est *ad gloriam mihi* εἰς καύχημα ἐμοί. Atque ità legit D. Ambrosius. Dilucidius erat, *ut gloriari possim in die Christi quòd non in vanum cucurrerim.* Nam huc refertur illud καύχημα, ut coram Christo possit gloriari, illis adjuvantibus hanc gloriam. Ità sanè Theophylactus. ¶ *In die*] Εἰς ἡμέραν, *in diem.*

17. *Supra sacrificium*] Ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, *super hostia & sacrificio fidei vestræ.* Sentit suam mortem & vincula victimam quandam esse cujus ipse sit minister & sacrificus, semetipsum immolans pro fide illorum; & hoc nomine gaudet. Non quòd inficier ἐπὶ Græcis nonnunquam sonare Accessionem, sed quòd hic non faciat ad sensum Pauli, meà sententià. Facit enim ille ceu duas victimas, alteram illorum Fidem, quos Christo obtulit, cujus se ministrum & λειτουργὸν facit: alteram Se, si dum student illam victimam ritè Deo exhibere, ipse mactetur & fiat victima: quod quidem non recusat, modò id efficiat ut illos Deo dignos exhibeat. In hanc sententiam interpretatur & Ambrosius, & Scholiastes Pseud-Hieronymus, atque huic consentiens Theophylactus. Recentiores quidam perperàm exponunt *supra* pro *ultra*, ac multò alium sensum inducunt quàm Paulus Græcis verbis expresserit. ¶ *Congratulor*] Συγχαίρω, *congaudeo.*

18. *Congratulamini*] Συγχαίρετε, *congaudete.* Legi potest per modum indicandi, *gaudetis & congaudetis*; id quod mihi sanè magis arridet.

19. *Bono animo sim*] Εὐψυχῶ. Græcis est composita dictio, & magis significat *bene affici animo* quàm *esse bono animo*. Siquidem *bono animo esse* dicunt Latini pro eo quod Græcis est θαρρεῖν. ¶ *Cognitis quæ circa vos sunt*] Γνοὺς τὰ περὶ ὑμῶν, *ubi cognovero de rebus vestris*, sive *cognitis iis quæ circa vos sunt.* Ambrosius legit *certior de vobis factus*, juxta formam illam quâ τοὺς ἀμφὶ Πλάτωνα ipsum *Platonem* dicimus. Ità mox Interpres vertit τὰ περὶ ὑμῶν.

20. *Tam unanimem*] *Tam* redundat. Tantùm est ἰσόψυχον, *æqualis animi.* Nec addit *tam* Augustinus adducens locum hunc lib. adv. Petil. 2. cap. 76. Sed offensus Interpres sensu addidit *tam*, nè videretur laudato Timotheo damnare cæteros. Est autem Græcis dictio novè composita, quæ *parem & eundem per omnia animum* significat, quo modo Pythagorici summam & perfectam amicitiam significabant. Talem id temporis non habebat Paulus, qui pari sinceritate tractaret Euangelium. Verùm quos offendit hic locus, eos magis oportuit offendi verbis quæ mox sequuntur, *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* ¶ *Qui sincerâ affectione*] Ὅστις γνησίως, *qui verè & germanè*, ut legit Augustinus Epist. 137. sive, ut aliàs vertit, *ingenue.* ¶ *Pro vobis solicitus sit*] Græcè sic est, τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει, *res vestras curabit*, ut sententiam reddam magis quàm verba.

22. *Ejus cognoscite*] Γινώσκετε. Est quidam ambigua Græca vox, tamen hoc loco rectiùs vertisset *cognoscitis*: quod declarant ea quæ mox sequuntur, *quoniam ut patri. Cognoscitis*, i. e. audistis; aut *cognoscite* ex me. Theophylactus legit *cognoscitis*, sic exponens quasi Paulus citet Philippenses testes quantâ sinceritate Timotheus se gesserit in Euangelio. ¶ *Quoniam sicut patri*] Vertendum erat *quoniam sicut cum patre filius mecum servivit*; vel, *sicut patri filius mihi conservivit.* Siquidem Græca sic habent, ὅτι ὡς πατρὶ τέκνον σὺν ἐμοὶ ἐδούλευσεν. Paulus servivit Euangelio, nihil quærens sui commodi: huic se socium dedit Timotheus pari sinceritate affectus.

23. *Spero mittere*] Cur non potiùs *missurum*? nam infinita sic aliquoties usurpantur. ¶ *Quæ circa me sunt*] Græci addunt ἐξαυτῆς, *protinus*, sive *confestim*: quod hic Interpres videtur vertisse *mox*. Verùm illud *mox* potiùs referendum videtur ad verbum *mittere*.

24. *Veniam ad vos*] *Ad vos* redundat. Imo Græcè est, *quod & ipse cito venturus sim*: & ità legit Ambrosius.

26. *Et mœstus erat*] Καὶ ἀδημονῶν. Id Ambrosius vertit *& impatienter solicitus erat.* Nam ἀδημονεῖν est *penè exanimari ac deficere præ dolore.*

27 *Usque ad mortem*] Παραπλήσιον θανάτῳ, *proximè mortem*, sive *ut esset vicinus morti.* Ambrosius legit *prope mortem.*

28. *Festinantiùs*] Σπουδαιοτέρως. Verti poterat & *studiosiùs*. Ambrosius legit *solicitiùs*, etiam si depravatum est *solicitus*. Mihi tamen non displicet quod vertit Interpres. ¶ *Sine tristitia sim*] Ἀλυπότερος ὦ. Ambrosius vertit *meliore animo sim.* Græca vox perinde sonat q. d. *liberior sim ab omni dolore*, sive *minus doleam.*

29. *Cum honore habetote*] Ἐντίμους ἔχετε, *in pretio habete.*

30. *Tradens animam suam*] Παραβουλευσάμενος. Ambrosius Græcam vocem propiùs expressit, *in interitum tradens animam suam.* Est autem παραβουλεύεσθαι *male consulere, & non habere rationem alicujus*; non quod Faber putat, *spontè consultoque tradere.* Sentit enim Paulus illum ope Divinâ servatum fuisse: alioqui ipse se præcipitaverat in exitium vitæ. ¶ *Quod ex vobis deerat*] Τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, *vestrum defectum.* ¶ *Erga meum obsequium*] Τῆς πρός με λειτουργίας. Ambrosius legit *circa meum officium.* Quanquam nec is explicuit quod Græca sonant verba, quorum hæc est sententia, *ut quod diminutum fuit in obsequio vestro erga me, id suppleatis in his quos ad vos mitto, & quod minus fecistis mihi, in talibus compensetis.* At nonnulli cod. habent πληρώσῃ *impleret*, non πληρώσητε, ut verbum ad Epaphroditum sit referendum, non ad Philippenses; ac tum erit sensus, *ut ille suppleret quod in vestro erga me officio fuit diminutum.* Ità sine dubio legit Scholiastes Latinus in omnes Pauli Epistolas. Ambrosius interpretatur, ut suppleret, si quid Paulus minùs plenè tradiderat. Licèt Ambrosianus sermo sit obscurus; sic enim loquitur, *ut impleret quod deerat plebs in traditione juxta dispensationem Apostoli.* Theophylactus cùm legat itidem ut Ambrosius, tamen secùs interpretatur, videlicet, cùm Philippenses Romæ non essent, tamen Epaphroditum illorum munificentiam ad se detulisse, atque hoc pacto sarsisse quod illorum erga Paulum officio locorum sejunctio videbatur detraxisse. Ad eundem modum interpretatur Chrysostomus. Nec dubitandum est quin idem legerit Theophylactus quod Chrysostomus, sed Interpres suo more infulcit Vulgatam Latinorum lectionem, *circa meum officium*, quam tamen non arbitror esse interpretis sed depravatoris. Nam ut Latinè dicatur *obsequium* aut *officium* aut *ministerium illius* cui impenditur, Græca, quæ non variant, τῆς πρός με λειτουργίας, quid aliud declarant quàm *officii circa me*, vel *erga me* potiùs? Unde palàm est tum apud Ambrosium depravatè legi *circa meum officium*, tum in Vulgata editione *erga meum obsequium*, pro *circa me officium*, & *erga me obsequium.* Mirum tamen quomodo illud *meum* omnes Latinos codices occuparit. Annotavit Chrysostomus quòd Paulus Philippensium munificentiam appellarit λειτουργίαν *ministerium*, nè sibi placerent. Nec est πληρώσῃ, sed ἀναπληρώσῃ, quod est *accessione impleret quod plenitudini perfectæ deerat.*

VATABLUS.

1. *IN Christo*] i. e. In iis qui eundem Christum colunt. ¶ *Charitatis*] i. e. Ab iis qui diligunt. ¶ *Societas Spiritûs*] *Communio*: i. e. Siquis sit Spiritus sanctus omnibus Christianis communis. ¶ *Miserationis*] *Ac miserationes*, Vet. Heb. si quis pius ac misericors affectus ad sublevandos afflictos.

2. *Sapiatis*] *Sentiatis.* ¶ *Idipsum*] *Unum, idem.*

3. *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*] *Per humilitatem* [sub. *animi*] *alii alios seipsis præstantiores esse arbitrantes.*

4. *Considerantes*] *Considerate.* ¶ *Sed**] * *Singuli etiam.*

5. *Hoc enim sentite in vobis quod &*] *Is enim affectus sit in vobis qui fuit.*

6. *In forma Dei*] i. e. Verus Deus. ¶ *Non rapinam arbitratus est*] i. e. Æqualitatem quam cum Patre habebat ambitiosè retinere noluit, velut facere solent prædones, qui quod semel rapuerunt summâ curâ & studio retinent: sed ab illa ad tempus discessit, cùm formam servi accepit.

7. *In similitudinem hominum*] Vel, *similis hominibus.* ¶ *Habitu*] *Figurâ.*

8. *Humiliavit*] Vel *Dejecit, submisit.*

9. *Exaltavit*] *Superexaltavit.* ¶ *Nomen*] i. e. Potentiam, majestatem, vel gloriam: quòd his omnibus cognoscatur Deus, veluti homo nomine suo dignoscitur.

10. *In nomine Jesu*] i. e. Præ magnitudine virtutis Jesu. ¶ *Flectatur*] *Flectat se.* ¶ *Cælestium**] * *Et*, Vet. ¶ *Infernorum*] *Subterraneorum.*

11. *Dominus, Jesus Christus*] i. e. Quòd Jesus Christus est Dominus.

Dominus. ¶ *In gloria est*] *Ad gloriam*: quia scil. eum misit quem promiserat.

12. *Non* *] *Ut*, Vet. ¶ *Cum metu & tremore*] Metalepsis, pro eo quod est, *cum summa diligentia*. ¶ *Vestram salutem*] Vel, *quæ sunt salutis vestræ*.

13. *Perficere*] *Perficere*, Vet.

14. *Sine murmurationibus*] Legitur &, *sine ira*. ¶ *Hæsitationibus*] *Disceptationibus*.

15. *Sine querela*] i.e. Tales ut nemo de vobis queri possit. ¶ *Simplices*] *Sinceri, sine fuco*. ¶ *Perversæ*] *Tortuosæ*. ¶ *Lucetis*] *Lucete*, vel, *conspicui estote*.

16. *Ad gloriam meam in die Christi*] *Ut gloriari possim in die Christi, quod*, &c.

17. *Æmulor*] *Immolor*, Vet. ¶ *Supra sacrificium & obsequium*] *Super hostia sacrificioque*: i. e. ob fidem quam suscepistis, quamque Deo velut hostiam & suavissimum sacrificium jam obtuli. ¶ *Congratulor*] *Congaudeo*.

18. *Congratulamini*] *Congaudete*.

19. *Cognitis quæ circa vos sunt*] *Cognito statu vestro*. Ambrosius legit, *Certior de vobis factus*.

20. *Tam unanimem, qui sincerâ affectione pro vobis solicitus sit*] *Pari mecum animo præditum, qui verè res vestras curaturus sit*: sub. *præter hunc*.

22. *Experimentum*] *Probationem*. ¶ *Cognoscite*] *Cognoscitis*. ¶ *Patri*] *Cum patre*. ¶ *In Evangelio*] *In Evangelium*, Vet.

23. *Quæ circa me sunt*] *Mea negotia*.

25. *Necessarium*] *Operæpretium*. ¶ *Necessitatis meæ*] *In necessitate mea*.

27. *Usque ad mortem*] *Ità ut esset vicinus morti*.

28. *Festinantiùs*, *Studiosius*. *Sine tristitia sim*] *Magis vacem dolore*.

29. *Cum honore*] *In pretio*.

30. *Usque ad mortem accessit*] *Morti proximus fuit*. ¶ *Tradens animam suam*] Vel, *non habitâ ratione vitæ*. ¶ *Impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium*] *Suppleret defectum suppeditationis vestræ erga me*: q. d. suppeditare debetis mihi necessaria, qui spiritualia seminavi.

CASTALIO.

6. **Q**Ui cùm in Dei forma foret, &c.] Cùm Christus, antequam factus homo est, esset Deus, *æqualisque Deo*, eandem cum Deo vitam ageret, non retinuit eam cum Deo æqualitatem tenaciter, ut faciunt rapaces, qui nihil sibi detrahi patiuntur; sed suâ sponte *factus est* Deo minor, *servilemque* Hominis *formam sumpsit*; h. e. homo factus est, &c. *In Dei forma esse* dicit Deo similem esse, h. e. Deum; item, *hominum similem esse*, hominem esse cæterorum similem, excepto peccato; item, *inveniri ut hominem*, h. e. inveniri & esse hominem. μορφὴν, ὁμοίωμα & σχῆμα, h. e. *formam*, *similitudinem* & *figuram*, pro eodem ponit. *Rapinæ habere*, sive *rapinam* aut *pro rapina ducere*, dicit pro *rapaciter uti & retinere*; ut Latini dicunt *in hostium numero habere* pro *ducere ut hostem*. Sic enim poni solet verbum ἡγεῖσθαι ut non solùm cogitationis sit verùm etiam rei; ut in capite sequenti, ἀναγκαῖον ἡγησάμην Ἐπαφρόδιτον πέμψαι, *necessarium putavi Epaphroditum mittere*, h. e. misi, quod ità necessarium & operæ pretium putavi. Et Gen. 31. *Alienæ putatæ sumus*, h. e. tractatæ ut alienæ.

14. *Pravisque cogitationibus*] Verbum διαλογισμὸς medium est. Sed si vituperatur aut vetatur, intelligitur *prava cogitatio*, ut Latinè *valetudo*. Quòd si dicas, *Non licuit per valetudinem*, intelligitur adversa valetudo: Sin dicas, *Gratia, fama, valetudo contingat abunde*, intelligitur bona valetudo.

16. *Vitalem doctrinam sustinentes*] Evangelicæ doctrinæ respondentes & ut eâ dignum est vos gerentes.

17. *Fidei vestræ sacrificio ac operatione immolor*] Propter vos Christianos factos.

30. *Dum vestri erga me officii defectum suppleret*] Id mihi præstaret quod præstare vestri erat officii.

CLARIUS.

1 **S**I qua ergò consolatio in Christo] h. e. *Si quam* mihi vultis in tentationibus præbere *consolationem in Christo, si quod solatium* assequi licet à vestra *charitate, si quam* ostendere *communicationem quæ est in spiritu, si qua* habetis erga me *viscera & miserationes, implete gaudium meum*.

6. *Qui cùm in forma Dei esset*] In multis Pauli Epistolarum locis id accidit quod Horatius ait,

——— *Brevis esse laboro,*
Obscurus fio. ———

Copia enim rerum simul ingruens non patiebatur magis eum dilucidè loqui. Dicamus ergò sic, *Cùm in forma Dei esset*, poterat quidem in ea manere, cùm naturaliter Filius Dei esset, & Deus, *neque arbitrabatur esse rapinam* id quod habebat; verùm dum quæreret nostra magis quàm sua, voluit ipse *se demittere ad humilitatem* nostram, *acceptâ formâ servi*, & similis nostri factus, nempe verus homo, *& in figura formâque nostra inventus humiliavit semetipsum*, &c. *Non timuit*, ait Chrysostomus, *descendere à sua dignitate: non enim arbitrabatur Divinitatem quam habebat, esse rapinam; nec metuebat ne quis illam sibi eriperet, quam naturâ habebat. Metuunt enim Tyranni, qui vi imperium aliquod invaserunt.* Hæc ille, & multo his plura. Verùm si ad tempus post assumptam humanitatem referas animum, sic dici potest, *Cùm in forma Dei esset*, h. e. quamvis esset Deus, vel, cùm factis admirandis Divinitatem præ se ferret, *tantum abest tamen ut quæreret inter homines celsitudinem ut etiam se dejiceret*, &c. Sed prior interpretatio aptior est.

9. *Deus exaltavit illum*] De assumpta humanitate hæc intelliguntur dicta.

11. *Et omnis lingua confiteatur*] *Ut omnes agnoscant Jesum Christum esse Dominum, idque in gloriam Dei Patris*, ad quem non solùm Apostoli verùm etiam ipse Dominus omnia referebat ut unanimitas intelligeretur. Hoc autem, quòd appellat *Dominum*, Petrus Actor. 2. expressit cùm dixit, *Dominum eum & Christum fecit Deus*.

12. *Cum metu & tremore*] Cernis quo in gradu standum sit Christiano?

13. *Deus est enim qui operatur*] Nequis metuat non posse se operari salutem suam, habet Deum, qui efficaciam toti operi præbeat, & tanquam voluntatem nostram & opus formet. Verùm quo pacto hæc operatio fiat operæpretium est scire. Loquitur enim hic de fructibus quos pariebant credentes post adeptum Spiritum sanctificationis. Tunc enim Spiritus S. *efficiebat ut vellent & operarentur* & cogitarent cœlestes cogitationes. Quamobrem dicebat idem Apostolus. *Conversatio nostra in cælis est*. ¶ *Pro bona voluntate*] Ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, *ut impleat in nos suam bonam voluntatem atque consilium*.

16. *Verbum vitæ continentes*] Chrysostomus interpretatur, *victuri, & qui sitis inter servandos, ac pignora vitæ tenentes*: hoc enim significare, λόγον ζωῆς, *sermonem vitæ*.

17. *Gaudeo & congratulor*] Χαίρω καὶ συγχαίρω *gaudeo & congaudeo*: *gaudeo*, quia immolor, *congaudeo*, quia vos hostiam offero & adduco ad Christum: quare & vos vicissim idem agite.

27. *Deus misertus est ejus*] Viri sancti, etsi optent esse cum Christo, tamen si posteaquàm in morbum aliquem inciderint, recreati ab eo fuerint, agnoscunt hoc miserationis esse Divinæ. Præterea sæpe Paulus loquitur ad audientium consuetudinem, præsertim ad homines qui adhuc timerent mortem. ¶ *Ne tristitiam super tristitiam haberem*] Tristitiam scilicet ob mortem, post illam quæ erat ob infirmitatem: vel, nè reliquis afflictionibus hæc etiam adderetur.

30. *Tradens animam*] Videtur missus à Philippensibus ut afferret Paulo pecunias, qui cùm detineretur in carcere, accessus ad eum non erat sine periculo: quod periculum Epaphroditus generosè contempsit; ut ministraret Paulo.

ZEGERUS.

1. **S**I qua viscera ac miserationes] Sic lege juxta exempl. nonnulla antiqua, Ambrosium, Augustinum & Sedulium. In archetypo item εἴ τινα. Nam non legisse Chrysostomum & Theophylactum εἴτις σπλάγχνα, hinc colligitur, quòd nullum moveant scrupulum. Certè meus codex Basileæ expressus εἴτινα habet. Codex Emsteinensis & Gemblacensis & alii plerique habent *si quæ viscera miserationis*. Porrò *siqua* antiquè & unicâ voce dixit Interpres pro *si aliqua*. Alioqui si duæ essent voculæ *si qua*, potiùs dicendum erat *si quæ viscera*. Nunc autem Interpres sic loquitur, *siqua consolatio*, *siquod solatium*, *siqua viscera*, varians *siquis*, ut compositum non à *si* & *quis*, sed à *si* & *aliquis*; cùm dicere potuisset *si quæ consolatio*.

4. *Quæ aliorum*] Redundat ἕκαστος juxta Chrysostomum & cæteros veteres: contrà OEcumenius.

5. *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Jesu*] h. e. *Ità estote affecti*, erga Deum, erga vosipsos, & erga proximos, *quemodo affectus fuit Christus*, qui suis commodis haudquaquam studens, sed Patris gloriam & nostram quærens utilitatem, *semetipsum exinanivit* ac dejecit *usque ad mortem*. Ge. quidem est

τῦπο

τῦτο γὰρ φρονείσθω, *Hoc enim sentiatur* (sive *intelligatur*) *in vobis.* Sensus tamen idem est.

6. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*] *Qui cùm in forma Dei esset*, h. e. ejusdem cum Patre naturæ atque substantiæ, *illud, æqualem esse Deo, non putavit* (sive *arbitratus est*) *rapinam esse*; *quia* (ut Augustini verbis dicam) *natura erat, quia hoc natus erat, ut esset æqualis illi à quo genitus est.* Cæterùm quò *rapinæ* hic emphasim pernoscas Theophylacti hunc enarrantis locum verba subscribere placuit: *Adverte*, inquit, *quid Paulus dicat*, NON RAPINAM ARBITRATUS EST ESSE SE DEO ÆQUALEM. *Cùm enim quis aliquid surripit, ne illud amittat veretur, quia quod alienum est detinet. Cùm verò quippiam habeat naturâ insitum, facile illud contemnit, certior sane id se ità sortitum ut deponere nequeat, sitque protinus recepturus si deposuisse sit visus. Inquit igitur, Nihil est Dei Filius veritus à propria dignitate descendere, quia hanc non per rapinam sit assecutus.* B. autem Ambrosius post multam narrationem, quid intellexerit in illo, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, tandem dilucidiùs explicare videtur cùm dicit, *Non sibi defendit æqualitatem, sed subjecit se.*

7. *Exinanivit semetipsum*] i.e. Velut inanem & nihili exhibuit sese.

8. *Et habitu inventus*] i. e. *Formâ & specie compertus est ut homo.*

12. *Non ut in præsentia mei*] Cave omittas *ut.*

13. *Pro bona voluntate*] Ambrosius & Chrysostomus hanc *voluntatem* ad homines referunt, Theophylactus ad Deum.

15. *Ut sitis sine querela*] Ἄμεμπτοι, *irreprehensibiles, invituperabiles*; *de quibus nemo ne conqueri possit.* ¶ *Sine reprehensione*] Ἀμώμητοι, *inculpati, immaculati, irreprehensibiles.*

17. *Sed & si immolor super sacrificium & obsequium fidei vestræ gaudeo & congratulor omnibus vobis*] Et si, inquit, contingat me per mortem *immolari* (& *victimam fieri super* vel *supra*) *sacrificium & obsequium vestri*, quo vos olim per *vestram fidem* & conversionem Deo obtuli (vel *super sacrificium quo* ipsi vos Deo *obsequentes per fidem* me autore immolatis) *gaudeo* in hac mei immolatione, *& simul congratulor omnibus vobis*, quòd & ego & ipsi vos hostiam vivam effecerimus Deo. Vel sic, *Et si immolor*, persecutiones & afflictiones sustineam, denique & occidat, ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, *propter hostiam & ministerium* (vel *sacrificium*) *vestræ fidei*, quod videlicet causâ sim vestræ fidei, omnem tamen pœnæ seu mortis tristitiam vincit in me profectûs vestri gaudium. Sunt qui ἐπὶ θυσίᾳ vertere maluerint *super hostia & sacrificio*, ut pertineat ad *gaudeo*: sed commodius est *propter* vel *super*, ut liquet propiùs intuenti.

30. *Ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium*] Ἵνα πληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας, i. e. *ut impleret defectum vestri erga me officii.* Sentit autem de liberali communicatione per Epaphroditum administranda.

H. STEPHANUS.

2. Σύμψυχοι] *Unanimes.*

5. Τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ] *Sic animati sitis ut Christus.*

6. Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο] *Non duxit rapinam.*

14. Χωρὶς γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν] *Absque murmurationibus & disceptationibus*: vel *altercationibus.*

15. Φαίνεσθε] *Lucetis*; vel, *lucete*, imperandi modo.

17. Εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ] *Etiamsi pro libamento offerar super hostia & sacrificio.*

19. Εὐψυχῶ] *Animum resumam*: vel, *bono sim animo.*

20. Ἰσόψυχον] *Unanimem*: vel, *ità pari affectu præditum.*

26. Ἀδημονῶν] *Valde angebatur.*

28. Σπουδαιοτέρως ἔπεμψα] *Eò lubentiùs misi*: vel, *avidius.*

30. Παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ] *Quòd malè vitæ suæ consuluisset.*

DRUSIUS.

6. *Non rapinam arbitratus est*] Ἁρπαγμὸς propriè ipsa rapiendi actio, quæ usitatius ἁρπαγὴ dicitur: ἅρπαγμα verò id quod raptum est, *rapina, præda.* Sed confundi scias. Nam & ἁρπαγὴ *rapina* Jes. 3. 14. καὶ ἡ ἁρπαγὴ τοῦ πτωχοῦ ἐν τοῖς οἴκοις ὑμῶν. Ebraicè גזל. Syriacè verò [illegible]: quâ voce usus fuit hoc loco ejus linguæ Interpres.

15. *Sicut luminaria in mundo*] Non dicit *in cælo*, sed *in mundo.* Mundus Cœlum ac Terram continet. Luminaria in cœlo majora sunt Sol & Luna; minora, Stellæ. Luminaria in terra sunt primùm pii, qui vitâ suâ prælucent aliis; deinde sapientes: unde dictitant, *Quod luminaria in cœlo, id sapientes in terra.* Hinc etiam illud, *Vos estis lux mundi.*

21. *Omnes quæ sua sunt quærunt*] Voluerat dicere *multi*, sed augendi gratiâ dixit *omnes.* Sic Plautus Cistellariâ, *ità mihi omnia ingenia sunt*, i. e. multa. Contrà *multi*, i. e. omnes. Dan. 12. *multi è pulvere terræ evigilabunt*: aut vertendum *plures*, i. e. mortui. Nam sic olim mortuos vocabant, quia plures sunt mortui quàm viventes. Probarem valde si רבים idem significaret.

27. *Tristitiam super tristitiam*] יגון על יגון, vel certè, דאבה על דאבה *dolorem super dolorem.* Dicunt etiam *ærumna supra ærumnam*: item, *ærumna post ærumnam*, h. e. צרה אחר צרה. Latinè *continuus dolor, continua ærumna.* Quò pertinet & illud, *afflictio afflictionem addere.*

CASAUBONUS.

6. Τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ] Homerus Ὀδ. ζ.
Τὸν νῦν ἶσα θεῷ Ἰθακήσιοι εἰσορόωσι.

8. Καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος] Sic τύραννον σχῆμα ἔχειν pro τύραννον εἶναι dixit Sophocles; Athen. p. 141.

CAMERON.

6. Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, &c.] Phrasis est sumpta ab eo quod tum fieri solebat. Victores nempe hostium spolia detracta atque erepta in tropæum erigebant. Itaque optimè ista sic Gallicè vertas, *Il ne fit point de triomphe* (ou *trophée*) *de ce qu'il estoit egal à Dieu*; h. e. *non jactavit, non visus est gloriari & insolescere.* Hortatur nempe fideles Apostolus ad humilitatem, argumento ab exemplo Christi ducto, qui cùm Deus esset, non ut Deum sese gessit, non id palàm patefecit, ab ostentatione & gloria alienus, sed *servi formam assumpsit.*

12. Μετὰ φόβου καὶ τρόμου] His verbis non metum & trepidationem ex dubitatione ortam sed humilitatem duntaxat atque summam animi demissionem significat Apostolus, idque ex usu Scripturæ, quæ nunquam alio sensu hæc verba simul juncta usurpat. Quod ut liqueat, observandum est quinquies tantùm in S. literis hanc locutionem occurrere, eâdem semper mente. Primus locus est Psal. 2. 11. secundus 1 Cor. 2. 3. tertius 2 Cor. 7. 15. quartus Eph. 6. 5. tum postremò hic locus, in quo μετὰ φόβου καὶ τρόμου idem quod illis locis significat. Quòd si nihil aliud esset, antecedentia & consequentia id evincunt. Etenim hæc hortatio Apostoli ducta est à Christi exemplo: Christus nempe verus Deus *assumptâ servi formâ* summam humilitatem testatus, atque ità decursu vitæ stadio coronam adeptus est: *itaque & vos conficite salutem vestram in timore & tremore.* Profectò si hoc loco *timor & tremor* aliud præter humilitatem significant, ista minimè cohærent. Tum quæ sequuntur id ipsum arguunt: *Deus enim facit in vobis tum velle tum perficere.* Atqui si Deus facit horum utrumque, nulla metûs causa subest, humilitatis subest maxima. Quocirca alibi Apostolus verbum φοβεῖσθαι *metuere* τῷ ὑψηλοφρονεῖν opposuit, Μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ, Rom. 11. 20. Atqui causa nulla est cur Metus propriè dictus Superbiæ opponatur, cùm Diabolo (quo nihil est superbius) & impiis & consceleratis nihil sit magis meticulosum. Itaque eo loco φοβεῖσθαι planè ταπεινοφρονεῖν est, *demissè de se sentire.* Quæ non ideo dicimus ut omnem metum à piis excutiamus. Est enim metus unus quo illi corripiuntur, cùm de periculis, quibus se obsessos & circumdatos vident, sunt soliciti, diffidunt sibi, & ad Deum confugiunt, quomodo qui matris ulnis gestatur infans in præcipiti loco, tantò arctiùs matrem amplectitur & stringit quantò casus magis est metuendus, itaque sibi diffisus matri fidit & firmiter adhærescit, certus se casurum ni adhærescat. Et alter metus est quo pii non corripiuntur, sed ducuntur: estque reverentia Divinæ Majestatis, orta à consideratione tum bonitatis & gloriæ Dei, tum nostri peccati & miseriæ. Bonitas enim Dei (ea præsertim quæ in Christo nobis affulsit) ea est quæ Deum reddit amabilem; gloria reverendum facit, faceret & tremendum nisi cum bonitate quadam immensâ & inexhausta esset conjuncta: denique peccati & miseriæ nostræ cognitio nos cogit de nobis demissè atque humiliter sentire: quæ omnia ad veram humilitatem animis nostris ingenerandam concurrant necesse est; alioqui nihil fit. Itaque illi nullo veræ humilitatis sensu afficiuntur qui vel de Dei misericordia dubitant, vel viribus arbitrii aliquid tribuunt, quorum vanitatem unicus hic locus mirificè convincit. Etenim ideo Apostolus salutem vult à nobis confici μετὰ φόβου, quòd omnia Deo, nobis planè

nihil

nihil debeamus. Itaque & bonitatis & potentiæ Dei & nostræ miseriæ nos admonet, nihiloque segniùs nos hortatur ad salutem peragendam: quod contemptoribus Divinæ gratiæ, Jesuitis, Novatoribusque Semipelagianis perridiculum videtur; Apostolo non videtur, qui nos hortatur strenuè, cùm hortationis efficaciam agnoscat non aliunde quàm à Deo proficisci, qui idem *facit in nobis velle & perficere.* ¶ Τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν] Syrus & Arabs σωτηρίαν *vitam* verterunt: neuter tamen assecutus est emphasin vocis σωτηρία. Est quidem σωτηρία vita, at vita omnis non est continuò σωτηρία. Nam & Deus vivit, & beati Spiritus vivunt, & quidem vitam beatissimam: sed σωτηρία est ea demum vita quæ miseris & deploratæ spei & denique perditis hominibus obvenit. Itaque Spiritus S. qui simplicissimè, cautè tamen & sapientissimè loquitur, felicitatem fœdere Legis promissam *vitam* vocat, non *salutem*. Etenim si qui vi Legis vivunt (vivit autem vi Legis nemo) iidem non servantur, sed tamen donantur vitâ. Itaque Apostolus in Divina illa & admirabili Legis cum Euangelio comparatione, cùm de promissionibus Legis agit, *vita* semper meminit, cùm ad Euangelium perventum est, *salutis*. Porrò salus ista *Dei salus* dicitur, Psal. 70. 4. & Psal. 21. 1. & sexcentis ejusmodi in locis; *salus* item *nostra* dicitur, ut hoc loco. Nempe *salus Dei* dicitur quia à Deo proficiscitur; crebriùs autem & potissimùm *nostra*, quòd ejus nos reddamur per Christi gratiam compotes. Hujus locutionis passim occurrunt exempla. ¶ Κατεργάζεσθε] Apud LXX. Interp. τὸ κατεργάζεσθαι sign. *rem expolire rudem & informem*; itaque vim verborum עשה & פתח sic expresserunt. Exod. 35. 33. ubi est בעץ בחרשת verterunt κατεργάζεσθαι τὰ ξύλα, & 1 Reg. 6. 36. בשורי גזית σίχους κατειργασμένω λίθω. Hæc prior hujus vocis significatio huic loco usquequaque convenire non potest. Sequitur altera. Significat enim etiam τὸ κατεργάζεσθαι *rem inchoatam provehere eo usque donec absolvatur:* atque hic est usus hujus verbi hoc loco. Quomodo Apostolus, Rom. 7. 18. τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ εὑρίσκω. Omnino κατεργάζεσθαι est *rem effectam dare*. Hortatur itaque Apostolus Philippenses ut quo cursu cœperant eodem contendant ad metam. Itaque Interpres Arabs appositissimè τὸ κατεργάζεσθαι sic expressit, *crescite* (seu *augescite*) *magis in opere in quo est vita vestra.* Et Syrus, *magis operamini opus vitæ vestra*, h. e. *magis magisque*. Non enim continuò inchoatur & absolvitur salus, quemadmodum nec mundus statim ac condi cœpit absolutus est. Sicut igitur in creatione prima quidam admirandi illius operis veluti gradus & intervalla fuere, sic item & in nova ista Ecclesiæ reparatione (quæ *nova terra & cœlum novum* dicitur Esa. 65. 17.) Deus opus suum non absolvit statim, sed sensim & paulatim promovet, donec ad beatum illum Sabbatismum perducamur Heb. 4. 9. Porrò hoc loco abutuntur Pontificii & Novatores Semipelagiani ad stabiliendum impium dogma, quo Gratiæ monendi & excitandi atque (ut illi loquuntur) juvandi tantùm vim tribuunt, & Naturæ humanæ Voluntati ac Libero hominis arbitrio, annuendi, efficiendique ut Gratia sit efficax, vires assignant. Quorsum enim, inquiunt, tam gravis & seria hortatio, *Conficite salutem vestram*, nisi & nos aliquid possemus? Resp. Hortatur sanè nos Apostolus *ad conficiendam salutem nostram:* quin & alibi Apostolus Timotheum sic hortatur, ut moneat fore ut si officium faciat, se primùm, tum alios etiam, sit *servaturus*, 1 Tim. 4. 16. Quid ergò, dicet aliquis, nos miseri & perditi & deplorati Servatores nostri sumus? Non erit hæc Christi solius laus, *Jesu* nostri, *præter quod nomen nullum aliud est sub cœlo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari?* Act. 4. 12. Sed aliud est Salutem jure meritoque acquirere; aliud, In partæ salutis possessionem mitti. Prius illud soli Christo convenit: posterius hoc soli etiam Christo convenit ut causæ primariæ, sed nobis etiam tribuitur ut instrumentis quibus ad hanc rem Deus utitur; quibus instrumentis tamen nulla penitus inest vis quæ ab illo Fonte inexhausto omnis boni in nos non derivetur. Itaque nec Servatores nostri sumus, nec dici possumus; sed tamen *conficere* hactenus *salutem nostram* in Scriptura dicimur, quatenus fide, pœnitentiâ, perseverantiâ salus à Christo nobis parta aditur: quomodo intelligendum est illud Augustini, *Qui te creavit sine te, non te servabit sine te.* Quanquam vox ipsa σωτηρία satis indicat, posse quidem adiri à nobis possessionem salutis, non posse tamen acquiri. Etenim quibus obvenit *salus* σωτηρία, eos esse mortis reos necesse est, itaque veniâ & remissione peccatorum egent vel maximè; quæ præcipua salus est; ideoque Paulus in *remissione peccatorum* hominis felicitatem collocavit, Rom. 4. 6, 7. Jam verò qui rei sunt mortis, quorum beatitudo sita est in venia & peccati expiatione, eosne credibile est alio jure ad salutem posse niti quàm illo quod sanguine Filii Dei atque ejus absolutissimâ numeris omnibus obedientiâ partum est? Itaque non pugnant ista, *Christus solus nos servavit*, &, *Nos nihilominus salutem nostram conficimus.* Solus nempe Christus jus adipiscendæ salutis nobis impetravit, nos autem instinctu Spiritûs Christi juris illius reddimur participes.

13. Ὁ ἐνεργῶν] Hâc voce significatur actio conjuncta cum efficacia, & quidem summa, quæ prohiberi nullo modo possit; idque ex usu Scripturæ, in qua sola rectè quæri & inveniri vocabulorum quibus utitur significatio & potest & debet. Quod Hebraicè est Esa. 41. 4. מי פעל ועשה *quis operatus est & fecit? vocans secula ab initio, ego Dominus.* LXX. sic verterunt, Τίς ἐνήργησε καὶ ἐποίησε ταῦτα; Atqui eo loco actio efficacissima, & quæ omne obstaculum perrumpat & tollat, significatur. Satis enim liquet eo loco agi de creatione & conservatione mundi. Et Apostolus Ephes. 1. 11. eadem utitur voce cùm agit de executione decreti & consilii Divini, quod irritum fieri aut mutari non potest, κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Porrò & Diabolus dicitur ἐνεργεῖν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας Ephes. 2. 2. ad notandam potentiam & imperii vim quod in reprobos obtinet. Nam cùm improbi naturâ proclives sint in peccatum, alieni autem à Deo, fieri non potest ut, accedente Satanæ astu & tentatione, non ruant in omne scelus veluti effusis habenis. Quod ille, quantumvis callidus veterator, nequaquam obtineret, nisi ii in quibus ἐνεργεῖ spontè animi arcem proderent. Manet enim illud firmum, *Nemo læditur nisi à semetipso.* In quo apparet insigne discrimen inter ἐνέργειαν Dei in iis qui vocantur ad salutem efficaciter, & eam quam Satanas exercet in suis. Etsi enim tam hæc quàm illa tam efficax sit ut eventus ità sequatur ut non possit non sequi, tamen Diabolus nullis machinis, nisi quis assentiatur, quidpiam efficere potest; cujus rei luculentissimum documentum Christus nobis exhibuit, qui tentatus à Satana Satanam repulit,

Illisos fluctus rupes ut vasta refundit.

At Deus ἐνεργῶν *efficit* etiam, non impetrat modò, assensum. Nec Diabolus in nobis malum *efficit*, sed proclivitatem & propensionem in malum proritat & excitat consopitam: at *Deus est qui* ἐνεργεῖ *efficaciter operatur in suis velle & perficere.* Quid enim scilicet inveniat Deus in nobis præter meras tenebras & animi voluntatisque malignitatem quandam, donec illucescat nobis Spiritus S. jubeatque (quod olim in prima creatione fecit) ut *lux è tenebris emicet*, 2 Cor. 4. 6. *auferatque cor lapideum, detque* aliud *cor carneum*? ¶ Τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν] His verbis id ipsum exprimitur quod Apostolus Rom. 7. 18. dixit θέλειν & κατεργάζεσθαι *velle & perficere.* Nempe duo sunt Voluntatis motus, quorum prior inchoatus est tantum: eum barbarè quidem sed significanter tamen in Scholis *velleitatem* vocant. Non est enim voluntas certa & constans, sed tantùm inclinatio quædam & levis atque evanida animi commotio, qualis eorum est qui

——— *virtutem videant, intabescantque relictâ;*

qui *vident meliora, probantque, sequuntur verò deteriora*; qui vellent, ut dictitant, esse viri boni, nolunt tamen esse revera viri boni. Alter animi motus, qui solis inest verè piis, (neque tamen iis inest semper, ob reliquias carnis & peccati insitas) est plena & constans atque immota voluntas vel in bono vel in bonum. Ea hîc ἐνεργεῖν, & Rom. 7. κατεργάζεσθαι dicitur. Itaque agit hoc loco Paulus de Dei efficacia in piis, iis scilicet qui non modò afficiuntur perfunctoriè pietatis studio, sed ducuntur etiam & rapiuntur. Jam verò cùm nec animo cogitari possit tertius motus, Deus autem utrumque istum efficiat, & quidem ἐνεργῶν, sequitur nil esse in humana voluntate boni quod autori Deo non sit referendum in solidum. ¶ Ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας] Non est quòd quis miretur insolentiam particulæ ὑπὲρ quæ hîc pro κατὰ posita est. Nam quod hoc loco Apostolus ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας dicit, alibi κατὰ τὴν εὐδοκίαν dixit, Eph. 1. 9. Nempe nihil est istis præpositionum Enallagis frequentius. Sic 2 Thess. 2. 1. *Rogamus vos*, inquit Apostolus, ὑπὲρ τῆς παρουσίας, pro διὰ τῆς παρουσίας. Porrò hunc locum Interpretes Syrus & Arabs, imprudentes quidem illi, sed tamen corruperunt. Sic enim ille reddidit, *Deus est qui efficit in vobis velle & perficere illud quod vos vultis.* Arabs autem sic, *quoniam Deus est qui inspirat vobis studium* (seu *efficaciam*) *ut velitis & faciatis id quod vultis*, seu *desideratis.* Volunt nempe hic intelligi humanam non Divinam εὐδοκίαν· quæ manifesta est corruptela. Nam in iis quibus jam inest εὐδοκία quid opus est *efficere velle & perficere?* Etenim nihil opus est in iis qui jam volunt *efficere* τὸ *velle.* Deinde εὐδοκία κατ' ἐξοχὴν in Scriptura nihil aliud est quàm quod in Scholis vocatur *Dei beneplacitum*, quodque Paulus alibi vocat εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, Eph. 1. 5. Hæc est eadem illa εὐδοκία cujus meminit Christus Matth. 11. 26. ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Unde liquet nullam aliam esse causam cur Deus

Deus in his *efficias velle & perficere*, quod in aliis non facit, præter Dei εὐδοκίαν.

JAC. CAPPELLUS.

12. CUm *timore & tremore salutem vestram operamini*] Hic est ille filialis & veneraabundus timor de quo diximus in Psal 11. 11. qui tantò magis in nobis incrementum capit quò certiores de salute nostra sumus, quoque studiosiùs *salutem nostram operamur*, h. e. damus operam saluti nostræ, studentes ex animo rebus ad salutem pertinentibus, bonis ac salutaribus, & ità quidem ut in iis toti simus, & hæc sit velut ars nostra; quomodo dicuntur *operantes iniquitatem*, iniquitatis operarii, qui student rebus pravis, & in iis toti sunt, artem hanc factitantes.

LUD. CAPPELLUS.

30. NAm *propter opus Christi parùm abfuit à morte*, παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ] Lege παραβολευσάμενος, *vita discrimen intrepidè*, seu *audacter*, *adiens*, sive *animo forti & audaci se gerens*. Nam παράβολον πρᾶγμα est *audax facinus & plenum periculi*. Et παράβολος significat *audacter*, *& magno cum discrimine*. Unde ab Apostolo factum παραβολεύεσθαι *audacter se gerere*, *nullâ habitâ periculi ratione*. Ità παραβολεύσασθαι τῇ ψυχῇ erit *vitæ discrimen audacter adire*. Int. V. *tradens animam suam*. Syrus, *contemnens animam suam*. Sic & Arabs [Arabic]. Legerunt omnes illi παραβαλλόμενος, παρὰ τὸ βαλεῖν. Sed Int. V. accepit quasi nihil aliud significaret quàm simpliciter βάλλειν *projicere*, *tradere*: at Syrus & Syrum secutus Arabs propriâ accepit significatione. Nam qui ità sunt audaces ut se nullo negotio in vitæ discrimen conjiciant, illi certè animam suam, h. e. vitam, spernunt, contemnunt, nullam ejus habent rationem. Scaliger negat παραβολεύσασθαι τῇ ψυχῇ phrasin esse Græcam, etiamsi quis concederet παραβολεύεσθαι esse vocem Græcam: quorum neutrum concedit, sed contendit legendum παραβολευσάμενος.

GROTIUS.

1. EI τις οὖν παράκλησις, *Si qua ergo consolatio*] Valde & blanda & παθητικὴ [*affectuosa*] ratio. *Si* interdum vehementer adfirmat.

Si bene quid de te merui. ——

Magna enim sunt quæ à Christo habemus solatia. ¶ εἴ τι παραμύθιον ἀγάπης, *si quod solatium charitatis*] Mutua Christianorum dilectio magnum est in malis lenimentum. ¶ εἴ τις κοινωνία πνεύματος, *si qua societas spiritus*] Olim *pagani* dicti qui de eodem bibebant fonte: Quantò major conjunctio eorum qui de eodem bibebant spiritu? 1 Cor. 12. 4. ¶ εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί, *si qua viscera ac miserationes*] Σπλάγχνα sunt *affectus quivis*; οἰκτιρμοὶ *affectus circa calamitosos*. Ita hæc explicanda ubi pariter ponuntur. Alioqui & generale illud in significatione speciei sumitur. Magna autem hæc sunt inter verè Christianos.

2. Πληρώσατέ μου τὴν χαρὰν, *Implete gaudium meum*] Eadem locutio Joh. 3. 29. ¶ ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, *ut idem sapiatis*] Rom. 12. 16. 15. 5. 2 Corinth. 13. 11. *ut idem habeatis propositum*. Vide infra 3. 15. ¶ τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, *eandem charitatem habentes*] *Pares in mutua dilectione*. ¶ σύμψυχοι, *unanimes*] Idem quod supra 1. 27. μιᾷ ψυχῇ [*unâ animâ*.] ¶ τὸ ἓν φρονοῦντες, μηδὲν κατ' ἐρίθειαν, ἢ κενοδοξίαν, *id ipsum sentientes*, *nihil per contentionem neque inanem gloriam*] Supple *facere*, *hoc unum studentes*, maximè scilicet, *ne quid contentiosè aut ambitiosè agatis*. Idem quod Gal. 5. 26. μὴ γινώμεθα κενόδοξοι, ἀλλήλους προκαλούμενοι [*ne efficiamur inanis gloriæ cupidi*, *invicem provocantes*.] Adde 2 Corinth. 12. 20. Jac. 3. 16. In Manuscripto hic est, τὸ αὐτὸ φρονοῦντες [*id ipsum sentientes*.]

3. Ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. *Sed humilitate alii alios arbitrantes se superiores*] Hoc est modestiæ ingenium, de aliis magnificentiùs semper quàm de se opinari.

4. Μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοπεῖτε, *Non quæ sua sunt singuli considerantes*] Quod maximè est naturale. *Egomet mihi proximus*. ¶ ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστος, *sed & ea quæ aliorum*] Quod societati quidem humanæ aliquatenus congruit: sed in Euangelio in summo quodam gradu præcipitur, præsertim in rebus illis in quibus salus aliorum æterna vertitur, cum qua omnia bona terrena comparari nequeunt. In Manuscripto est: ἀλλὰ καὶ τὸ ἑτέρων ἕκαστοι τοῦτο φρονεῖτε [*sed & quod aliorum est singuli considerate*.]

5. Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *Is enim sentite in vobis quod & in Christo Jesu*] *Is affectus sit in vobis qui in Christo fuit*.

6. Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, *Qui cùm in forma Dei esset*] Μορφὴ [*forma*] in nostris libris non significat internum & occultum aliquid, sed id quod in oculos incurrit, qualis erat eximia in Christo potestas sanandi morbos omnes, ejiciendi dæmonas, excitandi mortuos, mutandi rerum naturas: quæ verè divina sunt, ita ut Moses, qui tam magna non fecit, dictus ob id fuerit *Deus Pharaonis*. Vocem μορφῆς [*forma*] quo dixi sensu habes Marci 16. 12. Esaiæ 44. 13. ubi in Hebræo תבנית [*imago*.] Daniel. 4. 33. 5. 6, 10. 6. 28. ubi in Chaldæo זיו [*splendor*,] Job. 4. 16. ubi in Hebræo תמונה [*similitudo*.] ¶ οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, *non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo*] Ἁρπαγμὸν ἡγεῖσθαι [*rapinam ducere*] est locutio Syriaca. In Liturgia Syriaca Johannes Baptista Christo baptismum ab ipso expetenti dicit, לא אלבך גלותא *non assumam rapinam*. Solent qui aliquid bellicâ virtute peperere id omnibus ostentare, ut Romani in triumpho facere solebant. Non multò aliter Plutarchus in Timoleonte, οὐχ ἁρπαγὴν ἡγήσατο [*non rapinam duxit*.] Sensus est: *non venditavit Christus*, *non jactavit istam potestatem*: quin sæpe etiam imperavit ne quod fecerat vulgaretur. Ἴσα hic est adverbium. Sic Odysseæ O,

Τὸν νῦν ἶσα Θεῷ Ἰθακήσιοι εἰσορόωσι.

[*Quem nunc suspiciunt Ithacenses Numinis instar*.]

ἰσόθεα φρονεῖν [*paria Deo sentire*] dixit Scriptor 2 Maccab. 9. 12. εἶναι ἴσα Θεῷ [*esse æqualem Deo*] est *spectari tanquam Deum*. Vide hujus loci usum egregium Eusebii 5. 2.

7. Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, *Sed semetipsum exinanivit*] ריקן. Plane idem sensus qui 2 Corinth. 8. 9. ὅτι δι' ὑμᾶς ἐπτώχευσε, πλούσιος ὢν [*quoniam propter vos egenus factus est cùm esset dives*.] Nam *inopes* dicuntur κενοὶ [*inanes*,] Genes. 31. 42. Luc. 1. 53. Judic. 11. 3. ubi in Hebræo est אנשים ריקים, Græco ἄνδρες κενοί [*homines inanes*,] Latinus vertit *viri inopes*. Itaque ἑαυτὸν ἐκένωσε [*seipsum exinanivit*] est, *libenter duxit vitam inopem*, Matth. 8. 20. ¶ μορφὴν δούλου λαβὼν, *formam servi accipiens*] *Similis factus servis*, qui nihil proprium possident. Hic ponenda διαςολὴ [*distinctio*;] incepit enim jam ἀντίθετον [*oppositum*] aliud. ¶ ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, *in similitudinem hominum factus*] *Cum similis esset hominibus*, illis nempe primis, id est, peccati expers, 2 Corinth. 5. 21.

8. Καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, *Et habitu inventus ut homo*] σχῆμα [*habitus*] hîc est, ἀξίωμα, *dignitas conspicua*, ut apud Græcos sæpe, quam vocem hic servavit Syrus. & εὑρεθεὶς [*inventus*] est ὤφθη, *conspectus est*. ὡς ἄνθρωπος [*ut homo*,] כאדם *tanquam Adam*, qui ὁ πρῶτος ἄνθρωπος [*primus homo*.] *Dignitate talis apparuit qualis Adam*, id est, dominio in omnes creaturas, in mare, ventos, panes, aquam. Ob quam caussam id quod de Adamo dictum fuerat in Psalm. 8. Christo μυστικῶς [*sensu recondito*] applicatur. ¶ ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, *humiliavit semetipsum*] Non pro ea dignitate se gessit, sed humiliter admodum, ita ut & pedes discipulis lavaret Joh. 13. 12, 13. Sicut ἐκένωσε [*exinanivit*,] ità ἐταπείνωσε [*humiliavit*,] formæ sunt Hiphil, sed significant talem se exhibere, aut ostendere. Sic & Latini dicunt *comem se facere*. ¶ γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, *factus obediens usque ad mortem*] *Factus est obediens*, nempe hominibus tam Judæis, quàm Romanis. Non opposuit vim illam divinam capientibus se, damnantibus, interficientibus. Tantas injurias libenter pertulit, bono humani generis. ¶ θανάτου δὲ σταυροῦ, *mortem autem crucis*] Quod supplicium & summè atrox (nam & inde *cruciare* & *cruciatus*) & maximè despectum. Appianus Civilium 2. ἐκρεμάσθησαν ὅσοι θεράποντες ἦσαν [*suspensi sunt quotquot erant servi*.] Servus apud Plautum, *Scio ego crucem fore mihi sepulchrum*.

9. Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, *Propter quod & Deus exaltavit illum*] Ipse deprimi se passus est, *ideo Deus eum multò sublimiorem fecit*, *quàm erat antea*. Confer Hebr. 12. 2. ὑπερύψωσε רומם [*exaltavit*] Dan. 4. 34. ¶ καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα· *& donavit illi nomen quod est super omne nomen*] *Nomen* hic est dignitas, ut Ephes. 1. 21. Sic עשה שם [*fecit nomen*] Deuter. 26. 19. ὡς ἐποίησέ σε ὀνομαστὸν καὶ καύχημα [*sicut fecit te nominatum & gloriosum*.]

10. Ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, *cælestium*, *& terrestrium & infernorum*] *Genu flectere* signum reverentiæ, Genes. 41. 43. in Latino. Magnus autem honos non præsenti tantùm alicui exhibere signa talia, sed etiam absenti, nomine ejus nuncupato. Distributio autem illa triplex est

est & in Apoc. 5. 13. ubi ὑποκάτω τῆς γῆς [*subter terram*] dicitur, quod hic καταχθονίων [*infernorum.*] Videntur autem per καταχθονίους [*infernos*] hic intelligi debere mortui, quomodo & alias ea vox usurpari solet, ut intelligantur ii qui nunc mortui & sub terras abditi sunt, reverentiæ signa exhibituri Christo, ubi nempe per eum excitabuntur.

11. Καὶ πᾶσα γλῶσσα, *Et omnis lingua*] Non hominum tantùm, sed & Angelorum 1 Corinth. 13. 1. ¶ ἐξομολογήσηται ὅτι Κύριος ὁ Ἰησοῦς Χριςὸς, *confiteatur quia Dominus Jesus Christus*] *Agnoscat Jesum esse Dominum rerum omnium*, Actor. 2. 36. In Esaia, unde & hæc & præcedentia desumpta sunt, est, *Lingua omnis jurabit*, 45. 23. ¶ εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός. *in gloriam Dei Patris*] Nam honos Christi ad honorem Patris redit: datus enim ei is honos à Patre ideo quòd Patrem honorasset plus quàm quisquam, Joh. 17. 5, 6.

12. Ὥςε, *Itaque*] Cùm Christus in se specimen nobis dederit eorum quæ expectare debemus. ¶ καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατέ μου, *sicut semper obedistis mihi*] Hoc μου [*mihi*] non est in codicibus plerisque. Itaque subintellige τῷ εὐαγγελίῳ [*Evangelio,*] ut 2 Thess. 1. 8. aut τῷ λόγῳ [*verbo,*] ut 2 Thess. 3. 14. ¶ μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον, ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου, μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. *non ut in præsentia mea tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea cum metu & tremore vestram salutem operamini*] Hæc ità uno spiritu legenda. Verorum amicorum est, etiam absentium mandata memore animo retinere & fideliter implere. *Salutis operatio*, ut & conversio, & similia, nunc Deo adscribuntur, nunc hominibus: interdum uno loco utrisque: Deo, ut causæ principi; hominibus, ut quorum etiam aliqua ad hoc opera requiritur, 1 Cor. 5. 7. 2 Tim. 2. 21. Jac. 4. 8. Eph. 4. 22, 23, 24. Coloss. 3. 9, 10. φόβος [*metus*] significat obedientiam: τρόμος [*tremor*] metum offendendi: quæ de servorum erga mortales heros officio dicuntur, ut vidimus Ephes. 6. 5. multò justiùs aptantur ad id quod nos Deo debemus, ut 2 Cor. 7. 15. Adde 1 Petr. 1. 17. 3. 2. Rom. 11. 20. Hebr. 4. 1. 12. 28. Macarius Homiliâ 27. ἀλλὰ καὶ τὴν τοιαύτην χαρὰν παράκλησιν ἔχοντες ὑπὸ φόβον καὶ τρόμον εἰσὶ [*sed & qui ejusmodi gaudium pro consolatione habent sub metu & tremore sunt.*] Non autem simpliciter dixit ἐργάζεσθε [*operamini,*] sed κατεργάζεσθε, *peragite.* Syrus, *magis operamini:* Arabs *augescite in opere.*

13. Ὁ Θεὸς γάρ ἐςιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. *Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*] Quasi dicat, Nolite diffidere, ac si virium inopiâ non possitis id quod dico implere. Deus enim per revelationem promissorum suorum faciet ut recta velimus, & per Spiritum suum faciet ut etiam constanter talia operemur. In Manuscripto est, Θεὸς γάρ ἐςιν ὁ ἐνεργῶν δυνάμει ἐν ὑμῖν [*Deus enim est qui potentiâ operatur in vobis.*] Illud ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας [*pro bona voluntate*] potest quidem rectè exponi, *pro summa sua in nos benevolentia:* sed nec malè illi qui exponunt, *pro desiderio nostro*, idque ex loco Psalm. 145. 19. ubi est רצון [*voluntas.*]

14. Πάντα ποιεῖτε χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμῶν. *Omnia facite sine ira & hæsitationibus*] Codices plerique habent χωρὶς γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν [*absque murmurationibus & hæsitationibus,*] & ita legerunt Syrus & Latinus. Est autem γογγυσμὸς sive γόγγυσις, תלונה [*murmuratio*] Exodi 16. 7, 8, 9, 12. Num. 14. 27. 17. 10. id quod Græci dicunt μεμψιμοιρίαν, ubi quis Divinæ de se dispensationi non acquiescit; διαλογισμοὶ [*hæsitationes*] verò videntur hic esse rixæ acerbæ de rebus ad pietatem nihil facientibus, quales multæ erant inter Philosophos, maximè Aristotelicos, quales in Macedonia multi.

15. Ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, *Ut sitis sine querela & simplices*] Ἄμεμπτοι [*sine querela*] apud homines: ἀκέραιοι [*simplices*] apud Deum. תמימים וישרים [*perfecti & recti.*] ¶ τέκνα Θεοῦ, *filii Dei*] Rom. 8. 16, 21. 9. 8. Gal. 4. 28. ¶ ἀμώμητα, *sine reprehensione*] Ephes. 1. 4. 5. 27. Coloss. 1. 22. 2 Petr. 3. 14. Judæ 24. Apoc. 14. 5. ¶ ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεςραμμένης. *in medio nationis pravæ & perversæ*] Sic & Actor. 2. 40. meritò. Erant enim eo tempore mores Judæorum & Gentium non conversarum ad Christum corruptissimi. Sunt verba desumpta ex Deut. 32. 20. ubi in Græco, ὅτι γενεὰ ἐξεςραμμένη ἐςὶ [*quoniam natio perversa est.*] Adde & Esaiæ 59. 8. ¶ ἐν οἷς φαίνεσθε ὡς φωςῆρες ἐν κόσμῳ, *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*] Receptum apud Hebræos, *opera creationis externa habere in se imaginem creationis internæ*, id est novæ. Dicere etiam solent, *quòd luminaria in cœlo, id Sapientes in terra.* φωςῆρες מאורות [*luminaria*] Gen. 1. 14. Sol & Luna, quibus rectè comparantur ii qui verè sunt Christiani, Matth. 5. 14. Ephes. 5. 8. 1 Thess. 5. 5. Confer & quod olim dictum Dan. 12. 3. quò Apostolus respicit Rom. 2. 19. Φαίνεσθε multi hic sumunt in imperativo. Ego in indicativo malim. Videte quomodo vivatis: omnes vos respiciunt.

16. Λόγον ζωῆς ἐπέχοντες. *Verbum vitæ continentes*] Est ἀπόδοσις [*redditio*] mixta comparationi. Sicut illa lumina cœlestia vitam dant animalibus, ita vos attollitis lumen omnibus Gentibus vivificum. Sic ἐπέσχεν ἡμέρα [*illuxit dies*] dicunt Græci. Barnabas ait, τῷ λόγῳ ζωοποιούμενοι [*verbo vivificati.*] ¶ εἰς καύχημα ἐμοὶ εἰς ἡμέραν Χριςοῦ, *ad gloriam meam in die Christi*] *Ut in die illo magno de vobis gaudeam:* id enim esse καυχᾶσθαι [*gloriari*] & καύχημα [*gloriationem*] sæpe jam diximus. ¶ ὅτι οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, οὐδὲ εἰς κενὸν ἐκοπίασα, *quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi*] Εἰς κενὸν [*in vacuum,*] id est, *sine fructu.* 2 Cor. 6. 1. Gal. 2. 2. Est autem hic λιτότης [*extenuatio.*] Vult enim dicere, *non sine copioso fructu Euangelii.* Prædicatio rectè comparatur & cursui, ut dicto ad Galatas loco, Actor. 20. 24. 2 Tim. 4. 7. & operæ laboriosæ, Actor. 20. 35. 1 Cor. 15. 10. Gal. 4. 11. 1 Tim. 4. 10. 5. 17. Apoc. 2. 3.

17. Ἀλλ' εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίςεως ὑμῶν, *Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ*] Σπονδὴ [*libamen*] Ammonio, ἡ τοῦ οἴνου ἔκχυσις πρὸς τὰ ἱερουργήματα [*est effusio vini in sacrificiis.*] In sacris erat *victima*, θυσία· ea solemni ritu per Levitas ac Sacerdotes præparabatur: id erat עבדה λειτουργία [*ministratio.*] Accedebat *vini libatio*, σπονδὴ, Judic. 9. 13. Paulus Philippenses fecerat Deo victimas, Rom. 12. 1. 15. 16. Eph. 5. 2. Eos doctrinâ & exemplo suo ita paraverat, ut Deo grati essent. Videbat facilè fieri posse ut ipso suo sanguine fidem & Philippensium & aliorum confirmaret: id hic vocat σπένδεσθαι, *libari.* Sanguis vino comparatur, & in sacris vinum est vice sanguinis. Vide quæ diximus ad Matth. 26. 27. Thrasea moriens apud Dionem: Σοὶ τοῦτο τὸ αἷμα, Ζεῦ Ἐλευθέριε, σπένδω [*Hunc Jupiter Eleutherie tibi libo sanguinem.*] ¶ χαίρω, *gaudeo*] *Gaudebo* tanto honore. Præsens pro futuro. ¶ καὶ συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν. *& congratulor omnibus vobis*] *Gratulabor etiam vobis* & fidelibus aliis, ad quos fructus mortis meæ perveniet.

18. Τὸ δ' αὐτὸ καὶ ὑμεῖς χαίρετε καὶ συγχαίρετέ μοι. *Idipsum autem & vos gaudete & congratulamini mihi*] Sic & Latinè dicimus, *hoc gaudeo.* Hoc vult, *ob hanc rem gaudete & vos, & mihi gratulamini.*

19. Ἐλπίζω δὲ ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, *Spero autem in Domino Jesu*] Id est, *spero me Christo adjuvante* hoc consecuturum quod sequitur. ¶ Τιμόθεον ταχέως πέμψαι ὑμῖν, *Timotheum me cito mittere ad vos*] Multum promittit. Eum enim vult mittere quem γνήσιον τέκνον [*dilectum filium*] vocat 1 Tim. 1. 2. ¶ ἵνα κἀγὼ εὐψυχῶ, γνοὺς τὰ περὶ ὑμῶν. *ut ego & bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt*] Alii habent εὐψυχῶ [*bono sim animo.*] sed non spernenda hæc lectio; nam ἐμψύχειν, quod & ἀναψύχειν, est activum pro reciproco, *refrigerare semet*, quod Hebræi dicunt, הבליג Psalm. 39. 14. Calamitates æstui comparantur: solatia refrigerationi, inde & παραψυχὴ [*solatium.*]

20. Οὐδένα γὰρ ἔχω ἰσόψυχον, *Neminem enim habeo tam unanimem*] Ex Psalm. 55. 14. ubi in Hebræo, אנוש כערכי, in Græco, σὺ δὲ ἄνθρωπε ἰσόψυχε [*tu verò homo unanimis.*] *Non alium habeo tam carum mihi, mihique fidum.* Syrus, *ut anima mea.* ¶ ὅςις γνησίως τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει. *qui sincerâ affectione pro vobis sollicitus sit*] *Qui tantâ fide vestri curam sit gesturus.* γνησίως, *sincerè*, in Glossario. Habes eam vocem 2 Macc. 14. 8.

21. Οἱ πάντες γὰρ τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν, οὐ τὰ τοῦ Χριςοῦ Ἰησοῦ. *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi*] Πάντες [*Omnes*] hic positum pro *multi*, ut Rom. 3. 2. Sua agunt plerique hominum.

22. Τὴν δὲ δοκιμὴν αὐτοῦ γινώσκετε, *Experimentum autem ejus cognoscitis*] *Scitis quanta fidei suæ documenta dederit.* Habuimus vocem hanc δοκιμὴν [*experimentum*] Rom. 5. 4. 2 Cor. 2. 9. 8. 2. 9. 13. 13. 3. ¶ ὅτι ὡς πατρὶ τέκνον σὺν ἐμοὶ ἐδούλευσεν εἰς τὸ Εὐαγγέλιον. *quia sicut patri filius mecum servivit in Euangelio*] Ad Euangelium promovendum non minus mihi inservit, quàm filii patri solent, 1 Tim. 1. 1. 2 Tim. 1. 1.

23. Τοῦτον μὲν οὖν, *Hunc igitur*] Tantum ac talem virum. ¶ ἐλπίζω πέμψαι, ὡς ἂν ἀπίδω τὰ περὶ ἐμὲ, *spero me mittere ad vos, ut videro quæ circa me sunt*] *Ubi videro quid me futurum sit.* ¶ ἐξαυτῆς. *mox*] Construe cum verbo πέμψαι [*mittere.*] In Glossario ἐξαυτῆς, *actutum, è vestigio.* Est ea vox apud Marcum 6. 25. Actor. 10. 33. 11. 11. 23. 30. Utitur & Plato περὶ τῶν μετονομαζομένων [*de his quæ in aliud nomen transeunt*] & Procopius. Respondet Chaldæo בה בשעתא.

24. Πέποιθα δὲ ἐν Κυρίῳ, *Confido autem in Domino*] *A Domino*

mino me hoc consecuturum spero, ut supra ἐλπίζω ἐν Κυρίῳ [*spero in Domino.*] Nam πέποιθα [*confido*] idem est quod ἐλπίζω [*spero*] supra 1. 6. ¶ ὅτι καὶ αὐτὸς ταχέως ἐλεύσομαι. *quoniam & ipse veniam cito*] Idem sensus qui supra 1. 26. In Manuscripto additur, πρὸς ὑμᾶς [*ad vos.*]

25. Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην, *Necessarium autem existimavi*] *E re esse judicavi.* Sic ἀναγκαιότερον [*magis necessarium*] habuimus supra 1. 24. ¶ Ἐπαφρόδιτον τὸν ἀδελφὸν, *Epaphroditum fratrem*] Cujus & infra meminit 4. 18. Puto eundem esse qui Ἐπαφρᾶς [*Epaphras*] contractè Coloss. 1. 7. 4. 12. Nam in eum modum contrahi solita nomina diximus initio ad Lucam. Nomen Epaphroditi est & in Orationibus Lysiæ. ¶ καὶ συνεργὸν, *& cooperatorem*] *Participem laboris in annuntiando Euangelio.* Rom. 16. 3, 9, 21. 2 Cor. 8. 23. infra 4. 3. Coloss. 4. 11. 1 Thess. 3. 2. Philem. 1, 24. ¶ καὶ συςρατιώτην μου, *& commilitonem meum*] *Participem etiam periculorum:* quod egregiè significatur tralatione sumptâ à re militari. Sic & Philem. 2. Similis tralatio 2 Cor. 10. 4. 1 Tim. 1. 18. ¶ ὑμῶν δὲ ἀπόςολον, *vestrum autem Apostolum*] Id est, שליח. Sic enim Hebraicè loquentes, Græcè verò loquentes ἀποςόλους [*Apostolos*] vocabant eos, qui sacras pecunias colligebant atque portabant, ut diximus ad Matth. 10. 2. θεόδρομον [*cursorem Dei causâ*] dixit Ignatius & ἱεροπρεσβευτὴν [*sacrorum causâ legatum*] & ἱεροφόρον [*sacrorum portatorem.*] ¶ καὶ λειτουργὸν τῆς χρείας μου, *& ministrum necessitatis meæ*] Miserant Philippenses pecunias ad Paulum per Epaphroditum, quas accepit, tum quia in vinculis constitutus laborare, ut antè, manibus suis non poterat, tum ut inde pauperes Christianos qui Romæ erant sublevaret. Hoc dicitur χρεία [*necessitas*] Act. 2. 45. 4. 35. 6. 3. 20. 34. 28. 10. Rom. 12. 13. Ephes. 4. 28. infra 4. 16. ¶ πέμψαι πρὸς ὑμᾶς. *mittere ad vos*] *Mittere* dixit pro *remittere.* Simplex pro composito.

26. Ἐπειδὴ ἐπιποθῶν ἦν πάντας ὑμᾶς, *Quoniam quidem omnes vos desiderabat*] In Manuscripto rectè additur ἰδεῖν [*videre,*] quomodo loquitur Apostolus Rom. 1. 11. & 2 Tim. 1. 4. Et ita aparet hic legisse Syrum. ¶ καὶ ἀδημονῶν, *& mœstus erat*] *Anxius erat.* Vide Matth. 26. 37. Marc. 14. 33. Utitur & Aquila Jobi 18. 21. Syrus hic פין, bene.

27. Ἠσθένησε παραπλήσιον θανάτῳ. *Infirmatus est usque ad mortem*] חלה למות [*ægrotavit ad mortem*] Esaiæ 38. 1. ubi Græci quidam ἐμαλακίσθη ἕως θανάτου [*ægrotavit usque ad mortem:*] alii ἕως τοῦ ἀποθανεῖν [*usque ad moriendum,*] alii εἰς θάνατον [*ad mortem.*] ¶ ἵνα μὴ λύπην ἐπὶ λύπῃ σχῶ. *ne tristitiam super tristitiam haberem*] Nempe si ad vincula accessisset jactura amici. Id fuisset יגון על יגון [*mœror super mœrorem.*]

28. Σπουδαιοτέρως] *Festinantius*, ut habet Latinus. Est enim hæc genuina hujus vocis significatio à σπεύδειν [*festinare.*] Inde translata altera, quæ *diligentiam* significat. ¶ ἵνα ἰδόντες αὐτὸν πάλιν χαρῆτε, *ut viso eo, iterum gaudeatis*] Mutanda distinctio in hunc modum, ἵνα ἰδόντες αὐτὸν πάλιν [*ut viso eo iterum,*] *ut ipsum iterum conspicientes, ob id gaudeatis.* ¶ κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ. *& ego sine tristitia sim*] Nempe ubi eum salvum ad suos venisse cognovero.

29. Μετὰ πάσης χαρᾶς, *cum omni gaudio*] Rom. 15. 32. ¶ καὶ τοὺς τοιούτους ἐντίμους ἔχετε. *& ejusmodi cum honore habetote*] 1 Tim. 5. 17.

30. Ὅτι διὰ τὸ ἔργον τοῦ Χριςοῦ μέχρι θανάτου ἤγγισε, *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit*] קרב למות [*erat morti vicinus*] Job. 33. 22. *Christi opus* vocat operam positam Christi causâ. ¶ παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ, *tradens animam suam*] Omnino legendum est παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, id est, *vitam objectans periculis*, quomodo viri magni Scaliger & Salmasius monuere. Plinius in Epistolis, *Periculosa atque Græci melius exponunt παράβολα.* Latinus Interpres recepto vetustior posuerat hic, *parabolatus est animam suam.* Nam & Latinè *parabolani* dicuntur, qui cum vitæ periculo ægrotis adsunt. Syrus hic posuit, בסר על נפשה, *sprevit vitam suam.* ¶ ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑςέρημα τῆς πρός με λειτουργίας. *ut impleres id quod ex vobis deerat erga meum obsequium*] *Ut quæ obsequia vos per absentiam mibi præstare non potestis, ipse suppleret.* Similis sensus Philem. 13. Loquendi genus non dissimile 2 Cor. 11. 9.

CAP. III.

VALLA.

13. NOn *arbitror me comprehendisse*] Gr. *nondum*, οὔπω.

14. *Ad destinatum persequor*] Aliud est alibi *destinatum* sive *prædestinatum* (nam idem sunt, ut apud Paulum Rom. 1. 4. *qui prædestinatus est Filius Dei*, ὁρισθέντος) aliud hic κατὰ σκοπὸν, *ad intentum animi mei, ad terminum quem mibi proposui atque destinavi*; non, ut quidam putant, *à Deo destinatum.*

15. *Et si quid aliud sapitis, & hoc vobis Deus revelavit*] Meliùs ii cod. qui habent *aliter*, ἑτέρως. Nec *revelavit* legendum est, sed in futuro *revelabit*, ἀποκαλύψει. Sed cùm dixisset *hoc sentiamus*, cur mutato verbo subdidit Interpres *sapitis*, cùm idem sit verbum, ut superiùs ostendi?

21. *Qui reformavit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*] Futuri temporis est Græcè, non præteriti. Sed cur hic *formam*, ibi *figuram* nominat? Ego sic puto fuisse transferendum, *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut sit configuratum gloriæ corporis ejus*, μετασχηματίσει, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον.

REVIUS in VALLAM.

13. NOndum: οὔπω] Ità habuit Laurentianus codex: sed Erasmi οὐ· plures tamen οὔπω· & quidem, si Bezæ credamus, rectiùs: qui id nihilominus in textum non recepit.

ERASMUS.

1. DE *cætero*] Τὸ λοιπὸν, *Quod superest.* Et χαίρετε, potest legi *valete.* ¶ *Mihi quidem non pigrum*] Ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, ὑμῖν δὲ τὸ ἀσφαλές. Ad verbum ità reddi poterat, *mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum.* At dilucidius simul & Latinius fuerit, *me quidem non piget, vobis autem tutum est.* Sensus est, *Non me piget hujus laboris ut sæpius eadem repetam, quò crebra admonitio vos reddat tutiores, ne labamini.* Nam hinc propriè dictum est ἀσφαλές. Hic Apostoli sermo eò spectat nè Philippenses offenderentur tot monitis subindè repetitis. Aliquis dicere poterat, Tantum est otii tibi, Paule, ut vacet toties admonere? Charitas, inquit, quâ vos complector facit ut hujus rei nullum sentiam tædium. Rursus aliquis dicere poterat, An nos existimas tam obliviosos ut toties simus admonendi? Respondet, Ut mea admonitio vobis non sit necessaria, tamen nihil hinc vobis incommodi: imò potiùs cautiores reddet adversùs insidias malorum. Hæc mea sedulitas vos facit tutiores: hoc saltem fructûs adfert vobis mea instantia. Eoque addidit articulum, τὸ ἀσφαλές i. e. *vestra est securitas.* Tametsi sermo Romanus non habet vocem quâ propriè exprimat ἀσφάλειαν. Mirum unde Ambrosius nobiscum legat, pro *tuto*, *necessarium*; nam sic etiam interpretatur: nisi Græci ἀσφαλὲς vocant *quod vitari non potest.*

2. *Videte concisionem*] Distinxit *concisionem* à *circumcisione*, κατατομὴν, περιτομήν. *Conciditur* enim quod discerpitur & planè distrahitur; *circumciditur*, quod expolitur, resectis supervacaneis. Annotavit hoc Divus Hieronymus in Commentariis Micheæ. Cæterùm articulus præfixus singulis horum nominum indicat eum de certis quibusdam loqui quos illi noverint, τοὺς κύνας, τοὺς κακοὺς, τὴν κατατομήν. Et *videte* posuit pro *cavete*, quemadmodum aliquoties in Euangelio ὁρᾶτε, βλέπετε. Sic enim hunc locum adduxit Ambrosius in libello Ad virginem devotam, *Vitate canes, vitate malos operarios.*

3. *Qui spiritu servimus Deo*] Gr. *qui spiritu Dei servimus*, οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύομεν. Porrò *servimus* dixit pro eo quod est *religione colimus.* Et tamen in nonnullis habebatur Θεῷ λατρεύομεν *Deo servimus.* Indicat Ambrosius libro De Spiritu S. c. 6. hunc locum in Latinis cod. falsariorum perfidiâ variatum fuisse, atque ob id Græcorum exempl. autoritati standum, in quibus habebatur οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες, *qui Spiritu Dei servimus.* Atque hinc colligit & Spiritum esse Deum, cui cultus debeatur: quod tamen ex Græcis verbis non consequitur necessario; siquidem dativus πνεύματι modum indicare potest, ut verbum λατρεύομεν ponatur absolutè. *Religiosi sumus.* Quomodo? Non carne, sed *spiritu.* Aut *Deo* subauditur, *servimus Deo, Spiritu Dei.* Atque in hunc sanè sensum enarrant Græcorum Scholia atque ipse etiam Chrysostomus, ἐν πνεύματι interpretans πνευματικῶς. Theophylactus, πνευματικῶς λατρεύοντες καὶ διὰ νοὸς, *spiritualiter & mente Deum colentes*, non corporeis ceremoniis, quemadmodum Judæi, qui mentulam amputabant, mente impurâ. Porrò *spiritum* hic accipi non pro *Spiritu Sancto* arguit & illud quod πνεύματι non præponitur articulus. Triplicem hujus loci lectionem indicat Augustinus lib. ad Bonifacium 3. c. 7. Rursus lib. De Trin. 1. c. 6. Sive tamen legas Θεοῦ sive Θεῷ, verba non urgent ut hinc fateamur Spiritum S. esse Deum: utraque enim lectio sensum habet ancipitem;

pitem. Sed præter articulum omissum, de quo modò diximus, ipse sermonis tenor reclamat Ambrosio: neque enim agit Apostolus de Personis Divinis, sed de Circumcisione, h. e. Judaismo, spirituali & carnali: de qua loquitur Dominus, *Qui adorant Patrem, in spiritu adorant eum.*

4. *Habeam fiduciam in carne*] Græcus habet *& in carne*, *καὶ ἐν σαρκί*· & ità legit Ambrosius. Atque est quidem *πεποιθέναι* verbum præt. temporis, sed iis abutimur pro verbis præs. temporis. Unde & Ambrosius & Interpres rectè legunt *fiduciam habeam*, & *fiduciam habere*.

5. *Circumcisus octavo die*] Gr. *περιτομὴ ὀκταήμερος*, *circumcisio octavo die*. Se vocat *circumcisionem*, ut sæpe aliàs Gentes vocat *præputium*. In Ambrosianis cod. locum hunc depravarant parùm attenti scriptores, legentes, *circumcisionem octavi diei*. ¶ *Ex genere Israel*] Ἐκ γένους Ἰσραήλ. *Israel* hoc loco nominativus esse potest, non genitivus. Ut enim se modò vocavit *circumcisionem* pro *Judæo*, ità se hîc nominat *Israël* pro *Israëlita*: quemadmodum & aliàs frequenter *Israel* pro *Israëlitis* ponitur. Addidit autem *ex genere* ad distinctionem proselytorum, qui erant quidem Israëlitæ, sed velut adoptione, non *ex genere*.

6. *Conversatus sine querela*] Γενόμενος ἄμεμπτος, *factus sum*, sive *is fui de quo queri nemo posset*. Quanquam hoc haud malè reddidit Interpres.

7. *Detrimenta*] Ζημίαν, *detrimentum*.

8. *Propter eminentem scientiam*] Διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως, *propter eminentiam cognitionis*: ut neutrum positum sit loco nominis substantivi. ¶ *Ut stercora*] Καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι, *arbitror stercora esse*, sive *duco pro stercoribus*. Græcis autem *σκύβαλον* dicitur *quod ex intestinis animantium canibus projicitur*, ἀπὸ τοῦ τοῖς κυσὶ βάλλεσθαι. Etiamsi D. Ambrosius in Psal. 118. serm. 8. legit, *æstimor stercora, ut Christum lucrifaciam*, quasi Paulus passus sit se pro nihilo haberi: idem tamen secùs interpretatur, ac, meâ sententiâ, rectiùs, in Commentariis quos in hanc scripsit Epistolam, præsertim suffragantibus Græcis; juxta quos Paulus Legem, olim magnæ venerationis, prorsus negligit, ut inutilem præ Euangelio Christi, cùm in illa natus esset. In hanc enim sententiam adducit hunc locum Chrysostomus hom. De adventu, numero 35. Item Augustinus lib. ad Bonif. 3. c. 7. licèt aliter exponat scribens ad Hieronymum de Petro à Paulo reprehenso, nondum, opinor, Episcopus. Quanquam haud scio an illud *τὰ πάντα ἐζημιώθην* vertendum fuerit *in omnibus detrimento sum affectus*. Ambrosius vertit *omnia damna duxi*, & huic consentiens Augustinus. Et in hanc quidem sententiam interpretatur Theophylactus, ut intelligamus perinde dictum *ζημιοῦσθαι* quemadmodum dicimus *μακαρίζεσθαι* & *εὐδαιμονίζεσθαι*. Nec abhorret ab hoc sensu Chrysostomi commentum. At idem Ambrosius edisserens Psalmum BEATI IMMACULATI, serm. 8. secùs vertit, *Propter quam omnium detrimentum passus sum*, rursus à seipso nonnihil dissentiens.

9. *Ex fide est*] Διὰ πίστεως, *per fidem*. ¶ *Quæ est ex Deo*] Adde *justitiam*, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην, ut repetatur *justitiam*. Sic enim legit Ambrosius. *Justitiam, inquam, quæ fide constat, non Legis operibus*. Item, *in fide ad cognoscendum illum*. Sic distinguunt Græci, ut intelligas eum cognosci ex fide.

10. *Societatem passionis*] Παθημάτων, *passionum*, sive *malorum*, sive *afflictionum*. Ambrosius pro *societate* legit *communicationem*.

11. *Si quo modo*] Εἴπως *si qua*. ¶ *Quæ est ex mortuis*] τῶν νεκρῶν *mortuorum*. Miror cur hîc placuerit *περίφρασις*, nisi quòd suspicor hunc Interpretem & item Ambrosium ità legisse, *ἀνάστασιν τὴν νεκρῶν*.

12. *Sequor autem*] Διώκω, id est, *sector, & assequi cupio*. Interpres autem nimis Latinè usus est eò verbo *sequor*: idcirco admonui, nè quis erraret. Nam vulgatum est *sequi* præcedentem, *sequi* quod imitamur; rarius est *sequi* quod affectamus. ¶ *Si quo modo*] Εἰ καὶ, *si &* (sive *etiam*) *comprehendam*. Interpres legisse videtur *εἴπως*. ¶ *In quo & comprehensus sum*] Ἐφ' ᾧ, *in eo quod*. Eundem sensum efficit hoc loco ἐφ' ὃ & ἐφ' ᾧ. Proinde mihi sensus videtur, *Si quo modo assequar id ad quod me Christus delegit & in stadio hoc certare jussit*.

13. *Non arbitror*] Laurentianus codex habuit *οὔπω nondum*, meus, *οὐ*· sed plures habent *οὔπω*. Et ità legit D. Ambrosius. ¶ *Unum autem*] Ἓν δέ. Subaudiendum est *ago*: q. d. *Solum hoc ago, & in hoc sum totus*. Sic interpretatur Augustinus lib. ad Bonif. 3. c. 7. Simplicius autem est hîc *unum* positum pro *tantummodo*. ¶ *Quæ priora*] Τοῖς δὲ ἔμπροσθεν, *quæ à fronte sunt*. ¶ *Quæ retro sunt*] Τὰ ὀπίσω, *quæ à tergo sunt*, h. e. quæ præterita sunt ac relicta. Sumit enim similitudinem à Cursoribus, qui non attendunt nec respectant quid spatii transmiserint, sed quid supersit. Augustinus enarrans Psal. 39. interpretatur QUÆ RETRO SUNT, *vitam pristinam vitiis inquinatam*: cùm, meâ sententiâ, Paulus loquatur de pietatis gradibus, prætermissis inferioribus, ad magis ardua perfectioraque connitendum esse. Nam & Corinthiis *ostendit viam excellentiorem*, ad quam proficiant, neglectis minoribus virtutum donis.

14. *Ad destinatum*] Κατὰ σκοπὸν, *secundum scopum*, aut *præfixum*. Neque tam malè vertit Interpres quàm obscurè. Hieronymus admonet Græcam vocem esse significantiorem. Est enim *σκοπὸς* propriè *signum præfixum sagittantibus*. Unde quod animo destinamus ac præfigimus *scopus* est. Augustinus cùm aliis plerisque locis tum in Psal. 38. legit *secundum intentionem* pro *κατὰ σκοπόν*. Cyprianus De Clericorum vita, si modò hoc opus illius videri debet, legit *ad regulam sequor*. Tertullianus lib. De carnis resurr. legit *secundum scopum persequor ad palmam*.

15. *Hoc sentiamus*] Hieronymus in 1. adv. Pelag. dialogo indicat hoc loco Græcorum exemplaria variasse, in aliis scriptum fuisse *Φρονοῦμεν sapimus*, modo Indicandi, in aliis *Φρονῶμεν sapiamus*. ¶ *Aliter sapitis*] *Φρονεῖτε sentitis*. Ac *revelabit* futuri temporis esse debet, *ἀποκαλύψει*, sed reclamantibus vetustis exempl. Latinis, atque ipso Ambrosio, qui secùs non legit solùm verùm etiam interpretatur, item Augustino cùm aliis locis aliquot tum lib. adv. Cresconium 2. c. 31. rursus Epist. 48. nisi mendum est in scriptura: nam Serm. De verbis Apostoli 15. scriptum habetur *revelabit*. Rursus lib. De prædest. Sanctor. 1. c. 1. Opinor enim dictum *aliter* pro eo quod est *secùs aliquantò quàm oportet*. Proinde si recta lectio est *revelavit*, suspicor à Paulo scriptum fuisse *ἀπεκάλυψε*. Sensus uterque tolerabilis est. Siquidem opinor Paulum loqui de Judæis ad Christi religionem conversis, qui nondum poterant contemnere patriæ Legis observationem. Paulus autem modò docuit *ex fide contingere justitiam*. *Sed tamen si quis*, inquit, *inter vos diversum sentit, & Legi nonnihil tribuit, non est cur ob id scindatur concordia quæ peculiaris est Christianorum: sic potius interpretetur quisque, Quid meâ refert si Deus hoc illi revelavit? ego nihilo secius sequar quod mihi mea dictat conscientia*. Alter hic est, *Si quis diversum sentit, h. e. Legi tribuit aliquid, feratur donec proficiat. Futurum est enim fortassis ut hanc quoque perfectionem illi Deus aspiret ut aliquando contemnat quæ nondum potest contemnere*. Quanquam haud me clam est Ambrosium aliter interpretari. Theophylactus hunc sensum adfert, *Si quid secùs sentitis de affectanda victoria, non rectè sentitis: sed tamen Deus istam quoque mentem vobis mutabit in melius*. Chrysostomus interpretatur *Deum aliquando inspiraturum, si quis quid nondum assequitur*: nec hoc dictum vult de dogmatibus fidei, sed de perfectione vitæ. Hilarius lib. De Trin. 11. legit *revelabit*, verbo futuri temporis, & interpretatur, *iis qui nondum absolutam veritatem assecuti sunt exspectandam revelationem Dei, qui plenam veri cognitionem largiatur, & si quid prius erratum fuit corrigat*.

16. *Verumtamen*] Græca paulò secùs habent, nempe ad hunc modum, πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν, *Verum in eo ad quod pervenimus, eâdem incedere regulâ, idem sapere*. Quanquam hi infinitivi pro imperativis poni videntur. Hilarius lib. De Trin. 11. vertit hunc in modum, *Verum in quo festinavimus, ipso ingrediamur*. Parùm videtur intellexisse sermonem Græcum.

17. *Imitatores mei*] Συμμιμηταί μου, *coimitatores mei*; h.e. imitemini me unà cum cæteris qui me imitantur. Aut, *hoc conveniat inter vos*, etiamsi quid in cæteris dissentitis, *ut sitis imitatores mei*. Proinde nos vertimus, *estote pariter imitatores mei*. Ambrosius nullum indicium dat hujus conjunctionis. ¶ *Et observate*] Καὶ σκοπεῖτε, *considerate*: atque ità legit Ambrosius. ¶ *Formam nostram*] Τύπον ἡμᾶς, *formam nos*; ut sit appositivè dictum.

18. *Quos sæpe dicebam vobis*] Apparet Paulum non absolvisse quod cœperat, *Multi enim ambulant*, ut subaudias *non ut ego, sed in carne & fastu ac ceremoniis*, & ob id *inimici crucis*.

19. *Terrena sapiunt*] Φρονοῦντες, *curant*, sive *sentiunt*; h. e. *qui terrestres habent affectus*. Abusus est participio loco verbi.

20. *Nostra autem*] Ἡμῶν γὰρ, *Nostra enim*. ¶ *Unde*] Ἐξ οὗ, *ex quo* scilicet cœlo. Nec refert quòd præcessit *οὐρανοῖς*· subauditur enim *loco*; quemadmodum subauditur *tempore* cùm non locus sed tempus significatur. Quanquam id tempus potest accipi, ut intelligamus *ex eo tempore quo cœpimus sperare vitam cœlestem cum Christo, nos ad cœlestem civitatem pertinere, non terrenam*.

21. *Corpus humilitatis*] Ταπεινώσεως, *corpus humile & abjectum*. Locutus est enim juxta proprietatem sermonis Hebræi

bræi. ¶ *Configuratum corpori*] Gr. εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι, *ut fiat conforme corpori*, &c. ¶ *Secundum operationem virtutis*] Et hoc Græcis ad hunc legitur modum, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα, *secundum operationem* (seu *vim* aut *efficaciam*) *ut possit etiam subjicere sibiipsi omnia*. Ambrosius legit, *quâ possit etiam subjicere sibi omnia*. Codex Donatiani habebat *secundum operationem quâ etiam possit*.

VATABLUS.

1. DE *cætero*] *Quod superest*. ¶ *Mihi quidem non pigrum*] *Me quidem haud piget*: vel, *non est molestum*. ¶ *Necessarium*] *Tutum*: i.e. vos tutos reddit & confirmat.

2. *Videte*] *Vitate*, vel, *cavete*.

4. *Habeam confidentiam in carne*] Vel, *confidere possim carnali circumcisione*.

5. *Circumcisus octavo die*] Gr. *circumcisio octavi diei*. Heb. ut suprà 3. ¶ *Legem*] i.e. Traditionem patrum: vel, quantum pertinet ad Legis interpretationem.

6. *Secundum æmulationem*] *Præ vehementi studio*: *vel, vehementiâ zeli*. ¶ *In Lege est*] Vel, *ex Lege haberi potest*. ¶ *Conversatus sine querela*] *Factus irreprehensibilis*.

7. *Detrimenta. Veruntamen*] *Detrimentum. Quinetiam*.

8. *Propter eminentem scientiam*] Vel, *præ excellenti cognitione*, Heb. ¶ *Omnia detrimentum feci*] Vel, *omnium jacturam feci*: vel, *præ quo omnia mihi damnosa visa sunt*. ¶ *Stercora*] Vel, *ut ea quæ canibus per contemptum objici solent*.

9. *Ex fide*] i.e. *Quæ fide constat: per fidem*, Vet. ¶ *In fide*] *Per fidem*.

10. *Virtutem*] *Potentiam*: quâ scil. excitatus fuit à mortuis. ¶ *Passionis*] *Passionum*, Vet. i.e. quòd oporteat me affligi pro illo. ¶ *Configuratus*] *Dum conformis fio*: i.e. non detrectando mortem ejus morti similem.

11. *Quæ est ex mortuis*] *Mortuorum*.

12. *Acceperim*] *Apprehenderim*: i.e. intelligam perfectè. ¶ *Si quo modo*] *Si etiam*. Vetera non legunt, *quo modo*. ¶ *In quo &c.*] *Id propter quod*: i.e. assequar, & intelligam ad quod me Christus delegit, & à media via retraxit.

13. *Unum autem*] Sub. *ago*. ¶ *Retro*] *A tergo*: i.e. præterita quibus fidebam. ¶ *Priora*] *A fronte*: i.e. fiduciam in Christum. ¶ *Extendens meipsum*] *Enitens*.

14. *Destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu*] *Scopum tendo, ad palmam ad quam à Deo, qui superna inhabitat, vocatus sum per Christum Jesum*.

15. *Sentiamus*] Nempe, Justitiam ex fide esse. ¶ *Sapitis*] *Sentitis*: i.e. Non ex fide justitiam contingere, sed ex Legis observatione. ¶ *Revelavit*] *Revelabit*, Vet. sub. *Justitiam esse ex fide, nè fortè assisteretis vos*.

16. *Ut idem sapiamus, in eadem permaneamus regula*] *Eâdem procedamus regulâ, idem sentiamus*: vel, *simus concordes*.

17. *Imitatores*] *Pariter imitatores*: i.e. Imitamini me unà cum cæteris, qui me imitantur. ¶ *Observate*] *Considerate*. ¶ *Nostram*] *Nos*.

19. *Gloria in confusione*] *Gloria in dedecore*: i.e. qui gloriantur cùm turpe aliquid admiserint.

20. *Autem*] *Enim*: i.e. cœlestia curamus.

21. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum*, &c.] *Transfigurabit corpus nostrum abjectum, ut fiat conforme corpori suo glorioso, per efficaciam quâ potest etiam subjicere sibi omnia*. Vetera non legunt, *virtutis suæ*.

CASTALIO.

2. VIdete *concisos*] Alludit ad *circumcisionis* nomen; & *concisos* vocat non verè circumcisos, h.e. Judæos; qui cùm circumcisionem & Judaismum jactarent, non erant verè Judæi, cùm verus Judaismus sit in Christiana religione positus.

CLARIUS.

1. QUod *superest*] Cùm hæc, inquit, vobis & de me & de Timotheo nunciem, bono animo estote. ¶ *Eadem vobis scribere*, &c.] Pertinet ad sequentia.

2. *Videte concisionem*]. Noluit dicere *circumcisionem*, sed appellavit *concisionem*, indicans nihil esse nunc Circumcisionem aliud quàm corporis ac carnis concisionem: nam vera ac legitima circumcisio fit in spiritu. Vel *concisionem* appellat, quia dum circumcisionem prædicant, concidere corpus Ecclesiæ conantur.

5. *Hebræus ex Hebræis*] Fortasse ad differentiam proselytorum, qui in Hebræorum familiam quidem inserebantur, non tamen erant ex Hebræorum sanguine progeniti. ¶ *Secundum Legem*] Secundum studium Legis: nam Pharisæorum secta laudatior erat quàm Sadducæorum.

7. *Quæ mihi*] Propter quæ mihi placebam & videbar esse aliquis, agnito Christo deprehendi potius esse impedimenta, & collata cum *eminentia cognitionis Christi* pro ruderibus & rejectamentis habui. Videtur autem hoc adjecisse ad majorem evidentiam. Quamvis enim dixisset *ex genere Israël*, poterat quis suspicari, illum etsi inter Israëlitas censeretur, & ex jam factis Judæis natus esset, quare & *octavo die* dixit se fuisse *circumcisum*, tamen progenitores habuisse proselytos. Adjecit autem *ex tribu Benjamin*, tanquam ex honoratiore parte; nam conjuncta erat cum tribu Juda.

11. *Si quo modo pertingam ad resurrectionem*] Non illam communem omnium resurrectionem bonorum & malorum, sed eam quæ ad Christum ducit. Sed videtur potius significare perfectionem illam & tanquam resurrectionem quam in hac vita viri Apostolici assequuntur: quare adjecit, *non quòd jam apprehenderim*, &c.

12. *In quo & comprehensus*] Sicut & illud, *tunc cognoscam sicut & cognitus sum*. Vel certè, *cum me*, inquit, *fugientem comprehenderit Christus*, ut eum prædicem, conabor id assequi pro viribus.

13. *Unum autem*] Scilicet *efficere conor*.

15. *Et si quid*] *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus*, quod scilicet oporteat *ea quæ à tergo sunt oblivisci, & ad anteriora se extendere*: hoc enim perfectos facit, arbitrari se nunquam esse perfectum. *Quòd siquid aliter sentitis*, quod scilicet jam vos assecuti sitis, *& hoc vobis Deus revelabit*, quòd scilicet non rectè sentiatis. Sunt qui referant ad dogmata; ut sit sensus, *Siquis inter vos diversum sentit*, ut scilicet Legi tribuat aliquid, *aspirabit illi Deus aliquando mentem meliorem*. Alius sic, *Siqui sunt quibus hæc præfectio non contingit, nequaquam desperent, sed sciant varios esse modos serviendi Domino; atque ipsum sic velle ut varii sint*. Hoc tantùm in commune omnes curare decet, nè sint inter nos dissidia, sed ut simus concordes, *idemque sentiamus*.

17. *Et observate*] Superiùs dixit, *Videte*, h.e. cavete, *canes*; nempe qui post acceptam fidem redeunt ad Judaismum; nunc docet, eos sequendos qui Apostolicam formam habent.

18. *Inimici crucis*] Contraria scilicet illi agentes: nam crux requirit generosum animum, præparatum ad pericula, & imitantem suum Dominum: ii verò serviunt ventri.

19. *Et gloria*] Quæ occultare ob pudorem oportuerat, in iis gloriantur.

21. *Corpus humilitatis*] Hebraismus est pro *corpus humile*. Nam etsi Paulus Græcâ scripsit linguâ, Hebræus tamen suæ linguæ proprietates interdum non negligebat: sicut & quod sequitur, *ut conforme sit corpori claritatis suæ*, vel *gloriæ suæ*, h.e. corpori suo glorioso. Ait ergò, *Dominum nostrum transfiguraturum corpus hoc nostrum humile, ut similem corpori suo glorioso formam habeat*. Felicia promissa! ¶ *Secundum operationem*] Dixerat paradoxum quoddam, nempe *futurum corpus nostrum conforme Divino illi corpori*: & nè cui minùs credibile videretur, addit, hoc facturum esse *Dominum secundum illam efficaciam quâ subjicere etiam sibi omnia possit*, omnipotentem eum significans. Quare & Corruptionem & Mortem subjicere potest.

ZEGERUS.

1. EAdem] Τὰ αὐτὰ, i.e. *hæc ipsa* (vel *eadem*) quæ priùs vos edocui.

2. *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem*] His tribus appellationibus impios quosdam notat Judæos, quos observandos atque cavendos admonet. *Canes* illos vocat, quia invidebant libertati Evangelicæ, quia oblatrabant sinceræ prædicationi, quia mordebant vitam piorum. *Canes* item illos vocat, quia quemadmodum gentes à Deo alienæ *canes* dictæ sunt, ità isti à Deo & Christo alieni facti, non injuriâ *canes* appellantur. *Malos operarios* dicit, quia operabantur quidem, sed ambitioni ac turpi quæstui servientes. *Concisionem* denique contemptim appellat, non *circumcisionem*, quia carnali concisione gloriabantur, mente ipsi incircumcisi. Præputii circumcisionem, quæ ad nihil utilis est, adducere atque asserere conabantur, veram autem (quæ Cordis est) circumcisionem aversabantur.

3. *Spiritu Dei servimus*] Ità legendum esse docet Ambrosius De Spiritu S. l. 3. c. 6. & Augustinus Ser. De verb. Apost. 15. ex fide Græcorum: atque ità legit antiquus ille scriptor Salvianus lib. 4. Suffragabatur exemplar quoddam ex Enerbodio nobis communicatum. ¶ *Et non in carne fiduciam habentes, quanquam & ego*] Commodius videtur quod juxta Græcos habet Ambrosius & exemplar Gemblacense *fiduciam habemus*. Augustinus tamen pro vulgata lectione facit. Copulam *&* neuter habet, adstipulantibus aliquot codicibus. ¶ *Habeam confidentiam in carne*] Et ego, inquit, habeo unde possim de genere ac præputii circumcisione gloriari (si licet) quo nomine illi tam magnificè sese jactitant.

8. *Veruntamen existimo*] Ἀλλὰ μενοῦνγε καὶ. Pro his voculis Interpres *veruntamen* vertit. Ad sensum commodius fuerit, *Quinetiam existimo*.

9, 10. *Ut inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex Lege est; sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est justitia ex fide; ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum ejus, configuratus morti ejus*] Præmiserat se gloriari posse, quemadmodum *mali* illi *operarii*, de generis nobilitate, de circumcisione, de religione, deque cæteris legis Mosaicæ justificationibus: verùm *propter eminentiam cognitionis ac scientiæ* quam habebat *de Christo* & in Christo, illas justificationes se dixerat *nihili facere*, imò *pro rejectamentis habere*. Sequens igitur in præsenti loco, priori illâ reprobatâ justitiâ alteram docet esse quæ *fide Christi* constet; quæ fides ejusmodi est ut per eam *cognoscamus virtutem resurrectionis & passionis Christi*. Itaque sensus hic erit, ut superiora repetam ad sermonis consequentiam; *Omnia*, inquit *propter Christum damnum duxi, habeoque pro stercoribus* (sive *rejectamentis*) *ut Christum lucrifaciam; utque in illo & per illum inveniar* ac probet *nequaquam habere* Mosaicæ *legis justitiam, sed eam quæ per fidem est Jesu Christi, & quæ à Deo* donatur sine Legis operibus, *ut* fide *cognoscam illum, & potentiam resurrectionis illius, insuper & communicationem* (sive *participationem*) *passionis illius, configurando me* (aut *dum conformis fio*; nam & hoc συμμορφούμενος declarat) *morti ejus* per vincula, verbera, cruces, *si quo modo mihi contingat ut* sicut mortem illius imitor, ità & *resurrectionem* unà cum illo *consequar* gloriosam. Poterit quoque tota orationis congeries intelligi Hyperbasi quadam ab una ferè voce *configuratus* pendere, quæ respondeat ad verbum illud *inveniar* in superioribus positum, ut illa, *non habens meam justitiam quæ ex Lege est*, cæteraque, occasione ac parenthesi quadam interjecta accipiantur, hoc pacto, *Et inveniar in illo* (*non habens meam justitiam quæ ex Lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est justitia ex fide, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum illius*) *configuratus morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectionem*.

11. *Si quo modo occurram*: & infrà, *si quo modo comprehendam*] Juxta Ambrosium, Augustinum, Græcos, & codices Latinos antiquos, *quo modo* legendum est loco priori, at non posteriori.

12. *Si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu*] Contendo, inquit, si quo modo assequar optatum bravium, *insectorque* tamdiu quoadusque jam *apprehensum detineam*, quemadmodum & ipse, qui in numero perditorum eram, in secutione quadam *à Christo* non modò quæsitus verùm etiam feliciter *comprehensus sum*.

14. *Unum autem*] *Unum* illud ago, nempe quod subjungit. ¶ *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ priora sunt extendens meipsum ad destinatum persequor*, &c.] h. e. Priores Legis observationes, rursus terrena atque carnalia omnia, *obliviscens*, ad proposita verò dona & promissa cœlitus præmia *meipsum* cum desiderio *extendens, persequendo accurro ad destinatum scopum, ad bravium* illud æternæ felicitatis ad quod nos pellicit *vocatque* è cœlis *Deus per Jesum Christum* Dominum nostrum.

15. *Quicunque perfecti*] Hic de perfectione loquitur cognitionis; superiùs, de perfectione præmii. *Sunt enim*, ut Augustinus lib. 2. De peccator. merit. & remiss. c. 3. loquitur, *perfecti viatores nondum perfecti possessores*. ¶ *Hoc sentiamus*] Nempe quòd oporteat *præterita oblivioni mandare, & ad anteriora contendere*: aut, si magis placet, *illud sapiamus* intelligentes nos *necdum bravium comprehendisse* perfectionis, & *ad perfectiora* nos semper debere *contendere*. ¶ *Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit*] B. Ambrosius legit & interpretatur ad hunc modum, *Et si quid aliter sentietis, id quoque Deus revelavit. Hoc dicit*, inquit, *ut si quid amplius ad culturam melioratæ conversationis excogitaverint, Dei existiment donum esse, nè per hoc inflentur*. Alii ad hunc modum, *Si qui sunt inter vos qui diversum sentiant, putantes posteriora, quæ scilicet veteris sunt Legis, non prorsus contemnenda, aut arbitrantes sese omnia recte consecutos, futurum est tandem ut Deo aliquo pacto revelante suum errorem agnoscant*. Plura habes in Commentariis Anselmi titulum præferentibus, si cui fortè binâ hâc elucidatione non fuerit factum satis.

16. *Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula*] Hortatur his verbis Apostolus ut quod jam assecuti essent, videlicet ut idem sentirent unanimes, concordes ejusdem fidei, &c. arctiùs continerent, & in eodem præscripto, in eadem fidei cæterarumque virtutum norma persisterent, non declinantes neque ad dexteram neque ad sinistram.

17. *Sicut habetis formam nostram*] Interpres ἡμᾶς, i. e. *nos*, convertit in *nostram*, tum quod hoc dilucidius esset, nihilque decederet sententiæ, tum quòd subaudierit, opinor, κατὰ particulam, ut sit *sicut habetis formam vivendi per nos*, vel *ambulandi secundum nos*.

18. *Inimicos*] Supple *esse*, *crucis Christi*.

20. *Unde*] i. e. E cœlo.

21. *Corpus humilitatis nostræ*] i. e. Hoc corpus nostrum humile & inglorium.

H. STEPHANUS.

1. Ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές] *Et me non piget, & vobis tutum est.*

2. Βλέπετε τοὺς κύνας] *Cavete à canibus.*

5. Περιτομῇ ὀκταήμερος] *Circumcisus octavo die.*

8. Σκύβαλα] *Stercora.*

10. Συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ] *Dum conformer ad ejus mortem*: vel, *fio conformis morti ejus.*

12. Καταλάβω, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ] *Apprehendam* id *cujus causâ sum apprehensus à Christo.*

14. Τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος] *Ad ea quæ sunt à fronte contendens*: vel, *me intendens.*

21. Μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ] *Mutabit habitum corporis nostri, quod humile est, ut conforme fiat corpori ejus glorioso.*

DRUSIUS.

2. *Videte canes*] i. e. Cavete: ut apud Ciceronem 4. Acad. *Sapientis hanc censet Arcesilas vim esse maximam, cavere nè capiatur, nè fallatur videre.* Hujus loci est, *Videte & cavete ab omni avaritia*, Luc. 12. 15. Nec alienum quod 1 Cor. 10. 12. *Qui stat, videat nè cadat.* Vide Marc. 12. 38. Sic Cohel. 7. 15. *In die mali vide*, i. e. interprete Hieron. *præcave*: alii, *provide*. Ephes. 5. 15. *Videte itaque, fratres, quomodo cautè ambuletis.* Syrus hic habet, *Admoniti estote à canibus*: quod pro eo habent ac si dixisset *cavete*. ¶ *Concisionem*] Syrus *concisionem carnis*. In quo sermone *caro* significare potest id quo viri sumus. Quippe membrum illud Ebræi בשר appellant: unde, *Caro asinorum, caro eorum.* Notavi alias.

3. *Qui spiritu servimus Deo*] Gr. *qui spiritu Deo servimus*, quod eodèm recidit: tantùm ordo verborum transpositus, sententiâ eâdem manente. In nonnullis codd. olim erat *spiritu Dei servimus*, i. e. Θεοῦ. Sed Ambrosius legit Θεῷ. Augustinus utramque lectionem notat his verbis, *Scio plerosque codices habere*, QUI SPIRITU DEO SERVIMUS. *Quantum autem inspicere potuimus, plures Græci hoc habent*, QUI SPIRITU DEI SERVIMUS. Vide sequentia, tom. 10. serm. 15. De verbis Apostoli. Reperio etiam citatum ex hoc loco, *qui Spiritui Dei servimus*. In Syra est, *nos qui Deo servimus in spiritu*, vel *spiritum* nam præpositio redundat in Latio.

5. *Ex genere Israël*] Emendant *ex gente Israëlis*: optimè ac rectissimè. Nam *ex gente Israel*, i. e. *Israëlita*, non se probat mihi. Dixisset enim tunc potiùs Ἰσραὴλ τῷ γένει, *gente Israel*, ut Act. 18. 2. Ποντικὸν τῷ γένει, *Ponticum genere*, i. e. natione aut gente. Lex V. Γένος, τὸ ἔθνος, *gens*. Gen. 19. 38. *Ben-ammi*, LXX. υἱὸς τοῦ γένους μου. Hieron. *filius populi mei*. Tob. 1. 10. οἱ ἐκ τοῦ γένους μου. Sic in Latio *genus Trojanum*, i. e. natio aut gens. *Israel* pro *Israëlita* non extat in textu, quod sciam. Doctores tamen dicunt הישראלי cum articulo, & sine illo ישראלי hoc significatu. Peculiariter autem usurpant de plebe; ut cùm dicunt, *Sacerdotes, Levitæ & Israel*: nam eo nomine significant omnes qui non sunt è genere Levi, h. e. neque Sacerdotes neque Levitæ. ¶ *Ebræus ex Ebræis*] Vide quæ scripsimus de hoc genere loquendi Observ. lib. 4. c. 20. Syrus transtulit *Ebræus filius Ebræi*. Quidam explicat, *à prima & antiquissima usque origine Ebræus*. Sed hoc innuit cùm ait *ex tribu Benjamin*. Nam Benjamin

jamin Ebræus erat filius Abrahami, qui etiam *Ebræus* vocatur. Forte significare voluit se non esse proselytum. Tales enim *Ebræi* sunt *ex Gentibus*, non *ex Ebræis*. Unde quidam per Sigla dictus fuit *Bagbag*, quod scribunt בגבג, & valet *filius proselyti*, *filius proselytæ*, h. e בן גר בן גיורה. *Ebræus* scribo sine aspiratione ex analogia, quia similiter scribuntur *Arabia*, *Elamita*, *Emmanuel*, & alia nomina in quibus Ain est litera princeps; quam Hieron. *vocalem* appellat, forte quòd per nudam vocalem exprimeretur. Si quis tamen *Hebræus* malit, cum eo litigandum non est, præsertim cùm hæc scriptura jam obtineat & apud Græcos & apud Latinos. Sit cuique liberum sequi quod velit. Res non est tanti. Aliquando errandum cum vulgo. Lingua *Ebræa* sive *Ebraica* duobus modis dicitur, propriè, impropriè. Propriè, ut cùm linguam sanctam ità nuncupamus, quâ scriptum est maxima ex parte V. Instrumentum: impropriè, ut cùm ponitur pro lingua Syriaca, quâ olim Ebræi usi sunt in Syria degentes, cujus pars est Judæa. Hoc modo accipies Joh. 5. 2. Nam חסדא vox est linguæ Syræ: item *Gabbatha* & *Golgotha* voces sunt ejusdem linguæ. Qua de re vide Joh. 19. 13. *Ebræus ex Ebræis* ità dicitur ut *Hasidæus ex Hasidæis*. Qui miratur cur scribam *Hasidæum*, cum tamen scribendum doceam *Ebræus* absque aspiratione, indignus est cui respondeatur. Nam חסד & חסידי habent in capite literam Heth, quæ teste Hieron. est *aspiratio duplex*. Hæc non sunt confundenda. De Hasidæis alias. Nam bonus ille vir locum Gorionidis non intellexit, qui non contra me sed contra ipsum facit. Qui judicio valet & harum rerum peritiam habet, inspiciat diligenter caput illud, agnoscet me verum dicere. Quanquam non eo inficias חסידים in ea historia quandoque Essæos denotare. Appellati *Ebræi* ab *Eber* filio Sale, vel certè à *trajectu Abrahæ*. Nam עבר *transeo* Unde pro *Abraham Ebræum*, i. e. עברי, in Græcis editionibus legitur ὁ περάτης. ¶ *Secundùm legem Pharisæus*] h. e. Doctrinam aut ritum. Nam *Lex* doctrina; Psal. 78. 1. *Audi, mi popule, legem meam*. Prov. 1. 8. & 6. 20. *Ne dimittas legem matris tuæ*. Rursum 4. 2. *legem meam ne derelinquas*. Et 13. 14. *Lex sapientis fons vitæ*. Item ritùs; ut, *Lex Naziræi*. Dissentiebant autem Pharisæi in doctrina à Saducæis, & in ritibus ab Hessenis sive Hessæis. Aut *legem* dicit institutum Pharisæorum. Quanquam *leges* & *instituta* differunt. Cæsar Comment. lib. 1. *Hi omnes linguâ, institutis & legibus inter se differunt*. De Pharisæis vide quæ scripsimus ad Act. 23. 6. Quibus addo, Qui Latinè *Pharisæus*, Græcè dicitur Φαρισεὺς, (ità Suidas) Φαρισαῖος unico σ, & Φαρισσαῖος duobus. Græci plerique, in queis Justinus Martyr Theologus, scribunt Φαρισσαῖοι, antiquè ש per σσ: ut ישי *Jessai*, משיח Μεσσίας, & his similia. Syriacè פרישא, & Ebraicè פרוש, i. e. *Pharusæus*. Sed in N. Fœdere servata forma Syra, ut in *Messias* & aliis: Nam Ebræus dicit משיח *Masuach*. De nominis etymo tres sunt opiniones. Una est Hieronymi & aliorum ferè Patrum, qui *Pharisæos* appellatos censent à *divisione*, quæ *Phares* dicitur, פרץ. Verba Hieron. hac de re habentur in Quæst. Ebr. *Phares Divisionis nomen accepit eo quòd divisit medianulam secundinarum. Unde & Pharisæi, qui se quasi justos à populo separaverant, Divisi appellantur*. Hæc etymologia confundit פרץ cum פרש, quæ tamen literis distinguuntur: Nam פרש, unde *Pharisæus*, in ultima habet literam Sin; *Divisio* autem פרץ dicitur, cum Sade in ultima. Hujus & suprà meminimus. Secunda opinio est eorum qui eos ab *enarrando* dictos arbitrantur: quibus favere videtur Gorionides ità scribens, *Isti sunt*, inquit, *Pharisæi*, *qui Legem populo enarrant*. Verba hæc leguntur cap. 29. fol. 49. edit. Venetæ, quâ usus sum. In hac sententia & ego aliquando fui; quam nunc muto. Nam credibilius appellatos esse à *sanctimonia vitæ*, quæ פרישה dicitur, in quo significatio *separandi*. Nam *separati erant* פרושים *a moribus hujus seculi* מדרכי העולם. Notum apophthegma R. Aquibæ, qui præceptor fuit Aquilæ Pontici, סייג לפרישות נדרים *Vota sepes sunt sanctæ vitæ*. Sane Rhea Sylvia Vestæ sacerdos in lib. Juchasin vocatur פרושה, q. *sanctimonialem* dicas. Verba sunt, *Anno* XXXVIII. *Oziæ Regis Amulius expulit fratrem suum maximum natu, & occidit filium fratris sui, & filiam fratris sui fecit Pharisæam*, i. e. sanctimonialem, aut Vestæ sacerdotem. In eodem libro de Essæis, *Inveniuntur inter eos homines futura denunciantes* לפרישותם *propter sanctimoniam eorum* ולקדושתם *& propter sanctitatem eorum*. Hic copula & videtur posita in exegesi. Separati autem erant à vulgo non solùm vitæ sanctimoniâ, sed etiam vestibus: quas R. D. Zach. 13. 4. appellat *vestes Pharisæorum* פרושים & *colentium Deum* וחברי האל. Idem Soph. 1. ad verba illa, *Qui induunt vestem peregrinam*, *Sunt*, inquit, *qui exponant de hominibus qui ostendunt seipsos* פרושים *separatos* וחסידים *& pios*, *& induunt vestes peregrinas*, *quæ non sunt similes vestibus reliqui populi*, *quo agnoscantur vestibus suis quod sint* פרושים *separati*, *& via ipsorum mala sunt*. Huic etymo firmando interpretatio Græca ἀφωρισμένοι *separati*. Lex. Hesychii, Φαρισαῖος, ἀφωρισμένος, μεμερισμένος, καθαρὸς, *separatus*, i. e. פרוש, *divisus*, פרץ, *mundus*, טהור aut נקי. Suidas, Φαρισαῖοι, οἱ ἑρμηνευόμενοι ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς των ἄλλων ἁπάντων εἴς τε τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου καὶ ἀκριβέστατον, καὶ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα. Probari hæc possent, nisi sequeretur, Φάρες γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραΐδα γλῶτταν ἀφορισμὸς ἑρμηνεύεται ἡ διακοπή. Nam Φάρες, i. e. פרץ, ut diximus. Mihi vix dubium quin huc respexerit Apostolus Rom. 1. 1. cùm ait, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ. Nam sectâ Pharisæus erat: Deus autem illum segregaverat vel, si mavis, separaverat ad prædicandum Euangelium. Pharisæi varias appellationes habebant. Nam vocabantur alio nomine *Sapientes*. Gorionides loco citato, *Sedit Rex ad mensam cum sapientibus Israël*, *h. e. cum Pharisæis*. Sunt qui memoriæ prodiderunt *Sapientes*, i. e. חכמים, dictos fuisse usque ad Alexandrum Jannæum, eoque regnante primùm cœpisse vocari *Pharisæos*: Quod legere memini in libro quodam Ebraico qui vulgò *Compendium Josephi* nuncupatur. Dicebantur etiam βαπτισταὶ, à crebra lotione poculorum & sextariorum; (quod epitheton eis tribuit Justinus Martyr in Disp. cum Tryphone Judæo, pag. 89.) & *Deuterotæ*, i. e. תנאים, quia traditiones majorum, quæ δευτερώσεις dicuntur, diligentissimè observabant. Quanquam Epiphanius Deuterotas inter & Pharisæos distinguere videtur. Etiam מקבלים vocabantur, quòd ritus à majoribus acceptos posteris per manus traderent. Propriè tamen loquendo diversi sunt hi ab illis. Non est omittendum nomen חסידים, quod illis tribuit compositor Historiæ Ebraicæ cap. memorato. Erant autem חסידים, quos autores Maccabæorum *Hasidæos* appellant, primi Judæorum. Consimilia scribit Augustinus de Pharisæis: Nam serm. 30. De verbis DOMINI, *Pharisæi*, inquit, *Judæi erant*, *quasi egregii Judæorum. Nobiliores enim atque doctiores tunc Pharisæi vocabantur*. Idem serm. 15. De verbis Apostoli, *Secundùm legem Pharisæus*, ità scribit, *Primarii quidem erant & quasi ad nobilitatem Judaicam segregati*, *non contemptibili plebi commixti*, *qui dicebantur Pharisæi. Nam dicitur hoc verbum Segregationem interpretari*, *quomodo in Latina lingua Egregius*, *q. à grege separatus*. Noviter ἐτυμολογίζει *Pharisæum q. egregium*, quos suprà diximus appellatos à *sanctimonia* quam sibi præ reliquis arrogabant ac tribuebant. Cave rejicias. D. Camius in libro ubi vocum sensa explicat, quo in loco docet quid sit אצילים, ait esse הפרושים והנכברים שבישראל *qui eximii vel selecti & honorati sunt in Israël*. Porrò חסידים Græcè sonat ὅσιοι, *qui pietatem & religionem colunt*. Hi pòst *Essæi* peculiariter nominati. Nam חסיד Antiochenâ dialecto est חסי, unde *Essæus* vel, si mavis, *Hessæus*: Sed ut *Essæus* vel *Essenus* scriberetur abjectâ adspiratione usu obtinuit. Contrà addita adspiratio nomini *Hebræus* contra analogiam, quam sequimur cùm *Ebræus* scribimus. Eadem nos docet scribendum esse *Hasidæus* cum adspiratione: Nam ibi Ain, hic Heth in prima. Heth autem, teste Hieron. duplex adspiratio est: Eâ carent Latini; propterea utuntur simplici, ut in *Ham*, *Hermon*, *Hebron*, & aliis. Interdum utuntur ejus loco c adspiratâ, quàm Græci per χ exprimunt, ut in *Cham*, *Chebron*, *Chermon*. Quâ ratione scribi etiam posset *Chasidæus*, si ea scriptura uspiam exstaret. Quod autem in libris *Asidæi*, scribis imputandum, qui sæpenumero exiliter efferunt quæ sunt adspiranda, & contra. Talia non præjudicant, neque consuetudo nobis obesse potest: Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Imperitia quorundam facit me solito prolixiorem esse. Quid Nicolaus Serrarius Jesuita scripserit, sciunt qui legerunt ipsius commentarium in libros Machabæorum. Adversus eum igitur mihi nunc res est: Nam triumphum canit ante victoriam. Neque Josephi locum quem ibi adducit rectè intellexit. Nam verba illa והחסידים לבדם עם העם interpretatur, *& Asidæi sejuncti ab istis*, *videlicet Pharisæis & Saducæis*, cum reddi debeant, *& Hasidæi soli erant cum populo*. Verbum e verbo, *soli ipsi*. Mens Gorionidis, Saducæorum partes sequebantur Chuthæi sive Samaritani: Pharisæi soli erant cum populo, qui eos sectabatur. Res est, non divinatio. Judicent eruditi, etiam Jesuitæ. Quod autem scripsi, *In silentio igitur omnium quæro quotam dicti sint ibi Hasidæi*, capiendum de interpretibus Machabæorum. Nam altum apud eos de hac re silentium. Omitto unius ineptias; quas judicavi tum indignas memoratu. Munsteri Gorionidem non habeo. Neque moror Catholicum Genebrardum, qui Quæstiones meas olim legit, & ex iis multa compilavit, tacito nomine meo; quod est hominis minimè ingenui: Sed is audit vulgò plagiarius. Munsteros autem non observavit idem quod ego. Nam ut verum sit Essæos *Hasidæos* dici, tamen eo in loco, ut etiam in libris Machabæorum, Pharisæi significantur, aut, si nomen illud recentius est, sapientes Israël. Quid multa? Ipse Hyrcanus vocatur

catur

catur ibi à Pharisæis, cùm adhuc eorum discipulus esset, חסיד *pius.* Quo significatu etiam accipitur cùm de Pharisæis usurpatur. Sic dico, nomen חסיד in historia Ebraica sumitur latè, strictè. Cùm latè sumitur, significat *pios*; cùm strictè, *Essæos.* Latè autem accipitur apud Gorionidem c. 29. in quo plures sectæ non commemorantur quàm duæ. Si aliter est, tum ego profectò in magno errore sum. Sed non ero pertinax, si quis melióra docuerit. Nos ad utrumque parati sumus, ut vel rationem reddamus, si quid rectè monuerimus, vel ingenuè confiteamur errorem, sicubi lapsi deprehendimur. Homines sumus, & humani nihil alienum à nobis esse ducimus. Hoc igitur animo cùm ego scripserim Quæstiones meas, non debuisset ille adeò insultare, præsertim cùm in ipsius commentario quàm plurima sint quæ hominis docti censuram subire possent. Nam quòd me hæreticum dicit, in eo illi optimè convenit cum Theologis Franekerensibus, qui hæreticum inter & orthodoxum, si modò ab illorum sensu vel minimùm dissentiat, nullum discrimen ponunt. Si veritatis studiosus est hæreticus, tum ego profectò fateor me hæreticum esse: quod hodie nomen est honoris, signumque diligentiæ singularis, & eruditionis reconditæ, quæ in Catechismo non invenitur. Sed ad propositum. *Pharisæi*, ait Hieron. *traditionum & observationum, quas illi δευτερώσεις vocant, justitiam præferebant, unde & Divisi vocabantur à populo: corporisque & animæ resurrectionem credebant; item angelos esse & spiritum confitebantur: id quod Saducæi negabant.* Hoc ait in comment. Matth. 22. pag. 48. edit. Plantinianæ, ubi in margine perperàm פריצים legitur pro פרושים. Idem in iisdem comment. Matth. 23. pag. 49. *Cum præceptum esset Num 15. ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent*, &c. *superstitiosi Magistri captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes & sedentes interdum pungerentur, & quasi hâc admonitione retraherentur ad officia DOMINI & ministeria servitutis ejus.* Finiam, si priùs ex Suidæ Lexico addidero, Σικάριοι λέγονται οἱ Φαρισαῖοι ὡς ζηλωταί. Quæ verba docent Pharisæos etiam *Sicarios* appellatos fuisse. Sicariorum mentio Act. 21. 38. sed alio sensu. De iisdem mira quoque Josephus. Addam & hoc. Gen. 49. 26. ubi in Ebræo נזיר *separatus*, Onc. habet פרישא. Verba sunt, גברא פרישא דאחוהי *vir separatus inter fratres suos.* Similiter Deut. 33. 16. Ergò *Pharisæi*, *separati* potiùs quàm *divisi.* Quo vocabulo usum optarem Hier. in loco quem modò allegavi. Sed *divisi* ei est quod Græci dicunt ἀφωρισμένοι. Quo participio usi sunt Origenes, Epiphanius, & alii Patres. Theophylactus, Φαρισαῖος ἑρμηνεύεται ἀφωρισμένος. In lib. De nom. Ebr. *Pharisæi, Divisi:* etymon aliud ab eo quod posuimus. Epiphanius; Φαρισαῖοι, διὰ τὸ ἀφωρισμένους εἶναι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων· Φάρες γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραΐδα ἑρμηνεύεται ἀφορισμός. His consentanea dicit Origenes in Matth 23 & Damascenus De hæresib. & Ambrosius l. 3. in Luc. Verba Origenis Latina, *Interpretantur Pharisæi secundùm nomen Phares Divisi, qui seipsos à cæteris diviserunt. Phares enim dicitur Ebraicà linguâ Divisio.* Plura de Pharisæis Josephus Ant. hist. lib. 17. c. 3. & l. 18. c. 2. Suidas in voce Φαρισαῖος, Cæsar Baronius in Apparatu, pag. 12. & alii.

11. *Ad resurrectionem mortuorum*] *Resurrectio*, h. e. תקומה ἀνάστασις, communis est tam improbis quàm probis & bonis. Hic ergò ἀνάστασις ponitur pro ἀναβίωσις, quam תחיה Ebræi vocant, quæ est *resurrectio ad vitam*, & propria est piorum & justorum. Unde dictitant, *Non est resurrectio ad vitam nisi justorum.* Vetus edit. *ad resurrectionem quæ est ex mortuis.* Nam in quibusdam Græcis εἰς τὴν ἐξανάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν *ad resurrectionem quæ ex mortuis est.* Quomodo & Syrus legit, qui *ex mortuis* interpretatur *è domo mortis*, an *mortuorum?*

19. *Quorum Deus venter est*] Qui in gula & ventre summum bonum ponunt, quales illi sunt quos Græci κοιλιοδαίμονας appellant & κοιλιοδούλους, i. e. *ventris servos* aut *ventri deditos.* Vocantur etiam ὀλβιογάστορες, quia beatitudinem ventris sui voluptate metiuntur.

CASAUBONUS.

14. ΤΑ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν] Non est dubium quin τὰ ὀπίσω hic sint *ea quæ præcessere*; τὰ ἔμπροσθεν, *ea quæ futura sunt.* Nam τὸ ἔμπροσθεν & ὀπίσω ità solent Theologi usurpare; ut Nazianzenus.

20. Τὸ πολίτευμα] Cur hic πολίτευμα non potest accipi ut apud Aristotelem in Πολ. pag. 128, & 139. qui ferè vulgarem usum vocum solet observare? Ac videtur optimè convenire quod dicitur suprà v. 14. τῆς ἄνω κλήσεως. Alioquin accipio pro eo quod ἀγωγὴν vocat Aristoteles tom. 2. p. 138.

CAMERON.

6. ΚΑτὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ] Hæc est illa justitia Pharisæorum, quam dicit eam esse *quæ est in Lege*, ubi *in* eo loco idem est quod *per.* *Justitia* ergò *quæ est in Lege* justitia est quæ est *per Legem.* Atqui ista differunt: nam *justitia quæ est in Lege* justitia est Lege præscripta à Deo; *justitia quæ est per Legem* justitia est illa quam Lex jubendo potest ab homine impetrare, quæ justitia vera non est.

GUALTPERIUS.

14. ΒΡαβεῖον *brabeum*] *Præmium, palma.* Βραβεὺς, *qui dat præmium certaminis, judex certaminis* vel *arbiter.* Indè βραβεύω *præmium do certaminis*, & *certaminis sum arbiter & moderator.* Βραβεῖον, *victoriæ præmium.* Syrus, *accipiam victoriam*, i. e. præmium victoriæ.

LUD. CAPPELLUS.

9. ΜΗ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην, &c.] Simile quid habent Judæi in suo סדור sive Euchologio, אני כמעשים טובים שלל וערום צדקתך לבדה היא כסותי: *Ego nudus planè sum operibus bonis; solaque tua justitia est tegumentum meum.*

GROTIUS.

1. ΤΟ λοιπὸν, ἀδελφοί μου, χαίρετε ἐν Κυρίῳ. *De cætero, fratres mei, gaudete in Domino*] Videtur hic Apostolus finire epistolam voluisse, ut facere solet per vocem τὸ λοιπὸν, aut λοιπόν, aut τοῦ λοιποῦ, ut 2 Cor. 13. 11. Gal. 6. 17. Ephes. 6. 10. 2 Thess 3. 1. & per verbum χαίρετε [*gaudete*] 2 Corinth. 13. 11. infra 4. 4. 1 Thess. 5. 16. sed postea, cùm temporis aliquantò plus accepisset, addidisse ea quæ sequuntur: quale quid ei evenisse etiam cùm epistolam ad Romanos scriberet, ibi notavimus. ¶ τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν, *eadem vobis scribere*] Sæpe repetere ea quæ magno sunt usui. ¶ ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, *mihi quidem non pigrum*] Hic ὀκνηρὸν [*pigrum*] ponitur sensu passivo; ut Prov. 31. 27. *mihi non grave est: me non piget.* ¶ ὑμῖν δὲ ἀσφαλές. *vobis autem necessarium*] Sæpe enim repetita eò meliùs hærent animo: *ut vos cautiores sitis*, Syrus non malè.

2. Βλέπετε τοὺς κύνας, *videte canes*] Hic tangere incipit illos Judaismi commendatores, durius eos tractans, ideo quòd animum ipsorum penitùs noverat. *Video* pro *cavere* etiam Latini usurpant: sed frequentius eo sensu construitur pro ἀπὸ [*à*,] ut Marci 8. 15. 12. 38. κύνας [*canes*] autem vocat homines & inverecundos & avaros, ex Esaia 56. 10. ¶ βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας, *videte malos operarios*] Ἐργάτας δολίους [*operarios subdolos*] 2 Cor. 11. 13. qui in opere Domini, id est, in Euangelio, non versantur bonâ fide. ¶ βλέπετε τὴν κατατομήν. *videte concisionem*] Moris erat Judæis, tum idolis tum hominibus malis nomen aliquod indere, quod ab ipsorum nomine non longè abiret, ut eorum imbecillitatem aut vitia denotarent. Sic Paulus eos qui se vocabant περιτομὴν [*circumcisionem*,] nempe abstracti voce positâ vice concreti, ut Rom. 3. 30. 4. 10. 15. 8. Gal. 2. 7, 8, 9. Ephes. 2. 11. mox 5. vocat κατατομὴν [*concisionem*, id est, τοὺς κατατέμνοντας, *scissores* Ecclesiarum Christi. Nam κατατέμνειν est *in partes lacerare*, שרט [*incidere*] Levit. 21. 5. גדד [*succidere*] 1 Reg. 18. 28. Usurpant sic Xenophon, Plutarchus, & alii. In Glossario κατατομή, *concisio.*

3. Ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομή, *Nos enim sumus circumcisio*] *Circumcisio cordis* Rom. 2. 29. id est, *corde circumcisi:* quod ut præcipuum urgent Prophetæ. ¶ οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες, *qui spiritu servimus Deo*] *Puro animo*, quod maximum, Joh. 4. 24. ¶ καὶ καυχώμενοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *& gloriamur in Christo Jesu*] Hoc maximè gaudentes quod Christum, id est, doctrinam ejus, perceperimus. ¶ καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες. *& non in carne fiduciam habentes*] Judæi suæ in Deum fiduciæ hoc habebant argumentum, quòd Deus ipsis, tanquam fœderatis suis, præcepisset in cute circumcidi: at nos, quod Christus fœdus nobiscum morte suâ sanxerit.

4. Καίπερ ἐγὼ ἔχων πεποίθησιν καὶ ἐν σαρκί. *Quanquam ego habeam confidentiam etiam in carne*] Ad ἔχων [*habens*] subauditur *sum*, more Hebræo. πεποίθησιν [*fiduciam*,] id est, *fiduciæ argumentum.* *Etiam in carne*, si qua est ea gloria.

¶ εἴ

¶ *εἴ τις δοκεῖ ἄλλος πεποιθέναι ἐν σαρκὶ, ἐγὼ μᾶλλον. si quis alius videtur confidere in carne, ego magis*] Illi gravi jam ætate circumcidi se faciunt: Judæi non sunt, nisi adscititii.

5. *Περιτομῇ ὀκταήμερος, Circumcisus octavo die*] Eo tempore circumcisus quo Isaac & posteri ejus. *ὀκταήμερος* dicitur ut *τριήμερος, διετὴς, τριετής* [*triduanus, biennis, triennis.*] ¶ *ἐκ γένους Ἰσραὴλ, ex genere Israël*] Rectè hoc addit, quia & Ismaelitæ & Idumæi circumcidebantur. Sic *ἐκ γένους Ἰουδαίων* [*ex genere Judæorum*] Esther. 6. 13. זרע [*de semine.*] Nam זרע [*semen*] vertitur *γένος* [*genus,*] Levit. 21. 16. Jerem. 29. 32. 31. 36, 38. 36. 31. 41. 1. ¶ *Φυλῆς Βενιαμὶν, de tribu Benjamin*] Ex eo ortus quem tantopere dilexerat Jacobus, & de quo egregia prædixerant idem Jacobus & Moses. ¶ *Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, Hebræus ex Hebræis*] Non בן נכר [*filius peregrinus,*] id est, *ex proselyto natus*, *sed totâ majorum serie ex Hebræis*, Actor. 22. 3. 2 Cor. 11. 22. ¶ *κατὰ νόμον Φαρισαῖος, secundùm Legem Pharisæus*] *Νόμον* [*Legem*] hîc vocat *specialia instituta*, ut Num. 6. 13. Prov. 1. 8. 6. 20. ubi Græci habent *θεσμοὺς* [*instituta.*] Et cùm dicit *Pharisæum* se fuisse, hoc vult, *secta exquisitissima*, Actor. 26. 5.

6. *Κατὰ ζῆλον, Secundùm æmulationem*] Illum de quo Rom. 10. 2. ¶ *διώκων τὴν ἐκκλησίαν, persequens Ecclesiam*] Id est, *διώξας* [*persequutus:*] nam Hebræi participiis præsentibus, quia alia non habent, etiam pro præteritis utuntur. Confer 1 Corinth. 15. 9. ¶ *κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος. secundùm justitiam quæ in Lege est conversatus sine querela*] Nomen Legis hîc accepit pro illis præceptis, secundum quæ judicia exercebantur. Dicit ergo nihil se fecisse quod morte aut verberibus castigandum esset. *ἄμεμπτος* [*sine querela*] זך [*mundus*] Job. 11. 4.

7. *Ἀλλ' ἅτινα ἦν μοι κέρδη, Sed quæ mihi fuerunt lucra*] *Quæ mihi lucrosa esse poterant*: origo Judaïca: secta laudabilis; secunda inter meos fama. ¶ *ταῦτα ἥγημαι διὰ τὸν Χριστὸν ζημίαν. hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum*] Postquam Jesum Christum cognovi, vidi in illis nihil esse veri lucri. *ἥγημαι* חשבתי [*judicavi.*] *ζημίαν* נזק [*detrimentum.*]

8. *Ἀλλὰ μενοῦνγε καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν εἶναι, Verumtamen existimo omnia detrimentum esse*] Non illa tantum quæ dixi, sed & honores & bona hujus vitæ omnia, & ipsam vitam. ¶ *διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου μου, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei*] Id est, *si comparentur ista cum cognitione Christi quæ mihi super omnia est.* *τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως* [*supereminens scientiæ*] Græca constructio, pro *τὴν γνῶσιν τὴν ὑπερέχουσαν* [*scientiam supereminentem.*] ¶ *δι' ὃν τὰ πάντα ἐζημιώθην, propter quem omnia detrimentum feci*] *Propter quem libenter rerum aliarum omnium jacturam feci*; נענשתי [*mulctatus sum,*] secundum præceptum Christi Matth. 16. 24. ¶ *καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι, & arbitror ut stercora*] In Glossario, *σκύβαλον*, *stercus*, *retrimentum.* Charisius exponit *quisquilias.* Vide Sirach. 27. 5. Hebræi dicerent סיגים. ¶ *ἵνα Χριστὸν κερδήσω, ut Christum lucrifaciam*] *Ut lucrifaciam Christum*, id est, Christi favorem. *κερδήσω* אקנה [*lucrifaciam.*]

9. *Καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ, Et inveniar in illo*] *Ut inveniar*, id est, sim, *in ipso*, ipsi insitus. Sic Hebræi usurpant אמצא [*inveniar.*] ¶ *μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου, non habens meam justitiam quæ ex Lege est*] *Illam innocentiam quæ in judiciis secundùm Legem valet, & humana ope parabilis est.* Simile Rom. 4. 2. & 10. 3. ubi ista justitia dicitur *ἰδία δικαιοσύνη* [*justitia propria.*] Illud *ἐκ νόμου* [*ex Lege*] hic est *secundum Legem*, nempe qualiter illa à Pharisæis urgebatur. Vide Matt. 5. 20. & ibi dicta. ¶ *ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, sed eam quæ ex fide est Christi*] *Eam quam per fidem in Christum consequimur:* quod est *δικαιοῦσθαι ἐκ πίστεως* [*justificari ex fide.*] Genitivus *Χριστοῦ* [*Christi*] hic objectum significat: quomodo id fiat, jam exactius explicabit. ¶ *τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην, quæ ex Deo est justitia*] Quam Deus in nobis operatur, & propterea ut opus suum approbat, Rom. 3. 12, 22. 10. 3. ¶ *ἐπὶ τῇ πίστει. in fide*] Sic & Actor. 3. 16. pro *διὰ τῆς πίστεως* [*per fidem.*] *Per fidem*, tum in Christum, tum in Deum.

10. *Τοῦ γνῶναι αὐτὸν, Ad cognoscendum illum*] Ostendit quibus in rebus fides ista consistat, nempe primùm, *ut noscatur Christus*, id est, doctrina ejus. ¶ *καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, & virtutem resurrectionis ejus*] Ut noscatur etiam Christus divinâ vi resuscitatus, ut testimonium nobis idem eventurum, si ipsum sequamur, Ephes. 1. 19, 20. ¶ *καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ, & societatem passionum illius*] Ut & hoc noscatur, nos quoque ipsius exemplo crucem, si ita res tulerit, libenter tolerare debere, Matth. 10. 38. 16. 24. Marc. 8. 34. Luc. 9. 23. ¶ *συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ. configuratus morti ejus*] Hoc construitur cum eo quod præcessit *εὑρεθῶ* [*inveniar.*] Conformatio autem ista cum morte Christi, est interfectio vitiosorum affectuum, Rom. 6.

11. *Εἴπως καταντήσω εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν. Si quo modo occurram ad resurrectionem mortuorum*] Manuscriptus, *τὴν ἐκ νεκρῶν* [*quæ est ex mortuis.*] Illud *εἴπως* [*si quo modo*] ostendit rem incertam & difficilem. *καταντᾶν εἴς τι* est *ad rem aliquam pertingere* 1 Cor. 14. 36. Ephes. 4. 13. *ἐξανάστασιν* maluit dicere quam *ἀνάστασιν*, ut intelligatur illa *plena resurrectio*, quam nulla mors, nihil mali sequitur, quæ תחיה [*revivificatio*] Hebræis.

12. *Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, Non quòd jam acceperim*] Habebat quidem talis, qualis nunc erat, jus ad resurrectionem beatam: sed illud jus adhuc amitti poterat, ut ipse dicit 1 Cor. 9. 27. Itaque *ἔλαβον* [*acceperim*] intelligitur hîc de *ea acceptione*, *quæ in futurum amitti nequit.* ¶ *ἢ ἤδη τετελείωμαι. aut jam perfectus sim*] Erat quidem *τέλειος* [*perfectus*] aliquo modo Paulus, ut intelligere est ex Matth. 5. 48. & mox 15. sed non erat extra periculum constitutus, ut illi qui cursum suum absolverunt: qualem se esse dicit 2 Tim. 4. 6, 7. rem proximè futuram præsentis temporis verbo enuntians. Aptè ad hunc locum Chrysostomus: *εἰ δὲ ὁ τοσαῦτα παθὼν, εἰ δὲ ὁ διωκόμενος, εἰ δὲ ὁ τὴν νέκρωσιν ἔχων, οὔπω θαῤῥεῖ περὶ τῆς ἀναστάσεως ἐκείνης, τί ἂν εἴποιμεν ἡμεῖς;* [*quòd si nec ille, qui tam gravia tulerat, quem non desinebant adversarii persequi, qui erat jam mortificatus, si is ipse tamen de resurrectione illa necdum confidit sibi: quid est tandem quod nos dicere oporteat?*] תמם *τετελείωται* [*perfectum est*] dicitur de *opere consummato* 1 Reg. 7. 22. ¶ *Διώκω δὲ εἰ καταλάβω, sequor autem, si comprehendam*] A cursoribus sumpta similitudo, quibus palma proposita in fine stadii. Vide 1 Cor. 9. 24. *διώκω*, est, *id quæro, eo tendo*, ut Rom. 9. 30, 31. 12. 13. 1 Cor. 14. 1. ¶ *ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην ὑπὸ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. in quo & comprehensus sum à Domino Jesu Christo*] *Quò ut pervenire possem, Christus prior me velut manu suâ prehensum deduxit in hoc stadium.* Est *πλοκὴ* [*copulatio*] in verbo *καταλαμβάνειν* [*apprehendere*] & *καταλαμβάνεσθαι* [*apprehendi:*] qualis in *ἐπιγινώσκειν* [*cognoscere*] & *ἐπιγινώσκεσθαι* [*cognosci*] 1 Cor. 13. 12. *καταλαμβάνειν* est לכד *apprehendere:* quomodo vertitur in Glossario Græcolatino.

13. *Ἀδελφοὶ, ἐγὼ ἐμαυτὸν οὐ λογίζομαι κατειληφέναι. Fratres ego me non arbitror comprehendisse*] In Manuscripto, *οὔπω* [*nondum,*] rectè; *quia quanquam de præmio perseverantiæ certus sum, de ipsa perseverantia certus non sum*, ut loquitur Augustinus.

14. *Ἓν δὲ, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, κατὰ σκοπὸν διώκω, ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu*] Sicut in re bellica Cæsar, ad ulteriora tendens semper,

Nilque putans actum, dum quid superesset agendum,

non cogitabat quid jam fecisset; sed in id intentus erat, ut actis plura & majora adjiceret: ita & in hac spirituali militia Paulus, cùm magna præstitisset, iis non acquiescebat. *ἓν δὲ* [*unum autem*] *hoc tantum.* Refertur hoc non ad verbum unum, sed ad sensum totum. *ὀπίσω* [*retro*] pro *eo quod præteriit*, usurpat; ut Homerus Odysseæ Σ. *ἐπεκτεινόμενος* passivum hic est pro reciproco, more Hebræo. *meipsum*, ut hic vertit Latinus, id est, cursum meum *extendens*, nempe ad ulteriora. *διώκω* hic est *curro* per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem.*] In illo *κατὰ σκοπὸν* [*ad destinatum*] est *μεταφορὰ* [*Translatio.*] *Σκοπὸς* [*Scopus*] est *signum ad quod dirigitur jaculum*, Job. 16. 12. Lament. 3. 12. Pindarus:

ἔπεσχε νῦν σκοπῷ τόξον

[*sagitta nunc scopum attigit.*]

Huic respondet in stadio id quod *calcem* vocant Latini, Græci *τέρμα.* *Curro*, inquit, *eâ viâ quæ ad calcem proxima est*, *ἐπὶ τὸ βραβεῖον* [*ad bravium*] על עקב [*ad calcem,*] *sive palma.* Solebant *οἱ βραβευταὶ* sive *ἀγωνοθέται* [*certaminis Arbitri*] sedere in sublimi loco, atque inde per Præconem citare cursores singulos. His Deum comparat, qui ex loco sublimissimo, id est, ex cœlo, nos per Christum vocat. Non alienum ab hoc loco illud Plutarchi: *ἀγωνίζεται (ἡ ψυχὴ) ὥσπερ ἀθλητὴς κατὰ τὸν βίον· ὅταν δὲ διαγωνίσηται, τότε τυγχάνει τῶν προσηκόντων* [*Athletæ ad instar certat anima dum vivit, finito autem certamine debitis potitur præmiis.*]

15. *Ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν. Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus*] Redit ad id quod cœperat dicere, supra 3. *Ita*, inquit, *affecti simus*, *ut fiduciam habeamus non in carne, sed in spiritu.* *τελείους* [*perfectos*] hîc vocat, *in rebus divinis optimè versatos*, ut 1 Cor. 2. 6. 14. 20. ¶ *καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε,*

νεῖτε, & si quid aliter sapitis] Si qui vestrûm à novis illis Magistris abrepti estis. ¶ καὶ τοῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει. & hoc vobis Deus revelabit] Hoc vobis Deus aperiet, nempe vos esse deceptos. Loquitur pro spe quam ex priore ipsorum pietate conceperat. Sic & Gal. 5. 10.

16. Πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι. Verumtamen ad quod pervenimus, ut in eadem permaneamus regula] Etiam qui de circumcisione & ritibus aliter sentiunt, interim sciant Euangelii præcepta, quæ divina esse persuasi sunt, sibi esse sequenda. Φθάνειν hic est pervenire, ut Matth. 12. 28. Luc. 11. 20. Rom. 9. 31. 2 Cor. 10. 14. נגע [pertingere] 2 Paralip. 28. 9. Ecclesiastæ 8. 14. Dan. 3. 8. 4. 8. 7. 13. στοιχεῖν κανόνι [permanere in regula] quid sit diximus Gal. 6. 16. Sed in Manuscripto deest κανόνι [regulâ,] ut τῷ αὐτῷ στοιχεῖν [in eadem permanere] referatur ad illud εἰς ὃ [in quod.] הלך [ambulare] vitæ perpetuum tenorem significat: ita & στοιχεῖν [permanere.] Deus aperta bene implentibus revelat futura. Est autem hic & in eo quod sequitur infinitivus pro imperativo Atticè.

17. Συμμιμηταί μου γίνεσθε ἀδελφοί, Coimitatores mei estote fratres] Μιμηταί μου γίνεσθε [Imitatores mei estote] dixit 1 Cor. 4. 16. 11. 1. Ephes. 5. 1. 1 Thessal. 1. 6. 2. 15. hic verò συμμιμηταὶ [unà imitatores,] id est, omnes pari studio me imitamini. ¶ καὶ σκοπεῖτε τοὺς οὕτω περιπατοῦντας, καθὼς ἔχετε τύπον ἡμᾶς. & observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nos] Σκοπεῖτε hic valet, attente considerate, ut solemus ea quæ imitari volumus. Τύπος hic est exemplar, ut Actor. 7. 44. Rabbinis צור.

18. Πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσιν, Multi enim ambulant] Nempe longè aliter: quod ex natura ἀντιθέτου [oppositionis] intelligitur. ¶ οὓς πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν, νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω, τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico; inimicos crucis Christi] Λέγειν hic est appellare. Appellavi, inquit, antehac, & nunc dolens appello hostes crucis Christi, id est, tales homines, qui nihil non faciendum dicunt, ut crux defugiatur, Gal. 6. 12.

19. Ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, Quorum finis interitus] Gal. 6. 8. Rom. 6. 21. 2 Cor. 11. 15. Locutio desumpta ex Num. 24. 20. ubi de Amaleco אחריתו עדי אבד [finis ejus ad perditionem.] ¶ ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία, quorum Deus venter est] Id enim pro Deo habemus, cujus causâ omnia facimus Vide Ephes. 5. 5. Homerus,

> Γαστέρα δ' οὔπως ἔστιν ἀποκρύψαι μεμαυῖαν,
> Οὐλομένην, ἣ πολλὰ κακ' ἀνθρώποισι δίδωσι
> [Insanam, causamque mali fatalis & omnis
> Exitii, ventrem satiare haud possumus unquam.]

Euripides,

> Νικᾷ με χρεία καὶ κακῶς ὀλουμένη
> Γαστήρ, ἀφ' ἧς τὰ πάντα γίνεται κακά
> [Me dira egestas subigit & miserabilis
> Venter, malorum causa quæ ferme omnium.]

Venit super eos maledictio serpentis Gen 3. 15. Athenæus tales vocat κοιλιοδαίμονας. ¶ καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, & gloria in confusione ipsorum] Quod minime eos decet, quotidie in conviviis esse, de eo maxime gloriantur. ¶ οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. qui terrena sapiunt] Satietatem, opes, glorias Vide Jac. 3. 15. Sunt curvæ in terras animæ. Et hoc ex maledictione serpentis, pulverem lingere.

20. Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, Nostra enim conversatio in cælis est] Oppositum est ei quod præcessit, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. Nos verò, inquit, animo jam in cælo sumus: cælestia cogitamus: curamus ea quæ illuc ducunt, cœlestibus legibus regimur. Sumus hic quasi peregrini, quod de se Jacob dicebat, Gen. 47. 9. & μυστικῶς [sensu recondito] explicat Divinus ad Hebræos Scriptor 11. 9, 10, 13, 14, 15. Idem dicit nos accedere ad Jerusalem cælestem, quæri à nobis civitatem futuram, 12. 21. 13. 14. Philo libro de Præmiis, Τοῦτο τὸ γένος οὐ μακρὰν ἀπῳκισται Θεοῦ, φαντασιούμενον ἀεὶ τὰ αἰθέρια κάλλη καὶ ποδηγετούμενον ὑπ' ἔρωτος οὐρανίου [Hoc genus, prope Deum habitans, imaginatur semper æthereas pulchritudines, & cælesti amore ducitur.] Adde Apoc. 4. & ibi dicenda. Anaxagoras cælum sibi patriam esse dicebat, teste Laertio. Et πολίτευμα hoc loco municipatum transtulit aliquoties Tertullianus. Posses & conversationem vertere. Sic enim πολιτεύεσθε [conversamini] habuimus supra 1. 27. Seneca epistola 41. de sapiente, Majore sui parte illic est, unde descendit: Idem epistola 66. Vetas me cælo interesse, & jubes me vivere capite demisso? Porphyrius περὶ ἀποχῆς [de Abstinentia] primo, Ἐοίκαμεν γὰρ τοῖς εἰς ἀλλόφυλον ἔθνος ἥκουσιν ἢ ἀπεληλυθόσι, καὶ μὴ μόνον τοῖς οἰκείοις ἐξορίστοις, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς ξένης ἐμπλησθεῖσι παθῶν τε καὶ ἠθῶν καὶ νομίμων ἐκφύλων, καὶ πρὸς ταῦτα ῥοπὴν ἐσχηκόσι. ὅνπερ οὖν τρόπον ὁ ἐκεῖθεν εἰς τὰ οἰκεῖα μέλλων ἐπανήκειν, οὐ μόνον προθυμεῖται ὁδεύειν, ἀλλὰ καὶ ἵνα παραδεχθῇ, μελετᾷ μὲν ἀποτίθεσθαι πᾶν, εἴτι προσέλαβεν ἀλλόφυλον. ἐπαναμιμνήσκει δ' ἑαυτὸν ὧν ἔχων ἐπελάθετο, ὧν ἄνευ παραδεχθῆναι οὐχ οἷόν τε πρὸς τῶν οἰκείων· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡμᾶς δεῖ ἐντεῦθεν, εἴπερ πρὸς τὰ ὄντως οἰκεῖα μέλλοιμεν ἐπανιέναι, ἃ μὲν ἐκ τῆς θνητῆς προσειλήφαμεν φύσεως ἀποθέσθαι πάντα, μετὰ τῆς πρὸς αὐτὰ προσπαθείας, δι' ἧς ἡ κατάβασις γέγονεν. ἀναμνησθῆναι δὲ τῆς μακαρίας καὶ αἰωνίας οὐσίας, καὶ πρὸς τὸ ἀχρώματον καὶ ἄποιον σπεύδοντας ἐπανελθεῖν [Similes enim sumus iis, qui in regionem peregrinam venerunt vel abierunt, non solum patriis moribus eliminati, sed & ex peregrinæ regionis usu, affectibus, moribus & legibus alienis imbuti, & ad hæc omnia propendentes. Quo igitur modo talis quispiam ad suos rediturus, non solum iter cogitat, sed ut melius accipiatur, meditatur etiam quâ ratione peregrina omnia, si quæ contraxerit, exuere possit, & in memoriam revocat ea, sine quibus à suis admitti non potest, quæque jam desuetudine ex animo exciderant. pari modo oportet & nos, si ad ea quæ revera nostra sunt, & homini propria reverti velimus, quæcunque ex mortali natura nobis adscivimus, unà cum omni ad ea inclinatione, quâ illectus animus ad illa descendit, deponere, recordari verò beatæ illius & æternæ essentiæ & ad illud inaspectabile & immutabile reditum properare,] & quæ sequuntur. Animus ibi est ubi amat. Sic impletur vaticinium Dan. 2. 44. ¶ ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν· unde etiam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum] Non mirum est nos eò respicere, unde ventura est redemptio nostra. ἐξ οὗ [unde] rem spectat, non quod præcessit vocabulum.

21. Ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, Qui reformabit corpus humilitatis nostræ] Ταπείνωσις [humilitas] hoc loco est ipsa ταπεινότης, vilis conditio, ut & Lucæ 1. 48. Jac. 1. 10. עני vel ענוה. Idem ἀτιμίαν [ignobilitatem] dixit 1 Cor. 15. 43. ¶ εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, ut fiat configuratum corpori claritatis suæ] 1 Cor. 15. 48. 2 Tim. 2. 12. In Manuscripto εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ [ut fiat] deest. Et potest μετασχηματίσει [reformabit] construi cum σύμμορφον [configuratum.] Est autem σύμμορφον [configuratum] דמה [simile] Dan 3. 25. ¶ κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα. secundùm operationem quâ etiam possit subjicere sibi omnia] Etiam mortem 1 Corinth. 15. 26. κατὰ τὴν ἐνέργειαν [secundum operationem] de Deo Patre habes Ephes. 1. 19. hic de Christo. Et ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι, id est, εἰς τὸ δύνασθαι, quomodo τοῦ sæpe sumitur in his Epistolis. In Manuscripto pro ἑαυτῷ [sibiipsi,] est αὐτῷ, quod ipsum pro αὐτῷ [sibi] poni sæpe solet. ὑποτάξαι [subjicere] שית תחת רגליו [ponere sub pedibus suis.]

CAP. IV.

VALLA.

3. Etiam rogo & te, germane compar] Quod nunc dixit germane, quod Græcè est γνήσιε, superiùs dixerat sincerâ affectione, γνησίως, 2. 20. hoc dixi superius dici ingenue. Illud etiam non est dictio copulativa, sed affirmativa, quæ apud veteres Græcâ voce in usu fuit, næ, ναί. ¶ Quæ mecum laboraverunt in Euangelio] Nè diceret Interp. quæ mecum certaverunt, ut Græcè est, veritus nè in alium sensum acciperetur, dixit laboraverunt. Nos autem sciamus Græcè esse certaverunt unà, συνήθλησαν.

7. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras] Modò custodiet, φρουρήσει. Sed cur non mentem sive intellectum potius quàm sensum, νοῦν, sicuti dixit intelligentias, νοήματα; quod nomen ab illo superiori descendit.

8. Si qua laus disciplinæ] Non legitur Græcè disciplina, sed ab aliquo, quia putavit deesse, adjectum est.

12. Ubique & in omnibus institutus sum] Gr. in omni & in omnibus, ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι.

13. In eo qui me confortat] Gr. qui me fortem facit, sive qui me validum reddit, ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με

19. Impleat omne desiderium vestrum] Gr. implebit, πληρώσει. Desiderium nunc intelligendum est indigentiam, χρείαν.

REVIUS in VALLAM.

3. Quod nunc dixit germane] Additum erat seu Compar: quod falsum. Neque enim hæc unum sed duo sunt,

γνήσιε

γνήσιε & *σύζυγε*. De priore tantùm agit, ut patet ex sequenti loco. Itaque sustuli illum pannum ab alio assutum,

7. *Modò* custodiet] *Modò* pro *nunc* vix puto esse Laurentianum. Arbitror aliquid deesse, tale, *Græcè est indicativo modo*, CUSTODIET.

12. *Ubique*] Probabili ratione Beza retinuit: quem vide.

19. *Implebit*, πληρώσει] Ità & Beza: unus tamen codex Erasmi habebat πληρώσαι *impleat*.

ERASMUS.

1. C*Harissimi & desideratissimi*] Ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι, *dilecti ac desiderati*, sive *amabiles ac desiderabiles*.

2. *Et Syntychen deprecor*] *Rogo* & *deprecor* apud Græcos idem est verbum: proinde intempestivè Interpres affectavit copiam hoc loco, cùm Anadiplosis ejus verbi faciat ad vehementiam affectûs significandam. ¶ *Idipsum sapere*] Τὸ αὐτὸ φρονεῖν, *idem sentire*, h. e. concordes esse. Etiamsi Ambrosius interpretatur de *amplexanda prudentia*.

3. *Etiam*] Hic affirmantis ναί. Et ἐρωτῶ, quod sign. *interrogo*, hic pro *rogo* posuit: nisi fortè ἐρωτῶ anceps est apud Græcos, sicut *rogo* apud Latinos. ¶ *Germane compar*] Σύζυγε γνήσιε. *Syzygi* dicuntur quasi *pariter ducentes jugum*. *Germanum* autem hic vertit quod superiùs verterat *sinceram affectionem*, γνησίως. Quidam hoc referunt ad uxorem Pauli. Nam Græca possunt & fœm. genere accipi, σύζυγε γνήσια, i. e. *conjunx germana*, h. e. *sincera conjunx*. Sunt autem magni autores apud Græcos qui putant Paulum habuisse uxorem. Et consentaneum est hic mulieres commendari mulieribus. Porrò quod addit γνήσιε, h. e. *germana* sive *vera*, pulcrè quadrat in eam quæ & ipsa Christum unà cum marito amplecteretur. Cùm enim consensus est non solùm in convictu verùm etiam in professione fidei, in studio pietatis, in vitæ similitudine, tum denique verum est conjugium. Alioqui *impar conjugium* vocatur quoties diversâ religione jugo matrimonii continentur. S. Clemens, Hist. Eccl. lib. 3. referente Eusebio, locum hunc citat quòd doceat Paulo fuisse uxorem, cùm tamen eam exemplo Petri non circumduxerit, quò videlicet expeditior esset ad negotium Evangelicum. Quin idem & Philippo uxorem fuisse scribit, & Apostolos filias suas nuptum dedisse. Tantum aberat ut damnarent matrimonium. Sanctus Martyr Ignatius in Epist. ad Philadelph. fatetur ingenuè non solùm Petro & Paulo verùm etiam cæteris Apostolis fuisse uxores; nec ob id minoris ab ipso fieri, cùm Patriarchæ & Prophetæ fuerint in conjugio, non libidinis sed prolis gratiâ. Chrysostomus fatetur fuisse qui putarent hîc Paulum appellare suam uxorem, sed dissentit, nec causam reddit cur dissentiat. Sed utris potiùs æquum est accedere? Clementi & Ignatio, quorum ille Petri comes fuit, hic Marci Evangelistæ discipulus, an Chrysostomo, qui tanto intervallo semotus fuit à temporibus Apostolorum? Theophylactus tamen acriter repugnat nè Paulo tribuamus uxorem: quasi verò in hoc sit aliquid periculi. Quod nè fiat, mavult hunc *alteri mulierum vel fratrem vel maritum fuisse, ac fortasse carceris custodem*. Fatetur tamen fuisse qui putarint hæc Paulum uxori suæ scribere: Quos non alio refellit argumento quàm vocis unius, quam masc. genere posuerit, fœminino positurus videlicet si de uxore loqueretur. Sentit autem, opinor, de γνήσιε· nam de σύζυγος nemo nescit esse generis communis. Verùm qui putarunt de uxore dici, ni fallor, Græci fuerunt, quos tamen nihil offendit Theophylactum, nimirum intelligentes in hujusmodi vocibus juxta morem Atticum frequenter usurpari genus masculinum pro fœminino: quemadmodum Homerus dixit κλυτὸς pro κλυτή, & Euripides γενναῖος pro *γενναία*. Denique cùm Theophylactus in Epist. ad Titum cap. 2. legat σωτήριος pro *salutifera*, itaque interpretetur, demiror cur hic offenderit γνήσιος. Proinde ut hanc sententiam non arbitror absurdam, ità fateor & alteram posse consistere. Tantùm offendit quòd virum ceu comitem adjungit fœminis, præter morem suum. Deinde quis esset iste *carceris custos* quem Paulus dignaretur tanto honore ut eum γνήσιον σύζυγον vocaret, & eidem præferret mulieres? Consortes Evangelici laboris Paulus solitus est appellare συνεργούς. σύζυγος magis congruit in *par hominum quos idem copulat jugum*: unde Latinis quoque dictum est *conjugium*. Lyranus admonet, GERMANUM *esse nomen proprium*, nè nihil adderet de suo; quod hausisse videtur è Commentariis qui fallò Hieronymi titulo feruntur in omnes Epistolas Pauli. Porrò cum hæc Epistola scripta sit *omnibus sanctis, Episcopis ac Diaconis*, nullius expresso nomine, non video quis hic possit intelligi. ¶ *Adjuva illas*] Συλλαμβάνου αὐταῖς, *commoda illis*, *ac manum admove*. ¶ *Mecum laboraverunt*] Συνήθλησάν μοι, *simul mecum decertarunt*.

4. *Gaudete in Domino*] Χαίρετε. Potest esse & *valete*.

5. *Modestia*] Τὸ ἐπιεικὲς, *humanitas*, sive *æquitas*. Ambrosius explanat *rationabilis conversatio*, cùm non contenditur de summo jure, sed alius alii pro tempore cedit, & id sequitur quod postulat humanitas. ¶ *Dominus enim*] *Enim* redundat, nec additur apud Ambrosium.

6. *Sed in omni*] *Omni* non est epithetum *orationis*, ἐν παντὶ, i. e. *in omni re*, sive *in omnibus*.

7. *Omnem sensum*] Πάντα νοῦν, *mentem* sive *intellectum*: nè quis ad corporis *sensum* detorqueat. Certè *mentem* legit Ambrosius hanc enarrans Epistolam, itaque citat lib. De Jacob & beata vita, cap. 6. ¶ *Custodiat*] Φρουρήσει, *custodiet*, fut. temporis. Neque enim optat hoc illis, sed animat eos hâc fiduciâ. Ità legisse Ambrosium colliges ex ipsius interpretatione si perpendas attentius.

8. *De cætero, fratres*] Τὸ λοιπὸν, *Quod reliquum est*. Est autem Continuantis post digressionem aliquam. ¶ *Quæcunque pudica*] Σεμνὰ, quod Ambrosius legit *magnifica*. Vertere poterat *gravia*, *severa*, *honesta*, *verecunda*. Nam hæc omnia sign. Græcis σεμνά. ¶ *Quæcunque sancta*] Ἁγνὰ, *pura* sive *casta*. ¶ *Amabilia*] Προσφιλῆ· quod Hieronymus Adv. Jovin. vertit *ad castitatem pertinentia*, sed detorquens, opinor, ad suam argumentationem: nisi fortè pro ἁγνὰ reddidit *ad castitatem pertinentia*. Sed probabilius est hunc errorem esse scribarum. Etenim cum licuerit dicere, *quæcunque casta*, quid opus erat circuitione? quæ in προσφιλῆ erat necessaria. Jam nisi *pudica* accipimus *verecunda*, bis inculcavit Pudicitiam, in σεμνὰ, & in ἁγνά· unde suspicor locum hunc apud Hieronymum non carere mendo. Fortasse scripserat, *quæcunque casta*, *quæcunque ad amicitiam pertinentia*. ¶ *Bonæ famæ*] Εὔφημα, *bene ominata*, sive *boni ominis*. Ambrosius vertit *laudabilia*. Totum hunc locum ità reddidit Hieronymus, *Quæcunque ergò sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque ad castitatem pertinentia*, &c. ¶ *Si qua laus disciplinæ*] *Disciplinæ* redundat juxta Græcos cod. nec apparet ex Ambrosianis Commentariis quòd secus legerit quàm Græci. Et *virtus* hîc est ἀρετὴ, quæ opponitur Vitio, non δύναμις, quæ pugnat cum Imbecillitate. ¶ *Hæc cogitate & agite*] *Cogitate* superest, Græcis tantum est ταῦτα πράττετε, *hæc agite*. Et ità legit Ambrosius. Hunc locum quidam magnis cachinnis magnisque conviciis insectatur, negans me apud me fuisse cum hæc scriberem: ac mox deprehendi hominis errorem. Siquidem cum ego notassem lectionem posterioris partis, *hæc agite, & Deus pacis*, &c. ille somniavit me de priore parte loqui, *si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ didicistis*. At dicet ille, Quid annotabas, cum scriptura hujus loci bellè haberet in Græcis pariter ac Latinis codicibus? Non sum tam stupidus ut præter occasionem id fuerim annotaturus. Etenim cum hæc scriberem, consului pervetustæ, imò primæ, ni fallor, editionis codicem, qui Glossam habet adjunctam Ordinariam & Interlinearem, ut vocant, præbitam è Monasterio Carthusiensium quod propinquum est urbi Bruxellensi, vicinum Collegio Anderlacensi, in quo tum temporis valetudinis causâ rusticabamur. In eo sic habebatur scriptum, *Hæc cogitate, quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me: hæc cogitate & agite, & Deus pacis erit vobiscum*. Et Glossa in interstitio versuum, *Non solum*, inquit, *cogitate, sed & actu implete*. Hic clamabit meus castigator, scripturam esse depravatam, & illud *cogitate* repetitum e loco superiore. Fateor, & ideo admonui, nè latiùs serperet ea scriptura, quæ jam codices innumeros occuparat. Det Dominus talibus sycophantis ut aliquando ad se redeant.

10. *Quoniam tandem aliquando*] Ὅτι ἤδη ποτὲ, *quod jam aliquando*. ¶ *Refloruistis pro me sentire*] Ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν, *revixistis in sentiendo de me*: ut subaudias κατὰ τὸ φρονεῖν, h. e. *revixit in vobis amor & solicitudo ac studium erga me, tametsi non misistis hactenus, quòd opportunitas mittendi vobis defuerit, non animus*. ¶ *Sicut & sentiebatis*] Ἐφ' ᾧ, *in eo quo sentiebatis*. ¶ *Occupati autem eratis*] Ἠκαιρεῖσθε δὲ, *sed non habuistis opportunitatem*: id enim sonare videtur ἀκαιρεῖσθαι.

11. *Non quasi*] Οὐχ ὅτι, *non quod*. ¶ *Propter penuriam*] Καθ' ὑστέρησιν, *juxta defectum*. ¶ *Sufficiens esse*] Αὐτάρκης εἶναι, *contentus esse*. Apertius erat, *nam ego didici his in quibus sum contentus esse*, ἐν οἷς εἰμὶ αὐτάρκης εἶναι, h. e. novi quod adest boni consulere.

12. *Scio & abundare*] Περισσεύειν. Quod hic vertit *abundare*, non solùm pertinet ad rerum copiam sed ad omnem præcellentiam, ut opponatur ei quod præcessit *humiliari*. Nam de *copia* & *inopia* mox meminit. Etiamsi Theophylactus aliter exponit.

ponit. ¶ *Ubique & in omnibus*] Ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι, *in omni & in omnibus*. Et sic legit Ambrosius. Tametsi probè vertit hoc Interpres, ut accipias *ubique* pro eo quod est *in omni re*. Theophylactus priorem particulam ἐν παντὶ bifariàm exponit; aut *in omni tempore*, ut intelligas longam experientiam; aut *in omni negotio*, ut intelligas plurimarum rerum experientiam. *In omnibus* verò, quæ obiter incidunt. ¶ *Institutus sum*] Μεμύημαι, quod Ambrosius vertit *imbutus sum*. Est autem propriè *initiari mysteriis*. Porrò mysteria primùm discuntur, mox exercentur. ¶ *Abundare, & penuriam pati*] Περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι, h.e. q.d. *pati ut supersit, pati ut desit*; sive, *pati ut nimium sit, pati ut minus sit*.

13. *Qui me confortat*] Ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντι. Non est *confortat*, quasi consolatur & reficit, sed *confortat*, i. e. potentem ac fortem reddit: *corroborat* erat Latinius.

16. *In Thessalonicam*] Ἐν Θεσσαλονίκῃ, *Thessalonicæ*. Nec miserunt in Thessalonicam, sed Paulo miserunt, qui illic tum erat. Nisi fortè Apostolus neglexit Grammaticæ leges. ¶ *Semel & bis*] Ἅπαξ καὶ δίς. Quod si quis Latinè velit reddere, dicendum est *semel atque iterum*. Ambrosius legit *semel & iterum*. Alioqui *semel & bis* nihil aliud sonat quàm *ter*. Neque statim Latinè dicitur quod Græcis bene dicitur. ¶ *In usum*] Εἰς τὴν χρείαν, *ad egestatem*, sive *ad necessitatem*. Quanquam *in usum* non est absurdum, modò intelligas *in usum*, i.e. cùm esset opus. Ambrosius legit *in usus meos misistis*.

17. *Non quia quæro datum*] Οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα, *non quòd quæram ipsum donum*. Ambrosius legit, *non quia munus quæram*. ¶ *Sed requiro fructum*] Illud *quæro* & hoc *requiro* apud Græcos idem verbum est, ἐπιζητῶ, ne quis frustrà miretur Interpretis copiam. ¶ *Abundantem in rationem*] Hic meliùs vertisset Græcum participium in verbum πλεονάζοντα, i.e. *qui redundet in vestrum commodum, potius quam meum*.

18. *Habeo autem omnia*] Ἀπέχω. Ambrosius legit, *percepi autem omnia*. Nam *ἀπέχειν est recipere ex aliquo*, veluti censum aut reditum ex arvis. Et ad eum modum vertit in Euangeliis *receperunt mercedem suam*, ἀπέχουσι. Id sentiens Theophylactus submonet *recipi* quod quasi debitum datur. ¶ *Repletus sum acceptis*] Πεπλήρωμαι δεξάμενος, *repletus sum accipiens*, nisi quòd participium est præt. temporis. Commodiùs vertisset ad hunc modum, *expletus sum, posteaquam accepi ab Epaphrodito à vobis missa, odorem*, &c. ¶ *In odorem suavitatis*] Ὀσμὴν εὐωδίας· quod superiùs indicavimus. Nec est *in odorem*, sed *odorem* appositivè, suffragante Græcis codice Donatiani. Suffragabatur uterque Constantiensis. Ambrosius legit *odorem bonæ suavitatis*, sed mutato, sicuti conjicio, auferendi casu in accusandi casum. Cyprianus exponens Precationem Dominicam, citat ad hunc modum, *Saturus sum*, inquit, *recipiens ab Epaphrodito quæ à vobis missa sunt, odore suavitatis, sacrificio accepto & placente Deo*. Indicat autem quod vocavit *odorem suavem*, sumptum à sacris in quibus suffitus spargebantur grati naribus.

19. *Omne desiderium*] Πᾶσαν χρείαν, *omnem necessitatem* sive *indigentiam*. Valla emendat *implebit*, πληρώσει. Sed codex unus habebat πληρώσαι *impleat*.

23. *Cum spiritu vestro*] Sic & Ambrosius legit, sed Græci cod. habent μετὰ πάντων ὑμῶν *cum omnibus vobis*.

VATABLUS.

1. **C**Harissimi & desideratissimi] *Dilecti & desiderati*. ¶ *Charissimi*] *Dilecti*.

2. *Euchodiam*] *Euodiam*, Vet. ¶ *Idipsum sapere*] *Idem sentire*: i.e. ut sint concordes in iis quæ de Domino à me audierunt.

3. *Germane compar*] Vel, *ingenue collega*: Epaphroditum alloquitur, ut nonnullis placet. Alii vertunt, *compar germana*, sive *ingenua conjux*, ut uxorem suam alloquatur. ¶ *Laboraverunt in Euangelio*] i. e. Tulerunt afflictiones propter Euangelium.

5. *Modestia*] *Humanitas*: i.e. præstate vos humanos erga omnes.

6. *In omni*] Sub. *tentatione*. ¶ *Petitiones vestræ innotescant apud Deum*] Heb. petite à Deo ut vos consoletur.

7. *Sensum*] *Intellectum*. ¶ *Custodiat*] *Custodiet*. ¶ *Intelligentias vestras in Christo Jesu*] *Sensus vestros* [vel, *mentes vestras*] per *Christum Jesum*.

8. *De cætero*] *Quod reliquum est*. ¶ *Pudica*] *Pura, casta*. ¶ *Sancta*] *Honesta*. ¶ *Amabilia*] *Ad amicitiam pertinentia*: vel, *ad alendam concordiam accommoda*. ¶ *Bonæ famæ*] i.e. Bonam famam conciliant. ¶ *Virtus* *] * *Et*.

10. *Gavisus sum*] Præt. pro præs. ¶ *In Domino*] *Per Dominum*: q. d. cujus gaudii autor est Dominus. ¶ *Quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire*, &c.] *Quod jam tandem revignit vestra pro me solicitudo, pro quo & soliciti eratis: verùm deerat opportunitas*: sub. *mittendi quæ volebatis*.

11. *Quasi*] *Quod*. ¶ *Dico*] *Loquar*: i.e. non dico me tantopere gaudere propter penuriam meam, quam vestrâ liberalitate sublevastis. ¶ *In quibus sum*] i.e. Rebus præsentibus, sive iis quæ habeo. ¶ *Sufficiens esse*] *Contentus esse*.

12. *Abundare*] Vel, *excellere*: i. e. Scio quo animo esse debeam, cùm me Deus deprimit, & cùm cæteris excellere facit.

13. *In eo qui me confortat*] *Per Christum qui me corroborat*.

14. *Communicantes tribulationi meæ*] i. e. Quòd mihi res vestras communicastis in tribulatione mea, cùm essem vinctus.

15. *In ratione*] *In rationem*: i.e. ob id quod à me datum est illis, & à me acceperunt, h. e. ob prædicationem: vel, quod possem perscribere in codice meo donatarum rerum & acceptarum.

16. *Thessalonicam*] i.e. Cùm essem Thessalonicæ. ¶ *Bis in usum*] *Iterum ad egestatem*: vel *quod opus erat*.

17. *Datum*] *Munus*. ¶ *In ratione vestra*] *In rationem vestram*, Vet. i.e. qui redundet in vestrum commodum. Vel, requiro ut operibus piis abundetis, ità ut rationarius liber vester ostendat quàm liberales sitis: ut de tabulis in quibus expensa perscribebantur, loquatur.

18. *Habeo*] *Accepi*. ¶ *Repletus sum acceptis*] *Expletus sum postea quàm accepi*. ¶ *Odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo*] Per expositionem dictum: q.d. munera, inquam, fragrantissima & suavissima Deo: Heb. 13. *Talibus hostiis delectatur Deus*.

19. *Impleat omne desiderium vestrum*] *Supplebit quicquid opus fuerit vobis*. ¶ *In gloria*] Heb. cum gloria: i. e. simul impendet vobis gloriam æternam per Christum.

21. *Sanctum in Christo Jesu*] Heb. sanctificatum per Christum.

23. *Cum spiritu vestro*] *Cum omnibus vobis*.

CASTALIO.

3. **V**Ere socie] *Verum sincerumque socium* vocat aliquem suum in Euangelico labore socium. Neque me fallit, esse quosdam qui putent σύζυγε γνήσιε Attica esse fœminina, eumque uxorem suam alloqui. Sed cùm verba plana sint in masculino genere, neque quicquam ambiguitatis habeat sententia, ea detorquere, & Paulum cum sententiæ obscuritate Atticum facere, nihil aliud est quàm in scirpo nodum quærere. Ut interim taceam quòd res ipsa reluctatur. Cùm enim de cœlibatu loquens Paulus ad Corinthios dicat *cupere se eos sui esse similes*, h.e. cœlibes, quò essent ad Dei cultum expeditiores, non est credibile eum id postea fecisse à quo alios dehortatur. Nisi fortè dicat quis eum libidinis stimulis victum postea duxisse & se maximo ad Euangelium negotium impedimento implicuisse. Sed neque libidine vinci potuit cui sic à Deo responsum fuerit, *Satis est tibi meus favor*: nam cui favet Deus, is invictus est. Et si victus fuisset, oportuit eum uxorem circumducere. Quam si circumducturus non erat, stultum erat ducere. Atqui non circumduxit, ut ipse de se prædicat.

8. *Si qua virtus & si qua laus est*] Si quid cum virtute conjunctum & laudabile est.

15. *Ad rationem expensorum & acceptorum*] Quod vel illi mihi expensum vel eis ego acceptum ferre possem.

17. *Quæro enim profectum qui in vestram rationem redundet*] Ut promoveatur Euangelium, quæ res sit vobis utilissima.

CLARIUS.

3. **G**Ermane compar] Σύζυγε γνήσιε, quæ cum utrique generi conveniant, ambiguum faciunt sensum. Sunt enim qui putent hinc colligi Paulum habuisse uxorem: & Clemens, ut refert Eusebius lib. 3. Eccl. hist. locum hunc citat ut hoc probet. Sed non admodum efficax locus est ad hoc probandum. Quî enim credibile est Paulum hanc reliquisse in peregrina & aliena terra, & non potiùs Tarsi, ubi natus erat, vel Jerosolymis, ubi educatus? Opinatur ergò Chrysostomus hunc fuisse maritum unius duarum mulierum quas dudum nominarat, aut alterum quempiam probum virum, cui has commendet.

4. *Gaudete in Domino*] M. Basilius pulcram in hæc Apostoli verba,

verba, vel illa ubi dicit, *Semper gaudete*, &c. scripsit orationem, quo pacto possit homo Christianus semper gaudere.

5. *Dominus prope*] Adest semper sperantibus bene de ipso: sic enim quidam interpretantur. Vel sic potiùs, *Dominus non longè abest*, ejusque judicium, quo & vos coronet, & tribulatores vestros ulciscatur.

7. *Pax Dei*] Si *pax Dei superat omnem mentem*, quid de iis dicas qui naturam & essentiam ejus curiosius pervestigant? *Pacem* autem *Dei* appellat reconciliationem ejus erga nos. Nam cum ingens bellum intercederet, pacavit omnia Deus per unigeniti sui sanguinem: *Superat* autem *omnem mentem*: nam quis intelligentiâ assequatur tantam Dei erga nos charitatem, & præterea illa mysteria quæ per hanc pacificationem data nobis sunt?

8. *Quæcunque bona*, &c.] *Quæcunque*, inquit, *pertinent ad bonum nomen*, *ad virtutem*, *ad laudem*, h. e. quæ digna laude sunt, &c.

10. *Revignistis*] Ἀνεθάλετε. Accepta est similitudo ab arboribus, quæ cum viderentur arefactæ postea regerminant. Sic vos, inquit, cessaveratis ab opere eleëmosynæ, at nunc *revignistis*, & curam mei quam antè habueratis recepistis. Neque tamen hanc cessationem vestro vitio ascribo, sed tempori: nam *deerat vobis opportunitas*, dum vel non aderant qui ferrent, vel premebamini & vos inopiâ.

11. *Non quòd juxta*] *Non propter hoc*, inquit, *dixi quòd in penuria sim.* Generosum animum! Metuebat nè illi, auditâ ejus inopiâ tristarentur.

15. *Scitis autem*] Nè putetis me iccirco hæc dicere quòd petam aut egeam; sed quia vos occasionem mihi præbuistis audendi, itâ nunc fidenter loquor; memini enim *in principio Euangelii* quantâ me prosecuti fueritis liberalitate. ¶ *In ratione*] Dabant enim spiritualia, & accipiebant carnalia; sicut & alibi ait, *Si nos vobis spiritualia seminavimus*, *magnum est si nos vestra carnalia metamus?*

17. *Non quod*] Hæc, inquit, omnia vobis in primis utilitati sunt, alioqui nè illa quidem requirerem: fructus enim vester est quem requiro.

18. *Habeo autem*] Per hoc, inquit, quod dedistis non solùm ea quæ defuerant supplestis, verùm etiam superatis.

22. *Maximè autem*] Roborat eos, quòd etiam in Regiam domum pervenerit Euangelium.

ZEGERUS.

2. EUodiam] In Latinis ubique *Euchodiam* invenio. ¶ *Idipsum sapere*] Jam non semel admonuimus *idipsum sapere* esse Unanimes esse, Unum sapere.

3. *Etiam rogo & te*, *germane compar*] Nonnulli hoc ad Pauli uxorem dictum accipiunt, quòd Græca videlicet juxta morem Atticum possint & fœminino genere accipi, ut *σύζυγε γνήσιε conjunx sincera* sive *germana* transferatur: nam σύζυγοι Græcis à *jugo pariter ducendo* dicuntur. Et in hac sanè sententia Clemens quidem Alexandrinus, autor vetustissimus & Origenis præceptor, fuit, qui (ut refert Eusebius Eccles. hist. l. 3. c. 30.) adversùs eos qui nuptiis derogabant, quò Paulo uxorem fuisse ostendat, hunc locum in testimonium adducit. Quod sanè, nimirum Paulo uxorem fuisse, nec ego negaverim, præsertim cùm Ignatius Johannis Euangelistæ discipulus palàm testetur non modò Paulum sed & reliquos quoque Apostolos (uno Johanne, quem *dilectissimum Discipulum* appellat, excepto) matrimonio fuisse copulatos. Scribit enim in Epistola ad Philadelphienses ad hunc modum, *Non detraho*, inquit, *cæteris beatis qui nuptiis copulati fuerunt*, *quorum nunc memini: opto enim Deo dignus ad vestigia eorum in Regno ipsius inveniri*, *sicut Abraham & Isaac & Jacob*, *sicut Joseph & Esaias & cæteri Prophetæ*, *sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli*, *qui nuptiis fuerunt sociati*, *qui non libidinis causâ sed posteritatis subrogandæ gratiâ conjuges habuerunt.* Hactenus ille. Admodum tamen probabile est, sicut Paulum itâ & reliquos Apostolos, qui omnia propter Christum reliquerant, post perfectam ad fidem Euangelicam conversionem, in totum ab uxoribus abstinuisse, quemadmodum Apostolus in Epistola ad Corinthios prima desiderare se dicit *ut omnes sint sicut & ipse.* Cæterùm quòd hunc sermonem ad uxorem direxerit equidem non ausim asseverare, præsertim refragrantibus omnibus qui antè hæc nostra tempora in Literas Paulinas Commentaria edidere, sed in primis Chrysostomo, qui prorsus negat hic uxorem suam obsecrare Apostolum, sed aut mulierem aliam honorare, aut maritum unius ex mulieribus quas unà cum hoc compare interpellat.

5. *Modestia vestra*] Ἐπιεικὲς pro ἐπιείκεια, i. e. *lenitas*, *mansuetudo*, *probitas*, *æquitas*, *humanitas.* Ambrosius interpretatur *rationabilem conversationem*, quâ luceant bona opera omnibus hominibus, ut sint qui imitentur.

8. *De cætero*] i.e. *Cæterum*, vel *quod reliquum est.* ¶ *Si qua virtus*] Ea quæ Vitio opponitur: est enim ἀρετή.

10. *Refloruistis pro me sentire*, *sicut & sentiebatis*] Verecundè ac modestè de eleëmosyna intermissa loquens, & laudat quòd pristinum liberalitatis affectum induissent, & excusat quòd opportunitas mittendi defuisset. Dicit ergò, *Refloruistis pro me sentire*, &c. tanquam si dicat, Vos quidem florentes, virentes ac fructificantes cùm essetis, vestra meis ac aliorum necessitatibus communicando, & quæ recta sunt operando, aridiores eratis effecti, quia eleëmosynam impertiri aliquamdiu desieratis: *refloruistis* tamen *nunc demum*, quia pristinam illam recepistis liberalitatis consuetudinem; *refloruistis*, inquam, itâ ut inceperitis pro mei cura suscipienda ac meis necessitatibus sublevandis sentire, Φρονεῖν, i.e. *affecti esse*, *intelligere & cogitare*, *quemadmodum & olim affecti erga nos fuistis.* Excusat autem illos cùm subdit, ¶ *Occupati autem eratis*] i.e. *Opportunitate destituebamini.*

11. *Non quasi propter penuriam dico*] i.e. *Non hæc loquor propter penuriam* quam patior, quasi de illa conquerens; quin potiùs, ¶ *Didici in quibus sum sufficiens esse*] *Didici*, longâ videlicet exercitatione, minimis his quæ mihi contingere possunt *contentus esse.*

13. *Qui me confortat*] In uno atque altero antiquo codice additum invenio juxta Græcos *Christus*; *confortat Christus:* Sed quia non habetur ab Ambrosio, adjectitium puto.

15. *Communicavit in ratione dati & accepti*] *Communicare ad rationem dati & accepti*, vel *in ratione dandi & accipiendi*, est beneficium beneficio pensare, ut pro spiritualibus reponere temporalia: id quod faciebant Philippenses suo Apostolo.

17. *Abundantem in rationem vestram*] *Fructum*, ait, *quæro qui in vestra sit ratione*, i. e. qui nobis conducat, quia dum nobis vestra temporaria seminatis, copiosissimus vobis excrescit spiritualium bonorum acervus.

19. *Impleat omne desiderium vestrum*] Quod in Græcis legitur πληρώσει πᾶσαν χρείαν ὑμῶν hanc habet intelligentiam, *suppleat vestram indigentiam*, vel *suppleat quicquid vobis opus est.* Unde apparet Interpretem *desiderium* hic pro *defectu & indigentia* posuisse, quemadmodum & *desiderare* pro *deficere* usurpamus, ut cùm dicimus in opere omnibus numeris absoluto, *nihil esse quod desideretur.*

H. STEPHANUS.

3. Συνήθλησάν μοι] *Unà mecum certarunt.*

10. Ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ Φρονεῖν' ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε, ἠκαιρεῖσθε δὲ] *Revixistis in vestra de me cura: quam & gerebatis*, *sed opportunitate destituebamini.*

11. Οὐχ ὅτι καθ' ὑστέρησιν λέγω] *Non propter penuriam meam dico.*

17. Ἀλλ' ἐπιζητῶ τὸν καρπὸν τὸν πλεονάζοντα εἰς λόγον ὑμῶν] *Sed requiro fructum exuberantem qui in rationem vestram inducatur:* vel, *in vestras rationes referatur.*

DRUSIUS.

1. COrona mea] i. e. Ornamentum, decus: ut apud Salomonem, *Mulier strenua*, *corona mariti sui*: &, *Corona senum*, *filii filiorum*: &, *Corona decora*, *senectus* (vel *canities*) *in via justitiæ invenietur.* Hebr. עטרת. Syr. כלילא. ¶ *Sic state* כן עמדו] *Ità state*, i.e. rectè state. Οὕτως officium denotat & id quod fieri debet, Matth. 23. Sic כן *rectum*, Cohel. 8. 10. οὕτως ἐποίησαν, *sic fecerunt*, i. e. rectè fecerunt. Hebr. כן עשו. Sym. ὡς δίκαια πράξαντες. Abenezra interpretatur per אמת, quod *veritatem* designat. Similiter Num. 27. 7. כן דברת *verum loquuntur*, sive *rectè loquuntur.* Videndus R. David Jer. 8. 2.

3. *Quorum nomina sunt in libro vitæ*] בספר חיים, i. e. *vitæ an viventium?* Sic *fons vitæ* aut *viventium*, ut *aquarum* subaudiatur. *Aqua vivens*, i. e. perennis. Liber vitæ duplex. Alius est liber vitæ sempiternæ, & alius vitæ præsentis, quæ temporaria, imò momentanea est. De illo hìc sermo est; de hoc Mosen accipiunt cùm ait, *Dele me ex libro vitæ.* In hoc libro descriptæ quoque sunt ærumnæ piorum. Psal. 56. 8. *Lacrymas meas numerasti: nonne in libro tuo?* nisi fortè de alio libro loquitur, qui *Dei liber* sit, non *vitæ* aut *viventium:* expende.

8. *Quæcunque pudica*] Alius *veneranda.* Lex. V. Σεμνός, *venerabilis*, *castus.* Σεμνότης, *pudicitia.* Σεμνῶς, *pudicè.*

Scribo *venerabilis*. Contrarius error est suprà 3. 15. in Vulgata nostra, ubi *revelabit* scriptum pro *revelavit*.

10. *Vehementer*] Μεγάλως, *magnopere*; ut Job. 4. 14. μεγάλως μȣ τὰ ὀςᾶ διέσεισε, *magnopere ossa mea concussit*. Interpres Rom. *valde* σφόδρα.

CAMERON.

7. Εἰρήνη τοῦ Θεοῦ ἡ ὑπερέχȣσα πάντα νοῦν] Quæritur quomodo *Pax* illa dicatur *superare omnem intellectum*. Nempe pax illa hujusmodi est, primò ut qui eam sensit, priusquam eam sensit, non potuerit fingere animo quid tandem illud sit; deinde, postquam ea pax percepta est, fieri nullo modo potest ut quis ejus vim pro rei dignitate & excellentia possit explicare. Nam quòd nonnullis videtur Apostolus aliquid significare quod præter intellectum & sine ejus interventu voluntatem afficit, vel hinc refelluntur, quòd eadem pax hic dicitur *custodire intellectus nostros* τὰ νοήματα ὑμῶν *in Christo Jesu*. Et Apoc. 2. 17. *calculus albus* qui fidelibus datur (quo pax ista significatur) ejusmodi esse dicitur *quem nemo novit præter eum qui accepit illum*. Ergò qui accepit calculum novit quis sit iste calculus. Non est autem novum in Scriptura ut ea dicantur *superare omnem intellectum* quæ humanus intellectus non potest ità distinctè concipere ut eadem possit explicare. Sic enim Ephes. 3. 19. *charitas Dei* dicitur ὑπερβάλλȣσα τῆς γνώσεως *supereminentior esse omni cognitione*, quia ità eam capit animus humanus ut rapiatur in admirationem, videtque semper aliquid superesse quod persentiscere quidem potest, attamen non ità percipere ut possit explicare totum.

GROTIUS.

1. Ὥστε, ἀδελφοί μȣ, *Itaque, fratres mei*] Cùm tanta nobis proposita sint præmia, de quibus jam egi. ¶ ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι, *charissimi & desideratissimi*] *Quos amo & videre desidero*. ידידי וחמודי [*dilecti mei & desideratissimi mei*.] ¶ χαρὰ, *gaudium*] Sic & Latini *gaudium suum* vocant eum ob quem gaudent. ¶ καὶ ςέφανός μȣ, *& corona mea*] Id est, dulce decus meum. Nam עטרה ςέφανος [*corona*] *ornamentum* significat, genus ex specie. Job. 19. 9. Proverb. 4. 9. 12. 4. 14. 24. 16. 31. 17. 6. ¶ ὅτω ςήκετε ἐν Κυρίῳ, *sic state in Domino*] *Perstate in vita secundùm Christum*, 1 Cor. 15. 1. 2 Cor. 1. 24. 1 Petr. 5. 12. ¶ ἀγαπητοί. *charissimi*] Περιπαθὴς [*plena affectu*] hæc vocis hujus ἀναφορά [*Repetitio*.]

2. Εὐωδίαν παρακαλῶ, καὶ Συντύχην παρακαλῶ τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν Κυρίῳ· *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor idipsum sapere in Domino*] Rectiùs alii codices Εὐοδίαν. Erant inter hos orta dissidia; quare hortatur eos ut concordes sint *in Domino*, id est, propter Dominum. Συντυχὴς [*Syntyches*] ut εὐτυχὴς [*Eutyches*] virile est nomen.

3. Καὶ ἐρωτῶ καί σε, σύζυγε γνήσιε, συλλαμβάνȣ αὐταῖς, αἵτινες ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι, *Etiam rogo & te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio*] In Manuscripto, ναὶ ἐρωτῶ σε [*etiam rogo te*,] ubi ναὶ est precantis ad modum נא [*quæso*] Hebræi, ut Apoc. 22. 20. ἐρωτῶ est *precor*. Locutione effictâ ad Latinum sermonem, ut Joh. 14. 16. 16. 26. 17. 9. 1 Thess. 4. 1. 5. 12. 2 Thess. 2. 1. 1 Joh. 5. 16. 2 Joh. 5. Σύζυγος [*Compar*] qui Hebraïco בן זוג non tantùm dicitur de *junctis matrimonio*, verùm etiam de *collegis*. Quem autem Philippis potiùs *collegam* vocaret Paulus, quam τῶν πρεσβυτέρων προεςῶτα [*Presbyterorum Præsidem*] cujus summa erat etiam in pecuniis elargiendis auctoritas? Ad Epaphroditum ergo per ἀποςροφὴν [*aversionem*] vertit se oratio, tanquam præsentem futurum, ubi epistola hæc in Ecclesia Philippensium legeretur. Nec aliud hic σύζυγος [*compar*,] quàm supra συνεργός [*adjutor*.] Ii igitur commendat τὰς πρεσβύτιδας [*Presbyteras*,] sive τὰς προκαθημένας [*Præsidentes*,] *viduas* nempe *seniores*, ut eas vocat Peirandus Diaconus, quæ in convertendis ad Christum fœminis aliis plurimum laboraverant. Commendat autem in hoc, ut habeant unde se & suos honestè sustentent. In Judæa non fuerant necessariæ aut πρεσβύτιδες [*Presbyteræ*] tales, aut etiam fœminæ διάκονοι [*ministræ*,] quia liberior ibi viris erat aditus ad fœminas. In Græcia clausa gynæconitis. Itaque fœminæ per fœminas primâ Christianismi cognitione imbui, & sic ad Ecclesias pertrahi debebant. Eædem πρεσβύτιδες [*Presbyteræ*] mulieribus conversis erant σωφρονίςριαι [*castigatrices*,] morumque inspectrices & magistræ. De quibus vide Laodicenum Canonem 11. & Epiphanium Hæref. 79. ¶ μετὰ καὶ Κλήμεντος καὶ τῶν λοιπῶν συνεργῶν μȣ, *cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis*] Clemens hic videtur fuisse Romanus aliquis in Macedonia negotians. Is, & ii quos sub generali nomine hic designat Paulus, fuere Presbyteri Ecclesiæ Philippensis. ¶ ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς. *quorum nomina sunt in libro vitæ*] Loquendi genus figuratum: sumitur enim à more optimarum civitatum, scribendi in Albo publico cives, ità ut si perduelles fiant, etiam delere possint eorum nomina. Vide quæ diximus ad Dan. 12. 2. ad Lucam 10. 20. & ad Apocalypsim 13. 8. Pii dum tales sunt, certum habent jus ad vitam æternam. Possunt & perdere, ut Demas perdidit, qui in epistola ad Philemonem eodem hoc titulo συνεργȣ̃ [*adjutoris*] decoratur, 24. at postea tamen defecit 2 Timoth. 4. 10. Hebræi dicunt כתוב בספר חסד [*scriptus in libro misericordiæ*.]

4. Χαίρετε ἐν Κυρίῳ πάντοτε· πάλιν ἐρῶ χαίρετε. *Gaudete in Domino semper; iterum dico gaudete*] Nam dixerat χαίρετε, id est, *gaudete*, supra 3. 1. Nunc id repetit, & quidem voce bis positâ, ad signandum affectum eximium. Tale illud,

Vale, vale, inquit, Iola.

5. Τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*] Τὸ ἐπιεικὲς [*modestum*] id est, ἐπιείκεια [*modestia*] Actor. 24. 4. 2 Cor. 10. 1. In Glossario: ἐπιείκεια, *mansuetudo*, *clementia*, *modestia*. Non enim hic sumitur tam arcto significatu hæc vox, quam eam sumit Aristoteles, sed *bonitatem* denotat, partim cedentem multum de suo jure, partim occasiones quærentem bene faciendi aliis. ὁ Κύριος ἐγγύς. *Dominus prope est*] Ita sanè arbitrabantur, quia Christus tempus illud sui adventûs in occulto tenuerat 1 Thess. 4. 17. 1 Cor. 15. 52. 2 Cor. 5. 1. & sequentibus. Confer Apocal. 1. 3. 22. 10 Locutio sumpta ex Psalm. 45. 11.

6. Μηδὲν μεριμνᾶτε. *Nihil solliciti sitis*] Ne anxii estote de rebus vitæ hujus caducæ. Idem sensus qui Matth. 6. 34. ubi dicta vide. ¶ ἀλλ᾽ ἐν παντὶ, *sed in omni*] *In omni tempore*, ut Syrus. Id alibi διαπαντός *semper*.] ¶ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, *oratione & obsecratione*] De discrimine harum vocum vide quæ diximus Ephes. 6. 18. ¶ μετὰ εὐχαριςίας, *cum gratiarum actione*] Debent enim hæc jungi, gratia pro datis, precatio pro dandis, 1 Cor. 14. 16. Ephes. 5. 4. εὐχαριςία [*gratiarum actio*] est תודה vertente Aquilâ. ¶ τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν *petitiones vestræ innotescant apud Deum*] Vocabulum αἴτημα habes hoc sensu, 1 Joh. 5. 15. αἴτημα שאלה [*petitio*.] 1 Sam. 1. 17, 27. Psal. 20. 6. 37. 4. *In Deum rejicite curas vestras*: Aut dabit, quod huic vitæ necessarium est, aut vos à molesta hac vita liberabit, Verbum γνωρίζεσθαι [*innotescere*] habemus Rom. 16. 26. Ephes. 3. 5, 10. נודע Exodi 21. 36. & alibi. πρὸς τὸν Θεὸν [*apud Deum*] hîc est ליהוה [*Domino*.]

7. Καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ, *Et pax Dei*] Si hoc faciatis quod dixi, si curas vestras in Deum rejicitis. εἰρήνη Θεοῦ [*pax Dei*] hîc est *Dei favor*. Vide Psal. 29. 11. Rom. 1. 7. 2. 10. 5. 1. 1 Cor. 1. 3. 2 Corinth. 1. 2. Est autem μετωνυμία [*Transnominatio*,] quia qui pacem inter se habent, solent aut debent aliis bene velle. Sensus idem. Num. 6. 24. At in Manuscripto est est εἰρήνη τοῦ Χριςοῦ [*pax Christi*.] ¶ ἡ ὑπερέχȣσα πάντα νοῦν, *quæ exsuperat omnem sensum*] *Qui favor major est, quàm cogitari possis*. ¶ Φρȣρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ. *custodiet corda vestra & intelligentias vestras in Christo Jesu*] Si ita agitis, *Dei bonitas per Christum custodiet & mentem & affectus vestros*, nempe ne quid per metum & anxietatem peccetis. Locus planè similis 1 Petr. 1. 5. ubi idem verbum. Similitudo à re militari deducta. nam φρȣρὰ, נציב, *præsidium militare*.

8. Τὸ λοιπὸν, ἀδελφοί, *De cætero, fratres*] Protracto longiùs quàm putaverat sermone, rursus ἐπιλογίζει [*perorat*.] Vide supra 3. 1. Hebræi dicerent סוף דבר [*finis rei*,] ut Ecclesiastæ 12. 13. ὅσα ἐςὶν ἀληθῆ, *quæcunque sunt vera*] *A mala fide & mendacio remota*. כל אשר אמת [*quæcunque vera*.] ¶ ὅσα σεμνὰ, *quæcunque veneranda*] *Gravitatis plena*, 1 Tim. 3. 8, 11. Tit. 2. 2. Adde 1 Tim. 2. 2. 3. 4. Tit. 2. 7. Σεμνὰ נגידים [*res magnæ*] Prov. 8. 6. In Glossario σεμνὸς, *venerabilis*. ¶ ὅσα δίκαια, *quæcunque justa*] *Quæ longè absunt* ἀπὸ τῆς πλεονεξίας [*ab avaritia*.] מישרים [*recta*] 1 Paralip. 29. 17. ¶ ὅσα ἁγνὰ, *quæcunque pura*] *Quæ remotissima sunt ab omni specie impudicitiæ*. Vide 2 Cor. 11. 2. Tit. 2. 5. ἁγνὸς Hebræis זך vel טהור [*purus*.] In Glossario, ἁγνὸς *castus*. ¶ ὅσα προσφιλῆ, *quæcunque amabilia*] *Quæ benigna sunt & gratiosum faciunt hominem*. Sirach. 4. 7. 20. 12. In Glossario, προσφιλὴς, *gratus*, *amans*, *amabilis*. Hebræis נעים, θελητὰ [*benevola*.] ¶ ὅσα εὔφημα, *quæcunque bonæ famæ*] *Quæ bonam famam pariunt*. In multis enim rebus sufficit gentium consensus, ut 1 Cor. 5. 1. contra quem disputare, ut Græci & Stoïci faciebant, impudentium est. Hebræi dicerent כל אשר יאות [*quæcunque convenientia*.] Symmachus etiam רצון transfert εὐφημίαν [*bonam famam*] Psal. 126. 2. ¶ εἴ τις ἀρετὴ, *si qua virtus*] *Si qua res est quæ in censu virtutum apud cordatos venit*. Ἀρετὴ [*Virtus*] apud Veteris Instrumenti Inter-

Interpretes interdum significat δύναμιν [*potentiam,*] ut & 1 Petr 2. 9. Sed hic in sensu Græcis usitatiore ponitur; דבר תהלה [*res laudabilis.*] ¶ καὶ εἴ τις ἔπαινος, *& si qua laus*] Μετωνυμία [*Transnominatio.*] vult enim dicere, *si quæ res laudabilis habetur*, דבר נהדר [*res honorabilis.*] ¶ ταῦτα λογίζεσθε. *hæc cogitate*] *Hoc animo recolite*, דרשו [*inquirite*] nempe ideo, ut & in actionem producatis. Vide Rom. 2. 3.

9. Ἃ καὶ ἐμάθετε, καὶ παρελάβετε, καὶ ἠκούσατε, καὶ εἴδετε ἐν ἐμοί, ταῦτα πράσσετε, *Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite*] Magna conscientiæ fiducia, quod non dicta tantùm, sed & facta sua aliis sequenda proponit, ut & supra 3. 17. 1 Cor. 4. 16. 11. 1. 1 Thess. 1. 6. ἐμάθετε [*didicistis*] hic, ut μαθητεύσατε [*discipulos facite*] Matth. 28. 19. significat primam institutionem, παρελάβετε קבלתם [*accepistis*] exactiorem doctrinam, ἠκούσατε [*audivistis*] refertur ad familiares sermones, doctrinam aptantes rebus enatis; εἴδετε [*vidistis*] verò ad ipsas Pauli actiones. ¶ καὶ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης, *& Deus pacis*] *Pacis amator*, Rom. 15. 33. 16. 20. 1 Cor. 14. 33. 2 Cor. 13. 11. 1 Thess. 5. 23. Hebr. 13. 20. ¶ ἔςαι μεθ' ὑμῶν. *erit vobiscum*] *Vobis opitulabitur.* De hac locutione vide dicta ad Matth. 28. 20. Luc. 1. 28.

10. Ἐχάρην δὲ ἐν Κυρίῳ μεγάλως, *Gavisus autem sum in Domino vehementer*] Illud μεγάλως [*vehementer*] sæpe legitur apud Interpretes Veteris Testamenti, scriptores Tobiæ & Maccabaicorum ἐχάρην μεγάλως רב שמחתי [*multùm lætatus sum.*] Gavisum se ait, non sui, sed Euangelii causâ. ¶ ὅτι ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν· *quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire*] *Pridem fecistis in animo vestro oriri curam pro me.* ἀναθάλλειν [*reflorescere*] hic est transitivum. Sic & Ezech. 17. 24. ponitur pro Hebræo הפרח [*florere.*] Utitur sic & Sirachides 1. 15. 11. 22. ¶ ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε, *sicut & sentiebatis*] Id est, *& post id semper eum affectum in animo retinuistis.* Ἐπὶ *post*, ut Hebr. 9. 17. Sic cum dativo sæpe usurpant ἐπὶ optimi Græci scriptores. ¶ ἠκαιρεῖσθε δέ. *destituebamini autem opportunitate*] *Non data est vobis antehac occasio ostendendi affectum*, quia nemo erat idoneus & paratus suscipiendo itineri, quem mitteretis.

11. Οὐχ ὅτι καθ' ὑστέρησιν λέγω· *Non quasi propter penuriam dico*] *Non ideo hoc dico, quòd ego opus habuerim vestrâ liberalitate.* ὑστέρημα vel ὑστέρησις מחסור vel מחסה [*indigentia.*] Vide supra 2. 30. ¶ ἐγὼ γὰρ ἔμαθον ἐν οἷς εἰμι, αὐτάρκης εἶναι. *ego enim didici in quibus sum sufficiens esse*] *Didici contentus esse rebus quamvis arctis.* ἐν οἷς εἰμι [*in quibus sum,*] *in iis quæ reperio:* αὐτάρκης & res dicitur *quæ sufficit*, & homo *qui eo quod habet contentus est.* Hinc virtus αὐτάρκεια [*sufficientia*] 2 Cor. 9. 8. 1 Tim. 6. 6. *Minimo contentus, parvo contentus*, sæpe est apud Ciceronem.

12. Οἶδα καὶ ταπεινοῦσθαι, *Scio & humiliari*] *In rebus exiguis patienter me gerere.* ¶ οἶδα καὶ περισσεύειν *scio & abundare*] *Rebus abundantibus cum modo uti.* Est enim in utroque verbo μετωνυμία [*Transnominatio.*] ¶ ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι, *ubique & in omnibus*] *In quovis tempore & re quavis.* ¶ μεμύημαι. *institutus sum*] *Initiatus sum*, id est, institutus. non formidavit Apostolus vocem Græcæ superstitionis ad meliores usus transferre. Nam & μυςήριε [*mysterii*] vox hinc venit. In Glossario μυῶ, *initio, imbuo.* Et hic Ambrosius posuit *imbutus sum.* Diodorus Siculus, μυεῖν τὰς ἀνθρώπας· τοῦτο δὲ ἐςὶ διδάσκειν τὰ καλά [*initiare homines, hoc verò est honesta illos docere.*] Unde & dictas vult μέσας [*Musas*] quasi μυέσας [*initiantes.*] Nota hæc vox Macedonibus, qui à Thracibus mysteria acceperant. Vide Plutarchum in Alexandro. ¶ καὶ χορτάζεσθαι, *& satiari*] *Ex magna rerum copia sumere quantum satis est.* Vide Matth. 14. 20. 15. 37. Marc. 6. 42. 8. 42. Luc. 9. 17. Joh. 6. 26. Jac. 2. 16. ¶ καὶ πεινᾷν, *& esurire*] *Non tenuiter tantùm pasci, sed & famem pati æquo animo.* Vide 1 Cor. 4. 11. ¶ καὶ περισσεύειν, *& abundare*] Repetit quod dixerat. ¶ καὶ ὑςερεῖσθαι *& penuriam pati*] Eadem significatio, quæ modò in verbo ταπεινοῦσθαι [*humiliari.*] Habes hoc verbum Luc. 15. 24. 22. 35. Joh. 2. 3. 2 Corinth. 11. 9. חסר [*indigere.*] Deut. 15. 8.

13. Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριςῷ. *Omnia possum in eo qui me confortat Christo*] Habebat vires magnas Paulus: sed à Christo eas acceperat. *Magna erant Pauli merita*, ut ait Augustinus, *sed ut ea in ipso essent fecerat gratia Dei*, 2 Corinth. 3. 5. In Manuscripto deest vox Χριςῷ [*Christo,*] ita ut τῷ ἐνδυναμοῦντί με [*confortanti me*] sit ἀντονομασία [*participii pro nomine positio.*]

14. Πλὴν καλῶς ἐποιήσατε, *Veruntamen bene fecistis*] Non hæc, ait, eò dico ut vobis gratias agam. καλῶς ἐποιήσατε [*bene fecistis,*] formula gratias agentis. De hac locutione diximus Act. 10. 33. ¶ συγκοινωνήσαντές μου τῇ θλίψει. *communicantes tribulatione meæ*] Id est, *quod ostendistis tangi vos sensu calamitatum mearum.* Alibi hæc locutio ipsam rerum adversarum societatem significat, ut Apoc 1. 9. συγκοινωνὸς ἐν τῇ θλίψει [*particeps in afflictione.*] Vide & 2 Cor. 1. 7.

15. Οἴδατε δὲ καὶ ὑμεῖς Φιλιππήσιοι, *Scitis autem & vos Philippenses*] Ut magis eos laudet, dicit eos fecisse hoc more, non imperio. ¶ ὅτι ἐν ἀρχῇ τοῦ Εὐαγγελίε, *quod in principio Euangelii*] *Cùm primum Euangelium sevi in Macedonia*, cujus rei historia est Actor. 16. & 17. ¶ ὅτε ἐξῆλθον ἐκ τῆς Μακεδονίας, *quando profectus sum ex Macedonia*] Cùm irem Atticam versùs, Actor. 17. 14, 15. ¶ ὐδεμία μοι ἐκκλησία ἐκοινώνησεν εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως, εἰ μὴ ὑμεῖς μόνοι. *nulla mihi Ecclesia communicaverit in ratione dati & accepti, nisi vos soli*] *Cum nulla Ecclesia rationes habui expensi aut accepti nisi vobiscum.* Non solent quidem beneficia in calendarium referri, sed tamen sæpe ita loquimur, quasi ea in tabulas referrentur. Ego sum in vestris expensi tabulis, vos in meis accepti.

16. Ὅτι καὶ ἐν Θεσσαλονίκῃ καὶ ἅπαξ καὶ δὶς τὴν χρείαν μοι ἐπέμψατε. *Quia & Thessalonicam semel & bis in usum meum misistis*] Ἐν Θεσσαλονίκῃ [*in Thessalonica*] pro εἰς Θεσσαλονίκην [*in Thessalonicam.*] nam ea fuit, exceptâ Bereâ, extrema urbium Macedoniæ, quam vidit Paulus. Cùm dicit εἰς χρείαν μοι [*in usum meum*] intelligit ad usus pauperum qui in aliis erant urbibus. ἅπαξ καὶ δὶς [*semel & bis,*] id est, sæpius, 1 Sam. 26. 8. 2 Reg 6. 10. Nehem. 13. 20. 1 Maccab. 3. 30.

17. Οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα, ἀλλ' ἐπιζητῶ τὸν καρπὸν τὸν πλεονάζοντα εἰς τὸν λόγον ὑμῶν. *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in rationem vestram*] *Non tam istis datis gaudeo, quam quod ex ista liberalitate ingens ad vos fructus redibit*, Deo scilicet eam repensante. Rursum dixit εἰς τὸν λόγον [*in rationem*] continuans tralationem à mercatoribus sumptam. *Multas hoc nomine usuras referens in tabulas accepti.*

18. Ἀπέχω δὲ πάντα, *Habeo autem omnia*] *Rectè omnia accepi.* Vide Matth. 6. 2. Hæc est ἀποχὴ [*acceptilatio,*] quæ Epaphroditi fidem liberat. ¶ καὶ περισσεύω, *& abundo*] *Plus habeo quàm desiderem*, עדף [*superfluum habeo.*] ¶ πεπλήρωμαι, *repletus sum*] Nempe χαρᾶς [*gaudio,*] ut 2 Tim. 1. 4. aut παρακλήσει [*consolatione,*] ut 2 Cor. 7. 4. ¶ δεξάμενος παρ' Ἐπαφροδίτε τὰ παρ' ὑμῶν, *acceptis ab Epaphrodito quæ misistis*] Supra 2. 25. illud παρ' Ἐπαφροδίτε [*ab Epaphrodito*] in Manuscripto hîc non ponitur. ¶ ὀσμὴν εὐωδίας, *odorem suavitatis*] Unde hoc loquendi genus veniat, diximus ad Ephes. 5. 2. Ibi ad sacrificium Christi perfectissimum ea locutio mysticè aptatur: hic ad opera misericordiæ, quæ & ipsa sacrificia sunt, ut jam dicetur. ¶ θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεςον τῷ Θεῷ. *hostiam acceptam, placentem Deo*] Unde sit locutio hæc θυσία εὐάρεςος [*hostia placens*] diximus ad Rom. 12. 1. Ibi mysticè aptatur locutio corporibus piorum; hic verò eorum operibus. Additur hîc δεκτὴν [*acceptam,*] id est, תמים, *sine vitio*; nam quæ victimæ vitium habebant, non erant δεκταὶ [*acceptæ*] Levit. 22. 20.

19. Ὁ δὲ Θεός με, *Deus autem meus*] Deus qui acceptum habet, quod in me impendistis. ¶ πληρώσει πᾶσαν χρείαν ὑμῶν, *implebit omne id, quo vobis est opus*] *Præstabit omne id quo vobis est opus.* Sic Job. 20. 22. במלאות שפקו [*in implementis sufficientiæ suæ.*] Si Deus magna promisit alentibus Levitas, quantò magis alentibus Apostolos? ¶ κατὰ τὸν πλοῦτον αὐτοῦ ἐν δόξῃ, *secundum divitias suas in gloria*] Id est, *pro summa sua potestate.* Nam πλοῦτος [*divitiæ,*] ut sæpe diximus, Paulo *abundantiam* cujusvis rei significat. Et δόξα [*gloria*] ponitur μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] pro *potestate* עז. Vide Ephes. 3. 16. In Manuscripto hic, ut alibi semper, est κατὰ τὸ πλοῦτος [*secundum divitias*] neutraliter ¶ ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ. *in Christo Jesu*] *Per Jesum Christum*, ut donorum omnium spiritualium, ita & vitæ æternæ datorem & dispensatorem.

20. Τῷ δὲ Θεῷ καὶ πατρὶ ἡμῶν, *Deo autem & Patri nostro*] *Deo qui idem Pater est noster.* Sic & Ephes. 5. 20. ¶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων *gloria in sæcula sæculorum*] Id est, laus. Rom. 11. 36. 16. 27. Gal. 1. 5. Ephes. 3. 21.

21. Ἀσπάσασθε πάντα ἅγιον ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ. *Salutate omnem sanctum in Christo Jesu*] Id est, *omnes eos qui per Christum sanctitatem sunt adepti.* Ita accepit Syrus. ¶ ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ σὺν ἐμοὶ ἀδελφοί. *salutant vos qui mecum sunt fratres*] Putà Timotheus; Linus, Clemens Romanus.

22. Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, *Salutant vos omnes sancti*] Christiani qui Romæ. ¶ μάλιςα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας. *maximè autem qui de Cæsaris domo sunt*] Liberti quidam, ut credibile est. Vide supra 1. 13.

23. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen*] Rom. 16. 20, 24. 1 Cor. 16. 22. Gal. 6. 18. In Manuscripto μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν [*cum spiritu vestro*] quomodo legit & Latinus.

ANNOTATA
In Epiſtolam D. PAULI ad
COLOSSENSES.

CAP. I.

VALLA.

15, 16. P*Rimogenitus omnis creaturæ. Quia in ipſo condita ſunt univerſa*] Vel hinc datur intelligi, nihil differre *creare* & *condere*, cùm eadem ſit Græcè dictio in illo *creaturæ*, κτίσεως, & in hoc *condita ſunt*, ἐκτίσθη. ¶ *Omnia in ipſo & per ipſum creata ſunt*] Εἰς αὐτόν. Quod nunc per ablativum transfert, paulò pòſt v. 20. ut eſt Gr. per accuſativum tranſtulit Interpres, inquiens, *& per ipſum reconciliari omnia in ipſum*, εἰς αὐτόν. An aliquid nunc differat accuſativus & abiativus, aliis relinquo; nè ſi dicam differre, ſim longior quàm poſtulat meum inſtitutum.

20. *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris*] Deeſt *per ipſum*, δι᾽ αὐτοῦ· ut ſit, *per ſanguinem crucis ejus, per ipſum, ſive*, &c.

21. *Inimici ſenſu in operibus malis*] *Senſu* nunc transfert quod alibi transfert *mente*, alibi *cogitatione*, διανοίᾳ, Matth. 22. 37. Eph. 2. 3.

27, 28. *Quibus voluit Deus notas facere divitias ſacramenti hujus in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in nobis ſpes gloriæ: Quem annunciamus, corripientes omnem hominem*] Græcè non eſt *quod* ſed *qui eſt*, ὅς ἐςι, quod transferendum eſt *quæ ſunt*: nam refertur ad *divitias*, quæ ſunt generis maſc. & numeri ſing. Græcè, & nunc etiam caſùs nom. nam dicitur, *Quibus voluit Deus notum facere quæ divitiæ gloriæ myſterii hujus*, γνωρίσαι τίς ὁ πλοῦτος, ſive *qui eſt*; ut relativum non reſpondeat antecedenti, ſed appoſito; ut etiam ſuperiùs factum eſt, & putatur modus elegantior. *Neque Græcè eſt *corripientes* ſed *monentes* ſive *commonefacientes*, νουθετοῦντες.

29. *In quo & laboro certando*] Legendum eſt, *In quod*, εἰς ὅ.

REVIUS in VALLAM.

20. ΔΙ᾽ αὐτοῦ] Tranſpoſitum erat.

28. *Quæ ſunt: nam refertur ad divitias*] Hallucinatus eſt Eraſmus cùm dixit Vallam vertendum exiſtimare *quæ eſt Chriſtus*: id quod à Solœciſmo abſolvi non poſſet. Nunc Vallæ verſio rectè habet: quanquam quod Beza ponit, *qui eſt Chriſtus*, præferendum ſit, vel quòd verbum verbo exprimat, vel quòd liberum relinquat ſive quis ad *divitias* ſive ad *myſterium* referre velit. Poſterius videtur Bezæ placuiſſe, ut in ſenſu cum Vulgata conveniat.

ERASMUS.

2. I*Is qui ſunt Coloſſis*] In primis non poſſum non mirari quid in mentem venerit iis qui Coloſſenſes, ad quos ſcribit hanc Epiſtolam Paulus, ajunt eſſe Rhodienſes, ob nobilem illum Coloſſum qui memoratur inter ſeptem mundi miracula. Nam de ſtatua quidem nullus non meminit ſcriptorum: At de civitate hujus nominis nè ii quidem ullum fecere verbum qui totius inſulæ ſitum diligentiſſimè literis prodiderunt. Quin potiùs Coloſſæ civitas eſt Phrygiæ, quæ eſt in Aſia Minore, haud ità procul ab Hierapoli & Laodicea: quarum & in hac Epiſtola meminit Paulus; Laodiceæ, cum ait, *Volo autem vos ſcire cujuſmodi certamen habeam pro vobis, & pro his qui ſunt Laodiceæ*. Ac rurſum in calce, *Facite ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur; & eam quæ è Laodicea miſſa fuit, ut vos quoque legatis*. Ac paulò ſuperius, *Quoniam habet zelum multum pro vobis, & his qui ſunt Laodiceæ, & his qui ſunt Hierapoli*. Conſtat autem Hierapolim & Laodiceam in Phrygia eſſe, aut certè in confinio, autore Ptolemæo. Porrò Herodotus lib 7. Coloſſas appellat *magnam Phrygiæ civitatem, quæ fluvium habet Lycum, qui ſe præcipitans in terræ hiatum occultatur, pòſt erumpens ad ſtadia quinque*. Ad hæc Plinius lib. 5. c. 32. *Coloſſas* nominatim recenſuit in deſcriptione Phrygiæ, quæ *Septentrionali ſui parte Galatiæ ſit contermina, Meridianâ Lycaoniæ, Piſidiæ, Migdoniæque, ab Oriente Cappadociam attingens. Oppida celeberrima* ſunt, *Ancyra, Andria, Celænæ, Coloſſæ, Carinæ, Cotiaion, Ceranæ, Iconium, Midaium*. Idem lib. 31. c. 2. prodidit *Coloſſis flumen eſſe in quod lateres conjecti lapides extrahantur*. Ad hæc Strabo Geographiæ ſuæ lib. 10. inter loca Laodiceæ finitima *Coloſſarum* quoque mentionem facit. Jam verò Theophylactus quoque Græcus Interpres de Coloſſenſibus tradidit in hunc modum, Πόλις Φρυγίας αἱ Κολοσσαὶ, αἱ νῦν λεγόμεναι Χῶναι, καὶ δῆλον ἐκ τοῦ τὴν Λαοδίκειαν εἶναι πλησίον, i. e. *Civitas Phrygiæ Coloſſæ, quæ nunc vocatur Chonæ. Atque id liquet ex eo quòd vicina ſit Laodicea*. Hæc abunde ſufficiunt, opinor, ad refellendos eos qui Coloſſenſes in Rhodum transferunt. Nec ab hac noſtra ſententia diſſentit Faber Stapulenſis. Jam quod apud Suidam legimus Rhodienſes & *Lindios* dictos & *Coloſſenſes* ob inſignem Coloſſum quem Soli erexerunt, ut verum ſit, non efficit ut hæc Epiſtola ſcripta ſit Rhodiis. Cæterum quod in Græcis cod. Κολασσαῖς legimus per Alpha ſcriptum in ſecunda ſyllaba, haud ſcio an librariorum acciderit incuriâ, præſertim cum Theophylactus urbis ſitum exponens *Coloſſas* ſcribat, non *Colaſſas*. Sic autem dicimus *Coloſſæ, Coloſſarum*, quemadmodum *Athenæ, Athenarum*. ¶ *A Deo Patre noſtro*] Admonet Theophylactus, Chryſoſtomum, ut ſolet, ſecutus, hic non addi mentionem *Chriſti*, quod tamen fieri ſolet in cæteris ferme Epiſtolis. Et tamen hoc additum videmus in Græcorum codicibus, non dubium quin errore librariorum, ex ſua memoria quæ videtur addentium. Certè Theophylactus non addit. In codice Veronæ edito additur in contextu, reclamante Commentario. Latini codices variant.

6. *Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat*] Καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, καὶ ἔςι καρποφερόμενον, *quemadmodum & in toto mundo eſt etiam fructificans*: licèt in nonnullis exempl. non addebatur poſterius καὶ ante ἔςι· quæ tamen conjunctio mihi non videtur otioſa. Prior enim pertinet ad adverbium, quemadmodum poſterior ad id quod ſubauditur, *pervenit ad vos, quemadmodum & in toto mundo eſt, & ità eſt ut non ſolùm prædicatum ſit verùm etiam fructificet*. ¶ *Et creſcit*] Hæc apud Græcos non legi. Faber indicat αὐξανόμενον addi in quibuſdam exempl. Atque ità ſanè legit Ambroſius, Theophylactus & Chryſoſtomus. Ac paulò pòſt inferius rurſus hæc duo participia junguntur, *in omni opere bono fructificantes & creſcentes*. ¶ *Sicut in vobis*] *Sicut & in vobis*, additâ copulâ, καθὼς καὶ ἐν ὑμῖν· atque ità legit Ambroſius.

7. *Conſervo noſtro*] Gr. *veſtro*, ὑμῶν. Quanquam hic libri variant, & magis quadrat *noſtro*, primâ perſonâ, ut intelligamus *adjutorem Pauli & illorum miniſtrum*.

9. *Orantes & poſtulantes*] Et hæc participia debebat vertere in verba infinitiva, *orare & poſtulare*, προσευχόμενοι καὶ αἰτούμενοι. ¶ *Ut impleamini agnitione*] Ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν. Aut ſubaudienda eſt præpoſito κατὰ, more Græcorum, quaſi per Synecdochen, aut πληρωθῆτε ſumendum eſt activè, i. e. *ut impleatis*. Tametſi priorem ſenſum magis probo: & eum ſequitur Theophylactus cum Chryſoſtomo.

10. *Digne Deo*] *Domino* eſt Græcis, ἀξίως τοῦ Κυρίου. ¶ *Omnia placentes*] Εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν· q. d. *in omnem placentiam*. Ambroſius legit *ad omne placitum*.

11. In

11. *In omni virtute confortati*] Græcus ſermo jucundior eſt, δυνάμει δυναμούμενοι, *in omni potentia facti potentes*, ſive *valentiâ valeſcentes*. Eſt enim participium præſentis temporis. ¶ *Claritatis*] Δόξης, *gloriæ*.

12. *Deo & Patri*] Græcè tantùm eſt *Patri*, quemadmodum legit Ambroſius. In ed. Veronenſi erat Θεῷ. Theophylacti Interpres ſemper inculcat vulgatam Latinis lectionem. ¶ *Qui dignos*] Τῷ ἱκανώσαντι, *qui nos fecit idoneos*.

13. *Filii dilectionis ſuæ*] Jam non ſemel admonuimus hanc ſermonis formam peculiarem eſſe Hebræis: *Vas electionis* pro *vaſe electo*, & *Filius perditionis* pro *filio perdito*. Itidem hic *Filii dilectionis* pro *Filio dilecto*, τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ.

14. *Redemptionem & remiſſionem*] Græci cod. ſic habent, τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, *redemptionem per ſanguinem ipſius*, *remiſſionem peccatorum*. Ambroſius videtur itidem legiſſe, niſi quòd non habet hic *per ſanguinem ipſius*. Cæterùm quòd *redemptionem* & *remiſſionem*, nullo conjunctionis interventu, ſed appoſitivè conjunxerit, indicat quòd ediſſerens ſubjicit, *Remiſſio enim peccatorum liberos facit*. Exponens enim Paulus quid dixerit *redemptionem*, ſubdidit *remiſſionem peccatorum*.

15. *Imago Dei inviſibilis*] *Inviſibilis* non refertur ad *imaginem* ſed ad *Deum*, ἀοράτου, h. e. *Dei*. Quemadmodum enim *ſolus* Pater dicitur *immortalis* & *ſapiens*, ità *ſolus* dicitur *inviſibilis*, non quòd Filius juxta Divinam naturam viſibilis ſit, ſed quòd à Patre habet naturam inviſibilem. Pater igitur ut fons manet *inviſibilis*: Cæterùm per *imaginem* Filium aliquo modo promit ſeſe, dum per illum condidit hunc mundum, dum per eum hominem factum nobis innoteſcit. ¶ *Primogenitus omnis creaturæ*] Cùm hîc dixerit *creaturæ*, cur mox mutavit, *condita ſunt*, cùm Græcis ejuſdem originis ſint voces κτίσις & ἐκτίσθη; Vel hinc colligi poteſt, nihil intereſſe inter *creare* & *condere*. Senſus autem hic eſſe poteſt, *qui genitus fuit ante omnem creaturam*: nè quis cum Ario Dei Filium faciat creaturam. In hanc ſententiam ediſſerit Ambroſius. Quòd ſi mutato accentu legas πρωτοτόκος πάσης κτίσεως, ſenſus erit, *illum primùm produxiſſe omnia, & omnem creaturam ab illo natam eſſe*. Nec malè congruit ad hanc ſententiam quod ſequitur, quòd *in illo creata ſint omnia*, &c. Utrumcunque ſenſum ſequi malis, non video quid ad rem pertineat ut Ideas Platonicas huc in medium protrahamùs: id quod facit Aquinas. Quandoquidem juxta ſermonis Hebræi proprietatem Paulus *in ipſo* dixit pro eo quod eſt *per ipſum*, ut crebrò jam obvium indicavimus. Declarat id, quod mox repetens hanc ſententiam, quod hic dixerat ἐν αὐτῷ *in ipſo*, mutat in δι᾽ αὐτοῦ *per ipſum*. Aſtipulatur noſtræ ſententiæ cum Chryſoſtomo Theophylactus, hunc enarrans locum. Proinde quod ſequitur εἰς αὐτὸν non erat vertendum *in ipſo*, nè bis idem dicere videatur, ſed *in ipſum*; ut accipias hæc non fuiſſe condita per Chriſtum veluti per miniſtrum ſed tanquam per conſortem imperii. Idcirco addidit *& in ipſum*, ex quo pendeant omnia gubernanda. Ad eum modum ſonant Græca quæ ſcripſit Paulus, & ad eundem interpretatur præter cæteros Theophylactus. Jam per ſe liquet, opinor, quod Thomas Aquinas *in ipſo* exponit, tanquam per cauſam *exemplarem*, non admodum ad rem pertinere: quod tamen Interpreti par ſit imputare, qui ſecùs verterit quàm ſcripſerit Apoſtolus.

16. *In cælis & in terra*] Τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, *quæ in cælis ſunt & quæ in terra*.

17. *Et ipſe eſt ante omnes*] Magis quadrabat *ante omnia*, πρὸ πάντων· nam de univerſis locutus eſt, & ſequitur continuò καὶ τὰ πάντα *& omnia*. Tertullianus tamen libr. Adv. Marc. 5. legit *ante omnes*, colligens non poſſe dici *ante omnes* niſi qui ſit *ante omnia*. Itidem legit Hilarius lib. De Trinitate 9. ¶ *Et omnia in ipſo conſtant*] Καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, *omnia in illo conſiſtunt*; ſive *conſtiterunt*: tametſi Græci verbi tempus rectè mutavit Interpres. Cæterùm *conſtare* dicit conſervari.

18. *Qui eſt principium primogenitus*] Ὅς ἐστιν ἀρχὴ πρωτότοκος. Quoniam neutri dictioni apponitur articulus, poteſt & hic ſenſus accipi, *Qui Chriſtus eſt principium primogenitum ex mortuis*, q. d. *primum principium*, quod ille ſit fons omnis reſurrectionis: ut *primogenitus* ſit epitheton *principii*. Nam huc accommodant Chryſoſtomus, Theophylactus & Ambroſius, quod Chriſtus hîc dicatur *principium* quod dux ſit & autor reſurrectionis. ¶ *Primatum tenens*] Πρωτεύων *primas tenens*: quanquam Græcis unica dictio eſt.

19. *In ipſo complacuit*] Εὐδόκησε. Id ſi referatur ad *Patrem*, cujus voluntas ac decretum fuerit, commodior erit interpretatio quàm ſi ad *Filium*: atque ità ſentit Theophylactus. Cum enim diſputaſſet, *in Filio naturâ eſſe plenitudinem Deitatis*, adjecit, *hujus rei nullam adferri cauſam niſi quod ità viſum ſit Deo*. Proinde nos *Patri* addidimus de noſtro. ¶ *Omnem plenitudinem Divinitatis*] *Divinitatis* apud Græcos hoc loco non lego. Tantum eſt τὸ πλήρωμα. Nec additur apud Ambroſium in contextu, licèt enarrans addat explicandæ rei gratiâ. Nec addidit Hilarius, citans hunc locum lib. De Trinit. 8. non uno in loco. Simili modo res habet apud Chryſoſtomum ac Theophylactum. Quod ſi quis excutiat interpretationem D. Thomæ, deprehendet nè ipſum quidem addidiſſe *Divinitatis*. Suffragabatur uterque codex Conſtantienſis. Et haud ſcio an apud ullum omnino ſit Interpretem. Proinde demiror unde vox ea in quædam exemplaria Latinorum irrepſerit, niſi huc ex proximo capite hujus Epiſtolæ aſſcripta eſt a ſtudioſo quopiam.

20. *Per eum reconciliari omnia in ipſum*] Cur non & anteà vertit *in ipſum*, cum Græcis eadem ſint verba, εἰς αὐτόν? quanquam rectius erat *reconciliare*, verbum activum, ἀποκαταλλάξαι. Et *erga ſe* melius quàm *in ſeipſum*. ¶ *Pacificans*] Εἰρηνοποιήσας, i. e. *pacificatis & iis quæ in terra ſunt & quæ in cælis*. Alioqui ſermo non carebit Solœciſmo. Non enim quemadmodum Græcus dicit, εὐδόκησεν εἰρηνοποιήσας, ità & Latinus, *placuit illi pacem faciens*. ¶ *Per ſanguinem crucis ejus*] Græca ſecus habent, διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ δι᾽ αὐτοῦ, *per ſanguinem crucis ejus*, *per ipſum*, ſive *per eundem*: ut *placuerit* referatur ad *Patrem*, & hæc pronomina pertineant ad *Chriſtum*.

21. *Inimici ſenſu*] Ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ, *inimici mente*, ſive *cogitatione*. Porrò ſermo Græcis anceps eſt: nam dativus διανοίᾳ poteſt accipi vel inſtrumentaliter, h. e. *per ſenſum*, ſive *mentem*; aut relativè, *inimici*, ſed cui? nempe *Menti*. Etenim qui carni ſervit repugnat rationi. Ambroſius & Hieronymus διανοίᾳ referunt non ad Hominem peccantem, ſed ad Deum, ut accipias *Dei mentem*, non *hominis*. Nam prior ſic legit, *Et vos quondam alienatos & inimicos conſiliorum ejus in operibus iniquis*, &c. Poſterior ad hunc modum, in Epiſtola ad Joannem Epiſc. Hieroſol *Cum eſſetis alienati, & inimici ſenſus ejus*: quanquam ego ſanè *hoſtes* malim quàm *inimici*. Theophylactus *mente* ad Coloſſenſes refert, nè ſe putarent excuſandos ſi fato aut naturâ fuiſſent hoſtes Dei: idcirco addidit *mente*, ut intelligerent ſe ſuapte voluntate fuiſſe hoſtes. Eundem ſenſum adducit Chryſoſtomus licet non liqueat quo referat διανοίᾳ.

22. *Carnis ejus*] Imò *ſuæ*. ¶ *Et immaculatos*] Ἀμώμους *irreprehenſibiles*: quod Tertullianus alicubi non ineleganter vertit *invituperabiles*. Nam hinc *Momus* Deus, quòd carperet aliena facta. ¶ *Et irreprehenſibiles*] Ἀνεγκλήτους *incriminabiles*, ſive *inculpatos*.

23. *Quod prædicatum eſt in univerſa creatura*] Ἐν πάσῃ τῇ κτίσει. Torquetur hic nonnihil Aquinas, putans *prædicatum eſt* poſitum pro *prædicabitur*. Imo Hyperbole eſt quâ ſignificat jam undiquaque vulgatum Euangelium Chriſti; nè quid cogitarent Coloſſenſes de mutanda fide, quæ jam ab omnibus eſſet recepta. Magnificentius autem & ardentius eſt *in omni creatura* quàm *inter omnes homines*. Quòd ſi quis non recipiat Hyperbolen in literis Divinis, is, ſi volet, cum Hieronymo, cum Origene, cum Chryſoſtomo, cum Auguſt. litiget, qui frequenter annotant hoc ſchema. Ineptè horrent mendacium, quod Hyperbole ſuperet fidem veri. At mendacium non eſt ubi nec fallitur quiſquam nec adeſt fallendi voluntas. Augmentum quærit Hyperbole; nec aliud intelligit auditor.

24. *Qui nunc gaudeo*] *Qui* apud Græcos non lego, ſed tantùm *nunc gaudeo*, νῦν χαίρω. Et apud Græcos eſt ἐν τοῖς παθήμασί μου *in afflictionibus meis*. Cui continenter adhæret *pro vobis* ὑπὲρ ὑμῶν· quanquam in his quoque verbis eſt nonnihil ambigui ſenſûs, *Gaudeo pro vobis*, i. e. gratulor veſtro profectui, & gaudeo quòd affligor veſtrâ cauſâ. ¶ *Et adimpleo ea quæ deſunt paſſionum*] Καὶ ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων. Commodiùs vertere poterat, *& ſuppleo quod deeſt afflictionibus Chriſti*. Ambroſius ità, *& ſuppleo reliquias preſſurarum*. Porrò verbum ἀνταναπληρῶ compoſitum ex tribus, ex ἀντὶ, quod ſignificat Vicem, cùm quis alterius loco facit aliquid, & ἀνὰ, quod apud Latinos aliquoties valet *re*, & πληρῶ, quaſi *redimpleo vice Chriſti quod in illius afflictionibus eſt diminutum*. Ambroſius videtur voluiſſe ſenſum explicare Pauli cùm ait *reliquias*: ut accipiamus paſſionem Chriſti non fuiſſe diminutam ad ſalutem hominum, ſed unam eſſe paſſionem Chriſti & Martyrum, h. e. Capitis & membrorum. Nec diſſentit ab hac ſententia Theophylactus, interpretans Chriſtum in Apoſtolis adhuc pati pro corpore ſuo, non quòd deſit aliquid, ſed quòd *tam immenſa ſit illius in nos charitas*. Similia Chryſoſtomus, annotans quòd Apoſtolus modeſtiæ gratiâ ſuas afflictiones quas pro Eccleſia perpetiatur *Chriſti afflictiones* appellat. Scholiaſtes ille Latinus addit & aliud commentum, *Adeò non piget me afflictionum ut gaudeam etiam, libenter perpeſſurus uſque ad finem exemplo Chriſti, qui ad mortem uſque perſtitit in Euangelio*.

25. *Cujus factus sum ego minister*] CUJUS *Ecclesiam* refert, non *corpus*. Ambrosius referre videtur ad *Euangelium*; nec video unde repetitum. Quanquam id sanè minutulum est; verùm ad hæc minutissima nonnunquam impingunt magni Theologi si Græcè nesciant. Bis autem dictum est *cujus sum ego minister:* In priore loco *cujus* sine controversia refert *Euangelium*, posteriore refert *Ecclesiam*; nec aliud potest, cùm Græcè sit ἧς fœm. generis: proinde nos vertimus, *Cujus Ecclesiæ*.

26. *Mysterium*] Cùm hic Paulus *verbum Dei* vocarit *mysterium*, quod sæpe vertit *sacramentum*, cur non addunt hinc octavum Sacramentum, qui cùm in Scripturis *sacramenti* fit mentio, volunt de septem illis accipi? Quanquam *mysterium* hoc loco *secretum & arcanum* sonat: id declarant quæ sequuntur, *nunc autem manifestatum est*.

27. *Notas facere divitias*] Gr. γνωρίσαι τίς ὁ πλοῦτος, *notum facere quæ sint divitiæ:* & ità legit Ambrosius: ¶ *Sacramenti*] Μυστηρίου, *mysterii*, i. e. arcani. ¶ *Quod est Christus*] Ὅς ἐστι Χριστός, *qui est Christus*. Tametsi Laurentius vertendum existimat *quæ est Christus*, ut *quæ* referatur ad *divitias πλοῦτον*, quæ vox Græca est masc. generis & numeri sing. Atque ità quidem exponunt Græca Scholia. Secùs Ambrosius. Theophylactus variat. ¶ *In vobis*] Εἰς ὑμᾶς *in vos*. Et ità legit Ambrosius, ut est in Græcis cod. emendatioribus, quanquam in nonnullis Græcis cod. scriptum habebatur ἐν ὑμῖν.

28. *Corripientes*] Νουθετοῦντες *monentes:* & ità Ambrosius. Nam Græca vox anceps est, quam aliquoties vertunt *increpare*. ¶ *Et docentes*] Hîc Græci repetunt πάντα ἄνθρωπον· atque ità scriptum erat in codice Donatiani. Suffragabatur uterque Constantiensis.

29. *In quo*, &c.] Εἰς ὃ, *in quod*, *in quam rem:* ut non referas ad *Christum* sed ad *illorum perfectionem*. Nec est simpliciter *laboro certando*, sed κοπιῶ ἀγωνιζόμενος, quod ad *periculum* pertinet. Siquidem AGON interim *certamen* est, interim *periculum*. ¶ *Quam operatur*] Τὴν ἐνεργουμένην, *quæ operatur*. Et ità Ambrosius. ¶ Et *operationem* est ἐνέργειαν, ut intelligas *vim agentem in Paulo*. ¶ Et *virtute* est δυνάμει, quæ pugnat cum *imbecillitate*.

VATABLUS.

2. G*Ratia*] Sub. *dicunt*, vel, *multiplicetur*. ¶ *Nostro**] * *Et Domino Jesu Christo*, Vet.

3. *Pro vobis orantes*] *De vobis cùm oramus.*

5. *Propter spem*] Sub. *bonorum quæ vobis reddentur in cœlis.* ¶ *Quam audistis in verbo veritatis*] *De qua priùs audieratis per sermonem veracem.*

6. *Sicut**] * *Et.* ¶ *In veritate*] *Per veritatem.* Heb. verè, vel, quàm verissimè.

7. *Nostro*] Vel, *vestro:* sic quædam exempl. Græca.

8. *In Spiritu*] i. e. Ad quam non caro incitat sed Spiritus Dei.

9. *Orantes & postulantes*] *Orare & postulare.* ¶ *In*] *Cum.* ¶ *Intellectu*] *Prudentia.*

10. *Deo*] *Domino.* ¶ *Scientia*] *Agnitione.*

11. *In omni virtute confortati secundùm potentiam*, &c.] Heb. magno robore corroborati, vel, potentes facti potentiâ Dei gloriosâ. ¶ *Claritatis*] *Gloria.*

12. *In omni patientia & longanimitate*] *Ad omnem tolerantiam & patientiam.* ¶ *Dignos*] *Idoneos.* ¶ *In partem sortis Sanctorum, in lumine*] Heb. ut portionem hereditatis cum Sanctis habeamus, quæ est in lumine & cognitione Christi: vel, per lumen Euangelicum.

13. *Dilectionis suæ, in quo*] Heb. *sibi dilecti, per quem.*

14. *Redemptionem**] * *Per sanguinem ipsius.*

15. *Invisibilis*] Vel, *inconspicui:* genit. casûs. ¶ *Primogenitus omnis creaturæ*] i. e. Genitus ante omnem creaturam.

16. *In ipso*] *Per ipsum*, Heb. ¶ *Universa**] * *Et.* ¶ *In ipso*] *Propter ipsum.*

17. *Omnes & omnia in ipso constant*] *Omnia: nam omnia per ipsum consistunt.*

18. *Principium*] Sub. *resurrectionis:* quod declarat cùm mox subjicit, *primogenitus*, &c. ¶ *Primatum*] i. e. Summam potestatem.

19. *Complacuit*] Sub. *patri.* ¶ *Divinitatis*] Græca non legunt hanc vocem, neque Vetera: subaudiendum tamen, ut ex principio seq. capitis apparet.

20. *Reconciliari*] *Reconciliare*, Vet. ¶ *In ipso*] *Erga se.* ¶ *Pacificans*] *Pacificatis.* ¶ *Crucis*] Heb. *Passionis.* ¶ *Ejus**] * *Per ipsum:* sub. *solum.*

21. *Sensu*] *Mente:* i. e. cùm alienati essetis à Deo, & hostili animo adversùs eum eratis, quod testificabamini operibus malis.

22. *Carnis ejus*] *Suo carneo.* ¶ *Exhibere*] *Ut exhibeat* [*præsentes.*] ¶ *Immaculatos*] *Inculpatos.* ¶ *Irreprehensibiles*] Tertullianus sæpiùs vertit, *invituperabiles.*

23. *Et immobiles*] *Nec dimoveamini.* ¶ *In universa creatura*] *Universis creaturis.*

24. *Passionibus**] * *Meis.* ¶ *Adimpleo ea quæ desunt*] *Adimplere paratus sum reliquias:* q. d. Multa jam passus sum propter Christum, multa adhuc supersunt ferenda: paratus sum autem reliquas eas passiones propter Christum pati in carne mea pro Ecclesia.

25. *Cui*] Sub. *Ecclesiæ.* ¶ *Secundùm dispensationem*] *Ad distributionem:* i. e. ad divulgationem arcani Divini. ¶ *Data*] *Commissa.* ¶ *In vobis*] *In vos*, Vet. ¶ *Impleam verbum Dei*] i. e. Impletum esse declarem.

26. *Mysterium*] *De mysterio: mysterium* vocat promissionem Dei de vocatione Gentium, & Christo illis revelando. ¶ *Quod absconditum fuit à seculis*] Heb. quod nunquam antehac revelatum fuit.

27. *Notas facere divitias gloriæ sacramenti*] *Notum facere quanta sint divitiæ gloriosi mysterii*, vel, *arcani.* ¶ *In vobis spes gloriæ*] i. e. Per quem gloriam vitæ æternæ exspectare debetis.

28. *Annunciavimus*] *Annunciamus*, Vet. ¶ *Corripientes*] *Admonentes.* ¶ *Docentes**] * *Omnem hominem*, Vet. ¶ *Omni*] i. e. Perfecta, quæ est cùm Christus agnoscitur.

29. *In quo & laboro*] *Ad quod etiam enitor.* ¶ *Operationem*] i. e. Vim: q. d. non humanis viribus confisus, sed vi Spiritûs Christi operantis in me potentissimè: h. e. multis miraculis. ¶ *Quam*] *Qua.* ¶ *In virtute*] *Cum potentia*, Heb. potenter & efficaciter.

CASTALIO.

8. V*Estram in spiritu charitatem*] Christianam & spiritualem.

12. *Sanctorum sortem in luce*] In ejus Filii Regno, ut mox dicetur.

CLARIUS.

11. P*Otentiam gloriæ*] *Potentiam gloriosam* & manifestis argumentis declaratam.

13. *Filii dilectionis suæ*] Jam tritus est Hebraïsmus, pro *Filii dilecti sui.*

15. *Qui est imago Dei invisibilis*] Ut illud *invisibilis* sit secundi casûs, & referatur ad *Deum*, non ad *imaginem*. Cur autem addit *invisibilis*, neque tantùm dixit *qui est imago Dei?* Opinor, ut cùm audis *imaginem esse invisibilis Dei*, intelligas necessariò & ipsum esse invisibilem. Quæ appellatio cùm solius Dei propria sit, ut alibi legis *Regi seculorum, immortali, invisibili*, sequitur etiam ut sit Deus. *Imaginem* autem dixit quasi expressionem quandam archetypæ pulcritudinis. Ad perfectionem enim Imaginis hoc pertinet, ut ex omni parte exemplar referat. Neque enim si cujusquam filium intuearis, illum *imaginem esse patris* propriè dixeris nisi omnibus partibus patrem repræsentet. ¶ *Primogenitus omnis creaturæ*] Duo intelligas simul; & *Primogenitum illum esse*, quod nunc idem est quod *unigenitum*; & quòd *ante omnem creaturam genitus sit*, nempe ab æterno. Et nè quis auderet eum inter creaturas collocare, addit *omnia creata esse in ipso*, h. e. *per ipsum*, ut Joannes ait, *Omnia per ipsum facta sunt.* Quòd si ipse creatura esset, aut non omnia per ipsum creata essent, aut ipse se creasset: quod an fieri possit tu collige.

16. *Omnia per ipsum & in ipsum creata sunt*] Omnium est & autor & conservator. Nec solùm omnia ab ipso profecta sunt, verùm & ab ipso pendent. Vel, omnia in laudem & gloriam & venerationem ipsius.

18. *Ut sit in omnibus*] Non solùm est *primogenitus* ratione naturæ Divinæ, verùm etiam ut homo *primogenitus ex mortuis* est, *ut ipse sit in rebus omnibus primatum tenens*, & cujusque rei *principium.*

20. *Sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt*] Eramus nos & nobiscum ipsis discordes & cum Angelis, qui indignabantur suum Dominum ab hominibus affici contumeliâ: at is *omnia pacavit*, ut ipso nascente Angeli pacem annunciaverint. Et vide ut semper, quacunque de re scribat, Paulus in ingentem rerum celsitudinem ascendat.

24. *Adimpleo ea quæ desunt*] Hoc, inquit, quod patior nolim ut mihi acceptum referatis, sed Christo, qui in nobis, h. e. in

h. e. in membris suis, adhuc patitur. Hoc enim unum ei deesse poterat: nam in sese pati ampliùs nihil potest. Vel, *adimpleo quod Christus me pati voluit, in carne mea, ad utilitatem & gloriam Ecclesiæ, sive corporis illius.*

27. *Divitiæ gloriæ mysterii hujus*] Ingens Gentibus datum beneficium, *notum factum esse* illis, non solùm *mysterium*, neque solùm *gloriam mysterii*, verùm *divitias gloriæ mysterii hujus.* ¶ *Spes gloriæ*] Mihi videtur familiaris Paulo Hebraismus, pro *spes gloriosa.*

ZEGERUS.

6. *Sicut & in universo mundo est, & fructificat & crescit*] In Græcis abest *& crescit*, sed refragantibus Interpretibus. Itaque juxta edit. Complutensem scribendum καὶ ἔςι καρποφορούμενον καὶ αὐξανόμενον.

12. *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*] h. e. *Qui idoneos nos reddidit ut participes essemus sortis sanctorum* & electorum *in lumine* veræ cognitionis, præsenti videlicet & futuro. Sentit enim de futuris bonis pariter ac præsentibus.

13. *Filii dilectionis suæ*] *Filii sibi unicè dilecti*, ex Hebraïci sermonis proprietate.

14. *Redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum*] Quanquam *per sanguinem ipsius* lectum non sit Ambrosio & Chrysostomo, non ausim tamen cum neotericis castigatoribus abjicere, quòd & Augustino lectum sit, & habeatur in Græcis pariter & Latinis antiquis, ut in codice vetustiore Gembl. & aliis. Mecum facit & Cyrillus lib. De recta fide.

15. *Primogenitus omnis creaturæ*] i. e. *Ante omnem creaturam* à Patre ab æterno *genitus*, non autem *creatus*, nè cum Ario Dei Filium puram faciamus creaturam. Si autem legamus πρωτοτόκος cum accentu in penultima, sensus erit, *omnium creaturarum illum esse productorem.*

17. *In ipso constat*] i. e. Consistunt & conservantur.

18. *Primogenitus ex mortuis*] Quandoquidem ipse primitivus & præcipuus est inter eos qui à mortuis veluti regenerati reviviscunt ad vitam immortalem.

19. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*] Placitum, inquit, fuit Deo Patri ut omnis Divinitatis plenitudo in ipso Filio suo inhabitaret non operatione solùm sed & essentiâ. Hujusmodi ferè Chrysostomus.

20. *Per sanguinem crucis ejus*] Redundat δι' αὐτοῦ, & ablatum sensum reddit expeditiorem.

23. *Cujus factus sum ego minister*: & post pauca, *Cujus factus sum ego minister*] Ex Græcis manifestum est, *cujus* priore loco positum referre *Evangelium*, posteriore verò *Ecclesiam.*

28. *Corripientes*] Sive *monentes*, νουθετοῦντες. ¶ *Docentes omnem hominem*] Quanquam *omnem hominem* hic videatur superfluum propterea quòd idem ipsum præmittatur, & non cernatur apud Ambrosium, habetur tamen & in Græcis & in multis Latinis, & apud Chrysostomum.

29. *In quo*] Supple *negotio*, nempe *ut exhibeamus ac reddamus omnem hominem perfectum in Christo.*

LUCAS BRUG.

12. *Gratias agentes Deo & Patri*] Multi codices *Deo & Patri* legunt; plures *Deo Patri*; duo, Parisiensium unus (Ge. l.) Hentenii alter, solùm *Patri*. Tertia hæc lectio Græcis plerisque libris consona est; secunda Syricis; prima quibusdam Græcis, Parisiensium quatuor, *a. c. θ. ια.* (ipsi *a*, quod est Complutensi, Regius, ut ubique, & hic respondet) & Simonis Colinæi editioni. Tertia apud tractatorem Ambrosiastrum est: prima Autoris Glossæ est, Lombardi, Carensis, Thomæ & Gorrani; secunda apud Anselmum, Brunonem, Richelium atque alios reperitur, & in fide dignissimis manuscriptis, Brug. Leod. Lob. Mal. mi. So. la. O. Q.

H. STEPHANUS.

3. Εὐχαριςοῦμεν] *Gratias agimus.*

5. Διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς] *Propter spem repositam vobis in cælis*, i. e. speratam gloriam.

6. Ἔςι καρποφορούμενον] *Fructum profert.*

9. Πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ] *Plenam voluntatis ejus cognitionem consequamini.*

10. Εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν] *Ita ut per omnia ei placeatis.*

12. Τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου] *Qui nos reddidit idoneos ad participandam sortem.*

19. Εὐδόκησε] *Placuit* Patri.

20. Ἀποκαταλλάξαι] *Reconciliare.*

24. Ἀνταναπληρῶ τὰ ὑςερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριςοῦ ἐν τῇ σαρκί μου] *Reliquias afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea.*

DRUSIUS.

15. *Primogenitus omnis creaturæ*] Quidam explicant, *Dominus omnis creaturæ.* Nam בכור *princeps, dux, dominus, præcipuus, præstans, excellens*; quia primogenitus princeps erat inter fratres & dux familiæ. Sic Psalm. 89. 27. *Ego primogenitum ponam eum, excelsum super omnes Reges terræ.* Job. 18. 13. *primogenitus mortis*, Tharg. *angelus mortis.* Jes. 14. 30. *primogeniti tenuium*, homines extremè tenues, pauperrimi. Qui explicant *ante res omnes conditas genitus*, non considerant Christum non posse dici *primogenitum* respectu rerum creatarum, quæ genitæ non fuerunt. An igitur *omnis creaturæ*, i. e. totius humani generis, aut omnium hominum? Nam *creatura* vox ad Homines restringitur, ut v. 23. & Marc. 16. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, i. e. cunctis hominibus. Hîc quæri potest, An sicut Christus dicitur πρωτότοκος, ità etiam dici posset πρῶτος κτισθεὶς, & nego ità dici posse, nisi κτισθεὶς accipiatur pro *genitus.* Quo sensu fortè an apud Sirachidem legimus, *Prima omnium creata est Sapientia*, ut dicat *genita est.* Nam *creare* est gignere: unde *Sulmone creatos*, i. e. procreatos. Et pater *creat* quem gignit: itaque dictitant, *Tres concurrere ad creationem hominis, Deum, Patrem, & Matrem.* Huc referes, *Initio viæ suæ creavit me*, i. e. genuit. Pro quo in originali textu legitur *acquisivit*, sive *possedit, me.* Quod etiam de genitoribus usurpatur; ut in primo librorum Mosis, *Acquisivi virum cum DOMINO.* Verba sunt Matris viventium quibus *acquisivisse* illum dicit quem pepererat. Res est, non conjectura. Tu perpende sis, erudite lector. Ego me meaque omnia judicio doctorum libenter subjiciam.

23. *In omni creatura*] בכל בריה, h. e. inter omnes homines. Alius *omni creaturæ* לכל בריה. Sic alibi, *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

24. *Ea quæ desunt*] Τὰ ὑςερήματα, h. e. *defectus.* Desunt autem afflictiones nostræ. Nam *servus non est melior Domino, nec discipulus Magistro.* Sic dico, Si Christus passus est pro nobis, debemus etiam nos, qui ejus discipuli sumus, pati & affligi propter nomen ejus. Has passiones Apostolus vocat τὰ ὑςερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριςοῦ, i. e. *defectum passionum* (sive *afflictionum*) *Christi.* *Defectus* autem, i. e. ὑςέρημα, Ebraïcè חסרון & חסור dicitur, & Syriacè חוסרנא. Nam *reliquiæ afflictionum Christi*, quod in alia editione, potiùs diceretur יתר & Græcè ὑπόλειμμα, *quod superest* sive *reliquum est*, &c.

CASAUBONUS.

15. Πρωτότοκος πάσης κτίσεως] In hoc loquendi genere composita vox est dissolvenda, ut Act. 1. 24. καρδιογνῶςα πάντων pro γνώςης καρδιῶν πάντων, i. e. *qui nosti corda omnium.* Sed hic ampliùs πρωτότοκος pro τεχθεὶς πρὸ accipiendum: κτίσιν autem pro *re creata* poni, novum non est.

28. Ἵνα παραςήσωμεν πάντα ἄνθρωπον] Clemens Alexandrinus accipit πάντα pro ὅλον, & refert tam ad corpus quàm ad animam.

CAMERON.

10. Περιπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ Κυρίου] Hunc locum adfert Bellarminus ut probet meritum Condigni: sed frustrà. Nam estne quisquam mortalium qui sit *dignus Deo* (quomodo vocem *dignè* accepit Bellarminus) cùm tantus sit Deus ut nemo possit Deum demereri? Quid ergò significat *incedere dignè Deo?* Sanè, *incedere prout decet Dei filios.* At in hoc tantum abest ut sit meritum ut potiùs sit debitum: tenemur enim sanctè vivere.

15. Πρωτότοκος πάσης κτίσεως] Hic quærunt hæretici Photiniani cur Christus dicatur *primogenitus omnis creaturæ.* Nam inquiunt, primogenitus ejusdem est naturæ seu essentiæ cum iis quorum est primogenitus, estque vox quæ ὁμογένειαν indicat. Ergò, inquiunt, Christus est creatura. Nonnulli respondent Christum ideo dici *primogenitum omnis creaturæ* quod sit genitus ante omnes creaturas. Sed hoc nodum istum non solvit; imò verò id est ipsum petere principium. Nec responsio illa quadrat verbis Apostoli qui dicit hic Christum ideo esse *primogenitum omnis creaturæ*, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, &c. *quia per eum omnia facta sunt.* Respondemus itaque *primogenitum* dici duobus modis; Primò, propriè, pro eo qui ante alios omnes sui similes natus est. Atque hoc respectu Christus non est *primogenitus omnis creaturæ*: sic enim ipse esset creatura, ante omnes

omnes alias creaturas à Deo creatus; quod Arriani volunt. Secundò *primogenitum*, Metonymiâ antecedentis pro consequente, ille dicitur qui est dominus & heres omnium bonorum paternorum: unde phrasi Scripturæ familiari is *primogenitus* dicitur qui est reliquorum dominus, princeps, primarius. Sic Psal. 89. 27. David dicitur *primogenitus Regum*, h. e. præcipuus & primarius inter Reges, Regum omnium gloriosissimus & famosissimus. Et Esai. 14. 30. *primogeniti pauperum* dicuntur qui pauperrimi & miserrimi sunt, q. d. pauperum & mendicorum primarios veluti duces. Et Job. 18. 13. *primogenitus Mortis* dicitur Princeps & quasi Angelus mortis, morti præfectus. Ità & hoc ipso loco, in quo Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, dicitur etiam πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *primogenitus mortuorum*, v. 18. h. e. Caput & Princeps seu Dominus mortuorum in beata resurrectione excitandorum. Eodem modo dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, quia dominium habet in omnes creaturas, omnium est Princeps, quia omnia condidit. Eodem sensu dicitur Christus Heb. 1. 2. *constitutus heres omnium, per quem*, inquit Apostolus, *& secula fecit*. *Heres* ibi est Caput, Dominus, Princeps. Nam בכור *primogenitus* apud Hebræos erat fratrum suorum dominus & familiæ veluti princeps. Quin & Latinis *heres* pro *domino* accipitur: Instit. Justin. lib. 2. Tit. 19. de Hered. qualit. & differ. §. ult. *Pro herede gerere, est pro domino gerere.* HEREDES *enim veteres pro* DOMINIS *appellabant.*

16. Εἴτε θρόνοι, &c.] Omissis nugis Pseudo-Dionysii de distinctione horum Ordinum, simplicissimum est ut dicamus Paulum, dum vult ostendere esse inter Angelos ordinem quendam, id voluisse significare nominibus earum rerum quæ in oculos nostros incurrunt quotidie. Nempe in politia humana sunt *Throni*, quales sunt Regum & Monarcharum; & sunt κυριότητες, quales sunt Regulorum, & sunt deinde ἀρχαὶ, quales sunt qui à Regibus & Regulis præficiuntur provinciis & urbibus & sunt ἐξουσίαι *Potestates*, quales sunt Magistratus infimo loco constituti. Et certè linguâ Latinâ *Potestas* id videtur significare apud Juvenal. Sat. 11.

Cujus qui trahitur prætextam sumere mavis,
Quàm Fidenarum aut Gabiorum esse Potestas.

Unde etiamnum hodie ejusmodi Magistratus ab Italis dicuntur *il Podestá*. Ergò videtur voluisse Paulus simpliciter significare Ordines esse, aut potiùs ordinem, inter Angelos; attamen an sint quatuor, an verò pauciores aut plures, id verò ex verbis Pauli definiri nequit. Paulus, inquam, nominibus quibus humanæ res appellantur Angelos distinguit, non quidem ut ostendat accuratè quot sint inter Angelos discrimina, sed ut rem tantam nobis adumbret. Certè c. 1. ad Ephesios meminit ἀρχῆς *Principatûs*, ἐξουσίας *Potestatum*, δυνάμεως *Virtutum*, & κυριότητος *Dominationum*: quo in loco neglexit ordinem quem hic ad Colossenses sequitur; imò verò & nomen *Throni* omisit, & nomen δυνάμεως adhibuit, quod non adhibuerat: ut nobis constet Paulum noluisse hìc philosophari. Quin & cap. 6. ejusdem Epist. ad Ephesios v. 12. Cacodæmonas vocat ἀρχὰς, ἐξουσίας, κοσμοκράτορας, (nempe ut doceat quantum possint) nominibus quibus illi ornantur qui in seculo multum possunt.

20. Εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς] Apostolus hic per τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς eadem intelligit quæ paulò antè v. 16. ubi nomine *eorum quæ sunt in cælis* Angelos designat. *Reconciliatio* ergò hic Angelis tribuitur ab Apostolo, at non reconciliatio Angelorum cum Deo: boni enim Angeli nunquam fuerunt à Deo alieni. Itaque ista *reconciliatio*, ut & *recapitulatio* ἀνακεφαλαίωσις, cujus meminit idem Apostolus Ephes. 1. 10. non est Angelorum cum Deo, sed Angelorum & Hominum: quæ quomodo sit accipienda diximus ad illum locum. Itaque nullo Scripturæ testimonio nititur eorum sententia qui ex illo (Ephes. 1. 10.) loco colligunt beneficium Redemptionis etiam ad Angelos pertinere: nihil enim est aliud ἀνακεφαλαιώσασθαι eo loco quàm ἀποκαταλλάξαι & εἰρηνοποιῆσαι hoc loco. Et certè videtur disconvenire ut Angeli boni Mediatorem habeant, non una de causa. Nam primò, Mediatoris hæc conditio est ut debeat particeps esse utriusque naturæ: Jam verò Dominus noster Jesus Christus non fuit particeps Angelicæ sed Humanæ naturæ. Deinde, non est Mediator qui idem non est duorum Mediator, & quidem duorum qui inter se dissident.

GROTIUS.

OMnes Epistolæ Pauli egregiæ sunt: sed omnium imprimis quæ Româ ex vinculis missæ sunt. Harum primam temporis ordine arbitror fuisse illam ad Philemonem; nam tunc adhuc cum ipso erat Epaphroditus qui & Epaphras. Alteram ad Philippenses, ubi Epaphroditum remittit. Tertiam ad Ephesios, & eodem prope tempore hanc ad Colossenses, cùm adhuc quæ ad Ephesios scripserat, in animo hærerent. Postrema verò omnium ea quæ posterior est ad Timotheum. Erant Colossæ, urbs Phrygiæ memorata & Herodoto, & Xenophonti, & Straboni, & Plinio, non longè à Laodicea: quæ urbes ambæ non multò post scriptam hanc epistolam terræmotu corruêre. Ideo apud Ptolomæum non reperiuntur. Laodiceam istam vicinam fuisse Colossis apparet infra 2. 1. 4. 13, 15, 16.

1. Παῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ θελήματος Θεοῦ, *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*] Idem initium quod ad Ephesios. ¶ καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς, *& Timotheus frater*] Hujus nomen ideo adjungit, quòd probè notus esset Colossensibus, ut qui aliquando eò missus fuisset.

2. Τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις καὶ πιστοῖς ἀδελφοῖς ἐν Χριστῷ. *Iis qui sunt Colossis, sanctis & fidelibus fratribus in Christo*] Sic & ad Ephesios. ¶ Χάρις ὑμῖν, καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*] Ephes. 1. 2. In multis codicibus Græcis & Latinis abest hìc Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ [*Domino Jesu Christo,*] ut & in Syriaco.

3. Εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, πάντοτε περὶ ὑμῶν προσευχόμενοι· *Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes.*] Ephes. 1. 16. Cohæret autem illud πάντοτε [*semper*] cum προσευχόμενοι [*orantes,*] ut videre est Rom. 1. 10. Philipp. 1. 4.

4. Ἀκούσαντες τὴν πίστιν ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, καὶ τὴν ἀγάπην τὴν εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, *Audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem in sanctos omnes*] Ephes. 1. 15. In Manuscripto τὴν ἀγάπην ἣν ἔχετε εἰς πάντας τοὺς ἁγίους [*dilectionem quam habetis in omnes sanctos,*] quomodo legit & Latinus.

5. Διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *Propter spem quæ reposita est vobis in cælis*] *Spem* vocat id quod speratur, ut Ephes. 1. 18. Vita æterna & cœlestis à Christo promissa excitat & fidem & dilectionem. Sic ἀποκεῖσθαι [*reponi*] dicitur quod alicui servatur, ut 2 Tim. 4. 8. כמס Deut. 32. 34. ¶ ἣν προηκούσατε ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας, *quam audistis in verbo veritatis*] Prima accepistis rudimenta. Nam *audientes* sunt Catechumeni Tertulliano de Patientia: qui ibidem vocat *auditorum tyrocinia*. Utitur sic & Cyprianus. Illud autem πρὸ additum significat jam aliquod tempus ex eo transiisse. λόγος ἀληθείας [*sermo veritatis*] *sermo verissimus*, 2 Cor. 6. 7. Ephes. 1. 13. ¶ τοῦ εὐαγγελίου, *Evangelii*] Appositio.

6. Τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς, *Quod pervenit ad vos*] Sic 2 Petr. 1. 12. ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ [*in præsenti veritate.*] Rectè Latinus Interpres, *Quod pervenit ad vos.* Nam παρεῖναι ponitur pro בוא *venire*, Prov. 1. 27. Est autem participium præsens pro præterito positum more Hebræo. Et εἰς pro *ad*. ¶ καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, *sicut & in universo mundo*] Συνεκδοχὴ [*Complexio*] significans illustrissimas orbis partes, ut Rom. 1. 8. Videtis ex hoc ipso quàm vera sint Christi prædicta, Matth. 24. 14. ¶ καὶ ἔστι καρποφορούμενον καὶ αὐξανόμενον, *& fructificat & crescit*] Illud καὶ [*&*] non malè abest in Manuscripto. Tanquam arbor *& fructus profert & simul crescit.* Dicitur hoc & de Evangelio, ut hìc & Actor. 6. 7. 19. 20. & de fide 2 Cor. 10. 15. & de ipsis fidelibus infra 10. καρποφορούμενον פרה [*quod fructificat,*] αὐξανόμενον רבה [*quod crescit.*] Allusio ad Gen. 1. 28. Illud αὐξανόμενον *quod crescit*] non adest in Manuscripto. ¶ καθὼς καὶ ἐν ὑμῖν, *sicut & in vobis*] *Non minùs apud vos quàm apud alios.* ¶ ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας ἠκούσατε, καὶ ἐπέγνωτε τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ, *ex ea die quâ audistis, & cognovistis gratiam Dei in veritate*] *Summam illam Dei benevolentiam quæ per Evangelium revelatur.*

7. Καθὼς ἐμάθετε ἀπὸ Ἐπαφρᾶ τοῦ ἀγαπητοῦ συνδούλου ἡμῶν, *Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro*] Paulus ipse fuit quidem in Phrygia plus semel, sed non potuit adire omnes Phrygiæ urbes, infra 2. 1. Itaque Epaphroditum eò miserat, qui multis locis oberratis, tandem Philippis consedit, atque inde ad Paulum missus est. *Epaphras* idem qui *Epaphroditus*, contractione pronuntiationis de qua ad initium Lucæ. Sic Δημᾶς [*Demas*] est Δημήτριος [*Demetrius.*] ¶ ὅς ἐστι πιστὸς ὑπὲρ ὑμῶν τοῦ Χριστοῦ διάκονος· *qui est fidelis pro vobis minister Christi.*] *Fidus est Evangelii præco*, tum aliorum, tum & vestro maximo bono. Διάκονος [*Diaconus*] vox hic sumitur ut 1 Cor. 3. 5. 2 Cor. 3. 6. 6. 4. 11. 23. Ephes. 3. 7. 6. 21.

8. Ὁ καὶ δηλώσας ἡμῖν τὴν ὑμῶν ἀγάπην ἐν πνεύματι. *Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in Spiritu*] *Quomodo nos diligatis propter Spiritum sanctum vobis datum.*

9. Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας ἠκούσαμεν, *Ideo & nos ex qua die audivimus*] *Simulatque hæc audivimus.* Eadem appositio quæ supra 6. Hebræi dicerent מאז [*ex quo.*] ¶ οὐ παυόμεθα ὑπὲρ ὑμῶν προσευχόμενοι. *non cessamus pro vobis orantes*]

tes] Repetit quod dixerat ſupra 3. ¶ *καὶ αἰτούμενοι, & poſtulantes*] *Expetentes à Deo.* Sic *αἰτεῖν* [*petere*] habemus Matth. 5. 42. 6. 8. 7. 7, 8, 11. 18. 19. 21. 22. Explicat precum ſuarum præcipuam materiam. ¶ *ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, ut impleamini agnitione voluntatis ejus*] Eſt conſtructio Paulo non frequens, ſed apud Græcos recepta; nam apud eos quem caſum regunt activa, eundem regunt & paſſiva. Πληροῦν [*implere*] autem quartum caſum regit, ut Philip. 2. 2. & alibi. Ἐπίγνωσις eſt *major exactiorque cognitio*, ut Epheſ. 1. 17. 4. 13. Philipp. 1. 9. Ejus bona pars eſt cognitio myſteriorum Veteris Teſtamenti ad Novum Teſtamentum ſpectantium. αὐτοῦ [*ejus*] *Dei* ſcilicet, ex commate 6. ¶ *ἐν πάσῃ σοφίᾳ, in omni ſapientia*] Epheſ. 1. 8. ¶ *καὶ συνέσει πνευματικῇ. & intellectu ſpirituali*] Id eſt, Φρονήσει [*prudentiâ*,] ut videre eſt dicto ad Epheſios loco. *Cognitionem rerum agendarum* intellige.

10. *Περιπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ Κυρίου, ut ambuletis dignè Domino*] Περιπατῆσαι [*ambulare*] hic eſt pro *εἰς τὸ περιπατῆσαι* [*ut ambuletis*] qualem ἔλλειψιν [*defectum*] jam ſæpe habuimus. *ἀξίως τοῦ Κυρίου* [*dignè Domino*,] id eſt, *ita ut Chriſto debetur.* Sic *περιπατῆσαι ἀξίως τοῦ Θεοῦ* [*ambulare dignè Deo*] 1 Theſſ. 2. 12. Illud ὑμᾶς [*vos*] abeſt in Manuſcripto, non malè. ¶ *εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, per omnia placentes*] *Ut omni modo placeamus*, *Deo* ſcilicet. *ἀρέσκεια* Ariſtoteli & Theophraſto in vitioſam partem ſumitur. Eſt alioqui vox ipſa per ſe media, ut apparet Prov. 31. 30. in Gloſſario vertitur *placor*, Apulejo *placentia.* ¶ *ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες καὶ αὐξανόμενοι εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ Θεοῦ, in omni opere bono fructificantes & creſcentes in ſcientia Dei*] In Manuſcripto *αὐξανόμενοι τῇ ἐπιγνώσει* [*creſcentes ſcientia.*] *Fructum ferentes omnis generis bonorum operum, & in cognitione Dei magis magiſque proficientes.* Quid ſit *καρποφορεῖν* [*fructificare*,] vidimus ad Matth. 13. 23. Marc. 4. 20. Luc. 8. 15. Quid *αὐξανόμενοι* [*creſcentes*] 2 Cor. 10. 15. Epheſ. 2. 21. infra 2. 19. 1 Petr. 2. 2. 2 Petr. 3. 18.

11. *Ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι, in omni virtute confortati*] *Roborati omni genere roboris*, nempe ſpiritualis. Δυναμοῦν quod & *ἐνδυναμοῦν* Actor. 9. 22. Rom. 4. 20. Epheſ. 6. 10. 1 Tim. 1. 12. 2 Tim. 2. 1. 4. 17. Hebr. 11. 34. eſt עז [*fortificare*,] ut videre eſt Pſalm. 68. 29. ¶ *κατὰ τὸ κράτος τῆς δόξης αὐτοῦ, ſecundum potentiam claritatis ejus*] Idem eſt quod *κράτος ἰσχύος* [*potentia virtutis*] Epheſ. 1. 19. 6. 10. nam & *δόξα* [*claritas*] ſumitur *μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem*] pro *valentia*, ut Epheſ. 3. 16. & עז Hebræum ſic interdum vertitur. ¶ *εἰς πᾶσαν ὑπομονὴν καὶ μακροθυμίαν, in omni potentia & longanimitate*] Ut non tantùm mala conſtanter feratis, ſed & meliora ſperetis de inimicis veſtris. Vide 2 Cor. 6. 6. Gal. 5. 22. Epheſ. 4. 2. ¶ *μετὰ χαρᾶς. cum gaudio*] Magnum hoc eſt & Chriſtianorum velut proprium, ipſis malis ob Chriſtum toleratis lætari, Philipp. 2. 17, 18. Actor. 5. 41.

12. *Εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ Φωτί. Gratias agentes Deo & Patri qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*] Vocem *ἱκανοῦν* habuimus 2 Corinth. 3. 6. reſpondet Hebræo הכין, *μερὶς κλήρου* [*pars ſortis*] חבל נחלתו [*pars hæreditatis ejus*,] Deuter. 32. 9. Sed ut oſtendatur diſcrimen Legis & Euangelii, additur hic *τῶν ἁγίων ἐν τῷ Φωτὶ* [*ſanctorum in lumine*,] id eſt, *τῶν ἐν τῷ Φωτὶ* [*eorum qui in lumine ſunt*] ſubaudito articulo ut ſæpe, qui exprimitur Rom. 2. 19. ubi eſt *τῶν ἐν σκότει* [*qui in tenebris ſunt.*] Eſt autem *ἐν τῷ Φωτὶ* [*in lumine*] qui lucem habet comitem, 1 Johan. 2. 9, 10.

13. *Ὃς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους, Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum*] Ἐξουσία σκότους [*Poteſtas tenebrarum*] dicuntur hic *tenebræ efficaciſſimæ ad obcæcandos animos.* ἐξουσία ממשלת *dominatus. Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, Joh. 8. 34. ¶ *καὶ μετέστησεν, & tranſtulit*] העביר *tranſtulit.* ¶ *εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, in regnum Filii dilectionis ſuæ*] Id eſt, *τοῦ ἠγαπημένου* [*dilecti*] Ephes. 1. 6. Eſt Hebraïſmus, ut cum dicitur הר קדש *Mons ſanctitatis*, & ſimilia.

14. *Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus*] Epheſ. 1. 7. illa *διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ* [*per ſanguinem ejus*] videntur adſcripta hic ex illo ad Epheſios loco. Nam Manuſcriptus ille quo toties utimur, non magis hoc habet quàm Syrus, & Latinus, & Ambroſius. ¶ *τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. remiſſionem peccatorum*] *Τῶν παραπτωμάτων* [*delictorum*,] dicto ad Epheſios loco.

15. *Ὃς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου, Qui eſt imago Dei inviſibilis*] *Dei inaſpecti aſpectabilis imago*: ita enim Latini loquuntur. Idem ſenſus 2 Cor. 4. 4. & 1 Tim. 3. 16. & Hebr. 1. 3. Adam *imago Dei* fuit, ſed valde tenuis: In Chriſto perfectiſſimè apparuit quàm Deus eſſet ſapiens, potens, bonus. Sic in aqua Solem conſpicimus. Aliud *imago*, aliud *umbra*, qualis in Lege, Hebr. 10. 1. ¶ *πρωτότοκος πάσης κτίσεως. primogenitus omnis creaturæ*] *Primus in creatione*, *nova* ſcilicet, de qua 2 Cor. 5. 17. Apoc. 21. 5. Hebr. 2. 5. בכור [*primogenitum*] Hebræis dicitur *& quod primum & quod ſummum eſt in quoque genere*, ut Pſalm. 89. 27. Jerem. 31. 9. Joh. 18. 13. & alibi.

16. *Ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cælis & in terra*] Certum eſt *per Verbum creata omnia*; ſed quæ præcedunt, oſtendunt hic de Chriſto agi, quod hominis eſt nomen; quomodo etiam Chryſoſtomus hunc accepit locum. Sed ille intelligit Mundum creatum propter Chriſtum, ſenſu non malo: ſed propter id quod præceſſit, rectiùs eſt *ἐκτίσθη* hic interpretari, *ordinata ſunt, novum quendam ſtatum ſunt conſecuta.* De quo ſignificatu vocis *κτίζειν* [*condere*] diximus in Prolegomenis ad Euangelia, & Epheſ. 2. 10, 13. 3. 9. 4. 24. Angeli hominibus, homines inter ſe reconciliati ſunt Chriſto. ¶ *τὰ ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, viſibilia & inviſibilia*] Ea quæ ſunt in Mundo ſupremo, qui Φῶς ἀπρόσιτον [*lux inacceſſa*] 1 Tim. 6. 16. ¶ *εἴτε θρόνοι, ſive throni*] Id eſt, Angeli *ἐν θρόνοις* [*in thronis*] conſidentes quaſi Reges quidam. Vide quæ diximus ad Gen. 41. 40. Rom. 8. 38. & Epheſ. 1. 21. Tales ſunt illi in Daniele qui regnis totis præſident, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum. His reſpondent in Eccleſia Patriarchæ, quorum ſedes *θρόνοι* [*throni*] eximiè dicti. ¶ *εἴτε κυριότητες, ſive Dominationes*] Vide dicto loco Epheſ. 1. 21. ¶ *εἴτε ἀρχαί, ſive Principatus*] Quæ *δυνάμεις* [*Virtutes*] dicto ad Epheſios loco & Rom. 8. 38. Ignatius ad Tralleſes: *δυνάμεών τε καὶ κυριοτήτων διαφορὰς θρόνων τε καὶ ἐξουσιῶν παραλλαγάς* [*virtutum & dominationum differentias, thronorumque & poteſtatum diſtinctiones.*] ¶ *εἴτε ἐξουσίαι. ſive Poteſtates*] Vide ibidem. ¶ *τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, omnia per ipſum*] *Δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε* [*Per quem fecit & ſecula*,] ait Scriptor ad Hebræos 1. 2. *τὰ πάντα* [*omnia*] intellige *omnia quæ ad novam creationem pertinent.* ¶ *καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται. & propter ipſum creata ſunt*] *Propter ipſum*, id eſt, ut ipſe omnibus illis præeſſet. Apoc. 5. 13. Hebr. 2. 8.

17. *Καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, Et ipſe eſt ante omnes*] Id eſt, A & Ω, ut ait Apocalypſis 1. 8. *πρὸ πάντων* [*ante omnes*] intellige, ut jam diximus. ¶ *καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. & omnia in ipſo conſtant*] Et hæc vox de veteri creatione ad novam traducitur. Vide 2 Petr. 3. 5. Sic apud Philoſophos *σύστασις Φυσική* [*naturalis conſtitutio*,] id eſt, *κατασκευή* [*compoſitio.*]

18. *Καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*] *Caput eſt corporis*, id eſt, *Eccleſiæ*, ut mox hæc locutio exponitur, Epheſ. 1. 22. 4. 15. 5. 23. ¶ *ὅς ἐστιν ἀρχή, qui eſt principium*] Sic & Apoc. 1. 8. ראשית *origo* mundi melioris. ¶ *πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, primogenitus ex mortuis*] Sic & Apoc. 1. 8. & eodem ſenſu *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων* [*primitiæ dormientium*,] 1 Cor. 15. 20. Chriſtus ex mortuis ſurrexit ad vitam immortalem Hebr. 9. 28. Scriptor Reſponſorum ad Orthodoxos 85. *εἰς γὰρ ἀθάνατόν τε καὶ ἄφθαρτον ζωὴν οὔπω γέγονέ τινος ἡ ἀνάστασις πλὴν τοῦ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ* [*nemo enim adhucdum ad immortalem atque incorruptibilem vitam reſurrexit præter unum Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum.*] ¶ *ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens*] In vitæ ſanctitate, in miraculis, in doctrina, in reditu ad vitam.

19. *Ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησε, Quia in ipſo complacuit*] Nempe *Deus*: qui nominativus ſæpe ſubauditur. Εὐδοκεῖν [*complacere*] autem cum nominativo rectè jungitur, ut Rom. 15. 26. 1 Cor. 1. 21. Gal. 1. 15. ¶ *πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι. omnem plenitudinem inhabitare*] Nempe *τῆς θεότητος*, *divinitatis*, quod hic interpretandi causâ addunt quidam Latini codices, id eſt, divinarum virtutum, ut infra 2. 9. Sic *πλήρωμα* [*plenitudinem*] habemus & Joh. 1. 16. ubi dicta vide. Et nota *κατοικῆσαι* [*inhabitare*,] id eſt, *perpetuò & inſeparabiliter adeſſe*, non per tempora ut in Prophetis. Hæc eſt *ὑποστατικὴ ἕνωσις* [*unio ſubſtantialis.*]

20. *Καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτόν, Et per eum reconciliare omnia in ipſum*] Εἰς αὐτὸν [*In ipſum*] hic ſumendum ut ſupra 16. *ſub ipſo*, ſive *ita ut ipſi pareant.* De voce *ἀποκαταλλάξαι* [*reconciliare*] vide Epheſ. 2. 16. pro eo Epheſ. 1. 10. dixit *ἀνακεφαλαιώσασθαι* [*inſtaurare.*] ¶ *εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, δι' αὐτοῦ, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. pacificans per ſanguinem crucis ejus, per ipſum ſive quæ in terra, ſive quæ in cælis ſunt*] Quod Epheſ. 2. 16. Chriſto tribuitur, id hic tribuitur Deo ejus Patri, ut qui hoc per Chriſtum effecerit. *εἰρηνοποιήσας* [*pacificans*] factum ad exemplum Hebræi עשה שלום. *Sanguinis* hic fit

mentio,

mentio, quia per sanguinem sancire fœdera solebant, ut diximus ad Matth. 26. 28. Adde & Rom. 3. 25. 5. 9. Eph. 1. 7. Addidit autem τοῦ σταυροῦ [*crucis*] ut intelligatur mors hæc fuisse conjuncta cum summis cruciatibus. Rursum addit *per ipsum*, id est, per verbum ipsius. *εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς* [*sive quæ in terra, sive quæ in cælis,*] idem quod Ephes. 1. 10. *τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς* [*quæ in cælis & in terra,*] pios Angelos & pios homines. Locutio plena fuerat, *τὰ ὄντα, εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε ἐν τοῖς οὐρανοῖς* [*quæ sunt sive in terra, sive in cælis.*]

21. *Καὶ ὑμᾶς ποτε ὄντας ἀπηλλοτριωμένους, Et vos cùm essetis aliquando alienati*] Nempe *à Dei populo*, quod additur Ephes. 2. 12. *ἀπηλλοτριωμένους* נכרים [*alienatos*] Psalm. 69. 9. ¶ *καὶ ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ, & inimici sensu*] *Animo alieno à Deo*, Rom. 5. 10. ¶ *ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, in operibus malis*]. Quæ impietatem comitari solent, 1 Cor. 6. 10, 11. ¶ *νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν, Nunc autem reconciliavit*] Abundat hic δὲ [*autem*] ut Ephes. 2. 4. *ἀποκατήλλαξεν* [*reconciliavit*] hoc est, *Deo amicos fecit*, nempe per conversionem.

22. *Ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, In corpore carnis ejus*] *Per corpus Christi* simile nostro, *constans ex carne* & ossibus. Tantas res perfecit instrumento adeò tenui. *αὐτοῦ* [*ejus*] hic refertur ad nomen longiùs remotum. quomodo & δι' αὐτοῦ [*per ipsum*] quod præcessit. ¶ *διὰ τοῦ θανάτου, per mortem*] Res mira: Vita ex morte. ¶ *παραστῆσαι ὑμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους καὶ ἀνεγκλήτους κατενώπιον αὐτοῦ. exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso*] Id est, *εἰς τὸ παραστῆσαι* [*ut exhiberet*] ut supra 1. 10. *παραστῆσαι* est *sibi admovere, sibi adjungere*, Ephes. 5. 27. ubi est *ἁγία καὶ ἄμωμος* [*sancta & immaculata:*] de quibus vocibus ibi diximus. *Ἀνεγκλήτου* [*irreprehensibilis*] vocem habemus 1 Cor. 1. 8. 1 Tim. 3. 10. Tit. 1. 6, 7. Utuntur Plato & Xenophon. In Glossario *ἀνέγκλητος, inaccusabilis. κατενώπιον αὐτοῦ* [*coram ipso,*] *Deo spectante & approbante*, ut Ephes. 1. 4. לפניו [*ante faciem ejus.*]

23. *Εἴ γε ἐπιμένετε τῇ πίστει, Si tamen permanetis in fide*] *Si modo fidem illam semper servatis*, non in intellectu tantùm, sed & in proposito. In hac re cœpisse non sufficit. ¶ *τεθεμελιωμένοι, fundati*] Matth. 7. 25. Luc. 6. 48. Ephes. 3. 17. 1 Petr. 5. 10. מיוסדים. Domus bene fundatæ durant. Est autem translatio ducta à Templo 1 Reg. 6. 37. ¶ *καὶ ἑδραῖοι, & stabiles*] 1 Cor. 7. 37. 15. 58. In Glossario *ἑδραῖος, firmus, stabilis. Sedere*, positio est durabilis. ¶ *καὶ μὴ μετακινούμενοι ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ εὐαγγελίου οὗ ἠκούσατε, & immobiles à spe Evangelii quod audistis*] *Μετακινούμενοι* נדחים [*procul amoti.*] Fides spem generat; Spes perseverantiam; Spe amissa, perseverantia concidit. ¶ *τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν· quod prædicatum est in universa creatura quæ sub cælo est*] Non debetis dubitare de futuris, cum quæ videtis tam bene prædictis conveniant. Vide supra 6. *ἡ ὑπ' οὐρανόν* [*quæ sub cælo est*] dicitur *terra* Luc. 17. 24. aut *quod in terra vivit*, ut Actor. 4. 12. Sic Hebræum לכל vertitur Jerem. 34. 13. Prov. 8. 26. *κτίσις* בריה [*creatura*] Hebræis *κατ' ἐξοχὴν* [*per excellentiam*] hominem significat. Vide Marc. 16. 15. ¶ *οὗ ἐγενόμην ἐγὼ Παῦλος διάκονος. cujus factus sum ego Paulus minister*] Multis in locis, etiam in Phrygia vestra. De voce *διακόνου* [*ministri*] dictum supra 7. In Manuscripto amplius est *κῆρυξ καὶ ἀπόστολος* [*præco & Apostolus*] ut 1 Tim 2. 7. 2 Tim. 1. 11.

24. *Νῦν χαίρω ἐν τοῖς παθήμασί μου ὑπὲρ ὑμῶν, Nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis*] Gaudeo de his malis, quæ non tantum ideo perfero quòd Evangelium Gentibus prædicavi, verum etiam libenter tolero in id, ut vos & alii eò magis in fide confirmemini, 2 Tim. 2. 10. ὃς [*qui*] ante νῦν [*nunc*] non legerunt Græci commentantes ad hunc locum. *Et νῦν χαίρω* [*nunc gaudeo*] bene sensum inchoat, ut 2 Cor. 7. 9. ¶ *καὶ ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ σαρκί μου, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*] Christus magna & saluti nostræ sufficientia pro nobis passus est. Sed ita amat suos, ut quæ ipsi ferunt mala, tanquam sibi illata sentiat. Act. 9. 5. Sic Paulo vincula ferente, Christus ea quodammodo ferebat. *τὰ ὑστερήματα*, id est, *τὰ λοιπὰ* יתר, Syrus hic מחסרין *id quod deest*. ¶ *ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, pro corpore ejus*] Bono Ecclesiæ, ut jam diximus. ¶ *ὅ ἐστιν ἡ ἐκκλησία. quod est Ecclesia*] Supra 18.

25. *Ἧς ἐγενόμην ἐγὼ διάκονος, Cujus factus sum ego minister*] Supra 23. Qui Evangelio servit, idem Ecclesiæ servit: nam Evangelium datum est colligendæ & servandæ Ecclesiæ causâ. ¶ *κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι εἰς ὑμᾶς, secundum dispensationem Dei quæ data est mihi in vos*] Vide 1 Cor. 9. 17. Verba prope eadem habemus Ephes. 3. 6. ¶ *πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. implere verbum Dei*] Id est, *εἰς τὸ πληρῶσαι* [*ad implendum.*] Vide supra 10. *πληρῶσαι τὸν λόγον* [*implere verbum,*] eadem locutio quæ Rom. 15. 19.

26. *Τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, Mysterium quod absconditum fuit à seculis*] Ephes. 3. 5, 9. ubi dicta vide. *μυστήριον* רזא [*arcanum*] Dan. 2. 18. ¶ *καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, & generationibus*] Idem significant *γενεαὶ* [*generationes*] Actor. 15. 21. Ephes. 3. 5. quod *αἰῶνες* [*secula*] pro eodem ponuntur *γενεαὶ αἰώνων* [*generationes seculorum*] & sic *αἰῶνες καὶ γενεαὶ* [*secula & generationes.*] Γενεὰ דור propriè *duratio vitæ humanæ*. ¶ *νυνὶ δὲ ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. nunc autem manifestatum est sanctis ejus*] Rom. 16. 26. subintelligitur *αὐτό* [*illud.*]

27. *Οἷς ἠθέλησεν ὁ Θεὸς γνωρίσαι, Quibus voluit Deus notum facere*] Vide Ephes. 1. 4, 9. 6. 19. *γνωρίζειν* הודיע [*ostendere,*] ut Rom. 9. 22, 23. ¶ *τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης, quæ sint Divitiæ gloriæ*] *Quàm abundans potentia*, Rom. 9. 23. Ephes. 1. 18. Vide & supra 2. ¶ *τοῦ μυστηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅς ἐστι Χριστὸς ἐν ὑμῖν, ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης. mysterii hujus in Gentibus, quod est Christus in vobis, spes gloriæ*] Ingens *arcanum* Dei patuit, cùm *Christus*, id est, doctrina Christi *in Gentibus* sonuit *in spem vitæ æternæ*. Est ergo hic duplex *μετωνυμία* [*Transnominatio.*] *Christus* pro *doctrina Christi*: & *spes* pro *causa spei*. In Manuscripto ὅ ἐστι [*quod est.*]

28. *Ὃν ἡμεῖς καταγγέλλομεν, quem nos annuntiamus*] 1 Cor. 2. 1. 9. 14. Philip. 1. 16, 18. ¶ *νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον, corripientes omnem hominem*] Actor. 20. 31. Rom. 15. 14. ¶ *καὶ διδάσκοντες, & docentes*] Matth. 28. 20. ¶ *ἐν πάσῃ σοφίᾳ, in omni sapientia*] Spirituali nempe 1 Cor. 2. 6, 7. 12. 8. Ephes. 1. 8, 17. supra 9. 3, 16. ¶ *ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. ut exhibeamus omnem hominem in Christo Jesu*] Παραστήσωμεν [*exhibeamus*] nempe Deo tanquam ministri. Vide supra 22. *In Christo*, id est, per Christum tanquam conciliatorem. *πάντα ἄνθρωπον* [*omnem hominem,*] id est, quam plurimos possumus. In Manuscripto *πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ* [*omnem hominem perfectum in Christo,*] ut Ephes. 4. 13. & sic legit Latinus.

29. *Εἰς ὃ καὶ κοπιῶ, In quo & laboro*] עמלתי [*laboravi*] Actor. 20. 35. 1 Cor. 15. 10. 16. 16. Gal. 4. 11. Philipp. 2. 16. 1 Thess. 5. 12. 1 Tim 5. 17. ¶ *ἀγωνιζόμενος, certando*] משתדל [*satagens*] Dan. 6. 15. Non immeritò hoc addidit, ut præter *laborem* etiam *pericula* significaret, infra 2. 1. 1 Cor. 9. 25. Philipp. 1. 39. infra 4. 12. 1. Tim 6. 12. 2 Tim. 4. 7. ¶ *κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει. secundùm operationem ejus quam operatur in me in virtute*] Ἐνεργουμένην [*quam operatur*] hic est sensu activum, ut Gal. 5. 6. Sic *ἐνέργεια* [*operatio*] & *ἐνεργεῖν* [*operari*] junguntur Ephes. 1. 19. *ἐνέργεια* [*operatio*] ostendit *δύναμιν* [*virtutem,*] hinc *ἐνέργεια δυνάμεως* [*operatio virtutis*] Ephes. 3. 7. *vires ad certandum eximias Deus Paulo adspirabat*. Supra 2. Philipp. 4. 13. 1 Tim. 1. 12.

CAP. II.

VALLA.

5. *GAudens & videns vestrum ordinem, & firmamentum ejus quod est in Christo Jesu fidei vestræ*] Ut ordinem seu potiùs seriem Græcorum verborum servaret Interpres, adjecit illud *ejus*, sine quo non videbatur orationis contextus. At ego dicerem, *firmamentum vestræ quæ in Christo est fidei*, nec admodum à Græco decederem, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πίστεως ὑμῶν.

14, 15. *Delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, &c. *Exspolians principatus & potestates; traduxit confidenter*] *Decretis* legendum est, non *decreti*, τοῖς δόγμασιν quod nescientes, referunt sequens relativum ad *decreti*: quemadmodum nescientes quid nunc significat *traduxit*, exponunt *transtulit longè ab hoc regno ad cælum*, cùm significet *exemplum ignominiæ effecit*; ἐδειγμάτισεν, ut in principio Matthæi disseruimus.

18. *Nemo vos seducat volens in humilitate sensûs*] Non potuit transferri vox Græca, ideo ad medium quoddam verbum recursum est. Ut autem hujus verbi Græci sensum utcunque aperiam, est, *Nemo vos ad brabium evocet*, sive, *Nemo vobis brabium ostentet ad provocandum cursum*, καταβραβευέτω. *In humilitate sensûs*, nunc per duo verba transtulit Interpres, quod superiùs, & item paulò pòst, & nescio an semper, transfert per unum sine adjectione *sensûs*: de quo vocabulo jam dixi, ταπεινοφροσύνῃ, Eph. 4. 2.

21. *Ne*

21. *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis*] Græcè sunt hæc omnia sing. numeri, Μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς.

REVIUS in VALLAM.

15. Τοῖς δόγμασιν, & paulò pòst δογματίζεσθε, hæc erant trajecta.

18. *Ad bravium evocet*] Hujus significationis nullum exemplum Valla attulit, nec fortasse potuit. Induxit & in errorem Jacobum Fabrum. Confer diligenter quæ de hac voce notarunt eruditissimi viri Erasmus & Beza. Memoriâ lapsus fuit Scaliger, cùm Not. Euseb. p. 257. ait verbum παραβραβεύεσθαι extare in Epistola ad Galatas. Ea vox nusquam est in S. literis. Si ei in animo fuit verbum καταβραβεύειν, ut arbitror, respexit ad locum quem præ manibus habemus. Dicit autem παραβραβεύεσθαι *eos quibus per vim aufertur palmarium.* Vide Notam illam.

ERASMUS.

1. *Qualem solicitudinem*] Ἡλίκον ἀγῶνα, *quantum certamen* sive *periculum:* quanquam AGON & *laborem* sonat, sed *cum difficultate periculoque conjunctum.* ¶ *Pro vobis*] Περὶ ὑμῶν, *de vobis.* ¶ *Faciem meam*, Τὸ πρόσωπόν μου· quod planè refertur ad *faciem.* Nam *Vidit personam meam* nec Latinum esse puto; etiamsi cuidam hoc magis arridet.

2. *Constructi*] Συμβιβασθέντων, *compactorum.* Quidam habet *instructi.* Ambrosius legit, *cùm fuerint instructi in charitate.* Hilarius *instituti.* Porrò hic idem est verbum quod superius vertit *constructi.* Significat autem *compactos & connexos in morem membrorum unius corporis cohærentium aptè inter se.* ¶ *Divitias plenitudinis*] Πληροφορίας. Non est πληρώματος, quod ipsum item *plenitudinem* vertit. Nam πληροφορία magis sonat *certam persuasionem, quoties alicui plenè fit fides, ità ut nihil jam addubitet,* quemadmodum admonuimus in initio Euangelii secundùm Lucam. Optat enim illis certam cognitionem mysterii, nè quid omnino hæsitent. Ad quem modum interpretatur & Theophylactus, τοῦτ' ἔστι, inquiens, ὑπὲρ μηδενὸς ἀμφιβάλλωσιν, *hoc est, nè ulla de re ambigant.* Itaque quæ conferunt in hunc locum recentiores Interpretes, non possunt admodum congruere sensui Paulino. ¶ *Dei Patris & Christi*] Græci addunt conjunctionem καί. τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ τοῦ Χριστοῦ· quemadmodum & aliis aliquot locis loquitur, q.d. *ejus qui Deus est & Pater, & ejus qui Unctus est.*

3. *Absconditi*] Ἀπόκρυφοι hìc nomen est, non participium, *occulti*, sive *arcani.*

4. *In sublimitate sermonum*] Ἐν πιθανολογίᾳ, *in persuasibili oratione*, sive *persuasibilitate*, sive *probabilitate.* Ambrosius legit *in sublimitate sermonis*, locum hunc ad Sophistas detorquens. Is fortasse legit λεπτολογίᾳ. Augustinus Epist 59. legit *in verisimili sermone.*

5. *Et si corpore*] Σαρκὶ, *carne:* quam opponit *spiritui*, qui mox sequitur. ¶ *Firmamentum*] Τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ὑμῶν, *firmamentum vestræ in Christum fidei.* Miror unde D. Ambrosius addiderit hoc loco: legit enim ad hunc modum, *videns ordinationem vestram, & supplens id quod deest utilitati fidei vestræ.* Apparet enim illum ità legisse in Græcis cod. καὶ ἀναπληρῶν τὸ ὑστέρημα τῆς χρείας πίστεως ὑμῶν. Cæterùm Interpres de suo addidit *ejus*; quo nihil erat opus, ob pronomen *vestræ* quod sequitur.

6. *Dominum nostrum*] *Nostrum* redundat apud nos. Græcis tantùm est Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν Κύριον. Consentiebant exempl. Constantiensia. Absolutius est simpliciter dici *Dominum:* quemadmodum in Euangelio, *Dominus his opus habet.*

7. *Et superædificati*] Ἐποικοδομούμενοι præsentis temporis est *ut superstruamini*, manente radice Christo ac fundamento, sive *ut crescatis in eo*, sive *ut collapsi nonnihil restituamini.* Nam id postremum sequitur Theophylactus.

8. *Nè quis vos decipiat*] Μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν, *nè sit qui vos deprædetur*, aut *in prædam abducat.* Ambrosius vertit *deprædetur*; & item Hieronymus lib. Comment. in Oseam; rursum in Comment. quos edidit in Epist. ad Galatas. Græca vox propriè sonat *seu prædam abducere.* Unde & ἱερόσυλοι dicti Græcis *qui deprædantur fana.* Sacrilegium autem est, abigere quod Deo consecratum est. Consimilem ad modum legit Cyprianus in Serm. De bono patientiæ. Hilarius lib. De Trin. 12. legit, *Videte nè quis vos spoliet:* & quod legit, iterat in progressu sermonis. Proinde miror unde hoc nostrum *decipiat* ad nos devenerit. Sentit autem cavendum nè quis occultis insidiis adortus abducat eos è rectâ fidei via in errorem ac perniciem ac servitutem legis Mosaïcæ.

9. *Divinitatis corporaliter*] Θεότητος *Deitatis.* Et addidit σωματικῶς *corporaliter* ut excludat umbras legis Mosaïcæ. Corpus enim opponitur Umbræ: ut hic non sit opus commento de Deitate quæ in triduo mortis conjuncta fuerit corpori, licèt separata fuerit anima. Tametsi Theophylactus geminam adfert expositionem à nostra diversam. CORPORALITER, *id est, juxta naturam & substantiam, non modo juxta effectum, quemadmodum in Prophetis: aut, quia Deitas nunquam sejuncta fuit à corpore Christi.* Hæc unde Theophylactus hauserit nescio. Fruatur suo quisque judicio. Mihi simplicior videtur & ad id quod agitur congruentior expositio quam habet Glossa Ordinaria, de *umbris Legis* & de *veritate Euangelica:* sequitur enim, *corpus autem Christi.* Et in hunc sensum interpretatur Augustinus Epist. 59. Chrysostomus etiam argutiùs; *In Christo inhabitat tota plenitudo Divinitatis, idque corporaliter, tanquam in capite, & per hunc in corpore illius, quod est Ecclesia.* Caput enim & corpus unum sunt. Eoque sequitur. *Et estis in eo completi. Semper enim hoc agit Paulus ut nos faciat Christo proximos; velut cùm ait, Simul cum illo resuscitavit, & sedere nos fecit: &, Si patimur cum illo, & conregnabimus: item, Omnia cum illo nobis donabit. Rursus dum nos Christi cohæredes appellat.* Verissima sunt quæ Thomas scribit de Divina natura personaliter unita carni Christi: Verum eam rem hic non agit Paulus; sed illud potiùs persuadere nititur, Quicunque per fidem in Christi corpus insiti sunt, non egere legis Mosaïcæ præsidio, Circumcisione, & similibus, cum in Christo sint omnia verè & efficaciter.

11. *Non manufacta*] Ἀχειροποιήτῳ. Dictio composita est, i.e. *quæ fit sine manibus.* ¶ *Corporis carnis*] Gr. τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, *corporis peccatorum carnis*, h.e. quod obnoxium est peccatis carnalibus. Augustinus in Epist. ad Paulinum 59. testatur ità scriptum fuisse in nonnullis Latinorum exemplaribus: nè quis omnino contemnat, Græcis iniquior. ¶ *Sed in circumcisione*] *Sed* redundat.

12. *In quo & resurrexistis*] Συνηγέρθητε *simul resurrexistis.* Atque ità legit Ambrosius.

13. *Et vos cum essetis*] Apud Chrysostomum ac Theophylactum ubique pronomen est primæ personæ, ἡμᾶς & ἡμῖν. Item in eo quod sequitur, ¶ *Donans vobis*] *Nobis* est Græcis, prima persona: & ità legit Ambrosius. Agit enim Paulus de Judæorum præputio quod habebant in animo.

14. *Delens quod adversùs*] Meliùs dixisset, *deleto quod adversum nos erat chirographo.* Atque ità legit Ambrosius, ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον. ¶ *Chirographum decreti*] Gr. *decretis*, τοῖς δόγμασιν. Græci cod. ità distinguunt ut accipias *chirographum deletum, quod erat nobis contrarium per decreta legis Mosaïcæ*, sive *per decreta legis Divinæ.* Sanè D. Augustinus Epist. 59. ad Paulinum legit *chirographum in decretis.* Theophylactus Chrysostomum sequens interpretatur *chirographum professionis Mosaïcæ*, aut *obligationem Dei, qui dixit Adæ & Evæ*, IN QUACUNQUE DIE COMEDERITIS MORIEMINI, *sublatum & antiquatum decreto fidei Euangelicæ.* Metaphora ducta ab obligationibus legitimis. Vehementius obligat syngrapha αὐτόγραφος, h.e. *quam tuapte manu scripseris:* hanc Græci *chirographum* vocant. Id irritum fit vel dispunctione sive cancellatione, quæ fiebat inductione linearum transversarum; vel liturâ, quæ fiebat spongiâ in corticibus, aut stylo in tabellis ceratis; vel laceratione. In dispunctione manent scripturæ vestigia, in litura nequaquam. Paulus igitur ut exaggeret Dei erga nos clementiam, primùm declarat nos sic obstrictos fuisse ut nequaquam esset locus inficiandi. Legis enim professio veluti *chirographum*, & ipsa res, atque etiam conscientia coarguebat nos transgressores esse Legis. Quid igitur supererat nisi pœna quæ ex pacto debebatur, h.e. è *chirographo* nostro? Hic exuberavit Dei benignitas. Si damnasset, queri non poteramus. Si debiti partem relaxasset, partem reliquisset, multa debebatur gratia. Si dispunxisset *chirographum*, superessent veteris obligationis vestigia. Nunc semel *delevit* & *obliteravit*, tegens *quicquid erat nobis contrarium*, & unde renasci posset actio: nec hoc contentus, discidit ac laceravit chirographum, *tollens è medio, & affigens illud cruci*, in qua pro nobis dependerat quod debebamus, & obligationem mortis vertit in pactum æternæ salutis. Hujusmodi quiddam annotavit D. Chrysostomus in Homilia quadam atque etiam in Commentariis. Nec otiosum est in emphasi vocum philosophari, præsertim in scriptis B. Pauli, cujus oratio schematibus ac tropis undique scatet. Scholiastes in omnes Pauli Epistolas indicat quosdam esse qui interpretentur CHIROGRAPHUM *memoriam Dei reservantis peccata nostra*, juxta illud, *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Et quod Jeremias ait, *Peccatum Judæ scriptum stylo ferreo in ungue adamantino.* Hæc

omnia

omnia rectè. Mihi tamen coactius videtur quòd *dogmata* interpretantur *fidem*, cùm in eo sensu nusquam legatur *dogma* ab Apostolis usurpatum. Quin in hoc ipso capite prosecutus quod agit de vitandis Judæorum præscriptionibus, δογματίζεσθαι dicit eos qui vel præscribunt externa, vel hujusmodi præscriptis urgentur ad superstitionem, *Nè tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis.* Unde probabilius videtur observanti sermonis hujus tenorem, hic *dogmata* dici præscripta Judaïca, quorum caput erat Circumcisio.

5. *Traduxit*] Ἐδειγμάτισεν· quod Ambrosius vertit *ostentavit.* Augustinus Epist 59. ad Paulinum legit *exemplavit*, Græcam vocem fideliùs quàm elegantiùs exprimens. Ad eundem modum adduxit libro De agone Christiano cap. 2. Mirum autem quid secutus subindè locum hunc adducat hisce verbis, *exuens se carnem, Principatus & Potestates exemplavit*: quasi senserit Paulus ità demum devinci Principatus si victor futurus carnem exuat. Sic enim & interpretatur lib. 16. Adv. Faustum c. 29. Sic refert lib. De peccatorum merit. & remiss. 1. c. 27. Quin & Hilarius lib. De Trin. 9 locum hunc refert, *Delens quod adversum nos erat chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit e medio, affigens illud cruci, exutus carnem, & potestates ostentui esse fecit.* Ac nè quis existimet hoc depravatione scripturæ accidisse, repetit *carnis* mentionem in explicando. Tale quiddam innuit & Scholiastæ commentum. Videntur illi ἀπεκδυσάμενος accepisse reciprocè, *exuens seipsum*: Quemadmodum luctaturi quò sint expeditiores vestem abjiciunt, ità Christus carnem. Unde qui se parant pugnæ sive certamini ἀπεκδύεσθαι dicuntur, nè possint apprehendi. Hoc commentum, meo judicio germanum, ostendit Theophylactus. Et Græci cod. ἀπεκδυσάμενος distinguunt à sequentibus, nè acciperemus *Principatus* esse *spoliatos*. Sed Christus in pugna pro veste carnem abjecit, & hostes in triumpho traduxit. Sed ad rem. Hic eodem verbo Latino reddit παραδειγματίσαι, h. e. *traducere*, in initio Matthæi, & hoc loco δειγματίζειν, cùm illud significet *in exemplum vertere*, hoc *ostentare & spectandum omnibus proponere.* Alluditur enim ad morem triumphantium, qui tropæa sua circumferebant, & populo ostentabant monumenta victoriæ, &c. Quod si Thomas potuisset Græcos Interpretes consulere, non opus erat hic geminis interpretationibus pro unica: *Traduxit*, inquit, *sanctos in cælum.* Aut *traduxit*, h. e. *expulit Dæmones ab homine.* Origenes in Exodum hom. 4. aut certè hujus interpres, explicat vim hujus verbi, *Quos*, inquit, *in adventu suo Christus dicitur traduxisse, h. e. captivos duxisse, & triumphasse in ligno crucis.* ¶ *Confidenter palam*] Ἐν παῤῥησίᾳ· quod Ambrosius legit *in autoritate.* Origenes in Jesum Nave hom 8. legit *traduxit liberè triumphans.* Est autem παῤῥησία *cum quis palam audet, præsertim in loquendo*: quanquam Paulus aliquoties usurpat ad alia. ¶ *Triumphans*] Illud obiter admonendum, *spolians* & *triumphans* & cætera participia hoc loco præteriti temporis esse. ¶ *In semetipso*] Origenis interpres hom. in Jesum Nave 8. indicat in nonnullis cod. legi *in semetipso*; cæterùm in Græcis haberi scriptum *in ligno.* At hodie consentiunt hoc sanè loco Græcorum exemplaria cum nostris. Sunt quos urget hic scrupulus, satisne Latinè dicatur *triumphans illos.* Certè *triumphatas gentes* dixit Virgilius. Nec is locutionis color rarus est apud Historiographos. *Triumphare feminam* rarius est, licèt reperiatur apud Trebellium Pollionem. Ἐν αὐτῷ accipi potest *per seipsum*, h. e. suis ipsius præsidiis.

16. *Judicet in cibo aut in potu*] Est jucunda vocum affinitas in Græcis, quam Interpes non affectavit, ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει. Dicere poteris *in esculentis aut poculentis.* Habet enim hoc schema, præter jucunditatem, & contemptûs & fastidii significationem. Quod genus est illud, *Quotidianarum harum formarum.* Quid ad hæc dicent isti qui nulla ex re magis judicant proximum quàm ex cibo & potu & veste? ¶ *Neomenia*] Νεομηνίας, i. e. *novilunii*, à νέος *novus*, & μὴν μηνός, *Luna*, sive *mensis.* Siquidem Græci non a calendis sed ab initio novæ Lunæ mensem auspicantur.

17. *Quæ sunt umbra futurorum*] Augustinus Adv. Faustum lib. 6. in libris manu descriptis, citat, *quod est umbra.* Fortassis aliquis Græcè semiperitus ἃ mutavit in ὅ, putans articulum plurativum non convenire verbo sing. numeri ἐςί. ¶ *Corpus autem, Christi*] Græca Scholia, nominatim autem Theophylactus, indicant hunc locum bifariam legi: Primum ità, *Illa sunt umbra; sed corpus ipsum*, h. e. veritas, *est Christi*, τὸ δὲ σῶμα, τοῦ Χριςοῦ. Rursum ità, *Corpus Christi, nemo vos decipiat*: ut referas *corpus* ad fideles, qui sunt membra Christi; ut sit sensus, *Vos autem, qui estis corpus Christi, nemo divertat à præmio quod cœpistis promereri credendo in illum.* Atque hic sensus probatur Augustino in Epist. ad Paulinum. Sed prior lectio mihi videtur accommodatior, utpote minùs coacta. Ambrosius videtur tertium quendam sensum accipere, quasi *umbra & corpus* utrumque referatur ad ea quæ præcesserunt, *cibus, potus, festum, neomenia, Sabbata*: hæc omnia erant *umbra futurorum*, *sed* eadem *corpus Christi.* Sic enim infert, *Hæc autem omnia sunt corpus Christi, quia elementorum per effectus sunt vocabula.* Sed Apostolus, meâ sententiâ, *corpus Christi* vocat illa, quod quicquid illis adumbrabatur id in Christo sit exhibitum, ut jam illa sint negligenda. Cùm abest ipsum corpus, umbris utcunque pascimur; cùm adest, offendit etiam umbra. Atque hunc, ut dixi, sensum sequitur Augustinus in Epist. ad Paulinum 59.

18. *Nemo vos seducat*] Καταβραβευέτω, *in brabus* (aut *præmiis*) *fraudet.* Sic enim interpretatur Hieronymus in Quæstionibus ad Algasiam, quæst. 10. *Nemo adversum vos brabium accipiat.* Cùm enim in certamine positus iniquitate agonothetæ, vel insidiis magistrorum brabium & debitam sibi palmam perdit, καταβραβεύεσθαι dicitur. Idque verbi videri vult peculiare Cilicum, in qua provincia Paulus natus & educatus fuit. Græcanica Scholia admonent, καταβραβεύειν dici *quoties penès alium est victoria, penès alium præmium.* Ambrosius legit, *Nemo vos devincat*, Augustinus Epist 59. *convincat.* Ex his satis liquet quantum absit à vero Jacobi Stapulensis, hominis alioquin eruditi, in hoc loco sententia, quam in prima recensuit editione. Verùm hunc in errorem induxit Valla, qui putat καταβραβεύειν esse *ad brabium evocare*, sive *brabium ostentare.* Fortasse leviculum, sed tamen obiter admonendum illud, *brabium* dicendum esse Latinis, non *bravium*; h. e. per *b*, secundam literam, non per *v*; deinde penultimâ acutâ aut circumflexâ, quemadmodum est apud Græcos, βραβεῖον, *brabium*, sive *brabeum.* Qui de Græcarum vocum Etymologiis conscripserunt, existimant βραβεῖον dictum à ῥάβδος, mutatis ac transpositis literulis aliquot, quod est *virga* sive *sceptrum.* Unde qui Regalia sceptra gestant *brabeutæ* dicti sunt, quod horum partes essent in certaminibus præmium addicere ei qui vicisset, nè quis inter certantes oriretur tumultus. Atque id propemodum indicat Martialis in Præfatione quadam, cùm ait *contra retiarium ferula.* Sunt qui putant palmeam virgulam tradi solitam victori, victoriæ symbolum, eamque virgam *brabeum* appellari. Unde καταβραβεύειν est *intercipere præmium*, non *evocare ad præmium.* Hesychius indicat idem pollere παραβραβεύειν. Nec hoc verbum esse Cilicum ostendit Aristoteles, libro Rhetoricôn 1. cùm ait, καὶ ὅτι δικαίου βραβευτής ἐςιν ὁ δικαςὴς, *quod justi brabeuta est causarum forensium judex.* Aristoteles enim nihil habet barbaricum, sed purus & Atticus est. ¶ Θέλων] Non opponitur *invito* aut *nolenti*, sed idem pollet ac si dicas *studio* sive *datâ operâ*: ut intelligerent illos malitiosè insidiari Colossensibus. Quanquam Augustinus in Epist. ad Paulinum participium *volens* non accommodat ad verbum *seducat*, sed ad id quod sequitur *in humilitate*; *volens in humilitate*, q. d. *affectator humilitatis*: quemadmodum dicimus ἐθελόδουλος. Ad eundem modum distinguunt Græci. Ex Ambrosio colligitur, eos studio per humilitatem dejicere voluisse animos hominum, nè sese erigerent ad cœlestia. Nec abhorret hinc Theophylactus, separans participium *volens* à superioribus, & interpretans Pseudapostolos Angelos quosdam colendos ingerere, quò per hos pateficeret hominibus aditus ad Patrem alioquin inaccessum. Paulus autem nescio quid supra Angelos spirat, Christo fretus. ¶ *In humilitate*] Ἐν ταπεινοφροσύνῃ, quod refertur ad *animi modestiam*: unde Ambrosius ità reddidit, *in humilitate animi*, distinguens ab *humilitate conditionis*, quæ ταπείνωσις dicitur: & tamen interim abusus videtur ταπεινοφροσύνῃ in malam partem. Nam qui jactant visiones Angelorum, crassos & abjectos requirunt animos, quibus faciliùs imponant, alioquin nasutis protinus subolet impostura. Nisi juxta sententiam Augustini mavis accipere *simulatam modestiam Pseudapostolorum.* ¶ *Et religione Angelorum*] Θρησκείᾳ, quod *religionem* sonat, nonnunquam & in bonam partem, sæpe tamen peregrinam ac superstitiosam. Vox, ut autumant, à *Thracibus* deducta, quòd apud hos Orpheus multa de Diis confinxerit, traditis ceremoniis quibus colerentur. ¶ *Ambulans*] Ἐμβατεύων, *ingrediens ea quæ non vidit.* Tametsi Hieron. in eodem loco ἐμβατεύων interpretatur *incedens fastuosè.* Mirum unde D. Augustinus Ep. 59. legat *quæ non vidit inculcans*, quasi Græcè legisset ἐμβαθεύων per θ. Ambrosius legit *ea quæ vidit extollens.* Hesychius indicat ἐμβατεῦσαι nonnunquam idem valere quod *occupare*, veluti *locum*, aut *domum*, aut *totam hereditatem.* Sed Hieronymi magis arridet sententia. Metaphoram ductam opinor à *Tragicis cothurnis*, quandoquidem genus hoc ἐμβάδες dicuntur, quòd in his sublimes incedant qui Regem aut Deum agunt. Augustinus ad Paulinum indicat in nonnullis Latinorum codicibus scriptum fuisse *quæ vidit*, quemadmodum legit & Am-

& Ambrosius; in nonnullis, *quæ non vidit.* Sed illud mirum, cùm hic loqui videatur de visis Angelorum, quomodo Augustinus interpretetur de sacrificiis, quæ quis *ideo magni ducit quod ea viderit alicubi observari*, vel *quod non viderit* quidem *ea facienda*, sed *quod opinione* populari *ducatur*. Neque minus durum quòd Ambrosius hæc ad Astrologiæ Philosophiæque studium detorquet. ¶ *Sensu suæ carnis*] Ὑπὸ τοῦ νοὸς, *à mente*, ut legit D. Ambrosius. Sic enim vocat affectum hominis impii.

19. *Crescit in augmentum*] Αὔξει τὴν αὔξησιν. Græca figura est, q. d. *Vivit vitam*, *Gaudet gaudium*: sic hoc loco *augescit augmentum*.

20. *Ab elementis hujus mundi*] *Hujus* redundat. Tantum est *ab elementis mundi*. *Mundum* enim vocat quicquid videtur. ¶ *Quid adhuc tanquam*] *Adhuc* redundat. Nec additur apud Ambrosium τί ὡς, *cur tanquam*? &c. ¶ *Viventes mundo*] *In mundo* est Græcè: & ità legit Ambrosius. ¶ *Decernitis*] δογματίζεσθε, *decernimini*. Quanquam nec illud *decernimini* explicat id quod sensit Paulus. Intelligit enim *eos decretis & constitutionibus hominum duci*, *velut subjectos*: & hoc notat δογματίζεσθαι, i.e. *dogmatizari*. *Dogma* enim Græcè *decretum* est: quod Paulus ferè in malam accipit partem, pro *legibus quæ non Dei sed hominum arbitrio præscribuntur*, quemadmodum paulò superius. Unde & *Decreta* Pontificum vocamus, distinguentes à lege Divina. Jam enim illa præcepta de Delectu ciborum, de Observatione dierum, de Sacrificiis, hominum esse cœperunt, postea quàm apud Deum evanuerunt. Græcanica Scholia admonent, Paulum non dixisse δογματίζετε, h.e. *decreta facitis*, sed δογματίζεσθε, i.e. *decretis oneramini*. Annotavit idem Theophylactus, licèt interpres Latinus longè diversam sententiam extulerit. Græca sic habent, Ὅρα δὲ καὶ πῶς ἠρέμα αὐτοὺς διακωμῳδεῖ, δογματίζεσθε, εἰπών· ὡς γὰρ παιδία ἀρτιμαθῆ κάθησθε, φησὶν, δογματιζόμενοι καὶ νουθετούμενοι τί δεῖ ποιεῖν. Ea sic reddidit interpres, *Adverte autem quàm eos stultitiæ arguat, vituperetque. Cum* DECERNITIS *inquit: perinde ac si dicat, Nec secus ac pueri per lusum solent, dicaciores vos aguis, qui pridie nati, & nuper instructi sint. In consessum enim venistis, ut sententias de dogmate proferatis, sanciatisque quid factu sit necessarium*: cum Græci sermonis hæc sit sententia, *Quin & illud vide, ut illos tacitè taxat, dicendo*, δογματίζεσθε. *Siquidem ut pueri, inquit, qui nuper discere cœperunt, sedetis, vobisque præitur ac præscribitur quid facto sit opus.* Hæc admonui, Lector, ut intelligas quid sit interpreti peregrini sermonis fidere. Proinde nec hoc loco probo Jacobi Fabri sententiam, qui vertit *decreta quæritis*. Interpres Vulgatus & Ambrosius legisse videntur δογματίζετε. Idem legisse videtur Tertullianus libro De carnis resurrectione; *Quomodo*, inquit, *quasi viventes in mundo sententiam fertis?* Mirum autem quid secutus Cyprianus lib. ad Quirinum 3. legat, *Quid tanquam viventes in mundo vana sectamini?* Nisi fortè, quòd à verbo δοκεῖν dicatur δόγμα, humanas de rebus opiniones dicit *vanas*.

21. *Ne gustaveritis*, &c.] Hæc tria verba apud Græcos sing. numeri sunt, Μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς, *ne attigeris*, *neque gustaveris*, *neque contigeris*. Atque hæc videntur dici à Paulò μιμητικῶς, i.e. *per imitationem*, quam quidam inter schemata referunt. Sic enim loquebantur qui suis decretis onerabant Christianos, *Ne gustes hoc*; *Ne tangas illud*; *Ne contrectes hoc*: atque his ceremoniis subigebant velut in tyrannidem quos Christus liberos esse voluit. Et utinam his quoque temporibus non idem facerent Sacerdotes quidam, omissis iis quæ propius ad pietatem pertinent, qui constitutiones constitutionibus accumulant, hoc tantum agentes ut plebem quàm maximè fieri potest illaqueatam, sibi reddant obnoxiam, suæ tyrannidi suoque quæstui consulentes, Non igitur sic accipiendum est quasi Paulus prohibeat tangi gustarive quippiam, sed reprehendit eorum supercilium qui hæc magno fastu prohibebant. Idem palàm indicat D. Augustinus Epist. 59. ad Paulinum. Et tamen Ambrosius ità interpretatur quasi Paulus his verbis deterreat ab omni spe mundanorum, meâ sententiâ, non satis attentè: quod quidem cum tanti viri pace dictum sit. Idem citat in eundem sensum, enarrans Psalmum 118. serm. 18. Rursus lib. 2. De patriarcha Abraham, c. 6. aliisque locis aliquot. Tertullianus adducit hunc Pauli locum lib. 5. Adv. Marcionem. Et Theophylactus cum Chrysostomo nobiscum facit. Evidentius etiam Glossa ordinaria.

22. *Ipso usu*] Τῇ ἀποχρήσει, *abusu*. Et Ambrosius legit *per abusionem*. Agit enim de cibo & potu, quæ usu consumuntur & in latrinam excernuntur. Nam iis propriè dicimur *abuti* quæ usu absumuntur, quemadmodum & Jureconsultorum literæ nos docent.

23. *Rationem quidem habentia sapientiæ*] Λόγον hic interpretantur *speciem*: quod quoniam Aquinas sensit duriusculum, annectit id quod sequitur, *in superstitione*; ut intelligamus *in ejusmodi rationem esse sapientiæ*, non simpliciter, sed *ad superstitionem*. At mihi videtur oratio inabsoluta. Cœpit enim per μὲν, & non reddidit quæ illi respondet δέ. Proinde mihi videtur λόγος hoc loco sonare *sermonem* aut *verba*, ut opponatur *rei*. Quod si absolvisset orationem, dixisset ad hunc modum, *Quæ omnia verbo tenus videntur erudita ac magnifica, nimirum ab Angelis profecta, ut illi narrant. Cæterùm re longè absunt à religione Christi, quæ nec in superstitione, nec in abjectione animi, quâ pecudum ritu homines homunculi cujuspiam arbitrio circumaguntur, nec in læsione corporis sita est, cùm Deus sibi voluerit honorari corpus, non cruciari inediâ, sed in puritate vitæ & charitate.* Nobiscum facit apertè Theophylactus. *Honorem* autem *corporis* hic Subsidium appellat, juxta proprietatem sermonis Hebraici; velut alibi, *Honora viduas*: &, *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur*. ¶ *In superstitione*] Ἐν ἐθελοθρησκείᾳ. Quæ est *falsa religio*, interprete Hieronymo in eo quem modò citavi loco. Nam *superstitio* δεισιδαιμονία dicitur. Ambrosius legit *superstitione*. Porrò vox Græca ità sonat q. d. *spontanea religio*, cùm quis ultro sibi fingit religionem. Nam θρησκεία *religio* dicitur à *Thracibus*, apud quos Orpheus primus cœpit nugari de Diis, ut modò dictum est; & θέλω, *volo*. Idque probè quadrat in confictas ab homunculis ceremonias. ¶ *Et humilitate*] Ταπεινοφροσύνῃ. D. Hieronymus hoc quoque verbum notat, tanquam impropriè hoc loco usurpatum, cùm aliàs *virtutem sonare soleat*, hic *vitium quo quis humilia sentit atque terrena*. Et abjecti est animi ut patiatur sese veluti bubalum duci naribus præceptis hominum. ¶ *Non ad parcendum corpori*] Καὶ ἀφειδίᾳ σώματος· quod ad verbum sonat *imparsimonia*, h.e. cùm quis non parcit alicui rei. Nam φείδομαι *parco*, & α particula est privativa. Ambrosius legit *ad vexationem corporis*. Atque eam lectionem indicat & Augustinus in Epist. ad Paulinum, cujus jam sæpe meminimus. Sentit enim de iis qui superstitione lacerabant aut mutilabant corpus suum, aut immoderatis jejuniis conficiebant. Manent hujus rei nonnullæ reliquiæ hodieque apud Italos in Flagellatoribus, cujusmodi multa commemorat Apulejus in Asino suo.

VATABLUS.

1. Q*ualem*] *Quantam*. ¶ *Solicitudinem*] Vel, *periculum*, aut *laborem cum difficultate periculoque conjunctum*.

2. *Consolentur*] Vel, *invitentur*, aut *incitentur*. ¶ *Instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem*] *Instructorum in charitate & in omnibus divitiis plenæ certitudinis intelligentiæ*: i.e. si, vel, cùm fuerint instituti in charitate & habuerint copiosissimam certitudinem veræ & certæ intelligentiæ ut agnoscant mysterium Dei, &c. *Mysterium Dei* vocat Euangelium quod soli Deo & Christo erat cognitum. Alii legunt, *compactorum & connexorum in charitate, & in omni abundantia indubitata & comperta certitudinis scientia.* ¶ * *Patris* * *Christi*] * * *Et.*

4. *Sublimitate*] *Probabilitate*: i.e. specioso fuco rationis humanæ.

5. *Corpore*] *Carne*. ¶ *Sed*] *Tamen*. ¶ *Firmamentum*] *Soliditatem*.

7. *Radicati & superædificati in ipso & confirmati in fide*] *Radices habentes in illo fixas, & superædificantes vos in illo, & confirmantes in fide.* ¶ *In illo*] *In ea*, Vet. sub. *fide*. ¶ *In*] *Cum*: i.e. gratias agentes quòd illam vobis dederit.

8. *Decipiat*] *Deprædetur*: i.e. velut prædam à Deo abducat. ¶ *Et*] *Et*, pro *id est*: q. d. quæ inutilis est & deceptrix. ¶ *Elementa mundi*] i.e. Externa ac mundana rudimenta & præcepta, tradita de rebus hujus mundi, ut de cibis immundis, vestibus, temporibus. ¶ *Non secundum Christum*] i.e. Quod secundum Christi doctrinam fieri nequit.

9. *Omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*] id est, plena Deitas verè, non per umbram aut figuram.

10. *In illo repleti*] *Per illum perfecti*: id est, justitiam veram consequimini. ¶ *Caput omnis principatus & potestatis*] id est, Dominium habet in omnes potestates visibiles & invisibiles.

11. *In quo*] *Per quem*: sub. *Christum*. ¶ *In exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione*] *Per ablationem corporis carnis peccatorum, per circumcisionem*, &c. i.e. Dum exuit vos corpore carneo quod peccat, quam circumcisionem Christus efficit. Vetera exempl. non legunt, *sed*.

12. *Consepulti ei in baptismo*] i.e. Cum baptizati fuistis, signi-

significastis vos per mortem Christi esse à peccato liberatos, & novam vitam ineundam esse cum eo qui resurrexit. ¶ *In quo*] *Cum quo.* ¶ *Operationis Dei*] i. e. Quam operatus est in vobis Deus: vel, si creditis quod operatione & potentiâ Dei suscitatus est.

13. *In delictis & præputio*] *Per delicta & præputium*: i. e. quòd viveretis secundum Gentilem vestrum vivendi modum. ¶ *Convivificavit cum illo*] i. e. Vitam dedit ut cum illo vivatis.

14. *Decreti*] *Decretis*, Vet. i. e. per decreta, vel, in decretis, i. e. quod placita Dei continebat. *Chirographum* vocat legem sive Decalogum, quod digito Dei scriptus esset in tabulis lapideis: vel quod testificetur contra nos, & nos condemnet sicut chirographum debitorem coram judice.

15. *Traduxit confidenter*] *Ostentavit*: sub. *ut victum ostentare solent victores.* Augustinus Græcam vocem expressurus dixit, *exemplavit.* Alludit ad morem triumphantium qui tropæa sua circumferebant, & populo ostentabant monumenta victoriæ. ¶ *Illos in semetipso*] *De illis per semetipsum*; i. e. suâ ipsius victoriâ.

16. *Judicet in cibo*] i. e. Damnatione dignos asserat ob cibum. ¶ *Diei festi*] Sub. *non observati.* Vet. non legunt *festi.*

17. *Corpus autem Christi*] q. d. Quorum futurorum significatum, veritas & perfectio per Christum datur & exhibetur.

18. *Seducat*] *Præmiis fraudet*: vel, *paratâ coronâ indignos reddat.* ¶ *Volens in humilitate*] *Affectator humilitatis*: vel, *placens sibi in abjectione simulatâ.* ¶ *Religione angelorum*] *In falso cultu*: i. e. jactans angelorum cultum, neglecto Christo Mediatore. ¶ *Quæ non vidit ambulans*, &c.] *In iis quæ non vidit fastuosus incedens*: i. e. illa agens quæ pro certo non habet Deo accepta esse. ¶ *Sensu*] *Mente*, vel, *intelligentiâ*, Heb. propter prudentiam suam carnalem.

19. *Non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus*, &c.] *Non est junctus capiti, per quod totum corpus velut per articulos & colligationes* [vel *ligamenta*] *alitur & connectitur, & augescit augmento Dei*: i. e. incremento fidei & Spiritûs Dei.

20. *Si* *] * *Ergò.* ¶ *Mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi*] i. e. Si ope Christi liberati estis ab elementis mundanis. ¶ *Viventes* *] * *In*, Vet. i. e. tanquam viventes rebus hujus mundi visibilibus. ¶ *Decernitis*] *Decretis tenemini*, [*decretis servitis*: vel, *oneramini*] i. e. præceptis ceremoniarum ad cultum Dei externum tantùm pertinentibus.

21. *Ne tetigeritis, ne*, &c.] *Ne tetigeris, neque gustaveris, neque contrectaveris*, Vet.

22. *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu*] *Quæ omnia interitui sunt ipso usu*: i. e. mortem afferunt utentibus, quòd in illis putent esse salutem Christianam, non secundùm doctrinam Christi, sed secundùm, &c.

23. *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum*, &c.] *Quæ speciem quidem habent sapientiæ per propriâ voluntate inventam religionem, & simulatam humilitatem, & læsionem corporis*, [i. e. macerationem] nullo pacto honorando illud [i. e. alendo] *ad expletionem carnis*, vel, *quantum satis est carni.* Reprehendit hic tacitè Paulus eos qui corpori necessaria non tribuunt. *Honorem corporis* hic vocat subsidium, juxta proprietatem sermonis Hebraici, velut alibi, *Honora viduas*, &c.

CASTALIO.

11. EXuto humanorum peccatorum corpore] h. e. Exutis peccatis, quæ *corpus* sunt, h. e. per corpus in circumcisione significantur: ut cap. 3. ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας, h. e. τὴν κληρονομίαν, ἥ τις ἐστιν ἀνταπόδοσις. Eodem modo loquuntur etiam profani, ut Plinius lib. 2. c. 5. *Hujus* (scilicet *aeris*) *vi suspensam cum quarto aquarum elemento librari medio spatio tellurem. Aquarum elementum* vocat aquas, quod elementum est.

13. *Delictis & vestri corporis præputio*] Humanis peccatis, quæ tollenda esse declaratur dum in circumcisione detrahitur præputium.

14. *Obliterato placitorum chirographo*] Ἐξαλείψας χειρόγραφον τοῖς δόγμασι. Sic dativo utitur ut is per genitivum reddi possit: quale est illud 2 Cor. 12. *Appositus est mihi stimulus carni*, h. e. *carnis & corporis*; aut, *ad corpus stimulandum*, quod idem valet: ut Apoc. 8. καπνὸς τῶν θυμιαμάτων ταῖς προσευχαῖς, pro τῶν προσευχῶν. Est enim Hebraismus, quem nos in Psalmorum titulis declaravimus, in τῷ Δαβὶδ pro τοῦ Δαβὶδ. Talia sunt & illa Catonis quæ in 2 Cor. 2. citavimus, *Ornamenta bubus, opercula doliis*; quæ possunt ità dici, *Ornamenta boum, opercula doliaria.* Ità hic χειρόγραφον τοῖς δόγμασι est *placitorum chirographum*, h. e. ipsa placita decretaque Divinæ legis, quibus nos tanquam chirographo tenebamur obstricti: quippe cùm pronunciatum sit, *exsecrabilem esse quicunque legi non paruisset*, idque nostrâ, h. e. populi, acclamatione sancitum, cùm universi responderent, *Amen*, Deut. 27. eo chirographo cogebamur parere Legi: quod quia non poteramus, Christus pro nobis paruit, pœnasque dedit, atque ità chirographum quasi acceptilatione delevit. ¶ *Affixum cruci*] Per Christi crucem.

17. *Quarum corpus Christus est*] Christus res est illis umbris adumbrata. Est autem in Græco *quarum corpus Christi est*; quod idem est: ut Latinè idem est, *Summa miseria est belli civilis*, &, *Summa miseria est bellum civile.* Sed ego perspicuitati servivi.

18. *Nemo vos supplantet*, &c.] Καταβραβευέτω eo modo dixit quo καταπαλαίειν dicitur, *supplantare, atque ità impedire, quò minus brabium & palmam assequaris*: quod faciunt qui Christianos à vera doctrinæ via abducunt. ¶ *Modestiam* vocat quæ modestia videtur esse: quale est illud Terentii, *Terram intuens modeste*, h. e. cum specie modestiæ. Et Juvenalis,

> ——— *Cùm jam vertigine tectum*
> *Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis.*

loquitur enim de ebriis, quibus hæc fieri videntur. Atque idem paulò pòst eâdem sextâ Satyrâ Clodium vocat *psaltriam*, quòd psaltriæ vestitum gestaret. Sic igitur Paulus hoc loco *modestiam* vocat cùm se eò demittit homo ut à certis cibis modestè abstineat: ut mox declarabit. ¶ Quod verò *sibi placens*, Græcè est θέλων, ex verbo חפץ translatum: quod aliàs εὐδοκεῖν dici solet, ut Matth. 27. ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτόν, h. e. εἰ εὐδοκεῖ ἐν αὐτῷ· est enim in Hebræo Psal. 22. unde is locus translatus est, כי חפץ בו. Item Psal. 1. Ἐν τῷ νόμῳ τοῦ Κυρίου τὸ θέλημα αὐτοῦ, חפצו. ¶ *Angelorum cultum* vocat, eorum qui Angelos colebant. ¶ Ἑώρακε pro μεμάθηκε, ut Joh. 8. καὶ ὑμεῖς ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε.

19. *Neque caput tenens, à quo*] In Græco *caput* est fœm. generis, *à quo* autem masculini: refert enim rem, non verbum: ut sit *caput* Christus, *à quo Christo*, &c.

20. *Quod ad mundi rudimenta attinet mortui*] h. e. Nihil jam rei habetis cum mundi prima institutione, quæ rudimenta sunt pueris necessaria, adultis (adulti sunt autem Christiani) inutilia. ἀπεθάνετε ἀπὸ τῶν στοιχείων dixit quomodo Latini *paratum à pecunia*, h. e. quod ad pecuniam attinet.

21. *Ne contigeris*] Scilicet immunda. ¶ *Ne gustaveris*] h. e. Vesci noli: ut Cæsar *Britannos leporem non gustare* tradit. ¶ *Ne tetigeris*] Non modò non gustandum, sed nè tangendum quidem. Est autem imitatio orationis eorum qui hæc vetabant. Sequuntur Pauli verba, *Quorum omnium*, inquit, *est usus est, ut usu pereant*: sic enim verto, ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει. *Hæc omnia*, inquit Paulus, h. e. cibi omnes quos illi gustare vetant, *eò destinati sunt ut utendo pereant*: alioquin nullus eorum usus esset: ut sine usu perirent, atque ità Deus aliquid inutile fecisset. Eandem sententiam ad Corinthios posuit, *Venter esca, & esca ventri.* ἀποχρήσει posuit pro χρήσει, ut Cato solet *abuti* dicere pro *utendo consumere*; & Isocrates in Panegyrico dixit καταχρήσασθαι eâdem notione.

22. *Et ad corporis expletionem pertineant, non ut in aliquo sint honore*] Hæc verba à fine capitis in hunc locum perspicuitatis gratiâ transtuli; ut & Joh. 1. feci in πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Est enim adjectio ad ea quæ de cibis dixit, qui ut *usu consumantur expleantque corpus & ventrem* comparati sunt, *non ut sint in honore*, non ut iis tantum honoris præstetur ut sit contingere nefas.

23. *Ista verò placita sunt*] Ad verbum est, *quæ sunt*; quod ego clarius explicare volui, alioquin futurum obscurius propter interjecta. ¶ *Ut rationem habeant sapientiæ*] Ut eorum tanquam sapienter factorum ratio reddi posse videatur, quod videntur *modestè & religiosè* fieri, & quòd eâ continentiâ *corpus severè asperèque tractatur.* ἐν autem posuit pro *propter*, ut suprà, μηδεὶς ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει· & Ephes. 3. αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου.

CLARIUS.

2. IN omnes divitias plenitudinis] Πληροφορίας *certitudinis, certæque persuasionis.* Et hìc significans non solùm thesauros verùm etiam certissimam veritatem nostræ Philosophiæ, dixit *in omnes divitias certæ persuasionis intellectus.* ¶ *Dei & Patris & Christi*] Et hìc frequens est usus, ut dicat *Dei & Patris* pro *Dei Patris*, h. e. Dei qui idem & Pater est. Et observa plena majestatis verba qui sequuntur, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Et cur hoc

hoc dicat admonet, *ne quis vos decipiat in probabilitate sermonis*: q. d. Non vos moveat pompa verborum, & inanis jactantia sapientiæ hujus seculi: hic, hic sunt ingentes *thesauri* ac veri & *sapientiæ & scientiæ*.

5. *Et carne absens sum*] Consequens erat ut diceret, Cerno tamen spiritu deceptores illos qui vestrum ordinem perturbare conantur; sed obtexit rem, ne videretur vehementior.

8. *Per Philosophiam & inanem fallaciam*] i.e. Quæ solidi ad vitam æternam consequendam nihil habet. ¶ *Secundum elementa mundi*] Nam humana sapientia necesse est ut ex harum rerum visibilium contemplatione proficiscatur. Et fortasse alludit etiam ad illud quòd Galatis scripsit, cùm ait, *sub elementis hujus mundi eramus servientes*.

9. *Corporaliter*] Substantialiter, non per figuram aut habitum, sed ut anima in corpore, h. e. essentialiter, accepit nostram naturam, ut fieret Deus & homo una Persona.

11. *Corporis peccatorum carnis*] Sicut & illud, *ut destruatur corpus peccati*: προσωποποιΐα.

12. *Per fidem operationis Dei*] *Simul resuscitati estis*, inquit, dum creditis efficaciâ & potentiâ Dei etiam vos esse resuscitandos.

13. *Præputio carnis vestræ*] Vocabulo *præputii* more Hebræorum intelligitur immunditiés quædam; sicut contrà, nomine *circumcisionis* signatur munditiés. Ut ergò cùm suprà dixit, *in quo & circumcisi estis*, significavit puritatem & sanctificationem, ità hic per *præputium* intelligit impuritatem.

14. *Per decreta*] Eodem verbo usus est ad Ephesios & in eundem sensum ferè, ut quod ibi vocavit *legem mandatorum* hic appellet *chirographum*, *quod erat contrarium nobis*. Nam Lex, nisi adsit gratia, aggravat potiùs quàm juvat. Sunt qui per *chirographum* intelligant illud quod dixit Deus Adæ, *Quocunque die comederis, morte morieris*. Sunt qui per *chirographum* intelligant Peccatum, *quod erat contrarium nobis*.

16. *Nemo ergò vos judicet*] Cùm per fidem in Christum plena integraque comparata sit vobis salus, neque ulla jam Legalium rerum observatio sit necessaria, *nemo* posthac audeat *vos judicare & damnare* ex eo quòd non discernitis *in cibis*, &c.

17. *Corpus autem Christi*] *Corpus* hic intelligit veritatem & substantiam rerum: & opponit *corpus umbræ*. Igitur sicut umbra refert quidem imaginem corporis, non tamen est corpus, sic illæ Legis ceremoniæ velut *umbra* quædam erant, verùm *soliditas rerum* pertinet *ad Christum*.

18. *Volens in humilitate*] Erant quidam apud eos qui simulatione humilitatis prohibebant eos ad gratiam Christi accedere, tanquam indignos tantâ re; & docebant rogandos potiùs Angelos qui nos exhiberent Deo, ut qui & priùs communem accessum sint operati: majus autem esse quàm nobis conveniat, intercessore uti Christo ad hoc. Ob hanc causam introducebant religionem Angelorum; & iidem etiam Judaïcarum superstitionum autores fuisse videntur.

20. *Ab elementis mundi*] De his ad Galatas dictum est.

21. *Ne tetigeris*] Cum indignatione verbis utitur eorum qui Judaïcos mores introducebant.

23. *Quæ sunt omnia*] *Hæc omnia*, inquit, quæ tanti isti faciunt, & jubent ab eis abstineri, instituta sunt ut eis utamur: nam *usu* ipso *corrumpuntur*, & non est de ipsis Divina lex quæ ea prohibeat. Sed ista *inventa* sunt & *documenta hominum*, nullo Divino fundamento nixa: *quæ speciem* tantùm *habent sapientiæ*, dum *religionem* quandam & *humilitatem* præ se ferunt, ac dejiciunt animum, quem magnificis Euangelii promissionibus erigi oportuerat, & docent *non esse parcendum corpori*, sed revera auferunt *honorem* quem Deus rebus inseruit, quas iccirco instituit ut honestaret Hominem; qui diversa haberet alimentorum genera *ad satiandas explendasque corporis necessitates*.

ZEGERUS.

2. IN *omnes divitias plenitudinis intellectûs*, &c.] *Divitias plenitudinis intellectûs* dixit Hebræorum more, opinor, pro *copiosa ac divite plenitudine intellectûs*, aut pro *divitiis plenis intellectûs*, quo intelligimus & *agnoscimus* redemptionis nostræ *mysterium* à *Deo Patre per* Filium suum *Christum* mundo exhibitum. ¶ *Mysterii Dei Patris & Christi Jesu*] Multa est hic in lectione varietas, sed quod posui vulgatius est, eoque & præferendum duxi. Ambrosius legit *mysterii Dei in Christo*. Augustinus scribit *ad cognoscendum mysterium Dei, quod est Christus*. Græca editio habet *mysterii Dei, & Patris & Christi*. Chrysostomus habet ut nos posuimus. Cætera prætereo.

7. *Confirmati in fide, sicut & didicistis abundantes in illo*] Illud *in* non exstat in Græcis, nec apud Ambrosium, nec in aliquot cod. vetustis. Porrò pro *in illo* prædicti autores legunt *in ea*, ut referatur ad *fidem*: pro qua lectione tria adnotantur exemplaria in editione Lovaniensi; & quatuor quæ nec *in illo* nec *in illa* habent: quam diversitatem & nos invenimus in iis quæ nobis videre contigit.

8. *Ne quis vos decipiat*] Μή τις ὑμᾶς ἔςαι ὁ συλαγωγῶν propriè est, *ne quis sit qui vos deprædetur*, aut *in prædam abducat*.

9. *Plenitudo Divinitatis corporaliter*] *Corporaliter* dixit, h. e. ut Theophylacti verbis dicam, *non operatione aliquâ, sed substantiâ, & tanquam corporatus, & substantia una existens cum carne assumpta*. Magnam hujus capitis partem enarrat B. Augustinus Epist. 59. quæ est ad Paulinum.

11. *In exspoliatione corporis carnis*] Græca pleniora sunt, uno videlicet interjecto vocabulo, *in exspoliatione corporis peccatorum carnis*, i. e. quæ in carne fiunt: vel quòd corpus obnoxium est peccatis carnis. Vide Augustin. epist. 59.

12. *Per fidem operationis Dei*] i. e. Per fidem quâ credimus & confitemur virtutem, potentiam & operationem æterni Dei in resuscitando Christum à mortuis.

13. *In præputio carnis vestræ*] i.e. Per vitam in Gentilitate malè & juxta carnales concupiscentias actam.

14. *Chirographum decreti*] Per *chirographum decreti* intelligimus obligationem seu pactum illud Dei cum Adamo initum, dicente Domino, *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Poterimus item per *chirographum* istud Legis Mosaicæ professionem intelligere; sicuti legimus populum Israëliticum pactum iniisse cum Domino, atque spopondisse impleturum sese quæcunque mandasset Dominus, cùm dicerent Exod. 24. *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes*. Nec solùm hæc, verùm etiam omne peccatum, propter quod per suam justitiam Deus nobis decrevit inferre mortis æternæ supplicium, *chirographum* est vel *syngrapha adversus nos*. Jam quod Græcis modò legitur τοῖς δόγμασι, h. e. *decretis*, intelligere possumus vel *decreto fidei Euangelicæ sublatum esse chirographum*, vel *decreto Legis Mosaicæ adversus nos firmatum*: ut ita distinguamus, *chirographum, decretis quod erat contrarium nobis*.

15. *Traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso*] *Traducere* hoc loco est ad spectandum omnibus proponere, sicuti solent victores tropæa sua & monumenta victoriæ circumferre omnibusque spectanda proponere. Itaque Christus magnanimitate quadam atque *confidentiâ palàm traduxit principatus ac potestates* illas Diabolicas, *per semetipsum* victor evadens ac *triumphos palàm de illis agens* in ipsorum ignominiam.

16. *Nemo vos judicet in cibo aut potu aut in parte diei Festi*] h. e. Tales vos exhibete, *ne quis vos* possit *judicare* & *condemnare* quòd adhuc Legis sitis observatores, maximè verò *in cibo ac potu* secernendo, *in celebratione diei festi*, *aut neomeniæ*, *aut Sabbatorum*. Quod autem dicitur *in parte diei festi*, intelligi potest vel in negotio diei festi; vel quòd quædam festa observarent, aliis neglectis. Vide locum, *Alius judicat diem*, Rom. 14. ¶ *Neomenia*] i.e. *Novilunii*, sive *calendarum*, à νέος *novus* & μὴν μηνὸς, *mensis*, vel à μήνη *Luna*. Judæi autem menses suos à lunationibus non separant, sed cum novilunio novum similiter mensem auspicantur, habentque primum diem cæteris celebriorem.

17. *Quæ sunt umbra futurorum; corpus autem, Christi*] *Umbra* fuerunt veteris Legis ceremoniæ, ac imagines quædam eorum quæ in lege gratiæ exhibenda erant: *corpus autem ipsum*, i.e. earundem imaginum solida veritas unde umbræ illæ causabantur, *ad Christum spectat*, sive *ipse Christus est*, quippe qui illarum nobis exhibuit mysteria. Theophylactus ità distinguit, *Corpus autem Christi, nemo vos seducat*: quam equidem distinctionem non admodum probo, utpote adversantem tum aliis, tum Tertulliano lib. cont. Marc. 5.

18, 19. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans frustrà inflatus sensu carnis suæ, & non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*] Quod in superioribus cavendum monuit, dicens, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam*, nunc apertiùs docet observandum ab his qui verum Dei cultum destruere conantes, visibilesque creaturas colendas asserunt: quod proculdubio Diaboli, humani generis inimici, operâ efficitur, ut semper animas super terram humiliatas detineat, in quam ipse dejectus est, simulans interim religionem hanc esse, cùm sit maximum sacrilegium. Dicit itaque sic, *Videte ne quis volens, ac sentiens tantùm ea quæ videt* (sic enim B. legit Ambrosius) *vos seducat per fictam humilitatem, & superstitiosum stellarum* (quas *Angelos* vocat) *cultum*, *in quibus ipse ambulans* (vel ἐμβατεύων extollens

extollens se, juxta eundem Ambrosium) *ad nihil proficit nisi ad damnum. Nec enim est animo præditus modestiâ humilitateve, ut confictâ simulet hypocrisi; sed contrà mente carnis suæ atque carnali sensu inflatus. Denique nec Christum agnoscit, neque illi, ut capiti membrum, per fidem adhæret, ex quo totum Ecclesiæ corpus vitalis spiritûs accipiens subministrationem, dum fidei atque charitatis quibusdam veluti nexibus & commissuris compaginatur spirituali Deoque digno crescit incremento.* In hanc ferè sententiam enarrat Ambrosius. Licebit quoque & in hunc sensum juxta alios interpretari, *Cavete nè quis vobis bravium intercipiat* (id enim καταβραβευέτω juxta etymologiam signat) *volens*, h. e. studio dataque operâ, *per umbratilem forisque apparentem humilitatem* (vel *in humilitate*, i. e. per abjectam & insinceram doctrinam) *& superstitiosum quendam Angelorum cultum*, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, i. e. *ea quæ non vidit ingrediens* (vel *in iis quæ non vidit fastuosè incedens. Angelos enim*, inquit Chrysostomus, *non vidit, & tamen ità afficitur illorum superstitione ac si vidisset*) *frustrà inflatus à mente carnis suæ, non retinens neque agnoscens salutis totius caput Christum, ex quo totum Ecclesiæ corpus pendens, ab eodem omni dote spirituali spirituque vitali defluente in singula membra, per commissuras artuum ac membrorum alitur ac augescit usque ad summam perfectionem spiritualem Deo Patre dignam, cui per Christum connectitur.* Tractat hunc locum usque ad finem capitis etiam B. Hieronymus in Epist. ad Algasiam, quæst. 10. Tertullianus illud *in religione Angelorum* videtur exponere de visionibus Angelicis, dicentibus *Nè tetigeritis*, &c.

20. *Ab elementis mundi hujus*] *Elementa mundi* vocat impias, mundanas carnalesque Judaicarum & Gentilium constitutionum præceptiones sive observationes. Ambrosius docet hoc cum illo Joannis ep. 1. 2. congruere, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; id est*, inquit, *neque elementa quibus compactus est hic mundus, neque errores quos humana adinvenit traditio diligamus.* ¶ *Quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis?*] h. e. *Decreta præscribitis*, dicentes, *Nè tetigeritis* quicquid impurum est, *Ne gustaveritis* cibum Lege vetitum, *Neque contrectaveritis* sacrum hoc, quod nefas habetur à profanis contingi, &c. Si verò pro *decernitis* passivè δογματίζεσθε legas, juxta Scholia Græcorum, sensus erit, *quid decretis oneramini.* Verùm hanc lectionem veteres non sequuntur, nominatim Tertullianus & Ambrosius.

22. *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu*] Bifariàm exponi potest; nempe quòd *dogmata* ejusce modi *in perditionem sint utentibus*; vel quòd *cibus & potus ad corruptionem eant*, dum per secessum egeruntur.

23. *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis*] Græca ejusmodi sunt, ἅτινά ἐςι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος ut hic possit esse verborum sensus, *Quæ videlicet præcepta & doctrina hominum speciem quidem habent sapientiæ, in spontanea & ficta religione, in vitiosa humilitate, in immani corporis vexatione, non in honore aliquo ad saturitatem carnis*, h. e. in non sustentando ad saturitatem corpore. *Honor* enim in Scriptura nonnunquam subsidium & necessariarum rerum subministrationem signat. Ex quibus facilè etiam nostræ lectionis sensus patet. Nè quis autem hic damnari putet constitutiones Ecclesiasticas, videat ex præcedentibus contextûs Apostolici verbis, & quò spectet Apostolus & quid interpretetur B. Ambrosius; quandoquidem nos compendio studemus.

LUCAS BRUG.

11. IN *quo & circumcisi estis circumcisione non manufactâ* [*manifestâ* o.] * *in* [* *non* o.] *exspoliatione corporis carnis*, * *in* [* *sed* o.] *circumcisione Christi.*] Græca antigrapha, Græcis tractatoribus adstipulantibus, addunt τῶ ἁμαρτιῶν, *In exspoliatione corporis peccatorum carnis.* B. Augustinus, epist. 59. in solutione quæstionis 7. testatur in nonnullis Latinis exemplaribus ità scriptum fuisse: Adamus Sasbout & nunc alia Latinorum exemplarium id habere notat. Nos porrò nulla quæ id haberent invenire potuimus: quotquot vidimus, omnia id omittunt, concinentibus Enarratoribus editionis nostræ, Autore Glossæ & posterioribus. Cæterùm annotant Autor Glossæ & alii aliquot pro *corporis* aliàs *cutis* legi: atque ità est in quatuor MSS. nostris, *In exspoliatione cutis carnis*: in uno utrumque jungitur, *Corporis cutis carnis.* Id quod, *cutis* inquam, glossema fuisse arbitror, textûs loco, i. e. *corporis*, substitutum: Glossematicorum enim nostrorum multi (Autor Glossæ, Lombardus, Carensis, Thomas, Gorranus, Bruno) de veteris circumcisionis exspoliatione pericopen hanc intelligi posse existimant; quidam (Anselmus, Lyranus, Richelius, Gagneius) intelligunt. Unde & conjunctionem adversativam *sed* adjectam reor ei quod sequitur, *In circumcisione Christi*: quam veriores libri, Græcis ac Syris conformiter, non agnoscunt. Atqui hunc intelligendi modum Græcus fons non admittit, qui, pro eo quod nobis est *manufactâ*, unâ voce ait ἀχειροποιήτῳ, negatione coactâ in dictionem, extra quam vim suam non exserat. Citra ambiguitatem Latinè verti potuisset, *Absque manibus factâ.* Syri legunt, *Circumcisione quæ non cum manibus, in exspoliatione carnis peccatorum, in circumcisione Christi.* Addunt *peccatorum*, quod Græci: omittunt *corporis*, aut certè *carnis*, quod nec Græci nec Latini.

H. STEPHANUS.

4. ὙΜᾶς παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ] *Vos decipiat oratione ad persuadendum accommodatâ.*

8. Μή τις ὑμᾶς ἔςαι ὁ συλαγωγῶν] *Nè quis vos deprædetur*: q. d. transversos agat vel auferat sensus vestros.

14. Ἐξαλείψας τὸ χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν] *Deleto decretorum chirographo*: vel *unà cum decretis*, sive *ritibus.*

15. Ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς] *Traduxit palàm, & de illis triumphavit.*

18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω] *Nemo vos debito bravio fraudet.*

20. Δογματίζεσθε;] *Decreta proponitis?*

23. Ἀφειδίᾳ σώματος] *In eo quod corpori non parcant.*

DRUSIUS.

13. D*Onans*] i. e. Condonans, ut Eph. 4. 32. *donantes invicem*, sub. *peccata* vel *offensas.* Sic 2 Cor. 2. 10. *Cui autem aliquid donastis*: & mox, *nam & ego quod donavi, si quid donavi.* In his locis *donare* valet Condonare, quod Græci exprimunt verbo χαρίζομαι. Memini antea.

15. *Confidenter palàm*] Sunt duæ interpretationes, quarum altera ex margine irrepsit, ut credibile est. Lex. Vet. Παῤῥησία, *licentia, fiducia, confidentia.* Ergò ἐν παῤῥησίᾳ *in confidentia*, i. e. confidenter, quod Græci autores dicerent παῤῥησιαςικῶς. Idem Lexicon, Παῤῥησιαςικῶς, *licenter.* Melior interpretatio, ἐν παῤῥησίᾳ, *palam*: quod Ebræi Doctores dicunt בפרהסיא, vocem Græcam suam facientes. Id valet בפרהסיא *apertè, palam*: cujus contrarium בסתר *occultè, latenter*, & בצנעה *clam.* Ità sumitur ἐν παῤῥησίᾳ Joh. 11. 54. & 7. 4, 13. & Mar. 8. 32. Vide Particulas Rabbinicas à Radæo impressas Franekeræ.

19. *Caput, ex quo*] In Græco textu est κεφαλὴν, ἐξ ὗ, constructio sensu congrua non voce. Nam dicendum erat ἐξ ἧς. Simile in Scriptura *gentes quos.* Nam habetur ratio sententiæ, non dictionis. Vide Notas ad Rom. ed. Latinam Deut. 12. ubi disertè, *Usitatum enim est in Scriptura*, GENTES QUOS. Quod noto propter Serarium Jesuitam, qui ob simile mendum typographicum in libris meis admissum mihi olim ferulam intentavit, citavitque ad tribunal plagosi Orbilii: à quo ei magis metuendum, qui ex OPERIS TYPOGRAPHICIS *peras typographicas* fecerit, h. e. ex hominibus saccos: sed nolo hominem mortuum lacessere. Valeat cum suo Orbilio, & Apostolo quoque propter hoc solœcophanes virgas parcat. Nam ad hoc otium ei, quod mihi nunc deest aliud agenti. Non sapit qui talia ad cor revocat: contemnenda sunt.

21. *Nè tetigeris*] Nempe cibum hunc quem pollutum arbitrabantur. Nam qui talem cibum tangebat, pollutus erat. Quod notum adeò ut probari non debeat. ¶ *Neque gustaveris*] לא תטעם. *Gustare* hìc est edere, i. e. אכל. Sanè in ordine primo illius libri qui vocatur *Arbaaturim* לא טעמים expositum invenio לא אכלים 85. 3. Ordo iste nuncupatur ארח חיים, i. e. *semita vitæ.* Vide, si placet. Alioqui *gustare*, quando propriè sumitur, minus est quàm *edere.* Nam qui gustat duntaxat in jejunio, non violat jejunium. Dicunt etiam, *Qui gustat, non benedicit.* Id fiebat ore, linguâ, palato. Videndus Abenmelech. Gen. 27. ¶ *Nè contrectaveris*] Μὴ θίγῃς, *nè attigeris.* Lex. Vet. Θίγω, *attingo.* Θίξις, *tactus.* Idem ergò cùm μὴ ἅψῃ, quod similiter convertunt *Nè attigeris.* Ebraicè אל תגע, cujus thema נגע, quod Senes frequentiùs reddunt per verbum ἅπτω, semel interpretantur καὶ θίγειν τι αὐτοῦ, videlicet Exod. 19. 12. Quidam μὴ ἅψῃ interpretantur *Nè esitaveris*: quem hujus verbi usum ex Thucydide ac Plutarcho probant. Puto fuisse verba solennia in ore Pseudoapostolorum, cùm alii dicerent μὴ ἅψῃς, alii μὴ θίγῃς, & alii μὴ γεύσῃ, ut non sit necesse aliò confugere. Sunt qui *gustare* accipiunt pro *comedere* in illo Cæsaris de Britannis, *Leporem & gallinam & anserem gustare fas non putant*; dubito an bene.

CASAU-

CASAUBONUS.

14. **T**Ὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον] Sic apud Demosthenem ἡ κατὰ σαυτοῦ κειμένη συγγραφὴ, p. 543. & alibi.

17. Τῶν μελλόντων] i. e. Rerum *quæ futura erant*.

18. Καταβραβευέτω] Suidas legit καταβραβευέσθω. Similis locus suprà v. 8. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ, &c. *Nemo in humilitate & cultu Angelorum de vobis palmam referat.* Sententiam hanc totidem verbis Latinam bene facere difficillimum est. ὁ νοῦς, Cùm multi sint qui cupiunt vobis vana quædam persuadere, qualia ipsi probant & sequuntur, vos tamen cavete nè cuiquam cedatis. Gallicè, *que nul ne vous gaigne voulant ce faire en humilité d'esprit & service des Anges.* Καταβραβεύειν expono νικᾶν cum Hesychio, qui explicat κατευγωνίζεσθαι, i. e. νικᾶν. Idem ἐμβατεύειν, ζητεῖν explicat. Καταβραβευέτω autem non aliter videtur accipere Ambrosius, vertens *devincat*. Puto autem παραβραβεύειν magis propriè de judice dici qui *iniquè brabium alicui adimit*; καταβραβεύειν autem propriè de athleta qui *adversus alium obtinuit brabium*, h. e. vicit. Θέλων autem prorsus cum Scholiaste explicandum censeo; aut certè pro ἐθελόθρησκος, ut hæc conjunguntur infrà v. 23. Omnino familiare est Paulo uti vocibus à ludis sumptis. Sic ad Galatas, Ἐτρέχετε καλῶς, &c. Huic interpretationi unum fortasse obstat, quod cùm dixerit modò, Μή τις ὑμᾶς κρινέτω, videtur καταβραβευέτω exponi posse κατακρινέτω. Nam & Hesychius explicat κατακρινέτω. Verbo ἐμβατεύειν in hunc sensum eleganter utitur Photius in 9. cap. Epist. ad Rom. Ἄρα κρυφίοις ὀφθαλμοῖς ὁ Θεὸς ἐμβατεύει εἰς τὰς τῶν ἀνθρώπων καρδίας, καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι. Summa: verbum καταβραβεύειν vel est judicis, vel est τοῦ συνηγωνιζομένου. Θέλων hic accipio pro *cupidus id faciendi*, *qui facere id quærat*, ut notamus ad Joh. 6. 21. Aristoteles vocat ἀθλομαχίαν tales fraudes ἀνταγωνιστῶν, Elench. lib. 1. c. 10.

CAMERON.

21. **A**Ἐςι πάντα, &c.] Quæritur quid sibi velit illud, *Nè tange*, &c. *quæ omnia pereunt ipso usu.* Resp. Paulum intelligere res ipsas circa quas Tactus, Gustus, Contrectatio versatur, quæ cùm sint obnoxia interitui, fieri non potest ut ulla pietas sit in harum rerum abstinentia, aut verò impietas in earum tactu aut gustu. Nempe quomodo Christus dicit, *nihil eorum quæ in os ingrediuntur polluere hominem*; & ipse Paulus alibi, *Regnum Dei non esse in cibo & potu*, Rom. 14. 17.

23. Ἅτινά ἐςι λόγον ἔχοντα, &c.] Quæritur an ἅτινα eodèm referatur & de iisdem accipiatur atque ἅπαντα versu præcedente. Resp. referri ἅτινα ad ἐντάλματα, quod proximè præcedit; ut sit sensus, *Præcepta & doctrinas illas hominum de abstinentia habere quidem speciem sapientiæ*; Primò, quia illis præscribitur *cultus voluntarius*, qui cultus ille est quem Pontificii vocant *bonæ intentionis*, qui homini maximè arridet, & ideo maximè illi probatur quia voluntarius est: Unde fit ut ejusmodi opera vocent *Supererogationis opera*, quibus sibi volunt multò plus deberi quòd ea non sint à Deo præcepta. Videtur autem omnino alludi ad id quod Jud. 21. 25. & alibi non semel dicitur יעשה בעיניו הישר איש. Cui opponitur εὐσέβεια 1 Tim 6. 11. h. e. quod 2 Reg. 15. 34. dicitur יהוה בעיני הישר. Secundò, quia illa sunt ἐν ταπεινοφροσύνῃ, versantur nempe circa ea quibus humana natura redditur sordida veluti & contempta; ut Monachus, qui quò sordidior est & pannosior eò sanctior videtur. Unde in Euangelio scriptum est, Pharisæos solitos esse ἀφανίζειν τὰ πρόσωπα. Tertiò, quia illa sunt ἐν ἀφειδίᾳ σώματος, h. e. quia hâc ratione cruciatur corpus. ¶ Οὐκ ἐν τιμῇ τινι] Quæritur quid sit illud οὐκ ἐν τιμῇ τινι. Resp. Primò, hæc verba includenda esse per Parenthesin: nam series sermonis id requirit ut hæc conjungantur, ἐν ἀφειδίᾳ σώματος πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, h. e. *illis corpori non parcitur quantum ad carnis expletionem attinet.* Secundò, Si velimus scire quid Paulus hìc per τιμὴν intelligat, consulendus est ipse 1 Thess. 4. 4. *Ut unusquisque vestrûm sciat possidere vas suum* ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ. Nam est quædam ἀφειδία σώματος quæ est ἐν τιμῇ, ut cùm quis non indulget libidini carnis, undè fit ut non polluat carnem suam. Itaque versu præcedente Apostolus istam τιμὴν explicavit, *Hæc est*, inquit, *voluntas Dei*, *sanctificatio vestra*, *ut abstineatis à scortationibus.* Huic τιμῇ opponitur ἀτιμία, ἀσχημοσύνη, ἀκαθαρσία, Rom. 1. 24. contrà τίμιος ὁ γάμος dicitur, Heb. 13. 4. At ista superstitiosorum abstinentia seu σώματος ἀφειδία non est ἐν τιμῇ τινι nam corpus eà veluti dehonestatur & fœdatur. Quin & sententiam illam quæ non admittit nec probat abstinentiam nisi ea sit ἐν τιμῇ rejicit Bellarminus; nempe quia improbo homini nihil æquè gratum est quàm ut cùm offensus est ab aliquo, cruciatu sibi ab eo satisfiat. Dei ingenium ex suo ipsius ingenio homo metitur.

GUALTPERIUS.

14. **X**Ειρόγραφον] Tritum quoque Latino sermone est. Quidam interpretantur *cautionem manu alicujus scriptam*, *aut annulo obsignatam*. *Cautionem chirographi* Cicero quoque dixit. Schard. in Lex Jurid. exponit Privationem *Cautionem manu alicujus vel scriptam vel subscriptam*, *Eine Hand-Schrifft.* Itaque generale nomen est ad omnes ejusmodi cautiones pertinens. Fecit autem consuetudo ut *chirographum* propriè appelletur συμβόλαιον γραμματεῖον, ut ait Hesychius, i. e. *cautio ad contractus pertinens*, & propriè *libellus quo quis pecuniam se debere scripsit*. Chirographum *inane* dicitur cùm id quod debitum fuerat est persolutum, &c.

JAC. CAPPELLUS.

9. **I**N *illo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*] h. e. Ὅλως, *totaliter*, quòd eadem ratio sit corporis ad membrum quæ totius ad partem. Scriptura quippe vocem σῶμα *corpus* sumit pro quovis *toto*: ut Rom. 6. 6. *ut aboleatur corpus Peccati.* Sic in Christo dicimur esse *corpus unum* 1 Cor. 6. 16. *Unus panis*, *unum corpus*, estis vos *qui multi estis*, 1 Cor. 10. 17. & 12. 12, 13, 14. Ephes. 1 23. & 2. 16. & 4. 4, 16. & 5. 30. Col. 1. 18, 24. Vel potiùs *corporaliter*, σωματικῶς, sumitur hìc pro *veraciter*, quòd Veritas Typis opponatur quomodo Corpus Umbræ, Col. 2. 17. Augustinus De præsentia Dei, cap. 19. *Non ideo* CORPORALITER *quia corporeus sit Deus: sed aut verbo translato usus est, tanquam in templo manufacto non corporaliter sed umbratiliter habitaverit, id est præfigurantibus signis. Nam illas omnes observationes* UMBRAS FUTURORUM *vocat, etiam ipso translato vocabulo. Aut certè* CORPORALITER *dictum est quia & in Christi corpore, quod assumpsit ex Virgine, tanquam in templo habitat Deus.* Posterius istud interpretamentum non quadrat, quia vel eò pertinet ut *corporaliter* explicetur per *tanquam in templo*, quod durum est, vel tautologiæ species affingitur Pauli verbis: eoque melior est illa quæ τὸ σωματικῶς opponit Umbris, ut significet idem quod *vere*.

18. *Nemo* [a] *dominatum in vos usurpet* [b] *per affectatam submissionem & cultum Angelorum*, [c] *ingerens sese in ea quæ non vidit, & temere turgens* [d] *sensu carnis suæ*] [a] Βραβεύειν est *dominari*. Col. 3. 15. καταβραβεύειν *dominatum usurpare*, ut κατακυριεύειν. Hieron. ad Algasiam q. 10. vult hunc esse Cilicum idiotismum, vultque significare, *Nemo bravium adversùs vos accipiat.* Commodiùs Scaliger adversùs Serarium, *Nemo bravium vobis paripiat.* [b] Θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ, figura est quæ dicitur ἓν διὰ δυοῖν, pro ἐν ἐθελοταπεινοφροσύνῃ, h. e. *submissione voluntariâ*: quomodo cultus voluntarius sive minimè requisitus à Deo dicitur ἐθελοθρησκεία v. 23. & ab Epiphanio de Montanistis hær. 18. §. 14. ἐθελοδικαιοσύνη, *Faciunt*, inquit, *ista* κατηφείας χάριν καὶ ἐθελοδικαιοσύνης. Idem hæresi 60. περὶ τῶν ἀποτακτικῶν loquens ait, σχίζουσι μάτην ἤτοι καὶ βλάπτουσι τὴν ἁγίαν Θεοῦ Ἐκκλησίαν διὰ τὸ ἐθελοθρησκεύειν. [c] Quotquot Angelorum cultum nobis obtrudunt, ut nobis sint apud Deum intercessores ac εἰσαγωγεῖς, humilitatis obtentu superbiunt quàm maximè, quasi doctores viæ melioris eâ quam Spiritus S. in verbo suo revelavit, & ea de cœlestibus Potestatibus scientes quæ fuerant antehac ignota. [d] Hominis irregeniti *carnalis* est non tantùm brutus Appetitus quo fertur in Venerem aut ingluviem, sed & νοῦς sive *Mens*, quæ cœlestia tentat, & de virtutibus, gradibus, ordinibus Angelorum ità differit ac si metatorem egisset in cœlis. Quo vitio vel maximè laboravit is qui Dionysium Areopagitam mentiens Hierarchias Angelorum ausus est enarrare. Eodem vitio laborant omnes qui curiosis artibus vel superstitioni sunt addicti. Clemens Alexandrinus Strom. 3. Ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐςὶ καὶ τοῖς Μάγοις οἴνου τε ὁμοῦ καὶ ἐμψύχων καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, λατρεύουσιν ἀγγέλους καὶ δαίμονας. *Magi sedulò abstinent à vino & à rebus animatis & à Venere, colunt Angelos & Dæmonas.* Patet id ex Apollonio Tyaneo, cujus Vitam describit Philostratus. Et hæc quidem Satan Ethnicis persuadebat. Apud Christianos autem ut faciliùs fidem inveniret, satis erat illi si posset eos adducere ad colendos, si non Dæmonas, saltem Angelos. Et obtinuit id primò quidem à paucis veluti clanculùm id facientibus, non in Basilicis & synaxibus publicis, sed secretis. Hos damnat Concilium Laodicenum anno circiter Christi 365. congregatum, can. 35. Ὅτι οὐ δεῖ Χριςιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν, &c. Postea persuasit Satan Christianos

ſtimos Synodo ſatisfacturos, ſi colerentur Angeli, non clàm in ſecretioribus quibuſdam oratoriis, ſed palàm in ipſis Baſilicis & ſynaxibus publicis.

21. *Ne attigeris, neque guſtaveris, neque contrectaveris*) Moſes quidem vetabat quorundam ciborum eſum. Et qui cadaver attigerat, erat immundus ad veſperam uſque. Sed quibuſdam Judæis & Samaritanis hoc non ſufficiebat: Nolebant enim quenquam alterius dogmatis, imprimis verò Gentilem, attingere. Epiphanius in Præfatione tribuit Samaritanis τὸ βδελύττεσθαι τὰ ἔθνη, καὶ μήτε προσψαύειν τινῶν· & hær. 9. de Samaritanis agens, Λοῦνται σὺν ἱματίοις βαπτίζονται, ἐὰν ἅψωνται ἑτέρου τῶν ἀλλοεθνῶν. μιαρὸν γὰρ ἡγοῦνται τό τινος ἅψασθαι, ὑποθίγειν ἄλλου τινὸς ἀνθρώπου ἀπ' ἄλλου δόγματος. Πολλὴ γὰρ ἡ τούτων φρενοβλάβεια.

22. *Quæ res cedunt in corruptionem ipſo uſu*] Ἐν τῇ ἀποχρήσει. Vocem hanc V. Interpres & Beza vertunt *uſu*, non malè, licèt videatur *abuſum* ſignificare. Diſtinguuntur quidem τὸ χρᾶσθαι & ἀποχρᾶσθαι quemadmodum *uti* & *abuti*: ſed ἀπόχρησις non ſemper in malam partem ſumitur, ſed aliquando, forſan, & plurimùm, ſumitur pro *uſu*. Dionyſius Halicarn. lib. 1. p. 47. σώζεσθαί τε ὑμᾶς περὶ πολλοῦ ἂν ἐποιησάμην εἴ μοι δῆλοι γένησθε οἰκήσεως δεόμενοι ἥκειν, ἐν ἀποχρήσει τε γῆς μοίρας. *Ego ſalutem veſtram magni fecerim*, inquit Latinus Trojanis, *ſi mihi conſtet vos veniſſe ſedium inopiâ, ut utamini parte noſtræ regionis.* Adeoque καταχρῶμαι cum accuſativo ſignificat *uſurpare* vel *exercere*. Epiphanius hær. 38. refert Cajanos impium aliquid facturos dicere ſolitos, Ὁ δεῖνα ἄγγελε, καταχρῶμαί σου τὸ ἔργον· ἡ δεῖνα ἐξουσία, πράττω σου τὴν πρᾶξιν.

23. *Quæ ſapientiæ quidem rationem habent*] Veram tamen ſapientiam non habent. Habent autem rationem ſapientiæ quatuor ob cauſas: nempe propter 1. *Voluntarium* Dei *cultum*, voluntariæ pietatis, quæ non exigit Deus, exercitia; 2. *Submiſſionem animi*; 3. *Auſteritatem corpori nullo modo parcentem*, corpus malè tractantem χαμευνίαις, σακκοφορίαις, αὐτοπληξίαις, *humicubatione, cilicio, flagellatione*; 4. *Faſtidium eorum quibus farcitur caro.* Græca verba ſunt, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι (ſupple τῶν) πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός· quæ ſic commodè poſſis παραφράζειν, ὅτι εἰσὶ, 1. ἐθελόθρησκοι, 2. ταπεινόφρονες, 3. ἀφειδῶς ἔχοντες τὸ σῶμα, ἤτοι ἀφειδῶς τὸ σῶμα δυλαγωγοῦντες καὶ ὑπωπιάζοντες, 4. οὐκ ἐν τιμῇ τινι ἔχοντες, μᾶλλον δὲ ἀτιμάζοντες τὰ πρὸς πλησμονὴν σαρκός. His nominibus putant homines à ſe ſapienter inſtitui, ſapienter uſurpari dogmata de quibus ver. 21. ac ejus generis alia. Sed S. Scriptura teſtatur, hominum ſapientiam ſibi diſplicere & Eccleſiæ pernicioſam eſſe. Vide quæ ſuprà notavimus in 1 Cor. 9. 27. Hieronymus ad Algaſiam quæſt. 10. *Hoc*, inquit, *loco* QUIDEM *conjunctio ſuperflua eſt: quod in plerisque locis propter imperitiam artis Grammaticæ Apoſtolum feciſſe reperimus.* Abſit ut hanc imperitiam affingamus Paulo, quem ibidem Hieronymus *doctiſſimum* vocat: ſed ſtudio brevitatis more Judæorum eſt ἐλλειπτικώτερος aliquantò quàm ferat Helleniſmus. Ut igitur Rom. 5. 12. poſt ὥσπερ, ſic hic poſt μὲν, non ſuppletur antapodoſis, quòd utrobique manifeſta ſit. *Habent quidem*, inquit Apoſtolus, *iſta rationem ſapientiæ, veram ſapientiam non habent.*

GROTIUS.

1. Θέλω γὰρ ὑμᾶς εἰδέναι ἡλίκον ἀγῶνα ἔχω περὶ ὑμῶν, *Volo enim vos ſcire quale certamen habeam pro vobis*] Ἡλίκον ἀγῶνα נפתלי אלהים [*qualem luctationem.*] Ex occaſione verbi ἀγωνιζόμενος [*certans*] ſermonem hunc nectit. Per ἀγῶνα autem intelligit non *ſollicitudinem* tantum, ſed & *preces aſſiduas* ſignificatas per luctam Jacobi. ¶ καὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ, *& iis qui ſunt Laodiceæ*] Laodiceam Phrygiæ intellige. ¶ καὶ ὅσοι οὐχ ἑωράκασι τὸ πρόσωπόν μου ἐν σαρκί. *& quicunque non viderunt faciem meam in carne*] Latini dicerent, *Qui me de facie non noverunt.* Sed quia פנים [*facies*] Hebræis multa ſignificat, perſpicuitatis causâ addidit ἐν σαρκί [*in carne.*]

2. Ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν, *Ut conſolentur corda ipſorum*] Ut impleatur in illis vaticinium Eſaiæ 40. 1, 2. ¶ συμβιβασθέντων ἐν ἀγάπῃ, *compacti in charitate*] Similitudo ſumpta à cortinis Templi. Quod ibi eſt חבר συνέχειν [*conſtringere*] & συνάπτειν [*connectere,*] id hic eſt συμβιβάζειν. Vide Exod. 26. multis locis. Vide Epheſ. 4. 16. & hic infra 19. ¶ καὶ εἰς πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως, *& in omnes divitias plenitudinis ſcientiæ*] Εἰς [*in* cum accuſativo] pro ἐν [*in* cum ablativo;] & πλοῦτος [*divitiæ*] ut ſæpe diximus *abundantiam* ſignificat: πληροφορία συνέσεως, *plenitudo ſcientiæ*, eſt *ſcientia plena*, id eſt, quanta eſſe in hoc ſeculo poteſt. πληροφορεῖσθαι poni etiam pro מלא πληροῦσθαι [*impleri*] oſtendimus ad Rom. 14. 5. Hinc πληροφορία & πληροφόρημα, *plenitudo.* ¶ εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ. *in agnitionem myſterii Dei & Patris & Chriſti*] ἐπίγνωσιν diximus jam aliquoties eſſe *cognitionem exactiorem. Myſterium* dicit voluntatem illam Dei quam Chriſtus patefecit. τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς [*Dei & Patris,*] id eſt, *Dei qui idem Pater eſt noſter*, ut Epheſ. 1. 2. 4. 6. Philipp. 4. 20.

3. Ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*] *In quo myſterio continentur theſauri omnes ſapientiæ & ſcientiæ*, nempe ſalutaris. Vide ſupra 1. 9. Epheſ. 1, 8. ἀπόκρυφος [*abſconditus*] cùm dicit, ſimilitudinem ſumit ab arca in qua pecuniæ ſervantur: indidem promendæ, ubi opus eſt. Sic Dan. 11. 43. κυριεύσει ἐν τοῖς ἀποκρύφοις τοῦ χρυσίου [*dominabitur in reconditis auri.*] Et 1 Macc. 1. 24. ἔλαβε τοὺς θησαυροὺς τοὺς ἀποκρύφους [*accepit theſauros occultos.*] Sapientia theſauris comparari ſolet Prov. 8. 10, 19. Matth. 13. 44.

4. Τοῦτο δὲ λέγω ἵνα μή τις ὑμᾶς παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ. *Hoc autem dico ut nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum*] Jam tum erant, qui in Phrygia ſemina jaciebant hæreſeos quæ dicta κατὰ Φρύγας [*ſecundum Phryges.*] Miſcebant alii Judaïca, alii Pythagorica tum dogmata tum inſtituta Chriſtianæ religioni, & cæteros non eadem ſequentes quaſi imperitos & carnales ſpernebant. παραλογίζεσθαι reſpondet Hebræo התל & השא, pro quibus ponitur & πλανᾶν, ἐξαπατᾶν [*ſeducere.*] vide 1 Cor. 6. 9. 15. 33. Gal. 6. 7. 2 Corinth. 11. 3. 2 Theſſ. 2. 3. ἐν πιθανολογίᾳ, *oratione ſpecioſa.*

5. Εἰ γὰρ καὶ τῇ σαρκὶ ἄπειμι, ἀλλὰ τῷ πνεύματι σὺν ὑμῖν εἰμι, *Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum*] Idem ſenſus qui 1 Cor. 5. 3. Deus Paulo revelabat quæ Coloſſis fierent. ¶ χαίρων καὶ βλέπων ὑμῶν τὴν τάξιν, *gaudens & videns ordinem veſtrum*] Eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum pro duo;*] hoc enim vult: *gaudeo videns cuncta apud vos agi rectè atque ordine.* תּוֹר τάξις [*ordo*] Aquilæ. Vide 1 Cor. 14. 40. ¶ καὶ τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ὑμῶν. *& firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ*] *Firmitatem fidei veſtræ in Chriſtum.* יסוד אמונתכם [*fundamentum fidei veſtræ*] Vide 1 Petr. 5. 9.

6. Ὡς οὖν παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν, *Sicut ergo accepiſtis Chriſtum Jeſum*] *Chriſtum Jeſum* rurſum dixit ipſam Chriſti doctrinam. Et παραλαμβάνειν [*accipere*] propria vox diſcentibus, 1 Cor. 11. 23. 15. 1, 3. Gal. 1. 9. Philipp. 4. 9. ¶ ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε. *in ipſo ambulate*] *Actu id exprimite.* id enim הלך ſive περιπατεῖν [*ambulare,*] Rom. 6. 4. 8. 1, 4. & alibi.

7. Ἐῤῥιζωμένοι, *Radicati*] Vide Epheſ. 3. 18. Matth. 13. 6. Longè alii eſte quàm illi de quibus Eſaias 40. 24. ¶ καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ, *& ſuperædificati in ipſo*] Actor. 20. 32. Epheſ. 2. 20. *fundati in Chriſto* qui *fundamentum* eſt, 1 Cor. 3. 11. ¶ καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει, *& confirmati fide*] נאמנים [*conſtituti.*] ¶ καθὼς ἐδιδάχθητε, *ſicut & didiciſtis*] Epheſ. 4. 21. ¶ περισσεύοντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριστίᾳ. *abundantes in eâ in gratiarum actione*] *Per gratiarum actionem creſcentes in fide*, 1 Cor. 14. 12. 2 Cor. 8. 7. Deus gratos majoribus cumulat donis. In Manuſcripto deeſt ἐν αὐτῇ [*in ea.*]

8. Βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam*] Ἔσται ὁ συλαγωγῶν [*ſit decipiens*] pro συλαγωγῇ [*decipiat,*] loquendi genus etiam elegantioribus Græcis uſitatum. Σῦλα eſt id *quod per vim abducitur*, ut in Repreſaliis. Συλαγωγεῖν quaſi *per vim abducere.* Sic dicimus

— *quæ me prædata puella eſt.*

Solemus enim tranſlationes ſumere ad ea quæ parem habent effectum. Deinde eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo.*] Nam διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης [*per Philoſophiam & inanem fallaciam*] idem valet quod διὰ τῆς κενῆς ἀπάτης τῆς διὰ φιλοσοφίας [*per inanem fallaciam quæ oritur ex philoſophia.*] Ipſam vocem Græcam uſurpavit φιλοσοφίας [*philoſophiæ,*] quia erat recepta. Verè autem ea fallebat homines. Nam aut vitam æternam non promittebat, aut viam quæ eò duceret, veram certamque non monſtrabat. Itaque non miror Haſmonæorum temporibus factum decretum, *Maledictus ſit qui docet filium ſuum Philoſophiam Græcam.* Non quòd per ſe eam noſſe malum ſit, ſed quòd multum in ea viderent periculi. Et certè fatendum eſt, poſtquam Judæi Græcis libris ſe dedere, veterem illam doctrinam multis modis fuiſſe interpolatam. ¶ κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, *ſecundum traditionem hominum*] Rectè: nam quod Græci illi docebant, ex humano ἐπὶ τὸ πλεῖστον [*maxima ex parte*] erat ingenio. De Deo autem Deique decretis quid certi haberi poteſt niſi Deo docente?

Ideo

Ideo perpetuæ & inexplicabiles inter Philosophos rixæ: & plurimus labor in iis quæ nec per se certa sunt, nec homines reddunt meliores. ¶ κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, *secundum elementa mundi*] *Secundum institutionem* non à cœlo venientem, sed *hujus mundi*, ac proinde partim falsam, partim imperfectam. De voce στοιχείων [*elementorum*] Vide Gal. 4. 3, 9. ¶ καὶ οὐ κατὰ Χριστὸν *& non secundum Christum*] *Non qualis est illa Christi* à cœlo delata, Joh. 3. 13, 31. 6. 33, 38, 41.

9. Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*] Non frustra, inquit, hoc dixi; nam Christi doctrina non modò Philosophiæ, sed & Legi Mosis plurimum præstat. Optimè hunc locum intellexit Augustinus cùm scripsit, *In ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter, quia in Templo habitaverat umbraliter.* Sic infra 17. opponuntur σκιὰ [*umbra*] & σῶμα [*corpus.*] In Veteri Testamento est *umbra*: in Euangelio *rerum soliditas*, quæ σῶμα [*corpus*] per similitudinem quandam dicitur. Ita σωματοποιεῖν Græcis sæpe est *solidare.*

10. Καί ἐστε ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι, *Et estis in illo repleti*] *Illo contenti estote.* Ἐστε [*estis*] hic sume, ut modò Βλέπετε [*videtis*] in modo precativo. Et πεπληρωμένοι [*repleti,*] *contenti.* Quia quod plenum est, nihil aliud desiderat. ¶ ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας. *qui est caput omnis principatûs & potestatis*] Nonne sufficere vobis debet is qui & Angelicis classibus imperat? Respicit enim quod supra dixerat 1. 16. κεφαλὴ ראש [*caput*] is *qui imperium habet*, 1 Cor. 11. 3. Ephes. 5. 23. Hoc autem dicit ob eos qui Angelorum sive αἰώνων cultum instituebant.

11. Ἐν ᾧ καὶ περιετμήθητε περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ, *In quo & circumcisi estis circumcisione non manufacta*] Hoc adversùs eos qui circumcisionem urgebant. Quid signo externo opus, cùm res per illud significata apertè exhibeatur? χειροποίητος περιτομὴ [*circumcisio manufacta*] est *illa quæ manu humanâ fiebat*, ἡ ἐν σαρκὶ [*ea quæ in carne,*] Ephes. 2 11. Huic opponitur ἀχειροποίητος [*non manufacta*] *ea quæ fit divinitus.* Similem oppositionem habes Marc. 14. 58. 2 Cor. 5. 1. Hebr. 9. 11, 24. περιτομὴ ἀχειροποίητος [*circumcisio non manufacta*] est illa *cordis, per Spiritum.* Vide Rom. 2. 29. & ibi dicta. ¶ ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός, *in exspoliatione corporis peccatorum carnis*] In circumcisione illa veteri est ἀπέκδυσις פשט [*exspoliatio,*] sed exiguæ pelliculæ: hic verò *omnium vitiorum quæ carni blandiuntur.* Ἁμαρτία [*peccatum,*] id est, *peccandi consuetudo*, huic corpus tribuitur, ut Rom. 6. 6. Omne enim quod ex multis componitur solet hoc vocabulo appellari. Sic & μέλη [*membra*] infra habemus 3. 5. In Manuscripto breviùs sensu eodem ἐν ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῆς σαρκός [*in exspoliatione corporis carnis.*] Nec aliter legit Latinus. ¶ ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ Χριστοῦ. *In circumcisione Christi*] Non illa Abrahami, sed *Christi* qui major Abrahamo.

12. Συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι, *Consepulti ei in baptismo*] Commemorat factum in Christianis quod *baptisma* figurat. Erat enim in *baptismate*, sicut olim administrabatur, imago & *sepultura* & *resurrectionis*, tum conspicuæ Christi, tum internæ in Christianis, Rom. 6. 4. ¶ ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε, *in quo & resurrexistis*] *Per quem & resurrexistis* ex vitiis quæ *mors* nominantur, Matth. 8. 22. ¶ διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ τῶν νεκρῶν. *per fidem operationis Dei qui suscitavit illum à mortuis*] Hic genitivus ἐνεργείας [*operationis*] objectum fidei significat, sic & Ephes. 3. 12. Philipp. 1. 27. 3. 9. Qui credit Deum tam potentem fuisse, ut Christum à mortuis excitaverit, is simul credit Deo non deesse potentiam ut & alios excitet: cui potentiæ cùm accedat promissio, meritò ea res pro certa habetur; idem sensus Ephes. 1. 19. Rom. 4. 24.

13. Καὶ ὑμᾶς νεκροὺς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασι, *Et vos cùm mortui essetis in delictis*] Ὄντας hic sensum habet præteritum. *Nos qui peccatis eramus immersi ac velut immortui.* Idem sensus & ferme eadem verba Ephes. 2. 1. & 5. vera vita est Deo vivere. Alii mortuum exponunt *mortis debitorem*, ut Gen. 20. 3. ¶ καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ὑμῶν, *& præputio carnis vestræ*] Sicut purgatio à vitiis per μεταφορὰν [*Translationem*] vocatur *circumcisio*, ita status vitiosus ἀκροβυστία [*præputium,*] quo nomine Hebræi appellant omne id quod *amputandum est.* Quare ערלה quod ἀκροβυστίαν [*præputium*] significat Levit. 19. 23. vertitur ἀκαθαρσία [*immunditia.*] ¶ συνεζωοποίησεν σὺν αὐτῷ, *convivificavit cum illo*] Sicut Christo novam contulit vitam ex morte corporis, ita & nobis novam ex morte animorum. ¶ χαρισάμενος ὑμῖν πάντα τὰ παραπτώματα, *donans vobis omnia delicta*] Ephes. 4. 32. *donare* pro *condonare* etiam Latini usurpant. *Donare inimicitias*, dixit Cicero; *pœnam donare* Lucanus 7. *donare crimina* lib. 11. *labores donare*, *donare nefas*, eodem libro. Cùm autem χαρισάμενος [*donans*] hic sit præteriti temporis, intelligenda hic remissio ad certum quid, id est, ad patefaciendam viam quæ ad pœnitentiam duceret. Vide Luc. 23. 34. & ibi dicta.

14. Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, *Delens quod adversùs nos erat chirographum decretis*] Collatio loci Ephes. 2. 15. ostendit τὸ χειρόγραφον [*chirographum*] esse τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν [*Legem mandatorum*] Legem Mosis positivam. Et ibi καταργήσας [*abolens*] quod de Lege dici solet, hic ἐξαλείψας [*delens*] quod de chirographo & rebus aliis quæ scribuntur, מחה [*abstergens.*] Creditor delens cautionem, eo ipso remittere debitum intelligitur, ut & qui chirographum reddit. Sic qui legatum inducit, hæredem liberat. Lex autem Mosis per similitudinem quandam χειρόγραφον [*chirographum*] dicitur, quia populus se ad Legem servandam obstrinxerat, Deuter. 27. Neh. 10. Cùm dicit ἡμῶν [*nos*] Judæos intelligit: Gentes enim illa Lex non tenebat. χειρόγραφον Hebræis שטר חוב, in precibus Judæorum שטרי חובותינו [*chirographa nostra fœnoris.*] ¶ τοῖς δόγμασιν, *decretis*] *Per suam doctrinam.* Vide quæ diximus ad geminum huic locum illius ad Ephesios. ¶ ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, *quod erat contrarium nobis*] *Quod vos premebat.* צר *premere*, unde nomen צר quod multis locis vertitur ὑπεναντίος [*contrarius.*] De re vide Actor. 15. 10. ¶ καὶ αὐτὸ ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου, *& ipsum tulit de medio*] Ἐκ μέσου ἀνελεῖν [*de medio tollere*] etiam elegantioribus Græcis, ut Demostheni, est *auferre ne compareat.* Sic ἐξέρχεσθαι ἐκ μέσου [*exire de medio*] Actor. 17. 33. 2 Cor. 6. 17. ἁρπάζειν ἐκ μέσου [*rapere de medio*] Actor. 23. 10. ἐξαίρειν ἐκ μέσου [*auferre de medio*] 1 Cor. 5. 2. ἐκ μέσου γίνεσθαι [*de medio fieri*] 2 Thes. 2. 7. ¶ προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ, *affigens illud cruci*] Mos est quibusdam in locis clavis transfigendi edicta antiquata. Is tunc etiam in Asia videtur fuisse, & ad eum alludere Paulus.

15. Ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ. *Et exspolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ipsa*] Alia similitudo à triumphantibus Romanis qui solebant

— Captos ostendere civibus hostes.

τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας [*principatus & potestates,*] intellige dæmonas illos qui in idolis colebantur, & quorum cultum cum mangonio aliquo restituere volebant Asiatici Philosophi. Vide Rom. 8. 38. 1 Cor. 15. 24. ἀπεκδυσάμενος [*exspolians,*] id est, *exarmans*, sicut ἐνδύσασθαι [*indui*] est *armari*, Rom. 13. 12. Ephes. 6. 11, 14. Δειγματίζειν est quod jam diximus *ostendere.* Δεῖγμα [*exemplar*] vox est Græca, sed quæ & ad Judæos transiit, & scribitur דוגמא posito ו pro י ut sæpe. Hinc δειγματίζειν [*ostendere*] effictum pari formâ quâ παραδειγματίζειν [*exemplum facere*] Matth. 1. 19. Hebr. 6. 6. Ἐν παῤῥησίᾳ [*confidenter,*] id est, *palam*, toto Mundo inspectante; nam sic בפרהסיא Hebræi usurpant. Dicitur autem Christus fecisse quod per Apostolos fecit, ex ipsius nomine ac vi agentes. θριαμβεύσας [*triumphans*] hic est dictum μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] pro νικήσας, *cùm devicisset.* Et mutavit genus, cùm intulit αὐτοὺς [*illos,*] cum ante dixisset ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας [*principatus & potestates,*] nempe constructionem faciens πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod significatur.*] Ἐν αὐτῷ [*In ipsa*] nempe σταυρῷ [*cruce.*] Vicit dæmonas non pugnando, sed patiendo, quod verè Divinum victoriæ genus.

16. Μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει, ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς, ἢ νεομηνίας, ἢ σαββάτων. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte festi diei, aut neomeniæ, aut sabbatorum*] Unâ clausulâ comprehendit & Judaïzantes & Pythagorizantes. Vino abstinere perpetuò non erat Judaicum nisi in paucis, apud Pythagoristas frequens. Cibis nonnullis Judæi abstinebant: multò pluribus Pythagoristæ. Illa de diebus Judaïzantes spectant. κρινέτω [*judicet,*] id est, κατακρινέτω [*condemnet,*] ut Rom. 2. 1. Ne admittite tales magistros qui talia non observantes à spe salutis excludant. ἐν μέρει ἑορτῆς, *ex causa diei festi.* sic 1 Petr. 4. 16. ἐν μέρει τούτῳ, *hoc de causa.* Respondet autem hoc ἐν μέρει, Rabinico בתר, ut rectè à viris eruditis notatum est. ἑορταὶ [*festi dies*] hic sunt Azyma, dies Omer, scenopegia, dies ἱλασμοῦ [*propitiationis,*] כפורים.

17. Ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, *Quæ sunt umbra futurorum*] Quæ, nempe Judaica. Hebr. 8. 5. 10. 1. ¶ τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *corpus autem Christi*] *Soliditas rerum*, olim rudi modo adumbrata, *Christi est*, ad Christum pertinet, ab eo solo petenda est. Similis oppositio apud Josephum Belli Judaici 2. 4. ἥκει παρὰ τοῦ δεσπότου σκιὰν αἰτησόμενος βασιλείας ἧς ἥρπασεν ἑαυτῷ τὸ σῶμα. [*venit umbram regni à Domino petiturus, cujus ad se arripuerat corpus.*] Hieronymus in hunc locum, *Nullum ergo in hoc judicium est, quod est umbra & cessavit corpore veniente.*

quia imagine opus non est, veritate præsente. ¶ Photius, τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ τουτέστιν ἡ ἀλήθεια [*Corpus Christi id est veritas.*] At Manuscriptus ille, quo utimur, hæc verba trahit ad periodum sequentem. τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω· ὑμᾶς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ [*corpus verò Christi nemo vos seducat: vos corpus Christi*] *vos*, inquam, *qui Christi corpus estis*, 1 Cor. 12. 27. Meminit hujus distinctionis idem Photius, & Isychius ad Leviticum 15. qui tamen corpus Christi *doctrinale verbum* exponit.

18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, *Nemo vos seducat*] Hieronymus hanc vocem, ut & alias nonnullas, esse ait ex Cilicum lingua. At notarunt alii reperiri & apud alios. Est autem καταβραβεύειν *præmium exigere*, quod κότινον παραλαμβάνειν, dicit Pausanias, ut Scaligero notatum. *Præmium* autem intelligit hoc quidem loco libertatem à Christo indultam. ¶ θέλων, *volens*] Id est, *etiamsi maximè id velit.* ¶ ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, *in humilitate & religione Angelorum*] Et hîc est ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo.*] Nam intelligit ταπεινοφροσύνην τὴν ἐν θρησκείᾳ ἀγγέλων [*humilitatem quæ est in religione Angelorum.*] Habet speciem modestiæ non audere Deum accedere, sed ad Angelos preces deferre ad Deum deferendas: quo colore Philosophi defendebant τὴν πολυθεΐαν [*multitudinem deorum,*] quod & Celsus fecit, ut ex Origene cognoscimus. Ab Essenis diligenter custodita Angelorum nomina ex Josepho discimus. Alioqui publicus Judæorum mos non fuit Angelos compellare nisi eos qui ipsis apparebant, nimirum metu ne paulatim ad πολυθεΐαν [*multitudinem deorum*] tanto labore exutam relaberentur. Et hoc notatum Origeni qui libro 2. contra Celsum, Ποῦ γὰρ τῶν γραμμάτων τοῦ Μωυσέως εὗρε τὸν νομοθέτην παραδιδόντα σέβειν ἀγγέλους; [*Ubi enim in Mosis libris invenit, illum Legum conditorem præcepisse Angelos coli?*] Et libro 5. Τούτους δὲ ἀγγέλους ἀπὸ τοῦ ἔργου αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν, εὑρίσκομεν αὐτοὺς διὰ τὸ θείους εἶναι καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτε ὀνομαζομένους γραφαῖς, ἀλλ' οὐχ ὥστε προστάσσεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ Θεοῦ, σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ Θεοῦ· πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν, ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ [*Hos angelos ab operibus quæ faciunt, nominare assueti, didicimus eos, quod divini sint, deos etiam nonnunquam in Scriptura vocari: non autem imperari nobis, ut eos qui ministrant Deo & ad nos Dei beneficia perferunt, pro Deo colamus atque adoremus: Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones destinandæ sunt ad Deum, rerum omnium Dominum, per majorem omnibus angelis summum pontificem, vivum verbum & Deum.*] Agit Origenes ter de eadem re libro 8. ubi dicit licere eos εὐφημεῖν καὶ μακαρίζειν [*laudare & beatos prædicare.*] Et quia hoc malum invaluerat in Phrygia, ideo Synodus Laodicensis vetat ἀγγέλους ὀνομάζειν καὶ συνάξεις ποιεῖν [*Angelos nominare & congregationes facere,*] quæ *occulta idololatria* ibidem dicitur. Vide ibi Zonaram. Christiani Christo magistro summi Regis ac Principis veneratores, Arnobius libro 1. quem vide. ¶ ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, *quæ non vidit ambulans*] Id est, *penetrans in ea quæ non vidit*, id est, non novit, jus sibi faciens loquendi de incognitis. In Glossario ἐμβατεύω, *ingredior.* Ponitur pro Hebræo חלק [*partiri*] Josue 19. 51. Præficiebant Angelos quibus vellent negotiis, nomina illis indebant, distribuebant in classes. ¶ εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, *frustra inflatus sensu carnis suæ*] Νοῦς σαρκὸς [*sensus carnis*] hic dicitur cognitio humana, non à Deo revelata, quomodo σὰρξ [*caro*] sumitur Matth. 16. 17. Ea, inquit, *cogitatio eos inflat vento similis.* Vocem φυσιοῦσθαι [*inflari*] habuimus 1 Cor. 4. 6, 18, 19. 5. 2. 8. 1. 13. 4. *Multum sibi placent in rebus inanibus.* Sic Ezech. 13. 3. ההלכים אחר רוחם ולבלתי ראו [*qui sequuntur spiritum suum & nihil vident.*]

19. Καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλὴν, *Et non tenens caput*] Non tenens se Christo, quem Deus ideo *caput* Ecclesiæ dedit, ut per eum desideria nostra ad ipsum perferremus. Multi illi commendatores facilè scismati dant occasionem, Ecclesia unitatem retinet. *Deus unus*, & *unus μεσίτης* [*mediator*] 1 Timoth. 2. 5. ¶ ἐξ οὗ, *ex quo*] Rursus est constructio πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod significatur.*] Nam cùm dixisset κεφαλὴν [*caput,*] ita cætera intulit, quasi dixisset Χριστὸν [*Christum,*] quem per vocem κεφαλὴν [*caput*] indicabat. ¶ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ. *totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*] Hoc vult, retinendam Ecclesiæ unitatem: quod fieri non potest, nisi retineantur Præpositorum gradus, & eis pareatur in iis quæ ad Ecclesiæ pacem pertinent. Ita in tempore occurrit sectis illis quæ postea erupere κατὰ Φρύγας [*secundum Phryges*] dictæ. Locus hic geminus est Ephes. 4. 15, 16. ibi est ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας [*juncturam subministrationis,*] hic ἁφῶν καὶ συνδέσμων [*nexus & conjunctiones*] per artus, & venas, & arterias, quæ sunt *nexus* & *vincula* corporis, חבורים ועבותות [*junctura & ligamenta*] ibi est συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον [*compactum & connexum,*] pro quo hic ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον [*subministratum & constructum.*] Est autem ἐπιχορηγεῖσθαι, unde ἐπιχορηγία [*subministratio*] in illo ad Ephesios loco, *accipere ea quæ alendo corpori sunt necessaria.* Vide Sirach. 25. 28. In Glossario ἐπιχορηγῶ, *subministro, suppedito.* αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ [*crescit in augmentum Dei*] Græca locutio, quam & Latini sequuntur, cùm dicunt *mortem mori, servire servitutem.* Genitivus autem τοῦ Θεοῦ [*Dei*] hic causam significat. *Crescit illo incremento quod à Deo est.* Ex iisdem & nutrimur & crescimus.

2 3. Εἰ οὖν ἀπεθάνετε σὺν τῷ Χριστῷ ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου, *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis mundi*] *Christus vos liberavit ab illa institutione humana.* Qui moritur, liberatur à vitæ incommodis. Ideo *mori* etiam in bonam partem sumitur, ut Rom. 6. 2. Στοιχεῖα [*Elementa*] dicuntur *institutio quævis*, Gal. 4. 3, 9. ubi videbis cur hæc στοιχεῖα τοῦ κόσμου [*elementa mundi*] dicantur, nimirum quia Judæis erant communia cum Gentibus aliis: nihil in ipsis ritibus erat proprium Judæis, & magis à Gentibus ad Judæos per συγκατάβασιν [*demissionem*] quandam Dei, quàm à Judæis ad Gentes venerant. ¶ τί ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε; *quid adhuc tanquam viventes in mundo decerni vos sinitis?*] Δογματίζεσθε hic est *doceri vos sinitis*, quidam nempe vestrûm, *tanquam* non ad Christi, sed *ad mundi exemplum vita vobis esset componenda.*

21. Μὴ ἅψῃ, μὴ γεύσῃ, μὴ θίγῃς· *Ne tetigeris, neque gustaveris, neque contrectaveris*] Est hîc μίμησις [*imitatio alieni sermonis,*] cujus notam hîc apposuit Syrus. Sic enim magistri illi loquebantur. Tertullianus adversùs Marcionem 5. negat hæc ad Legem Mosis pertinere. Mihi videtur verbis usus communibus, quæ & Judæos & Philosophos, præsertim Pythagoristas comprehenderent. Clemens Alexandrinus Strom. 3. ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐστὶ καὶ τοῖς μάγοις, οἴνου τε ὁμοῦ καὶ ἐμψύχων καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, λατρεύουσιν ἀγγέλοις καὶ δαίμοσιν [*Scilicet & Magis curæ est, dum Angelis & dæmonibus sacra faciunt, vino simul & Venere & animalium esu abstinere.*] Ac priora illa μὴ ἅψῃ, μὴ γεύσῃ [*ne tetigeris, neque gustaveris*] ad cibos pertinent, id est, *ne tangas ne gustes*, Genes. 3. 3, 22. posterius verò illud μὴ θίγῃς [*neque contrectaveris*] pertinet ad vitandas fœminas, quod Judæi Sacerdotes certis temporibus faciebant, Pythagoristæ verò semper. θίγω & θιγγάνω [*contrecto*] Græcum est frequens bonis scriptoribus: invenitur & Exod. 19. 12. & ad Hebr. 11. 28. 12. 20. Iidem qui hic Doctores tanguntur à Clemente, aut quisquis est scriptor Constitutionum 6. 16. Τοιαῦτα καὶ νῦν ποιοῦσιν οἱ δυσώνυμοι, διαβάλλοντες δημιουργίαν, γάμον, πρόνοιαν, τεκνογονίαν, νόμον, προφήτας· βάρβαρά τινα ὀνόματα ἐγγράφοντες, καὶ ὡς αὐτοί φασιν, ἀγγέλων· τὸ δ' ἀληθὲς εἰπεῖν, δαιμόνων τῶν αὐτοῖς ὑπηχούντων· ὧν φεύγετε τὴν διδασκαλίαν [*Nec abludunt quæ nunc miseri isti facere, dum & creationi, & matrimonio, & providentiæ, & sobolis propagationi, & Legi, & Prophetis detrahunt; & barbara quædam, atque, ut ipsi quidem dicunt, Angelorum, uti verò res ipsa verè habet, dæmonum, qui istis hæc suggerunt, nomina infarciunt: quorum vos doctrinam fugite,*] &c.

22. Ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu*] Τῇ ἀποκρίσει legerunt Œcumenius & Theophylactus. Sic Græci vocant id quod Latini *egestum* vel *egestionem.* Hoc vult, *Quid magni est multa præcipere de eis quæ egesta pereunt?* Similis sensus in Christi verbis Matth. 15. 17. Pertinet hoc ad illa duo priora de quibus egerat. ¶ κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων· *secundùm præcepta & doctrinas hominum*] Hoc debet referri ad remotius, nempe ad illud δογματίζεσθε [*doceri vos sinitis.*] Ab hominibus ista reperta sunt, non primitùs à Deo venerunt. ἐντάλματα [*præcepta*] sunt *quæ legibus humanis jubentur*: διδασκαλίαι [*doctrinæ*] *quæ à Philosophis præcipiuntur.*

23. Ἅτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός. *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in cultu voluntario, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis*] Est hic μὲν [*quidem*] positum sine sequenti δὲ [*autem,*] ut & Actor. 3. 21. Rom. 1. 8. 3. 2. 11. 13. 1 Thess. 2. 18. idque per ἀποσιώπησιν ἀντιθέτου [*oppositi reticentiam,*] quod facilè suppletur. *Habent ista rationem non stultam*, si adsint cautiones, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, *si sponte ista suscipiantur*, non abominando ea quæ Deus creavit. θρησκεία est vox media, significans *ritus aut ceremonias*,

vimenta, ut Glossaria exponunt. Origo à Thracibus, ut nos docet Plutarchus Alexandro. Vide supra 18. Actor. 26. 5. Jac. 1. 26, 27. ἐθελοθρησκεία, *ritus sive observationes sponte susceptæ*, quæ Hebræis נדבות Græcis Interpretibus ἑκούσια. Addit καὶ ταπεινοφροσύνῃ [*& humilitate*,] id est, *cum ea modestia animi qua alios aliter viventes non damnet.* Rom. 14. 3, 4. Ephes. 4. 2. καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός [*& non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.*] ubi sic construenda hæc sunt ἐν τιμῇ τινι τῆς σαρκὸς πρὸς πλησμονὴν [*non in honore aliquo carnis ad saturitatem*,] eatenus bona sunt, si hoc sibi propositum habeant *durè tractare corpus, neque carni obsequi ad saturitatem.* Φείδεσθαι [*parcere*] est *molliter habere*: huic contrarium ἀφειδεῖν [*non parcere*,] sicut σωμάτων ἀφειδεῖν [*corporibus non parcere*,] apud Lucianum: unde hic nomen ἀφειδία, Hebræi dicerent [illegible]. τιμὴ verò σαρκὸς [*honor carnis*] est *cura qua carni præstatur*, ut 1 Corinth. 12. 23. 1 Tim. 5. 17. πλησμονὴ [*saturitas*] Genes. 41. 30. Exod. 16. 3. & alibi. His intellectis facile est supplere id quod reticetur ἀντίθετον [*oppositum*,] nempe ἔθας ἀποχὰς [*abstinentias*] Pythagoricas magis noxias esse quàm utiles, si velut ad salutem necessariæ suscipiantur, id est, si fiant οὐ δι' ἄσκησιν, ἀλλὰ διὰ βδελυγμίαν [*non quò eâ re exerceare, sed quod contrarium abominere*,] ut loquitur Canon Apostolicus 51. si ob id contemnantur alii, si non minùs laute habeatur corpus ex herbis, leguminibus, pomis ad delicias coctis. Philo libro [illegible] insidiari meliori, Ἐὰν ἴδῃς τινὰ ἐδωδὴν σῖτα καὶ ποτὰ μὴ ἐν καιρῷ προσιέμενον, ἢ λουτρὰ καὶ ἀλείμματα παραιτούμενον, ἢ τῶν περὶ σῶμα σκεπασμάτων ἀμελοῦντα, ἢ χαμευνίαις καὶ δυσαυλίαις χρώμενον, εἶτ' ἐκ τούτων ἐπιμορφάζοντα ἐγκράτειαν, οἰκτον λαβὼν τῆς περὶ αὐτὸν πλάνης, τὴν ἀληθῆ τῆς ἐγκρατείας ὁδὸν δεῖξον· ἃ γὰρ ἐπετήδευσεν, ἀνήνυτοι καὶ ἄτρυτοι πόνοι, λιμῷ καὶ ταῖς κακώσεσι ψυχὴν καὶ σῶμα, ἐκτραχηλίζοντες. μηδ' εἴ τις περιῤῥαντηρίοις ἢ καθαρσίοις χρώμενος, διάνοιαν μὲν ῥυπαίνει τὴν ἑαυτοῦ, τὸ δὲ σῶμα φαιδρύνει· μηδ' εἰ πάλιν ὑπὸ περιουσίας ναὸν ἱδρύεται λαμπροτάταις χορηγίαις καὶ δαπάναις χρώμενος, ἢ ἑκατόμβας ἀνάγει καὶ βουθυτῶν οὐ παύεται, ἢ πολυτελέσιν ἀναθήμασι κοσμεῖ τὸ ἱερόν, ἀφθόνους μὲν ὕλας, τέχνας δὲ παντὸς ἀργύρου καὶ χρυσοῦ τιμιωτέρας εἰσάγων, μετ' εὐσεβῶν ἀναγραφέσθω· πεπλάνηται γὰρ καὶ οὗτος τῆς πρὸς εὐσέβειαν ὁδοῦ, θρησκείαν ἀντὶ ὁσιότητος ἡγούμενος, καὶ δῶρα τῷ ἀδεκάστῳ διδοὺς, οὐδέποτε ληψομένῳ τὰ τοιαῦτα, καὶ κολακεύων τὸν ἀκολάκευτον· ὃς γνησίας μὲν θεραπείας ἀσπάζεται· γνήσιοι δ' εἰσὶν αἱ ψυχῆς ψιλὴν καὶ μόνην θυσίαν φερούσης ἀλήθειαν· τὰς δὲ νόθους ἀποστρέφεται· νόθοι δ' ὅσαι διὰ τῶν ἐκτὸς ἀφθονιῶν ἐπιδείξεις [*Si quem ergò invenies, qui cibum potumve, ubi tempus postulat, non admittat, qui lavari ungique recuset, tegi non curet, humi cubet, incommodè habitet, seque hæc cùm faciat, temperantem putet: huic tu, errorem miseritus, quæ verè agat ad temperantiam via, ostende. Quicquid enim hic facit, infinitus atque adeò inanis labor fuit, qui fame aliisque malis malè habitum animum non minùs ferè quàm corpus frangeret. Nec qui, cùm mentem sordere patiatur, corpus sæpe abluat, expiet, quò id mundius sit, curet: nec qui, cùm abundet opibus, templum aliquod apparatu magnifico, immensoque cum sumptu, ædificet, hecatombasve offerat, victimarum nec modum nec finem faciat, nec qui in ædes sacras, quò eas donariis ornet, pretiosissimæ materiæ affatim, artis etiam plus inferat, ne hunc quidem eò in piorum numero pone. Aberrat enim & hic à pietate, quòd sanctitatem in ceremoniis collocat, donaque ei dat, qui nec capitur donis, nec sane istiusmodi res unquam admissurus sit: quòd denique ei adulatur quem decipi adulatione fas non est: qui, ut vero cultu delectatur (est autem verus cultus, quem ei animus exhibet cùm solam ei atque unicam veritatem offert) ita falsum omnem cultum (sunt autem omnes falsi, qui in externâ istâ pompâ consistunt) respuit atque à se abdicat.*]

CAP. III.

VALLA.

9, 10. E*Xspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, Et induentes eum novum qui renovatur*] Pro *exuentes* solet Interpres transferre *exspoliantes*, ἀπεκδυσάμενοι: qui addidit nunc *eum*, quod ego non addidissem, τὸν νέον, τὸν ἀνακαινούμενον.

15. *Et pax Dei exsultet in cordibus vestris*] Non est Græcè *exsultet*, sed verbum quod superiùs pluribus interpretatus sum, veruntamen non compositum: quod audeamus sic uno verbo exponere, *bravet*: est enim Græcum vocabulum *brabium* βραβευέτω.

18, 19. *Mulieres, subditæ estote viris*, &c. *Viri, diligite uxores*] Cur non potiùs, *Uxores, subditæ estote?*

ERASMUS.

1. Q*Uæ sursum sunt*] Τὰ ἄνω. Cur non potiùs *superna?* & φρονεῖτε *curate* potiùs quàm *sapite?*

3. *Vita vestra*] Gr. *nostra*, ἡμῶν, primâ personâ.

5. *Libidinem*] Πάθος· quod *morbum* vertas licebit, aut potiùs *mollitiem*: ut de effeminatis & pathicis intelligas. Nam alioqui quid attinebat addere *libidinem* cùm antè dixerit *fornicatio?* neque enim aptè genus speciei subnectitur. Porrò Mollitiem & Flaccus *morbum* appellat in Odis,

——— *cum grege turpium*
Morbo virorum.

6. *Propter quæ venit*] Δι' ἃ ἔρχεται, ut *venit* sit præsentis temporis, intelligasque *solere ob ista venire Divinam iram.* Sic enim appellat Vindictam. ¶ *Filios incredulitatis*] Quod superiùs verterat *diffidentiæ*, ἀπειθείας, idem & *inobedientiam* sonat. Quanquam hoc loco Ambrosius non addit *in filios diffidentiæ*: tantùm legit *propter quæ venit ira Dei.* Jam de forma sermonis hujus Hebraïca non semel à nobis dictum est.

7. *In quibus & vos*] Ἐν οἷς. Sermo Græcus anceps est, quòd articulus referri possit vel ad *filios inobedientes*, inter quos & Colossenses quondam fuerant, vel ad Vitia quæ paulò antè commemoravit. Certè quod mox sequitur, *cum viveretis in illis*, ad Vitia pertinet.

8. *Turpem sermonem*] Αἰσχρολογίαν, *turpiloquium.*

9. *Nolite mentiri invicem*] Μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους, *Ne mentiamini alius adversus alium.* Quid enim est *mentiri invicem*, quod vertit Interpres, nisi *mentiri vicissim?* Verbo Græco addidit accusandi casum. ¶ *Exspoliantes*] Ἀπεκδυσάμενοι, *exuentes*; i. e. *postquam exuistis*: nam præt. temporis est. Vocem hanc Interpres subindè vertit *exspoliantes.* Alludit ad id quod antè dixit, *Christum exutâ carne vicisse.*

10. *In agnitionem Dei*] *Dei* redundat juxta Græca exemplaria: nec Ambrosius addit: nec addebatur in exemplari Donatiani. Cum his concordabat exemplar utrumque Constantiense.

11. *Masculus & fœmina*] Hæc non invenio apud Græcos: nec attingit Theophylactus. Chrysostomus nè legit quidem, sicuti nec Ambrosius. Sed hoc videtur adscriptum ex Epist. ad Gal. c. 3. Suffragabatur & hic uterque codex Constantiensis. ¶ *Gentilis & Judæus*] Ἕλλην, *Græcus*, pro quo vertit *Gentilis.* ¶ *Babarus*] Post hanc vocem Græci omittunt conjunctionem; & oratio fit ardentior. Priùs enim per juga conjunxit *Judæum* cum *Græco*, *Circumcisionem* cum *Præputio*; deinde citra copulam copulat *Barbarum* cum *Scytha*, *servum* cum *libero.* Porrò *Barbaro* opposuit *Scytham*, non quòd is Barbarus non sit, sed quòd præ hoc reliqui Barbari non sint Barbari.

12. *Dilecti, viscera misericordiæ*] *Dilecti* hic participium est, non nomen, ἠγαπημένοι. Nec est *misericordiæ*, sed οἰκτιρμῶν, *miserationum*, numero multitudinis. ¶ *Humilitatem*] Ταπεινοφροσύνην· quod Ambrosius vertit *humilitatem sensûs.* Nos *modestiam* maluimus: nam *modestia* potiùs est quam Græci vocant ταπεινοφροσύνην. *Humilitas sensûs* magis in vitium sonat; quemadmodum *abjectus animo.* Etiamsi Græca vox plus quiddam significat quàm *modestia.* *Modestus* enim est qui non est arrogans; at ταπεινόφρων, qui minùs sibi tribuit quàm promeretur. ¶ *Modestiam*] Πραότητα, i. e. *mansuetudinem*, sive *lenitatem.* ¶ *Patientiam*] Μακροθυμίαν· ad v. *longanimitatem*, sive *animi lenitatem*, aut *animi moderationem*, quâ quis non facilè provocatur.

14. *Charitatem habete*] *Habete* non reperio apud Græcos, nec apud Ambrosium, sed referendus est accusativus *charitatem* ad verbum superius *sitis induti.* ¶ *Quod est vinculum perfectionis*] Σύνδεσμος τελειότητος, *vinculum integritatis.* Respexit enim ad corpus, in quo spiritus colligat & connectit omnia membra, alioqui dilapsura: quanquam non me fugit plerosque secùs interpretari.

15. *Pax Dei* est & apud Græcos & Ambrosium, non *pax Christi.* ¶ *Exsultet*] Βραβευέτω, *præmii loco detur*, sive *contingat*, aut *palmam ferat*: h. e. *Ne judicet Ira in vobis, aut Invidia, aut Superbia, sed Pax deferat palmam; ut is putet se vicisse qui cæterarum rerum dispendio pacem conservaverit: nam hæc demum est Pax Dei. Alioqui Pax Mundi ex vindicta nascitur.* In hanc ferme sententiam interpretatur Theophylactus. Jam verò quorsum attinet recensere quid in hunc locum commentati sint Theologi recentiores secuti verbum *exsultandi?* ¶ *In qua*] *In quam*, εἰς ἣν, sive *ad quam.* ¶ *Et grati estote*] Καὶ εὐχάριστοι γίνεσθε. Superiùs admonuimus ex Hieronymiana sententia εὐχάριστον in Divinis literis accipi pro *gratioso* & *amabili*; quemadmodum opinor accipiendum hoc loco: Siquidem

id adje-

id adjecit velut indicans quâ ratione pax inter eos possit consistere; Si comes sint & benigni erga omnes, propensi ad bene merendum de omnibus. In hanc sententiam interpretatur Chrysostomus, ut εὐχάριστοι sit *qui talem se prabet erga conservos homines qualem expertus est erga se Deum.* Theophylactus interpretatur *grati erga Deum*, h. e. memores qualis ille fuerit in nos, ut & ipsi vicissim clementes simus erga conservos. Verùm hæc expositio mihi videtur esse coactior.

16. *Abundanter*] Πλουσίως· q. d. *opulentè*, *& divitum more.* Nam hoc verbo delectatus est Paulus quoties exuberantiam cujuscunque rei significari vult. ¶ *Docentes & commonentes*] Aut abusus est participio loco verbi, idque juxta proprietatem Hebræi sermonis, aut hæc referenda sunt ad id quod præcessit, *grati sitis*; deinde, veluti per Parenthesim interjectis aliquot verbis, subnectatur, *docentes & commonentes:* ut hæc sit Christiana Benignitas, *docere & commonere.* ¶ *Vosmetipsos*] Gr. ἑαυτοὺς, quod meliùs transtulisset *vos invicem.* Quis enim docet seipsum? ¶ *In psalmis*] *In* redundat apud nos: nec est apud Græcos, nec apud Ambrosium. ¶ *In cordibus*] *In corde.* ¶ Et est *Domino*, non *Deo.*

17. *Omne quodcunque*] *Et* conjunctionem addunt Græci. ¶ *Deo & Patri*] Τῷ Θεῷ καὶ Πατρί. Articulus semel duntaxat positus facit ut *Dei Patris*que cognomen ad unam Personam pertineat, qui est & *Deus* ac *Pater*, *Deus* ob autoritatem, *Pater* ob eximiam in nos charitatem.

19. *Ad illas*] Πρὸς αὐτάς, *erga illas*, sive *adversùs illas.*

20. *Placitum est in Domino*] *In* redundat, εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ, *gratum* sive *acceptum.*

21. *Ad indignationem*] Μὴ ἐρεθίζετε, i. e. *nè provocetis. Ad indignationem* additum est ab Interprete quopiam. Ambrosius tamen legit *ad iram provocare.* ¶ *Pusillo animo*] Μὴ ἀθυμῶσιν, *nè despondeant animum*, *& animo dejiciantur.*

22. *Ad oculum servientes*] Rursum usus est illis duobus nominibus, ἐν ὀφθαλμοδουλείαις, & ἀνθρωπάρεσκοι, de quibus antè admonuimus. ¶ *Timentes Dominum*] Θεὸν *Deum* pro *Dominum* legunt Græci: nè quis accipiat *hominem esse timendum.*

23. *Sicut in Domino*] Ὡς τῷ Κυρίῳ, *tanquam Domino*, h. e. Deo.

24. *Christo servite*] Τῷ γὰρ Κυρίῳ Χριστῷ δουλεύετε, *Domino enim Christo servitis.* Tametsi Græca vox est anceps δουλεύετε. Ambrosius legit ad hunc modum, *recipietis retributionem hareditatis Domini Christi, cui servitis.*

25. *Qui enim injuriam facit*] Ὁ δὲ ἀδικῶν, *Qui verò injuriam facit*, aut, *Qui non rectè facit.* Ambrosius legit, *Qui enim iniquè gerit, feret id quod gessit iniquè*, quò servet Græcarum vocum affinitatem, ἀδικῶν & ἠδίκησε, quam nos ità reddidimus, *Qui peccabit, reportabit peccatum suum.* Augustinus libro De natura boni, adversùs Manichæos, nescio quid secutus, adducit hoc testimonium his verbis, *Quod enim nocet, recipiet illud quod nocuit.* ¶ *Acceptio*] Προσωποληψία, *persona respectus*, sive *discrimen.* ¶ *Apud Deum*] In Græcis cod. non reperio. Nec hic agitur propriè de *respectu personarum apud Deum*, sed de paribus peccatis.

VATABLUS.

1. *CONsurrexistis*] Sub. *In novam vitam.*

2. *Sapite*] *Curate*, vel *animo volvite.*

3. *Mortui enim estis*] q. d. Mori cœpistis rebus terrestribus. ¶ *Vita vestra est abscondita cum Christo*] i. e. Vestrum novum genus vivendi non agnoscit mundus rectum esse nisi solus Deus, qui etiam solus novit Christum esse Messiam. ¶ *In Deo*] *Apud Deum.*

4. *Apparebitis*] *Manifestabimini.*

5. *Mortificate ergò*] *Pergite ergò mortificare.* ¶ *Qua sunt super terram*] Heb. terrestria. ¶ *Libidinem*] *Mollitiem:* i. e. libidinem præposteram.

6. *Venit ira Dei super filios incredulitatis*] Heb. solent puniri increduli.

7. *In quibus* *] * *Vos*, Vet.

8. *Blasphemiam*] *Maledicentiam.*

9. *Invicem*] *Alius adversùs alium.* ¶ *Exspoliantes vos*] *Utpote qui exuistis*, vel, *exuere cœpistis.* ¶ *Veterem hominem*] *Vetus vivendi genus.*

10. *Induentes*] *Induistis.* ¶ *In*] *Per*, vel, *propter.*

11. *Ubi non est masculus & fœmina*] i. e. In quo novo homine non præfertur Græcus Judæo. ¶ *Sed omnia & in omnibus Christus*] i. e. Christus est omnium perfectio.

12. *Viscera misericordia*] i. e. Promptissimam & plenam misericordiam, Heb. sitis misericordes. ¶ *Benignitatem*, &c.] *Comitatem*, *modestiam*, *mansuetudinem*, *animi lenitatem*, vel, *longanimitatem.*

¶ 13. *Et Dominus*] *Christus.*

14. *Perfectionis*] Heb. *perfectum.*

15. *Christi exsultet*] *Dei palmam ferat:* vel, *regat corda vestra*, *& in illis primum locum habeat.* De concordia loquitur. ¶ *In qua*] *Ad quam:* i. e. ut illam servetis. ¶ *In uno corpore*] i. e. In unam Ecclesiam. ¶ *Grati estote*] i. e. Gratiosi & amabiles, ut Hieron. interpretatur: qui enim tales sunt per comitatem & benignitatem solent pacem conciliare. Theophyl. *agnoscite gratiam per Christum vobis factam.*

16. *Verbum Christi*] i. e. Doctrina Christi & Euangelium. ¶ *In omni*] *Cum omni:* i. e. magna. ¶ *Vosmetipsos*] *Vos invicem.* ¶ *In gratia*] *Cum gratia:* i. e. gratias agentes, vel, recinentes Deo laudes ob sua beneficia in vos collata.

17. *In nomine*] *Ad gloriam.*

18. *Estote* *] * *Propriis.* ¶ *Sicut oportet in Domino*] i. e. Sicut decet eas uxores quæ sunt cum Domino conjunctæ per fidem, quæ Christianismum profitentur.

21. *Pusillo animo fiant*] *Remisso sint animo:* i. e. languenti ad obsequia.

22. *Quasi hominibus placentes*] Vel, *tanquam hominibus placere studentes.*

24. *Retributionem hareditatis*] Heb. *hareditatem* pro *mercede.* ¶ *Domino Christo servite. Qui enim*] *Domino enim Christo servitis* [per pa[illegible]thesin positum: deinde sequitur] *Qui verò*, &c.

25. *Facit*] *Fecerit.* ¶ *Et*] *Et* pro *nam.* ¶ *Acceptio*] *Respectus.*

CASTALIO.

5. *AVaritiam, qua deastrorum cultus est*] Quòd avari Pecuniam colunt ut Deum.

14. *Sed super hac omnia charitatem*] Scilicet *induite.*

15. *Ad quam estis in uno corpore vocati*] In eo quòd estis Ecclesia, quæ unum corpus est. ¶ *Estote grati*] Beneficiorum memores.

18. *Uxores*, *parete vestris viris*, *ut Dominicis dignum est*] *Dominicis*, i. e. Christianis.

21. *Ne vestros irritate natos*] Nè este nimis in eos morosi.

CLARIUS.

3. *MOrtui enim estis*] Reddit causam cur jusserit nè posthac terrena ista curent, sed cœlestia tantum. Is, inquit, qui jam Christum professus est & ascriptus in illam cœlestem civitatem, professus etiam est vitam suam esse Christum. Mortuus ergò is est ubicunque non sit Christus: at Christus est ad dexteram Dei sedens: Vitam ergò quisque suam existimare debet ibi duntaxat esse ubi Christus est. ¶ *Abscondita est*] h. e. Tutissimo loco collocata.

5. *Qua est simulacrorum servitus*] Præter cætera peccata Avaritia peculiare hoc nomen assecuta est, ut dicatur esse (horrendum nomen!) *cultus simulacrorum.* Nam Pecunia quid aliud est quàm simulacrum quoddam vel argenteum vel aureum, quod homines avari plùs amant & longè majore cultu atque honore prosequuntur quàm ipsum Deum?

14. *Vinculum perfectionis*] *Vinculum perfectum.* Charitas, inquit, nihil est aliud quàm res quædam bona omnia in unum colligens: nam ea est quæ cætera efficit ut sint bona.

16. *Canticis spiritualibus in gratia*] Mihi videtur illud *in gratia* significare, opportunè, aptè hæc facienda, &, quod dicitur, *cum gratia.*

17. *In verbo aut in opere*] Quàm pulcer esset Christianus orbis si hæc Apostolica præcepta servarentur! ut alibi etiam admonet ut *sive edamus*, *sive bibamus*, *omnia ad gloriam Dei fiant.*

ZEGERUS.

3. *VIta vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra*, &c.] *Vita*, inquit, *vestra abscondita est*; quia mundo unà cum Christo estis demortui, & sine ulla gloria apparetis: vivitis tamen interim vitâ Christi, licèt *absconditâ. Verùm cùm apparuerit* post hanc vitam, sive in judicio, qui est *vita vestra*, *Christus*, *tunc & vos apparebitis* & viventes & *ejusdem cum ipso gloria participes.*

7. *In quibus ambulastis aliquando*, *cùm viveretis in illis*] Relativum *quibus* referre potest vel *filios incredulos*, vel Vitia enumerata, ut sit sensus, *Inter immorigeros illos filios & vos aliquando versati estis*, cùm in scortatione, immunditia & cæteris crimi-

criminibus viveretis. Vel, *in vitiis ambulastis, cùm viveretis in ipsis.*

10. *Secundùm imaginem ejus qui creavit eum*] h.e. *Juxta* (vel *ad*) *similitudinem Christi qui* novum hominem *creavit.* Item *secundùm imaginem* intelligere possumus, *secundùm animam, quæ imago est Dei, qui creavit illam.*

11. *Ubi non est Gentilis*] h.e. *Apud quem*, nempe Deum, nullum est discrimen inter *Gentilem* atque *Judæum.* ¶ *Masculus & fœmina*] Hanc clausulam nonnulli huc arbitrantur transcriptam ex Epist. ad Gal. c. 3. quòd nec in Græcis habeatur, nec in Chrysostomo, aut Ambrosio, aut Theophylacto: quam tamen reperio apud Sedulium & eum qui Glossema scripsit titulo Hieronymi. Adhæc eandem attingere videtur & Ambrosius in Commentario: ut sileam interim concentum cod. Latinorum, paucis exceptis.

12. *Modestiam*] Hanc vocem Interpres posuisse videtur pro *mansuetudine* sive *clementia*: est enim Græcè πραότητα.

13. *Ità & vos*] Subaudiendum, non scribendum, *facite* aut *donate.* Rationibus supersedeo. Quòd autem in Ambrosio habeatur, librariorum operâ factum autumo, aut certè ipsius Ambrosii exponentis.

14. *Super omnia autem hæc, charitatem habete*] In Græcis quoniam deest *habete*, referendus est accusativus *charitatem* ad præcedens ἐνδύσασθε *induite.*

15. *Pax Christi exsultet*] Gr. βραβευέτω, quod Theophylactus interpretatur *judicis fungatur officio*; circa quod pluribus etiam philosophatur. Alii *bravium ferat*, nimirum adversùs Livorem, Superbiam, Contentionem, denique adversùs mundi hujus Pacem. Alii item interpretantur *præmii loco detur.* Plura enim sig. βραβεύω, nempe *guberno, ministro, dijudico, constituo, arbitror, ordino, prior sum, præmium acquiro, medius sum.* Ambrosius tamen & Augustinus in Speculo, cum V. Interprete legunt *exsultet*: quod ità puto accipiendum ut Pax victoris ac triumphantis in morem dicatur exsultare.

16. *Docentes & commonentes*] i.e. *Docendo & commonendo.*

21. *Ad indignationem provocare*] Græcis unica vox est ἐρεθίζετε ab ἐρεθίζω, i.e. *irrito*, & *ad iracundiam provoco.* ¶ *Ut non pusillo animo fiant*] h.e. Nè desperent, nè pusillanimitate dejiciantur.

25. *Personarum acceptio apud Deum*] Græcis abest *apud Deum*; quibus consentit quidem Chrysostomi commentum, sed refragatur ipsius contextus, cumque hoc & Ambrosius & Sedulius; ut alios sileam. Itaque adjiciendum arbitror προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ.

H. STEPHANUS.

2. Τὰ ἄνω φρονεῖτε] *Superna sapite*: vel, *De supernis cogitate.*

8. Ὀργὴν, θυμὸν, βλασφημίαν, αἰσχρολογίαν] *Iracundiam, excandescentiam, maledicentiam, verborum turpitudinem.*

13. Χαριζόμενοι] *Condonantes.* ¶ Ἔχῃ μομφὴν] *Habeat querelam*: i.e. querendi materiam, vel occasionem.

15. Βραβευέτω] *Sit moderatrix*, vel, *gubernatrix.*

19. Μὴ πικραίνεσθε πρὸς αὐτάς] *Nè amarulentiâ utimini adversus eas*: vel, *nè sitis amarulenti.*

21. Μὴ ἐρεθίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν, ἵνα μὴ ἀθυμῶσι] *Nè irritate liberos vestros, nè animum despondeant.*

22. Μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλείαις ὡς ἀνθρωπάρεσκοι] Vide Ephes. 6.6.

DRUSIUS.

5. *Quæ est idolorum servitus*] i.e. *Idololatria.* Suprà dixit Avarum *idololatram* esse, hic Avaritiam appellat *idololatriam* sive *cultum idolorum.* Quapropter? Quia homo avarus summum bonum collocat in divitiis, quia finem sibi proponit non usum earum, sed ipsas: unde nunquam ei satis est; semper avet, semper eget. Quod innuit Sapiens his verbis, *Semper avet avidus*, i.e. avarus. Nam ei deest & quod habet & quod non habet.

7. *Cùm viveretis in illis*; Syrus, *cùm versaremini in illis.* Ambo explicant vim verbi *ambulo.* Nam *ambulat* in *vitiis* qui vivit aut versatur in illis. Quanquam sunt qui hoc habitum, illo ἐνέργειαν ipsam significari putant. Utut sit, *ambulare* est Vivere; ut cùm legimus *ambulare cum Deo*; quod Persius dixit *vivere cum Deo*: *ambulare in viis Domini*: *ambulare in justitia & fide.* Quale illud Comici nostri,

— *qui estis boni,*
Quique ætatem agitis cum pietate & cum fide.

Reperies in Prologo Rudentis. Theodorus, *Apud Hebræos Ambulare idem valet quod Vivere, & Via dicitur vita genus quod aliquis tanquam viam sequatur.* Quò pertinet illud,

Ποίην τὶς βιότοιο τάμοι τρίβον; —

11. *Barbarus & Scytha*] Lucem aliquam huic loco adfert Scaliger in Notis ad Eusebium 250. 2. cujus verba non pigrabor adscribere, *Hujus seculi homines* Σκύθαι *à veteribus Patribus Ecclesiasticis vocantur, eorumque idolomania* Σκυθισμὸς καὶ Βαρβαρισμὸς *autor Epiphanius. Extenditur usque ad tempora Abrahami. Quanquam Epiphanio ab Adam ad Diluvium* Βαρβαρισμὸς *durasse dicitur, à Diluvio ad Abraham* Σκυθισμός. *Sanè videntur id ex interpretatione Apostolici dicti collegisse Col. 3. 11.* ὁ βάρβαρος, ὁ Σκύθης· οὐχ Ἕλλην, οὐκ Ἰουδαῖος. *Nam hinc hæreses nominat S. Epiphanius*, Βαρβαρισμὸν, Σκυθισμὸν, Ἑλληνισμὸν, Ἰουδαϊσμόν. Quin 8.38. *locus Pauli adducitur.*

13. *Donantes*] i.e. Condonantes: ut mox, *sicut & Dominus donavit vobis*, i.e. condonavit offensas. Vide quæ scripsimus ad c. 2. 13 Græcè est χαριζόμενοι & ἐχαρίσατο.

17. *Verbo aut opere*] Alius *sermone aut facto.* Sed ubi Cogitatio? An est Synecdoche? Scire licet *sermonem* duplicem esse, Oris & Cordis. *Cordis sermo* aliud nihil quàm *cogitatio*: unde *dicere* simpliciter pro *cogitare* invenitur; quod plenè *dicere in corde suo* enunciant.

18. *Subditæ estote viris*] *Propriis* videlicet; quod expressum in textu Græco. Eadem docent Sapientes Hebræi, *Uxor*, inquiunt, *subjecta sit viro suo, & nè detrahat imperium ejus, neque dicat consilium ejus malum esse, licèt suum melius sit.* Adhibe librum Musar, cap. 6.

19. *Amari*] Vel *amarulenti.* In libro quem citavi modò, *Debet homo moneri caveréque nè percutiat uxorem suam, aut maledicat ei lædatve illam verbis; prout traditum est in tract.* Metsia, *cap.* Aurum. *Dicit Rab, Semper caveat sibi homo nè injurius sit in uxorem suam. Nam propter lacrymas quas fundit, pœna injuriæ illius propinqua est. Dicit R. Eleazar, Ex quo tempore destructa fuit domus, clausæ fuerunt portæ Precum. Quamvis clausæ fuerunt portæ Precum, non tamen clausæ sunt portæ Lacrymarum: sicut ait David*, Ad lacrymam meam ne sileas, *vel* obmutescas.

CAMERON.

5. Ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία] Apostolus Avaritiam vocat *idololatriam*: non quòd velit (ut vulgò accipitur) Avaritiam esse Idololatriam, sed quia nihil erat exsecrabilius omnium Judæorum judicio quàm idololatria. Nam hoc solenne est Hebræis, magna peccata notare nominibus quæ significant peccata vulgò detestanda, ut cùm Rebellio adversùs Deum dicitur in Scriptura *divinatio, incantatio*, & *idololatria* 1 Sam. 15. 23. non quòd Rebellio sit divinatio, sed sic loquitur Spiritus ut notet quàm sit exsecrabilis præfracta apud Deum animi obstinatio. Sic hodieque Germani Judæi quoties aliquid detestantur (etiam dum Germanicè loquuntur) vocant illud פסל à פסל, quod *sculptile, idolum* significat. Et in scriptis Rabbinorum nihil est frequentius quàm res abominandas appellare פסלים.

JAC. CAPPELLUS.

11. *Ubi non est Græcus, nec Judæus, circumcisio, nec præputium; barbarus, nec Scytha; servus, nec liber*] Epiphanius in Hæresibus suis ac in earum Præfatione putat quatuor hæreses hic designari, *Hellenismum, Judaismum, Barbarismum* & *Scythismum.* Hoc si detur, num etiam *Præputium & Circumcisio, Servitus & Libertas* Hæresibus erunt accensenda? Et præterea quo jure *Barbarismo* tribuit intervallum quod fluxit ab Adamo ad Noam, *Scythismo* tempus quod fluxit à Noa ad Phalegum & Ragavum, *Hellenismo* tempus quod fluxit à Serucho Ragavi filio ad Tharam Abrahami patrem? Hic Petavius, *Hæc partitio, maximè ob Scythismum, fautorem me non habet. Neque enim fando unquam auditum est Noemi posteros ante Turrim conditam Scythas appellatos.* Sed nec Noæ majores quisquam prudens *barbaros* dixerit, eorumve seculum *barbarismum.*

15. *Pax Dei principatum obtineat* βραβευέτω *in cordibus*] Sic Josephus Antiq. l. 9. c. 1. Josaphatum ità cum suis Judicibus loquentem inducit, παρεκελεύσατο μηδενὸς οὕτως ὡς τοῦ δικαίου προνοουμένους κρίνειν τοῖς ὄχλοις, μήτε δώρων, μήτε ἀξιώματος τῶν ἐν ὑπεροχῇ διὰ πλοῦτον ἢ διὰ γένος εἶναι δοκούντων, βραβεύειν δὲ πᾶσι τὸ ἴσον.

GROTIUS.

1. **E**Ἰ οὖν συνηγέρθητε τῷ Χριστῷ, *Igitur si consurrexistis cum Christo*] Supra 2. 12. ¶ τὰ ἄνω ζητεῖτε, *quæ sursum sunt quærite*] Philipp. 3. 20. *Sursum corda.* ¶ οὗ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος. *ubi Christus est in dextera Dei sedens*] Patri Majestate proximus. Matth. 22. 24. 26. 64. Marc. 12. 36. 14. 62. Luc. 20. 42. Actor. 2. 34. Roman. 8. 34. Ephes. 1. 20.

2. Τὰ ἄνω φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*] Affectus vestros in cœlum mittite, ne estote *curvæ in terras animæ*, ut illi de quibus Philip. 3. 19.

3. Ἀπεθάνετε γάρ, *Mortui enim estis*] Vitam priorem vos exuere professi estis in baptismo supra 2. 11, 12. ¶ καὶ ἡ ζωὴ ὑμῶν κέκρυπται σὺν τῷ Χριστῷ ἐν τῷ Θεῷ. *Et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*] Jus ad rem rei nomine appellat. *Vita illa cælestis ignota quidem est Mundo, attamen à Deo vobis reservatur, ibidem ubi Christus est.* Vide supra 1. 5. 2 Timoth. 4. 8.

4. Ὅταν ὁ Χριστὸς φανερωθῇ, *Cum Christus apparuerit*] Ubi apparuerit judicaturus humanum genus. Vide Matth. 24. 30. ¶ ἡ ζωὴ ὑμῶν, *vita vestra*] Qui causa nobis est vitæ: μετωνυμία [*Transnominatio.*] Joh. 11. 25. ¶ τότε καὶ ὑμεῖς σὺν αὐτῷ φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ. *tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*] *Apparebitis cum honore ac splendore*, 1 Joh. 3. 2. ubi habes idem verbum φανερωθῇ [*apparuerit*]

5. Νεκρώσατε οὖν τὰ μέλη ὑμῶν τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram*] *Vim magis ac magis adimite omnibus vitiorum partibus.* Sicut tota peccandi consuetudo *corpus* dicitur Rom. 6. 6. supra 2. 11. ita partes singulæ dicuntur *membra*. Ne autem intelligerentur corporis humani membra, addidit τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ubi subintelligi debet ex præcedentibus τὰ φρονοῦντα, *eos affectus qui ad terrena feruntur.* Νεκροῦν [*mortificare*] hic sumitur quomodo ἀποθνήσκειν [*mori*] Rom. 6. 2. Idem est σάρκα σταυροῦν [*carnem crucifigere*] Gal. 5. 24. Est in hoc implementum μυστικὸν [*mysticum*] sacrificiorum legalium. Origenes in Philocalia, ὁ λόγος ὅτε ἐπὶ πλεῖον ἰσχυροποιηθεὶς καὶ τραφεὶς τῇ μελέτῃ, καὶ βεβαιωθεὶς τοῖς δόγμασι πρὸς τὸ καλόν, ἢ ἐγγύς γε τοῦ βεβαιωθῆναι γεγενημένος, ἀνακρίνει τὰς ἐρεθισμὰς καὶ ὑπεκλύει τὴν ἐπιθυμίαν (*Ratio, ubi & meditatione invaluit, & doctrinâ ad virtutem confirmata est, vel propè ad confirmationem accessit, retundit cupiditates omnes atque adeò solvit.*] ¶ πορνείαν, *fornicationem*] Hic ea vox ita generaliter sumenda est, ut & adulterium comprehendat, quemadmodum Matth. 5. 32. ¶ ἀκαθαρσίαν, *immunditiam*] De hac voce vide Rom. 1. 24. 2 Cor. 12. 21. Gal. 5. 19. Ephes. 5. 3. ¶ πάθος, *libidinem*] Hac voce hic intelligendi motus vitiosi τοῦ θυμοειδοῦς [*facultatis irascibilis*,] quales sunt ἔχθραι, ἔρεις, ζῆλοι, θυμοί, ἐριθεῖαι [*inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ*,] Gal. 5. 20, ubi & commate 24. distinguuntur παθήματα [*affectus*] & ἐπιθυμίαι [*concupiscentiæ.*] Alibi πάθος generaliùs sumitur, ut 1 Thess. 4. 5. Syrus id vitium intellexit unde dicuntur *pathici*, non rectè, ut arbitror. ¶ ἐπιθυμίαν κακήν, *concupiscentiam malam*] Motus ἀλόγους τοῦ ἐπιθυμητικοῦ [*irrationales facultatis appetentis*] in quibus μέθαι, κῶμοι [*ebrietates, comessationes*,] & similia Gal. 5. 21. ¶ καὶ τὴν πλεονεξίαν, *& avaritiam*] Post genus nominavit speciem, *nimiam habendi cupiditatem.* ¶ ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία. *quæ est simulacrorum servitus*] Vide Ephes. 5. 5. & ibi dicta.

6. Δι' ἃ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. *Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis*] Ἔρχεται [*venit*] præsens pro futuro, quod in hoc verbo frequens. *Veniunt pœnæ*, Ephes. 5. 6. Vide & Genes. 32. 20.

7. Ἐν οἷς καὶ ὑμεῖς περιεπατήσατέ ποτε, *In quibus & vos ambulastis aliquando*] *Actiones vestras secundùm illos motus dirigebatis.* Id enim est הלך [*ambulare.*] Sic κατὰ σάρκα περιπατεῖν [*secundùm carnem ambulare*] Roman. 8. 1, 4. 2 Corinth. 10. 2, 3. Vide & Ephes. 2. 2. 4. 17. ¶ ὅτε ἐζῆτε ἐν αὐτοῖς. *cùm viveretis in illis*] *Cùm talibus affectibus perpetuò moveremini.* Nam moveri est *vivere*. Vide Rom. 6. 2.

8. Νυνὶ δὲ ἀπόθεσθε καὶ ὑμεῖς τὰ πάντα, *Nunc autem deponite & vos omnia*] Videte ne quid veneni resideat, Ephes. 4. 22, 25. ¶ ὀργήν, θυμόν, *iram, indignationem*] Hæc ita distincta habes & Ephes. 4. 31. ¶ κακίαν, *malitiam*] Vide Rom. 1. 29. 1 Corinth. 5. 8. 14. 20. Ephes. 4. 31. Tit. 3. 3. 1 Petri 2. 1. ¶ βλασφημίαν *blasphemiam*] Matth. 15. 19. Marc. 7. 22. Ephes. 4. 31. ¶ αἰσχρολογίαν ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν. *turpem sermonem de ore vestro*] Hoc construitur cum ἀπόθεσθε [*deponite*,] quasi ea vox hic repetita esset. Id dicitur πρόζευγμα [*zeugma à parte priore.*] Quod hic est αἰσχρολογία [*turpis sermo*,] id dicitur αἰσχρότης [*turpitudo*] Ephes. 5. 4.

9. Μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους, *Nolite mentiri invicem*] Ephes. 4. 25. ¶ ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, *exspoliantes veterem hominem*] Sic vocat pristinam vivendi rationem, ut & Rom. 6. 6. & Ephes. 4. 22. ibi est ἀποθέσθαι [*deponere*] quod hic ἀπεκδύσασθαι [*exspoliare*,] mores sunt velut vestes animi. Vide supra 2. 11. Roman. 13. 14. Galat. 3. 27. Ephes. 4. 24. 6. 11.

10. Καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν νέον, *Et induentes novum*] Vide dicto loco Ephes. 4. 24. ¶ τὸν ἀνακαινούμενον, *eum qui renovatur*] Sic ἀνακαίνωσις [*renovatio*] dicitur Rom. 12. 2. Tit. 3. 5. Hoc addit, quia quotidie magis magisque proficiendum est in via pietatis. ¶ εἰς ἐπίγνωσιν, *in cognitionem*] *Cognitionem* intelligit ipsam experientiam bonitatis in nos divinæ. Sic 1 Tim. 2. 4. Hebr. 10. 26. Tit. 1. 1. ¶ κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν *secundùm imaginem ejus qui creavit illum*] *Ad imaginem Dei qui nos per Christum fecit novam creaturam*, Ephes. 2. 10, 15. 3. 9. 4. 24. Adamus ad quandam Dei imaginem conditus, intellectu, libera voluntate, dominatu. At nos ad longè perfectiorem, qualem Christus exhibuit justitiâ, sanctitate, veritate, bonitate. Vide supra 1. 15.

11. Ὅπου, *Ubi*] *In qua creatione.* ¶ οὐκ ἔνι Ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος *non est Gentilis & Judæus*] Solent ista sæpe opponi, ut Rom. 1. 14, 16. 2. 9, 10. 3. 9. 10. 12. 1 Corinth. 1. 24. 10. 32. 12. 13. Gal. 3. 28. Cæterùm alibi Græcorum vox totum humanum genus extra Judæos complectitur: hic verò, ut sequentia indicant, strictiùs sumitur, *pro iis qui Græci erant sermonis.* ¶ περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία· *circumcisio & præputium*] Id est, *circumcisus aut incircumcisus.* Sic Rom. 4. 9. Gal. 2. 7, 8, 9. Ephes. 2. 11. Philipp. 3. 5. Sensus hic idem qui Gal. 5. 6. 6. 15. ¶ Βάρβαρος, *Barbarus*] Id nomen datum à Græcis omnibus qui linguæ Græcæ non erant. Maximè de Phrygibus usurpabatur. Apud Euripidem Peleus Menelao,

> Βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις
> [*Barbariâ te efferavit absentem diu.*]

Horatius,

> *Græcia Barbariæ lento collisa duello.*

¶ Σκύθης· *Scytha*] Crescit oratio: nam inter Barbaros barbarissimi erant Scythæ, semiferi homines. Itaque hoc nomine tanquam probroso in Demosthenem utitur Æschines. Seneca Troadibus,

> *Quis Colchus hoc, quis sedis incertæ Scytha*
> *Commisit?*

Certum est distare Gentes ἐκτοπολὺ [*maxima ex parte*] ingenio: sed

> *Nemo adeò ferus est qui non mitescere possit,*
> *Si modò culturæ patientem præbeat aurem.*

Testis est Anacharsis Scytha. Non abit hinc illud Valerii Maximi 3. 3. *Non ergo fastidioso aditu virtus excitata, ingenia vivida ad se penetrare patitur, neque haustum sui cum aliquo personarum discrimine largum malignumve præbet, sed omnibus æqualiter exposita, quid cupiditatis potiùs, quàm quid dignitatis attuleris, æstimat.* ¶ δοῦλος καὶ ἐλεύθερος, *servus & liber*] Ne natalium quidem sors obstat, 1 Cor. 7. 21, 22. 12. 13. Vide quid ad priorem illum ad Corinthios locum attulimus. Adde Gal. 3. 28. ¶ ἀλλὰ τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός. *sed omnia & in omnibus Christus*] Hoc solùm discrimen nunc valet, quantum de Christo traxerit, πάντα ἐν πᾶσι הכל בכל [*omnia in omnibus.*]

12. Ἐνδύσασθε οὖν, ὡς ἐκλεκτοὶ τοῦ Θεοῦ, ἅγιοι καὶ ἠγαπημένοι, σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, *Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera miserationum*] Valde apta ad commovendos animos hæc oratio, ut multæ in Paulo. Magnis à Deo affecti beneficiis, Spiritu donati, summè ab ipso dilecti, videte quid vicissim facere debeatis: σπλάγχνα οἰκτιρμῶν [*viscera miserationum*] sicut Philipp. 2. 1. σπλάγχνα, οἰκτιρμοί [*viscera, miserationes*:] voces istæ, ejusdem aut propinqui significatûs, inter se vinctæ magnam habent efficaciam. De verbo ἐνδύσασθε [*induite*] vide supra 10. ¶ χρηστότητα, *benignitatem*] 2 Corinth. 6. 6. Gal. 5. 22. Tit. 3. 4. ¶ ταπεινοφροσύνην, *humilitatem*] Actor. 20. 19. Coloss. 2. 18, 23. 3. 2. 1 Petr. 5. 5. ¶ πραότητα, *modestiam*] 1 Cor. 4. 21. 2 Cor. 10. 1. Gal. 5. 22. 6. 1. Ephes. 4. 2. ¶ μακροθυμίαν, *patientiam*] 2 Corinth. 6. 6. Gal. 5. 22. Ephes. 4. 2. supra 1. 11. 2 Timoth. 3. 10. 4. 2. Hebr. 6. 12. 1 Cor. 13. 4. 1 Thess. 5. 14. Jac. 5. 8.

13. Ἀνεχόμενοι ἀλλήλων, *supportantes invicem*] Ephes. 4. 2. ¶ καὶ χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, *& donantes vobismetipsis*] Hic ἑαυτοῖς [*vobismetipsis*] positum pro ἀλλήλοις [*invicem*,] ut Matth. 12. 26. Marc. 10, 26. Luc. 23. 12. Eadem verba

Ephes.

Ephes. 4. 32. ¶ *ἐάν τις πρός τινα ἔχῃ μομφήν. si quis adversus aliquem habet querelam*] Hoc est quod dicitur Matth. 5. 23. ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἔχει τι κατά σου [*quia frater tuus habet aliquid adversum te.*] Μομφὴν ἔχειν [*Querelam habere*] locutio bene Græca est & apud Euripidem & Aristophanem. ¶ *καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἐχαρίσατο ὑμῖν, sicut & Christus donavit vobis*] Et hoc habemus Ephes. 4. 32. ¶ *οὕτω καὶ ὑμεῖς. ita & vos*] Supple *facite*. Quod verbum & alibi subauditur.

14. Ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις τὴν ἀγάπην, *Super omnia autem hæc charitatem*] Nempe ἐνδύσασθε [*induite,*] quod ex longinquo repeti hic debet. Qualia multa apud Paulum. ¶ *ἥτις ἐστὶ σύνδεσμος τῆς τελειότητος. quod est vinculum perfectionis*] *Quod vinculum est perfectissimum*, animos scilicet conjungens. Idem sensus Ephes. 4. 3. In Manuscripto ὅ ἐστι σύνδεσμος [*quod est vinculum,*] constructione ad rem facta.

15. Καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. *Et pax Dei dijudicet in cordibus vestris*] *Pax in cordibus vestris dijudicet*, nempe si quid est inter vos controversum. Pacis studium sit vice judicis, שפט; βραβεύειν [*dijudicare*] propriè dicitur de judicibus ἀγώνων [*certaminum.*] Sed transfertur ad judices quosvis, ut apud Plutarchum aliquoties. Non abit à sensu Hesychius, cùm dicit βραβευέτω, μεσιτευέτω [*Arbiter esto, mediator esto.*] Vir bonus sibi judex est. In Manuscripto ἡ εἰρήνη τοῦ Χριστοῦ [*pax Christi.*] ¶ *εἰς ἣν καὶ ἐκλήθητε, in qua & vocati estis*] 1 Cor. 7. 15. ¶ *ἐν ἑνὶ σώματι, in uno corpore*] Id est, εἰς ἓν σῶμα [*in unum corpus,*] *ut unum essetis corpus*, quod nisi per pacem fieri non potest, 1 Cor. 10. 16. ¶ *καὶ εὐχάριστοι γίνεσθε. & grati estote*] *Memores beneficiorum quæ à Deo accepistis.* In Glossario εὐχάριστος, *gratificus, gratus.*

16. Ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως, *Verbum Christi habitet in vobis abundanter*] *Evangelica doctrina nunquam ex animis vestris abeat.* Id enim est ἐνοικεῖν [*inhabitare,*] ut 2 Timoth. 1. 5. Hebræis שר. πλουσίως, id est, *abundanter*, ut 1 Timoth. 6. 17. Tit. 3. 6. 2 Petr. 1. 11. In Manuscripto ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ [*Verbum Dei.*] ¶ *ἐν πάσῃ σοφίᾳ· in omni sapientia*] Ἐν [*in*] hic ut alibi valet σὺν [*cum.*] Vera sapientia Evangelium comitatur, 1 Corinth. 1. 30. 2. 6. Ephes. 1. 8. ¶ *διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτούς, docentes & commonentes vosmetipsos*] Repetendum hic γίνεσθε [*estote.*] ut illud ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν [*verbum Christi habitet in vobis*] sit quasi παρένθεσις [*Interpositio.*] Et rursum ἑαυτοὺς [*vosmetipsos*] pro ἀλλήλους [*invicem.*] Est etiam privatorum aliquatenus & *docere* & *monere.* ¶ *ψαλμοῖς, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, psalmis, hymnis & canticis spiritualibus*] Hæc quid differant vide Ephes. 5. 19. Recitationes tales vim habent *docendi* & *monendi.* ¶ *ἐν χάριτι ᾄδοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ Κυρίῳ. in gratia cantantes in corde vestro Domino*] Ἐν χάριτι בחן [*in gratia,*] id est, χαριέντως, *amabiliter.* Sic ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι [*ut det gratiam audientibus*] Ephes. 4. 29. ἐν τῇ καρδίᾳ [*in corde*] aut, ut est in Manuscripto, ἐν ταῖς καρδίαις [*in cordibus,*] id est, non solâ voce, sed cum assensu animi, ut dicto ad Ephesios loco.

17. Καὶ πᾶν ὅ, τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι Κυρίου Ἰησοῦ, *Et omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu*] Nempe ποιεῖτε [*facite*] quod ex præcedenti subintelligitur. ποιεῖν עשה [*facere*] interdum opponitur dictis; hic verò ita laxè sumitur ut & dicta comprehendat. Nam & qui dicit, *agit* aliquid; Hebræorum dictum est יהיו כל מעשיכם לשם שמים [*sicut omnia opera vestra propter Deum.*] ¶ *εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ δι' αὐτοῦ. gratias agentes Deo & Patri per ipsum*] Explicat quid sit *in nomine Christi omnia facere ac loqui*, nimirum *de factis dictisque Deo Patri gratias agere per Christum.* Θεῷ καὶ πατρὶ [*Deo & Patri*] ut supra 1. 3. ubi exemplum habes hujus gratiarum actionis, quemadmodum & Rom. 1. 8. 7. 25.

18. Αἱ γυναῖκες ὑποτάσσεσθε τοῖς ἀνδράσιν, *Mulieres subditæ estote viris*] Nempe ἰδίοις [*propriis*] quod additur Ephes. 5. 22, 24. *Suo quæque viro vos subjicite.* [illegible] passivum pro reciproco. ¶ *ὡς ἀνῆκεν ἐν Κυρίῳ. [illegible] in Domino*] Distinguendum ὡς ἀνῆκεν [*sicut oportet,*] [illegible] ἐν Κυρίῳ [*in Domino*] sit restrictio illius ὑποτάσσεσθε [*subditæ estote,*] qualis Ephes. 6. 1. ὡς ἀνῆκεν, *ut æquum est.* τοῦτο γάρ ἐστι δίκαιον [*hoc enim justum est*] ibidem ad Ephes.

19. Οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας, *Viri diligite uxores*] Ephes. 5. 25. ¶ *καὶ μὴ πικραίνεσθε πρὸς αὐτάς. & nolite amari esse ad illas*] Hic activum pro reciproco, ad instar Hebræi מרר quod significat *amarè se gerere.* Et modò vertitur per πικραίνειν aut πικραίνεσθαι, modò per παροργίζειν [*ad iracundiam provocare*] quod habemus Ephes. 6. 4. *Neque verberibus, neque maledictis exasperandam uxorem* docent Hebræi in Musar.

20. Τὰ τέκνα ὑπακούετε τοῖς γονεῦσι κατὰ πάντα. *Filii obedite Parentibus per omnia*] Hæc quoque generalitas restringenda, subaudito illo quod ad Ephesios exprimitur, ἐν Κυρίῳ [*in Domino.*] Sic & infra κατὰ πάντα [*per omnia*] 22. & ἐν παντὶ [*in omnibus*] Ephes. 5. 24. ¶ *τοῦτο γάρ ἐστιν εὐάρεστον ἐν Κυρίῳ. hoc enim placitum est in Domino*] Meliùs alii codices Κυρίῳ [*Domino,*] quomodo Ephes. 5. 10. ישר לפני אלהים [*rectum coram Deo.*]

21. Οἱ πατέρες μὴ ἐρεθίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν, *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros*] Hic est ἐρεθίζετε quod παροργίζεσθε [*ad iracundiam provocate*] ad Ephes. quam ipsam vocem & hic habet Manuscriptus. גרה [*infestari*] vertitur ἐρεθίζειν Prov. 19. 8. Vide & 2 Cor. 9. 2. ¶ *ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν. ut non pusillo animo fiant*] *Ne animo concidant.* חרה vertitur ἀθυμεῖν [*animo deficere*] 1 Sam. 15. 11. 2 Sam. 6. 8, 11. 1 Paral. 13. 11.

22. Οἱ δοῦλοι ὑπακούετε κατὰ πάντα τοῖς κατὰ σάρκα κυρίοις, *Servi obedite per omnia dominis carnalibus*] Eph. 6. 5. ¶ *μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλείαις ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes*] Μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν, Ephes. 6. 6. ¶ *ἀλλ' ἐν ἁπλότητι καρδίας, sed in simplicitate cordis*] Ex hoc est dicto loco ad Ephes. ¶ *φοβούμενοι τὸν Θεόν. timentes Deum*] Ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ [*facientes voluntatem Dei*] ad Ephes. Deus varias esse voluit hominum sortes, & quemque suâ contentum vivere. In Manuscripto, φοβούμενοι τὸν Κύριον [*timentes Dominum.*]

23. Καὶ πᾶν ὅ, τι ἐὰν ποιῆτε, *Et quodcunque feceritis*] In ministerio vestro. ¶ *ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε, ex animo operamini*] *Æquo animo*, ἄνευ μεμψιμοιρίας [*non queribundè.*] ¶ *ὡς τῷ Κυρίῳ καὶ οὐκ ἀνθρώποις. sicut Domino & non hominibus*] Nempe ποιοῦντες τοῦτο [*id facientes.*] *Christo servitur*, cùm ipsis paretur legibus, quarum hæc una est, ut supra nos jure humano constitutis exhibeatur fides & obedientia. Vide dictum locum Ephes. 6. 6, 7.

24. Εἰδότες ὅτι ἀπὸ Κυρίου ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας. *Scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis*] Hic genitivus est ἐξηγητικός [*explicativus.*] nam *merces* est cœlestis *hæreditas*, id est, perpetua possessio, Ephes. 1. 14, 18. Hebr. 9. 15. 1 Petri 1. 4. ἀνταπόδοσιν גמול [*retributionem.*] ¶ *τῷ γὰρ Κυρίῳ δουλεύετε. Domino enim servitis*] In Manuscripto, τῷ Κυρίῳ Χριστῷ [*Domino Christo.*] Christi estis servi, illum respicite omnium *Dominum*, Ephes. 6. 6.

25. Ὁ δὲ ἀδικῶν κομιεῖται ὃ ἠδίκησε. *Qui verò injuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit*] Ὁ ἀδικῶν [*Qui injuriam facit,*] id est, *servus infidelis Domino*, aut *Dominus in servum durus.* Et est μετωνυμία [*Transnominatio,*] ὃ ἠδίκησε [*id quod iniquè gessit,*] id est, *pœnam injustitiæ suæ.* Par locutio 2 Cor. 5. 10. Ephes. 6. 8. Petrus idem explicatiùs habet 2 Petr. 2. 13. κομιούμενοι μισθὸν ἀδικίας [*percipientes mercedem injustitiæ.*] ¶ *καὶ οὐκ ἔστι προσωποληψία & non est personarum acceptio*] Nempe *apud Christum* Ephes. 6. 9. Non magis dominis iniquis quàm servis iniquis parcet.

CAP. IV.

VALLA.

15. NYmpham, & quæ in domo ejus est Ecclesiam*] *Nympha* vir fuit, & non, ut quidam rentur, fœmina: quod probatur ex pronomine *ejus*, quod Græcè est generis masc, αὐτοῦ.

ERASMUS.

1. E*T æquum*] Τὴν ἰσότητα, *æqualitatem*, seu potiùs *æquabilitatem.* Et *justum* vocat id quod servis debetur à dominis: *æquabilitatem*, nè alium in deliciis habeant, alium iniquè tractent: quæ res intolerabilem facit servitutem. Præterea *vos* pronomen Interpres addidit de suo, οἱ κύριοι. Ambrosius non addidit.

6. *Sale sit conditus*] Ἅλατι ἠρτυμένος. Ambrosius legit, *semper in sale gratiâ sit conditus*, q. dictum sit, *Sermo vester sit salsus, conditus gratiâ.* Tametsi Græca perinde valent ac si dicas, *Sermo vester semper habeat gratiam, sale conditus:* ut intelligamus jocunditatem ac modestiam in colloquiis Christianorum cum Ethnicis, sed eam cum sapientia conjunctam. Hoc detorqueri potest ad nos, si quando cum magnatibus agendum est, nè intempestivâ maledicentiâ & acerbitate provocemus eos, reddamusque deteriores quàm sunt, sed prudenti moderatione sermonis paulatim adducamus ad meliora, si quid aberrant.

9. *Nota faciet*] Græci legunt numero multitudinis, γνώσουσιν

ὑμῖν γνωρίσει τὰ ὧδε, *omnia vobis nota facient quæ hic sunt*: loquitur enim de duobus, *Tychico* & *Onesimo*. nec additur *qui* pronomen, nec apud Græcos, nec apud Ambrosium.

10 *De quo accepistis mandata*] Sermo Latinus videri possit anceps, & intelligi *per Barnabam aliquid fuisse præceptum Colossensibus*: quod ita demiror interpretari Theophylactum. Sed Græci carent hâc ambiguitate, περὶ οὗ. Rursum dubium est utrum Græcus articulus referat *Barnabam* an *Marcum*. Hic rursus mihi monendus est Lector quàm non sit tutum credere libris in aliam versis linguam. In prioribus editionibus adscripsi duo verba, fretus Interprete, quia fortasse tum Græcus codex non erat ad manum. In hac quarta editione consului Græcum codicem, & multò aliud reperio quàm Interpres nobis tradidit: nam Græca sic habent, Παρὰ Βαρνάβα ἴσως ἐλάβον τὰς ἐντολὰς ὥστε δέξασθαι αὐτὸν περὶ τιμῆς. δύναται μὲν στίξαι καὶ εἰς τὸ, ἐλάβετε ἐντολὰς, εἶτα ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς ἀναγνῶναι τὸ, ἐὰν ἔλθῃ πρὸς ὑμᾶς, ὦ Κολασσαεῖς, δέξασθε αὐτὸν ἐντίμως. *De Barnaba forsitan acceperant mandatum ut eum honorificè reciperent. Potest quidem poni punctum post hæc verba*, ACCEPISTIS MANDATA: *deinde ab alio initio legi*, SI VENERIT AD VOS, *O Colossenses*, EXCIPITE ILLUM HONORIFICE. Quod apud Theophylactum legitur παρὰ Βαρνάβα, aut παρὰ usurpavit pro περὶ, aut, quod est credibilius, scriptor ita depravavit. Indicat autem Theophylactus, si conjunctim legas, dicendum δέξασθαι, modo infinito, ut legit Ambrosius, si disjunctim, δέξασθε, modo imperandi.

11. *Qui dicitur Justus*] *Justus* hic Latina vox Ἰοῦστος, cùm Paulus testetur fuisse Judæum.

12. *Semper sollicitus*] Ἀγωνιζόμενος, *certans*, sive *laborans*, vel potiùs *anxiè laborans*. ¶ *Ut stetis perfecti*] *Ut sitis*, ἵνα ἦτε atque ita legit Ambrosius. Apparet Interpretem pro ἦτε legisse στῆτε.

13. *Multum laborem*] Ζῆλον πολὺν, *multum zelum*, sive *multam æmulationem*.

14. *Lucas medicus*] Λουκᾶς ὁ ἰατρός. Articulus discernendi causâ additus magis suadet ut hoc de alio quopiam Luca dictum accipiamus. Ambigunt enim Interpretes

15. *Et quæ in domo est ejus Ecclesiam*] Καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ ἐκκλησίαν, *& domesticam ejus Ecclesiam*. Ambrosius, si modò non fallant codices, existimat *Nympham* fuisse mulierem *devotam*, ut vocant: sed αὐτοῦ pronomen apud Græcos additum significat virum fuisse, non mulierem, *Nympham*. Porrò quòd addit, *& quæ in domo illius est Ecclesiam*, opinor hic *Ecclesiam* accipi non pro *universo cœtu* sed pro *reliqua familia jam Christiana*. Nam Græci Interpretes putant magnatem aliquem ob id fuisse quòd domi habuerit Ecclesiam.

16. *Et cum lecta fuerit*] Ex hujus occasione loci quidam Epistolam subornarunt, velut a Paulo scriptam Laodicensibus, sed quæ nihil habeat Pauli præter voculas aliquot ex cæteris ejus Epistolis mendicatas. Etiamsi Faber homo doctus, sed aliquoties nimiùm candidus, diligenter reliquis admiscuit Epistolis. Græcanica Scholia negant hanc Epistolam, de qua hic agit, a Paulo scriptam fuisse Laodicensibus. Neque enim dixit *quæ scripta fuit ad Laodicenses*, sed *quæ scripta fuit ex Laodicea*: proinde fuisse Epistolam quam Laodicensis quispiam scripserit ad Paulum, in qua tamen inessent quæ ad Colossensium rem pertinerent. Theophylactus indicat fuisse qui putarint hanc esse quæ Prior est Pauli ad Timotheum, quod eam scripserit Laodiceæ. Tertullianus lib. Adv. Marc. 5. indicat hæreticos quosdam tradere, Epistolam quæ juxta nos scribitur Ephesiis, Laodicensis inscriptam fuisse. Verùm ut hac de re non pronuncio, ita mihi vereor asseverare, eam quam Stapulensis addidit Pauli non esse. Non est cujusvis hominis Paulinum pectus effingere. Tonat, fulgurat, meras flammas loquitur Paulus. At hæc præterquam quòd brevissima est, quàm friget, quàm jacet! Jam illud stultum etiam est, non solùm impudens, quòd pleraque ex hac ipsa collegit Epistola quisquis hanc effinxit. At si quicquid erat in Epistola Laodicentium, idem in hac habetur, & quidem tanto copiosiùs, quorsum attinebat mandare ut illa hic quoque legeretur? Denique qui factum est ut hæc Epistola apud Latinos extet, cùm nullus sit apud Græcos, nè veterum quidem, qui testetur eam a se lectam? Quanquam quid attinet argumentari? Legat qui volet epistolam: extat enim in Jacobi Fabri Stapulensis Commentariis. Nullum argumentum efficaciùs persuaserit eam non esse Pauli quàm ipsa Epistola. Et si quid mihi naris est, ejusdem est opificis qui næniis suis omnium veterum Theologorum omnia scripta contaminavit, conspurcavit, perdidit, ac præcipuè ejus qui præ cæteris indignus erat eâ contumeliâ, nempe D. Hieronymi. Nihil enim ferè habemus hujus præter Commentarios in Prophetas & Epistolas aliquot quod non sit studiosè ab hoc furcifero vel mutilatum, vel adulteratum, vel confusum turpissimeque contaminatum, ut nè quid dicam de tot voluminibus insulsissimis quæ idem artifex Hieronymi titulo evulgavit. At Fabri mei candorem & ipse libens imitarer, nisi viderem fieri ut, dum ad hunc modum obsecundamus indoctis aliquot, indignis afficiantur contumeliis non solùm Heroës illi qui nobis pulcerrima sui monumenta reliquerunt, verùm etiam bonæ spei ingenia, quæ hâc imposturâ aut deterrentur à literis si suboleat, aut inficiuntur si non suboleat. Idem consimili candore Psalterio suo adjecit Epistolam Hieronymi nomine ad Damasum Papam, in qua postulat ut ad calcem in singulis Psalmis adderetur, GLORIA PATRI. Atqui hâc nè fingi quidem possit quicquam infantius, indoctius, insulsius. Tantum abest ut Hieronymi, h.e. hominis inimitabili doctrinâ simul & eloquentiâ præditi, videri possit. ¶ *Vobis legatur*] Ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, *ut & vos legatis*: nam præcessit *eam*.

18. *Domini nostri Jesu Christi*] Hæc omnia apud Græcos non invenio. Et ità legit Ambrosius quemadmodum habetur in Græcis exempl. Ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν, *Gratia vobiscum*. In codice Donatiani scriptum erat, *Gratia Domini Jesu vobiscum*. Uterque codex è Constantia præbitus consentiebat cum Græcis, *Gratia vobiscum. Amen.*

VATABLUS.

1. *Quod æquum est & justum*] Vel, *æquitatem & æquabilitatem*: i.e. date quod servis debetur; & nè alium in deliciis habeatis, alium iniquè tractetis: quæ intolerabilem facit servitutem.

2. *In*] *Cum.*

3. *Aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum*] Heb. Det mihi dicendi facultatem & libertatem ad docendum.

5. *In sapientia*] Heb. *sapienter.* ¶ *Ad eos qui foris sunt*] i.e. Erga eos qui nondum admissi sunt in Ecclesiam Christi apud Gentiles qui nondum audierunt Euangelium. ¶ *Tempus*] *Occasionem*: i.e. quærentes omni ratione occasionem docendi eos, & inferendi Christo.

6. *In gratia*] i.e. Sit festivus propter Gentiles quibus vera audienda, sed cum suavitate. Regula annunciandi Euangelii. ¶ *Sale sit conditus*] i.e. Plenus judicio & prudentiâ. ¶ *Ut sciatis quomodo oporteat vos*] Vel, *ut ostendatis quod sciatis quomodo oporteat vos respondere.*

7. *Quæ circa me sunt*] *De omnibus rebus meis certiores vos faciet.* ¶ *In Domino*] i.e. Christi.

8. *Quæ circa vos sunt*] Vel, *statum rerum vestrarum.*

9. *Ex vobis est*] i.e. Colossensis: vel, *ex præputio conversus ad Christum.*

10. *Suscipite*] *Excipite*, Vet.

11. *Ex circumcisione*] *Judæi.* ¶ *Adjutores*] *Cooperarii.* ¶ *In regno Dei*] *Ad regnum Dei*: sub. *promulgandum.*

12. *Qui ex vobis est*] i.e. Gentilis vester. ¶ *Solicitus*] *Anxiè laborans*, vel, *decertans.* ¶ *Pleni*] *Completi*: i.e. ut plenè cognoscatis voluntatem Dei in quacunque re.

13. *Laborem*] *Zelum.*

15. *Quæ in domo ejus est Ecclesiam*] *Domesticam ejus congregationem.*

16. *Apud vos*] *A vobis.* ¶ *Ea quæ Laodicensium est, ut vobis legatur*] *Eam quæ scripta ex Laodicea est, ut vos quoque legatis.* Vetera legunt, *eam quæ Laodicensium est, vos quoque legatis.*

17. *In Domino*] i.e. Per Dominum, aut, propter: vel, in Ecclesia Domini.

CASTALIO.

5. *Redimentes tempus*] Quæ emuntur, chara sunt; ideoque damus operam ut ea diligenter servemus, neve iis abutamur. Est igitur *tempus redimere* magnifacere tempus, & cavere nè perdatur aut malè collocetur; h.e. toto tempore bene uti, nec ullam rectè agendi occasionem prætermittere.

8. *Quem ideo ad vos misi, ut vestrarum rerum statum cognoscat*] Aliàs, *nostrarum rerum statum cognoscatis.*

CLARIUS.

16. *Et cùm lecta fuerit*] Hinc colligitur Colossenses non esse Rhodienses, ut quidam opinati sunt, sed civitatem esse Phrygiæ, ex eo quòd propinqua esset Laodiceæ.

17. *Dicite Archippo*] Hæc verba addere poterant & animum & autoritatem Archippo, ut exsequeretur ea quæ Apostoli jussu mandata ei fuerant.

ZEGE-

ZEGERUS.

3. A*periat nobis ostium sermonis ad loquendum*] h. e. Obstacula atque impedimenta mihi cunctâ amoveat, tam quoad meipsum, qui vinculis hisce præpedior mysterium Christi deprædicare, quàm quoad infideles & persecutores meos, qui ostio infidelitatis conclusi Euangelicam doctrinam nec in sese nec in alios sinunt pertransire.

5. *Qui foris sunt*] Qui extra fidei nostræ aulam divagantur.

6. *In gratia sale conditus*] Habeat, inquit, sermo vester gratiam, comitatem, jucunditatem, ità ut prudentiæ temperantiæque *sale* sit semper *conditus*, nè si plùs satis asper & austerus fuerit, audiri & in cor trajici nequeat; aut si sale careat, ut cibus inconditus fastidiatur. Cæterùm duas illas voces *gratiâ* & *sale* per Appositionem licebit connectere, siquidem per *gratiam*, quæ quasi *sal* est, sermo debet condiri.

9, 12. *Qui ex vobis est*] Bis legitur, pro eo quod est *vestrâs est*, h. e. vestræ regionis sive gentis. ¶ *Qui omnia quæ hîc aguntur nota facient vobis*] *Qui* juxta Græcos, Ambrosium & codices Emsteiniensem & Gemblacensem omittendum: & *faciunt* plurativè legendum.

10. *Consobrinus Barnabæ*] Incertum Marcus hic & Barnabas duorumne fratrum an sororum, denique an alterius fratris, alterius verò sororis filii. Nam *consobrinos*, quemadmodum & Græci ἀνεψιὸς, vulgò vocamus qui ex duobus fratribus, vel ex fratre & sorore, vel ex duabus sororibus sunt editi, quasi *consororini*. ¶ *De quo accepistis mandata: si venerit ad vos excipite illum*] In relativo *quo* subaudiri potest vel *Marcus Barnabæ consobrinus*, vel *Barnabas* ipse, ut continuè legas, *Marcus consobrinus Barnabæ illius de quo accepistis mandata*. Sensus autem verborum est, Mandatum illis fuisse ut si ad illos veniret is de quo sentit, (qui juxta communiorem & antiquiorem opinionem *Marcus* intelligitur, ille videlicet Euangelista, *Johannes* nomine, cognomento *Marcus*) exciperent eum humaniter. Caussam hujus commendationis esse volunt, quòd à Paulo decessisset in Pamphylia, ob quod etiam indignus dijudicatus fuerat qui in comitatum Pauli & Barnabæ reciperetur, ut habes in Act. 15. At quoniam jam Apostolis fuerat reconciliatus, jubetur cum honore recipi. Aliud tamen videtur intellexisse Theophylactus, aut certè hujus Interpres, qui dicit *Colossenses à Barnaba forsitan vivendi præcepta accepisse, & ob id admoneri illos ut eum cum honore suscipiant*. Verùm cùm Græcè sit non ἀπό neque παρ᾽ ὃ *à quo*, sed περὶ ὃ *de quo*, non ausim in hanc sententiam pedibus descendere.

12. *Ut stetis perfecti*] Aliàs ἵνα *sitis perfecti*, juxta Ambrosium & cod. Emsteiniensem.

15. *Nympham*] Virum illum, à nominativo *Nymphas*.

16. *Eam quæ Laodicensium est*] De hac Epistola multa feruntur & varia, sed parùm certa. Nam & Chrysostomus suum hic subtrahens judicium hoc tantùm indicat, *quosdam fuisse qui putarint non eam intelligendam quam ad eos Paulus, sed quam ipsi Paulo miserint*, propterea quòd non dixerit, *ut eam quæ ad Laodicenses*, sed καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, *quæ ex Laodicea scripta est*. Tertullianus verò, autor Chrysostomo non paulò antiquior, lib. Adv. Marc. 5. indicat hæreticos quosdam tradere Epistolam quæ juxta nos scribitur Ephesis, Laodiceis inscriptam fuisse, quorum judicium parùm mihi probabile judicatur. Dum singula percurro atque expendo, non aliud divinare queo quàm apud Græcos à sciolo quopiam ex τὴν Λαοδικέων καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, vel καὶ ὑμῖν ἀναγνωσθῇ, depravatum esse τὴν ἐκ Λαοδικείας καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, vel propterea quòd prorsus eam quæ à Paulo ad Laodicenos scripta fortasse est Epistolam ignoraret, utpote quæ cæteris ejusdem Apostoli Epistolis juncta non sit, vel quòd eandem ab omnibus reprobari intelligeret, quemadmodum & B. Hieronymus lib. De script. Eccles. de ipsis Pauli scribens epistolis, *Legunt*, inquit, *quidam & ad Laodicenses; sed ab omnibus exploditur*. Certè Ambrosius cum Vulg. Interp. consentit, legens simul & explicans *& Laodicensium vos legatis*. Atqui probabile est Apostolum multò plures scripsisse Epistolas quàm publicâ habeamus Ecclesiæ autoritate comprobatas. Extat autem Epistola ad Laodicenses inscripta: An de ea sentiat non satis constat. Nonnulli codd. sic habent, *eam quæ Laodicensium est vos legatis*: quod coincidit cum nostra lectione altera.

18. *Gratia Domini Jesu vobiscum. Amen*] Vulgares cod. habent, *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.* Ambrosius verò & Chrysostomus & editio Græca, *Gratia vobiscum. Amen*: atque hoc puto esse verius.

H. STEPHANUS.

6. Ἐ*Ν χάριτι, ἅλατι ἠρτυμένος, εἰδέναι πῶς δεῖ ὑμᾶς ἑνὶ ἑκάστῳ ἀποκρίνεσθαι*] *Gratiâ* tanquam *sale conditus, ut sciatis quomodo*, &c.

9. *Γνωριοῦσι*] *Nota facient.*

DRUSIUS.

3. O*Stium sermonis*] Τοῦ λόγου, h. e. Euangelii. Nam Euangelium vocatur *sermo Dei*, & *sermo* simpliciter, & cum articulo ὁ λόγος· quomodo & *via*, i. e. ἡ ὁδὸς, sumitur pro *via DOMINI*. Notum hoc doctis. Ut hic *ostium sermonis*, sic Hos. 2. 15. *ostium spei*: & Psal. 141. 3. *ostium labiorum*: & Mich. 7. 5. *ostium oris* (vel, si mavis, *fores oris*) tui. Vocantur autem Labia *fores oris* eò quòd ad modum ostii clauduntur & aperiuntur.

14. *Lucas*] Non est nomen Ebraïcum, ut quidam opinantur, sed Latinum, Græco ὑποκοριστικῷ detortum à *Lucius*, ut à Rufo Ῥοῦφος. *Lucius* autem à *luce* dictus, Act. 13. 1. Rom. 16. 21.

16. *Et eam quæ Laodicensium est*] Non scriptam ad Laodicenses, sed missam scriptamve ex Laodicea vel ad ipsum Apostolum, vel ad alium aliosve. Tollunt omnem omnino dubitationem editiones Græca & Syra. Nam in hac *eam quæ scripta est ex Laodicea*, in illa verò τὴν ἐκ Λαοδικείας *eam quæ ex Laodicea*.

GROTIUS.

1. O*Ἱ κύριοι τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἰσότητα τοῖς δούλοις παρέχεσθε, Domini quod justum est & æquum servis præstate*] Hæc cohærent cum superioribus, neque scindenda fuere. Est quidem etiam inter inæquales, ut inter dominum & servum, jus aliquod: sed Hebræis צדקה & Hellenistis δικαιοσύνη sæpe *bonitatem* significat. *ἰσότης* verò hîc est id quod Hebræis ישר, *quod cuique convenit*. De quo significatu diximus ad Marcum 14. 56. Hoc est, exigite operas moderatè, victum & vestitum suppeditate, septimo anno, si velint, eos manumittite. Vide legem Deut. 15. 12. & sequentibus, & nostra 3. de Jure Belli ac Pacis 14. ¶ *ὅτι καὶ ὑμεῖς ἔχετε Κύριον ἐν οὐρανοῖς. quòd & vos Dominum habetis in cælo*] Ephes. 6. 9. In Lege Mosis ratio hæc redditur, quia Deus illos non minùs quàm vos ex Ægypto redemit, Deut. 15. 15. In Novo Fœdere, quia redimit vos omnes Christus, qui ex coelo omnia despectat.

2. Τῇ *προσευχῇ προσκαρτερεῖτε*, *Orationi instate*] Rom. 12. 12. ¶ *γρηγοροῦντες ἐν αὐτῇ vigilantes in ea*] *Ita ut attenti sitis in precibus*. Ita שקד usurpant Hebræi. ¶ *ἐν εὐχαριστίᾳ. in gratiarum actione*] Id est, *simul cum gratiarum actione*: conjungi enim debet grata exacti temporis memoria cum futuri postulatione. *ἐν* [*in*] pro *σὺν* [*cum*,] supra 3. 4, 16. & 2 Tim. 1. 13. & alibi.

3. *Προσευχόμενοι ἅμα καὶ περὶ ἡμῶν, ἵνα ὁ Θεὸς ἀνοίξῃ ἡμῖν θύραν τοῦ λόγου, Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis*] Id est, occasionem, ut 1 Cor. 16. 9. 2 Cor. 2. 12. Magnus eorum honos quorum precibus Paulus velit juvari, Rom. 15. 30. Philem. 22. ¶ *λαλῆσαι τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, ad loquendum mysterium Christi*] In Manuscripto *ἐν παῤῥησίᾳ λαλῆσαι* [*ad loquendum confidenter*,] quomodo Ephes. 6. 19. *μυστήριον* [*mysterium*] vocat respectu temporum priorum. Vide supra 2. 2. ¶ *δι᾽ ὃ καὶ δέδεμαι. propter quod etiam vinctus sum*] Nullam ob culpam vinctus sum, sed quia officio meo fungor.

4. Ἵνα *φανερώσω αὐτὸ, ὡς δεῖ με λαλῆσαι, Ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui*] Non tantùm ut magnum mihi det Deus auditorium, sed & fortitudinem animi & eloquendi copiam. Vide 1 Cor. 9. 16.

5. Ἐν *σοφίᾳ περιπατεῖτε πρὸς τοὺς ἔξω, In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt*] Οἱ ἔξω [*qui foris sunt*] sunt omnes non Christiani, 1 Cor. 5. 12, 13. cùm his vult prudenter vivi, & vitari omnia non necessaria quæ eorum animos possent offendere. Ideo sequitur, ¶ *τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι. tempus redimentes*] Effugientes pericula. De hac locutione diximus [illegible] Ephes. 5. 16.

6. Ὁ *λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, Sermo vester semper in gratia*] Nempe *esto*. *Sermo vester suavis esto*. Vide supra 3. 16. Hic rursus *ἐν* [*in*] pro *σὺν* [*cum*.] ¶ *ἅλατι ἠρτυμένος, sale conditus*] Id est, *sapidus*. Nam quæ salita non sunt, ea sunt insipida. Mystica explicatio Legis Levit. 2. 13. & alibi. ¶ *εἰδέναι πῶς δεῖ ὑμᾶς ἑνὶ ἑκάστῳ ἀποκρίνεσθαι. ut sciatis quomodo*

oporteat

oporteat vos unicuique respondere] Hic infinitivus est vice gerundii, *Sciendo quomodo respondere cuique debeatis*, nempe de fide interrogati 1 Petr. 3. 15.

7. Τὰ κατ' ἐμὲ πάντα γνωρίσει ὑμῖν Τυχικὸς, ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς καὶ πιςὸς διάκονος καὶ σύνδουλος ἐν Κυρίῳ. *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater & fidelis minister & conservus in Domino*] Σύνδουλος [*conservus*] hic additum. Cætera habes Ephes. 6. 21. Itaque iter Tychicus per Ephesum erat sumpturus in Phrygiam.

8. Ὃν ἔπεμψα πρὸς ὑμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, ἵνα γνῷ τὰ περὶ ὑμῶν, *Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt*] Legendum est ex Manuscripto, ἵνα γνῶτε [*ut cognoscatis*,] quomodo est Ephes. 6. 22. ¶ καὶ παρακαλέσῃ τὰς καρδίας ὑμῶν. *& consoletur corda vestra*] Ibidem ad Ephes.

9. Σὺν Ὀνησίμῳ τῷ πιςῷ καὶ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ, ὅς ἐςιν ἐξ ὑμῶν. *Cum Onesimo charissimo & fideli fratre, qui ex vobis est*] Servi multi ex Phrygia, Mysia & vicinis locis. Horum majores bellis scilicet venditi, alii in Macedoniam ut Epaphroditi, alii Ephesum ut Onesimi, pervenerant. Sed Epaphroditus liber factus videtur ipse aut parentes ejus. Onesimus ergo priùs aditurus erat Phrygiæ Ecclesias quàm iret in Macedoniam. Phryga fuisse Onesimum dixit & Theodoretus in illam ad Philemonem. ¶ πάντα ὑμῖν γνωρίσει τὰ ὧδε. *Omnia quæ hic aguntur nota facient vobis*] Id est, quæ hic aguntur.

10. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἀρίςαρχος ὁ συναιχμάλωτός μου, *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus*] In Macedonia notus Actor. 19. 29. 20. 4. 27. 2. & pridem ad Christum conversus, ut & hic & in Actis, & Philem. 24. apparet. Nomen commune cum multis eruditis in Græcia viris. ¶ καὶ Μάρκος ὁ ἀνεψιὸς Βαρνάβα, *& Marcus consobrinus Barnabæ*] Fortior jam factus post id quod narratur Actor. 15. 39. eoque charus jam Paulo, 2 Tim. 4. 11. ἀνεψιὸς notat Phrynichus Atticis dici qui aliis ἐξάδελφοι, id est, aut *patrueles*, aut *amitini*, aut *consobrini*. Nam his tribus vocibus Græca illa vox in Glossis vertitur. *Amitinum* credidit Syrus. ¶ περὶ οὗ ἐλάβετε ἐντολάς· *de quo accepistis mandata*] *A Barnaba commendatitias*. ¶ ἐὰν ἔλθῃ πρὸς ὑμᾶς, δέξασθε αὐτόν. *si venerit ad vos, excipite illum*] Adjungit ad Barnabæ commendationem etiam suam: ne quid crederetur reliquum esse de vetere illo frigusculo.

11. Καὶ Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Ἰοῦςος, *Et Jesus qui dicitur Justus*] Nempe *Jesus* dicebatur inter Judæos: inter Romanos nomine non multùm abscedente, *Justus*. Vide quæ dicta Actor. 13. 9. ¶ οἱ ὄντες ἐκ περιτομῆς. *qui sunt ex circumcisione*] Nempe *Marcus* ille, id est, Mardochæus, & *Jesus* ille. ¶ οὗτοι μόνοι, *hi soli*] Supple ἐκ τῆς περιτομῆς [*ex circumcisione*.] ¶ συνεργοὶ εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *adjutores in regno Dei*, Id est, in Euangelii prædicatione: per quod Euangelium Deus in hominibus regnat perfectiùs quàm per Legem quæ מלכות אלהים [*regnum Dei*] Hebræis. Vide Matth. 4. 17. ¶ οἵτινες ἐγενήθησάν μοι παρηγορία. *qui mihi fuerunt solatio*] Magnum solatium, fidi laboris socii. παρηγορία תנחומים. [*recreatio*.]

12. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἐπαφρᾶς, *Salutat vos Epaphras*] Idem qui *Epaphroditus* in Epistola ad Philippenses. ¶ ὁ ἐξ ὑμῶν, *qui ex vobis est*] Origine, ut supra 9. ¶ δοῦλος Χριςοῦ, *servus Christi*] Princeps cœtûs Philippensium. ¶ πάντοτε ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ ὑμῶν ἐν ταῖς προσευχαῖς, *semper solicitus pro vobis in orationibus*] Supra 2. 1. ¶ ἵνα ςῆτε τέλειοι καὶ πεπληρωμένοι ἐν παντὶ θελήματι τοῦ Θεοῦ. *ut stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei*] De voce τελείων [*perfectorum*] vide 1 Cor. 2. 6. 14. 20. Philipp. 3. 15. Ephes. 4. 13. supra hic 1. 28. pleni, nempe Spiritu, ut Ephes. 5. 18. ἐν παντὶ θελήματι [*in omni voluntate*,] id est, εἰς πᾶν θέλημα [*in omnem voluntatem*,] *ad omnia placita Dei implenda*. In Manuscripto est πεπληροφορημένοι eodem sensu. Vide quæ supra 2. 2. & hic infra 17. pro ςῆτε [*stetis*] Latinus legit ἦτε [*sitis*.]

13. Μαρτυρῶ γὰρ αὐτῷ, *Testimonium enim illi perhibeo*] Ingens testimonium. ¶ ὅτι ἔχει ζῆλον πολὺν ὑπὲρ ὑμῶν, *quod habet zelum multum pro vobis*] *Ardens pro vobis studium*. Vide Joh. 2. 17. Rom. 10. 2. At in Manuscripto πολὺν πόνον ὑπὲρ ὑμῶν [*multum laborem pro vobis*,] quomodo & Latinus legit. ¶ καὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ καὶ τῶν ἐν Ἱεραπόλει. *& pro iis qui sunt Laodiceæ & qui Hierapoli*] Quæ utraque urbs in eadem Phrygia. Vide Strabonem & Stephanum. Fuere & aliæ urbes dictæ *Hierapoles*, ut in Syria, in Caria.

14. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Λουκᾶς ὁ ἰατρὸς, ὁ ἀγαπητὸς, *Salutat vos Lucas medicus, charissimus*] De quo vide quæ ad Euangelium ab ipso scriptum diximus, & 2 Tim. 4. 11. Philem. 24. ¶ καὶ Δημᾶς. *& Demas*] Qui & *Demetrius*; compendio vocis *Demas*, *Dama* Latinè 2 Tim. 4. 10. Philem. 24.

15. Ἀσπάσασθε τοὺς ἐν Λαοδικείᾳ ἀδελφοὺς, *Salutate fratres qui sunt Laodiceæ*] Per epistolam aut nuntium. ¶ καὶ Νυμφᾶν, καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ ἐκκλησίαν. *& Nympham, & quæ in domo ejus est Ecclesiam*] *Nymphas* masculinum nomen est, ut ex articulo apparet, id quoque contractum ex *Nymphodori* nomine, quo appellatus insignis Medicus apud Plinium. Videtur hic *Nymphas* alicubi in agro habitasse. *Ecclesiæ domesticæ* mentio etiam Rom. 16. 5. 1 Cor. 16. 20.

16. Καὶ ὅταν ἀναγνωσθῇ παρ' ὑμῖν ἡ ἐπιςολὴ, *Et cùm lecta fuerit apud vos Epistola hæc*] Ἡ pro αὕτη [*hæc*.] Sic τὰ χαρίσματα pro χαρίσματα ταῦτα [*dona hæc*] Rom. 11. 29. ¶ ποιήσατε ἵνα καὶ ἐν τῇ Λαοδικέων ἐκκλησίᾳ ἀναγνωσθῇ. *facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur*] Exemplo eo misso, ut mos erat inter Christianos. ¶ καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε. *& eam quæ Laodicensium est, ut vos quoque legatis*] Hæc vera lectio: non ἐκ Λαοδικείας [*ex Laodicea*.] Rectè autem dicitur ἡ Λαοδικείας [*quæ Laodicensium est*] ea quæ futura erat in potestate ac dominio Laodicensium, ut ostendimus etiam ex jure civili, initio ad Ephesios. Erat autem illa Pauli epistola ad Laodicenses scripta eodem tenore quo illa ad Ephesios; sed quia propior Colossensibus erat Laodicea, inde maluit exemplum peti.

17. Καὶ εἴπατε Ἀρχίππῳ. *Et dicite Archippo*] Qui Euangelistæ munus tunc obibat, modò Ephesum, modò loca alia collustrans, Philem. 2. Videtur autem postremùm resedisse Colossis, & ibi functus προεςῶτος [*Præsidis*] munere, quem nunc κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] *Episcopum* dicimus. ¶ βλέπε τὴν διακονίαν ἣν παρέλαβες ἐν Κυρίῳ, ἵνα αὐτὴν πληροῖς. *Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas*] Hebraïsmus pro βλέπε ἵνα πληροῖς ἐν Κυρίῳ τὴν διακονίαν ἣν παρέλαβες [*Vide ut impleas in Domino ministerium quod accepisti*.] Est autem πληροῦν מלא [*implere*] *bene perfungi*, ut supra 1. 25. Idem est πληροφόρησον [*imple*] 2 Tim. 4. 5. ἐν Κυρίῳ [*in Domino*] *secundum Domini præcepta*, quæ sunt Matth. 10. & alibi.

18. Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου. *Salutatio meâ manu Pauli*] Quæ hucusque scripta sunt, ea scripta erant Scribæ manu: hæc vero ad fidem usque suâ manu scripsit Paulus. Sic 1 Cor. 16. 21. 2 Thess. 3. 17. ¶ Μνημονεύετέ μου τῶν δεσμῶν. *Memores estote vinculorum meorum*] Egregia monitio. Videte quæ feram: vos quoque ad mala ferenda parati este, & amate eum qui Gentium causâ hæc mala sustinet. ¶ ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν. *Gratia vobiscum*] Nempe *Christi*: quod alibi additur, hic subauditur: quanquam Latinus etiam addidit, *Domini nostri*.

ANNO-

ANNOTATA

In I. Epistolam D. PAULI ad

THESSALONICENSES.

CAP. I.

VALLA.

3. **E**T *sustinentia*] Cur non potiùs *tolerantiæ*, aut *patientiæ*, ut facit alibi, quàm *sustinentiæ*? ὑπομονῆς.

8. *A vobis enim diffamatus est sermo Domini*] Græcè dicitur *diffamatus* ἐξήχηται, quod est *exsonuit* &, ut sic dicam, *ebuccinatus est*. Augustinus, sive ex hoc Epistolæ loco, sive etiam ex aliis libris, solet uti hoc participio *diffamatus* pro eo quod est, ut Interpres accipit, *longè lateque divulgatus*. Quod nesciens Remigius non modò in Augustinum sed (quod multò est majus) in Paulum contumeliosus est, inquiens, DIFFAMATUS *maximè pro vituperatione ponitur, & in contrariam partem. Sed Apostolus non curans de proprietate verborum, cùm debuit dicere,* MANIFESTATUS ET DIVULGATUS EST SERMO, *dixit* DIFFAMATUS. Imò tu non curas de verborum proprietate, qui Græcam veritatem non consulis, in qua lingua Paulus accuratè locutus est, qui in verbis cùm propriis tum ornatis, duntaxat rerum majestate servatâ, Demosthenem ipsum antecellit. ¶ *Sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est.*] Ego ad tollendam ambiguitatem maluissem dicere, *quæ est apud Deum, emanavit*, sive *divulgata* sive *evagata est*, ἡ πρὸς τὸν Θεὸν ἐξελήλυθεν.

ERASMUS.

1. **E**T *pax*] Hoc loco Græci addunt illa penè solennia, *à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo*; cùm Ambrosius tantùm legat, *Gratia vobis & pax*, juxta nostros codices.

3. *Memores operis*] Potest & sic accipi, *memores vestrî propter opus fidei*, ut subaudias ἕνεκα. ¶ *Sustinentia*] Ὑπομονῆς, i. e. *tolerantia*, sive *patientia*, *spei*; h. e. quòd patienter perseverastis in spe. Ambrosius legit *exspectationis* pro *sustinentia*. ¶ *Ante Deum*] Ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, *coram Deo*.

4. *Scientes, fratres*] Nec apud Græcos in hoc sermone servata est ratio Grammatices, quod tamen incommodum nos interpretatione vitavimus: etiamsi me non fugit, Theophylactum ad Paulum & Pauli collegas referre *scientes*. Verùm haud scio an hic sua nobis tradiderit Interpres, quanquam Chrysostomus eadem ferme, licèt obscuriùs; & *electionem* interpretatur *excellentiam*: verùm ad hunc sensum parùm aptè cohærent quæ sequuntur, *Quia Euangelium nostrum*. Mihi *scientes* positum videtur pro *scitis*, quod paulò pòst repetit, *sicut scitis*: siquidem hoc agit Paulus, ut Thessalonicenses credant Euangelium quod acceperant non esse humanum, sed ex vocante Deo. Id duplici probat argumento, & quòd ipsos sic transformarit, & quod qui prædicarant, cùm essent humiles & afflicti, tamen signis & virtute Spiritûs omnia præstiterint.

5. *Non in sermone tantum*] In proxima Epistola admonuimus λόγον opponi *veritati* & *efficaciæ*, pro quo illic Interpres verterat *speciem*. Itidem hic sentit prædicationem suam & miraculis fuisse comprobatam. ¶ *In plenitudine*] Ἐν πληροφορίᾳ de quo superiùs admonuimus, i. e. *in certitudine & certa persuasione*. Nec enim certam facit fidem qui docet tantùm; sed qui miraculis ac malorum tolerantiâ persuadet, is demum verè persuadet: id quod non faciebant ψευδαπόστολοι. Theophylactus tamen hoc postremum ad toleratas afflictiones refert, quòd consentaneum non sit quenquam pro vana doctrina tantum velle perpeti malorum. Thomas duas adducit interpretationes, sed quarum neutra scopum attingat, *In plenitudine*, inquit, *ne se putarent minus accepisse quàm Judæos*. Aut *in plenitudine*, quia nihil illis non tradiderit Paulus eorum quæ ad fidem pertinent. Ambrosius Græcam vocem ità circumlocutus est, *non in phantasia, sed in veritate plenitudinis*.

6. *Excipientes verbum*] Δεξάμενοι τὸν λόγον. Meliùs *recepto verbo*, sive *sermone*; sive *qui Domini verbum accepistis*: quod ut Paulus tradidit non sine persecutione, ità illi receperunt non citra afflictionem & insectationem malorum. Cæterùm hoc loco aut δεξάμενοι participium positum est loco verbi, aut ita distinguendum est quemadmodum distinguit Theophylactus, *Imitatores mei facti estis & Domini*, ut hactenus sit distinctio; deinde sequatur *excipientes verbum*: ut sit sensus, *Imitati estis me & ipsum Christum, eò quòd Euangelii causâ libenter perpessi sitis afflictionem*. Ambrosius legit, *imitatores nostrî facti estis & ipsius Domini*, *suscipientes verbum*.

7. *Forma*] Τύπον, *forma*: quod Ambrosius vertit *in exemplum*, & rectè.

8. *Diffamatus est*] Ἐξήχηται, *exsonuit*, sive *ebuccinatus est*, ut admonet Laurentius. Isque optimo jure ridet Remigium qui notarit Paulum veluti solœcissantem quòd abusus sit hoc verbo *diffamare* in bonam partem, quasi verò Paulus Latinè scripserit, ac non magis Græcè; aut quasi Paulo præstandum fuerit quicquid quilibet verterit Interpres; ut si Remigius pro νήφειν verteret *inebriari*, Paulus in jus sit vocandus violatæ Latinitatis reus. Jam verò palàm falsum est, omnia verba apud Latinos ad eundem modum composita significare in malam partem; nisi fortè *dispergere*, *disjungere*, *dissolvere*, idque genus alia sexcenta sunt in malam accipienda partem. Apud Græcos hujusmodi vox est quæ addita nominibus ac verbis id efficit, ut δυστυχεῖν, δυσφημεῖν, contraria εὖ, apud Latinos non item. Certè Augustinus *diffamare* utitur pro *divulgare*, cùm fama longè lateque spargitur. Inscitiæ utcunque dari venia potest; verùm quis ferat tantam arrogantiam cum inscitia conjunctam? Imò quis non rideat tam insignem stultitiam, ut non consultis voluminibus, hoc imputet Paulo Græcè scribenti quod admissum sit ab Interprete Latino? nisi fortè Remigius credidit Paulum Græcis scripsisse Latinè. Denique fieri potest ut hoc commentum aliquis Remigii scriptis adsuerit. ¶ *Profecta est*] Ἐξελήλυθεν, *emanavit*, sive *pervenit*, aut potiùs *dimanavit*. Neque enim dixit *in omnem locum*, sed *in omni loco*: ut intelligas, id quod antè clanculum mussitabatur, jam cœptum publicitus prædicari.

10. *Qui eripuit*] Τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς, *qui eripit nos*, participium præsentis temporis.

VATABLUS.

1. **I**N *Deo patre nostro, & Domino nostro Jesu Christo*] i. e. Quæ colit Deum & Jesum: vel, quæ perseverat in fide in Deum & in Christum. ¶ *Pax**] * *A Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.*

2. *Sine intermissione memores operis fidei vestræ, & laboris*, &c.] *Indesinenter memores vestri propter opus fidei & laborem charitatis, & propter perseverantiam exspectationis Domini nostri Jesu Christi coram Deo & patre nostro*: i. e. propter perseverantem & constantem vestram exspectationem secundi adventûs Christi, qui nunc vultui Dei & Patris nostri apparet.

5. *Quia*] *Ex eo quod.* ¶ *In sermone*] Vel, *in verbis.* ¶ *In virtute & in Spiritu sancto*] i. e. Cum miraculis quibus Deus con-

confirmabat doctrinam meam, & cum Spiritu qui vobis datus est per me. ¶ *In plenitudine*] *Cum certitudine:* [*certâ persuasione:*] q. d. Nihil defuit quod faceret ad plenam fidem doctrinæ Euangelicæ. ¶ *Quales fuerimus in vobis propter vos*] Vel, *quàm potentes fuimus inter vos vestrâ causâ:* i. e. per nos suam potentiam ostendit vobis Deus, ut crederetis promptius.

6. *Excipientes*] *Qui suscepistis.*

7. *Forma*] *Exemplo.*

8. *Diffamatus est*] Personale; *ebuccinatus est*, *divulgatus est*, *personuit.* ¶ *Sed* *] * *Et.* ¶ *Profecta est*] *Dimanavit.*

9. *Nobis*] *Vobis:* secundæ personæ. ¶ *Servire*] *Ut serviretis.*

10. *Exspectare*] *Ad exspectandum.* ¶ *Eripuit*] *Liberat.*

CASTALIO.

3. R*Ecolentes opus fidei vestræ, charitatisque laborem, & spei in Domino nostro Jesu Christo sita coram Deo & Patre nostro tolerantiam*] Quantum & fide operemini, & charitate laboretis, & spe toleretis.

CLARIUS.

1. P*Aulus*] Magister ille orbis terræ ut se submissè gerit, qui minimè se in salutatione seligit, sed discipulos suos secum numerat!

3. *Laboris charitatis*] Dum labores & pericula ob charitatem in Deum toleratis. ¶ *Et patientia spei*] h. e. Tolerantiæ ob spem Domini nostri, &c.

6. *Excipientes*] Vide quanti sit ex animo accipere Euangelicam prædicationem. Ii qui à simulacris dudum recesserant, mox apti sunt ad omnia pro nihilo putanda, & cum gaudio etiam afflictiones ac persecutiones perferunt, & exemplar quoddam circumjacentibus populis existunt.

ZEGERUS.

1. P*Aulus & Silvanus*] Hieronymus dicit vitiosè scriptum *Silvanus* pro *Silas*, quòd illud non legatur in Actis Apostolorum. Sed hoc ab Ecclesia aut ab aliquo receptum non invenio. ¶ *Gratia vobis & pax*] Quod hic subjicitur, ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, verisimile est subdititium esse, quod nec in nostris sit, nec apud Ambrosium, nec apud Chrysostomum; deinde vel maximè quòd idipsum præmittatur, *in Deo Patre, & Domino*, &c.

3. *Sustinentia spei*] h. e. Quòd æquanimiter tolerastis adversa propter spem præmiorum quæ à Domino exspectatis.

4. *Scientes, fratres dilecti*] Illud *scientes* referri potest vel ad Paulum ejusque collegas, vel ad Thessalonicenses, ut valeat *scitis*, sive *scientes estis*, vel pariter ad utrosque.

5. *In plenitudine multa*] Ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ, h. e. *cum multa mentis certitudine certissimáque persuasione.*

8. *Diffamatus est*] Posuit pro *divulgatus est*. G. ἐξήχηται *exsonuit.* ¶ *Quicquam loqui*] De vestris virtutibus in laudem vestram & in aliorum profectum.

H. STEPHANUS.

4. Y*Πὸ Θεοῦ τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν*] *Vos esse Divinitus electos.*

5. Ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ] *Et ita ut abunde facta sit ejus fides.*

8. Ἐξήχηται] *Personuit.*

DRUSIUS.

1. S*Ilvanus*] Syrus nihil hîc variat à textu Græco: unde non possum assentiri Hieronymo ità scribenti Epist. 143. in extremo, *Sciendum* SILAM *collegam Pauli linguâ Ebraâ* APOSTOLUM *dici, qui cum eo nonnullas Epistolas scribit. Et vitiosè* SILVANUS *legitur pro* SILA, *cùm Silvanum in Apostolorum Actis non legamus.* Leve argumentum. Quanquam *Silas* cum *Timotheo* nominatur Act. 17. 14. & 15. item 18. 5. Quod autem ait, SILAM *linguâ Ebraâ* APOSTOLUM *dici*, valde incertum est. Nam *Apostolus* in ea lingua SALEACH dicitur. Adhæc dubitatur de scriptura Ebraica. Nam si שילה scribas, non potest significare *Apostolum*. Consimilis error admissus fuit ab eodem in SILOH, quem *mittendum* interpretatur Gen. 49. 10. *donec veniat qui mittendus est.* Nam legit sanè Heth pro He. Hujusmodi errata crebra sunt in Hieronymo, præsertim in Libro Nominum Ebraicorum; quæ suo tempore à nobis indicabuntur, si Deus voluerit, & si expedire judicabimus.

3. *Et laboris & charitatis*] Καὶ τοῦ κόπου καὶ τῆς ἀγάπης. Si sic legit, tamen à textu originali abest copula, καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης. Quod ità dicitur ut *viriditas herbæ* pro *herba viriditatis*, h. e. viridis. Sic *laborem charitatis*, i. e. *charitatem laboriosam*, ut rectè interpretatur vir doctus. Syrus habet *laborem charitatis vestræ.* Simile, τὸ ἔργον τῆς πίστεως *opus fidei* pro *fide operosa:* & ἡ ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος pro *spe quæ sustinet* aut *tolerat.* Nec dissimile, *Gehenna ignis* pro *ignis Gehenna.* Quomodo Ebræi loquuntur אש של גיהנם *ignis ipsius Gehennæ.*

7. *Forma*] Lex. V. Τύπος, *forma*, *formula*, *norma.* In fonte τύπος, quod reddunt *exemplaria.* Nam τύπος etiam *exemplar*, i. e. טופס. Quâ voce Doctores utuntur; ut cùm dicunt טופס גט *exemplar libelli repudii*, τύπος τοῦ ἀποστασίου; טופס שטר *exemplar instrumenti contractûs.* Ergò τύπος, i. e. טופס, ut in libro Præceptorum grandiore טופסי שטרות *exemplaria literarum contractûs.* Dicunt etiam שופס per Sin, & טופס & דופס, quod scribunt טופס, sed malim טוּפֶס. In Germine Davidis טופס *vernaculè* פורמא, i. e. *forma:* טופס *exemplar*, *copia.* Isahac Satian טופס לשון. Nam Teth & Daleth communi organo proferuntur: sunt enim literæ dentium, quas *dentales* sive *dentatas* appellant.

9. *Deo vivo & vero*] Ebraicè לאל חי ואמת, vel verè לאלהים חיים ואמת: ut Deut 25. 15. אבן שלמה וצדק *pondus integrum & justum*, איפה שלמה וצדק *epha integrum & justum.* *Deus verus* opponitur Diis falsis, & *vivus* idolis, quæ sunt simulacra hominum mortuorum. Nam tantum abest ut vivant ut nè sint quidem, juxta illud Apostoli, *Idolum nihil est.* Quò facit & illud quod in Apocryphis Estheræ *iis qui non sunt*, pro eo quod est *idolis.*

GROTIUS.

P*Rior* quidem *ad Thessalonicenses* hæc dicitur: sed ut nos in nostra edita antehac commentatione diximus, inversus est ordo ab iis qui Epistolas collegerunt & digesserunt. Idemque hic evênit, quod in Maccabaicis, ubi liber primus tertio loco est positus, idque ideo quòd seriùs Christianis Græcis (nam Latini eum librum nondum recepêre) is liber innotuit. Pari modo inter Novi Testamenti libros Epistola ad Hebræos quasi Paulina, & Apocalypsis quasi Johannis, ultimum acceperunt locum, quia eorum librorum authoritas diu in obscuro, aut controversa fuit. Quæ dicitur *Posterior ad Thessalonicenses*, scripta est ad Jasonem Judæum Silæ & Timothei cognatum, & alios Judæos Christianizantes, qui ortâ post Stephani mortem persecutione ex Judæa in Syriam, inde longiùs concesserant. Ea verò Epistola quia continebat facinora Caji Principis, verbis valde expressis; sed, quantum res exigebat, asperis, publicari sine malo Ecclesiæ non potuit, regnante Romæ Claudia domo, id est, ante Galbam. Itaque cùm primùm publicari cœpit, tunc Epistolis Pauli ad Ecclesias scriptis (nam ad singulos scriptæ postremum habent locum) cœpit addi. Hæc verò Epistola, quæ ideo prior dicitur quod ante alteram jam locum suum occupasset in Epistolarum Paulinarum volumine, scripta est non multò postquam Thessalonicæ Paulus fuerat, non sanè Athenis, ut quidam Epistolæ fini adscripsêre, sed Corinthi, ut dicemus infra.

1. Παῦλος καὶ Σιλουανὸς, *Paulus & Silvanus*] Idem nomen est *Silvanus & Silas*, sed aliter atque aliter elatum, ut Hieronymus & alii notarunt. *Silas* hic dicitur Actor. 15. 22, 27, 33, 34, 40. 16. 19, 25, 29. 17. 4, 10, 14, 15. 18. 15. *Silvanus* hoc loco & 2 Cor. 1. 19. 2 Thess. 1. 1. 1 Petr. 5. 12. Ex locis Actorum apparet eum fuisse inter primos Christianos. ¶ καὶ Τιμόθεος, *& Timotheus*] Et hunc & Silam Paulus sibi in Macedoniam assumpserat, quod ibi cognatos haberent. Et ideo hic eorum addidit nomen quod jam noti essent etiam illis Thessalonicensium, qui ex Gentibus erant conversi Pauli operâ. ¶ τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων, *Ecclesiæ Thessalonicensium*] Et Ecclesiæ quæ olim ex solis Judæis, nunc etiam ex multis Græcis constabat. Non nominat hic *Presbyteros & Diaconos*, quia recens erat Ecclesia, necdum formam plenam acceperat. ¶ ἐν Θεῷ πατρὶ καὶ Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, *in Deo Patre & Domino Jesu Christo*] Id est, *quæ exsistit*, *id agente Deo Patre & Christo.* Ita rectè accepit Syrus. ¶ χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. *gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*] 1 Cor. 1. 3. 2 Cor. 1. 2. Gal. 1. 3. Ephes. 1. 2. Philipp. 1. 2. Coloss. 1. 2. Illa ἀπὸ Θεοῦ [*à Deo*] & sequentia absunt in codicibus nonnullis: neque ea legit Syrus.

2. Εὐχα-

2. Εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ πάντων ὑμῶν, *Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis*] Rom. 1. 8. 1 Corinth. 1. 4. Ephes. 1. 16. 5. 20. Philipp. 1. 3. Coloss. 1. 3, 12. ¶ μνείαν ὑμῶν ποιούμενοι ἐπὶ τῶν προσευχῶν ἡμῶν. *memoriam vestri facientes in orationibus nostris*] Rom. 1. 9. Ephes. 1. 6. Philemon. 4.

3. Ἀδιαλείπτως μνημονεύοντες ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως *Sine intermissione memores operis fidei vestræ*] Quod me tam benignè excepistis, tanta cum cura dimisistis, Actor. 17. 7, 10. *opus fidei* vocat id quod ex fide proficiscitur & fidem perficit. Non quodvis opus ostendit fidem, sed quod comitem habet alacritatem animi & constantiam, etiam in malis. Ita hic Chrysostomus. ¶ καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης, *& laboris charitatis*] Sic & Hebr. 6. 10. multum est per se *dilectio*, sed multò majus, si accedant *molesti labores*. Id enim κόπος. ¶ καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *& sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi*] Bis hic genitivus causam denotat: nam & spes vitæ æternæ causa est patientiæ. Rom. 5. 3. & Christus causa illius spei. ¶ ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν. *ante Deum & Patrem nostrum*] Hoc neque Syrus legit, neque Arabs.

4. Εἰδότες, *Scientes*] Hic novus sensus incipit: & construitur hoc participium cum illo quod mox sequitur, ἐγενήθητε [*facti estis*.] ¶ ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Θεοῦ, *fratres dilecti à Deo*] Coloss. 3. 12. ἠγαπημένοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, יְדִידֵי יָהּ [*dilecti Dei*.] Similis locutio 2 Thess. 2. 13. ¶ τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν· *electionem vestram*] *Quomodo Deus vos è Mundo secreverit.* Vide quæ dicta Ephes. 1. 4. & adde 2 Petr. 1. 10.

5. Ὅτι τὸ εὐαγγέλιον, *Quia Euangelium*] *Nostra doctrina.* Vide quæ in Prolegomenis ad Euangelia diximus. Sic Roman. 16. 25. 2 Thess. 2. 14. 2 Timoth. 2. 8. ¶ οὐκ ἐγενήθη εἰς ὑμᾶς ἐν λόγῳ μόνον, *non fuit ad vos in sermone tantum*] Εἰς ὑμᾶς, id est, *apud vos*. In Manuscripto, πρὸς ὑμᾶς [*ad vos*] sensu eodem. *Non stetit*, inquit, *intra verba.* ¶ ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, *sed & in virtute*] Cum sanatione, cum expulsione dæmonum, 1 Cor. 2. 4. ¶ καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ· *& in Spiritu sancto, & in plenitudine multa*] Id est, ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ πνεύματος ἁγίου [*in plenitudine multa Spiritus sancti*,] de quo loquendi genere diximus ad Joh. 3. 5. Id vero est; *cum magnis argumentis habitantis in vobis Spiritus sancti.* Intellige autem non tantum mirifica illa dona, sed & dilectionis & patientiæ opera. Vide Luc. 1. 1. & ibi dicta. ¶ καθὼς οἴδατε, οἷοι ἐγενήθημεν ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς. *sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos*] *Meministis quales fuerimus inter vos, idque vestri causâ*: ut nimirum vos converteremus, & in fide retineremus.

6. Καὶ ὑμεῖς μιμηταὶ ἡμῶν ἐγενήθητε, *Et vos imitatores nostri facti estis*] Καὶ [*&*] hic valet *sic*, more Hebræo. De sensu vide 1 Corinth. 4. 16. 11. 1. ¶ καὶ τοῦ Κυρίου, *& Domini*] Syrus ἐν τῷ Κυρίῳ [*in Domino*] Manuscriptus, καὶ Θεοῦ [*& Dei*,] ut Ephes. 5. 1. ¶ δεξάμενοι τὸν λόγον ἐν θλίψει πολλῇ, *excipientes verbum in tribulatione multa*] Magni animi signum sermonem talem amplecti præsente periculo. Tangit historiam quæ est Actor. 17. 5, 6, 7, 8, 9, 10. ¶ μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου· *cum gaudio Spiritus sancti*] *Cum gaudio proficiscente ex Spiritu sancto*, qui fidem sequitur. Vide Actor. 5. 41. Id ipsum χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ [*gaudium in Spiritu sancto*] Rom. 14. 17.

7. Ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ τῇ Ἀχαΐᾳ. *Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia*] Τύπος Rabbinis [illegible] vel [illegible] vel [illegible] vel [illegible], est *exemplar*. Vide Philipp. 3. 17. Magna fuit virtus Thessalonicensium, quæ non tantum popularibus suis, sed & Achæis præluxerit. Sed plus est quod sequitur.

8. Ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ Κυρίου, οὐ μόνον ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ τῇ Ἀχαΐᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν παντὶ τόπῳ ἡ πίστις ὑμῶν ἡ πρὸς τὸν Θεὸν ἐξελήλυθεν, *A vobis enim personuit sermo Domini, non solum in Macedonia & in Achaia, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est*] Est transpositio. Recta constructio fuerat, οὐ μόνον ὁ λόγος τοῦ Κυρίου ἀφ' ὑμῶν ἐξήχηται ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ τῇ Ἀχαΐᾳ [*Non solùm sermo Domini à vobis in Macedonia & Achaja personuit.*] Illud ἐξήχηται, *personuit*, est [illegible] [*multiplicatus est*] Joel 3. 14. Reperitur & Sirach. 40. 15. Idem quod [illegible] [*auditus est*.] Multi ex Thessalonica mercatores per Græciam omnem negotiabantur. Deinde fama latiùs se spargit, ut videre est Rom. 1. 8. ¶ ὥστε μὴ χρείαν ἡμᾶς ἔχειν λαλεῖν τι· *ita ut non sit nobis necesse quicquam loqui*] *Nihil opus est me prædicare* quæ apud vos feci, aut quales vos ergà me & Euangelium fueritis: res nota jam est omnibus.

9. Αὐτοὶ γὰρ περὶ ἡμῶν ἀπαγγέλλουσιν ὁποίαν εἴσοδον ἔχομεν πρὸς ὑμᾶς, *Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos*] Αὐτοὶ [*ipsi*,] id est, *qui in omnibus sunt locis.* Non præcessit id nomen: sed ex illo ἐν παντὶ τόπῳ [*in omni loco*] satis intelligitur. Est constructio κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad significatum relata.*] Narrant illi quomodo ex paucis qui nos exceperant Judæis, in magnum numerum Ecclesia subito excreverit. ¶ καὶ πῶς ἐπεστρέψατε, *& quomodo conversi estis*] Vos qui ex Gentibus estis. Ἐπεστρέψατε [*Conversi estis*] hic vim habet reciproci, ut Luc. 17. 4. Actor. 3. 19. 9. 35. 11. 21. 14. 15. & alibi. ¶ πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων, *ad Deum à simulacris*] Actor. 14. 15. ibi ἀπὸ τῶν ματαίων [*à vanis*,] idem quod hic ἀπὸ τῶν εἰδώλων [*à simulacris*] אֱלִילִים [*rebus nihili*.] ¶ δουλεύειν, *servire*] Id est, εἰς τὸ δουλεύειν [*ad serviendum*.] Vide Ephes. 1. 4. ¶ Θεῷ ζῶντι, *Deo vivo*] אֵל חַי Matth. 16. 16. Joh. 6. 69. Apoc 4. 9, 10. 5. 14. ¶ καὶ ἀληθινῷ. *& vero*] Non fictis illis, quales Jupiter, Neptunus, Alexander. Sic Joh. 17. 3.

10. Καὶ ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκ τῶν οὐρανῶν, *Et exspectare filium ejus de cœlis*] Philipp. 3. 20. ¶ ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν Ἰησοῦν, *quem suscitavit ex mortuis Jesum*] Et hic transpositio pro Ἰησοῦν ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν [*Jesum quem suscitavit ex mortuis*,] ut Actorum 4. 10. ¶ τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης. *eripientem nos ab ira ventura*] Est hic præsens pro futuro bis: ῥυόμενον [*eripientem*] pro ῥυσόμενον [*erepturum*.] deinde ἐρχομένης [*venientis*,] id est, *venturæ*, in quo verbo frequens usus præsentis pro futuro. Et ὀργὴ [*ira*] *pœnam* significat, illam scilicet, quæ judicio ultimo inferetur, ut Rom. 5. 9. Ephes. 5. 6. Coloss. 3. 6. Hebraicè diceres [illegible] [*redimentem nos ab ira ventura.*]

CAP. II.

VALLA.

2. *IN multo solicitudine*] Imò *in multo certamine*, ἐν πολλῷ ἀγῶνι.

7. *In medio vestrûm*] Meliùs alibi *in medio vestri*, Act. 2. 22.

13. *Verbum Dei, quo operatur in vobis qui credidistis*] Nescio an transferatur meliùs *quod operatur*. Est enim ambiguum Græce, quia verbum est nunc generis masc. λόγον. Etiam *operatur* ambiguum est activene accipiatur an passivè, ἐνεργεῖται.

ERASMUS.

2. *SEd antè passi multa*] *Multa* addidit nescio quis de suo: nam nec apud Græcos est, nec apud Ambrosium, nec in vetustis exemplaribus, nominatim Donatianico. Concordabat uterque Constantiensis. καὶ προπαθόντες καὶ ὑβρισθέντες, *& antè passi, & contumeliis affecti.* Porrò *passum* usurpavit Græcorum more pro *afflicto*, quibus & πάθος sive πάθημα dicitur *afflictio*. ¶ *Fiduciam habuimus*] Ἐπαῤῥησιασάμεθα. Quod ità circumloquitur Ambrosius, *exsertâ libertate ausi sumus*. Est autem παῤῥησιάζεσθαι *palam & intrepide quod dicendum sit dicere*, quemadmodum sæpe jam admonuimus ¶ *In multa solicitudine*] Ἐν πολλῷ ἀγῶνι, *in multo certamine*, sive *labore*, aut *periculo*: quod tamen sæpe vertit ad hunc modum. Ambrosius *certamen* legit.

3. *Non de errore*] Οὐκ ἐκ πλάνης. *Error* apud nos tantùm est decepti, at πλάνη Græcis est & decipientis: unde maluissem vertere *imposturam*. In hunc sensum interpretantur Græcorum Commentarii. Etenim qui fallere studet non conjicit semetipsum in pericula, sed deliciis indulget potiùs, & suum ipsius negotium agit. ¶ *Neque de immunditia*] Ἐξ ἀκαθαρσίας *ex immunditia*: quod Græcanica Scholia exponunt *maleficas artes & abominandas*, quas ideo vocat *immunditiam* quòd fiant impuris & sordidis rationibus ad imponendum simplicibus: quod Magici solent & impostores, simulantes miracula.

4. *Ut crederetur à nobis*] *A* redundat; h. e. *ut nobis committeretur Euangelium*, πιστευθῆναι τὸ εὐαγγέλιον.

6. *Cum possemus vobis oneri esse*] Ἐν βάρει εἶναι, *in onere*, sive *in pondere*, *esse*. Quod quidem bifariàm legunt Græcanica Scholia. Aut ἐν βάρει, h. e. *in pondere & autoritate*: quoniam præcessit, *non quærentes gloriam*; & sequitur, *sed facti sumus parvuli*. Ad hæc Ambrosius videtur de *honore* non de *gravatione* interpretari. Denique ad hunc sensum facit quod continenter adjecit, *ut Christi Apostoli*. Neque enim est Apostolorum gravare suo supercilio quenquam. Aut ἐν βάρει, *quod nihil ab*

illis

illis acceperit, nec usquam sumptui aut oneri fuerit. Prior interpretatio mihi magis arridet.

7. *Sed facti sumus parvuli*) Interpres & Ambrosius legisse videntur *νήπιοι*, i. e. *parvuli*, sive *pueri*. Verùm Græci cod. habent *ἤπιοι*, *mites*, *minimeque austeri*. Utrumque tolerabile est. Verùm posterius propiùs facit ad Pauli sensum, ut opponatur ei *ἐν βάρει*. Ut intelligas eum non fuisse usum fastu & supercilio inter illos, quemadmodum faciebant Pseudapostoli, sed mansuetudine & lenitate. Utramque scripturam indicat Theophylactus Interpres. Ambrosius *honori* legit, non *oneri*: & ità edisserit, *Ad comprimendos*, inquit, *eos quibus nec facultas erat nec pudor*, & *tamen honorem sibi poscebant. Se enim potiùs quàm Dei doctrinam commendari volebant. Apostolus autem, qui gloriam non ad præsens sed in futuro requirebat, se humilem faciebat, ut Dei prædicatio exaltaretur.* Hactenus Ambrosius. Jam ut illud donemus, in contextu pro *oneri* scriptum *honori*, certè palàm est Ambrosium amplecti sententiam, quæ nobis visa est potior. Cui ego sanè libentiùs subscripserim, non tantùm ob id quòd aptiùs quadret ad hujus loci sententiam, cum cæteris item complusculis ad hunc ipsum locis pulcrè consentiens, verùm etiam quòd inter tot egregias dotes quibus Principem ac præcipuè Episcopum præditum esse oportet, non alia sit quâ vel ornetur decentiùs, vel commendetur efficaciùs, quàm morum & ingenii lenitas ac mansuetudo, quæ ferè non nisi eximiam probitatem & insignem sapientiam tum comitari solent tum arguere. Vulgaris aut ficta probitas suum habet fastum, suum habet supercilium, & sibi pluš æquo indulgens, ut alienarum virtutum est maligna æstimatrix, ità vitiorum alienorum acerba insectatrix est. Quanquam autem hujus laudis prima secundùm Christum gloria penès Paulum nostrum est, qui cùm cæteros omnes omnibus & dotibus & officiis Apostolicis longè præcurreret, tamen unus Apostolum esse sese velut ignorabat, hoc sese gerens submissiùs quò major esset; tamen his quidem temporibus neminem novi qui propriùs ad hanc laudem accedat quàm ille meus, imò non meus sed totius insulæ Britannicæ, Mecœnas Gulielmus Waramus Archiepiscopus Cantuariensis: In quo cùm nihil sit, quacunque contempleris hominem, quod non eximium ac maximum esse judices, tamen haud aliâ re major videri solet quàm quòd modis omnibus maximus solus ipse magnitudinem suam non agnoscat. Quo fit ut, cùm cæteris virtutibus superet etiam maximos, hoc uno nomine superet & seipsum, quòd sibi magnus non est. Si quis expendat dignitatis fastigium, si negotiorum molem & amplitudinem, si judicium penè divinum, si vim ingenii incomparabilem, si eruditionem undiquaque absolutam, si vitæ puritatem, si fortunæ splendorem, quem pro temporum ac regionis consuetudine tolerat veriùs quàm habet, nè inter summos quidem illum invenies, quem cum hoc ausis conferre. Rursum sic obvius & expositus est omnibus ut vix reperias vel in media plebe, inter infimæ sortis homines, quem hic non anteeat comitate, facilitate, mansuetudine. O mentem verè heroïcam & Apostolico viro dignam, cùm humanum prætergressus sis modum, tum teipsum in ordinem redigere, ac nec infimum quenquam hominem fastidire! Aliis paululum eruditionis cristas erigit: aliis imaginum splendor animos effert: sunt quibus vita castior supercilium adducat: neque desunt quos mediocris etiam aura fortunæ sustollat, neque sui sinat meminisse: Hic semper in omni doctrinæ genere summas tenuit, ut qui ingenio longè felicissimo, quod naturæ Deique munere contigerat, studium adjunxerit indefatigabile. Deinde in gravissimis simul ac splendidissimis Regni Regisque negotiis toties ac tot annos versatus est, idque non sine summa laude cum pietatis tum prudentiæ. Nunc denique ceu mirificus quidam Gerion tergeminum Heroa suæ præstat universæ Britanniæ, Archiepiscopum ac Primatem, Cancellarium, & Mecœnatem; Archiepiscopum religioni, Cancellarium justitiæ & Reipublicæ, Mecœnatem studiis. Quis est tanto animi robore præditus qui non sub horum unoquolibet sudet anheletque, quæ vir ille solus sustinet? præsertim qui prorsus intelligat quid quisque titulus efflagitet. Siquidem Archiepiscopi Primatisque titulus, quem vir ille sanctissimus Thomas suo martyrio reddidit augustiorem, illud exigit, ut quod Romanus Pontifex universo debet Orbi, hoc ille universæ præstet Britanniæ. Jam Cancellarii munus summum & incorruptum totius Regni Judicem requirit, & ad quem omnibus sit aditus, Laicis pariter & Clericis, à quo tamen nulla jam sit appellatio. Quas hic negotiorum moles, quos causarum fluctus uno ab homine sustineri putas? Ut nè vocem interim ad hanc rationem neque pauca neque mediocria curarum pondera quæ ex Regiis accedunt negotiis, ut domesticas solicitudines dissimulem, quas in tam numerosa familia non mediocres esse consentaneum est. Et tamen unum illud pectus tot rebus obeundis non solùm sufficit, verùm etiam superest. In tam immenso circumstrepentium negotiorum agmine suppetit quod tribuat religioni, quod privatis amicorum affectibus, quod evolvendis libris, quos adeò non fastidit ut cum nullis amicis confabuletur libentiùs, quoties à publicis functionibus otii nonnihil suffurari licet. Nimirum hoc illi tribuit admiranda quædam naturæ felicitas & incredibilis ingenii dexteritas, hoc judicium non minùs acre quàm promptum & expeditum, hoc diutinus rerum usus, super omnia verò perpetua quædam vitæ sobrietas ac vigilantia. Nè minima quidem ætatis portio datur aleæ, nulla voluptatibus, nulla conviviis, nulla somno; imò naturæ quoque nonnihil detrahit quod adjiciat juvandæ patriæ. Hâc ratione fit ut & tempus & ætas jam alioqui grandior, & valetudo tot tantisque negotiis obeundis, sustinendis, exantlandisque sufficiat, quibus nè decem quidem alii pares esse possint. Jam fieri non potest quin in tam varia negotiorum turba quædam exsistant non ingentia solùm sed etiam molesta periculosaque: quandoquidem non temere dictum est illud, *Nè Jovem quidem placere omnibus.* At hunc nemo vidit tristem, nemo commotum, nemo vultuosum: tanta est infatigati pectoris vis & constantia. Tum æquitas ac suavitas tanta ut ab hoc victi discedant æquioribus animis quàm à nonnullis solent victores. Sibi perpetuò tranquillus est, aliis comis & alacris. Jam verò Mecœnatis personam, quam ultro suscepit, ità tuetur ac sustinet, ut insula semper viris & opibus pollens, olim religione nobilis, nunc optimis item literis ac disciplinis hujus potissimùm operâ sic efflorueri t ut nulli regioni cedere debeat, seu Græcæ pariter ac Latinæ literaturæ peritiam requiras, seu spectes eloquentiæ vires, seu Mathematicorum acumina, seu reliquam Philosophiæ cognitionem, seu literarum arcanarum mysteria. Unus alit plurimos, evehit plerosque, favet, fovet, ornat ac tuetur omnes, non solùm eximios sed & mediocres, nec suos tantùm sed exteros etiam & quovis sub cœlo natos. Quorum in numero me quoque, quantuluscunque sum, esse voluit illius benignitas. Cujus beneficentiæ, quanquam aliàs quoque profusæ & exundanti, illud etiam geminam addit gratiam, quòd vix unquam admoneri sese patitur, rogari nunquam. Quin & gratias agentem mox interpellat, velut hoc ipsum nimium sit, eum qui summo sit affectus beneficio verbis agnoscere quod accepit. Abundè sibi relatam gratiam putat si studiis profuit, si benè cessit omnibus quod ille de suo privato contulit munus. Et quemadmodum non jactat si feliciter provenit benignitas, ità negligit ac ceu non meminit si quando secùs evenit. Quandoquidem fieri non potest quin & id accidat nonnunquam ei qui propensus sit ad bene merendum de omnibus. Judicio asciscit quos velit fovere, sed eo sanè candido & amico magis quàm severo. Cæterum quos semel complexus sit constantissimè fovet, nec ullis invidorum obtrectationibus potest alienari: Quas si quando cogitur audire, mirè dissimulat, id quoque studens, nè vel ad eum perveniant quem petunt, nè quid illius contristetur animus. Cujusmodi Mecœnas si mihi primis illis contigisset annis, fortassis aliquid in bonis literis esse potuissem. Nunc natus seculo parùm felici, cùm passim impunè regnaret barbaries, præsertim apud nostrates, apud quos tum crimen etiam erat quicquam bonarum literarum attigisse, tantum aberat ut honos aleret hominum studia in ea regione quæ Baccho Cererique dicata tum esset veriùs quàm Musis, quid, quæso, poteram ingenio vix mediocri præditus? Nam clarissimum virum Henricum Berganum Episcopum Cameracensem primum studii mei Mecœnatem mors invida præripuit. Huic proximum Gulielmum Montejovium inclytum Angliæ Primatem aulæ negotia bellique tumultus interceperunt. Quanquam, ut verè dicam, huic ipse defui potiùs quàm ille mihi. Per hunc denique contigit summus ille Cantuariensis, sed provectiori jam & ad quadragesimum devergenti annum. Et tamen hujus excitatus benignitate in literarum studiis veluti repubui reviguique. Et quod nec natura dederat nec patria, hoc hujus dedit benignitas. Habent hoc mortalium ingenia, habent hoc studia literarum, præsidem aliquem ac ducem desiderant, qui suppeditet otium, qui addat animum, qui tueatur adversùs excetram invidiæ, quæ non aliter quàm umbra corpus sequitur eruditionis gloriam; denique ad cujus judicium suas exigant vires, cui suas consecrent vigilias. Vidit hoc, opinor, prudens Antiquitas, quæ Musis virginibus suum præfecit Apollinem. Proinde sicuti verè dictum est Græcorum proverbio, *Annum fructificare, non arvum*, quòd cœli clementia plus adferat momenti ad segetis proventum quàm soli bonitas, ità Principum benignitas est quæ facit ingeniosos. Nulla regio tam barbara, tam procul à Solis equis, ut ait Maro, devergens, quæ non habeat dexterrima ingenia, quæ vel in media Græcia nata videri possint, si non desint Mecœnates. Sed dum harum rerum cogitatione teneor, haud scio quomodo penè operis instituti immemor diutiùs quàm par est

est immorior digressioni. Proinde ad id quod agitur recurrendum.

8. *Desiderantes vos cupidè*] Οὕτως ἱμειρόμενοι ὑμῶν. Conatus est explicare ἔμφασιν verbi. Significat enim *alicujus desiderio mutuoque teneri affectu*, sicuti parentis, aut amici. Theophylactus indicat duplicem apud Græcos lectionem; Quosdam enim legere ὁμειρόμενοι, i.e. *adglutinati vobis & adhærentes*, ab ὁμοῦ *simul* & εἴρω, quod est *connecto*. Rursus alios legere ἱμειρόμενοι, quod sonat *cum affectu desiderantes*, ἵμερος enim *desiderium* sonat; ἱμείρομαι *desiderio tangor*. Vox composita videtur ab ἔω sive ἵημι, quod est *mitto* sive *tendo*, & ἔρως *amor* sive *cupido*, q.d. *rapior cupidine*. ¶ *Volebamus*] Εὐδοκοῦμεν. Et hoc verbum affectum habet, q. d. *gestiit animus*: tametsi Græca vox potest esse præsentis temporis. ¶ *Quoniam charissimi*] Διότι ἀγαπητοί, i.e. *propterea quod dilecti*, &c.

9. *Memores enim facti estis*] Μνημονεύετε γὰρ, i.e. *Meministis enim*. Atque ità legit Ambrosius. ¶ *Laboris nostri*] Κόπον καὶ μόχθον. Duobus verbis idem significavit, nisi quòd μόχθος *labor* est *cum difficultate conjunctus*, q.d. *conatum* aut *molitionem*: & ideo verterunt *fatigationes*. In Græcis vocibus jucundior est affinitas soni. ¶ *Nocte & die*] Νυκτὸς γὰρ καὶ ἡμέρας, *nocte enim & die*.

10. *Quàm sanctè*] Ὡς ὁσίως, *ut* sive *quod*. Quanquam & Interpres rectè vertit. Theophylactus annotat emphasim hujus vocis, ὁσίως quod *religionem* ac *reverentiam Numinis* sonat Græcis. Hoc adest ei qui meminit se Dei negotium agere. Nam quod addidit δικαίως, refertur ad homines, quorum nemini fecit injuriam. ¶ *Et sine querela*] Ἀμέμπτως, i.e. *ità ut nemo de nobis queri potuerit*, h.e. *inculpate*. ¶ *Affuimus*] Ἐγενήθημεν, i.e. *fuimus*.

11. *Qualiter unumquemque vestrûm*] Hic nisi subaudias verbum *complexi fuerimus*, aut aliud simile, sermo erit imperfectus. Verùm id in Paulo jam novum esse non oportet. Facilè licebat mederi nisi repetitum esset ὡς, & cùm antè dixisset ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, rursum addidisset παρακαλοῦντες ὑμᾶς. Verùm hæc est balbuties Apostolicæ charitatis, quæ se verbis humanis ceu temulenta non explicat.

12. *Et testificati sumus*] Καὶ μαρτυρόμενοι, *testificantes*, aut potiùs *obtestantes*.

13. *Verbum auditûs Dei*] Ἀκοῆς τοῦ Θεοῦ, id est, *sermonem de Deo*, aut *sermonem quo Deum discebatis*. ¶ *Accepistis illud non ut verbum hominum*] *Ut* non invenio in quibusdam exempl. Græcis, οὐ λόγον ἀνθρώπων, *non sermonem hominum*: etiamsi hic nonnihil variant Græci cod. & apparet ex Græcorum Scholiis ὡς adverbium non esse additum in priori parte; sed, *suscepistis verbum Dei*: quod efficacius est quàm *ut verbum Dei*. Certè apud Chrysostomum ac Theophylactum non ascribitur, quanquam sic exponit quasi legisset ὡς. In posteriore particula additur καθὼς, sed additur ἐστιν ἀληθῶς. Proinde quoniam ὡς aliquando dicitur & de his quæ verè sunt, vitavit addere in priore particula; alioqui addendum erat *sicut re verà non est*. Quanquam prior illa vox *Dei* ad superiora pertinet, *cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei*, h.e. verbum quod vobis per nos loquebatur Deus. At ego malim *cùm acciperetis* quàm *cùm accepissetis*: alioqui quomodo accipiebant quod jam acceperant? ¶ *Qui operatur*] *Qui* apud Græcos referri potest vel ad *verbum* vel ad *Deum*, sed magis ad *verbum*: & ità Ambrosius, *quod & operatur*, additâ etiam copulâ, & in hoc cum Græcis concordans. Nam Paulus sentit Divini verbi veluti semen agere in Thessalonicensibus, dum ipsis factis declarant vim sermonis Euangelici. Hoc pacto cùm legit tum interpretatur Theophylactus. ¶ *Vobis qui credidistis*] Πιστεύουσιν, *qui creditis*: & ità legit Ambrosius, aut certè *qui credebatis*, propter verbum præteriti temporis cui adhæret.

14. *Contribulibus vestris*] Græcè est *propriis contribulibus*, ἰδίων συμφυλετῶν, i.e. *à propriis contribulibus*. Quanquam magis sig. *ejusdem gentis* quàm *tribûs*. ¶ *Sicut & ipsi*] Subaudi *nos*.

15. *Et Prophetas*] Græcè est *& proprios Prophetas*, ἰδίους προφήτας.

16. *Pervenit autem in illos ira Dei*] *Dei* apud Græcos hoc loco non additur, ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ, *pervenit autem in illos ira*, i.e. ultio. Et vetusti codices, nominatim duo Constantienses, habebant *prævenit*, quo modo legit & Ambrosius. *Prævenit* autem dictum est pro *occupavit*, dum illi cunctantur resipiscere. Annotavit Theophylactus additum articulum ἡ ὀργὴ, quo significaretur vindicta illa inevitabilis quam illis imminere prædictum est à Christo & Prophetis. Porrò εἰς τέλος dixit pro eo quod est *extrema*, sive *ad extremum*, h.e. implacabilis ira Dei.

17. *Desolati*] Ἀπορφανισθέντες, *velut orphani facti & orbati vobis ceu filiis*. ¶ *Ad tempus horæ*] Πρὸς καιρὸν ὥρας. Cur non potiùs *ad opportunitatem*, sive *occasionem*, aut certè *articulum temporis*, h.e. ad breve tempus? Quandoquidem ὥρα *tempus* est Græcis, καιρὸς *breve tempus*. Nos vertimus *ad spatium temporis*. Theophylactus putat in utraque voce esse diminuendi emphasim. Nam καιρὸς *articulus temporis*, & *hora* minima diei pars. Certè sic extenuavit Apostolus absentiam suam, quam neque perpetuam vult intelligi, cùm ait, πρὸς καιρὸν, neque diuturnam, cùm ait ὥρας. ¶ *Aspectu, non corde*] Προσώπῳ, οὐ καρδίᾳ, *facie*, *non corde*. Atque ità legit Ambrosius, sed magis placet quod vertit Interpres. ¶ *Abundantius festinavimus*.] Ἐσπουδάσαμεν quod sig. & *studuimus* & *curavimus*. Et *abundantiùs* dictum est pro *magis* sive *vehementius*.

18. *Et semel & iterum*] Καὶ δὶς, *& bis*. Sed Latinè vertit Interpres.

19. *Nonne vos*] Græcis additur conjunctio καὶ, *nonne & vos*. Hujus emphasim annotavit Theophylactus. Sentit enim non hos solùm, sed & cæteros quos convertit ad Christum, *esse coronam suam & gloriam*. ¶ *Ante Dominum*] Ἔμπροσθεν τοῦ Κυρίου, *coram Domino*, sive *in conspectu Domini*.

VATABLUS

1. I*Nanis*] i.e. Expers metûs & periculi.

2. *Habuimus*] *Habuerimus*, Vet. vel, *audacter egimus*. ¶ *Deo*] i.e. Auxiliante Deo. ¶ *Loqui*] *Ad loquendum*. ¶ *In multa solicitudine*] *In multo certamine*: vel, *labore*, aut *discrimine*.

3. *Errore*] *Impostura*: i.e. neque fuit fallax, neque impura, nec conjuncta cum hypocrisi vel dolo.

4. *Probati*] *Idonei judicati*. ¶ *Probat*] *Expendit & explorat*.

5. *Fuimus*, &c.] *Versati sumus*: i.e. non fuimus adulatores. ¶ *In occasione avaritiæ*] Vel, *occasionem divitiarum captavimus*.

6. *Nec quærentes*] *Neque quæsivimus*.

7. *Oneri*] *Sumptui*. ¶ *Parvuli*] *Lenes*, Vet.

8. *Ità desiderantes vos, cupidè*] *Sic affectu propensi in vos, ut animo*. ¶ *Charissimi*] *Chari*.

9. *Et fatigationis*] *Ac sudoris*. ¶ *Nocte* *] * *Enim*.

10. *Sine querela*] i.e. Ità ut nemo de nobis queri potuerit. ¶ *Vobis qui credidistis, fuimus*] *Erga vos qui creditis, gessimus*: quædam Vetera legunt, *affuimus*.

11. *Unumquemque vestrûm*] Sub. *dilexerimus*.

12. *Testificati sumus*] *Et obtestantes*.

13. *Accepissetis*] *Acciperetis*. ¶ *Auditûs Dei*] i.e. Verbum quo Deus vobis prædicabatur, quo Deum discebatis. ¶ *Operatur*] *Et agit*. ¶ *Credidistis*] *Creditis*.

14. *In Christo Jesu*] i.e. Perseverantes in fide Christi. ¶ *Contribulibus*] Dictio Græca magis significat *ejusdem generis* quàm *tribûs*.

15. *Et* *] * *Proprios*. ¶ *Omnibus hominibus*] *Omnium saluti*.

16. *Salvi*] *Salva*, Vet. ¶ *Impleant peccata sua*] i.e. Ut peccata sibi accumulent. ¶ *Enim*] *Autem*. ¶ *In finem*] *In æternum*.

17. *Desolati*] *Separati*. ¶ *Hora*] i.e. Ad brevissimum tempus. ¶ *Festinavimus*] *Studuimus*.

18. *Quoniam*] *Quapropter*.

19. *Nostra spes*] i.e. Materia quâ vitam æternam speramus. ¶ *Gloria?*] *Gloriationis?* ¶ *Nonne* *] * *Et*.

20. *Enim*] Vel, *certe*.

CLARIUS.

1. N*Am ipsi scitis, fratres*] Prosequitur quod dudum dicebat, *Ipsi enim de vobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos*: ait ergò, Et vos ipsi meminisse hoc potestis. ¶ *Non fuit inanis*] Vel dicit ingressum illum non caruisse laboribus; vel, prædicatio, inquit, nostra non fuit fabulosa res: quod ex eo conjicere potestis, quòd cùm recèns evasissemus pericula, in alia rursus nos conjecimus: quod non auderemus nisi exploratum nobis esset, Divinam hanc esse prædicationem, non hominum commenta.

5. *Neque enim aliquando*] Observa quæ sincero Prædicatori servanda sint; *ut scilicet non assentetur*, *ut affectu avaritiæ careat*, *ne gloriam quærat*, *ne cui victûs gratiâ sit onerosus*, quamvis hoc permitteretur ac liceret; postremò, *ut paratus sit vitam ipsam pro eorum salute profundere*.

16. *Usque in finem*] *Ira* hæc, inquit, & ultio Dei non erit ut olim, cùm vicissim Servitus & Libertas altera alteri succedebat, nunc captivitas, mox reditus; sed *in finem usque ira Dei super eos porrigitur*, ut nullus sit sperandus malorum finis, nisi cùm

cùm, plenitudine Gentium ingressâ, & ipsi convertentur ad Dominum.

18. *Impedivit nos*] Prohibuerunt alacritatem hanc nostram, inquit, mutuò succedentes persecutiones, quas communis hostis excitare consuevit.

19. *Nonne & vos*] Vide ut pondus adhibeat Paulus suis verbis! Non ait, *nonne vos?* visa enim esset assentatio, quasi solos eos *spem* & *gaudium* & *coronam gloriationis* appellaret: sed cùm & alios aliis locis plurimos haberet qui essent eâdem conditione, dixit *& vos*.

ZEGERUS.

1. NOn *inanis fuit*] h. e. autore Theophylacto, *Non expers discriminis, nec molestiarum immunis, aut non multum habens firmitatis*. Recentiores verò *inanem* interpretantur *inefficacem*, & si non omnino pessimè, minùs tamen appositè cum sequentibus, *sed antè passi multa*, &c.

2. *Sed antè passi multa*] Hoc *multa* nuperam esse adjectionem declarant cod. paulò vetustiores: ut cætera sileam quæ rectè adnotat Desiderius. ¶ *Fiduciam habuimus*] Plus explicat verbum Paulinum ἐπαῤῥησιασάμεθα, h. e. *ex certa libertate ausi fuimus*, Interprete Ambrosio. ¶ *In multa solicitudine*] Ἀγῶνι, i. e. *studio*, *solicitudine*, *periculo*, *certamine*, *labore*.

3. *Exhortatio enim nostra non de errore*] Doctrina, inquit, nostra non ab errore, impostura aut arte fallendi proficiscitur. Scito etiam pro *de* tam hic quàm in mox sequentibus, *de immunditia*, Græcis esse ἐκ & ἐξ ex.

6. *Cùm possemus vobis oneri esse*] Ἐν βάρει εἶναι bifariam exponitur; primùm, *in pondere atque autoritate*, vendicando nobis imperiosè Apostolicam majestatem; deinde *oneri esse*, exigendo sumptus aut munera. Et fortè simul utrumque sensit Apostolus. Ambrosius scribit *cùm possemus honori esse*. Et equidem sum nescius propter amphilogiam vocis βαρεῖς an itidem scripserit & Interpres noster. In quodam codice deërat *vobis*. Vide Desiderium.

7. *Sumus parvuli*] Theophylactus, aut certe hujus Interpres, duplicem annotat lectionem, quarum altera ἤπιοι habet, i. e. *blandi*, *mites* & *lenes*; altera νήπιοι, i. e. *parvuli*, *infantes* & *immunes nequitiæ*. Ad sensum nihil refert utrum legas, modò intelligas Apostolum sentire se parvulorum induisse naturam, qui placidi sunt & inanis gloriæ expertes, &c.

8. *Desiderantes vos*, *cupide volebamus*] Pro ἱμειρόμενοι i. e. *desiderantes* sive *amantes*, Theophylacto rectius videtur ut ὁμειρόμενοι legamus, i. e. *adglutinati & connexi vobis*, ab ὁμοῦ *simul* & εἴρω quod est *connecto*. Mihi contrà magis placet quod Vulg. legit Interpres, cumque hoc Ambrosius & Chrysostomus: quanquam hic postremus explanando utrumque attingit: & ad sensum non perinde magni refert. Cæterùm illud *cupidè* quod ad explicandam sermonis emphasim Interpres adjecit, quanquam posset ad *desiderantes* pertinere, rectiùs tamen cum *volebamus* jungitur.

10. *Vobis qui credidistis adfuimus*] In antiquis atque Græcis est *fuimus*.

13. *Verbum auditus Dei*] Nihil aliud est quàm verbum Christianæ fidei, utpote cui auditu creditur. Dicitur enim *verbum auditûs Dei* per quod ipse Deus auditur & intelligitur. ¶ *Accepistis illud non ut verbum hominum*] In Græcis subaudienda est particula ὡς, οὐχ ὡς λόγον ἀνθρώπων, aut etiam exprimenda, quemadmodum expressa cernitur in cod. nonnullis vetustis. Cæterùm vocem *illud* nec Ambrosium habet, nec Græci, neque plerique Latini antiqui.

14. *A contribulibus vestris*] *Contribulis*, pen. prod. à *tribu* dicitur, *ejusdem tribûs*, sicut συμφυλέτης ἀπὸ τῆς φυλῆς. ¶ *Sicut & ipsi*] Qui videlicet in Judæa conversi sunt. Quemadmodum, inquit, & illi a suis passi sunt contribulibus & gentilibus.

15. *Et Prophetas*] Illud ἰδίους adjectio est Marcionis, teste Tertulliano lib. adversùs eundem 5.

16. *Ut salvi fiant*] Sub. *Gentes*. Interpres enim suo aut certè seculi sui more hoc verbi masculino genere usurpat. Unde etiam in Evangeliis, *Reges*, inquit, *Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos*, &c. Luc. 23. Matth. 20. ¶ *Pervenit enim ira*] Ambrosius & cod. antiqui habent *prævenit*. Græca vox φθάνω ambigua est.

17. *Desolati à vobis*] Commodius est quod Græcè legitur ἀπορφανισθέντες *orbati vobis*. ¶ *Ad tempus horæ*] Ad breve tempus.

LUCAS BRUG.

7. CUm *possemus* * *oneri* - *vobis* [* - MS. q.] *esse*, *ut* * *Christi* [* & o.] *Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrûm*, *tanquam si nutrix foveat filios suos*.] Græci & Syriaci codices omittunt quod in initio hujus versûs legitur pronomen *vobis*. Consentit Latinus commentarius qui Ambrosii nomine exstat: consonantque quatuor nostra Latina scripta, Mal. ma. So. la. T. L. antiqua illa admodum, sed non perinde nostræ editionis studiosa. Scriptum G literâ insignitum, pro eo quod sequitur *oneri*, atque est in plerisque Latinis libris, tractaturque ab Enarratoribus, Hieronymiastro, Primasio, Autore Glossæ, Lombardo, Anselmo, Thoma, Carensi, Lyrano, Gorrano, Brunone, disertè scribit *honori*. Multa sic habent *oneri* ut facilè, unâ mutatâ literulâ, possit esse *honori*; nempe eam adspiratione scribunt, *honeri*. Ambrosiaster *honori* expressè legit. Dionysius Richelius pòst *oneri* explicat; prius *honori*, vel legit, vel sanè intelligit. Græcè est δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι· id quod tam in hunc quàm in alterum sensum verti posse, cum versiones ac scholia Latinorum plurimorum, tum Græcorum commentaria docent. *Cùm possemus in autoritate esse* vertit præter alios Pagninus. Syra, si eodem sensu, rectissimè transferantur, דנהוא יקירא [illegible] Existimant autem hunc intelligendi modum quadrare aptius, tum propter id quod proximè antecedit, *Nec quærentes ab hominibus gloriam*, *neque a vobis*, *neque ab aliis*, tum propter id quod subsequitur, *Sed facti sumus parvuli in medio vestrûm*, *tanquam si nutrix foveat filios suos*. Malint verò hic *lenes* legi, *mites*, aut *placidi*, quàm *parvuli*, præsertim propter subjunctam *nutricis* comparationem. Duo Parisiensium Latina scripta, Ge. o. l. *lenes* legunt, conformiter Græcis plerisque codicibus, qui ἤπιοι habent. Omnia porrò nostra Latina exemplaria, Latinis enarratoribus adstipulantibus, *parvuli* scribunt, quarto & nono Græcis Parisiensium exemplaribus, quæ νήπιοι legunt, similiter, ut omittam quòd & ἤπιοι *parvuli* reddi possit: itaque parvula nutrix parvulo, ut egregiè explicant quæ apud Hieronymum sunt scholia, dum se parvulo coæquat, illiusque moribus adsimilat. Inter Græcos Tractatores, Chrysostomus ἤπιοι, OEcumenius νήπιοι habet, Theophylactus utrumque attingit. Varietati occasionem dedit affinitas dictionum ἤπιοι & νήπιοι, maximè præcedente verbo in ν desinente, ἐγενήθημεν, quod est, *facti sumus*. Syri transtulerunt [illegible] *humiles*.

16. *Prævenit enim* [*autem* 9 MS. G.] *ira* . *Dei* [G] *super illos usque in finem*.] Hentenius & Zegerus *prævenit* castigarunt: ea est enim multorum, & quidem antiquiorum codicum, lectio; itaque vetus Ambrosiaster, atque inter posteriores Anselmus legit. Alii codices *pervenit* habent: id quod Hieronymianus Scholiastes secutus videtur. Haymo, Autor Glossæ, Lombardus, Carensis & Gorranus utrumque edisserunt. Græca vox ἔφθασε utrovis modo vertatur, rectè. Syri *pervenit*, alii *prævenit*, transtulerunt.

H. STEPHANUS.

2. ΕΠαῤῥησιασάμεθα ἐν τῷ Θεῷ ἡμῶν] *Libertate usi sumus in Deo nostro*: i. e. Dei ope & gratiâ freti.

5. Οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας] *Neque avaritiæ causâ quicquam prætexuimus*.

7. Ἀλλ᾽ ἐγενήθημεν νήπιοι] *Sed fuimus* veluti *infantes*.

14. Ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν] *A propriis contribulibus*.

18. Ἐνέκοψεν ἡμᾶς] *Interturbavit propositum nostrum*.

DRUSIUS.

8. SEd *etiam animas nostras*] *Animam tradere* dicitur aliquis ei quem impensè amat. Unde sequitur eo quòd *charissimi nobis essetis*, ἀγαπητοί. Vide quæ scripsimus Observat. lib. 3. c. 17. & adde quod apud Comicum, *Priusquam istam ego adii*, *& animum meum isti dedi*. Nam *animus* & *anima* synonyma sunt. Sirach. 7. 21. *Ne male tractes mercenarium dantem animam suam*. Jes. 58. 10. *& prompseris esurienti animam tuam*: alii *protuleris*. Hieron. *effuderis*. LXX. *dederis* τὸν ἄρτον ἐκ ψυχῆς σου. Sic alibi, *ne dederis animam tuam mulieri*.

14. *A contribulibus vestris*] Ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν *à propriis contribulibus*, h. e. ab iis qui sunt ejusdem vobiscum gentis. Nam *tribus*, *gens*, est φυλή aut φῦλον. Ergò συμφυλέται qui alio nomine ὁμόεθνοι vocantur: quomodo sanè Suidas exponit interpretans hoc nomen.

CASAUBONUS.

10. ΩΣ ὁσίως καὶ δικαίως] Ὁσιότης & δικαιοσύνη sæpe conjunguntur: differunt autem eò quòd hæc ἐπὶ τῆς πρὸς

τας

τῆς ὁμοειδοῦς ἰσότητος θεωρεῖται, ἡ δὲ ἐπὶ τῆς προτιμήσεως τιμῆς τῦ θείυ καὶ τῶν θείων, Eustath.

GROTIUS.

1. Αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ἀδελφοὶ, *Nam ipsi scitis, fratres*] Merito illam ſpem vitæ æternæ retinetis: vera enim ſunt quæ vobis annuntiavimus, neque vel minimam vobis cauſam dedimus, cur aliter ſuſpicaremini: οἴδατε [*ſcitis*] meminiſtis. ¶ τὴν εἴσοδον ἡμῶν τὴν πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὐ κενὴ γέγονεν, *introitum noſtrum ad vos, quoniam non vanus fuit*] Κενὴ, id eſt, *mendax, fallax*, שוא, quod ſæpe κενὸν [*vanum*] vertitur. *Non decepturi ad vos venimus*, nempe *ego, Silas & Timotheus*, quos ſibi etiam in docendi munere adjungit, ut 2 Cor. 1. 19. Unde conſtat *adventum non fuiſſe vanum*? Ex eo quod ſequitur,

2. Ἀλλὰ προπαθόντες καὶ ὑβρισθέντες, καθὼς οἴδατε, ἐν Φιλίπποις, *Sed ante paſſi & contumeliis affecti (ſicut ſcitis) in Philippis*] Noratis me multa jam perpeſſum ejus rei causâ, ob quam ad vos veniebam. Tangitur hiſtoria quæ eſt Actor. 16. 12. ¶ ἐπαῤῥησιασάμεθα ἐν τῷ Θεῷ ἡμῶν λαλῆσαι πρὸς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Euangelium Dei*] *In Deo fiduciam habuimus*, ut loqueremur. Idem loquendi genus Epheſ. 6. 20. ¶ ἐν πολλῷ ἀγῶνι. *in multa ſollicitudine*] *In magnis periculis*. Vide ſupra Coloſſ. 1. 29. Eſt μετωνυμία [*Tranſnominatio.*] Sic & Græci dicunt, ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἀναμένει. *In periculo non eſt cunctandum.*

3. Ἡ γὰρ παράκλησις ἡμῶν, *Exhortatio enim noſtra*] *Noſtra ad vos monita*, Actor. 15. 31. Roman. 12. 8. Eximiè dicitur de Prophetia Actor. 4. 36. 13. 15. ¶ οὐκ ἐκ πλάνης, οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, οὔτε ἐν δόλῳ. *non de errore, neque de immunditia, neque in dolo*] *Monita illa neque ex ſeducendi ſtudio, neque ex ullo affectu impuro ortum habuiſſe, neque verò dolum eis admixtum* ſatis vobis apparuit. πλάνη eſt מרמה [*dolus*] Proverb. 14. 8. ἀκαθαρσία [*immundities*] alibi *libidines* ſignificat, hic reſpondet Hebræo נבלות, ut Oſeæ 2. 10. Nahum. 3. 6. Eſt autem נבלות τὸ ἄσχημον [*inhoneſtum*,] & ſic vertitur alibi, comprehenditque omnia vitia quæ in Lege per immunda animalia figurabantur.

4. Ἀλλὰ καθὼς δεδοκιμάσμεθα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πιστευθῆναι τὸ εὐαγγέλιον, *Sed ſicut probati ſumus à Deo, ut crederetur nobis Euangelium*] Bis Græca locutio per paſſiva quæ apertiùs per activa ſic enuntiarentur, Καθὼς ὁ Θεὸς ἐδοκίμασε πιστεύειν ἐμοὶ τὸ εὐαγγέλιον [*Sicut Deus probavit credere mihi Euangelium.*] nam δοκιμάζειν [*probare*] cum infinitivo voluntatem rei efficiendæ ſignificat Roman. 1. 28. ἐπιστεύθην verò εὐαγγέλιον [*creditum eſt mihi Euangelium*] pari loquendi genere habemus 1 Tim. 1. 11. ¶ οὕτω λαλοῦμεν, *ita loquimur*] Id eſt, *ſolemus loqui. Sic illud eloquimur, ſicut nobis commiſſum eſt.* Nihil adulteramus. ¶ οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες, *non quaſi hominibus placentes*] Idem ſenſus Gal. 1. 10. Non ſumus ἄρεσκοι [*gratiæ captatores.*] ¶ ἀλλὰ τῷ Θεῷ τῷ δοκιμάζοντι τὰς καρδίας ἡμῶν. *ſed Deo qui probat corda noſtra*] Præcipuè ſcilicet, quomodo hoc intelligendum apparet 1 Cor. 10. 33. Δοκιμάζειν hic eſt *explorare*, ut 1 Petr. 1. 7. בחן. Dei eſt *explorare & ſcrutari animos*, Roman. 8. 27. 1 Sam. 16. 7. 1 Reg. 8. 39. 1 Paral. 28. 9. 2 Par. 6. 30. Pſal. 7. 10. 44. 22. Jerem. 17. 10. 20. 12. Luc. 16. 15. Actor. 1. 24. 15. 8. 1 Joh. 3, 20.

5. Οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν, *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis*] Eſt Hebraïſmus, qualis & infra 7. & 10. ubi *eſſe* ponitur pro *verſari*. *Nunquam aſſuevimus ſermoni adulatorio.* ¶ καθὼς οἴδατε, *ſicut ſcitis*] *Vos ipſi teſtes eſtis.* Ex contrario novos Doctores, ut ad Philippenſes. ¶ οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας. *neque in obtentu avaritiæ*] *Neque uſi ſumus prætextibus ad velandam avaritiam.* De voce προφάσεως [*obtentûs*] vide quæ ad Marcum 12. 40. de ſenſu vide 2 Cor. 2. 17. ¶ Θεὸς μάρτυς. *Deus teſtis*] Verborum homines ſumpſit teſtes, mentis ipſum Deum. Et hic juravit Paulus, ut & ſæpe alibi.

6. Οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν, οὔτε ἀφ' ὑμῶν, οὔτε ἀπ' ἄλλων. *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis*] Multi ſunt qui nova doceant, non lucri, ſed gloriolæ causâ. Nè hoc quidem in Paulum & ejus comites cadebat. Non erant quales Philoſophi

—Κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί
[—*Vanis inflati faſtibus utres.*]

Vide Joh. 5. 44. ¶ δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι, *cùm poſſemus oneri eſſe*] *Cùm jus haberemus vivendi veſtro ſumptu*, quod ἐπιβαρῆσαι [*gravare*] infra 9. Ex contrario, qui id non facit, dicitur *ſe ſervare* ἀβαρῆ [*non oneroſum*] 2 Cor. 11. 9. ¶ ὡς Χριστοῦ ἀπόστολοι *ut Chriſti Apoſtoli*] *Sicut Apoſtoli alii faciunt* 1 Cor. 9. 6. & quidem jure, ut ibidem oſtenditur.

7. Ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν, *Sed facti ſumus benigni in medio veſtrum*] Ἀλλὰ [*ſed*] hîc περισσεύει [*abundat*] more Hebræo. Sic Homerus,

— Πατὴρ ὡς ἤπιος ἦεν
[— *Benignus erat genitoris ad inſtar.*]

benigni admodum fuimus, ceſſimus de jure noſtro, ut vobis parceremus. Latinus legit νήπιοι [*parvuli.*] At Græci codices & Interpretes ἤπιοι [*benigni.*] ¶ ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα. *Tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos*] Sicut nutrix *mater* dicitur, *mater quæ mammam dedit*, Plauto; ſic alumni *liberi ejus* vocantur. θάλπει, *calefacit*, ut 1 Reg. 1. 2, 4. Galenus, παρὰ τῷ πυρὶ θαλφθεὶς [*calefactus ad ignem.*] Uſurpatur hæc vox Græca & de avibus quæ incubant ovo, Job. 39. 14. aut pullitiei, Deut. 22. 6. Procopius ad Eſaïam 49. 22. *humeris portabuntur*, refert ad nutricis officium, & ad myſticum implementum adfert hunc locum. Par ſimilitudo *à nutrice ſinu portante puerum*, Num. 11. 12.

8. Οὕτως, ἱμειρόμενοι ὑμῶν, *ita, deſiderantes vos*] Vox eſt Poëtica, ut & ἵμερος [*deſiderium.*] Exſtat & Job. 3. 21. pro חכה [*exſpectare.*] Ponuntur autem non de *deſiderio* tantùm, ſed & de *amore*, ut,

Ὡς σέο νῦν ἔραμαι, καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ
[*Ut modo amore tui flagro, atque cupidine dulci.*]

Non minus amantes veſtri, inquit, *quam nutricula alumnorum.* ¶ εὐδοκοῦμεν, *Prompti ſumus.* Εὐδοκέω cum infinitivo habes Luc. 12. 32. Roman. 15. 26. 1 Cor. 1. 21. 2 Corinth. 5. 8. Galat. 1. 15. In ea conſtructione eſt propria LXX. interpretum. Et hoc vult Hieronymus. Vox ipſa alioqui exſtat apud Polybium & alios. ¶ μεταδοῦναι ὑμῖν οὐ μόνον τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *tradere vobis non ſolum Euangelium Dei*] Sicut jam fecimus. ¶ ἀλλὰ καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς, *ſed etiam animas noſtras*] Id eſt, *etiam vitam vobis impendere.* Eſt enim σύλληψις [*complexus*,] nam μεταδοῦναι [*tradere*] de *Euangelio* propriè dicitur: de vita per μετωνυμίαν [*Tranſnominationem*] quandam: ſic ferme ſumitur μεταδιδόναι [*tradere*] & Rom. 1. 11. ἑαυτῶν apud Græcos omnis eſt perſonæ. ¶ διότι ἀγαπητοὶ ἡμῖν γεγένησθε. *quoniam chariſſimi nobis facti eſtis*] Præteritum pro præſenti, more Hebræo. *Chariſſimi enim nobis eſtis.*

9. Μνημονεύετε γὰρ, ἀδελφοὶ, τὸν κόπον ἡμῶν καὶ τὸν μόχθον *Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri & fatigationis*] Κόπον [*laborem*] in ferendo יגיע: μόχθον [*fatigationem*] in agendo, עמל. ¶ νυκτὸς γὰρ καὶ ἡμέρας ἐργαζόμενοι, *nocte enim ac die operantes*] Mira ſanè bonitas. Vide Actor. 18. 3. 1 Cor. 4. 12. ¶ πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν, *ne quem veſtrûm gravaremus*] *Ne cuiquam gravis eſſem.* Vide ſupra 7. ¶ ἐκηρύξαμεν εἰς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ. *prædicavimus in vobis Euangelium Dei*] Εἰς ὑμᾶς [*in vos*] pro ὑμῖν לכם [*vobis.*]

10. Ὑμεῖς μάρτυρες καὶ ὁ Θεὸς, *Vos teſtes & Deus*] Vide ſupra 5. ¶ ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν. *quam ſanctè & juſtè & ſine querela vobis qui credidiſtis fuimus*] *Verſati ſumus*, ut ſupra 5. & 7. ὁσίως [*ſanctè*] ad Deum refertur, ut εὐσεβῶς [*piè*] Tit. 2. 12. δικαίως [*juſtè*] ad actiones quæ ad ſocietatem pertinent: ἀμέμπτως [*ſine querela*,] ut σωφρόνως [*ſobriè*] ad Titum, ad ea quæ ſeorſim quemque ſpectant.

11. Καθάπερ οἴδατε ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ, παρακαλοῦντες ὑμᾶς, καὶ παραμυθούμενοι, καὶ μαρτυρόμενοι, *Sicut ſcitis qualiter unumquemque veſtrûm, ſicut Pater filios ſuos, deprecantes vos & conſolantes & teſtificati*] Supple *fuimus*, quod ſubauditur more Hebræo. *Monuimus*, inquit, deſides, *conſolati ſumus* mœſtos, *teſtimonium diximus* ignaris, ſed καὶ μαρτυρόμενοι [*teſtificati fuimus*] abeſt in Manuſcripto.

12. Εἰς τὸ περιπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ Θεοῦ, *ut ambularetis dignè Deo*] Vide Coloſſ. 1. 10. ubi locutio eadem. ¶ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν. *vocante vos in ſuum regnum & gloriam*] Vide 1 Petr. 5. 10. In Manuſcripto, καλέσαντος [*qui vocavit*,] ut Gal. 1. 6.

13. Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ ἀδιαλείπτως, *Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione*] Supra 1. 2, 3. ¶ ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ Θεοῦ, *quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum auditûs Dei*] Eſt trajectio, pro λόγον ἀκοῆς τοῦ Θεοῦ [*verbum auditûs Dei*,] *nuntium de Deo*. Id Hebræi cùm una voce ſatis eloqui non poſſent, dicunt λόγον ἀκοῆς [*verbum auditûs*,] ut Hebr. 4. 2. דבר שמוע, τοῦ Θεοῦ [*Dei*,] id eſt, *de Deo*. De voce παραλαμβάνειν [*accipere*] vide 1 Cor. 11. 23. 15. 1, 3. Gal. 1. 9, 12. Philipp. 4. 9. Coloſſ. 2. 6. ¶ ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων, *accepiſtis non verbum hominum*] Id eſt, ὡς λόγον ἀνθρώπων [*ut verbum hominum*,] quod ex ſequenti ſupplendum eſt, ut notant hic Græci, ἀλλὰ, καθώς

ἐστιν ἀληθῶς, λόγον Θεοῦ, sed, sicut verè est, verbum Dei] Et hic deest ὡς [*ut*,] quod ex illo καθὼς (*sicut*) subintelligitur. λόγος Θεοῦ [*verbum Dei*] per eminentiam dicitur sermo Euangelicus. ¶ *ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν πιστεύουσιν. quod etiam operatur in vobis qui creditis*] *Sermo ille per fidem receptus egregia producit opera.* ἐνεργεῖται [*operatur*] sono passivum, sensu activum, ut Rom. 7. 5. Gal. 5. 6. Ephes. 3. 20. Vide 1 Joh. 3. 9. Operatur patientiam.

14. *Ὑμεῖς γὰρ μιμηταὶ ἐγενήθητε, ἀδελφοί, τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ τῶν οὐσῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu*] Τῶν οὐσῶν [*quæ sunt*,] præsens pro præterito, quomodo participia sæpe usurpant Hebræi, quia participia apud ipsos præteritum propriè non habent. Multæ & magnæ Ecclesiæ Dei per Christum, tum directè, tum Apostolorum ministerio, factæ fuerant in Judæa. Sed dispersi erant plerique, paucis ad sementem relictis, ut apparet Actor. 8. 4. 11. 19. Et quidam Thessalonicam concesserant, ad quos præcipuè hæc spectant. ¶ *ὅτι τὰ αὐτὰ ἐπάθετε καὶ ὑμεῖς ὑπὸ τῶν συμφυλετῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων. quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Judæis*] Res vestras amisistis, pars fuistis ejecti. συμφυλεταὶ, ὁμόεθνοι [*qui ejusdem nationis sunt*] interpretante Hesychio, בני עמכם [*filii populi vestri*] Hebræis, Syro hic בני שרבתכון Græci φυλὰ [*tribus*] dicunt pro ἔθνη [*gentes*.] Illud αὐτοὶ [*ipsi*] constructionem facit κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad significationem relatam*.].

15. *Τῶν καὶ τὸν Κύριον ἀποκτεινάντων Ἰησοῦν, Qui & Dominum occiderunt Jesum*] Quid mirum est, si in nos sæviunt qui *Dominum* nostrum *interfecerunt*, nempe cùm à Pilato pœnam ejus omni modo extorserunt, Actor. 2. 23. 3. 15. Non debent discipuli meliorem sortem exspectare, quàm magistri fuit, Matt. 10. 24. Luc. 6. 40. Joh. 15. 20. ¶ *καὶ τοὺς ἰδίους προφήτας, & proprios Prophetas*] Jam olim tales sunt, Matth. 5. 12. 23. 31, 37. Luc. 6. 23. 13. 34. ¶ *καὶ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων, & nos persecuti sunt*] Vide dicta loca Actor. 8. 4. 11. 19. ¶ *καὶ Θεῷ μὴ ἀρεσκόντων, & Deo non placent*] Erant verè θεοστυγεῖς [*Deo exosi*] quomodo eos Josephus in horum temporum historia appellat. ¶ *καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων. & omnibus hominibus adversantur*] Nullà in extraneos dilectione; seditiosi erant contra Romanos, contra Parthos, domi forisque.

16. *Κωλυόντων ἡμᾶς τοῖς ἔθνεσι λαλῆσαι, ἵνα σωθῶσιν, Prohibentes nos Gentibus loqui ut salva fiant*] Sunt verè canes in præsepi Luc. 11. 52. ¶ *εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας πάντοτε. ut impleant peccata sua semper*] Hic εἰς τὸ, ut sæpe ἵνα [*ut*,] est ἐκβατικὸν [*significativum eventûs*.] *Hoc restabat, ut mensuram facinorum suorum implerent.* Locutio desumpta ex Gen. 15. 16. Vide & Matth. 23. 32. ¶ *ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος. pervenit autem ira super illos usque in finem*] Tandem prope est pœna: excidium nempe gentis, futuri judicii imago. ἔφθασε [*pervenit*] in præterito elatum sensum habet præsentis, ut Matth. 12. 48. Rom. 9. 31. 2 Corinth. 10. 14. εἰς τέλος עד כלה Dan. 9. 27. ἕως τῆς συντελείας [*ad consummationem*] Vide quæ ad Matth. 24. 15.

17. *Ἡμεῖς δὲ, ἀδελφοί, ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν, Nos autem, fratres, desolati à vobis*] Sic Gorgias, τῶν φίλων ὀρφανισθεῖσα [*amicis orbata*.] ¶ *πρὸς καιρὸν ὥρας, ad tempus horæ*] Idem quod πρὸς ὥραν [*ad horam*] 2 Cor. 7. 8. Gal. 2. 5. Philem. 15. πρὸς καιρὸν [*ad tempus*] Luc 8. 13. 1 Cor. 7. 5. quod Gen. 18. 10. legimus כעת חיה [*secundùm tempus vitæ*,] id LXX. verterunt κατὰ καιρὸν εἰς ὥρας [*secundùm tempus in horas*.] Etiam Latini dicunt *horæ momento*, ut ab aliis notatum est. ¶ *προσώπῳ, οὐ καρδίᾳ, aspectu, non corde*] Graphicè depingit ingenium amantium.

Illum absens absentem auditque videtque.

¶ *περισσοτέρως ἐσπουδάσαμεν, abundantiùs festinavimus*] יתר נמהרנו [*magis acceleravimus*] aut cum Rabbinis השתדלנו [*operam dedimus*.] Amat Paulus vocabula per se augentia ampliùs augere. Sic περισσοτέρως [*abundantiùs*] 2 Cor. 1. 12. 2. 4. 7. 13, 15. 11. 23. 12. 15. Gal. 1. 14. Philipp. 1. 14. Sic dicit ὑπερνικᾶν, ὑπερπερισσεύειν, ὑπερπλεονάζειν [*longe superare, superabundare*.] ¶ *τὸ πρόσωπον ὑμῶν ἰδεῖν, ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ. faciem vestram videre, cum multo desiderio*] Simile votum 1 Cor. 16. 7. 2 Cor. 12. 14. 2 Joh. 12. 3 Joh. 14.

18. *Διὸ ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς (ἐγὼ μὲν Παῦλος) καὶ ἅπαξ καὶ δὶς, ideo voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus) & semel & iterum*] Et hic aliquid subticetur quod voculæ μὲν [*quidem*] respondeat; nempe *Timotheus & Silas semel.* ἅπαξ καὶ δὶς [*semel & iterum*,] id est, *sæpius*. Sic Neh. 13. 20. Philipp. 4. 16. ¶ *καὶ ἐνέκοψεν ἡμᾶς ὁ Σατανᾶς. sed impedivit nos Satanas*] Καὶ [*&*] pro *sed*, more Hebræo. De voce ἐγκόπτειν [*impedire*] vide Rom. 15. 22. Gal. 5. 7. Rabbini dicerent עכב. *Impedivit* autem hoc *Satanas*, injectâ ei necessitate disputandi sæpiùs cum Stoïcis & Epicureis qui Athenis erant.

19. *Τίς γὰρ ἡμῶν ἐλπὶς, ἢ χαρὰ, ἢ στέφανος καυχήσεως, ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς ἔμπροσθεν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ; Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ, nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?*] Construi hæc sic debent, Τίς γὰρ ἡμῶν ἐλπὶς, ἢ χαρὰ, ἢ στέφανος καυχήσεως ἔμπροσθεν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ; ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς; *Quid est unde præmium sperabo, verè gaudebo, quo ornabor, stans coram Christo in ejus adventu? Nonne inter alios & vos id estis?* στέφανος καυχήσεως עטרת תפארה [*corona gloriæ*] Prov. 16. 31. Ezech. 16. 12. 23. 42. vocatur *corona*, non quotidiana, sed *quæ diebus summæ lætitiæ ad eximium ornatum sumitur.* Sic Paulum ornabant tam præclaræ per Macedoniam structæ ab ipso Ecclesiæ. Vide 2 Cor. 7. 4. In Manuscripto est στέφανος ἀγαλλιάσεως [*coronæ exsultationis*.]

20. *Ὑμεῖς γάρ ἐστε ἡ δόξα ἡμῶν καὶ ἡ χαρά. Vos enim estis gloria nostra & gaudium*] Vos præcipuè digni talibus titulis.

CAP. III.

ERASMUS.

1. NOn *sustinentes*] Μηκέτι στέγοντες, i. e. *non ferentes*, h. e. impares desiderio videndi vos. ¶ *Placuit nobis*] Εὐδοκήσαμεν. Quod ut explicaret Ambrosius, vertit *optimum duximus*. D. Hieronymus putat vocem esse novam à LXX. confictam ad explicandam proprietatem Hebræi sermonis. ¶ *Remanere*] Ἀπολειφθῆναι sive, ut aliàs habetur, καταλειφθῆναι, *relinqui*. Ambrosius legit *ut Athenis soli relinqueremur*.

2. *Ministrum Dei*] Addunt Græci καὶ συνεργὸν ἡμῶν *cooperarium nostrum*. Ità Ambrosius, *& participem operis Dei*: sic enim reddit συνεργόν.

3. *Ne quis moveatur*] Σαίνεσθαι. Quod Græca quidem Scholia exponunt *turbari* aut *terreri*. Sumpta Metaphora à canibus caudam moventibus: quod idem admonuit Theophylactus.

6. *Veniente, & annunciante*] Utrumque apud Græcos præt. temporis est, ἐλθόντος καὶ εὐαγγελισαμένου, i. e. *cùm venisset & annunciasset*, quemadmodum legit Ambrosius. ¶ *Sicut & nos quoque vos*] Καθάπερ καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς, *sicut & nos vos*. Aut *quoque* conjunctio erat omittenda, aut *&*.

10. *Abundantiùs orantes*] Ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ. Et exprimens verborum ἐπίτασιν Ambrosius legit *abundantissimè orantes*. Congeminavit enim Paulus vehementiam affectûs, ὑπὲρ *eximiè*, ἐκ περισσοῦ *ex abundanti*, sive *ex superfluo*, q. d. *supra modum & plusquam oportet*.

12. *Et abundare faciat*] Hic utrumque verbum posuit transitivè, πλεονάσαι & περισσεῦσαι, de quorum altero suprà meminimus. Nam id rarius est, ideoque monendum duximus. ¶ *In vobis*] Εἰς ὑμᾶς, *in vos*.

13. *Sine querela*] Ἀμέμπτους *irreprehensa*, ut legit Ambrosius. Refertur enim ad *corda*, quæ talia vult esse Paulus ut nulla de his possit esse querimonia.

VATABLUS.

1. SUstinentes] *Ferentes:* sub. *desiderium cognoscendi quo in statu res vestræ essent.* ¶ *Placuit nobis*] Ambros. *optimum duximus*. ¶ *Remanere*] *Ut relinqueremur*. Et sic Ambrosius.

2. *Dei* *] * *Et cooperatorem nostrum.* ¶ *Exhortandos pro fide vestra*] *Ut consolaretur vos de fide nostra*, quæ scil. tot calamitatibus nihil imminuta fuerit, quod fortasse pseudapostoli ad vos annunciant.

5. *Non sustinens, misi*] *Non ferens, miseram.*

6. *Nunc autem veniente Timotheo*] *Nuper autem cùm venisset Timotheus.* ¶ *Annunciante*] *Annunciasset.*

7. *In vobis*] *Per vos.*

9. *Pro vobis, in*] *De vobis, super.*

10. *Abundantiùs orantes*] Ambros. expressurus Græca legit, *abundantissimè orantes*. ¶ *Compleamus*] *Suppleamus.*

11. *Dominus* *] * *Noster*, Vet.

12. *In vobis*] *Erga vos.*

13. *Sine querela*] *Ut sint irreprehensibiles.*

CLA-

CLARIUS.

3. *IN hoc positi sumus*] Ergò ei viro qui non solo nomine Christum profiteatur hæc una in hac vita proposita esse debet exspectatio, perferendarum scilicet molestiarum.

13. *Ad confirmanda corda vestra*] Ordo verborum talis est, *Dominus abundare faciat charitatem vestram,* &c. *ut confirmentur corda vestra sine querela.*

ZEGERUS.

1, 2. *PRopter quod non sustinentes ampliùs, placuit nobis remanere Athenis solis. Et misimus Timotheum*] *Propterea,* inquit, *quòd desiderium haberemus conveniendi vos,* nec liceret votis facere satis, *impediente Satanâ, non jam putavimus ferendum diutiùs* quò minùs aliqua ex parte nostro desiderio pareremus. *Visum itaque fuit nobis ut Athenis remaneremus soli* absque sodali *ac* nostrà vice *Timotheum collegam & fratrem nostrum transmitteremus, qui corroboret & soletur animos vestros.* Advertendum autem illud *solis* jungendum esse cum *nobis,* non cum *Athenis.*

3. *In hoc positi sumus*] Ad tolerandas videlicet afflictiones.

4. *Prædicebamus vobis passuros nos*] In Ambrosio & aliquot codicibus est *prædicabamus passuros vos,* sed perperam.

12. *Quemadmodum & nos in vobis*] Vel potiùs *erga vos?* est enim sensus, *quemadmodum & nos quoque abundamus charitate erga vos.*

13. *Sine querela in sanctitate*] i.e. *Ut sint irreprehensibilia corda vestra in sanctitate.*

H. STEPHANUS.

1. MΗκέτι ϛέγοντες] *Non ampliùs ferentes* desiderium.

3. Τῷ μηδένα σαίνεσθαι] *Ut nemo perturbetur,* vel *commoveatur.*

5. Μηκέτι ϛέγων] Vide ver. 1. ¶ Μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων] Quòd timerem *nè quo modo tentasset vos is qui tentare* homines *solet.*

10. Καταρτίσαι τὰ ὑϛερήματα τῆς πίϛεως ὑμῶν;] *Supplere quæ fidei vestræ desunt?*

11. Κατευθύναι] *Dirigat.*

12. Πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι τῇ ἀγάπῃ εἰς ἀλλήλους] *Cumulatos reddat charitate mutuâ.*

DRUSIUS.

5. *IS qui tentat*] המנסה, qui homines ad malum solicitat. Satanam intelligit, qui propterea ὁ πειράζων vocatur, h. e. *Tentator;* ut מרפא *medicinam faciens, Medicus;* רועה *pascens,* i. e. pastor; מושל *dominans,* i. e. dominator. Sic ὁ λέγων pro *oratore,* & *discentes* pro *discipulis:* quod postremum invenies in Tertulliano.

7. *In omni necessitate*] Ἐπὶ πάσῃ τῇ ἀνάγκῃ. Valet autem *in omni angustia* aut *oppressione* aut *vexatione.* Nam ἀνάγκη *afflictio, oppressio,* idem ferè quod θλίψις, quæ Interpreti nostro *tribulatio* Latinè redditur, alius *afflictionem* maluit reddere. Igitur *in omni necessitate & tribulatione* habendum pro eo ac si dixisset, *hoc est, tribulatione,* ut copulans & sit exegetica: quanquam in fonte, *in omni afflictione & necessitate nostra.* Sæpe hoc modo synonyma conjunguntur, & quod obscurius est ultimo loco ponitur.

8. *Quoniam nunc vivimus*] i.e. salvi sumus: ut *Vivat Rex.* Aut *vivimus jocundè.* Lætitia enim patri ex profectu filii. Sunt autem patres spirituales qui alios instituunt aut docent, ut Apostoli, ut Pastores, ut Præceptores & Magistri. *Vivere* hoc significatu sumitur in illo, *Amici, dum vivimus, vivamus.*

CAMERON.

5. Ὁ Πειράζων] Diabolus in Scriptura πειράζων, dicitur המנסה, & quidem πειράζων tanquam nomine appellativo: nam participium nominascit. Itaque Latinus Interpres Matth. 4. 3. rectè vertit *Tentator:* quod non itidem fecit hoc loco, ubi notandus est ejus lapsus, nam & hic vertendum erat πειράζων *Tentator:* videtur enim omnino hæc locutio habere redundantiam, *nè fortè tentaverit vos is qui tentat;* quod Syrus Interpres cavit: reddidit enim participium ac si nomen esset, מנסינא, h.e. *tentator.*

GROTIUS.

1. ΔΙὸ μηκέτι ϛέγοντες, *Propter quod non sustinentes ampliùs*] *Non ultra ferentes,* nempe tantis intervallis nos disjungi. Vocem ϛέγειν [*sustinere*] hoc sensu & Græci usurpant, & ipse Paulus 1 Cor. 9. 12. 13. 7. infra 3. 5. Hebræis id סבל. ¶ εὐδοκήσαμεν καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόνοι, *placuerat nobis remanere Athenis soli*] De hac constructione vocis εὐδοκεῖν diximus supra 2. 8. Triste hoc, sed tamen hoc libenter feceramus & ego & Silas vestri causâ. Agit autem de re jam aliquamdiu exacta, ut apparet infra 6. Unde rectè per plusquamperfectum vertetur & hoc & sequentia.

2. Καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ διάκονον τοῦ Θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ τοῦ Χριϛοῦ, *Et miseramus Timotheum fratrem nostrum & ministrum Dei & adjutorem nostrum in Evangelio Christi*] In quibusdam codicibus διάκονον τοῦ Θεοῦ [*ministrum Dei,*] in quibusdam συνεργὸν ἡμῶν [*adjutorem nostrum*] deest. Similes titulos Tychico datos habuimus Coloss. 4. 7. & Ephes. 6. 21. Vide & de Tito 2 Cor. 8. 23. Huic ipsi Timotheo pares dari titulos videmus Rom. 16. 21. 1 Cor. 4. 17. ἐπέμψαμεν, *miseramus,* nempe Athenis. Athenas enim ad Paulum venerant & Timotheus & Silas Actor. 17. 15. ¶ εἰς τὸ ϛηρίξαι ὑμᾶς καὶ παρακαλέσαι ὑμᾶς περὶ τῆς πίϛεως ὑμῶν. *ad confirmandos vos & exhortandos de fide vestra*] *Ut vos per Timotheum & roboraremus & consolaremur in iis quæ ad fidem pertinent.* Utroque enim opus habent qui ob fidem adversa patiuntur. In Manuscripto παρακαλέσαι ὑπὲρ τῆς [*ad exhortandum pro.*]

3. Τῷ μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις. *Ut nemo moveatur in tribulationibus istis*] Τῷ hic valet idem quod alibi εἰς τό [*ut.*] Utroque enim modo vertitur ל Hebræum, quod est in לכן [*propterea.*] Vide supra 2. 16. Σαίνεσθαι per θορυβεῖσθαι [*perturbari*] exponunt Chrysostomus & alii Interpretes Græci; Hesychius, ταράττεσθαι [*turbari.*] Usus quidem frequentior ejus vocis est *in motu caudæ;* sed antiquitus idem valuit quod σείω [*concutio.*] Et puto sic usos Cilicas. Hebræis esset נע. ¶ αὐτοὶ γὰρ οἴδατε ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα. *ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus*] *A Deo in id positi, in id vocati sumus.* De usu vocis κεῖσθαι vide quæ diximus ad Luc. 2. 34. De sensu vide Rom. 8. 17, 30. 1 Cor. 1. 9. εἰς τοῦτο [*in hoc*] לזה.

4. Καὶ γὰρ ὅτε πρὸς ὑμᾶς ἦμεν, προελέγομεν ὑμῖν ὅτι μέλλομεν θλίβεσθαι, καθὼς καὶ ἐγένετο καὶ οἴδατε. *Nam & cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est & scitis*] Πρὸς hic est *apud,* ut Joh. 1. 1. Cùm dicit μέλλομεν ostendit prædicta à se mala tum quæ sibi, tum quæ Thessalonicensibus erant eventura: tum ut hi eo divinæ præsignificationis testimonio, subsequente eventu, in fide firmiores fierent, tum ut minùs commoverentur re præmeditata, Johan. 13. 19. Adde & Actor. 14. 22.

5. Διὰ τοῦτο κἀγὼ μηκέτι ϛέγων, *Propterea & ego ampliùs non sustinens*] *Non ultra ferens* ignarus esse rerum vestrarum. Vide supra 1. ¶ ἔπεμψα εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίϛιν ὑμῶν. *misi ad cognoscendam fidem vestram*] *Ut scirem quo se loco habeat fides vestra.* Et hic ἔπεμψα vertendum *miseram.* ¶ μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, *ne fortè tentaverit vos is qui tentat*] Participium pro verbali; *tentans,* id est, *tentator* המנסה, Matth. 4. 3. nimirum ὁ Σατανᾶς [*Satanas,*] ut exponitur 1 Cor. 7. 5. quo loco non minùs quàm hoc verbum πειράζειν [*tentare*] ita sumitur, ut effectum destinatum tentatori includat: ut *dare,* Deuter. 29. 4. Joh. 6. 39. 2 Tim. 2. 25. cujusmodi & alia alibi annotavimus. Subintelligitur autem ante μήπως [*ne fortè*] *metuens,* ut *cavens* Rom. 11. 21. usitatæ ἐλλείψεως [*ellipses*] ante voces *si* & *ne* & similes, & Græcis & Latinis. ¶ καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν, *& inanis fiat labor noster*] *Ita ut labor noster* in vobis instituendis *in vanum ceciderit.* Sic εἰς κενὸν δέξασθαι [*in vanum recipere*] 2 Cor. 6. 1. εἰς κενὸν τρέχειν [*in vanum currere*] Gal. 2. 2. ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔϛι κενὸς [*labor vester non est inanis*] 1 Cor. 15. 58. ἡ χάρις οὐ κενὴ ἐγενήθη [*gratia non fuit vacua*] 1 Cor. 15. 10.

6. Ἄρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς ἀφ᾽ ὑμῶν, *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis*] *Cùm verò jam à vobis ad nos redierit Timotheus.* De voce ἄρτι vide Matth. 9. 18. Hinc apparet Corinthi scriptam hanc epistolam, non Athenis. Vide Actor. 18. 5. ¶ καὶ εὐαγγελισαμένου ἡμῖν, *& annuntiante nobis*] Hîc εὐαγγελίζεσθαι sumitur non in illo his libris proprio, sed in communiore significatu, qui respondet Hebræo בשר [*nuntiare,*] ut videre est 1 Sam. 31. 9. 2 Sam. 1. 20. 18. 19, 31. & alibi. *Nuntium exoptabilem mihi nuntiavit Timotheus.* ¶ τὴν πίϛιν καὶ τὴν ἀγάπην ὑμῶν, *fidem & charitatem vestram*] Egregiam & salutiferam ξυνωρίδα [*bigam.*] ¶ καὶ ὅτι

ἔχετε μνείαν ἡμῶν ἀγαθὴν πάντοτε, & quia memoriam nostri habetis bonam semper] Est μετωνυμία [*Transnominatio*:] nam per *memoriam* intelligit *mentionem*, & *bonam* intelligit, *in bonam partem*, id est, honorificam. ¶ *ἐπιποθοῦντες ἡμᾶς ἰδεῖν, καθάπερ καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς. desiderantes nos videre, sicut nos quoque vos*] Mutua enim sunt amantium desideria.

7. *Διὰ τοῦτο παρεκλήθημεν, ἀδελφοὶ, ἐφ' ὑμῖν, Ideo consolati sumus, fratres, in vobis*] Παρεκλήθημεν נחמו [*consolati sumus*] in Niphal, ut 2 Sam. 13. 39. *ἐφ' ὑμῖν, vestri causâ.* ¶ *ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ἡμῶν διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως. in omni tribulatione & necessitate nostra per fidem vestram*] Et hîc Trajectio est; recta enim constructio fuerat, *διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ἡμῶν* [*per fidem vestram in omni tribulatione & necessitate nostra.*] De significatu vocis *ἀνάγκης* [*necessitatis*,] quâ & Hebræi illorum temporum utebantur, vide dicta ad Luc. 21. 23.

8. *Ὅτι νῦν ζῶμεν, Quoniam nunc vivimus*] Id est, *lætam vitam agimus.* Ita enim hanc vocem & Hebræi, ut Psal. 22. 27. & Græci & Latini usurpant. ¶ *ἐὰν ὑμεῖς στήκητε ἐν Κυρίῳ. Si vos statis in Domino*] *Si & nunc & in posterum perstatis.* De hoc usu vocis *στήκειν* [*stare*] vide Rom. 14. 4. 1 Cor. 16. 13. Philipp. 4. 1.

9. *Τίνα γὰρ εὐχαριστίαν δυνάμεθα τῷ Θεῷ ἀνταποδοῦναι περὶ ὑμῶν, Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis*] *Quam gratiam*, dignam scilicet, *reddere possumus.* Respicit Paulus ad verba Psalmi 116. 2. ¶ *ἐπὶ πάσῃ τῇ χαρᾷ ᾗ χαίρομεν δι' ὑμᾶς ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum*] Id est, animo sincero. Vide Luc. 1. 6. & ibi dicta.

10. *Νυκτὸς καὶ ἡμέρας, Nocte ac die*] Semper, supra 2. 9. ¶ *ὑπερεκπερισσοῦ, abundantiùs*] Vox αὐξητικὴ [*significationem augens*,] ut Ephes. 3. 20. infra 5. 13. ¶ *δεόμενοι*,] *Rogantes, Deum* scilicet, quod hic subauditur, ut Rom. 1. 10. ¶ *εἰς τὸ ἰδεῖν ὑμῶν τὸ πρόσωπον, ut videamus faciem vestram*] Ut supra 2. 18.

—— notos audire & reddere vultus.

¶ *καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν; & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ?*] *Supplere, siquid ad fidem vestram perficiendam requiritur.* De voce *καταρτίσαι*, vide 2 Cor. 13. 11. Gal. 6. 1. de voce *ὑστερημάτων* 1 Cor. 16. 17. Coloss. 1. 24. Sensus idem qui Rom. 1. 11.

11. *κατευθύναι, dirigat*] ישר Psalm. 5. 9. Vide Luc. 1. 79. *Prosperare* idem quod *εὐοδοῦν* [*prosperum iter habere*] Rom. 1. 10.

12. *Ὑμᾶς δὲ ὁ Κύριος πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι, Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat*] Hæc verba alibi habent significationem Kal, hic verò Hiphil, quomodo *βασιλεύειν* [*regnare*,] & alia multa. Hebræi dicerent יעשר, *ditet vos, ac locupletet.* ¶ *τῇ ἀγάπῃ εἰς ἀλλήλους καὶ εἰς πάντας, charitate in invicem & in omnes*] Etiam dilectio à Deo Patre, sed & studio nostro indiget, 1 Corinth. 14. 1. ¶ *καθάπερ καὶ ἡμεῖς εἰς ὑμᾶς. quemadmodum & nos in vos*] Hoc sumendum ut *παρένθεσις* [*interpositio*,] & subaudiendum *sumus*, more Hebræo. Vobis, inquit, optamus quod in nobis sentimus.

13. *Εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ, Ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate*] Rom. 1. 11. 16. 25. supra 2. Diligendo proximum majora à Deo acquiruntur dona, & præcipuè constantia. Illud verò *ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ* [*sine querela in sanctitate*,] positum est pro *ἵνα ἦτε ἄμεμπτοι ἐν ἁγιωσύνῃ* [*ut sitis sine querela in sanctitate*,] ut sequentia ostendunt collata cum Ephes. 5. 27. & 2 Cor. 11. 2. in Manuscripto est, *ἐν δικαιοσύνῃ* [*in justitia.*] ¶ *ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν, ante Deum & Patrem nostrum*] Nam Christus nos Deo Patri suo exhibebit, ut suos, Coloss. 1. 22. ¶ *ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ. in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus*] Descriptio temporis ut supra 2. 19. Libri optimi habent *ἁγίων* [*sanctorum.*] Quod quidam habent *ἀγγέλων* [*Angelorum*] est interpretamentum ex 2 Thess. 1. 7. Matth. 16. 27. 25. 31. Deut. 33. 2. מרבבת קדש *sanctorum millia*, id est, Angelorum, quod Judas versu 14. *ἐν ἁγίαις μυριάσιν αὐτοῦ* [*in millibus sanctis suis.*] Sic & Dan. 4. 10, 14, 20. 8. 13. Marcus utrumque conjunxit, *μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων* [*cum sanctis Angelis*] 8: 38.

CAP. IV.

VALLA.

8. **I***Taque qui hæc spernit*] In quibusdam editionibus legitur *qui me spernit*: sed Græcè neque *hæc* neque *me* legitur.

11. *Negotium vestrum agatis*] Gr. *negotia vestra* sive *negotia propria* seu *res proprias agatis*, *πράσσειν τὰ ἴδια*· nè putemus, ut quidam, de salutis æternæ opere Paulum loqui. Iidem etiam quod sequitur malè accipiunt,

12 *Ut honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis*] Quòd videlicet honestè vivatis, neve quid ab aliis velitis auferre & concupiscere. Apostolus ait ideo debere *agere suas res, & laborare manibus, ut honoratè ambulent apud infideles, neve quid desiderent* ab illis atque mendicent. Ideoque ego transtulissem *apud eos*, non *ad eos*, quod Græcè anceps est, *πρὸς τοὺς ἔξω*. Nam reliqua particula non est anceps, sed sic transferenda, *& nullius rei indigeatis*, sive, ut ad verbum transferam, *& nullius indigentiam habeatis*, *καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε.*

REVIUS in VALLAM.

11. **Π***Ράσσειν τὰ ἴδια*] Hæc incommodam sedem nacta erant.

ERASMUS.

1. **U***T quemadmodum accepistis*] *Ut* redundat. Sequitur enim hæc conjunctio. ¶ *Sic & ambulatis*] *Ἵνα περισσεύητε μᾶλλον*, i. e. *ut abundetis magis.* Reliqua nempe hæc *sicut & ambulatis* redundant. Adjecta videntur explicandæ sententiæ gratiâ. Ambrosius tamen addit *sicut & ambulatis.* Atque ità scriptum comperimus in antiquis exempl. Latinis. Ex Theophylacti Commentariis non apparet additum fuisse, certè in contextu abest, quemadmodum nec apud Chrysostomum.

6. *Nè quis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem*] Ephes. 5. indicavimus ex autoritate Hieronymi, verbum quod est hîc *πλεονεκτεῖν* non pertinere propriè ad Avaritiam, sed ad Fraudem: quâ cum injuria nobis occupamus uxores alienas; alioqui putat ille inconcinnè conjungi Avaritiam cum Libidine, præsertim cum mox sequatur, *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam.* Atque ità sanè intepretatur hoc loco Theophylactus Chrysostomum secutus. Cui non sufficit sua uxor, is *πλεονεκτεῖ*. ¶ *Quoniam vindex*] *Propterea quòd vindex*, sive *ultor*, &c. *διότι*. ¶ *Sicut prædiximus*] *Sicut & prædiximus.* Et ità legit Ambrosius, additâ conjunctione, ut videatur hæc esse repetitio pristinæ admonitionis quam debebant meminisse.

7. *In immunditiam*] *Ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ*· quod perinde valet ac si dicas, *Non vocavit nos hâc lege ut essemus immundi.* Siquidem causa & conditio vocationis erat ut desineremus esse quod eramus. Hanc enim vim habet nonnunquam præpositio *ἐπὶ* apposita dandi casui: quanquam in eo quod proximè sequitur abusus est *ἐν* pro *ἐπί*.

8. *Qui hæc spernit*] *Hæc* redundat. *ὁ ἀθετῶν*, i. e. *qui rejicit.* Addidit Interpres pronomen *hæc* explicandæ rei gratiâ. Demiror autem cur ità Hieronymo visum sit *ἀθετεῖν* vertere *prævaricari.* Nam in libro Didymi De Spiritu S. 3. nonnihil de suo adjiciens scribit in hunc modum, *Neque enim vocavit nos Deus ad immunditiam, sed ad sanctificationem. Itaque qui spernit* (*sive, quod meliùs habetur in Græco, qui prævaricatur*) *non hominem prævaricatur, sed Deum*, &c. Quis enim *prævaricatur hominem?* Ut jam idem sit *ἀθετεῖν* & *prævaricari.* Illud verum est, qui spernit ac rejicit Dei præceptum, utique prævaricatur. ¶ *Qui etiam*] *Etiam* non est. *τὸν διδόντα qui dedit.* Et ità legit Ambrosius. ¶ *In nobis*] Εἰς ὑμᾶς, *in vos.*

9. *De charitate fraternitatis*] Φιλαδελφίας, *fraterno amore.* Ambrosius vertit *de affectione fraternitatis.* Siquidem hâc voce ex *amore* & *fratre* compositâ Apostoli significare solent mutuum Christianorum inter ipsos amorem, idque ex Hebræorum more, qui omnes suæ gentis *fratres* vocant. ¶ *Necesse habuimus*] Χρείαν ἔχετε, *necesse habetis*, h. e. *non est necesse vobis ut scribam.* Interpres legisse videtur *εἴχομεν*. ¶ *A Deo didicistis*] Θεοδίδακτοι Quod hîc extulit dictione compositâ, Joannes extulit duabus incompositis, *διδακτοὶ Θεοῦ*· quod illic vertit *docibiles Dei*, hic significat *à Deo doctos, & Divino instinctu per se afflatos.*

11. *Et operam detis*] Καὶ φιλοτιμεῖσθαι· quod sig. *ambitiosè conari.* Ambrosius vertit *eniti*: nos, *in hoc incumbatis.* ¶ *Ut vestrum negotium agatis*] Καὶ πράσσειν τὰ ἴδια, *ut agatis res proprias.* Deterret enim ab alienis appetendis & otio, quò jam tum sub religionis prætextu propendebant plerique. Nunc hoc hominum genere refertus undique mundus est. Quasi cibus debeatur omnibus qui *bene vivunt*, quod est omnium Christianorum commune: & quasi non bene vivant qui laborant manibus, aut alio quopiam officio prosunt. Sed *orant.* Et hoc est omnium Christianorum, nec labor obstat precationi. Nè quid dicam de phr-

de plurimis qui sub persona pessimè vivunt, pro sanctis moribus nobis vestem, cingulum & calceos fenestratos ostentantes. Porrò ridiculè quidam locum hunc interpretantur de curando negotio propriæ salutis.

12. *Et nullius aliquid desideretis*] Καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε, *nullius indigentiam habeatis.* Potest autem *nullius* vel ad *hominem* referri vel ad *rem*: *Curate nè quid vobis desit*: aut, *Curate nè sit implorandum auxilium alienum.*

13. *De dormientibus*] Τῶν κεκοιμημένων· q. d. *somno sopitis*, vel *soporatis*, à *dormisco* magis quàm à *dormio.*

14. *Si enim credimus quòd Jesus mortuus est*] Chrysostomus citans hunc locum in 2 Cor. hom. 1. addit tertium verbum, ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, καὶ ἔζησεν. Eadem est lectio in Commentariis, sed in exponendo non attingit tertiam vocem, quemadmodum nec Theophylactus: unde adjectam suspicor. ¶ *Adducet cum eo*] Σὺν αὐτῷ, i.e. *secum* aut *cum eo*, h.e. Filio: id quod mihi magis probatur.

15. *In adventu*] *In adventum.* Εἰς τὴν παρουσίαν· *qui relinquimur* & superesse permittimur *in illum adventum.* Nec enim otiosè additus est articulus. ¶ *Non præveniemus eos qui dormierunt*] Τοὺς κοιμηθέντας. Certius erat *qui dormiunt*, sive *qui obdormierunt.* Nam *dormisse* dicuntur potiùs qui jam vigilant, experrecti. Porrò Græca vox perinde sonat q. d. *somno sopitos.* Augustinus cùm aliàs aliquoties tum lib. De civ. Dei 20. legit *qui ante dormierunt.* Unde apparet in nonnullis Græcis cod. scriptum fuisse προκοιμηθέντας.

16. *In jussu*] Ἐν κελεύσματι. Non est simplex *jussio*, sed *vox illa quâ nautæ* seu *milites se mutuò adhortantur ad rem strenuè gerendam.* ¶ *Et in voce*] *Et* redundat, ἐν φωνῇ, *cum voce*: q. dixisset *in jussu vocis.* Quod genus est illud, *molemque & montes*, pro *molestis montibus.* ¶ *Primi*] Πρῶτον, *primùm*, sive *prius.*

17. *Nos qui vivimus*] Paulus ità loqui videtur quasi resurrectio eâ ætate esset futura quâ hæc scribebat. Tametsi quoniam participiis est usus, quæ sequuntur rationem ejus verbi cui adhærent, verti poterant & per futurum, ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα, *nos qui vivimus & reliqui erimus, unà cum illis rapiemur.* Mirum autem quantum hic sudetur & ab Augustino & à recentioribus, dum explicare cupiunt quod Paulus hoc loco planè dicit, quosdam rapiendos ad immortalitatem qui vivant. Verùm id quoniam non est hujus instituti, nec persequar in præsentia, & aliàs à nobis super hac re dictum est, 1 Cor. 15. Certè D. Ambrosius libro De fide resurrectionis c. 9. sic adducit hunc locum ut sentire videatur residuos in adventu Christi rapiendos ad illum, non gustatâ morte, vel hisce verbis, *Illis*, inquit, *dulcior vita post requiem. Viventibus & si grata compendia, tamen ignorata remedia.* Nam mortem, ni fallor illic *remedium* appellat. Sed hæc scribenti subit suspicio, ab Ambrosio scriptum fuisse *ingrata remedia*; etiamsi in utraque editione constanter habebatur *ignorata.* Proinde tutius esse puto quod rectius est sequi, præsertim cùm aliàs idem videatur sentire, nominatim hunc explanans locum. Putat & qui residui fuerint in ipso raptu transituque mortem gustaturos. Theophyl. tamen, quanquam fatetur in hoc sermone non comprehendi Paulum: tamen interpretatur pios quos Dominus adveniens vivos deprehenderit, simul cum excitatis rapiendos in aërem, nec ullam facit momentaneæ in ipso raptu mortis mentionem. Nec absurdum est quod in hunc locum dicit Scholiastes Latinus, *Apostolum semper facere eum diem suspectum, quasi esset* fortassis & *illos* ad quos scribebat *reperturus.* Unde verò constat nobis quòd Paulus certum habuerit se moriturum ante Domini adventum? 2 Thess. 2. admonet *nè conturbentur epistolâ quasi per ipsum scriptâ, persuasi jam instare diem Domini. Instat* quod in propinquo est, & *instat* quod jam urget. Totus autem ille locus sic involutus est quasi Paulus noluerit intelligi. Alibi palàm dicit, *Dominus propè est.* ¶ *Obviam Christo*] Εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου, *in occursum Domini.* Atque ità legit is quisquis fuit qui scripsit Epistolam secundam ad Demetriadem virginem: nam sunt qui putant eam esse non Hieronymi, sed Juliani.

18. *In verbis istis*] Ἐν τοῖς λόγοις τούτοις τοῦ πνεύματος, *in verbis his spiritûs.* In nonnullis Græcorum cod. additum reperi, verùm haud scio an mendosè, præsertim cùm nec apud Hieronymum nec apud Ambrosium ità legam, nè apud Theophylactum quidem.

VATABLUS.

1. DE *cætero*] *Quod superest.* ¶ *Obsecramus in Domino Jesu*] *Adhortamur per Dominum Jesum.*

2. *Dederim*] *Dederimus*, Vet. ¶ *Per Dominum Jesum*] i.e. Loquente in nobis Spiritu Christi.

3. *Sanctificatio vestra*] Heb. ut sancti sitis.

4. *In sanctificatione & honore*] Heb. *sanctè & honorificè.*

5. *Possessione*] *Passione*, Vet. vel, *non cum affectu libidinis*: i.e. non ità ut affectui libidinis turpiter serviat.

6. *Supergrediatur, neque*] *Transgrediatur, ac.* ¶ *In negotio*] Sub. *venereo*: q. d. nequis per adulterium injuriam faciat fratri suo. ¶ *Vindex*] Vel, *ultor.* ¶ *Sicut* *] * *Et.*

7. *In sanctificationem*] *Ad puritatem*: i.e. ut puri scortationis sitis.

9. *Fraternitatis*] *Fraterna.* ¶ *Habuimus*] *Habemus*, Vet. Græcè legitur, *habetis ut scribam.*

12. *Ad eos qui foris sunt*] i.e. Erga eos qui sunt extra Ecclesiam Christi. ¶ *Nullius aliquid desideretis*] *Nullâ re sit vobis opus*: i.e. curate nè mendicare cogamini in Ecclesiæ opprobrium.

13. *Nolumus autem*] *Cæterùm nolo.*

14. *Per Jesum*] *Cum Jesu*: i.e. cum fide Jesu Christi & spe resurrectionis. ¶ *Adducet cum eo*] i.e. Suscitabit cum Christo.

15. *In verbo*] Vel, *per verbum.* ¶ *In adventu Domini*] *In adventum*, Vet. i.e. exspectantes adventum Christi. ¶ *Eos qui dormierunt*] Vel, *somno sopitos.* Aug. legit, *eos qui ante dormierunt.*

16. *In jussu & in voce*] *Cum hortatu, cum voce.* ¶ *Qui in Christo sunt*] i.e. Fideles. ¶ *Primi*] *Primùm*, vel, *prius.*

17. *Vivimus qui relinquimur*] Vel, *vivemus qui reliqui erimus.* ¶ *Christo*] *Domino*, Vet.

CASTALIO.

15. FOre *ut nos vivi, qui ad Domini adventum superer imus*] h.e. Ut Christiani qui supererunt. Nec enim ità loquitur quasi sit ipse superfuturus. Talis est illa Mosis ad Israëlitas oratio, Deut. 1. *Per id tempus proposui vobis, me solum non posse regere vos*, &c. h.e. proposui patribus vestris. Cùm enim ea diceret populo Moses, mortui erant ii quibus illa proposuerat.

CLARIUS.

6. C*Ircumveniat*] Πλεονεκτεῖν etsi verbum est *avaritiam* significans, hic tamen eo utitur (sicus & alibi fecit) in eum sensum ut dicat, Cavendum esse ab adulterio, ut unusquisque suâ uxore contentus, non id agat quod avari solent, ut alterius etiam toro insidietur.

8. *Itaque qui spernit*] Aliquis, e.g. ancillam corruperit, is cogitare debet non ancillæ conditionem, sed ipsum *Deum* quem *spernit*, dum illius præcepto adversatur. Vel, *qui spernit* nostra monita, *non nos spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nos*, cujus verba loquimur.

12. *Et nullâ re*] Videtur admonere ut ità studiosè sua omnia curent nè sit eis necesse ethnicorum uti operâ.

13. *De dormientibus*] Pulcrè *dormientes* potiùs quàm *mortuos* appellat eos qui paulò pòst essent excitandi ad perpetuam vitam.

14. *Qui dormierunt per Jesum*] Qui in fide Jesu dormierunt. Sunt tamen qui sic distinguant, *per Jesum adducet*; quia Filius causa sit resurrectionis nostræ. Per ipsum enim omnia.

15. *Nos qui vivemus*] Ità de se & illis loquitur quasi qui eo vivi reperiendi sint tempore quo veniet Dominus. Accipit ergò eorum personam qui tunc vivi reperientur, & videtur significare eos *non morituros*, *sed immutandos* tamen. Quæ sententia eadem erit cum iis quæ ad Corinthios dicta sunt cùm ait, *Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur.* Quam interpretationem qui non admittunt, intelligunt per *viventes* animas, per *dormientes* ipsa corpora; quòd scilicet *non prævenient* Animæ Corpora, sed *primùm excitabuntur* Corpora, ut Animæ illa accipiant. Videtur autem potius voluisse Paulus docere hos, & certam Resurrectionis fidem facere, quam tam facilè Divina potentia sit operatura ut *ii qui tunc vivent non præveniant eos* quorum corpora jam olim in pulverem conversa fuissent.

16. *In tuba Dei*] Cujus typi fuerunt illæ in monte Sina. Sunt autem qui has *tubas* interpretentur Angelicas Potestates. ¶ *Mortui qui in* CHRISTO *sunt*] Non meminit hic damnandorum, cùm ad fideles sermo habeatur, idque consolandi gratiâ: tum quòd ipsa Resurrectionis natura est ob salutem hominum; quâ si qui privantur, id eorum fit vitio.

ZEGE.

ZEGERUS.

1. Q*Uomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis ut abundetis*] Nonnulli restituunt ex exempl. vetustis, *sicut & ambulatis.* Verùm ex eo quòd nec hoc nec illud *sic & ambuletis* est in Græcis, adstipulante Chrysostomo & Theophylacto, verisimile est prius adjectum esse explicandæ sententiæ causâ, fortasse ab correctore: nam adjectio est pervetusta. Alioqui sic sermo ipse archetypus construitur, *Obsecramus in Domino*, &c. *ut abundetis magis.*

3. *Sanctificatio vestra*] *Sanctificatio* propriè hoc & sequenti loco continentiam puritatemque declarat.

4. *Vas suum possidere in sanctificatione*] *Vas* corpus hoc dicit. Dum enim continentes sumus corpusque nostrum mundum servamus, *in sanctificatione* dicimur *possidere*; Tertull. De resurr. carn. Poterit quoque per *vas* propria uxor intelligi; August. De nupt. & conc. l. 1. c. 8.

5. *Non in passione desiderii*] i.e. *Non in affectu* seu *morbo turpium cupiditatum ac libidinum.*

6. *Nè quis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem*] Ex superioribus atque etiam sequentibus liquet Apostolum hic loqui de *negotio* Scortationis, *nè quis per fraudem occupet aut usurpet sibi alterius uxorem seu mulierem alienam.* Id enim πλεονεκτεῖν hoc loco propriè sign. teste Hieronymo in Epist. ad Ephes. c. 4.

8. *Qui hæc spernit*] *Hæc* videlicet nostra de *Non supergrediendo neque fraudando in negotio fratre* præcepta, *non me hominem spernit, sed Deum.* ¶ *Dedit Spiritum suum sanctum in nobis*] Variant codices in *nobis* & *vobis*: sed *nobis* personâ primâ legit Chrysostomus, & Ambrosius, si Commentum spectes.

11. *Ut vestrum negotium agatis*] i.e. Vestras ipsorum res peragatis, dimissis alienis.

12. *Ad eos qui foris sunt*] Incredulos designat. ¶ *Et nullius aliud desideretis*] Græca ad hunc habent modum, καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε, *& nullius opus sit vobis*, sive *nullius indigeatis.* Ubi *nullius* potest vel *hominem* vel *rem* quamlibet indicare. Ambrosius tamen nobiscum consentiens, *& nullius*, inquit, *desiderium sit vobis.*

13. *De dormientibus*] Mortuos appellat *dormientes* quòd quandoque sint resuscitandi ad vitam.

15, &c. *Nos qui vivimus, qui residui sumus*, &c.] Quanquam in adventu supremi Judicis & boni reperientur superstites & mali, juxta sententiam Salvatoris Matth. 24. *Duo erunt in agro: unus assumetur, & alter relinquetur*, &c. & utrique pariter sint immutandi ad immortalitatem, Apostolus tamen hæc in persona loquitur duntaxat justorum qui adveniente ad Judicium Domino vivi reperientur; agitque specialiter de ea resurrectione quæ justorum est; quemadmodum & ex iis quæ præcedunt manifestiùs apparet. *Nolumus*, enim inquit, *vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est*, &c. Docet ergò his verbis tam eos qui ante adventum in Christo *dormierint*, h. e. mortui fuerint, quàm eos qui tum *residui futuri sunt* justi (illis *prius resuscitatis*) *advenienti Judici in aëre occursuros, & jugiter cum illo victuros.* Jam verò an ex his colligi possit *residuos* illos non morituros, cùm *constitutum sit hominibus semel mori* Heb. 9. & quomodo hic locus cum illo congruat qui est 1 Cor. cap. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, longa est apud quosdam disputatio. B. Augustinus De civit. Dei l. 20. c. 20. & Ambrosius in suis Commentariis in ea sunt sententia ut doceant vivos illos subitò in ipso raptu morituros, & revicturos. Tertullianus De resurr. carn. & Hieronymus in Epist. ad Marcellam ediverso docent, eosdem ad immortalitatem transituros, permanente in corpore animâ, & non gustatâ morte. Quam etiam opinionem recentiores aliquot sequi malunt, eò quod magis congruat cum illo quod 1 Corinth. 15. juxta modernam Græcorum editionem legitur, *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*: quam lectionem ibi ostendimus non perinde esse authenticam, cùm potiùs legendum sit juxta Augustinum De civ. Dei 20. 20. & alios, *Omnes quidem resurgemus, aut omnes quidem dormiemus.* Quanquam & illa Græca lectio duplicem potest habere intelligentiam, ut *dormitionem* mortem vel corporis vel animæ accipiamus; quarum priorem sequuntur moderni quidam. Et quod ipsorum posset objici opinioni, nimirum quòd *constitutum sit hominibus semel mori*, hâc ratione diluunt, ut dicant *paucorum prærogativam non officere legi communi.* Ad hæc B. Hieronymus Epist. ad Minerium & Alex. ex Origenis & Acacii autoritate aliam etiam adfert præsentis loci interpretationem; dicitque *vivos* hic appellari eâ vitâ viventes quâ vivitur in Christo, quorum *corpora mortua quidem sunt propter peccatum, spiritus autem vivit propter justificationem*; *residuos* autem hos ad *reliquias* illas *Israëlis* quæ *salvæ fient* dicit pertinere, & ad *septem* illa *millia relictorum qui non curvaverunt genua ante Baal* Rom. 11. 3 Reg. 19. Horum autem quid verius censendum, Lectoris prudentiæ relinquo. Quod si verò quis meum hic requirit judicium, quod primo loco dictum est magis mihi videtur habere rationem veri. Hac de re etiam disseruit is qui inter Augustini opera librum scripsit titulo prænotatum De Ecclesiasticis dogmatibus, c. 7. & 8. Item Tertullianus lib. Adv. Marc. 5. de Epist. ad Cor. 2. & lib. De resurr. carnis, si cui fortè libebit legere. ¶ *In adventu Domini*] Quanquam Græcis *adventum* sit, casu videlicet accusandi, nobis tamen legendum *adventu* casu auferendi, quandoquidem præcedit *qui residui sumus.* Et non infrequens est apud V. Interpretem ut accusantem casum rectum ab εἰς resolvat in casum auferentem. Ad hæc itá facilior est sententia. Hoc utpote leviusculum non admonerem nisi vidissem passim eadem in re esse peccatum.

17. *Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur*, &c. *obviam Christo*] Quanquam commodius videatur quod Græcè est, & hodie reponitur à castigatoribus in Latinis, *qui vivemus & relinquemur*, ego tamen Ambrosium & Augustinum sequi malim, & consensum ferè exempl. veterum, qui tempus præsens habent. Et *Christo* malim cum autoribus prædictis quàm *Domino*, quod irrepsisse videtur occasione illius quod sequitur, *sic semper cum Domino erimus.*

LUCAS BRUG.

1. O*Bsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sicut & ambulatis, ut* [*&* 3. M S.] *abundetis magis.*] Multi codices *sic & ambuletis* legunt, cum Autore Glossæ, Carensi, Thoma & Gorran. Alii atque inter eos præstantiores, *sicut & ambulatis*, cum Haymone & Brunone Carthusiano (quanquam hoc pacto superfluat, id quod priori loco Græcè non est, *ut* alterum) quo modo & Græcum Parisiensium exemplar, θ, scribit, καθὼς καὶ περιπατεῖτε. [Lombardus & Anselmus utramque explicant lectionem.] Atqui particula ista in plerisque omnibus Græcis exemplaribus, Græcis Interpretibus Syrisque suffragantibus, omnino non invenitur. Quamobrem explicandæ sententiæ gratiâ quidam olim adjectam putant.

H. STEPHANUS.

6. T*Ὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν*] *Nè circumveniat aut fraudet.*

8. Ὁ ἀθετῶν] *Qui rejicit.*

11. Φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν] *Operam alacriter detis ut quieti sitis.*

12. Ἵνα περιπατῆτε εὐσχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω] *Ut vos geratis honestè erga extraneos.*

16. Ἐν κελεύσματι] *Cum celeusmate*, i.e. quodam veluti celeusmatis clamore. Quidam interpretantur, *cum hortationis clamore.*

DRUSIUS.

4. V*As suum*] Corpus suum, ut 1 Sam. 21. *vasa puerorum sancta*, i.e. corpora, per Tralationem. Nam Corpus est quasi vas animæ.

13. *De dormientibus*; Περὶ τῶν κεκοιμημένων *de iis qui obdormierunt*, i.e. mortui & defuncti sunt. Ità Syri vocant mortuos, videlicet שכיבין, ut Ebræi ישנים, quæ vox exstat eo sensu in Daniele. Num. 19. 11. שכיב est in Jonatha ubi codex Ebræus habet מת *mortuus.* שכב *obiit* Deut. 34. 5. & 32. 50. שכיב *morere*: & mox, *obdormiit Aharon*, i.e. mortuus est. Dicunt etiam שכיב מרע *decumbens ex morbo*, i.e. ægrotus. Vide librum Præceptorum majorem 162. 1.

15. *Nos vivi*, &c.] Videtur sentire cum iis Doctoribus Judæorum qui credunt *ætatem resurrectionis non morituram*: ex quo lectio illa, *Omnes quidem immutabimur, sed non omnes moriemur.* Hinc lucem accipiet quod in Symbolo Apostolorum, *Judicabit vivos & mortuos*; *vivos*, h. e. eos qui in illa ætate vivi deprehenduntur. In commentario super librum Aboth 53. 2. *Sunt opiniones quæ dicunt ætatem illam quæ præcedet resurrectionem mortuorum non morituram.* Id notatum ad dictum R. Eliezer Haccaphar, *Mortui ad vitam, & vivi ad judicium.* Quibus subjungitur, VIVI, *h. e. ætas resurrectionis mortuorum*: AD JUDICIUM, *vel potiùs* AD JUDICANDUM. *Sensus est, ut judicentur, quoniam judicabit eos Deus*

Deus benedictus ambos simul in die judicii magni. ידון *ut judicentur*, ut יקרא *invocari*, & quæ alia notata mihi.

17. *Simul rapiemur cum illis*] Mortuis videlicet. Raptus iste vivis erit mortis loco; nam immutabuntur in alia corpora incorruptibilia; non tamen morientur aliorum hominum more, h. e. anima à corpore non sejungetur; tantùm qualitates mutabuntur. Sic dico, *Quod corruptibile est induet incorruptionem; quod mortale immortalitatem.*

GROTIUS.

1. ΤΟ' λοιπὸν οὖν, *De cætero ergo*] Locutio properantis ad finem, ut 2 Cor. 13. 11. Gal. 6. 17. Ephes. 6. 10. Philipp. 4. 8. ¶ ἐρωτῶμεν ὑμᾶς, *rogamus vos*] De hac voce vide Actor. 3. 3. Philipp. 4. 3. ¶ καὶ παρακαλοῦμεν ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, *& obsecramus in Domino Jesu*] *Per Dominum Jesum obtestamur.* Crescit enim oratio. Simile Rom. 12. 1. ¶ καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν, *quemadmodum accepistis à nobis*] Supra 2. 13. ¶ τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν, *quomodo oporteat vos ambulare*] Τὸ abundat, ut sæpe. De sensu vide supra 2. 12. ¶ καὶ ἀρέσκειν Θεῷ, *& placere Deo,*] In Manuscripto additur καθὼς καὶ περιπατεῖτε [*sicut & ambulatis,*] quod & Latinus legit.

2. Οἴδατε γὰρ τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν, *Scitis enim quæ præcepta dederimus vobis*] Παραγγελίας hic accipe *præcepta*, ut Actor. 16. 24. מצות. ¶ διὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. *per Dominum Jesum*] Supple, *accepta.* Præcepta ista Apostoli à Deo per Christum acceperant.

3. Τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα τοῦ Θεοῦ, *Hæc enim est voluntas Dei*] In Manuscripto τὸ θέλημα. Non agit hic de absoluto aliquo decreto, quale est de judicando Mundo, de resuscitandis mortuis, sed *de eo quod Deus vult* προηγουμένως [*principaliter,*] *quod optat, quod desiderat.* Idem βουλὴ Θεοῦ [*consilium Dei*] Luc. 7. 30. Vide Matth. 23. 37. ¶ ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν, *sanctificatio vestra*] Rom. 6. 19, 22. 1 Cor. 1. 30. ¶ ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας. *ut abstineatis vos à fornicatione*] Specialiter tangit ea acta, quæ à Græcis minimi fiebant. Vide quæ dicta Actorum 15. 20.

4. Εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ. *ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore*] Quidam explicant ex 1 Sam. 21. 5. sed veriùs ibi ea intelligi quæ ad iter erant comparata. Itaque σκεῦος [*vas*] hic accipio ipsum *corpus*, quod *honorat* qui castè id habet: qui aliter, *dehonestat*, 1 Cor. 6. 18. Rom. 1. 24. Etiam Rabbi Akiba in libro Super litteras, corpus vocat כלי [*instrumentum.*] Nimirum corpus instrumentum est animi. Barnabas Christi corpus vocat σκεῦος τοῦ πνεύματος [*vas Spiritûs.*]

5. Μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, *non in passione desiderii*] Ἐπιθυμία est *motus animi:* πάθος, *vitium*, *malus mos.* Cicero Tusculanarum 3. *formidines, libidines, iracundiæ, quæ Græci* πάθη *appellant. Affectus* & *affectiones* alibi transtulere Cicero, Quintilianus, Gellius. In Glossario, πάθος *vitium.* Sic Rom. 1. 26. πάθη ἀτιμίας [*passiones ignominiæ.*] Hic accipitur pro *vitiis partis concupiscentis:* & pro *vitiis partis* θυμοειδοῦς [*irascibilis*] Coloss. 3. 5. ut ibi diximus. ¶ καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν Θεόν. *sicut & Gentes quæ ignorant Deum*] Et hîc καὶ [*&*] abundat: ut & infra 13. De sensu vide Ephes. 4. 17. *ignorant Deum* qui voluntatem ejus ignorant.

6. Τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, *Et ne quis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum*] Cùm Thessalonicenses magni mercatores fuerint, ut diximus supra 1. 8. meritò illis Apostolus ea inculcat præcepta, quæ & Ephesiis inculcavit Ephes. 4. 19. ὑπερβαίνειν עבר [*supergredi*] est *violare pacta* Deut. 17. 2. & alibi, πλεονεκτεῖν verò בצע [*circumvenire,*] *in contractibus plus sibi sumere quàm patitur rei cum re, aut pretii cum re æqualitas.* ἐν τῷ πράγματι [*in negotio,*] meliùs fortè ἔν τινι πράγματι, *in negotio aliquo.* Negotii vox satis generalis est, sed propriè de *mercatu* dicitur, unde πραγματεύομαι, *negotior:* πραγματεία, *negotiatio* in Glossario. Vide Levit. 25. 14. & ad eum locum à nobis dicta. Est ibi רעה [*proximum*] quod hîc ἀδελφόν [*fratrem.*] ¶ διότι ἔκδικος ὁ Κύριος περὶ πάντων τούτων, *quoniam vindex est Dominus de his omnibus*] Sic Græci,

— ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα

— [*oculo Deus omnia vindice cernit.*]

Vide Rom. 12. 19. Hebr. 10. 30. ἔκδικος מתקם [*vindicans.*] ¶ καθὼς καὶ προείπαμεν ὑμῖν καὶ διεμαρτυράμεθα. *sicut prædiximus vobis & testificati sumus*] Nempe cùm apud vos essemus.

7. Οὐ γὰρ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ, ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ. *Non enim vocavit nos Deus in immunditia, sed in sanctificatione*] Id est, εἰς ἀκαθαρσίαν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν [*in immunditiam, sed in sanctificationem,*] has enim particulas sæpe permiscent nostri scriptores. ἀκαθαρσία [*immunditia*] autem hic generaliter sumitur, ut supra 2. 3. & tam latè patet quàm quod ei opponitur ἁγιασμός [*sanctificatio.*] Vide quæ diximus supra 2. 3.

8. Τοιγαροῦν ὁ ἀθετῶν, *Itaque qui spernit*] Qui præcepta ista contemnit. Sic ἀθετεῖν sumitur pro מאס [*spernere,*] ut ad Luc. 10. 16. diximus. ¶ οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν Θεόν, *non hominem spernit, sed Deum*] Similis oppositio Actor. 5. 4. ¶ τὸν καὶ δόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ἡμᾶς. *qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis*] Quem Spiritum, qui aliter agunt, *mœrore afficiunt*, Ephes. 4. 30. imò & *exstinguunt*, infra 5. 19. Molliter habendus est, ut retineatur, tantus hospes. καὶ [*&*] abest à Manuscripto. εἰς ἡμᾶς [*in nos*] pro ἡμῖν לנו [*nobis.*]

9. Περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας, *De charitate autem fraternitatis*] Quomodo scilicet ea exercenda sit in singulis circumstantiis. ¶ οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν. *non necesse habetis scribere vobis*] Nempe ἐμὲ [*me.*] *non opus est, ut ea de re vobis particulatim scribam.* Rabbini dicerent צריך אתם לא [*non est necesse vobis.*] ¶ αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε, εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους. *ipsi enim vos à Deo didicistis, ut diligatis invicem*] Idem sensus qui 1 Joh. 2. 27. *Ipsum unguentum* (Spiritus sanctus) *de omnibus*, agendis scilicet, *vos docet.* Quò major est Spiritus, eò minoribus præscriptis opus, Jerem. 31. 33, 34. Itaque ἀγαπᾶν ἀλλήλους [*diligere invicem*] intellige hic non de generali præcepto, sed de determinationibus specialibus, prout res quæque, & personæ, & tempora exigunt. ¶ θεοδίδακτοι, διδακτοὶ Θεοῦ [*docti ipsius Dei*] Joh. 6. 45. ubi dicta vide.

10. Καὶ γὰρ ποιεῖτε αὐτό, *Etenim illud facitis*] Illud αὐτὸ [*illud*] hic ad rem refertur. *Facitis hoc*, id est, dilectionem ostenditis. ¶ εἰς πάντας τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐν ὅλῃ τῇ Μακεδονίᾳ. *in omnes fratres in universa Macedonia*] Non in urbe tantùm vestra, sed *per totam*, quanta est, *Macedoniam.* ¶ Παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, περισσεύειν μᾶλλον. *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis*] *Ut magis magisque proficiatis*, supra Rom. 15. 13. 1 Cor. 14. 12. 15. 58. 2 Cor. 8. 7. 9. 8. Coloss. 2. 7.

11. Καὶ φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν, *Et operam detis ut quieti sitis*] *Et operam dare tranquillitati.* Φιλοτιμεῖσθαι [*operam dare*] hoc sensu habuimus 2 Cor. 6. 9. ἡσυχάζειν pro *tranquillitati studere.* Vide 2 Thess. 3. 12. ¶ καὶ πράσσειν τὰ ἴδια, *& ut vestrum negotium agatis*]

Propriaque in pelle teneri.

Aliter qui agunt, vocantur ἀλλοτριοεπίσκοποι [*alienorum speculatores*] 1 Petr. 4. 15. περιεργαζόμενοι [*curiosè agentes*] 2 Thess. 3. 11. Græcis πολυπράγμονες [*ardaliones.*] Quo vitio Græci plurimùm laborabant, ii maximè qui vitam in otio mollem quærebant, parasiti, scurræ, iisque similes. ¶ καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν ὑμῶν, *& operemini manibus vestris*] Non aliis assentando vitam quærere, sed labore assiduo 2 Thess. 3. 10, 11, 12. ¶ καθὼς ὑμῖν παρηγγείλαμεν. *sicut præcepimus vobis*] Nempe cùm apud vos essemus, ut supra 6. Nihil novi dicimus. Mos est Paulo peculiariter ea vitia tangere, quæ quoquo in loco vigebant maximè.

12. Ἵνα περιπατῆτε εὐσχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω, *ut honestè ambuletis ad eos qui foris sunt*] Rom. 13. 13. 1 Cor. 14. 40. πρὸς τοὺς ἔξω [*ad eos qui foris sunt,*] id est, in omnibus negotiis quæ habetis cum iis qui à fide alieni sunt, Coloss. 4. 5. ¶ καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε. *& nullius vobis sit opus*] *Ita ut vobis non desint necessaria.* De hac locutione vide Actor. 2. 45. Ephes. 4. 28.

13. Οὐ θέλομεν δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, περὶ τῶν κεκοιμημένων, *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de iis, qui obdormierunt*] *De mortuis.* De hoc loquendi genere vide Matt. 9. 24. Joh. 11. 11. Rabbini dicunt שכבו, Daniel ישני 12. 2. In Manuscripto, περὶ τῶν κοιμωμένων [*de dormientibus*] non malè. non enim tantùm de jam tum mortuis agitur, sed & de quotidie morituris. ¶ ἵνα μὴ λυπῆσθε, καθὼς καὶ οἱ λοιποί, *ut non contristemini sicut & cæteri*] De καὶ [*&*] superabundante monuimus supra 5. *Sicut cæteri*, nempe populares vestri nondum ad Christum conversi; imò & Judæi: nam & hi in luctu erant magni ostentatores. Sic οἱ λοιποὶ [*cæteri*] habemus Ephes. 2. 3. & 4. 17. & infra 5. 6. Charondas in legibus plus hac in re quàm cæteri vidit, ὡς ἀχαρίστως ὄντος πρὸς δαίμονας χθονίους λύπης ὑπὲρ τὸ μέτρον γινομένης [*quasi immodicum luctum nec dii manens probent.*] Sic impletur vaticinium Jerem. 31. 13. ¶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα. *qui spem non habent*] Aut nullam, ut Epicurei & Sadducæi, aut non satis solidis subnixam.

nixam fundamentis, ut Pharisæi & Platonici. Vide quæ dicta à nobis ad librum 2. de Veritate Religionis Christianæ.

14. Εἰ γὰρ πιστεύομεν ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανε, *Si enim credimus quod Jesus mortuus est*] Verè: quod magno molimine adstruunt Apostoli, Matth. 27. 50. Joh. 19. 30, 34. ¶ καὶ ἀνέστη, *& resurrexit*] Et hoc verè: quod itidem Apostoli omnibus modis adstruunt Luc. 23. 53. Joh. 19. 41. & capitibus sequentibus. Paulus ipse 1 Cor. 15. ¶ οὕτω καὶ ὁ Θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει σὺν αὐτῷ. *ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo*] Διὰ τοῦ Ἰησοῦ [*per Jesum,*] id est, ἐν Χριστῷ [*in Christo,*] ut mox dicitur 16. Nam διὰ [*per*] pro ἐν [*in*] sumi solet, ut Roman. 4. 11. nempe quia Hebræorum ב, quo hic Syrus utitur, pro utroque ponitur. *In Christo*, id est, obedientes Christo ad finem usque. ἄξει σὺν αὐτῷ [*adducet cum eo,*] *ducet eos in partem gloriæ suæ*, Joh. 14. 3. Est autem argumentatio similis ei quæ est 1 Cor. 15.

15. Τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν ἐν λόγῳ Κυρίου, *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini*] *Ex Christi mandato.* ¶ ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες, *quia nos qui vivimus*] Omnino putavit Paulus fieri posse ut ipse viveret judicii generalis tempore: idque non ex his tantùm verbis satis apertis liquet, sed & ex 1 Cor. 15. 51, 52, 53. & 2 Cor. 5. 1, 2, 3. Hoc fuit in illo στοχαστικὸν [*conjecturale,*] ut de itinere ad Corinthios & Ephesum, & multa alia ejusmodi, qualia sunt & dicta Samuelis 1 Sam. 16. 6. & Nathani 2 Sam. 7. 3. Ergo, quod discrimen futurum inter homines pios ait, certum est id a Christo ipsi patefactum: non item in utra classe ipse futurus esset: nam quod ea in re Paulus maluisset, magisque opinatus est, id non evenit, nullo tamen ipsius damno. Κοίνωσις [*Communicatio*] hic locum habere non potest. Ea enim usum habet ubi aliena vitia nobis, aut nostras virtutes aliis per modestiam communicamus. Hic de eventis agitur: & sunt membra ἀντιδιῃρημένα [*opposita,*] in quibus nulla κοίνωσις [*communicatio*] locum habet. ¶ οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ Κυρίου, *qui residui sumus in adventum Domini*] Explicat quid intelligat per illud ζῶντες [*viventes,*] nempe *eos qui in adventu Christi erant superstites.* In Glossario, περιλιμπανόμενος, *superstites.* ¶ οὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας, *non præveniemus eos qui dormierunt*] Non prius in cœlestem arcam introibimus, quam illi qui in fide & obedientia Christi decesserint.

16. Ὅτι αὐτὸς ὁ Κύριος ἐν κελεύσματι, *Quoniam ipse Dominus in jussu*] *In jussu* vertit Tertullianus: id verò est *suo jussu*: nam & in Angelos & in Archangelos Christus imperium habet, Colos. 2. 16. Ephes. 1. 20, 21. Vide & Joh. 5. 25. ¶ ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου καὶ ἐν σάλπιγγι Θεοῦ, *in voce Archangeli & in tuba Dei*] Est ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo:*] pro ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου διὰ τῆς Θεοῦ σάλπιγγος [*in voce Archangeli per Dei tubam.*] Vide quæ diximus ad Matth. 24. 31. Sic φωναὶ καὶ σάλπιγγες [*voces & tuba*] Exod. 19. 13. Idem quod קול שופר [*vox buccinæ*] 1 Paralip. 15. 20. Apud Hebræos, Græcos & Latinos veteres populus convocabatur classico. Ad id exemplum, cùm Deus homines convocat, dicitur id facere *per tubam*, Psalm. 47. 6. Esaiæ 27. 13. Jerem. 4. 5. 6. 1. 51. 27. Oseæ 5. 8. Joel. 2. 1. Zach. 9. 14. Ideo in Apocalypsi, in omnibus Dei judiciis dantur Angelis tubæ; quia verò hoc judicium omnium est ut postremum ita maximum atque generalissimum, ideo hic tuba datur, non Angelo, sed alicui *Angelorum principi*, qualis Michaël השר הגדול [*princeps magnus*] Dan. 12. 1. ¶ καταβήσεται ἀπ' οὐρανοῦ, *descendet de cœlo*] Actor. 1. 11. Matth. 24. 30. ¶ καὶ οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ, *& mortui in Christo*] *Mortui, qui in Christo*, nempe *obierunt*. Ita accepêre hic Syrus & Latinus. ita in adjectivo νεκροὶ [*mortui,*] subauditur participium similis significatûs, κοιμηθέντες [*qui obdormierunt.*] *In Christo mori* quid sit, jam ante diximus. Sic οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες [*qui in Domino moriuntur*] Apoc. 14. 13. ¶ ἀναστήσονται πρῶτον· *resurgent primum*] Nempe ut unà cùm vivis possint ascendere, non post eos.

17. Ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι, *Deinde nos qui vivimus qui relinquimur*] *Qui tum erimus superstites.* Nos, inquit, quia putabat fieri posse, ut inter eos esset, sicut modo diximus. ¶ ἅμα σὺν αὐτοῖς, *simul cum illis*] *Simul cum illis* ante mortuis, tunc verò resuscitatis, Joh. 5. 28. ¶ ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις, *rapiemur in nubibus*] Tanquam in curru triumphali: nam nubes *currus Dei* Psalm 104. 3. & Christi Matth. 24. 30. Actorum 1. 9, 11. Daniel 7. 13. *Rapiemur* autem mutati 1 Corinth. 15. 52. *super aëre* 2 Cor. 5. 2. ¶ εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου εἰς ἀέρα· *obviam Domino in aëra*] Id est, ad Christum judicium exercentem medio loco inter cœlum summum & terram, quod spatium Græci *aëra* vocant. ¶ καὶ οὕτω πάντοτε σὺν Κυρίῳ ἐσόμεθα. *& sic semper cum Domino erimus*] Joh. 14. 2, 3. 17. 24. πάντοτε [*semper,*] *sine ullo fine. Cùm Domino*, id est, consortes gloriæ, regni gaudiique ipsius, 2 Tim. 2. 12. Rom. 8. 17.

18. Ὥστε παρακαλεῖτε ἀλλήλους, *Itaque consolamini invicem*] *Amici amicos*, qui in luctu sunt, *consolamini*, ὥστε, *propterea*, ut 1 Cor. 14. 40. ¶ ἐν τοῖς λόγοις τούτοις, *in verbis istis*] *Sermonibus de Resurrectione*, ad quam omnis spes nostra tendit. ἐν [*in*] hic additur Hebræo more. Græci puriores solo dativo causam instrumentalem exprimunt.

CAP. V.

VALLA.

5. NOn estis noctis] *Sumus* legendum est, non *estis*, ἐσμὲν.

14. *Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos*] Gr. *admonete inordinatos* sive *incompositos*, νουθετεῖτε ἀτάκτους.

23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester*, &c.] Legendum est *& integer*, καὶ, non *ut*: non ait enim, *Deus vos sanctificet, ut serventur hæc*; sed continuatur bona precatio, quòd *Deus sanctificet*, quodque hæc *serventur*.

REVIUS in VALLAM.

5. NOn estis noctis] Hoc præcedenti capiti erat agglutinatum. Porrò, sive ἐσμὲν legatur, ut Vallæ, sive ἐστὲ, ut Vulgatæ visum, ad sensum nihil interest, Erasmo judice: qui & monuit Ambrosium legisse *non estis*.

23. Καὶ] Hoc transpositum erat.

ERASMUS.

1. ET momentis] Καὶ καιρῶν. Meliùs fortassis vertisset *articulis*, sive *opportunitatibus*. Nam χρόνος simpliciter *tempus* significat, ut Annum aut Mensem; at καιρός, *articulum temporis cùm res gerenda est.* Tertullianus libro De carnis resurr. vertit, *De temporibus autem & spatiis temporum.*

2. *Diligenter scitis*] Ἀκριβῶς οἴδατε, *exactè nostis*, sive *ad plenum scitis.*

3. *Et securitas*] Ἀσφάλεια, i. e. cùm tuta res, & nihil est periculi: & idcirco Ambrosius vertit *firmitas*. ¶ *Superveniet interitus*] Ἐφίσταται ὄλεθρος, *instat* (vel *imminet*) *interitus*, sive *exitium*, verbo præsentis temporis, ut efficaciùs exprimeret inexspectatum mali incursum. Nec est *effugient*, sed *effugiant*, ἐκφύγωσιν, h. e. non possent effugere. ¶ *In utero habentis*] Τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, *in utero habenti*, dandi casu. Est autem hic ὠδὶν, i. e. *dolor*, sed propriè *parturientium*. Unde Ambrosius sic extulit, *quemadmodum dolor partûs prægnanti*: ut sit sensus, *Sic illis imminere subitò diem judicii, ut mulieri gravidæ mox ingruit & dolor partûs.*

5. *Non estis noctis, neque tenebrarum*] Valla legit ἐσμὲν *sumus*, non *estis*. Quanquam quod ad sensum pertinet nihil interest. Sentit enim de omnibus Christianis. Ambrosius legit *non estis noctis*.

8. *Loricam fidei*] Θώρακα. Ea pars corporis est apud Medicos quæ pectus & humeros ac scapulas complectitur usque ad stomachi sedem. Unde & vestis aut armatura hanc muniens *thorax* dicitur. ¶ *Et galeam, spem*] Dixit appositive. Nos quo dilucidior esset sermo vertimus, *pro galea, spem salutis.*

11. *Et ædificate alterutrum*] Εἷς τὸν ἕνα, *unus unum*, h. e. vicissim alius alium.

13. *Ut habeatis illos abundantiùs in charitate*] Græca sic habent, καὶ ἡγεῖσθε αὐτοὺς ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ἐν ἀγάπῃ· quorum sententia sic reddi poterat, *ut illos summopere habeatis in pretio per charitatem.* Ambrosius ita legit, *ut illos summum honorem habeatis in charitate*, &c. Congeminavit autem ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, de quo superiùs admonuimus. ¶ *Propter opus illorum*] Διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν· quod perinde sonat q. d. *propter facta illorum.* Hunc locum oportet annotare diligenter Episcopos, qui exigunt à suis summum honorem, cùm ipsi non curent præstare suum officium. Paulus jubet *eos haberi in summo honore*, sed *propter opus*, non propter inanem titulum; h. e. *laborantes, præsidentes in Domino*, non cum fastu dominantes; *admonentes, docentes, consolantes*, quod proprium est Episcoporum munus. ¶ *Et pacem habete cum eis*] Εἰρηνεύετε ἐν αὐτοῖς, *pacifici sitis inter illos.* Quanquam Interpres vertit sententiam

satis

satis rectè. Alii Græcorum cod. habebant ἐν ἑαυτοῖς, *inter vos*: atque ità legit Ambrosius.

14. *Corripite inquietos*] Νυθετεῖτε τὰς ἀτάκτους, *admonete inordinatos*, sive *incompositos*. Sentit aut intractabiles, qui parêre nolunt, & ob hoc turbant communem pacem. ¶ *Suscipite infirmos*] Ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, *sublevate & fulcite*: quod Ambrosius legit *opitulamini infirmis*: nam ἀντέχεσθαι propriè est *adjutare adnitentem*. ¶ *Patientes estote*] Μακροθυμεῖτε, h.e. *lenti ad iracundiam*.

18. *In omnibus vobis*] Εἰς ὑμᾶς *in vos*.

21. *Omnia autem probate*] *Autem* apud Græcos non additur, nec ad rem facit. Cæterùm δοκιμάζειν Græcis quoque verbum est anceps, quemadmodum Latinis *probare*, quod interdum est *adprobare*, interdum *explorare cujusmodi sit*. Theophylactus hoc loco interpretatur, *probate*, *dijudicate*. Quemadmodum alibi, *Probate spiritus*, *si ex Deo sint*. Audiendi Prophetæ, sed cum judicio. Miror quod exemplar secutus Augustinus legit hoc pacto, idque in libello Adv. Adamantium, cap. 15. *Spiritum nolite spernere. Prophetiam nolite exstinguere. Omnia legite; quæ bona sunt tenete*: nisi quòd arbitror scriptoris accidisse vitio, quod Augustinus secutus est. Nam quæ sequuntur declarant illum ità legisse. Itidem citat libro De nat. & gratia cap. 9. Aut certè sensum Pauli ad suum negotium accommodavit. Tertullianus in libro De præscript. hæret. *Omnia examinate; quod bonum est tenete*.

22. *Abstinete vos*] Ἀπέχεσθε, i.e. *abstinete*: nec additur *vos*.

23. *Sanctificet vos per omnia*] Ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς· καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, &c. i.e. *Sanctificet vos totos: & integer spiritus vester & anima*, &c. quemadmodum refert Tertullianus in libro De resurr. carnis. Hieronymus in Quæst. ad Hedybiam ità citat hunc locum. DEUS IGITUR PACIS SANCTIFICET VOS PER OMNIA, *vel* IN OMNIBUS, PLENOS *sive* PERFECTOS: *hoc enim magis sonat* ὁλοτελεῖς. Ergò sensus est, *Sanctificet vos per omnia perfectos*, h.e. & in *spiritu*, & in *anima*, & in *corpore*. In has enim partes Hominem dividit Paulus. Porrò ὁλόκληρον sonat *integrum*, non quod nos vocamus INTEGRUM *incorruptum*, sed *quod omnibus suis numeris ac partibus constat*. Quod subindicavit Didymus in opere De Spiritu S. Siquidem colligens hoc loco *spiritum* non posse Spiritum Divinum intelligi, *Incredibile*, inquit, *atque blasphemum*, *orare Apostolum ut Spiritus S. integer servetur*, *qui nec immutationem potest recipere nec profectum*] ¶ *Sine querela*] Ἀμέμπτως *irreprehensibiliter*.

27. *Epistola hæc*] *Hæc* redundat apud nos: additum est autem ad explicandum articuli vim, τήν.

VATABLUS.

1. MOmentis] *Articulis*, sub. *temporum*: i.e. quo tempore & temporis articulo sit Christus venturus ad judicandum.

2. *Diligenter scitis quia*] *Exactè nostis quod*.

3. *Securitas*] Vel, *tuta omnia*. ¶ *Superveniet*] *Præsens est*: vel, *instat*, aut, *imminet*. ¶ *Habentis*] *Habenti*, Vet. Heb. pro *prægnante*.

5. *Filii lucis estis*] i.e. In luce estis, & die tanquam in paterna domo Christum agnoscitis qui est vera lux; à nocte & tenebris procul absumus.

6. *Non dormiamus*] i.e. Opera noctis nè agamus.

7. *Qui enim dormiunt*, *nocte*, &c.] i.e. Qui noctis sunt filii, dormiunt & inebriantur.

8. *Diei sumus*] i.e. Ad diem Christum pertinemus. ¶ *Loricam*] *Thoracem*.

9. *Non posuit nos Deus in iram*, *sed*, &c.] *Non selegit nos Deus in condemnationem*, *sed ut salutem consequamur*, Hebr.

10. *Sive vigilemus*, *sive dormiamus*] i.e. Sive vivamus, sive moriamur.

11. *Consolamini*] *Adhortemini*.

12. *Noveritis*] *Agnoscatis*: i.e. rationem habeatis eorum qui, &c. ¶ *Laborant inter vos*] i.e. Docent vos.

13. *Abundantiùs in charitate*] *In summo pretio cum charitate*: i.e. ministrando illis necessaria. ¶ *Cum eis*] Alii legunt, *inter vosipsos*, & hanc lectionem sequitur Ambrosius.

14. *Inquietos*] *Inordinatos*: vel, *flagitiosè viventes*. ¶ *Suscipite*] *Sublevate*. ¶ *Patientes*] Vel, *lenti ad iracundiam*, aut *lenes*.

18. *Hæc est enim voluntas Dei in Christo*] i.e. Hæc faciendo placebitis Deo per Christum, sine quo nihil placet. ¶ *In omnibus vobis*] *Erga vos*.

19. *Spiritum nolite extinguere*] i.e. Dona Spiritûs nè sinatis interire.

21. *Probate*] *Explorate*, *dijudicate*. De interpretationibus loquitur.

22. *Mala*] Vel, *mali*.

23. *Per omnia: ut integer*] Vel, *totos: integer*, &c. Sequentia declarant istud *totos*: h.e. in *spiritu* & in *anima*, & in *corpore*. ¶ *Querela*, *in adventu*] *Reprehensione*, *in adventum*.

CASTALIO.

18. EA est Dei de vobis, qui estis Christi Jesu, voluntas] Id vos facere vult Deus qui Christiani estis.

CLARIUS.

3. TUnc repentinus] Quo pacto *repentinus*, cùm præcessurus sit Elias atque Antichristus? Signa quidem hæc erunt, non tamen idcirco certum præfixumque adventûs Domini tempus agnoscetur. Pulcrè autem exemplum mulieris *fœtum in utero habentis* proponit, quæ signa quidem futuri partûs habet multa, sed non ipsius diei & horæ: nam ingruit repentè dolor.

7. *Qui enim dormiunt*] *Somnus*, inquit, ac *Ebrietas* tenebris magis noctis quàm diurnæ luci conveniunt. Vos ergo, qui in hac veritatis luce versamini, nulla jam tenebricosa decent facta.

10. *Ut sive vigilemus*, *sive dormiamus*] Sive vivamus, sive moriamur. Hic enim aliter accepit *dormiendi* verbum quàm superiùs.

16. *Spiritum nolite exstinguere*] Tanquam lucernam, quæ in caliginoso loco ambulantibus sit necessaria.

21. *Omnia probate*] Vult eos experimentum & examen rerum facere, ne, dum facilè quidvis amplexantur, in errorem incidant: & ideo addit, *Ab omni specie mali abstinete*.

23. *Ut integer spiritus vester*] *Spiritum* intellige præcipuam in homine partem, quâ Divina percipimus; *animam* verò, illam vim quæ naturales exercet ratiocinationes; *corpus* autem, affectus, qui crassius nescio quid ac quasi corporeum habent, qui nisi regantur, carnalem efficiunt hominem. Opinor ergò voluisse atque optasse Paulum ut hæ tres vires integræ servarentur in homine; ut & *spiritus* illustraretur semper Divinis rebus, ac donis; & *anima* humanis, atque ab hujus mundi sapientia excogitatis ratiocinationibus non falleretur; & affectus, qui per *corpus* exserunt suam vim, dum ratione reguntur, servarentur incorrupti. Chrysostomus intelligit per *spiritum* donum Spiritûs; qui Spiritus si adsit, nec *anima* peccabit, nec *corpus*.

ZEGERUS.

2. DIligenter scitis] Ἀκριβῶς οἴδατε, i.e. certò compertóque scitis. Signat etiam ἀκριβῶς *diligenter*: sed prius magis quadrat.

3. *Sicut dolor in utero habenti*] Sub. *supervenit*. In dativo enim legendum cum Ambrosio & Græcis. *Diem Domini* tempori comparat mulieris parturientis, cùm propter nixûs acerbitatem, tum propter temporis incertitudinem.

5. *Non estis noctis*] Sic habent nostri cod. emendatiores, suffragante Ambrosio. At Græci, suffragante Augustino atque Chrysostomo, *non sumus noctis*.

9. *Non posuit nos Deus in iram*, *sed in acquisitionem salutis*] Hanc ob rem, inquit, hæc quæ dixi sunt nobis arma comparanda, quia non destinavit neque segregavit nos Deus ut ultionem atque exitium experiamur, sed ut æternam adipiscamur salutis coronam. Hæc etiam eò dicit, ut animum illis addat, certamque spem faciat victoriæ, nè dum ad Deum contendunt, & innumeris objiciuntur mundi malis, deficiant, maximè cùm Christum habeant servatorem. Quod autem sequitur,

10. *Sive vigilemus sive dormiamus*] Pro eo dixit, quod est, sive vivamus, sive moriamur.

13. *Ut habeatis illos abundantiùs in charitate*] Græca sic habent, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ, &c. quorum sententiam ità reddit Ambrosius, *Ut illos summum honorem habeatis in charitate*, *propter opera ipsorum*.

14. *Corripite inquietos*] Interpres volens accedere ad proprietatem Græcæ vocis νουθετεῖτε, à *mente* deductæ, eam per *corripite* resolvit: sentiens fortasse quòd *corripere* à *rapiendo* ac *dirigendo corde* dicatur. Nec enim sentit Apostolus acriùs illos objurgatione infestandos, sed leniter admonendos. Jam *inquietos* Græcis est ἀτάκτους à τάττειν *ordinare*, *componere*, & ab ἀ negativa particula, h.e. *inordinatos*, & *incompositos*. Et quicunque rectum ordinem certumque limitem transcendit, ἄτακτος est,

est. Interpres *inquietos* dum ait, turbulentos concordiæque turbatores sentit.

19, 20. *Spiritum nolite exstinguere. Prophetias nolite spernere*] *Hæc dicit*, inquit Ambrosius, *ut non facilè alicui per Spiritum loquenti interdicatur (exstinguitur enim, si incipientis loqui fervor contradictione sopitur) ne fortè non intelligentes dici ab eo spiritualia, injuriam faciant Spiritui sancto, & peccent per ignorantiam: neque aliquem qui quasi Scripturas revelet, non audiri patienter debere, sed omnia dicta examinari, ac sic judicari, nè fortè gratiam datam fratri dum respuunt, auctori repugnent. Omnia ergò quæ dicentur probanda monet: & quicquid sobriè & benedictum fuerit, retinendum. Quæcunque enim Apostolorum & ipsius Domini dictis congruunt, ea benedicta habenda sunt & retinenda: ab his autem quæ inimica fidei videntur, abstinendum. Solet enim Spiritus mundi fallaciter quasi per imitationem dicere bona, & inter hæc subinducere prava, ut per hæc quæ bona sunt accepto ferantur & mala, ut quia unius Spiritus dicta putantur non discernantur ab invicem; sed per id quod licitum est commendetur illicitum, autoritate nominis, non ratione virtutis. Solent enim sub Apostolorum nomine & ipsius Domini nefanda doceri & adversa: ideoque omnia probanda monet, quia non possunt eloquia Domini esse diversa. Hinc est unde & Johannes Apostolus in epistola*, NOLITE, *inquit*, OMNI SPIRITUI CREDERE, SED PROBATE SPIRITUS SI EX DEO SINT: *quia si multa bona dicat, in aliquo autem quod fidei adversum est promat, sciatur non esse Spiritus sanctus. Nihil enim erroris in Spiritu S. poterit reperiri: sed aut per exercitium eloquii quædam spiritualia, quædam verò carnalia, (quia omnis error carni deputatur) aut certè commento quodam astutia bona fingit, ut his inserat mala, sicut suprà memoravi; quemadmodum in Montano & Priscilla & Maximilla prophetis Cataphrygarum Spiritus mundi imitatione quadam boni simulat, ut per multa verisimilia, necnon & vera, mentiretur se esse Spiritum sanctum.* Hoc Ambrosii Commentum ideo adscribendum putavi, quòd maximè sit hisce temporibus propter spiritus quosdam Christianæ religionis novatores animadvertendum. Quòd si verò quis ipsos spiritus discernere nequeat, ei credat cui & scientia suppetit & autoritas.

23. *Ut integer spiritus vester*] i.e. Intellectus; juxta illud, *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.* ¶ *Sine querela*] Ἀμέμπτως adverbialiter, i.e. *inculpatè, invituperabiliter, irreprehensibiliter.*

24. *Qui etiam faciet*] Subaudiendum *ut perseveretis*, *ut salvi sitis*, aut simile aliquid.

H. STEPHANUS.

3. Ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ] *Dolores partûs mulieri ventrem ferenti.*

9. Εἰς περιποίησιν σωτηρίας διὰ τοῦ Κυρίου] *Ad acquirendam salutem per Dominum.*

13. Ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ] *Ducere illos longè charissimos.* Vel, *charissimorum loco habere.*

DRUSIUS.

5. *Filii diei*] Quos dies veritatis illustrat, aut qui in luce diei ambulant. Græcè υἱοὶ ἡμέρας, & οἱ τῆς ἡμέρας, *qui diei sunt*, sub. *filii.* Tales etiam *filii lucis* vocantur, υἱοὶ φωτός. Quibus opponuntur *filii noctis* & *filii tenebrarum.* Nam qui in peccatis aut errore versatur, *in tenebris esse* dicitur. Sunt enim certè tenebræ Errorum. Ex quo illud, *Populus qui sedebat in tenebris & umbra mortis, lux affulsit eis.*

6. *Nè dormiamus, sed vigilemus*] Idem sensus in illo, *Jus vigilantibus scriptum est, non dormientibus*: quod notum in vulgus. Sanè ut *vigilare* dicitur homo diligens, ità contrà *dormire* perhibetur qui piger & negligens est rerum suarum. Usurpant etiam *dormitare* ac *stertere* eodem significatu. Nah. 3. 18. *Dormitarunt pastores tui*, q.d. negligentes fuerunt, nec functi sunt officio suo satis in te monendo. Sic Jes. 5. 27. Sed & Psal. 121. 4. *Non dormitabit neque dormiet.* Prov. 10. 5. *Stertit in messe filius pudendus.* Huc refer, *Paulum dormitationis, paulum somnorum, paulum complicationis manuum ad cubandum*: quæ de pigro dicuntur in eodem libro Proverbiorum. Sed fortè Apostolus aliò respexit. Sequitur enim ecce, *Nam qui dormiunt, noctu dormiunt.* Si ergò *filii diei* sumus, & non *noctis filii*, debemus *vigilare*, non *dormire.* Debemus etiam *sobrii esse. Nam qui ebrii sunt, noctu ebrii sunt.* Quod tamen non est perpetuum: siquidem interdiu homines quoque inebriantur. Sed veh talibus: nam dies eorum turpitudinem manifestat, quam nox sæpe tegit. Ebrium autem conspici in platea summum dedecus erat olim, ut etiam nunc est in multis regionibus.

22. *Ab omni specie mali*] Non tantùm à malo, sed ab eo quod ejus speciem habet abstinendum. Quod Sapientes Ebræi dicunt, *Remove te procul à turpitudine & ab omni eo quod speciem ejus habet.* Verbum è verbo, *ab eo quod ei simile.* Ebraicè לו הדומה. Vide librum qui per sigla vocatur פרקי fol. 79. pag. 2. Scire licet in Vulgata nostra haberi, *ab omni specie mala.* Sanè verba Græca ambigua sunt ad utramque interpretationem. Cæterùm *species mali* est, ut si quis solus colloquatur cum fœmina viri alterius, non est malum per se, sed *speciem* habet *mali* propter homines malè suspicaces, tum etiam propter malum quod ex hujusmodi colloquio manat. *Urit* enim *videndo fœmina*, nedum colloquendo. Itaque dicunt, *Non debet homo uniri cum fœminis in pandocheo, ne quidem cum sorore, filia, vel nuru sua, propter homines.* Quinimo colloquium cum fœmina penitus interdicunt qui apud eos sapientiæ nomine clari & celebres sunt.

23. *Spiritus vester & anima*] Spiritus sæpe idem quod *anima*: ut illic, *In manus tuas commendo spiritum meum*: & apud Salomonem in Ecclesiaste, *Spiritus ascendit ad Deum qui dedit ipsum.* Hic ab *anima* distinguitur; ut in Cantico trium puerorum Dan. 3. 85. *Benedicite spiritus & animæ justorum DOMINO.* Ebræi tria esse perhibent in Homine, *Animam*, *spiritum*, & *flatum*, qui NESAMA ipsis dicitur, & propriè Hominum est, cùm *anima* & *spiritus* aliis quoque animantibus communes sint. Aben-ezra Cohel 7. 1. docet Animam tres facultates habere, ac primam designari ait propriè per נפש, i.e. *animam*; secundam per רוח, i.e. *spiritum*; tertiam, quæ Hominum propria sit, per נשמה *nesama.* Idem ait *prævalente animâ debilitari* NESAMA, h.e. *animam immortalem & ratione præditam. Unde quicunque*, inquit, *deditus est cibo ac potui, non evadet sapiens.* Cui concinit illud, *Pinguis venter non gignit sensum tenuem.* Autor libri qui per sigla פרקי vocatur, 27. 2. scribit *cogitationem respondere τῷ* נשמה, *spiritum verò sermoni*, & *animam operi.* Idem distinguit inter *animam humilem* & *spiritum depressum*; ut *anima humilis* sit quæ cupiditatibus suis moderatur, & *spiritus depressus* opponatur *superbiæ*, 86. 1. Liber Aboth, c. 5. *In quo tria hæc, ex discipulis est Abrahami patris nostri, Oculus bonus, & spiritus depressus, & anima humilis.* Habentur hæc fol. 64. pag. 2. In commentario autem 109. 1. *Homo habet Animam, Spiritum, & Nesama: & Nesama est quæ vocatur Homo in veritate.* Cui firmando quod Hiscuni scribit Gen. 2. 7. נשמה חיים *quæ vivit in seculum, nec moritur unà cum corpore*, i.e. anima immortalis. In Levitico magno, *dicit R. Aben, Quo tempore homo dormit, corpus dicit animæ rationali*, (sic Interpretor NESAMA) *& anima rationalis dicit animæ sensitivæ*, (quam נפש vocant) *& anima sensitiva dicit Angelo.* Est ubi reperiatur, *Spiritus ejus & anima ejus rationis particeps*, i.e. נשמתו, *ad ipsum colligentur.* Aliàs plura, si Deus volet.

CAMERON.

19. Τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε] Duo sunt actus Spiritûs Dei in opere regenerationis nostræ, præcedaneus unus, succedaneus alter. Actus præcedaneus non pendet à nobis, sed à Deo per Spiritum suum nos regenerante; & ille actus est initium illuminationis. Actus succedaneus pendet à nobis ut à causa subordinata; & iste est continuatio illuminationis jam receptæ. Dicimur *exstinguere Spiritum gratiæ* actu succedaneo, non præcedaneo. Porrò *ablatio* & *exstinctio* Spiritûs non sunt idem, sed diversa planè: nam *ablatio* est actus Dei, *exstinctio* est actus nostri.

GROTIUS.

1. Περὶ δὲ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν, ἀδελφοί, *De temporibus autem & momentis, fratres*] Est ea humani ingenii curiositas ut quæ maximè latent, ea maximè scire cupiat. Sic multi eâ ætate scire cupiebant, quando venturum esset illud judicium. χρόνοι sunt majora temporum spatia, ut anni: καιροὶ minora, ut menses ac dies. Habes hæc sic distincta Danielis 7. 12. in Græco, & Actorum 1. 7. ¶ οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι. *non necesse habetis vobis scribi*] Supra 4. 9. οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν. Idem est sensus, *Non opus est vobis me scribere*, aut *non opus est vobis scribi.*

2. Αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε, *Ipsi enim diligenter scitis*] Didicistis pridem, me & adjutoribus meis docentibus. ¶ ὅτι ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου, ὡς κλέπτης ἐν νυκτί, οὕτως ἔρχεται. *quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet*] Id est, improvisò aderit.

Eadem

Eadem similitudo Matth. 24. 43. Luc. 12. 39. *ἔρχεται*, ut alibi diximus, sono est præsens, sensu futurum.

3. Ὅταν γὰρ λέγωσιν εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια, *Cum enim dixerint, pax & securitas*] Supple *est*, quod subauditur more Hebræo. Similis locutio 2 Reg. 11. 14. *εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια* [*pax & securitas*] שלום ובטח [*pax & confidentia.*] *λέγουσιν, εἰρήνη* [*dicunt, pax,*] habes Ezech. 13. 10. בטח [*confidentia*] *ἀσφάλεια* [*securitas*] vertitur Levit. 26. 5. Deuter. 12. 10. Proverb. 11. 15. Loquitur de improbis, ut & Christus Matth. 24. 38. ubi dicta vide. ¶ *τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος, tunc repentinus eis superveniet interitus*] Ὄλεθρος [*interitus,*] id est, *pœna*, ut 2 Thess. 1. 9. 1 Tim. 6. 9. פתע vel פתאם. *αἰφνίδιος* [*repentinus*] ut Luc. 21. 34. & Sap. 17. 15. Hebræis פתאם. Figura hujus rei in diluvio: in Rege Baltassare Dan. 5. in capta Babylone Esaiæ 21. 5. ¶ *ὥσπερ ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ· sicut dolor in utero habenti*] Eadem similitudo Esaiæ 13. 8. Jerem. 13. 21. Oseæ 13. 13. De locutione *ἐν γαστρὶ ἔχειν* [*in utero habere*] diximus ad Matth. 1. 18. חבלים כיולדה [*dolores quasi parturientis*] Jerem. 49. 24. ¶ *καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν. & non effugient*] Sic Homerus:

—— Μηδ' ὥς φύγοι αἰπὺν ὄλεθρον

[—— *Nec fugiet magnum exitium sic.*]

4. Ὑμεῖς δὲ ἀδελφοὶ οὐκ ἐστὲ ἐν σκότει, ἵνα ἡ ἡμέρα ὑμᾶς ὡς κλέπτης καταλάβῃ, *Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa sicut fur comprehendat*] Puto meliùs habere Manuscriptum, *ὡς κλέπτας* [*tanquam fures.*] Non est eadem quæ præcessit comparatio: sed occasione ejus enata alia: quale quid observavimus Joh. 17. Nox fures tegit, Job. 24. 14. Jerem. 49. 8. Abd. 1. 5. Sic

————*Surgunt de nocte latrones.*

Horatius: Idem,

Et noctem furtis, & fraudibus obtege nubem.

Quod si non recipiunt se ante lucem deprehendi solent: Joh. 3. 20. *Tenebræ* significant ignorantiam rerum divinarum: *lux* cognitionem.

5. Πάντες ὑμεῖς υἱοὶ φωτός ἐστε καὶ υἱοὶ ἡμέρας· *Omnes vos filii lucis estis & filii diei*] Nihil committitis, quod tenebras quærat. Non potestis deprehendi alieno vobis tempore. Vide parabolam Matth. 25. 1. & sequentibus. Hæc est explicatio mystica Lychni in Templo, מנורה. ¶ *οὐκ ἐσμὲν νυκτὸς, οὐδὲ σκότους. non sumus noctis neque tenebrarum*] Vide quæ sæpe idem repetat, ut Christianos laudando excitet. Confer Rom. 13. 12.

6. Ἄρα οὖν μὴ καθεύδωμεν, ὡς καὶ οἱ λοιποί, *Igitur non dormiamus sicut & cæteri*] Ne negligentes simus, quales *stertere* dicuntur Latinis. Sic & Hebræi loquuntur Esai. 5. 27. Nahum. 3. 18. Prov. 10. 5. *καὶ* [*&*] abest in Manuscripto. ¶ *ἀλλὰ γρηγορῶμεν καὶ νήφωμεν. sed vigilemus & sobrii simus*] Hæc duo juncta habes & 1 Petr. 5. 8. Sicut *γρηγορεῖν* [*vigilare*] per translationem significat *attentum esse*, ut *ἀγρυπνεῖν* [*vigilare*] Luc. 21. 35. ita *νήφειν* [*sobrium esse*] *vacare à perturbationibus*, quæ ebrietati comparantur. Sic Epicharmus,

Νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· νεῦρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

[*Sobrius sis, atque nulli crede; nervi enim hi mentis.*]

7. Οἱ γὰρ καθεύδοντες νυκτὸς καθεύδουσιν. *Qui enim dormiunt nocte dormiunt*] Persequitur cœptam comparationem. ¶ *καὶ οἱ μεθυσκόμενοι, νυκτὸς μεθύουσιν. & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*] Conviviis intempestivis.

8. Ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες υἱοί, *Nos autem qui diei sumus filii*] Sumus tanquam illæ Gentes quibus lux allucet perpetua. ¶ *νήφωμεν, sobrii simus*] Liberi simus ab omni vitioso affectu. ¶ *ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως καὶ ἀγάπης, induti loricam fidei & charitatis*] *Pectus muniti, fide intus, extra dilectione*: quæ justitiæ perfectio. Confer Ephes. 6. 14. ¶ *καὶ περικεφαλαίαν ἐλπίδα σωτηρίας. & galeam spem salutis*] Ephes. 6. 17. ubi dicta vide.

9. Ὅτι οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ Θεὸς εἰς ὀργὴν, *Quia non posuit nos Deus in iram*] *Non ad hoc nos paravit*, per verbum nempe suum, *ut nos perderet.* ¶ *ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας, sed in acquisitionem salutis*] *Ad acquirendam salutem.* Sic *εἰς περιποίησιν δόξης* [*in acquisitionem gloriæ*] 2 Thess. 2. 14. *εἰς περιποίησιν ψυχῆς* [*in acquisitionem animæ*] Hebr. 10. 39. quod *εὑρίσκειν ψυχὴν* [*invenire animam*] Matth. 10. 39. *κτᾶσθαι ψυχὴν* [*possidere animam*] Luc. 21. 19. Et breviter *περιποίησις* [*acquisitio*] dicitur pro *περιποίησις ψυχῆς* [*acquisitio animæ*] 2 Paralip. 14. 13. מחיה quod alibi vertitur *ζωοποίησις* [*vivificatio.*] ¶ *διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. per Dominum nostrum Jesum Christum*] Per doctrinam eam quam Christus nobis attulit, non Rabbini, non Philosophi.

10. Τοῦ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, *qui mortuus est pro nobis*] Ne dubitemus quin nobis optimè consultum voluerit, qui nostri causâ nec mortem recusavit. Rom. 5. 6. ¶ *ἵνα εἴτε γρηγορῶμεν, εἴτε καθεύδωμεν, ut sive vigilemus, sive dormiamus*] Hic *γρηγορεῖν*] *vigilare*] & *καθεύδειν* [*dormire*] repetit, sed sensu alio. Nam sicut *dormire* dicuntur qui mortem obiêre, ita *vigilare* qui ad eum mortis somnum non pervenerunt. Simile Rom. 14. 8. ¶ *ἅμα σὺν αὐτῷ ζήσωμεν. simul cum illo vivamus*] Nihil refert diu hic vivamus, an parvò: utriusque rei idem exitus, ut cum Christo æternùm vivamus.

11. Διὸ παρακαλεῖτε ἀλλήλους καὶ οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα, *propter quod consolamini invicem & ædificate alterutrum*] Idem *εἷς τὸν ἕνα* [*alterutrum,*] quod *ἀλλήλους* [*invicem.*] Hebræi dicerent איש רעהו [*unusquisque alterum,*] vel איש את אחיו [*vir quisque fratrem suum.*] *Monete* verbis, *ædificate* exemplo. ¶ *καθὼς καὶ ποιεῖτε. sicut & facitis*] Alternis adhibet hortamenta & laudes: quasi diceret,

— *σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνω*

[—*festinantem hortor & ipsum.*]

Vide supra 4. 10.

12. Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, *Rogamus autem vos fratres*] Vide supra 4. 1. ¶ *εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, ut noveritis eos qui laborant inter vos*] *Spectare*, id est, respicere. Hic נודע [*nobilis*] Prov. 31. 22. *περίβλεπτός ἐστι* [*spectabilis est.*] Sic & Latini dicunt *spectabilem*. *τοὺς κοπιῶντας* [*eos qui laborant*] intellige *ἐν λόγῳ* [*in verbo*] ex 1 Tim. 5. 17. Hæc descriptio est eorum qui cœtus erant principes, & vocabulo communi *κατ' ἐξοχὴν* [*per excellentiam*] usurpato dicti sunt *ἐπίσκοποι* [*Episcopi.*] Nam Episcoporum munus proprium docere; Presbyterorum non nisi quà sufficiuntur ab Episcopis. ¶ *καὶ προϊσταμένους ὑμῶν, & præsunt vobis*] Προϊστάμενοι sive *προεστῶτες* [*præsides*] sunt *Presbyteri*, ut apparet 1 Timoth. 5. 17. *ποιμένες* [*Pastores*] Ephes. 4. 11. Hebræis פרנסים. Nam פרנס *ποιμαίνειν* [*pascere*] est *προΐστασθαι* [*præesse.*] ¶ *καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς. & monent vos*] Quod omnium quidem Christianorum est, Roman. 15. 14. Coloss. 3. 16. sed eximio jure ad Presbyteros pertinet, ut morum magistros.

13. Καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ, *Et habeatis illos abundantius in charitate*] Sic dixit *ἡγεῖσθαι ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ* [*habere abundantius,*] quomodo *περὶ πλείονος ἡγεῖσθαι* [*majoris facere*] Isocrates & alii, *honorem habere* non malè vertit Ambrosius: nec aliud vult Syrus, nam חשיב Syris & Rabbinis est *honoratus*. Addidit autem *ἐν ἀγάπῃ*, [*in charitate*] quia hæc reverentia, non ex timore, sed ex amore proficiscitur. Sacerdotes enim nullius potestatis jura exercent: non est eorum *ἀναγκάσαι φόβῳ* [*compellere metu,*] ut ait Chrysostomus. Vide, si cui vacat, nostra ad 2. de Jure Belli ac Pacis c. 22. §. 14. ¶ *διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν. propter opus illorum*] Ἔργον [*opus*] hic intelligit *διακονίαν* [*functionem*] quâ funguntur, quæ certè veneranda est, עבודה [*ministerium.*] ¶ *εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς. pacem habete inter vos*] Ἐν ἀλλήλοις [*inter invicem,*] quomodo idem hic sensus effertur Marc. 9. 50. De hac locutione vide Philipp. 2. 3. Coloss. 3. 13, 16. *εἰρηνεύετε* שלם [*pacifici este.*]

14. Παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, *Rogamus autem vos, fratres*] Mos Pauli post generalia monita attexere illa quæ temporibus illis ac locis maximè erant necessaria. ¶ *νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, corripite inordinatos*] Id est, *περιπατοῦντας ἀτάκτως* [*ambulantes inordinatè*] 2 Thess. 3. 6, 11. *ἀτακτοῦντες* [*inordinatè se gerentes*] 2 Thess. 3. 7. Sic *ἄτακτος ἀφροδίτη* [*immoderata Venus*] Platoni *ea quæ regulam excedit*: sicut terra *vasta, inculta* תהו, *ἄτακτος* [*inordinata*] Aquilæ Deuter. 32. 10. E contrario *qui rectè atque ordine cuncta faciunt* dicuntur *εὔτακτοι*. In Glossario, *εὐταξία, temperantia.* Cicero illam esse ait *εὐταξίαν*, in qua intelligitur *ordinis conservatio.* ¶ *παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους, consolamini pusillanimes*] *Eos qui in adversis animo sunt dejecto*, Esai. 57. 15. נדכא in Græco *ὀλιγοψύχοις* [*pusillanimes.*] Eodem modo vertitur & עצובת רוח Esaiæ 54. 6. & שפל רוח Esaiæ 57. 15. & נכאה Proverb. 18. 14. In Glossario, *ὀλιγοψυχία, pusillanimitas*; Horatius:

—*inopis me quodque pusilli*

Finxerunt animi.

¶ *ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, suscipite infirmos*] Tolerate eos qui libertatem Christianam nondum planè intelligunt: ii enim *ἀσθενεῖς* vel *ἀσθενοῦντες* [*infirmi*] Rom. 14. 1, 2. 1 Corinth. 8. 7, 11, 12. *ἀντέχεσθαι* verò est *sustentare velut manu prehensum.* Sic vertitur החזיק & תמך *Opitulamini infirmis*, Ambrosius hic non malè. ¶ *μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας, patientes estote ad omnes*] Quantum fieri potest, *de omnibus sperate meliora.* Vide 1 Cor. 13. 4.

15. Ὁρᾶτε μή τις κακὸν ἀντὶ κακοῦ τινι ἀποδῷ. *Videte ne quis alicui malum pro malo reddat*] Eadem verba Rom. 12. 17. quæ exponuntur ibidem 12. 19. Vide & Matth. 5. 38. & sequentibus. Servorum non est se ulcisci, sed Domino ultionem injuriarum suarum permittere. ¶ *ἀλλὰ πάντοτε τὸ ἀγαθὸν διώκετε, sed semper quod bonum est sectamini*] *Alienis commodis*

modis studete. Sic ἀγαθὸν [*bonum*] sumitur Matth. 7. 11. Luc. 1. 53. 12. 18, 19. 16. 25. Gal. 6. 6. ¶ *καὶ εἰς ἀλλήλες, & in invicem*] Erga Christianos. ¶ *καὶ εἰς πάντας. & in omnes*] Etiam erga extraneos à fide.

16. *Πάντοτε χαίρετε, Semper gaudete*] *Æquo este animo*, Rom. 12. 12. 2 Corinth. 6. 10. 1 Petr. 4. 13. Matth. 5. 12.

17. *Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε. Sine intermissione orate*] Sic supra 2. 13. *ἀδιαλείπτως* [*indesinenter*,] id est, *ἐν παντὶ καιρῷ* [*omni tempore*] Ephes. 6. 18. *πάντοτε* [*semper*] Coloss. 1. 3.

18. *Ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε In omnibus gratias agite*] *De rebus omnibus Deo gratias agite*, etiam de adversis: nam & hæc bona sunt, si dextrè sumantur. Idem sensus Ephes. 5. 20. ¶ *τῦτο γὰρ θέλημα Θεῦ ἐν Χριςῷ Ἰησῦ εἰς ὑμᾶς. hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in vos*] Clariùs in Manuscripto, *τῦτο γάρ ἐςι θέλημα Θεῦ εἰς ὑμᾶς ἐν Χριςῷ Ἰησῦ* [*hæc enim est voluntas Dei in vos in Christo Jesu.*] Est autem *μετωνυμία* [*Transnominatio*] causæ positæ pro effecto. *Hoc*, ait, *est quod Deus à vobis exigit per Christum.* Sic *θέλημα* [*voluntas*,] habemus Ephes. 6. 6. Coloss. 4. 12. Illud autem *τῦτο* [*hoc*] referendum, non ad *gratiarum* tantùm *actionem*, sed & ad *preces*. De gratiarum actione vide Christi exempla Matth. 15. 36. 26. 27. Marc. 8. 6. 14. 23. Luc. 17. 16. 18. 11. 22. 17, 19. Johan. 6. 11, 23. 41. De precibus præcepta ejusdem habemus plurima & exempla, Luc. 18. 1.

19. *Τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, Spiritum nolite exstinguere*] *Spiritus* hic sunt dona sanationum & linguarum, quæ sicut in ignis forma data erant, ita igni rectè comparantur, ac proinde dicuntur & *suscitari* 2 Timoth. 1. 6. & contrà *exstingui*. *Suscitantur* precibus, gratiarum actione, ac perpetuo studio pietatis: *exstinguuntur* per contraria. Nam in Novo Testamento, maximè post constitutas Ecclesias, Deus illa dona non vult dare aut servare, nisi credentibus & piè viventibus. Vide Marc. 16. 17.

20. *Προφητείας μὴ ἐξυθενεῖτε. Prophetias nolite spernere*] Est *λιτότης* [*extenuatio.*] Vult enim inter omnia maximi fieri Prophetiam, 1 Cor. 14. 5.

21. *Πάντα δοκιμάζοντες, τὸ καλὸν κατέχετε. Omnia probantes, quod bonum est retinete*] Hoc pertinet ad *διακρίσεις πνευμάτων* [*discretiones spirituum*] 1 Cor. 12. 10. 14. 29. ubi dicta vide. Sic 1 Joh. 4. 1. *δοκιμάζετε τὰ πνεύματα* [*probate spiritus.*] Ergo *πάντα* [*omnia*] hic restringendum ex antecedente ad ea quæ dicuntur ab eis qui se Prophetas dictitant.

22. *Ἀπὸ παντὸς εἴδυς πονηρῦ ἀπέχεσθε. Ab omni specie mala abstinete*] Christiani non à rebus malis tantùm, sed & ab iis quæ *speciem* habent *mali*, *abstinere* debent. *εἶδος πονηρὸν* (*species mala*] [illegible] non Rabbinis. Exemplum vide 1 Cor. 8. 10.

23. *Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia*] Non satis est nos monendo officium facere: Dei afflatu etiam ad sanctitatem opus. *Deum* autem *pacis* dixit, quia pax non minima pars hujus sanctitatis. Sic & Roman. 15. 33. 16. 20. 1 Corinth. 14. 33. 2 Cor. 13. 11. Philipp. 4. 9. *ὁλοτελεῖς, ex omni parte.* ¶ *καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρυσίᾳ τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ τηρηθείη. ut integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur*] Est hic *πρόζευγμα* [*zeugma ex parte priore*;] nam *ὁλόκληρον* ad omnia tria refertur. Est autem *ὁλόκληρον*, *integrum*, *solidum* in Glossario, *omnibus suis partibus bene constans.* Et *ἐν τῇ παρυσίᾳ* [*in adventu*] pro *εἰς τὴν παρυσίαν* [*in adventum*,] ut & supra 3. 13. *servetur*, nempe à Deo. Homo duabus constat partibus, animâ & corpore, Matth. 10. 28. & vocatur anima interdum *πνεῦμα* [*spiritus.*] Rabbinis verò נפש est *anima vitalis*, רוח *spiritus* est *anima sentiens*, נשמה est *anima intelligens*. At *πνεῦμα* [*Spiritus*] hoc loco est Spiritus ille sanctus in animis Christianorum habitans, &, si sollicitè servetur, ad mortem, imò & post mortem ad resurrectionem usque animis adhærens. Vide quæ diximus ad 1 Cor. 15. 44. & Hieronymum ad Galat. 5. Græci omnes *spiritum* hoc loco exponunt *χάρισμα* [*donum.*] Philo Allegoriis, Τὸ *μὲν ὖν ἐμπνέον ἐςὶν ὁ Θεός· τὸ δὲ δεχόμενον, ὁ νῦς· τὸ δὲ ἐμπνεόμενον, τὸ πνεῦμα* [*Deus inspirat, mens inspirationem capit, spiritus ex inspiratione accipitur.*] Irenæus 5. 6. *Si autem defuerit animæ Spiritus, animalis est verè, qui est talis, & carnalis derelictus, imperfectus erit, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per Spiritum.* Et postea, *Et propter hoc Apostolus seipsum exponens explanavit perfectam & spiritualem salutem hominis in prima ad Thessalonicenses dicens: Deus autem pacis sanctificet vos perfectos, ut integer vester Spiritus, & anima, & corpus sine querela in adventum Domini Jesu Christi servetur.* ¶ *Et quam utique causam habebat his tribus, id est, animæ, & corpori, & Spiritui integram & perfectam perseverationem precari in adventu Domini, nisi reintegrationem, & adunitionem trium unam, & eandem ipsarum sciebat salutem? Propter quod & perfectos ait eos qui tria sine querela exhibent Domino. Perfecti igitur qui & Spiritum in se perseverantem habent Dei, & animas, & corpora sine querela servaverint.* Tatianus, Ψυχὴ γὰρ *ὐκ αὐτὴ τὸ πνεῦμα ἔσωσεν· ἐσώθη δὲ ὑπ' αὐτῦ καὶ τὸ Φῶς τὴν σκοτίαν κατέλαβεν. ὁ λόγος μὲν ἐςι τὸ τῦ Θεῦ Φῶς, σκότος δὲ ἡ ἀνεπιςήμων ψυχή. διὰ τῦτο μόνη μὲν διαιτωμένη πρὸς τὴν ὕλην νεύει κάτω, συναποθνήσκυσα τῇ σαρκί· συζυγίαν δὲ κεκτημένη τὴν τῦ θείυ πνεύματος, ὐκ ἔςιν ἀβοήθητος· ἀνέρχεται δὲ πρὸς ἅπερ αὐτὴν ὁδηγεῖ χωρία τὸ πνεῦμα. τῦ μὲν γάρ ἐςιν ἄνω τὸ οἰκητήριον, τῆς δὲ κάτωθέν ἐςιν ἡ γένεσις* [*Non enim Spiritus ab anima servatus est, sed ipse animam servavit, & lux comprehendit tenebras. Est autem ratio lux Divina, anima imperita tenebræ. Quare cum sola degit, deorsum ad materiam vergit, carni commoriens; Spiritui autem Divino conjuncta non caret auxilio; verùm adscendit illuc quò deducitur à Spiritu: hujus enim sedes est sublimis, at illius generatio infernè.*] Clemens Strom. 6. post enumeratas novem animæ facultates, addit, *καὶ δέκατον τὸ διὰ τῆς πίςεως προσγινόμενον ἁγίυ πνεύματος χαρακτηριςικὸν ἰδίωμα* [*& decima est characteristica Spiritûs sancti nota, quæ per fidem accedit.*] Tertullianus: *Spiritus qui accedit animo Dei vel dæmonis.* Et nota in his Pauli verbis *ἀμέμπτως* [*sine querela*,] sicut *ἀμέμπτυς* supra 3. 13.

24. Πιςὸς ὁ *καλῶν ὑμᾶς, Fidelis est qui vocavit vos*] *Qui vos vocavit* ad perseverantiam, is & vires dabit ad eam necessarias. Similia habemus 1 Cor. 1. 9. 10. 13. 2 Thess. 3. 3. *Fidelis sanctus Israelis qui elegit te*, Esai. 49. 7. ¶ *ὃς καὶ ποιήσει τὴν ἐλπίδα ὑμῶν βεβαίαν, qui etiam faciet spem vestram firmam*] Non fallo vos: sed vitam cœlestem sicut sperare vos jussit, ita & præstabit. *βέβαιον* [*firmum*] dicitur *quod reipsa impletur*, ut Roman. 4. 16. 2 Corinth. 1. 7. Hebr. 2. 2. 2 Petr. 1. 10.

25. *Ἀδελφοὶ, προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν. Fratres, orate pro nobis*] Ut Coloss. 4. 3. ubi dicta vide.

26. *Ἀσπάσασθε τὺς ἀδελφὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ. Salutate fratres omnes in osculo sancto*] Rom. 16. 16. & alibi in fine Epistolarum.

27. *Ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν Κύριον, Adjuro vos per Dominum*] Ὁρκίζω ὑμᾶς השבעתי אתכם [*adjuro vos*,] Cant. 5. 8. deinde est hic *ἔλλειψις* [*defectus.*] nam Κύριον [*Dominum*] dicitur, pro *διὰ τὸν* Κύριον, aut *νὴ τὸν* Κύριον (*per Dominum.*] Eadem *ἔλλειψις* [*defectus idem*,] Marc. 5. 7. & Actor. 19. 13. Eodem sensu dicitur *ὁρκίζειν* [*jurare*] vel *ἐξορκίζειν κατὰ τῦ* Κυρίυ [*adjurare per Dominum*,] aut *κατὰ τῦ* Θεῦ [*per Deum*] 1 Reg. 2. 23. 2 Paralip. 36. 13. Matth. 26. 63. ubi dicta vide. Sic & Irenæus loquitur in fine libri. Est autem id ipsum quod *μαρτυρεῖν* dixit Johannes in fine Apocalypseos, Latini *obtestari*. Dicunt autem Latini non minùs quàm Græci *obtestari per Deos*, ut Cicero ad Atticum 2. 11. & *Deos obtestari*, ut Livius libro 6. Manuscripta pro *ὁρκίζω* [*adjuro*] habent *ἐνορκίζω*. Sic *ἐνόρκιον* [*exsecramentum*] habemus Num. 5. 21. ¶ *ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιςολὴν πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς. ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus*] Puto non Ephesios tantùm intelligi, sed & eos qui in vicinis erant Asiæ locis. Simile vide Coloss. 4. 16.

28. Ἡ *χάρις τῦ* Κυρίυ *ἡμῶν* Ἰησῦ *Χριςῦ μεθ' ὑμῶν. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum*] Sic Rom. 6. 24. & alibi in fine Epistolarum.

ANNO-

ANNOTATA

In II. Epistolam D. PAULI ad

THESSALONICENSES.

CAP. I.

VALLA.

5. IN *exemplum justi judicii*] Non est Græcè *in exemplum*, sed sine præpositione. Nam reor *exemplum* esse nom. casûs; etsi non planè *exemplum* dicitur, sed *ostensio* sive *specimen* sive *indicium*, ἔνδειγμα.

9. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini & à gloria virtutis ejus*] Gr. *interitum æternum*, ὄλεθρον αἰώνιον. Neque idem est Græcè nomen *virtutis*, ἰσχύος, quod paulò antè, *cum Angelis virtutis ejus*, δυνάμεως, quod superiùs dixi significare *potentiam*, *vim*, *potestatem*: hoc autem significat *fortitudinem* sive *robur* sive *validitatem*.

10, 11. *In illo die, in quo etiam oramus semper pro vobis*] Plerique exponunt *in quo die*. Atqui legendum est *in quod*, i.e. in quam dixi rem, εἰς ὅ.

ERASMUS.

3. UT *dignum est*] Invenitur quidem & hoc apud Latinos, cæterùm usitatius magisque Latinum est *ut par est*, καθὼς ἄξιόν ἐστιν. ¶ *Supercrescit fides vestra*] Ὑπεραυξάνει. Præpositio Græca sonat epitasin. Alioqui Latinis *supercrescit* quod innascitur alicui rei, aut quod incremento suo opprimit alia. ¶ *Uniuscujusque vestrûm*] Ἑνὸς ἑκάστου πάντων. Addunt *omnium* ad vehementiam. Et Ambrosius, *uniuscujusque omnium vestrûm*.

5. *In exemplum*] Non est παράδειγμα sed ἔνδειγμα, i.e. *exemplum* sive *ostensionem*, aut *specimen*, aut *declarationem*. Nam *exemplar* imitandi gratiâ proponitur, ἔνδειγμα declarat quod latebat. Tum enim clarescet Dei justitia cùm cruciatibus æternis dedentur qui hic sine fine cruciant pios, & Regno cœlesti potientur qui hic spe promissæ felicitatis dira perpessi sunt. Præpositio *in* redundat; aut nominandi casu, *ostensio*: ut referatur ad illos qui affliguntur, i.e. *Vos estis documentum, & ostendistis rectum esse judicium Dei, tum tanta passos remuneratur Regno suo.* ¶ *In Regno Dei*] *In* præpositio redundat, nec addit Ambrosius.

6. *Si tamen justum est*] Ambrosius legit *siquidem*, non *si*. Et Aquinas annotavit in nonnullis exempl. scriptum fuisse *siquidem* pro *si tamen*. Græca Scholia exponunt hoc loco εἴπερ positum pro ἐπειδήπερ, i.e. *quandoquidem*: Affirmantis enim esse, non Dubitantis. Quòd si maximè *siquidem* ponatur pro *si*, tantò magis affirmabit, veluti verum inferens de quo nefas sit dubitare. Mirum cur Interpres putarit addendum *tamen*. ¶ *Retribuere retributionem*] Ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν, *retribuere affligentibus vos afflictionem*. Et Ambrosius, *retribuere eis qui vos deprimunt pressuram*. Proinde videtur errore librariorum depravatum in vulgatis exempl. præsertim cùm in pervetusto exemplari bibliothecæ Paulinæ extet, *retribuere tribulationem*: atque ità scriptum comperi & in aliis nonnullis per typographos excusis. Quin & ipsum schema ex contrariis contextum indicat germanam lectionem. Opponit enim *affligentes afflictis*, & *afflictionem requiei*, quæ Græcis est ἄνεσις *relaxatio*. Nam θλίβω propriè est *premo*.

7. *Virtutis ejus*] Δυνάμεως *potentiæ*.

8. *In flamma ignis*] Ἐν πυρὶ φλογός, *in incendio* (sive *igni*) *flammæ*. Atque ità legit Ambrosius. ¶ *Dantis vindictam*] *Dantis* ad *Dominum* refertur, non ad *flammam*. Nam quamvis apud Latinos anceps est sermo, apud Græcos non est.

9. *Pœnas dabunt*] Δίκην τίσουσι *pœnam luent*, sive *pendent*. ¶ *In interitu*] *In* redundat, ὄλεθρον αἰώνιον, ut addatur appositivè, & intelligamus non quamlibet pœnam, sed æternam. ¶ *Gloria virtutis*] Τῆς ἰσχύος, *roboris*, sive *potentiæ*: nè quis accipiat ἀρετὴν *virtutem*, quæ pugnat cum *vitio*, ut sæpius jam admonuimus.

10. *Admirabilis fieri*] Θαυμασθῆναι, quod Ambrosius expressit *mirificari*. Est enim Græcis verbum passivum, cùm aliis quis redditur admirandus. ¶ *Quia creditum est testimonium nostrum*] Ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν. Ambrosius, ut vitet amphibologiam, sic explicat, *quia fidem habuit testimonium nostrum*. Sed Latiniùs poterat, *quod fides habita sit testimonio nostro*. ¶ *In die illo*] Ambrosius hic addit *adventûs Domini*.

11. *In quo etiam oramus*] Εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα, *in quod & oramus*, sive *ad quod*. Si refers ad superiora, hic erit sensus, *ut cum primis fiat deprecatio*, h.e. ante omnia. Et in hanc sententiam exponit Chrysostomus. Sin ad sequentia, sensus erit, *ut precationes fiant ab omnibus*. ¶ *Dignetur*] Ἀξιώσῃ. Ambrosius vertit *dignos habeat*. ¶ *Suâ vocatione*] Τῆς κλήσεως, id est, *Vocatione*. Nec additur *suâ* apud Græcos, nisi quòd articulus additus fermè tantundem efficit: itaque nos addidimus *Istâ vocatione*. ¶ *Omnem voluntatem*] Εὐδοκίαν, i.e. *beneplacitum*, sive *bonum propositum*. Miror quid secutus Ambrosius legat *omni placito bonitatis*, nisi subaudivit κατὰ, *perficiat vos juxta bonam voluntatem suam*. Rursus hic vox est quâ Paulus & Euangelistæ solent excludere merita hominum. ¶ *Bonitatis suæ*] Ἀγαθωσύνης. Nam *suæ* rursus abundat. ¶ *Et opus fidei*] Et hic Ambrosius legit *opere*, ut respondeat *placito*. ¶ *In virtute*] Ἐν δυνάμει, *potentiâ & robore*.

12. *Clarificetur*] Ἐνδοξασθῇ *celebre fiat*, aut *nobilitetur*, aut *glorificetur*.

VATABLUS.

1. IN *Deo*] i.e. Quæ à Deo non deflexit.

2. *Gratia vobis*] Sub. *dicunt*: vel, *sit*, aut, *multiplicetur*.

3. *Dignum*] *Par*, *æquum*. ¶ *Uniuscujusque* *] * *Omnium*.

4. *In exemplum justi judicii Dei*] *Ad documentum* [vel *ostensionem*] *justi judicii Dei*: i.e. decreti sive voluntatis Dei, quæ est, velle vobis afflictis vitam æternam dare, & affligentibus damnationem: quod declarat sequentibus verbis.

5. *Ut digni habeamini*] Sub. *quod fiet ad efficiendos vos dignos*.

6. *Si tamen*] *Siquidem*, vel, *quandoquidem*. ¶ *Retributionem*] *Tribulationem*, Vet.

7. *In revelatione Domini Jesu*] *Cum revelabitur Dominus Jesus*: i.e. cùm manifestè apparebit. ¶ *Virtutis ejus*] *Potentia sua*: i.e. per quos potentiam suam exercet: vel, *cum angelico exercitu potentissimo*.

8. *In flamma ignis*] *In igne flamma*: i.e. flammam emittente, aut vehementi igne. ¶ *Dantis vindictam*] *Qui* [sub. *Christus*] *ultionem infliget*.

9. *In*

9. *In interitu æternas*] *Interitum æternum*: appoſitivè dictum: i. e. qui pœnas æternas luent. ¶ *A facie Domini, & à gloria virtutis ejus*]: i. e. Cùm conſpexerint faciem Domini, & gloriam roboris & poteſtatis ejus.

10. *Quia*] Sub. *gratias, inquam, agere debemus quòd*, vel, *nam*. ¶ *Creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos*] *Fides habita eſt teſtimonio noſtro erga vos.*

11. *In quo*] *In quam rem*: i. e. ut fidem teſtimonio noſtro habere perſeveretis. ¶ *Ut dignetur*] *Dignos habeat*: i. e. ut perſeveret vos habere dignos. ¶ *Deus* *] * *Noſter*, Vet. ¶ *Impleat*] Sub. *in vobis*. ¶ *Omnem voluntatem bonitatis ſuæ*] *Omne bonum propoſitum*: vel, *omnem veſtram voluntatem erga bonitatem* [vel, *juſtitiam*] *& operationem fidei per virtutem*: i. e. operantem veſtram fidem augeat in vobis per Spiritum. Vet. non legunt, *ſua*.

12. *Clarificetur*] *Celebre fiat.* ¶ *In*] *In* pro *per*. ¶ *Secundum gratiam*] Vel, *juxta donum*.

C A S T A L I O.

8. SUpplicium irrogaturus neſcientibus Deum] Dei contemptoribus.

9. *Pœnas dabunt Domino*] Ἀπὸ προσώπου. Hebraïſmus eſt, מפני, quod ſæpe ponitur pro מן: ut Græcè οἵτινες pro οἱ: ut ſit δίκην τίσουσιν, &c. h. e. *punientur à Domino*, ſive *pœnas dabunt Domino*, ut δίκην τίσουσι pro paſſivo ponatur; ſicut Latinè dicitur, *Interiit à valentiore*, h. e. interfectus eſt.

C L A R I U S.

5. EXemplum juſti judicii Dei] Cùm viri boni hîc affliguntur, ſignificatio fit, Futurum poſt hanc vitam *juſtum judicium Dei*, quod ſua cuique aliquando reddat. Propter hoc ergò permittit Deus, inquit, vos atteri perſecutionibus, ut cùm reddiderit vobis Regnum cœlorum, demonſtret ſe juſtum eſſe Judicem: nam in hac vita agnoſci non poteſt.

10. *In die illo*] Videtur debere hic idem eſſe ordo verborum qui & in illis ad Romanos verbis, *Sæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc, ut fructum aliquem haberem in vobis*: nam hoc poſtremum, h. e. *ut fructum aliquem haberem in vobis*, refertur ad priorem clauſulam, ſcilicet, *ſæpe propoſui venire ad vos*. Ità hoc loco illa verba *in illo die* referantur, non ad proximam ſed ad priorem ſententiam, ſic, *cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & in omnibus qui credunt, apparere admirabilis in illo die, quia creditum eſt teſtimonium noſtrum*, h. e. prædicatio noſtra, *inter vos*. Nam ex eo quòd credidiſtis declarabitur illa Chriſti gloria.

Z E G E R U S.

3. UNiuſcujuſque omnium veſtrûm in invicem] Ità legendum juxta Græcos & Ambroſium, & exemplaria vetuſta.

5. *In exemplum juſti judicii Dei*] Particulam *in* de ſuo adjecit interpretans, quò mollior eſſet dilucidiorque oratio. *In exemplum*, ait, *declarationem & documentum* (id enim eſt ἔνδειγμα) *juſti judicii Dei*, quod tum demum patebit quando vos tribulationibus & perſecutionibus examinatos advocabit in fruitionem æternæ felicitatis, contrà eos qui vos perſecuti ſunt ſuppliciis deputabit æternùm cruciandos.

6. *Retribuere tribulationem*] Parùm refert ſive *tribulationem*, ſive legas *retributionem*, juxta lectionem vulgo communem, quòd ſenſus idem ſit. Uſurpatur enim nonnunquam in arcanis literis *retributio* pro *ſupplicio*, *ultione* & *talione*, idque ex conſuetudine Hebræorum. Unde Pſalmo juxta ſupputationem Hebraicam 137. *Beatus*, inquit, *qui retribuet tibi retributionem*, i. e. ultionem & ſupplicium. Item *retribuere* pro *punire*, Pſalm. 103. *Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.* Itaque *retributio* idem dicit quod in archetypo habes, τὴν θλίψιν. In codicibus Emſteinienſi & Gemblacenſi minori *tribulationem* invenio.

8. *Ignis dantis vindictam*] Apud Græcos *dantis* nequit eſſe epitheton alterius quàm *Domini*. Sic enim legunt, ἐν πυρὶ φλογὸς, διδόντος ἐκδίκησιν, h. e. *in igne flamma, dantis vindictam*: ut ſubaudias ex ſuperioribus *Domini Jeſu*: eſt enim φλὸξ fœm. generis diverſi à διδόντος. Eſt autem hic Hypallage *in igne flammæ* pro *in flamma ignis*. Aut certè *in igne flamma* dictum eſt pro *in igne flagrante*.

9. *A facie Domini, & à gloria virtutis ejus*] Divina ſiquidem illa Domini facies, aſpectus & gloria fortitudinis ejus, & juſtis gaudium, & contrà impiis erit ſupplicium.

10. *Quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos, in die illo*] Perinde eſt quaſi dixiſſet, *quia fides habita eſt teſtimonio noſtro erga vos.* Cæterùm illud *in die illo*, ſcil. *adventus Domini*, refertur ad id quod præceſſit, *cùm venerit glorificari.* Quod autem ſequitur,

11. *In quo*] Nobis quibem exponi poteſt *in quo die*. Secùs tamen habet contextus Paulinus Græcus, ubi articulus ſubjunctivus ὃ neutri generis eſt, & abſolutè ponitur, ut ſit ſenſus, *Ad quod*, vel *Quam ob rem, etiam oramus.* ¶ *Ut dignetur vos*] Dignos vos efficiat vocatione ſuà. ¶ *Opus fidei in virtute*] i. e. Potentia & robore, nè fallaris ambiguitate.

H. S T E P H A N U S.

3. ῾Υπεραυξάνει] *Magnum incrementum capit*: vel *maximum*.

11. Εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα] *Cujus etiam rei gratiâ precamur.*

D R U S I U S.

7. CUm Angelis virtutis ejus] Alius *potentiæ ſuæ*. Ebr. עם מלאכי צבאו. Ergò δυνάμις hic *exercitum* notat. Nam inter exercitus Dei ſunt Angeli, ut & reliquæ creaturæ.

8. *In flamma ignis*] בלהב אש, ut Jeſ. 29. 6. & Joel. 2. 5. Græci cod. habent *in igne flamma*, ἐν πυρὶ φλογὸς, באש להבה, quod obvium Jeſ. 4. 5. Id valet *flammeo*, aut *flammante*. Sed *in flamma ignis* legit Tertullianus Adv. Marc. lib. 5. c. 16. Lippomanus in Catena Patrum Exod. 19. 18. triplicem ignem memorat, Primus eſt *ignis purgans*, ſecundus *ignis inflammans*, tertius *ignis condemnans*. Vide, ſi otium eſt & ſi vis. ¶ *Qui non noverunt Deum*] *Deum novit* qui Chriſtum novit: Citra Chriſtum nulla eſt vera Dei notitia. Igitur inter eos qui *non noverunt Deum* Judæi numerandi, qui Chriſto nomen non dederunt. Contrà יודעי שמך *noſcentes nominis tui* vocantur qui Dei notitiam habent ex Lege aut ex Euangelio; olim ex Lege, nunc ex Euangelio.

9. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas*] Verbum è verbo, *Qui pœnam dabunt, interitum æternum*, ut ſit Appoſitio. Recentior Interpres, *Qui pœnam pendent exitii æterni.* Senſus in idem recidit.

G R O T I U S.

DIxi in mea ad partem hujus Epiſtolæ diſſertatione edita antehac, ità me arbitrari, Epiſtolam hanc eſſe Paulinarum, quæ quidem ad nos pervenêre, primam. Ejus rei magnum argumentum eſt in fine Epiſtolæ, ubi vult eos ad quos ſcripta hæc Epiſtola eſt, obſervare quod ſit manûs ſuæ ſignum in ſubſcribendis litteris: quod minimè feciſſet, ſi jam ante aliqua ab ipſo Epiſtola Theſſalonicam veniſſet. Dixi præterea ſcriptam hanc Epiſtolam non ad eos quos ex Gentibus Paulus convertit, poſtquam Theſſalonicam ipſe venit, ſed ad Judæos quoſdam, qui inter primos Chriſtum amplexi, ortâ poſt Stephani mortem perſecutione, conceſſerant in Syriam primùm Actor. 8. 4. 11. 19. deinde & in Cyprum & in alia loca, in quibus erat Macedonia, Judæorum negociantium vetus nutrix. Id verùm eſſe docent illa 2. 13. ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ᾽ ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν [*quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem.*] nam illud ἀπ᾽ ἀρχῆς [*primitias*] oſtendit de Judæis agi, qui προηλπικότες [*qui ante ſperaverunt*] dicuntur Epheſ. 1. 12. Inter hos Judæos Chriſtianam amplexus religionem præcipuus Jaſon, id eſt, Jeſus (idem enim eſt nomen, ut *Silæ* & *Silvani*) propinquus Silæ & Timothei, qui poſtea Paulum, Silam & Timotheum, cùm Theſſalonicam veniſſent, hoſpitio excepit. Videntur autem & majores Timothei olim habitaſſe Theſſalonicæ, unde Theſſalonicenſibus additur Timotheus Actor. 20. 4. Et quia hæc ex Judæis Theſſalonicæ habitantibus Eccleſia exigua erat, ideoque presbyterium non habebat, ideo ſi qui eorum non ex Chriſti regula viverent, jubentur vitari ab aliis, cùm ſi presbyterium ibi fuiſſet, excommunicandi illi eſſent, ut ille Corinthius. Hæc cùm ita ſe habeant, & Pauli prophetiæ, quæ ſunt capite hujus Epiſtolæ ſecundo, ſpectare debeant ad res quæ intra unius vitæ ſpatium poterant contingere, quia jam tribus locis vidimus opinatum eſſe Paulum ſe vivo poſſe evenire judicium illud ultimum & univerſale, inde collegi, hiſtoriâ cum vaticiniis collatâ, non de aliis ibi agi quàm de Cajo Imperatore, & de Simone Mago, quorum res actæ verbis prophetiæ ad amuſſim congruunt. Secundùm accuratiſſimos Chronologos, in quibus præcipuo loco habeo virum veræ eruditionis ac pietatis Dionyſium Petavium, converſus eſt ad Chriſtum Saulus, qui & Paulus, anno Tiberii 36. Poſt id tres annos rebus Romanis præfuit Tiberius. Cùm verò

verò quæ hic de Cajo dicuntur, evenerint anno imperii ejus partim tertio, partim quarto, dicaturque jam tum consilia ista, quæ postea erupère, in arcano agitasse Cajus: hinc collegi scriptam hanc Epistolam anno altero Gajani principatûs. Mirari autem non debemus si diu occultata fuit hæc Epistola ab iis ad quos scripta erat, cùm sine gravi periculo vulgari non potuerit, regnante Cæsarum domo, ideo quòd post conatum illum statuæ Caji collocandæ in ipso Dei summi Templo, dubium esse nemini poterat, quin is ipse designaretur atris illis nominibus, *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας* [*homo peccati*, *filius perditionis*,] & quæ sequuntur; quod non dubium quin ægerrimè laturi fuerint & patruus Caji Claudius, & in familiam Claudii insitus Nero. Vespasiano demum imperante, eversa Judæorum Gente, tutum & ex usu fuit edi omnibus hanc Epistolam, & conspici quàm eventus omnes à primo ad ultimum usque prædictis congruerent. Et hanc esse causam diximus, cur Epistola hæc inter ea quæ Ecclesiis scriptæ sunt (nam quæ ad singulos proprium sibi locum obtinent) postrema sit, non scribendi ordine, sed digestu. Propterea vulgò dicitur *secunda ad Thessalonicenses*, sicut *Maccabaicus tertius* dicitur, qui scribendi ordine fuerat primus.

1. *Παῦλος καὶ Σιλουανὸς καὶ Τιμόθεος*, *Paulus & Silvanus & Timotheus*] Puto esse verum, quod notat Hieronymus hic Σίλας [*Silas*] olim scriptum fuisse, non Σιλουανὸς [*Silvanus*.] quanquam enim idem est nomen variè inflexum, illud tamen Hebræis, hoc Romanis erat accommodatiùs. Multi autem in Macedonia erant Romani. Itaque videri potest hæc vocula immutata ad exemplum alterius Epistolæ scriptæ ad Thessalonicenses ex Gentibus collectos: quanquam utro modo scribatur, non multum refert. Erant autem Silas iste & Timotheus cognati Jasonis illius, fortè & aliorum Judæorum, qui Christianam fidem amplexi Thessalonicæ habitabant. ¶ *τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων*, *Ecclesia Thessalonicensium*] Rectè *Ecclesia* dicuntur etiam pauci, ut Rom. 16. 5. 1 Cor. 16. 19. Tertullianus exhortatione castitatis, *Ubi tres*, *Ecclesia est*, *licet laici*. Vide quæ de hac re habet Beza Actor. 21. 4. ¶ *ἐν Θεῷ Πατρὶ ἡμῶν καὶ Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ*. *in Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*] Id est, ei Ecclesiæ, quæ facta est, quæ exstitit, beneficio Dei Patris primùm, deinde Christi.

2. *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ*. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*] Hunc salutandi morem hîc inceptum in aliis Epistolis sæpe retinet Paulus, ut 1 Cor. 1. 3. & alibi.

3. *Εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοί, καθὼς ἄξιόν ἐστιν, ὅτι ὑπεραυξάνει ἡ πίστις ὑμῶν*, *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis*, *fratres*, *ita ut dignum est*, *quoniam supercrescit fides vestra*] Similis gratiarum actio Rom. 1. 8. 1 Cor. 1. 4, 5. Philipp. 1. 3, 4. Non tantum de *fide* eorum agit gratias, sed & quòd ea *fides crescat*. ¶ *καὶ πλεονάζει ἡ ἀγάπη ἑνὸς ἑκάστου πάντων ὑμῶν εἰς ἀλλήλους* & *abundat charitas uniuscujusque omnium vestrum in invicem*] Bene conjunxit in gratiarum actione duas res maximas, *fidem* & *dilectionem*, in quibus est τὸ πᾶν [*summa*] Christianismi. Sic & Ephes. 1. 15, 16. πλεονάζει κἀν [*abundat*.] ἄξιον [*dignum*,] id est, *æquum*, *rectum*. Sic Demosthenes, *ἄξιόν ἐστι σιωπᾶν* [*æquum est tacere*.]

4. *Ὥστε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐν ὑμῖν καυχᾶσθαι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ*, *Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei*] Καυχᾶσθαι sæpe est *gaudere*, *exsultare*: interdum *illud gaudium verbis prodere*. *ἐν ὑμῖν*, *ex vobis*, *vestri occasione*. In Manuscripto, *ἐγκαυχᾶσθαι* [*gloriari*,] quæ vox reperitur in Græco Psal. 52. 1. 74. 4. 97. 7. 106. 47. ¶ *ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν καὶ πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς διωγμοῖς ὑμῶν, καὶ ταῖς θλίψεσιν αἷς ἀνέχεσθε*. *pro patientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis*] Et hîc est ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*:] nam ὑπομονῆς καὶ πίστεως [*patientia & fidei*] idem valet quod ὑπομονῆς ἐν πίστει, *perseverantia in fide*. Pro eodem ὑπομονὴ ἐλπίδος [*sustinentia spei*] 1 Thess. 1. 3. Fides enim spem gignit, & interdum spes sub *fidei* nomine comprehenditur. Bene autem hoc convenit miseris illis Judæis, qui è Judæa ejecti in Syriam, inde alia atque alia loca quærere adacti, omnia ista incommoda ferre maluerant, quàm fidem deserere.

5. *Ἔνδειγμα τῆς δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ*, *Exemplum justi judicii Dei*] Theophylactus clarius habet *εἰς ἔνδειγμα* [*in exemplum*;] nec aliter legit Syrus. Hæc ideo à Deo fieri sinuntur, ut aliquando Deus materiam habeat demonstrandæ justitiæ suæ. Sic & Rom. 3. 25. *εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ* [*ad ostensionem justitiæ suæ*:] & paulo post, *πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ* [*ad ostensionem justitiæ ejus*.] ¶ *εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, ὑπὲρ ἧς καὶ πάσχετε*. *ut digni habeamini in regno Dei*, *pro quo & patimini*] Vocavit vos Deus ad regnum cœleste, sub conditione *patiendi*; impletis conditionem: *digni* igitur *judicamini qui regnum illud adipiscamini*. Vide Matth. 10. 10. Luc. 10. 7. 1 Tim. 5. 18. Apoc. 3. 4. 16. 6. Adde Luc. 20. 35. Objici potest illud Rom. 8. 18. *οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς* [*non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*.] Responsio facilis, Præmium & æternum & cœleste infinitò esse majus omni sufferentiâ & operâ; sed quod in eo inæquale est, æquari vi promissi. Est enim alia æqualitas rei, alia pacti.

6. *Εἴπερ*, *Siquidem*; utrunque enim poni solet *αἰτιολογικῶς* [*per subjectam rationem*.] Est autem argumentum à minori ad majus. ¶ *δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλίψιν· Καὶ ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν* [*justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant*: *Et vobis qui tribulamini requiem nobiscum*] Δίκαιον צדיק [*justum*] Hebræis significat omne *id quod aliquo modo æquum est & rationi congruit*. Etiamsi Deus nec promisisset quicquam nec comminatus esset, tamen æquum erat, & ipsius tum bonitate, tum severitate dignum, ipsius Dei causâ mala ferentibus aliquid reddere, ac contra alios ob id ipsum vexantibus inferre pœnas: quantò magis hoc æquum est, cùm & promissio & comminatio intercesserint? Naturale est illud,

> *Εἴκε πάθοι τὰ ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο*
> [*Quæ fecit si quisque ferat*, *jus fiet & æquum*.]

Item ex naturali æquitate esse *τὰ ἀντίδωρα* [*remunerationes*] ajunt Jurisconsulti. Non omittam hic dictum Athenagoræ, *ἄνθρωπος, ὡς ἐνδεὴς, δεῖται τροφῆς· ὡς δὲ θνητὸς, διαδοχῆς· ὡς δὲ λογικὸς, δίκης* [*Homo*, *ut imperfectus opus habet alimento*, *ut mortalis successione*, *ut rationalis justitia*.] Ἀνταποδοῦναι [*retribuere*] est גמל, diciturque tam de bonis rebus, ut Psal. 18. 24. quàm de malis, ut Psalm. 103. 10. *θλίβουσιν ὑμᾶς* [*iis qui vos tribulant*] לחציכם. Ἄνεσις opponitur *θλίψει* [*tribulationi*,] significatque *solatium* Actor. 24. 23. In Glossario, *ἄνεσις*, *requies*. Idem quod *ἀνάπαυσις* מנוחה. ¶ *ἐν τῇ ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀπ' οὐρανοῦ*, *in revelatione Jesu Christi de cœlo*] Putem illa *εἴπερ* [*siquidem*] & sequentia posse per *παρένθεσιν* [*Interpositionem*] legi: & hæc *ἐν τῇ ἀποκαλύψει* [*in revelatione*] referri ad id quod præcessit, *καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ* [*ut digni habeamini in regno Dei*.] Vocat autem *ἀποκάλυψιν* [*revelationem*] quod alibi *παρουσίαν* [*adventum*,] quia Hebræis dicitur גלה, id est, *ἀποκαλύπτεσθαι* [*revelari*] omne id quod apparet, cùm ante non apparuerit, ut Prov. 27. 25. Rom. 8. 18. *ἐν τῇ ἀποκαλύψει* [*in revelatione*,] denotatio temporis, ut *ἐν τῇ παρουσίᾳ* [*in adventu*] 1 Thess. 2. 19. 3. 13. ¶ *μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ*, *cum Angelis virtutis ejus*] Vide quæ allata dicto loco 1 Thess. 3. 13. *ἄγγελοι δυνάμεως αὐτοῦ* [*Angeli virtutis ejus*] id est, *Angeli qui majestati ejus inserviunt*. Vide Matt. 26. 64.

8. *Ἐν πυρὶ φλογὸς*, *In flamma ignis*] *Cum igne flammante*. Idem est *πῦρ φλογὸς* [*ignis flamma*] ut hic, & *φλὸξ πυρὸς* [*flamma ignis*] Psal. 29. 7. Esaiæ 29. 6. 60. 6. Joel. 2. 5. Apoc. 19. 12. quia quod Hebræis vice genitivi est, id modò subjecti, modò adjuncti habet significationem. *ἐν* hîc valet *cum*. De sensu vide Matth. 5. 22. 18. 8, 9. 25. 41. Marc. 9. 43, 45. 2 Petr. 3. 7. Judæ 7. Omnibus Dei judiciis solet attribui *flammeus ignis*, ut dictis locis Veteris Testamenti videre est: at eximio jure isti extremo atque universali. ¶ *διδόντος ἐκδίκησιν*, *dantis vindictam*] Διδόντος [*dantis*] refertur ad illud remotiùs τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ [*Domini Jesu Christi*.] Est hic *διδόναι ἐκδίκησιν* [*dare vindictam*] idem quod *ποιεῖν ἐκδίκησιν* [*facere vindictam*] Luc. 18. 7, 8. Actor. 7. 24. Eadem quæ hic locutio Ezech. 25. 14. & alibi. ¶ *τοῖς μὴ εἰδόσι Θεὸν*, *iis qui non noverunt Deum*] *Qui Deum non noscunt*, id est, non agnoscunt, qui non magis eum curant quàm Pharao Exod. 5. 2. Vide 1 Thess. 4. 5. ¶ *καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσι τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*. & *qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi*] Nam ex ea lege judicium redditur in eos quibus Euangelium annuntiatum est ad Romanos 2. 16. *ὑπακούειν εὐαγγελίῳ* [*obedire Evangelio*] hic & Roman. 10. 16. est Euangelium ut à Deo profectum recipere, & secundùm id instituere vitam.

9. *Οἵτινες δίκην τίσουσι*, *Qui pœnas dabunt*] *Pendent pœnam*. Sic

> — *δίκας τίνων*
> — [*pœnas pendens*,]

Euripides Iphigenea in Tauris, idem in Phryxo *τιμωρίαν ἔτισεν* [*pœnam pependit*.] Theodectes, *τίνουσι ποινὰς* [*pendunt pœnas*.] alius: *τίνουσ' ἀμοιβὰς* [*pendunt pares pœnas*.] Sic *ζημίαν τίσουσι* [*dispendium sustinebunt*] Prov. 27. 11. ¶ *ὄλεθρον αἰώνιον*, *interitum æternum*] Explicat qualis sit futura pœna: nempe quâ gravior

gravior nulla. ὄλεθρον [*interitum*] ut 1 Thess. 5. 3. alibi ἀπώλειαν [*perditionem*] Matth. 7. 13. Rom. 9. 22. Philipp. 3. 19. αἰώνιον [*aeternum*,] sicut πῦρ αἰώνιον [*ignis aeternus*] Matth. 18. 8. 25. 41. Judae 7. κρίσιν αἰώνιον [*condemnationem aeternam*] Marc. 3. 29. ¶ ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. *à facie Domini & à gloria virtutis ejus*] Ἀπὸ (*à*) hic designat causam, ut Rom. 1. 7. 2 Cor. 1. 2. & alibi saepe. Si quaeris, inquit, unde illa poena? *A facie*, id est, ab ore, à sententia *Christi* & potenti ipsius *magnificentia*, per quam judicatum exsequitur. Sic ἀπὸ προσώπου [*à facie*,] sed in bonam partem, habes Actor. 3. 20. Videntur autem haec verba sumpta ex Esaiae 2. 10, & 19.

10. Ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν, *Cum venerit glorificari in sanctis suis & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt*] Bis idem dixit more Hebraeo. *Tum id fiet*, inquit, *cum Christus credentes eosdemque sanctos suos in summam claritatem evehendo, admirandam ex hoc facto gloriam consequetur*. Gravat dolorem felicitatis alienae conspectus. θαυμάζεσθαι [*admirabilis fieri*] hoc sensu habes Esai. 61. 6. 4 Reg. 5. 1. Sap. 8. 12. 38. 3. ¶ ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ᾽ ὑμᾶς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. *quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo*] Sensus est, *Quia die illâ plane probatum erit illud testimonium quod nos vobis attulimus*, nempe de futuro judicii adventu. ἐπιστεύθη [*creditum est*] primùm pro האמן, *firmum factum est, ratum factum est*, quia quae talia sunt, iis credi solet: deinde est aoristus significans rem quae illo tempore, de quo agitur, exacta erit: quomodo rectè hic accepit Syrus. Sicut contrà per futurum enuntiatur, quod nunc praesens est, sed olim ut futurum exspectabatur, Matth. 11. 14. ἐφ᾽ ὑμᾶς לכם [*vobis*,] ut ἤγγικεν ἐφ᾽ ὑμᾶς [*appropinquavit in vos*] Luc. 10. 9.

11. Εἰς ὅ, *in quo*] *Quapropter*. מטל הנא Syrus. ¶ προσευχόμεθα πάντοτε περὶ ὑμῶν, *oramus semper pro vobis*] Coloss. 1. 3, 4. ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως ὁ Θεὸς ἡμῶν, *ut dignetur vos vocatione Deus noster*] *Ut Deus vos vocatione* eâ quae per Euangelium contingit *dignos reddat*. Ita exponimus ex Ephes. 4. 1. חשׁב. Et ita accepit hic Syrus utens eodem verbo, quod est Coloss. 1. 12. ¶ καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης, *& impleat omnem voluntatem bonitatis*] *Perficit in vobis omnem bonitatem sibi gratam*. Similem significationem vocis πληροῦν [*implere*] habes Rom. 8. 4. & 2 Cor. 10. 6. εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης [*voluntatem bonitatis*,] id est, ἀγαθωσύνην ἥ ἐστιν αὐτοῦ εὐδοκία [*bonitatem quae est ipsius voluntas*.] Vide Luc. 2. 14. ¶ καὶ ἔργον πίστεως, *& opus fidei*] Ἐναλλαγὴ [*Permutatio*] numeri, pro ἔργα πίστεως [*opera fidei*.] Sic & 1 Thess. 1. 3. Ea demum opera Deo placent, quae ex fide nascuntur. ¶ ἐν δυνάμει *in virtute*] *Potenter*. Sic Colossens. 1. 29.

12. Ὅπως ἐνδοξασθῇ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν ὑμῖν, *ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis*] *Per vos*, per vestra dicta & facta, maximè verò per Christianorum perpessiones Joh. 21. 19. Vide Joh. 12. 28. Gal. 1. 24. 1 Petr. 4. 14. Verbum ἐνδοξάζεσθαι [*clarificari*] pro δοξάζεσθαι [*glorificari*] habuimus & supra 10. & Exodi 14. 4. 33. 16. 2 Reg. 14. 10. Esaiae 45. 26. 49. 3. Ezech. 28. 22. Psal. 89. 8. ¶ καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ, *& vos in illo*] Nihil enim gloriosiùs quàm optimâ de causâ pati pessima. In Manuscripto, καὶ ἡμεῖς [*& nos*.] ¶ κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. *secundùm gratiam Dei nostri & Domini Jesu Christi*] Philipp. 1. 29.

CAP. II.

VALLA.

4. QUi *adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*] Gr. *super omnem qui dicitur Deus, aut cultus*, ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν, ἢ σέβασμα. ¶ *Ostendens se quasi sit Deus*] Ὅτι ἐστὶ Θεός.

6. *Ut reveletur in tempore suo*] Deest *ille*, ut sit *reveletur ille*, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτόν.

13, 14. *Primitias in salutem*, &c. *in qua & vocavit vos*] Legendum est *in quod*, εἰς ὅ.

REVIUS in VALLAM.

4. QUasi *sit Deus*] Deest censura Vallae: tantùm adjicit Graeca. Itaque scriptum fuisse reor, *Graece est*, quod sit Deus: ὅτι.

13. *Vocavit vos*] Perperàm legebatur *nos*.

ERASMUS.

1. PEr *adventum*] Graeca sic habent, ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ᾽ αὐτόν. Quorum sententia ita reddi poterat, *nomine adventûs Domini nostri Jesu Christi, & nomine aggregationis nostrae in illum*: atque in hunc sensum interpretantur Graeca Scholia. Obtestatur enim eos non solùm hoc nomine, quòd Christus appariturus sit in sua potentia, sed quòd ipsi quoque fideles illic sint adfuturi & adjungendi Christo. *Ipsum* autem sive *illum* non refert *Dominum*, sed *adventum*, παρουσίαν, & est, ἐπ᾽ αὐτήν. Ambrosius legisse videtur ἐπ᾽ αὐτό, si modò codex mendo vacat. Legit enim *in idipsum*.

2. *Cito moveamini*] Ταχέως σαλευθῆναι. Quod est propriè *fluctuantis* & *dimoti de loco*. ¶ *A vestro sensu*] Νοός, i.e. *mente* sive *intellectu*. ¶ *Tanquam per nos missam*] Ὡς δι᾽ ἡμῶν, *tanquam per nos*. *Missam* additum est explicandi causâ, etiamsi nonnihil mutat de sensu. Nam Paulus non vult eos *commoveri, neque per Spiritum* tanquam à Paulo profectum, *neque per sermonem* Pauli nomine allatum, *neque per Epistolam* illius jussuve nomine scriptam: atque id sonant verba Graeca. ¶ *Dies Domini*] Pro *Domini* Graecus habet *Christi*.

3. *Nisi venerit discessio*] Ἀποστασία. Quod Ambrosius vertit *defectionem*, nempe cùm aliquis desciscit à suo autore seu Principe. Et ἡ articulus additus significat insignem illam & antè praedictam defectionem. ¶ *Homo peccati*] Ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας. D. Ambrosius, ut explicaret vim articuli, legit *homo ille*, ut acciperemus de certo homine dictum.

4. *Super omne quod dicitur*] Interpres legisse videtur ἐπὶ πᾶν τὸ λεγόμενον. Verùm Graeci cod. sic habent, ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα, i.e. *supra* (vel *adversùs*) *omnem qui dicitur Deus aut cultus*, sive *veneratio*: atquè ità scriptum comperimus apud Origenem. Augustinus lib. Contra Advers. Legis & Proph. 2. cap. ult. legit, *supra omnem Deum & quod colitur*, sed mendoso usus codice; quod illi frequenter accidit. Hieronymus in Quaestionibus citat ad hunc modum, *contra omne quod dicitur Deus aut religio*, propiùs accedens ad Graeca verba. Quanquam video quosdam pro πάντα legere πᾶν τὸ λεγόμενον, *adversùs omne quod dicitur Deus aut religio*. Nam σέβασμα propriè dicitur id quod adoramus & summâ reverentiâ veneramur, & quod majestate praecellit: idque verti poterat, *numen*. Theophyl. legens πάντα, i.e. *omnem*, sic enarrat locum ut πάντα referre videatur ad *omnes Daemones* aut *homines qui pro Diis habiti sunt*; σέβασμα ad *simulacra, lucos* aut *fana*. Si legamus πᾶν, quod scriptum fuisse arbitror, participium λεγόμενον utroque referendum est, *quod dicitur Deus*, *aut quod dicitur Sebasma*. Quemadmodum enim illi non erant veri Dii, ità nec vera sebasmata quae venerabantur. Nam Deo vero quomodo se praeferret ille qui non noverat? ¶ *Tanquam sit Deus*] Ὅτι ἐστὶ Θεός, *quod sit Deus*, h.e. *ostentans se esse Deum*, cùm non sit. Paulus non absolvit sermonis ordinem, sed velut oblitus eorum quae coeperat, interjicit quae veniunt in mentem. Videbatur enim additurus, *quoniam nisi venerit defectio*, &c. *non veniet dies Domini*.

5. *Non retinetis*] Οὐ μνημονεύετε, *Non meministis*. O novam copiae affectationem, etiam cum injuria sensûs! Utrùm, quaeso, istud est vertere Divinas literas, an potiùs in re seria ludere? Cùm simplex, notum ac proprium verbum suppeteret, ille maluit *retinetis*. Tolerabilius erat *tenetis*, etiamsi futurum erat ἀμφίβολον. Sed aliud est *retinere*, aliud *tenere*. *Tenet* qui meminit, aut etiam qui intelligit; *retinet*, qui revocat alioquin abiturum. Et hoc loco quidam τραγικῶς in me destomachatur, qui *prorsus* sim *ignarus linguae Latinae*, nimirum non intelligens *retinere* pro *meminisse* Latinè dici, cùm sic locutus sit Seneca in Epistola quadam quam scripsit ad Paulum, atque ità verterit hic idem Interpres in Actis Apostolorum cap. 20. Quasi quisquam eruditus credat illas Epistolas eorum esse quorum titulos habent, aut quasi consequens sit, ideo Latinè dictum hoc loco *retinetis* pro *tenetis* quòd idem alibi sit ad eundem modum locutus. Et qui tam argutis syllogismis rem agit, nec ullum interim locum producens è probatis Latini sermonis autoribus, me vocat *prorsus ignarum linguae Latinae*, me *rudem* appellat, *hebetis crassique ingenii*. Sed malè habet hominem quod taxarim Interpretem, cujus patrocinium susceperat; at reum interim suum in tot locis destituit, ubi nè verbum quidem pro illo mutit; quod ipsum tamen est verecundius quàm causam illius tam sinistre agere. ¶ *Haec dicebam vobis*] Ambrosius (nisi codex mendosus est) legit ad hunc modum, *Non meministis quod, me adhuc apud vos agente, haec dicebantur vobis*.

6. *Ut reveletur in suo*] Deest *ille*, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτόν,

τὸν, ut ille reveletur. Ille, inquam, *adversarius*, de quo modò dictum est.

7. *Mysterium jam operatur iniquitatis*] *Mysterium* eadem vox est quam alias vertit *sacramentum*. Jacobus Faber putat *operatur* hic accipi passivè pro *patratur*: tametsi nihil est necesse, cùm sit verbum medium. Et *ἐνεργεῖν* non est propriè *patrare* aut *facere*, sed *agere*, h.e. vim suam exercere: sicut Spiritus dicitur *operari in nobis* cum vim suam & efficaciam ostendit. Ità nunc Paulus dicit Antichristum nondum apparuisse, sed tamen occultè jam illius spiritum valere, & agere in his qui persequuntur Christianos. Græci interpretes arbitrantur hoc dictum in Neronem. ¶ *Tantùm ut qui tenet nunc, teneat*] *Μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως*· Videtur in Græco codice deesse *ὁ κατέχων ἄρτι κατεχέτω, is qui nunc obtinet, obtineat, donec*, &c. nisi malimus Aposiopesin esse, quæ plus significarit silendo quàm si verbum explicuisset. Hunc locum exponunt de Imperio Romano, quo soluto sit venturus Antichristus: Nonnulli de Nerone, quem putant aut resurrecturum ac futurum Antichristum, aut in hoc sublatum asservari ut suo tempore prodeat: Quidam de fictis Christianis. Quibus de rebus accuratiùs disserit Augustinus lib. De civit. Dei 20. c. 19.

8. *Interficiet*] *Ἀναλώσει, consumet.* ¶ *Illustratione adventûs*] *Τῇ ἐπιφανείᾳ, apparitione*; etiamsi Ambrosius legit *illustratione præsentiæ suæ.* Augustinus *illuminatione præsentiæ suæ*; ut accipias claritate Christi advenientis obscuratum iri Antichristum.

9. *Et prodigiis mendacibus*] *Ψεύδους, mendacii*: sic legit & Ambrosius. Quanquam Interpres, si studio sic vertit, vertit eleganter; sin casu, feliciter.

10. *His qui pereunt*] *In his* est Græcè, licèt reclament Latini codices. ¶ *Charitatem veritatis*] *Τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο, dilectionem veritatis non acceperunt.* Atque ità legit D. Ambrosius. Duriùs enim cohæret *charitas* cum genitivo casu *veritatis*. Sentit enim *amorem veri*, aut *charitatem veram*, aut, si credimus Theophylacto, ipsum Christum, qui fuit utrumque; Charitas & Veritas.

11. *Ideo mittet*] *Καὶ διὰ τοῦτο, Et ideo.* Deest enim nobis copula. ¶ *Operationem erroris*] *Ἐνέργειαν πλάνης, efficaciam seductionis*, vel *imposturæ*, aut referatur ad prodigia quæ facturus sit Antichristus, nimirum agente in illo spiritu immundo. Quandoquidem D. Hieronymus arbitratur Paulum hunc sumpsisse locum ex Esaia, qui scribit, *Dominus miscuit eis spiritum erroris.* Porrò spiritûs est agere velut ignis.

12. *Sed consenserunt*] *Ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ.* Quod ità verti poterat, *sed quibus placuit iniquitas*: aut, *sed approbaverunt iniquitatem*, ut aliàs *συνευδοκεῖν*.

13. *Quod elegerit nos*] *Ὅτι εἵλετο ὑμᾶς*, i.e. *elegit vos.* ¶ *Primitias in salutem*] *Ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν, ab initio ad salutem.* Et Ambrosius legit *à principio*. Apparet Interpretem legisse *ἀπαρχὰς*, sive *ἀπαρχὴν*, quod sonat *primitias*; ut sit sensus, Illos inter primos fuisse vocatos ex Thessalonicensibus. Sin legas *ἀπ' ἀρχῆς*, pertinet ad Divinam prædestinationem. Quanquam ex iisdem verbis & hic sensus accipi potest, *Eripuit nos Deus ab imperio.* Theophylactus in contextu legit *ἀπ' ἀρχῆς*, i. e. *ab initio*, & interpretatur de Prædestinatione; nec tamen certò liquet an legerit *ἀπαρχάς*.

14. *In quo & vocavit*] *Εἰς ὅ, In quod.* Idque potest vel accipi absolutè, vel referri ad *spiritum*, ut dicas *in quem*; & ità indicant Græca Scholia. Vetusti cod. habent *in quam*, ut legit Ambrosius. Ex iis conjicere licet primam scripturam fuisse *in quem*, scilicet *spiritum*. Id lectori visum est durius, eoque *quem* mutavit in *quam*, ut molliùs referatur ad *fidem* proximam. Mihi tamen magis placet ut *ὅ* sumatur absolute.

15. *Quas didicistis*] *Ἐδιδάχθητε, quas docti estis*: ut obiter magis commendet suum officium.

16. *Deus & Pater noster*] Sermo Græcus mollior est, *ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν*, i. e. *is qui Deus & idem Pater noster est.* Nam si dixisset *ὁ Θεὸς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν*, visus fuisset designare duas Personas, quarum alter fuerit Deus, alter fuerit Pater. Ambrosius non addit copulam, haud scio an vitio librariorum.

17. *Exhortetur corda vestra*] *Παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας, consoletur corda vestra.* Tametsi verbum *παρακαλέσαι* ambiguum est. ¶ Et apud Græcos *sermo* præcedit *opus*; apud nos diversus est ordo. In tradendo pietatem prius est Facere quàm Docere, in disciplinis prior est Sermo quàm Opus. Primùm enim discendum quid expediat facere.

VATABLUS.

1. NOstra congregationis] *Nostri aggregationem*: quæ scil. fiet ut in aëre ipsi occurramus. ¶ *In ipsum*] Sub. *Christum.*

2. *Vestro sensu*] *Vestra mente.* ¶ *Terreamini*] *Turbemini.* ¶ *Per spiritum*] i.e. Per aliquem asserentem se habere revelationem de hac re. ¶ *Quasi*] *Quod.* ¶ *Domini*] *Christi.*

3. *Quoniam*] Sub. *non adveniet.* ¶ *Discessio*] *Illa defectio.* ¶ *Homo* *] * *Ille.* ¶ *Omne quod*] *Omnem qui*: i.e. supra Christum.

4. *Quod colitur*] *Religio*: i.e. religione aut cultu dignus. ¶ *Ostendens se tanquam sit Deus*] *Ostentans seipsum esse Deum.* Vet. legunt, *quia sit.*

5. *Retinetis*] *Meministis.* ¶ *Dicebam*] *Dixerim.* ¶ *Revelatur.* *] * *Ille.*

7. *Operatur*] Vel, *exercet.* ¶ *Tantùm ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat*] *Solum hoc tempore detinens, donec de medio tollatur*: i.e. solus hodie Christi adventum detinens ac remorans, donec per ipsius Christi adventum tollatur. Quidam interpretantur, *hoc solummodo quod nunc detinet è medio tolletur.*

8. *Interficiet*] *Consumet.* ¶ *Spiritu oris sui*] i.e. Verbo suo, sententiâ suâ addicet morti. ¶ *Illustratione adventûs sui*] Heb. claro suo adventu & illustri.

9. *Cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute*] Heb. pro, *in cujus adventu operabitur Satanas cum magna potentia.* &c.

10. *In omni seductione iniquitatis* *] *Cum omni iniqua deceptione.* * *In*, vel, *adversus eos.* ¶ *Charitatem*] *Dilectionem*: i.e. veritatem noluerunt diligere, Heb.

11. * *Ideo*] * *Et.* ¶ *Operationem erroris*] *Efficacem errorem*: i.e. evidentissimum & adigentem illos.

12. *Consenserunt iniquitati*] *Placuerunt sibi in iniquitate*: vel, *placuit eis iniquitas*, aut *injustitia.*

13. *Nos*] *Vos*, secundæ personæ, Vet. ¶ *Primitias in salutem, in sanctificatione Spiritûs*, &c.] i.e. Per Spiritum sanctificantem & fidem veram.

14. *In quam*] *Ad quod*, Vet. i.e. ad quam fidem in Christum. ¶ *In acquisitione*] *In acquisitionem*, Vet. i.e. ut per vos gloria Christo acquiratur, eaque augeatur.

16. *In gratia*] *Per gratiam*: i.e. favore suo erga vos.

17. *Exhortetur*] *Excitet.* ¶ *Opere & sermone*] *Sermone & opere*: i.e. doctrina & operibus.

CASTALIO.

6. QUid obstet quò minùs exsistat ille suo tempore] Jam exsistat, jamque sit ejus tempus.

9. *Cujus scelerosi adventus*, &c.] h.e. *Qui scelerosus, cum advenerit, edet falsa prodigia*, &c. *Falsa* autem *prodigia* vocat quæ prodigia videntur esse, cùm sint præstigiæ ac mendacia.

CLARIUS.

1. PEr adventum Domini] Obtestatur *per adventum Domini* illum ad judicium, & addit, *& per congregationem nostram in ipsum*: h. e. Obsecro vos per illud terrificum tempus cùm Dominus apparebit & nos ante ipsum congregabimur.

2. *Neque per Spiritum*] Etiam siquis dicat, inquit, *Hæc dicit Spiritus*, quod sæpe falsi Prophetæ, mentientes veros, facere solent. Erant enim quidam pestilentes homines qui disseminabant jàm imminere adventum Domini secundum. Vult ergò nè eis credatur, sive fingant se à Spiritu admonitos, sive persuasoriâ oratione (hoc est enim quod ait *sive per sermonem*) id conentur affirmare, sive circumferant epistolas ejus inscriptas nomine.

3. *Nisi venerit discessio primùm*] *Ἀποστασία. Apostasiam* hanc intelligunt Antichristum, qui deficere à Christo multos compellet: quem & *hominem peccati* & *filium perditionis* vocat.

4. *Adversus omnem qui dicitur Deus, aut Numen*] Omnem tollet, tam verum Dei quàm falsum cultum, & illum in se transferet.

6. *Et nunc quid detineat scitis*] Sunt qui intelligant Spiritum sanctum, qui prohibeat nè nunc reveletur, sed suo tempore. Alii putant dici de Romano Imperio, quod nisi priùs

solvatur,

ſolvatur, non ſit venturus ille; ſed occultè dictum, ne irritarentur Romani, audientes ſolvendum eſſe illud Imperium: & Neronem ſignari per id quod ait, *Myſterium enim jam operatur iniquitatis*, quaſi figura ſit Antichriſti: & illud, *Tantum qui detinet nunc, donec de medio fiat*, h. e. Romanum Regnum, quod nunc impedimento eſt, cùm ceſſaverit & finem acceperit, tunc ille revelabitur, & conabitur non hominum ſolùm ſed Divinum etiam aggredi imperium. Alius ſic interpretatur, *Tantum qui tenet*, i. e. quam accepit à nobis rationem fidei & vivendi modum, *illum teneat, donec tollatur è medio*, i. e. uſque ad mortem, & reliqua committat Deo.

8. *Spiritu oris ſui*] Vel imperio; vel ut illud, *Si in Spiritu Dei ejicio Dæmonia.*

9. *Prodigiis mendacibus*] Vel quia ſigna illa præſtigiæ quædam erunt, fallentes oculos; vel quia per illa ſigna in mendacium & errores trahet.

10. *In iis qui pereunt*] Et redditur cauſa cur hæc permittantur, *quia charitatem veritatis non admiſerunt.* Iccirco hæc prodigia vim non habebunt in eos qui veritatem amant, ſed in iis duntaxat qui eam oderunt.

14. *In acquiſitionem gloriæ*] In glorioſam poſſeſſionem acquiſitam à Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Z E G E R U S.

1, 2. R*Ogamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, ut non citò moveamini à veſtro ſenſu*, &c.] Græci contextûs verba ejuſmodi ſunt ut triplicem etiamnum admittant intelligentiam. Prima hæc eſt, *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtri congregationem* (ſic enim legit Hieronymus ad Miner. tom. 3.) *in ipſum* nempe *adventum, nè citò moveamini mente, nec turbemini, neque per ſpiritum, neque per verbum, neque per epiſtolam, tanquam proficiſcentia à nobis, quaſi inſtet dies Chriſti.* Secunda autem talis, *Rogamus vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per adventum & occurſum noſtræ congregationis in ipſum adventum, nè citò moveamini à veſtro ſenſu atque intellectu, neque turbemini, neque per ſpiritum alicujus, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam meo juſſu aut nomine ſcriptam, veluti inſtet dies Domini.* Atque hanc ſententiam noſter videtur ſecutus Interpres. Tertia verò hunc habet ordinem verborum, *Pro adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, & prò noſtra congregatione in illum*, i. e. Quoad adventum Domini, & noſtram reſurrectionem congregationemque in illum, *hoc vos rogamus, fratres, nè citò moveamini à veſtra mente & propoſito, neque per ſpiritum aliquem vaticinantem, neque per doctrinam vivâ voce prolatam, neque per epiſtolam falsò titulum noſtrum præferentem, quaſi inſtet dies adventûs Chriſti.* Jam liberum quidem relinquitur lectori quam maluerit ſequi; mihi tamen poſtrema cæteris germanior judicatur. Cæterùm ſi cui fortè hæc conferre libebit cum archetypo, ut ad manum ſint ipſius Apoſtoli verba, ſubjiciam. Ἐρωτῶμεν δὲ, inquit, ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, ὑπὲρ παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ᾽ αὐτὴν, εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς, μήτε θροεῖσθαι, μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι᾽ ἐπιστολῆς ὡς δι᾽ ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ. Quòd ſi verò pro ἐπ᾽ αὐτὴν legatur ἐπ᾽ αὐτὸν, ut moderni habent codices referet non παρουσίαν *adventum*, ſed *Chriſtum*; *per noſtram congregationem in Chriſtum*, vel *cum Chriſto*.

3. *Niſi venerit diſceſſio primùm*] *Diſceſſionem* alii interpretantur defectionem Regni Romani: alii *diſceſſionem*, ſive *defectionem* (ut alii vertunt) Antichriſtum ipſum accipiunt, quòd re ipsâ futurum ſit ut multos faciat à Chriſto deſciſcere, vel electos ipſos, ſi fieri poſſet. B Auguſtinus De civit. Dei l. 20. c. 19. attingit utrumque, ſed diverſis locis, pro ἀποστασία nunc *refuga*, nunc *diſceſſio* ſcribens. Reliquit autem Apoſtolus ex ſuperioribus ſubintelligendum aliquid: cujuſmodi orationis forma crebra eſt apud hunc Apoſtolum. Sic ergò licebit abſolvere, *Quoniam dies Dominici adventûs non veniet niſi venerit diſceſſio*, &c.

4. *Super omne quod dicitur Deus*] Legendum ἐπὶ πᾶν τὸ λεγόμενον, ut in nonnullis exſtat, & apud Tertullianum lib. contra Marc. 5. & Hieronymum.

6, 7. *Et nunc quid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore. Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantùm ut qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat*] *Quid detineat*, inquit, *ſcitis* nimirum, *ut* non alio quàm *ſuo* à Deo Patre præfinito *reveletur tempore. Myſterium* autem *iniquitatis operatur* homo ille peccati, filius perditionis, Antichriſtus, dum clanculum ſævit per impios homines in pios Euangelii profeſſores. Neque aliud ſuperest niſi ut *quiſquis nunc tenet* rectam fidem atque charitatem, conſtanter *teneat donec* Romanum Imperium *tollatur è medio*; eoque & fides Catholica magna ex parte deficiet. Id ubi factum fuerit, palàm *revelabitur ille iniquus*, &c. Poſſet quoque illud ἐνεργεῖται, i. e. *operatur* vel *agit*, accipi abſolutè poſitum, [illegible] ut ipſum *iniquitatis myſterium* nominandi caſu, i. e. occulta nequitiæ vis, dicatur graſſari & *agere* in iis qui perſequuntur Chriſtianos. Attamen quod dixi priùs mihi ſanè magis arridet. Sunt & aliæ in præſentem locum explanationes. Nam veteres ferè illud, *Quid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore*, ſecùs accipiunt. Et Auguſtinus De civ. Dei l. 20. c. 19. quidem, *Quid detineat*, inquit, *id eſt, quid ſit in mora, quæ cauſa ſit dilationis ejus ut reveletur in ſuo tempore, ſcitis.* Quid autem id ſit, & quid ſequentibus ſenſerit verbis Apoſtolus, prorſus ſeſe fatetur ignorare. Adducit tamen aliorum opiniones, ex quarum poſtrema ſuperiorem ferè ſenſum collegimus. Theophylactus item varia adducit, ſed maximè probat Chryſoſtomi interpretamentum: quod partim ex ipſo Chryſoſtomo, partim ex Theophylacto, ubi dilucidior eſt Theophylactus, adſcribere non gravabor, *Quid eſt ergò*, inquit, *quod detinet ad revelandum ipſum, hoc eſt, quod prohibet nè reveletur? Alii quidem dicunt Spiritûs eſſe gratiam: alii verò, Romanum Imperium: quibus ego potiſſimum adſtipulor. Nam ſi Spiritum voluiſſet dicere, utique obſcurè non dixiſſet, ſed apertè, Quoniam & nunc ipſum detineret Spiritûs gratia, h. e. donationes. Alioqui oportuit ut ante id tempus ad eos ſe contuliſſet, ut quibus Spiritûs dona defuiſſent. Quoniam verò de Romano Imperio iſtud dixit, meritò ænigmaticè & obſcurè locutus eſt. Neque enim volebat ſuperfluas inimicitias & inutilia pericula ſuſcipere. Si enim dixiſſet, Quoniam adhuc modicum, & deſtruetur jam Romanum Imperium, confeſtim eum defodiſſent velut corruptorem, & credentes omnes tanquam in hoc viventes & decertantes. Et non dixit, Citò illud erit: ſed quid?* Ad hoc, *inquit*, ut reveletur ipſe in ſuo tempore. Etenim jam myſterium iniquitatis agit. *Per iniquitatis* myſterium *Neronem deſignat, qui Antichriſti figuram præferret: quandoquidem & impurior eſſet, & Deus dici & haberi quærebat. Et bene dixit* myſterium; *h. e. non apertè hoc agit, ſicut ille acturus eſt, neque adeo perfrictâ fronte & impudenter. Quod ergò dicit tale eſt; Antequam Antichriſti tempus illud immineat, inventus eſt alter haud ſanè multò malignitate illo inferior. Apertum verò noluit eum facere: id quod non propter metum fecit, ſed ut nos inſtrueret ut non ſuperfluas inimicitias in nos ſuſcipiamus, ſi quando nihil eſt quod neceſſariò urgeat.* Tandem ut qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat: & tunc revelabitur ille iniquus. *Hoc eſt, cùm Romanum Imperium tollетur è medio, tunc adfuturus eſt ille. Et non abs re. Donec enim Imperii illius timor fuerit, nemo Antichriſto ſtatim ſubdetur. Quando verò iſtud fuerit deſtructum Imperium vacantem Imperii principatum invadet, & tentabit ad ſe rapere & hominum & Dei imperium.* Eadem ferè habet & Hieronymus in Epiſt. [illegible] Algaſiam, quæſt. 11. Explicat hunc locum & Tertullianus libro De reſurr. carnis, ſi cui fortè requirere libebit. Concordat Auguſtinus cum Ambroſio atque Interprete, addens vocem *teneat*, quæ Græcis abeſſe cernitur, ſubaudienda fortaſſe propter ſermonis alioqui Eclipſim.

10. *Charitatem veritatis*] Aut veram minimeque fucatam charitatem accipimus: nam ſimulatam & umbraticam habiturus eſt Antichriſtus. Aut *veritatis ἀγάπην*, i. e. *veritatis amorem.* Aut certè Chriſtum ipſum intelligimus, qui ſimul & Charitas & Veritas eſſe Scripturarum teſtimoniis comprobatur.

13. *In ſanctificatione Spiritûs, & in fide veritatis*] Idem valet quaſi dixiſſet *per ſanctificationem purificationemque ſpiritualem, & fidem veram.* Niſi malis per Hypallagen accipere, pro *per Spiritum ſanctificationis* (ſive *ſanctificantem*) *& fidei ſolidam veritatem.*

14. *In quam & vocavit vos*] Hanc germanam eſſe noſtri Interpretis ſcripturam teſtantur vetuſtiſſima exempl. emendatiora, cumque iis conſentiens Ambroſius, ut alios taceam noſtræ linguæ autores. Atque idem vel ex Græco habebitur, ſi εἰς ὃ accipiamus pro *in quam rem*, nempe *fidem veritatis.*

L U C A S B R U G.

13. N*Os autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritûs, & fide veritatis.*] Multi libri, cum Lyrano & Richelio, *quòd elegerit vos* ſcribunt; plures & veriores, cùm Haymone, Autore Gloſſæ, Anſelmo, Longobardo, Carenſi, Gorrano & Brunone, *nos.* Codices Græci, cum Syris, ὑμᾶς *vos* conſtanter habent. Montano Theophylactus ἡμᾶς *nos* legiſſe videtur. *Nos* videri poſſit legendum, ex

ea quod proximè sequitur, " *In*" *qua* - & [" *ad quod*" *quam* - Malma.] *vocavit vos per euangelium nostrum*: quasi dicat Apostolus, gratias se debere Deo pro sui electione, non suâ tantùm causâ, verumetiam Thessalonicensium, quibus à Deo missus est veritatis prædicator salutisque minister. Quidam libri habent, *In qua & vocavit nos*; malè. Porrò Græcè non inveni & conjunctionem (εἰς ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς, *ad quod* [*ad hoc enim* Syri] *vocavit vos*) nisi in una Simonis Colinæi editione, εἰς ὃ καὶ ἐκάλεσεν ὑμᾶς. Si *vos* priori loco legatur, illic de prædestinatione, hîc de prædestinationis effectu, sermonem esse intelligi potest. Alii, qui *nos* habent, simpliciter intelligunt, Apostolum se Thessalonicensibus connumerasse.

Notandum est his insuper, pro eo quod Latini *primitias*, Græcos ἀπ' ἀρχῆς legere, quod est, *ab initio*, *à principio*; consentientibus Syris, & Autore commentariorum quæ sunt inter Ambrosii opera. Habet hic, *Quia assumpsit vos Deus à principio ad salutem.* Similem ad modum antiquum Malmundariense exemplar majus, idquod sæpius à nostra editione recedere observavimus, *Quia elegit vos Deus ab initio ad salutem.* Interpres noster ἀπαρχὴν fortassè legit, quod *primitias* sonat. Gagnejus habet, à quibusdam exemplaribus Græcis ἀπαρχὰς scribi.

H. STEPHANUS.

1. ΚΑὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτὸν] *Et per nostri ad eum aggregationem.*

2. Εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς] *Ne dimoveamini.* ¶ Μήτε θροεῖσθαι] *Neque turbemini.*

4. Ἢ σέβασμα] *Aut omne cui veneratio exhibetur.*

6. Τὸ κατέχον] *Quid obstet.*

7. Ἕως ἐκ μέσου γένηται] *Donec è medio sublatus fuerit.*

12. Ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ] *Sed acquieverint in injustitia.*

DRUSIUS.

3. HOmo peccati] איש און, i. e. *peccator ille.* Sic loquendo sign. *hominem improbum.* Nam homo sceleratus potiùs diceretur איש און *vir* sive *homo* (nam hæc duo se invicem explicant) *sceleris.* Ebraïsmus est notus.

13. *Fide veritatis*] Ut *fides Dei*, quæ Deo habetur, Marc. 11. 22. ἔχετε πίστιν Θεοῦ, ità *fides veritatis* quæ habetur veritati, vel habita veritati, ut rectè vir doctissimus hunc locum explicat. Alioqui πίστις ἀληθείας ex Ebraïsmo valet *fides vera*, ut *via justitiæ* dicimus pro *justa*.

CAMERON.

1. ΚΑὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτὸν] Ἐπισυναγωγὴ *Ecclesiam* hic non significat (uti nonnulli falsò existimant) sed *aggregationem fidelium ad Christum*: quæ fiet ultimo die: nempe ante illud tempus nunquam conjungimur omnes ad Christum. Quòd si ἐπισυναγωγὴ *Ecclesiam* eo loco significaret, oratio neque aliquid significaret neque cohæret. Quid enim sibi velint hæc verba, *Oro vos per adventum Christi, & per Ecclesiam*? Sanè non facile est assequi quid sibi velit qui sic loquitur. Tum etiam cur *adventûs Christi* primò meminerit, tum *Ecclesiæ*, si ἐπισυναγωγὴ aliud eo loco significat quàm *collectionem omnium fidelium*, collectionem, inquam, quæ fiet tum cùm animâ & corpore simul unà conveniemus ad Christi tribunal, atque unà cum Christo regnabimus?

3. Ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον] *Apostasia* significat haud dubiè aliquid magnum & insigne, sed magnum & insigne malum. Sunt qui hâc voce intelligi volunt *defectionem ad Gentilismum*. Verùm iis temporibus quibus Apostolus hæc scripsit Gentilismus obtinebat, abolendusque erat paulatim per prædicationem Euangelii. Pontificii *defectionem* intelligunt *ab Imperio Rom.* in eo secuti nonnullorum Patrum autoritatem. Sed si *defectio ab Imperio Rom.* hoc loco significetur, cùm jampridem Rom. Imperium defecerit, sequetur multò ante secula nostra Apostasiam hanc contigisse, & quidem in Ecclesia Rom. quæ subduxit se Imperatori Romano, præsertim verò Papa, caput Ecclesiæ Rom. qui reliquis Principibus præbuit exemplum hujus rebellionis, atque adeò illis fuit autor. *Apostasia* certè non significat hic Apostolo *defectionem ad Gentilismum*, neque item *à legitimo Magistratu*, sed idipsum planè est quod Propheta Jeremias cap. 29. 32. (cùm agit de falsis Prophetis eorumque vaticiniis) vocat סרה, h. e. ut verterunt LXX. Interp. & res ipsa poscit, ἀποστασίαν, *declinationem* seu *recessum*, non quemcunque, sed eum cui prætexitur autoritas Verbi Dei. Nam cùm eo loco Jeremias objicit Scemabjæ Pseudoprophetæ *apostasiam*, non intelligit idololatriam Gentilium, sed adulterationem verbi Dei. Similiter Paulus 1 Tim. 4. 1. *Spiritus*, inquit, *disertè dicit fore ut ultimis temporibus nonnulli* ἀποστήσονται, *discedant*, *à fide.* Non hoc vult, fore ut nonnulli deficiant ad Paganismum; sed potiùs hoc vult, fore ut nonnulli Doctoribus profitentibus religionem Christianam, sed eam adulterantibus, aures præbeant nimis faciles & pronas. Et Act. 21. Fratres Jerosolymitani, dum admonent Paulum periculi in quo versabatur Jerosolymis, ajunt percrebuisse rumorem de Paulo acsi doceret *apostasiam*, ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ Μωσέως, v. 21. Non quòd Paulo unquam ab ullo esset objectum quòd defecisset ad Gentes, quòd negaret Messiam, aut verò etiam Legem & Prophetas, sed quòd obtentu nominis Messiæ, Legis & Prophetarum contaminaret puritatem doctrinæ. Est autem hæc Apostasia antonomasticè sic à Paulo dicta ἡ ἀποστασία, primò, quia ea fuit quæ non genitura esset in Ecclesia manifestum schisma: nam admittenda fuit à successoribus verorum & piorum Episcoporum, & quidem à successoribus veri & pii gregis; cùm reliquæ apostasiæ, quæ etiam Apostolicis temporibus obtinuerunt, conjunctæ fuerint cum schismate. Hujus generis apostasiæ imaginem habemus in Ecclesia Judaica, qualis fuit à Prophetarum temporibus ad Christi usque adventum. Nam labes illa, seu lues potiùs, ipsos occuparat successores piorum Doctorum, cùm pii interim gemerent & suspirarent. Deinde, reliquæ apostasiæ statim eruperunt; itaque in iis nullum fuit mysterium: at hæc apostasia, quæ Christianam Ecclesiam penè obruit, cœpit ab exiguis initiis, crevit tempore; cùm interim non exstincta fuerint priora, sed prioribus aliquid singulis ætatibus adjectum. Nam corruptelæ in doctrina initio leves fuere; itaque vel non fuerunt perceptæ, vel negligebantur etiam à viris bonis, qui, nisi urgeat rei gravitas, nullo modo possunt excitari ad ea palam profitenda quorum professio turbas excitare possit in Ecclesia, etiamsi sint verissima: tantùm eunt obviam malo cùm perniciosum est.

4. Ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ καθίσαι] Sunt nonnulli ex Ecclesiæ Rom. asseclis qui hinc ultro scientes prudentes fucum ipsi sibi faciunt, manendo in ea Ecclesia, quasi jure id ab ipsis fiat, quòd eam ideo putent esse veram Dei Ecclesiam quia Antichristus in ea sedem suam habet. Sed sanè frustrà sunt. Nam sic nullo unquam tempore piis liceret ab eorum cœtu discedere qui Tyrannum illum Ecclesiæ sævissimum colunt & sectantur: quod est vehementer absurdum. Tum non considerant an ab Ecclesia an verò potiùs adversùs Dei Ecclesiam exerceatur exercendaque fuerit ab illo Perditionis filio ejusmodi, quam usurpavit, tyrannica potestas; utrùm ab ea probetur an verò improbetur tyrannis illa. Atque hinc est quod Augustinus l. 10. De Civit. Dei, cap. 59. verba illa εἰς τὸν ναὸν non *in templo* sed *adversus templum* interpretatus sit, quasi sensus & mens Apostoli sit, Antichristum non in Ecclesia Dei sessurum atque dominaturum, sed contrà insurrecturum eum adversùs veram Dei Ecclesiam. Verùm ut nè huc confugiamus, licet hic εἰς τὸν ναὸν pro ἐν τῷ ναῷ positum esse ab Apostolo concedamus, negamus tamen hinc aliud quidquam confici posse præter hoc, Eum nempe cœtum qui Antichristum colit, reveretur, eique per omnia obsequitur, nomine & titulo tenus duntaxat esse Ecclesiam. [illegible] nempe ille in Ecclesia ut in corpore carcinoma, ut in Rep. Tyrannus. Atque hæc videtur omnino esse causa cur Apostolus certo consilio hic non *Ecclesiæ* nomine sed *Templi Dei* usus sit. Voluit nimirum alludere ad Hierosolymitanum Templum, sic olim κατ' ἐξοχὴν *Templum Dei* dictum, atque hoc obiter innuere & significare; Quomodo olim Templum illud Jerosolymitanum locus aliquando fuit à Deo cultûs sui externi celebrationi dicatus, sed qui postmodum hominum improbitate & scelere in lustrum & speluncam latronum est commutatus; veterem tamen *Templi Dei* appellationem nihilominus aliquandiu retinuit propter primum illum & verum ejus usum: Pari ratione Ecclesiam Romanam jam hic *Templum Dei* dici, quòd olim Dei veluti manu plantata & exculta quasi fuerit, Deoque & Christo Domino Jesu dicata per Baptismum & fidei Christianæ professionem (quod ipsa etiamnum hodie quoad externam formam retinet) sed quæ jam longè à prima illa sua origine discessit, multiplicibusque erroribus & sceleribus primam illam sui veluti consecrationem polluit atque profanavit, falsique jam revincit quam nunc obtendit fidei professionem. Qua in re eadem est planè ejus ratio quæ est subditorum rebellium qui in Regem suum insurrexerunt, hi enim, utut rebelles, aliquatenus tamen & aliquandiu dicuntur *Regis subditi*, factionisque illius Caput & Princeps dici vulgò solet *subditus Regis imperare atque dominari*: Sic adultera aliquandiu *uxoris* nomen retinet. Hoc pacto illi *Templum Dei* dici possunt qui revera facti sunt spelunca latronum, inter quos non Antiochus sed Antichristus collocavit *abominationem desolationis suæ.* Præterea, ut illis etiam hoc concedamus,

Templum illud *Dei* in quo sessurus est Antichristus veram esse Dei Ecclesiam, non tamen indè continuò sequitur, Ecclesiam Rom. hodiernam esse veram illam Ecclesiam: Hoc tantùm indè confici poterit, Fideles qui & olim, & etiamnum fortè hodie, in Ecclesia Rom. delitescunt & captivi detinentur, (quomodo Judæi olim in Ægypto & Babylone) esse *Templum* illud *Dei*. His olim insedit, hodieque insidet, eorumque veluti cervicibus inequitat Pontifex Rom. atque eo respectu etiam κατ' ἐξοχὴν dici potest *sedere in Templo Dei*. Interim illi nunquam fuerunt, neque verò sunt, de Ecclesia Rom. licèt sint & fuerint in Ecclesia Rom. quomodo nimirum triticum est in palea, non est tamen de palea: quomodo item pauci interdum inveniuntur sinceri & incorrupti in collegio & cœtu corruptissimorum Judicum; quomodo denique pauci sani in magna peste laborantium turba, quorum tamen ipsi pars non sunt. Denique, ut illis hominibus omne undecunque eripiatur effugium, Pontifex Rom. dici potest *sedere in Templo Dei*, habito respectu ad jus illud quod ipse sibi arrogat in universos Christianos, etiam in eos qui ab ipso secesserunt, quatenus iniquis suis censuris (quasi legitimus esset eorum Judex) conatur eos vexare, Principesque & Reges hujus seculi in eos armat, concitat & sævire cogit.

7. Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας] Sunt qui per *mysterium* istud *iniquitatis* intelligunt hæreses & corruptelas morum vulgares, quæ jam tum grassabantur in Ecclesia. At hoc non est tanti ut *mysterium* dici debeat: *mysterium* enim aliquid magnum est & latens. Itaque *mysterium iniquitatis* dicitur quemadmodum 1 Tim. 3. 16. *mysterium pietatis*, quod cœpit statim à lapsu hominis, & tandem adeptum est complementum certo quodam & statuto tempore. Sic & hoc *iniquitatis mysterium* cœpit Pauli tempore, promovendum postmodum per gradus. Itaque non intelligit hîc Apostolus Hæreses quæ statim evanescunt, succedentibus novis hæresibus pugnantibus sæpenumero; sed aliquod malum quod serpere debuit per omnia secula, & serpendo capere incrementum, ut pilæ niveæ quas per ludum pueri per hiemem conficiunt; nam initio sunt admodum exiguæ, sed dum subindè volvuntur crescunt ferè in montem, præsertim si qui sint qui indesinenter & validâ manu eas huc & illuc impellant atque versent. Sed quæritur quodnam fuerit tandem hoc *mysterium* quod ab exiguis initiis eousque pervenerit. Responsio autem (adsit modò candor & integritas) est facilis; Nempe hoc *mysterium* Papatus est, cujus fundamenta etiam Apostolicis temporis sunt jacta. Cùm dicimus *Papatus fundamenta*, intelligimus Primatum in Ecclesia, non Ordinis modò, sed *Jurisdictionis & Autoritatis*. Primatum autem illum cœpisse temporibus Apostolicis, liquet manifestò ex Epist. ad Galatas cap. 1. & 2. Nam eo loco omni ope Apostolus incumbit in hanc rem, ut se æquet iis qui tum *Columnæ* habebantur in Ecclesia. Ubi hoc imprimis est observandum, quòd Zebedæi filios Jacobum & Johannem sejungit, & in medio Petrum collocat. Nempe his tribus Christus singulare privilegium indulserat, (quod quale fuerit alibi est à nobis explicatum) unde orta est nimia eorum in Ecclesia æstimatio. Observandum, inquam, Apostolum non collocasse Petrum in primo loco cùm agitur de columnis, neque item ultimo loco, sed medio, ut ordinem illum disturbaret. Nam si conjunxisset duos fratres eodem *Boanerges* nomine appellatos, visus fuisset detulisse illis Primatum: si Petrum primo loco collocasset, detraxisset quidem fratribus primatum, sed tribuisset Petro. Itaque, quod sapientiæ Apostolicæ fuit, Petrum in medio locavit. Sed objiciet hîc aliquis, nos sic facere Petrum Antichristi decessorem. Sed si pondus habet aliquod hæc objectio, pari ratione quis cavillari posset, Jeremiam habitum fuisse idolum Hieronymo, qui scripsit, eâ ætate quâ vixit, Ægyptios solitos ad sepulcrum Jeremiæ ea facere quæ faciunt idololatræ: vel, ut exemplo utamur quo animus afficiatur vehementiùs, Serpens æreus qui Dei jussu erectus est in deserto, idolum tum fuit cùm adorari cœptum est. Sed Idolum est duplex. Alterum genus idoli est (liceat enim sic loqui) *activè* idolum; quale idolum est Antichristus; vult enim se haberi pro Principe Ecclesiæ, & eo respectu adorari. Alterum idoli genus est quod est *passivè* idolum; idque duobus modis. Nam idolum passivè est quod neque admittere neque verò respuere potest idololatriam; ut sunt res inanimes, seu aliquando fuerint animâ præditæ, seu nunquam, ut qui hâc vitâ sunt functi, & ligna & lapides: Et est idolum passivè, cui defertur honor quem respuit: hujus generis idola fuerunt Paulus & Barnabas, cùm eorum alter pro Jove, alter pro Mercurio habitus est Act. 14. 12. Sic fundamenta Antichristianismi fuerunt in Petro, non activè, sed passivè, h. e. Petro perperàm contra jus & fas deferebatur Primatus. Jam verò norunt omnes, etiam pueri, hodieque Papatûs privilegia adscribi & accepta ferri autoritati Petri. Et qui vel primoribus labris attigit historiam Ecclesiæ, deprehendet magnum honorem semper habitum sedi Petri. Nam *mysterium iniquitatis* effecit ut Romæ sedes Petri haberetur. Neque tamen statim hoc malum adeò magnum fuit. Nam quæ existunt derepente ea evanida sunt: at quæ exigua habent initia, ea verò excrescunt aliquando in molem immensam. Certè cùm Christus primus sit, Antichristianismus Primatus erit: quid enim aliud sit Antichristianismus quàm usurpatio dignitatis Christi? Porrò Christi dignitas in tribus est sita, ut sit idem Propheta, Sacerdos & Rex Ecclesiæ suæ, docendo offerendo sacrificium, & regendo Ecclesiam. Jam proclive est non modò divinare sed indicare digito quis hæc sibi tribuat, apud quos ea autoritas obtineat. Non enim latet quis sibi arrogat jus in conscientiam, in Regna, in ea quæ spectant ad hanc vitam & ad futuram; qui novum instituit sacrificium, abstulit sacrificium verè novum, atque ità facit re quod Antiochus Epiphanes typicè fecit, *abstulit juge sacrificium*. Nostrum enim juge sacrificium est Christus crucifixus, qui postquam *invenit*, (i. e. exhibuit) *æternam redemptionem*, *consedit ad dexteram Dei in cœlo*. Initio sanè res fuit tenuis admodum Petrus: primùm cœpit haberi pro primo Apostolorum; in quo modus ille Primatûs qui Petro ex instituto Christo conveniebat, non est observatus. Deinde, In tenebris nascentis Ecclesiæ (porrò *tenebras* vocamus Scriptorum statim post Apostolorum tempora inopiam) obtinuit fama Petrum constituisse, Romæ præsertim, successorem. Cùm huic rei lenocinium aliquod veluti conciliaret Urbis splendor & dignitas, Episcopus Romanus habitus est pro Petri successore. Et cùm ad res magnas gerendas ea urbs esset admodum opportuna tum ob situm tum ob autoritatem politicam, hinc factum est ut sensim, nullo penè animadvertente, *Mysterium* illud ad summum tandem perductum sit.

GUALTPERIUS.

3. Ἀποστασία, *apostasia*] *Defectio*. Ἀπόστασις, *abscessio*, *distantia*; item *recessus*. Apud Medicos est ἀπόστασις, *abscessus*, idem quod ἀπόστημα. Ἀποστάσιον, *repudium*. Ἀποστατὴρ & ἀποστάτης, *qui deficit*, *qui secessionem facit*. Ἀποστάται dicti fuerunt peculiari significatione *religionis Christianæ quam professi erant desertores*: quo sensu Julianus Imper. dictus fuit *Apostata*. Ἀποστατεῖν, *deficio*, *desero*, &c.

JAC. CAPPELLUS

1, 2, 3, 4. *ROgamus autem vos*, *fratres*, *per adventum Domini nostri Jesu Christi*, *& nostri in eum aggregationem*, *Ne patiamini vos à mente citò dimoveri*, *neque turbari*, *neque per spiritum*, i. e. nec ullius Prophetici Spiritûs obtentu, *neque per sermonem epistolamve quasi* profectam *à nobis*, *quasi instet ille Christi dies*] Quasi nos id voluerimus 1 Thess. 4. 17. aut Christus Marc. 13. 26, 30. vel alius quispiam Scriptor θεόπνευστος. ¶ *Nequis ullo modo vos in* hunc *errorem inducat*, *quia* non instabit illa dies *quin prius venerit illa defectio*] Hieronymus ad Algasiam qu. 11 locum hunc ita παραφράζει, *Ut omnes gentes quæ Romano Imperio subjacent recedant ab eis*. ¶ *Et revelatus fuerit ille homo peccati*, *ille filius perditionis*] Potest articulus ὁ bis repetitus emphaticè sumi: potest etiam hæc emphasis omitti. ¶ *Adversarius* Christi, *qui sese effert adversus id omne quod dicitur Deus aut Numen*] Hieronymus ad Algas. q. 11. *Qui adversatur Christo*, *& ideo vocatur Antichristus*. ¶ *Usque adeò ut sedeat*] *Sedere* propriè dicuntur Episcopi, maximè verò Romani, qui veluti κατ' ἐξαίρετον suam fecerunt hanc vocem. ¶ *In templo Dei*] Εἰς ναόν. Sic Joh. 1. 18. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός & Marc. 11. 1. εἰς οἶκόν ἐστι. Latini quoque Græcorum imitatione sic aliquando loquuntur, autore Gellio l. 1. cap. 7. Monet enim Ciceronem ità locutum fuisse, *Cùm vestros portus in prædonum fuisse potestatem sciatis*: & Plautum, *mihi in mentem fuit*. ¶ *Tanquam Deus*] Non semel Romana sedes Episcopo suo *Dei* nomen affixit. Rufinus Hist. l. 1. c. 2. Constantinum inducit Patres Nicenos ità compellantem, *Deus vos constituit sacerdotes*, *& potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi*: *& ideo nos à vobis rectè judicamur*; *vos autem non potestis ab hominibus judicari*. *Propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium*; *& vestra jurgia*, *quæcunque sunt*, *ad illud Divinum reserventur examen*. *Vos enim nobis à Deo dati estis Dii*, *& conveniens non est ut homo judicet Deos*, *sed ille solus de quo scriptum est*, DEUS STETIT IN SYNAGOGA DEORUM; IN MEDIO AUTEM DEOS DISCERNIT. Ab Episcopo videlicet Romano vel quovis alio persuasus fuerat Constantinus Psal. 82. nomine *Deorum* Episcopos designari: quod falsum est. Hoc elogio designari Magistratum patet Exod. 21. 6. & 22. 8. In hoc errore fuisse, vel potiùs in eum errorem alios

alios induxiſſe, ſedem Romanam, patet ex Gregorii literis ad Mauricium l. 4. ep. 31. quæ referuntur à Gratiano c. q. 1. cap. 41. *Sacerdotibus autem*, &c. Æquè verò culpam, quæ deſignatur hic, admittunt Pontifices Romani cùm diſertè ſibi *Dei* nomen tribuunt aut tribui patiuntur, ac etiam cùm ea ſibi tribuunt tribuive patiuntur quæ conveniunt uni Deo, quod tamen frequentiſſimè multiſque modis faciunt. Leo I. Viennenſibus ep. 78. de Apoſtolatu, *Hujus*, inquit, *muneris ſacramentum ità Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, ut in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in omne corpus diffunderet, ut exſortem myſterii* (alii *miniſterii*) *intelligeret eſſe Divini qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium individuæ unitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo*, TU ES PETRUS, &c. Hæc & à Gratiano velut in canonem relata d. 19. c. *Ità placuit*: & à Nicolao III. repetita ſunt A. D. 1277. ſexti Decretalium l. 1. tit. 6. §. 17. Sic & Bonifacius VIII. A. D. 1301. *de majoritate*, c. *Unam ſanctam*: ſcilcit unum Eccleſiæ caput eſſe, nempe Chriſtum & Petrum; perinde ac ſi Chriſtus, Petrus & quivis Papa ſint caput unum, quo modo Pater, Filius & S. S. ſunt unus Deus. Imprimis autem hoc errore Conſtantini Nicolaus I. ſic abutitur, ut quod de cunctis Epiſcopis dixerat, id ad ſedem ſuam A. D. 860. trahat in literis ad Michaëlem Imp. quas eâdem mente refert Gratianus d. 96. c. 7. *Satis*, inquit, *evidenter oſtenditur à ſeculari poteſtate nec ligari prorſus nec ſolvi poſſe Pontificem, quem conſtat à pio Principe Conſtantino* DEUM *appellatum: nec poſſe Deum ab hominibus judicari manifeſtum eſt.* Nicolai ſyllogiſmus talis eſt; *Deus ab homine judicari non poteſt: Papa eſt Deus: Ergò judicari non poteſt.* Quotquot Pontifices Gratiani decretum confirmarunt, etiam blaſphemum iſtum ſyllogiſmum confirmarunt. Sed etiamſi nè ſemel quidem ullus Papa ſeſe *Deum* nuncupaſſet; tamen cùm Herodis condemnationi ſuffecerit quòd non compeſcuit populum dicentem, *Vox Dei, non hominis*, ad condemnationem Papæ ſufficit plùs ſatis quòd nunquam legitur eos compeſcuiſſe à quibus *Deus* dicebatur.

6, 7. *Et nunc quid obſtet noſtis, donec reveletur ſuo tempore. Jam enim operatur* (vel *peragitur*) *myſterium iniquitatis. Tantum qui nunc obſtat*, obſtabit *donec è medio tollatur*] Tertullianus De reſurrectione carnis cap. 19. *Quis niſi Romanus ſtatus? cujus in decem Reges abſceſſio diſperſa Antichriſtum ſuperducet, & tunc revelabitur iniquus.* Chryſoſtomus, *Quid prohibet nè reveletur? Alii quidem dicunt eſſe ſpiritûs gratiam: alii verò, Romanum Imperium, quibus ego potiſſimùm adſtipulor.* Auguſtinus De civit. Dei l. 20. c. 19. *Non abſurdè de Romano Imperio creditur dictum, tanquam dictum ſit, Tantummodo qui modò imperat, imperet.* Quam ſententiam ſecuti ſunt Beda, P. Lombardus, Thomas Aquinas, Ordinaria Gloſſa. Hieronymus ad Algaſiam q. 11. *Niſi fuerit Romanum Imperium antè deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet. Non vult* Paulus *apertè dicere Romanum Imperium deſtruendum.*

GROTIUS.

1. Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, *Rogamus autem vos fratres*] De voce ἐρωτῶμεν [*rogamus*,] vide quæ dicta 1 Theſſ. 4. 1. 5 12. ¶ ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*] Ὑπὲρ [*per*] hîc eſt poſitum pro περὶ [*propter*,] ut Rom. 4. 10. 2 Cor. 8. 23, 24. & 1 Theſſ. 3. 2. in Manuſcripto. Παρουσία [*adventus*] Chriſti poteſt, ut alibi diximus, de judicio Chriſti in Judæos intelligi, ſecundùm locutionem Scripturæ ſatis uſitatam. Sed cum Apoſtolus Paulus crediderit, non multò poſt excidium Judaïci ſtatûs ſecuturum excidium univerſale, nihil mali eſt ſi παρουσίαν [*adventum*] hic accipiamus pro utroque Chriſti judicio, tum in Judæos, tum in humanum genus. ¶ καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτὸν, *& noſtræ congregationis in ipſum*] Id eſt, πρὸς αὐτὸν [*ad ipſum*] ut ſupra 1. 10. Luc. 10. 9. Hæc ἐπισυναγωγὴ [*congregatio*] conjuncta erit iſti adventui. Angeli nos ad Chriſtum congregatos adducent, quod eſt ἐπισυνάξουσι [*congregabunt*] Matth. 24. 31. Marc. 13. 27. Vox ἐπισυναγωγῆς [*congregationis*] exſtat & 2 Macc. 2. 7.

2. Εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς, *Ut non citò moveamini à ſenſu*] *Nè facilè dimoveamini ab illa ſententia*, nempe quam me docente imbibiſtis, aliquas res magnas debere præcedere, priuſquam Deus in Judæos, deinde & in humanum genus ultionem ſuam exerceat. νοῦν hic expono *ſententiam*, ut Rom. 14. 5. 1 Corinth. 1. 10. Sic & Job. 7. 19. 33. 16. & alibi. Σαλεύεσθαι eſt נוע [*dimoveri*.] Vide Actor. 17. 13. ¶ μήτε θροεῖσθαι, *neque terreamini*] Sic & Matth. 24. 6. Marc. 13. 7. Hoc ideo additur, quia ſi quid improviſum adveniat, magis terret. ¶ μήτε διὰ πνεύματος, *neque per ſpiritum*] Πνεῦμα [*ſpiritus*] vocatur omnis prophetia, ſive verè illa à Deo ſit, ſive talis eſſe dicatur, 1 Cor. 12. 10. 1 Joh. 4. 1, 2, 3. Nulla autem prophetia recipienda erat, quæ adverſaretur dictis aut Chriſti aut Apoſtolorum, quos pro ſe audiri Chriſtus voluerat. ¶ μήτε διὰ λόγου, *neque per ſermonem*] *Rumoribus de nobis*, quaſi aliud nunc diceremus, quàm antehac diximus. Subintelligendum enim hic ὡς δι' ἡμῶν [*tanquam per nos*,] ex membro ſequente. ¶ μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, *neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam*] Multi enim epiſtolas fabricabant ſub Apoſtolorum nomine. Unde iſta Apoſtoli cautio infra 3. 17. ¶ ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ. *quaſi inſtet dies Chriſti*: Nempe hoc anno; nam ἐνέστηκεν [*inſtet*] hic dicitur de re præſenti, ut Rom. 8. 38. 1 Corinth. 3. 22. Gal. 1. 4. Heb. 9. 9. קרב [*prope eſt*.] Solent autem quæ planè proxima ſunt velut præſentia enuntiari, ut diximus ad Matth. 26. 28. ubi multa attulimus exempla.

3. Μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον· *Ne quis vos ſeducat ullo modo*] Quò minùs falli poſſent repetit illis quæ coram dixerat de duabus magnis tentationibus, quæ præcedere id tempus debebant. ¶ ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, *quoniam niſi venerit diſceſſio primùm*] Eſt hic ἀποσιώπησις [*Subticentia*;] nam aut initio, aut fine περικοπῆς [*amputationis*] deeſt *illud non eveniet.* ἡ ἀποστασία [*diſceſſio*,] id eſt, *illa impietas de qua locutus vobis ſum.* Nam ἀποστασία hic *impietatem quandam eximiam* ſignificat, reſpondetque Hebræis vocibus פשע [*prævaricationi*] & סרה [*defectioni a vero Deo*,] pro quibus & ἀσέβεια [*impietas*] poni ſolet, diciturque etiam de iis qui Deum verum non agnoverant: ſufficit enim ad ἀποστασίαν [*defectionem*] quòd agnoſcere eum debuerant. Itaque Chaldæi in Cantico trium puerorum dicuntur ἀποστάται [*defectores*,] qui Deum verum nunquam coluerant, ſed ſummè in eum fuerant injurioſi. Sic Antiocho, qui typus Caji de quo hic agere incipit Paulus, tribuitur פשע [*prævaricatio*,] nomen deductum à verbo quod per ἀφίστασθαι [*deficere*] vertitur Jerem. 32. 8. Ezech. 20. 38. alibi verò per ἀσεβεῖν [*impiè agere*.] Auguſtus & Tiberius neque Templo, neque Synagogis Judæorum quicquam nocuerant: quin & ſumptus fecerant ad victimas pro ſe & Imperio Romano offerendas, & multis Edictis libertatem unius ac ſummi Dei colendi Judæis firmaverant, ut ex Philone & Joſepho multis in locis apparet. Ab horum bonis hac in parte inſtitutis defecit Cajus, & quidem ſumma cum impietate, quæ in ſequentibus depingitur, planè velut in re præſente, ita ut difficile ſit ullam reperire prophetiam, cui exitus exactiùs reſpondeat. ¶ καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, *& revelatus fuerit homo peccati*] Denudet ingenium ſuum Cajus: nam initio principatûs bonum ſe ſimulando ſpem omnium excitaverat. ἀποκαλύπτεσθαι נגלה [*revelari*,] ut & infra 8. eſt *ſubitò apparere*, ut jam diximus 1. 7. ἁμαρτία modò reſpondet Hebræo חטא [*peccato*,] modò in ſenſu eminentiore nomini רשע [*improbitati*.] Et ita hîc rectè vertas, איש רשע *homo planè improbus*, quippe & inceſtis, & parricidiis inquinatus. Vide Suetonium. Tertullianus vertit, *homo delinquentiæ.* ¶ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *filius perditionis*] Qui titulus Judæ datur Joh. 17. 12. ubi diximus idem eſſe quod בן מות [*filius mortis*] 2 Sam. 12. 5. & ſignificari *hominem qui dignus ſit peſſimè perire*, quod & Cajo evenit.

4. Ὁ ἀντικείμενος, *Qui adverſatur*] שטן, id eſt, *Dei adverſarius*: quomodo eximiè vocatur Diabolus & qui eum imitantur. Nam שטן per ἀντικείμενος [*adverſarius*] explicatur Aquilæ & Symmacho Geneſ. 26. 21. Origeni decimo libro ad Romanos, Chryſoſtomo in 12. ſecundæ ad Corinthios. *Hoſtem* vertit Tertullianus. Ubi autem nihil additur, intelligitur *Dei hoſtis*, ut Theodotioni Job. 1. optimè id Cajo convenit, qui, ut Philo loquitur, ἔργῳ τὸν Θεὸν ἀντιπαρεξῆγε, *factis Deum ſibi fecit hoſtem.* ¶ καὶ ὑπεραιρόμενος ὑπὲρ πάντα λεγόμενον Θεὸν, *& extollitur ſupra omne quod dicitur Deus*] Quoties Chriſtus aut Apoſtoli verba ipſa ſumunt de loco aliquo Veteris Teſtamenti, intelligere debemus agi de re ſimili, aut etiam majore. Hæc verba de Daniele ſumpta ſunt, ubi de Antiocho Epiphane loquitur 11. 36. ויתגדל על־כל־אל, in Græco, καὶ μεγαλυνθήσεται ἐπὶ πάντα Θεὸν [*& extolletur ſupra omnem Deum.*] ubi μεγαλυνθήσεται [*extolletur*,] ut hic ὑπεραιρόμενος [*qui extollitur*] ſono eſt paſſivum, ſenſu reciprocum, ut ex Hebræo apparet, *extulit ſe ſupra omnem Deum.* Paulus, ne quis illos de quibus hic agitur deos eſſe crederet, cautionis ergo addidit λεγόμενον [*quod dicitur*,] quâ notâ & alibi deſignat Gentium deos 1 Cor. 8. 5. Antiochus omnes Gentium deos egregiè ſpreverat: nam ἱεροσυλήκει τὰ πλεῖστα τῶν ἱερῶν [*templa plurima ſacrilegiis ſuis ſpoliaverat*,] ut ait de eo Polybius in fragmento egregio quod eſt apud Athenæum. Per hos gradus ad veri Dei con-

contemptum pervenit. Sic & Cajus omnibus se diis Gentium prætulit, etiam Jovi Olympio & Capitolino: ac si qui dubitarent an major Jove esset, eos pessimè tractavit: Lunam sibi dixit *concubinam*, Castores *janitores*: de quibus rebus testimonia alibi largè protulimus. ¶ ἢ σέβασμα, *aut cultura*] Σέβασμα diximus esse omne *id per quod Deus colitur*, quo sensu σεβάσματα Actor. 17. 23. *culturas* non malè vertit Hieronymus. *Imagines* hic interpretantur Severus & Theophylactus. Philo in historia rei hic prædictæ σεβασμοὺς vocat. Omnium deorum culturas sui cultu instituto supergressus est Cajus: quia & insignia abstulit Herculi, Apollini, Libero, Veneri, Mercurio, Castoribus & aliis: ac præterea sacrificia sibi fieri voluit multò majoris impendii, ut testatur Dion. Non erant illi veri dii, sed Cajus eos pro diis haberi volebat, & tamen iis se præferebat. *Opinio illum sua obligabat culpa*, ut alicubi Seneca loquitur. Hebræi ad Levit. 24. 15. *peccare* ajunt *graviter hominem paganum, si suis diis maledicat.* ¶ ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Θεὸν καθίσαι, *ita ut in Templo Dei se collocet*] *Ita ut tandem sese collocet in Templo Dei.* καθίσαι sæpissimè est transitivum Ephes. 1. 20. ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ· Latinus, *constituerit ad dextram suam:* Beza, *collocavit ad dextram suam.* Loca alia magno numero attulimus in nostra Appendice de Antichristo. Unde sequitur aut scribendum hic αὑτὸν [*se,*] quod liberum nobis, cùm veteres codices istas spirituum, quos vocant, notas non habuerint, aut αὐτὸν sumendum pro ἑαυτὸν [*seipsum,*] quam mutationem frequentem esse etiam apud idoneos scriptores verè dixit Beza ad Roman. 4. 6. apud nostros autem scriptores eò minùs mirari id convenit, quia apud Hebræos per idem affixum sensus hic exprimitur. Rectè autem dicitur Cajus *semet posuisse in Templum*, vel *in Templo Dei* (utraque enim hæc locutio in idem recidit) quia simulacrum suum ibi collocari jussit. Nam simulacro nomen dare ejus quem simulacrum refert, receptum est apud omnes Gentes. Tacitus, *Jussi à Cajo Cæsare effigiem ejus in Templo locare.* Hanc statuam suam, Templum ipsum suum dici voluit. Ita Philo aliquoties & Hieronymus. Templum Dei in Sacris literis est Templum Hierosolymitanum, ναὸς Θεοῦ [*Templum Dei*] Matth. 26. 61. ναὸς Κυρίου [*Templum Domini*] Luc. 1. 9. ἱερὸν τοῦ Θεοῦ [*Templum Dei*] Matth. 21. 12. בית יהוה [*domus Domini*] innumeris locis Testamenti Veteris. Josephus in rei hic prædictæ historia, ἱςᾶν αὐτοῦ ἀνδριάντα ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ [*poni sibi statuam in Dei Templo.*] Et de templo Hierosolymitano hunc locum accepere Hieronymus, Augustinus & alii quorum loca produximus antehac. Non habuit quidem in Templo (nam in Synagogis habuit) plenum effectum hoc Caji propositum: sed tamen rectè fecisse dicitur, quod ut faceret, nihil omisit. Sic Christo dicitur, *adulterium commisisse*, qui id egit ut adultero potiretur. Sic Mich. 2. 1. פעלי ἐργαζόμενοι [*operantes*] significat *cogitantes*, ut sequentia manifestè ostendunt. Sic offerre dicitur qui offerre vult Matth. 5. 23. Hebr. 11. 17. Jac. 2. 21. Maximè verò id locum habet in criminibus per quæ directè læditur Majestas Dei corda introspicientis. Itaque in oraculo vetere, quod Herodotus in Erato recitat, habemus τὸ πειρηθῆναι τοῦ Θεοῦ καὶ τὸ ποιῆσαι ἴσον δύναται [*tantundem est conari quid in Deum, quantum fecisse.*] Non poterat autem conatus ille profanandi Templi, & quidem tanta cum violentia, abire sine maximo Judæorum, etiam eorum qui Christum jam amplexi erant, dolore, ideo quòd scirent illud Templum esse ei Deo dicatum, quem & ipsi colerent: quin & ipsi, quoties ita res ferret, adirent Templum illud precum aut sacrificiorum causâ, ut videre est Actor. 2. 46. 3. 1. 5. 42. 21. 26. ¶ ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐςὶ Θεός· *ostendens se tanquam sit Deus*] Hic quoque ἀποδεικνύντα [*ostendentem*] positum est pro ἀποδεικτιῶντα [*cupientem ostendere,*] id est, nomen effectûs datur consilio: πειρώμενον ἀποδεικνύναι [*conantem ostendere*] ait hic Chrysostomus. Volebat enim ostendere se esse deum. σπουδάζων Θεὸς νομίζεσθαι (*Deus credi cupiens*) ait Philo. ἠξίου ὑπὲρ ἄνθρωπον νομίζεσθαι [*voluit major homine credi*] ait Dio.

5. Οὐ μνημονεύετε ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς, ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν; *Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?*] Iterum πρὸς pro *apud*, ut Joh. 1. 1. Factum autem id in Syria, nam ibi fuit Paulus cùm à Cæsarea iret in Ciliciam Actor. 9. 30. Et illi è Judæa ejecti primùm in Syria vixere: sed ibi quoque ortâ vexatione, longinquiora adierunt loca.

6. Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, *Et nunc quid detineat scitis*] Τὸ κατέχον [*quod detineat*] idem, quod mox ὁ κατέχων [*qui tenet,*] sicut sæpe neutrum nomen etiam de personis ponitur: quatenus ex personæ res sunt. Vide Coloss. 1. 20. *Scitis quid eum moretur.* κατέχω respondet Hebræo אחר Genes. 24. 56. & אסר Genes. 39. 20. 42. 19. & עגן Ruth. 1. 13. quæ omnia *morandi* ac *detinendi* habent significationem. Sic & Luc. 4. 42. Roman. 1. 18. L. Vitellius, cùm Paulus ista diceret, & hæc scriberet, Syriam & Judæam tenebat, vir apud Judæos gratiosus, & magnis exercitibus imperans, cui propterea facile fuisset, si tam graviter Judæorum animos exasperasset Cajus, eorum tutelam suscipere & provinciam sui facere juris. Ideo Cajus, antequam propositum exsequeretur, tempus exspectabat, quo L. Vitellius è provincia decederet, & successorem acciperet Petronium, cui non erat par auctoritas. ¶ εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ· *ut reveletur in suo tempore*] Est & hic passivum pro reciproco. *Ut se aperiat*, id est, animum suum prodat, *suo tempore:* post annum nempe unum & alterum, ex quo hæc scripta sunt: idque non sine provida Dei dispensatione, ut Joh. 7. 30. 8. 20. Luc. 22. 53. quod hic est ἀποκαλυφθῆναι [*ut reveletur*] id Philo dixit ἀναφαίνειν ἃ συνεσκίαζε [*aperire quæ obtexerat.*] Illud ἐν τῷ καιρῷ ἑαυτοῦ, est pro בעתו [*in tempore suo*] Psalm 1. 3. & alibi.

7. Τὸ γὰρ μυςήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, *Nam mysterium jam operatur iniquitatis*] *Jam arcana impietatis istius motiones ponuntur*, per Heliconem nempe, & Ægyptios alios. μυςήριον [*mysterium*] vocatur *quicquid arcanum est:* τὸ ἀγνοούμενον (*quod ignoratur*) interprete Chrysostomo. Sic Esaiæ 24. 16. רז quod *arcanum* significat, Theodotion vertit μυςήριον [*mysterium,*] quæ vox & in Danielis versione est aliquoties. Vocantur hoc nomine Regum arcana Tob. 12. 6. & aliorum Sirach. 22. 24. 27. 16, 17, 21. 2 Maccab. 13. 21. Dicitur hoc μυςήριον ἀνομίας [*mysterium iniquitatis*] quia ad impietatem pertinet, quæ רשע Hebræis, ἀνομία [*iniquitas*] alibi, alibi ἀσέβεια [*impietas*] Græcis Hebræa vertentibus. ἐνεργεῖται sumam hic passivè, id est, *cuditur.* Sic sumitur 2 Corinth. 1. 6. 4. 12. Hesychius, ἐνεργεῖται, κατασκευάζεται [*cuditur, præparatur.*] ¶ μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται· *tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*] Est hic ἔλλειψις [*defectus*] vocis exspectandum. Et construi debuit, ἕως ὁ κατέχων ἄρτι γένηται ἐκ μέσου, *donec amoveatur*, nempe à provincia, *is qui hactenus moratur*, illud nempe consilium. ἐκ μέσου γενέσθαι [*de medio fieri*] non tantùm dicitur de eis quæ intereunt, verùm etiam de iis quæ amoventur, præsertim quæ antea impedimento fuere, ut ἐξαρθῇ ἐκ μέσου [*sublatus est de medio*] 1 Corinth. 5. 2. Sic habes & Esai. 57. 2. in Græco, ἦρται ἐκ τοῦ μέσου [*sublatus est de medio.*] Etiam Demosthenes sic dixit, ἐκ μέσου ἀνελεῖν [*tollere de medio.*]

8. Καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, *Et tunc revelabitur ille iniquus*] Τότε [*tunc,*] id est, biennio aut triennio post. Solet enim τότε [*tunc*] convertere tempora etiam multò magis distantia, ut Matth. 2. 7. 3. 13. 4. 11. 15. 12 17. 19. 19. 13, 27. 24. 9, 14, 30. Sophoniæ 3. 9. Amos 9. 11. & alibi sæpe. Ἀποκαλυφθήσεται [*revelabitur*] rursus est, *prodet se, nudabit se.* ὁ ἄνομος [*iniquus ille,*] nempe alter ille, de quo itidem in Syria vobis locutus sum. Hactenus impium Principem descripsit: nunc venit ad impium Doctorem, alteram Christianorum, ac maximè eorum qui ex Judæa erant, tentationem. Rectè autem *impius* dicitur Simon Magus, qui paulò post initia Claudiani principatûs Romam venit, ut homines à Christo abduceret, sibique manciparet, omnibus libidinibus, quibus dediti erant Romani, commeatum faciens, eò quòd diceret legem, *Non mœchaberis*, & similes, non à Deo esse, sed ab Angelis Dei injussu: & fide homines servari sine justis operis. Hæc alibi latiùs explicavimus ex Justino, Irenæo, Philastrio, Cyrillo, Theodoreto, & aliis. ¶ ὃν ὁ Κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ ςόματος αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ. *quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui*] Bis idem more Hebræo. Idem enim ἀναλίσκειν & καταργεῖν, *conficere*, כלה, *destruere.* Manuscriptus autem pro ἀναλώσει [*consumet, destruet*] habet ἀνελεῖ [*interficiet.*] Et videtur sumptum hoc ex Esai. 11. 4. ubi in Græco, ἐν πνεύματι διὰ χειλέων ἀνελεῖ ἀσεβῆ [*in spiritu labiorum suorum interficiet impium.*] Eodem rursus tendunt, *spiritus oris Domini, & illustres ejus adventus:* ostendunt enim hæc quàm facilè Christo futurum id illum Magum destruere, nempe quàm facilè halitu oris difflatur gluma Psalm. 1. 4. aut sicut Solis adventu dissipantur nebulæ, Oseæ 6. 4. Utramque similitudinem conjunctam habes Oseæ 13. 3. ad quem locum videtur hic Paulus respexisse. ἐπιφάνεια autem non semper significat aliquid *quod in re conspicitur:* satis enim est si per affectum vis ejus innotescat. Et sic Dei ἐπιφάνειαν habes ter, quater, in Maccabaico tertio, ut ibi notavimus: item 2 Maccab. 12. 22. 14. 15. 15. 27. Sic & Tit. 2. 11. 3. 4. sumitur ἐπιφαίνειν. Bene autem dicitur Christus fecisse quod fecit per Petrum. Nam sic & *Gentibus prædicasse* dicitur Ephes. 2. 17.

9. Οὗ ἐςιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, *Cujus est adventus secundum*

dum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus] Ostendit quantum hoc sit, quod dicit Christum tam facilè effecturum: rem nempe omnibus hominibus desperatam. Quare verò? quia Simonis illius παρουσία [*adventus*,] id est, *ostentus*, comitem habuit magnam *efficaciam*, non Dei sanè, sed *Satanæ*, idque cum *ostentis*, *prodigiis*, *portentis mendacii*, id est, mendaci doctrinæ inservientibus. Eadem verba & de Christo usurpantur, & de Satana aut ejus ministris: ut vox παρουσία; [*adventus*] modò de Christo per Apostolos: hic de Simone. Et ἐνέργεια [*efficacia*] de Deo & Christo sæpe, de Satana hic & infra 11. & verbum ἐνεργεῖν [*operari*] Ephes. 2. 2. Sic δύναμις, σημεῖα, τέρατα [*virtus*, *signa*, *prodigia*,] tribuuntur Christo Actor. 2. 22. hic verò Satanæ, ut & Matth. 24. quomodo & in Exodo Jamnes & Mambres dicuntur fecisse paria Mosi, nempe ad aliquem usque gradum, Deo id permittente. Unde ergo hæc erant dignoscenda? Dicam. In Vetere Testamento miracula τῆς ἀληθείας [*veritatis*] erant, quæ ad Deum unum ducebant: ψεύδους [*mendacii*] quæ ad plures deos, Deuter. 13. 1. & sequentibus: in Novo verò Testamento, veridica quæ ad Jesum Christum ducunt, fallacia quæ alios monstrant Christos, aut alios à Christo Doctores 1 Cor. 12. 3. 1 Joh. 4. 1. Quod enim istis locis de Prophetia dicitur, pari jure ad miracula aptandum est, nam & prophetiæ sunt miracula. Sed & illud addendum est, sicut Deus terminum quendam præscripsit Jamni & Mambri, ita & præfixum ab eo terminum Simoni huic Mago, & postea Apollonio Tyanæo: nempe ne omnia morborum genera subitò sanarent, ne omnibus linguis loquerentur, ne mortuos ita excitarent ut diu in hac vita ab omnibus conspici possent. Cur hoc? nempe ut si qui novos Doctores sectarentur, & dicerent se miraculis ad hoc adductos, refelli possent inde quòd non plura tantùm, sed & majora fecissent Christus & Apostoli: unde sequebatur illos non alia de causa semet addixisse illis novis magistris, quàm quia dogmata eorum carni blandirentur: quod etiam nunc, miraculis cessantibus, evenit. τέρατα ψεύδους [*prodigia mendacii*] sunt ea quæ falsæ doctrinæ inserviunt. Nam quod vice genitivi est apud Hebræos, sæpe finem significat, quem finem explicant verba Christi Matth. 24. 24. & quod hic sequitur 11. ostenta ista & prodigia Simonis magica explicata habes apud Justinum, Irenæum, Tertullianum, Cyrillum, Theodoretum, Epiphanium.

10. Καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας, *Et in omni seductione iniquitatis*] Et hic genitivus finem significat. Eò enim tendebat ejus deceptio ut homines ad flagitia impelleret, aut in flagitiis detineret. ἀδικία [*iniquitas*] inter Hebræas voces maximè respondentem habet עון, quod & παρανομία [*transgressio legis*] & ἀσέβεια [*impietas*] vertitur, comprehenditque omnia crimina graviora, quomodo hæc vox sumitur & Luc. 13. 27. Rom. 1. 18, 29. 2. 8. 6. 13. 2. Tim. 2. 19. ¶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις *in iis qui pereunt*] In Manuscripto, τοῖς ἀπολλυμένοις [*iis qui pereunt*] sine ἐν [*in*,] ut dativus pendeat ab ἐςὶν ἡ παρουσία [*est adventus*.] Nec aliter legit Latinus. Est autem præsens pro futuro. Decipiuntur ab eo homines malè perituri. Sic 1 Cor. 1. 18. 2 Cor. 2. 15. 4. 3. intelligit Samaritas primùm, deinde & Romanos. ¶ ἀνθ' ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς. *eo quòd charitatem veritatis non receperant ut salvi fierent*] Ἀνθ' ὧν [*eò quòd*] justam retributionem significat Luc. 1. 20. 19. 44. Actorum 12. 23. ἀγάπη ἀληθείας [*charitas veritatis*] dicitur per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] Dei beneficium in patefacienda nobis veritate, nempe Euangelica. Par μετωνυμία [*Transnominatio*] in voce ἀγάπης [*charitatis*] Rom. 5. 5. οὐκ ἐδέξαντο, *non acceperant*, nempe cum effectu. Sic δέχεσθαι [*accipere*] habemus Actor. 8. 14. 11. 1. 17. 11. 2 Cor. 11. 4. & λαμβάνειν [*recipere*] Joh. 1. 12. 3. 11. εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς [*ut salvi fierent*.] nam si accepissent Euangelium, servati & ipsi fuissent: idque agebat Deus προηγουμένως [*antecedenter*:] sed per eorum duritiem successit propositum aliud ἑπόμενον [*consequens*.]

11. Καὶ διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, *Et ideo mittet illis Deus operationem erroris*] Manuscriptus, πέμπει [*mittit*,] tanquam in re præsente. Euangelii contemptoribus immittit Deus seductionem prævalidam, qualis erat illa Simonis. ¶ εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει. *ut credant mendacio*] *Ita ut fidem adhibeant falsæ doctrinæ*. Confer locum Prov. 1. 29. 30, 31. Valde enim huc pertinet.

12. Ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ, *Ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati*] Id est, Euangelio. ¶ ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ. *sed consenserunt iniquitati*] Placet illis vita flagitiosa, & Simonem Magum Christo præferunt: non ob miracula, quæ in Christo majora ac diviniora; ut ut ob id appareat rectè eos damnari. 1 Tim. 4. 3. Idem Joh. 3. 18, 19. *Quidam cum essent pernicie illius digni, remanserunt in ejus disciplina*, ait Clemens de Simone.

13. Ἡμεῖς δὲ ὀφείλομεν εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Κυρίου, *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Domino*] Vide supra 1. 3. Gratias non tantum agere se dicit, sed & debere. ¶ ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν, *quod elegerit vos Deus primitias in salutem*] Illud ἀπ' ἀρχῆς [*primitias*] ostendit ad Judæos hæc scribi, qui *primitiæ* credentium, Rom. 11. 16. Ephes. 1. 12. εἵλετο, *elegit*, id est, sibi separavit. Agitur hic de ea electione, quæ fidem sequitur, ut Matth. 22. 14. Israëlitis dictum olim, Κύριος εἵλετό σε σήμερον γενέσθαι λαὸν [*Dominus elegit te hodie esse populum*,] Deut. 26. 18. nempe ad beneficia temporalia. At hic additur εἰς σωτηρίαν, *ad salutem* nempe æternam, quæ verè Christianis reservatur, Coloss. 1. 5. 2 Tim. 4. 8. ¶ ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας. *in sanctificatione spiritus & fide veritatis*] Hic prior genitivus est causæ efficientis, alter verò objecti, ut & Philipp. 1. 27. Quomodo eos *separavit Deus*? *Sanctificando* eos *per Spiritum* suum. Vide 1 Cor. 1. 2. Actor. 20. 32. 26. 18. Et quomodo pervenitur ad illum Spiritum? *Per fidem habitam Euangelio.*

14. Εἰς ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς, *ad quod & vocavit vos*] εἰς ὃ [*ad quod*] rem totam significat: nempe & *fidem* & *sanctificationem* 1 Thess. 4. 7. 1 Petr. 1. 15. ¶ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἡμῶν, *per Euangelium nostrum*] *Per* illud *Euangelium*, quod *nos* Apostoli annuntiamus. Sic & 1 Thess. 1. 5. & Rom. 2. 16. ¶ εἰς περιποίησιν δόξης τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi*] *Ut acquiratis gloriam Christi*, id est, talem qualem nunc habet Christus, nostro tamen modo, Rom. 8. 17. περιποίησις δόξης [*acquisitio gloriæ*,] sicut 1 Thess. 5. 9. περιποίησις σωτηρίας [*acquisitio salutis*] מקנה [*possessio*.] At Syrus intelligit, *ut Christus per fideles suos gloriam consequatur*, id est, laudetur.

15. Ἄρα οὖν ἀδελφοί, στήκετε, *Itaque fratres, state*] *Perstate*, ne labascite sub exsilii incommodis, 1 Cor. 16. 13. Philipp. 4. 1. ¶ καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, *& tenete traditiones*] Omnis doctrina vocatur παράδοσις [*traditio*,] ut diximus ad Matth. 15. 2. κρατεῖτε hic, quod κατέχετε [*tenete*] 1 Cor. 11. 2. παραδόσεις [*traditiones*,] קבלה aut מסרת. ¶ ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν, *quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*] Duobus enim modis docebant Apostoli, loquendo & scribendo, supra 2. Et par in utroque auctoritas. Et præcessit locutio: secuta est scriptura. Multa quidem quæ dixere Apostoli, etiam scripsere: at non omnia: quia satis erat quædam in usum Ecclesiarum esse introducta, ita ut nihil opus esset & per Epistolas præcipi. In transcursu tamen & horum interdum fit mentio.

16. Αὐτὸς δὲ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, καὶ ὁ Θεὸς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν ἀγαπήσας ἡμᾶς, *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, & Deus & Pater noster qui dilexit nos*] Scandit oratio. Et καὶ [*&*] illud ante ὁ πατὴρ [*Pater*] est explicatio ejus quod præcessit, ut Ephes. 1. 3. 4. 6. 5. 20. Philip. 4. 20. Col. 1. 3. 2. 2. 3. 17. 1 Thess. 1. 3. 3. 11, 13 1 Petr. 1. 3. De ista Dei dilectione vide Rom. 5. 7. 8. 37. Ephes. 2. 4. ¶ καὶ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν, *& dedit consolationem æternam*] *Consolationem æternam* vocat ex objecto, promissa vitæ æternæ. Sic διαθήκη αἰώνιος [*testamentum æternum*] Hebr. 13. 20. εὐαγγέλιον αἰώνιον [*Euangelium æternum*] Apoc. 14. 6. ¶ καὶ ἐλπίδα ἀγαθήν, *& spem bonam*] *Spem rerum optimarum*. Sic κρείττων ἐλπὶς [*spes melior*] dicitur Hebr. 7. 19. ἐλπὶς ζῶσα [*spes viva*] 1 Petr. 1. 3. ¶ ἐν χάριτι, *in gratia*] *Per summam suam bonitatem*. Ingentis enim bonitatis, pro brevi obsequio æterna promittere & cœlestia.

17. Παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας, *Exhortetur corda vestra*] *Inscribat ista solatia cordibus vestris*. Vide 2 Cor. 1. 4. 7. 6. Eph. 6. 22. ¶ καὶ στηρίξαι ὑμᾶς, *& confirmet vos*] Rom. 16. 25. 1 Thess. 3. 13. infra 3. 3. 1 Petr. 5. 10. יכון. ¶ ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. *in omni sermone & opere bono*] Id est, εἰς πάντα λόγον καὶ πᾶν ἔργον ἀγαθὸν [*in omnem sermonem & opus bonum*:] *ut quæ recta sunt ea loquamini & agatis*. In Manuscripto est, καὶ στηρίξαι [*& confirmet*] (nempe τὰς καρδίας [*corda*]) ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ ἀγαθῷ [*in omni opere & sermone bono*] Pari codice usus fuit Latinus Interpres.

[Hæc omittere noluimus, quamvis ordinem Opusculorum, cujus mentionem facit Autor, observare non potuimus, dum Annotationes suo quasque loco apponi curavimus.]

AD majorem explicationem Prophetiarum Christi quæ sunt in 24 capite Matthæi, visum mihi est addere hic ea quæ commentati sumus ad Prophetiam Pauli 2 ad Thessalonicenses (ut vulgò appellatur) capite, & Johannis Apostoli in Epistola ipsius capite 2, & 4. item ad complura Apocalypseos loca: nimirum quod ad intelligendas istas Christi Prophetias hæc non parùm conferre possint. Tum verò quia Fidei & Operum multa in Euangeliis est mentio, quippe cùm de iis salus nostra pendeat, tactaque ea res sit in his Annotationibus tum ad nonum Matthæi 22. tum alibi, fusiorem quandam argumenti tam necessarii explicationem adjungendam hic censui, occasione sumptâ ex capite 1. Pauli ad Ephesios, ex parte posteriore capitis 2. Epistolæ Jacobi, & ex parte capitis 3. Epistolæ Apostoli Johannis. Postremo, quia & præceptorum quorundam quæ in Decalogo exstant mentio est in Euangeliis, præsertim Matthæi 19. 18. quis sit eorum usus apud Christianos sciri cum non parum intersit, ea quoque de re dissertationem cum utilitate nonnulla his scriptis addi posse censui, ut quæ alibi dicta sunt parcius, ex his suppleantur.

I D E M.

NEque ordo qui nunc receptus est Epistolarum sequitur ordinem temporis, neque antiqua sunt illa quæ sub finem sunt addita ad significandum unde & per quos missæ sint; nam ordo ille ex dignitate urbium est positus: qua de causa & ad singulos epistolæ postremum occupant locum, & illæ in fine annotatiunculæ seræ sunt, ex conjectura aut tenui fama. Utramque ad Thessalonicenses inter primas esse quas scripsit Paulus, & Chrysostomus & veterum notant alii. Quod de hac, certè verissimum est. Sed nobis, C. Cæsaris, ejus qui, puer cùm esset, Caligula vocabatur, principatu circa annum ejus secundum, scriptam hanc epistolam censentibus objici posse video, quòd posterior hæc ad Thessalonicenses dicatur, & quòd post Caji tempora Thessalonicam primùm pervenit Paulus: Respondeo, Potuisse posteriorem poni ordine, non quòd non ante alteram scripta sit, sed quòd seriùs ad aliarum Ecclesiarum notitiam pervenerit, ad paucos scripta, qui cœtum nondum fecerant, ac propterea non ullis Ecclesiæ Archivis custodita, sed privata fide. Cujus rei non leve argumentum est, quòd homines non ex regula viventes Apostolus hic non excommunicari præcepit, quod justi cœtùs fuerat, ut in priore ad Corinthios; sed vitari, quod jus singulorum est. Tum verò nihil obstare, quò minùs Thessalonicam scripserit Paulus, multò priùs, quàm in eam urbem veniret, nempe ad Christianos qui in Judæa acerbissima quæque passi in Syriam primùm concesserant, & ibi quoque, iisdem eos vexantibus malis & periculis, mari proximo trajecto se receperant in Macedoniam. Vide hic 1. 4. collatis locis Actor. 8. 4. & 11. 19. Monendos autem hos agitatos longis miseriis Christianos credidit Paulus, ne quædam, quæ futura Apostoli prædixerant, prædicta ab iis tanquam è proximo imminentia crederent, cùm si id non evenisset, id vel unum satis futurum fuisset ad labefactandam Apostolorum, ac per hoc ipsius Euangelii, fidem. Accedit, quòd vulgari hæc epistola, talia continens, sine gravi malo non potuit imperante Cajo, aut patruo ejus Claudio, aut Claudii filio Nerone, & ea quoque de causa seriùs innotuit.

1. Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, *Rogamus autem vos, fratres*] Multa in Græcum sermonem vulgi externi irrepsere ex Latino sermone, postquam Judæam & vicinas terras tenuere Romani. Tale est *ἐρωτῶ* pro *precor*, quia Latini *rogo* dicunt. Vide Matt. 15. 23. Joh. 13. 16. Act. 23. 20. ¶ *ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, de adventu Domini nostri Jesu Christi*] Latè quidem patet vox *παρουσίας*, ut rectè notatum Maimonidæ: & solent in Novo Fœdere de Christo dici quæ in Vetere de Novo. Sed quanquam vox adventûs Christi latè patet, nihil vetat hic intelligi illum ultimum adventum, quem Paulus propinquum putabat, ita tamen ut prius destructio Hierosolymorum & alia quædam deberent intercedere, quorum duo hic prædicuntur valde insignia, alterum malum commune Judæis & Christianis, alterum tentatio propria Christianorum. ¶ *καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ᾽ αὐτόν, & nostra congregatione in ipsum*] Est explicatio amplior illius adventûs, nempe per quem omnes pii Christo aggregabuntur. Sic *ἐπισυνάξουσι* sumitur Matth. 24. 3. Marc. 13. 27.

2. *Εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοός, ut non citò moveamini à sensu*] Νοῦν hic intelligo eam sententiam quam ab Apostolis jam acceperant, Non adeò vicinum esse quàm putabatur excidium gentis primùm Judaïcæ, deinde Mundi. Sic vox νοῦ sumitur Roman. 14. 5. 1 Cor. 1. 10. ¶ *μήτε θροεῖσθαι, neque terreamini*] Solent, quibus nondum exspectata pericula subitò ingruunt, graviùs terreri. ¶ *μήτε διὰ πνεύματος, neque per spiritum*] Si quis Prophetam se dicens contra quam nos diximus vaticinetur. Quia enim quidam falsò sibi induebant Prophetarum nomen, ideo jubentur Christiani explorare talia, quæ prophetiarum nomine ipsis adferuntur, 1 Cor. 12. 10. 1 Thess. 5. 21. 1 Johan. 4. 1. Optima autem exploratio erat collatio eorum dictorum cum dictis aut Christi ipsius, aut Apostolorum, quos Spiritus ducebat in omni veritate, ad quorum auctoritatem omnes Christianos respicere Christus ipse voluerat. ¶ *μήτε διὰ λόγου, neque per sermonem*] Est ὑπόζευγμα [*Zeugma à posteriore:*] intelligendum enim *ὡς δι᾽ ἡμῶν, tanquam per nos:* neque per rumores allatos, quasi nos nunc alia hac de re doceamus, quàm docuimus antehac; nam multi falsa docentes Apostolorum auctoritatem suis dictis præscribebant. Sic Petri nomine contra Paulum quidam abutebantur, & suis commentis Gnostici præscribebant dicta Matthiæ & aliorum. ¶ *μήτε δι᾽ ἐπιστολῆς ὡς δι᾽ ἡμῶν, neque per epistolam tanquam per nos missam*] Etiam epistolas nomine Apostolorum subjiciebant falsarii, quæ causa est, cur tam sollicitè Paulus sua manu aliisque notis muniebat epistolas suas, ut à falsis dignoscerentur. infra 3. 17. Duobus modis docebant Apostoli, verbis, & per epistolas. Vide sub finem hujus capitis. ¶ *ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ. quasi instet dies Domini*] Ἐνίστασθαι, *instare*, dicitur quod jam præsens est. Rom. 8. 38. 1 Corinth. 3. 22. & 7. 36. Galat. 1. 4. Hebr. 9. 9. Solent autem quæ jamjam futura sunt, accenseri præsentibus, & eodem modo enunciari, ut apparet Matth. 3. 10, & 11. 5. 23. 6. 6. 20. 22. Marci 9. 31. Lucæ 17. 12. 23. 54. 24. 48. Johan. Euang. 4. 21. ¶ *μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον, ne quis vos seducat ullo modo*] Ne fallerentur Christiani nimiùm propera exspectatione, non contentus generaliter dixisse, haud nimis propinquum esse id tempus, duas, ut exponere cœpimus, prædicit valde notabiles tentationes quæ præcedere id excidium debebant, conjunctas cum multorum ruina, quarum prior à vi Imperii proficisceretur, altera à falso doctore eximio. ¶ *ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, quoniam nisi venerit discessio primum*] Ἀποστασία, *discessio*, respondet Hebræo סרה, quæ *defectionem à Deo vero* significat, Deut. 13. 5. Ejusdem significationis est פשע, Danielis 8. 12. in vaticinio de Antiocho Illustri, qui Cajo huic planè *παράλληλος, compar*, est. Intelligenda autem hic est, non qualiscunque, sed plena defectio, *ἀσεβημάτων χαλεπώτατον, impietatum maxima*, ut hac de re agens Philo loquitur. Augustus & Tiberius deos quidem coluerant Romanos, sed Deum opificem mundi, quem colebant Judæi & Christiani, adeò non oppugnaverant, ut & liberos ubique cœtus Judæis permiserint liberasque in templum collationes: quin & ipsi dona in templum miserint, & perpetuos reditus in id dicaverint, ut inde quotidiana holocausta fierent *τῷ ὑψίστῳ Θεῷ, Deo summo*, taurus & agni duo, ut Philo in legatione docet, non uno in loco, ita scilicet existimantes, ut ejusdem Philonis verbis utar, *ὅτι ἀναγκαῖον ἐστιν ἐν τοῖς περιγείοις ἐξαίρετον ἀπονενεμῆσθαι τόπον τῷ ἀοράτῳ Θεῷ, μηδὲν ὁρατὸν ἀπεικόνισμα περιέξοντα, πρὸς μετουσίαν ἐλπίδων*

δῶν χρηςῶν. *Opus esse in terris unum aliquem seponi locum Deo inaspicuo, qui nullam habeat adspectabilem effigiem, nimirum ad bonæ spei participationem.* ¶ *καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, & revelatus fuerit homo peccati*] Erat jam quidem Princeps, sed facinorosum ingenium nondum detexerat Cajus. Suetonius, *Sic imperium adeptus, populum Romanum, vel ut ita dicam hominum genus voti compotem fecit, exoptatissimus Princeps maximæ parti provincialium ac militum.* Deinde, *Incendebat & ipse studia hominum omni genere popularitatis.* Cujus generis cùm multa narrasset idem Suetonius, subjungit, *Hactenus quasi de Principe: reliqua ut de monstro narranda sunt.* Philo, Μέμνηται γὰρ ὐδεὶς τοσαύτην χώρας μιᾶς ἢ ἑνὸς ἔθνους γενέσθαι χαρὰν ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ καταστάσει ἡγεμόνος, ὅσην ἐπὶ Γαΐῳ συμπάσης τῆς οἰκυμένης, καὶ παραλαβόντος τὴν ἀρχὴν καὶ ῥωσθέντος ἐκ τῆς ἀσθενείας· ὥσπερ γὰρ ἐκ νομάδος βίυ καὶ θηριώδυς νῦν πρῶτον ἀρχόμενοι μεταβάλλειν πρὸς τὸ σύννομον καὶ ὁμοδίαιτον, καὶ ἐξ ἐρημίας σκηνῶν καὶ ὑπωρειῶν εἰσοικίζεσθαι πόλεσι τειχήρεσι καὶ ἐξ ἀνεπιτροπεύτυ ζωῆς ὑπὸ ἐπιτρόπῳ τάττεσθαι νομεῖ τινι καὶ ἀγελάρχῃ τῆς ἡμετέρας ἀγέλης, ἐγεγήθεισαν ἀγνοίᾳ τῆς ἀληθείας. Τυφλώττει γὰρ ὁ ἀνθρώπινος νῦς πρὸς τὴν τῦ συμφέροντος ὄντως αἴσθησιν, εἰκασμῷ καὶ ςοχασμῷ μᾶλλον ἢ ἐπιςήμῃ χρῆσθαι δυνάμενος. Εὐθὺς γῦν ὐκ εἰς μακρὰν ὁ σωτὴρ καὶ εὐεργέτης εἶναι νομισθεὶς καί τινας ἀγαθῶν πηγὰς νέας ἐπομβρήσειν Ἀσίᾳ τε καὶ Εὐρώπῃ πρὸς εὐδαιμονίαν ἀκαθαίρετον, ἰδίᾳ τε ἑκάςῳ, καὶ πᾶσι κοινῇ, τὸ λεγόμενον δὴ τῦτο ἀφ' ἑςίας ἤρξατο, μεταβαλὼν πρὸς τὸ ἀτίθασσον, μᾶλλον δὲ ἣν συνεσκίασεν ἀγριότητα τῷ πλάσματι τῆς ὑποκρίσεως, ἀναφήνας. *Neque enim memoria est unius regionis aut gentis tantum fuisse gaudium in salute aut evectione Principis alicujus, quanta super Cajo fuit totius orbis, & cùm primùm adeptus est principatum, & ubi ex morbo convaluit. Tanquam enim ex vita silvestri ac ferina inciperent jamjam transire ad alteram mansuetam atque civilem, aut ex tentoriis solitariis arduisque montium migrare in munitas urbes, aut ex vita tutela egente transferri in tutelam ejus qui pastor & dux futurus esset humano gregi, lætabantur ex veri ignorantia. Cæcutire enim solet humana mens circa sensum ejus quod sibi expedit, ut quæ conjecturâ magis & opinione ducatur quàm scientiâ certâ. Parum enim intercessit temporis, cùm ille qui conservator & beneficiorum largitor fore sperabatur, qui bonorum fontibus novis irrigaturus putabatur Asiam atque Europam ad felicitatem perpetuam publicam atque privatam, ab ipso lare, quod dicitur, exorsus, ad feritatem se convertit, aut potius, quam sub fallaci persona tegebat feritatem, detexit.* Quod ἀποκαλύπτεσθαι, *revelari*, est Paulo in prædictione, idem Philoni in historia rei, per quam prædictio impleta est, ἀναφαίνειν [*detegere.*] Sic ἀποκαλύπτεσθαι sumitur Lucæ 2. 35. 1 Cor. 3. 13. & mox bis in eadem hac pericopa. Dion, δημοκρατικώτατος γὰρ εἶναι τὰ πρῶτα δόξας, μοναρχικώτατος ἐγένετο, *cùm initio maximè popularis videretur, factus est maximè imperiosus.* Et quæ ibi sequuntur. ¶ *ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, homo peccati*] Loquendi genus Hebræum, quo significatur is, qui *insigniter* est *sceleratus*, qualem Cajus se ostendit, non cædibus tantum plurimorum innocentium, stuprisque & adulteriis, sed iis criminibus supra quæ cogitari vix quidquam potest, parricidiis & incestis. Memorat dictum ejus Suetonius factis congruens, *Memento mihi omnia & in omnes licere.* Hanc illius immanitatem plenè cognoscere qui volet, legat Philonem, Suetonium, Dionem, & Josephum initio 19. Antiquæ historiæ. Occultè autem loquitur Apostolus, quia de Imperatore, uti de Nerone 2 Timoth. 4. 17. ¶ *ὁ ὑιὸς τῆς ἀπωλείας, filius perditionis*] בן־מות [*filius mortis*] 2 Sam. 12. 5. Occurrit hæc locutio & Joh. 17. 12. & *ἔθνος ἀπωλείας, gens perditionis*, libro Syrac. 16. 10. Sic *πρόβατα σφαγῆς* [*pecora occisionis,*] dicuntur *pecudes destinatæ mactationi*, Zach. 11. 4, 7. Significat Apostolus Cajum, sicut insigniter facinorosus fuit, ita insigni etiam exitio à Deo fuisse destinatum: quo nihil potuit dici verius. Philo de eo apud Josephum, Ὡς χρὴ θαῤῥεῖν, Γαΐυ λόγῳ μὲν αὐτοῖς ὠργισμένυ, ἔργῳ δὲ ἤδη τὸν Θεὸν ἀντιπαρεξάγοντος, *Bonam spem sumendam, quando Cajus verbis quidem in ipsos iram ostenderet, re autem ipsa Deum sibi hostem faceret.* Dion de ejus exitu, Τοῖς ἔργοις ὅτι ὐκ ἦν Θεὸς ἔμαθεν. *exitu didicit quàm ipse non esset Deus.* Prædictum ei fuerat ut Cassium caveret, cavere non potuit. Multa alia præcesserant, quæ Divinum de ipsius nece insigni decretum apertè significarent. Vide Suetonium & Dionem. Memorabile illud, quod apud Josephum narratur de ejus morte dixisse Minutianus, Καὶ νῦν λόγῳ μὲν εἶναι τύτυς, οἳ ἀνῃρήκασι Γαΐον, ἔργῳ δὲ αὐτὸν ὑφ' ἑαυτῷ κεῖσθαι διολωλότα. *Illos quidem famam habere quasi Cajum interemissent: at reipsa Cajum à semetipso prostratum.*

4. Ὁ *ἀντικείμενος, Qui adversatur*] Id est שטן. Sic quod in Hebræo est 3 Regum, aut, ut alii numerant, primo, cap. 11, 14. ויקם יהוה שטן לשלמה; & in Græco, ἐξήγειρε Κύριος Σατὰν τῷ Σολομῶντι, Tertullianus explicat adversùs Marcionem 3. *Suscitavit enim illi Satan, id est, hostem.* Et Chrysostomus in cap. 12. secundæ ad Corinth. citans 3 Reg. 5. 4. οὐκ ἦν Σατὰν ἐν ἡμέραις αὐτῦ [*non erat Satan in diebus ejus*] explicat, τυτέςιν ἀντικείμενος [*id est, hostis.*] Sic Lucæ 13. 17. 21. 15. 1 Corinth. 16. 9. Philip. 1. 28. 1 Timoth. 5. 14. sumitur vox ἀντικείμενος, sed cum apposito, aut addito, aut ex superioribus facilè intellecto. At absolutè cùm ponitur, eum significat, qui Deo quoquo modo adversatur, quo sensu vox Hebræa legitur Matthæi 16. 23. & locis Marci ac Lucæ qui ei loco respondent. Summo autem jure ei aptatur, qui non semel aut per errorem, sed perpetuo destinatoque proposito Deum oppugnat, quod Cajus fecit, par in hoc diabolo, cui id nomen eximiè tribuitur. Eâdem causâ παράλληλος, *compar* Cajo Antiochus, aut præsidium ab eo positum διάβολος, *Diabolus* vocatur 1 Maccab. 1. 38. ¶ *καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, & extollitur supra omne quod dicitur Deus*] Sumptum ex Daniele, ubi sermo de Antiocho, cui paria fecit Cajus, Daniel. 11. 36. Tantùm interpretationis causâ Paulus addidit λεγόμενον [*quod dicitur.*] Multi sunt λεγόμενοι θεοὶ, *qui dicantur dii.* ut ait idem hic Apostolus 1 Corinth. 8. 5. nimirum qui vulgo tales credebantur. Tertullianus adversùs Marcionem libro 1. *Nam & idola gentium Dei vulgo: sed Deus nemo ea re quod Deus dicitur.* Rectè Paulus Caji, qui vero Deo se opposuit, impietatem hinc colligit, quòd etiam iis quos ipse habebat deos, se non æquavit modò, sed & prætulit. Summus deorum habebatur Jupiter. Eum accusavit, quod Capitolium occupasset. Etiam cùm Jovis Olympii simulachrum in suam effigiem commutare voluisset, neque per fulmina, quæ navem absumserant, potuisset, minatus ei est. Aliis etiam temporibus, machinis ad id factis, obstrepebat tonitribus ac fulmina imitabatur: dicebat etiam Jovi Homericum illud,

> Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε. ——
> [*Me perime, aut ego te.* ———]

ex Iliados Ψ. Hæc omnia Dion habet, multa & Suetonius. Nec dubito quin capite 22. Suetonii eædem, quæ apud Dionem sunt voces Græcæ, quanquam ad Capitolinum Jovem prolatæ, sint reponendæ, eoque magis, quòd easdem posuerit Seneca circa finem libri de Ira primi, ubi ejus Caji Cæsaris dicta terribilia & tumultuosa commemorans ait, *Ad pugnam vocavit Jovem, & quidem sine missione, Homericum illum exclamans versum,*

> Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε.
> [*Me perime, aut ego te* ---.]

Nec omittendum ex Suetonio illud, quòd cùm, assistens simulacro Jovis, Apellem tragœdum consuluisset, uter illi major videretur, cunctantem flagellis discidit. Josephus libri 19. initio narrat, cùm interrogaretur, utrum major esset ipse an Jupiter, eum velut per modestiam id in medio reliquisse. Cùm Luna concumbere se dicebat. Castores autem sibi fecerat janitores, narrante Dione: neque reverentiùs tractabat deos alios, ut jamjam apparebit. Sic Antiochus Dianam aliosque paganicæ superstitionis deos contempsit. ¶ *ἢ σέβασμα, aut cultura*] Σεβάσματα dicuntur quæ cultui Dei, aut eorum qui dii putantur, inserviunt. Eo sensu exstat hæc vox Act. 17. 23. ubi *culturas* vertit Hieronymus. Philo σεβασμὸς eodem sensu dixit in hac ipsa re. Talia sunt templa, simulacra, deorum insignia, sacrificia. Templorum Romani imperii augustissimum, quod erat Capitolium, Jovi invidit. Simulacrum Jovis Olympii è Græcia jussit adferri, ut id suam in effigiem commutaret, quæ Dion narrat. Deorum insignia erepta diis sibi attribuerat: modò fulmen tenens processit, modò fuscinam, modò caduceum, etiam Veneris cultu conspectus est, ait Suetonius. At Dion, Ἥρα τε καὶ Ἄρτεμις καὶ Ἀφροδίτη πολλάκις ἐγίγνετο· πρὸς γὰρ δὴ τῶν ὀνομάτων μετάθεσιν, καὶ τὸ ἄλλο σχῆμα πᾶν προσῆκον σφίσιν ἐλάμβανε, καί ποτε μὲν θηλυδριῶδες ἑωρᾶτο, καὶ κρητῆρα καὶ θύρσον εἶχε, ποτὲ δὲ ἀῤῥενοποιὸς ῥόπαλον καὶ λεοντῆν ἐφόρει. λειογένειος αὖ καὶ μετὰ τῦτο πωγωνίας ἐφαντάζετο, τρίαιναν τε ἔςιν ὅτε ἐκράτει καὶ κεραυνὸν αὖθις ἀνέτεινε, παρθένῳ τε πολεμικῇ ὡμοιῦτο. *Sæpe fecit se Junonem, sæpe Dianam, sæpe Venerem; & prout nomen mutaverat, ita & convenientem nomini sumebat habitum; interdum muliebre intuens craterem thyrsumque gerebat: aliàs virili cum vultu clavam sumebat & leonis exuvias: modò lævis, modò barbatus apparebat. Fuit cùm tridentem teneret: alio tempore fulmen protendebat, virginique bellatrici similem se exhibebat.* Sed latissimè omnia hæc insignia deorum, quæ ad se transtulerat Cajus, Philo exsequitur, leoninas exuvias ab Hercule sumptas; à Castoribus pileos; à Libero patre hederam, thyrsum, nebrida; caduceum, talaria, chlamydem à Mercurio; coronas radiatas, arcum, sagittas, & Gratias ab Apolline; gladium, galeam, clypeum à Marte. Hæc insignia ibidem Philo vocat, παράση-

μα, περίαπτα, τρυκοσμήματα, ξοάνοις καὶ ἀγάλμασι προσιδρύμενα, signa, accessiones, ornamenta statuis & simulacris apposita. & ut modò dixi *σεβασμὰς* [*culturas.*] Dion verò *πρόσθετα καὶ πρόθετα* [*apposita.*] Sacrificiis non contentus iis, quæ diis receptis tribui erant solita, aves sibi raras & immensi pretii jubebat mactari, Dione teste. Ita omnia deorum *σεβάσματα* [*culturas*] aut eripuerat diis, aut instituto sui cultu supergrediebatur. ¶ *ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ καθίσαι, ita ut in templo Dei se collocet*] Non contentus sprevisse eos, qui dicebantur dii, eorumque cultum, contumeliosus esse voluit etiam *εἰς τὸν ὄντως ἀληθῆ Θεὸν, in verum Deum*, ut Philo in hac historia loquitur, sicut Antiochus mira locutus est contra ipsum Deum deorum, Dan. 11. 36. Ναὸς Θεοῦ [*Templum Dei*] piis scriptoribus quid esse potest aliud, quàm templum Hierosolymitanum, quod ab ipsis Apostolis etiam eo tempore precum causâ adiri solebat, Act. 2. 46. Act. 3. 1. 5. 42. 21. 26. qui ne sacrificiis in eo templo abstinebant, ut apparet Actor. 18. 18. 21. 23, 24. si conferas legem Num. 6. 13, 14, 15, 16, 17, 18. quapropter Romani narrante Severo Sulpitio, postea evertendum templum censebant, quò pleniùs Judæorum & Christianorum religio tolleretur. Nomenque ejus usitatissimum erat בית יהוה [*domus Domini*] 1 Reg. 6. 1. 8. 64. 2 Par. 3. 1. *ναὸς Θεοῦ* [*templum Dei*] Matth. 26. 61. quomodo & Josephus plerumque loquitur: *ναὸς κυρίου* [*templum Domini*] Luc. 1. 9 *ἱερὸν τοῦ Θεοῦ* [*templum Dei*,] Matth. 21. 12. & meritò; erat enim id unum in omni orbe templum Deo vero sacratum ipsius jussu: *ἱερὸν τῷ ἀοράτῳ Θεῷ, Templum Deo inaspectabili*, sic vocat Philo: & mox, *περίβολον καθιερωθέντα καθωσιωμένον χρησμοῖς καὶ λογίοις θεσφάτοις. septum dedicatum consecratumque oraculis & responsis Divinis.* Fuerat quidem eidem Deo sacratum templum in monte Garizitano, sed humano instituto, contra Dei legem. Et id ipsum templum Pauli tempore non exstabat, dirutum pridem ab Hyrcano. Vide Josephum. Cætera ubique templa nec Dei jussu, nec Deo vero sacrata. Jussit autem Cajus, magnis additis pœnis, jussumque repetiit, *ἱστᾶν αὐτοῦ ἀνδριάντα ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ, poni sibi statuam in Dei templo*, ait Josephus. Philo, *ἀνδριάντα κολοσσαῖον εἰσωτάτω τῶν ἀδύτων ἀνατεθῆναι Γαΐος προσέταξε, Διὸς ἐπίκλησιν αὐτοῦ λαβών. Colossea mole statuam in intimis Templi adytis poni jussit Cajus sibi, sed sumto Jovis nomine.* Deinde mox, *ἀνατεθῆναι πάλιν κελεύει τὸν ἀνδριάντα ἐν τῷ ἱερῷ. iterum jubet in sacra urbe poni statuam in ipso templo.* deinde, *τὸν δὲ ἐν τῇ ἱεροπόλει νεὼν ὃς λοιπὸς ἦν ἄψαυστος ἀσυλίας ἠξιωμένος τῆς πάσης, μεθηρμόζετο, καὶ μετεσχημάτιζεν εἰς οἰκεῖον ἱερὸν, ἵνα Διὸς ἐπιφανοῦς νέου χρηματίζῃ Γαΐου. Templum quod in sacra est urbe intactum hactenus & omni jure sanctimoniæ donatum mutavit transformavitque in templum suum, ut novi Jovis egregii, Caji scilicet ipsius, diceretur.* Tacitus, *Dein jussi à Cajo Cæsare effigiem ejus in templo locare.* Hieronymus in Chronico Eusebiano, *Cajus Petronio præfecto Syriæ præcepit, ut in Hierosolymis statuam suam sub nomine Jovis Optimi Maximi poneret.* Quanquam autem præventus destinata impia Cajus non implevit, rectè tamen & Paulo & ipsi, ut jam audivimus, Philoni dicitur id fecisse, ad quod faciendum nihil omisit: nam cùm in aliis rebus atrocibus, tum maximè in iis, quæ directè Divinam lædunt majestatem, fecit quisque quantum voluit, ut Seneca loquitur. *δύναται γὰρ ἴσον τῷ δρᾷν τὸ νοεῖν: hic tantumdem velle & facere est.* Itaque Juvenalis, ubi perjurii cogitati historiam narrasset eam, quæ & apud Herodotum est, adjecissetque tristissimum eventum, addidit,

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Tum verò quod hic maximè respicit Paulus, mœror metusque maximus & Judæorum & Christianorum plenum habuit effectum, tot Caji epistolis, tantis ad fabricandam ponendamque statuam molitionibus, imò & exemplo jam in plurimis synagogis dato, quod post Philonem notatum Eusebio dicto Chronici loco. Præterea verba in Hiphil sæpe solum imperium significant. Orosius de hoc Caligulæ facto, *Antiquum illud in Hierosolymis sacrarium profanari sacrificiis gentilium, ac repleri statuis simulacrisque imperavit, seque ibi ut Deum coli voluit.* Est autem tale hic *καθίζειν*, neque *sedere* significat, sed *collocare*, ut 1 Cor. 6. 4. nam *αὐτὸν* [*ipsum*] pro *ἑαυτὸν* [*seipsum*,] aut mutato solùm spiritu qui olim non solebat adscribi, *αὑτὸν* [*se*] sæpissime in his libris reperias. Non novum esset, si hic positum esset *εἰς τὸν ναὸν, in templum*, pro *ἐν τῷ ναῷ, in templo*: cùm similis locutio appareat Marci 2. 1. & alibi. Sed nihil opus huc decurrere, cum *καθίζειν τινὰ εἰς τὸν θρόνον, collocare aliquem in thronum*, & pura & frequens Græcis sit locutio, quam & Plutarchus in Romulo usurpat, quomodo & Plato legum 9. dixit *καθίζειν εἰς χωρίον* [*collocare in agrum.*] ¶ *ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ Θεός. ostendens se tanquam sit Deus.*] Verbis factisque semet ostentantem pro Deo. Est enim hic *ὅτι* [*particula ὅτι*] *εἰδικὸν* [*similitudinis*,] ut Matth. 26. 54. 1 Cor. 11. 17, & 23. & alibi sæpe. Ἠξίου ὑπὲρ ἄνθρωπον νομίζεσθαι, *Voluit major homine credi*, ait Dio. Et mox, Ταῦτα μὲν οὖν τὰ *σχήματα, ὁπότε τις θεὸς ἐπλάττετο εἶναι, ἐλάμβανε, καὶ αὐτῷ καὶ ἱκετεῖαι καὶ εὐχαὶ, καὶ θυσίαι τὸ πρόσφορον προσήγοντο. Tales igitur formas, cùm deum aliquem se simulabat, sumebat, ipsique convenientes tali numini preces, supplicationes, ac sacra fiebant.* Josephus, Προϊὼν ἐξίστατο τοῦ ἀνθρωπίνου φρονεῖν ὑπὸ *μεγέθους τῆς ἀρχῆς ἐκθειάζων αὑτὸν, καὶ τὰ πάντα ἐπ' ἀτιμίᾳ τοῦ θείου πολιτεύειν ἤρτο. Postremo desiit humano se modo tenere, ob magnitudinem imperii deum se faciens, cunctaque ad Dei contemptum cœpit facere.* Philo, Οὐκ ἔτι ἠξίου μένειν ἐν τοῖς τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ὅροις, *ἀλλ' ὑπερέκυπτε σπουδάζων θεὸς νομίζεσθαι. Noluit se tenere ultra intra concessos humanæ naturæ terminos, sed extulit se eò usque ut deus credi cuperet.* Mox, *καὶ ἐπειδὰν ἅπαξ ἐθρασύνετο καὶ ἀπετόλμησεν εἰς τοὺς πολλοὺς ἐξενεγκεῖν τὴν ἀθεωτάτην ἐκθέωσιν αὐτοῦ, τὰ συνῳδὰ πράττειν ἐπεχείρει. Postquam semel deposito pudore ausus est in publicum edere impiam suam deificationem, etiam ei res congruentia cœpit agere.* Deinde, Ἐνόμισε τὸ νομίζεσθαι παρ' Ἀλεξανδρεῦσι θεός. *Putabat se ab Alexandrinis deum credi.*

5. Μνημονεύετε, ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς, ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν; *Meministis quod cùm essem apud vos, hæc dicebam vobis?*] Non nunc primùm hæc dico, ne nunc me ista comminisci puteris lucrandi temporis causâ. Jam tum cùm in Syria unà essemus, dixi eadem. Ita videtis ut mihi constem.

6. *Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, Et nunc quæ detineat scitis.*] Hoc etiam addidi, quid esset, quod Cajum moraretur, quò minus id quod animo conceperat, evulgaret. Id quid sit, jam apparebit. ¶ *εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ ut reveletur in suo tempore*] Ut scilicet pessimum ingenium non ante denudet, quàm Deo id visum erit permittere. Vide Joh. 7. 30. & 8. 20. Luc. 22. 53. *ἀποκαλύπτεσθαι* [*revelari*] est *factis cogitata prodere, ἀναφαίνειν ἃ συνεσκίασεν, aperire quæ obtexerat*, ut Philonem loquentem modò audivimus.

7. Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, *Nam mysterium jam operatur iniquitatis*] Jam in arcano impietas ista se præparat, nimirum id jam suadente Helicone atque aliis Ægyptiis nebulonibus, quos describit Philo. Tale est illud Taciti, *Intra Albanam villam sententia Messalini strepebat.* Ostendit & quæ futura erant, & quæ in abdito jam quarum struebantur, sibi à Deo revelata, nec de rebus se loqui post se & eos, quibus scribebat, orituris, sed quarum causæ, quanquam maximè latentes, nascerentur. Sic voce *μυστηρίου* [*mysterii*] significari *τὸ ἀγνοούμενον, quod ignoratur*, ad Rom. 11. 25. & 1 Cor. 15. 51. notat Chrysostomus. Idem in secundo sermone de Eleemosyna his verbis de Imperatorum aliquo agi rectè sentit, in eo tantùm decipitur, quòd pro Cajo accipiat Neronem. ¶ *μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται tantùm ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat*] Non longiùs differetur malum, quàm donec Lucius Vitellius, qui nunc Syriam & cum ea Judæam tenet, inde discesserit, successoremque acceperit. Cajus, ut notat Philo, *σφόδρα τοὺς ἐν ἡγεμονίαις εὐλαβεῖτο, τὰς πρὸς νεωτεροποιίαν ἀφορμὰς ἀφθόνους ἔχοντας ἐν ἑτοίμῳ, καὶ μάλιστα τοὺς ἐν ταῖς μεγάλαις καὶ μεγάλοις ἐπιτάττοντας στρατοπέδοις, ἡλίκα τὰ πρὸς Εὐφράτῃ κατὰ Συρίαν ἐστιν. multum metuebat eos qui in provinciis erant, ac ob id ad res novas multas habebant opportunitates, præcipuè verò eos qui & in magnis erant provinciis & magnis exercitibus præerant, quales sunt Syriaci ad Euphratem.* Vitellius autem, ut Dionis loquar verbis, erat, *οὔτε ἀγεννὴς οὔτε ἄφρων, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς ἐν τῇ Συρίᾳ ἀρχῆς ὀνομαστὸς γενόμενος, τότε γὰρ ἄλλα λαμπρῶς ἡγεμόνευσε, καὶ τὸν Ἀρτάβανον καὶ ἐκείνῃ ἐπιβουλεύοντα κατέπληξε, neque degener neque stultus, quin & magnum nomen ex provincia Syria sibi pepererat, & multis aliis rebus egregie administratis, & caso Artabano qui Syriæ imminebat.* & quæ ibi sunt plura. Tacitus de eo, *regendis provinciis virtute prisca.* Hujus Vitellii imperio Pontius Pilatus Romam iverat, *ταῖς Οὐιτελλίου πειθόμενος ἐντολαῖς, οὐκ ὂν ἀντειπεῖν, parens Vitellii jussis, quibus contra ire non licebat*, ait Josephus 18. Erat præterea Vitellius favens Judæis, ut apparet ex remissis vectigalibus, & stola Pontificali Sacerdotibus in custodiam data: quæ facta ab eo ait Josephus *ἐπὶ εὐεργεσίᾳ τοῦ ἔθνους, ut beneficiis sibi gentem obstringeret.* Quare non mirum, si viro tali eam provinciam obtinente, nihil ibi novare ausus est Cajus.

8. Καὶ τότε, *Et tunc*] Non antequam id evenerit, quod dixi, magnus impostor se visendum dabit, non minore cum periculo. Solet *τότε* (*tunc*) sæpe poni ad temporis etiam aliquo intervallo distantis significationem, Matth. 2. 7. 4. 5. 24. 14, & 30. & alibi. Illud ergo *τότε* [*tunc*] intelligendum de initio principatûs Claudii, qui Cajum Principem excepit: nam anno Claudii secundo Romam ivit Petrus ad occupandum

Simo-

Simonem Magum, ut Hieronymus nos docet de scriptoribus Ecclesiasticis. Et sub Claudio aperuisse se Simonis illius impietatem disertè notant Christianorum quos habemus vetustissimi, Justinus Apologetico secundo, & Irenæus lib. 1. cap. 20. nec aliter in historia Eusebius, in Catechesi Cyrillus; & in hæreticis fabulis Theodoretus. Quod autem Philastrius & posteriores quidam ad Neronis tempora hæc referunt, errorem esse puto ortum ex ambiguo nominis. Nam & Claudius ex Neronum erat gente, patrique ejus nomen Nero fuerat, ut Suetonius nos docet: unde & idem nomen ab ipso datum ei quem adoptaverat filio, sceleribus suis notissimo Neroni. ¶ ἀποκαλυφθήσεται, *revelabitur*] Eadem vox, quam supra de Cajo habuimus. Impietatem suam Simon nudabit, quam hactenus, Christianis se aggregando, occultaverat. Vide Actor. 8. 24. Clemens Alexandrinus de eo, Κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσε, [*prædicantem Petrum auscultavit.*] Philastrius de eodem, *Qui baptizatus à beatis Apostolis recessit à fide eorum.* ¶ ὁ ἄνομος, *ille iniquus*] Ita vertunt Græci interpretes Novi Fœderis vocem רשע, ut videre est ex Esaiæ 53. 12. Marc. 15. 28. Luc. 22. 37. Sic autem vocantur Hebræis ii, qui consultò mali sunt. Convenit optimè Simoni, quem *scelestum* dixit Clemens Romanus: δύσφημον στόμα, *impiurum os* Cyrillus, sive dogma ejus respicias, quod ἀσεβὲς καὶ πλάνον [*impium & fallax*] vocat Justinus Apologetico priore, & propter quod Simon *princeps impiissimæ scientiæ* Irenæo dicitur: Philastrio autem *sceleratam & perniciosam hæresin seminasse*; sive *facta* ipsius, etiam *effatu turpia*, αἰσχρουργίας καὶ ἀρρητοποιίας, ut Eusebius ait; μυστήρια αἰσχρότητος, *mysteria turpitudinis* ut loquitur Epiphanius, non dissimilia Sodomitarum sceleribus, qui propter id ἄνομοι, *iniqui*. 2 Petri 2. 8. *Libidinosè vivere mysticos sacerdotes* dixit Irenæus. *Docebat detestandam turpitudinem indifferenter utendo fœminis*, ait Augustinus. Theodoretus, *Qui ejus secta sunt, se audacter omni libidini & intemperantiæ dedebant.* Ob hæc meritò Cyrillo Simon dicitur ὁ πρῶτος τῆς κακίας δράκων, *primus malitiæ draco*. Hic Ecclesiam vehementer perturbavit, ut apud Clementem est. Deceperat multos, ut Justinus ait Apologetico secundo, & ex eo Augustinus: ita ut statuæ ei tanquam deo ponerentur, memorante eodem Justino, Irenæo, aliisque. Multos in stuporem coëgerat, ait Irenæus, & omnes qui adulterant veritatem, ejus successores vocat. Quare insignis hæc est nota temporis. ¶ ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, *quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui*] Apostoli sunt *os Christi*, Matth. 10. 19. Et quæ faciunt, Christi faciunt nomine, Actor. 3. 6, 16. 4. 10, 30. Petrus apud Clementem Romanum, *Tota mente supplicabam Deo, ut per Dominum nostrum Jesum Christum frangeret scelestum illum.* Arnobius lib. 2. de Romanis loquens, *Viderant enim cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas*, (en ipsa ferme Pauli verba) *& nominato Christo evanuisse.* Eusebius, Ἐπιδημήσαντος αὐτοῖς τοῦ θείου λόγου, ἡ μὲν τοῦ Σίμωνος ἀπέσβη καὶ παραχρῆμα καὶ σὺν τῷ ἀνδρὶ κατελέλυτο δύναμις, *cùm ad eos verbum Divinum venisset, statim Simonis potentia cum ipso homine concidit.* Cyrillus *ex promisso Christi precum telo dejectum* ait. Philastrius, *Devictum oratione Petri Apostoli, atque percussum ab Angelo* Augustinus de hæresibus, *In qua urbe Beatus Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit.* Palladius in vita Chrysostomi; cùm de hoc ipso Simone locutus esset, *Indignatus ad hæc ille qui comprehendit sapientes in astutia sua, per os Petri locutus est*, &c. Maximus Taurinensis de Petro, *Etiam magnum illum Simonem orationibus suis de aëris vacuo præcipiti ruina prostraverat.* Et hæc quidem de re. Loquendi genus quod attinet, non abit hinc illud Chrysostomi fine ad Romanos, Τούτου τοῦ στόματος ἐβουλόμην τὴν κόνιν ἰδεῖν δι' οὗ τὰ μεγάλα καὶ ἀπόρρητα Χριστὸς ἐλάλησε, καὶ μείζονα ἢ δι' ἑαυτοῦ, ὥσπερ γὰρ εἰργάσατο μείζονα διὰ τῶν μαθητῶν, οὕτω καὶ ἐφθέγξατο, *Illius oris optarem videre cineres, per quod magna & ineffabilia Christus locutus est, imo majora quam per se: nam sicut per discipulos majora effecit, ita & majora est locutus.* Adde & Esaiam 15. 19. & 1 Petri 3. 19. ubi Christus prædicasse gentibus dicitur. ¶ καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ· *& destruet illustratione adventûs sui eum*] Ἐπεξήγησις, *explicatio* priorum more Hebræo: παρουσία dicitur de omni judicio. ἐπιφανεία παρουσίας, *adventûs illustratio* est, ἐπιφανὴς παρουσία, *illustris adventus*, item Hebræo more ἓν διὰ δυοῖν, *unum pro duo*. Sic ἐπιφανείας vox sumitur 2 Maccab. 3. 24. ubi interpres vetus, *fecit suæ ostensionis evidentiam.* Sensus qui in his verbis est, rectè exprimitur à Philastrio, *Sic meruit interire, ut ejus magiæ evidens mendacium cunctis hominibus patefceret.* Theodoretus de Petro, *Fraudis eum* (Simonem) *pennis nudavit.* Isidorus lib. Epist. 13. *Ex alto miser in mortem multorum sermone celebratissimam præceps ruit.*

9. Οὗ ἐστιν ἡ παρουσία, *Cujus est adventus*] Ἐπάνοδος, *retrogressio*: nam ab interitu Simonis ad facta ejus retrogreditur, ut apertiùs hominem designet. παρουσία [*adventus*] ut modò de Christo, ita hic de Simone dicitur, significatque operationem, per quam ille se nobilem fecit, ἐπίδειξιν [*ostensionem*;] sic ἐπιδεικνῦντα *ostentantem se* Simonem Cyrillus dicit. ¶ κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, *secundum operationem Satanæ*] Efficaciter per ipsum ut olim per Jamnem & Mambrem agente non Deo, sed Satana. Justinus Martyr Apologetico secundo de Simone, διὰ τῆς τῶν ἐνεργούντων τέχνης δυνάμεις ποιήσας μαγικὰς, *magicas virtutes edens arte dæmonum.* Et mox de eodem & Menandro, οἱ καὶ φυσικὰς δυνάμεις ποιήσαντες πολλοὺς ἐξηπάτησαν, *qui & mira in rerum natura efficientes multis imposuerunt.* Irenæus de Simonianis, *Amatoria quoque & agogima, & quæ dicuntur paredri & oniropompi, & quæ sunt alia parerga* (lege *perierga* ex Actor. 19. 19.) *apud eos studiosè exercentur.* Tertullianus de Idololatria, *Magia in Simone punita.* Idem de præscriptione hæreticorum, *Simoniani autem magiæ disciplina Angelis serviens, utique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.* Fidentem diis falsis ait Arnobius. Cyrillus, ἐπαγγελλομένου γὰρ τοῦ Σίμωνος μετεωρίζεσθαι ἐπ' οὐρανοὺς, καὶ ἐπ' ὀχήματος δαιμόνων ἐπ' ἀέρος φερομένου, *cum promitteret Simon in cælum se subvectum iri, & dæmonum vehiculo per aërem ferretur.* Theodoretus, *Omni incantationum & præstigiarum genere utebatur*: Epiphanius, ἐφαντασίαζε τὸ γένος τῶν Σαμαρειτῶν μαγγανείαις, *Samaritanum gentem magicis artibus decipiebat.* & mox, πρόχειρος ὢν ἀεὶ τῆς ἑαυτοῦ κακίας τὰ βαρβαρικὰ καὶ δαιμόνων πράγματα διὰ τῆς ἑαυτοῦ μαγγανείας ἐπιδείκνυσθαι, *cum semper promptus esset ex suapte malitia ostentare res barbaritas, dæmonumque opera per magicum suum ministerium.* At Sulpicius Severus de Simone, *Qui cum magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmonibus evolasset.* Augustinus, *Hic magicis fallaciis deceperat multos.* ¶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι, *in omni virtute & signis & prodigiis*] *Signa & prodigia* in Simonis historia dixit Clemens. Ambrosius in 7. ad Romanos, *Neque si virtus ab aliquo facta fuerit, sicut dicitur facta à Simone Mago, qui dicitur in aëre sursum, ut populo Christi scandalo esset, volasse, fidem nostram debebit minuere.* Theodoretus, *Admirabilium & prodigiosarum quas efficiebat rerum, operationibus multis persuasit, ut ei accederent.* ¶ ψεύδους, *mendacibus*] Vocat τέρατα ψεύδους [*signa mendacii*] ea per quæ in errorem inducuntur homines. Vide Matth. 24. 23. & adde Apocal. 13. 24. ubi per signa illa & prodigia decipi dicuntur homines. Gravissimos autem errores sevit Simon, cùm Christi facta, ut & Patris, & Spiritûs Sancti, ad se traheret; Christum negaret verè passum; Mundum diceret factum ab Angelis Dei veri ignaris; Ab iisdem Angelis inspiratos Prophetas; Gratia, & in ipsum Fide ita servari homines, ut non opus esset pia facta accedere, quippe cùm naturâ actiones bonæ malæque non differrent, sed ex Angelorum illorum instituto; Itaque nec martyria subeunda; Sed liberos eos esse, qui se sectentur, ad agenda quæ velint, etiam ad idola adoranda; Mortuos non iri resuscitatum. Irenæus libro 1. capite 20. *Secundùm enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundùm operas justas.* Adde Origenem; Cyrillum, Epiphanium, Augustinum, Theodoretum hæc exsequentes. Ad Judæos quosdam simulque ad Simonianos pertinet Justini hic locus, Colloquio cum Tryphone, Οὐχ ὡς ὑμεῖς ἀπατᾶτε ἑαυτοὺς καὶ ἄλλοι τινὲς ὑμῖν ὅμοιοι κατὰ τοῦτο, οἳ λέγουσιν ὅτι κἂν ἁμαρτωλοὶ ὦσι, θεὸν δὲ γινώσκουσι, οὐ μὴ λογίσηται αὐτοῖς κύριος ἁμαρτίαν. *Non ut vos decipitis vosmetipsos, & alii quidam vobis similes, qui dicunt, etiamsi criminosi sint, dum Deum norint, non imputaturum ipsis Deum crimina.*

10. Καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας, *Et in omni seductione iniquitatis*] Talis erat Simonis deceptio, ut homines in plurima scelera impelleret, quod ex antedictis satis manifestum est. Iterum hic more Hebræo effectus per genitivum casum exprimitur. πᾶσαν ἀπάτην, *omnem deceptionem*, dixit propter multiplices deceptiones, inter quas & illæ fabulæ de scorto sive Selene sive Helene, quam primam ἔννοιαν *cogitationem* dicebat: miscebat autem Judæorum Angelicolarum superstitionem cum Græcorum fabulis, quorum scripta diligenter legerat. Imago Simonis facta cultaque in figura Jovis, Selenes in figura Minervæ. Vide Irenæum. ¶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις· *iis qui pereunt*] Apud eos qui Euangelio credere noluerunt, ac propterea perituri sunt. Sic eadem vox sumitur 2 Corinth. 4. 3. Intelligit autem tum Samaritas tum Romanos, & in his tam Senatum quàm populum, ut explicat Apologetico 2. Justinus. Sacrificia ipsi & libamina facta addit Eusebius. ¶ ἀνθ' ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο, *eò quod caritatem veritatis non*

receperunt] Illud ἀνθ' ὧν [*eò quòd*] justam Dei retributionem significat Luc. 1. 20. 19. 14. Actor. 12. 23. ἀγάπην τῆς ἀληθείας [*caritatem veritatis*] intellige summum Dei beneficium Euangelium suum ad eos mittentis. Rom. 5. 5, 6. Et nota primum Dei propositum esse, ut benefaciat iis, quibus annunciatur sermo salutaris, sed hominum culpà succedere propositum alterum. ¶ *εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς, ut salvi fierent*] Poterant enim & illi servari per Euangelium, seriò id agente Deo. ¶ *καὶ διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ θεὸς, ideo mittet illis Deus*] Sapienti permissu & directione. ¶ *ἐνέργειαν πλάνης, operationem erroris*] Id est, fraudes efficacissimas tum eruditionis ostentatione, tum signorum præstigiis, tum eò maximè quòd carni blandiantur. Clemens Romanus, *Et dæmonum vim labefactavi in fraudem ac perniciem hominum illicientium.* ¶ *εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει· ut credant mendacio*] Hoc jam secundum est adversùs contumaces Dei propositum, contumaciam eorum ulciscentis velut subducto lumine.

12. *Ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύοντες τῇ ἀληθείᾳ, Ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati*] *Ut convincantur sua malitia*; cùm enim talibus credant hominibus ob præstigias quasdam, cur non Christo ejusque Apostolis potius crediderunt, qui tanta tam solida vereque Divina miracula ediderunt? Vide conferentem hæc Theodoretum. ¶ *ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ. sed consenserunt iniquitati*] Hæc vera causa est, cur Simoni potius quàm Christo crediderint, quod Simonis dogma commeatum ipsis faceret fruendi quibuscunque voluptatibus, etiam iniquissimis; qua de re jam egimus. Quorum actiones malæ sunt, ii tenebras falsorum dogmatum luci Euangelicæ præferunt. Johan. Euang. 3. 18. Is verò qui facere vult voluntatem Patris, rectè de Christi dogmate judicat. Joh. Euang. 7. 17. Lactantius lib. 7. Divinarum institutionum capite 1. de hominibus ejusmodi, *Malunt id esse fictum, quo desideriis suis renuntiare coguntur.* Item, *Qui libidinum furiis incitati, ut ait Poeta, in furias ignemque ruunt, utique incredibilia nos adferre dicunt, quæ illos a voluptatibus suis prohibent, quibus animam suam cum corpore adjudicaverunt.* Clemens Romanus de Simone, *Quidam cum essent illius pernicie digni, remanserunt in ejus disciplina.*

CLAUDII SALMASII

SUB NOMINE

JOANNIS SIMPLICII

NOTÆ

In H. GROTII

COMMENTATIONEM.

N*Eque antiqua sunt illa*] Non est dubium, non omnia esse antiqua & genuina, quæ sub finem Epistolarum sunt addita ad significandum, unde & per quos missæ fuerint, quod vel ex iis perspicitur, quæ ad finem Epistolæ prioris ad Corinthios, & ejus, quæ ad Hebræos inscribitur, adjecta sunt: quippe apparet ista, ex conjecturis quibusdam in ipsa Epistola inconsultò arreptis addita esse. At nullam ex subscriptionibus istis genuinam esse, vix est verisimile; quin verisimilius videtur, cùm in quibusdam Epistolis ejusmodi subscriptiones haud dubiæ fidei extarent, occasionem inde arripuisse quosdam, ut & aliis easdem subjicerent, quas cum aliunde petere non possent, istius rei notitia jam ex hominum memoria abolita, in ipsis epistolis, unde & per quos missæ essent, deprehendisse sese putaverunt. Et priorem quidem ad Thessalonicenses Athenis, ut dicitur, scriptam esse, ex ipsis Pauli verbis cap. 3. poterat colligi. Nam si Paulus Athenis Timotheum Thessalonicam mittens, Athenis jam, antequam Timotheus inde rediret, excesserat; cur Athenis tantum & non alibi etiam sine Timotheo toleratam Thessalonicensium causa solitudinem commemorat? Quamvis enim solitudo ista Athenis cœperit, tamen si aliis quoque locis duraverat, non fuerat reticenda, quo tanto grandius amoris & solicitudinis suæ de Thessalonicensium salute documentum daret Apostolus. Athenis igitur missus Timotheus, antequam inde moveret Paulus, Athenas redire Thessalonica poterat, & suo reditu hanc Epistolam elicere. Nec refert quod reditus istius Timothei nullam faciat mentionem Lucas: quippe, qui etiam de illius ad Paulum Athenas adventu nihil dixerat, quamvis Paulum sine Timotheo Athenas venisse narrasset, Actor. 17. 15, 16. Quod si tamen hæc Epistola Athenis scripta non fuit (neque enim eam Athenis scriptam esse pertinaciter contenderim) dubitandum non videtur, eam Corintho, imperante jam illis temporibus Claudio Actor. 18. 2. scriptam esse, quo sese Athenis statim contulerat Paulus Actor. 18. 1. isticque tam longo tempore hærebat Actor. 18. 11, 18. ibique eum Silas & Timotheus ex Macedonia redeuntes repererant. Quod cur de altera quoque negari debeat, non video. Ipsa enim & rerum & verborum series, ut postea videbimus, in utraque docet, pene adhuc calente stylo alteram post alteram, ita requirente Ecclesiæ illius usu, exaratam esse. Unde etiam utraque Pauli, Sylvani, & Timothei nomen, indivulso adhuc illorum trium comitatu, qui uno in loco diu durare non solebat, Paulo in omnes promovendi Euangelii occasiones intento, præscriptum habet.

Respondeo potuisse posteriorem poni ordine] Atqui primùm non facilè recedendum est ab hac tam antiqua & constanti traditione. Nam quæ afferuntur conjecturæ, non videntur sufficere. *Serius ad aliarum Ecclesiarum notitiam pervenit.* Quamobrem vero, si prius scripta fuerat? *Ad paucos*, inquit, *scripta fuerat, qui cœtum nondum fecerant, ac propterea non ullis Ecclesiæ Archivis custodita, sed privata fide.* Primùm, ut hoc verum sit, consequentiam tamen nondum video. Num Epistolæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ideo serius innotuisse dicendæ erunt; quod ne ad paucos quidem, sed ad unum hominem scriptæ fuerint? Atqui tam poterant isti pauci Epistolam hanc divulgare, quam cœtus integer, imo tanto facilius, si in manibus privatorum erat, quam si in publica fuisset custodia Unde porro constat priorem Epistolam, aut alias ad diversas scriptas Ecclesias, publicis earum archivis fuisse custoditas, non privata quorundam fide, ab initio nimirum, & antequam exempla earum jam divulgata essent? Non ea tum credo Ecclesiis cura fuit, ut archiva aliqua constituerent, præsertim Thessalonicensibus, rebus eorum tam incertis, tamque afflictis, ut ex priore ista Pauli ad eos Epistola manifestum est. Sed unde constat hanc Epistolam ad paucos, qui cœtum nondum fecerant, scriptam esse?

Apostolus, inquit, *homines non ex regula viventes hic non excommunicari præcepit, quod*] *justi cœtus fuerat, ut in priore ad Corint. sed vitari, quod jus singulorum est.* Atqui, *excommunicandi* voce non magis in Epistola ad Corinth. quam hic Apostolus utitur; imo id ipsum, quod hic Thessalonicensibus, quamvis alia voce, Corinthiis præcepit. *Ne commisceamini*, inquit, *cum scortatoribus*, *neque cibum cum iis capite.* Unde & hic de iisdem, quos modo vitari præcepit, rem eandem mox repetens, eandem non commiscendi vocem usurpat. Nam quod ad traditionem Satanæ attinet, ea non Corinthiorum, sed Pauli solius fuit opus. Communi, inquies, Ecclesiæ decreto Corinthiis faciendum erat, ut non ex regula viventes vitarent. cur vero non idem intelligi debeat etiam de Thessalonicensibus? Neque enim permittendum est, ut quisque suo arbitratu sese ab alio separet, sed ex communi demum Ecclesiæ consensu; alioquin enim non ordo hic esset, sed confusio. *Dic Ecclesiæ*, inquit Christus, *& si Ecclesiam non audierit*, tum demum *tibi sit, sicut Ethnicus & publicanus*, à quorum consuetudine &

convictu

convictu sese abstinebat Dei populus. Unde merito hæc singulorum separatio excommunicatio appellata est. Neque enim singuli sese separare debent ab aliquo, antequam communis reliquorum accedat sententia. Ipse Apostolus exerte Ecclesiæ Thessalonicensium hanc epistolam, non minus, quam priorem, inscripsit, ut qui eos nondum Ecclesiam, nondum cætum fuisse dicat, Apostolo manifeste contradicat. Quid? hoc ipsum, quod non privatam singulis, sed communem omnibus Epistolam scripserit Paulus, argumento est, quod communis inter eos esset societas. Adde, quod Christianis pluribus uno in loco degentibus fas non sit sine societate, sine communione vivere, utut forte nondum ex professo & solenniter constitutum ordinem presbyterii habeant: quovis tunc huic rei idoneo vim presbyterii exercente. Imo cum Apostolus istos moneat, ut vitent eos, qui ἀτάκτως incedunt, hoc ipsum indicio est, ordinem aliquem, communemque regulam inter eos viguisse, à qua qui recederent, vel ideo à reliquis & observandi & vitandi erant, ne toti communitati labem aliquam adspergerent. Denique cur magis dicitur hæc Epistola ad paucos scripta esse, quam altera, quæ dicitur prior, ut inde concludi possit, alteram priorem dici, non quod prius scripta fuerit, sed quod prius innotuerit, cum eandem utraque *Ecclesiæ* nimirum *Thessalonicensium* inscriptionem habeat? Vide quam multa sumere necesse sit, ut priorem posterius, posteriorem vero prius intelligamus scriptam: cui tamen rei, ut mox patebit, ea quam vir iste doctissimus affert, secundi istius capitis interpretatio tota innixa est. Atqui si ipsas etiam inter se Epistolas conferas, non difficile est animadvertere priorem prius, posteriorem posterius scriptam esse. In priore conversionem Thessalonicensium commemorat ad fidem in Christum: in posteriore fidei istius incrementum & amplificationem: in illa, varia Christianæ pietatis dogmata late persequitur: in hac quasi jam labore isto perfunctus, quædam tantum veluti ad cumulum priorum adjicit: in illa, brevibus dixerat, ut sua agerent, suis manibus victum quærerent: in hac, rem eandem, pro ea, quam intellexerat, necessitate magis urget, & inculcat: in illa docuerat Christi adventum fore insperatum ac subitaneum: in hac, cum credi posset, etiam jam jam instare Christi adventus, ne in eam opinionem devenirent, monet, quod vel maxime Apostolo faciendum erat, ne scilicet opinioni isti non respondente eventu, in risum & ludibria Christiana fides verteret. Nempe ita cuique Christianorum de ultimo illo die cogitandum est, ut & possit, si Deus velit, viventibus nobis venire, & possit etiam in multa adhuc differri sæcula: ad illud respexit Paulus cum 1 Corinth. 15. 52. 1 Thess. 4. 15. ita de se, aliisque suo tempore viventibus Christianis, loquitur, ac si exortes futuri essent mortis, vivi in Christi adventu immutandi, & nubibus in cœlum rapiendi. Ad hoc verò, cum Ephes. 3. 21. Deo vovet gloriam in Ecclesia in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Unde & hic 2 Thess. 2. 3. non ita instare Christi diem illum prædicit, quin differendus sit, & apostasia prius advenire debeat. Quamvis vero Deo & accelerare diem illum & differre in manu sit; (nam quod ad illud attinet, quis dubitat, ea, quæ ante diem illum implenda sunt, divina providentia celerrime nulloque negotio ad exitum perduci posse, nisi forte illorum executioni tempus aliquod non exiguum non tantum Dei decreto deputatum, sed etiam oraculo prænunciatum sit?) verisimilius tamen erat, Pauli præsertim tempore, non paucis adhuc sæculis Christi adventum differendum esse. Non tantum quod multa adhuc implenda essent, quorum nonnulla etiam ab ipso Paulo prædicta, inter quæ est Judæorum sub peccatum non minus justo Dei judicio, quam olim profanæ gentes fuerant, conclusorum ad Christum conversio: sed etiam quod divinæ bonitati & gloriæ consentaneum esset, ut Fœderis Novi, cujus tanta est gratia, quodque tam sacro sanguine, tantoque Christi labore sancitum est, fructus non ad unum aut alterum, sed ad quam plurima sæcula dimanaret; præsertim cum id sine ullo piorum, sive vivant sive moriantur, detrimento, aut postquam vita functi fuerint, expectationis tædio fieri possit. Idque etiam ipse Christus indicasse videtur Matth. 25. 19. cum se Domino illi assimilat, qui post multum tempus ad familiam suam rediit, præsertim cum, ut ex Luc. 19. 11. constat, parabolam illam iis qui confestim regnum Dei appariturum esse credebant, opposuerit. Idem colligi potest & ex illis Christi verbis Luc. 21. 24. *Et Jerusalem calcabitur, donec impleantur tempora Gentium:* quæ sane non exiguum aliquod, & quod unius hominis ætate definiri possit, spatium temporis includere videntur. Id vero non obstat quominus singulis diebus, imo momentis in hunc diem intenti simus, quicquid tandem temporis adhuc ad illius adventum restet, cum mors, ut infra dicemus, singulis vitæ momentis nobis immineat. Sed ut ad propositum redeamus, ipse Paulus in hac Epistola, quæ posterior dicitur, & prædicationis suæ & epistolæ ad Thessalonicenses scriptæ mentionem facit. *Tenete*, inquit, *traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* At quem sermonem potius, quam in priore memoratam prædicationem? quam epistolam potius, quam superiorem, in qua eos tam multa, tam præclara docuerat? Nisi dicamus aut tertiam aliquam utraque istarum antiquiorem, aut quamlibet à se ad quoscunque scriptam intelligendam esse. At prius dicere (utut dubium non sit, non omnes Pauli epistolas ad manus nostras pervenisse) divinare est, & certis atque ante oculos positis prætermissis, incerta consectari. Posterius autem si intellexisset Apostolus, Epistolas potius quam epistolam dixisset. Jam si, ut par est, Epistolam priorem prius: posteriorem posterius scriptam esse ponamus, cum dubitandum non sit priorem epistolam post Pauli Thessalonicam adventum scriptam esse: Thessalonicam autem post Caji tempora primum Paulus pervenerit, quid aliud consequitur, quam secundo isto capite impietatem Caji prædictam non esse, Cajo cum sua impietate jam tum exstincto?

Non obstat, inquit, *quominus Thessalonicam scripserit Paulus multo prius, quam in eam urbem veniret.* Hoc si etiam de priore, quæ dicitur, Epistola intelligit Autor, multa profecto obstant. Nam & suum ad Thessalonicenses ingressum; & Euangelii inter ipsos prædicationem; & eorum ab idolis ad Deum viventem & verum conversionem Paulus in illa commemorat: cap. 1. 9. & 2. 7. & quod in Actis de Pauli profectione Philippos, Philippis Thessalonicam, Thessalonica Athenas narratur cap. 16. & 17. Idem ipse in hac Epistola declarat cap. 2. 3. Et vero cum toties suæ apud eos, interque eos commorationis & conversationis meminit; obsecro, quem locum alium, quam Thessalonicam, quos alios, quam Thessalonicenses intellexit?

Christianos, inquit Autor, *qui in Judæa acerbissima quæque passi in Syriam primum concesserant, & ibi quoque iisdem eos vexantibus malis & periculis, mari proximo trajecto se receperant in Macedoniam.* Hæc ita ab Autore narrantur, atque si non ab ipso tantum cogitata, sed historiæ monumentis essent prodita. Atqui, Acta Apostolorum à Luca descripta attente legenti, apparet primum istos, qui post Stephani mortem ingruente persecutione, Hierosolymis excesserant, non in Syriam primum concessisse, sed per Judææ & Samariæ regiones dispersos fuisse, Actor. 8. 1. deinde eos ex uno loco in alium transeuntes, non vitandarum persecutionum, sed Euangelii prædicandi caussa istud fecisse, Actor. 8. 4, 5. quin potius constat Ecclesias ab illis in Judæa & Galilæa & Samaria collectas, pacem habuisse, Actor. 9. 31. ut necesse non fuerit illos persecutionum causa inde excedere. Hinc & Actor. 11. 19. iidem illi Euangelium annuntiando, Phœniciam usque & Cyprum & Antiochiam (quæ in Syriâ est) pervenisse dicuntur. Tertio apparet omnes illos, qui Hierosolymis dispersi fuerant, præter Apostolos, non Christianos in commune fuisse, ut etiam ab aliis animadversum video; quippe Ecclesia, quam Saulus vastabat, Hierosolymis manente Actor. 8. 3. & 11. 13, 21. sed & Ecclesiæ illius Doctores, quorum istic non pauci erant, præter Apostolos; ut divino plane consilio hæc persecutio excitata fuerit, quo Euangelica veritas per vicinas quoque regiones spargeretur, cum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Apostolorum ministerium, nondum à se invicem discedentium, abunde sufficeret. Quarto apparet, quosdam tantum ex illis, patria Cyprios & Cyrenenses, Antiochiam & sic in Syriam pervenisse, ibidemque Hellenistis Euangelium, nondum istic prædicatum, annunciasse, Actor. 11. 20. An vero istos Paulus unquam in Syria viderit, cumque iis versatus sit, iidemque illi postea, idque persecutionum caussa in Macedoniam adeoque etiam Thessalonicam sese receperint; de eo certe nulli mortalium constare potest. Adde, quod Paulus licet Hierosolymis Tarsum in Ciliciam tendens in partibus Syriæ fuerit, Galat. 1. 21. Antiochiam tamen potuit non adiisse, in quam à Barnaba demum Tarsi quæsitus adductus fuit, Actor. 11. 25. Atqui hoc Claudio jam imperante factum est. Nam dum istic unius anni spatio versatur Paulus Actor. 11. 26. miserunt Antiocheni fratres, fratribus in Judæa habitantibus sublevandæ famis ab Agabo prædictæ, vers. 28 subsidium per manum Barnabæ & Pauli vers. 29, 30. Hæc autem fames, teste Josepho lib. 20. Antiquit. cap. 2. quarto demum Claudii anno Hierosolymitanis præcipue gravis fuit. Adde quod circa eadem tempora, Herodis Agrippæ Actor. 12. 1. mors inciderit, quem triennium sub Claudio regnasse Joseph. Antiquit. lib. 19. cap. 7. prodidit. Et denique, ut id verum sit, quod Author asserit, num unum illum atque alterum, quem Paulus in Syria viderit: Ecclesiam Thessalonicensium salutasset Apostolus, nisi forte dicas ab iisdem Thessalonicæ non minus, quam Antiochiæ, quam alibi, Ecclesiam fuisse collectam, ut sane dicendum foret, si iidem illi, qui alibi Euangelii prædicatione

tione Ecclesias colligebant Thessalonicam venissent. At quomodo in Syria Ecclesiam hanc vidisset Paulus? & 1 Thess. 1. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 11, 12. ea scribit, ex quibus aperte constat, Ecclesiam Thessalonicensium ab ipso primum collectam fundatamque fuisse. An vero cum primum Thessalonicenses istos Paulus adiit, nondum Thessalonicæ erant incolæ? atqui hoc verbis illius cap. 2. 1, 2. manifeste contrarium est. Quis porro *Thessalonicensium Ecclesiam* nominans, alios quosvis præterquam Thessalonicæ natos intelligat? Thessalonicæ potius advenas eos nominaret, quam Thessalonicenses, sicut Petrus ad Judæos scribens, non Ponticis, non Cappadocibus, non Bithynis epistolam inscribit, quamvis majori posset jure, quippe istic natis, sed *advenis dispersis, per Pontum, Galatiam*, &c. Cur vero cives Thessalonicæ natos, *proprios* eorum appellat *contribules*, si istic, quippe advenæ tantum ac peregrini, inter tribus civium non erant deputati? quid? si illi ipsi in Judæa acerbissima quæque passi a Judæis fuerant, cur Paulus eos imitatores tantum eorum, qui Judæi à Judæis passi sunt, fuisse dicit, quod sicut Judæi à Judæis vexati propter Christum fuerint: sic & illi à propriis suis contribulibus eandem ob caussam multa indigna pertulerint? Isti porro, quos persecutiones ex Judæa pepulerant, Judæi erant. Atqui Paulus hanc Epistolam ad eos scripsit, quos ex gentibus profanis ad Christi fidem, ab idolis ad Deum viventem ac verum prædicatione sua converterat. Denique cum constet Paulum Thessalonicæ fuisse, & istic Ecclesiam collegisse, eaque ipsa tum ipsi, tum aliis, quæ in hac epistola commemorat, istic accidisse, omniaque ad amussim in istam Pauli Thessalonicæ commorationem, & prædicationem quadrent; quæ ratio fuerit, id non agnoscere, & aliis, quam Thessalonica oriundis, alibi à Paulo aditis, quam Thessalonicæ ab eodem conversis, epistolam hanc, Thessalonicensium Ecclesiæ inscriptam, deputare? Hoc profecto non esset in ipsis Sacris Literis, earum sensum quærere, sed ad sensus alibi repertos earum verba velle deflectere. Viderem hic jubet Autor 2 Thess. 1. 4. collatis locis Actor. 8. 4. & 18. 18. Sed 2 Thess. 1. 4. afflictiones Thessalonicensium commemorantur, quas ut ultra maria quæramus, non est necesse, cum Thessalonicæ earum habuerint affatim. Actor. vero 8. 4. Judæorum propter persecutionem excitatam narratur dispersio, quod ad Thessalonicenses istos non pertinet. Actor. 18. 18. solius Pauli in Syriam narratur navigatio, idque postquam jam Thessalonicæ prædicasset Euangelium. Quid vero hoc spectat ad Christianos ex Judæa in Syriam, ex Syria in Macedoniam profugos? cum Paulus ex Macedonia in Syriam hic profectus fuisse dicatur, tantum abest, ut ad Christianos Thessalonicæ degentes, iste Pauli in Syriam adventus ulla ratione spectare possit. Hæc oppido evidentia sunt, ut vix negaturum Autorem putem, quamvis indifferenter & ambigue locutum, priorem hanc saltem, quæ dicitur, Epistolam, post Pauli Thessalonicæ prædicationem scriptam esse. Nec enim alio, ut arbitror, fine eam, quæ posterior dicitur, priorum esse evincere conatur, quam ut eam ad Caji tempora referre possit, quod non facile defendi posse videbat de ea, quæ dicitur, prima. Atqui etiamsi daremus secundam priorem esse prima, nullum tamen ne minimum quidem proferri posset argumentum, eam non æque ac primam post Pauli Thessalonicam adventum scriptam esse. Utraque enim eandem Ecclesiæ Thessalonicensium non tantum inscriptionem habet, sed & descriptionem. Neque ullo pacto verisimile est, ut appellatio Ecclesiæ aliter accipiatur in una, aliter in altera: Utraque etiam ab iisdem scripta est; argumento præterea persimili, ut appareat utramque uno quodam tenore & exiguo tempore interjecto scriptam esse. Nec ullam veri speciem habet, ut altera ad peregrinos, qui se Thessalonicam recepissent, jam ante alibi à Paulo aditos; altera ad eos, quos Thessalonicæ ad fidem adduxisset, scripta fuisse dicatur. Et cum in hac quoque Epistola Paulus aliquoties suam apud Thessalonicenses commorationem commemoret, cap. 2. 6. *Non meministis*, inquit, *me cum adhuc essem apud vos, hæc dixisse vobis?* cap. 3. 7, 10. *Non inordinate nos gessimus inter vos: Cum essemus apud vos, hoc prædicabamus vobis*; Ubi obsecro cum illis fuerat? In Syria inquis. Atqui de hoc nihil plane constat. Neque enim si Paulus in Syria aliquos Christianorum vidit, cumque illis versatus est, istos ipsos Thessalonicenses, eos esse consequitur. Cur vero non Thessalonicæ potius, cum & ad Thessalonicenses scribat, non ad Syros, & Thessalonicam, non in Syriam, & denique constet Paulum Thessalonicæ fuisse, isticque Ecclesiam collegisse? quid? ne ullum indicium desit, eadem pene verba, quippe recente adhuc memoria, in utraque reperias. In utraque Ecclesiæ Thessalonicensium descriptio & salutatio iisdem verbis concepta est. In prima porro, cap. 2. scribit de se Apostolus: *Meministis, fratres, laboris nostri & molestiæ. Nocte enim ac die operando, ne quem vestrûm gravaremus, prædicavimus vobis Euangelium Dei.* In secunda vero, cap. 3. 8. *Scitis*, inquit, *quomodo nos imitari oporteat, quoniam non inordinate nos gessimus inter vos, neque gratis panem edimus à quoquam, sed in labore & molestia nocte & die operantes, ne quem vestrûm gravaremus*; addidit hic v. 9. *non quod nobis id non liceat, sed ut nosmet ipsos pro exemplari exhibeamus vobis, ad nos imitandos*: cum in priore cap. 2. 6. scripsisset: *cum possemus vobis oneri esse, ut Apostoli Christi, sed fuimus benigni in medio vestri.* Profecto durum esse oporteat, qui neget hæc verba ad eandem rem, eosdem homines, eundem locum, idemque tempus referri.

Monendos autem hos agitatos longis miseriis] Recte omnino, si hæc ad ultimum illum Christi adventum referas, quem tanquam è proximo imminentem multi illius temporis credebant, tum desiderio tantæ rei, tum quibusdam Christi & Apostolorum verbis non satis expensis, tum etiam falsis quorundam persuasionibus inducti; quæ opinio, cum eventu non respondente, fidem Christianam facile posset convellere, idcirco Paulus in hac Epistola monet, ne quisquam in eam se opinionem illa ratione indui patiatur, quippe non ante Christi adventum exspectandum esse, quam prius horrenda apostasia in Ecclesiam inducta fuerit. Sed cum Autor hoc ad Christi referat adventum, quo gentem Judaïcam per Vespasianum evertit, ab Apostolis prædictum, concedi non debet, Apostolum monere, ne eum instare crederent. Vere enim tum adventus hic instabat, non ita multis annis ad vaticinii istius complementum restantibus. Neque turbare Christianos poterat, quod quamvis instaret, nondum tamen adesset gentis Judaicæ excidium; si quidem nondum evenerant excidii istius signa omnia à Christo prædicta, quippe tum in Imperio Romano immota pax, nec ulla gentium inter se collisio, nec dum tam dira Christianorum aderat persecutio, qualem & Christus ante hoc excidium futuram prædixit: & Nero, Christi prædictionem complens, exercuit. Imo cum Paulus non tantum neget instare Christi diem, sed simul quid ante eam prius evenire debeat, prædicit, sane impietatem Caligulæ prædixisse dicendus non est, quam eodem pœne anno, cum hæc, ex Autoris mente, scriberet, subsequi necesse fuit. Alioquin enim non confirmasset hac ratione Christianos, sed magis conturbasset, videntes, Cajo pridem sublato, & uno post alium imperatore compluribus annis continuante imperium, non consequi illum, quem exspectabant, Judaïcæ gentis exitum. Nimirum nec nobis nimium vicina, nec à rebus secuturis nimium remota prædici debent signa, quorum illud prudentia potius videri posset, quam prophetia; hoc vero, fidem, quam erexit, iterum facit concidere: præsertim si hæc, quæ præcedere debent, ita eventura dicantur, ut eorum finis cum sequentium adventu conjunctus fore significetur: quod in ista Pauli prædictione fieri 2 Thess. 2. 8. videbimus, eaque demum prædictio solida, & tam divinis viris, qualis Apostolus fuit, digna est.

Accedit, quod vulgari hac Epistola] Nondum id evictum est, in epistola hac quidquam adversus Cajum dici, nec si diceretur, tam clare dicitur, ut propterea Caji ira fuerit pertimescenda, multo vero minus Claudii & Neronis, quamvis ille Caji patruus, hic Claudii adoptivus esset filius, cum neuter Caji contumeliæ in Deos defensor esset, Cajumque hoc nomine culpari ægre ferret. Nec denique, si vel maxime istorum omnium ira pertimescenda fuisset, idcirco hæc Epistola omnibus Christianis, eorumque Ecclesiis communicanda non erat, si quidem eo fine, ut Autor ipse dicit, scripta esset, ne Christianorum fides, rebus, quas frustra, è proximo imminentes exspectabant, non evenientibus, labasceret. Nec Christiani in iis, quæ ad fidem suam promovendam pertinerent, ita Imperatores sunt veriti, ut ea publici Christianorum juris facere nollent: nec Apostoli publice ad Ecclesias scribentes premi suas epistolas voluerunt, aut ut premerentur, quæ publice scribebantur, facere potuerunt: quin potius alteram istarum ad Thessalonicensium Ecclesiam finiens Paulus: *Adjuro vos*, inquit, *per Dominum, ut legatur hæc Epistola omnibus sanctis fratribus.* Hanc vero ipsam epistolam tam caute scriptam fuisse apparet, ut quædam coram ipsis dicta, & cum periculo Ecclesiarum, sine ullo earum tum temporis usu, conjuncta hic exprimere noluerit, eorum tantum ipsos admonuisse contentus cap. 2. 6, 7. At quæ ad hominis peccatoris adventum pertinebant, ea clare exposuit, quippe nullum Christianis tum viventibus periculum, secuturis autem maximum emolumentum allatura. His positis, jam sponte ruit sequens Autoris verborum Pauli de Caligula expositio, ut jam monuimus. Neque enim in iis impietatem Caligulæ prædicere potuit, quæ, antequam hæc scriberet Apostolus, jam præterierat. Cujus rei etiam illud documentum est, quod Paulus secundam hanc ad Thessalon. scribens non minus, quam in prima Silvanum & Timotheum sibi adjungat. Atqui Paulus Silvanum

sibi

sibi in societatem allegit Claudio jam imperante, ut multis argumentis probari potest, Actor. 15. 4. Silvanus enim iste idem est qui Silas, omnium, ut arbitror, consensu. Timotheum vero Paulo post socium sibi assumsit Lystræ Actor. 16. 3. Nam ut ante id tempus Paulo fuerint comites, jamque etiam tum cum in Ciliciam tenderet, Actor. 9. 30. Gal. 1. 21. illius fuerit affirmare, qui non aliam habeat rationem, quam quia ita ad suam sententiam stabiliendam necesse sit. Inprimis verò, quod ad Timotheum attinet, nullam ea res veri speciem habet. Nam non ante illum Paulus Actor. 16. 1, 2, 3. in societatem itineris & laborum adscivit, quam illi fratres qui Lystris & Iconii erant, testimonium dedissent, non utique Ecclesiæ tantum causa, cum nulli præficeretur, sed in primis Pauli causa, cui comes adjungendus erat. Nam quod 2 Timoth. 1. 1. Paulus memoret, fidem, quæ prius fuerit in ipsius avia & matre; inde colligi non potest, etiam Timothei simul cum aviæ & matris fide fuisse Paulo cognitam, imo manifeste Paulus docet, prius in avia ipsius & matre fidem fuisse, quam in ipso, credo non propter ætatem tantum, sed etiam quod patris Græci authoritas in filium, ut sæpe fit, aliquamdiu teneret suspensam. Quid? etiam de ipsius aviæ & matris Timothei fide tum demum edoceri Paulus poterat, cum Lystris Timotheum cognovisset. Nam illud Pauli παρηκολούθηκας, si quis id urgeat, de Timotheo 2 Epist. 3. 10. ut recte ex Budæo observat Beza, Erasmumque refutat, non eam quæ fit corpore hominis assectationem, sed quæ fit mente & intelligentia rerum assecutionem significat, ut illa ipsa docent, quæ Timotheus istic assecutus fuisse dicitur. Eodem plane sensu & Lucas in Euangelii sui principio hac voce usus est Luc. 1. 3. Et ut fuerit Timotheus Paulo jam ante cognitus, imo & Pauli comes individuus, fierine potest, ut cum eum Paulus prædicationis socium habere nollet, antequam communi fratrum testimonio laudatus esset, eundem ante hoc testimonium in scribendis ad Ecclesias Epistolis secum conjungeret? Et Timotheum in prædicationis societatem asciscens, Judæorum causa circumcidit, quippe matre Judæa natum Act. 16. 3. eundem vero epistolas sub illius nomine scribens incircumcisum manere passus est? quis autem præterea iste tam felix casus fuit, ut eadem illa Pauli, Silvani, & Timothei nomina tot annis post in altera quoque ad Thessalonicenses epistola extarent? Demonstrato, hanc epistolam non minus quam illam, quæ prior dicitur, temporibus Claudii scriptam esse; jam non foret opus, ulterius progredi, sed tamen præstat videre, an etiam ipsis Pauli verbis hic Autoris de Cajo sensus aptari possit.

Vers. 1. *Rogamus autem vos Fratres de adventu Domini nostri Jesu Christi.* Recte observat Autor vim verbi *Rogamus* ἐρωτῶμεν. Miror, quod simul non monuerit præpositionem ὑπὲρ hoc loco non tam commode exponi voce *de* quam voce *per*. Convenientius enim omnino dicitur: Rogamus vos per adventum Domini nostri Jesu Christi, quam Rogamus vos de adventu Domini nostri Jesu Christi. Hoc enim si voluisset, potius dixisset Apostolus: Monemus aut simile quippiam. Præpositionem autem ὑπὲρ cum verbis rogandi aut supplicandi conjunctam eo sensu usurpari, observarunt interpretes. Atqui jam primum hæc tam sacra obtestatio multo rectius & efficacius de ultimo illo Christi adventu, quam de Judæorum excidio intelligitur.

Phrasi *adventus Domini nostri Jesu Christi*, si ex formula vet. Fœderis loquamur, judicium illud in gentem Judaïcam significari posse, non est dubium, propter has ipsas, quæ ab Autore erudite sunt observatæ, caussas. Sed si N. F. usum spectemus, in quo verus ille & proprie sic dictus Christi adventus celebratur, quoties simpliciter & absolute Christi παρουσία nominatur, ut hoc loco factum est, semper, quod sciam, de ultimo illo Christi adventu intelligitur. Ne alia N. F. loca commemorem, in priore ad hos ipsos Thessalonicensium singulis pene capitibus, singula ejus rei habemus exempla. cap. 2. 9. & 3. 18. & 4. 15, 23. Idque merito accidit, cum reliquæ significationes adventus Christi secundariæ sint: hæc, prima omnium, & potissima. Ultimam horam apud Joannem de tempore accipi instantis Hierosolymitani excidii (licet & ipsæ voces rei subjectæ cuilibet aptari possint, & eximii quidam viri eas ad instans gentis Judaicæ excidium retulerint) non est verisimile, cum credibilius sit Joannem rebus Judæorum jam eversis epistolam hanc scripsisse, propter exorientes tum temporis multos antiChristos: qui nec Judæi deputandi sunt, nec pseudoChristi (quorum multi & ante Christum fuerant) sed homines inter Judæos & Christi cultores medii, qui ex Christianis primum profecti, Jesum quidem à Deo missum, & vera docuisse, atque adeo ad regnum destinatum fuisse faterentur, Christum tamen seu Regem à Deo reipsa effectum esse negarent. Quod hominum genus eversa à Romanis Judæorum Repub. quæ Christi cultores maximis cladibus affecerat, tanquam novus & multo periculosior, quippe domesticus Ecclesiæ hostis, cœpit ingruere. Joannes igitur discipulos in hac epistola ad principia Euangelii revocat, ut quæ de Jesu ab ipso initio à se & ab aliis Apostolis prædicata fuissent, ea constanter retinerent, nec doctoribus istis novis aures præberent; memores magni Antichristi adventum sibi prædictum esse, cujus isti sint præcursores, eique sensim ad negandam veram & à Deo donatam Christi majestatem viam sternant. *Horam*, igitur, *ultimam*, tempus Antichristi appellat, quod Antichristi tempore regni Christi finis sit futurus, ut ex hoc ipso 2 Thess. capite clare liquet, non secus atque Christi tempus, ultimum hujus mundi tempus seu consummatio & finis seculorum dicitur, quod Christi tempore mundus hic & seculum præsens finem sit habiturum.

Lucæ 19. 12. seu potius 15. voce ἐπανελθεῖν contra, quam putavit, vir iste Doctissimus, notatur ultimus Christi adventus, ut ex vers. 21. & seqq. perspicitur: tum demum enim rationes inibit cum servis suis, præmiaque & pœnas illis pro meritis distribuet. Unde apud Matth. 25. 19. *post longum tempus rediisse dicitur.* Nec obstat quod vers. 27. apud Lucam dicatur Christus in suo reditu hostes & rebelles suos puniturus. Id enim longe plenius per Angelos, præsente Christo, fiet, quam olim per Romanos, Christo in cœlis manente, factum est. Ideo apud Matthæum 22. 7. cum de hac pœna per Romanos irroganda ageret, non ipse rediisse, sed exercitus tantum suos ad urbem illam rebellium expugnandam misisse dicitur. Quæ hîc porro subjicit Autor, docens, quam multum eo tempore interesset Ecclesiæ, ne nimis propinquum crederet urbis Hierosolymitanæ templique excidium, id longe rectius ad mundi finem & ultimum Christi adventum referri, supra jam monuimus. Porro Apostolum hîc non duas res, sed unam prædicere ex verbis illius demonstrabimus. Explicationem aliquam illorum Christi Matth. 24. verborum, *sed nondum est finis*, &, *hæc autem omnia initia sunt dolorum*, hîc contineri, tantum abest, ut Apostolus cum impii istius exitu, Christi adventum ita conjungat, ut per Christi demum adventum impium istum penitus perditum iri asserat. Neque sane conveniebat, ut superius ostendimus, remota tantum signa quædam prædicere, sed potius, Christi exemplo, remota & proxima prædicere oportebat, neque solum cum Christo dicere, *Nondum erit finis*; sed etiam, *& tum veniet finis.* Mirum autem est Christum, qui tam diligenter prænunciavit signa excidii Hierosolymitani, & remotiora & propiora, nullam de istius impii exortu, qualem hîc describit Apostolus, fecisse mentionem, haud dubio argumento, neque Pauli verba huc trahi debere.

Et nostra congregatione ad ipsum. Hæc verba, diligentius attendenti, nullum profecto dubium relinquunt, quin Apostolus de ultimo Christi adventu loqui credatur. Ipsa veritatis evidentia exegit ab Authore, ut ista Apostoli verba ex illis Christi rectissime interpretaretur. Matth. 24. 31. *Et mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus ex quatuor ventis ab extremitate cœlorum ad extremitatem eorum.* Huc referri debent & illa, c. 24. 27, 28. *Sic erit & adventus filii Hominis, ubi enim cadaver, illic congregabuntur & aquilæ.* Et illa ejusdem Pauli, ad eosdem Thessalonicenses, 1 Thess. 4. 14, 15, 16. *Sic etiam Deus eos, qui obdormiverunt per Jesum, ducet cum ipso. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos, qui vivimus & superstites erimus in adventum Domini, nequaquam præveniemus eos, qui dormiunt: quoniam ipse Dominus cum hortatu & voce Archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo: & mortui in Christo resurgent primum, deinde nos, qui superstites erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus, in occursum Domini in aëra: & sic semper cum Domino erimus.* En congregationem Christianorum omnium, tam vivorum, quam mortuorum ad Christum! quin dubitandum non videtur Paulum, occasione istorum, prioris Epistolæ, de Christi adventu, & omnium tam mortuorum, quam vivorum ad ipsum congregatione, verborum hæc ipsa verba, de quibus nunc agimus, in altera ista epistola scripsisse, digitumque ad illa veluti intendisse: cum forte inaudivisset quosdam esse, qui paucos intra annos Christum certo venturum assererent. Imo hæc tam diligens & accurata de iis, qui obdormiverunt, Apostoli admonitio, non aliunde originem traxisse videtur, quam quod vel aliqui jam essent, vel saltem reperiri possent, qui dum Christi adventum propediem exspectant, de eorum, qui interea morerentur, salute dubitarent. Jam si Paulus futuram illam, in fine mundi, sanctorum ad Christum congregationem intelligit; cui dubium esse potest, eundem de ultimo illo Christi adventu loqui; cum apertum sit, Christi adventum & nostram ad Christum congregationem poni tanquam relatum & correlatum, ut in Scholis loquuntur. Relatorum autem natura est, simul existere, ideoque & Christus, & Paulus, dictis locis utrumque istorum conjun-

junxerunt. Christus enim è cœlis, nubibus vectus, descendet in aërem; nos è terris, nubibus itidem vecti, ascendemus in eundem aërem, isticque Christo occurremus omnes, & inde Christum in beatas illas cœlorum sedes remeantem comitabimur. Et si Paulus per Christi adventum intelligeret Hierosolymitanum excidium, quo fine ei hic adjungeret piorum illam in fine mundi futuram ad Christum congregationem? quam recte obsecro hæc congruerent? Nolite credere beatam illam nostrûm omnium ad Christum congregationem jam instare. Non enim ea veniet, quam prius Caligula Deum se faciat, id est, antequam unus elabatur annus. Quin ut potius instare eam hoc ipso dicis, dum ejus tam propinquum impedimentum, tamque celeriter amovendum commemoras. Atqui mille sexcenti propemodum abierunt anni, ex quo monstrum illud in terris fuit, necdum tamen congregationis nostræ ad Christum tempus appetiit. Profecto tali prædictione Paulus non fidem piorum confirmasset, sed conturbasset. Cum excidio Hierosolymitano, quod mortem Caligulæ non statim subsequutum est, hæc prædictio male cohæreret, nedum ut cum piorum resurrectione & gloriosa immutatione, in fine mundi futura, recte conveniat. Sensit hunc scrupulum vir doctissimus, idcirco *congregationis nostræ ad Christum* aliam significationem molitur, ut scilicet ea notetur conventus Christianorum nempe ad sacra facienda, & illud *ἐπ' αὐτὸν* significet *propter ipsum*, *Jacob.* 2. 7. *ἐφ' ὑμᾶς super vos.* Coactæ istiusmodi & longius petitæ nimisque eruditæ explicationes, cum adsunt planissimæ, ipsæ sibi fidem derogant. Atqui hæc congregatio nostra ad Christum refertur, ut vidimus, ad Christi adventum; ut quemadmodum ex nostra ad Christum congregatione adventus Christi, sic vicissim ex ejus adventu, nostra ad ipsum congregatio exponi debeat: ut si congregatio nostra de conventibus sacris intelligenda sit, etiam adventus Christi, metaphorice de ipsius in sacris conventibus præsentia intelligi debeat. Neque probari potest, Vespasiani, Titique temporibus liberum fuisse Christianis conveniendi, non tantum in singulis urbibus, sed etiam ex multis terrarum locis facultatem, quæ Constantini demum temporibus Christianis contigit. Nam licet Judæorum gens excisa esset, non deerant tamen alii Christianorum persecutores: nec, quia Vespasianus Neronis in Christianos crudelitatem imitatus non est, seu, Eusebio teste, nihil durum in Christianos molitus est, idcirco illis Synodos facere permisit. Et ut hoc verum esset, cum Paulus agat de congregatione tanquam una, eaque insigni ac notoria, non de congregationibus, ac conventibus tanquam pluribus; quis non videt, eum de libertate ad sacra undique conveniendi Christianis, post Hierosolymorum excidium, concessa, non agere, nec *ἐπ' αὐτὸν* significare potest *propter ipsum*. Jac. 2. 7. *Nomen quod invocatum est super vos*, nomen significat à quo Christiani sunt cognominati phrasi Hebræa, cujus exempla vide Gen. 48. 16. Esaiæ 4. 1. Neque huc quidquam facit, quod Christiani exciso templo ac Repub. Judæorum Christum liberius sine Judaicorum rituum imitatione professi fuerint, cum & ante excidium hoc, sacras nihilominus in Christi nomen congregationes peregerint.

2. *Ut non cito moveamini à sensu.* Recte hic author νοῦν, accipit pro *sententia*, istamque significationem exemplis firmat. quæ autem sententia intelligenda sit, ex materia subjecta peti debet; nempe, adventum seu diem Christi, nostramque ad eum congregationem nondum instare. Quod vero Apostolus addit vocem ταχέως, *cito*; non ideo facit, quasi ulla essent alioquin tam gravia momenta, quibus ab hac sententia moveri possent; sed potius, quod nulla essent, epitheto, quod vocant, perpetuo innuens eum, qui ab hac sententia, illius & similis temporis respectu, sese moveri patiatur, non nisi *cito*, id est, leviter ac temere sententia decedere.

Neque terreamini. Quis vero huic tanto terrori apud Christianos locus, si non de mundi totius interitu, sed de Judæorum excidio agebatur? Quid Macedoniæ cum Judæa, & Thessalonicæ cum Hierosolyma? quid commune Christianis cum periculo rebellium Judæorum? Imo author ipse supra dixerat, v. 4. *Expectabant Christiani urbis templique excidium, non tantum ut documentum veracis Magistri, sed & ut calamitatum, quas ab Judæis multas pertulerant, solatium.* Quid igitur, ipsi longe extra periculum constituti, suarum calamitatum terrerentur solatio? Neque vero Romani Judæorum religionem, sed rebellionem impetebant, cum qua Christianis nihil fuerat commune, nec Synagogas eorum eversum ibant, ut inde Christianorum quoque Ecclesiis metus aliquis esset, sed urbem & Rempub. quæ Christianis infesta erat, & templum illud, quo stante carnalis ille Judæorum cultus stabat, ut propterea nihil in illo templo esset, nisi parietes & tectum excipias; quod ut Deum & Christum, ita Christianos quoque delectaret. At si verba Pauli de extremo illo mundi totius accipias judicio, merito eum hac voce usum esse dicemus. Utut enim summum æternumque piis afferret solatium, nihilominus tamen eos, quos vivos deprehenderit, terrore afficiet. Quis enim vel maxime pius non terreatur ingruente illo totius mundi terribili fragore & ruina, sole & luna subito lucem suam amittentibus, stellis de cœlo cadentibus, totius Oceani fluctibus insonantibus, & Judice illo multis Angelorum myriadibus stipato, cum tuba Dei & voce Archangeli, cum celeusmate totius cœlestis exercitus, cumque flammis horribilibus veniente? quis, obsecro, etiam sanctissimus non terreatur, si sciat, hæc se vivo, intra brevissimum tempus eventura esse? Hinc idem Apostolus, cum de hoc Christi judicio ageret, *Scientes*, inquit, *terrorem illum Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus*: adeoque Christus ipse, cum hæc tam terribilia prædiceret, suos adversus hunc tantum terrorem præmunire & erigere voluit: *Sed vos*, inquit, *attollite capita vestra, quia appropinquavit redemptio vestra.* Atque hoc etiam mortis suæ solatium habent sancti homines, quod terroris istius expertes sunt futuri, quippe incorruptibiles protinus resuscitandi, contra, qui ex piis, die illo terribili veniente, in vivis erunt, mortem quidem non sentient, cæterum rebus tam horrendis evenientibus, metus ac terroris expertes non erunt.

Neque per spiritum. Recte hoc explicuit Author.

Neque per sermonem. Et hoc non minus recte, dum monuit, sequentia verba, *tanquam per nos* hic quoque intelligenda esse, non tantum propter caussam, quam addit, sed etiam, quod alioquin & ii, qui spiritum propheticum prætendebant, sermone uterentur, idemque jam sermo ipsorum in Spiritu, quem jactabant, inclusus esset.

Neque per epistolam tanquam per nos: Hic quoque nihil est quod apud Authorem desideremus.

Quasi instet dies Christi. ἐνέστηκεν, id dici, quod jam præsens est, nullum est dubium: sed hic de re adhuc futura agitur. Solent autem, non tantum quæ jam jam futura sunt, accenseri præsentibus, & per præsens tempus enunciari, ut docent loca quædam (non enim omnia huc faciunt) ab Authore citata: sed etiam, quæ vel certo futura sunt, vel non ita multo post futura sunt, præsertim si jam pars aliqua, vel etiam plusquam dimidium temporis eorum eventui destinati effluxerit. Priore sensu sæpe dicitur Filius hominis venire in præsenti tempore. Verba etiam Christi Joan. 5 21. postremo ab authore citata, hoc sensu debent intelligi. Agebat enim Christus de maximo suo opere, nempe de Judicio extremo, cujus sibi exercendi potestatem Pater dederit. eodem quoque sensu de se testatus est: *à modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris majestatis, & venientem in nubibus cœli.* Posteriore sensus mors V. C. cuilibet nostrum instare & imminere dicitur, non tantum propter incertum, sed etiam propter breve vitæ humanæ spatium, in primis vero ætatem virilem jam transgressis, aut in senium vergentibus, quamvis forte non exigua pars vitæ restet. Et ob tam propinquum ac instantem vitæ nostræ terminum, etiam Universale illud Judicium tanquam singulis diebus nobis imminens in S. L. non raro memoratur; quippe quod nobis vita functis, & omni sensu carentibus, totum illud ab exitu nostro ad Christi adventum tempus pro nullo sit. Huc pertinent illa Christi verba: *Ecce venio cito & merces mea mecum est.* Et illa Petri: *omnium finis appropinquavit.* Et illa autoris ad Hebræos: *Quantò videtis appropinquantem illum diem.* Hinc & Paulus cum vitæ suæ exitu suam cum Christo habitationem conjunxit 2 Cor. 5. 8. Phil. 1. 23. quamvis alioquin in illo die demum à Domino, justo judice coronam illam, laborum & certaminum suorum præmium, expectaret. Mortis igitur nobis imminentis respectu, etiam ultimum illud judicium, quamvis alioquin per se longius remotum, nobis imminere dicitur. Quanto vero majori jure dici debuit excidium gentis Judaicæ instare tum, cum Paulus hæc scriberet, si quidem tempus illud per se non ita magnum, quo, à Christo morte affecto, dilatum fuit, jam ad finem & exitum vergebat. Quid? Apostolus ipse in priore Epistola ad hos ipsos Thessalonicenses, Judæorum sceleribus, quæ in Christum & Apostolos ejus designaverant, commemoratis scripserat; *sed venit super eos ira ad finem:* quibus verbis ira Dei in Judæos jam ad extremum pervenisse dicitur, proindeque suos effectus mox in gentem hanc impiam editura, non secus atque illi jam ad extremum impietatis pervenissent, nec ultra haberent, quo Dei iram adhuc accenderent. Non igitur, quod in una asseruit epistola Paulus, in altera negare debuit, imo potuit. Autor ipse hic locis quibusdam confirmans, jam jam futura, tanquam præsentia enuntiari, citavit locum Matth. 3. 10. *Jàm securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excinditur, & in ignem projicitur.* Atqui ipsemet opinor

... hæc Christi verba de excidio Judæorum intelligit. Quod si Christus de eo tanquam præsente loquitur, quamvis tempore longe remotior; quid Paulo faciendum erat, qui cum hæc scriberet, longe ei fuit vicinior. Idem excidium designans Christus cum ad mortem raperetur, *Venient*, inquit in præsenti tempore, *dies in quibus dicent, Beatæ steriles*, &c. In secundi Capitis Epistolæ Joannis comm. 18. scribit Autor hoc ipsum tempus, de quo Paulum hîc loquentem facit, à Joanne novissimam appellari horam propter vicinum Judaicæ gentis excidium v. 25. at si novissima jam erat hora, seu ultima illius temporis, quo stare debuit Hierosolyma, periodus: quo pacto non jam instabat ejus interitus? Denique ut demus Paulum pro illo etiam tempore, quo hæc scribebat, excidium illud Judæorum instare suo sensu negare potuisse: at quanto verius & plenius hoc de ultimo illo mundi excidio dicitur? *Dies illa Christi*, quoties absolute ponitur, declaratque diem, qua Christus divini alicujus operis patratione Majestatem suam ostensurus est, ut fit hoc loco, semper (quod sciam) diem illum extremi judicii significat. Nec enim ulla alia dies in divinæ Majestatis Christi declaratione huic est comparanda, adeo ut Paulus apparitionem illam & adventum Christi ad judicandos vivos & mortuos Regnum ejus non dubitaverit appellare: quasi illo demum die Christus vere regnaturus esset. Vide Lucæ 17. 24. Ubi diem hunc extremi judicii, diem suum appellat ipse Christus, & 1 Corinth. 1. 8. & 5. 5. 2 Corinth. 1. 14. Phil. 1. 10, 11, 16. 2 Petri 3. 10. Sic & *dies illa*, absoluta significatione, non alium quam ultimum mundi diem declarare solet, ut vel hîc paulo ante c. 1. 10. videre est. Unicum locum produxit Author Actor. 2. 20. *priusquam veniet dies Domini magnus & terribilis*, quem ille diem esse dicit excidii Hierosolymorum. Sed hic locus ex veteri testamento sumptus est, in quo dies mundi ultimus, non aliter quam per typos & figuras significatus fuit, unde non mirum est, si hac appellatione etiam typi ac figuræ insignitæ fuerint. At si verum & mysticum attendas sensum N. T. proprium: hæc ipsa Joëlis verba non alium diem designant, quam diem illum Christi, quo judicabit vivos & mortuos; quamvis præterea apud Joëlem voce *Domini* ipse Deus, non Christus, proprie significatus sit. Christi autem hunc diem, in verbis prophetæ intelligi, ipsa ejus descriptio clare docet, & salutis, nimirum æternæ, mentio, quippe quæ hoc die omnibus Christi nomen invocantibus continget, cum cæteris in æternum hoc eodem die pereundum sit.

3. *Ne quis vos seducat ullo modo.* Cum aliquot modos enumerasset, quibus Christiani seduci poterant, hîc generaliter omnes seductionis modos cavendos monet, caussamque statim subjicit, propter quam nulla ratione sibi persuaderi sinerent, diem illum Christi jam instare. Nempe, quod dies iste venturus non sit, antequam apostasia primum veniat, & reveletur homo ille peccati, &c. Unde liquido cernitur, nec apostasiam istam hominisque istius adventum adeo propinquum fuisse. Nam si propinquus fuisset, male profecto argumentum suum conclusisset Apostolus. Non enim sequeretur diem Christi propinquum non esse, quia prius venire debeat apostasia, si hæc ipsa apostasia propinqua sit. Proinde hæc apostasia, & revelatio hominis istius de Cajo Caligula intelligi non potest, qui vel jam tum impietatem suam prodiderat, vel mox proditurus erat. Hic iterum autor dicit Apostolum duas prædicere notabiles tentationes, conjunctas cum multorum ruina, quarum prior à vi imperii proficisceretur, altera à falso doctore eximio, quæ neque rebus, neque verbis Apostoli sequentibus consentanea esse, in eorum consideratione videbimus. Nam ad rem ipsam quod attinet, imperium Caligulæ Christianis nullam tentationem, nullum detrimentum attulit.

Quoniam nisi venerit discessio primum: Apostasiam, dicit autor, defectionem significare à Deo vero, intelligendamque hic esse non qualemcunque, sed plenam. Jam primum qua ratione hæc Apostasia conveniet Cajo, qui nunquam Deum verum cognitum habuit, nunquam coluit? *Augustus*, inquit, *& Tiberius Deum opificem mundi non oppugnaverunt.* Credo, suum enim Jovem eum esse crediderunt, sed hoc ipso Deum verum oppugnaverunt. *At Judæis liberos ubique cœtus permittebant, liberasque in templum collationes.* Hoc sane facere poterant non ulla in Deum verum religione, sed ut quietam haberent gentem Judaicam. At *ipsi dona in templum miserunt & perpetuos reditus in id dicaverunt, ut inde quotidiana holocausta fierent τῷ ὑψίςῳ θεῷ, Deo summo, taurus & agni duo.* Hoc quoque si verum est, facere poterant, non ulla religione, sed imitatione regum priorum, ne quidquam in gente inquieta & sacrorum suorum retinente, novarent. Nam si ex suo sensu ὑψίςῳ θεῷ dona mittebant, & holocausta quotidiana dicaverant; qui fit, ut Jovem suum Capitolinum ei anteponerent? qui fit, ut nullam legis ejus haberent rationem? qui fit, ut Judaicam gentem adeo contemnerent? qui fit, ut non Romæ etiam eum colerent? At Philo in sua legatione docet, *eos existimasse, opus esse in terris unum aliquem separi locum Deo inconspicuo, qui nullam habeat aspectabilem effigiem, nimirum ad bonæ spei participationem.* Parum video absuit, quin Judæus iste, Augustum & Tiberium Judæos fuisse diceret. Valde mihi hæc jactabundi Judæi gloriatio suspecta est. quanto verius ipse Autor ad Apoc. cap. 13. scribens, docet, *Romanos Idololatras, successibus suis elatos præ suis Diis, alios sprevisse, unde toties leges factas contra sacra peregrina; Romanæque idolatriæ* tribuit *blasphemiam contra verum Deum, mundi opificem*, citans in eam rem Ciceronis verba pro L. Flacco: *Stantibus Hierosolymis pacatisque Judæis, tamen istorum religio sacrorum à splendore hujus Imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis: quam cara Diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod serva.* Suetonii etiam testimonium de hoc ipso Augusto, Philonis dictis plane contrarium ibidem commemorat Author.: *Cajum nepotem, quod Judæam prætervehens apud Hierosolymam non supplicavisset, collaudavit.* Sed ut devincti fuerint isti Principes falsorum Deorum cultores aliqua etiam in Deum verum religione; non tamen ideo apostasia illis, eaque plena objici posset, quod religionem hanc, si quam habuerant, animo exuissent; quanto minus successori eorum Cajo, cui nunquam, credo, ut Judæorum Deum ulla ratione coleret in mentem venerat. Nam si quis dicat apostatas dici posse non tantum qui unquam desierunt Deum colere, sed etiam qui eum nunquam coluerunt, ideó quod omnes homines ad veri Dei cultum omni jure sint obstricti: hoc ut verum sit, hic tamen locum non habet; Apostolus enim Apostasiam ejusmodi prædicit, quæ illo tempore nondum terras invasisset; at Apostasiæ illius, qua verus Deus ab hominibus negligitur & oppugnatur, plena tum erant omnia. Ait Author, *Cajum Antiocho illi illustri fuisse παράλληλον comparem.* Atqui Antiochus nec Apostata, nec in Deos suos contumeliosus fuit, nec suam, sed Jovis Olympii statuam in templo Dei collocare voluit: neque Cajus, quamvis dira contra Judæos agitaret, ullis tamen cladibus, morte præventus, eos affecit; contra quam Antiochus, qui Dei cultum Hierosolymis sustulerat, &, multis Judæorum crudeliter occisis, impiis superstitionibus polluerat: nec denique proprie & per se ad Christianos, qui soli verus Dei populus sunt, pertinebant ea, quæ Cajus vel contra Deos suos faciebat, vel contra Judæos moliebatur. Per apostasiam igitur istam designavit Paulus populi divini, qui Christi nomen præferat (nam iste solus Dei populus est) à Christiana veritate in omnibus illius articulis ejusmodi defectionem, ut in Christiano populo pœne nihil præter nomen, quo defectio ista tanto illustrior esset, remaneat. Nam qui à Christiana veritate deficit, à Christo deficit, qui vero à Christo, qui Dei verbum est, deficit, ab ipso Deo deficit, qui ut Christum & non ullum alium à Christo diversum audiamus, omnibus præcepit. Hinc Hebræos monet divinus ille Scriptor Cap. 3. 12, 14. ne à Deo vivo deficiant, dum monere vellet, ne deficiant à Christo. Hæc est, hæc, inquam, est apostasia, quam suo tempore venturam Apostolus hîc prænunciavit. Propterea non dixit, nisi venerit Apostata aliquis, tanquam de unius hominis apostasia loquens, sed nisi venerit Apostasia, malum catholicum significans, quo Ecclesia Christi (quæ sola Dei populus est) ita deformanda esset, ut pœne nihil in ea Christianum præter nomen agnoscas.

Et revelatus fuerit homo peccati. Apostasiæ istius Patronum ac ducem futurum designat. Neque enim subito in Ecclesiam Apostasia invecta est, sed sensim aliis hæresibus post alias enascentibus, & isti homini, quo tandem adveniret, viam sternentibus. Hæreses enim Patronum ac defensorem quærunt; vitia ex hæresibus nata, ut eum facile reperiant, efficiunt. Sed videamus primum, quo pacto Author hæc verba ad Caligulam accommodet, quem constat nullius Apostasiæ ducem fuisse. *Erat*, inquit, *jam pridem Princeps, sed facinorosum ingenium nondum detexerat Cajus:* Citatque in hujus rei fidem & Tranquilli & Philonis testimonia. At si jam tum Cajus Romanorum Princeps erat, quo pacto Paulus eum revelandum esse dicit? Quis magis revelari & orbi innotescere poterat, quam qui Romanum Imperatorem agebat? *Facinorosum*, inquit, *ingenium nondum detexerat.* At Paulus hominem ipsum, non hominis ingenium revelandum dixit. Nondum, inquies, homo peccati esse apparebat. Sane non mirum, quia necdum homo peccati erat, postmodum enim ea scelera commisit, quæ eum hominem peccati fecerunt. Revelari igitur hoc loco, ut & alibi sæpe, cum de rebus futuris usurpatur, non significat, id quod jam re ipsa

existit

existit & ignoratur in apertum produci, sed id, quod nondum reipsa existit, & adhuc intra caussas suas, intraque Dei decreta & consulta latet, effectu ipso exhiberi Rom. 8. 18. Gal. 3. 23. 1 Pet. 1. 20. 1 Joan. 3. 2, 8. Solent & ea, quæ nondum evenerunt, revelari dici, cum alicui à Deo ostenduntur eventura; quo sensu etiam Apocalypsis, id est, revelatio Joanni dicta fuisse dicitur. Verum hæc significatio locum hic non habet, cum hoc sensu revelatus jam fuerit homo iste peccati, non adhuc esset revelandus. Ea quæ h. l. notavit Author loca Luc. 2. 35. 1 Cor. 3. 13. huc non faciunt. Hic enim de re futura agit Apostolus, & vox *reveletur* respondet voci de Apostasia usurpatæ *veniat*, infra etiam parallela ponitur vox, *παρουσίας adventus* seu *præsentiæ* v. 8. & 9.

Hominem peccati. Recte monet Doctissimus vir Hebræo loquendi genere, eum dici, qui insigniter est sceleratus, vel potius, qui insigniter peccat, nempe contra Dei legem, ex Scripturæ usu. Hoc ut Cajo convenire potuerit: at longe rectius illi conveniat, qui gravissimorum errorum est patronus, qui spiritum illum habet, Regiæ majestati, quam Jesus ex Dei gratia accepit, adversantem, dum Jesum, qui in carne venit (id est, ita venit, ut eum vere hominem, vere carnem fuisse apparet) vocabuli quidem sono Christum esse fatetur, at vi & ipso vocis significatu adeo negat, ut qui Jesum eo respectu divinis afficiunt honoribus, quod Dominus & Rex cœlestis à Deo sit constitutus, tantum non idololatriæ arcessat, qui leges divinas tollit, aut earum vim relaxat, qui indignissimos peccatorum reatu solvit, contra vero sanctissimos condemnat, qui Divorum & idolorum cultum Dei legibus adversantem inducit, qui hominum legibus & traditionibus Ecclesiam imbuit, ut vera pietate & præceptorum Christi observantia ubique extincta, *μόρφωσις* tantum ac vana pietatis species remaneat, qui Caligula & Nerone ob cædes non innocentium tantum sed etiam sanctorum, qui Christo quam ipsi parere malunt, longe est immanior; nec minus imo magis, *omnia sibi in omnes licere* putat: quodque omnium est pessimum, Christi nomen in tantis peccatis præfert, ut criminibus suis ignorantiam nullam possit prætexere. Caligulæ & similium peccata excusari aliqua ratione possint, quod isti veri Dei ejusque legis ignari essent: ubi enim lex non est, ibi neque transgressio. Rom. 4. 15. At qui Deum & Christum perpetuo in ore habeat, & tam nefanda committat; quam peccato suo excusationem possit prætendere? Igitur iste demum vere homo peccati dicendus est, non illi, si cum isto comparentur. Videtur vero Apostolus hac phrasi usus fuisse, ut doceat hominem istum non tantum ipsum summe peccatorem esse, sed etiam omnis peccati ducem, ut illius hoc sit veluti officium. Quod de Divorum & Idolorum cultu contra Dei legem diximus, juvat antequam ulterius progrediamur, aliquanto declarare ulterius; video enim hoc idololatriæ crimen ita comparatum esse, ut maxime se pios esse putent, qui illud maxime exerceant. Constat igitur cultum, qui vere divinus sit, soli Deo, & quem ille sibi voluit esse simillimum, Christo deferendum esse. Deus enim est zelotes, qui nulla ratione patitur, ut populus ipsius, cultum ipsi debitum ad alios deferat, sicque spirituale adulterium committat. Quis vero alius est cultus vere divinus, qualisque nulli mortalium defertur vel deferri potest, quam aliquem tanquam cœlestem, eamque sanctam mentem ab omni mortali concretione separatam, & inconspicuam, eo respectu & colere & invocare, quod se à te coli & invocari & velit & intelligere possit, tibique in iis, quæ petis, opitulari? Nonne qui aliquem tanquam talem & hoc respectu colit, eum reipsa, utut forte verbis id neget, Deum esse statuit? Neque enim est necesse ut quicunque Deus est, statim summus sit Deus, aut ipsi Christo sit æquandus, cum & ipsi ethnici ita plures Deos coluerint, ut inter eos gradus agnoscerent, & alium alio majorem esse dicerent; sed omnes in eo conveniebant, ut divinæ cœlestesque mentes esse crederentur, eo quo dixi respectu colendæ & invocandæ, & cui hoc tribuebant Pagani idololatræ; non ita superstitiosi erant, ut non simul & divinitatis nomen illi tribuerent. Et cum illi quidem Divi, qui à Paganis colebantur, tales non essent, quales credebantur; quis dubitet Idololatras fuisse & in Deum verum graviter peccasse, qui eorum cultui erant dediti? An vero etiam Divi isti, qui hodiernis temporibus in Orbe Christiano sunt consecrati & subinde consecrantur, tales sunt, quales esse creduntur? Num igitur, nisi ab hominibus consecrati essent, tales non essent? an vero quia tales sunt, idcirco & tales esse ab hominibus declarantur? at unde hæc hominibus notitia? quid? cum Deus se tantum religiose coli præceperit, & à populo suo huic præcepto obtemperanti solus cultus sit: parumne liquet, nullam esse talem cœlestem & sanctam mentem, præter Deum & Christum ejus, quæ sic coli & velit & debeat? Et vicissim quia talis nulla est, propterea etiam neminem præter se Christumque suum eo modo coli Deus præcepit. Et Angeli quidem sancti (nam impuri hostes Dei sunt) licet divinæ sint & cœlestes mentes, nobisque multum opitulari possint; coli tamen & adorari ab hominibus, cum sint, in conspicui, nolunt: imo ne conspicui quidem, à temporibus regnantis Christi, quippe Dei & Christi majestatem reveriti, eique soli hanc gloriam relinquentes. Nam quod Joannes à septem Spiritibus gratiam & pacem Ecclesiis precatur, non ullam Angelorum invocationem continet, sed tantum animi votum, quo Joannes optat, ut Ecclesiis septem istorum Spirituum, post Deum & Christum, gratia obtingat, & quæ eam consequitur pax & felicitas. Hominum v. mortalium quisque mortali (ut sic dicam) cultu suæque dignitati convenienti, afficiendus est. At qui vita functi sunt, licet sanctissimi fuerint, anne ejusmodi Cœlestes mentes sunt, quæ magis, quam Angeli, à nobis coli & invocari sustineant? Quo vero pacto? an ut Dii? atqui nobis unus est Deus. An ut Domini cœlestes? atqui nobis unus tantum est ejusmodi Dominus. An ut Mediatores & advocati cœlestes? atqui unus est Dei & hominum mediator, unus apud Patrem advocatus Jesus Christus justus. Quid? Nonne Paulus actum de omnibus sanctis vita functis esse docuit, ni resuscitentur ex mortuis? Nonne Christus Abrahamum, Isaacum & Jacobum vivere post mortem docuit, non aliam ob caussam, quam quod ex mortuis resuscitandi sint? alia istius rei documenta ex Sacr. Lit. nunc memorare nihil attinet, quæ sunt plurima & certissima. An igitur contra Dei Christique solius cultum non peccant gravissime, qui homines licet sanctissimi Deoque gratissimi vixerint, vita functos, tanquam cœlestes divinasque mentes adorant, & eorum opem, suffragia, precibus ambiunt? Quanto vero magis, si aliquibus eorum ipsum cœli ac terræ totiusque mundi Regimen ac dominatum tribuant, & una cum Deo & gloria & honore afficiant? Scio multos etiam Judæorum & Christianorum veterum credidisse, sanctorum animas à corpore separatas rerum nostrarum notitiam posse habere, nosque suis precibus juvare. Sed & illud scio, hanc sententiam ad cultum istarum animarum viam stravisse; quo tamen veteres illi progredi ausi non sunt, religione divinæque Majestatis reverentia prohibiti. Quanto rectius scriptura de Deo? *Tu pater noster es: si quidem Abraham nos non cognoscit, neque Israël nos novit, tu Domine Pater noster es, redemptor noster, nomen tuum ab æterno.* Esaiæ 63. 16. *Non est in morte memoria tui, in sepulchro quis confitebitur tibi?* Psal. 6. 6. & 88. 12. quæ idcirco in silentium & in terram oblivionis, in infernum, (qui nunquam boni aut felicitatis alicujus significationem in Scriptura habet) abire dicit, cum moriuntur, etiam sanctissimos. Itaque scripturis abutuntur, qui contrarium ex illis probare volunt. Apoc. 20. 4. Vixisse sancti post mortem dicuntur, quod revixerint & resurrexerint, ut ex v. 5, 6. apparet; nec ante cum Christo mille annos regnasse, quam prius revixissent, cum ob id ipsum in vitam revocati fuerint, ut cum Christo regnarent. Adde quod ista resurrectio proprium sensum non habeat: sed ut in allusionibus solet, plane sit allegorica. Ut & ille cap. 6. 9. locus, de animabus martyrum sub altari vindictam à Deo exposcentium totus est, ut res ipsa docet, improprius & figuratus. Nec refert quod animæ à corpore separatæ fingantur esse in corpore, ideoque justorum quidem in sinu Abrahæ, in paradiso, in voluptatibus, injustorum vero in flammis, in tormentis collocentur. Id enim fit populari, & in publicum utili loquendi ratione, cujus fundamentum est, quod justis post hanc vitam, cœlum & æterna gaudia, injustis autem, ignis & æterna supplicia immutabili Dei decreto sint destinata; præsertim quod utrisque intermedium illud tempus, quo carent corporibus, pro nullo sit, ut ita quamvis utrorumque, si naturalem mortis eorum statum consideres, par sit conditio, at si Dei potentiam & decretum spectes, justorum quidem conditio sit beatissima, injustorum autem miserrima. Jam porro, quod ad idolorum seu imaginum cultum attinet, sive sint ejusmodi divi, quales esse creduntur & coluntur, sive non sint, in imaginibus nulla ratione colendi sunt. Nam si sint, cum cœlestes & divinæ, æternæque sint mentes, mortali materia & vultu ab homine effingendi eo fine non erant, ut in imaginibus istis colerentur: ut sapienter, quamvis profanus Scriptor de Judæis prodiderit: *Judæi mente sola unumque Numen intelligunt. Profanos, qui Deûm imagines mortalibus materiis in species hominum effingunt.* Sacrarum literarum testimonia non commemorabo, quæ in eam sententiam extant frequentia; sufficiat unum protulisse ex Apostolo, *Genus ergo* (inquit) *cum simus Dei, non debemus existimare, auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum esse simile.* Actor. 17. 29. Et cum eædem illæ æternæ & divinæ mentes, nullo carnali, & mortalibus debito indigeant ministerio: quæ pietas fuerit, simula-

mulachris eorum vel vestes circumdare, vel cereos accendere, vel munera appendere, vel similia facere? perinde ac olim profanæ Gentes Deorum simulachris dapes decernebant, & lectos & pulvinaria. Si vero ejusmodi mentes aut non sint, aut coli nolint, sintque inconspicuæ: nonne qui eas in imaginibus nihilominus adorent & colant, non ipsis revera sed ligneis & lapideis & aureis & argenteis eorum mentisque simulachris, omnem hunc cultum ac venerationem exhibent, operique manuum suarum (quod sæpe tanquam rem indignissimam Scriptura istiusmodi hominibus objicit) sese subjiciunt? Atque hinc est, cur religiosas imagines earumque cultum Deus peculiari lege justissime & severissime prohibuerit, & qui hoc præceptum non magis Christianum populum obstringere dicunt, quam præceptum de Sabbato, ii vim istius præcepti non intelligunt, nec meminerunt, per Christi legem solutos nos esse religione Sabbati, sed Christianis non aliud peccatum magis quam idololatriam, nec aliis magis, quam Christianis esse prohibitam; quæ non in eo sita est, ne Divorum simulachra pro Divis ipsis habeamus, cum nulla unquam Gens fuerit, quæ Deorum formas ab ipsis Diis non discerneret. Ovidius,

Quos dedit ars vultus (inquit ille) *effigiemque colo.*
Sic homines novere Deos, quos arduus æther
Occulit, & colitur pro Jove forma Jovis.

Licet simulachra ista (quod & hodie fit) ipsorum Divorum nominibus appellarent. *Qui solverit*, inquit Christus, *unum ex mandatis istis minimis*, quanto vero magis, si ex maximis? *& docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, Matt. 5. 19. Non ita vero inepti sumus, ut vulgares imagines memoriæ caussa sive pictæ sint, sive fictæ, damnemus, aut lege divina prohibitas esse putemus; imo neque si quis per imaginem sancti alicujus viri admonitus, reverentiam, quam virtutibus ejus debeat, vulgari aliquo signo vel gestu aliquando testetur, non quod mortuos talia velle vel curare credat, sed gratæ memoriæ adfectu commotus, dummodo sciat, eam demum sanctorum venerationem esse, vitam eorum & vitæ exitum perpetuo meminisse & imitari, sanctumque & ipsum esse oportere, qui cum sanctis partem velit capere. Nimirum maluerunt homines sanctorum statuas & reliquias venerari, eorumque vita functorum suffragia ambire, quam sanctis eorum moribus sese conformare. Religiosas nos detestamur imagines, earumque cultum, in quem si periculum sit, ne vulgares etiam imagines declinent, summa pietas fuerit, eas penitus locis publicis, iis præsertim, qui religioni dicati sunt, excludere. Porro res, quæ effigies & simulachra non sunt, quas Deus vel Christus peculiariter sibi sacras esse voluit, cum debita & cuique illarum convenienti religione ac reverentia tractare, pium est. Sed credere, ullam earum ipsum Deum vel Christum esse in eumque transmutari; quid sit, unicuique cordato considerandum relinquo. Sed, ad Pauli verba de homine peccati redeamus, in quibus nihil est necesse, ut unicum hominem, si individua spectes, cogitemus. Nam quamvis multi sint ratione individuorum, si tamen in eodem statu & conditione sibi succedant, pro uno homine reputantur. Sic Imperatorem Romanorum, sic Regem Polonorum sæpe dicimus, quamvis multos ejusdem muneris sibi invicem succedentes designemus: & ne à sacris abeamus, Esaias 14. 4. & seqq. de rege Babylonis tanquam de uno homine loquitur, quod quamvis plures essent, omnes tamen in eodem regno & dignitate sibi succederent. Sic Daniel. 7. 17. quatuor illas Bestias quatuor Reges appellat, cum tamen si ipsos per se homines numeres, longe plures essent: sed quatuor dicuntur, quod quatuor regna essent, & unius Regni successores pro uno Rege reputarentur. Sic & hoc loco Apostolus hominem hunc, non simpliciter, quatenus homo est, considerat, sed quatenus est homo peccati, quatenus sese opponit & super omnem, qui dicitur Deus, effert, in templo Dei, ut Deus sedens, & sese pro Deo venditans. Ait author, *Occulte loqui Apostolum, quia de Imperatore.* Sane occulte, sed quia de re futuris seculis exhibenda, nec antequam exhiberetur satis intelligenda; non autem quia de Imperatore. Porrò si occulte loquitur Apostolus, nulla caussa est; cur hæc epistola, imperante Cajo & Claudio & Nerone, vulgari non debuerit, contra quam supra asseruerat Author.

Filius perditionis. Hoc consequens est Peccatorum. Hæc quoque Hebræa phrasis est, cujus exempla notavit Author 2 Sam. 12. 5. Joan. 17. 12. *Gens perditionis* Sirach. 16. 10. significatque hominem perditioni destinatum. Sic contrario sensu *filii Regni* dicuntur homines, qui Regno cœlorum fuerant destinati, Matth. 13. 18. Est autem ex mente N. T. non temporaria, sed æterna, etiam citra temporariam, perditio intelligenda, quæ eadem & infra vers. 8. significatur, nempe ignis ille æternus, Diabolo, & Angelis ejus, paratus. Quocirca frustra huc refert Author Caligulæ cædem, ad quam à Deo fuerat destinatus; quam non tantum hic nocentissimus homo, sed & multi alii innocentes, Deo permittente, perpessi sunt.

4. *Qui adversatur ὁ ἀντικείμενος*, qui sese opponit. Cum hæc vox absolute sit posita, & relationem habeat ad alium: quærendum est ejus correlatum. Author putat Deum intelligendum esse, cui adversatur is, qui absolute ἀντικείμενος vel Satan nominatur. Hoc ut verum sit, tamen nec exemplis, quæ attulit, id evicit Author, in quibus omnibus vox ἀντικείμενος vel Satan legitur, cum apposito, vel statim expresso, vel ibidem significato suo correlato, & Matth. 16. 23. apertum est Petrum à Christo Satanam appellari, quod sibi esset scandalum: nec Diabolus, qui eximie Satan seu adversarius dicitur, propterea sic dictus est, quod Deo tantum, sed etiam, quod hominibus adversetur, nec 1 Machab. 1. 38. Antiochus, sed Arx, quam Hierosolymis muniendam curaverat, præsidiumque in ea collocaverat, *Diabolus malus* appellatur, statimque additur cui, nempe Israeli. Igitur licet verissimum sit, hominem istum, quem designavit Paulus, & Dei & Christi & omnium sanctorum esse adversarium, (nam si Caligula Deo adversatus fuisse dicendus est, qui tamen Deum verum nunquam noverat: quanto magis ille, qui Dei veri notitiam jactat, & tamen vere, ut Author loquitur, perpetuo destinatoque proposito Deum oppugnat?) tamen ab ipso Pauli verborum contextu nusquam est discedendum, qui sibi ipsi lucem affert. Nam postquam dixisset ὁ ἀντικείμενος, statim subjicit *καὶ ὑπεραιρόμενος qui effertur* vel *sese effert super omnem, qui dicitur Deus.* Quæ verba explicationis gratia sunt addita, nec ponuntur, tanquam diversa, sed tanquam consentanea, ideoque nec articulus, alioquin consuetus rei diversæ index, voci ὑπεραιρόμενος apponitur. Igitur voce ἀντικειμένου significatur, fore, ut hic homo nulli Regi, nulli Imperatori, nulli humanæ creaturæ sese velit subjicere, ejusque in se dominatum agnoscere; cum tamen magistratui suo subjectus esse deberet: solentque tales, qui Magistratus sui imperium excutiunt, peculiariter ἀντικείμενοι & rebelles appellari. Appellavit eum hominem peccati Paulus, quibus verbis eum Deo, ejusque legibus adversari docuit: nunc docet eundem iis etiam, qui Dii dicuntur, adversari; proinde hominem esse, qui omnia divina simul & humana jura contemnat. *Et effertur super omnem, qui dicitur Deus:* q. d. Adeo adversatur, & subjicere sese non vult, ut etiam super omnem, qui dicitur Deus, sese efferat, & à suis efferatur. Hæc verba de Caligula intelligens Author: *Rectè*, (inquit) *Paulus Caji impietatem hinc colligit, quod etiam iis, quos ipse habebat Deos, se non æquavit modo, sed etiam prætulit.* Cujus rei documenta ex Philone & Suetonio attulit. Imo vero, nulla esse potuit per se in Deos falsos impietas, meritoque se iis prætulit Cajus. Tertullianus Apolog. cap. 30. de Romanis Imperatoribus: *à Deo sunt secundi*, (inquit) *post Deum primi, ante omnes & super omnes Deos.* Et si eos pro Diis duxisset Caligula, nunquam se iis prætulisset. Igitur videamus, quod res est. Primum recte notavit Author, Paulum ad Danielis verba de Antiocho cap. 11. 36. respexisse, idque merito, cum Antiochus iste, qui templum Dei profanaverat, & multos divinæ legis caussa occiderat, omnibusque modis id egerat, ut Judæorum religionem penitus exscinderet; figura istius hominis fuerit, id ipsum in veram Christi religionem, quod ille in Judaicam, designaturi. Non videtur tamen hic, idem plane dicere Paulus de isto homine, quod Daniel dixerat de Antiocho. Danielis verba sunt: *Et elevabit se, & magnificabit se super omnem Deum.* & mox: *Et super Deum patrum suorum non intelliget, & super omnem Deum non intelliget*, id est, nullos curabit Deos, *quia super universa magnificabit se*, id est, omnibus se & Diis, & hominibus anteponet, non quidem verbis, sed rebus ipsis & factis. Nam alioquin statim additur vers. 38. *Et Deum Machuzim*, quem Græci Jovem appellant, *super basi sua glorificabit*, &c. Homo irreligiosissimus, religionem tamen & venerationem Jovis Olympii, aliorumque Deorum præ se ferebat. Quod licet rectissime etiam in hunc hominem, de quo Paulus vaticinatus est, quadret, quo nihil unquam fuit re ipsa irreligiosius, quamvis Dei cultum & Christi religionem prætendat: tamen, cum Paulus verba Danielis aliqua ratione immutaverit, dicens: quod sese elevaturus esset, non simpliciter supes omnem Deum, ut dixit Daniel, sed super omnem, qui dicitur Deus, ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεόν; videtur Paulus peculiare quiddam & istius hominis proprium innuere. Non frustra enim vocem λεγομένου addidit Paulus, quod & Author recte notavit, non tamen, ut ille putavit, ad significanda idola (quæ impiâ & cæcâ Gentium superstitione, non ex Scripturæ usu Dii vocabantur, & quæ recte fecit, quisquis contempsit, cum falsis, quam nullis Diis servire, Deo gravius sit) sed ut significaret Deos, qui licet per se considerati vere sint Dii, quemad-

modum

scimus eundem id non perfecisse, at Paulus dicit eum in Templo Dei sessurum esse, non jussum, non voluntatem solam, sed factum ipsum prædicens.

In rebus (inquit) *atrocibus*, *maxime in iis*, *quæ divinam lædunt Majestatem*, *fecit quisque*, *quantum voluit*. Credo solam peccandi consummatam voluntatem, in talibus præsertim criminibus, ad pœnam sufficere, sed ad fidem prædictionis tuendam non sufficit: si non hominis istius pœnitentia, sed solius Dei providentia, impediatur effectus, ut in Cajo factum esse ipse Author agnoscit. Nec enim Deus suis ipse prædictionibus fidem derogaret impediendo effectum, quem eventurum prædixit; pertinet verò ad facti eventuri certitudinem, quod præterito usus sit tempore Apostolus, quasi jam res peracta esset. Neque etiam hoc respexit Apostolus Paulus, nedum ut maxime respexerit, *quod mœror metusque maximus Christianorum plenum habuerit effectum tanta Caji obstinatione*. Nec enim de metu Christianorum, sed de facto istius hominis agitur; nec credo omnes tantopere metuebant Caji molitiones, cum multi potuerint esse, qui Deo confiderent & auxilium ejus expectarent. Philo apud Josephum: Bonam spem sumendam, quando Cajus verbis quidem in ipsos iram ostenderet, re autem ipsa Deum sibi hostem faceret. Neque spei defuit eventus. Nec denique erat, cur tantopere mœrerent ac metuerent Christiani, qui templum illud & brevi evertendum esse, & se illius eversione multis malis levatum iri sciebant. Addit insuper *verba in Hiphil sæpe solum imperium significare*: tale autem hic esse καθίζειν, quod non sedere significet, sed collocare: αὐτὸν etiam pro ἑαυτὸν vel αὐτοῦ positum esse. Ut hic sit verbum in Hiphil, & significet *sedere facio*; non tamen jussum & imperium significare posset, nedum ut solum. Neque enim dicitur, quod alium sit sedere facturus iste, sed se ipsum; at quis se ipsum sedere facit, jubendo ut sedeat, vel etiam ut collocetur? is, qui ipse considet, se ipsum sedere facit; qui vero jubet, ut collocetur, ab alio sedere factus est. Imaginem, inquies, suam collocari jussit, non proprie se ipsum. Etiamne & hic improprie locutus sit? Atqui Paulus illum ipsum hominem dixit, non illius imaginem. Deinde nulla est caussa, ut καθίζειν h. l. interpretemur *collocare* non *sedere*: cum istius significationis, qua vel primus considendi actus, vel sessionis continuatio notatur, obvia sint passim in N. T. exempla: illius unicum tantum exhibuit Author, 1 Corinth. 6 4. Unde nec quidquam cogit ut ad Enallagen ullam in voce αὐτὸν, aut ad diversos codices decurramus, neque verisimile est tot res simul in una sententia variasse. Retenta autem ea, quam diximus, vocis καθίζειν signifi[...]one, nempe, ut sedere significet; manifestum est εἰς crebertimo usu pro ἐν poni: præsertim si hoc loco ipsam sedendi continuationem potius, quam primum sedendi actum intelligamus. Nam ἐπὶ locum hîc non habet, isto homine non super templum, sed in templo sessuro. Misso igitur Cajo alium intelligere est necesse, cui hæc verius conveniant. Dicit Apostolus hominem istum adeo sese supra Reges & Imperatores omnes, & quicquid in terris majestate sacrum ac venerandum habetur, elatutum, adeo Deorum omnium hominumque Diis similium contemptorem fore, ut etiam ipsi summo ac vero omnium Deorum Deo non pareat, nec eum revereatur, quippe in templo ejus, nempe Christi Ecclesia (cui etiam Reges & Imperatores omnesque hominum summi sese subjiciant, & in qua ullum alium regnare, ullum alium coli & adorari, quam Deum & Christum fas non est) tanquam Deus sedens. Non sedens istic tanquam templi istius & Ecclesiæ minister, qui ei inserviat, & ex Dei Christique doctrina & legibus eam gubernet; sed tanquam is, qui eam legibus à Christo non datis adstringat, & sic eam à vera pietate & legum Christi observantia ad superstitiones & peccata traducat, eandemque vicissim legibus Christi tam jubentibus, quam vetantibus solvat; quod utinam in Ecclesia locum non haberet! An usquam præcepit Christus, ut statis diebus & temporibus à certis abstineamus cibis? Encratitæ olim à carnium usu toto vitæ tempore Christianos prohibebant. At, qui statis diebus & temporibus id faciunt, nonne tantam partem istius doctrinæ habent, quantam vitæ partem dies isti & tempora huic abstinentiæ deputata occupant? Non damnamus, inquies, ipsas per se carnes, nec impuras esse dicimus, sed abstinentiam exigimus. Abstinentiam exigitis iis in rebus, quas ipsi non damnatis? id vero etiam iniquius est. Quo jure autem quispiam abstinentiam illam exigat ab Ecclesia, quam Christus non exigit? Permittimus, inquis, uti volentibus. omnibus ne, an quibus visum est? Si omnibus, ergo si omnes carnibus uti vellent, permitteretis omnibus? simulne & piscibus & quibuscunque libuerit cibis? Non igitur, quia vos interdicitis, homines, abstinent, sed quia ipsi homines abstinere volunt? Liberum ergo illis erat, non abstinere? si liberum, quid vestra permissione est opus? Ordinis, inquies, caussa. Non igitur jam amplius abstinentia à carnibus, sed iste ordo jugum erit à vobis populo Christi impositum. Cur enim adstringar, ut ab homine veniam illius rei petam, quam à Deo per Christum jam pridem sum consecutus, & ab Apostolo edoctus: *Mundis omnia esse munda*, *omnemque Dei creaturam bonam esse*, *nec quidquam rejiciendum*, *quod cum gratiarum actione sumitur? Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*: nempe non certis tantum diebus, sed omnibus. Nonne hæc una pars est illius gratiæ & libertatis; quam nobis suo sanguine Christus peperit; ut non tantum in ipsius populum, sed etiam in ipsum Christum gravissime peccent, qui contra Christi gratiam & libertatem tanto ipsius labore partam, jugum Christianis imponunt? Frustra igitur, qui id agunt, crimen illud à se amoliri conantur, quasi nullam partem habeant in eorum doctrina, qui ciborum abstinentiam præcepturi erant, quam tantopere detestatur Apostolus 1 Tim. 4. 2, 3. Nec immerito, non solum enim gratia N. T. & libertas, ut diximus, hac doctrina imminuuntur, sed etiam Christianorum animi istiusmodi legibus, quas Christus non jussit, occupati, de præceptorum Christi observatione minus sunt solliciti. Unde videmus, omnes à carnibus summa cum religione abstinere; at qui abstineant à vitiis, & malis moribus, vix ulli sunt. Tanto vero magis, quod simul hominibus persuasum sit abstinentia ista pœnitentiam ac veluti peccatorum compensationem contineri. Quid igitur mirum, si omnes peccent, qui tam facili compensatione se solvi posse credunt. Ita fit ut homines sua traditione, quod olim Christus Pharisæis objecit, divina præcepta dissolvant. Nam & verum Jejunium multis in rebus utilissimum, quod in N. T. etsi non præceptum, tamen valde commendatum & celebratum est, istis pseudojejuniis sublatum est. Quæ non superstitiosa tantum, sed etiam ridicula sunt, dum pecudum carnes & lacticinia prohibentur, piscium autem carnes, & vinum & aromata, delicatiori fere victu, conceduntur. Et qui superstitionem hanc eo nomine defendunt, quasi carni frænum aliquod injiciat, multum errant, & quotidiana refutantur experientia. In ipsis istis jejuniis homines intemperantia, aliisque modis peccare non desinunt, & postquam quadraginta dies carnem suam per carnium abstinentiam domuerint, non unquam magis, quam ea finita, in omnem profusionem & lasciviam incalescunt. Non ego quenquam abstinentia, qua velit & quanta velit, citra vitæ & valetudinis jacturam, uti prohibeo, nec Christi disciplina omnino prohibet, præsertim si jejunia precibus adjungere rerum & temporum usus desideret. At ea nullis perpetuis legibus cuiquam debet esse imposita: ut quisque intelligat, non istiusmodi rebus, sed longe aliis ad spem illam justitiæ enitendum esse. *Nos*, inquit Apostolus, *spiritu ex fide spem justitiæ expectamus*. Nec frustra Christus ipse perfectæ sanctitatis magister & exemplar, ab omni istiusmodi vitæ rigore abstinuit, (nam illi quadraginta dies huc non pertinent) nempe ne suo exemplo libertati isti, quam nobis indulsit, præjudicium afferret. Unde etiam nemini cordato persuaserint, qui Matthæum Christi non discipulum tantum, sed etiam Apostolum & gratiæ ac libertatis Euangelicæ (præsertim post Gentium vocationem exolescentibus legis Mosaicæ institutis) præconem, oleribus tantum victitasse tradiderunt. Illene, qui Christum etiam carnibus usum esse videbat, carnium usu sibi interdiceret? Ille, qui ex Christo didicerat, idque etiam aliis prodiderat, neminem per ea, quæ in os & in ventrem ingrederentur (per se videlicet & non accedente Dei mandato) pollui, sed per ea, quæ ex ore & corde prodirent: quique propterea sciebat nobis ciborum omnium usum in Christi sanctissima lege quovis tempore concessum esse; ille (inquam) qui optime noverat in Christo Jesu nihil valere nisi fidem per charitatem efficacem, seu Spiritus S. fructus & novam creaturam, quique ignorare non poterat, facile per alia Christi populum à vera pietate ad externum cultum & superstitiones traduci posse, tale vitæ institutum fuisset amplexus? ut etiamsi vel maxime sese per talia humiliare coram Deo, vel exercere voluisset, integrum tamen id illi facere non fuerit, ne suæ prædicationi, exemplo suo fidem derogaret. Et cum Paulus infirmos in fide oleribus victitasse dixerit, an vel Paulum falso id dixisse affirmabimus, vel Matthæum inter infirmos fide deputabimus? nisi forte Matthæum scandali caussa id fecisse dicamus, cujus nos diligentem habere rationem charitatis perfectissima lex, nobis à Christo imperata, monet. Nempe infirmi cum infirmis esse debemus, tantisper donec etiam illi reddantur in fide firmiores. Cæterum quos olera comedisse scribit Paulus, illi fuisse videntur, qui etiamsi carnibus uterentur, tamen cum periculum esset, ne in carnes inciderent idolis immolatas, vel non satis à sanguine depurgatas, quas lex damnaverat, quia infirmi fide erant, malebant carnibus abstinere, & in-

oleribus contenti esse: quod idem faciebant infirmiorum caussa & firmiores, quoties de ejusmodi carnibus erant admoniti. De civili aliqua lege non loquimur, qua certis temporibus carnium aliorumve ciborum usus prohibetur, sive ut fœturæ animalium circa vernum tempus, sive ut copiæ alimentorum consulatur; sive alius aliquis in Republica usus spectetur. Ea enim ad Rempub. dirigitur; sed carnium ulliusve alterius cibi usu, ipsius per se religionis caussa, quenquam prohibere; id vero ipsum peccatum & veritati Christianæ contraria superstitio est.

Jam porro à Matrimoniorum usu quenquam depellere, nonne similiter est libertatem à Christo cuilibet, qui Matrimonio uti velit, indultam eripere? Erant, fateor, Hæretici, qui Christianis matrimonium rem minime concessam esse dicerent, quos merito Apostolus à Spiritibus deceptoribus & Dæmoniis in hanc doctrinam inductos esse asseruit. At nonne partem in hac doctrina habent, qui certum hominum Genus, & quidem Ecclesiæ ministros (quamvis matrimonio multi maxime opus habeant) matrimonio arcent? Non ita Paulus, qui cœlibem quidem vitam, & in ipso etiam matrimonio castitatem merito commendat: at nemini usu matrimonii interdicit; quin potius *propter scortationes, unusquisque suam uxorem habeat*: & paulo post: *Melius est matrimonium contrahere, quam uri*: & infra, postquam cœlibatum commendasset, *Hoc autem* (inquit) *ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam.* Nimirum non intelligunt homines, Matrimonium à Deo datum esse scortationibus veluti remedio. Num ergo in corporis intemperie, remedio ab hominibus invento, cuivis etiam ecclesiæ ministro uti licebit: & cum animum libido sollicitat, remedio ab ipso Deo reperto & tradito, eidem uti fas non erit? Quo igitur tandem res deveniet? Eo nempe ut in animi morbos gravissimos, adeoque & in mortem creberrime incidant, qui remediis contra morbum & mortem prohibiti sunt? Res ipsa loquitur, ut necesse non sit, me plura dicere. Num igitur hæc doctrina à Deo inspirata fuit, & non sub majoris puritatis specie illius doctrinæ, quam damnavit Apostolus, tanta pars, quantam hominum portionem constituit istud hominum genus, quod tanto magis à remedio divinitus dato contra scortationem arcendum non fuerat, quanto peccatum hoc in Ecclesiæ Ducibus & rectoribus est fœdius & nocentius? nonne & hic propter humanas traditiones divina lex de scortatione lata, Ne quisquam Christianorum non minus, imo multo magis quam Israelitarum olim scortator esset, dissoluta est? At Ecclesia, inquies, ad sua ministeria, non aliis uti vult, quam cœlibibus. Frustra hæc culpa in benignam matrem Ecclesiam conjicitur, quæ neque sui juris & arbitrii est, cum suum caput & Dominum habeat Christum: neque Domino suo placere potest, si jugum illius dulce exacerbet, & onus leve aggravet: multo vero minus, si sua instituta observet, Domini negligat: omnium vero minime si ob id ipsum Domini instituta negligat, quod sua observet. Atqui Christus Ecclesiæ suæ Dominus nec eum, qui in matrimonio vivit, ab Ecclesiæ suæ ministerio, si alioquin ad illud obeundum sit idoneus, repellit; nec eum qui jam in ministerio constitutus est à matrimonio, si eo opus habeat, prohibet. Num igitur illa Domini sui legibus intercedet, & cum Apostolus Episcopis & Diaconis nec uxores eripiat, nec uxoribus interdicat, dummodo dissolutione matrimonii contra legem Christi eas non mutent, Ecclesia Apostolo sese audebit opponere? Parum erat à matrimonio arcere, quos lex Christi non arcuit, nisi etiam maritis ipsis similis servitus esset imposita: dum iis in casu dissoluti, propter uxoris adulterium, matrimonii, per leges Ecclesiæ integrum non est, vivente adultera, aliam uxorem ducere: ut quisque necesse habeat aut adulteram retinere, aut illa dimissa sine uxore vivere. Atqui Christus in tali casu repudium uxoris justum esse docuit. Natura autem repudii est, ut non minus jura matrimonii inter conjuges dissolvat, quam mors. Plura istius generis commemorare quid attinet, cum indulgentiæ illæ & dispensationes, quas vocant, istiusmodi legibus præter Christi legem invectis communiter sint innixæ? Porro sicut per talia jugum imponitur hominibus, quod gratiæ & libertati per Christum partæ nulla ratione est consentaneum: sic vicissim per alia Christi præceptis solvuntur Christiani, quale est neglectus benedicti in illo sacro ritu calicis. Atqui Christus, & post Christum Apostolus non tantum sacri panis, sed etiam sacri calicis usum Ecclesiis tradidit. Et cum hic ritus in commemorationem Christi, quatenus pro nobis diram mortem subiit, mortisque istius celebrationem & annunciationem sit institutus; quis non videt, panem quidem, quem frangimus; memoriale signum esse fracti, id est, laniati & doloribus ac morte affecti corporis Christi: calicem vero, quem benedicimus, signum esse memoriale sanguinis Christi, per corporis Christi vulnera effusi, & ab ipso corpore separati? nempe, non aliter caro Christi noster cibus, & sanguis Christi noster potus fieri potuit, quam Christo prius morte affecto & à carne ipsius sanguine separato: ut tam frustra in Christi carne sanguinem quærant, quam frustra in Christi sanguine carnem quærerent, qui panem hunc sacrum edunt. Sicut igitur in vitæ corporis sustentatione non pane tantum & cibo, sed etiam potu utimur: sic in vita animæ sustentanda non carnem tantum Christi edere, sed & sanguinem ejus bibere nos oportet, ac proinde non corporis tantum pro nobis fracti & exanimati, sacri panis usu; sed etiam sanguinis pro nobis effusi, sacri calicis usu memoriam celebrare debemus; tanto vero magis, quod, sicut panis quem frangimus, corporis Christi: sic calix benedictus, ex quo bibimus, sanguinis Christi communio est: ut ita, calice Christi prætermisso, non magis vitam spiritualem, quam neglecto potu vitam corporalem vivere possimus. Quod ad vetantes Christi leges attinet, non hic iterum divorum & imaginum cultum commemorabo, qui sub maximæ religionis titulo contra Christi legem exercetur, ut ostendimus, non dicam de dispensationibus, quibus legum divinarum vim homines relaxare audent: de eo dicam, quod in Orbe Christiano obtinuit, unum in terris hominem esse, à quo omnes Christianorum Ecclesiæ pendere debeant. Hoccine dicemus Christi præceptis congruere? Atqui Christus ipse, cum toti terrarum Orbi in religionis negotio summos veluti duces constitueret atque Doctores, quos ipse spiritu suo, ne in rebus divinis errare possent, implevit, non unum aliquem sed duodecim viros legit, inter quos etiamsi Petrus, sicut Spiritus S. donis, sic & authoritate emineret, non aliam tamen in cæterorum quemlibet potestatem habuit, quam eam, quæ fratris est in fratrem, & collegæ in collegam, & quam non vicissim quisque illorum in Petrum habuerit. His duodecim addidit postea Christus gentium caussa decimum tertium Paulum, nulli, ne Petro quidem ipsi divinarum rerum scientia inferiorem. Unde igitur uni tantum animi & fiduciæ, ut tantum onus, quod tredecim isti tanta vi & copia Spiritus S. instructi sustinebant, ipse solus, cum nullo eorum Spiritus S. donis comparandus, audeat in se recipere? Iste porro unus an doctrinam & instituta summorum istorum ducum, quos diximus, & quos fundamenta (quamvis alia aliis, non quidem firmiora & certiora, sed illustriora) universæ suæ Ecclesiæ Christus esse voluit, pro unica sua norma habebit, ut nihil scilicet addat, nihil detrahat, nihil immutet, an secus? Illud si volumus, nulla profecto caussa est, ob quam omnes à se pendere velit Ecclesias, cum unicuique Ecclesiæ per se tam promptum sit Apostolorum normam in omnibus observare, quam ipsi: imo tanto promptius, quanto plures sunt in Ecclesia, qui sese invicem, si sit opus, admonere ac sublevare & possint & debeant. Quidsi autem unus iste à norma recedat Apostolica? Non potest. at cur unus iste magis non possit, quam tota Ecclesia? quam facile est unum hominem aberrare, non ita adversus errores munitum ut fuerunt Apostoli! neque aliam ob caussam magis Christus voluit, ut discipuli sui in unum Ecclesiæ corpus coalescerent, quam ut mutua opera sese ab erroribus & peccatis possent defendere: An copiosior uni isti Spiritus Sanct. datus est, quam toti Ecclesiæ? quis vero nobis fidem faciet, illum tam copiosum accepisse Spiritum? quæ istius rei sunt documenta? quidsi autem Spiritui S. nolit obsequi, & evidentissime recedat a norma Apostolica? quid fiet? ab Ecclesia, inquies, corrigendus est. Ecclesia igitur sine isto uno Apostolicam normam tenere potest. Quidsi autem sese non patiatur corrigi, & in tanto rerum fastigio collocatus, magnas partes faciat? Nonne malus tanta invehet in Ecclesiam mala, quanta illi bona nunquam afferre posset optimus? Sine isto igitur uno sese Ecclesia in Apostolica norma conservare potest. Et si una aberret Ecclesia, corrigi poterit ab alia; si omnes, cum Apostolica norma sit ad manum, corrigi poterit quælibet, modo velit ipsa, à quolibet. Jam si dicas liberum esse isti uni aliquando à norma recedere Apostolica: tum tu nobis non ducem exhibebis ad salutem, sed ad interitum, neque longius nobis quærendus erit is, in quem prophetia ista Pauli conveniat. Non ita vero Apostolus, qui anathema jussit esse omne id, quod à tradita ab ipso doctrina recederet, etiamsi ille idem, imo Angelus ex cœlis id afferret. Non frustra Christus Petrum Ecclesiæ petram constituit, idque etiam ipso Petri nomine significavit, nempe ut Ecclesia super ipsius doctrinam & testimonium sese fundaret. Aut igitur iste unus super petram hanc sese fundabit, aut etiam ipse petra volet esse alia. Si illud, totus petræ inniti, nec unquam ab illa debet recedere. Si hoc, nullam in Ecclesia Christi partem habet, quæ tota illi petræ innixa est, ideoque videat & ipse, & qui super illum fundari volent, ne portis inferni aliquando non possint resistere. Porro quis locus isti esse possit, à quo omnes pendeant Ecclesiæ, si quidem post Christum, Ecclesiæ nihil sublimius

alios; nihil divinius, quippe quæ summi Reges, id est Christi, sponsa est, & summi capitis unicum corpus? Petrus ipse & Paulus & quilibet summorum illorum & divinissimorum virorum alius, postquam Ecclesiæ Christi doctrinam tradidit, ipsa Ecclesia factus est minor & inferior, adeo ut si à doctrina à se tradita ulla in parte recessisset, Ecclesiæ sese, imo cuilibet ex Ecclesia subjicere debuerit. Nec mirum, cum Ecclesiæ pars factus sit. Hinc ipse Paulus Ecclesiæ Corinthiorum scribens: *Nemo*, inquit, *glorietur in hominibus: Omnia enim vestra sunt sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas, sive Mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* 1 Cor. 3. 21, 22, 23. Nemini igitur fas est, ut dominatum sibi aliquem usurpet in Ecclesiam, & quicunque eam regunt, non aliter, quam secundum leges à Christo acceptas eam debent regere, idque ita ut se Ecclesiæ semper subjectos esse & administrationis suæ rationem eidem reddere sese teneri, sciant. *Non enim*, inquit Apostolus, *nos ipsos prædicamus, sed Christum Jesum Dominum; nos ipsos autem servos vestros propter Jesum* 2 Corinth. 4. 5. Nec vero, qui unus mortalium regere possit omnes orbis terrarum Ecclesias ullus est. Et idcirco Christus, ut omnium Ecclesiarum caput & rector esset, Rex & Dominus cœlestis effectus est. Et quanta hæc obsecro esset Ecclesiarum servitus, imo stultitia ex locis longissime, & in alio orbe dissitis, ad hunc unum recurrere? cum ideo Christus in cœlis habitet, ut ad eum cuilibet recurrere semper promptum sit. Nec jus solvendi & ligandi, peccata remittendi & retinendi in terris, penes ullum alium nunc est, quam penes Ecclesiam. Denique tanta est Ecclesiæ authoritas, ut viventibus etiam Apostolis decretum illud Hierosolymis factum in totius Ecclesiæ conventu factum sit, nec Apostoli unius, sed Apostolorum, nec Apostolorum tantum, sed etiam fratrum reliquorum, id est, totius Ecclesiæ nomine & authoritate perscriptum fuerit, Actor. 15. 22, 23. Seniores in Ecclesiam, qualescunque tandem fuerint, non aliud jus habent, quam ut ei, prout cujusque officium est, non dominentur, sed ministrent. Et, si Doctores sint, secundum normam Apostolicam, eam docere & regere debent; quibus Ecclesia, ita docentibus & regentibus, sese debet subjicere, vicissimque & illi non Ecclesiæ tantum, sed etiam cuivis recta monenti ex Ecclesia. Pastores omnes in se invicem mutuum jus habent, quale est collegarum in collegas, nec unquam, si Christi Domini sui dictis audientes esse velint, de primo loco inter se certare debent, sed de ultimo. Et quod jus est singulorum Christianorum in singulos, nempe fraternum, idem est singularum Ecclesiarum in singulas. Denique idem est jus omnium vel plurium, quæ in unum veluti corpus coaluerint, Ecclesiarum in singulas, quod unius Ecclesiæ in singulos Christianorum, nempe quod est totius corporis in singula membra. Quod vero attinet ad plurium Ecclesiarum, ut puta, quæ unius sunt regni aut gentis, arctiorem inter sese consociationem, quo aliæ aliis mutuo possint consulere, illius ratio ex Ecclesiarum arbitrio & usu, dummodo nihil fiat contra normam Apostolicam, nec ullus in eas usurpetur dominatus (quod summum est nefas) semper pendebit. Hæc vera sunt & Christi institutis conformia, adeo ut etiam morem illum, qui inter Legis peritos & Pharisæos olim obtinebat, nempe ut Doctorum & Magistrorum, tanquam proprio nomine, vocarentur, inter suos Christus sustulerit, idque etiam ratione addita. *Vos autem*, inquit, *nolite vocari Rabbi, unus enim est Magister vester, Christus. Omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vobis vocare super terram; unus enim est vester Doctor, Christus.* Matth. 23. 8, 9, 10. Damnat igitur & prohibet morem hunc Christus, si ulli discipulorum ejus, sive Magistri, sive Doctores, sive Patres, tanquam proprio nomine, vel vocentur ab aliis, vel vocari se patiantur; quod tituli isti soli Deo & Christo conveniant; quanto magis absolute Doctorem vel Patrem appellari, vel (quod idem reipsa est) Doctorem nusquam aberrantem, aut Patrem Sanctissimum vel Beatissimum, qui profecto in cœlo quærendus est, non in terra. Nam quod quidam ad eludendam istius sanctissimi præcepti Christi vim afferunt exemplum Pauli, qui se Doctorem gentium vocet, & Ecclesiam Corinthiorum in Christo Jesu per Euangelium sese genuisse dicat, itemque Joannis Apostoli, qui Christi discipulos filiolos vocet, ii non vident longe diversa esse, aliquid ejusmodi de se asserere, quale Paulus de se asseruit: aliud vero hunc titulum perpetuo, idque tanquam nomen proprium usurpare. Si quis Paulum ordinarie appellasset Pater, vel Doctor Gentium, & Paulus id passus esset; & ille peccasset, qui ita appellasset, & Paulus, qui sese ita appellari passus esset. Nam quod ad Joannem attinet, non intelligunt isti, filiorum nomen metaphorice acceptum sæpe ætatis vel charitatis nomen esse, nec unquam eo in rebus ad Ecclesiam spectantibus trahi debere, ut is, cui fas est, Christianos aliquando, sive ætatis sive authoritatis, sive meritorum, sive amoris & charitatis caussa filiorum nomine compellare, permittere debeat, ut vicissim à Christianis perpetuo & veluti proprio nomine appelletur Pater. Hoc enim soli Deo relinquendum est, cui quotidie ex instituto Christi Patris nomen tribuimus. Verum ut eò redeamus, unde digressi quidem sumus, sed non aberravimus; dicit Paulus hominem istum tanquam Deum in templo, id est Ecclesia Dei sessurum, nimirum dum Dei & Christi instituta negligit, dum Ecclesiam longe aliis legibus & institutis gubernat, dum eam à suo nutu & arbitrio pendere vult, dum in conscientias dominatum usurpat, & vi externa aut homines facit irreligiosos, aut religiosos occidit, aliisve modis divexat, & eorum, qui tamen non alium quam verum Deum colunt, vel conscientias excruciat, vel corpora: dum se ab Ecclesia adorari & augustiore quam ullum alium mortalem, honore affici vel curat, vel patitur, Deoque & Christo, ex sua sede (rem ipsam si spectes) deturbato, ipse se pro Deo & Christo gerit in Ecclesia; Antiocho typo suo hic quoque similis, qui cornu dicitur, *quod crevit, usque ad exercitum cœlorum*, id est Dei populum, *& dejecit in terram de exercitu & de stellis & conculcavit eas, & usque ad principem exercitus* id est Deum ipsum *magnificatum est & abstulit ei juge sacrificium & projectus est locus sanctuarii ejus, projecit veritatem*, id est Dei legem *in terram*, Dan. 8. 10, 11, 12. Antiocho tamen hac quoque in re longe deterior, quod ille aperte Deum, Deique populum oppugnarit: hic dum verum Dei Christique cultum tollit, & Ecclesiam vastat, Dei & Christi, & Ecclesiæ sancta nomina prætexat: & ut Antiochus templum ipsum non everterat, sed tantum abominando cultu Jovis Olympii polluerat; sic & iste quidem Ecclesiæ nomen & parietes, (ut sic dicam) relinquet, cæterum tam fœda idololatria impioque sui cultu & veneratione profanabit. Hoc autem in Ecclesiam dominatu simul ostendit Paulus fore, ut ita sese supra omnes Reges & imperatores efferat, ut in eos, quippe in Ecclesiæ membra, dominatum sibi usurpet.

Ostendentem se, quod sit Deus. Hoc sane Cajum fecisse docuit Author, nosque fatemur; sed cum superiora omnia ad Cajum referri nequeant, ne hoc quidem referendum est. Nos igitur eidem, ut cœpimus, veritati insistamus. Vel declarat his verbis Apostolus, quod modo dixerat, *consedit in Dei templo tanquam Deus*, quo pacto, dum se in templo Dei pro Deo ostentat: vel si mavis, (quod sensum pleniorem habet) rationem & caussam affert, cur in Ecclesia tanquam Deus sedeat, eaque sibi, quæ soli Deo & Christo debentur, usurpet, quia nimirum se Deum esse ostendat, id est, eam se habere potestatem jactet, ut Ecclesiam, quatenus Ecclesia est, pro suo regat arbitrio, leges, quas velit, condat, legum divinarum vim, si videatur, dissolvat, peccatorum reatu ac noxa, quos velit, liberet, quos velit, condemnet, cœlum, quibus velit, claudat, vel aperiat, se Christi, quatenus Rex & Dominus est, in terris esse vicarium, Ecclesiæ caput, sponsum, maritum, se Patrem, se Pastorem Pastorum & gregum omnium, se errare non posse, nec cuiquam in terris rerum ad officium suum spectantium reddere rationem teneri dicat; quæ omnia, qui sibi tribuit, etiamsi forte ab ipsa invidiosa Dei appellatione abstineat, re tamen ipsa & aliis nominibus æquipollentibus Deum se esse ostendit; videturque etiam Apostolus, propter hanc caussam de industria scripsisse, ostendentem vel demonstrantem potius, quam *dicentem se Deum esse*, ut innueret eum voce quidem *Dei* invidiosa abstinere, cæterum rem ipsam, quamvis sub aliis nominibus sibi usurpare, vim rerum sequi, inania transmittere, imo summæ modestiæ quæsita specie, summum fastum occulere, & sub infimi servi titulo in summos Reges & Imperatores, inque Dei & Christi clerum, qui Ecclesia est, dominatum exercere. Unde fiat, ut turba ei devota rem, quam de se jactat, intelligens, divinis eum honoret nominibus, Deumque appellet, & inter multa alia blasphema quotidie de illo dicat, *Sanctissimus Dominus noster*, non minori impietate, quam quod de Domitiano olim dicebatur, *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Sueton. in Dom. cap. 13. Huic affine est quod Siculos bello fractos & pœnas deprecantes aliquando fecisse narrant Historici, ut per oppida & vicos humi strati illi acclamaverint, Agne Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri. Hæc profecto tam clara sunt, tantaque divinitate prædictionem istam esse à Paulo editam ostendunt, ut nullæ satis dignæ gratiæ Deo & Christo agi possint, qui per eam, non tantum illos, qui Pauli vivebant temporibus, & falso Christi adventum jam jam sibi instare persuadebant, utilissime monuit: sed etiam nobis ita consuluit, ut non solum per vaticinii istius complementum, fidem & spem nostram (quæ tanto magis labascere poterat, quanto tempora protrahuntur longius) mirifice stabiliret, sed simul etiam

cœlestem quandam facem, in tenebris, quæ hic secuturæ prædicantur, nobis accenderet. Absit, absit inquam, ut tam admirabilem Dei providentiam tantumque beneficium in temeritatem & casum vertamus, & cum hoc Apostoli vaticinium ad res longe majores, longe utiliores, longe verbis ipsis congruentius, multoque cum majore divinitatis argumento referre possimus, illud in eventibus, qui jam tum adessent, & de quibus præmoneri exiguum haberet usum, eodem pene tempore, quo editum est, intercidisse credamus.

5. *Non meministis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis.* Non ea est vis istorum verborum, quam Author putat, *ne nunc demum me ista comminisci putetis, lucrandi temporis caussa.* Adeo enim isti de Christi adventu non dubitabant, ut eum jam jam instare crederent, ideoque monendi non essent, ne Paulum aliquid lucrandi temporis caussa comminisci putarent: sed ideo hæc addit, ut recordantes id ipsum se antehac ex Pauli ore audivisse, tanto certius ei rei crederent, ac propterea nulli homini sive spiritum, sive Pauli authoritatem prætexenti, sive ullo alio modo ad eorum deceptionem de Christi adventu jam instante nitenti crederent.

Cum adhuc essem apud vos. In Syria, inquit Author. at cur non Thessalonicæ? Thessalonicam enim, idque ad Ecclesiam Thessalonicensium scribebat. Et, si Thessalonica hic intelligi non debet, cur Syria potius quam Arabia, quam Cilicia, aut ullus alius locus, in quo Paulus post suam conversionem, Thessalonicenses istos videre potuerit? Thessalonicenses, inquit, isti sunt, quos Lucas ex dispersione Antiochiam usque, quæ Syriæ urbs est, pervenisse dicit. Hoc primum non aliunde quam ex divinatione sciri potest. Deinde, an quia Lucas, eos, qui dispersi fuerant in Cœlesyriam, Arabiam, Ciliciam & alia loca, in quibus Paulus fuerit, unde postmodum Thessalonicam sese recipere potuerint, pervenisse non dicit, idcirco hoc factum non est? quam multa sunt, quæ Lucas non narrat, quæ tamen facta sunt? Saltem igitur, si Thessalonicam hic excludimus, Syria tam certo designari non debuit. Ita fit, ut certis prætermissis, in dubiis non sit ubi consistamus.

6. *Et nunc, quid retineat, scitis.* Particula, *nunc*, non cum verbo *scitis*, sed cum verbo *retineat* cohæret, ut vel ex vers. 7. patet, ubi pro νῦν ponitur ἄρτι. Non tantum vobis dixi, adventurum illum peccatorem, sed etiam ex me tum didicistis; vel etiam, vos ipsi, præsente rerum statu considerato, facile intelligere potestis, ut id à me dici non sit necesse, quid nunc eum retineat; ne quis forte quærat, qui fiat, ut non statim veniat, sed futuro demum tempore, idque non tam cito venturus sit. Non frustra autem Apostolus exprimere noluit, quid esset, quod adventum istius peccatoris impediret; præsertim cum ita impediret, ut eo stante peccator iste exoriri non possit; qui cum advenire deberet, propterea illud abire, & è medio tolli necesse esset, sicut vers. 7. clare dicitur. Apparet igitur hoc illo tempore scribere & periculosum & non necessarium fuisse; ut vel hinc conjicere liceat, quid illud esset, quod impediret, de quo mox dicemus. At hominem illum peccati aperte descripsit, quod illius exortus ad tempora olim futura pertineret.

Ut reveletur in suo tempore. q. d. Scitis, quid nunc retineat, ut non nunc, sed suo demum tempore reveletur. De verbo *revelandi* supra versu 3. egimus: inde ea petantur, quæ etiam huc pertinent. *In suo tempore*, id est ejus revelationi & adventui ex peculiari Dei consilio præstituto. quo sensu, cum de re futura agitur, vicinum tempus verbis istis significari non solet. Gal. 6. 9. 1 Tim. 6. 15. Dixisset potius Paulus *ut brevi tempore reveletur*, si de Caji mox secuturis loquebatur facinoribus.

7. *Nam mysterium jam operatur*, vel *agitur iniquitatis.* Addit hoc Apostolus, non ut doceat iniquitatem hanc propediem erupturam, quippe hoc ejus instituto foret contrarium, ut vers. 2, 3. diximus; sed ut eam suo tempore certo sciant eventuram, quippe cujus semina jam tum sererentur. Neque enim, quia caussæ istius mali, quod prædicit Apostolus, jam tum nascebantur, propterea de rebus loqui posse se, & eos, quibus scribebat, orituris censeri non debet; quin imo tanto divinior est hæc prædictio, quod earum rerum causas viderit Apostolus, quæ longo demum post tempore erant exorituræ. Quid per *iniquitatem* ἀνομίαν istam intelligat Paulus, ex superioribus petendum est; ut & articulus, qui vim hoc loco relativam habet, ostendit. Nempe peccatum istius hominis, qui non tantum leges divinas & humanas susque deque habebit, sed etiam omni lege solutum se esse putabit, quique propter ἀνομίαν istam mox ἄνομος appellatur ab Apostolo, qui hac una voce omnem enormitatem ejus significat. *Mysterium* autem *iniquitatis* dicit, non iniquitatem simpliciter; quod hæc iniquitas in abdito lateret, nec ab ullo tum homine nascens intelligeretur, & ne ab iis quidem ipsis, qui ei jam tum operam strenue navarent, nec intelligi à quoquam, nisi ex divina revelatione, posset. Ea enim mysteria ex usu Scripturæ inprimis dicuntur, quæ non aliter, quam Deo revelante, cognoscuntur. *Mysterium iniquitatis* duobus dixit substantivis pro iniquitate arcana. *Operatur*, vel *agitur* ἐνεργεῖται, quod & active & passive accipi potest. Si active accipias, mysterio ipsi per loquendi figuram tribuetur actio, quasi mysterium ipsum rem suam strenue jam ageret. Simili quadam ratione dixeris, finem agere vel operari, quod omnia quæ fiunt, ad ipsum spectent; licet hic, mysterium istud, agentium hominum respectu, non finis sit proprie (nec enim id intendunt) sed fini similis eventus, adeo certus, adeo istis actionibus respondens, ut eum intendisse videri possint. Si vero passiva significatione vocem hanc interpreteris ut 2 Corint. 1. 6. sensus erit, mysterium hoc ab hominibus jam agi cœptum, jam ejus fundamenta poni, dum variæ hæreses jam disseminantur, & scandala fiunt præter doctrinam, quam Apostoli tradebant, dum sensim Christi religio spiritualis, in carnalem traducitur cultum, & superstitionibus polluitur, ut vera pietate exstincta μόρφωσις tantum ac inanis quædam pietatis species remaneat, dum partim ad Judaïcos ritus, partim ad profana gentium instituta, Philosophorumque placita accommodatur, & à sua genuina simplicitate ad aliam sacrorum formam traducitur, dum Christi & Apostolorum dicta detorquentur, dum Ecclesiarum Episcopi dominatum sensim in Ecclesia affectant, immemores Christi præcepti, ut servitute, non dominatione magnitudinem suam quærant, dum ipsæ Ecclesiæ dominatum quendam, nimio zelo ductæ, Præsulibus suis in se permittunt, dum inter ipsos Apostolos, unum cæteris anteponunt, dum studiis aliorum in alios inclinatis, in factiones scinduntur: dum ipsi Episcopi inter se ambitione contendunt, & potentiorum gratiam adulationibus aucupantur: dum Ecclesiarum præsules tanti muneris dignitate elati potestates civiles præ se contemnere incipiunt, & rebus Ecclesiarum studio affluentibus, in omnem licentiam solvuntur; quod in Romanæ Ecclesiæ præsulibus imprimis notavit & castigavit olim Ammianus lib. 27. qui postquam Damasi & Ursicini de Episcopatu certamen descripsisset, quod adeo exarserat ut & præfectus Urbis, illud comprimere volens, cedere coactus fuerit, & in ipso Christiani conventus loco uno die centum triginta septem cæsorum hominum corpora jacuerint, ita inquit: *Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei* (id est Romani Episcopatus) *cupidos, ob impetrandum, quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere; cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia, regales superent mensas, qui esse poterant beati revera, si magnitudine Urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam provincialium viverent.* Doctrina igitur & moribus Ecclesiarum, ipso adhuc Apostolorum tempore, sensim inclinantibus, mysterium hoc iniquitatis strui jam cœperat. Vide Rom. 16. 17. 1 Tim. 3. 1. & seqq. Col. 2. 8, 16, 18, 20, 22, 23. 2 Cor. 11. 3, 13, 20. 2 Petri 3. 16. 1 Petri 5. 3. Galat. 2. 6, 9. 1 Corint. 1. 11, 12. & 3. 4, 21, 22. & 4. 6, 7. 2 Petri 2. 10, 11, 13, 14, 15. & Judæ Epistolam. Nimirum idem accidere debuit Ecclesiæ, quod Rebuspublicis solet, quæ initio optimis legibus & moribus fundatæ, libertatem retinent; postquam legum reverentiam peccandi libido exuit, fit ut tandem unius tyrannide opprimantur. Tanto vero facilius Ecclesiarum aliquis præsul ad tantum culmen ascendere potuit, quod Ecclesia Christi omnes omnium Regum & Imperatorum dignitates complexa fit. Quam vero recte Chrysostomus de imperatorum aliquo hic agi senserit, ex iis, quæ diximus, apparet.

Tantum, qui retinet nunc, donec de medio fiat. Ita plane habent Græca, quæ dum non satis perpendunt Latini interpretes, ellipses non necessarias in verba Pauli induxerunt. Vulgatus etiam, ut à verbis, ita à mente Pauli plane recessit. Voculæ *tantum*, observanda potius fuerat transpositio (cujus exemplum etiam habes 1 Cor. 15. 19.) & ita Pauli verba ordinanda, *donec tantum de medio fiat*, id est tollatur is, *qui nunc retinet*; adde quod sequitur, *& tunc revelabitur*, &c. q. d. ad revelationem seu adventum iniqui istius nihil restat, quam ut tollatur de medio, qui nunc adventum & exortum illius impedit. Itaque hoc impedimento amoto, certo certius ille se inferet. Supra jam diximus id ipsum, quod Apostolus eum, qui tunc impediret, nominare nollet, præsertim cum eum de medio tollendum esse dicat, indicio esse, quemnam intellexerit, nempe Imperatorem Romanum in sua sede, & in eodem illo rerum fastigio positum, præsertim adhuc Ethnica impietate imbutum, & à Christi nomine alienum. Neque enim salva imperii illius

Roma-

Romani, quæ olim fuit, & sede & majestate & religione, angustisque & afflictis Ecclesiæ rebus, quisquam & Ecclesiæ & rerum caput sese facere potuisset. Hæc ipsis adhuc Tertulliani temporibus de hoc Apostoli loco sententia fuit; ipso rerum statu, etiamsi traditio abfuisset, cuilibet illam suggerente. *quis*, inquit, intellige impedit, *nisi Romanus status, cujus abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducet.* lib. de Carn. resurr. Et alibi: *Vim maximam universo Orbi imminentem, ipsamque clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu scimus retardari. Itaque nollemus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Apolog. 32. Lucium Vitellium Syriæ tunc præsidem ait esse Author, quem provinciam opulentam & exercitus obtinentem Caligula sit reveritus, ne cogitata protinus executioni mandaret. At quo pacto eum reveritus est, quem, ubi libuit, provincia jussit decedere? &, si vel maxime eum alioquin fuisset reveritus; in hoc tamen negotio adjutorem potius habuisset Vitellium, quam adversarium. Talia dicere, non est certis & exploratis insistere.

8. *Et tunc revelabitur ille iniquus.* Manifestam Pauli verbis vim facit Autor, dum ea à superioribus avellit, novamque hic rem, nempe Simonis Magi adventum prædici asserit, ut vel hoc unum sufficiat ad repudiandam hanc de Cajo sententiam. Nam primum, nulla fuerat de hoc impostore mentio, deinde ipse & rerum & verborum contextus docet, de eodem agi homine, q. d. Jam peragitur mysterium iniquitatis, adeo ut nihil aliud exortui hominis istius obstiturum sit, quam ut tantum is, qui nunc temporis impedit, è medio tollatur; quo sublato protinus sese videndum dabit ille iniquus. Ipsa denique vox ἄνομος, cui & articulus vim relativam h. l. habens præfixus est, aperte ad superiora, ad ipsamque ἀνομίας proxime dictam vocem respicit, ut qui hoc neget, & alia excogitet, effugia tantam quærere videatur. Neque debuisset Paulus hac generali tantùm voce uti, si alium aliquem quam superius descriptum ἄνομον divinarum & humanarum legum transgressorem intelligebat. De verbo revelandi supra jam diximus, quod de rebus futuris usurpari soleat, quamvis nondum re ipsa existant, sed in suis tantum caussis, inque Dei decreto & destinatione lateant.

Quem Dominus absumet spiritu oris sui. Satis hominis istius venturi iniquitatem descripsit Paulus, nunc etiam ejus pœnam describit: quod ipsum indicio est, de eodem agi. Nec enim illius, cujus tantam impietatem descripserat, pœnam & exitium silere debuit; alterius vero cujusdam, de quo nulla hic fuerat mentio, quemque unica ἄνομος nulli magis, quam superius descripto convenienti voce designasset, exprimere. estque hic declaratio *filii perditionis*, quemadmodum in superioribus *hominis peccati* fuerat. Os Christi nusquam, quod sciam, Apostoli Christi nominantur, frustraque longius petitas interpretationes quærimus, cum adsint genuinæ. Spiritus oris Christi, significat jussum Christi, qui simul; atque os suum aperuerit, & halitum ex ore emiserit, pronunciata in impium illum sententia, statim eum conficiet. Eodem sensu, eandemque ob caussam virga oris Christi, vel gladius ex ore ejus egrediens, sententia ejus in impios appellatur, similitudine ab judicibus sumpta, quorum itidem decretis nocentes perimuntur; nisi quod ipse per se Christi jussus, atque decretum, imo Spiritus tantum & halitus ex ore ejus emissus, vim conficiendorum omnium impiorum habeat. Apoc. 1. 16. & 2. 15. & 19. 15, 21. Esaiæ 11. 4. Pari ratione, verbo Dei firmati dicuntur Cœli, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum: id est Dei jussu, ut ibidem habetur, *dixit, & facta sunt.*

Et destruet apparitione adventus sui, τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ. Non simplex est explicatio priorum sed simul notat interitus illius tempus, & insignem circumstantiam, nempe Domini adventum. Nimirum eo redit Apostolus, unde fuerat profectus, exprimitque apodosin orationis suæ, quæ adhuc intelligenda tantum fuit. Nisi veniat defectio & homo peccati, intellige, non veniet Christus. Sed cum adhuc dubitari posset, an exorto illo, temporibus ejus venturus esset Christus; simul dubitationi isti ansam præcidit Apostolus, docens Christum adventu suo iniquum illum aboliturum esse; nisi forte interea pœnitentiam agat, & peccata sua agnoscat, dominatuque suo relicto, Christo serviat. Sed difficile est, ut is qui sese supra omnes efferre edoctus est, de fastigio suo descendat, & omnibus sese, etiam minimis in Ecclesia, tam ratione doctrinæ quam vitæ, si sit opus, subjicere discat: neque id permiserint, qui sui multum interesse putant, ne unquam dominatum istum è manibus dimittant. Vocem adventus Domini nos eodem ubique modo accipimus: Autor in hoc ipso capite, alio atque alio; supra, de excidio Hierosolymitano; hic de hominis Magi interitu. At verisimile non est, Paulum in eodem orationis complexu ita varium esse, & de alio Christi adventu incepisse dicere, de alio finire. Adde hic, quæ supra de phrasi, *adventus Domini*, quoties absolute ponitur, diximus, quanquam hic, articulus huic voci præfixus, vim relativam habet. Porro ἐπιφάνειαν τῆς παρουσίας per genitivum differentiæ vel speciei, apparitionem notat, quæ est adventus Christi. Unde ipsa per se ἐπιφανείας vox, de Christo usurpata, ut arbitror, semper apud hunc ipsum Apostolum, Christi ultimum illum adventum designat. 1 Tim. 6. 14. 2 Tim. 1. 10. & 4. 1, 8. Tit. 2. 13. ut mirer Virum hunc doctissimum vocis istius explicationem cum de Christo ejusque adventu usurpatur, ex lib. 2 Machab. 3. 24. maluisse petere, ubi *ostentum* significat, quam ex hoc ipso Apostolo, qui ea istis, quæ notavimus, locis utitur. Nimirum, plana & expedita interpretatio, Simoni Mago aptari non poterat. *destruet* vel *abolebit* καταργήσει: intellige plenum illius interitum. Nam alioquin etiam ante suum adventum eum affliget, ejusque potentiam multum imminuet. Regnabunt enim pii cum Christo mille annos, orbi iterum, iniqui istius tyrannide repressa, restituti, & veluti ab inferis revocati.

9. *Cujus est adventus.* Docuit hominem istum venturum & tam enormia patraturum, nunc etiam docet, quem adjutorem ac promotorem sit habiturus, quibusque artibus & imposturis ad tantam magnitudinem perveniet. Hoc enim explicandum fuerat, tum ne ullus dubitationi de tantis ejus facinoribus restaret locus, tum ad præmonendos & præmuniendos pios. Hic adventus & revelatio ad Simonem Magum referri non potest, qui jam ante sese imposturis suis nobilem fecerat, nisi iterum aliam adventus istius significationem aliquis excogitet.

Secundum efficaciam Satanæ. Quia mox signa & prodigia adventus istius adjuncta nominaturus erat, propterea docet, cujus efficacia patranda essent, nempe non Dei, non Christi, sed Satanæ.

In omni virtute, & signis, & prodigiis, nempe adventus ejus erit. *In* pro *cum*, ut de Christo, venit in aqua, in sanguine. *Virtus* δύναμις, per Metonymiam, effecta significat, qualia adduntur, nempe, *signa, prodigia*, id est omnis generis miracula sive per se sive per suos faciet, ad imitationem divinorum miraculorum Christi.

Mendacibus, ψευδοῦς. Docet hæc signa & prodigia, aut non esse vera & solida, sed meras præstigias, qualia pleraque sunt, quæ per Magiam patrantur, (sic & Saga illa Samuelem non vere excitavit, sed fucate) aut, non esse divina virtute, licet videantur, sed Satanæ efficacia, patrata, proindeque etiam in errores, si quis illis credat, inducentia. Multa etiam erunt falso conficta, & inter credulum vulgus inaniter aut aliqua veri specie sparsa, multa mendaciis exaggerata.

10. *Et in omni seductione iniquitatis.* Iterum *in* pro *cum*. *Omnis seductio*, omnes seducendi modos significat potius quam multiplicem deceptionem. Nec enim multiplicem dicit Apostolus, sed omnem. Adhibebit iste omnes seducendi modos, non solum per varia miracula, quæ perpetuo jactabit, sed etiam per Christiani nominis obtentum, per sanctitatis speciem, per autoritatem, per antiquitatem, per universalem consensum, per ipsa Scripturæ Sacræ dicta (quibus & olim usus seu verius abusus est Diabolus, cum Christum conaretur seducere) per auctoramenta vitiorum, per illecebras præmiorum, per terrores minarum. Genitivus ἀδικίας *iniquitatis*, scopum potius, quam effectum deceptionis significat. ἀδικία enim hic veritati opponitur, ut & paulo post: Sic & Rom. 2. 8. significatque errores & mendacia, quibus vocibus mox utitur Apostolus; consequenter etiam peccata: siquidem omnis error, omne mendacium in religione, peccati est illecebra. q. d. omnes adhibebit modos, quibus ad mendacium, & quæ ea consequi solent peccata, homines seducat.

In iis, qui pereunt. Docet, in quibus hæc mendacia locum sint habitura, ne etiam pii perniciem sibi strui putent. *In iis, qui pereunt*, id est perituri sunt. præsens, pro futuro, vel si mavis, qui perditioni sunt destinati. Quinam vero sint isti, ex caussa istius rei, quam statim subjicit Apostolus, apparet. Non solum autem hic Samaritas & Romanos intelligit Apostolus, ut Author suo instituto serviens dicit: sed omnes qui veritati per Apostolos prædicatæ credere noluerunt.

Eo quod caritatem veritatis non acceperunt. Caussam exprimit, cur perituri sint isti. ideo nimirum, quod caritatem veritatis non acceperint. Unde simul apparet, quinam sint isti perituri seu perditioni à Deo destinati. Recte observat Author illud ἀνθ' ὧν, justam Dei retributionem significare; sed ἀγάπην τῆς ἀληθείας non video cur per *summum Dei beneficium Evangelium suum ad eos mittentis* explicemus. Veritas, absolute posita,

Evan-

Euangelicam significat doctrinam: amorem veritatis non recipere, per pleonasmum quendam dicitur, pro veritatem non recipere, veritatem non amare, duabus loquendi rationibus in unam confusis; ut in illis Psalmi apud Petrum, *qui vult amare vitam*, pro qui vult vitam, qui diligit vitam, quorum utrumque in Hebraico textu distincte ponitur, Psalm 34. 13. & 1 Petri 3. 10. Hæc igitur est caussa perditionis eorum, quod veritatem puram Euangelicam repudiarint. Ipsi igitur sibi perditionis sunt caussa, non Deus.

Ut salvi fierent, Poterant igitur & illi servari. Hoc quæsivit Deus, & eo fine illis Euangelium miserat; sed illi suam salutem in suam verterunt perniciem, & pro σωζομένοις, facti sunt, sua culpa, ἀπολλύμενοι.

11. *Et propter hoc mittet illis Deus.* q.d. Et hæc est causa, propter quam erroris istam efficaciam illis mittet Deus, ne quisquam hoc Dei consilium miretur. Nimirum non perditione tantum hoc eorum reprobatæ veritatis facinus, ulciscetur Deus; sed etiam pro veritate, mittet illis errores, sapienti nimirum permissu & directione, ut recte explicat Author. Ita contemptum veritatis ulciscetur erroribus, ut per quæ peccarunt, per eadem plectantur.

Efficaciam erroris. Non errorem simpliciter, sed errorem efficacem; non secus atque veritas, quam illis miserat, fuit efficacissima, si ei pertinaciam non opposuissent. Iterum duo substantiva posuit, pro substantivo & adjectivo, usitata sibi loquendi ratione. porro, quæ sit ista erroris efficacia diximus versu 10.

Ut credant mendacio. Ideo efficaciam erroris mittet illis Deus, ut hic effectus in illis sequatur. Noluistis credere veritati, credite mendacio: noluistis amplecti puram & intemeratam Euangelii veritatem, suscipite erroribus fœdatam.

12. *Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Ulterior finis consilii istius divini exprimitur, non tam ut convincantur suæ malitiæ, quam potius ut tanto gravius, ac velut duplici pœna puniantur, quod non tantum veritati non crediderint simpliciter, sed etiam maluerint mendacio, post veritatem, & apostasiæ, post fidem venienti, credere, quam veritati. Cum pura Euangelii doctrina iis annunciaretur, rejecerunt eam: cum erroribus deformata, omnes eam sunt amplexi. proh hominum malitiam! Nonne Christus potius merebatur fidem, quam Antichristus! non Apostoli potius, quam Apostatæ! non vera miracula, quam præstigiæ! non veritas quam mendacium! non Deus potius quam Diabolus! *judicentur*, id est, puniantur, consueta phrasi; intellige autem, gravissima pœna, propter maximam eorum malitiam. ἀδικία iterum veritati opponitur. *Sed consenserunt iniquitati*, εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ, cum emphasi. Veritatem rejecerunt, iniquitatem autem, id est mendacium ita amplexi sunt, ut ei penitus acquiescant, & in eo animi sui oblectamentum habeant. Vera istius rei causa est, quam affert Author, animus ab ea vitæ sanctitate, quam pura Euangelii veritas illustrat, aversus, & ad vitia pronus, proindeque tenebras falsorum dogmatum luci Euangelicæ præferens, Joan. 3. 18. quanquam hic Apostolus de ea, aut non agat, aut eam consequenter tantum insinuet. Notat Paulus veritatis Euangelicæ depravationem, quæ in pœnam tantæ hominum pervicaciæ, Apostolicæ prædicationi sese opponentium, & Christianos omni crudelitate vexantium, justo Dei judicio sensim induci cœpit, cum & ipsius Ecclesiæ mores in deterius vergerent, ut cum nihilominus Orbis martyrum Christi constantia, & miraculorum fide, quæ in primitiva Ecclesia vigebant, ad Christi nomen traheretur, non amplius puram in Ecclesia Christi inveniret doctrinam, sed ex lacunis, per quas decurrebat, profanarum superstitionum & Philosophicarum opinionum multum luti trahentem & commeatum peccandi facientem: quin etiam ut hæc ipsa Christianæ veritatis depravatio, orbi ad Christi nomen suscipiendum auctoramento esset; qua ratione, admirabili Dei judicio, effectum est, ut Orbis, Christi quidem nomen, quod tantopere persecutus fuerat, cogeretur amplecti, cæterum, ut merebatur, nullo aut exiguo cum salutis fructu. Quicquid autem sani adhuc in Christi doctrina remanserat, id adventu & pleno dominatu istius hominis iniqui totum depravari debuit.

13, &c. Quæ omnia Dei spiritu prævidens & animo reputans Paulus, merito subjicit: (libet enim & sequentia pertexere, ut quam omnia inter se apta connexaque sint, appareat) *Nos vero debemus gratias agere Deo semper pro vobis, Fratres dilecti, quod elegerit vos Deus ab initio in salutem per sanctificationem Spiritus & fidem veritatis, in quod vocavit vos per Euangelium nostrum ad acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.* Materiam perpetuæ gratiarum actionis hanc esse dicit, quod eos elegerit Deus ab initio, Euangelii nimirum, cum adhuc purissima esset Euangelii doctrina. hujus nempe temporis electionem, salutarem esse docens, quosque illo tempore eligeret Deus, vere & in salutem eligere, ideoque eos hoc nomine dilectos à Domino Fratres appellat. Non eo vocibus istis *ab initio* respicit Apostolus, ut significet Thessalonicenses istos Judæos fuisse, quibus prius quam Gentibus Euangelium annunciatum fuit. Nam voces *ab initio* ita opponit temporibus secuturis, ut electionem ab initio factam salutarem esse dicat, contra quam futura sit sequentium temporum electio: cum alioquin Judæorum, per Apostolos vocatorum, electio, licet esset prior, non magis ad salutem efficax fuerit, quam Gentium, licet esset posterior. Quam electionem duabus in rebus collocat Apostolus, quarum altera Dei beneficium, altera eorum complectitur officium; illud est, quod Spiritum sanctum acceperint à Deo, perque eum sanctificati, & in diem redemptionis obsignati fuerint: hoc, quod fidem veritatis habuerint, id est fidem veritati, non erroribus, quibus posthac depravanda esset veritas, adhibitam. Et in hanc rem, inquit (ut scilicet & vos veritati fidem adhiberetis, & Deus vos per Spiritum suum sanctificaret, & sic eligeret ad salutem) *vocavit vos Deus ad acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi, per Euangelium nostrum.* Nostrum, inquit, h.e. à nobis, non ab iis, qui sequentur, prædicatum. *Igitur*, subjicit, *Fratres state.* quo pacto? *& retinete traditiones quas didicistis sive per sermonem sive per Epistolam nostram.* Hoc nimirum est stare, veritati, quam ab Apostolo acceperant, insistere, nec ullis unquam aliorum commentis moveri. Sed quia non satis est monuisse, nec humanæ vires ad retinendam constanter veritatem sufficiunt, propterea illis divinum exoptat auxilium: *Ipse vero Dominus noster Jesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia, consoletur corda vestra, & confirmet vos in omni sermone*, id est doctrina, *& opere bono*, qui bonæ doctrinæ fructus est.

CAP. III.

VALLA.

6, 7. *UT subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*, &c. *Quoniam non inquieti fuimus*] Cur ais *inquieti fuimus*, cùm modò dixeris *inordinatè*, cùm idem sit illud ἀτάκτως, & hoc ἠτακτήσαμεν? ergò, *non incompositi fuimus.* Quid quòd iterum idem illud quod transtuleras *inordinatè*, mox transfers *inquiete?* inquiens,

11. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes*] Ἀτάκτως. Cur non etiam venustatem servasti Paulinæ elocutionis, ut saltem diceres, *nihil agentes*, sed *curiose agentes?* Nam Pauli oratio non minus gratiæ habet illà Domitii Afri de quodam oratore, quem dixit *non agere sed satagere*: οὐδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους.

15. *Sed corripite ut fratrem*] Jam non semel dixi potius *commonefacite*, νουθετεῖτε.

16. *Det vobis pacem sempiternam in omni loco*] Gr. *det vobis pacem semper in omni modo*, διὰ παντὸς, ἐν παντὶ τρόπῳ

REVIUS in VALLAM.

6. *UT subtrahatis*] Hæc in prioribus editionibus præcedenti capiti permista, postremæ auctor suo loco reddidit.

16. *In omni modo: τρόπῳ*] Vulg. legit τόπῳ, *loco*: quod præfert Beza: & ità legit Ambrosius, ut Erasmus indicavit; cujus Notam vide.

ERASMUS.

2. *AB importunis*] Ἀπὸ τῶν ἀτόπων quod magis sonat *absurdis & prodigiosis.* Ambrosius legit *ab iniquis.* ἄτοπος autem Græcè dicitur *qui nulli loco convenit*; quales sunt hæretici.

3. *Fidelis autem Deus*] Gr. *Dominus*, πιστὸς δέ ἐστιν ὁ Κύριος, Est autem πιστὸς *qui præstat fidem.*

4. *Quoniam quæcunque*] Ὅτι, *quòd.* Mira confusio conjunctionum. Sermo Græcus habet amphibologiam. Potest enim hic accipi sensus, *Confidimus de vobis, idque freti præsidio Domini, quod præcepta nostra, quemadmodum servatis nunc, ità & in posterum sitis servaturi.* Potest & hic accipi, *Confidimus de vobis, quod ea quæ præcepimus & servatis & servaturi estis in posterum.* In priore sensu conjunctio καὶ connectit hæc duo verba, *præcepimus*

pimus & *facietis*: in altero repetita conjunctio utramque particulam, *& facitis & facietis*, ex æquo connectit cum verbo *confidimus*. Priorem sensum videtur sequi Theophylactus, posteriorem Ambrosius. In priore sensu prius καὶ simpliciter copulat, posterius positum est pro *etiam*: quod est idiomatis Græcanici.

5. *In charitate*] Εἰς τὴν ἀγάπην, i. e. *in dilectionem dirigat*. ¶ *Et patientiam Christi*] Καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ, *in exspectationem Christi*. Ita legit Ambrosius, & rectè. Cæterùm ὑπομονὴ sonat *perseverantiam in re quapiam non sine molestia, sed rursum cum exspectatione præmii, aut certè finiendi mali*.

6. *Denunciamus autem*] Idem verbum est quod verterat *præcipimus*, παραγγέλλομεν. ¶ *Ambulantes inordinatè*] Ἀτάκτως, aut *incompositè* sive *turbulentè*. Jam novum non est quòd *ambulare* dixit pro *versari*. ¶ *Quam acceperunt*] Interpres legisse videtur παρέλαβον, Græci legunt παρέλαβεν *accepit*.

7. *Non inquieti fuimus*] Οὐκ ἠτακτήσαμεν, *non inordinati*, sive *non incompositi fuimus*. Ambrosius vertit *non intemperanter viximus apud vos*: & ἀτάκτως item vertit *intemperanter*. Miræ verò hujus Interpretis deliciæ, qui modò ἀτάκτως vertit *inordinatè*, nunc ἠτακτήσαμεν vertit *fuimus inquieti*, cùm utriusque dictionis eadem sit origo. Rectè vertit Ambrosius, modò si sensit *intemperanter* idem esse quod *turbulentè* & *intractabiliter*. Siquidem Latinis *in ordinem cogi* dicuntur qui communi lege astringuntur, nec ulla in re differunt à cæteris. Huic diversum est, si quis contemptis legibus publicis suo vivat arbitratu. Id enim vocat Paulus ἀτακτεῖν, *præter ordinem vivere*. Metaphora sumpta est à militia, ubi non licet ordinem deserere: quod illi vocant λειποτακτεῖν.

8. *Neque gratis panem manducavimus*] Ambrosius legit *edimus*, ut appareat illum legisse ἐφάγομεν pro ἐλάβομεν. Cæterùm ἐλάβομεν, quod nunc habetur in Græcis cod. magis quadrat cum eo quod sequitur, *à quoquam*. ¶ *In labore & fatigatione*] Κόπῳ καὶ μόχθῳ. De quo superiùs meminimus. Utrumque vertit eodem modo; κόπος *labor*, μόχθος *labor molestus*.

9. *Quasi non habuerimus*] Ὅτι οὐκ ἔχομεν, i. e. *quod non habeamus*. Et *demus*, non *daremus*, δῶμεν, h. e. quòd id nobis non liceat facere. Quo dicto simul & excusat alios qui sumebant, & suam temperantiam exaggerat, qui adeò nihil exegerit præter jus ut nè quod justum quidem fuerat acceperit.

10. *Denunciabamus*] Παρηγγέλλομεν, *præcipiebamus*. Utinam Interpres hic tam feliciter copiam affectasset quàm id facit sedulò. Plutarchus libro suo titulum indidit Γαμικὰ παραγγέλματα. quis auderet hoc vertere *Connubiales denunciationes*? Apud Jureconsultos lego *operis novi denunciationem*. Cæterùm an semper *denunciet* qui præcipit ac præscribit nescio. Etenim si non licet quovis loco pro *hominibus* ponere *mortales*, multò minùs arbitror quovis loco jus esse *denunciare* ponere pro *præcipere*.

11. *Audivimus enim*] Ἀκούομεν γὰρ, *audimus enim*: ut sit tempus instans. ¶ *Ambulare inquietè*] Ἀτάκτως. Quod paulò superiùs vertit *inordinatè*, nunc vertit *inquietè*. Rursus Ambrosius *intemperanter*. Et hoc loco περιπατοῦντας aptius est *obambulantes*, h. e. circumvagantes: quæ est nativa hujus vocis significatio. ¶ *Nihil operantes; sed curiosè agentes*] Non servavit Interpres elegantiam Græci schematis, μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, i. e. *nihil agentes*, *sed curiosè agentes*. Nam tale quiddam est in his Pauli verbis quale M. Tullius commonstrat in dicto Domitii Afri, qui dixit *Suram Manlium*, quòd in agendo tumultuaretur, *non agere*, *sed satagere*. Est autem hìc gemina gratia. Prior est in affinitate vocum: quod genus est, *Legationibus immorandum est*, *non immoriendum*. Altera est in depravatione verbi; qualis est in *agere* & *satagere*. *Agit* enim qui suo fungitur officio; *satagit*, qui vehementer sed frustrà molitur. ἐργάζεσθαι laudis est, περιεργάζεσθαι vituperabile: & tamen plus esse videtur περιεργάζεσθαι quàm ἐργάζεσθαι. Subest autem & ἐναντίωσις non ingrata: ἐργάζεται qui operatur frugifera; περιεργάζεται, qui infrugifera. Quanquam illud περιεργαζομένους significat & *supervacua & inutilia agentes*, quæ πάρεργα dicuntur, quasi *nihil ad rem pertinentia*. Hinc certè apparet aliud esse ἐργαζομένους & ἐνεργοῦντας, ἐργάζεσθαι & ἐνεργεῖν, cùm utrumque soleat eodem verbo reddere.

12. *Denunciamus & obsecramus*] Παρακαλοῦμεν quod esse poterat *hortamur*; sed melius est *obtestamur*, ut mitiget præcipientis autoritatem.

—— *Precibusque minas regaliter addit*,

inquit ille. Paulus contra minis addit preces; ac nè vel autoritas vel preces contemni possint adjecit *in Domino Jesu*. ¶ *In Domino Jesu Christo*] Διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, *per Dominum nostrum*. ¶ *Suum panem*] Τὸν ἑαυτῶν ἄρτον, *suum ipsorum panem*, idque ἐμφατικώτερον q. d. *non alienum*, *sed suum*.

14. *Per epistolam hanc*] *Hunc* est Græcè, non *hanc*; h. e. genere masculino, non fœminino, sicut & in emendatioribus Latinorum exemplaribus, nominatim in Constantiensi utroque. Theophylactus indicat apud Græcos fuisse duplicem lectionem, alteram, εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν διὰ τῆς ἐπιστολῆς, *Si quis verò non paruerit sermoni nostro per Epistolam*: ut intelligas Paulum per Epistolam loqui Thessalonicensibus. Alteram lectionem testatur placuisse Joanni Chrysostomo, ut pro ἡμῶν primæ personæ ponatur ὑμῶν secundæ personæ, sitque sensus, *Si quis non paruerit vobis proponentibus ex hac mea epistola quod præcipio, hunc notetis*: quod Græcis est σημειοῦσθε, h. e. *sit vobis notatus*, ut fugiatis; quemadmodum signamus boves cornu petas, quò vitentur. In Græcis verbis dubium est an *notate* referatur ad *per epistolam*; sed consensus Interpretum refert ad *sermonem*, λόγῳ. ¶ *Ut confundatur*] Ἵνα ἐντραπῇ, *ut pudefiat*, & ut rubore suffundatur, cùm viderit se vitari ab omnibus. *Confunditur* & is qui alioqui perturbatur. Idcirco D. Ambrosius, ut explicaret vim verbi Græci, vertit *ut reverentiâ confundatur*.

15. *Quasi inimicum*] Ὡς ἐχθρὸν, *ut inimicum*. Mira Apostoli lenitas, qui nè intractabilem quidem velit pro inimico haberi. ¶ *Corripite ut fratrem*] Νουθετεῖτε. Ambrosius vertit *monete consiliis*: cui magis placuit verbum lenius.

16. *Sempiternam*] Διὰ παντὸς, id est, semper, aut perpetuam. ¶ *In omni loco*] Ἐν παντὶ τρόπῳ, *in omni modo*. Quanquam Interpres videtur legisse τόπῳ pro τρόπῳ· & ad eundem modum legit Ambrosius: etiamsi Græca Scholia τρόπῳ legunt. Theophylactus διὰ παντὸς refert ad Tempus, ἐν παντὶ τρόπῳ ad Negotium, h. e. in opinionibus, in dictis, in factis. In Chrysostomi contextu est ἐν παντὶ τρόπῳ, sed Commentum arguit illum legisse ἐν παντὶ τόπῳ exponit enim πανταχοῦ, h. e. etiam apud alienos à religione Christiana. Ex Ambrosii Commentariis non liquet quid legerit Nec absurdus tamen sensus est, *in omni tempore, & in omni loco*, &, *semper & ubique*, sermone proverbiali. ¶ *Deus sit cum omnibus vobis*] *Dominus* est, non *Deus*: & ità legit Ambrosius.

17. *Et salutatio mea*] *Meâ* ablativi casûs est, & refertur ad *manu*. *Meâ manu Pauli*.

VATABLUS.

1. *De cætero*] *Quod superest*. ¶ *Clarificetur*] Vel, *in pretio habeatur*.

2. *Importunis*] Vel, *absurdis*, aut *prodigiosis*. ¶ *Non enim omnium est fides*] i. e. Non omnes à Deo electi sunt ut credant.

3. *Fidelis*] Vel, *fidus*, *verax & constans*. ¶ *Deus*] *Dominus*, Vet.

4. *Per Dominum*] i. e. Idque freti præsidio Christi. ¶ *Quæcunque*] *Quæ*. ¶ *Præcepimus*] *Præcipimus*: præs. temp. Vet.

5. *In charitate Dei & patientia*] *In dilectione Dei, & exspectatione*, sub. *secundi adventûs*.

6. *Denuntiamus*] *Præcipimus*. ¶ *Acceperunt*] *Accepit*.

7. *Inquieti fuimus*] *Inordinatè gessimus nos*: vel, *præter officium versati fumus*.

9. *Quasi non habuerimus*] *Quòd non habeamus*.

10. *Denuntiabamus*] *Præcipiebamus*.

11. *Audivimus*] *Audimus*: præs. temp. Vet. ¶ *Ambulantes inquietè*] *Versantes inordinatè*, vel, *turbulentè*, aut *multò aliter quàm decens est*. ¶ *Curiosè agentes*] Vel, *supervacua & inutilia agentes*: i. e. curâ rerum alienarum districtos.

12. *Denunciamus*] *Præcipimus*. ¶ *In Domino Jesu Christo*] *Per Dominum nostrum Jesum Christum*. ¶ *Silentio*] *Quietè*. ¶ *Suum*] * *Ipsorum*.

13. *Deficere benefacientes*] *Defatigati benefaciendo*.

14. *Notate*] *Judicate*. ¶ *Confundatur*] *Pudore suffundatur*.

15. *Quasi*] *Tanquam*. ¶ *Corripite*] *Admonete*.

16. *Deus*] *Dominus*, Vet. ¶ *In omni loco*] *Omnibus modis*.

CASTALIO.

2. *Nec enim omnium est fides*] Non sunt omnes fidentes & veri Christiani.

CLARIUS.

3. *Fidelis autem Dominus*] Dixerat *non omnium esse fidem*, & petierat, rogari pro se Deum *ut liberaretur à malis homi-*

minibus: qua in re potuissent illi de se ipsis cogitare, nè fortè & ipsi ab ejusmodi hominibus vexarentur. Itaque bono jubet eos esse animo: nam affuturum Dominum & corroboraturum eos.

5. *Dirigat corda vestra*] Optat dirigi corda eorum *in charitatem Dei*, ut progressus quotidie majores faciant in eam, *& in patientiam Christi*, h. e. ut perferant pro Christo, & ejus exemplo, ingruentes persecutiones ac mala.

14. *Per epistolam*] Sic distingue, *Siquis non obtemperat sermoni huic per epistolam nostro, hunc notate*, nè lateat vos.

16. *Dei vobis pacem semper omnibus modis*] *Omnibus modis*, ut scilicet nulla ex parte occasiones contentionum habeant, & nihil tanti apud eos sit quod eorum turbare pacem queat.

17. *Quod est signum in omni epistola*] Ut ab adulterinis & surreptitiis Epistolis discernantur.

ZEGERUS.

2. A*B importunis*] Ἄτοπος dicitur *qui nulli loco convenit*, ut sunt hæretici, de quibus nunc disserit. Sonat autem *insolentem & iniquum*.

7. *Non inquieti fuimus inter vos*] Græcè dilucidiùs & venustiùs dixit Apostolus, eò quòd alluserit ad legem militarem, quâ cavetur sub gravissima mulcta nè quis è classe sese subducat aut statum ordinem pervertat. *Nos*, inquit, οὐκ ἠτακτήσαμεν, i. e. non nos segregavimus à vestro ordine, tanquam impatientes communis certaminis aut laboris, neque cuiquam molesti fuimus; quinimo eidem vobiscum legi subjecti esse voluimus hactenus: ut *nè gratis* quidem (cùm tamen id licuisset) & otio vacantes, *escam* à vobis *acceperimus*. Ambrosius verò pro his verbis legit *non intemperanter viximus apud vos*.

9. *Non quasi non habuerimus hanc potestatem*] Sumendi videlicet à vobis discipulis meis alimenta.

11. *Ambulantes inquietè*] Ἀτάκτως à verbo τάττειν, de quo suprà diximus 1 Thess. 5. 14. i. e. *turbulentè, incompositè, inordinatè*, ut alibi versum est, *inhonestè*, &, quod Ambrosio placet, *intemperanter*.

16. *In omni loco*] Ἐν παντὶ τρόπῳ, suspicor mendosè scribi, pro ἐν παντὶ τόπῳ propterea quòd Ambrosius & Theophylactus nobiscum legant *in loco*, quanquam Chrysostomi interpres vertit, *omnibus modis*. Sed perfacilis est lapsus in una literula.

17. *Salutatio meâ manu*] Fortasse levius est quàm ut admoneri debeat, *meâ* Græcis non referri ad *salutationem* sed ad *manum*, ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου.

H. STEPHANUS.

2. Ἀ*πὸ τῶν ἀτόπων ἀνθρώπων*] *Ab hominibus absurdo quodam ingenio præditis*.

6. Στέλλεσθαι ὑμᾶς] *Ut retrahatis vos*: vel *subducatis*, sive, *ut caveatis*.

11. Μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους] *Nihil agentes, sed curiose satagentes*.

13. Μὴ ἐκκακήσητε] *Nè animum despondeatis*.

14. Σημειοῦσθε] *Notate*: q. d. *Notâ quapiam* à cæteris *discernite*: vel, *internoscite*.

DRUSIUS.

10. S*I quis non vult operari, nec manducet*] Adagium est Ebræorum vetus, דלא לעי לא ניכול *Qui non operatur, non comedit*, quod exstat in Bresith Rabba, cap. 14. unde citatum inveni à Nathane Justo in Baal Aruch, voce לעי, & à Salomone Abrahami F. Samuelis nepote in Ohel Moed, voce לעו. Vide Oserv. meas lib. 2. cap. 1. לעי *laborat, operatur*: unde עמילה *labor*. ודלא valet דאי לא, resectâ ultimâ more Thalmudicorum. ניכול, pro quo in Ohel Moed אוכל *comedit*. Nota hic duas negationes כל כי שנוי שתנו ואין לא οὐ μή. Ebr. sunt, ואי לא יוכל potest reddi *Quod si non*. Nam אין, & contractè אי, *si*. Sed si est negatio אין *non*, tunc Hellenismus erit, qui & in Latio reperitur. Plautus Epidico, *Neque ille haud objiciet*. Bacchid. *Neque ego haud committam*. Vide Particulas Rabbinicas.

CASAUBONUS.

12. T*οῖς δὲ τοιούτοις παραγγέλλομεν καὶ παρακαλοῦμεν*] Παρακαλῶμεν cum dativo semel hic positum videtur his in libris. Vide Polyb. p. 236.

CAMERON.

2. O*Υ̓ γὰρ πάντων ἡ πίστις*] Novatorum quidam his verbis hunc sensum tribuunt, ut ideo negent fidem dari protervis istis quia protervi fuere. Nempe quòd huic plus, illi minus vel etiam nihil detur, aut etiam quod habet auferatur, causam nolunt esse quærendam in decreto præcisæ vocationis, sed in discrimine hominum, quorum alii quod offertur cum gaudio excipiunt, alii protervè respuunt. Sed primò, non hoc quæritur cur Deus deneget fidem aliquibus: in confesso enim est denegationis absolutè consideratæ causam esse in nobis. Demus igitur Apostolum hoc velle, denegatam esse protervis istis fidem quòd essent protervi, nihil voluerit quod faciat pro Novatorum sententia. Deinde, non est ea mens Apostoli eo loco quam illi putant, sed planè diversa. Duo isthic à Thessalonicensibus exigit Apostolus: Primùm ut orent pro successu Euangelii, *Orate ut sermo Domini currat & glorificetur, sicut & apud vos*. Porrò successus Euangelii non est gratia quædam communis, sed communis gratiæ efficacia, quæ specialis cujusdam gratiæ est effectum, unde nempe prioris illius communis gratiæ efficacia proficiscitur. Apostolus igitur non hortatur simpliciter Thessalonicenses ut Deum rogent ut communem velit gratiam largiri, sed specialem, quando communi illâ (nisi accedat hæc) gratiâ nihil promovetur. Itaque signanter Apostolus, *ut*, inquit, *glorificetur, sicut & apud vos*. Non autem glorificatur ubi contemnitur, contemnitur autem ubi non impetrat obsequium. Jubet igitur Apostolus orari Deum ut obsequium impetret Euangelium: id verò non est commune piis cum impiis. Ergò jubet orari pro eo, quod est peculiare piis; frustrà, nisi hoc quod est peculiare tam sit à Deo quàm illud commune. Alterum quod exigit hoc est, ut orent *ut liberetur à protervis hominibus*. Sed quoniam pugnantia exigere videbatur Apostolus, nempe ut oretur pro successu Euangelii, & oretur itidem pro liberatione ab impiis, cùm si Euangelium currat & glorificetur, h. e. sit efficax, nulli impii sint futuri, subjungit, *non omnium esse fidem*: h. e. Ità orandum esse pro successu Euangelii monet, ut interim meminerimus Deum non exauditurum preces nostras respectu omnium hominum promiscuè, sed eorum tantùm respectu quibus in æterno suo consilio decrevit fidem dare.

JAC. CAPPELLUS.

10. S*I quis nolit operari, nec edito*] Ælianus lib. 4. c. 1. Σαρδιανοῖς ἀργίας ἦσαν δίκαι, καὶ τὸν εἰκῇ ζῶντα ἔδει κρίνεσθαι, καὶ διδόναι τὰς εὐθύνας, ἀποδεικνύντα ὅθεν ζῇ. Seneca Ep. 57. *Tractatione bonarum artium occupandi sumus, quoties nos malè habet inertia sui impatiens. Magni Imperatores cùm male parere militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent. Nunquam vacat lascivire districtis. Nihilque tam certum est, quàm otii vitia negotio discuti*.

GROTIUS.

1. T*Ὸ λοιπὸν, De cætero*] Vox properantis ad finem, ut 1 Thess. 4. 1. ubi dicta vide. ¶ προσεύχεσθε, ἀδελφοί, περὶ ἡμῶν, *fratres, orate pro nobis*] Sic & Coloss. 4. 3. 1 Thess. 5. 25. ¶ ἵνα ὁ λόγος τοῦ Κυρίου τρέχῃ, *ut sermo Domini curras*] Egregia translatio, id est, ut citò innotescat. ¶ καὶ δοξάζηται, *& clarificetur*] Non tantùm innotescat, sed & approbetur & laudetur, יהוא. ¶ καθὼς καὶ πρὸς ὑμᾶς, *sicut & apud vos*] Πρὸς hic iterum *apud*, ut alibi sæpe.

2. Καὶ ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων. *Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus*] Ἄτοπον est און [*iniquum*] Job. 4. 8. 11. 11. 36. 21. Prov. 30. 20. Luc. 23. 41. Hinc ἄτοποι, *homines facinorosi, flagitiosi*, quomodo id nomen in Glossario exponitur. πονηροί sunt רעים *malitiosi*: ut est in eodem Glossario. *Liberemur ab his*, id est, faciat Deus ne aut calumniis aut etiam exemplo nobis noceant. Sic Rom. 15. 31. ῥύω est נצל [*libero.*] ¶ οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις, *non enim omnium est fides*] Atqui ad fidem vocantur omnes quibus annuntiatur Euangelium. Sic est; sed *qui in vitiis sibi placent, non credent nobis*, inquit Lactantius, *etiamsi Solem manibus gestemus*. Amant opera tenebrarum: ideo lucem reformidant Joh. 3. 20. Nolunt facere voluntatem Patris, & ideo non rectè judicant Joh. 7. 17. Par locutio apud Clementem Alexandrinum Strom. 5. οὐ πάντων ἡ γνῶσις [*non omnium est scientia.*] Prudentius in Romam hymno,

> *Sic incapacem te sacramenti, impie,*
> *Non posse cæcis sensibus mysterium*
> *Haurire nostrum: nil diurnum nox capit.*

3. Πιστὸς

3. *Πιστὸς δέ ἐστιν ὁ Κύριος, ὃς στηρίξει ὑμᾶς, καὶ φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Fidelis autem est Dominus, qui confirmabit vos, & custodiet à malo*] Idem sensus qui 1 Cor. 1. 8, 9. 1 Thess. 5. 24. *ἀπὸ τοῦ πονηροῦ* [*à malo*] accipe ut Matth. 6. 13. In Manuscripto, *πιστὸς δέ ἐστιν ὁ Θεὸς, ὃς καὶ στηρίξει* [*Fidelis autem est Deus, qui & confirmabit.*] Et ita legit Latinus.

4. *Πεποίθαμεν δὲ ἐν Κυρίῳ ἐφ' ὑμᾶς, Confidimus autem de vobis in Domino*] Sic & Gal. 5. 10. *Optimè de vobis spero, Deo adjuvante.* ¶ *ὅτι ἃ παραγγέλλομεν ὑμῖν, καὶ ποιεῖτε, καὶ ποιήσετε. quoniam quæ præcipimus vobis, & facitis & facietis*] Sic 1 Thess. 4. 10. 5. 11.

5. *Ὁ δὲ Κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας, Dominus autem dirigat corda vestra*] *Κατευθύναι* יישר [*rectà deducet.*] *Dominus*, id est, Christus, per Spiritum scilicet suum. ¶ *εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, in charitatem Dei*] *Ut Deum diligatis.* ¶ *καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ. & patientiam Christi*] *Eam patientiam cujus causa est Christus*, nempe per spem nobis insitam 1 Thess. 1. 2.

6. *Παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοὶ, ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi*] Id est, Apostolicâ auctoritate præcipimus. ¶ *στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν ἣν παρέλαβον παρ' ἡμῶν. ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis*] Quid sit *παράδοσις* [*traditio*] vide supra 2. 15. *ἀτάκτως περιπατοῦντες* [*ambulantes inordinatè*] iidem sunt qui *ἄτακτοι* [*inordinati*] 1 Thess. 5. 14. Hos jubet *vitari*, id enim *στέλλεσθαι* hic, *ὑποστέλλειν* [*subtrahere*] Gal. 2. 12. Si presbyterium ibi fuisset, jussisset eos excommunicari. Nunc quia presbyterium non erat, jussit tales improbè viventes *vitari*, id est, familiarem eorum consuetudinem defugi, quod jus singulis Christianis competit. Vide quæ diximus ad Matth. 18. 17. In Manuscripto pro *παρέλαβον* est *παρελάβοσαν* [*acceperunt*] Bœotica flexione, de qua vide Rom. 3. 13. Sic *ἐξήλθοσαν* [*abierunt*] Exod. 16. 22. *συνελάβοσαν* [*apprehenderunt*] Jerem. 26. 8. Est autem constructio *κατὰ τὸ σημαινόμενον* [*ad significationem relata.*] nam de singulis locutus intulit plurale: quod notavit Latinus.

7. *Αὐτοὶ γὰρ οἴδατε πῶς δεῖ μιμεῖσθαι ἡμᾶς. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos*] Id est, *scitis, quomodo vobis vivendum sit ut nos imitemini.* Vide 1 Cor. 4. 16. 11. 1. Ephes. 5. 1. 1 Thess. 1. 6. ¶ *ὅτι οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν. quoniam non inordinatè nos gessimus inter vos*] *Ἀτακτεῖν* est *ἀτάκτως περιπατεῖν* [*inordinatè ambulare*,] *non rectè neque ordine res agere.* Utitur sic isto verbo in Themistocle Plutarchus.

8. *Οὐδὲ δωρεὰν ἄρτον ἐφάγομεν παρά τινος. Neque gratis panem manducavimus ab aliquo*] Mensarum asseclas maximè flagellat, *τοὺς ἀσυμβόλους* [*asymbolos.*] ¶ *ἀλλ' ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ, sed in labore & infatigatione*] 1 Thess. 2. 2. ¶ *νύκτα καὶ ἡμέραν ἐργαζόμενοι, nocte & die operantes*] Mos hic Paulo ubique 1 Cor. 4. 12. Actor. 20. 34. 1 Thess. 2. 9. ¶ *πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν. ne quem vestrûm gravaremus*] Et hoc repetit 1 Thess. 2. 7, 9. *πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρεῖν τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν* [*ut non gravetur Ecclesia Dei.*] Clem. Constit. 2. 33.

9. *Οὐχ ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν, Non quasi non habuerimus potestatem*] Jus nobis non deerat vivendi vestro sumptu, 1 Cor. 9. 6. ¶ *ἀλλ' ἵνα ἑαυτοὺς τύπον δῶμεν ὑμῖν εἰς τὸ μιμεῖσθαι ἡμᾶς. sed ut nos ipsos exemplar daremus vobis ad imitandum nos*] *Ut exemplar nos ipsos vobis exhiberemus ad maxima quæque.* De voce *τύπου* [*exemplaris*] in hoc sensu vide Philip. 3. 17.

10. *Καὶ γὰρ ὅτε ἦμεν πρὸς ὑμᾶς τοῦτο παρηγγέλλομεν ὑμῖν, Nam & cùm essemus apud vos hoc denuntiabamus vobis*] Quod præcessit erat hortamenti, hoc verò jam præcepti. ¶ *ὅτι εἴτις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω, quoniam si quis non vult operari, non manducet*] Exstat hæc sententia in Bereschith Rabba & in Ohelmoed, ut viri eruditi notarunt. Est & alia non dissimilis in libro Zeror, *Qui non laboraverit in prosabbato, ne edat in sabbato.* Amant Apostoli, ut & Christus, uti sententiis bonis quæ in ore erant populi aut Sapientum. Simile illud Homeri in Odyssea Τ.

> *—— Οὐ γὰρ ἀεργὸν ἀνέξομαι ὅς κεν ἐμῆς γε*
> *Χοίνικος ἅπτηται.*
>
> [*— Non tolerabo meos attingere quenquam*
> *Ignavum modios.*]

Et inter Pythagoræ dicta erat, *ἐπὶ χοίνικος μὴ καθῆσθαι* [*super modio ne sedeatur*,] quod significat Eustathio exponente, *μὴ τρέφεσθαι ἀργός* [*ne alatur otiosus.*] Demosthenes Olynthiaca 3. *οὐκ ἔστιν ὅπου τοῖς μηδὲν ἐγὼ ποιοῦσι τὰ τῶν ποιούντων εἶπον ὡς δεῖ νέμειν* [*nusquam ego dixi nihil agentibus ea esse distribuenda quæ functuris officio debentur.*] Alexis:

> *— ὅστις ἥδεται γὰρ ἐσθίων.*
> *Ὁσημέραι δεῖ καὶ ποιεῖν τῶν σιτίων*
> *Ἐπάξιον μηδὲν, περιπατεῖν δὲ σχολὴν*
> *Ἄγοντα, τοῦ ζῆν πολεμιώτατον κακόν.*
>
> [*— quem saginari juvat*
> *Quotidie & nil agere condignum cibo,*
> *Sed otiosis circumferri passibus,*
> *Ille adepol vitæ pestis infestissima est.*]

Clemens Constitutionum 2. *Εἰ δέ τις μὴ ἐργάζεται, οὗτος παρ' ἡμῖν μὴ ἐσθιέτω. ἀργοὺς γὰρ μισεῖ ὁ Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν* [*si quis non operatur idem apud nos nec comedat; otiosos enim odio habet Dominus Deus noster.*]

11. *Ἀκούομεν γάρ τινας περιπατοῦντας ἐν ὑμῖν ἀτάκτως, Audimus enim quosdam inter vos ambulare inquiete*] Nimirum,

> *Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem.*

¶ *μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. nihil operantes, sed curiose agentes*] In Glossario, *περιεργάζομαι, sciscitor. περίεργος, curiosus.* De tali hominum genere Horatius,

> *Percunctatorem fugito: nam garrulus idem est.*

Et apud Æschinem juncta leguntur, *περίεργος καὶ συκοφάντης* [*percunctator atque idem calumniator.*] Eos ergo intelligit, qui aliena scrutando, & inde apud alios captando jocandi materiam, hoc misero vitæ genere se sustentarent. Adde 1 Tim. 5. 13. ubi de simili vitio fœminarum agitur.

12. *Τοῖς δὲ τοιούτοις παραγγέλλομεν καὶ παρακαλοῦμεν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Iis autem qui ejusmodi sunt denuntiamus & obsecramus per Dominum nostrum Jesum Christum*] Id est, Christi mandato, ut supra 6. ¶ *ἵνα μετὰ ἡσυχίας ἐργαζόμενοι τὸν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίωσι. ut cum silentio operantes suum panem manducent*] Bene *τὸν ἑαυτῶν ἄρτον* [*suum panem.*] nam *cibus alienus* apud Comicum Latinum *ἀλλοτρία μᾶζα* [*aliena maza*,] apud Comicum Græcum est *vita parasitica.* *ἄρτος* [*panis*] enim ut לחם apud Hebræos pro omni cibo ponitur. Et rectè *μετὰ ἡσυχίας* [*cum silentio*,] id est, ad sua agenda, quo sensu *ἡσυχία* [*silentium*] sumitur & 1 Tim. 2. 12. Oppositum hoc discursantibus & garrientibus.

13. *Ὑμεῖς δὲ, ἀδελφοὶ, μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες. vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes*] *Ne fatigamini rectè agendo.* Idem sensus Gal. 6. 9. ubi *τὸ καλὸν ποιεῖν* [*bonum facere*] quod hic contractè *καλοποιεῖν* [*benefacere.*] Simile compositum *ἀγαθοποιεῖν* [*benefacere*] Marc. 3. 4. Luc. 6. 9, 33, 34. & apud Petrum aliquoties, & in tertia Johannis. Contrarium *κακοποιεῖν* & in illis Novi Testamenti locis, & apud Græcos interpretes sæpe pro Hebræo הרע [*male facere.*]

14. *Εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν, Quod si quis non obedit verbo nostro*] Illis præceptis quæ ex Christi mandato damus. ¶ *διὰ τῆς ἐπιστολῆς τοῦτον σημειοῦσθε· per Epistolam hunc notate*] Id est, *in epistola ad me scripta illum suis notis depingite*, ut ego deinde statuam id quod Spiritus dictaverit, 1 Cor. 5. 3. in Glossario *σημειῶμαι, noto, signo.* ¶ *καὶ μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ, & ne commisceamini cum illo*] Nempe, dum ego certi aliquid statuerim. *Συναναμίγνυσθαι* est *familiariter convivere*, 1 Cor. 5. 9, 11. *συγχρᾶσθαι* alibi. ¶ *ἵνα ἐντραπῇ. ut confundatur*] Ut *pudore tactus* ad mentem meliorem redeat. Vide quæ dicta ad Matth. 18. 17. Verbum *ἐντρέπεσθαι* habes hoc sensu & Tit. 2. 8. Hebræum esset יכלם [*erubescat.*]

15. *Καὶ μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε, Et nolite quasi inimicum existimare*] Nempe ex Lege Levit 19. 17. ¶ *ἀλλὰ νουθετεῖτε ὡς ἀδελφόν. sed corripite ut fratrem*] Id est, *ut qui frater fuerit.* Aliquid operari debet pristinæ fraternitatis memoria. *Νουθετεῖτε* הוכיחו [*corripite.*] Vide dictum Levitici locum, ubi in Græco *ἐλέγξεις* [*argues.*] Verbum *νουθετεῖν* [*corripere*] habes Rom. 15. 14. Coloss. 3. 16. 1 Thess. 5. 14. Talis admonitio Rabbinis est תוכחה

16. *Αὐτὸς δὲ ὁ Κύριος τῆς εἰρήνης, Ipse autem Dominus pacis*] שר־שלום [*Princeps pacis*] Esai. 9. 6. ¶ *δῴη ὑμῖν τὴν εἰρήνην, det vobis pacem*] Amat Paulus *πλοκὰς* [*copulationes*,] qualis & hic est. Nam *εἰρήνη* priore loco *pacem*, sequente *res omnes prosperas* significat. ¶ *διὰ παντὸς, sempiternam*] *Omni tempore*, ut Marc. 5. 5. Luc. 24. 53. Actor. 10. 2. 24. 16. Rom. 11. 10. ¶ *ἐν παντὶ τρόπῳ. in omni modo*] Probo lectionem quam secutus est Latinus interpres, & Græci quidam, *ἐν παντὶ τόπῳ* [*in omni loco*,] ut 1 Cor. 1. 2. Deus vobis det res bonas, sive Thessalonicæ eritis, sive in Judæam aut Syriam redibitis, sive aliò migrabitis. ¶ *ὁ Κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν. Dominus sit cum omnibus vobis*] Christus vobis sit adjutor. Vide Matth. 28. 20. In Liturgiis & Græcis & Latinis est hoc pervetus, *ὁ Κύριος μεθ' ὑμῶν, Dominus vobiscum.* Hoc successit in locum sacerdotalis illius benedictionis, cujus mentio Num. 6. 24.

17. *Ὁ ἀσπασμὸς*

17. Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ· οὕτω γράφω. *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola; ita scribo*] Hactenus in describenda Epistola manu scribæ Paulus usus fuerat; hæc scribit suâ manu, manifestumque nobis indicium dat, alias à se Epistolas aliò missas, quales multæ interciderunt, sed hanc primam esse quam Thessalonicam miserit. Alioqui si nota jam fuisset ejus manus, his verbis usus non fuisset, sicut eis non utitur in altera ad Thessalonicenses ex Judæis & Gentibus collectos quæ prior dicitur, cùm revera fuerit, ut diximus, posterior. Sic ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου [*Salutatio mea manu Pauli*] habes in fine prioris ad Corinthios, non in fine posterioris. Σημεῖον [*signum*] vocat certum quendam nexum literarum, quo nomen suum scribebat.

18. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*) Et hæc solemnis Pauli Epistolarum clausula. ¶ Ἀμήν. *Amen*] Hoc addebat Ecclesia, cùm lecta esset Epistola. Et inde adscribi cœpit.

ANNOTATA

In I. Epistolam D. PAULI ad

TIMOTHEUM.

CAP. I.

VALLA.

3. SIcut rogavi te ut remaneres Ephesi] Παρεκάλεσα. Cur non, *hortatus sum te?* sicut in superiori Epistola, *in gratia exhortetur corda vestra*, παρακαλέσαι, 2 Thess. 2. 16, 17. Cur enim deceat Paulum nunc magis *rogare* Timotheum quam *exhortari?*

10. *Plagiariis*) Quidam exponunt *plagiarios*, qui plagas cujuscunque generis inferunt proximis: quasi non tum alibi tum in Jure Civili fiat mentio de plagiariis, qui sunt fures & surreptores hominum, ut ipsa vox Græca ostendit, ἀνδραποδισταῖς.

REVIUS in VALLAM.

3. HOrtatus sum] Eam vocem hic magis quadrare fatetur & Erasmus: *tametsi*, inquit, *Paulus eo verbo nonnunquam usus est erga plebeios:* ubi quid sibi velit vox *tametsi* non video: id enim ipsum confirmat sententiam Vallæ, cùm usitatius sit plebeios *hortari* quàm *rogare*.

In gratia exhortetur corda vestra, 2 Thess. 2. 16, 17.) Illud *in gratia* pertinet ad finem versûs 16. *Consoletur* incipit versum 17. in nostris codd.

ERASMUS.

1. SEcundùm imperium] Κατ' ἐπιταγήν. Apertius hic erat *juxta injunctionem*, sive *delegationem*. Nam ἐπιτάττειν est *injungere & mandare quippiam*. Sentit enim de munere Apostolico, quod non ipse sibi vendicarit, sed ab ipso Christo fuerit delegatum. Annotavit hoc Chrysostomus, indicans plus esse *ex delegatione ac jussu Apostolum* quàm *vocatum* dici. Nam ad Romanos scribens dicit κλητὸς *vocatus*. ¶ *Dei Salvatoris nostri*] Hic certè nemo poterit tergiversari quin Pater dictus sit *Salvator*: ut nihil agant qui quod est in Epistola ad Titum, *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*, volunt non aliò quàm ad Filium referri. ¶ *Et Christi Jesu spei nostræ*] Τῆς ἐλπίδος ἡμῶν. Apertius erat, *Jesu Christi, qui est spes nostra*. Nam articulus τῆς habet vim exponentis. Et *salutis autorem* facit Patrem, Filium *spem* appellat. In hunc sensum interpretantur Chrysostomus, Ambrosius & Theophylactus. Cæterùm an quod hic Paulus tribuit Christo, nos rectè tribuamus Virgini matri aut aliis Divis, aliis excutiendum relinquo.

2. *Dilecto filio*] Γνησίῳ τέκνῳ, *germano filio*. Et itâ legit Ambrosius, atque adeò Chrysostomus, aut quisquis fuit ejus operis autor: licèt Interpres ubique insulserit suum *charissimus*, quemadmodum interpres Theophylacti legit *dilecto*. Cùm enim tot verbis agit de similitudine filii patrem referentis, satis declarat se γνήσιον legisse non ἀγαπητόν. *Germanum* vocat verum & ingenuum, non adulterinum, quòd per omnia responderet spirituali patri Paulo: id quod est filiorum, referre parentem, & non degenerare. Sed de hac voce alias dictum est. *Filius* autem vel ætatis vel charitatis est nomen. Nam cùm Paulus omnes Christianos *fratres* appellet, quî convenit alioquin ut Episcopum appellet *filium*, nisi sentiret de ætate? ¶ *Gratia & misericordia*] Græci non addunt conjunctiones hoc loco, sed *gratia*, *misericordia*, *pax*: & ad eum sanè modum legit Ambrosius. Annotavit hoc Chrysostomus, quòd ad unum hunc scribens meminerit *misericordiæ*, cùm in cæteris mentionem faciat pacis & gratiæ. Annotavit idem Origenes in Epistolam ad Romanos. ¶ *Christo Jesu Domino nostro*] Græcanici codices iterant *Domini* cognomen, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, *à Domino Jesu Christo*, *qui est Dominus noster:* quasi aliter sit Dominus omnium, aliter fidelium, quos peculiariter possidet. Quanquam dissentit & Ambrosius & Vulgata editio. Theophylactus contrà nobiscum facit. Nos Græcam lectionem non mutavimus, sed itâ ut liberum sit lectori utram volet sequi. Nam videtur haudquaquam otiosa hæc iteratio. Magnum enim solatium est Christianis habere peculiariter talem Dominum cui curæ sunt. Annotavit hoc, licèt obscurè, Chrysostomus ac Theophylactus.

3. *Sicut rogavi te*] Παρεκάλεσά σε. Quanquam Græca vox anceps est, tamen hîc magis quadrabat *hortatus sum*, ut Vallæ placet: tametsi Paulus eo verbo nonnunquam usus est erga plebeios. Imò nominatim annotavit hoc Chrysostomus, & hunc sequi gaudens Theophylactus, quod tantus Apostolus verbo tam humili tamque blando usus est erga discipulum. Porrò quod Stapulensis admonet, καθὼς potiùs vertendum fuisse *sic* quàm *sicut*, quid sibi velit prorsus non intelligo: Neque enim opinor καθὼς accipi posse pro οὕτως. ¶ *Ut remaneres Ephesi*] Oratio plenior est Græcè quàm Latinè, propterea quòd προσμεῖναι potest esse vel infinitivi modi vel imperativi, quantum ad sensum attinet: *Sicut te rogavi manere, maneto*. Atque itâ legisse videtur Ambrosius, qui legit *ut denunciares:* quod non quadraret nisi accederet *maneto* aut simile verbum. Porrò quod nos adjecimus *itâ facito*, non deprecabor admissum sacrilegium, nisi idem frequenter facit Interpres, & nisi hoc frequenter fieri cogit necessitas. Neque sensi προσμεῖναι sumendum imperandi modo priore sermone, sed in posteriore quæ subauditur; neque tamen necesse est eandem omnino vocem subaudiri. Hæc non adderem gravaturus lectorem, nisi quidam libris editis non minùs indoctè quàm virulentè locum hunc exagitassent. ¶ *Nè aliter docerent*] Μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, i. e. *nè diversa docerent*, aut potiùs *nè diversis uterentur doctoribus*, verbo composito ab ἕτερος *alius* & διδάσκαλος *doctor*, ἑτεροδιδασκαλεῖν, quod est *nunc his nunc illis uti doctoribus*. Quanquam Chrysostomus & hunc secutus Theo-

Theophylactus ἑτεροδιδασκαλεῖν interpretantur *diversam inducere doctrinam*; ut ad Pseudapostolos pertineat. Nos ambigue vertimus, *nè diversam sequantur doctrinam*, quod commune est & docentibus & discentibus diversa. Usus est eodem verbo hujus Epist. c. 6. Consentit cum interp. veterum Ambrosius.

4. *Interminatis*] Ἀπεράντοις, i. e. *quæ finem non habent*, cujusmodi nonullæ sunt vulgarium Theologorum quæstiones, opiniones ac difficultates. Nam quò plus est ejusmodi quæstiunculارum, hoc plus etiam subscatet è casibus nunquam finiendis, quorum etiam si millies mille millia produxeris, plura tamen supererunt. In quibus ut absit impietas, tamen ipsa difficultas quæstionum avocat ab iis quæ propiùs ad rem pertinent. Chrysostomus putat hunc locum non esse accipiendum de historia V. Testamenti. Sed Ambrosius palàm de ea videtur interpretari, cùm ait, *Nè oblectarentur fabulis quas narrare consueti sunt Judæi de generatione suarum originum, de Abraham & Isaac & cæteris Patriarchis, & de Circumcisione, & de iis quæ postea tradita sunt à Mose*, cæteraque quæ sequuntur in hanc sententiam. Ac mihi sanè nè hi quidem ad veram Christianamque pietatem magnopere videntur facere qui de Christi genealogia tam anxiè tamque penè dixerim Judaïcè disputant. Atque in totum ex V. T. libris pro rei commoditate delibari quædam magis probarim quàm illorum autoritatem æquari majestati Euangelicæ, imò penè anteferri. Quid enim nunc aliud legitur in templis? Quin etiam illos libros Judæorum recipimus in Canonem nostrum quos illi in suum recipere noluerunt, Christiani propensiores in Judæorum libros quàm ipsi in suos: qui tamen sua sic amant ut nulla gens insanius. Porrò quod hic vertit *interminatis*, Ambrosius vertit *infinitis*.

6. *Aberrantes*] Ἀστοχήσαντες, i. e. *Cùm aberrassent*. Et est vox propria his qui *abberrant à scopo*. Id subindicat & Chrysostomus. ¶ *Conversi sunt*] Ἐξετράπησαν. Ego malim *deflexerunt*. Et magis explicat Græcam vocem, veluti cùm *aberrans à scopo alio se deflectit*. ¶ *In vaniloquium*] Εἰς ματαιολογίαν. Quantum ad pronunciationem attinet, *matæologia* non multum abest à *theologia*, cùm res inter se plurimùm discrepent. Proinde nobis quoque cavendum est nè sic sectemur Theologiam ut in matæologiam incidamus, de frivolis nugis sine fine digladiantes. Ea potiùs tractemus quæ nos transforment in Christum, & cœlo dignos reddant. Quorsum enim attinet decertare quot modis accipiatur *peccatum*; Privatio duntaxat sit, an Macula inhærens animæ? Hoc potiùs agat Theologus, ut omnes horreant oderintque peccatum. Totis seculis disputamus, An gratia quâ Deus nos diligit ac trahit, & quâ nos illum vicissim diligimus, eadem sit gratia; &, An sit aliquid creatum an increatum. Illud potiùs agamus, puris precibus, innocentiâ vitæ, piis factis, ut eo munere nos dignetur Deus. Digladiamur sine fine, Quid distinguat Patrem à Filio, & utrumque à Spiritu S. res an relatio; &, Qui consistat, tres dici, quorum nullus sit qui alius, cùm sint una essentia. Quantò magis ad rem pertinet hoc modis omnibus agere, ut Ternionem illum, cujus majestatem scrutari fas non est, piè sanctèque colamus & adoremus, illiusque concordiam ineffabilem nostrâ concordiâ quoad licet exprimamus, quò contingat aliquando & in illius ascisci consortium. Disputamus, qui fieri possit ut ignis quo cruciabuntur impiorum animæ, cùm sit materialis, agat in rem incorpoream. Quantò magis referebat, huc totis viribus eniti, nè quid in nobis reperiat ignis ille, qualis qualis est, quod exurat. Atque hæc, si vel animi laxandi gratiâ vel citra contentionem agitarentur, ferri poterant: Nunc quibusdam tota ætas in hujusmodi quæstionibus consumitur, & res usque ad clamorem, usque ad vera dissidia, usque ad convitia, nonnunquam usque ad pugnos procedit. Quot quæstionum examina suscitamus circa Baptismum, circa Synaxim, circa Pœnitentiæ Sacramentum, quorum nonnulla sunt ejusmodi ut nec scire magnopere referat, & ut asseverari possunt, ità nec refelli, nec probari? Illud magis ad rem pertinebat, in hoc incumbere, ad hoc nos invicem adhortari, ut vitâ Christo dignâ Baptismi Sacramento respondeamus, ut ad Sacras illas epulas frequenter ac purè accedamus, ut non multum sit in vita quod Pœnitentiæ cauterio sit exurendum. Quid autem nunc loquar de quæstiunculis non solùm supervacaneis, sed penè dixerim impiis, quas movemus de potestate Dei, de potestate Romani Pontificis? An Deus possit quodvis malum, etiam odium sui, præcipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui. An possit actu infinitum secundùm omnem dimensionem producere. An potuerit hunc mundum etiam ab æterno meliorem facere quàm fecit. An possit producere hominem qui peccare nullo modo queat. An revelare possit alicui suum futurum peccatum aut damnationem. Num possit aliqua distinctè intelligere si ad illa non habeat distinctas relationes rationis. An possit respectum producere sine fundamento & termino. An possit naturam universalem producere & conservare sine singularibus. An possit aliquo prædicamento contineri. An potestatem creandi possit communicare creaturæ. An possit ex facto facere infectum; ac per hoc ex meretrice facere virginem. An quælibet Persona Divina possit quamlibet naturam assumere, quo modo Verbum humanam assumpsit. An tres Personæ possint simul eandem naturam assumere. An unum suppositum creatum possit alteram naturam creatam assumere. An hæc propositio. *Deus est scarabeus*, aut *cucurbita*, tam possibilis sit quàm hæc, *Deus est homo*, An Deus assumpserit individuum humanum an speciem. An potiùs conveniat Deo *Non posse facere impossibile* an *Impossibile non posse fieri à Deo*. Utrùm prius conveniat Deo *posse producere* an creaturæ *posse produci*. An in mente Divina sint omnium rerum ideæ, & illæ practicæne sint an speculativæ. An doctrinæ Aristotelicæ & naturali rationi sit consentaneum, denique an ipsa res cogat fateri, aliquem esse respectum ab omnibus rebus absolutè distinctum. An Deus aliquo ab ipso distincto sit unus. An Personæ Divinæ vero numero dicantur tres. An numerus Personarum in Divinis pertineat ad Substantiam an Relationem; &, An ad primam intentionem an secundam: An per relationes & distinguantur & constituantur. An Pater producat Filium & Spiritum sanctum, ratione intellectûs an voluntatis; item, An ratione essentiæ an attributi, naturaliter an libere. An essentia in Patre sit principium generativum Filii, & an sit terminus paternæ generationis. An Deus generet Deum. An Pater priùs origine producat Spiritum S. quàm Filius. An in Deo sit intellectus agens & possibilis. An Spiritus S. procedens à Patre & Filio, ab uno principio proficiscatur an à duobus. An hæc propositio sit possibilis, *Pater Deus odit Filium Deum*. An anima Christi potuerit falli, an fallere, an mentiri. Jam verò de Romani Pontificis potestate penè negotiosiùs. disputatur quàm de potestate Dei, dum quærimus de duplici illius potestate, & An possit abrogare quod scriptis Apostolicis decretum est. An possit aliquid statuere quod pugnet cum doctrina Euangelica. An possit novum articulum condere in fidei Symbolo. Utrùm majorem habeat potestatem quàm Petrus, an parem. An possit præcipere Angelis. An posit universum Purgatorium, quod vocant, tollere. Utrùm simplex homo sit, an quasi Deus, an participet utramque naturam cum Christo. An clementior sit quàm fuerit Christus, cùm is non legatur quenquam à Purgatoriis pœnis revocasse. An solus omnium non posit errare. Sexcenta id genus disputantur magnis editis voluminibus, idque à magnis Theologis, præsertim professione religionis insignibus. Atque hæc fiunt non sine manifesta suspicione adulationis, nec sine injuria Christi, ad quem collati Principes quantumvis magni quid aliud sunt quàm vermiculi? An putant hæc placere Leoni nostro, germano veroque Christi Vicario, qui tanquam verus Pastor nihil habet antiquius salute gregis Christiani, ut verus Christi Vicarius nihil habet charius gloriâ Principis sui Christi? Et tamen hujusmodi quæstiunculis seriò occupantur quorundam Theologorum Scholæ. His ætas rerum omnium fugacissima conteritur, cùm pleraque sint ejus generis ut doctiùs nesciantur quàm sciantur, ut ridiculè quærantur, temere definiantur. Breve tempus est, & arduum est negotium verè Christianum. Quin igitur omissis rebus supervacaneis, ea potissimùm spectamus quæ Christus nos scire voluit, quæ prodiderunt Apostoli, quæ propriè ad charitatem faciunt, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, quam unam Paulus appellat *finem & perfectionem totius Legis*? Tot jam annis cavillamur in Scholis quibus verbis sit loquendum de Christo; An hæc propositio sit vera; *Christus fuit ab æterno*; An rectè dicatur *compositus ex utraque natura*, an *conflare*, an *conflatus*, an *commixtus*, an *conglutinatus*, an *coagmentatus*, an *ferruminatus*, an *copulatus*, Nihil horum placet: tantùm placet *Unitus*, novum verbum, cùm nihil minùs significet quàm hoc cui significando repertum est. Porrò si quæreretur an piè dicamus *naturam humanam unitam Divinæ*, fatentur piè dici: rursus, an piè dicatur *Divina unita humanæ*, ambigunt. Si hæc essent colloquia pomeridiana Christianorum, probarem hujusmodi sermonibus excludi fabulas ineptas. Nunc hæc videntur fidei nostræ præsidia. Quærimus ea quæ nec scire possumus nec scire jubemur: Illa negligimus quæ sola fuerant meditanda. Sunt autem quædam hoc ipso perniciosa quòd obscuritate suâ remorantur ac fatigant ingenium melioribus alioqui rebus occupandum. Talem opinor fuisse Philosophiam Pythagoræ. Et hoc nomine taxantur & ab Ethnicis Heracliti libri, in quibus Socrates jocabatur, *Opus est natatore Delio*. Certè hoc nomine Chrysostomus damnat Philosophiam Platonis, quod numeris & ænigmatibus sit involuta, non aliter perniciosa quàm foret tabula quæpiam elegans quæ fugientem è prælio remoraretur. Atqui talia ferme

sunt quæ traduntur ab his qui se jactant scientiâ *subtilis Theologiæ*; qui etiamsi vera prædicarent, tamen ea explicant verbis non modò sordidis sed adeò obscuris & involutis ut tanti non sit sic discere. Quod genus sunt cùm disputant de *quatuor instantibus naturæ*. Item cùm disserunt quòd *Persona non dicit relationem originis, nec communem, sed duplicem negationem communicabilitatis, in genere, non extra genus*, & *connotat aliquid positivum*, & *est nomen primæ intentionis, non secundæ*. Item cùm ajunt *Personas in Divinis esse in se invicem per circumincessionem. Circumincessionem* verò vocem novam novè definiunt; *Circumincessio*, inquiunt, *est subsistentis in subsistente realiter distincto mutua per præsentialitatis assistentia in eadem essentia*. Rursus cùm definiunt, *Unio personalis*, sive *hypostatica*, *est relatio disquiparantiæ realis quidem in uno extremo, cui in altero nulla realis ratio respondet*. Item, *Unio Verbi in Christo est relatio extrinsecus adveniens, terminata ad Verbum & fundata in assumpta humanitate: & est ista relatio non dependentis ad causam effectivam, sed sustentificati ad sustentificans*. Hujusmodi tricarum apud istos plena sunt omnia. Et in hac Theologia tam non simplici vitam omnem consumunt qui simplicem & Apostolicam profitentur. Et qui ipso etiam cognomine summam modestiam profitentur, hujusmodi Philosophiæ professione tollunt cristas. Qui congruit Apostolicæ vitæ professio cum Ethnicæ Philosophiæ tanto tamque curioso studio? Os consecratum est Euangelio, & nihil crepat nisi Averroem & Aristotelem. Horretur pecuniæ contactus, & in blasphemi Philosophi libris tota ducitur ætas. Veteres qui in paganismo aut per ætatis inscitiam talia didicerant, ex his quædam decerpebant ad eruditionem Christianam. Nunc qui Christi simplicitatem profitentur & aluntur prædicando Euangelio, talia coguntur perdiscere. Novi quendam Theologum qui negabat annos novem sufficere ad intelligenda quæ Scotus scripsit tantùm in Præfatione Petri Lombardi. Audivi rursus alium qui prædicabat fieri non posse ut quis intelligeret unam propositionem in toto Scoto nisi Metaphysicam ipsius universam teneret memoriâ. Hujusmodi labyrinthis Basilides, Valentinus & Marcion captabant animos simplicium. Denique fingamus hæc esse frugifera, quanta hic occurrit opinionum pugna? Fingamus rursus omnia convenire, quàm multa frustrà quæruntur? quam multa temere definiuntur? Et prætexunt has argutias ad revincendos ethnicos & hæreticos esse necessarias, cùm illa nusquam sint usui nisi inter ejusdem Scholæ sodales. Non hæc eò spectant ut suadeam esse damnandam Dialecticam ac Philosophiam, quæ traduntur in Scholis: immodicum in frivolis studium improbo. Neque minùs peccant qui nobis objiciunt fumos Cabalisticos & Talmudicos. Simile est illorum studium qui Philosophiam omnem revocarunt ad Numeros. *Tempus in collecto est*, inquit Paulus, & ingens agitur negotium: cur placent ista dispendia? Tradantur optima, idque quantum licet compendio; resecentur supervacanea. Quod utinam facerent & Juceconsulti. Quin illud potiùs agimus, quibus rebus transformemur in Christum. Id fiet, si meditemur pro viribus illius innocentiam, abstinentes ab omni flagitio; si quantum in nobis est, æmulemur illius charitatem, de omnibus bene merentes; si imitemur patientiam, adeò non retaliantes injuriam, ut etiam pro maledictis rependamus benefacta.

8. *Si quis legitimè utatur*] Prosonomasia in Græcis vocibus evidentior, νόμος, νομίμως, *Lex*, & *legitimè*.

9. *Scientes hoc*] Εἰδὼς, *Sciens*. Mutat autem & aliis aliquot locis Paulus subindè numerum. Quanquam referri poterat *sciens* ad verbum χρῆται *utatur*. Certè Ambrosius pro *sciens* legit *Certum habens*, num sing. Suffragabatur exemplar utrumque Constantiense. ¶ *Et non subditis*] Ἀνυποτάκτοις, *qui subdi nolunt, nec ferunt imperium*. Ambrosius vertit *inobsequentibus*. ¶ *Contaminatis*] Βεβήλοις, *profanis & arcendis à sacris*. Porrò contaminati piaculo aliquo à sacris arceri solent. In eundem ferè sensum sonat Græcis ἀνόσιον· nam ὅσιος dicitur ab ἅζομαι, τὸ σέβομαι. Unde ἀνόσιον vocant *qui non veretur nec Deos nec homines*. Et ideo subjecit *profanis*, *qui alieni sunt à sacris*. ¶ *Homicidis*] Ἀνδροφόνοις, i. e. *viricidis*, si quis ad verbum vertat.

10. *Plagiariis*] Ἀνδραποδισταῖς, i. e. *qui aliena mancipia subducunt furto*: quod genus furti *plagium* vocatur apud Jureconsultos, Quemadmodum qui sacra furantur, *sacrilegi*; qui de publico aut Principis fisco, *peculatores*; qui jumenta aliena abducunt, *abigei*; ità qui liberos aut servos alienos, *plagiarii*. Id verò cùm exstet non solùm apud Jureconsultos, verùm in omnibus penè bonis autoribus, quis non admiretur Lyrani, aut si quis alius hoc asscripsit commenti, vel imperitiam, qui hoc ignorarit, vel socordiam, qui non vestigarit, vel impudentiam, qui tam expeditè sit interpretatus, *Plagiarii*, inquit, *sunt assueti plagas & verbera aliis inferre*? Et hunc secutus Carrensis *Plagiarii*, inquit, *qui plagas cujuslibet generis inferunt proximis*. Aquinas, cùm cætera ferme exponat, *plagiarios* prudens dissimulat, satis ipso silentio confitens vocem sibi parùm intellectam fuisse. Græca vox à *mancipio* dicta est: ἀνδράποδον enim *mancipium*, ἀνδραποδιστὴς q. d. *fur mancipiarius*. Illud annotandum, quòd Apostolus exorsus catalogum vitiorum per juga velut ingruente agmine conjunctionem omittit; *injustis & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis*. Hactenus per juga: mox ἀσυνδέτως *homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis*: quibus rursus addit jugum, *mendacibus & perjuris*, ut scires orationis cursum esse finitum.

11. *Quæ est secundùm Euangelium*] Hæc duo verba *quæ est* non invenio in Græcis cod. quanquam rectè sunt addita explicandi causâ. Ambrosius & Interpres Vulg. legisse videntur addito articulo, τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, i. e. *quæ est secundùm Euangelium*. Nec ex Chrysostomi Commentariis nec Ambrosii colligere licet quid legerint. Theophylactus legit sine articulo, sed admonet articulum esse supplendum, τῷ ὄντι κατὰ, quemadmodum Latini. Interpres legisse videtur τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, videlicet addito articulo. Sensus autem anceps est non minùs apud Græcos quàm apud nos: siquidem accipi potest *Euangelium gloriæ beati Dei*, quod prædicet gloriam Dei: aut *Euangelium gloriæ*, i. e. gloriosum; ut respondeat Legi Mosaicæ, quæ gloriam non habet collata ad splendorem Euangelicum; sive quòd promittat æternam gloriam in futuro seculo; sive quòd hoc ipsum esset gloriosum pro Christo pati ob Euangelium, quod Gentibus videbatur esse stultitia: & idcirco addidit μακαρίου, quòd in his malis sit vera felicitas. ¶ *Quod creditum est mihi*] *Creditum* hoc loco *commissum* significet oportet, ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ. *Concreditum* erat apertius. Invitus, ità me Deus amet, dissentio à viris quos animo veneror, sed tamen prima debet esse publicæ utilitatis ratio, præsertim si citra contumeliam sanetur error. Faber pro eo quod Interpres vertit *quod creditum est* transtulit *cui creditus sum ego*, non animadvertens Græci sermonis idioma, sicut annotavimus & in Apologia nostra. Porrò quod adjicit in examinatione, In idem recidere *cui creditus sum ego* & *quod creditum est mihi*, quis non videt longè secùs habere? Nisi fortè nihil interest utrùm dicas, *Commissus est mihi filius tuus*, an, *Commissus sum filio tuo*.

12. *Gratias ago*] Καὶ χάριν ἔχω, i. e. *Gratiam habeo*. ¶ *Qui me confortavit in Christo Jesu*] *In* redundat, nec est apud Chrysostomum, nec apud Ambrosium, nec in vetustis exempl. nominatim in Constantiensi vetustiore, τῷ ἐνδυναμώσαντί με Χριστῷ, *qui me potentem reddidit Christo*: ut *Christo* sit dativus, & intelligas Paulum in Christi gloriam fortem ac potentem fuisse, non suam. Potest & hic esse sensus, *Habeo gratiam Jesu Christo, cujus præsidio potens sum*.

13. *Qui priùs fui*] Τὸν πρότερον ὄντα, Licet & sic, *cùm priùs essem*, vel *cùm priùs fuerim*. ¶ *Et contumeliosus*] Ὑβριστὴν, quod magis significat *eum qui vim facit*, h. e. *oppressorem*, seu *violentum*. Nec enim hic ad *libidinem* referendum est. Siquidem apparet Paulum gradibus quibusdam exaggerare suum peccatum. Si tamen hoc dicendum est *peccatum* quod pio studio facias per errorem. Primus gradus est *maledicere*; secundus, *insectari*; tertius, *admovere vim*. Nam potest insectatio citra violentiam consistere. ¶ *Sed misericordiam*] Ἀλλὰ καὶ, *sed &*, q. d. *Non solùm veniam consecutus sum, cùm talis fuerim, sed & misericordiam, ut fierem Apostolus*. Nam & aliàs sese extenuans, autoritatem sibi traditam *Dei misericordiam* vocat, velut 1 Cor. 7. *Consilium autem do tanquam misericordiam consecutus*. Quanquam autem ab hac autoritate nostra non abhorret interpretatio Ambrosiana, tamen non potest liquidò colligi, vel apud hunc vel apud Chrysostomum additam fuisse conjunctionem καὶ. Certè apud Theophylactum καὶ non additur. ἐν ἀπιστίᾳ, i. e. *nondum credens*, ut vertit Ambrosius, sive *per incredulitatem*.

15. *Fidelis sermo*] Hàc ceu præfatiunculâ solet uti Paulus rem certam & indubitatam dicturus; ut *fidus* ad Rem quoque referatur, pro *indubitatio*. Hieronymus in Epist. ad Marcellam testatur à quibusdam legi. *Humanus sermo*, secutus, opinor, Græcos aliquos codices, qui pro πιστὸς habuerint χρηστός. Et *acceptione* Græcis est ἀποδοχῆς, quod & *approbationem* sonat. Non rejicitur enim quod approbatur. ¶ *In hunc mundum*] *Hunc* redundat.

16. *In me primo*] Ἐν ἐμοὶ πρώτῳ. *Primo* hic nomen est, non adverbium. ¶ *Omnem patientiam*] Μακροθυμίαν, i. e. *longanimitatem*, si quis ad verbum reddat. Ambrosius pro hoc uno verbo duo posuit, *magnanimitatem & patientiam*. Est autem ejusdem *magni* esse *animi* & *lenis moderatique*. Nam vindicta pusilli est animi. Addidit *omnem*, exaggerans suum peccatum:

tum: unde & se *primum* vocavit, non tempore, sed magnitudine. ¶ *Ad informationem eorum*] Πρὸς ὑποτύπωσιν. Quod Ambrosius vertit *ad exemplum*. Est enim ὑποτύπωσις *cùm res expressa subjicitur oculis*. In Paulo igitur Deus velut exemplar proposuit, quid sibi debeant sperare quicunque relictis moribus pristinis crediderunt in Christum. ¶ *In vitam æternam*] Mirum nec ab Ambrosio attingi nec à Chrysostomo nec à Theophylacto duntaxat in Commentario, cùm tamen apud omnes referatur in contextu. Videtur autem additum velut ab apprecante *ut hoc cedat illis ad vitam æternam*.

17. *Immortali, invisibili*] Ἀφθάρτῳ, i.e. *qui corrumpi non potest*: quod rectè vertit *immortali*, præsertim cùm de vivo loquatur. Et nos Rom. 2. vertimus, ἀφθαρσίας *immortalitatem* pro *incorruptionem*, nè quis acciperet de *libidine*. ¶ *Soli Deo*] Μόνῳ σοφῷ Θεῷ, *soli sapienti Deo*: ut *soli sapienti* conjungas, & *Deo* referatur ad omnia, atque hæc vox *sapienti* interjecta inter *soli* & *Deo* dirimat nè conjunctim accipiantur, atque hinc ansam arripiant qui cum Arianis sentiunt. Et ad eum quidem modum legit Chrysostomus, & hunc secutus Theophylactus, si modò non fallunt codices. Cæterùm nec apud Ambrosium nec apud Hieronymum nec apud ullum præterea scriptorem antiquum reperio. Siquidem Ambrosius enarrat hunc locum hujusmodi verbis, *Hæc ad Dei Patris Personam pertinent, quem Immortalem ideo solum & Invisibilem appellat, quia omnis immortalitas ab ipso est*. Ac mox, *Simili modo & in Euangelio legitur, Domino dicente*, QUIA NEMO EST BONUS NISI UNUS DEUS. *Et iterum ipse dicit*, BONUS HOMO DE BONO THESAURO PROFERT BONA, *nemo tamen nisi unus Deus bonus est, quia ipse fons bonitatis est, ex quo cæteri potantur ut boni sint. Ipse est & invisibilis solus Deus, quia nulli unquam visus est. Omnia enim agit per Filium, quem idcirco visum dicimus, ut licèt aliter quàm est apparuisset, tamen illum significemus. Honorificentiam ergò & gloriam Deo Patri in veritate pronunciat, cujus pietate & providentiâ Christus liberavit peccatores ex morte.* Hactenus Ambrosiana recensuimus. Ex quibus satis opinor liquere, *sapienti* in hujus exemplaribus additum non fuisse. Adducit hujus loci testimonium Augustinus Adv. Adimantum, nec addidit *sapienti*. Rursus enarrans Psalmum 67. Iterum Psalmum 109. Quanquam nec ex interpretatione Chrysostomi satis liquet ab ipso additum *sapienti*. Cùm enim sic argumentatur, *Ecce* SOLI DEO *dixit: num igitur Filius Deus non est*? & SOLI IMMORTALI: *non igitur & Filius immortalis est*? probabilius sit illum non legisse *soli sapienti*, sed *soli Deo*. Quanquam in calce Epist. ad Romanos additur *sapienti*; nec id dissimulat Ambrosiana interpretatio. Et Theophylactus addit hoc loco, atque etiam interpretatur, *Solum Patrem propriè dici Sapientem, quòd fons est sapientiæ*. Sed nihil est quòd in his anxiè torqueamur, Arianorum hæresi sic radicitus emortuâ ut nè vestigium quidem ullum supersit. Nam sive nomen *soli* referas non ad *Deum* sed ad epitheta *immortali, invisibili*, non deerit quod calumnietur impius lector. *Ut solus*, inquiet, *Pater sit invisibilis, certè non solus immortalis*: sive conjunctim ad *Deum*, aut etiam disjunctim, magis arripiet ansam calumniandi. Cæterùm nobis quod *solum* addidit, non excludit Filium aut Spiritum S. à consortio Patris, sed à consortio falsorum Deorum, qui opinione falsissimâ hominum Dii erant. Aut juxta D. Ambrosium ideo Patrem *solum* vocat *immortalem* quòd hic fons sit omnis immortalitatis. Ad hanc rationem & Filius immortalitatem habet à Patre, à quo habet ut sit Deus. Nec impiè sensurus sit, opinor, qui Patrem ità dicat *solum* esse *Deum*, ut intelligat *solum* esse *principium totius Deitatis*, quemadmodum loquitur Augustinus libro De Trin. 4. Quòd si juxta Ambrosium Pater rectè dicitur *immortalis solus* quòd solus sit fons immortalitatis omnibus; *solus sapiens*, quòd sit fons omnis sapientiæ, Divinæ & humanæ; cur non aliquâ ratione *solus* dici possit *Deus*, unde Filius habet ut Deus sit, unde Spiritus sanctus, unde ipse? Verùm ità fit in rebus humanis; ubi semel studiorum pugna incaluit, non hoc agit quisque quod ad concordiam faciat, sed quod ad victoriam. Chrysostomus & Theophylactus in hoc laborant ut hæc omnia sint Filio communia cum Patre. Verùm id rarum est in literis Apostolicis, Christo aut Spiritui S. tribuere vocabulum Dei, sive ad vitandum offendiculum quorundam, sive quòd id suo tempori reservarent. Neque enim statim ab Apostolis Christus prædicatus est *Deus* aut *Filius Dei*. Petrus enim *virum* appellat in Actis *approbatum à Deo*. Et Paulus aut Athenienses *virum* vocat *in quo statuerat Deus*, &c. Imò nè in Symbolo quidem quod vulgus *Apostolorum* vocat, nominatim *Dei* cognomen apponitur Filio aut Spiritui S. Et Matth. 10. Christus ipse mittens primùm suos ad prædicandum, nihil aliud mandat quàm ut prædicarent *Pœnitentiam: in propinquo enim esse Regnum cœlorum*. Rursum capite 16. jam cùm erant illum professi esse *Christum*, vetat *nè cui dicerent quòd ipse esset Christus*. Quo quidem in loco admonet Origenes quod nos modò diximus. Idem admonet Chrysostomus. Non enim quidvis quovis tempore aut apud quosvis dicendum est.

18. *Secundùm præcedentes in te Prophetias*] Κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σὲ προφητείας, *juxta præcedentes super te* (sive *ad te*) *Prophetias*. Atque id quidem Græcanica Scholia referunt ad id quod sequitur, *ut milites bonam militiam*. Verùm potest referri & ad id quod præcedit, *Hoc præceptum tibi commendo*: h.e. *Sicuti spiritu Prophetiæ admonitus feci te Episcopum, ità juxta eandem Prophetiam nunc præcipio ut milites secundùm eandem Prophetiam, & illi respondeas*. In hanc ferme sententiam Chrysostomus: neque dissentit Ambrosius. ¶ *In illis*] Subaudiendum *Prophetiis*: nec aliud apud Græcos subaudiri potest: h.e. *milites secundùm eas, & illis respondeas*. Quod ridiculè Hugo quidam à Charo exponit de Prophetis exponendis. Sed quorsum attinet in his unum aut alterum notare locum, cùm facilius sit in hoc autorum genere inveniri errata quàm effugere. Et tamen sunt qui indignè ferant quicquam in horum scriptis reprehendi: In Carrensi, quòd Cardinalis sit, seu potiùs quod Prædicatoriæ gentis: In Lyrano, non ob aliud nisi quòd Minorita fuerit. Tantum isti tribui volunt titulis suis ac cukibus, cùm æquis animis ferant nos dissentire à Cypriano, ab Hieronymo aut Cyrillo.

19. *Quam quidam repellentes*] Præt. temporis est, ἀπωσάμενοι, i.e. *quâ repulsâ quidam*, i.e. contemptâ conscientiâ. ¶ *Circa fidem naufragaverunt*] Ἐναυάγησαν, *naufragium fecerunt*. Quis enim unquam dixit *naufragare*?

20. *Ex quibus est*] Ὧν ἐστιν, i.e. *Quorum de numero est*.

VATABLUS.

1. IMperium] *Delegationem, injunctionem*: i.e. mandato Dei, &c. ¶ *Christi Jesu*] *Domini Jesu Christi*. ¶ *Spei nostræ*] Vel, *quæ est spes nostra*.

2. *Dilecto*] *Germano, vero*. ¶ *In fide*] *Per fidem*: sub. *in Christum, quam me Euangelizare didicis*. ¶ *Et Christo Jesu Domino nostro*] *Nostro, & Domino Jesu Christo*.

3. *Denuntiares quibusdam nè aliter docerent, neque intenderent*] *Denunties quibusdam nè diversa* [sub. *à nobis*] *doceant, nec intendant*.

4. *Interminatis*] *Quæ finem non habent*. ¶ *Ædificationem Dei*] i.e. Doctrinam Divinam. ¶ *In fide*] *De fide*. Sub. *ità facito*.

5. *Præcepti*] i.e. Denuntiationis, prædicationis Euangelicæ est, ut Deum diligamus & proximum: non autem ut doceantur quæ lites gignunt. In fine capitis dicit; *Hoc præceptum commendo*, &c.

6. *Aberrantes, conversi sunt in vaniloquium*] *Cùm aberrassent, deflexerunt ad vaniloquium*: i.e. vanam doctrinam.

8. *Legitimè utatur*] i.e. Probè eam observet.

9. *Scientes*] *Sciens*. ¶ *Non subditis*] *Inobsequentibus: qui nolunt subdi*, sub. *cultui Dei*. *Sceleratis & contaminatis*] *Irreverentibus & prophanis*: i.e. à religione alienis & profana sectantibus.

11. *Gloria beati Dei*] Heb. *quo beatificatur Deus glorificatur*. ¶ *Creditum*] *Commissum*.

12. *Gratias ago*] *Et gratiam habeo*. ¶ *Confortavit*] *Potentem reddidit*: i.e. vires animo meo suppeditavit, ut Christum potenter annuntiarem. ¶ *Quia*] Sub. *gratiam, inquam, habeo quod*. ¶ *Ponens*] *Ponendo*: vel, *ut poneret*.

13. *Contumeliosus*] *Violentus*. *Sed* *] * *Et*. ¶ *Feci in incredulitate*] *Fecerim per incredulitatem*.

14. *Superabundavit autem*] *Exuberavit autem supra modum*: i.e. Donavit mihi affatim Deus gratiam suam, dilectionem erga sanctos, & fidem in Christum.

15. *Fidelis*] *Certus, indubitatus, fide dignus*. ¶ *Sermo*] Sub. *qui sequitur*. ¶ *Jesus Christus*] Antecedens pro relativo, *ipse*, more Heb.

16. *Primo*] Nomen est, non adverbium. ¶ *Patientiam*] *Clementiam, longanimitatem*. ¶ *Informationem eorum*] *Exprimendum exemplar iis qui*, &c. i.e. ut in me manifestissimè cernerent homines, quod qui in ipsum crediderint, consequentur vitam æternam.

17. *Soli* *] * *Sapienti*.

18. *Secundùm præcedentes in te prophetias, ut militares in illis bonam militiam*] i.e. Ut in prophetandi, h.e. docendi, munere, quod antea accepisti à Deo, te fortiter & strenuè militis instar geras, retinens, &c.

19. *Circa fidem naufragaverunt*] i.e. Fidei suæ naufragium fecerunt, vel, jacturam.

20. *Tradidi Satanæ*] i.e. Quos ejeci ab Ecclesia, & censui

magis

magis dignos esse Ecclesiâ Satanæ quàm Christi, si non resipiscant.

CASTALIO.

2. **I***N fide*] Religione Christiana.

4. *Antiquitates infinitas*] Γενεὰ, ut דור, non solùm *genus* sed etiam *seculum* est. Indè *γενεαλογία* Paulo, quæ à Josepho & aliis *ἀρχαιολογία* vocatur. Plinius in Præfatione sua *antiquitatem* dicit.

9. *Justis non esse latam legem*] Nam suâ sponte rectè faciunt. Quod si lex lata non esset, nihilominus rectè viverent.

10. *Mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ contrarium est*] Hic animadverte, Lector, quid sit *sana doctrina*. Ea est videlicet quæ animi morbos, h. e. vitia, sanat: ut si quem videas ex mendaci veracem, ex contumaci obedientem, ex libidinoso castum esse redditum, non debeas dubitare quin quæ doctrina eos morbos sanaverit, ea *sana* sit. Nam *insana* sanare animos non posset, non magis quàm insana medicina corpus. Rursum quæ doctrina animos eorum à quibus admittitur non sanat, sed aut tales relinquit quales invenit, aut etiam superbiores reddit & dissolutiores, ea quin *insana* sit nemo sanus negabit.

CLARIUS.

4. **N***Eque intenderent fabulis*] *Fabulas* hîc intelligit figmenta Pseudapostolorum, & falsa dogmata. Nam de Poëtarum fabulis nihil erat necesse admonere, quas & pueri agnoscunt res esse ridendas. ¶ *Et genealogiis fine carentibus*] Hoc peculiare erat Judæorum vitium, qui sibi placebant in illa majorum suorum enumeratione, quos dum nimis superstitiosè recenserent, inutiles quæstiones excitabant, fortasse ejus generis quas & nostri commovent interdum in genealogia Servatoris.

5. *Finis autem præcepti*] Hæc si consideraremus, qui videlicet Euangelici sit *finis præcepti*, essemus in factis scriptisque nostris circumspectiores.

7. *Volentes esse Legis doctores*] Isti, inquit, non solùm ob mutuum odium operam dant his vaniloquiis, verùm etiam ob primatûs appetitionem, qui cùm Legem nesciant, & qui sit ejus finis, tamen *Legis doctores* esse se profitentur, interim *ignorantes quæ loquuntur, & de quibus disputant*.

8. *Siquis eâ legitimè utatur*] Cùm rebus omnibus legitimè uti quisque debeat, tum Legi in primis id convenit ut *legitimè eâ utamur*, h. e. ut mentem Legis intueamur, & videamus quem ad finem sit instituta. Quis ergò *legitimè utitur Lege?* Qui per Legem ad fidem ducitur Christi, & qui intelligit naturam Legis esse hanc, ut non *justis* imperet quicquam, cui præcepto aut stimulo Legis non egent ad rectè facta, sed *impiis* ac *sceleratis*, ut metu saltem frænentur. Qui verò etiam justificandi vim Legi tribuere volunt, ii nullo modo *legitimè utuntur*. Quocirca in gratiarum actionem convertitur, & plurimam se habere Christo gratiam fatetur, qui tanto illum dignatus sit munere, ut hanc veritatem agnosceret, ac tam præclari negotii minister fieret; libenterque in hac contemplatione spatiatur.

10. *Plagiariis*] Ἀνδραποδισταῖς. Vox est à *mancipio* formata: nam Græci *ἀνδράποδον mancipium* vocant. Fur igitur mancipiarius, qui aliena mancipia subducit, à Latinis *plagiarius* appellatur: & hoc genus furti apud Jureconsultos *plagium* vocatur.

14. *Cum fide & dilectione quæ est in CHRISTO JESU*] Non solùm, inquit, me dignum pœnâ impunitum reliquit, verùm etiam justificavit. Quæ justificatio fit *per fidem & dilectionem*, idque *per Jesum Christum*, cujus munere hoc pacto *superabundavit* in me *ejus gratia*.

15. *Fidelis sermo*] *Dignus cui fides habeatur*. Sic & *fidelis* Deus dicitur, & *verax*, ut cui credere meritò possimus. ¶ *Quorum primus ego sum*] Cùm hæc in primis gloria sit Christi, quòd *venerit ut servaret peccatores*, ego, inquit, me tanquam signiferum peccatorum profiteor, qui nullam mihi ex justitia Legis, quamvis in ea inculpatè versatus sum, gloriam vendico, sed omnem salutem meam Christo acceptam refero.

16. *Ut in me primo ostenderet*] Ingentem viri humilitatem! *Ob hanc*, inquit, *causam consecutus sum misericordiam*, non quòd hâc dignus essem, sed ut hoc exemplo reliqui peccatores discerent Nunquam cujusquam desperandam esse salutem, cùm erga me *persecutorem* & *blasphemum* Christus tantâ lenitate ac patientiâ usus sit.

17. *Soli sapienti Deo*] Quòd illud *soli* non excludat Filium alibi est demonstratum. Quòd hic verò Sapientiæ meminerit Dei, ut *solum Sapientem* eum vocet, opinor ob id factum quòd venerat in cogitationem hujus per Christi Incarnationem dispensationis, in qua præter immensam Benignitatem summa etiam Sapientia Dei declarata est.

18. *Hoc præceptum commendo tibi*] Ordo verborum hic est, *Hoc tibi præcipio, ut milites secundùm præcedentes in te Prophetias*, h. e. respondeas donis quæ in te à Spiritu S. collata sunt, inter quæ est & Prophetia. De qua ad Corinthios est dictum. Alii per *Prophetias* intelligunt quòd per Spiritum S. & electus à Paulo sit & Episcopus ordinatus: ut idem sit (quemadmodum ait Chrysostomus) *Prophetia* quod *Spiritus sanctus*. *Nam Prophetia*, inquit, *est non solùm futura dicere, verùm etiam præsentia. Et Prophetia erat cùm dictum fuit*, SEGREGATE MIHI PAULUM ET BARNABAM.

19. *Quam quidam repellentes*] *Bonam* scilicet *conscientiam* rectæ vitæ. Cùm enim quis improbè vixerit etiam *naufragium* demum *fidei facit*: etenim nè futurorum metu torqueatur, conatur sibi ipsi persuadere omnem de Resurrectione & Judicio sermonem meras esse nugas.

20. *Tradidi Satanæ*] Tanquam lictori aut carnifici, qui ejus generis homines, quamvis ipsi scelerum sint pleni, instrumenta sunt tamen corripiendi & castigandi.

ZEGERUS.

3. **S***Icut rogavi te ut remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam*, &c.] Ecliptica est oratio, & necesse habet quod subaudiatur. Ad periodum itaque orationis, nempe post illa verba, *quæ est in fide*, tale quippiam subaudias oportet, *ità & nunc idem rogo ut facias, nimirum illud, ut denuncies quibusdam nè diversâ doceant*, &c. Sunt tamen quibus non displicet καθὼς sumptum pro *sic*, non pro *sicut*, ut non sit operæ pretium quicquam subaudiri; *Sic rogavi te remanere, ut præciperes nè dogmatibus ferantur diversis*. Verùm isthuc affectatius mihi judicatur, magisque probatur quod priùs dixi, maximè cùm constet Eclipsim Paulo non esse infrequentem.

4. *Genealogiis interminatis*] i. e. Sermonibus de generationum deductione nunquam finiendis. Non prohibet tamen nè cujusquam generationis seriem retexamus, sed nè toti in hoc simus, & verbis nunquam finiendis rem exaggeremus; quasi magna salutis & felicitatis portio per varios traduces in nos derivari credenda sit, & non potiùs favore cœlesti & spirituali propagatione atque imitatione diffundi in omnes cujuscunque status aut stirpis filios.

8. *Si quis eâ legitimè utatur*] Ille Lege *utitur legitimè*, ritè & utiliter, qui per Legem deducitur ad Christum; qui quam ob rem, quibus, & in quod sit tempus collata intelligit; qui intellecto aut prædicato Christo deserit illam ex ea parte quæ factorum est; qui potest discernere ea quæ ad tempus data sunt ab iis quæ ad Christi pertinent sacramentum, & perpetua sunt; denique, qui crassam Legis literam ad spiritualem novit Euangelii doctrinam accommodare.

9. *Scientes hoc*] Interpres quò declinaret mutati numeri incommodum, eoque & sensum faceret apertiorem, εἰδὼς singulare per plurale reddidit *scientes*. Potest tamen ipsum εἰδὼς aptè etiam ad præcedens τὸ *quis* referri, ut absque colo medio legatur cum superioribus, *si quis eâ legitimè utatur, sciens hoc, quia justo non est Lex posita*.

10. *Plagiariis*] *Plagiarii* vocantur alienorum mancipiorum fures; item qui homines quos liberos sciunt emunt venduntve; item qui servis persuadent ut à domino dominâve fugiant.

13. *Misericordiam Dei consecutus sum*] Bis ponitur, & utrobique abest *Dei*, apud Ambrosium, apud Græcos, & in aliquot cod. Latinis. Nonnulli tantùm habent *Dei* loco priori; posteriori verò nulli, quod equidem meminerim.

16. *Ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam*] Sive *longanimitatem*, suam videlicet, in sustinendis exspectandisque ad resipiscentiam peccatoribus.

18. *Secundùm præcedentes in te Prophetias*] i. e. Secundùm Spiritus S. de te revelationes: vel, sicuti à Deo de te prædestinatum est dignum te futurum Episcopum.

H. STEPHANUS.

3. **M**Η' ἑτεροδιδασκαλεῖν] *Nè diversam doctrinam doceant*: vel, *diversâ docendi ratione utantur*.

6. Ὧν τινες ἀστοχήσαντες] *A quibus nonnulli postquam aberrarunt*.

14. Ὑπερεπλεόνασε] *Superabundavit*.

15. Πιστὸς

15. Πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος] *Fide & omni approbatione dignus.*

16. Πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν] *Ut tanquam exemplar essem propositum iis qui*, &c.

19. Περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν] *Circa fidem naufragium passi sunt:* vel, *fidei naufragium fecerunt.*

DRUSIUS.

5. F*Inis præcepti, charitas*] Universale magnum primum est, *Diliges DOMINUM Deum tuum*, &c. alterum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Eò omnia præcepta Legis tanquam ad finem referuntur. *Universale*, i.e. כללי, & *universale magnum* הכללי הגדול. Tria prima pertinent ad Dilectionem Dei, reliqua septem ad Dilectionem proximi. Non solùm *finis* est Legis Charitas, sed etiam *principium.* Nam *in agibilibus*, inquit Nicolaus, *finis habet rationem principii.* Vide sis eum Deut. 6. 5.

9. *Impiis & peccatoribus*] Hic inserta copula, quæ nulla est Judæ 1. 15. ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς *peccatores impii.* Sunt enim certè *peccatores* qui non sunt *impii.* Nam *peccator* aliquis dicitur duobus modis: Uno modo ut significet eum qui simpliciter peccat, h.e. à scopo Legis Divinæ quoquo modo aberrat. Alio modo *peccator* dicitur qui peccat ad mortem, vel qui peccandi artem exercet. Hoc sensu se mutuò explicant *improbus* & *peccator.*

11. *Beati Dei*] Id Ebraïcè diceretur Dei beatus ille, אשריו. Sic infrà 6. 15. *quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens*, i.e. Deus. Syrus habet *Dei benedicti.* Alibi nomen μακάριος non facilè invenies dici de Deo: quod juxta Græcam Etymologiam *immortalitatem* significare tradit Euthymius Monachus Zigabenus, ità scribens Psal. 1. 1. Μακάριος, πλεονάζοντος τοῦ μ, ὡς ἀκήρατος. Deus *beatus* potest etiam dici אל מאושר: quanquam hoc propriè sig. *eum qui beatus prædicatur.* Nam אשר *beatum dico* aut *prædico.*

13. *Misericordiam Dei consecutus sum*] Nomen *Dei* adjecit de suo, ad sententiam non malè. Nam in fonte Græco ἠλεήθην, quod Hebræus diceret רחמתי, unde RUCHAMA ἠλεημένη *Misericordiam consecuta*, & LORUCHAMA οὐκ ἠλεημένη *non consecuta misericordiam*, Hos. 2. 1. & 1. 6. Interpres recentior *mei misertus est.* Sic Jes. 55. 7. ירחמהו *miserebitur ejus*, Senes interpretantur ἐλεηθήσεται *misericordiam consequetur.*

15. *Fidelis sermo*] נאמן *fidus, verax, dignus cui credatur*, ἀξιόπιστος. Sic interpretantur LXX. Prov. 27. 6. & 28. 20. Nam *certus*, quod in Magnis annotationibus, id est *clarus, perspicuus, indubitatus.* Ebraïcè נכון, & in Hellenistica ἕτοιμος *firmus, stabilis.* Quod autem sequitur *omni acceptione dignus*, quidam pertinere putant ad etymon Ebrææ vocis לקח. Potest ità esse: nam לקח *accipio*; item *disco.* *Dat* præceptor cùm docet, *accipit* discipulus cùm discit. Hinc illud, *Da sapienti*, i.e. doce illum: &, *ad accipiendam*, i.e. discendum. Sic *Accipe disciplinam meam*, i.e. disce. Hinc potiùs לקחי, meo judicio. Aut est *doctrina quam acceptam à parentibus aut majoribus tradimus aliis.*

17. *Immortali*] An legit ἀθανάτῳ; Scire licet ἄφθαρτος à Cicerone quoque reddi *immortalis.* Alioqui vox Græca propriè sig. *incorruptus* sive *incorruptibilis*, aut *corruptioni non obnoxius.* Quod Syrus dixit דלא מתחבל *qui non corrumpitur.* Lex. Vet. Ἄφθαρτος, *incorruptus.* Sap. 12. 1. τὸ ἄφθαρτόν σου πνεῦμα, *incorruptus tuus Spiritus*, vel *immortalis.*

CASAUBONUS.

4. M*Ύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις*] Polybii locus videtur huc facere pag. 206. [lib. 9. initio, Τὸ μὲν γὰρ φιλήκοον ὁ γενεαλογικὸς τρόπος ἐπισπᾶται· & paulò post, Πολλῶν γὰρ καὶ πολλαχῶς ἐξηριθμημένων τούτε περὶ τὰς γενεαλογίας καὶ μύθους, &c. Locus appositissimus.]

6. Ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν] Sic usurpat hanc vocem Philosophus 1. Ἀκροάσεως, 1. Lucretius,

——— *facere ruinas.*

ABRAHAMI SCULTETI
PRÆFATIO
Suis in D. PAULI Epistolas ad singulares
OBSERVATIONIBUS
PRÆFIXA.

Amplissimis & Prudentissimis Viris,

DOMINIS

COSS. SENATUIQUE

Inclytæ Reipubl.

EMBDANÆ,

Dominis perpetuâ observantiâ colendis,

S.

PHilippus Melanchthon, vir benedictæ memoriæ, ardente in Germania bello Smalcaldico, cùm salutis Academiæ Vitembergicæ collegiis exsul in vicinam Sorabum metropolim Servestam concederet, quod à precibus & curis sacris reliquum habuit tempus, id omne in expoliendis libellis suis Dialecticis & Rhetoricis posuit. Autor Chronologiæ Scriptorum ejus M. Martinus Mylius. Hujus maximi viri exemplo adducti benigniùs de studiis hisce meis judicabunt, si qui fortè mirantur, in afflictissimo hoc Ecclesiæ statu, in his patriæ ruinis, in ipso quasi conspectu feritatis plus quàm barbaricæ,

 qua

quà Germani in Germanos, Christiani in Christianos, consanguinei in consanguineos, viri armati in fœminas inermes, adulti in infantes tam crudeliter, tam immaniter sæviunt, ut deinceps non tam Mahometici acinaces quàm Germanorum efferatorum sicæ nobis sint metuendæ, me nihilominus Observationum Grammaticarum, Historicarum, Logicarum, Theologicarum in Scripturas N. T. meditatione occupari. Verè enim mihi hoc videor esse dicturus, Cum à precibus & gemitibus, à consideratione item providæ Dei curæ omnia, etiam quæ acerba auditu, tristia visu, sensu ingratissima, bono nostro moderantis, discedo, me nulla in re suavius quàm in studiis hujuscemodi acquiescere; præsertim cum hunc exsilii mei fructum etiam ad posteritatem me transmissurum confidam. Omnia fortunæ bona fluxa sunt & evanida, quippe in quæ non solum hujus mundi elementa, aër, ignis, aqua, sed profanissimus & rapacissimus quisque miles quoque imperium sibi vendicat. Bona corporis corpusque adeò ipsum mille morbis, & tandem omnium morborum clausulæ morti, sunt obnoxia. Hæc sola bona, quorum fructum in agro verbi Divini demetimus, delectant domi, delectant foris, tranquillant animum in vita, acuunt eundem ad contemptum mortis. Intelligitis, Viri Amplissimi, quid præter ea quæ Præfatione Observationibus in Divos Matthæum & Marcum præmissa exposui, causæ sit cur ego in hoc tempore Novum Jesu Christi Testamentum per disquisitiones Grammaticas, Logicas, Historicas, Theologicas mihi illustrandum sumam. Hanc autem Observationum partem cur laudatissimo nomini vestro inscribam, rationes si quæritis, non aliunde mihi illæ quàm ab Ecclesiæ vestræ celebritate & ab eximio vestro in me adfectu erunt repetendæ. Centum, & quod excurrit, anni sunt, quando Deus luce Euangelica irradiavit Ecclesiam vestram, facem præferente Georgio Aportano, docuitque cives vestros quantis in superstitionum Papisticarum tenebris eousque consedissent. Ausim affirmare vix aliam urbem fuisse quæ tam subito, tanto civium consensu, tanto spiritùs fervore, oblatam Euangelii gratiam amplexata sit atque Embda vestra. Neque vero momentaneus fuit ille fervor: sed quæ semel vero judicio Divina deprehensa est esse Scrip. sententia, ejus perseverantia constanter retenta est. Quæ proculdubio causa est cur Deus ab eo inde tempore singulari Urbem vestram gratia prosecutus sit, ut ea & plurium aliarum Ecclesiarum mater & multorum Christi exsulum adamatum receptaculum celebraretur. Ut enim Jerosolymis olim in orbem terrarum, ità ex Embda vestra in vicinum Belgium, in vicinam Westphaliam, in Britanniamque ipsam lumen Euangelii fuit diffusum. In Embda vestra hospitium invenerunt qui vel è Germania vel è Belgio vel ex Anglia propter professionem veritatis ejecti & omnibus bonis fuerunt exuti. Embda vestra virum illustrem Joannem à Lasco, Theologum insignem, Albertum Hardenbergium, & (nè singulares homines memorem) post obitum Regis Eduardi, dissipatæ in Anglia Ecclesiæ Belgicæ cives complures uno tempore suscepit, aluit, fovit. Itaque prædico hanc Dei bonitatem, quæ vestram Ecclesiam coronavit, & honoro hâc Inscriptione eos quos ille gratiosæ suæ inhabitationis organa esse voluit; præsertim cùm eximius vester in me affectus tot annos mihi probè sit cognitus & exploratus. Nam ut de clarissimo J.C. Doctore Joanne Althusio, Urbis vestræ meritissimo Syndico, veteri & fido amico meo, nihil nunc dicam, cùm in itinere Anglicano ante decennium Hagæ Comitis aliquamdiu subsisterem, Legati Urbis vestræ gravissimi viri, Consules, & Secretarius Altingus, eam mihi benevolentiam præstitere ut Embdanæ Ecclesiæ filios esse facilè intelligerem. Obiit eodem ferè tempore venerandus Ecclesiæ vestræ Euangelista Menso Altingus. Placuit igitur A A. VV. Anno M. DC. XIV. me ad docendum Euangelium in Urbe vestra honorifice invitare. Nec defuissem forte voluntati vestræ, nisi illo ipso tempore assensu Serenissimi & Clementissimi Principis mei Serenissimo Electori Brandeburgico Joanni Sigismundo felicis recordationis opellam meam ad tempus addixissem. Ab eo tempore quibus non procellis in vasto hujus mundi Oceano jactatus, quàm horribiliter ob actiones præsertim Pragenses (quarum rationem orbi Christiano brevi redditurus sum) probrosis Thesibus, carminibus, libellis diffamatus sum! Tamen, quæ est vestra pietas, mutatâ fortuna mea, vos veterem vestrum in me adfectum non mutastis, sed ut olim Hardenbergio ità & mihi portum monstrastis in quem ex satis longa molestaque navigatione inveherer; imitati in eo celsissimos quosdam Imperii Principes, illustres nonnullos Barones, Equites & Consiliarios, qui suâ clementiâ, suâ benignitate, suâ humanitate, exsilii mei miserias hactenus lenierunt. Quibus idem, quod vobis, promitto, nequaquam me passurum ut istarum gratiarum, ut istorum beneficiorum mecum intermoriatur memoria. Valete, Viri Amplissimi, Prudentissimi, & salvete ab eo

Qui vobis ex animo apprecatur contemptum
mundi præsentis & desiderium futuri,

ABRAHAMO SCULTETO D.

Ad

Ad Clariss. Virum

ABRAHAMUM SCULTETUM

Novi Test. linguam suis

OBSERVATIONIBUS

exigentem & illustrantem.

ARdua *res, dignè nosse invigilare Camœnis,*
Nec levibus curis fallere tempus iners.
Vidi ego qui NævI Battubata, *quique Poëtæ*
Ciccum *plus facerent * quamde Platonis opes.*
Sunt alii blattas queis cascis pellere libris
Divinum est opus & Dædaleæ artis apex.
O blennas hominum mentes! sed turpius illud
Judico, quod Criticûm natio vana facit.
Totus humi repit PacuvI scrutator: at ecce
Somniat excelsi scandere templa poli.
*Quin demens quotquot * sorsum ab mente illius usquam*
Discedunt, Asinos *turpiter ore vocat.*
Linquimus hanc scabiem Atvaticis, Sculte*te, Molossis;*
Musarum & rectâ pergimus ire viâ.
Mentem Euangelii, *quam velat lingua Pelasgûm,*
Tu tereti calamo promere ritè soles.
Te Pauli *recreat, non* Plauti *virgula; cum me*
Seductum quondam Tarpa fefellit atrox.
Falx tua diversam pol messem colliget olim.
Quidni? Aliter redolet sus putris atque canis.

* Antiquè, pro quàm; Lucret. lib. 1. p. 21. 8.

* pro *sursum*, Lucret. pag. 92. 32. & 93. 1.

JOH. PHILIPPUS PAREUS,
Illust. is Gymnasii Hanoviensis Rector & Professor.

ABRAHAMI SCULTETI OBSERVATIONES

GRAMMATICÆ, HISTORICÆ, LOGICÆ, THEOLOGICÆ IN I. TIM.

CAP. I.

Scopus Autoris in toto hujus scriptionis genere: & cur Observationibus in D. Matthæum & Marcum, Epistolarum D. Pauli ad singulares Illustrationem submittat.

ISaacum Casaubonum Londini narrare mihi memini, se, cùm primum ingenii sui fœtum Criticum, Notas nimirum in Diogenem Laertium, Patri suo Ministro in Galliis Euangelico misisset, hoc ab eo responsi tulisse, *Mi Fili, laudo tuum studium: verùm hoc scito, rem gratiorem te mihi facturum, si vel unum dictum S. Scripturæ difficultatibus aliquibus obstructum explicueris, quàm si mille profanorum Scriptorum loca depravata correxeris.* Dignissima sanè vox hæc & Casauboni patre & homine Theologo: Quam ego ità adprobo, ut ab aliquot jam annis omnes ferè curas cogitationesque meas in illustrationem Novi Testamenti conferam, beatitatem literariam mihi ipse pollicitus, si ex tot locis quæ adhuc crassis ignorantiæ tenebris circumfusa in Novo Fœdere latent, saltem aliqua in clarissimam lucem vocare possim. Hinc mihi natæ Deliciæ Euangelicæ Pragenses, quibus Historiam Jesu Christi concepti, nati, educati, tentati, baptizati illustrare conatus sum: Hinc natæ Observationes in Historiam Concionum & miraculorum D. Jesu Christi à Matthæo & Marco Euangelistis descriptorum; quibus proximum erat ut quæ in Lucam & Johannem notatu digna subjicerem. Verùm cùm qui passim locorum nunc dominatur Mavors non solùm animorum inter Politicos, sed etiam colloquiorum literariorum inter Theologos, vocalium item & mutorum magistrorum inter optimos quosque triste faciat divortium, meditationesque multorum interturbet, prolixiorum Euangelistarum Lucæ & Johannis explicationem paulisper differendam, interim verò in breves illas Epistolas quas D. Paulus ad singulares scripsit omnem ingenii impetum convertendum duxi: Quibus (ad Timotheum præsertim & Titum illis) cùm Pastoris boni non adumbratam imaginem sed eminentem effigiem Apostolus depingat, debere me hoc existimavi juventuti Academicæ ut quam oretenus non possem, Academiâ florentissimâ tam miserè disjectâ, eam scripto illi communicarem Epistolarum istarum illustrationem.

CAP. II.

Interpretatio verborum κατ' ἐπιταγήν. *Deus rectè* σωτὴρ *dicitur. Fidei & Spei pulcrum connubium.* 1 Tim. 1. 1.

ERgò 1 Tim. 1. 1. Paulus se profitetur *Apostolum* κατ' ἐπιταγὴν τῦ Θεῦ· quod Vulgatus *secundum imperium*, Beza *ex ordinatione* verterunt: quorum illud ἀξιωματικώτερον, hoc τακτικώτερον. Medium tenuere Lutherus, *nach dem befehl*, & Ca-

veteres; sed quod occurrit 1 Tim. 1. 3. observasse non videntur. Καθὼς παρεκάλεσά σε, inquit Apostolus, *sicut rogavi te*, vel, *sicut te hortatus sum*. Utrumque enim verbum παρακαλεῖν significat. Atqui nihil sequitur quod respondeat huic notæ Similitudinis καθὼς *sicut*. Est qui versu 18. Apodosin huic Protasi dari existimat, ubi Paulus ait, Ταύτην τὴν παραγγελίαν, *Hanc denunciationem commendo tibi, fili Timothee:* ubi commendat Timotheo eandem denunciationem quam antea ei commendarat, cum proficisceretur Epheso in Macedoniam Apostolus, & Ephesi ad tempus Timotheum relinqueret: quod apparet factum Act. 20. 1. postquam Timotheum & Erastum duos ex suis ministris in Macedoniam amandasset; cùm antea continenter biennium & Ephesi mansisset, ut apparet Act. 19. 10, & 22. & postea annum integrum in Asia substitisset, Timotheus autem ex Asia Ephesum, durante eo anno tertio, rediisset: quod ipsum illud biennium est cujus Paulus Act. 20. 31. meminit. Sic igitur ὑπέρβατον fuerit, non inusitatum & ipsum Apostolo nostro. Crediderim autem ἀνανταπόδοτον esse; ut post verba εἰς Μακεδονίαν subintelligamus σπούδασον ἵνα παραγγείλῃς· vel, repetatur verbum προσμεῖναι ἐπιτακτικῶς, οὕτω πρόσμεινον vel, quod maximè velim, οὕτω καὶ νῦν παρακαλῶ σε, *ità & nunc precor*, sive *hortor*, cum altera Similitudinis nota, οὕτως, nè 18. quidem versu repetatur.

CAP. V.

Utrùm οἰκοδομία *an* οἰκονομία *legendum v 4. Et quid per genealogias infinitas intelligat.*

FAcit lectionum diversitas ut quæramus utrum οἰκοδομία an οἰκονομία legendum v. 4. Syrus, Vulgatus, & hos secuti Beza, Musculus, Piscator, legunt οἰκοδομίαν *ædificationem Dei*, quâ nimirum in Deo crescimus. Movit illos, quòd non tam in Pastoribus requirendam, quàm gregibus instillandam *fidem* & *charitatem* commendari hoc loco putarunt. Sed emendatissima exemplaria R. Stephani, majora & minora Complutensia & Philippica non οἰκοδομίαν aut οἰκοδομὴν sed οἰκονομίαν Θεοῦ ἐν πίστει habent. Causa autem non est, cur hæc constans & omnium ferè codicum lectio solicitetur de fide; cum sententiam non commodam modò sed argumento etiam congruentem usitatâ loquendi ratione exprimat, & doctoris munus atque dispensationis Divinæ officium non obscurè arguat. Est enim οἰκονομία paronymum τοῦ οἰκονόμου, i. e. *dispensatoris* Dei mysteriorum, quem ὡς Θεοῦ οἰκονόμον vocat Tit. 1. 7. Hinc οἰκονομία Θεοῦ *dispensatio Dei, quæ est in fide*, h. e. doctrinæ sanæ salutaris tradendi forma, quam commendat hoc loco: adeò ut παρέχειν οἰκονομίαν Θεοῦ sit *exhibere talem dispensationem Divinam qualem Dei œconomus præstare debet*, videlicet τὴν ἐν πίστει, *quæ est per fidem*, vel *in fide*, aut *ex fide*, haud scio an etiam dici possit *fidelis*. Hujus οἰκονομίας effectus est οἰκοδομία vel οἰκοδομὴ *ædificatio*. Divina enim dispensatio Divini Oeconomi gregem ædificat. Ad summam; οἰκονομία ad docentium munus, οἰκοδομία vel οἰκοδομὴ ad audientium fructum refertur. Verùm hìc nova quæstio oritur, Cum Apostolus *fabulas* & *genealogias* damnet, quasnam fabulas, quas genealogias intelligat. Fabulas non Ethnicas sed Judaicas notari, patet ex Tit. 1. 14. ubi manifesta *Judaicarum fabularum* mentio. Itaque Ἐφέσια γράμματα huc non videntur pertinere Augustinus, Chrysostomus, Thomas, accipiunt hoc de fabulis quæ tum Judæorum vulgato sermone jactabantur, & postea in Codices Thalmudicos relatæ sunt. Nicolaus Fullerus fabulas Judaicas vanissimorum hominum allegorias designare scribit in Miscellaneis. *Erat*, inquit, *singulare genus Doctorum apud Judæos* דרשנים *vel* συζητηταὶ, *qui, spreto vel prætereo sensu Scripturæ Grammatico, toti in eo erant ut Mysticos, Allegoricos, Tropologicos, Anagogicos sensus è Scriptura eruerent. Hi adeo luxuriarunt Allegoriis ut non solum ceremoniis (ubi commodè locum habent) sed universum Scripturæ contextum, ipsaque historica & apertissima quæque mysticis suis interpretationibus, quasi materiam primam, in formas innumeras, imò deformitates, prodigiose transfigurarint. Atque arridebat eruditioribus præsertim Judæorum Rabbinis (Philo testis) Platonica & Pythagorea Philosophia symbolica, mystica, ænigmatica. Unde, quandoquidem sensus Allegoricus ambiguus est atque anceps admodum, hinc statim multiplices συζητήσεις & disputationes gliscere necesse fuit. Unde ista Apostoli 1 Tim. 1. 4. & Tit. 1. 14* Ambrosius *fabulas* & *genealogias* conjungit, & interpretatur *fabulosas genealogias* sive *generationes suarum originum*, quibus Judæos superbiisse liquet ex Ignatii Epistola ad Magnesianos, ubi ad hunc Pauli locum alludens ait, μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις, μηδὲ μύθοις ἀνέχεσθε καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, καὶ Ἰουδαϊκοῖς τύφοις, *Ne patiamini vos seduci aliis opinionibus, nec fabulis, nec genealogiis nunquam finiendis, nec fastui Judaico attendatis.* Atque huc respexisse videtur Castalio, qui γενεαλογίας vertit *antiquitates*. Γενεὰ, inquit, *non solùm Genus est sed etiam Seculum. Inde γενεαλογία Paulo qua Josepho ἀρχαιολογία vocatur, & Plinio in Præfatione* Antiquitas. Summa huc redit, Et Pharisæi Judæos, & Pseudoapostoli conversas Gentes fabulis multis paverunt: Quæ autem illæ revera fuerint,

Theologi certant, & adhuc sub judice lis est.

CAP. VI.

Charitas cur præposita Fidei v. 5. Et cur eadem Charitas radicatur in corde.

F*Inis* τῆς παραγγελίας *est charitas ex puro corde, conscientia bona, & fide non ficta*, inquit Apostolus. Nimirum ab effectibus adscendit ad causam, siquidem effectus proprii suæ causæ sunt certissima indicia. Quod eò pertinet nè quis seipsum fidei spectro decipiat. Viva fides statuit, remissum esse peccatum propter Mediatorem, non sine ingenti cordis lætitia. Hinc conscientia sanatur, & ex mala fit bona. Eâdem fide quâ conscientia sanatur, cor simul purificatur. Hinc *sanguis Christi purificare* dicitur *conscientias ab operibus mortuis*. *Fide* item dicuntur *corda purificari*. Ex hac *fide non ficta* & *conscientia bona* manat *charitas* fraterna. Ideo radicatur in *corde*: quia ut in vita naturali Cor primum fingitur, primum vivit, & moritur ultimum; sic in regeneratione spirituali nisi cor primum formetur & sanctificetur, videri quidem possunt homines vivere, sed non vivunt, Apoc. 3. 1. Colligimus hinc, Cùm sanctimonia spectetur in cordis puritate, Deum solum, quippe qui solus scrutatur corda, pronunciare posse qui sint sancti. De aliis loquor: Nam verè fideles sibiipsis sunt testes sanctificationis suæ. De his enim dicitur Apoc. 2. 17. *Ei qui vicerit tribuam ut edat ex manna illo abscondito, & dabo illi calculum album, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit. Calculus albus* est absolutionis index & remissionis peccatorum. *Nomen novum* symbolum est justitiæ & sanctitatis, quam induit novus homo, & *nemo novit* intus *nisi spiritus hominis qui in eo est, cujus laus non est ex hominibus sed ex Deo.*

CAP. VII.

Παραγγελία *v. 5. non Decalogum, ut plerisque creditum, sed totam docendi rationem denotat. Explicantur hac occasione versus 6, 7, 8, 9, 10, 11.*

TO' τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας, inquit Apostolus. Hoc communiter ità interpretantur, *Finis mandati* (sive *præcepti*) *est charitas ex puro corde* Nam τὴν παραγγελίαν de Lege sive Decalogo accipiunt: quo sensu vocem istam usurpatam vix reperies. Quid sit autem παραγγελία Paulus ipse aperit v. 3. ubi dicit de Timotheum *hortatum fuisse ut Ephesi remaneret*, ἵνα παραγγείλῃ τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, *ut denunciet quibusdam ne diversam doctrinam sequantur. Hæc denunciatio* igitur est παραγγελία, *cujus finis charitatis ex puro corde, conscientia bona, & fide non simulata.* Q. d. Pastori inter docendum ad hunc finem collimandum esse, ut *charitatem* audientium animis ingeneret: quod facere non potest nisi ipse iisdem præditus priùs, *purificandi cordis* & *bonæ conscientiæ* autorem aut saltem ministrum se illis præbeat: quæ *puritas cordis* & *bona conscientia* non nisi ex *fide*, eâque *non ficta* aut *simulata*, nasci potest: unde emergit illa *charitas* quam in docente requirit. Contraria est autem *sana doctrina* τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ 1 Tim. 1. 10. καὶ ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαινόντων λόγων 2 Tim. 1. 13. ἡ ἑτεροδιδασκαλία, h. e. *alia docendi ratio* sive in materia sive in forma, quàm ea quæ proposita ab Apostolo fuit tanquam exemplar quod imitarentur alii, ut ipse ait 1 Cor. 7. 17. *Sic ego in omnibus Ecclesiis doceo.* Et eodem v. 13. c. 1. 2. Tim. ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, *sanorum sermonum, quos a me audisti, in fide & charitate quæ est in Christo Jesu.* Ad fidem ergò & charitatem Pastori inter docendum est collineandum, qui est finis hujus denunciationis Apostolicæ, nè diversam doctrinam tradant. Hujus ipsius *denunciationis* sub finem capitis v. 18. denuo meminit, dicens, Ταύτην τὴν παραγγελίαν, *Hanc denunciationem commendo tibi:* ubi rursum *fidem* & *bonam conscientiam* à Timotheo requirit. Frustrà igitur sunt qui de Decalogo hæc exponunt. Tota docendi ratio voce παραγγελίας intelligitur. Quod ut clariùs pateat,

παραγγελίαν istam suo exemplo confirmat, reprehendens *ματαιολογίαν τῶν ἑτεροδιδασκαλούντων* identidem clamantium, *Legem bonam esse, docendam esse, servandam esse:* cùm non de bonitate sed de usu vero Legis quæstio esset. *Justo enim*, inquit, *Lex non est posita*, h. e. Justitiæ per gratiam studioso non incumbit tanquam grave onus & pondus necessariò impositum, cogens hominem invitum & coactione adhibitâ violenter urgens atque impellens; cùm fidelis & verè Christianus homo Spiritûs regenerationis gratiâ ex nolente factus sit volens, adeò ut quà regenitus ad justitiam propendeat ejusque studio ducatur: quemadmodum de se ait Apostolus Rom. 7. 22. *Condelector Lege Dei secundum internum hominem:* ut postea v. 25. *Ego servio legi Dei.* Et de Romanis c. 6. *Lex vobis non dominatur. Non enim estis sub Lege, sed sub gratia.* Item c. 8. *Non accepistis Spiritum servitutis, iterum ad timorem; sed Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater.* Lex igitur est illa quidem norma nostræ gratitudinis, atque adeò omnis officii tam pietatis quàm charitatis: sed *justum*, h. e. hominem verè Christianum, non tam violenter cogit & trahit invitum ad obedientiam quàm volentem ducit. Contrà autem *sceleratos & facinorosos*, *ἀνοσίους, βεβήλους, πατραλῴας καὶ μητραλῴας, ἀνδροφόνους, πόρνους, ἀρσενοκοίτας*, (quibus *μαλακοὶ* ab Apostolo opponuntur alibi, catamiti videlicet pathici, Græcis etiam *κατάπυγοι* & *κίναιδοι* & *λάγνοι* dicti) *ἀνδραποδιστὰς, ψεύστας, ἐπιόρκους*· Lex cogit etiam invitos vel pudore vel supplicii metu, ut de præmii spe nihil dicam. His igitur Lex est inculcanda, tum ad agnitionem peccati, tum ad terrorem conscientiæ ex vindictæ formidine, ut non solùm pœnæ metu tanquam fræno cohibeantur & submoveantur maleficio, sed multò magis, detecto peccato & quasi desperationis aperto gurgite, ad remedium in Christo quærendum incitentur & impellantur. Quin Apostolus ipse se suumque exemplum pro certa Euangelii docendi ratione proponit, & se *blasphemum, persecutorem & contumeliosum*, adeoque *peccatorum primum*, fuisse non dissimulat; cujusmodi hominem *servandi causâ* ait *Christum in mundum venisse*, si modò absit destinata malitia, quam apostatis exprobrat Heb. 6. 10. Atque addit, *superabundasse gratiam illam Domini nostri cum fide & dilectione in Christo*, non obscurè significans se ex gratia Christi fide & charitate donatum esse, quà fide & charitate utatur in docendo Euangelio, & ad utramque auditoribus instillandam omnem curam & diligentiam adhibeat: qui *finis* est *παραγγελίας* suprà positæ. Hæc cùm ità sint, *παραγγελίας* v. 4. & 18. non interpretabimur *mandatum* sive *præceptum* sed *denunciationem*.

CAP. VIII.

Occasio δοξολογίας Apostolicæ. ἐνδυναμώσαντί με· πιστόν με ἡγήσατο, v. 12. ἠλεήθην, v. 13. πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν, v. 16.

CAusam *δοξολογίας* v. 12. positæ doctissimus Beza hanc annotat, Paulum, quia *Timotheum adhortatus esset veluti ad certamen cum omnibus hominibus suscipiendum*, voluisse *adferre insigne aliquod exemplum, ex quo intelligeretur quæ sit vis Spiritûs Dei in iis quos ad perferendi Euangelii munus delegit.* Alii alia proferunt. Revera autem occasione ejus quod dixerat, *ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ*, digreditur in gratiarum actionem. Est enim hic mos Apostoli nostri, ut ubi memoriam recolit insignis alicujus Dei beneficii, sive publici sive privati, in *δοξολογίαν* erumpat. Facit id ad Romanos cap. 6. Rursum ad eosdem cap. 7. Iterum ad Corinthios priore cap. 15. & alibi. Idem facit hoc loco, celebrans Deum pro eximio isto honore Apostolatûs. Deinde ab hypothesi transit ad thesin, h. e. locum communem de beneficiis Christi & causis salutis ac redemptionis nostræ; quam tandem *δοξολογίᾳ* novâ concludit; & tum demum redit ad propositum, i. e. præceptiones suas. Porrò beneficium commissi sibi Apostolatûs magnificè extollit verbis istis, *ἐνδυναμώσαντί με· πιστόν με ἡγήσατο· ἠλεήθην.* Ubi mirari subit cur doctiss. Beza. *τὸ ἐνδυναμοῦν* interpretetur *robustum efficere*, cùm Phil. 4. 13. itemque 2 Tim. 2. 1. & 4. 17. verterit *corroborare*; quod verbum commodè hic locum habet, *qui me* hactenus *corroboravit*, nè scilicet sub hoc onere satiscerem. *Corroboratio* illa fit per Spiritum Dei: quod patet ex Judic. 6. ubi dicitur, *πνεῦμα Θεοῦ ἐνεδυνάμωσε τὸν Γεδεών.* Etiam *πιστὸν fidelem* hic transtulit idem Beza, qui idem vocabulum 1 Cor. 7. 25. *fidem* interpretatur, è quo loco præsentem explanandum existimo, ut is quem ὁ Χριστὸς πιστὸν ἡγήσατο sit ille ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι. Neque enim suam dignitatem sed Domini misericordiam celebrat, per cujus gratiam factum sit ut haberetur pro fido. Ideo v. sequente mox subjungit ἀλλ' ἠλεήθην, quæ vox, ut omnia Affectuum verba, cum effectu intelligenda: quo sensu eodem verbo Xiphilinus in Vespasiano utitur, quando de Peponila Sabini Galli uxore vitam deprecante scribit, *δακρύσαι μὲν γὰρ αὐτὸν καὶ τοὺς ἄλλους ἐποίησεν, οὐ μέν τοι καὶ ἠλέησαν*, h. e. oratione suâ etsi Cæsari & aliis lacrymas expressit, *misericordiam tamen* ipsa & filii *non sunt consecuti*, sive, quod idem est, vitæ veniam non impetrarunt. Et malim ego hic quoque *τὸ ἠλεήθην* vertere *misericordiam consecutus sum* quàm *misertus est mei:* Sic enim ipse Beza vertit 2 Cor. 4. 1. Et cur hanc phrasin refugimus, cùm Apostolus 1 Thess. 2. 4. dicat *καθὼς δεδοκιμάσμεθα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πιστευθῆναι τὸ εὐαγγέλιον*, quod hic *ἠλεήθην*, & 1 Cor. 7. 25. dicit, *ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι.* Illud quoque sagacissimus Musculus bene notat, versu 16. verba illa *πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν* non rectè verti in Dativo, *ad exprimendum exemplar iis qui credituri essent.* Etsi enim sensus ille probari possit, in Paulo expressum esse exemplar in quo peccatores in Christum credituri videant quid sibi sperandum sit à Domino, videri tamen ait Apostolorum magis *suffiguratum in se dicere quales magna ex parte futuri essent in Christum credentes*, videlicet homines, licèt non iisdem quibus Paulus ante conversionem, aliis tamen enormibus peccatis obnoxii, quorum tamen veniam credentes sint consecuturi. Ideo maluisse Apostolum dicere *τῶν μελλόντων* quàm *τοῖς μέλλουσιν*.

CAP. IX.

Per προαγούσας προφητείας quid Apostolus intelligat v. 18.

NOn est mihi animus varias variorum hujus loci expositiones Lectori occinere. Quod verissimum esse puto, dilucidè prodo. Apostolorum ævo qui rem Christi curaturi erant Doctores eligebantur atque ordinabantur vel per sortes, vel per suffragia, vel per Spiritum. Per sortes Matthias deligebatur, Act. 1. per suffragia Diaconi, Act. 6. per Spiritum Paulus & Barnabas ad docendas Gentes ablegabantur, Act. 13. Per eundem Spiritum in Prophetis loquentem Timotheus creatur verbi Divini præco: quem testimonio Prophetarum approbatum & commendatum Paulus in comitatum assumit & secum vult proficisci, eundemque per impositionem manuum suarum Spiritu S. locupletat. Qua de causa Apostolus Timotheum hortatur *nè negligat gratiam quæ data est ipsi per prophetiam cum impositione manuum*, 1 Tim. 4. Necessarius tum fuit iste eligendi modus per Spiritum. Cùm enim Apostoli primùm orbem terrarum circumirent, non idoneos ubique Pastores invenerunt quos populi suffragiis eligerent, sed impositione manuum suarum charismata Spiritûs in eos contulerunt quos voce Divinâ, non hominum assensu, delectos præsentirent. Timotheus igitur cùm per Spiritum in Prophetis loquentem & per Prophetas ipsum approbantem ad Ministerium sacrum nominatus sit, non immeritò Apostolus testimoniorum Propheticorum memoriam illi renovat, dicens, *Ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι, τέκνον Τιμόθεε, κατὰ τὰς προαγούσας ἐπί σε προφητείας, ἵνα στρατεύῃ* &c. ubi non negligendam arbitror distinctionem Græci textûs, quæ satis innuit verba illa *secundum prægressas super te Prophetias* ad vocem *commendo* pertinere. Quasi dicat Apostolus, *Commendo tibi hanc denunciationem*, (quæ, ut dixi, *fidem* & *charitatem*, urget, non *fabulas*, non *inutiles de Lege disputationes*) *fretus Prophetarum prædictionibus, vel potius testimoniis, quibus jam olim ad ministerium inauguratus es: ut in illis*, h. e. ut illarum nunquam non memor, *milites bonam militiam, adeoque operam des ipse ut fidem & charitatem*, sive *bonam conscientiam, retineas.* Τὰς προαγούσας porrò προφητείας eo quo dictum modo exponendas, clarissimi veteris Ecclesiæ Interpretes docent. Chrysostomus in hunc ipsum locum, *Tunc quia nihil fiebat humanum, Sacerdotes ex Prophetia veniebant. Quid est* EX PROPHETIA? *Ex Spiritu S. Quippe munus est Prophetiæ non modò futura prædicere verùm & præsentia dicere. Ut Spiritus S. dixit*, SEPARATE MIHI PAULUM ET BARNABAM, *ità & Timotheus electus est.* Theodoretus, *Vocationem tuam non habes ab hominibus, sed ex Divina revelatione eum ordinem accepisti.* OEcumenius, *Juxta Spiritûs revelationem Timotheus & à Paulo in discipulum electus, & circumcisus, & Episcopus ordinatus est.* Theophylactus, *Antiquitus à Prophetia creabantur Sacerdotes, h. e. à Spiritu S. Prophetia enim est præsentia etiam dicere. Hunc ad modum Timotheus ad Sacerdotium & sacram hanc functionem electus est.* Addit Theophylactus, *Postquam autem Prophetias dicit multas, fortasse quando susceptus est in discipulum primùm, & quando circumcisus est & electus, omnia cum Prophetia fiebant. Ait igitur*, PRÆCIPIO TIBI UT JUXTA PROPHETIAS AD TE PRÆCEDEN-

CEDENTES INCEDAS, *h.e. ut ad illas respiciens, veluti ab eis doctus, ut dicant tibi quid te deceat. Adhortor autem te ut digne illis ambules, nec eas dedecore afficias.* Hunc autem morem, ut Divinitus designarentur Pastores, ad Joannis Apostoli mortem usque durasse, Eusebius testis, qui lib. 3. Hist. Eccles. hoc de Joanne sene refert ex Clemente Alexandrino, *Post mortem Tyranni, cùm ex insula Patmo Ephesum reversus esset, abiit etiam rogatus ad vicina gentium loca, ut partim constitueret Episcopos, partim Clerum ex his quos Spiritus S. indicasset sorte deligeret,* ὅπε δέ γε κλῆρον ἕνα τινὰ κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ Πνεύματος σημαινομένων. Rediit autem Joannes Ephesum anno Christi XCVIII, imperante Nervâ, XXX annos post martyrium Pauli, mortuusque est anno Christi C. Igitur à prima Pentecoste LXVI annos in usu fuit designatio Pastorum per Spiritum Sanctum.

CAP. X.

Christianismus perpetua militia.

TOta hominis Christiani vita militia est. Et ô beatum illum qui *bonam militiam militat!* Militavit militiam non bonam exercitus Appiani apud Livium lib. 11. cum hoste congredi renuens, & turpi fugâ castra petens. Animat igitur Apostolus Christi cives omnes, sed Ecclesiæ Doctores in primis, ad καλὴν στρατείαν, h.e. *bonam* vel *præclaram* hanc *militiam*, quâ cum hostibus congressi pro fide & bona conscientia servanda ad sanguinem usque pugnent. Hostes illi intus & foris se ostentant; intus, Affectus, Ratio, Caro, Desperatio; foris, Tyranni, Diabolus, Hypocritæ & Falsi fratres. Affectus certant pro corpore; ut illi bene sit, h.e. ut γαστριμαργίᾳ, ambitione, avaritiâ suaviter fruatur. Arma Affectuum sunt pravi & turbulenti motus. Contra hos fortiter pugnandum est Ratione, cujus arma sunt Φόβος, νόμος, λόγος, quibus homo adjutus cum Seneca dicit, *Major sum & ad majora genitus quàm ut corporis mei sim mancipium.* Et rursum, *Malè vivere est seipsum contemnere.* Devictis Affectibus novum intus certamen oritur, Rationis & Fidei. Ratio conatur oculum Fidei eruere, contra Fides Rationis lumen exstinguere molitur. Certaminis hujus ideam vide in Abrahamo Rom. 4. Ratio pugnat Dialogismis & Experientiâ, Quòd fieri non possit ut anus fiat mater & effœtus senex fiat pater. Contrà Fides opponit Promissionem verbi. Succumbit Ratio, victrix triumphat Fides. Rursum in Abrahamo immolaturo filium quanta Rationis & Fidei lucta! Sed Fides omnem Rationem, omnem Adfectum humanum transcendit, tenet & conciliat contradictoria, & impossibilia facit possibilia, eventuum præsentium externâ specie cum promissionibus Divinis manifestè pugnante. Ab hoc certamine Rationis & Fidei proximum est certamen Carnis & Spiritûs, susceptum de affectibus, moribus & actionibus; quod describitur Gal. 5. ubi contraria Carnis & Spiritûs studia & conatus recitantur. Postremum certamen internum est Desperationis & Spei, susceptum de promissionum completione post hanc vitam. Desperatio contra Spem prodit fultâ subsidiariis militibus; Lege Dei omnes transgressores Decalogi damnante; Pœnis, quibus totum genus humanum involvitur; Exemplis horrendis abjectionis multorum; Conscientiâ propriâ cujusque hominis. Deperationi Spes fortiter se opponit, munita clypeo Promissionum Divinarum; *Sic Deus dilexit mundum ut Filium daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*: item, *Confidite; ego vici mundum*: &, *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Sic Spes pugnat; sic Spes vincit; sic Spes in media morte tanquam mortis victrix triumphat. Foris oppugnantur fideles à Tyrannis, Diabolo, Hypocritis, Falsis fratribus; quibus occurrendum Verbo, Fide, Oratione, de quibus ad Ephesios Sexto dissereretur pleniùs.

CAP. XI.

Παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ v. 20. longè aliud est quàm Excommunicare. Exemplum historicum. Excommunicationis Synodica ex Synesio.

SCribit Apostolus v. 20. *se Alexandrum & Hymenæum Satanæ tradidisse*: quod Beza & Piscator per excommunicationem factum volunt. Sed (quod pace tantorum virorum dixerim) multùm differt παράδοσις τῷ Σατανᾷ ab Excommunicatione, quanquam in finibus aliquatenus conveniant. Nam *Satanæ tradere* non est idem quod à Cœna aut aliis sacris prohibere, aut extra Ecclesiam ejicere; sed est Aliquem impœnitentem flagitiosum, qui jam excommunicatus est, aut excommunicari meretur, in Diaboli potestatem tradere, ut eum corporali quoque cruciatu affligat, quò meliùs ad pœnitentiam adducatur, & à tam enormi scelere terreatur, quò saltem anima ejus salva maneat. Fuit hæc potestas quædam peculiaris, à Domino unà cum dono miraculorum Apostolis suis concessa, ut itâ operâ Satanæ aut alio quodam modo possent affligere, etiam absentes cùm essent, enormiter flagitiosos; ut videre est Act. 5. 5, 10. & 13. 11. Itaque non congregatio Ecclesiæ, sed Apostoli tradebant hominem Satanæ, etiam absentes: sicut hîc ait de se Paulus, ὡς παρέδωκα τῷ Σατανᾷ, *quos tradidi Satanæ*: & 1 Cor. 5 3, 5. κέκρικα παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ Σατανᾷ, *statui* (vel *decrevi*) *hunc tradere Satanæ*: ubi non satis fideliter alii vertunt *judicavi ut tradatur*, cùm in Græco non sit κέκρικα παραδοθήσεσθαι, sed κέκρικα παραδοῦναι. Atque hæc potestas tam temporis Ecclesiæ impensè fuit necessaria ad coërcendos contumaces: Nondum enim erant Magistratus Christiani, quorum auxilio hic Ecclesia uti potuisset. Hâc potestate Apostolicâ Ananias & Sapphira interfecti, Elymas cæcitate percussus, in promptu habebat Paulus quo vindicaret omnem contumaciam, 2 Cor. 13. Nec aliter quàm de cruciatu corporis *traditionem* hanc interpretantur Ambrosius in 1 Tim. 1. Hieronymus, Theodoretus, Sedulius, OEcumenius, Theophylactus in 1 Cor. 5. Finis *traditionis* hujus fuit flagitiosorum resipiscentia. Sic enim Apostolus, *quos tradidi Satanæ*, ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν, *ut castigati discant* non *blasphemare*, quemadmodum rectè vertit Piscator. Non convenit enim *discant* aut *discerent*, quorum hoc Beza, illud Vulgatus habent; quia tum cùm hæc scriberet Apostolus nondum liberati erant plagâ illâ corporali. Patet ex his, *Tradere Satanæ* & *Excommunicare* diversissima esse, cùm non corpori sed animo periculum creet Excommunicatio, adeoque carnificinam corporis non nisi Metaphoricè ad Excommunicationem trahi posse. Patet item, Traditionem flagitiosorum hominum in potestatem Satanæ esse muneris Apostolici proprium, Excommunicationem autem quibuslibet legitimorum Pastorum conventibus communem. Cujus quidem Excommunicationis qui fuerit in veteri Ecclesia ritus, nemo nos meliùs docuerit Synesio Cyrenæo, in cujus Epistolis Andronicus quidam Pentapolis Præfectus à Ptolemaidis Ecclesia solenni hâc formulâ excommunicatus fuisse legitur, Epist. 58. ad Episcopos, pag. 190. in 8vo. 201. in folio.

CONCILIUM ad EPISCOPOS

Andronicum Berenicensem malo Pentapolis fato & natum & educatum & auctum, & qui Principatum ejus quæ ipsum protulit emit, neque putet quis neque vocet Christianum, sed velut quem exsecratur Deus, ab omnibus focis & laribus expellatur: Non quòd fuerit Pentapolis extrema plaga, post terræ motum, post locustam, post pestem, post ignem, post bellum, reliquias illorum diligenter persecutus, absurdis generibus & figuris instrumentorum tormentorum per ipsum primùm in regionem illatis, imò, ut rectiùs dicam, per ipsum solum usurpatis, nimirum digitali & pedali tormento, prælo, nasi forcipe, auribus apprehendendis & labiis obtorquendis parato instrumento; quorum quòd majores nostri & experientiam & conspectum bello amiserint, à malè servatis beati prædicati sunt: Non ob hæc, inquam, expellatur, sed quòd primus apud nos & solus & reipsa & verbis in Christum convitia jactavit. Reipsa quidem & facto, quòd foribus Ecclesiæ edicta sua affixit; his quidem qui ab ipso injuriâ affecti sunt, ad tutam mensæ excludens supplicationem, Sacerdotibus autem ea minatus quæ etiam Phalaris Agrigentinus, & Cephren Ægyptius, & Sennacherin Babylonius veritus fuisset, qui misit Hierusalem improperantes Ezechiæ & Deo. Illam ego diem secundam Dei crucem tulisse sentio. Nam in opprobrium Christi libellus iste convitiis plenus de sacris foribus pependit. Et hæc inspexit Sol, & legerunt homines, non Tiberio Claudio rempub. administrante, à quo Pilatus ad Judæorum Principatum missus est, sed piâ Theodosii sobole Romanorum sceptra tenente, à qua sibi ipsi Principatum comparasse Andronicum ex Pilati astutia non animadversum est. Risum movebant prætereuntibus qui ex alia secta essent illæ literæ, quemadmodum Judæis ea quæ cruci Christi adscripta fuerunt: quanquam crucis inscriptio non ex pia voluntate profecta, augusta esset in dictione per quam Christus REX *denunciabatur. At his lingua sententiæ consentiebat. Verùm quæ posthac designavit graviora sunt his quæ publicè affixis literis notavit. Cum enim quandam contra inimicum occasionem reperisset, (inimicitia autem erat ipsis, quòd ille quidem nuptias parabat, hic autem prohibebat) tam horrendis ipsum tormentorum instrumentis torquebat, ut optârim ea ad posteritatem non tradi, sed cum ipso, velut cœperunt, desinere, quò hæc Principatûs Andronici commenta narratione solùm ad posteros perferantur. Postquam igitur vir generosus, non injurius sed infelix, per illa*

torqueretur, & hæc in clarissima meridie fierent, ut sub solis lictoribus testibus periret; & nosset fore ut Ecclesia ipsi condoleret ob nullam sane aliam causam sed quod re cognitâ statim ad ipsum, ita ut parati essemus, excurrebamus, quò assideremus & calamitatem simul perferremus, rabie corripitur ad hanc famam, Si quis Episcopus misereri auderet hominis ipsi infesti, *& multis ac iniquis temerè jactatis, audacissima ex ministris Thoante ipsum instigante, quo utitur ad publicas calamitates instrumento, finem insaniæ imposuit, maximè impiam vocem prolocutus, quòd* frustrà in Ecclesiam sperasset, & nullus Andronici manus effugere deberet etiamsi ipsius Christi pedem teneret. *Hanc vocem ter inerudità mente pronunciavit. Postquam non ampliùs admonendus est homo, sed velut insanabile membrum à nobis resecandus, ut nè societate etiam id quod sanum est simul corrumpatur. Nam inquinamentum facilè distribuitur: & qui tangit scelestum, particeps fit reatûs ipsius. Oportet autem & mente & corpore puros Deo esse. Propter hæc Ptolemaidis Ecclesia ad omnes ubique terrarum sorores suas hæc demandat. Andronico & suis, Thoanti & suis, nullum templum Dei aperiatur, omnis sacer cœtus, omne sacrum septum conclusum sit. Non est Diabolo portio in paradiso, qui, etiamsi clandestinè ingressus fuerit, expellatur. Admoneo igitur & privatum quemque & Principem, ut neque sub eodem tecto cum ipso habitet, neque eâdem mensâ participet: Sacerdotes autem præcipuè, qui neque viventes eos alloquentur, neque mortuos simul deducent. Si verò quis velut parvæ civitatis Ecclesiam reprobârit, & excommunicatos ab ipsa susceperit, velut necesse non sit pauperi obedire, is sciat se scindere Ecclesiam, quam unam esse Christus vult. Talis autem, sive Levita est sive Presbyter sive Episcopus, à nobis in Andronici sorte locabitur: & neque porrigemus ipsi dexteram, neque unquam de eadem mensa cum ipso cibum capiemus: Multum autem aberit ut in arcano Mysterio communionem habituri simus cum his qui cum Andronico & Thoante sortem habere voluerunt.*

GUALTPERIUS.

4. ΓΕνεαλογία, *genealogia.* Γενεὰ, *genus, progenies, generatio, genitura.* Exponitur & *ætas, seculum.* Quod temporis spatium Eustathius triginta annis includit, Ἰλ. ά. de Nestore. Fuerunt etiam qui facerent τὴν γενεὰν annorum septenûm, quasi ἡλικίαν, & ante secundam γενεὰν, i.e. ante annos 14. dicerent Medicos sanguinem mittere prohibere, Γενεαλόγος, *qui originem & genus alicujus narrat.* Unde γενεαλογία, *recensio generis, series generis.* Γενεαλογέω, *generis seriem deduco.* Ἀγενεαλόγητος, *cujus generis origo reddi aut inveniri nequit.* Sic Heb. 7. 3. Melchisedecus dicitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος. Γενεαλογούμενος, *qui in genere alicujus annumeratur,* Heb. 7. 6. Ἀντιγενεαλογέω, *contrariam genealogiam duco, contrariam generis seriem recenseo.*

LUD. CAPPELLUS.

17. Τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων] Titulus ille Dei *Rex seculorum* videtur esse ab usu Judæorum, qui Deum in suis Euchologiis passim appellant כר העלמא & רבון עולמים & רב העולם Κύριον τῶ αἰῶνος, vel αἰώνων. Sed & eum vocant מלך העולם Βασιλέα τῶ αἰῶνος in formula illa centies repetita in ipsorum Liturgia, ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם, *Benedictus esto tu, Domine Deus noster Rex seculi.* Item מלך חי העולמים *Rex vivens seculorum,* in Seder Tephilloth Lusitanorum, p. 108. Item אלהי עולם *Deus seculi,* pag. 111, 116, & 126. *Rex* autem *seculorum* Deus à Judæis ideo dicitur quia & hujus & futuri seculi Dominus est, ut qui utrumque crearit. Ibid. p. 144. *Benedicatur, exaltetur, elevetur nomen Regis Regum Sancti Benedicti illius in secula,* שברא העולם הזה והעולם הבא *qui creavit seculum hoc & seculum futurum.*

20. Ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν] Sic planè Æschylus in Prometheo, statim initio,

> Ὡς ἂν διδαχθῇ τὴν Διὸς τυραννίδα
> Στέργειν.

Et alibi,

> Ἡ σὴ, Προμηθεῦ, συμφορὰ διδάσκαλος.

GROTIUS.

ΠΑῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Paulus Apostolus Jesu Christi*] Hoc initio semper Paulus utitur, quo major sit dictis ejus auctoritas. ¶ κατ' ἐπιταγὴν Θεοῦ πατρὸς, *secundum imperium Dei Patris*] Sic & Rom. 16. 26. & Tit. 1. 3. Incipit à causa summa. ¶ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *& Salvatoris nostri Jesu Christi*] In Manuscripto & codicibus plurimis est, Θεοῦ πατρὸς σωτῆρος ἡμῶν καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ [*Dei Patris Salvatoris nostri & Jesu Christi;*] rectè: nam sic & ad Titum, κατ' ἐπιταγὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ [*secundum preceptum Salvatoris nostri Dei.*] Mutarunt qui meminerunt σωτῆρος [*Salvatoris*] nomen plerisque in locis tribui Christo. At non meminerant etiam Deo Patri ejus tribui, qui Christum ad salutem nobis conficiendam misit Luc. 1. 47. infra hic 4. 10. Tit. 2. 10. 3. 4. Judæ 25. In Veteri Testamento frequenter Deo is titulus datur, Deuter. 32. 15. 1 Sam. 10. 19. Psalm. 24. 5. 25. 5. & alibi in Psalmis sæpe, Esai. 12. 2. 17. 10. 45. 15, 21. Jerem. 14. 8. Mich. 7. 7. Abac. 3. 17. ¶ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, *spei nostræ*] Id est, qui Christus causa est spei nostræ. Vide 1 Thess. 1. 3. Similis locutio Psalm. 71. 7.

2. Τιμοθέῳ γνησίῳ τέκνῳ ἐν πίστει, *Timotheo germano filio in fide*] Timotheus à prima ætate commendatus Paulo fuerat à matre, ut ejus exemplis instrueretur 2 Timoth. 3. 10. ubi apertum fit eum Paulo adfuisse antequam Paulus Lystram veniret, quanquam ibi primum Timothei meminit Lucas 16. 2. quia eo tempore, testimoniis Ecclesiarum præcedentibus, in munus Euangelistæ assumptus est, cùm antè fuisset Pauli ἀκόλουθος [*sectator.*] Vocat autem Paulus eum *filium in fide*, quia per fidem novam quandam naturam accipimus, & velut iterum gignimur, 1 Corinth. 4. 14, 15, 17. 2 Cor. 6. 13. Ephes. 5. 1. Philipp. 2. 22. 1 Thess. 2. 7. 2 Tim. 1. 2. 2. 1. Philem. 10. 3 Joh. 4. Adde Gal. 4. 19. Addit γνησίῳ [*germano,*] ut Philip. 4. 3. Tit. 1. 4. quia filius erat Pauli minimè degener. ¶ χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, *gratia, misericordia, pax à Deo Patre & Christo Jesu Domino nostro.*] Sic & 2 Timoth. 1. 2. Tit. 1. 4. 2 Joh. 3. Εἰρήνη καὶ ἔλεος [*Pax & misericordia*] Gal. 6. 16. Judæ 2. χάρις καὶ εἰρήνη [*gratia & pax*] 1 Cor. 1. 3. 2 Corinth. 1. 2. & alibi sæpe. Geminatio autem significatûs similis habet aliquid περιπαθὲς [*affectibus plenum.*] Confer Num. 6. 24, 25, 26.

3. Καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ, πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, *sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam*] Assentior putantibus indicari iter illud quod Act. 20. 32. ut ex Ephesо Timotheus Troada venerit Pauli videndi causâ, redieritque mox Ephesum, ubi creditur reliquum vitæ egisse. ¶ ἵνα παραγγείλῃς τισὶ, *ut denuntiares quibusdam*] Hic illud ἵνα παραγγείλῃς [*ut denuntiares*] est positum pro παράγγελλε [*denuntia,*] qualis locutio est Ephes. 5. 33. Quandoquidem ea de causa ibi relictus es, fac quod mandavi. *Denuntia quibusdam,* nempe qui tali denuntiatione opus habent. ¶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, *ne aliter docerent*] *Nè aliud doceant quàm nos docuimus.* Vide infra 6. 3.

4. Μηδὲ προσέχειν μύθοις, *Neque intenderent fabulis*] Agit hîc de iis qui ex Judaïsmo ad Christianismum venerant, & Judaïcas fabulas admiscebant Christianismo. Ostendunt id sequentia, & Tit. 1. 14. Adde & infra 4. 7. 2 Tim. 4. 4. Tales erant apud Judæos quosdam fabulæ de eis quæ Deus fecit ante Mundum hunc conditum; de homine facto primùm ἀνδρογύνῳ [*viro pariter & fœmina;*] de ejus concubitu cum Bestiis, & cum Lilith, de dæmonibus inde natis; de Behemotho & Leviathane; de Animarum ὑπάρξει [*existentia*] ante corpus; de Angelis in sidera & regiones distributis, multaque similia. Tertullianus de Valentino, *multas introduxit fabulas.* καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, *& genealogiis interminatis*] Γενεαλογίας [*generis recensiones*] vocat quas Judæi ספירות [*numerationes,*] ideo quod fingebatur harum alia ex alia emanare, & quasi gigni, hoc modo:

Corona.

בינה ἔννοια, *Intelligentia,* — חכמה ἀχμὰθ, *Sapientia,*
גבורה vel פחד, — גדולה vel חסד, *Magnificentia* sive *Misericordia,*
Timor vel *Potentia,*

תפארת *Deus,*

הוד *Majestas,* — נצח *Victoria,*

יסוד *Fundamentum;* quod &
כל *Omnia,*

מלכות *Regnum,* quod & שכינה,
Præsentia Dei.

A Platonicis hæc desumpta docet nos Tertullianus in Præscriptione: quod verum est, sed quibusdam nominibus retentis, quibusdam mutatis. Sed jam olim apud Persarum Magos tales fuisse γενεαλογίας [*generis recensiones*] docet nos Plutarchus Iside: & meminere eorum Platonici qui περὶ ἀρχῶν [*de principiis*] scripsere. Zoroastris tamen nomine quæ circumferebantur, ea a Gnosticis, quos hîc notat Paulus, esse facta deprehendit, & ostendisse se ait Porphyrius: & puto eum verum dicere.

Bubē

Βυθοῦ, Σιγῆς, Ἐννοίας [*Profundi, Silentii, Intelligentiæ*] mentionem habes apud Proclum ad Timæum, apud Damascium & alios. Verè autem hic Paulus dixit ἀπεράντους [*interminatos.*] Nam multi ad has proprietates alias multas pari jure adjecêre, ut Gnosticorum illi ex quibus originem traxere Valentiniani & Basilidiani, qui & pro מדות [*numerationibus*] usurparunt nomen αἰώνων [*Æonum,*] eorumque fecere συζυγίας [*syzygias,*] & γενεαλογίας [*genealogias.*] Nam & hoc nomine utebantur, ut videre est apud Irenæum initio libri 1. Tertullianum, Epiphanium. Αἰῶνας ἀπείρους [*Æonas interminatos*] dixit scriptor Constitutionum sub Clementis nomine. Γενεαλογίας [*Genealogias*] autem deorum quæ exstabant apud Hesiodum & Orphea per ἀλληγορίας [*latentes significationes*] quasdam ad illos suos αἰῶνας [*Æonas,*] id est, מדות referebant. Et propter ista videri volebant eruditiores cæteris, spernebantque alios Christianos, ut rudiores: & hinc est quod Γνωστικῶν [*Gnosticorum*] nomen ipsi sibi fecêre. Vide quæ diximus in anteloquio ad Euangelium Johannis. Proclus cùm de Genealogiis quæ sunt in Platonis Timæo disputasset: ἀλλὰ τούτων ἅλις, οὐδὲν ἀνδρὶ τῶν πραγμάτων φροντίζοντι ὅπως ἂν ἔχοι [*Verùm de his satis, præsertim ei, qui quomodò hæc habeant, nihil curet.*] ¶ αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον, *quæ quæstiones præstant magis*] Multæ inde nascebantur quæstiones, cùm alii aliter classes illas & nomina ordinarent, suo quisque arbitratu. Sic aliter Basilidiani, aliter Valentiniani. Vide Irenæum 1. 5,6,7. & sequentibus. Adde Lactantium 1. 5. Tertullianus, *Cùm Valentinianus Æonas tantùm triginta finxisset, isti addiderunt alios complures: quatuor enim primùm, deinde alios quatuor aggregaverunt.* Pro ζητήσεις [*quæstiones,*] in Manuscripto est ἐκζητήσεις [*inquisitiones.*] Sic οἱ ἐκζητηταὶ τῆς φρονήσεως [*investigatores prudentiæ*] Baruch. 3. 14. Rabbini quæstiones tales vocant מבעיות [*mebajoth.*] ¶ ἢ οἰκονομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει, *quàm dispensationem Dei quæ est in fide*] Videntur quidem hæc eò tendere ut explicent dispensationem Dei circa salutem nostram: sed revera ea simplex est per fidem in Christum, nec tot ambagibus indiget. De voce οἰκονομίας [*dispensationis*] vide Ephes. 1. 10. Quidam libri habent οἰκοδομίαν [*ædificationem,*] sed illud rectius.

5. Τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη, *Finis autem præcepti est charitas*] Nostra doctrina ad dilectionem tendit: illorum parit dissidia. παραγγελία, [*præceptum*] de Euangelio dicitur & infra 18. & multitudinis numero παραγγελίαι [*præcepta*] 1 Thessalonic. 4. 2. τέλος סוף [*finis,*] Ecclesiastæ 12. 13. ¶ ἐκ καθαρᾶς καρδίας, καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς, καὶ πίστεως ἀνυποκρίτου, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*] Dat nobis & Paulus brevem γενεαλογίαν [*genealogiam,*] sed perutilem. Ex *fide minimè ficta*, אמונה אמת [*fide vera,*] cujus mentio 2 Timoth. 1. 5. nascitur *bona conscientia*, id est, abstinentia à peccatis, Actor. 23. 1. infra 19. 3. 9. 2 Tim. 1. 3. Hebr. 9. 14. 10. 22. 13. 18. 1 Petr. 3. 16, 21. Hinc *puritas cordis*, id est, interior, Actor. 15. 9. Hinc porrò *dilectio*, quæ & *pax* 2 Timoth. 2. 22.

6. Ὧν τινες ἀστοχήσαντες, *A quibus quidam aberrantes*] *Aberrantes*, infra 6. 21. 2 Timoth. 2. 18. ¶ ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν *conversi sunt in vaniloquium*] *Diverterunt*, ut infra 5. 15. 2 Timoth. 4. 4. נפנו. ματαιολογία, *dissertatio infrugifera.* Qui talibus utuntur, ματαιολόγοι [*vaniloqui*] Tit. 1. 10.

7. Θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι, *Volentes esse Legis Doctores*] De Cerintho Tertullianus, *Legem etiam proponit, scilicet ad excludendum Euangelium, & vindicandum Judaismum.* Ephesi multi semper fuerant Judæi: horum quidam Christianismum in speciem amplexi, multum de Judaismo retinebant. Inter fabulas Judaïcas erat etiam Colloquium Legis cum Deo ante Mundum conditum: volebantque Mundum conditum propter Legem. vide Rabbinum Israëlem de Anima. Νομοδιδάσκαλοι [*Legisperiti*] חכמי תורה Luc. 5. 17. Actor. 5. 34. ¶ μὴ νοοῦντες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται *non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*] *Non vident quid dicant.* Legem ajunt observatu necessariam, & eam non observant. Affirmant multa quæ ex nullo habent certo sensu, aut revelatione. Διαβεβαιοῦσθαι est *pro certo affirmare* Tit. 3. 8. מלל.

8. Οἴδαμεν δὲ ὅτι καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται *Scimus autem quia bona est Lex, si quis ea legitimè utatur*] Lex hunc usum semper habuit, & nunc quoque habet, ut ostendat scelera & flagitia Deo displicere. Vide Roman. 7. 12. νομίμως, במשפט [*cum judicio.*]

9. Εἰδὼς τοῦτο, ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, *Sciens hoc quia Lex justo non est posita*] Εἰδὼς [*sciens*] pro οἶδα, ידעתי [*novi.*] Frequens enim Hebræis particeps ponere pro verbo præsenti, quo carent. Latinus legit εἰδότες [*scientes.*] Sensus est, Si posteri Abrahami, Isaaci & Jacobi fuissent, quales illi majores eorum fuerant, Lege Mosis opus non fuisset. Ægyptius incolatus & inde nata contagia eam fecerunt necessariam. Lex illa Dei per Mosem data magna sui parte effectus habet communes cum aliis civilibus populorum legibus. Philo de Allegoriis, Ἐντέλλεται δὲ τούτῳ· ἀλλ' οὐχὶ τῷ κατ' εἰκόνα καὶ τὴν ἰδέαν γεγονότι. ἐκεῖνος μὲν γὰρ καὶ δίχα προτροπῆς τὴν ἀρετὴν ἔχει αὐτομαθῶς [*Huic præceptum datur, non illi facto ad ideam & imaginem; nam ille vel absque hortatu virtutem per se ipse didicit.*] Deinde, Τῷ μὲν οὖν τελείῳ καὶ κατ' εἰκόνα προστάττειν, ἢ ἀπαγορεύειν οὐχὶ δεῖ. οὐδενὸς γὰρ ὁ τέλειος δεῖται [*Ergo homini ad imaginem perfecto nec jussis nec interdictis opus est: perfectus enim homo nullius indiget.*] Xenocratis dictum de Philosophis refert Laertius, Μόνοι ποιοῦσιν ἑκουσίως, ἃ ποιοῦσιν ἄκοντες οἱ λοιποὶ διὰ τὸν νόμον [*Soli hæc sponte faciunt, quæ reliqui inviti ac non nisi ob Legem.*] Id Servius ad illud 7. Æneidos,

> *Sponte sua, veterisque Dei se more tenentem,*

sic extulit, *Xenocrates, qui cùm primus Philosophiæ scholam aperuisset, (quod antea in porticibus Philosophi tractarent) & interrogatus esset, quid præstare possit discipulis: respondit, ut id voluntate faciant, quod alii jure cogantur.* Tacitus Annalium 3. *Vetustissimi mortalium nullâ adhuc malâ libidine, sine pretio, scelere, eoque sine pœna aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cùm honesta suopte ingenio peterentur: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.* Idem de Germania, *Plusque ibi boni mores valent, quàm alibi bonæ leges.* Clemens Strom. 4. ut Socrates citat, Νόμον ἕνεκα ἀγαθῶν οὐκ ἂν γενέσθαι [*Legem non esse factam virorum bonorum causâ.*] Idem Strom. 5. Τῷ τελείῳ οὐκ ἐν συμβολαίοις πολιτικοῖς, οὐδὲ ἐν ἀπαγορεύσει νόμου, ἀλλ' ἐξ ἰδιοπραγίας καὶ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ἀγάπης ἡ δικαιοσύνη [*Vir perfectus non eò justitiam colit, quòd aut fidem cui adstrinxerit, aut quòd legum præscripto cogatur, sed ultrò omnia facit, solo Dei amore ductus.*] Plato de Legibus 9. Αἰσχρὸν μὲν δή τινα τρόπον, καὶ νομοθετεῖν πάντα ὁπόσα νῦν μέλλομεν τοῦτο δρᾶν ἐν τοιαύτῃ πόλει, ἥν φαμὲν οἰκήσεσθαί τε εὖ καὶ τεύξεσθαι πάσης ὀρθότητος πρὸς ἐπιτήδευσιν ἀρετῆς [*Turpe quodammodo videri possit, leges de hujusmodi rebus, de quibus acturi sumus, huic civitati ponere, cujus præclarum statum futurum & rectâ ratione informandum ad certum virtutis honestatisque studium affirmamus.*] ubi & alia ad hanc rem. Laudatur & Aristotelis dictum, Ὅτι ἐκ φιλοσοφίας τοῦτο αὐτῷ περιγένοιτο, τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν, ἅ τινες διὰ τὸν ἀπὸ τῶν νόμων φόβον ποιοῦσι [*Sese hoc esse è philosophiâ consecutum, ut, quæ nonnulli Legum metu faciunt, ea ipse ita faciat, ut jussum in iis nullum expectet.*] Cornelia apud Propertium,

> *Mi natura dedit leges à sanguine ductas,*
> *Ne possem melior judicis esse metu.*

Dio Chrysostomus Dissertatione 76. Εἰ γὰρ ἅπαντες ἦσαν ἀγαθοί, δηλονότι τῶν ἐγγράφων (νόμων) ἡμῖν οὐκ ἂν ἔδει [*Si omnes essent boni, scriptis sanè legibus nobis non esset opus,*] ubi & plura huc pertinentia. Epicurus non longè hinc abit, Οἱ νόμοι χάριν τῶν σοφῶν κεῖνται, οὐχ ὅπως μὴ ἀδικῶσιν, ἀλλ' ὅπως μὴ ἀδικῶνται [*Leges sapientum causâ latæ sunt; non ne quem injuriâ afficiant, sed ne qua eis fiat injuria.*] ¶ ἀνόμοις δὲ καὶ ἀνυποτάκτοις, *sed injustis & non subditis*] Est hic πλοκὴ [*copulatio*] in νόμος [*lex*] & ἀνόμοις [*exlegibus.*] Nam νόμος [*Lex*] est Lex Mosis: ἄνομοι [*injusti*] qui nullam sibi ipsis figunt Legem, nempe ex usu rationis: *qui sibi Lex non sunt*, Rom. 2. 14. Iidem ἀνυπότακτοι [*non subditi*] בני בליעל [*filii Belial,*] *homines injuges, effrænes.* ¶ ἀσεβέσι, *impiis*] לרשעים, quales sunt blasphemi, contra quos est Lex Num. 15. 30. ¶ καὶ ἁμαρτωλοῖς, *& peccatoribus*] Est hoc nomen satis generale: sed hic eximiè videtur intelligi de seditiosis, quomodo vocantur illi Num. 16. 38. 32. 14. Est autem contra tales lex Exod. 22. 28. ¶ ἀνοσίοις, *sceleratis*] Qui faciant fœda, זמה [*scelus,*] Ezech. 22. 9. ἀνοσιουργοὶ Platoni. ¶ καὶ βεβήλοις, *& contaminatis*] Id est, *sacrilegis*, contra quos est Lex Deut. 7. 26. ¶ Πατραλῴαις καὶ μητραλῴαις, *parricidis & matricidis*] Contra quos Lex est argumento à minori ad majus, Levit. 20. 19. Deut. 21. 18. ¶ ἀνδροφόνοις, *homicidis*] Contra quos lex est Exod. 21. 12, 14. Levit. 24. 17. Deuter. 19. 11, 12, 13.

10. Πόρνοις, *Fornicariis*] Contra stupratores violentos Lex est Deut. 22. 25. Contra seductores Exod. 22. 16, 17. Præterea vetat Lex puellas Hebræas prostare Levit. 19. 29. Deut. 23. 17. ¶ ἀρσενοκοίταις, *masculorum concubitoribus*] Contra quos est Lex Levit. 18. 22. 20. 13. ¶ ἀνδραποδισταῖς,] *Plagiariis*, contra quos est Lex Exodi 21. 16. Deut. 24. 7. Maximum est furti genus hominem liberum furari. ¶ ψεύσταις, *mendacibus*] Ut qui in contractibus fidem fallunt. Contra eos est lex Levit. 6. 1.

& se-

& sequentibus. ¶ ἐπιόρκοις, *perjuris*] Contra quos est lex Exod. 20. 7. Levit. 19. 12. Deut. 5. 11.

11. *Καὶ εἴ τι ἕτερον τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ ἀντίκειται, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης τοῦ μακαρίου Θεοῦ. Et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei*] Est συνεκδοχὴ [*Complexio*,] non enim Lex omnia coercet quæ Euangelium improbat, sed graviora. Vide quæ diximus in Annotatis ad cap. 4. libri primi de Jure Belli ac Pacis. Doctrina Philosophorum & Rabbinorum partim sana, partim morbida, quæ in Euangelio, tota *sana*, infra 6. 3. 2 Tim. 1. 13. 4. 3. Tit. 1. 9. 2. 1. Est אמת שלמה [*veritas integra*,] ut loquuntur Hebræi. Euangelium dicitur τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ [*gloriæ Dei*] ex effectu, quia Deus inde maximam gloriam consequitur, 2 Cor. 4. 6, 15. Ephes. 1. 6, 12, 14. Philip. 1. 11. Vocatur autem hic & infra 6. 15. Deus μακάριος [*beatus*,] ut exprimatur Hebræum שדי. Deus sibi sufficiens erat ad beatitudinem, non indigebat nostri. Fecit ergo, quicquid fecit, nostri caussâ. Syrus hic posuit מברכא εὐλογητοῦ [*benedicti*.] Etiam Græci de diis suis dicunt μάκαρες [*beatos*,] sed falsò. ¶ ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ. *quod creditum est mihi*] Loquendi genus Græcum, quale Rom. 3. 2. 1 Cor. 9. 17. Gal. 2. 7. Tit. 1. 3.

12. *Καὶ χάριν ἔχω τῷ ἐνδυναμώσαντί με Χριστῷ τῷ Κυρίῳ, Gratias ago ei qui me confortavit Christo Domino*] Non possum rem tantam exsequi sine eximia ejus ope. ἐνδυναμώσαντί με [*confortanti me*] מעוזי 2 Sam. 22. 33. aut חזקי [*fortitudini meæ*] Psalm. 18 2. vide Actor. 9. 22. 2 Tim. 4. 17. Hebr. 11. 34. ¶ ὅτι πιστόν με ἡγήσατο, *quia fidelem me existimavit*] Ut magnum à Deo auxilium consequamur non satis est à Deo vocari, sed opus est fidem præstemus in eo ad quod vocati sumus: sicut Paulus fecit 1 Cor. 4. 2. 7. 25. ¶ θέμενος εἰς διακονίαν *ponens in ministerio*] *Postquam me adhibuisset ministerio.* Nam θέμενος [*ponens*] hic est plusquam perfectæ significationis. Διακονία [*ministerium*] per excellentiam *Apostolatus*, Actor. 1. 17, 25. Rom. 11. 13. 2 Cor. 4. 1. 5. 18.

13. *Τὸν πρότερον ὄντα βλάσφημον καὶ διώκτην καὶ ὑβριστήν. Qui prius blasphemus fui & persecutor & contumeliosus*] Ostendit magnitudinem beneficii è statu suo priore. Adeo βλάσφημος [*contumeliosus*] fuerat, ut etiam alios cogeret βλασφημεῖν [*contumeliosè loqui*] Actor. 26. 11. Erat & *persecutor*, ut apparet Actor. 9. 4. 5. 22. 4. 26. 11. 1 Cor. 15. 9. & *contumeliosus*, ut apparet Actor. 8. 3. 9. 2. de voce ὑβρίζειν [*contumelia afficere*] vide Matth. 22. 6. ¶ ἀλλ' ἠλεήθην, ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ. *sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*] Non causam adfert cur ipsi ignosci debuerit, sed cur Deus ipsi potiùs quàm aliis ignoverit. Sunt שגגות, ἀγνοίαι [*ignorantiæ*] peccata, sed in genere peccatorum minùs gravia quàm ea quæ fiunt ביד רמה [*cum manu elata*,] ut est Num. 15. 30. vide Luc. 12. 47, 48. ἐν ἀπιστίᾳ [*in incredulitate*] tempus designat. *Cùm adhuc incredulus*, inquit, *essem*: ἠλεήθην [*misericordiam consecutus sum*] dicitur eà formâ, quâ modo ἐπιστεύθην [*concreditus sum*.] רחמתי [*misericordiâ affectus sum*] in Pual. Vide Actor. 23 1.

14. *Ὑπερεπλεόνασε δὲ ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν, Superabundavit autem gratia Domini nostri*] *Multum crevit in me Christi gratia*, id est, dona spiritualia. ὑπερεπλεόνασε, במאד מאד פרץ [*magis magisque erupit*.] Sic illi ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις [*superabundavit gratia*] Rom. 5. 20. amat enim Paulus voces tales, ut alibi notavimus. ¶ μετὰ πίστεως καὶ ἀγάπης τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *cum fide & dilectione quæ est in Christo Jesu*] *Quantum in me*, inquit, *crevit fides & dilectio tam Dei quàm proximi propter Christum.* Cyprianus ad Donatum, *Nostrum tantùm sitiat pectus & pateat: quantum illuc fidei adferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.* Notant Veteres conjungi hic Liberum Arbitrium cum Gratia, sed ita ut Gratiæ non tantùm priores sint partes, sed & superiores.

15. *Πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, Fidelis sermo & omni acceptione dignus*] Eadem verba habes infra 4. 9. πιστὸς ὁ λόγος [*fidelis sermo*] etiam infra 3. 1. & 2 Tim. 2, 11. & Tit. 3. 8. Hebræi dicunt דבר אמת [*veritas sermonis*.] *Non tantùm vera est hæc quam dicam sententia, sed & digna quæ fiat plurimi.* Sic ἀποδοχῆς ἄξιον [*dignum quod magni fiat*] dixit Diodorus Siculus. ἀποδοχῆς ἀξιοῦσθαι [*magni fieri*] Dionysius Halicarnassensis in Rhetoricis. Pari sensu ἀποδεκτὸς [*acceptus*] habebimus infra 2. 3. ¶ ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον, *quòd Christus Jesus venit in mundum*] Id est, Dei dono hominibus apparuit. Joh. 1. 9. 3. 2. 6. 14 9. 39. 11. 27. 12. 46. 18. 37. ¶ ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, *peccatores salvos facere*] Matth. 9. 13. Marci 2. 17. Luc. 5. 32. Rom. 5. 8. ¶ ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ. *quorum primus ego sum*] Hoc non est sententiæ, sed obiter ei additum. Est autem dictum ὑπερβολικῶς [*per superjectionem*] ex summa modestia: qualis & 1 Cor. 15. 9.

16. *Ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἠλεήθην, ἵνα ἐν ἐμοὶ πρώτῳ ἐνδείξηται Ἰησοῦς Χριστὸς τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν, Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus Jesus omnem patientiam*] Christus Dei imago. Deus cùm ignoscit & causas habere solet προκαταρκτικὰς [*primarias*,] qualis illa de quâ supra 13. & præterea τελικὰς [*finales*,] id est aliquem usum quem sibi proponit. Vide quæ diximus ad Luc. 7. 47. Sic Midrasch in Psalm. 51. ait *ideo permissum labi Davidem, ut alios solari posset.* πρώτῳ [*primò*] verò hic est positum pro πρότερον [*prius*,] ut Joh. 1. 15. *in me Christus priusquam in aliis* qui à me erant convertendi, *ostenderet summam suam lenitatem.* Quidam codices hic habent, ἐν ἐμοὶ πρώτην [*in me primam*] sensu eodem. πᾶσαν [*omnem*] hic interpretor *summam*, ut modò πάσης ἀποδοχῆς [*omni acceptione*.] Sic Herodoto ἐλπὶς πᾶσα, *spes maxima.* Hanc lenitatem μακροθυμίαν [*patientiam*] etiam Petrus vocat 2 Petri 3. 15. ¶ πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον. *ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam*] Ὑποτύπωσις, ut & τύποι sunt *prima picturarum vel operum lineamenta, præformatio.* Sumitur hic pro *exemplo*: nam exemplo Pauli, quo post tam sæva facta, dona Spiritûs erat consecutus, ac proinde & jus ad vitam æternam (nam dona illa vitæ æternæ erant arrhabo) etiam illi ex Gentibus, qui pravè vixerant, audebant sperare vitam æternam, postquam eandem, quam Paulus profitebatur, vitam recepissent.

17. *Τῷ δὲ Βασιλεῖ τῶν αἰώνων, Regi autem seculorum*] *Regi omnium temporum*: עתיק יומין [*antiquus dierum*] Dan. 7. 9. ¶ ἀφθάρτῳ. *incorruptibili*] Vide Rom. 1. 23. & ibi dicta, & Sap. 12. 1. ¶ ἀοράτῳ. *invisibili*] Hebr. 11. 27. Proprium id Deo. *Habitat enim lucem inaccessam*, infra 6. 16. Deus per se non conspicitur, at *conspicitur in operibus*, Rom. 1. 20. apertissimè verò in Filio, 2 Cor. 4. Hebr. 1. 3. ¶ μόνῳ σοφῷ Θεῷ, *soli sapienti Deo*] Sic & Rom. 16. 27. non quòd non aliis is titulus aliquo sensu tribuatur, sed quia hoc quicquid est, à Deo venit. Sic & Judas 25. Eadem locutio infra 6 16. At in Manuscripto deest σοφῷ [*sapienti*,] ita ut illud μόνῳ [*soli*] ad ἀοράτῳ [*invisibili*] referatur. Et sic quidem Latini legerunt. ¶ τιμὴ, δόξα, *honor, gloria*] Usurpant nostri scriptores ἀσύνδετον [*conjunctionis intermissionem*] etiam in duabus vocibus. ¶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *in secula seculorum*] Sic & Gal. 1. 5. & Philipp. 4. 20. & 2 Tim. 4. 18. Hebr. 13. 21. 1 Petr. 4. 11. 5. 11. Apoc. 1. 6. 5. 13. 7. 12.

18. *Ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι, Hoc præceptum commendo tibi*] Verbum valde efficax. Nulla enim fides sanctior fide depositi. Ideo infames sunt apud omnes gentes qui depositum abnegant. Vide & infra 6. 20. 2 Tim. 1. 14. 2. 2. Sic Exodi 19. 7. וישם לפניהם את כל־הדברים, in Græco est, παρέθηκεν αὐτοῖς πάντας τοὺς λόγους τούτους [*deposuit apud eos omnia hæc verba*.] ¶ τέκνον Τιμόθεε, *fili Timothee*] Non potuit loqui efficaciùs. ¶ κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σὲ προφητείας, *secundum præcedentes in te prophetias*] Ἐπὶ σε עליך [*in te*.] Momento factum te Euangelistam, Spiritu Dei nos & alios in id excitante. Ita enim tunc fieri solebat: Actor. 1. 24. 13. 2. Ambrosius aut quisquis est qui sub ejus nomine legitur in hunc locum, *Prædestinatus est enim Timotheus, quando ad hoc ab Apostolo assumptus est, ut ordinaretur.* Chrysostomus, Τότε δὲ ἐπεὶ οὐδὲν ἀνθρώπινον ἐγίνετο, καὶ ἀπὸ προφητείας ἐγίνοντο οἱ ἱερεῖς [*tum, cùm nihil hac in re humani fieret, ac per prophetiam fierent sacerdotes*.] OEcumenius, κατὰ γὰρ πνεύματος ἀποκάλυψιν καὶ ᾑρέθη παρὰ τοῦ Παύλου εἰς μαθητὴν, καὶ περιετμήθη, καὶ ἐπίσκοπος ἐχειροτονήθη [*Juxta revelationem Spiritûs à Paulo in discipulum est assumptus, circumcisus & episcopus ordinatus.*] Theophylactus, τὸ παλαιὸν ἀπὸ προφητείας ἐγίνοντο οἱ ἱερεῖς, τουτέστιν ἀπὸ πνεύματος ἁγίου [*creabantur olim sacerdotes per prophetiam, id est, per Spiritum sanctum.*] ¶ ἵνα στρατεύῃ ἐν αὐταῖς τὴν καλὴν στρατείαν, *ut militet in illis bonam militiam*] Ἐν αὐταῖς [*in illis*,] id est, secundùm illas; per illas excitatus: nam in prophetiis de ipso illa verba fuerant, στρατεύσει τὴν καλὴν στρατείαν [*militabit bonam militiam*.] Omnis vita hominis militia, Job. 7. 1. imprimis hominis Christiani, 2 Cor. 10. 4. maximè verò Pastoris Euangelici, 1 Corinth. 9. 7. 2 Timoth. 2. 24. Philipp. 2. 25. Philem. 1, 2. Sic Levitarum ministerium dicitur צבא στρατεία [*militia*.]

19. *Ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν, Habens fidem & bonam conscientiam*] Vide supra 5. ἔχων [*habens*] pro κατέχων [*retinens*,] simplex pro composito. κατέχων [*retinens*] habes Lucæ 8. 15. & 1 Corinth. 11. 2. ¶ ἥν τινες ἀπωσάμενοι περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν. *quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt*] Sicut ignis pabulo indiget, ita fides bonis operibus, alioqui facilè exstinguitur. Nam qui malè agere volunt omnia quærunt ut sibi persuadeant ea, quæ de præmiis ac pœnis

nis æternis dicuntur, non esse vera, aut certè non tali Lege Deum agere cum hominibus. Fides est ut navis; vita pura velut gubernaculum. Gubernaculo abjecto non mirum si navis in scopulos impacta frangitur. ἀλληγορίας [*allegoria*] ut à navigatione ita à naufragiis sumptæ valde sunt frequentes. Fides hic intelligenda vera illa, de qua & 2 Timoth. 3. 10. ἀπωθεῖσθαι τινὰ aut נזה *à se amovere*, ut Roman. 11. 1, 2. & 13. 12. secundùm quosdam codices. περὶ hic est *quod ad fidem attinet*. Sic & 2 Timoth. 2. 18. Vide & infra 6. 4. Clemens Strom. 2. de his qui hic denotantur agens, producto hoc loco addit: ὅτι τὴν θεόθεν ἥκουσαν συνείδησιν ἀπιςίᾳ κατεμίαναν [*quam divinitus nacti erant conscientiam, abjecta fide polluerunt.*]

20. Ὧν ἐςὶν Ὑμέναιος καὶ Ἀλέξανδρος, *Ex quibus est Hymenæus & Alexander*] Non tantùm dicit hoc fieri posse, sed & factum ostendit. Vide quantum naufragium fecerit *Hymenæus* qui resurrectionem in fine sæculorum futuram negavit, 2 Tim. 2. 17. nimirum unus illorum adversùs quos directum est caput 15. prioris ad Corinthios. *Alexander* est *Faber* ille *ærarius* de quo Paulus queritur etiam 2 Tim. 2. 14. Ephesi is habitabat, ut discimus Actorum 19. 33. ubi dicta vide. ¶ οὓς παρέδωκα τῷ Σατανᾷ, *quos tradidi Satanæ*] Nempe morbis cruciandos, ut 1 Corinth. 5. 5. explicavimus. Scriptor Responsionum ad Orthodoxos, ὅτε διὰ τῆς μακροθυμίας τῶν ὑβριζομένων οὐ γίνεται διόρθωσις, τότε ἡ ἀποτομία τῆς μακροθυμίας τοῖς ἀδιορθώτοις ἐςὶ χρησιμωτέρα [*ubi clementia corrigenda improborum contumelia nihil proficit, severum quàm mitem esse utilius est his ipsis quibus clementia mederi non potest.*] ¶ ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν. *ut discant non blasphemare*] Sic 1 Corinth. 5. 5. dicitur εἰς ὄλεθρον σαρκὸς [*in interitum carnis*,] *ad affectuum carnalium exstirpationem: in emendationem, non in perditionem*, ait Tertullianus de Pudicitia: *ut emendentur*, in libro de Fuga in persecutione. Et rectè dixit βλασφημεῖν [*blasphemare*,] nam solent qui à vera doctrina deficiunt, ne id frustra facere putentur, ei maledicere, ut isti resurrectionis dogma stultum & ab omni ratione alienum esse dicebant. Vide Actor. 17. 32. Tertullianus Testimonio Animæ, *de resurrectione, cujus nos præsumptores deputamur.*

PRICÆUS.

1. ΘΕοῦ σωτῆρος ἡμῶν] Ità 2. 3. ἐνώπιον σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ· & de Eodem 4. 10. Ὅς ἐςι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων ubi de primario ejus proposito, sive prævia ad æternam salutem nostram voluntate, quæ diximus vide. Vulgatus, *Salvatoris nostri*. Sic in Glossario, *Salvator*, σωτήρ. Potest & vox σωτῆρος denotare illam peculiarem curam quâ etiam in vita ista & singulos & universos tuetur. Itaque non malè *servatoris* (i. e. *sospitatoris*) vertas. Apulejus lib. de Mundo, ex Platone, *Sospitator ille est omnium qui ad complendum mundum nati factique sunt*. Deque eodem, & ex eodem, in Apologia, *Æternus animantium sospitator.*

Ibid. Ἰησοῦ Χριςοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν] Id est, in quo fundatur spes nostra. De eodem Ignatius ad Philadelphenos, τῇ κοινῇ ἐλπίδι ἡμῶν. & Polycarpus ad Philippenses, Τῇ ἐλπίδι ἡμῶν, καὶ τῷ ἀῤῥαβῶνι τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν. Vide 1 Thess. 1. 1. & 2. 19. De eodem Coloss. 3. 4. ἡ ζωὴ ἡμῶν· & Ephel. 2. 14 ἡ ἡμῶν εἰρήνη, Simile in Psalm. 70. 5. illud, *Tu es patientia mea*: & Apuleji jam citato libro, *Ipsum salutem esse & perseverantiam earum quas effecerit rerum.*

2. Τιμοθέῳ, γνησίῳ τέκνῳ] Sincero veroque filio in fide retinenda ac prædicanda. De eodem 1 Cor. 4. 17. Ὅς ἐςι τέκνον μου, &c. πιςὸν ἐν Κυρίῳ. Vide & Philipp. 2. 22. Martialis,

——— *Soboles sincera parentis.*

Ità Πλάτωνος καὶ Ἀριςοτέλους γνήσιοι χορευταὶ apud Julianum Imperatorem: &, οἱ ἐκ πίςεως, (i. e. οἱ ἐν πίςει γνήσιοι) Ἀβραὰμ υἱοί εἰσιν, ipse Paulus 3. 7. ad Galatas dixit. Seneca cùm bonum virum *veram Dei progeniem* vocavit, quid aliud dicere voluit quàm θεοῦ γνήσιον τέκνον;

3. Καθὼς παρεκάλεσά σε] Sic 1 Thess. 4. 11. καθὼς ὑμῖν παρηγγείλαμεν.

Ibid. ἵνα παραγγείλῃς τισὶν, &c.] Puto elleipsin esse, & ante illud ἵνα supplendum βλέπε· id est, *cura*. Sic Ephes. 5. 33. & Tit. 3. 13. Verbo τισὶ subinnuit quosdam ἀτάκτως περιπατοῦντας, quos nominatim designare præ lenitate parcit: vide Rom. 3. 8. 1 Cor. 4. 18. 6. 11. 8. 7. 10. 7. & deinceps; item 15. 12. Galat. 1. 7. Philip 1. 15. 2 Thess. 3. 11. Hebr. 10. 25. 1 Petr. 3. 1. 2 Petr. 3. 9. Judæ com. 4. infrà heic 4. 1. 5. 15. 6. 20. capitisque ipsius istius com. 6. & 19. Terent. 3. 2. Eunuch. *Quod quidam fecit*; ubi Donatus, QUIDAM *rectè*, &c. *& contemptum indicat hoc verbum.*

4. Μὴ προσέχειν μύθοις] Μὴ ἀκολουθεῖν μύθοις, ut 2 Petr. 1. 16. παρακλεῖν, καὶ μὴ προσομιλεῖσθαι μύθοις, ut de Ulysse à Philostrato Heroibus dictum: infrà hic 4. 7. μύθους παραιτεῖσθαι dicitur. Contrarium 2 Tim. 4. 4. ἐπὶ τοὺς μύθους ἐκτρέπεσθαι.

Ibid. μηδὲ γενεαλογίαις ἀπεράντοις] Hesychius, ex hoc Apostoli loco, Ἀπεράντοις, ἀπείροις. Glossæ MSS. ad hunc locum, in Serenissimi M. Ducis Hetruriæ bibliotheca, Ἀπεράντοις, τοῖς μὴ ἔχουσι πέρας τι χρησὸν ἢ τοῖς λέγουσιν ἢ τοῖς ἀκούουσιν. Sic λόγος εἰς ἀπεράντους δεισιδαιμονίας ἐκφέρων, apud Plutarchum in Æmilii vita. Genealogias istas ad veterum Patriarcharum prosapias Ambrosius trahit; recentiores nonnulli ad Judaicas quasdam à Platonicis desumptas nugas, & admixtas Christianismo.

Ibid. αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον ἢ οἰκοδομὴν θεοῦ τὴν ἐν πίςει] Id est, μᾶλλον ἢ οἰκοδομὴν ἐν τῇ εἰς τὸν θεὸν πίςει ut vox θεοῦ non subjectivè sed objectivè sumatur. Sic Luc. 6. 12. προσευχὴν θεοῦ habemus; Luc. 21. 4. θεοῦ δῶρα· Luc. 11. 42. & Joh. 5. 42. θεοῦ ἀγάπην· 2 Cor. 1. 12. θεοῦ ἁπλότητα· Coloss. 2. 9. θεοῦ συνείδησιν· Marc. 11. 22. Ephes. 3. 12. 1 Thess. 1. 8. Galat. 2. 20. & com. 5. ad Philemonem, θεοῦ πίςιν· & demum Apocal. 14. 12. Ἰησοῦ πίςιν. Ponitur heic & μᾶλλον ἤ, pro καὶ οὐ, ut & 2 Tim. 3. 3. Suidas de voce μᾶλλον, Τίθεται ποτὲ δὲ θετικῶς καὶ ἀναιρετικῶς· ὡς ὅταν λέγομεν ὅτι μᾶλλον ἡ ἀρετὴ ὠφελεῖ ἢ βλάπτει· σημαίνομεν γὰρ ὅτι ὠφελεῖ, βλάπτει [illegible] δ᾽. Ζητήσεις heic sunt quales 2 Tim. 2. 23. μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις vocat Apostolus noster: Gellius autem (14. 2.) *disceptationes multi jugarum & sinnosarum quæstionum, multâ & anxiâ curâ indigentes*. Isocrates in Encomio Helenæ, de Rhetoribus, Ἄλλοι δὲ περὶ τὰς ἔριδας διατρίβουσι, τὰς οὐδὲν μὲν ὠφελούσας, πράγματα δὲ παρέχειν τοῖς πλησιάζουσι. δυναμένας· ubi παρέχειν πράγματα, ut heic ζητήσεις παρέχειν. Seneca Epist. 3. de cavillationibus, quæ Græcis σοφίσματα, *Quibus quisquis se tradidit, quæstiunculas quasdam vafras* (ζητημάτια) *nectit: cæterùm ad vitam nil proficit*: οὐδὲν (ut Apostolus loquitur) οἰκοδομεῖ. Apud Gellium 10. 22. habemus *argutias nihil ad vitam neque tuendam neque ordinandam promoventes*: & 5. 15. apud eundem, *arguta desidia aculeos scrupulosque, in quibus neque emolumentum aliquod solidum ad vitæ rationem* (οὐδὲν πρὸς τὴν τοῦ βίου οἰκοδομίαν) *pertinens, neque verò ullus quærendi finis*: ubi notabilia & postrema illa, *nullus finis quærendi*: ex quibus optimè Pauli τὸ ἀπέραντον illustratur. Pro οἰκοδομίαν heic, in quibusdam editis οἰκονομίαν legitur: mihi scriptura prior illa videtur præferenda: vide 1 Cor. 3. 9. & 8. 1. Ephes. 2. 20, 21, 22. & 4. 12.

5. Τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας ἐςὶν ἀγάπη] Ignatius ad Ephesios, Ἀρχὴ ζωῆς πίςις, τέλος δὲ ἀγάπη· τὰ δὲ δύο ἐν ἑνότητι γενόμενα θεοῦ ἄνθρωπον ἀποτελεῖ. Vide & Galat. 5. 6. Rom. 13. 8, 9.

Ibid. ἐςὶν ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας, καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς, καὶ πίςεως ἀνυποκρίτου] Id est, ἐςὶ συνείδησις ἀπρόσκοπος εἰς θεὸν καὶ ἀνθρώπους, ut breviùs idem Paulus Act. 24. 16. verbis Lucæ locutus. Πίςις ἀνυπόκριτος est, qualem ἀνόθευτον, μηδὲν κίβδηλον ἐκ λογισμῶν ἀνθρωπίνων ἐπαγομένην, Proclus scribens ad Armenios vocat.

6. ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν] Hesychius ex hoc loco, Ἐξετράπησαν, ἐξέκλιναν. Ματαιολογία est ferè quam infrà 6. 20. βέβηλον κενοφωνίαν vocat. Glossæ, *Vaniloquus, blato*, (scribe *blatero*) ματαιολόγος. *Blaterat*, ματαιολογεῖ. Glossæ aliæ, Ματαιολογία, *vaniloquium*: ut & heic Vulgatus vertit.

7. θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι, μὴ νοοῦντες ἃ λέγουσι, &c.] Niceph. Gregoras lib. 11. *Apud nos etiam opificibus effusa sunt arcana Theologiæ, &c. & illi qui de recta fide ambigui sunt, & qui nec quomodo credendum sit sciunt, nec quid sit illud quod credere se dicunt, illi, inquam, & fora, & porticus, & theatra omnia Theologiâ compleverunt.* Εἶναι heic est φαίνεσθαι, censeri, existimari. Hermas 3. 9. *Sublimes se gerunt, ac velut prudentes: & cùm sint stulti, cupiunt doctores videri.*

Ibid. μὴ νοοῦντες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται] Hesychius, Παραλαλεῖ, φλυαρεῖ, μὴ γινώσκων ἃ λαλεῖ. Cicero 2. de Oratore, *Quod ipsi experti non sunt, id docent cæteros.* Auctor de Cardinal. Christi operibus, cum Cypriano excusus, *Prosilire ad ea docenda quæ nesciunt, & de his usurpare magisterium quæ ignorant.* D. Hieronymus ad Paulinum, *Quadam facilitate verborum, imò audaciâ, edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt.* Idem ad Demetriadem, *Docent Scripturas quas non intelligunt, &c. prius imperitorum magistri quam doctorum discipuli*: & ad cap. 3. Ecclesiastæ, *Pro seculorum quotidie in pejus labentium vitio, docemus in Ecclesiis quod nescimus.* Alexis apud Diogenem Laertium, Λέγεις περὶ ὧν οὐκ οἶσθα. In Deorum apud Lucianum edicto, Τοῖς δὲ φιλοσόφοις προειπεῖν μὴ ἀναπλάττειν καινὰ ὀνόματα, μηδὲ ληρεῖν περὶ ὧν οὐκ ἴσασιν. De iisdem Scholiastes vetus ad Nubes Aristophanis, Λέγειν ἐπαγγέλλονται

γέλλονται περὶ ὧν οὐκ ἴσασι. In Epistolis Heracliti dictis, *Καταψευδόμενοι τεχνῶν ἃς οὐκ ἔχουσι, καὶ θεραπεύοντες ἃ μὴ ἴσασιν.* Anastasius Sinaita, *Περὶ φύσεως ἐδογμάτιζον, καὶ τί ἐστι φύσεως ὅρος οὐκ ᾐτίσαντο· περὶ ὑποστάσεως ἐφιλονείκουν, καὶ τίς ἐστιν ὑπόστασις οὐκ ἐγίνωσκον.* *Περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται*, *de quibus tam asseveratè affirmant.* Lactantius de Opificio Dei cap. 1. *Et tamen de illorum ratione sic disputant, ut ea quæ afferant, probata & cognita videri velint.* Arnobius lib. 2. *Ipsa quæ dicitis, quæ asseveratis, quæ capitali plerumque contentione defenditis, nescire vos: unumquemque suspiciones suas pro probatis & comprehensis pertinaci obluctatione tutari.* Apulejus in Apologetico, *At tu de illis quoque affirmas* (*περὶ ἐκείνων διαβεβαιοῦ*) *quæ neque conspexisti unquam, neque audisti.* Cicero Academ. quæst. 1. *Nec quidquam est turpius quam cognitioni & perceptioni assertionem, &c. præcurrere.*

8. *οἴδαμεν δὲ ὅτι καλὸς ὁ νόμος*] Rom. 7. 18. *οἴδαμεν γὰρ ὅτι ὁ νόμος πνευματικός.* ibid. com. 6. *τῷ νόμῳ σύμφημι ὅτι καλός.*

Ibid. *ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται*] Est quidem Lex bona quamvis & *ἀνόμως* quis utatur eâ: est itaque positivè hoc accipiendum, etsi enunciatum hypotheticè. Similem locutionem 2 Tim. 2. 13. habemus. *Νομίμως χρῆσθαι*, est, *οὐ ματαιολογεῖν*, non *λέγειν, καὶ οὐ ποιεῖν*, ut Matth. 23. 2. doctores illi, sed moribus & usu vitæ vim Legis comprobare. Salvianus de Lege Christi, quam Catholicam vocat, *Quòd bona est, nostrum non est: quod autem malè vivimus, nostrum est; est nihil utique nobis quod Lex bona est, si vita & conversatio nostra non est bona.* Lib. 6. de Gubernat. &c.

9. *τῷ δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται*] Antiphanes apud Stobæum,

Ὁ μηδὲν ἀδικῶν οὐδενὸς δεῖται νόμου.

Justi enim,

Sponte suâ sine lege fidem rectumque sequuntur.

Dio Chrysostomus in de Consuetud. *Εἰ ἅπαντες ἦσαν ἀγαθοί, τῶν ἐγγράφων (νόμων) ἡμῖν οὐδὲν ἂν ἔδει.* Justinianus Novell. 12. *Ἔξεστι τοὺς μηδὲν ἁμαρτάνοντας ὑπὸ τὸν νόμον τοῦτον μὴ τετάχθαι.* Chrysostomus ad Galat. 5. 18. ea, *Si spiritu agimini, non estis sub Lege*, *Ὁ πνεῦμα ἔχων ὡς χρή, σβέννυσι διὰ τούτου πονηρὰν ἐπιθυμίαν ἅπασαν· ὁ δὲ τούτων ἀπαλλαγεὶς, οὐ δεῖται τῆς ἀπὸ τοῦ νόμου βοηθείας*, Ibidem, *Ὥσπερ οἱ τῶν ἵππων εὐήνιοι*, &c. *οὐκ ἂν δεηθεῖεν μάστιγος, οὕτω καὶ ψυχὴ κατορθοῦσα τὴν ἀρετὴν ἀπὸ πνεύματος οὐ δεῖται τοῦ βοηθοῦντος νόμου* Philo in de Profugis libro, *Τίς ἀπαγορεύσεως χρεία τοῖς μὴ ἀδικήσειν μέλλουσιν:* Agatharchides de Ichthyophagis, *Νόμοις οὐ δικαιοῦνται. τί γὰρ δεῖ προστάγματι δουλεύειν τὸν χωρὶς γράμματος εὐγνωμονεῖν δυνάμενον;* Scholiastes vetus Juvenalis ad Sat. 13. *Non erat opus Judicibus cùm scelera nulla procederent.* Philemon,

——— *Πῶς πονηρόν ἐστιν ἀνθρώπων γένος*
Τὸ σύνολον! οὐ γὰρ ἄν ποτ' ἐδεήθη νόμων.

Id est, cæteroqui legibus nec egerent. Apud Lucianum Demonax, *Οἱ ἀγαθοὶ νόμων οὐ δέονται.*

Ibid. *ἀνόμοις δὲ καὶ ἀνυποτάκτοις*] Iis *qui extra legem vivunt*, Petron. *Qui malis moribus suis disciplinam publicam contemnunt*, Apul. 4. *Qui legibus suspendium mandant*, Idem lib. 9.

——— *Quos neque pudet*
Quidquam, nec metuunt quenquam, neque legem putant
Tenere se ullam. ———

Terent.

Qui sibi lex & sunt, & fert quocunquè cupido.
Præcipitant vires. ———

——— *Qui faciunt jussis quodcunque voluntas,*
Excepto nec quod Masuri rubrica notavit.

Plato de legibus loquens, *Οἱ μὲν (αὐτῶν) τῶν χρηστῶν ἀνθρώπων ἕνεκα γίγνονται, διδαχῆς χάριν, τοῦ τινα τρόπον ὁμιλοῦντες ἀλλήλοις ἂν φιλοφρόνως οἰκοῖεν· οἱ δὲ τῶν τὴν παιδείαν διαφυγόντων, ἀτεράμονί τινι χρωμένων φύσει, καὶ μηδὲν τεγχθέντων, ὥστε μὴ οὐκ ἐπὶ πᾶσαν ἰέναι κακίαν.* Seneca de Ira loquens 3. 2. *Non minùs perniciosa leges metuentibus, quàm quibus jura distinguit modus virium:* id est, *ἀνόμοις*· quod vocis bene Vetus *injustis* vertebat. Glossæ, *Ἄνομος, illex, injustus*, &c. Bene Menander,

Νόμος φυλαχθεὶς οὐδέν ἐστιν ἢ νόμος,
Ὁ μὴ φυλαχθεὶς καὶ νόμος δήμιος.

Ibid. *ἀνόμοις δὲ καὶ ἀνυποτάκτοις*] Heraclitus ad Ephes. *Οἱ νόμοι ἀδικίας (ὑμῶν) εἰσὶ τεκμήριον, εἰ γὰρ μὴ ἦσαν, ἀνέδην ἂν ἐπηρεάζεσθε.*

Ibid. *ἀνυποτάκτοις*] *Ἀνυπότακτοι* sunt quales *contumaces, refractarios, contemptores magistratuum ac legum, eorumque per quos publica administrantur*, Seneca initio Epistolæ 73. vocat: (quo loco malè *regum*, non *legum* editur:) *qui plusquam civilia cupiunt, & quibus non dominari instar servitutis est*, Calpur. decl. 6. *Quos soluta legibus delectat vita*, ut Plinius Panegyrico locutus. In Glossis, *Ἀνυπότακτος, indomitus.* Hujusmodi coërcendis inservit legum auctoritas. Ovidius,

Indè datæ leges, nè fortior omnia posset.

Horatius,

——— *In vitium libertas excidit, & vim*
Dignam lege regi. ———

Quam in mentem vide quæ ad Apuleji lib 9. pag. 558. annotavimus. Idem in de Mundo, *Quid de legibus dicam, quæ ad mansuefaciendos homines inventæ sunt?* ubi *homines*, intellige eos qui sunt *ἀνυπότακτοι*. Irenæus lib. 5. *Quoniam absistens à Deo homo in tantum efferavit, ut etiam consanguineum hostem sibi putaret, & in omni inquietudine, & homicidio, & avaritia sine timore versaretur; imposuit illi Deus humanum timorem, &c. ut potestati hominum subjecti, & lege eorum adstricti, aliquid assequantur justitiæ, & moderentur ad invicem, manifestò positum gladium timentes.* Chrysostomus Homil. 35. in Joh. ait, *leges humano generi impositas ut fræni ἀνυποτάκτοις ἵπποις, ad irrationales ejus impetus compescendos.* De iisdem Plinius in Panegyrico, *Illæ cupiditates nostras libidinesque moderantur.* Cicero 1 de Oratore, *Docere auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines.* Idem 3 de Legibus, *Magistratus inobedientem* (q. d. *ἀνυπότακτον*) *civem mulctâ, vinculis, verberibus coërcent.* Apulejus lib. De philosophia, *Sed inquietos & indomitos, &c. cives refrænet, contineat: ac, si necesse sit, frangat, &c. disciplinâ.*

Ibid. *ἀσεβέσι καὶ ἁμαρτωλοῖς*] Hesychius, *Ἀσεβής, ἄθεος, ἁμαρτωλός.* Sic Proverb. 11. 31. & 1 Pet. 4. 18. *ἀσεβεῖς* & *ἁμαρτωλοὶ* juncti. *Ἀσεβέσι* contrarii Joh. 9. 31. *θεοσεβεῖς, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ θέλημα ποιοῦντες.*

Ibid. *ἁμαρτωλοῖς*] Horatius,

——— *Et ponere leges,*
Nè qui fur esset, neu latro, neu quis adulter.

Cicero in Officiorum libris, *Hoc spectant Leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsiliis, vinculis, &c. coërcent.* Epiphanius in contra Orig. *Ποῖ ἄγομεν τοὺς ἁμαρτάνοντας; οὐ παρὰ τοὺς δικαστάς;* Chrysostomus Serm. ad patrem fidelem, *Διὰ τούτους (ἁμαρτωλοὺς) δικαστήρια καὶ νόμοι.* Suidas, *Νόμος μαρτυρία (ἐστὶν) ὡς τοὺς ἁμαρτάνοντας διαμαρτυρόμενος, καὶ τῆς παραβάσεως τὴν τιμωρίαν ὑποδεικνύς.* Glossarium, *Noxius, ἁμαρτωλός.* Suidas, *Ἁμαρτωλοὶ, οἱ παρανομίᾳ συζῆν προαιρούμενοι, καὶ βίον διεφθαρμένον ἀσπαζόμενοι.* Hanc vocem ex se (ut videmus) satis laxam, sunt qui ex Numer. 16. 31. & 32. 14. ad seditiosos restringunt: qui minùs commodè poterimus de rapacibus sive *πλεονέκταις* intelligere? vide Jacob. 4. 8. Imò quid prohibet quò minùs suâ latitudine sumatur? Sanè 1 Pet. 4. 15. inter varias improborum species apparet vox generalis, *κακοποιός*, & inter plures virtutum species Tit. 2. 4. vox *ἀγαθὰς* occurrit.

Ibid. *ἀνοσίοις*] *Ἀνόσιοι* sunt ferè

— *Qui neque jus neque bonum neque æquum sciunt:*
Melius, pejus: prosit, obsit: nihil vident nisi quod lubet.

Xenophon in Socratis Apologia, *Ἐξ εὐσεβοῦς ἀνόσιον.* Hesychius, *Ἀνόσια, βέβηλα, ἄδικα, ἄνομα.* Vide Suidam in *ὁσιότης.* Vulgat. *sceleratis.* Sic in Glossario, *Sceleratus, ἀνόσιος*, &c. In vetere Onomastico, *Nefarii, ἀνόσιοι.*

Ibid. *βεβήλοις*] Aliud Glossarium, *Βέβηλος, profanus, pollutus*, &c. Vide Heb. 12. 6.

Ibid. *πατραλῴαις, μητραλῴαις*] Iis

Qui charos potuere suos violare parentes.

Apud Auctorem ad Herennium 4. *Patrem nefariè verberasti, parenti manus sceleratè intulisti.* Ammonius in De vocum differentiis, *Ἀλοιᾶν, τύπτειν. Ἀριστοφάνης, Ἡ μητέρ' ἠλοίησεν, ἢ πατρὸς γνάθον ἐπάταξεν. Ἀφ' οὗ καὶ μητραλοίαν φασὶν καὶ πατραλοίαν.* Ferè eadem in *πατραλοίας* habemus apud Hesychium. Hujusmodi autem non eos tantùm intellige esse, qui patrem matremve manu impiâ pulsant, sed & *τῶν τούτων προγόνων τινὰ*, ut apud Platonem 9 de Legg. Tales pro modo facinoris etiam apud Romanos puniti; l. 1. ff. de obsequ. parent. &c. Et à talibus apud ipsos Inferos exactas pœnas ille maximus Poëtarum memorat. Confer jam dicto loco Platonem ipso fine libri.

Ibid. *μητραλῴαις*] Glossarium, *Matricida, μητραλῴας.* *Τὴν μητέρα τύπτειν, παρανομοῦντος* esse ait & Artemidorus. 1. 3. in Oneirocritico.

Ibid.

Ibid. Ἀνδροφόνοις] In quos lex Exod. 21. 12. Deuter. 19. 11. Tyndareus apud Euripidem,

> Ἀμύνω δ' ὅσον περ δυνατός εἰμι τῷ νόμῳ,
> Τὸ θηριῶδες τοῦτο καὶ μιαιφόνον
> Παύων. ———

Repete Irenæi verba jam suprà adducta. Lactantius cap. 4. Epitomes, *Quid tam horribile, tam tetrum quàm hominis trucidatio? ideo severissimis legibus vita nostra munitur.* Apulejus 3. *Et de latronis* (i.e. eo loco, homicidæ) *hujus sanguine legibus*, &c. *litate.* Antiphon in Tetralogo, Τιμωρεῖσθε τὸν ἀποκτείνοντα, ἁγνεύετε δὲ τὴν πόλιν.

Ibid. πόρνοις] In fragmentis Petronii dictis,

> *Lex armata sedet circum fera limina nuptæ,*
> *Nil metuit licito fusa puella toro.*

Ibid. πατραλῴαις, μητραλῴαις, ἀνδροφόνοις, πόρνοις, &c.] Notatu non indignum, & apud Pollucem lib. 6. cap. περὶ τῶν ἀδικημάτων ἐφ' οἷς γραφαί εἰσι, numerari μοιχὸς, ἀνδροφόνος, ἀσεβεῖς, ἀνδραποδιςὰς, πόρνας, πατραλῴας, μητραλῴας, qui omnes in Apostoli contextu memorantur.

10. Πόρνοις, ἀρσενοκοίταις, ἀνδραποδιςαῖς, ψεύςαις, ἐπιόρκοις, &c.] Philostratus 4. 7. Μοιχοὶ, καὶ ἀνδραποδιςαὶ, πόρνοι, τοιχωρύχοι, βαλαντιοτόμοι, καὶ τὰ τοιαῦτα ἔθνη. Πόρνοι heic *fornicarii* Vulgato, & in vetere Onomastico. Ἀρσενοκοῖται, *qui cum masculis nefandam libidinem exercent*, ut in Institut. de public. judic. §. item lex Julia, Tribonianus loquitur. In Glossis, Ἀρσενοκοίτης, *masculorum concubitor*: quæ desumpta (ut multa alia in collectione illa) à Vulgato Interprete nostro. Ἀνδραποδιςαὶ, *plagiarii*: vide Suidam, & 3. 8. Julium Pollucem. In l. congruit, &c. ff. de Offic. Præsid. *Sacrilegos, latrones, plagiarios*, &c. *conquirere debet.* Seneca de Tranquill. &c. cap. 8. *Inter avaros, circumscriptores, latrones, plagiarios* &c.

Ibid. ψεύςαις] *Hominibus in mendaciis convictis, fraudumque & perfidiarum plenis*: ut 14. 2. A. Gellius locutus. Bene autem generalem vocem istam non nemo heic ad contractus restrinxit. Cicero offic. 3. *Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium*: vide Ephes. 4. 25.

Ibid. ἐπιόρκοις] Quales sunt qui

> *Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt*, Catull.

qui non timent

> *Depositum retinere, & fraudem jure tueri*
> *Jurando.* — Juven.

Qui malo jurejurando rem quærunt, ut locutus Comicus Latinus, Bacchid.

> *Qui dum quadrantes aggerant patrimonio,*
> *Cœlum fatigant sordido perjurio*, Phædrus.

Appianus in Ibericis de Galba Romani exercitûs ductore, Ψευδόμενον, καὶ ἐπιορκοῦντα, διὰ κέρδη· ubi & nota ἐπιορκεῖν καὶ ψεύδεσθαι, quæ biga hic in Contextu occurrit. Suidas de Menone Atheniense, Ἐπὶ τῷ κατεργάζεσθαι ὧν ἐπιθυμοίη, συντομωτάτην ὁδὸν ᾤετο εἶναι διὰ τοῦ ἐπιορκεῖν τε καὶ ψεύδεσθαι. Itâ & ψευδολογίαν καὶ ψευδορκίαν junxit Philo Judæus, libro περὶ Φιλανθρωπίας. Huic sceleri contrarium est,

> *Nec sanctam violare fidem, nec fœdere in ullo*
> *Divûm ad fallendos numine abuti homines*, Catull.

Meritò autem Apostolus *perjuros* post *mendaces* posuit, à mendaciis enim ad perjuria progressus facilis. Cicero in pro Q. Roscio Comœdo, *Nihil interest inter perjurum & mendacem: nam qui mentitur pejerare consuevit.* Idem in pro S. Roscio Amerino, *Qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium quàm ad mendacium perduci consuevit.*

Ibid. καὶ εἴ τι ἕτερον, &c.] Idem Cicero Tuscul 4. *Avaritia, ambitio, mulierositas*, &c. *& si qua sunt similia*: sic Rom. 13. 9. καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολή.

Ibid. ἀντίκειται] Hesychius, Ἀντίκειται, ἐναντίος κεῖται· ubi malim ἐναντίον κεῖται, & ad hunc Apostoli locum referri.

Ibid. κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, &c.] Non ausim loco movere lectionem istam: si qui codices tamen vetustate insignes haberent, καὶ τῷ εὐαγγελίῳ, lectionem eam præferendam crederem.

Ibid. τοῦ μακαρίου θεοῦ] Εὐδαίμονος (i.e. μακαρίου) ὁ ζωῆς χρόνος, ἀλλὰ τῷ τῆς ἀρετῆς ἄρχοντι, ut de Eodem Plutarchus locutus, πρὸς ἡγεμ. ἀπαιδ. Vide infrà ad 6. 15. notanda.

12. χάριν ἔχω τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριςῷ, &c.] Sic 1 Cor. 15. 57. τῷ θεῷ χάρις τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος. Vide annotata ad 2 Tim. 4. 17. ubi & ἐνδυναμοῦν.

Ibid. ὅτι πιςόν με ἡγήσατο] Itâ ad Hebræos Scriptor 3. 2. sic & Act. 16. 15 πιςήν με κεκρίκατε.

Ibid. θέμενος εἰς διακονίαν] Ἱκανώσαντας (ut 2 Cor. 3. 6.) διακόνους, &c. vide infrà 2. 7. ubi & ἐτέθην. Τὸ θέμενος heic sunt qui putant habere vim plusquam perfecti: sanè sic 1 Petr. 5. 10. παθόντας Ephes. 4. 8. ἀναβὰς & Joh. 21. 14. ἐγερθεὶς occurrit. Cogitemus tamen an intelligenda hæc Pauli quasi sic scripsisset, ὅτι ἔθετό με εἰς διακονίαν, πιςόν ἡγούμενος (εἰς διακονίαν nempe) τὸν πρότερον ὄντα, &c. Διακονίαν heic intellige, ut dicto ad Corinthios loco, τῆς καινῆς διαθήκης vel (ut 2 Cor. 5. 18.) τῆς καταλλαγῆς.

13. Τὸν πρότερον ὄντα βλάσφημον] Βλάσφημον nempe κατὰ τῆς ὁδοῦ τῆς ἀληθείας vide 2 Petr 2. 2. Glossæ, Βλάσφημος *maledicus.* Plutarchus in Pyrrhi vita, κακολόγον καὶ βλάσφημον. Ad ingenuam hanc Apostoli confessionem bene aptes Euthymii illa, in Matth. 9. ea, VIDIT HOMINEM SEDENTEM AD TELONIUM: *Considera Euangelistam, quomodo non erubuerit ob priorem vitam suam*: vide & Galat. 1. 13. Nec satis habuit dicere πιςόν με ἡγήσατο, sed & addere voluit, se blasphemum & persecutorem fuisse, quò magis Dei misericordiam patefaceret, qui de tam nigro luto dignatus fuerat vas electionis fingere. P. Chrysologus Serm. 93. ad ea, ERAT MULIER PECCATRIX, &c. *Exaggerat Euangelista mulieris facinus ut accumulet indulgentiam largitoris.* Donatus ad Andr. 1. 1. ea,

> —— *Feci è servo ut esses libertus mihi.*

E SERVO *mirè addit, ut vim beneficii exprimeret*: & paulò antè, *Libertatem dulcem fecit*, &c. *translatione verborum. Non tantam enim haberet gratiam, si dixisset, feci libertus ut esses, quàm si dicat, feci è servo ut esses libertus: nec si quis dicat, feci ut esses sanus, quàm si dicat, feci ut ex ægro sanus esses.* Vide & Coloss. 2. 13.

Ibid. διώκτην] Καθ' ὑπερβολὴν τὴν τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαν διώκοντα, &c. Galat. 1. 13. Vide & Act. 26. 11. Glossarium, Ἐκδιώκτης, *persecutor.*

Ibid. καὶ ὑβριςὴν] Εἰς πορευόμενον κατὰ τοὺς οἴκους, σύροντα ἄνδρας καὶ γυναῖκας, &c. Act. 8. 3. Vulgat. *contumeliosum*: ità in vetere & optimo Onomastico, (cum Glossariis excuso,) *Contumeliosus*, ὑβριςής.

Ibid. ἀλλ' ἠλεήθην] Me nihil minùs expectantem prævênit misericordia ejus. D. Augustinus in Psal. 17. *Prior præbuit misericordiam, antequam haberem bonam voluntatem.* Chrysologus Serm. 8. *Misericordia peccatores liberat, restituit sanctos: nisi affuisset misericordia, etiam David cùm adulterat, amiserat prophetiam, & Petrus cùm negat, Apostolici ordinis perdiderat principatum, & Paulus cum blasphemat, remanserat persecutor.*

Ibid. ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα]

> *Tam magna fecit veniam ignorantia culpa.*

In Epistola Ignatii ad Philippenses, Ὁ δὲ Κύριος μακροθυμεῖ καὶ ἔτι, &c. ἀναμεῖ τὸν ἀπ' ἀγνοίας ταῦτα θρασυνόμενον. Philo in Contra Flaccum, Τῷ ἀγνοίᾳ διαμαρτάνοντι συγγνώμην δίδοντας. D. Augustinus in Psal. 35. *Iniquitatem fecisti cum esses in ignorantia? dat Deus veniam.* Donatus ad 4. 2. Hecyræ, *Insciunter lædere quem, ad veniam pertinet*: & ibidem ad 4. 1. *Imprudentia ut delicto veniam frequenter extorsit.* Apud Senecam Herc. fur.

> —— *Proxima puris*
> *Sors est manibus nescire nefas.*

Vide Luc. 23. 34. Glossarium, *Ignorantia*, ἄγνοια, συγγνώμη qui locus planè mutilus est; videtur mihi legendum, *Ignorantia*, ἄγνοια. *Ignoscentia*, (quæ vox excidit) συγγνώμη. Gellius 7. 3. de Catone loquens, *Ignosci Rhodiensibus postulat, & ignoscentias utiles esse rebus humanis probat.* Ἐλεήθην heic, ut 2 Cor. 4. 1. καθὼς ἠλεήθημεν.

Ibid. ἐν ἀπιςίᾳ] Id est, ἐν χρόνοις τῆς ἐμῆς ἀπιςίας, nempe

> *Insanientis dum sapientia*
> *Consultus erro.* ———

Sic 1 Petr. 1. 14. ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν id est, ut Act. 17. 30. ἐν τοῖς χρόνοις τῆς ἀγνοίας 2 Petr. 2. 12. ἐν τῇ Φθορᾷ αὐτῶν, cùm tempus exitii eorum advenerit: 1 Joh. 3. 14. ἐν τῷ θανάτῳ μένων; in statu morti obnoxio: & 1 Cor. 15. 17. ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν, in statu quo fuistis temporibus peccatorum vestrorum. Adde quæ ad Luc. 20. 33. annotata.

14. Ὑπερεπλεόνασε δὲ ἡ χάρις, &c.] Sic χάριτα πλεονάζειν, Rom. 6. 1. & 2 Cor. 4. 15. dixit. Glossæ, Ὑπερπλεονάζω, *exsupero*, &c. *superabundo.*

15. Πιςὸς ὁ λόγος] Certissimus, & de quo minimè dubitandum: ità Hesychius, Πιςὴν γνώμην, βεβαίαν.

Ibid. καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος] Ità πάσης ἀποδοχῆς ἔργον, Hippocrates in Epistolis. Ἀποδοχῆς ἄξιος, quem amplectamur dignissimus. Hinc τὰ λεχθέντα ἀποδέχεσθαι, apud Plutarchum in Alexandri vita: sic ἄνθρωπος ἀποδοχῆς ἄξιος, lib. 12. Diod. Sicu-

Siculus; in Ejusdem 2. ἀποδοχῆς ἀξιῶν τινα· & in Excerptis, μεγάλης ἀποδοχῆς ἀξιῶσθαι· Artemidoro 3. 42. ἀποδοχῆς ἀξιωθήσονται. Ἀποδοχῆς ἄξιος dixit & Hierocles in carm. Pythag.

Ibid. ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ] Vult dicere, ut Luc. 13. 2. ἁμαρτωλὸς παρὰ πάντας. Summopere autem ταπεινοφρονοῦντος est oratio ista. Sic de se Tertullianus, *Præstantiam in delictis meis* (meliùs *meam* legas) *agnosco*; & post, *Peccator omnium notarum sum*, libello de Pœnitentia.

16. Ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἠλεήθην, &c.] Ubi abundavit peccatum, abundavit & gratia. Illa διὰ τοῦτο videntur abundare: vide ad Matth. 13. 52. dicta.

Ibid. ἵνα ἐν ἐμοὶ πρώτῳ ἐνδείξηται Ἰησοῦς Χριστὸς τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν] Sic Ephes. 2. 7. ἵνα ἐνδείξηται ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις τὸν ὑπερβάλλοντα τῆς χάριτος αὐτοῦ πλοῦτον. Ἐνδείκνυσθαι μακροθυμίαν hic, ut apud Apulejum lib. 9. *patientiam demonstrare*: Ἐνδείκνυσθαι πᾶσαν μακροθυμίαν autem, ut apud Plutarchum in Æmilii vita, ἀλλὴν πᾶσαν ἐνδείκνυσθαι· & ad Tit. 2. 10. πᾶσαν πίστιν ἐνδείκνυσθαι. Πᾶσαν, intellige *summam*: sic 2 Tim. 4. 2. ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ· & 1 Tim. 2. 11. ἐν ὑποταγῇ πάσῃ. Vide Ephes. 6. 8. & quæ ad Jacobi 1. 2. notata.

Ibid. πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν] Simile Rom. 4. 23, 24. ubi de Abrahamo agitur: sic 44. 16. Sirachidis de Enocho, Μετετέθη, ὑπόδειγμα (quod hic πρὸς ὑποτύπωσιν) μετανοίας ταῖς γενεαῖς. Ὑποτύπωσιν μελλόντων πιστεύειν, ut 2 Pet. 2. 6 ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν. Hesychius, ex hoc Apostoli loco, Πρὸς ὑποτύπωσιν, πρὸς σημεῖον.

Ibid τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον] Τὸ εἰς hic notat finem quò fides tendit, ζωὴν αἰώνιον nempe: sic 1 Petr. 1. 9. Κομιζόμενοι τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν, ψυχῶν σωτηρίαν.

17. Τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων, &c.] Tobiæ 13. 6. de Eodem, τὸν τῶν αἰώνων βασιλέα. De Eodem ex Platone Apulejus in Apologia, Βασιλεὺς, &c. *totius naturæ rerum*, &c. *origo initialis*. Servius ad Æn. 3. de Saturno, *Dicitur esse æternitatis, & seculorum*.

Ibid. ἀφθάρτῳ] Id est, ut infrà 6. 16. ἀθανασίαν ἔχοντι. In Carminibus Sibyllinis, apud Lactantium de Ira Dei cap. 22.

> Ἄφθαρτος, κτίστης, αἰώνιος. —

De Eodem Philo in de Decalogo, ἀΐδιος, ἄφθαρτος. Plutarchus (in de Orac. defectu) de Stoicis, Θεῶν ὄντων τοσούτων τὸ πλῆθος, ἑνὶ χρωμένους ἀϊδίῳ καὶ ἀφθάρτῳ· τοὺς δὲ ἄλλους καὶ γεγονέναι καὶ φθαρήσεσθαι νομίζοντας. Hinc ἄφθαρτον αὐτοῦ πνεῦμα, Sapient. 12. 1. & ἄφθαρτον, de summo Numine Epicurus apud Plutarchum eundem, libro ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν, &c. Lactantius 2. 8. de Deo, *Incorruptus*, &c. Vide Rom. 1. 23. Distinguit Deum hoc attributo Apostolus & à terrenis Regibus qui φθαρτοὶ dicuntur; (Ad Antiochum 2 Maccab. 7. 16. ille, Ἐξουσίαν ἐν ἀνθρώποις ἔχων, φθαρτὸς ὤν, ὃ θέλεις ποιεῖς) & item à diis fictitiis. Scriptor Sap. 14. 8. Τὸ φθαρτὸν (ξύλον) θεὸς ὠνομάσθη.

Ibid. ἀοράτῳ] Ἄλλως πλὴν λογισμῷ, ut loquitur Auctor libri de Mundo: vel, ἀοράτῳ ἄλλως ἢ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ. Vide Rom. 1. 20. vel ἀοράτῳ, nisi per fidem. Justinus ad Diognetum, Ἡ μόνῃ (πίστει nempe) θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται. Glossarium, Ἀόρατος, *invisibilis*, *inaspicabilis*: ubi quis non videt *inspectabilis* legendum?

Ibid. μόνῳ σοφῷ] Themistius Orat. 1. de Musis loquens, Οὐδεμία αὐτῶν ἀγανακτεῖ, &c. πρὸς τὰς ἄλλας, ὅτι μὴ μόνη σοφή ἐστιν. Ad rem de qua Apostolus, Phocylides,

> Εἷς θεός ἐστι σοφός ———

id est, θεὸς μόνος σοφός ἐστι. Socrates in Platonis Phædro, Τὸ σοφὸν καλεῖν ἐμοί γε μέγα εἶναι δοκεῖ, καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν. Plutarchus in de Iside & Osyride, Οὐκ ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ μακάριον τὸ θεῖον, &c. ἀλλ' ἐπιστήμῃ καὶ φρονήσει· id est, ut hic Paulus, ἀλλὰ σοφίᾳ· vide & Dan. 2. 21. Clemens Pædag. 1. 10. Σοφὸς ὁ μόνος θεὸς, καὶ τέλειος μόνος.

Ibid. τιμὴ, δόξα] Apoc. 19. 1. ἡ δόξα καὶ ἡ τιμὴ, &c. κυρίῳ.

18. Ταύτην παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι] Simillimè Seneca ad Lucilium suum, Epist. 68. *Depono hoc apud te.* Sic παρακαταθήκην λόγου, vetus Comicus Anaxandrides: λόγων παρακαταθήκην, Isocrates ad Demonicum: & *admonitionis fidei commissum* Tertullianus. Vide ad 1 Tim. 6. 20. notanda.

Ibid. ἵνα στρατεύῃ, &c. τὴν καλὴν στρατείαν] Quod 2 Cor. 10. 3. ἡ κατὰ σάρκα στρατεύεσθαι· hoc 2 Tim. 4. 7. τὸν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι. Seneca Epist. 96. *Vivere*, &c. *militare est.* Maximus Tyrius Dissert. 3. Στρατηγὸν μὲν τὸν θεὸν, στρατείαν δὲ τὴν ζωήν. Στρατείαν στρατεύεσθαι autem dixit & Plutarchus in Lycurgo, in Galba, & sæpe alibi: item 2. 14. Arrianus in Epictetum, quà facie & Horatius *bellum militare*.

19. ἔχων πίστιν, καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν] Id est, ἔχων πίστιν ἐν καθαρᾷ συνειδήσει· vide infrà 3. 9. ubi & ἔχειν, (ut heic, & 2 Tim. 1. 13.) est, *fortiter hærere*, vel *inniti*, velut navis anchoræ.

Ibid. ἥν τινες ἀπωσάμενοι, περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν] Hoc dicit, puræ conscientiæ amisso retinaculo, fidei (quæ sine recta vivendi ratione haud valet) naufragium sequi. Hinc & 2 Tim. 3. 8. post, κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν, sequitur, ἀδόκιμοι περὶ τὴν πίστιν· ubi Theophylactus, Ὅταν τις τὸν νοῦν φθαρῇ, τότε ἀδόκιμος περὶ τὴν πίστιν γίνεται. Idem ad cap. 4. Ephes. Ὁ ἀκάθαρτος βίος καὶ δογμάτων πονηρῶν αἴτιος. Ἀπωσάμενοι, *repellentes à se*. Hesychius, Παρωσάμενος; ἀποθήσας, ἀποβαλών. Idem, Ἀπώσατο, μακρὰν ἔρριψεν.

20. ὧν ἐστιν Ὑμέναιος καὶ Ἀλέξανδρος] Euthymius ad Math. 27. ea, ἐν οἷς ἦν Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία τοῦ Ἰακώβου, *Cum multa essent, insigniores enumerat.*

Ibid. οὓς παρέδωκα τῷ Σατανᾷ] i. e. Ut 2 Cor. 12. 7. τῷ ἀγγέλῳ τοῦ Σατανᾶ, ἵνα αὐτοὺς κολαφίζῃ. Nempe, ut malis corporis vexati ad resipiscentiam perducantur. Synesius 44. Epist. Δαίμονές εἰσι καθαρτήριοι, τέχνην ἔχοντες ἐπὶ ταῖς ψυχαῖς, ὥσπερ γναφεῖς ἐπὶ τοῖς ῥυπαροῖς ἱματίοις.

Ibid. ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν] Ut discant falsa non disseminare, μὴ πονηροῖς λόγοις φλυαρεῖν, quod solent qui ab aliorum communione se separant, 3 Joh. 10. & 2 Pet. 2. 2. ubi & βλασφημεῖν. Ἵνα παιδευθῶσι, &c. est inter genera loquendi proverbialia. Cicero ad Brutum, *Ut in posterum documentum darem ne quis talem amentiam imitari vellet.* Phædrus,

> ——— *Ne quis discat prodesse improbis.*

Aristophanes Eccles.

> Ταύτης ἀποφυλάσσωμεν τὸν χρόνον, ἵνα διδαχθῇ
> Γυνὴ γυναῖκας ὅσα μὴ κακῶς λέγειν.

Achilles Tatius lib. 6. Ταύτην ξανθῆναι μάστιξι δεῖ, &c. ὡς ἂν μάθοι δεσπότε μὴ καταφρονεῖν. Sic in Novellis Justiniani, ὅπως ἂν μάθοι σωφρονεῖν· & apud Lucianum in Reviviscentibus, Σοὶ [illegible] τί Ἐμπεδοκλῆς δοκεῖ; Εἰς τοὺς κρατῆρας ἐμπεσεῖν αὐτὸν, ὡς μάθοι μὴ λοιδορεῖσθαι τοῖς κρείττοσι. Minerva ad Neptunum, apud Euripidem,

> Πλῆσον δὲ νεκρῶν κοῖλον Εὐβοίας μυχὸν,
> Ὡς ἂν τὸ λοιπὸν τ' ἀμ' ἀνάκτορ' εὐσεβεῖν
> Εἰδῶσ' Ἀχαιοὶ, θεούς τε τοὺς ἄλλους σέβειν.

Vide & 23. 41. Ezechielis. Simile apud Demosthenem, κατ' Ἀνδροτ. τοῖς ἄλλοις παράδειγμα ποιῆσαι ἵν' ὦσι φρονιμώτεροι.

CAP. II.

VALLA.

1. O*Bsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes*] Cur non, ut dixi, *Hortor?* παρακαλῶ.

2. *Qui in sublimitate sunt constituti*] Nec eleganter nunc dicitur *constituti*, nec Græcè legitur, sed tantùm *qui in sublimitate* vel *dignitate sunt*, ἐν ὑπεροχῇ ὄντων.

7. *Prædicator*] Magis dicitur *præco* quàm *prædicator* Gr. κήρυξ.

8. *Sine ira & disceptatione*] Videtur significare *contentionem cum aliquo* hoc nomen *disceptatio*. At nunc eadem significatio est quæ illa Luc. 1. 29. cum dicitur de B. Maria quòd *cogitabat qualis esset illa salutatio*, διελογίζετο, i. e. *dubitabat*. Ita nunc *sine dubitatione atque hæsitatione* fortasse erat dicendum, διαλογισμοῦ.

9. *Cum verecundia & sobrietate*] Secundùm Hieronymum, ut testati sumus, potiùs dicendum erat *pudicitia*, σωφροσύνης, quàm *sobrietate*. Idem dico de loco paulò pòst sequenti,

15. *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*] Quidam tamen codices habent *cum castitate*, σωφροσύνης. Legendum tamen est *si permanserint*, ἐὰν μείνωσι. Idem loquor etiam de loco sequenti, c. 3. 2.

REVIUS in VALLAM.

8. S*Ine dubitatione atque hæsitatione*] At τὸ ὀργῆς hic non exprimitur. Reliqua bellè habent. Confer Notas Bezæ & Erasmi.

ERAS.

ERASMUS.

1. *Obsecro igitur*] Παρακαλῶ. Quod hoc sanè loco rectius vertisset *Adhortor ut fiant*. Ambrosius legit *exhortare*, secundâ personâ: fortasse legit παρακάλει. ¶ *Primùm omnium*] *Omnium* incertum est an referatur ad *primùm* an ad *obsecrationes*: & uterque sensus tolerabilis est. Si refers ad superiora, hic erit sensus; *ut cum primis fiat deprecatio*, h. e. ante omnia. Et in hanc sententiam exponit Chrysostomus & Ambrosius, nempe diluculo. Sin ad sequentia, sensus erit, *ut precationes fiant ab omnibus*. ¶ *Obsecrationes, orationes, postulationes*] Δεήσεις Ambrosius vertit *deprecationes*, & rectius. Quod hic vertit *postulationes*, Ἐντεύξεις, vulgò vocant *intercessiones*: idque sonat Græca vox. Quanquam hanc vocem Interpres variè reddit. Græcanicum Scholium ità distinguit hæc tria, ut dicat δέησιν vocari *quâ rogamus ut liberemur à malis*: quod si verum est, elegantissimè Ambrosius vertit *deprecationes*. προσευχὴν esse *quâ precamur ut nobis contingant bona*. ἔντευξιν autem, *cùm querimur de his qui nos lædunt*: quod si verum est, aptè vertisset *interpellationes*. Sed hisce de rebus fusiùs disserit Augustinus in epistola 59. ad Paulinum, si quis copiosiùs postulet edoceri.

2. *In sublimitate*] Τῶν ἐν ὑπεροχῇ, i. e. *his qui sunt in dignitate*. Ambrosius legit *qui in sublimiori loco positi sunt*. ¶ *Quietam & tranquillam*] Ἤρεμον καὶ ἡσύχιον, *placidam & quietam*, &c. ¶ *Et castitate*] Καὶ σεμνότητι· quod verbum latius patet, nempe ad omnem *morum gravitatem & honestatem*.

5. *Mediator Dei & hominum*] Gr. μεσίτης, quod nos vertimus *conciliatorem*. Tertullianus libro De resurr. carnis vertit *sequestrem*.

6. *Semetipsum redemptionem*] Ἀντίλυτρον. Id significat *pretium quo redimuntur captivi ab hostibus in bello, aut à piratis*. Siquidem quæ vulgò vocant *ransonas*, Græci λύτρα vocant. Deinde quò magis explicaret Christi commutationem, qui suo capite permutavit nos omnes, addidit ἀντίλυτρον, cum caput capite, vita redimitur vitâ. ¶ *Cujus testimonium*] *Cujus* pronomen, quod non est in Græcis cod. & *confirmatum est*, quod nec ipsum est apud Græcos, addita sunt ab Interprete quopiam explicandæ sententiæ causâ. Nam Græca sic habent, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ, *testimonium temporibus suis, in quod positus sum ego*. Quanquam ad eundem modum legit Ambrosius, consentiens cum Vulg. editione. Cum Græca lectione congruebat uterque codex Constantiensis sic, *pro omnibus, testimonium temporibus suis, in quo positus sum ego*. *Testimonium* autem appositivè additum est; quod *seipsum dedit antilytron, testimonium* erat promissionis Propheticæ, & confirmatio Divinæ charitatis erga genus hominum. Ità ferme Theophylactus & Chrysostomus. Cæterum articulus additus non est otiosus, τὸ μαρτύριον, i. e. quod erat *illud testimonium* de quo nemo debeat dubitare. Non enim fallit qui morte suâ fidem facit.

7. *Prædicator*] Κήρυξ, i. e. *præco* sive *nuntius* potius quàm *prædicator*. ¶ *Veritatem dico*] Deest apud nos ἐν Χριστῷ *in Christo*: tametsi nec apud Ambrosium additur, nec apud Chrysostomum, nec apud Theophylactum.

8. *Puras manus*] Ὁσίους, quod Ambrosius vertit *sanctas*. Quanquam Interpres hoc loco bene reddidit *puras*; quòd in sacris oporteat omnia esse pura. Cæterum hic *puras* non sentit lotas more Judæorum, sed puras à rapinis, puras à libidine, puras à pugnis & sanguine. ¶ *Et disceptatione*] Διαλογισμοῦ. Quod Laurentius maluit verti *hæsitatione*. Cumque hac sententia conveniunt Græcanica Scholia. Quanquam Stapulensis haud absurdè trahit ad animum parum pacatum erga proximum: & in hanc sententiam enarrat Chrysostomus. Tametsi eandem vocem Interpres crebrò vertit *cogitationem*.

9. *In habitu ornato*] Ἐν καταστολῇ κοσμίῳ. Non satis tutum est hoc præcipere mulierculis, præcipuè Britannicis, aut etiam Italicis, quæ suâ sponte satis comuntur. Imò Paulus jubet fœminas uti *amictu modesto*, ut tegantur undique, & habitus vitæ testetur integritatem ac muliebrem verecundiam: id enim sonat κόσμιον. Quorsum enim attinet admonere mulierculas nè cultu utantur sordido? Apparet Aquinatem hîc nonnihil offensum: Et ob id philosophatur de ornatu interiori mentis, qui requiratur à fœminis, quòd alioqui corporis animique robore minus valeant. Qui offenduntur quòd quidam γυναῖκα interpretantur de fœmina, cur non offenduntur hoc sermone, ἐν καταστολῇ κοσμίῳ; ¶ *Ornantes se*] Κοσμεῖν ἑαυτὰς, *ornare sese*. ¶ *In tortis crinibus*] Ἐν πλέγμασιν. Sententiam periphrasi reddidit. ¶ *Vel veste pretiosa*] Ἢ ἱματισμῷ πολυτελεῖ, id est, *vestitu sumptuoso*.

10. *Promittentes*] Ἐπαγγελλομέναις, i. e. *profitentes*, ut vertit Ambrosius. Et *profitentes* hic accusativi casûs est; h. e. *eo cultu utantur qui deceat mulierem quæ ipsâ re præferat pietatem*. Nam non est mulierum docere. *Professores* autem dicuntur Doctores. Cæterum *pietatem* quam hic θεοσέβειαν vocat, *cultum Dei* sonat: nè quis de *pietate in liberos* accipiat. Eam factis ipsis præstari vult, non cultu promitti, quemadmodum hodie faciunt quas *Nonnas* vocant.

12. *Dominari in virum*] Αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, q. d. *autoritate uti in viros, & illos ad suum affectum cogere*. Ab hac voce dicuntur *Authentica*.

14. *Mulier seducta in prævaricatione fuit*] *Fuit* non est referendum ad participium *decepta fuit*, sed ad particulam quæ proximè præcessit, *in prævaricatione fuit*, h. e. *transgressa est*, sive *obnoxia facta est transgressioni*. Hunc sensum facit hypostigme Græca, ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα, ἐν παραβάσει γέγονε, i. e. *decepta cœpit transgredi præceptum*.

15. *Si permanserit*] Ἐὰν μείνωσι, i. e. *si manserint*, numero plurativo, ut referatur ad *filios*, ut palàm testatur Hieronymus, exponens hunc locum Adv. Jovin. rursus in Epist. ad Lætam. In eandem sententiam clarissimè disserit Chrysostomus, *Hâc ratione servari posse mulierem, si genuerit liberos, & eos curaverit diligenter instituendos in fide Christi castisque moribus*. Cum hoc consentit suo more Theophylactus. Nec ab hac lectione simul & interpretatione dissentit Ambrosius. Quin & Augustinus lib. 12. De Trinit. cap. 7. sic refert hunc locum ut non possit subsistere lectio *permanserit*, numero sing. Quanquam commentum quod illic adfert non probo, *filios* interpretans *bona hominis opera*. Pudet autem vel ipsius nomine hoc loco referre quæ Thomas Aquinas commentetur in hæc Pauli verba, quàm se torqueat, quot rimas quærat quibus elabi possit. Qui volet ipse conferat, & intelliget quid sit scribere Commentarios in N. Testamentum non consultis Græcis exemplaribus. SALVABITUR, inquit, *quantum ad salutem corporis, quia non privabitur sexu suo & facultate generandi*. SALVABITUR *quoad salutem animæ, quia non privabitur gratiâ*. Ac mox post admixtam Allegoriam, cui tamen non admodum fidit, redit ad *literalem expositionem*; *ut hÿ* PER *non declaret Causam sed Repugnantiam*; *sitque sensus, Mulier salvabitur etiamsi incedat per generationem, i. e. si nubat*. Cætera piget referre. Dicant mihi qui, contemptis veteribus, his tribuunt omnia, quid isti potuissent in enarrandis S. voluminibus, si coacti fuissent rem suo, quod ajunt, Marte peragere, veterum auxilio destituti, à quibus cùm hauserint ferme quicquid habent lectu dignum, vix usquam tamen illos agnoscunt autores. Id quo animo fit ab illis factum alii viderint. Hoc sanè loco mihi velim respondeant quibus impendiò placet illa decantata de Thoma fabula, Ubinam erat hic Paulus ille qui fassus dicitur suas Epistolas à nemine priùs intellectas quàm Aquinas Commentariis suis eas illustraret? Theophylactus indicat quosdam interpretari locum illum, *Salvabitur autem per filiorum generationem*, de Virgine matre, quasi per illam servatæ sint omnes mulieres, eò quòd genuit Redemptorem: nam Græca vox τεκνογονία potest & de uno filio filiàve dici. Verum hoc commentum rejicit, quod minimè congruat iis quæ præcedunt & quæ sequuntur. ¶ *Cum sobrietate*] Μετὰ σωφροσύνης· quod Hieronymus Adv. Jovin. voluit verti *pudicitiam* magis quàm *sobrietatem*. Et hic Interpres modò vertit *pudicitiam*; atque ità legit & Ambrosius. Quanquam Græca vox anceps est, magis tamen *sobrietatem* sonans & *sanitatem mentis* quàm *pudicitiam*. Sed, ut dictum est Hieronymus illic Virginitatis agit patronum.

VATABLUS.

1. *Obsecro*] Vel, *adhortor*. ¶ *Postulationes*] *Intercessiones, interpellationes*.

2. *Sublimitate*] Vel, *eminentiâ*. ¶ *Castitate*] *Honestate*.

3. *Bonum*] Vel, *honestum*.

4. *Et ad agnitionem veritatis venire*] Heb. postquam agnoverint veritatem.

5. *Mediator*] vel, *conciliator*: Tertullianus legit, *sequester*.

6. *Testimonium temporibus suis*] Sub. *Deum esse veracem, & promissis stare*. Græcè est, *ut esset testimonium*.

7. *In quo positus sum ego prædicator*] Vel, *ad quam promulgandam positus sum ego præco*. ¶ *Dico**] * *In Christo*. ¶ *In fide & veritate*] i. e. Ut illas fide & vero Dei cultu imbuam.

8. *Puras*] Sub. *à rapinis, libidine, pugnis*, &c. Legitur &, *sanctas*. ¶ *Disceptatione*] Aut, *hæsitatione*: sub. *inter* si,

se, vel, *sine dubitatione*: i. e. nè irascantur, si Deus statim non exaudiat, neque dubitent de promisso auxilio à Deo.

*9. *Ornatu*] *Modesto*, vel, *honesto*. ¶ *Sobrietate*] *Castitate*. ¶ *Veste pretiosa*] *Vestitu sumptuoso*.

10. *Promittens*] *Profitentes*. ¶ *Pietatem*] i. e. Pium erga Deum amorem.

11. *In silentio discat*] Sub. *in Ecclesia & cœtu*.

12. *Dominari*] *Autoritatem usurpare*.

14. *In prævaricatione fuit*] *Transgressa est*: sub. *mandatum Dei*. Gr. *in transgressione facta est*: i. e. decepta cœpit transgredi præceptum.

15. *Per filiorum generationem*] q. d. Subjecta procreationi liberorum. ¶ *Permanserit*] *Permanserint*: plur. num. pro sing. Vet. sub. *mulieres*. Subita numerorum mutatio frequens Hebræis. ¶ *Sobrietate*] *Castitate*.

CASTALIO.

15. SErvabitur autem mulier] h. e. *Mulieres servabuntur* (nihil enim refert utro numero utare, cùm de toto genere loquare) *per liberorum procreationem*, h. e. Quandoquidem sui peccati pœnas dat in hac vita, dum natos cum dolore parit: ut sit τεκνογονία totius generis, non unius fœminæ. Nam malè cum Mulieribus ageretur si steriles aut cœlibes servari non possent. *Servabuntur* igitur *mulieres*, sed ità demum si permanserint in officio. μείνωσιν enim de *mulieribus* dicitur, mutato numero: quod Hebræis usitatum est: ut in hujus Epistolæ. cap. 5. εἰδέ τις χήρα τέκνα ἢ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν, scilicet *viduæ*. Itaque rectè verterat utrobique V. Interpres per numerum singularem.

CLARIUS.

1. PRimùm omnium fieri obsecrationes] δέησις, h. e. *deprecatio*, (ut Græci autores volunt) cùm precamur liberari à malis; προσευχὴ, *obsecratio*, cùm petimus bona; ἔντευξις, *interpellatio*, cum de iis querimur, qui nos injurià afficiunt; ut illud, *Et nunc, Domine, aspice in minas eorum*. εὐχαριστία, h. e. *gratiarum actio*, apertior est, cùm scilicet non pro nostris solùm, verùm etiam pro bonis proximi cujusque gratias agimus.

4. *Qui omnes homines vult salvos fieri*] Cur ergò non servantur? Quia ipsi nolunt: nam per ipsum non stat quin serventur. Deum verò adhibere nobis vim non decet. Vel *omnes homines* intellige omnis generis homines, sive quocunque in statu fuerint, modò Christo credant.

5. *Unus enim Deus*] Et, ne putes Filium excludi, addidit, *unus & Mediator Dei & hominum*, &c. Sic & Dominus in Evangelio, *ut agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Neque tunc necesse fuit addere *Spiritum sanctum*, qui suo tempore est postea declaratus: ut progressibus quibusdam plena demum veritas agnosceretur. *Multa*, inquit, *habeo, quæ modo ferre non potestis*. Appellat autem hic *hominem*, cùm & Deus esset; quemadmodum & ipse Dominus de se dixit, *Filius hominis, qui est in cœlo*, cum hoc esse necesse fuerit quatenus Deus erat. Erat enim Deus & homo indivisè & inconfusè. Videtur autem voluisse apertiùs facere quod dixerat, *coram Servatore nostro Deo*, & ostendere hanc salutem Deum Patrem per Filium operatum fuisse.

6. *Testimonium temporibus suis*] *Ego*, inquit Dominus, *ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati*. Clemens autem in 7. Στρωματέων ait, PER MARTYRIUM dicitur, h. e. per passionem, DEDIT SEMETIPSUM REDEMPTIONEM: *in ea enim perhibuit testimonium Paternæ bonitati, quòd dederit Filium. Hoc autem suis propriisque temporibus factum est, quæ antea præsignata & præfixa fuerant.*

7. *Veritatem dico in Christo*] Magnum quidem hoc, inquit, est, sed tamen verum, Christo teste. Et exitus ipse declarabit rem non esse impossibilem, quòd accersendi sint idololatræ & ad hanc lucem admittendi per meum ministerium. ¶ *In fide & veritate*] *Magister* quidem sum *Gentium*; sed ad eas docendas non utar syllogismis & Rhetoricis persuasionibus, sed *fide*, quæ, quia utitur *veritate*, nullo alio adminiculo opus habet.

8. *In omni loco*] Non hoc ei contrarium est quod jubet Dominus, ut qui *orat intret in cubiculum*; cùm non præcipua cura fuerit prohibendi cujusquam loci, sed ostentationis tantum. Sicut cum ait, *Nesciat sinistra tua*, non de manibus loquebatur, sed ut sine inani gloria id agerent de quo sermo erat. ¶ *Sine ira & disceptatione*] *Sine ira*; nè cum fratris odio fiat: *sine disceptatione* verò & *dijudicatione*; ne quicquam hæsitet, sed confidat se exaudiendum: *in charitate* ergò *& fide*.

9. *Non in tortis crinibus*] Quàm parùm, atque adeò quàm nihil potiùs, hæc curantur verba illius Apostoli in quo loquebatur Christus, perinde quasi non sint ad salutem necessaria! Atqui sunt qui non solùm hæc defendant, sed etiam affirmare audeant, licere mulieribus pingere genas, h. e. meretricios mores imitari. Ità miseri ad excogitandas contra Apostolica præcepta humanas rationes in perniciem nostram sumus ingeniosi.

14. *Adam non est seductus*] Nam Eva quidem dixit, *Serpens decepit me*. Adam verò non ait, *Mulier decepit me*, sed *Mulier dedit mihi de ligno*.

15. *Per filiorum generationem*] Nempe si, ut ipsi vivere præcipiuntur, ità eos educaverint, *in fide & dilectione sanctè, sobriè ac modestè*.

ZEGERUS.

1. OBsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones] Eucherius lib. Quæst. N. T. hæc distinguens, *Obsecratione*, inquit, *fiunt pro peccatis præteritis & præsentibus*; *Orationes, pro adipiscendis quæ speramus*; *Postulationes, cùm pro aliis intervenimus*; *Gratiarum actiones, cum pro Dei beneficiis gratias laudesque referimus*. Cui ferè respondet & OEcumenius, dicens, δέησις, *deprecatio, petitio bonorum*; ἔντευξις, *interpellatio, est ad accusationem nocentium*. Qui exactiora postulat videat Augustinum Epist. 59.

2. *Qui in sublimitate constituti sunt*] Augustinus & plures cod. antiqui, cum Græcis non habent *constituti*. Est enim ὄντων, i. e. *existentibus*, pro quo Ambrosius habet *positi sunt*. Quare & addubito num & hic eodem autore positum sit quo apud Matthæum c. 8. *Homo sum sub potestate constitutus*. ¶ *Castitate*] *Castitatem* dicit non modò pudicitiam, verùm etiam honestatem, morum gravitatem, sanctimoniam & verecundiam: hæc enim Græca vox σεμνότης declarat.

4. *Qui vult omnes homines salvos fieri*] Voluntate videlicet antecedente, non autem voluntate consequente, ut breviter & eruditè explicant Scholastici, idque ex autoritate Johannis Damasceni. Vide Thomam.

6. *Cujus testimonium temporibus suis confirmatum est*] Quanquam in Græcis & plerisque antiquis nostris non habeantur hæc verba, *cujus, confirmatum est*, quæ à quopiam explicandæ sententiæ gratià adjecta sunt, hanc tamen scripturam puto, aut certè opto, esse receptam, ut absit obscuritas, quia huic adstipulantur Ambrosius atque Hieronymus, nisi quod Ambrosius habet *datum est*: ex quibus (ut verisimile est) castigator Ecclesiasticus prædicta huc transposuit. Nam hunc unum esse locum inter cæteros reor quem ipse nobis reddidit pleniorem & clariorem.

8. *Disceptatione*] Διαλογισμῶ, i. e. *disputatione vel hæsitatione*.

9. *Sobrietate ornantes se*] Σωφροσύνη multa significat, & fortasse præsenti loco *modestiam* potiùs aut, juxta Hieronymum & Ambrosium, *pudicitiam* declarat.

10. *Promittentes pietatem*] i. e. Profitentes Dei cultum. Est autem *profitentes* Græcis accusandi casûs.

15. *Si permanserit*] Nè quid erres, *permanserint* pluraliter legendum, juxta veterum Latinorum pariter & Græcorum exempl. & Ambrosianæ lectionis fidem. Atque ità referri hoc poterit ad *filios* simul & *mulierem*.

LUCAS BRUG.

6. CHristus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, cujus testimonium temporibus suis confirmatum est.] Ità ferè legunt Latini libri, concinentibus Autore Ordinariæ Glossæ & posterioribus Glossematicis. Porrò tex Parisiensium, Conf. utrumque Di. o. Ge. o. l. V. tria Hentenii, & quinque nostra MSS. Brug. Lob. Leod. Mal. mi. So. la. auferunt has tres voces, *cujus confirmatum est*; duntaxat *testimonium temporibus suis* scribunt, ut per appositionem intelligas, *semetipsum*, vel *redemptionem, testimonium*; testimonium utique Divinæ voluntatis, quæ omnes homines salvos fieri cupit. His DD. Haymo & Anselmus adstipulantur (quanquam & alterius Anselmus meminerit lectionis) suffraganturque Græci, tum codices tum Enarratores. Syri habent, *Testimonium quod venit tempore suo*; nempe τὸ *quod venit* explicandæ sententiæ gratiæ adjecerunt. Qua ex causa & id quod à Latinis legitur, *cujus confirmatum est*, adjectum reor; sed non ab Interprete, neque ab Hieronymo Ecclesiastico correctore, verùm ab audaculo quopiam correctore, aut librariis glossam proximam textui inserentibus. Id enim docere videntur cùm antiquissima spectatissimæque fidei exemplaria, editionis nostræ studiosissima, quæ iis omittunt, tum etiam alia, quæ etsi pleraque legant, *cujus testimonium temporibus*

bus suis confirmatum est, quædam tamen in medio habent *confirmatum est* (*cujus testimonium confirmatum est temporibus suis*) sex nostra. Unum eo loco *firmatum* scribit: aliud omittit *est*. In quatuor est, *Cujus testimonium temporibus suis datum est*; Mal. ma. G. M. V. quanquam postremum hoc in medio ponat *datum est*. Qua ex varietate non obscurè intelligendum dari videtur, adjectitium illud esse. Nicolaus Zegerus arbitratur ab Ecclesiastico correctore, tollendæ obscuritatis gratiâ, ex Ambrosio & Hieronymo additum esse. Nescio quem putet ille Ecclesiasticum correctorem, cui sæpius plurima adscribit hujusmodi, præsertim auctaria: neque enim me legere aut audire contigit de Ecclesiastico correctore alio præter Hieronymum, qui nostram editionem suo pro judicio arbiter emendaverit, &, quod nec Hieronymus fecit, suis glossematis auxerit, sitque ab ecclesia receptus. Porrò apud Ambrosium aut Ambrosiastrum potiùs (usurpat enim, sed mentitur, liber Ambrosii nomen, quanquam sit veteris autoris) legitur hoc loco, *Cujus testimonium temporibus suis datum est*, uti in quatuor illis quos modò diximus manuscriptis libris: verùm ex commentario incertum relinquitur an hunc ad modum legerit, an solommodo *testimonium temporibus suis*. Vetus codex Societatis Jesu, latus, qui ad verbum penè in margine adscriptum habet ejus commentarium, ut ferè aliàs, non aliud, quod jam diximus, quàm *testimonium temporibus suis* legit. Nec Haymo, qui hunc secutus videtur, plus quidquam, uti annotavimus, legit. Apud Hieronymum, h. e. eum Autorem cujus brevia exstant in Hieronymi operibus commentaria, quem Pelagium esse magis credo, scriptum est, ut in Latinis vulgò exemplaribus, *Cujus testimonium temporibus suis confirmatum est*: sed sine his vocibus, *cujus confirmatum est*, simpliciter eum legisse *testimonium temporibus suis*, commentarius haud obscurè docet. *In testimonium*, habet, *generi humano sanctæ vita dedit exemplum: quia & Prophetæ suis testimonium fuere temporibus: novissimè autem misit filium suum ad colonos.* Ubi observa παρέργως Pelagiani vestigii unguiculam, Exemplum potiùs Christo redemptori quàm Sacramentum tribuentis. Sic & superiori loco, quem ex posteriori ad Thessalonicenses tractavimus, *Quòd elegerit nos Deus*, *videns*, inquit, *paratos ad credendum*. Nec pauca alia habet hujuscemodi. Primasius utroque loco, ut & alibi, eum secutus est; sed cautè, nunc omissis, nunc mutatis absonis verbis.

H. STEPHANUS.

6. Ἀντίλυτρον] *Redemptionis pretium.*

9. Μὴ ἐν πλέγμασιν] *Non in cincinnis.*

10. Ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν] *Quæ profitentur Dei cultum.*

12. Οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς] *Neque autoritatem sibi vendicare in virum.*

14. Ἐν παραβάσει γέγονε] *Causa transgressionis fuit.*

DRUSIUS.

4. Qui *omnes homines vult salvos fieri*] Si est reprobatio, tunc non vult omnes servari. An igitur *omnes*, i. e. omnis generis homines? Vide Animad. lib. 2. c. 18. Quibus addo ex Augustino epist. 107. *Quod dictum est*, OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI, *cùm tam multos nolit salvos fieri, ideo dictum est quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt: & si quo alio modo illa verba Apostoli intelligi possunt; ut tamen huic apertissimæ veritati, in qua videmus volentibus hominibus, sed Deo nolente, salvos non fieri, contraria esse non possunt.* Sic, *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*, i. e. super omne genus homines. Act. 2. ἀπὸ παντὸς ἔθνους. Vide Theophylactum pag. 28. & 29. Nam *omnes* & Multos denotat & aliquando Paucos, ut alibi notamus. Aut, *vult omnes homines servari*, tam Judæos quàm Græcos. Augustinus De civit. Dei, col. 1310. *Conclusit omnes sub peccato ut omnium misereatur, h. e. tam Judæorum quàm Græcorum.* *Aut*, vult omnes salvos fieri, *quia omnes vocat ad fidem Christi, per quam salvi fierent si eam ità ut oportet amplecterentur.* Aut, *omnes homines vult salvos fieri* voluntate non absolutâ (nam si absolutè vellet, omnes salvi fierent) sed, ut ità loquar, conditionatâ, h. e. cum conditione, *Si credant.* Sic voluit eversam Ninivem nisi resipuissent. Contrà, *non vult iniquitatem*, approbando eam. Nam si absolutè nollet, non fieret iniquitas. *Non vult* ergò, i. e. non approbat, non delectatur eâ.

8. *Levantes puras manus*] Non καθαρὰς est in fonte Græco, sed ὁσίους χεῖρας, i. e. *sanctas* aut *pias*, i. e. חסיות. Sed טהורים *puras*, *mundas*, etiam LXX. interpretati sunt ὁσίας Prov. 22. 11. ἀγαπᾷ Κύριος ὁσίας καρδίας, *sanctas*, i. e. puras. Quidam, *levantes puri manus*. Vide Theodorum. Gestus orantium. Nam orantes manus levabant in cœlum, aut versùs Sanctuarium: unde *levatio manuum* de precibus Psal. 141. 2. Notatum in libro magno Præceptorum, *Judæos, cùm precarentur in terminis*, h. e. extra Jerosolymam, *solitos fuisse levare manus versùs scapulas.* Quomodo depictas vidi aliquando imagines Prophetarum. Vide librum illum fol. 103. col. 4.

9. *Et sobrietate*] Καὶ σωφροσύνης. Alius *& modestiâ*. Sic infrà v. 15. Erasmus, *& castitate*. Hieronymus Adv. Jovin. lib. 1. c. 14. σωφροσύνη *non Sobrietas, sed Castitas.* Lex. V. Σωφροσύνη, *modestia, pudicitia*. Σώφρων ἀνὴρ, *pudicus, castus*. Σώφρων γυνὴ *pudica, casta*. Σωφρόνως, *sobriè castè*. Sap. 9. 11. ὁδηγήσει με ἐν ταῖς πράξεσί μου σωφρόνως, i. e. *modestè*.

10. *Operibus bonis*] Cùm erga alios, tum imprimis erga maritum. Quænam verò illa sint docet autor libri Musar, cap. 6. *Administrabit res viri sui rectè; custodiet pecuniam ejus; auxilio ei erit pro virili; dabit ei consilium rectum; non vexabit eum expendendo plus quàm par est; curabit necessaria domûs suæ; liberos educabit; præstabitque viro quibus indiget per se, non per alios, sed stabit coram eo, & ministrabit ei, vocabitque illum Dominum suum, ut Sara olim Abrahamum Dominum vocavit. Ad hæc, solicita erit de vestibus ejus, ut semper munda sint & absque macula, quò comptior ità & ornatior prodeat socios suos. Quòd si hospitem adduxerit, aut si venerit aliquis ex proximis ejus, excipiet eos læto ac hilari vultu, & tunc plus expendet quàm solita est expendere propter honorem viri; quicum differet jugiter de hisce & similibus rebus, atque ità erit corona super caput ejus.*

12. *Neque dominari in virum*] In Græco non est κυριεύειν, sed αὐθεντεῖν, quod explicant *autoritatem usurpare*. Lex. Vet. Αὐθεντῶ, *auctoro*. Αὐθεντία, *auctoritas*. Respexit ad locum Gen. 3. 16. *Ad virum tuum erit appetitus tuus, & ipse dominabitur in te.* In lib. Musar, 73. 2. *Sapiens quædam fœmina dixit filiæ suæ eam in thalamum introduceret, Sta coram viro tuo, & ministra ei. Quòd si fueris ei ancilla, ipse tibi servus erit, & honorabit te tanquam heram vel dominam: sed si extuleris te contra eum, eris tibi dominus, & tunc in oculis ejus evilesces sicut una ancillarum.*

14. *Adam non est seductus*] *Prior* videlicet, quod repeti debet ἀπὸ κοινοῦ ex superioribus. Aut, *non fuit seductus à Serpente.* Serpens enim seduxit Evam, non Adamum, qui seductus fuit ab Uxore seductâ priùs per Serpentem: quæ ideo ἐν παραβάσει *fuisse* dicitur. Aut, *Adam non fuit seductus*, quia hoc de illo non legitur. Nam Eva dicit, *Serpens seduxit me*; Adam verò, *Mulier quam dedisti ut esset mecum ipsa dedit mihi de arbore illa, & comedi.* Ecce non dicit *decepit* aut *seduxit me*, sed *ipsa dedit mihi*, &c. Sic Ebræi dictitant *Jacobum non fuisse mortuum*, non quòd revera mortuus non fuerit, sed quoniam Scriptura non utitur, ubi de ejus morte sermo, *moriendi* verbo sed *exspirandi*. Quo modo & Melchisedec dicitur fuisse *sine patre, sine matre καὶ ἀγενεαλόγητος*, &c.

CASAUBONUS.

1. Ἐντεύξεις] Schol. Græc. apud Bezam, Ἔντευξιν, *accusationem eorum, qui nos injuriis afficiunt.* Sic accipitur ἐντυγχάνειν Rom. 11. 2. & in Actis, 25. 24. Sed & *intercedere pro alio* significat, ut Rom. 8. 34. & ad Heb. 7. 25.

7. Ἀλήθειαν λέγω — οὐ ψεύδομαι] Beza ibi, *Hebraicus pleonasmus*, &c. Cur *Hebraicus*, cùm omnes Græci, optimi scriptores, eo frequenter utantur, Hippocrates, Homerus, Aristoteles, Theophrastus, alii?

15. Διὰ τῆς τεκνογονίας] Διὰ pro ἐν. Sic videtur accipi *per* apud Latinos interdum. Valerius Flaccus 1.

Quas referam visas tua per suspiria gentes?

h. e. te interea suspirante. Et Tacitus.

SCULTETUS.

CAP. I.

Consideratio Logica quinque primorum versuum hujus capitis. Et quomodo illa vertenda, εἷς μεσίτης, v. 5.

Non est hoc novum, etiam eruditos sæpe falli in eo, ut argumenta declarationis, pro argumentis demonstrationis habeant. Vel in 1 Tim. 2. 2. id videre est: ubi verba ista *ut tranquillam & quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate*, plerique ἀντιλογίαν deprecationum publicarum, sive argumentum ab utili effectu, esse putant, cur *pro omnibus hominibus*, maximè *pro Magistratibus*, *deprecationes fieri* debeant; Quia nimirum Magistratibus salvis & in pace officium suum ad-

 ministrantibus

ministrantibus, licet piis *tranquillam ac quietam vitam degere cum omni pietate ac honestate.* Verùm si tota verborum series consideretur accuratiùs apparebit non αἰτιολογίαν esse, sed declarationem exhortationis, docentem quid à Deo petendum sit pro Magistratu, aut quo fine. Nam αἰτιολογία vers. 3. & 4. ponitur. Neque verò sic perit nobis argumentum illud fortissimum contra hostes Magistratûs Anabaptistas & id genus alios; sed firmum stat & immotum, verùm ex consequente. Si enim ideo concipiendæ sunt preces pro Magistratibus *ut tranquillam & quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate*, utique Magistratus ideo constituti sunt à Deo ut omnium rerum ipsiusque adeò religionis εὐταξία per eos conservetur. Cur verò hoc? Quia preces nostræ debent fieri ex fide respiciente voluntatem Dei in verbo suo patefactam, juxta illud v. 8. χωρὶς διαλογισμῶ. & 1 Joh. 5. 14. ἐάν τι αἰτώμεθα κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ, ἀκούει ἡμῶν. Verum autem est prius ex hoc secundo versu: Ergò & posterius. Argumentatio quâ Apostolus propositionem exhortationis suæ demonstrat, duplex est; una ab affectu utili, Quia *Deo tales preces placent*, v. 3. altera ab adjuncta necessitate vers. 4. *Quia Deus vult omnes homines salvos fieri:* Igitur omnes homines indigent deprecatione nostrâ. Versus quintus est approbatio quarti per ratiocinationem duplicem, quarum in voce εἷς una, altera in voce ἄνθρωπος est implicata, hoc modo eruenda. *Unus enim Deus*, putà *Judæorum & Gentium*, Rom. 3. 29, 30. & sic *unus* est *Deus* Magistratuum & subditorum. Ergò citra respectum gentis, dignitatis, munerum, *quosvis homines vult servari.* Rursum, *Mediator Dei ac Hominum est* HOMO, *Christus Jesus*, qui sanguine humano non certo hominum generi, sed tum Judæis tum Gentibus, tum Magistratibus tum subditis conjungitur: Ergò nullum genus hominum debemus ab Ecclesia & societate Christi alienum putare. Non absimilis argumentatio observata est à Demetrio Phalereo libro περὶ ἑρμηνείας, i. e. *De elocutione*, in Aristotele. Cùm enim hic demonstrare vellet, decere eodem modo beneficia conferre in magnas civitates atque parvas, tali usus est ἀποδείξει, Οἱ γὰρ Θεοὶ ἐν ἀμφοτέραις ἴσοι· ὥς᾽ ἐπεὶ αἱ Χάριτες Θεαὶ ἴσαι ἀποκείσονταί σοι παρ᾽ ἀμφοτέραις, h. e. *Dii enim in utrisque sunt æquales: quare & Gratiæ Deæ æquales à te constituuntur apud utrasque*, i. e. *apud parvas & magnas urbes.* Cæterùm in illis εἷς μεσίτης monet alicubi Zuinglius dictionem Græcanicam εἷς neque apud Latinos per *unus* neque apud Germanos per *ein* satis exprimi posse. Nam *unus*, inquit, Latinis numerale est, aut ordinale potiùs, ut si quis dicat, *unus Conciliator*, aliquis intelligat, Christum esse Conciliatorem inter multos unum. Apud Germanos porrò *ein* articulus est, nec vim Paulini sensûs satis exprimit, qui hâc voculâ εἷς, quam *Deo* & *Conciliatori* addit, naturam Dei & Conciliatoris exprimere propriè conatur. *Unicus* ergò *Conciliator* ego dicerem & Germanicè, *ein einiger mitler.* Nam hæ voces juxta mentem Pauli sic naturam Conciliatoris exprimunt ut intelligamus *unicum* esse tantùm *Conciliatorem*, plures esse nullo pacto posse. Dictionem μεσίτης Socinus vertit *Interpres*, nec aliud μεσίτε vocem significare vult in S. literis quàm *Dei interpretem.* Qui ex hoc ipso loco manifestè refellitur. Dicitur enim *unus* μεσίτης *Dei & hominum*, *Jesus Christus*, *qui dederit se* ἀντίλυτρον *pro omnibus*: unde apparet τὸ μεσίτευμα statui in ipsa redemptione. Id quod etiam loci paralleli, Heb. 9. 15. & 12, 24. confirmant. Neque vox repugnat. Nam ad μεσίτε officium non minùs pertinet hominum vice apud Deum fungi quàm Dei vice apud homines. Neque apud ineruditos tantùm, sed & apud eos qui elegantiùs loquuntur, μεσίτης dicitur is *qui placat aliquem.* Unde Suidas eam vocem voce εἰρηνοποιῶ interpretatus est.

CAP. II.

Ἀντίλυτρον, Μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, v. 6. ὅσιοι χεῖρες, v. 8.

REdemptionis verissimæ hostes ex *Mediatore* Christo *Dei Interpretem*, ex λύτρῳ *qualecumque impendium* faciunt, etiam quo ad liberandum nemo moveatur. Ut autem priori ipsa vis & significatio vocis μεσίτε, ità posteriori errori vocabulum ἀντίλυτρον, quo Apostolus hic utitur, διαῤῥήδην repugnat. Nam ἀντὶ in compositione aut Contrarietatem aut Commutationem significat. Hic Contrarietas locum non habet: significatur ergò Compensatio. Neque aliâ formâ Græcè dicuntur ἀντίψυχοι *qui pro altero mori se devovent ut ipsum liberent.* At ἀντίλυτρον hic idem est ac λύτρον. Nam quod Apostolus dicit *dedit semetipsum* ἀντίλυτρον *pro omnibus*, id Euangelista ità effert, Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. *Venit enim Filius hominis dare animam suam* λύτρὸν *pro multis.* Ut ergò ἀντίλυτρον ità λύτρον est tale pretium in quo liberator simile quiddam subit ei malo quod ei imminebat qui liberatur. Estque harum vocum quasi περίφρασις Gal. 3. 13. *Christus* ἐξηγόρασεν *redemit nos ab exsecratione, factus pro nobis exsecratio.* ¶ Sed quid est τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις; Nisi ego vehementer fallor, locus iste omnino est corruptus. Nam pro μαρτύριον Beza scribit se in uno codice legisse μυςήριον, quæ lectio ipsi magis placet quàm vulgata: siquidem crebrò hujusmodi loquendi formula apud Paulum reperitur; μυςήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον, Rom. 16. 25. μυςήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, Ephes. 3. 9. & Col. 1. 26. *promisit vitam æternam ante tempora secularia, patefecit autem* καιροῖς ἰδίοις, Tit. 1. 2. Christus patefactus ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν χρόνων, 1 Pet. 1. 20. μυςήριον τῆς πίςεως 1 Tim. 3. 9. Præterea V. Interpretem non arbitror tam audaculum fuisse ut de suo adderet *cujus* nisi id in suo codice expressè additum invenisset. Jam Latinæ versionis mirum quanta varietas! quam videat qui volet apud Lucam Brugensem. Tantùm igitur divinandum nobis quæ fuerit mens Apostoli, dum alii alia subintelligunt, alii nihil subintelligunt, alii verba ista τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις cum versu seq. copulant. Si germana lectio habuit μυςήριον, sensus erit, *quod mysterium*, olim tectum, *suis temporibus fuit revelatum.* Si omnino legendum μαρτύριον, nihilque planè addendum est, aut, cum Chrysostomo, per μαρτύριον τὸ πάθος *passio* erit intelligenda, ut sit sensus, *quòd semetipsum dedit pretium redemptionis pro omnibus; passionem videlicet, quam suis temporibus in cruce sustinuit*; aut μαρτύριον pro *testimonio* ingentis Dei charitatis quam in morte Filii ostendit capietur, secundùm quam charitatem *omnes homines velit servari*, v. 4. Quod si aliquid addere placet, accipiam μαρτύριον pro ἀποδείξει & βεβαιώσει, veramque, *cujus rei testificatio suis temporibus reservata fuit, quam ad rem ego constitutus sum præco.* ¶ Ὁσίες χεῖρας Cæsar Baronius in Annalibus suis ad annum LVII. exponit *mundatas aquâ & lustrali*, idque contra Grammaticam, contra Historiam, contra expositiones Scripturæ & Theologorum veterum. I. Contra Grammaticam significationem vocis ὅσιος, quæ significat *sanctum*, Heb. 7. 26. Apoc. 15. 4. Etiam profanis Scriptoribus, ut Dionysio Halic. Antiq. Rom. lib. 3. ὅσιος πρὸς Θεὺς, δίκαιος πρὸς ἀνθρώπυς. II. Contra Historiam. Ait enim Baronius *ablutioni Judaicæ successisse ablutionem per aquam lustralem.* Quod si verum est, Apostolus id præcepit quod Christus Mar. 7. damnavit. Sic enim Christianis oporteret semper lavare manus quoties orant Deum, sanè oporteret eos sæpius lavare quàm laverunt Pharisæi, adeoque reprehensioni Christi magis essent obnoxii quàm Pharisæi. Ait idem *aquam lustralem à Christo institutam ut interpretationem* τοῦ ὁσίε *tueatur apud Apostolum.* In quo falsi illum postulant Anastasius Monachus, Martinus Polonus, Sigebertus, Platina, Durandus, alii, qui aquæ lustralis institutionem ad Alexandrum Papam referunt. III. Contra expositiones Scripturæ & Patrum. Nam Scriptura *puritatem manuum* ponit in sanctitate & innocentia. *Lavabo in innocentia manus meas*, Psal. 26. 6. Nec possunt purificari aquâ manus sanguine plenæ, sed sanctificatione cordis: quod docet Isaias 1. 15, 16. & agnovit Poëta Ethnicus, dicens,

> *Ah nimiùm faciles, qui tristia crimina cædis.*
> *Fluminea tolli posse putatis aquâ.*

Jam Patres constanter PURAS MANUS non *aquâ lotas*, [illegible] *sanctas & purgatas ab omni iniquitate*, interpretantur. Totidem enim penè verbis ὁσίας χεῖρας exponunt Chrysostomus, Theodoretus, OEcumenius, Græci; Latini item, Primasius, Thomas, Lyranus, alii. Ut igitur ambiguitas evitetur, præstat cum Luthero *sanctas manus heilige Hande*, quàm cum Vulgata *puras* vertere.

CAP III.

Feminas in foro honestus amictus, *in Ecclesia* silentium, *in domo* subjectio *decet*, v. 9. —— 15.

MEmoratu dignæ sunt Regulæ Paulinæ, quibus fœminis *honestum vestitum* in foro, *silentium* in Ecclesia, *subjectionem* in œconomia imperat. Fœminis permittit κοσμεῖν ἑαυτὰς *ornare seipsas*, sed ἐν κοσμίῳ καταςολῇ *in ornata stola* (καταςολὴ enim ςολὴ Suidæ) h. e. *amictu decenti quo honestè ad pedes usque amiciuntur:* idque μετὰ αἰδῦς καὶ σωφροσύνης *cum verecundia & modestia.* Sic enim *promiserant* vel *spopponderant* se victuras, Christianismum amplexæ: quod verbo ἐπαγγέλλεσθαι Apostolus innuit. In conventibus publicis mulieri *discendum*, *non docendum.* Quò spectat vetus illud,

> Ἴςοὶ γυναικῶν ἔργα κὰκ᾽ ἐκκλησίαι.

Josephus lib. 4. Antiq. c. 8. Γυναικῶν δὲ μὴ ἔςω μαρτυρία διὰ κεφότητα καὶ θράσος τῦ γένυς αὐτῶν. Si testes esse nequeunt, ergò nec magistræ. Augustinus in Quæst. ex V. T. qu. 45. *Nec docere*, inquit,

inquit, *fœmina potest, nec testis esse, neque fidem dicere, nec judicare: quanto magis non potest imperare!* Ubi quod ait, *docere non posse*, sic accipe; Inter Christianos ex Lege Euangelica, & docere non posse religionem in ipsa Ecclesia & conventu populi, vel domi præsente viro, à quo debet discere cum omni subjectione. Nam literas alias extra Ecclesiam etiam fœminæ quandoque profiteri possunt. Hypatia certè, ut refert Hist. Tripart. lib. 2. c. 12. Theonis Philosophi filia, Honorii & Theodosii Junioris temporibus, Philosophicas lectiones eruditè exposuit. Olympia item Fulvia Morata, Itala Ferrariensis Anno Servatoris MDLIV. Haidelbergæ literas Græcas & Latinas magna cum laude professa est. Ad conversationem fœminarum cum maritis quod attinet, *αὐθεντίᾳ* in maritos illis interdicit, *ἡσυχίαν* & *ὑποταγὴν* præcipit Apostolus. Æquitatem præcepti etiam Ethnici agnovere. Ideo apud Heliodorum Æthio. lib. 3. Chariclea ad Thyamidem archipiratam in Bucolicorum concione cùm dicere juberetur, respondit, *πρέπειν οἶμαι γυναικὶ μὲν σιγὴν, ἀνδρὶ δὲ ἀπόκρισιν*, h. e. *Arbitror silentium fœminas, sermonem viros decere.* Et noti Philemonis versus,

> *Ἀγαθῆς γυναικός ἐστιν, ὦ Νικόστρατε,*
> *Μὴ κρείττον' εἶναι τ' ἀνδρὸς, ἀλλ' ὑπήκοον.*
> *Γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρ' ἐστὶν κακὸν μέγα.*

Verùm quibus nota lex Domini, ii cum Apostolo agnoscunt, Ob illam quoque rationem majorem esse in sexu virili dignitatem, fœminamque non propriis plerumque sed maritalibus fulgere radiis, honore virorum erigi, genere nobilitari, Quòd propter Virum Fœmina & posteriore loco creata est; & Quòd Adamus non fuit immediatè à serpente seductus, sed Mulier; aut certè quòd illum hæc à serpente seducta, non hic illam, suggestione suâ tentaverit & in aberrationem ab obedientia pellexerit; Quod peccatum, inquam, à muliere initium duxerit, parvaque sit omnis malitia præ malitia mulieris, & idcirco in viris plerumque plus insit, tam naturâ quàm solito Dei beneficio & præcepto (quo Evæ post peccatum pronunciavit *ipsius conversionem ad virum futuram*) virtutis, consilii, atque adeò judicii. Quæ ipsa tamen Mulieris à transgressione orta subjectio tantùm abest ut Christianarum fœminarum salutem impediat, ut etiam propter ortos ex eadem transgressione gravissimos pariendi cruciatus iis de salute minimè sit dubitandum, *modò in fide ac charitate ac sanctificatione cum modestia permanserint.* Hoc enim sibi vult Apostolus, dicens, *σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης.* Ubi διὰ pro ἐν sine ulla controversia ponitur, quemadmodum Rom. 2. 27. *διὰ γράμματος*, quod mox v. 29. *ἐν γράμματι.* Ideo optimè vertit Beza *gignendo liberos. μείνωσιν* autem de *mulieribus* dicitur, mutato numero: quod Hebræis est usitatum: ut infrà 5. 4. *Εἰ δέ τις χήρα τέκνα καὶ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν, Si vidua.* Utrobique V. Interpres rectè vertit per numerum singularem, *servabitur, vidua.*

CAMERON.

1. ΔΕήσεις, *προσευχὰς, ἐντεύξεις*] Una eademque res diversis nominibus significatur. Neque tamen hæc vocabulorum eandem rem significantium accumulatio pro tautologia est habenda. Etsi enim idem significatur, tamen non eodem modo significatur: id quod ad constituendam tautologiam necessariò requiritur. Cæterùm idem bis significatur sine tautologia duobus modis; vel cùm proprio vocabulo figuratum adjungitur; vel cùm plura vocabula junguntur, sive propria sive figurata. Id quod fit rursus duobus modis: vel enim notius vocabulum jungitur obscuriori; vel in significandi modo diversitas quædam est: ut v. g. Preces Paulo dicuntur *δεήσεις*, quia precibus testamur apud Deum egestatem nostram; nam *δέεσθαι indigere* est: eædem preces *προσευχαὶ* dicuntur, quia precibus nostris animi nostri vota Deo aperimus: eædem dicuntur *ἐντεύξεις*, propterea quòd non timidè & diffidenter, sed penè familiariter, Deus adiri se ab orantibus patitur.

4. *Ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι*] Sunt qui ex hoc loco evincere se posse putant Christum non aliter pro his quam pro illis esse mortuum, sed pro omnibus & singulis æqualiter, quia scilicet Deus omnium & singulorum hominum, teste Apostolo, pariter salutem cupit & vult. Nam quod excipi vulgò solet, *πάντας* non *singula generum*, uti loquuntur, sed *genera singulorum* hic significare, sic refellunt, ut dicant, Eorum omnium Deum velle salutem pro quibus vult nos ad ipsum preces fundere: hoc enim versu habetur *αἰτιολογία* præcepti antecedentis de concipiendis precibus pro omnibus hominibus. Atqui oportet nos preces fundere ad Deum non pro generibus duntaxat hominum in commune, sed pro individuis & singularibus etiam hominibus omnibus, quorum nimirum tenemur exoptare & à Deo rogare salutem. Sed hæc ratio sic refellitur; Quas preces pro aliorum salute concipimus, eæ vel sunt absolutæ, ut cùm Ecclesiam electosve Deo commendamus, aut contrà cùm juratos Dei hostes devovemus; vel sunt hypotheticæ, ut cùm de hujus vel illius conversione ad fidem vel confirmatione in fide Deum interpellamus. Jam quomodo pro singulis est orandum, eodem modo singulorum salutem vult Deus: At pro singulis est orandum cum conditione: Ergò cum conditione singulorum salutem vult Deus, (quod verissimum est) non verò absolute: Quomodo ergò pro singulis non possumus orare cum fide absolutè (cùm de singulorum salute nulla sit in Scripturis promissio: fides autem sine promissione nulla est) sic nec Deus omnium pariter salutem vult absolutè & sine ulla conditione. Si enim absolutè id vellet, id effectum proculdubio daret, non est enim impotens, ut id non possit efficere quod maximè vult absolutè & sine conditione. Vult ergò omnium & singulorum hominum salutem, at non absolutè, sed sub fidei conditione, juxta illud Christi, *Sic Deus dilexit mundum ut dederit unigenitum suum Filium, ut quicunque crediderit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam.* Nimirum Scriptura amorem Dei antecedentem sic nobis describit, ut in eo gradus quosdam inesse doceat; quorum primus hic est, quod Christus tum Gentibus tum Judæis (hoc enim Scriptura *omnis creaturæ, omnis carnis, Mundi* nomine intelligit, *πρὸς ἀντιδιαστολὴν* Ecclesiæ Judaïcæ, quæ non erat *καθολικὴ*) datus est, sed hac cum conditione, *si in illum credant. Sic Deus dilexit Mundum*, &c. Hujus gradùs respectu Deus dicitur *Christum dedisse pro vita Mundi, velle omnium salutem*, quatenus nimirum omnes vocat ad pœnitentiam, alios lege Naturæ, hos Lege scriptâ, alios Euangelii prædicatione. Ergò Deus, quà vocans, *omnes* dicitur *velle ad cognitionem veritatis venire*, sed quia eos invitat; sic vult omnes piè vivere, quia illud imperat. A secundo gradu antecedentis amoris est quòd Deus fidem dat. Quod ostenditur loco non minùs celebri, *Nemo potest ad me venire nisi Pater traxerit eum.* Respectu hujus posterioris gradùs Christus dicitur datus pro Electis tantùm, eosque tantùm velle servare. Ità videtur Scriptura idem de Deo affirmare & negare, eum nimirum velle & nolle omnes servare. Neque propterea revera in Deo pugna est, sed infinitas (ut ità loquar) Dei facit ut quæ nobis videntur pugnare, in Deo tamen non pugnent. Nos enim homunculi, quia quæ in Deo sunt capere non possumus, sub earum rerum figura studemus comprehendere quæ nobis cognita sunt; ea verò figura quoniam finita est, particulas tantùm Divinæ naturæ nobis repræsentat, idque obscurè; atque indè illud *ἐναντιοφανὲς* in Deo. Ut si humani corporis partes duntaxat singulæ oculis nostris paterent obscuriùs, omnis illa harmonia videretur nobis *ἀνάρμοστος*, conscii tamen imbecillitatis oculorum nostrorum, apud nos statueremus ità quidem videri, cæterùm non esse.

5. *Εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων*] Socinus ità torquet hunc locum ut velit Christum dici *Mediatorem hominum eorum qui nati sunt post ejus adventum in carnem.* Sed nisi intelligantur omnes omnino homines qui fuerunt, qui sunt, aut erunt, aliter haud dubiè locutus fuisset Apostolus. Nulla enim lingua est quà vox *homines* non significet totum genus humanum. Deinde, eodem modo dicitur *unus Mediator*, quomodo *Deus* dicitur *unus.* Itaque vel Patres ante Christum non habuerunt Mediatorem, vel Christus eorum Mediator fuit. Neque Socinum juvat quod dicit, Christum dici *Mediatorem* ideo quòd fuit internuncius: fuerit enim Christus hàc ratione *hominum internuncius*, proindeque & Patrum, h. e. (ut nè cavillemur) internuncius apud homines, Dei, inquam, apud Patres.

JAC. CAPPELLUS

4. QUi *vult omnes* cujusvis conditionis aut gentis *homines servari*, salutem sibi oblatam amplecti, *& ad veritatis* Euangelicæ *cognitionem venire*] Horum duorum membrorum alterum alterius est *ἐξηγητικόν.* Quanam enim ratione servantur sive salutem sibi oblatam amplectuntur homines? Nempe cùm veniunt ad veritatis Euangelicæ cognitionem, adeoque cùm profitentur se doctrinam illam habere pro veritate cœlesti & salutari. Opponit Apostolus seculum suum seculis antegressis: q. d. Olim pro quibusvis hominibus preces non concipiebantur, quia doctrina salutis non quibusvis hominibus offerebatur: Hodie verò, cùm jubeat nos Deus quibusvis hominibus Euangelium prædicare, cùm quibusvis hominibus imperet ut salutis doctrinam amplectantur, tenemur quoque pro quibusvis hominibus preces concipere.

8. *Volo viros in quovis loco precari puras manus attollentes absque ira & disceptatione*] Hebræis *manus attollere* significat aliquando

aliquando Manus lavare, aliquando Precari. Prius dicitur נטילת ידים, alterum נשיאת כפים. De posteriore sic Misna De jejuniis, cap. 3. §. 1. *Tribus* פרקים *occasionibus attollunt Sacerdotes manus suas quater, uno die,* בשחרית במוסף במנחה ובנעילת השערים *mane, meridie sub vesperam, & cum obserantur porta Templi.* In hunc locum sic Talmud Hierosolymitanum fol. 67. *Elevatio manuum non fit noctu sed interdiu. Invenimus orationem absque manuum elevatione, sed non invenimus manuum elevationem absque precatione.*

12. *Mulieri non permitto docere*] Publicè, in sacris Ecclesiæ synaxibus. Alioqui si Princeps aut Regina sit, poterit etiam loco publico subditos sibi cives ad officium hortari; ut & quævis mater domi liberos suos. ¶ *Nec uti autoritate in virum*] i.e. In maritum. Alioqui mater in filium, in servum domina suum jus habet, *αὐθεντίαν* suam, suam autoritatem, *sed esse in silentio* cum marito jubetur, silere, quiescere.

13. *Adam enim prior formatus, dein Eva*] In quovis conjugio primatus Viro debetur, quia statim ab initio primi conjugii fuit hic ordo ut Viro datus sit primatus.

14 *Et Adam non seductus est* primus, *sed mulier* prior *seducta* viro *fuit offendiculo*, vel *transgressionis causa*] q.d. Ubi dominatus humano generi datus est in brutas animantes, priùs Viro quàm Mulieri datus est; quæ post collatum demum Adamo in animantia reliqua dominatum facta, non est illi data ut domina, sed ut adjutrix ac cooperatrix. Ubi verò cœpit humanum genus excidere suo jure, tum prior fuit Evæ quàm Adami lapsus, ut non Adam Evæ, sed Adamo Eva fuerit offendiculo. Hæc duplex est causa cur debeat uxor viro assurgere, non in virum insurgere. Non est igitur quòd hic cum veteribus quibusdam & cum Pererio in Genesim lib. 6. notâ 93, & 94. quæramus quomodo dici possit Adam non fuisse deceptus. Quoquò te vertas, deceptus fuit, sed non prior.

15. *Servabitur tamen*] Eandem quam Vir salutem & gloriam cœlestem adipiscetur. ¶ *Per liberorum generationem*] Ac educationem. Sed una specie passim reliquas affines complectitur Scriptura. q. d. Etiamsi non multis viris, sed solis liberis erudiendis & ad salutem perducendis incubat Mulier, nihil minus fiet etiam ipsa salutis æternæ particeps. Angusta quidem est & spinosa via quam inire jubetur Mulier, sed per illam nihilominus ad cœlestis gloriæ metam perducetur à Deo. ¶ *Si manserint*] Si seriò dederit operam ut *maneant* liberi. ¶ *In fide & charitate & sanctitate cum modestia*] Hæ sunt præcipuæ virtutes quibus liberos suos imbuere debet pia mater.

GROTIUS.

1. Παρακαλῶ οὖν πρῶτον πάντων, *obsecro igitur primùm omnium*] Sicut Imperatores Romani mandata dare Præsidibus solebant, ita Paulus in Timotheo mandata dat Episcopis. Illud οὖν [*igitur*] pendet ex præcedentibus: ταύτην παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι [*hoc præceptum commendavi tibi.*] *Hoc primum*, inquit, *præscribo*: nam præscribet deinceps & alia. ¶ ποιεῖσθαι δεήσεις, *fieri obsecrationes*] Δεήσεις sunt *deprecationes ad mala avertenda*. Vide Actor. 1. 14. Philipp. 4. 6. תחנה. ¶ προσευχὰς, *orationes*] Προσευχαὶ sunt *preces ad bona nobis obtinenda*. Vide Ephes. 1. 16. 6. 18. תפלה. Hæc duo nomina & alia quibus precum nomina distinguuntur, reperies in libro de Morte Mosis. ¶ ἐντεύξεις, *postulationes*] Ἐντεύξεις sunt *preces pro aliis*. vide Rom. 8. 26. פגיעה. ¶ εὐχαριστίας, *gratiarum actiones*] *Gratiarum actiones pro bonis jam acceptis*, quæ precibus adjungi debent, Philipp. 5. 6. הודאה. ¶ ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων· *pro omnibus hominibus*] Etiam pro nondum credentibus. Scriptor de Vocatione Gentium 1. 12. *Scribens itaque ad Timotheum Paulus Apostolus ait, Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus & unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. De hac ergo doctrinæ Apostolicæ regula, quâ Ecclesia universalis imbuitur, ne in diversum intellectum nostro evagemur arbitrio, quid ipsa Ecclesia universalis sentiat requiramus: quia nihil dubium esse poterit in præcepto, si obedientia concordet in studio. Præcepit itaque Apostolus, imo per Apostolum Dominus qui loquebatur, fieri obsecrationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, ac pro his qui in sublimitate sunt. Quam Legem supplicationis ita omnium Sacerdotum & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars Mundi sit, in qua hujusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo, non solùm pro sanctis & in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis Crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ejus persequuntur, pro Judæis quorum cæcitati lumen Evangelii non refulget, pro hæreticis, pro schismaticis, qui ab unitate fidei & charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, malæ consuetudinis pondere oppressi & Diaboli vinculis illigati, neque deceptiones suas evincere valent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, ut quantum amanda est veritas, tantum diligant falsitatem, misericors & justus Dominus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari, ut cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse, quod ut præstaret, oratus est: & gratias agentes pro his qui salvi facti sunt, speremus etiam eos qui nondum illuminati sunt, eodem Divinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, ut in regnum Dei, priusquam de hac vita exeant, transferantur.* Philo de Judæorum Pontifice maximo, Οὐ μόνον ὑπὲρ ἅπαντος ἀνθρώπων γένους, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῶν τῆς φύσεως μερῶν, γῆς, ὕδατος, ἀέρος καὶ πυρὸς, τάς τε εὐχὰς καὶ τὰς εὐχαριστίας ποιεῖται (*Non solum pro toto humano genere, verum etiam pro naturæ partibus, terra, aqua, aëre, igne precatur, & agit gratias.*) Sunt quædam preces pro omnibus: sunt & aliæ pro fidelibus tantum, ut Joh. 17. 9.

2. Ὑπὲρ βασιλέων, *Pro Regibus*] Græci Imperatores Romanos vocabant βασιλέας [*Reges*] non vocem Latinam respicientes, sed rem ipsam. Erant enim reipsa ἀνυπεύθυνοι [*legibus soluti.*] Tertullianus, *Illuc* (id est, in cœlum) *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocui, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt.* Dionysius apud Eusebium, καὶ τοῦτο διηνεκῶς ὑπὲρ τῆς βασιλείας αὐτῶν, ὅπως ἀσάλευτος διαμείνῃ, προσευχόμεθα (*ideoque jugiter pro ipsorum imperio ut inconcussum permaneat precamur.*) Mos hic egregius, ut multa laudabilia, venit ab Judæis, Psalm. 15. Esdr. 6. 10. Josephus 12. 17. ἀπαντήσαντες τῶν ἱερέων τινὲς καὶ πρεσβυτέρων ἠσπάζοντο, καὶ τὰς θυσίας ἐπεδείκνυον, ἃς ὑπὲρ τοῦ βασιλέως ἔλεγον προσφέρειν τῷ Θεῷ [*Sacerdotes & Presbyteri aliquot facti sunt obviam, ostentantes victimas, quas se dicebant oblaturos Deo pro salute Regis.*] Meminit hujus moris & 7. 17. & alibi sæpe: & exstat ea de re præceptum in Pirke Avoth. ¶ καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων, *& omnibus qui in sublimitate sunt*] Non tantum pro Imperatoribus orabant Christiani, sed & pro earum in quibus vivebant provinciarum Præsidibus, qui ἡγεμόνες 1 Petr. 2. 14. Vide & quæ dicta Matth. 27. 2. Scriptor Maccabaici secundi 3. 15. Hyrcanum vocat ἄνδρα ἐν ὑπεροχῇ κείμενον (*virum in sublimitate constitutum*) בגדלה [*in magnificentia.*] ¶ ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν, *ut quietam & tranquillam vitam agamus*] Tuti à Barbarorum invasione & à latronibus. Seneca Epistola 74. *Errare mihi videntur qui existimant Philosophiæ fideliter deditos, contumaces esse ac refractarios & contemptores Magistratuum ac Regum, eorumve per quos publica administrantur. Ex contrario enim nulli adversus illos gratiores sunt: nec immeritò; nullis enim plus præstant, quàm quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi quibus ad propositum bene vivendi aditum confert securitas publica, necesse est auctorem hujus boni ut parentem colant.* Postea, *Diligit eos per quos hoc facere ei tuto licet.* Rursus, *Sub quorum tutela positus exercet artes bonas.* Deinde, *Sic hujus pacis beneficium ad omnes pertinentis, altiùs ad eos pervenit, qui illâ bene utuntur.* Item, *Confitebitur ergo multum se debere ei, cujus administratione ac providentia contigit illi pingue otium, & arbitrium sui temporis.* Lactantius fine Institutionum ad Imperatorem, *Erat congruens ut in firmando humani generis statu, te auctore ac ministro Divinitas uteretur: cui nos quotidianis precibus supplicamus, ut te imprimis, quem rerum custodem voluit esse, custodiat, deinde inspiret tibi voluntatem, quæ semper in amore Divini Numinis perseveret: quod est omnibus salutare, tibi ad fœlicitatem, & cæteris ad quietem.* ¶ ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι· *in omni pietate & castitate*] Hoc obiter addidit, ut officii sui Christianos admoneret. Non ideo, inquit, nos tranquillitatem & securitatem publicam optamus, ut eâ utamur ad comessationes & libidines: sed ad sacros cœtus, ad probos pudicosque mores בהדרי קדש (*in splendoribus sanctitatis*) Psalm. 110. 3. Quid sit σεμνότης, vide Philipp. 4. 8. Aristoteles interpretatur βαρύτητα εὐσχήμονα (*gravitatem & honestam.*)

3. Τοῦτο

3. Τοῦτο γὰρ, *Hoc enim*] *Hoc* nempe, ut oremus pro Reipublicæ Rectoribus. Et quid? *εὐχόμεθα τοὺς βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὑρεθῆναι* [*Oramus ut Reges Principesque unà cum Regia potestate inveniantur etiam sanâ mente præditi,*] ait Justinus Martyr. Hæc precatio eventum suum habuit aliqua ex parte in Adriano, Severo, Antonio, qui Christianis æqui admodum fuere: perfectiùs verò in Constantino & post eum Principibus Romanis, deinde & aliorum populorum Regibus. ¶ *καλὸν καὶ ἀπόδεκτον, bonum est & acceptum*] *Pulchrum & gratum.* Vide supra 1. 15. & infra. 5. 4. ¶ *ἐνώπιον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ· coram Salvatore nostro Deo*] De illo *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ* [*coram Deo*] vide Luc. 1. 6. Actor. 8. 21. 2 Corinth. 7. 12. 8. 21. de titulo *σωτῆρος* [*Salvatoris*] supra 1. 1.

4. Ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, *Qui omnes homines vult salvos fieri*] *Deus*, ut Arnobius 2. Contra Nationes loquitur, *sublimibus, infimis, servis, fœminis, pueris uniformiter potestatem veniendi ad se facit. Patet omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur, aut pellitur.* Planè autem universim sumendum hoc dictum apparet ex æquè negativa apud Petrum 2. 3. 9. *μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι* [*nullos perire volens.*] Hoc est θέλημα προηγούμενον [*voluntas præcipua.*] Adde Joh. 3. 16. ¶ *καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. & ad agnitionem veritatis venire*] *Et ut serventur, vult eos venire ad cognitionem veritatis*, Euangelicæ scilicet. Hoc cùm ita sit, debemus & dare operam ut omnibus innotescat veritas, & ei labori preces pro omnibus adjungere. *Dei* enim *est incrementum dare plantatis & rigatis.*

5. Εἷς γὰρ Θεὸς, *unus enim Deus*] Non mirum est Deum omnibus bene velle, cum ipse unus sit omnium hominum Dominus, opificii jure. Similem sententiam habes Rom. 3. 30. Gal. 3. 20. ¶ *εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς· unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*] Quod de summo Hebræorum Sacerdote dixit Philo fuisse eum, *μεθόριον ἀμφοῖν, ἵνα διὰ μέσου τινὸς ἄνθρωποι μὲν ἱλάσκωνται Θεόν, Θεὸς δὲ τὰς χάριτας ἀνθρώποις, ὑποδιακόνῳ τινὶ χρώμενος, ὀρέγῃ καὶ χορηγῇ* [*situs in quodam Divinæ humanæque naturæ confinio, ut hoc Mediatore Deus propitietur hominibus, ejusdem ministerio porrigat eis, largiaturque suam gratiam.*] Qui summum Sacerdotem etiam *μεσίτην* [*Mediatorem*] vocat libro de Legibus specialibus: id in Jesum optimè congruit. Is enim primum id obtinuit, ut Deus hominibus in gravia peccata lapsis neque vias pœnitentiæ, neque pœnitentiam agentibus veniam præcluderet, quæ est prima illa conciliatio ad homines universim pertinens, de qua agitur Rom. 5. 10. & 2 Corinth. 5. 19. deinde ut Deus Apostolis daret linguarum & alia dona, quibus instructi homines ad veri cognitionem facilius deducerent, de quo beneficio agitur Ephes. 4. 8. Est verò hoc beneficium generale ad totius humani generis bonum. Præfiguratum hoc *μεσίτου* [*Mediatoris*] munus in Jobo 42. 8. Tertullianus *μεσίτην* vertit *sequestrem.*

6. Ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*] Magna illa beneficia Christus non solis precibus nobis impetravit, sed ingenti obedientià ad mortem usque, & quidem Crucis. *ἀντίλυτρον* כפר. Vide quæ dicta ad Matth. 20. 28. *ἀντιλύτρου* [*redemptionis pretii*] vox significans admodum, ut & *ἀντιψύχου* [*piaculi pro anima*] quâ utitur Josephus & Ignatius aliquoties. ¶ *τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις· testimonium temporibus suis*] Est πρόσθεσις [*appositio*] relata ad rem totam quæ præcessit; quòd enim *se pro omnibus dedit* ad mortem, eo ipso *testimonium præbuit* veritati doctrinæ suæ, idque *eo tempore* quod Prophetæ prædixerant. Vide Gal. 4. 4. Ephes. 1. 10. *καιροῖς ἰδίοις* בעתו [*in tempore suo.*] At in Manuscripto illo deest *τὸ μαρτύριον* [*testimonium.*]

7. Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ ἀπόστολος, *In quo positus sum ego prædicator & Apostolus*] *Ad quod Christi martyrium publicandum ego à Deo constitutus sum Apostolus.* Hoc enim sensu eadem verba habemus 2 Timoth. 1. 11. *ἐτέθην* נתמניתי [*constitutus sum.*] Sic *τιθέναι* [*ponere*] habes Rom. 4. 17. 1 Corinth. 12. 28. supra 1. 12. in Manuscripto, *ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ* [*quod mihi concreditum est,*] ut supra 1. 11. ¶ *καὶ διδάσκαλος ἐθνῶν, & Doctor Gentium*] Præcipuè Gentibus docendis destinatur Actor. 9. 15. Rom. 11. 13. Gal. 2. 7, 8, 9. 2 Tim. 1. 11. ¶ *ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ. in fide & veritate*] Nihil veri subticens, nihil falsi admiscens.

8. Βούλομαι οὖν, *Volo ergo*] Redit ad id quod inchoaverat supra 5. יאותני, *hoc opto, hoc desidero.* Vide infra 5. 14. Tit. 3. 8. ¶ *προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, viros orare in omni loco*] ממקומו [*de loco suo*] Sophoniæ 2. 11. id est, ubicunque conventus habebuntur. Agit enim de publicis precibus. Preces Deo hodie non minus gratæ in quavis Ecclesia, quàm in Templo Hierosolymitano, Joh. 4. 24. ¶ *ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας, levantes puras manus*] *Ad cœlum expansis manibus*, ut Tertullianum dicentem audivimus. Is mos ab Hebræis, ut apparet Psalm. 141. 2. & apud Rabbinos, qui id vocant נשיאות כפים [*elevationes palmarum.*] Nihil opus hîc repetere quæ dicta ad Lucam 18. 12. & Matth 27. 24. Addi potest locus Esaiæ 1. 15. Lam. 3. 41. & illud Apollonii,

> *Πολλὰ μάλ' ἀθανάτοισιν ἐς αἰθέρα χεῖρας ἀείρων*
> *Εὐχόμεναι — —*
> [*Sæpe immortales tensis ad sydera palmis*
> *Oravere Deos — —*]

ὁσίους χεῖρας ἐπαίρειν tollere puras manus Senecæ in Oedipode: *puras*, id est, nullo contaminatas facinore. Philo de Essenis, *Καὶ τάς τε ὄψεις καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἀνατείναντες, τὰς μὲν, ἐπειδὰν τὰ θεοῦ ἄξια καθορᾶν ἐπαιδεύθησαν· τὰς δὲ, ὅτι καθαραὶ λημμάτων εἰσὶν, ὑπὸ οὐδεμιᾶς προφάσεως τῶν εἰς πορισμὸν μιαινόμεναι* [*Et vultus & manus ad cœlum tendentes, vultus, quòd res Deo dignas docti sunt contemplari; manus, quòd vacua omni quæstu, nullâ unquam se re quæ ad lucrum spectet, patiuntur inquinari.*] Hoc significabat manuum lotio ante preces Judæis usurpata, Psalm. 26. 6. ¶ *χωρὶς ὀργῆς διαλογισμοῦ. sine ira & disceptatione*] Non manus tantum, id est, actiones externas puras esse oportet, sed & corda. Duo autem sunt quæ maximè preces Deo ingratas faciunt: odium adversus fratrem, quod hîc *iram* dixit, quia odium est ira inveterata: & dubitationem de Dei promissis. De illo priori vide Matth. 5. 24. & Maimonidem in regulis orandi, ubi ait, *Si quis senserit animum sibi commotum & cor turgens, ne oret, sed quiescat, dum mens sit sedata.* Pari de causa Sacerdotes cùm in templo munere suo functuri essent, à vino abstinebant. De altero vide Matth. 14. 31. Adde illud Clementis ad Corinthios: *οἱ δίψυχοι καὶ διστάζοντες περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως εἰς κρίμα καὶ εἰς σημείωσιν πάσαις ταῖς γενεαῖς γίνονται* [*alternantes & hæsitantes de potentia Divina in judicium & signum omnibus seculis fiunt.*] Nam διαλογισμὸς [*disceptatio*] hoc loco *intra animum disputatio contra fidem.*

9. Ὡσαύτως καὶ τὰς γυναῖκας, *Similiter & mulieres*] Nempe precari volo. Hac in parte juris pares sunt: utriusque sexûs preces Deus exaudit. Pro utroque Christus est mortuus, Gal. 3. 28. *ὡσαύτως* [*similiter,*] id est, *itidem puris manibus, sine ira, sine diffidentia.* Præter hæc communia præcepta, addit jam & specialia sexui per se feroci. ¶ *ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, in habitu ornato*] Καταστολὴ idem quod στολὴ [*amictus,*] ut videre Esaiæ 22. 17. & 61. 3. ubi in Hebræo עטה & מעטה. *κόσμιον, decorum*, in Glossario. habitum vult esse mundum non luxuriantem. Etiam de hac re pulchra præcipiunt Rabbini. ¶ *μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτὰς, cum verecundia & sobrietate ornantes se*] Supple βούλομαι [*volo.*] *Pudor & modestia* vera ornamenta sexûs fœminini. Cum his & quæ sequuntur bene convenit illud Melissæ ad Claretam, *κοσμιότητα καὶ σωφροσύνην ἀντὶ χρυσῶ καὶ σμαράγδω* [*pudorem & modestiam loco auri & smaragdi,*] ubi plura ad hanc rem. Laberius,

> *Smaragdum, ad quam rem, viridem, pretiosum vitrum,*
> *Quo Calchedonios aptas ignes lapideos,*
> *Nisi ut scintillent? probitas est carbunculus.*

Crates, *Κόσμος τὸ κοσμοῦν δὲ τὸ κοσμιωτέραν γυναῖκα ποιοῦν· ποιεῖ δὲ τοιαύτην οὔτε χρυσὸς οὔτε σμάραγδος, οὔτε κόκκος· ἀλλ' ὅσα σεμνότητος, εὐταξίας, αἰδοῦς ἔμφασιν περιτίθεσιν* [*Ornatus est quod ornat; ornat autem quodcunque ornationem efficit mulierem; efficit autem talem non aurum, smaragdus, aut purpura: verum quæcunque honestatis, modestiæ, pudorisque præbent speciem.*] Aristoteles in Oeconomicis, *Δαπάνῃ τε καὶ ἐσθῆτι, καὶ τῇ ἄλλῃ κατασκευῇ χρήσασθαι, καὶ ἐλάττονι ἢ κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους, ἐνθυμουμένην, ὅτι μήτε τὸ τῶν ἐνδυμάτων λαμπρὸν, μήτε τοῦ κάλλους τὸ ἔξοχον, μήτε χρυσίου μέγεθος οὕτω συντελεῖ εἰς σύστασιν γυναικὸς, ὡς ἡ τῶν πραγμάτων εὐταξία, καὶ τὸ τοῦ βίου σεμνόν τε καὶ εὐπρεπές. ὡς ἅπας μὲν τοιοῦτος ὁ τῆς ψυχῆς κόσμος ἐπέραστος μᾶλλον, καὶ βεβαιότερος πολλῷ, ὥστε μέχρι γήρως ἑαυτῇ τε καὶ τοῖς παισὶ τὸν ἀληθῆ καλλωπισμὸν προσπορίζεσθαι* [*Sumptu, veste, reliquo apparatu utetur etiam minore quàm ei per Leges licebit, atque hoc cogitabit, nec vestium nitore, nec formæ venustate, nec auri multitudine ita commendari hunc sexum, ut modestiâ omnibus in rebus, & vitæ gravitate atque honestate. Est enim hic animi ornatus firmior atque amabilior multò, quo & ipsa ad senectutem usque verè ornatior redditur, & liberis quoque ejus honoris decorisque multum accedit.*] Paria habet Plutarchus in præceptis conjugalibus. Est & sententia vetus,

Γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, κ' οὐ χρυσία
[*Non ornat aurum fœminam, at mores probi.*]

¶ *μὴ ἐν πλέγμασιν, non in tortis crinibus*] Πλέγματα Petrus dixit 1 Epist. 3. 3. *ἐμπλοκὴν τριχῶν*. Latinus interpres ibi *capillaturam* dixit, hic *tortos crines*, bene. Sic *flexum capillum* dixit Juvenalis: idem, *in orbe comarum annulos*: Clemens Alexandrinus, *περιπλοκὰς τῶν τριχῶν τὰς ἑταιρικὰς* [*cincinnos capillorum meretricios*, Pædagogi 3. 11. Naumachius,

Μηδὲ κόμης περίαλλα πολυσχιδέας πλέκε σειρὰς
[*Nec suggesta comæ variis componito nodis.*]

Hoc est quod Esai 3. 24. dixit מקשה מעשה, *opus calamistri*, ubi *crispantem crinem* Latinus: *Calamistratam comam* Cicero pro Sextio. Rabbinis *πλέγματα* [*torti crines*] dicuntur מקלעות. ¶ *ἀργυρίῳ ἢ χρυσῷ, argento aut auro*] Multus enim ex utroque ornatus mulierum. Vide Digesta Titulo de auro, argento, mundo, & quæ ex Melissa modo attulimus. Phintys Pythagorica dans præcepta fœminis nuptis ait, *χρυσὸν δὲ καὶ σμάραγδον ἁπλῶς μὴ περιτίθεσθαι, καὶ γὰρ πολυχρήματον καὶ ὑπερηφανίαν ἐμφαίνον ποτὶ τὰς δαμοτικάς* [*Auro aut smaragdis prorsus ne ornamini: quæ & majoris pretii sunt quàm ut gestare ea deceat, & significationem arrogantiæ dant istiusmodi ut tenuiores fœminas præ te despicere videare.*] De tota hac re vide Clementem Pædagogi 2. 10. ¶ *ἢ μαργαρίταις, aut margaritis*] *Lictorem in publico fœmina unionem dictitant.* Plinius 9. 35. Ubi multa de hoc fœminarum luxu. Erant enim patrimonia de auribus pendentia. *Lineas margaritarum* חרוזים [*charuzim*] vocant Rabbini. ¶ *ἢ ἱματίῳ πολυτελεῖ. vel veste pretiosa*] Propertius,

Matrona incedit census induta nepotum.

Repete hic quæ ex Aristotele modò attulimus; hæc sunt *μαλακὰ ἱμάτια* [*vestimenta mollia*] Matth. 11. 8. Inter Pythagoræ monita habet Justinus Historiæ libro 20. *Ornamenta matronarum, pudicitiam, non vestes esse.*

10. Ἀλλὰ (*ὃ πρέπει γυναιξὶν ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν*) *δι' ἔργων ἀγαθῶν. sed* (*quod decet mulieres promittentes pietatem*) *per opera bona*] Bene sensum expressit Syrus, *sed per opera bona* (nempe *se ornent*, ex præcedentibus,) *ut decet fœminas pietatem* (Christianam scilicet) *professas. ἐπαγγέλλεσθαι* hic & infra 6. 21. est *profiteri*: atque ita vertit hic Ambrosius; sic Lucianus *τίνα τὴν ἄσκησιν ἐπαγγέλλεται; quam artem profitetur?* Hoc dicit, *Vide mulier quid in baptismo sis professa, Christiana dici voluisti*: Nomen hoc vitam exigit eximiè puram atque sanctam.

11. Γυνὴ ἐν ἡσυχίᾳ μανθανέτω, *Mulier in silentio discat*] Sine garritu, à quo tenellum illud genus sæpe nec in Ecclesia abstinet, ut hic notavit Chrysostomus. Et hoc præceptum ex Synagoga est, ubi mulieres seclusum à virorum aspectu locum habent, & cum silentio quæ prælegguntur aut dicuntur auscultant. ¶ *ἐν πάσῃ ὑποταγῇ. in omni subjectione*] *Cùm summa obedientia*, nempe ad servandum ordinem à presbyterio constitutum. *πάσῃ*, hic est, *summâ*, ut supra 1. 15.

12. Γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω, *Docere autem mulieri non permitto*] Præsidis erat docere, sed is interdum Presbyteris, interdum & aliis suum hac in parte munus mandabat. *Mulieribus* id Apostolus *permitti* non vult: nempe nisi habeant afflatum propheticum, & dum eum habent. Vide quæ diximus ad 1 Cor. 11. 5. & 14 35. Prophetia extra leges est positivas: Maimonides fœminis etiam ludum literarium vetat aperire. Tertullianus De virginibus velandis, *Non permittitur mulier in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem sibi vindicare.* ¶ *οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρός, neque dominari in virum*] Vide quæ diximus Ephes. 5. 22, 24. Coloss. 3. 18. Vocem *αὐθέντης* dicit Phrynichus jam suo tempore usurpari cœpisse in significatu *δεσπότης* [*domini.*] Hinc *αὐθεντεῖν* est *ἐξουσιάζειν*, שלט [*dominari.*] Jamblichus, *οὐκ ἂν καὶ περὶ τὸ ἄρχειν μὲν τὸν ἄῤῥενα, ἄρχεσθαι δὲ τὴν θήλειαν ὁμογνωμονήσουσι* [*Convenient igitur in hoc quoque marem regere, fœminas regi conveni-re.*] Menander,

Τὴν δ' ἡγεμονίαν τῶν ὅλων τὸν ἄνδρ' ἔχειν
[*Summam cedat imperii viro matrona.*]

Vide Esther 1. 17. Similia præcepta habes in libro Hebræo Musar. ¶ *ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ. sed esse in silentio*] Id est, silentium servare, quantum fieri potest: Euripides,

Γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν
Κάλλιστον· εἴσω δ' ἥσυχον μένειν δόμων
[*Pulcherrima est res fœminæ taciturnitas,*
Et mos modestus, & quies intra larem.]

ἡσυχία שתיקה [*silentium.*] Vide 2 Thess. 3. 12. subauditur autem hic *jubeo*.

13. Ἀδὰμ γὰρ πρῶτος ἐπλάσθη, εἶτε Εὔα. *Adam enim primus formatus est, deinde Eva*] Quod signum eminentioris in viro dignitatis 1 Cor. 11. 8. Εὔα [*Eva*] pro חוה etiam 2 Corinth. 11. 3. Et sic ex Græcis interpretibus citat Origenes. Nunc autem in LXX. legitur *ζωὴ* [*vita,*] sensu, non sono vocis reddito.

14. Καὶ Ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη, *Et Adam non est seductus*] Alterum argumentum ab imbecillitate sexûs, cujus documentum ingens jam ab initio datum. *Non deceptus est*, nempe à serpente; non enim virum serpens aggressus est, sed fœminam, ut imbecilliorem 2 Cor. 11. 3 Ideoque in Gen. 3. 13. fœmina dicit, *ὁ ὄφις ἠπάτησέ με* [*serpens decepit me.*] Æquum autem est id quod est imbecillius parere valentiori. Democritus, *Φύσει τὸ ἄρχειν οἰκήιον τῷ κρέσσονι* [*imperare naturâ proprium est ejus qui est præstantior.*] ¶ *ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε. mulier autem seducta in prævaricatione fuit*] *Decepta à serpente*, ut diximus. *ἐν παραβάσει γέγονε, in culpa fuit.* Eadem locutio in Hebræo 1 Regum 12. 30. לחטאת ויהי [*& fuit in peccatum.*] Tertullianus de habitu mulieris, *Mulier de Eva trahit ignominiam primi delicti, & invidiam perditionis humanæ.*

15. Σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, *Salvabitur autem per filiorum generationem*] Id est, si cætera quæ dixi servat, quod, operam dat quærendis liberis, non impediet ejus salutem. Dictum hoc non frustra: nam futuri erant iis ipsis in locis qui contra docerent, infra 4. 3. Similis fermè locutio Ciceronis: *per ludum & negligentiam ad honores pervenire.* ¶ *ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης. si permanserint in fide & dilectione & sanctificatione cum modestia*] Inceperat in singulari, desinit in plurali: quia ubi de toto aliquo genere agitur, hæc idem valent. Similis *ἐναλλαγή* [*Permutatio*] 1 Reg. 18 26. Solet interdum *dilectionis* nomen in ea amplitudine sumi, ut omnia officia fidem subsequentia comprehendat; sed hic strictiùs sumitur: & per *ἁγιασμὸν* [*sanctificationem*] videtur intelligenda *pudicitia conjugalis*, ut 1. Thess. 4. 4. per *σωφροσύνην* verò *modestia*, ut supra 9. & Tit. 2. 5. in Glossario, *σωφροσύνη*, *modestia*.

PRICÆUS.

1. Π[Ρῶτον πάντων] Ad hæc Vir maximus, *Hoc primum, inquit, præscribo, nam præscribet deinceps & alia.* Sequuntur quidem alia monita, at non videntur referenda ad hanc locutionis formam: ergò *πρῶτον πάντων* heic, ut Luc. 12. 1. Rom. 1. 8. & 2 Pet. 1. 20. *πρῶτον* sine *ἀνταποδότῳ* dictum: quâ formâ & sæpe apud Lucretium vox *principio* occurrit.

Ibid. *ἐντεύξεις, εὐχαριστίας ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων*] Basilius Conc. de Orat *Πάντας εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν εὐχῶν παραλάμβανε.* Justinus Apolog. 2. *Κοινὰς εὐχὰς ποιησόμενοι ὑπέρ τε αὐτῶν, καὶ τοῦ φωτισθέντος, καὶ ἄλλων πανταχοῦ πάντων.* Πάντας heic intellige, sive illi infideles sint, (Ignatius ad Ephesios, *Καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων*, &c. *προσεύχεσθε· (ἔστι γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐλπὶς μετανοίας) ἵνα θεοῦ τύχωσιν·* & Philo in de Victimis, *Κἂν ποτε περὶ ἀνθρώπων εὐχαριστῇς, μὴ μόνον περὶ τοῦ γένους, ἀλλὰ καὶ*, &c. *μερῶν εὐχαριστήσεις*, &c. *Ἑλλήνων ὁ Βαρβάρων, τῶν ἐν ἠπείροις, τῶν τὰς νήσους εἰληχότων·* adde & Justini hæc contra Tryphonem, *Καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς, καὶ τοὺς δι' ὑμᾶς τοιαῦτα καθ' ἡμῶν ὑπειληφότας, οὐ μισοῦμεν, ἀλλ' εὐχόμεθα κἂν μετανοήσαντας ἔλεους τυχεῖν*, &c.) vel etiam inimici. Idem ibidem, *Ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ ὑμῶν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀνθρώπων τῶν ἐχθραινόντων ἡμῖν εὐχόμεθα*, &c. Vide Matth. 5 44. *Ἐντεύξεις, interpellationes* pro se vel pro aliis. Scriptor Sapientiæ 8. 21. *Ἐνέτυχον τῷ κυρίῳ*, &c. vide & Eundem 16. 28. sic 1. 1. apud Julium Pollucem, *θεοῖς ἐντυγχάνειν·* vide & Rom. 11. 2. Hebr. 7. 25. *Τὰς πρὸς τὸ θεῖον ἐντεύξεις* habemus apud Plutarchum in vita Numæ, & *ἔντευξιν ποιεῖν*, apud Eundem in vita Bruti.

2. *Ὑπὲρ βασιλέων*] In Latino Polycarpi ad Philippenses Epistolæ, ubi Græca desunt, *Pro omnibus sanctis orate, orate etiam pro Regibus & Potestatibus*, &c. ubi *τὸ sanctis* (etsi ex loco Ephes. 6. 18. defendi possit) expungi malim, ut videatur hunc Pauli locum in mente habuisse. Imò nec aliter locutum video Cyprianum ad Proconsulem; *Hunc* (Deum nempe) *deprecamur*, &c. *pro nobis & pro omnibus hominibus: & pro incolumitate ipsorum Imperatorum.* Lactantius lib. 7. cap. ult. Imperatorem alloquens, *Cui*, &c. *supplicamus ut Te, quem rerum esse custodem voluit, custodiat.*

Ibid. *καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων*] Ὑπερέχειν, vel *ἐν ὑπεροχῇ εἶναι*, præcipuè dicuntur Reges & Monarchæ. Plinius Panegyrico ad Trajanum, *Eminet, excellis*: hinc 1 Petr 2. 14. *τῷ βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι.* Ità dicuntur etiam qui eximio na-

talium

tilium, ordinis, aut opulentiæ gradu alios anteeunt. Hesychius, Μεγιστᾶνες, οἱ ἐν ὑπεροχῇ ὄντες. Hinc τοὺς ὑπερέχοντας 6. 7. apud Sapient. Scriptorem: ἄνδρα ἐν ὑπεροχῇ κείμενον, 2 Maccab. 3. 11. τοὺς ἐν ὑπεροχῇ ὄντας, cap. 51. apud Epictetum: τοὺς ἐν ὑπεροχῇ νενικηκότας, lib. 4. apud Diodorum Siculum: ut contrà τοὺς ἐν ὑπηρεσίᾳ ὄντας, 1. 58. apud Artemidorum. Hoc Apostoli loco τοὺς ἐν ὑπεροχῇ ὄντας, intellige summos Imperatorum ministros qui gladii jus habebant in Provinciis. Hesychius, Ἡγεμόνι, ὑπεροχικῶς ἄρχοντι. Tertullianus in Apologetico, *Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum, & Potestatibus.* In Novellis Constitut. Justiniani ad Præsides & Provinciarum præfectos scribentis, occurrit sæpius illud, τὴν σὴν ὑπεροχήν. Non summæ autem tantùm, sed & secundæ potestates rectè ὑπερέχειν dicuntur. Artemidorus 2. 72. Ὥσπερ τὰ ἱστάμενα τῶν ἐπὶ γῆς ἐρχόντων ὑπερέχει· οὕτω καὶ οἱ ἄρχοντες τῶν ἰδιωτῶν. Glossarium, Ἐξοχὴ, ἡ ὑπεροχή· *Excellentia*, &c. *eminentia.* Ibidem, Ὑπεροχὴ, *eminentia, excellentia, exuperantia, fastidia:* lege *fastidium.* Glossæ aliæ, *Eminens*, ἔξοχος ὑπ' ἄλλων· ubi pro ὑπ' ἄλλων videtur ὑπερβάλλων scribendum. Hesychius, Ὑπερέχεσθαι, ὑπερβάλλεσθαι. Idem Ὑπεροχὴ, ἐξοχὴ, ὑπερβολή· & in citato Glossario, *Excellentes*, ὑπερβάλλοντες. In eodem Glossario autem (ut id obiter heic inseram,) ubi *Eximia*, ὑπεροχὴ legitur, videtur ὑπέροχα reponendum. Post πάντων ἀνθρώπων heic (quod præcessit) diversos hominum status designare minùs erat necesse: frequenter autem apud utriusque Linguæ Scriptores à generalibus ad specialia descendi solet; cujus formæ exempla alibi attulimus.

Ibid. ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν]

—— Ut pace serenâ
Publica securis exsultent otia terris.

Διάγειν ἐν ἠρεμίᾳ, Plutarchus in Timoleone dixit, &, βίον μεθ' ἡσυχίας διάγειν, in Othone. ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἀταραξίᾳ διάγειν, Arrianus 1. 10. in Epictetum: εὐσταθεῖν, καὶ τὰ τῆς ἠρεμίας ἄγειν, 2. 12. 2 Maccabaicorum Scriptor. Hesychius, Ἡσυχία, γαλήνη, ἠρεμία. Glossarium, *Quies*, ἡσυχία, ἠρεμία. Seneca 92. epist. *Quietem, quam Græci* ἡσυχίαν *vocant.* Herodianus, sententiâ Apostolicæ non dissimili ἀμέριμνον βίον dixit. Julianus Orat. 3. νομὴν δαψιλῆ καὶ ἀτάραχον. *Bonus Princeps* (inquit) καθάπερ νομεὺς ποιμνίων ἐπιμελεῖται, προνοῶν ὅπως ἐν αὐτῷ (id est, ut Act. 17. 28. per ipsum) θάλλῃ καὶ εὐθηνῆται τὰ θρέμματα, δαψιλοῦς καὶ ἀταράχου νομῆς ἐμπιπλάμενα· ubi νομὴ ἀτάραχος est, quæ Paulo βίος ἡσύχιος. Dio Cassius hoc eodem argumento dixit, ἀπραγμόνως σώζεσθαι, ἀκινδύνως εὐδαιμονεῖν. καὶ τῶν ἀγαθῶν μὲν τῆς πολιτείας ἀφθόνως ἀπολαύειν, ταῖς δὲ φροντίσι ταῖς ὑπὲρ αὐτῆς μὴ συνεῖναι. Beneficium istud nonnunquam secundis Potestatibus acceptum refertur, (vide ad Act. 24. 2. annotata,) auspiciis & majestati tamen supremorum Principum. Livia apud eundem Dionem, Αἱ προφάσεις ἐπὶ τῶν ἀρχομένων σωτηρίᾳ καθίστανται, ὅπως μηδὲν μήθ' ὑπ' ἀλλήλων, μήθ' ὑπ' ἀλλοτρίων βλάπτωνται. Theophylactus ad Luc. 20. Φυλάττει σε ὁ ἄρχων ἐκ τῶν πολεμίων, τὸν βίον σου εἰρηναῖον καθιστᾷ. Idem ad Rom. 13. de Potestatibus, Ποιοῦντες ὑπὲρ τῆς κοινῆς καταστάσεως, καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες, ἵνα ἡμεῖς ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀταραξίᾳ διάγωμεν. Ibidem, Αὐτοὶ μὲν ἀμέριμνοι ὄντες, ἄρχοντες δὲ ἔχοντες ὑπὲρ ἡμῶν ἀγρυπνοῦντας. Artaxerxes in additamentis Estheris cap. 13. *Clementiâ & lenitate* (volui) *subditos gubernare, ut absque ullo terrore vitam silentio* (id est, ἠρεμίᾳ, ἡσυχίᾳ) *transigentes, optatâ cunctis mortalibus pace fruerentur.* Antiochus 2 Maccab. 11. 23. in ad Lysiam Epistola, Βουλόμενοι τοὺς ἐκ τῆς βασιλείας ἀταράχους ὄντας γενέσθαι πρὸς τὴν τῶν ἰδίων ἐπιμέλειαν. Fusiorem ejusmodi statûs descriptionem sub Simone Pontifice videre est 1 Maccab. 14. comm. 8, 9, 10, 11, 12, & 13. item in 4. ecloga Calpurnii. Justinianus Novell. 8. Διημερεύοντές τε, καὶ ταῖς νυξὶν ἐν ἴσῳ ταῖς ἡμέραις χρώμενοι, ὥστε τοὺς ἡμετέρους ὑπηκόους ἐν εὐταθείᾳ γίνεσθαι, πάσης φροντίδος ἀπηλλαγμένους. Milvus in Phædri Fabulis, ad columbas.

Quare solicitum potius avum ducitis,
Quam Regem me creatis certo fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem injuria?

Plutarchus in vita Thesei de Tyndaridis, Τιμὰς ἰσοθέους ἔσχον, ἄνακες προσαγορευθέντες, ἢ διὰ τὰς γενομένας ἀνοχὰς, ἢ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ κηδεμονίαν τοῦ μηδένα κακῶς παθεῖν, &c. ἀνακῶς γὰρ ἔχειν τοὺς ἐπιμελουμένους ἢ φυλάττοντας ὁτιοῦν. καὶ τοὺς βασιλεῖς ἴσως ἄνακτας διὰ τοῦτο καλεῖσθαι. Idem de Rege Numa, Οὐ μόνον ὁ Ῥωμαίων ἡμέρωτο καὶ κατακεκήλητο τῇ δικαιοσύνῃ καὶ πρᾳότητι τοῦ βασιλέως δῆμος, καὶ τὰς κύκλῳ πόλεις, ὥσπερ αὔρας τινὸς ἐκεῖθεν ἢ πνεύματος ὑγιεινοῦ φέροντος, ἀρχὴ μεταβολῆς ἔλαβε, καὶ πόθος εἰσεδύετο εὐνομίας καὶ εἰρήνης, καὶ γῆν γυτεύειν, καὶ τέκνα τρέφειν ἐν ἡσυχίᾳ, καὶ σέβεσθαι θεοὺς, καὶ ἑορταί τε καὶ θαλίαι, καὶ παρ' ἀλλήλους ἀδεῶς ἰόντων, καὶ ἀναμιγνυμένων ὑποδοχαὶ, καὶ φιλοφροσύναι τὴν Ἰταλίαν κατεῖχον, οἷον ἐκ πηγῆς τῆς Νομᾶ σοφίας τῶν καλῶν, καὶ δικαίων ἐπιρρεόντων εἰς ἅπαντας, καὶ διαχεομένης τῆς περὶ ἐκεῖνον γαλήνης. Quibus similia occurrunt 3 Reg. 4. 25. de Solomonis temporibus, & apud Plutarchum eundem de eodem Numa in libro de Romanorum fortuna. Adde & quæ apud Suidam, in Ξάνθος, de Alcimo Rege Lydiæ. Bractonus de L. L. Angliæ 2. 24. *Habet Rex gladium materialem qui pertinet ad regni gubernaculum,* &c. *habet & ea quæ sunt pacis, ut populus sibi traditus in pace sileat & quiescat.* Idem 3. 9. *Ut per justitiam suam firmâ gaudeant pace universi.* Et hinc Britannorum meorum solenne illud, *Pax Domini Regis:* qui mos loquendi antiquior quam vulgò creditus. Seneca ex mitis Principis persona 1. 1. de Clementia, *Hæc tot millia gladiorum quæ* MEA PAX *comprimit, ad nutum stringentur meum.* Ibidem cap. 8. Neronem alloquens, *Possum in qualibet parte urbis solus incedere, sine timore, quamvis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius: Tibi in* PACE TUA *armato videndum est.* Hinc & *Trajani* PACEM dixit Plinius in Panegyrico. Arrianus 3. 22. in Epictetum, Ὦ Καῖσαρ, ἐν ΤΗ͂Ι ΣΗ͂Ι ΕἸΡΗ΄ΝΗΙ, οἷα πάσχω! Persequamur autem in qua versamur materiam, de securitate non unius alteriusve, at gentium totorumque populorum, beneficio Regum adepta. In interpolationibus Epistolæ Ignatii ad Smyrnenses, Εἰρήνην, &c. (de Rege loquitur) τοῖς ἀρχομένοις πρυτανεύοντες. 2 Maccab. 4. 6. de Onia, Ἑώρα ἄνευ βασιλικῆς προνοίας ἀδύνατον εἶναι τυχεῖν εἰρήνης, καὶ τὸν Σίμωνα παῦλαν οὐ ληψόμενον τῆς ἀνοίας. Arrianus citati jam libri cap. 13. Ὁρᾶτε ὅτι εἰρήνην μεγάλην ὁ Καῖσαρ ἡμῖν δοκεῖ παρέχειν (id est, ἡμῖν παρέχει,) ὅτι οὐκ εἰσὶν οὐκέτι πόλεμοι, οὐδὲ μάχαι, οὐδὲ λῃστήρια, ἀλλ' ἔξεστι πάσῃ ὥρᾳ ὁδεύειν, πλεῖν τε ἀπ' ἀνατολῶν ἕως δυσμῶν. Ad subditos suos Rex Nicocles apud Isocratem, Συμμαχ. Τὴν ἐμὴν ἀσφάλειαν ἄδειαν ἑαυτοῖς εἶναι νομίζετε· ubi ἄδεια est quæ Paulo, ἤρεμος καὶ ἡσύχιος βίος. Cicero ad Q. Fratrem: *Simul & illud Asia cogitet, nullam à se neque belli externi, neque domesticarum discordiarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc* (Romanum intelligit) *imperio non teneretur.* Tiberius de Augusto mortuo ad populum, jam laudato Dionis libro, Τὰ ἐπίφοβα καὶ ἐμπολέμια ἔθνη αὐτὸς καὶ φρουρήσειν καὶ σώσειν ὑπεδέξατο, τὰ δ' ἄλλα τὰ εἰρηναῖα καὶ ἀκίνδυνα ὑμῖν ἀπέδωκε· στρατιώτας τε τοσούτους ἀθανάτως πρὸς τὸ προπολεμεῖν ὑμῶν (mel. ὑμῖν) τρέφων, οὐδενὶ τῶν σφετέρων λυπηρὸς αὐτοὺς ἐποίησεν· ἀλλ' ἐπὶ μὲν τὸ ὀθνεῖον φύλακας φοβερωτάτους, πρὸς δὲ τὸ οἰκεῖον ἀόπλους, ἀπολέμους παρεσκεύασε· deinde, Χρήματα, πανηγύρεις, ἄδειαν, ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων, ἀσφάλειαν οὐκ ἀπὸ τῶν πολεμίων, οὐδ' ἀπὸ τῶν κακούργων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν ἐκ τοῦ δαιμονίου οὐχ ὅτι μεθ' ἡμέραν, ἀλλὰ καὶ νύκτωρ συμπιπτόντων, παρεσκεύασε. De eodem post pauca Dio Cassius ipse, Τὴν μοναρχίαν τῇ δημοκρατίᾳ μίξας, τό, τε ἐλεύθερον σφισὶ (Romanis) ἐτήρησε· καὶ τὸ κόσμιον, τό, τε ἀσφαλὲς παρεσκεύασεν, ὥς' ἔξω μὲν τοῦ δημοκρατικοῦ θράσους, ἔξω δὲ καὶ τῶν τυραννικῶν ὕβρεων ὄντας, ἔν τε ἐλευθερίᾳ σώφρονι καὶ μοναρχίᾳ ἀδεεῖ ζῆν, &c. Suetonius de hoc ipso Principe, *Forte Puteolanum sinum prætervehenti vectores nautæque de navi Alexandrina, quæ tantum quod appulerat, candidati coronatique & thura libantes, fausta omnia & eximias laudes congesserant, per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui.* Valerius Maximus lib. 7. cap. 6. *Amarissimam tempestatem* (rumorem belli Parthici intelligit,) *Augusti cura, tutela nunc terrarum vacans, depulit.* Germanicus ad eundem in Arateis suis,

Si non parta quies, te Præside, puppibus æquor
Cultorique dares terras, procul arva silerent.

Horatius de eodem,

Custode rerum Cæsare, non furor
Civilis, aut vis eximet otium.

Ubi *otium* planè est quod Paulo ἤρεμος καὶ ἡσύχιος βίος. Idem Carm. 3. 14.

—— Ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæsare terras.

Et alibi,

Tutus bos etenim rura perambulat.

Ad quem locum vetus Scholiastes, *Virtute & dispositione Cæsaris præstitam dicit agris quietem.* Themistius Orat. 12. de Imperatore loquens, ῥᾳστώνης ταμίαν, εὐδαιμονίας πρύτανιν. Ammianus lib. 15. de Rege Cottio, *Quietem gentis* (suæ) *præstitit sempiternam.* Virgilius ex jam dicti Augusti Cæsaris persona,

Pascite, ut antè, boves pueri. ——

Ubi Servius, *In pace pascite.* Idem Virgilius,

—— Tu, Tityre, lentus in umbra:

ad quæ Servius, *Lentus, otiosus, sive securus: allegoricè sub tutela Imperatoris*: & ad illa,

——— Deus nobis hæc otia fecit,

Cæsar hanc securitatem fecit: ubi & nota *securitatis* vocem. Seneca 1. 1. de Clementia, ad Neronem, *Multa cives tuos cogunt ad hanc confessionem* (felicitatis suæ) &c. *securitas alta & affluens*, &c. Ibidem cap. 19. de bono Principe, *Sub quo justitia, pax*, &c. *securitas, dignitas florent.* Ausonius ad Gratianum, *De vita sua cui non Te imperante securitas?* Hinc & toties in Nummis Imperatorum, SECURITAS PUBLICA: in aureo Neronis illo, PAX ORBIS TERRARUM. Et illud, *in otio & pace seculi nostri*, Imperatoris Constantini, in l. 1. Cod. de Veteranis. Athenagoras initio Apologiæ ad Commodum & Aurelium, Τὸ πρᾷον ὑμῶν καὶ ἥμερον, καὶ τὸ πρὸς ἅπαντα εἰρηνικὸν θαυμάζοντες, οἱ μὲν καθ' ἕνα ἰσονομοῦνται, αἱ δὲ πόλεις πρὸς ἀξίαν τῆς ἴσης μετέχουσι τιμῆς, καὶ ἡ σύμπασα οἰκουμένη τῇ ὑμετέρᾳ συνέσει βαθείας εἰρήνης ἀπολαύουσι. In Muscovitarum Regis coronalibus ritubus, *Fulgeat & floreat justitia in diebus ejus, ut quiete & sine contentione & malo vivamus.* Ob meritum istud quietis (quo nil melius subditi, nil majus possunt populi capere) pro Regibus heic Paulus ait preces fundendas. Julianus (tam boni moris, seque præcipuè spectantis oblivisci nolens,) Epistolâ ad Judæos, *Remisimus vobis vectigalia*, ὡς πανταχόθεν ὑμῖν τὸ ἀμέριμνον ὑπάρχειν, &c. ἵνα ἀπολαύοντες, ἔτι μείζονας εὐχὰς ποιῆτε ὑπὲρ τῆς ἐμῆς βασιλείας. Idem orat. 2. de civibus sub imperio boni Principis florentibus, Ἐν εἰρήνῃ πολλῇ τῶν τε ἔξωθεν πολεμίων, καὶ τῶν οἴκοθεν, καταβιώσονται, ἀγαπῶντες μὲν τὸν αἴτιον τῶν παρόντων σφίσι καθάπερ ἀγαθὸν δαίμονα, ὑμνοῦντες δ' ἐπ' αὐτῷ τὸν θεόν, καὶ ἐπευχόμενοι, &c. αἰτοῦσιν αὐτῷ ἀγαθά. Seneca 73. Epist. *Cogitabit sapiens per quem sibi horum* (libertatem, securitatem, pacem intelligit) *usus fructus contingat*, &c. *agitque Imperatori suo gratias*: ubi AGERE GRATIAS EI, est, vel maximè Deum interpellare pro incolumitate ejus. Jul. Firmicus 1.4. Saturnum, Solem, Lunam, &c. orans, *Constantinum, maximum Principem & ejus invictissimos liberos*, &c. *facite etiam posteris nostris, & posterorum nostrorum posteris*, &c. *imperare; ut omni malorum acerbitate depulsâ, humanum genus quietæ felicitatis munera consequatur.* Vide & Athenagoram jam citati Apologetici fine. Nicephorus Gregoras ad seniorem Andronicum Imperatorem. Ὁ τῇδε τῇ ἀρχῇ καὶ τῷ τοιῷδε χρόνῳ μάλα προσφυῆ καὶ προσήκοντα ἀναφήνας σε ὁ θεός, δοίη παντὶ συνδιαμετρεῖν σοῦ τε καὶ τῶν ἐκ σοῦ τὸ βασίλειον κράτος, ὡς ἂν καὶ ἡμῖν εὐδαιμονεῖν. Ad Jovem Plinius in Panegyrico, *Non* (Te) *pacem, non concordiam, non securitatem*, &c. *oramus: simplex, cunctaque ista complexum unum omnium votum est, salus Principis.*

3. Τοῦτο γάρ ἐστι ἀπόδεκτον, &c.] Sic Ephes. 6. 1. Τοῦτο γάρ ἐστι δίκαιον. Ἀπόδεκτον ἐνώπιον αὐτοῦ, est quod Heb. 13. 21. ἐνώπιον αὐτοῦ εὐάρεστον· vide & infrà 5. 15. Hesychius, hunc Apostoli locum respiciens, Ἀπόδεκτον, ἐπαινετόν. Vulgat. *acceptum.* Sic in Glossario, *Acceptum*, ἀπόδεκτον.

4. ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι. Etymologus in εὐδοκῶ, Προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι. Scriptor Sapientiæ 1. 14. *Sanabiles fecit omnes nationes terrarum.* Euthymius ad Joh. 6. 39. ea, NE QUID PERDAM EX OMNIBUS, &c. *Ostendit communem esse Patris & Filii voluntatem ut omnes salvi fiant.* Idem ad Luc. 14. ea, UT IMPLEATUR DOMUS MEA, *Vult enim omnes introduci propter immensas suæ bonitatis divitias.* Cyprianus in Epistolis, *Se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate libratâ patrem præbet*: quæ sic extulit Auctor dialogi ad Asclepium, cum Apulejo vulgatur, *Pater omnium ac dominus*, &c. *omnibus se libenter ostendit.* Vide Luc. 9. 57. Tit. 2. 11. & quæ ad Act. 10. 35. & ad Jacob. 1. 5. annotavimus. Τὸ σώζεσθαι ἡμᾶς εὐάρεστον αὐτῷ, Clemens 6. Stromat. dixit: subaudiendum autem, *ni noluerimus.* Idem 7. Stromat. Τοὺς θέλοντας πείθει, οὐ γὰρ βιάζεται. Theophylactus ad Luc. 15. Οὐδένα βιάζεται μὴ δουλεύειν αὐτῷ βουλόμενον. Ambrosius ad hunc Pauli locum, *Vult omnes salvos fieri si ad eum accedant.* Arnobius, *Nulli infert necessitatem, imperiosâ formidine nullum terret.* Iterum Euthymius ad Matth. 26. *Nullum cogit fieri bonum*, &c. *sed salutaria suggerit, & ea eligentem coadjuvat.* Idem ad Joh. 12. *Neminem vi attrahit, propter liberum cujusque arbitrium.* Basilius, Οὐ δεσμεύεται ἡ ζεύγλη περὶ τὸν τράχηλον, αὐτεξούσιον τὸν ἐφέλκοντα ἐπιζητεῖ. Conc. de Pœnitentia.

Ibid. πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι] Μὴ βουλόμενός τινας (ut 2 Petr. 3. 9.) ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι· vide Joh. 3. 17. Apud Ciceronem Asinius Pollio, *Omnes cives studeo salvos esse.* Famil. 10. 31.

Ibid. καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν] Clemens ubi suprà, Πάντες αὐτοῦ οἱ ἄνθρωποι, ἀλλ' οἱ μὲν κατ' ἐπίγνωσιν, οἱ δὲ οὐδέπω.

5. Εἷς γὰρ θεὸς] Cyprianus in de Idolorum vanitate, *Unus omnium Dominus, unus est Deus.* Philo in De mundi opificio, Ἔστιν εἷς ἄρχων, καὶ ἡγεμών, καὶ βασιλεύς. Fulgentius Planciades, *Unus Deus pater, Rex omnium*, &c.

Ibid. εἷς δὲ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων]

——— Lingua salutis,

Fœderis Orator, pacis via, terminus iræ.

Seneca cap. 6. ad Helviam, de Menenio Agrippa, *Inter patres ac plebem publicæ gratiæ sequester fuit*: id est, μεσίτης. Tertullianus lib. De carnis resurrect. & de Christo loquens, *Hic sequester Dei & hominum fuit*: & Lactantius lib. 4. 25. *Fuit Deus & homo, inter Deum atque hominem medius constitutus: unde illum Græci μεσίτην vocant.* Suidas, Μεσίτης, ὁ εἰρηνοποιός.

Ibid. μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων] *Inter terricolas cælicolamque Deum vector hinc precum, inde donorum: ultro citrò portans hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam utrinque interpres & salutis gerulus*, ut verba Apuleji mei huc aptem è libro de Deo Socratis.

Ibid. ἄνθρωπος Ἰησοῦς Χριστὸς] Ἄνθρωπον hic intellige σχήματι (ut Philipp. 2. 8.) εὑρεθέντα ὡς ἄνθρωπον. Irenæus, 3. 10. *Oportuerat mediatorem Dei & hominum per suam ad utrosque domesticitatem, & ad amicitiam & concordiam utrosque reducere, & facere ut Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo.* Omnino autem in contextu Pauli scribendum puto ὁ ἄνθρωπος Ἰ. Χ. ut hæc sint ἐξηγητικὰ τοῦ ΕΙΣ quod præcessit. Sic 1 Cor. 11. 2. ἑνὶ ἀνδρί, & pòst, τῷ Χριστῷ. Matth. 19. 17. οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. Post εἷς distinguendum enim, non unâ serie legendum, ut in Vulgatis libris. Matth. 23. 9. εἷς ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· & ibidem com. 20. εἷς ὑμῶν ἐστιν ὁ καθηγητής, ὁ Χριστός· Marc. 14. 20. εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, ὁ ἐμβαπτόμενος μετ' ἐμοῦ εἰς τὸ τρυβλίον· Jacob. 4. 12. Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης, ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι· Joh. 6. 8. εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος· & 8. 41. Ἕνα πατέρα ἔχομεν, τὸν θεόν.

6. ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων] Ὁ δοὺς (ut Joh. 6. 51.) τὴν σάρκα αὐτοῦ ὑπὲρ τῆς ζωῆς τοῦ κόσμου· ὁ δοὺς ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς, &c. Galat. 1. 4. quod Matth. 20. 28. δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον, &c. Heb. 1. 3. δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Vide & Rom. 8. 32. Tit. 2. 14. 1 Cor. 1. 30. ubi & ἀπολύτρωσις. Ignatius ad Trallenses, Δοὺς ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν λύτρον Hesychius, Ἀντίλυτρον, ἀντίδοτον. Idem, Περίψημα· περικατάμαγμα· ἀντίλυτρα· ἀντίψυχα· (lege ἀντίλυτρον, ἀντίψυχον,) ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη πάντων.

Ibid. ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων] D. Augustinus Serm. 114. de Tempore, *Unâ morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator, absolvit: indubitanter enim credimus quod totum mundum redemit, qui plus dedit quàm totus mundus valeret.* Ἀντίλυτρον heic est quod 1 Joh. 4. 10. ἱλασμόν.

7. εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κῆρυξ, &c.] Ità Coloss. 1. 23. Οὗ (εὐαγγελίου) ἐγενόμην ἐγὼ διάκονος.

Ibid. κῆρυξ καὶ ἀπόστολος] Sic 2 Tim. 1. 11. Hesychius, Κῆρυξ, ἄγγελος, πρεσβευτής.

Ibid. ἀλήθειαν λέγω, &c. οὐ ψεύδομαι] Cicero Tuscul. 3. *Num fingo? num mentior?* Vide Rom. 9. 1. & 2 Cor. 11. 31. Heic autem, ut & Galat. 1. 20. οὐ ψεύδομαι, per parenthesin. Ità & Apulejus, *Cum ipso plerique (nec mentior)* &c. *de uxoris noctibus paciscuntur*: & Plinius lib. 9. epist. 31. *Identidem repetens ea maximè (non enim mentiar) quæ de me scripsisti.* Quibus adde Ovidii illud,

Impulsumque manu (certum est mihi vera fateri)
Protinus avertit. ——— Metamorph. 9.

Ibid. διδάσκαλος ἐθνῶν] Id est, ut Rom. 11. 13. Idem de seipso, ἐθνῶν ἀπόστολος· & ibidem 15. 16. λειτουργὸν Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη. Vide & Ephes. 3. 8.

Ibid. ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ] Id est, πιστὸς καὶ ἀληθής. Vult dicere, τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ (ut Matth. 22. 16.) ἐν ἀληθείᾳ διδάσκων· hoc est, nil falsum, nil adulterinum admiscens: μὴ δολῶν τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας, &c. ut 2 Cor. 4. 2. locutus. Vide & ibidem 2. 17. Coloss. 1. 28. & 2 Tim. 1. 13. Bene ἐν πίστει autem: quid enim heic aliud διδάσκαλος quam quod μυστηρίων θεοῦ 1 Cor. 4. 1. οἰκονόμος? Ἐν οἰκονόμοις autem ζητεῖται ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ· ibidem com. 2.

8. προσεύχεσθαι ἐν παντὶ τόπῳ] Ut Ephes. 6. 8. ἐν παντὶ καιρῷ προσεύχεσθαι. Meritò heic autem ἐν παντὶ τόπῳ· nam & Deus (supra com. 4.) θέλει πάντας σωθῆναι, & Christus (suprà com. 6.) ὑπὲρ πάντων ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ἔδωκεν. Gregorius Nazianzenus de precibus loquens, Epist. ad Eusebium, Ἃς οἶδα μὴ τόποις ὁριζομένας. Euthymius ad Christi verba Joh. 4. *Adoratores veri adorabant patrem, non in corpore, sed in spiritu*, &c. *nec cultum loco circumscribentes, velut Judæi & Samaritani, sed in omni loco dominationis ejus benedicentes Dominum*:

—Πάντ'

—— *Πάντ' ἐςὶ τῷ καλῷ λόγῳ*
Ἱερὸν, ὁ νοῦς γάρ ἐςιν ὁ λαλήσων θεῷ,

ut certè multa alia dixit optimè Menander.

Ibid. *ἐπαίροντες ὁσίους χεῖρας*] Ἐπαίροντες, in cœlum nempe. Apulejus in de Socratis deo, *Hic habitus orantium eſt, ut manibus cœlum extenſis precemur.* Seneca 41. epiſt. *Non ſunt ad cœlum elevandæ manus, ut,* &c. Idem 5. 14. de Benef. *Quamvis nemo ad Deos manus porrigat.* Hinc Jobi 11. 13. *τὰς χεῖρας ὑπτιάζειν.* apud Pollucem Onomaſt. 1. 1. *ἀνατείνειν τὰς χεῖρας* apud Arrianum 4. 10. in Epictetum, *πρὸς θεὸν χεῖρας ἀνατείνειν·* in Epiſtolis Juliani Imperatoris, *χεῖρας εἰς προσευχὴν ἀνατείνειν·* in Græco Eſdræ 9. 47. *ἄνω αἴρειν τὰς χεῖρας.* & Pſalmi 141. 2. *τῶν χειρῶν ἔπαρσις* Quibus adde Iliad. ζ. illud, —*χεῖρας ἀνασχεῖν·* ubi Scholia, *εὔξασθαι.* Χεῖρες ὅσιαι autem ſunt, quas *καθαρὰς καὶ ἀμιάντους* vocant alii Scriptores. Clemens Stromat. 6. *χεῖρας εἰς οὐρανὸν καθαρὰς ἐκτείνειν* dixit. Philo (in π. Φιλοπλουτίας) *καθαρὰς, καὶ,* &c. *παρθένους χεῖρας εἰς οὐρανὸν ανατείνας.* Clemens alter ad Corinthios, *ἁγνὰς καὶ ἀμιάντους χεῖρας πρὸς αὐτὸν (θεὸν) αἴροντες·* id eſt, *ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ, καὶ βλαπτικοῦ, καὶ μυσαροῦ καθαρὰς χεῖρας,* ut Porphyrius locutus, in de Antro Nymph. Optimè ergò *puras* vertebat vetus Interpres. Ità *puras manus* T. Livius dixit. *Deos puris manibus invocare,* Plautus in Amphitryone: *ad cœlum puros manus tollere,* Seneca Præfat. lib. 3. natur. quæſt. quod Senecæ alteri, (Oedip.) *manus pias ſubmittere.* Hinc, *puras & pias manus* Apulejus in Apologia junxit. Quintilianus 12. declam. *manus caſtas* vocavit. Valer. Maximus 2. 2. *ſanctas,* ut & heic Ambroſius. Contrariæ; *ſacrilegiæ & impiæ manus,* in Ciceronis Philippicis. Ἐπαίροντες Vulgato hîc *levantes.* Ità 11. Apuleji, *Bos in erectum levata ſtatum.* In vetere Onomaſtico, *Levo,* αἴρω· & in Gloſſario, *Levat,* κουφίζει, ἐπαίρει.

Ibid. *χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ*] Nec in proximum ſimultate peccantes, (Chryſoſtomus Homil. 57. in Matth. Ἀπὸ λοιδορίας οὖν, καὶ ὕβρεως, &c. τὰς χεῖρας ἀνατείνεις· vide & Caſſianum Inſtitut. 8. 21.) nec in Deum diffidentiâ: id enim heic διαλογίζεσθαι. Vide Jacob. 1. 6. & ad eum locum annotata. Sirachides 7. 11. *ἐν τῇ προσευχῇ σου μὴ ὀλιγοψυχήσῃς,* dixit. Hæc dico prohibet Apoſtolus exemplo Chriſti. Vide Marc. 11. 24, 25.

9. Ὡσαύτως δὲ καὶ τὰς γυναῖκας, &c.] In epiſtola Jeremiæ dicta, Ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ γυναῖκες, &c. Vide infrà 3. 11. Supplent heic Viri ſummi, *precari volo.* Non puto de mulierum precibus heic agi, ſufficiat, *volo* tantum: *ἐν καταςολῇ* nempe, &c. (ut ſequitur) *κοσμεῖν ἑαυτάς.*

Ibid. *ἐν καταςολῇ κοσμίῳ*] Id eſt, *ἐν ςολῇ κοσμίῳ· ςολῇ ἀπεριέργῳ καὶ εὐσχήμονι,* ut Pædag. 3. 11. Clemens Alexandrinus loquitur. Baſilius ad Gregorium, *Μήτε ἐν χρώματι τὸ ἀνθηρὸν διωκέσθω, μήτε ἐν τῇ καταςολῇ τὸ λεπτὸν καὶ μαλακόν.* Jamblichus cap. 11. de Pythagora, *Ἑαυτὸν διεκόσμει ψυχῆς εὐςαθείᾳ, καὶ καταςολῇ σώματος.* Πρᾳότητα πορείας, καὶ περιβολῆς καταςολὴν, in Pericle Plutarchus memorat. Porphyrius περὶ ἀποχ. 4. de Ægyptiorum ſacerdotibus, *Λιτότητα ἐπετήδευσαν καὶ καταςολήν.* Heſychius, Καταςολὴν, περιβολήν. Suidas Καταςολή, ςολή. Gloſſæ MSS. ad hunc Pauli locum in S. M. D. bibliotheca, Καταςολῇ, ςολισμῷ, ἐνδύματι. Ità & intellexit (hunc locum citans) D. Ambroſius Offic. 1. 45. Vulgatus *habitu,* bene: *habitus* enim (inquit Servius ad Virgilium) *apud Veteres dicebatur tam corporis quam eorum quæ propter corpus ſunt.* Quæ καθ' ὑςερολογίαν intelligenda. De Clericis Offic. eccleſiaſt. 2. 2. D. Iſidorus, *Pudorem ac verecundiam mentis ſimplici habitu,* &c. (καταςολῇ) *oſtendant.* Auſonius de Gratiano Imperatore, *Cujus,* &c. *habitudo cohibitior, aut familiaris habitus condecentior?* Græcè dicas, ἢ ἡ καταςολὴ κοσμιωτέρα; Caſſianus Inſtitut. 1. 4. de monachis Ægyptiis, *Sunt præterea quædam in ipſorum habitu non tantum ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia: quo ſimplicitatis & innocentiæ obſervantia etiam in ipſa veſtitûs qualitate teneatur.* Legimus in Gloſſis, Καταςολή· ſupple (quod in editis deeſt) *habitus,* vel *amictus.*

Ibid. *ἐν καταςολῇ κοσμίῳ* Seneca Controverſ. 2. 7. *Matrona,* &c. *prodeat in tantum ornata, nè immunda ſit.* Κοσμίαν καταςολὴν dixit & Areſtius Homil. de Jejunio.

Ibid. *μετ' αἰδοῦς,* &c. *κοσμεῖν ἑαυτάς.*] Servius ad Æneid. 1. *Regum breviloquium eſt, fœminarum verecundia.* Αἰδῶ, ſive *verecundiam,* hic præcipuè ad parciloquium retulerim. Seneca jam citato loco, *Ferat jacentes in terram oculos: adversùs officioſum ſalutatorem inhumana potiùs quàm inverecunda ſit.* Plutarchus in conjugal. præceptis, *Δεῖ δὲ μηδὲ τὸν λόγον τῆς σώφρονος δημόσιον εἶναι, ἀλλὰ τὴν φωνὴν ὡς ἀπογύμνωσιν αἰδεῖσθαι.*

Ibid. *μετ' αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτάς*] Hoc illud eſt quod *περιττῶς καὶ σεμνῶς ἀπὸ μηδενὸς κοσμεῖν ἑαυτὴν* ingenioſè Plutarchus vocat. Iſta ſunt Θεανοῦς κόσμια, καὶ Κλεοβουλίνης, καὶ Γοργοῦς, &c. καὶ ὅσαι ἐγένοντο θαυμαςαὶ καὶ περιβόητοι· apud eundem jam citato libro.

Ibid. *μετ' αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτάς*] Χαλεπώτερον (γὰρ) ἤθει τὸν πρέποντα κόσμον ἢ σώματι τὸν περιττὸν καὶ ἄχρηςον ἐξευρεῖν, ut loquitur idem Philoſophus ille in Sapientum Convivio. *Quot mulieres ſerica veſtimenta ferunt, nudæ autem revera ſunt à virtutum veſtitu!* exclamavit Homil. 21. in Act. Apoſt. D. Chryſoſtomus. Pro αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης, habemus τὸ ἄφθαρτον τοῦ πρᾳέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος, apud D. Petrum eodem argumento iſto. Sic, αἰδοῖ κεκοσμημένος, Jon Chius apud Laërtium in Pherecyde: αἰδοῖ κοσμεῖσθαι, Arrianus 4. 8. in Epictetum: & σωφροσύνης, κοσμιότητος, καὶ αἰδοῦς ἐραςὰς, apud Philonem in de Somniis. Apud eundem lib. de Temulentia habemus, τῇ παντὸς τιμιωτέρᾳ χρυσοῦ φρονήσει κοσμεῖσθαι· & (in περὶ τοῦ μέθυσμ. &c.) τὸν χρυσοῦ τιμιώτερον φρονήσεως καὶ ἀρετῆς κόσμον. Apud Platonem in Phædone, ψυχὴν σωφροσύνῃ, δικαιοσύνῃ, ἀνδρείᾳ, ἐλευθερίᾳ καὶ ἀληθείᾳ κοσμεῖν· Julianum in Miſopog. ψυχάριον σωφροσύνῃ κοσμεῖν, καὶ καλλωπίζειν· &, ἀνδράσι σωφροσύνῃ κεκοσμημένοις· Plutarchum in De amici & adul. diſcrim. ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ κοσμεῖν· & 7. 7. M. Antonini, ἁπλότητι καὶ αἰδοῖ ἑαυτὸν φαιδρύνειν· quod Plauto in Moſtellaria, *lepidis ſe moribus exornare.* In ejuſdem Pœnulo,

Pulcrum ornatum turpes mores pejus cæno collinunt,
Lepidi mores turpem ornatum facilè factis comprobant.

Apud Jul. Firmicum 6. 3. legimus, *ornamento pudicæ converſationis mores ornatos habere:* &, *verecundiâ, gravitate morum, atque honeſtâ converſatione ornatos,* apud eundem 8. 30. Apud Malmesburienſem de geſtis Anglorum lib. 4. *ſtudium in ornandis moribus ponere, magiſque ſplendidam mentem quàm auratas veſtes amare.* Iſocrates ad Demonicum, Ἡγοῦ μάλιςα σεαυτῷ πρέπειν κόσμον, αἰσχύνην, δικαιοσύνην, σωφροσύνην. Lucianus in Παιδείας proſopopœia, Τὴν ψυχήν σοι κατακοσμήσω, &c. σωφροσύνῃ, εὐσεβείᾳ, πρᾳότητι, ἐπιεικείᾳ, συνέσει καρτερίᾳ, &c. τῷ τῆς ἀκηράτῳ καὶ ὡς ἀληθῶς κόσμῳ. D. Baſilius in cap. 7. Eſaiæ, Ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν ἀρετὴν περιβολῆς ἡ ζωὴ τῶν σπουδαίων κοσμεῖσθαι πέφυκεν. Idem in De legend. Gentil. libris, de Homero, Αὐτὸν (Ulyſſem naufragum & nudum) ἀρετὴν ἀνθ' ἱματίων κεκοσμημένον ἐποίησεν. Plutarchus fine vitæ P. Æmilii, Ἡ περὶ τὴν ἐκφορὰν πομπὴ θαυμαςὸν ἔχει καὶ ζῆλον ἐπικοσμοῦντα τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς τοῖς ἀρίςοις καὶ μακαριωτάτοις ἐπιταφίοις. ταῦτα δὲ ἦν, οὐ χρυσὸς, οὐδ' ἐλέφας, οὐδ' ἡ λοιπὴ πολυτέλεια καὶ φιλοτιμία τῆς παρασκευῆς· ἀλλ' εὔνοια, καὶ τιμὴ καὶ χάρις P. Chryſolog. Serm. 47. ad Matth. 13. ea, NEGOTIATORI, BONAS QUÆRENTI MARGARITAS, *Providentem ornamenta virtutum, non irritamenta vitiorum: gravitatem morum, non lapidum pondera perferentem: honeſtatis, non luxûs monilia portantem: geſtantem non voluptatis pompam, ſed inſignia diſciplinæ.* Epicteti eſt apud Stobæum, *Noli tabulis & picturis ædes exornare tuas: ſed modeſtiâ, ſobrietate, temperantiâ, te depingito:* & Hieronymi ad Nepotianum, *Vis ſcire quales Dominus quærit ornatus? habeto prudentiam, juſtitiam, temperantiam, fortitudinem,* &c. *nihil hoc monili pretioſius, nihil hâc gemmarum varietate diſtinctius.* Quibus adde quæ de Pythagora jam ſuprà adducta, & quæ ex Philoſtrato, Antiphane, & Arriano infrà adducenda. Tranſeamus interim ad ſexum imbecilliorem, cui Paulus iſto loco præcipit. Epictetus c. 62. Προσέχειν ἄξιον ἵνα αἴσθωνται, διότι ἐπ' οὐδενὶ ἄλλῳ τιμῶνται ἢ τῷ κόσμιαι φαίνεσθαι καὶ αἰδήμονες ἐν σωφροσύνῃ. Meliſſa in præceptis conjugalibus ad Claretam, Ἔχοις δ' ἂν ἐπὶ τᾶς ὄψιος ἐρύθημα μὲν ἀντὶ φύκεος, καλοκαγαθίαν δὲ καὶ σωφροσύναν ἀντὶ χρυσῶ καὶ σμαράγδω. Apud Zonaram Cato, Κοσμείσθωσαν αἱ γυναῖκες μήτε χρυσῷ μήτε λίθῳ, ἢ τισιν ἀνθινοῖς καὶ ἁλουργινοῖς ἐσθήμασιν, ἀλλὰ σωφροσύνῃ, φιλανδρίᾳ, φιλοτεκνίᾳ, πειθοῖ, μετριότητι, &c. Clemens Pædag. 3. 11. Ἐπιδείξομεν δὲ αὐταῖς (mulieribus) κομμωτικὴν σώφρονα, κάλλος ἄριςον, &c. ἔτ' ἂν ἡ κεκοσμημένη ψυχὴ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ τοῖς ἐκ τούτου ἐμπνεομένη φαιδρύμασι, δικαιοσύνῃ, φρονήσει, ἀνδρείᾳ (malim, ut ſuprà, φιλανδρίᾳ, σωφροσύνῃ, φιλαγαθίᾳ τε καὶ αἰδοῖ) &c. Seneca c. 16. ad Helviam, *Nunquam tibi placuit veſtis quæ nihil ampliùs quàm ut nudam componeret, unicum tibi ornamentum, pulcerrima & nulli ætati obnoxia forma, maximum decus viſa eſt pudicitia.* Juſtinus lib. 20. de Crotoniatis mulieribus, *Præ ſe ferentes verum ornamentum matronarum pudicitiam, non veſtes eſſe.* Plautus, (etſi ſub perſona haud proba) jam citatâ fabulâ.

Bono ingenio eſſe me ornatam quàm auro multò mavolo: & pòſt,
Pudorem gerere magis decet quàm purpuram.

D. Auguſtinus 73. Epiſtolâ, *Verus ornatus, maximè Chriſtianorum & Chriſtianarum, non tantum nullus mendax fucus, verùm nè auri quidem veſtiſque pompa; ſed mores boni ſunt.* Ambroſius 1. de Virginibus, *Quid quòd etiam,* &c. *gemmis onerantur aures, ac color alter infunditur?* &c. *vos verò beatæ virgines,*

quæ talia tormenta potiùs quàm ornamenta nescitis; quibus pudor sanctus, & bona castitas est decori. Tertullianus lib. De fœmin. cultu, *Vestite vos serico probitatis, bysso sanctitatis, purpurâ pudicitiæ:* & paucis antè, *Medicamentis, & ornamentis Apostolorum exstructæ, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ & spiritus taciturnitate.* Aldhelmus in De laudibus Virginitatis, *Ista collum lunulis, & lacertos dextralibus ornari, &c. concupiscit: illa pulcerrimo fulgentis pudicitiæ cultu splendescere, & auratis virtutum monilibus rutilare, simulque candidis meritorum margaritis decorari desiderat.* Αἰδῶ καὶ σωφροσύνην, ut Paulus, junxit in πρὸς ἡγεμ. ἀπαιδ. Plutarchus, & in Misopogone Julianus. Xenophon item Memorabil. 2. Virtutis cultum amictumque describens, τὸ σῶμα τῇ καθαρότητι κεκοσμημένην, τὰ δὲ ὄμματα αἰδοῖ, τὸ δὲ σχῆμα σωφροσύνῃ. Idem Παιδ. 8. ejusmodi distinctionem affert, ut αἰδούμενοι sint οἱ ἐν τῷ φανερῷ αἰσχρὰ φεύγοντες, σώφρονες autem, καὶ τὰ ἐν τῷ ἀφανεῖ· at heic discrimen id non habet locum. αἰδὼς Apostolo verecundiam vultûs parciloquio comitatam notat, σωφροσύνη tam apertas actiones quàm secretas complectitur.

Ibid. μὴ ἐν πλέγμασιν, ἢ χρυσῷ, ἢ μαργαρίταις, ἢ ἱματισμῷ πολυτελεῖ]

Nolint ornatos positu variare capillos,
Conspicuas gemmis aut sibi ferre manus,
Induere aut collo lapides Oriente petitos,
Aut tegere auratâ corpora veste sibi.

Cæterum, cùm habitus fœminarum (teste Tertulliano cap. 4. De habitu mul.) duplicem speciem circumferat, cultum (quem & *mundum muliebrem* vocant) ornatumque; hic autem in cura capillorum & cutis deputetur, ille in argento, auro, gemmis vestibusque; Apostolus scitè alterum voce πλέγμασιν, alterum speciebus sequentibus comprehendit. Ἐν πλέγμασιν heic est quod ἐν ἐμπλοκῇ τριχῶν vocat Petrus jam dicto loco. Suidas de Cæsyra Polystrati uxore, Πολλοῖς, &c. ἐκέχρητο καλλωπίσμασιν, &c. καὶ τοῖς τῆς κεφαλῆς πλέγμασιν. Vide Apulejum lib. 2. pag. 26. nostræ editionis. Lucianus in Amoribus, Τὸ πλεῖστον ἀναλίσκει μέρος ἡ πλοκὴ τῶν τριχῶν· & pòst, inter alia muliebris mundi nugamenta, σιδηρᾶ ὄργανα, πυρὸς ἀμβλείᾳ φλογὶ χλιανθέντα, βίᾳ τῶν ἑλίκων οὐλότητα διαπλέκει. Glossæ, ἐμπλέκτρια, *implicatrix, ornatrix.* Recentior, *non in cincinnis*; at bene Versio vulgata, *non in tortis crinibus*: sic, *crines in nodum tortos* Martialis. Aptè autem & ad hæc Pauli Philostratus, etsi de viro agens, Τὴν κόμην οὐκ ἤσκει, &c. (de Ænea loquitur) ἀλλὰ μόνην τὴν ἀρετὴν ἐποιεῖτο κόσμημα· & 3. 1. Arrianus in Epictetum, Ὅρα τί λέγει Σωκράτης τῷ καλλίστῳ, &c. Ἀλκιβιάδῃ, πειρῶ καλὸς εἶναι· τί λέγει αὐτῷ; πλάσσε σου τὴν κόμην, &c. μὴ γένοιτο, ἀλλὰ κόσμει σου τὴν προαίρεσιν.

Ibid. ἢ χρυσῷ]

Sine auro ornata ità uti quæ ornantur sibi.

In Epistolis Ovidianis,

Veste tegor vili, nullum est in crinibus aurum.

Repetantur quæ suprà ex Plauto & Zonara hanc in mentem producta. Naumachius in præceptis conjugalibus,

Μήποτε σὺ χρυσῷ περιμαίνεο. ——

Consilium utinam & nostris temporibus non æquè necessarium, nam & hodie,

—— *Gemmis auroque teguntur*
Omnia, pars minima est fœmina tota sui.

Bardesanes de Bactrianis mulieribus, Κομῶσαι πολλῷ χρυσῷ, καὶ λίθοις πολυτίμοις.

Ibid. ἢ μαργαρίταις] Non χρυσῷ, καὶ λίθῳ τιμίῳ, καὶ μαργαρίταις κεχρυσωμένας, ut Apoc. 17. 14. & 18. 16. illa; non ἐν λίθων διαυγίαις, ut apud Suidam quis (huc respiciens) locutus: non *smaragdis margaritisque operta*, ut apud Plinium 9. 33. Lollia Paulina.

Gutura non illæ magnifice monilibus ornent,
Aut gemmas aptent capiti ——
Non digitis gemmas, non longa monilia collo,
Auro leves baccas, redimicula pectore gestent.
Nec studeant caris aures onerare lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.
Substringantve comam gemmis, aut colla monili
Ornent, aut baccis onerent candentibus aures,

Seneca Hippolyto,

Cervix monili vacua, nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.

Idem Herc. Oetæo,

Non disposito clara monili
Gestent pelagi dona rubentis:
Nec Gemmiferas detrahat aures
Lapis Eoa lectus in unda. Horatius,
—— *Nec rotundioribus*
Onusta baccis ambulet.

Naumachius ubi suprà,

—— Μήτ' ἐπὶ δειρῆς
Πορφυρέην ὑάκινθον ἔχοις, ἢ χλωρὸν ἴασπιν.

Artemidorus 2. 5. Ὅρμοι, καὶ ἁλύσεις, καὶ ἐνώτια, καὶ λίθοι πολυτελεῖς, καὶ πᾶς κόσμος περιδέραιος γυναικεῖος. Seneca matronarum Romanarum luxum exagitans, 7. 9. de Beneficiis, *Video uniones, non singulos singulis auribus comparatos, &c. junguntur inter se, & insuper alii aliis superponuntur.* Hieronymus in Epitaphio Marcellæ de Ethnicorum viduis, *Solent, &c. splendere gemmis, aurum portare cervicibus: & auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana suspendere.* Idem ad Rusticum, *Carbunculus, & smaragdus, & margarita candentia, & uniones, quibus nobilium fœminarum ardet ambitio:* & ad Demetriadem, *Ut taceam de inaurium pretiis, candore margaritorum, &c. smaragdorum virore, ceauniorum flammis, hyacinthinorum pelago, ad quæ ardent & insaniunt matronarum studia.* In l. 32. ff. de auro, argent. &c. *Inaures, in quibus duæ margaritæ & duo smaragdi.* Plinius senior Natur. histor. 13. 3. *Discurrant catenæ per latera, & inserta margaritarum pondera è collo dominarum pendeant.* Plinius nepos lib. 5. epist. 16. de Fundano innuptâ filiâ orbato, *Præcipientem quod in vestes, margaritas, gemmas, erogaturus erat, hoc in thura, & unguenta, & odores impenderetur.*

Ibid. ἢ ἱματισμῷ πολυτελεῖ] Non εἵματα ἐξωμοιβὰ ἀντὶ τῆς ὁσίας ἀποδεχόμεναι, ut de Antiochenis Julianus Misopog. locutus,

Nolint esse graves intexto vestibus auro,
Nec tegat excultos palla superba pedes.

Senec. Herc. Oet.

Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibat lana rubores.
Nec Mæoniâ distinguat acu
Quæ Phœbais subditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.

Repete & heic quæ suprà è Plauto & Zonara deprompta. Melissa jam citata Epistola, Χρὴ τὰν σώφρονα καὶ ἐλευθέριον, &c. ἦμεν τῇ ἐσθῆτι λευκοείμονα, καθάριον, καὶ ἀφελῆ, μὴ περισσὰν καὶ ΠΟΛΥΤΕΛΗ.

Ibid. ἱματισμῷ πολυτελεῖ] Qualis Luc. 7. 25. ἱματισμὸς ἔνδοξος· vide in Græco Judithæ 12. 15. Ἱμάτια πολυτελῆ habemus in Plutarchi Catone, &, πολυτελῶς κοσμεῖσθαι, apud eundem in Solonis vita. Hesychius, Πολυτελῆ, πολυδάπανα, πολλοῦ ἄξια, &c. ubi ἱμάτια subaudiendum non est cur dubitemus. Aptè autem etiam vestes pretiosas Apostolus amoveri præcipit; pars illa matronarum luxûs non exigua. Apulejus 2. *Aurum in gemmis, & in tunicis, &c. matronam profectò confitebatur.* Apud Hieronymum 1. contra Jovinianum, *Multa esse quæ matronarum usibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, aurum, &c.* Justinus, *Ut matronæ auratas vestes, cæteraque dignitatis ornamenta, velut instrumenta luxuriæ, deponerent.* Plutarchus, & (quod notabile est) de Ionia Matrona, Σεμνυνομένης ἐπί τινι τῶν ἑαυτῆς ὑφασμάτων ὄντι πολυτελεῖ, &c. De talibus non illepidè Pædag. 2. 10. Clemens Alexandrinus, Μίαν ἐσθῆτα μυρίων ταλάντων ὠνούμεναι, σφᾶς αὐτὰς ἀχρειοτέρας καὶ ἀτιμοτέρας τῶν ὑφασμάτων ἐλέγχουσι.

10. ὃ πρέπει γυναιξὶν, &c.] Si accederet librorum veterum auctoritas, mallem ὡς πρέπει reponi. Sic Coloss. 3. 8. (itidem ad fœminas loquens,) ὡς ἀνῆκεν dixit: & Ephes. 5. 3. καθὼς πρέπει ἁγίοις. 1 Maccab. 12. 11. Ὡς δέον ἐστὶ, καὶ πρέπει. Sirachidis 33. 28. Ὡς πρέπει αὐτῷ. Terent. 3. 4. Adelph.

—— *Ut vobis decet.*

Ubi Donatus, *Græcè dixit,* ὑμῖν πρέπει, *& deest, facere.*

Ibid. ἀλλ' (ὃ πρέπει γυναιξὶν) &c.] Proposuimus ὡς πρέπει legendum. Apud Herodianum lib. 4. Μετ' ἀγαθῆς τῆς ἐλπίδος ἀγωνίζεσθε, ὡς Ῥωμαίοις πρέπει.

Ibid. ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν] Ambrosius, *profitentibus.* Seneca c. 25. Consolat. ad Polybium, *Nihil unquam potes indignum facere viri perfecti, &c. viri professione:* id est, ἐπαγγελίᾳ. Vulgata (quod idem implet,) *promittentibus*: sic verbo *promittendi* Epist. 88. idem Seneca usus. Glossarium, Ἐπαγγέλλομαι, *promitto*, &c. Horatius,

—— *Quod medicorum est*
Promittunt medici. ——

Ubi vetus Scholiastes, *Promittunt, profitentur.* Θεοσέβειαν ἐπαγγέλλεσθαι heic, & γνῶσιν ἐπαγγέλλεσθαι infrà 6. 20. locutiones sunt bene Græcæ. Sic Philo (in περὶ φιλανθρωπ.) θεοῦ θεραπείαν ἐπαγγέλλεσθαι, dixit. Clemens Pædag. 3. 4. σωφροσύνην ἐπαγγέλλεσθαι. Ignatius ad Ephesios, πίστιν ἐπαγγέλλεσθαι, Joannes Antiochenus, & Plutarchus, φιλοσοφίαν ἐπαγγέλλεσθαι. Anonymus apud Suidam, μαντικὴν ἐπαγγέλλεσθαι. Photius Ep. 97. ἐπιείκειαν καὶ φιλανθρωπίαν ἐπαγγέλλεσθαι. Hinc M. Antonini 3. 2. τὸ τῆς ἀρτοποιίας ἐπάγγελμα, & apud Zosimum, Χριστιανῶν πίστεως ἐπαγγελία.

Ibid. δι'

Ibid. δι' ἔργων ἀγαθῶν] Ut Dorcas, quæ erat πλήρης ἀγαθῶν ἔργων, Act. 9. 36. Antiphanes perapposite,

Μηδ' εἵμασι τὸ σῶμα λαμπρύνειν θέλῃ,
Ἔργοις δὲ καθαροῖς καὶ τρόποις τὴν καρδίαν.

11. Γυνὴ ἐν ἡσυχίᾳ μανθανέτω] Ἐν ἡσυχίᾳ, in silentio. Clemens in Epistola ad Corinthios itidem de mulieribus agens, Τὸ ἐπιεικὲς τῆς γλώσσης αὐτῶν διὰ τῆς σιγῆς φανερὸν ποιησάτωσαν.

——— *Tacita bona'st mulier semper quàm loquens*,

etiam ante Apostoli nostri tempora dixit Comicus Latinus Rud. &c. Κόσμος ὀλιγομυθίη γυναικὶ, Democritus apud Stobæum, Tit. π. γαμικ. παραγγελμάτων. Hieronymus de Paula Eustochii matre, *Tarda erat ad loquendum, velox ad audiendum.* Præcipitur heic idem quod in hymnis Orphei dictis,

——— Σὺ δὲ τοῖσι νόοισι πελάζεο γλῶσσαν
Εὖ μάλ' ἐπικρατέων. ———

Ἡσυχάζων μανθάνειν autem, est & in versiculis à Philone citatis, libro, Quis heres rerum divinarum. Contraria hæc Plutarchi de Atheniensibus. Μᾶλλον ὀξέως ὑπονοεῖν ἢ διδάσκεσθαι μεθ' ἡσυχίας βουλόμενοι. In præceptis politicis.

12. Γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω] Virilibus officiis fœminas fungi prohibet & Romanum jus, l. 1. ff. de postul.

Ibid. οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ] Interpres Nicomacheorum 4. 8. Κατ' ἀξίαν, καὶ ὡς βελτίων, ὁ ἀνὴρ ἄρχει. Senex Plautinus ad filiam suam, (Menæchm. Sc. *Ut ætat*)

——— *Servire tibi*
Postulas virum? ———

In versu Græco,

Γυναικὶ δ' ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ Φύσις.

Apulejus 9. *Sed nec æquitas patitur plus juris habere uxorem quam maritum.* Plinius in Panegyrico, *Uxori sufficit obsequii gloria.* Seneca in Sap. non cad. in jur. cap. 1. de maribus fœminisque, *Utraque turba ad vitæ societatem tantundem confert; sed altera pars ad obsequendum, altera imperio nata est.* Plutarchus in Conjugal. præceptis, de uxoribus agens. Ὑποτάττουσαι ἑαυτὰς τοῖς ἀνδράσιν ἐπαινοῦνται, κρατεῖν δὲ βουλόμεναι μᾶλλον τῶν κρατουμένων ἀσχημονοῦσι. Martialis,

Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Haud aliter fiunt fœmina virque pares.

Vide quæ similia ex Chrysostomo inferiùs adducenda. Melissa, ubi suprà, Ἀρέσκειν δὲ (χρὴ ἐκείναν) τῷ αὐτᾶς ἀνδρὶ, ἐπιτελέως ποιεῦσαν τὰς ἐκείνω θελήσιας. Hinc irrisoriè Julianus ad Antiochenos, Ἐπιτρέψατε ταῖς γυναιξὶν ἄρχειν ὑμῶν· & apud Euripidem Electra ad Ægysthum,

Πᾶσι δ' ἐν Ἀργείοισιν ἤκουες τάδε,
Ὁ τῆς γυναικὸς, οὐχὶ τ' ἀνδρὸς ἡ γυνή·
Καί τοι τόδ' αἰσχρὸν, προστατεῖν γε δωμάτων
Γυναῖκα, μὴ τὸν ἄνδρα. ———

Ἐν ἡσυχίᾳ εἶναι heic, est quod 1 Petr. 3. 4. τῷ πραέι καὶ ἡσυχίῳ πνεύματι κοσμεῖν ἑαυτάς. Post ἡσυχίᾳ autem supplendum βούλομαι, γνώμην δίδωμι, aut quid simile. Pro eo quod heic Paulus αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, Diod. Siculus lib. 1. ἀνδρὸς κυριεύειν dixit.

14. ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα, &c.] Epiphanius Hæres. 79. Γυναικῶν γένος εὐόλισθον, σφαλερόν, &c. Ἀπατηθεῖσα, à Diabolo nempe. De eodem 6. 7. Lactantius, *Cujus vis & potestas omnis in fallacia.* Vide 2 Cor. 11. 3.

Ibid. ἐν παραβάσει γέγονε] Subaudi πρῶτον. Sirachides 25. 24. Ἀπὸ γυναικὸς ἀρχὴ ἁμαρτίας. Tertullianus in de habitu muliebri, *Tu (mulier) divinæ legis prima es desertrix.* Suidas, Εὔα, ἡ, &c. πρώτη παράβασις τοῦ κόσμου. Ambrosius 3. de Virginibus, *Si Eva clausa fuisset janua, nec Adam deceptus fuisset.* Ergò non solùm quòd post virum facta est, sed & hoc nomine subjicitur ei. Chrysostomus ad 1 Cor. 11. Εἰκότως ὑποτέτακται τῷ ἀνδρὶ ἡ γυνή, ἡ γὰρ ἰσοτιμία μάχην ποιεῖ· καὶ οὐ διὰ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἀπάτην τὴν παρὰ τὴν ἀρχὴν συμβᾶσαν. Interpres vetus heic, *in prævaricatione*, ut & Daniel. 6. 8, & 12. Glossarium, Παράβασις, *prævaricatio.* Glossæ aliæ, *Prævaricatio*, ἡ ἀπόστασις, παράβασις. Isidorus de primigena muliere ista, *Per prævaricationem exstitit causa moriendi.*

15. διὰ τῆς τεκνογονίας] Glossarium, Τεκνογονία, *creatio* (i. e. procreatio) *filiorum.*

Ibid. ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, &c.] Si illud μείνωσιν de muliere acceperimus, erit transitus à singulari ad pluralem, ut infrà 5. 4. εἰ δέ τις χήρα, & statim, μανθανέτωσαν· ut contrà Galat. 6. 1. in plurali incipit, & definit in singulari. Potest autem τὸ μείνωσιν intelligi de liberis ejus, ut constructio sit πρὸς τὸ σημαινόμενον· relatâ nempe voce eâ ad τὸ τεκνογονίας. Ita sensus erit, salvabitur mulier si perstiterint liberi ejus in fide, &c. id est, si quantum in se fuerit, diligentiâ & sobriæ educationis curâ effecerit ut perstent, &c. Expositionem hanc (quam non nescimus à vulgaribus discrepare) videntur firmare illa D. Ambrosii 1. de Virginibus, *Audistis, parentes, quibus erudire virtutibus, quibus instituere disciplinis filias debeatis, ut habere possitis quorum meritis vestra delicta redimantur.* D. Augustinus in de Virginitate, *Habeant conjugia suum bonum, non quia filios procreant; sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant: & procreatos pariter salubriter, instanter educant.* Ἐν πίστει μένειν heic, quod Act. 14. 22. & Coloss. 1. 23. τῇ πίστει ἐπιμένειν.

CAP. III.

VALLA.

2, 3, 4. **U**Nius *uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, Non violentum*] Σώφρονα. Non legitur Græcè *pudicum.* Neque *doctorem* magis intelligendum est quàm *doctum*, διδακτικόν, i. e. *habilem, aptum, idoneum & appositum ad docendum*, quem in posteriore ad Tim. epistola 2. 24. vocat *docibilem*, διδακτικόν. Nec *vinolentum*, i. e. plenum vino, (quod postea v. 8. in Diaconis reprehenditur, *non multo vino deditos*) magis quàm *vinosum*, h. e. nimis amantem vini, πάροινον. ¶ *Non litigiosum, non cupidum, Domui suæ bene præpositum*] *Litigiosum* ad lites pertinet: at Græcè est *non pugnantem*, ἄμαχον. Nec Græcè est *cupidum*, sed *pecuniæ cupidum*, φιλάργυρον. Nec tam bene dicitur hic *domui suæ bene præpositum*, καλῶς προϊστάμενον, quasi laus sit ejus qui huic *præposut*, quàm paulò pòst de Diaconis, *qui filiis suis bene præsint*, καλῶς προϊστάμενοι. Ideoque sequitur,

5. *Quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*] Verùm Græcè potiùs est *curam habebit*; sive, *quomodo de Ecclesia Dei erit ei cura?* ἐπιμελήσεται.

11. *Mulieres similiter pudicas*] Si de uxoribus Episcoporum & Diaconorum sentit Paulus, cur non transtulit Interpres *Uxores?* Sin de aliis, quæ sunt istæ aliæ? Nam de cunctis loqui Apostolum reor: γυναῖκας.

16. *Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria*] Quod neutraliter legitur, masculinè legendum est, addendumque *Deus:* sic enim est Græcè, *Et planè*, sive *haud dubiè*, sive, quod Græco magis respondet, *sine controversia*, i. e. *confessè*, ὁμολογουμένως, *magnum est pietatis sacramentum*, i. e. *mysterium*; *Deus manifestatus est in carne, justificatus in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est in Gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria.* Nam quomodo, ut argumento agam, potest *mysterium assumi in gloria?* Christus in gloria assumptus est. μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ.

REVIUS in VALLAM.

3. **P**Osteriore] Perperàm editum erat *priore.* ¶ Πάροινον] Propter trajectionem Græcæ vocis totus locus erat confusus, &, quia qui ediderunt sensum non capiebant, etiam mutatus. Nam *deditos* quod textûs est, verterant in *deditum.* Denique ità locum ediderant quasi πάροινον reprehenderetur in Diaconis; quod falsum est; sed πολλῷ οἴνῳ προσέχοντας. Alterum illud removetur ab Episcopis.

4. *Bene præsint*] Deerat *bene.*

16. *Manifestatum*] Sic lege pro *manifestum*, quod editum erat: quanquam id etiam in Vulgata quâ Erasmus est usus habebatur, qui (ut hoc necessariò addam) & insignem hanc Vallæ animadversionem frigidè eludit, & luculentissimum hoc pro Deitate Christi testimonium fœdissimè contaminat; ut ostenderem, nisi id jam Beza præstituisset.

ZEGERUS.

1. **F**Idelis sermo] Πιστὸς ὁ λόγος. Et hoc loco D. Ambrosius vertit, *Humanus sermo:* unde conjicere licet illum pro πιστὸς legisse χρηστός. Chrysostomus & Theophylactus referunt ad superiora, quæ Paulus voluerit indubitata esse, quod dixit *mulierem servari gignendis & rectè instituendis liberis.* ¶ *Si quis Episcopatum desiderat*] Ὀρέγεται *appetit*, sive *expetit.* Et *præclarum opus* est potius

tius quàm *bonum*, καλὸ ἔργυ. Id verum erat eo seculo. At his temporibus *qui Episcopatum expetit*, *praeclarum censum expetit*, *praeclarum imperium expetit*, ut sunt hodie complures Episcopatus. *Opus* autem dixit quòd *episcopus* Græcis dicatur ab *inspiciendo & providendo*. Cæterùm quanquam Interpres bis posuit *desiderat*, Gr. tamen duo sunt verba, ὀρέγεται & ἐπιθυμεῖ. Id in aliis pensat, eandem vocem aliter atque aliter reddens.

2. *Oportet enim*] Δεῖ οὖν, i. e. *Oportet igitur*. ¶ *Unius uxoris virum*] Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. Id nunc nimiùm durè, nè dicam ridiculè, torquent ad *unam Ecclesiam*. An Episcopus non habet multas Ecclesias? At Chrysostomus interpretatur de *unica uxore quam habeat Episcopus*, addens tamen *esse nonnullos qui sic exponant* UNIUS UXORIS VIRUM, *qui fuerit semel duntaxat maritus*. Et periclitatur Chrysostomus, nè Paulus exigere videatur ab Episcopo ut uxorem habeat, aut exemplo Judæorum plures habeat simul. At nunc non solùm à tot Presbyteris exigitur castitas, verùm etiam matrimonium ab Hypodiaconis contractum dirimitur. Quin id quoque vehementer astringunt, quòd eo seculo, quo summa erat Sacerdotum raritas, instituit Paulus servandum in Episcopus, ut non adiret hunc honorem digamus. Jam enim, cùm tot sint Sacerdotum ubique millia, excluduntur à Sacerdotio qui vel imprudentes duxerint corruptam. Imò qui ante Baptismum habuerit uxorem, & à Baptismo duxerit alteram priore defunctâ, arcetur à Sacerdotio; licèt hac in parte gnaviter reclamante Hieronymo. Quin illud magis mirum; Cùm tot egregias dotes requirat Paulus in Episcopo, cæteris prætermissis, solius uxoris habetur ratio. Admittitur incestus, admittitur homicida, admittitur pirata, admittitur Sodomita, sacrilegus, parricida, denique quis non? solus digamus excluditur ab hoc honore, qui solus nihil admisit. Mirum est autem ut quædam urgeamus ac plusquam mordicus teneamus, ad quædam prorsus conniventes. Si quis perpendat horum temporum statum, quotam hominum portionem Monachorum greges occupent, quotam Sacerdotum & Clericorum collegia, deinde perpendat quàm pauci è tanto numero verè servent vitæ castimoniam, tum in quæ libidinum genera quàm innumeri devergant, quanto cum probro compiures palàm incesti sint & impudici, fortassis judicabit magis expedire ut iis qui prorsus non continent jus fiat publici matrimonii, quod absque mala fama purè sanctèque colant, potiùs quàm infeliciter ac turpiter libidinentur. Nunc cœlibes habet mundus quàm plurimos, castos perpaucos: quanquam nec is castus est qui Venerem non attingit quia non licet. Sed etiam atque etiam vereor nè census Ecclesiastici castrent hodie Clericos veriùs quàm Pietas, dum metuimus nè quod tenemus intercipiatur, aut certè nihil accedat. Verùm hæc non sunt hujus instituti. ¶ *Ornatum*] Κόσμιον, i. e. *compositum*, sive *bene moratum*, aut *modestum*. Idem verbum quod vertit *in habitu ornato*. ¶ *Prudentem*] Σώφρονα. Id hoc loco Ambrosius vertit *pudicum*; id quod impendio placet Hieronymo, quod magis sonat *sobrium* & *sanæ mentis*. Nam νηφάλιον, quod præcessit, & *vigilantem* sonat & *abstemium*: unde & νηφάλια *sacra in quibus pro vino libabatur aqua*. Etymologia vocis variè traditur apud Græcos. Sunt autem comites sibi Vigilantia & Sobrietas. Nec decet speculatorem omnium saluti vigilantem esse dormitabundum, nec vigilare potest qui luxui indulget. ¶ *Hospitalem*] Φιλόξενον, *benignum in peregrinos & advenas*. Annotavit Græcæ vocis emphasim Theophylactus. Nunc *hospitalitatem* appellant cùm Satrapas ac Reges magno luxu excipiunt, donatosque dimittunt. ¶ *Doctorem*] Διδακτικόν, *docibilem*, sive *appositum ad docendum*. Id enim sensit Paulus; atque id est præcipuum Episcopi munus. Nam cætera quæ recensuit requiruntur etiam à subditis. Cæterùm Docere populum, Hortari, Consolari, Monere, Redarguere, proxima maximeque splendida est Episcoporum functio, quam nunc multi libenter cedunt aliis quamlibèt sordidis. Ubi receptum est ut Episcopi ditionem profanam gerant, saltem deberent in præcipuis festis concionantes apud populum ornare munus Euangelicæ prædicationis. Hieronymus Adv. Pelag. l. 1. reprehendit vulgatam illorum temporum editionem, quæ habebat *docilem*, appellans *Latinam simplicitatem*; & vertit *qui docere possit*. Nam *docilis* est qui facilè discit.

3. *Non vinolentum*] Πάροινον. Quod Ambrosius vertit *vino obnoxium*: *vinosum* dicere poterat. Chrysost. cumque hoc Theophylactus negat hoc accipiendum de vinoso, sed feroci & elato & ad vim parato, quales sunt qui vino temulenti debacchantur. Mansuetudo præcipuè decet patrem. *Non litigiosum*] Ἄμαχον, i. e. *alienum à pugna*, quod Hieronymus Adv. Pelagium vertit *absque jurgio*. Et illud *non percussorem*, μὴ πλήκτην, non pertinet ad violentiam manuum, sed acerbitatem linguæ, nè sævus & improbus sit objurgator. Id annotavit & D. Hieronymus. Quid enim magni sit si Episcopus temperet manibus? Hieron. sententiæ subscribit Chrysostomus. Ambrosius pro *percussore* vertit *verberatorem*. Et apud Horatium legimus *verbera linguæ*. Item apud Ciceronem, *Verberatur Tiro tacito duntaxat cognitionis convitio*. ¶ *Non cupidum*] Ἀφιλάργυρον, *ab argenti cupiditate alienum*. Hieronymus Adv. Pelag. vertit *non avarum*. Hoc subjecit, vel quòd hospitalis esse non possit qui sit avarus, vel quòd, ut ait Theophylactus, quidam ex hospitalitate congerant thesauros.

4. *Domui suæ bene præpositum*] Προϊστάμενον, i. e. *qui bene præsit*; ut mox vertit, *Qui domui suæ bene præesse nescit* προστῆναι. Ac rursus de Diaconis τέκνοις καλῶς προϊστάμενοι, *qui filiis suis bene præsint*. Taxat enim argutè Valla quòd *benè præpositum esse* non est laus Episcopi, sed ejus qui commisit Episcopi munus. ¶ *Cum omni castitate*] Non est hoc loco σωφροσύνης, quod aliquoties sonat *pudicitiam*, nonnunquam *sobrietatem* ac *modestiam*, de quo paulò antè dictum est; sed σεμνότητος, quod multa sign. apud. Græcos, *pudorem liberalem & ingenuum*, *gravitatem*, *reverentiam*. Hieronymus dum undique captat præsidia tuendæ & ornandæ Virginitatis, hic quoque transtulit *pudicitiam*. Nos maluimus *reverentia*, quòd præcesserit *subjectio*, ut accipias *liberos patri morigeros*, *& liberali præditos pudore*. Idem apparet sensisse Chrysostomum. Alioqui quid est *cum omni castitate*? Cæterùm hæc variè leguntur. Primùm sic habent Græca, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, καὶ αἰσχροκερδῆ, ἀλλ᾽ ἐπιεικῆ, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον, &c. *Non vinosum*, *non percussorem*, *& turpi lucro deditum*, *sed humanum*, *abhorrentem à pugnis*, *alienum ab avaritia*. Ambrosius ità legit, *Non obnoxium vino*, *non verberatorem*, *sed modestum*, *non litigiosum*, *non asperum*. Jam frequenter admonui in hujusmodi catalogis variare scripturam. Porrò quod Græcè dicitur αἰσχροκερδῆ, D. Hieronymus in Epist. ad Heliodorum vertit *turpilucrum*, Græcam imitatus compositionem. Etiamsi non me clam est, hunc locum, ut innumeros alios, apud Hieronymum in vulgatis cod. depravatum esse.

5. *Ecclesiæ Dei*] Non potest deprehendi ex Ambrosio aut Chrysostomo quòd addiderint *Dei*, Nam *Ecclesia* opponitur *domo*. Et Ecclesia magna domus est. Certè apud Ambrosium non additur in contextu, nec Theophylactus enarrans attingit. ¶ *Diligentiam habebit*] Ἐπιμελήσεται, *curam aget*, aut *curabit*. Quis enim sic loquitur, *non habet diligentiam mei*?

6. *Non neophytum*] Νεόφυτος, *nuper natus*, aut *nuper insitus*. Sic enim Paulus vocat recens baptizatum, quòd à Baptismo censeantur Christiani. Cæterùm hoc loco *diaboli* fortassis non malè verti poterat *calumniatoris*. Requirit enim Paulus ab Episcopo, non solùm ut ipse vacet omni culpâ, verùm etiam nè sit obnoxius calumniis aut suspicioni. Proinde vult mores ac vitam illius in Christianismo diu spectatam esse, nè quisquam vel calumniari possit. Id autem jam tum Hieronymianis temporibus adeò non observabatur ut ea tum fuerit summa Episcopi commendatio si statim à Baptismo raperetur ad hoc honoris. Ad hunc sensum facit quod præcessit, *in opprobrium*. Neque verò me fugit Ambrosium hoc interpretari, non de fama illibata, sed de superbia tumoreque animi. Certè cùm sermo Græcus sit anceps, non arbitror absurdum si quis hic *in suo sensu abundet*, ut ait Paulus. Sanè pro me facit quòd mox repetens eundem sermonem scribit hunc in modum, *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt*, *ut non in opprobrium incidat & laqueum diaboli*. Duplex enim indicat periculum, nè neophytus insolenter se gerat in novo honore, atque ità sit obnoxius calumniæ. Nam & Episcopum oportet ab omni fastu tumoreque procul abesse, & famam oportet habere non abnoxiam probris aut calumniis. Sensus autem hic constat sive *diabolum* accipias Satanam, qui per maledicas linguas contaminet bonorum famam, sive calumniatorem hominem. Nos pro *neophyto* vertimus *novitium*.

8. *Bilingues*] Διλόγους, *duplices in sermone & in dictis inconstantes*.

9. *Mysterium fidei*] Quidam interpretantur de Dogmatibus fidei. Potest autem & de Silentio intelligi; nè quid, quod solent ministri, efferant eorum quæ domi geruntur.

10. *Et sic ministrent*] Εἶτα, *deinde*. ¶ *Nullum crimen habentes*] Ἀνέγκλητοι ὄντες, i. e. *ejusmodi ut nemo possit eos criminari*. Id quod indicat Hieronymus Adv. Pelagium. Nam ἐγκαλεῖν est *in jus vocare & crimen imponere*. Et ἔγκλημα atrox est *injuria ob quam aliquis in jus vocari possit*. Porrò ἀνέγκλητος is dicitur *cui nullum crimen possit impingi*, non solùm *qui nullum habeat crimen*: siquidem multarum pudicitia fuit infamis. Et Catonis innocentia non fuit ἀνέγκλητος, cùm legatur sæpenumero vocatus in jus, sed semper absolutus.

11. *Mulieres similiter pudicas*] Cùm ipse sermonis tenor palàm declaret eum loqui de uxoribus Episcoporum ac Diaconorum, meâ sententiâ rectiùs vertisset *uxores* quàm *mulieres*, quandoquidem

doquidem Græcis est *γυναῖκας*. Siquidem Paulus non hîc instituit universum populum, sed Episcopum cum suâ familia & clientela, quam totam vult esse illibatam. Nec admodum repugnat sententiæ meæ quòd Chrysostomus interpretatur hunc locum de mulieribus quarum ministerio utebatur Ecclesia. Poterant enim hæ Diaconorum & Episcoporum uxores esse. Certè de Viduis quas Ecclesia susceperat post suo loco præcipit. Nec video cur hic abhorreamus à nomine *uxorum*, cùm in confesso sit Græcis Sacerdotibus permissum esse matrimonium. Deinde *σεμνὰς* eadem vox quâ in liberis Episcopi requirebat *reverentem verecundiam*. ¶ *Non detrahentes*] Μὴ διαβόλους, *non calumniatrices*: quod Ambrosius vertit *non studentes discordiæ*. Nam διάβολος dicitur à διαβάλλειν, quod est *dispergere rumorem*, sed *adversùs hominem*. Nam huic vitio ferè affinis est ille sexus.

12. *Diacones*] Διάκονοι, i. e. *Ministri*; & *Diaconi*, non *Diacones*.

13. *Acquirent*] Περιποιοῦνται, *acquirunt*, temp. præsenti.

14. *Hæc tibi scribo, fili Timothee*] Duo hæc verba, *fili Timothee*, non reperio in quibusdam Græcis cod. nec Ambrosius addit; nè Chrysostomus quidem in ipsis Comment. tantùm est, Ταῦτά σοι γράφω· nam cætera ex vulgata edit. ab alio quopiam sunt ascripta. Theophylactus nè in contextu quidem habet. Cum Græcis concordabat exemplar utrumque bibliothecæ Constantiensis.

15. *Columna & firmamentum veritatis*] Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Hæc ad *Ecclesiam* referenda sunt, non ad *Timotheum*, sicut quidem opinantur: nam illam vocat *columnam & basim ac sedem veri*. Ac in eum sanè sensum citat locum hunc Augustinus exponens Psalmum 47. Ecclesiam appellat *domum Dei*, ut eam distinguat à synagoga Mosi: *columnam & firmamentum veritatis*, ob certitudinem dogmatum inviolabilem, cùm Judæi versentur in umbris.

16. *Et manifestè*] Ὁμολογουμένως, *confessè*, sive *citra controversiam*. Ambrosius sic explanavit περιφράσει, *Et quidem omnium confessione magnum est mysterium*, &c. Item *sacramentum* hic est *mysterium*, h. e. *arcanum*. ¶ *Quod manifestum est in carne*] Græcè secùs est, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, *Deus manifestatus est in carne*: & quæ sequuntur ad *Deum* referenda sunt. Ambrosius & V. Interp. legerunt pro Θεὸς, ὃ *quod*. Secùs legunt Chrysostomus & Theophylactus, quos si sequi volumus genera participiorum mutanda sunt, *justificatus*, *prædicatus*, *creditus*, *assumptus*. Cæterùm utra lectio sit verior ambigo nonnihil. Offendit Laurentium quomodo *mysterium* dicatur *assumptum in gloriam*. At cur magis non offendit quòd *Deus* dicitur *justificatus*? id quod nè in Christum quidem primâ fronte satis congruit; siquidem de *Christo* interpretatur Ambrosius. Mihi subolet, *Deum* additum fuisse adversùs hæreticos Arianos. Cæterùm meâ quidem sententiâ simplicissima fuerit interpretatio si quis *mysterium* intelligat Prædicationem Euangelii, quod sæpe aliàs *mysterium* vocat, priùs occultum & ignotum, nunc manifestatum universo mundo. Jam enim agit adversùs eos qui pro Gratia Christi Ceremonias Legis Mosaicæ conabantur inducere, nec aliâ conditione recipiebant Ethnicos. *Pietatem* igitur vocat Legem Christi, vacuam ceremoniis, cujus *mysterium magnum est*, sed quod jam sit *manifestatum* per Christi humanitatem, quod *justificatum in spiritu* & virtute Dei, nimirum per miracula. *Justificatum* autem dicit ob vim justificandi datam Christo per fidem sine Lege Mosaica; quod *visum* est *Angelis*, qui canebant, *Gloria in excelsis Deo*; quod *prædicatum* est *Gentibus*, cùm soli Judæi exspectarent; quod *creditum* est non solùm Judæis sed universo *mundo*: denique post resurrectionem *receptum* est in cœlum, unde fuerat profectum. Proinde hoc sanè loco mihi magis arridet nostra lectio, præsertim cùm magnus sit vetustorum exemplarium consensus. Nam Chrysostomi interpretatio hoc loco coactior est ac durior, si quis expendat. ¶ *Apparuit Angelis*] Ὤφθη. Cur non potiùs *visus est*, sive *conspectus est*? ¶ *Creditum est in mundo*] Sermo Græcus ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ non vacat Amphibologiâ: potest enim utrumlibet intelligi, *commissum est hoc mysterium in mundo*, datâ Apostolis & Episcopis autoritate prædicandi, aut, *habita est illi fides, & persuasum est in mundo hominibus*, quòd juxta naturæ ordinem videbatur incredibile. Posteriorem sensum sequitur Chrysostomus.

VATABLUS.

1. *Fidelis*] *Fide dignus, indubitatus*. ¶ *Bonum opus*] *Honestam functionem*.

2. *Enim*] *Ergo*. ¶ *Sobrium, prudentem, ornatum*] *Vigilantem, sobrium, modestum*, vel, *bene moratum*. ¶ *Doctorem*] *Idoneum ad docendum*.

3. *Non litigiosum, non cupidum: sed domui suæ bene præpositum*] *Non turpiter lucri cudipum, sed æquum; alienum à pugnis*, vel, *contentione, alienum ab avaritia, qui suæ familiæ rectè præsit*. ¶ *Castitate*] *Reverentia*.

5. *Diligentiam habebit*?] *Curam aget*?

6. *Neophytum*] i. e. Novitium, & nuper baptizatum, & adscriptum in numerum Christianorum. ¶ *In judicium incidat diaboli*] *In condemnationem incidat calumniatoris*: i. e. nè obnoxius sit calumniæ, & det adversariis ansam vituperandi officium Episcopi.

7. *Ab iis qui foris sunt*] *Ab Ethnicis & infidelibus probari*. ¶ *In opprobrium incidat, & in laqueum diaboli*] *In probrum incidat, & laqueum calumniatoris*: vel *insidiantis susurronis*: i. e. vituperandi occasionem captantis.

8. *Diaconos*] i. e. Ministros. ¶ *Pudicos*] *Compositos* bonis moribus ornatos.

9. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura*] i. e. Operum integritate ostendentes se veram & Christianam fidem habere. *In* pro *cum*.

10. *Et sic ministrent, nullum crimen habentes*] *Deinde ministrent, sic ut nemo possit illos criminari*.

11. *Detrahentes*] *Calumniatrices*.

13. *Acquirent*] *Acquirunt*: i. e. altiùs conscendunt, & incrementum sui doni quotidie consequuntur. ¶ *Fiduciam*] *Libertatem*: i. e. multam libertatem profitendi fidem quæ est in Christum Jesum.

15. *Firmamentum*] *Stabilimentum*: in qua qui agunt veritatem tuentur & defendunt.

16. *Manifestè*] *Citra controversiam*. ¶ *Pietatis sacramentum*] i. e. Magnum est mysterium quod pii norunt. ¶ *Quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu*] *Deus manifestatus est in carne, manifestatus est Spiritu*, [cùm scil. Spiritum sanctificantem accepit] *apparuit angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo, assumptus est cum gloria*.

CASTALIO.

2. *Unius uxoris vir*] In Oriente habebant aliquando viri singuli plures uxores simul: quod etiam hodie fit à Turcis & Judæis: Igitur Paulus majorem in Episcopo requirit temperantiam quàm in aliis: itaque vetat eum duas habere simul.

7. *Debet etiam honesto alienorum testimonio commendatus esse*] Non Christianorum.

9. *In fidei arcano sibi bene conscii*] In Christiana religione, quæ arcana res est.

11. *Uxores item*] Scilicet Ministrorum.

16. *Et professò magnum est pietatis arcanum*] Christianæ religionis. ¶ *Per Spiritum commendatus est*] Ἐδικαιώθη dictum est quomoda Luc. 7. οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν, *Publicani Deum commendarunt atque collaudarunt*. Est autem *commendatus comprobatusque Christus per Spiritum*, cùm Spiritus S. in eum columbæ specie descendit in ejus lotione. ¶ *Conspectus Angelis*] Qui eum pastoribus nunciarunt.

CLARIUS.

1. *Siquis Episcopatum*] Per id quod addit, *bonum opus desiderat*, manifestè significat se non de dignitate Episcopi verba facere, sed de labore: ut intelligas Eum qui optet subire pro Christo labores qui ad Episcopi officium pertinent, *rem bonam optare*, utpote quæ ea omnia complectatur quæ ipse numerat, ut scil. sit *irreprehensus, sobrius, modestus*, &c. Cùm verò *Episcopatum* cogitas, nè referas animum ad hæc tempora, quibus Episcopi nihil minùs norunt quàm eas partes quæ illis à Paulo assignantur: neque quicquam aliud nunc intelligitur appellatione *Episcopi* quàm fructus & vectigalia & immanes honores. Sed tempora illa ante oculos propone cùm Paulus ipse, qui alios instituebat Episcopos, peragrabat orbem omnium terrarum in fame & siti, in frigore & nuditate, in verberibus, in plagis, in carceribus atque quotidianis mortibus. Eo igitur tempore *optare Episcopatum* nihil omnino erat aliud quàm optare quotidie millies pro Christo mori: quod sanè optare nulla religio prohibet.

2. *Unius uxoris virum*] Non præcipit ut unam uxorem habeat, sed prohibet nè præterquam unius tantùm uxoris sit vir, neve, si fortè cùm electus fuit haberet uxorem, secundas nuptias introducat, sed potiùs illud impleat, *Qui habent, sint tanquam non habentes*: &, *Volo omnes esse sicut & ego sum*.

3. *Non percussorem*] Hic non manuum (nam satis apertum est id non decere) sed linguæ verbera intellige, nè linguâ fratrum conscientiam verberet, sed *disponat sermones suos cum judicio*, ut ait Propheta.

6. *Non novitium*] Νεόφυτον. Non juvenem intelligit, [illegible]

recentem

recèns instructum, & quasi nuper insitum Christianæ reip. nam eum qui adhuc discipulus esse debeat, siquis magistrum faciat, materiam ei præbet ut insolescat, & *in eam incidat condemnationem* in quam jam olim *diabolus* suâ incidit arrogantiâ.

7. *Ab iis qui foris sunt*] Non solùm fidelibus, inquit, verùm etiam ab ethnicis atque hostibus ipsis nostris velim ut *bonum habeat testimonium*. Vide quàm accuratè & circumspectè sit eligendus Episcopus. *Nè in opprobrium*, inquit, *incidat & laqueum diaboli:* Nè ipse sit causa cur probris afficiatur, & in plures semper se quotidie laqueos induat, & iræ, & odii, cæterorumque vitiorum.

8. *Non bilingues*] διλόγους quod Chrysostomus interpretatur ὑπούλους, h. e. *dolosos & fictos*. Post Episcopos autem meminit Diaconorum, omissis Presbyteris, quia non multum interest inter Episcopos & Presbyteros, quia & ipsis credita est docendi cura, atque ut præsint Ecclesiis. Quare quæ de Episcopis dixit, eadem & Presbyteris conveniunt. Plus autem habent Episcopi Presbyteris, quòd eis ordinem Presbyteratûs conferunt.

9. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura*] Nam, juxta ethnici Poëtæ sententiam,

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit,

neque fieri potest ut sordidæ conscientiæ vel intelligere vel tractare purè atque in sua integritate tam celsa mysteria valeant.

11. *Mulieres similiter*] Chrysostomus legit, *Mulieres similiter diaconas*, h. e. *ministras*; & ait, *Quidam simpliciter de Muliere dictum hoc esse volunt; sed non ita est. Quid enim sibi vellet, inter hæc quæ dicta sunt interserere quicquam de Mulieribus? sed loquitur*, inquit, *de iis quæ habebant munus ministrandi*.

13. *Gradum bonum*] Qui se probaverint rectos in harum rerum administratione, ità proficiendo, quibusdam progressibus in *ingentem fiduciam* venient *in hac fide quæ est in Christo Jesu:* tunc enim recta vita cum fide conjuncta est.

16. *Deus manifestatus est in carne, justificatus est*] Breviter cum admiratione quadam complectitur majestatem hujus mysterii, *Deus*, inquit, *apparuit in carne*: quod quis esset opinatus? tantam Celsitudinem tantum se demittere? *Justificatus est in Spiritu*: nam is qui in carne hominibus apparuerat, non ab humanis oculis justus est judicatus sed oculis Spiritûs, *qui scrutatur etiam profunda Dei*. Sunt qui per hæc verba intelligant purgatissimam perfectissimamque justitiam; sicut ipse Joanni dixit. *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam*. Fortasse verò simile hoc est ei quod ad Romanos ait, cùm inter cætera indicia quibus *declaratus est Filius Dei* ponit *secundùm Spiritum sanctificationis*; & quod Joannes ait, fore ut Spiritus S. *arguat mundum de justitia*. *Justificatus est* ergò *in Spiritu*, dum per opera S. Spiritûs agnitus est summa esse atque adeò ipsa Justitia. ¶ *Apparuit Angelis*] Hoc videtur illud esse quod alibi Paulus ait, nunc *manifestatam esse per Ecclesiam hanc multiformem sapientiam Dei principatibus & potestatibus in cœlestibus*: quod profectò magnum est. ¶ *Prædicatus est Gentibus*] Quæ sine Deo tanquam jumenta erant ratione carentia: & iis tamen tam perditis prædicata sunt hæc Divina mysteria. ¶ *Creditus est in mundo*] Quod multò fuit maximum, rudes Gentes ea percepisse quæ Judæi, gens in Divinis rebus exercitatissima, tantum abest ut intellexerint, ut etiam in eis impegerint & lapsum passi sint maximè miserandum. ¶ *Assumptus est in gloria*] Ut tandem *in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur quòd Dominus sit Jesus Christus, in gloriam Dei Patris*.

ZEGERUS.

2. Unius *uxoris virum*] Bifariàm hoc sumi potest; *ut unius sit uxoris maritus* qui post priorem defunctam secundam non admiserit; aut, qui unicam uno eodemque tempore habuerit uxorem, adversùs Judæos, qui plures habebant. Et equidem utrumque voluisse Apostolum judicaverim, nè videlicet qui plures sive uno sive diversis habuisset temporibus uxores Episcopi munus susciperet. Proinde juxta veterum, nominatim Ambrosii, Epist. 82. sententiam is ad Sacerdotis potest deligi functionem qui unicam aliquando habuerit aut adhuc habet uxorem, ità tamen ut post susceptum Sacerdotium ab uxore contineat: quod B. Ambrosius per id probat quòd Apostolus non dicit *filios facientem*, sed *filios habentem*. Ad hæc & Græca Scholia hunc locum explicantia, *Non hoc*, inquiunt, *legem ferendo dicit, ut uxorem omnino habeat Episcopus: sed si sit*, inquit, *ex mundanis, nè sit δευτερόγαμος*, i. e. *qui se iteratò nuptiis implicarit: vel ut discat unam quidem uxorem ad coitum legitimam esse: sed vocatus ad Episcopatum illud impleat*, UT QUI HABENT UXORES TANQUAM NON HABENTES SINT: & VOLO OMNES ESSE SICUT SUM ET EGO, 1 Cor. 7. ¶ *Prudentem, ornatum, pudicum*] Pro unica voce σώφρονα nos vulgò binas habemus, nempe *prudentem* & *pudicum:* utrumque enim unà intelligitur voce prædictâ. Et quanquam Hieronymus in Comment. Epist. ad Tit. 1. taxet Interpretem qui σώφρονα verterit in *prudentem*, magisque pro hoc probet *casti* & *pudici* vocabula, video tamen *prudentis* vocabulum constanter occupare exemplaria, & *pudici* in multis contrà exsulare. Sed contrarium visitur in ea versione quâ utitur Ambrosius, quæ *prudentis* vocem ignorat. Ex diversa ergò versione in nostris *pudicum* insertum est.

4. *In omni castitate*] Σεμνότης non modò *castitatem* declarat, sed & *sanctimoniam*, *verecundiam* & *morum gravitatem*: qualis est in juvenibus probè institutis.

6. *Non neophytum*] Græca vox Latinè sonat *noviter insitum*, vel *novitium*: quâ eum designat qui recèns sit receptus ad fidem.

7. *Ab his qui foris sunt*] Sic vocat eos qui necdum amplexi erant fidem professionemque Euangelicam. *Oportet*, inquit, *Episcopum bonam opinionem habere etiam ab iis qui foris sunt, ut etiam maledictis adversariorum careat, & quibus doctrina displicet, placeat conversatio*, Hieron. lib. 1. adv. Pelag. ¶ *In opprobrium incidat & laqueum diaboli*] Quando B. Hieronymus in Eccl. 2. quod præcessit, *nè in judicium incidat diaboli*, interpretatus est, *in tale judicium in quod etiam Diabolus incidit*, licebit, & hoc ad eundem interpretari modum, h. e. nè in tale probrum ac in talem incurrat laqueum in qualia incidit Diabolus, h. e. in opprobrium & laqueum æternæ damnationis.

10. *Nullum crimen habentes*] i. e. Nullum atrocius facinus habentes: aut *qui ob crimen in jus vocari non possint:* id enim declarat ἀνέγκλητοι, de quo etiam infrà dicemus Tit. 1.

14. *Hæc tibi scribo, fili Timothee*] Redundat hic, ut rectè admonet Erasmus, *fili Timothee*.

16. *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis*, &c.] Τὸ Θεὸς Græcis positum ubi nos habemus relativum *quod*, initium postulat orationis, & sequentia ad se referri facit, non ad *sacramentum*, ut apud Latinos, hoc pacto, *Manifestè magnum est pietatis sacramentum; Deus manifestatus est per carnem, justificatus est per Spiritum, apparuit Angelis*, &c. attamen sensus idem est cum nostra editione: siquidem *sacramentum* hoc *pietatis* in Christo est; imò Christus *Deus* est, qui per assumptam carnem, carnis quoque non induit vitia: ideo subjicit, *justificatus est in carne*: ac si inquit, *Carne quidem veluti peccator & injustus visus est, verùm Spiritu S. justus atque innocens declaratus est*. Nec hoc solùm de Christo mysterium in carne manifestatum, sed Angelis quoque apparuit atque innotuit, antea sanè ipsis celatum, dum scilicet cœlestium Spirituum multitudo nato Christo concinebat, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus*, Luc 2. Cæterùm, quod ad consequentiam attinet orationis, quia superiùs depinxerat quales Episcopos & quales oporteat esse Sacerdotes; his modò verbis muneris illorum subindicat sublimitatem, utpote quibus tantum concreditum est sacramentum administrandum, tractandum, docendum, communicandum.

LUCAS BRUG.

2. Oportet *ergò Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem*.] Ubi Græcæ voci σώφρονα duæ hic respondent, *prudentem* & *pudicum*, quarum altera ex altera versione videri possit adjecta. Potest enim τὸ σώφρονα utrumque ad modum verti. Syri hoc, alii illo modo transtulerunt; tertii *sobrium* converterunt: id verò quod noster *sobrium* reddidit, νηφάλεον, *vigilantem* interpretati sunt. Unus Parisiensium Latinus codex, Ge. l. *pudicum* tollit: sed ei parùm tribuerem, nisi aliquot Zegeri & quatuor Hentenii exemplaria accederent. Nostra non omittunt id quidem, sed satis monstrant addititium esse. Variis namque habent locis; XII. quo proposuimus, proximè ante *hospitalem*, cum Autore Glossæ, Anselmo, Lombardo, Thoma & Carensi; II proximè post *hospitalem*; VIII proximè ante *ornatum*, cum Dionysio Richelio; XVIII adjungunt *ornatum sobrio*, & subjungunt *prudentem & pudicum*; *Sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem*, cum Lyrano & Gorrano. Denique unum præponit *pudicum sobrio*; *Pudicum, sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem*. Quare cùm variis inconstanter erret locis τὸ *pudicum*, nec à quoquam eo loco legatur quo Græcè σώφρονα, nempe immediatè post νηφάλεον *sobrium*, verisimile est id ex altera editione nostra adjectum esse.

esse. Certè commentaria Ambrosii nomine *prudentem* tollunt, & *pudicum* legunt, *Sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem:* quibus accedens Malmundarii majus scriptum eundem in modum legit, sed *prudentem*, post *docibilem* addit, eo quo legi non solet loco. Ex hujusmodi ergò editione nostræ additum fuisse potuit τὸ *pudicum*; vel certè in textum ex glossa relatum, quæ monuerit, ex Hieronymi sententia, *pudicum* rectiùs quàm *prudentem* verti: id enim sentit Hieronymus, epistolam ad Titum [cap. 1.] enarrans. Scholiastes Hieronymi operibus junctus horum alterum omisisse videtur; aut saltem eos secutus codices qui *Sobrium, prudentem, pudicum, ornatum* habent: post ista namque subjunxit, *His omnibus spiritualibus ornamentis:* legit igitur postremum *ornatum*, etsi postremum adscriptus textus non habeat. Si quis porrò sentire velit, Interpretem nostrum ambiguæ vocis Græcæ duplicem expressisse significantiam, vel eos sequatur codices qui *Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum* scribunt, vel eos qui *Sobrium, prudentem, pudicum, ornatum*; sunt enim isti optimi: sed hoc hi illis præferendi videntur, quòd apud se mutuò collocent *prudentem* & *pudicum:* neque enim verisimile est Interpretem duas dedisse voces uni archetypæ respondentes, easque à se invicem separasse.

H. STEPHANUS.

2. Διδακτικὸν] *Aptum ad docendi munus.*
3. Μὴ αἰσχροκερδῆ] Vide ver. 8.
6. Μὴ νεόφυτον] *Non novitium.*
8. Μὴ διλόγους] *Non bilingues.* ¶ Μὴ αἰσχροκερδεῖς] *Non turpis lucri cupidos:* vel, *non turpiter lucri cupidos.*

DRUSIUS.

2. *Unius uxoris virum*] Veram hujus loci explicationem invenies in Hieronymo, epist. 82. cap. 2. *Præcipit*, inquit, *ne bina pariter aut trina conjugia sortiatur, sed ut singulas uno tempore uxores habeat.* Sic dico, *unius uxoris vir* hîc vocatur qui unam tantùm uxorem simul habeat, non qui unâ mortuâ alteram superinduxerit. Nam Polygamia, quæ olim viguit apud Judæos, paulatim exoriente Christianismo abolita fuit, Episcopis primùm interdicta & Diaconis. Hodie, ut perhibent, Æthiopes Abyssini, qui ab antiquo Christiani sunt, quando ducunt duas uxores, tantùm excommunicantur, nullâ aliâ pœnâ civili afficiuntur. Fides penes eos esto qui hoc de iis narrant & scribunt. ¶ *Hospitalem*] *Amantem hospites* est in editione Syra. Idem Φιλόξενον sonat. ¶ *Doctorem*] Videtur legisse διδάσκαλον quomodo & Syrus, qui מלפן interpretantur. Nam מלפן *Doctor:* unde plur. מלפנים *Doctores, præceptores*, i. e. מלמדים, Prov. 5. 13. Quanquam in versione Latina Tremellii, *didacticum*, i. e. *aptum & idoneum ad docendum:* quod aliud est. Nam multi Doctores inepti sunt ad docendum. Scitum illud scomma in tales, *Vos estis Doctores à Docendo, sicut Montes à Movendo.* Audivi olim pro concione cùm puer Cantabrigiæ studerem. Fortè מלפן διδακτικὸς ut כעסן *iracundus*, & רגזן *pronus ad iram.* Sic מלפן *idoneus ad docendum.*

3. *Non vinolentum*] Lex. Græco-Lat. vetus, Πάροινος, *vinulentus.* Alii *vinosum.* πάροινος ut πάροικος *accola.* Sic πάροινος *qui vino semper adsidet.* Notavit vir doctissimus. ¶ *Percussorem*] Autores Latini *percussorem* vocant eum qui aliquem occidit, maximè si ad hoc fuerit conductus. Hic aliud significat. Nam *percussorem* dicit, i. e. πλήκτην, qui facilè ac libenter percutit, qui pronus ac proclivis est ad hoc vitium, sive, ut cum Syro loquar, *cujus manus currunt ad percutiendum.* ¶ *Non turpilucrem*] i. e. Turpis lucri cupidum, aut turpiter lucro deditum. Lex. Græco.Lat. vetus, Αἰσχροκερδὴς, *turpilucris.* Id magis se probat mihi quàm quod ex epistola Hieronymi ad Heliodorum adducitur, *turpilucrum.* Quid si *turpilucrionem?* Nam *lucrio*, qui lucro inhiat: vox nota ex Festo. Talem Hebræi vocant בוצע בצע, & בעל בצע. Vide Prov. 1. 19. ¶ *Non litigiosum*] Syrus לא נצי *non litigantem.* Emendant *à pugnis alienum.* Ego latiùs extendi debere puto, ut non solùm *alienum à pugnis* sed etiam *à rixa & jurgio abhorrentem* significet. Certè quàm latè patet nomen μάχη, tam latè patere hic existimo ἄμαχον. Lex. Græco-Lat. V. Μάχη ἡ διὰ χειρῶν, *rixa*; μάχη ἡ διὰ λόγων, *litigatio, jurgium:* μάχη ἡ ἐν πολέμῳ, *prælium, pugna.* Ergò ἄμαχον tam *à rixis & litibus* quàm *à pugnis alienum.* ¶ *Non cupidum*] i. e. Avarum. Lex. V. Φιλάργυρος, *avarus, cupidus.* Φιλαργυρία, *avaritia, aviditas.* Syrus *non amans argentum*, i. e. pecuniam. Licet vertere *non amantem pecuniæ. Amans pecuniæ* ut *appetens vini, fugitans litium*, &c.

6. *In judicium incidat diaboli*] h. e. In pœnam diaboli, qui dejectus fuit è cœlo propter superbiam. Alii aliter. Fruatur quisque judicio suo.

7. *Et laqueum diaboli*] *Laqueum diaboli* vocat insidias quas diabolus hominibus struit. Suprà *in judicium diaboli* non nemo enarrat *in jus ac potestatem diaboli. Nam judicium*, inquit, *sæpenumero ipsum gubernandi jus.* Potest ità esse; tamen magis se probat mihi quod suprà posui. Sic dicunt, *Quatuor non veniunt in judicium.* Quapropter? quia satis pœnarum sustinent in hac vita. Quinam sunt illi quatuor? 1. *extremè pauper*, 2. *qui animam debet ære alieno pressus*, 3. *qui malam uxorem habet*, 4. *qui colicum dolorem patitur.*

8. *Non bilingues*] i. e. Διγλώσσους. Sed in fonte διλόγους, & in Syriacis *qui loquuntur duo*, unum videlicet ore, & alterum corde: pro quo David dixit, *qui corde & corde loquuntur*, h. e. duplici corde. Sic δίλογος *qui duplici sermone utitur, qui duplex est in sermone.*

CASAUBONUS.

4. Τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενον] Sic & Laertius p. 26. τῆς αὐτοῦ οἰκίας καλῶς προϊστάμενος. [& Diodorus Siculus loco suprà memorato, de Charondæ legibus.]

SCULTETUS.

CAP I.

Nomen Episcopi *apud Paulum v.* 1. & 2. *omnibus Doctoribus & Pastoribus Ecclesiæ est commune, non certorum Pontificum proprium. Paulina boni Doctoris προκείμενα explicantur è v.* 2.

Non est mihi animus hoc loco de optimo Ecclesiæ regimine disputare. Hoc tantùm Theologiæ tironem doceo, Paulo omnes Doctores verbi nominari hic *Episcopos.* Nam quæ toto hoc capite tertio, imò & quarto, de docentium officio præcipiuntur, Pastoribus in genere omnibus conveniunt: de quibus & alibi in Novo Fœdere, quando Episcoporum ordinariorum fit mentio, nomen *episcopi* prædicatur. Act. 20. 28. Ecclesiæ Presbyteris dicit, *Attendite vos ipsos & totum gregem, in quo vos Spiritus S. constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei. Episcopi* igitur tum Ephesiorum erant quotquot ibi gregem Dei docebant. Ad Philippenses cap. 1. 1. Philippensium Ecclesiam distribuit in Auditores & Doctores: hos rursum distinguit in *Episcopos* & *Diaconos.* Rursum ad Titum 1. 7. informans Episcopum, ejusmodi præcepta illi præscribit quæ non paucis aliquibus inter multos eminentibus, sed quibusvis verbi Divini Ministris competunt. Nec aliter D. Petrus, qui scribens ad fideles Judæos hinc indè dispersos inter alia & hæc habet Cap. 5. 1, 2. *Presbyteros qui inter vos sunt precor ego sympresbyter*, ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως, h. e. *Pascite gregem qui penès vos est, illius inspectioni vacantes non coactè sed spontè.* Primis igitur Apostolorum temporibus quot Doctores, tot Presbyteri, tot Episcopi. Sed Christianorum & sic Doctorum quoque numero aucto, vel ab Apostolis ipsis vel certè ab Apostolorum discipulis ex omni docentium numero delecti sunt qui generalem Ecclesiæ in diœcesi aliqua curam gererent: de quibus infrà disseretur plenius. Nunc enim pulcerrima fidi Episcopi sive Pastoris Ecclesiæ descriptio me ad se trahit, quæ requirit à quovis Euangelii præcone ut sit ἀνεπίληπτος, μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, νηφάλεος, σώφρων, κόσμιος, φιλόξενος, διδακτικός. Ἀνεπίληπτος est *irreprehensibilis*, videlicet quoad vitam & mores externos, qualis fuit Julius quidam ab Ascanio oriundus apud Dionysium Halicarn. Rom. Antiq. lib. 1. γεωργικὸς ἀνὴρ, καὶ τὸν βίον ἀνεπίληπτος, *agriculturæ studiosus, vitaque inculpata.* Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα *unius uxoris virum* esse vult Episcopum, eò quòd in Oriente habebant aliquando viri singuli plures uxores simul: quod etiam hodie fieri scribunt à Turcis & Judæis. Itaque Paulus majorem in Episcopo requirit temperantiam: quam etiam Sacerdotes Ægyptii præstiterunt. Γαμοῦσι γὰρ παρ' Αἰγυπτίοις οἱ μὲν ἱερεῖς μίαν, τῶν δ' ἄλλων ὅσας ἂν ἕκαστος προαιρῆται, *In matrimonium Ægyptiorum Sacerdotes unam, alii, quot quis velit, ducunt*, Diodorus Sic. lib. 1. Bibliothecæ. Νηφάλεος præterea sit Episcopus, (alii legunt νηφάλιον, Henricus Stephanus νηφάλιον, sed Montanus & Robertus Stephanus νηφάλεον) h. e. *sobrius.* Quam virtutem inter alias Epicharmus discipulis suis solitus fuit commendare celebri hoc effato, Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν, *Sobrius esto, & memento diffidere: hi enim sunt nervi sapientiæ.* Νηφαλέῳ conjungit σώφρονα, *frugi, temperantem:* & mox κόσμιον, quam vocem Cicero in Platonis dicto vertit

vertit *moderatum*, ajens, *Moderati* (κόσμιοι) *& nec difficiles nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem.* Julianus in Cæsaribus Imperatorem Verum reprehendit quod uxorem defunctam immoderatiùs luxisset, ἄλλως τε οὐδὲ κοσμίαν οὖσαν, *alioquin non probam.* Utrumque significatum hic locum habet, vertique potest κόσμιος vel *modestus*, vel *compositus*, vel *probis moribus.* Φιλόξενον quoque decet esse Episcopum, h. e. *hospitalem.* Ut enim Hieronymus ad Damasum Papam scribit, *Quicquid habent Clerici, pauperum est: & domus illorum omnibus debent esse communes. Susceptioni peregrinorum & hospitum invigilare debent.* Atque ut Synesius loquitur Epist. 57. κατὰ Ἀνδρόνικον, *Mensa res sacra est, per quam Deus honoratur Præses amicitiæ & hospitii*, Φίλιός τε καὶ ξένιος (quæ nomina antiquitas Gentilis tribuit Jovi suo, Synesius verò piè Deo omnipotenti accommodat) *& Abrahamum hospitalitas* Θεοῦ ἑστιάτορα *Dei convivatorem reddidit.* Magna fuit gloria veteris Ecclesiæ, quæ non solùm in eos cum quibus hospitii jura constituta sanctaque habebat, sed passim in omnes fuit hospitalis. Nec dubitavit Julianus (Chrysostomo in Johannem referente) inter ea quibus religio Christiana in immensum crevit, vel primo loco numerare τὴν περὶ τοὺς ξένους φιλανθρωπίαν, καὶ περὶ τὰς ταφὰς τῶν νεκρῶν προμήθειαν, καὶ τὴν σεμνότητα κατὰ τὸν βίον, licet homo nefarius eam simulatam & πεπλασμένην maledico ore appellet. Postremò requiritur ab Episcopo ut sit διδακτικός. Vulgatus vertit *Doctorem*, quasi esset διδάσκαλον. Meliùs Erasmus, quem plerique sequuntur, *aptum ad docendum.* Quid fiet igitur Episcopis Germaniæ, qui ad imperandum, venandum, compotandum aptiores sunt quam ad docendum? Quid fiet multis aliarum nationum Episcopis, qui cùm ad docendum apti sint, à docendo tamen refugiunt? Omnes ab Apostolo Episcopali honore indigni pronunciabuntur.

CAP II.

Excutiuntur reliqua boni & fidi Episcopi adjuncta, v. 3--7. ab Apostolo annotata.

PErgit Apostolus, & quibus præterea carere vitiis, florere virtutibus Episcopum velit perscribit. *Oportet episcopum esse, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem; sed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia.* Fuit cùm existimarem Paulum opponere

τὸν { ἐπιεικῆ, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον } τῷ { αἰσχροκερδεῖ, πλήκτῃ, παροίνῳ.

Verùm dubitare deinde cœpi utrum Ethicorum magistri admissuri essent oppositionem τοῦ παροίνου & φιλαργύρου. Posteaquam verò legi Aristophanis interpretem, Varinum item, πάροινον interpretari μέθυσον, ὑβριστήν, λοίδορον, ausim ferè affirmare, opponi

τὸν { πάροινον, πλήκτην, αἰσχροκερδῆ } τῷ { ἐπιεικεῖ, ἀμάχῳ, ἀφιλαργύρῳ.

Etenim πάροινοι *qui assident vino*, videlicet ad perpotandum, ubi vino incaluerunt, sunt iracundi, injuriosi & contumeliosi in alios, nec facilè de jure suo pacis causâ cedunt. Vult ergo Apostolus Episcopum esse ἐπιεικῆ *æquum*, *moderatum*, *mansuetum*, qui τὸ ἀκριβοδίκαιον non urgeat, sed insistat vestigiis Archiepiscopi Christi, cui ἐπιείκεια & πραότης conjunctim à D. Paulo tribuuntur 2 Cor. 10. 1. Etiam hoc requirit ab Episcopo, *ut suæ domui bene præsit.* Bene omnino. Apud Libanium pauper divitem adulterii accusans, *Nonne*, inquit, *etiam ipse vocem amisi? Nam si quando in cœtu aliquid quod urbi expediat, & molestum sit quibusdam, dixero, exsurgens aliquis dicet, Egregiè vero nobis hic rempubl. servabit, ut scilicet domum quoque suam*, Καλῶς γε ἡμῖν οὗτος φυλάξει τὴν πολιτείαν, καὶ γὰρ καὶ τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτοῦ. Certè Minister verbi Dei cujus disciplina domestica laborat, hujusmodi hominum voculas vix effugiet si aliorum mores censere ac reformare voluerit. Nec fallit ratiocinatio. Nam qui id quod minus est rectè curare nequit, multò minùs id quod majus est rectè curabit. In electione porrò Episcopi attendendum & hoc, An qui eligendus sit νεόφυτος *recens* in fide & Ecclesiam Dei *plantatus*, An etiam *honesto alienorum testimonio sit commendatus. Novitium* Paulus non admittit: eos potiùs eligendos censet qui jam satis in fide & Ecclesia Dei adulti sunt ac confirmati. Atque ut olim *diligenter examinatum ac provisum* ait Cassianus *nè fortè qui ad dimicandum in stadium prodiret, ullâ esset vitæ infamiâ respersus*, (*decertaturus enim*, inquit Chrysostomus hom. 21. ad populum Antioch. *per totum stadium à præcone circumducebatur, ac publicè quærebatur utrum esset quispiam qui vellet in eum dicere*) ità D. Paulus neminem ad Ministerium sacrum adsumit nisi *inculpatum* &, ut v. 10. loquitur, *probatum.* Consilii hujus sui gravissimas attexit causas. Metuendum enim *nè neophytus* τυφωθεὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου metuendum, nè qui extraneorum testimonio destituitur εἰς ὀνειδισμὸν ἐμπέσῃ καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου. Ubi aliqui κρίμα διαβόλου simpliciter interpretantur *judicium* sive *condemnationem Diaboli*, quasi videlicet verendum sit nè talis Episcopus fastu turgidus in judicium incidat in quod incidit Diabolus, qui ob superbiam æterno exitio est punitus. Nam κρίμα in his libris pro *condemnatione* hinc indè usurpatur, Luc. 24. 20. Matth. 23. 14. alibi. Atque juxtà hanc expositionem aliud erit κρίμα, aliud ὀνειδισμὸς διαβόλου· illud passivè pro *judicio quo Diabolus judicatus est*, hoc activè accipietur pro *exprobratione quâ Diabolus per sua organa infamem Episcopum proscindit*, & os illius veluti laqueo quodam obstrictum tenet nè liberè quod reprehendendum est reprehendere possit. Quæ distincta phrasium harum expositio Ecclesiæ probatur. Panditur hîc arcanum, illud de origine & causâ lapsûs Diaboli; de quo haud scio an usquam alibi in Scriptura legatur: quanquam vetus traditio & opinio hoc ipsum habet, nempe causam lapsûs fuisse τῦφον ὑπεραιρόμενον ἐπὶ Θεόν. Ego verò re diligenter pensitatâ, cum Erasmo nomen διαβόλου pro *calumniatore* capio, κρίμα autem pro generali *damnatione*, quo significatu usurpatur 1 Tim. 5. 12. Νεώτεραι χῆραι ἔχουσι κρίμα, quando scilicet *volunt nubere, rejectâ primâ fide*, quâ scilicet professæ sunt se viduas, adeoque in ministerio pauperum & ægrotorum, mansuras. *Damnantur tales*, inquit Epiphanius contra Apostolicos, *sed non condemnantur*, κρίμα non κατάκριμα ἔχουσι h. e. *damnantur ut lapsæ à proposito, sed recipiuntur pœnitentes in statu conjugum, minus quidem illo glorioso quam cœlibatus sit, sed minus etiam periculoso.* Non admittendus ergò ad Episcopatum *novitius*, *ne inflatus incidat in damnationem calumniatoris*, sive, ut explicat seipsum Apostolus v. seq. *nè incidat in probrum & laqueos diaboli*, vel *calumniatoris.* Lutherus, *und dem lästerer nicht in das urtheil falle:* διάβολος enim pro *calumniatore* usurpatur 2 Tim. 3. 3. & Tit. 2. 3. Hanc expositionem ideo præfero priori quia Paulus ipse v. 7. videtur explicare mentem suam, quid per κρίμα velit, nempe *damnationem probrosam.* Deinde si κρίμα διαβόλου passivè pro *judicio quo Diabolus judicatus est & condemnatus* accipiatur, erit hæc ratio aliena à scopo Apostoli, qui est, Tales adhibendos Ministros per quorum vitam non impediatur ædificatio Ecclesiæ. Quid autem hoc ad impediendam ædificationem Ecclesiæ, si dicam, *Non novitium, ne inflatus aliquando ut Diabolus, æternum condemnetur?* Hoc autem impedit ædificationem Ecclesiæ, si calumniatores ex fastu Pastorum occasionem arripiant ipsos & officium ipsorum conviciis proscindendi. Et cur solus *novitius inflatus in eandem condemnationem ruat atque ipse Diabolus*, cùm Apostolus alibi omnes *vinosos, percussores, avaros* æterno exitio devoveat? Nè dicam hujusmodi *judicii & condemnationis Diaboli* nuspiam alibi mentionem fieri: & durum admodum esse, phrasin hanc *incidere* εἰς κρίμα διαβόλου passivè, alteram, *incidere* εἰς ὀνειδισμὸν τοῦ διαβόλου, activè accipere; addo, & tropum affingere verbis simplicibus, ac per *Diabolum* Diaboli organa intelligere. Sed hæc salvo aliorum judicio. Hæ eligendi Episcopos leges ab Apostolo quidem sancitæ, sed ab Ecclesia negligenter fuerunt observatæ. Jam tum enim Hieronymianis temporibus ea fuit summa Episcopi commendatio si statim à Baptismo raperetur ad hoc honoris. Nec possum satis mirari quid iis vel animi vel judicii fuerit qui Synesio Cyrenæo Philosopho Platonico Episcopatum detulerunt, Synesio, inquam, illi qui Epist. 105. ità de se ipse, *Difficile est, si non etiam valde impossibile, dogmata in animam per scientiam ad demonstrationem ingressa concuti. Profectò animam nunquam censebo posteriùs corpore natam esse. Mundum & alias partes non asseram simul interire. Divulgatam resurrectionem mortuorum sacrum quiddam & arcanum puto, & multum abest ut juxta multitudinis opiniones consitear. Mens igitur, quæ philosophus est & inspectrix veritatis, concedit utilitati mendacium. Proportionem enim habet lux ad veritatem, & oculus ad mentem*, &c. Creatus tamen Episcopus Ptolemaidos est, qui Resurrectionem mortuorum negabat. Nicephori Gregoræ temporibus quales Episcopi Constantinopoli lecti sint ab Imperatoribus, ex perpetua Nicephori historia constat. Exemplum unum è multis profero è libro 8. Historiæ Romanæ Nicephori. *Hoc tempore*, inquit, *in Patriarchicum solium succedit Sacerdos Monachus è Mangano monasterio, Gerasimus*, ἀνὴρ πολιὸς μὲν τὴν τρίχα, ἀφελὴς δὲ τὸν τρόπον, καὶ τῆς ἀνθρωπίνης δυνάμεως τὸ πλεῖστον ἀφῃρημένος ὑπὸ τοῦ γήρως. Ἑλληνικῆς μὲν παιδείας οὐδ᾽ ἄκρῳ δακτύλῳ γευσάμενός ποτε, διὰ δ᾽ ἀμαθίαν καὶ ἁπλότητα τρόπων τῆς βασιλικαῖς ἀρεσκείαις πάντη προσήκων.

ἔχων. Διὰ γὰρ τοῦτο τοιούτους οἱ βασιλεῖς εἰς τοιαύτας ἐκλέγονται τὰς ἀρχὰς, ἵνα τοῖς τούτων εὐχερῶς ἐπικύπτωσι προστάγμασι, καθάπερ ἀνδράποδα, καὶ μηδενὶ τῶν ἁπάντων ἐναντία φρονῶσι, h.e. *Vir canus ille quidem, sed simplici ingenio, & præ senio surdaster, qui Græcas literas extremo digito nunquam attigit: verùm ob inscitiam & simplicitatem ad Imperatoria obsequia aptissimus. Hac enim de causa tales ab Impp. deliguntur, ut dicto audientes eis sint, tanquam mancipia, & nullo ipsis verbo refragentur.* Hodie in Germania quò quis sanguine nobilior, eò majus generis sui dedecus fore putat si suggestum conscendat & verba de Deo sinceroque ejus cultu ad populum faciat. Sed quia Divinum officium in splendidas seculi hujus pompas & dignitates commutatum est, τῆς ἐπισκοπῆς, non Paulinæ illius, sed mundanæ, Nobiles & Barones, Comites & Principes certatim ὀρέγονται.

CAP. III.

Etiam in primitiva Ecclesia fuerunt diversi docentium gradus, honores, dignitates. Officium uxorum Diaconorum. παῤῥησία ἐν πίστει. v. 11, 13.

NEgabit quis de diversis Ministrorum gradibus? Neget ergò quod ab Apostolo 1 Tim. 3. 13. scriptum, Οἱ γὰρ καλῶς διακονήσαντες βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται, *Qui enim bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirunt.* Quid enim est περιποίησις βαθμοῦ nisi ἐπὶ τὴν ἀνωτέραν τάξιν πρόβασις, ut exponit Camerarius? *Nam ut Diaconos*, inquit idem, *ità demum fieri vult si post δοκιμασίαν reperiantur ἀνέγκλητοι, v. 10. sic ascendere altiùs posse docet καλῶς διακονήσαντας, laudabiliter perfunctos ministerio suo*; putà, ad ipsum Episcopatum sive Presbyteriatum. Dedit enim Dominus ab Ascensione *alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores*, Eph. 4. 2. adde & *Diaconos* (quorum erant nonnullæ in docendo partes, quoties necesse fuisset; ut ex Stephano & Philippo apparet) & Diaconis inferiores: siquidem qui ad Diaconatum aspirabant, non potuissent probari nisi aliquid in Ecclesia fuisset Diaconatu inferius in quo publicè spectari potuisset ipsorum fides & integritas. Quin, quòd Apostolus versu 11. ab uxoribus Diaconorum requirit ut sint πιστὰι ἐν πᾶσι, colligit indè vir quidam doctus, licuisse & ipsis aliquid decidere & quasi delibare de officio suorum maritorum; cùm πιστὴ esse aut dici aut spectari non possit cui nihil muneris commissum est. De quo ego quidem cum nemine contenderim. Illud constanter affirmo, Diaconos etiam docendi munia nonnunquam subiisse, cùm Apostolus easdem in illis quas in Episcopis virtutes requirat; cùm hos quoque, perinde ut Episcopos, priùs velit probari; cùm eos jubeat τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἔχειν ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, *das geheimnis des Glaubens in einem reinen Gewissen haben*, ut Lutherus optimè vertit, quod etsi omnium Christianorum, Doctorum tamen maximè est & esse debet; cùm denique testetur Apostolus tales Diaconos *aditum sibi parare ad majora*, neque hoc tantùm, sed acquirere insuper πολλὴν παῤῥησίαν ἐν πίστει *multam libertatem in fide*: quæ παῤῥησία proculdubio nihil aliud est quàm πληροφορία πίστεως, q. d. Apostolus, *Tales Diaconi ex testimonio bonæ conscientiæ certi esse possunt de vera & sincera fide in Christum Jesum.* Quæ magna est consolatio & amplum fidelitatis cujusque Doctoris in laboribus vocationis suæ theatrum, etiamsi eum destituat hominum plausus. Pulcrè autem Apostolus hoc fidelitatis præmium priori addit. Illud enim, videlicet περιποίησις βαθμοῦ καλοῦ, non est in Diaconis perpetuum; neque tamen idcirco vel minimùm remittere debent de suo studio & fide, freti hàc alterà utilitate, quæ nunquam fallit.

CAP. IV.

Utrùm Ecclesia an Christus dicatur στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, v. 15.

MAgni viri sunt quibus suspectum est κῶλον ἐλλειπὲς post verba στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας positum. Sic enim putant, A veteribus, qui jam olim *columnam & firmamentum veritatis* Ecclesiæ tribuerunt, hunc locum minùs rectè intellectum, & proinde minùs rectè etiam distinctum, vel confusum potiùs fuisse. Verba igitur ista στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας existimant non ad præcedentia & *Ecclesiam* sed ad sequentia adeoque ad *Christum* referenda, hoc modo,

> *Quod si tardiùs venero, ut nôris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei vivi.*
>
> *Columna & stabilimentum veritatis & sine controversia magnum pietatis est mysterium, Deus conspicuus factus est*, &c.

Causas hujus suæ sententiæ has adferunt. Quia solus Christus est *columna & firmamentum veritatis, fundamentum* scilicet unicum salutis, *præter quod aliud poni non potest*, 1 Cor. 3. Deinde, quia nihil obstat, si Christus *mysterium est pietatis*, quin idem sit *columna & stabilimentum veritatis*, quæ duo, *pietas* nimirum & *veritas*, Tit. 1. 1. conjunguntur. Præterea molliùs illis fluere videtur oratio si totum complexum pro antecedente enunciati parte accipiamus, sic, *Columna & firmamentum veritatis & magnum proculdubio pietatis mysterium est hoc, scilicet, Deus in carne patefactus est.* Ut igitur hoc, *Deus in carne patefactus est*, sine dubio est *magnum pietatis mysterium*, ità firma est *columna & firmamentum veritatis*: nec magis Christus in *veritate* quàm *pietate* disjungi potest, præsertim cùm Veritas sit mater Pietatis. Postremò, ex iis quæ capite quarto sequuntur ostendunt, non minùs fidei & veritatis quàm recti cultûs & pietatis fundamentum poni Jesum Christum: A fide enim & veritate defectio statim ab initio cap. 4. prædicitur. Hæc illi piè pariter & doctè: qui tamen & ipsi receptam lectionem ferri posse judicant, ex eo quòd vera Ecclesia suo modo *columna & stabilimentum veritatis* dici possit, quippe quam profitetur, suo testimonio tuetur, Euangelii prædicatione conservat, &, si res postulet, morte obsignare non dubitat. Nec patrocinantur hæc verba Pontificiis, qui, si Ecclesia est *columna & firmamentum veritatis*, indè colligunt, *Eam in veritate semper perstare immotam, adeoque errare non posse*, vanissimâ omnino consequentiâ. Apostolus enim loquitur vel de Ecclesia Ephesina, vel de alia aliqua particulari Ecclesia in qua tum Timotheus docebat. Erant illæ *columna & firmamentum veritatis* quamdiu Dei verbo adhærescebant. Immotas autem illas in veritate non perstitisse, sed graviter errasse, imò à Christo & Euangelica ejus doctrina tandem planè defecisse, historiæ loquuntur. Quod igitur Apostolus de Ephesina & aliis illius temporis particularibus Ecclesiis, idem hodieque de quacunque alia Ecclesia particulari in qua Dei verbum purè docetur dicere possumus, esse eas *columnam & firmamentum veritatis.* Particulares autem Ecclesias errare non posse nè Pontificii quidem dixerint.

CAMERON.

15. ΣΤύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, Propiùs intuenti seriem orationis Apostoli planum est verba ista non pendere à præcedentibus, sed esse conjungenda cum sequentibus, hoc modo, *Columna & fundamentum veritatis, & sine controversia magnum est pietatis mysterium*, &c. sensu aperto & plano. Nam idem vocat Apostolus *mysterium pietatis* (summam nempe Euangelii) & *columnam ac fundamentum veritatis.* Atque ità se rem habere hinc probari potest, quòd alioqui erit oratio Apostoli hiulca & suspensa, si sic legamus, *Ut scias quomodo sit tibi versandum in Ecclesia, quæ est domus Dei, columna, & fundamentum veritatis. Et sine controversia*, &c. Est ἀσύνδετον, non cohærent ista. Deinde non solet Apostolus novi argumenti tractationem inchoare à conjunctione &. Itaque illud, *& sine controversia magnum est pietatis mysterium*, necessariò cùm præcedentibus cohæret, nempe cum *columna & fundamentum veritatis.* Tertiò, hæc est usitatissima formula inter Judæos, cùm quis profitetur se traditurum præcipua dogmata religionis, ut illud præmuniat, *columnam esse & fundamentum veritatis* vel *sapientiæ* id quod traditurus est. Nam, e. g. celeberrimus ille R. Moses Ben Maimon statim initio nobilissimi operis quod *Misna* dicitur, seu י״ד, sic habet, יסוד היסוד ועמוד החכמות, h. e. *Fundamentum fundamenti & columna Sapientiæ hæc est, ut sciamus quod sit Ens primum*, &c. Nempe solent Apostoli uti phrasibus receptis in Ecclesia Judaïca, sed accommodatis ad rem quam agunt. Quæ ratio docendi accommodata est imprimis: nam religio studet simplicitati, non est anxia & superstitiosa. Itaque Apostolus more suo formulam hanc quâ Judæi utuntur adhibuit huic loco, cui propriè convenit. Frustrà sunt igitur Pontificii qui hinc evincere putant Ecclesiam non posse errare. Non enim hic dicitur Ecclesia *columna & firmamentum veritatis*, sed summa doctrinæ Christianæ (quam seq. versu proponit Apostolus) hoc elogio *columnæ & firmamenti* ornatur ab ipso. Et sanè durum est admodum ut Ecclesia potiùs dicatur *firmamentum & columna veritatis*, quàm Veritas *columna & firmamentum Ecclesiæ.* Nam quòd Ecclesia stat invicta atque immota, id debet Veritati acceptum, quæ vinci & concuti non potest. Sed largiamur sanè illis Ecclesiam hic dici *columnam & firmamentum veritatis*, nihil tamen promovebitur hoc pacto. Nam in promptu nobis est respondere, intelligi veram Christi

Sponsam hoc loco, Electos scilicet ipsius, non verò Ecclesiam quæ humano judicio videtur esse Ecclesia: quam Christi Sponsam non negamus à Christo conservari usque adeò ut, etsi nutet & concutiatur (quod etiam columnis & fundamentis sæpe contingit) tamen nunquam penitus evertatur. At de hac Ecclesia nulla nobis est controversia.

JAC. CAPPELLUS

2. O*portet Episcopum esse irreprehensum, unius uxoris virum*] Hunc locum passim quidem ità veteres exponebant, & Hieronymus cum iis, ac si vetet Apostolus nè plures uxores duxerit Episcopus: sed tom. 3 Epist. 46. ad Oceanum, *Potest*, inquit, *aliter disseri. Ex Judæis erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia de Israël reliquiis congregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Moysi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere. Ipsis quoque Sacerdotibus hujus licentia patebat arbitrium. Præcipit ergo ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi vendicent Sacerdotes, nè bina pariter & trina conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore uxores habeant.* Gellius l. 15. c. 20. *Euripides mulieres ferè omnes majorem in modum exosus fuisse dicitur, sive quòd naturâ abhorruit à mulierum cœtu, sive quòd duas simul uxores habuerat cùm id decreto ab Atheniensibus facto jus esset, quarum matrimonii pertædebat.* Maturè quidem inventi sunt qui prædicandæ Virginitatis obtentu de Conjugio secùs loquerentur: Sed qui disertim à Clero cœlibatum exigeret nemo, quod sciam, inventus est ante quartum seculum. Sed statim ejus initio, cùm quidam jugum illud invectum irent, his oppositus est A. D. 314. canon Arelatensis Concilii, *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in vinculo conjugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio.* Sic enim legit Bartholomæus Caranza, & Colonienses Conciliorum editiones A. D. 1538. fol. 174. A. D. 1551. fol. 293. Gratianus D. 2. can. 2. solens suo more canonis hujus mentem intervertit, detractâ negatione legens, *Assumi aliquem ad Sacerdotium posse*, pro *non posse*. Dixeris, Quinam erant ii qui nolebant ad Sacerdotium quenquam conjugatum assumi *nisi conversionem*, i. e. vitæ mutationem, *promitteret*? Omnino videntur notari verbis istis Eliberitani, qui Concilii sui canone 19. jubent Episcopos, Presbyteros, Diaconos ab uxoribus abstinere. Intererat autem illi Synodo Cordubensis Episcopus Hosius, qui Nicenæ Synodo præfuit. A. D. 325. quidam voluerunt in Synodo Nicena Clericis relinquendarum uxorum necessitatem imponere. Si conjecturis agere licèt, cui potiùs id tribuemus quàm Hosio, quò suum in Eliberitano Concilio canonem adversùs Arelatensem propugnaret? Utut sit, cùm multi jam eò propendere viderentur, intercessit Paphnutius, canonem Apostolicum obtendens ex Heb. 13. 4. & obtinuit, teste Socrate. Historiam hanc qui vocaret in falsi suspicionem nemo, quod sciam, inventus est ante seculum nostrum, quo Baronius, Bellarminus aliique Jesuitæ certatim Socrati falsi crimen ausi sunt impingere. Sed quo jure, cùm Socrati suffragentur Sozomenus l. 1. cap. 22. Cassiodorus Historiæ Tripertitæ l. 2. cap. 14. Nicephorus l. 8. cap. 19. Suidas in Vita Paphnutii, Gelasius, Ivo Carnutensis l. 3. cap. 88. Panormitanus l. 3. cap. 85. Gratianus D. 31. §. 12. A. D. 330 vel circiter Concilii Gangrensis canon 4. Ἔιτις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρυ γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι μεταλαβεῖν προσφορᾶς ἀυτοῦ λειτυργήσαντος, ἀνάθεμα ἔςω. A. D. 357. Constantio IX. & Juliano II. Coss. Imp. Constantius Ecclesiasticis aliquid gratificatus L. *Omnis à clericis*, c. de Episcopis, addit, *Omnibus clericis hæc prærogativa succurrat, ut conjugia eorum, & liberi,* &c. Et legem hanc confirmat Justinianus, eam inserens Codici suo. Is autem obiit A. D. 565. A. D. 371. Gregorius Nazianzenus inducit patrem suum Nazianzenum, & ipsum Episcopum, ità secum agentem,

Nondum tot anni sunt tui, quot jam in sacris
Mihi sunt peracti victimis.

Ex his verbis patet juniorem Nazianzenum à patre post initum demum Sacerdotium susceptum. Hoc testimonium ut elevet Baronius A. D. 371. §. 102. vult hæc hyperbolicè dicta. Nos Baronii cavillis in Historia nostra respondemus. A. D. 372. mortuus est Athanasius XLVI annos Episcopatu defunctus Alexandriæ. Is Dracontio scribens tom. 1. p. 739. Πολλοὶ τῶν ἐπισκόπων οὐδὲ γεγαμήκασι, μοναχοὶ δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασι, ὥσπερ καὶ ἐπίσκοποι πατέρες τέκνων, καὶ μοναχοὶ ἐξ ὁλοκλήρου γένους μὴ τυγχάνοντες. Ubi particula μὴ deest errore Typographi. A. D. 378. Ambrosius scribens De officiis l. 1. cap. ult. improbat quidem conjugium Sacerdotum, docet tamen ejus usum fuisse non infrequentem. *In plerisque*, inquit, *abditioribus locis, cùm Ministerium*, i. e. Diaconatum, *gererent, vel etiam Sacerdotium*, i. e. Episcopatum vel Presbyteratum, *filios susceperunt. Abditiores* provincias vocat eas quæ remotiores erant à Roma, quæ cœlibatum pro virili parte in Clerum invehebat. Ambrosius tamen De virginibus l. 1. fatetur *virginitatem in toto magis esse quàm in magisterio.* A. D. 406. Hieronymus adversùs Vigilantium scribens Conjugio quidem est iniquissimus, sed fatetur esse quosdam Episcopos adeò non exigentes à Clero cœlibatum, ut contrà vitandæ scortationis ergò cum Apostolo 1 Cor. 7. cohortarentur etiam Clericos ad conjugium, aut ad Clericatum non nisi conjugatos adsciscerent, *nulli cœlibi credentes pudicitiam.* A. D. 407. vel circiter obit Epiphanius. Is hæresi 59. improbat quidem Clericorum conjugium, fatetur tamen multos etiam tum Clericos cum suis uxoribus habitare solitos. An. D. 410. Synesius fratri scribens Epist. 105. testatur se non aliâ lege suscepturum Episcopatum nisi sibi liceat conjugem retinere. Ἐμοὶ, inquit, ὅ, τε Θεὸς, ὅ τε νόμος, ἥ τε ἱερὰ Θεοφίλυ χεὶρ γυναῖκα ἐπιδέδωκε. Προαγορεύω τοίνυν ἅπασι καὶ μαρτύρομαι, ὡς ἐγὼ ταύτης ὔτε ἀλλοτριώσομαι ἐφάπαξ, ὔτ' ὡς μοιχὸς ἀυτῇ λάθρα συνέσομαι· τὸ μὲν γὰρ ἥκιςα ἐυσεβὲς, τὸ δ' ἥκιςα νόμιμον· ἀλλὰ βυλήσομαί τε καὶ ἔυξομαι συχνά μοι πάνυ καὶ χρηςὰ γενέσθαι παιδία. An. D. 420. Impp. Arcadius & Honorius L. 19. cap. De Episcopis canonem 3. Niceni Concilii confirmantes vetant nè Clerici cœlibes versentur cum mulieribus, nisi cum matribus, filiabus, & sororibus. Ibidem Paphnutii quoque sententiam confirmantes, *Illas etiam*, inquiunt, *non relinqui castitatis hortatur affectio, quæ ante Sacerdotium maritorum legitimum meruere conjugium. Neque enim Clericis incompetenter adjunctæ sunt, quæ dignos Sacerdotio viros suâ conversatione fecerunt.* Post An. D. 424. scripti videntur *Canones* qui dicuntur *Apostolorum*. Horum canon 5. Τὴν, inquit, ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει ἐυλαβείας· ἐὰν δ' ἐκβαλῇ, ἀφοριζέσθω. An. D. 452. Leo I. Africanis Episcopis scribens, Epist. 85. *Dicente*, inquit, *Apostolo, ut inter alias electionis regulas is Episcopus ordinetur quem unius uxoris virum fuisse vel esse constiterit, tam sancta semper habita est ista præceptio ut etiam de muliere Sacerdotis eligendâ eadem intelligatur servanda conditio, nè fortè illa prius quàm in matrimonium ejus veniret qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium.* Conciliorum editio Coloniensis, A. D. 1606. & Leonis operum editio Parisiensis A. D. 1614. legunt *eligendi*, fraude manifestâ, cui tamen favet Bellarminus: sed series sermonis indicat legendum *eligenda*, & ità legerunt Caranza in Summa Conciliorum A. D. 1546. & Conciliorum editiones Colonienses A. D. 1538. & 1551. A. D. 535. Imp. Justinianus I. Epiphanio scribens Novellâ sextâ vetat eum Episcopum eligi qui duxerit viduam, repudiatam aut concubinam, sed qui vixerit ἐν παρθενίᾳ, vel qui duxerit uxorem virginem, γυναῖκα ἐκ παρθενίας ἐλθοῦσαν. Idem repetit A. D. 541. Petro scribens Novellâ 123. & 137. jubens ut si quis ad Episcopatum adspirans uxorem ducere velit, id faciat antequam fiat Diaconus, cùm Ancyrano Neocæsareensique Conciliis satis fuisset si faceret id antequam fieret Presbyter. A. D. 691. Concilium Trullanum cap. 13. disertè damnat Ecclesiam Romanam jubentem ut tam Diaconi quàm Presbyteri separentur à suis uxoribus: sed potentior jam erat vis Consuetudinis pessimi tyranni quàm ut etiam Episcopis auderet permittere liberum cum suis uxoribus consortium. Huic Synodo subscripserunt cùm reliquorum Patriarcharum tum etiam Sergii Papæ Legati; & An. D. 787. Hadrianus I. Papa scribens ad Tarasium profitetur se suscipere Concilium sextum cum omnibus suis canonibus. Quod non potest intelligi de Concilio quod A. D. 681. convocatum est, quod sanè Sextum quoque nuncupatur, sed nullos canones scripsit. Postea tamen audaciores facti Papæ professi sunt se Concilium illud Trullanum rejicere, & obfirmatè perstiterunt in suo plusquam Vatiniano adversùs Clericorum conjugium odio ac internecino bello, sed ut plurimùm irrito conatu. Orientales contra perseverarunt in propugnanda saltem ἀπὸ μέρους ea libertate quam S. S. hac in parte dat non minùs Clericis quàm Laicis.

5. *Si quis propriæ domui præesse nescit, quomodo curabit Ecclesiam Dei?* Sic etiam Athenienses argumentabantur. Æschines adversùs Timarchum, *Non quemvis admittebant ad orationes habendas apud populum, sed excludebant impuros, ingratos erga parentes, aut injurios, ῥιψάσπιδας, ignavos, tum εἴ τις τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται.* Τὸν γὰρ τὴν ἰδίαν οἰκίαν κακῶς οἰκήσαντα, καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως παραπλησίως ἡγήσατο διαθήσειν.

7. *Oportet eum testimonium bonum habere ab extraneis*] Æschines adversùs Timarchum, Οὕτω χρὴ καθαρὸν τὸν βίον εἶναι τῦ σώφρονος ἀνδρὸς, ὥςε μὴ ἐπιδέχεσθαι δόξαν αἰτίας πονηρᾶς. Nè ad Olympicos quidem agonas admittebatur quisquam infamis, aut cujus parentes essent infames. Themistius Oratione

Non

1. *Non permittebant*, inquit, *Elienses nec Pisatæ* γυμνοῦσθαι *nudare corpus suum, ut ad palæstricum agonem se pararet*, εἰ μὴ ἔχῃ τις ἀποδεῖξαι πατέρα τε αὐτοῦ, καὶ μητέρα. Ἀλλὰ τὸν Φιλάμμονα ἐκεῖνον οὐκ ἄν ποτε ἠφίεσαν πρὸς τῷ Ἀλφειῷ κονίσασθαι, μὴ ξυμμαρτυρήσαντος, Ἀριστοτέλους, καὶ παῖδα ποιησαμένου. Sic Athenis, Antequam quis fieret εἷς τῶν ἐννέα ἀρχόντων, vel ῥήτωρ, vel στρατηγὸς, fiebant priùs δοκιμασίαι, ut refert Lycurgus apud Harpocrationem in voce δοκιμασθείς.

15, 16. *Ut scias quomodo versandum sit in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis. Columna & firmamentum veritatis, & sine controversia magnum est pietatis mysterium*, nempe *Deus in carne conspicuus factus est*, &c.] Primam hanc hujus loci lectionem fuisse visum est insignibus viris, collegis nostris longè charissimis, Andreæ Melvino. Johanni Cameroni, Johanni Fabricio. Nec desunt huic sententiæ rationes. Primùm Irenæus omnino videtur ità legisse. Sic enim tertium suum librum inchoat, *Non enim per alios dispositionem* οἰκονομίαν *salutis nostræ cognovimus quàm per eos per quos Evangelium pervenit ad nos; Quod quidem tunc præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Secundò, videtur Apostolus respicere verba Christi, cui cùm Petrus dixisset, *Tu es ille Filius Dei*, &c. respondit illi Christus, *huic* doctrinæ velut immotæ *petræ se superstructurum Ecclesiam suam*, Matth. 16. 17, 18. Tertiò, quævis religio quædam habet axiomata quæ censet esse suæ professionis fundamenta. Sic quod legitur Deut. 6. 4. Maimonides statim initio Misnæ vocat id *fundamentum fundamenti & columnam sapientiæ.* Idem etiam Mahometanis visum, qui se *Musulmanes*, religionem suam *Islamismum* vocant. Sed huic vero fundamento supposititium adjecerunt. Sic enim ajunt, *Primum fundamentum ex fundamentis Islamismi est, quod non est Deus nisi Deus, & quod Muhamed est Apostolus Dei.* Quartò distinctionem hanc confirmare videtur series orationis. Cùm enim docuerit Apostolus qualis esse Pastor debeat, nunc docet quid potissimum docere debeat, substernere videlicet instar *fundamenti columnæque* primum istud religionis Christianæ principium, *Deum in carne manifestatum.* Quintò, nusquam alibi Scripturæ vocat Ecclesiam *firmamentum & columnam veritatis:* nusquam illi tale quidpiam tribuit. Sextò, novam orationem nunquam inchoat Paulus à copula. Sed quò magis novum erat hoc elogium, eò fuit avidiùs exceptum & in omnes ferè codices Græcos, Latinos, Syriacos, Arabicos propagatum ab hominibus undique corradentibus ea quæ videbantur ad dignitatem Ecclesiæ pertinere. Dei tamen providentiâ factum ut tum hic tum plurimis aliis locis unum ac idem elogium, sive cum antecedentibus sive cum sequentibus connectatur, possit commodum habere sensum. Nec est quòd Roma quidquam hîc sibi fieri putet, aut suis Doctoribus ullam ἀναμαρτησίαν tribui. Primò, quod Ephesinis dicitur, quo jure trahat id ad se Roma, cui singulares promissiones nullæ, singulares verò comminationes multæ factæ sunt? Rom. 11. 22. Apoc. 18. 2, 4. Secundò, Pastor hic ab Ecclesia distinguitur, nec Pastoris sed gregis elogia commemorantur. Quòd si grex nihilominus sæpe fallitur, quidni Pastores quoque, qui nusquam vocantur *columna*, nedum *firmamentum, veritatis?* Tertiò, cohortationis potiùs quàm promissionis rationem habent hæc elogia, non secùs ac cùm Deus dicit Gen. 18. 19. *Novi Abrahamum, quòd præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.* Hoc ipsum præstare debent omnes veri fideles. Idque cùm præstant cùm de lege Dei loquuntur cum liberis ac vicinis suis, ut jubentur Deut. 6. 6, 7. tum certè sunt *veritatis* Divinæ totidem *columnæ, firmamenta*, propugnacula. Ità fatebimur etiam ad Pastores hæc elogia trahi posse. Nam si quivis pius pater familiâs debet veritati Divinæ militare, pro viribus eam docere, propugnare, tum domi suæ, 1 Cor. 14. 35. tum etiam foris, Col. 3. 16. quantò magis id præstare debet Pastor? Sed non sine causa tantum elogium gregibus, laicis, ovibus potiùs quàm Pastoribus est attributum, nè quis Pastor indè raperet occasionem ἀναμαρτησίας sibi vel cuiquam Pastorum tribuendæ.

LUD. CAPPELLUS.

2. ΔΕῖ ἂν τὴν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι] Habent & Judæi suos Canones de eorum moribus quos Synagogis suis præficiunt, quos cum isto Apostoli Canone componere non fuerint inutile. Sic ergò Maimonides in Misna, tom. 1. lib. 2. תפלה Tract. de Orat. & Benedict. Sacerd. cap. 8. §. 11. hunc habet Canonem de Ministro Synagogæ, *Non constituunt Synagogæ Ministrum* שליח צבור אלא גדול שבצבור בחכמתו ובמעשיו, *nisi eum qui reliquos omnes in cœtu superat sapientiâ & factis* bonis: *& si sit senex, tantò erit honoratior. Danda est opera ut Ministri vox sit suavis, & ipse in legendo expeditus. Quòd si quis sit valde doctus, neque tamen barba ejus sit plena, non est constituendus Minister, propter reverentiam Synagogæ. Sed nec balbus esse debet, at potest esse cæcus.* Pars illa hujus Canonis quæ vetat juvenem etsi bene doctum constitui Synagogæ Ministrum, non satis quadrat cum Pauli dicto ad Timotheum infrà 4. 12. Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω· at non malè convenit cum illo Pauli Conone, Μὴ νεόφυτον, v. 6.

5. Εἰ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε, &c.] Similis est sententia apud Æschinem contra Timarchum, Τὸν γὰρ τὴν ἰδίαν οἰκίαν κακῶς οἰκήσαντα, καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως παραπλησίως ἡγήσατο καταθήσεσθαι.

GROTIUS.

1. ΠΙστὸς ὁ λόγος. *Fidelis sermo*] Trahit Chrysostomus ad ea quæ præcesserant: sed verius est esse præfationem commendandæ ei quæ sequitur sententiæ: qualis supra illa iisdem verbis incipiens 1. 15. *Verissimum est*, inquit, *quod jam dicturus sum.* Quidam codices hic habent ἀνθρώπινος λόγος [*humanus sermo.*] at sic etiam in quibusdam codicibus fuisse loco superiore 1. 15. notavit Hieronymus. Nimirum natus hic error ex scribendi compendiis non dissimilibus πξ & αξ. ¶ Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*] Ἐπισκοπὴ פקדה *inspectionem* qualemcumque significat, ut Num. 4. 16. Psal. 109. 8. Ecclesiæ *Inspectores*, sive Præfecti sunt Presbyteri, Actor. 20. 28. qui in Synagoga זקנים vel קשישין [*Seniores,*] item פרנסין [*Pastores.*] Horum princeps postea κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] dici cœpit ὁ ἐπίσκοπος [*Episcopus,*] ut in Canonibus qui Apostolici dicuntur, & in Literis quæ dicuntur Ignatii, & in Tertulliano aliisque. Hic est in Apocalypsi ὁ ἄγγελος [*Angelus,*] Paulo alibi ὁ προεστὼς ἐν λόγῳ κοπιῶν [*Præses qui in verbo laborat,*] Justino similiter ὁ προεστώς [*Præses.*] Pari modo in Synagoga qui princeps erat, dicebatur ὁ ἀρχισυνάγωγος [*Archisynagogus,*] aut ἄρχων τῆς συναγωγῆς, ὁ πρόεδρος [*Princeps Synagogæ, Præses*] Philoni, Hebræum ראש הקהל, Syriacè ריש כנושתא, ut diximus ad Matth. 9. 18. Sed hic, ut diximus, ἐπισκοπή, [*Episcopatus*] *honor Presbyteri*, קשישותא hic Syrus. Tam ὀρέγεται quàm ἐπιθυμεῖ hîc valet אוה, *optat, quærit.* Neque id tunc ambitionis erat, sed maximæ fortitudinis, eò quòd Presbyteri munus non tantùm cum gravissimis laboribus, sed & cum summis periculis esset conjunctum, ideo quòd hi maximè, ut aliorum Magistri, ad pœnas raperentur. Ἔργον מעשה [*opus*] hoc loco est ipsa *functio, ipsum ministerium*, ut infrà 2 Tim. 4. 5. Pulchra sanè & honorifica est hæc functio. Et propterea requiruntur ad eam non tantùm communes omnibus verè Christianis virtutes, sed & quædam excellentiora, quanto ipsi Presbyteri supra plebem eminent. ¶ Δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*] Sumendus est ex iis qui post baptismum lapsi nunquam sunt. Sic mysticè impletur lex Levit. 21. 17. per quam sacerdotio fungi quis vetatur: ἐὰν ᾖ ἐν αὐτῷ μῶμος [*si sit in illo macula.*] Hinc ἱερεῖς ἀμώμους [*Sacerdotes immaculatos*] nominat Scriptor prioris Macchabaici 4. 41. Philo περὶ μοναρχίας [*De Monarchia* de ea re hæc dicit, Νόμοι ἱερέων εἰσὶν οἵδε, παντελῆ καὶ ὁλόκληρον εἶναι τὸν ἱερέα προστέτακται, μηδεμίαν ἐν τῷ σώματι λώβην ἔχοντα, μήτε κατ' ἔνδειαν ἀπολείποντος ἢ ἀκρωτηριασθέντος μέρους, μήτε κατὰ πλεονασμὸν ἅμα τῇ γενέσει παρεκβλαστήσαντος, ἢ ὕστερον ἐκ νόσου προσφύντος, μήτε τῆς χρόας μεταβαλλούσης εἰς λέπραν, ἢ λειχῆνας ἀγρίους, ἢ μυρμηκίας, ἢ τινας ἄλλας ἐξανθημάτων ἐκφύσεις ἃ μοι δοκεῖ πάντα σύμβολα τῆς περὶ ψυχὴν εἶναι τελειότητος [*Leges autem de Sacerdotibus exstant hæ; integritas corporis in sacerdote requiritur, ne quam labem mutilationemve habeat, neve ullam agnatam particulam supervacaneam, sive in nativitate, sive per morbum posteà, neve colorem mutatum in lepram aut feram impetiginem, aut formicantes verrucas, aliasve pustulas & tubercula: quæ omnia mihi videntur figuratè referenda ad perfectionem animæ.*] Cicero de Senatu, *Is ordo vitio vacat.* ¶ μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, *unius uxoris virum*] Sic infra de ea quæ in seniorum fœminarum ordinem legebatur, jubetur esse γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή, *unum virum experta.* Ita hic in presbytero exigitur, ut *unam tantùm fœminam expertus fuerit.* In Constitutionibus Clementis, τοιοῦτον δὲ δεῖ εἶναι τὸν ἐπίσκοπον, μιᾶς ἄνδρα γεγενημένον γυναικὸς μονογάμου [*talem oportet esse Episcopum, unius mulieris nullas antea nuptias experta virum.*] Clemens Alexandrinus Strom. 3. Καὶ εἴ τινι ὁ ἀπόστολος δι' ἀκρασίαν καὶ πύρωσιν κατὰ συγγνώμην δευτέρου μεταδίδωσι γάμου· ἐπεὶ καὶ οὗτος οὐχ ἁμαρτάνει μὲν κατὰ διαθήκην· οὐ γὰρ κεκώλυται πρὸς τοῦ νόμου· οὐ πληροῖ δὲ τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείας τὴν κατ' ἐπίτασιν

τελειότητα·

τελειότητα· δόξαν δὲ αὐτῷ οὐράνιον περιποιεῖ μείνας ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ διαλυθεῖσαν θανάτῳ συζυγίαν ἄχραντον φυλάσσων, καὶ τῇ οἰκονομίᾳ πειθόμενος ἑκουσίως, καθ' ἣν ἀπερίσπαστος τῆς τοῦ Κυρίου γέγονε λειτουργίας (*Et si cui Apostolus secundas nuptias concedit ob intemperantiam atque ustionem; nam neque hic, si fœdus spectes, peccat, neque enim id prohibuit lex, non implet tamen summam illam Evangelicæ vitæ perfectionem. Cœlestem porrò gloriam parat sibi qui solus manet, qui morte dissolutum conjugium illibatum servat, qui ei œconomiæ libens paret, per quam ita affixus est domini ministerio, ut avelli non possit.*) Adde alia quæ dicta Lucæ 2. 36. Plutarchus Quæstionibus Romanis, *ζηλωτὸς ὁ πρῶτος γάμος, ὁ δὲ δεύτερος ἀπευκταῖος* [*expetendæ sunt primæ nuptiæ, ominosæ res sunt nuptiæ secundæ.*] Apud omnes gentes secundæ nuptiæ minùs honoratæ: alicubi & pœnis nonnullis coërcitæ. Vide titulum Codicis de Secundis nuptiis. Servium ad illud Virgilii,

Huic uni forsan potueram succumbere culpæ;

Chrysostomum Sermone de Virginitate cap. 37. & altero libro ad Viduam, & ad Furiam Hieronymum. Neque verò Christiani in ulla laudis parte cedere debebant gentibus, apud quorum multas ad fœminina sacerdotia non admissæ nisi *univiræ*, ut Tertullianus nos docet de Monogamia, & Ad uxorem priore libro, & Exhortatione castitatis: & ad Gerontium Hieronymus. Neque honestè Presbyteri in seipsis eam sprevissent regulam quam in eligendis fœminis servabant. Hinc factum est ut unius matrimonii esse oporteret eos, qui allegebantur in ordinem sacerdotalem: & si qui digami fierent, loco dejicerentur, ut Tertullianus testatur in illa castitatis exhortatione: &, ad hunc ipsum locum respiciens, priore Ad uxorem, *Quantum detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ & præscriptio Apostoli declarat, cùm digamos non sinit præsidere, cùm viduam allegi in ordinem nisi univiram non concedit.* Idem in illo de Monogamia libro, eos *qui in clero sunt, monogamiæ jugo* ab Apostolo *adstrictos* ait. In Canonibus Apostolicis, qui collecti videntur fine sæculi secundi, hunc Canonem habemus, *ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ* [*qui binas post baptisma nuptias contraxerit, quive concubinam habuerit, is Episcopus, Presbyter, Diaconus, denique in Ecclesiastico ordine esse non potest,*] ubi additum illud *μετὰ τὸ βάπτισμα* [*post baptismum*] ex consuetudine quarumdam Ecclesiarum, quæ nuptias ante baptismum admissas nolebant venire in calculum. Itaque tales, qui vidui ante baptismum facti postea nuptias fecerant, interdum ad clerum admissos etiam Hieronymus nos docet. In sequente Canone à clero excluditur, *ὁ χήραν λαβὼν* [*qui viduam duxerit,*] quia nimirum paria sunt, facere aliquid, aut alteri ut id faciat causam dare. Itaque *διγάμοις* [*digamis*] æquatur qui fœminam fecit *δίγαμον* [*digamam.*] Vide Basilii Canonem 10. ad Amphilochium, & Novellam Justiniani 23. & 37. Non autem verba hæc exigunt ut Presbyter uxorem habeat, aut habuerit, sed id permittit, dum ne plures unà habuerit. ¶ *νηφάλιον, sobrium*] In Glossis *νηφάλιος, sobrius.* Sic & infra 11. & Tit. 2. 2. significatur, non qui nullius sit vini, sed qui modici, ut apparet infra 5. 23. Angeli dicti עירים *ἐγρήγοροι* [*vigiles,*] quod semper sint ad officium attenti. ¶ *σώφρονα, prudentem*] *Modestum.* vide supra 2. 15. non fanaticum; quales erant קסמים [*harioli.*] ¶ *κόσμιον, ornatum*] In Glossario, *κόσμιος, decorus.* Intellige eum qui omnia faciat *κατὰ τὸ πρέπον* [*juxta decorum.*] Utitur & Plato hac voce eo sensu. Rabbini talem dicunt צנוע [*honestum*] aut נאה [*decorum.*] ¶ *φιλόξενον, hospitalem*] Erat & hoc Presbyterorum, advenientes aliunde Christianos domi suæ excipere. Josephus de Essenis Belli Judaïci 2. 12. *Μία δ' οὐκ ἔστιν αὐτοῖς πόλις, ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ μετοικοῦσι πολλοί, καὶ τοῖς ἑτέρωθεν ἥκουσιν αἱρεταῖς ἀναπέπταται τὰ παρ' αὐτοῖς ὁμοίως ὥσπερ ἴδια, καὶ πρὸς οὓς οὐ πρότερον εἶδον, εἰσίασιν ὡς συνηθεστάτους. διὸ καὶ ποιοῦνται τὰς ἀποδημίας, οὐδὲν μὲν ὅλως ἐπικομιζόμενοι, διὰ δὲ τοὺς λῃστὰς ἔνοπλοι· κηδεμὼν δὲ ἐν ἑκάστῃ πόλει ἐξαίρετος τῶν ξένων ἀποδείκνυται* [*Non est autem illis una civitas certa, sed in singulas multi domicilia transferunt, & aliunde advenientibus sectæ suæ professoribus, quicquid habeant, promptum exhibent, quasi proprium. Denique tanquam consuetissimi ad eos ingrediuntur, quos nunquam ante viderunt. Hinc est, quòd cùm peregrinantur, propter latrocinia tantùm armantur, neque præterea quicquam ferunt. In singulis autem civitatibus specialis curator hospitum constituitur.*] ¶ *διδακτικόν, doctorem.*] Sic & 2 Tim. 2. 24. *qui aptus sit aliis instituendis.*

3. Μὴ πάροινον, *Non vinolentum*] In Glossario *πάροινος, vinolentus.* Idem *παροίνιος* Aristophani, id est, *μέθυσος, ὑβριστὴς* [*ebriosus, protervus,*] exponente Scholiaste ad Acharnenses. ¶ *μὴ πλήκτην, non percussorem*] *μαχιμὸν* [*pugnacem*] exponit Hesychius. In Glossario, *πλήκτης, percussor,* מכה aut מרביץ. ¶ *μὴ αἰσχροκερδῆ, non turpis lucri cupidum*] Deest in Manuscripto, ut & in Syriaco & Latino. ¶ *ἀλλ' ἐπιεικῆ, sed modestum*] Vide Philippens. 4. 5. ad Titum 3. 2. Jacobi 3. 17. 1 Petr. 2. 18. Ἐπιεικὴς in Glossario *mitis, modestus.* Aristoteli ὁ ἐπιεικὴς describitur, *ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀλλ' ἐλαττωτικὸς καίπερ ἔχων τὸν νόμον βοηθόν* [*qui non summo ubique jure agit, sed remittit aliquid etiam cùm legum auxilio uti potest.*] Apud interpretes Veteris Testamenti respondet Hebræo סלח [*propitius,*] ut Psalm. 86. 5. Deus sic dicitur, sicut eidem *ἐπιείκεια* [*æquitas*] tribuitur, Baruch. 2. 21. Cantico puerorum 13. Sap. 12. 18. 2 Maccab. 2. 23. 10. 4. ¶ *ἄμαχον, non litigiosum*] Vox ista apud Græcos modò passivè sumitur, ut significet *eum cui repugnari nequit;* modò activè, ut significet *τὸν μὴ μαχόμενον* [*eum qui non repugnat,*] ut apud Xenophontem & hoc loco. Sed *μάχεσθαι* respondens Hebræo ריב sæpe etiam *litigare* significat: ita ut *ἄμαχος* sit *litium & rixarum abstinens. ἄμαχος* ᵕ, *absque jurgio,* ait Hieronymus ubi hunc locum citat. ¶ *ἀφιλάργυρον non cupidum*] Habes eandem vocem Hebr. 13. 5. Hebraïcè esset לא קמצן *non cupidus habendi,* נדיב [*liberalis.*]

4. Τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενον, *Suæ domui bene præpositum*] Sophocles Antigone,

> Ἐν τοῖς γὰρ οἰκείοισιν ὅστις ἐστ' ἀνὴρ
> Χρηστός, φανεῖται κἀν πόλει δίκαιος ὤν
> [*Virum profectò qui bonum præstat domi*
> *Speres eundem patriæ civem bonum.*]

Æschines contra Timarchum, *Τὸν γὰρ τὴν ἰδίαν οἰκίαν κακῶς οἰκήσαντα καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως παραπλησίως ἡγήσατο διαθήσειν* [*Eum qui rem familiarem malè administraverit, publicam similiter ratus est malè administraturum.* Hoc ipsum dicit Xenophon Tertio Commentariorum. ¶ *τέκνα ἔχοντα ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνότητος. filios habentem subditos cum omni castitate*] Apollonius apud Philostratum 5. dans præcepta Principi: *παῖδές εἰσί σοι· ἄρχε τούτων μάλιστα. τὰ γὰρ ἐκείνοις ἁμαρτηθέντα σὲ δήπου διαβάλλει* [*Sunt tibi liberi; hos tu vel maximè in officio contine: qui si qua in re peccant, culpa in te recidit.*] Ideò Sacerdotis filia gravissimè punita, si domum paternam dehonestaret, Levit. 21. 9. Et Heli, ideo quòd filiorum neglexisset culpas, 1 Sam. 2. Et Josephus Jacobi filius primùm domo bene præfuit, deinde Regno. Filii debent addiscere; & obedientiam parentibus debitam & probos mores, quæ hîc *σεμνότης* [*castitas*].

5. *Εἰ δέ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε, πῶς ἐκκλησίας Θεοῦ ἐπιμελήσεται; Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*] Sic etiam ei qui privatas res suas malè curaverit, non esse committendam rempublicam, dixit Apollodorus in Jambis qui sunt apud Stobæum, & Æschines contra Timarchum. Basilius Imperator ad filium *Συμβούλοις δὲ χρῶ τοῖς καλῶς περὶ τῶν ἰδίων βουλευσαμένοις καὶ διοικήσασι, ἀλλὰ μὴ τοῖς κακῶς ἐξ ἀβουλίας τὰ ἑαυτῶν οἰκονομήσασι. ὁ γὰρ κακῶς περὶ τὰ οἰκεῖα διατεθείς, οὐδέποτε καλῶς βουλεύσεται περὶ τῶν ἀλλοτρίων* [*Horum consilio utere, qui & rebus suis consuluerint bene, & bene eas curarint; iis uti noli, qui suas res consilii inopiâ perdiderint. Nunquam enim alienis consulet, qui sua afflixerit.*]

6. *Μὴ νεόφυτον, Non neophytum*] Solent LXX. sic vertere נטע, quæ *plantam novam* significat. Egregiè verò hîc ad disciplinam refertur, sed adjectivè positâ voce, quomodo eam etiam apud Aristophanem positam retulit Pollux. *Puerum in doctrina*, id est, recentem, vertit Syrus. ¶ *ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς τὸ κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου. ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*] Τυφωθεὶς מתגאה [*in superbiam elatus.*] Facilè inflantur qui subitò ad honores perveniunt. *Judicium Diaboli*, id est, pœna qualis Diabolo evênit, qui de cœlo dejectus est, 2 Petri 2. 4. nempe ob superbiam, Sirach. 10. 15.

7. *Δεῖ δὲ αὐτὸν καὶ μαρτυρίαν καλὴν ἔχειν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt*] *Οἱ ἔξωθεν* [*qui foris sunt*] qui *οἱ ἔξω* 1 Corinth. 5. 12, 13. 1 Thessalon. 4. 12. ii qui in Ecclesia non sunt. Ad Christianismum recipi poterant etiam qui malæ famæ fuerant; at vult Apostolus tales in Presbyterium recipi, & causam reddit. Sic & in Judaïco populo Senatores esse debebant ידועים, id est, *bene noti.* Latinus, *quorum conversatio sit probata*, optimè. Tales Rabbinis dicuntur בעלי שמועה לטובה [*viri bonæ famæ.*] ¶ *ἵνα μὴ εἰς ὀνειδισμὸν ἐμπέσῃ, ut non in opprobrium incidat*] Ὀνειδισμὸν [*opprobrium*] hîc passivè sumo, quomodo vertitur Hebræum כלמה [*ignominia.*] Sensus est: *ne aliquando ei exprobretur prior vita.* ¶ *καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου. & laqueum diaboli*] Id est, ne contumeliis notatus quærat se ulcisci. Omnes peccandi occasiones sunt *παγίδες Διαβόλου* [*laquei Diaboli,*] ut infra 6. 9. 2 Timoth. 2. 26. מוקשים [*tendiculæ.*]

8. *Διακόνους ὡσαύτως, Diaconos similiter*] Nempe *χρὴ εἶναι* [*oportet*

[*oportet eſſe*] ex ſuperioribus. משרתים [*miniſtri.*] Vide Actor. 4. Philipp. 2. ¶ *σεμνὸς, pudicos*] Vide Philipp. 4. 8. ¶ *μὴ διλόγους, non bilingues*] idem quod διγλώσσους. Hebræi eos vocant רכילים [*detrectatores,*] ut videre eſt Proverb. 11. 13. 20. 19. Epheſus erat urbs valde mercatrix, ut ad Epheſios diximus. Mercatores autem plerumque vani, ut Ciceroni notatum. Et רכל, unde illa vox רכיל eſt *mercari*. Et Homero *Phœnix*, id eſt, mercator,

> —— Ἀπατήλια εἰδὼς,
> Τρώκτης. —— ——
> [—— *Veterator, in arte peritus*
> *Fallendi.* —— ——].

Tyrii bilingues Virgilio. ¶ *μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας, non multo vino deditos*] Id eſt, *μὴ παροίνους* [*non vinolentos,*] ut locutus eſt ſupra. *προσέχειν* eſt *operam alicui rei dare*, ut videre eſt ſupra 1. 4. infra 4. 1. 13. Tit. 1. 14. Hebr. 2. 1. 7. 13. ¶ *μὴ αἰσχροκερδεῖς· non turpe lucrum ſectantes*] Id eſt, qui neque injuſtum, neque turpe artificium faciunt. Illius generis ſunt fœneratores & delatores: hujus aleatores, ſcenici, paraſiti. *Αἰσχροκερδὴς* בצע בוצע [*ſectans avaritiam*] Proverb. 15. 27. Rabbinis ממון מאני.

9. Ἔχοντας τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει. *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura*] Ἔχοντας [*habentes,*] id eſt, *κατέχοντας* [*retinentes,*] ut ſupra 1. 19. Per *puram conſcientiam* cuſtoditur & fides. Nam qui hanc negligunt, ſolent & illam amittere, ut jam audivimus 1. 19. De voce *myſterii* vide Epheſ. 6. 19. Coloſſ. 4. 3. Vide & infra 16. Eſt enim hæc doctrina occulta impiis, 2 Cor. 4. 3.

10. Καὶ οὗτοι δὲ δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, *Et hi autem probentur primùm*] Senſus eſt, Eorum, qui presbyterio videntur non inidonei nomina ad δοκιμασίαν [*explorationem*] publicentur in Eccleſia, ut ſi quid habet quod in eis culpet, id proferat. Verbum δοκιμάζεσθαι [*probari*] ex jure Attico, quod & Epheſii Jonum traduces imitati ſunt, traductum eſt. Δοκιμασία idem quod ἀνάκρισις apud Pollucem, *de moribus cujuſque exploratio*, quam bene deſcriptam habes apud Lyſiam. Eam in Eccleſia fieri ſolitam eo quo dixi modo, docet nos primùm Lampridius in vita Severi, *Ubi enim aliquos voluit vel Rectores provinciis dare, vel Præpoſitos facere, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: dicebatque grave eſſe non fieri in provinciarum Rectoribus, cùm id Chriſtiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi ſunt.* Ubi obiter diſcimus & hunc morem eſſe ex Synagoga. Sacerdotes autem Judæorum impropriè hic vocantur οἱ πρεσβύτεροι [*Presbyteri,*] idque per σύλληψιν [*Complexionem,*] quia Chriſtianorum Presbyteri etiam *Sacerdotes* vocabantur. Docet nos idem quod diximus Chalcedonenſis Synodus, ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο [*ordinatus publicetur.*] Hæc eſt *poteſtas indignos recuſandi*, quam plebi tribuit Cyprianus, addens *ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur: quia plebs ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit.* Ejuſdem Cypriani eſt illud, *In ordinandis clericis, fratres chariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Cùm autem dicit Apoſtolus de Diaconis hic agens, καὶ οὗτοι [*& hi,*] oſtendit multò magis ad eam normam exigendos Presbyteros. Et ideo in Timotheo, pridem ſibi noto, hanc formam ſervavit Paulus, Actor. 16. 2. ut Eccleſiis monſtraret id quod non quidem ſecutæ ſunt ſemper, ſed ſequi debuerunt. Hæc δοκιμασία [*exploratio*] Rabbinis dicitur בדיקה vel בדיקתא [*inquiſitio.*] ¶ *εἶτα διακονείτωσαν, & ſic miniſtrent*] *Poſt talem explorationem admittantur ad ſuum miniſterium.* ¶ *ἀνέγκλητοι ὄντες· nullum crimen habentes*] Sæpe eſſe dicitur id quod palàm apparet. Ita hic ſume *ἀνέγκλητοι ὄντες* [*nullum crimen habentes.*] *Poſtquam apparuerit nihil illis poſſe objici.* Hîc ἀνέγκλητοι [*nullum crimen habentes*] qui ſupra *ἀνεπίληπτοι* [*irreprehenſibiles.*] Sic & Tit. 1. 6, 7. vide & 1 Cor. 1. 8. Coloſſ. 1. 22. In Gloſſario, *ἀνέγκλητος, inaccuſabilis.*

11. Γυναῖκας ὡσαύτως, *Mulieres ſimiliter*] Supple διακόνους [*diaconiſſas:*] quod ἀπὸ κοινοῦ [*de communi*] repetendum, quod rectè viderunt Chryſoſtomus, OEcumenius, Theophylactus. Nam erant & fœminæ διάκονοι [*diaconiſſæ,*] ut videre eſt Rom. 16. 1. quas *miniſtras* dixit Plinius. Vide L. Nulla. C. de Epiſcopis & Clericis, & ibi dicta ab eruditis. Fœminæ διάκονοι [*diaconiſſæ*] ſumebantur ex junioribus, πρεσβύτιδες [*Presbyteræ*] ex ſenioribus. Facilè autem intelligas ea quæ exigit Apoſtolus in fœminis διακόνοις [*diaconiſſis,*] multò magis exigi in iis quæ πρεσβύτιδες [*Presbyteræ*] ſive προκαθήμεναι [*præſidentes*] dicebantur, & quæ ſuo modo reſpondebant τοῖς πρεσβυτέροις [*Presbyteris,*] de quibus diximus ad Philipp. 4. 3. & dicemus infra 5. 9. ¶ *σεμνὰς, pudicas*] Decet & viros, ſed fœminas maximè moderata quædam gravitas. ¶ *μὴ διαβόλους, non detrahentes*] Non fruſtra hoc addit. Norat enim mores mulierum maximè in Græcia Aſiaque.

> Φιλόψογον δὲ χρῆμα θηλειῶν ἔφυ,
> Σμικρὰς δ' ἀφορμὰς ἢν λάβωσι τῶν λόγων,
> Πλείους ἐπεισφέρουσιν· ἡδονὴ δέ τις
> Γυναιξὶ μηδὲν ὑγιὲς ἀλλήλας λέγειν
>
> [*Calumnioſum eſt omne fœmineum genus,*
> *Minima ad profandum ſi data occaſio,*
> *Plus ſemper addit; inque cœtu congrege.*
> *Magna eſt voluptas nil grave & ſanum loqui,*]

ait in Phœniſſis Euripides. Vide infra 5. 13. qui locus hunc explicat. ¶ *νηφαλέας ſobrias*], Vinoſitas fœminas maximè dedecet. ¶ *πιστὰς ἐν πᾶσι. fideles in omnibus*] Nempe quæ ita fidem in negotiis omnibus præſtiterint, ut totæ ipſis Eccleſiæ largitiones credi poſſint.

12. Διάκονοι ἔστωσαν, *Diaconi ſint*] Redit ad veros Diaconos. Poſt illam velut παρένθεσιν [*interpoſitionem*] de diaconiſſis interpoſitam. ¶ *μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες, unius uxoris viri*] Interpretare ut ſupra 2. ¶ *τέκνων καλῶς προϊστάμενοι καὶ τῶν ἰδίων οἴκων. qui filiis ſuis bene præſint & ſuis domibus*] Vide ſupra 3. & 4.

13. Οἱ γὰρ καλῶς διακονήσαντες βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται, *Qui enim bene miniſtraverint gradum bonum ſibi acquirunt*] *Gradum ſibi honeſtum faciunt*, nempe ad presbyterium. Ita enim mos erat illorum ſæculorum, ut ex optimis de Chriſtiana plebe Diaconi fierent, ex Diaconis optimis Presbyteri, ex Presbyteris optimis Præſidentes. περιποιοῦνται קנו [*comparant.*] βαθμὸν מעלה [*gradum.*] In Clementis Conſtitutionibus ſunt preces pro Diacono, in quibus legimus huc pertinentia, Καταξίωσον αὐτὸν εὐαρέστως λειτουργήσαντα τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ διακονίαν ἀτρέπτως, ἀμέμπτως, ἀνεγκλήτως, μείζονος ἀξιωθῆναι βαθμοῦ [*Præſta ei, ut poſtquam creditum ſibi Diaconi munus ſedulo, conſtanter, inculpate obierit, ad gradum altiorem vocetur.*] ¶ *καὶ πολλὴν παῤῥησίαν ἐν πίστει τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu*] Qui Diaconi munere bene functi ſunt, ſi Presbyteri fiant, liberiùs & cum majore fiducia aliis Euangelium prædicabant. Nam πίστις [*fides*] hîc ponitur pro *doctrina* ipſa, ut Gal. 3. 23. & alibi ſæpe.

14. Ταῦτά σοι γράφω, *Hæc tibi ſcribo*] In Macedonia, ut eruditi cenſent. ¶ *ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον· ſperans me ad te venire citò*] Venit non Epheſum Paulus, ſed Troada: & ibi eum vidit Timotheus. In Manuſcripto pro τάχιον [*cito*] eſt ſenſu eodem ἐν τάχει, ut Luc. 18. 8. Actor. 12. 7. 22. 18. 25. 4. Roman. 16. 20. Apoc. 2. 5. 22. 6. Deut. 28. 29. Joſue 8. 19. Pſalm. 2. 12.

15. Ἐὰν δὲ βραδύνω, *Si autem tardavero*] *Si quid interceſſerit:* quod ſæpe eveniebat Paulo. Vide 2 Corinth. 12. 14. 13. 3. ¶ *ἵνα εἰδῇς, ut ſcias*] Ut his literis monitus noris ea quæ alioqui coram fueram dicturus. ¶ *πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, quomodo oporteat in domo Dei converſari*] Ἀναστρέφεσθαι [*converſari,*] ut 2 Cor. 1. 12. Epheſ. 2. 3. Hebr. 10. 33. 13. 18. 1 Petr. 1. 17. reſpondet Hebræo הלך [*ambulare,*] ut videre eſt Proverb. 20. 7. Si pii ſinguli *Templum Dei* 1 Corinth. 3. 16. 6. 19. Epheſ. 2. 21. ergo & cœtus piorum. Majoris claritatis ergo, *μεταφορᾶς* [*Tranſlationis*] hujus addit explicationem. ¶ *ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, quæ eſt Eccleſia Dei vivi*] Non falſorum deorum, ſed Dei veri אל חי [*Dei viventis*] Matth. 26. 63. Rom. 9. 26. 2 Corinth. 6. 16. 1 Theſſal. 1. 9. infra 4. 10. 6. 17. ¶ *στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. columna & firmamentum veritatis*] Tituli hi ſunt Eccleſiæ: cui qui eos invident, mirum quàm laborent ut hæc verba ſequenti periodo connectant. Eis tum alia repugnant, tum illud τὸ quod ponitur ante τῆς εὐσεβείας μυστήριον [*pietatis myſterium,*] qui articulus oſtendit novum eſſe ſenſum, non titulorum cum ſequentibus continuationem, & illud μυστήριον [*myſterium*] poni ſubjectivè, non prædicativè; ut Scholæ loquuntur. Apoſtolus, mentione factâ Templi, novam de Templo ſumpſit ſimilitudinem. In Templo erant *columnæ* עמודים; iis columnis ſuæ erant *baſes*, ſive ἑδραιώματα אדנים: at ſicut columnæ baſi, ita opus ſuperius columnæ innitebatur. Veritatem hic comparat operi ſupero: Eccleſiam, maximè univerſalem, ſed & eas partes quæ univerſali adhærent, *columnæ & baſi*, id eſt, καθ' ἓν διὰ δυοῖν [*ſecundùm unum per duo*] columnæ baſim habenti. Veritatem ſuſtentat atque attollit Eccleſia, efficit ne elabatur ex animis, efficit ut longè lateque conſpiciatur. Magnam enim vim apud homines non contumaces habet teſtimonium multorum hominum proborum, qui omnes ajunt ſe iſta dogmata, iſta præ-

cepta ab Apostolis accepisse. Nec invidiosus videri debet hic datus Ecclesiæ titulus, cùm & uxor dicatur viri στῦλος [*columna*] Sir. 36. 24. Tob. 8. 5. στήριγμα [*fulcimentum.*]

16. *Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Et extra controversiam magnum est pietatis mysterium*] Non hic, inquit, de quavis veritate agitur, sed de ea quam hominum nemo per se reperire potuit, & quæ vim ad pietatem nobis ingenerandam habet maximam, præ qua evanescant omnia Legis, omnia Philosophorum præcepta & dogmata. ὁμολογουμένως Latini dicunt, *haud dubie, plane, extra controversiam, profectò.* pro eodem ponitur ὁμολόγως. Μυστήριον [*mysterium*] sæpe vocatur Euangelium, non modò quia tamdiu latuit, verum etiam quia humanâ industriâ nequit reperiri, Matth. 16. 17. Genitivus εὐσεβείας [*pietatis*] hic effectum designat. Eodem sensu hæc *veritas* dicitur esse κατὰ εὐσέβειαν [*secundum pietatem,*] 1 Tit. 1. hic Deus in Christo *nobis omnia dicitur donasse quæ ad pietatem pertinent.* 1 Petr. 1. 3. ¶ *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, Deus manifestatus est in carne*] Suspectam nobis hanc lectionem faciunt interpretes veteres, Latinus, Syrus, Arabs & Ambrosius, qui omnes legerunt ὃ ἐφανερώθη [*quod manifestatum est.*] Addit Hincmarus opusculo 55. illud Θεὸς [*Deus*] hic positum à Nestorianis. Sensum bonum facit illud ὃ ἐφανερώθη [*quod manifestatum est.*] Euangelium illud cœleste innotuit primùm, non per Angelos, sed per homines mortales, & quantum extera species ferebat, infirmos, Christum & Apostolos ejus. ἐφανερώθη [*manifestatum est*] אתגלי Syro. Id verbum bene convenit *mysterio*, id est, rei latenti. Sic & Coloss. 1. 26. Σὰρξ בשר [*caro*] *hominem* significat *mortalem*, 2 Cor. 5. 16. Vide 1 Joh. 4. 2. & quæ ad eum locum dicentur. ¶ *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, justificatum est in Spiritu*] Per plurima miracula approbata est ea veritas. Πνεῦμα [*Spiritus*] sunt *miracula divina*, per μετωνυμίαν [*Transnominationem,*] quæ est & 1 Cor. 2. 4. & alibi. Δικαιοῦσθαι [*justificari*] autem hic est *approbari*, ut Matth. 11. 19. ubi dicta vide. Sic δικαιοῦσθαι [*justificari*] dicitur qui in lite victor est, quia causa ejus approbatur. Deut. 25 1. Adde Psalm. 51. 4. ¶ *ὤφθη ἀγγέλοις, apparuit Angelis*] Nempe cum admiratione maxima. Angeli hoc arcanum per homines mortales didicere. Ephes. 3. 10. 1 Petri 1. 12. *Videre* apud Hebræos ad omnem cognoscendi modum transfertur. ¶ *ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, prædicatum est Gentibus*] Non Judæis tantùm annuntiata est ista veritas, sed & Gentibus illis quæ à Deo alienissimæ fuerant. Ephes. 2. 12. Coloss. 1. 21. *ἐν ἔθνεσι, apud Gentes,* בגוים. ¶ *ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, creditum est in mundo*] Id est, *in magna mundi parte,* Rom. 1. 8. Coloss. 1. 6. ¶ *ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. assumptum est in gloria*] *Gloriose admodum exaltatum est*, nempe quia multò majorem attulit sanctitatem quàm ulla antehac dogmata: ἀναλαμβάνεσθαι est *sublimiter evehi*, respondetque Hebræis verbis נעלה & נשא. ἐν δόξῃ, *gloriosè*, Philipp. 4. 19. Coloss. 3. 4. Vide & 2 Cor. 3 8. Sic ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ Κυρίου [*glorificabant verbum Domini,*] Actor. 13. 48.

PRICÆUS.

1. Πιστὸς ὁ λόγος] Certissimum ac verissimum est quod jam dicam. Chrysostomus & Theophylactus hæc ad proximè præcedentia retulerunt. Ego idem cum iis sentio qui ea cum sequentibus connectunt. Vide suprà 1. 15. & infrà 4. 9. Simile Joh. 4. 37. Ἐν τούτῳ ὁ λόγος ἐστὶν ἀληθινὸς, Ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, &c. Achilles Tatius lib 7. Ἀληθής ἐστιν ὁ λόγος, ὅτι μνήμην ἐκπλήσσειν ὁ φόβος πέφυκε. Plautus Trucul.

> *Verum verbum est quod memoratur, Ubi amici,* &c.

In Eunucho Terentii,

> *Verum hercle hoc verbum est, Sine Cerere,* &c.

& in Andria,

> *Verum illud verbum est vulgò quod dici solet,* &c.

Apulejus Floridis,

> *Verum verbum est quod ajunt, Nihil quidquam,* &c.

Ibid. Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ] Non dicit καλοῦ ἀξιώματος, ut ostendat illud muneris non ob honorem expetendum, sed ob ministerium ejus. Hieronymus ad hunc Pauli locum, *OPUS, non dignitatem, non delicias.* Hinc Matth. 20. 26. Christi ea, ἔστω ὑμῶν διάκονος. Varro de Lingua Lat. lib. 4. *Honos ab honesto onere, itaque honestus dicitur quod oneratus: & dictum onus est honos qui sustinet Rempublicam.* Apud Herodianum Pertinax Imperator, Οὐκ ἐν καθέδρᾳ ἢ προεδρίᾳ, ἀλλ' ἐν τοῖς ΕΡΓΟΙΣ. Apulejus in De Mundo, *Ærumnosum & multiplex, & curarum innumerabilium videtur esse hoc ipsum, alicujus officii principem fieri.* Mamertinus in Panegyrico, *In administrationibus labor honori adjungitur:* & ibidem, *Nunquam in capita civium potestatem,* &c. *concupivi: sed quia juvanda, etiam à me, pro virili portione respublica videbatur, cùm ad magistratum vocarer,* &c. *non refugi.* Seneca Epist. 90. de antiquissimis (i. e. optimis) seculis, *Officium erat imperare, non regnum,* (ubi *officium* quod Paulo ἔργον.) Idem De tranquill. animi, cap. 1. *Placet honores fascesque non purpurâ aut virgis adductum capessere; sed ut amicis propinquisque, omnibus denique mortalibus paratior utiliorque sim.* Plinius Panegyrico ad Trajanum de imperio loquens, *Non te læta & prospera stationis hujus, sed aspera & dura ad capessendam eam compulerunt:* & ibidem de seipso & Tertullo Consulibus, *Non consilium nostrum,* (Reipul.) *non operam subtrahamus: eundemque locum laboris & curæ, quem reverentiæ dignitatisque teneamus.* Ἐπισκοπῆς ὀρέγεσθαι hic, ut apud Diodorum Siculum, lib. 14. ἡγεμονίας ὀρέγεσθαι apud Plutarchum (in περὶ Φιλαδελφίας) πορφύρας καὶ διαδήματος ὀρέγεσθαι & (in Timoleonis vita) ὀρέγεσθαι μοναρχίας item χρημάτων καὶ τιμῶν ὀρέγεσθαι, apud Andronicum Rhodium. Hesychius, ex hoc Apostoli loco, Ὀρέγεται, ἐπιθυμεῖ.

2. Δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι] In Sententiis Hadriani Imperatoris, Ὅστις αἰτεῖ ἔπαρχον δημόσιον, διορθούμενος ὀφείλει εἶναι. Ἀνεπίληπτον εἶναι eum esse, qui

> — *Præteritos sine labe peregerit annos;*
> *Vita prior vitio caret, & sine labe peracta est.*

cujus

> — *Qui se servavit ab omni*
> *Non solùm facto, verùm opprobrio quoque turpi.*

Tacitus Histor. 1. *Ea vita in qua nihil præteritum excusandum habet*: Glossæ MSS. ad hunc Pauli locum in Florent. bibliotheca, Ἀνεπίληπτον, μηδὲν ἑαυτῷ συνειδότα. Hesychius, Ἀνεπίληπτον, ἄμεμπτον, ἀκατάγνωστον. Euripides Oreste, Ἀνεπίληπτον ἠσκηκὼς βίον ubi vetus Scholiastes, Ἀναμάρτητον, ἀδιάφθορον, ἀβλαβῆ, οὐκ ἄξιον ἐπιπλήττεσθαι. Dionysius Halicarnassensis, Τὸν βίον ἀνεπίληπτος. Lucianus in Pro saltat. ἀσυκοφάντητοι, ἀνεπίληπτοι. Plutarchus de Puerorum educatoribus, Τοῖς βίοις ἀδιάβλητοι, τοῖς τρόποις ἀνεπίληπτοι. Tales in Agesilao Xenophon, ἀνεπιπλήκτους vocat: Paulus infrà hoc cap. com. 10. ἀνεγκλήτους. D. Augustinus in Psal. 36. de Carthagin. Episcopo, *Qui in omnibus sanctus, in nullo reprehensibilis videretur.* Tales autem meritò vult Apostolus Episcopos Christianos esse, nè vel Ethnicæ vanitatis sacerdotibus minùs essent conspicui. Vide quæ ex Seneca infrà ad com. 7. & 10. adducemus. Cassiodorus, lib. 1. *Ad Imperiale secretum tales constat eligi, in quibus vitium reprehensionis nequeat inveniri*: ubi & *vitium reprehensionis* nota; ità heic Vulgatus, *irreprehensibilem esse.* Hinc & 10. 33. ibidem, *seipsum irreprehensibilem exhibere.* Seneca ex persona Arei philosophi Liviam consolantis, *Usque in hunc diem,* &c. *dedisti operam nè quid esset quod in te quisquam reprehenderet.* Consolat. ad Marc. cap. 4.

Ibid. μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα] Qui possit dicere,

> *Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te*
> *Ulla dedit collo vincula casta meo.*

Sidonius 7. 9. de Eucherio & Panychio, Episcopalis muneris ambitoribus, *Ex Canone non admittuntur, quia ambo ad secundas nuptias transierunt.*

Ibid. νηφάλιον, σώφρονα, κόσμιον] Ut ad normam illius morum mores gregis ejus dirigantur. Plutarchus (in πρὸς ἡγεμ. ἀπαιδ.) & verè, & ad hanc materiam perappositè, Δεῖ ὥσπερ ὁ κανὼν, ἀστραβὴς γινόμενος καὶ ἀδιάστροφος, οὕτως ἀπευθύνει τὰ λοιπὰ τῇ πρὸς αὐτὸν ἐφαρμογῇ καὶ παραθέσει συνεξομοιῶν, παραπλησίως τὸν ἄρχοντα πρῶτον αὑτὸν κτησάμενον ἐν αὑτῷ, καὶ κατευθύνοντα τὴν ἀρχὴν, καὶ κατασχησάμενον τὸ ἦθος, οὕτω συναρμόττειν τὸ ὑπήκοον· οὔτε γὰρ πίπτοντός ἐστιν ὀρθοῦν, οὔτε διδάσκειν ἀγνοοῦντος, οὔτε κοσμεῖν ἀκοσμοῦντος, ἢ τάττειν ἀτακτοῦντος. Gregorius Nazianzenus in Apolog. & de Episcopo loquens, Καθαρθῆναι δεῖ πρότερον, εἶτα καθᾶραι· σοφισθῆναι, καὶ οὕτως σοφίσαι· γενέσθαι φῶς, καὶ φωτίσαι. Νηφάλιον *vigilantem* vertit Beza: id verò esset νήφοντα, non νηφάλιον. Placet Vulgati illud *sobrium.* In vetere Onomastico, *Sobrius*, νηφάλιος, νήφων· & in Glossis, *Sobriis*, νηφαλίοις. Gellius 11. 18. *Apud Lacedæmonios, illos sobrios & acres viros.* Sic, *virum sobrium* Cicero in pro Cœlio dixit. Apulejus Milesf. 11. de Sacerdote, (ut Apostolus de Episcopo) loquens, *Vir gravis, & sobriæ religionis observatione famosus.* Σώφρονα heic ad vitæ tenorem pertinet, κόσμιον ad mores. Plutarchus Præcept. Polit. de Livio Druso, Ἦν ἀνὴρ σώφρων καὶ κόσμιος. Idem, κόσμιον καὶ σώφρονα τὸν βίον ait Pyrrhum fuisse. Herodianus 1. Κοσμίους τὸν τρόπον, καὶ σώφρονας τὸν βίον. Philostratus de Polemone Sophista, Τοῦ ἀνδρὸς σωφροσύνην καὶ κόσμιον. Salustius de Catone, *Illi studium modestiæ, decoris,* &c. *erat.* Τὸ μετὰ σωφροσύνης κόσμιον habemus apud Achillem Tatium. Vulgatus heic *ornatum* vertit. Ità in Glossario, Κόσμιος, *ornatus.* Recentior, *compositum.* Ità Seneca cap. 8. De vita beata, *Compositum & ordinatum*

dinatum fore talem virum: & Epist. 114. de Animo loquens, *Si ille est compositus*, &c. Possis & *gravem* vertere. Vide Firmici locos suprà ad 2. 9. adductos. Gregorius Nazianzenus epist. ad Dioclem, *Κόσμος ἡ σεμνότης*. Hesych. *Ἐν κόσμῳ, ἐν σεμνότητι.* Diogenes Laertius (ex Heraclide) de Platone, *Οὕτως ἦν*, &c. *κόσμιος, ὥστε*, &c. *μηδέποτ' ὀφθῆναι γελῶν ὑπεράγαν.* *Κοσμίου* signa ponuntur hæc ab Adamantio Sophista, *βραχὺ φθέγγεσθαι, βραχὺ βαίνειν, τὰ βλέφαρα μέσως κινεῖν, χαροπὸν, οὐχ ὑγρὸν ὁρᾶν, ἐρυθήματος ὑπόπλεως εἶναι.*

Ibid. *φιλόξενον*] Servius in 3 Georg. *Hospitalis homo dicitur, hospiti aptè inserviens.* In vetere Onomastico, *Hospitalis, Φιλόξενος.* Bene autem & hanc virtutem inesse vult in Episcopo futuro. *Διὰ τὴν πρὸς τοὺς ξένους φιλανθρωπίαν*, Galilæorum (i. e. Christianorum) *θρησκείαν* magnum incrementum cepisse ait Apostata Julianus.

Ibid. *διδακτικόν*] Quid hoc sit, ni fallor, optimè ex Act. 20. 20. intelligere datur: ibi & sequitur *διδάξαι*. Cicero 2. de Finibus, *Impellimur naturâ ut prodesse velimus quamplurimis, imprimisque docendo.* Interpres recentior, *aptum ad docendum* vertit; at plus requirit Apostolus, nempe, ut doceat assidue: quod Vulgatus (qui *doctor* vertebat) sagaciter assecutus est. Reperio in vetere Glossario, *Διδακτικός, docibilis*: id autem (ut melius in alio Glossario) est, *εὐμαθής, εὐδίδακτος.*

3. *Μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ*] Quomodo enim aut quem tandem hic liberum gubernare poterit, qui cupiditatibus suis imperare non potest? Cicero Parad. 5. Bene autem his Pauli consonant, non sensu solùm, sed & loquendi formà, quæ in adolescentum apud Sapientes Indos ad Philosophiæ sacra admissione observata video; *Μὴ μεθυστικὸς, μὴ λίχνος, μὴ ἀλαζὼν, μὴ φιλόγελως, μὴ θρασὺς, μὴ φιλολοίδορος.* Sunt verba Philostrati 2. 12. de Vita Apollonii. *Μὴ πάροινον*, non ferocem, non *ὑβριστὴν*, ut qui vino calefacti sunt. Ità bene intellexerunt Chrysostomus & Theophylactus: poscitque oppositum *ἐπιεικῆ* eo sensu accipi. Eudemus Rhetor in Lexico MS. *Πάροινος, μέθυσος, καὶ, Πάροινος, ὑβριστής.* Hesychius, *Παροινάσαι, ὑβρίσαι*, &c. *Ἐμπαροινοῦντας, ὑβρίζοντας. Ἐνεπαρῴνησαν, ἐνύβρισαν. Πεπαρῳνηκότων, ἀτακτησάντων, ὑβρισάντων. παροινία γὰρ ὕβρις.* *Μὴ πλήκτην, non percussorem*, non manu promptum: qualis apud Gellium 20. 1. ille. Plutarchus in Catone majore, *τῇ χειρὶ πλήκτην.* Aut, *μὴ πλήκτην*, non qui acerbo clamore corripiat & castiget: non *μάχιμον*, ut exponit Hesychius. Hinc *ἄμαχον* oppositum in membro subsequente: & 2 Tim. 2. 24. *δοῦλον Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι.* Prætulerim tamen priorem modum exponendi: nec aliter intellexit Justinianus Novell. *ρκγ'*. *Μὴ αἰσχροκερδῆ*, non *turpilucri cupidum*, ut Plautus in Trinummo locutus: non *αἰσχροῦ οὐδενὸς ἀπεχόμενος εἰς κέρδος*, &c. *φέροντος*, ut est apud Plutarchum, lib. De sera Num. vind. non eum cui

> ——— *Lucri bonus odor ex re*
> *Qualibet, atque illa est sententia semper in ore,*
> *Unde habeas quærat nemo, sed oportet habere.*

Vel (quod malim) non, *ἃ μὴ δεῖ αἰσχροῦ κέρδους χάριν διδάσκοντα*, ut Tit. 1. 11. illi. Hieronymus ad Heliodorum, *non turpilucrum* vertit: at legendum *turpilucrem* videtur. Glossarium, *Αἰσχροκερδὴς, turpilucris.* Hesychius, *Αἰσχροκερδὴς, ἐπιθυμητὴς κακῶν* lege *κακῶν κέρδεων*. Hinc in excerptis Glossarii alius, *Famosæ opes, αἰσχρὰ κέρδη*: quibus, *opes sine sordidis quæstibus, sine cujusquam injuria partæ*, apud Senecam oppositæ, De vita beata, cap. 23. Cicero Offic. 2. *Res familiaris quæri debet in artibus à quibus abest turpitudo.* In ipsorum publicanorum vituperiis apud Pollucem 5. 9. *αἰσχροκερδὴς* habemus. Et nè talis vel ad villicationis officium admoveatur, disertim apud Geoponicos cavetur: Quantò magis nè qui Deo villicant, videndum tali vitio laborent! Vitruvius 1. 1. de Architecto, *Nè sit cupidus, neque in muneribus accipiendis habeat animum occupatum: sed cum gravitate suam tueatur dignitatem, bonam famam habendo.*

Ibid. *ἄμαχον*] Non litigiosum, id est, *ἀφιλόνεικον*. D. Hieronymus, *absque jurgio.* Apulejus in Apologetico, *Non sum jurgiosus*, *Ἄμαχον* autem non tantùm *δυσκαταμάχητον*, sed & *μὴ μαχόμενον* significare, docet Suidas è Xenophonte.

Ibid. *ἀφιλάργυρον*] *Τὸν τρόπον* (ut Hebr. 13. 5.) *ἀφιλάργυρον*. Hieronymus, *non avarum*: recentiores quidam, *alienum ab avaritia.* Vulgatus eruditè, *non cupidum.* Glossæ, *Φιλάργυρος, avarus, cupidus.* Vide ad lib. 4. Apuleji pag. 218. notata.

7. *Τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενον*] Ità enim verisimile erit eum rectè Ecclesiæ præfuturum. *Domum uniuscujusque* (teste Senecâ ep. 47.) *Romani veteres pusillam Rempublicam esse judicaverunt*: & Chilo apud Plutarchum (Conviv. sapient.) *δεῖν βασιλευομένῃ πόλει τὸν οἶκον προσεοικέναι* dixit. Ut Ecclesia ergò (illa major domus) peritè administrari possit, familiam (minorem domum) bene gubernandam jure merito Apostolus monet. Plutarchus in Conjug. præceptis, *Εὖ ἡρμοσμένον τὸν οἶκον εἶναι δεῖ τῷ μέλλοντι καὶ ἀγορὰν καὶ φίλους ἁρμόζεσθαι.* Philo, ubi de Josepho domui Pharaonis præposito, *Ἔδει τὸν μέλλοντα εἶναι πολιτικὸν, ἐγγυμνάσασθαι καὶ ἐνασκηθῆναι πρότερον τοῖς κατ' οἰκονομίαν.* Isocrates in *Συμμαχικῷ*, *Χρὴ τὸν ὀρθῶς βασιλεύοντα μὴ μόνον τὰς πόλεις ἐν ὁμονοίᾳ πειρᾶσθαι διάγειν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἰδίους οἴκους.* Plinius ad Trajanum, *est magnificum, quòd te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas: sed magnificentius, quòd tuos. Quantò enim magis arduum est alios præstare quàm se, tantò laudabilius, quòd cùm ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti.* Cicero ad Quintum fratrem, Bithyniam Proconsulari imperio regentem, *Sint hæc fundamenta dignitatis tuæ, integritas & continentia*, &c. *familiæ gravis & constans disciplina.* Plutarchus de Numa pòst in Regem electo, *Πᾶσαν οἴκοθεν ἅμα τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν ἐξελαύνων*, &c. Tacitus de Agricola regimini Britanniæ admoto, *A se suisque orsus, primùm domum suam coërcuit.*

Ibid. *τέκνα ἔχοντα ἐν ὑποταγῇ*] *Τέκνων καλῶς προϊστάμενον*; ut infrà com. 12. Cicero de Appio, libello de Senectute, *Tenebat non modò autoritatem, sed etiam imperium in suos.* Lactantius 4. 1. *Quis poterit filios educare nisi habeat in eos dominii potestatem?* Meritò autem hoc spectandum ait Apostolus in homine publico muneri admittendo: quò suis enim quisque diligentiùs præfuerit, apud alios plus autoritatis obtinebit. Terentianus senex ille, Hecyrâ 2. 1.

> ——— *Ut vos mihi domi eritis, perinde ego ero famâ foris*:

ad quæ Donatus, *Bene, mihi, quia commoditas familiæ ad hunc redundatura est*: ubi *commoditas* videtur commodos mores significare. In vetere Glossario, *Commoditas, λυσιτέλεια, εὐχρηστία.* *Ἐν τοῖς τέκνοις ἀνὴρ γνωσθήσεται*, quanquam alio fortè sensu, dixit 11. 28. Sirachides.

Ibid. *ἐν πάσῃ σεμνότητι*] *Σεμνότητα* heic intelligo liberorum, non parentum. Seneca lib. Cur bonis viris, &c. cap. 1. *Cogita nos filiorum modestiâ* (quæ hic *σεμνότης*) *delectari, vernularum licentiâ: illos disciplinâ tristiore contineri, horum ali audaciam. Tantum habet vilitas excusationis, tantum dignitas difficultatis*, ut bene Apulejus noster.

5. *Εἰ δέ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε, πῶς ἐκκλησίας* [illegible] *ἐπιμελήσεται*;] *Si celocem regere nequis, quomodo onerariam petis?* Apul. apud Fulgent. Planciadem. Cicero 1. de Oratore, *Illa verò deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem se esse confiteri, quinqueremes autem aut etiam majores naves gubernare didicisse.* Idem ad Atticum suum 10. 7. de Cæsare, *Jam* (subaudi *cogita*) *quibus utatur vel sociis vel ministris, si iis Provinciæ, ii Rempublicam regent, quorum nemo duos menses potuit patrimonium suum gubernare.* Hujus loci est & proverbiale illud, *ἀπ' ὄνου καταπεσεῖν* quod Suidas dici ait *ἐπὶ τῶν ἱππικῇ ἐπιχειρούντων, μὴ δυναμένων δὲ μηδὲ ὄνοις χρῆσθαι.* D. Ambrosius de Officiis 2. 19. *Quomodo potest malitia regnum possidere, quæ nè unam quidem privatam potest regere familiam?* Augustus Cæsar (apud Senecam, Clement. 1. 9.) ad Cinnam, qui in se consilium inierat, *Quo hoc animo facis? ut ipse sis Princeps? domum tueri tuam non potes.* Melanthus (apud Plutarchum Precept. Conjugal.) de Gorgia orationem suam de Concordia publicè prælegente, *Οὗτος ἡμῖν συμβουλεύει περὶ ὁμονοίας, ὃς αὑτὸν, καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τὴν θεράπαιναν, τρεῖς ὄντας, ὁμονοεῖν οὐ πέπεικεν.* Apud Diodorum Siculum Charondas novercas liberis suis superducentes à Senatu arcet, *νομίζων τοὺς κακῶς περὶ τῶν ἰδίων τέκνων βουλευσαμένους, καὶ συμβούλους κακοὺς ἔσεσθαι τῇ πατρίδι.* Arrianus 3. 21. ex Epicteti persona ad effeminatum, *Τοιοῦτόν σε θῶμεν πολίτην; κἂν οὕτω τύχῃ, ἀστυνόμον, ἢ ἐφήβαρχον, ἢ στρατηγὸν, ἢ ἀγωνοθέτην; καὶ γαμήσας τίλλεσθαι μέλλεις;* &c. *καὶ παιδία ποιήσεις; εἶτα κἀκεῖνα τιλλόμενα ἡμῖν εἰσάξεις εἰς τὸ πολίτευμα; καλὸς πολίτης καὶ βουλευτὴς*, &c. In Epistola Apollonii dicta ad Valerium, *Πόλεων ἄρχεις πεντακοσίων*, &c. *ταῦτα σαυτὸν διατίθης, ἐξ ὧν οὐδ' οἰκίας τις εὐσταθῶς ἄρξει, μήτι γε πόλεων καὶ ἐθνῶν.* Andronicus senior apud Nicephorum Gregoram lib. 9. *Πῶς ἂν δυνήθειεν τῷ ἐγγόνῳ πιστεῦσαι τοιαύτην ἀρχὴν, νέῳ τε ὄντι, καὶ τοσαύτην ἀπειρίαν ἀσκοῦντι, ὡς μηδὲ τὰ κατ' αὐτὸν εἰδέναι καλῶς διαθέσθαι;* Chrysostomus Homil. 22. ad Romanos, *Ὁ τὰ πρὸς τοὺς οἰκείους οὐ κατορθωκὼς, δυσκολώτερον τὰ πρὸς τοὺς ἀλλοτρίους οἰκονομήσει*: & Homil. 37. in Acta, *Qui in domo sua inimicitias habet, ineptus erit ad alios reconciliandos.* Isocrates ad Demonicum, *Ὁ κακῶς διανοηθεὶς ὑπὲρ τῶν ἰδίων, οὐδέποτε καλῶς βουλεύσεται περὶ τῶν ἀλλοτρίων.* Autor [illegible] Herennium 4. *Qui sui rationibus inimicus fuerit, eum quomodo alienis amicum fore speres?* & Themistius, *Ὁ πρὸς τὰ ἔνδον πονηρὸς οὐκ ἂν γένοιτο πρὸς τὰ ἔξω χρηστός.* Apud Valerium Maximum ille, *Nec adduci possum, ut credam Urbi utilem esse, quem domi scelestum cerno.* Est in Excerptis Polybianis, *Οὐκ οἷον*

οἷον

εἶναι τῶν κοινῶν προστατεῖν καλῶς τὸν τῶν κατὰ τὸν ἴδιον βίον ὀλιγωροῦντα. Simile apud Philostratum illud 2. 13. *Εὔηθες μὴ κατὰ τὴν προσήκουσαν ἑαυτῷ βασιλείαν κτήσασθαι δυνηθέντα, θρασέως δοκεῖν ἐπὶ τὴν μὴ προσήκουσαν ἥκειν.* Ciceronis istud de Orat. 3 *Aliorum patroni, nostra tenere tuerique non possumus:* & hæc Anonymi apud Suidam, de Scipione, *Πυνθανόμενος τὸν ἀδελφιδῶν ἀργίας καὶ στάσεως καὶ τρυφῆς γέμειν, ἔφη, μὴ κρατήσειν πολεμίων, πρὶν κατασχεῖν τῶν ἰδίων ἐγκρατῶς.* Seneca cap. 24. ad Polybium, *Non poteris horum* (loquitur de fratribus ejus) *mærori obstare, si tuo indulseris:* & ibidem, cap. 34. de Tiberio, *Non potuisset ille lacrymas alienas compescere, nisi prius pressisset suas.* Servius ad Æneid. 6. de Catone, *Quomodo piis jura redderet qui in se impius fuit?* Ἐι δὲ in verbis Pauli *εἰ γὰρ* valet. In loco Suidæ autem non *τον ἀδελφιδῶν*, sed *τὸ στρατόπεδον* legendum esse, manifestum est ex Ibericis Appiani, cujus verba, dum aliud quærerem, ea esse deprehendi.

Ibid. *εἰ δέ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε, πῶς ἐκκλησίας θεοῦ ἐπιμελήσεται;*] Ità Jacobus cùm 3. 2. dixisset, *εἴ τις*, &c. idem voluit ac si dixisset, Qui linguam suam non novit regere, quomodo Ecclesiæ corpori præesse potuerit?

Ibid. *πῶς ἐκκλησίας θεοῦ ἐπιμελήσεται;*] *Πῶς ἐν οἴκῳ θεοῦ, ἥτις ἐστὶν ἡ ἐκκλησία, ἀναστραφήσεται;* infra com. 15.

6. Μὴ *νεόφυτον*] *Non novitium.* Pontius Diaconus in Passione S. Cypriani, *Ajunt Apostoli literæ neophytos præteriri debere, ne stupore gentilitatis nondum fundatis sensibus adhærente*, &c. Glossæ MSS. ad hunc Pauli locum in Medic. Biblioth. plut. 57. num. 42. *Νεόφυτον, προσήλυτον* hinc *novitiolam paraturam*, de recens factis Christianis, Tertullianus cap. 47. Apologiæ dixit. Sic & Gellii 16. 7. *novitii ac semidocti:* metaphorâ a plantatione desumptâ. Thetis de Achille suo apud Homerum Iliad. σ´.

Τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα φυτὸν ὣς, &c.

Et de Hercule Theocritus,

—*Ὑπὸ ματρὶ νέον φυτὸν ὣς ἐν ἀλωᾷ*
Ἐτρέφετ'.——

Φυτάριον de homine minùs solidè instructo dixit & Arrianus 4. 8. in Epictetum. In Glossis, *Novelletum*, *νεόφυτον*.

Ibid. *ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς τὸ κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου*] Nè inflatus in superbiam incidat, ob quod peccatum judicatus (id est, damnatus) fuit *ὁ διάβολος· κρίμα* enim non aliud hîc est quàm *κατάκριμα*, ut Jacob. 5. 9. *κριθῆτε* pro *κατακριθῆτε*. *Εἰς ἀλαζονείαν διαβολικὴν πίπτειν*, habemus apud Theodoretum. Scriptor Tobiæ 4. 14. *In superbia initium sumpsit omnis perditio.* D. Augustinus in Psal. 58. de Diabolo, *Non & imputabatur adulterium, non vinolentia, non fornicatio, non rapina rerum alienarum: solâ superbiâ lapsus est.* Hesychius, hunc Apostoli locum respiciens, *Τυφωθείς, ἐπαρθείς, ὑπερηφανεύσας.* Ità & Glossæ MS. in jam citato codice Mediceæ bibliothecæ.

7. *καλὴν μαρτυρίαν ἔχειν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν*] Talis Cyriacus, de quo D. Basilius Epist. ad Eusebium Samosatensem. *Οἱ ἔξωθεν* heic sunt qui Coloss. 4. 5. & alibi, *οἱ ἔξω*. De *καλῇ μαρτυρίᾳ* vide quæ ad Act. Apost. 6. 3. & 10. 22. annotavimus.

Ibid. *ἵνα μὴ εἰς ὀνειδισμὸν ἐμπέσῃ*] Vide infrà ad 6. 1. dicta. *Εἰς ὀνειδισμὸν ἐμπίπτει* autem cui macula gravis vitæ præsentis aut prioris objicitur. Apud Senecam Controvers. 1. 2. ille, *Inter hæc* (vituperia) *sacerdos quæritur? at hercule futuræ sacerdoti nihil ex his audiendum erat.*

8. *σεμνοὺς*] *Graves.* Vide Apulejum suprà ad com. 2. adductum.

Ibid. *μὴ διλόγους*] Pollux Onomast. 2. 4. §. 26. *Ἀπὸ δὲ λόγου ὀνόματα*, &c. *ὑπόλογος, ἐπίλογος, δίλογος*, &c. id est (ut heic Paulo) *δίγλωσσος·* unde commodè Vulgata versio, *non bilingues*, h. e. vanos mendaces. Virgilius,

——— *Tyriosque bilingues.*

Ubi Servius, *Fallaces: nec enim ad linguam retulit, sed ad mentem.* Sic in Apologis Phædri, *bilinguis homo:* in Plauti Persa, *bilinguis & scelestus:* & apud Jul. Firmicum Mathes. 1. 1. *Afrorum malitiosa commenta, & bilingues animæ.* Legimus & in Glossario, *Διοσσός*, *bilinguis.* His talibus opponitur apud Horatium *simplex:* ubi Scholia, *Non ambiguus, aut bilinguis:* & qui de se sic loquitur apud Euripidem,

———*Ὀρθὸν λόγων*
Τέμνων κέλευθον, κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ.

Ibid. *μὴ οἴνῳ προσέχοντας*] Id est (ut ad Tit. 2. 3.) *μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας.* Julianus Epistolâ 49. ad Arsacium Galatiæ Pontificem, *Παραίνεσον ἱερέα μήτε ἐν θεάτρῳ παραβάλλειν, μήτε ἐν καπηλείῳ πίνειν.* Plutarchus Quæst. Roman. *Οὐ θεμιτὸν τῷ ἱερεῖ μεθύσκεσθαι.* Inter alias boni villici notas, citato Geoponicorum loco, *οἴνου κατὰ τὸ δυνατὸν ἀπεχόμενος·* & in Epistolis Pythagoricorum, *Sit nutrix munda, verecunda, μὴ ὑπνώ, μὴ μέθᾳ προσοικειωμένα.* pro quo Paulus heic *προσέχειν*. *Vino devotam esse*, Phædrus in Fabellis dixit: *vino deditum*, Seneca 2. 10. de Ira. Simile apud Salomonem 20. 33. *ἐν οἴνῳ ἐγχρονίζειν, καὶ τοῦ πότοι γίνονται ἰχνεύειν.* Bene 1. 68. Artemidorus, *Ἐγὼ φημι, οὐ μόνον τὸ πίνειν πολὺν οἶνον πονηρὸν, ἀλλὰ καὶ ἐν πολλοῖς πίνουσιν ἀναστρέφεσθαι.*

Ibid. *μὴ αἰσχροκερδεῖς*] Vide suprà ad com. 3. notata.

9. *ἔχοντες τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει*] Possidentes (est enim *ἔχειν* hîc, ut & Rom. 15. 4. *κατέχειν*,) thesaurum fidei in puræ conscientiæ loculo: quanquam ex vocibus *μυστήριον* & *συνείδησις* non malè putet quis, me judice, ad *μεμυημένων* silentium heic à Paulo alludi.

10. *Καὶ οὗτοι δὲ δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον*] Si enim *castra secularia, quos ad laborem & periculum recipiunt, fastidiose legunt*, (Seneca Epist. 44.) quàm indignum in Ecclesia, militiam tantò nobiliorem militaturos inexploratos recipere! Vox *δοκιμάζεσθαι* desumpta est ex Jure Attico. Aristoteles in Politicis, *Λαμβάνουσι δὲ καὶ παρέδρους, ὅτε ἄρχων καὶ ὁ πολέμαρχος*, &c. *καὶ οὗτοι δοκιμάζονται ἐν τῷ δικαστηρίῳ*, &c. Pollux 8. 6. *Δοκιμασία δὲ τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγέλλετο, καὶ τοῖς κληρωτοῖς, εἰτ' ἐπιτήδειοί εἰσιν ἄρχειν, εἴτε μή.* (Vide Suidam, & Harpocrationem: item in *Εὐθύνας*, & in *Δοκιμασία* Hesychium.) At mos eâ voce designatus non apud Græcos tantùm obtinuit, sed & Hebræos Romanosque. Apud Senecam Controvers. 1. 2. *Ambitiosa lex est, ad sacerdotium notæ sanctitatis admittit, inquirit in mores*, &c. *in vitam*, &c. Modestinus l. 21. ff. de Tutor. & Curator. *Oportet magistratum & mores creandorum investigare: neque enim facultates, neque dignitas ità sufficiens ad fidem erit ut bona electio*, (fortasse *bona affectio* scribendum) *vel voluntas & benigni mores.* Philo, etiam de Diaconis agens, ut heic Apostolus, *Ὑπηρετοῦσι τὰς διακονικὰς χρείας οἱ νέοι, τῶν ἐν τῷ συστήματι μετὰ πάσης ἐπιμελείας ἀριστίνδην ἐπικριθέντες.*

Ibid. *ἀνέγκλητοι ὄντες*] Ignatius, itidem de Diaconis loquens, epistolâ ad Trallianos, *Δέον αὐτοὺς τὰ ἐγκλήματα ὡς πῦρ φυλάσσεσθαι.* Glossarium, *Ἀνέγκλητος*, *inaccusabilis.* Vulgat. *nullum crimen habentes:* id est, *criminationem.* Idem Glossarium, *Ἔγκλησις*, *criminatio, incusatio.* De seipso Apulejus lib. 3. *Nè tantillo unquam crimine postulatus, sed probè apud meos spectatus.* Talis apud Horatium,

——— *Sine crimine notus.*

Recentior, *inculpati.* Ità Gellii 14. 1. *vir vita inculpatissima:* in lib. 3. ff. de testibus, *honesta & inculpata vita:* &, *mores inculpabiles*, in Avieni Arateis.

11. *Γυναῖκας ὡσαύτως σεμνὰς*] Hesychius, *Σεμνή, τιμία, σώφρων.* Interpres vetus heic, *pudicas:* Recentior, *honestas:* malim (ut & suprà com. 8.) *graves.* Ità, *gravem fœminam* Apulejus in Apologia dixit. D. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem, *Obstupuit sancta & gravis fœmina:* & ibidem, *Ridere, &c. secularibus relinque; gravitas tuam personam decet.*

Ibid. *μὴ διαβόλους*] Repete ex præcedentibus *γυναῖκας* quam vocem Chrysostomus & Theophylactus *diaconissas* exposuere; quia nempe Apostolus jam egerat de hominibus *διακόνοις*. Polycarpus in Epistola ad Philippenses, *Τὰς χήρας*, &c. *μακρὰν οὔσας πάσης διαβολῆς, καταλαλιᾶς*, &c. Vide infrà 5. 13.

Ibid. *πιστὰς ἐν πᾶσιν*] *In omnibus fidas.* Firmicus 2. 33. ad Lollianum suum, *Da operam ut in omnibus actibus fides tua incorrupta permaneat.* Sic Tit. 2. 10. *ἐν πᾶσιν εὐαρέστους.* De locutione *ἐν πᾶσιν* infrà ad 4. 15. dicemus.

12. *μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες*] De Clericis Isidorus Offic. Ecclesiast. 2. 2. *Castimoniam inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certe unius matrimonii vinculo fœderentur.* Minucius in Octavio, *Cupiditate procreandi aut unam scimus, aut nullam.* Vide suprà com. 2.

13. *Οἱ γὰρ καλῶς διακονήσαντες βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται*] Ad presbyteratum sibi gradum struunt. In voce *βαθμὸν* alludit ad secularem militiam. Hadrianus Imp. in sententiis excus. cum Glossariis, *Ἐὰν καλὸς στρατιώτης γένῃ, τρίτῳ βαθμῷ δυνήσῃ εἰς πραιτώριον μεταβῆναι.* Servius ad Æn. 9. *Ex numero militum gradus dignitatis apparet.* In vetere Inscriptione, *Per gradus clarissimæ militiæ ad columen gloriæ sempiternæ, &c. evectus.* In Glossis, *Gradus*, *βαθμός, βῆμα.*

Ibid. *καὶ πολλὴν παῤῥησίαν*, &c.] Vulgat. *gradum bonum sibi acquirunt, & fiduciam magnam*, &c. id est, ut puto, fidenter (vel cum fiducia) sperare possunt altioris gradûs ministerium. Ità Scriptor Tobiæ 4. 12. (at metonymiâ effectûs pro causa positâ) de eleemosyna loquens, *Fiducia magna erit coram summo Deo.*

14. *Ταῦτά σοι γράφω*] Subaudi, *aliquantò restrictiùs.*

Ibid. *ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον*] Quia spero me brevi futurum

turum tecum, *καὶ τὰ λοιπὰ* (ut 1 Cor. 11. 34 loquitur) *ὡς ἂν ἔλθω διατάττεσθαι.* Locutionem autem hujus loci habemus 2 Joh. com. 12. & 3 Joh. com. 14. Vide & Philipp. 2. 24.

15. Ἐὰν δὲ βραδύνω] Si quid intervenerit autem quod me citò affore prohibuerit. In Glossis, *Βραδύνω, tardo, moror,* &c.

Ibid. *ἐν οἴκῳ θεοῦ*] Id est, Ecclesiâ, ut mox subdit. Sic 1 Pet. 4. 17. Vide & Hebr. 3. 6.

Ibid. *στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*] *Columna & firmamentum*, &c. Sic *solum & firmamentum*, Seneca Controv. 2. 7. Vel, *στῦλος καὶ ἑδραίωμα*, pro *στῦλος ἑδραῖος.* Irenæus 3. 40. *Prædicationem verò Ecclesiæ undique constantem, & æqualiter perseverantem: testimonium habentem à Prophetis, & ab Apostolis, & ab omnibus discipulis.* D. Augustinus in Psal. 77. *Quis fidelium dubitet, Ecclesiam, etsi aliis abeuntibus, aliis venientibus, ex hac vita mortali transit, tamen in æternum esse fundatam?* Bene autem veritati tribuitur firmamentum. Cicero in pro Cluentio, *Parum firmamenti, &c. falsitas habet.*

16. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ, &c.] Plutarchus in Agesilao, Καὶ μέγιστος μὲν ἦν ὁμολογουμένως. Glossæ, Ὁμολογουμένως, *sanè, verò, confessò.*

Ibid. *μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον*] Id est, ut Marc. 4. 11. *τὸ τῆς θεοῦ βασιλείας μυστήριον.* Chrysologus. Serm. 52. ad ea, NATUS EX MARIA VIRGINE, (quod Apostolo heic, *ἐν σαρκὶ φανεροῦσθαι*) *Videatur hoc perfidis vile, magnum est credentibus sacramentum.* D. Augustinus in Psal. 109. *Mirabile mysterium Christi*, &c. *occultatum est ut crederetur; substractum, ut speraretur.* Μέγα μυστήριον heic, ut & Ephes. 5. 32. Vide & 1 Cor. 15. 51.

Ibid. *θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ*] Lectionem istam amplectendam putamus, non, *ὃ ἐφανερώθη.* Joh. 1. 14. de Eodem, *ἐγένετο σάρξ.* Φανεροῦσθαι ἐν σαρκὶ heic, est quod 2 Joh. com. 7. de Eodem, *ἐν σαρκὶ ἔρχεσθαι* & Rom. 8. 3. *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς πέμπεσθαι.* Vide & Hebr. 2. 14. Clemens Pædag. 1. 5. Ἡ σὰρξ δι' ἧς πεφανέρωται. Hippolytus lib. de Antichristo, Ὤφθη, &c. *διὰ σαρκός.* Ignatius ad Ephes. *Θεοῦ ἀνθρωπίνως πεφανερωμένου.* In Ejusdem quæ dicitur epistola ad Polycarpum, *τὸν ἀόρατον τῇ φύσει, ὁρατὸν ἐν σαρκί.* Ἐφανερώθη in carne manifestatus est, *in terra per carnem diversabatur*, ut ad Luc. 10 Euthymius locutus. Idem ad Luc. 15. illud ACCENDIT LUCERNAM, *Ostendit in mundo suam carnem*, &c. Lactantius 4. 26. *Corporatus est, & veste carnis indutus.* Tertullianus adversùs Praxeam, *Manifestatur, & videtur & contrectatur per carnem.* Irenæus 4. 74. *Venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo illum nos videre poteramus.* Fulgentius contrà fastidiosi sermonem, *Accepit carnem ut posset corporeis oculis videri, &c. & per illam Divinitatis quoque suæ notitiam misericorditer infunderet.*

Ibid. *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι*] Hoc est, à Dei Spiritu. *ἐν* heic est *διά.* Justificabatur autem (id est, justo elogio decorabatur) quando *πνεῦμα θεοῦ καταβαῖνον καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτὸν, ἔλεγεν, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου*, &c. In secunda quæ dicitur Petri, 1. 17. *τιμὴν καὶ δόξαν παρὰ θεοῦ λαβὼν*, eodem argumento habemus. Hunc puto Apostoli sensum esse, quem & subinnuit Sedulius.

Ibid. *ὤφθη ἀγγέλοις*] Vulgat. *apparuit.* Itaque Glossarii ea, *Apparuit, ὤφθη*, videntur ad hunc locum spectare: nec fortè minùs Hesychii illa, Ὤφθη, ὡράθη, ἐθεάθη. Ἀγγέλοις est, *στρατιᾶς οὐρανίου πλήθει*, Luc. 2. 11. in materia ista. *Apparuit* autem ità heic intellige, ut & veneratione coleretur. Euthymius ad ipsius Christi ea Joh. 17. GLORIFICAVI TE SUPER TERRAM: *Nam in cælo glorificatus fuerat, ex natura habens gloriam, & ab Angelis adoratus.*

Ibid. *ἀνελήφθη*] Quod Actor. 1. 14. *ἐπήρθη* Luc. 24. 51. *ἀνεφέρετο.* De Enocho vel Elia Sirachides, *ἀπὸ τῆς γῆς ἀνελήφθη.*

JAC. GOTHOFREDI
SACRÆ
EXERCITATIONES
DUÆ,

De ECCLESIA, deque INCARNATIONE CHRISTI, ad Illustrationem D. PAULI, I. ad TIM. Cap. 3. vers. 15, & 16.

Nobilissimis & Amplissimis Viris, Dominis

ISAACO GALLATINO, PETRO LULLINO,

CONSULIBUS MERITISSIMIS,

JAC. GOTHOFREDUS S.

SOlemne mihi est, Consules Amplissimi, iidemque Collegæ amantissimi, amicos potissimùm deligere quibus meos, si qui in publicum exeant, libellos nuncupem, sincero meroque tantùm affectu, remunerandæque vel ità fidei eorum atque amicitiæ. Id enim malo quàm quod nonnulli, qui suorum ideo promiscuè scriptorum, ac sæpe rhapsodiarum, frontem seu vestibula de potentiorum titulis nominibusque convestiunt muniuntve, ut ità Regale numisma aliquod emungant, ut murænulas, tesserulas, ut vasa auri atque argenti pocillaque ferant. Ab his divortium egisse me dudum scripta mea fidem abunde faciunt. Quare & ad Vos quoque nunc ire libuit, quîs hanc operam dicarem meam, velut de me optimè constantissimeque meritos, contestandæque ad hæc publicè summæ huic quæ nobis in Republ. administranda intercedit animorum concordiæ. Quo profectò nomine Consulatum hunc nostrum, quo Quartùm jam unà fungimur illæsâ semper pietate,

 ceteri

censeri novimus. Quod utique sicut rarum ità præstabile maximè in Republica, ubi videlicet qui rerum actui jurique dicundo præsunt, *pari honoris potestatisque consortio prædit* (quod Cyprianus alia in re dixit) submota æmulatione omni, in commune consulunt, remumque unà ducunt concinuntque: Contrà, exitiale, si quod aliud, pestiferumque, sicubi aut innatâ ferociâ, aut præposterà ambitione, aut vincendi tantùm libidine, mutuò dissident, aliique alios cubito pellunt: sic enim facillimè, scissis semel in contraria studiis, summa res pessimo publico destituitur. Neque hanc etiam testimonii vestram in rem dicendi propalàm occasionem defugere nunc debui, quod & summa cum laude vestra posteritati, ni fallor, commendabitur, ità scilicet agere vos gerereque isthoc dignitatis Administrationisque fastigio, itaque contentis operis conjunctisque studiis adniti Vos efficereque, uti (quo concinnius nil post Apostolum dici potest) *tranquillam honestamque vitam* publicè-privatim quisque eorum agat qui curæ nostræ commendati sunt. Quod materiem ipsam attinet, haud benignior ea, neque dotibus votisque vestris convenientior sub manum sese dare potuit quàm hæc ipsa. Est enim ea è Verbo Divino deprompta, quod *supra favum omnem melque omne exsistit, supraque aurum & obryzum.* Est & ea de *Veritate Pietate*que, quæ & ipsæ Judicum dotes sunt, Vestra certè sunt ornamenta. Est denique solemnis hic & olim hodieque locus, quem vindicari à sacrilega multorum manu, qui eo etiamnum abutuntur, sinceræ fidei religionisque, cujus Vos studiosissimi, cum maximè interest. Vindicari cæterùm haud meliùs potest quàm si eum

Nocturnâ versare manu, versare diurnâ

aliis post alios placeat. Hæ enim sunt S. Scripturæ opes, nondum omnes, quod iners vulgus credit, consumptæ, verum inexhaustæ, *sicut mare, verbaque ejus altiora abysso*: quæ quo teruntur magis, introspectæ novos præstant intellectus, animoque subactæ majorem sui excitant amorem, & fragrantiorem spargunt, *velut fusus alabaster*, odorem: *Solis* denique *instar radios porrigunt quàm latissime*: si modo, nam hæc bonæ mentis, eoque quod dixi perveniendi, arcana sunt & *mysteria*, juxta veræ pietatis intentionem, *Spiritûs*que Divini afflatum, accedat hinc (ut proprio verbo utar) ἐπίςασις, non desultoria, inquam, levitas & curiositas, verum accurata enixaque animi intentio & meditatio, indè verò liberalium artium meliorumque literarum cognitio; quas & hîc nemo spreverit nisi idem ille de trivio Theologaster. Memorare possem celeberrimos hâc ætate viros quibus id negotii felicissime, iis quæ modo memoravi instrumentis artibusque succinctis, processit, nisi ipsi sese affatim ostenderent. Quid hanc in partem ipse nunc præstiterim, Vos quoque Judices ferre libet; certus, æquissimos: Quos & pronis animis hoc quicquid à me proficiscitur accepto laturos persuasum habeo: rogare enim vos ultrà mores vestri candidi non sustinent. Deum ipse oro, Viri Nobilissimi Collegæque certissimi, uti Vos, præclara hujus Urbis Patriæque charissimæ nomina, utilissimosque Reipublicæ viros, multis annis salvos & incolumes velit.

Dab. Kal. Juliis anno 1649.

PRIOR EXERCITATIO, DE ECCLESIA DEI:

UBI

Προθεωρίαι quædam præmittuntur utrique Exercitationi communes.

QUantum ad demonstrandam Christianæ religionis veritatem momenti adferant externæ seu seculi disciplinæ, *τὰ ἔξωθεν μαθήματα*, ostenderunt jam olim Christiani scriptores quamplurimi, inque his vel præcipuè Eusebius Cæsariensis; demonstrarunt deinceps peculiari & ipsi opere ut superiore ità & hâc ætate præclari scriptores nonnulli. Quantum retro ad convellendam Gentilitiam superstitionem fictasque Gentilium fabulas profligandas præsidii eorundem ex scriptis hauriri possit, commonstrarunt jam olim iidem veteris Ecclesiæ Patres; sensit & agnovit eximiè Julianus Apostata, qui ideo Gentilium doctrinâ Christianis interdictum voluit. Quantum denique ad genuinum & secretiorem Verbi Divini intellectum, resque Divinas pro dignitate tractandas vel explicandas, bonarum literarum studia seu Ἑλληνικαὶ χρηστομαθεῖαι conferant adjumentoque esse possint, professi dudum sunt Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum; Origenes, Eusebio teste; Basilius, Orat. ad Nepot. Nazianzenus, ad Basilium; Augustinus, 2. De doctrina Christ. c. 40. Hieronymus, adversus Rufinum, Epist. ad Magnum. Idque deinceps clarissimi dudum viri fecere palàm, faciuntque in dies magis magisque celeberrimi hâc ætate scriptores: Non equidem quasi ad summam fidei seu ad dogmaticam de fide partem quidquam indè accedere possit; quæ profectò tam clara tam & perspicua cunctorum oculis hodie exposita est ut ad summum pervenisse dici possit; verùm ad τὸ βάθος τῆς διανοίας, ad penitiorem scil. tantùm abstrusamque verborum & sententiarum ἐξήγησιν, explanationem seu interpretationem atque illustrationem, σαφήνειαν καὶ φανέρωσιν, quibus oppidò multum decedere lucis necesse est ubi meliorum literarum cognitio abest. Ea quippe involucris sæpe operta, idiomatis scatens, Metaphoris seu translationibus ornata, allusionibus tacitisque antithesibus referta, temporum & locorum denique rationi apta, aliunde seu ἀπὸ τῶν ἔξωθεν necessariò lucem desiderant. Ut omittam egregium sæpe Ethnicæ & Mosaicæ Christianæque circa religionem, pietatem & Divinitatem Philosophiæ concentum, quo de exstant peculiares tractatus. Similia item Græcorum & Romanorum dicta quæ cum iis quæ Verbo Divino continentur contendere seu committere, externâque adeò disciplinâ sapientiâque Divinam veritatem περιβεβλῆσθαι, ceu frondibus, quæ fructum obumbrent, aspectuque suo delectent, oppidò suave est: quam in rem est & Basilii ὁμιλία πρὸς νέους, ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφέλοιντο λόγων, *quomodo juvenes cum fructu Græcorum libros legere possint.* Si quæ verò S. Scripturæ pars hunc sive παραλληλισμὸν sive ἀντιπαράθεσιν efflagitat, efflagitant cùm maximè sublimissimæ D. Pau-

li Epi-

ß Epistolæ, ubi illa quæ dixi passim occurrunt, veluti qui seculi disciplinis apprime imbutus instructusque erat, & ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν noverat: quod de Tarsensibus alioquin in commune prædicat Strabo lib. 14. pag. 463. Cujusmodi quamplurima hactenus illustrata reperias, tum apud alios, tum apud eos qui de Agonisticis, Circensibus, Spectaculis, Gymnasticis, Coronis, Gladiatoribus, de re Militari, Vestiaria, similibusque ex professo commentati sunt; ut & ab iis qui Jura Legesque Romanas Græcalve feliciter interpretati sunt, deque Forensibus & Processu judiciario egêre. Reperias & nonnulla apud eos sparsa qui scriptis suis atque Observationibus ex Antiquitatis cognitione lucem Paulinis Epistolis dictisque intulere; vel etiam qui Commentarios, Exercitationes, Notas ad utriusque vel alterutrius Fœderis libros haud ità pridem etiam edidere. Neque dum tamen materies hæc omnis, ut opinor, exhausta, silvaque omnis hæc excisa est, sic ut reliqui nihil deinceps ad spicilegium postfuturis superiorum diligentia vel industria fecerit. Imo enim illustris alios inter superest D. Pauli locus Priore ad Timotheum Epistolâ, capite tertio extremo, qui, meo quidem judicio, vel maximè illustrationem ex Antiquitatis penu desiderat & meretur. Est enim is nobilissimus argumento, utpote quo agatur de duobus summis Christianæ Religionis capitibus; quorum prius est de *Ecclesia Dei*, ejusque dignitate seu majestate; alterum de *Mysterio pietatis*, seu de Incarnatione Christi, περὶ Θεοῦ ἐνσαρκώσεως, ἐνανθρωπήσεως καὶ οἰκονομίας ὑπὲρ ἡμῶν. Quâ parte etiam non illustrior alter de Christo θεανθρώπῳ, deque duabus unam eandemque in Personam naturis concurrentibus seu compactis, earumque unione hypostatica, neque revincendis innumeris hæresibus opportunior alter occurrit. Et vexatissimus tamen is locus est, & jam olim quoque alicubi corruptâ lectione defœdatus, vel vitiosâ hodie interpunctione non uno loco deturpatus. Est ubi is stante quam libèt receptâ lectione, vel interpunctione, alienum in sensum torquetur, pravâque interpretatione donatur, vel etiam violentâ in arctum redigitur. Est ubi nexus ejus, filumque adeò orationis, magno sensûs ipsius damno dissluitur. Quæ procul abessent omnia, imò nitescerent omnia, si meliores humanioresque literæ in consilium conciliumve luminis adhibitæ fuissent. Id quod facere nos, propitio Numine, nunc instituimus; breviter tamen, sic ut singula in præsenti signasse magis quàm copiosè tractare (quod potioribus aliis feliciùs processurum fateor) animus sit. Quod quidem cœpto non magis quàm aliis ad similem metam sudantibus, præsertim à Theologica professione semoto mihi, objiciat quis, quasi profana sacris ità misceam, eoque urgeat me decreto Hasmonæorum temporibus facto, *Maledictus qui docet filium Philosophiam Græcam*, vel etiam Theopompi aut Theodectæ facto, quod memorat Josephus lib. 12. Antiquit. Judaic. cap. 12. me prægravet. Illi enim S. Scripturam commentariis suis profano pravoque fine miscere ausi annisique, nos contrà S. Scripturæ velut heræ dominæque exoticas Gentilium disciplinas tanquam ancillas famulasque admovemus; ut ità inanibus ritibus Veritati perpetuâ ἀντιθέσει oppositis, contraria contrariis opposita magis illucescant. Nam, ut eadem in re Clemens Alexandrinus 1. Stromat. p. 104. συναφῇ τῶν δογμάτων διὰ τῆς ἀντιπαραθέσεως τὴν ἀλήθειαν μνηστεύεται. Quod omnino D. Pauli hic institutum fuit. Locus hic est.

14. Ταῦτά σοι γράφω, ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον.
15. Ἐὰν δὲ βραδύνω, ἵνα εἰδῇς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ΕΚΚΛΗΣΙ´Α Θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.
16. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας ΜΥΣΤΗΡΙΟΝ· Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ.
14. *Hæc tibi scribo, sperans me ad te brevi venturum.*
15. *Sin moram fecero, uti noris quomodo conversari in domo Dei oporteat quæ est ECCLESIA Dei viventis, columna firmamque sustentaculum veritatis.*
16. *Sicut & magnum citra controversiam est pietatis MYSTERIUM: Deus scil. apparuit in carne, plenè probatus in Spiritu, visus ab Angelis, prædicatus Gentibus, creditus in mundo, sursum adsumptus in gloria.*

Commodam seu genuinam hujus loci interpretationem uti præstare possimus, id primo omnium loco observandum venit, hanc esse veluti superiorum clausulam & αἰτιολογίαν. Enimvero ibi Apostolus Episcoporum, Diaconorum, & sic οἰκονόμων τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ, Ecclesiæque adeò Præpositorum officium variis canonibus monitisque instruxerat, vivumque adeò characterem eorum expresserat, tandem ἀναστροφὴν seu *conversationem* moresque eorum informaverat, quomodo, inquam, ii, quibusque dotibus accincti, ἀναστρέφεσθαι in Ecclesia deberent: ἀναστρέφεσθαι: i. e. *versari*, *agereque* & *administrare*, Ecclesiamque etiam adornare, quomodo auctor Commentarii sub Ambrosii nomine istud accepit. Quâ alioquin voce etiam utitur idem Paulus 2 Corinth. 1. 12. Eph. 2. 3. Heb. 10. 33. & 13. 18. Petrus etiam 1. 1. 17. & 2. 2. 8. ut & ἀναστροφῆς non uno loco pro *conversatione vitaque genere* seu *ratione modoque inter homines*. Post hæc igitur jam consilii sui factique superiùs rationem reddit Apostolus; nempe superiora ideo scripsisse se (nullâ ἐλλείψει, quod quidam hic censent, quasi subintelligendum sit *breviter*, vel tale quid) non quòd non speraret se ad ipsum venturum, imò contrà hanc veluti metatoriam Epistolam & monitorium velut edictum præmittere se, ut ità vel Timotheum solaretur, nè alioquin ex diuturniore Pauli absentia ἀθυμίας, i. e. *mœroris*, aliquid contraheret; vel nè Timotheus aut Ephesini ipsi absente se securius agerent vel insolescerent (ut aliorum quoque quàm Timothei causâ scriptam hanc Epistolam viri docti rectè conjiciunt) ὑπὲρ τοῦ διεγεῖραι αὐτοὺς καὶ ποιῆσαι σπουδαιοτέρους· ἡ γὰρ παρουσία αὐτοῦ, καὶ ἐπαγγελλομένη, μεγάλα ἐδύνατο, inquit Chrysostomus: quomodo & idem rursum Apostolus capite proximo Timotheum hortatur ut *interim dum veniret*, *attenderet lectioni*, *exhortationi & doctrinæ*; ἕως ἔρχομαι πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει, τῇ διδασκαλίᾳ. Sed & si quo casu spem præter moram aliquam faceret ulteriorem, vel etiam omnino non veniret, si quid intercederet, ex iis affatim quæ scripsisset præceptis, mandatis intelligeret quonam Ecclesiæ Ephesinæ pacto Rectoribus, Ministris, sive ipsi Timotheo (quo fine nonnulli vocem σὲ hic supplent) sive aliis, de quibus modò egerat, etiam Diaconis, in Ecclesia Dei conversandum seu agendum esset. Post hæc jam subjicit Apostolus duas superiùs dictorum de Episcoporum Diaconorumque officio seu legitima probabilique ἀναστροφῇ ἐν οἴκῳ Θεοῦ rationes: Quarum prior desumpta est ab *Ecclesia* cui operam locarent dignitate; ἥτις ἐστὶν, inquit: ubi ἥτις, ut passim alibi, pro *quia*, effectu ipso, positum est: est enim tacita hæc αἰτιολογία. Posterior respicit subjectæ materiæ majestatem; *Mysterium*, inquam, quod ibi celebratur, illisque creditum est. Quo utroque efficacius nil ad Sacerdotum, Episcopi, inquam, Diaconive officium excitandum, quàm si commoneantur illi [illegible]riò, cui quamque potenti Domino dominentur, quamque gravi rei locoque ministerium præstent. Hieronymus certè, simili quoque fine, lib. 2. Adv. Jovinianum, scribit, Platonem & Stoicos in templorum locis & porticibus ideo versatos ut augustioris habitaculi sanctitate admoniti nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent: Idemque subjicit ex Chæremone Stoico, antiquos Ægypti Sacerdotes, omnibus mundi negotiis curisque sepositis, semper in templo fuisse. Et istud quidem hactenus Paulinæ orationis filum est, hæc ἀλληλουχία, συνέχεια, ἀκολουθία, hæc series hic nexus: de quo postea adhuc aliquid initio posterioris περιοχῆς seu Exercitationis.

Secundò, προθεωρίας vice dispiciendum venit, quod utique non nudæ curiositatis negotium est, verùm pernosse id ad hujus loci intellectum plurimùm facit, Ubinam locorum seu unde Apostolus hanc Epistolam scripserit miseritque; & retrò, Quo eam destinarit, seu ubi Timotheus tum constiterit. De hoc posteriore ambigere nos non sinit Apostolus, cùm in ingressu statim hujus Epistolæ ait, *sicuti te hortatus sum* (vel, ut alii, *precatus*) *ut maneres Ephesi*, προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. De priore ambigitur. Vulgata ὑπογραφὴ seu *subscriptio* & adnotatio Græca, ut & Syrus Interpres, habent *scriptam*, hanc Epistolam *Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ*. Eamque sententiam tandem amplecti videatur Theodoretus sine Commentarii sui ad eam, nisi id potiùs aliunde ibi additum fuerit. Verùm, ut adnotationes omnes post finem Epistolarum nec antiquæ sunt, nec in omnibus libris reperiuntur, neque in quibus reperiuntur eædem sunt, ut notatum viris doctis; ità istud nominatim refutatum jam rectè, hoc potissimùm argumento, quòd D. Paulus hoc tempore Laodiceam non pervenisse se ipsemet testatur Epistolâ ad Colossenses 2. 1. quæ hâc liquidò posterior est. Quin & eo hujus subscriptionibus fides convellitur, quòd *Phrygia Pacatiana* nomen posteriùs multò innotuit. Sunt qui credant eam in vinculis scriptam: quod doctiss. Lud. Cappellus rectè refutavit. Alii censent in Macedonia scriptam, quod & Manuscripti nonnulli præferunt, ut & Athanasii Synopsis, & Theodoretus initio Commentarii. Eamque sententiam probavit quoque Baronius in Annal. anno Domini 57. n. 187. aliique multi, etiam Grotius, ut videtur: quæ tamen apertissimè confutatur vel superioribus illis quæ modò ex initio hujus Epistolæ consignavi verbis, quibus omnino palàm fit Paulum in Macedonia hoc tempore

tempore ampliùs non constitisse, & his quidem verbis πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, quæ utique verba in Macedonia consistenti necquicquam conveniunt; imò rem jam aliquamdiu exactam demonstrant. Interpres igitur vetustissimus Arabs hanc Epistolam scriptam præfert ATHENIS: Et hæc quidem sententia ut verissima ità jam complacita est viris doctissimis nonnullis. Quomodo & ibidem utraque ad Thessalonicenses scripta dicitur in earum adnotatione: quanquam de priore ambigunt nonnulli, quicquid vulgata ejus subscriptio præferat. Atque ità simul de Tempore quando hæc Epistola scripta fuerit liquet, nempe, cùm Paulus Macedoniâ peragratâ in Græciam seu Achajam venisset, Act. 17. 14, 15. Cujus rei notitia quàm minimè περιττῆς περιεργίας *inanis curiositatis* sit, quàm minimè περίεργος πόνος *inanis labor*, ostendit Chrysostomus proœmio Epist. ad Romanos; ut omittam similia ejusdem loca alibi jam à me notata.

Duobus his ità præcognitis, tertio jam loco tenendum est, quod quidem etiam potissimum hic mysterium seu arcanum intercedit, sicut aliis scriptoribus moris fuit eas partim voces usurpare, ad ea partim alludere tangereque quæ in medio posita seu exposita ipsorum oculis essent & inter quæ quotidie versarentur, ità & Christum ipsum plurima ex medio vulgi sermone rebusque humanis ad Divina transtulisse, & D. Paulum quoque (ut omittam quod Hieronymus notavit Epist. ad Algasiam, q. 10. eum multis verbis juxta morem urbis & provinciæ suæ, Tarsi & Ciliciæ, familiariùs usum) in Græcia constitutum scriptis suis non tantùm voces Græcæ superstitionis meliores in usus transtulisse, sed ad ea quoque respexisse passim allusisseque quæ ibi locorum & vel maximè celebrarentur, agitarentur tractarenturque ubi ipse moraretur, vel ii ad quos ipse scriberet consisterent. Ac nominatim ad mores ritusve & narrationes traditionesque Gentilicias passim allusit D. Paulus, ipse Doctor Gentium; ut ità translatis inde allusionibus tacitisque antithesibus, quasi in re præsenti, arcana fidei Christianæ simul & legitimæ conversationis, τῆς ἀναστροφῆς, oculis fidelium qui è Gentilibus ad Christianam fidem accesserant, ut erant Athenienses & Ephesii, subjiceret; vel etiam ut à pravis moribus ritibusque falsisque narrationibus fabulisque ad Veritatem seu ad verum cultum Dei, mysteriumque pietatis & Euangelii, mores denique sanctiores Gentiles ità ψυχαγωγίᾳ quadam traduceret. Quo haud absimili facto fineque idem Apostolus inscriptionem in iisdem Athenis fortuito oblatam arte torsit in argumentum fidei, atque ex ara IGNOTO DEO inscriptâ (cujus ipsius *Ignoti Dei* Athenis meminit autor Philopatridos inter Luciani scripta, imò & plurium ararum Diis Ignotis positarum meminit Pausanias, non uno loco, veluti libro Atticorum p. 1. & Eliacor. 1. pag. 162.) occasionem sumpsit verum Deum prædicandi Atheniensibus. Hujus denique moris plenæ sunt Pauli Epistolæ, in quibus etiam cum multa δυσνόητα credantur, plurima certè ex his lucem accipiunt. Ad hunc igitur characterem modumque factus est hic & vel maximè locutus integer: quod quidem à nemine hactenus, quod sciam, animadversum est vel notatum. Eo quippe Apostolus perpetuâ allusione tacitâque ἀντιθέσει non promiscuè tantùm ad Templa Gentilium quæ per Græciam Asiamque erant, *Mysteria*que & τελετὰς Deorum locis illis celebrari solita allusit respexitque, verùm ῥητῶς hinc ad Templum Eleusinum in Attica, ubi Paulus tum, ut dixi, consistebat, sive Ephesinæ urbis, qua in urbe Timotheus tum agebat, indè ad *Mysteria* seu τελετὰς Orgiaque quæ ibi celebrabantur: Quæ quidem etiam sive Templa sive Mysteria toto Orbe augustissima habebantur. De Templi Ephesini, quod inter mundi miracula censebatur, σεμνότητι, μεγαλειότητι res nota est: de quo scripserant etiam olim libros peculiares Democritus, Heraclitus Ephesii, ut & Ctesiphon & Metagenes, teste Vitruvio, Athenæo, Laertio: adde Nicagoram, Philostratum, Mucianum. De Eleusinii Templi majestate, deque mysteriis Eleusiniis, de quibus olim Melanthius commentatus fuerat, teste Athenæo lib. 7. pag. 325. neque ità dudum laboris inexhausti Johannes Meursius, sanctissimis, augustissimis inter Gentiles, vide nunc vel Ciceronem l. 1. De natura Deorum: postea enim pleniùs. Ergò, sicut in superioribus D. Paulus nonnulla Episcoporum officia, ut & Diaconorum, descripserat à mysteriis Eleusiniis diversa, veluti inter cætera circa conjugium (quà utique parte diversi erant ἱεροφάντας, qui castimoniam vovebant, & ideo cicutæ liquore se ungebant, vel sorbitione è cicuta utebantur: de quo Pausanias in Corinth. vetus Persii Scholiastes ad Satyram 5. Hieronymus Contra Jovin. lib. 1. & ad Geruntiam De monogamia) ità & hoc loco D. Paulus [illegible], quam dixi, occasione, legitimæ, inquam, ἀναστροφῆς seu *conversationis* Episcoporum & Diaconorum Ecclesiæ Dei mysteriisque Christianis deservientium, Ecclesiæ Dei μεγαλειότητα repræsentarus, ut & mysteriorum seu arcanorum fidei Christianæ majestatem, continuâ allusione tacitâque ἀντιθέσει ad ea quæ dixi Templa Mysteriaque respexit: ac priore nominatim περιοχῇ ad Templum Eleusinium; posteriore, ad Mysteria Eleusinia, quæ Eleusine celebrabantur, uno è centum septuaginta quatuor Atticæ δήμοις seu *populis*: Pariter, ut Gentiles ipsi scriptores Eleusinen seu Eleusin ab his duobus, à Templo, inquam, & à Mysteriis, commendare soliti; in quis Aristides Atheniensis Orator, oratione Eleusiniâ. Et certè ità fermè evenit ut Templorum & Mysteriorum quæ in his agitantur commendatio non possit non esse conjuncta: quomodo & hic Apostolus utrumque junctim, *Ecclesiam Dei & mysterium pietatis*, egregio vinculo (quod omnes hactenus latuit) commendat (quo de pleniùs in ingressu posterioris Periochæ) Gentilitiam videlicet hinc in illis superstitionem & vanitatem proscribens, indè sanctitatem & veritatem Christianæ religionis demonstrans. Ut hæc proinde quædam sit προπαρασκευὴ ἀναγγελική, simul & ἀπόδειξις.

Primo igitur loco seu primâ Periochè D. Paulus agit de *Templo Dei*, ejusque μεγαλειότητι, σεμνότητι, *majestate*, *veneratione*: Quomodo & Aristides, ut dixi, Templi Eleusinii majestatem Oratione suâ multis effert: & in commune Gentiles Templis suis gloriabantur, quæ cùm Christiani despuerent, Domum Dei & Ecclesiam Christi his opponebant. Quod hoc loco præstat Apostolus, quatuor de ea prædicatis: Nam & οἶκον Θεοῦ *Dei ædem* indigetat, & ἐκκλησίαν nuncupat, & quidem, quod tertium, Θεοῦ ζῶντος ἐκκλησίαν *Dei viventis Ecclesiam*, postremùm στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας *columnam & firmam sedem & sustentaculum veritatis* vocat. Quæ quidem ipsa alioquin sunt quibus fermè Gentiles Deorum Templa commendabant, & Eleusinii Ephesiique sua speciatim.

Initio igitur vocat Apostolus οἶκον Θεοῦ *Ædem Dei*. Quæ quidem appellatio cùm alibi sæpe occurrat allusione proculdubio ad Templum Hierosolymitanum, hoc loco ei non opponitur (quod tamen hactenus omnes fermè censent) verùm Ædibus seu Templis Gentilium seu Græcorum, quibus ii potissimùm: ut modò dixi, gloriabantur, Quâ ipsâ ἀντιθέσει idem D. Paulus utitur 2 Cor. 6. τίς συγκατάθεσις ναῷ Θεοῦ μετὰ εἰδώλων; Quod quidem Interpretes si semel in animum induxissent suum, allodi scil. hic ad Templa Gentilium, cætera quoque quæ deinceps sequuntur eodem spectare vidissent, atque ità de eorum sensu minùs adlaborassent. Prima hæc, inquam, nominis ad Templa Gentilium hic allusio est. Ità scil. apud Ethnicos pariter Templa Deorum οἶκοι Θεῶν, seu Oeci passim dicebantur. Videndus vel Herodotus non uno loco, Hesychius in v. Ναός. Et quidem οἶκος propriè *cella*, seu *sacellum*, *delubrum*, *sacrarium Dei*, ubi Imago ejus stabat; quomodo & aliàs idem Hesychius οἶκον, ὀλίγην οἰκίαν explicat (Quomodo & specialiter quoque κατ' ἐξοχὴν *domus Dei* vocabatur locus sanctissimus Templi Hierosolymitani, quod *Sanctuarium* dicebatur, 1 Reg. 8. 64. 2 Chron. 7. 7. nempe quia ibi erat Arca, symbolum Dei præsentiæ. Eodemque nomine à Judæis vocatur S. Scriptura *ædes Dei* seu *sanctuarium*.) Nominatim verò D. Paulus istud oppositum voluit templo cellæque Dianæ Ephesinæ, de quo οἶκῳ Aristophanes quoque; ac maximè Cereris Eleusiniæ. Templum certè vel sacellum, delubrum, Eleusinium, in quo mysteria agitabantur, dicitur οἶκος Aristidi in Orat. Eleusinia, οἶκος μυστικὸς Dioni Chrysostomo Orat. 12. ut & οἴκημα ibidem, ut & Ariano in Epictetum lib. 3. cap. 21. μυστοδόκος δόμος Aristophani in Nubibus, μυστικὸς σηκὸς Straboni lib. 9. Ergò hisce fabulosorum Deorum templis οἴκοις que οἶκον Θεοῦ opponit hic D. Paulus, & sic unius singularisque Dei οἶκον, non ut Gentilium οἶκοι variis Numinibus dicati erant: eò quidem etiam ut pluribus quandoque Diis una eademque ædes, unum idemque delubrum, sacrarium, fanum, cella dicata forent, Diique adeò plures ὁμόβωμοι essent, veluti Ceres & Proserpina, Eleusine; Vid. Hesychium in Ὁμόβωμος· Apollo & Mercurius, Pausanias, Eliacor. 1. pag 162. Apollo & Diana, Achaicor. pag. 230. aliique multi. Quinimo & omnibus Diis commune alicubi Pantheon erat: cujusmodi etiam κοινὰ ἱερὰ (nè de aliis nunc dicam) per Græciam memorat Pausanias, veluti Athenis, Corinthi, alibi.

Secundo, nè singularem quis hic ædem cellamve aut delubrum sacrariumve, vel etiam Dei alicujus fabulosi, aut congeriem tantum non lapidum, vel χειροποίητον ναὸν sibi fingeret, ut erant Gentilium templa certis circumscripta locis, χειροποίητα, D. Paulus claritatis ergò Metaphoræ hujus vel ἀντιθέσεως explicationem addit, & χειροποίητα illa, seu ναοὺς ἐν οἷς ἀποκεκλεισμένοι θεοὶ ἐν σκότει, ut Heraclitus exprobrabat ep. ad Hermodorum (in quibus ὁ ὕψιστος οὐ κατοικεῖ *Altissimus non habitat*,

habitat, Act. 7. 48. & 17. 24. Quomodo & ipſi Gentiles defæcati Deum iis contineri negabant, Euripides, Zeno, citante Clemente Alexandrino & Origene) ab *οἴκῳ Θεοῦ* diſtinguit, *ἥτις ἐςὶν*, inquit, *ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος*· nempe, non ut Gentilium *οἶκοι* ſingulares, & *χειροποίητοι*, certiſque locis affixi circumſcriptique erant (quod & Heraclitus Gentilibus ſuis objectabat d. ep. ad Hermodorum, ubi diſertè ait *univerſum mundum Dei templum eſſe*, *ὅλος ὁ κόσμος ἀυτῷ ναός ἐςι*) ac nominatim templum Eleuſinium *εἷς οἶκος domus unica*, quæ myſteriorum Cereris & Proſerpinæ conventum capiebat, quæque *urbis & Eleuſinii agri complementum* Ariſtidi dicitur d. Oratione, *μόνην γὰρ ταύτην πανηγύρεων εἷς οἶκος συλλαβὼν εἶχε, καὶ ταυτὸν ἦν τῆς τε πόλεως πλήρωμα καὶ τοῦ Ἐλευσινίου*· verùm *ἐκκλησία cœtus* fidelium Dei ubique locorum, apud omnes gentes perque totum orbem, mox ut dicetur, in unius fidei vel pietatis myſterium, conteſſerationem, vocatorum, ſparſorum, collectorum: & ſic Catholica Eccleſia ex fidelibus compacta; qui & ipſi etiam *Templum Dei* dicuntur 1 Corinth. 3. 16. 2 Corinth. 6. 16. Peccant enim graviter qui hunc locum de ſingulari aliqua Eccleſia, veluti de Epheſina, accipiunt, vel iſtud ad viſibilem & conſpicuam Eccleſiam transferunt. *ἐκκλησία* enim eſt *ἄθροισμα τῶν ἁγίων τὸ ἐξ ὀρθῆς πίςεως καὶ πολιτείας ἀρίςης συγκεκροτημένον*, ut rectè Iſidorus Peluſiota lib. 2. ep. 174. Quæ quidem & ipſa Ἐκκλησίας vox, quod tralatitium jam, traducta è Græcorum & Gentilium cœtibus. Ibi quippe *ἐκκλησία* dicebatur *populi concilium*, *cœtus*, *concio*, *conventus*, *ſecundum leges*, *ritè*, *legitimè convocatus inque unum coactus*. Heſychius unus pro omnibus, Ἐκκλησία, *σύνοδος*, *συναγωγὴ*, *πανήγυρις*. Et Athenis nominatim ea vox uſurpata pro *populi cœtu*, *concione*, *πανηγύρει*. Ammonius, Ἐκκλησίαν ἔλεγον οἱ Ἀθηναῖοι τὴν σύνοδον τῶν κατὰ τὴν πόλιν. Quinimo & è novem Eleuſiniorum myſteriorum diebus primus dicebatur *ἀγυρμὸς*, i. e. *ἐκκλησία συγκρότησις*, eodem Heſychio teſte. Quomodo & de Epheſino cœtu *ἐκκλησία* dicitur Act. 19. 32. Ergò & hic & alibi *ἐκκλησία* eſt *ἀγυρμὸς*, *συγκρότησις*, *πανήγυρις* legitima Dei fidelium, *τῶν πεπιςευκότων σύλλογος*, ut hîc rectè Theodoretus; oppoſitè ad *οἴκους θεῶν*, & ſpeciatim ad *οἶκον Ἐλευσίνιον*, qui Eleuſiniam *πανήγυριν συλλαβὼν εἶχε*.

Sed & tertio loco D. Paulus vocat *Eccleſiam Θεοῦ ζῶντος Dei viventis*. Quæ quidem locutio, ſeu Dei attributum & cognomentum, cùm alibi quoque frequenter, etiam apud Euangeliſtas Matthæum & Johannem, occurrat, occurrit apud eundem D. Paulum variis præterea locis, ac nominatim hâc ipſâ priore ad Timotheum epiſtolâ bis adhuc, putà, cap. 4. 10. & cap. ult. 17. & 2 Cor. 3. 3. & 6. 16. ubi ſimilis quoque Metaphora occurrit (pariter ut 1 Cor. 3. 16. & 6. 19.) *ὑμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐςε ζῶντος*, & 1 Theſſ. 1. 9. *Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ*, & Rom. 9. 26. & Hebr. 3. 12. & 9. 14. & 10. 31. & 12. 22. Hoc porrò loco, ut & alibi, poſita eſt hæc locutio tacitâ *ἀντιθέσει* ad *μάταια* ſeu *inania* quæque Gentilium. Et primò quidem ad diſcrimen fictorum-falſorum Numinum ſeu Deorum, qui mortui in Deos conſecrati erant (quod paſſim Gentilibus objecere Chriſtiani) qui & ſuam quique ſingularem *ἐκκλησίαν*, *πανήγυριν*, habuere, ut Ceres & Proſerpina Eleuſine, Diana Epheſi; qui denique revera non vivebant, ſed hominum erant commenta. Quo ſenſu Paulus & Barnabas Act. 14 15. *ὑμᾶς ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων ἐπιςρέφεσθαι ἐπὶ τὸν Θεὸν ζῶντα*, &c. Etſi *Ζεὺς* vel *Ζὴν* quorundam Gentilium ſententiâ dictus fuerit, quaſi *vitæ autor datorque*, *τὸ ζῆν παρεχόμενος ἀνθρώποις*· vel quòd primus ex liberis Saturni vixerit. Vide Lactantium lib. 1. c. 11. Platonem, Ariſtotelem, Heraclidem in Allegoriis, Fulgentium, alios. Imò, Dii Gentium & idola *οὐκ ὄντα*, *οὐδὲν ἐν κόσμῳ* dicuntur. Secundò, ad diſcrimen Templorum Gentilitiorum, quæ origine ſuâ mortuorum ferme ſepulcra erant: quod ut ex ipſa Gentilium Theologia tum *μυθικῇ* tum Civili paſſim liquet, ità & demonſtrarunt priſci Patres qui adverſùs Nationes ſeu Gentes ſcripſere; in his Clemens Alex. adverſùs Gentes p. 22. 29. *προσκυνούμενοι τάφοι ναοὶ τῶν νεκρῶν, τάφοι τῶν θεῶν*, & exinde Euſebius expreſſo capite lib. 2. Præpar. Euang. cap. 6. Lactantius, alii. Poſtremùm, ad diſcrimen *εἰδώλων ſimulacrorum*, ſtatuarum, imaginum, quæ vanæ nihilique ſunt reſque omnino mortuæ, & tamen *ἐν οἴκοις θεῶν* ſtabant, proque Diis habebantur, atque ità nuncupabantur. Quare idem Paulus diſerte 1 Theſſ. 1. 9. *ἐπεςρέψατε πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων, δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ*. Et ità quidem attributum ſeu cognomentum hoc Θεοῦ ζῶντος accipiendum eſt, oppoſitè ſcil. ad Numina Templaque & ſimulacra Gentilium: quod & patet ex perpetua hîc Apoſtoli alluſione: non ut plerique Interpretum, quaſi id hoc loco indicetur, quòd in Eccleſiam à Deo peculiariter ac propriè vita influat, vitæque adeò ei cauſa ſit: id enim eſt *ζωοποιεῖν*· quomodo & Apoſtolus hâc ipsâ Epiſtolâ, 6. 13. dixit *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα*· etſi ſcio alibi *ἄρτον ζῶντα vivificum* quoque; ſeu *ζωοποιοῦντα vitalem* verti à nonnullis Joh. 6. 51. ut & obſervant viri docti Syris & Hebræis eandem vocem ſignificare tam *vivificum* quàm *vivum*. Quin & in antiqua Inſcriptione *ζώσας ἀρετὰς* eodem ſenſu dici notant: eodemque, ut ſuprà jam dixi, ſenſu Gentiles *τὸν Ζῆνα* dixere, quò fortè hâc formulâ Θεοῦ ζῶντος alluſum tacitâ *ἀντιθέσει*.

Ex his interim clarè patet, hæc verba Θεοῦ ζῶντος conjungenda eſſe cum voce *ἐκκλησία*· non verò, ut vir doctus tentabat, vitioſâ interpunctione coaſſanda ea cum ſequenti voce, ità, Θεοῦ ζῶντος ςῦλος· quod quidem ipſi in mentem venit ut ità tolleret hoc loco minùs neceſſariam hic vocis Θεοῦ repetitionem. Nam imò neceſſaria hic repetitio eſt vocis Θεοῦ· quæ enim in genere primùm *οἶκος Θεοῦ ædes Dei* dicta fuerat, ea nunc per exegeſin & illuſtrationis ergô, imò & per amplificationem, dicitur *ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος*, eo quo dixi triplici reſpectu, mortuorum, inquam, Numinum, Templorum, ſimulacrorum & imaginum mortuarum.

Poſtremo loco Apoſtulus ſingulari amplificatione & elogio, eodemque ad probabilem Eccleſiæ miniſtrantium *ἀναςροφὴν* incentivo, Eccleſiam Dei vocat *ςῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*. Et hic demum locus eſt vexatiſſimus. Hoc primùm elogio, quod univerſæ ſeu Catholicæ Dei Eccleſiæ tribuitur, abutuntur hodie multi. Indè enim Eccleſiam Romanam, qua de nulla hîc mentio, nullum veſtigium exſtat, *ἀναμάρτητον errato non obnoxiam* infallibilemque adſtruunt, eamque deficere poſſe negant; dein, omnium Eccleſiarum ſeu Catholicæ Eccleſiæ crepidinem & fundamentum conſtituunt; tandem & Eccleſiæ autoritatem hinc ſupra Scripturam efferunt. Alii contrà, horum metu, ut id everberent vel eventilent, cum aliter omnino poſſent & deberent, mutatâ interpunctione (cujuſmodi alioquin interpunctionum mutationes alibi ſatis commodè nonnunquam procedunt vel tentantur) verba illa à ſuperioribus divulſa ad ſequentem periochen ſeu periodum vel comma, de *myſterio pietatis*, & ſic de Chriſto ipſo, retrahunt; ut ità Chriſtus ipſe ſeu *myſterium pietatis* hic dicatur *ςῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*, non verò *Eccleſia*. Malè omnino. Nam imò poſt hæc demum verba incipit novum *κῶλον ὁλόκληρον*, mox ut pluribus oſtendetur. Alii etiam è veteribus nonnulli, & in his Euſebius, Nyſſenus, Procopius, de Prophetis, Apoſtolis & Doctoribus hæc verba intelligunt, quòd & hi *ςῦλοι* nuncupentur, ac nominatim Apoſtoli nonnulli à Paulo ità vocantur Gal. 2. 9. Alii fideles ipſos & electos hîc indicari volunt, qui & ipſi *ςῦλοι* indigetantur, qui ſcil. veritatem Euangelicam opere, verbo ſuſtinent, & ſic Eccleſiam per eos eſſe *columnam & firmamentum veritatis* ajunt: quod etiam placuit Auguſtino in Pſal. 47. Verùm hæ duæ Interpretationes, etſi haud planè incommodæ, ad modum tamen magis pertinent quo Eccleſia *ςῦλος columna veritatis* perficitur, quàm ad rei eſſentiam ſpectant. Theodoretus ità explicat, *cœtum eorum qui crediderunt ſupra petram fundatum*, *ſtabilem quoque & immobilem eſſe in dogmatum veritate & prædicatione permanentem*. Chryſoſtomus & Hieronymus id dici cenſent oppoſitè ad Eccleſiam Judaicam & ad umbras legis Moſaicæ; ut & Auguſtinus in dictum Pſalmum ità vocari ait Eccleſiam ob certitudinem dogmatum inviolabilem, cùm Judæi verſentur in umbris. Alii Judæorum formulam hîc aptant, quâ *columnam & firmamentum*, vel potiùs *fundamentum*, *ſapientiæ* vocant præcipuos religionis articulos qui ſupponi debent reliquæ doctrinæ: quo ſenſu autor ad Hebræos 6. 1. *τὸν τῆς ἀρχῆς λόγον* dixit & *θεμέλιον* rudimenta ac principia religionis Chriſtianæ.

Alii Apoſtolum alluſiſſe volunt ad Columnas populo Iſraëlitico exhibitas & *ὁδηγὰς*, ad columnam, inquam, igneam, quæ Judæorum exercitum præcedebat (cujuſmodi etiam *ςῦλον πυρὸς νύκτωρ ὁδηγὸν* Thraſybulo *προηγούμενον* memorat Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. p. 225.) vel ad utramque columnam, Nubis & Ignis: Et ad illam quidem, ad *ςῦλον*, inquam, *νεφέλης*, hoc ſenſu, quod Deus olim habitaverit *ἐν ςύλῳ νεφέλης*, at nunc in Eccleſia. Alii alluſum cenſent ad Templum Hieroſolymitanum, ubi erant variæ *columnæ ςῦλοι*, harumque *baſes* ſeu *ἑδραιώματα*. Quin & nonnulli figurâ Hendiadis per *ςῦλον καὶ ἑδραίωμα* indicari putant *columnam baſin habentem*. Variæ ſcil. ibi columnæ erant; in Tabernaculo primùm; deinde duæ æreæ ante Templi veſtibulum à Salomone erectæ, quarum una J A C I N, quod *erectum*, *directum*, *perpetuamque conſtitutionem*, *firmitudinem* ſignificat, altera B O H A Z, quod *fortitudinem* ſeu *robur* deſignat, dicebatur: quæ quidem delatæ tandem in Babyloniam fuerunt. De quibus omnibus Exod. 26. 32, 37. & 27. 10, & ſeqq. Num. 4. 31, 32. & 1 Reg. 7. à v. 15. ad 23. & verſ. 41. & 2 Reg. 25. 16, 19, 20. 2 Chron. 3. 16, 17. Jer. 52. 17, 20, 21, 22. & 27. 19, 22. Erat & *ςῦλος* quidam

seu *columna* (si rectè vertitur: ego enim *suggestum* malim) in Templo Regiis usibus destinata, in qua Reges inniti solebant, etiam fœdus cum Deo pangentes, & cùm inaugurarentur: 2 Reg. 11. 14. & 23. 3. 2 Chron. 6. 13. & 23. 13. Et ad hanc quidem columnam Regiam nominatim allusum hic nonnulli censent. Rectè quidem posteriores hactenus, quòd hic allusum putant ad στύλους seu *columnas* sacras, non etiam ad architectonicas in genere, ut loquuntur, vel etiam ad politicas. Nam quod de *stylo* seu instrumento quo quid fingitur aut scribitur hoc nonnulli accipi posse rentur, nugatorium est, & adjuncto ἑδραιώματος apertè refutatur, tandem & perpetuâ hic allusione seu Metaphorâ ab ædibus sumptâ. Scilicet Apostolus ubi in describenda Ecclesiæ dignitate οἶκον Θεοῦ, & quidem ζῶντος, vocavit, novam exinde in ea describenda similitudinem sumpsit. Sed enim & illi qui ad sacras columnas hic rectè allusum censent, in eo peccant quòd ad columnas Templi Hierosolymitani Paulum hic allusisse volunt. Imò enim Apostolus in cœpta semel ad Templa Gentilium allusione perstans, ac nominatim ad Templum Ephesinum & Eleusinium, Ecclesiam Dei seu ἀγυρμὸν integrum fidelium, nec quicquam invidendo illi titulo στύλον ἀληθείας vocat, oppositè seu allusione factâ ad sacros Templorum Gentilium στύλους vel στήλας (promiscuè enim eas sic nunc accipio) quibus Templa inter alia & vel maximè commendabantur. Nè de aliis nunc Templorum columnis agamus, atque adeò ut Asiam intra Græciamque moremur, sic sanè Ephesinum Templum, quod tertiâ vice constructum fuit, prioribus columnis venditis, augustiore cultu columnas CXXVII. cælatas habebat, ingentis molis, LX. pedum altitudine, cum epistyliis & spiris subditis: ubi *spiræ* sunt architectonicæ vocabulo, bases columnarum & stylobatæ. Idque ipsum etiam inter Eleusinii Templi decora fuit. Testis Plutarchus in Pericle, ubi de Corœbo, *τὸ δὲ ἐν Ἐλευσῖνι τελεστήριον ἤρξατο μὲν Κόροιβος οἰκοδομεῖν, καὶ τοὺς ἐπ' ἐδάφους κίονας ἔθηκεν οὗτος, καὶ τοῖς ἐπιστυλίοις ἐπέζευξεν· ἀποθανόντος δὲ τούτου Μεταγένης ὁ Ξυπέτιος τὸ διάζωμα, καὶ τοὺς ἄνω κίονας ἐπέστησε· τὸ δ' ὀπαῖον ἐπὶ τοῦ ἀνακτόρου Ξενοκλῆς ὁ Χολαργεὺς ἐκορύφωσε.* Quin & Aristides Orat. Eleusin. per τὸν κύκλῳ κόσμον & προσθήκην columnarum quoque ornamenta intellexit: erant enim Templa quædam στοαῖς ἐν κύκλῳ περίστυλα· de quo mox. Ac nescio an non etiam tria præcepta, quæ in Templo Eleusinio de Triptolemi legibus residere scribunt Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. 4. pag. 432. & Hieronymus lib. 2. adv. Jovin. ex Xenocrate Philosopho, & Hermippo lib. 2. De Legumlatorib. columnis ibi inscripta fuerint. Certè Andocides Orator Atheniensis Orat. de mysteriis *columnam* στήλην memorat, in qua scripta erat Lex quæ mille drachmis multari jubebat, *ἐάν τις ἱκετηρίαν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ* posuisset. Quam tamen ipsam Legem, quod pœnam attinet, aliter ibidem memorat. Athenis etiam (cujus pagus erat Eleusis) quæ urbs *κατείδωλος* erat, ut dicitur Act. 17 16. sacræ columnæ seu in Templis quamplurimæ insignes erant. Ut de multis pauca commemorem: erat columna in Templo Dioscurorum, quod *ἀνάκειον* dicebatur, in qua inscriptum erat, *è duobus bubus præcipuis selectis tertiam partem in certamen, è duabus reliquis partibus alteram Sacerdoti, alteram parasitis impendendam.* Testis Athenæus lib. 6. Jovis quoque Olympii Templum Athenis, quod sæpe cœptum sæpe intermissum, à Sylla expugnatâ urbe destructum fuit, columnis in partem censebatur, quas indè Sylla Romam in Capitolinas ædes avexit. Testis Plinius lib. 36. cap. 6. In delubro etiam seu Templo Herculis quod *Cynosargis* dicebatur, ad columnam quandam appensum erat ψήφισμα *decretum* quoddam Alcibiadis, ut memorat Athenæus lib. 4. cujus *γραμματεὺς* fuit Stephanus Thucydidis. Atque ut Athenis Templum quoddam Amazonium erat, ità & Ἀμαζονὶς στήλη cujus meminit Æschines in Axiocho. In antiquissimo item Bacchi Templo quod in Limnis erat, prope aram lapideam columna erat in qua lex perscripta erat de *uxore à Rege cive virgineque ducenda.* Testis Demosthenes Orat. in Neæram, quam & suo adhuc tempore stetisse addit. Meminit & Pausanias in Atticis Templi ab Adriano Imp. constructi CXX. columnarum. Atque hæc quidem è multis exempli tantùm gratiâ dicta sint de sacris Templorum columnis.

Harum porrò sacrarum in Templis columnarum multiplex usus, variæque adeò species fuere, & ingenti numero: (cujusmodi nongentæ Templi Hierosolymitani numerantur) Aliæ quippe erant in principiis seu vestibulis Ædium sacrarum, in pronao, ut & in postico, & pteromatis, tum medianæ tum angulares. Erant & peristylia circum Templa columnis conclusa seu undique septa: de quibus ut & de aliis sacrarum ædium columnis Vitruvius lib. 3, & 4. Erantque adeò Templa quædam *στοαῖς ἐν κύκλῳ περίστυλα, porticibus & columnis succincta,* seu *ἐντὸς περίστυλοι ναοί*, Pausanias Eliac. pag. 152. De Eleusiniæ etiam Cereris & Proserpinæ cella memorat Vitruvius Præfat. lib. 7. eam *Ictinum* quendam, *immani magnitudine, Dorico more sine exterioribus columnis ad laxamentum usus sacrificiorum pertexisse. Eam autem postea, cùm Demetrius Phalereus Athenis rerum potiretur, Philonem* quendam *ante templum in fronte columnis constitutis prostylon fecisse: ità aucto vestibulo laxamentum initiantibus operisque summam adjecisse autoritatem.* Aliæ columnæ solutæ ante Templa erant. Ad superiores verò columnas omnes hic minimè allusum, verùm ad eas quæ in ipsis Templis erant, ἐντὸς τοῦ ναοῦ. Quarum quidem aliæ Templi fornicem, lacunar & culmen, imò & columnas alias quandoque sustinebant, ἐπ' αὐτῶν ὄροφος, vel *ἔρυμα εἶναι πεποίηνται κίονι*, ait Pausanias Eliacorum 1. pag. 168. *in quibus fabricæ pondus erigebatur*, ut Isidorus l. 19. c. 10. Aliæ in Templis solutæ erant, & varii quidem generis & usûs. Super nonnullis scilicet quædam quandoque erant *εἰργασμένα*, ut ait Pausanias Corinth. pag. 59. Et quidem sæpissimè in earum fastigiis statuæ vel simulacra Deorum imposita erant, *ἐπείργασται ἐπὶ κίονος ἀγάλματα* seu *ξόανα*, idem Corinth. d. pag. 59. & 61, 62. in fine Eliacorum 1. p. 173. de quibus etiam Arnobius lib. 7. & quidem in delubro, σηκῷ, δικῷ, media æde, quo de jam suprà. Aliis arma, clypei, aliaque appensa erant. Aliis inscripta nonnulla fuere, veluti Elegi, Elogia, Fœdera, item σταθμοὶ, Narrationes & traditiones historicæ (cujusmodi etiam usus fuit columnarum Isidis & Osiridis quarum meminit Diodorus lib. 1. pag. 16. Similisque *aurea columna in Jovis Triphylii fano posita ab ipsomet Jove, in qua gesta sua perscripserat, ut monumentum posteris esset rerum suarum*, ut ex Euhemero narrat Lactantius 1. 11.) Curationis item morborum indicia, Leges & Decreta, morum etiam seu virtutis præcepta, ut Delphis; Mystica seu Hieroglyphica, de cujusmodi columna Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 222. tandem & Oracula, testis Pausanias in Bœoticis pag. 340. in fine, & 341. Ad sacras igitur has atque immotas Templorum Gentiliorum columnas allusit hic Apostolus, cùm ipsam Ecclesiam vocavit στύλον τῆς ἀληθείας· non ut Templa Gentilium *πολύστυλα variis columnis* στήλαις vel στύλοις *immixa ornatave & instructa* erant: cujusmodi etiam Cereris in Attica memorat Hesychius, in v. *Κιλλάς*. Eoque titulo rectè ornatur hic gaudetque Ecclesia, duplici sensu seu significatu usuque. Primò quia Ecclesia Veritatem cultûs Divini sustinet, hominumque oculis spectandam præbet, ceu Numinis alicujus simulacrum, de fastigio suo & suggesto: ac proinde Veritas hujus columnæ *ἐπιστύλιον* quoddam est; sic ut Veritas operi supero comparetur, Ecclesia columnæ. Secundò, quia Ecclesia, velut columna, Oracula Dei & eloquia fœderaque Dei cum populo suo, Scripturam denique sacram, quam etiam Irenæus *fundamentum & columnam fidei nostræ* vocat, velut *ἐπιγραφῇ* omnium oculis spectanda, sequenda, unde de plano ea legi possint, longeque lateque conspiciantur, hominum mentibus proponit, *στηλιτεύει, δημοσιεύει*, posteritatique commendat; adversùs errores & hæreses, de quibus etiam immediatè mox Apostolus capite proximo. Hoc, inquam, sensu Ecclesia *columna veritatis* dicitur, & duplici quidem allusione ad sacras Templorum Gentilitiorum columnas. Quare rectè omnino vir *ὁμολογουμένως sine controversia* magnus Ecclesiam *columnam veritatis* hominum respectu dici ait, *quia eam sustinet, quia præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia transmittit ad posteros.* Rectè, inquam, in rei veritate, etsi neque illi in mentem venerit perpetuam, hic allusionem ad Templa Gentilium, Columnasque quæ in his erant, contineri; imò & tacitam hìc *ἀντίθεσιν* ad ea. Columnæ quippe Templorum mendacia fabulasque meras & inania simulacra, *μύθους ἀθέους* proponebant, præferebant. Et hæc quidem de Ecclesia, quæ *columna veritatis* dicitur. Similes alioquin in genere sive allusiones sive Metaphoræ à Columnis desumptæ in libris S. Scripturæ aliisque occurrunt. Ut omittam alias; Ità Fideles *in Templo Dei* στύλοι vocantur Apoc. 3. 12. *columnæ*, inquam, stabiles, immotæ, loco moveri nesciæ, tribus inscriptæ nominibus, *Dei* videlicet, *Civitatis*, & *Christi*. Sic & Apostolus quoque *στύλους δοκοῦντας εἶναι* tradit idem Paulus Gal. 2. 9. (ubi ait *δοκοῦντας, οὐ τὸ εἶναι ἀναιρῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν τῶν ἄλλων παραλαμβάνων γνώμην*, ait Chrysostomus) & exinde Patres, de quibus consule Doctissimum Patritium, in Epist. Clementis ad Corinthios pag. 8. & nominatim *Jacobum*, *Cepham*, & *Johannem*: quod de Petro nominatim sæpe inculcat Chrysostomus. Sic & *Sapientia domum sibi exædificasse* dicitur, *excidisseque septem columnas*, Prov. 9. 1. Sic & in Psalmo *filiæ* dicuntur vel assimilantur *columnis*. Mulier quoque dicitur *viri columna* στύλος, Syr. 26. 22. στήριγμα, Tob. 8. 5. Apud profanos quoque scriptores eadem Metaphora seu allusio. Sic

filii

filii dicuntur *columnæ* apud Euripidem in celebri senario, teste quoque Suidâ,

Στύλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄῤῥενες·

quomodo apud Tacitum primo Annali *munimenta* dicuntur. *Imperii* etiam *columna*, *regnique columellæ*, quibus respublica vel civitas innititur, Ennio lib. 10. Horatio 1. Ode 35. Tuberoni, teste Donato. Servi etiam præcipui, majores domûs, veluti Actores, *columellæ* dicti, si Donato fides, & *columnæ familiæ*. Quibus ferme locis omnibus Metaphorâ à Columnis desumptâ vel firmitas seu stabilitas rei alicujus denotatur, vel aliquid sustineri, sustentari vel etiam exhiberi singulari denotatione indicatur: Quod & ipsum sacrarum columnarum, ad quas, non ad illas, hic alluditur, officium erat.

Cæterùm Ecclesia seu ædes Dei velut *μονόστυλος* à Paulo repræsentatur, unica scil. columna unius Dei veritatem unicam in una fide proponens, sustinens: cùm pluribus alioquin columnis Gentilium quoque Templa *πυκνόστυλα* niterentur vel niterent. Quanquam & illud apud hos observare licet, non modò singulares quasdam columnas nudasque *σὺν τέχνῃ οὐδεμιᾷ* quandoque notabiles fuisse, verùm etiam primitus, antequam statuarum usus accuratus invalesceret, columnas statuarum vice positas cultasque; *Κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ*, teste Clem. Alex. lib. 1. Strom. pag. 255, 256. ad Gentes pag. 22. & Eusebio 1. De præparat. 9. & deinceps signa quædam columnæ figuram aliquam habentia pro Diis quandoque habita cultaque, ut discere est ex Pausania Corinth. pag. 52. in fin. Laconic. pag. 101. locisque aliis. Denique *εἰκασμένοι Θεοὶ κίονι* erant, Pausanias Laconic. pag. 101. ut omittam quæ de *informi* seu *ἀσήμῳ* lapide ab Arabibus culto notant Dio Chrysostomus, Clemens Alex. ad Gentes pag. 22. Maximus Tyrius Serm. 38. Arnobius; ut & quæ de saxo *rudi ἀργῷ* pro simulacro etiam apud veteres Græcos Pausanias Achaic. pag. 228. Bœotic. pag. 300, 302, 311.

Notandum & illud, Ecclesiam dici *στῦλον veritatis* non, *στήλην*. Nam etsi hæc sæpe promiscuè ponantur, inter ea tamen differentia quædam erat, teste etiam Eustathio in Ὀδυσσ ς'. pag. 1848. Indeque in Glossis Cyrilli, *Στύλος, columna. Στήλη, cippus, titulus.* Et *στῦλος* propriè dicta *columna præcipua*, magna vel unica, alteri rei sustinendæ vel proponendæ. Sic Lucianus De Dea Syria, *ἐμοὶ δὲ δοκέει στῦλος ἐφεστὼς μέγας ἀνέχειν τὸν βωμόν·* & hæc propriè *στῦλος*, cùm aliæ minùs notabiles propriè loquentibus *στῆλαι*, *κίονες* dicerentur. Sicut & apud Homerum *στήλας* quidam accipiunt pro *lapidibus in quibus fundamentum ædificii innititur*.

Ergò Ecclesia eo quo dixi sensu *columna veritatis* dicitur ab Apostolo: quo quidem ipso genuinam Ecclesiæ Notam designatum ivit; nempe Veram eam esse, quæ veritatem sustinet, præfert, tuetur. Non igitur quasi cœtus quicunque tandem, quomodocunque comparatus, qui *Ecclesiæ* nomine se jactat, Veritas ipsa sit, aut Veritatis mater (Christus enim propriè ipsa *Veritas* est, *ἀλήθεια*, Joh. 14. 6. & cap. 17. *θεμέλιος*, ut idem Apostolus 1 Cor. 3. 11.) vel veritati ullà ratione præscribere possit: verùm quia, & quatenus, & quamdiu Ecclesia, vera scil. non *ψευδώνυμος*, Veritatis *βάθρα*, *ὑποβάθρα καὶ κρηπὶς* existit & *columna*, custos, inquam, ejus, conservatrix, promulgatrix & propagatrix; atque adeò per fideles & Ministros suos, quos habet *οἰκονόμους τῶν μυστηρίων*, veritatem præ se fert unicè. Alioquin, ut scitissimè & verissimè Chrysostomus ad h. l. hom. 11. *Veritas est columna Ecclesiæ*, *ἡ ἀλήθειά ἐστι τῆς ἐκκλησίας καὶ στῦλος καὶ ἑδραίωμα.* Imò *Christus*, qui idem cum *Veritate*, *στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*, ut Procopius in Exodum. Et *Evangelium* quoque ità vocat Irenæus lib. 3. adv. hæreses, cap. 1, & 11. nempe *traditum id in Scripturis, fundamentum & columna est fidei nostræ & Ecclesiæ.* Et sic diverso sensu Christus, Veritas & Euangelium *Ecclesiæ & fidei columna* dicuntur; alio, Ecclesia *veritatis columna*: illa, quia in se & ex se *αὐθεντικῶς* veritatem, veram, inquam, fidem verumque cultum continent; ista, respectu tantùm humano & officii ratione *λειτουργικῶς*. Tamdiu igitur Ecclesia, quamdiu officio suo fungitur, quamdiu *Ecclesia Dei viventis* est, quamdiu Veritatem velut Divam quandam excolit supraque se extollit, supremamque adeò Legem & *ψήφισμα* doctrinamque semel traditam penesque se depositam profitetur, proponit, sustinet & tuetur. Vitiata contrà perdit officium suum nomenque, non propriè amplius Ecclesia, sed *ὁμωνύμως* tantùm, imò *ψευδωνύμως*, si loco Veritatis *μυστήριον ἀνομίας* præ se ferat, inque alia omnia eat quam quò Veritas aurigatur. Atque hoc sensu rectè Augustinus *Ecclesiam in Scripturis quærendam* dixit. Illud tandem observandum, Tertio quoque sensu fideles hoc etiam *columnæ* nomine seu cognomento decoratos, nempe ob exemplum firmæ fidei & obedientiæ. Sic apud Eusebium 5. Hist. Eccles. cap. 1. fideles Viennenses & Lugdunenses dicebant Attalum martyrem fuisse *στῦλον καὶ ἑδραίωμα Ecclesiarum quæ erant apud ipsos*, h. e. ut paulò pòst iidem explicant, *fidelem semper & constantem, firmumque adeò veritatis testem.* Sic & Basilius & Athanasius à Gregorio Nazianzeno dicuntur *στῦλος* & *ἔρεισμα*. Et Basilius ipse ep. 70. de Catholicis in exsilium pulsis, *οἱ στῦλοι καὶ τὸ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας ἐν διασπορᾷ.* Sic Basilius in Constit. Monast pag. 717. Abrahamum *positum* ait *mundo columnam fidei & obedientiæ*, *τῇ οἰκουμένῃ στήλη πίστεως καὶ ὑπακοῆς ἱδρυθείς.* Quare jam dicamus & dispescamus tria hâc parte columnarum genera: Christus scilicet, ejusque Scriptura & Euangelium, dicuntur *columnæ fidei & veritatis αὐθεντικῶς*, simpliciter & per se, quia ipsa Veritas sunt: Ecclesia verò, præcipuique in ea Doctores, *λειτουργικῶς*, quia & quamdiu ministerium Veritati præbent: Quicunque tandem fide & obsequio atque in tuenda veritate egregii, *παραδειγματικῶς*, quia in exemplum aliorum positi. Et his quidem duobus posterioribus modis illi respectu hominum atque officii *columnæ* dicuntur.

Quæ de Ecclesia Dei quòd ea *στῦλος* seu *columna* sit *veritatis* dicta sunt, eadem & *τῷ ἑδραιώματι* aptari oportet: nam & eadem Dei Ecclesia *ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* hic vocatur. Videndum modò quid *ἑδραίωμα* sit: nullibi enim, quod sciam, præterea apud profanos scriptores vox isthæc occurrit. Varinus Phavorinus unus *ἑδραίωμα*, *στήριγμα* interpretatur. Certè illud statim hic ex conjunctione ejus cum *στύλῳ* apparet, *ἑδραίωμα* esse *aliquid cui aliud quid*, non minùs quàm columnæ, *innititur & insistit.* Deinde cœpta hic semel ab ædificiis, & Templorum quidem Gentilitiorum, Metaphora, vel ad ea allusio, satis indicat, *ἑδραίωμα* & ipsum Architectonicæ, & Templorum quidem, partem & vocabulum esse. Tandem & originatio hujus vocis rem aperit. *Ἕδρα* scil. significat primò *sellam*, ut & *consessum*, *καθέδραν*, & *στάσιν*, ac *ἕδραν βουλῆς* scil. ut idem Phavorinus rectè: quomodo, ut omittam alia innumera, Andocides Orat. 1. De mysteriis, Solonis legem refert quâ cautum fuerat ut *die mysteria Eleusinia sequenti consessus Senatûs haberetur in Eleusinio*, *ἕδραν ποιεῖν ἐν Ἐλευσινίῳ.* Secundò *ἕδρα* significat *ὑποβεβλημένον quid sustinendæ, sustentandæ, fulciendæ rei.* Tandem & per Metonymiam *τόπος ἐν ᾧ εἴδωλον ἵδρυται* per *ἕδραν* significatur. Ab hac voce *ἕδρας* *Ἑδραῖον*, quod est *firmum*, *σταθηρὸν*, *ἀσάλευτον*, *βάσιμον*, *στερεὸν*, Hesychio interprete, quomodo & in illo, *Ἑδραῖοι γίνεσθε*, *ἀμετακίνητοι·* & in isto, *τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι.* Indeque & *ἑδραῖα ζῶα*, oppositè ad *νομαδικά·* & *ἑδραῖος ἀεὶ βίος*, de eo qui uno semper loco firmiter *ἐμμόνως* constitit, neque uspiam processit, apud Crinagoram, lib. 1. Ἀνθολογ. *Ἀπὸ τοῦ ἑδραιῶ, ἑδραίωμα.* Ergò & *ἑδραίωμα* est *fulcimentum*, *fultura*, *sustentaculum*, *substructio*, *firmamentum*, *columen*, *sedes firma quæcunque*, *cui res alia innititur*, *insistit*; *ἔρεισμα*, *στερέωμα*, *στήριγμα*, *βάθρον*. Quo in censu primùm poni potest & ipsummet ædificii fundamentum, *θεμέλιος·* nam & *ἕδρη* est *basis*, teste vel Hesychio. Sic Aquila & Symmachus in Psal. 103. *ὁ θεμελιῶν τὴν γῆν ἐπὶ τῆς ἕδρας αὐτῆς·* ubi aliàs LXX. *ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς.* Et rectè Interpretes, *αὐτὴν γὰρ ἐφ' ἑαυτὴν ἑδράσας, δέδωκεν αὐτῇ τὸ ἀκίνητον.* Sic & Lucianus De Dea Syria p. 900. *ἕδρη μεγάλη ἐπὶ τῆς ὁ νηὸς ἐπικέεται.* Quare cùm de opere seu ædificio agitur, ac nominatim de Templo, *ἑδραίωμα* hic idem ferme fuerit cum *θεμελίῳ* seu *ἕδρᾳ*, *ἐπὶ τῆς ὁ ναὸς ἐπικέεται*, *cui ædes innititur*, *in quod domus inclinata recumbit*, *ἐποικοδόμηται ὁ ναός.* quomodo & Templum quoddam memorat Pausanias in Laconicis pag. 97. cui *ὑπερῷον ἄλλο ἐπῳκοδόμηται.* Et sic eodem hic sensu dicatur Ecclesia *ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* quo Apostolus Ephes. 2. 20. dixit, *ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων καὶ Προφητῶν.* Et in Apocalypsi Dei civitas habere dicitur *duodecim fundamenta*, *in quibus inscripta sunt nomina duodecim Apostolorum.* Venire potuit & secundo loco hâc *ἑδραιώματος* appellatione ea quam Architecti vocabant *stereobatam*, quæ *onera excipit*, quæque tum stylobatas columnasque ipsas, tum alias ædificii partes sustinet: de qua Vitruvius lib. 3. cap. 3. Potuit & tertiò isthoc *ἑδραιώματος* nomine censeri *sella*, *thronus*, *ἕδρα* vel *ἕδος*, quæ & eadem ab origine *ἕδρανον* dicitur apud Pollucem, Hesychium, Suidam, Eustathium; ubi videlicet Deorum simulacra sedebant. Gentiles scil. Deos suos vario situ repræsentabant: *ὀρθοῖς σχήμασι διαφόροις, καθέδραις δὲ καὶ στάσεσι καὶ ἀμφιάσεσιν*, inquit Porphyrius apud Eusebium. Vide & Arnobium lib. 6. Aliæ nempe Deorum imagines seu statuæ erant stantes, *ὀρθοὶ*, *ὀρθοστάδην*, *statu erecto*: cujusmodi plures disertè memorat passim Pausanias; inter alia, Corinth. pag. 46, 53, 66. Laconic. pag. 107, 108, 110. Achaicor. pag. 227, 228. Arcadicor. 262. Bœoticorum pag. 288. & quidem supra columnas sæpe erectæ; de quibus modo. Alias vero statuas

tuas Gentiles habebant καθημένους, in sella, *ἐπὶ θρόνου, ἐν θρόνῳ, ἐν καθέδρᾳ, ἐν ἕδρῃ*, sessiles, seu sedentis habitu. Cujusmodi sessiles Deorum statuas, nè de aliis quæ alibi erant innumera huc congeram, per Græciam suam memorat quamplures idem Pausanias, inter alia, Corinth. pag. 56, 59, 65, 72, 79. Laconic. pag. 100, 101. Eliacorum 1. pag. 157. Achaicorum pag. 226, 228. Bœoticor. pag. 283. & sicubi alibi: memorat & Lucianus in Dea Syria. Eaque Sessio potentiæ firmitatem & stabilitatem significabat, ut Chrysostomus hom. 4. in Acta Apost. & Suidas in v. Ζεύς. Eoque ideo etiam nomine sese jactat Meretrix in Apocalypsi c. 18. 7. ut omittam statuas curules *ἐν ἅρμασι*, quarum exempla vide etiam apud eundem Pausaniam, Phocicis, p. 326, 329. Ἑδραιώματος igitur voce continentur & ἕδρα, *sedes*, *sella*, θρόνος, in quibus simulacra sessim seu sedentia exhibebantur. Quæ quidem etiam sellæ (quod notandum) columnis quandoque sociatæ erant, ut hic ab Apostolo sociantur στύλος καὶ ἑδραίωμα· στήλη, inquam, καὶ θρόνος, seu κίονες & θρόνος sociantur apud Pausaniam, Corinth. pag. 48. Eliac. 1. pag 158. ubi etiam κίονες θρόνον sustinere dicuntur: & sic *sedes* quandoque erant *columnata*, ut loqueretur Plautus aliquis. Sic etiam πολύεδρον καὶ πολύστυλον sociatur apud Plutarchum alicubi. Ergò ἑδραιώματος voce utrumque proculdubio continetur, & *baseos* seu *fulcri*, κρηπῖδος *substructionis*que genus omne, & *sedes* seu *sella*; pariter ut ἕδρα utrumque significat, & ἕδος & ἔδαφος seu θρόνον & βάσιν & καθέδραν. Vide vel Hesychium: quomodo & *Sedes* apud Latinos utrumque denotat, *fundamentum*, inquam, *firmum*, *solidum*, *basin*, *substructionem*, κρηπῖδα (quam βωμὸν interdum Græci vocant) etiam *columnarum*, ut apud Suetonium in Vita Octavii, cap. 28. ut & *sellam*. Nam & *sedes* sella in qua imago Dei est, apud Plinium lib. 37. c. 10. ubi agit de Eusebe lapide. Similiter & apud Græcos ἑδραῖον (unde ἑδραίωμα) & ἑδραίως de utroque effertur: unde factum, ut ἑδραῖον ὕπνον quidam, & in his Erotianus, interpretentur *eum somnum qui sedendo ἐν καθέδρᾳ sumitur*: alii, & in his Bachius & Epicles, ἐπιμόνως, ἐγκαθίσματι χρονίῳ καὶ ἐπιμόνῳ. Galiienus etiam ὕπνον βαθὺν, *firmissimum & profundum*, explicat: & ἑδραίως κοιμηθῆναι, βαθέως, *profunde dormire*: ἑδραῖον enim & *firmum* & *sessile* significat: ut nihil quandoque intersit utro ex his duobus modo exprimas vocem ἑδραίω. Venire etiam quarto loco potest in hunc ἑδραιώματος censum ὑπόθημα *suppedaneum*, *scabellum pedum*, *solistaticulum* (usurpasse nunc liceat) quod sedentis imaginis pedibus quandoque subjacebat, quale memorat Pausanias in Eliacis pag. 158. (ubi ab Atheniensibus id θρανίον dictum ait: quæ vox occurrit & apud Pollucem lib. 3. cap. 13. ut & apud Hesychium exstat vox θρᾶνος) & in Arcadicis pag. 267. Sed & quinto loco *suggestum* seu *suggestus*, βῆμα, ὕψος, *tabulatum*, *pulvinarium*, aliudve quid in quo stabat in edito vel eminenti simulacrum, ἑδραίωμα dici potuit. Quod aliàs ἕδρασμα apud Hesychium; & in Glossis Cyrilli, Ἕδρασμα, *pulvinarium*: ubi *pulvinarium* est, & κατίδρυμα, *delubrum* (de quo mox) & στρωμνὴ Θεοῦ, *lectus in quo collocabantur signa Deorum*, *lectisternium*, & *tabulatum*, in quo stabat Numen seu simulacrum Dei, ut eminentius videretur: de quo Acron, in Horat. 1. Od. 37. quod & ἕδος dicitur in iisdem Glossis, *Pulvinarium & sacrarium*. Clemens quoque Alexandrinus 2. Stromat. pag. 272. fidem vocat ἕδρασμα ἀγάπης, quod *basin* & *fundamentum* vertunt: vide & Suidam in ἑδράσιον. Sic ἑδραίωμα & ἕδρασμα idem, ut & ἵδρυμα. Sic Euripides vocat cives ἵδρυμα πόλεως, quibus innixa est civitas. Quare & ἑδραίωμα fuerit, cùm de simulacro seu signo agitur, *suggestus*, *fulcrum*, *pulvinar*, *sustentaculum*, *sessimonium*, *basis*, *scamillus*, cui simulacrum seu signum Dei incumbebat: βάθρον τοῦ ἀγάλματος ἐφ' ᾧ ἑστηκὸς ἦν τὸ ἄγαλμα, de quibus sæpe Pausanias: inter alia, Atticorum pag. 22. Corinth. pag. 66. Lacon. pag. 101. Eliacorum 1. pag. 171. Achaic. pag. 235. βάθρα ἐφ' ὧν ἀνδριάντες ἑστήκεσαν eidem, Arcad. pag. 262. Quorum quidem etiam βάθρων nonnulla ararum speciem præbebant, ut in exemplo apud Pausaniam, Lacon. d. p. 101. Dictum id & βῆμα, ut apud Dionem, ubi de Neronis statua: *suggestum* rectè vocat Tacitus, lib. 1. histor. *Basis* sæpissime vocatur: de cujusmodi statuarum seu signorum basibus, in quibus & inscriptiones additæ erant, veteres passim scriptores: in his, non uno loco Cicero: vide & Plin. 3. Ep. 6. Servium 3. Æn. p. 262. veteres inscriptiones; inter alias, p. 93. num. 10. *Signum cum Basi*. De basibus & fulturis columnarum vid. Isidorum l. 14. c. 9. & lib. 19. c. 10. Ergò ἑδραίωμα est βάθρον, βάθρα, ὑποβάθρα vel ὑπόβαθρον, quæcunque tandem *substructio*, quodcunque ὑποβεβλημένον, cui τὰ ὑπερέχοντα, ac nominatim *simulacra*, firmiter innituntur. Gallicæ ideo versiones rectè hic vertunt, *Appuy*, *soustien*. In hunc ἑδραιώματος censum venire quoque possunt *pilæ* (quas nonnulli *structiles columnas* dici putant in *l. si cuius. si ser-vitus vindic.*) *quæ parietes cuiusque aliquod sustentant*, fulciunt, vel flumini aut mari opponuntur, στῆλαι· Itemque Antæ columnæ sive Antes, quibus fabrica sustinetur, vel Anterides παραστάδες, de quibus cumulatè Cl. Salmasius, in Solinum pag. 1216, 1217. Tandem & locus ipse ἔδαφος, ἕδος, in quo stabat seu positum erat simulacrum seu signum Dei, ἑδραίωμα dici potuit: & sic *delubrum*, *penetral-sacrarium*, pariter ut ἕδρασμα, de quo suprà; ut & ἱδρύματα (ab eadem origine) θεῶν, sunt *fana*, *delubra*, loca in quibus Deorum simulacra stabant locata, eademque cum ἱεροῖς, & ἕδρα, τόπος ἐν ᾧ εἴδωλον ἵδρυται ἱερόν· & sic ἀπόθεσις *Dei solium*, quod vocatur in Glossis veteribus: & apud Medicorum filios, ἕδρη οἰκεῖος τόπος· & ἕδρα pro *domicilio*. Sic sanè & eodem sensu Latinis *Sedes*, pro *loco etiam in quo simulacrum Dei stabat*, quin & pro tota etiam *æde Dei*. Varro, 4. De Lingua, *Cellas, in quibus Dei sedes sunt*. Lucretius lib. 6.

> —— *cur sancta Deûm delubra, suasque*
> *Discutit impacto præclaras fulmine sedes.*

Ovidius 4. De Ponto,

> —— *media qui sedet æde Deus.*

Cicero lib. 1. De Divinat.

> *Et Capitolinis injecit sedibus ignes.*

Mox,

> *Consule te tandem celsa est in sede locata.*

Virgilius 2. Æneid.

> *Ducendum ad sedes simulacrum —*

Statius lib. 4. Silvar. ad Domitianum,

> — *stupet hoc vicina Tonantis*
> *Regia; teque pari lætantur sede locatum*
> *Numina.* —

Tibull.

> *Num feror incestus sedes adiisse Deorum?*

Adde & Tacitum non uno loco. Vetus quoque inter alias Inscriptio Augustæ Vindelicorum, MERCURIO CUJUS A TERGO SUNT. Omitto sexcenta id genus alia. Sic & ἕδη θεῶν apud veteres passim, ἔνθα καθιδρύομεν, σηκός, τέμενος, Polluce interprete. Vide & Suidam. Et huc quoque spectare videtur *sessimonium Deorum*, quod dicitur apud Vitruvium, Præfat. libri 7. circa fin. Tandem igitur ἑδραίωμα fuerit *opus omne*, *res omnis locusve cui quid aliud innititur*, *insistit*, *sustinetur*, *fulcitur*; *fulcrum omne & sustentaculum*, *sessimonium*; βάθρα, βάθρον, κρηπὶς, στερέωμα, στήριγμα, ἕδρασμα, ut & ἔρεισμα· quomodo Pindarus Athenas ἔρεισμα vel ἔρυμα τῆς Ἑλλάδος dixit, *fulcrum Græciæ*, ut testatur Plutarchus lib. De Iside & Osiride, & Aristides in Panathen. pag. 167, & 343. quòd *fecissent libertatis fundamenta* κρηπῖδ' ἐλευθερίας, seu quòd *Græciæ libertatem communivissent*, ὥσπερ ἀδαμαντίνοις στηρίξαντες τὴν ἐλευθερίαν τῆς Ἑλλάδος. Ecclesia proinde ἑδραίωμα ἀληθείας, quia in ea *subsistit*, *sustinetur*, *sedet*, *eminet*, *fulcitur*, *attollitur*, & *velut in edito conspicienda proponitur Veritas*; *delubrum* ejus, *sacrarium*, *sessimonium*, *sustentaculum*, *munimentum*, *firmamentum*, *columen*. Quæ ipsa alioquin Ecclesia ἡδρασμένη dicitur *super tribus* θεμελίοις, *Fide*, *Spe*, *Charitate*, ut ait Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. pag. 402. Quæ cùm ità sint, hinc jam patet non accedendum Viro doctissimo qui ἑδραίωμα hoc à στύλῳ distare dixit, quòd στύλος *stantis positum ac situm notet*, ἑδραίωμα verò *sedentis*; ut neque alteri Viro celeberrimo, qui hoc loco Ecclesiam *columnam & stabilimentum veritatis* per figuram ἓν διὰ δυοῖν dici voluit, *columnam stabilientem veritatem*: nam & ἑδραίωμα aliud quid hoc loco à στύλῳ est, latiusque, quod jam ostendimus, patet; sic quoque ut & *columna* ipsa eà generali appellatione venire potuerit: sunt enim & columnæ in quibus simulacra exstant, simulacrorum sedes, fundamentum, substructio, βάθρον. Mihi porrò verisimile, vocem hanc, quæ nuspiam alibi, mihi saltem, quod dixi, hactenus occurrit, παρὰ τοῖς ἀρχιτέκτοσι, vel Tarsi Ciliciæ, ubi D. Paulus natus erat, usurpatam; vel certè Athenis, ubi Epistolam hanc scripsit, enatam. Neque etiam hic illud omittendum, Pythagoram, quique eum secuti sunt, cùm Philosophiam suam, hominisque adeò κάθαρσιν καὶ τελειότητα perfici dicerent τῇ ἀρετῇ seu *virtutibus* (quarum dux εὐσέβεια) & ἀληθείᾳ, id nominatim quoque scripsisse, quod certè scribit Hierocles in Aurea Pythagoræ carmina, pag. 25. τὸ ἔνθεον φρόνημα διαρκῶς ἡδρασμένον συνάπτειν θεῷ, *divinum animum ità*, *virtute*, inquam, *& veritate*, *bene munitum-stabilitum*, *Deo conjungere*: ubi vides ἑδραίωμα τοῦ φρονήματος ἐν τῇ ἀληθείᾳ, ut hic τῆς ἀληθείας ἑδραίωμα. Iidemque dicebant quòd *solus sapiens Deum honorat*, *ut qui sese imprimis hostiam offerat*, *suumque animum Divinum simulacrum efficiat*, *mentemque ad Divini luminis susceptionem Templum præparet*, ὁ προηγουμένως ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον

πεντασὴν τὴν ἑαυτῦ ψυχὴν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τῦ θείε Φωτὸς τὸν ἑαυτῦ παρασκευάζων νῦν. Quæ proximè ad ea quæ S. Scriptura continet accedunt. Verùm è diverticulo.

Illud postremò notandum, Veritatem in edito supra *στύλον καὶ ἑδραίωμα* positam à D. Paulo repræsentari, veluti conspicuam & adspectabilem, non ut Democritus Veritatem *in puteo* seu *fundo demersam* fingebat, & Seneca 7. De benef. 1. *involutam, in alio latentem*. Et rursum, in solido, *ἐπὶ τῇ πέτρᾳ* scil. Veritas collocatur. Lapidei enim ferme *στύλοι* fuere, ut & *ἑδραιώματα* sunt. Cujusmodi etiam situs sedesque *ἐπὶ τῇ πέτρᾳ* Dearum, ubi sese primùm spectandas præbuissent consedissentque, Gentiles repræsentabant. Sic enim & Ceres in Eleusiniis defatigata incubuisse dicebatur *ἐπὶ τῇ πέτρᾳ καλυμένῃ ἀγελάστῳ* juxta puteum Callichroum: quâ parte puteus ille seu *πέτρα* illa fuit Cereris in terris agentis veluti *στύλος καὶ ἑδραίωμα*. Unde & alicubi, teste Pausaniâ in Arcadicis pag. 272. simulacrum Cereris sedentis *ἐπὶ πέτρᾳ* erat. Sic & Delphis *in curia*, *παρὰ τὸ βυλευτήριον*, ostendebatur *πέτρα* supra quam Sibylla ex Helicone profecta, à Musis educata sedisse dicebatur, teste Clem. Alexandrino lib. 1. Stromat. p. 223. Ergò Ecclesia & hic per *στύλυ καὶ ἑδραιώματος* appellationem *πέτρα* censetur Fidei seu Veritatis; ut & ipsa retrò *ἐπὶ πέτρᾳ* ædificata, Christo videlicet: de quo alibi plura. Omittere etiam hîc non possum, quandoquidem de *πέτρᾳ* agere cœpimus, quod Pausanias in Arcadicis, pag. 249. de opere quodam in Eleusiniis memorat, quod & *πέτρωμα* vocat. Nempe opus id erat è duobus magnis lapidibus *πρὸς ἀλλήλυς ἡρμοσμένοις* constructum, compactum, in quo reconditi erant libri Rituales, quibus apertis, majoribus mysteriis initiandi scripto addiscebant quidnam sibi ad mysteriorum perceptionem facto opus esset: ibidemque jusjurandum de maximis quibusque rebus præstari solitum. Addit & Pausanias, *ἐπίθημα ἐπ' αὐτῷ περιφερὲς* fuisse *operculum supra id rotundo ambitu*, *intra quod Cereris effigies erat*, *ἔχον ἐντὸς Δήμητρος πρόσωπον* quam personam seu effigiem Sacerdos stato mysteriorum tempore induebatur. His verò duobus lapidibus & *πετρώματι* indè conflato, in quo & effigies Cereris erat, rectè opponi possit *στύλος καὶ ἑδραίωμα*, quæ & ipsa *πετρώματος* appellationem non respuant: ut & *πρόσωπον* seu vera effigies Veritatis, quæ in illis est, Cereris effigiei. Ex superiùs dictis interim apparet quantopere generis humani Hostis veritatem adumbrare, imò adulterare, conatus sit etiam in *πετρώματι* illo, ut ità Mosaïcæ quoque Legis tabularum instar aliquod exhiberet. Nos ad *στύλον καὶ ἑδραίωμα* veritatis redeamus. His sanè quoque opponi possunt egregiâ *ἀντιθέσει* Tripodes, qui sacri habebantur, *τρεῖς βάσεις καὶ πόδας ἔχοντες*, seu mensæ Deorum: cujusmodi Tripodes mensæque ut Delphis atque alibi ità & Athenis quoque erant; ubi oracula scil. reddebantur à Pythiis seu Phœbadibus, quæ his superimpositæ, & eâ quidem parte quæ *ὅλμος* vocabatur, vaticinabantur: unde & *τῆς ἀληθείας οἰκεῖοι τρίποδες* dicti Athenæo lib. 2. pag. 38. & Plutarcho in libello De *εἰ* inscripto foribus templi Delphici. Indeque vulgata parœmia, *Ἀπὸ τρίποδος*, *Ex tripode*, *ἐπὶ τῶν ἀληθῶς λεγομένων*. Sed & in iisdem Tripodibus erant alicubi sortes è quibus Gentiles, ut ipsi volebant, & vera & eventura discebant: de quo vide vel Suidam in voce *Πυθώ*. Imò & simulacra quandoque *ἀγάλματα* in his Tripodibus seu mensis locata erant ceu *ἐπὶ στύλῳ καὶ ἑδραιώματι*, veluti Veneris, Dianæ, Proserpinæ & Cereris, ut testatur Pausanias in Messeniacis, pag. 124.

Veritatis porrò seu *ἀληθείας* nominatim *στύλον καὶ ἑδραίωμα* Ecclesiam seu Domum Dei vocat Apostolus, & sic Ædi seu Domui Dei jungit Veritatis simulacrum, veramque imaginem, pariter ut apud Gentiles passim *Ædes* cum *signo* memorantur & sociantur, *ναὸς* seu *ἱερὸν* & *ἄγαλμα*. Vide vel Pausaniam. Atque adeò hæc duo ad legitimum Templum cultumque requirebantur, putà ut & Deo ferme alicui dicatum esset & simulacrum ejus ibi staret. *Veritas* autem hic non est tantùm in genere, *ἡ τῦ ὄντος ἀσφαλὲς κατανόησις*, quomodo Veritatem rectè definit Gregorius Nyssenus De vita Mosis, pag. 191. cùm videlicet id quod revera est, liquidò intelligitur, tenetur: verum, ut in singulis scientiis & professionibus sua quædam est & distincta veritas, ut rectè Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 233. ità hic speciatim seu *κυρίως* intelligenda est *κυρία Veritas Dei*, seu *de Deo*, ut vocatur Rom. 1. 25. & 3. 7. & 15. 8. quomodo & ab eodem Apostolo dicitur sapientia quæ est ex Domino, *veritas Christi*, 2 Cor. 11. 10. *veritas Euangelii*, Gal. 2. 5, & 14. Col. 1. 5. & *Euangelium salutis*, quod dicitur *λόγος τῆς ἀληθείας τῦ εὐαγγελίυ*, Eph. 1. 13. Col. 1. 5. 2 Tim. 2. 15. Quomodo *Ἑλληνικὴ* apud Gentiles veritas aliquando de Dei cognitione nominatim dicta, *ἀληθῆ* scil. *δόξαν ἔχυσα περὶ θεῶν*. Vide Plutarchum De Iside & Osiride. *Veram religionem verumque Dei cultum* interpretatur Chrysostomus hom. 7. in cap. 2. hujus Epistolæ. Clemens Alexandrinus lib. 7 Strom. p. 542. ità definit, *ἡ τῷ ὄντι ἀλήθεια μόνη περὶ τὸν ὄντως ὄντα Θεὸν γίνεται.* Quæ quidem etiam veritas à Filio habetur, *τῆς ἀληθείας εὑρέσεις δι' υἱῦ, μόνη δὲ ἡ κυρία αὐτη ἀλήθεια ἀπαρεγχείρητος, ἣν παρὰ τῷ υἱῷ τῦ Θεῦ παιδευόμεθα*, ut idem ait, d p. 233. *θεοδίδακτοι γὰρ ἡμεῖς ἱερὰ ὄντως γράμματα παρὰ τῷ υἱῷ τῦ Θεῦ παιδευόμενοι*, ibid. *αὐτυργῷ σοφίᾳ πεπαιδευμένοι*, p. 234. Nam & ipse Christus *veritas* est, Joan. 14. 6. & veritatis *διδάσκαλος*. Eaque Veritas ut passim memoratur inculcaturque in libris N. Fœderis, ità & non uno præterea prioris hujus ad Timotheum Epistolæ loco ejus mentio fit, *ἀληθείας*, inquam, & ejus *ἐπιγνώσεως*, cap. 2. 4 & 4. 3. ut & posteriore ad eundem Epistolâ. Nunc videndum quonam hic respexerit vel alluserit Apostolus. Hieronymi, Chrysostomi, aliorumque deinceps omnium hodie sententia est, istud dici oppositè ad Legem Judaïcam & umbras: ut certè *veritatem* alibi quandoque *Legi* opponi certum est, veluti Joan. 1. 17. ubi *Lex data* dicitur *per Mosen*; *gratia & veritas per Christum*. Verùm hoc loco id ità non est: tacita enim hic *ἀντίθεσις* (ut in reliquis omnibus) continetur ad Gentilium veritatem, quam ipsi fallò præ se ferebant. Ac primò quidem ad inania Deorum oracula, quæ è tripodibus (de quibus suprà) vel aliter reddebantur, & quidem ab Apolline, qui speciatim *τὰς ἀληθείας* prædicere ferebatur, (vide vel Arianum in Dissert. Epicteti lib. 3. cap. 1. pag. 268.) eaque ejus *provincia χώρα* dicebatur, ut *fons esset veritatis*, *πηγὴ τῆς ἀληθείας*. Unde & prisci duas *τιθήνας nutrices* Apollini apposuere, *τὴν Ἀλήθειαν καὶ τὴν Κορυθάλειαν*, teste Plutarcho Sympos. 3. ut omittam inania alia fatidicinæ & divinationis ludicra & ludibria, quæ hîc memorare longum foret. Secundò, *veritatis* appellatione profligantur hic Gentilium fabulæ, *μῦθοι*, falsaque eorum Theologia omnis, ac proinde *ψευδώνυμος ἀλήθεια*, falsæ, inquam, de Diis narrationes & genealogiæ, seu *θεογονίαι*, *πόῤῥω τῆς ἀληθείας*, opiniones & traditiones, *μάχαι τῶν λογισμῶν καὶ συμπεράσματα*, ut Chrysostomus ait hom. 1. in cap. 1. hujus Epist. à quibus etiam idem Apostolus d. cap. 1. dehortatur, propter Gentiles etiam, *τὰς θεὰς αὐτῶν καταλέγοντας*, ut ait Chrysostomus ibid. ut & ad Titum 3. 9. Quarum quidem fabularum nonnullas Gentiles concinnaverant *veris superstructas*, *ἐψευσμένας τοῖς ἀληθέσιν ἐποικοδομῦντες, συγκεραννύντες*, ut ipse Pausanias fatetur Arcadicis p. 237. *Sacerdotibus* etiam sæpe *non semper verum eliminare volentibus*, ut ait Diodorus Sicul. lib. 1. p. 17. *διὰ τὸ τὰς ἱερεῖς μὴ βύλεσθαι τ' ἀληθὲς ἐκφέρειν εἰς τὰς πολλὰς*, tandem Gentilibus hâc parte inter se minimè concordantia & *ἐναντιώματα* memorantibus; de quo pleniùs postea posteriore Exercitat. ad vocem *ὁμολογυμένως*. Ad *Ἑλληνικὰς* porrò nominatim per Græciam *μύθυς καὶ ἀντιλογίας* hic allusum, quas & ipsimet Romani scriptores proscribebant: vide vel Dionysium Halicarn. lib. 2. Hâc enim parte nihil non *Græcia mendax audebat in historia δυσφημοτάτων, ἀχρήστων σφόδρα, καὶ περιττῶν*, ut ait Plutarchus in quadam re De Iside & Osiride, *plenissima*. In universum verò excluditur hic & damnatur omnis Gentilium Theologia, Physica, Mythica, & Gentilis seu Civilis. Triplex enim hæc Theologia Varroni; de qua etiam Plutarchus 1. De decretis Philos. 6. & adversùs quam scripsere Tertullianus & Augustinus. Nulla quippe earum veritate nitebatur: *Conjecturis enim Philosophi Physicam concinnaverant, Poëtæ Mythicam de fabulis traxerant, populi Gentilem ultrò præsumpserant, ac proinde nuspiam in his veritas collocanda: nam in conjecturis incerta præceptio est, in fabulis fœda relatio, in adoptionibus passiva & municipalis adoptio: denique apud Philosophos incerta omnia, quia varia; apud Poëtas indigna omnia, quia turpia; apud populos passiva omnia, quia voluntaria: Porrò, ut Divinitas, ità & Veritas, si veram retractes, eâ definitione est ut neque argumentationibus incertis colligatur, neque fabulis indignis contaminetur, neque adoptionibus passivis judicetur: haberi enim debet, sicut est, certa, integra, communis, quia scil. omnium*: ut hæc ferme omnia eleganter Tertullianus initio lib. 2. Ad nationes. Adulterina contrà Gentilium veritas institutionibus tantùm majorum, auctoritatibus receptorum, Legibus dominantium, argumentis prudentium, seu vetustate, consuetudine, necessitate, exemplis, prodigiis, miraculis corroborabatur. Quibus omnibus aliisque præjudiciis opponitur hîc *κυρία*, nuda solidaque Dei veritas, quæ tamen, ut dixi, Gentiles pro veritate ferme obtrudebant: Atque inter alias Poëtica Theologia seu *μυθολογία* excluditur, quæ *περὶ τὸ ψεῦδος τὰ πάντα ἠσχολημένη ποτὲ ἤδη ἀλήθειαν μαρτυρήσυσα* erat, ut Clem. Alex. Ad Gentes, p. 37. de qua etiam Dio Chrys. Gentilis Orat. 36 p. 147. scribit quod etsi *ὐ πάνυ ἄσοχος* esset *τῶν ἱερῶν λόγων*, &c. attamen *ὐ καθαρῶς* circa ea sese haberet *ὐδὲ εἰδέναι τῦ ξύμπαντος περὶ τῆς ἀληθείας*. Opponitur & hic Veritas Symbolicæ & Ænigmaticæ Theologiæ & Scripturæ, quæ priscis, & inter alios Ægyptiis,

usitatæ

uſitatæ erant: adeò ut Ægyptii ante Templa ideo Sphingas ponerent, *σφίγγας ἱδρύονται, ὡς αἰνιγματώδους τοῦ περὶ Θεοῦ λόγου καὶ ἀσαφοῦς ὄντος*, ut idem Clemens Alexandrinus ſcribit lib. 5. Strom. p. 408. Quarto loco opponitur hic Veritas *κυρία* æterna, primaque Philoſophicæ nominatim veritati, *ψευδωνύμῳ Ἑλληνικῇ ἀληθείᾳ*, quæ ità *συνωνύμως* vocabatur, *ἢ τοῦ αὐτοῦ μετείληφεν ὀνόματος*, ut Clemens Alexandrinus d. p. 233. qualem Philoſophi Gentiles præ ſe ferebant, cujus ipſi *Φιλοθεάμονες* erant & dicebantur, & de qua ipſi multa: inter alia, *Philoſophiam circa veritatem verſari, demonſtrationemque & lucem veritatis eſſe.* Vide & Plutarchum libello de voce EI. *Philoſophiam eſſe ἀληθείας εἰκόνα ἐναργῆ, evidentem veritatis imaginem*, teſte Clemente Alexandrino 1. Strom. p. 204. quæ tamen, ut idem ait, Ad Gentes, pag. 33. *μηδέν τι νηπίων μᾶλλον τ' ἀληθὲς εἰδότων* erat: unde & idem pag. 31. in fin. Philoſophiam vocat *ὀνειρώττουσαν τὴν ἀλήθειαν*· adversùs quam denique multa idem d. lib. 1. Stromatum: etſi fateatur & ipſe *ἀληθῆ τινα δογματίζειν καὶ Ἕλληνας*, ſed *κατ' ἔμφασιν καὶ διάφασιν*, pag. 230, 232. Quin & *ἀληθείᾳ* inter alia Philoſophus ab aliis diſtinguebatur, quodque ſingula non *κατὰ δόξαν* verùm *πρὸς ἀλήθειαν* ſpectaret, ut ait Dio Chryſoſtomus Orat. *περὶ δόξης* pag. 613. Imò & hàc *ἀληθείας, κυρίας* ſcil. meræ, ſolidæ, voce perſtringitur & ipſa ad veritatem proximè accedens *θεωρητικὴ* Pythagoræ & Platonicorum *ἀλήθεια* ſeu Philoſophia, quâ inter alia ſacrorum myſteriorum & teletarum finem ſtatuebant, ut homo quàm ſimillimus Deo evaderet, imò Deus fieret: quamque ideo exigebant in eo qui felix & beatus futurus eſſet, *τῆς ἀληθείας εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς μέτοχον εἶναι*, ut Plato in Timæo & De Legibus, & ex eo Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 268. Iidemque Pythagorici & Platonici cùm Philoſophiam dicerent eſſe *ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσιν καὶ τελειότητα*, id perfici ajebant his duobus, *ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ, veritate & virtute*, de quo vide vel Hieroclem in Aurea Pythagoræ carmina, ſtatim in principio, & alibi: quæ & ipſa duo ſunt, quibus Apoſtolus his duabus periochis, ad *κάθαρσιν καὶ τελειότητα* eorum qui Eccleſiæ præeſſent, duo pariter opponit, *ἀλήθειαν* & *εὐσέβειαν*, quæ utique virtutis omnis fons eſt. Atque, ut ſummatim dicam, opponitur hic *Veritas*, mera ſc. omni *reſplendeſcentiæ veritatis*, ut loquitur Auguſtinus, quæ inter paganos magnis ingeniis non defuit. Ac multò magis opponitur hic *Veritas*, Eccleſiæ Dei innixa, falſis Deorum, quæ in Gentilium Templis ſupra columnas vel aliter exhibebantur, ſimulacris, ſtatuis, ſignis, idolis, imaginibus, quas *mendacii magiſtras* vocat S. Scriptura, quomodo & *ψεῦδος* de Idololatria non uno loco dicitur: ac nominatim iis propriè ſimulacris, idolis, quæ in delubro ſeu penetrali, ſacrario, cellàve ejus Dei cui templum dicatum erat, locata erant, ſive ſupra *ςύλον*, ſive ſupra *ἑδραίωμα* aliquod: de quò ſuprà jam plene. Præ quibus, in *æde Dei viventis*, & ſupra eam, una Veritas ex edito deque ſuggeſtu exhibetur, tanquam *εἰκὼν ſimulacrum* ſignumque, vel Diva aliqua (ſic dixiſſe liceat) ſeu Dei filia, imò Deus ipſe: cujuſmodi Veritatis, ceu Deæ, ſimulacrum publicè fixum apud Gentiles non reperio. Nam etſi Veritas privatâ apud Gentiles quandoque religione Numinis inſtar habita cultaque fuerit, ut teſtis eſt vetus Inſcriptio pag. 99. n. 8. Etſi Polybius in Eclogis lib. 13. ſibi videri dicat *Veritatem Deorum maximam a Natura mortalibus conſtitutam, μεγίστην θεὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ Φύσις ἀποδεῖξαι τὴν ἀλήθειαν*· Etſi eadem Regina apud Græcos habita dictaque, ut in illo, *Ἀρχὰ μεγάλας ἀρετᾶς ἄνασσ' ἀλάθεια*, quod Clemens Alexandrinus 6. Strom. p. 473. & Stobæus referunt; Etſi nil majus homo accipere neque dignius dare munus homini Deus poſſe diceretur Veritate, ut Plutarchus ſcribit initio libri de Iſide & Oſiride, ubi & ſubjicit, *θειότητος ὄρεξίς ἐστιν ἡ τῆς ἀληθείας, μάλιστα δὲ τῆς περὶ θεῶν ἔφεσις*, &c. Etſi Olympiadi quoque apud eundem Stobæum, *ἀλάθεια θεῶν ὁμόπολις μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη* dicatur, *Deorum concivis, ſolaque Deorum convictrix*; Licèt etiam Philoſophi Deum Veritatem dixerint, Vide vel Simplicium in Epicteti Diſſert. c. 47. Licèt Plato, cùm multa de Veritate ſcribat lib. 5. De Legibus, & ex eo Plutarchus, inter alia eam dicat eſſe *rem divinam, omniumque bonorum Diiſque & hominibus principium, & ad omnia bona ducem*; Imò licèt Jamblicus apud eundem Stobæum (ut omittam Platonis etymon in Cratylo, pag. 421.) *ἀλήθειαν* indè dictam velit, quòd *circa Deos & incorruptam eorum vim verſetur, ἀλήθεια, ὥσπερ καὶ τ' ὄνομα δηλοῖ, περὶ θεοὺς ποιεῖ τὴν ἐπιστροφήν, καὶ τῶν θεῶν τὴν ἀκήρατον ἐνέργειαν.* Ut omittam Magos *Deorum maximum*, quem *Horomaſdem* ſeu *Oromaſin* vocabant, *corpore Luci ſimilem*, dixiſſe, *animâ verò Veritati*, eodem Stobæo teſte: Hæc, inquam, licèt elogia Veritati tribuerint Gentiles, attamen Veritatem Divas inter publicè neque apud Græcos neque apud Romanos ullibi cultam obſervo; nullas illi aras, nulla templa, nulla ſimulacra ſignave dicata comperio: etſi alioquin virtutibus & affectibus humanis ea quoque paſſim poſita eſſent, etiam Athenis, veluti Miſericordiæ, Fidei, Pudori, Famæ, Alacritati, &c. imo & Contumeliæ, & Impudentiæ. Cui obſervationi haud abſimilis, vicina ſaltem, eſt Ariani vel Epicteti l. 1. c. 4. querela, quòd *Chryſippo, qui Veritatem in vita indagavit atque illuſtravit, eamque univerſos edocuit homines, nemo ideo βωμὸν ἱδρύσατο, ἢ ναὸν ἢ ἄγαλμα ἀνέθηκεν, aut Deo ideo ſupplicavit*; cùm tamen *Triptolemo, quòd humaniorem victum hominibus tradidiſſet, ubique aræ & templa extructa fuerint.* Etſi iidem quoque Gentiles, & inter eos Hippocrates & Philoſtratus, characterem & Iconiſmum Veritatis egregiè effingerent, Temporiſque (quia dies veritatem aperit) & Jovis filiam dicerent; quomodo & ab hæreticis nonnullis imago ejus peculiari modo expreſſa, teſte Epiphanio. In Ægypto certè Veritas proximè ſaltem ad Numina habita. Hinc illud quod Diodorus narrat lib. 1. pag. 31, & 48. de ſupremo Judice ſeu Magiſtratu, *ἀρχιδικαστῇ*, qui habebat *ζώδιον τῆς ἀληθείας*, ſeu *τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τοῦ τραχήλου, ſimulacrum Veritatis*, ſeu *Veritatem ſuſpenſam in collo*: quà re indicatum, *ἀρχιδικαστὴν πρὸς μόνην βλέπειν τὴν ἀλήθειαν, ſupremum Judicem ad ſolam veritatem reſpicere oportere.* Idemque memorat p. 61. in eadem Ægypto præter Hecates *ἱερὸν*, etiam *πύλας* Cocyti & Lethes (quarum meminit & Plutarchus De Iſide & Oſiride) alias item *πύλας Ἀληθείας* fuiſſe, & prope has ſimulacrum abſque capite ſtans, *τῆς Δίκης*. Ut omittam quod idem Plutarchus ibidem memorat, decimâ nonâ primi menſis diem Mercurio feſtum celebrantes mel & ficos ediſſe, ſimul dicentes, *ἐπιλέγοντες, Dulcis eſt veritas, γλυκὺ ἡ ἀλήθεια.* Item, Iſidis *φυλακτήριον*, quod fabulabantur ſibi *περιάπτεσθαι*, ſignificare *φωνὴ ἀληθής*. Ad rem; Veritatis igitur ſimulacrum velut Numen aliquod in *Eccleſia Dei viventis* proponi indicat Paulus, & unicum quidem quod univerſæ Eccleſiæ propoſitum: tacitâ etiam fortè alluſione & *ἀντιθέσει* ad Minervæ ſignum, quod Athenis præ reliquis unicè eminebat. Nam ſuos licèt ibi ſingulæ Curiæ Deos haberent, attamen Minerva ibi communi omnium religione habita cultaque, ſanctiſſimumque ejus ſignum ſeu ſimulacrum, quod & *διοπετὲς* eſſe fama erat, jam indè ab initio, communi omnium Curiarum conſilio dedicatum in arce habebatur, teſte Pauſaniâ in Attic. pag. 24. ſicut & Panathenæa, feſtum in ejus honorem omnium Atticæ populorum erat, poſteaquam omnes Athenienſes unam in civitatem coïere, teſte Pauſaniâ in Arcadicis, Plutarcho in Theſeo, vel quod omnes Atticæ populi celebrarent, ut ait Scholiaſtes Euripidis in Hecuba. Erat ea quippe peculiare Athenarum & Athenienſium omnium (quod vulgo notum) Numen, ſacraque adeò urbs & regio Attica Minervæ: eademque Jovis unius unici filia habita, *τοῦ πάντων δημιουργοῦ καὶ βασιλέως παῖς ἐστι μόνη δὴ μόνου*, ut Ariſtides Orat. in Minervam, pag. 17. At Chriſtianorum omnium Eccleſiæque Chriſti unicum velut Numen Veritas, unica Dei filia eſt: nam & Chriſtus, qui Veritas ipſa eſt, unicus Dei Filius. Quæ de Minerva Attica ſuprà dixi, pleraque & de Dianæ Epheſinæ ſimulacro memorari notum eſt. Igitur hic rectè Veritas opponatur, & fortè à Paulo oppoſita fuit, ſingulis, peculiaribus, vicanis, oppidanis, regionum, populorum Numinibus, quæ per ſingula illa præcipuo cultu habebantur; ut &, ut quæ initio dixi colligam, *ψευδωνύμῳ* Gentilium & Philoſophorum *ἀληθείᾳ*, Gentilitiiſque *μύθοις* ſeu *fabulis*. Peculiaris & hic fortè alluſio ad Eleuſiniorum fabulas & commenta figmentaque, in quibus ficta, falſa omnia narrabantur peragebanturque. Falſæ primùm ibi narrationes & traditiones de Cerere & Proſerpina, quæ *Deæ Eleuſiniæ* audiebant, deque Jaccho, memorabantur, quas inter alios proſcribit ipſe Dionyſius Halicarnaſſ. l. 2. Quomodo & Pauſanias non uno loco, veluti in Atticis, pag. 39. Corinth. pag. 66. in princ. & 68. atque alibi, civitates per Græciam quaſdam & regiones, ut & ſacrorum *interpretes* ſeu *ἐξηγητὰς*, haud ſemper *τὸν ὄντα λόγον* de rebus ſacris & religionibus tradidiſſe ingenuè fatetur, *μὴ πάντα ἐν ἀληθείᾳ*, ſeu *ἥκιστα ἀληθῶς*. Secundò, iiſdem in Eleuſiniis (quod & de omnibus Teletis ſcribit Auguſtinus lib. 3. De Trinit. cap. 10.) ſigna prodigiaque mendacii exhibebantur. Varia ſcil. ibi ſpectacula oculis objecta, auditaque multa, *lux modò, modò tenebræ, σκότος καὶ φῶς ἐναλλάξ*, fulgura, alia denique plura *oſtenſa* & *φάσματα*· ut omittam quod honeſtè nominari non poteſt: quod teſtantur Dio Chryſoſt. Orat. 12. Themiſtius Orat. in patrem; & iterum in inſigni fragmento apud Stobæum, ſerm. 119. Ariſtides in Orat. Eleuſ. Proclus in Platon. Theolog. lib. 3. c. 18. Pletho Schol. ad oracula Magic. Zoroaſtris; Theodoretus Græcarum affect. lib. 7. Eodemque reſpexit & Seneca ep. 90. Claudianus lib. 1. De raptu Proſerpinæ. Denique & Cereris mundus ibi ſpectandus propoſitus, teſte Apulejo in Apolog.

log. aliaque plura, falsæ & inanis tantùm ἐκστασίας ludibria. Quibus omnibus spectaculis, θεάμασι, Seneca dictâ epist. opponebat] *vera simulacra verasque facies ingentis omnium Deorum Templi* seu *Mundi*, quæ sapientia *cernenda mentibus protulit*: de quo postea plura, ad illa ἐν πνεύματι· ut & hic in Ecclesia mera veritas proponitur, quæ verum scil. unius Dei cultum, εὐσέβειαν, καθαρὰν πίστιν præ se fert, unde & mox μυστήριον τῆς εὐσεβείας, continet, edocet: denique veritas ὁμολογουμένη (de qua voce mox) non falsa, non ψευδώνυμος. Quam tamen etiam veritatem non tantùm Philosophi sibi vindicare soliti, ut & Gentiles templis suis, oraculis, Numinibus & simulacris, sed & Athenienses nominatim templo Eleusinio mysteriisque Eleusiniis suo quodam tribuere modo ausi. Sic enim Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. καὶ πρὸ τῆς τῶν μυστηρίων παραδόσεως καθαρμούς τινας προσάγειν τοῖς μυεῖσθαι μέλλουσιν ἀξιοῦσιν, ὡς δέον τὴν ἄθεον ἀποθεμένους δόξαν, ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τρέπεσθαι παράδοσιν. Ibi scil. arcanæ doctrinæ fundamenta tradi dicebantur, teste eodem Clemente lib. 5. γνωστικὴ Φυσιολογία, initio lib. 4. ἅπαντα ὁμοῦ τῶν σοφῶν ἀνάκτορα συνανεῴγνυτο, *omnia simul sapientum adyta pandebantur*, ut Themistius ad ea alludens ait d Orat. ad patrem, absque παραπετάσματι seu *velo*. Psellus ἐπαγωγαῖς, ubi de Sphinge, ἀνεγυμνοῦντο τὰ κεκρυμμένα, ibid. Hæc, inquam, ψευδώνυμος in Eleusinio templo veritas exhibita, non vera, non mera, non κυρία, cujusmodi Veritatem *Ecclesia Dei viventis* præfert, quæ scil. est κατ' εὐσέβειαν, ut vocat idem Apostolus 1. ad Titum 1. ad cujus ἀληθείας ἐπίγνωσιν *vult Deus omnes venire*, ut idem Paulus hâc ipsâ Epist. cap. 2. 4. Et solidam quidem integramque veritatem, quæ simul & semel verbo Dei exhibetur, non ut Eleusine cruciabat aditum, & Veritas ibi ἐν προσαγωγῆς aperiri dicebatur, perque varios gradus Gentilium μυστήρια pandebantur. Quod & variis ideo Apollinis nominibus expressere. *Pythius* nempe dictus, respectu eorum qui discere incipiebant & *percuntabantur*; *Delius* & *Phaneus*, eorum quibus *aperiebatur* & *elucescebat* veritatis aliquid; *Ismenius*, *scientium* jam respectu; *Leschenorius*, eorum qui jam utebantur ac fruebantur scientiâ, ac inter se *disputabant* & philosophabantur, ut memorat Plutarchus dicto libello De EI. Et hactenus quidem allusiones & antitheta ad fabulas tum in genere falsamque Gentilium veritatem, tum nominatim etiam ad Eleusinias fabulas in Attica, ubi Paulus tunc consistebat. Opponi possunt & Ephesinæ fabulæ, ubi Timotheus agebat, quæque nihilo minùs à veritate aberrantes, anilibus fabulis refertæ erant: unde & inter alia dicta Ἐφέσια γράμματα, ἀσαφῆ scil. αἰνιγματώδη, ἀσύνετα, imò & Magica καὶ περίεργα, de quibus Anaxilaus apud Athenæum, Plutarchus, Clemens Alexandrinus, Hesychius, Eustathius, & Parœmiographi: Ac nominatim τὰ ἐπὶ τοῖς ποσὶ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος γεγραμμένα, ἀσύνετα, ut Diogenianus refert & Apostolius. Hæc denique Veritas, non Ethica, quâ ità loquimur ut sentimus, non Logica, quæ est conformitas λόγου cum re ipsa; sed Metaphysicæ species, quæ est conformitas rei cum mente Divina & sua natura, est unica Ecclesiæ sive dos sive nota, quâ deinceps Apostoli Patresque Gentilibus præscribere soliti, sed & hæreticis, (Videndus saltem Augustinus) Veritas, inquam, Dei, Christi & Euangelii.

Et hactenus quidem de priori perioche, quâ Apostolus Ecclesiam Dei à duobus commendatum ivit, nempe quòd *Ecclesia* sit *Dei viventis*, item quòd *columna* sit *&* ἑδραίωμα *veritatis*, quomodo & Clemens Alexandrinus 1 Strom. p. 233. κατ' ἀλήθειαν ἑδραιότητα dixit. Hæc duo scil. elogia sunt Ecclesiæ Dei, opposite ad alias longè commendationes & elogia, unde Templa, & ἀρχεῖα quidem, Græcorum commendabantur: quæ unde commendarentur vide apud Pollucem l. 1. cap. 1, 12, 22. Ac nominatim hæc Ecclesiæ elogia opponuntur commendationi Templi Ephesini & Eleusinii, & hujus potissimum. Commendabatur scil. istud, ut ex Aristidis Oratione Eleusinia discimus, eo primùm nomine, quòd ab omnibus Græcis, Barbaris, Eleusine *commune Orbis delubrum* haberetur, *omniaque quæcunque inter homines sunt Divina veneratione & pulcritudine superaret*, κοινόν τι τῆς γῆς τέμενος, καὶ πάντων ὅσα θεῖα ἀνθρώποις ταυτὸν φρικωδέστατόν τε καὶ φαιδρότατον. 2. Commendabatur, quòd *de nullo alio loco mira magis historia & fabula memorarentur*, τίνι δὲ ἄλλῳ χωρίων, ἢ μύθων φῆμαι θαυμαστότερα ἐφύμνησαν; 3. Quòd nullo alio loco, visu auditu mira magis quàm ibi patrarentur, ἢ τὰ δρώμενα μείζω ἔσχε τὴν ἔκπληξιν, ἢ μᾶλλον εἰς ἐφάμιλλον κατέστη ταῖς ἀκοαῖς τὰ δρώμενα· Addit & Aristides, ὅσα μὲν δὴ θέας ἐχόμενα εἶδον, γενεαὶ παμπληθεῖς εὐδαιμόνων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἐν τοῖς ἀῤῥήτοις φάσμασιν. 4. Item quòd Cereris adventus, frugumque ab ea repertarum & invectarum monumentum id esset, & frugum parentis, frugiferæ, ut Poëtæ, Oratores & Historici uno omnes consensu narrabant, τῆς δωρεᾶς τοῦ σίτου καὶ κόρης εὑρήσεως· quod inter alios testatur Diodorus, Seneca, Hercul. Fur. 18. Pausanias in Atticis pag 4. Arnobius lib. 3. Julius Firmicus De err. prof. rel. aliique complures. 5. Item, quòd invictum id Templum Eleusinium semper, dirutis subindè aliis, stetisset à casibus & cladibus immune; atque unicum istud antiquum felicitatis & majestatis monumentum urbi Græciæque relictum fuisset. 6. Quòd cùm alii conventus publici quinto quoque vel tertio anno celebrarentur, ibi quotannis mysteria peragerentur. 7. Quòd (idque maximum & divinissimum) una hæc ædes conventum omnem caperet, essetque eadem *urbis & agri Eleusinii complementum*, τῆς τε πόλεως πλήρωμα καὶ τοῦ Ἐλευσινίου. 8. Quòd *statuis & picturis magnoque in ambitum ornatu præditum esset: qualia nè in augustissimis quidem Templis reperientur*, πλάσματα τοίνυν καὶ γραφὰς, καὶ τὸν κύκλῳ κόσμον τοῦτον, τίς ἂν οὐχὶ καὶ ἐν ταῖς τριόδοις ὁρῶν ἐγκαλύψαιτο, μήτιγε δὴ ἐν προσθήκῃ τῶν σεμνοτέρων εἶδεν. Omitto nunc horum Eleusiniorum mysteriorum fructum, quem falsò sibi fingebant: de quo posteriore periochâ ad vocem ἐπιστεύθη, ubi de Symbolo fidei Eleusiniæ. His, inquam, elogiis decoratur ab Aristide Templum Eleusinium expressâ in id Oratione. Quomodo & Ephesinum suis summis laudibus ornabatur. Omitto in genere quòd inter mundi miracula id habitum: Templi illius celebritatem tria augebant; magnitudo primùm, quâ cætera omnia hominum opera anteibat; Ephesiorum deinde civitatis splendor; ipsa postremùm Deæ claritas, ut scribit Pausanias in Messenicis, pag. 141. Præ quibus omnibus Ecclesia Dei indè unicè commendatur quòd ea & *Dei viventis ædes* sit & στῦλος καὶ ἑδραίωμα *veritatis*, i. e. quæ verum cultum retinet, quæ fons est veritatis, quæ domicilium fidei, extra quam non est salus; *quâ si quis non intraverit, vel à quo si quis exiverit, à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est*, ut Lactantius lib. 4. cap. 30. utpote quæ *veritatis* στῦλος sit *&* ἑδραίωμα, i. e. ut eò iterum redeam, *columna & columen veritatis*. Nam ità quoque ἑδραίωμα verti potest, *columen*: quod suprà jam obiter indicatum. Est enim *columen*, στήριγμα, Sosipatro Charisio ἔρεισμα. Imò & στῦλος quoque seu *columna* eâ *columinis* appellatione venit: unde & nomen traxit. Denique *columen* est in ædibus pars quæcunque summa, sustentatio, firmamentum, fastigiumque vel apex sublimandæ cuique rei seu cui aliquid quomodocunque innititur vel inniti potest. Ideo quoque in Glossis, *Columen*, ἐπιστύλιον. Omitto figuratum hujus vocis usum; de quo inter alios, Interpretes Arnobii ad lib. 1. Omitto etiam innumera alia de *columine* loca. Inter cæteros Varro libris De re rustica *Turres & columina villarum* dixit, lapidea scilicet summa loca in tectis quæ columbæ saxatiles petunt; unde & *columba* dictæ. Cicero quoque lib. 1. De Divinat. agens de *Summani simulacro in fastigio* seu columine *Jovis Optimi Maximi* fulgure tacto,

> *Quid verò Phœbi fax tristis nuncia belli,*
> *Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat;*
> *Præcipites cæli partes, obitusque petisset;*

Et mox,

> *Ni post* (Ni priùs) *excisum ad columen formata decore*
> *Sancta Jovis species claros spectaret in ortus, &c.*
> *Hæc tardata diu species, multumque morata,*
> *Jupiter excelsâ clarabat sceptra columnâ.*

Quibus locis *columen* est fastigium, ὀροφὴ, ἀέτωμα, ἀκρωτήριον, τρίχωρον ædis culmenque, ubi Dei simulacrum erat, ut cæteroquin in fastigiis & culminibus Templorum inter alia Deorum simulacra posita erant. Testis inter alios Livius lib. 10. & 35. & lib. 26. (ubi & *columinis* voce disertè hac in re utitur, *In æde Concordiæ Victoria, quæ in columine erat, fulmine icta decussaque*) Propertius lib. 2. Eleg. 31. Plinius lib. 35. 12. & 36. 5. Julius Obsequens, ubi de Tritonibus, c. 37. Dio lib. 79. pag. 911. Vopiscus in Floriano. Vide & quæ hac de re Rycquius De Capitolio, cap. 15. Cl. Salmasius in Histor. Augustam, pag. 154, 155, 156, 422, 423. Imò & *columinis* vox quandoque de arbore. Catullus,

> —— *sub altis Phrygiæ columinibus.*

Ad rem. Tandem igitur Ecclesia *Veritatis columna columen*que dicitur; utpote quam in edito & propatulo sustinet, proponit: non, ut & hoc ad superiora adjiciam, quomodo fatidici libri Sibyllini, inclusi in Templi Capitolini cella subterranea *in arca lapidea* asservabantur, κείμενοι κατὰ γῆς ἐν λιθίνῃ λάρνακι, ut Dionysius Halicarn. lib. 4. pag. 260. dein sub Augusto *conditi duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi*, teste Suetonio in Octavio, c. 31.

PO-

POSTERIOR EXERCITATIO, DE MYSTERIO PIETATIS.

HActenus de *Ecclesia Dei*, cujus ostensâ prælatâque dignitate (nempe quòd ea *Ecclesia Dei viventis* sit, & *columna firmamque sustentaculum & sessimonium, fundamentum, firmamentum, columen veritatis*) Apostolus Episcopos & Diaconos ei ministerium præbentes muneris atque officii sui commonefactos eoque vehementiùs adactos voluit. Et sic de priore commate seu κῶλῳ & perioche hujus loci Paulini. Nunc de posteriore, quæ est de *Mysterio Pietatis*, seu Incarnationis Christi. Quæ quidem quo vinculo superiori cohæreat, seu quænam hujus cum superiore συνέχεια, συνάφεια vel ἀκολουθία sit, quis nexus, quæque adeò vis particulæ καὶ, quâ hunc sermonem ingreditur D. Paulus, videndum est. Subjicit enim illico Apostolus post illa, ςύλος καὶ ἑδραίωμα ἀληθείας, ista, Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐςὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυςήριον. Multi hiulcam & ἀσύνδετον fractamque hic orationem censent, eò quòd non soleat Apostolus novi argumenti tractationem inchoare à conjunctione καὶ, & ideo hæc superioribus ità continuâ potiùs oratione connectenda putant, ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως, &c. ut sic hæc omnia continuo filo de *Christo* dicantur. Quod suprà jam refutavimus. Theodoretus illud Apostolum *necessario subjunxisse* vult *velut dogmaticum sermonem*, ἀναγκαίως, inquit, τὸν δογματικὸν παρεσήγαγε λόγον. Sunt qui particulam καὶ hic ἐξηγητικὴν *declaratoriam*, *explicativam*, ut aliàs sæpe, volunt, pro *id est*, in sensu conjuncto, non in sensu diviso, ut ità voluerit hic Apostolus ostendere quænam sit *veritas* illa & *veritatis* ὑπερβολὴ cujus ςύλον καὶ ἑδραίωμα superiùs Ecclesiam dixit, & in quo *veritas* cujus modò meminerat constaret; nempe in *Mysterio* Incarnationis Christi. Superiùs sc. dixerat, ut hanc Interpretationem juvem, *Diaconos tenere oportere* μυςήριον τῆς πίςεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει. Idem proximè repræsentaverat, Ecclesiæ ministrantium officium excitaturus, Ecclesiæ Dei ἀξίωμα, nempe quòd ea *columna esset firmaque sedes & sustentaculum* seu *columen veritatis*. Nunc Apostolus *veritatem* istam, seu *mysterium pietatis*, pluribus & specialiùs enarrare videatur; & sic καὶ conjunctiva hic, ut aliis locis, ἐξηγητικὴ fuerit, & relativi vim habeat ad vocem *veritatis*; ac si diceret, *Veritatis*, ID EST vel, QUÆ *profectò est magnum pietatis mysterium*. Et hæc quidem interpretatio à verò haud abludere videatur, eò sc. quòd revera per ἐπιφάνειαν Servatoris nostri veritas apparuit. Item quòd *cognitio veritatis sit pietas*, ἡ ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας θεοσέβεια, ut Clemens Alex. ad Gentes, p. 41. Verùm potior hæc mihi placet sententia, particulam καὶ velut αὐξητικὴν hic stare, amplificandæ sc. rei, eodem fine ab Apostolo additam, ut Ecclesiæ ministrantium officium tantò magis excitaret. Nempe hàc & superiore periochê officium Ecclesiæ ministrantium duabus distinctis rationibus excitatum voluit Apostolus. Primò quidem, propositâ Templi seu *Ecclesia* Dei majestate, quòd ea sc. *veritatis columna & columen* sit: quod superior perioche præstitit. Secundò, *Mysteriu*, quod in ea celebratur Ministrisque creditum est, majestate simul & fide seu ἀποδείξει quod hujus periochês argumentum est. Est enim horum duorum, *Templorum*, inquam, & *Mysteriorum* quæ in his agitantur, conjuncta ferme ratio majestasque, ac proinde & conjuncta commendatio: Quomodo etiam fuit apud Gentiles, ut vel ex Aristidis Oratione Eleusinia jam didicimus: Et utrumque juxtà plurimum momenti habet (quod & ipsum suprà jam indicavimus) ad excitandum eorum qui Templis seu Ecclesiæ Dei mysteriisque ibidem ministrant officium. Proinde Καὶ hic non est simplex & vulgaris copula seu σύνδεσμος, sed αὐξητικὴ nominatim, atque ad superiora novæ alterius rationis adjectæ nota. Qui vel in N. F. libris versati sunt intelligunt quàm variè hæc particula seu copula καὶ ibi accipiatur, non minùs quàm apud Latinos vocula *&* variè admodum effertur. Ut omittam, eam quandoque διαζευκτικὴν esse, i. e. *disjunctivam*, seu vim disjungendi habere, & sic poni loco *vel*, ἢ, quomodo & in Jure sæpe accipitur: ut omittam, eam quandoque πλεονάζειν seu *redundare*. Est ubi ea pro *ut* effertur. Est ubi a Rationalis est, seu loco γὰρ, *nam*, *enim*, *quoniam*. Quandoque ea Consecutionis & Illationis vim habet, pro οὖν vel ὥςε, vel pro *etiam*, *adeo ut*. Nonnunquam Adversativæ vim obtinet, loco ἀλλὰ, *sed*. Alibi Relativæ locum sustinet, pro *quod*, *quæ*. Alicubi, quod jam dixi, ἐξηγητικὴ est, loco *id est*. Est denique ubi Similitudinis similitve alterius rei aut rationis ad superiora adjectæ vim habet, pro *ut &*, *sicut etiam*, ut hic, ità & apud Joannem Euangelistam, & Joannem in Epistolis non semel. Ad summam, promiscuum est hoc orationis cujuscunque vinculum, & duarum rerum conjunctio, σύνδεσμος, diversa, vinculi ratio, prout res est; atque inter alia diversarum licèt rerum, similium tamen, in aliquo negotio conjunctio. Qui postremus sensus huic loco aptandus venit. Continetur hic sc. altera seu similis superiori, probabilis Ecclesiæ ministrantium ἀναςροφῆς, seu eorum καθάρσεως & τελειότητος ratio: & duplici quidem συναφῇ & similitudine; *Ecclesiæ* primùm & *Mysteriorum*; dein, *Veritatis* & *Pietatis*. Prioris hic sensus est; Sicut Ecclesiæ ratio magnitudinisque ejus æstimatio magnum ad probabilem Ecclesiæ ministrantibus ἀναςροφὴν incentivum est, ità & Mysterium quoque quod in ea celebratur, iisque creditum est, esse debet. Posterioris hæc sententia est; Sicut Ecclesia Dei *Veritatem* meram puramque præ se fert, ità Mysteria quæ in ea celebrantur meram *Pietatem* spirant. Ità verò quoque Pythagorici & Platonici (quò hoc loco Paulus quoque allusisse potuit) κάθαρσιν καὶ τελειότητα vitæ humanæ perfici dicebant *Virtutibus* (quarum dux & fons εὐσέβεια & *veritate* ἀλήθεια. Vide vel Hieroclem in Pythagoræ carmina: quanquam Socrates, teste Senecâ, idem dicebat *Veritatem* & *Virtutem*. Ità Academici, teste Cicerone, duo hæc esse maxima dicebant, *Judicium veri*, & *Finem bonorum*, seu quò perveniendum esset: quod sanè Pietas est Christianis. Ex his proinde jam patet quàm egregiè hæ duæ periochæ inter se cohæreant: manifestumque adeò hinc incipere κῶλον ἀλόκληρον, superiori nequicquam verborum filo, ceu pars ejus, nectendum, verùm sensu tantùm & ratiocinatione conjungendum. Et hæc de vocula Καὶ.

Addit insuper D. Paulus, hunc sermonem ingrediens, vocem certissimæ atque indubitatæ rei indicem, ὁμολογουμένως. Quam quidem ità vertit Pseudo-Ambrosius, *omnium confessione*; alii, *manifestè*, *citra controversiam*, *indubitanter*, *liquido*, *profectò*, *in confesso est*, *confessò*; idem proinde cum ἀναντιῤῥήτως, ἀναμφιβόλως, ἀναμφηρίςως, οὐ ζητουμένως, ut Chrysostomus, ἀναμφίβολον γὰρ ἐςιν pro quo aliis quoque ὁμολόγως dicitur, ut Hesychius rectè. Quà ipsâ etiam voce utitur Clemens Alexandrinus non uno loco, & Dionysius Halic. lib. 11. pag. 701. Cleanthes quoque olim Pisadæus Stoicus inter alia Dei Summique boni epitheta ὁμολογούμενον posuit, teste eodem Clemente Ad Gentes, pag. 35. Verùm hoc loco nominatim vox hæc ὁμολογουμένως posita est ab Apostolo secretiore sensu fineque, pro ἀξιοχρέως ἐς πίςιν ad discrimen vid. seu allusione tacitâque ἀντιθέσει ad Mysteria Gentilium, & ad ea quæ de sacris suis & religionibus Græci scriptores prædicabant. Enimvero alia erant & narrabantur de his velut οὐχ ὁμολογούμενα, ut Diodorus quoque Siculus lib. 1. p. 34. ait, nudæ vid. & crepetæ incertæque & dubiæ narrationes, & in quibus ipsi Gentiles inter se *pugnabant* διαπεφωνήκασι. Alia erant ὁμολογούμενα, quæ sc. εἰς τὸ μέσον ποιηταὶ καὶ λογοποιοὶ καὶ συγγραφεῖς πάντες ὑμνοῦσι, ut scribit Aristides Orat. Eleusiniâ pag. 450. atque *à sacrorum interpretibus communi consensu tradebantur*, ὁμολογεῖται, inquit Pausanias in Massen. pag. 143. ἐπὶ τῶν ἐξηγητῶν. Sic & Lucianus De Dea Syria duobus locis, agens de Templi cujusdam vetustate, *varios de eo*, *deque Dea cui id consecratum erat*, *sermones circumferri* ait, *alios sacros*, *alios manifestos*, *alios admodum fabulosos*, *alios Barbaros*, *alios cum Græcis* ὁμολογέοντας. Hujusmodi verò speciatim ὁμολογούμενα quædam de mysteriis Eleusiniis, quorum fides in dubium vocabatur, prodita, testis est Diodorus Siculus lib. 1. pag. 25. mysteriorum quippe Eleusiniorum origines explicans, cùm multa de Eleusiniis dicerentur falsò tradita & fabulosa, quasdam de his narrationes ὁμολογουμένας percrebuisse ait, γενομένων, inquit, ὁμολογουμένως αὐχῶν μεγάλων, &c. ubi vides etiam eandem vocem ὁμολογουμένως. Isocrates etiam de iisdem Eleusiniis agens, deque eorum fide, in Panegyr. pag. 47. καὶ τὰ νῦν, inquit, γιγνόμενα τοῖς ὑπ' ἐκείνων [Ἑλλήνων] εἰρημένοις ὁμολογεῖ. Pausanias certè quoque non tantùm in genere passim de originibus sacris deque mysteriis & religionibus Gentilitiis Græciæ agens, disertè ait in Messen. pag. 112.

pag. 112. *pleraque apud Græcos controversa esse*, ἥκει γὰρ δὴ εἰς ἀμφισβήτησιν τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι τὰ πλεῖα & in Bœotic. pag. 294. καὶ Μεγαρεῦσι τὰ ἐς αὐτὴν οὐχ ὁμολογοῦσι, διάφορα δὲ καὶ τὰ λοιπὰ ὡς τὸ πολὺ ἀλλήλοις λέγουσιν Ἕλληνες. sed & diserté, non minùs quàm Diodorus, ὁμολογοῦντα seu ὡμολογηκότα, ὡμολογημένα, ab iis quæ οὐχ ὁμολογοῦντα essent passim distinguit, ut in Attic. p. 15, 39, 41. Corinth. p. 48. 69. Messen. pag. 142. Arcad p. 267. Bœotic. p. 283. In plerisque sc. scriptores partim inter se dissentiebant seu pugnabant, partim populi seu Gentiles aliter narrabant ἀμφισβητοῦσι, imò & ἐπιχώριοι seu cives quandoque οἱ τὴν πόλιν ἔχοντες aliter, aliter οἱ δῆμοι seu *populi*, veluti Atticæ) quo in populorum numero erat quoque Eleusis seu Eleusine) ut idem testatur Atticor. pag. 14. & 36. *Corinth.* p. 46. Laconic. p. 98. Messen. p. 142. Arcad. p. 262, 267. Ac nominatim circa Cererem, Proserpinam & Triptolemum, qui Eleusine celebrabantur, Athenienses & Argivi variè rem narrabant, ut scribit idem Atticorum pag. 13. Et cùm μυθολογίαις plena omnia essent, circa θεογονίας seu γενεαλογίας potissimùm Deorum & Heroum, dict. pag. 39, & 180. in fine, & ἐξηγηταὶ ipsi consentanea non dicebant. Cui etiam rei inter alios testis Apollodorus, Atheniensis & ipse, qui Deorum genealogias describens, varias passim de iis sententias refert. Consule vel librum ejus tertium p. 154. 172. 194. quò etiam allusisse videri possit Apostolus noster hàc ipsâ Epist. c. 1. nihilo secius quàm ad hæreticorum nonnullorum Genealogias, μηδὲ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις. Quin & conjecturis hac in re sæpe agebatur, ut idem Pausanias docet. Denique πιθανά tantùm quædam erant, d. pag. 15. quæ πιθανολογίαι eidem Apostolo Col. 2. 4. dicuntur. Cujusmodi πιθανώτατα electurum sese ait Diodorus. Et in summam, fabularis Deorum historia tota in Genealogiis consistebant, ut Asclepiades vetus Grammaticus voluit. Quare & idem Pausanias passim in Atticis μυθολογίας fabulasque de Diis vulgique rumores non tantùm refert, sed & refutat damnatve: & alibi τοῖς μάλιςα ὁμολογουμένοις usurum se ait Corinth. p. 55. Tandem & Romani ipsi, teste Varrone, *incertos Deos* quosdam constituebant. Vide Tertullianum lib. 2. ad Nation. 9. Augustinum 6. De civitate Dei, cap. 3. Ut & Dionysius Halicarnasseus lib. 2. οὐχ ὁμολογούμενα hujusmodi ab ὁμολογουμένοις & ipse distinguit. Ergò quod Apostolus hîc ait καὶ ὁμολογουμένως, tale est ac si dixisset, *Veritatem esse certissimam, exploratissimæ fidei, omnium consensu receptam, probatam contestatissimamque eventu ipso esse: verissimum denique hoc pietatis mysterium esse, & verè magnum.* Nam ad utrumque vox hæc ὁμολογουμένως referri potest, & ad mysterii *veritatem*, & ad *magnitudinem* seu *majestatem* ejus. Non ut Græcæ religiones discrepabant, & erant tantùm χρόνῳ βοηθούμενα καὶ μύθῳ κλεπτόμενα, ut Gregorius Nazianzenus ait Orat. εἰς τὰ Φῶτα τῶν Ἐπιφανίων, p. 265. Totius denique Ecclesiæ Christianæ per totum orbem sparsæ consensu ὁμολογούμενον hoc mysterium dixit Apostolus, utpote quæ *columna &* ἑδραίωμα, *firma sedes, substructio, columen & testimonium veritatis* sit: quæ utique veritas, certa, integra, communis, constans ubique & apud omnes exsistit. Πιςὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, inquit idem Apostolus, hàc ipsâ Epistolâ 1. 15. & 4. 9. ὅτι ὁ Χριςὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον, dict. v. 15. ut & hujus ipsius 3. capitis initio, & 2 Tim. 2. 11. Tit. 3. 8. πιςὸς ὁ λόγος. Quibus omnibus proscribuntur tùm inanis Philosophorum veritas, quâ unà cum *virtute* ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσιν καὶ τελειότητα perfici volebant, tum incertæ Gentilium traditiones & narrationes, Theologiaque adeò omnis Gentilitia, sive Physica ea sit, Philosophorum ἀλλήλοις μὴ συμφωνούντων, sive Mythica, sive Gentilis, in quarum utique nulla Veritas collocanda, quas & ideo passim Patres proscribunt, & in his Tertullianus eleganter posteriore, ut jam suprà dixi, Ad Nationes libro, & Augustinus libris De civit. Dei; pariter ut ea hic proscribuntur duabus his vocibus, τῆς ἀληθείας & ὁμολογουμένως, quæ eodèm recidunt; sc. & Templum seu Ecclesia Dei ςύλος καὶ ἑδραίωμα *Veritatis* dicitur, & *Mysterii* veritas *contestatissima* ὁμολογουμένη· quicquid ea *Judæis* sit *scandalum*, *Græcis stultitia*, ut idem Paulus 1 Cor. 1. 23. Et hæc de ingressu Apostoli ad posteriorem periochen, nexuque adeò ejus cum superiore: Quo simul Apostolus fidem à se mox dicendis abstruit, adseveratione hàc præmissâ. Quomodo & Gentiles scriptores nonnullis à se dictis vel dicendis fidem vocibus complurimis & asseverationibus adstruebant, imò & adagiis; ut, *Veriora Bacidis vel Sibyllinis dictis, Veriora quàm quæ apud Sagram.*

Priùs etiam quàm Apostolus veritatis hujus ὁμολογουμένης ἐξήγησιν, i. e. *explicationem*, & ἐπίδειξιν, i. e. *demonstrationem*, (nam utrumque hic præstat) specialiùs ingrediatur, egregio Orationis incremento rem hanc σεμνύνων, triplici amplificatione commendat. Nam & *Mysterium* id vocat, & (quod secundum) *mysterium magnum*, tandem *mysterium pietatis*: Quæ & ipsa Gentiles suo quodam sensu sacris ritibus suis tribuebant. Ad quæ hàc integrâ periochê, pariter ut superiore. Apostolus ubique alludit, non transeunter & per transennam tantùm in sola *Mysterii* voce, quod Interpretes hactenus credidere, qui ideo in hoc tantùm allusionem agnoscunt, at non in cæteris: cùm tamen in his perpetua allusio seu ἀντίθεσις contineatur.

De *Mysterii* voce, quæ septem supra viginti locis in N. T. occurrit, apud unum Paulum Apostolum viginti, & hàc quidem priore ad Timotheum Epistolâ ter, præter hunc sc locum, cap. 2. 6. si fides nonnullis manuscriptis (vulgò enim ibi vox μαρτυρίου exstat) & hoc ipso capite tertio, paulò antè, putà v. 9. deque ejus vocis origine agere pluribus nunc non attinet. Breviter dixisse sufficiat, *Mysterium* in negotio religionis (indè enim propiè hujus vocis usus increbuit; quæ & propagata ad Philosophorum sectas & arcana quæ ἐσωτερικοῖς pandebantur) esse *rem sacram, latentem, arcanam, abditam, occultam, opertam, occlusam,* ἀγνοουμένην (ut Chrysostomus) *humanum sensum & intellectum excedentem*, quæ ad verum & explicitum sui intellectum vel revelationem & patefactionem Spiritûs Dei requirit, vel peculiares interpretes ἐξηγητὰς desiderat, vel eventum exspectat, & post hæc omnia intellectu ferme magis fideque quàm sensu capitur. De quo paulò pòst ad vocem ἐδικαιώθη, & in voce ἐπιςεύθη. Unde illud Chrysostomi in 1 Cor. hom. 7. ἐν μυςηρίοις ἕτερα ὁρῶμεν, ἕτερα πιςεύομεν. ἑτέρως οὖν ἐγὼ, ἑτέρως δὲ ὁ ἄπιςος περὶ τούτων διακείμεθα. Et mox, οὐ γὰρ δὴ τῇ ὄψει κρίνω τὰ φαινόμενα, ἀλλὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς διανοίας. Item illud Theodoreti in h. l. ἄνωθεν μὲν προορισθὲν, ὕςερον δὲ φανερωθέν. Traducta porrò vox hæc (quod vulgo jam notum) è superstitione Gentilitia: unde & idem Apostolus vocem μεμύημαι Phil. 4. 11. transtulit & mutuatus est. Ibi quippe *mysteria* erant, occulta & operta opertaneaque sacra, reconditi sacrorum ritus actusque, qui & paucis innotescebant, & interpretes, προφήτας, ἐξηγητὰς cujusque loci (quorum multa mentio apud Pausaniam, & ad quos pariter Apostolus alibi allusit) μυςαγωγοὺς desiderabant, & oris silentio tegebantur: unde nominis originem nonnulli trahunt ἀπὸ τοῦ μύειν, τὸ ςόμα vid. καὶ τὰ χείλη· adeò quidem etiam ut cùm varia Mysteria apud Gentiles celebrarentur, ac nominatim in eadem Attica Agræ quoque & Alimunte (quorum meminit Clemens Alex. ad Gentes, p. 16. Stephanus in Ἄγρα, Eustathius in Iliad. β'.) de Eleusiniis nominatim sacris κατ' ἐξοχὴν *mysteria* dicerentur in eadem Attica, ubi Apostolus hanc Epistolam, ut dixi, scribebat, eò quòd ea πασῶν τιμιωτάτη τελετὴ esset, καὶ πάσαις ταῖς ψήφοις προφέρει τὰ Ἐλευσίνια, teste Aristotele lib. 2. Rhetor. 24. Aristide in Eleusinia, & Panathen. pag. 333. Pausania in Phocicis: ἁγιώτατα μυςήρια, τὰ συνέχοντα τὸ ἀνθρώπινον γένος, apud Zosimum lib. 5. σεμνὰ μυςήρια Euripidi initio Hippolyti. Vide & locum Galeni lib. 17. De usu partium. διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἀρχαιότητος καὶ ἁγνείας ἐγένοντο πᾶσιν ἀνθρώποις περιβόητα, inquit Diodorus lib. 5. pag. 200. *nobilissima* Augustino. De quibus alioquin librum singularem olim scripserat Melanthius περὶ τῶν ἐν Ἐλευσῖνι μυςηρίων. Pausanias verò ea enarrare somnio vetitum se in Atticis non uno loco scribit: ut & Numenius Philosophus sicut & Hicesius librum περὶ μυςηρίων scripserat, quem laudat Clemens Alex. ad Gentes pag. 32. Indè igitur *Mysterii* vox in rem & religionem Christianam traducta. Hinc μυςήριον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν Matth. 13. 11. Mar. 4. 11. Luc. 8. 10. μυςήριον τοῦ Θεοῦ Apoc. 10. 7. μυςήριον τοῦ θελήματος Θεοῦ, noster Ephes. 1. 9. μυςήριον Χριςοῦ Ephes. 3. 4. Col. 4. 3. μυςήριον τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ Col. 2. 2. μυςήριον τοῦ εὐαγγελίου Ephes. 6. 19. μυςήριον τοῦ πληρώματος τῶν ἐθνῶν Rom. 11. 25. Hinc & λαλεῖν μυςήρια 1 Cor. 14. 2. λέγειν μυςήρια 1 Cor. 15. 51. μυστήριον ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅς ἐστι Χριστὸς ἐν ὑμῖν, ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης Col. 1. 27. σοφία Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένη 1 Cor. 2. 7. Tandem & μυςήριον ἀνομίας 2 Thess. 2. 7. Eodèm pertinet & quòd Apoc. 17. 5. de Meretrice Babylonia dicitur, eam habere in fronte nomen Μυστήριον. Sic quoque & κακίας μυστήριον dicitur de vita Antipatri Herodis filii, q. d. *profunda abditaque malitiæ mysterium*, apud Josephum 1. De bello Judaico c. 17. Ergò & hic Apostolus μυστήριον εὐσεβείας dixit τὴν τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ ἡμῶν οἰκονομίαν, quod Chrysostomus ad hunc locum rectè notavit, sed & ea quæ mox hic sequuntur liquidò ostendunt: Quod sc. mysterium χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον erat, Rom. ult. 25. ἀποκεκρυμμένον πρὸ τῶν αἰώνων 1 Cor. 2. 7. ἀπὸ τῶν αἰώνων Eph. 3. 9. καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν Col. 1. 26. suo tandem tempore revelandum erat, & verò *revelatum fuit* seu *manifestatum*, ἐγνωρίσθη, ἀπεκαλύφθη, ἐφανερώθη. Eph. 3. 5. Col. 1. 26. Quò pertinet etiam hàc ipsâ Epist. 2. 6. τὸ μυστήριον καιροῖς ἰδίοις, si quibusdam codicibus standum est: nam, ut paulò antè dixi, vulgata lectio habet μαρτύ-

ριον. Quodque mysterium nemo ex se cognoscere potest, sed is tantùm cui Deus revelavit, 1 Cor. 2. Et adhuc post revelationem fide magis *ἐν πνεύματι*, quàm intellectu sensuve humano adprehenditur, quia omnem intelligentiæ rationem superat: de quo inter alios Leo Serm. 3. De natali Domini, & Serm. 10. Unde & post revelationem nihilominus adhuc *mysterium* rectè dicitur (quod Græci ad hunc locum observarunt) idque non unâ ratione: quia scil. & modus Incarnationis Dei nobis adhuc incognitus est, & quia nonnisi leviter, *ἐν πνεύματι*, percipi potest. Idque est quod in sequentibus mox Apostolus ait, *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι*. Denique quicquid id est quantumcunque quod de hoc mysterio scitur, revelationis Divinæ est. Quò pertinent tot illa quæ passim apud eundem Apostolum occurrunt de *data, communicata mysterii revelatione, manifestatione, cognitione, communione, ἀποκαλύψει, φανερώσει, γνωρίσματι, ἐπιγνώσει, κοινωνίᾳ, φωτισμῷ, δόσει*, Rom. 16. 25. 1 Cor. 2. 10. & 13. 2. Col. 1. 26. & 2. 2. Eph. 1. 9. & 3. 4, 9. Quibus adde & Matth. 13. 11. Mar. 4. 11. Luc. 8. 10. Atque hactenus de *Mysterio* in genere, quod de Incarnatione Christi hic prædicatur.

Secundò vocat id Mysterium Apostolus *μέγα μυστήριον*, atque adeò id amplificat comparatione, quòd *magnum*, i. e. *maximum* (*μέγα* pro *μέγιστον*, ut *μεγάλη ἐντολὴ* pro *μεγίστη* Matth. 22. 36, 38. & apud Marcum) *mysterium* id sit. Quomodo pariter Conjugium Christi & Ecclesiæ *μέγα μυστήριον magnum mysterium* seu *arcanum* idem Apostolus vocat Eph. 5. 32. & Apoc. 17. 5. haud planè absimiliter *Μυστήριον, Βαβυλὼν ἡ μεγάλη*. Idque rursum allusione ad ritus Gentilitios; ubi non Numina tantùm quædam *μεγάλα* dicta, seu *Magni Dii*, & in ipsis Athenis *μεγάλη Diana* Act. 19. 27, 28, 34. *Magna* Juno, Castores *μεγάλοι θεοὶ*, Pausanias in Atticis, p. 30. Arcad. pag. 253. Ceres nominatim & Proserpina, quæ in Eleusiniis mysteriis cultæ, *μεγάλαι θεαὶ*, Pausanias Messen. pag. 111, 112, 114, 124, 143. Arcadicor. pag. 261, 262, & 263. *Magna Dea*, seu *Magna Deûm mater*, Terra sc. quod passim notum, etiam Athenis, dict. pag. 30. indeque *Magnæ Deæ* vel *Matris Magnæ initia, orgia*, pag. 46, 112. 137. *Magni* item *Dii* propria nomenclatura Matris Deûm & Atyis: Verùm etiam, quod huc proximè facit, varia sacra solennia *majora* dicta, *ἱερὰ μεγάλα*, ut apud Lucianum initio De Dea Syria. Ità festa Liberalia seu Dionysia Athenis *majora* quædam dicta, quæ & *Anthesteria* & antiquiora è tribus, de quibus Thucydides lib. 2. Ulpianus in Orat. contra Lept. Panathenæa item alia *majora, minora* alia, *μεγάλα καὶ μικρὰ* fuere. Dædala etiam apud Bœotios *μεγάλα* alia, alia *μικρὰ* teste Pausaniâ in Bœotic. p. 287. Tandem Eleusinia (quod huc omnino facit) *μυστήρια*, ad quæ hic perpetuò alluditur, quæ sc. Eleusine celebrata, *μεγάλα* omnino inter alia fuere, utpote quæ maxima omnium toto orbe habita sunt: de quo paulò antè ad vocem *μυστήριον*. Imò Eleusiniorum ipsorum quædam *magna* seu *majora* mysteria erant, *μεγάλα*, *minora* alia, *μικρὰ*, Agræ vid. & Alimunte (de quibus suprà) quæ inter se in plurimis rebus differebant. Inter alia illis initiari initio *ξένοις* fas non fuit; his minoribus initiati quoque *ξένοι*. Magna Cereri propriè dicata erant, minora Proserpinæ. Alio quoque tempore ea celebrata. In majoribus plenè initiari mos fuit, seu *δευτέρᾳ μυήσει* plenè *de omnibus* edoceri, *περὶ συμπάντων*, teste Clemente Alex. 6. Stromat. in minoribus prælustrari tantùm, arcanaque doctrinæ fundamenta prima edoceri mos erat, ac præparari ad perceptionem majorum: unde *τὰ προτέλεια* dicta & Aristophanis Scholiasti, & *ὥσπερ προκάθαρσις καὶ προάγνευσις τῶν μεγάλων*. In majoribus ideo *ἐπόπται* dicti & *ἔφοροι*, indeque & *ἐποπτεύειν* & *ἐποπτικὰ* sacra dicta: in minoribus *μύσται* tantùm. Majora denique mysteria *μεγάλαι νύκτες* dictæ apud Crinagoram lib. 1. *Ἀνθολογ.* c. *εἰς Εὐσέβειαν*. Hâc igitur allusione Mysterium Incarnationis Christi Dei Filii *magnum mysterium* dicitur, non modo quia fictitiis omnibus religionibus falsisque mysteriis majus certiusque est, utpote cùm de vero Deo sit, qui *ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας* Rom. 9. 5. *μέγας Θεὸς* Tit. 2. 13. sed & quia in eo tota justaque & absoluta consistit religio, doctrina, cognitio pietatis (de quo mox) atque indè salutis humanæ; & quidem mysterium omnibus gentibus, etiam *ξένοις*, propositum; & cùm antea velut minoribus mysteriis adumbratum id fuisset, suo tempore plenissimè revelatum fuit, sic ut omnes Christiani jam sint non nudi tantùm *ἐπόπται* seu *ἔφοροι spectatores* hujus mysterii, sed & *ἱερεῖς* planè & *Sacerdotes*, quod & Apoc. 1. 6. habetur. Denique *magnum* hoc *mysterium*, quia *θαυμαστὸν admirabile*, excellens, ut Chrysostomus in Ephes. 5. pag. 1161. captumque, ut dixi, superat humanum, & ineffabile est.

Tandem, quod ad magnitudinem seu excellentiam, majestatem, *μεγαλειότητα* hujus Mysterii maximè pertinet, vocat Apostolus hoc mysterium *mysterium pietatis*, *μυστήριον τῆς εὐσεβείας*. Quomodo & *veritas* dicitur *κατ᾽ εὐσέβειαν* Tit. 1. 1. & Deus in Christo *omnia nobis donasse* dicitur *quæ ad εὐσέβειαν pertinent* 2 Pet. 1. 3. Et istud quoque *mysterium* sc. *pietatis*, oppositè primùm ad Virtutem, cujus fons *καὶ ἀρχηγὸς εὐσέβεια*, quâ ut & *ἀληθείᾳ* perfici volebant Pythagorici *τῆς ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσιν καὶ τελειότητα*· de quo suprà. Secundo, oppositè ad Mysteria Gentilium, quæ falsæ pietatis erant, ut Sophocles ipse Tragicus agnoscebat apud Clementem Alex. Admonitione ad Gentes, p. 36. & impia planè vel desœda, vel nudæ & inanis *ἐκπλήξεως* vel *φάσματος*, quæ attonitos tantùm spectatores vel auditores redderent, quæ utique veræ religionis nota non est. Atenim mysterium hoc *veri cultus Divini*, in quo rectæ religionis summa consistit veræque pietatis *θεοσέβεια*· id enim est *εὐσέβεια*· scilicet quod Gentilis Gentili formulâ dixit, *Primus est Deorum cultus, Deos credere*. Et sic Pietas est in Deum *πίστις καθαρά*, cujus etiam comes *ὀρθὸς βίος*, seu *ἁγιασμός*, quo utroque *εὐσέβειαν* definit Chrysostomus. Malè enim Pelagius istud sic exponebat, quòd *per incarnationem Christi generi humano pietas collata est*. Ut & malè qui *pietatis Dei sacramentum* hic interpretantur, quòd scil. Deus in hoc mysterio Incarnationis *suam pietatem, clementiam*, i. e. pium ac benignum affectum, piissimam gratiam & dona seu Divinam benevolentiam, benignitatem erga genus humanum declararit: *εὐσεβείας* enim seu *pietatis* vox ista in Deum non cadit, neque affectum Dei erga homines denotat: sed *hominis erga Deum rectum cultum*, *pietatem in Deum*, quâ homines Deum *εὐσεβοῦσι*. Quo etiam sensu Syrus Interpres *mysterium justitiæ* interpretatus videatur, i. e. justi legitimique cultûs erga Deum mysterium. Vatablus quoque malè vertit *quod pii norunt*. Ergò *magnum* hoc *mysterium εὐσεβείας* dicitur tacitâ *ἀντιθέσει* ad mysteria Gentilium, & Eleusinia quidem, in quibus nulla veræ pietatis ratio, nullus verus cultus constabat: Etsi (quæ secunda hac parte *ἀντιθέσεως* ratio est) in speciem & falsò, ipsa Eleusinia mysteria Gentiles non tantùm in genere *instituta* dicerent *ad vitam corrigendam & humanitatem*, *ἐπὶ παιδείᾳ καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου*, Cicerone teste lib. 2. De Legibus, Arriano in Epictetum, lib. 3. cap. 21. Plutarcho, ubi de Cerere agit (Indeque *τελετὴ* dicta, quia *perfectionem* quandam vitæ inducere credebantur, *τελεωτικά*, Maximus monachus in Dionys. Areopag. Initiatique adeò ad virtutem adstricti putabantur, rectaque à Diis consilia capere, & *ἐκκλίνειν τῶν ἁμαρτημάτων*) verùm etiam disertè *εἰς εὐσέβειαν ἥκειν*· & vel maximè Eleusinia mysteria dicuntur apud Pausaniam in Phocicis, pag. 348. *οἱ γὰρ ἀρχαιότεροι τῶν Ἑλλήνων τελετὴν τὴν Ἐλευσινίαν πάντων ὁπόσα εἰς εὐσέβειαν ἥκει τοσούτῳ ἦγον ἐντιμοτέραν ὅσῳ καὶ τοὺς θεοὺς ἐπίπροσθεν ἡρώων*. Et apud Zosimum lib. 2. vocantur *συνέχοντα τὸ ἀνθρώπειον γένος ἁγιώτατα μυστήρια*· indeque & *σεμνὰ* Euripidi in Hippolyto, & Aristoteli: ut omittam nunc quæ de fructu fideque horum mysteriorum dicemus ad vocem *ἐπιστεύθη*. Ergò & Eleusinia quoque mysteria ad pietatem ducere falsò tradebant Gentiles, & ampliùs quidem quàm ulla alia; Quomodo & Athenæ ipsæ in commune *majorem quam alii εὐσεβείας pietatis in Deos* curam habere prædicabantur, *ἐς θεοὺς εὐσεβεῖν ἄλλων πλέον*, ut scribit Pausanias in Atticis, p. 15. *πλέον ἑτέρων εὐσεβείας μέτεστιν*· & pag. 22. *ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖα ἐστι σπουδῆς*. Himerius apud Photium num. 243. *Ἀθήνησι δὲ ὅταν εἴπω, τὸ μέγιστον εἶπον τῆς εὐσεβείας κεφάλαιον*. Acta Apost. 17. 22. *κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ*. Hucque pertinet quod in Græcorum Commentariis legimus, *δι᾽ ὅλου τοῦ ἔτους θύουσιν οἱ Ἀθηναῖοι καθ᾽ ἑκάστην, πλὴν μιᾶς ἡμέρας*. Josephus etiam Adv. Appion. 2. *Ἀθηναίους εὐσεβεστάτους τῶν Ἑλλήνων ἅπαντες λέγουσιν*. Lycurgus Orat. adv. Leocratem, *οὐ γὰρ ἴστε, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτι ᾧ πλεῖστον διαφέρετε τῶν ἀνθρώπων τῷ πρός τε τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς ἔχειν*. Vide & Sophoclem in OEdipode Coloneo. Hæc ità quidem Gentiles falsâ religione & *Pietate*: quomodo & *Veritatem* (quod superiùs notavimus) & *Fidem ψευδώνυμον* præ se iidem tulêre. Atenim præ his vera *εὐσέβεια* istud Christi in Ecclesia *mysterium* est, tum ratione objecti, quia *τοῦ Θεοῦ ζῶντος καὶ Χριστοῦ* exsistit; tum ratione finis & fructûs effectusque: nempe enim mysterium hoc est veræ *εὐσεβείας, πίστεως, τοῦ θελήματος, τοῦ εὐαγγελίου, τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, quæ omnia ad veram pietatem, cultum fructumque exinde longè maximum pertinent & perducunt: cui contrà oppositum *mysterium τῆς ἀνομίας*, 2 Thess. 2. quod in alia omnia vergit ducitque, & à Lege Dei veroque Dei cultu abducit, & alienissimum est, atque impiissimum: Et sic *μυστήριον ἀνομίας*, i. e. *ἀσεβείας*, oppositum mysterio *εὐσεβείας*.

Hactenus elogia certissima, *ὁμολογούμενα*, *Mysteria Pietatis*, cujus initio *μεγαλειότης magnitudo* in genere hic censetur, ratione objecti circa quod versatur, nempe quòd sit de *Deo*. In hoc enim posita est *εὐσέβεια pietas*: non ut falsi erant Gentilium

sium Dii sive θεαὶ, quæ in Mysteriis Eleusiniis celebrabantur, putà Ceres & Proserpina, *οἱ λεγόμενοι Θεοὶ*, 1 Cor. 8. 5. *οἱ μὴ φύσει ὄντες Θεοὶ*, Gal. 4. 8. Et quidem de Deo singulari, non ut pluta erant Gentilium Numina. Rursum Mysterium hoc pietatis esse *περὶ Θεογονίας*, *de Deo incarnato*: non ut mysteria alia, in memoriam boni alicujus temporalis, ut eadem mysteria Eleusinia ob *δωρεὰν τοῦ σίτου καὶ καρπῶν*, ob fruges mortalibus datas, vel quòd à ferino victu mortales ad humanitatem traducti fuerint, vel ob aliam quamcunque *εὐεργεσίαν* boni alicujus temporalis. Etsi alioquin in genere mysteria falsò instituta dicebantur *ὑπὲρ τῶν θεῶν*, vel *περὶ τῶν θεῶν*, & Eleusinia nominatim, in quibus acta Cereris legebantur, revelabantur. Ergò *mysterium* hoc *Pietatis de Deo* est. Recta enim hic lectio est, *Θεὸς ἐφανερώθη*, non, ut Syriaca & Arabica editio præfert, & complures è veteribus, Pseud-Ambrosius, alii, sequuntur, *ὃ ἐφανερώθη*, quod & Vulgata Versio servat, & multi jam olim & hodie amplexati sunt, in quis & Fulgentius & Erasmus; ut ità hoc referatur ad vocem *μυστήριον*. Contrà rectè Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, cæterique vocem *Θεὸς* hic retinent. Et magnum quoque Macedonii facinus fuit, si verum, qui, ut negaret Christum ante incarnationem Deum fuisse, supposuerat hic vocem *ὃς*, &c. *ut esset Deus apparuit in carne*, ut memorat Liberatus in Breviculo, cap. 19. & Hincmarus in opusculo 55. capitulorum. Ad rem. Certè proximum quoque membrum, *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι*, ut & postremum, *ἀνελήφθη ἐν δόξῃ*, aperte ostendunt hic legendum *Θεὸς*, ut ad ea ostendetur. Nempe enim de *Deo* ipso hic agitur, qui alioquin cùm naturâ suâ *φανερὸς* non sit, *καὶ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται*, *μορφὴν ἀφανής*, *ἀειδής*, hic incarnatus dicitur; non verò de *mysterio*: etsi alioquin effectu ipso res eodèm redeat. Neque enim *mysterium* rectè dixeris *incarnatum*, sed *Deum*: etsi *mysterium* rectè *φανερωθὲν* vel *ἐφανερώθη* dicitur ab eodem Apostolo Rom. ult. 26. Col. 1. 26. sicut eodem sensu Christus *φανερωθῆναι* dicitur hic & 1 Pet. 1. 20. aliisque variis locis. Neque, quod quidam voluere, ut Photiniani, & hodie nonnulli, rectè dixeris *mysterium φανερωθὲν ἐν σαρκὶ*, i. e. *per homines mortales*, &, *quantum species externa ferebat*, *infirmos*.

Est igitur mysterium hoc pietatis *de Deo incarnato*, *περὶ θεογονίας*· cujus *μεγαλειότητα*, *majestatem*, *magnitudinem* specialiùs & *καθ᾽ ἕκαστα* in sequentibus enarrat simul & probat Apostolus sex *τεκμηρίοις καὶ ἀποδείξεσι*· cùm alioquin *Gentiles ipsi*, ut Chrysostomus notat in c. 1. hujus Epistolæ, *diis* (atque adeò mysteriis suis) *crederent χωρὶς τεκμηρίων καὶ ἀποδείξεων*. Exegetæ proinde, Mystagogi, Hierophantæ in hoc munus implet Apostolus, cujusmodi alioquin etiam mysteriorum Gentilitiorum, ac nominatim Eleusiniorum, vani interpretes habebantur, ut & scriptores. Sex igitur argumentis, probationibus, documentis, patefactionibus, *τεκμηρίοις*, *ἀποδείξεσι*, Mysterii hujus Veritatem simul & Magnitudinem firmat seu adstruit hoc loco Apostolus. Quorum quidem tria priora, *φανέρωσις* sc. *ἐν σαρκὶ*, *δικαίωσις ἐν πνεύματι*, *ὀπτασία τῶν ἀγγέλων*, Christi *ἐπιφάνειαν* spectant; quartum *κήρυξιν* ejus; quintum designat præcipuum istius *κηρύξεως* effectum indè secutum, putà *πίστιν fidem* ubique inolitam; postremum Christi *ἀνάληψιν* & *gloriam* indè secutam vel comitem indicat. Et hæc quidem omnia perpetuà ad Mysteria Gentilium, ac nominatim ad Eleusinia, allusione, ubi sex illa quoque falsò tradebantur: sua, inquam, & ficta quædam deorum *φανέρωσις καὶ ἐπιφάνεια*, sua *ἐπιφανείας δικαίωσις*, suæ *ὀπτασίαι*, sua *κήρυξις* memorabantur; sua quædam *πίστις* quoque erat; sua denique deorum *ἀνάληψις* prodita. Quod quidem omne hactenus à nemine, quod sciam, animadversum, si compertum fuisset, interpretationibus proculdubio paulò perspicuis magis, certè non contortis plurimùm ac violentis, ut multæ earum sunt, locum fecisset. Hactenus enim allusum hic in *mysterii* voce, neque ultrà creditur: cùm tamen perpetua continuaque hic facta sit ad mysteria Gentilium allusio, & quidem in his omnibus quæ modò edisserui. Nos de singulis eodem ordine. Ubi obiter notanda insignis Apostoli grandiloquentia seu *ὕψος*, gradusque Orationis, dum partitione accuratâ & Oratoriâ hujus *mysterii* partes & gradus explicat.

Primùm ait Apostolus, *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ*, quæ prima *ἀπόδειξις*, seu *probatio*, *mysterii* istius *pietatis* est, simul & *μεγαλειότητος* ejus demonstratio. His sc. verbis *ἐπιφάνεια καὶ ἐνανθρώπησις*, *ἐνσάρκωσις incarnatio Dei τοῦ Λόγου* designatur, *παρουσία ἐν σαρκὶ*, cum alioquin (quod etiam Gentiles passim agnovere) Deus sit *μορφὴν ἀφανής*, *οὐχ ὁρώμενος*. Ubi primùm agendum de *φανερώσει* ipsa, tum de modo *φανερώσεως*. Quod prius attinet, & hic tacita *ἀντίθεσις* seu oppositio continetur: neque ad inanes tantùm deorum *θεογονίας*, quæ *μυθικὴν fabularem* historiam & Theologiam constituebant, teste Asclepiade, quæ portentosis mendaciis, figmentis refertæ erant, sed & *μυθώδεις*

ad *ἐπιφάνειαν* seu *adventum* deorum fictitiorum. Gentiles scilicet non tantùm narrabant deos hominibus *invisibiles ἀφανεῖς* *circumeuntes oberrare*, *ἐπιστρέφεσθαι*, factisque publicis interesse, ut Dio Chrysostomus Oratione 1. Tarsicâ, pag. 408. verùm etiam mortalibus revera conspicuos sese & præsentes quandoque præbere *ἐπιφανείᾳ* suâ prædicabant.

——— *ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ*,

inquit Homerus Il. *ν'*. v. 72. cujus est & alter locus Odyss. *ρ'*. v. 484. quem mox sternam. De qua deorum *ἐπιφανείᾳ* seu *apparitionibus* multa præterea exstant veterum testimonia. Vide vel Ciceronem lib. 3. De natura Deor. Diodorum Sic. lib. 1. pag. 14, & 15. quibus locis de Iside & Osiride agit; & Dionysium Halic. qui ut ea voce sæpe utitur, ità lib. 2. pag. 128. Epicureos suggillat, qui has *deorum ἐπιφανείας apparitiones irridebant*, *insectabantur*, *διασύροντες τὰς ἐπιφανείας τῶν θεῶν τὰς παρ᾽ Ἕλλησιν ἢ βαρβάροις γενομένας*. Unde & Istri liber *περὶ Ἀπόλλωνος ἐπιφανειῶν*, quorum primus laudatur apud Harpocrationem in voce *Φαρμακός*. Vide & Julium Obsequentem, Claudianum item lib. 1. De raptu Proserpinæ, ubi hæc inter alia,

Adventum testata Dei ———

& Jupiter apud Poëtam 1. Metam.

Et Deus humana lustro sub imagine terras.

Catullus,

Præsentes namque antè domos invisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu,
Cœlicolæ nondum spretâ pietate solebant.

Videndus & Clemens Alex. l. 4. Strom. pag. 391. Heliodorus, l. 3. Hist. Æthiop. pag. 152. 153. Ac ut cæteroquin aliorum deorum crebræ apparitiones *ἐπιφάνειαι* celebratæ, ità nominatim Cereris ipsius Eleusiniæ non una. Prima omnium & antiquissima in Eleusine ipsa apparitio: unde & verior loci illius *ἐπωνυμία*· *ἔλευσις* enim est *adventus*, *παρὰ τὸ ἐλεύθειν*, ut scribunt Aristides Orat. Eleus. pag. 450. & Diodorus Sicul. lib. 5. Quanquam hic *à frugum aliunde adventu* derivet. Julius Firmicus De errore profan. relig. *Locus ex Patria & ex Adventu mulieris nomen accepit: nam Eleusis dictus est, quòd illuc Ceres relictâ Hennâ venerat.* Solitæ dein & solennes ejusdem in mysteriis Eleusiniis *ἐπιφάνειαι*. Quod ad prius attinet, de Cerere ità traditum, quòd cùm didicisset Proserpinam suam à Plutone raptam, *cœlo relicto*, *mulieri assimilata*, & *anni quidem. Eleusinem contenderit*; *ἀπέλιπεν οὐρανὸν*, *εἰκασθεῖσα δὲ γυναικὶ ἧκεν εἰς Ἐλευσῖνα*, seu *γραῒ εἰκασμένη*, ut scribit Apollodorus lib. De Diis, & Pausanias in Atticis, & Proclus. Eandemque Cereris *παρουσίαν εἰς τὴν Ἀττικὴν γεγονυῖαν* memorat quoque Diodorus lib. 1. De eadem prima ejus *ἐπιφανείᾳ* memoratur, eam filium Celei Eleusiniorum Regis puerum Deiphantum, à se nutritum & adscitum, cùm immortalem facere vellet, *βουλομένην αὐτὸν ἀθάνατον ποιῆσαι*, noctu in igne locasse, & sic *mortalem ei carnem ademisse*, *καὶ περιῄρει τὰς θνητὰς σάρκας αὐτοῦ*· de die autem Deiphantum *mirum in modum adolevisse*, *παραδόξως αὐξανόμενον*· mox ad matris exclamationem igne absumptum, *ἡ θεὰ δὲ αὐτὴν ἐξέφηνε*. Mox Cererem Triptolemo Metaniræ natorum maximo, vel Eleusinis vel Oceani Terræque filio, currum ab alatis draconibus trahendum parasse; & sic per aëra vectum Triptolemum universo terrarum orbi triticum quod ipsi dederat sevisse: *indeque data populis fruges*, inquit Claudianus: *καὶ πυρὸν ἔδωκεν, ᾧ τὴν ὅλην οἰκουμένην δι᾽ οὐρανοῦ αἰρόμενος κατέσπειρε.* Hæ fabulæ narrabantur de prima Cereris *ἐπιφανείᾳ*, deque ejusdem studio tum circa Deiphanti *ἀθανασίαν*, depositâ ejus carne mortali, deque altera ejus *ἐπιφάνειᾳ* & tritico per universum orbem sparso. Sed & in ipsis Eleusiniis mysteriis quotannis exhibita Ceres, simul & Proserpina, & Jachus: quem postremum etiam *ἐξῆγον* cum multo plausu, Sacerdotesque ipsi Cereris effigiem subibant (Pausanias in Arcadicis) ministrique *Deorum imaginibus*, *εἰς εἰκόνα θεῶν*, prodibant, & Hierophantæ veste & habitu *εἰς εἰκόνα δημιουργοῦ*. Tandem erat & qui Deum præsentem esse exclamabat, & *ἐπιφάνειαν* ejus testabatur. Has igitur similesque alias deorum *φανερώσεις* memorabant Gentiles, propriâ etiam hac in re *ἐπιφανείας* vel *ἐπιφανειῶν* voce, quæ & ipsa in Ecclesiam traducta (quod alii jam rectè monuere) ad designandam vid. illustrem Christi *φανέρωσιν* & *οἰκονομίαν ἐν σαρκὶ* seu *ἔνσαρκον ἐπιφάνειαν* & Nativitatem (Idem Apostolus 2 Tim. 1. Vide & Eusebium initio Histor. Eccles. Epiphanium extremo libro 3. & Suidam) vel etiam ad indicandum Magorum adventum; denique & ad postremam judicialemque illam & illustrem quæ manet Christi *ἐπιφάνειαν*, de qua hâc ipsâ Epist. 6. 14. *μέχρι τῆς ἐπιφανείας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*· & 2 Thess. 2. 8. *τῇ ἐπιφανείᾳ*, inquit, *τῆς παρουσίας αὐτοῦ*· & Tit. 2. 13. *προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Nunc

Nunc de modo *φανερώσεως* seu *ἐπιφανείας* & *παρουσίας* quo Deus mortalibus exhibitus fuit. Ait igitur Apostolus *ἐν σαρκὶ*, i.e. *in carne*, *carnaliter*; nempe cùm Deus alioquin *σάρκινος* non sit (quod etiam Gentiles disertè confitentur) tamen Christus manifestatus est *σάρκινος*, oculis seu visu verè adspectabilis, conspicuus, manifestus visu, auditu, tactu *ἐφανερώθη*, Johan. 1 Epist. 1. 1. Idque est quod Johan. 21. 1. dicitur *ἐφανέρωσε ἑαυτὸν* humano denique more & carne; quod suâ alioquin naturâ Deus non est: quod etiam Gentiles agnovere. Unde & Hebr. 5. 7. *ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ·* & Apostolus 2 Cor. 5. 16. *ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστόν* & Johannes 1. 14. *καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ*, Indeque & *passus mortuusque in carne* dicitur à Petro 1 ep. 3. 18. & 4. 1. Σὰρξ scil. per Synecdochen significat humanam naturam, hominem mortalem integrum, etiam cum conditione mortalitatis, infirmitatis ac miseriæ: Matth. 24. 22. 1 Cor. 1. 29. & 6. 16. Luc. 3. 16. Act. 2. 17. Rom. 3. 20. 1 Joh. 4. 2. Heb. 5. 7. Quare idem Paulus Phil. 2. id ità effert, *ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων*, &c. *ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος· καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν*, &c. Unde etiam Augustini illud Tract. 3. in Johannem, *per illam unionem hypostaticam & assumptionem humanæ naturæ factum collyrium, per quod & oculis penè ipsis Divinitas cerneretur.* Et istud porrò additum, tacita *ἀντιθέσει* ad falsorum Numinum apparitiones *ἐπιφανείας*, quæ non in vera carne apparuere, verùm *ὁμοιωθέντες* tantùm *ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς*, ut turbæ Lystris in Lycaonia viso miraculo Pauli exclamavere, Act. 14. 11.

——— *ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι.*

ut apud Homerum Odyss. ρ'. v. 484. *ἐοικασμένοι*, *εἰκασθέντες θεοὶ μάντει εἰδόμενοι*, ut apud eundem Homerum: *εἰς ἀνθρώπων ἰδέας ἢ τινων ἄλλων μεταβάλλοντες*, inquit Diodorus lib. 1. p. 8. *ἑαυτοὺς εἰδοποιοῦντες εἰς ἀνθρώπους*, Heliodorus Æthiop. lib. 3. p. 152, 153. *εἰς ἀνθρώπους*, inquit, *δὲ ἐπὶ πλεῖστον ἑαυτοὺς εἰδοποιοῦσι, τῷ ὁμοίῳ πλέον ἡμᾶς εἰς τὴν φαντασίαν ὑπαγόμενοι·* ubi & signa quædam colligit ex quibus Dii noscebantur, ex oculis vid. vel incessu: quam in rem Homeri locus ab eodem laudatur. Virgilius 1. Æneid.

Et vera incessu patuit Dea ———

& eodem libro loco suprà citato. Est & illud Ovidii,

Signa Deum nosco per sua: Phœbus adest.

Quomodo & adventantium Deorum signa quædam erant, veluti templa vel tecta mota sedibus, & lux clara, seu collucentes ignes. Vestigia quoque eorum *ἴχνια* visa memorabantur, vel inanibus argumentis apparuisse referebantur. Quin & si quando adspectabiles sese Dii redderent, vel *in somniis* apparebant, *κατὰ τοὺς ὕπνους*, *φανερῶς*, inquit Diodorus lib. 1. p. 15. *ἐπιδεικνύμενοι τὴν ἰδίαν ἐπιφάνειαν*, vel aliter inania hæc *φάσματα* seu *φαντάσματα* erant, ut testatur Themistius apud Stobæum serm. 119. Aristides Orat. Eleusin. p. 446. Pletho in ficta oracula Zoroastris. *Symbolaque* tantùm erant *τῆς θεῶν παρουσίας*, *quæ & solis initiatis cognita erant*, *ἃ καὶ μόνοις ἐστὶ γνώριμα τοῖς τελεσταῖς*, ut Proclus in Timæum 2. p. 25. *σύμβολα*, inquam, at *non & Dei natura*, *οὐ θεοῦ τις φύσις*, Pletho d. loco. Vel denique (quod Servius inquit lib. 7. Æneid. pag. 466.) *Dii cùm vellent videri, induebant se corporibus, propter mortalium oculos: nam incorporei sunt.* Ab his omnibus *φάσμασι* seu fabulis planè diversa fuit *ὁμολογουμένη* Christi Salvatoris nostri *ἐπιφάνεια·* in vera quippe carne oculisque hominum adspectabilis & expositus apparuit: Quod quidem etiam egregiè Marcionis aliorumque hæreticorum deliriis refutandis facit. Et ità quidem hæc prima *ἀπόδειξις* accipienda est, de Christi vid. Incarnatione, non ut nonnulli verba hæc *ἐν σαρκὶ* accipiunt de *vitiositate quam nativam habemus*, seu de *patefactione Divinitatis, quæ per fragilitatem, mortalitatem, infirmitatem, ut Christi ità & Apostolorum, nobis facta fuerit:* nam ità *ἐν σαρκὶ* nonnulli perperàm accipiunt, de *mortali* vid. *& infirmo statu*; hoc sensu, *Evangelium de Christo innotuisse* (nam ità quoque accipiunt vocem *ἐφανερώθη*) *non per Angelos, sed per homines mortales, &, quantum extera species ferebat, infirmos, Christum & Apostolos ejus.*

Secundo membro seu *κώλῳ* Apostolus veritatem Incarnationis Christi, simul & *μεγαλειότητα* mysterii istius, alterâ jam *ἀποδείξει* & *φανερώσει* stabilit. Neque enim satis videbatur dixisse *Deum in carne manifestatum*, externis oculis & sensibus, nisi id aliis insuper argumentis firmaretur. Semper enim objici poterat, de Christo equidem homine nato concedi posse, eum externis oculis visum conspectumque; at enim de Deo incarnato non ideo plenam fidem fieri vel liquere, quandoquidem Deus revera aspectabilis non esset, duoque hæc simul stare non posse viderentur; imò *ἀσύστατα* omnino essent, eundem & Deum & hominem simul *ἐν σαρκὶ* esse. Huic igitur dubio occurrit deinceps in sequentibus Apostolus, collectis aliis probationibus, *ἀποδείξεσι*. Et primò quidem hàc demonstratione & *ἀποδείξει*, Ἐδικαιώθη, inquit, *ἐν πνεύματι*, Θεὸς scilicet *φανερωθεὶς ἐν σαρκί·* repetenda enim sunt hæc *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*. Quâ parte duo statim apparent antitheta ad eandem *ἀπόδειξιν* tendentia: Prius, inter Θεὸς *ἐφανερώθη* & Θεὸς *ἐδικαιώθη·* etsi suo quoque modo *ἐφανερώθη* idem cum *ἐδικαιώθη*. Alterum, quod formam utriusque attinet, illud *ἐν σαρκὶ*, istud *ἐν πνεύματι·* quomodo passim *σὰρξ* & *πνεῦμα* opponuntur. Hæc, inquam, obvia sunt. At enim non parùm quæritur quid sibi velint ista, *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι*. Theodoretus hunc in locum, Primasius, Sedulius, alii, vocem *ἐδικαιώθη* accipiunt pro *eo qui justus effectus est*, & vocem *πνεύματος* pro *Spiritu S.* atque ità hunc locum explicant, quod quemadmodum Christus è S. Spiritu conceptus est, ità quoque ab initio conceptionis è S. Spiritu justus & sanctus fuit effectus, adeò ut nullum peccatum habuerit seu admiserit: sive quod Christus, humana natura adsumpta, eam servarit liberam à peccato; & sic quod Christus, adscita licet carne, non adsumpserit carnis vitia, sed momento incarnationis statim *justificatus fuerit*, i.e. liber & immunis ab omni culpa. Et sic quoque Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus. Licèt Chrysostomus alterum quoque sensum adferat: adfert enim hunc duplicem, *ἤτοι τοῦτο λέγει, Καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς· ἢ, ὅτι δόλον οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ.* Alius ità explicat, Quod *Christus plenè approbatus fuit justus coram judicio Dei, veluti qui perfectè justitiam complevit pro officio Redemptoris.* Theophylactus ità; *Justificatum dici Christum in spiritu, quia abrogatâ Legis justitiâ, quæ servituti & metui obnoxia erat, adoptionem filiorum Dei induxit.* Brixianus ità; Quod *Christus qui in carne hominibus apparuerat, non ab humanis oculis justificatus est, seu justè judicatus, sed oculis Spiritûs, qui etiam profunda Dei scrutatur.* Nonnulli hîc *δικαιοῦσθαι* accipiunt pro *justitiæ aut probitatis nomine laudari.* Verùm Interpretationes hæ omnes in eo peccant, quod de justitia & approbatione Christi apud Deum hunc locum interpretantur. *Justificandi* quippe vox hoc sensu à Christi sanctitate, qui ipsamet Sanctitas est, est aliena. Non minùs malè quoque ii qui hunc sensum his verbis affingunt, *mysterii hujus prædicationem vim habuisse justificandi in Christo per fidem sine lege Mosaica.* Ut & minùs casta est Castalionis interpretatio, qui vertit *per Spiritum commendatus est*, nempe cùm Spiritus in eum descendit in Baptismo. Quid igitur? Integra hujus loci continentia ostendit, agi hîc de *ἀποδείξει* seu de legitima probatione Dei incarnati, seu de documentis Divinitatis Christi, quibus plena hominibus fides facta fuit Deum incarnatum. Verbo scilicet *δικαιοῦσθαι* significatur hîc non *justificatio*, non *justitiæ declaratio*, non *justitiæ probatio*, verùm *justa* seu *plena veritatis declaratio rebus ipsis, justa, legitima, plena probatio, fides, πίστις, manifestatio, contestatio, definitio, demonstratio, ἀπόδειξις ἀξιόλογος, experimentum, documentum de rei alicujus veritate:* unde etiam Hieronymus hîc explicat *demonstratum.* Δικαιοῦν scil. & *δικαιοῦσθαι*, forensi vocabulo, etiam in S. Scriptura significat non tantùm *καταδικάζειν* & *κολάζειν* & *δίκαιον καθιστάναι*, i.e. *justum atque immunem à culpa judicari*, *νομίζεσθαι καὶ κρίνεσθαι*, vel *judicio absolvi sententiâ Judicis fortè* seu *Magistratûs, ab intentata fortè actione seu accusatione*, & sic oppositè ad *κατακρίνειν*, vel etiam *purgare*; verùm etiam *probari quid verum & legitimum, non suppositium fictumque aut falsum, quacunque in re vel parte*; & quidem *δικαίως*, *ἐννόμως quid probari, justè, plenè, perfectè, uti quæque res est, demonstrari.* Quare hoc loco *Θεὸν δικαιοῦσθαι* est *liquidò, justè, legitimè, plenè, verissimè Deum verum ostendi, demonstrari, probari, declarari, idque inconcussis argumentis, experimentis, documentis, quocunque justæ, legitimæ probationis, ἀποδείξεως, testationis, vel actûs genere*; denique, *justum, legitimum seu verum Deum probari:* non ut Gentilium Dii *probationi veræ Divinitatis excidebant*, quod Tertullianus dixit lib. 2. ad Nationes, cap. 8. quò hic tacitâ *ἀντιθέσει* alluditur: vel, ut idem loquitur, *Divinitas eorum argumentationibus incertis colligebatur, vel fabulis contaminabatur, vel passivis Gentium & municipiorum adoptionibus judicabatur.* Sic & *justum* & *δίκαιον* (quod Priscianus lib. 17. & 18. notat) pro *ἀληθὲς* & apud Latinos & apud Atticos quandoque usurpatum: Sic *justum* pro *legitimo* & *probabili*, quibuscunque rebus & personis aptatum. Sic *justa ætas*, sic *justa probatio*, & similia. Sic & *δικαίωμα* est *justum, legitimum, firmamentum, experimentum & probatio causæ*; idem quod *δικαιολόγημα*, ut apud Aristotelem lib. 1. De Cœlo, *τὰ τῶν ἀμφισβητούντων δικαιώματα*, *causæ præsidia, firmamenta:* ut & apud Isocratem & Thucydidem non uno loco. Ad *δικαιοῦσθαι* verbum revertamur. Hoc eodem sensu in Estheris Additamentis cap. 10. istud accipiunt nonnulli, *καὶ ἐδικαίωσε τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ.*

αὐτῷ. Hoc ipso sensu notarunt quoque jam nonnulli dixisse Thucydidem lib. 3. ὑμᾶς δὲ αὐτοὺς μᾶλλον δικαιώσεσθαι ubi Scholiastes, *δικαίως καθ' ὑμῶν ἀποδείξετε, ὅτι τυραννικῶς ἄρχετε.* Eodem sensu hanc vocem usurpasse quidam notant Dionem. lib. 54. pag. 608, 616. Philonem De vita contemplativa, ut & De sua legatione: & Synodum Nicænam, c. 17. & Ephesinam c. 3, 4, 5. Eodem nonnulli interpretantur δικαιοῦν Gen. 38. 26. Matth. 11. 19. Lucæ 7. 29, 35. & 16. 15. & 18. 14. ut & Psal. 18. 10. & 51. 6. Imò, sic quoque accipi posse notant solenne illud Jacobi de Abrahamo, & hominibus, deque Rahabe, quòd *ἐδικαιώθησαν ex operibus*, nempe quòd fidei suæ experimentum dederunt, demonstrarunt fidem suam veram esse. Verùm horum pleraque majoris sunt inquisitionis, quò nunc ingredi non lubet. Sic sanè & Galli *justificandi* voce utuntur, de omni justæ, legitimæ probationis genere. Ergo, ἐδικαιώθη Θεὸς, ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, i. e. *Deus esse legitime, juste probatus, declaratus fuit, demonstratus, palam factus, is qui in carne apparuit & manifestatus est, omnibus numeris Deus declaratus, rebusque ipsis comprobatus, agnitus fuit*, ἀπεδείχθη καὶ ἀπεφάνθη ὅτι Θεὸς ἀληθὴς καὶ Θεοῦ υἱὸς sit, ut rectè explicat Theodoretus in altera interpretatione. Eodem igitur sensu hic ἐδικαιώθη, Θεὸς scil. quo idem Apostolus Rom. 1. 3, 4. ὁρισθέντος voce hac in re utitur, simili etiam ἀντιθέσει τοῦ ὁρισθέντος, inquit, υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Ὁρίζεσθαι idem quod δικαιοῦσθαι, *plene probari, manifeste definiri, comprobari, commonstrari.* Πίστιν παρέχειν πᾶσιν eadem in re dixit idem Paulus Act. 17. 31. πίστιν παρασχὼν πᾶσιν ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Petrus Act. 2. 22. verbo ἀποδείξασθαι utitur, ἄνδρα, inquit, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, οἷς ἐποίησε δι' αὐτοῦ ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ ὑμῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ οἴδατε. Denique, quæ exactè explorata sunt & legitimè atque ad amussim probata, comprobata, demonstrata, ea dicuntur δικαιωθέντα. Atque adeò ἐδικαιώθη Θεὸς (id enim semper ἀπὸ τοῦ κοινοῦ hic & deinceps repetendum est, semelque hic positum, semper adsumendum) i. e. *justè, legitimè, ad plenum probatus, declaratus, comprobatus, demonstratus Deus esse, Divinitatis fidem meritus*, ut Lactantius loquitur lib. 4. cap. 13. non fallacibus signis & argumentis, non falsis relationibus, aut supposititiis vestigiis, quibus Deos suos apparuisse Gentiles prædicabant; (de quo plura mox) verùm experimentali, ut loquuntur, cognitione, ἐπιγνώσει.

Quænam autem isthæc legitima probatio, δικαίωσις? seu quâ ratione ἐδικαιώθη Θεός; ἐν πνεύματι, inquit Apostolus, i. e. *spirituali modo, spiritualiter*, intellectu & sublimiori mente à S. Spiritu illuminatâ: quæ ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως dicitur ab eodem Apostolo 1 Cor. 2. 4. Quâ & ipsâ alioquin ratione seu lumine Gentiles Deum intelligi posse consentiebant. Quo & hic Paulus allusisse videtur. Nam cùm Philosophi quoque, ac nominatim Platonici, alia *sensibilia* αἰσθητὰ, *quæ sensibus percipiuntur*, alia νοητὰ constituerent, ideas sc. & formas, quæ solâ mente cernuntur & judicantur, omissâque corporis consideratione à materia abstrahuntur, Deum ex iis quæ mens sola considerat esse definiebant, & νοητῶν omnium præstantissimum, solisque νοεροῖς patere ajebant: de quo vide vel Plutarchum in Platonicis, cap. 2. Laertium in Platone, Maximum Tyrium, serm. 1. *Quid sit Deus secundum Platonem.* Vide & Suidam in voce Ζεύς· ut omittam plura alia hanc in rem testimonia, cujusmodi nonnulla paulo pòst adhuc subjicientur. Hic, inquam, horum verborum, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, sensus est, in quo tamen illi etiam qui ἐδικαιώθη hic rectè interpretati sunt ἀπεδείχθη, ἀνεφάνθη, nonnihilum errant, vel ad plenum istud non assequuntur. Multi sc. πνεύματος appellatione miracula nominatim Divina per Spiritum, à Christo patrata per μετωνυμίαν interpretantur, quæ est & superiore illo 1 Cor. 2. 4. loco & alibi: in quibus est & Theodoretus in altera interpretatione: eoque referunt illa, Εἰ γὰρ ἐγὼ ἐν πνεύματι ἐκβάλλω δαιμόνια. Pseud-Ambrosius quoque sic, *Christum operibus & virtute claruisse, quis esset qui in carne erat*, &c. Et sic volunt illi, per miracula ῥητῶς Christum probatum esse verum Deum, seu ἐν δυνάμει, ut Rom. 1. 4. ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι 1 Pet. 3. 18. Quidam ità istud efferunt, quod *mysterium incarnationis tam multis fuerit signis atque argumentis Deum esse demonstratum, confirmatum, ut vel inviti cogantur omnes Dei consilium agnoscere*: & ità quoque *justificandi* vocem solam accipi Psal. 18. 10. & Matth. 11. 19. Luc. 7. 35. Eoque exemplum trahitur etiam à Theodoreto Centurionis, qui cùm videret terram moveri, & tenebris orbem terræ compleri, exclamavit, *Verè Filius Dei erat hic.* Non nemo ità explicat, quod per *Spiritum* hic idem significetur quod in Epistola ad Romanos δύναμις *virtus* significat, h. e. quod Divinitatis naturæque potioris in Christo proprium est: vel, ut alii efferunt, quod *Christus verus Deus agnitus fuerit ex potiore sui parte & virtute Spiritûs*, quomodo illo Rom. 1. 3. loco, ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. Quomodo etiam Christus 1 Pet. 3. 18. dicitur ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι· pro quo 2 Cor. 13. 4. ζῇ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ. Alii De Divina Christi natura id interpretantur; nempe, *in illa etiam vili natura quam pro nobis Christus adsumpsit, ut docet Paulus* Phil. 2. *eluxisse, refulsisse & apparuisse manifestissimè etiam Divinam Christi naturam, quæ hic* Spiritus *appelletur.* Nonnulli ità, quod *spiritus* hic vocetur *quicquid in Christo Divinum est & supra carnem*, i. e. *supra hominem, fuit.* Nonnulli *spiritum* hic interpretantur Deitatem, cujus vi miracula fecit, & seipsum ex mortuis excitavit. Alii *spiritum* interpretantur Spiritûs S. testimonium, hoc sensu, quod *Christus Spiritûs S. testimonio justus agnitus sit, declaratusque esse verus Messias.* Eoque referunt omnia testimonia quæ doctrinam Christi confirmant in genere, præcipuè verò ostendunt eum verum Messiam esse: ut cùm (qui Lyræ intellectus est) Spiritus Dei de Christi justitia testificatus est Joh. 16. item cùm signo visibili post ascensionem Spiritus S. missus evidens fuit testimonium quod Dominus unus erat cum Patre Deus, Act. 2. quem ideo *per Spiritum sanctificationis declaratum esse Dei Filium* idem Paulus alibi ait, Rom. 1. Quidam ità, quod *Christus adversus sui calumniatores in omnibus articulis & circumstantiis quæ à Prophetis prædicta sunt, pro vero Messia probatus & confirmatus fuerit.* Sunt qui ità explicant, *totum hoc mysterium Incarnationis Spiritui S. tribuendum, cùm sit opus eximiæ charitatis, quæ S. Spiritui tribuitur.* Alii *Spiritum Dei* hic accipiunt, cujus afflatu vox audita, *Hic est Filius meus*, &c. quique in columbæ specie apparuit. Veterum quoque quorundam hæc interpretatio fuit, *Jesum Christum spiritu esse Deum, & hominem in carne.* Quæ postrema interpretatio ut apertè falsa, imò hæretica est (prætterquam quod hic non quæritur quâ ratione Christus Deus sit, sed quomodo Christus hominibus justè & legitimè verus Deus probatus fuerit) ità superiores omnes semiplenæ sunt, vel *spiritûs* hic vocem non rectè interpretantur. *In spiritu* quippe, ἐν πνεύματι, ἐδικαιώθη, dicitur Christus Deus, quia non ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως Deus probatus demonstratus fuit, ut idem Apostolus loquitur 1 Cor. 2. 4. ἀπεκαλύφθη ἐν πνεύματι ἁγίῳ, Ephes. 3. 5. Item, quia non corporeis oculis Deus probatus fuit, uti φανέρωσις seu ἐπιφάνεια ejus ἐν σαρκὶ *in homine* oculis exposita fuit, verùm *oculis mentis* τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς διανοίας Deus revera seu rebus ipsis commonstratus est, διὰ τοῦ πνεύματος ἔχουσι ἐμπειρίαν, inquit Chrysostomus hom. 7. in 1 Cor. pag. 378. seductis oculis carnis πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας, εἰς τὸ εἰδέναι, Ephes. 2. Sic ut Christus incarnatus *Deus agnitus fuerit ab iis tantum qui rectum intellectum habent*, ib. Quomodo alioquin proximè de Deo in universum Seneca. 7. Natur. 30. *Effugit oculos, cogitatione visendus est: nec ulli aditum dat, nisi animo*, ut idem c. 31. Ut omittam alia, veluti Empedoclis & Xenophanis & Antiphanis dicta; Νοητὸς, οὐκ αἰσθητὸς, inquit Clemens Alex. ad Gentiles, pag. 25. in fine. Ἐν πνεύματι igitur hic & cap. 4. 12. i. e. spiritaliter, & Spiritu Dei afflante, τῇ τοῦ πνεύματος δυνάμει, & ratione rectâ, *spiritu sc. non mundi, sed qui est ex Deo*, οὐ τῷ πνεύματι τοῦ κόσμου, ἀλλὰ τῷ πνεύματι τῷ ἐκ τοῦ Θεοῦ, ut idem Apostolus 1 Cor. 2. 12. Unde & Spiritui Dei id assignatur eodem loco, v. 10, & 11. Atque hoc sensu passim istud ἐν πνεύματι (sicut & Deus πατὴρ τῶν πνευμάτων dicitur Hebr. 12. 9. idemque & πατὴρ τῶν φώτων Jac. 1. 17.) in N. T. ac nominatim in ejusdem D. Pauli Epistolis, effertur. Intra has nunc consistemus: Sic λατρεύειν ἐν πνεύματι Rom. 1, 9. Phil. 3. 3. Sic περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι Rom. 2. 29. Sic, εἶναι ἐν πνεύματι Rom. 8. 9. δοξάζειν Θεὸν ἐν πνεύματι 1 Cor. 6. ult. πληροῦσθαι ἐν πνεύματι Eph. 5. 18. προσεύχεσθαι ἐν πνεύματι Eph. 6. 18. ἀγάπη & πραΰτης ἐν πνεύματι Col. 1. 8. Gal. 6. 1. τύπος πιστῶν ἐν πνεύματι, hac ipsa Eph. 4. 12. κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι Ephes. 2. 22. Denique de omni cultu, fide, intellectu Divino vel Divinitus inspirato istud ἐν πνεύματι dicitur. Unde & huic opponitur ἐν σαρκὶ & hic & alibi, Rom. 2. 29. & 8. 9. 1 Cor. 6. in fin. & 7. 34. Denique πνεῦμα passim propriè non pro νῷ & διανοίᾳ simpliciter, seu pro *nudo intellectu humano*, etsi Paulus ipse aliquando hæc promiscuè ponat, verùm pro *spiritu & intellectu humano Spiritu Dei afflato*; sicuti è contrà pro *eo qui aliunde malè afflatur*: unde & apud Lucam πνεῦμα ἀσθενείας, & πνεύματα πλάνης hac ipsa Eph. 4. 1. πνεῦμα δουλείας Rom. 8. Sic & Stoici, cum varias Animæ partes constituerunt, τὸ πνεῦμα *spiritum* animæ totius substantiam constituebant. Ac proinde ἐν πνεύματι hîc pro *spirituali agnitione, intellectu*; quomodo & πνευματικὸς *homo spiritu Dei regeneratus.* Ἐν πνεύματι porrò, additâ voce ἐν, pro

pro simplici *πνεύματι*, vel more Hebræorum; vel pro *διὰ per*, ut alibi; vel pro *κατὰ*, i.e. *secundùm spiritum*. Sic sanè & Stoici, ut Zeno, Posidius, *πνεῦμα* seu *spiritum* dixerunt, quod Cicero *rationem*. Sic & Seneca Jovem ipsum suum appellat *animum* ac *spiritum*, ut & Manilius & Dionysius & Cato. *Πνεῦμα* verò in homine est *pars animæ intellectualis*, seu *animus*. Seneca Epist. 50. *Quid est illud Animus quàm quodam modo se habens spiritus?* Imò & in totum illis *Anima*, *ψυχὴ*, *spiritus calidus*, *πνεῦμα ἔνθερμον*, seu *spiritum* Animam dicebant. Vide Tertullianum De anima, cap. 5. Augustinum De Civit. Dei, Laërtium, Stobæum. Trismegistus cap. 12. *ἔνδυμα εἶναι τοῦ μὲν νοῦ τὴν ψυχήν· τῆς δὲ ψυχῆς, τὸ πνεῦμα.* Hoc igitur loco Apostolus ait Christum incarnatum *Deum legitimè pleneque hominibus probatum in spiritu*, i.e. spiritali modo probatum, Dei Spiritu spiritum & intellectum hominis illuminante, afflante. Et certè *quæ oculus non vidit*, *nec auris audivit*, *nec subierunt cor hominis*, *ea nobis revelavit Deus per Spiritum suum*, 1 Cor. 2. 9, 10. Ergò, ut paucis finiam, *πνεῦμα* hic est *hominis spiritus*, non *Spiritus Sanctus*, vel *Spiritus Christi*; quo vid. spiritu hominis Mysterium hoc, seu Veritas hæc, *Deum* sc. *incarnatum*, percipitur, non *κριτηρίοις αἰσθητοῖς*, verùm *διὰ νοῦ καὶ λογισμοῦ τεχνικοῦ·* quo modo & *λαλεῖν μυστήρια πνεύματι* dixit Paulus 1 Cor. 14. 2.

Nunc videndum quonam Apostolus hîc alluserit, quando perpetuam hîc allusionem ad Gentilium Philosophiam & Theologiam contineri diximus. Igitur dictum id quoque ab Apostolo, Primò, tacità allusione & comparatione ad eam quam ex ipsis Gentilibus quoque Philosophi quidam Divinitatis cognitionem mente tantùm, *διανοίᾳ*, *ψυχῇ*, haberi statuebant, de quo jam suprà: quomodo & de divinandi vi iidem: nam & hanc *τῇ τοῦ πνεύματος δυνάμει* tribuebant. Vide Plutarchum De oraculorum defectu, in fine. Secunda hic allusio & *ἀντίθεσις* continetur ad impia deorum Gentilitiorum mysteria, & nominatim ad Eleusinia. Ea quippe non *ἐν πνεύματι* sed in solo *φάσματι* constitere, & in symbolis atque *αὐτοψίᾳ* seu *ὀπτασίᾳ* quadam variorum & inanium spectaculorum, quæ oculis vel auribus objiciebantur, & *ἐκπλήξει* tantùm (quod & antè dixi) excipiebantur, luce & tenebris *ἐναλλὰξ* apparentibus, objecto marmoreo simulacro, luce coruscante & nube, aliisve vanis & inanibus indiciis & vestigiis, de quibus superiore membro seu colo: quæ, ut & similia alia,

Adventum TESTATA *Dei* ——

ut loquitur Claudianus 1. De raptu Proserpinæ: ubi & *testati* vox propria, eodem omnino in effectu, sensu, quo hîc *ἐδικαιώθη*. Hactenus, inquam, omnis in Eleusiniis mysteriis *δικαίωσις* vel *δικαίωμα* constitit, intra *θεάματα*, inquam, inania, oculis & auribus objecta, nullà veriore vel ulteriore Divinitatis probatione seu *δικαιώματι*, *ἄνευ τεκμηρίων*, *absque certis argumentis*. Alia planè ratio est mysterii Christiani, ubi Christus Deus verus justè, debitè, legitimo modo probatus est, seductis oculis & auribus *ἐν πνεύματι*, i.e. justà mentis & intellectûs humani à Dei Spiritu illuminati cognitione. Quomodo & de Prophetis, qui de Christo vaticinati sunt, dicitur, *ἐδήλυ τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ προμαρτυρόμενον*, &c. 1 Pet. 1. 11. Et sanè mysteria alioquin (de cujusmodi *mysterio magno* hîc agitur) sunt quæ homines clausis sensibus humanis & ultra corpoream imaginationem erectis Divinâ illuminatione percipiuntur, ut Suidas & Elias Cretensis rectè. Quanquam & Gentiles ipsi non in genere tantùm (quod suprà diximus) de Deo prædicabant quod is *oculos effugeret*, *cogitationeque visendus esset*; *nec ullo aditum daret nisi animo*, ut Seneca, *mentibus cernendus*, *τῇ ψυχῇ*, Dio Chrysostomus Orat. 12. pag. 203. sed & mysteriis suis, non ad *σύμβολα* seu *μυστικὰ θεάματα* initiandos adhærescere voluere, verùm ulteriùs assurgere *τῇ ψυχῇ*, *καὶ ὑπονοῆσαι*, ut Dio Chrysostomus dicta Orat. 12. pag. 203. Verùm hæc inania erant. Et aliud longè est propriè loquentibus *ψυχὴ* & *πνεῦμα*, unde & *ψυχικοὶ* qui Dei Spiritum non habent: & Judæ 19. *ψυχικὴ σοφία*, quæ non est *ἄνωθεν κατερχομένη*, *ἀλλ' ἐπίγειος*, Jac. 3. 15. sapientia à natura, non à Deo: cui contraria *ἡ ἄνωθεν σοφία*, v. 17. Quomodo & mysterio huic de Christo *θεανθρώπῳ* plena, justa, legitima probatio, demonstratio, fides facta, recto integroque mentis & intellectûs à Spiritu Dei afflati judicio. Qua causa etiam Paulus non dixit simpliciter *ἐν ψυχῇ*, vel *ἐν φρενὶ*, aut *ἐν νῷ*, (nam & hæc duo clarè distinguit idem 1 Corinth. 14. 15. *νοῦν*, inquam, & *πνεῦμα*) verùm *ἐν πνεύματι·* quorum hoc significat propriè *spiritum hominis Spiritu Dei afflatum*, *ἐποψίᾳ θείᾳ· κατ' ἐπίνοιαν αὐτοῦ ἴχνη τῆς ἀληθείας ἐπιδράξαντο*, inquit Clemens Alex. Admonit. ad Gentes, pag. 35. nam & Deus *πατὴρ τῶν πνευμάτων* Heb. 12. 9. Quanquam & hæc duo, ut jam dixi, *νοῦς*, inquam, & *πνεῦμα*, sæpe promiscuè ponantur. Alioquin enim & primores Gentilium Divina *καὶ νοητὰ φρενὶ καὶ νόῳ* tantùm comprehendi statuerunt: *νοητοὶ νοητῶς·* quam in rem vide veterum testimonia quæ cumulat Theodoretus Græcar. affect. serm. 1. De fide, pag. 476. Inter alia illud Epicharmi, *νοῦς ὁρῇ*, *καὶ νοῦς ἀκούει.* Et ideo & ipsi fidem exigebant sine ulla alia *ἀποδείξει·* de quo postea ad vocem *ἐπιστεύθη*. Ergò mysterium istud *percipi*, *comprobari spiritu* tantùm voluit Apostolus. Quò pertinet & illud Clementis Alex. ad Gentes, pag. 30. de Christianis, *τὴν οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ κατανενοηκόσι.* Et in commune alioquin, *οὐκ ἔστιν ἀνθρώποις ἡ τῶν νοητῶν κατὰ τὴν οὐσίαν ἀλήθεια.* De quo vide Stobæum in Excerptis de Moribus.

Quomodo autem, seu per quæ, quave ratione, qui *Θεὸς φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ*, idem & *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι*; i. e. Per quæ perficitur hæc apprehensio, perceptio, cognitio, justaque & legitima probatio in spiritu seu mente & intellectu humano à Spiritu S. illuminato? Quonam *κριτηρίῳ*? Quomodo denique hæc veritas stabilitur? Nempe ex puris *ὁμολογουμένοις·* quò etiam pertinet vox *ὁμολογουμένως* initio hujus periochæ. Collatis primum *ὁμολογουμένοις* Prophetarum vaticiniis, oraculis cum eventu. Unde Paulus Rom. 16. 26. *μυστηρίου φανερωθέντος διά τε γραφῶν προφητικῶν·* & Theodoretus serm. 1. *προφητικῇ διαδοχῇ*. Spectata dein doctrina Christi *ὁμολογουμένως* sanctissima. Attentis item Miraculis verissimis *ὁμολογουμένοις*, ab eo vel circa eum exhibitis, *σημείοις τε καὶ τέρασι καὶ ποικίλαις δυνάμεσι* Act. 2. 22. quibus Deus Christi doctrinam quoque postea sancivit, *τερατώδεσιν ἔργοις portentificis operibus*, *quibus maximè Divinitatis fidem meruit*, inquit Lactantius lib. 4. cap. 13. inque Apostolis etiam contestatus est: ubi vox *μαρτυρεῖν* propria, Act. 2 4, 43. Heb. 2. 4. *Angelorum* item testimoniis, ut & *prædicatione* hujus mysterii per omnes *Gentes*, & exinde *fide ei in mundo exhibitâ*, *gloriosâ* demum Christi *ascensione*: quæ quidem quatuor postrema *ἀποδείξεων* genera mox ideo hic Apostolus subjecit. Adde &, quæ hanc præcessit, *Resurrectionem*, *per quam Filius Dei plenè declaratus fuit.* Hæc scilicet præcipua sunt *δικαιώματα legitimaque* adeò *probationes ἀποδείξεις*, quæ intellectui humano *τῷ πνεύματι* plenam hujus mysterii veritatem rebus ipsis exhibent, plenamque adeò fidem faciunt, Christum incarnatum revera Deum esse, *δικαιοῦσι*, *ὁρίζουσι*, & quidem *ὁμολογουμένως*. Hæc denique *αὐτοῦ δόξα* est *ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς*, quam, ait Johannes 1. 14. *ἐθεασάμεθα·* quam ipse *ἐφανέρωσε*, c. 2. 10. homines *θεωρῶσι*, 17. 24.

Sequitur tertium *κῶλον* seu membrum quo Apostolus *veritatem* simul & *majestatem* seu *magnitudinem* hujus *Mysterii*, Dei sc. incarnati, adstruit, seu tertia *ἀπόδειξις ὤφθη*, inquit, *ἀγγέλοις* (non, ut quidam codices pessimè, *ἀνθρώποις*) i.e. *visus fuit ab Angelis*. Testes proinde de visu Angelos producit Apostolus ad probationem, seu mysterii hujus *ἐπόπτας*. Sed quæritur quidnam *ἀγγέλων* appellatione hic accipiendum sit. Sunt qui id interpretantur de *Prophetis* quondam, & deinceps de *Apostolis*, *Ecclesiæque Præpositis & Doctoribus*, *qui Evangelium pacis seu Christi annunciant*, ut Gregorius quoque lib. 34. Moral. c. 7. Et his quidem rationibus nonnulli: Primò, quòd *mirum* non sit aut *magnum mysterium* quòd Dominus *ab Angelis conspectus fuerit*: atenim revera Novi Fœderis *magnum mysterium* esse quòd *Ecclesiæ Pastoribus videndum* se exhibuerit, quòd fideli eorum opera *Gentibus innotuerit*, quod *toto orbe prædicatus sit*: quæ tria inter se hic cohærent ut vix separari possint. Hucque secundo referunt quod de Joanne præcursore Domini dicitur; nempe *ἄγγελος* is Domini dicitur: & illud Heb. 2. 2. *ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος*. Referunt & tertio quod Joan. 1. 14. *καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ*. item 1 Joan. 1. *ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν*, *ὃ ἐθεασάμεθα·* item *ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν*, *ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν*. Adjicit & *ζωὴ ἐφανερώθη*, ut hîc *ἐφανερώθη ἐν σαρκί*. Addunt quarto loco, Filium Dei non ut ab *Angelis* sed ut à suis *conspiceretur* huc venisse: Quare hujus loci hunc sensum volunt, ac si Apostolus dixisset, *ὤφθη τοῖς κήρυξι*. Verùm istud omne (nè singula nunc expendam) non tantùm dilutum est sed & superfluum: Sequenti enim colo id quod hic indicari volunt satis comprehenditur; *ἐκηρύχθη*, inquit D. Paulus, &c. Theodoretus proximè ad verum ità interpretatur, *Angelos*, *qui invisibilem Divinitatis naturam nec ipsi viderunt*, *incarnatum vidisse*. Ergò de *Angelis*, i. e. de *Spiritibus Deo ministrantibus*, *λειτουργικοῖς πνεύμασι*, id accipiendum est. Suprà sc. dixerat Apostolus Christum hominibus incarnatum verum *esse Deum probatum*, & quidem *in spiritu*, seu in mentibus hominum Spiritu Dei afflatis seu illuminatis, etsi oculis hominum Deum inconspicuum: fugit enim Divinitas oculos mortalium. Nunc ait *visum eum ab Angelis*: ut etiam *Angeli τῶν μικρῶν τούτων* dicuntur *in cœlis intueri assiduè faciem Dei*, Matth. 18. 10. quanquam non possunt ferre splendorem

dorem. Et sic hic tertius jam modus est exhibiti Christi, tertiaque adeò probatio seu ἀπόδειξις Christi Divinitatis incarnati. Superiora sc. duo homines respiciebant, quibus sese adspectabilem Christus Deus præbuit, partim oculis corporis, partim oculis spiritûs seu mentibus: At nunc hæc tria ὀπτασία est, *Angelis* vid. exhibita. Ὀπτεσθαι, ὀφθῆναι, sicut & ὁρᾶσθαι, θεωρεῖν, translatione ad animum & spiritum factâ, est *liquidò cognoscere, intelligere, agnoscere*, ἰδέναι. Ὀπτεσθαι denique ad omnem *cognoscendi* modum, non ad *visum* tantùm, refertur, ut Matth. 9. 2, 4. Luc. 5. 20. & 9. 47. Joann. 5. 19. 3 Johann. 11. Neque verò dubium, Angelos non tantùm incarnationis Dei Filii testes, (ὤφθη, inquit Theodotus in epitome quæ Clementi Alexandrino subjecta pag. 567. ὁ ζωτὴρ κατιὼν τοῖς ἀγγέλοις) & præcones, ejusdemque satellites & παραςάτας *adstites* fuisse, sed & pleniorem eos tum cognitionem cum maxima admiratione indeptos, inque ejus cognitione multùm profecisse, ceu ἐπόπτας hujus mysterii, novo modo, *notitiâ*, ut loquuntur, *experimentali & intensivâ*: denique novo quodam cognitionis gradu: & quod olim in Deo revelante cognoverunt, mox veluti præsenti intuitu conspexerunt. Hinc illa Angelorum de Deo Christo incarnato annunciatio; hinc assiduum eorum ministerium. Nam *& à beatis illis Spiritibus conspectus fuit, tum natus, tum à morte excitatus, tum cœlo receptus: Christusque nunciantibus Angelis conceptus, natus cantantibus, tentatus ministrantibus, passus consolantibus, suscitatus apparentibus, assumptus comitantibus & testantibus*, ut egregiè vir ὁμολογουμένως *ex confesso* Magnus. Denique viderunt Angeli Deum qui incarnatus, nasciturum, nascentem, esurientem, docentem, miracula patrantem, probra, vulnera ad mortem usque patientem, resurgentem, ascendentem: imò & clarè postea per rerum evidentiam cognoverunt fructum Incarnationis & Passionis ejus in vocatione & conversione Gentilium: de quo in sequentibus colis. Unde dubium nullum, peculiari etiam & glorioso quodam aspectu & cognitionis gradu θεάνθρωπον *Angelis* exhibitum, & ab his *visum* agnitumque. Et iidem tamen adhuc, quod ad gradum cognitionis attinet, apud Petrum, 1. 1. 12. *desiderare* dicuntur *in hæc arcana introspicere*, εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι. Quomodo & idem Paulus Ephes. 3. 10. ait *innotescere per Ecclesiam* ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *multiformem illam Dei sapientiam*. Alioquin rectè Ammonius in Catena Patrum in Joannem cap. 1. pag. 39. dicebat, *Etsi Filius*, Deus sc. *in carne apparuerit; non tamen* κατ' οὐσίαν, *quam nec ipsimet Angeli, ut in se est, cernunt*, ἣν οὔτε ἄγγελοι θεωροῦσιν ὡς ἐςι. Et hæc quidem ità B. Paulus. At enim tacitâ ἀντιθέσει non tantùm ad ἀγγέλους, quos & ipsi Pythagorici, & exinde Platonici, sublimioresque Theologi Gentilium agnovere ἐκφαίνοντας καὶ διαγγέλλοντας ἡμῖν τοὺς πρὸς εὐδαίμονας νόμους, ut loquitur Hierocles; sed & ad varios sacrorum Gentilitiorum & mysteriorum ἀγγέλους. Erant quippe ibi non tantùm ἱεράγγελοι, quos θεωροὺς ἀγγέλλοντας τὰς πανηγύρεις interpretatur Hesychius, sed & erant ἄγγελοι seu *nuncii*, qui renunciabant & testabantur visos sibi Deos. Erant & κήρυκες seu ἄγγελοι, de quibus idem Hesychius in Κήρυκες, Κήρυκες, οἱ ἄγγελοι, οἱ διάκονοι, οἱ τὰς ὑπηρετικὰς ἐπιτελοῦντες πράξεις· Eidem Κῆρυξ, ἄγγελος, διάκονος, πρεσβευτής. Neque ab hoc abludit Κηρύκιον, ὄρος τῆς Ἐφέσου, ἐφ' ᾧ μυθεύουσι τὸν Ἑρμῆν κηρύξαι τὰς γονὰς Ἀρτέμιδος. Verum de κήρυξι mox plura. Ergò & *Angeli* hic testes hujus mysterii laudantur. Alioquin ut voci isti ἀγγέλων vicinum quid addam, ἐξαγγέλλειν, *renunciare, invulgare* mysteria fas non erat. Vide Pausaniam Corinth. pag. 56. de quo mox. Quæ vox hic propria ἐξαγγέλλεσθαι, inquam, pariter ut ἀγγέλων· itemque vox ὤφθη seu ὀφθῆναι in Deorum ἐπιφανείαις. Vide Dionysium Halic. lib. 6. p. 351. & quidem in Eleusiniis. Hâc enim voce hic alluditur ad ἐποπτείαν, αὐτοψίαν, & ἐπόπτας magnorum Mysteriorum Eleusiniorum: unde & ἱερὰ ἐποπτικὰ· ubi σύμβολα τῆς θεῶν παρουσίας ἔνδον ἀποκεκρυμμένα μόνοις γνώριμα ἦν τοῖς τελεσταῖς, inquit Proclus in Timæum, comment. 2. Sed & ὄψις μυςηρίων Euripidi,

Σεμνῶν ἐς ὄψιν καὶ τέλη μυςηρίων.

Hactenus tres τοῦ θεανθρώπου *Dei incarnati* exhibitiones, seu de Deo incarnato ἀποδείξεις *probationes legitimæ justæque*. Sequuntur tres aliæ, quibus ut veritas ejus adstruitur, ità & μεγαλειότης conficitur. Et initio quidem, quod quartum hic membrum est seu κῶλον, quòd Deus incarnatus omnibus *gentibus prædicatus, mysteriumque hoc magnum propalatum invulgatumque fuerit*; ἐκηρύχθη, inquit, ἐν ἔθνεσι· quomodo & de seipso idem Apostolus Gal. 2. 2. τὸ εὐαγγέλιον ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι. Idemque Col. 1. 27. de *mysterio* hoc *revelato sanctis*, οἷς ἠθέλησεν ὁ Θεὸς γνωρίσαι τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυςηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅς ἐςι Χριςὸς ἐν ὑμῖν, ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης. Rectè verò Chrysostomus in Ep. ad Col. p. 1348. *in hoc apparere maximè gloriam mysterii hujus, nempe quòd Gentibus à Deo derelictis Christus prædicatus fuerit, quæ erant antea prorsus infideles & alienæ à Deo*; Eph. 2. 12. Col. 1. 21. *& sic quidem ut prædicationi fides adhiberetur*: de quo mox. Et sanè *mysterium* istud *magnum* reverà fuit, quod & Petrum ipsum latuisset nisi id signo quodam & ostento Deus ei manifestasset. Hàc verò quoque parte Apostolus tacitè alludit, vel tacitam ἀντίθεσιν adhibet, non respectu Judæorum, quibus & ipsis est annunciata veritas, verùm respectu Gentilitiorum sacrorum & mysteriorum, tum ratione personarum seu κηρύκων, tum ratione τῆς κηρύξεως. De κήρυξι jam antè quoque dicere aliquid anteverti. Erant sc. κήρυκες qui præmittebantur feriis & mysteriis, exclamantes ut homines abstinerent opere. Erat & ἱεροκήρυξ, qui ante sacrificium favere linguis jubebat. In Eleusiniis nominatim mysteriis erat κήρυξ quidam seu ἱεροκήρυξ, qui Mercurii effigiem repræsentabat; de quo Eusebius lib. 3. De præparat. Euang. Arrianus in Epictetum, lib. 3. cap. 21. Plutarchus in Alcibiade, Pollux lib. 8. cap. 9. sect. 22. Scholiastes Sophoclis in Oedip. Col. Clemens Alex. ad Gentes, pag. 10. Hâc imitatione seu intentione & ipse Apostolus τοῦ συντετμημένου λόγου, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου κήρυξ, pro Mercurio habitus Act. 14. 12. seque ipsum *positum* κήρυκα καὶ ἀπόςολον διδάσκαλον ἐθνῶν ἐν πίςει καὶ ἀληθείᾳ, vocat superiori capite, ut & 2 Tim. 1. 11. Quod κήρυξιν seu κήρυγμα attinet, tacita & hîc allusio & ἀντίθεσις continetur, in eo quòd *omnibus Gentibus Dei incarnati mysterium prædicatum sit*, contrà quàm mysteria Gentilium. Nam etsi Eleusinia mysteria *inter omnes homines celebratissima essent*, ἐγένοντο πᾶσιν ἀνθρώποις περιβόητα, ut ait Diodorus lib. 5. pag. 200. pariter ut Ceres dicebatur Triptolemo frugum usum dedisse, πᾶσιν ἀνθρώποις μεταδοῦναι τῆς δωρεᾶς, inquit idem pag. 232. attamen non impii sceleratique tantùm profanumque vulgus ab his mysteriis τῷ κηρύξει, formulâ seu προῤῥήσει solenni, arcebantur, & quidem Eleusiniis (De quo præconio vide inter alios Suetonium in Nerone, cap. 34. Livium lib. 45. Origenem lib. 3. contra Celsum. Unde & illud Lysidis Pythagorei, Βεβάλοις τὰ τῶν Ἐλευσινίων θεαῖν μυςήρια διηγεῖται) verùm etiam ab iisdem lege arcebantur ξένοι *peregrini*, ξένους μὴ μυεῖσθαι. Unde commune proverbium de Atheniensibus, Ἰδίᾳ τὴν τελετὴν ἐπίλυν (Vide Pausaniam in Atticis, pag. 11. Parœmiographos, & in his sub Adriano, Zenobium, 2. Cent. 26. & Diogenianum) *Soli mysteria celebrant*. Idque *præconis voce* διὰ κήρυκα *edicebatur*, Isocrates Panegyrico, ubi de Medis & Persis agit. Igitur ab initio nonnisi Atheniensibus ea vel *in civitatem adscitis* δημοποιήτοις patuere. Herculique primùm datum id & Castoribus seu Dioscuris, deinde & Hippocrati & peregrinis, ut his initiarentur. De Hercule res nota, ut & de Dioscuris. Quod de Hippocrate dixi, id Soranus in Vita ejus scriptum reliquit. Paulatimque is honos delatus ab Atheniensibus per adulationem, ut narratur ab Athenæo. Postea id omnibus Græcis concessum; tandem & aliis Gentibus. Et ut in illo est apud Ciceronem 1. De natura Deor. *Eleusinem sanctam illam & augustam, ubi initiantur gentes orarum ultimæ*. Et hæc quidem de prima hâc parte ἀντιθέσει seu allusione. Altera ἀντίθεσις est, quòd post mysteriorum initiationem & ἐποπτείαν seu ὄψιν, visa vel audita μυςήρια κηρύσσεσθαι, ἐξαγγέλλεσθαι, ἐξορχεῖν, δημεύεσθαι, *invulgare, prodere* nefas erat. Quique ea evulgare ausus fuisset, impius habebatur, teste Lysia in Epist. ad Hipparchum, Arriano in Epict. lib. 3. cap. 21. Jamblicho lib. 1. c. 17. Imò & præmium ἐκηρύχθη *publicè propositum* ei qui eum qui mysteria invulgasset interfecisset, vel vivum adduxisset, velut κοινοποιοῦντα ea & μικροποιοῦντα, teste Suida in Διαγόρας, & Scholiaste in Comic. Avibus: ubi vides quoque vocem hanc ipsam ἐκηρύχθη, quæ hic occurrit. Quinimo nè sciscitari quidem ea vel ab alio audire licuit, teste Pausania in Atticis. Mysterium denique ut non erat notum omnibus, ità *nec declarabatur omnibus, sed iis solis qui contemplabantur, solis amicis qui ejusdem erant symboli*, Theodoretus in Rom. 11. & in 1 Cor. 15. Apud Cretenses solos ea vulgare fas erat, ut auctor est Diodorus lib. 5. Atenim *Mysterii* hujus *pietatis* longè alia ratio est. Nam & ad ea omnes admissi, ξένοι etiam & πάροικοι, Ephes. 2. 19. ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας, Ephes. 2. 12. ἀπηλλοτριωμένοι καὶ ἐχθροί, Col. 1. 21. ὄντες μακρὰν, Ephes. 2. 13. omnesque οἰκεῖοι facti τοῦ Θεοῦ, d. vers. 19. seu πίςεως, Gal. 6. 10. Et in omnes divulgatum seu prædicatum, ἐκηρύχθη ἔθνεσιν, εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθὲν, Rom. 16. 26. μυςήριον ἐν τοῖς ἔθνεσιν, Col. 1. 26. Item v. 6. eodem c. 1. παρεῖναι ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, & κηρυχθῆναι πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν. Quomodo & *fidem Romanorum* Paulus ait *prædicatam* ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, Rom. 1. 8. Idque juxta prædictionem tum Prophetarum, tum Domini, Mat. 24. 14.

καὶ

καὶ κηρυχθήσεται τὸ εὐαγγέλιον ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι· ejuſdemque mandatum Apoſtolis de eo datum, Matth. 28. 19. Mar. 16. 15. Quod & ipſum *μεγαλειότητα magnitudinem* hujus *myſterii* arguit & commonſtrat, *τὸν πλοῦτον τῆς δόξης* Col. 1. 27. Indè igitur jam apparet, non opponi hic (quod vulgò hactenus creditur) *proquiritationem* ſeu *prædicationem* Euangelii Legi, Genteſque Judæis; verùm hæc omnia, *τοῦ μυστηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσι*, tacitâ *ἀντιθέσει* ad ſacra ſeu myſteria Gentilium, ac nominatim Eleuſinia, reſpicere: Quorum majora *ξένοις* ab initio non patuere, ut Apollodorus quoque ſcribit lib. 2. pag. 106. ſed minora tantùm, quæ & eo fine inſtituta. Non municipale igitur ſacrum vel myſterium Chriſti iſtud eſſe his verbis indicatur, uniuſve populi aut gentis proprium, verùm commune omnium gentium: quomodo alioquin Ariſtides Orat. Eleuſiaca pag. 449. Eleuſinem *commune terræ delubrum* ſuo ævo vocabat, *κοινόν τι τῆς γῆς τέμενος*; Idemque ideo Eleuſinii templi conflagrationem *τὸ κοινὸν πτῶμα, τὸ κοινὸν τῆς γῆς* vocat, ibid. Myſteriaque hæc *πολυανθρωπότατα* erant, teſte Philoſtrato in Vita Apollonii, lib. 4. cap. 6. quò concurſum ex omni Græcia, teſte Lyſia in Andocidem; ſic ut triginta millia numeret Herodotus lib. 8. Ut ut ſit, Templum hoc & myſteria Eleuſine in Attica adhæſere: unde & Ceres *Eleuſiniam glebam percolere* dicta Apulejo initio lib. 11. niſi quòd ad pauciſſima loca hæc religio propagata. In aliquot ſc. Græciæ urbibus præter Eleuſinem, Eleuſiniæ Cereris templa ſacraque & myſteria Eleuſinia erecta fuerunt & inſtituta: denique Eleuſiniæ Deæ cultæ apud Celeenſes, Phliaſios, Pheneatas, Thelpuſios, & Arcades apud Baſilidem; Platæos in Sicilia, Lacedæmonios, Parrhaſios, Cretenſes, Corinthios, prope Taygetum, Pauſania teſte; item prope Nyſia ſub Citherone, teſte Plutarcho in Ariſtide. Romæ certè recepta ea nunquam fuerunt, etſi Claudius Imp. ſub. quo hanc Epiſtolam ſcribebat D. Paulus, ea *ex Attica Romam transferre conatus eſt*, ut teſtatur Suetonius in ejus Vita, cap. 25. Et poſt Pauli Apoſtoli tempora Adrianus effecit ut ea Athenienſium modo Roma percoleret, ſi credidimus Victori in ejus Vita: nam Spartianus, Dio, & Euſebius in Chronico nihil aliud ajunt quàm eum ad Achajam navigaſſe, & Eleuſinia ſacra exemplo Herculis Philippique ſuſcepiſſe. Sic & Dianam Epheſiam urbes propè cunctæ eodem cognomine celebrabant, teſte Pauſania lib. 2. p. 46. & l. 4. p. 142. Atenim *myſterium* iſtud *Pietatis* nullo certo loco adſtrictum, ſed *ubique Gentium evulgatum, prædicatum eſt*, ex quibus *Eccleſia, Dei vivi domus, columna & columen veritatis*, de qua ſuperiore periochê, conficitur. Et plenè quidem & ex integro ſtatim prædicatum id, non ut Eleuſine, quæ non tantùm *cruciabat aditum*, ut inquit Tertullianus, ſed &, quod dixit Seneca, *ſervabat quod oſtenderet reviſentibus*. Tandem videri quoque poſſit Paulus his verbis *τοῖς ἔθνεσι* alluſiſſe ad id quod memorabant Gentilium fabulæ, fruges datas à Cerere populis, *διὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσιν ἀνθρώποις*, per Triptolemum per aërem ſubvectum. Idque Eleuſiniorum myſterium erat.

Neque *prædicatum* tantùm *myſterium* hoc *pietatis*, ſeu de Deo incarnato, *ubique Gentium*, velut nuncium quendam lætabilem, publicaque aliqua lætitia exceptum ait Apoſtolus, verùm (quod quinto jam loco ſubjicit, quoque *veritas* hujus *myſterii* ſimul & *magnitudo*, majeſtas & efficacia ſignatur) *in mundo creditum: ἐπιστεύθη*, inquit, *ἐν κόσμῳ·* atque adeò, quod rectè Theodoretus, *τὴν θείαν παρὰ τῶν πεπιστευκότων προσκύνησιν δέχεται*. Nempe, ut cognitio fidem præcedit, & cognitionem fides ſubſequitur (quanquam & fidem ſequitur major in dies *ἐπίγνωσις ἀληθείας*. Vide Epheſ. 4. 13. & Tit. 1. 1. & Clementem Alex. lib. 5) ita hic Apoſtolus ordine priùs Cognitionem inſtruxit, nunc Fidem ſubjungit. Quæ & ipſa magna juſtaque probatio & demonſtratio eſt veritatis hujus myſterii ſeu religionis Chriſtianæ, ad mirabilis videlicet ejus propagatio fideſque ei adhibita in mundo. De quo fidem faciunt præter Acta Apoſtolorum, Epiſtolæ Canonicæ eaque vectati * paſſim proximi his ſcriptores qui Apologias pro Chriſtianis ſcripſere. Nos de ipſa primùm *πίστει* videamus; mox de amplitudine ejus, *ἐν τῷ κόσμῳ*. Nempe *ad obedientiam fidei aſſenſumque* ſeu *voluntariam animi aſſenſionem* (id enim *fides* eſt) *ὁμολογίαν, tracti perſuaſive homines in mundo*. Unde & *μυστήριον πίστεως* dicitur hoc ipſo cap. 3. paulò antè, *ἔχειν μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει* & Rom. 1. 5. & 16. 26. *μυστηρίου*, inquit, *φανερωθέντος, εἰς ὑπακοὴν πίστεως εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος*. Non prædicatum ſc. modo myſterium iſtud, verùm efficaciter in aſſenſum tracti omnis generis, ſextûs, ſtatûs, conditionis homines, ut Chriſto prædicato fidem haberent, inque eum crederent. Id enim hac in re *πίστις* eſt, non nuda credulitas de rei veritate, ſed cordis aſſenſus. Quod exoravit Dominus Joann. 17. Rom. 1. 10. Col. 1. Non igitur myſterium hoc, ut de alluſione tacitaque Apoſtoli *ἀντιθέσει* videamus, qualia erant Eleuſinia, ad quæ conveniebatur *εἰς τὸ θύειν, ἢ θεωρεῖν, ἢ ἀκούειν φωνῆς* ubi & acta ſeu *Legenda* Cereris narrabatur, & auditores dicebantur *ſuper Diis ὀρθὰ ἀκούειν·* unde & nuda *ἔκπληξις* enata, non verum *πίστεως* ſeu *εὐσεβείας μυστήριον*, non vera fides veruſque cultus. Quanquam & ſuam quandam *πίστιν* ſeu *fidem*, quò & hic alluditur, non in commune tantùm apud Gentiles in rebus ſacris & Divinis neceſſariò requiri veteres credidere; (In quibus & Platonis illud eſt, *Εἰσὶ δὲ ἀμύητοι οἱ μηδὲν ἄλλο ἡγούμενοι εἶναι ἢ ὃ ἂν ἀπρὶξ ταῖς χεροὶ λαβέσθαι δύναιντο, profanos eſſe eos qui nihil eſſe exiſtimant niſi quod planè manibus comprehendi poſſit:* ut & Philoſophi in Divinis fidem citra ullam *ἀπόδειξιν* inculcabant: de quo prolixè Theodoretus Græcar. affectionum ſerm. 1. de Fide) ſed & ſuum quoddam fidei ſymbolum in myſteriis nominatim Eleuſiniis erat. Cujus quidem Eleuſiniæ Fidei Symbolique capita hic varios apud autores ſparſa colligere in unum juvat. Nempe enim non hiſtorica tantùm de Cerere deque frugibus ab ea repertis, feritate abolitâ, humanitate invectâ, Legibus acceptis, unde & Theſmophoria, fides erat, ſeu in ejus rei memoriam Eleuſinia myſteria inſtituta credebantur: verùm etiam fides quædam ſalutaris in his erat, cujus articulos hos reperio. Credebant ſc. myſteriis Eleuſiniis initiati, conſilia ſibi recta à Deabus Eleuſiniis immitti; *Πιστεύω ταῖς ἐν Ἐλευσῖνι θεαῖς, τοῦτον * μὴ ἐμβεβηκέναι τὸν νοῦν, καὶ τὸ στρατήγημα τοῦτο ἐξ Ἀνακτόρων δοῦναι τῶν μυστικῶν*, ut Pericles apud Sopatrum. Credebant, *εἰς εὐσέβειαν* hæc myſteria *ἥκειν·* de quo ſuprà jam. Credebant id myſterium *καθάρσιον καὶ μανιῶν καὶ πάσης ἀτόπου συμφορᾶς, τῶν ἐκ τοῦ προτέρου χρόνου δυσκολιῶν λύσεις καὶ ἀπαλλαγὰς*, ut apud Ariſtidem Orat. Eleuſ. pag. 454. Credebant ſe iis ad virtutem obſtrictos, *καὶ ἐκκλίνειν ἁμαρτημάτων*. Credebant *ſeſe cum lætitia vivendi rationem inde accipere*, teſte Cicerone. Credebant ſe feliciores in hac vita. Credebant indè ſe accipere *ſpem meliorem moriendi*, ſeu *de vita exitu, & æternitate, περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους ἐλπίδας*, teſte Iſocrate in Panegyrico, pag. 46. Cicerone, & Ariſtide dict. pag. 454. Credebant ſeſe poſt mortem peccatis abſolvi. Credebant, non tantùm cum initiatis leviùs poſt mortem agendum, ut Ariſtides in Panathenaic. p. 323. verùm etiam credebant, poſt mortem cum Diis ſeſe habitaturos. Credebant, in inferis ſeu inter mortuos ſeſe *ſuperiorem locum & conſeſſum, προεδρίαν, præcedentiam*, habituros, teſte Laertio in Diogene. Credebant contrà, non initiatos *in cæno & luto, ἐν βορβόρῳ, ſeſe volutaturos*, teſte Platone in Phædone, &c. vide & Sophoclem: unde & (quod teſtatur Ariſtophanes in Pace) *antequam morerentur, initiari cupiebant*,

> *Δεῖ γάρ μυηθῆναί με πρὶν τεθνηκέναι.*
>
> *His* tandem *datum ſolis minùs ut timerent*
> *Igne prælato relevare noctem*,

ut Seneca in Hercule Furente. Hæc, inquam, inanis falſaque paucorum Eleuſiniis myſteriis initiatorum *fides, πίστις* & *ὁμολογία* erat, atque adeò quædam etiam *ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων*, ſymbolumque (ſic ut dixerim) fidei in myſteriis Eleuſiniis fuit. Atenim ea quâ de nunc agimus fidei *ὁμολογία myſterii pietatis*, vera fides, ſeu *μυστήριον εὐσεβείας, μυστήριον τῆς πίστεως* ſuperioribus *juſtis probationibus ἀποδείξεσι* fundata fuit; & quidem (quod ſecundum hîc) *in mundo, ἐν κόσμῳ*. Quibus verbis hîc indicari quidem putant *magnam mundi partem*; alii, *homines mundanos, corruptos peccatores, qui hoc myſterio credito juſtificati ſunt*. Quorum neutrum mihi probatur. Verùm *κόσμος* vel hîc idem denotat quod ſuprà *πάντα ἔθνη·* quâ causâ ſuperiore colo vidimus promiſcuè *ἐν κόσμῳ* & *ἐν ἔθνεσι* dici *κηρυχθῆναι*. Vel certè hîc (ut alibi paſſim) per *κόσμον* accipiendi homines ex univerſo mundo, omnis ſexûs, conditionis, ætatis, ſtatûs, electi, ut Rom. 3. 19. 2 Cor. 5. 19. Joan. 1. 29. & 3. 16, 17. & 4. 42. & 6. 33. & 12. 19. Nam ut ſupra *τῶν ἐθνῶν* appellatione omnes populi ſeu gentes, nationes, *πᾶς τόπος*, omnes terrarum oræ indicantur; & ſicut illud reſpectu locorum, ita iſtud reſpectu perſonarum dictum fuerit: ſicut & fides eſt perſonarum. Ergò *mundus, κόσμος*, per Synedochen pro *univerſitate quadam in mundo, ἐκ τοῦ περιέχοντος τὸ περιεχόμενον*. Quo ſenſu 1 Joan. 2. 2. Chriſtus dicitur *propitiatio pro peccatis totius mundi, ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτημάτων ὅλου τοῦ κόσμου*. Ergò *myſterium* hoc *pietatis* à myſteriis Eleuſiniis diſtabat, quòd *myſterium pietatis* promiſcuè *ab omnibus in mundo creditum fuit*; non ut, e. g. myſteria Eleuſinia, quæ ſoli viri accipiebant: ut Theſmophoria, quæ cum his multi confundunt, ſolæ mulieres. Quinimo hæc verba *ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ* opponi videntur Gentili ſeu Civili Deorum Theologiæ, quâ, ut falsè vereque Tertullianus lib. 2. ad Nationes, quidam

dam Dii erant *municipali adeptatione, velut Decuriones cujusque municipii, quibus* HONOR (& sic cultus fidesque) *inter muros suos determinabatur.* Et hoc quoque more Romanorum dominantium, apud quos erant Dii quidam proprii, & in his nonnulli adsignati & distributi per singulos hominis status. Quanquam & communes quidam Dii habiti, quibus ubique cultus fidesque habita; ut Cereri Eleusinæ (de quo jam supra) ut & Dianæ Ephesinæ, ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται, ut Act. 19. 27. Quare & hæc *paucos inter Deos in orbe Romano heres institui potuit*, teste Ulpiano.

Subjicit postremò Apostolus, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ· quo apertè indicatur gloriosa Christi post resurrectionem ejus (quæ hic subticetur, de qua suprà jam aliquid) in cœlos ad gloriam & dexteram Patris ascensio. Qui velut colophon est & clausula totius hujus mysterii, quoque *obsignatur*, σφραγίζεται, ὁρίζεται ejusdem tum vera Divinitas tum & μεγαλειότης. Quomodo & hanc ipsam deprædicat Apostolus in Actis non uno loco, cap. 1. 22. & cap. 3. & Paulus ad Ephesios & Colossenses. Nam quòd, retentâ corruptâ lectione suprà, ὃ pro Θεὸς, quam suprà profligavimus, de mysterio seu Euangelio, non de ipso Christo, quidam istud accipiunt, quasi his verbis indicetur, *Euangelium hoc in sublime elatum & gloriosè exaltatum*, nempe quòd id multò majorem attulerit sanctitatem quàm ulla antehac dogmata, & sic gloriosa Euangelii ejus receptio sit, erroneum est. Nam imò, ut superiores omnes articuli sunt de Deo incarnato seu de Christi Persona, ità & hic nominatim articulus est de Christi assumptione & elevatione in cœlum. Qua in re etiam vox ἀνελήφθη, i. e. *sursum adsumptus*, propria est, ut hic, ità & Mar. 16. vers. penult. & Act. 1. 2, 11, 22. ut & ἀναλήψεως Luc. 9. 51. ut & illa ἐν δόξῃ *gloriosè* propriè de gloria cœlesti; eodemque sensu δόξα Θεοῦ, εἰς δόξαν Θεοῦ, Phil. 2. 11. & δοξάζεσθαι Act. 3. 13. quod & ipse Christus petiit Joann. 17. 5. Christus scilicet cùm post crucem manifestatâ personâ suâ & virtute in glorioso corpore resurrexisset, sic palàm famulantibus nubibus, imò supra nubes, adeoque supra omnes cœlos, non in Eliæ modum turbine subvectus 2 Reg. 2. 11. sed in nube placida Act. 1. 9. Lucæ 9. 54, 55. Angelis occurrentibus & ministrantibus, ab eis assumptus ascendit ad Patrem, Mar. 16. Luc. 24. Act. 1. Ephes. 4. ἐν δόξῃ· quomodo & in eadem δόξῃ reversurus est, Matt. 16. 27. & 25. 30. Mar. 8. 38. Luc. 9. 26. Et deinceps sessurus, Matth. 19. 28. & 25. 31. Mar. 10. 37. apud πατέρα τῆς δόξης Ephes. 1. 17. Indeque τὸ σῶμα τῆς δόξης αὐτοῦ, Phil. 3. 21. Porrò & hic tacita quædam ἀντίθεσις continetur ad suam quandam in Mysteriis Eleusiniis aliisque, Deorum, postquam inter homines versati fuissent, ἀνάληψιν. Scilicet & Dii dicebantur post ἐπιφάνειαν suam disparuisse cœloque recepti. Ut omittam ascendentem in cœlum Bellerophontem; Eleusiniorum certè mynisteriorum pars fuere *illuminatarum Proserpina nuptiarum demeacula, & luminosarum filia inventionum remeacula, & cætera quæ silentio tegit Eleusis*, ut loquitur Apulejus 6. Metam. ubi *remeacula*, de Cereris, post longam filiæ inquisitionem, ad superos reditu. Fuit & Eleusiniorum mysteriorum pars, Triptolemi, cùm immortalis à Cerere factus fuisset, ἀνάληψις, διὰ τοῦ ἀέρος πορεία, curru ei à Cerere parato, quo ab alatis draconibus in sublime tractus fuit, δι' οὐρανοῦ αἰρόμενος ὑπὲρ πάσης γῆς καὶ θαλάττης, teste inter alios Apollodoro lib. 1. Aristide Orat. Eleus. p. 450. Panathenaicâ pag. 262. Claudiano lib. 1. De raptu Proserpinæ. Quin & alibi quidam à Diis κομίζεσθαι, ἄγεσθαι εἰς οὐρανὸν dicebantur. Vide Pausaniam Lacon. p. 101. Tandem quoque his verbis allusio fit ad Deos, qui ex hominibus facti apud Gentiles post mortem in cœlum recepti seu Cœlitibus adscripti credebantur. Qua in re etiam contemplatores quidam juratoresque extitere, qui in consecrationibus Principum renunciarent, imò jurarent, se vidisse Principem in cœlum receptum: de quo è Gentilibus Suetonius Octavio, cap. 11. Dio lib. 59. & 66. Seneca in Ludo Claudii; è Christianis scriptoribus, Justinus, Tatianus, Minutius Felix, Tertullianus, &c. Cæterùm, hoc ipsum quod hic dicitur & additur pro colophone, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, eò pertinet, quòd semel in sublime sublatus in gloriam, ibi quoque mansurus sit ad extremum usque judicium, ut rectè dicitur Act. 1. 11. & 3. 21. Alia longè ratio erat fictæ Deorum ἀναλήψεως & mysteriorum Eleusiniorum: Ibi quippe semper statutis vicibus ejusdem Dei ἐπιφάνεια credebatur, & Jacchus semper annuatim *procedebat*, eumque ἐξῆγον· unde & Ἰακχαγωγὸς quidam huic rei præerat, teste Polluce.

Et hæc quidem ità Apostolus perpetuâ, ut jam ostendi, ad Gentium mysteria, atque Eleusinia nominatim, allusione: Ità quidem ut idem hic ordo observetur qui ibi; nempe post ἐπιφάνειαν & ἐποπτείαν Numinum κήρυξις ibi secuta: indeque initiatorum πίστις· tandem sequebatur ἀνάληψις, ἀφάνεια, ἀφανισμὸς Deorum. Quâ quidem etiam observatione fieri satis posse puto multorum dubitationi, cur Christus hic priùs *prædicatus* dicatur *omnibus Gentibus* atque *in mundo creditus* quàm *in gloriam assumptus*, cùm tamen, servato temporis ordine, illud antevertat: *ascensio*, inquam, *prædicationem per omnes Gentes*, & *fidem* seu *assensionem* indè secutam *in mundo*. Nempe enim in Gentilium mysteriis quoque, & quidem Eleusiniis, hæc eo ordine ità transacta. Nam quòd aliter dubium hoc solvit Theodoretus, vel solvunt alii, haud æquè admitto. Ille putabat Apostolum istud postremo loco posuisse, ut doceret prædicationem jure creditam fuisse, eò quòd in cœlis sit atque à dexteris considerat is qui hoc fieri jussit. Alii, quòd primitiæ prædicationis & vocationis Gentium, & exinde fidei secutæ, in terris adhuc agente Christo in Centurione jam cœperint. Alterum dubium superest, cur Resurrectionis Christi nulla hîc mentio fiat, quâ tamen, & vel maximè, mysterium hoc δικαιοῦται, *legitimè, plenè probatur*, ὁρίζεται· quò pertinet illustre Apostoli dictum ad Romanos; quod jam suprà quoque laudavimus. Non adquiesco iis qui ajunt Resurrectionem hîc vi ipsâ supponi per antecedens Ascensionis seu ἀναλήψεως ἐν δόξῃ. Ego malim dubio huic ità satisfacere, quòd de Deo seu de Divina Christi natura hîc potissimùm agatur: nempe dicitur hîc *Deus incarnatus*, idemque Deus rebus ipsis *legitimè & plenè probatus*, Deus *visus* seu *conspectus ab Angelis*, Deus *prædicatus apud omnes gentes*, Deo isti *fidem habitam in mundo*, denique Deus post ἐπιφάνειαν suam atque inter mortales conversationem *in cœlum receptus*. Cæterùm Resurrectio humanam propriè naturam solamque præcisè respicit, etsi vi Divinâ ea facta sit, quâ quidem *Dei Filius plenè declaratus fuit*, ὁρισθεὶς υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Sed & illud animadverto, Paulo perpetuâ hîc allusione ad mysteria, & quidem Eleusinia vel Ephesina, respicienti, nullam ibi Resurrectionis speciem occurrisse quò alluderet. Etsi Gentiles alioquin de Deorum quoque & Heroum quorundam *resurrectione* ἀναβιώσει, vel ab his procurata, fabulosa multa mentirentur; sed eorum tamen qui liquidò *homines* tantùm ab initio, atque ex hominibus in Deos recepti fuissent; non, ut hîc, is qui *Deus* erat *in carne manifestatus exhibitusque*, & sic θεάνθρωπος, postea in cœlum receptus fuit.

Atque hæc quidem hactenus,

—— & ipse Semipaganus
Ad sacra Vatum carmen afferens nostrum.

Col. 3761. lin. 72. post *scamillus*, adde *stabilitum scamnum; solumque*, ut Cicero, 1. De divinat. *columen* denique, quibus, &c.

CAP. IV.

VALLA.

13. **D**Um *venio, attende lectioni*] *Dum* pro *donec* accipiendum est; quod Græcè apertum est, ἕως.

ERASMUS.

1. **S**Piritus *autem manifestè dicit*] Ῥητῶς, q. d. *præscriptè*, sive *præcisè*, & *certo*, *non obscurè & involutè*, quemadmodum loqui solet in Prophetis. Nam ῥητὰ dicuntur Græcis *certò præscripta & præfinita*. ¶ *In novissimis temporibus*] Ὑστέροις, *posterioribus* sive *sequentibus*. Neque enim est ἐσχάτοις. ¶ *Discedent*] Ἀποστήσονται, *deficient*, sive *desciscent*. ¶ *Spiritibus erroris*] Πνεύμασι πλάνοις, i. e. *Spiritibus seductoribus*, sive *deceptoribus*, aut *fallacibus*, ut vertit Ambrosius. Itidem Hilarius lib. 12. De Trinitate. Quin & Augustinus Adv. Faustum lib. 15. cap. 10. legit *Spiritibus seductoribus*. Sed Interpres legisse videtur πλάνης, non πλάνοις, per η, non per οι diphthongum. Tametsi id ad sensum nihil habet momenti. ¶ *Doctrinis dæmoniorum*] Δαιμονίων potest hoc loco adjectivum esse à δαιμόνιος, quod rectè verti poterat *divinorum*, propter ea quæ sequuntur, *cauteriatam*, &c. quæ in *Dæmonia* non quadrant, sed in *divinos*, qui fingunt se cum Spiritibus habere commercium: idcirco adjecit, *in simulatione falsiloquorum*. Quòd si legimus *Dæmoniorum* pro *Divinorum*, genitivi perpetuò referentur eodem. Sin *Dæmoniorum* pro *Dæmonum* (nam δαιμόνων legit Theophylactus & Chrysostomus) sensus erit, *Fore qui aversi à doctrina Euangelica, auscultent falsæ doctrinæ, quam Dæmones fallaces invehent per homines qui sub specie pietatis insinuant mendacia.*

2. *In hypocrisi*] Ἐν ὑποκρίσει, *In simulatione*, ut Ambrosius, sive *in fictione*. Et mirum est Christianos hâc Græcâ voce tantoperè

topere delectatos. ¶ *Loquentium mendacium*] ψευδολόγων. Ambrosius elegantiùs vertit *falsiloquorum*, voce item composita ut est apud Græcos. Augustinus *mendaciloquorum*. Itidem Hilarius De Trin. lib. 10. reddidit Græcam vocem *mendaciloquorum*. Nos *falsiloquorum* vertimus. ¶ *Cauteriatam habentes*] Κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, *quibus conscientia cauterio notata est*. Nam ferro candenti notabantur malefici, stigmatis impressis cuti. At isti non corpus sed animum habent stigmaticum ob vitæ dedecora quorum ipsi sibi conscii sunt. Augustinus Adv. Faustum lib. 15. pro *cauteriatam habentium* legit *cauteriantium*: sed haud scio an vitio scribarum.

6. *Hæc proponens*] Ὑποτιθέμενος, *suggerens*, sive *admonens*. ¶ *Enutritus verbis*] Potest & activè legi, *educans illos verbo fidei*. Nam participium est medium præsentis temporis, ἐντρεφόμενος. Atque ad id facit quod mox sequitur, *quam assecutus es*: h. e. Trade aliis quod à nobis didicisti. ¶ *Quam assecutus es*] ᾗ παρηκολούθηκας, *quam usque secutus es*. Neque enim hic *assecutus* accipiendum est eo significatu quo Rhetores accipiunt. Et astipulantur Græca Scholia, quæ sic exponunt, *Cujus es alumnus*, h. e. in qua es educatus & ab adolescentia versatus. Latinis enim *qui ob rei difficultatem non attingunt id ad quod tendunt*, negantur *assequi*; quod Græci dicunt ἐφικνεῖσθαι sive ἐπιτυχεῖν cui diversum est ἀτυχεῖν, Latinis *frustrari*. Cæterùm *qui seriem omnem rei totius ordine sequuntur, nihilque prætereunt*, παρακολουθεῖν dicuntur. Ad eundem modum usus est & Lucas in præfatione Historiæ Euangelicæ, ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσι, sentiens nullam vitæ partem à se prætermissam quam non pervestigasset. Et Athenæus lib. 1. τούς τε παρὰ Κίρκῃ λέοντας ποιεῖ καὶ λύκους, τοῖς ἡδοναῖς παρακολουθήσαντας. Nimirum eos notans qui per omnem vitam voluptatibus fuissent addicti. Porro ridiculum fuerit si quis interpretari velit eos *voluptates assecutos*. Pro nobis faciunt Chrysostomus ac Theophylactus, qui exponunt de assiduo Divinarum literarum studio, in quo Timotheus à puero fuerat versatus.

7. *Ineptas autem*] Βεβήλους, *Profanas*. ¶ *Devita*] Παραιτοῦ quod Ambrosius vertit *abnue*. Est autem παραιτεῖσθαι *deprecari*, & *rejicere* & *non admittere*.

8. *Quæ nunc est & futuræ*] Τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης quod Ambrosius apertiùs, *præsentis & futuræ*. Unde non malè quadrat *promissiones*, ut habent Græci, ἐπαγγελίας.

9. *Fidelis sermo*] Πιστὸς pro ἀξιόπιστος. Nec sine tropo quod est Hominis tribuit Sermoni. Porrò Græcis ἀποδέχεσθαι frequenter est *amplecti cum approbatione*. *Recipimus* enim quod non rejicimus. Et hæc particula confirmat id quod mox dixerat de promissis utriusque vitæ.

10. *In hoc enim laboramus*] Gr. *Et laboramus*. Nam *laborare* dixit pro *molestiis affici*. Quo quidem argumento confirmat promissionis fidem. Quis enim *laboraret* pro vanis promissis? ¶ *Et maledicimur*] Ὀνειδιζόμεθα, i. e. *probris afficimur*. Ambrosius legit *persecutiones patimur*, miror quodnam secutus exemplar. ¶ *Quia speramus*] Ὅτι ἠλπίκαμεν, *quod speravimus*. Nisi quod in hujusmodi verbis Affectûs Græci nonnunquam præteritum tempus usurpant pro præsenti, verti poterat *in quo spem fiximus*. Nec est *in Deum*, sed *in Deo*.

12. *Nemo adolescentiam*] Cùm Græcè νεότητος, rectiùs vertisset *juventutem*. Nec enim Timotheus erat adolescens, sed nondum habebat senectutem Episcopo dignam. Monet igitur ut quod deest ætati, penset morum integritate. ¶ *Sed exemplum esto*] Τύπος, quod aliquoties vertit *formam*. ¶ *In charitate*] Græci sic habent, ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἁγνείᾳ, i. e. *in sermone*, *in conversatione*, *in dilectione*, *in spiritu*, *in fide*, *in puritate*. Nimirum *in spiritu* redundat juxta Latinos. Quod tamen in commentariis non attingit Chrysostomus, cùm legat & interpretetur Theophylactus. Nec opus est admonere, *in sermone* dictum pro *per sermonem*.

14. *Negligere gratiam*] Χαρίσματος, *donum*. ¶ *Manuum Presbyteri*] Sic quidam habent codices. Verùm antiqui consentiunt cum Græcis, apud quos est πρεσβυτερίου *presbyterii*, non *Presbyteri*: & ità legit Ambrosius. Illud autem dicit, Habes non solùm Prophetiæ donum, verùm etiam efficaciam impositâ manu dandi spiritum & aliis, idque ex officio Presbyterii tui, nimirum Episcopus. Nam antiquitus nihil intererat inter *Presbyterum*, *Sacerdotem* & *Episcopum*, ut testatur & D. Hieronymus. Deinde propter schismata è multis delectus est Episcopus. Porrò quò minùs hic sensus accipi possit, *& Presbyterium, quod impositis tibi manibus accepisti*, obstat Græca præpositio μετὰ, quæ Comitem significat, non Instrumentum. Alioqui probè quadraret cum eo quod dixit in proxima epistola, *Resuscita donum Dei quod est in te per impositionem manuum mearum*. Atque haud scio an hic quoque fatendum sit Paulum Græci sermonis elegantiam neglexisse: præsertim cùm in hanc sententiam interpretetur Chrysostomus, ut *Prophetia* sit donum & autoritas docendi, deinde per impositionem manuum factus sit Episcopus.

15. *Hæc meditare*] Ταῦτα μελέτα· quod Interpres eleganter vertit. Sed Hugo Cardinalis non intelligens hoc vocabulum ad hunc exponit modum, *Versa in corde per jugem memoriam*. Quanquam ab hac interpretatione non abhorret Thomas, quem miror non saltem Ambrosium consuluisse. Est autem *meditari* Exerceri in re quapiam. Id satis aperit Ambrosius, interpretans de *exercitatione sacræ doctrinæ*, ut vita quoque præstet quod docet. Et in his libris qui Glossam habent ordinariam in spacio quod dirimit versus hoc commenti adjectum est, *Hæc exsequere assiduo actu*. Chrysostomus ac Theophylactus interpretantur de jugi vehementique studio, quod vel ad animum vel ad corpus potest referri. Nullus enim negat *meditationem* animi esse posse, velut cùm quis dicturus apud Judicem, secum meditatur quæ quomodo dicturus sit. Verùm hoc admonui quòd animadverissem quibusdam nihil aliud esse *meditationem* quàm *cogitationem*. ¶ *Manifestus sit omnibus*] Ἐν πᾶσιν, i. e. *in omnibus*.

VATABLUS.

1. Manifestè] *Certo*. ¶ *Dicit*] Vel, *denunciat*: sub. *Spiritus noster*. ¶ *Novissimis*] *Posterioribus*, *postremis*. ¶ *Erroris*] *Impostoribus*, *fallacibus*. ¶ *Dæmoniorum*] Δαιμονίων potest etiam adjectum esse à nominativo δαιμόνιος, quod significat *divinum*, eum nimirum qui fingit se Spiritum Dei habere, cùm sit impostor.

2. *In hypocrisi*] i. e. Per simulatam probitatem. ¶ *Cauteriatam*] i. e. Pollutam & contaminatam.

3. *Nubere*] *Matrimonium contrahere*.

4. *Quia*] Sub. *Quæ est*, *quoda* ¶ *Quod*] *Si*.

5. *Sanctificatur enim per verbum Dei*] i. e. Per Euangelium Dei declaratur nullum esse cibum immundum, quo vesci non liceat sine peccato; quod in veteri Lege aliter erat. Vel, peccatorem non reddit hominem qui Euangelio credat.

6. *Hæc proponens fratribus*] *De his si commonefeceris fratres*. ¶ *Bonus eris minister Jesu Christi*] Vel, *ostendes te bonum ministrum Christi Jesu*. ¶ *Enutritus*] Potest etiam activè accipi, *enutriens illos*. Est enim participium medium apud Græcos. ¶ *Assecutus*] *Usque secutus*.

7. *Ineptas*] *Profanas*. ¶ *Devita*] *Rejice*.

8. *Promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ*] q. d. Iis qui pium Dei cultum amplexi fuerint, promittitur hic vita diutina & beata, & tandem æterna.

9. *Fidelis*] *Indubitatus*.

10. *In hoc*] *Propter hoc*. ¶ *Quia speramus*] *Quòd speravimus*, Vet. Præt. pro præs.

12. *Adolescentiam*] *Juventutem*: q. d. Ità vive, ut nemo te meritò contemnere possit. ¶ *Charitate* *] * *In Spiritu*: i. e. in fervore Spiritûs. ¶ *Castitate*] *Puritate*.

14. *Gratiam quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam*] *Donum quod in te est: quod datum est propter prophetias*: i. e. Nè neglexeris pastorale officium quod tibi datum est ad prophetandum, sive docendum, à senatu Christiano qui est Ephesi. ¶ *Presbyterii*] i. e. Cœtûs presbyterorum: q. d. consensu presbyterorum: impositio enim manuum signum est externum electionis, Act. 6.

15. *Meditare*] *Exerce*. ¶ *Sit* *] * *In*.

16. *Insta*] *Permane*.

CASTALIO.

2. Per *simulationem hominum falsiloquorum*] *Hominum* addidi nè *falsiloquorum* & sequentia referrentur ad *Dæmonia*.

3. *Vetantium matrimonia contrahere, abstinere cibis*] Hæc oratio curta est, & ità resolvenda ut pro *vetantium* dicas *præcipientium nè*; hoc pacto, *Præcipientium nè matrimonia contrahantur*, *præcipientium ut à cibis abstineatur*. Ego propterea nihil addidi quòd sic Latini quoque loquuntur autores; ut Plinius lib. 25. cap. 5. de Elleboro, *Vetant dari senibus & pueris, item mollis ac fœminei corporis animive, exilibus aut teneris, & fœminis minus quàm viris*. Hæc Plinius: ubi verbum *Vetant* non est cum iis verbis *fœminis minus quàm viris* conjungendum, sed ità resolvendum, *Præcipiunt non dari senibus, & præcipiunt minus dari fœminis quàm viris*. Item Cicero De Finib. lib. 2. *Rectè ergo is negat unquam bene cœnasse Gallonium, rectè miserum*, &c. quod ità resolvi debet, *Rectè ait nunquam bene cœnasse Gallonium, rectè ait miserum*. Nec enim nega-

negabat esse miserum, sed affirmabat Lælius; ut ostendunt carmina paulò antè posita, in quibus sic apud Lucilium loquitur Lælius,

O Publi, ô gurges Galloni, es homo miser, inquit,
Cœnasti in vita nunquam bene, &c.

14. *Per oraculum*] Divino instinctu atque jussu.

CLARIUS.

1. *IN novissimis temporibus*] h. e. Post aliquot tempora. Familiaris hic est Hebræis loquendi modus. Nè mireris, inquit, si nunc à fide quidam aberrant dum Judaïcis moribus adhærescunt: erit tempus, cùm latiùs fusâ hâc fide, fient alia deteriora; dum non solùm observabunt *cibos*, verùm & *nuptias*, *adhærentes spiritibus erroris*. Quibus verbis indicavit hæreses præsertim Manichæorum, Encratistarum, Marcionistarum.

2. *In hypocrisi*] Significat, hos, tametsi sciant mendacia esse illa sua dogmata, studiosè tamen ea tradituros esse: idcirco addit *inustam illos habere conscientiam*, & quibusdam pravæ vitæ notis signatam, quæ deleri non possint.

3. *Prohibentium nubere*] Fuerunt enim hæretici qui tanquam à re immunda à conjugio abstinendum docerent, neque approbarent *venerabiles nuptias & thorum immaculatum*, qui ad suscipiendam prolem institutus est. At ii qui hoc loco eos incusant qui volunt ut qui Divinis rebus operam sint daturi à conjugio abstineant, longè aberrant à scopo Pauli. Nam Ecclesia neminem cogit ad respuendas nuptias, etiamsi castos & ab uxorum commercio alienos esse velit Ministros suos; qui dum non coguntur ad Ministerium, nè ad virginitatem quidem profitendam sunt compulsi, sed sponte accesserunt. Aliud est ergò *prohibere* ac *damnare nuptias*, aliud non admittere ad sacra vel in religionis contubernium eos qui conjugio sunt addicti. Nam si prohiberet imperator eos militare quicunque artem aliam aliquam profiterentur, siqui militiæ studio artem quampiam desererent, non continuò prohibere imperator artem illam diceretur. ¶ *Fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem*] Nam qui agnoscunt veritatem, ii intelligunt creaturam omnem esse bonam: at qui non credunt, ipsi sibi hanc adimunt libertatem. Taxantur enim hic Judæi.

5. *Sanctificatur enim*] Etsi commune alioqui sit atque immundum, fit mundum. Nihil quidem, inquit, est immundum quod Deus creavit: sed detur concedaturque aliquid esse immundum, ut isti verentur, sanctificatur tamen per preces & gratiarum actiones.

7. *Aniles fabulas*] Judaïcas intellige observationes.

8. *Corporalis exercitatio*] Γυμνασία. Alludit ad id quod dixerat, *Exerce teipsum ad pietatem*, ubi verbum est *γύμναζε*, quod verbum ab iis deductum est qui nudi variis ludis exercebantur. Comparatio ergò est à minori: Volo, inquit, ut quam alii operam exercendo corpori ob tuendam valetudinem impendunt, hanc tu studio pietatis adhibeas: quandoquidem illa corporis exercitatio corpori tantùm prodest, & ob hanc duntaxat vitam fit; at pietatis exercitatio & ad hujus & ad futuræ vitæ utilitatem pertinet.

9. *Fidelis sermo*] Vera, inquit, sunt quæ dixi, & digna quibus fides habeatur ab omnibus: Et ob hanc causam omnia toleramus, cùm tuta sit spes nostra.

10. *Maximè fidelium*] Servator omnium est hominum Deus, dum *vult omnes homines servari*, neque per illum stat quin serventur. Sed *eorum qui credunt* proculdubio Servator est: neque pericula & persecutiones ullæ impedimento huic saluti esse possunt. Quibus verbis hortatur Timotheum ad omnia intrepidè perferenda.

12. *Nemo juventutem tuam contemnat*] Effice probis moribus & inculpatâ vitâ ut nequis te contemplatione tuæ adolescentiæ contemnat. Vel, ubi est opus utere autoritate, nè dum juventus tua contemnitur, communi hominum rei damnum afferatur. ¶ *In spiritu*] In administratione donorum Spiritûs, nè ob ea extollaris.

13. *Attende lectioni*] Tantus vir, qui tam ingentes jam in hac Philosophia progressus fecerat, qui tantis Spiritûs charismatibus ditatus fuerat, jubetur tamen ut assiduè lectioni incumbat. Quid nobis est faciendum?

14. *Per Prophetiam*] *Prophetiam* vocat donum illud de quo ad Corinthios scribitur, ubi *mavult* Paulus *ut prophetent quàm ut loquantur linguis*. Utrobique intelligas donum illud quo germanam Scripturarum sensum percipiebant. Alii interpretantur, quod præcipiente Spiritu S. factus fuerit Episcopus. Quòd autem addit *cum impositione manuum Presbyterii*, intelligit Episcopum, cujus erat hoc munus.

ZEGERUS.

1. *IN hypocrisi loquentium mendacium*] Ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, h. e. *per ficta sanctimoniæ ostentationem falsiloquorum*, sive *eorum qui pro veritate loquuntur mendacium*. ¶ *Cauteriatam habentium suam conscientiam*] h. e. Infami vitâ ceu cauterii adustione signatam.

3. *Abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem*, &c.] Nihil prorsus hic locus pro eis facit qui adversùs majorum decreta quovis tempore quibuslibet asserunt sine discrimine vescendum, nullumque respuendum aut dijudicandum esse ciborum genus tanquam illicitum. Neque enim hoc agit docetve Apostolus, *ne carnem* quidem *manducaturus in æternum* si fratris ex hoc scandalum prænovisset; quin potiùs adversùs Judæos ac Pseudapostolos hæc dirigit, qui pietatis prætextu à cibis in Lege vetitis abstinendum tanquam ab immundis docebant, propterea quòd judicarent nefas esse à Legis observationibus deficere, & ad Gentilitatem, ut ipsis videbatur, declinare. Certè quòd de cibis juxta Legem immundis loquatur satis manifestant sequentia ipsius verba ità loquentis, *Iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura bona est.* Umbram habebant Judæi; nos verò, quam illa figurabat, cognovimus ac tenemus veritatem. Ut autem evidentius sit quid senserit, audi quid subjungat, *Sanctificatur enim*, inquit, *per verbum & orationem*: quod sanè haud valebat Lex ipsa vetus efficere. Tanquam si inquiat, Nihil est quòd addubites an mundum hoc aut illud sit: tamen gratias agito summo omnium largitori Deo, precare, cruce consigna, sume cum fide; nil erit quod Deus purum, mundum & gratum sit habiturus, etiamsi lex Mosaïca videatur reclamare. Neque verò est quòd quisquam nos Judaïcarum possit superstitionum coarguere, dum certis quibusdam temporibus à carnibus temperamus, seu lacticiniis: quandoquidem ità ab iis statis abstinemus diebus, ut majorum decretis obsecundantes nullum judicemus aut abominemur cibum veluti impurum; sed ut corpusculo hoc nostro adversùs animam plus satis ferocienti ac rebellanti insolentiæ fomenta subtrahamus, sicque Apostoli exemplo *castigantes in servitutem* illud spiritûs *redigamus*. Nam usque adeò nullum judicamus cibum impurum aut illicitum, ut suis temporibus iterum revertamur ad eundem; imò audacter addam & illud, ut etiam interdicto tempore medici simul utriusque, & animæ videlicet & corporis, adversus hujusmodi constitutiones decernentis judicium consiliumque (ubi evidens necessitas aut periculum id deposcit) haudquaquam simus aspernaturi.

8. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est*] Libet hic B. Joannis Chrysostomi hunc enarrantis locum sententiam adscribere, quâ videlicet corporalem docearis ab exercitatione discernere spirituali; nempe ad hoc unum proponendum exemplum discussurus reliqua. *Quidam*, inquit, *hoc Apostolum de jejunio ajunt dixisse: sed profectò errant. Neque enim est corporalis exercitatio jejunium, sed spiritualis. Nam si corporalis esset, corpus profectò nutriret. Cùm autem illud maceret & extenuet macieque conficiat, corporalis dici omnino non potest. Igitur de corporis exercitatione ait inutili illa & quæ nihil adferat lucri, soloque corpori accommodata sit. Spiritualem igitur exercitationem nomine Pietatis insinuat, quæ latissimos fructus in futuro seculo reddit, & hic atque illic recreat.* Hæc ille. ¶ *Pietas ad omnia utilis*] Pietas duplex est, in Deum, & in hominem; hic utraque simul accipienda mihi videtur. Vide Augustinum Epist. 52.

12. *Exemplum esto fidelium in verbo*] Simile est huic, *Exemplar esto fidelibus verbo, conversatione, charitate.* ¶ *In charitate, in fide*] Redundat in Græcis ἐν πνεύματι ante *in fide*, quippe quod nec Chrysostomo lectum est, nec Ambrosio, nec Augustino lib. De doctr. Chr. 4. c. 27. nec Hesychio in Levit. 23. ut alios sileam.

13. *Attende lectioni*] i. e. Vaca & exercita temet S. Scripturarum lectione.

14. *Per Prophetiam*] i. e. Jussu Spiritûs sancti. Ambrosius verò, *Prophetia*, inquit, *est quâ eligitur quasi Doctor futurus idoneus.* ¶ *Cum impositione manuum Presbyterii*] Particula conjunctiva *cum* illud *impositione* conjungit cum *Prophetiam* sub hac intelligentia, ut superiora resumam; *Noli negligere Episcopalis autoritatis gratiam, vel gratiam*, i. e. docendi autoritatem, *quæ collata est tibi per Divinæ inspirationis Prophetiam, simulque per impositionem manuum totius cœtus Episcoporum*: vel *per Prophetiam conjunctam impositioni manuum*. *Presbyterium* autem non Sacerdotium, sed Presbyterorum (h. e. Episcoporum, teste Chrysostomo) cœtum hic significat. Et

adsti-

adstipulatur Theophylactus, PRESBYTERII exponens, *id est, Episcoporum.*

15. *Hæc meditare*] Meditari hoc loco non simpliciter *cogitare* est, sed *omnem conatum intendere, & cogitata moribus exprimere.*

H. STEPHANUS.

2. Κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν] *Quorum conscientia velut cautere inusta sensum omnem amisit.*

6. Ὑποτιθέμενος] *Si proponas.*

10. Ὅτι ἠλπίκαμεν ἐπὶ Θεῷ] *Quòd spem posuimus in Deo:* vel, *freti sumus Deo.*

12. Τύπος] *Exemplar.*

15. Ἐν τούτοις ἴσθι] *Versare in his:* i.e. operam pone.

DRUSIUS.

5. *Sanctificatur per sermonem Dei & orationem*] Innuit benedictionem quam recitant initio convivii quando super vino, pane aliisque esculentis Deo benedicunt. Quarum Benedictionum formulas invenies in libro Precum edito Venetiis à Daniele Bomberga Antverpiano.

10. *Servator omnium hominum*] Etiam bestiarum: Psal. 36.7. *Hominem & bestiam tu servas, DOMINE.* Nam omnes in vita conservat, suppeditando eis ad victum necessaria: tum etiam è periculis eripit sæpe malos & improbos.

12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*] Ità te gere ut nemo habeat justam occasionem adolescentiam aut juventutem tuam contemnendi. Alioqui Ebræi proverbio dicunt, *Ne inspice cantharum, sed id quod in eo est.* Quod explicamus Centurià 11. Adagiorum Ebr. adag. 6. Vide, si lubet.

CASAUBONUS.

4. Ὅτι πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον] Homerus Ἰλ. γ'.

Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐςὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

8. Πρὸς ὀλίγον] Placet Syri Interpretes expositio, qui subaudit (ut Bezæ in Notis observatum) χρόνον. Nam est σχῆμα cùm ἀπὸ κοινοῦ dictio aliqua est subaudienda, ex aliqua voce posita. Vide Eustathium in Homeri Iliad. p. 182. ubi simillimam huic phrasin exponit; & similiorem, p. 152. [Eustathius in Ἰλ. β'. p. 152. in ista Homeri,

——— εἷς κοίρανος ἔςω,

Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.

Hic, inquit ille, κεῖται σχῆμα ἐλλειπτικὸν κατὰ τὸ ἀπὸ κοινοῦ, ἐν τῷ, Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Ζεύς. Τί γὰρ ἔδωκεν ὁ Ζεύς; ἢ πάντως τὸ βασιλεύειν ὅπερ ἀπὸ τοῦ, βασιλεὺς, ἀφῆκε νοεῖσθαι, λαβὼν κατὰ κοινοῦ ῥῆμα ἐξ ὀνόματος. Apparet ex his Eustathii verbis, eum qui nunc post istum, Εἷς βασιλεὺς, &c. in omnibus quas hactenus videre contigit Homeri editionibus proximè sequitur, versum suppositititium esse, ut qui Eustathio fuerit ignotus; & qui si recipiatur ut legitimus, istam Eustathii observationem (hoc quidem loco) reddat ἀπροσδιόνυσον & planè futilem. Et sanè in quibusdam Homeri editionibus, quamvis in textum admissus, notatur tamen ut rejiculus & spurius.] ¶ Ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐςιν, ἐπαγγελίας ἔχουσα ζωῆς] Eadem ferè sententia de Voluptate, Athen. p. 213. [lib. 10. de moderata potatione, ex Poeta,

Τοιαύτη δὲ πόσις σώματί τ' ὠφέλιμος,

Γνώμη τε, &c.]

SCULTETUS.

CAP I.

Πνεύματα πλάνης. Conscientia cauteriata. v. 1, & 2.

Spiritus, inquit Apostolus, (sanctus videlicet: quod articulus notat) ῥητῶς *apertè, manifestè* (non per umbram, ut in V. Fœdere) *dicit fore ut quidam attendant* πνεύμασι πλάνοις *spiritibus impostoribus*, vel, ut Vulgatus legit, πνεύμασι πλάνης *spiritibus erroris:* quam lectionem videntur comprobare sequentia, διδασκαλίαις δαιμονίων. In sequentibus est ἔλλειψις verborum [τοῖς οὖσι] ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν· quod doctissimus Interpres vertit, *quorum conscientia cauterio resecta est:* absurdasque judicat esse interpretationes Vulgati ac Erasmi, quorum ille vertit *cauteriatam habentium conscientiam*, hic *cauterio notatam habentium conscientiam:* atque perinde esse ac si quis dicat *eum caput habere cui caput sit ense amputatum.* Causa hujus judicii est, quod τὸ καυτηριάζειν statuit significare *cauterio partem aliquam (putrem videlicet) amputare.* Quod haud scio an Chirurgi illi sint concessuri qui, ut legimus apud celeberrimum Chirurgum Ambrosium Parænm l. 18. De lue Venerea, *cauteriis uti solent potentialibus & actualibus. Potentialia* sunt Aqua chymistarum, Aqua vitrioli, Oleum fervens, Sulfur fusum & bulliens & similia. Lexicon Alchemiæ Rulandi vocat tale cauterium *medicamentum simplex corrosivum, quo cutis absque dolore fricatur. Actuale* cauterium est instrumentum ferreum ignitum quo aperiunt cutem & carnes exustionibus, in putridis & ulceribus obnoxiis locis. Neutra resecant partem cui apprimuntur; sed actualia locum inurunt, potentialia corrodunt. Ustiones autem à sectionibus etiam probati Scriptores distinguunt. Dionysius Halicar. Epist. ad Cn. Pompejum, Theopompum confert Medicis, οἳ τέμνουσι καὶ καίουσι τὰ διεφθαρμένα τοῦ σώματος, εἰς βάθος τὰ καυτήρια καὶ τὰς τομὰς φέροντες, *qui corruptas corporis partes secant & urunt, quam profundissimè sectiones & cauteria immittentes.* Et Niceph. Gregoras lib. 8. Historiæ Romanæ, ὅταν γὰρ ἐθέλῃ μεταλλάττειν ὡς ἂν ἐθέλοι, παλαιῶν τι καὶ νέων ἁμαρτημάτων ποινὰς ἐκτίειν, οἷα σοφὸς ἰατρὸς, τομὰς καὶ καυτῆρα τοῖς δυσιάτοις ἐπάγει πληγαῖς, h. e. *Cum enim Deus aliquos ob vetera & recentia delicta vult mutare, periti Medici more incurabilibus morbis ustiones & sectiones adhibet.* Sunt autem caustica alia, quæ callum & alia in corpore tollunt: de quibus hic non agitur, sed de *cauterio* propriè sic dicto, actuali videlicet, quod, Hadriano Junio definiente, est *ferramentum quo candente scelerosos inurunt*, (quemadmodum *pœna calumniæ* fuit *frontis inustio & nota*, autore Plinio in Panegyrico.) Item, *instrumentum ustioni idoneum quo putrida ulcera & defluxui obnoxia loca inuruntur.* Itaque *conscientia cauteriata* non est *resecta* adeoque nulla, sed cautere scelerum perpetratorum adusta velut aut corrosa. Atque hoc pulcrè congruit cum sequentibus. *Quia enim conscii sibi sunt* (ait Theophylactus) *multa impuritates, propterea conscientia ipsorum indelebiles inustas habet notas sordida vita, ac nuptias reprehendit calumniaturque. Nam si pura esset ipsorum vita conscientia quoque munda fuisset, nec criminata esset quibus benedixit Deus.* Rectè igitur Joannes Lonicerus in Theophylacto verba Apostoli vertit *cauterio inustam habentium propriam conscientiam:* optimeque Lutherus, *Sie haben brandmal in ihren gewissen.*

CAP II.

Contemptus nuptiarum vivis videntibusque Apostolis cœpit, v. 3.

Rem verò miram, in prima Ecclesiæ puritate Spirituum impurum per organa sua castissimis conjugii legibus perruptis permultos homines in spatiosissimum libidinum campum pertraxisse. Non nominat Apostolus qui fuerint illi matrimonii hostes: dubium autem non est, præceptores fuisse Saturnini & Basilidis, qui postea imperante Hadriano nuptias condemnarunt. Verùm non hæretici duntaxat sed orthodoxi etiam quamplurimi in eundem errorem sensim ab Apostolorum obitu lapsi sunt. Nam, ut ex Athenagoræ Legatione pro Christianis & Apologia 2. Justini patet, jam tum Christiani nullum alium finem Conjugii statuebant quàm sobolis procreationem. *Quemadmodum agricola*, inquit Athenagoras, *postquam semina terræ mandavit, messis tempus exspectat, nec alia superinjicit; ità nobis quoque* μέτρον ἐπιθυμίας παιδοποιία, *concupiscentiæ modus liberorum procreatione definitur.* Atqui D. Paulus non solùm ad procreandos liberos sed etiam *ad vitandam scortationem* Conjugium institutum scribit: idemque *satius esse* docet *matrimonium contrahere quam uri.* Jacto hoc fundamento de fine singulari fœderis conjugalis, progressi sunt indè ad damnationem secundarum nuptiarum. Ideo Athenagoræ δεύτερος γάμος εὐπρεπής ἐςι μοιχεία *decorum adulterium*; Clementi Alexan. lib. 3. Strom. *fornicatio*; Tertulliano Exhortatione ad castitatem, *affinis stupro.* Ac primùm quidem monogamiæ lege promiscuè omnes obstrinxerunt. Quod cùm durius videretur, differentiam inter Ordinem & Plebem constituerunt, & Presbyterum digamum esse non posse, sed semel duntaxat maritatum, contenderunt, abusi pronunciato Apostoli, *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum:* quod non Digamiæ sed Polygamiæ opponitur. Sed nec hæc sanctio diu duravit. Immoderatum enim Virginitatis præconium fecit ut plerumque non nisi cœlibes, vel uxorati conjugibus repudiatis, ad Ordines sacros admitterentur; parumque abfuit quin Synodi Nicenæ Patres id pro lege habendum decrevissent, nisi unus Paphnutius obstitisset. *Mansit tamen*

men in Ecclesia etiam post Synodum illam contentio de Nuptiarum & Cœlibatûs prærogativa: Et cùm celeberrimi etiam Doctores, Hieronymus, Augustinus, Epiphanius, alii, non quidem nuptias damnarent, sed virginitatem in cœlum ferrent, cœlibatus Cleri plurium consensu magis magisque confirmatus tandem pro lege obtinuit, primùm in Romanis & Orientis, pòst etiam in Occidentis Ecclesiis; Græcis libertatem suam, conjugium quod attinet, in hunc usque diem salvam & illibatam conservantibus. Etsi autem protestantur Pontificii se nuptias minimè damnare, imò nec Episcopos à se sed à legibus arceri à matrimonio, negare tamen non possunt leges istas non Dei esse sed Dæmonum per organa sua *κωλυόντων γαμεῖν prohibentium nubere, καὶ κελευόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἃ ὁ Θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν μετὰ εὐχαριστίας*, &c. Atque idcirco in illos æquè ac in veteres hæreticos quadrat terribile illud B. Ignatii axioma, *Ἐάν τις φθορὰν δὲ καὶ μολυσμὸν καλῇ τὴν νόμιμον μίξιν καὶ τὴν τῶν παίδων γένεσιν, ἤ τινα τῶν βρωμάτων βδελυκτὰ, ὁ τοιοῦτος ἔνοικον ἔχει τὸν δράκοντα τὸν ἀποστάτην, Si quis legitimam commixtionem & liberorum procreationem corruptelam & pollutionem appellet, aut cibos aliquos detestandos putet, talis apostatam illum Draconem in se habitantem fovet*, Epistolâ ad Philadelphenses.

CAP. III.

Fidelibus cibus sanctificatur per verbum Dei & orationem, v. 5.

MAgnis argumentis delectum ciborum refellit D. Paulus. Docet enim, delectum illum repugnare voluntati Dei, qui ideo *cibos*, quos isti vetant, *creavit, ut iis laudato datore vescamur*. Docet, delectum ciborum contumeliâ afficere opera Dei, quasi in illis aliquid esset non bonum sed rejiciendum; cùm tamen *omnis Dei creatura bona sit*. Ac quoniam objici poterat, in verbo Dei Mosaico creaturas quasdam Dei impuras censeri, respondet Apostolus, *easdem fidelibus sanctificari per verbum & orationem. Verbum* v. 5. idem est quod v. 3. *veritas*, perinde ut Joh. 17. 17. *Sermo tuus est veritas.* Ut enim Servator noster dicit *sermonem Dei esse veritatem*, ità Apostolus *veritatem* cujus fecerat mentionem v. 3. nunc appellat *verbum Dei*. Utrobique eadem verba. Apud Johannem, *Ἁγίασον αὐτοὺς ἐν ἀληθείᾳ σου, ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι*: hic *ἁγιάζεται γὰρ διὰ τοῦ λόγου*, quem *λόγον* paulò antè *veritatem* appellarat. Atque apud Joannem *ἐν* pro *διὰ* poni ex Apostolo liquet. *Sanctificandi* verbo utitur ut 1 Cor. 7. 14. *Maritus enim infidelis sanctificatus est in uxore, & uxor infidelis sanctificata est in viro. Sanctificatus*, h. e. usus illius ut sanctus & conscientiam uxoris non lædens concessus est: *ἐν τῇ γυναικὶ, in muliere illa Christiana*: quod idem valet ac *ob uxorem*, seu *propter uxorem*. Unde concludit, licere uxori quæ habeat virum infidelem bona cum conscientia in matrimonio cum eo vivere. Quâ eâdem ratione licet *fidelibus & his qui norunt veritatem* bona cum conscientia uti quibuslibet creaturis à Servatore concessis, *cum gratiarum actione. Sanctificantur enim per verbum & orationem. Per verbum*; cùm agnoscimus Deum creaturas suas instituisse ad usum omnium hominum, & inprimis fidelium; & ideo etiam illas creaturas quæ aliis judicantur immundæ, nobis mundas & sanctas effici; quoniam Deus hoc significavit sacrosancto suo verbo, Act. 10. 15. *Quæ purgavit Deus. Per preces*; cùm Deo gratias agimus pro donis suis, eumque rogamus ut creaturarum suarum usum nobis velit esse salutarem. Quomodo legimus Davidem *sua domui*, Christum *panibus piscibusque benedixisse*. Inprimis autem sanctos benedictoriâ illâ oratione cum gratiarum actione uti constat quando adhibent creaturas Dei ad usus spirituales: id quod fit in Eucharistia & Baptismo. Patres nonnulli, inprimis Epiphanius, Theodoretus, Oecumenius, *εὐχαριστίας* sive *gratiarum actionis* tantùm mentionem faciunt, atque eâ dicunt cibum sanctificari. Verùm in *gratiarum actione* comprehendunt quoque *verbum Dei*: id quod rectissimè observavit Anselmus, qui Apostoli verba *per verbum & orationem* exponens, *per verbum Dei*, inquit, *quod in gratiarum actione est. Nam cùm gratias agimus, agnoscimus id esse Dei munus quod accepimus.* Porrò ex his Pauli verbis nati sunt duo Canones qui inter Apostolicos hodie circumferuntur, numero 50, & 52. Primus hic est, *Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, γάμου καὶ κρεῶν καὶ οἴνου οὐ δι' ἄσκησιν ἀλλὰ διὰ βδελυρίαν ἀπέχεται, ἐπιλαθόμενος ὅτι πάντα καλὰ λίαν, καὶ ὅτι ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ βλασφημῶν διαβάλλει τὴν δημιουργίαν· ἢ διορθούσθω, ἢ καθαιρείσθω καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλέσθω· ὡσαύτως καὶ λαϊκός.* h. e. *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, aut quisquis de Cleri numero, non ob pietatis exercitationem, sed per detestationem, carnibus, vino, nuptiis abstinet, oblitus quòd omnia valde bona, & quod marem & fœminam creavit Deus hominem, sed exsecrans Dei creaturam calumniatur; aut se corrigat, aut deponatur & ex Ecclesia depellatur. Similiter & laicus.* Alter hic est, *Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν ἑορτῶν οὐ μεταλαμβάνει κρεῶν καὶ οἴνου, βδελυσσόμενος, καὶ οὐ δι' ἄσκησιν· καθαιρείσθω, ὡς κεκαυτηριασμένος τὴν ἰδίαν συνείδησιν, καὶ αἴτιος σκανδάλου πολλοῖς γινόμενος.* h. e. *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus in diebus festis non cum aliis carnes & vinum sumpserit, exsecrans, & non ad religionis meditationem; deponatur, ut inustam cauterio gerens conscientiam, populoque factus autor offendiculi.* Ex iisdem Pauli verbis Autor *ἀσκητικῶν* apud Basilium hanc Fratribus regulam præscribit, *ἅπτεσθαι μὲν ἑκάστου χρὴ, καιροῦ ποτὲ συνεμπεσόντος, ὅσον ἐνδείκνυσθαι τοῖς ὁρῶσιν, ὅτι πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς, καὶ ὅτι πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν*, &c.

CAP. IV.

Γυμνασία πνευματικὴ & σωματική· Fatigatio ob σωτῆρα; v. 7, 8, 10, 12.

UT Diogenes Sinopensis ità Apostolus *γυμνασίαν* duplicem esse docuit, *σωματικὴν* & *πνευματικήν*. Sed *πνευματικὴν* diverso sensu dixerunt. Diogenes hâc voce studium externarum virtutum, Apostolus solidæ pietatis *ἄσκησιν* complexus est. Ideo ait, *γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν, exerce teipsum ad pietatem*, h. e. ad legitimum & spiritualem Dei cultum: cum quo comparat *τὴν σωματικὴν γυμνασίαν corporalem exercitationem*, quâ quis corpus suum exercet vel conservandæ sanitatis vel corroborandi corporis vel domandæ carnis ergò. Valetudinis causâ Ethnici non minùs frequenter corpus exercebant quàm ungebant & lavabant. Hinc Seneca Epist. 83. *Hodiernus dies solidus est*, &c. *Minimum exercitationi corporis datum; & hoc nomine ago gratias senectuti: non magno mihi constat: cùm me movi lassus sum: hic autem exercitationis, etiam fortissimis, finis est.* Corroborandi corporis ergò athletæ se exercebant intra privatos parietes, pilâ, disco, luctâ. Iidem corpus continentiâ & jejuniis ad decentem habitudinem perducebant. *In agone isto terreno*, inquit Petrus Chrysologus Serm. 119. *qui vincere volunt, abstinent se à cibis quibusdam, à potu nimio, abstinent ab omni immunditia, sub tanta castitate ut etiam propria conjugia non requirant: nec aliter se vincere posse sperent nisi corpus suum castum pudicumque servaverint.* Et de athletarum patientia Horatius cecinit,

> *Qui cupit optatam cursu contingere metam,*
> *Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit,*
> *Abstinuit Venere & Baccho.*

Carnem domabant veteres Christiani non superstitiosâ accuratâ tamen victûs ratione: qualem tunc sectabatur Timotheus, ut qui abstemius esset non naturâ sed voluntate, 1 Tim. 5. 23. Atque hanc vitam victûs rationem à Paulo *σωματικὴν γυμνασίαν* hîc appellari sunt qui existimant. Ego verò Apostolum ad athleticam corporis exercitationem respicere puto; siquidem vocabulis athleticis utitur, *γύμναζε, γυμνασία*, & scribit ad Doctorem urbis Ephesiæ, in qua solennes ludi celebrari soliti; & præterea institutâ *τῆς σωματικῆς καὶ τῆς πνευματικῆς γυμνασίας* comparatione, hanc illi idcirco præfert quòd illa corpus corroborans ad breve tempus vitam secularem proroget, ista æternæ cum gloria vitæ ratam firmamque spem faciat. Nam de Timotheana corporis exercitatione vix dici potest quòd *πρὸς ὀλίγον ὠφέλιμος*, quippe quæ prorogationi vitæ potiùs obsit quàm prosit: qua de causâ Apostolus illam *pauculi vini usu* corrigi mandat. Pietatis cùm tantum sit præmium, idque certissimum, v. 9. subjicit Apostolus v. 10. hanc ipsam causam esse cur ipse aliique Apostoli tot molestias, labores, probra lubentes sufferant: spem scilicet salutis piis promissæ à Deo, per quem generatim omnes homines in hac mortalitate *vivunt, moventur & sunt*, fideles autem ad vitam etiam & felicitatem æternam conservantur, ut per corporalis & spiritualis vitæ autorem. Narrat Polybius lib. 6. apud Romanos, *si qui servati essent, solere ultro, sin minus, Tribuno post causæ cognitionem cogente*, SERVATOREM *suum coronare*. Addit, *Σέβεται δὲ τοῦτον καὶ παρ' ὅλον τὸν βίον ὁ σωθεὶς ὡς πατέρα, καὶ πάντα δεῖ τούτῳ ποιεῖν ὡς τῷ γονεῖ*, h. e. *Per omnem vitam is qui servatus est illum pro parente colit, omniaque ei tenetur præstare quæ filius patri.* Quin igitur Christiani labores vel molestissimos, convitia vel maxima sustineamus in gratiam ejus quem & generationis spiritualis Patrem & salutis nostræ unicum agnoscimus *σωτῆρα*;

CAP. V.

Regula Paulina, quâ observatâ concionator juvenis juventutem ipsam reddet venerabilem. Τύπος Doctoris. *προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει καὶ διδασκαλίᾳ,* v. 12, 13.

MEmorabilem & observatu dignissimam artem docet Timotheum Apostolus, quo pacto videlicet floridam suam juventutem auditoribus etiam canitie conspicuis venerabilem reddere possit, pulcerrimâ nimirum vitæ & doctrinæ lucidæ *συζυγίᾳ*. De vita sic præcipit, Τύπος *γίνε τῶν πιςῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναςροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίςει, ἐν ἁγνείᾳ*, hoc est, *Exemplar esto fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate.* De doctrina ità, Πρόσεχε *τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει, τῇ διδασκαλίᾳ*, i. e. *Attende lectioni, consolationi, doctrinæ.* Τύπος *exemplar* est *ad imitandum propositum*, modo loquendi Apostolis familiari; ut liquet ex 1 Pet. 5. 3. *τύποι γινόμενοι τῦ ποιμνίυ.* Tit. 2. 7. *περὶ πάντα σεαυτὸν παρεχόμενος τύπον καλῶν ἔργων*, Sic 1 Thess. 1. 7. & 2 Thess. 3. 9. *Typus* autem Episcopus esse debet *fidelium in sermone, in conversatione, in charitate* (hodierna exemplaria Græca habent etiam *in spiritu:* quanquam nec Syrus, nec Vulgatus, nec veteres Patres hoc legunt) *in fide, in puritate:* Quibus quidem virtutibus vitæ Christianæ idea exprimitur, Doctori vel maximè necessaria. Καλὸν *γὰρ διδάσκειν, ἐὰν ὁ λέγων ποιῇ.* Ὃς *γὰρ ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν ὐρανῶν*, h. e. *Bonum enim est docere, si quis dicit idem faciat. Quis namque fecerit & docuerit, hic magnus in Regno cælorum.* Ignatius ista scribit Epist. ad Ephesios, in qua eadem hoc ejusdem legitur dictum, Ἄμεινόν *ἐςι σιωπᾷν καὶ εἶναι ἢ λαλεῖν καὶ μὴ εἶναι, Præstat tacere & esse quàm loqui & non esse.* Nec aliud in docente quàm morum exemplar desiderat Aristoteles in Rhetoricis, quando non tam sermonem quàm opinionem de dicente persuadere docet. Et verissima est Æneæ Gazæi in Theophrasto suo sententia, Τῦτο *μέγιςον εἶδος ἐλέγχυ, ποιεῖν ἐκεῖνο ὅπερ ὑπισχνῇ δυνατὸν εἶναι γενέσθαι, Optima argumenti forma est, reverà præstare quod facile præstitu pollicearc.* Cui consentit Libanius Apologiâ Socratis scribens, Εἰ *δέ τις ἐφ᾽ ἃ τὰς ἄλλας ἄγειν ἀξιοῖ, τῦτων αὐτὸν ὡς πορρωτάτω φυλάττει, τὴν ἐκ τῶν λόγων συμβουλὴν τῇ παρὰ τῶν ἔργων λέλυκε, τῷ μὲν ἀσθενεςέρῳ παρακαλέσας, τῷ κρείττονι δὲ ἀποτρέψας, Si quis verò ab his ad quæ alios impellere vult, quàm longissimè recedit, dictorum consilium factorum exemplo destruxit, dum eo quod infirmius est incitat, eo quod potentius exsistit avertit.* Et paulò pòst, Καὶ ὅλως ἐν τοῖς τοιύτοις *σύμβυλος πιθανὸς, ὁ πρῶτος τῶν πράξεων, ὧν ἔχεσθαι συνεβύλευσεν, ἁπτόμενος, Atque omnino in ejusmodi rebus consiliarius fidem facit, qui primus actiones quas aliis suscipiendas consuluit aggreditur.* Ut mirandum non sit ipsum Dei Filium piarum actionum *τύπον* in concione valedictoria in demissionis suæ exemplo discipulis commendasse, quando dixit Joh. 13. 15. *ὑπόδειγμα γὰρ ἔδωκα ὑμῖν, ἵνα καθὼς ἐγὼ ἐποίησα ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ποιῆτε.* Quibus è verbis Bartholomæus Pitiscus, civis, compater, Symmysta & frater mihi, quoad vixit, conjunctissimus, & gregis, quem in aula Palatina Septemvirali pascebat, exemplar fulgentissimum, aliquando hoc *πόρισμα* deducebat,

Exemplis ergò qui docet, ille docet.

Verùm qui juventutem suam non vult despici concionator juvenis, is non solùm vitæ innocentiâ sed doctrinæ etiam elegantiâ fulgeat oportet. Quæ causa est mandati proximè sequentis, Πρόσεχε *τῇ ἀναγνώσει, παρακλήσει, διδασκαλίᾳ.* Jubet Timotheum attentè legere Biblia: atque hoc ipso mandato discernit Euangelium ab aliis artibus, quæ non à lectione sed à natura inchoantur; ut Arithmetica à numeratione incipit. Hortatur eundem ut frequenter concionando & *παρακλήσει* sive consolationi consternatarum sensu iræ Dei adversùs peccata conscientiarum, & *διδασκαλίᾳ* sive informationi rudium attendat: *παράκλησιν* enim non *exhortationem* sed *consolationem* hoc loco interpretor: quo significatu passim in his libris accipitur, ut Luc. 2. 25. & 6. 24. Act. 4. 36. & 9. 31. Rom. 15. 5. & sæpius alibi: etsi non nego *exhortationem* necessariò hanc vocem reddendam 1 Cor. 15. 3. & 2 Cor. 8. 4. Sic *διδασκαλία* & *παράκλησις* copulantur Rom. 12. 7, 8. ubi non video cur non *παρακαλῶν* & *ἐν τῇ παρακλήσει consolatur* & *in consolatione* potiùs vertenda sint quàm *exhortatur* & *in exhortatione.* Concludit Apostolus Timotheum, si his præceptis fuerit obsecutus, *& se & auditores suos servaturum.* Concludo & ego, Quotquot ad has D. Pauli vivendi, discendi, docendi regulas se conformaverint Pastores, eos in hac vita Dei gratiâ, in futura Dei gloriâ ornatum iri.

CAP. VI.

Non pugnant dicta Apostoli inter sese, *Charisma datum est Timotheo per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii,* v. 14. &, *Charisma est in Timotheo per impositionem manuum mearum,* 2 Tim. 1. 6. Timotheus à Presbyterio *ξυμμίκτῳ* non est ordinatus.

GRavis simul ac paterna est Apostoli oratio quâ Timotheum instruit quo modo auditores in juventutis suæ venerationem convertere queat, nempe pietate vitæ (*οὐ γὰρ τὸ νέον εὐκαταφρόνητον ὅταν Θεῷ ἀνακείμενον ᾖ, juventus non facilè contemnitur quando Deo addicitur*, scribit Ignatius ad Magnesios) & lectione meditationeque Scripturæ theoricâ, ejusdemque per consolationem & doctrinam exercitatione practicâ. Hoc enim sibi velle Apostolum istis verbis, *πρόσεχε τῇ παρακλήσει καὶ διδασκαλίᾳ*, innuunt quæ sequuntur, Μὴ *ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος.* Q. d. Insignia tibi dona concessa sunt; tu vide nè ea sepelias negligentiâ, sed exsuscites crebrâ exercitatione. Et clariùs v. 15. *ταῦτα μελέτα, ἐν τούτοις ἴσθι, hæc meditare, in his esto:* (quod quid aliud est quàm, *Exercitationem cum meditatione conjunge?*) ut *προκοπὴ* sive *profectus tuus omnibus patescat.* Quod addit, *χάρισμα Timotheo datum esse per prophetiam*, non adversatur illi quod 2 Tim. 1. 6. scribit, *Timotheo datum esse χάρισμα per manuum impositionem. Per Prophetias* enim, h. e. per Spiritum sanctum in Prophetis loquentem, electus fuit Episcopus Timotheus, ut Patres annotant, quorum testimonia suprà in c. 1. 18. citavimus: *Per impositionem manuum* precesque illi adjunctas *χαρίσματα*, h. e. omnigenas Spiritûs S. gratias, accepit, atque iis ità cumulatus fuit ut Divinitus in Pastorem, Prophetam aut Euangelistam delectus censeretur. Sic populus Samaritanus Act. 8. per prædicationem Philippi conversus, & ab eodem baptizatus fuit: sed Spiritum S. h. e. charismata Spiritûs, ut loquerenter linguis, sanarent ægrotos, prædicarent, orarent & prophetarent sine Doctore, per preces & impositionem manuum Petri & Johannis acceperunt. Ideo Apostolus non dicit simpliciter *per Prophetias*, sed *per Prophetias cum impositione manuum Presbyterii.* Quibus ipsis verbis non contradicit Paulus quando alibi dicit *se*, non complures alios, *Timotheo manus imposuisse.* Nam sive *πρεσβυτέριον* collectivè pro *collegio Presbyterorum* sumatur (quo sensu Lucas de Judaïca politia loquens vocabulum usurpat Act. 22. 5. & Luc. 22. 66.) dicetur *Presbyterium Timotheo manus imposuisse*, cùm Paulus, qui ex Presbyterorum numero erat, id fecisset, sive pro *gradu & munere* Timotheo *imposito* (quemadmodum Calvinus lib. 4. Instit. cap. 3. hoc nomine ordinationem ipsam intelligit, quasi diceret Apostolus, *Fac ut gratia quam per manuum impositionem accepisti, cùm te Presbyterum crearem, non sit irrita*) *τὸ ἐναντιοφανὲς* per se evanescit. Fateor autem me quoque ex eorum numero fuisse qui ex his Apostoli verbis, *cum impositione manuum Presbyterii,* colligunt, Presbyterium *ξύμμικτον*, sive ex Pastoribus & Laicis conflatum, habere potestatem imponendi manus Ministris eosdemque ordinandi. Sed idem ego me autoritate aliorum seductum errasse ingenuè profiteor. Nam quocunque me vertam, nullos ego Laicos Presbyteros, nullam Laicorum manuum impositionem in allegato D. Pauli loco invenio. Si Apostolum ipsum rogem Quis Timotheo manus imposuerit, respondebit, *Ego imposui illi meas manus*, 2 Tim. 1. 6. Si super significatione vocabuli *πρεσβυτέριον* consuluero veteris Ecclesiæ Latinæ Doctores, Hieronymus, Ambrosius, Primasius, Haimo, alii, idem dicent quod ipsorum sectator Lyranus, *Presbyterium hic est dignitas vel officium Presbyteri:* quibus & Calvinus adstipulatur. Nec abhorrent ab hoc significatu & sensu vocabulorum *πρεσβυτέριον* & *πρεσβυτερεῖον* Græci ipsi, quos ea pro *Presbyteriatu* usurpasse, ex Conciliis, Niceno canone 2. Ancyrano canone 18. Africano canone 1[illegible]1. ex Historicis, Eusebio lib. 6. cap. 8, 20, 20, 23. Socrate lib. 7. cap. 41. Thomas Bilsonus erudito libro De perpetua Ecclesiæ gubernatione pridem demonstravit. Jam illa Ecclesiæ Græcæ lumina, Chrysostomus & Theodoretus, & qui horum vestigiis institerunt, OEcumenius ac Theophylactus, etsi in interpretatione loci Paulini à Latinis dissentiunt, tamen per *Presbyterium* non nisi Episcopos intelligunt. *Non verba facit Paulus*, inquit Chrysostomus, *hoc loco de Presbyteris, sed de Episcopis: οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνυν, Neque enim* Apostolorum ætate *Presbyteri Episcopo manus imponebant.* Theodoretus, *Presbyterium hic* Paulus *eos vocat qui Apostolicam gratiam accepissent.* Itaque si demus *πρεσβυτέριον* hic *cœtum Seniorum* significare, erunt Seniores illi, Apostoli, Euangelistæ, Prophetæ, & LXXII. Discipuli, quos Scripturæ docent de Presbyteriis fuisse in prima Ecclesia; non

Laici

Laici Seniores, quorum Scriptura nusquam meminit, & qui hoc ipso loco à Presbyterio velut ex professo excluduntur. Presbyterium enim hoc munus Ministris ordinandis imposuit. Nulli autem Laicorum Seniorum manus Ministris imposuerunt. *Hoc postremò habendum; solos Pastores manus imposuisse Ministris*, Calvinus lib. 4. Instit. cap. 3. Laici igitur Seniores in parte hujus Presbyterii non erant. Quòd si fuissent, & aliquibus manus imposuissent, (quod tamen solis Doctoribus mandatum 1 Tim. 5.) Timotheo tamen manus imponere non potuissent. Nam aut Euangelista fuit, aut Episcopus. Si Euangelista, quod patroni Presbyterii ξυμμίκτα volunt, personæ ejus designatio ad nullius Ecclesiæ jus spectabat, sed penès Apostolum fuit, quem sibi vellet itinerum comitem, laborum socium (sic enim Euangelistam definiunt) adsciscere. Si Episcopus, quod volunt Patres, potestas illius Presbyterorum hujusmodi vocationem longè superabat, & à nemine nisi Apostolo dari poterat. Laici igitur Presbyterii manuum impositio nullo colore ex verbis Pauli, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, deduci potest; clarissimis etiam N. T. Interpretibus recentioribus id agnoscentibus, Calvino & Bezâ; quorum ille hoc loco per πρεσβυτέριον *presbyteri officium*, ut dictum, hic *cœtum hominum in verbo laborantium* intelligit, Notis in hunc ipsum textum.

CAMERON.

3. Τοῖς πιστοῖς καὶ ἐπεγνωκόσι τὴν ἀλήθειαν] Particula καὶ hoc loco est Expositiva, idemque valet quod τουτέστιν *id est*, quomodo Gal. 6. 16. εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος, καὶ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ· ubi *Israël Dei* non est quid diversum sed idem planè cum iis quos Apostolus notat pronomine αὐτούς.

8. Ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία] Bellarminus ait Apostolum eo loci per *exercitationem corporalem* intelligere ea quibus exercetur corpus valetudinis gratiâ, ut cùm olim ludebatur pilâ, trocho, disco, &c. At verò id planè frigidum est. Neque enim credibile est Timotheum eum fuisse qui se in palæstra ludis istiusmodi exerceret. Sed Pietatem opponit Apostolus Exercitiis illis quibus corpus affligebatur, tanquam quæ ad pietatem aliquid conferrent. Negat ergò Apostolus multùm prodesse aut conferre ad pietatem exercitia illa; v. g. Jejunium. Non enim jejunamus ideo ut verum animi dolorem ex peccatorum sensu exorientem excitemus: parvam vim & vires exiguas ad hoc habet Jejunium: nam sæpe jejunant impii & hypocritæ, nec tamen dolorem ullum verum animi excitant. Necesse est enim ut priùs animus affligatur & dejiciatur quàm corpus.

13. Πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει] Non commendat Apostolus Timotheo lectionem Scriptorum secularium, sed S. Scripturæ, quæ מקרא *lectio* ἀνάγνωσις dicitur, vocabulo in Ecclesia Judaica noto & usitato. Etenim S. Scripturæ ea semper majestas & autoritas fuit ut, exclusis δευτερώσεσι & traditionibus, (quas Magistri vocant תורה שבעל פה *legem oralem*) sola in Synagogis & sacris conventibus legeretur. Ergò eandem est כתב γραφὴ & מקרא, sed *Scriptorum* respectu γραφὴ, *lectorum* מקרא appellatur.

14. Μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου] Πρεσβυτέριον hîc significat *Collegium Presbyterorum* qui præerant Ecclesiæ Christianæ. Nam quòd vir doctus *Presbyterium* eo loco vult significare *officium & dignitatem Presbyteri*; neque videtur locutioni convenire, neque significationi vocis *Presbyterii*, nec Apostoli scopo. Nam primò locutio est admodum dura: explicata enim sic se habebit, *impositio manuum dignitatis Presbyteri*: quod durum est valde. Deinde sæpius fit mentio in N. T. τοῦ πρεσβυτερίου, at nunquam significat τὸ πρεσβυτέριον iis in locis *officium*, sed *Collegium*, ut Luc. 22. 66. & Act. 22. 5. Et linguâ Græcâ πρεσβυτερεῖον *dignitatem Presbyteri* significat potiùs quàm πρεσβυτέριον. Attamen rarò πρεσβυτέριον significat item *dignitatem Presbyteri*, sed iis in locis ubi πρεσβυτερεῖον legi possit. Quicquid sit, non redolet simplicitatem phraseos Apostolicæ ut *Presbyterium* significet officium Presbyteri. Denique, Timothei autoritas major fuit quàm ut πρεσβυτερεῖον aut πρεσβυτέριον ejus officium dici possit. Nam cap. 5. hortatur Apostolus Timotheum ut *nè accusationem adversùs Presbyterum admittat, nisi probetur trium aut ad minimum duorum testimonio.* Jam verò Presbyter in Presbyterum nullam obtinet autoritatem. Par enim in parem nón habet imperium. Quid igitur fuit ista *impositio manuum Presbyterii*? Non potuerunt Apostoli Timotheum constituere eo loco quo fuit in Ecclesia? Omnino. Sed Apostoli, constituto ordine Ecclesiæ, non faciebant semper quantum illis licebat. Sed ut legati ad ordinandam Provinciam jussu Regis constituunt pro arbitrio Judices, Provinciâ verò ordinata committunt administrationem Provinciæ Judicibus & Legibus secundùm ordinem quem instituerunt; ità planè se gesserunt Apostoli in exsecutione muneris sibi à Deo demandati: non semper usi sunt extraordinaria potestate, sed rebus jam constitutis, ordinariè in Ecclesia rem geri volebant. Itaque nullus est dubitandi locus quin Timotheus à Seniorum Collegio electus sit qui toti Collegio præesset, & quidem non sine autoritate aliqua, sed quæ modum tamen & limites suos haberet.

GUALTPERIUS.

2. Κεκαυτηριασμένων] Καυτηριάζομαι, *cauterio resecor.* Καυτήρ, *cauter*, instrumentum quo notæ & stigmata inuruntur, item quo Medici in ægrorum corporibus affectam aliquam partem inurunt. Καυτήριον, *cauterium*, quod urendi vim habet. Καυτηριάζω, *cautere inuro, cautere amputo*, ut Medici partem aliquam putrem. Sic & hîc, *quorum conscientia cauterio resecta est.* Metaphora sumpta ab iis quibus putridum aliquod membrum amputatum est adhibito cauterio. Cælius Rhodiginus, CAUTERIUM *dicitur*, inquit, *quo putridæ carnes aduruntur & ulcera. Ex quo & Hieronymus*, Putridæ carnes ferro curantur & cauterio. *Et* 5. *Therapeut. Galenus* καυτήρια *nuncupat* δύναμα *&* escharotica pharmaca. *Firmicus Mathes.* 3. *&* vulnera ipsa *facit* ignita cauteriorum adustione curari. *Indè* cauteriata conscientia *Apostolo Paulo*, *veluti* cauterio *sive* cautere ambusta. *Scitu digna sunt obiter quæ scribit Avicenna c.* 29. *Fen quarta, primi*, Cauterizatio, *inquit*, perutile medicamentum est: juvamentum in eo præcipuè nè serpat vitium. Quod corruptum est, ac in membro retentum, resolvit, sanguinis fluxionem inhibet, oblæsas partes refovet leniter. *Cauterium si aureum fuerit censetur præstantissimum. Cujus ratio est, ut sibi attestatur doctissimus interpres, quoniam aurum urit mitiùs; quin urendo fovet leniter insitâ virtute: vulnus quod indè fit celeriùs coit; porrò minus terroris adfert aurum quàm candens ferrum. Demum sunt & sua pictoribus cauteria in ea pingendi ratione quam vocant* Encausticen; *Latinè* inusturam *dicimus, coloribus inustis, & ceris igne solutis. Unde factum vulgò ut librarium atramentum dicatur* Encaustum, *ut est Codice De rescriptis & pragmaticis sanctionib. lib.* 1. *Cauteriis ejusmodi commeminit Jureconsultus Martianus, tit. De fundo instructo. Sed ut ad servos redeam, quos diximus appellari* literatos, *ab literis fronti inustis: sicut* illiterarum tacitumque consensum *appellat eleganter Gellius qui non sit propagatus ex decreto conscripto aut lege. Eosdem &* cœlatos *quandoque legimus appellatos: Sed &* Istrianos, *quoniam Istri accolæ punctis ità inurantur, variáque alioqui utantur veste.* Ità ille, Lection. antiquar. lib. 7. c. 31.

JAC. CAPPELLUS

16. HÆc faciens & temetipsum servabis & eos qui te audiunt] Pastor servat semetipsum, ut & quivis è grege, cùm init viam salutis, ut notamus in Act. 2. 40. Ideo te Deus servat à reatu præteritorum peccatorum, ut in posterum caveas à culpa; cui studio dum incumbis, tu *temetipsum*, quod in te est, *servas*, ut contrà, quoties licentiæ fræna laxas, toties tibimet ipse mortem, quod in te est, consciscis. Sic & qui tyrannicam vitam benigna commutat, is *peccata sua redimit eleemosynis*, ut dicitur Dan. 4. 27. Gregem verò suum servat Pastor, ut & frater fratrem, *uxor maritum*, 1 Cor. 7. 16. tum verbo, tum exemplo; quod sibi propositum fuisse testatur Apostolus 1 Cor. 9. 22.

LUD. CAPPELLUS.

16. Σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου] Sic & Judæi loquuntur in Rabboth, Parascha ultima Deuter. ubi Mosen Adamo, Noacho, Abrahamo & reliquis Patriarchis præferunt. *Noë*, inquiunt, *dixit Mosi, Ego te sum major, quia liberatus sum à generatione Diluvii. Dixit ei Moses, Ego verò te sum major.* אתה הצלת עצמך ולא היה בכחך להציל את דורך אני הצלתי את עצמי והצלתי את דורי, *Tu quidem servasti teipsum, at non potuisti servare generationem tuam: Ego verò servavi & meipsum & generationem meam, cùm commeruissent à Deo exterminari: scriptum est enim, Et pœnituit Deum mali quod dixerat se facturum populo suo*, Exod. 32.

GROTIUS.

TO' δὲ πνεῦμα, *Spiritus autem*] *Spiritus* Paulo & aliis Christianæ Ecclesiæ Prophetis datus. ¶ ῥητῶς λέγει, *manifestè dicit*] *Apertè significat*: non per ambages, aut ænigmata, id est, per חידות [*sermones occultos*] aut משל [*parabolam.*] Vide quæ dicta Num. 12. 8. Græci elegantiores dicerent διαῤῥήδην. Sed ῥητῶς etiam apud Dioscoridem est & alios. In Glossario,

ῥητῶς

ῥητῶς, *apertè* ¶ ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς, *quia in novissimis temporibus*] Id est, *posthac*. Nam is sensus est locutionis Hebrææ; באחרית הימים [*in extremitate dierum*,] quod LXX. solent vertere, ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν [*novissimis diebus*.] ¶ ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, *discedent quidam à fide*] *Deficient à Christiana fide* multi philosophicis ratiunculis tentati, γνω. *Hæreticorum Patriarchæ Philosophi*, ait Tertullianus adversùs Hermogenem. *Sapientiæ Professores, de quorum ingeniis omnis hæresis armatur*, ait idem Tertullianus adversùs Marcionem 1. Munit Timotheum adversùs ea quæ ipso adhuc vivente erant eventura. Patet id infra 6. Confer 2 Petr. 2. 2. ¶ προσέχοντες πνεύματι πλάνης, *attendentes spiritui erroris*] Sic προσέχειν μύθοις [*attendere fabulis*] supra 1. 4. Tit. 1. 14. Pro πνεύματι πλάνης [*spiritui erroris*] Latinus habet, πνεύμασι πλάνης [*spiritibus erroris*.] Græci plerique πνεύμασι πλάνοις [*spiritibus seductoribus*,] quomodo & Latini non pauci legere. Solent autem sic appellari ab Apostolis ii qui Prophetiam se à Deo habere dicunt, cum tamen verè de suo, aut de Satanæ dictatis loquantur. Vide 1 Joh. 4. 1. & sequentibus. πλάνοι מתעים [*seducentes*,] Esaiæ 3. 12. 9. 16. ¶ καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, *& doctrinis dæmoniorum*] Pythagoricos maximè indicat, quorum præcipui erant Magi, & cum dæmonibus habebant commercium. Inter hos insignis fuit Apollonius Tyanæus, qui hîc eximiè denotatur. Venit enim Ephesum vivente adhuc Timotheo. Clemens Alexandrinus Strom. 3. ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐστὶ καὶ τοῖς μάγοις, οἴνου τε ὁμοῦ, καὶ ἐμψύχων, καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι [*scilicet & Magis curæ est vino simul & animalium esu & Venere abstinere*.] ¶ ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, *in hypocrisi loquentium mendacium*] Speciem quidem ista habent sanctimoniæ: sed qui eam usurpant falsi sunt doctores, neque ista observant nisi in conspectu hominum ad fallendam plebem. ὑπόκρισις חלקלקות [*blanditiæ*,] ψευδολόγος, *falsidicus*, *mendax* in Glossario. Utitur Athenæus. Plautus dixit *falsiloquum*, quam vocem hîc posuit Ambrosius. ¶ κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, *& cauteriatam habentium suam conscientiam*] *Conscientiam habentes inustam notis criminum, quibus sibi sunt conscii.* Claudianus,

——— *Pectus inusta*
Deformant maculæ, vitiisque inolevit imago.

Vide alia quæ ad eam rem attulimus fine annotatorum ad Librum 1. pro Veritate Religionis Christianæ.

3. Κωλυόντων γαμεῖν, *Prohibentium nubere*] Non dehortabantur à nuptiis ideo quòd cœlibatum præferrent; id enim Christianis convenit: sed planè dicebant illicitas esse nuptias, alienos esse à salute eos qui in conjugio sunt. Κωλύειν [*prohibere*] ab Hebræo כלא [*coercere*:] tribuitur autem doctoribus, sicut ἐπιτιθέναι βάρος, δέειν [*onus imponere*, *ligare*,] & similia. Τὸν γάμον ἀθετοῦσιν [*nuptias despectui habent*,] ait de eisdem Clemens Constit. 4. 8. ἀγαμίαν διδάσκουσι [*cœlibatum docent*] 6. 10. ¶ ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *abstinere à cibis*] Est hîc ἔλλειψις [*Defectus*] contrarii. Deest enim κελευόντων [*jubentium*,] quod addit hunc locum citans Epiphanius: aut ποιούντων [*facientium*] quod addit Syrus. Similis ferme ἔλλειψις [*Defectus*] 1 Cor. 14. 34. & hîc supra 2. 12. Sic Phœdrus.

Non veto dimitti, verùm cruciari fame.

supple, *jubeo*. Hoc simplicius. Quanquam interim verum est quod ajunt Græci, post verba *prohibendi* solere addi aut particulas, aut verba negantia, sicut duplex negatio apud eos negat. Quare nihil opus mutare lectionem, ut pro ἀπέχεσθαι [*abstinere*] legamus ἀντέχεσθαι [*capessere*,] quod contendit Isidorus Pelusiota Epistolarum 4. 102. Βρώματα [*cibaria*] hîc intellige *ea quæ sunt ex animalibus*. Hæc est ἀποχὴ ἐμψύχων [*abstinentia rerum animatarum*] observata Pythagoristis, de qua exstat Porphyrii liber. Meminit Alexis Atthide. Clemens Strom 1. de Sarmanis apud Persas, Οὔτε πόλεις οἰκοῦσιν, οὔτε στέγας ἔχουσιν, δενδρῶν δὲ ἀμφιέννυνται φλοιοῖς, καὶ ἀκρόδρυα σιτοῦνται, καὶ ὕδωρ ταῖς χερσὶ πίνουσιν, οὐ γάμον, οὐ παιδοποιΐαν ἴσασιν, ὥσπερ οἱ νῦν Ἐγκρατῖται καλούμενοι [*Neque urbes habitant, nec domos aut tecta habent, arborum autem induuntur corticibus, & glandes arborumque baccas comedunt, & quam bibant aquam manu hauriunt, non nuptias, non liberorum norunt procreationem, quemadmodum ii, qui nunc vocantur Encratitæ, id est, continentes.*] In Clementis Constitutionibus 6. 8. τινὰ τῶν βρωμάτων βδελύσσονται [*à cibis quibusdam abhorrent*,] & 6. 26. βρώματά τινα φαυλίζουσι [*cibos quosdam contemnunt*.] Hæ duæ abstinentiæ à nuptiis & à ciborum parte potissima, sunt *cornua velut Agni* Apoc. 13. 11. Christiani ista laudabant: sed non exigebant, ut videre est Canone Apostolico L 1. in Synodo Ancyrana & Gangrensi, ad quæ loca videndi Zonaras & Balsamo. Cùm tam apertè hîc denotentur Encratitæ, nihil mirum si illi Pauli Epistolas non recepere, quod nos Origenes docet. ¶ ἃ ὁ Θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν, *quos Deus creavit ad percipiendum*] Id est, *condidit eo animo, ut eorum usum* si non ab initio, at certè post diluvium *hominibus indulgeret*, Gen. 9. 3. & in Euangelio apertiùs. Est autem valde propriè hîc dictum εἰς μετάληψιν [*ad percipiendum*.] Nam μεταλαμβάνειν τροφῆς [*sumere cibum*] est *vesci*, Actor. 2. 46. 27. 33. Sic & καρπῶν μεταλαμβάνειν [*fructus percipere*] 2 Tim. 2. 6. & ἀγαθῶν [*bona*] Sap. 18. 9. ¶ μετ' εὐχαριστίας τοῖς πιστοῖς, *cum gratiarum actione fidelibus*] Transpositio pro ἔκτισε τοῖς πιστοῖς εἰς μετάληψιν μετ' εὐχαριστίας [*creavit fidelibus ad percipiendum cum gratiarum actione*.] Ne cibus sumatur nisi actis Deo gratiis qui ista nostris usibus condidit, mos est Hebræorum vetus, quem Christus exemplo suo probavit. Vide quæ dicta Matth. 14. 19. 15. 36. 26. 26. ¶ καὶ ἐπεγνωκόσι τὴν ἀλήθειαν. *& iis qui cognoverunt veritatem*] *Quibus nota est veritas* illa quæ jam sequitur.

4. Ὅτι πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλόν, *Quia omnis creatura Dei bona est*] Gen. 1. 31. ¶ καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον, *& nihil rejiciendum*] Sic vertit Hebræum פגול, quod μίασμα, ἄθυτον, βέβηλον, [*inquinamentum*, *non sacratum*, *profanum*,] alibi vertitur. Nihil est פגול [*abominandum*] per se & citra Dei legem. Lex autem Dei hac de re neque Gentibus unquam data est, & à Judæis per Christum est ablata. Vide Rom. 7. & ibi dicta. ¶ μετ' εὐχαριστίας λαμβανόμενον· *quod cum gratiarum actione percipitur*] Repetit hanc legem, ne quis ejus obliviscatur. Vide Deut. 8. 10. Esai. 62. 9. Joel. 2. 26.

5. Ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως. *Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*] Ἁγιάζεται [*sanctificatur*,] id est, *usus illarum rerum gratus est Deo*: quomodo ἡγίασται [*sanctificatus est*] de viro & uxore habuimus 1 Cor. 7. 14. Gratus est autem Deo duas ob causas: primùm, quia is qui utitur, certò sibi persuadet id sibi licere, propter verbum Dei, quod habemus Actor. 10. 15. deinde quia Deum invocat ut doni auctorem. ἔντευξις [*oratio*] hîc generaliùs sumitur quàm supra 2. 1. ut & ἐντυγχάνειν [*precibus adire*] Sap. 8. 21. & 16. 28. Conjuncta sunt, gratiarum actio & preces, illa pro rebus datis: hæ, ut res prosint. Utrumque comprehenditur sub nomine ברכה [*benedictio*.]

6. Ταῦτα ὑποτιθέμενος τοῖς ἀδελφοῖς, *Hæc proponens fratribus*] *Si de his moneas Christianos*, quos isti Philosophi, iidemque Magi ad se volunt perducere. ὑποτίθεσθαι pro *præcipere* frequens Homero; utitur & Aristoteles. ¶ καλὸς ἔσῃ διάκονος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *bonus eris minister Jesu Christi*] Ἔσῃ [*eris*,] id est, *ostendes te esse talem*. Διάκονος [*minister*] hîc sumitur ut 1 Thess. 3. 2. ¶ ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως, καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας, ᾗ παρηκολούθηκας. *enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ, quam assecutus es*] *Ostendes te innutritum verbis & fidei, & ejus disciplinæ quam sectatus es hactenus.* *Fides* ad credenda refertur, διδασκαλία [*doctrina*] ad facienda. παρακολουθεῖν [*assequi*] modò ad res, modò ad personas refertur. Vide 2 Tim. 3. 10. 2 Macc. 9. 27. In Manuscripto est, οἷς παρηκολούθηκας [*quæ assecutus es*.]

7. Τοὺς δὲ βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους παραιτοῦ. *profanas autem & aniles fabulas devita*] Intelligit doctrinam illam περὶ ψυχῶν μετενσωματώσεως [*de transitu animarum ex uno corpore in aliud*,] quæ fundamentum est istius ἀποχῆς [*abstinentiæ*.] Hæ *fabulæ* primùm sunt *profanæ*, quia nullâ Dei revelatione nituntur; deinde *aniles*, id est, absurdæ, non minùs quàm illæ quas aniculæ puerulis recitant. *Aniles ineptias* dixit Cicero in Tusculanis. παραιτεῖσθαι est ἀποστρέφεσθαι [*aversari*.] Eodem sensu hanc vocem habes 2 Tim. 2. 23. Tit. 3. 10. ¶ γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. *exerce autem teipsum ad pietatem*] Γυμνάζειν est propriè *exerceri in gymnade*. Inde cœpit transferri ad omnia ea quæ agendo discimus, dicimurque & γυμνάζειν τὸ σῶμα [*exercere corpus*,] ut apud Platonem in Legibus, & γυμνάζειν τὴν ψυχὴν [*animam exercere*,] ut apud Isocratem. *Ad pietatem*, id est, ad omnes animi virtutes: quod fit crebris actionibus piis.

8. Ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος. *Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est*] מעט יועיל [*parum proderit*] dicunt de talibus Rabbini. Non spernit corporis exercitationes, putà abstinentiam à cibis melioribus, & à vino, & à conjugio. Habent enim ista utilitatem quandam intra suos limites, de quibus dictum Coloss. 2. 23. ¶ ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν, *pietas autem ad omnia utilis est*] *Nunquam non, & nusquam non est utilis.* Est hæc sententia opposita dicto impiorum, Job. 34. 9. ¶ ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν, *promissionem habens vitæ quæ nunc est*] עולם הזה [*hujus seculi*,] nempe in pace conscientiæ, & spe bona. Nam, ut ait Pindarus,

Ὃς ἂν δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βίον
Διάγῃ, γλυκεῖα οἱ καρδίαν

Ἀτιτάλλοισα

Ἀπιτάλλουσα γηροτρόφος ξυναορεῖ
Ἐλπίς. ἃ μάλιστα θνατῶν
Πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ.
[*Vitam ergo sanctam ac integram qui vixerit*
Spes dulcis, accrescens alensque molliter
Senectam, huic animum fovet: spes scilicet
Quæ maxime versatiles mortalium
Una omnium mentes gubernat ac regit.]

Contra de impio Antiphon, ἀσεβῶν δὲ καὶ παραβαίνων τὰ εἰς τοὺς Θεοὺς καὶ αὐτῆς ἂν τῆς ἐλπίδος (ὅπερ ἐςὶ μέγιςον ἀνθρώποις τοῦ βίε ἀγαθὸν) αὐτὸς αὐτὸν ἀποςεροίη [*Impius quidem & religionum violator, spe etiam ipsâ (quæ maximum est in vita hominum bonum) ipse se privat.*] Ajunt Hebræi res esse quatuor, quæ in utraque vita habeant ἀνταπόδοσιν [*recompensationem*] honorem & obsequia parentibus præbita, beneficentiam in egenos, hospitalitatem, studium reconciliandi dissidentes. Bene; dum ne excludantur quæ his sunt patria. ¶ καὶ τῆς μελλέσης. & *futuræ*] עלם הבא [*seculi venturi.*] Pietati enim vita æterna promittitur.

9. Πιςὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus*] Referunt quidam ad præcedentia. Ego ad sequentia referre malim. Nam & sic eadem verba subsequente ὅτι [*quia*] habemus supra 1. 15. Sed ita per παρένθεσιν [*Interpositionem*] includenda sunt ista.

10. Εἰς τῦτο γὰρ καὶ κοπιῶμεν καὶ ὀνειδιζόμεθα, *In hoc enim & laboramus & maledicimur*] *Ob id* quod jam dicturus sum, *perferimus labores ac contumelias.* De laboribus vide Actor. 20. 35. 1 Cor. 16. 16. Coloss. 1. 29. 1 Thess. 5. 12. In Manuscripto, καὶ ἀγωνιζόμεθα [& *certamus*,] non malè, ut Coloss. 1. 29. ¶ ὅτι ἠλπίκαμεν ἐπὶ Θεῷ ζῶντι, *quia speramus in Deum vivum*] בא' חי [*in Deum viventem.*] Qui vitam in se habet plenissimo jure, is eam potest quibus vult conferre. Vide infra 6. 16. ¶ ὅς ἐςι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιςα πιςῶν. *qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium*] Vult omnes servari, nempe si credant: Christianos autem servare vult, quia credunt; nempe si fides per dilectionem sit efficax. Confer quod supra habuimus 2. 4. Scriptor de Vocatione Gentium 5. 31. *Quoniam sive occultè, sive manifestè, ipse est (ut Apostolus ait) Salvator omnium hominum, maximè fidelium. Quæ sententia subtilissima brevitatis & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc de qua agimus controversiam dirimit: dicendo enim, qui est Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adjiciendo autem, maximè fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspirata ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehitur.* Vocem σωτῆρος [*Salvatoris*] tribui Deo Patri vidimus etiam supra 1. 1. id Hebræis est מושיע.

11. Παράγγελλε ταῦτα καὶ δίδασκε. *Præcipe hæc & doce*] *Mone* privatim, *doce* publicè.

12. Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω, *Nemo adolescentiam tuam contemnat*] Solebant illis temporibus Presbyteri esse id quod dicebantur, id est, multum provectæ ætatis. Timotheus ante talem ætatem factus erat Euangelista, quia & prophetiæ eum indicaverant, & Spiritûs dona eum commendabant. At non ideo sequitur planè juvenem fuisse Timotheum, cùm hæc Paulus scriberet. Nam בחורה Hebræis, νεότης interpretibus est *ætas militaris*, & civilem ætatem comprehendit, solique senectuti opponitur. Hoc ergo vult, quod tibi ad solitam Presbyterorum ætatem deest, id supple morum gravitate. *Nemo tuam ætatem contemnat*, id est, ita te gere, ne contemni possit: ὅτι σοὶ ἔδωκεν ὁ Θεὸς τὸ πρεσβεῖον [*quia Deus tibi dedit honorem senectutis*] Susan. 50. ¶ ἀλλὰ τύπος γίνε τῶν πιςῶν, *sed exemplum esto fidelium*] Ut ipse fecit Paulus Philipp. 3. 17. Similis monitio 1 Petr. v. 3. ¶ ἐν λόγῳ, *in verbo*] Sermonibus seriis & utilibus. Ephes. 5. 4. ¶ ἐν ἀναςροφῇ, *in conversatione*] בדרך [*in via tua*,] id est, ἐν τῇ ὁμιλίᾳ, *in suavi conversatione.* Sic Jac. 3. 13. 1 Petr. 1. 15. ¶ ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίςει, *in charitate, in spiritu, in fide*] Illud ἐν πνεύματι [*in spiritu*] non habet Latinus, neque Syrus, neque Chrysostomus. Dilectionem autem hic intellige, dilectionis opera: & *fidem* intellige, fidei sinceram professionem. ¶ ἐν ἁγνείᾳ. *in castitate*] Sic & infra 5. 22. Adde & Philipp. 4. 8. 1 Cor. 6. 6.

13. Ἕως ἔρχομαι, πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, *Dum venio attende lectioni*] *Assiduus esto in legendis* Prophetis, Psalmis, aliisque libris. Vide 2 Tim. 3. 15. מקרא Hebræis *lectio*, nempe Legis. Addit, *dum venero*, id est, tunc ego te pleniùs instruam. Solatur ejus laborem. Speravit autem Paulus venturum se Ephesum: sed id ei non contigit. ¶ τῇ παρακλήσει, τῇ διδασκαλίᾳ. *exhortationi, doctrinæ*] In *monendis* aliis privatim, *docendis* publicè, ut supra 11.

14. Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, *Noli negligere gratiam*] Puto agi de dono linguarum; talia dona sollicitè custodienda sunt, gratiarum actione, precibus, sancto usu, 1 Thess. 5. 19. 2 Tim. 1. 6. ¶ ὃ ἐδόθη σοὶ διὰ προφητείας, *quæ data est tibi per prophetiam*] Id est, *quod donum præsignificatum est tibi datum iri per aliorum prophetiam*: supra 1. 18. Prophetæ facere dicuntur, quod prædicunt Jerem. 1. 10. ¶ μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίε, *cum impositione manuum presbyterii*] Id est, ad prophetiam accessit seria invocatio opis divinæ, tunc cùm *manus* tibi *imponerentur.* Paulus ipso Timotheo *manus imposuerat* 2 Tim. 1. 6. sed mos erat, ut qui adessent Presbyteri unà cum cœtûs sui principe manus imponerent. Clemens Constitutionum 8. 16. Πρεσβύτερον χειροτονῶν, ὦ ἐπίσκοπε, τὴν χεῖρα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιτίθει αὐτε͂, τοῦ πρεσβυτερίε παρεςῶτος σοι καὶ τῶν διακόνων [*Presbyterum cum creas, Episcope, ipsemet capiti ejus manum impone, præsente & presbyterio & diaconis.*] Hunc morem diu retinuit Africa. In Synodi enim Carthaginensis Actis legimus, *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Ubi Apostoli, aut Apostolorum adjutores non aderant, fiebat ordinatio per Præsidem cœtûs, consentiente presbyterio. At ubi aderant Apostoli, aut eorum adjutores, hic honor & ipsa præsidentia ad illos pertinebat. Faciebant tamen hæc & talia unà cum presbyterio, ut hic videmus. Sic apud Hebræos judicibus electis manus pro Synedrio imponebat נשיא *princeps Synedrii.* De manuum impositione vide quæ diximus ad Matth. 9. 18.

15. Ταῦτα μελέτα, *Hæc meditare*] הגה Psalm. 1. 2. ¶ ἐν τούτοις ἴσθι. *in his esto*] Sic Horatius, *totus in illis.* ¶ ἵνα σου ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν. *ut profectus tuus manifestus sit in omnibus*] Προκοπὴ etiam Philosophis est *profectus in virtute.* Vide Philipp. 1. 25. & Sirach 51. 23. Ita se res habet in Christiana pietate, ut in eo qui amne adverso iter facit. Si non profecit,

—si brachia fortè remisit,
Atque illum adverso pronus rapit alveus amne.

ἐν πᾶσι, בכל, *apud omnes.*

16. Ἔπεχε σεαυτῷ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ· *Attende tibi & doctrinæ*] Ἐπέχειν poni pro προσέχειν, id est, *animum attendere*, notavit Eustathius. Sic Lucæ 14. 7. Sirach. 34. 2. 35. 12. *Animum attende tibi ipsi*, quomodo vivas, & *doctrinæ*, quid doceas. In sacris dicebatur, *Hoc age*, quod Plutarchus vertit πρόσεχε. ¶ ἐπίμενε αὐτοῖς. *insta in illis*] *Mane apud Ephesios.* Sic ἐπιμένειν [*manere*] habemus Actor. 10. 48. 21. 4, 10. 28. 12, 14. 1 Cor. 16. 8. Gal. 1. 18. ¶ τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου. *hoc enim faciens & teipsum salvum facies & eos qui te audiunt*] Qui alios instruit, & se instruit. Servat & alios, nempe stantes hortando, lapsos erigendo. Non novum est verba quæ Deo summo jure competunt, aut Christo, sensu quodam subordinato tribui hominibus, ut diximus ad Matth. 16. 18. Sic item hoc σώζειν [*salvum facere*] hominibus tribuitur Roman. 11. 14 sic & ἐπιςρέφειν [*convertere*] Luc. 1. 16.

PRICÆUS.

1. ΤΟ' πνεῦμα ῥητῶς λέγει] Rectè Vulgatus, ῥητῶς, *manifeste.* Hesychius, Ῥητῶς, Φανερῶς· & in Glossario, Ῥητῶς, *aperte.* Πνεῦμα hic Spiritum Sanctum intellige: vide Act. 13. 2. & 15. 28. Epiphanius de Apostolo nostro, Γινώσκων πνεύματι ἁγίῳ ὅτι μέλλοι Μαρκίων, &c. διαςρέφειν τὴν ὁδὸν, &c. Λέγει ergò, per me Paulum intellige. Sic Act. 21. 11. τάδε λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. per me Agabum nempe. Sedulius in Philip. 1. illud, HOC CONFIDENS SCIO; *Spiritu prophetico promittit.* Adde 1 Cor. 2. 10. Apoc. 2. 7, 29. & 3. 22. & 14. 13. Aptè autem secutura prædicens Paulus, eodem ferè modo præfatur quo prophetæ solebant. Theophylactus ad Luc. 13. Οὐ τὰ ἑαυτῶν προςετίθεσαν, ἀλλὰ τοῦ θεοῦ ὑπηγόρευον, διὰ καὶ ἔλεγον, Τάδε λέγει Κύριος. Ignatius formâ simili, ad Philadelphenos, Τὸ δὲ πνεῦμα ἐκήρυσσεν (per me Ignatium) λέγον τάδε.

Ibid. ὅτι ἐν ὑςέροις καιροῖς] i. e. Temporibus non ultimis, sed secuturis. Quo sensu ἐν χρόνῳ ὑςέρῳ, Plato in Phædone dixit; & Paulus 2 Tim. 3. 1. ἐν ἐσχάταις ἡμέραις. Confer epist. Judæ com. 18. & Act. 2. 17. Comprobatur & hic veritas eorum Joh. 16. 13. de Spiritu sancto, Ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ὑμῖν ἀναγγελεῖ. Vide & Actor. 11. 28. 1 Corinth. 2. 10.

Ibid. προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις, καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων] Ψευδοδιδασκάλοις, οἵτινες εἰσάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας, 2 Pet. 2. 1. Πλάνοις legerunt & Schol. Græci, & Vulgatus Interpres,

pres. Sic 1 Reg. 2. 22. & 2 Paral. 18. 21. *πνεῦμα ψευδὲς*, & *ἀπατηλὸν, καὶ λαοπλάνον πνεῦμα*, in interpolationibus epistolæ Ignatii ad Philadelphenos. Antiqui multi codices autem *πλάνης* legerunt. Sic 1 Joh. 4. 6. *πνεῦμα πλάνης*· & 2 Thessal. 2. 8. *τέρατα ψεύδες*, id est, *ψευδῆ*. De voce *προσέχειν* hoc sensu posita, ad Act. 8. 10. dixi.

2. Ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων) *Ψευδαδέλφων, καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει τὸ τοῦ Κυρίου ὄνομα φερόντων*, ut Polycarpus ad Philippenses locutus. Theophylactus ad Luc. 12. *Ψεύδους μεστὴ πᾶσα ὑπόκρισις*. Glossæ, *Ψευδολόγος*, *falsidicus*, *mendax*. In vetere Onomastico, *Mendaciloquus. ψευδολόγος*· Nec aliter Epist. 119. D. Augustinus vertit.

Ibid. *κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν*] Hesychius, *Κεκαυτηριασμένοι*, &c. *μὴ ἔχοντες τὴν συνείδησιν ὑγιῆ*. E converso apud Senecam 1. 16. de Ira, *nequitia non ex alto veniens, sed summo pectore inhærens:* & Suidam, *ἁπλούστερα, καὶ οὐκ ἐν βάθει ταῖς ψυχαῖς ἐγκεκαυμένα ἀνίεται*, (in voce Ἁπλότης.)

3. *Κωλυόντων γαμεῖν, καὶ ἀπέχεσθαι βρωμάτων*] *Καὶ ἀπέχεσθαι* pro *κελευόντων ἀπέχεσθαι*. Similem contrarii elleipsin habemus 1 Cor. 7. 19. & 14. 34. & suprà heic 2. 12. Chrysostomus Homil. 84. in Joannem, *Ταῦτα λέγω, οὐ κηδεύειν κωλύων, ἀλλὰ μετὰ συμμετρίας τοῦτο ποιεῖν*, id est, *κελεύων ποιεῖν*, Menander,

> *Ὅτε πλοῦτος ἐξώκειλε τὸν κεκτημένον.*
> *Εἰς ἕτερον ἦθος, οὐκ ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν.*

Ubi supplendum *ἐᾷ μένειν*. Euripides Andromachê,

> *Ἔξωθέν εἰσιν οἱ δοκοῦντες εὐφρονεῖν*
> *Λαμπροὶ, τὰ δ' ἔνδον πᾶσιν ἀνθρώποις ἴσοι,*
> *Πλὴν εἰ πλούτῳ.* — Subaudi, *ἄνισοι*, vel *διαφέροντες*.

Idem Iphigeniâ in Aulide, de ignobilibus,

> —— *Δακρῦσαι ῥαδίως αὐτοῖς ἔχει,*
> *Ἄνολβά τ' εἰπεῖν, τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν.*
> *Ἅπαντα ταῦτα.* —— supplendum, *οὐ ῥαδίως ἔχει*.

Tacitus Histor. 1. de Cluvio Rufo, *Vir facundus, & pacis artibus* (subaudi *expertus*) *bello inexpertus*.

4. *πᾶν κτίσμα*, &c. *καλὸν*] *Κτίσμα θεοῦ* videtur poni pro *ὑπὸ θεοῦ ἐκτισμένον*. ità Psal. 150. 6. *πᾶσα πνοὴ*, est, *πᾶν πνοὴν ἔχον*. Restringenda autem est Apostoli locutio ad rem escariam. Ergò *πᾶν κτίσμα* heic, est quod Sirachidis 36. 18. *πᾶν βρῶμα*. *Καλὸν* hic est *καθαρόν*· vide ad Tit. 1. 15.

Ibid. *Καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον*] Fundatur veritas ista in verbis Dei ipsius Gen. 1. 30. Homerus,

> *Οὔτι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.*

Ἀπόβλητον heic, est quod Act. 10. 14. *κοινὸν καὶ ἀκάθαρτον*. Scholiastes vetus Homeri ad Iliad. β'. *Ἀπόβλητον, ἀποβολῆς ἄξιον, ἀδόκιμον*. Apostolus Rom. 14. 14. argumento simili *οὐδὲν κοινὸν* dixit, ut Matthæus 15. 11. *κοινοῦν*.

Ibid. *οὐδὲν ἀπόβλητον μετ' εὐχαριστίας λαμβανόμενον*] Eusebius 4. 3. *Ἀττάλῳ*, &c. *ἀπεκαλύφθη ὅτι μὴ καλῶς ποιοίη ὁ Ἀλκιβιάδης μὴ χρώμενος τοῖς κτίσμασι τοῦ θεοῦ*, &c. *πεισθεὶς δὲ Ἀλκιβιάδης πάντων ἀνέδην μετελάμβανε, καὶ τῷ θεῷ ηὐχαρίστει*. Vide Rom. 14. 6. 1 Cor. 10. 30. Tertullianus in Apologetico, *Meminimus gratias nos debere Domino Deo creatori, nullum fructum operum ejus repudiamus.* Fortasse scripsit Tertullianus, *Meminimus gratias Domino Deo creatori.* Loquendi modo Græco, haud Afris fortasse inusitato Scriptoribus. Sic, *gratias, alteri meminisse*, Apulejus dixit. Pars autem *εὐχαριστίας*, de qua heic Paulus, est in moderato usu eorum quæ Deus nostris usibus præparavit.

6. *Ταῦτα ὑποτιθέμενος*, &c.] *Ὑποτίθεσθαι* heic est quod suprà 1. 18. & alibi *παρατίθεσθαι* vocat. Vide ad Act. 17. 3. Hesychius, *Ὑποτίθεται, συμβουλεύει*. Idem, *Ὑποθήκη, παραίνεσις, διδασκαλία*. Suidas, *Ὑποθήκαις, παραινέσεσι*. Cicero 2. 17. ad Atticum, *Et ad me ab eo quasi ὑποθήκας afferes quemadmodum me geram.*

Ibid. *ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις*, &c.] Ità apud Plutarchum in Pyrrhi vita, *ἐντρέφεσθαι τοῖς ἔθεσιν*· Arrianum 4. 14. in Epictetum, *τοῖς διαλογισμοῖς ἐντρέφεσθαι*· Philonem in Abele & Caino, *παλαιοῖς μύθοις ἐντρεφόμενοι*· & suprà eodem libro, *διάνοια ἀρεταῖς ἐντρεφομένη*· apud eundem lib. *ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. ἐν ταῖς τῶν ποιητῶν γνώμαις*, &c. *ἐντρεφόμενοι*· & ibidem, *τοῖς τοῦ Λυκούργου νόμοις ἐντραφῆναι*, Suidas de Doro Philosopho, *Ἐκ παίδων ἐν αὐταῖς* (Aristotelis nempe *ὑποθέσεσι*) *τεθραμμένον*. Vulgata heic versio, *enutritus*: videtur *innutritus* legendum. Sic Seneca cap. 21. ad Polybium, *liberalibus disciplinis innutritus*, & epist. [illegible] *ingeniis certis immorari & innutriri.* Paterculus de Tiberio, *Innutritus cœlestium præceptorum disciplinis.* Plinius in Paneg. de Trajano, *bellicis laudibus innutritus*

7. *Γραώδεις μύθους παραιτοῦ*] Aniles fabulas procul à te habe eorum qui vel ex Paganismo vel Judaïsmo ad Christi cultum transierunt: sunt pura Euangelii dogmata, ne sinito adulterari ea. Non ignoravit, neglexit autem, hoc Apostoli monitum Julianus, de quo ità Ammianus Marcellinus, *Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione* (q. d. *γραώδεσι μύθοις*) *confundens.* *Γραώδεις μῦθοι* heic, ut apud Latinos, *aniles fabulæ*. Tales apud Gellium 18. 7. *res inanes & frivolæ, tanquam mulierum voces præficarum.*

Ibid. *γραώδεις μύθους παραιτοῦ*] Ignatius ad Magnesios, *Μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις, μηδὲ μυθεύμασι τοῖς παλαιοῖς.*

Ibid. *γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν*) Vulgatus, *exerce te ad pietatem*, purissimè & castigatissimè. Cicero famil. epist. lib. 1. ad Lentulum, *Ut*, &c. *huc te pares, hæc agites, ad hæc te exerceas.* Arrianus 3. ult. in Epictetum, *Ἐπὶ τούτῳ γυμνάζου.* Cicero in Epistolis famil. *Hæc cogites, ad hæc te exerceas.* *Γυμνάζειν ἑαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν*, est quod *μόχθους εὐσεβείας πονεῖν*, Euripidi in Hippolyto. *Labore, patientia, præceptis bonis, & fortibus factis exercitare se*, Salustio in De Rep. ordin. Diversum 2 Petr. 2. 14. *καρδίαν πλεονεξίᾳ γυμνάζειν*. Oppositio autem Paulinæ similis illa Hebr. 13. 9. *Διδαχαῖς*, &c. *ξέναις μὴ περιφέρεσθε· καλὸν γὰρ χάριτι τὴν καρδίαν βεβαιοῦσθαι*. *Γυμνάζειν* commodè dixit: virtutes enim (id est, habitus virtutum,) citra jugem & assiduam exercitationem nequaquam acquiruntur. Philo in de Sacrif. Caini & Abelis, *εὐσέβεια καὶ ὁσιότης ἀγαθὰ, ἀλλ' οὐκ ἄνευ θεραπείας θεοῦ τυχεῖν αὐτῶν δυνάμεθα. θεραπεία δὲ ταῖς ἐν πόνοις φιλοτιμίαις συνέζευκται.* Sedulius ad Rom. 7. *Non statim ut voluntatem quis habuerit converti ad bona, etiam usus operis boni sequitur: cita enim res est voluntas, opus verò tardum est, quia & usum, & artem, & laborem operandi requirit. Vult aliquis sapiens fieri, nec tamen statim ut voluit sapiens effectus est: voluntas quidem præcessit, sed adhibendus est etiam labor, studium, solicitudo, vigiliæ*, &c. *Iste ordo de pudicitia habendus, & de mansuetudine, & patientia; & de singulis quibusque virtutibus sciendus est.* Lactantius in De opificio Dei, cap. 20. *Nec aliter ad summum* (Virtutis) *fastigium pervenire, nisi trudenti manu semper agitata, se ad salutem suam dimicandi tenore fundaverit.* Apulejus in de Philosophia, *Per exercitationem pulcritudo animæ & robur acquiritur, sicut exercitatione valetudo corporis gratiaque continetur.* Philo lib. *ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ.* de Essæorum disciplina agens, *Γυμνάσματα προτιθεῖσα τὰς ἐπαινετὰς πράξεις*· id est, *γυμνάσματα προτιθεῖσα τὴν εὐσέβειαν*. Sic, *πρὸς ἀρετὰς* (id est, *εὐσέβειαν*) *γυμνάζεσθαι*, Arrianus 3. 22. in Epictetum. Hesychius, *Γυμνάζεται, ἀσκεῖται*· *Γυμνασία, ἄσκησις, μελέτη*.

8. *Ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος. ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν, καὶ τῆς μελλούσης*] Insignes quidam Expositores per *σωματικὴν γυμνασίαν* intelligunt abstinentiam à conjugio, vino, cibis melioribus, &c. ut sit ferè eadem quæ Colos. 2. 23. *σώματος ἀφειδία*. Ego iis accedo qui talia potiùs spiritualibus adnumerant: de corporali itaque exercitatione hunc locum accipio, non ut Timotheum illi operam navasse, at Paulum ex occasione verbi *γυμνάζειν* metaphoricè positi, de *γυμνασίᾳ* propriè sumpta locutum existimans. Oppositione non adeò dissimili Dissert. 4. Maximus Tyrius, *Ἐκεῖνα μὲν ἦν τῆς τῶν σωμάτων τροφῆς καὶ παιδαγωγίας, ταῦτα δὲ ἔργα ψυχῆς*, &c. *ἠσκημμένης*. Oppositione autem & sententiâ non dissonâ apud Stobæum Pythagoræus ille, Serm. 1. *Ἰσχύειν τῇ ψυχῇ μᾶλλον ἢ τῷ σώματι αἱροῦ*· & Isocrates ad Demonicum, *Ἡ ῥώμη τὰ μὲν σώματα τῶν ἀσκούντων ἐκόσμησεν*, &c. *ἡ δὲ τῆς ἀρετῆς κτῆσις*, &c. *μόνη μὲν συγγηράσκει.* Plutarchus in De liber. educand. *Ὑγίεια τίμιον μὲν, ἀλλ' εὐμετάστατον· ἰσχὺς δὲ ζηλωτὸν μὲν, ἀλλὰ νόσῳ εὐάλωτον καὶ γήρᾳ. τὸ δὲ ὅλον, εἴ τις ἐπὶ τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ φρονεῖ, μαθέτω γνώμης διαμαρτάνων*, &c. *παιδεία τῶν ἐν ἡμῖν μόνον ἀθάνατον καὶ θεῖον.* Jamblichus adhuc propiùs ex Pythagoræ sensu, *Τῆς μὲν τῶν σωμάτων ἐπιμελείας τοῖς φαύλοις τῶν φίλων ὁμοιουμένης, καὶ ταχέως ἀπολιπούσης· τῆς δὲ παιδείας*, &c. *μέχρι θανάτου παραμενούσης· ἐνίοις δὲ καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν ἀθάνατον δόξαν περιποιούσης*· quæ, *παιδείας* in *εὐσεβείας* vocem mutatâ voce, propè sensui Apostoli accedunt. *Ὀλίγον* (ex antitheto sequente) pro *ὀλίγα* accipe. Corporalis exercitatio (inquit) qualis athletarum, pugilum, &c. ad pauca confert; puta, futilis certaminis victoriam, paucorum dierum sermones, coronam frondeam, & similia; (vide 1 Cor. 9. 25.) vel *πρὸς ὀλίγον*, ut Jacobi 4. 14. intellige, *χρόνον πρὸς ὀλίγας ἡμέρας*, Scriptor ad Hebræos 12. 10. dixit. Glossæ, *πρὸς ὀλίγον, paulùm, parumper.* Ità sensus erit, ad modicum temporis spatium exercitatio corporalis vitam & viriculas fovet, cùm nempe senectus & mors vel robustissimos obruant. Seneca cap. 11. Consolat. ad Marciam, *Cùm bene* (homo) *lacertos exercuit, cujuslibet feræ pabulum, cujuslibet victima.* *Πάντα* heic, ut 1 Cor. 13. 7. Philip. 4. 13. & sæ-

& sæpissime in his libris, intellige, *ferè omnia*, vel *pleraque omnia*. τὴν νῦν ζωὴν exponas animi pacem ac tranquillitatem. Chrysostomus Homil. 57. in Joh. *Ejusmodi Virtus est, ut cum futuro præmio in præsenti quoque vitam nobis suavissimam præbeat.* Vel, τὴν νῦν ζωὴν, bona vitæ istius: ut idem sit quod Luc. 18. 30. πολλαπλασίονα ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ἀπολαμβάνειν. ubi & similem Christi pollicitationem videmus; additurque αἰῶν ὁ ἐρχόμενος, ut hoc Apostoli loco, ζωὴ μέλλουσα. Chrysogonus ad Anastasiam apud Suidam, Διπλῆ ἡ δύναμις τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος ἀποδείκνυται, καὶ γὰρ τὰ πρόσκαιρά σοι περιττεύει, καὶ προςεθήσεταί σοι τὰ ἐπουράνια. Vide nec sententiæ dissimilis locum Matth. 6. 33. ubi θεοῦ δικαιοσύνη, est ferè quod heic ἡ εὐσέβεια. Adde & quæ ex Euthymio ad 1 Tim. 5. 25. adducenda. Salvianus, *Quanto magis religiosi & sancti viri miseri non putandi sunt, qui & præsentis fidei oblectamenta capiunt, & beatitudinis futura præmia consequuntur.* Seneca 79. Epistolâ, *Nulli non Virtus & vivo & mortuo gratiam retulit, si modò illam bonâ secutus est fide.* Simplicius de Epicteti præceptis ad virtutem viam sternentibus, Τοὺς πειθομένους καὶ ἐργαζομένους μακαρίους ἀποτελοῦσι καὶ εὐδαίμονας, (in hac vita nimirum) οὐδὲν δεηθέντας τὰς μετὰ θάνατον τῆς ἀρετῆς ἀμοιβὰς ἐπαγγέλλεσθαι, κἂν πάντως ἀπολαύωσι καὶ αὐταί. ubi & vox ἐπαγγέλλεσθαι notanda. Vide & in Εὐσεβεῖν Suidæ Collectanea.

Ibid. ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστι] Ità Menander apud Stobæum,

——Μακάριον ἡ χρηστότης
Πρὸς πάντα, καὶ θαυμαστὸν ἐφόδιον βίῳ.

Sic & συλλογισμὸν Simplicius πρὸς πάντα εἶναι ἐπιτήδειον (i. e. ὠφέλιμον) dixit, in cap. 9. Epicteti. Πρὸς πάντα ὠφέλιμον, est & apud Philonem Judæum, (lib. de Princip creat.)

9. Πιστὸς ὁ λόγος] Refer ad sequentia, ut suprà 3. 1. ubi dicta vide.

10. κοπιῶμεν, καὶ ὀνειδιζόμεθα, ὅτι ἠλπίκαμεν ἐπὶ θεῷ ζῶντι] Τὴν νέκρωσιν, &c. ἵνα, &c. ut 2 Cor. 4. 10. locutus. Ista nimirum vera *fortitudo* fuit: quam virtutem, *contemptionem laboris & periculi, cum ratione utilitatis, & commodorum compensatione*, definit Auctor ad Herennium, lib. 4. Seneca lib. Cur bonis viris, &c. cap. 4. *Virtus quò tendat, non quod passura sit, cogitat.* In Mimo vetere,

Spes præmii laboris est solatium.

Ἠλπίκαμεν, enallage, pro ἐλπίζομεν ut infrà 5. 6. ἤλπικεν, & 6. 17. ἠλπικέναι item Joh. 5. 44. ἠλπίκατε. Ἐλπίζειν ἐπὶ θεῷ hic est quod Rom. 5. 2. ἐπ' ἐλπίδι τῆς τοῦ θεοῦ δόξης καυχᾶσθαι ubi & com. 4. Ἡ δοκιμὴ ἐλπίδα κατεργάζεται. In MS celeberrimæ antiquitatis qui in Britannia, est, κοπιῶμεν, καὶ ἀγωνιζόμεθα. Video sanè Colos. 1. 29. κοπιῶ & ἀγωνίζεσθαι eo modo juncta: à lectione tamen communi (quam & Vulgatus sequitur,) non discedendum puto, ob locos Hebr. 10. 33. 1 Pet. 4. 14. ubi ὀνειδισμοί, & ὀνειδίζεσθαι. & illum 2 Cor. 6. 8. ubi (quod idem ferè implet) vox δυσφημία. Quibus adde & Psalmi 67. 8. illud, ἕνεκά σου ὑπήνεγκα ὀνειδισμόν ubi & ἕνεκά σου est, si loqui cum Apostolo libuerit, ὅτι ἐπὶ σὲ ἤλπικα. D. Ambrosius Offic. 1. 48. de Davide, *Non solùm inoffensum, sed etiam gratum conviciantis; & delectatum potiùs quàm exasperatum injuriis, pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur.* Redeamus ad Apostolum. Ideo libens (inquit) laboribus maceror, obloquiis & conviciis laceror, quia in Deo confido: nimirum, vitæ hujus meæ perpessitiæ in illa altera rationem ab eo habitam iri. Hoc est quod Rom. 5. 5. ἐλπὶς οὐ καταισχύνει. Cicero de Legg. 2. *Exspectatione bonarum rerum erigitur animus.* Horatius,

—— *Animum spe finis dura ferentem.*

Maximus Tyrius Dissert. 33. Ὁ κατ' ἀρετὴν πονῶν ἔχει φιλίας ἡδονῆς ποιεῖ ἢ παρούσης, ἢ προσδοκωμένης. Theophylactus ad Hebr. 11. *Quomodo laboriosum virtutis iter ingrederetur non persuasus in futuro seculo permutationes ac vicissitudines esse?* D. Augustinus in Psal. 91. *Qui tolerat dolores in ferro medici, nisi sibi sanitatem proponat, deficit in dolore.* Hieronymus ad Demetriadem, *Ad hoc laboramus, & in seculi hujus militia periclitamur, ut in futuro seculo coronemur.* Vide 2 Cor. 4. 16, 17, 18. Heb 6. 10. 1 Cor. 3. 8. & 15. 58. item Apoc. 2. 2. quibus ultimis duobus locis est & vox κόπος. Tacitus Annal. 11. *Multi militiâ, quidam exercendo agros vitam tolerant: nihil à quoquam expetitur nisi cujus fructus ante praviderit.* P. Chrysologus Serm. 118. *Sic agricola fructus uberes & exsaturatas epulas cantat, ut imminentem vomeris laborem non sentiat & sudorem: sic nauta portus modulatur & lucra, ne undarum ruinas, ne maris discrimina pertimescat: sic miles, ne vulnera metuat, prædas personat & triumphos.* Bene autem κοπιῶμεν illud Vulgatus *laboramus* vertit. Lactan. (similique argumentandi ratione) 3. 11. *Potestne fieri quod bonum, quod honestum esse constat, mercede ac præmio careat?* &c. *labor ille magnus & difficultas, & eluctatio adversus mala quibus hæc vita plena est, aliquid magni boni pariat necesse est.* Idem 6. 3. *Demptâ spe immortalitatis*, &c. *cujus assequendæ gratiâ virtus appetenda est, & quicquid malorum acciderit perferendum, maxima erit profectò vanitas obsequi velle virtutibus, quæ frustrà homini calamitates afferunt & labores:* & post, *Sanus igitur non est, qui nullâ spe majore propositâ, iis bonis quibus cæteri utuntur in vita, labores & cruciatus & miserias antepenat.* Imitatus, ut semper, Ciceronem, qui, ut nil majus tamen, aut optabilius existimans, ad nudam nominis immortalitatem acquirendam labores tolerandos dixit. In primo Tusculanarum quæstionum hæc habet, *Nescio quomodo inhæret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum: quo quidem dempto, quis tam esset amens qui semper in laboribus & periculis viveret?* In ejusdem Catone majore occurrunt ista, *Quis tantos labores diurnos nocturnosque domi militiaque susciperet, si iisdem finibus gloriam quibus vitam esset terminaturus?* In Philippica 14. autem ad hunc modum scripsit, *Si non esset longior* (memoria nominis nempe) *quàm hæc vita, quis esset tam amens qui in laboribus viveret?* & in Archia, *Quâ quidem* (nominis famam intelligit) *detractâ, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo*, &c. *tantis nos laboribus exerceamus?* & post, *Si nihil animus præsentiret in posterum, &, si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur*, &c.

Ibid. ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων] Clemens Stromat. 7. Σωτήρ ἐστιν, οὐχὶ τῶν μὲν, τῶν δ' οὔ· i. e. ut suprà hic 2. 4. θέλει πάντας σωθῆναι quæ indefinitè, non universaliter accipienda. Euthymius ad Joh. 10. *Frequenter Scriptura universalem repræsentans formam, particularem insinuat intelligentiam.* Vide ad Act. 10. 35. annotata.

Ibid. μάλιστα δὲ πιστῶν] Tale ejusdem illud Galat. 6. 10. Ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως.

Ibid. σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα δὲ πιστῶν] De Jove Ovidius,

—— *Terras hominumque labores*
Perspicit, Arcadia tamen est impensior illi
Cura sua. ——

Metamorph. 2.

Ibid. μάλιστα δὲ πιστῶν] De eodem Clemens ubi suprà, Ὁ πάντας μὲν ἐπ' ἴσης κεκληκὼς, ἐξαιρέτους δὲ τοῖς ἐξαιρέτως πεπιστευκόσι τιμὰς ἀπονέμων. Ibidem, 6. Πάντων ἀνθρώπων ὁ θεὸς κύριος, προσεχέστερον δὲ τῶν ἐγνωκότων πατήρ. Hierocles, Ἐστι μὲν δημιουργὸς πάντων, τῶν δὲ ἀγαθῶν καὶ πατήρ. Idem, Μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τὸν δὲ ἀγαθὸν διαφερόντως ἀσπάζεται. Plutarchus de Alexandro M. Ἔτι δὲ μᾶλλον αὐτὸς περὶ τούτων φιλοσοφώτερον δοξάζειν, καὶ λέγειν, ὡς πάντων μὲν ὄντα κοινὸν ἀνθρώπων πατέρα τὸν θεὸν, ἰδίως δὲ ποιούμενον ἑαυτοῦ τοὺς ἀρίστους.

12. Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω]

Haud dum provectos fac penses laudibus annos,
Flore ævi juvenis, sis gravitate senex.

Ità gere te ut cum Hæmone Sophocleo dicas,

—— Εἰ δ' ἐγὼ νέος,
Οὐ τὸν χρόνον χρὴ μᾶλλον ἢ τἄργα σκοπεῖν.

Marcus Antoninus lib. 10. Καταφρονήσει μού τις; ὄψεται. ἐγὼ δὲ ὄψομαι, ἵνα μή τι καταφρονήσεως ἄξιον πράσσων ἢ λέγων εὑρίσκωμαι. Juventus res est contemptui exposita. Herodianus de Marco Imperatore, Ὑπώπτευεν μὴ τῆς ἡλικίας αὐτοῦ (Commodi filii sui) καταφρονήσαντες, ἐπιθῶνται αὐτῷ. Anonymus de Anonymo apud Suidam, (v. ὑποκατακλίνεσθαι) Καταφρονηθεὶς ὡς παῖς ἔτι τὴν ἡλικίαν. Appianus Alexandrinus, Καὶ Ἄννιβα, &c. ὡς ἔτι νέου καταφρονοῦντων. Suetonius de Domitiano, *Spernis*, &c. *juventam suam videns*, Justinus lib. 30. *Contemptâ parvulâ filii ejus ætate.* Idem lib 29. *Philippum Dardani*, &c. *contemptu ætatis assiduè lacessebant.* Sic *Alexandri pueritiam spretam.* Idem lib. 11. dixit; & *Octaviani pueritiam ab Antonio spretam*, Plutarchus. In eadem re Florus 4. 4. *Cùm intra decem & octo annos, tenerum, obnoxium, & opportunum injuriæ juvenem videret.* In vetere Inscriptione, *Gordiano*, &c. *de Parthis ob ætatem rebellibus lauream adepto.* Hæc obiter de juventutis contemptu, de senectæ ætatis despectu ad Apuleji lib. 7. pag. 390. dixi. Μηδεὶς καταφρονείτω est, effice nè quis contemnat. Sic Coloss. 2. 18. μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω 1 Cor. 16. 11. Μή τις αὐτὸν ἐξουθενήσῃ 1 Pet. 4. 15. μή τις ὑμῶν πασχέτω &c. Rom. 14. 16. τὸ ἀγαθὸν ὑμῶν μὴ βλασφημείσθω & Proverb. 23. 25. Εὐφραινέσθω ὁ πατήρ καὶ ἡ μήτηρ ἐπὶ σοί. Ex hoc autem Apostoli loco Ignatius ad Magnesios, Καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ καταφρονεῖν τῆς ἡλικίας τοῦ ἐπισκόπου, &c. ἀλλ' πρὸς τὴν

φαινομένην ἀφορῶντας νεότητα, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἐν θεῷ φρόνησιν. Addit deinde, *Ἐπείπερ οὐχ οἱ πολυχρόνιοι εἰσι σοφοὶ*, &c. *ἀλλὰ πνεῦμά ἐστιν ἐν βροτοῖς.* Quod idem & Menander,

> *Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν,*
> *Ἀλλ' ὁ τρόπος ἐνίων ἐστὶ τῇ φύσει γέρων.*

Et Plautus Trinum.

> *Non ætate, verùm ingenio adipiscitur Sapientia.*

D. Ambrosius Offic. 2. 20. de B. Joanne Euangelista, *Juvenem suâ voce, licèt meritis & sapientiâ nulli fuerit seniorum secundus: erat enim in eo senectus venerabilis morum, & cana prudentia.* Idem 3. de Virgin. *Certè Teclam non senectus sed virtus probavit*, &c. *omnis ætas habilis Deo, perfecta Christo est: denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, sed virtutis ætatem.*

Ibid. *ἀλλὰ τύπος γίνου τῶν πιστῶν*] 1 Thess. 1. 7. *Ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους*, &c. Sic 1 Pet. 5. 3. *ἀλλὰ τύποι γενόμενοι τοῦ ποιμνίου.* Vide Plutarchi locum ad 1 Tim. 3. 2. adductum. Sedulius ad 2 Thess. 3. illud, IMITARI NOS, *Qui sumus forma credentium*: ubi *forma*, *τύπος*. Cicero de Senatorio ordine, *Ceteris specimen esto*, i. e. *τύπος*. Hoc aliis Scriptoribus *ἀρχέτυπος*, & *παράδειγμα*. Hinc, *τὸν ἑαυτοῦ βίον εἰς καλῶν ἐπιτηδευμάτων μίμησιν ἀρχέτυπον τιθέναι*, in fragmentis Diodori Siculi: & ibidem de Pythagora, *Ψυχῆς ἐνέφαινεν ἦθος κατεσταλμένον, καὶ πρὸς μίμησιν βίου σώφρονος*, &c. *θαυμαστὸν ἀρχέτυπον.* Quâ mente & in Juliani Cæsaribus, *καλῶν ἔργων ἀρχέτυπον.* Plutarchus de Cleomene, *Τὸν ἑαυτοῦ βίον ὥσπερ παράδειγμα σωφροσύνης ἐν μέσῳ θέμενος.* Idem in vita Numæ, *Τὴν ἀρετὴν ἐν ἐνδήλῳ παραδείγματι καὶ λαμπρῷ βίῳ τοῦ ἄρχοντος ὁρῶντες, ἑκουσίως σωφρονοῦσιν.* Isocrates in de Regno, *Τὴν σεαυτοῦ σωφροσύνην τοῖς ἄλλοις παράδειγμα καθίστη*, &c. Idem ex persona Nicoclis in *Συμμαχικῷ*, *Παράδειγμα καταστῆσαι τὸν τρόπον ἐμαυτοῦ τοῖς πολίταις.* Fortasse ad hunc locum referenda Hesychii illa, *Τύπος, εἰκὼν, χαρακτήρ.* Beza, *exemplar fidelium esto.* Quid meruit autem Vulgatus ut & hic rejiceretur? mihi quidem satis dixit Latinè, *Exemplum esto.* Plinius 1. epist. 14. de Serrana, *Patavinis* (suis) *severitatis exemplum est.*

Ibid. *ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ*] Non in doctrina solùm, sed vita & convictu: non tantùm veri præceptor, sed & testis esto.

> ——— *Neque enim sic flectere sensus*
> *Humanos præcepta valent, ut vita regentis.*

Plinius Panegyr. *Vita Principis* (quod ibi *Princeps*, hic *Episcopus*) *censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo.*

> *Exemploque suo mores reges*, ———

Ovidius de Augusto dixit. Menander apud Stobæum,

> *Τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.*

Lactantius 4. 23. *Homines malunt exempla quàm verba.* Seneca (ex quo ille) Epist. 6. *Longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla.* Deinde, *Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vita ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum an ex formula sua viveret. Plato & Aristoteles, & omnis in diversum abitura sapientium turba, plus ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit.* Auctor ad Herennium 4. *Chares à Lysippo statuas facere non isto modo didicit, ut Lysippus caput ostenderet Myronis, brachia Praxitelis, pectus Polycleti: sed omnia coram magistrum facientem videbat.* Theophylactus ad 1 Timoth. 1. *Ut Imperatorem primùm oportet bonum esse militem, ità doctori convenit ut habeat quæ à discipulis exigit.* Idem ad Luc. 24. ea, *δυνατὸν ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, Πρῶτον τὸ ἔργον, εἶτα ὁ λόγος· οὐδεὶς γὰρ λόγος βέβαιος διδασκαλικὸς εἰ μὴ πρότερον ὁ διδάσκων ἐργάτην ἑαυτὸν ἐκφαίνοι.* P. Chrysologus Serm. 147. *Magisterium stat de scientia, sed magisterii auctoritas constat ex vita: docenda faciens obedientem auditorem perficit.* Joannes Cassianus Collat. 11. 4. *Nunquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui audientis cordi affixerit*: & Euthymius ad Matth. 5. *Nunquam rectè docebis quæ opere non complesti: nec facilè alios persuadebis ut faciant quod ipse non fecisti.* Lactantius 4. 24. *Non possunt quæ doces habere firmitatem, nisi ea prior feceris.* Varro 1. 17. de Re Rustica, de bono villico, *Non solùm debet imperare, sed etiam facere, ut facientem* (mancipia) *imitentur, & ut animadvertant eum cum causa sibi præesse, quòd scientiâ præstet & usu.* Isocrates citato jam loco ex persona Nicoclis, *Προτρέπετε τοὺς νεωτέρους ἐπ' ἀρετήν, μὴ μόνον παραινοῦντες, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς πράξεις ἐπιδεικνύντες ὁποίους εἶναι χρὴ ἄνδρας τοὺς ἀγαθούς.* Virtutem non verbis sed & operibus tradere, veri præceptoris esse ait laudatus modò Euthymius ad Joh. 17. Pollux 4. 5. Onomastici, *Ὄργανα φιλοσοφίας, λόγος καὶ τρόπος· ὁ μὲν τῷ παραδείγματι τοῦ βίου πειθόμενος, ὁ δὲ λόγος προσαγόμενος, καὶ διδάσκων.* Vide quæ in partem contrariam ad Matth. 23. 3. annotavimus.

Ibid. *ἐν ἀναστροφῇ*] Ità 1 Pet. 1. 15. *Ἅγιοι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ γενήθητε.* Glossæ MSS. ad hunc Pauli locum in Medic. biblioth. *Ἐν ἀναστροφῇ, ἐν βίῳ, ἐν πολιτείᾳ.* Vulgatus bene, *in conversatione.* Glossarium, *Conversatio, ἀναστροφὴ, διαγωγὴ, βίος.*

Ibid. *ἐν ἁγνείᾳ*] Hesychius, *Ἁγνείας, καθαρότητος.* Vulgat. *in castitate*: Recentior, *in puritate*: parùm interest. Glossæ. *Ἁγνεία, castitas.* Onomasticon vetus, *Puritas, ἁγνεία.* Porphyrius, *περὶ ἀποχῆς δ'.* *Ἁγνεία ἐστὶ φρονεῖν ὅσια.*

13. *πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει*] Ità Coloss. 4. 2. *τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε.* *Τῇ ἀναγνώσει*, prophetarum nempe aliorumque sacrorum voluminum. Sic & 2 Pet. 1. 19. *τῷ προφητικῷ λόγῳ προσέχειν*, id est, *τῇ τῶν προφητικῶν λόγων ἀναγνώσει προσέχειν.* *Νόμῳ καὶ προφήταις προσέχειν*, Ignatius ad Smyrnenses dixit. Sirachides in Procemio, de avo suo, *Ἐπὶ πλεῖον ἑαυτὸν δοὺς εἰς τὴν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν ἀνάγνωσιν.* D. Hieronymus ad Demetriadem, *Animum tuum, sacræ lectionis amore occupa.* Ambrosius Offic. 1. 20. *Cur non illa tempora quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas?* ubi & nota *lectionem* præcisè dici, ut *ἀνάγνωσιν* in Contextu nostro. Idem 2 de Virgin. *Sed illa, non immemor lectionis, Et Daniel* (inquit) *supplicium Susannæ*, &c.

14. *Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος*] Theophylactus ad Luc. 12. *Τὸ τοῦ λόγου χάρισμα ἐπεργασίας δεῖται*, &c. *δεῖ μὴ ῥᾳθυμεῖν*, &c. Vult dicere Apostolus, Dispensator es, collator omnis optimi dati à te rationem exacturus est. Vide 1 Pet. 4. 10. & ad Luc. 12. 48. dicta. Nota & verba illa, *μὴ ἀμέλει.* Plutarchus in De liber. educ. *Ἀγαθὴ ἡ γῆ πέφυκεν, ἀλλ' ἀμεληθεῖσα χερσεύεται.*

Ibid. *ὃ ἐδόθη σοι διὰ προφητείας μετ' ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου*] Vide suprà 1. 18. Gregorius Nazianzenus ex persona patris sui ad Cæsarienses de eligendo Episcopo consultantes, *Adsum vobis, & adero spiritualiter: imò etiam jam manum ei* (Basilio) *imposui: & confido spiritui.*

15. *Ταῦτα μελέτα*]

> — *Meditando velis inolescere menti.*
> ——— *Omnes*
> *Dirigito huc sensus, sit cura hæc subdita cordi.*

Isocrates ad Demonicum, *Ἃ μὲν ἐπίστασαι, διαφύλαττε ταῖς μελέταις.* Vide Psal. 1. 2. ubi in Græco, *μελετᾷν.* Sic 4. 8. ad Philipp. *ταῦτα λογίζεσθε.* Loquitur heic Paulus tanquam ad discipulum suum: ergò & hanc, & sequentem præcipiendi formulam ex mundanæ sapientiæ scholis puto desumpsisse eum. In Carminibus Pythagoræ dictis,

> *Ταῦτα πόνει, ταῦτ' ἐκμελέτα, τούτων χρὴ ἐρᾶν σε.*

Epicurus ad sectatorem suum apud Laërtium, *Ἃ δέ σοι συνεχῶς παρήγγελλον, ταῦτα πράττε καὶ μελέτα·* & post, *Ταῦτα καὶ τὰ τούτοις συγγενῆ μελέτα.* Arrianus 4. 1. in Epictetum, *Ταῦτα μελέτα.* Idem ibidem 2. 9. *Διὰ τοῦτο παραγγέλλουσιν οἱ φιλόσοφοι μὴ ἀρκεῖσθαι μόνῳ τῷ μαθεῖν, ἀλλὰ μελέτην προσλαμβάνειν.* Seneca Epist. 24. ad Lucilium suum, *Hæc in animo voluta.* Idem 69. Epist. *Hæc meditare, exerce te*, &c. & Epist. 16. *Liquere tibi hæc scio*, &c. *sed hoc quod liquet firmandum, & altius quotidianâ meditatione figendum est.* Iterum Epist. 94. *Quæcunque salutaria sunt, sæpe agitari debent, sæpe versari, ut non tantum nota sint nobis, sed & parata.* Hesychius, *Μελετᾷ, ἀσκεῖ, γυμνάζεται· μελέτη γὰρ ἄσκησις*, &c. Ità & Servius ad Æn. 4. *Actus est in ipsa meditatione, nam exercitium meditatio est.*

Ibid. *ταῦτα μελέτα, ἐν τούτοις ἴσθι*] Arrianus 1. 1. in Epictetum, *Ταῦτα ἔδει μελετᾷν*, &c. *ἐν τούτοις γυμνάζεσθαι.* Pari sensu Idem 3. 24. *πρὸς τούτῳ μόνῳ ἐστὶ* dixit, & 3. 9. *ἂν πρὸς τούτοις ὦ*, i. e. si in istis me assiduè occupavero. In Græco Proverb. 23. 17. *Ἐν φόβῳ Κυρίου ὅλην τὴν ἡμέραν ἴσθι.* Plutarchus in Pompeji vita, *Ἐν τούτοις ὁ Καῖσαρ ἦν·* quod non est, *ἐν τοιαύτῃ τῶν πραγμάτων καταστάσει*, (est enim ambiguus loquendi modus,) sed, *ἐν τοῖς περὶ τούτων λογισμοῖς ἦν*, ut Idem in vita Agidis & Cleomenis locutus. Plinius junior, (vehementiâ Apostolicæ isti simili) lib. 1. epist. 3. *Hoc sit negotium tuum, hoc otium: hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur*: Et Hieronymus ad Paulinum, *Oro te, frater charissime, inter hæc vivere, & nil aliud nôsse, nil quærere.* Primasius in Philipp. 4. illud, *ταῦτα λογίζεσθε. Meditamini, nihilque aliud cogitate.* Vide Senecam infrà ad 5. 5. adductum. Arrianus 4. 11. *Χωρὶς τούτου μὴ κάθευδε, μὴ ἀνάστηθι, μὴ πίνε, μὴ ἔσθιε.* Idem 3. ult. *Ἐπὶ τούτου γυμνάζου, ἐνταῦθα νευέ-*

τουτοι οἱ λόγοι πάντες, τὰ ἀξιώματα, τὰ ἀναγνώσματα & 1. 29. Αἰσχρόν ἐςι θεωρεῖν ταῦτα ὡς οἱ δραπέται, ἀλλ' ἀπερισπάςως καθῆσθαι· id est, Apostoli verbis, ἀλλ' ἐν τούτοις εἶναι. Lucretius de longioris vitæ cupidine,

> ——*Versamur ibidem, atque insumus usque.*

Horatius,

> ——*Omnis in hoc sum:*

& Ovidius,

> ——*Pœnaque in imagine tota est.*

Sic, ἐν σαρκὶ εἶναι, Paulus noster Rom. 8. 9. dixit: &, εἶναι ἐν ἐπιθυμίᾳ, com. 20. Susannæ Scriptor: *in concupiscentiis fœminarum esse*, Daniel. 11. 37. Vulgatus Interpres: *in voluptatibus esse*, Seneca cap. 11. De beata vita: *esse in ærumnis*, Idem cap. 3. Consolat. ad Marciam: &, *esse in vitiis*, 59. Epistolà. Sic, *esse in gaudiis*, Eunuc. 5. 8. Terentius: &, *esse in fuga*, Cicero 7. 23. ad Atticum, i. e. *nihil nisi fugam spectare*, ut ibidem 8. 7. loquitur. Ælianus Var. 4. 8. Ἐν τούτοις ἦν, & 9. 4. de Polycrate. Ἐν Μούσαις ἦν.

Ibid. ἵνα ἡ προκοπή σου φανερὰ ᾖ] *Ut tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat*, Cic. in De amicit. In Glossis, Προκοπὴ, *processus*, &c. Et bene, non ἡ τελειότης, sed ἡ προκοπή σου. D. Augustinus in Psal. 65. *Perfectio justitiæ non erit nisi in illa vita, ad profectum tamen boni mores ab ipso* (Deo) *inspirantur.* Ergò Matth. 5. 48. illud ἔσεσθε τέλειοι secundùm imbecillitatis humanæ viriculas intelligendum. Perstat autem in allusione jam cœpta Apostolus. Προκόπτειν enim & προκοπὴ (quarum illam, non istam vocem tamen magistelli probant) de discipulis dicuntur. Simplicius in cap. 69. Epicteti, Κἂν δεικνύναι χρή ποτε τὴν ἑαυτοῦ προκοπὴν τῷ διδασκάλῳ ἐπιζητοῦντι (malim ἐκζητοῦντι) τὰ ἔργα δεικνύναι ἀπὸ τῶν πεφθέντων λόγων, καὶ τὴν ἕξιν θρεψάντων ἐνδιδόμενα, ἀλλ' οὐχὶ τοὺς λόγους quæ non solùm ob vocem προκοπὴν adduxi, sed quia & sensum ferè eundem habent quem videmus in his Apostoli verbis.

Ibid. ἐν πᾶσι] Quidam *inter omnes* vertunt; alii (quod eodem cadit) *apud omnes.* Potest tamen & neutraliter accipi, pro *in omnibus rebus*: sic, ἐν πᾶσι, suprà heic 3. 11. Tit. 2. 9, 10. Coloss. 1. 18. 2 Tim. 2. 7. & 4. 5. Heb. 13. 18. 1 Pet. 4. 11. Sirachidis 41. 2. & apud Plutarchum in Themistoclis vita. In Latino Polycarpi Epistolæ ad Philippenses dictæ, *Ut fructus vester manifestus sit in omnibus.* Sic & ἐν παντὶ, 1 Cor. 1. 5. 2 Cor. 7. 5. & 9. 11. Eph. 5. 24. & 1 Thes. 5. 18.

16. ἔπεχε σεαυτῷ]

> ——— *Sit tibi cura tui.*
> *Nec dubito quin sit: sed me timor ipse malorum*
> *Forte supervacuos cogit habere metus.*

Tobias filium monens 4. 14. Πρόσεχε σεαυτῷ ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις σου· nec aliud hic ἐπέχειν, quàm προσέχειν. Hesychius, Ἔπεχε, &c. πρόσεχε, &c. ità Luc. 14. 7. Act. 3. 5. & alibi. Cicero Offic. 1. *Appetitus omnes contrahendi sedandique sunt, excitandaque est animadversio, & diligentia, ne quid temerè ac fortuitò, inconsideratè negligenterve agamus.* De fructu vigilantiam & attentionem animi insequente, confer quæ 4. 11. Arrianus in Epictetum.

Ibid. ἔπεχε σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ σου] Τῇ διδασκαλίᾳ, nempe τοῦ ποιμνίου σου. Ità idem ferè hoc loco præcipit, quod in illis Act. 20. 28. προσέχετε ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ. Euthymius ad Luc. 2. *Timeamus qui præceptores sumus, quoniam in medio nostrûm est Christus, attendens quo pacto doceamus.*

Ibid. ἐπίμενε αὐτοῖς] Vulgat. *insta in illis.* Vide quæso an *insta illis* legendum. Sic Idem Act. 6. 4. *Orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Expositor summi nominis, *Mane apud Ephesios*: id esset, ut Act. 18. 3. & Joh. 4. 40. παρ' αὐτοῖς μένε· & 1 Cor. 16. 7. ἐπιμένε πρὸς αὐτούς. Quem sensum etiam fulcire poterat ex his 1. 25. ad Philippenses, Πεποιθὼς οἶδα ὅτι μενῶ, καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν εἰς τὴν ὑμῶν προκοπήν. Item ex isto Senecæ loco, *Remedia non prosunt nisi immorentur: quis medicus ægros in transitu curat?* Haud dubium mihi est ἐπίμενε heic esse, quod 2 Tim. 4. 2. ἐπίστηθι quod apud Hesychium (qui vocem hanc, citato superiùs loco, & alteram illam interpretari voluit,) ἐπίμεινον. Vulgatus itaque qui *insta illis* (id est, tibi ipsi, & doctrinæ tuæ,) Apostolum rectè intellexit. Tale & ejusdem Pauli illud, μένε ἐν οἷς ἔμαθες, 2 Tim. 3. 14. Nec dissimile τὸ ἐν τῷ ἀναγνώσματι ἐπίμονον, quod legimus lib. 1. M. Antonini.

Ibid. τοῦτο γὰρ ποιῶν, &c.] Præcepto antecedenti Timotheus quò studiosiùs obtemperet, monstrat Apostolus quàm magnam mercedem, quamque uberem & pretiosum fructum indè consecutus esset. Seneca 94. Epistolà, *Admonitio illa efficacior est, & altiùs penetrat, quæ adjuvat ratione quod præcipit: quæ adjicit quare quidque faciendum sit, & quod facientem obedientemque exspectet.*

Ibid. σεαυτὸν σώσεις] Theophylactus ad 2 Tim. 2. *Qui docet, non inutiliter laborat; verùm præ aliis ipse fruitur sudoribus suis, Deo abunde mercedem ei reddente.*

Ibid. σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου] Profectum & emendationem aliorum tuum lucrum facies. Cassianus Collat. 22. 1. *Duplices congregat fructus rerum spiritualium dispensator*, &c. *non minùs semetipsum ad desiderium perfectionis accendens, dum instruit auditorem.* Sedulius ad Rom. 11. *Quod cùm fit à Paulo* (in fide nempe parvulos confirmare) *& ipse consolationem capit, opus suum firmum & stabile videns; & ipsi consolantur, quia Apostolicæ gratiæ sunt participes.* In Apostolicarum Constitut. libro, Ὁμολογήσαντες τὴν καλὴν ὁμολογίαν οὐ μόνον ἑαυτοὺς σώζομεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς νεοφωτίςους βεβαιοῦμεν. In Latino Polycarpi jam superiùs laudatæ, *Sicut passibilia membra, & errantia, eos revocate*, &c. *hoc enim agentes vos ipsos ædificatis.* In Græco Proverb. 9. 12. Ἐὰν σοφὸς γένῃ σεαυτῷ, σοφὸς ἔσῃ καὶ τοῖς πλησίον. Varro in de Re Rustica lib. 3. cap. 5. *Opinor non solùm quod dicitur, Malum consilium consultori esse pessimum, sed etiam bonum consilium ei qui consulit, & qui consulitur, bonum habendum.* Aristoteles Nicomach. 9. 9. de viro bono, Αὐτός τε ὀνήσεται τὰ καλὰ πράττων, καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελήσει. Xenophon Παιδ. 8. Ἑαυτοῦ κήδεται ὁ προνοῶν ἀδελφοῦ. Idem Memorabil. δ'. de Socrate, Ταῦτα λέγων τε ἅμα καὶ αὐτὸς ποιῶν, (quod ferè Apostolo, ἑαυτῷ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ ἐπέχειν,) εὐσεβεςέρους τε καὶ σωφρονεςέρους τοὺς συνόντας παρεσκεύαζεν. Seneca Epist. 36. ad Lucilium, de quodam amico ejus, *Facies rem utilissimam tibi si illum quam optimum feceris.* Idem 83. Epist. *Nemo non, dum alteri prodest, sibi profuit*: & in De vita beata, cap. 30. *Si quis benè de se meretur, hoc ipse aliis prodest, quòd illis profuturum parat.* Iterum 109. epist. *Prodesse est, animum secundùm naturam movere, virtute suâ, aut ejus qui movebitur. Hoc non sine ipsius quoque qui proderit bono fiet: necesse est enim alienam virtutem exercendo, exerceat & suam.* Idem 102. epist. *Omnis virtutis actio bonum est*, &c. *Bene judicasse, judicantis bonum est, & ejus secundùm quem judicatum est.* Et demum in De animi tranquill. cap. 3. *Cùm utilem se efficere civibus mortalibusque propositum habeat, simul & exercetur, & proficit, qui se in mediis officiis posuit.* Non his dissimili formâ D. Basilius Homil. in Martyrem Julittam, Ὁ ὑπὲρ τῆς τοῦ πλησίον ἁμαρτίας ἀποστάξας δάκρυον, ἑαυτὸν ἐξιλάσατο δι' ὧν τὸν ἀδελφὸν ἀπωδύρατο. D. Chrysostomus ad 4 Ephes. Ὁ ἁμαρτήματα χαρισάμενος, τήν τε ψυχὴν ὠφέλησε τὴν ἑαυτοῦ, καὶ τὴν ἐκείνου τοῦ τῆς γνώμης τυχόντος· οὐ γὰρ ἑαυτὸν μόνον τούτῳ τῷ τρόπῳ, ἀλλὰ κἀκεῖνον ἐπιεικέςερον ἐποίησεν.

Ibid. σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου] Didymus ad initium Odyss. α'. de Ulysse, Τὸ ἐφ' ἑαυτῷ περιποιῶν καὶ σώζων ἑαυτὸν, καὶ τοὺς ἑταίρους. In Terentii Heautontimoroumeno,

> ——— *Conservâsti te atque illam.*

E converso de sacerdote indigno D. Chrysostomus, Ἐξὸν αὐτῷ σώζεσθαι, καὶ ἑαυτὸν καὶ ἑτέρους προσαπόλλυσι. Dion Prusæensis in περὶ Νόμου, de ἀνόμοις loquens, Πρῶτον μὲν αὐτοὺς ἀπολλύουσιν, ἔπειτα καὶ τοὺς ἄλλους. Epiphanius Hæres. 41. de Cerdone Hæretico, Λυμεὼν τις πέφυκεν ἑαυτῷ τε καὶ τοῖς αὐτῷ πειθομένοις. De simili Asceticorum Auctor, Ἑαυτόν τε καταποντίζων, καὶ τοὺς ἑπομένους συναπαγόμενος.

CAP. V.

VALLA.

1. SEniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres] Ex hoc verbo datur intelligi illud superius, *Non percussorem*, intelligi magis de eo Presbytero qui linguâ percutit & quasi plagas infligit: nam à *plaga* descendit illud *Percussorem*; πλήκτην, & hoc *increpueris*, ἐπιπλήξῃς. Sed cur ait *obsecra*, eo tempore quo ille reprehendendus est? nec ille modò, sed etiam *juniores*? an etiam hos & *adolescentulas obsecrabit*? Ergò puto dicendum fuisse *hortare*, παρακάλει, sicut in Epist. ad Titum 2. 6. *Juvenes similiter hortare ut sobrii sint*, παρακάλει.

4. *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primò domum suam bene regere*, &c.] Hoc præceptum non *viduæ* datur, sed *filiis ac nepotibus*: ideoque sic legendum, *discant primum suam domum piè tractare*, μανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν.

5. *Speret in Deum*, *& instet obsecrationibus*, &c.] Alia Græcè sententia est: dicitur enim, *speravit in Deum*, *& instat* (sive *immanet*) *obsecrationibus*, ἤλπικεν ἐπὶ τὸν Θεὸν, καὶ προσμένει.

6. *Nam quæ in deliciis est*] *Nam* pro *autem*, ut sæpenumero apud veteres, positum est, ἡ δέ.

12. *Damnationem*] Gr. *judicium*, κρῖμα, quod quia pro *damnatione* accipitur, Interpres ad sensum magis quàm ad verbum transtulit.

14. *Volo igitur juniores nubere*, *filios procreare*, *matresfamilias esse*] Non rectè quidam accipiunt *matresfamiliâs esse* quia *liberos procreënt*; nam hoc jam dictum est; sed *familiæ præpositas esse*, i. e. servis & pecuniæ. Nam neque *paterfamiliâs* vocatur à *liberorum procreatione*, sed à servorum ac bonorum dominio: hæc enim nomine *familiæ* continentur. Græcè autem dicitur *domûs dominas esse*, sive *domûs tenere imperium*, οἰκοδεσποτεῖν.

REVIUS in VALLAM.

1. HOrtare] Ità & Ambrosius: & in eam sententiam interpretantur Chrysostomus ac Theophylactus, ut Erasmo notatum. Secutus est idem Beza

5. *Speravit*] *Nihil erat*, inquit Erasmus, *cur Vallam offenderet temporis ratio: nam in hujusmodi verbis nonnunquam præteritum pro præsenti usurpatur*: ita ille. At Vallam non offendit *temporis* ratio, sed *modi*; imperativus videlicet pro indicativo perperàm positus. Quòd autem præteritum Græcum præterito Latino expressit, id Erasmum offendere non debuit: nam & licuit ei hoc, & non spernendâ ratione nititur: quam vide apud Bezam.

12. Κρῖμα] Trajectum erat.

ERASMUS.

1. SEniorem nè increpaveris] Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς. Hìc *senior* ad ætatem refertur, propterea quòd sequitur *juniores*, & comparativa posita puto loco positivorum. Cæterùm non est simpliciter *increpa*, sed ἐπιπλήξῃς, quod significat *plagam infligere*: & transfertur ad id quod est *asperè sæveque objurgare*. Ità Flaccus in Odis,

Metuentis patruæ verbera linguæ.

Et superiùs nolebat Episcopum esse πλήκτην, h. e. *acrem objurgatorem*. ¶ *Sed obsecra ut patrem*] Valla mavult hoc loco *exhortare*, quòd παρακάλει sit anceps ad tria, ad *hortandum*, *obsecrandum* & *consolandum*, quæ tamen omnia inter se finitima sunt. Verùm illi parùm videtur è dignitate Episcopi, si obsecret, præsertim peccantem, maximè juniorem aut adolescentulum. Certè Ambrosius legit *Exhortare*. Et in eam sententiam interpretantur Chrysostomus ac Theophylactus.

2. *In omni castitate*] Ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ, *Cum omni puritate*: licèt *castitatis* verbum non displiceat. Sic enim video Chrysostomum interpretari, *ut absit suspicio impudicitiæ*, nimirum hanc clausulam propriè referens ad id quod proximè præcessit. Ambrosius ità silet de *castitate* ut non videatur legisse. Meà sententià referri poterat ad omnes partes superiores, ut sive cum senioribus agat, sive cum junioribus, sive cum puellis, purus sit ab omni specie vel sævitiæ, vel contumaciæ, vel avaritiæ, vel odii.

3. *Quæ verè viduæ sunt*] h. e. Destitutæ ac desolatæ. Nam χήρα Gr. dicitur à χηρῶ, quod est *desolo* ac *destituo*, sive *orbo*. Unde & Lat. *vidua* dicitur à *viduando*, h. e. orbando. Hinc *viduertas* pro *desolatione* & *solitudine*. Palàm enim Paulus allusit ad etymologiam Græcæ vocis: id quod paulò inferiùs explanatiùs dicit, ἡ δὲ ὄντως χήρα καὶ μεμονωμένη, *quæ verè vidua est ac desolata*. Jam vero frequenter admonuimus, *honorandi* verbum juxta morem Hebræorum *subsidii* significationem habere.

4. *Discat primùm domum suam*] Μανθανέτωσαν, *discant*, numero Multitudinis: ut hoc præceptum ad *filios* & *nepotes* pertineat, qui sic instituendi sunt à matre seu avia ut pii sint erga parentes. Hoc enim vocat εὐσεβεῖν, quod Theophylactus interpretatur γηροκομεῖν, quod & γηροβοσκεῖν appellant Græci. Ambrosius videtur magis ad *viduam* referre, qui fortasse legit μανθανέτω *discat*. Chrysostomus quoque primâ fronte legisse videtur μανθανέτω, cum addit, hoc esse reddendum in nepotibus quod in defunctis parentibus viduæ non possit. Sed propius intuenti non hoc sentit. Loquitur enim de liberis viduæ, jam matribus aut patribus, quos *nepotes* appellat respectu parentum jam defunctorum. Theophylactus sine controversia legit *discant*, juxta priorem interpretationem. ¶ *Domum suam regere*] Εὐσεβεῖν, *piè tractare*, ut vertit D. Ambrosius. Atque item Augustinus Quæst. in Deut. 43. ¶ *Mutuam vicem*] Ἀμοιβὰς q. d. *taliones*. Adludit ad ἀντιπελάργησιν. ¶ *Hoc acceptum*] Gr. *bonum & acceptum*, καλὸν καὶ ἀπόδεκτον sive *honestum & acceptum*.

5. *Speret in Deum*] Ἤλπικεν *speravit*, sive *sperat*, ut legit & Ambrosius, Indicandi modo, non Imperandi. Nam in hujusmodi verbis nonnunquam præteritum pro præsenti usurpatur. Et Paulus hic non præcipit quid velit facere viduas: sed explicat descriptione quas *verè viduas* dixerit. Cæterum nihil erat cur Vallam offenderet temporis ratio. Certè hactenus nobis suffragabatur codex S. Donatiani. Suffragabatur & uterque codex Constantiensis. ¶ *Et instet*] *Et instat* Græcè est, καὶ προσμένει, i. e. *perseverat*, sive *assidua est*. Et *perseverat* legit Ambrosius Indicandi modo. Consentiebant & hic duo Constantienses.

6. *Quæ in deliciis est*] Ità distinguunt Græci ut duo contraria conjungant, *vivens mortua est*, ζῶσα τέθνηκεν, q. d. *vivens non vivit*. Quanquam participium utrovis referri potest. Verùm sensus argutior est juxta Græcam distinctionem. Adde quòd hæc lectio multò mollior est, ad quam legit & edisserit Chrysostomus. Apertiùs autem Hilarius Comment. in Psal 67. ex Origenis, ut opinor, sententia, *Et Apostolus*, inquit, *scit quasdam mortuas vivere; id est, dum vivunt esse jam mortuas*. Augustinus item Quæst. in Deut. 43. refert hunc ad modum, *Quæ autem in deliciis agit*, *vivens mortua est*, suffragantibus & vetustiss. exempl. Latinis, in quibus addita hypodiastole subjecta verbo *est* separat eam orationis partem ab illa quæ sequitur, *Quæ verò in deliciis est*, *vivens mortua est*. Ad eundem modum distinguit Hieronymus in Epistola cujus initium est, *Obsecras literis*.

8. *Si quis autem suorum*] Εἰ δέ τις. Rectius, *Si qua*: nam hæc de vidua loquitur Paulus. Admonent & Græca Scholia. Itaque interpretatur Ambrosius, nempe de *vidua*. Certè Theophylactus nominatim interpretatur de *vidua quæ vivens in deliciis nullam curam habet nisi suipsius*. Nec obstat quod sequitur, ἀπίστου χείρων, cùm hæc vox utique Græcis sit generis communis. ¶ *Curam non habet*] Οὐ προνοεῖ, i. e. *non prospicit*, sive *providet*, *suis*. ¶ *Fidem abnegavit*, *& infideli deterior est*] Hoc videtur esse duriùs dictum, & ob id Aquinas distinctione nodum explicat. Ad eum enim modum explicat quod dixit Paulus, *fidem abnegavit*, *factis*, inquit. Rectè quidem Aquinas. Etenim qui quod dictat Fides Christiana, quæ Naturæ doctrinam non abrogat sed perficit, non præstat, is hâc parte descivit à fide. Nec est simpliciter, *deterior infideli*, sed hâc parte deterior est, qui hoc officii non præstet suis quibus naturæ vinculo jungitur, quod ethnici quoque instinctu naturæ præstant. At hodie judicio quorundam summa habetur pietas, si quis, domi relictis liberis & uxore, aut etiam grandævis parentibus, vel Hierosolymas abeat, vel in monasterium abdat sese, sibi victurus, aut fortassis etiam ventri.

10. *Si filios educavit*] Græcè jucundius est dictione compositâ, ἐτεκνοτρόφησεν, *se liberos educavit*, ut filias quoque complectaris. Item quod sequitur, *hospitio suscepit*, composita vox est, ἐξενοδόχησεν, quod nos vertimus, *si fuit hospitalis*. ¶ *Si omne opus bonum subsecuta est*] Εἰ παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπηκολούθησεν. Significat eam quæ in nullo bono opere defuerit, & omnibus pietatis officiis semper adfuerit. Hieronymus in Zachariam pro *subsecuta est* dixit *prosecuta est*. Nos vertimus, *si in omni opere bono fuit assidua*. Quæ Carrensis philosophatur in *subsecuta est*, quasi *subsequatur quæ se putat apprehendisse*, legat si quis est φιλόγελως.

11. *Adolescentiores autem*] Νεωτέρας δέ. Malim *juniores*. Neque enim est comparativum loco positivi positum, sed refertur ad id quod modò dixerat, *non minor sexaginta annis*. *Verùm quæ infra hos annos sunt rejice*, hactenus duntaxat, nè cibo Ecclesiæ pascantur otiosæ. ¶ *Devita*] Παραιτοῦ. De quo superius dictum est, i. e. *Rejice*, & *refuta*: h. e. nè recipias alendas. Neque enim sentit eas arcendas à colloquio. ¶ *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo*] Ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ. Id interpretatur Hieronymus in Epist. ad Geruntiam, *Propter hæc*, inquit, *igitur quæ fornicatæ sunt in injuriam viri sui Christi*. Hoc enim καταστρηνιάσωσι Græcus sermo significat. Nam στρηνιᾶν *lascivire* sig. sive *ferocire*: quod deductum putant à verbo στερεῖν, ceu Metaphora sumpta à jumentis, quæ cùm pabulo ferociunt, avellunt habenas & suopte arbitrio feruntur. Alii rursum dictum putant à στρηνόν, quod est *durum*. Unde Hesychius στρηνὲς βοᾷν interpretatur τὸ σκληρὸν βοᾶν, i. e. *durè*

sive

sive *ferociter clamare*: στρηνὲς enim Graecis sonare σαφὲς, ἰσχυρὸν, τραχὺ, συγνὸν, ἀνατετεταμένον, i.e. *manifeste*, *valide*, *aspere*, *odiose pertinaciter*, denique idem esse quod στρηνόν. Porrò στρηνιῶντες interpretatur hoc pacto, πεπλεγμένοι, *comorti*: addens nonnunquam idem valere στρηνιᾷν quod διὰ πλοῦτον ὑβρίζειν, *ob divitias ferocire*, & βαρέως φέρειν *graviter ferre*. Sophilus apud Athenaeum lib. 3. videtur uti pro *deliciari* sive *lascivire*: γαστρισμὸς ἔσται δαψιλὴς, τὰ προοίμια ὁρῶ. χορτασθήσομαι πᾶσιν ἀγαθοῖς, νὴ τὸν Διονυσον, ἄνδρες, ἤδη στρηνιῶ. Ea si quis ad verbum reddat, ad hunc habent modum, *Ingluvies erit opipara*, *procemia video*. *Saturabor omnibus bonis*, *per Bacchum*, *viri*, *jam lascivio*. Rursus in eodem libro, ἐστρηνίων πῶς καταβεβρωκὼς σιτία, ἴσως ἐλεφάντων τεττάρων, i.e. *Lascivibam devoratis cibis quatuor fortassis elephantorum*. Proinde καταστρηνιᾷν dicuntur qui jam minùs audientes sunt dicto. Theophylactus καταστρηνιάσωσιν interpretatur ἀκκισθῶσι καὶ θρύψωνται, i.e. *Accissaverint*, *& deliciari caeperint*: priore verbo dicto à moribus petulantissimae mulieris, cui nomen fuit *Acco*, quemadmodum in Chiliadibus nostris explicuimus. Idem verbum habetur Apoc. 18. ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν, καὶ ἐστρηνίασε· pro quo Latinus reddidit, *& in deliciis fuit*. Atque inibi mox καὶ στρηνιάσαντες. Porrò κατὰ praepositio significat *contra*, & in malam partem, cum habet genitivum casum. Ergò καταστρηνιᾷν τοῦ Χριστοῦ est *in injuriam Christi lascivire*: sic enim mihi visum est interpretari. Et in hanc sententiam enarrant Chrysostomus ac Theophylactus. Siquidem vidua quae recipitur alenda, quodammodo se devovet Sponso Christo, in cujus contumeliam rursus de marito novo cogitat. Non satis intelligo quid hoc loco sibi velit Faber, qui primùm quod Paulus *adolescentiores viduas* dicit, jubet intelligi de morum inconstantia, cùm paulò antè palàm expresserit *sexaginta annos* in grandioribus, atque *hâc aetate minores rejici* jubet. Deinde quas ille prohibet recipi stipe Ecclesiae alendas, hic addit per Pontificem vel invitas in monasterium retrudendas, si id petierint parentes. Ad haec miratur, si quid aliud significet *luxuriari* quàm Fornicari: & ob id insulsè dici *luxuriata Christo*: dicendum autem, *deliciata Christo*. Atqui si de vitiosis deliciis agit hîc Paulus, ut agere certum est, qui minùs insulsè dicatur *deliciata Christo* quàm *luxuriata Christo*? Aut quid omnino significat *deliciata Christo*? Quanquam in emendatis exempl. habetur, *luxuriata in Christo*. Quod siqui codices reperiuntur in quibus distinctio verba haec *in Christo* semovet à superioribus, & connectit his quae sequuntur, certè nullus Interpretum alicujus momenti in eum interpretatur modum. Secùs autem distinguit Hieronymus, secùs Ambrosius, secùs Thomas Aquinas. Equidem non possum non admirari quid acciderit ei viro, tum, ut opinor, pio, tum, ut habetur, erudito, ut ad hunc modum lascivire voluerit in Paulinis literis quasi in re ludicra versaretur, praesertim post tot egregios ac probatos Interpretes. Denique sic ista tractat ut non addubitet, sed mera decreta nobis praescribat. Invitus haec admoneo, sed hoc exigit Divinarum literarum autoritas, exigit utilitas publica, ut tantisper levis sit amici ratio, maximè cùm is adjuvetur potiùs quàm laedatur. Neque recuso talionem, modò absit procacia. Admonitus ingenuè fatebor errorem, ac mutabo si minus queam tueri, quin insuper gratiam habebo. Sed de his paulò accuratiùs diximus in Scholiis quae conscripsimus in Epistolas D. Hieronymi. Ambrosius legit, *Cum enim in deliciis egerint*. Et Thomas indicat hîc *luxuriam* non esse proprium libidinis vitium, sed immodicum usum & copiam rerum quarumlibet. Hoc rectè; sed eadem de re in argumentis non rectè.

12. *Habentes damnationem*] Κρῖμα, i.e. *Judicium*. Quanquam Interpres rectè expressit sensum. ¶ *Irritam fecerunt*] Ἠθέτησαν, i.e. *Repulerunt*, aut *rejecerunt*, *aspernata sunt*: tametsi significat hoc quoque quod vertit Interpres. *Rejicimus* enim quod desiit apud nos valere.

13. *Non solum otiosae*] Deest *autem*; *Non solùm autem*, οὐ μόνον δέ. Ac conjunctio ad Epitasin facit, eam evidentius explicat, *Imo*. ¶ *Verbosae*] Φλύαροι, *nugaces*, sive *ineptè loquaces*. Rursus foeminis tribuit epitheton masculinum. ¶ *Loquentes quae*] Λαλοῦσαι, quod aliquoties sign. *garrire*. Unde illud, λαλεῖν ἄριστος· & λάλοι Graecis dicuntur *garruli*.

14. *Volo autem*] *Volo igitur*, βούλομαι οὖν. ¶ *Matres familiâs esse*] Οἰκοδεσποτεῖν, i.e. *familiam administrare*: nè quis accipiat de *liberis progignendis*, de quo modò dixerat, sed de *gubernatione familiae*: quod Graeca vox evidentiùs declarat, dicta à *domo* & *dominio*. Et quod proximè praecessit τεκνογονεῖν Graecè festivius dictum est voce compositâ quàm Latinè *filios* seu *liberos procreare*.

15. *Retro post Satanam*] Ὀπίσω τοῦ Σατανᾶ, *post Satanam*. Nec opus est *retro*. Deinde quod hîc vertit *conversae sunt*, Ambrosius legit *deerraverunt*, ἐξετράπησαν, i.e. *deflexerunt*, de quo suprà meminimus. Sensus est autem, *Illas descivisse à Christo*, *& secutas Satanam*: nam hoc vocat *post Satanam abire*, illum ducem sequi, deserto Christo.

16. *Si quis fidelis*] Graecè est, *Si quis fidelis*, *aut si qua fidelis*, Εἴ τις πιστὸς ἢ πιστή· atque ità legit Ambrosius. Puto germanam scripturam fuisse, *Si qua fidelis*; ut intelligamus curam mulierum commendari mulieribus; putà si qua mater habet filiam viduam. Atque hanc scripturam habeat uterque codex Constantiensis. Verum quoniam videbantur ab hac cura cognatorum excludi viri, aliquis adjecit, *Si quis*. Atque apud Theophylactum additur quidem in contextu πιστὸς ἢ πιστή· verum enarrans locum tale nihil attingit. Idem comperies apud Chrysostomum, qui in enarratione repetens Apostoli verba, nihil aliud dicit nisi εἴ τις πιστή. unde satis apparet πιστὸς adjectitium esse, cum uterque notarit emphasim hujus verbi ἐπαρκείτω, quod declarat *esse suppeditandum quod necessitati satis est*, non quod alat lasciviam. Idem autem verbum est quod mox sequitur ἐπαρκέσῃ. Prius vertit *subministret*, posterius *sufficiat*: nam prius accipitur activè, ut *suppedito*, posterius neutraliter, ut *suppetit* apud Latinos. Nisi mavis subaudiri in posteriore *Ecclesia*; *nè gravetur Ecclesia*, *quò possit eo sufficere verè viduis*. Caeteris viduis, quae desolatae non sunt, hactenus providit, nè alerentur à cognatis infidelibus, sed Christianae à Christianis: Solas desolatas vult ali sumptibus Ecclesiae. ¶ *Ut non gravetur*] *Et non gravetur*, καὶ μὴ βαρείσθω. i.e. Sumptibus suis alant, & non onerent Ecclesiam.

17. *Qui bene praesunt Presbyteri*] *Presbyteri* hîc Episcopi vocabulum est, non Aetatis. Et *honorem* Subsidium significat, non vulgarem istum honorem, Decedere de via, Aperire caput, Flectere genu; quemadmodum non uno in loco annotavit & D. Hieronymus. Siquidem in aliis *eleemosyna* dicitur, caeterum in iis quos aetas aut dignitas aut alioqui meritum venerandos reddit, *honos* appellatur praestitum officium. Et Latini *munus honorarium* vocant.

18. *Non alligabis os*] Οὐ φιμώσεις. Quod Ambrosius vertit, *Non infrenabis*. Caeterum locus quem citat exstat Deut. 25. Mos autem est apud nonnullos circumacto jumento trituram facere, cum apud nostrates flagellis excutiant. Annotandus hic locus iis qui tantis clamoribus tantâque tyrannide decimas & plus quàm decimas extorquent, à pauperrimis quoque Laicis; nec intelligunt legem vetare, *nè quis obliget os bovi*, sed *trituranti*, h.e. docenti, monenti, exhortanti, sacrificanti, ac caeteris Sacerdotalibus officiis fungenti. Quid autem hoc ad istos quosdam qui non solum in otio sed in Sardanapalicis deliciis vitam omnem transigunt? Quanquam aliud est laborare ore non infraenato, aliud explere scrinia sanguine pauperum. Atque haec dixerim, non quò Laici segniores sint ad beneficentiam erga Sacerdotes suos, quibus si boni sint nulla pars gratia rependi potest, sed ut nos vicissim nostri meminerimus officii.

19. *Adversùs Presbyterum*] Incertum an de Seniore loquatur an de Episcopo. Chrysostomus ad Aetatem refert, Ambrosius ad Dignitatem. D. Hieronymus in Epistola quadam ad Marcellam indicat à quibusdam aliud hoc loco solere legi, nimirum illud, *Adversùs Presbyterum accusationem ne recipias*; verùm hanc lectionem quâ nos utimur praefert. Et tamen quod damnat Hieronymus, sequitur Ambrosius, commodè tamen interpretans, Adversùs Presbyterum ob Ordinis dignitatem non facilè recipiendam accusationem: nec ulla fit mentio *duorum aut trium testium*. Quod enim opus est hoc praecipere in Presbytero quod in omnibus servandum est? Hoc sic excusat Chrysostomus, in Senioribus potissimùm esse servandum. Et haud scio an lector quispiam eruditulus; offensus primâ specie sermonis, mutaverit, velut enarrare cupiens quod sensit Apostolus. Rursum quod sequitur, *Peccantes autem coram omnibus argue*, si superiora ad Presbyteros referas, ad eosdem hoc pertineat oportet; ut sit sensus, Crimen non facilè recipiendum, nisi sint idonei testes: Quod si constiterit, palàm esse arguendos in exemplum omnium. Chrysostomus ac Theophylactus utrumque de grandaevis exponit.

21. *Sine praejudicio*] Χωρὶς προκρίματος, *sine praejudicio*. *Praejudicium* hoc loco non significat quod apud Jureconsultos, *rem priùs judicatam*, sed *praecipitatum judicium*, cùm ex concepta temere opinione quippiam agitur, & judicamus ipsi apud nos antequam compertum habeamus. Ad hunc modum interpretantur Graecanica Scholia. ¶ *In alteram partem declinando*] Κατὰ πρόσκλησιν. Interpres legisse videtur πρόσκλισιν, per ι, non per η, i.e. à verbo προσκλίνω; non προσκαλῶ· atque ità legit D. Ambrosius, apud quem est *in aliam partem declinans*: & D. Basilius in principio Proverbiorum, citantibus Graecanicis Scholiis. Neque secùs legunt & interpretantur Chrysostomus

sostomus ac Theophylactus. At Clemens legit ut nunc habent Græcorum exemplaria, nisi quod mihi legendum videtur πρόκλησιν, non πρόσκλησιν, h. e. *provocationem*, non *advocationem*, si cui tamen placet per η scribere.

23. *Noli adhuc quam*] Μηκέτι, i. e. *Nè posthac aquam biberis.* Significat eum usque ad id tempus aquam potitasse, ut ratiocinatur D. Hieronymus. Et Græcis unica dictio est, ὑδροπότει. ¶ *Frequentes tuas infirmitates*] Ἀσθενείας. *Infirmitates* intellige non morbos aut graves ægrotationes, sed corporis debilitatem.

24. *Manifesta sunt*] Πρόδηλοι, i. e. *præmanifesta*, h. e. per se manifesta, etiam priusquam damnentur cujusquam judicio. Nam illud *præ* refertur ad externum judicium. Loquitur enim de palàm malis ac palàm bonis, rursus de clàm malis aut bonis. ¶ *Præcedentia ad judicium*] Προάγουσαι εἰς κρίσιν. Jam enim illa condemnata sunt priùs quàm is qui admisit adductus sit in judicium. ¶ *Quorundam autem*] *Quosdam autem* est Græcè, atque ità legit Ambrosius, τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν, i. e. *quosdam autem etiam subsequuntur.* Suffragatur uterque Constantiensis.

VATABLUS.

1. **I**N*crepaveris*] *Sæviùs objurges.* ¶ *Obsecra*] *Adhortare.*

2. *Castitate*] Vel, *puritate.*

3. *Viduæ sunt*] i. e. Destitutæ & desolatæ sunt. Græca enim vox est à χηρῶ, quod significat *destituo*, *orbo*, &c.

4. *Discat*] *Discant*, Vet. sub. *illæ viduæ*: mutatio numeri more Hebraico. ¶ *Regere*] *Piè gubernare.* ¶ *Hoc enim* *] * *Bonum &c.*

5. *Speret in Deum*] *Speravit in Deo*, Vet. vel, *sperat*, ut alia exemplaria, sive *sperare debet.* ¶ *Instet*] *Instat*, Vet. i. e. instare, sive perseverare debet.

6. *Nam quæ*] *Hæc autem*, Heb. ¶ *Mortua est*] i. e. Vitam æternam amisit, nisi resipiscat.

7. *Et hoc*] *Hæc autem*, Heb.

8. *Siquis*] *Siquis*, pro *siqua.*

9. *Eligatur*] Vel, *suscipiatur*; sub. *alenda ab Ecclesia.* De viduis loquitur quæ alebantur Ecclesiæ facultatibus, & curabantur ministerio Diaconorum.

10. *In operibus bonis*] *Per opera bona.* ¶ *Filios*] *Liberos.* ¶ *Si omne opus bonum subsecuta est*] *Si in omni opere bono fuit assidua.*

11. *Adolescentiores*] *Juniores.* ¶ *Devita*] *Rejice*, *refuta.*

12. *Luxuriatæ fuerint in Christo*] *Luxuriatæ fuerint adversus Christum*: i. e. in contumeliam & blasphemiam Christi. De viduis junioribus loquitur, quæ ob paupertatem ab Ecclesia susceptæ erant, & ipsius facultatibus ministerio Diaconorum (ut dictum est) alebantur: quæ saginatæ alienis facultatibus scortabantur, desertâ fide promissâ. ¶ *Damnationem*] Gr. *judicium*, juxta Hebraismum. ¶ *Irritam fecerunt*] *Repulerunt*, *rejecerunt.*

13. *Solùm* *] * *Autem.* ¶ *Verbosæ*] *Nugaces*, *ineptè loquaces.*

14. *Autem*] *Ergò*, Vet. ¶ *Matresfamiliâs esse*] *Familiam administrare.* ¶ *Maledicti gratiâ*] *Ut habeat maledicendi causam.*

15. *Conversæ sunt retro post Satanam*] *Deflexerunt*, *secutæ Satanam.* Vetera non legunt *post.*

16. *Siquis fidelis* *] * *Aut siqua fidelis.* ¶ *Ut*] *Et*, Vet. positum est pro *ut.* ¶ *Sufficiat*] Sub. *Ecclesia.*

17. *Qui laborant in verbo & doctrina*] i. e. Euangelistæ & doctores.

18. *Alligabis*] *Infrænabis*, Vet.

20. *Peccantes*] Sub. *publicè.*

21. *Et* *] * *Domino.* ¶ *Præjudicio*] i. e. Præcipitatione judicii. ¶ *Alteram*] *Aliam*, Vet.

22. *Manum citò nemini imposueris*] i. e. Nè subito cuiquam munus Episcopi committas. Suprà cap. 1. in fine. ¶ *Castum*] *Purum.*

23. *Adhuc*] *Posthac.*

24. *Peccata* *] * *Ante.* ¶ *Præcedentia ad judicium*] q. d. Tam manifesta sunt, ut jam condemnata sint priùs quàm is qui admisit adductus sit in judicium coram Ecclesia & Episcopo. ¶ *Quorundam autem sequuntur*] *Quosdam autem & subsequuntur*, Vet. i. e. progressu temporis manifesta redduntur.

CASTALIO.

4. **D***Oceat in primis suam familiam*] Pluralis est numeri μανθανέτωσαν cum χήρα sit singularis: qui Hebraismus est, ut in cap. 2. indicavimus. Est autem μανθανέτωσαν pro διδασκέτωσαν, minùs propriè, ut solet Paulus aliquando loqui: ut & Gallicè *apprendre*, & Germanicè *Leeren*, *docere* est & *discere.* Itaque idem est, μανθανέτωσαν τὸν ἴδιον οἶκον, sive τὰ τέκνα ἢ ἔκγονα, (quod idem est) εὐσεβεῖν, quod τεκνοτροφείτωσαν, quo verbo paulò post utitur. Et εὐσεβεῖν idem quod ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. Estque hæc sententia, *Quæ verè viduæ sunt*, *ne nubant* (ut in 1 Cor. 7. docuit) *sed suam cælibes*, *non alienam nuptæ familiam doceant & liberos educent. Quòd siqua vidua suorum curam non gerit*, *ea fidem abnegavit*, ut dicit Paulus paulò pòst, ubi τοὺς ἰδίους & οἰκείους eosdem vocat quos hic ἴδιον οἶκον. Quod si μανθανέτωσαν referas ad *liberos* aut *nepotes*, videbitur non viduis sed filiis præcipere Paulus; cùm hoc loco Viduis præcepta det. Nisi dicas idem esse *discant nati* & *doceat mater*: sed οἶκος de *parentibus* diceretur, cùm nunquam ad *majores* (quod sciam) referatur, sed semper de *familia* aut *posteris* dicatur; sicut Latinè *domus* aut *familia.*

6. *Mortua est*] Scilicet Deo.

8. *Quòd siqua suorum*, *præsertim domesticorum*, *curam non habet*, *ea fidem abnegavit*] Christianam religionem.

9. *Vidua cooptetur*] Scilicet ad ministrandum sanctis.

11. *Juniores autem viduas repudiato*] Ad ministrandum nè admittito. ¶ *Postquam Christum repudiantes lascivire cœperunt*] Στρηνιᾶν est *gestire*, *lascivire*, *incire*, ὀργᾶν κατὰ autem est *contra*: ut sit καταστρηνιᾶν τοῦ Χριστοῦ, *Christum*, *cui sese addixerant*, *detrectare*, *eique fidem fallere*, *& alium procire.* Est autem καταστρηνιᾶν hoc loco lascivíscere, ut ità dicam: sicut βασιλεύειν non solùm *regnare* est, sed etiam *Regem fieri*, ut alibi declaravimus.

21. *Ut hæc sine ullo discrimine exsequare*] Πρόκριμα est *cùm alius aliis προκρίνεται*, h. e. *præfertur*; cùm persona non res spectatur: quæ aliàs προσωποληψία dicitur, & eadem hoc loco πρόσκλισις, *cùm sumus in aliquem propensiores.* Ego *sine ullo discrimine* verti; quomodo loquitur Maro,

Tros Italusve fuat, *nullo discrimine habebo.*

22. *Manus nemini protinus imponito*, *neve aliena peccata participato. Teipsum castum servato*] Si vitiosum admiseris, imputabuntur tibi ejus peccata.

24. *Nonnullorum hominum peccata perspicua sunt*, &c.] Rationem affert cur vetuerit *cuiquam protinus imponi manus*, eumque ad docendi munus cooptari. Homines de quibus ad id munus admittendis agitur aut improbi sunt aut probi. Improborum alii apertè improbi sunt, eorumque improbitas *judicium antevenit*, h. e. antè perspicua est quam de eis admittendis deliberetur: Et ii quidem repudiandi sunt. Aliorum improbitas latet, videnturque viri boni: Ii non protinus admittendi sunt; sed cunctandum est exspectandumque dum pateat si quæ latet improbitas. Nam ut eorum *rectè facta perspicua sunt*, *ità si quid aliter se habet*, h. e. si quod in eis vitium occultum est, id quoque patebit aliquando si exspectetur. *Nihil enim est tam occultum quod non patefiat.* Ità efficitur ut cunctari sit tutissimum: quoniam si pergent esse boni, satis maturè admittentur; sin erunt mali, non debent admitti.

CLARIUS.

4. **D***Iscant primùm*] Antè videlicet quàm in earum numerum eligantur de quibus mox loquitur, *Vidua eligatur*, &c.

8. *Fidem negavit*] In earum enim est numero de quibus dicitur, *Fatentur se nosse Deum*, *factis autem negant*: est verò *infideli deterior*; nam ille, si non alienos, certè suos non spernit.

12. *Primam fidem*] Fœdus quod cum Christo pepigerant: quòd videlicet Sponso Christo jungi cùm pactæ essent, *posteaquam adversùs Christum deliciatæ sunt*, *nubere volunt.* Alius sic interpretatur, *Damnationem habent quòd fidem priorem irritam fecerunt*, h. e. reprehensione dignæ sunt quod fidem uni marito, licèt defuncto, non servaverint, sed irritam fecerint, & honestatem illam licèt civilem, Deo tamen gratam etiam.

16. *Quæ verè viduæ*] Videlicet quæ non solùm viros non habent, sed nè filios quidem. Deinde subdit de iis quæ quamvis viro sint destitutæ, solatia tamen filiorum ac nepotum habent. Vult ergò ut illæ ad experimentum probatæ vitæ quà dignæ fiant quibus prospiciatur, *prius propriam domum piè tractent*, h. e. bene regant, *ac vicissitudinem reddant majoribus ac progenitoribus suis*; qui cùm earum curam susceperint, neque vicissitudinem acceperint ob mortem, saltem eorum nepotibus eam reddant.

17. *Duplici honore*] h. e. Multo, & longè majore quàm cæteri veneratione, & subministratione rerum necessariarum: maximè,

maximè, inquit, *qui in verbo & doctrina laborant.* Neque enim solum rectæ vitæ exemplum satis est. *Honorem* ergò hic intelligit bonorum etiam subministrationem quæ ad quotidianum usum sunt necessaria.

19. *Nisi sub duobus*] Quid? cùm prohibeat hoc fieri in seniorem, adversùs juniorem admittenda est accusatio sub uno teste? Non; sed sic ait, Adversùs neminem quidem, verùm *adversus seniorem* multò minùs, *admitti debet accusatio*, *nisi sub duobus aut tribus testibus.* Fieri enim potest ut faciliùs conjectura ac suspicio oriatur de juniore: at senioribus cum ipsa ætas quasi frænum quoddam adhibitum sit, non ità facilè suspicari de eis debemus.

20. *Peccantes coram omnibus argue*] Nempe cùm peccatum permanarit jam ad hominum famam.

21. *Et electis Angelis*] Cur, cùm jam Patrem & Filium testem appellaverit, addit etiam *electos Angelos?* Quia & ipsi, cùm Judicium fiet, cum suo Domino testes affuturi sunt. ¶ *Sine præcipitatione judicii*] *Hæc*, inquit, *serves non præcipitando judicium*, ut nihil inconsideratè & nisi prudenti consilio agas. ¶ *Nihil faciens in alteram partem declinando*] M. Basilius legit per Jota, sic, *κατὰ πρόσκλισιν*, nè scilicet *inclinet* ad id quod non sit rectum, sed justum judicium proferat. Alii legunt per η, *κατὰ πρόσκλησιν*· ut sit *πρόσκλησις*, *ἡ προκαλουμένη τινὰ τόδε τι ποιῆσαι δίχα κρίσεως*, *provocans aliquem ad aliquid faciendum sine judicio.*

22. *Neque communicaveris peccatis alienis*] Cernis ut, siquis minimè idoneos eligit, quicquid is qui electus est peccat, electionis autor peccatorum illius est particeps.

23. *Noli adhuc aquam bibere*] Qui Ciceronis Epistolas, præsertim ad Atticum, legit, inveniet hunc frequentissimum morem, ut in scribendo aliud ex alio oriatur. Hunc ipsum morem hoc loco servavit Paulus; & post hanc admonitionem mox ad priorem sententiam revertitur.

24. *Quorundam hominum peccata*] Dixerat, Non debere Episcopum *citò ac temere manum cuiquam imponere*, *neque communicare peccatis alienis.* Cui respondere potuisset Timotheus, *Quid si ignorem ejus peccata qui sit eligendus? num & horum ero particeps?* Ait ergò Paulus, *Quorundam hominum esse peccata quæ præcedant judicium* illud electionis, *& manifesta sint*: in hujuscemodi ergò homines si inquiras, inquit, prorsus deprehendes eorum vitia. *Quorundam verò post electionem aperiuntur peccata.* Priorum eris particeps, si eos elegeris; posteriorum minimè. Alii sic interpretantur, *Quorum præcedunt peccata*, ii omnibus *sunt manifesti*; sint ergò & tibi: *Quorum verò sequuntur*, hos tu observabis providentiæ oculo. Siquid ergò præter hoc feceris, eorum criminis eris particeps. Alius sic; *Peccata quædam manifesta sunt*, & quædam ad tempus occulta, manifesta tamen futura tandem. *Nihil enim est tam occultum quod non revelutur.* Similiter de bonis operibus. Quædam enim verè bona sunt; quædam autem ad tempus quibusdam videri bona possunt, sed qualia verè sint dies Judicii ostendet. Magnus verò Basilius ità est interpretatus quasi nihil ad electionem hic locus pertineat: ait enim, *Quicunque ipsi peccaverunt, soli peccata habebunt ad judicium præcedentia: quicunque verò etiam postea quàm hinc migraverunt, aliis relinquerint occasiones peccatorum, sicut Nestorius ac reliqui hæretici, hos etiam postea quàm abierunt sequuntur peccata. Nam eorum qui propter illos erraverunt, peccata illis quoque imputantur. Similiter & bona opera. Quæcunque enim dicta sunt de peccatis, eadem intellige, & de rectè factis. Sunt enim qui causa salutis aliis fuerunt, quorum rectè facta etiam iis imputantur qui semina præbuere.* Hæc illæ. Scio alios aliis modis interpretari hunc locum, sed nobis eum sensum qui germanior visus sit satis fuit ponere.

ZEGERUS.

3. V*Iduas honora quæ verè viduæ sunt*] *Honora*, h. e. commiserere, necessaria suppeditando: id enim *honorare* non raró declarat in Scriptura. Porrò quæ sint *verè viduæ* scitè docet B. Hieronymus in Epist. ad Gerontiam, *Hæ est*, inquiens, *quæ omni suorum auxilio sunt destitutæ, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitas, ætasque conficit; quibus Deus spes est, & omne opus oratio.* Respicit autem Hieronymus & ad verba Apostoli ità subdentis, *Quæ verè vidua est & desolata, speret in Deum, & instat obsecrationibus*, & ad Etymologiam verbi: nam priscis VIDUARE erat *spoliare & orbare*: unde & *viduertatem* calamitatem appellant. Et Græcis *χήρα* dicitur à *χηρῶ*, quod est *de solo ac destituo* sive *orbo*; aut à *χαρὰ*, quod est *gaudium*, *κατ' ἀντίφρασιν*, quasi sit *omnibus oblectamentis orbata.*

4. *Discat primùm domum suam piè regere, & mutuam vicem reddere parentibus*] Quod dicit hujusmodi est, *Si qua vidua filios habet, aut filiorum filiarumve proles, cum primis discat familiam suam nutrire ac dirigere ad pietatem, atque eandem vicem eandemque solicitudinem suis exhibere liberis, educando, nutriendo, auxiliando, atque id genus cætera præstando, qualia & ipsa experta est olim à parentibus suis.* Præterea, ex quo *μανθάνειν* anceps est ad *disco* & *doceo*, & *εὐσεβεῖν* ad *pium esse erga parentes* & *piè tractare* sive *cum pietate curare*, hinc est quòd & altera poterit sententia assignari, hoc pacto, *Si qua vidua liberos aut nepotes habet, doceat primùm illos pietatem erga parentes exercere, mutuamque ipsis officiorum reponere vicissitudinem*; tanquam si inquiat, Haudquaquam Ecclesiæ stipendiis talis est vidua alenda, sed filiorum potiùs; ut quemadmodum ipsa liberos, ità vicissim liberi matrem alant jam egentem; idque juxta præceptum illud Dominicum Exod. 20. *Honora patrem & matrem.* Hunc ferè sensum indicat Hieronymus in Epist. ad Gerontiam. Evidentiùs autem explicat Theophylactus, dum legit *μανθανέτωσαν discant*, ut subaudias *filii & nepotes*; dumque *εὐσεβεῖν* interpretatur *matris vel nutricis senectam alere.* Qui etiam sensus aptè quadrat cum illo quod præcessit, *Viduas honora.* In modernis Græcorum libris est *μανθανέτωσαν* numero multitudinis, sed mendosè, ni fallor. Nam cum Interprete *μανθανέτω* legisse Ambrosium, Augustinum & Chrysostomum palàm arguunt ipsorum Commentaria; quibus potiùs fidendum quàm uni Theophylacto legenti *μανθανέτωσαν*, tametsi pio sanè sensu. Porrò *piè regere*, quod scribit cum Ambrosio Augustinus, hactenus in nostris non inveni.

5. *Sperat in Deum & instat orationibus*] Ità legendum, attestantibus antiquissimorum autorum tum Græcorum tum Lationorum enarrationibus, nominatim Chrysostomi, Ambrosii & Primasii. Non contenderim tamen si quis legat imperativè, juxta multos codices etiam antiquos. Hæc autem dicens explicat quas *verè viduas* dixerit.

8. *Si quis autem suorum*] Τὶς Græcis communis generis est, ut intelligi liceat tam de *viro* quàm de *vidua.* Et ad *viduam* potiùs respexisse videtur ob hujus loci argumentum. ¶ *Fidem negavit, & est infideli deterior*] Hac videlicet in parte. Ille namque infidelis, sive vir sive mulier, cùm à Christo sit alienus, solo naturæ ductu curam gerit suorum: hic cùm à Christo didicerit prodesse omnibus, domesticis etiam suis debitum subtrahit officium.

9. *Vidua autem eligatur*] Hanc viduarum delectionem præscribit secundùm quosdam, quòd ejusmodi, quales hîc depingit, dignæ essent quæ pascerentur communi Ecclesiæ alimoniâ: vel secundùm alios, quòd ejusmodi accersendæ essent in ministerium Ecclesiarum & Episcoporum. At prior ratio mihi ut communior ità & probabilior censetur: præsertim cùm præmiserit *viduas honorandas*, h. e. subsidio fulciendas, *quæ verè viduæ essent.*

10. *Si hospitio recepit*] Hesychius addit *pauperes*. *ἐξενοδόχησεν* quidam non ineptè vertit *hospitalis fuit.*

11. *Adolescentiores devita*] i. e. Cave recipias cum *verè viduis* Ecclesiæ cibo alendas. ¶ *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt*] i. e. *Cum in lasciviam fuerint deliciisque resolutæ*, interprete Chrysostomo. Porrò quod hodie in Græcis est, *ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ*, verti potest, *cùm Christo ad injuriam lascivierint*, vel *fornicatæ fuerint.*

12. *Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt*] Ex his Apostoli verbis & veterum lucubrationibus palàm liquet, ab hujusmodi viduis Ecclesiæ alimoniâ alendis votum de servanda Pudicitia fieri consuevisse. Nam D. Augustinus in explicatione Psal. 75. super illud, *Vovete, & reddite*, adducens hunc locum, ità scribit, *Quid autem ait* Apostolus *de quibusdam quæ voverunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est,* PRIMAM FIDEM IRRITAM FECERUNT? *Voverunt, & non reddiderunt. Nemo ergò positus in monasterio frater dicat, Recedo de monasterio: neque enim soli qui sunt in monasterio perventuri sunt ad regnum cælorum, & qui ibi non sunt ad Deum non pertinent. Respondetur illi, Sed illi non voverunt, tu vovisti, & retro respexisti*, &c. Et idem, aut si fortè quis alius est, libro De bono viduitatis ad Julianam cap. 8. *Voluntatem*, inquit, *primam irritam fecerunt, id est, voluntatem ad nuptias à proposito continentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem quam priùs voverant, quod perseverantiam implere noluerunt.* Eadem docet & lib. De adulterinis conjugiis 1. cap. 24.

14. *Matres familiâs esse*] Familiæ ac domûs curam suscipere: id enim vult *τὸ οἰκοδεσποτεῖν*, teste Theophylacto. Quod tamen secùs se intelligere subindicat Hieronymus ad Geront. dum ità scribit, *Volo adolescentiores matres familiâs esse. Quare, obsecro? Quia multò tolerabilius est digamam esse quàm scortum,*

tum, & secundum habere virum quàm plures adulteros. In altero enim miseriarum consolatio, in altero pœna peccati est. Atque hoc sanè mihi commodius judicatur, quòd familiam administrare etiam vidua possit. ¶ *Nullam occasionem dare adversario, maledicti gratiâ*] Volo, inquit, sic illæ versentur ac vivant, nè aliqua ex parte infideli Euangelii adversario, sive etiam Satanæ, ulla præstetur malæ de eis suspicionis occasio, quâ aut ipse aut Christiana religio maledicatur. D. Hieronymus Epist. ad Geront. multa docet monita hoc brevi accinctoque præcepto contineri; *Ne propositum viduæ exquisitior cultus infamet; Ne oculorum nutibus & hilaritate vultûs juvenum post se greges trahat; Nè aliud verbo, aliud habitu polliceatur, & conveniat et versiculus ille vulgatus,*

Risit & arguto quiddam promisit ocello.

Ovid. De arte amandi.

17. *Duplici honore digni habeantur*] *Honorem* dicens, vitæ sustentandæ necessaria significat. *Duplici honore* victum & vestitum significari arbitror. Nam *honorem* vestitum quoque significare, illud 1 Cor. 12. arguit, *His honorem abundantiorem circumdamus.* Vel *duplici* dixit pro *abundantiori.* Cætera prætereo.

18. *Non infrænabis os bovi trituranti*] Hoc pacto legit Ambrosius, Augustinus, & ferè codices antiqui, cùm alii legant, *Non alligabis.*

21. *Sine præjudicio*] Poterit hæc clausula accipi & in bonam partem & in malam. Si in bonam, jungenda erit sequentibus, *sine præjudicio nil faciens*; Si in malam, superioribus, *hac custodias sine præjudicio.* Hortatur ergò priori modo Timotheum, *omnia hæc conservet & exsequatur absque anticipatione & præcipitatione judicii*, i. e. cum prævia deliberatione atque judicio, *& sine personarum respectu*, (nam id quoque πρόκριμα indicat, à προκρίνειν, i.e. *præferre*) *nihil faciens in alteram partem declinando.* Altero modo, *ut hæc custodiat nil faciens sine prævio ac maturo judicio, in alteram videlicet partem declinando*: quod haud dubiè fit quando maturum non præit judicium. Cæterùm illud, ¶ *In alteram partem declinando*] Græcè est κατὰ πρόσκλισιν, quod *secundùm inclinationem* sonat In archetypo lege κατὰ πρόσκλισιν per ι, non πρόσκλησιν per η, i. e. *advocationem*, quomodo Theophylacti legit Ieterpres. Nam πρόσκλισιν in omnibus est quæ videre contigit exemplaribus, adstipulante Ambrosio atque Chrysostomo.

22. *Manus citò nemini imposueris*] Episcopalem Sacerdotalemve functionem, admissa condonando sive etiam condemnando. Tractat hunc locum Leo Papa de institutione agens Sacerdotum, Epist. 49.

24. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium; quorundam* [alias *quosdam*] *autem & subsequuntur*] Referendum est hoc ad id quod paulò antè præmisit, *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*: tanquam si dicat, Quæ dixi facilè erit observare circa eos qui manifestè impii sunt, *quorum peccata ipsos ad judicium præcedunt*, i.e. condemnant in propatulo: Non autem perinde facile circa eos quorum peccata sunt occulta, propterea quòd non sciantur nisi post discussionem & judicium, (id est enim, *quosdam autem & subsequuntur*) & id fortasse extremum: Ideoque præmonui *nè citò manus impenas*, atque adeò nè quid attentes citra discussionem & maturum consilium. Quòd si verò vitia quorundam omnino deprehendere haud potes, nihil noxæ contraxeris si fortè illis manus imposueris, modò probabiliter æstimes eos tali gratiâ aut munere haud esse indignos. Eucherius referens hæc ad illud, *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus*, præter dictam expositionem, *præcedentia peccata* intelligit quæ hic quisque committit; *subsequentia*, quibus hic quidem causas damus, sed post transitum nostrum consummantur: & *judicium* accipit Dei.

LUCAS BRUG.

5. QUæ *autem verè vidua est & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die.*] Ita scribunt complures codices, cum Glossematicorum multis. Integriores porrò, cum Anselmo & Autore commentariorum Ambrosio adscriptorum, *sperat in Deum* [*Deo* 2 MS.] *& instat* habent (utramque lectionem Bruno & Gorranus explicant,) & quidam quidem (Brug. sive Do. O. Ge. l. Compl. R.) *speravit in Deum* [*Deo* 1 MS.] *& instat*, omnino Græcis conformiter, qui ἤλπικεν ἐπὶ τὸν Θεὸν καὶ προσμένει legunt, quanquam præteritum præsentis loco usurpatum intelligi possit.

H STEPHANUS.

5. Ἤλπικεν ἐπὶ τὸν Θεὸν] Vide c. 4. 10.

6. Ἡ σπαταλῶσα] *Quæ deliciis dedita est*: vel *lasciva.*

11. Ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ] *Cùm enim lascivè adversus Christum se gerere cœperint*: vel, *lasciviâ uti.*

15. Ἐξετράπησαν ὀπίσω τοῦ σατανᾶ] *Deflectentes à rectâ via secuta sunt Satanam.*

21. Διαμαρτύρομαι] *Obtestor.* ¶ Χωρὶς προκρίματος, μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν] *Ita ut unum alteri non præferas, & ex quadam in alteram partem propensione nihil facias.*

DRUSIUS.

3. V*Iduas honora*] Suppedita eis quibus indigent ad victum & amictum. Hoc modo *honorandi* sunt *parentes* si indigeant. Hieronymus ad Gerontiam, HONOR *vel pro Eleemosyna vel pro Munere accipitur: ut est illud*, PRESBYTERI DUPLICI HONORE DIGNI HABEANTUR. *Et in Euangelio DOMINUS disserit mandatum Legis, in quo dicitur*, HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM, *non in verborum sono, qui inopiam parentum cassâ potest adulatione frustrare, sed in victus necessariis administrandis debere intelligi.* Zacharias in unum de quatuor, HONOR *in Scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis quantum in eleemosynis & munerum oblatione sentitur. Unde Apostolus*, HONORA VIDUAS QUÆ VERE VIDUÆ SUNT, *i. e. da eis.* Anselmus Matth. 15. fol. 153. HONORA PATREM, &c. *Honor iste in Scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis quantum in eleemosynis & munerum collatione sentitur. Unde Apostolus*, HONORA VIDUAS QUÆ VERE VIDUÆ SUNT. *Hic* honor *donum intelligitur. Et alibi*, PRESBYTERI DUPLICI HONORE SUNT HONORANDI. *q. d. Non solum officiis sed etiam muneribus sunt donandi.* Huc referunt ex libro Proverbiorum, *Qui dominum suum custodit, honorabitur.*

5. *Desolata*] *Quæ sola remansit*, h. e. absque liberis: quæ & *unica* dicitur, i.e. יחידה. Μόνος autem tam *unicus* quàm *solus.* Sic *filius desolatus*, qui solus è liberis relictus est. Plinius in Epist. *Domumque pluribus adminiculis antè fundatam desolatus fulcit ac sustinet.* Id non malè diceretur *solus fulcit ac sustinet.* Sic *mulier sola*, quæ orbata marito ac liberis: quam & *vacuam* appellant. Unde illud in historia Ruth, *Vacuam reduxit me DOMINUS*: nisi malis *vacuè*, h. e. sine liberis & viro.

6. *Quæ in deliciis est*] Vel *quæ in luxu vivit.* Sirach. 21. 16. σπαταλῶν, *levis, dissolutus, luxuriosus.* Amos 6. 4. סרוחים. LXX. κατασπαταλῶντες *deliciis affluentes.* Rursum Sirach. 27. 13. ἐν σπατάλῃ ἁμαρτίας *in deliciis*, vel *lascivia, peccati.* Cohel. 2. 8. תענוגת, Sym. σπατάλας. Aq. τρυφάς. LXX. ἐντρυφήματα. Prov. 29. 21. מפנק. LXX. ὃς κατασπαταλᾷ. Chrysostomus, ὅταν ἐν σπατάλῃ διάγῃ. Posset verti *ut quæ lascivit.* Lex. V. Σπατάλη, *lascivia, delicia: singulare non habet.* Σπάταλος, *delicatus.* Σπαταλῶ, *delicias ago.* ¶ *Vivens mortua est*] Vivens mundo mortua est Deo, aut in peccatis. Vulgò *vivens mortuus*, aut *inter vivos mortuus*, dicitur qui pecuniâ eget. Nam vulgus putat Pecuniam esse expultricem angorum curarumque & pro oraculo habet versus hosce,

Τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς·
Ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο, μηδὲ κτήσατο,
Οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.

Sanè sine pecunia vitam sustentare ægrè possumus: nam eâ omnia comparantur. Unde vita talis mors est, non vita. Scitum illud,

Βίος βίου δεόμενος οὐκ ἔστι βίος.

Vita quæ vitâ (i. e. victu) *destituitur non est vita.*

8. *Siquis autem suorum*, &c.] Antiquum est *quis* pro *quæ.* Vide Observ. l. 5. c. 6. Diomedes l. 2. *Secundus modus Solœcismi factus per immutationem generis pronominum; ut quis mulier, cum debeat dici*, quæ mulier: *ut apud Ennium*, Quis tu es mulier quæ me insueto nuncupasti nomine? *Pro quæ fœminino masculinum quis posuit.* Aut generalis est sententia, & tam ad conjuges quàm ad viduas pertinet. Prov. 11. 17. *Qui turbat carnem suam crudelis est*, i. e. propinquos ac domesticos suos. Nam *caro* eo sensu sumitur interdum. Vide Mercerum ad hunc postremum locum.

9. *Quæ fuerit unius viri uxor*] Etiam quæ repudiata erat à priore marito, si alteri non nupserat, *unius viri uxor* erat; si nupserat alteri, tum erat uxor duorum: nam à priore injusto divortio separata erat. Nullum enim erat justum divortium nisi ob causam

ob causam Adulterii: reliqua omnia, teste Christo, injusta erant, ac proinde non solvebant vinculum conjugii. Quocirca *qui dimittebat uxorem citra causam illam, & aliam superinducebat, mœchabatur & qui dimissam* hoc modo *ducebat*, similiter *mœchabatur. Permissus* quidem *fuit Judæis à Mose libellus repudii, sed ob duritiem cordis eorum: Ab initio aliter erat.* Hæc certa ex testimonio illius qui neminem unquam fefellit: ac propterea ipsa *Veritas* appellatur.

10. *Si sanctorum pedes lavit*] Mos lavandi pedes cùm peregrè venirent, in Oriente olim pertritus erat. Lavabant autem pedes vel ad extergendum pulverem ex itinere contractum (fortè ob æstum nudis pedibus incedebant) vel certè quòd id ad lassitudinem viæ æstûsque tollendum aut minuendum conducere arbitrarentur. Ex quo illud Prov. 25. 25. *Quod aqua frigida animæ lassæ, id est nuncius bonus ex terra longinqua.*

14. *Adversario*] Τῷ ἀντικειμένῳ. Interpretamentum est nominis *Satan.* Sic enim certè Origenes lib. 10. ad Rom. & Hom. 15. in Jesum Nave. Chrysostomus Hom. 26. in 2 Cor. Hieronymus passim in Collectaneis nominum. Theophylactus Matth. 12. Σατᾶν λέγεται ὁ ἀντικείμενος. Rursum Origenes, *Omnes qui adversantur Divinæ voluntati Satanæ dici possunt.* Job. 1.6. שטן. LXX. διάβολος. Aq. Σατᾶν. Th. ἀντικείμενος. Gen. 26. 21. שטנה. Aq. & Sym. τὴν Ἀντικειμένην καὶ Ἐναντίωσιν. Hier Quæst. in Genesin, *Pro Inimicitiis, quod Aq. & Sym. τὴν Ἀντικειμένην καὶ Ἐναντίωσιν transtulerunt, i. e.* Adversum & Contrarium, *in Ebræo habet* SATANA. *Ex quo intelligimus* SATANAM *contrarium interpretari.* Psal. 38. 20. ubi LXX. ἐνδιέβαλλόν με, Sym. ἀντέκειντο. & 109. 20. ἐνδιαβαλλόντων, alii reddunt ἀντικειμένων, i. e. *adversariorum.* Alii, ἄλλοι, i. e. Aquila, Symmachus, Theodotio, videlicet omnes tres, vel duo ex illis.

16. *Si quis fidelis*] De utroque sexu capiendum: ideo in fonte Græco πιςὸς ἢ πιςή. Vide quæ notavimus ad v. 8. ¶ *Quæ verè viduæ sunt*] h. e. Desolatæ, & omni ope humanâ destitutæ ac quasi *viduata*, h. e. orbatæ, privatæ. Nam id *viduo* propriè significat: unde *viduus* & *vidua* & *viduitas*. Plautus,

Omnium copiarum atque opum, auxilii, præsidii viduitas,

i. e. defectus aut inopia.

18. *Bovi trituranti*] In Oriente olim fruges non terebantur nec excutiebantur nostro more, sed à bubus calcabantur in ipsis agris aut areis, & hoc modo grana excutiebantur. Hanc imaginem ritûs servandi in bubus eleganter Paulus transfert ad homines qui faciunt operas, ut olim servi polentam pinsitantes; quos duri & inhumani domini aliquando ità tractabant ut de polenta quam pinsitabant edere non possent. Machina erat παυσικάπη Græcis dicta, quæ collo molentium servorum inserebatur, nè inter molendum polentam comesse neve manus ori admovere possent, ut observat Simo Bosius ex Polluce. Plautus hic lucem accipiet quo in loco sic ait,

Ubi flent nequam homines, qui polentam pinsitant.

Vide nunc, si placet, Adagia mea sacra, lib. 2. class. 2. adag. 41. ¶ *Dignus est operarius mercede suâ*] Hoc adagium explicamus class. 1. lib. 3. adag. 40.

23. *Modico vino utere propter stomachum tuum*] Vinum modicè sumptum condocere stomacho testantur Ebræi his verbis, צריך ליזהר כרבו היין כי המעט ממנו מועיל לחוק האיצטומכא פתח. Postrema verba hanc sententiam continent, ut si dicas, *apertum*, i. e. sapientem, *facit.* Quod quadrat cum illo, *Vinum modicè sumptum acuit ingenium.*

CASAUBONUS.

4. **M**Ανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, καὶ ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις] *Discant* viduæ; & ut ipsæ à parentibus sunt educatæ, ità conentur ipsæ liberos suos alere, sine Ecclesiæ onere. Sed altera sententia melior. Sic Dionysius Halicarnassæus p. 518. γηροβοσκὰς χάριτας ἀποδιδόναι dixit.

SCULTETUS.

CAP I.

Analysis capitis quinti. Modus reprehendendi quosvis. χήρα μανθανέτωσαν. Vidüa σκαταλῶσα. Sexagenaria: unius viri olim uxor, v. 1, 2, 4, 6, 9.

NEgari non potest, caput hoc difficultatibus nonnullis esse obstructum: quas ut lector superet, juvabimus illum Analysi nostrâ & Notis. Nova Timotheo præscribit monita, quomodo se gerere debeat erga alios, erga sese. Erga alios, tum in genere, tum in specie. In genere, erga auditores quosvis reprehendendos, v. 1, & 2. In specie, erga Viduas & Presbyteros. Viduæ vel sunt *verè viduæ*, vel *habent liberos ac nepotes.* Verè viduæ vel sunt seniores, vel juniores. Seniores sunt *honorandæ*, v. 3. h. e. in collegium cooptandæ Viduarum destinatarum ministerio pauperum & ægrotorum, ac proinde alendæ sumptu publico Ecclesiæ. Sed non promiscuè honorandæ hæc vel illa, sed quæ dedita sit pietatis exercitiis, v. 5. aliena sit à luxu, v. 6. *nata* sit *annos minimum sexaginta*, fuerit *unius viri uxor*, v. 9. *testimonium habeat* pietatis reipsâ & factis declaratæ, v. 10. *Juniores viduæ* ad ministerium pauperum non sunt adsciscendæ, v. 11. sed ut ad secundas nuptias transeant cohortandæ, v. 14. Rationes præcepti, Quia facilè *lasciviunt adversus Christum, nubereque volentes primam fidem rejiciunt*, non sine probro, v. 11, & 12. deinde quia *indulgent otio ignavo*; tum *discursant per domos, & aliena negotia curiosè inquirunt*; præterea *nugaces sunt & garriunt quæ non oportet*, v. 13. lasciviâ quinetiam & levitate suâ τῷ ἀντικειμένῳ, i. e. Diabolo, vel illius organis, *dant causam ad maledicendum*, v. 14. postremò, periculum subest nè quæ aliquam inter pios probri notam ferre non possunt, ab ipso Christianismo hac occasione deficiant: quod jam *nonnullæ* fecerint *Satanam secutæ*, v. 15. *Viduis quæ liberos habent ac nepotes* præcipiendum *ut familiam probè curent* & ex se natos doceant ἀντιπελαργεῖν, v. 4. id enim honestum coram hominibus, *acceptum coram Deo*, ibid. Liberis autem ac nepotibus præcipiendum ut *viduas* hujusmodi *alant*, v. 16. Rationes præcepti, *Ne oneretur Ecclesia*; *nè verè viduis præripiantur necessaria alimenta*, v. 16. & quia turpe foret, negligere hoc fideles, quod faciunt Ethnici, v. 8. Hæc de Viduis. De Presbyteris monet, quomodo alendi, judicandi, eligendi. Alendi sunt Ministri ex ærario Ecclesiæ, & hoc quisque liberaliùs quò diligentiùs *in Evangelio laborat*, v. 17. Ratio præcepti exponitur v. 8. Judicandi ità sunt; ut *adversùs eos accusatio non admittatur nisi sub duobus aut tribus testibus*, v. 19. deindè, ut convicti publicè *peccasse*, *publicè arguantur*; idque *sine προσκλήσεως* quod *cum obtestatione* à Timotheo postulat, v. 21. Ratio præcepti v. 20. *ut & reliqui timeant.* Eligendi sunt considerate, pietate ipsorum priùs probè exploratâ, v. 22. Ratio præcepti, Quia impium ordinans fit *socius peccati*, ac proinde etiam poenæ, v. 22. Ideo hortatur Timotheum ut hic *castum & integrum se servet*, v. 22. Ratio præcepti altera est v. 24, 25. Non protinus cuique imponendæ manus. Nam homines de quibus ad id munus admittendis agitur, aut improbi sunt, aut probi. Improborum alii apertè improbi sunt, eorumque *improbitas judicium antevenit*, h. e. antè perspicua est quàm de iis admittendis deliberetur: Et ii quidem repudiandi sunt. Aliorum improbitas latet, videnturque viri boni: Ii non protinus admittendi sunt, sed cunctandum est exspectandumque dum pateat si quæ latet improbitas. Nam ut eorum *rectè facta perspicua sunt*, *ità si quid aliter se habet*, h. e. si quod in eis vitium occultum est, id quoque patebit aliquando, si exspectetur. *Nihil enim est tam occultum quod non pateat.* Ità efficitur ut cunctari sit tutissimum; quoniam si pergent esse boni, satis maturè admittentur; sin erunt mali, non debent admitti. Sic igitur se Timotheus gerere debet erga alios. Erga sese porrò ità, ut exercitationem corporalem rigidiorem, valetudinis causâ, *pauculi vini usu* temperet, versu 23. qui nonnullis non suo positus loco, & vicesimo quinto subjungendus videtur. Hæc capitis Analysis est: In quo præceptum primum ad reprehensiones auditorum quorumvis pertinet. Reprehendendi seniores, viri, fœminæ *reverenter*, juniores utriusque sexûs *fraternè*, fœminæ etiam *castè*, v. 1, & 2. Consimile præceptum Medico præscribitur à Libanio, Τὸν μὲν ἡλικιώτην νόμιζε σαυτοῦ ἀδελφὸν, τὸν δὲ πρεσβύτερον παῖδα, τὸν νεώτερον πατέρα, *Arbitrare te æqualium tuorum esse fratrem, seniorum filium, juniorum patrem.* ¶ V. 4. verbum μανθανέτωσαν potest ad *liberos* ac *nepotes* æquè ac ad *viduas* referri. Qui *liberis ac nepotibus viduarum* hoc dictum volunt, moventur proprietate verbi μανθάνω, quod est *disco*, & constructionis, τέκνα καὶ ἔκγονα μανθανέτωσαν. Sed ad *viduas* referre malim. Illis enim præcipere hoc loco videtur Paulus, liberis ac nepotibus v. 16. Et sicut Latinis *domus* & *familia* ità Græcis οἶκος nunquam de *majoribus* sed semper de *familia* aut *posteris* dicitur. Enunciaretur autem de *parentibus* si verbum μανθανέτωσαν ad *liberos* pertineret. Neque verò mirum μανθανέτωσαν pro διδασκέτωσαν poni, cùm & Germanis nobis *leeren* sit *docere* & *discere*, ut & Gallis *apprendre*, & Paulus aliquando minùs propriè loqui soleat. Nec turbat me constructio, χήρα μανθανέτωσαν, cùm hic Hebraïsmus etiam c. 2. 15. sit observatus. Placet igitur Castalionis hujus loci versio, *Quòd si qua vidua liberos habet aut nepotes, doceat imprimis suam familiam pietatem colere, parentibusque vicem reddere.* Hoc enim est εὐσεβεῖν τὸν ἴδιον οἶκον, videlicet ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, sive, ut loquitur

v. 8. τῶν

vers. 8. *τῶν ἰδίων καὶ τῶν οἰκείων προνοεῖν*, atque, ut Chrysostomus & ex hoc Theophylactus exponunt, *εὐσεβεῖν* est *εὖ ποιεῖν τὰς προγόνους*, *benefacere matri aut aviæ, senioque confectas curare*: quandoquidem Divina est dignitas parentum. Addit Apostolus *πρῶτον prius*, interprete Chrysostomo, *antequam Ecclesiæ aliquid oneris accedat*. Quanquam etiam *inprimis* verti potest, ex consensu versûs octavi, qui præcipit *μάλιστα τῶν οἰκείων προνοεῖν*. Ac potest etiam hic versus octavus tam de viduis, quod facit Theophylactus & hunc secutus Castalio, quàm de liberis & nepotibus intelligi. Nam & matres aviæque liberis ac nepotibus, & hi rursum illis providere debent, nisi velint *Ethnicis esse deteriores*. De quorum Socrate Libanius in Apologia Socratis ità, *Quid hominem* (Socratem) *tibi facere volebas?* *τῶν οἰκείων ἐπιμελεῖν; καὶ τῶν ἔξω τοῦ γένους ἐφρόντισε*, h. e. *Suorum & familiarium curam habere? etiam eorum qui genere non attingebant curam habuit.* ¶ Vidua *σπαταλῶσα* v. 6. est *quæ lascivit, die da geil ist.* Jac. 5. 5. *In deliciis vixistis super terram καὶ ἐσπαταλήσατε & lascivistis.* Ezech. 16. & Proverb. 31. exstat eadem vox, &, Camerario annotata, in Athenæo lib. 8. qui Rhodios vocat *σπαταλῶντας* & *θερμοπότας*, *lascivos ac delicatos.* Vidua igitur *σπαταλῶσα ζῶσα τέθνηκε*, *vivens, mortua est.* Non vivit enim spirituali vitâ qui purificatum cor non habet; ut nec naturali is cujus cor emortuum est. Nam

Cum careat purâ mente cadaver agit.

Scriptor paganus Libanius consimilem in modum de voluptuariis loquitur, sed ex causa longè dissimillima. Apostolus *viduam voluptuariam, etiam dum vivit, mortuam esse* ait; & intelligit mortem spiritualem, quæ est in peccato: Libanio homo voluptuarius vivens mortuus est, qui à nemine celebratur. Verba illius Apologià Patris ista, *Quid igitur? oportuitne viventem expetere mortem, cum integrum esset morte talem evitare vitam?* *Νῦν μὲν ζῇ καὶ τελευτήσας, ᾄδεται γάρ· τότε δ᾽ ἂν ἐτεθνήκει ζῶν, ἄφωνος ὢν ὑφ᾽ ὧν ἐπεπόνθει*, h. e. *Nunc verò vivit etiam post obitum: quippe cantu celebratur: Tunc autem vivens mortuus fuisset, propter ea quæ perpessus erat, mutus redditus.* ¶ Cæterùm ætas in vidua ministerium pauperum allegenda *non minor sit annorum sexaginta.* Sic & cœlibis fœminæ. Tum enim iis conjugio interdici potest. Quòd si attenderent ii qui viduis istis Diaconissis suas virgines Voventes substituunt, non illis annos XL. quod in Concilio Cæsaraugustano & Agathensi factum, non annos XXVI. quod Concilium Carthaginense 3. & Milevitanum fecerunt, multò minùs XVIII, aut XII. præscriberent. ¶ Sed & hoc vult Apostolus, ut quæ cooptatur in ministerium vidua fuerit *unius viri uxor.* Capite tertio jubebat eligere Episcopum qui *unius uxoris* vir esset, h. e. qui non plures uxores simul haberet, ut moris tum fuit inter homines tum Judæos tum Gentiles in Oriente. Quod quia Bellarminus negat, meritò à Lamberto Danæo ad Augustinum lib. De bono conjugali cap. 18. ad Justinum martyrem in Tryphone, ad Josephum lib. 17. Antiq. cap. 2. ad Chrysostomum in 1 Tim. 3. remittitur. Nam quod ait Socrates lib. 4. hist. c. 26. *Valentinianum primum plures simul uxores habendas permisisse in Imperio Romano*, intelligendum est, primum ex Imperatoribus Christianis id concessisse: Imperatores enim Ethnici singulas gentes suos mores sequi sinebant. Cùm igitur Paulus Episcopum vetet esse plurium simul uxorum virum, colligunt nonnulli pii & docti viri, viduam quæ *unius viri uxor* fuerit eam hic dici quam quis unà cum aliis in numero uxorum eodem tempore non habuerit. Verùm simplicissima sententia Apostoli esse videtur, Præferri aliis eas viduas quæ uno marito fuerint contentæ, pluribusque successivè non nupserint. Habentur enim tales verecundiores. Nec locus commodè aliter de mulieribus exponi potest: quoniam illæ pluribus simul viris, uti viri, nubere non solebant: August. De Doct. Christ. lib. 3. cap. 12. Beza tamen tertiam sententiam amplectitur, *unum maritum habuisse dici etiam illam quæ priore viro defuncto, pudicè & castè, ex Spiritûs sancti mandato cum secundo marito vixerit.*

CAP II.

Viduæ verè viduæ: vidua καταστρηνιάσασα τοῦ Χριστοῦ· πρώτην πίστιν ἀθετεῖν. κρίμα, κατάκριμα. v. 11, 12.

DOctissimi viri sunt qui quam Apostolus dicit *ὄντως χήραν verè viduam* interpretantur *verè præsidio humano destitutam*, sive liberos habeat sive non. Sed Apostolus seipsum explicat, dum *ὄντως χήραν* opponit ei *quæ liberos habet* v. 4. & v. 5. eam vocat *μεμονωμένην*, quæ vox non potest nisi de destituta liberis vidua accipi. Viduam *καταστρηνιάσασαν* Hieronymus Epist. ad Geruntiam vertit *quæ fornicata est.* Nam *τὸ στρηνιᾶν* Grammaticis est *στασιάζειν τῶν ἡνιῶν*, adeoque lascivire instar jumentorum, quæ, cùm pabulo ferociunt, excutiunt habenas, & suopte arbitrio feruntur. Mihi recentiorum versio magis probatur, qui *τὸ στρηνιᾶν* non *fornicari*, sed simpliciter *lascivire, gestire, incitre*, *ὀργᾶν* interpretantur. Quod enim Camerarius pridem annotavit, verbo *στρηνιᾶν significantur crapula atque luxuria tumor & distensio, & titillatio obscœna libidinis atque effrænata cupiditates pravæ.* Firmant hæc ab Erasmo citata loca ex Athenæo, apud quem Sophilus lib. 3. ait, *Γαστρίμαργος ἔσται δαψιλής, τὰ προοίμια ὁρῶ· χορτασθήσομαι πάντων ἀγαθῶν· νὴ τὸν Διόνυσον, ἄνδρες, στρηνιῶ*, *Ingluvies erit opipara, proœmia video: saturabor omnibus bonis. Per Bacchum, viri, jam lascivio.* In eodem libro, *ἐστρηνίων τῆς καταβεβρωμένης σιτίας, ὥσπερ ἐλεφάντων τεττάρων*, *Lascivicbam devoratis cibis, quatuor fortassis elephantorum.* Lexicon Græco-Latinum ab Henrico Stephano editum, *Στρηνιῶ*, *gerrio*, *gestio*. In Apocalypsi autem Johannis & nomen *στρῆνος* & verbum *στρηνιῶ* à *fornicatione* manifestè distinguuntur, c. 18. 3, 9. Crapula autem & luxuria lasciviæ hujus mater simul est & soror. Ideo Ignatius Epist. ad Antiochenos præcipit, *αἱ χῆραι μὴ σπαταλάτωσαν, ἵνα μὴ καταστρηνιάσωσι τοῦ λόγου*, *Viduæ non dedant se deliciis, ne lasciviant adversùs verbum Dei.* Præpositio enim *κατὰ* significat *adversùs*, *contra*, & in malam partem, quando habet genitivum. Vulgata, *ὅταν καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ*, *cùm luxuriatæ fuerint in Christo.* Meliùs Beza, *ὅταν, postquam.* Si enim Epiphanius particulam *ὅταν*, interpretatur Hær. 61. *μετὰ τὸ καταστρηνιάσαι τοῦ Χριστοῦ.* Verbum *luxuriari* admitti potest, quia, ut dictum, luxuria origo simul & perpetua comes est lasciviæ. Sed magis propriè Beza, Castalio, alii, *postquam lascivire cœperint*, vel *lascivierint*. Illud verò planè absonum quod Vulgatus convertit, *cùm luxuriatæ fuerint in Christo*, quod nuper Antonius de Dominis exposuit *alitæ de facultatibus Christi*: siquidem *κατὰ* non *in*, sed *adversùs & contra* significat. *Κατὰ Χριστοῦ* igitur *στρηνιῶσι* quæ in otio vitæ Christianæ lasciviunt, & de eleemosyna vivunt delicatè atque suaviter, abutentes Ecclesiæ alimentis ad voluptates. Ideo autem *κατὰ Χριστοῦ*, quia quæ in collegium viduarum pauperum & ægrorum ministerio destinabantur, & ex ærario publico alebantur, quodammodo se devovebant Christo. Cùm autem Apostolum experientia docuisset, viduas adolescentulas, postquam de facultatibus Ecclesiæ alitæ & nutritæ fuerint, incipere lascivire, tandemque ad ebullientem intus libidinis æstum restinguendum ad nuptias secundas anhelare, mandat Timotheo ut ad Diaconissarum officium ac munus viduas juniores non admittat, sexagenarias assumat: Secundas autem juniorum istarum viduarum nuptias ideo culpat, quòd promissam Ecclesiæ vidualem, ut ità dicam, castitatem rejecissent. Illa promissio ab Apostolo nominatur *fides*, & quidem *πρώτη prima*, quam rectissimè verteris *priorem*, q. d. *ὅτι τὴν προτέραν πίστιν ἠθέτησαν.* Nam in commutatione vel vitæ vel statûs hominis vox *πρώτη* pro *προτέρα* usurpatur in Scriptura. Ut Apoc. 2. 4. *τὴν ἀγάπην σου τὴν πρώτην ἀφῆκας*, *charitatem tuam primam omisisti*, h. e. *priorem.* Et versu proximè seq. *Μετανόησον, καὶ τὰ πρῶτα ἔργα ποίησον*, ubi Beza & Castalio rectè vertunt *priora opera.* Math. 12. 45. *τὰ ἔσχατα γίνεται χείρονα τῶν πρώτων*, *ultima fiunt deteriora prioribus*: quæ verba repetuntur 2 Pet. 2. 20. Nam *primam fidem* dici *fidem Baptismi*, quæ scilicet in Baptismo prima suscipitur, neque veteres neque recentiores Theologi mihi persuadent. Quandoquidem in Baptismo non promittimus nos vel à primis vel à secundis nuptiis abstenturos: & lascivia juvenculaarum viduarum ad secundas nuptias prorumpens, & in iis morbi interni remedium quærens, pro infamia quidem, at non pro fidei Christianæ rejectione habita fuit. Secùs Apostolus generatim de illis omnibus dixisset, eas *Satanam secutas*: quod minimè facit: sed *nonnullas* tantùm (probri videlicet indè contracti impatientes) scribit planè à Christo defecisse, *Satanamque secutas fuisse*, sive Judaismum, sive Paganismum, sive pseudoapostolos, qui *captivas ducebant mulierculas*, 2 Timoth. 3. sectari cœperint, sive dederint se flagitiosâ vitâ *laqueis Satanæ juxta ipsorum voluntatem*, 2 Tim. 2. Neque verò moveor eo quod Apostolus scribit, juvenculas tales *ἔχειν κρίμα*, quod vocabulum *condemnationem* significat. Etsi enim hoc significatu passim accipitur in libris Euangelistarum, observo tamen in hac Epistola Paulum voce *κρίματος probrum publicum* designare. Nam c. 3. quod v. 6. dixit *κρίμα*, mox v. 7. dixit *ὀνειδισμόν*. Et quod capitis hujus v. 12. vocat *κρίμα*, mox v. 14. appellat *λοιδορίαν*. Quòd si condemnationis reas peragere tales voluisset viduas Apostolus, usitatam Scripturæ exceptionem subjunxisset, *nisi resipiscant.* Hoc non fecit: Illud igitur non voluit. Atque hanc difficilis hujus loci germanam, quippe è Scriptura ipsa deductam, explicationem esse judicio: quam assensu suo si non roborat certè illustrat Epiphanius, qui disertim *primam fidem* juniorum viduarum interpretatur illam promissionem continen-

tiæ

tiæ spontaneam quam ad ministeria Ecclesiæ adscitæ præstiterunt. Ideo ait, Virgines quæ continentiæ voto simili se obstrinxerint, si nubant, *μείζονα πίστιν ἀθετεῖν*, *majorem fidem irritam facere*, sive *rejicere*: idem enim hæc sunt. Nam *rejicimus* quod desiit apud nos valere. Κρίμα etiam non *condemnationem* sed *probrum* interpretatur, scribens, Virgines ipsas religiosas, si nubant, ἔχειν κρίμα, non κατάκριμα. Incurrebant enim tales in probrum publicum damnatæ levitatis & inconsideratæ temeritatis. Ideo idem Epiphanius scribit, nonnullas, διὰ τὸ μὴ αἰσχυνθῆναι τοῖς ἀνθρώποις, κρυφῆ πορνεύειν, *occultè scortari*, *ne* nubentes dicerentur ab hominibus instabiles & sic *in ruborem darentur*. Leguntur hæc omnia apud Epiphanium Hær. 61.

CAP. III.

An quia Apostolus v. 17. scribit, Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in verbo, *probari inde possit, in Presbyterio Apostolicæ Ecclesiæ sedisse etiam Laicos? Ubi obiter, Quid sit τιμᾶν πρεσβυτέρους, quid διπλῆ τιμή.*

SUnt qui vel unum hunc locum sat roboris habere putant ad firmandum Presbyterium Laicorum. Præstrinxit enim oculos & judicium illorum distinctio Presbyterorum non obscurè per D. Paulum hic indicata. Qui si hunc ipsum locum paulò diligentiùs fuerint ruminati, eundemque cum aliis Scripturæ dictis contulerint, deprehendent ilico Presbyterorum Laicorum ex hoc dicto defensionem contrariam esse significationi vocabuli προεστῶτες, contrariam esse significationi nominis πρεσβύτερος, adversari perpetuæ doctrinæ Pauli, adversari menti omnium Patrum à quibus quidem hoc Pauli effatum fuit expositum. Contraria est significationi vocis προεστῶτες. Nam προστασίας sive *Præfectura* Ecclesiasticæ honore decorantur in N. T. Ministri verbi Divini, nulli Laici. *Rogamus vos, fratres*, inquit Apostolus 1 Thess. 5. 12. *ut agnoscatis* τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν Κυρίῳ, *eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, atque admonent vos: & quàm maximè charos ducatis, propter opus ipsorum.* Ubi Calvinus, *Notandum est*, inquit, *quibus titulis Pastores designet: Primò dicit eos laborare, simul Præfectura nomine eos ornat.* Et Beza ibidem, *Apparet ex hoc loco, à Pastoribus in communi fuisse gubernatam Ecclesiam, nondum excogitato Episcopatus gradu. Idem igitur valet προΐστασθαι quod ἡγεῖσθαι, quod nimirum Pastores gregi præsunt.* At Apostolus Heb. 13. 7, & 17. τοὺς ἡγουμένους appellat Ministros verbi. Igitur secundùm Bezam τοὺς προϊσταμένους quoque agnoscamus oportet Ministros verbi. Nec alium Justinus Martyr Apologiâ ad Antonium vocat προεστῶτα quàm Pastorem & Doctorem cœtûs. Deinde, Laicorum Presbyterorum ex præsenti D. Pauli dicto defensio contraria est significationi nominis πρεσβύτερος, quæ de politia N. Testamenti usurpata ubique Ministros verbi denotat. Act. 11. 30. *Miserunt collectam per manus Barnabæ & Sauli ad Seniores*, utique verbi Ministros, de quibus dicitur Act. 14. 23. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Et cap. 15. 2. *Apostolis ac Presbyteris Hierosolymitanis* proponitur summa quæstio fidei, sed anne Laicis decidenda? Nam illi *Presbyteri convenerunt cum Apostolis ut dispicerent de isto negotio*, v. 6. Et conjunguntur *Presbyteri Apostolis* v. 22. distinguunturque *à tota Ecclesia*, sicut & v. 23. & cap. 16. 4. Rursum Act. 20. *Ephesini Presbyteri* v. 17. dicuntur v. 28. *constituti Episcopi ad pascendam Ecclesiam Dei.* Act. 21. 18. & seqq. Presbyteri Hierosolymitani Paulum Apostolum instruunt; non Laici igitur. In hoc ipso capite, quando *adversus Presbyterum accusatio non admittenda* præcipitur, *Presbyter* est Doctor, ut capite proximo demonstrabitur. Tit. 1. 5. *Ut constituas oppidatim Presbyteros.* Quales? Certè Doctores: addit enim, *Si quis est inculpatus. Oportet enim Episcopum*, &c. Jac. 5. 14. *Ægroti* jubentur *vocare Presbyteros Ecclesiæ, ut orent & ungant ægrum oleo in nomine Domini*: id quod non est Laici. 1 Pet. 5. 1. *Presbyteros precor sympresbyter*; *Pascite gregem.* Quomodo *sympresbyter*, nisi Doctor & ipse? Et jubentur *pascere gregem* isti *Presbyteri*: Pastores igitur. 2 Joh. 1. & 3 Joh. 1. Johannes Apostolus citra controversiam dicitur *Presbyter.* Ignatius *Presbyterorum* sæpius mentionem facit in Epistolis suis, sed nunquam *Laicorum.* Hierarchiam autem sui temporis Ecclesiasticam describens Epist. ad Tarsenses ait, Οἱ πρεσβύτεροι, ὑποτάσσεσθε τῷ ἐπισκόπῳ· οἱ διάκονοι, τοῖς πρεσβυτέροις· ὁ λαὸς, τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, *Presbyteri, subjecti estote Episcopo; Diaconi, Presbyteris; Populus, Presbyteris & Diaconis.* Et ad Magnesios, *Quemadmodum Dominus sine Patre nihil facit, sic & vos sine Episcopo, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus.* Ubi observa, Nè Diaconos quidem in Apostolico Presbyterio sedisse, nedum Laicos. Tertiò, defensio Laicorum Presbyterorum ex 1 Tim. 5. 17. adversatur perpetuæ doctrinæ Pauli. Nam τιμᾶν τοὺς πρεσβυτέρους est eos honorare alimentis è publicos Ecclesiæ ærario. Sic enim de *verè viduis* præcepit suprà, eas *honorandas*, h. e. ad publica ministeria & alimenta destinandas esse. Et ratio ipsa ab Apostolo allegata honoris explicationem firmat, quando ait, *Bovi trituranti non obligabis os.* Apud Matthæum etiam per *parentum honorem* intelligitur potissimùm cibus & nutrimentum, quæ significatio vocabulo *Kabud* præcepto Decalogi quinto est germana. Et sic vocabulum explicatur à Marco 7. 12. Atqui alimenta ex ærario Ecclesiæ nè viduis quidem pauperculis quæ aliunde ali utcunque possent, dari voluit Apostolus, suprà v. 16. & *ipse suis manibus laboravit nè oneri esset aliis.* Multò minùs Laicorum coryphæos, opibus etiam abundantes, ex publico voluit ali, & quidem liberaliùs quàm alios. Nam si per καλῶς προεστῶτας intelligas *Presbyteros Laicos & Sacros simul*, necessariò concludes omnes illos *duplici honore dignos esse*, tam qui *bene præsunt* quàm qui *in docendo desudant.* Cui conclusioni refragatur Apostolus alibi, quando scribit, *Qui altari inserviunt, de altari participent*: & Dominus ipse, qui constituit *ut qui Euangelium annunciant ex Euangelio vivant*, 1 Cor. 9. 13, 14. Ideo Hieronymus in hunc ipsum locum, *Vult illis præstari carnalia à quibus alii spiritualia consequuntur, quia occupati doctrinâ non possunt sibi necessaria providere.* Dico quid amplius. Si D. Paulus per τοὺς προεστῶτας intellexit *Presbyteros Laicos*, utique de eorum officio illos alicubi commonefacere, aut saltem eorum meminisse debuit 1 Tim. 3. quando nè de Diaconis, imò nè de Diaconissis quidem, tacuit. At neutrum fecit. Episcopis sive Presbyteris Pastoribus statim subjunxit Diaconos, his Diaconissas: magno argumento, Presbyteros Laicos ipsi fuisse ignotos. Quartò, defensio Laicorum Presbyterorum ex hoc loco adversatur menti Patrum, quotquot hoc Apostoli effatum exposuerunt. Neque verò ulla nos cogit necessitas ut, quia Apostolus dixit, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, *maximè qui laborant in sermone & doctrina*, idcirco novos è vulgo Presbyteros excogitemus. Notum enim est, qui gregi Domini præsunt, distinctis officiis gaudere Clericos. Sunt enim qui Sacramenta administrant, preces publicas fundunt, privatim admonent fideles & à peccatis absterrent. Sunt etiam qui eximiis dicendi donis instructi viæ cœlestis doctores & ductores se aliis præbent. Atque horum labores in verbo & doctrina suscepti jure merito præferuntur officio Sacramenta administrantium, preces fundentium, &c. vel Apostolo teste, qui ait, *Non misit me Christus ut baptizarem, sed ut euangelizarem*, 1 Cor. 1. 17. Ad utrumque missus erat: sed potissimus missionis finis erat Euangelizatio. Igitur quicunque præsunt, sive Sacramenta tantùm administrent, sive Verbum tantùm doceant, sive utrumque faciant, *duplici honore digni sunt.* Ubi numerus incertus pro certo ponitur, διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν, h. e. μείζονος seu πλείονος ἢ ἄλλοι. Quanquam alii duplo majorem portionem Præpositis quàm cæteris alumnis Ecclesiæ Apostolicâ autoritate assignari existimant. Alii de duplici honore interpretantur quem haberi Præpositis conveniat, unum τῆς πειθαρχικῆς αἰδοῦς, alterum τῆς ἐλευθερίου τροφῆς, ut hi & observentur præ cæteris ac colantur, & suppeditentur eis liberaliter necessaria ad victum. Sed simplicissima est expositio prima. Præpositos igitur *duplici honore dignos* censet. Cur *duplici*? Paulò antè monuerat de *honorandis*, h. e. sustentandis ab Ecclesia, *viduis.* A Viduis transit ad Presbyteros, quos, *si bene præsint*, *duplici*, h. e. majore quàm Viduas, stipendio vult honorari, tum propter officium, tum propter familiam: atque inter προεστῶτας rursum eos maximè qui non in Sacramentis administrandis sed in docendo Verbo erant occupati. Hanc minimè dubito verissimam esse hujus loci explicationem. Nam quas Thomas Bilsonus libro De gubernatione Ecclesiæ adfert, sunt illæ quidem à suis quoque autoribus subtiliter excogitatæ, sed omnes & singulæ suas patiuntur ἐνστάσεις.

CAP. IV.

Excutiuntur aliæ phrases & vocabula capitis quinti: πρεσβύτερος *v. 19. Obtestatio coram Angelis*: χωρὶς προκρίματος ποιεῖν κατὰ πρόσκλισιν, *v. 21.* σεαυτὸν ἁγνὸν τηρεῖν, *v. 22.* ὑδροπότης, *v. 23.*

UNde & quo modo Presbyteri alendi, dictum. Quo modo iidem judicandi, sequitur, *Adversus Presbyterum accusationem ne admittito.* Vocem πρεσβυτέρου Chrysostomus & Theophylactus ad ætatem referunt, Ambrosius rectiùs ad muneris dignitatem. Hoc enim sensu repetitur hoc monitum

 canone

canone Apostolorum 75. Concilii Constantinopolitani can. 6. & Concilii Chalcedonensis can. 21. Neque verò Apostolus tam graviter videtur obtestaturus fuisse Timotheum v. 21. nisi de Doctoribus ipsis v. 19, & 20. ageret. Mens Apostoli ista, Crimen in Doctores non facilè est recipiendum nisi adsint idonei testes. Quod si constiterit, palàm esse arguendos in exemplum omnium: quod postremum Apostolus ità effert, *ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι*, *ut & reliqui timeant.* Quæ phrasis sumpta videtur ex Deut. 19. 19, 20. *Reddes ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui: ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia ampliùs audeant facere in medio tui.* ¶ Angelorum cultui nihil patrocinatur quòd ipsos *Deo* & *Domino Jesu Christo* conjungit. Testes enim cum Deo citari omnes creaturæ possunt, adorari cum Deo per verbum ipsius nullæ possunt. ¶ Obtestatur autem Timotheum ut *χωρὶς προκρίματος* & *προσκλίσεως* in judicio hoc Divino versetur. Erasmus hæc ità interpretatur, *χωρὶς προκρίματος*, *sine præcipitatione judicii. μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν*, *nihil faciens juxta propensionem animi.* Cùm enim duæ res maximè officiant judicantibus, præcipitatio judicii (de qua dici solet, *Ad pœnitendum properat, qui cito judicat*) & affectus, & Erasmus & alii nonnulli viri pii ac docti judicant Paulum tam gravi obtestatione Timotheum ab utraque avocare, monereque ut in causæ cognitione vitet *πρόκριμα*, *judicii præcipitationem*, in sententia autem ferenda vitet *πρόσκλισιν*, *inclinationem animi in hanc vel illam partem*, vel *προσωποληψίαν*, quam vocem Syrus Interpres manifestè legit. Hæc sententia insignis esset si ex probatæ fidei autoribus posset demonstrari voce *πρόκριμα præcipitationem judicii* significari. Malo igitur cum Beza & Castalione inhærere Grammaticæ significationi vocis *πρόκριμα*, quod à *προκρίνω* est: *προκρίνω* autem est *κρίνω πρὸ τούτου*, unde exponitur *præfero*, *antefero*. *πρόκριμα* igitur, *cùm alius alii προκρίνεται*, h. e. *præfertur*: cùm persona, non res, spectatur, quæ aliàs *προσωποληψία* dicitur. Atque hoc ferè sensu Vulgatus non malè vertit *præjudicium*, cùm (ut Cicero alicubi conqueritur) *ad causas judicia jam facta domo deferuntur.* Glossarium vetus Latino-Græcum, *Præjudicium*, *πρόκριμα*. Lexicon Cyrilli, *Πρόκριμα*, *præjudicium*, *prærogativa*. Eodem spectat vox *πρόσκλισις*, *cùm sumus in aliquem propensiores.* Idem igitur bis dicitur, semel propriè, *χωρὶς προκρίματος*, iterum tropicè, Metaphorâ à lancibus ductâ, *μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν.* Cui non absimile est illud quod legitur apud Suidam, *Μὴ διαπράξασθαί τι κατ᾽ ἔχθραν, ἢ κατὰ πρόσκλισιν*, h. e. *ἑτερομέρειαν*, *voluntatis inclinatione propendendo in alteram partem.* Nam, ut optimè Demosthenes adversùs Aristocratem, *Πᾶς ὁ μήτε δι᾽ ἔχθραν, μήτε δι᾽ εὔνοιαν, μήτε δι᾽ ἄλλην ἄδικον πρόφασιν μηδεμίαν παρ᾽ ἃ γιγνώσκει θέμενος τὴν ψῆφον, εὐσεβεῖ*, *Quisquis neque odio, neque benevolentiâ, neque aliâ injustâ causâ commotus contra sui animi sententiam non pronunciat, religiosè facit.* Sic igitur verterim Latinè, *ut hæc serves citra personarum discrimen, nihil per animi in hunc vel illum inclinationem* (sive *propensionem*) *faciens.* Germanicè, *das du solches haltest ohn underscheid der persohn, und nichts thust nach gunst.* ¶ Quod versu seq. Timotheus jubetur *seipsum servare ἁγνὸν*, non intelligit castitatem corporis, sicut Lutherus secutus Vulgatum vertit, *halt dich selbst keusch*: (Quo sensu etiam Ignatius hoc dictum citat Epist. ad Heronem, *Σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει, ὡς Θεοῦ οἰκητήριον· ναὸς Χριστοῦ ὑπάρχεις, ὄργανον εἶ τοῦ πνεύματος*, *Teipsum castum custodi, ut Christi habitaculum. Templum Christi es, Spiritûs es instrumentum.* Sic enim vulgò vertitur) sed puritatem animi in judiciis Ecclesiasticis. Eâdem vocis significatione quâ 2 Cor. 7. 11. usus est, quando dixit, *Per omnia testatum fecistis ἑαυτοὺς ἁγνοὺς εἶναι ἐν τῷ πράγματι*, *vos esse puros in hoc negotio.* Neque post verba *ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις* colon plenum ponendum. Verba enim ista, *Temetipsum purum serva*, expositio sunt præcedentium, *μηδὲ κοινώνει ταῖς ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις*, per ellipsin *τοῦ ἀλλά*· q. d. Nè consenti in electionem eorum à quorum sive vita sive doctrina periculum imminet Ecclesiæ; sed repugna, & conscientiam tuam puram serva. ¶ Sed quid causæ est cur præceptum illud v. 23. *Μηκέτι ὑδροπότει*, Beza vertit, *Nè amplius esto abstemius*, Vulgata; *Noli adhuc aquam bibere*, Erasmus, *Noli posthac aquam bibere*, Castalio, *Nè ampliùs aquam bibe?* Nihil aliud, quàm quòd Beza existimavit, vocabulum *ὑδροπότης* dici non de quocunque *aquæ potore*, sed *eo qui à vino abstineat*; Vulgata autem, Erasmus & Castalio de quocunque *aquæ potore* illud acceperunt. Lexicon Cyrilli utrisque favet. Nam *ὑδροπότην* exponit tum *aquæ potorem*, tum *abstemium.* Horatius autem Vulgatæ, Erasmo, & Castalioni planè patrocinatur cùm dicit,

——— Nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

i. e. *ὑδροπόταις.* Et quando Xenophon Pæd. 6. scribit, *ἐθίσαι ἡμᾶς αὐτοὺς ὑδροποτεῖν*, *ἐθισμὸς* ille fieri non poterat nisi priùs vinum & aqua alternis biberentur. Bezæ tamen interpretationi magis favent quæ sequuntur, *ἀλλ᾽ οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ*, *sed vino pauculo utere*: q. d. *Remittas paulum de γυμνασίᾳ tua σωματικῇ, nec prorsus à vino abstineas.* Cujusmodi præceptum Ignatius Heroni Diacono Antiochiæ dedisse legitur, *Νηστείαις καὶ δεήσεσι σχόλαζε, ἀλλὰ μὴ ἀμέτρως, ἵνα μὴ σαυτὸν καταβάλῃς· οἴνου καὶ κρεῶν μὴ πάντη ἀπέχου· οὐ γάρ ἐστι βδελυκτά*, *Jejuniis & precibus vaca: at cave nè immodicè id agas, nè ipse te dejicias. Vino & carnibus nè prorsus abstineas: nec enim abominanda sunt.* Causam præcepti addit Apostolus, *διὰ τὸν στόμαχόν σου, καὶ τὰς πυκνάς σου ἀσθενείας.* Bene *διὰ τὸν στόμαχόν σου.* Est enim *stomacho laborantibus assiduus aquæ potus inutilis*, ait Cornelius Celsus lib. 1. c. 8. Præcipitque similiter stomacho laborantibus ut vinum adhibeant. Per *ἀσθενείας* autem sive *infirmitates* non morbos graves sed debilitatem corporis perpetuam, aut certè frequentem, intelligit, qualis fieri non potuit quin *γυμνασίαν* istam *σωματικὴν* & labores in Ecclesia assiduos comitaretur.

CAMERON.

8. Τὴν πίστιν ἤρνηται] Videtur Apostolus hoc velle, Fidem non posse esse sine Charitate. At id elicitur potiùs ex rei ipsius natura quàm ex vi sermonis: aliud enim vult Apostolus. Nempe solenne est Hebræis magna peccata notare nominibus quæ significant peccata vulgò detestanda: Ut cùm rebellio adversùs Deum dicitur in Scriptura *divinatio*, *incantatio*, *idololatria*, 1 Sam. 15. 23. non quòd rebellio sit divinatio, sed sic loquitur Spiritus ut notet quàm sit exsecrabilis præfracta adversùs Deum animi obstinatio. Sic quia nil erat Judæis detestabilius quàm Apostata, quem Judæi vocant כופר בעקר *abnegantem fundamentum*, ideo Apostolus, ut ostendat quàm sit horrendum peccatum, prætextu pietatis negligere curam familiæ suæ, ait eos esse *instar abnegantium fidem, & deteriores infideli.*

9. Ἑνὸς ἀνδρὸς γυνὴ] Pontificii *unius uxoris virum* suprà 3. 2. & hîc *unius viri uxorem* sic interpretantur, ut sit is *unius uxoris vir* qui nonnisi semel duxit uxorem, ea verò *unius viri uxor* quæ semel tantùm nupsit: itaque volunt à Paulo in Episcopis & Diaconissis damnari secundas nuptias. Atqui secundæ nuptiæ nullâ lege, neque Divinâ neque humanâ, habitæ sunt pro vitiosis, imò testatur Apostolus Rom. 7. 2. disertis verbis morte dissolvi matrimonium (*κατήργηται*, inquit, *ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός*) h. e. morte fieri ut liceat secundò contrahere matrimonium. Itaque v. 3. *vivo marito adultera erit*, inquit, *si fit alteri viro*, h. e. si nupserit alteri viro: *at si mortuus fuerit vir, soluta est lege, ut nè sit adultera etiamsi alteri viro nubat.* Si in secundis nuptiis ullum esset vitium, profectò Paulus neque verè hæc dixisset, neque quod his dictis petit foret assecutus. Deinde, Apostolus hoc loco meminit vitiorum, aut earum rerum quæ vitio affines sunt: At verò secundæ nuptiæ neque vitiosæ sunt, neque verò etiam vitio affines, nisi quomodo de primæ nuptiæ affines vitio dici possint: Nam si quis temere matrimonium contrahat, vel eo certè peccat; si id non facit temere, non peccat: Sic & secundæ nuptiæ si temerariæ sunt, omnino in iis peccatur; quòd si non sunt temerariæ, eâdem lege quâ primæ, fiunt legitimè. Sed ut res tota fiat manifesta, tenendum est, tres fuisse olim species Polygamiæ. Cæterùm *Polygamia* & *Digamia* idem significant, quemadmodum linguâ Hebraicâ שנים *duo*, plures seu plura etiam significant, ut cùm Eccles. 4. 9. dicitur, *duos potiores esse uno*, h. e. plures. Et Psal. 62. 11. *Semel locutus est Dominus, bis audivi*, h. e. sæpe audivi. Prima species Polygamiæ est ea quæ fuit semper legitima, ut quis possit secundum contrahere matrimonium solutus jure Divino prioris matrimonii vinculo. Hæc est illa Polygamia quæ sola non est vitiosa. Secundum genus Polygamiæ est quâ fiebat ut uno eodemque tempore unus plures haberet uxores. Cujus generis, ut nec prioris, non est arbitrandum Apostolum hic meminisse: nam etsi inter Judæos & barbaras gentes locum habuit, interdicta tamen fuit Romanis legibus. Sed & fuit Polygamiæ tertium genus legibus permissum: Ea autem Polygamia fiebat cùm repudiatâ uxore vir alteram ducebat uxorem, vel uxor, repudiato priore viro, alteri nubebat. Porrò permissam fuisse hanc Polygamiam legibus Romanis, constat ex Digest. lib. 24. Titul. 2. de Divortiis & Repudiis. Nam & fit mentio Divortii quo vir ab uxore, & quo uxor à viro divertebat: ut interim taceamus nihil frequentiùs occurrere in Veterum scriptis. Denique ex Marc. 10. 12. patet uxores solitas divortium facere: *Si*, inquit Christus, *uxor ἀπολύσῃ dimittat virum*, &c. Tenemus igitur quid in Episcopo requirat Paulus, quid in Vidua, item Diaconissa.

nissa. Idem requirere Paulum in reliquis Christianis certum est; sed in Episcopis tamen id præcipuè requirit. Neque enim quæcunque honesta & legitima habentur ab hominibus (cujusmodi sunt illa quæ legibus humanis permittuntur) continuò reverâ honesta & legitima sunt. Non enim humanæ leges, sed Divinæ, justi & recti regula sunt.

11. Ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ] *Στρῆνος insolentiam* significat 2 Reg. 19. 28. Et hæc est genuina vocis Græcæ significatio. Jam verò insolentia duo parit, quorum alterum facit ut laborem refugiamus: hoc pertinet ad segnitiem: alterum ut putemus indignum nobis esse laborem; aut si nullus suscipitur labor, rem nobis esse indignam: unde fit ut qui ità sunt affecti id prodant in cibis, vestitu, &c. Unde στρηνιᾷν, interprete Hesychio, est ὑβρίζειν καὶ βαρέως φέρειν, *contumeliosum esse & delicatum*. Quod ergò Hebraïcè dicitur שאנן loco modò citato, LXX. στρῆνος verterunt. Porrò שאן propriè *quiescere* est: sed quoniam quies & otium insolentiam hanc quam diximus gignit, hinc fit ut שאננים dicantur *insolentes, superbi & arrogantes*: ut Psal. 123. 4. *Satiata est anima nostra* הלעג השאננים ὀνείδος εὐθηνούντων quod mox explicatur per הבוז לגאיונים ἐξουδενώσεως τῶν ὑπερηφάνων. Καταστρηνιᾷν igitur est non tantùm *lascivire*, sed *insolescere, sese efferre cum contemptu*. Itaque Syrus hunc Apostoli locum vertit מזריא להון על משיחא. Nam זרא Chaldaïcè & Syriacè sign. primò *disrumpere, discindere*: quoniam verò quæ supra modum inflantur ea necesse esse crepare, hinc fit ut tumor is & superbia quæ se prodit cum contemptu hâc voce significetur, ut Prov. 30. 17. עין תלעג לאב *oculus subsannans patrem*, h. e. oculus prodens patris contemptum, Chald. vertit עינא דמזריא לאב, q. d. Græcè, ὀφθαλμὸς ὑβρίζων τὸν πατέρα. Non itaque tam notatur hic ab Apostolo lascivia seu luxuria viduarum quàm fastidium laboris & aspernatio (ut illis quidem videbatur) tam vilis ministerii: nam de iis viduis agit Paulus quæ se Ecclesiæ ministerio addixerant, ad ea munia erga pauperes & alios obeunda quæ sexui conveniunt. Porrò quia quicquid impenditur pauperibus, Christo impenditur, quibus illa ministeria in speciem vilia videntur, ii *adversùs Christum καταστρηνιᾷν sese efferre & insolescere* verè dici possunt. ¶ Γαμεῖν θέλουσι] Pontificiis Paulus hic videtur probare Continentiæ votum; tum etiam improbare si voto quis se solvat: nam quorsum referri queant Apostoli verba nisi id statuamus? Quid ergò hic statuendum? Dabimusne viduas voto se obstrinxisse? Minimè verò. Quid igitur erat? Nempe de illis viduis agit Paulus quæ (uti modò diximus) se Ecclesiæ ministerio addixerant ad ea munia obeunda quæ illi sexui conveniunt. Jam verò addictis huic ministerio nulla alia idonea causa fuit defugiendi quod susceperant munus præter consilium nubendi: postquam igitur cœpit displicere ministerium illud vel ob laborem, vel etiam ob vilitatem, prætexebatur pigritiæ & fastui consilium nubendi. Non reprehendit igitur Apostolus viduas quòd nubant (nam, *Juniores*, inquit v. 14. *volo nubere*) sed quòd nubant ità ut nuptias obtendant tantùm, nè pateret quod non audebant profiteri vitium, segnities scilicet & fastus: id verò est quod Apostolus reprehendit. Itaque eas accusat primò καταστρηνιάσεως, h. e. (uti explicuimus) *insolentia, fastûs & superbia*. Ubi observanda est Apostoli prudentia, qui nè videretur eas nuptias damnare simpliciter, exponit in quo peccatum sit; nempe non eò quòd viduæ nupserint, sed quòd insolentiæ & fastidio suo nubendi necessitatem prætexuerunt, quòd eo pacto justa & idonea ratio se eo munere abdicandi quod obibant occurrebat: fieri enim nequibat ut quæ sui juris non erat, ea Diaconissæ munere fungi posset, illis, inquam, temporibus.

12. Ἔχουσαι κρῖμα] Κρῖμα non videtur hic significare *pœnam* aut *condemnationem*: nam est phrasis duriuscula *habere condemnationem*: quanquam κρῖμα sæpe ponitur pro κατάκριμα. Itaque satius videtur ut κρῖμα accipiamus pro *culpa*, sed pro *culpa quatenus σχέσιν habet ad pœnam*, h. e. pro *reatu*: quomodo Rom. 5. 16. *Ex uno*, inquit Apostolus, *est κρῖμα εἰς κατάκριμα*, absurdè si idem esset κρῖμα & κατάκριμα. Sed κρῖμα ut eo loco significat *culpam cum σχέσει ad pœnam*, sic hoc loco pariter *peccatum* significat quo contrahitur reatus. ¶ Ὅτι ἠθέτησαν τὴν πρώτην πίστιν] Illud πρώτη referri debet ad fidem quam Ecclesiæ dederant cùm inter Diaconissas nomen suum profiterentur: quæ *fides prima* dicta videtur ratione fidei quâ se novo marito obstrinxerunt. Sunt qui hîc fidem Christianam ab Apostolo significari volunt; quasi Apostolus hîc viduas reprehendat, non quòd nubant, sed quòd eâ lege nubant ut Christo renuncient, vel abnegent fidem Christianam. Sed videtur hæc interpretatio admodum dura: nam uno verbo hoc dici potuisset, si hæc fuisset mens Apostoli. Deindo, quorsum attinebat meminisse illius καταστρηνιάσεως? Nam si eo nomine *luxus & impudicitia* significetur, quid prohibebat eos scortari clanculum? Metus, inquiunt, censuræ Ecclesiasticæ. Atqui multò gravior censura metuenda fuit nubentibus eâ lege ut abnegaretur Christus: deinde potest clancularia scortatio latêre, aperta à Christo defectio latère non potest. Denique, quid opus fuit eas Ethnicis nubere? non potuerunt nubere Christianis, si secundæ nuptiæ legitimæ sunt, neque voto prohiberi possunt? siquidem in omni promissione necessitas contrahendi matrimonii tacitâ conditione excipitur. Ut interim illud taceamus, quod tamen magni momenti est, non dici viduas *abnegasse fidem*, sed *abnegasse primam fidem*. Quorsum attinebat adjicere illud *primam*? nam profectò non est adjectum otiose. Suprà enim vers. 8. *Si quis*, inquit, *suorum, maximè autem domesticorum, curam non gerit, fidem abnegavit*: non dicit *primam fidem*. Si ergò Apostolus notare hic voluisset defectionem à fide Christi, abnegationem, inquam, religionis Christianæ, certè πίστιν simpliciter, non autem πρώτην πίστιν dixisset. Neque enim hic πρώτη πίστις potest accipi ut Apoc. 2. 4. πρώτη ἀγάπη· nam *prima charitas* dicitur ratione charitatis posterioris, sed quæ deterior fuit, ut constat ex eo loco. Atque ità certè quis posset dici *deseruisse primam fidem*, quando non jam incrementum sed decrementum cepit fides. At qui fidem totaliter (ut loquuntur) abnegavit, is ex usu Scripturæ dicitur simpliciter *abnegasse fidem*, vix dici possit *abnegasse primam fidem*. Sed nec ullum moveat quòd πίστις *fides* hoc loco ea dicitur fides quæ cernitur in promissione præstanda: nam Matth. 23. 23. Dominus noster queritur, Pharisæos *neglexisse judicium, misericordiam, fidem* denique; *judicium*, h. e. non reddidisse cuique jus suum; *misericordiam*, h. e. quòd non fuerint affecti sensu alienæ miseriæ; denique πίστιν vocat *fidem in pactis & conventis*. Unde πιςὸς δοῦλος dicitur qui, quantum ipsius conditio exigit, tantum studuit ex animo persolvere. Itaque, etiamsi Pontificiis detur non agi hîc de defectione à fide Christiana, frustrà tamen laborant illi ut ex hoc Apostoli loco probent Continentiæ votum. Apostolus enim hîc damnat viduas Diaconissas, non quòd nuberent, sed quòd tædio suscepti muneris affectæ necessitatem nubendi causarentur, cùm nulla alia honesta ratio occurreret.

JAC. CAPPELLUS

9. Γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή] h. e. Quæ nunquam, priore marito relicto, vel ab eo relicta, convolaverit ad alterius nuptias; quo pacto fiebat ut plures simul maritos haberet, ut Samaritana de qua Joh. 4. 18. prout id tralatitium erat. Martialis,

—— Non plus trigesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.

Cicero in Topicis ad Trebatium, *Si viri culpâ factum est divortium, etsi mulier nuncium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet.* Ità jam tempore Ciceronis etiam uxoris quandoque culpâ fiebat divortium, & ità quidem ut viro nuncium remitteret mulier. Seneca De beneficiis l. 3. c. 16. *Numquid ulla jam repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ non Consulum numero sed maritorum annos suos computant, & exeunt matrimonii causâ, nubunt repudii?* Idem De remediis fortuitorum sub finem, *Quàm multa, quæ in adolescentia amaverunt, in communi reliquere senectute? quoties anile divortium risimus?* Idem Ep. 114. & De providentia cap. 3. Vide Mecænatem, quòd millies ab uxore Terentia mœcha repudiatus, millies cum ea reconciliatus sit, millies eam duxerit. Omnino vetat Deus, non secunda post prioris solutionem conjugia, sed τὸ ἐν ταυτῷ δευτερογαμεῖν, ut loquitur Epiphanius hæresi 60.

11. *Juniores autem viduas respue*] i. e. Noli ad Diaconatum perpetuum eas admittere, noli admittere ad cœlibatûs perpetui promissionem juniores viduas; quantò minùs juniores puellas? Sint cœlibes, quamdiu possunt. De futuro spondere, sponsiones exigere vel admittere noli, cùm futurum non sit in nostra potestate. Utut enim polliceantur in eo se permansuras ad obitum usque, & officio suo quàm fidelissimè se functuras, neutrum tamen præstabunt, certè pleræque. ¶ *Postquam enim lascivire cœperunt adversùs Christum, nubere volunt*] Apertâ videlicet voluntate. Occultam enim si spectes, ea sanè illarum apostasiam antecesserat: sed cùm puderet eas profiteri se promissis stare non posse, sibi molestiorem esse cœlibatum quam ut in eo perstarent, malebant totam quàm dimidium frontem perfricare: nec enim illis satis erat à Christo deficere, nisi defectioni protervam insolentiam adjicerent; ac tum demum apertè profitebantur se velle nubere. Hoc quibusdam contigerat cùm hæc scribebat Apostolus; donè pluribus id contingeret, προθέρπεσ-

τιων

τινὸν hunc canonem condit. Sententiam nostram confirmat versus 15.

12. *Habentes* præcipuam *condemnationem*, eo potissimùm nomine condemnandæ, *quod rejecerint primam fidem*] Eam videlicet quà Christo sacramento dixerant; quæ fides tam tempore quàm dignitate prior est eà quà promiserant Ecclesiæ ministerium perpetuum, eoque cœlibatum. Quanquam etiam eo nomine condemnandas fateor quòd promissionem Ecclesiæ factam non servarent, maximè cùm ab ea non peterent ut sibi liceret cum bona Ecclesiæ venia discedere à pactis conventis. Ità verum est quod ait in hunc locum Epiphanius adversùs Montanistas hæresi 48. § 9. *αἱ γὰρ ἐπαγγειλάμεναι, καὶ ἀθετήσασαι, ἔχουσι κρῖμα· αἱ δὲ μὴ ἐπαγγειλάμεναι, ἀλλὰ συνεφθεῖραι δι' ἀσθένειαν, κρῖμα οὐκ ἔχουσιν. Εἰ δὲ καὶ κρῖμα ἔμελλον ἔχειν, πῶς ἔλεγε, Γαμείτωσαν, οἰκοδεσποτείτωσαν;*

14. *Volo igitur juniores nubere, liberos parere*] Id Apostolus permittit, adeoque jubet ac imperat, quantum quidem honestè fieri potest, viduis omnibus quæ continentiæ dono non sunt præditæ, nominatim autem illis quæ, cùm Diaconatui sese addixissent, etiam cœlibem vitam acturas sese professæ fuerant; nè, si urgerentur, Christum ipsum abnegarent. Utut sit, etiam illæ quæ virginitatem voverant, (quod post Apostolorum demum obitum usurpari cœperat) tamen ubi deprehendebatur votum ab illis temere factum, neque fuisse liberam illius voti materiam, tantum abest ut eas à conjugio deterrerent pii Doctores, ut etiam ad conjugium eas ultro cohortarentur Apostoli exemplo. Cyprianus ad Pomponium l. 1. ep. 11. *Si ex fide se Christo dicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent, ità fortes & stabiles præmium virginitatis exspectent: sin autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant quàm in ignem deliciis suis cadant.* Epiphanius adversùs Apostolicos hæresi 60. §. 6. vult quidem eam peccare quæ post virginitatis votum nubit, sed quia sciebat jam tum multas post hujusmodi votum non nubere quidem palàm, sed clàm scortari, *κρεῖττον*, inquit, *ἔχειν ἁμαρτίαν μίαν, καὶ μὴ περισσοτέρας· κρεῖττον πεσόντα ἀπὸ δρόμου φανερῶς ἑαυτῷ λαβεῖν γυναῖκα κατὰ νόμον, καὶ ἀπὸ παρθενίας πολλῷ χρόνῳ μετανοήσαντα εἰσαχθῆναι πάλιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ὡς κακῶς ἐργασάμενον, ὡς παραπεσόντα, καὶ κλασθέντα, καὶ χρείαν ἔχοντα ἐπιδέματος, [ἴσ. ἐπιδέματος] καὶ μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν κρυφίοις κατατιτρώσκεσθαι βέλεσι, καὶ πονηρίας ὑπὸ διαβόλου αὐτῷ ἐπιφερομένης.*

LUD. CAPPELLUS.

6. Ζῶσα τέθνηκε] Illud ζῶσα τέθνηκε unà cum Christi dicto ad Martham, Κἂν ἀποθάνῃ ζήσεται, elegans est ὀξύμωρον· cui simile est illud in Judæorum מחזור, ubi sic habetur, פירוק כמן כותי כחיי חס ארחק בך חיי במותי *Cùm ego à te discedo, vivens morior; at cùm tibi adhæreo, moriens vivo.*

21. Καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων] Solemnem fuisse & Judæis usitatam ejusmodi obtestationem per Angelos liquet ex Josepho De Bello Jud. l. 2. c. 16. ubi Rex Agrippa, cùm Judæos in concione alloqueretur, ut eos in fide Romanorum retineret, sic eos obtestatur, *Μαρτύρομαι δ' ἐγὼ μὲν ὑμῶν τὰ ἅγια καὶ τοὺς ἱεροὺς ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ καὶ πατρίδα τὴν κοινήν.* Fortè ut sic apertiùs fidem suam de Angelis adversùs Sadducæos testarentur, utque hoc veluti symbolo alii ab aliis dignoscerentur.

GROTIUS.

1. Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, *Seniorem ne increpaveris*] Vox πρεσβυτέρου [*Presbyteri*] hic de ætate sumenda est, non de functione: monstrant id sequentia. ἐπιπλήττειν [*increpare*] hic est גער frequens Rabbinis, unde נזיפה *durior quædam objurgatio*, quà seniores uti solent adversùm juniores, non contrà. In Glossario, ἐπιπλήττω, *castigo, increpo, obstrepo, objurgo.* Utuntur ea voce & Isocrates & Demosthenes. ¶ ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα. *sed obsecra ut Patrem*] Blandè admone, & cum quadam reverentiæ significatione. Sic Petrus 1 Epist. 5. 1. πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ [*Seniores qui in vobis sunt obsecro.*] Mos est apud omnes Gentes seniores viros appellare *patrum*, fœminas autem *matrum* vocabulo. ¶ νεωτέρους ὡς ἀδελφούς· *juvenes ut fratres*] *Frater* benigna appellatio parium inter se, apud Martialem & in Epigrammate Græco.

2. Πρεσβυτέρας ὡς μητέρας, νεωτέρας ὡς ἀδελφὰς, ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ. *Anus ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate*] Vult idem discrimen ætatum in fœminis observari; sed plus est cautionis, ne qua ex blanditiis aut amori aut suspicioni pateat fenestra

3. Χήρας τίμα, *Viduas honora*] Et hic χηρῶν [*viduarum*] nomen est generale: neque functionem significat, sed amissas nuptias. Τίμα [*honora*] hic est, *da de Ecclesiæ largitionibus alimenta*, nempe ut Ecclesiæ inserviant; quod infra dicit καταλεγέσθω, *inscribatur albo* sive *matricula*. Confer quæ infra 17. Alendi præceptum includi in præcepto honorandi parentes ajunt Hebræi. Vide quæ ad Matth. 15. 4. Hieronymus ad Gerontiam, *Honor vel pro eleëmosyna, vel pro munere accipitur.* Vide 2 Maccab. 8. 28. & 30. ¶ τὰς ὄντως χήρας. *quæ verè viduæ sunt*] Ab omni auxilio destitutas. Est & hic πλοκὴ [*Copulatio*] figura Paulo familiaris. Sic Sophocli χηρεύων μελέῳ ποδὶ, id est, μονάζων [*solitariè vivens*,] ut explicat Scholiastes. Et χηροῦν est *desolare*, στερίσκειν [*orbare.*] Sic apud Plautum, *Omnium copiarum, atque opum, auxilii, præsidii, viduitas nos tenet:* pro quo *viduertatem* dixit in Re Rustica Cato. Sic & *arbor vidua, viduus lectus, viduæ noctes, viduus pharetrâ Apollo* apud Poëtas. Itaque mox explicationis causâ addet μεμονωμένη [*desolata.*]

4. Εἰ δέ τις χήρα τέκνα ἢ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discant primùm domum suam regere*] Eligebantur ad ordinem πρεσβυτίδων [*Seniorum fœminarum*,] quæ mulierum essent σωφρονίστριαι [*formatrices*,] interdum & matres & educatrices filiorum, ut nos Tertullianus docet de Virginibus velandis: sed rarò tales, & ubi aliæ deerant. Cur non & matresfamilias? quia domi habebant quod agerent. Cur non virgines? quia cùm experimenta matrimonii ex puerperio non habeant, minùs possunt alias consilio & solatio juvare. Ita Tertullianus dicto libro. Τέκνα ἢ ἔκγονα בן תבר [*filios aut nepotes.*] εὐσεβεῖν hic est more Judæorum Græca loquentium pro Hiphil, id est, εὐσεβῆ ποιεῖν הצדיק [*piam facere.*] Et hic habemus quod alibi sæpe in collectivis nominibus, transitum à singulari ad plurale. Alibi contra. ¶ καὶ ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. *& mutuam vicem reddere parentibus*] Sapienter dictum: Sic Valerius Maximus, *parentes, nos alendo, nepotum nutriendorum debito alligarunt.* ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι est גמול גמולים [*reddere recompensationes.*] τοῖς προγόνοις להורים Genes. 49. 26. ¶ τοῦτο γάρ ἐστι καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *hoc enim est pulchrum & acceptum coram Deo*] Sic & supra 2. 3.

5. Ἡ δὲ ὄντως χήρα καὶ μεμονωμένη, *Quæ autem verè vidua est & desolata*] Vox obscurior per clariorem explicatur. Vide quæ supra 3. Sic גלמוד, Græcis quibusdam interpretibus μεμονωμένη [*solitaria*] Job. 3. 7. At גלמודה χήρα [*vidua*] Esaiæ 49. 21. ἀνδρὸς καὶ παίδων ἔρημος [*viro & liberis orba*] ait Philo περὶ μοναρχίας [*de Monarchia*] in fine. Psalm. 68. 7. יחידים μονοτρόπους, idem valet quod μεμονωμένους [*desolatos.*] Idem sensus in ריקם Ruth. 1. 21. quod κενὴν [*inanem*] vertunt LXX. & in שכולה [*orbata*] Esai. 49. 21. Tam Græcis χηροῦν quàm Latinis *viduare*, est *desolare*, μονοῦν. ¶ ἤλπικεν ἐπὶ τὸν Θεὸν, καὶ προσμένει ταῖς δεήσεσι καὶ ταῖς προσευχαῖς νυκτὸς καὶ ἡμέρας, *sperat in Deum & instat obsecrationibus & orationibus nocte ac die*] Id est, ἐλπίζουσα εἰς τὸν Θεὸν προσμένει, [*sperans in Deum instat,*] &c. Duplex Hebraïsmus: nam & præteritum est pro præsenti, ut Matth. 3. 2. & verbum cum copula, vice participii. Sensus verò, Quia homines opitulatores non habet, & apud eos est אלמנה, id est, *muta*, ideo in uno Deo perfugium habet, illum solum respicit, ut Anna Phanuelis Luc. 2. 36. *noctu diuque*, id est, tam assiduè quàm fieri potest. Vide eundem Lucæ locum & 1 Thess. 2. 9. 3. 10. 2 Thess. 3. 8. 2 Timoth. 1. 3. Sic & Apoc. 4. 8. & aliis ejus libri locis. προσμένειν hic quod προσκαρτερεῖν [*perseverare*] Actor. 1. 14.

6. Ἡ δὲ σπαταλῶσα, *Nam quæ in deliciis est*] Idem verbum habemus Jac. 5. 5. In Glossario, σπατάλη, *lascivia, delicia.* Σπαταλῶ, *delicias ago.* Habes eam vocem in Græco Ezech. 16. 48. & Sirach. 21. 17. Eodem sensu dicitur ערנגה τρυφερά. Intelligit eam quæ ideo vidua manet, ut à mariti imperio soluta liberiùs faciat quæ lubet. ¶ ζῶσα τέθνηκε. *vivens mortua est*] Egregiè dictum. Seneca de Tranquillitate animi, *Curius Dentatus dicebat, malle se esse mortuum, quàm non vivere; ultimum malorum est ex vivorum numero exire antequam moriaris.* Idem Epistola 93, *ante mortem periit.* Vide quæ diximus ad Matth. 8. 22. Ephes. 2. 1. Vivit verè, qui Deo vivit. Qui sine spe est vitæ æternæ, jam nunc periit.

7. Καὶ ταῦτα παράγγελλε, ἵνα ἀνεπίληπτοι ὦσιν. *Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint*] Mone præterea tum viros, tum fœminas, ne ullam dent mali nominis de se occasionem. Vocem ἀνεπιλήπτου [*irreprehensibilis*] habuimus & supra 3. 2. Vocem generalem jam per species evolvet.

8. Εἰ δέ τις τῶν ἰδίων καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων οὐ προνοεῖ, τὴν πίστιν ἤρνηται, καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων. *Si quis autem suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit & infideli deterior est*] Sententia est ad utrumque sexum pertinens, & sensus ejusdem, cujus illud Esai. 58. 7. Graviter accusat &

viros

viros & mulieres divites, qui sinebant Ecclesiæ oneri esse eos quos ipsi alere debebant, id est, junctos sanguine, qui sunt ἴδιοι [*sui*] בשרם [*carnes ipsorum*,] ac præcipuè parentes qui οἰκεῖοι [*domestici*] etiam Esai. 58. 7. Προνοεῖν est *curam gerere*, nempe ut habeant unde vivant: quod & Latinè dicunt, *prospicere*. Quod autem ait τὴν πίστιν ἤρνηται [*fidem negavit*,] intelligendum est talem hominem factis destruere Christianismum, quem profitetur; sic & 2 Timoth. 3. 5. Tit. 1. 16. Sicut εὐλογεῖν [*benedicere*] dicitur, qui bene facit, ita ἀρνεῖσθαι [*negare*] qui contemnit, à verbis ad facta ductâ translatione. *Pejor* autem *infideli* est, quia cùm exactiùs norit voluntatem Dei, et tamen se non accommodat. Vide Luc. 12 48. & ibi dicta.

9. Χήρα καταλεγέσθω, *Vidua eligatur*] Admittatur ad ordinem τῶν πρεσβυτίδων [*Seniorum fœminarum*,] quæ de fidelium oblationibus non minùs quàm Presbyteri vivebant. Hoc Tertullianus dicit *in viduatu collocare*, libro de Virginibus velandis, *Viduam allegere in ordinationem*, libro Ad Uxorem priore, τάσσειν εἰς τὸ χηρικόν, vel εἰς τὸν κατάλογον Græci Patres. Talium Viduarum meminit & Hermas, & unam earum *Graptam* nominat. ¶ μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα, *non minus sexaginta annorum*] Id ad sua tempora observatum docet nos Tertullianus, dicto libro de Virginibus velandis. ¶ γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή *quæ fuerit unius viri uxor*] Sensus apertus est, de quo jam aliquid dicere cœpimus supra 3. 2. Non debebant Christiani in ulla laudis parte cedere Gentibus. Pausanias Achaïcis, Γυνὴ δὲ ἀεὶ τὴν ἱερωσύνην λαμβάνουσα ἁγιστεύει μὲν ἀπὸ τούτου, οὐ μὴν οὐδὲ τὰ πρότερά ἐστι πλέον ἢ ἑνὸς ἀνδρὸς εἰς πεῖραν ἀφιγμένη [*Sacerdotium mulieri decernitur, quo statim suscepto, vitam illa agit cœlibem omne ætatis reliquum tempus, quamquam & ante eam oportuit cum uno tantum viro matrimonii causa fuisse.*] Minutius, *Asia sacra coronat univira*. Huic opponitur *vetula multarum nuptiarum*, Epist. ad Atticum 13. 29. Valerius Maximus libro 2. cap. 1, 3. *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipuè matronæ sincera fide esse animum, quo deposita virginitatis cubile pudicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Quem sensum paulò duriùs extulit Athenagoras: ὁ δεύτερος γάμος εὐπρεπής μοιχεία [*iteratæ nuptiæ speciosum adulterium.*] Tertullianus ad Uxorem, *Sacerdotium viduitatis & cœlibatuum est apud Nationes*. Idem de Exhortatione castitatis, *Denique monogamia apud Ethnicos ita in summo honore est, ut & virginibus legitimè nubentibus univira pronuba adhibeatur: & si auspicii causâ, utique boni auspicii est. Item ut in quibusdam solemnibus officiis prior sit univiræ locus. Certè Flaminica non nisi univira est.* Idem de Monogamia, *Idolis certè & monogamia & viduitas apparent. Fortunæ Muliebri coronam non imponit, nisi univira: sicut nec Matri Matutæ.* De Fortuna Muliebri, nefas eam attingi, nisi ab ea quæ semel nupsit, dixit & Festus. Et apud Propertium est:

In lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Item,

Fac teneas unum, nos imitata, virum.

Vide Canonem 18. Basilii ad Amphilochium.

10. Ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη, *In operibus bonis testimonium habens*] Id est, μαρτυρίαν καλὴν ἔχουσα [*testimonium bonum habens*,] quomodo supra loquebatur 3. 7. *Quam fama comitatur bonorum operum*. ¶ εἰ ἐτεκνοτρόφησεν, *si filios educavit*] Si nec abortum sibi fecerit, nec ob paupertatem exposuerit liberos, ut inter Gentes fieri solebat, sed omnes sibi natos educaverit, & quidem honestè ac piè. Vide supra 3. 3. ¶ εἰ ἐξενοδόχησεν, *si hospitio recepit*] *Si hospitio pios excepit*, ut Lydia Actor. 16. 15. Verbum ξενοδοχεῖν [*hospitio excipere*] usurpat & Euripides: nomen ξενοδοχίας [*hospitum exceptionis*] Xenophon. Rabbini id dicunt voce quæ ex Latino corrupta est אושפיזין [*ospisin*.] ¶ εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψεν, *si sanctorum pedes lavit*] Proverbiale: id est, si ad infima etiam ministeria se demisit, ut viros sanctos sublevaret. Nihil opus hìc repeti quæ diximus ad Joh. 13. 5. Tertullianus ad Uxorem inter Christianarum fœminarum officia ponit aquam Sanctorum pedibus offerre. ¶ εἰ θλιβομένοις ἐπήρκεσεν, *si tribulationem patientibus subministravit*] פרנס dicerent Rabbini. Sic Φίλοις ἐπαρκεῖν [*amicis opitulari*] sine casu accusativo dixit Euripides. Vide & in sequentibus. Cum accusativo habes hoc verbum 1 Macc. 8. 26. 11. 35. Solebant fœminæ munuscula mittere iis qui ob pietatem in vinculis erant. ¶ εἰ παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπηκολούθησε. *si omne opus bonum subsecuta est*] Ἐπακολουθεῖν est quod Hebræi dicunt הלך [*ambulare*,] aut מלא [*implere*] addito אחרי [*post*.] *Si omnes boni operis occasiones sectata est, persecuta est*, ut alibi citat Hieronymus.

11. Νεωτέρας δὲ χήρας παραιτοῦ. *Adolescentiores autem viduas devita*] *Minores sexagenariis*. παραιτοῦ [*devita*,] id est, ne admitte ad ordinem illum fœminarum præsidentium. In Glossario, παραιτοῦμαι, *recuso*. Utuntur sic Plutarchus & alii. ¶ ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, γαμεῖν θέλουσιν. *cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt*] Id est, ὅταν στρηνιάσωσι κατὰ τοῦ Χριστοῦ [*cum luxuriatæ fuerint adversus Christum*.] & per *Christum* intellige Ecclesiam: de quo loquendi genere diximus ad Rom. 9. 3. *Postquam tædere eos cæpit istius servitutis quam Ecclesiæ promiserant*. Est enim στρηνιᾶν, ut nos docent Græcorum Grammatici, στερεῖν ἡνίας [*habenâ privare*.] Sic Apoc. 18. 7. & nomen στρῆνος [*luxuria*] pro שאנן [*tranquillitate*] est 2 Reg. 19. 28. Syrus hic eo verbo utitur, quod in Syriaco Veteris Testamenti ponitur, ubi in Græco est ὑβρίζειν [*contumelia afficere*.] In re pari Synodus Chalcedonensis Can. 12. ὑβρίσασα τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν [*postquam contumeliâ affecit Dei gratiam*.] & Oecumenius: ὅταν καθυπερηφανεύσωνται τοῦ Χριστοῦ [*cum Christum fastidierint*.] *Volunt deinde nubere rursum*. οὐ φορητὴ γὰρ νέαις χηρεία [*Neque enim tolerabilis est juveni mulieri viduitas*,] ait Theano.

12. Ἔχουσαι κρῖμα, *Habentes damnationem*] Κρίμα [*Damnationem*] hìc vocat judicium proborum ab earum facto dissentiens. Simile Chrysostomi illud Homilia 63. ad Johannem: οὐκ οἶδας ὅτι οἱ μετὰ τὴν τελευτὴν τῆς ἑαυτῶν ἑτέραν ἐπεισαγόμενοι παρὰ πολλῶν καταγινώσκονται· καίτοι οὐ κόλασιν ἔχει τὸ πρᾶγμα [*Nescis, quod illi qui defunctâ uxore ducunt insuper aliam, à multis reprehendantur & male audiant; quamvis res ipsa non puniatur.*] ¶ ὅτι τὴν πρώτην πίστιν ἠθέτησαν. *quia primam fidem irritam fecerunt*] Illam fidem quam Ecclesiæ dederant, professæ se ei soli servire velle. παρέβησαν τὰς συνθήκας [*pacta violarunt*] ait hìc Chrysostomus: ἐψεύσαντο τὴν συμφωνίαν [*fefellerunt pactum*,] Theophylactus: τὴν πρὸς τὸν Χριστὸν συνθήκην [*fœdus cum Christo*,] Oecumenius: Epiphanius ἐπαγγελίαν [*promissum*:] *professionem* Ambrosius. Sic διαθήκην ἀθετεῖν [*fœdus irritum facere*] Gal. 3. 15. In Constitutionibus Clementis 3. 1. Εἰ δὲ νεωτέραν κατεστήσατε εἰς τὸ χηρικόν, καὶ μὴ φέρουσα τὴν ἐν νεότητι χηρείαν γαμηθῇ, ἀπρέπειαν ἐμποιήσει τῇ δόξῃ τοῦ χηρικοῦ, καὶ λόγον ὑφέξει τῷ Θεῷ, οὐχ ὅτι δευτέρῳ γάμῳ συνῴκησεν, ἀλλ' ὅτι τὴν ἑαυτῆς ἐπαγγελίαν οὐκ ἐφύλαξε, καταστρηνιάσασα τοῦ Χριστοῦ· διότι μετὰ πίστεως καὶ φόβου Θεοῦ οὐκ ἦλθε φυλάξαι τὴν ἐπαγγελίαν· διὸ χρὴ μὴ προπετῶς ποιεῖσθαι τὴν ἐπαγγελίαν, ἀλλὰ μετὰ ἀσφαλείας. κρεῖσσον γὰρ αὐτῇ ἐστι μὴ εὔξασθαι, ἢ εὔξασθαι καὶ μὴ ἀποδοῦναι [*Sin juniorem mulierem in viduarum consortium legeritis, eaque posteà, quod juvenis sit, viduitatem non ferens, nupserit, dehonestabit cœtum viduarum, Deoque hujusce rei rationem reddet, non quod secundas nuptias contraxerit, sed quod professionem suam non servarit excusso Christi jugo, quod non cum fide & Dei metu venerit, qui promissum servaret. Non oportet itaque istud præcipiti festinatione profiteri: sed re demum perpensâ huc veniendum. Est enim ei mulieri utilius, non vovere, quàm vovere nec reddere.*] Tertullianus de Monogamia hunc locum sic explicat, *Ad eas dirigit, quales supra denotat, juvenculas viduas, quæ in viduitate deprehensæ, & aliquamdiu affectatæ, postquam in deliciis habuerunt Christum, nubere volunt, habentes judicium, quòd primam fidem resciderunt: illam videlicet quâ in viduitate inventæ & professæ eam, non perseverant. Propter quod vult eas nubere, ne primam fidem susceptæ Viduitatis postea rescindant.* Simile de Virginibus habet Cyprianus Epistolâ LXX. *Si ex fide se Christo dicaverunt.*

13. Ἅμα δὲ καὶ ἀργαὶ μανθάνουσι, *Simul autem & otiosæ discunt*] Notat & alia vitia fœminis junioribus frequentia. Cùm nihil habeant quod agant, inquit, fiunt percunctatrices. μανθάνειν hìc est *sciscitari*, ut Esther 4. 5. Vide quæ diximus ad 2 Thess. 3. 11. Verum illud,

Ὡς πολλὰ θνητοῖς ἡ σχολὴ ποιεῖ κακά
[*Quàm multa hominibus otium excudit mala*]

¶ περιερχόμεναι τὰς οἰκίας. *circuire domos*] Quod περινοστεῖν [*discursare*] dixit Alexis, in versibus quos ad illum quem jam diximus locum ad Thessalonicenses produximus. Talis discursatricis fœminæ descriptionem habes Prov 7. 11. Et dicitur talis Hebræis הומיה היא וסררת [*strepens illa est & discursatrix.*] At Veteres testudinem de tecto suo nunquam egredientem figuram fecere bonæ fœminæ. Debent enim esse οἰκουροὶ [*domus curam habentes*,] ut ait idem hìc Apostolus ad Tit. 2. 5. Euripides Meleagro,

Ἔνδον μένουσαν τὴν γυναῖκ' εἶναι χρεὼν
Ἐσθλήν· θύρασι δ' ἀξίαν τοῦ μηδενός
[*Lare contineri fœminæ officium probæ est,*
Foris vagantes nullius pretii puta.]

¶ οὐ μόνον δὲ ἀργαί, *non solùm otiosæ*] Est ἐπανόρθωσις [*Correctio*,] quasi dicat, *parum est quod aixi eas esse otiosas*. Fuerat enim

enim id tolerabilius. Satius enim est otiosam esse, quàm malè agere. ¶ ἀλλὰ καὶ φλύαροι, *sed & garrulæ*] In Glossis φλύαρος *garrulus*: φλυαρῶ, *garrio*, quod verbum habemus Epistolæ 3 Johannis 10. Connexa sunt ista, ut diximus, *percunctari & garrire*. ¶ καὶ περίεργοι, *& curiosæ*] Vide dicta in eum locum ad Thessalonicenses. *Aliena negotia curant.* ¶ λαλοῦσαι τὰ μὴ δέοντα. *loquentes quæ non oportet*] ספור רכילות Maimonidæ. Ubi aliud non habent quod dicant, calumniari incipiunt.

Φιλόψογον δὲ χρῆμα θηλειῶν ἔφυ

[Calumniosum est omne fœmineum genus.]

ait Euripides.

14. Βούλομαι δὲ οὖν νεωτέρας χήρας γαμεῖν, *Volo ergo juniores viduas nubere*] Βούλομαι sic comparativè sumendum est *malo*, nempe, *quàm fiant ista quæ dixi.* Sic θέλω [*volo*] 1 Cor. 14. 19. ¶ τεκνογονεῖν, *filios procreare*] Non abortus facere, ut quædam faciebant, quò lautiùs viverent: aliæ quò formam eò meliùs servarent,

Scilicet ut careat rugarum crimine venter.

ait magister talium 2. 14. ¶ οἰκοδεσποτεῖν, *familiam administrare*] Nempe, *sub marito.* Viri est res extra gerere; fœminæ servare quæsita. Aristoteles Oeconomicorum 1. 3. ¶ μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν. *nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ*] *Nullum dare prætextum inimicis ad maledicta.* ἀφορμὴ est *prætextus* 2 Cor. 5. 12. 11. 12. Gal 5. 13. ὁ ἀντικείμενος [*adversarius*] per excellentiam diabolus: sed solet & de aliis dici qui eum imitantur, ut videre est 1 Cor. 16. 9. Philipp. 1. 28. Solet autem singulare cum articulo poni pro toto genere, ut diximus ad Marcum 3. 26 & alibi. λοιδορίας χάριν [*maledicti gratiâ*,] id est, εἰς λοιδορίαν לחרף [*ad maledictum.*]

15. Ἤδη γάρ τινες ἐξετράπησαν ὀπίσω τοῦ Σατανᾶ. *Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam*] Non tantùm in ea vitia delapsæ sunt quæ dixi, verùm etiam cùm viderent suam istam vitæ mutationem à bonis Christianis improbari, Christianismum deseruere. ἐκτρέπεσθαι Paulo est *declinare à via recta*: supra 1. 6. infra 6. 20. 2 Tim. 4. 4. ὀπίσω אחר vel אחרי [*retro*] verbis eundi & similibus additum significat *sequi*. *Secutæ sunt*, inquit, *Satanam, qui sæculo præsidet.* 2 Cor. 4. 4.

16. Εἴ τις πιστὸς ἢ πιστὴ ἔχει χήρας, *Si quis fidelis aut si qua fidelis habet viduas*] *Habet*, nempe ad se pertinentes, propinquitate sanguinis aut affinitatis. ¶ ἐπαρκείτω αὐταῖς, *subministret illis*] *Subveniat illis*, ut supra 10. ne Ecclesiam onerent. Vide quantam curam gerat Paulus ne Ecclesiæ liberalitates in alios impendantur, quam qui carere eis nullo modo possunt. ¶ καὶ μὴ βαρείσθω ἡ ἐκκλησία, *& non gravetur Ecclesia*] Sumendum hic βαρείσθω [*gravetur*,] quomodo ἐν βάρει εἶναι [*oneri esse*] 1 Thess. 2. 6. ¶ ἵνα ταῖς ὄντως χήραις ἐπαρκέσῃ. *ut iis quæ vere viduæ sunt sufficiat*] *Ut Ecclesia habeat unde subveniat iis quæ ita viduæ sunt, ut nullos habeant qui ipsas curent.* Vide supra 3, & 5.

17. Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur*] Omnes senes honore digni: ut vidimus, maximè verò *qui præsident Ecclesiis* פרנסים [*Pastores*] qui & κατ' ἐξοχὴν זקנים [*per excellentiam Seniores*,] *digni sunt duplici honore*, tum propter ætatem, tum propter judicium quod de ipsis fecit Ecclesia. Et bene διπλῆς τιμῆς [*duplici honore.*] Sunt enim velut primogeniti inter fratres suos. Vide Deut. 21. 17. Ἀξιοῦσθαι hic ut & Hebr. 10. 29. *dignari* passivè: quomodo apud Virgilium,

—— Conjugio Veneris dignate superbo.

Sic & Gen. 31. 28. Videtur autem *duplicem honorem* dicere & alimenta, quæ & ipsa illis cum honore dantur, ut Regibus tributa. Considera sequentia & quæ ad Matth. 15. 4. Plato de Legibus quinto dixit, πλέον ἢ διπλασίας τιμῆς ἄξιος ἐκείνου [*magis quàm duplici honore dignus est præ illo.*] ¶ μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. *maximè qui laborant in verbo & doctrina*] Id est; principes Presbyterorum, quorum propriè erat munus loqui ad populum, & sic eum docere. Si per morbum aut ætatem non sufficerent, assumebant sibi alios, de Presbyteris plerumque, raro de laïcis. Sed notandum olim in una urbe magna, sicut plures Synagogas, ita & plures fuisse Ecclesias, id est, conventus Christianorum. Et cuique Ecclesiæ fuisse suum Præsidem, qui populum alloqueretur & Presbyteros ordinaret. Alexandriæ tantùm eum fuisse morem, ut unus esset in tota urbe Præses, qui ad docendum Presbyteros per urbem distribueret, docet nos Sozomenus 1. 14. & Epiphanius ubi de Ario agit, dicitque Alexandriæ nunquam duos fuisse ἐπισκόπους [*Episcopos*,] voce eâ sumptâ κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*,] ita ut significet illud us quod habebat ὁ ἄρχων τῆς συναγωγῆς [*Princeps Synagogæ.*] In illis verbis ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ [*in verbo & doctrina*] est ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*,] pro ἐν λόγῳ διδασκαλίας [*in verbo doctrinæ.*] Simile habuimus supra 4. 1. In Clementis Constitutionibus 2. 28. τοῖς δὲ πρεσβυτέροις ὡς ἂν κάμνουσι περὶ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον διπλῆ καὶ αὐτοῖς ἀφοριζέσθω ἡ μοῖρα [*Presbyteris quoque, cum in docendo occupantur, dupla portio assignetur.*]

18. Λέγει γὰρ ἡ γραφή· Βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις. *Dicit enim Scriptura, Non alligabis os bovis trituranti*] Deut. 25. 4. quem locum habuimus & exposuimus 1 Cor. 9. 9. ¶ Καί· Ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ. *Et, Dignus est operarius mercede suâ*] Est sententia inter Hebræos trita, ut videre est Matth. 10. 10. Luc. 10. 7. Verba non sunt in Scriptura, id est, in Veteri Lege, ad quam hic respicit Paulus; at sensus reperitur Levit 19. 13. Deut. 24. 14. ubi in Hebræo שכר, in Græco μισθωτὸς [*mercenarius*,] idem valet quod ἐργάτης [*operarius.*] Significatur enim is cujus opera mercede conducta est. Vide Marc. 1. 20. Joh. 10. 12, 13.

19 Κατὰ πρεσβυτέρου κατηγορίαν μὴ παραδέχου, ἐκτὸς εἰ μὴ ἐπὶ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων, *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*] Ut 2 Corinth. 13. 1. Apparet hic instrui Præsidem, qui dictus κατ' ἐξοχὴν ὁ ἐπίσκοπος [*per excellentiam Episcopus*:] nam talium erat dirigere presbyterii actiones. Intellige hic πρεσβύτερον [*Presbyterum*] honore: Lege Mosis nemo damnari poterat criminis, nisi causâ probatâ per testes duos. At poterat ad unius testis dictum vir plebejus capi, aut contra eum inquisitio incipi: non ita autem contra Senatorem, cui æquiparatur Presbyter. Et cur non? Quia judicium pro illo totius populi, cùm electus est, facile uni testi præponderat. Deinde solent, qui aliorum crimina corrigunt, multorum patere odiis. Et nota non dici, *ne damna*: sed *ne recipe accusationem*, repelle delatores. Nicolaus Damascenus, Παρὰ Ταρτησσίοις νεωτέρῳ πρεσβυτέρου καταμαρτυρεῖν οὐκ ἔξεστι [*Apud Tartesios juniori adversus seniorem testimonium dicere non licet.*] In verbis his Pauli duplex negatio, ἐκτὸς εἰ μὴ [*nisi*,] ut 1 Cor. 14. 5. 15. 2.

20. Τοὺς ἁμαρτάνοντας ἐνώπιον πάντων ἔλεγχε, *Peccantes coram omnibus argue*] Tertullianus ubi in Apologetico Ecclesias describit, *Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique Seniores.* Admonebantur ergo criminosi à Senioribus adstante & audiente plebe: ὑπὸ τῶν πλειόνων [*à pluribus*] 2. Cor. 2. 6. Si doleret, imponebatur ei ἐπιτιμία [*increpatio*:] si contumax esset, abscindebatur ab Ecclesia. ¶ ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι. *ut & cæteri timorem habeant.*] Diximus alibi pœnarum tres esse fines, νουθεσίαν ἀποπλήρωσιν, παράδειγμα [*emendationem, satisfactionem, exemplum.*] In pœnis Ecclesiasticis tria hæc concurrunt. Nam & agitur ut melior fiat is qui lapsus est, & ut honos Ecclesiæ per eum læsus resarciatur, & ut alii exemplo absterreantur. Sumptum autem & hoc de Lege Deut. 13. 11. & alibi.

21. Διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Testor coram Deo & Domino Jesu Christo*] *Hoc te obtestor, audiente & Deo & Christo.* Idem loquendi genus habes 2 Tim. 2. 14. 4. 1. ¶ καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων, *& electis Angelis*] Ergo & Angeli audiunt quæ dicimus, Matth. 18. 10. Luc. 15. 10. 1 Cor. 11. 10. Solent Deo sæpe adjungi Angeli, ut eò rectius concipiatur ejus summa Majestas Deut. 33. 2. Ἄγγελοι ἐκλεκτοὶ [*Angeli electi*] sunt ii quos Deus diligit. Ita enim sæpe sumitur Hebræum בחיר, ut 2 Sam. 21. 6. 1 Paral. 16. 13. & alibi sæpe. Ii autem sunt iidem qui alibi dicuntur *Sancti*, ut Marci 8. 38. Luc. 9. 27. Vide quæ dicta ad 1 Thess. 3. 13. Opponuntur enim hi Angelis Satanæ 2 Cor. 12. 7. Rom. 8. 38. qui peccarunt & à Deo defecerunt 2 Petr. 2. 4. Jud. 6. ¶ ἵνα ταῦτα φυλάξῃς, *ut hæc custodias*] Hæc quæ de judiciis Ecclesiasticis dixi. ¶ χωρὶς προκρίματος, *sine præjudicio*] Πρόκριμα est quod *præjudicium* Latini vocant, ut in illo versu.

Grave præjudicium est, quod judicium non habet.

Id locum habet ubi inauditum aut indefensum judex damnat, quo illud spectat,

Te judicante criminosa est celeritas.

Et,

Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

[Ni prius audieris ambos, ne judicium fer.]

Et id quod habemus Exodi 23. 1. Eodem tendit locus Psalm. 50. 18. ¶ μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν. *nihil faciens in alteram partem declinando*] *Nihil propensione faciens*, id est, in gratiam, aut ejus cujus causâ agitur, aut collegæ, cui commen-

dantis

dantis. Respicitur Lex Exodi 23. 2. ubi est לנטת, in Græco ὥςε ἐκκλῖναι [*ut declines.*]

22. *Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει, μηδὲ κοινώνει ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις, Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*] Alii veterum de absolutione intelligunt, alii de ordinatione. Utrumque enim per manuum impositionem peragebatur. Probem ego de ordinatione accipi: nam est & in Thalmude par sententia. Similis apud Horatium sensus,

> *Qualem commendes etiam atque etiam aspice, ne mox*
> *Incutiant aliena tibi peccata timorem.*

Nam & ordinatio est solemnis quædam commendatio, à more Judæorum veniens. Diu explorandus est qui præficitur Ecclesiæ, ne si quod habeat vitium in dogmate, aut vita, veniat ordinator in culpæ partem, tanquam סמך, id est, *obfirmator*. Isocrates ad Demonicum, *Εἰς ἀρχὴν κατασταθεὶς μηδενὶ χρῶ πονηρῷ πρὸς τὰς διοικήσεις· ὧν γὰρ ἐκεῖνος ἁμάρτῃ σοὶ τὰς αἰτίας ἀναθήσουσι* [*Ubi magistratum geres, ne cui malo rerum curam trade: nam quod is peccarit, ejus culpam in te conferent.*] Basilius canone 84. *μὴ θελήσωμεν ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις συναπόλλυσθαι* [*ne velimus cum peccatis alienis perire.*] Vide & cætera ibi. ¶ *σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει. teipsum castum custodi*] Vide Philipp. 4. 8.

23. *Μηκέτι ὑδροπότει, Noli adhuc aquam bibere*] Cohæret cum superioribus. *Nolo tamen ea de causa te solius aquæ esse potorem.* Vox ὑδροποτεῖν [*aquam bibere*] bene Græca est. Utitur ea Dioscorides. ¶ *ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ, sed modico vino utere*] *Utere quidem vino, sed bene diluto.* Vide hac de re egregiam dissertationem Chrysostomi prima de Statuis. Justinus ad Zenam, *Ὁ δὲ οἶνος μήτε ὁσημέραι ἐπὶ τὸ μεθύειν πινέσθω, μηδὲ ὡς ὕδωρ ἐπιζητείσθω. ἑκάτερα μὲν γὰρ Θεοῦ ποιήματά ἐστιν. ἀλλὰ τὸ μὲν ὕδωρ ἀναγκαῖον· ὁ δὲ οἶνος βοηθείας χάριν τοῦ σώματος γέγονεν* [*Vinum neque quotidie ad ebrietatem bibendum, neque perinde atque aqua requirendum. Utraque certè creatura est Dei: sed aqua necessitatis est; vinum juvandi corporis gratiâ datum est.*] ¶ *διὰ τὸν στόμαχόν σου, propter stomachum tuum*] Stomacho laborantibus vinum tenue & austerum commendat Cornelius Celsus. Pari modo Proclum ait Marinus à Philosophis monitum ne carnium esu abstinerent, *ὅπως ἂν καὶ τὸ σῶμα ὑπηρετοῦν ἔχῃ ταῖς ψυχικαῖς ἐνεργείαις* [*ut possit & corpus animi actionibus inservire.*] Plato verò Legum 11. suadet vino uti, *εἰ μὴ συμφορᾶς ἢ νόσων ἕνεκα* [*nisi corporis reficiendi, vel morbi causâ.*] ¶ *καὶ τὰς πυκνάς σου ἀσθενείας. & frequentes tuas infirmitates*] Multa enim infirmitatum genera consequi solent malè concoquentes. Justinus dicto loco, *Δέον τοῦ μὲν χειμῶνος διὰ τὸ κρύος πίνειν, μέχρι τοῦ μὴ ῥιγοῦν. τοῦ δὲ θέρους διὰ τὴν τῶν ἐντὸς θεράπειαν* [*Cùm hyeme ob frigus bibere oporteat, eousque duntaxat, ne rigeas: æstate, quantum viscerum cura exigit.*] Vide & alia ibi. Adde egregiè dicta à Clemente Pædagogi 2. 2. Græca est sententia,

> *Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει*
> [*Vim magnam vinum lassatis viribus adfert.*]

Hieronymus ad Demetriadem generalem dat regulam, *Neque verò immoderata tibi imperamus jejunia & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur: & ante ægrotare incipiunt, quàm sanctæ conversationis jacere fundamenta. Philosophorum quoque sententia est μεσότητας, ἀρετάς· ὑπερβολὰς, κακίας εἶναι, quod Latinus ita potest sermo resonare,* Moderatas esse virtutes, excedentia modum atque mensuram inter vitia deputari. *Unde & unus de septem Sapientibus, μηδὲν ἄγαν, id est,* Ne quid, *ait,* nimis, *quod tam celebre factum est, ut comico quoque versu expressum sit. Sic debes jejunare ut non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuorum vel porteris, vel traharis manibus: sed ut fracto corporis appetitu, nec in Lectione, nec in Psalmis, nec in Vigiliis, solito quid minus facias.*

24. *Τινῶν ἀνθρώπων αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοί εἰσι, προάγουσαι εἰς κρίσιν. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium*] Redit ad illud de ordinationibus, velut interpositâ παρενθέσει [*Interpositione.*] Et κρίσιν [*judicium*] vocat ἀνάκρισιν [*inquisitionem,*] sive δοκιμασίαν [*explorationem de moribus*] illam quæ fiebat circa ordinandos. Vide supra 3. 10. Tacitè monet Timotheum ut diligenter inquirat in ea quæ id tempus præcessere. ¶ *τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν. quosdam autem & subsequuntur*] Quidam dum presbyterium sperant, vitia sua non tollunt, sed obtegunt, eruptura ubi cupito erunt potiti. De talibus non tenetur ordinator: sed ubi resciverit, dabit operam ut ne Ecclesiastica censura dormiat. Ideo ordinator in eos quos ordinavit intentos semper habebit oculos.

25. *Ὡσαύτως καὶ τὰ καλὰ ἔργα πρόδηλά ἐστι. similiter & facta bona manifesta sunt*] Non tantùm de eo qui ordinandus est, inquirere debes an nihil mali egerit, sed an etiam multum boni. Et huic rei potissimum credes. Qui enim verè pii sunt, eorum pia facta non latent. ¶ *καὶ τὰ ἄλλως ἔχοντα, κρυβῆναι οὐ δύναται. & quæ aliter se habent abscondi non possunt*] נחבה לא יוכל [*celari non poterit*] Jerem. 49. 10. *Si quorum res aliter se habent, ea latere non possunt.* Id est, si qui nulla ediderint bona opera, putà monendo alios, inserviendo ægrotis, sublevando pauperes, facile id tibi erit scire, & tales cavere. Meritò enim suspecti sunt.

PRICÆUS.

1. Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς] Vox *πρεσβυτέρου* ambigua est. D. Halicarnass. 2. *Πρεσβυτέρους καὶ τοὺς ἀρίστους καὶ τοὺς γέροντας ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ λέγειν.* Iis accedo autem qui eam hoc loco non ad dignitatem & ordinem, sed ad ætatem referunt: quo sensu *πρεσβυτέρους ἐντιμᾶν* (quod hic *ἐπιπλήττειν*) Plutarchus in Alexandro dixit. Ità & *πρεσβυτέρους* Act. 20. 17. *majores natu Ecclesiæ,* Vulgatus vertit. *Μὴ ἐπιπλήξῃς,* est, mone cum ea quæ decet reverentia, nè increpa, nè objurga eum. Philo, ubi de Essæorum institutis, *Αἰδὼς ἐστι πρεσβυτέρῳ, καὶ τιμή.* Petronius, *Negavit recte* (me) *facere quod seniori conviciarer.* Platonis est apud Diogenem Laertium, *Ἂν πρὸς πρεσβυτέρους ἁμαρτάνοντας διαλέγηται, ἁρμόττοντας δεῖ λόγους ὡς πρεσβυτέροις διαλέγεσθαι·* quibus nihil ad Apostoli præceptum potest propiùs accedere.

Ibid. *ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα*] In Parænetico Phocylidis dicto, *Πρέσβυν ὁμήλικα πατρὸς, Πατρὸς ἴσαις τιμαῖσι γέραιρε.* Plato de Legibus 9. *Πᾶς αἰδείσθω τὸν ἑαυτοῦ πρεσβύτερον,* &c. *τὸν δὲ προέχοντα εἴκοσιν ἡλικίας ἔτεσιν ἄῤῥενα ἢ θῆλυν, νομίζων ὡς πατέρα ἢ μητέρα διευλαβείσθω.* Plutarchus de Solone, *Τοὺς νέους* (Spartanos nempe) *οὐ μόνον τοὺς ἰδίους αἰδεῖσθαι πατέρας,* &c. (*ἐδίδαξεν,*) *ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς πρεσβυτέρους ἐντρέπεσθαι·* ubi ante aut post *τὸ ἐντρέπεσθαι*, ex antecedente membro, saltem ex sensu rei, *ὡς πατέρας* supplendum. Pythagoras apud Jamblichum, *Καὶ μελετᾶν ἐν μὲν τῇ πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους εὐνοίᾳ τὴν πρὸς τοὺς πατέρας εὔνοιαν.* Hinc *πρὸς τοὺς γονέας καὶ πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους σωφροσύνην*, Demosthenes contra Aristogeit. conjunxit. Plutarchus de Apollonii filio, *Αἰδούμενος τοὺς πρεσβυτέρους,* &c. *ὡς πατέρας.* Cicero Famil. 5. 8. de P. Crasso juvene, *Me sicut alterum parentem observat.* Spartianus in Didio Juliano, *Unumquemque, ut erat ætas, vel patrem* (bene Heraldus *fratrem*) *vel filium, vel parentem, affatus blandissimè est.* Festus Pompejus, *Attam pro reverentia seni cuilibet dicimus, quasi eum avi nomine appellemus.*

Ibid. *νεωτέρους ὡς ἀδελφούς*] *Juniores tanquam fratres.* Aptè autem & hoc præcipit, quia juvenis Timotheus. Libanius, *Τῶν μὲν ἡλικιωτῶν νόμιζε σεαυτὸν ἀδελφὸν εἶναι,* &c. Athenagoras de Christianis loquens, in Legatione, *Καθ' ἡλικίαν, τοὺς μὲν υἱοὺς καὶ θυγατέρας νοοῦμεν, τοὺς δὲ ἀδελφοὺς ἔχομεν καὶ ἀδελφάς.* Adde suprà ex Spartiano adducta. Jamblichus jam citato loco. *Ἐν δὲ τῇ πρὸς τοὺς ἄλλους φιλανθρωπίᾳ* (*μελετᾶν*) *τὴν πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς κοινωνίαν.*

2. *Πρεσβυτέρας ὡς μητέρας*] Hesychius, *Μήτηρ, ἡ πρεσβυτάτη πᾶσα.* Sedulius ad Rom. 16. illud, MATREM EJUS ET MEAM: *Meam ætate, non partu.* Athenagoras ubi suprà, *Καὶ τοῖς προβεβηκόσι τὴν τῶν πατέρων καὶ τῶν μητέρων τιμὴν ἀπονέμομεν.*

Ibid. *ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ*] Ut 1 Tim 2. 2. *ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ.* Ibid. com. 11. *ἐν πάσῃ ὑποταγῇ.* 1 Tim. 3. 6. *ἐν πάσῃ σεμνότητι·* & 2 Tim. 4. 2. *ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ.* In Glossario, *Ἁγνεία, castitas, castimonium.*

3. *Χήρας τίμα, τὰς ὄντως χήρας*] Honorem viduis exhibe, non omnibus tamen, at verè viduis. Ita magistratibus obediendum ait Simplicius in cap. 37. Epictet. at iis qui verè, id est, bene, magistratum gerunt. *Verè viduæ* heic sunt, non nomine tantùm viduæ, sed & congruâ sanctitate conspicuæ. Salvianus in Epistolis, *Matrem Agrippina viduam reliquit, probam, honestam, & de qua audacter dicere valeam, verè viduam.* Sic apud Hieroclem in Pythag. carm. *ὁ ὄντως πατήρ·* apud Philostratum in vita Apollonii, *οἱ ὄντως φιλόσοφοι·* apud Diphilum, *ὁ ὀρθῶς* (id est, *ὄντως*) *συγγενής·* & Joannem, *ἀληθῶς* (id est, *ὄντως*) *Ἰσραηλίτης.* Hesychius, *Τὸ ὄντως, τὸ ἀληθῶς.*

4. *ἢ ἔκγονα*] Idem Hesychius, *Ἔκγονα, τέκνα τέκνων.*

Ibid. *μανθανέτωσαν τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν*] Idem loquendi genus Tit. 3. 14. *Τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν,* ut suprà 3. 6. *τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προΐστασθαι.* Simplicius ad cap. 39. Epicteti, *Ἄνθρωποι παρὰ γονέων εὐθὺς ἐκ παίδων συνεθίζονται θεοσεβεῖν.* Glossæ MSS. ad hunc locum Pauli in Medic. Bibliotheca, *Εὐσεβεῖν, καλῶς διατιθέναι.* *Μανθανέτωσαν*, pro *μανθανέτω*, transit enim

(ut & 1 Cor. 7. 36.) à singulari ad numerum pluralem: sic Terent. Prologo Eunuchi,

Si quisquam est qui placere se studeat bonis, &c.
In his Poeta nomen profitetur suum.

Ad quem locum Donatus inspiciendus. Ecclesiastæ 7. 29. Ἐποίησε (Deus) τὸν ἄνθρωπον εὐθῆ, καὶ αὐτοὶ ἐζήτησαν λογισμοὺς πολλούς. Hesiodus ipse, & (ut Ecclesiastes) de homine loquens,

Ἀλλ' ὅταν ἡβήσειε, καὶ εἰς ἥβης μέτρον ἵκοιτο,
Παυρίδιον ζώουσιν ἐπὶ χρόνον, ἄλγε' ἔχοντες.

Ad quem locum Moschopulus, Ἀπὸ τοῦ μερικοῦ ἀποτείνει εἰς τὸ καθόλου, τοῦτο δὲ σύνηθες καὶ παρὰ τοῖς κοινοῖς. E converso in Herc. fur. Euripides,

Ὅσοι δ' πέξοις χεῖρ' ἔχετ' εὐτυχεῖν,
Ἐν μὲν τῷ λοιπῷ μυρίοις δῖσοῖς ἀφοὺς
Ἄλλοις, τὸ σῶμα ῥύεται μὴ κατθανεῖν.

Ubi à plurali ad singularem transitio. Sic Galat. 6. 1. & 4. 7.

Ibid. καὶ ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις] Hesychius, Ἀμοιβαί, χάριτες, &c. ἀντιαποδόσεις. Vult dicere Apostolus,

Αὐτὴ τραφεῖσα τῶν φυτευσάντων ὕπο,
Μνησθήτω κ' αὐτὴν ἔργον τίκτουσι νέμειν.

De viduis enim, non liberis viduarum, cum nonnullis, Apostolum intelligendum putem: ut eas (inquit) in puritate fidei & pietate vitæ illorum parentes aluere, ità ipsæ, quasi eodem vinculo obligatæ, suos liberos educent. Confer quæ infrà hic com. 8. D. Augustinus Confess. 9. 9. de matre Monica, *Mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam piè tractaverat.* Ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι, ut Paulus, ità & Plutarchus in vita Marii dixit, & Julianus in Misopogone: & sanè utriusque vocis proprietas in hoc & hujusmodi argumentis haud indigna observatu. Iphigenia ad patrem Agamemnonem apud Euripidem,

——Ἐγώ σε πρέσβυν ἆρ' εἰσδέξομαι
Ἐμῶν φίλαισιν ὑποδοχαῖς δωμάτων,
Πόνων τιθηνοὺς ἀποδιδοῦσά σοι τροφάς.

Simplicius in cap. 37. Epicteti, Χρὴ ἐπιμελεῖσθαι παντοίως αὐτοῦ (πατρὸς) &c. καὶ ὡς δανεισαμένους παρὰ τῶν γονέων τὴν ἐπιμέλειαν, ἀποδιδόναι μετὰ τόκων αὐτοῖς εὐγνωμόνως προσήκει. Sic apud Hesiodum θρεπτήρια ἀποδιδόναι. Josephus Antiquit. 20. 5. de Nerone, Τὴν ἀρχὴν παραλαβών, &c. εἰς μακρὰν τὴν μητέρα τὴν ἑαυτοῦ φονεύει, ταύτην ἀμοιβὴν ἀποτίσας αὐτῇ, &c. Philo lib. Quod deter. insid. potiori, Αἱ ῥίζαι τὸν ἐξαρμοσθέντα τρέφουσι καὶ κωλύουσι ἀφαυαίνεσθαι κλάδον, ὁ δὲ εὐκαρπίας ἀμοιβὴν τροφεῖα ταύταις ἀντιχαρίζεται. Hæc non ad Pauli sententiam, sed ad voces adaptamus.

5. χήρα, καὶ μεμονωμένη] Pollux 3. 3. Ἡ δὲ μονωθεῖσα ἀπ' ἀνδρός, χήρα. Iliad. β'. — Χῆραί τε γυναῖκες. Scholiastes, Ἔρημοι, καὶ ἀνδρῶν μονωθεῖσαι. Glossæ, Μεμονωμένος, *solitarius, destitutus*. Vulgatus bene, *desolata*: ità Baruch. 4. 12. idem, *viduam, & desolatam*: ubi in Græco, καταλειφθεῖσαν· quod heic μεμονωμένη. & Thren. Jerem. 1. 1. post ea, *Quomodo sedet sola civitas?* &c. additur, *facta est quasi vidua*, &c. Sic, viduam Pudentillam Apulejus Apolog. *mulierem desolatam* vocavit, & lib. Metamorph. 10. *viduatam desolatamque* junxit. Nec malè interim Recentior, *sola relicta*. Apulejus de eadem Pudentilla, *Tandem*, &c. *se quoque paterentur solitudini suæ*, &c. *subvenire*. Apud Eundem Milesf. 3. illa, *Nostræ viduitati ac solitudini*. Quintilianus Declam. 338. de viduitatis statu, *Huic etiam proprium illud accedit, quod in solitudinem versa sunt quæ fuerant præsidio*. Terentius Andriâ, *Hæc sola'st mulier*: ubi Donatus, *Sine auxilio, sine defensoribus*. His adde Taciti locum infrà ad com. 14. adducendum.

Ibid. ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεὸν] Sic 1 Petr. 3. 1. suprà heic 4. 10. & infra 6. 17.

Ibid. προσμένει ταῖς δεήσεσι καὶ προσευχαῖς] Vide ad Act. 1. 14. dicta.

Ibid. νυκτὸς καὶ ἡμέρας] Assiduè. Vide ad Act. 20. 31. notata. Seneca 61. Epist. *In hoc unum eunt dies ac noctes, hoc opus meum est, hæc cogitatio*. Cicero Tuscul. 2. *Quæ meditare quasi dies & noctes*, Idem 1. de Oratore, *In hoc uno opere*, &c. *noctes & dies urgeantur*.

6. Ἡ δὲ σπαταλῶσα ζῶσα τέθνηκε] Simillimè Martialis,

Qui non cœnat & ungitur, Fabulle,
Is verò mihi mortuus videtur.

Aristophanes Nubibus, Ὦ γύναι, λίαν σπαθᾷς· i. e. secundùm Grammaticos, σπαταλᾷς. Σπαταλῶσα vertit Recentior, *quæ in luxu est*; at cur rejecit Vulgati illud, *quæ in deliciis est?* Plautus Pseud.

Vos quæ in munditiis, molliciis, deliciisque ætatulam agitis.

Sic, *in deliciis conversari* Interpres Hermæ 1. 12. & 3. 6. Gellius 19. 1. *Is multis deliciis corporis & animi diffluebat.* Glossarium, Σπαταλῶ, *delicias ago*. Aliud Glossarium, *Delicatus*, σπάταλος. *Delicia*, σπατάλη. Seneca De brevitate vitæ cap. 12. *Audio quendam ex his delicatis, si modò deliciæ vocandæ sunt, vitam & consuetudinem humanam dedidicere*, &c. id est, ut hic Paulus, ζῶν θνήσκειν. Idem eodem capite *deliciis interire* dixit. Glossæ MS. ad hunc Apostoli locum, in Florent. bibliotheca, Σπαταλῶσα, τρυφῶσα. Hesychius, Κατατρυφῶ, κατασπαταλῶ. Idem, Κατασπαταλᾷ, τρυφᾷ. Ζῶσα τέθνηκε, (ὀξύμωρον, quale Rom. 12. 1. θυσίαν ζῶσαν,) est, μετὰ ζώντων τεθνηκυῖα περιπατεῖ, ut Antiphanes locutus: vel (ut Apocal. 3. 1.) ὄνομα ἔχει ὅτι ζῇ, καὶ νεκρὰ ἐστι· *mortua inter vivos vivis*, ut apud Comicum Cæcilium Gell. 2. 23. *è vivorum numero antequam mortua si, exiit*, ut apud Senecam de Tranquill. c. 3. *est sibi supervivens & posthuma*, ut 1. Apuleji. Lucretius,

Mortua cui vita est propè jam vivo atque videnti.

Sic, ζῶντας ἑαυτοὺς λίθοις τέγγειν, καὶ ἀφροδισίοις τέρπειν, Diogenes in Stobæi Collectaneis: & apud Crobylum de ebrioso,

Ἀποστερῶντα ζῶνθ' ἑαυτὸν τῶν φρενῶν.

Ζῶν ἀποθνήσκει, dixit & Libanius in Apolog. patris. Est (inquit Paulus) mortua quæ in deliciis agit, ut cujus melior pars anima jam vivâ eâ funerata sit: sic ἀθλίων γυναικῶν νεκρὸς βίος Orat. 6. apud Julianum Imperatorem. Ignatius ad Romanos, Ζωὴ ἄνευ Χριστοῦ θάνατός ἐστιν· ità Rom. 8. 13. τὸ κατὰ σάρκα ζῆν, est ἀποθνήσκειν· & ibidem 7. 9. Ἡ ἁμαρτία ἔζησεν, ἐγὼ δὲ ἀπέθανον. P. Chrysologus Serm. 19. *Discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum*, &c. *& fit in corporis sepulcro vivo funus anima jam sepulta*. Idem Serm. 41. de lege membrorum, *Facit ut homo sit suæ mors*, (legerim *vivæ mors*) *vita vitiorum*. D. Augustinus in Psal. 63. de Judæis, *Viventes id se iniquitate mortui sunt*. Chrysostomus Homil. 16. in Acta, ait, eos qui clamant, rident, saltant, &c. omnino nil à mortuis differre: & Sirachides 22. 11. τοῦ μωροῦ ὑπὲρ θάνατον ἡ ζωή· id est, mortuo deflenda magis. Philo in de Profugis libro, Ἐδίδαξέ με (ὁ σοφὸς) ὅτι καὶ ζῶντες ἔνιοι τεθνήκασιν· Ejusdem est, τὸν κακίας βίον ζῆν, τῆς δὲ ἀρετῆς θνήσκειν· & istud, Οἱ ἄθλιοι τὰς ψυχὰς τεθνᾶσι. Etiam ἐν τῇ τῶν Βαρβάρων Φιλοσοφίᾳ, ait Clemens, νεκροὺς καλοῦσι τούς, &c. καθυποτάξαντας τὸν νοῦν τοῖς ψυχικοῖς πάθεσι· Vide ad Luc. 15. 24. annotata. Seneca Epist. 77. de luxuriosa vita, *Ista vita non mors est?* Idem 71. Epist. *Vita mors est, & quidem turpis, inter fœda versantibus.* Et in De vitæ brevit. cap. 12. *Non est ergò otiosus hic, aliud nomen imponas; æger est, mortuus est.* Ibidem cap. 18. *Nec te ad segnem & inertem quietem voco: non ut somno & charis turba voluptatibus quicquid est in te indolis vivæ demergas: non est istud quiescere*: ubi supplendum, *sed mori*. Silius Italicus,

Quantulum enim distant à morte silentia vitæ?

Iterum Seneca Epist. 60. *Hos itaque*, &c. *animalium loco numeremus, non hominum: quosdam verò nè animalium quidem, sed mortuorum*: & statim, *mortem suam antecesserunt*. Apud Eundem Epist. 67. *Attalus philosophus securam*, &c. *vitam mare mortuum vocat*. Idem Epist. 12. de Pacuvio quodam, *Cum vino & illis funereis epulis se sepelisset, quasi sibi parentaret, sic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plausus exoletorum ad symphoniam caneretur*, βεβίωκε, βεβίωκε. Cicero 12. 2. ad Atticum, *Homini non recta sed voluptaria quærenti, nonne* βεβίωται; Plinius avunculus proœmio libri 14. *Voluptas vivere cœpit? vita ipsa desiit.* Plinius Nepos lib. 5. Epist. 5. *Qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt.* Lactantius 6. 1. *Qui bona negligunt animi, & corporis appetunt, in tenebris ac morte versantur.* Et paulò antè, *Addicti & servientes voluptatibus*, &c. *cùm vivere se maxime putant, ad mortem concitatissimè properant.* Eodem libro cap. 21. *Sicut vita perpetua in virtute est, ità mors in voluptate.* Plutarchus λόγ. β'. de Alexandro, Τὸν δὲ Σαρδαναπάλου βίον ἄν τις ἢ τάφον (οὐδὲν γὰρ οἶμαι διαφέρειν) θεασάμενος, &c. Dio Chrysostomus (in De regno & tyrannide) de Eodem, Βασιλεὺς οὐδὲν ἦν αὐτῷ προσῆκον, ἀλλ' ἢ μᾶλλον ἢ τῶν σηπομένων τινὶ νεκρῶν. Theophylactus ad Luc. 16. ea, ἀπέθανε δὲ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη· Τῷ ὄντι γὰρ καὶ ζῶντος κατορωρυγμένη αὐτοῦ ἦν ἡ ψυχή, ὡς τάφον περιφέρουσα τὴν σάρκα. Aristides in περὶ Παραφθ. Κατά σε ἀνήρ τις Σιμωνίδειος ἀμείβεται, ὦ ἄνθρωπε, κεῖσαι ζῶν ἔτι μᾶλλον τῶν ὑπὸ γῆς ἐκείνων. Philostratus 1. 6. de adolescente quodam, Ἐν πότοις ἔζη, μᾶλλον δὲ ἀπέθνησκεν. Juvenalis Sat. 8.

Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum.

Scholiastes,

Scholiastes, *Sic habendus qui morte dignus est, quasi jam perierit, licet quotidie copiose vivat.*

Ibid. ζῶσα τέθνηκεν]

—— Illam
Tartareas vivam constat inire vias.
—— Quid enim status hic à funere differt?
Instar ego hanc vitam mortis habere puto.

Apud Senecam Controvers. 9. 3. Argentarius rhetor, *Quid putatis esse Cestium nisi Cestii cinerem?* Addit Seneca, *Solebat etiam jurare per Manes præceptoris sui Cestii, cum Cestius viveret.*

8. Εἰ δέ τις τῶν ἰδίων, καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων, οὐ προνοεῖ, τὴν πίστιν ἤρνηται, καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων] Lactantius 6. 12. *Qui bonum facit consanguineo, &c. aut nullam, aut certè non magnam laudem meretur, quia facere debet: sitque impius ac detestabilis nisi fecerit id quod ab eo & Natura ipsa & necessitudo exigit.* D. Ambrosius Offic. 1. 32. *Benevolentia à domesticis primum profecta, id est, à filiis, parentibus, fratribus, per conjunctionum gradus in civitatum pervenit ambitum:* & cap. 30. *Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, &c. melius est enim ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere.* D. Augustinus in de Doctrina Christiana lib. 1. *Cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum & quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte conjunguntur.* Post τὶς autem in contextu nostro subaudi χήρα· nec enim cum eximio Expositore quodam hæc refero ad utrumque sexum: vide suprà com. 4. cujus argumentum paulò interruptum hoc loco resumit. Sic infrà com. 15. de viduis, τινές. Sub ἰδίων, sive *suorum*, verbo etiam servos hic comprehendi putem. Philo in RESIPUIT NOE, Παντὶ τῷ δεσπόζοντι οἰκίας ἢ ταύτης κατὰ τὸ ἀναγκαῖον ἀνῆπται Φροντὶς· id est, πρόνοια. Οἰκεῖοι Græcis sunt *consanguinei*, vel, οἱ κατὰ γένος προσήκοντες· vide Pollucem 3. 1. Petronius *proximas necessitudines* vocavit. Glossæ, *Necessarius*, οἰκεῖος, ἀναγκαῖος. Apulejus 11. *Familiares ac vernulæ, quique mihi proximo nexu sanguinis cohærebant:* ubi & οἱ ἴδιοι, & οἱ οἰκεῖοι designati. Juvenalis,

Exstinctus pariter tota cum prole domoque.

Scholiastes, *Cum omnibus suis, vel* (id est, *&*) *propinquis, eradicatus est:* dicas Græcè, σὺν πᾶσι τοῖς ἰδίοις καὶ οἰκείοις. Hesychius, Suidas, Auctor de Græcis vocibus pro accentûs ratione sensum variantibus, & Ammonius in Ἀγχιστεῖς, οἰκείων vocem etiam ad affines extendunt: quod ut non impugno, itá hoc loco interpretandum puto de uxoribus & liberis, aut in liberorum locum succedentibus, qui ex omnibus propinquitatis nexu conjunctis nobis sunt vel maximè οἰκεῖοι. Οὐ προνοεῖ, *non prospicit* Latinè dicas. In vetere Glossario, Προνοέω, &c. *provideo, prospicio.* Sic, *alicui prospicuè consulere*, in 1 Apuleji: &, *prospicuè curare alicui*, apud Eundem 11. Vulgatus, *non habet curam.* Ità Hesychius, (qui & fortè hanc sacri Contextûs vocem interpretari voluit,) Προνοεῖ, ἐπιμελεῖται. Hinc & apud Græcos Juris Interpretes, infantes ἀπρονόητοι, de quibus vide Cujacium ad Novell. 153. de Expositis. Τὴν πίστιν ἤρνηται, factis nempe eam fidem destruens quam verbis asserit. Καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων, quia Ethnici (id est ἄπιστοι) suas primùm domos tutantur, suasque necessitudines fovendas omnibus modis censent. Apulejus de Philosophia, *Necessitudinis & liberorum amor Naturæ congruus est.* Galgacus apud Tacitum, *Liberos cuique ac propinquos suos Natura charissimos esse voluit.* Faustina in Epistola ad Marcum apud Vulcatium Gallicanum, *Non enim pius Imperator, qui non cogitat uxorem & filios.* Cicero 2. de Oratore, *Neque boni est, neque liberalis parentis, quem procreavit & eduxerit, eum non vestire & ornare.* Idem in Epist. ad Capitonem, *Suos quisque debet tueri:* & in lib. de Amicitia, *Fructus, &c. omnis præstantiæ tum maximè capitur cùm in proximum quemque confertur.* Plutarchus de Marco Catone, Οὐχ, ὡς τοὔλαιον οἱ ἰατροί φασι τοῦ σώματος εἶναι τοῖς μὲν ἐκτὸς ὠφελιμώτατον, τοῖς δ' ἐντὸς βλαβερώτατον, οὕτως ὁ δίκαιος ἑτέροις μὲν ἐστι χρήσιμος, αὑτοῦ δὲ καὶ τῶν ἰδίων ἀκηδής. ἀλλ' ἔοικε ταύτῃ κεπηρῶσθαι τῷ Ἀριστείδῃ τὸ πολιτικὸν, εἴπερ, ὡς οἱ πλεῖστοι λέγουσιν, οὐδὲ προῖκα τοῖς θυγατρίοις, οὐδὲ ταφὴν αὑτῷ καταλιπέσθαι προὐνόησεν. Homerus de Ulysse,

Κήδετο δ' οἰκῆων οὓς κτήσατο. ——

Ubi κήδετο est, προὐνόησεν. Iterum Cicero, *Principes* (in officiis accipiendis) *sunt patria & parentes, &c. proximi liberi, totaque domus quæ spectat in nos solos: neque aliud ullum potest habere perfugium.* Terentius 1. 1. Andr. de muliere illa,

—— Inopiâ, & cognatorum negligentiâ
Coacta. ——

Ubi Eugraphius, *Quorum debuerat ope atque auxilio fulciri.*

Hinc & apud Poëtam præcipuum, inter eos quos apud Inferos pœnæ exspectant, numerantur

—— Qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis. ——

Ubi Servius (Commentatorum utilissimus) *Suis, id est, cognatis & affinibus; hæc enim fuerat apud Majores donandi ratio, non passim profusa.* Idem in Æneæ ad Magum ea lib. 10.

Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Natis parce tuis. ——

Qui in Virgilium declamationes scripsit, sic de hoc loco ait ex persona Æneæ, Improbus es qui aut Regi dones, aut filios exhæredes. Cicero ex persona agricolæ rationem cur secuturis ætatibus serat edentis, *Me* (Dii) *non accipere tantummodo à Majoribus voluerunt, sed etiam posteris tradere:* ubi *posteros* par est præcipuè οἰκείους intelligamus.

Ibid. τὴν πίστιν ἤρνηται, καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων] Ità Hierocles ad Carmen aureum de non veris sermonibus, Τὴν εὐγένειαν τῶν λόγων ἠρνήσαντο (evacuant, irritam reddunt) καὶ εἰσὶν ἠλογημένης ψυχῆς φωναί.

9. Χήρα καταλεγέσθω, &c.] Suidas, hæc Apostoli respiciens, Καταλεγέσθω, κατατασσέσθω.

Ibid. μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα] Plutarchus de Lycurgo, Ἀντὶ τοῦ τελευτῶντος (βουλευτοῦ) ἔταξε καθιστάναι τὸν ἄριστον ἀρετῇ κριθέντα τῶν ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γεγονότων. Vulgatus hic, *non minus annorum sexaginta.* Est quidem in Græco ἔλαττον, non ἐλάττων. Putem eum nihilominus scripsisse, *non minor annorum s.* Trajanus in Epistolis Plinii lib. 10. *Eos qui minores xxx. annorum sunt:* in l. 8. ff. de Vacat. & excusat. muner. *Major annûm Lxx.* & lib. 5. Apuleji, *Quot jam sis annorum oblita es?*

Ibid. γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή]

Quæ timuit sese vinclo sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit.

Ibid. γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή] Ea quæ verè & ex animi sententia possit dicere,

—— Sat erit mihi cognitus unus.
Ille meos primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit: ille habeat secum, servetque sepulcro.

Glossarium Isidori dictum, *Unicuba, unius viri uxor.* D. Augustinus Confess. 9. 9. de matre Monica, *Fuerat unius viri uxor.* Sic de Ecclesia Cyprianus, *Unam domum novit, unius cubiculi castitatem sancto pudore custodit.* Nec decebat sanè in re tam laudabili Christianas à fœminis Gentium superari. Servius ad Æneid. 3. *Flaminicam non nisi unum virum habere licet.* Horatius Car. 3. 14.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat, justis operata Divis.

Seneca Controvers. 1. 2. *Eam sacerdotem facite quæ honestè manens quod fuit.* Catullus,

Vos unis senibus bonæ
Cognitæ bene fœminæ,
Collocate puellam.

Terent. Phorm.

—— Ut cum uno ætatem degeret:

ubi Donatus, *Quid enim est pudicitia nisi unius viri scientia?* Plautum Mercat.

—— Uxor contenta est, quæ bona est, uno viro.
—— Contentam uno vixisse marito,
Nuptarum una est è laudibus eximiis.

10. Ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη] Repete hic quæ suprà ad cap. 3. com. 7, & 10. ex Senecæ Controversiis adducta: & adde quæ ad Act. 6. 3. & 10. 22. annotata.

Ibid. εἰ ἐτεκνοτρόφησεν] Pollux 3. 3. Ἕπεται τῷ γάμῳ τεκνοποιΐα καὶ τεκνοτροφία. Apulejus in Apologetico, *Hascine gratias, &c. matri rependis ob quatuordecim annorum longas alimonias?* Adde Claudianum infrà ad com. 14. adductum. Valerius Maximus, *Parentes nos alendo nepotum nutriendorum debito alligarunt.*

Ibid. εἰ θλιβομένοις ἐπήρκεσεν] Hesychius, ex hoc Apostoli loco, Ἐπήρκεσεν, ἐβοήθησεν. Idem, Ἐπαρκεῖ, χορηγεῖ, βοηθεῖ. In vetere Onomastico, *Sufficio*, Ἐκποιῶ· ubi malim ἐπαρκῶ scribi: ità in Glossario, ἐπαρκῶ, *sufficio.* Ἐπαρκεῖν autem cum dativo personæ (tacito rei accusativo) conjunctum, apud probos Scriptores multoties reperire est: quia nec facilè tamen exempla occurrunt in Vulgatis linguæ Græcæ Vocabulariis, non inanem me sumpturum operam putârim, si heic quædam apposuero. Aristophanes in Pluto, Plutarchus in Publicola, Anonymus apud Suidam in Ἄλλως, Philostratus in Herodis, item in Damiani vita, ἐπαρκεῖν τοῖς δεομένοις dixere. Epiphanius hæres. 18. τοῖς ἐνδεομένοις ἐπαρκεῖν. Idem in contra Gnosticos, pro eo quod Act. 20. 34. τοῖς οὖσι μετ' ἐμοῦ ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες

αὗται,

αὐταί, habet ἐπήρκεσαν αἱ χεῖρες αὗται. Apud Pollucem 3. 23. habemus πολύδωρος, τοῖς δεομένοις ἐπαρκῶν· apud Suidam (in verbo Ἐπήρκεσεν) ἐπαρκεῖν φιλοσόφοις· apud Theocritum eidyll. κϛ´. ἐπαρκεῖν τέκνοις· apud Pindarum, ἐπαρκεῖν φίλοις (ità enim, non ἐξαρκεῖν, videtur legendum, cùm & Euripides eodem modo ἐπαρκεῖν φίλοις dixerit.) Est in Excerptis Memnonis τοῖς χρῄζουσιν ἐπαρκεῖν· & in senario Græco, ἐπαρκεῖν ξένοις· apud Basilium in De vera Virginitate, ἑαυτῷ ἐπαρκεῖν· apud Eundem Homil. in famem & siccitatem, ἐπαρκεῖν χρείαις· & Homil. εἰς τοὺς πλουτοῦντας, τοῖς αἰτοῦσιν ἐπαρκεῖν, in fragmentis Diodori Siculi, τοῖς δεδεμένοις ἐπαρκεῖν· apud Plutarchum in De amici & adulat. discrim. πολλοῖς ἀρκεῖν, ubi & meliùs ἐπαρκεῖν reponas: sic enim in Ejusdem παραμυθητικῷ, τοῖς ἄλλοις ἐπαρκεῖν, & in libro De sui laude, τῇ φιλοδοξίᾳ ἐπαρκεῖν· nec aliter Marcianus Heracleota in Periegesi, Arrianus 3. 26. in Epictetum, Xenophon in Oeconomico, item 1. 2, & 5. Memorabilium, Plutarchus in Artaxerxis vita, & Dio in Augusti rebus.

Ibid. *εἰ παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπηκολούθησεν*] Sic Coloss. 1. 10. ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφορεῖν. Ἐπακολουθεῖν heic est, occasiones benefaciendi sectari, curare nè elabantur. Ità Seneca 4. 13. de Benef. *Quare dat vir bonus? nè non det: nè occasionem benefaciendi perdat:* & ibidem 7. 4. de εὐχαρίστῳ, *Huic uni imminens & opperiens, nè qua se fugeret occasio*, &c. & Suetonius de Nerone loquens, ad pravas nondum artes deflexo, *Neque liberalitatis, neque clementiæ, neque comitatis exhibendæ ullam occasionem omisit.* Glossæ, *Sectatur*, &c. ἐπακολουθεῖ. Glossæ aliæ, Ἐπακολουθῶ, *insequor, subsequor, sector, adsector.* Glossæ MSS. (in Biblioth. Florent.) ad hunc Pauli locum, Ἐπηκολούθησεν, ἐκοινώνησεν, ὑπηρέτησεν.

11. *ὅταν καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ*] Pro, ὅταν στρηνιάσωσι κατὰ τοῦ Χριστοῦ. Sic apud Jacobum 2. κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως· i. e. καυχᾶται κατὰ κρίσεως. Suidas, Καταστρηνιᾶν, γαυριᾷ. Glossæ jam dictæ Medic. Καταστρηνιάσωσι, καταβλακευθῶσι, καταθρυφθῶσι. Est vox tantundem valens ac στρηνιᾶν ἡμᾶς. Non dissimili nec sensu nec figurâ Clemens Stromat. β´. ἀποσκιρτᾶν τῆς ἀληθείας dixit, *in deliciis ac luxuriis versari adversus Dei benevolentiam*, Irenæus 3. 44. &, *aberrare à disciplina Legis, & vincula abrumpere*, 5. 23. Lactantius. Habemus etiam metaphoricè apud Hesychium, Στρηνιᾶν, τὸ διὰ πλοῦτον ὑβρίζειν. Vulgatus, *cùm luxuriatæ fuerint in Christo:* at ille fortè *in Christum* scripsit: quomodo & videtur legendum.

Ibid. *γαμεῖν θέλουσι*] Theano, Οὐ φορητὴ νέαις ἡ χηρεία. Apulejus de Pudentilla sua, *Non libenter in ipso ætatis suæ flore tamdiu vidua.* Tacitus Annal. 14. de vidua Agrippina, *Invidiam, & preces orditur, subveniret* (Tiberius) *solitudini suæ; habilem adhuc juventam sibi*, &c. Adde quæ infrà ad com. 14. ex Tertulliano adducenda.

12. *Ἔχουσαι κρίμα ὅτι τὴν πρώτην πίστιν ἠθέτησαν*] Damnatæ, saltem damnandæ, ut milites desertores: in iis enim, πίστιν ἠθέτησαν, ad secularem militiam heic allusum putem. D. Augustinus de militibus loquens, Serm. 1. Fest. Pentecost. *Sacramentis obligantur, & Dominis suis fidem se servaturos profitentur.* *Fidem* heic apud Apostolum intellige Christo (id est, Ecclesiæ) datam, de perpetua viduitate servanda. Matrimonium Paulus non improbat, nuptias autem post votum factum de non ampliùs nubendo. Idem Augustinus in Psal. 75. *Vidua quæ jam sic pervenire voluerat, voluit nubere: hoc voluit quod licuit ei quæ nupsit; sed illi non licuit, quod de suo loco retrò respexit.* Et paulò antè, *Nescio quæ castimonialis nubere voluit: quid voluit? quod & virgo qualibet, quod & mater ipsius: aliquid mali ergò voluit? mali planè: quare? quia jam voverat Domino Deo suo.* Contrariæ hujusmodi viduis de quibus Paulus, sunt χῆραι περὶ πίστιν σωφρονοῦσαι, in Polycarpi ad Philippenses Epistola. Τὴν πρώτην πίστιν ἀθετεῖν heic, ut Apocal. 2. 4. τὴν ἀγάπην πρώτην ἀφιέναι. Ἠθέτησαν, *irritam fecerunt.* In Glossis, Ἀθετῶ, *reprobo.* Ἀθετεῖν πίστιν autem est & in Diodori Siculi fragmentis.

13. *Ἅμα δὲ ἀργαὶ μανθάνουσι περιερχόμεναι τὰς οἰκίας*] Ambulatrices esse: quod vitii genus vel villico Cato posse objici noluit. Sedulius ad illa 1 Thess. 5. UT QUIETI SITIS: *Quidam enim eorum inquieti per diversorum domos discurrebant.* Phædrus,

> *Est ardelionum quædam Romæ natio,*
> *Trepidè concursans, occupata in otio,*
> *Gratis anhelans, multa agendo nil agens,*
> *Sibi molesta, & aliis molestissima.*

Seneca de Tranquill. animi cap. 12. *Circumcidenda est concursatio, qualis est domos, &c. pererrantium. Horum si aliquem exeuntem domo interrogaveris, Quò tu? Quid cogitas? respondebit tibi, Non mehercule scio, sed aliquem videbo, &c. Inconsultus illis vanusque cursus est, qualis formicis per arbusta repentibus: quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur.* Latè autem in sequiore sexu ista intemperies dominatur. Apud Plautum illa in Casina, Sc. *Obsignate*,

> *Ego huc transeo in proximum ad meam vicinam*,

ad garriendum nempe. In ejusdem Milite,

> —— *Te alloquor vitiis probrique plena,*
> *Quæ circum vicinas vagas.* ——

Ubi commodè ejusmodi discursatricem dixit *probri plenam*. Hieronymus ad Demetriadem, *Ut taceam de cæteris quarum importuna visitatio & se & alias infamat.* Adde Euripidis locum ad Tit. 2. 4. adductum. In Solomonis Gnomologico, 7. 11. Ἐν οἴκῳ οὐχ ἡσυχάζουσιν οἱ πόδες αὐτῆς, &c. ἔξω ῥέμβεται, &c. De tali Hesychius, Λεωφόρα, ῥεμβομένη, &c. θέλουσα ἐνοχλεῖσθαι. Philo in περὶ τοῦ μίσθωμα, &c. Περιπαθημένη, μύρων εὐωδεστάτων ἀποπνέουσα, τὴν ἀγορὰν οἰκίαν νομίζουσα. Talis Epicharmo apud Stobæum γυνὴ φιλέξοδος, Theognidi περίδρομος. Sirachidis 9. 3. in Latino, *multivola*. De viduis autem, ut hoc loco Paulus, ità scribit Hieronymus, *Solent jugo servitutis excusso, agere se liberiùs, adire balneas, volitare per plateas:* & hinc apud Eundem ad Furiam, *viduarum libertate circumferri:* Unde & Ignatius ad Philadelphenses, Αἱ χῆραι μὴ ῥέμβαι, &c. μὴ περιτροχάδες. *Viduam vagam* habemus & in Dialogo 2 Sulpitii Severi. Contrariâ Judith vidua virtute conspicua erat: vide Judithæ 8. 6. Ἀργαὶ μανθάνουσι, pro ἀργίαν μανθάνουσι, vel, ἀργὰς εἶναι μανθάνουσι· quod non est cur quis dubitet an sit Græcè dictum. Euripides Medeâ,

> Χρὴ δ᾽ ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ᾽ ἀνήρ,
> Παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς.

Id est, σοφίαν, vel σοφοὺς εἶναι. Lucianus Charonte, Τὰς κεφαλὰς ἀπότεμνε, &c. ὡς εἰδῶσιν ἄνθρωποι ὄντες· pro ἀνθρώπους ἑαυτοὺς εἶναι. Plutarchus in De liber. educ. Μαθέτω γνώμης διαμαρτάνειν. Philo in περὶ κοσμοπ. Τὰ γινόμενα οὐδενὶ πρῶτον οἰκειοῦσθαι πέφυκεν ἢ ταύτῃ, χαίροντα μὲν ἡδονῇ, τὴν δ᾽ ἐναντίαν ἀλγηδόνα δυσχεραίνοντα· pro χαίρειν, & δυσχεραίνειν. Sic apud Suidam in Θεοδόσιος, βασιλεὺς ἐλπίζων. Invenio & apud Latinos idem genus loquendi. Martialis,

> *Fac discat citharœdus aut choraules.*

Quod non intelligens Gulielmius, Verisimil. 3. 19. *fac discas* reponebat. Scholiastes vetus Juvenalis ad Sat. *Didicit à patre luxuriosus & gulosus:* id est, gulam & luxuriam vel luxuriari, & gulonem agere.

Ibid. *οὐ μόνον δὲ ἀργαί, ἀλλὰ καὶ φλύαροι*] Nil mirum garrulas fuisse quæ otiosæ erant. Ammianus Marcellinus lib. 28. *Horum domos otiosi quidam garruli frequentant.* Euripides Hippolyto,

> *Μακραί τε λέσχαι καὶ σχολή, τερπνὸν κακόν.*

Idem Iphigeniâ in Aulide, de exercitu,

> —— Ἀργὸς ὢν τῶν οἴκοθεν,
> *Λέσχας πονηρὰς καὶ κακοστόμους φιλεῖ.*

Philo de plebe Alexandrina, Ἀργῶν ὄχλος, καὶ σχολάζων & post, πλῆθος ἐπιτετηδευκὸς γλωσσαλγίαν, &c. Hinc apud Plinium lib. 1. epist. 22. *fabulationibus longis suum*, &c. *otium delectare.* Bene lib. 1. cap. 11. Columella, *Nihil agendo homines malè agere discunt.*

Ibid. φλύαροι]

> *Inter fœmineas noctesque diesque cathedras*
> *Perstant, atque aliqua semper in aure sonant.*

Sermocinatrices immodicæ Apulejus diceret. Apud Plautum illa de toto sexu suo in Aulularia, Sc. *Scire velim*,

> —— *Haud falsa sum nos odiosas haberi,*
> *Nam multùm loquaces meritò omnes habemur.*

Achilles Tatius lib. 5. Φιλόμυθον τὸ τῶν γυναικῶν γένος. Euripides Phoenissis,

> —— Ἡδονὴ δέ τις
> Γυναιξὶν οὐδὲν ὑγιὲς ἀλλήλαις λέγειν.

Idem de mulieribus loquens apud Aristophanem Thesmophor.

> Τὰς οἰνοπότας, τὰς προδότιδας, τὰς λάλους.

Fulgentius Mythol. 1. *Mulierum verbalibus undis causidici cedunt, & Grammatici mutiunt, Rhetor tacet, & clamorem præco compescit.* Senex apud Cæcilium Statium de uxore sua apud Gell. 2. 23.

> —— *Nunc credo inter suas*
> *Æquales & cognatas sermonem serit*, &c.

Juvenalis 6.

> — *Famam rumoresque illa recentes*
> *Excipit ad portas: quosdam facit isse Niphatem*
> *In populos, magnoque illic cuncta arva teneri*
> *Diluvio, mutare urbes, subsidere terras,*
> *Quocunque in trivio, cuicunque est obvia, narrat.*

Ubi & φλυαρὰν & περιερχομένην habemus. Contrà de sobria & prudenti Simonides,

Οὐδ᾽

Οὐδ᾽ ἐν γυναιξὶν ἥδεται καθημένη,
Ὅπου λέγουσιν ἀφροδισίους λόγους.

Et Clemens Stromat. 2. *Προὐργιαίτερον τιθεμένη τῆς ἀπείρου φλυαρίας τὴν ἀπειρίαν.* *Φλύαροι* heic *nugaces* Erasmo, nec aliter in Onomastico: bene & Vulgat. *verbosæ*. Glossarium, *Φλύαρος, garrulus, verbosus*: aliud Glossarium, *Verbosus, ἀδόλεσχος, Φλύαρος.*

Ibid. *Φλύαροι*] *Leves, futiles, & importunæ locutrices*, si loqui verbis Gellii licuerit. Hesychius, *Ἐφλυάρει, ἐλήρει, ἐμωρολόγει.* Bene autem & hoc vitium, ut otiolitati, ita & discursationi conjunctum. Apud Epicharmum jam laudato Stobæi loco, *γυνὴ λάλος, καὶ Φιλέξοδος.* Hieronymus in Epistolis, *Garrulum nescio quem*, &c. *circumforaneum.*

Ibid. *καὶ περίεργοι*] *Curiosæ*, id est, de alienis negotiis sciscitatrices. In Sticho Plautina, Sc. *Famem*,

Sed curiosi sunt heic complures mali,
Alienas res qui curant studio maximo.

Seneca de Tranquill. animi, cap. 12. *Ex hoc malo* (otiosam per aliorum domos discursationem, quam & heic Apostolus intelligit) *dependet illud teterrimum vitium auscultatio, publicorum secretorumque inquisitio, & multarum rerum scientia, quæ nec tutò narrantur, nec tutò audiuntur. Otiosis nil esse curiosius*, dixit & Plinius lib. 9. ep. 32. In Glossis, *Περιεργάζομαι, sciscitor, otiose ago.* Optimè, *otiosi* enim sunt & *sciscitatores*: vide suprà notata, ad ea, *οὐ μόνον ἀργαὶ, ἀλλὰ καὶ Φλύαροι* nisi pro *otiosè ago*, malueris reponere *odiosè ago*: sciscitatores enim *odiosi* vocari solent, id est, molesti. Apulejus 8. *Odiosus emptor aliud ex alio non desinit quærere*; id est, sciscitari: ad quem locum annotata confer.

Ibid. *Φλύαροι καὶ περίεργοι*] Vulgat. *verbosæ & curiosæ*: credas desumpta ex Apulejo, qui lib. 5. *avem verbosam & curiosam* dixit. Solent autem hæc duo vitia mutuò fovere se. Donatus in Hecyram Terentii, *Curiositas signum est loquacitatis*: unde & Hesychius, *πολύμυθον*, non tantùm *Φλύαρον* exponit, sed & *περίεργον*. Plutarchus in *περὶ πολυπραγμοσύνης*, *Τῇ πολυμαθίᾳ* (*πολυμαθίαν* ibi id vocat quod heic Paulus *περιεργίαν*,) *τὴν πολυλογίαν* (quod heic *Φλυαρία*) *συμβαίνει ἕπεσθαι.* Idem in *περὶ ἀδολεσχίας*, *Τῇ δὲ ἀδολεσχίᾳ καὶ ἡ περιεργία, κακὸν οὐκ ἔλαττον, πρόσεστι· πολλὰ γὰρ ἀκούειν θέλουσιν ἵνα πολλὰ λέγειν ἔχωσιν.*

Ibid. *λαλοῦσαι τὰ μὴ δέοντα*] Sic 2 Maccab. 12. 14. *λαλοῦντες ἃ μὴ θέμις*, & Tit. 1. 11. *διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ* ad quem locum plura. Qualia autem & cujusmodi heic sint *τὰ μὴ δέοντα*, intelligere est ex his Hieronymi de hujusmodi fœminis in ad Eustochium Epistola, *Istiusmodi hortari solent, & dicere, Mi catella, rebus tuis utere, & vive dum vivis; numquid filiis tuis servas?* & ibidem, *Nulla illis nisi ventris cura est, & quæ ventri proxima: vinosa atque lasciva quævis mali insinuant, & ferreas quoque mentes ad delicias emolliunt.*

14. *Βούλομαι οὖν νεωτέρας χήρας γαμεῖν*] Nè quæsitum aliunde vagentur. Plutarchus de matrimonio loquens, in De liber. educ. *Δεσμὸς οὗτος τῆς νεότητος ἀσφαλέστατος.* Ignatius, at de sexu nobiliore, in Damasceni parallelis, *Τοῖς νεωτέροις ἐπίτρεπε γαμεῖν πρὶν διαφθαρῶσιν εἰς ἑταίρας.* Virgilius 4. *Ægram animi*: ubi Servius, *Ægram ad morbum animi referas: id est, ut stultitiam judicet in juventa ætate nuptiis abstinere.*

Ibid. *τεκνογονεῖν*] Claudianus,

Nascitur ad fructum mulier, prolemque tuendam.

In l. 2. Cod. de indicta viduit. *Mulieres ad hoc Natura progenuit, ut partus ederent.* Et hunc finem Apostolus vult intueri eos qui iterant conjugium. Non mirum autem id præcipi Christianis quod hominibus vel inter Paganos sobriis in rei talis aggressione solebat animo obversari. Plinius ad Trajanum scribens, *Liberos habere concupisco*, &c. *sicut potes duobus matrimoniis meis credere.* Virgilius 4. *Nec dulces natos*, &c. — ubi Servius, *Propter liberos, quæ fuit causa secundi matrimonii.* Imò matrimonium D. Augustino (lib. contra Manichæos 19.) ideo dictum esse creditur, quòd fœmina ob id potissimùm nubere debeat, ut mater fiat. Plutarchus in vita Numæ, *Ὡς ὑπ᾽ οὐδὲν ἄλλο γαμουμένων ἢ τὸ τεκνώσεως ἔργον.* Quod *ἔργον* cùm parùm prosperè succederet Theosebio philosopho, dato annulo temperantiæ uxori suæ, fecit potestatem ei aut diviso deinceps toro habitandi secum, aut, si id minùs placeret ei, cum alio nubendi. Damascius apud Photium cod. 242.

Ibid. *οἰκοδεσποτεῖν*] Hâc voce significari solet jus illud quod in recèns nuptas transibat, cùm primùm domos maritorum ingrederentur. Hinc *οἰκοδέσποιναι* Græcis, & *Domina* apud Latinos. Plutarchus Quæst. Rom. § 30. formulam illam, *Ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα*, inter alios exponendi modos sic explicat, *Ὅπου σὺ Κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα.* Virgilius 6. *Dominam Ditis*: ubi Servius, *De Græco tractum, qui uxorem δέσποιναν dicunt.* Vetula apud D. Augustinum Confess. 9. 8. ad filiolas heri sui, *Cum ad maritos veneritis factæ Dominæ apothecarum & cellariorum*, &c. Theano Pythagorica, *Ταῖς νεωτέραις ὑμῖν*: (Apostolus heic, *βούλομαι νεωτέρας γαμεῖν*) *ἡ μὲν ἐξουσία παρὰ τοῦ νόμου δέδοται τῶν οἰκετῶν ἄρχειν ἅμα τῷ γαμεῖσθαι.* ubi pro *οἰκετῶν*, malim *οἴκων* vel *οἰκιῶν ἄρχειν*, legi: id est, *οἰκοδεσποτεῖν*. Ità & in Epithalamio Juliæ Catullus,

En tibi domus & potens
Et beata viri tui,
Quæ tibi sine serviat.

Tibullus 1. 5. de Delia sua,

Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ:
Et juvet in tota me nihil esse domo.

Apud Apostolum autem *τὸ οἰκοδεσποτεῖν* non nudam tantùm matrumfamilias potestatem, sed & ejusmodi potestati curam adhærentem designat. Auctor De causis corr. eloqu. de melioribus rei Romanæ temporibus agens, *Suus cuique filius* (erat) *casta ex parente natus*, &c. *cujus præcipua laus erat tueri domum, liberis inservire.* Columella in Præfatione lib. 12. *Apud Græcos, & mox apud Romanos, usque in patrum nostrorum memoriam, ferè domesticus labor matronalis fuit: tanquam ad requiem forensium exercitationum omni curâ depositâ, patribusfamilias intra domesticos penates se recipientibus.* Quibus simillima ad 2 Tim. 4. apud Theophylactum leguntur. Ovidius Trist. 4. 15. ad uxorem suam.

——————— *Rerum sola es tutela mearum,*
At te non parvi venit honoris onus.

Id est, onus *οἰκοδεσποτείας*.

Ibid. *οἰκοδεσποτεῖν, μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι*, &c. *λοιδορίας χάριν*] Notemus conjunctionem istam. Apulejus de fullonis cujusdam uxore lib. 9. *Secundo rumore gloriosa, larem mariti pudicè gubernabat.* Apostoli verbis vertas, *μηδεμίαν ἀφορμὴν διδοῦσα λοιδορίας χάριν, οἰκοδεσπότευεν.* In Latino Tobiæ 10. 13. de patre & matre Saræ marito destinatæ, *Dimiserunt ire, monentes eam*, &c. *regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.*

Ibid. *μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν*] *Παρείσδυσιν συκοφαντίας τοῖς Φιλολοιδόροις ἀποτειχίζειν*, ut Proclus, at in re alia, in De Fide locutus. Hesychius, *Ἀφορμὴ*, &c. *πρόφασις, αἰτία*.

Ibid. *μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν*] Plaut. Stich.

—— *Ut per urbem cùm ambulant,*
Omnibus os obturent, ne quis merito maledicat sibi.

Hoc, *μηδεμίαν ἐγκλήματος ἀφορμὴν διδόναι*, lib 1. vocat Diodorus Siculus: &, *ἐκκόπτειν ἀφορμὴν τῶν ἀφορμὴν θελόντων*, 2 Cor. 11. 12. Apostolus noster. Ignatius ad Trallianos, *Μὴ ἀφορμὰς δίδοτε τοῖς ἔθνεσιν* nimirum, *λοιδορίας χάριν*. Simile apud Isocratem ad Nicoclem, *οὕτω*, &c. *πολιτεύεσθαι, ὥστε μηδ᾽ ἄν τις βούληται διαβάλλειν, ῥᾴδιον εἶναι.* *Ἀφορμὴν*, prætextum, vel occasionem rumorum fabularumque. Quintilianus Declam. 306. de fœmina, &, ut heic, de nuptiis agens, *Cur in fabulas eat? cur habeant materiam maligni?* materiam (sive *ἀφορμὴν*) *λοιδορίας* nempe. Seneca Controvers. 2. 7. *Adversus omnes illecebras, atque omnia delinimenta*, &c. *est veluti solum ac firmamentum in nullam incidisse fabulam*: *μηδεμίαν λοιδορίας ἀφορμὴν δεδωκέναι.* Id optimè nuptiis cavetur, quas idcirco heic Paulus indulget. Annal. 4. Tacitus de Agrippina, *Subveniret* (Cæsar) *solitudini, daret maritum: habilem adhuc juventam sibi, neque aliud probis quàm ex matrimonio solatium*: ubi *probis* verbis Apostoli dicas quæ *μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι θέλουσι λοιδορίας χάριν.* Apud Senecam Controvers. 2. 6. ille, *Uxorem maturè duxi*, &c. *quod ad omnem me tutum fabulam præstitit.* Tertullianus ad Uxorem, 1. 4. *Carnis concupiscentia ætatis officia defendit*, &c. *dicit virum necessarium sexui, & auctoritatis & solatii causâ, & ut à malis rumoribus* (*λοιδορίαις*) *tuta sit.* *Μηδεμίαν ἀφορμὴν τῷ ἀντικειμένῳ διδόναι*, heic, ut *τῷ Φθόνῳ ἀφορμὴν οὐ διδόναι*, lib. 13 Diodori Siculi: &, *nullam occasionem dare*, apud Suetonium in Vita Caligulæ. *Sermoni obtrectatorum locum non relinquere*, Cicero in pro Flacco dixit: *nullam obscœni rumoris in se fabulam dare*, Hieronymus ad Heliodorum, & 2 contra Jovinianum. Lucianus Jove Tragœdo, *Μὴ παράσχῃς τῷ συκοφάντῃ τούτῳ ἀφορμὰς διαβάλλειν* È converso in ejusdem Piscat. *τοῖς κατηγορεῖν θέλουσιν ἀφορμὰς παρέχειν* quod heic *διδόναι*. Apud Plutarchum in Themistoclis Vita, *τοῖς ἐχθροῖς ἀφορμὰς παρέχειν* id est, (ut lib. 1. Diod. Siculi,) *τοῖς ἐχθροῖς κατηγορίας ἀφορμὴν παραδιδόναι* ubi melius (ut in jam ex eodem adductis locis) *διδόναι* legas. Ità, *τοῖς τὴν Φιλοσοφίας καθεστάζεσθαι βουλομένοις ἀφορμὰς διδόναι*, in Laertii Bione. *Materiam sermonum detrahere volentibus dare*, apud Ciceronem

nem ad Quintum fratrem: *sermonem* (id est, materiam sermonis) *dare*, apud Eundem 9. 3. Famil. & apud Petronium, etiam in impudicitiæ argumento, *locum sermonibus dare.* Ὁ ἀντικείμενος heic, non est, ut 2 Thess. 2. 4. diabolus, sed è Judæis vel Gentibus obtrectator quispiam. In Glossis, Ἀντικείμενος, *adversarius*, *obtrectator.* Tit. 2. 8. ὁ ἐξ ἐναντίας dicitur: ubi & μηδὲν φαῦλον ἔχων λέγειν, est, quod μηδεμίαν λοιδορίας ἀφορμὴν, Apostolus hoc in loco vocat.

16. εἰ δέ τις πιστὸς ἢ πιστὴ, &c.] Recentior operosè, *si quis, aut si qua fidelis.* Vulgat. *si quis fidelis*, & plenè & eruditè. Verbum enim *si quis* tam fœminam quam masculum complectitur; l. 1. ff. de V. S.

Ibid. καὶ μὴ βαρείσθω ἡ ἐκκλησία] Immerito sumptu non oneretur Ecclesia. Justinianus Novell. ξζ. ex hoc Pauli loco. καὶ δαπάναις τὴν ἐκκλησίαν βαρύνειν. Ità δαπάναις καὶ παρασκευαῖς βαρύνειν, Plutarchus in Catonis Vita: δαπάνῃ τὸ κοινὸν βαρύνειν, in Fragmentis Dionis Cassii: *cibum patrimonio gravem*, Seneca cap. 1. de Tranquill. & *graves censibus uniones*, (id est, δαπάνῃ τὴν οὐσίαν βαρύνοντας) Hieronymus ad Demetriadem.

Ibid. ἵνα ταῖς ὄντως χήραις ἐπαρκέσῃ] Interpres Nicomacheorum 4. 1. §. 11. de verè liberali, Οὐδὲ τοῖς τυχοῦσι δώσει, ἵν' ἔχῃ διδόναι οἷς δεῖ, καὶ ὅτε. Trajanus apud Plinium juniorem Prusæensibus novi balnei instructionem eà lege indulget, nè minus illis in posterum fieret ad necessarias erogationes.

17. Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι τιμῆς διπλῆς ἀξιούσθωσαν] Προεστῶτες sunt qui 1 Thess. 5. 12. προϊστάμενοι Glossæ, Προεστὼς, *præpositus*, *præditus.* Ibidem, Προέστηκεν ἀρχῆς, ἤτοι ἐξουσίας· *præductus est*, lege, *præditus est*, ut olim ad Apulejum monuimus. Varro 1. 1 de R. R. de mancipiorum rusticorum præfectis, *Ad injiciendam his voluptatem præfectura honore aliquo habendi sunt.* Τιμὴν hoc Apostoli loco exponas licet & quæ ad victum spectant, & quæ in convictu exhibetur reverentiam. In priore (quæ minùs obvia) significatione, Sirachides 38. 1. Τίμα τὸν ἰατρὸν, & statim, δόμα λήψεται· Matth. 15. 6. καὶ οὐ μὴ τιμήσει τὸν πατέρα αὐτοῦ· vide & Act. 28. 20. Ephes. 6. 2. Suidas, Πρεσβεῖα, τιμὰς, γέρα. Hesychius, Ἀπὸ τούτου (πρεσβεῖα) οἱ πρεσβύται ἔντιμοι. Sic vox *honoris* occurrit apud Latinos. Scribit Cicero Epist. famil. curâsse se ut medico *honos* haberetur. Sedulius ad com. 3. hujus capitis, *Honora viduas necessaria iis præbendo:* quibus adde quæ jam statim ponemus è Tertulliano. Sensus sensui locis istius non absimilis citato ad Thessalonicenses loco: ubi rogat eos τοὺς αὐτῶν προϊσταμένους εἰδέναι· id est, ità agnoscere eos ut nil illis de fieri patiantur. Poteris & διπλῆν τιμὴν, honorem binarum partium intelligere. Tertullianus cap. ult. contra Psychicos, *Duplex apud te præsidentibus* (προεστῶσι) *honor binis partibus deputatur.* Varro De ling. Lat. lib. 4. *Duplicarii dicti quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur institutum.* Lucianus Cronosolone, Τοῖς πεπαιδευμένοις διπλάσια πάντα πεμπέσθω, ἄξιοι γὰρ διμοιρίτας εἶναι· Τιμῆς διπλῆς ἀξιούσθωσαν, ut apud Julianum Misopog. qui (Platonem 5. De legibus imitatus) διπλασίας τιμῆς ἄξιος dixit: ut è converso Thucydides, ζημίας διπλασίας ἄξιοι.

Ibid. μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ] Οἱ τῇ τοῦ λόγου διακονίᾳ προσκαρτεροῦντες· ut Act. 6. 4. Repetendum in Contextu autem, τιμῆς διπλῆς ἀξιούσθωσαν. Julianus in Epistolæ fragmento, & de Sacerdotibus agens. Προθύουσι πάντων, καὶ ὑπερεύχονται, δίκαιον οὖν ἀποδιδόναι πᾶσιν αὐτοῖς οὐκ ἔλαττον, εἰ μὴ καὶ πλέον ἢ τοῖς πολιτικοῖς ἄρχουσι τιμάς. Οἱ ἐν λόγῳ κοπιῶντες sunt qui Eusebio 7. 13. τοῦ λόγου προεστῶτες. In Paulo (cum insigni Viro) intelligendi heic ἓν διὰ δυοῖν nullam necessitatem video: infra enim 6. 3. & ad Titum 2. 7, 8. habemus διδασκαλίαν & λόγον, ut res distinctas.

18. βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις] Φιμοῦν, est quod Plinius, itidem de bobus agens, *fiscellis capistrare* vocat. Res huic usui aptata Græcis, Φιμὸς, πνιγεὺς, & πανσικάπη. Videndi Suidas, Pollux, & Hesychius. Ad sensum Pauli Artemidorus 3. 3. de sacrificulis tractans, Τὰς τῶν θεῶν ἀπαρχὰς τὸ ἔθος ἐπιτρέπει αὐτοῖς λαμβάνειν, καὶ τρόπον τινὰ ἀπὸ τῶν θεῶν τρέφονται.

Ibid. ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ] Euripides Rhæso,

——Πονοῦντα δ' ἄξιον
Μισθὸν φέρεσθαι.——

Vide Matth. 10. 10.

19. Κατὰ πρεσβυτέρου κατηγορίαν μὴ παραδέχου] Hieronymus ad Rusticum, *Non est facile de provecta ætate credendum, quam & vita præterita defendit, & vocabulum dignitatis honorat.* Vide Canon. 8. in Cod. Canonum Ecclesiæ Africanæ: ità & Chrysostomus accepit. Ambrosius (à quo dissentio) ad honorem presbyteratûs, non ad hominis ætatem retulit.

Ibid. εἰ μὴ ἐπὶ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων] In Canonibus Apostolorum dictis, Εἰς μαρτυρίαν τὴν κατ' ἐπισκόπου αἱρετικὸν μὴ προσδέχεσθαι, ἀλλὰ μηδὲ πιστὸν ἕνα μόνον· ἐπὶ στόματος γὰρ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων πᾶν ῥῆμα σταθήσεται.

20. Τοὺς ἁμαρτάνοντας ἐνώπιον πάντων ἔλεγχε] Τοὺς ἁμαρτάνοντας expone in peccato persistentes, & qui privatâ correptione neglectâ, publicè arguendi. Seneca, *Objurgatio te primùm secreta, deinde publica emendare tentabit.* Vel ἁμαρτάνοντας intellige vitiis conspicuis notabiles, & quorum exemplo alii ad peccandum trahuntur: quasi diceret,

Si quis erat dignus culpari quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus, ganeo, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa hunc cum libertate notes tu.

Nec solùm nota eos, sed & ἐνώπιον πάντων. Sic Ananiam Jeremias in sacerdotum totiusque populi conspectu redarguit, & idem hic Paulus Petrum Galat. 2. 14. ubi & ἔμπροσθεν πάντων· ad quem locum & Sedulius, *Dum enim coram omnibus culpa commissa fuit, coram omnibus argui debuit.* Bene autem ἐνώπιον πάντων, nam &

Invitat culpam qui peccatum præterit:

& *animadversiones quo notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt*, Senec. de Ira 3. 19. Chrysostomus homil. in Oziam, Οἱ σοφοὶ τῶν ἰατρῶν ὅταν σεσηπότα μέλλωσι τέμνειν μέλη, &c. οὐκ εἰς γωνίαν λαβόντες τὸν κάμνοντα, τοῦτο ποιοῦσιν, ἀλλ' ἐν μέσαις αὐτὸν προθέντες ἀγοραῖς, καὶ θέατρον ἐκ τῶν παριόντων περιστήσαντες, οὕτω τὴν τομὴν ἐπάγουσι. Ἔλεγχε hic, cum libertate nota, ut Horatium jam loquentem audivimus. Glossæ MSS. ad hunc locum in Medicæa biblioth. Ἔλεγχε, μετὰ σφοδρότητος ἐπίπληττε. Τὸν ἁμαρτάνοντα ἐλέγχειν dixit & Lucianus in Solœcista.

Ibid. ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι] Philo in de Principis creatione, Τοῖς ἑτέρων πάθεσιν ἄνθρωποι σωφρονεῖν διδάσκονται. Chrysostomus jam citato loco, Ποιοῦσι δὲ (medici nempe) τοῦτο, οὐχὶ τὰς ἀνθρωπίνας ἐκπομπεύειν βουλόμενοι συμφορὰς, ἀλλὰ τοὺς ὁρῶντας ἐν ἀλλοτρίοις παιδεύοντες σώμασι πολλὴν τῆς ἰδίας ὑγιείας ποιεῖσθαι τὴν πρόνοιαν. In l. 6. §. 1. ff de re milit. *Qui in acie prior fugam fecerit, spectantibus militibus* (quod heic ἐνώπιον πάντων) *propter exemplum capite puniendus est.* Vide & l. bona fides. l. 6. §. 2. ff. de pœn. & lib. 28. § 15 eod. Sic in Excerptis Diodori, de Astyage, Τοὺς τῆς φυγῆς αἰτίους ἅπαντας ἐπιλέξας ἀπέσφαξε, νομίζων τῇ τούτων τιμωρίᾳ τοὺς ἄλλους ἀναγκάσειν ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐν κινδύνοις γενέσθαι Apud Lucianum in Reviviscentibus, Χρήσιμον καὶ πρὸς ἐκείνους τὸ τοιοῦτον, &c. εἰ θεάσαιντο αὐτὸν κολασθέντα, ὡς μηδὲ ἄλλος τις ἔτι καταφρονοίη φιλοσοφίας. Apud Eundem in Gymnas. malos cives in scena (q. d. ἐνώπιον πάντων) notare permissum est, αὐτῶν τε ἐκείνων χάριν, &c. καὶ τῶν πολλῶν, ὡς φεύγοιεν τὸν ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις ἔλεγχον. Notetur etiam quàm aptè hoc loco Apostolus φόβον ἔχωσι dixerit. Philo in de Legat. ad Cajum Imper. Αἱ ἑτέρων τιμωρίαι τοὺς πολλοὺς βελτιοῦσι, φόβῳ τοῦ μὴ παραπλήσια λαβεῖν. Dio Cassius, Ἵνα οἱ ἀδικοῦντές τι, &c. ἐλεγχόμενοι κολάζωνται, &c. καὶ οἱ ἄλλοι ταῦθ' ὁρῶντες βελτίους γίγνωνται, φόβῳ μὴ καὶ αὐτοὶ ἐνδημοσιευθῆναι. Idem de Domitiano Epaphroditum Neronis libertum interficiente, Ἔσφαξεν, &c. ἵν' ἐκ τιμωρίας ἧν ὑπὲρ ἐκείνου (Neronis nempe) ἐποιεῖτο, πόῤῥωθεν τοὺς ἰδίους ἀπελευθέρους ἐκφοβήσῃ μηδὲν τοιοῦτον τολμῆσαι. Demosthenes in Neæram, Ἄξιον (τούτους) τιμωρήσασθαι δυοῖν ἕνεκα· ἵν' οὗτοί τε τῶν ἠδικημένων δίκην δῶσιν, οἵ τ' ἄλλοι πρόνοιαν ποιῶνται, καὶ φοβῶνται μηδὲν εἰς τοὺς θεοὺς καὶ τὴν πόλιν ἁμαρτάνειν. Menelaus de Helena apud Euripidem in Troadibus,

——Ὁ τῆς δ' ὄλεθρος εἰς φόβον βαλεῖ
Τὸ μωρὸν αὐτῶν,——

aliarum nempe mulierum. Sic apud Platonem in Gorgia, παράδειγμα ἄλλοις γίγνεσθαι, ἵν' οἱ ὁρῶντες πάσχοντα ἃ ἂν πάσχῃ φοβούμενοι βελτίους γίγνωνται. In Sententiis Hadriani Imper. Ἔδειξα ὑπόδειγμα τιμωρίας, ἵνα μᾶλλον φοβηθῶσιν οὕτως ἄνομον ἔργον ἐργάσασθαι. Seneca de Ira 1. 16. *Quos voles nequitia male cedentis exempla fieri, palam* (ἐνώπιον πάντων) *occides, non tantùm ut pereant ipsi, sed & alios pereundo deterreant:* quæ videntur ex jam citato Demosthenis loco adumbrata. Gellius 6. 4. *Tertia vindictæ ratio est, quæ παράδειγμα à Græcis nominatur, cùm punitio propter exemplum necessaria est, ut cæteri similibus à peccatis metu cognitæ pœnæ deterreantur.* In l. 1. Cod. ad leg. Jul. repetund. *Ut unius pœna metus possit esse multorum.* Justinus lib. 34. *Urbs ipsa Corinthus diruitur, populus omnis sub corona venditur, ut hoc exemplo cæteris civitatibus novarum rerum metus injiceretur.*

21. καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων] Primasius ad 1 Tim. 6. illud, *coram multis testibus. Coram sacerdotibus, & ministris, atque virtutibus cœlestibus.* Ἐκλεκτοὶ ἄγγελοι hic, qui Matth. 25. 31. & alibi ἅγιοι.

Ibid.

Ibid. Ἵνα ταῦτα φυλάξῃς] Chrysostomus ad 1 Tim. 2. Ταῦτα οὐκ ἀκούειν ὑμᾶς βούλομαι, ἀλλὰ καὶ φυλάττειν.

Ibid. χωρὶς προκρίματος] Gloss. MSS. ad hunc locum in Florent. Biblioth. τουτέστι, χωρὶς τοῦ προπετοῦς, καὶ δίχα κεκριμένης βουλῆς πρᾶξαί σε τὶ ἐν τοῖς εἰρημένοις. Glossæ Græco-Latinæ, Πρόκριμα *præjudicium*, *prærogativa*. Hesychius, Πρόκρισις, προτίμησις.

Ibid. μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν]

> Σταθμὸν μὴ κρούειν ἑτερόζυγον, ἀλλ᾽ ἴσον ἕλκειν·

vel,

> Πᾶσι δίκαια νέμειν, μήτε κρίσιν εἰς χάριν ἕλκειν.

Clemens in Epist. ad Corinthios, Τὴν ἀγάπην αὐτῶν μὴ κατὰ προσκλίσεις, &c. παρεχέτωσαν· Hesychius, Κατὰ πρόσκλησιν, κατὰ χάριν, κατὰ πρόσκλησιν. legerim, Κατὰ πρόσκλισιν, (hunc enim Pauli locum respexisse videtur,) κατὰ χάριν, κατὰ πρόσρεψιν. Idem alibi, Πρόσκλησις, προτροπὴ, ἡ πρόσρεψις· ἐπὶ δίκης· sed & hæc mirè corrupta. Pro πρόσκλησις scribe πρόσκλισις, & post, πρόσρεψις· itidem pro voce προτροπὴ, προσροπὴ, repone. Apud eundem enim legimus, Ἐπικλινεῖς, &c. προσρέπων· &, Ῥοπαῖς, κλίσεσι. Redeamus autem ad Apostoli sensum. Minucius Octavio, *Ut libram teneas æquissimi Judicis, nec in alteram partem propensus incumbas*: μὴ πρὸς θάτερον ἀνακλίνων (vel προσρέπων) μέρος, ut Philo in rebus Flacci locutus.

> *Justa pari premitur veluti cùm pondere libra,*
> *Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.* Tibull.

Suidas, Πρόσκλισις, ἑτερομέρεια. Glossæ Codicis Florentini, Κατὰ πρόσκλισιν, κατὰ χάριν, προσπάθειαν, ἡ ἑτερομέρειαν. Chrysologus Serm. 26. de Rege loquens, *Si potestatem moderatus est*, &c. *si sic tenuit ponderis sui libram, ut in neutram partem potestatis suæ trutinâ perpensâ* (lege, *propensâ*) *declinaret.* Ammianus lib. 21. de Constantio Imperatore, *Palatinas dignitates velut ex quodam perpendiculo tribuens.* Sedulius ad 1 Tim. 4. 6. illa; HÆC PRÆCIPIENS, &c. *Libram justitiæ in omnibus tenens, & omnia rationabiliter dispensans.* Isidorus Orig. lib. 10. *Trutinator, examinator: ex judicii libra perpendens recta.* Persius,

> *Scis etenim justum geminâ suspendere lance*
> *Ancipitis libræ.* ———

Ad quem locum vetus Scholiastes, *Scis justitiam lance pensare, & ipsius lancis dubia rectitudinem calles discernere, & curvam regulam momentare.* Sic, *æquâ lance judicium servare*, in l. 20. ff. de re judic. &, *perpenso judicio, prout res quæque postulat, statuere*, in l. 11. ff. de pœn. ubi *perpensum judicium*, est judicium quasi examen æqualiter libratum. Gellius 1. 8. eâdem figurâ, at in partem diversam positâ, *Laxato paulùm permissoque subtili justitiæ examine.*

Ibid. μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν] Sic Philipp. 2. 3. Μηδὲν κατ᾽ ἐρίθειαν· ubi supplendum (quod heic exprimitur) ποιοῦντες.

22. Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει] Neminem ordina & vitæ & aptitudinis inexploratis rationibus. Gellius 1. 9. de Pythagora, *Eum qui exploratus ab eo idoneusque* (compertus) *fuerat, recipi in disciplinam jubebat.* Idem 20. 4. de Aristotele, *Ad eam* (disciplinam suam ἀκροαματικὴν) *non quenquam temerè admittebat, nisi quorum antè ingenium & eruditionis elementa, atque in discendo studium laboremque explorasset.*

Ibid. μηδὲ κοινώνει ταῖς ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις] Euthymius ad Marc. 3. de Christo, *Pernoctabat in oratione ad Deum, instruens nos ut, si quando aliquem electuri sumus, in oratione pernoctemus, quò is qui dignus est innotescat, nè communicemus peccatis alienis.* Ἀλλοτρίων ἁμαρτημάτων κοινωνεῖν, etiam Artemidorus 3. 51. dixit. Sic Ephes. 5. 11. τοῖς τοῦ σκότους ἔργοις συγκοινωνεῖν Matth. 23. 30. προφητῶν αἵματος κοινωνεῖν· & 2 Joh. Epist. com. 11. τοῖς πονηροῖς ἔργοις κοινωνεῖν. Demosthenes Orat. περὶ Παραπρεσβ. πονηρῶν καὶ δεινῶν ἔργων κοινωνεῖν. & ibidem, Διαμαρτυρῶ ὅτι ταῦτα οὔτε οἶδα, οὔτε κοινωνῶ τούτοις. Marcus Antoninus 9. 15. Τοῦ ἄλλου ἁμάρτημα ἐκεῖ δεῖ καταλιπεῖν Idem 12. 1. Ἡ ἀλλοτρία κακία μὴ ἐμποδιζέτω σε. Clemens Stromat. 7. Σφαλερὸν τοῖς ἑτέρων ἁμαρτήμασι συνεπιγράφεσθαι. Per ἁμαρτίας apud Apostolum possumus & metonymicè *pœnas* intelligere: quo sensu ταῖς ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις συγκοινωνεῖν, habemus Numer. 16. 26. & Apocal. 18. 4. In narratione de Susanna, com. 52. νῦν ἥκασιν αἱ ἁμαρτίαι σου· i. e. pœna peccatorum tuorum. Ita sententia erit, pœnarum à Deo infligendarum iis nolito te participem efficere, id facere enim videtur is qui indignos ordinat. Chrysostomus apud Antonium Monachum, Meliss. 11. 4. *Quantò ad altius fastigium privatus ascendit, qui Episcopi munus sortitus est, tantò majorem reddere cogetur rationem, non modo de doctrina, & pauperum præfectura, verumetiam de Ordinationum examine*, &c. Imò & simillima Ephes. 5. 7. locutio illa, μὴ γίνεσθε συμμέτοχοι αὐτῶν, (satisque clarè κατὰ μετωνυμίαν prolata,) eundem sensum itidem hoc Apostoli loco videtur flagitare.

Ibid. σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει] Sic 1. 27. Jacobi, ἑαυτὸν ἄσπιλον τηρεῖν, & 2 Maccab. 12. 42. ἑαυτοὺς ἀναμαρτήτους συντηρεῖν. Qui post τήρει ex præcedentibus subaudire voluerit, ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων ἁμαρτιῶν, faventia habebit Suidæ ista, Ἐνιψάμην ἐν ἀθῴοις τὰς χεῖράς μου, ἀντὶ τοῦ, ἀθῷον ἐμαυτὸν ἐτήρησα, τοῦ κακοῦ οὐκ ἐκοινώνησα. Mihi cùm liquere videatur, hæc monita, cum sequentibus, ab Apostolo sparsim effusa esse, & ideo eorum cohærentiam incassum requiri, ad castitatem corporis hæc verba referenda crediderim, eoque magis id credam quia hoc monitum Sacerdoti datur. Seneca de Marciæ filio, cap. 24. (Consolat. ad Marciam) *Hâc sanctitate* (i. e. ἁγνείᾳ, *castitate*,) *morum effecit ut puer admodum sacerdotio dignus videretur.* In Epist. Ignatii dicta ad Hermem Diaconum, Σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει, ὡς θεοῦ οἰκητήριον· & in Ejusdem ad Philadelphenos, Τὴν σάρκα ὑμῶν ὡς ναὸν θεοῦ τηρεῖτε. Hermas 3. 5. *Corpus tuum custodi mundum atque purum* Simile M. Antonini 6. 23. illud, Τήρησον σεαυτὸν ἁπλοῦν, ἀγαθὸν, &c. & Firmici Mathes. 2. 33. ad Lollianum suum, *Immaculatus, purus castusque esto.* In Glossario, Ἁγνὸς, ὁ καθαρὸς, *castus*.

23. Μηκέτι ὑδροπότει] Aliquantulum de rigore consuetudinis tuæ remitte, dispensa vires tuas, nolito immoderati adversùs te imperii esse.

Ibid. ἀλλ᾽ οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ] Scriptor Tobiæ 4. 15. Οἶνον εἰς μέθην μὴ πίῃς. Artemidorus Oneirocrit. 1. 58. Οἶνον πίνειν ὀλίγον ἀγαθόν. Seneca de Tranquill. animi cap. ult. *Ut libertatis, ità vini salubris moderatio est.* Theognis,

> Οἶνόν τοι πίνειν πουλὺν κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν
> Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ᾽ ἀγαθός.

Photius P. C. Cod. 279. Οὐχ ὁ οἶνός ἐστι μεθυστικὸς, ἀλλ᾽ ἡ ἄμετρος καὶ παρὰ τὸ πρέπον χρῆσις· ὥσπερ καὶ, &c. ὕδατος ἡ παρὰ τὸ μέτρον χρῆσις βλαβερόν· ubi vides & aquæ immoderatum usum damnari, ut & heic à Paulo. Laertius de Zenone, Ἥσθιε ἀρτίδια, καὶ μέλι, καὶ ὀλίγον εὐώδους οἰναρίου ἔπινε. Adde Plutarchi locum de Catone post pauca adducendum. Idem de Heliopolitanis Ægypti sacerdotibus, Οἶνον οἱ μὲν οὐκ εἰσφέρουσι τὸ παράπαν εἰς τὸ ἱερὸν, &c. οἱ δὲ ἄλλοι χρῶνται μὲν, ὀλίγῳ δὲ, &c. Porphyrius in περὶ ἀποχῆς δ΄. de iisdem, Οἴνῳ οἱ μὲν οὐδ᾽ ὅλως, οἱ δὲ ὀλίγιστα ἐγεύοντο·

Ibid. διὰ τὸν στόμαχόν σου] q. d.

> *Deficient inopem jam vena te, nisi vini*
> *Tantilla accedat stomacho fultura ruenti.*

Serenus Sammonicus cap. 19.

> *Qui stomachum Regem totius corporis esse*
> *Contendunt, verâ niti ratione videntur:*
> *Hujus enim validus firmat tenor omnia membra;*
> *Et contrà, ejusdem franguntur membra dolore.*

Ibid. διὰ τὸν στόμαχόν σου] Propter imbecillitatem ventriculi tui. Plinius lib. 6. Epistolâ 16. de avunculo suo, *Illi naturâ* (stomachus) *invalidus*, &c. *& frequenter æstuans erat.* Scholiastes vetus Horatii de Virgilio, *Difficilè digerebat, dicebatur enim stomachum dolere.* Recreandæ ejusmodi debilitati vinum propinari solitum. Plutarchus Sympos. 3. 5. Οἱ ἰατροὶ τοῖς ἐκλελυμένοις καὶ τόνου τινὸς δεομένοις, κατὰ τὰς ἀδημονίας στομάχου θερμὸν οὐδὲν προσφέρουσιν, οἶνον δὲ διδόντες βοηθοῦσιν. Macrobius Saturnal. 7. 6. *Certè respondeant volo cur stomacho in lassitudinem degenerante, ad instaurandas constrictione vires vinum offerant, nisi*, &c. Vide & Suidæ collectanea verbo οἶνον πίνειν. Lucianus Cronosolone, Οἶνου τοῦ αὐτοῦ πίνειν ἅπαντες, μηδ᾽ ἔστω πρόφασις τῷ πλουσίῳ ἢ στομάχου ἢ κεφαλῆς ὀδύνη, ὡς μόνος δι᾽ αὐτὴν πίνειν τοῦ κρείττονος. Hieronymus in Marcellæ Epitaphio, *Illi erant moderata jejunia, carnium abstinentia; vini odor magis quàm gustus, propter stomachum & frequentes infirmitates.* Nicephorus Gregoras de Seniore Andronico, Δέον ἀκρατοποσίᾳ χρήσασθαι δυναμένῃ γηραιὸν τονῶσαι στόμαχον, &c. ὁ δὲ ψυχροποσίᾳ ἐχρήσατο. Non raro autem juvenes (qualis heic Timotheus,) vitio stomachi laborant. Scriptor vetus vitæ Persii Poetæ, *Decessit vitio stomachi ætatis anno trigesimo.*

Ibid. καὶ τὰς πυκνάς σου ἀσθενείας] Basilius homil. in Julittam, Οἶμαι χρῆναι βοήθειαν τῇ φύσει παρέχειν τὸν οἶνον Hieronymus de Paula, *Post desperationem cum Dei misericordiâ respirasset, & medici suaderent ob erectionem corporis vino opus esse*, &c. Plutarchus de Catone majore, Ὕδωρ ἔπινεν ἐπὶ τῆς στρατείας, πλὴν εἴποτε, &c. ἰσχυρῶς ἐνδιδούσης ἐπιλάβοι μικρὸν οἰνάριον. Plinius 14. 13. de C. Domitio, *Pronunciavit*

mulierem videri plus vini bibisse quàm valetudinis causâ, viro inscsente, & dote multavit.

24. *Τινῶν ἀνθρώπων αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοί εἰσι, προάγουσαι εἰς κρίσιν*] Necesse non puto (ut nec Basilius) hæc trahere ad ea quæ de Ordinatione præcesserunt, cùm multa itidem alia (ut jam monuimus,) præcesserint quæ sensu non cohærent. Potest hoc velle Apostolus, Quorundam peccata adeò magna atque assidua, & ob id adeò manifesta sunt, ut vel humano judicio videantur quasi viam præire ad *κρίσιν* (id est, *κατάκρισιν*) divinam nempe. Simile Judæ com. 4. *εἰς κρίμα* (id est, *κατάκριμα*) *προγεγραμμένοι*.

Ibid. *τισὶν δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσι*] Ità Seneca Ep. 79. dixit gloriam, tanquam umbram, aliquando nos antecedere, aliquando sequi. Ἐπακολουθοῦσι, subaudi, *εἰς κρίσιν*. Simile plane quod de dissimillimis Apocal. 14. 13. dictum, *τὰ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν*.

25. *Ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ καλὰ ἔργα πρόδηλά ἐστι*] Post *ἔργα* supplendum *τινῶν* ex præcedente membro, & *εἰς ἔπαινον*, vel, *εἰς σωτηρίαν*, post vocem *ἐστι*· videtur enim subesse heic ellepsis contrarii, quâ orationis figurâ (ut ad 1 Tim. 4. 4. monstravimus) sæpe utitur Apostolus. Aliorum bona opera (inquit) etiamsi latêre quærant, adeò, ut bonum unguentum quod odore suo se prodit, conspicua sunt, ut omnia bona de iis in præsens prædicare liceat, & in futurum prædicere. Euthymius ad Luc. 8. ea, NON EST OCCULTUM QUOD NON, &c. *Quidam dicunt sermonem hunc de occulta dici virtute, quæ omnino manifestanda est retributionis tempore, quanquam in præsenti quoque vita frequentiùs hoc fiat.*

Ibid. *καὶ τὰ ἄλλως ἔχοντα κρυβῆναι οὐ δύνανται*] Ἐν ἡμέρᾳ nempe *ὅτε κρινεῖ ὁ θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων*, Rom. 2. 16. Ἑκάστου (ut 1 Cor. 3. 13.) *τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται*. Vix poterunt (inquit) de quibus loquor latêre homines, Deum nullo modo autem. Sirachides 39. 24. Ἔργα πάσης σαρκὸς ἐνώπιον αὐτοῦ, *καὶ οὐκ ἔστι κρυβῆναι ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ*. Vide Suidam verbo *ἐν ἄλλῳ κρύπτῃ*. Proverb. 15. 11. item 17. 20. & 42. 20. Sirachidem eundem; ubi *ἐκρύβη*, & *ἐκρύβησαν*· & quæ ad Luc. 12. 2. notata. Platonis est de Republ. 1. *Οὐ ῥᾴδιον δεῖ λανθάνειν πονηρὸν ὄντα*. In distichis Catonianis,

Temporibus peccata latent, sed tempore patent.

Solon apud Stobæum,

Αἰεὶ δ' ὅτε λέληθε διαμπερές, ὅστις ἀλιτρὸν
Θυμὸν ἔχει, πάντως δ' εἰς τέλος ἐξεφάνη.

Isocrates ad Demonicum, Ἂν *παραυτίκα* (*τὸ πεπραγμένον*) *κρύψῃς, ὕστερον οὐ φθήσῃ*. Servius, ad Æneid. 6. illa, —*furto lætatus inani. Latebrâ non valde profuturâ, quippe quæ fuerant publicanda post mortem.*

CAP. VI.

VALLA.

2. Q*Uia beneficii participes sunt*] *Qui* legendum est, non *quia beneficii*, οἱ.

3, 4. *Et ei quæ secundum pietatem est doctrina, Superbus, nihil sciens*] Græcè est *superbus est*, seu potiùs per verbum *elatus* sive *inflatus est*, *τετύφωται*. Etiam illud *ei*, sicut superiùs sum testatus, non puto necessarium.

10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt à fide*] Græcè non est *cupiditas*; nè quis nunc putet agi de gloriæ, de imperii, de alterius generis cupiditate, sed *pecuniæ*: siquidem Paulus nunc eos *qui volunt divites fieri* reprehendit. Nam si de omni cupiditate loqueretur, cur ità loqueretur, *quam quidam appetentes*, i. e. *cupientes*, *ὀρεγόμενοι*; An *cupiditatem* quis *cupere* potest? Quò ergò refertur illud *quam*? Nempe ad *pecuniam*, quæ vox inclusa est in illo composito nomine *Φιλαργυρία*.

REVIUS in VALLAM.

10 Q*Uò ergò refertur illud* quam? *Nempe ad* pecuniam, *quæ vox inclusa est in illo composito nomine Φιλαργυρία*] *Cùm apud Latinos nulla sit hic dictio quæ pecuniam habet inclusam, de Græcis*, inquit Erasmus, *accipiatur oportet quod indicat Laurentius. At in Φιλαργυρία quid inclusum est? ἄργυρος, an ἀργύριον; quomodo igitur apud illos congruus articulus ἧς; Prorsus hic humanum quiddam accidit Laurentio.* Hæc ab Erasmo cùm verissime dicantur, mirum est Bezam in eundem lapidem impegisse: vertit enim, *amor pecuniæ: quam quidam dum appetunt*, &c.

ERASMUS.

1. N*E nomen Domini*] Græcè est *nomen Dei*, *τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ*. Atque ità legit & Chrysostomus, cumque hoc Ambrosius, ut colligere licet ex interpretatione.

2. *Quia beneficii participes sunt*] Οἱ *τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι*, i. e. *ii qui beneficentiæ participes sunt*, sive *qui beneficentiâ juvantur*. Et in vetustis cod. *qui* comperi, non *quia*. Refertur autem ad *servos*, non ad *dominos*. Quanquam Theophylactus bifariàm exponit. Chrysostomus licèt ambiguè loquatur, tamen videtur hunc sequi sensum, Hoc diligentiùs serviendum dominis Christianis, quòd in eos officium collocatur qui ex supercilio dominorum transierunt in affectum parentum, & pro formidatis dilecti esse cœperunt. Ait enim, *non contemnant quia fratres sunt, sed magis serviant quoniam fideles sunt atque dilecti, qui beneficium sumunt*. In eandem sententiam interpretatur Ambrosius.

3. *Si quis aliter docet*] Ἑτεροδιδασκαλεῖ, i. e. *diversa docet*, aut *diversam doctrinam sequitur*. Nam videtur id eos competere qui fastiditâ doctrinâ Euangelicâ vacabant inanibus quæstiunculis. Est autem Græcis unica dictio composita, de quo superiùs admonuimus. ¶ *Et non acquiescit*] Προσέρχεται, id est, *Accedit*: ità sonat Græcè, & aptè respondent Latina. Fortassis Interpres legit *προσέχεται*, id est, *Adhæret*.

4. *Superbus est*] Τετύφωται, i. e. *inflatus est*. Ambrosius legit *superbit*. Cyprianus in Epistola quadam legit *stupore elatus*. Suspicor ab ipso scriptum fuisse *tumore elatus*. ¶ *Sed languens*] Νοσῶν *ægrotans*: quod apud Græcos sæpius ad Animum refertur, ut *νοσεῖν* dicantur qui desipiunt ac delirant, h. e. animi morbo laborant. Quod verbi mirè quadrat in istos Sophisticos Theologos qui contemptis iis quæ necesse est discere, in stultissimis illis suis argutiis & nihili labyrinthis ætatem universam conterunt miseri. Quod tamen nolim ità dictum accipi ut, quod nonnulli solent, in ordinis contumeliam detorqueatur quod in paucos dicitur, honestissimo indignos ordine, perpetuâ frivolarum quæstionum scabie prurientes, neque prorsus aliud agentes per omnem vitam. Atque utinam Theologi sic temperent sua studia ut nulli sint in quos hæc verè dici possint. Eleganter autem Paulus unico verbo dixit *pugnas verborum λογομαχίας*, cùm isti jactent se totos in rebus esse. ¶ *Ex quibus oriuntur*] Paulus *invidiam* & *contentionem* singulari numero posuit, atque item Ambrosius.

5. *Malæ conflictationes*] Παραδιατριβαί. *Malæ* Græci referunt ad *suspiciones*. Et Theophylactus hanc particulam etiam commentario interjecto separat ab iis quæ sequuntur. Nam quod sequitur *παραδιατριβαὶ* per se sonat in malam partem propter præpositionem *παρὰ*, quæ sæpius id efficit, ut in *παραφρονεῖν* & *παραφέρεσθαι* & *παραβλέπειν*. Dicuntur autem congressus & disputationes Philosophorum *diatribæ* Græcis, quas hic additâ præpositione inutiles facit & nihil ad rem pertinentes. Scholia Græcanica admonent Metaphoram sumptam à scabiosis, qui mutuo confrictu contactuque morbum communicant. Sic & Theophylactus ait, *παραδιατριβαί, τοῦτ' ἔστι σχολαὶ μάταιαι. διατριβὰς γὰρ τὰς σχολὰς ἔθος καλεῖν· ἢ ὅτι καθάπερ τὰ ψωραλέα τῶν προβάτων παρατριβόμενα νόσου πληροῖ καὶ τὰ ὑγιαίνοντα, οὕτω καὶ οὗτοι παρατριβόμενοι ἑτέροις διαφθείρουσιν αὐτούς*, i. e. PARADIATRIBÆ, *i. e. scholæ supervacaneæ. Nam mos est, scholas vocare* DIATRIBAS: *Sive quòd sicut scabiosæ oves, dum affricant sese, morbo implent & sanas; ità isti quoque dum aliis affricant se, corrumpunt eos.* Eadem penè verba sunt apud Chrysostomum. In nonnullis exempl. habebatur *διαπαρατριβαί*. *Suspiciones* autem *malas* hic Græci interpretantur falsas opiniones & commentitias, ut congruat cum *inutilibus conflictationibus*. ¶ *Veritate privati sunt*] Ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας. Ambrosius vertit, *& qui veritate caruerint*. Græcè sonat efficaciùs *quibus adempta est veritas*, juxta illud Publii, *Nimium altercando veritas amittitur*. ¶ Εὐσέβειαν Ambrosius cùm dixisset *pietatem*, velut interpretans addit *& Dei culturam*. Post *Quæstum esse pietatem* reperi apud Græcos, *ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων*, *abstine à talibus*. Item Ambrosius, *discede ab hujusmodi*. Atqui id in vulgatis Latinorum codicibus non habetur. Etiamsi Theophylactus legit & interpretatur, Chrysostomum secutus.

6. *Cum sufficientia*] Μετ' αὐταρκείας. Ea vox significat *cùm quis suâ sorte contentus est, nec aliud desiderat*.

7. *In hunc mundum*] Addidit suo more *hunc*, quod non est apud Græcos. ¶ *Haud dubium quia*] Δηλονότι· quod est Affirmantis. Et pleniùs reddidisset Græcarum vocum affinitatem *εἰσενεγκεῖν* & *ἐξενεγκεῖν* si vertisset *inferre* & *efferre*.

8. *Et alimenta*] Διατροφάς. Cyprianus enarrans Precationem Dominicam vertit *& exhibitionem*, hoc est quod vocant *praebendam*, propriùs accedens ad sensum Pauli quàm qui vertit *alimenta*. ¶ *His contenti simus*] Ἀρκεσθησόμεθα, id est, *contenti erimus*. Interpres legit ἀρκεσθησώμεθα per ω mega.

9. *Et in laqueum Diaboli*] *Diaboli* apud Græcum non est, nec additur apud Ambrosium. Unde consentaneum est adjectum à quopiam ex superioribus qui locum voluerit hunc interpretari. ¶ *Et inutilia*] Copula redundat: nec est apud Græcos *inutilia*, sed ἀνοήτους *stulta*: quanquam Interpres legisse videtur ἀνονήτους, atque item Ambrosius. ¶ *Quæ mergunt*] Βυθίζουσι, *demergunt in profundum*.

10. *Cupiditas*] Ἡ φιλαργυρία, i. e. *pecuniæ studium*. Ambrosius legit *avaritia*. Alioqui *cupiditas* aliarum item rerum est, ut gloriæ, imperii, voluptatum, vindictæ. ¶ *Quam quidam appetentes*] Hic argutatur Valla quid referat hæc vox *quam*. Non *cupiditatem*. Quis enim dicitur *appetere cupiditatem*? sed *pecuniam*, inquit, *inclusam hoc verbo* φιλαργυρίαν. Cùm apud Latinos nulla sit hic dictio quæ *pecuniam* habeat inclusam, de Græcis accipiatur oportet, quod indicat Laurentius. At in φιλαργυρία quid inclusum est, ἄργυρος aut ἀργύριον; quomodo igitur apud illos congruit articulus ἧς. Prorsus hic humanum quiddam accidit Laurentio. Dicuntur autem *appetere studium pecuniæ* qui huc incumbunt. ¶ *Erraverunt à fide*] Ἀπεπλανήθησαν *aberrarunt*.

11. *Patientiam, mansuetudinem*] Πρᾳότητα. Ambrosius vertit *Tranquillitatem animi*.

12. *Fidei*] Videbatur frigidum si Paulus ei præciperet *fidem* quem fecerat Episcopum, h. e. fidei Doctorem. Proinde Theophylactus *fidei* vocabulo excludit quæstiones rixosas, quas vult à Timotheo rejici. Fides enim non requirit subtilitatem humanam. ¶ *In qua vocatus es*] *In quam*, εἰς ἣν. *ad quam* Ambrosius. Græci addunt καὶ, *in quam & vocatus es*: tametsi non additur apud Theophylactum.

14. *Sine macula*] Ἄσπιλον *immaculatum*; & refertur ad ipsum *Timotheum*, non ad *mandatum*, i. e. *ut serves mandatum immaculatus, irreprehensus*. Etiamsi Ambrosius refert ad *mandatum*, si modò codex vacat mendo; consimiliter & Chrysostomus, à cujus Commento dissentiebat contextûs distinctio. Quanquam sermo Græcus non vetat quò minùs adjectivum referatur ad *præceptum*. Jam ut maximè ἄσπιλον & ἀνεπίληπτον referas ad *mandatum*, tamen subest aliquid amphibologiæ. Nam si referas ad *serva*, sensus est, Nè macules mandatum tuo vitio: sin ad *mandatum*, Serva mandatum, quod maculam aut reprehensionem nescit, quemadmodum Pseudapostolorum præcepta. Et tamen huic sensui refragatur articulus non additus. Potiùs erat dicendum τὴν ἐντολὴν τὴν ἄσπιλον. ¶ *Usque in adventum*] Μέχρι τῆς ἐπιφανείας, i. e. *usque ad apparitionem*, sive *illustrationem*: quod ego sanè malim, quia sequitur, *quam ille ostensurus est*. Quid ostendet? Nimirum gloriam Filii sui, quem antè exhibuerat humilem.

15. *Quem suis temporibus*] *Quem* refert *adventum*, non *Christum*: id quod liquet ex Græcis. ¶ *Beatus*] Ὁ μακάριος. Græcus articulus habet emphasim, quam nos reddidimus addito pronomine, *ille beatus*. Græca vox dicta est ab *immunitate corruptionis*, quam & Homerus tribuit diis, μάκαρες Θεοί. ¶ *Et solus potens*] Non est δυνατὸς, quod sonat simpliciter *potentem*, sed δυνάστης substantivum, h. e. *Resp. gubernator*, ac *Princeps* (unde δυναστεία.) Hanc vocem velut exponens Apostolus subjicit, *Rex Regum & Dominus dominantium*. Δυναστεύειν dicuntur qui *potentiâ remp. obtinent*: quod Deo proprium est, nullis subjecto legibus. Βασιλεὺς à *providentia* dicitur, quasi πᾶσι λεύων, quòd *omnibus prospiciat*. Et hoc unicè convenit Deo. Κύριος autoritatis nomen est. Nullus enim potest rescindere quod Deo placuit. ¶ *Rex Regum*] Gr. *regnantium* τῶν βασιλευόντων. *Regnant* enim quidam potiùs quàm *sunt Reges*. Hæc omnia Theophylactus accommodat Personæ Filii: sed Ambrosius meâ sententiâ rectiùs accommodat Patri: quod perspicuum est ex hisce verbis, *Non quia aliud lumen Filii sit: quippe cum in Psalmo scriptum sit*, Et in lumine tuo videbimus lumen; *h. e. lumen Patris est in Filio: sed quia nemo videt Patrem, ac per hoc inaccessibile inhabitat lumen. Non enim est ordo alicui videndi Patrem nisi Christo; qui de Deo est, hic vidit Deum. Filius autem, quia omnia ipse agit, & apparere dicitur & videri. Illud ergo peculiare Patris est quod suprà dictum est*. Quid scripserit Chrysostomus incertum. Certè versus primâ fronte sibi videtur contradicere. Nam initio rogat, *De quo ista dicta sunt? De Patre, an de Filio? De Filio scilicet, Quem suis*, inquit, *temporibus*, &c. Ac paulò pòst velut oblitus sui movet aliam quæstionem, *Qui solus*, inquit, *habet immortalitatem. Quid ergo? Filius non habet?* Ex his verbis palàm est Chrysostomum quæ dicta sunt accommodasse Patri; aliàs erat absurda quæstio. Sed propiùs intuenti Chrysostomus in priore quæstione non percontatur quis sit ostensurus, sed quis ostendendus. Pater ostendit, Filius ostenditur. Theophylactus fatetur Chrysostomum hæc principaliter adscribere Patri, quanquam & Filio & Spiritui S. communia. Thomas Augustinum secutus exponit de Trinitate. De veritate sententiæ non disputo, sed de consuetudine sermonis Euangelici & Apostolici. Cùm enim aliis in locis hujusmodi tribuantur Patri ceu propria sine contumelia Filii aut Spiritûs Sanct. cur hic torquemus ad Trinitatem? Neque enim ideo non est æternus Filius, quia Patri tribuitur Æternitas ut notio peculiaris: Nec ideo Pater non est sapiens, quia Filio adscribitur Sapientia: Nec ideo Filius non est bonus, quia Spiritui S. tribuitur Bonitas. Sed in his Sacræ literæ habent suum quendam loquendi modum. Ad Patrem autorem referuntur omnia: ab illo est Immortalitas, Vita & Lumen. Jam in hujus sermonis initio facta est distinctio Personarum, *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, qui testimonium reddidit*, &c. Eam prosequitur; quod enim ait, *usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi*, ad Filium pertinet. Quod mox sequitur, *Quem adventum ostendet*, h. e. illustrabit, *ille beatus*, ad Patrem pertinet, qui cùm sit invisibilis, in Filio ostendit majestatem suam. In priore adventu Filius Patri *obedivit usque ad mortem*, ac *sub Pontio professum est bonam professionem*: In secundo Pater exhibebit eum gloriosum sibique æqualem. Et in doxologia Missæ, Filius dicitur esse *in gloria Patris*. Et in Euangelio, *Deum nemo vidit aut novit nisi Filius*. Similiter & in appendice Epistolæ ad Romanos dicitur *solus sapiens Deus*, cùm inibi bis fiat Filii mentio, *prædicationem Jesu Christi*, ac mox, *per Jesum Christum*. Denique cùm toties Paulus nominatim Patrem appellet *Deum*, Filium tantùm *Dominum*, neque quisquam offendatur, cur hic trepidamus in consuetudine mystici sermonis? Hic in nonnullis desiderare cogor candorem Christianæ charitatis: Æquis auribus audimus *solum Deum Patrem esse immortalem*, & insectamur si quis pio sensu dicat *solum Christum fuisse prorsus alienum ab omni contagio peccati*.

16. *In sempiternum*] *In* superest. Et κράτος *potestatem* quoque significat ut *imperium*. Proinde Ambrosius pro *imperio*, legit *potestas*.

17. *Divitibus hujus seculi*] Τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, i. e. *Iis qui sunt divites in præsenti seculo*. ¶ *Non sublime sapere*] Ὑψηλοφρονεῖν quod Ambrosius vertit *superbè sapere*. Significat autem *elato esse animo & arroganter de seipso sentire*. ¶ *In incerto divitiarum*] Ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, *in divitiarum incertitudine*. ¶ *Nobis omnia abunde*] Πλουσίως. Rursum Interpres non reddidit jucunditatem quæ est in vocum affinitate, πλούτῳ & πλουσίως, q. d. *divitiarum* & *divitialiter*, sive *opulentia* & *opulente*.

18. *Bene agere*] Ἀγαθοεργεῖν. Dictio composita est ex *bono* & *opere*, q. d. *bene operari*. Demiror quid legerit D. Ambrosius, qui reddidit hunc locum hoc pacto, *in voluntate bonorum operum*: nisi fortè legit ἐθελοεργεῖν. ¶ *Facile tribuere*] Εὐμεταδότους εἶναι, *faciles esse ad impartiendum*. Ità legit Ambrosius, nisi quod omittit *esse*.

19. *Thesaurizare*] Ἀποθησαυρίζοντας, *reponentes*, sive *recondentes sibi*. ¶ *Veram vitam*] Græcis est *æternam vitam*. Ambrosius tamen legit atque interpretatur *veram vitam*. Contrà Chrysostomus legit *æternam*, nihil tamen adjiciens in interpretatione unde certò liqueat quid legerit. Theophylactus sine controversia legit τῆς αἰωνίου ζωῆς etiamsi nec is attigit enarrans. Licèt hoc non magni referat, quando non est alia *vera vita* nisi vita immortalis. Nam vita impiorum mors est; & hæc vita brevi finienda cursus est ad mortem.

20. *Depositum custodi*] Παρακαταθήκην, i. e. *quod tibi commissum est*. Sentit autem hanc doctrinam quam illi & in initio commendarat. Et ità exponunt Græca Scholia. Non enim vult aliquid addi traditis. ¶ *Vocum novitates*] Κενοφωνίας, *vocum inanitates*. Ambrosius & Interpres legisse videntur καινοφωνίας. Quanquam Græca Scholia per ε legunt. Nec enim hic agit de *novandis vocibus*, sed de *disputationibus supervacaneis*. Ex interpretatione Chrysostomi non liquet quid legerit. Theophylactus legit & interpretatur κενοφωνίας, i. e. ματαιολογίας; non dissimulans tamen *Chrysostomum videri legisse* καινοφωνίας per αι diphthongum. Addit *videri*, quòd, quemadmodum diximus, ex illius enarratione non liquet quid legerit. ¶ *Falsi nominis*] Ψευδωνύμου, q. d. *falsò nominata scientia*. Nec enim est scientia ubi fides non est. Et hæc omnia mirè quadrant in hos quosdam spinosos Theologistas. Non enim de omnibus loquor, & fortassis nulli tales futuri sunt. Et aptè dixit ἀντιθέσεις *oppositiones*,

oppositiones, quòd omnibus de rebus inter istos mira sit digladiatio.

21. *Promittentes*] Ἐπαγγελλόμενοι. Cur non potiùs *profitentes?* ¶ *Circa fidem exciderunt*] Ἠστόχησαν, *aberrarunt*, sicut antea vertit. Ductum autem ab iis qui *aberrant à scopo*. Hieronymus Dialogo adv. Pelag. 2. vertit *erraverunt*. ¶ *Gratia tecum*] Hoc Paulus suapte manu subscripsit, ut putat Ambrosius.

VATABLUS.

1. DOmini] *Dei*. ¶ *Blasphemetur*] *Malè audiat*.

2. *Quia*] *Qui*, Vet.

3. *Aliter*] *Diversa*. ¶ *Acquiescit*] Vel, *assentitur*.

4. *Superbus*] *Inflatus*, vel, *tumore elatus*. Ambrosius, *superbit*. ¶ *Languens*] *Delirans*, [versans depravato judicio.] ¶ *Blasphemia*] *Maledicentiæ*. ¶ *Conflictationes*] *Infrugiferæ disputationes*.

5. *Existimantium quæstum esse pietatem* *] i. e. Qui existimant pietatem esse occasionem sordidi quæstûs, vel, lucrum quacunque ratione facere. * *Abstine à talibus*.

6. *Sufficientia*] Vel, *animo suâ sorte contento*.

9. *Nam qui*] *Qui autem*. ¶ *Laqueum*] i. e. Pernitiem, vel periculum.

10. *Cupiditas*] *Studium pecuniæ*, *avaritia*. ¶ *Appetentes*] Vel, *sectantes*.

12. *Certa bonum certamen fidei*] i. e. Ostende te acerrimum defensorem fidei in Christum. ¶ *Apprehende vitam æternam*] i. e. Da operam ut vitam æternam consequaris. ¶ *In qua*] *Ad quam &c*. ¶ *Confessus bonam confessionem*] *Nam professus bonam professionem*.

13. *Justificat*] *Vivificat*, Vet. ¶ *Testimonium reddidit*] *Testatus est*. ¶ *Confessionem*] *Professionem*: se nempe regem esse.

14. *Sine macula*] Vel, *immaculatus*, *irreprehensibilis*: ut ad Timotheum referatur. ¶ *Adventum*] *Revelationem*.

15. *Quem*] Sub. *adventum*: vel, *quam apparitionem*. ¶ *Potens*] *Princeps*. ¶ *Regum*] *Regnantium*.

16. *Imperium in sempiternum*] Vel, *potentia sempiterna*.

17. *Non sublime sapere*] *Nè elato sint animo*. ¶ *Incerto divitiarum*] *Incertis divitiis*. ¶ *Ad fruendum*] Vel, *in usum fructum*.

18. *Facilè tribuere*] *Faciles esse ad impertiendum*. ¶ *Communicare*] i. e. Ut sociales sint, & aliorum consortia non fugiant.

19. *Thesaurizare*] *Reponentes*, vel *recondentes*. ¶ *Bonam*] *Veram*, Vet.

20. *Depositum*] *Quod commissum est*. ¶ *Novitates*] *Inanitates*: i. e. inutiles disputationes. ¶ *Falsi nominis*] *Falsò nominatæ*: i. e. philosophiæ.

21. *Promittentes*] *Profitentes*. ¶ *Exciderunt*] *Aberrarunt*: i. e. fidem non attigerunt.

CASTALIO.

8. TEgumenta] Vestimenta.

10. *A fide*] Christiana religione.

CLARIUS.

2. QUia fratres sunt] Cùm ex Christiana doctrina discamus, omnes inter nos esse fratres, nè fortè servi ex hoc insolescerent, atque minùs promptè servirent, aut servitutem detractarent, admonet Paulus ut iis etiam *alacriùs serviant eo quòd sint fideles & dilecti* Deo eorum domini: quocirca permisceant timori etiam charitatem. Quantò enim, inquit, majus vobis est beneficium, habere dominos fratres, tantò vos gratiores esse oportet atque ad serviendum promptiores. Ad *servos* enim quidam referunt ea verba quæ sequuntur, *qui beneficii participes sunt*, ut dicta sint καθ' ὑπερβατόν. Alii referunt ad *dominos*; quòd scilicet domini curent afficere servos beneficiis: sic enim interpretantur illa verba, *οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι*.

4. *Sed languens circa quæstiones*] Vide ut quæstiones ac verborum pugnas *morbum* appellet. ¶ *Blasphemiæ*] Necesse enim est ut qui humanis ratiocinationibus fidunt in iis quæ ad Deum pertinent, demum in blasphemias ex suis quæstionibus descendant, & opiniones malas atque adulterina dogmata.

7. *Nihil enim intulimus in mundum*] Idcirco nudi omnes nascimur, nequis originem objiciens, plura sibi dicat esse possidenda: & morientes nihil afferimus nobiscum, nè prætexamus nobis causas quamobrem plura sint paranda. Reliquum est hoc exiguum vitæ spatium, vel umbra potiùs, in qua minimis opus est, nempe exiguo cibo atque integumento: cætera superflua sunt, & hominum opinione erroris introducta. Et notandum id quod paulò pòst ait, *appetitionem divitiarum* parare ea quæ *homines in interitum demergant*, nempe unde emergere haud facilè queant, aut nunquam potiùs emergant.

13. *Qui vivificat omnia*] Hæc addit ut discipulum animet ad pericula. Si enim Deus vivificat omnia, quid horremus hæc pro fide certamina? Similiter quod ait de Domino *Jesu Christo*, quòd scilicet *testimonium perhibuerit sub Pontio Pilato pulcra confessionis*. Si enim Dominus id præstitit, ut pro veritate (*Ego in hoc*, inquit, *natus sum*, *& ad hoc veni in mundum*, *ut testimonium perhibeam veritati*) mortem oppetere non dubitaverit, quam ob causam nos recusamus?

16. *Qui solus habet immortalitatem*] Nam Angeli atque Homines non naturâ illam habent, sed participatione ac munere Dei: Deus enim est qui nobis ut cætera bona omnia itâ & Immortalitatem impertitur. Opportunè verò deliciatur in hac majestatis Divinæ contemplatione, cùm hortatus esset discipulum ut *mandatum servaret*, indicans quantus sit cui servitur, & quàm meritò sit illi serviendum. Ait etiam *lucem hunc habitare inaccessam*. Sed quo pacto? Num loco circumscribitur? Num aliud Lux est, aliud ipse? Atqui is ipsa *lux* est. Cernis ut etiam tunc cùm magnum aliquid de Deo loqui volumus, non valet explicare lingua rem uti se habet? Sed voluit Paulus iis ac sequentibus verbis eminentem atque incomprehensam Dei naturam significare.

17. *Divitibus hujus seculi*] Pulcrè, non ait absolutè *divitibus*, sed adjecit *hujus seculi*. Soli enim viri boni divites verè atque absolutè sunt. ¶ *Qui præstat nobis*] Quid ergò tuum facis, ô homo, id quod Dei est atque à Deo datum? Ipse proposuit omnibus hominibus omnia copiosè, cœlum, terram, aërem, vitam, escas: at avaritia, opitulante hominum potentiâ, multa usurpavit quæ communia esse debuerant.

20. *Depositum custodi, devitans profanas*] Vide repetitam admonitionem cum majoris affectûs significatione: *Præceptum*, inquit, *serva*, *quod Deus per me apud te deposuit*. Vel gratiam Spiritûs intelligit, quam per impositionem manuum acceperat.

ZEGERUS.

2. NOn contemnant quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficii participes sunt] Servi, inquit, Christianorum dominorum *ne contemnant* dominos suos *propterea quòd fratres sint* sibique æquales, dicentes, *In Christo non est servus neque liber* Gal. 3. *imo* servi ipsi, utpote *qui beneficia* à dominis *accipiunt*, vel hoc nomine *magis inserviant*, *quod* domini ipsi *fidei consortes sint & ἀγαπητοί*, i. e. *amabiles* ac meritò diligendi. Alii tamen postremam hanc clausulam, legendo *quia beneficii participes*, non *qui*, ad *dominos* referunt, sicut & præcedentem: & *beneficia* intelligunt Dei.

5. *Existimantium quæstum esse pietatem*] h. e. *Quòd pietas & Dei cultus quæstus sit*, ne quem remoretur Amphibologia. Hic superaddunt Græci, ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, *abstine à talibus*. Et videri poterat adjectio adulterina; ni antiqui itidem explanatores, Ambrosius & Chrysostomus, cumque hoc Theophylactus, legerent. Et nos tandem in cod. Exerbodiensi adscriptum offendimus hoc pacto, *discede ab hujusmodi*, sicuti scribit & Ambrosius.

9. *In laqueum diaboli*] Vocem *diaboli* non invenias apud Græcos, neque item apud Ambrosium. Habetur tamen apud Chrysostomum, & in omnibus quæ viderim Latinis.

10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas*] Nè huic adversari videatur illud Ecclesiastici 10. 13. *Initium omnis peccati, superbia*, advertendum duo in omni esse peccato, nempe aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam. Quantum igitur ad aversionem attinet, *initium omnis peccati superbia est*: quantum verò ad conversionem ad creaturam, *Radix omnium malorum est cupiditas*. Quòd si cui fortè Augustini magis sententia probabitur, is ad hunc modum hæc duo conciliat lib. De Gen. ad lit. 11. c. 15. & Tract. in epist. Johan. 8. *Initium omnis peccati, superbia. Cui*, inquit, *non inconvenienter aptatur illud quod Apostolus ait*, RADIX OMNIUM MALORUM EST AVARITIA, *si avaritiam generalem intelligamus, quâ quisque appetit aliquid amplius quàm oportet propter excellentiam suam, & quendam propriæ rei amorem, cui sapienter nomen Latina*

lingua

lingua indidit, cùm appellavit PRIVATUM, *quod potius à detrimento quàm ab incremento dictum elucet. Omnis enim privatio minuit. Specialis est autem avaritia quæ usitatiùs appellatur Amor pecuniæ, cujus nomine Apostolus per speciem genus significans universalem avaritiam volebat intelligi, docendo, Radix omnium malorum est avaritia.* Hactenus ille. Rectiùs itaque V. Interpres, qui φιλαργυρίαν *cupiditatem*, quàm qui vertit *studium pecuniæ*.

14, 15. *Adventum Domini nostri Jesu Christi quem*] In relativo *quem* in Græcis necessariò *adventum* resonat, propter genus utrique voci congruens.

20. *Profanas vocum novitates*] Sentit non tam de vocabulorum quàm de dogmatum novitatibus, iisque impuris & à veritate & vera religione alienis. *Non* enim *ait*, inquit Augustinus Tract. in Joh. 97. *verborum novitates, sed addit* PROFANAS: *sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates; sicut ipsum nomen* Christianorum, *quando dici cæperit* Act. 11. *Et xenodochia & monasteria postea sunt appellata novis nominibus. Res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur*, &c. *Si omnis novitas profana esset, nec à Domino diceretur* Joh. 13. Mandatum novum do vobis, *nec Testamentum appellaretur* novum, *nec cantaret universa terra canticum novum. Sed profanæ sunt vocum novitates ubi dicit mulier insipiens, Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtivæ dulcedinem.* Ex Chrysostomo, Basilio & Ambrosio constat καινοφωνίας hîc esse legendum per αι diphthongon, i. e. *vocum novitates*; quod quidam fortasse innovandis vocibus plùs satis deditus, in κενοφωνίας subvertit. ¶ *Oppositiones falsi nominis scientiæ*] i. e. Objectiones falsò nomen & titulum scientiæ præ se ferentes, vel objectiones nomen scientiæ mentientes.

21. *Promittentes*] q. d. *Porrò mittentes*, h. e. cum fastu ostentantes, ἐπαγγελλόμενοι.

H. STEPHANUS.

3. Ἑτεροδιδασκαλεῖ] Vide cap. 1. 3.

5. Παραδιατριβαί] *Præpostera exercitationes: vel perversa.*

9. Βυθίζουσιν εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν] *In profundum exitium demergunt.*

10. Ἑαυτοὺς περιέπειραν ὀδύναις πολλαῖς] *Seipsos transfixerunt multis doloribus.*

12. Ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς] *Capesse vitam æternam.*

14. Μέχρι τῆς ἐπιφανείας] *Usque ad adventum.* Ad verb. *donec appareat nobis:* aut, *conspicuum se nobis sistat.*

17. Μηδὲ ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι] *Atque ut freti non sint divitiis, quæ sunt incerta.*

18. Εὐμεταδότους εἶναι, κοινωνικοὺς] *Promptos ad impertiendum sua, & ad officia quæ ad vitæ communicationem pertinent.*

19. Ἐπιλάβωνται τῆς αἰωνίου ζωῆς] Vide v. 12.

20. Κενοφωνίας] Vide 2 Tim. 2. 16.

21. Ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι, περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν] *Quam profitentes quidam à fidei scopo aberrarunt:* vel, *Quam præ se ferentes:* aut, *ostentantes.*

DRUSIUS.

3. *Si quis aliter docet*] Syrus, *Qui docet doctrinam aliam:* & est sensus, *aliam à vera, quam hactenus docuisti.* Sic *Deus alius*, nempe *à vero*, i. e. Deus falsus. Latiùs patet *aliter docet:* Nam *aliter docet* & qui eandem doctrinam non eodem modo docet.

6. *Cum sufficientia*] Recentior Interpres, *cum animo suâ sorte contento.* Ben-zoma in libro Aboth, *Quis dives? Qui gaudet parte suâ.* Vult dicere, *Qui contentus est sorte suâ.*

7. *Nihil enim intulimus in mundum*, &c.] Eadem [illegible] aliis verbis habentur Job. 1. 21. & Cohel. 5. 14.

8. *Alimenta, & quibus tegamur*] h. e. Victum & amictum.

10. *Radix omnium malorum est cupiditas*] h. e. Avaritia, vel *amor pecuniæ.* Apollodorus Comicus φιλαργυρίαν appellat τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν *summam malorum*; & Bion, κακίας μητρόπολιν. Quibus consonat & Timonis apophthegma, *Duo malorum esse elementa*, ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν, *inexplebilem divitiarum aviditatem & gloriæ appetitionem.*

11. *Homo Dei*] איש האלהים vocatur qui Dei mentem voluntatemque vel ex interna revelatione Spiritûs vel ex verbo scripto hominibus patefacit. In priore significatu accipitur Psal. 90. 1. & alibi: in posteriore verò hîc, nec usquam alibi, quod sciam. Qui autem Christum ità vocant, non eam opinionem habent de illo quam deberent. Aliud enim *homo Divinus* & aliud *homo Deus. Homo Dei*, sive *Divinus*, dici potest de homine non Deo; *homo Deus*, non item. Expende, lector, &, si erro, doce me meliora.

15. *Rex Regum*] מלך המלכים, & Chaldaïcè מלך מלכיא Dan. 2. 37. Quanquam in fonte Græco ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων מלך המלכים *Rex regnantium.* Eodem recidit. Sumptum videtur à Persis vel Assyriis, qui Magnum Regem ità vocabant: aut ab Ægyptiis. Diodorus lib. 1. pag. 35. βασιλεὺς βασιλέων καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσόωσις, *Rex Regum & Dominus dominorum Sesoosis.* Talis erat inscriptio columnarum quas Sesoosis ille erexit in terris à se devictis & debellatis. ¶ *Dominus dominantium*] Vel *dominorum*, i. e. אדני האדנים Psal. 136. 3. & Deut. 10. 17. Id quidam enarrant de Astris, quæ in hæc inferiora dominatum obtinent; ut Moses Ægyptius in More Nebuchin l. 2. c. 7. & is qui *Gerundensis* vocatur in Deut. 301. 2. R. David Psal. 82. 6. *Deus Deorum* de Angelis, & *Dominus dominorum* exponit de Sphæris cœlestibus, quorum influentiis hæc inferiora regi opinantur. Sunt etiam qui *dominorum* interpretantur, i. e. *magnatum & Principum.* Ut R. David. Ità etiam Ægyptius Moses, *Deorum*, inquit, *h. e. Angelorum, & Dominorum, h. e. astrorum.* Cave confundas.

16. *Et imperium*] Καὶ κράτος. Lex. V. Κράτος, *hoc imperium.* Alius, *robur*, i. e. עז. Psal. 8. 2. *fundasti robur.* LXX. αἶνον, *perfecisti laudem.* 29. 1. *gloriam & robur.* LXX. δόξαν καὶ τιμήν. 98. 4. עז, καὶ τιμή. Sign. propriè firmam ac solidam laudem. Quo sensu apud Arabes quoque in usu est.

17. *In incerto divitiarum*] *Incertum divitiarum*, ut *opinionis incertum.* Salvianus Adversus avaritiam lib. 1. *per opinionis incertum:* & post, *in hoc ambigua opinionis incerto. Incertum* Græcè τὸ ἄδηλον. Hic est ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι *in divitiarum incertitudine.* Quod ità dicitur ut *viriditas herbæ* pro *herba viridi.* Bene igitur vertit qui vertit *in divitiis incertis.* Elegans epitheton Divitiarum: de quibus mortalium sapientissimus, *Faciunt sibi alas, & avolant ut aquila*, innuens celerem earum abitum. Rarenter enim in uno loco & apud eundem diu manent. *Caduca nimium hæc*, inquit Val. Maximus lib. 6. c. ult. *& fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repente dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari neque dici debent Bona, quæ ut inflictorum malorum amaritudine desiderium sui duplicent, propensiore favore primò delinitos, majore postea malorum cumulo opprimere solent.* Quæ cùm ità sint, stultè faciunt, meo judicio, qui spem & fiduciam in iis collocant.

19. *Thesaurizantes sibi*, &c.] Hoc est quod Monobazus dicebat cùm bona sua prodigeret in pauperes, & ea de re monitus esset ab amico, *Alii recondunt sibi thesauros in terra, ego in cælo: alii perituros, ego semper duraturos.*

20. *Depositum*] פקדון, i. e. doctrinam quam apud te deposui. Et videtur abesse pronomen, ut dicat *depositum meum.* Sic in libro Musar, 73. 1. *Ecce, filia mea, depositum meum; accipe depositum illud, & vade in pace.* Verba sunt Reginæ cujusdam ad filiam cùm eam filio Regis elocaret. *Depositum* autem appellat præcepta quæ ei dederat, quibus instruebatur quomodo tractandus esset maritus. Locus insignis est & dignus lectu, si quis alius: habetur autem cap. 6. פקדון potest reddi *depositum meum.* Nam articulus quandoque vim habet pronominis. Sic τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, *depositum meum custodi*, aut *serva*, i. e. שמרה.

CASAUBONUS.

6. Ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετ' αὐταρκείας] Eandem penè sententiam extorsit veritas ab ore Lucretii, p. 206. lib. 5.

> *Quod si quis verâ vitam ratione gubernet,*
> *Divitiæ grandes homini sunt, vivere parcè,*
> *Æquo animo.*

ubi *æquum animum* appellat τὴν αὐτάρκειαν.

18. Κοινωνικοὺς] Κοινωνικὸν puto esse hîc *munificum*, *facilem a donare.* Nam κοινωνία est passim in his libris pro *largitione.*

21. Ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι] Ἐπαγγέλλεσθαι, *despondere.* Sic accipit Livius p. 114. & *spondet* p. 207. Homerus autem ςεῦται Ἰλ. γ'. & ςεῦτο Ἰλ. β'. Vide de hac voce Theophilum, Institut. p. 77.

SCULTETUS.

CAP. I.

Servitus triplex, Spiritûs, Animi, Corporis. Baptismus an liberet mancipium à conditione servili. An Christiano liceat possidere Christianum mancipium. Omnia ad versum 1, & 2.

Libertatis & servitutis triplex omnino genus in S. literis notatur, unum Spiritûs sive Animæ, alterum Animi, tertium Corporis. Libertas & servitus Animæ sive Spiritûs salutem & interitum sive damnationem animæ significat. Crebra harum mentio in Epistolis Paulinis. Servitus vel libertas Animi est vel Mentis vel Cordis & Affectuum. Servus Mente est tum qui mente atque ingenio hebeti est, ut seipsum regere non possit (cujusmodi hominis dies natalis, fati videlicet ejus & conditionis futuræ quasi prænuncia, ab Homero Od. 17. & Euripide in Hecuba δύλιον ἦμαρ dicitur) tum qui in rebus dijudicandis ab aliorum opinione totus pendet, quem *servum alienarum opinionum* veteres dixerunt. Libertas contrà. Servitus Cordis & Affectuum est, cùm quis mancipium est vitiorum. Hic enim Philosophis, Stoicis præsertim, servus est: Liber contrà, qui paret legibus. Eadem mens Gregorio Nazianzeno scribenti,

Δῦλος ἐμοὶ πᾶς σκαιός, ἐλεύθερος ὅςις ἄριςος.

Servi Corporis vel sunt extra jugum, ut liberti; vel sub jugo, ut mancipia. Sic enim ab Apostolo distinguuntur, qui mancipiis Christianis præcipit ut Dominos fideles æquè ac infideles honorent: fideles ideo, ἵνα μὴ τὸ ὄνομα τῦ Θεῦ καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται, *nè nomen Dei & doctrina blasphemetur*; fideles ideò, ὅτι πιςοί εἰσι καὶ ἀγαπητοὶ, οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι. Hinc duplex oritur quæstio; primùm, *Annon Baptismus liberet aliquem à servili conditione.* Deinde, *An Christiano liceat possidere Christianum mancipium?* Quæstionem primam eruditè explicat Scipio Gentilis J. C. clariss. Commentario in Epist. D. Pauli ad Philemonem v. 16. cujus verba adscribo: *In præsenti quæstione*, inquit, *mihi aliquot casus distinguendi videntur. Nam aut servus unà cum hero baptismum suscipit, aut ipse herus eum baptizandum curat, aut id fit ab alio consentiente hero, aut sine heri consensu. Si pariter baptismum uterque suscipiat, dubitandum non videtur, quin & servus liber fiat, quasi in filium hâc ratione eum herus adoptaverit, aut certè liberum esse jusserit. Ad quam speciem refero illa Gregorii Theologi, Oratione* XL. *de hero, qui cum servo suo aquâ vitali ablutus fuerat:* ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας μετακοινῆ, πάντες εἶξαν οἱ παλαιοὶ χαρακτῆρες· μιᾷ μορφῇ Χριςὸς ἐπιτεθεῖται, *h.e.* ex qua die per baptismum immutaris, veteres omnes notæ (characteres) cesserunt: unâ formâ omnibus Christus impositus est. *Notandum est, quod ait, Omnes Veteres Characteres. Nam & corporalis servitutis illos intelligit, & ratio, ut dixi, suadet. Nam & si seorsum ipse dominus eum offerat, curetve baptizandum, eo ipso liberum facit; & quasi mittit manu. Idque conveniens est etiam Catonis sententiæ Justinianique Constitutioni, quæ in Lib. I. Institutionum, Tit. de adoptionibus, relata sunt. Quòd si alius, quam dominus, servum baptismo ablui curet, si id volente & consentiente domino faciat, non video qui hic casus à superiore distingui debeat. Ipse enim fecisse id dominus intelligitur, quod ejus jussu vel consensu alius facit, ut sunt juris civilis notissima regula. Sed quid si domino præsente & tacente? Contrarium dicendum est, si domino ignorante vel invito id fecerit, aut quod eodem redit, ipse se servus baptizandum dederit. Nihil enim juri dominorum per hoc præjudicari verissimum puto. Facit quidem Baptismus dignum manumissione & libertate, sed non etiam manumittit vel liberat: neque id de servitute solùm dicendum est, sed & de omni alia obligatione, sive ea civilis sit & pecuniaria, sive ex maleficio, puta furto, descendat. Nam secutus postea baptismus in obligationibus pœnisve neminem liberat sive paganum, sive Judæum, ut pulcerrimo Responso probat acutissimi ingenii Jurisconsultus Philippus Decius.* Alteram quæstionem quod attinet, *Erasmus *turpe ait esse inter Christianos omnino nomen heri aut servi audiri. Cùm enim Baptismus*, inquit, *omnes pares reddat, qui convenit fratrem fratri servum appellari?* Sed Apostolo nostro alia mens est, qui Christianos servos monet nè eo fideles *dominos despiciant quod fratres sunt, sed potius iis libentiusque serviant quod fideles sint.* Et 1 Cor. 7. *Unusquisque*, inquit, *in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat. Servus vocatus es? nè sit tibi curæ*, &c. Atque hoc civili etiam jure Romano comprobatum est. Quare id Codice Justinianeo vetantur Judæi & Pagani Christianum mancipium habere, non etiam Christiani: sicut indicat titulus libri primi, cùm in ipsa inscriptione atque Rubrica, tum in Constitutione ei subjecta Impp. Honorii & Theodosii. Cujus ratio illa optima redditur ab Eusebio lib. 4. De vita Constantini, quam illic & Cujacius in Paratitlis adscripsit, Ἀθέμιτον εἶναι προφητοφόντας καὶ κυριοκτόνοις τὰς ὑπὸ τῦ σωτῆρος ἐλευθερωμένας ζυγῷ δυλείας ὑπάγεσθαι, *nefas esse ut qui Prophetas trucidassent, & Dominum ipsum mactassent, hi à Domino redemptos servitutis jugo subjicerent.* Præterea in Germania hodieque mancipia Christiana reperiuntur, simili veteribus servis condicione homines, quos illi *leibeigen*, *homines proprios*, vocant, adscriptitiis veteribus vel originariis annumerandos. Ex quibus omnibus Scipio Gentilis colligit, *duriorem quodammodo hac in parte videri Christianam legem quam Mosaicam. Nam Moses septimo quoque anno servos manumittit: quod lex Christi non facit, imò servire Christianos etiam Christianis ac fidelibus dominis jubet, nullâ temporis præscriptione additâ, monenturque ii nè eo dominos fideles despiciant quod fratres sint.* Isidorus tamen Pelusiotes Ironi scholastico scribens lib. 1. Epist. 142. cujus servus ad ipsum profugerat, iræ dominicæ vitandæ causâ, ob admissum delictum, *admiratum se fuisse ait quod is se servum fuisse Ironis dixerat*, admirationisque causam pulcerrimam & sanctissimam addit his verbis, ὐ γὰρ οἶμαι οἰκέτην ἔχειν τὸν φιλόχριςον Ἴρωνα, εἰδότα τὴν χάριν τὴν πάντας ἐλευθερώσασαν, *Neque enim Christi amantem Ironem, qui cognitam & exploratam eam gratiam habeat quæ omnes in libertatem vindicavit, famulum illum* (sive *servum*) *habere arbitror.* Quibus ex verbis concludimus, sensisse Isidorum, quamvis Christiano interdictum non sit servum Christianum possidere, minimè id tamen homini verè Christiano convenire.

CAP. II.

Exponitur illud, ἵνα μὴ τὸ ὄνομα τῦ Θεῦ καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται, Nè nomen Dei & doctrina blasphemetur, v. 1.

Graves causæ sunt quibus Apostolus servis persuasum vult ut fidelibus pariter & infidelibus dominis pareant, nec religionis Christianæ prætextu sese dominis suis eripiant. Illa princeps, ἵνα μὴ τὸ ὄνομα Θεῦ καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται, ab Ethnicis scilicet, quibus solenne erat omnia mala publica Christianis imputare, ut est apud Justinum Martyrem, Athenagoram, Cyprianum, Tertullianum, Arnobium, alios. Ità locum hunc explicat Theodoretus. *Illi enim*, inquit, (domini scilicet infideles) *videntes servos suos insolentes, Evangelicam doctrinam maledictis appetebant, ut quæ eorum causa esset insolentiæ.* Nec aliter Chrysostomus; *Dicturi enim*, inquit, *& Gentiles sunt quod possit servum placere Deo. Aliàs enim illis necessitas ferme imponeretur blasphemandi ac dicendi, Christianæ religionis cultum ad evertenda omnia in hanc vitam fuisse invectum, cùm servi auferantur à dominis, & nimium quidem violenter.* Non fuisse autem querelam Ethnicorum de Christianis, quod servos quidem attinet, vanam, sed frequentissimè in ea re non à servis modò, sed etiam ab aliis qui eos reciperent, adeoque à Pontificibus aliisque Antistitibus Christianis, peccatum, clarè demonstrant tot regulæ, tot constitutiones Ecclesiæ veteris, totque Patrum decreta. Ac testatur inter alios Gregorius Nazianzenus in Carmine De vita sua, suo tempore multos servos fugisse, fugamque Euangelii causâ susceptam simulasse. Sic enim ait, de Maximo loquens, qui Christianæ fidei simulationem fugæ suæ prætendebat, quam ob scelera arripuerat, eoque tanquam martyr Christi Gregorium fefellerat,

——— Τὴν ἐπ᾽ αἰσχίςοις φυγὴν
Πίςιν πεποίηχ᾽, ὡς Θεῦ πάσχων χάριν.
Μαςιγίας ἦν, ἀλλ᾽ ἐμοὶ νικηφόρος.

Inter crimina quoque in Synodo Gangrensi objecta Eustathio Sebastiæ Armeniæ Episcopo fuit hoc, quòd prætextu pietatis servos heris suis abstulisset: valuitque id inter alia ad ejus condemnationem, teste Socrate Hist. Eccl. lib. 2. cap. 43. Scipio Gentilis (cujus vitulâ in hoc & superiore capite aravi) putat labem hanc atque perniciem in Repub. maximè versatam fuisse postquam primus omnium Imperatorum Constantinus Magnus abjectâ Gentilium superstitione ad religionem Christianam conversus est: Quare non parùm ipsi aliisque ejus successoribus laborandum fuisse ut hoc malum tolleretur: quod fieri nisi interdictorum & pœnarum severitate non potuerit. Atque eò refert quod in veteribus inscriptionibus observavit,

IMP. AUG. CONSTANTINO
PATRI DOMINORUM.

CAP. III.

Lux illata verbis, οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι, v. 2.

Rationem redditurus Paulus cur servi Christiani fidelibus quoque dominis, iisdemque in Christo fratribus, inservire debeant, ait, ὅτι πιστοί εἰσι καὶ ἀγαπητοί, οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι· quod quid dictum sit, operæpretium est indagare. Beza, Piscator, alii τὴν εὐεργεσίαν referunt ad Deum & beneficentiam in Christo: ideo vertunt *qui beneficentiam illam capessunt*, h. e. unà cum servis beneficii Dei, nempe adoptionis & hæreditatis cœlestis, participes sunt. Camerarius in eandem penè sententiam inclinat, *Qui vero fideles habent dominos*, μὴ καταφρονείτωσαν (αὐτῶν) ὅτι ἀδελφοί εἰσιν, ἀλλὰ μᾶλλον δουλευέτωσαν (αὐτοῖς) *hoc studiosius illis inserviant quod ipsi domini quoque, quibus id beneficium ministerii præstatur, fideles sunt & dilecti, h. e. socii atque participes fidei & charitatis mutuæ Christianorum.* Hæc ille. Sed hæ interpretationes vim verbi ἀντιλαμβάνεσθαι & præpositionis ἀντὶ nè attingunt quidem. Ἀντιλαμβάνεσθαι enim non est *ejusdem rei socium* sive *participem esse*, sed *ejusdem laboris socium se præbere*, ut liquet ex cap. 10. 40. D. Lucæ, & Notis ipsius Bezæ. Jam εὐεργεσία nihil aliud est quàm ἔργα καλῶ πρᾶξις, ut liquet ex Act. 4. 9. ubi de certa facti specie agitur; aut *studium bonorum operum*, ut in hoc loco, & ad homines maximè fideles pertinet. Ac differt ab εὐποιΐᾳ, ut genus à specie. Est enim εὐποιΐα propriè *beneficentia*, virtus octavi præcepti, & conjungitur cum κοινωνίᾳ Heb. 13. 16. At εὐεργεσία propriè *beneficentia* dici & Latinè verti non potest, quia generalior vox est, & non tantùm beneficentiam sed omne virtutum & bonorum operum genus complectitur; idem quod ἀγαθοποιΐα 1 Pet. 4. 19. & 3. 6. & 2. 15, 20. (quanquam ἀγαθοποιΐα interdum idem est quod εὐποιΐα, ut Mar. 3. 4. Luc. 6. 9.) & καλοποιΐα 2 Thess. 3. 13. Ex quibus omnibus constat, εὐεργεσίαν ad Deum & beneficentiam in Christo commodè vix posse referri. Mihi Theophylactus germanum hujus loci sensum optimè videtur expressisse, cujus hæc sunt ex interpretatione Johannis Loniceri verba, *Non enim quia frater factus es dominum per Baptisma, non aspernens; sed magis propterea servias quoniam fidelis est ac dilectus, h. e. frater pro domino. Cogita porrò in animo quod benefactor tuus est, quod pro te angitur, & solicitus est ut te alat, ut vestiat, aliaque necessaria tibi curet. Itaque multum habet juris in te præter hoc quod emeris te. Per hoc autem quod ait* dilectus, *ejicit metum, qui cum servis insit, sæpe ad odium erga heros trahuntur, ac introducit in metus locum charitatem. Magis igitur serviant, inquit, beneficium recipientes, servi videlicet. Vel simpliciter, quemadmodum jacet textus, intelligendus est*, ἀντιλαμβανόμενοι εὐεργεσίας, *i. e. beneficium permutantes, nempe domini, cùm solicitè cogitant quomodo servis rursum beneficium impertiant.* Theophylactum secutus est pius Scripturæ interpres Henricus Bullingerus, ideo τοὺς τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανομένους interpretatur *beneficentia recompensatores*, qui nimirum beneficia beneficiis rependunt, quod faciunt domini fideles. Et hæc vis est verbi ἀντιλαμβάνεσθαι quam Virgilius in Moreto versibus istis expressit,

> *Admovet indè manus operi, partitus utramque.*
> *Læva ministerio, dextra est intenta labori.*
> *Interdum fessa succedit læva sorori,*
> *Alternatque vices.*

Germanicè ad verbum, *die sich der guthatigkeit wider annehmen, das ist, sie erkennen es, wenn das gesinde trewlich und fleissig dienet, und lassen es die knechte wider geniessen.* Ad sensum autem sic, *die der knechte trewe dienste wider vergelten:* ut εὐεργεσίας voce significetur fida & liberalis servitus, quam, quia aliud habere non possumus, nomine *beneficentiæ* exprimimus. Lutherus secutus Vulgatum vertit, *und der wolthat theilhafftig sind:* quasi idem sint μεταλαμβάνεσθαι & ἀντιλαμβάνεσθαι, quæ certè multùm differunt.

CAP. IV.

Παραδιατριβαὶ v. 5. *Syntaxis & interpretatio dicti*, ἡ εὐσέβειά ἐστι πορισμὸς μέγας μετὰ αὐταρκείας, v. 6. αὐταρκείας *exemplum.*

Si contendas caput quartum cum hoc sexto, facilè agnoscas quas Paulus παραδιατριβὰς *perversas exercitationes* vocet. Ibi hortabatur Timotheum ad exercitationes in pietate, lectione Biblica, consolatione & institutione aliorum: concludebatur v. 15. ταῦτα μελέτα. Hic invehitur in homines cupidos ἑτεροδιδασκαλίας studiososque novarum quæstionum; quæ istorum studia vocat *exercitationes perversas*: concluditurque ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, *secede ab his qui ejusmodi sunt. Quæstui enim habent pietatem.* Ubi artificium Apostoli nota. Nam quia ἑτεροδιδάσκαλοι ἐνόμιζον πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν, metiebanturque Christianismum lucro, Apostolus hoc cupidè arripit; &, *Est*, inquit, *pietas vere lucrum*, sed non, ut illi arbitrantur, terrenorum & corporalium sed spiritualium bonorum. Ἔστι γὰρ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας, *Est enim quæstus magnus pietas cum animo suâ sorte contento.* Ubi etsi à plerisque illustre pietatis encomium quoad sententiam agnoscitur, verborum tamen interpretatio pervertitur. Confundunt enim partem attributi cum subjecto. Subjectum est εὐσέβεια *pietas:* de quo tria prædicantur; quòd sit *quæstus*, *ingens quæstus*, talis denique quæstus qui pariat ex se αὐτάρκειαν. Syntaxis verborum legitima est, ἡ εὐσέβειά ἐστι πορισμὸς μέγας μετὰ αὐταρκείας, *Pietas est quæstus magnus cum animo suâ sorte contento.* Animus igitur suâ sorte contentus non est conditio addita pietati, quasi pietas non sit quæstus magnus nisi adsumat secum αὐτάρκειαν· cùm contrà αὐτάρκεια sit purum putum pietatis effectum, & solius quidem *pietatis*, *promissiones habentis præsentis æquè ac futuræ vitæ.* Errori causam dedit perversa distinctio post vocem μέγας in quibusdam codicibus, disjungens subjectum ab attributo, cùm potiùs post illud ἡ εὐσέβεια distinctioni sit locus: ut intelligatur, verba ista, μετὰ αὐταρκείας, attributi non subjecti partem esse. Accidit igitur huic versiculo idem quod versiculo octavo capitis 13. Apocalypseos, qui cùm minus rectè distinctus esset, *Christum à jactis mundi fundamentis mactatum esse*, orbi terrarum persuasit. Atqui illa, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *à jactis mundi fundamentis*, non cum participio ἐσφαγμένου sed cum verbo γέγραπται construenda esse, vel ex capite 17. 8. ejusdem Apocalypseos patet. Ut ad dictum Pauli redeam, Germanicè forsan non malè verteris, *die Gottseligkeit ist ein grosser gewin, und lest sich begnugen.* Αὐταρκείας insigne exemplum memorat Dionysius Halicarnasseus lib. 5. Antiquit. editum à P. Valerio Publicola, qui cùm tot haberet parandæ pecuniæ occasiones quas nemo ut turpes & iniquas reprehenderit, non est captus ab ea, quæ cunctos in servitutem & indecentes actiones impellit, avaritia; sed contentus parvo patrimonio, temperantem, frugalem, nullisque cupiditatibus obnoxiam vitam exegit, satisque declaravit omnibus ὅτι πλούσιος οὐχ ὁ πολλὰ κεκτημένος ἐστὶ, ἀλλ᾽ ὁ μικρῶν δεόμενος, *divitem esse, non qui possideat multa, sed qui paucissimis opus habeat.* Quo sensu Epicurus ferè divitias definit apud Senecam, quando ait, *Divitiæ sunt ad legem naturæ composita paupertas*, h. e. talis modus facultatum in quo tamen natura mediocriter sustentari possit.

CAP. V.

A Φιλαργυρίᾳ dehortatio, v. 7, 8, 9, 10, 11.

Eminet in hoc capite dehortatio à φιλαργυρίᾳ sive *amore nummi*, ut eam Ovidius vocavit in versiculo noto,

> *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

Rationes insignes sunt: *Nihil intulimus in mundum: clarum quod nec efferre quicquam possumus.* Unde Agapetus admonitione 67. δέον πρὸ τῆς ἐκείνου ἀπαραιτήτου παρουσίας μεταθῶμεν εἰς οὐρανὸν τὴν τῶν χρημάτων περιουσίαν· οὐδεὶς γὰρ ἃ ἐν κόσμῳ συνάγει, ἐκεῖσε ἀποδημήσας ἀπάγει, ἀλλὰ πάντα καταλιπὼν ἐπὶ γῆς, γυμνὸς λογοθετεῖται τὸν βίον αὐτοῦ, *Ergò ante illius* (mortis) *inelutabilem adventum opum copiam transportemus in cœlum. Nemo enim quæ colligit in mundo, illuc profectus abducit, sed omnibus in terra derelictis nudus de vita sua reddit rationem.* Præterea, *Qui volunt ditescere incidunt in tentationem & laqueum & cupiditates multas.* Verissimè. Insatiabilis enim est avaritia, Ideo omnia tentat, in omnes laqueos se induit, omnes cupiditates experitur, si fortè exsatiari possit. Mortem ipsam non reformidat, dummodo numos possideat. Alexandrum mihi vide, principem legatorum Ætolicorum ad Romanos, qui cum in Epiro cum duobus sociis legationis captus esset, homo omnium Græcorum ditissimus, vitam suam quinis talentis redimere noluit, sed nec ternis: quod pretium cum reliqui se soluturos promisissent, datis prædibus domum redierunt. Alexander verò amplius talento se daturum negavit; id quoque multum esse, ac tandem spretâ salute suâ in carcere mansit, homo senex: ducentorum amplius talentorum censum habens: qui vel vitam, putò equidem, (inquit Polybius historiam recitans) projecturus erat priusquam tria talenta daret. Sed facilis est jactura præsentis vitæ. Apostolus addit, avaros *demergi* εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν· id quod exemplo suo Epulo Luc. 16. & dives ille apud eundem in 12. comprobarunt. Ad summam,

Ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης,

inquit Phocylides. Quod noster ita effert, *ῥίζα πάντων τῶν κακῶν ἐστιν ἡ φιλαργυρία, Radix omnium malorum est avaritia.* Qua de causa Chrysostomus Homiliâ de proditione Judæ exclamat, *ὢ τῆς ἀπονοίας! μᾶλλον δὲ, ὢ τῆς φιλαργυρίας! πάντα γὰρ ἐκείνη ἔτεκε τὰ κακά. ἐκείνης αὐτὸς ἐπιθυμήσας προέδωκε τὸν διδάσκαλον. τοιοῦτον γάρ ἐστιν ἡ πονηρὰ ῥίζα ἐκείνη, δαίμονος χαλεπώτερον. τὰς ἁλούσας ἐκβακχεύει ψυχὰς, καὶ ποιεῖ πάντας ἀγνοεῖν, καὶ ἑαυτὸν, καὶ τὸυς πλησίον, καὶ τὸυς τῆς φύσεως νόμους, καὶ αὐτῶν ἐκβάλλει τῶν φρενῶν, καὶ παράπληγας ἐργάζεται. ὅρα γὰρ πόσα ἐξέβαλεν ἐκ τῆς τοῦ Ἰούδα ψυχῆς· τὴν ὁμιλίαν, τὴν συνήθειαν, τὴν κοινωνίαν τῶν ἐν τραπέζῃ, τὰ θαύματα, τὴν διδασκαλίαν, τὴν παραίνεσιν, τὴν νουθεσίαν· ταῦτα πάντα εἰς λήθην ἐνέβαλεν ἡ φιλαργυρία. διὰ τοῦτο εἰκότως ὁ ἀπόστολος ἔλεγεν, ὅτι ῥίζα πάντων κακῶν ἡ φιλαργυρία.* Sed quid hoc quod Apostolus subdit, avaros *se transfigere multis doloribus*? Nimirum dolores & anxietates avari confert cum *ὠδῖνας* & acutis cruciatibus mulierum parturientium, aitque hujusmodi doloribus avaros seipsos *περιπείρειν undique transfigere*. Id quod Gregorius Nyssenus Oratione in usurarios pulcrè nobis depingit in avaro quodam, qui cùm neminem fidum crumenæ custodem inveniret, in parietum angulis & recessibus, luto superillito, invisas divitias asservabat, quas cùm de loco ad locum, de pariete ad parietem sine intermissione transferret, derepente mortuus, liberis summam inopiam reliquit. Cujus quidem hominis vita quid aliud fuit quàm per anxietates perpetua cordis sui transfixio?

CAP. VI.

Ἀγωνισμὸς Timothei & omnium piorum v. 12. *εὐμετάδοτοι καὶ κοινωνικοί*, v. 18.

AΓωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως, ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς, inquit Apostolus v. 12. quibus verbis Timotheum spiritualis aliptes Paulus ad certamen fidei excitat, ut ex confessione fidei consummetur, atque ita coronam æternæ vitæ propositam & paratam piis tanquam veris hieronicis apprehendat. Sunt enim qui moris fuisse putant ut præmia (coronas certè) aliquo ex loco eminentiore appensa victores ipsi assumerent: voluntque eò respexisse Apostolum quando 1 Cor. 9. 24 scripsit, *οὕτω τρέχετε ἵνα καταλάβητε·* & quando hoc ipso loco dixit, *ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς*. Quicquid sit, ad *ἀγωνισμὸν* fidei non Timotheus tantùm sed nos omnes, qui Christi cives audimus, invitamur. *Ἀποδυσάμενοι δ' οὐ περιφανῶς* (inquit Clemens Alexandr. in Protreptico) *ἐν τῷ τῆς ἀληθείας σταδίῳ γνησίως ἀγωνιζόμεθα βραβεύοντος μὲν τοῦ λόγου τοῦ ἁγίου, ἀγωνοθετοῦντος δὲ τοῦ δεσπότου τῶν ὅλων· οὐ γὰρ σμικρὸν ἡμῖν ἆθλον ἀθανασία πρόκειται.*

Ἁγνὸς γὰρ Χριστὸς τούτοις τὰ δίκαια βραβεύσει.

Cæterùm vult Paulus divites Christianos nominatim esse *εὐμεταδότους* & *κοινωνικούς*. Per *εὐμεταδότους* intelligit *benignos bonorum communicatores*: quæ virtus inter alias olim celebrabatur in Regibus Ægyptiorum, quando eorum laudes in precibus solennibus recitabantur, ut est apud Diodorum lib. 1. *Κοινωνικῶν* meminit Demosthenes Oratione de classibus, ubi *τὰς ἐπικλήρους, καὶ τοὺς ὀρφανοὺς, καὶ τοὺς κληρουχικοὺς τοῖς κοινωνικοῖς* conjungit. Scribit autem Suidas, Demosthenem *κοινωνικοὺς* vocare sive fratres qui hereditate indivisâ fruuntur, sive etiam eos qui voluntariam coivere societatem vel mercimoniorum vel rei cujuspiam alterius, quorum singuli totum communium opum censum non habebant: ut *κοινωνικοὶ* sint *emolumenti & detrimenti participes, geselschaffter*. Neutro significatu Apostolus vocabulum *κοινωνικὸς* hoc loco usurpat. Quid ergò? An *qui manent in communione, ἐν κοινωνίᾳ, κοινωνικοί*; Nec hoc probo. An secundum illud, *Homo est animal sociale*, divites noluit esse *μισανθρώπους*; Nè hoc quidem. De liberalitate sermo est. Ergò quando jubet divites *εὐμεταδότους εἶναι*, ad pecuniarum subministrationem, quando eosdem vult esse *κοινωνικοὺς*, ad liberalem quorumvis aliorum bonorum communicationem respicit. Expositionem hanc confirmat cap. 6. 6. ad Galatas, *Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, Communicet autem qui instituitur in sermone ei qui se instituit, omnia bona.* Quò spectat & illud præceptum Heb. 13. 16. *τῆς δὲ εὐποιίας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε, Beneficentiæ & communicationis ne obliviscimini.* Sed omnium clarissimè seipsum explanat Apostolus, quando ad Philemonem scribit dicitque, *εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνὸν, si habes mecum omnium rerum societatem.* Id enim significat ibi verbum *κοινωνὸς*· neque ad unum aliquod genus refertur, sed planè ad omnia tam humana quàm Divina. Sic Johannes Damascenus ad quendam à se ex captivitate liberatum, *Ecce*, inquit, *posthac non solùm liber eris, sed constituo etiam te κοινωνὸν τοῦ οἴκου μου, καὶ συνδεσπότην κατ' ἐμὲ, σύμμετρόν μοι πάσης χαρᾶς τε καὶ θλίψεως.* Hæc amicitia erat Pythagoræorum philosophica; hæc amicitia erat Essæorum legalis, teste Josepho lib. 11. c. 7. De bello Judaïco: hæc nostra Christianorum vel maximè debet esse amicitia Euangelica, ut exprimamus factis amicum illum quem Dio Prusæus Philosophus eloquentissimus descripsit Orat. 3. De regno, *ὁ τοίνυν φίλοις χαριζόμενος, ἥδεται διδούς· ἅμα δὲ ὡς αὐτὸς κτώμενος. καὶ γὰρ δὴ παλαιός ἐστιν ὁ λόγος, ὁ κοινὰ ἀποφαίνων τὰ τῶν φίλων. ἐκοῦν ἀγαθῶν παρόντων τοῖς ἀγαθοῖς, οὐχ ἥκιστα ἂν εἴη ταῦτα κοινά.*

LUD. CAPPELLUS.

1. ἽΝα μὴ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται] Sic & R. Jona in libro Timoris, אף עסקיו עם הגוי יהיו באמונה פן יתחלל שם שמים ותורת ישראל התבוזה על ידו, *Omnia sua negotia quæ ipsi* (nempe Judæo) *cum Gentili intercedunt, magna cum fide peraget, ne forte propter ipsum profanetur nomen Dei, & Lex Israelis contemnatur.* Ab hoc præcepto longissimè abest eorum praxis. Fallere enim Christianum ab ipsis habetur quasi bene factum & meritorium opus, deque eo inter se vel maximè gloriantur.

GROTIUS.

1. ὍΣοι εἰσὶν ὑπὸ ζυγὸν δοῦλοι, *Quicunque sunt sub jugo servi*] Hoc ad distinctionem addidit: omnes enim Christiani servi Dei & Christi: & propter hoc servi etiam alii aliorum. *ὑπὸ ζυγὸν* [*sub jugo*,] id est, *sub imperio herili.* Sic ea vox usurpatur Levit. 26. 13. Esaiæ 9. 3. & alibi. ¶ *τοὺς ἰδίους δεσπότας πάσης τιμῆς ἀξίους ἡγείσθωσαν. dominos suos omni honore dignos arbitrentur*] Tanquam magistratus suos domesticos. Vide Rom. 13. 7. 1 Petri 2. 17. ¶ *ἵνα μὴ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται. ne nomen Dei & doctrina blasphemetur*] *Nomen Dei maledictis impetitur*, cùm malè vivunt qui ejus se dicunt cultores. Vide Rom. 2. 24. Esaiæ 52. 5. Ezech. 36. 23. dicunt enim extranei: *qualem isti Deum habent?* Sic & *ἡ διδασκαλία, doctrina Euangelica* traducitur, velut imperiorum dissolutrix.

2. Οἱ δὲ πιστοὺς ἔχοντες δεσπότας μὴ καταφρονείτωσαν, ὅτι ἀδελφοί εἰσιν. *Qui autem fideles habent dominos non contemnant quia fratres sunt*] Ne ob id eos contemnant, quod inter se fratres sunt in Christo. Ista paritas cætera personarum discrimina non tollit. ¶ *ἀλλὰ μᾶλλον δουλευέτωσαν, sed magis serviant*] *Eò impensiùs illis servite.* Leges civiles nihil præcipiebant servis: quia domini satis eos cogebant facere quod ex usu dominorum esset. Nunc cùm per Euangelium domini facti essent multò leniores, præcepta etiam servis danda fuere. ¶ *ὅτι πιστοί εἰσι καὶ ἀγαπητοὶ οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι. quia fideles sunt & dilecti qui beneficii participes sunt*] Primùm *quia fide in Deum sunt præditi*: deinde *diligendi eo nomine, quòd curam gerant, ut vobis benefaciant*, id est, ut vos vestiant, pascant, ab injuriis protegant. *ἀντιλαμβάνεσθαι* est *curam alicujus gerere.* Sic *ἀντιλαβόμενος ἀληθείας* [*curam veritatis gerens*,] Esaiæ 26. 3. ¶ *Ταῦτα δίδασκε καὶ παρακάλει. Hæc doce & exhortare*] Hoc ita tibi dico, quia tuum est etiam servos docere.

3. Εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, *Si quis aliter docet*] Vide supra 1. 3. ¶ *καὶ μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi*] Προσέρχεται קרב [*accedit*,] quod dicitur de iis qui ad altare veniunt, Levit. 9. 7. & alibi. Non minori reverentiâ tractandum est Euangelium: cujus sermones verè sunt *ὑγιαίνοντες* [*sani*,] ut supra 1. 10. 2 Tim. 1. 13. 4. 3. Tit. 1. 9. 2. 1. quia nihil insalubre admixtum habent, quo non carent dogmata Rabbinorum & Philosophorum. ¶ *καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, & ei quæ secundùm pietatem est doctrina*] Hic *καὶ* [*&*] ut sæpe est *ἐξηγητικὸν* [*explicativum ejus quod præcessit.*] Nam verba Christi verè sunt *doctrina ad pietatem faciens. κατὰ εὐσέβειαν* [*secundùm pietatem*] est *quod pietati convenit*, ut Tit 1. 1.

4. Τετύφωται, *Inflatur*] Vide quid illis eveniat, inquit, qui ab Euangelio abscedunt; *inflantur*, nempe ut solent corpora malè sana. Vide supra 3. 6. Fiunt

—*κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί.*
[—*vanis inflati fastibus utres.*]

¶ *μηδὲν ἐπιστάμενος*,] *nihil sciens*, nempe *earum rerum quæ maximam vim habent ad pietatem.* Id supplendum ex præcedentibus. ¶ *ἀλλὰ νοσῶν, sed languens*] *Delirat*, ut sæpe solent ægroti. Persequitur enim cœptam similitudinem. Solet autem *νοσεῖν* [*languens*] illo sensu construi cum *περὶ* [*circa*,] Sic Plutarchus dicit *περὶ σφραγῖδα πολυτελῆ νοσεῖν* [*Sigilli magni pretii*

tii plus æquo capi.] ¶ περὶ ζητήσεις, *circa quæstiones*] Physicis scilicet de rebus, uti Socrates ajebat, quæ nihil ad nos, nempe meliores reddendos. Quanta in his fuerint opinionum incerta, vide librum in Plutarchi operibus περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς Φιλοσόφοις [*de Placitis Philosophorum*,] & in Physicis Stobæi. Hermas 3. 9. *Hi sunt qui inter se habent lites, & propter querelas suas in fide languent.* ¶ καὶ λογομαχίας, *& pugnas verborum*] Multæ inter Philosophos disputationes erant de vocabulis. Ea quæ corpori & vitæ agendæ conducunt, Bona sunt Platoni & Aristoteli. Non vult Porticus ea sic appellari, sed προηγμένα [*præposita.*] Miseretur sapiens Platonicus & Aristotelicus. Stoïcus non miseretur, sed parcit. *Maxima pars Stoicarum disputationum*, ait Cicero, *circa nomina consumitur*, *Vitiosum* autem *est controversiam intendere propter nominum mutationem*, ait ad Herennium scriptor. Aristoteles in Topicis non malè, εὐλαβητέον πρὸς τοὔνομα διαλέγεσθαι [*vitanda disputationes de notatione verborum.*] Verbum λογομαχεῖν, [*de verbis contendere*] habes & apud Græcos scriptores, & infra 2 Tim. 2. 14. ¶ ἐξ ὧν γίνεται φθόνος, ἔρις, βλασφημίαι, *ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemia*] *Invidia, lites, maledicta* frequentia Philosophis, de quibus Timon,

> Ποῖον ἄν τ' ἐρίδων καὶ λεσχομάχων πεπλήγησθε;
> [*Quæ vos vaniloquo fallunt certamine lites?*]

Et alibi,

> Φοιτᾷ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενὸν λελακυῖα,
> Νείκης ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη καὶ ἔριθος·
> [*Aspera lis quædam provenit inania clamans,*
> *Incensi in cædes odii soror atque ministra.*]

¶ ὑπόνοιαι πονηραί, *suspiciones malæ*] *Opiniones malæ:* nam ὑπονοεῖν [*suspicari*] ponitur pro שכל quod est *cogitare.* Tales opiniones Diagoræ, *non esse Deum.* Epicuri, *Deum non curare res humanas*, quæ videtur etiam Aristotelis fuisse sententia ἐν τοῖς ἐσωτερικοῖς λόγοις [*in arcaniore institutione.*] Academiæ adolescentioris & Scepticorum, *Nihil posse percipi, nihil esse turpe per se.*

5. Διαπαρατριβαί, *Conflictationes*] In aliis libris est παραδιατριβαί, quod rectum. Διατριβὴ vox propria Philosophorum, *disputatio:* unde *locum* ipsum *ubi disputatur*, διατριβὴν vocavit Gellius. Addidit Paulus παρὰ quod non rarò in compositione id significat *quod rectum non est*, ut cùm dicimus παράγραμμα sive παραγραμματισμός, παραλογίζεσθαι, παρασύναξις [*alliteratio, falsa argumentatione decipere, falsa collectio,*] & similia. ¶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν, *hominum mente corruptorum*] Id est, *mentem habentium alienam à pietate*, quod verè est φθείρεσθαι [*corrumpi*] 2 Corinth. 11. 3. ¶ καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας, *& qui veritate privati sunt*] *Destituti cognitione ejus veritatis* quæ maximi momenti est. ¶ νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν. *existimantium quæstum esse pietatem*] *Existimant pietatem*, id est, Christianismum *quæstui suo servire debere.* Respici videtur locus Esaiæ 56. 11. ¶ ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων. *secede ab iis qui ejusmodi sunt*] Hoc non est in Manuscripto optimo. Deest & in aliis multis, & in Latino. Addiderunt ii qui sensum putarunt sine his non plenum: cùm contra res se habeat. Nam τετύφωται [*inflatus est*] quod præcesserat, non erat descriptio subjecti, sed prædicatum, ut loquuntur.

6. Ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια, *Est autem quæstus magnus pietas*] Ex Esai 33. 6. יראת יהוה היא אוצרו, *Timor Domini thesaurus ejus.* Magnus est quæstus lucrari animam, Matt. 16. 26. ¶ μετὰ αὐταρκείας. *cum sufficientia*] Vetus dictum, *magnum vectigal parsimonia.* At verius, Magnum esse quæstum suo contentum esse, id enim est nullius rei indigere. Vide 2 Cor. 9. 8. Sic dicunt Hebræi, *Dives est qui suâ sorte gaudet.* Utuntur voce αὐταρκείας Polybius & alii.

7. Οὐδὲν γὰρ εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, δῆλον ὅτι οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι δυνάμεθα. *Nihil enim intulimus in mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possumus*] Sensus idem qui Job. 1. 21. & Eccles. 5. 14. Applicatum autem hic ad irridendam avaritiam. Tale illud Martialis,

> *Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.*

Et Græcum non disparis sensûs,

> Γῆς ἐπέβην γυμνός, γυμνὸς θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι.
> Καὶ τί μάτην μοχθῶ γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος;
> [*Nudus in hanc veni tellurem; nudus abibo;*
> *Quid satago nudum natus ad exitum?*]

Adde quæ ad Luc. 12. 20.

8. Ἔχοντες δὲ διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, τούτοις ἀρκεσθησόμεθα. *Habentes autem alimenta & quibus tegamur his contenti simus*] Philo de Præmiis, πλοῦτος δὲ ὁ μὲν τῆς φύσεως εὐτελής ἐστι τροφὴ καὶ σκέπη [*sunt autem frugales opes; quas natura postulat, alimentum & tegumentum.*] Aristides, ἐσθῆτος γάρ, οἶμαι καὶ σκέπης, καὶ τροφῆς δεόμεθα [*indigemus enim, opinor, vestibus, tegmine & alimento.*] Ubi σκέπην [*tegumentum*] Aristides posuit pro *tecto:* Philo autem, ut hic Paulus, pro *veste* & *tecto.* Est enim σκέπη sive σκέπασμα, [illegible] hoc *omne quo tegimur.* Jacobus *panem* tantùm & *vestem* postulat Gen. 28. 20. Quod Cyprianus διατροφὰς vertit *exhibitionem*; in eo locutionem juris secutus est. Nam *exhibere* est alere. L. si qua 5. sed si. D. de Agnoscendis & alendis liberis.

9. Οἱ δὲ βουλόμενοι πλουτεῖν, *Nam qui volunt divites fieri*] נבהל להון [*qui festinat ditari*] Prov. 28. 22. *Cui id unicum studium est, ut ditescat*, Mammonæ servus. Vide Matth. 6. 24. ¶ ἐμπίπτουσιν εἰς πειρασμὸν καὶ παγίδα, *incidunt in tentationem & laqueum*] Id est, εἰς παγίδα πειρασμοῦ [*in laqueum tentationis*] Illaqueantur à diabolo: cujus nomen hîc claritatis causâ addidere interpretes quidam. ἐμπίπτειν εἰς πειρασμὸν [*incidere in tentationem*,] idem quod εἰσέρχεσθαι [*intrare*] de quo diximus ad Matth. 6. 13. ¶ καὶ ἐπιθυμίας πολλὰς ἀνοήτους καὶ βλαβεράς, *& desideria multa inutilia & nociva*] Sic legit Latinus, non ἀνοήτους [*amentes.*] *Cupiditates istæ non modò nihil prosunt* (neque enim vivitur de supervacuis) *verùm nocent insuper.* Impediunt enim nos Deo, ut oportet, servire, Matth. 6. 13. in quo sunt τὰ πάντα [*omnia.*] ¶ αἵτινες βυθίζουσι τοὺς ἀνθρώπους εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν. *quæ mergunt homines in interitum & perditionem*] Similitudo sumpta ex supplicio, non quidem apud Judæos, sed in Oriente usitato 2 Maccab. 12. 4. Habes & apud Eusebium ejus supplicii mentionem. Vide quæ dicta ad Matth. 18. 6. *Demergunt eos in profundum, unde nullus est exitus.* ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν, [*interitum & perditionem*,] id est, *interitum irreparabilem*, sic 1 Reg. 13. 24. εἰς ὄλεθρον καὶ ἀφανισμὸν [*in perditionem & deletionem.*]

10. Ῥίζα γὰρ πάντων τῶν κακῶν ἐστιν ἡ φιλαργυρία· *Radix enim omnium malorum est avaritia*] Id est, *nullum est malum quod non ex avaritia nasci possit.* Vide quæ diximus Ephes. 4. 19. Apollodorus,

> Ἀλλὰ σχεδόν τι τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν
> Εἴρηκας· ἐν φιλαργυρίᾳ γὰρ πάντ' ἔνι.
> [*Perversitatis nominasti ipsum caput:*
> *Multis mala insunt multa, sed avaro omnia.*]

Ideo φιλαργυρία [*avaritia*] Philoni κακίας μητρόπολις [*malitiæ metropolis.*] Philosophi Græci multa quidem de contemptu divitiarum loquebantur; sed plures Philosophi spectabantur ad fores divitum, quàm divites ad fores Philosophorum. ¶ ἧς τινες ὀρεγόμενοι, *quam quidam appetentes*] Sic ὄρεξις πορισμοῦ [*cupiditas acquirendi*] Sap. 14. 2. ὀρέγειν [*appetere*] propriè quidem dicitur de rebus, ut de pecuniis; sed per translationem quandam de ipsis quæ amamus vitiis. Non malè vetteris, *Cui quidam studentes.* ¶ ἀπεπλανήθησαν ἀπὸ τῆς πίστεως, *erraverunt à fide*] Vide supra 1. 19. & 5. 15. Hactenus locutus de Philosophis illis qui se Christianis cœtibus inferebant, addit eos adulterare verbum Dei, & venari commoda, atque inde evenisse ut etiam quidam Christianismum deseruerint. Hinc ostendit, quanti sit res ista periculi. ¶ καὶ ἑαυτοὺς περιέπειραν ὀδύναις πολλαῖς. *& inseruerunt se doloribus multis*] In Glossario, περιπείρω, *adfigo.* *Multis doloribus se implicuere.* Primùm enim magna est molestia in quærendis pecuniis, deinde major in servandis. Vide Matth. 13. 22. Accedunt odia aliorum, sæpe lites, interdum & pœnæ.

11. Σὺ δέ, ὦ ἄνθρωπε τοῦ Θεοῦ, *Tu autem, ô homo Dei*] Honorifico admodum eum appellat vocabulo, quomodo Prophetæ appellari solebant, ut in inscriptione Psalm. 90. 2 Reg. 4. 40. & alibi. ¶ ταῦτα φεῦγε. *hæc fuge*] Longè abesto etiam à collimitiis talium vitiorum. ¶ δίωκε δὲ δικαιοσύνην, *sectare verò justitiam*] Eadem locutio Roman. 9. 30. & 2 Timoth. 2. 22. Sic & διώκειν ἀγάπην [*sectari charitatem*] 1 Cor. 14. 1. Hebræi צדק sic usurpant. Δικαιοσύνη [*Justitia*] hoc loco est *innocentia.* ¶ εὐσέβειαν, *pietatem*] *Pietatem in Deum.* ¶ ἀγάπην, *charitatem*] *Benevolentiam in homines.* ¶ ὑπομονήν, *patientiam*] *Patientiam in adversis.* ¶ πραότητα. *mansuetudinem*] *Lenitatem in offensis.* In Manuscripto est πραϋπάθειαν. Et videtur sic legisse Hesychius: Est enim apud eum πραϋπάθεια, πραότης [*mansuetudo.*]

12. Ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως. *Certa bonum certamen fidei*] Ad id certamen venisti, ubi sine intermissione pugnandum est, 1 Corinth. 9. 25. Philipp. 1. 29. Coloss. 1. 29. 2. 1. 2 Tim. 4. 7, 8. נפתולי אלהים נפתלתי [*luctationibus Dei luctare*,] ut est Genes. 30. 8. ¶ ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς, *apprehende vitam æternam*] Sic & mox 19. locutio similis isti Proverb. 4. 13. החזק במוסר [*fortis esto in disciplina*] ubi Græci,

ἐπιλαβοῦ ἐμῆς παιδείας [*apprehende disciplinam meam.*] *firmiter tene.* Sed notandum *vitâ æterna* nomine hic, & alibi significari jus ad vitam æternam. Sensus idem Philipp. 3. 14. ¶ εἰς ἣν ἐκλήθης, *in quam vocatus es*] Sic τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ [*superna vocationis Dei*] dicto ad Philippenses loco. ¶ καὶ ὡμολόγησας τὴν καλὴν ὁμολογίαν ἐνώπιον πολλῶν μαρτύρων, *& confessus bonam confessionem coram multis testibus*] Hic καὶ [*&*] valet *quando*: nempe *in baptismo, cui multi adhibebantur testes.* De hac professione vide quæ diximus ad Matth. 28. 19. Hanc ὁμολογίαν *testationem fidei* vocat in libro de Baptismo Tertullianus.

13. Παραγγέλλω σοι, *Præcipio tibi*] *Denuntio tibi.* Eadem vox 1 Corinth. 7. 10. 11. 17. 1 Thess. 4. 11. 2 Thess. 3. 4, 6, 10, 13. Supra 4. 11. 5. 7. & nomen παραγγελία [*præceptum*] 1 Thess. 4. 2. supra 1. 5, 18. ¶ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα, *coram Deo qui vivificat omnia*] De sensu vide supra 5. 21. illi Deo qui omnibus quæ vivunt vitam dat, & dans ut vult servat. Is est qui eam potest & reddere, Joh. 5. 21. In Manuscripto est ζωογονοῦντος pari sensu. Interpretes enim Græci pro Hebræo החיה promiscuè ponunt ζωογονεῖν & ζωοποιεῖν [*vivificare.*] ¶ καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ μαρτυρήσαντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, τὴν καλὴν ὁμολογίαν *& Christo Jesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem*] Dedit tibi exemplum, ipse cum vitæ periculo professus *se esse Regem* regni cœlestis, *in hoc missum ut veritati testimonium perhiberet.* Joh. 18. 37. Sic & tu fac, profitere te Episcopum, testem ejusdem veritatis. Ἐπὶ [*Sub*] nota propria stantis apud Judicem, Actor. 25. 9, 10.

14. Τηρῆσαί σε τὴν ἐντολὴν ἄσπιλον, *ut serves mandatum sine macula*] Nempe in professione tua. ἄσπιλον, *sine ulla macula.* Sic Jac. 1. 27. 2 Petr. 3. 14. Hebræi eodem sensu dicunt בלא מום [*absque macula.*] ¶ μέχρι τῆς ἐπιφανείας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *usque in adventum Domini nostri Jesu Christi*] Et hic apparet loqui Paulum ad Timotheum tanquam qui vivere posset ad tempus quo Christus ad judicium erat venturus. Vide quæ diximus ad 1 Cor. 15. 52 2 Corinth. 5. 2, 3. 1 Thessal. 4. 15. Vide eandem vocem ἐπιφανείας [*apparitionis*] hoc sensu ex infra 2 Timoth. 1. 10. 4. 8. Tit. 2. 13. Hebraïcè est הופעה.

15. Ἣν καιροῖς ἰδίοις δείξει, *Quem suis temporibus ostendet*] *Faciet apparere*, τουτ. καιροῖς ἰδίοις [*temporibus suis*] בעתו [*tempore suo.*] *tempore quod ipse novit.* Vide supra 2. 16. ¶ ὁ μακάριος, *beatus*] Vide supra 1. 11. ¶ καὶ μόνος δυνάστης, *& solus potens*] Id est, *qui solus potest omnia.* שדי [*omnipotens*] Sic 2 Macc. 3. 24. πάσης ἐξουσίας δυνάστης [*omnis potestatis Dominator.*] Ibidem 12. 15. dicitur κόσμου δυνάστης *mundi Dominator*] Et ὁ ἐν οὐρανῷ δυνάστης [*Dominator in cælo*] in eodem libro 15. 2, 23. ¶ ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, *Rex Regum*] Sic Hebræi dicunt מרא מלכין [*Regum Dominus*] ut Dan. 2. 47. ¶ καὶ κύριος τῶν κυριευόντων, *& Dominus dominantium*] אדני האדנים [*Dominus dominorum*] Deut. 10. 17. Psal. 136. 3. Ne timete minores illos dominos, dum ei paretis, qui & in ipsos imperium habet.

16. Ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, *Qui solus habet immortalitatem*] Nempe per se. Sic vox μόνος [*solus*] ponitur & Rom. 16. 27. 1 Tim. 1. 17. Ἀθανασίας [*immortalitatis*] vox est aliquoties in libro Sapientiæ, & apud Paulum 1 Cor. 15. 53, 54. utitur & Menander. Non longè hinc abit sententia Platonis, quam sic explicat in Theologicis Proclus, loquens de diis minoribus, quos nos *Angelos* dicimus, μήτε ἀθανάτους εἶναι, μήτε τεύξεσθαι θανάτου μοίρας [*nec esse immortales, nec tamen morituros.*] Plato ipse in Timæo Deum summum sic inducit loquentem, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα ἐμοῦ γε θέλοντος [*quæ per me facta, sunt indissolubilia, quantum quidem voluero.*] Sic Justinus cum Tryphone disputans negat animas esse immortales, (nempe per se) & tamen negat eas mori. Scriptor Responsorum ad Orthodoxos non malè, Μόνος ἔχων τὴν ἀθανασίαν λέγεται ὁ Θεὸς, ὅτι οὐκ ἐκ θελήματος ἄλλου αὐτὴν ἔχει, καθάπερ οἱ λοιποὶ πάντες ἀθάνατοι, ἀλλ' ἐκ τῆς οἰκείας οὐσίας [*Solus Deus immortalitatem dicitur habere, eo quod non ex alterius voluntate eam habet, sicuti cæteri omnes immortales, verùm ex suapte essentia.*] Habet eam Deus ἐκ τῆς οἰκείας φύσεως, καὶ οὐκ ἐκ τῆς ἑτέρου θελήσεως [*ex propria natura, & non ex alterius voluntate,*] ait Responsum ad quæstiones Græcas. ¶ Φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, *& lucem inhabitat inaccessibilem*] Summum illud cœlum à conspectu nostro remotum, quod *lucem sub solio Gloriæ* appellant Hebræi. ונהורא עמיה שרא [*lux cum eo manet*] Dan. 2. 22. ubi Græca τὸ φῶς μετ' αὐτοῦ ἐστι [*lux cum eo est.*] Jacchiades ibi עמו שוכן האור [*lux resìdet apud eum.*] Ἀπρόσιτον *inaccessum* dixit Virgilius. ¶ ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὐδὲ ἰδεῖν δύναται. *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*] Mortalium scilicet 1 Joh. 3. 7. ¶ ᾧ τιμὴ, κράτος αἰώνιον, Ἀμήν. *cui honor, imperium sempiternum, Amen.*] Habes hic iterum ἀσύνδετον [*conjunctionis omissionem*] in nominibus duobus junctis. Quale notavimus Luc. 2. 14. & alibi. In Psalm. 29. 1. cum copula כבוד ועז [*gloria & potentia.*] Sed hic additur αἰώνιον [*sempiternum,*] ut & 2 Tim. 2. 10. & 1 Petri 5. 10. τὸ, κράτος hic significat *imperium*, δυναστείαν. Nam sic עז vertitur Job. 37. 6. Psalm. 89. 14. Dan. 11. 31.

17. Τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. *Divitibus hujus seculi*] Cùm Epistolam jam absolvisset, venit ei in mentem speciali admonitione opus habere divites, illos mercatores, qui plurimi erant Ephesi. Bene autem dixit *divites hujus seculi*: quia sunt & aliæ divitiæ, de quibus Matth. 6. 20. & 19. 21. Marc. 10. 21. Luc. 12. 21, 33. 18. 22. ¶ παράγγελλε, *præcipe*] Vide supra 13. ¶ μὴ ὑψηλοφρονεῖν, *non sublime sapere*] Habuimus hoc verbum & Rom. 11. 20. pro ὑψηλὰ φρονεῖν [*sublimia sapere*] Rom. 12. 16. id est *altos gerere spiritus*, quod vitium maximè divitias sequitur. Sosiphanes,

> Ἂν δ' εὐτυχεῖτε μηδὲν ὄντες, εὐθέως
> Ἴσ' οὐρανῷ φρονεῖτε.
> [*Si faverit fortuna, cùm sitis nihil,*
> *Cœlo levatis caput.*]

Euripides,

> Ὕβρις τε τίκτει πλοῦτος
> [*Opibus adhæret fastus.*]

Menander,

> Λαμπρᾶς τε πλούτῳ καὶ γένει γαυρουμένου,
> [*Superbientem opibus sua & natalium.*]

Idem,

> Τετρύφηκεν τοῦ γένους ἡ λίαν τρυφή
> [*Delicia nimia partium insolentiam.*]

Inde ejusdem Menandri monitum,

> ——μηδ' αὐτὸς εἰ σφόδρ' εὐπορεῖς
> Πίστευε τούτῳ, μήτε τῶν πτωχῶν πάλιν
> Ἡμῶν καταφρόνει.——
> [—— *nempe ne fortuna prospera*
> *Confidas nimium, neu nos contra pauperes*
> *Despectui habeas* ——.]

¶ μηδὲ ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, *neque sperare in incerto divitiarum*] *Incerto divitiarum*, pro *divitiis incertis*, sive *fluxis.* Exemplum hominis fidentis opibus vide Psalm. 39. 7. Luc. 12. 17, 18, 19. ¶ ἀλλ' ἐν τῷ Θεῷ τῷ ζῶντι, *sed in Deo vivo*] Quod subjungitur etiam dicto Psalmi loco. Ἐπίθετον [*agnomen*] est Dei ὁ ζῶν [*vivus*] 1 Thess. 1. 9. Supra 3. 15. 4. 10. sic Hebræis אל חי [*Deus vivens.*] nec inaniter id hic positum; divitiæ pereunt, ille manet; divitiæ res inanimes, Deus vivus & vitæ causa. Pro ἐν τῷ Θεῷ Manuscriptus habet ἐπὶ τῷ Θεῷ [*in Deo*] Post vocem ἐλπίζειν [*sperare*] modo ἐν [*in* cum ablativo,] modo ἐπὶ [*in*] solet poni, pro Hebræo ב: interdum & εἰς [*in* cum accusativo.] vide Matt. 12. 21. Joh. 5. 45. Rom. 15. 12. 1 Cor. 15. 19. 2 Corinth. 1. 10. Philipp. 2. 19. Supra 4. 10. 1 Petri 3. 5. ¶ τῷ παρέχοντι ἡμῖν πλουσίως πάντα εἰς ἀπόλαυσιν. *qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*] In illo spes reponenda est, qui etiam nobis pauperibus dat omnia ista quibus natura indiget, & quibus nos contenti sumus. Id enim est ἀπολαύειν, *uti cum quadam delectatione.* πλουσίως, id est, *largè*, ut Coloss. 3. 16. Tit. 3. 6. 2 Petri 1. 11. dat Solem & cœlum, & sidera & fontes, & terras frugiferas.

18. Ἀγαθοεργεῖν, *Bene agere*] Idem quod ἀγαθοποιεῖν [*bene facere*] Marci 3. 4. Luc. 6. 9, 33, 35. Actor. 14. 17. & apud Petrum aliquoties, respondet Hebræo היטיב, ut videre est Num. 10. 32. Judic. 17. 13. Soph. 1. 13. significat autem *beneficia conferre*, quod facile divitibus, & quidem in cujusvis fortunæ homines. Construitur hic infinitivus cum illo παράγγελλε [*præcipe.*] ¶ πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, *divites fieri in bonis operibus*] *Piis factis abundare.* Id enim πλουτεῖν Roman. 10. 12. עשר [*ditescere.*] ¶ εὐμεταδότους εἶναι, *facilè tribuere*] *Liberaliter dare pauperibus*, secundùm illud,

> Μέμνησο πλουτῶν τοὺς πένητας ὠφελεῖν
> [*Memento dives facere pauperibus bene.*]

¶ κοινωνικούς· *communicare*] Etiam vocare pauperes ut communiter rebus partis fruantur. Proverb. 22. 8. Esai. 58. 7. Luc. 14. 12. Sic κοινωνικὸς Ἑρμῆς [*Mercurius communicationis amans*] Aristoteli. Horum præceptorum initia quædam erant in legibus de Spicilegio & Racematione, & Anno Sabbatico.

19. Ἀποθησαυρίζοντας ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, ἵνα ἐπιλάβωνται τῆς αἰωνίου ζωῆς. *Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant æternam vitam*] Θησαυρίζειν & ἀποθησαυρίζειν [*thesaurizare*] per allusionem de omni re quæ clam deponitur, ut eleemosynæ apud pauperes. Sic ponitur hæc vox Roman. 2. 5. Jac. 5. 3. 2 Petr. 3. 7. Convenit autem

autem hoc & fundamento: quia fundamenta abduntur, ita ut non appareant. Opera autem misericordiæ ideo comparantur fundamento, quia sicut ex fundamentis latentibus domus in altum assurgit, ita ex illis operibus assurgit vita illa sublimis atque cœlestis. Vide Matth. 19. 21. Vocem ἐπιλαβοῦ [*apprehende*] conjunctam cum *vita æterna* habuimus & supra 12. Sed ibi jus ad rem rei nomen accepit, hic res ipsa significatur. In Manuscripto pro τῆς αἰωνίου ζωῆς [*vitæ æternæ*,] est τῆς ὄντως ζωῆς [*veræ vitæ*,] sensu eodem. Nam ὄντα & ἀληθῆ [*vera*] dicuntur κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ea quæ semper manent. Et Latinus sic legit: vertit enim *veram vitam*.

20. Ὦ Τιμόθεε, *O Timothee*] Blanda compellatio addito nomine proprio. ¶ τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, *depositum custodi*] Manuscriptus & hic & 2 Tim. 1. 12. παραθήκην. In Glossario παραθήκη, *hoc depositum*. Et ita scribitur hæc vox Levit. 6. 2, 4. ubi in Hebræo פקדון: 2 Maccab. 3. 10, 15. Et Phrynichus vult παραθήκην dici, non παρακαταθήκην. Vocat autem *depositum* sacram doctrinam Euangelii, quia & res est alterius, nempe Christi, & pastoribus fida ejus custodia incumbit. Quare & verbum παρατιθέναι [*deponere*] in eodem negotio habemus supra 1. 18. 2 Tim. 2. 2. Et notarunt alii in libro Musar præcepta vocari *depositum*. ¶ ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας, *devitans profanas vocum novitates*] Illas γενεαλογίας [*genealogias*] de quibus supra: quæ & inanes sunt; nihil enim ad pietatem proficiunt: & profanæ; quia non sunt divinitus revelatæ. Iidem βέβηλοι μῦθοι [*profanæ fabulæ*] supra 4. 7. κενοφωνία idem quod in Glossario κενολογία, *vaniloquium*: Theophylacto ad hunc locum ματαιολογία [*stultiloquium*.] ¶ καὶ ἀντιθέσεις, *& oppositiones*] Nam & ipsi inter se pugnabant, ut diximus 1. 4. In Glossario, ἀντίθεσις, *oppositio*. Græci ἀντιθέσεις [*oppositiones*] interpretantur ἀντιλογίας [*contradictiones*.] ¶ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *falsi nominis scientiæ*] Vides hic quàm vetus nomen *Gnosticorum*, quod isti Philosophi Christianis cœtibus se miscentes sibi indebant, spernebantque præ se cæteros ut rudes. Diximus de iis ad Johannis initium & ad hujus Epistolæ 1. 4. Falsò autem scientiæ laudem sibi vendicabant, unde Irenæus initio ait ἀπάγοντες αὐτοὺς προφάσει γνώσεως [*seducentes illos prætextu scientiæ*.] Eusebius libro 5. 7. libros Irenæi ait esse ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως [*de scientia falso ita dicta refutatione ac eversione*.] Adversùs hos est & Justini illud ad Diognetum, Ὁ γὰρ νομίζων εἰδέναι τι ἄνευ γνώσεως ἀληθοῦς καὶ μαρτυρουμένης ὑπὸ τῆς ζωῆς, οὐκ ἔγνω· ὑπὸ τοῦ ὄφεως πλανᾶται [*Qui enim putat se scire aliquid sine cognitione vera, & cui testimonium perhibetur à vita, non cognoscit: à serpente decipitur*.] Et illud Clementis Pædagogi 1. Οὐ γὰρ παῖδες ἡμεῖς καὶ νήπιοι πρὸς τὸ παιδαριῶδες καὶ εὐκαταφρόνητον τῆς μαθήσεως προσαγορευόμεθα, καθὼς οἱ εἰς γνῶσιν πεφυσιωμένοι διαβεβλήκασι [*Non enim nos pueri & infantes appellati sumus, quòd sit puerilis & contemnenda nostra disciplina, ut nos calumniati sunt, qui sunt inflati scientiâ*.] Idem Stromatum 1. ait hanc Epistolam ob id à Gnosticis repudiatam, quòd in ea se tam vivis coloribus notatos agnoscerent, Καθάπερ, inquit, τὴν φιλοσοφίαν ὁ τῦφος καὶ ἡ οἴησις διαβέβληκεν, οὕτως καὶ τὴν γνῶσιν ἡ ψευδὴς γνῶσις ἡ τε ὁμωνύμως καλουμένη [*Quemadmodum fastus & arrogantia Philosophiam in invidiam adduxerunt, similiter & cognitionem falsa & eodem nomine nominata cognitio odiosam reddidit*.] Deinde producit hunc quem in manibus habemus locum. Vera scientia est, quæ ad salutem æternam proficit.

21. Ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι, *Quam quidam promittentes*] *Profitentes*, ut supra 2. 10. ¶ περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν. *circa fidem aberrarunt*] Quidam, inquit, eorum ex ipso fastu & aliorum contemptu tandem eò pervenere, ut etiam Christianismum desererent. Hoc est quod supra dixit de aliis, ἀπεπλανήθησαν ἀπὸ τῆς πίστεως [*aberraverunt à fide*,] & 1. 19. περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν [*circa fidem naufragium fecerunt*.] Vocem ἀστοχεῖν [*aberrare*] de fide habuimus & supra 1. 6. Sic & 2 Tim. 2. 18. ¶ Ἡ χάρις μετὰ σοῦ. *Gratia tecum*] Nempe *Dei Patris & Christi*. Breviter dictum ut & Ephes. 6. 24. In Manuscripto μεθ᾽ ὑμῶν [*vobiscum*,] quomodo Coloss. 4. 18. 2 Tim. 4. 22. Tit. 3. 15. Hæc ultima verba adscripserat Paulus suâ manu.

PRICÆUS.

1. Ὑπὸ ζυγὸν δοῦλοι] Artemidorus 3. 18. Ὑπεζεῦχθαι ὀχήματι, &c. δουλείαν, &c. προαγορεύει. Sic, *servitutis jugum* dixit Cicero, Orat. antequam iret in exsil. Valer. Maximus 8. 9. & Saturnal. 1. 11. Macrobius: *servitii jugum*, Horatius: *servile jugum*, Seneca 2. 14. de Ira: *servilis conditionis jugum*, Confess. 7. 6. D. Augustinus: & *ministerii jugum*, Apulejus. Vide & Galat. 5. 1.

Ibid. ἵνα μὴ τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ, καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται] Ἵνα μὴ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ βλασφημῆται, ut ad Tit. 2. 5. ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία, ut 2 Cor. 6. 3. id est, ἵνα τὴν διδασκαλίαν τοῦ θεοῦ κοσμῶσιν, ut ibidem com. 10. eodem argumento isto; ubi & ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι, illustrat quod hoc loco præcipitur, τιμῆς πάσης ἀξίους ἡγεῖσθαι. Sedulius ad Rom. 13. illud, τῷ τὴν τιμὴν, τιμήν, *Potest hic honor circa eos esse qui sublimes videntur in mundo, ut videntes humilitatem servorum, Christum laudent potiùs quàm vituperent doctrinam Euangelicam*. Confer quæ & Chrysostomus in fine Homil. 56. in Joannem. Βλασφημῆται, intellige ἐν τοῖς ἔθνεσι, Rom. 2. 24. 1 Pet. 2. 12. Nehemiæ 5. 9. *Quare non in timore Dei nostri ambulatis, nè exprobretur nobis à Gentibus?* Chrysologus Serm. 70. ad ea, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, *Quia à Christo vocatus es Christianus petis ut prærogativa tanti nominis sanctificetur in te, quia nomen Dei, quod per se, & sibi sanctum est, aut sanctificetur à nobis nostro actu, aut nostro actu blasphemetur in Gentibus*. Sedulius ad 2 Cor. 2. *Per Christianos qui malè vivunt, nomen Dei blasphematur*. In vetere Onomastico, *Defamo*, βλασφημέω.

2. μὴ καταφρονείτωσαν, &c. ἀλλὰ μᾶλλον δουλευέτωσαν] In Epistola dicta Ignatii ad Polycarpum, Δοῦλοι καὶ δοῦλαι μὴ φυσιούσθωσαν, ἀλλ᾽ εἰς δόξαν θεοῦ μᾶλλον δουλευέτωσαν.

Ibid. ἀλλὰ μᾶλλον δουλευέτωσαν, ὅτι πιστοί εἰσι καὶ ἀγαπητοὶ, οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι] Ità 1 Thess. 5. 13. ἡγεῖσθαι αὐτοὺς, &c. μᾶλλον ἐν ἀγάπῃ διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν. Photius Epist. 166. putat heic trajectionem esse, locumque intelligendum acsi hic ordo esset, ἀλλὰ μᾶλλον οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι (servi nempe) δουλευέτωσαν, ὅτι πιστοί εἰσι καὶ ἀγαπητοὶ, ipsorum heri nempe: nec à nobis omnino improbatur conjectura illa. Εὐεργεσίας, enallage pro εὐεργεσιῶν, victûs scilicet, vestitûs, & similium commodorum. Τὸ ἀντιλαμβανόμενοι Glossæ veteres MSS. ad hunc locum in Medicæa Bibliotheca, μετέχοντες exponunt: ad sensum loci bene, fortè non plenè autem ad vocis efficaciam: videtur enim ἀντιλαμβάνεσθαι, heic esse, ἀμοιβὴν λαμβάνειν· hoc est, beneficia sive εὐεργεσίας à Dominis pro ipsorum ministerio accipere. Et sensu quidem (etsi non argumento) isto occurrit vox ea apud Simplicium in cap. 46. Epicteti. Ante nuptias castè (inquit) vivendum, ἵνα τὴν τῆς παρθενίας πίστιν ἣν ὁ ἀνὴρ παρὰ τῆς γυναικὸς ἀπαιτεῖ, καὶ ἡ γυνὴ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς, ἀντιλαμβάνῃ. Sensu non dispari 2 Corinth. 5. 13. vox ἀντιμισθίας occurrit.

Ibid. ταῦτα δίδασκε καὶ παρακάλει] Sic suprà 4. 11. Παράγγελλε ταῦτα καὶ δίδασκε· & 2 Thess. 3. 12. παράγγελλε καὶ παρακάλει. Παρακάλει, cum precibus hortare: & heic & alibi enim apud Apostolum hanc vocem ità exponendam putem. Vide & Luc. 3. 18. Virgilius 5.

——— *Sociosque precatur.*

Ubi Servius, *cum precibus hortatur*. Seneca Epist. 5. *Nec tantùm hortor ut perseveres, sed etiam rogo*. Justinus lib. 14. *monere cum obsecrationibus* dixit.

3. ἑτεροδιδασκαλεῖ] Sic 2 Corinth. 6. 14. ἑτεροζυγοῦντες. Hesychius, Ἑτεροδοξία, τὸ ἄλλως δοξάζειν ὑπὲρ ἔχει ἡ ἀλήθεια.

Ibid. καὶ μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις, &c.] Sic ad Tit. 2. 7. λόγον ὑγιῆ· 2 Tim. 4. 3. ὑγιαινούσης διδασκαλίας· & contrà, οὐχ ὑγιὴς λόγος, apud Herodotum. Vulgatus, εἰ προσέρχεται, *non acquiescit*: id est, (ut non malè Recentior,) *non accedit*. Seneca Epist. 13. *citò accedimus opinioni, non coarguimus illa quæ*, &c. Sosipater Charisius, *Accedo tibi, eadem tecum sentio*. Lactantius 7. 1. *Et credent his, & libenter accedent*. Apulejus 1. *Tu verò, &c. accedis huic fabulæ?* & 7. *Novitii latronis accedunt sententiæ*.

Com. 4. Τετύφωται] Φυσιούμενος (ut Coloss. 2. 18.) ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. Vide 1 Tim. 3. 6. & 2 Tim. 3. 14. Cicero 12. 25. ad Atticum, *Una me causa movet, in qua scio me τετυφῶσθαι· sed ut facis, obsequere huic errori meo*. Arnobius lib. 2. *Typho & arrogantiâ sublevatus*: quo planè modo & Hesychius, Τετύφωται, &c. ἐπήρθη. D. Augustinus in Psalm. 149. *Inflati typho*: & ad Psal. 55. *Superbum typho arrogantissimo*. Ità & in Psal. 102. *typhum superbiæ* dixit. Seneca in de Vita beata, cap. 10. *Insolentiam, & nimiam æstimationem sui, tumoremque* (id est, typhum) *supra cæteros elatum*. Fuit fateor cùm putarem scribendum heic τετύφλωται· quo proverbiali loquendi modo inscitia denotari solet. Ità Matth. 23. 17. Μωροὶ, καὶ τυφλοί. Gellii 12. 13. *Cæcus animi forem, si*, &c. & 2 Petr. 1. 19. τυφλός ἐστι. Vide & Apocal. 3. 17. Receptam lectionem autem tuetur Vulgata versio: sequuntur eam consensu magno & Græci & Latini veteres. Julianus item, vanitatem

Ethnicam & Philosophicam defendens, ut Apostolus Euangelii sanam doctrinam, *Οἱ μὲν πειθόμενοι* (inquit) *κατ' ἀλήθειάν εἰσι θεοσεβεῖς, οἱ δὲ ἀντεχόμενοι τοῦ τύφου, δοξοκόποι εἰσίν* (Epist. 49.) Idem 6. Orat. *Οἱ Πυθαγόρου, Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους χορευταὶ γνήσιοι, γόητες εἶναι λέγονται καὶ τετυφωμένοι.* Quibus adde Polybium ac Plutarchum jam statim adducendos.

Ibid. *μηδὲν ἐπιστάμενος*]

Ὁρᾷ μὲν οὐδὲν ἂν δοκεῖ σάφ' εἰδέναι.

Οὐδὲν ἔγνωκεν (ut 1 Cor. 8. 2.) *καθὼς δεῖ γνῶναι.* Justinus ad Diognetum, *Ὁ νομίζων εἰδέναι τι ἄνευ γνώσεως ἀληθοῦς, καὶ μαρτυρουμένης ὑπὸ τῆς ζωῆς, οὐκ ἔγνω, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ ὄφεως πλανᾶται.* Aptissimè *inflationem* autem Apostolus facit ignorantiam comitari. Plutarchus in de Iside & Osyride, *Δι' ἄγνοιαν*, &c. *τετυφωμένος.* Arnobius lib. 2. *Ut cùm nihil sciamus omnino, fallamus nos tamen, & in opinionem scientiæ sub inflati pectoris tumore tollamur.* Suidas, ex Polybio (ni fallor,) *Ἀγνοεῖ, καὶ τετύφωται.* Epicurus apud Plutarchum lib. *ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστιν ἡδέως*, &c. *Ἐν νόσοις δειναῖς*, &c. *ἐλπίζεις τι χρηστὸν παρὰ θεῶν δι' εὐσέβειαν; τετύφωσαι.* Hinc & *ὁ φρένας ἔχων*, in Ejusdem *περὶ Φυγῆς* tractatu, opponitur *τῷ τετυφωμένῳ.*

Ibid. *ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις*] Contrarium Tit. 1. 13. *ἐν τῇ πίστει ὑγιαίνειν.* Emphaticè autem & hoc additum post *λόγους ὑγιαίνοντας.* Sic, *οἱ φρένας νοσοῦντες, τοῖς ὑγιῶς καὶ ὀρθῶς ἔχουσιν* oppositi, 5. 10. apud Nicomacheorum Interpretem. *Νοσεῖν τι*, vel *περί τι*, non infrequens apud Græcos metaphora. Clemens Pædag. 3. 3. *Νοσῶν περὶ κενοσπουδίαν.* Pollux 6. 42. Onomast. *νοσεῖν εἰς ἀφροδίτην.* Plutarchus in Catonis vita, *περὶ πολυτελείας νενοσηκότων.* Idem in *περὶ ἀοργησίας*, *Περὶ σφραγῖδας πολυτελῆ νοσοῦντες.* Lucianus in Pseudomante, *τὰ περὶ θεοὺς πάνυ νοσεῖν.* Joannes Antiochenus de Constante Imperatore, *ἀτόπως νοσῶν ἐπιθυμίας.* Apud Æschylum ille, *Ἔα με τήνδε τὴν νόσον νοσεῖν.* Sic apud Dionem lib. 38. *τὴν γνώμην νοσεῖν* in Novella *ρβ'* Justiniani, *κακοδοξίαν τινὸς νοσεῖν*· & in Excerptis Diodori Siculi, *ταῖς ψυχαῖς νοσοῦντες.* Artemidorus 3. 51. *Τὰ νοσήματα τοῦ σώματος*, &c. *ἐοίκασι ταῖς τῆς ψυχῆς*, &c. *ἀλόγοις ἐπιθυμίαις.* Suidas in *Ἀῤῥώστημα*, *Νόσημά ἐστιν οἴησις σφόδρα δοκοῦντος αἱρετοῦ· καὶ ὡς ἐπὶ σώματος εὐεμπτωσίαι τινὲς λέγονται, οἷον καταῤῥοῦς, διάῤῥοια*, &c. *οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς εἰσι καταφορίαι*, &c. Idem, *Νόσον ἔχειν, ἀντὶ τοῦ φαῦλον ἦθος ἔχειν.* Apud Eundem in voce *Ἀκόλαστος* Ælianus, *Κακῶς ἀγορεύειν πάντας ἀῤῥώστημα* (i. e. *νόσον*) *ἔχων*· quo loco pro *γὰρ Αἰλιανός*, videtur *καὶ Αἰλιανός* scribendum. Loquendi hanc formam autem sequuntur & Latini. Petronius, *Quid tibi vis cum isto morbo?* Seneca 79. Epist. *Non est quòd istam curam imputes mihi, morbo enim tuo daturus es, etiamsi nemo mandaret tibi.* Idem 1. 14. de Benef. *Morbo suo morem gessit*: ubi Lipsius (minùs rectè forsan) *moribus morem g.* reponebat. Scholiastes vetus Horatii ad Serm. 1. *Ægrotare morbo dicuntur qui habent aliquam cupiditatem.* Cicero Tusculan. 4. *Omnes perturbationes animi morbos Philosophi appellant.* Ibidem, *Proclivitas ad suum quodque genus* (vitiorum) *à similitudine corporis, Ægrotatio dicitur.* Iterum, *Quemadmodum cùm sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi ægrotationesque nascuntur: sic pravarum opinionum conturbatio*, &c. *sanitate animum spoliat, morbisque perturbat*: & lib. 3. *Eos sanos intelligi necesse est, quorum mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit.* Idem 4. in Verrem, *Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum.* Terentius Hecyrâ,

——*Exemplo ejus morbum cognovi miser*:

ubi Donatus, *Morbum mitiore animo quàm vitium aut probrum dixit.*

Ibid. *καὶ λογομαχίας*] Irenæus 3. 40. *Aliter atque aliter per tempora de iisdem sentientes*, &c. *sophistæ verborum magis volentes esse quam discipuli veritatis.*

Ibid. *ἐξ ὧν γίνεται φθόνος, ἔρις, βλασφημίαι*] Ità Cicero de inimicitiis loquens, in Lælio, *E quibus jurgia, maledicta contumeliæ nascuntur.* *Ἐξ ὧν*, nempe, *ζητήσεων*, gignuntur contentiones, &c. In Glossis, *Ἔρις, contentio, certamen, altercatio.* Primasius ad 2 Cor. 12. *Contentio est ubi non ratione aliquid, sed animi pertinaciâ defenditur.* Confer quæ 2 Tim. 2. 23. Ità, *τὸ δύσερι καὶ φιλόνεικον περὶ τὰς ζητήσεις*, apud Plutarchum, lib. in De Virt. profic. Contrarium apud Philonem in De Mose, *Ἐπιζητεῖν τὴν ἀλήθειαν, τὰς δ' ἔριδας ἀφιλονείκως ὑπερβαίνειν.* Cæterùm pro *φθόνος, ἔρις*, in Contextu nostro, non dubito quin scribi debeat, *φθόνοι, ἔρεις*· nam & ea quæ continuò hic sequuntur plurali numero efferuntur, nec aliter Vulgatus legit. Adde quod & *φθόνοι* non hîc tantùm, sed & Galat. 5. 21. & 1 Petr. 2. 1. habemus: quomodo & *ἔρεις* 2 Cor. 12. 20. Tit. 3. 9. item dicto ad Galatas loco.

Ibid. *ὑπόνοιαι πονηραί*] Opiniones malæ in naturalibus, & moralibus, præcipuè in divinis. Sirachides 3. 24. postquam *ἑαυτοῦ χαλεπώτερα μὴ ζητεῖν* consilium dederat, (quibus heic ex parte respondet, *περὶ τὰς ζητήσεις νοσεῖν*) addit, *πολλοὺς γὰρ ἐπλάνησεν ἡ ὑπόληψις αὐτῶν, καὶ ὑπόνοια πονηρὰ ὠλίσθησε διανοίας αὐτῶν.* Qui locus aptè inservit sententiæ Pauli illustrandæ.

5. *Διαπαρατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν*] *Τὸν νοῦν*, &c. *μεμιασμένων*, ut Tit. 1. 15. *Τὰ νοήματα ἀπὸ τῆς εἰς Χριστὸν ἁπλότητος φθαρέντων*, ut 2 Cor. 11. 3. Suidas, ex hoc, ut videtur, Pauli loco, *Διεφθαρμένος τοῦ κρατοῦντος τὸν νοῦν παρατρωπαῖς.* Vide 2 Tim. 3. 8. Sic, *ψυχὴν διεφθαρμένος*, apud Galenum: *διεφθαρμένοι ψυχήν*, apud Eunapium: *ψυχὴν ὑπ' ὀργῆς καὶ φθόνου διεφθαρμένοι*, apud Plutarchum in Phocionis vita: *ψυχὴν διαφθορᾶς ἀναπίμπλασθαι*, apud Eundem in De liber. educ. & *διεφθαρμένοι τὴν γνώμην*, apud Suidam eundem v. *Παρακινῶντα.* Glossæ MSS. (in Biblioth. Laurent.) ad hunc Apostoli locum, *διαπαρατριβὰς* exponunt *τῆς νόσου τῶν κακῶν μεταδόσεις, ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ψώρας τῆς τῇ παρολισθήσει μεταδιδομένης*· quæ videntur à Theophylacto desumpta. Simili sensu in Glossariis jam editis, *Contagia, νόσοι ἐκ παρατριβῆς.* In quibusdam MSS. codicibus non *διαπαρατριβαί*, sed *παραδιατριβαὶ* legitur: cujus lectionis assertores notârunt illud *παρὰ* in compositione id quod minùs rectum est significare. Potest etiam (utràque illâ lectione posthabitâ) *παρατριβαὶ* scribi. Eudemus Rhetor in Lexico MS. *Παρατριβή, λογομαχία, ἔρις.* Et hinc apud Suidam, ex vetere quodam Anonymo, *πρὸς τοὺς ἐπιφανεῖς ἄνδρας παρατρίβεσθαι.* Latinè *collisiones* dicas, & *collidi.* Petronius, *alioqui mille nos causæ quotidie collident.* Eodem illo sensu Vulgatus *conflictationes.* Donatus in Andr. 1. 1. *Conflictatio est tactus corporum invicem, & collisio.*

Ibid. *καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας*] Sic in Phædone Platonis, *τῆς ἀληθείας καὶ ἐπιστήμης στερηθῶμεν*· & Apulejo in de Socratis Deo, *Profana Philosophiæ turba imperitorum*, &c. *privæ veræ rationis*, &c. *Ἀληθείας* heic, veritatis Euangelicæ quæ tenebris Philosophicarum nugarum obducta suum lumen non exserit. Lactantius 6. 4. de Satana, *Philosophiam in oculos impingit*, &c. *nè quis comprehendat ac teneat veritatem.*

Ibid. *νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν*] *Νομιζόντων ὅτι τὸ συμφέρον ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβὲς εἶναι*, ut olim ab Epicteto dictum. *Ἐπιστάμενοι ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐστι*, ut Act. 19. 25. illi *Πλαστοῖς λόγοις ψυχὰς ἐμπορευόντων*, ut 2 Pet. 2. 3. *Διδασκόντων ἃ μὴ δεῖ αἰσχροῦ κέρδους χάριν*, ut Tit. 1. 11. Vide & Rom. 16. 18. Salvianus 2. de Gubernat. *Vendicantes improbissimis quæstibus nomen religionis, & præferentes ad sordidissimas negotiationes titulum sanctitatis.* Nicephorus 30. 5. de Paulo Samosateno, *Πορισμὸν ἡγούμενος τὴν θεοσέβειαν.* Similis locutionis sensûsque ista apud Sapient. Scriptorem 15. 12. *Ἐλογίσαντο τὸν βίον* (*εἶναι*) *πανηγυρισμὸν ἐπικερδῆ*· & ista apud Rutilium Lupum, *In augenda pecunia occupatus*, &c. *summas divitias summam virtutem existimabat.* Sic 4. 4. apud Pollucem, de concionatore iniquo & venali, *πρόσοδον τὴν πολιτείαν ποιούμενος*· apud eundem 2. 20. locutione pari, sententiâ diversâ, *πλοῦτον τὴν ἀρετὴν τιθέμενος*· & in Salustii Catilinario, *Pro se quisque hostem ferire, murum ascendere*, &c. *properabat: eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant.* *Νομιζόντων* autem dum ait Apostolus, haud obscurè indicat quam longè à sua, viri tam sancti, sententia discederent negotiatores illi. Terent. 1. 1. Adelph.

—— *Et quod fortunatum isti putant*, &c.

ubi Donatus, *Putant, bene dicit is cui displicet aliena sententia*: & post, *Isti putant; id est, hi qui à me dissentiunt.*

Ibid. *ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων*] Ità & Plutarchus lib. De utilit. ab inim. cap. at sine præpositione, *Διατρίβειν καὶ ἀφίστασθαι τῶν τοιούτων, ἐφ' οἷς οἱ ἐχθροὶ χαίρουσιν*, &c. Hesychius. *Ἀφέστηκας, ἀπεκρίνθης.* Abest autem hoc *κείμενον* in Vulgata versione, vetustissimoque qui in Britannia MS. nec tamen respuendum puto: nam & alibi sub similibus loquendi formulis monet malos devitandos. Infrà heic 2. 3, 5. *τούτους ἀποτρέπου*· & ibid. 4. 15. *ὃν καὶ σὺ φυλάσσου.* Rom. 16. 17. *ἀπ' αὐτῶν ἐκκλίνατε.* Vide & 1 Thess. 3. 6. Nec aliter alii locuti, & Græci & Latini. Euripides Hippolyto,

—— *Τοὺς δὲ τοιούτους ἐγὼ*
Φεύγειν προφωνῶ πᾶσιν. ——

In Clementis quæ dicuntur Constitutionibus 6. 16. *Ὧν φεύγετε τὴν διδασκαλίαν*· & in Plauti Capteivis,

—*Tu*

—— *Tu ab isto proinde recede.*

In Ejusdem Menæchmis,

Concede huc, mea nata, ab isto quàm potest longissimè.

Quæ & optimè vim implent τοῦ ἀφίςασθαι. Apud Terentium ille,

—— *Nolo ego cum improbis te viris,*

Gnate mi, neque in via neque in foro ullum sermonem exsequi.

Ignatius ad Smyrnenses, Πρέπον ἐςὶν, &c. ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν τοιούτων, καὶ μήτε κατ' ἰδίαν μετ' αὐτῶν λαλεῖν, μήτε κοινῇ. Seneca Præfat. lib. 4. Natur. quæst. *Quid necesse est in hoc descendere ut te petere comminus possint? longum inter vos intervallum sit.* Idem de Tranquill. animi cap. 7. *Initium morbi est ægris sana miscere:* & epist. 94. *Magna pars sanitatis est hortatores insaniæ reliquisse, & ab isto cœtu invicem noxio procul abiisse.* Arrianus 4. 2. in Epictetum, Ἀπόγνωθι, ἀποςράφηθι, μηδέν σοι καὶ αὐτοῖς. Germanicus apud Tacitum, *Discedite à contactu.*

Ibid. ἀφίςασο ἀπὸ τῶν τοιούτων]

Non quà ferre solet spatiantes porticus illos,
Te ferat, officium neve colatur idem.
Proximus à tectis ignis defenditur ægre,
Utile finitimis abstinuisse locis.

6. Ἔςι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια] Sic ferè Psalm. 36. 16. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas:* & apud Scriptorem Sapientiæ 8. 5. *Si divitiæ appetuntur, &c. quid sapientiâ locupletius?* Glossæ, Πορισμὸς, *acquisitio.* Onomasticon vetus, *Quæstus*, πορισμὸς, κέρδος. Ad loci sensum Philo in de Legatione, Τί ἂν εἴη κέρδος λυσιτελέςερον ὁσιότητος; & Scriptor Tobiæ 4. 23. Μὴ φοβοῦ, παιδίον, ὅτι ἐπτωχεύσαμεν, ὑπάρχει σοι πολλὰ ἐὰν φοβῇ τὸν θεόν. Vide Photium ad Luc. 16. 15. adductum. Julianus 2. Orat. Αὐτὸς μετ' ἀρετῆς ἔλαττον ἔχειν, τῷ κρατίςῳ πλεονεκτεῖν ὑπέλαβε. Addit, μετ' αὐταρκείας Apostolus. De Viriatho Diodorus Siculus, Ὑπελάμβανε τὴν αὐτάρκειαν μέγιςον πλοῦτον ὑπάρχειν. Contrarii apud Plutarchum in Numa, ἄνθρωποι τὸ βέλτιον ἐν πλούτῳ καὶ τρυφῇ, &c. μᾶλλον ἢ πρᾳότητι καὶ τῇ μετὰ δικαιοσύνης αὐταρκείᾳ τιθέμενοι. Philo de Essenis, Πλοῦτον νομίζουσι τὴν ὀλιγόδειαν, ὃ πάρεςι κρίνοντες περιουσίαν. Seneca Epist. 4. *Magnæ divitiæ sunt lege Naturæ composita paupertas.* Horatius,

Non possidentem multa vocaveris
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet.

Qui versus optimè congruunt Apostoli sententiæ: *beatus* enim πλούσιον eo loco, non μακάριον, significat; *pauperiem pati callere*, est αὐτάρκεια. &, *pejus letho flagitium timere*, est quod hic εὐσέβεια. Tales gemmæ, talia auri ramenta non tantùm in Philosophorum sed & Poëtarum scriptis delitescunt, & nisi à ruspantibus haud facilè eruuntur.

Ibid. μετ' αὐταρκείας] Cicero, *Αὐτάρκεια est quæ parvo contenta omne quod redundat respuit.* Epicurus apud Epictetum, Τὴν αὐτάρκειαν ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν, οὐχ ἵνα πάντως τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα, ἀλλ' ὅπως ἐὰν μὴ ἔχωμεν τὰ πολλὰ, τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα. Vide & Pædag. 2. 12. Clementem Alexandrinum. Non malè hic vertebat quidam, *cum animo suâ sorte contento.* Cicero Paradox. 6. *Contentum suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque divitiæ.* Lucretius,

Divitiæ grandes homini sunt vivere parcè,
Æquo animo: ——

id est, animo contento. Ennius apud Gellium,

—— *suaque contentus.*

Glossæ, *Contentus esto* αὐτάρκησον. Malebat vetus Interpres, *cum sufficientia.* Ex eo (ut sæpissime) Glossarii Auctor, Αὐτάρκεια, *sufficientia:* quo & sensu Hesychius, Αὐτάρκης, ἱκανός. Sedulius ad 1 Tim. 5. *Ut non, &c. avaritiæ studeat, sed sufficientiam tantùm sibi servet.* Salvianus lib. 4. de servis loquens, *Etiamsi iis stipendia præstentur, consuetudini hæc magis quàm sufficientiæ satisfaciunt.* Quæ adduxi, ut appareat laxiorem eam vocem esse quàm pro mente hujus Apostolici loci, qui non tam de animo agit eo quod sufficit contento, quàm eo quod & minus est contento, si ità casus tulerit.

7. Οὐδὲν γὰρ εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον] Suidas in Ἐλάχιςα, Μετὰ πλούτου οὐ γεγενήμεθα. Seneca 20. Epist. *Nemo nascitur dives: quisquis exit in lucem, jussus est lacte & panno esse contentus.* Idem lib. de Providentia, *Nemo tam pauper vivit quàm natus est.* Vide Jobi 1. 21.

Ibid. δηλονότι, &c.] Hesychius, Δηλονότι, φανερὸν ὅτι. Gloss. Δηλονότι, *profectò*, &c. Vulgat. *haud dubium quòd*, &c. Recentior, *videlicet nec*, &c.

Ibid. δῆλον ὅτι οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι δυνάμεθα] Nisi bona opera nostra, Apocal. 14. 13. *nisi vitam innocenter actam*, ut hoc in argumento Lactantius 7. 26. locutus. Seneca epist. 102. *Excutit Natura redeuntem sicut intrantem: non licet plus ferre quàm intuleras.* Phocylides:

Οὐκ ἐς Ἀΐδην ἔς' ὄλβον ἔχειν καὶ χρήματ' ἄγεσθαι.

Theognis,

Χρήματ' ἔχων οὐδεὶς ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.

Apud Plautum Trinum. de Acheronte ille,

Mirum ni tu illuc tecum divitias feras.

Ovidius,

Divitis ad manes nil feret umbra suas.

De bonis mundi istius Gregorius Nazianzenus,

Ὧν οὐ συνέρχεταί τι
Ἐντεῦθεν ἐξιόντι.

Democritus apud Hippocratem, & ad Hippocratem, de mortalium vanitate & inquietudine, Δῶμα ἔχουσι μετ' ἀδελφῶν καὶ γονέων καὶ πολιτέων, καὶ ταῦτα ὑπὲρ τοιούτων ὧν οὐδὲ εἷς θανὼν δεσπότης ἐςί in Epist. ad Demagetum. Vide quæ ad Psalm 48. com. 18, & 19. fusè D. Augustinus. Quintilianus Declam. 260. *Non sunt ista ferenda nobiscum, neque ad Inferos servata per vitam fortuna persequitur.* Lucianus in Contemplantibus, Οὐδὲν τῶν ἐνταῦθα σεμνῶν ἀΐδιόν ἐςιν, οὐδ' ἂν ἀπάγοι τις αὐτῶν τι ξὺν αὐτῷ ἀποθανών. Lactantius 7. ult. *Si nobis usque ad ultimum* (id est, ad senectutem ultimam,) *liceat istis frui, certe aliis relinquenda sunt, nihil nobiscum ferre possumus*, &c. Horatius,

Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor, neque harum quas colis arborum
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem Dominum sequetur.

Chrysostomus ad 2 Cor. 8. Ὅσα ἂν κατασκευάσωμεν ἐνταῦθα ἀφίεμεν· οὐ γὰρ συγχωρεῖ ὁ δεσπότης λαμβάνοντας αὐτὰ ἀπελθεῖν. ἄν δὲ οἰκίας οἰκοδομήσωμεν, ἄν τε ἀγροὺς ἀγοράσωμεν, ἄν τε ἀνδράποδα, ἄν τε σκεύη, &c. Idem Homil. 2. ad Antiochenos, *In fine aliis cedemus, eorum usu solo decerpto, dominio autem nudi & orbati ad alteram illam vitam migrantes.* Propertius,

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.

Philo in de Victimis, Τὸν μηδὲν εἰς κόσμον, ἀλλὰ μηδὲ σεαυτὸν εἰσενηνοχότα· γυμνὸς μὲν γὰρ, θαυμάσιε, ἦλθες, γυμνὸς πάλιν ἄπεις. Silius lib. 5.

——— *Modò quem Fortuna fovendo*
Congestis opibus donisque refersit opimis,
Nudum Tartareâ portabit navita cymbâ.

Orientius Illiberitanus,

Venisti in mundum nudus, nudusque redibis:
Nil tecum attuleras, ferre nihil poteris.

Vide Psalm. 48. 18. In vetere Inscriptione, D.M. CN. *Pompejus. Euphrosynus, & Junia Gemella uxor, ex omnibus bonis suis hoc sibi sumpserunt:* id est, hoc solum monumentum, vel, hoc terræ exiguum. Diogenes apud Ausonium,

—— *Quæcunque habui mecum fero, cùm nihil ipse*
Ex tantis tecum, Crœse, feras opibus.

8. ἔχοντες δὲ διατροφὰς καὶ σκεπάσματα]

Frigus quis duramque famem depellere fas est.

Terentius 5. 2. Heautontim.

Victum, vestitum, quo in tectum te recipias.

Hæc sunt quæ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος Jacobus 2. 16. vocat; Apostolus noster Tit. 3. ἀναγκαίας χρείας. Seneca verò Epist. 45. *panem, polentam, & cætera sine quibus vita non ducitur:* sub voce διατροφὰς enim intelligendus est necessarius victus, non lautitiæ. Theophylactus ad Actor. 2. 46. Τὴν πολλὴν αὐτῶν (Ἀποςόλων) ἐγκράτειαν καὶ λιτότητα δηλοῖ ΤΗΣ ΤΡΟΦΗΣ, μετελάμβανον γὰρ τροφῆς, ἀλλ' οὐκ ἐτρύφων. Glossarium, Τροφὴ, *alimonium, esca, victus*, &c. Onomasticon vetus, *Alimentum*, τροφή. Hesychius, ex hoc Apostoli loco, Διατροφὰς, βρώματα.

Ibid. ἔχοντες δὲ διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, τούτοις ἀρκεσθησόμεθα] Dicat quisque ut apud Euripidem illle,

Καὶ μὴν ἐμοί γε ζῶντι μὲν καθ' ἡμέραν
Κ' εἰ σμικρ' ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκοῦντως ἔχοι.

Si instructa vita est, instrumentorum ejus avidi ne simus, Senec. Epist. 61. Philiscus apud Dionem Cassium, lib. 38. Ἀπόχρη ἀνθρώπῳ πρὸς εὐδαιμονίαν τὸ τὰ ἀρκοῦντα κεκτῆσθαι, ᾧ μηδενὸς

 ἐν

ἂν τὸ σῶμα χρήζει προσδεῖσθαι· id est, *καὶ μηδὲ διατροφῶν μηδὲ σκεπασμάτων προσδεῖσθαι.* Cicero in Paradoxis, *Victu & vestitu terminandus est pecuniæ modus.* Hieronymus in Epistolis, *Victus & vestitus divitiæ Christianorum sunt:* quæ forsan adumbrata ex Horatii illis,

> *Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil*
> *Divitiæ poterunt regales addere majus.*

Juvenalis,

> ——— *Mensura tamen quæ*
> *Sufficiat census, si quis me consulat, edam:*
> *In quantum sitis atque fames & frigora poscunt.*

Seneca Epist. 8. *Cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit adversus corpori infesta.* Idem cap. 9. Helviam, *Corporis exigua desideria sunt, frigus submovere vult, alimentis famem ac sitim exstinguere.* Ibidem cap. 11. *Si hæc* (vestem nempe ac domum) *ad usum tantùm desiderabit, neque tectum ei deerit, neque velamen, æquè enim exiguo tegitur corpus ac alitur: nihil homini Natura quod necessarium sciebat, fecit operosum.* Idem 119. Epist. *Nec illud præcipio ut aliquid Naturæ neges; contumax est, non potest vinci, suum poscit: sed ut quicquid Naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium:* & Epist. 4. *Lex Naturæ scis quos nobis terminos statuit? non esurire, non sitire, non algere:* ex quo fortasse loco D. Ambrosius Hexaem. 5. 10. *Lex Naturæ est tantum quærere quantum sufficiat ad victum, & alimentorum modo* (*modum* lege) *sortem censere patrimonii.* In Pythagoricorum dictis apud Stobæum, Σαρκὸς φωνὴ μὴ πεινῆν, μὴ διψῆν, μήτε ῥιγῶν. His contrarium Jacobi 2. 15. γυμνὸς, καὶ τῆς ἐφημέρου τροφῆς λειπόμενος εἶναι· & 1 Cor. 4. 11. πεινῶν, διψῶν, καὶ γυμνητεύειν. Vulgata hic, *habentes alimenta, & quibus tegamur.* Ità *victum & vestiarium* (quo tegimur nempe) junxit Seneca lib. De animi tranquill. item 3. de Benef. *cibaria & vestiarium.* Σκεπάσματα autem apud Apostolum puto & tectum comprehendere. Sirachides 29. 21. pari argumento, ὕδωρ καὶ ἄρτον, ἱμάτιον καὶ οἶκον habet.

Ibid. τούτοις ἀρκεσθησόμεθα] Quasi dicat,

> *Hæc satis, hæc cui contingunt, nil ampliùs optet.*

Omne extra ista desiderium non ex inopia sed ex vitio nascitur: quicquid illi congesseris, non finis cupiditatis erit, sed gradus. Euripides Phœnissis,

> ——— Τί δ' ἐστὶ τὸ πλέον; ὄνομ' ἔχει μόνον,
> Ἐπεὶ τά γ' ἀρκοῦνθ' ἱκανὰ τοῖς γε σώφροσιν.

9. Οἱ δὲ βουλόμενοι πλουτεῖν ἐμπίπτουσιν εἰς πειρασμὸν καὶ παγίδα] Seneca Epist. 87. *Dum consequi divitias volumus, in multa mala incidimus.* Πλουτεῖν βούλεσθαι hîc, est quod Sirachidi 27. 1. ζητεῖν πληθῦναι· in Græco Proverb. 28. 20. πλουτεῖν σπεύδειν· Plauto Trinum. *velle locuples fieri:* Petronio, *divitias exstruere curare:* Jul. Firmico 3. 11. *facultatum desiderio æstuare:* Plutarcho π. Φιλοπλουτ. πορισμῷ προσήκεσθαι. Senecæ Epist. 101. *divitiis imminere:* Juvenali (statim adducendo) *citò dives fieri velle:* Horatio, *festinare;*

> *Sic festinanti semper locupletior obstat.*

Εἰς πειρασμὸν καὶ παγίδα, pro, εἰς πειρασμοῦ παγίδα. Salvianus 2. contra Avaritiam, *In rebus tantùm necessariis est salus, in superfluis laqueus.* Lactantius in De opificio Dei cap. 1. de Diabolo, *Omnia quæ illicere possunt pro laqueis habet.* Matth. 13. 22. hoc argumento ἀπάτην habemus: ubi vide ex Luciano adducta. Εἰς παγίδα ἐμπίπτειν est & apud Sirachidem 9. 3. & Tobiæ Scriptorem 14. 10.

Ibid. καὶ ἐπιθυμίας πολλὰς ἀνοήτους καὶ βλαβερὰς] Εἰς ἐπιθυμίας πολλὰς, est, *in cupiditates extraordinarias,* ut Cicero in Verrinis loquitur, opponens tales Naturæ ac necessitati: vel (si loqui cum Apostolo voluerimus) διατροφαῖς καὶ σκεπάσμασι. Chrysostomus Homil. 73. in Joannem, *Cùm tria sint cupiditatum genera, necessaria, naturales, & supervacua; ditescendi cupido in tertium & pessimum genus facit nos incidere.* Nil mirum autem si immodica desideria desiderium ditescendi comitentur: nam, ut Comicus Latinus dixit,

> *Ubi semel animus se cupiditate devinxit malâ,*
> *Necesse est,* &c. *consilia consequi consimilia.*

Ubi *cupiditas* respondet ei quod heic φιλαργυρία vocatur, *consilia* sunt ferè eadem quæ hîc ἐπιθυμίαι. Chrysostomus Homil. 13. in Acta Apost. *Divitis anima,* &c. *plena est concupiscentiis innumeris.* Idem in cap. 4. Ephes. Οὐχ οὕτως εὔποροι εἰσὶν ἐν τοῖς κτήμασιν, ὡς ταῖς ἀγωνίαις, καὶ τοῖς κινδύνοις, οἵτινες πειρασμοὺς καὶ ἐπιθυμίας πολλὰς ἐπεισάγουσι· ταῦτα ὑπομένουσιν οἱ πολλὰ κεκτῆσθαι βουλόμενοι. Apulejus libello de Philosophia, ex Platone, *Sperata atque exoptata vix pauca,* &c. *proveniunt, hisque flagrantiores cupidines succedunt.* Seneca Epist. 19. non alieno argumento, *Qualem dicimus esse seriem causarum ex quibus nectitur Fatum, talem dicimus esse Cupiditatum: altera ex alterius fine nascitur.* Legebat Vetus interpres heic ἀνονήτους. In Glossario, Ἀνόνητος, *infructuosus:* sic ἀνωφελεῖς (id est, ἀνονήτους) μερίμνας, Homil. 31. Macarius: & (quod magis lectionem illam stabilit,) ἐπιμιξίας ἀλυσιτελεῖς (id est, ἀνονήτους) καὶ βλαβερὰς, apud Suidam habemus: item ἀνωφελῆ (i. e. ἀνόνητον) καὶ βλαβερὸν in Democriti ad Hippocratem Epistola. Quibus adde Euthymii ad Luc. 12. ista, *Avarum esse non solùm inutile est, sed & nocivum:* q. d. οὐ μόνον ἀνόνητον, ἀλλὰ καὶ βλαβερὸν, quâ facie & Salustius *nihil profutura, multùm etiam periculosa petere,* (id est, *appetere*) in Jugurthino dixit. Veriorem scripturam tamen ἀνοήτους putem. Chrysostomus ad Philip. 3. Μετὰ τῶν ἄλλων καὶ ἀνοήτους ποιεῖ τὸ πλουτεῖν. Hermas 2. 10. *Negotiis & actionibus multis inciderunt, evacuantur à sensu suo,* (ἀνοηταίνουσι,) *& nihil omnino intelligunt, de divitiis cogitantes.* Diphilus, ἐστιν ἀνοητότατον αἰσχροκερδεῖν· sic ἀνοήτους ἐλπίδας Plato in Philæbo dixit; & ἀνοήτων ἐρῶν, Idem in Symposio. Ἀνόητοι ἐπιθυμίαι istæ quandoque ἄτοποι dicuntur. Chrysostomus ad Coloss. 3. Οὐχ εὑρήσει τις ἄλλην ψυχὴν τοσοῦτον γέμουσαν ἐπιθυμιῶν, καὶ οὕτως ἀτόπων, ὡς τὰς τῶν πλουτεῖν βουλομένων. Theophylactus ad Philip. 4. de abundantia, Εἰς ἐπιθυμίας ἀτόπους ἐκκαλεῖται· quibus similes φαῦλαι καὶ ἐκτόπιοι ὁρμαὶ, in Hymnis Orphei dictis.

Ibid. Αἵτινες βυθίζουσι τοὺς ἀνθρώπους εἰς ὄλεθρον] Planè sic Jamblichus, qui τὰς ἐπιθυμίας solere ἡμᾶς εἰς τὸν ὄλεθρον ἄγειν, cap. 18. in de Vita Pythagoræ, dixit. In Glossis, *Mergit,* βυθίζει. Glossæ aliæ, Καταβυθίζω, *demergo, pessundo.* Ὄλεθρον hic intellige qui 2 Thess. 1. 9. αἰώνιος ὄλεθρος. Hesychius, ex hoc Pauli loco, Εἰς ὄλεθρον, εἰς Ἅδην. Βυθίζουσι, translatione eleganti: quam tamen (ut nonnulli) populorum Orientalium καταποντισμὸν vix putem respicere. Apulejus (insigniter ad hæc Pauli illustrandum) in Apologia sua, *Ad vivendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior: sunt enim similiter etiam in ista vita humana tempestate levia, sustentantia, gravia demersui.* Valerius Maximus, itidem de divitiis loquens, *Profundo cladium miserabiliter demergunt.* Horatius,

> *Plenior ut si quos delectet copia justo,*
> *Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.*

Ad quæ vetus Scholiastes, *Ferat, demergat.* Hinc illud Philosophi illius qui mari suas opes commisit, *Ego vos mergam, ne à vobis mergar.* Iterum Horatius,

> *Quisquis in augenda festinat, & obruitur re:*

ubi *obruitur,* est, βυθίζεται. Euthymius ad Luc. 21. *Non solùm ebrietas, sed & curæ seculares animam absorbent, mentemque demergunt.* Sic Philo libidinem & alios inordinatos affectus τὴν ψυχὴν συμφοραῖς βαπτίζειν dixit, lib. Quòd deter. insid. potiori. Seneca Epist. 8. de concitato in honores opesque cursu, *In præcipitia nos deducit:* imagine à terrestri naufragio, ut apud Apostolum à marino sumptâ.

Ibid. καὶ ἀπώλειαν] Sirachides 31. 6. Πολλοὶ ἐδόθησαν εἰς πτῶμα χάριν χρυσίου, καὶ ἐγενήθη ἡ ἀπώλεια αὐτῶν κατὰ πρόσωπον αὐτῶν. Glossæ, Ἀπώλεια, *perditio, pernicies,* &c. *barathrum.* Beza hic, *in exitium.* Vulgat. *in interitum.* Unde illa alterius Glossarii, *Interitus,* ἀπώλεια.

10. Ῥίζα γὰρ πάντων κακῶν ἐστὶν ἡ φιλαργυρία]

> *Omnis causa mali est amor, & discriminis omnis,*
> *Concisi argenti in titulos faciesque minutas.*

Salustius in de Republ. ordin. *Ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum satis pollet.* Diodorus Siculus in fragmentis, Αὕτη (ἡ φιλαργυρία) διὰ τὴν ἐκ τοῦ συμφέροντος ἐλπίδα προκαλουμένη πολλοὺς πρὸς ἀδικίαν, μεγίστων κακῶν αἰτία τοῖς ἀνθρώποις γίνεται. Rutilius Numatianus,

> *Auri cæcus amor ducit in omne nefas.*

Servius ad Æneid. 6. *Ad quod flagitium homines non impellit auri detestanda cupiditas?* Lucianus Cynico, Ἐκ τῆς τούτων (χρυσοῦ καὶ ἀργύρου) ἐπιθυμίας φύονται στάσεις καὶ πόλεμοι καὶ ἐπιβουλαὶ καὶ σφαγαὶ, &c. Chrysologus de auro, sive iniquitatis Mamona, Serm. 126. *Bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat cives,* &c. *jus delet, fasque nefasque confundit,* &c. *fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, solvit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit.* De eodem Seneca Controvers. 2. 6. *Auget discordiam, urbes & terrarum orbem in bellum agitat, humanum genus,* &c. *in fraudes & scelera mutua instigat.* Quintilianus Declam. 321. *Hæc latrones facit, hæc piratas: hæc intra muros etiam, atque intra domos nostras & templa sicas percussorum acuit: indè nata sunt venena.* Juvenalis,

— Nec

—— Nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quàm sæva cupido
Immodici census. ——

Lactantius eodem argumento, *Hinc venena, hinc circumscriptiones, hinc falsa testimonia.* Ingeniosè itaque *innumerum crimen* Orientius φιλαργυρίαν vocavit: & pòst, distinctiùs explicans tam concisam locutionem,

Fratribus invisos fratres, vitamque parentum
Exosam natis fecit avaritia:
De vero falsum, de falso fingere verum
Sæva per innumeras hæc docet insidias.

Deinde,

Hæc miseros homines mortis sub tempore fecit
Non bene postremis fidere amicitiis.
Subduntur tabulæ, conquiritur undique testis
Ore ferens falsum, pectore vera premens.
Scalpuntur gemmæ similes, manus improba discit
Heu male mentitas assimilare manus:
Ut pater alterius falsus credatur, & hæres
Non possit propriis filius esse patris.
Hâc duce custodes inter securus adulter
Pervenit ad castos (sc. clausos) muneribus thalamos.
Itur in omne nefas animis opibusque paratis,
Aurum si pretium constituas sceleris.

Quibus adde quæ in de Ira 3. 32. Seneca; & 2. 145. Isidorus Pelusiota. Ῥίζα πάντων κακῶν dixit Paulus, fortasse Platonem imitatus, qui ἐξ ἀμαθίας πάντα κακὰ βλυστάνει dixit. Chrysostomus ad Philipp. 1. Ὁ μαθὼν χρημάτων καταφρονεῖν, ῥίζαν ἐξέκοψε τῶν κακῶν· quæ eadem & in Homil. 22. in Acta apud eundem leguntur. Sic & livorem *radicem omnium malorum* D. Cyprianus vocat. In loco Chrysostomi jam adducto malim πάντων τῶν κακῶν scribi, locutione (ut apud Apostolum) hyperbolicâ, at in argumento isto solennissimâ. Polycarpus ad Philippenses, Ἀρχὴ πάντων κακῶν φιλαργυρία. Phocylides,

Ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης.

Photius Epist. 147. Καθ' ὃν τρόπον τὸ ἀφιλάργυρον ἦθος συναφίλεται τὰς ἄλλας ἀρετὰς, οὕτως ἡ φιλάργυρος νόσος συνεφέλκεται πᾶσαν τὴν συγγενῆ κακίαν· Codex Ecclesiæ Africanæ, Can. 5. Τὴν τῆς πλεονεξίας ἐπιθυμίαν, ἣν πάντων τῶν κακῶν μητέρα εἶναι οὐδεὶς ἀμφιβάλλει. Lucianus, Πάντα τὰ κακὰ, &c. ἐκ τῆς τούτου (ἀργύρου καὶ χρυσοῦ) ἐπιθυμίας φύονται. Cato apud Gellium 11. 2. *Avaritiam omnia vitia habere putabant.* Cicero in pro Roscio, *Ex avaritia erumpit audacia, indè omnia scelera ac maleficia gignuntur.* Lactantius 6. 19. eodem argumento, *Hinc fraudes, hinc latrocinia, hinc omnium scelerum genera orta sunt.* Idem in Epitome, *Hinc omnium fraudum genera erupere.* Seneca 2. 1. de Clementia, *Expulsa alieni cupiditate, ex qua omne animi malum oritur.* Salustius de pecuniæ & imperii cupidine, *Ea quasi materies omnium malorum fuere:* id est, (ut in reliquis jam citatis locis) plerorumque malorum. Quintilianus ubi supra, *Omnia quæcunque, &c. committuntur scelera, pleraque ex cupiditate nascuntur.* Philo eâdem formâ, ἀθεότητα πηγὴν πάντων κακῶν dixit: & εἰδωλοθρησκείαν Sapientiæ Scriptor, 14. 27. παντὸς ἀρχὴν κακοῦ, καὶ αἰτίαν, καὶ πέρας. Chrysostomus Homil. Quomodo frater, &c. ἀπόνοιαν, πηγὴν πάντων κακῶν. Justinianus Novell. 6. magistratuum improbitatem κακῶν πάντων ἀφορμήν. Euripides, ἐκ γαστρὸς πάντα κακὰ γίνεσθαι· & Seneca, *voluptati indulgere initium omnium malorum esse:* quibus similia apud Arrianum 3. 26. in Epictetum, κακῶν πάντων κεφάλαιον· & apud Jacobum 3. 16. Ὅπου ζῆλος, &c. ἐκεῖ πᾶν φαῦλον ἔργον. Pro eo quod Paulus ῥίζαν, Ignatius ἀρχὴν, Diodorus infrà adducendus μητρόπολιν, Phocylides & alii μητέρα: quibus adde Claudiani ista,

Et primam scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens, patulis rimatur faucibus aurum.

Κακὰ, ex tot congestis heic testimoniis κακὰς πράξεις expono: quæ nempe nec existimationem privatam, neque leges publicas respiciunt. Euripides,

Ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλεῖον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται.

Hinc aptè Philo lib. de Judice, τὸ φιλοχρήματον τῶν παρανομημάτων ὁρμητήριον dixit: & Democritus de id genus homine apud Stobæum Tit. π. ἀρετῆς, Ἀεὶ ἐπικαινουργεῖν ἀναγκάζεται, καὶ δι' ἐπιθυμίαν ἐπιβάλλεσθαι τοῦ τι πρῆσσειν ἀνήκεστον ὧν οἱ νόμοι κωλύουσι. Juvenalis,

—— Sed quæ reverentia legum?
Quis pudor aut metus est unquam properantis avari?

Ex quibus puto Paulum satis commodè explicari.

Ibid. ῥίζα γὰρ πάντων κακῶν ἐστὶ φιλαργυρία]

Tristius haud illâ monstrum, nec sævior ulla
Pestis & ira Dei misero sese intulit orbi.

Salustius de Republ. ordin. *Bellua fera, immanis, intoleranda est: quò intendit, oppida, agros, fana atque domos vastat: divina cum humanis permiscet: neque exercitus neque mœnia obstant quò minùs vi suâ penetret: famâ, pudicitia, liberis, patriâ atque parentibus mortales spoliat.* Φιλαργυρία est,

—— Sæva cupido
Immodici census ——
—— Divitis auri
Ambitiosa fames, & habendi dira libido.

Hesychius, Φιλαργυρία, φιλοχρηματία. Theophylactus ad Luc. 16. Φιλαργυρία ἐστὶν ἐμπαθὴς σχέσις καὶ φιλία τοῦ πλούτου. Suidas in voce Πάθος, Φιλαργυρία, ὑπόληψις τοῦ τὸ ἀργύριον καλὸν εἶναι. Ità Cicero Tuscul. 4. *Est avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit.* Et pòst, eodem libro, *Quis dubitârit quin ægrotationes animi, qualis est avaritia, &c. ex eo quòd magni æstimetur ea res ex qua animus ægrotat, oriantur?* Interpres vetus hîc, *cupiditas*: putassem *nummaria cupiditas* reponendum. Glossæ, *Nummaria cupiditas*, φιλαργυρία. Cùm meminerimus autem ità & alios locutos, & quæ ipsi ad pag. 218. ad Apulejum annotavimus, vulgatam & permittimus lectionem, & eruditam agnoscimus.

Ibid. ἧς τινες ὀρεγόμενοι] Sic πλούτου ὀρεγόμενοι, Dissert. 20. Maximus Tyrius: πορισμῶν ὄρεξις, 14. 3. Sapient. Scriptor: & Xenophon παιδ. 8. πλειόνων ὀρέγεσθαι. Bene & hîc Vetus, *quam quidam appetentes.* Ità & Valerius Maximus *divitias appetere* dixit.

Ibid. καὶ ἑαυτοὺς περιέπειραν ὀδύναις πολλαῖς]

Κακὰ ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκοντες ὡς ὁ Καικίας νέφος.

Et non solùm ἀπὸ τῆς πίστεως, sed & ἀπὸ τῶν ἐλπίδων ἀποπλανηθέντες, dum quod sperârunt gaudio futurum sibi, assiduam, adeoque uberem materiam dolorum invenêre. Seneca 59. Epist. *Ista quæ sic petis tanquam datura lætitiam ac voluptatem, causa dolorum sunt.* Idem Epist. 44. eod. argumento, *Sollicitudinum colligunt causas, & per insidiosum iter vitæ non tantùm ferunt sarcinas, sed trahunt. Ità longiùs ab effectu ejus quod petunt, semper abscedunt, & quò plus operæ impendunt, hoc se magis impediunt, & feruntur retro.* Maximus Tyrius, Διώκοντες τὰ τερπνὰ, περιπίπτοντες δὲ τοῖς λυπηροῖς. Philo in de Josepho, Ἀποβλέπτουσι μακράς τινας καὶ ἀπεράντους ἑαυτοῖς εὐτυχίας, αἱ δὲ ἀρχαὶ μεγάλων κακῶν εἰσι· καὶ σπεύδοντες ὡς ἐπ' ἀγαθῶν κληρονομίαν, εὑρίσκουσι δεινὰς κακοπραγίας. Plutarchus in περὶ Φιλαδελφίας, Πορφύρας καὶ διαδήματος ὀρεγόμενοι πολλῶν αὐτοὺς κακῶν, &c. ἐνέπλησαν· id est, ὀδύναις πολλαῖς ἑαυτοὺς περιέπειραν· ubi & obiter notandum τὸ ὀρεγόμενοι, quâ voce heic D. Paulus utitur. Ausonius ex Periandro,

Plùs est solicitus magis beatus:

id est, magis dives. Euthymius ad Luc. 12. *Avaritia solicitudinem affert ac mœrorem.* De eadem Seneca 115. Epist. *O quantum lacrymarum! ô quantum laborum exigis!* &c. *Adjice quotidianas solicitudines quæ pro modo habendi quemque discruciant.* Propertius,

—— Solicitæ tu causa, pecunia, vitæ es.
Semina curarum de capite orta tuo.

Simplicius in cap. 38. Epicteti, Οἱ φιλάργυροι ποιοῦντες ἅπαντα τὸν βίον περὶ χρηματισμὸν μετ' ἀγρυπνίας καὶ ἀθυμίας, καὶ ὅμως ἀεὶ ἀπηρτημένοι, &c. Euripides eodem argumento πόνους καὶ φθορὰς βίου dixit. Vide Philostratum 7. 11. de vita Apollonii. Auctor ad Herennium lib. 2. *Homines multis & magnis incommodis conflictantur propter, &c. pecuniæ cupiditatem.* Hinc *divitias per tormenta coactas* Juvenalis dixit: & *pecuniam majore adhuc tormento possideri quàm quæri*, Seneca 115. Epistola. Lucilius post illud,

Μή σε γ' ἀπειρεσίων ἵμερος ἕλῃ κτεάνων·

subjunxit,

Μὴ σύ γε ἀνιάσαιο ἐν ἄλγεσι θυμὸν ἑλίσσῃς.

Ubi ἄλγεα (quæ Apostolo ὀδύναι) sunt spinosæ curæ illæ quæ opum non acquisitionem tantùm, sed & tutelam comitantur: nam (ut jam supra ostendimus,)

Tantis parta malis curâ majore metuque
Servantur, misera est magni custodia census.

Περιπείρειν heic Erasmo est *implicare se*: sic ferè Seneca Epist. 74. *Quisquis se multùm fortuitis dedit, ingentem sibi materiam perturbationis & inexplicabilem facit*: nec inconcinnè alius,

qui

Qui *transfixerunt se*. Hesychius, ex hoc Pauli loco, Περιέπειρεν, ἐπῆξεν. Idem Seneca De vita beata cap. 19. de Philosophis loquens, *Cùm refigere se crucibus conantur, in quas unusquisque vestrûm* (idiotarum) *clavos suos ipse adjicit*: ἑαυτὸν περιπείρει. Sed pro *adjicit*, puto *adigit*, vel *affigit* scribendum. Plautus de insano amatore illo, *Animus ejus*, &c. *fixus est clavo Cupidinis*. Plato in Phædone, Ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη, ὥσπερ ἧλον ἔχουσα, προσηλοῖ αὐτὴν πρὸς τὸ σῶμα, καὶ προσπερονᾷ. Vertas etiam, non incommodè, *confoderunt se*. Seneca citati jam libri cap. 27. *Quin potiùs mala vestra circumspicitis, quæ vos ab omni parte confodiunt? alia grassantia extrinsecus, alia in visceribus ipsis ardentia.* Hinc & *vulnera vitæ*, argumento simili versatus, Lucretius lib. 3. dixit. Cùm tot vertendi modos in medium protuli, nullus se magis probat mihi quàm Vulgati ille, *doloribus inseruerunt se*. Macrobius Somn. Scip. 1. 8. *Qui decrevit se à corporis contagione purgare, & quadam humanorum fugâ, solis se inserere divinis.*

Ibid. περιέπειραν ἑαυτοὺς ὀδύναις] Non sublevatos se (ut cum Seneca de Tranquill. c. 10. loquar) sed suffixos esse compererunt. Ἀνηκέστοις κακοῖς περιπείρειν, Philo contra Flaccum dixit: & περιπείρεσθαι κακοῖς. Nicetas in Baldvino.

Ibid ὀδύναις πολλαῖς] Artemidorus 2. 63. Τὰ πολλὰ (χρήματα) &c. Φροντίδας καὶ λύπας σημαίνει. Lucianus in Timone, Ὁ πλοῦτος, ὁ πολλοῖς πολλάκις ἀνηκέστων συμφορῶν αἴτιος γεγενημένος. Philemon apud Stobæum,

> Ἀεὶ τὸ πλουτεῖν συμφορὰς πολλὰς ἔχει
> Φθόνον τε, κ' ἀπέχθειαν, κ' μῖσος πολὺ,
> Πράγματά τε πολλὰ, κ' ὀχλήσεις τοῦ βίου.

Diodorus Siculus de Avaritia, Μητρόπολις οὖσα τῶν ἀδικημάτων, πολλὰς καὶ μεγάλας συμφορὰς ἀπεργάζεται. Philo in De migrat. Abrahami, Μυρίοις τὰ λεγόμενα ἀγαθὰ, &c. κακῶν ἀνηκέστων γέγονεν αἴτια. Chrysostomus Homil. 13. in Acta, Φιλαργυρίαν *mœrorum omnium fomentum & sustentaculum* vocat: & pòst, *Inveniet quis plures qui mœrorem habent divites quàm pauperes*. D. Augustinus de Temp. Serm. 50. *Ut sacellus tuus impleatur nummis, anima tua febricitat curis*. Idem in Psalm. 83. *Vident* (divites) *ex ipsis divitiis vel habere se pressuras cogitationum, quomodo gubernentur, quomodo custodiantur: vel, si paululùm inclinaverint cupiditatem ut eas diligant, plus eos impleri timoribus quàm fructibus.* Seneca Epist. 80. *Compara inter se pauperum & divitum vultus: sæpius pauper & fideliùs ridet, nulla sollicitudo in alto est*, &c. *horum qui felices vocantur hilaritas ficta est, aut gravis* (malim, *at gravis*) *& suppurata tristitia; & quidem gravior, quia interdum non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem*: & Epist. 17. *Multis parasse divitias, non finis miseriarum, sed mutatio fuit.* Idem cap. 8. de Tranquill. animi, *Transeamus ad patrimonia, maximam humanarum ærumnarum materiam. Nam si alia omnia quibus angimur, compares*, &c. *cum iis quæ nobis mala pecunia nostra exhibet, hæc pars multum prægravabit.* Iterum, in De brevit. vitæ, cap. 17. *Miserrimam necesse est*, &c. *vitam eorum esse, qui magno parant labore quod majore possideant: operosè assequuntur quæ volunt, anxii tenent quæ assecuti sunt.* Et demum Epistolâ 19. amicum alloquens Lucilium suum, *Tulit te longè à conspectu vitæ salubris felicitas, provincia, procuratio*, &c. *in eam demissus es vitam quæ nunquam tibi miseriarum terminum ac servitutis ipsa factura est.*

11. Σὺ δὲ, &c.] Tu verò alios mores sectare, aliam viam insiste. Sic 2 Tim. 3. 14. Vide ad Matth. 6. 8. annotata.

Ibid. ταῦτα φεῦγε]

> *Profanis fugienda tibi est hæc semita vulgi.*

Ibid. ταῦτα φεῦγε] Sic 1 Corinth. 6. 18. & 10. 14. item 2 Tim. 2. 22. quibus adde quæ suprà heic ad Com. 5. adducta.

Ibid. ταῦτα φεῦγε, δίωκε δὲ δικαιοσύνην] Eàdem planè oppositione Plato in Theæteto dixit πονηρίαν φεύγειν, διώκειν δὲ ἀρετήν. Διώκειν δικαιοσύνην heic, (ut & in Græco Proverb. 15. 9.) est quod 1 Thess. 5. 15. διώκειν τὸ ἀγαθόν. Sirachidis 27. 9. & in Gr. Esaiæ 51. 1. τὸ δίκαιον διώκειν· cui Rom. 9. 30. contrarium δικαιοσύνην μὴ διώκειν. Suidas, Δίωκε ἀρετὴν, ζήλου, ἐπιτήδευε. Sic Rom. 12. 13. φιλοξενίαν διώκειν· Hebr. 12. 14. εἰρήνην διώκειν· apud Aristidem Orat. Platon. 2. ἀγαθὴν δόξαν διώκειν· Arrianum 2. 23. in Epictetum, μεταδιώκειν τὸ κράτιστον· Diodorum Siculum, lib. 2. διώκειν λιτότητα· & contrà eodem libro, τέρψεις μεταδιώκειν. Glossæ, Διώκω, *sector, sequor*.

Ibid. εὐσέβειαν, ἀγάπην, ὑπομονὴν] Sic 2. 2. ad Titum, πίστιν, ἀγάπην, ὑπομονήν. Unde non malè hoc loco εὐσέβειαν possumus πίστιν exponere. Ὑπομονὴν heic intellige τῇ θλίψει. Vide Rom. 12. 12.

12. Ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως] Est quod Philipp. 1. 27. ἀθλεῖν τῇ πίστει. Ità bene heic Sedulius, *ut fidem defendas*. Habemus & 2 Timoth. 4. 7. eandem locutionem istam. Sic, τὸν τῆς παιδείας ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι, Damascius apud Photium: ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι, Plato Alcibiade 1. & in Socratis Apologia: Plutarchus in vita Niciæ, Arati, Ciceronis, Catonis: Arrianus 1. 9. & 3. 25. in Epictetum, & Julianus in ad Athenienses Epistola. Bene & καλὸν ἀγῶνα· ità καλὸν ἀγῶνα διαπράττεσθαι, Dionysius Halicarnassensis, lib. 9. &, πολλοὺς καὶ καλοὺς ἀγῶνας ἠγωνίσατο, Plutarchus in Camillo. Καλὸν autem διακριτικῶς ab Apostolo dictum, ut à vanis apud Gentes certaminibus hoc certamen distingueret.

Ibid. ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς] Ità Proverb. 4. 13. παιδείας ἐπιλαβοῦ, id est,

> ——*Utrâque manu complexuque assere toto.*

Vulgatus optimè, *apprehende*. Plinius 7. epist. 31. *Hunc hominem complectere, apprehende*, &c.

Ibid. εἰς ἣν καὶ ἐκλήθης] Σπούδασον (ut 2 Pet. 1. 10.) βεβαίαν σου τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι.

Ibid. καὶ ὡμολόγησας τὴν καλὴν ὁμολογίαν] Ut infrà com. 13. μαρτυρεῖν καλὴν ὁμολογίαν. Ὁμολογεῖν ὁμολογίαν, dixit & Plato in Phædone. In Glossis, Ὁμολογία, *confessio, professio*.

13. Παραγγέλλω σοι] Glossæ, Παραγγέλλω σοι, *denuncio, edico, præcipio*.

Ibid. τοῦ θεοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα] Sic Rom. 4. 17. θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκρούς. Cyrillus Homil. de Festis Paschal. Παναρκὲς τὸ θεῖον, καὶ ζωοποιεῖ πάντα. Minucius Octavio, *Qui nativitatem omnibus præstat, sibi perpetuitatem*: ubi *omnibus*, ut & πάντα heic apud Apostolum, intellige *creaturis*. Auctor dialogi ad Asclepium in scriptis Apulejanis, *Omnibus speciebus vel generibus* (i. e. *& generibus*) *quæ in mundo sunt, distributor dispensatorque bonorum: id est, sensûs, animæ & vitæ.*

15. καιροῖς ἰδίοις] Sic & ad Titum 1. 2. & suprà hic 2. 6. Hoc 2 Thess. 2. 6. ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ. Vide & Luc. 1. 20.

Ibid. ὁ μακάριος] De eodem Philo in de Legatione, Τὸ πρῶτον ἀγαθὸν καὶ καλὸν, καὶ εὔδαιμον, καὶ μακάριον· & in de Victimis, Μακαριώτατος, καὶ πάσης εὐδαιμονίας ἀνάπλεως. Hinc, μάκαρα μέγαν eum apud Clementem Alexandrinum vetus μελοποιὸς vocat. Cicero 1. de Nat. Deorum, *Ea est Dei vita quâ nihil beatius excogitari potest.* Ibidem, *Propone ante oculos Deum nihil aliud in omni æternitate cogitantem, nisi, Mihi pulcre est, Ego sum beatus*, &c. Apulejus ex Platone, *Is unus*, &c. *beatus, & beatificus.* Servius ad Æn. 1. *Felix dicitur, & qui habet felicitatem, & qui facit esse felicem*: horum Deo utrumque proprium. Idem ad Æneid. 6. de Diis Gentium, Ἄφθαρτοι καὶ μακάριοι.

Ibid. καὶ μόνος δυνάστης] Ὁ δυνατὸς, Luc. 1. 49. Ὁ δυνάστης, 2 Maccab. 15. 29. Τὸν μέγαν τοῦ κόσμου δυνάστην, 2 Maccab. 12. 15. Ὁ τῶν ὅλων δυνάστης, in 3 Maccabaico: & ibidem, τῷ τῆς ἁπάσης κτίσεως δυναστεύοντι. De eodem in Additamentis Estheris 16. 21. ὁ τὰ πάντα δυναστεύων· Sirachidis 15. 18. Ἰσχυρὸς ἐν δυναστείᾳ· & 46. 5. Τὸν ὕψιστον δυνάστην· Psalmista 88. 14. Σὸς ὁ βραχίων μετὰ δυναστείας· Judith. 16. 17. ἐν ἰσχύει (i. e. δυνάμει) ἀνυπέρβλητος· & Simplicius in cap. 31. Epicteti, Θεὸς δύναμιν ἔχει ἰσχυροτάτην. Æschylus apud Clementem Alexandrinum, Strom. 5.

> ——— Δυνατὴ γὰρ δόξα ὑψίστου θεοῦ·

& in versiculis Phocylidi adscriptis,

> ——— Δυνατὸς δ' ἅμα καὶ πολύολβος.

Hinc & δυναστεύων pro Numine, apud Hippocratem. Apulejus in de Deo Socratis, *Nihil est Deo potentius.* Lactantius 2. 8. *Per æternitatem fortis est, per fortitudinem potestatis immensæ.* Adde quæ ad Matth. 19. 26. dicta. Additur autem ab Apostolo vox μόνος, quia

> ———*solus facit omnia nutu.*

Jul. Firmicus lib. 5. *Solus omnium gubernator*, &c. *solus Imperator ac Dominus.* Lactantius 2. 17. *Solus habet rerum omnium potestatem.* Idem in de re Ira Dei cap. 11. *Unus est in quo vis & potestas consummata est.* Horatius,

> *Divosque mortalesque turbas*
> *Imperio regit unus æquo.*

Philo in de Lingu. confus. εἷς ἄρχων καὶ ἡγεμὼν καὶ βασιλεὺς, ᾧ πρυτανεύειν καὶ διοικεῖν μόνῳ θέμις τὰ σύμπαντα. D. Augustinus in Psalm. 66. *Parum est nobis dicere, facit hoc Deus*, &c. *sed solus hoc facit.* Cyprianus in de Idolorum vanitate, *Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola teneat omnem potestatem.* Adde statim ex Apulejo adducenda. Possumus & μόνον δυνάστην non malè ex Jacobi 4. 12. exponere,

τὸν

τὸν ἕνα νομοθέτην, σῶσαι καὶ ἀπολέσαι δυνάμενον. Sic 6. 12. Sirachidis de Eodem, *δυνάστης, ἐξιλασμῶν καὶ ὀργὴν ἐκχέων.* *Δυνάστης*, *princeps* vertit recentior Interpres; meliùs Vulgatus, *potens.* Glossarium, *Δυνάστης*, *potens.* Seneca 58. Epist. *Deus major & potentior omnibus.* Apulejus supra adductus, *Nihil est Deo potentius.*

Ibid. *ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων*] Hic titulus Christo datur Apocal. 17. 14. qui & ibidem 1. 5. *ὁ ἄρχων τῶν τῆς γῆς βασιλέων* vocatur: primariè autem, de quo heic Paulus, Deo Patri competit, qui ideo Matth. 5. 35. *βασιλεὺς μέγας.* Vide 4 Reg. 19. 15. & 2 Maccab. 13. 4. In Græco Psal. 103. 19. *Ἡ βασιλεία αὐτοῦ πάντων δεσπόζει.* Horatius,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

A Deo autem (ut & alia quædam summi Numinis ejus attributa,) humanæ adulationis nimio ad terrenos Reges deflexit. Vide Daniel 2. 37. Æschylus Persis,

Βασιλεῖς βασιλέως ὕπαρχοι μεγάλου.

Atreus apud Senecam,

——*O me cælitum excelsissimum,*
Regumque Regem! ——

Julianus Misopogone, *Κέκτημαι οὐδὲν, καὶ ταῦτα βασιλεὺς ἀκούων μέγας.* Eodem titulo apud Suetonium Rex Parthorum, & apud Tragicum Latinum Agamemnon insignitur. Homerus, *Ὕπατε κρειόντων* ad quæ Hesychius, *βασιλεὺς βασιλευόντων.* Plutarchus de Marco Antonio, *Τοὺς ἐξ αὐτοῦ καὶ Κλεοπάτρας υἱοὺς βασιλεῖς βασιλέων ἀνηγόρευσεν.* Idem in Luculli vita, de Tigrane, *Λευκόλλῳ ὀργιζόμενος ὅτι βασιλέα μόνον αὐτόν, οὐ βασιλέων, ἐν τῇ ἐπιστολῇ προσηγόρευσεν.* Horatius de quovis libero,

—— *Rex denique regum.*

Possunt & *οἱ βασιλεύοντες καὶ κυριεύοντες*, de cœlestium potestatum classibus intelligi: quo sensu Ephes. 1. 21. & Coloss. 1. 16. *κυριότητες.* Philo de Deo loquens, in Decalogi expositione, *Βασιλεὺς τῶν βασιλέων, καὶ θεὸς θεῶν.* In additamentis Estheris 14. 12. *Βασιλεῦ τῶν θεῶν, καὶ πάσης ἀρχῆς ἐπικρατῶν.* Seneca apud Lactantium 1. 4. *Rectoris orbis terrarum cœlique, & Deorum omnium Dei, à quo ista numina, quæ singula adoramus & colimus, suspensa sunt.* De Jove Hesiodus,

Αὐτὸς γὰρ πάντων βασιλεὺς, καὶ κοίρανός ἐστιν
Ἀθανάτων ——

De Eodem Valerius Soranus,

—— *Regum Rex ipse Deusque,*
Progenitor genitrixque Deûm. ——

Firmicus ubi suprà, *Cui tota potestas Numinum servit.* Apulejus in de Platonis dogmate, *Quorum* (Deorum) *est unus, summus, primus, & solus ille*, &c. & Milesi. 11. de Osyride, *Deus Deûm magnorum potior, & majorum summus, & summorum maximus, & maximorum regnator.*

16. *Ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν*] Maximus Tyrius Dissert. 20. *Θεοῦ ζωὴ αἰώνιος, ἀνθρώπου δὲ ἐφήμερος.* Auctor libri de Mundo, qui vulgò Aristoteles, *Θεοῦ κάλλει εὐπρεπεστάτου, ζωῇ δὲ ἀθανάτου.* Notanda & vox *μόνος* in argumento isto. De eodem 2 Maccab. 1. 25. *Ὁ μόνος*, &c. *αἰώνιος*. & Philo in *περὶ κοσμουργίας*, *Ὁ θεὸς, ὅς ἐστιν ἀΐδιος μόνος.* Sophocles,

— *Μόνοισιν οὐ γίγνεται*
Θεοῖσι γῆρας, οὐδὲ μὴν θανεῖν ποτε,
Τὰ δ' ἄλλα συγχεῖ πάνθ' ὁ παγκρατὴς χρόνος.

Ἀθανασίαν ἔχων expone, aut, quem solùm immortalitas comitatur, quo sensu Johannes 1 Epist. 4. 18. *Φόβον κόλασιν ἔχειν* videtur dixisse; Salustius, *avaritiam pecuniæ studium habere*; Cicero, *spoliationem misericordiam habere*; Seneca de Ira 2. 3. *timorem fugam habere*; Petronius, *differentiam morum odium habere*; D. Augustinus in Psal. 92. *malum opus laborem habere*; Tertullianus ad Martyres, *carcerem vincula habere*; & Servius ad Æneid. 1. *novitatem regni timorem habere* (quibus adde quæ ex eodem Servio suprà ad com. 15. adducta,) aut, qui solus immortalitatem suo jure habet, & à quo ad Angelos (qui & immortales) ut à fonte immortalitas fluit. Ad Jovem Venus apud Virgilium lib. 10.

—— *O hominum Divûmque æterna potestas.*

Ubi Servius, *Æterna potestas, propter aliorum Numinum discretionem* Euthymius ad Joh. 5. ea, *ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ*, *ad modum scaturiginis præbet* (aliis) *vitam.* Tale & illud, *τῷ τὴν ἁγίαν γνῶσιν ἔχοντι*, quod 2 Maccab. 6. 32. de eodem dictum.

Ibid. *Φῶς οἰκῶν*] De eodem Psal. 103. 2. *Φῶς ἀναβαλλόμενος.* De Jove Mamertinus in Panegyrico *Supra nubila*, &c. *sedens in luce perpetua.*

Ibid. *Φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον*] Philo argumento simili, lib. De congressu erudit. quær. causâ, *Λαμπρότερον φέγγος ἢ ὡς δύνασθαι θνητὴν αὐτῷ τὴν ὄψιν προσβάλλειν·* & in Legat. Athenagoras, *Φωτὶ καὶ κάλλει*, &c. *ἀνεκδιηγήτῳ περιεχόμενον·* Lactantius 6. 2. *Cùm in tam parvo circulo* (Solis nempe) &c. *tantum sit fulgoris, ut eum mortalium luminum acies non queat intueri*, &c. *quid tandem luminis, quid claritatis apud ipsum Deum*, &c. *esse arbitremur?* Seneca de Eodem summo Numine 4. 19. de Benef. *Septum ingenti quodam & inexplicabili muro, divisumque à contactu & conspectu mortalium.* In 3 Maccabaico, *Τὸ οἰκητήριόν σου οὐρανὸς*, &c. *ἀνθρώποις ἀνέφικτος·* id est, ut in Apostoli verbis, *ἀπρόσιτος.* *Quod quidem mirari super Deo immortali nequaquam congruit, cum alioquin & inter homines, qui Fortunæ munere opulentiâ elatus, & ad usque regni mutabilem suggestum & pendulum tribunal evectus sit, raro adeatur, longe remotis arbitris, in quibusdam dignitatis suæ penetralibus degens:* ut loquitur in de Deo Socratis Philosophus Madaurensis.

Ibid. *Φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον*] *In extimo mundi tergo degens*, ut de Eodem ex Platone in Apologia idem Apulejus locutus. *In sublimi ætheris vertice locatus, ac humanâ contagione procul discretus*, ut apud Eundem in de Socratis Deo. Suidas, *Ὄλυμπος ὁ οὐρανὸς, οἱονεὶ, ὁλόλαμπος, θεοῦ οἰκητήριον.* Orpheus apud Eundem, *Φῶς ὑπέρτατον πάντων, τὸ ἀπρόσιτον*, &c. Glossæ MSS. ad hunc locum in Medic. Biblioth. *Ἀπρόσιτον, ἀχώρητον, κυρίως δὲ ἀπρόσψαυστον, καὶ ἀπροσέγγιστον.*

Ibid. *ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων*] *Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακεν*, &c. 1 Joh. 4. 12. Orpheus,

—— *Οὐδέ τις αὐτὸν*
Εἰσοράᾳ θνητῶν. ——

Apulejus in de Mundo, *Mortales oculi ejus non capiant aspectum.* Seneca modò citatis verbis, *Divisum à mortalium conspectu.*

Ibid. *οὐδὲ ἰδεῖν δύναται*] Nec unquam poterit videre, in hac vita nempe. Opponitur hic futurum tempus præterito, quod in præcedente membro. Nestor apud Homerum de Pirithoo & Driante, Il. *ά.*

Οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας, οὐδὲ ἴδωμαι.

Scholiastes, *οὐδὲ ἰδεῖν δυνήσομαι.* Plutarchus in de Sera numinis vindicta, *Τὸ δ' Ἀπόλλωνος οὐ κατεῖδες* (*εἶπεν*) *οὐδὲ κατιδεῖν ἔσῃ δυνατός.*

Ibid. *ᾧ τιμὴ*] Diphilus apud Clementem Alexandrinum,

Τοῦτον (*θεὸν*) *διὰ τέλους τίμα μόνον·*

Vide Apoc. 7. 12. & 19. 1. Interpres Nicomacheorum, 4. 5. *Τιμὴ δοκεῖ μέγιστον εἶναι τῶν ἀνθρωπίνων, καὶ διὰ τοῦτο τῷ θεῷ ταύτην ἀπονέμομεν.*

Ibid. *ᾧ τιμὴ, κράτος αἰώνιον*] Suprà 1. 17. sic extulit, *ᾧ τιμὴ, δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Vide Apoc. 1. 6. 1 Pet. 4. 11. Meritò & *κράτος* summo Numini tribuendum. De Diis Theognis *ὧν ἐστι μέγα κράτος.* De Jove Homerus, Il. *ά.*

—— *Τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον.*

De eodem Hesiodus,

—— *Ὃ δ' ὕπατος ἐβεβήκει κράτος ἄλλος.*

Hinc & *Ζεὺς παγκρατὴς* apud Athenienses. Vide Hesychium. Artemidorus 2. 74. *Τὸ κρατοῦν δύναμιν ἔχει θεοῦ.* Plutarchus in Alexandro, *Τὸ ἄρχον ἐν ἑκάστῳ, καὶ κρατοῦν θεῖόν ἐστιν.* Hesychius, *Κράτος, βασιλεία, ἰσχὺς, δύναμις*, &c. Idem, *Κράτει*, &c. *ἀρχῇ, ἐξουσίᾳ.* Vulgatus bene hic, *imperium.* Glossæ, *Imperium, ἡγεμονία, κράτος βασίλειον.* Recentior vertit *robur*, molestissimè.

17. *Τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι*] Sic, *οἱ σοφοὶ ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ*, 1 Cor. 3. 18. *Οἱ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι πλούσιοι*, sunt quales, *τοὺς νῦν πλουσίους*, Arrianus 3. 22. in Epictetum vocat. Joannes 1 Epist. 3. 17. *τοὺς τὸν βίον τοῦ κόσμου ἔχοντας.* His oppositi Jacob. 2. 5. *οἱ τοῦ κόσμου πτωχοὶ, ἐν πίστει πλούσιοι.*

Ibid. *παράγγελλε μὴ ὑψηλοφρονεῖν*] Aptius nil potuit dicere divitibus inculcandum. Salvianus lib. 7. de superbia loquens, *Tam peculiare hoc ditium regnum est, ut aliquid forsan de Jure suo se putent perdere, si hinc sibi alius quidquam voluerit vendicare.* *Μὴ ὑψηλοφρονεῖν*, est, *μὴ ὄγκον ἐμφαίνειν τινὰ, μήτε ὑπεροψίαν, ἀλλὰ μᾶλλον ἐνδιδόντας, καὶ συγκαθιέντας τῷ ἤθει, τὴν ὑπεροχὴν ἀνεπίφθονον ποιεῖν, καὶ τὴν τῆς Τύχης ἀνωμαλίαν ἐπανισοῦν, ὡς ἀνυστόν ἐστι, τῇ μετριότητι τοῦ φρονήματος.* Sunt verba Plutarchi in *περὶ Φιλαδελφίας.* Et hoc in Epistolis Apollonii dictis *πλουτεῖν ὡς ἄνθρωπον.* Seneca 74. Epistolâ de vitæ hujus commodis, quæ *bona*, sed impropriè dicta, *Etiamsi apud nos sint, inter subjecta & humilia numerentur, propter quæ nemo se attollere debeat.* Sophocles,

Μηδ' ὄγκον ἄρῃς μηδέν', εἴ τινος πλέον
Ἢ χειρὶ βρίθεις, ἢ μακροῦ πλούτου βάθει.

Εὐτυχῶν μὴ ὑπερήφανος ἔσο, inter præcepta fuit Cleobuli Lyndii. Philo in de Josepho, *Εὐδοκεῖς καὶ τετίμησαι; μὴ καταλαζονεύου.*

ζονεύου. id est, ut heic Paulus, *μὴ ὑψηλοφρόνει*. Lucianus de Demonacte, *Τοὺς εὐδοκιμεῖν δοκοῦντας* (i. e. *εὐδοκιμοῦντας*) *ὑπεμίμνησκεν ὡς ἐπ' ὀλιγοχρονίοις τοῖς δοκοῦσιν ἀγαθοῖς ἐπαιρομένους*. Utilia sanè hæc monita; quotusquisque autem ad ea vitam format & instituit?

Ardua quàm res est opibus non tradere mores!

Nicolaus Damascenus, *Πολλῆς ἀγαθῆς τύχης δεῖται πλοῦτος ὥστε εἰς ἐπιείκειαν φέρειν· ἐκτρέπει γὰρ πλείους εἰς*, &c. *ὑπερηφανίαν*. Pacatus in Panegyrico, *Cùm indiscreta felicium pedissequa sit superbia, vix cuiquam contigit abundare fortunâ, & indigere arrogantiâ.* Menander,

> *Ὑπερήφανόν τι γίνεθ' ἡ λίαν τρυφὴ*
> *Ὁ, τε πλοῦτος ἐξώκειλε τὸν κεκτημένον,*
> *Εἰς ἕτερον ἦθος, κ' οὐκ ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν.*

Sirachides 40. 28. *Χρήματα καὶ ἰσχὺς ἀνυψώσουσι τὴν καρδίαν.* Idem 28. 12. *Κατὰ τὸν πλοῦτον τοῦ ἀνθρώπου ἀνυψοῖ τὴν ὀργὴν αὐτοῦ.* Aristoteles Magn. Moral. 3. *Ὁ πλοῦτος πολὺς γενόμενος ὑπερόπτας*, &c. *ἐποίησεν*. Phocylides,

> *Τὐφαυχεῖ ὁ πολὺς πλοῦτος, καὶ ἐς ὕβριν αὔξει.*

Apud Philostratum 7. 11. *Τὸν αὐχένα ἵστησι (ὁ πλοῦτος) καὶ τὸ φρόνημα ἐγείρει.* In Hecyra Terentiana 3. 5.

> *Quia paululum vobis accessit pecuniæ,*
> *Sublati animi sunt.*——

Cato apud A. Gellium 7. 3. *Scio ego solere plerisque hominibus, in secundis rebus atque prolixis atque prosperis, animum excellere, atque superbiam atque ferocitatem augescere.* Seneca Epist. 87. de Divitiis, *Inflant animos, superbiam pariunt.* Euripides Herc. fur.

> *Ὁ χρυσὸς ἥ τ' εὐτυχία*
> *Φρονεῖν βροτοὺς ἐξάγεται.*

Diodorus Siculus lib. 19. *Ταῖς εὐτυχίαις οὐ μόνον ῥαθυμία καὶ καταφρόνησις (ἕπεσθαι) εἴωθεν, ἀλλὰ καὶ ὑπερφρόνησις καὶ μεγαλόνοια.* Idem alibi in Excerpt. de Siculis suis, *Διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς εὐπορίας τῶν τὴν κρατίστην νῆσον εὐκαρπουμένων, ἅπαντες σχεδὸν οἱ τοῖς πλούτοις προκεκυφότες ἐζήλωσαν τὸ μὲν πρῶτον τρυφὴν, εἶτα ὑπερηφανίαν καὶ ὕβριν.*

Ibid. *μήτε ἠλπικέναι ἐπὶ τῇ ἀδηλότητι τοῦ πλούτου*] *Ἐπὶ τῷ ἐφημέρῳ τῷ τοῦ ὄλβου μήκει*, ut apud Philostratum. 8. 3. Apollonius locutus. In colloquiis veteribus, *Τί πλοῦτος; καθημερινὴ ἐξουσία.* D. Augustinus in Psal. 9. *Sperent ergò in te*, &c. *non in his rebus quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes nisi erit & fuit.* Cicero Tuscul. 2. *Nemo confidat sibi illud stabile ac firmum permansurum quod fragile & caducum est.* *Ἀδηλότητι τοῦ πλούτου* heic pro *ἀδήλῳ πλούτῳ*· est autem *ἄδηλος πλοῦτος*,

> ——*Quem sors infida dedítque,*
> *Atque eadem rapuisse solet.*——

Horatius,

> ——*Qui punctio mobilis horæ*
> *Permutat dominos, & cedit in altera jura.*

Idem,

> —— *Cujus dominum Natura nec illum,*
> *Nec te, nec quenquam statuit: vos expulit ille,*
> *Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris;*
> *Postremum expellet certè vivacior heres.*

Chrysostomus Homil. de Continent. & Virgin. *Χρήματα μὴ παραμένοντα τοῖς κεκτημένοις, ἀλλ' ἀμείβοντα τοὺς δεσπότας, καὶ ἀπὸ τούτου εἰς ἕτερον μεταπηδῶντα, καὶ πάλιν ἀπ' ἐκείνου πρὸς ἄλλον*, Amphilochius,

> *Συνόντα καὶ φεύγοντα καὶ κολλώμενα*
> *Τούτοις, ἐκείνοις, οὐδενὶ δὲ γνησίως.*

In Timone Luciani, *Ὡς λεῖος εἶ, ὦ Πλοῦτε, καὶ ὀλισθηρὸς, καὶ δυσκάθεκτος, καὶ διαφευκτικὸς, οὐδεμίαν ἀντιλαβὴν παρεχόμενος βεβαίαν, ἀλλ' ὥσπερ ἐγχέλυς ἢ οἱ ὄφεις διὰ τῶν δακτύλων δραπετεύεις!* Menander,

> *Περὶ χρημάτων λαλεῖς, ἀβεβαίου πράγματος.*

id est, *ἀδήλου*. Suidas, *Κεραμέως πλοῦτος, ὁ σαθρὸς, καὶ μὴ βέβαιος*. Euripides apud Clementem Alexandrinum, Strom. 6. cognatæ significationis voce usus, *ὄλβον μὴ σαφῆ* dixit: & Philo lib. de Josepho, eodem argumento, *ἀσάφειαν*. *Τὴν τῶν ἐκτὸς ἀσάφειαν τίς οὐκ οἶδε; μιᾷ ἡμέρᾳ πλοῦτοι μεγάλοι πολλάκις ἀπερρύησαν.* Eodem sensu Hierocles, *τὸ τῆς κτήσεως ἄστατον*. Eodem autem quo heic verbo Paulus utitur & Sotades apud Stobæum,

> *Ἐν πλούτῳ ἧς, τοῦτο χρόνῳ ἄδηλος ἰσχύς.*

Simile apud Plutarchum in Mario, *τὰς ἐλπίδας ἐν τοῖς ἀδήλοις ἔχειν*. 2 Maccab. 7. 34 *ἀδήλοις ἐλπίσι φρυάττεσθαι* &, *ἀδήλοις ἐλπίσιν ἐπαίρεσθαι*, apud Herodianum, lib. 2. Notetur in Contextu post alia *τὸ ἠλπικέναι*, & quàm concinnè dictum in materia ista. Achilles Tatius in tempestatis narratione, *Τὰ οἰκεῖα λαμβάνοντες ἐν οἷς εἶχον τὰς ἐλπίδας, ᾔεσαν ἐπειγόμενοι.* In Terentiana Eunucho 2. 2.

> *Itán' parasti te ut spes nulla reliqua in te esset tibi?*

Ubi Donatus, *Bene, quasi qui rem* (legerim, *quasi qui spem*) *à Fortuna acceperat.* Sic, *in pecunia sperare*, Sirachidis 31. 8. apud Latinum Interpretem: *habere spem in pecunia sua*, in Salustii Jugurthino. Quod *spem in bulga habere*, Lucilius dixit; hoc Marci 10. 24 *ἐπὶ τοῖς χρήμασι πεποιθέναι*· Baruch. 3. 16. *πεποιθέναι χρυσίῳ*· Jobi 31. 24. in Græco, *χρυσίον ἑαυτῷ ἰσχὺν τάττειν, καὶ πολυτελεῖ λίθῳ πεποιθέναι*· Jer. 9. 23. *ἐν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ καυχᾶσθαι*. Menandro & Philoni, *πιστεύειν χρήμασι*. Vitruvio libri 6. proœmio, *pecuniâ fidere*; Apulejo lib. 9. *confidere opibus*; Quintiliano declam. 13. *fiduciâ opum suarum placere sibi.* Virgilius 10.

> —— *Humanis quæ sit fiducia rebus*
> *Admonet.*——

Ubi Servius (ad mentem Apostoli non ineptè,) *Hoc dicit, nolite putare fixam esse & stabilem felicitatem; magna est enim rerum varietas.* *Ἀδηλότητα*, *incertum divitiarum* bene Vulgatus vertit. Sic, *incertas & in casu possessiones positas*, Cicero in Paradoxis dixit. Lactantius lib. 7. cap. ult. *bona fallacia, quorum incerta*, &c. *possessio.* Seneca cap. 5. Id sap. non cad. injur. *Omnium extrinsecus affluentium*, &c. *incerta possessio est*: & Epist. 66. *Pecunia, corpus, & honores*, &c. *possessionis incerta.* Seneca alter Controvers. 1. 1. *Tollite vestras divitias quas huc atque illuc incerta fortuna fluctus appellit*: ubi pro *fluctus* puto *flatus*, & pro *appellit*, *pellit* legendum. Valerius Maximus 6. ult. *Nullo in loco, nulla in persona stabilibus radicibus nixa, sed incertissimo Fortunæ flatu huc atque illuc acta.* *Incertum* autem substantivè dum vertit idem Vetus Interpres, non id inelleganter fecit, nec insolenter. Videantur ad Apuleji lib. 4. pag. 220. annotata.

Ibid. *ἀλλ' ἐν τῷ θεῷ τῷ ζῶντι*] Non in divitiis, (inquit) sed in Deo vivo. Planè ut Psal. 51. 9. 10. ubi *ἐλπίζειν ἐπὶ τὸ ἔλεος τοῦ Κυρίου*, opponitur ei quod *ἐπὶ τῷ πλήθει τοῦ πλούτου ἐλπίζειν*. D. Augustinus in Psal. 9. illud, LÆTABOR IN TE, *Non jam in hoc seculo*, &c. *nec in superfluis temporalium divitiarum*, &c. & ad Psal. ejusdem ea, ET SPERENT IN TE OMNES, &c. *Cùm destiterint sperare in divitiis, & in aliis hujus seculi blandimentis.* Idem in Psal. 19. 8. *Hi volubili successione temporalium bonorum trahuntur*, &c. *nos autem spem figentes in æternis*, &c. *in nomine Domini Dei nostri exsultabimus.* Vide & Jerem. 9. 23, 24. Sirachidem 10. 21. & 40. 26. Ità & Psal. 145. 3. post *μὴ πεποίθατε ἐπ' ἄρχοντας*, &c. sequitur, *μακάριος οὗ ὁ θεὸς βοηθὸς*, &c. & Proverb. 28. 25. *spes in Deum* opponitur *jactationi ac dilatationi sui.* Nec dissimile quod 2 Cor. 1. 9. occurrit, & in his Basilii, *Ὥσπερ οὐδὲ σέβειν ἄλλο τι παρὰ τὸν θεὸν προσήκει, οὕτως οὐδὲ ἐπὶ ἄλλῳ ἐλπίζειν ἢ ἐπὶ τὸν θεὸν τῶν πάντων κύριον*, &c. Sic statim heic in Contextu, *τῷ παρέχοντι ἡμῖν πάντα*. Oppositionem autem Paulinæ geminam planè habent hæc Philonis, libello de Sacrificiis, *Ἔστω δὲ, φησι, μόνος ὁ θεὸς αὔχημά μου, καὶ μέγιστον κλέος καὶ μήτ' ἐπὶ πλούτῳ, μήτ' ἐπὶ δόξῃ, μήτ' ἡγεμονίᾳ*, &c. *ἐφ' οἷς εἰώθασιν οἱ κενοὶ φρενῶν ἐπαίρεσθαι, σεμνυνθῇς*· necnon ista Phocylidis nomine insignita,

> *Μὴ γαυροῦ σοφίῃ, μηδ' ἀλκῇ, μηδ' ἐνὶ πλούτῳ·*
> *Εἷς θεός ἐστι σοφὸς, δυνατός δ' ἅμα, καὶ πολύολβος.*

Plato lib. 4. de Legib. *Ὁ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤπου τις ἄνθρωπος.* Philipp. 4. 4. *Gaudete in Domino*: ubi Sedulius, *Non in humana felicitate.*

Ibid. *τῷ παρέχοντι ἡμῖν πάντα πλουσίως εἰς ἀπόλαυσιν*] *Καὶ μὴ ὀνειδίζοντι*, Jacob. 1. 5. *Παρέχειν* vox apta argumento isti. Hesychius, *Παρέχει, δίδωσι, χορηγεῖ*· unde & *Παροχαὶ* Eidem, *δωρήματα, χαρίσματα*. Servius ad Æn. 10. *Bona præberi dicuntur.* Notabis porrò non *παρέχοντι* dictum, sed, *πλουσίως παρέχοντι*. Donatus ad 5. 2. Hecyræ, *Est gratius, non solùm præbere, sed & benignè præbere.* Hesychius, *Ὀλβοδότης, πλουσίως παρέχων*. Idem *Ἐπιδαψιλευόμενος, μεγαλοψυχούμενος, ἐπιχορηγῶν πλουσίως*. Sic enim uno tenore eo loco legendum. Simile Tit. 3. 6. *πλουσίως ἐκχέειν*. *Πλουσίως*, pro *affluenter* vel *abundanter*, utitur & in Alexandri vita Plutarchus. Diodorus Siculus l. 1. *Χορηγήσας δαψιλῶς πάντα*. *Εἰς ἀπόλαυσιν*, est, *non ad victum tantum, sed & ad sensum delectationemque hominum*, ut Varro 1. 23. de R. R. locutus; ubi *sensum* magnus Scaliger, *εὐπάθειαν, ἡδυπάθειαν* interpretatur, id est, ut heic Apostolus, *ἀπόλαυσιν*. Lactantius cap. 6 Epitomes, *Homines fruuntur his omnibus bonis quæ mundus in se continet.* Servius ad Æneid. 7. *Fruitur, pascitur; quod de rebus tantùm bonis dicitur.* Hesychius, *Ἀπολαύει, τρυφᾷ*. Euripides Supplicibus,

—— Τρυφᾶ-

—Τρυφῶμεν, θεῦ κατασκευὴν βίου
Δόντος τοιαύτην—

Seneca 2. 29. de Beneficiis, eodem argumento, *Tantum frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum super alias concervatarum.* Vide ad Act. 14. 17. & ad Act. 17. vers. 25. ex Philone & Plutarcho annotata. Josephus Antiquit. 1. 2. Ὅσα πρὸς ἀπόλαυσιν καὶ ἡδονὴν συντελεῖ. Diodorus ubi suprà, τῶν πρὸς ἀπόλαυσιν πολλὴ δαψιλεία. Idem lib. 2. Καρποῖς βρίθουσα, πολλὴν ἀπόλαυσιν παρέχεται τῶν τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτηδείων. & 5. Καρπῶν ἀφθονίαν, οὐ μόνον πρὸς τὴν ἀρκοῦσαν διατροφὴν, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν δαψιλῆ. In ejusdem excerptis, Ἐζωντο πάντων τῶν δαψιλῶν πρὸς ἀπόλαυσιν. Et hinc pro escis lautioribus ἀπολαύσεις. Basilius Conc. de Jejunio, Τὰς ἀδοιπόρους ἡ τρυφὴ ἀχθοφορεῖν ἀναγκάζει, τὰς ἀπολαύσεις περικομίζοντας.

18. Ἀγαθοεργεῖν, *In augenda re non avaritiæ prædam, sed instrumentum bonitati quærere*; ut Cicero in pro Rabirio locutus. Idem 2 de Oratore, *Omnis nostra cura debet in hoc semper versari, ut boni aliquid efficiamus.*

Ibid. Πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς] Non tantùm in caducis opibus, de quibus præced. commate. Hoc est, quod πλοῦτον ἄσυλον, (μᾶλλον δὲ, &c. ἄπλουτον) ἀπεργάζεσθαι, Plutarchus in Lycurgo ex Theophrasto vocat. Menander,

Ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν, τὰ δὲ χρήματα
Ταῦτ' ἐστὶν ὄψις παραπέτασμα τοῦ βίου.

Adde quæ ex eodem ad Luc. 12. 33. allata. Apud Philonem in de Legatione habemus ἐν εὐεργεσίαις μεγαλοπλουτεῖν· apud Philostratum in Epistolis, Φιλίᾳ καὶ χρηστῷ τρόπῳ πλουτεῖν· & Themistium 6. Orat. ἀγαθῶν πράξεων θησαυρόν. Lactantius 5. 5. *Divites sunt, non quia divitias habent, sed quia utuntur illis ad opera Justitiæ.*

Ibid. εὐμεταδότους] Vulgat. *facilè tribuere.* Ambrosius 3. 3. de Officiis, *Hoc præstamus ceteris animantibus, quòd alia genera animantium conferre aliquid nesciunt, feræ eripiunt, homines tribuunt.*

Ibid. εὐμεταδότους εἶναι] Τοῖς χρείαν ἔχουσι nempe, ut Ephes. 4. 28. ubi & μεταδιδόναι. Restringi non malè potest hæc vox ad rem escariam. Suidas, Μετάδος ἐνδεεῖ ἄρτον. Sic σίτου καὶ ποτῶν μετάδοσις, apud Xenophontem: τροφῆς μετάδοσις, Sympos. 6. 4. apud Plutarchum. Idem Consolat. ad Uxorem, Καθάπερ πρὸς ἰδίαν τράπεζαν μεταδιδοῦσα τῶν καλῶν ὧν εἶχε. In Excerptis è Diodoro Siculo, τροφῆς τινα μεταδιδόναι· & lib. ejusdem 1. ἀγαθῶν μεταδοτικός. Ἀγαθὰ enim, (ut ad Luc. 1. diximus) apud Græcos sæpe ventris commeatum notant. Glossarium, Μεταδιδῶ μέρος, *participo*; nempe, alium quemvis. Sic, *prandio quem participare*, Apulejus 1. Rectiùs tamen & ad alia extendi hic apud Paulum reor. Artemidorus 4. 3. Ὁ πολλὰ ἔχων ἀγαθὰ μεταδοίη ἄν. Hesych. Εὐμεταδότως, προθύμως εἰς τὸ παρέχειν. Pollux 3. 23. de benigno & liberali homine, τῶν ὄντων μεταδιδούς. Dicæarchus de Tanagrensibus, Ἀφ' ὧν ἔχουσιν, &c. ἐλευθέρως μεταδιδόντες. Philo in de Josepho, Περιουσιάζεις; μεταδίδου. Vide & Rom. 12. 8. Ambrosius (quem secuti heic recentiores nonnulli) εὐμεταδότους vertit, *faciles ad impertiendum.* Cicero in de Amicitia, *Si quam præstantiam*, &c. *fortuna consecuti sunt, impertiant eam suis, communicentque cum proximis.* Vulgatus, *facilè tribuere.* Hermas 3. 9. *De laboribus suis cunctis hominibus facilè tribuentes.* Sic Seneca 1 de Benef. *tribuentis voluntatem* dixit. Valer. Maximus, *bona tribuere*: & Plinius lib. 9. Epist. 30. *pauperibus tribuere.* Glossarium Μεταδίδωμι, *impertio, tribuo.*

Ibid. εὐμεταδότους, κοινωνικούς] Sic, μεταδιδόναι καὶ κοινωνεῖν junxit Philo in de Septenario numero, & in Epistolæ cujusdam fragmento Julianus. Hinc apud Clementem Pædag. 2. 12. εὐμετάδοτος κοινωνία· & ibid. 3. 7. μετάδοσις κοινωνοῦσα· & ut heic κοινωνικοὶ εὐμεταδότοις juncti, sic Hebr. 13. 7. εὐποιΐα καὶ κοινωνία. Theodoretus, Theophylactus, & nuperi quidam, κοινωνικοὺς hoc loco intelligunt ὁμιλητικοὺς, fortasse quia præcessit μὴ ὑψηλοφρονεῖν· His adde OEcumenium, qui κοινωνικοὺς, τουτέστι, πραεῖς, προσηνεῖς, ἀτύφους, συγκαταβατικούς. Malim suppleri ego, τῆς τραπέζης. Vide Luc. 14. 13. Apulejus 8. *Cœnâ poculoque communi charior chariorque factus.* Plautus Milite,

Communicabo te semper mensâ meâ.

Plutarchus de Cimone, τὴν οἰκίαν τοῖς πολίταις πρυτανεῖον ἀποδείξας κοινόν· & continuò, Τρόπον τινὰ τὴν ἐπὶ Κρόνου μυθολογουμένην κοινωνίαν εἰς τὸν βίον αὖθις κατῆγε. Nec tamen qui generaliùs locutum Paulum contenderit, contrà me tendentem habebit. Philo in περὶ Φιλανθρωπίας, de Mose spicilegium relinqui præcipiente. Τοὺς εὐπόρους μεγαλόφρονας καὶ κοινωνικοὺς κατασκευάζων. Sic, ἄνδρα τῶν ὄντων κοινωνικὸν, Lucianus in Timone dixit: τοῖς δεομένοις κοινωνεῖν, Justinus in Apologetico: κοινωνεῖν χρημάτων, Julianus jam citato fragmento: & apud Pollucem ἀνὴρ κοινωνικὸς opponitur τῷ τὸν πλοῦτον θησαυρίζοντι· Vide & Rom. 12. 13. item 15. 26.

19. Ἀποθησαυρίζοντες ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον] Scriptor Tobiæ 4. 10. eodem isto beneficentiæ argumento, Θέμα ἀγαθὸν θησαυρίσεις σεαυτῷ εἰς ἡμέρας ἀνάγκης. Ille autem de hoc seculo tantùm, (vide ad Luc. 16. 9. annotata,) Apostolus de futuro loquitur: quo & sensu Sirachidis 3. 4. ὁ ἀποθησαυρίζων occurrit. Contrarium ei quod hoc loco habemus, est Pauli nostri Roman. 2. 5. illud, ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ (i.e. εἰς ἡμέραν) ὀργῆς ἑαυτῷ θησαυρίζειν· cui & simile Proverb. 1. 18. ἑαυτῷ κακὰ θησαυρίζειν. Θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, est (ut Hebr. 4. 16.) ἔλεον καὶ χάριν εἰς εὔκαιρον βοήθειαν. Ad Pauli mentem accedunt & Demosthenis illa, Τοσούτῳ πλείους ἀφορμὰς πρὸς τὴν τῶν θεῶν εὔνοιαν ἔχομεν, ὅσῳ διατελοῦμεν εὐσεβέστερα καὶ δικαιότερα πράττοντες, Orat. contra Philippi Epist. Ad mentem & locutionem autem ejus Isocratis ista, Καλὸς θησαυρὸς, &c. χάρις ὀφειλομένη, Paræn. ad Demonicum.

Ibid. ἵνα ἐπιλάβωνται τῆς αἰωνίου ζωῆς] In MS. vetustissimo qui in Anglia, & in aliis nonnullis, est, τῆς ὄντως ζωῆς· quam scripturam secuta est & Vulgata versio. Vide suprà ad 5. 3 dicta. Communem tamen lectionem fulcit similis Luc. 16. 9. locus, ubi & vox αἰώνιος.

20. Ὦ Τιμόθεε] Compellatio blandissima. Sic sacerdos ad Apulejum, *O mi Luci*, &c. & suprà heic 1. 18. Τιμόθεε τέκνον.

Ibid. τὴν παρακαταθήκην φύλαξον] Diligenter serva fidem quam ut depositum commendavi tibi. Theophylactus ad Act. 4. 33. illa, ἀπεδίδουν &c. τὸ μαρτύριον, &c. Καθάπερ ἐγχειρισθέντας αὐτούς τι δείκνυσι· καὶ ὡς ἐπὶ ὀφλήματος λέγει. Hinc & suprà 1. 11. illud, τὸ εὐαγγέλιον ὃ ἐγὼ ἐπιστεύθην. Clemens Stromat. 7. Ἡ γνῶσις ἐκ παραδόσεως διαδιδομένη κατὰ χάριν θεοῦ τοῖς ἀξίους σφᾶς αὐτοὺς τῆς διδασκαλίας παρεχομένοις οἷον παρακαταθήκη ἐγχειρίζεται. Ibid. 6. Παρακαταθήκη θεῷ ἀποδιδομένη ἡ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου διδασκαλίαν διὰ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ τῆς θεοσεβοῦς παραδόσεως σύνεσίς τε καὶ ἄσκησις. Irenæus 3. 4. *Quam* (fidem nostram) *perceptam ab Ecclesia custodimus, & quæ semper à spiritu Dei quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens, & ipsum vas faciens juvenescere*, &c. Glossarium, Παρατίθημι τὸ φυλαχθησόμενον, *commendo*, &c. Ibidem, Παρακαταθήκη, *commendatio.* Idem heic dicitur à Paulo quod in illis Apocal. 3. 3. Μνημόνευε πῶς εἴληφας καὶ ἤκουσας· & ibidem com. 11. ὃ ἔχεις κράτει· quod 1 Corinth. 11. 2. καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, κατέχετε. Cui contrarium 2 Pet. 2. 21. ἐκ τῆς παραδοθείσης ἁγίας ἐντολῆς ἐπιστρέψαι. Antiquissimus MS. ille hoc loco παραθήκην habet. Sic in Ignatii ad Heronem Diaconum Epistola, φύλαξόν μου τὴν παραθήκην· & in Ejusdem ad Antiochenses dicta, Παύλου καὶ Πέτρου γεγόνατε μαθηταὶ, μὴ τὴν παραθήκην ἀπολέσητε. Occurrunt παραθήκη & παρακαταθήκη apud Græcos Scriptores; Thomas Magister utramque approbat, Phrynichus posteriorem tantum: habet uterque quidem quo tueatur se: priorem enim communis dialecti esse, posteriorem Atticæ, notat Eumoerides Atticista. Φύλαξον heic intellige cum fructu custodiendi, id est, alios instruendi. Vide 2 Tim. 2. 2. ubi & vox παράθε.

Ibid. κενοφωνίας] Similes Ephes. 5. 6. κενοὶ λόγοι. Hesychius, ex hoc loco, vel ex 2 Tim. 2. 16. Κενοφωνίας, ματαιολογίας· item Suidas, Κενοφωνίας, ματαιοφωνίας, ἀσεβείας, ἤγουν, αἱρετικάς.

Ibid. καὶ ἀντιθέσεις] Communiter hoc exponi solet de verbosis Gnosticorum ad invicem concertationibus: quo ferè sensu suprà heic com. 4. παραδιατριβὰς habuimus. Malim ego *oppositiones* istas referri ad sanam fidei doctrinam. Unde & 2 Tim. 2. 25. οἱ ἀντιδιατιθέμενοι, quod sanè nil aliud est quàm ἀντιθέμενοι. Ità Galat. 3. 15. ἐπιδιατάσσεται est ἐπιτάσσεται. Sensu simili suprà hic 1. 10. τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ ἀντικεῖσθαι, occurrit.

Ibid. τῆς ψευδωνύμου γνώσεως] *Falsò cognominatæ agnitionis*, Irenæus 4. cap. ult. & initio lib. 5. Item 3. 11. *Falsarii Gnostici*, & 2. 67. *Item reliqui qui falso nomine Gnostici dicuntur.* Vulgatus, *scientia falsi nominis.* Ità, *scientiam falsam pervicaci vanitate jactatam*, Apulejus in de Philosophia dixit; & φιλόσοφον ψευδώνυμον, Plutarchus in περὶ Φιλαδελφίας.

ANNOTATA

In II. Epistolam D. PAULI ad

TIMOTHEUM.

CAP. I.

VALLA.

3. GRatias ago Deo] Gr. *Gratiam habeo*, χάριν ἔχω: quod apud eos forsan perinde est atque *gratias ago*, i. e. εὐχαριστῶ. Latinè autem aliud significat. Et haud scio an quisquam *gratias* seu *gratiam habere Deo* rectè dicatur, quod propriè est Habere animum referendi gratiam, h. e. beneficium reddendi. ¶ *A progenitoribus meis*] Quidam exponunt *ab antiquis meis*, *Abraham*, *Isaac & Jacob*. Hi sciant idem vocabulum esse hîc προγόνων, & in superiore Epistola 5. 4. *Et mutuam vicem parentibus reddere*, προγόνοις. Quanquam revera Græcè non est *parentibus* sed *progenitoribus*: tamen *progenitores* non solùm *superiores* sed etiam *genitores* dicuntur; sicut ipsius verbum indicat, ut apud Virgilium Æneid. 4.

Hanc Terra, ut perhibent, irâ irritata deorum
Progenuit. ———

Illud autem *meis* vix ullo in codice legitur, tamen subauditur.

5. *Certus sum quòd & in te*] Propriè Græcè est *persuasus sum*, sive *mihi persuasi*, sive *persuasum habeo*, quod nunc dicitur *certus sum*, πέπεισμαι. Idem dico de cæteris locis.

13. *Formam habens sanorum verborum*] *Habe* legendum est, ἔχε. Quod superiore Epistolâ 1. 16. *informationem* dixit, idem nunc dicit *formam*, ὑποτύπωσιν.

REVIUS in VALLAM.

3. M*Utuam vicem*] Deerat *vicem*.

ERASMUS.

2. T*Imotheo charissimo filio*] Hic non est γνησίῳ, ut in superiore, sed ἀγαπητῷ *dilecto*. ¶ *Gratia & misericordia*] In Græcis cod. absunt conjunctiones: tantùm est *gratia*, *misericordia*, *pax*.

3. *Gratias ago*] Χάριν ἔχω, *Gratiam habeo*: Nam ità mavult Valla: & ad eum modum legit Ambrosius. Quamquam haud absurdè Valla dubitat an quis aptè dicatur *habere gratiam Deo*. Nam *gratiam habere* dicitur qui animum habet referendi beneficii. Sed *gratias agit* etiam is qui non cogitat de referendo, tantùm declarat animum gratum ac memorem. ¶ *A progenitoribus meis*] Ἀπὸ προγόνων, *à progenitoribus*, sive *à majoribus*. Ambrosius legit *à proavis*. Significat enim Paulus se natum ex iis qui longâ retro serie fuerint cultores Dei. Nam *meis* pronomen redundat, additum apud nos explanandæ rei gratiâ. *Progenitorum* autem vocabulum non solùm complectitur parentes, sed superiores etiam nominibus carentes. Et *servio* non est δουλεύω, sed λατρεύω, i. e. *quem colo*: Nam hoc quoque significat λατρεύω. *Colebat* & in Judaïsmo, sed *impurâ conscientiâ*.

5. *Recordationem*] Ὑπόμνησιν, *commonitionem*, cùm aliquid suggeritur memoriæ, nè veniat in oblivionem. ¶ *Fidei quæ in te est non fictæ*] Meliùs Ambrosius, *ejus quæ in te est sinceræ fidei*. ¶ *Matre tuâ Ethnice*] *Eunice*, ut habetur & in nostris exempl. vetustissimis, vel potiùs *Eunica*, à *victoria* dictum vocabulum. Est autem nomen meretriculæ apud Theocritum. Carrensis homo diligens interpretatur *Etnicem* Græcè sonare *Fortunatum*. Is qui sic primùm interpretatus est legit *Eutyche*, aut aliud somniavit. ¶ *Certus sum autem quod & in te*] Πέπεισμαι δὲ ὅτι καὶ ἐν σοί, i. e. *persuasum autem habeo quod & in te*, scilicet *est ea fides*. Post *quod & in te* Græcè colon est, ut subaudias *habitat*.

6. *Admoneo te*] Ἀναμιμνήσκω, *commonefacio*, seu potiùs *redigo in memoriam*. ¶ *Resuscites*] Ἀναζωπυρεῖν, quod est propriè *ignem jam conditum ac sopitum suscitare*. Ambrosius legit *ut recrees*. ¶ *Gratiam Dei*] Χάρισμα, i. e. *donum*. Et ità Ambrosius.

7. *Sed virtutis*] Δυνάμεως, i. e. *potentiæ* & *roboris* ac *fortitudinis*. Et quod modò vertit *timoris* Græcè est δειλίας, quod & *ignaviam* sonat *animique imbecillitatem*. Cæterùm σωφρονισμοῦ, quod noster vertit *sobrietatis*, Augustinus Ad Bonifacium lib. 4. c. 5. legit *continentiæ*, hic crebrò vertit *pudicitia*. *Sobrietas* autem plura complectitur. Nec enim sanus est qui luxu, somno, amore, odio, similive affectu tenetur.

8. *Noli itaque erubescere testimonium*, &c.] Mirum quòd Græcum exemplar secutus Ambrosius legat, *Noli itaque erubescere in testimonium Domini nostri, neque in me vinctum ejus*. Atque ità legisse propemodum declarat illius interpretatio, in qua habetur, *Non est enim unde erubescatis in ea*. Etiamsi in Euangelio legimus, *Qui confessus fuerit in me*, &c. Sed mirum est hanc sermonis formam hic affectatam, cùm apud Græcos non sit. ¶ *Collabora*] Συγκακοπάθησον, i. e. *simul affligere cum Euangelio, & particeps esto afflictionum quæ prædicationem Euangelii comitantur*.

9. *Qui nos liberavit*] Τοῦ σώσαντος, i. e. *qui nos salvos fecit*, aut *servavit*. Ita & Ambrosius. ¶ *Vocatione suâ*] *Suâ* non est in Græcis cod. nè in vetustis quidem exempl. aliquot, nec apud Ambrosium, nec apud Chrysostomum in interpretatione: tantùm est *vocatione sanctâ*. In utroque Constantiensi habebatur *suâ*, sine *sanctâ*. ¶ *Nec secundùm opera*] Ambrosius legit *merita* pro *opera*. ¶ *Ante tempora secularia*] Αἰωνίων, i. e. *æterna*. Sic enim notat universum tempus quod cœpit ab Orbe condito. Mirum est quem autorem secutus Aquinas dicat SECULUM esse *mille annorum*, cùm *ludi seculares* centesimo quoque anno soliti sint instaurari: & addit, *mille annos esse hominis ætatem, quod tamdiu vivere dicatur homo quamdiu durat illius memoria, sed illam non porrigi ultra mille annos*. At quot millia sunt hominum quorum nunc memoria celebrior est quàm ante mille annos fuerit illorum vita? Et quotusquisque est cujus memoria duret usque ad annos ducentos? Quorsum autem attinebat hîc facere mentionem annorum, cùm loquatur de æterna prædestinatione, quæ tempus nescit? Quoties Paulus excludit operum fiduciam, commendans Dei gratiam! & sunt hodie qui abhorrentes ab hujusmodi sermone jactant bona opera sua, nec gratiæ nec fidei laudem ferentes sat æquis auribus.

10. *Per illuminationem*] Διὰ τῆς ἐπιφανείας, *per apparitionem*; quod superiùs vertit *adventum*. Quanquam EPIPHANIA nonnunquam *illustrationem* sonat; ut & ἐπιφανὴς *illustris*. Atqui Interpres non reddidit Græcarum vocum affinitatem φανερωθεῖσα & ἐπιφανείας, q. d. *illustrata est per illustrationem Jesu Christi*. ¶ *Destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam*] Καταργήσαντος, i. e. *qui abolevit & obliteravit*; & φωτίσαντος, i. e. *in lucem produxit*. Nam hæc duo inter se composuit veluti pugnantia: Mors regnabat, ei Regnum abrogatum est; Latebat vita, ea per Christum emicuit.

11. *In quo*] Εἰς ὃ, i. e. *in quod*, nempe *Euangelium*. ¶ *Prædicator*] Κῆρυξ, i. e. *præco* potiùs quam *prædicator*. ¶ *Magister Gentium*] Διδάσκαλος, i. e. *Doctor*. Tria sibi vendicat: *Præco* palàm

palàm evulgat; *Apostolus* nihil celans exsequitur quod commissum est; *Doctor* reddit rationem, ut persuadeat. Hanc autoritatem Deo tribuit, *In quod positus sum:* & confirmat argumento, *Ob quam causam etiam hæc patior.* Nunc multi disputando Doctores sunt, non patiendo.

12. *Non confundor*] Οὐκ ἐπαισχύνομαι, i. e. *non erubesco*, sive *non pudet me.* ¶ *Scio enim cui credidi*] Non est sensus Gr. sermonis, *Paulum non ignorare cui confisus esset.* Verùm hæc est sententia, *Scio quòd is cui credidi potens est servare depositum meum*, οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα, καὶ πέπεισμαι ὅτι δυνατός ἐστιν. Nam si prior esset sensus, non diceret ᾧ, sed τινί. Quanquam potest & hic esse sensus, *Novi eum cui credidi, & certus sum quòd potens sit.* Cùm ego eandem sententiam reddiderim explanatiùs quàm reddidit Interpres, miror cur quidam hunc locum magnis conviciis putarit insectandum, quasi non intellexerim quid Paulus sentiret. Quanquam in prima editione librariorum errore *quod* conjunctio fuerat per incuriam relicta secundo loco, pro quo nos habemus *quia*. Denique sive legas, *Novi eum cui credidi, & certus sum quod is potens est*, &c. sive conjunctim, *Scio certusque sum quod is cui credidi potens est*, &c. eadem ferme redditur sententia.

13. *Formam habens*] Ὑποτύπωσιν ἔχε, *Formam habe*, sive *Exemplar habe*, h. e. Aliis formam propone piè vivendi. Ambrosiana lectio hoc loco nonnihil discrepat tum à nostris tum à Græcis: sic enim legit, *Formam habent sanorum verborum quæ à me audisti in fide & dilectione quæ est in Christo Jesu. Bonum commendatum custodire per*, &c. Et bellè quadrat si *custodire* dictum sit pro *custodi.* ¶ *Sanorum verborum*] Ὑγιαινόντων. Quicquid probant, id Græci vocant ὑγιές unde & proverbium, Ὑγιὲς οὐδὲ ἕν, cùm omnia displicent. Contrà, cum res cum vitio conjuncta est, ajunt τὰ πάντα νοσεῖν. Et ὑγιαίνειν jubemus eos in quibus desideramus sanam mentem.

15. *Scis enim hoc*] *Enim* redundat. ¶ *Aversi sunt à me*] Ἀπεστράφησάν με, i. e. *aversati sunt me*, h. e. aspernati sunt. Ambrosius legit *aversati*, non *aversi.* Et nemo dicit, *aversatus est à me*; unde suspicor præpositionem à librario adjectam. ¶ *Omnes qui in Asia sunt*] Πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ. Potest legi & *erant:* nam tempus non exprimitur Græcis verbis. ¶ *Philetus*] Φύγελλος, *Phygellus*: atque ità legitur in pervetustis exempl. Latinis, itaque citatur à D. Hieronymo in Epist. De vestib. Aaron. & ità legit Ambrosius.

17. *Cùm Romam venisset*] Γενόμενος ἐν Ῥώμῃ, i. e. *cùm esset Romæ.* Atque ità legit Ambrosius. ¶ *Solicitè*] Σπουδαιότερον, i. e. *studiosius.* Ambrosius submonet προσονομασίας in εὗρε & εὑρεῖν. Reperit in afflictionibus quem quærebat; reperiat & in die judicii misericordiam, qui præstitit.

18. *Et quanta Ephesi*] Καὶ ὅσα, *& quæ*, sive *quæcunque*, aut potiùs *in quibuscunque.*

VATABLUS.

1. *Apostolus*] *Legatus.* ¶ *Secundùm*] Heb. *Ad annuntiandum.* ¶ *Quæ est in Christo Jesu*] Heb. quæ per Christum datur.

2. *Charissimo*] *Charo.*

3. *A progenitoribus meis*] *A majoribus:* i. e. juxta majorum meorum fidem & institutionem.

5. *Recordationem accipiens*] *Ubi commonefactus fuero.* ¶ *Certus sum autem*] *Persuasum autem habeo.*

6. *Admoneo*] Vel, *adhortor.* ¶ *Resuscites gratiam Dei, quæ*] *Excites donum Dei, quod:* i. e. extingui non finas.

7. *Timoris*] i. e. Gignentem metum. ¶ *Virtutis*] *Potentiæ:* i. e. potentem, ut fortes & intrepidi simus ad docendum quæ sunt fidei & charitatis.

9. *Collabora Evangelio secundùm virtutem Dei*] *Affligere unà cum Evangelio:* vel *Afflictionem feras & tu propter Evangelium pro facultate tibi data à Deo.* ¶ *Liberavit*] *Salvos fecit.* ¶ *Sancta*] i. e. Ut justificaret. Rom. 1. *Quos vocavit & justificavit.* ¶ *In*] *In* pro *per.* ¶ *Secularia*] *Æterna:* i. e. ante temporum & mundi constitutionem.

10. *Illuminationem*] *Apparitionem, illustrationem.* ¶ *Destruxit*] *Abolevit:* i. e. vim mortis cessare fecit. ¶ *Illuminavit autem vitam & incorruptionem*] *Vitam autem in lucem produxit* (vel, *revelavit*) *& immortalitatem.*

11. *In quo*] *Ad quod*: sub. *Evangelium.* ¶ *Prædicator*] *Præco.* ¶ *Magister*] *Doctor.*

12. *Confundor*] *Erubesco, pudet me.* ¶ *Depositum meum*] i. e. Salutem meam quam apud illum deposui.

13. *Formam habe sanorum verborum, quæ*] *Propone aliis sanam doctrinam, quam*, &c. ¶ *In fide & dilectione*] *De fide & dilectione:* i. e. de fide in Christum & dilectione in proximum.

14. *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum*] q. d. Roga Deum ut possis ope Spiritûs ejus servare & obire munus Evangelizandi tibi commissum.

15. *Aversi sunt à me*] *Adversati sunt me:* vel, *rejecerunt me.* ¶ *Philetus*] *Phygellus*, Vet.

16. *Refrigeravit*] Vel, *refocillavit.*

17. *Romam venisset*] *Esset Romæ.*

18. *Deo*] *Domino*, Vet. i.e. ut inveniat benignum judicem Christum. ¶ *Quanta*] *Quàm multa:* vel, *in quàm multis.*

CASTALIO.

12. *Meum depositum*] Meam vitam quam ei credidi.

CLARIUS.

1. *Secundùm promissionem vitæ*] In ipso procemio ac salutatione fructum Evangelii memorat, *Proposuit me*, inquiens, *Dominus meus Apostolum, ut promissam vitam æternam hominibus prædicem.*

3. *Gratias ago Deo*] Novum agendarum gratiarum genus. Arbitratur se debere gratiam Deo quòd meminerit Timothei: quæ ingentis charitatis est significatio, cùm quis in eo sibi placet ac gloriatur quòd aliquem amet. ¶ *Cui servio à progenitoribus meis in conscientia pura*] Quo pacto *in conscientia pura*, cùm initio Christum ignoraverit? Significat se nullius mali sibi fuisse conscium. Nam etsi persequebatur, non datâ operâ peccabat, sed æmulatione Divinæ legis; non comparandæ famæ ac laudis gratiâ, ut multi qui hæreses excitant. *Servivit* ergò etiam *à progenitoribus*, i. e. ante susceptam Christi fidem.

6. *Ut resuscites gratiam Dei*] Hortatur ut charismata, quibus dignus factus fuerat, ardentiùs semper & efficaciùs & alacriùs exerceat, ac vigilanter in ejusmodi opus incumbat. Hoc autem fiet si generosè stes adversùs tentationes: Contra quas stare non possunt qui spiritum timoris habent. Idcirco adjecit, *Non enim dedit Deus nobis spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Virtutis* δυνάμεως, *dilectionis* erga fratres, *sobrietatis* ad rectam vitam.

7. *Non enim dedit nobis Deus*] Nam Evangelica promissa & declarata Dei erga nos charitas per Christum omnem timorem expellit, & animat ac potentes facit adversùs persecutiones atque adversa omnia.

14. *Bonum depositum custodi*] *Depositum* dicit fidem, & curam creditæ illi Ecclesiæ. Deinde ostendit quòd non humanæ sufficiant vires ad tanta servanda: multa enim ingruunt impedimenta: viam ergò servandi monstrat, *per Spiritum sanctum*, inquiens, ut si dixisset, *Stude habere apud te Spiritum manentem, & depositum servabis.*

ZEGERUS.

3. *Gratias ago Deo meo, cui servio à progenitoribus meis*] *Meo* invenio in Ambrosio, Chrysostomo, & in Comment. titulo Hieron. & in codd. vulgaribus; atque ideo in contextu relinquendum *Deo meo.* Cæterùm *meis* nusquam ferè invenio nisi in vulgaribus, ideoque tollendum. Quia idem Deus à Christianis qui olim à Judæis colebatur, *eidem à majoribus servire se* testatur. Quando enim idem sperabant progenitores exspectabantque futurum quod hic cernebat & annunciabat adesse, una profectò & eadem eorum fides est.

7. *Sobrietatis*] *Sobrietatem mentis atque animæ sanitatem dicit, sive per quam ipsi resipiscimus, cùm quid adversi contingit, quod & castiget nos & nostra superflua amputet.* In hæc verba Chrysostomus.

10. *Per illuminationem Salvatoris*] Διὰ τῆς ἐπιφανείας, *per illustrem adventum & apparitionem Salvatoris nostri.*

12. *Potens est depositum meum servare in illum diem*] *Scio*, inquit, *& certissimum habeo quod is cui credidi*, i. e. in quo meam fiduciam collocavi, vel cui concredidi & commisi depositum meum, *potens sit in* ultimum vitæ *diem*, sive *in illum* ultimi judicii *diem*, *illud quod deposui*, nimirum vitam & salutem meam, *servare.*

13. *Formam habe sanorum verborum*] Ὑποτύπωσιν ἔχε, *Informationem habe*, vel *exemplar tene*, *probatorum verborum* & mandatorum, atque etiam actionum, quibus tibi formam dedimus ad quam tuam & aliorum vitam instituas. *Formam habens*

habens formam verborum habent cod. nostri vetusti, adstipulante Ambrosio, cùm Græci, suffragante Chrysostomo, habeant *Formam habe.* In priori lectione hæc verba sine periodo jungenda sunt cum illo, *bonum depositum custodi*, ut *formam* & *depositum* velut appositivè cohæreant.

14. *Bonum depositum custodi*] Quod tibi creditum ac commendatum est bonum serva bonâ fide.

15. *Scis enim*] Particula *enim* non video cujus hîc rationem dicat: quam, quia neque Græci neque Ambrosius attingit, supervacaneam arbitror. Mecum faciunt codices antiqui.

18. *Quanta Ephesi ministravit mihi*] Pronominis particulam non invenias apud Ambrosium & Chrysostomum, si Commentum inspicias, nec in Græcis codicibus, nec in antiquis Latinis. Quin & Ambrosius docet, hic commendari Onesiphori bonum, non personale, sed generale.

LUCAS BRUG.

15. Ex *quibus est Phigelus* [*Philegus* o. *Phygelus* o.] & *Hermogenes* [*Hermogenus* o.] Multi *Philetus* malè scribunt pro *Phigelus*. *Philetus* vocatur qui proximo capite v. 17. nominatur cum Hymenæo, *Ex quibus est Hymenæus & Philetus*: id quod & Haymo annotavit. Legitur porro apud Haymonem, & in quinque MSS. nostris, *Phigellus*; in impressis aliquot *Phygellus*, ità ut Græcè est Φύγελλος [Φρύγελλος.] Cæterùm spectatiores Latini codices *Phygelus*, seu *Phigelus*, habent: quomodo est & in quibusdam exemplaribus Græcis (Φύγελος) & in epistola Hieronymi 127. ad Fabiolam De vestibus sacerdotum, & in commentariis Ambrosio adscriptis. Magdalii denique correctorium monet, mediâ correptâ hoc nominis legendum esse.

H. STEPHANUS.

6. Ἀναζωπυρεῖν] *Ut suscites*: q. d. *facias ut redardescat.*

8. Συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ] *Esto particeps ærumnarum Euangelii.* Vide c. 2. 3.

16. Ἀνέψυξε] *Refocillavit*: vel, *recreavit.*

DRUSIUS.

3. A *Progenitoribus*] Recentior Interp. *à majoribus*. Lex. V. Πρόγονοι, *majores: singulare non habet*: nempe hoc significatu. Nam πρόγονος *privignus*: item *atavus*, προπάτωρ. Sirach. 8. 4. οἱ πρόγονοί σου, *majores tui*, אבותיך.

9. *Ante tempora secularia*] *Ante tempora seculorum*, quæ præterierunt à jactis fundamentis mundi. *Tempus* ergò *seculare*, ut hîc quidem accipitur, in se continet omnia secula quæ fluxerunt ab exordio mundi. Quod observo quia *seculare* in Latio usurpatur alio significatu: ut e.g. cùm dicimus *ludi seculares*, significamus eos ludos qui centesimo quoque anno celebrabantur & instaurabantur. Sic *seculare carmen*, in quo describuuntur sacrificia quæ centesimo quoque anno fiebant. Quidam *tempora secularia* interpretatur *tempora mundana*, sicuti mundanos vocamus *homines seculares*. *Tempora mundi* sive *mundana*, quæ à condito mundo fluxerunt. Eodem quidem redit: sed αἰωνίων, quod in fonte, hanc interpretationem respuit. Αἰὼν enim *seculum*, non *mundum* significat, quod sciam. Sic עולם in lingua Mosis. Quanquam Sapientes pro *mundo* utantur.

10. *Vitam & incorruptionem*] i. e. *Vitam incorruptam*, vel, si mavis, *immortalem*. Nam qui *incorruptus*, etiam *immortalis* est. Cæterùm *incorruptio* propriè dicitur ἀφθαρσία, *immortalitas* autem ἀθανασία: quorum illud in textu Gr.

16. *Catenam meam*] Quâ vinctus & alligatus eram militi. *Militaris carcer* propriè dictus custodia hujusmodi erat. Reus cum catena alligatus erat militi alicui. Seneca lib. 1. De tranquillitate, cap. 10. *Eadem catena tam reum quàm militem tenet.* Catena autem inserta erat brachio dextro rei, sinistro militis. Si ferocior erat captivus, utramque manum catena impediebat. Vide Act. 28. 20. & Ephes. 6. 20.

18. *Solicitè me quæsivit*] Non ergò in carcere detinebatur, ubi facilè inveniri potuisset; sed catenâ vinctus unà cum milite per Urbem oberrabat, aut negotia sua curabat.

CASAUBONUS.

6. Ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα] Lucretius expressit per verbum *accendere*, lib. 2.

Fit quoque, uti soleant, &c.
Reliquia motûs vitalis vincere sæpe,
Et quasi jam leti dominantem in corpore motum
Discutere, ac penè amissos accendere sensus.

16. Πολλάκις με ἀνέψυξε] Μεταφορικῶς usurpatur, ut apud Xenophontem p. 259.

SCULTETUS.

CAP. I.

Illustratur exordium capitis primi collatione exordii Epistolæ ad Romanos. Quomodo Paulus ἀπὸ προγόνων Deo purâ conscientia servierit *declaratur*: ἀπιστία & ἀπείθεια *ut differant.*

Exordium posterioris Epistolæ ad Timotheum rectè dixeris *Exordium Epistolæ ad Romanos contractum.* Ut enim ibi scribit Apostolus, *separatum se ad Euangelium Dei*, ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ, *quod antè promiserat per Prophetas suos*, ità hîc dicit *se esse Apostolum Jesu Christi per voluntatem Dei*, κατ' ἐπαγγελίαν ζωῆς τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *à Deo legatum, ut annunciet vitam quam per Prophetas olim in Christo Jesu promisit.* Ut ibi *gratias agit Deo super omnibus fidelibus Romæ, quod fides illorum annuncietur in toto orbe*; ità hîc *gratias agit Deo* pro Timotheo. Ideo ex collatione versûs octavi capitis primi ad Romanos, capitis primi secundæ ad Timotheum versu tertio verba illa, χάριν ἔχω τῷ Θεῷ, pleniùs legi possunt ad hunc modum, χάριν ἔχω τῷ Θεῷ ὑπὲρ σοῦ, laudatâ ejus fide versu quinto. Ut ibi Deum testem invocat, *se indesinenter Romanorum meminisse*; ità hîc proculdubio supplenda sunt verba versûs noni ad Romanos illa, Μάρτυς γάρ μοῦ ἐστιν ὁ Θεὸς, ut Grammaticè construi possint quæ sequuntur, ᾧ λατρεύω ἀπὸ προγόνων ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν, &c. Sic enim omnia pulcrè fluunt, *Gratiam habeo Deo pro te. Testis enim mihi est Deus, cui servio à majoribus cum pura conscientia, quod assiduam tui memoriam teneam.* Corruuntque omnes disputationes quæ de significatione & interpretatione particulæ ὡς ab eruditis hoc loco sunt motæ. Rursum, ut ibi *desiderat videre Romanos, quò communi cum illis solatio recreetur*; ità hîc *desiderat videre Timotheum, ut gaudio repleatur.* Quæsitum autem quomodo Apostolus ἀπὸ προγόνων *Deo servierit purâ conscientiâ.* προγόνους aliqui *majores*, nempe Abrahamum, Isaacum, Jacobum, & alios deinceps à quibus ortus est, intelligunt: Ego *progenitores proximos* significari puto. Non loquitur igitur de Christianismo suo tantùm, sed de Christianismo simul & Pharisaismo, in quo ipso *ità servivit patrio Deo ut*, quemadmodum & progenitores sui, *crediderit omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt*, Act. 24. 14. Et *accensus zelo Dei*, Act. 22. 3. *omni bonâ conscientiâ servierit Deo ad hunc usque diem*, ut loquitur Act. 23. 1. Propter illum zelum ergò, secundùm quem in Pharisaismo quoque *semetipsum exercuit ut conscientiam haberet sine offendiculo apud Deum & homines semper*, Act. 24. 16. rectè dicit, *se à progenitoribus suis Deo purâ conscientiâ serviisse*, h.e. animo ingenuo ac sincero. Etsi enim in ἀπιστίᾳ olim fuit, quando Euangelium persecutus est: ut fatetur ipsius 1 Tim. 1. 13. adeoque notitiâ illâ Christi (quæ est medium justificationis affectum potius quàm confectum, & in reprobos quoque cadere potest, quibus & ipsis interdum datur *gustare bonum illum sermonem Dei*, Heb. 6. cui notitiæ ἀπιστία opponitur) caruit, tamen nunquam fuit in ἀπειθείᾳ, quæ opponitur Fidei, quatenus in fiducia est medium justificationis & salutis non affectum modò sed confectum, & solis electis contingit, Tit. 1. 1. Huic, inquam, fiduciæ opponitur non ἀπιστία propriè, sed ἀπείθεια, Joh. 3. 36. Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, οὐκ ὄψεται ζωήν. Ἀπιστία remissibilis est, ἀπείθεια irremissibilis & damnabilis; quia illa est potiùs in mente, hæc in voluntate. Paulus fuit quandoque ἀπιστίας, nunquam ἀπειθείας filius, ut quidem υἱοὶ ἀπειθείας describuntur Eph. 2. 2.

CAP. II.

D. Paulo Philosophi pariter ac Poetæ Græci veteres lectitati. Ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, v. 6. *Lux distinctionis illata* v. 9, & 10.

Paulum Apostolum Heracliti Ephesii Epistolas diligenter perlegisse, Oratione de Philologiæ & Theologiæ conjunctione Deliciis Euangelicis Pragensibus præmissâ abunde docui. Eidem Poetas, Aratum, Epimenidem, Menandrum, Philemonem Comicum Phrygem, lectitatos fuisse testantur quæ ex illis citat dicta. Nam allegat Aratum Act. 17. 28. Epimenidem, Tit. 1. 12. Menandrum, 1 Cor. 15. 33. Et quando 1 Tim. 2. 12.

non

non se permittere ait mulieri αὐθεντεῖν ἀνδρός, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ, videtur doctis viris respexisse ad versus Philemonis suprà à nobis recitatos. Quemadmodum eadem Epistola jubens Timotheum *uti* ὀλίγῳ οἴνῳ, judicatur in animo habuisse ejusdem Philemonis versiculum,

Ἅπας πονηρὸς οἶνος ὁ πολὺς ἐς' ἀεί.

Platonica scripta non fuisse Paulo ignota, vel vocabula Platonica, quibus utitur nonnunquam, evincunt. Inter illa est & τὸ ἀναζωπυρεῖν, Plato πολιτειῶν ἐκκαθαίρεταί τε καὶ ἀναζωπυρεῖται. Sic hic ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ. Χάρισμα τοῦ Θεοῦ non sunt communia illa omnibus fidelibus dona, Fides, Charitas, Spes; sed dona Spiritûs particularia, cujusmodi sunt, donum Docendi in scholis, donum Exhortandi Ecclesiam & persuadendi hominibus fidem Christi, donum Linguarum. Placet enim interpretatio hujus loci Theophylactea, *Quia*, inquit, *novi te non simulatam habere fidem, excito te ut gratiam Spiritûs quam accepisti ad præfecturam Ecclesiæ, ad signorum operationem, & simpliciter ad omnem quæ scopo tuo conveniat virtutem, ut hanc semper exsuscites ac virentem facias.* Hæc dona jubetur Timotheus ἀναζωπυρεῖν, quod est *ignem cineribus tectum & quasi emortuum resuscitare*, sive *ignem alere*. Quomodo Dionysius Halicar. lib. 8. Antiq. scripsit, *prudentes Resp. Præsides* ἀεί τινας ἐκ τῶν ἀλλοεθνῶν ἀναζωπυρεῖν ἔχθρας, *semper alere aliqua externorum bellorum seminaria.* Elegans omnino Metaphora. Ut enim scintillæ cineribus coopertæ facilè moriuntur, quæ eædem flatu levi adjutæ ignem suum explicant, & appositis lignis in ardentes tandem flammas excrescunt; ità Docendi & Exhortandi dona securitatis & negligentiæ quasi cineribus sepeliuntur, quæ precum & diligentiæ studio suscitata nescio quid igneum spirant, & flammarum suarum calore adstantes ad auditorii sui focum calefaciunt & ipsos. Hanc ipsam cohortationem aliis verbis expressit Apostolus noster 1 Tim. 4. 14. Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, *Ne negligito donum quod in te est.* Et 1 Thess. 5. 19. Τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, *Spiritum ne exstinguite:* ubi more Scripturis usitato per Metonymiam causæ efficientis pro effectu particularia ista, de quibus diximus, Spiritûs S. dona per *Spiritum* intelligit, quomodo & Joan. Baptista ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει *in Spiritu & virtute Eliæ*, h. e. potentibus donis Eliæ ornatus, *Christo præivisse* memoratur, Luc. 1. 17. ¶ Versiculorum 9, & 10. confusam distinctionem cùm intueor, parùm abest quin ingemiscam. Jacobus Cujacius Observationum lib. 1. cap. 4. & lib. 6. cap. 1. de locis mendosis ab interpunctionibus in libris Jurisconsultorum est solicitus. Justus Lipsius senili industriâ sibi interpungendum sumpsit Senecam. Philologi alii in aliorum profanorum Scriptorum libris accuratè distinguendis desudârunt. At qui in S. Scripturæ distinctiones rectas attenti essent Theologi pauci hactenus reperti: cùm tamen constet & κεφάλαια Græca & Capitum distinctiones Latinas humanitus adinventa esse, & Versuum sectiones pio quidem at tumultuario Roberti Stephani studio excogitatas, imperitissimè plerumque Textum dissecare. Hinc lectum hactenus 2 Tim. 1. 10. *Christum & mortem abolevisse & vitam in lucem produxisse ac immortalitatem per Euangelium:* quæsitæque interpretationes quòd *Mortem aboleverit per Euangelium* tanquam testimonium de vita parta per mortem ipsius. Quæ interpretatio locum haberet si scriptum esset κατὰ τὸ εὐαγγέλιον· at, quia scriptum διὰ τὸ εὐαγγέλιον, non item. Nam *per mortem abolevit eum qui mortis imperium habet*, Heb. 2. 14. & per resurrectionem suam produxit in lucem vitam ac immortalitatem, Rom. 4. ultimo. Ergo Parenthesi includenda verba, (οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν, ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν καὶ χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων, φανερωθεῖσαν δὲ νῦν διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν) Sic enim sequentia διὰ τοῦ εὐαγγελίου optimè cohærent tum cum præcedentibus, καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ, (vocatio enim fit per Euangelium) tum cum proximis, εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κῆρυξ. Nec inusitatæ sunt hujusmodi Interjectiones & Parentheses Apostolo, ut alibi ostensum.

CAP. III.

Πληροφορία Paulina. παραθήκη v. 12. & παρακαταθήκη v. 14. *Vetus Interpres bis laudatus.*

MIrum quid animi sit iis qui conscientiis sensu iræ Dei perterrefactis dubitationum de gratia Dei laqueos injiciunt, quando legunt ista Paulina, *Non dedit nobis spiritum timoris*, v. 7. *Servavit nos secundùm propositum suum per gratiam*, v. 9. *Novi cui crediderim: & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem servare*, v. 12. *Deus bone!* exclamat hic Theophylactus, *quanta hæc fiducia! quàm indubitata spes!* NOVI *inquit*, SUMQUE CERTO PERSUASUS. Et audent tamen nonnulli exempla à nobis postulare singularium Sanctorum qui de electione & salute sua fuerint certi. Ecce tibi ipsum Paulum, qui de se διαῤῥήδην confitetur, subnixus ab una parte Dei voluntate, cum ait, οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα, *Novi enim cui crediderim*: ab altera, Dei potentiâ, cùm ait, *persuasum mihi est quòd sit potens*, &c. Ecce tibi eundem Rom. 11. 1. se è numero rejectorum Israelitarum excipientem. Quin sancti Dei filii, cùm fratrum suorum fidem & vitam inculpatam intuentur, non dubitant de certitudine ipsorum quoque salutis pronunciare. Ignatius Epist. ad Polycarpum, νῆφε, ὡς Θεοῦ ἀθλητής, οὗ τὸ θέλημα ἀφθαρσία καὶ ζωὴ αἰώνιος· περὶ ἧς καὶ σὺ πέπεισαι κατὰ πάντα, *Sobrius esto, ut athleta Dei, cujus voluntas est incorruptio & vita æterna, de qua & tu persuasus es per omnia.* Paulus ad Philippenses 1. 6. πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο, *Persuasum habens hoc ipsum, fore ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Jesu Christi.* Idem de Corinthiis, ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς ἕως τέλους ἀνεγκλήτους, *qui Deus & confirmabit vos usque ad finem inculpatos*, 1 Cor. 1. 8. Quando autem ità gloriatur Apostolus de παραθήκης sive *depositi sui conservatione*, quærimus meritò per παραθήκην quid intelligat. Theophylactus ex Græcorum Commentariis, vel *compensationem laborum*, h. e. felicitatem suam æternam, quam apud Deum deposuerit per fidem & spem, vel *fidem ac prædicationem*, quam apud se reposuerit Christus, vel *fideles ipsos* notari putat. Media sententia meritò rejicitur. Repugnat enim illi pronomen μου, *meum depositum*. Primam amplectuntur plerique Theologi: Cum qua & tertia mihi consistere posse videtur; ut *depositum* quod Paulus apud Deum deposuit custodiendum, sit salus eorum qui prædicatione ipsius ad fidem sunt conversi: de quibus 2 Tim. 2. 10. dicit, *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.* Alio sensû vox παρακαταθήκη usurpatur v. 14. & 1 Tim. 6. 20. quæ & ipsa *depositum* vertitur. Significat autem non, ut Theodorus vult, *dona quæcunque ad ædificationem Ecclesiæ* necessaria, sed sanam Euangelii doctrinam fidei Timothei à Deo per D. Paulum commissam. Donorum enim, de quibus Theodorus, propriè non est φυλακὴ καὶ κρύψις, Matth. 25. 25. sed potiùs μελέτη, ἐπιμονή, προκοπή, 1 Tim. 4. 15, 16. & τὸ ἀναζωπυρεῖν v. 6. Commissæ autem nobis doctrinæ sanæ est φυλακὴ *custodia.* Ut igitur apud Libanium in Declamatione Orestis Agamemnon profecturus in bellum, cùm suis valedixisset, ad Clytemnestram uxorem conversus, *Te verò*, inquit, *uxor, quid potissimum facere volo?* ταυτί σοι παρακατατίθεμαι τὰ παιδία, *Horum tibi liberorum parvulorum depositum trado*; q. d. Hos tibi commendatos habe: ità Apostolus brevi se ad Dominum migraturum sentiens, hortatur Timotheum ut *præclaram illam* παρακαταθήκην, h. e. depositum apud se doctrinæ sanctæ thesaurum, *omni studio tueatur.* Hanc expositionem vocabuli παρακαταθήκης firmat Paulus ipse, qui paulò ante doctrinam sanam Euangelii vocavit ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων. Et 1 Tim. 6. 20. cùm iisdem verbis Timotheum ad *conservandam* παρακαταθήκην fuisset abhortatus, mox illum jubet *aversari* τὰς βεβήλους κενοφωνίας, *profanos de rebus inanibus clamores* (vel, ut Chrysostomus, καινοφωνίας, *novas formas, & inusitata verba, & inauditos modos loquendi in Ecclesia*) & *oppositiones falsæ nominatæ scientiæ*, ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν, *quam nonnulli pollicentes* (nam τὸ *præ se ferentes* nimium à Græco abest) *circa fidem aberrarunt:* sive illi Gnostici fuerunt, ut placet Theophylacto, sive alii. ¶ Porrò, v. 15. illa, ὅτι ἀπεστράφησάν με πάντες, Beza interpretatur, *quòd aversati me sunt omnes.* Meliùs Vulgatus, *quod aversi à me sunt omnes. Aversamur* enim quem nec visum nec auditum volumus: sicut Tit. 1. 14. meminit hominum ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν. At hic Paulus de iis loquitur qui cùm initio ipsum audissent & Euangelium essent amplexi, postea ipsum deseruerunt, quòd eos puderet Pauli propter vincula. Quæ expositio confirmatur ex eo quòd v. seq. Onesiphorus hoc nomine laudatur *quod catenam Apostoli non erubuerit.* ¶ Illud quoque v. 18. βέλτιον σὺ γινώσκεις, Vulgatus probè, *Tu meliùs nosti. Es ist dir besser bewust*: subintellige *quàm hoc quod modò dixi*; quod scilicet te absente factum est.

CAP. IV.

Ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, v. 13. *Epistola vulgò Jacobo adscripta an ὑποτύπωσιν illam habeat.* Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum, v. 18.

PAræenetica est hæc Epistola: Ideo breves salutarium præceptionum aphorismi proponuntur, inter quos & iste, Ὑποτύπω-

σιν

σιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας. Assentior autem doctiss. Camerario, per ὑποτύπωσιν *brevem ac rudem designationem sive summulam quandam aut συγγραφίαν, quam in conspectu habeat*, intelligi: quo modo dicuntur ὑποτυπώσεις doctrinæ Astronomicæ Procli. ὑγιαίνοντες λόγοι sunt qui, Apostolo interprete, *fidem & charitatem* hominibus commendant. Hi sunt *sermones Domini nostri Jesu Christi*, h. e. *ea quæ secundùm pietatem est doctrina*, 1 Tim. 6. 3. quam mox vocat καλὴν παρακαταθήκην, *præclarum depositum*, doctrinam sc. illam *fidei & charitatis*, à qua qui deflectunt, ii acri animi morbo, contentionum videlicet, rixarum & ambitiosarum disputationum studio, vexantur, ibid. v. 4. Chrysostomus translationem dicit esse à Pictoribus, ac si diceret, ἐνετυπωσάμην σοι εἰκόνα τῆς ἀρετῆς, καὶ τῷ Θεῷ δοκούντων ἁπάντων, ὥσπερ τινὰ κανόνα καὶ ἀρχέτυπον ὑγιαινῶν λόγων εἰς τὴν σὴν ψυχὴν ἐγκατέλαψα. Hunc secutus Theophylactus paraphrasticè verba Apostoli in hunc modum reddit, ex interpretatione Loniceri, *Pictoris instar depinxi atque expressi tibi iconem & archetypum, ad quem respiciens & ipse lineas ducere pingereque possis. Hoc exemplar, eam formam, h. e. archetypum meorum sermonum, habe: ac si quid pingendum fuerit, ab hac imagine sume, ac pinge. Omnia enim illa reposita sunt in ea.* Idem Theophylactus *sermones sanos* non alios intelligit quàm qui tradunt fidem & charitatem: ideo & παρακαταθήκην exponit de fide vitaque reposita apud Timotheum, traditaque ipsi præcepta. Ad summam, monet Apostolus Timotheum ut & res ipsas sicut in verbo Dei traditæ sunt conservet, & *sanorum verborum formam* sicuti in Scriptura præformata est retineat sequaturque. Ut rem exemplis illustrem; Ab utraque hypotyposi deflexerunt Scholastici docentes, *Sacramenta N. Test. utentibus conferre gratiam ex opere operato, etiamsi in suscipiente non adsit interior motus, modo non ponat obicem.* Hypotyposis enim sanorum sermonum & verborum de Sacramentorum usu est ista, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Item, *Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Jesu*, &c. Et, *Qui indignè manducat, judicium sibi manducat.* Ità multi Patrum plus justo indulgentes Rhetoricis suis declamationibus de Jejunio, de Cœlibatu, de Martyrum apud Deum precibus, ab *hypotyposi sanorum sermonum* paulatim discesserunt, & jactis errorum veluti seminibus quibusdam occasionem aliis sanam doctrinam corrumpendi præbuerunt. Est igitur Apostolica ὑποτύπωσις *sanorum sermonum* tum vera docendi regula, tum judicandi de Scriptis sacris certissima norma. ¶ Secundùm quam multi veterum, nec pauci recentiorum Theologorum statuerunt Epistolam quæ Jacobi nomine circumfertur non esse Canonicam, eò quòd non *servet illam hypotyposin sanorum sermonum*, quippe in qua hæc astruuntur axiomata; I. *Ex operibus homo justificatur, non solâ fide.* II. *Fides cooperatur operibus: sed ex operibus fides consummatur.* III. *Sicut corpus absque spiritu mortuum est: ità fides absque operibus mortua est.* Atqui *forma sanorum verborum* non tribuit justificationem Operibus, sed Fidei, & quidem Fidei soli absque operibus. *Forma sanorum verborum* non tribuit Operibus ἐνέργειαν, Fidei συνέργειαν, sed contrà constituit Fidem ipsam ἐνεργουμένην δι' ἀγάπης. Nec facit Opera principalem causam, Fidem adjuvantem aut subservientem atque ministrantem sive minùs principalem: sed contra Fidem constituit causam efficientem; Opera, effectum sive fructus Fidei. *Forma sanorum verborum* non tribuit Operibus vitam seu vigorem Fidei impertiendum, in hoc ut Fides habeat vim justificandi qualem anima impertit corpori: sed contrà tribuit Fidei vitam & vigorem ad producendum bona opera tanquam bonæ arbori ad proferendos bonos fructus. *Forma sanorum sermonum* non tribuit Fidei τὸ τελειωθῆναι ἐξ ἔργων, i. e *habere suam perfectionem ex Operibus:* sed contra tribuit fidelibus τό, τε ἐνάρξασθαι καὶ τὸ ἐπιτελεῖσθαι ἐξ ἀκοῆς πίστεως, h. e. *tum cœpisse tum perfici ex fide per auditum percepta*, Gal. 3. 2, 3. Nec mirum; cùm Fides Christum apprehendat, in quo sumus πεπληρωμένοι καὶ τέλειοι, Col. 2. 10. & 1. 28. *Hæc erat* (inquit Beza ad Gal. 3. 3.) *pseudapostolorum doctrina, qui cùm dicerent Christum nihil prodesse nisi accederet circumcisio, Legem sanè Christo non modò conferebant sed etiam præferebant, cùm Christo tantùm initia, Legi perfectionem justitiæ tribuerent; ut qui salutem quærerent non in justitia imputata, sed in inhærente, ut hodie quoque nostri Sophistæ*, &c. Dices, *Fidem Jacobo per concessionem* Fidem *dici, quæ Fides non est.* At quomodo συνέργεια tribui potest ei quod non est, aut nihil est, aut mortuum est? Cadaver certè nihil agit, nihil etiam ad agendum conferre potest. Dices rursum, *Justificari* interdum est *justum declarari.* Fac esse interdum: sed non in hoc quasi foro justificationis hominis peccatoris coram Deo. *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*

¶ Ultimo versu apprecatur Apostolus Onesiphoro, ut *det ei Dominus gratiam apud Dominum in die illo*, sive, ut ipse loquitur, δώη αὐτῷ ὁ Κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ Κυρίου ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ· quæ sententia in libris Latinis diversis diverso modo exposita legitur. Beza, *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum.* Vulgatus, *Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino.* Camerarius, *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam à Domino.* Castalio, *Faxit Dominus ut misericordiam consequatur à Domino.* *Est enim*, inquit Camerarius, παρὰ Κυρίου, *non* παρὰ Κυρίῳ. Κυρίου *autem nomine indicari Deum æternum, alibi monuimus. Atque beneficium hoc contingere Onesiphoro optat Apostolus, ut deprecatione Jesu Christi Filii Dei & benignitate hujus, ab æterno Deo misericordiam ille inveniat.* Sic Camerarius. Sed rectiùs fortassis verba illa *Det ei Dominus* de Patre, ista verò παρὰ Κυρίου de Filio intellexerimus, hoc sensu, *Faxit Deus optimus maximus ut bonus iste vir misericordiam aliquando consequatur apud Dominum nostrum Jesum Christum, quando judicaturus est vivos & mortuos.* Hanc enim sententiam ex se parit generalis membri hujus contextus, & confirmat eam extra ordinem ultima clausula *in die illo.* Nam hic *dies* de nulla alia re quàm de adventu Christi ad judicium intelligi potest. Similem loquendi formulam vide & confer Dan. 9. 17.

CAMERON.

8. ΜΗ' ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ Κυρίου ἡμῶν] Euangelium hoc loco, inquit Stapletonus, dicitur *Testimonium μαρτύριον*, & quidem ideo quia Ecclesia, cujus ministerio & operâ Euangelium prædicatur, testatur ea esse vera quæ in Euangelio continentur. Unde vult concludere, fidem nostram quâ credimus Euangelio, niti autoritate Ecclesiæ tanquam testis, ut non aliunde credamus ea esse vera quàm quia Ecclesia testimonium illis perhibet. At verò *Testimonium* illud de quo hic Apostolus, Christi est testimonium, non est Ecclesiæ testimonium; hoc est, non est de Christo sed à Christo profectum: non dicitur hoc *testimonium Christi*, tanquam de Christo, quamvis de Christo est, sed tanquam à Christo profectum; ut sit (nam detur, quæso, verbis venia) testimonium illud, si Ecclesiæ ratio habeatur, materiale, si Christi, formale; h. e. quòd testimonium est illud debet Christo, res verò testata etiam ab Ecclesia traditur: ut in foro recitantur testimonia etiam eorum qui testes non sunt, sed quæ tamen à testibus profecta sunt. Certè (quandoquidem cogimur grammaticari) genitivus casus non magis Effecti subjectum quàm Efficientem causam notat. Atque ità se rem habere hoc loco, indè satis liquet, quòd idem Apostolus ad eundem scribens Timotheum, prioris Epist. cap. 6. 12. *Apprehende*, inquit, *vitam æternam, ad quam vocatus es:* deinde paulò pòst, *Denuntio tibi coram Deo qui omnia vivificat, & Domino Jesu, qui testatus est coram Judice Pontio Pilato præclaram confessionem*, nempe Se esse Filium Dei, quibus verbis summa continetur Euangelii.

LUD. CAPPELLUS.

12. ΤΗ'ν παραθήκην μου φυλάξαι] Quidam cod. habent παρακαταθήκην· sed perinde est: utrumque enim dicitur & est in usu. Hæc παρακαταθήκη alia est ab ea de qua mox v. 14. τὴν καλὴν παρακαταθήκην φύλαξον. Nam isthic παρακαταθήκη est sana doctrina quæ Timotheo à Paulo tanquam sacrum depositum asservandum tradita fuerat: at hic παραθήκη est anima quam corpore hoc emigrantem Deo committimus tanquam depositum ab eo asservandam, aliquando magno cum fœnore in beata Resurrectione recipiendam. Est autem allusio (uti videtur) ad illud Davidis Psal. 31. 6. *In manus tuas, Domine*, אפקיד רוחי *commendo spiritum meum*: quæ verba à Christo in cruce animam agente usurpata sunt, Luc. 23. 46. Εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. Ubi nota παραθήσομαι, unde illud Apostoli παραθήκη. Et sanè παραθήκη est Hebræum פקדון *depositum*, fidei alicujus commendatum. Juxta hanc mentem Judæi in Euchologiis suis agnoscunt animas suas Deo esse פקודות *traditas quasi depositum quoddam.* Seder Tephilloth Lusitanorum pag. 203. *Narrabimus laudem tuam pro vita nostra quæ in manus tuas traditur*, ועל נשמותינו הפקודות לך *& pro animabus nostris quæ tibi tanquam depositum traduntur.* De hoc *deposito* multa philosophantur Judæi in Rabboth, in Deut. ad Legis Parascham והיה עקב, in illa verba Deut. 7. 12. עקב תשמעון: quibus Deus pollicetur remunerationem ob servatam Legem: nam alii illud עקב accipiunt significatione שכר *mercedis*, quasi Deus mercedem

isthic

iſthic polliceatur; alii עקב accipiunt ſignificatione *finis*, quaſi Moſes hoc velit, aſſervari illis à Deo in fine (ſeculorum ſcilicet) remunerationem ob Legem ſervatam: atque hinc eſſe quòd paulò antè, nempe v. 9. Moſes dixerat, *Scito quod Deus tuus ſit Deus fidelis & verax*: nempe qui meminit & ſervat promiſſa. Atque hic multa habent de Fidelitate Dei, quam variis exemplis fidelitatis hominum illuſtrant. Dixit R. Chaija F. Aba, *Simile eſt amico Regis qui apud eum depoſuit* פקדון *depoſitum: paulò pòſt mortuus eſt amicus ille Regis: venit deinde filius ejus, qui à Rege repetiit depoſitum illud patris.* Tum afferunt exempla duo fidelitatis eximiæ inter homines, *ex quibus*, inquiunt, *diſcas quanta ſit Dei fidelitas in depoſito ſervando.* Unum horum exemplorum eſt R. Pinchas F. Jair, apud quem cùm quidam depoſuiſſent duo Sata hordei, ille ſingulis annis ea ſerebat, & proventum eorum colligebat atque aſſervabat: Poſt ſeptem annos redierunt illi ut repeterent ſuum depoſitum, quibus ille non modò duo Sata, ſed & totum eorum proventum reddidit. Alterum eſt R. Simeoni F. Setach, qui cùm ab Iſmaëlita quodam conduxiſſet aſinum, & Diſcipuli ipſius mox inveniſſent lapidem pretioſum de collo illius aſini dependentem, eique gratularentur his verbis, *Benedictio Domini ditat hominem*, ille juſſit reddi Iſmaëlitæ, his verbis eos corripiens, *Ego*, inquit, *aſinum conduxi, lapidem pretioſum non accepi. Ex his & ejuſmodi aliis exemplis fidelitatis humanæ diſcas*, inquiunt, *fidelitatem Dei, qui fidelis eſt ut reddat Iſraëlitis* שכר מצות *mercedem Præceptorum, quæ ipſi faciunt.* Porrò quòd datur illis merces, eſt juxta illud, והיה עקב תשמעון, q. d. *erit merces obſequii veſtri*, בעקב אני פרע לכם *Ego* (inquit Dominus) *rependam* illam *vobis in fine.* Atque hic referunt ſententiam Rab. Samuelis F. Nachman, *Quidquid Iſraëlitæ comedunt in hoc ſeculo, illud eſt vi benedictionis quâ illis benedixit impius Balaam. At benedictiones quibus benedixerunt illis Patres, aſſervantur ipſis* לעתיד לבוא *in futurum.* Tum illuſtrant illud ſimili Pupilli qui educabatur apud patrem quendam familiâs, qui eum de ſuo alebat & veſtiebat, eumque docuit artem. Pupillus autem apud ſe animo ſic cogitabat, *Quæ ego edo, bibo, & quibus ego induor, ſunt de mercede mea.* Sed dixit illi paterfamilias apud quem educabatur, *Quæ tu edis & quibus tu indueris, ſunt* בכבוד יעבר *ob laguneulam aquæ quam tu implevisti mihi, & ob ligniculum quod à te fiſſum eſt mihi: at merces tua* צרור כתוה לך *obligata eſt velut in faſciculo, & penès me repoſita aſſervatur tibi. Sic*, inquiunt illi, *quæcunque Iſraëlitæ comedunt in hoc ſeculo*, (i. e. benedictiones quibus à Deo in hac vita ornantur) *ſunt* בכח היסורים *propter caſtigationes quæ veniunt ſuper eos; at merces eorum* צרור ומשמר לעתיד לבוא *repoſita eſt & aſſervatur illis in futurum.* Hoc volunt, Deus ſuos in hac vita benedictionibus quibuſdam temporalibus veluti conſolatur de afflictionibus variis quibus hîc jactantur. Non ſunt hæ benedictiones merces quæ promittitur ipſis ob ſervatam Legem; quin merces illa repoſita eſt ipſis & aſſervatur apud Deum, olim aliquando in ipſis revelanda. Porrò Animam, quam Apoſtolus hic vocat *depoſitum noſtrum*, reſpectu Dei, cui eam in morte committimus, Joſephus De bello Jud. l. 3. c. 14. vocat *depoſitum Dei*, quatenus Deus nobis eam veluti tradit in hoc corpore aſſervandam, ità ut nefas ſit eam ultro per αὐτοχειρίαν è corpore per vim ejicere, depoſitumque illud veluti abjicere. Sic enim ille eò loci diſputat adversùs ſocios qui nolebant ſe Romanis dedere, malebantque propriis gladiis mutuiſque vulneribus ſeſe conficere, Εἶτα ἂν μὲν ἀφανίσῃ τις ἀνθρώπε παρακαταθήκην, ἢ διάθηται κακῶς, πονηρὸς εἶναι δοκεῖ καὶ ἄπιστος· εἰ δέ τις τὸ σώματος ἐκβάλλει τὴν παρακαταθήκην, τὸ Θεῦ λεληθέναι δοκεῖ τὸν ἀδικούμενον.

18. Δῴη αὐτῷ ὁ Κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ Κυρίε] Pater & Filius hîc eadem voce appellantur, Κύριος, ſed ità ut prior Κύριος ſit אדני, & Filium notet, poſterior Κύριος ſit יהוה, (quod LXX. ſemper reddunt Κύριον) & Patrem deſignet: ut ſenſus ſit, *Dominus Jeſus impetret illi gratiam & miſericordiam apud Patrem*, apud quem ipſe eſt Mediator noſter. Similis iſti eſt illa Danielis precatio, c. 9. p. 17. *Audi, ô Deus noſter, orationem ſervi tui*, &c. למען אדני *propter Dominum*, Meſſiam ſcilicet, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui apud Deum Patrem pro nobis intercedit, & cujus gratiâ orationes noſtræ ſunt Deo gratæ & acceptæ. Jam cùm fatentibus ipſis Judæis אדון quidem de hominibus, אדני verò de ſolo Deo uſurpetur, Meſſiæ Divinitas hinc firmiter adversùs ipſos probatur. Item Geneſ. 19. 24. dicitur והמטיר *pluiſſe ignem & ſulfur ſuper Sodomam & Gomorrham* מאת יהוה, h. e. Κύριος παρὰ Κυρίε, quomodo reddiderunt LXX. Interp. In hac ſubverſione Sodomæ *Chriſtus Dominus pluit à Patre Domino ignem & ſulfur.* Cùm enim quà Mediator omne Judicium à Patre acceperit, & Sodomæ ſubverſio typus quidam fuerit ultimæ hujus Univerſi conflagrationis, & Judicii ultimi à Chriſto in orbem terrarum exercendi, omnino planum eſt Κύριον παρὰ Κυρίε iſthic ſignificare *Chriſtum Dominum à Patre Domino*, à quo omne judicium, omnem poteſtatem accepit.

GROTIUS.

SCripta eſt hæc Epiſtola, ut Veteres credidere, Romæ, cùm jam iterum veniſſet ab itinere Paulus, & magis in dies ſæviente Nerone, mortem ſemper ob oculos haberet. Eſt ſcripta poſt Epiſtolam ad Titum: multaque ex Epiſtola ad Titum, & priore ad Timotheum huc ſunt tranſcripta.

1. Παῦλος ἀπόστολος Ἰησῦ Χριστῦ, *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti*] Sic & in utraque ad Corinthios, & in illa ad Epheſios, & in illa ad Coloſſenſes. ¶ κατ' ἐπαγγελίαν ζωῆς τῆς ἐν Ἰησῦ Χριστῷ. *ſecundùm promiſſionem vitæ quæ eſt in Jeſu Chriſto*] Κατὰ [*ſecundum*] hic id quò Apoſtolus tendit ſignificat, quomodo eadem particula poſita eſt 1 Tim. 6. 3. & Tit. 1. 1. Ideo Deus me voluit eſſe Apoſtolum, ut annuntiarem omnibus promiſſum vitæ æternæ, quæ per Chriſtum nobis contingit. Vide 1 Tim. 4. 6. Eſt tacita ἀνθυποφορά [*Subjectio.*] Cur terreamur adverſis cùm tanta habeamus promiſſa?

2. Τιμοθέῳ ἀγαπητῷ τέκνῳ, *Timotheo chariſſimo filio*] Sic Timotheum appellat & 1 Cor. 4. 17. ¶ χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ Θεῦ πατρὸς καὶ Χριστῦ Ἰησῦ, τῦ Κυρίε ἡμῶν. *gratia, miſericordia, pax à Deo Patre & Chriſto Jeſu Domino noſtro*] Sic & 1 Timoth. 1. 2.

3. Χάριν ἔχω τῷ Θεῷ, *Gratias ago Deo*] Nempe pro donis in te collatis. Vide Philem. 4. ¶ ᾧ λατρεύω ἀπὸ προγόνων, *cui ſervio à progenitoribus*] Eidem enim Deo ſerviebat, cui ſervierant Majores ejus à Benjamine uſque. Non enim alius eſt Deus Judæorum, alius Deus Novi Teſtamenti. Actor. 22. 14. 26. 7. Vox προγόνων eſt apud Platonem & Sirach. 8. 5. & 2 Mac. cab. 8. 19. 11. 25. Cicero vertit *generatores* Timæo: Paulus Juriſconſultus *Majores.* ¶ ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, *in conſcientia pura*] Videtur hoc referri ad tempus Pauli utrumque, in Judaiſmo & in Chriſtianiſmo. Nam & cùm Judaïcè viveret, Deum eundem colebat pro modo cognitionis. ¶ ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σῦ μνείαν ἐν ταῖς δεήσεσί μυ νυκτὸς καὶ ἡμέρας. *quòd ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die*] Vertas rectè, *Sicut & perpetuam tui memoriam in precibus meis habeo, diu noctuque.* nam quod hîc eſt ὡς ἔχω μνείαν [*quòd habeam memoriam*,] idipſum eſt μνείαν ποιύμενος [*memoriam faciens*] dicto ad Philemonem loco.

4. Ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν, *deſiderans te videre*] Sic & Rom. 1. 11. ¶ μεμνημένος συ τῶν δακρύων, *memor lacrymarum tuarum*] Hoc per παρένθεσιν [*Interpoſitionem*] interjectum eſt. Nam ſequentia cum præcedentibus cohærent. Lacrymas intelligit, in diſceſſu Pauli. Simile Actor. 21. 13. ¶ ἵνα χαρᾶς πληρωθῶ, *ut gaudio implear*] Nempe ex tui conſpectu. Sic & Roman. 1. 12. & 15. 32.

5. Ὑπόμνησιν λαμβάνων, *Recordationem accipiens*] Manuſcriptus habet λάβω [*accipiam.*] *Sumens commemorationem*, nempe in animo, id eſt, mihimetipſi commemorans tuam fidem. Sic vocem ὑπομνήσεως [*recordationis*] habemus 2 Petr. 1. 13. 3. 1. Sap. 16. 11. 2 Maccab. 6. 16. ¶ τῆς ἐν σοὶ ἀνυποκρίτυ πίστεως, *ejus fidei quæ in te eſt non ficta*] *Fides ſincera, quam in te vidi atque cognovi.* Eundem titulum Fidei dedit 1 Tim. 1. 5. Datur & Dilectioni, Rom. 12. 9. 2 Corinth. 6. 6. 1 Petr. 1. 22. Sapientiæ, Jac. 3. 17. Judicio, Sap. 18. 16. ¶ ἥτις ἐνῴκησε πρῶτον ἐν τῇ μάμμῃ συ Λωΐδι, καὶ τῇ μητρί συ Εὐνείκῃ· *quæ & habitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Eunice*] Legendum Εὐνίκῃ, quod nomen eſt & apud Theocritum. ἥτις [*quæ*] hic genus fidei ſignificat, id eſt, fidem Chriſtianam: fœminæ ergo iſtæ ex primis Chriſtianis fuere. Nomen Hebræum Λωΐδος [*Loidis*] videtur fuiſſe לאה־דוד: Εὐνίκης [*Eunicis*] vero זכיה. Per illud ἐνῴκησε [*inhabitavit*] intelligit fidem Chriſtianam in illis fœminis ad finem uſque manſiſſe. ¶ πέπεισμαι δὲ ὅτι καὶ ἐν σοί. *certus ſum autem quod & in te*] Supple ἐνοικήσει [*inhabitabit.*] *Confido etiam in te manſuram eam fidem ad finem uſque.* Πέπεισμαι [*Certus ſum*] pari ſenſu eſt Rom. 8. 38. 15. 14.

6. Δι' ἣν αἰτίαν, *Propter quam cauſam*] לכן, *quapropter?* nempe ut hoc fiat, quod opto ac ſpero. Videtur timuiſſe aliquid pro Timotheo, quem ante γνήσιον [*germanum*] vocârat, hic verò ἀγαπητὸν [*dilectum.*] Conſidera ſequentia. ¶ ἀναμιμνήσκω σε, *admoneo te*] מזכיר Geneſ. 41. 9. ¶ ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τῦ Θεοῦ, *ut reſuſcites gratiam Dei*] In Manuſcripto τὸ χάρισμα τοῦ Χριστοῦ [*gratiam Chriſti.*] Theſſalonicenſibus dicit 5. 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε [*ſpiritum nolite exſtinguere,*] hîc verò ἀναζωπυρεῖν [*reſuſcitare.*] Ἀναζωπυρεῖ [*Reſuſcitat*] qui ſopitos ſuſcitat ignes. Eſt [illegible] verbum Geneſ. 45. 27. & ζωπυρεῖν

ῥεῖν [*ſuſcitare*] 2 Reg. 8. 15. pro החיה [*vivificare.*] Suſcitatur autem ſpiritus ille precibus, diligenti meditatione, & jugi piâ operatione. ¶ *ὅ ἐςιν ἐν σοὶ, quæ eſt in te*] Nondum abiit. Vide retineas. ¶ *διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου· per impoſitionem manuum mearum*] Me ſolemniter Deum invocante, approbante presbyterio. Vide quæ dicta ad 1 Timoth. 4. 13.

7. *Οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς πνεῦμα δειλίας, Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris*] *Non dedit nobis ſpiritum timentem*, qui nobis permittat timere mortem & adverſa. Hæc ideo dicit quòd aliquantum metuebat, ne Timotheus conſpectis illis perpetuis malis quæ Paulum & Chriſtianos premebant, ob id labaſceret. *Δειλία* non eſt *timor*, ſed *timiditas*. Atque ita vertitur in Gloſſario. ¶ *ἀλλὰ δυνάμεως, ſed virtutis*] Satis validum ut illis tentationibus reſiſtamus, modò ne ſimus ῥιψάσπιδες [*deſertores abjecto clypeo.*] Vide 1 Corinth. 12. 9. Mich. 3. 8. ¶ *καὶ ἀγάπης, & dilectionis*] Plenum dilectionis Dei & proximi, unde illa fortitudo naſcitur 1 Johan. 4. 18. ¶ *καὶ σωφρονισμοῦ. & ſobrietatis*] *Animi tranquilli*, ut hîc rectè vertit Syrus: non quod non latiùs pateat vox, ſed quòd is ſenſus huic loco optimè conveniat. Sic *σωφρόνως* [*ſobrie*] ſumitur Sap. 9. 11. Spiritûs illius inter alia & hæc vis eſt, quòd nos in malis tranquillat, modò rectè colatur.

8 *Μὴ οὖν ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ Κυρίου ἡμῶν, Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri*] Ἐπαισχύνεσθαι [*erubeſcere*] regit accuſativum, ut videre eſt Marci 8. 38. Luc. 9. 26. Rom. 1. 16. ſic infra 16. Conſtruitur & cum ἐπὶ & tertio caſu, ut Rom. 6. 21. Latinè diceremus, *Ne te pudeat Evangelii*: id enim eſt quod hîc vocat *teſtimonium Chriſti*, ſive de Chriſto, ut 1 Cor. 1. 6. quod & *μαρτύριον τοῦ Θεοῦ* [*teſtimonium Dei*] 1 Cor. 2. 1. ¶ *μηδὲ ἐμὲ, neque me*] *Neque te mei pudeat*, ne pudeat te dici diſcipulum Pauli, ideo quòd tanta patior. Tangit ipſum ulcus. ¶ *τὸν δέσμιον αὐτοῦ· vinctum ejus*] Qui nunc iterum vinctus trahor ipſius cauſâ: nam genitivus hîc cauſam ob quam ſignificat. Sic & Epheſ. 3. 1. & Philem. 1, & 9. pro quo alibi dicit *δέσμιος ἐν Κυρίῳ* [*vinctus in Domino*] Epheſ. 4. 1. *propter Chriſtum*, id eſt, doctrinam ipſius. ¶ *ἀλλὰ συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ, ſed collabora Evangelio*] Κακοπαθεῖν עמל Jonæ 4. 11. eſt *moleſtiâ affici*, unde *κακοπαθοῦντα μόρια* [*partes affecta & ægra*] Medicis. In Gloſſario, *κακοπαθῶ vexor.* Sed plerumque voces tales per ſe paſſionem ſignificantes apud noſtros Scriptores ſimul ſignificant animum ad hoc paratum. Sic *κακοπαθεῖν* [*laborare*] habemus infra 2. 3, 9. 4. 5. Jac. 5. 13. *Συγκακοπαθεῖν* [*collaborare*] eâdem forma quâ *συγκακουχεῖσθαι* [*ſimul affligi*] Hebr. 11. 25. More autem ſuo Paulus *προσωποποιεῖ* [*fingit quaſi perſonam*] Evangelium, eique ſenſum tribuit, quomodo alibi Legi, Morti, Peccato. ¶ *κατὰ δύναμιν τοῦ Θεοῦ. ſecundum virtutem Dei*] Id eſt, *per vim Dei*, ut hîc Syrus, *per vires à Deo datas.* Multis modis Paulus uſurpat illud *κατὰ* [*ſecundum.*] Hîc eo modo quo Græci dicunt aliquid fieri *κατὰ Θεὸν* [*divinitus,*] aut *κατὰ τύχην* [*fortuitò.*]

9. *Τοῦ σώσαντος ἡμᾶς, Qui nos liberavit*] *Qui nos à vitiis liberavit.* Sic *σώζεσθαι* [*ſalvare*] ſumitur & Epheſ. 2. 8. ¶ *καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ. & vocavit vocatione ſancta*] Illud *καὶ* [&] hîc eſt, ut alibi ſæpe, *ἐξηγητικὸν* [*explicativum præcedentis.*] Explicat enim Paulus quomodo *liberati ſimus à vitiis*, nempe quia *Deus nos vocavit ſermone illo ſuo ſancto*, qui hîc ex effectu dicitur *κλῆσις* קרא [*vocatio.*] ¶ *οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν, non ſecundum opera noſtra*] Non noſtra opera eum moverant, ut nos ſic vocaret; erant enim maximæ partis mala plura quàm bona opera. Vide Epheſ. 2. 9. Polycarpus in Epiſtola, *ὅτι χάριτι ἐςὲ σεσωσμένοι, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριςοῦ* [*quia gratiâ ſalvati eſtis non ex operibus, ſed voluntate Dei per Jeſum Chriſtum.*] ¶ *ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν, ſed ſecundum propoſitum ſuum*] *Ex ſuo propoſito.* Vide Epheſ. 3. 11. ¶ *καὶ χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων. & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia*] Explicat quod ſit illud *propoſitum.* Primum ait *factum eſſe ante plurima tempora*; ante Abrahamum de quo Judæi gloriabantur. Vide quæ diximus ad Johan. 8. 58. Idem loquendi genus habes Tit. 1. 2. Veteris Teſtamenti interpretibus *αἰώνιον* dicitur, & de *eo quod diu duraturum eſt*, & de *eo cujus origo longè petenda*, ut Pſalm. 76. 4. Prov. 22. 28. Jerem. 58. 12. 61. 4. Ezech. 35. 9. 36. 2. Mich. 2. 9. Abac. 3. 5. & alibi. Deinde dicit eſſe *beneficium datum in Chriſto* per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem.*] Vult enim dicere illud propoſitum eſſe de Dei beneficio dando nobis per Chriſtum Jeſum. Par loquendi genus habuimus Epheſ. 1. 4.

10. *Φανερωθεῖσαν δὲ νῦν, Manifeſtata eſt autem nunc*] Propoſitum illud diu in Deo latuit: nunc verò patefactum eſt. Sic & Rom. 16. 26. & Tit. 1. 3. *Φανεροῦν* eſt גלה [*revelare.*] ¶ *διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ, per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*] *Poſtquam Chriſtus mundo apparuit.* Quo tempore & *Dei Gratia & Charitas in homines apparuiſſe* dicuntur. Tit. 2. 11. 3. 4. Alibi *ἐπιφάνεια* ſumitur de *judiciali adventu.* Sed vox eſt generalis, ut alibi diximus. ¶ *καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, qui deſtruxit quidem mortem*] Mors hîc *προσωποποιεῖται* [*quaſi perſona fingitur*] Mors dominium habebat in homines à Deo abalienatos, Rom. 6. 23. 1 Cor. 15. 26. Id dominium, id jus ei Chriſtus ademit, vim quoque ipſam ei ademturus ſuo tempore, ut eodem ad Corinthios loco docemur. Sic Chriſtus Hebr. 2. 14. dicitur *καταργῆσαι τὸν κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου* [*deſtruere eum qui habebat mortis imperium,*] id eſt, *jus ei ademiſſe* בטל. Sic Lex dicitur *καταργεῖσθαι* [*aboleri*] Epheſ. 2. 15. cum ei adimitur jus nos obligandi. ¶ *Φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ Εὐαγγελίου. illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium*] Eſt hîc *ἓν διὰ δυοῖν* [*unum pro duo.*] nam *ζωὴν* [*vitam*] & *ἀφθαρσίαν* [*incorruptionem*] dixit pro *ζωὴν ἄφθαρτον* [*vitam incorruptibilem.*] de qua vita ſpes quidem fuerat aliqua ex conjecturis, ſed non diſertum & ſine umbris promiſſum. Itaque rectè dicitur Chriſtus *vitam illam corrumpi neſciam tanquam ex tenebris in lucem eruiſſe.* Quicquid enim Philoſophi, quicquid Rabbini ea de re dicunt, tenebræ ſunt, ſi ad lucem Evangelii comparantur.

11. *Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κῆρυξ, καὶ ἀπόςολος, καὶ διδάσκαλος ἐθνῶν. In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & Magiſter Gentium*] Illud ὃ [*quo*] totum illud quod præceſſit, reſpicit. Par locus 1 Tim. 2. 7. In manuſcripto hîc ab eſt *ἐθνῶν* [*Gentium.*]

12. *Δι' ἣν αἰτίαν καὶ ταῦτα πάσχω· Ob quam cauſam etiam hæc patior*] Hæc vincula, hæc odia Judæorum, iram idololatrarum, & mortis pericula. ¶ *ἀλλ' οὐκ ἐπαισχύνομαι. ſed non confundor*] Monito quod præceſſit ſupra 8. addit ſuum exemplum. Confer Marc. 8. 38. Luc. 9. 26. Rom. 1. 16. ¶ *οἶδα γὰρ ᾧ πεπίςευκα, ſcio enim cui credidi*] Deo veraci in promiſſis: *ᾧ πεπίςευκα* [*cui credidi*] אשר בטחי בו [*in quo fiducia mea ſit.*] ¶ *καὶ πέπεισμαι, & certus ſum*] Πέπεισμαι hîc eſt *pro certo habeo*, ut Rom 8. 38. ¶ *ὅτι δυνατός ἐςι, qui potens eſt*] Ut promiſſori confidamus duo requiruntur, ut & is bonæ fidei ſit, & ut poſſit quod vult implere. De priori jam egit, nunc addit alterum. ¶ *τὴν παρακαταθήκην μου, depoſitum meum*] Et hîc & infra 14. *παραθήκην* habet Manuſcriptus, ut 1 Tim. 6. 20. Habemus in hoc & 14. commate mentionem depoſiti duplicis. Deus apud nos deponit verbum ſuum, nos apud Deum deponimus ſpiritum noſtrum Luc. 23. 40. Act. 7. 59. ¶ *Φυλάξαι εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν. ſervare in illum diem*] *Servare incorruptum ad diem uſque judicii univerſalis.* Quæ *dies* per excellentiam dicitur, *illa dies*, ut 2 Theſſ. 1. 10. infra 4. 8. alibi *dies Domini.*

13. *Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, Exemplar habe ſanorum verborum*] *Ὑποτύπωσις exemplar*, ut 1 Tim. 1. 16. ſed hîc intellige exemplar in animo fixum, quod *ἰδέαν* [*ideam*] Platonici vocant. Λόγους ὑγιαίνοντας [*ſana verba*] hîc, & 1 Tim. 6. 3. *διδασκαλίαν ὑγιαίνουσαν* [*doctrinam ſanam*] 1 Tim. 1. 10. hîc infra 4. 3. Tit. 1. 9. Vocat eam doctrinam quæ nihil inſalubre habet admixtum, qualia multa erant in doctrina Rabbinorum & Philoſophorum. ¶ *ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, quæ à me audiſti*] *Quomodo me dicentem ſæpe audiſti.* ¶ *ἐν πίςει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ. in fide & in dilectione in Chriſto Jeſu*] Oſtendit in quibus rebus occupetur illa doctrina, nempe in fide primùm, deinde in *dilectione* non qualicumque, ſed *propter Chriſtum.* Hæc eſt egregia illa *συζυγία* [*biga*] unde ſalus noſtra pendet. Vide Gal. 5. 6. Epheſ. 6. 23. 1 Tim. 1. 14. Hæc biga figurata in vetere Urim & Thumim.

14. *Τὴν καλὴν παρακαταθήκην Φύλαξον, Bonum depoſitum cuſtodi*] Παραθήκην Manuſcriptus, ut ſupra. Sic vocat doctrinam illam Evangelicam, ut 1 Tim. 6. 20. ubi dicta vide. Pro *depoſiti* voce Ambroſius in hoc loco citando uſurpat vocem *commendati.* Idem ea ſignificat. Vide locum Modeſtini in Collatione legum Moſaicarum & Romanarum, titulo de Depoſito. ¶ *διὰ πνεύματος ἁγίου, per Spiritum Sanctum*] Quaſi dicat, Ne diffide. Magnum habes opitulatorem, ſupra 7. ¶ *τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν. qui habitat in nobis*] Quaſi dicat, Qui non deſertus, nec nos deſeret. Rom. 8. 11.

15. *Οἶδας τοῦτο, Scis hoc*] Quo magis Timotheus ſibi attendat, oſtendit ei & bona & mala exempla: illa, ut ſibi caveat; hæc, ut aliis non cedat. ¶ *ὅτι ἀπεςράφησάν με πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, quod averſi ſunt à me omnes qui in Aſia ſunt*] Πάντες [*Omnes,*] *omnes illi doctores. οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ* [*qui ſunt in Aſia,*] qui ſunt non Epheſi, ubi tu es: ſed in locis circa Epheſum:

sum: unde ait οἶδας [*Scis:*] *non potes hoc nescire.* ἀπεστράφησάν με, *fastidierunt me.* Spretâ meâ auctoritate & docendi munere obstiterunt, ob pericula scilicet. ¶ ὧν ἐστι Φύγελλος καὶ Ἑρμογένης. *ex quibus est Phygellus & Hermogenes*] Meminit horum Tertullianus Præscriptione adversùs hæreticos, & de Resurrectione carnis. Alius ab hoc Hermogene est is contra quem librum specialem scripsit Tertullianus. Fortè hic *Hermogenes* is est quem de Phrygia scripsisse ait Apollonii Scholiastes. Fuit & Sophista eo nomine. *Phygelli* autem puto corruptum esse nomen ex Latino *Figulus*.

16. Δώη ἔλεος ὁ Κύριος τῷ Ὀνησιφόρου οἴκῳ. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui*] Videtur mihi hic *Onesiphorus* fuisse mortuus, cùm hæc Paulus scriberet. Nam hîc distinguuntur preces pro familia ipsius & pro ipso: & infra *Onesiphori familiam* salutat 4. 19. non autem Onesiphorum. Adde quòd in præterito dixit ἀνέψυξε [*refrigeravit*] Δώη ἔλεος [*det misericordiam,*] id est, *det multa bona.* יתן חן [*det gratiam.*] nam ἔλεος [*misericordiam*] sic poni vidimus Gal 6. 16. & alibi. οἶκος [*domus*] pro *familia*, frequens etiam Græcis. Sic & 1 Cor. 1. 16. 1 Tim. 3. 4, 5. 5. 4. ¶ ὅτι πολλάκις με ἀνέψυξε, *quia sæpe me refrigeravit*] *Consolatus est.* Translatio sumpta ab umbra aut ventulo in locis æstuosis. Ponitur pro בלג [*confortare*] Psalm. 39. 14. pro החיה [*in vita conservare*] Judic. 15. 19. pro נפש [*recreare*] Exod. 23. 12. 2 Sam. 16. 14. Hinc ἀνάψυξις [*refrigerium*] Exod. 8. 15. Actor. 3. 20. ¶ καὶ τὴν ἅλυσίν μου οὐκ ἐπῃσχύνθη. *& catenam meam non erubuit*] *Non puduit eum catenæ hujus militaris, quâ trahor*, ut sontes solent. Quod alibi sæpe *vincula* dixit, id distinctiùs ἅλυσιν [*catenam*] hic, & Ephes. 6. 20. nimirum eodem modo iterum vinctus fuit Paulus, quo cùm primùm adveniret, Actor. 12. 6, 7. 21. 33. 28. 20. de voce ἐπαισχύνεσθαι [*erubescere*] vide supra 8.

17. Ἀλλὰ γενόμενος ἐν Ῥώμῃ, *Sed cum Romam venisset*] Nam Ephesini mercatores multa negotia Romæ habebant. ¶ σπουδαιότερον, *studiosiùs*] Comparativus pro superlativo, frequens Græcis. ¶ ἐζήτησέ με, *me quæsivit*] Per totam urbem Romam cursitavit, ut me quæreret. ¶ καὶ εὗρε. *& invenit*] Deo favente: nempe in diversoriolo, ubi erat cum suo custode.

18. Δώη αὐτῷ ὁ Κύριος, *Det illi Dominus*] Christus cui judicandi potestas data est. ¶ εὑρεῖν ἔλεος, *invenire misericordiam*] Ut bona, nempe æterna, accipiat. ἔλεος [*misericordia*] quid sit, jam diximus. εὑρίσκειν מצא est *consequi.* Vide Luc. 1. 30. ¶ παρὰ Κυρίου, *à Domino*] Hebræa locutio, pro *à se*, sive *ipso dante.* Similes locutiones habes Gen. 4. 23. Exod. 10. 11. 23. 18, 19. 24. 1, 2. Num. 10. 29. Zach. 1. 17. Psalm. 13. 6. 82. 1. ¶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. *in illa die*) Vide supra 12. ¶ καὶ ὅσα ἐν Ἐφέσῳ διηκόνησε, βέλτιον σὺ γινώσκεις. *& quanta Ephesi ministravit, tu melius nosti*] Non novum fuit Onesiphoro servire mihi & Ecclesiæ. Jampridem Ephesi idem fecerat. Historiam non repeto. Est enim tibi nota, qui ibi mihi adfuisti. Διηκόνησε [*ministravit*] nempe τοῖς ἁγίοις [*sanctis,*] quod in re non dissimili additur Rom. 15. 25. Hebr. 6. 10. Sic & alibi post διακονεῖν [*ministrare*] subauditur dativus, ut Joh. 12. 2. Διακονεῖν [*ministrare*] autem cum accusativo, constructio Græca. Itaque pro ὅσα [*quanta*] Latinè rectè veteris *in quantis rebus.*

PRICÆUS.

1. Ἀπόστολος, &c. διὰ θελήματος θεοῦ] Non meo (inquit) merito, sed Dei voluntate. Sic 1 Cor. 15 9 οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι Ἀπόστολος, &c. χάριτι δὲ θεοῦ εἰμι ὅ εἰμι. & Rom. 12. 3. διὰ τῆς χάριτος δοθείσης μοι. Seipsum extenuare solet ut Dei benignitatem efferat. Ignatius ad Smyrnenses, Κατὰ θεοῦ θέλημα κατηξιώθην, Episcopus nempe Antiochiæ esse.

2. χάρις, ἔλεος, εἰρήνη] Sic 1 Tim. 1. 2. & 2 Joh. com. 3.

3. ᾧ λατρεύω] Ità & Actor. 27. 23. Idem, οὗ εἰμι, καὶ ᾧ λατρεύω.

Ibid. ἀπὸ προγόνων] Ἐποικοδομηθεὶς ἐπὶ τῷ θεμελίῳ αὐτῶν, ut locutionem Ephes. 2. 20. huic loco aptem. Ἀπὸ προγόνων, erat enim, ut Philipp. 3. 5. de se loquitur, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων. Idem Act. 24. 14. λατρεύω τῷ πατρῴῳ θεῷ, id est, τῷ τῶν πατέρων (vel προγόνων) θεῷ. Lactantius 5. 22. Judæis, *Quorum nos posteri & successores sumus.* Hesychius ex hoc Apostoli ad Timotheum loco, Προγόνων, πατέρων. Vult dicere, à progenitoribus puræ fidei hæreditatem crevi. Deum verum colebant illi sub Lege, ego (insistens vestigiis eorum) eum colo sub Euangelio. Vide Rom. 1. 9. De se Ovidius,

—— Usque à proavis vetus ordinis heres.

Plutarchus de Clea quadam libro de Iside & Osiride. Τοῖς Ὀσιριακοῖς ἱεροῖς καθωσιωμένην ἀπὸ πατρὸς καὶ μητρός. Simile apud Eundem in Gracchis, καλῶν ἔργων ζῆλον, ὥσπερ διαδοχὴν πατρῴας καὶ προγονικῆς ἀρετῆς ἔχειν· & apud Ciceronem 4. Philip. *Hanc* (virtutem, mortem ignominiosam nempe gnaviter propulsandi,) *retinete fortiter, quam vobis tanquam hæreditatem Majores vestri reliquerunt.* E converso apud Suidam de Michaele Imperatore, Ἀμαθίαν ἐκ πατρῴας ἀλογίας καὶ ἀπειροκαλίας, ὥσπερ ἱκανὴν οὐσίαν ἐκληρώσατο. Meritò autem eos quorum ἀγωγὴν sectabatur, Apostolus suos προγόνους vocat. D. Augustinus in Ps. 30. *Abraham pater noster fuit, non propter propaginem carnis, sed propter imitationem fidei.* Ità & mulieres virtutum Saræ imitatrices D. Petrus illius *filias* vocavit: & Socratem, cujus placita vivendique normam se imitari profitebatur, *Majorem* suum, id est, πρόγονον, Apulejus. Seneca Epist. 44. de eodem Socrate, Cleanthe, &c. ad Lucilium suum, *Omnes hi Majores tui sunt, si te illis dignum geris.* In Glossario, & vetere Onomastico, *Majores*, πρόγονοι.

Ibid. ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω περὶ σοῦ μνείαν ἐν ταῖς δεήσεσί μου νυκτὸς καὶ ἡμέρας] Sic Ephes. 1. 16. Coloss. 1. 3, & 9. Philipp. 1. 4. 2 Thessal. 1. 11. & com. 4. epistolæ ad Philemonem. Judæi 1 Maccab. 12. 11. ad Spartanos scribentes. Ἐν παντὶ καιρῷ ἀδιαλείπτως, &c. μιμνησκόμεθα ὑμῶν, &c. καὶ ἐν ταῖς προσευχαῖς. Pro ὡς autem in contextu Pauli si ὅτι legerimus, quomodo & Vulgatus legit, næ loci sensus explicatior erit, & hoc dicet Apostolus, Gratias ago Deo, &c. quòd sine intermissione in orationibus meis habeam memoriam tui: i. e. quòd justam causam habeo habendi memoriam tui, dum nempe audio te adeò strenuè tuo munere fungi. Et hanc commodam expositionem esse patebit, ni fallor, ei qui locos Rom. 1. 9. & Colos. 1. 3, 4. attentè consideraverit. Νυκτὸς καὶ ἡμέρας, assiduè, id est, quoties Deum meis precibus interpello. Euthymius ad Luc. 18. ea, *QUOD OPORTET SEMPER ORARE: Die videlicet ac nocte, congruis & ordinatis temporibus.* Hoc sensu νυκτὸς καὶ ἡμέρας occurrit & Luc. 18. 7. 1 Thes. 2. 9. & 3. 10. 1 Tim. 5. 5. item Act. 20. 31. ubi dicta vide. Glossæ, Ἡμέρας καὶ νυκτός, *die noctuque.* Apponitur autem post ἀδιάλειπτον μνείαν, &c. locutio ista majoris tantùm energiæ causâ, ut Marc. 5. 5. post διαπαντός, (ubi ὑποστιγμὴ ponenda,) & iis ἐν παντὶ καιρῷ adjungitur ἀδιαλείπτως, citato è Maccabaicis loco. Τὸ ἀδιάλειπτον, Vulgatus *sine intermissione* vertit. Glossarium, *Sine intermissione*, ἀδιαλείπτως, &c. Hoc autem aliud nil est quàm νυκτὸς καὶ ἡμέρας unde & Donatus ad Terentiana illa, *NOCTESQUE ET DIES, Accusativo casu sine intermissione significat.*

4. Ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν] Ità Rom. 1. 11. 1 Thes. 2. 17. & 3. 6, 10. Vide & Rom. 15. 23. Plutarchus in Erotico, Ἐκεῖνον ἰδεῖν ποθοῦσα. Idem in Alexandri vita, ποθοῦντες αὐτὸν ἰδεῖν· in Eumene, ἰδεῖν τὸν Εὐμενῆ ποθοῦντες· & in Dione, Εὐχομένους ἐπιφανῆναι τὸν ἄνδρα, καὶ ποθοῦντας τὴν ὄψιν αὐτοῦ. Cicero 3. 7. ad Atticum, *Videre te cupio.* & Famil. Epist. 16. 8. ad Tyronem suum, *Videre te tota cogitatione cupio.* Idem in Tusculanis quæstionibus, ubi de voce πόθος, *Desiderium est libido ejus qui absit videndi.* Apud Gellium 15. 7. Augustus Cæsar ad suum Cajum scribens, *Quem*, &c. *semper desidero* (id est, videre desidero) *cùm à me abes.* Hinc Luc 8. 9. ἰδεῖν σε θέλοντες, id est, ποθοῦντες· & Philipp. 4. 1. ἐπιπόθητοι. Philo in De vita contemplativa, Ὑπ' ἔρωτος ἁρπασθέντες, &c. μέχρις ἂν τὸ ποθούμενον ἴδωσι.

Ibid. μεμνημένος σου τῶν δακρύων] Ità 2 Cor. 7. 15. de Tito, Τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς ἐστιν, ἀναμιμνησκομένου τὴν ὑμῶν ὑπακοήν. Τῶν δακρύων, quas nempe, me a te discedente, effudisti. Chrysostomus Homil. 61. in Joh. *Peregre proficiscentes lacrymis prosequimur.* Seneca epist. 49 ad Lucilium suum, *Totus mihi in oculis es cùm maxime à te discedo. Video lacrymas combibentem, & affectibus tuis, inter ipsam coercitionem exeuntibus, non satis resistentem.* Idem cap. 7. Consolat. ad Marciam, *In discessu, non solùm amissione charissimorum necessarius morsus est, & firmissimorum quoque animorum contractio.* Vide ad Act. 20. 37. dicta.

Ibid. ἵνα χαρᾶς πληρωθῶ] Sic Act. 15. 31. χαρᾶς ἐπληροῦντο. Scriptor Maccabaici tertii, χαρᾶ πεπληρωμένος· Anonymus apud Suidam, in Εἰσέφρησα, Χαρᾶς ὑπεπλήσθησαν. & apud eundem in Ὁμολογεῖ, Ælianus, περιχαρείας ὑπεπλήσθησαν.

5. ὑπόμνησιν λαμβάνων, &c.] In MS. antiquissimo qui in Britannia, ὑπόμνησιν λαβὼν unde conjicio veram scripturam esse, ὑπόμνησιν λαβών· sic enim è converso 2 Pet. 1. 9. λήθην λαβών.

Ibid. τῆς ἐν σοὶ ἀνυποκρίτου πίστεως, ἥτις ἐνῴκησεν, &c.] Glossarium, Ἀνυπόκριτος, infictus, &c. Κατοικεῖν iidem de fide

 Ephes.

Epheſ. 6. 3. dicitur: ut *ἐνοικεῖν* de Spiritu ſancto infrà heic com. 14. Contrà Rom. 7. 20. *ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.*

Ibid. *ἐν τῇ μάμμῃ σου*] Gloſſarium, Μάμη, (ſcribe *μάμμη*,) *avia.* De avia autem perperàm hoc dici Phrynichus ait.

Ibid. *πέπεισμαι δὲ*, &c.] Non dicit ἤλπικα, ſed *πέπεισμαι.* Seneca Epiſt. 10. ad Lucilium, *Vide quid de te ſperem, imò, quid ſpondeam mihi.* Πέπεισμαι Latiniſſimè vertas, *in animum induco*, id eſt, ait ad Hecyr. 2. 3. Donatus, *perſuadeo animo meo.*

6. *ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ ὅ ἐστιν ἐν σοὶ*, &c.] Quod 1 Tim. 4. 14. *μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος.* Heſychius, ex hoc Apoſtoli loco, Ἀναζωπυρεῖν, *ἀνεγεῖραι.* Idem alibi, Ζωπυρεῖ, *ἀναζῆν ποιεῖ.* Suidas, Ἀναζωπυρῆσαι, *ἀνανεῶσαι, ἀνεγεῖραι.* Idem, Ἐκζωπυρῆσαι, &c. *ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἀνθράκων.* Hinc, *τὸ θεῖον ἐν τῇ ψυχῇ ἀναζωπυρεῖν*, cap. 16. apud Jamblichum. Philo libro de Joſepho, Ἐζωπύρει *τὴν τοῦ παιδὸς φύσιν ἐξαιρέτοις καὶ περιτταῖς ἐπιμελείαις.* Seneca Epiſt. 108. *Cum irritator acceſſit, tunc animi bona velut ſopita excitantur:* & Epiſt. 16. *Te moneo & hortor, nè patiaris animi tui impetum delabi & refrigeſcere.* Cicero Tuſcul. 3. *Magna vis eſt in virtutibus: eas excita ſi fortè dormiunt.* Ovidius,

> *Vidi ego jactatas motâ face creſcere flammas,*
> *Et rurſus nullo concutiente mori.*

Pro *ἀναμιμνήσκειν*, ſimili ſenſu 1 Tim. 6. 17. & Judæ com. 5. *ὑπομιμνήσκειν* habemus.

7. *οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς πνεῦμα δειλίας*] Οὐκ ἐσμὲν (ut Hebr. 10. 39.) *ὑποστολῆς*, &c.

Ibid. *ἀλλὰ δυνάμεως*] Similis 1 Cor. 2. 12. locutio illa, Οὐ *τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ.* & 1 Theſ. 5. 9. illa, Οὐκ ἔθετο *ἡμᾶς ὁ θεὸς εἰς ὀργὴν, ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας.* Πνεῦμα *δυνάμεως* expone, aut, fortitudinem periculis & vexationibus reſiſtendi: (vide 2 Cor. 4. 7. & 6. 7. 2 Tim. 4. 17. Coloſ. 1. 11. indè & 1 Cor. 10. 13. *πιστὸς ὁ θεός*, &c.) vel, vim & efficaciam in Euangelio prædicando, carniſque reſurrectionem ex Chriſti reſuſcitatione probando. Vide 1 Theſ. 1. 5. Act. 4. 33. & 9. 22. & quæ ibi annotata nobis. Priorem autem exponendi modum crediderim veriorem eſſe; *δειλοὶ* enim (qualibus hoc loco *πνεῦμα δυνάμεως* opponi videtur) Apocal. 21. 8. vocantur qui tempore perſecutionis urgente, ſe periculis ſubtrahebant.

Ibid. *καὶ ἀγάπης*] Quod non in eadem ſede cum timoris ſpiritu moratur. Vide 1 Joh. 4. 18. ubi φόβος, qui heic *δειλίας πνεῦμα.*

Ibid. *καὶ σωφρονισμοῦ*] Auctoritatem *τοὺς ἀτάκτως περιπατοῦντας* admonendi coercendique. Gloſſarium, Σωφρονισμός, &c. *coercitio:* & apud Heſychium, Σωφρονιστής, *νουθετητής.* Hinc *τῶν ἄλλων διόρθωσιν καὶ σωφρονισμόν*, Plutarchus in Catonis vita, & Tit. 2. 4. *τὰς νέας σωφρονίζειν.* Interpres vetus, *ſobrietatis*, quaſi legiſſet *σωφροσύνης.* Ego alteram lectionem prætulerim propter oppoſitum *δειλίας.*

8. *μηδὲ ἐμὲ*, &c.] Vide 1 Theſ. 3. 3.

Ibid. *συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ*] Ab hoc loco puto optimè illuſtrari poſſe Philipp 1. 27. illum, *συναθλοῦντες τῇ πίστει*, à plurimis (ad fortè malè) ità intellectum, ac ſi ſenſus ſit, pro fide certantes concorditer, vel, uno velut agmine facto; id autem Apoſtolus ſi voluiſſet, dixiſſet, non *τῇ πίστει*, ſed, *ἐπὶ τῇ πίστει συναθλοῦντες* ità Judæ com. 3. *τῇ πίστει ἐπαγωνίζεσθαι.* Mihi liquere videtur utrobique ſubeſſe *προσωποποιΐαν* ibi *τὴν πίστιν* eſſe, quod heic *τὸ εὐαγγέλιον* nec aliud ibi *συναθλεῖν* quàm quod hoc loco *συγκακοπαθεῖν* unde & Ἀθλεῖν *κακοπαθεῖν* exponitur ab Heſychio, Vulgatus dicto ad Philippenſes loco, *collaborantes Euangelio*, rectiſſimè, & more ſuo, id eſt, ſagaciſſime.

Ibid. *κατὰ δύναμιν θεοῦ*] Κατὰ *τὴν δύναμιν* (à Deo nempe) *ἐνεργουμένην*, ut Epheſ. 3. 20. loquitur.

9. *πρὸ χρόνων αἰωνίων*] Vide Rom. 16. 25.

10. *διὰ τῆς ἐπιφανείας*, &c. Ἰησοῦ Χριστοῦ] Ad Titum 2. 11. eodem argumento, Ἐπεφάνη *ἡ χάρις*, &c. De Eodem Ignatius ad Magneſios, Πρὸ *αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη.* quod 1 Tim. 3. 16. *ἐφανερώθη* Matth. 4. 16. *φῶς ἀνέτειλεν.*

Ibid. *καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, φωτίσαντος δὲ ζωὴν*, &c.] Τὸν *θάνατον* intellige ut Hebr. 2. 14. *τὸν τὸ κράτος τοῦ θανάτου ἔχοντα*, ubi & *καταργεῖν* Ignatius ad Epheſ. Ἐλύετο *πᾶσα μαγεία, καὶ πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας, ἄγνοια καθῃρεῖτο, παλαιὰ βασιλεία διεφθείρετο* & ſtatim, in eadem re, *θανάτου κατάλυσιν.* Ζωὴν *φωτίσαντος*, in lucem è tenebris eruentes. Vide Luc. 1. 78, 79. Act. 26. 23. 2 Cor. 4. 6. ubi & *φωτισμόν.* De Eodem Joh. 1. 4. Ἐν *αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων.*

Ibid. *φωτίσαντος ζωὴν*] Ità in Epictetum Arrianus 1. 4. *ἀλήθειαν φωτίζειν* dixit: Anonymus apud Suidam, *σωτηρίαν πυρσεύων* & 24. 44. Sirachides, *φωτιοῦν παιδείαν.*

12. *Δι' ἣν αἰτίαν καὶ ταῦτα πάσχω*] Patior vincula iſta, quotidianum mortis periculum ſubeo & alias ærumnas. Idem Actor. 28. 20. *διὰ τὴν ἐλπίδα τοῦ Ἰσραὴλ τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι.*

Ibid. *οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα*] Sic 18. 6. apud Sapientiæ Scriptorem, Ἵνα *ἀσφαλῶς εἰδότες οἷς ἐπίστευσαν ὅρκοις ἐπευθυμήσωσι.* Vult dicere Apoſtolus ut 1 Theſſ. 3. 3. *πιστός ἐστιν ὁ Κύριος, ὃς στηρίξει με*, &c. Locutioni ejus ſimilis Ciceronis illa, *Scio quem metuam*, 7. 16. ad Atticum; & Plinii iſta lib. 1. Epiſt. 3. *Scio quem animum, quod hortor ingenium.*

Ibid. *τὴν παραθήκην μου φυλάξαι*] Τὴν *παραθήκην*, animam meam, quam *αὐτῷ, ὡς πιστῷ κτίστῃ*, &c. *παρατίθημι* (1 Pet. 4. 19.) In Carmine incerti Auctoris de Phœnice moritura,

> ——*Inter varios animam commendat odores,*
> *Depoſiti tanti nec timet illa fidem.*

Ibid. *εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν*] Sic infra hîc com. 18. & 2 Tim. 4. 18. Matth. 7. 22. Luc. 10. 12. Hanc diem 1 Cor. 5. 5. & Phil. 1. 6, & 10. Χριστοῦ *ἡμέραν* dixit.

13. Ὑποτύπωσιν *ἔχε τῶν ὑγιαινόντων λόγων ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ*] Ordo videtur eſſe, Ὑποτύπωσιν *τῶν ὑγιαινόντων λόγων ὧν π. ἐ. ἤ. ἔχε ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ* & hoc eſt quod Luc. 8. 15. *τὸν λόγον ἀκούσας, ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ κατέχει.* Ὑποτύπωσιν, *delineationem*, metaphorâ aut à re pictoria (quod Chryſoſtomus & Theophylactus volunt,) aut ab architectonica deſumptâ. *Formam* peritè ergò Vulgatus vertit. Cicero 1. 19. ad Atticum. *Noſtra*, &c. *vitæ quaſi quandam formam*, &c. *vides.* Idem in Oratore, *Eloquentiæ ſpeciem & formam adumbrabimus:* & alibi, *Formam quaſi ipſam, & faciem honeſti vides:* & 2 de Oratore, *Eloquentiâ ſuâ quandam expreſſit quaſi formam figuramque dicendi.* Seneca epiſt. 8. ad Lucilium ſuum, *Hanc ſanam & ſalubrem vitæ formam tenete:* quaſi diceret, *ὑγιαίνουσαν ταύτην βίου ὑποτύπωσιν ἔχε.* D. Hieronymus de matre & avia Demetriadis, *Quarum imitatio forma virtutis eſt.* Ἔχειν heic, eſt quod Tit. 1. 9. in argumento ſimili *ἀντέχεσθαι. ὑποτύπωσις λόγων*, ferè qui Rom. 16. 17. *διδαχῆς τύπος.*

14. Τὴν *καλὴν παρακαταθήκην φύλαξον διὰ πνεύματος ἁγίου*] Sic Hebr. 9. 14. *διὰ πνεύματος ἁγίου* (vel, ut multi codices habent, *αἰωνίου*) *ἑαυτὸν προσφέρειν* & Actor. 1. 2. *διὰ πνεύματος ἁγίου ἐντέλλεσθαι.* De iis *παρακαταθήκην φύλαξον.* Vide ad 1 Tim. 6. 20. notata.

15. Οἶδας *τοῦτο*] Puto ſcire te, vel audiſſe, ut Latini loquuntur: infrà heic com. 18. *σὺ βέλτιον γινώσκεις.*

Ibid. *ἀπεστράφησάν με πάντες*] Ἀποστρέφεσθαι heic eſt quod Joh. 6. 66. *εἰς τὰ ὀπίσω ἀπέρχεσθαι* & Luc. 8. 13. *ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστασθαι.* Sic infrà heic 4. 16. *πάντες με ἐγκατέλιπον.*

16. *Δῴη ἔλεος ὁ Κύριος τῷ Ὀνησιφόρου οἴκῳ*] Id eſt, *τοῖς ἐκ τοῦ Ὀνησιφόρου οἴκου* vide Phil. 4. 22. Euthymius ad Luc. 19. ea, SALUS DOMUI HUIC, *Domum dicit eos qui in domo erant.* Oneſiphorum ſervile nomen fuiſſe videmus vel ex L. Titia, ff. de manumiſſ. teſtam. Videtur autem Oneſiphorus iſte libertus fuiſſe cujuſpiam è Romanis nobilioribus, nomenque (ut alii complures ſervi) ab omine boni proventûs ſortitus. Heſychius, Ὀνησιφόρος, *ὠφέλειαν φέρων.* Sic 3. 39. Artemidori, Ἐλπιδοφόρος, & com. 10. ad Philemonem Ὀνήσιμος.

Ibid. *ὅτι πολλάκις με ἀνέψυξε*] Idcirco Deus (inquit) miſereatur ejus. Ignatius ad Smyrnenſes, *Κατὰ πάντα με ἀνεπαύσατε, ἀμείψει ὑμῖν θεός.* Ἀνέψυξέ *με*, eſt, ut Coloſſ. 4. 11. *ἐγενήθη μοι παρηγορία.* Heſychius, eo ſenſu ex hoc Apoſtoli loco, Ἀνέψυξεν, *ἀνέπαυσεν.* Tranſlatio autem videtur ſumi ab iis qui ſiti conficiuntur: quo ſenſu Lucas 16. 24. *καταψύχειν* dixit. Vide Proverb. 25. 13. Vulgatus (proprietati vocis inſiſtens) *refrigeravit:* ità in vetere Onomaſtico, *Refrigero, ἀναψύχω.*

Ibid. *τὴν ἅλυσίν μου οὐκ ἐπαισχύνθη*] Non erat ex iis qui diſcedunt cùm catena crepat. Magnificè hoc elogio effert atque ornat conſtantiam ejus. Cicero in Lælio, *Quam graves, quàm difficiles pleriſque videntur calamitatum ſocietates! ad quas non eſt facile inventus qui deſcendat.* Ignatius ad Smyrnenſes, Τὰ *δεσμά μου ἃ οὐχ ὑπερηφανήσατε, οὐδὲ ἐπαισχύνθητε.*

> *Eſſe bonum facile eſt, dum quod vetat eſſe remotum eſt,*
> *Nilque quod officiis obſtet amicus habet:*
> *Cùm Deus intonuit, non ſe ſubducere nimbo,*
> *Id demum eſt pietas, id ſocialis amor.*

Vulgatus, *non erubuit catenam meam*, *ποιητικωτέρως.* Virg.

——*Nec*

—— *Nec jura fidemque*
Supplicis erubuit. ——

Quin & ibi *erubescere* est ἐντρέπεσθαι, non quod hoc loco ἐπαισχύνεσθαι.

17. σπουδαιότερον ἐζήτησέ με, καὶ εὗρε] Id est, ut Luc. 15. 8. ἐπιμελῶς ἐζήτησεν ἕως ὅτου εὗρηκέ με. Sic & Luc. 4. 42. Ἐζήτουν αὐτὸν, καὶ ἦλθον ἕως αὐτοῦ· id est, καὶ εὗρον αὐτόν. Confer & Act. 11. 25. Theophylactus ad Joh. 1. illud, εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, Εὑρήκαμεν, ὅτι ἐκ πολλοῦ, &c. τὴν ζήτησιν ἐμελέτουν. Invenire, quærentium est. Vide ad Matth. 7. 7. & Luc. 11. 9. annotata. In Glossis, Σπουδαιότερον, *festinantius*, *properantius*.

18. εὑρεῖν ἔλεος παρὰ Κυρίου ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ] Εὑρεῖν ἔλεος καὶ χάριν εἰς εὔκαιρον βοήθειαν, ut 4. 16. Scriptor ad Hebræos loquitur. Repetitionem nominis vice pronominis habemus heic, ut Joh. 11. 22. Susannæ com. 55. & alibi locorum.

Ibid. καὶ ὅσα ἐν Ἐφέσῳ διηκόνησε, &c.] Sic Deuter. 9. 7. ὅσα Κύριον παρώξυνας. Ὅσα, in quantis & qualibus negotiis. Sic ὅσα Luc. 4. 23. & Actor. 9. 16. Suidas, de voce Ὅσα, Τὸ μόριον τοῦτο, &c. ἄπειρον πλῆθος δηλοῖ ἀριθμοῦ· quæ vera sunt, at non justæ latitudinis: non enim ad numerositatem tantùm sed & qualitatem ea vox refertur. Διηκόνησε, mihi nempe: ità enim malim quàm (quod nonnulli faciunt) ἀδελφοῖς, aut ἁγίοις, intelligere.

Ibid. βέλτιον σὺ γινώσκεις] Optimè nosti, inquit, qualem de me curam habuit. Simile, etsi in partem diversam, Davidis illud 3 Reg. 2. 5. ad Salomonem, *Nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ:* Auctoris ad Herennium 4. *Iste quomodo vixerit scitis omnes:* & Catulli,

Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam
Scitis, & in quo me exercuerit genere.

CAP. II.

VALLA.

4. **N**Emo *militans Deo implicat se negotiis secularibus*] Malè additum est à nostris *Deo:* nam est argumentum à Minori atque ab Exemplo. Quòd si ille qui militat prohibetur è Jure Civili atque è disciplina Militari negotiari, quantò magis miles Christi? *Militem* enim *Christi* Timotheum appellavit. Nec tam *negotiis* legendum est quàm *negotiationibus*, πραγματείαις· nec tam *secularibus* quàm *vitæ*, τοῦ βίου· nec tam *implicat se* quàm *implicatur*, ἐμπλέκεται. ¶ *Ut ei placeat cui se probavit*] Gr. *ut ei qui ipsum delegit militem placeat*, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ.

5. *Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certaverit*] Non legitur Græcè *in agone*. Nec AGON locus est, sed *certamen*. Ego autem puto sic fuisse transferendum, *Si autem & certet quis, non coronatur*, ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται.

14. *Hæc commoneo testificans coram Deo*] *Commone* legendum est, sive *in memoriam redige*, ὑπομίμνησκε. ¶ *Noli verbis contendere: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*] Non est Græcè imperativum, sed infinitivum, *non contendere verbis:* ita enim se habet tota sententia, & ità puto transtulisse Interpretem, *Hæc commone, testificans coram Deo, non verbis contendere*, (sive *ne verbis contendant*) *in nihil utile* (sive *in nullam utilitatem*) *ad eversionem audientium:* μὴ λογομαχεῖν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ.

16, 17. *Profana & inaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum ut cancer serpit*] Quod superiùs dixit *ineptas*, ad eundem Timotheum scribens, 4. 7. id nunc ait *profana*, βεβήλους. Nec est legendum cum copula. Nec tam est *inaniloquia* quàm *inanes voces*, κενοφωνίας. Nec legendum est *proficiunt* sed *proficient*, προκόψουσι. Nec tam est *multum* quàm *amplius*, sive, ut ad verbum transferam, *in plus proficient impietatis*, ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας. Et *serpet*, non *serpit*, quod aptiùs elegantiusque translatum est quàm veriùs: nam Græcè dicitur, *Et sermo eorum ut cancer pasturam* (sive *pastionem*) *habebit*, νομὴν ἕξει.

16. *Cognovit Dominus qui sunt ejus*] Nisi aliena tractasset Interpres, haud dubiè dixisset *qui sunt sui:* nunc quia reperit genitivum Græcum αὐτοῦ, quod significat *ipsius* sive *ejus*, per incuriam quandam verbum è verbo traduxit, ut sæpenumero aliàs, sed parùm Latinè.

ERASMUS.

1. **C**Onfortare] Ἐνδυναμοῦ, i. e. *fortis* aut *robustus esto*, aut *corroborare*. Nam *confortare* quidam negant esse Latinum.

3. *Labora sicut*] Σὺ οὖν κακοπάθησον, i. e. *Tu igitur feras afflictiones:* nam hoc significat κακοπαθεῖν, ut modò admonuimus.

4. *Nemo militans Deo*] *Deo* redundat: etiamsi additur apud Ambrosium, non tamen in interpretatione. Apud Chrysostomum in primo contextu non additur *Deo:* nec apparet ex interpretatione quòd addiderit. Adhibet enim Paulus hoc simile à Militibus sumptum, quorum nemo curat rem domesticam posteaquam sacramento fuerit addictus militiæ, sed imperatoris sui negotium agit. Multò magis id convenit facere eum qui militat Euangelio. Porrò has ceu parabolas adhiberi planissimè testatur interpres Chrysostomi. Theophylactus nobiscum certè legit *implicat*, non *implicet:* nec addit *Deo*, licèt interpres de suo addiderit. ¶ *Implicat se*] Ἐμπλέκεται, i. e. *implicatur*. Quanquam hujusmodi passiva subindè vertit per pronomina reciproca. Sed depravatiùs qui legunt *implicet* imperandi modo. Non enim jubet ne se implicent, sed negat eos Deo militare qui sese involvunt. ¶ *Negotiis secularibus*] Ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, i. e. *vitæ negotiationibus*, aut *occupationibus*. Porrò βίος *victum* magis sonat quàm *vitam*. Et apud Jureconsultos *victûs* nomine continentur & Vestes. Qui militat non est solicitus de victu: rem victoriæ agit; de victu prospicit imperator. ¶ *Ut ei placeat cui se probavit*] Ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ, i. e. *ut ei qui se militem delegit placeat*, h. e. ei cujus spiritu delectus est & adscriptus ad hanc militiam. Fortassis Interpres vertit *ei qui se probavit:* tametsi Ambrosius legit atque etiam interpretatur *cui se probavit*, id sentiens ut apparet, *cui se concredidit*. Chrysostomi interpres legit *qui se elegit*.

5. *Nam & qui certat in agone*] Ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, i. e. *Si vero & certet aliquis*. Verbum est unde dicuntur *athletæ:* nam ab iis quoque ducit simile. ¶ *Non coronabitur*] Οὐ στεφανοῦται, i. e. *non coronatur*, suffragante Ambrosio: h. e. Non sat est quomodocunque certare, sed ità certandum ut vincas. Suffragabatur codex Constantiensis vetustior.

6. *Laborantem agricolam*] Video Græcos etiam Interpretes nonnihil hærere hoc in loco: sed meâ sententiâ sermonis ordo paulò perturbatior obscuritatem adduxit orationi: ea tolletur, si κοπιῶντα sit præteriti temporis, & ab eo pendeat adverbium πρῶτον *priùs*, & non ab infinito verbo quod sequitur, λαμβάνειν· ut sententiam ad hunc ordinemus modum, *Oportet agricolam accipere fructus, sed si priùs laboravit*. Tres enim adhibuit parabolas, *militis*, *athletæ*, & *agricolæ*; quorum unusquisque, cæteris curis omissis, suum munus gnaviter obit. Neque deest præmium si suo quisque priùs functus fuerit officio. Equidem opinor hoc sensisse Paulum, licèt diversam sententiam sequatur Ambrosius, interpretans *eum primum debere sumere qui primus est, ac deinde distribuere reliquis*. Chrysostomus bifariàm interpretatur. Cæteri athletæ non capiunt præmium nisi partâ victoriâ. Agricola & dum colit terram nonnihil interim fructûs percipit, exspectans in posterum copiosiorem proventum. Aut agricolæ, quoniam cum divite fidelique terra commercium habet, non invertitur suum præmium: ipse primus capit, qui colit.

7. *Dabit enim tibi Dominus*] Græcè non est *dabit*, sed δῴη, i. e. *det*, quod est precantis. Ad eum modum palàm enarrat hunc locum Chrysostomus, cum dicat Paulum *paterno affectu non desinere precari bona Timotheo, ceu timentem filio charissimo*. Tametsi interpres Chrysostomi nostram secutus editionem vertat *dabit* pro *det*.

9. *In quo laboro*] Κακοπαθῶ, i. e. *affligor:* quod suo more ferè transfert *laboro*. Quanquam non sum nescius & apud Latinos *laborare* aliquoties sic accipi, ut sit idem quod In rerum difficultatibus versari. ¶ *Quasi malè operans*] Ὡς κακοῦργος, i. e. *ut maleficus*, aut *facinorosus*. Miror quod exemplum secutus Ambrosius verterit *quasi latro*. Nihil enim simile in κακοῦργος & λῃστής, quod magis sonat *facinorosum*. Quanquam in Euangelio constanter hic Interpres κακούργους vertit *latrones*, ut illic indicavimus. ¶ *Non est alligatum*] Οὐ δέδεται, *non fuit alligatum*. Est autem allusio festiva in Græcis vocibus δεσμῶν & δέδεται, i. e. *vincula* & *vinctum fuit*.

10. *Cum gloria cælesti*] Αἰωνίου, i. e. *æterna*. Interpres & Ambrosius legisse videtur οὐρανίου.

11. *Fidelis sermo*] Rursum est πιστὸς ὁ λόγος· quæ verba Paulus suo more præmittit dicturus rem certam & indubitatam, aut subjicit velut asservatione confirmans quod di-

dixit. Quanquam Ambrosio non adduntur hoc loco.

12. *Si negaverimus*] Ἐι ἀρνύμεθα, *Si negamus*: in quo modo pronunciavit & superiora.

13. *Si non credimus, ille fidelis*] Nec hoc loco servata est Græcarum vocum affinitas, ἀπιστοῦμεν πιστός, i. e. *diffidimus fidelis* sive *fidus*.

14. *Noli contendere verbis*] Λογομαχεῖν, dictione composita, i. e. *pugnare verbis*: verbum cognatum ei nomini quod antè vertit *pugnas verborum*. ¶ *Nihil enim utile est*] Ἐις οὐδὲν χρήσιμον, i. e. *ad nullam utilitatem*. Jam enim novum esse non debet adjectivum usurpari loco substantivi, nisi malis hanc particulam per Parenthesin interseri. ¶ *Nisi ad subversionem*] Et *nisi* redundat, & *ad subversionem* refertur ad illud superius, *noli pugnare verbis*, sive, ut Apulejus loquitur, *verbigerari*: ut illud, *ad nihil utile* per Parenthesin interseratur, si subaudiatur verbum substantivum *est*. Quanquam Interpres & Ambrosius, quò sensus esset dilucidior, unum & alterum verbum de suo addiderunt. Sic autem ordinandus est sermo, *Hæc admone, contestans coram Domino, nè verborum pugnas sequantur, ad nullam utilitatem, ad subversionem audientium*. Cæterùm infinitum, quod Interpres retulit ad *Timotheum*, haud scio an rectiùs accommodetur ad cæteros omnes: ut hoc ipsum sit quod illos admonet per Timotheum, nè inter se frivolis quæstiunculis depugnent, cùm Christiana Philosophia non sit sophistica disputatio, sed vita pura & Christo digna. Siquidem Timotheo non timebat ab hoc morbo, sed animat eum ad contemnendos eos qui tali morbo tenebantur.

15. *Solicitè autem cura*] Σπούδασον σεαυτὸν, id est, *Stude teipsum*, &c. Augustinus legit *Satis age*, pro *Stude*. Nec est τὸ *autem* vel apud Græcos vel apud Ambrosium. ¶ *Probabilem exhibere*] Δόκιμον, i. e. *probatum* sive *probum*. ¶ *Operarium inconfusibilem*] Ἀνεπαίσχυντον, i. e. *qui non pudefiat*, sive *erubescat*. Quanquam Ambrosius legit *non impudoratum*. Porrò *impudoratos* vocari *qui contentionibus nituntur*: velut hoc pertineat ad disputationes contentiosas, quas *pugnas verborum* appellat, quòd in his nemo velit cedere, sed sua quisque pertinacissimè tueatur, & alius alium conspuat. Augustinus lib. 1. contra Crescon. cap. 2. *non erubescentem* legit pro *inconfusibilem*. ¶ *Rectè tractantem*] Ὀρθοτομοῦντα. Sonat q. dicas *rectè secantem*. Et Scholia Græcorum admonent Metaphoram sumptam à Securi aut Gladio, quo resecantur inutilia & supervacanea. Est proverbium de *Tenedia bipenni*, quod si quis legat, meliùs intelliget hujus loci sensum. *Inciditur* enim *sermo veritatis* cum in hujusmodi disputationibus veritas amittatur & spinis quibusdam involvatur. In hanc sententiam cùm interpretentur magno consensu veteres orthodoxi, tamen visum est cuidam incessere quòd nos pro *tractantem* vertimus *secantem*, nequaquam reprehendentes quod verterat Interpres, sed dilucidiùs explicantes quod scripsit ac sensit Paulus. An *rectè tractare* sonet Græcis ὀρθοτομεῖν in præsentia non disputo: fortassis Interpres non habebat alias voces quibus redderet Græcam. Certè Ambrosianam interpretationem nemo prorsus intelliget nisi Græcæ vocis emphasim teneat. Hujus Commentum subscribam, quandoquidem mihi videtur non in hunc usum tantùm conducibile; *Quoniam sunt aliqui qui dicunt contentionem audientibus prodesse, Apostolus autem sciens magis obesse, hoc mandat, ut unusquisque hoc curet, ut spretâ altercatione semetipsum probabilem faciat, & impudoratos appellans eos qui contentionibus nituntur. Necesse est enim ut contentio extorqueat aliquid, imò multa quæ dicantur contra conscientiam, ut intus in animo perdat, foris victor abscedat. Nemo enim patitur se vinci, licet sciat vera quæ audit. Rectè autem tractat & bonâ conscientiâ, qui volentibus loquitur & pacificis. Collatio ergò inter Dei servos esse debet, non altercatio.* Hactenus Ambrosius. Qui quod hic monet, idem plurimis in locis admonet Chrysostomus. A qua quidem regula quantùm absint qui hodie virulentis libellis ac linguis sese lacerant, tam impiè crudeles in proximum quàm turpiter adulantes erga Principes, viderint alii. Certè liquet Ambrosium interpretari quid sit *rectè secare*. Quia amputat contentiosa, & relinquit placida atque utilia, *rectè secat*, nimirum amputatis iis quæ noxia sunt. Chrysostomus scribit hunc in modum, *Complures enim illud undique lacerant atque discerpunt, plurimaque illi immiscent noxia germina. Non aut dirigentem, sed rectè tractantem; ac si dicat, Amputa quæcunque adulterina oriuntur, & cætera hujusmodi summa cum vehementia incumbe ut resecentur. Atque, velut in loris atque corrigiis, superflua quæque atque à prædicatione aliena gladio Spiritus abscinde.* Hactenus Chrysostomus. Huic ità succinit Theophylactus, RECTE TRACTANTEM VERBUM VERITATIS, *Etsi*, inquit, *plerique id verbum discerpunt traducuntque aliò, tu tamen idipsum rectè pertracta. Vel* PERTRACTA, *inquit, h. e. dirige & circumcidito inutilia quæque, & deme gladio sermonis & verbi quæ ab Euangelii sunt prædicatione aliena.* Nec hinc abhorret Glossema quod in rhapsodia quam nescio qua de causa vocant *Ordinariam* interjectum est in spatio dirimente versus, sic habet, haud scio an ex Bedæ commentariis decerptum, *Secundùm competentiam singulorum, ut altis spiritalia, lac distribue parvulis.* Videmus omnes exponere Græcæ vocis emphasim, quæ à *secando* dicatur; cùm nulli Latinorum *tractare* significet *Secare*. Sed *tomi* Græcis dicuntur Volumina, quæ Latini vocant *tractatus*. Fateor, sed *Tomi* dicuntur à *secando*, quòd olim in pellibus scribebant, in hoc resectis ut convolvi possent in surculum. Sed *tractantur* etiam quæ verbis disputantur.

16. *Profana autem*] Βεβήλους. Quam vocem superiùs vertit *inepta*. ¶ *Et vaniloquia*] Copula & redundat. κενοφωνίας, i. e. *inanes voces*. Eadem vox quam superiùs vertit *vocum novitates*. Et hoc quoque loco Ambrosius ità legit καινοφωνίας, i. e. *novitates*, consentiente & Chrysostomo. Cæterùm κενοφωνίας verti poterat *inaniloquia*. Imò sic hoc sane loco vertit Interpres. Germanam lectionem adhuc retinent duo Constantienses, & alii minùs depravati. ¶ *De vita*] Quod interpretatum pro *tolle è vita*. Περιΐστασο. Quod tametsi significat *abscinde*, tamen quoniam Græca præpositio ancipitis est naturæ, meliùs hoc loco vertas *supersedeto*, sive *prætermittas*. Græca Scholia bifariàm exponunt, aut *rejice*, aut *insta vehementer ut coerceantur*. Opponitur enim quod modò dixerat ὀρθοτομοῦντα, *rectè secantem & dijudicantem*, rejectis & rescissis altercationibus supervacaneis, quibus lites non finiuntur, sed aluntur ac augentur. Et admonet Ambrosius Christianorum disputationes *collationes* esse debere non *altercationes*. Et Chrysostomus ubique destomachatur in hoc hominum genus, & tamen ille nondum audierat nostras disputationes de Filiationibus, de Relationibus, de Instantibus, nè quid adjiciam quod justiùs sed periculosiùs dici poterat. ¶ *Proficiunt ad impietatem*] Προκόψουσι, *proficient* fut. temporis; & ità legit Ambrosius, suffragantibus vetustis exemplaribus. Nec tam est *multùm* quàm *ampliùs*. Porrò quod dicit, *inaniloquia proficere ad impietatem*, non omnino id sentit Paulus quod fortasse verba Latina sonant, Hujusmodi disceptationes adducere nos ad impietatem; verùm id sentit, Disceptationes hujusmodi quò magis admittuntur, hoc magis serpere & crescere ad majorem impietatem, gliscentibus indies contentionibus ambitiosis. ἐπὶ τὸ πλεῖον ἀσεβείας, i. e. *ad majorem impietatem*. Atque in hunc modum Græcanica Scholia interpretantur, & optimè congruunt ea quæ sequuntur.

17. *Ut cancer*] *Cancer* hoc loco morbus est, γάγγραινα· nè quis animal hoc loco putet esse. ¶ *Serpit*] Νομὴν ἕξει, *pastionem habebit*, ut conveniat cum verbo *proficiet*, quod est fut. temporis. Porrò morbus is depascitur locum quem occupavit; unde statim arcendus.

18. *Qui à veritate exciderunt*] Περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν, *circa veritatem aberrarunt*: de quo verbo superiùs admonuimus. Nam ἀστοχεῖ *qui non attingit quod destinabat attingere*, veluti scopum, aut aliud simile. ¶ *Et subverterunt*] Ἀνατρέπουσι, i. e. *subvertunt*. Persistebant enim adhuc in suo perverso studio. Sic adducit Augustinus lib. contra Faust. 4. c. 2. juxta fidem vetusti voluminis manu descripti, quod nobis exhibuit honorabile Collegium Canonicorum Martinensium Lovanii.

19. *Cognovit Dominus*] Hoc additum apparet velut exemplum *signaculi*: quod palàm declarat Chrysostomus, & huic libenter accinens Theophylactus, hunc enarrans locum. Unde minùs quadrat quod legitur in Ambrosianis codicibus, *Cognovit enim Dominus*. Quanquam ad eundem modum refert Augustinus libro De Catechizandis cap. 2. Et Chrysostomus putat testimonium hoc desumptum ex libro Deuteronomii; quod tamen nihil officit annotationi nostræ. ¶ *Qui sunt ejus*] Τοὺς ὄντας αὐτοῦ, i. e. *qui sunt sui*. Atque ità citat D. Hieronymus in Zachariam. Tolerabile est quod legit Ambrosius Epist. 1. *Cognovit Dominus qui sunt ipsius*: quòd *ipse* ad reciproci pronominis naturam proximè accedit. ¶ *Et discedit*] *Discedat*, ἀποστήτω. Atque ità legit Ambrosius, atque ipse etiam Aquinas, consentientibus vetustis exemplaribus. ¶ *Qui invocat nomen*] Ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα, *Qui nominat nomen*; quemadmodum habent & antiqui codices. Siquidem in exemplari Paulino evidens rasura testatur aliud fuisse scriptum. Et in codice Donatianico sine rasura scriptum erat, *Qui nominat nomen Domini*. Suffragabantur utrumque Constantiense. Theophylactus & legit & exponit *nomen nominat*, licèt interpres Latinus constanter insulserit pro *nominat*, *invocat*. Augustinus loco quem modò citavimus refert, *Qui invocat nomen Domini*. Tametsi in quibusdam Græcorum exemplaribus additum erat Χριστοῦ, atque ità legit Chrysostomus, nisi mendum est. Nam Theophylactus

lactus legit Κυρίῳ, quod mihi magis probatur. Nam dominum nullus agnoscit nisi servus illius. Aliis enim verbis Apostolus retulit sententiam quæ est 1 Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto.*

20. *Et quædam quidem in honorem*] Dilucidius erat, *illa quidem in honorem, hæc verò in ignominiam:* ut HÆC referat proxima, nempe *lignea ac testacea*; ILLA, *aurea & argentea.* Carent enim Græci hujusmodi pronominum proprietate. Quòd si schematis decus voluisset Interpres reddere, dicendum erat *in decus*, ac *dedecus*, τιμὴν, ἀτιμίαν.

21. *Si quis ergò emundaverit se*] Ἐκκαθάρῃ. Chrysostomus notat verbi præpositionem, quasi plus sit ἐκκαθάρῃ quam καθάρῃ. ¶ *Et utile Domino*] *Et* redundat, εὔχρηστον· quod sonat *accommodum usibus Domini.* ¶ *Ad omne opus bonum paratum*] *Paratum* hoc loco participium est, ἡτοιμασμένον· ut intelligas non *promptum*, sed à *Domino in hunc usum praparatum.*

22. *Fidem, spem*] *Spem* nec est in Græcis nec in antiquis Latinorum codicibus, nec est apud Ambrosium, nec apud Theophylactum, nec apud Chrysostomum, sive spectes contextum, sive excutias interpretationem, nè in codice quidem Donat. quem in tertia editione habui in consiliis; nec in duobus è Constantia missis. Ambrosius cum Græcis tantùm tria ponit, *fidem, charitatem & pacem.* Fides excludit ambitiosas disputationes; *Charitas non quærit quæ sua sunt*; ex his Pax alitur. ¶ *Et pacem*] *Et* copula redundat.

23. *Sine disciplina quæstiones*] Ἀπαιδεύτους ζητήσεις, *ineruditas quæstiones.* Atque ità vertit Ambrosius. Et rursum *devita* est παραιτοῦ· in quo mirum illum non meminisse copiæ. Sonat autem *rejice*, & *aspernare, nec admitte.* ¶ *Generant lites*] Μάχας, *pugnas.* Eleganter autem hujusmodi disputationes rixosas *pugnas* vocat.

24. *Non oportet litigare*] Μάχεσθαι, *pugnare.* Et rursum paulò pòst μάχεσθαι vertit *litigare.* Tametsi non admodum mutatur sententia, tamen perit emphasis Metaphoræ. ¶ *Docibilem*; Διδακτικὸν, i. e. *idoneum ac paratum ad docendum*, magis quàm imperiosum. Nunc quidam cogere malunus quàm docere. Cyprianus in Epist. ad Stephanum urbis Romæ Episcopum interpretatur *docilem*, qui paratus sit discere: cui sententiæ reclamat Græca vox. Quanquam non refellitur ab Augustino lib. 5. De Baptismate contra Donat. c. 26. Quod hic dicit διδακτικὸν, Plato in in Gorgia vocat διδασκαλικόν. ¶ *Patientem*] Ἀνεξίκακον, *tolerantem malos*, sive *mala.* Plus enim significat vox Græca quàm *tolerantem.*

25. *Cum modestia*] Ἐν πρᾳότητι, *in mansuetudine*, seu *lenitate.* Potest enim utrovis referri, vel ad superiora, *tolerantem malorum in lenitate*, vel ad inferiora, *erudientem in lenitate.* Quanquam non inficias eo παιδεύειν nonnunquam sonare *corripere.* ¶ *Qui resistunt veritati*] *Veritati* redundat, nec est apud Ambrosium. Nam est quidem ad hunc legit modum, *corrigentem eos qui diversa sentiunt.* ¶ *Nè fortè det*] Μήποτε δῷ, *nequando det.* Quanquam si Latinè loqui voluisset Interpres dixisset *si quando*: quòd μὴ apud Græcos non semper est Negantis aut Prohibentis, sed nonnunquam Dubitantis, ut apud nos *num* aut *si.* Sensit orationis incommodum Augustinus, proinde libro quem inscripsit De singularitate Clericorum 1. cap. 14. interpretatur NE QUANDO DET, *ut aliquando det.*

26. *Et resipiscant*] Ἀνανήψωσιν, i. e. *redeant ad sobrietatem*, vel *expergiscantur*: utrumque enim significat νήφειν. ¶ *Diaboli laqueis*] Græcis est *laqueo* numero sing. ¶ *A quo captivi tenentur*] Ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ. Significat autem propriè *vivum capi in bello.* Nam hic Græca vox composita est, sicut & aliàs admonuimus.

VATABLUS.

1. *Confortare*] *Fortis esto.* ¶ *Gratiâ*] Sub. *annuntiandâ, quæ est per Jesum*, &c.

2. *Per multos testes*] i. e. Coram multis testibus, non furtim. ¶ *Commenda*] *Præcipe.*

3. *Labora*] *Fer igitur afflictionem.*

4. *Secularibus*] *Vitæ*: i. e. ad victum quærendum pertinentibus. ¶ *Cui se probavit. Nam & qui*, &c.] *Qui se ad militiam delegit. Quòd si certet etiam aliquis.*

5. *Coronabitur*] *Coronatur*, Vet.

6. *Accipere*] *Percipere.*

7. *Dabit enim tibi*] *Det tibi.* Vacat *enim* hoc loco.

8. *Secundùm Evangelium meum*] i. e. *Secundùm quod doceo.*

9. *Laboro*] *Malis affligor.* ¶ *Quasi malè operans*] *Ut maleficus, facinorosus.* ¶ *Est*] *Fuit.*

10. *In Christo Jesu*] *Per Christum Jesum.* ¶ *Cælesti*] *Æternâ.*

11. *Fidelis*] *Certus.* ¶ *Nam*] Vacat *nam* hoc loco more Hebraico.

12. *Sustinebimus*] *Sufferimus.* ¶ *Negaverimus*] *Negamus.*

13. *Ille*] Sub. *tamen*, more Hebræorum.

14. *Coram Deo. Noli contendere verbis*, &c.] *Coram Domino, nè verborum pugnas sectentur, ad nullam utilitatem, ad*, &c. Vetera legunt *Domino*, & non legunt *nisi.*

15. *Inconfusibilem*] *Qui non erubescat.* ¶ *Rectè tractantem*] *Secantem*: i. e. circumcidentem inutilia quæque, & demetentem gladio sermonis & verbi quæ ab Euangelii prædicatione sunt aliena.

16. *Profana autem & inaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem.*] *Profanas autem vocum inanitates fuge: ad majorem enim procedent impietatem*: vel, *ad incrementum enim impietatis proficiunt.* Vetera legunt, *Profana autem inaniloquia, sive*, &c. item *proficient*, in futuro.

17. *Serpit*] *Serpet*, fut. temp. Vet. vel, *pastionem habebit*, i. e. depascet.

18. *Quia*] *Qui*, Vet. ¶ *Subverterunt*] *Subvertunt.*

19. *Habens signaculum hoc*] q. d. *Fides tamen, Divinum fundamentum, quo salus nostra fulcitur, consistit, ità ut subverti nequeat.* Ad fundamenti tamen hujus confirmationem pertinet illa sententia, *Novit Deus suos*, qui perire non possunt, & quorum fides subverti nequit. Soli seducuntur qui seducendi sunt: ad tempus pii errant, at suo tempore in viam reducuntur. ¶ *Discedit*] *Discedat*, Vet. ¶ *Invocat*] *Nominat*, Vet. i. e. colit Christum. ¶ *Domini*] *Christi.*

21. *Abstis*] Sub. *hominibus impiis, Hymenæo & Phileto*: i. e. doctrinam eorum secutus non fuerit. ¶ *Erit vas in honorem sanctificatum*] Heb. erit tanquam vas præparatum & separatum ad res honestas, accommodum usibus Domini. Seipsum exposuit cùm dixit, *utile Domino*, &c.

22. *Sectare* *] * *Verò*, Vet. ¶ *Qui invocant Dominum*] i. e. Qui Deum colunt.

23. *Sine disciplina*] *Ineruditas.* ¶ *Devita*] *Respue.* ¶ *Lites*] *Pugnas.*

24. *Litigare*] *Pugnare.* ¶ *Mansuetum*] *Placidum.* ¶ *Docibilem*] *Propensum ad docendum*: i. e. idoneum ac paratum. ¶ *Patientem, cum modestia corripientem*] *Tolerantem malos* [vel, *mala*] *cùm mansuetudine erudiens eos*, &c.

25. *Nè quando*] *Si quando.*

26. *Resipiscant*] Vel, *ad sobrietatem redeant*: vel, *expergiscantur*: utrumque enim significat vox Græca. ¶ *Captivi*] *Capti*, Vet.

CASTALIO.

21. *Proinde si quis seipsum ab his expurgaverit*] Scilicet vitiis quæ dixi.

CLARIUS.

2. *Quæ audisti à me per multos testes*] Nihil est quod verearis, inquit, ea proponere quæ à me jam vulgata sunt & testes multos habent: vel multis Divinis sive Spiritus S. testimoniis confirmata.

3. *Sicut bonus miles*] Militis enim id proprium est, *labores perferre.*

4. *Nemo militans*] Accipit similitudinem à corporea hac Militia, in qua legitimus militandi usus vult ut *nemo qui ad militiam ascriptus sit, aliis se ullis negotiis implicet*, ut strenuè negotium suum exerceat. Idem ipsum multò etiam magis servandum est in spirituali militia. Nam si terreno quis Regi militans non implicatur rebus quæ illum ab armis avocent, quantò magis qui cœlesti Regi se dicavit, & in tam egregiam militiam ascriptus est, id præstare debet? Meminit & *Athletæ*, indicans, perpetuâ illi opus esse exercitatione. Quod athletæ (quæ Græca dictio est) exemplum meliùs ex Græco textu intelligitur, ubi sic legitur, Ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ, *Quòd si etiam quis certet*, h. e. athletæ officium exerceat, *non coronatur nisi legitimè certaverit.*

6. *Laborantem agricolam*] Non inertem, sed qui primùm in laboribus desudaverit. Is autem primus laborum fructum percipiet. Sic magister qui pro discipulis laborat, præterquam quòd accipiet à Deo copiosam retributionem, primus etiam percipit fructum, dum ipse in se priùs vel corrigit vel facit quæ alios docet.

8. *Memor esto Dominum Jesum Christum*] Munit eum adversùs

versùs hæreticos: ideo subdit, *secundùm Euangelium meum:* siquidem Pseudapostoli pravè annunciabant Euangelium. Etenim quidam jam tum dispensationem Incarnationis negabant, existimantes indecorum esse Filium Dei pati, & idcirco imaginariam fortasse illam fuisse docentes. Potuit etiam ista dixisse, ut solatium esset discipulo memoria & spes Resurrectionis.

10. *Sustineo propter electos*] Si electi jam sunt, quid posthac curà ac laboribus opus est? Verùm sic electi sunt ut media tamen per quæ serventur adhiberi velit Deus.

13. *Ille fidelis permanet*] *Si noluerimus*, inquit, *ei credere*, non propterea ille quicquam patitur damni, & nos nostrà culpà peribimus, non illius: nam *fidelis*, h. e. verus, *permanet* ac stabilis, *& negare se non potest*, h. e. non potest non esse Deus. Non enim ex nostra vel fide vel incredulitate illa veritas vel juvatur vel læditur.

18. *Dicentes resurrectionem esse jam factam*] *Resurrectionem* (ut quidam ferunt) appellabant successionem illam quæ ex procreatione liberorum fit. Vide autem quot mala oriantur si dicatur *factam esse jam resurrectionem*. Privamur præsentià Christi; Non est retributio, neque ultio; Mentitur qui ista est pollicitus; & multa hujus generis: ut, *Si resurrectio non est, neque Christus resurrexit*, neque Judex erit vivorum & mortuorum, &c.

19. *Cognovit Dominus*] Signum quo agnoscitur aliquem cognitum esse à Deo atque electum est, Non everti à dogmatibus impietatis.

21. *Siquis ergò emundaverit se*] Hi enim possunt proposito ac voluntate mutari, & in utram velint partem converti. Nam in *vasis* quidem *aureis* ac *fictilibus* id fieri non potest, quæ ut facta sunt, ità manent: at in hominibus fit ex studio, ut quòd fictile erat fiat aureum, & aureum ex inertia evadat fictile. *Siquis igitur*, inquit, *emundaverit seipsum ab iis* qui tanquam lignea & fictilia sunt vasa, ut nihil commune cum illis habeat, *erit vas in honorem*, &c.

22. *Juvenilia autem desideria*] *Juvenilia desideria* non sola est scortatio, verùm etiam absurda quævis appetitio, sive quis pecunias amet, sive præesse aliis: quo pacto & senes interdum juveniliter concupiscunt.

ZEGERUS.

4. N*Emo militans Deo*] Cave omittas *Deo* cum Græcis, contra Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, & alios veteres. ¶ *Cui se probavit*] i. e. Ad cujus militiam concessit: vel, ut Græcè est, *ut ei qui se militem delegit placeat*, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ.

8. *Memor esto Dominum Jesum Christum*] *Dominum* non legunt scriptores modò citati, nec codices Græci, nec aliquot Latini.

13. *Si non credimus, ille fidelis permanet*] Propter vocum cognationem contrarietatemque jucundiùs ac dilucidiùs resonant Apostoli verba, εἰ ἀπιστοῦμεν, ἐκεῖνος πιστὸς μένει, quæ ità licebit vertere, *Si perfidi sumus, ille fidus manet.*

14. *Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem*] Græca ad verbum reddita ità resonant, *Noli verbigerari, ad nihil utile, propter subversionem audientium.* Sed Interpres, aut certè corrector Ecclesiasticus, Periphrasi explicuit quod alioqui obscurum erat, aliquot verbis superadditis, quæ etiam apud Ambrosium leguntur.

17. *Ut Cancer serpit*] *Cancer* hoc loci neutri generis est, morbumque significat membra depascentem: unde pro *serpit* Græcis est νομὴν ἕξει, *pasturam*, vel *pabulum*, *habebit*. Chrysostomus tamen, Ambrosius, & Augustinus, Tract. in Epist. Joh. 8. *serpit* legunt.

19. *Habens signaculum hoc*] Nimirum quod sequitur, *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, quod Chrysostomus ex Deuteronomio sumptum indicat, ex quoto verò capite incertum est. Porrò alteram partem testimonii, *Discedat ab iniquitate*, &c. quidam ex Jes. 55. desumptum putat, ubi scriptum est, *Derelinquat impius viam suam*, &c. ¶ *Omnis qui invocat nomen Domini*] Lege *nominat nomen*, juxta Ambrosium, Augustinum, exemplaria vetera & editionem Græcorum.

23. *Sine disciplina quæstiones*] Ἀπαιδεύτους ζητήσεις, i. e. *indoctas quæstiones*.

27. *Docibilem*] Διδακτικόν, non tam *docibilem* signat quàm *aptum ad docendum*. Verùm *docibilem* legunt Ambrosius & Augustinus lib. 2. De serm. Dom. in monte, & magis quadrat.

25. *Ne quando det illis Deus pœnitentiam*] Augustinus lib. 1. De singul. Clericor. c. 14. interpretatur, *ut aliquando det illis Deus pœnitentiam*.

LUCAS BRUG.

14. H*Æc* " commone *testificans* [" *commoneo* O. *commonere* O. *commoneri testificor* O.] *coram Domino* [*Deo* O.] *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*] Græcè pro, *Noli contendere verbis* est, μὴ λογομαχεῖν, quod est, *non contendere verbis:* id quod accipi possit ut novæ sententiæ caput, atque intelligi infinitus modus imperativi singularis loco; sed rectiùs fortè, juxta Græcos Tractatores, etiam Chrysostomum & Syricum Interpretem, præcedentibus jungi, ità ut à participio *testificans* sive *contestans* pendeat, ut non Timotheum Apostolus doceat à verborum contentione abstinere, sed alios ad id vitii proclives à Timotheo velit Deo in testem assumpto moneri. Facilè verò in suspicionem adducar, Latinum Interpretem non *noli*, sed *non* convertisse, *non verbis contendere* (hic enim verborum ordo in libris omnibus MSS.) minimùm enim differunt *non* & *noli*, in scriptis præsertim minori charactere libris: ac facillimè id mutat audax imperitia quod non intelligit. Cæterùm Autor Glossæ, & posteriores Latini enarratores, *noli* exponunt. Qui Ambrosio junctus est Autor, incertum satis quid legerit; is qui Hieronymo, *noli*, si non legit, intellexit.

Quod sequitur, *ad nihil enim utile est*, variè admodum legitur in MSS. nam in impressis exemplaribus, quæ ferè mutuò se sequuntur, hæc constans est lectio: quam, etsi commoda sit, existimare non possum Scripturam Interpretis germanam esse, ideo quòd clara tersaque sit, ac proinde locum relinquere haud potuerit tantæ variationi, ut penè quot codices, tot sint diversitates. Recenserem singulas singulorum, nisi fortè tædium lectoribus moveret. Capita itaque duntaxat varietatum adferam ac discutiam. Pleraque manuscriptorum nostrorum *ad* legunt; quinque illius loco *in*; alia quinque nec *ad* nec *in*: tantùm *nihil utile est*. Nec parvi facienda sunt hæc postrema, Brug. O. L. G. Pl. lon. quibus consonat textus Lyrani commentariis immixtus, quæ ex ipsis Typographiæ incunabulis edita habemus: quanquam & pro aliis partibus boni sint codices; pro prima, Mal. mi. Lob. T. E. Pl. m. pro secunda, Mal. ma. Q. So. la. Est præpositio Græcè, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, i. e. *ad*, vel *in*, *nihil utile*. Conjunctio *enim*, ut non est Græcè, ità nec in optimis quibusque scriptis. *Est* substantivum verbum in quibusdam vulgaribus (P. V. R. So. m.) & quibusdam eximiis (So. la. Q.) omittitur, in pluribus legitur. Hinc conjicere alios sino, quæ germana esse possit Interpretis Scriptura. Syrica editio habet, *Quod*, sive *qua*, *non utilitas*.

Id quod subsequitur, *Nisi ad subversionem audientium*, & ipsum variat. Græcè non est, ut nec Syriacè, *nisi*; solùm ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων *ad subversionem audientium*, ut id quod præcedit per parenthesin intelligas, aut *ad nullam utilitatem* exponas. Latinum Parisiensium exemplar, Germani latum, similiter omittit *nisi:* cui accedit Societatis latum, quanquam alterà manu inter textûs lineas illud scriptum habeat. Cætera porrò nostra id legunt. An igitur Interpres, an alius quispiam, elucidationis gratià id adjecerit (potest enim ità fons Græcus intelligi, *Ad nihil utile, ad subversionem audientium utile*) fit dubium.

25. *Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati*] Unum Parisiensium manuscriptum (Ge. l.) & novem nostra (Brug. Mal. mi. Leod. Pl. m. E. Q. G. I. Pl. lon.) auferunt τὸ *veritati*, conformiter Græcis & Syricis, libris, adstipulantibus, præter Græcos, Latinis enarratoribus, vetere Ambrosiastro, mediæ ætatis Anselmo, recentiore Richelio. Zegerus castigator textu expulit: glossa est enim textui addita, vel ex eo quod subsequitur, *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, vel ex simili proximi capitis loco, v. 8. *Ità & hi resistunt veritati*, vel quòd alioqui subaudiri videretur. Syrus porrò addidit *adversùs ipsum*; *eos qui contradicunt adversus ipsum*. Ambrosiaster, vel quem ille secutus est Interpres, transtulit, *eos qui diversa sentiunt*, id quod est Græcè, τοὺς ἀντιδιατιθεμένους. Simili modo B. Augustinus se legisse indicat, lib. De correptione & gratia cap. 5.

H. STEPHANUS.

3. K*Ακοπάθησον*] *Labores & ærumnas sustine.*

14. Μὴ λογομαχεῖν, *Ne de verbis contendant.*

16. Τὰς βεβήλους κενοφωνίας] *Profanas verborum vanitates:* vel *futilitates*. Aut *profanos de rebus inanibus clamores.*

17. Ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει] *Depascet ut gangræna.*

18. Περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν] *A scopo veritatis aberrarunt.*

24. Δι-

24. Διδακτικὸν] *Ad docendum propensum.*

25. Μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς] *Experiendo annon tandem Deus dare velit illis.*

DRUSIUS.

2. PEr *multos testes*] Syrus, *per manum testium multorum.* Videtur Prophetas innuere, quos pro testimonio citaverit & adduxerit ut probaret Jesum esse verum Messiam qui Patribus promissus fuisset.

3. *Labora*] Κακοπάθησον, ut Jon. 4. 10. ὑπὲρ ἧς οὐκ ἐκακοπάθησας. Ebræa sunt לא עמלת בו. Ergò עמל κακοπαθέω *laboro.* Lex Vet. Κακοπαθῶ, *vexor.* Κακοπάθεια, *vexatio, labor.*

4. *Negotiis secularibus*] Interpres haut dubiè legit ταῖς τοῦ αἰῶνος πραγματείαις· quam lectionem etiam Syrus videtur mihi secutus esse: nam vertit בעבדא דעלמא *negotiis hujus seculi*, vel certè *seculi.* Græca lectio sonat, *implicatur vita negotiis:* quod in idem ferme recidit.

9. *In quo laboro*] Κακοπαθῶ meliùs hic redditur *vexor.* Vide notata superiùs ad v. 3. Syrus, *tolero* (vel *sustineo*) *mala.*

14. *Noli contendere verbis*] Μὴ λογομαχεῖν, *ne verbis pugnent*, aut *ne contendant de verbis*: unde λογομαχία *pugna verborum* 1 Timoth. 6. 4. quæ verbis committitur, aut etiam de verbis fit. Uno verbo exponunt *rixam*: dubito an bene. Nam in Lexico veteri, Μάχη ἡ διὰ λόγων, *litigatio, jurgium.* Μάχη ἡ διὰ χειρῶν, *rixa.* Non ergò *rixa* verborum pugna, sed manuum. Vide Thesaurum Henrici Stephani in Λογομαχία.

15. *Rectè tractantem*] Malim *rectè secantem*: nam in fonte ὀρθοτομοῦντα. Syrus habet *rectè prædicantem*, i.e. כרוז: unde כרוז *præco*, i.e. κῆρυξ.

17. *Ut cancer*] Ὡς γάγγραινα *ut gangræna.* Lex. Græco-Lat. vet. Γάγγραινα, *cancer.* Syrus, איך חלדתא, h.e. interprete Tremellio, *tanquam cancer.* David de pomis, חלודה *rubigo*: vitium est ferri, quod rubigine depascitur & corrumpitur, παρὰ τὸ חלד *corrumpo, deperdo.* In lib. Nominum, HOLDA, *Destructio.* Joel. 1. 17. חלודה est in R. Salomone, qui eo utitur de granis quæ in terra putrescunt & sinum contrahunt.

19. *Novit Dominus qui sunt ejus*] Alius, *qui sui sint.* Sumptum ex editione Græca Num. 16. 5. ubi in LXX. ἔγνω Κύριος (יהוה, quanquam in edit. Romana ὁ Θεὸς) τοὺς ὄντας αὐτοῦ. Lectio varians ἐκείνων. Vide Annot. nostras. ¶ *Qui nominat nomen* DOMINI) i.e. DOMINUM. Alibi est *nomen Christi.* Sic in Latio *nomen agelli* pro *agello*: &,

Vitandum ducas inimicum nomen amici,

i.e. inimicum amicum, qui amicus videtur, & est inimicus. Talis φίλος ἄφιλος à Græcis vocatur.

SCULTETUS.

CAP. I.

Ὁμοιώσεις *aliquot*, *quarum accommodatio subintelligenda. Simile de Milite explanatur. Pastores sunt liberi à cura testamentaria.*

ANimaturus Apostolus Timotheum ad tolerantiam laborum ac molestiarum in Ministerio Euangelii obeundo, proponit illi simile Militis fidelis, Athletæ coronati, Agricolæ laborum suorum fructibus exhilarati: sed accommodationem omittit, cujus loco ponit v. 7. Νόει ἃ λέγω, *Considera quæ dico*, h.e. Applica Ipse ad te hæc similia: & cum fideli Milite quæ officii tui sunt ages, non aliena: cùm Athleta legitimè certante, si certâris & ipse, coronam; cum Agricola laborante, si laborâris & ipse, fructum percipies. Ergò Doctorem Euangelii comparat Militi, cui ut victum nostræ militiæ Magister assignat ex Euangelio (*Nemo* enim *militat unquam suis stipendiis*) ità universam illius operam exigit, dicens, *Nemo qui militat implicatur vita negotiis, ut ei placeat à quo delectus est miles.* Quam rationem allegat Cyprianus lib. 1. epist. 9. demonstrans, non licuisse Victori Presbytero morituro *Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominare*; addens, repugnare id etiam decretis veterum Episcoporum, qui decreverint *Presbyterum soli altari & sacrificiis servire & precibus vacare debere*: propter quam causam Levitæ nihil de portione terræ Sanctæ ceperint in V. Fœdere. Neque verò testamentariâ tantùm sed omni secularium curâ Ministris verbi interdicitur à Concilio Chalcedonensi Can. 3. Canone 10. autem ejusdem Concilii præcipitur ut nec in duabus simul Ecclesiis Ministerii sacri munia quis obeat, sed in una tantum. At nos eheu quantum mutati ab illo tempore? Quàm volentes lubentes Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus nostris permitteremus curam orphanorum, pauperculorum, viduarum! Sed illi ad curas longè altiores delabuntur, & omnis Episcopalis muneris obliti *bella, horrida bella*, crepant: & cùm vetera Concilia unam Ecclesiam uni commissam voluerint, nova Concilia, h.e. Papa, supra vetera & nova Concilia suopte judicio evectus, uni Archiepiscopo tres pluresve insignes Episcopatus non dubitat assignare. Quidam legunt, *Nemo militans Deo.* Sed fateri cogitur Bellarminus illud *Deo* nec in Græco nec in omnibus Latinis cod. haberi. Cogimur & nos fateri nihil ineptiùs dici posse quàm per *secularia negotia* Nuptias intelligi, à quibus Episcopum sive verbi Divini administrum volunt exclusum. Alia, longè alia sunt quæ Bellarminus, quæ omnes Cardinales, quæ omnes Episcopi, quæ Papa ipse ex hoc Apostolico pronunciato colligere debent, nempe, *Episcopum qui se negotiis secularibus implicat, non placere* DEO. *Episcopum qui otio aut deliciis indulget, munus autem suum per alios exsequitur, non placere* DEO. Sed cœlum non curant qui amant terram. Abeamus igitur ab iis, quæramusque, An miles Christi etiam ætate provectâ, valetudine adflictâ, ad militiam sacram militandam obligatus sit: cùm Levitæ quinquagenarii jussi fuerint ab operationis munere cessare, Num. 8. 25. Respondeo, Levitici cultûs Lex ista fuit propria; quia cultus legalis ceremoniarum variarum & sacrificiorum majorem corporis firmitatem ac robur requirebat. Cessavit causa; cessat effectus. Igitur Prophetæ & Apostoli quantumlibèt senes, Isaias, Hoseas, Petrus, Paulus, Johannes, non destitere homines ad resipiscentiam vocare. Quin Levitæ ipsi post annum quinquagesimum non erant ab omni ministerio liberi; nam *fratribus suis in tabernaculo conventûs militiam obeuntibus serviebant, observando observationem*, Num. 8. 26. Analogia tamen ratioque legis arguit, non esse plus oneris imponendum Pastoribus & Doctoribus quàm facultas eorum ferat. Sed quorum valetudo & vires patiuntur ipsos militare, ii si munus suum per alios exsequantur videant nè alii accipiant coronam, quæ ipsis nisi cursum consummantibus non promittitur. *Veteranus* miles, *cùm die sibi dicto periclitaretur Romæ, accessit in publico ad* Augustum *Cæsarem* (Macrobius refert Saturn. lib. 2. 4.) *rogabatque ut sibi adesset. Ille advocatum, quem ex suo comitatu elegerat, sine mora dedit, commendavitque ei litigatorem. Exclamavit ingenti voce veteranus*, At non ego, Cæsar, periclitante te Actiaco bello vicarium quæsivi, sed pro te ipse pugnavi: *detexitque impressas cicatrices. Erubuit Cæsar, venitque in advocationem, ut qui vereretur non superbus tantùm sed etiam ingratus videri. Quòd si Imperator tantus* (inquit Reinoldus celeberrimæ memoriæ Theologus Anglus) *se maximorum criminum notam subiturum esse judicavit, nisi praeberet ipse operam tam humilem tam abjecto, quàm inexpiabile dedecus & probrum nobis metuendum est si legationem obeundam pro Christo, qui ad nos æternâ gloriâ beandos mortem acerbissimam crucis sustinuit, rejiciamus in vicarios?* Addo ego & hoc, Quòd si ex hoc dicto Paulino, *Nemo qui militat implicatur vita negotiis*, Cyprianus conclusit, Qui Divinis rebus ac spiritualibus occupati sunt, eos molestiis & laqueis secularibus obligari non debere; si Ambrosius indè conclusit, Non convenire, hominem unum duplicem professionem habere; quid dicturi essent boni isti Patres, (quærit doctissimus idemque optimus Thomas Mortonus Anglus Apol. Cathol. part. 2. lib. 5. c. 35.) si viderent hodiernos Reverendos & Sanctissimos? cùm in hoc Regno ad Episcopatus, nè dicam Galeros, nulla via expeditior sit quàm litium secularium institoria, nedum judiciaria.

CAP. II.

Corona legitimè certanti, fructus agri sedulò laboranti, v. 5, 6.

EA'N δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ, h.e. *Quòd si certet etiam aliquis, non coronatur nisi legitimè certaverit.* Τί ἐστι, ἐὰν μὴ νομίμως; *Quid est*, NISI LEGITIME? quærit Chrysostomus. Respondet ipsius, οὐκ ἐὰν εἰς τὸν ἀγῶνα εἰσέλθῃ, ἀρκεῖ τοῦτο· οὐδὲ ἐὰν ἀλείψηται· οὐδὲ ἐὰν συμπλακῇ, *Non si in agonem descenderit, hoc sufficit; non si perunctus fuerit; non denique si commissus fuerit manumve conseruerit.* Quid ergo? Adjicit statim, *oportuisse insuper ut qui coronam consequi vellet, is omnem agonisticæ professionis observasset legem, tam circa ciborum quibus vescendum vel abstinendum athletis fuit, quàm circa continentiæ ac honestatis rationem, omnemque adeò*

legitimum (sicut Johannes Cassianus lib. 5. Monast. institut. cap. 18. hac de re agens loquitur) *colluctationis ordinem*. Scribit autem Galenus ad Hippocr. Aphorismum 18. *varietatem ciborum ab iis qui luctantur & legitimè certant, maximè devitatam*. Leges athleticas urgent etiam Ascetica Basiliana & Nazianzenus. Basilius enim in Asceticis, ἀθλητικῷ νόμῳ δεῖ σε πολιτεύεσθαι εἰ δὲ μή, οὐ στεφανοῦσθαι. Nazianzenus Orat. in Pentecosten, ἵνα μὴ ἀθλῆτε μόνον, ἀλλὰ καὶ νομίμως, ἐξ οὗ καὶ ὁ στέφανος. Ἐκ τοῦ νομίμως δηλαδὴ ἀθλεῖν, inquit Nicetas in Orat. eandem. qui idem porrò subjicit, Ἄλογον γάρ, ὦ βέλτιστε, πονεῖν μὲν τὰ πνευματικά, τὸν ὑπὲρ τοῦ πόνου δὲ στέφανον μὴ λαμβάνειν, διὰ τὸ μὴ ποιεῖν ὡς χρή. Ἀθλεῖ δὲ νομίμως, ὁ μὴ μόνον ἀποδυσάμενος, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ στάδιον, ἀλλὰ καὶ φυλάξας τοὺς νόμους τοὺς ἀθλητικούς, καὶ νικήσας τὸν ἀντιπαλαιστάμενον. ¶ Tertium simile ab Agricola ducitur, Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. Ad. v. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*: q. d. Πρῶτον ἁπάντων δεῖ τὸν κοπιῶντα αὐτὸν μεταλαμβάνειν τῶν καρπῶν, *Primum omnium oportet eum ipsum qui opus fecit percipere fructum laboris sui*. Ut idem hic parabolicè dicat quod alibi propriè, *ne cùm aliis prædicem, ipse reprobus efficiar*, sed fructum laboris mei inprimis vel ante auditores meos accipiam, secundùm illud Dan. 12. *Qui alios erudierint, splendebunt quasi splendore firmamenti*. Sic Lutherus, *Es soll aber der Ackerman, der den Acker bauet, der fruchte am ersten geniessen*. Et hanc quidem sententiam verba prout jacent considerata gignunt. Sed præstat verborum μετάθεσιν agnoscere, ut hoc dicatur, Τὸν γεωργὸν δεῖ πρῶτον, ἤγουν πρότερον, κοπιῶντα, οὕτω μεταλαμβάνειν τῶν καρπῶν, ut intelligatur beneficium tribui officio & τὸ πρῶτον non ad verbum μεταλαμβάνειν sed ad τὸν κοπιῶντα referatur. Hanc enim sententiam postulat versus præcedens. *Ut enim athleta non coronatur nisi priùs certet, ità agricola non percipit fructus nisi priùs laboret*. Nec aliter Basilius Serm. De inanis gloriæ cupiditate locum hunc exponit: uti nec Chrysostomus aliter Serm. 4. fol. 50. pag. 2. ex professo eum tractans, Ὁ γεωργὸς οὐκ ἐπιμελεῖται μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν καρπῶν τῆς γῆς, πρότερον μικρὰν ἀμοιβὴν τῶν πόνων καρποῦται καὶ ὁ γεωργός.

CAP. III.

Memoria suscitati Jesu solamen nostrarum ærumnarum. Ordo συναποθνησκόντων. Deus fidus, v. 8 —— 13.

COnando, laborando, perferendo Græci pervenerunt ad Ilium: Non aliter ad vocationis suæ metam perveniet Minister Verbi. Placet igitur victoria? Milita bonam militiam. Placet corona? Certa instar industrii athletæ. Placet fructus fidei? Labora in fide. Fructus, Corona, Victoria, omnia parata. Si vel succumbendum tibi sit in ista militia, in isto certamine, in ista agricultura, *memento Jesum Christum, Davidis Filium*, laborum omnium mortisque adeò ipsius præmium retulisse vitam: Cum hoc vincire vinculis, cum hoc *omnia sustine propter electos*. Τέλος, συσταυρώθητι, συννεκρώθητι, συντάφηθι προθύμως, ἵνα καὶ συναναστῇς, καὶ συνδοξασθῇς, καὶ συμβασιλεύσῃς, Θεὸν ὁρῶν ὅσον ἐστὶ καὶ ὁρώμενος, h. e. explicante ista Nazianzeni Orat. in Nativit. Christi verba Nicetâ, συσταυρώθητι μὲν πρὸς τὴν κατ᾽ ἐνέργειαν ἁμαρτίαν συννεκρώθητι δὲ καὶ πρὸς αὐτὰς τῶν παθῶν κινήσεις συντάφηθι, πᾶσαν αἴσθησιν βιωτικῶν πραγμάτων ἀποθέμενος. ἵνα ἀντὶ μὲν τοῦ νεκρωθῆναι ἀναστῇς. ἀντὶ δὲ τοῦ σταυρωθῆναι, ὅπερ δοκεῖ ἀτιμότερον, δοξασθῇς· ἀντὶ δὲ τοῦ ταφῆναι, συμβασιλεύσῃς. ἐναντιώτατον γὰρ τοῦ βασιλεύειν, τὸ ταφῆ παραδεδόσθαι, εἴγε ὁ μὲν ταφεὶς καὶ τὴν γῆν καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ καταλιμπάνει, ὁ δὲ βασιλεύων κύριός ἐστι τῶν ὅλων. *Fidus* enim, h. e. verax, *est sermo*, inquit Apostolus; *Si cum eo mortui sumus, cum eo etiam vivemus*. Omnes nostræ afflictiones sunt nostri triumphi prælūdia. Celebratur apud veteres Ordo τῶν συναποθνησκόντων, in quem transcribebantur ii quibus decretum erat simul vivere, simul mori. Ac in tertium Biblioth. suæ librum Diodorus retulit, Morem Æthiopibus esse, si Regi suo quacunque de causâ membrum aliquod corporis mutilatum sit, ut omnes ejus familiares idipsum sponte sibi decurtent. Turpe enim ducunt, si crus Rex mancum habeat, integris esse pedibus necessarios, nec omnes æquè claudos per vias eum comitari. Absurdum enim amicitiâque verâ & constanti indignum judicant, in cæteris tam adversæ quàm secundæ fortunæ communionem habere, parique luctu ac mœrore affici, corporis verò dolores & vitia non simul participare. φασὶ δέ, inquit, σύνηθες εἶναι καὶ τὸ συντελευτᾶν ἑκουσίως τοὺς ἑταίρους τοῖς βασιλεῦσι, καὶ τοῦτον εἶναι τὸν θάνατον ἔνδοξον καὶ φιλίας ἀληθινῆς μάρτυρα, *in more positum, communem cum Regibus mortem oppetere amicos, eumque interitum gloriosum & sincera amicitia testem prædicant*. Gentilium hic fuit in Reges suos amor: Et nos Christiani à communione vinculorum, flagellorum, probrorum, crucis, mortis Regis nostri Jesu Christi abhorrebimus, qui non, ut olim Æthiopes, cum Rege nostro interituri, sed per κοινωνίαν crucis in æternæ ipsius gloriæ societatem sumus venturi? Morere igitur cum Christo, ut cum eo vivas: patere cum Christo, ut cum eo regnes. Secùs *si abnegabimus, abnegabit nos & ipse. Si fidem datam fallimus*, Christo quidem nihil auferemus, qui etiam nobis perditis *manet integer*; hàc ipsâ tamen inconstantiâ docebimus nos Christi *nominis* non esse, quippe qui *à veritate sua nunquam descivit*.

CAP. IV.

Λογομαχεῖν εἰς οὐδὲν χρήσιμον. Concionator δόκιμος, ἀνεπαίσχυντος. Ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον. Hæresis gangræna, v. 14 —— 17.

NOvæ vivendi docendique regulæ præscribuntur Timotheo. Primùm omnium dehortatur Apostolus Timotheum à λογομαχίᾳ, gravi argumento. Nam λογομαχεῖν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων. Quæ tota oratio elliptica est, ex mente D. Piscatoris sic explenda, διαμαρτυρόμενος μὴ λογομαχεῖν, ὃ ἐστιν εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἀλλ᾽ ἐστιν ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων, *Obtestans ne verborum pugnas sequantur, quod ad nihil utile est, sed pertinet ad perversionem auditorum*. Deinde vult Timotheum esse *operarium* δόκιμον, qui vitâ & doctrinâ demonstret se fidum Dei ministrum esse. Tum & ἀνεπαίσχυντον, *cui nullus criminis conscientia pudorem ac ruborem incutiat*. Denique ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *rectè secantem sermonem veritatis*: sic enim Beza interpretatur, existimans Metaphoram sumptam ab illa legali Victimarum sectione ac distributione. Quæ conjectura ut erudita est, ità SECARE SERMONEM, inquit Fullerus, *& insuetum est Latinis auribus dicendi genus, & (quod deterius est) nimis angustum, nec amplitudinem sensûs Apostolici assequitur*. Putat igitur Fullerus Paulum non sectionem & lanienam carnium, sed Bibliorum in τμήματα vel κόμματα, *segmenta* vel *particulas*, intelligere: & sic Paulum eleganter ac gentis suæ idiotismo congruenter præcipere, inprimis studendum Timotheo ut τέμνων τὸν λόγον τῆς ἀληθείας *secans*, sed *tractans*, *sermonem veritatis*, καὶ ὀρθοτομῶν *rectâ ratione tractans*, id præstet. Idem tamen Fullerus Vulgatam interpretationem hic dilaudat, quæ ad Metaphoræ vim declarandam, ideoque & Apostoli sententiam explicandam, accommodatissimè interpretata est *rectè tractantem*. Ità namque à specie ad genus traductâ significatione usurpatur à Græcis ὀρθοτομεῖν. Nam ut καινοτομεῖν, propriè denotans *novas vias secare*, ex usu linguæ Græcæ *novas res moliri* significat; pari ratione etiam ὀρθοτομεῖν *res rectas aggredi* vel *facere* significabit. Unde & LXX. verbum Heb. ישר *dirigere*, aut *rectum facere*, semel atque iterum reddiderunt ὀρθοτομεῖν. Hinc item Lexicon Græcum H. Stephani ὀρθοτομῶ exponit *rectè facio*, *rectè tracto*. Denique Syrus ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον transtulit *rectè prædicare sermonem*. Postremò (ut ad præcepta Apostolica redeam) jubetur Timotheus *profanos de rebus inanibus clamores cohibere*: Quos Gangrænæ comparat, quæ, Fullero annotante, Syris idem est quod Græcis καταδυτική aut κατάδυσις (de quo vocabulo capite seq.) Malum enim illud non ἐπιπόλαιον est aut in summa cute hæret, sed ὑπόνομον, h. e. *in profundum penetrat & intimos artus depascit*. *Sæpius autem* (inquit Celsus lib. 5. cap. 26. & lib. 6. cap. ult.) *gangræna sanari non potest nisi pars ipsa præcidatur*. Bene igitur monet Apostolus, *Cohibe istos clamores*: & Tit. 1. 13. ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως, q. d. *abscinde & præcide*, consuetudine Chirurgorum, qui summâ severitate (nam *Chirurgum misericordem esse non oportet*, inquit Celsus) scalpellum adhibent infirmæ parti, atque aliquando quidem sanguinem aperiunt, aliquando vulnus faciunt ubi non erat, aliquando partem ipsam abscindunt. Vulgata, Erasmus & Lutherus τὸ, γάγγραινα, vertunt *cancer*: fortè propter affinitatem vocum *cancer* & *gangræna*. Bene autem monet Calvinus in h. l. *in Græcis vocibus non posse similem esse hallucinationem. Καρκῖνον enim illi Cancrum apellant, tam animal quàm morbum*; *cum gangrænam putent Grammatici deduci ἀπὸ τοῦ γραίνειν, quod est edere*. Ac aliter in Medicorum Scholis Cancer, aliter Gangræna definitur. Cancer illis est *tumor durus, inæqualis, aspectu teter, venis in ambitu turgentibus, colore livescens*; Germanicè *der Krebs*. Gangrænam autem Medici de *carnosa parte in flammationis vi emortua* intelligunt; Germanicè *Tods oder faul Fleisch*. Malè igitur pro *cancro* exponitur.

CAP. V.

Errores in fundamento qui notati ab Apostolo. Fides electorum

non

non potest subverti. Unde colligam me scriptum esse in lib. Vitæ. Vasa aurea, testacea. Purgatio suipsius. v. 18--21.

PRæcipiti judicio feruntur qui errores circa fidei fundamentum levissimis quibusque erratis definiunt. Aliter Paulus, cui in fundamento errare est ἀςοχεῖν, *à scopo aberrare salutaris doctrinæ.* V.g. Qui aberrant à salutari doctrina Justificationis non retinent fundamentum: quia *sine fide* [putà justificante] *impossibile est placere Deo.* Qui aberrant à salutari doctrina Sanctificationis non retinent fundamentum; quia *sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Qui aberrant à salutari doctrina gloriosæ Resurrectionis non retinent fundamentum; quì negatâ Resurrectione totus Christianismus negatur, 1 Cor. 15. Tales igitur Apostolus dicit ἀςοχεῖν περὶ πίςιν, 1 Tim. 6. 21. h.e. *veram doctrinam*, Apostolo ipso τὴν πίςιν per ἀλήθειαν exponente 2 Tim. 2. 18. Nam de errantibus circa Justificationem & Sanctificationem scribit 1 Tim. 1. 6. ὧν (nimirum τῆς πίςεως ἀνυποκρίτε & τῆς ἀγάπης ἐκκαθαρᾶς καρδίας) τινὲς ἀςοχήσαντες, ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν. De errantibus circa doctrinam Resurrectionis scribit hoc loco; Οἵτινες περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠςόχησαν, λέγοντες τὴν ἀνάςασιν ἤδη γεγονέναι. Fuerunt illi *Hymenæus* & *Philetus*, progenitores, credo, Marcionis, qui referente Epiphanio Hæresi 42. docuit *non carnis sed animæ resurrectionem esse credendam*, prolixè ibidem ab Epiphanio confutatus. Sed potueruntne isti *aliorum fidem subvertere?* Paulus totidem verbis hoc scribit: At non loquitur de vera fide justificante, quæ est electorum, sed de vera Dei doctrina, quo modo *fidei* nomen accipitur 1 Tim. 4. 1. ubi opponuntur *fides* & *doctrina dæmoniorum*, & 1 Tim. 1. 19. & 3. 9. Gal. 1. 23. Electorum enim fides à nullo Hymenæo, à nullo Phileto subverti potest. Stat enim illud Matth. 24. 24. μὴ δυνατὸν πλανῆσαι τὲς ἐκλεκτές. Et ut Petri fides non potest deficere per preces Christi, ità aliorum etiam electorum fides nullis ventorum sive tentationum turbinibus potest concuti. Neque enim, ut arundo, radicata est in aquis, sed innititur solido ac immobili fundamento Electionis Divinæ, quæ hoc loco comparatur libro Vitæ sigillato, cujus sigilli ex una parte est inscriptio, NOVIT DOMINUS QUI SINT SUI; ex altera parte ista, DISCEDAT AB INJUSTITIA OMNIS QUI NOMINAT NOMEN CHRISTI. Quibus pulcrè docemur non esse cur hoc tempore percellamur, quò tot Hymenæos, tot Philetos à fide desciscere videmus. Non fuerunt illi *plantæ quas plantavit cœlestis Pater. Ex nobis non fuerunt qui à nobis exierunt.* Abeant à Christo omnes Capernaitæ; aderunt ei semper aliqui discipuli ipsi accinentes, *Tu habes verba vitæ.* Quos si nos non novimus, novit tamen æternus Deus, qui sub arcana sua custodia tanquam signatorio annulo salutem illorum continet. Monemur & illud, Ei qui scire discupit an scriptus sit in libro Vitæ, non esse scrutanda arcana consilia Dei, (Vetitum hoc & ἀδύνατον. Liber enim Vitæ est obsignatus) sed ruminandam partem inscriptionis sigilli alteram, diligenterque inquirendum an ipse *nominet nomen Jesu*, h.e. in Jesum Dei Filium credat; an item vi hujus fidei *discedat ab injustitia*: quæ sunt ipsissimæ scriptorum in libro Vitæ notæ. Euge igitur, mi homo, excute cor, examina vitam tuam. Amas & filiali fiduciâ complecteris Dominum Jesum? Decretum tibi est, desertâ injustitiæ semitâ, viam justitiæ, sanctitatis, pietatis ingredi? Electus es; in libro Vitæ scriptus es: Nam *fides est electorum*, Tit 1. 1. *Resipiscentia* est *donum Dei*, infrà v. 25. quod *dat Israëli* Act. 5. 31. qui *secundum electionem gratuitam reservatur*, Rom. 11. 5. Cadant igitur alii animis, in paupertate, in exsilio, in contemptu sui, in morte: Tu, ut electus Dei filius, de paupertate, de exsilio, de contemptu tui ipsius, de morte denique tua triumphabis. Deforment alii nomen tuum, ut ἀθέε, ut εἰκονομάχε, ut persecutoris bonorum; quin eradicatum id velint è terris: Tu gaudebis in nomine ejus cujus manu scis *nomen* tuum *scriptum esse in cœlis*, & in mediis hujus vitæ miseriis solaberis te istis S. Ignatii verbis, Ἐάν τις πλέον ἀδικηθεὶς, πλείονα ὑπομείνῃ οὗτος μακάριος. Ἐάν τις ἀποςερηθῇ, ἐάν τις ἀθετηθῇ, διὰ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίε, οὗτος ὄντως Χριςοῦ ἐςι, *Si quis plus læsus plura toleret, hic beatus est. Si quis defraudatur, si quis athem publicè proclamatur* [*abjectus & reprobatus fuerit*] *propter nomen Domini, hic verè est Christi*, Epist. ad Ephesios. Qui autem verè est Christi, is probè scit, sibi quoque dicta esse illa quæ apud eundem Ignatium leguntur, Ὁ Χριςιανὸς, ὅταν μισῆται ὑπὸ κόσμε, φιλεῖται παρὰ Θεῷ, *Christianus cum odio habetur à mundo, diligitur à Deo*, Epist. ad Romanos. Et, Μεγάλε ἐςὶν ἀθλητοῦ, δέρεσθαι καὶ νικᾷν, *Magni athleta est vapulare & vincere*, Epist. ad Polycarpum. Ut ad Paulum redeam, adversùs offensionem ex apostasia Doctorum nonnullorum acceptam novo argumento disputat v. 20. *In magna domo*, inquit, *non tantum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea: & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus.* Per *domum* Theophylactus & alii nonnulli Mundum intelligunt. *In Ecclesia enim*, ait Theophylactus, *nihil vult esse ligneum, sed omnia aurea & argentea.* Verùm de Ecclesia visibili sermonem esse contextus ipse docet. Et nominatur Ecclesia *domus Dei* 1 Tim. 3. 15. Luc. 14. 23. Heb. 10. 21. In hac domo *vasa alia sunt aurea & argentea, alia lignea & testacea*: h.e. Aliquorum fides & vita est lucida, aliquorum fides & vita est velut *ellychnium fumigans*, quod tamen Deus, *se non exstincturum* promittit, Isa. 42. 3. Rursum in hac eadem domo, h.e. visibili Ecclesia, *vasa alia sunt ad decus, alia ad dedecus. Vasa ad decus* sunt ardentis & fumigantis fidei homines; *vasa ad dedecus* sunt tum manifestè profani, tum hypocritæ, qui ad tempus eximiam pietatem & summum zelum præ se ferunt, postea autem turpiter retroaguntur. Ut igitur lauta variorum vasorum supellex patrisfamilias, ità magna illa variorum hominum quasi supellex Deo nostro perquam honorifica est. Atque ut nemo offenditur videns patremfamilias uti aliis quidem vasis ad honesta, aliis ad inhonesta; ità turbari non debemus si in magna domo sua Deum videamus, aliis per misericordiam servatis, aliis per justitiam confusis & perditis, gloriam suam illustrare, & instar prudentis OEconomi in varietate supellectilis unumquodque vas ad usum quem meretur destinare. Quin in tristia illa Apostatarum & aliorum iræ Dei vasorum exempla intuentes, monito Apostolico obsequamur & nosmetipsos expurgemus: Ἐὰν γάρ τις ἐκκαθάρῃ ἑαυτὸν ἀπὸ τέτων, ἔςαι σκεῦος εἰς τιμὴν, &c. *Si quis enim seipsum expurgarit ab his, erit vas ad decus*, &c. ἀπὸ τέτων, i.e. ἀνθρώπων, videlicet perversis istis Doctoribus quorum facta est mentio v. 16. 17, 18. vel ab hominibus illis qui sunt vasa ad dedecus. Lutherus sanè nomen ἄνθρωπος expressit: *So nu jemand sich reiniget vor solchen Leuten.* Possit etiam ἀπὸ τέτων generaliter ut neutrum rectè explicari, ἀπὸ τέτων, scilicet τῶν εἰρημένων, ἤγεν ἀδικίας, φαυλότητος, ἀτιμίας. Nisi alicui magis libeat cum doctiss. Camerario distinguere ista hoc modo, ἐὰν οὖν ἐκκαθάρῃ τις ἑαυτὸν, ἀπὸ τέτων ἔςαι σκεῦος εἰς τιμὴν, *Si quis igitur seipsum expurgârit, is jam deinde erit vas ad decus.* Expurgationem quam Deus sibi vendicat Ezech. 36. 25. adscribit Hominibus, quia sunt instrumentum operationis Divinæ quam Spiritus S. in ipsis exercet, & quidem tale instrumentum quod à Spiritu tum renovatum tum motum, ipsum quoque unà operatur & sese movet. Non enim alius Spiritui sancto, alius Voluntati, sed idem utrique effectus tribuitur; Spiritui, tanquam principali; Voluntati, tanquam secundariæ causæ. Cùm igitur homines à Deo acti agant & ipsi, rectè Scriptura tales hortatur ut non sint otiosi, sed in purificatione suipsius occupati: Id quod certo documento illis sit futurum, *esse eos vasa ad honorem*, ἡγιασμένα, καὶ εὔχρηςα τῷ δεσπότῃ, εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένα. A quo verò *sanctificata?* à quo *parata ad omne opus bonum?* Certè non à seipsis, sed ab eo qui *sanctificat* totam *Ecclesiam*, Eph. 5. 26. ab eo qui *elegit nos in Christo ut essemus sancti*, Eph. 1. 4. Errat igitur & quidem vehementer errat Theophyl. qui ex hoc loco concludit. *Licere cuivis seipsum expurgare, h.e. perfectè mundare à testacea & lignea deliberatione aut voluntate, auream que & argenteam efficere. Paulus*, inquit, *erat testaceus, sed factus est aureus: Judas erat aureus, sed factus est testaceus.* Redarguitur à Paulo ipso de se confitente, ἠλεήθην, *misericordiam consecutus sum*, 1 Tim. 1. 13, 16. Redarguitur à Filio Dei, Judam *filium perditionis*, h.e. perditioni destinatum nuncupante, Joh. 17. 12.

CAP. VI.

Reditus ad regulas vivendi, docendi. Ἐπιθυμίαι νεωτερικαί. *Invocatio pro Christianismo.* Quæstiones stultæ & ineruditæ. Servus Domini, ἄμαχος, ἤπιος, ἀνεξίκακος, ἐν πρᾳότητι παιδεύων τὲς ἀντιδιατιθεμένες, v. 22,—25.

UT qui sanitatis gratiâ parti alicui corporis unguenta adhibent, unguentis cutem non tantùm oblinunt sed perfricant, ità Apostolus bene vivendi & docendi præcepta Timotheo suo firmiter impressurus, tum vetera repetendo tum nova proferendo, utraque altè animo ejus infigit. Sunt autem præcepta quæ sequuntur, I. Τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε, *Juveniles cupiditates fuge. Juveniles cupiditates*, inquit Theophyl. *non solius fornicationis sunt, verùm omnis absurdæ concupiscentiæ, ut si quis potestatem vel imperium expetat, si pecunias & divitias: stultæ enim sunt ejusmodi cupiditates & imaginationes, instabiliumque mentium.* Reputa autem tecum quomodo nonnunquam grandævus & senio confectus aliquis juvenilibus affectibus ducatur. II. Δίωκε δικαιοσύνην, πίςιν, ἀγάπην, εἰρήνην μετὰ

σου ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας. Assentior autem doctiss. Camerario, per ὑποτύπωσιν *brevem ac rudem designationem sive summulam quandam aut σκιαγραφίαν, quam in conspectu habeat*, intelligi: quo modo dicuntur ὑποτυπώσεις doctrinæ Astronomicæ Procli. ὑγιαίνοντες λόγοι sunt qui, Apostolo interprete, *fidem & charitatem* hominibus commendant. Hi sunt *sermones Domini nostri Jesu Christi*, h. e. *ea quæ secundum pietatem est doctrina*, 1 Tim. 6. 3. quam mox vocat καλὴν παρακαταθήκην, *præclarum depositum*, doctrinam sc. illam *fidei & charitatis*, à qua qui deflectunt, ii acri animi morbo, contentionum videlicet, rixarum & ambitiosarum disputationum studio, vexantur, ibid. v. 4. Chrysostomus translationem dicit esse à Pictoribus, ac si diceret, ἐνετυπωσάμην σοι εἰκόνα τῆς ἀρετῆς, καὶ τῷ Θεῷ δοκούντων ἁπάντων, ὥσπερ τινὰ κανόνα καὶ ἀρχέτυπον ὑγιαινῶν λόγων εἰς τὴν σὴν ψυχὴν ἐγκατολαφάς. Hunc secutus Theophylactus paraphrasticè verba Apostoli in hunc modum reddit, ex interpretatione Loniceri, *Pictoris instar depinxi atque expressi tibi eiconem & archetypum, ad quem respiciens & ipse lineas ducere pingereque possis. Hoc exemplar, eam formam, h. e. archetypum meorum sermonum, habe: ac si quid pingendum fuerit, ab hac imagine sume, ac pinge. Omnia enim illa reposita sunt in ea.* Idem Theophylactus *sermones sanos* non alios intelligit quàm qui tradunt fidem & charitatem: ideo & παρακαταθήκην exponit de fide vitaque reposita apud Timotheum, traditaque ipsi præcepta. Ad summam, monet Apostolus Timotheum ut & res ipsas sicut in verbo Dei traditæ sunt conservet, & *sanorum verborum formam* sicuti in Scriptura præformata est retineat sequaturque. Ut rem exemplis illustrem; Ab utraque hypotyposi deflexerunt Scholastici docentes, *Sacramenta N. Test. utentibus conferre gratiam ex opere operato, etiamsi in suscipiente non adsit interior motus, modo non ponat obicem.* Hypotyposis enim sanorum sermonum & verborum de Sacramentorum usu est ista, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Item, *Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Jesu*, &c. Et, *Qui indigne manducat, judicium sibi manducat.* Ità multi Patrum plus justo indulgentes Rhetoricis suis declamationibus de Jejunio, de Cœlibatu, de Martyrum apud Deum precibus, ab *hypotyposi sanorum sermonum* paulatim discesserunt, & jactis errorum veluti seminibus quibusdam occasionem aliis sanam doctrinam corrumpendi præbuerunt. Est igitur Apostolica ὑποτύπωσις *sanorum sermonum* tum vera docendi regula, tum judicandi de Scriptis sacris certissima norma. ¶ Secundùm quam multi veterum, nec pauci recentiorum Theologorum statuerunt Epistolam quæ Jacobi nomine circumfertur non esse Canonicam, eò quòd non *servet illam hypotyposin sanorum sermonum*, quippe in qua hæc astruuntur axiomata; I. *Ex operibus homo justificatur, non solâ fide.* II. *Fides cooperatur operibus: sed ex operibus fides consummatur.* III. *Sicut corpus absque spiritu mortuum est: ità fides absque operibus mortua est.* Atqui *forma sanorum verborum* non tribuit justificationem Operibus, sed Fidei, & quidem Fidei soli absque operibus *Forma sanorum verborum* non tribuit Operibus ἐνέργειαν, Fidei συνέργειαν, sed contrà constituit Fidem ipsam ἐνεργουμένην δι' ἀγάπης. Nec facit Opera principalem causam, Fidem adjuvantem aut subservientem atque ministrantem sive minùs principalem: sed contra Fidem constituit causam efficientem; Opera, effectum sive fructus Fidei. *Forma sanorum verborum* non tribuit Operibus vitam seu vigorem Fidei impertiendum, in hoc ut Fides habeat vim justificandi qualem anima impertit corpori: sed contrà tribuit Fidei vitam & vigorem ad producendum bona opera tanquam bonæ arbori ad proferendos bonos fructus. *Forma sanorum sermonum* non tribuit Fidei τὸ τελειωθῆναι ἐξ ἔργων, i. e *habere suam perfectionem ex Operibus:* sed contra tribuit fidelibus τό, τε ἐνάρξασθαι καὶ τὸ ἐπιτελεῖσθαι ἐξ ἀκοῆς πίστεως, h. e. *tum cœpisse tum perfici ex fide per auditum percepta*, Gal. 3. 2, 3. Nec mirum; cùm Fides Christum apprehendat, in quo sumus πεπληρωμένοι καὶ τέλειοι, Col. 2. 10. & 1. 28. *Hæc erat* (inquit Beza ad Gal. 3. 3.) *pseudapostolorum doctrina, qui cùm dicerent Christum nihil prodesse nisi accederet circumcisio, Legem sanè Christo non modò conferebant sed etiam præferebant, cum Christo tantùm initia, Legi perfectionem justitiæ tribuerent; ut qui salutem quærerent non in justitia imputata, sed in inhærente, ut hodie quoque nostri Sophistæ*, &c. Dices, *Fidem Jacobo per concessionem* Fidem *dici, quæ Fides non est.* At quomodo συνέργεια tribui potest ei quod non est, aut nihil est, aut mortuum est? Cadaver certè nihil agit, nihil etiam ad agendum conferre potest. Dices rursum, *Justificari* interdum est *justum declarari.* Fac esse interdum: sed non in hoc quasi foro justificationis hominis peccatoris coram Deo. *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*

¶ Ultimo versu apprecatur Apostolus Onesiphoro, ut *det ei Dominus gratiam apud Dominum in die illo*, sive, ut ipse loquitur, δῴη αὐτῷ ὁ Κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ Κυρίου ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ· quæ sententia in libris Latinis diversis diverso modo exposita legitur. Beza, *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum.* Vulgatus, *Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino.* Camerarius, *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam à Domino.* Castalio, *Faxit Dominus ut misericordiam consequatur à Domino. Est enim*, inquit Camerarius, παρὰ Κυρίου, *non* παρὰ Κυρίῳ. Κυρίου *autem nomine indicari Deum æternum, alibi monuimus. Atque beneficium hoc contingere Onesiphoro optat Apostolus, ut deprecatione Jesu Christi Filii Dei & benignitate hujus, ab æterno Deo misericordiam ille inveniat.* Sic Camerarius. Sed rectiùs fortassis verba illa *Det ei Dominus* de Patre, ista verò παρὰ Κυρίου de Filio intellexerimus, hoc sensu, *Faxit Deus optimus maximus ut bonus iste vir misericordiam aliquando consequatur apud Dominum nostrum Jesum Christum, quando judicaturus est vivos & mortuos.* Hanc enim sententiam ex se parit generalis membri hujus contextus, & confirmat eam extra ordinem ultima clausula *in die illo.* Nam hic *dies* de nulla alia re quàm de adventu Christi ad judicium intelligi potest. Similem loquendi formulam vide & confer Dan. 9. 17.

CAMERON.

8. MH' ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ Κυρίου ἡμῶν] Euangelium hoc loco, inquit Stapletonus, dicitur *Testimonium* μαρτύριον, & quidem ideo quia Ecclesia, cujus ministerio & operâ Euangelium prædicatur, testatur ea esse vera quæ in Euangelio continentur. Unde vult concludere, fidem nostram quâ credimus Euangelio, niti autoritate Ecclesiæ tanquam testis, ut non aliunde credamus ea esse vera quàm quia Ecclesia testimonium illis perhibet. At verò *Testimonium* illud de quo hîc Apostolus, Christi est testimonium, non est Ecclesiæ testimonium; hoc est, non est de Christo sed à Christo profectum: non dicitur hoc *testimonium Christi*, tanquam de Christo, quamvis de Christo est, sed tanquam à Christo profectum; ut sit (nam detur, quæso, verbis venia) testimonium illud, si Ecclesiæ ratio habeatur, materiale, si Christi, formale; h. e. quòd testimonium est illud debet Christo, res verò testata etiam ab Ecclesia traditur: ut in foro recitantur testimonia etiam eorum qui testes non sunt, sed quæ tamen à testibus profecta sunt. Certè (quandoquidem cogimur grammaticari) genitivus casus non magis Effecti subjectum quàm Efficientem causam notat. Atque ità se rem habere hoc loco, indè satis liquet, quòd idem Apostolus ad eundem scribens Timotheum, prioris Epist. cap. 6. 12. *Apprehende*, inquit, *vitam æternam, ad quam vocatus es:* deinde paulò pòst, *Denuntio tibi coram Deo qui omnia vivificat, & Domino Jesu, qui testatus est coram Judice Pontio Pilato præclaram confessionem*, nempe Se esse Filium Dei, quibus verbis summa continetur Euangelii.

LUD. CAPPELLUS.

12. TH'ν παραθήκην μου φυλάξαι] Quidam cod. habent παρακαταθήκην· sed perinde est: utrumque enim dicitur & est in usu. Hæc παρακαταθήκη alia est ab ea de qua mox v. 14. τὴν καλὴν παρακαταθήκην φύλαξον. Nam isthic παρακαταθήκη est sana doctrina quæ Timotheo à Paulo tanquam sacrum depositum asservandum tradita fuerat: at hîc παραθήκη est anima quam corpore hoc emigrantem Deo committimus tanquam depositum ab eo asservandam, aliquando magno cum fœnore in beata Resurrectione recipiendam. Est autem allusio (uti videtur) ad illud Davidis Psal. 31. 6. *In manus tuas, Domine*, אפקיד רוחי *commendo spiritum meum:* quæ verba à Christo in cruce animam agente usurpata sunt, Luc. 23. 46. Εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. Ubi nota παραθήσομαι, unde istud Apostoli παραθήκη. Et sanè παραθήκη est Hebræum פקדון *positum*, fidei alicujus commendatum Juxta hanc mentem Judæi in Euchologiis suis agnoscunt animas suas Deo esse פקודות *traditas quasi depositum quoddam.* Seder Tephilloth Lusitanorum pag. 203. *Narrabimus laudem tuam pro vita nostra quæ in manu tuas traditur*, ועל נשמותינו הפקודות לך *& pro animabus nostris quæ tibi tanquam depositum traduntur.* De hoc *deposito* multa philosophantur Judæi in Rabboth, in Deut. ad Legis Parascham והיה עקב, in illa verba Deut. 7. 12 עקב תשמעון: quibus Deus pollicetur remunerationem ob servatam Legem: nam alii illud עקב accipiunt significatione שכר *mercedis*, quasi Deus mercedem isthic

isthic polliceatur; alii עקב accipiunt significatione *finis*, quasi Moses hoc velit, asservari illis à Deo in fine (seculorum scilicet) remunerationem ob Legem servatam: atque hinc esse quòd paulò antè, nempe v. 9. Moses dixerat, *Scito quod Deus tuus sit Deus fidelis & verax:* nempe qui meminit & servat promissa. Atque hic multa habent de Fidelitate Dei, quam variis exemplis fidelitatis hominum illustrant. Dixit R. Chaija F. Aba, *Simile est amico Regis qui apud eum deposuit* הפקדון *depositum: paulò pòst mortuus est amicus ille Regis: venit deinde filius ejus, qui à Rege repetiit depositum illud patris.* Tum afferunt exempla duo fidelitatis eximiæ inter homines, *ex quibus*, inquiunt, *discas quanta sit Dei fidelitas in deposito servando.* Unum horum exemplorum est R. Pinchas F. Jair, apud quem cùm quidam deposuissent duo Sata hordei, ille singulis annis ea serebat, & proventum eorum colligebat atque asservabat: Post septem annos redierunt illi ut repeterent suum depositum, quibus ille non modò duo Sata, sed & totum eorum proventum reddidit. Alterum est R. Simeoni F. Setach, qui cùm ab Ismaëlita quodam conduxisset asinum, & Discipuli ipsius mox invenissent lapidem pretiosum de collo illius asini dependentem, eique gratularentur his verbis, *Benedictio Domini ditat hominem*, ille jussit reddi Ismaëlitæ, his verbis eos corripiens, *Ego*, inquit, *asinum conduxi, lapidem pretiosum non accepi. Ex his & ejusmodi aliis exemplis fidelitatis humanæ discas*, inquiunt, *fidelitatem Dei, qui fidelis est ut reddat Israëlitis* שכר מצות *mercedem Præceptorum, quæ ipsi faciunt.* Porrò quòd datur illis merces, est juxta illud, והיה עקב תשמעון, q. d. *erit merces obsequii vestri*, בעקב אני פורע לכם *Ego* (inquit Dominus) *rependam illam vobis in fine.* Atque hic referunt sententiam Rab. Samuelis F. Nachman, *Quidquid Israëlitæ comedunt in hoc seculo, illud est vi benedictionis quâ illis benedixit impius Balaam. At benedictiones quibus benedixerunt illis Patres, asservantur ipsis* לעתיד לבוא *in futurum.* Tum illustrant illud simili Pupilli qui educabatur apud patrem quendam familiâs, qui eum de suo alebat & vestiebat, eumque docuit artem. Pupillus autem apud se animo sic cogitabat, *Quæ ego edo, bibo, & quibus ego induor, sunt de mercede mea.* Sed dixit illi paterfamilias apud quem educabatur, *Quæ tu edis & quibus tu indueris, sunt* בכוח כבית של מים *ob lagunculam aquæ quam tu implevisti mihi, & ob ligniculum quod à te fissum est mihi: at merces tua* צרור ומונח לך *obligata est veluti in fasciculo, & penès me reposita asservatur tibi. Sic*, inquiunt illi, *quæcunque Israëlitæ comedunt in hoc seculo*, h. e. benedictiones quibus à Deo in hac vita ornantur) *sunt* מכח היסורים *propter castigationes quæ veniunt super eos; at merces eorum* צרור ומשמר לעתיד לבוא *reposita est & asservatur illis in futurum.* Hoc volunt, Deus suos in hac vita benedictionibus quibusdam temporalibus veluti consolatur de afflictionibus variis quibus hic jactantur. Non sunt hæ benedictiones merces quæ promittitur ipsis ob servatam Legem; quin merces illa reposita est ipsis & asservatur apud Deum, olim aliquando in ipsis revelanda. Porrò Animam, quam Apostolus hîc vocat *depositum nostrum*, respectu Dei, cui eam in morte committimus, Josephus De bello Jud. l. 3. c. 14. vocat *depositum Dei*, quatenus Deus nobis eam veluti tradit in hoc corpore asservandam, ità ut nefas sit eam ultro per αὐτοχειρίαν è corpore per vim ejicere, depositumque illud veluti abjicere. Sic enim ille eò loci disputat adversùs socios qui nolebant se Romanis dedere, malebantque propriis gladiis mutuisque vulneribus sese conficere, Κἂν μὲν ἀφανίσῃ τις ἀνθρώπου παρακαταθήκην, ἢ διαθῆται κακῶς, πονηρὸς εἶναι δοκεῖ καὶ ἄπιστος· εἰ δέ τις τοῦ σφετέρου σώματος ἐκβάλλει τὴν παρακαταθήκην, τοῦ Θεοῦ λεληθέναι δοκεῖ τὸν ἀδικούμενον.

18. Δῴη αὐτῷ ὁ Κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ Κυρίου] Pater & Filius hic eadem voce appellantur, Κύριος, sed ità ut prior Κύριος sit אדני, & Filium notet, posterior Κύριος sit יהוה, (quod LXX. semper reddunt Κύριον) & Patrem designet: ut sensus sit, *Dominus Jesus impetret illi gratiam & misericordiam apud Patrem*, apud quem ipse est Mediator noster. Similis isti est illa Danielis precatio, c. 9. p. 17. *Audi, ô Deus noster, orationem servi tui*, &c. למען אדני *propter Dominum*, Messiam scilicet, Dominum nostrum Jesum Christum, qui apud Deum Patrem pro nobis intercedit, & cujus gratiâ orationes nostræ sunt Deo gratæ & acceptæ. Jam cùm fatentibus ipsis Judæis אדון quidem de hominibus, אדני verò de solo Deo usurpetur, Messiæ Divinitas hinc firmiter adversùs ipsos probatur. Item Genes. 19. 24. dicitur יהוה *pluisse ignem & sulfur super Sodomam & Gomorrham* מאת יהוה, h. e. Κύριος παρὰ Κυρίου, quomodo reddiderunt LXX. Interp. In hac subversione Sodomæ *Christus Dominus pluit à Patre Domino ignem & sulfur.* Cùm enim quà Mediator omne Judicium à Patre acceperit, & Sodomæ subversio typus quidam fuerit ultimæ hujus Universi conflagrationis, & Judicii ultimi à Christo in orbem terrarum exercendi, omnino planum est Κύριον παρὰ Κυρίου isthic significare *Christum Dominum à Patre Domino*, à quo omne judicium, omnem potestatem accepit.

GROTIUS.

SCripta est hæc Epistola, ut Veteres credidere, Romæ, cùm jam iterum venisset ab itinere Paulus, & magis in dies sæviente Nerone, mortem semper ob oculos haberet. Est scripta post Epistolam ad Titum: multaque ex Epistola ad Titum, & priore ad Timotheum huc sunt transcripta.

1. Παῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Paulus Apostolus Jesu Christi*] Sic & in utraque ad Corinthios, & in illa ad Ephesios, & in illa ad Colossenses. ¶ κατ' ἐπαγγελίαν ζωῆς τῆς ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ. *secundùm promissionem vitæ quæ est in Jesu Christo*] Κατὰ [*secundum*] hîc id quò Apostolus tendit significat, quomodo eadem particula posita est 1 Tim. 6. 3. & Tit. 1. 1. Ideo Deus me voluit esse Apostolum, ut annuntiarem omnibus promissum vitæ æternæ, quæ per Christum nobis contingit. Vide 1 Tim. 4. 6. Est tacita ἀνθυποφορά [*Subjectio.*] Cur terreamur adversis cùm tanta habeamus promissa?

2. Τιμοθέῳ ἀγαπητῷ τέκνῳ, *Timotheo charissimo filio*] Sic Timotheum appellat & 1 Cor. 4 17. ¶ χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ, τοῦ Κυρίου ἡμῶν. *gratia, misericordia, pax à Deo Patre & Christo Jesu Domino nostro*] Sic & 1 Timoth. 1. 2.

3. Χάριν ἔχω τῷ Θεῷ, *Gratias ago Deo*] Nempe pro donis in te collatis. Vide Philem. 4. ¶ ᾧ λατρεύω ἀπὸ προγόνων, *cui servio à progenitoribus*] Eidem enim Deo serviebat, cui servierant Majores ejus à Benjamine usque. Non enim alius est Deus Judæorum, alius Deus Novi Testamenti. Actor. 22. 14. 26. 7. Vox προγόνων est apud Platonem & Sirach. 8. 5. & 1 Mac. cab. 8. 19. 11. 25. Cicero vertit *generatores* Timæo: Paulus Jurisconsultus *Majores.* ¶ ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, *in conscientia pura*] Videtur hoc referri ad tempus Pauli utrumque, in Judaïsmo & in Christianismo. Nam & cùm Judaïcè viveret, Deum eundem colebat pro modo cognitionis. ¶ ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν ἐν ταῖς δεήσεσί μου νυκτὸς καὶ ἡμέρας. *quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die*] Vertas rectè, *Sicut & perpetuam tui memoriam in precibus meis habeo, diu noctuque.* nam quod hic est ὡς ἔχω μνείαν [*quòd habeam memoriam*,] idipsum est μνείαν ποιούμενος [*memoriam faciens*] dicto ad Philemonem loco.

4. Ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν, *desiderans te videre*] Sic & Rom. 1. 11. ¶ μεμνημένος σου τῶν δακρύων, *memor lacrymarum tuarum*] Hoc per παρένθεσιν [*Interpositionem*] interjectum est. Nam sequentia cum præcedentibus cohærent. Lacrymas intelligit, in discessu Pauli. Simile Actor. 21. 13. ¶ ἵνα χαρᾶς πληρωθῶ, *ut gaudio implear*] Nempe ex tui conspectu. Sic & Roman. 1. 12. & 15. 32.

5. Ὑπόμνησιν λαμβάνων, *Recordationem accipiens*] Manuscriptus habet λάβω [*accipiam.*] *Sumens commemorationem*, nempe in animo, id est, mihimetipsi commemorans tuam fidem. Sic vocem ὑπομνήσεως [*recordationis*] habemus 2 Petr. 1. 13. 3. 1. Sap. 16. 11. 2 Maccab. 6. 16. ¶ τῆς ἐν σοὶ ἀνυποκρίτου πίστεως, *ejus fidei quæ in te est non fictæ*] *Fides sincera, quam in te vidi atque cognovi.* Eundem titulum Fidei dedit 1 Tim. 1. 5. Datur & Dilectioni, Rom. 12. 9. 2 Corinth. 6. 6. 1 Petr. 1. 22. Sapientiæ, Jac. 3. 17. Judicio, Sap. 18. 16. ¶ ἥτις ἐνῴκησε πρῶτον ἐν τῇ μάμμῃ σου Λωΐδι, καὶ τῇ μητρί σου Εὐνείκῃ· *quæ & habitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Eunice*] Legendum Εὐνίκῃ, quod nomen est & apud Theocritum. ἥτις [*quæ*] hic genus fidei significat, id est, fidem Christianam: fœminæ ergo istæ ex primis Christianis fuere. Nomen Hebræum Λωΐδος [*Loides*] videtur fuisse [illegible]: Εὐνίκης [*Eunicis*] vero [illegible]. Per illud ἐνῴκησε [*inhabitavit*] intelligit fidem Christianam in illis fœminis ad finem usque mansisse. ¶ πέπεισμαι δὲ ὅτι καὶ ἐν σοί. *certus sum autem quod & in te*] Supple ἐνοικήσει [*inhabitabit.*] *Confido etiam in te mansuram eam fidem ad finem usque.* Πέπεισμαι [*Certus sum*] pari sensu est Rom. 8. 38. 15. 14.

6. Δι' ἣν αἰτίαν, *Propter quam causam*] לכן, *quapropter?* nempe ut hoc fiat, quod opto ac spero. Videtur timuisse aliquid pro Timotheo, quem ante γνήσιον [*germanum*] vocârat, hic verò ἀγαπητόν [*dilectum.*] Considera sequentia. ¶ ἀναμιμνήσκω σε, *admoneo te*] מזכיר Genes. 41. 9. ¶ ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, *ut resuscites gratiam Dei*] In Manuscripto τὸ χάρισμα τοῦ Χριστοῦ [*gratiam Christi.*] Thessalonicensibus dicit 5. 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε [*spiritum nolite extinguere,*] hic verò ἀναζωπυρεῖν [*resuscitare.*] Ἀναζωπυρεῖ [*Resuscitat*] *qui sopitos suscitat ignes.* Est hoc verbum Genes. 45. 27. & ζωπυρεῖν

ϛεῖν [*suscitare*] 2 Reg. 8. 15. pro החיה [*vivificare.*] Suscitatur autem spiritus ille precibus, diligenti meditatione, & jugi piâ operatione. ¶ ὅ ἐϛιν ἐν σοὶ, *quæ est in te*] Nondum abiit. Vide retineas. ¶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου· *per impositionem manuum mearum*] Me solemniter Deum invocante, approbante presbyterio. Vide quæ dicta ad 1 Timoth. 4. 13.

7. Οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς πνεῦμα δειλίας, *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris*] *Non dedit nobis spiritum tremum*, qui nobis permittat timere mortem & adversa. Hæc ideo dicit quòd aliquantum metuebat, ne Timotheus conspectis illis perpetuis malis quæ Paulum & Christianos premebant, ob id labasceret. Δειλία non est *timor*, sed *timiditas*. Atque ita vertitur in Glossario. ¶ ἀλλὰ δυνάμεως, *sed virtutis*] Satis validum ut illis tentationibus resistamus, modò ne simus ῥιψάσπιδες [*desertores abjecto clypeo.*] Vide 1 Corinth. 12. 9. Mich. 3. 8. ¶ καὶ ἀγάπης, *& dilectionis*] Plenum dilectionis Dei & proximi, unde illa fortitudo nascitur 1 Johan. 4. 18. ¶ καὶ σωφρονισμοῦ. *& sobrietatis*] *Animi tranquilli*, ut hîc rectè vertit Syrus: non quod non latiùs pateat vox, sed quòd is sensus huic loco optimè conveniat. Sic σωφρόνως [*sobrie*] sumitur Sap. 9. 11. Spiritûs illius inter alia & hæc vis est, quòd nos in malis tranquillat, modò rectè colatur.

8 Μὴ ὖν ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ Κυρίου ἡμῶν, *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri*] Ἐπαισχύνεσθαι [*erubescere*] regit accusativum, ut videre est Marci 8. 38. Luc. 9. 26. Rom. 1. 16. sic infra 16. Construitur & cum ἐπὶ & tertio casu, ut Rom. 6. 21. Latinè diceremus, *Ne te pudeat Euangelii:* id enim est quod hic vocat *testimonium Christi*, sive de Christo, ut 1 Cor. 1. 6. quod & μαρτύριον τοῦ Θεοῦ [*testimonium Dei*] 1 Cor. 2. 1. ¶ μηδὲ ἐμὲ, *neque me*] *Neque te mei pudeat*, ne pudeat te dici discipulum Pauli, ideo quòd tanta patior. Tangit ipsum ulcus. ¶ τὸν δέσμιον αὐτοῦ· *vinctum ejus*] Qui nunc iterum vinctus trahor ipsius causâ: nam genitivus hic causam ob quam significat. Sic & Ephes. 3. 1. & Philem. 1, & 9. pro quo alibi dicit δέσμιος ἐν Κυρίῳ [*vinctus in Domino*] Ephes. 4. 1. *propter Christum*, id est, doctrinam ipsius. ¶ ἀλλὰ συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ, *sed collabora Euangelio*] Κακοπαθεῖν עמל Jonæ 4. 11. est *molestiâ affici*, unde κακοπαθοῦντα μόρια [*partes affecta & ægra*] Medicis. In Glossario, κακοπαθῶ *vexor*. Sed plerumque voces tales per se passionem significantes apud nostros Scriptores simul significant animum ad hoc paratum. Sic κακοπαθεῖν [*laborare*] habemus infra 2. 3, 9. 4. 5. Jac. 5. 13. Συγκακοπαθεῖν [*collaborare*] eâdem formâ quâ συγκακουχεῖσθαι [*simul affligi*] Hebr. 11. 25. More autem suo Paulus προσωποποιεῖ [*fingit quasi personam*] Euangelium, eique sensum tribuit, quomodo alibi Legi, Morti, Peccato. ¶ κατὰ δύναμιν τοῦ Θεοῦ. *secundum virtutem Dei*] Id est, *per vim Dei*, ut hic Syrus, *per vires à Deo datas.* Multis modis Paulus usurpat illud κατὰ [*secundum.*] Hic eo modo quo Græci dicunt aliquid fieri κατὰ Θεὸν [*divinitus,*] aut κατὰ τύχην [*fortuitò.*]

9. Τοῦ σώσαντος ἡμᾶς, *Qui nos liberavit*] *Qui nos à vitiis liberavit.* Sic σώζεσθαι [*salvare*] sumitur & Ephes. 2. 8. ¶ καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ. *& vocavit vocatione sancta*] Illud καὶ [*&*] hic est, ut alibi sæpe, ἐξηγητικόν [*explicativum præcedentis.*] Explicat enim Paulus quomodo *liberati simus à vitiis*, nempe quia *Deus nos vocavit sermone illo suo sancto*, qui hic ex effectu dicitur κλῆσις קרא [*vocatio.*] ¶ ὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν, *non secundum opera nostra*] Non nostra opera eum moverant, ut nos sic vocaret; erant enim maximæ partis mala plura quàm bona opera. Vide Ephes. 2. 9. Polycarpus in Epistola, ὅτι χάριτι ἐϛὲ σεσωσμένοι, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριϛοῦ [*quia gratiâ salvati estis non ex operibus, sed voluntate Dei per Jesum Christum.*] ¶ ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν, *sed secundum propositum suum*] *Ex suo proposito.* Vide Ephes. 3. 11. ¶ καὶ χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριϛῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων. *& gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia*] Explicat quod sit illud *propositum*. Primum ait *factum esse ante plurima tempora*; ante Abrahamum de quo Judæi gloriabantur. Vide quæ diximus ad Johan. 8. 58. Idem loquendi genus habes Tit. 1. 2. Veteris Testamenti interpretibus αἰώνιον dicitur, & de *eo quod diu duraturum est*, & de *eo cujus origo longe petenda*, ut Psalm. 76. 4. Prov. 22. 28. Jerem. 58. 12. 61. 4. Ezech. 35. 9. 36. 2. Mich. 2. 9. Abac. 3. 5. & alibi. Deinde dicit esse *beneficium datum in Christo* per μετωνυμίαν [*Transnominationem.*] Vult enim dicere illud propositum esse de Dei beneficio dando nobis per Christum Jesum. Par loquendi genus habuimus Ephes. 1. 4.

10. Φανερωθεῖσαν δὲ νῦν, *Manifestata est autem nunc*] Propositum illud diu in Deo latuit: nunc verò patefactum est. Sic & Rom. 16. 26. & Tit. 1. 3. Φανεροῦν est גלה [*revelare.*] ¶ διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριϛοῦ, *per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi*] *Postquam Christus mundo apparuit.* Quo tempore & *Dei Gratia & Charitas in homines apparuisse* dicuntur. Tit. 2. 11. 3. 4. Alibi ἐπιφάνεια sumitur de *judiciali adventu*. Sed vox est generalis, ut alibi diximus. ¶ καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, *qui destruxit quidem mortem*] Mors hic προσωποποιεῖται [*quasi persona fingitur*] Mors dominium habebat in homines à Deo abalienatos, Rom. 6. 23. 1 Cor. 15. 26. Id dominium, id jus ei Christus ademit, vim quoque ipsam ei ademptturus suo tempore, ut eodem ad Corinthios loco docemur. Sic Christus Hebr. 2. 14. dicitur καταργῆσαι τὸν κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου [*destruere eum qui habebat mortis imperium,*] id est, *jus ei ademisse* בטל. Sic Lex dicitur καταργεῖσθαι [*aboleri*] Ephes. 2. 15. cum ei adimitur jus nos obligandi. ¶ Φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ Εὐαγγελίου. *illuminavit autem vitam & incorruptionem per Euangelium*] Est hic ἓν διὰ δυοῖν [*unum pro duo.*] nam ζωὴν [*vitam*] & ἀφθαρσίαν [*incorruptionem*] dixit pro ζωὴν ἄφθαρτον [*vitam incorruptibilem.*] de qua vita spes quidem fuerat aliqua ex conjecturis, sed non disertum & sine umbris promissum. Itaque rectè dicitur Christus *vitam illam corrumpi nesciam tanquam ex tenebris in lucem eruisse.* Quicquid enim Philosophi, quicquid Rabbini ea de re dicunt, tenebræ sunt, si ad lucem Euangelii comparantur.

11. Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ, καὶ ἀπόϛολος, καὶ διδάσκαλος ἐθνῶν. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & Magister Gentium*] Illud ὃ [*quo*] totum illud quod præcessit, respicit. Par locus 1 Tim. 2. 7. In manuscripto hic ab est ἐθνῶν [*Gentium.*]

12. Δι' ἣν αἰτίαν καὶ ταῦτα πάσχω· *Ob quam causam etiam hæc patior*] Hæc vincula, hæc odia Judæorum, iram idololatrarum, & mortis pericula. ¶ ἀλλ' οὐκ ἐπαισχύνομαι. *sed non confundor*] Monito quod præcessit supra 8. addit suum exemplum. Confer Marc. 8. 38. Luc. 9. 26. Rom. 1. 16. ¶ οἶδα γὰρ ᾧ πεπίϛευκα, *scio enim cui credidi*] Deo veraci in promissis: ᾧ πεπίϛευκα [*cui credidi*] בו אשר בטח [*in quo fiducia mea sit.*] ¶ καὶ πέπεισμαι, *& certus sum*] Πέπεισμαι hic est *pro certo habeo*, ut Rom 8. 38. ¶ ὅτι δυνατός ἐϛι, *qui potens est*] Ut promissori confidamus duo requiruntur, ut & is bonæ fidei sit, & ut possit quod vult implere. De priori jam egit, nunc addit alterum. ¶ τὴν παρακαταθήκην μου, *depositum meum*] Et hic & infra 14. παραθήκην habet Manuscriptus, ut 1 Tim. 6. 20. Habemus in hoc & 14 commate mentionem depositi duplicis. Deus apud nos deponit verbum suum, nos apud Deum deponimus spiritum nostrum Luc. 23. 40. Act. 7. 59. ¶ Φυλάξαι εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν. *servare in illum diem*] *Servare incorruptum ad diem usque judicii universalis.* Quæ *dies* per excellentiam dicitur, *illa dies*, ut 2 Thess. 1. 10. infra 4. 8. alibi *dies Domini.*

13. Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, *Exemplar habe sanorum verborum*] Ὑποτύπωσις *exemplar*, ut 1 Tim. 1. 16. sed hic intellige exemplar in animo fixum, quod ἰδέαν [*ideam*] Platonici vocant. Λόγους ὑγιαίνοντας [*sana verba*] hic, & 1 Tim. 6. 3. διδασκαλίαν ὑγιαίνουσαν [*doctrinam sanam*] 1 Tim. 1. 10. hic infra 4. 3. Tit. 1. 9. Vocat eam doctrinam quæ nihil insalubre habet admixtum, qualia multa erant in doctrina Rabbinorum & Philosophorum. ¶ ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, *quæ à me audisti*] *Quomodo me dicentem sæpe audisti.* ¶ ἐν πίϛει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριϛῷ Ἰησοῦ. *in fide & in dilectione in Christo Jesu*] Ostendit in quibus rebus occupetur illa doctrina, nempe in fide primùm, deinde in *dilectione* non qualicumque, sed *propter Christum*. Hæc est egregia illa συζυγία [*biga*] unde salus nostra pendet. Vide Gal. 5. 6. Ephes. 6. 23. 1 Tim. 1. 14. Hæc biga figurata in vetere Urim & Thumim.

14. Τὴν καλὴν παρακαταθήκην φύλαξον, *Bonum depositum custodi*] Παραθήκην Manuscriptus, ut supra. Sic vocat doctrinam illam Euangelicam, ut 1 Tim. 6. 20. ubi dicta vide. Pro *depositi* voce Ambrosius in hoc loco citando usurpat vocem *commendati*. Idem ea significat. Vide locum Modestini in Collatione legum Mosaïcarum & Romanarum, titulo de Deposito. ¶ διὰ πνεύματος ἁγίου, *per Spiritum Sanctum*] Quasi dicat, Ne diffide. Magnum habes opitulatorem, supra 7. ¶ τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν. *qui habitat in nobis*] Quasi dicat, Qui non desertus, nec nos deseret. Rom. 8. 11.

15. Οἶδας τοῦτο, *Scis hoc*] Quo magis Timotheus sibi attendat, ostendit ei & bona & mala exempla: illa, ut sibi caveat; hæc, ut aliis non cedat. ¶ ὅτι ἀπεϛράφησάν με πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, *quod aversi sunt à me omnes qui in Asia sunt*] Πάντες [*Omnes,*] *omnes illi doctores.* οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ [*qui sunt in Asia,*] qui sunt non Ephesi, ubi tu es: sed in locis circa Ephesum:

sum: unde ait οἶδας [*Scis:*] *non potes hoc nescire.* ἀπεστράφησάν με, *fastidierunt me.* Spretâ meâ auctoritate & docendi munere obstiterunt, ob pericula scilicet. ¶ ὧν ἐστι Φύγελλος καὶ Ἑρμογένης. *ex quibus est Phygellus & Hermogenes*] Meminit horum Tertullianus Præscriptione adversùs hæreticos, & de Resurrectione carnis. Alius ab hoc Hermogene est is contra quem librum specialem scripsit Tertullianus. Fortè hic *Hermogenes* is est quem de Phrygia scripsisse ait Apollonii Scholiastes. Fuit & Sophista eo nomine. *Phygelli* autem puto corruptum esse nomen ex Latino *Figulus.*

16. Δώῃ ἔλεος ὁ Κύριος τῷ Ὀνησιφόρου οἴκῳ. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui*] Videtur mihi hic *Onesiphorus* fuisse mortuus, cùm hæc Paulus scriberet. Nam hic distinguuntur preces pro familia ipsius & pro ipso: & infra *Onesiphori familiam* salutat 4. 19. non autem Onesiphorum. Adde quòd in præterito dixit ἀνέψυξε [*refrigeravit*] Δώῃ ἔλεος [*det misericordiam,*] id est, *det multa bona.* חן יתן [*det gratiam.*] nam ἔλεος [*misericordiam*] sic poni vidimus Gal 6. 16. & alibi. οἶκος [*domus*] pro *familia*, frequens etiam Græcis. Sic & 1 Cor. 1. 16. 1 Tim. 3. 4, 5. 5. 4. ¶ ὅτι πολλάκις με ἀνέψυξε, *quia sæpe me refrigeravit*] *Consolatus est.* Translatio sumpta ab umbra aut ventulo in locis æstuosis. Ponitur pro בלג [*confortare*] Psalm. 39. 14. pro החיה [*in vita conservare*] Judic. 15. 19. pro נפש [*recreare*] Exod. 23. 12. 2 Sam. 16. 14. Hinc ἀνάψυξις [*refrigerium*] Exod. 8. 15. Actor. 3. 20. ¶ καὶ τὴν ἅλυσίν μου οὐκ ἐπῃσχύνθη. *& catenam meam non erubuit*] *Non puduit eum catenæ hujus militaris, quâ trahor*, ut sontes solent. Quod alibi sæpe *vincula* dixit, id distinctiùs ἅλυσιν [*catenam*] hic, & Ephes. 6. 20. nimirum eodem modo iterum vinctus fuit Paulus, quo cùm primùm adveniret, Actor. 12. 6, 7. 21. 33. 28. 20. de voce ἐπαισχύνεσθαι [*erubescere*] vide supra 8.

17. Ἀλλὰ γενόμενος ἐν Ῥώμῃ, *Sed cum Romam venisset*] Nam Ephesini mercatores multa negotia Romæ habebant. ¶ σπουδαιότερον, *studiosius*] Comparativus pro superlativo, frequens Græcis. ¶ ἐζήτησέ με, *me quæsivit*] Per totam urbem Romam cursitavit, ut me quæreret. ¶ καὶ εὗρε. *& invenit*] Deo favente: nempe in diversoriolo, ubi erat cum suo custode.

18. Δώῃ αὐτῷ ὁ Κύριος, *Det illi Dominus*] Christus cui judicandi potestas data est. ¶ εὑρεῖν ἔλεος, *invenire misericordiam*] Ut bona, nempe æterna, accipiat. ἔλεος [*misericordia*] quid sit, jam diximus. εὑρίσκειν מצא est *consequi.* Vide Luc. 1. 30. ¶ παρὰ Κυρίου, *à Domino*] Hebræa locutio, pro *à se*, sive *ipso dante.* Similes locutiones habes Gen. 4. 23. Exod. 10. 11. 23. 18, 19. 24. 1, 2. Num. 10. 29. Zach. 1. 17. Psalm. 13. 6. 82. 1. ¶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. *in illa die*] Vide supra 12. ¶ καὶ ὅσα ἐν Ἐφέσῳ διηκόνησε, βέλτιον σὺ γινώσκεις. *& quanta Ephesi ministravit, tu melius nosti*] Non novum fuit Onesiphoro servire mihi & Ecclesiæ. Jampridem Ephesi idem fecerat. Historiam non repeto. Est enim tibi nota, qui ibi mihi adfuisti. Διηκόνησε [*ministravit*] nempe τοῖς ἁγίοις [*sanctis,*] quod in re non dissimili additur Rom. 15. 25. Hebr. 6. 10. Sic & alibi post διακονεῖν [*ministrare*] subauditur dativus, ut Joh. 12. 2. Διακονεῖν [*ministrare*] autem cum accusativo, constructio Græca. Itaque pro ὅσα [*quanta*] Latinè rectè verteris *in quantis rebus.*

PRICÆUS.

1. Ἀπόστολος, &c. διὰ θελήματος θεοῦ] Non meo (inquit) merito, sed Dei voluntate. Sic 1 Cor. 15. 9. οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι Ἀπόστολος, &c. χάριτι δὲ θεοῦ εἰμι ὅ εἰμι. & Rom. 12. 3. διὰ τῆς χάριτος δοθείσης μοι. Seipsum extenuare solet ut Dei benignitatem efferat. Ignatius ad Smyrnenses, Κατὰ θεοῦ [illegible]λημα κατηξιώθην, Episcopus nempe Antiochiæ esse.

2. χάρις, ἔλεος, εἰρήνη] Sic 1 Tim. 1. 2. & 2 Joh. com. 3.

3. ᾧ λατρεύω] Ità & Actor. 27. 23. Idem, οὗ εἰμι, καὶ ᾧ λατρεύω.

Ibid. ἀπὸ προγόνων] Ἐποικοδομηθεὶς ἐπὶ τῷ θεμελίῳ αὐτῶν, ut locutionem Ephes. 2. 20. huic loco aptem. Ἀπὸ προγόνων, erat enim, ut Philipp. 3. 5. de se loquitur, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων. Idem Act. 24. 14. λατρεύω τῷ πατρῴῳ θεῷ, id est, τῷ τῶν πατέρων (vel προγόνων) θεῷ. Lactantius 5. 22. Judæis, *Quorum nos posteri & successores sumus.* Hesychius ex hoc Apostoli ad Timotheum loco, Προγόνων, πατέρων. Vult dicere, à progenitoribus puræ fidei hæreditatem crevi. Deum verum colebant illi sub Lege, ego (insistens vestigiis eorum) eum colo sub Euangelio. Vide Rom. 1. 9. De se Ovidius,

—— *Usque à proavis vetus ordinis heres.*

Plutarchus de Clea quadam libro de Iside & Osiride. Ταῖς Ὀσιριακοῖς ἱεροῖς καθωσιωμένην ἀπὸ πατρὸς καὶ μητρός. Simile apud Eundem in Gracchis, καλῶν ἔργων ζῆλον, ὥσπερ διαδοχὴν πατρῴας καὶ προγονικῆς ἀρετῆς ἔχειν· & apud Ciceronem 4. Philip. *Hanc* (virtutem, mortem ignominiosam nempe gnaviter propulsandi,) *retinete fortiter, quam vobis tanquam hæreditatem Majores vestri reliquerunt.* E converso apud Suidam de Michaële Imperatore, Ἀμαθίαν ἐκ πατρῴας ἀλογίας καὶ ἀπειροκαλίας, ὥσπερ ἱκανὴν οὐσίαν ἐκληρώσατο. Meritò autem eos quorum ἀγωγὴν sectabatur, Apostolus suos προγόνους vocat. D. Augustinus in Ps. 30. *Abraham pater noster fuit, non propter propaginem carnis, sed propter imitationem fidei.* Ità & mulieres virtutum Saræ imitatrices D. Petrus illius *filias* vocavit: & Socratem, cujus placita vivendique normam se imitari profitebatur, *Majorem* suum, id est, πρόγονον, Apulejus. Seneca Epist. 44. de eodem Socrate, Cleanthe, &c. ad Lucilium suum, *Omnes hi Majores tui sunt, si te illis dignum geris.* In Glossario, & vetere Onomastico, *Majores*, πρόγονοι.

Ibid. ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω περὶ σοῦ μνείαν ἐν ταῖς δεήσεσί μου νυκτὸς καὶ ἡμέρας] Sic Ephes. 1. 16. Coloss. 1. 3, & 9. Philipp. 1. 4. 2 Thessal. 1. 11. & com. 4. epistolæ ad Philemonem. Judæi 1 Maccab. 12. 11. ad Spartanos scribentes. Ἐν παντὶ καιρῷ ἀδιαλείπτως, &c. μιμνησκόμεθα ὑμῶν, &c. καὶ ἐν ταῖς προσευχαῖς. Pro ὡς autem in contextu Pauli si ὅτι legerimus, quomodo & Vulgatus legit, næ loci sensus explicatior erit, & hoc dicet Apostolus, Gratias ago Deo, &c. quòd sine intermissione in orationibus meis habeam memoriam tui: i.e. quòd justam causam habeo habendi memoriam tui, dum nempe audio te adeò strenuè tuo munere fungi. Et hanc commodam expositionem esse patebit, ni fallor, ei qui locos Rom. 1. 9. & Colos. 1. 3, 4. attentè consideraverit. Νυκτὸς καὶ ἡμέρας, assiduè, id est, quoties Deum meis precibus interpello. Euthymius ad Luc. 18. ea, *QUOD OPORTET SEMPER ORARE: Die videlicet ac nocte, congruis & ordinatis temporibus.* Hoc sensu νυκτὸς καὶ ἡμέρας occurrit & Luc. 18. 7. 1 Thes. 2. 9. & 3. 10. 1 Tim. 5. 5. item Act. 20. 31. ubi dicta vide. Glossæ, Ἡμέρας καὶ νυκτὸς, *die noctuque.* Apponitur autem post ἀδιάλειπτον μνείαν, &c. locutio ista majoris tantùm energiæ causâ, ut Marc. 5. 5. post διαπαντὸς, (ubi ὑποστιγμὴ ponenda,) & iis ἐν παντὶ καιρῷ adjungitur ἀδιαλείπτως, citato è Maccabaicis loco. Τὸ ἀδιάλειπτον, Vulgatus *sine intermissione* vertit. Glossarium, *Sine intermissione*, ἀδιαλείπτως, &c. Hoc autem aliud nil est quàm νυκτὸς καὶ ἡμέρας· unde & Donatus ad Terentiana illa, *NOCTESQUE ET DIES, Accusativo casu sine intermissione significat.*

4. Ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν] Ità Rom. 1. 11. 1 Thes. 2. 17. & 3. 6, 10. Vide & Rom. 15. 23. Plutarchus in Erotico, Ἐκεῖνον ἰδεῖν ποθοῦσα. Idem in Alexandri vita, ποθοῦντες αὐτὸν ἰδεῖν· in Eumene, ἰδεῖν τὸν Εὐμενῆ ποθοῦντες· & in Dione, Εὐχομένους ἐπιφανῆναι τὸν ἄνδρα, καὶ ποθοῦντας τὴν ὄψιν αὐτοῦ. Cicero 3. 7. ad Atticum, *Videre te cupio.* & Famil. Epist. 16. 8. ad Tyronem suum, *Videre te totâ cogitatione cupio.* Idem in Tusculanis quæstionibus, ubi de voce πόθος, *Desiderium est libido ejus qui absit videndi.* Apud Gellium 15. 7. Augustus Cæsar ad suum Cajum scribens, *Quem*, &c. *semper desidero* (id est, videre desidero) *cùm à me abes.* Hinc Luc. 8. 9. ἰδεῖν σε θέλοντες, id est, ποθοῦντες· & Philipp. 4. 1. ἐπιπόθητοι. Philo in De vita contemplativa, Ὑπ' ἔρωτος ἁρπασθέντες, &c. μέχρις ἂν τὸ ποθούμενον ἴδωσι.

Ibid. μεμνημένος σου τῶν δακρύων] Ità 2 Cor. 7. 15. de Tito, Τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς ἐστιν, ἀναμιμνησκομένου τὴν ὑμῶν ὑπακοήν. Τῶν δακρύων, quas nempe, me a te discedente, effudisti. Chrysostomus Homil. 61. in Joh. *Peregre proficiscentes lacrymis prosequimur.* Seneca epist. 49 ad Lucilium suum, *Totus mihi in oculis es cùm maxime a te discedo. Video lacrymas combibentem, & affectibus tuis, inter ipsam coercitionem exeuntibus, non satis resistentem.* Idem cap. 7. Consolat. ad Marciam, *In discessu, non solùm amissione charissimorum necessarius morsus est, & firmissimorum quoque animorum contractio.* Vide ad Act. 20. 37. dicta.

Ibid. ἵνα χαρᾶς πληρωθῶ] Sic Act. 15. 31. χαρᾶς ἐπληροῦντο. Scriptor Maccabaici tertii, χαρᾷ πεπληρωμένος· Anonymus apud Suidam, in Εἰσέφρησε, Χαρᾶς ὑπεπλήσθησαν. & apud eundem in Ὁμολογεῖ, Ælianus, περιχαρείας ὑπεπλήσθησαν.

5. ὑπόμνησιν λαμβάνων, &c.] In MS. antiquissimo qui in Britannia, ὑπόμνησιν λαβὼν· unde conjicio veram scripturam esse, ὑπόμνησιν λαβών· sic enim è converso 1 Pet. 1. 9. λαβὼν λήθην.

Ibid. τῆς ἐν σοὶ ἀνυποκρίτου πίστεως, ἥτις ἐνῴκησεν, &c.] Glossarium, Ἀνυπόκριτος, *infictus*, &c. Κατοικεῖν iisdem de fide

Ephes. 6. 3. dicitur: ut ἐνοικεῖν de Spiritu sancto infrà heic com. 14. Contrà Rom. 7. 20. ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.

Ibid. ἐν τῇ μάμμῃ σου] Glossarium, Μάμη, (scribe μάμμη,) *avia*. De avia autem perperàm hoc dici Phrynichus ait.

Ibid. πέπεισμαι δὲ, &c.] Non dicit ἤλπικα, sed πέπεισμαι. Seneca Epist. 10. ad Lucilium, *Vide quid de te sperem, imò, quid spondeam mihi.* Πέπεισμαι Latinissimè vertas, *in animum induco*, id est, ait ad Hecyr. 2. 3. Donatus, *persuadeo animo meo.*

6. ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ ὅ ἐστιν ἐν σοὶ, &c.] Quod 1 Tim. 4. 14. μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος. Hesychius, ex hoc Apostoli loco, Ἀναζωπυρεῖν, ἀνεγεῖραι. Idem alibi, Ζωπυρεῖ, ἀναζῆν ποιεῖ. Suidas, Ἀναζωπυρῆσαι, ἀνανεῶσαι, ἀνεγεῖραι. Idem, Ἐκζωπυρῆσαι, &c. ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἀνθράκων. Hinc, τὸ θεῖον ἐν τῇ ψυχῇ ἀναζωπυρεῖν, cap. 16. apud Jamblichum. Philo libro de Josepho, Ἐζωπύρει τὴν τοῦ παιδὸς φύσιν ἐξαιρέτοις καὶ περιτταῖς ἐπιμελείαις. Seneca Epist. 108. *Cum irritator accessit, tunc animi bona velut sopita excitantur:* & Epist. 16. *Te moneo & hortor, nè patiaris animi tui impetum delabi & refrigescere.* Cicero Tuscul. 3. *Magna vis est in virtutibus: eas excita si fortè dormiunt.* Ovidius,

> *Vidi ego jactatas motâ face crescere flammas,*
> *Et rursus nullo concutiente mori.*

Pro ἀναμιμνήσκειν, simili sensu 1 Tim. 6. 17. & Judæ com. 5. ὑπομιμνήσκειν habemus.

7. οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς πνεῦμα δειλίας] Οὐκ ἐσμὲν (ut Hebr. 10. 39.) ὑποστολῆς, &c.

Ibid. ἀλλὰ δυνάμεως] Similis 1 Cor. 2. 12. locutio illa, Οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ. & 1 Thes. 5. 9. illa, Οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ θεὸς εἰς ὀργὴν, ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας. Πνεῦμα δυνάμεως expone, aut, fortitudinem periculis & vexationibus resistendi: (vide 2 Cor. 4. 7. & 6. 7. 2 Tim. 4. 17. Colos. 1. 11. indè & 1 Cor. 10. 13. πιστὸς ὁ θεὸς, &c.) vel, vim & efficaciam in Euangelio prædicando, carnisque resurrectionem ex Christi resuscitatione probando. Vide 1 Thes. 1. 5. Act. 4. 33. & 9. 22. & quæ ibi annotata nobis. Priorem autem exponendi modum crediderim veriorem esse; δειλοὶ enim (qualibus hoc loco πνεῦμα δυνάμεως opponi videtur) Apocal. 21. 8. vocantur qui tempore persecutionis urgente, se periculis subtrahebant.

Ibid. καὶ ἀγάπης] Quod non in eadem sede cum timoris spiritu moratur. Vide 1 Joh. 4. 18. ubi φόβος, qui heic δειλίας πνεῦμα.

Ibid. καὶ σωφρονισμοῦ] Auctoritatem τοὺς ἀτάκτως περιπατοῦντας admonendi coercendique. Glossarium, Σωφρονισμὸς, &c. *coercitio*: & apud Hesychium, Σωφρονιστὴς, νουθετητής. Hinc τῶν ἄλλων διόρθωσιν καὶ σωφρονισμὸν, Plutarchus in Catonis vita, & Tit. 2. 4. τὰς νέας σωφρονίζειν. Interpres vetus, *sobrietatis*, quasi legisset σωφροσύνης. Ego alteram lectionem prætulerim propter oppositum δειλίας.

8. μηδὲ ἐμὲ, &c.] Vide 1 Thes. 3. 3.

Ibid. συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ] Ab hoc loco puto optimè illustrari posse Philipp 1. 27. illum, συναθλοῦντες τῇ πίστει, à plurimis (ad fortè malè) ità intellectum, ac si sensus sit, pro fide certantes concorditer, vel, uno velut agmine facto; id autem Apostolus si voluisset, dixisset, non τῇ πίστει, sed, ἐπὶ τῇ πίστει συναθλοῦντες· ità Judæ com. 3. τῇ πίστει ἐπαγωνίζεσθαι. Mihi liquere videtur utrobique subesse προσωποποιΐαν· ibi τὴν πίστιν esse, quod heic τὸ εὐαγγέλιον· nec aliud ibi συναθλεῖν quàm quod hoc loco συγκακοπαθεῖν· unde & Ἀθλεῖν κακοπαθεῖν exponitur ab Hesychio, Vulgatus dicto ad Philippenses loco, *collaborantes Euangelio*, rectissimè, & more suo, id est, sagacissime.

Ibid. κατὰ δύναμιν θεοῦ] Κατὰ τὴν δύναμιν (à Deo nempe) ἐνεργουμένην, ut Ephes. 3. 20. loquitur.

9. πρὸ χρόνων αἰωνίων] Vide Rom. 16. 25.

10. διὰ τῆς ἐπιφανείας, &c. Ἰησοῦ Χριστοῦ] Ad Titum 2. 11. eodem argumento, Ἐπεφάνη ἡ χάρις, &c. De Eodem Ignatius ad Magnesios, Πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη. quod 1 Tim. 3. 16. ἐφανερώθη· Matth. 4. 16. Φῶς ἀνέτειλεν.

Ibid. καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, φωτίσαντος δὲ ζωὴν, &c.] Τὸν θάνατον intellige ut Hebr. 2. 14. τὸν τὸ κράτος τοῦ θανάτου ἔχοντα, ubi & καταργεῖν· Ignatius ad Ephes. Ἐλύετο πᾶσα μαγεία, καὶ πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας, ἄγνοια καθῃρεῖτο, παλαιὰ βασιλεία διεφθείρετο· & statim, in eadem re, θανάτου κατάλυσιν. Ζωὴν φωτίσαντος, in lucem è tenebris eruentes. Vide Luc. 1. 78, 79. Act. 26. 23. 2 Cor. 4. 6. ubi & φωτισμόν. De Eodem Joh. 1. 4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων.

Ibid. φωτίσαντος ζωὴν] Ità in Epictetum Arrianus 1. 4. ἀλήθειαν φωτίζειν dixit: Anonymus apud Suidam, σωτηρίαν πυρσεύειν· & 24. 44. Sirachides, φωτιοῦν παιδείαν.

12. Δι' ἣν αἰτίαν καὶ ταῦτα πάσχω] Patior vincula ista, quotidianum mortis periculum subeo & alias ærumnas. Idem Actor. 28. 20. διὰ τὴν ἐλπίδα τοῦ Ἰσραὴλ τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι.

Ibid. οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα] Sic 18. 6. apud Sapientiæ Scriptorem, Ἵνα ἀσφαλῶς εἰδότες οἷς ἐπίστευσαν ὅρκοις ἐπευθυμήσωσι. Vult dicere Apostolus ut 1 Thess. 3. 3. πιστός ἐστιν ὁ Κύριος, ὃς στηρίξει με, &c. Locutioni ejus similis Ciceronis illa, *Scio quem metuam*, 7. 26. ad Atticum; & Plinii ista lib. 1. Epist. 3. *Scio quem animum, quod hortor ingenium.*

Ibid. τὴν παραθήκην μου φυλάξαι] Τὴν παραθήκην, animam meam, quam αὐτῷ, ὡς πιστῷ κτίστῃ, &c. παρατίθημι (1 Pet. 4. 19.) In Carmine incerti Auctoris de Phœnice moritura,

> ——*Inter varios animam commendat odores,*
> *Depositi tanti nec timet illa fidem.*

Ibid. εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν] Sic infra hîc com. 18. & 2 Tim. 4. 18. Matth. 7. 22. Luc. 10. 12. Hanc diem 1 Cor. 5. 5. & Phil. 1. 6, & 10. Χριστοῦ ἡμέραν dixit.

13. Ὑποτύπωσιν ἔχε τῶν ὑγιαινόντων λόγων ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ] Ordo videtur esse, Ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων ὧν π. ἐ. ἤ. ἔχε ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ· & hoc est quod Luc. 8. 15. τὸν λόγον ἀκούσας, ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ κατέχει. Ὑποτύπωσιν, *delineationem*, metaphorâ aut à re pictoria (quod Chrysostomus & Theophylactus volunt,) aut ab architectonica desumptâ. *Formam* peritè ergò Vulgatus vertit. Cicero 1. 19. ad Atticum. *Nostra*, &c. *vitæ quasi quandam formam*, &c. *vides.* Idem in Oratore, *Eloquentiæ speciem & formam adumbrabimus*: & alibi, *Formam quasi ipsam, & faciem honesti vides*: & 2 de Oratore, *Eloquentiâ suâ quandam expressit quasi formam figuramque dicendi.* Seneca epist. 8. ad Lucilium suum, *Hanc sanam & salubrem vitæ formam tenete*: quasi diceret, ὑγιαίνουσαν ταύτην βίου ὑποτύπωσιν ἔχε. D. Hieronymus de matre & avia Demetriadis, *Quarum imitatio forma virtutis est.* Ἔχειν heic, est quod Tit. 1. 9. in argumento simili ἀντέχεσθαι. ὑποτύπωσις λόγων, ferè qui Rom. 16. 17. διδαχῆς τύπος.

14. Τὴν καλὴν παρακαταθήκην φύλαξον διὰ πνεύματος ἁγίου] Sic Hebr. 9. 14. διὰ πνεύματος ἁγίου (vel, ut multi codices habent, αἰωνίου) ἑαυτὸν προσφέρειν· & Actor. 1. 2. διὰ πνεύματος ἁγίου ἐντέλλεσθαι. De iis παρακαταθήκην φύλαξον. Vide ad 1 Tim. 6. 20. notata.

15. Οἶδας τοῦτο] Puto scire te, vel audisse, ut Latini loquuntur: infrà heic com. 18. σὺ βέλτιον γινώσκεις.

Ibid. ἀπεστράφησάν με πάντες] Ἀποστρέφεσθαι heic est quod Joh. 6. 66. εἰς τὰ ὀπίσω ἀπέρχεσθαι· & Luc. 8. 13. ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστασθαι. Sic infrà heic 4. 16. πάντες με ἐγκατέλιπον.

16. Δώῃ ἔλεος ὁ Κύριος τῷ Ὀνησιφόρου οἴκῳ] Id est, τοῖς ἐκ τοῦ Ὀνησιφόρου οἴκου· vide Phil. 4. 22. Euthymius ad Luc. 19. ea, SALUS DOMUI HUIC, *Domum dicit eos qui in domo erant.* Onesiphorum servile nomen fuisse videmus vel ex L. Titia, ff. de manumiss. testam. Videtur autem Onesiphorus iste libertus fuisse cujuspiam è Romanis nobilioribus, nomenque (ut alii complures servi) ab omine boni proventûs sortitus. Hesychius, Ὀνησιφόρος, ὠφέλειαν φέρων. Sic 3. 39. Artemidori, Ἐλπιδοφόρος, & com. 10. ad Philemonem Ὀνήσιμος.

Ibid. ὅτι πολλάκις με ἀνέψυξε] Idcirco Deus (inquit) misereatur ejus. Ignatius ad Smyrnenses, Κατὰ πάντα με ἀνεπαύσατε, ἀμείβοι ὑμῖν θεός. Ἀνέψυξέ με, est, ut Coloss. 4. 11. ἐγενήθη μοι παρηγορία. Hesychius, eo sensu ex hoc Apostoli loco, Ἀνέψυξεν, ἀνέπαυσεν. Translatio autem videtur sumi ab iis qui siti conficiuntur: quo sensu Lucas 16. 24. καταψύχειν dixit. Vide Proverb. 25. 13. Vulgatus (proprietati vocis insistens) *refrigeravit*: ità in vetere Onomastico, *Refrigero*, ἀναψύχω.

Ibid. τὴν ἅλυσίν μου οὐκ ἐπαισχύνθη] Non erat ex iis qui discedunt cùm catena crepat. Magnificè hoc elogio effert atque ornat constantiam ejus. Cicero in Lælio, *Quam graves, quàm difficiles plerisque videntur calamitatum societates! ad quas non est facilè inventus qui descendat.* Ignatius ad Smyrnenses, Τὰ δεσμά μου ἃ οὐχ ὑπερηφανήσατε, οὐδὲ ἐπῃσχύνθητε.

> *Esse bonum facile est, dum quod vetat esse remotum est,*
> *Nilque quod officiis obstet amicus habet:*
> *Cum Deus intonuit, non se subducere nimbo,*
> *Id demum est pietas, id socialis amor.*

Vulgatus, *non erubuit catenam meam*, κομψοτέρως. Virg.

——*Nec*

——— *Nec jura fidemque*
Supplicis erubuit. ———

Quin & ibi *erubescere* est ἐντρέπεσθαι, non quod hoc loco ἐπαισχύνεσθαι.

17. σπουδαιότερον ἐζήτησέ με, καὶ εὗρε] Id est, ut Luc. 15. 8. ἐπιμελῶς ζητήσει ἕως ὅτου εὕρῃ. Sic & Luc. 4. 42. Ἐζήτουν αὐτὸν, καὶ ἦλθον ἕως αὐτοῦ· id est, καὶ εὗρον αὐτόν. Confer & Act. 11. 25. Theophylactus ad Joh. 1. illud, εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, Εὑρήκαμεν, ὅτι ἐκ πολλοῦ, &c. τὴν ζήτησιν ἐμελέτουν. Invenire, quærentium est. Vide ad Matth. 7. 7. & Luc. 11. 9. annotata. In Glossis, Σπουδαιότερον, *festinantius, properantius.*

18. εὑρεῖν ἔλεος παρὰ Κυρίου ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ] Εὑρεῖν ἔλεος καὶ χάριν εἰς εὔκαιρον βοήθειαν, ut 4. 16. Scriptor ad Hebræos loquitur. Repetitionem nominis vice pronominis habemus heic, ut Joh. 11. 22. Susannæ com. 55. & alibi locorum.

Ibid. καὶ ὅσα ἐν Ἐφέσῳ διηκόνησεν, &c.] Sic Deuter. 9. 7. ὅσα Κύριον παρώξυνας. Ὅσα, in quantis & qualibus negotiis. Sic ὅσα Luc. 4. 23. & Actor. 9. 16. Suidas, de voce Ὅσα, Τὸ μόριον τοῦτο, &c. ἄπειρον πλῆθος δηλοῖ ἀριθμῷ· quæ vera sunt, at non justæ latitudinis: non enim ad numerositatem tantùm sed & qualitatem ea vox refertur. Διηκόνησε, mihi nempe: ità enim malim quàm (quod nonnulli faciunt) ἀδελφοῖς, aut ἁγίοις, intelligere.

Ibid. βέλτιον σὺ γινώσκεις] Optimè nosti, inquit, qualem de me curam habuit. Simile, etsi in partem diversam, Davidis illud 3 Reg. 2. 5. ad Salomonem, *Nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ:* Auctoris ad Herennium 4. *Iste quomodo vixerit scitis omnes:* & Catulli,

Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam
Scitis, & in quo me exercuerit genere.

CAP. II.

VALLA.

4. **N**Emo militans Deo implicat se negotiis secularibus] Malè additum est à nostris *Deo:* nam est argumentum à Minori atque ab Exemplo. Quòd si ille qui militat prohibetur è Jure Civili atque è disciplina Militari negotiari, quantò magis miles Christi? *Militem* enim *Christi* Timotheum appellavit. Nec tam *negotiis* legendum est quàm *negotiationibus*, πραγματείαις· nec tam *secularibus* quàm *vita*, τοῦ βίου· nec tam *implicat se* quàm *implicatur*, ἐμπλέκεται. ¶ *Ut ei placeat cui se probavit*] Gr. *ut ei qui ipsum delegit militem placeat*, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ.

5. *Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certaverit*] Non legitur Græcè *in agone*. Nec AGON locus est, sed *certamen*. Ego autem puto sic fuisse transferendum, *Si autem & certet quis, non coronatur*, ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται.

14. *Hæc commoneo testificans coram Deo*] *Commone* legendum est, sive *in memoriam redige*, ὑπομίμνησκε. ¶ *Noli verbis contendere: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*] Non est Græcè imperativum, sed infinitivum, *non contendere verbis:* ita enim se habet tota sententia, & ità puto transtulisse Interpretem, *Hæc commone, testificans coram Deo, non verbis contendere*, (sive *ne verbis contendant*) *in nihil utile* (sive *in nullam utilitatem*) *ad eversionem audientium:* μὴ λογομαχεῖν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ.

16, 17. *Profana & inaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum ut cancer serpit*] Quod superiùs dixit *ineptas*, ad eundem Timotheum scribens, 4. 7. id nunc ait *profana*, βεβήλους. Nec est legendum cum copula. Nec tam est *inaniloquia* quàm *inanes voces*, κενοφωνίας. Nec legendum est *proficiunt* sed *proficient*, προκόψουσι. Nec tam est *multùm* quàm *ampliùs*, sive, ut ad verbum transferam, *in plus proficient impietatis*, ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας. Et *serpet*, non *serpit*, quod aptiùs elegantiusque translatum est quam veriùs: nam Græcè dicitur, *Et sermo eorum ut cancer pasturam* (sive *pastionem*) *habebit*, νομὴν ἕξει.

16. *Cognovit Dominus qui sunt ejus*] Nisi aliena tractasset Interpres, haud dubiè dixisset *qui sunt sui:* nunc quia reperit genitivum Græcum αὐτοῦ, quod significat *ipsius* sive *ejus*, per incuriam quandam verbum è verbo traduxit, ut sæpenumero aliàs, sed parùm Latinè.

ERASMUS.

1. **C**Onfortare] Ἐνδυναμοῦ, i. e. *fortis aut robustus esto*, aut *corroborare*. Nam *confortare* quidam negant esse Latinum.

3. *Labora sicut*] Σὺ οὖν κακοπάθησον, i. e. *Tu igitur feras afflictiones:* nam hoc significat κακοπαθεῖν, ut modò admonuimus.

4. *Nemo militans Deo*] *Deo* redundat: etiamsi additur apud Ambrosium, non tamen in interpretatione. Apud Chrysostomum in primo contextu non additur *Deo:* nec apparet ex interpretatione quòd addiderit. Adhibet enim Paulus hoc simile à Militibus sumptum, quorum nemo curat rem domesticam posteaquam sacramento fuerit addictus militiæ, sed imperatoris sui negotium agit. Multò magis id convenit facere eum qui militat Euangelio. Porrò has ceu parabolas adhiberi planissimè testatur interpres Chrysostomi. Theophylactus nobiscum certè legit *implicat*, non *implicet:* nec addit *Deo*, licèt interpres de suo addiderit. ¶ *Implicat se*] Ἐμπλέκεται, i. e. *implicatur*. Quanquam hujusmodi passiva subindè vertit per pronomina reciproca. Sed depravatiùs qui legunt *implicet* imperandi modo. Non enim jubet ne se implicent, sed negat eos Deo militare qui sese involvunt. ¶ *Negotiis secularibus*] Ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, i. e. *vitæ negotiationibus*, aut *occupationibus*. Porrò βίος *victum* magis sonat quàm *vitam*. Et apud Jureconsultos *victûs* nomine continentur & Vestes. Qui militat non est solicitus de victu: rem victoriæ agit; de victu prospicit imperator. ¶ *Ut ei placeat cui se probavit*] Ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ, i. e. *ut ei qui se militem delegit placeat*, h. e. ei cujus spiritu delectus est & adscriptus ad hanc militiam. Fortassis Interpres vertit *ei qui se probavit:* tametsi Ambrosius legit atque etiam interpretatur *cui se probavit*, id sentiens ut apparet, *cui se concredidit*. Chrysostomi interpres legit *qui se elegit*.

5. *Nam & qui certat in agone*] Ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, i. e. *Si vero & certet aliquis*. Verbum est unde dicuntur *athletæ:* nam ab iis quoque ducit simile. ¶ *Non coronabitur*] Οὐ στεφανοῦται, i. e. *non coronatur*, suffragante Ambrosio: h. e. Non sat est quomodocunque certare, sed ità certandum ut vincas. Suffragabatur codex Constantiensis vetustior.

6. *Laborantem agricolam*] Video Græcos etiam Interpretes nonnihil hærere hoc in loco: sed meâ sententiâ sermonis ordo paulò perturbatior obscuritatem adduxit orationi: ea tolletur, si κοπιῶντα sit præteriti temporis, & ab eo pendeat adverbium πρῶτον *prius*, & non ab infinito verbo quod sequitur, λαμβάνειν· ut sententiam ad hunc ordinemus modum, *Oportet agricolam accipere fructus, sed si prius laboraris*. Tres enim adhibuit parabolas, *militis*, *athletæ*, & *agricolæ*; quorum unusquisque, cæteris curis omissis, suum munus gnaviter obit. Neque deest præmium si suo quisque priùs functus fuerit officio. Equidem opinor hoc sensisse Paulum, licèt diversam sententiam sequatur Ambrosius, interpretans *eum primum debere sumere qui primus est, ac deinde distribuere reliquis*. Chrysostomus bifariàm interpretatur. Cæteri athletæ non capiunt præmium nisi partâ victoriâ. Agricola & dum colit terram nonnihil interim fructûs percipit, exspectans in posterum copiosiorem proventum. Aut agricolæ, quoniam cum divite fidelique terra commercium habet, non invertitur suum præmium: ipse primus capit, qui colit.

7. *Dabit enim tibi Dominus*] Græcè non est *dabit*, sed δῴη, i. e. *det*, quod est precantis. Ad eum modum palàm enarrat hunc locum Chrysostomus, cum dicat Paulum *paterno affectu non desinere precari bona Timotheo, ceu timentem filio charissimo*. Tametsi interpres Chrysostomi nostram secutus editionem vertat *dabit* pro *det*.

9. *In quo laboro*] Κακοπαθῶ, i. e. *affligor:* quod suo more ferè transfert *laboro*. Quanquam non sum nescius & apud Latinos *laborare* aliquoties sic accipi, ut sit idem quod In rerum difficultatibus versari. ¶ *Quasi malè operans*] Ὡς κακοῦργος, i. e. *ut maleficus*, aut *facinorosus*. Miror quod exemplum secutus Ambrosius verterit *quasi latro*. Nihil enim simile in κακοῦργος & λῃστής, quod magis sonat *facinorosum*. Quanquam in Euangelio constanter hic Interpres κακούργους vertit *latrones*, ut illic indicavimus. ¶ *Non est alligatum*] Οὐ δέδεται, *non fuit alligatum*. Est autem allusio festiva in Græcis vocibus δεσμῶν & δέδεται, i. e. *vincula* & *vinctum fuit*.

10. *Cum gloria cœlesti*] Αἰωνίου, i. e. *æterna*. Interpres & Ambrosius legisse videtur οὐρανίου.

11. *Fidelis sermo*] Rursum est πιστὸς ὁ λόγος· quæ verba Paulus suo more præmittit dicturus rem certam & indubitatam, aut subjicit velut asservatione confirmans quod di-

dixit. Quanquam Ambrosio non adduntur hoc loco.

12. *Si negaverimus*] Εἰ ἀρνούμεθα, *Si negamus:* in quo modo pronunciavit & superiora.

13. *Si non credimus, ille fidelis*] Nec hoc loco servata est Græcarum vocum affinitas, ἀπιστοῦμεν πιστὸς, i. e. *diffidimus fidelis* sive *fidus*.

14. *Noli contendere verbis*] Λογομαχεῖν, dictione composita, i. e. *pugnare verbis:* verbum cognatum ei nomini quod antè vertit *pugnas verborum*. ¶ *Nihil enim utile est*] Εἰς οὐδὲν χρήσιμον, i. e. *ad nullam utilitatem*. Jam enim novum esse non debet adjectivum usurpari loco substantivi, nisi malis hanc particulam per Parenthesin interseri. ¶ *Nisi ad subversionem*] Et *nisi* redundat, & *ad subversionem* refertur ad illud superius, *noli pugnare verbis*, sive, ut Apulejus loquitur, *verbigerari:* ut illud, *ad nihil utile* per Parenthesin interseratur, si subaudiatur verbum substantivum *est*. Quanquam Interpres & Ambrosius, quò sensus esset dilucidior, unum & alterum verbum de suo addiderunt. Sic autem ordinandus est sermo, *Hæc admone, contestans coram Domino, nè verborum pugnas sequantur, ad nullam utilitatem, ad subversionem audientium*. Cæterùm infinitum, quod Interpres retulit ad *Timotheum*, haud scio an rectiùs accommodetur ad cæteros omnes: ut hoc ipsum sit quod illos admonet per Timotheum, nè inter se frivolis quæstiunculis depugnent, cùm Christiana Philosophia non sit sophistica disputatio, sed vita pura & Christo digna. Siquidem Timotheo non timebat ab hoc morbo, sed animat eum ad contemnendos eos qui tali morbo tenebantur.

15. *Solicitè autem cura*] Σπούδασον σεαυτὸν, id est, *Stude teipsum*, &c. Augustinus legit *Satis age*, pro *Stude*. Nec est τὸ *autem* vel apud Græcos vel apud Ambrosium. ¶ *Probabilem exhibere*] Δόκιμον, i. e. *probatum* sive *probum*. ¶ *Operarium inconfusibilem*] Ἀνεπαίσχυντον, i. e. *qui non pudefiat*, sive *erubescat*. Quanquam Ambrosius legit *non impudoratum*. Porrò *impudoratos* vocari *qui contentionibus nituntur:* velut hoc pertineat ad disputationes contentiosas, quas *pugnas verborum* appellat, quòd in his nemo velit cedere, sed sua quisque pertinacissimè tueatur, & alius alium consputat. Augustinus lib. 1. contra Crescon. cap. 2. *non erubescentem* legit pro *inconfusibilem*. ¶ *Rectè tractantem*] Ὀρθοτομοῦντα. Sonat q. dicas *rectè secantem*. Et Scholia Græcorum admonent Metaphoram sumptam à Securi aut Gladio, quo resecantur inutilia & supervacanea. Est proverbium de *Tenedia bipenni*, quod si quis legat, meliùs intelliget hujus loci sensum. *Inciditur* enim *sermo veritatis* cum in hujusmodi disputationibus veritas amittatur & spinis quibusdam involvatur. In hanc sententiam cùm interpretentur magno consensu veteres orthodoxi, tamen visum est cuidam incessere quòd nos pro *tractantem* vertimus *secantem*, nequaquam reprehendentes quod verterat Interpres, sed dilucidiùs explicantes quod scripsit ac sensit Paulus. An *rectè tractare* sonet Græcis ὀρθοτομεῖν in præsentia non disputo: fortassis Interpres non habebat alias voces quibus redderet Græcam. Certè Ambrosianam interpretationem nemo prorsus intelliget nisi Græcæ vocis emphasim teneat. Hujus Commentum subscribam, quandoquidem mihi videtur non in hunc usum tantùm conducibile; *Quoniam sunt aliqui qui dicunt contentionem audientibus prodesse, Apostolus autem sciens magis obesse, hoc mandat, ut unusquisque hoc curet, ut spretâ altercatione semetipsum probabilem faciat, & impudoratos appellans eos qui contentionibus nituntur. Necesse est enim ut contentio extorqueat aliquid, imò multa quæ dicantur contra conscientiam, ut intus in animo perdat, foris victor abscedat. Nemo enim patitur se vinci, licèt sciat vera quæ audit. Rectè autem tractat & bonâ conscientiâ, qui volentibus loquitur & pacificis. Collatio ergò inter Dei servos esse debet, non altercatio.* Hactenus Ambrosius. Qui quod hic monet, idem plurimis in locis admonet Chrysostomus. A qua quidem regula quantùm absint qui hodie virulentis libellis ac linguis sese lacerant, tam impiè crudeles in proximum quàm turpiter adulantes erga Principes, viderint alii. Certè liquet Ambrosium interpretari quid sit *rectè secare*. Quia amputat contentiosa, & relinquit placida atque utilia, *rectè secat*, nimirum amputatis iis quæ noxia sunt. Chrysostomus scribit hunc in modum, *Complures enim illud undique lacerant atque discerpunt, plurimaque illis immiscent noxia germina. Non ait* dirigentem, *sed* rectè tractantem; *ac si dicat, Amputa quæcunque adulterina oriuntur, & cætera hujusmodi summa cum vehementia incumbe ut resecentur. Atque, velut in loris atque corrigiis, superflua quæque atque à prædicatione aliena gladio Spiritus abscinde.* Hactenus Chrysostomus. Huic ità succinit Theophylactus, RECTE TRACTANTEM VERBUM VERITATIS, *Etsi*, inquit, *plerique id verbum discerpunt traducuntque aliò, tu tamen idipsum rectè pertracta. Vel* PERTRACTA, *inquit, h. e. dirige & circumcidito inutilia quæque, & deme gladio sermonis & verbi quæ ab Euangelii sunt prædicatione aliena.* Nec hinc abhorret Glossema quod in rhapsodia quam nescio qua de causa vocant *Ordinariam* interjectum est in spatio dirimente versus, sic habet, haud scio an ex Bedæ commentariis decerptum, *Secundum competentiam singulorum, ut altis spiritalia, lac distribue parvulis.* Videmus omnes exponere Græcæ vocis emphasim, quæ à *secando* dicatur; cùm nulli Latinorum *tractare* significet *Secare*. Sed *tomi* Græcis dicuntur Volumina, quæ Latini vocant *tractatus*. Fateor, sed *Tomi* dicuntur à *secando*, quòd olim in pellibus scribebant, in hoc resectis ut convolvi possent in surculum. Sed *tractantur* etiam quæ verbis disputantur.

16. *Profana autem*] Βεβήλους. Quam vocem superiùs vertit *inepta*. ¶ *Et vaniloqua*] Copula & redundat. κενοφωνίας, i. e. *inanes voces*. Eadem vox quam superiùs vertit *vocum novitates*. Et hoc quoque loco Ambrosius ità legit καινοφωνίας, i. e. *novitates*, consentiente & Chrysostomo. Cæterùm κενοφωνίας verti poterat *inaniloquia*. Imò sic hoc sane loco vertit Interpres. Germanam lectionem adhuc retinent duo Constantienses, & alii minùs depravati. ¶ *Devita*] Quod interpretatum pro *tolle è vita*. Περιΐστασο. Quod tametsi significat *abscinde*, tamen quoniam Græca præpositio ancipitis est naturæ, meliùs hoc loco vertas *supersedeto*, sive *prætermittas*. Græca Scholia bifariàm exponunt, aut *rejice*, aut *insta vehementer ut coerceantur*. Opponitur enim quod modò dixerat ὀρθοτομοῦντα, *rectè secantem & dijudicantem*, rejectis & rescissis altercationibus supervacaneis, quibus lites non finiuntur, sed aluntur ac augentur. Et admonet Ambrosius Christianorum disputationes *collationes* esse debere non *altercationes*. Et Chrysostomus ubique destomachatur in hoc hominum genus, & tamen ille nondum audierat nostras disputationes de Filiationibus, de Relationibus, de Instantibus, nè quid adjiciam quod justiùs sed periculosiùs dici poterat. ¶ *Proficiunt ad impietatem*] Προκόψουσι, *proficient* fut. temporis; & ità legit Ambrosius, suffragantibus vetustis exemplaribus. Nec tam est *multùm* quàm *ampliùs*. Porrò quod dicit, *inaniloquia proficere ad impietatem*, non omnino id sentit Paulus quod fortasse verba Latina sonant, Hujusmodi disceptationes adducere nos ad impietatem; verùm id sentit, Disceptationes hujusmodi quò magis admittuntur, hoc magis serpere & crescere ad majorem impietatem, gliscentibus indies contentionibus ambitiosis. ἐπὶ τὸ πλεῖον ἀσεβείας, i. e. *ad majorem impietatem*. Atque in hunc modum Græcanica Scholia interpretantur, & optimè congruunt ea quæ sequuntur.

17. *Ut cancer*] *Cancer* hoc loco morbus est, γάγγραινα· nè quis animal hoc loco putet esse. ¶ *Serpit*] Νομὴν ἕξει, *pastionem habebit*, ut conveniat cum verbo *proficiet*, quod est fut. temporis. Porrò morbus is depascitur locum quem occupavit; unde statim arcendus.

18. *Qui à veritate exciderunt*] Περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν, *circa veritatem aberrarunt:* de quo verbo superiùs admonuimus. Nam ἀστοχεῖ *qui non attingit quod destinabat attingere*, veluti scopum, aut aliud simile. ¶ *Et subverterunt*] Ἀνατρέπουσι, i. e. *subvertunt*. Persistebant enim adhuc in suo perverso studio. Sic adducit Augustinus lib. contra Faust. 4. c. 2. juxta fidem vetusti voluminis manu descripti, quod nobis exhibuit honorabile Collegium Canonicorum Martinensium Lovanii.

19. *Cognovit Dominus*] Hoc additum apparet velut exemplum *signaculi:* quod palàm declarat Chrysostomus, & huic libenter accinens Theophylactus, hunc enarrans locum. Unde minùs quadrat quod legitur in Ambrosianis codicibus, *Cognovit enim Dominus*. Quanquam ad eundem modum refert Augustinus libro De Catechizandis cap. 2. Et Chrysostomus putat testimonium hoc desumptum ex libro Deuteronomii; quod tamen nihil officit annotationi nostræ. ¶ *Qui sunt ejus*] Τοὺς ὄντας αὐτοῦ, i. e. *qui sunt sui*. Atque ità citat D. Hieronymus in Zachariam. Tolerabile est quod legit Ambrosius Epist. 1. *Cognovit Dominus qui sunt ipsius:* quòd *ipse* ad reciproci pronominis naturam proximè accedit. ¶ *Et discedit*] *Discedat*, ἀποστήτω. Atque ità legit Ambrosius, atque ipse etiam Aquinas, consentientibus vetustis exemplaribus. ¶ *Qui invocat nomen*] Ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα, *Qui nominat nomen*; quemadmodum habent & antiqui codices. Siquidem in exemplari Paulino evidens rasura testatur aliud fuisse scriptum. Et in codice Donatianico sine rasura scriptum erat, *Qui nominat nomen Domini*. Suffragabantur utrumque Constantiense. Theophylactus & legit & exponit *nomen nominat*, licèt interpres Latinus constanter infulserit pro *nominat*, *invocat*. Augustinus loco quem modò citavimus refert, *Qui invocat nomen Domini*. Tametsi in quibusdam Græcorum exemplaribus additum erat Χριστοῦ, atque ità legit Chrysostomus, nisi mendum est. Nam Theophylactus

lactus legit Κυρίε, quod mihi magis probatur. Nam dominum nullus agnoscit nisi servus illius. Aliis enim verbis Apostolus retulit sententiam quæ est 1 Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto.*

20. *Et quædam quidem in honorem*] Dilucidius erat, *illa quidem in honorem, hæc verò in ignominiam*: ut HÆC referat proxima, nempe *lignea ac testacea*; ILLA, *aurea* & *argentea*. Carent enim Græci hujusmodi pronominum proprietate. Quòd si schematis decus voluisset Interpres reddere, dicendum erat *in decus*, ac *dedecus*, τιμὴν, ἀτιμίαν.

21. *Si quis ergò emundaverit se*] Ἐκκαθάρῃ. Chrysostomus notat verbi præpositionem, quasi plus sit ἐκκαθάρῃ quam καθάρῃ. ¶ *Et utile Domino*] *Et* redundat, εὔχρηστον· quod sonat *accommodum usibus Domini*. ¶ *Ad omne opus bonum paratum*] *Paratum* hoc loco participium est, ἡτοιμασμένον· ut intelligas non *promptum*, sed à *Domino in hunc usum præparatum*.

22. *Fidem, spem*] *Spem* nec est in Græcis nec in antiquis Latinorum codicibus, nec est apud Ambrosium, nec apud Theophylactum, nec apud Chrysostomum, sive spectes contextum, sive excutias interpretationem, nè in codice quidem Donat. quem in tertia editione habui in consiliis; nec in duobus è Constantia missis. Ambrosius cum Græcis tantùm tria ponit, *fidem, charitatem & pacem*. Fides excludit ambitiosas disputationes; *Charitas non quærit quæ sua sunt*; ex his Pax alitur. ¶ *Et pacem*] *Et* copula redundat.

23. *Sine disciplina quæstiones*] Ἀπαιδεύτους ζητήσεις, *ineruditas quæstiones*. Atque ità vertit Ambrosius. Et rursum *devita* est παραιτοῦ· in quo mirum illum non meminisse copiæ. Sonat autem *rejice*, & *aspernare*, *nec admitte*. ¶ *Generant lites*] Μάχας, *pugnas*. Eleganter autem hujusmodi disputationes rixosas *pugnas* vocat.

24. *Non oportet litigare*] Μάχεσθαι, *pugnare*. Et rursum paulò pòst μάχεσθαι vertit *litigare*. Tametsi non admodum mutatur sententia, tamen perit emphasis Metaphoræ. ¶ *Docibilem*; Διδακτικόν, i. e. *idoneum ac paratum ad docendum*, magis quàm imperiosum. Nunc quidam cogere malumus quàm docere. Cyprianus in Epist. ad Stephanum urbis Romæ Episcopum interpretatur *docilem*, qui paratus sit discere: cui sententiæ reclamat Græca vox. Quanquam non refellitur ab Augustino lib. 5. De Baptismate contra Donat. c. 26. Quod hic dicit διδακτικόν, Plato in in Gorgia vocat διδασκαλικόν. ¶ *Patientem*] Ἀνεξίκακον, *tolerantem malos*, sive *mala*. Plus enim significat vox Græca quàm *tolerantem*.

25. *Cum modestia*] Ἐν πραότητι, *in mansuetudine*, seu *lenitate*. Potest enim utrovis referri, vel ad superiora, *tolerantem malorum in lenitate*, vel ad inferiora, *erudientem in lenitate*. Quanquam non inficias eo παιδεύειν nonnunquam sonare *corripere*. ¶ *Qui resistunt veritati*] *Veritati* redundat, nec est apud Ambrosium. Nam est quidem ad hunc legit modum, *corrigentem eos qui diversa sentiunt*. ¶ *Nè fortè det*] Μήποτε δῷ, *nequando det*. Quanquam si Latinè loqui voluisset Interpres dixisset *si quando*: quòd μὴ apud Græcos non semper est Negantis aut Prohibentis, sed nonnunquam Dubitantis, ut apud nos *num* aut *si*. Sensit orationis incommodum Augustinus, proinde libro quem inscripsit De singularitate Clericorum 1. cap. 14. interpretatur NE QUANDO DET, *ut aliquando det*.

26. *Et resipiscant*] Ἀνανήψωσιν, i. e. *redeant ad sobrietatem*, vel *expergiscantur*: utrumque enim significat νήφειν. ¶ *Diaboli laqueis*] Græcis est *laqueo* numero sing. ¶ *A quo captivi tenentur*] Ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ. Significat autem propriè *vivum capi in bello*. Nam hic Græca vox composita est, sicut & aliàs admonuimus.

VATABLUS.

1. CONfortare] *Fortis esto*. ¶ *Gratiâ*] Sub. *annuntiandâ, quæ est per Jesum*, &c.

2. *Per multos testes*] i. e. Coram multis testibus, non furtim. ¶ *Commenda*] *Præcipe*.

3. *Labora*] *Fer igitur afflictionem*.

4. *Secularibus*] *Vitæ*: i. e. ad victum quærendum pertinentibus. ¶ *Cui se probavit*. *Nam & qui*, &c.] *Qui se ad militiam delegit*. *Quòd si certet etiam aliquis*.

5. *Coronabitur*] *Coronatur*, Vet.

6. *Accipere*] *Percipere*.

7. *Dabit enim tibi*] *Det tibi*. Vacat *enim* hoc loco.

8. *Secundum Euangelium meum*] i. e. *Secundum quod doceo*.

9. *Laboro*] *Malis affligor*. ¶ *Quasi malè operans*] *Ut maleficus, facinorosus*. ¶ *Est*] *Fuit*.

10. *In Christo Jesu*] *Per Christum Jesum*. ¶ *Cælesti*] *Æternâ*.

11. *Fidelis*] *Certus*. ¶ *Nam*] Vacat *nam* hoc loco more Hebraico.

12. *Sustinebimus*] *Sufferimus*. ¶ *Negaverimus*] *Negamus*.

13. *Ille*] Sub. *tamen*, more Hebræorum.

14. *Coram Deo. Noli contendere verbis*, &c.] *Coram Domino, nè verborum pugnas sectentur, ad nullam utilitatem, ad*, &c. Vetera legunt *Domino*, & non legunt *nisi*.

15. *Inconfusibilem*] *Qui non erubescat*. ¶ *Rectè tractantem*] *Secantem*: i. e. circumcidentem inutilia quæque, & demetentem gladio sermonis & verbi quæ ab Euangelii prædicatione sunt aliena.

16. *Profana autem & inaniloquia devita*: *multum enim proficiunt ad impietatem*.] *Profanas autem vocum inanitates fuge: ad majorem enim procedent impietatem*: vel, *ad incrementum enim impietatis proficient*. Vetera legunt, *Profana autem inaniloquia, sive*, &c. item *proficient*, in futuro.

17. *Serpit*] *Serpet*, fut. temp. Vet. vel, *pastionem habebit*, i. e. depascet.

18. *Quia*] *Qui*, Vet. ¶ *Subverterunt*] *Subvertunt*.

19. *Habens signaculum hoc*] q. d. *Fides tamen, Divinum fundamentum, quo salus nostra fulcitur, consistit, ità ut subverti nequeat*. Ad fundamenti tamen hujus confirmationem pertinet illa sententia, *Novit Deus suos*, pui perire non possunt, & quorum fides subverti nequit. Soli seducuntur qui seducendi sunt: ad tempus pii errant, at suo tempore in viam reducuntur. ¶ *Discedit*] *Discedat*, Vet. ¶ *Invocat*] *Nominat*, Vet. i. e. colit Christum. ¶ *Domini*] *Christi*.

21. *Ab istis*] Sub. *hominibus impiis, Hymenæo & Phileto*: i. e. doctrinam eorum secutus non fuerit. ¶ *Erit vas in honorem sanctificatum*] Heb. erit tanquam vas præparatum & separatum ad res honestas, accommodum usibus Domini. Seipsum exposuit cùm dixit, *utile Domino*, &c.

22. *Sectare* *] * *Verò*, Vet. ¶ *Qui invocant Dominum*] i. e. Qui Deum colunt.

23. *Sine disciplina*] *Ineruditas*. ¶ *Devita*] *Respue*. ¶ *Lites*] *Pugnas*.

24. *Litigare*] *Pugnare*. ¶ *Mansuetum*] *Placidum*. ¶ *Docibilem*] *Propensum ad docendum*: i. e. idoneum ac paratum. ¶ *Patientem, cum modestia corripientem*] *Tolerantem malos* [vel, *mala*] *cùm mansuetudine erudiens eos*, &c.

25. *Nè quando*] *Si quando*.

26. *Resipiscant*] Vel, *ad sobrietatem redeant*: vel, *expergiscantur*: utrumque enim significat vox Græca. ¶ *Captivi*] *Capti*, Vet.

CASTALIO.

21. PRoinde si quis seipsum ab his expurgaverit] Scilicet vitiis quæ dixi.

CLARIUS.

2. QUa audisti à me per multos testes] Nihil est quod verearis, inquit, ea proponere quæ à me jam vulgata sunt & testes multos habent: vel multis Divinis sive Spiritus S. testimoniis confirmata.

3. *Sicut bonus miles*] Militis enim id proprium est, *labores perferre*.

4. *Nemo militans*] Accipit similitudinem à corporea hac Militia, in qua legitimus militandi usus vult ut *nemo qui ad militiam ascriptus sit, aliis se ullis negotiis implicet*, ut strenuè negotium suum exerceat. Idem ipsum multò etiam magis servandum est in spirituali militia. Nam si terreno quis Regi militans non implicatur rebus quæ illum ab armis avocent, quantò magis qui cœlesti Regi se dicavit, & in tam egregiam militiam ascriptus est, id præstare debet? Meminit & *Athleta*, indicans, perpetuâ illi opus esse exercitatione. Quod athletæ (quæ Græca dictio est) exemplum meliùs ex Græco textu intelligitur, ubi sic legitur, Ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ, *Quòd si etiam quis certet*, h. e. athletæ officium exerceat, *non coronatur nisi legitimè certaverit*.

6. *Laborantem agricolam*] Non inertem, sed qui primùm in laboribus desudaverit. Is autem primus laborum fructum percipiet. Sic magister qui pro discipulis laborat, præterquam quòd accipiet à Deo copiosam retributionem, primus etiam percipit fructum, dum ipse in se priùs vel corrigit vel facit quæ alios docet.

8. *Memor esto Dominum Jesum Christum*] Munit eum adversùs

versùs hæreticos: ideo subdit, *secundùm Evangelium meum:* siquidem Pseudapostoli pravè annuciabant Euangelium. Etenim quidam jam tum dispensationem Incarnationis negabant, existimantes indecorum esse Filium Dei pati, & idcirco imaginariam fortasse illam fuisse docentes. Potuit etiam ista dixisse, ut solatium esset discipulo memoria & spes Resurrectionis.

10. *Sustineo propter electos*] Si electi jam sunt, quid posthac curâ ac laboribus opus est? Verùm sic electi sunt ut media tamen per quæ serventur adhiberi velit Deus.

13. *Ille fidelis permanet*] *Si noluerimus*, inquit, *ei credere*, non propterea ille quicquam patitur damni, & nos nostrâ culpâ peribimus, non illius: nam *fidelis*, h. e. verus, *permanet* ac stabilis, *& negare se non potest*, h. e. non potest non esse Deus. Non enim ex nostra vel fide vel incredulitate illa veritas vel juvatur vel læditur.

18. *Dicentes resurrectionem esse jam factam*] *Resurrectionem* (ut quidam ferunt) appellabant successionem illam quæ ex procreatione liberorum fit. Vide autem quot mala oriantur si dicatur *factam esse jam resurrectionem.* Privamur præsentiâ Christi; Non est retributio, neque ultio; Mentitur qui ista est pollicitus; & multa hujus generis: ut, *Si resurrectio non est, neque Christus resurrexit*, neque Judex erit vivorum & mortuorum, &c.

19. *Cognovit Dominus*] Signum quo agnoscitur aliquem cognitum esse à Deo atque electum est, Non everti à dogmatibus impietatis.

21. *Siquis ergò emundaverit se*] Hi enim possunt proposito ac voluntate mutari, & in utram velint partem converti. Nam in *vasis* quidem *aureis* ac *fictilibus* id fieri non potest, quæ ut facta sunt, ità manent: at in hominibus fit ex studio, ut quòd fictile erat fiat aureum, & aureum ex inertia evadat fictile. *Siquis igitur*, inquit, *emundaverit seipsum ab iis* qui tanquam lignea & fictilia sunt vasa, ut nihil commune cum illis habeat, *erit vas in honorem*, &c.

22. *Juvenilia autem desideria*] *Juvenilia desideria* non sola est scortatio, verùm etiam absurda quævis appetitio, sive quis pecunias amet, sive præesse aliis: quo pacto & senes interdum juveniliter concupiscunt.

ZEGERUS.

4. NEmo militans Deo] Cave omittas *Deo* cum Græcis, contra Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, & alios verteres. ¶ *Cui se probavit*] i. e. Ad cujus militiam concessit: vel, ut Græcè est, *ut ei qui se militem delegit placeat*, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ.

8. *Memor esto Dominum Jesum Christum*] *Dominum* non legunt scriptores modò citati, nec codices Græci, nec aliquot Latini.

13. *Si non credimus, ille fidelis permanet*] Propter vocum cognationem contrarietatemque jucundiùs ac dilucidiùs resonant Apostoli verba, εἰ ἀπιστοῦμεν, ἐκεῖνος πιστὸς μένει, quæ ità licebit vertere, *Si perfidi sumus, ille fidus manet.*

14. *Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem*] Græca ad verbum reddita ità resonant, *Noli verbigerari, ad nihil utile, propter subversionem audientium*, Sed Interpres, aut certè corrector Ecclesiasticus, Periphrasi explicuit quod alioqui obscurum erat, aliquot verbis superadditis, quæ etiam apud Ambrosium leguntur.

17. *Ut Cancer serpit*] *Cancer* hoc loci neutri generis est, morbumque significat membra depascentem: unde pro *serpit* Græcis est νομὴν ἕξει, *pasturam*, vel *pabulum*, *habebit.* Chrysostomus tamen, Ambrosius, & Augustinus, Tract. in Epist. Joh. 8. *serpit* legunt.

19. *Habens signaculum hoc*] Nimirum quod sequitur, *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, quod Chrysostomus ex Deuteronomio sumptum indicat, ex quoto verò capite incertum est. Porrò alteram partem testimonii, *Discedat ab iniquitate*, &c. quidam ex Jes. 55. desumptum putat, ubi scriptum est, *Derelinquat impius viam suam*, &c. ¶ *Omnis qui invocat nomen Domini*] Lege *nominat nomen*, juxta Ambrosium, Augustinum, exemplaria vetera & editionem Græcorum.

23. *Sine disciplina quæstiones*] Ἀπαιδεύτους ζητήσεις, i. e. *indoctas quæstiones.*

27. *Docibilem*] Διδακτικός, non tam *docibilem* signat quàm *aptum ad docendum.* Verùm *docibilem* legunt Ambrosius & Augustinus lib. 2. De serm. Dom. in monte, & magis quadrat.

25. *Nè quando det illis Deus pœnitentiam*] Augustinus lib. 1. De singul. Clericor. c. 14. interpretatur, *ut aliquando det illis Deus pœnitentiam.*

LUCAS BRUG.

14. HÆc " commone *testificans* ' [" *commoneo* o. *commonere* o. *commoneri testificor* o.] *coram Domino* [*Deo* o.] *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*] Græcè pro, *Noli contendere verbis* est, μὴ λογομαχεῖν, quod est, *non contendere verbis:* id quod accipi possit ut novæ sententiæ caput, atque intelligi infinitus modus imperativi singularis loco; sed rectiùs fortè, juxta Græcos Tractatores, etiam Chrysostomum & Syricum Interpretem, præcedentibus jungi, ità ut à participio *testificans* sive *contestans* pendeat, ut non Timotheum Apostolus doceat à verborum contentione abstinere, sed alios ad id vitii proclives à Timotheo velit Deo in testem assumpto moneri. Facilè verò in suspicionem adducar, Latinum Interpretem non *noli*, sed *non* convertisse, *non verbis contendere* (hic enim verborum ordo in libris omnibus MSS.) minimùm enim differunt *non* & *noli*, in scriptis præsertim minori charactere libris: ac facillimè id mutat audax imperitia quod non intelligit. Cæterùm Autor Glossæ, & posteriores Latini enarratores, *noli* exponunt. Qui Ambrosio junctus est Autor, incertum satis quid legerit; is qui Hieronymo, *noli*, si non legit, intellexit.

Quod sequitur, *ad nihil enim utile est*, variè admodum legitur in MSS. nam in impressis exemplaribus, quæ ferè mutuò se sequuntur, hæc constans est lectio: quam, etsi commoda sit, existimare non possum scripturam Interpretis germanam esse, ideo quòd clara tersaque sit, ac proinde locum relinquere haud potuerit tantæ variationi, ut penè quot codices, tot sint diversitates. Recenserem singulas singulorum, nisi fortè tœdium lectoribus moveret. Capita itaque duntaxat varietatum adferam ac discutiam. Pleraque manuscriptorum nostrorum *ad* legunt; quinque illius loco *in*; alia quinque nec *ad* nec *in*: tantùm *nihil utile est.* Nec parvi facienda sunt hæc postrema, Brug. O. L. G. Pl. lon. quibus consonat textus Lyrani commentariis immixtus, quæ ex ipsis Typographiæ incunabulis edita habemus: quanquam & pro aliis partibus boni sint codices; pro prima, Mal. mi. Lob. T. E. Pl. m. pro secunda, Mal. ma. Q. So. la. Est præpositio Græcè, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, i. e. *ad*, vel *in*, *nihil utile.* Conjunctio *enim*, ut non est Græcè, ità nec in optimis quibusque scriptis. *Est* substantivum verbum in quibusdam vulgaribus (P. V. R. So. ru.) & quibusdam eximiis (So. la. Q.) omittitur, in pluribus legitur. Hinc conjicere alios sino, quæ germana esse possit Interpretis Scriptura. Syrica editio habet, *Quod*, sive *quæ*, *non utilitas.*

Id quod subsequitur, *Nisi ad subversionem audientium*, & ipsum variat. Græcè non est, ut nec Syriacè, *nisi*; solùm ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων *ad subversionem audientium*, ut id quod præcedit per parenthesin intelligas, aut *ad nullam utilitatem* exponas. Latinum Parisiensium exemplar, Germani latum, similiter omittit *nisi*: cui accedit Societatis latum, quanquam alterâ manu inter textûs lineas illud scriptum habeat. Cætera porrò nostra id legunt. An igitur Interpres, an alius quispiam, elucidationis gratiâ id adjecerit (potest enim ità fons Græcus intelligi, *Ad nihil utile, ad subversionem audientium utile*) sit dubium.

25. *Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.*] Unum Parisiensium manuscriptum (Ge. l.) & novem nostra (Brug. Mal. mi. Leod. Pl. m. E. Q. G. I. Pl. lon.) auferunt τὸ *veritati*, conformiter Græcis & Syricis, libris, adstipulantibus, præter Græcos, Latinis enarratoribus, vetere Ambrosiastro, mediæ ætatis Anselmo, recentiore Richelio. Zegerus castigator textu expulit: glossa est enim textui addita, vel ex eo quod subsequitur, *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, vel ex simili proximi capitis loco, v. 8. *Ità & hi resistunt veritati*, vel quòd alioqui subaudiri videretur. Syrus porrò addidit *adversùs ipsum*; *eos qui contradicunt adversùs ipsum.* Ambrosiaster, vel quem ille secutus est Interpres, transtulit, *eos qui diversa sentiunt*, id quod est Græcè, τοὺς ἀντιδιατιθεμένους. Simili modo B. Augustinus se legisse indicat, lib. De correptione & gratia cap. 5.

H. STEPHANUS.

3. KΑκοπάθησον] *Labores & ærumnas sustine.*

14. Μὴ λογομαχεῖν, *Nè de verbis contendant.*

16. Τὰς βεβήλους κενοφωνίας] *Profanas verborum vanitates: vel futilitates.* Aut *profanos de rebus inanibus clamores.*

17. Ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει] *Depascet ut gangræna.*

18. Περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν] *A scopo veritatis aberrarunt.*

24. Διδακτικὸν] *Ad docendum propensum.*

25. Μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς] *Experiendo annon tandem Deus dare velit illis.*

DRUSIUS.

2. PEr *multos testes*] Syrus, *per manum testium multorum.* Videtur Prophetas innuere, quos pro testimonio citaverit & adduxerit ut probaret Jesum esse verum Messiam qui Patribus promissus fuisset.

3. *Labora*] Κακοπάθησον, ut Jon. 4. 10. ὑπὲρ ἧς οὐκ ἐκακοπάθησας. Ebræa sunt לא עמלת בו אשר. Ergò עמל κακοπαθέω *laboro*. Lex Vet. Κακοπαθῶ, *vexor*. Κακοπάθεια, *vexatio*, *labor*.

4. *Negotiis secularibus*] Interpres haut dubiè legit ταῖς τοῦ αἰῶνος πραγματείαις quam lectionem etiam Syrus videtur mihi secutus esse: nam vertit בעבדא דעלמא *negotiis hujus seculi*, vel certè *seculi*. Græca lectio sonat, *implicatur vitæ negotiis:* quod in idem ferme recidit.

9. *In quo laboro*] Κακοπαθῶ meliùs hic redditur *vexor*. Vide notata superiùs ad v. 3. Syrus, *tolero* (vel *sustineo*) *mala*.

14. *Noli contendere verbis*] Μὴ λογομαχεῖν, *nè verbis pugnent*, aut *nè contendant de verbis*: unde λογομαχία *pugna verborum* 1 Timoth. 6. 4. quæ verbis committitur, aut etiam de verbis fit. Uno verbo exponunt *rixam*: dubito an bene. Nam in Lexico veteri, Μάχη ἡ διὰ λόγων, *litigatio*, *jurgium*. Μάχη ἡ διὰ χειρῶν, *rixa*. Non ergò *rixa* verborum pugna, sed manuum. Vide Thesaurum Henrici Stephani in Λογομαχία.

15. *Rectè tractantem*] Malim *rectè secantem*: nam in fonte ὀρθοτομοῦντα. Syrus habet *rectè prædicantem*, i. e. כרוז: unde כרוז *præco*, i. e. κῆρυξ.

17. *Ut cancer*] Ὡς γάγγραινα *ut gangræna*. Lex. Græco-Lat. vet. Γάγγραινα, *cancer*. Syrus, איך חלדא, h. e. interprete Tremellio, *tanquam cancer*. David de pomis, חלודה *rubigo*: vitium est ferri, quod rubigine depascitur & corrumpitur, παρὰ τὸ חלד *corrumpo, deperdo*. In lib. Nominum, HOLDA, *Destructio*. Joel. 1. 17. חלודה est in R. Salomone, qui eo utitur de granis quæ in terra putrescunt & situm contrahunt.

19. *Novit Dominus qui sunt ejus*] Alius, *qui sui sint*. Somptum ex editione Græca Num. 16. 5. ubi in LXX. ἔγνω Κύριος (יהוה, quanquam in edit. Romana ὁ Θεὸς) τοὺς ὄντας αὐτοῦ. Lectio varians ἐκείνου. Vide Annot. nostras. ¶ *Qui nominat nomen DOMINI*] i. e. *DOMINUM*. Alibi est *nomen Christi*. Sic in Latio *nomen agelli* pro *agello*: &,

Vitandum ducas inimicum nomen amici,

i. e. inimicum amicum, qui amicus videtur, & est inimicus. Talis φίλος ἄφιλος à Græcis vocatur.

SCULTETUS.

CAP. I.

Ὁμοιώσεις aliquot, quarum accommodatio subintelligenda. Simile de Milite explanatur. Pastores sunt liberi à cura testamentaria.

ANimaturus Apostolus Timotheum ad tolerantiam laborum ac molestiarum in Ministerio Euangelii obeundo, proponit illi simile Militis fidelis, Athletæ coronati, Agricolæ laborum suorum fructibus exhilarati: sed accommodationem omittit, cujus loco ponit v. 7. Νόει ἃ λέγω, *Considera quæ dico*, h. e. Applica ipse ad te hæc similia: & cum fideli Milite quæ officii tui sunt ages, non aliena: cùm Athleta legitimè certante, si certaris & ipse, coronam; cum Agricola laborante, si laboraris & ipse, fructum percipies. Ergò Doctorem Euangelii comparat Militi, cui ut victum nostræ militiæ Magister assignat ex Euangelio (*Nemo* enim *militat unquam suis stipendiis*) ità universam illius operam exigit, dicens, *Nemo qui militat implicatur vitæ negotiis, ut ei placeat à quo delectus est miles.* Quam rationem allegat Cyprianus lib. 1. epist. 9. demonstrans, non licuisse Victori Presbytero morituro *Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominare*; addens, repugnare id etiam decretis veterum Episcoporum, qui decreverint *Presbyterum soli altari & sacrificiis servire & precibus vacare debere*: propter quam causam Levitæ nihil de portione terræ Sanctæ ceperint in V. Fœdere. Neque verò testamentariâ tantùm sed omni secularium curâ Ministris verbi interdicitur à Concilio Chalcedonensi Can. 3. Canone 10. autem ejusdem Concilii præcipitur ut nec in duabus simul Ecclesiis Ministerii sacri munia quis obeat, sed in una tantum. At nos eheu quantum mutati ab illo tempore? Quàm volentes lubentes Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus nostris permitteremus curam orphanorum, pauperculorum, viduarum! Sed illi ad curas longè altiores delabuntur, & omnis Episcopalis muneris obliti *bella, horrida bella*, crepant: & cùm vetera Concilia unam Ecclesiam uni commissam voluerint, nova Concilia, h. e. Papa, supra vetera & nova Concilia suopte judicio evectus, uni Archiepiscopo tres pluresve insignes Episcopatus non dubitat assignare. Quidam legunt, *Nemo militans Deo*. Sed fateri cogitur Bellarminus illud *Deo* nec in Græco nec in omnibus Latinis cod. haberi. Cogimur & nos fateri nihil ineptiùs dici posse quàm per *secularia negotia* Nuptias intelligi, à quibus Episcopum sive verbi Divini administrum volunt exclusum. Alia, longè alia sunt quæ Bellarminus, quæ omnes Cardinales, quæ omnes Episcopi, quæ Papa ipse ex hoc Apostolico pronunciato colligere debent; nempe, *Episcopum qui se negotiis secularibus implicat, non placere DEO. Episcopum qui otio aut delicus indulget, munus autem suum per alios exsequitur, non placere DEO.* Sed cœlum non curant qui amant terram. Abeamus igitur ab iis, quæramusque, An miles Christi etiam ætate provectâ, valetudine adflictâ, ad militiam sacram militandam obligatus sit: cùm Levitæ quinquagenarii jussi fuerint ab operationis munere cessare, Num. 8. 25. Respondeo, Levitici cultûs Lex ista fuit propria; quia cultus legalis ceremoniarum variarum & sacrificiorum majorem corporis firmitatem ac robur requirebat. Cessavit causa; cessat effectus. Igitur Prophetæ & Apostoli quantumlibèt senes, Isaias, Hoseas, Petrus, Paulus, Johannes, non destitere homines ad resipiscentiam vocare. Quin Levitæ ipsi post annum quinquagesimum non erant ab omni ministerio liberi; nam *fratribus suis in tabernaculo conventus militiam obeuntibus serviebant, observando observationem*, Num. 8. 26. Analogia tamen ratioque legis arguit, non esse plus oneris imponendum Pastoribus & Doctoribus quàm facultas eorum ferat. Sed quorum valetudo & vires patiuntur ipsos militare, ii si munus suum per alios exsequantur videant nè alii accipiant coronam, quæ ipsi nisi cursum consummantibus non promittitur. *Veteranus* miles, *cùm die sibi dicto periclitaretur Romæ, accessit in publico ad* Augustum *Cæsarem* (Macrobius refert Saturn. lib. 2. 4.) *rogabatque ut sibi adesset. Ille advocatum, quem ex suo comitatu elegerat, sine mora dedit, commendavitque ei litigatorem. Exclamavit ingenti voce veteranus*, At non ego, Cæsar, periclitante te Actiaco bello vicarium quæsivi, sed pro te ipse pugnavi: *detexitque impressas cicatrices. Erubuit Cæsar, venitque in advocationem, ut qui vereretur non superbus tantùm sed etiam ingratus videri. Quòd si Imperator tantus* (inquit Reinoldus celeberrimæ memoriæ Theologus Anglus) *se ma. norum criminum notam subiturum esse judicavit, nisi præberet ipse operam tam humilem tam abjecto, quàm inexpiabile dedecus & probrum nobis metuendum est si legationem obeundam pro Christo, qui ad nos æternâ gloriâ beandos mortem acerbissimam crucis sustinuit, rejiciamus in vicarios?* Addo ego & hoc, Quòd si ex hoc dicto Paullino, *Nemo qui militat implicatur vitæ negotiis*, Cyprianus conclusit, Qui Divinis rebus ac spiritualibus occupati sunt, eos molestiis & laqueis secularibus obligari non debere; si Ambrosius indè conclusit, Non convenire, hominem unum duplicem professionem habere; quid dicturi essent boni isti Patres, (quærit doctissimus idemque optimus Thomas Mortonus Anglus Apol. Cathol. part. 2. lib. 5. c. 35.) si viderent hodiernos Reverendos & Sanctissimos? cùm in hoc Regno ad Episcopatus, nè dicam Galeros, nulla via expeditior sit quàm litium secularium institoria, nedum judiciaria.

CAP. II.

Corona legitimè certanti, fructus agri sedulò laboranti, v. 5, 6.

EAN δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ, h. e. *Quòd si certet etiam aliquis, non coronatur nisi legitimè certaverit.* Τί ἐστιν, ἐὰν μὴ νομίμως; *Quid est*, NISI LEGITIME? quærit Chrysostomus. Respondet ipsius, οὐκ ἐὰν εἰς τὸν ἀγῶνα εἰσέλθῃ, ἀρκεῖ τούτῳ· οὐδὲ ἐὰν ἀλείφηται· οὐδὲ ἐὰν συμπλακῇ, *Non si in agonem descenderit, huic sufficit; non si perunctus fuerit; non denique si commissus fuerit manumve conseruerit.* Quid ergo? Adjicit statim, *oportuisse insuper ut qui coronam consequi vellet, is omnem agonisticæ professionis observasset legem, tam circa ciborum quibus vescendum vel abstinendum athletis fuit, quàm circa continentiæ ac honestatis rationem, omnemque adeò*

legiti-

legitimum (sicut Johannes Cassianus lib. 5. Monast. institut. cap. 18. hac de re agens loquitur) *colluctationis ordinem.* Scribit autem Galenus ad Hippocr. Aphorismum 18. *varietatem ciborum ab iis qui luctantur & legitimè certant, maximè devitatam.* Leges athleticas urgent etiam Ascetica Basiliana & Nazianzenus. Basilius enim in Asceticis, ἀθλητικῷ νόμῳ δεῖ σε πολιτεύεσθαι· εἰ δὲ μὴ, οὐ στεφανοῦσθαι. Nazianzenus Orat. in Pentecosten, ἵνα μὴ ἀθλῆτε μόνον, ἀλλὰ καὶ νομίμως, ἐξ οὗ καὶ ὁ στέφανος. Ἐκ τοῦ νομίμως δηλαδὴ ἀθλεῖν, inquit Nicetas in Orat. eandem. qui idem porrò subjicit, Ἄλογον γὰρ, ὦ βέλτιστοι, πονεῖν μὲν τὰ πνευματικὰ, τὸν ὑπὲρ τοῦ πόνου δὲ στέφανον μὴ λαμβάνειν, διὰ τὸ μὴ ποιεῖν ὡς χρή. Ἀθλεῖ δὲ νομίμως, ὁ μὴ μόνον ἀποδυσάμενος, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ στάδιον, ἀλλὰ καὶ φυλάξας τοὺς νόμους τοὺς ἀθλητικοὺς, καὶ νικήσας τὸν ἀντιπαθιστάμενον. ¶ Tertium simile ab Agricola ducitur, Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. Ad. v. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*: q. d. Πρῶτον ἁπάντων δεῖ τὸν κοπιῶντα αὐτὸν μεταλαμβάνειν τῶν καρπῶν, *Primum omnium oportet eum ipsum qui opus fecit percipere fructum laboris sui.* Ut idem hic parabolicè dicat quod alibi propriè, *ne cùm aliis prædicem, ipse reprobus efficiar*, sed fructum laboris mei inprimis vel ante auditores meos accipiam, secundùm illud Dan. 12. *Qui alios erudierint, splendebunt quasi splendore firmamenti.* Sic Lutherus, *Es soll aber der Ackerman, der den Acker bauet, der fruchte am ersten geniessen.* Et hanc quidem sententiam verba prout jacent considerata gignunt. Sed præstat verborum μετάθεσιν agnoscere, ut hoc dicatur, Τὸν γεωργὸν δεῖ πρῶτον, ἤγουν πρότερον, κοπιῶντα, οὕτω μεταλαμβάνειν τῶν καρπῶν, ut intelligatur beneficium tribui officio & τὸ πρῶτον non ad verbum μεταλαμβάνειν sed ad τὸν κοπιῶντα referatur. Hanc enim sententiam postulat versus præcedens. *Ut enim athleta non coronatur nisi prius certet, ità agricola non percipit fructus nisi prius laboret.* Nec aliter Basilius Serm. De inanis gloriæ cupiditate locum hunc exponit: uti nec Chrysostomus aliter Serm. 4. fol. 50. pag. 2. ex professo eum tractans, Ὁ γεωργὸς οὐκ ἐπιμελεῖται μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν καρπῶν τῆς γῆς, πρότερον μικρὰν ἀμοιβὴν τῶν πόνων καρποῦται καὶ ὁ γεωργός.

CAP. III.

Memoria suscitati Jesu solamen nostrarum ærumnarum. Ordo συναποθνησκόντων. Deus fidus, v. 8 —— 13.

CONando, laborando, perferendo Græci pervenerunt ad Ilium: Non aliter ad vocationis suæ metam perveniet Minister Verbi. Placet igitur victoria? Milita bonam militiam. Placet corona? Certa instar industrii athletæ. Placet fructus fidei? Labora in fide. Fructus, Corona, Victoria, omnia parata. Si vel succumbendum tibi sit in ista militia, in isto certamine, in ista agricultura, *memento Jesum Christum, Davidis Filium*, laborum omnium mortisque adeò ipsius præmium retulisse vitam: Cum hoc vincire vinculis, cum hoc *omnia sustine propter electos.* Τέλος, συσταυρώθητι, συννεκρώθητι, συντάφηθι προθύμως, ἵνα καὶ συναναστῇς, καὶ συνδοξασθῇς, καὶ συμβασιλεύσῃς, Θεὸν ὁρῶν ὅσον ἐστὶ καὶ ὁρώμενος, h. e. explicante ista Nazianzeni Orat. in Nativit. Christi verba Nicetâ, συσταυρώθητι μὲν πρὸς τὴν κατ' ἐνέργειαν ἁμαρτίαν· συννεκρώθητι δὲ καὶ πρὸς αὐτὰς τῶν παθῶν κινήσεις· συντάφηθι, πᾶσαν αἴσθησιν βιωτικῶν πραγμάτων ἀποθέμενος. ἵνα ἀντὶ μὲν τοῦ νεκρωθῆναι ἀναστῇς. ἀντὶ δὲ τοῦ σταυρωθῆναι, ὅπερ δοκεῖ ἀτιμότερον, δοξασθῇς· ἀντὶ δὲ τοῦ ταφῆναι, συμβασιλεύσῃς. ἐναντιώτατον γὰρ τοῦ βασιλεύειν, τὸ ταφῇ παραδεδόσθαι, εἴγε ὁ μὲν ταφεὶς καὶ τὴν γῆν καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ καταλιμπάνει, ὁ δὲ βασιλεύων κύριός ἐστι τῶν ὅλων. *Fidus* enim, h. e. verax, *est sermo*, inquit Apostolus, *Si cum eo mortui sumus, cum eo etiam vivemus.* Omnes nostræ afflictiones sunt nostri triumphi præludia. Celebratur apud veteres Ordo τῶν συναποθνησκόντων, in quem transcribebantur ii quibus decretum erat simul vivere, simul mori. Ac in tertium Biblioth. suæ librum Diodorus retulit, Morem Æthiopibus esse, si Regi suo quacunque de causa membrum aliquod corporis mutilatum sit, ut omnes ejus familiares idipsum sponte sibi decurtent. Turpe enim ducunt, si crus Rex mancum habeat, integris esse pedibus necessarios, nec omnes æquè claudos per vias eum comitari. Absurdum enim amicitiàque verâ & constanti indignum judicant, in cæteris tam adversæ quàm secundæ fortunæ communionem habere, parique luctu ac mœrore affici, corporis verò dolores & vitia non simul participare. φασὶ δὲ, inquit, σύνηθες εἶναι καὶ τὸ συντελευτᾶν ἑκουσίως τοὺς ἑταίρους τοῖς βασιλεῦσι, καὶ τοῦτον εἶναι τὸν θάνατον ἔνδοξον καὶ φιλίας ἀληθινῆς μάρτυρα, *in more positum, communem cum Regibus mortem oppetere amicos, eumque interitum gloriosum & sinceræ amicitiæ testem prædicant.* Gentilium hic fuit in Reges suos amor: Et nos Christiani à communione vinculorum, flagellorum, probrorum, crucis, mortis Regis nostri Jesu Christi abhorrebimus, qui non, ut olim Æthiopes, cum Rege nostro interituri, sed per κοινωνίαν crucis in æternæ ipsius gloriæ societatem sumus venturi? Morere igitur cum Christo, ut cum eo vivas: patere cum Christo, ut cum eo regnes. Secùs *si abnegabimus, abnegabit nos & ipse. Si fidem datam fallimus*, Christo quidem nihil auferemus, qui etiam nobis perditis *manet integer*; hàc ipsâ tamen inconstantiâ docebimus nos Christi κοινωνοὺς non esse, quippe qui *à veritate sua nunquam descîscit.*

CAP. IV.

Λογομαχεῖν εἰς οὐδὲν χρήσιμον. Concionator δόκιμος, ἀνεπαίσχυντος. Ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον. Hæresis *gangræna*, v. 14 —— 17.

NOvæ vivendi docendique regulæ præscribuntur Timotheo. Primùm omnium dehortatur Apostolus Timotheum à λογομαχίᾳ, gravi argumento. Nam λογομαχεῖν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων. Quæ tota oratio elliptica est, ex mente D. Piscatoris sic explenda, διαμαρτυρόμενος μὴ λογομαχεῖν, ὅ ἐστιν εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἀλλ' ἐστιν ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων, *Obtestans ne verborum pugnas sequantur, quod ad nihil utile est, sed pertinet ad perversionem auditorum.* Deinde vult Timotheum esse *operarium* δόκιμον, qui vitâ & doctrinâ demonstret se fidum Dei ministrum esse. Tum & ἀνεπαίσχυντον, *cui nullus criminis conscientia puderem ac ruborem incutiat.* Denique ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *rectè secantem sermonem veritatis*: sic enim Beza interpretatur, existimans Metaphoram sumptam ab illa legali Victimarum sectione ac distributione. Quæ conjectura ut erudita est, itá SECARE SERMONEM, inquit Fullerus, *& insuetum est Latinis auribus dicendi genus, & (quod deterius est) nimis angustum, nec amplitudinem sensûs Apostolici assequitur.* Putat igitur Fullerus Paulum non sectionem & lanienam carnium, sed Bibliorum in τμήματα vel κόμματα, *segmenta* vel *particulas*, intelligere: & sic Paulum eleganter ac gentis suæ idiotismo congruenter præcipere, inprimis studendum Timotheo ut τέμνειν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας *secans*, sed *tractans*, *sermonem veritatis*, καὶ ὀρθοτομῶν *rectâ ratione tractans*, id præstet. Idem tamen Fullerus Vulgatam interpretationem hîc dilaudat, quæ ad Metaphoræ vim declarandam, ideoque & Apostoli sententiam explicandam, accommodatissimè interpretata est *rectè tractantem.* Itá namque à specie ad genus traductâ significatione usurpatur à Græcis ὀρθοτομεῖν. Nam ut καινοτομεῖν, propriè denotans *novas vias secare*, ex usu linguæ Græcæ *novas res moliri* significat; pari ratione etiam ὀρθοτομεῖν *res rectas aggredi* vel *facere* significabit. Unde & LXX. verbum Heb. ישר *dirigere*, aut *rectum facere*, semel atque iterum reddiderunt ὀρθοτομεῖν. Hinc item Lexicon Græcum H. Stephani ὀρθοτομῶ exponit *rectè facio, rectè tracto.* Denique Syrus ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον transtulit *rectè prædicare sermonem.* Postremò (ut ad præcepta Apostolica redeam) jubetur Timotheus *profanos de rebus inanibus clamores cohibere*: Quos Gangrænæ comparat, quæ, Fullero annotante, Syris idem est quod Græcis καταδυτικὴ aut κατάδυσις (de quo vocabulo capite seq.) Malum enim illud non ἐπιπόλαιον est aut in summa cute hæret, sed ὑπόνομον, h. e. *in profundum penetrat & intimos artus depascit. Sæpius autem* (inquit Celsus lib. 5. cap. 26. & lib. 6. cap. ult.) *gangræna sanari non potest nisi pars ipsa præcidatur.* Bene igitur monet Apostolus, *Cohibe istos clamores*: & Tit. 1. 13. ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως, q. d. *abscinde & præcide*, consuetudine Chirurgorum, qui summâ severitate (nam *Chirurgum misericordem esse non oportet*, inquit Celsus) scalpellum adhibent infirmæ parti, atque aliquando quidem sanguinem aperiunt, aliquando vulnus faciunt ubi non erat, aliquando partem ipsam abscindunt. Vulgata, Erasmus & Lutherus τὸ, γάγγραινα, vertunt *cancer*: fortè propter affinitatem vocum *cancer* & *gangræna.* Bene autem monet Calvinus in h. l. *in Græcis vocibus non posse similem esse hallucinationem. Καρκῖνον enim illi Cancrum appellant, tam animal quàm morbum; cùm* gangrænam *putent Grammatici deduci ἀπὸ τοῦ γραίνειν, quod est* edere. Ac aliter in Medicorum Scholis Cancer, aliter Gangræna definitur. Cancer illis est *tumor durus, inæqualis, aspectu teter, venis in ambitu turgentibus, colore livescens*; Germanicè *der Krebs.* Gangrænam autem Medici de *carnosa parte inflammationis vi emortua* intelligunt; Germanicè *Tods oder faul Fleisch.* Malè igitur pro *cancro* exponitur.

CAP. V.

Errores in fundamento qui notati ab Apostolo. Fides electorum non

non potest subverti. Unde colligam me scriptum esse in lib. Vitæ. Vasa aurea, testacea. Purgatio suipsius. v. 18--21.

PRæcipiti judicio feruntur qui errores circa fidei fundamentum levissimis quibusque erratis definiunt. Aliter Paulus, cui in fundamento errare est ἀςοχεῖν, *à scopo aberrare salutaris doctrinæ.* V.g. Qui aberrant à salutari doctrina Justificationis non retinent fundamentum: quia *sine fide* [putà justificante] *impossibile est placere Deo.* Qui aberrant à salutari doctrina Sanctificationis non retinent fundamentum; quia *sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Qui aberrant à salutari doctrina gloriosæ Resurrectionis non retinent fundamentum; qui negatâ Resurrectione totus Christianismus negatur, 1 Cor. 15. Tales igitur Apostolus dicit ἀςοχεῖν περὶ πίςιν, 1 Tim. 6. 21. h.e. *veram doctrinam*, Apostolo ipso τὴν πίςιν per ἀλήθειαν exponente 2 Tim. 2. 18. Nam de errantibus circa Justificationem & Sanctificationem scribit 1 Tim. 1. 6. ὧν (nimirum τῆς πίςεως ἀνυποκρίτου & τῆς ἀγάπης ἐκ καθαρᾶς καρδίας) τινὲς ἀςοχήσαντες, ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν. De errantibus circa doctrinam Resurrectionis scribit hoc loco; Οἵτινες περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠςόχησαν, λέγοντες τὴν ἀνάςασιν ἤδη γεγονέναι. Fuerunt illi *Hymenæus* & *Philetus*, progenitores, credo, Marcionis, qui referente Epiphanio Hæresi 42. docuit *non carnis sed animæ resurrectionem esse credendam*, prolixè ibidem ab Epiphanio confutatus. Sed potueruntne isti *aliorum fidem subvertere?* Paulus totidem verbis hoc scribit: At non loquitur de vera fide justificante, quæ est electorum, sed de vera Dei doctrina, quo modo *fides* nomen accipitur 1 Tim. 4. 1. ubi opponuntur *fides* & *doctrina dæmoniorum*, & 1 Tim. 1. 19. & 3. 9. Gal. 1. 23. Electorum enim fides à nullo Hymenæo, à nullo Phileto subverti potest. Stat enim illud Matth. 24. 24. μὴ δυνατὸν πλανῆσαι τοὺς ἐκλεκτούς. Et ut Petri fides non potest deficere per preces Christi, ità aliorum etiam electorum fides nullis ventorum sive tentationum turbinibus potest concuti. Neque enim, ut arundo, radicata est in aquis, sed innititur solido ac immobili fundamento Electionis Divinæ, quæ hoc loco comparatur libro Vitæ sigillato, cujus sigilli ex una parte est inscriptio, NOVIT DOMINUS QUI SINT SUI; ex altera parte ista, DISCEDAT AB INJUSTITIA OMNIS QUI NOMINAT NOMEN CHRISTI. Quibus pulcrè docemur non esse cur hoc tempore percellamur, quo tot Hymenæos, tot Philetos à fide desciscere videmus. Non fuerunt illi *plantæ quas plantavit cælestis Pater. Ex nobis non fuerunt qui à nobis exierunt.* Abeant à Christo omnes Capernaitæ; aderunt ei semper aliqui discipuli ipsi accinentes, *Tu habes verba vitæ.* Quos si nos non novimus, novit tamen æternus Deus, qui sub arcana sua custodia tanquam signatorio annulo salutem illorum continet. Monemur & illud, Ei qui scire discupit an scriptus sit in libro Vitæ, non esse scrutanda arcana consilia Dei, (Vetitum hoc & ἀδύνατον. Liber enim Vitæ est obsignatus) sed ruminandam partem inscriptionis sigilli alteram, diligenterque inquirendum an ipse *nominet nomen Jesu*, h.e. in Jesum Dei Filium credat; an item vi hujus fidei *discedat ab injustitia*: quæ sunt ipsissimæ scriptorum in libro Vitæ notæ. Euge igitur, mi homo, excute cor, examina vitam tuam. Amas & filiali fiduciâ complecteris Dominum Jesum? Decretum tibi est, desertâ injustitiæ semitâ, viam justitiæ, sanctitatis, pietatis ingredi? Electus es; in libro Vitæ scriptus es: Nam *fides est electorum*, Tit. 1. 1. *Resipiscentia* est *donum Dei*, infrà v. 25. quod *dat Israëli* Act. 5. 31. qui *secundum electionem gratuitam reservatur*, Rom. 11. 5. Cadant igitur alii animis, in paupertate, in exsilio, in contemptu sui, in morte: Tu, ut electus Dei filius, de paupertate, de exsilio, de contemptu tui ipsius, de morte denique tua triumphabis. Deforment alii nomen tuum, ut ἀθέου, ut εἰκονομάχου, ut persecutoris bonorum; quin eradicatum id velint è terris: Tu gaudebis in nomine ejus cujus manu scis *nomen* tuum *scriptum esse in cælis*, & in mediis hujus vitæ miseriis solaberis te istis S. Ignatii verbis, Ἐάν τις πλέον ἀδικηθεὶς, πλείονα ὑπομείνῃ οὗτος μακάριος. Ἐάν τις ἀποςερηθῇ, ἐάν τις ἀθετηθῇ, διὰ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, οὗτος ὄντως Χριςοῦ ἐςι, *Si quis plùs læsus plura toleret, hic beatus est. Si quis defraudatur, si quis atheus publicè proclamatur* [*abjectus & reprobatus fuerit*] *propter nomen Domini, hic verè est Christi*, Epist. ad Ephesios. Qui autem verè est Christi, is probè scit, sibi quoque dicta esse illa quæ apud eundem Ignatium leguntur, Ὁ Χριςιανὸς, ὅταν μισῆται ὑπὸ κόσμου, φιλεῖται παρὰ Θεοῦ, *Christianus cum odio habetur à mundo, diligitur à Deo*, Epist. ad Romanos. Et, Μεγάλου ἐςὶν ἀθλητοῦ, δέρεσθαι καὶ νικᾷν, *Magni athletæ est vapulare & vincere*, Epist. ad Polycarpum. Ut ad Paulum redeam, adversùs offensionem ex apostasia Doctorum nonnullorum acceptam novo argumento disputat v. 20. *In magna domo*, inquit, *non tantum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea: & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus.* Per *domum* Theophylactus & alii nonnulli Mundum intelligunt. *In Ecclesia enim*, ait Theophylactus, *nihil vult esse ligneum, sed omnia aurea & argentea.* Verùm de Ecclesia visibili sermonem esse contextus ipse docet. Et nominatur Ecclesia *domus Dei* 1 Tim. 3. 15. Luc. 14. 23. Heb. 10. 21. In hac domo *vasa alia sunt aurea & argentea, alia lignea & testacea*: h.e. Aliquorum fides & vita est lucida, aliquorum fides & vita est velut *ellychnium fumigans*, quod tamen Deus, *se non exstincturum* promittit, Isa. 42. 3. Rursum in hac eadem domo, h.e. visibili Ecclesia, *vasa alia sunt ad decus, alia ad dedecus. Vasa ad decus* sunt ardentis & fumigantis fidei homines; *vasa ad dedecus* sunt tum manifestè profani, tum hypocritæ, qui ad tempus eximiam pietatem & summum zelum præ se ferunt, postea autem turpiter retroaguntur. Ut igitur lauta variorum vasorum supellex patrisfamilias, ità magna illa variorum hominum quasi supellex Deo nostro perquam honorifica est. Atque ut nemo offenditur videns patremfamilias uti aliis quidem vasis ad honesta, aliis ad inhonesta; ità turbari non debemus si in magna domo sua Deum videamus, aliis per misericordiam servatis, aliis per justitiam confusis & perditis, gloriam suam illustrare, & instar prudentis OEconomi in varietate supellectilis unumquodque vas ad usum quem meretur destinare. Quin in tristia illa Apostatarum & aliorum iræ Dei vasorum exempla intuentes, monito Apostolico obsequamur & nosmetipsos expurgemus: Ἐὰν γάρ τις ἐκκαθάρῃ ἑαυτὸν ἀπὸ τούτων, ἔςαι σκεῦος εἰς τιμὴν, &c. *Si quis enim seipsum expurgarit ab his, erit vas ad decus*, &c. ἀπὸ τούτων, i. e. ἀνθρώπων, videlicet perversis istis Doctoribus quorum facta est mentio v. 16. 17, 18. vel ab hominibus istis qui sunt vasa ad dedecus. Lutherus sanè nomen ἄνθρωπος expressit: *So nu jemand sich reiniget vor solchen Leuten.* Possit etiam ἀπὸ τούτων generaliter ut neutrum rectè explicari, ἀπὸ τούτων, scilicet τῶν εἰρημένων, ἤγουν ἀδικίας, φαυλότητος, ἀτιμίας. Nisi alicui magis libeat cum doctiss. Camerario distinguere ista hoc modo, ἐὰν οὖν ἐκκαθάρῃ τις ἑαυτὸν, ἀπὸ τούτων ἔςαι σκεῦος εἰς τιμὴν, *Si quis igitur seipsum expurgârit, is jam deinde erit vas ad decus.* Expurgationem quam Deus sibi vendicat Ezech. 36. 25. adscribit Hominibus, quia sunt instrumentum operationis Divinæ quam Spiritus S. in ipsis exercet, & quidem tale instrumentum quod à Spiritu tum renovatum tum motum, ipsum quoque unà operatur & sese movet. Non enim alius Spiritui sancto, alius Voluntati, sed idem utrique effectus tribuitur; Spiritui, tanquam principali; Voluntati, tanquam secundariæ causæ. Cùm igitur homines à Deo acti agant & ipsi, rectè Scriptura tales hortatur ut non sint otiosi, sed in purificatione suiipsius occupati: Id quod certo documento illis sit futurum, *esse eos vasa ad honorem*, ἡγιασμένα, καὶ εὔχρηςα τῷ δεσπότῃ, εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένα. A quo verò *sanctificata?* à quo *parata ad omne opus bonum?* Certè non à seipsis, sed ab eo qui *sanctificat* totam *Ecclesiam*, Eph. 5. 26. ab eo qui *elegit nos in Christo ut essemus sancti*, Eph. 1. 4. Errat igitur & quidem vehementer errat Theophyl. qui ex hoc loco concludit. *Licere cuivis seipsum expurgare, h.e. perfectè mundare à testacea & lignea deliberatione aut voluntate, auream que & argenteam efficere. Paulus*, inquit, *erat testaceus, sed factus est aureus: Judas erat aureus, sed factus est testaceus.* Redarguitur à Paulo ipso de se confitente, ἠλεήθην, *misericordiam consecutus sum*, 1 Tim. 1. 13, 16. Redarguitur à Filio Dei, Judam *filium perditionis*, h.e. perditioni destinatum nuncupante, Joh. 17. 12.

CAP. VI.

Reditus ad regulas vivendi, docendi. Ἐπιθυμίαι νεωτερικαί. *Invocatio pro Christianismo.* Quæstiones stultæ & ineruditæ. Servus Domini, ἄμαχος, ἤπιος, ἀνεξίκακος, ἐν πρᾳότητι παιδεύων τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, v. 22,—25.

UT qui sanitatis gratiâ parti alicui corporis unguenta adhibent, unguentis cutem non tantùm oblinunt sed perfricant, ità Apostolos bene vivendi & docendi præcepta Timotheo suo firmiter impressurus, tum vetera repetendo tum nova proferendo, utraque altè animo ejus infigit. Sunt autem præcepta quæ sequuntur, I. Τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε, *Juveniles cupiditates fuge. Juveniles cupiditates*, inquit Theophyl. *non solius fornicationis sunt, verùm omnis absurda concupiscentia, ut si quis potestatem vel imperium expetat, si pecunias & divitias: stultæ enim sunt ejusmodi cupiditates & imaginationes, instabiliumque mentium.* Reputa autem tecum quomodo nonnunquam grandævus & senio confectus aliquis juvenilibus affectibus ducatur. II. Δίωκε δικαιοσύνην, πίςιν, ἀγάπην, εἰρήνην μετὰ

τῶν ἐπικαλουμένων τὸν Χριστὸν ἐκ καθαρᾶς καρδίας, Sectare justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui invocant Dominum ex puro corde. Fidem intelligo dictorum constantiam, quæ arboris Justitiæ princeps est ramus, sicut *Pax* effectus Charitatis. Has virtutes verè Christianorum esse affirmat Paulus, quos ipsos describit à primaria cultûs Divini parte, nempe *Invocatione Domini ex puro corde.* Quod idem facit D. Petrus Actor. 2. 21. *Invocationem* autem *à corde puro profectam* probat. Nam ut Monacho cuidam perfectionem Euangelicam jactanti Deus respondet in Vitis Patrum, *Illa est perfectio quæ Lunam, Solem & Canis iram Deo tribuit*, i. e. COR, adeoque *λογικὴν λατρείαν*, quæ non literam sed spiritum sapit. III. *Τὰς μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι γεννῶσι μάχας, Stultas & ineruditas quæstiones rejice, sciens eas gignere pugnas.* Hoc est ingenium seculi hujus, ut *stultis & ineruditis quæstionibus* totum occupetur. Pontificii Scholiastici Quæstionum Quæstiones, Distinctionum Distinctiones crassis voluminibus explicant. In Euangelicis Ecclesiis plures de reprobis quàm de seipsis sunt soliciti. Hinc *quæstiones stultæ & ineruditæ* audiuntur. *Quomodo Deus elegerit reprobos. Quomodo Christus pro reprobis mortuus sit. Quomodo impii manducent corpus, bibant sanguinem Christi in Cœna.* Hinc tot verborum pugnæ, tot dentatæ chartæ, tot virulentæ Theses, tot maledicæ conciones; ut haud sciam annon aptè in Theologastros nostros quadrent illa Apostoli Rom. 1. 21, 22. de Gentibus pronunciata, *Ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν.* At tu, homo Dei, fuge, fuge istas pugnas, istas rixas Theologorum; sectare charitatem & pacem, & age ea quæ Deus te jussit agere.

> —— *Festinat enim decurrere velox*
> *Flosculus, angustæ miseræque brevissima vitæ*
> *Portio: dum pugnis rixas miscemus & iras,*
> *Obrepit miseris non intellecta senectus.*

IV. *Δοῦλον Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, ἀνεξίκακον, ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, Servum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, patientem, cum lenitate erudientem eos qui refragantur.* Quid audio? *Servum Dei non oportet pugnare.* In quorum ergò servorum censu numerabuntur quibus hodie volupe est dictis & scriptis nunc contra hos nunc contra illos pugnare? Sed nimirum veritas defendenda est! Quasi verò nisi audax, loquax, dicax, pugnax veritatem nemo defendere posit. *Δοῦλον Κυρίου δεῖ ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας.* Sed calumniis ab adversario oneratus, probris omnibus maledictisque vexatus sum! *Δεῖ Κυρίου δοῦλον εἶναι ἀνεξίκακον, Oportet servum Dei esse patientem.* Beza reddit *tolerantem malos.* Alii malunt *patientem*, qui mala sive afflictiones tolerat: nam alioqui videretur penè idem bis dicere. Optimus Chesselius meus *ἀνεξίκακον* vertebat *qui injurias potest sufferre sive condonare*, juxta illud *Ἀνέχου καὶ ἀπέχου* ubi in priore membro subintelligendum propriè videtur *τὸ κακὸν* ut proprium objectum. Paulus autem utrumque felici compositione conjunxit. Aurea omnino regula, cujus lucidissimum exemplum est summus Ecclesiæ Doctor Christus, *qui conviciantibus convicia non regessit*, 1 Pet. 2. 23. Egone placidè feram *τοὺς ἀντιδιατιθεμένους*, qui se tam protervè nobis opponunt, qui tam absurda proferunt? Vetamur quidem ab Aristotele Topic. 1. cum talibus disserere, multò minùs placidè eos ferre, qui in quæstionem vocant *sitne alba nix necne.* Nos verò ab Apostolo majus præceptum imbibimus, *Cum lenitate erudiendos esse τοὺς ἀντιδιατιθεμένους*, etiamsi perinde absurdè nobiscum agant atque si nivem albam esse denegarent. Ad summam, omnibus fidis Dei servis non inutile esse judico personare aures illorum quotidie istis B. Ignatii vocibus, *Γίνεσθε πρὸς τὰς ὀργὰς αὐτῶν ὑμεῖς ταπεινόφρονες· ἀντιτάξατε πρὸς τὰς βλασφημίας αὐτῶν ὑμεῖς τὰς ἐκτενεῖς εὐχάς· αὐτῶν πλανωμένων στήκετε ὑμεῖς ἐν τῇ πίστει ἑδραῖοι· νικήσατε τὸ ἄγριον ἦθος ἐν ἡμερότητι, τὸ ὀργίλον ἐν πραότητι* (Μακάριοι γὰρ οἱ πραεῖς. Καὶ Μωσῆς πρᾶος παρὰ πάντας ἀνθρώπους, καὶ Δαυὶδ πρᾶος σφόδρα. Διὸ παραινεῖ Παῦλος Δοῦλον, λέγων, Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, διδακτικὸν, ἀνεξίκακον, ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους) *μὴ σπουδάζοντες ἀμύνεσθαι τοὺς ἀδικοῦντας ὑμᾶς. Εἰ ἀνταπέδωκα γὰρ, φησὶ, τοῖς ἀνταποδιδοῦσί μοι κακά. Ἀδελφοὺς αὐτοὺς ποιήσωμεν τῇ ἐπιεικείᾳ· εἴπατε γὰρ τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, Ἀδελφοὶ ἡμῶν ἐστε, ἵνα τὸ ὄνομα Κυρίου δοξασθῇ, καὶ μιμησώμεθα τὸν Κύριον, ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει. Sitis vos adversus iras eorum humiles, & eorum maledictis opponite intensas continuasque preces. Ipsis errantibus, vos firmi permanete in fide. Efferos mores illorum mansuetudine vincite, iracundiam lenitate* (*Beati enim mites. Et Moses mitis erat super omnes homines, & David admodum mansuetus. Quare admonet Paulus, inquiens, Servum Domini non oportet depugnare, sed mansuetum esse erga omnes, aptum ad docendum, patientem, monentem cum mansuetudine eos qui refragantur.*) *Non enitentes ut ulciscamini vos de iis qui vos lædunt. Si retribui* (inquit David Psalm. 7.) *retribuentibus mihi mala. Efficiamus eos nobis fratres benignitate & humanitate. Dicite autem odientibus vos, Fratres nostri estis; ut nomen Domini glorificetur, & imitemur Dominum, qui conviciis læsus non regessit convitia*, Epist. ad Ephesios.

CAP VII.

Interpretatio & sensus verborum, μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν. Ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος· ζωγρεῖσθαι item quid, v. 25, 26.

EST bonæ mentis, amare Textum Sacrum & ejus autorem Deum. Textum autem Scripturæ amat nemo nisi intelligat Grammaticam: Ad quam quia Interpres Vulg. non sat diligenter hoc loco attendit, phrasin Paulinam planè depravavit, vertens *τὸ, μήποτε, ne quando*: cùm tamen particula *μήποτε* non semper sit Negantis, sed aliquando etiam Interrogantis & propter rei difficultatem dubitantis, *μήποτε* pro *εἴποτε*. Vide Budæum pag. 909. Nec aliter legit Syrus quàm *εἴποτε, si quo modo.* Ideo Tremellius vertit ex Syriaco *si forte.* Annotat quoque Camerarius, *non inusitatam esse ἐναλλαγὴν, positâ negatione dubitanter in asserendo. Sic Sophocles Antigonâ,*

> *Δέδοικα γὰρ μὴ τοὺς καθεστῶτας νόμους*
> *Ἄριστον ᾖ σώζοντα τὸν βίον τελεῖν,*

Vereor nè sit optimum per totam vitam servare constitutas leges. *Cùm sentiat hoc esse optimum.* Ut autem *εἴποτε*, sic *εἴπως* usurpatur Act. 27. 12. Rom. 11. 14. & *ἐὰν ἄρα* apud Ignatium Epist. ad Philadelphienses, *Osores Dei oportet νουθετεῖν καὶ ἐπὶ μετάνοιαν παρακαλεῖν, ἐὰν ἄρα ἀκούσωσιν, ἐὰν ἄρα ἐνδῶσι, si fortè aliquando audiant monitisque cedant.* ¶ Ultimus versus exercuit Interpretes propter verbum *ἀνανήφειν*, & diversa, quibus Apostolus utitur, relativa. Verba Apostoli sunt, *Καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος, ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα.* Vulgata, *Et resipiscant à Diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.* Optimè sanè in posteriore membro, *à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* At in priori membro, illud *resipiscant* longiùs à Græco abest, imò versu præcedente voci *μετανοίας*, fuit inclusum. Beza variat: Aliquando vertit, *Et sanitate mentis receptâ* evasuri *ex Diaboli laqueo, ab eo captivi facti ad ipsius libitum.* In editionibus posterioribus mutavit, vertitque, *Et* elapsi *ex Diaboli laqueo, à quo captivi tenentur, mentis sanitatem recipiant, ad* præstandam *illius voluntatem. Illius*, sc. *Dei*, ut *αὐτοῦ* referatur ad *Diabolum, ἐκείνου ad Deum.* Syrus Interpres *τὸ ἀνανήφειν* accepit pro *memorem esse sui*, i. e. ad se redire; vertitque pleniùs his verbis Tremellio Interprete, *Et memores sint sui ipsorum, & eripiantur ex laqueo Satanæ, quo capti sunt ad voluntatem ipsius.* Sic Castalio, *Ad seque redeant, & laqueum Diaboli evadant, à quo capti ejus arbitrio tenentur.* Atqui *τὸ ἀνανήφειν* simpliciùs poterat verti. Nam si *νήφειν* est *vigilare*, 2 Tim. 4. 5. *ἀνανήφειν* omnino erit *evigilare.* Nota significatio melioribus Scriptoribus. Dionysius Halicar. lib. 4. Antiq. *ὥσπερ ἐκ μακρᾶς ἀνανήψας μέθης, νῦν ἥκεις μου κατηγορῶν, quasi è diuturna crapula experrectus, nunc demum accusatum me venis.* Diodorus Siculus sub finem lib. 16. *ὁ δὲ ἀνανήψας ἐκ τῆς μέθης*, de Pausania Philippi Macedonis interfectore. Jam diversorum Relatorum usus non importat diversitatem sensûs, ut aliud ad *Deum*, aliud ad *Diabolum* referatur; sed gratiorem reddit dictionem. Certè repetitio pronominis *αὐτοῦ* ingrata fuisset legenti, si dixisset Apostolus, *ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ αὐτοῦ θέλημα·* itaque maluit posteriore loco uti vocabulo *ἐκείνου.* Germana igitur interpretatio versûs erit ista, *Καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος, ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα. Et evigilent* (h. e. expergefacti expediant se: ut sit antecedens sive efficiens pro consequente sive effectu) *ex Diaboli laqueo, ut qui captivi tenentur ab ipso ad illius voluntatem*, sive *arbitrium. Ζωγρέω* est *vivum capio*, *ζῶντα ἀγρέω*, quod est *ἀγρεύω venatu capio.* Verbum familiare Historicis, Thucydidi, Xenophonti, Zosimo, aliis. *Constantinus πολλοὺς μὲν ἀπέκτεινε, τοὺς δὲ πλείους ἐζώγρησεν, multos interfecit, plures vivos cepit*, Zosimus lib. 2. Diabolus igitur venator ille est, qui circumit nocte dieque, magnâ curâ hoc agens ut homines tentationum suarum laqueis irretitos pro libitu regat, & nunc in hæc nunc in illa peccata præcipiet. Quò majore studio tales à Timotheo nostro monendi cohortandique sunt, ut sive malæ doctrinæ sive impiæ vitæ laqueis impediti tenentur, tandem experrecti explicent se ex tricis Diabolicis, actionesque suas non ad Satanæ sed ad Dei voluntatem accommodent.

GUALTPERIUS.

17. ΓΆγγραινα ἡ γαγγραίνωσις] *Gangræna*, partis alicujus mortificatio & exstinctio, proveniens à magnitudine inflammationis, quæ neque digeri neque in pus mutari potuit, sibique conjunctas partes in affectionis consortium pertrahens, & ne ab ossibus quidem abstinens, quæ vitioso humore perfusa, quo caro circumposita madet, putrescunt emoriunturque. Non est autem γάγγραινα perfecta νέκρωσις, sed adhuc fit, sic tamen ut nisi opportunè succurratur, non modò pars ipsa quæ laborat sed & aliæ vicinæ partes ipseque totus homo denique intereat. Hinc γαγγραινικὸς *gangrænicus*: & γαγγραινοῦσθαι *gangrænâ laborare*, aut *gangrænâ corripi*. Vide Actuarium l. 2. περὶ διαγν. παθῶν c. 30. Celsum lib. 5. c. 26. Galenum Comment. 7. in Aphorism. Hippocr. sect. 7. artic. 50. Æginetam lib. 4. c. 9.

LUD. CAPPELLUS.

19. Ἔγνω ὁ Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ] Respexit Apostolus ad locum qui est Num. 16. 5. ubi sic in Hebræo habetur, בקר וידע יהוה את אשר לו *Cras declarabit Dominus qui sunt sui.* LXX. verò reddiderunt, ἐπέσκεπται καὶ ἔγνω ὁ Θεὸς τοὺς ὄντας αὐτοῦ· nempe legerunt פקד ידע ob affinitatem soni literarum פ & ב, & similitudinem figuræ literarum ד & ר. Hoc ergò vult Apostolus. Quomodo Core & socii ejus censebant *totam congregationem* Israëlitarum *esse sanctam*, propterea que *iniquè facere Mosem & Aaronem qui se efferrent supra reliquum populum*, tanquam ἐξαιρέτους, sic multi sunt qui putant quotquot nomen Christo dederunt per Baptismum, eos omnes esse verè electos & sanctos, neque ullam esse quorundam supra reliquos prærogativam: sed falsum est illorum judicium. Nam quomodo Moses Core & sociis ejus insurgentibus respondit, Deum nosse in tanta populi turba qui sint sui quosque singulariter elegerit præ reliquis, moxque id ostendisse cùm terra absorpsit Core cum suis sequacibus; sic etiam dico, Deum in tanta Christianorum turba, qui nomen Christi extrinsecùs profitentur, *nosse qui sint verè sui*, quosque singulariter ad vitam æternam præ reliquis elegerit, atque satis apertè testatur non omnes esse verè sanctos & electos, cùm patitur multos ex illis in hæresim prolabi, vel deficere ad Judaismum aut Ethnicismum: quales fuerunt Hymenæus Philetus, de quibus isthic loquitur Apostolus.

GROTIUS.

1. Σὺ οὖν, τέκνον μου, *Tu ergo, fili mi*] Vide quanto affectu, ut 1 Tim. 1. 18. ¶ ἐνδυναμοῦ, *confortare*] עזז. Id enim sic transfertur Psalm. 52. 9. Sic & activa & passiva promiscuè Hebræis, tum Hebraïcè, tum Græcè scribentibus, usurpantur pro reciprocis. Sensus enim est, *Roborate met*, assiduo nempe studio.

2. Καὶ ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, *Et quæ audisti à me per multos testes*] Multis adductis testibus Prophetis, qui hæc prædixerant, Hebr. 12. 1. ¶ ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι. *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*] Hinc videmus Timotheum, non Episcopi tantùm, sed & Metropolitæ functum officio, non minùs quàm Titum: nam docere erat τῶν ἡγουμένων· προϊσταμένων, ἀγγέλων [*Præpositorum, Præsidum, Angelorum,*] ut prius, Episcoporum, ut posterius per eminentiam eos vocavit Ecclesia. Erat ergo Timotheus verè רב המורה [*Magister magnus.*] Habemus hic verbum παράθου, פקד [*commenda.*] Vide Psalm. 31. 5. ¶ οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι [*qui idonei erunt & alios docere.*] qui possint & alios docere: διδακτικόν [*aptum ad docendum*] 1 Tim. 3. 2. infra hic 24.

3. Σὺ οὖν κακοπάθησον, *Tu ergo labora*] Vide quæ diximus supra 1. 8. In manuscripto est & hic συγκακοπάθησον [*collabora.*] ¶ ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ. *sicut bonus miles Jesu Christi*] Vide 1 Cor. 9. 7. 2 Cor. 10. 3, 4. 1 Tim. 1. 18. Sub illo duce, sub illis signis nobis militandum est.

4. Οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, *Nemo militans implicat se negotiis secularibus*] Ἐμπλέκεται, id est, *se implicat*; passivum pro reciproco. Similitudinem ducit à militia sæculari, ut dictis locis, id est, à minori ad majus. Leo Imperator in L. Milites, C. de Re militari, libro 12. *Milites qui à Republica armantur & aluntur, solis debent utilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui, & custodiæ animalium, vel mercimoniorum quæstui, sed propria muniis insudare militiæ.* Idem Imperator L. Milites, C. Locati, *Milites nostros alienarum rerum conductores, seu procuratores aut fidejussores, vel mandatores conductorum fieri prohibemus, ne omisso armorum usu ad opus rurestre se conferant.* Deinde *Armis autem, non privatis negotiis occupentur.* Ambrosius lib. 1. de Officiis, *Is qui Imperatori militat, à susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus.* Vegetius libro 2. *Nec aliquibus milites instituti deputabantur obsequiis, nec privata iisdem negotia mandabantur: siquidem incongruum videbatur Imperatoris militem, qui veste & annonâ publicâ pascebatur, utilitatibus vacare privatis.* Veteres autem sunt leges quæ hoc vetant: nam Posthumium virum Consularem damnatum narrat Florus, quòd operâ militum in agro suo usus esset. Diocletianus & Maximinianus L. Si militem, C. de Condictione ob causam datorum, ajunt, *Si militem ad negotium tuum procuratorem fecisti, cùm hoc legibus interdictum sit*: Vide & Legem Honorii & Arcadii, *Nemo miles*, dicto titulo Codicis De re militari. Eodem tendit titulus Codicis, *Negotiatores ne militent*: & in re simili, Lex ultima C. de Fabricensibus. Cassiodorus 2. 31. *Publicis debent insudare, qui nomen dedere militiæ.* Verbum ἐμπλέκεσθαι [*implicari*] habetur in Græco Proverbiorum 28. 18. Sic ἐμπλακεὶς πόνοις apud Platonem; *occupationibus implicatus* est apud Ciceronem. Idem *negotiis implicari* dixit non uno loco. ¶ ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ. *ut ei placeat cui se probavit*] *Ut ei placeat qui delectum fecit*, id est, Imperatori, qui פקד צבא [*præfectus exercitûs*] Esaiæ 13. 4. In Glossario, στρατολογία, *delectus*. In Latino legimus *ut ei placeat cui se probavit*: Sed scripserit Interpres *qui se probavit.* Nam & literæ ea de re probatoriæ in Codice.

5. Ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται, ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ. *Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certaverit*] Altera similitudo à publicis certaminibus desumpta: sunt enim & gymnicæ Leges, quarum meminit Aristoteles fine Nicomachiorum. Frequens autem comparatio σπουδαίου [*viri boni*] & ἀθλητοῦ [*athletæ*] apud Philosophos. Andronicus aut quisquis est Nicomachiorum optimus Paraphrastes, 10. 11. Τὸν ἴσον δὴ τρόπον καὶ τὸν τῆς ἀρετῆς ἀλείπτην ἀνάγκη μὴ τούτοις μόνον ἀγαπᾶν τοῖς λόγοις, ὅθεν ἔνι μαθεῖν ἕκαστα τί ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ὅπως γένοιτο κατορθῶσαι τὸν διδάσκειν, οἰόμενον οὕτως ἂν ἀληθῶς γενέσθαι διδάσκαλον ἀρετῆς. πρὸς γὰρ τὴν τελείωσιν τοῦ γυμναζομένου τὴν παιδευτικὴν στοχαστικὴν τέχνην σὺν λόγοις· τελείωσις δ' ἂν εἴη τοῦ τῆς ἀρετῆς ἀθλητοῦ, τὸ ἀγαθὸν αὐτὸν γενέσθαι, καὶ πρακτικὸν τῶν καλῶν [*Ita doctor quoque & ut ita dicam alipta virtutis non solâ contentus esse disciplinâ debet, neque hoc tantùm curare, ut naturam intelligat singulorum, sed etiam ut fiant operam dare debebit, atque hoc ipsum docere, neque existimare aliter se posse verè virtutis esse doctorem. Eò enim, ut perfectus in arte sua esse possit gymnasta, totam docendi rationem suam dirigere oportet eum qui docet. Illa autem erit athletæ perfectio, si bonus esse & quæ honesta sunt agere possit.*] Maximus Tyrius Diatriba 35. Ὀλυμπιάσι μὲν καὶ Πυθοῖ οὐκ ἔνεστι κότινον λαβεῖν, οὐδὲ μήλων τυχεῖν, αὐτὸν ἐφ' ἑαυτοῦ κονισάμενον, ἀλλ' ἀνταγωνιστῶν δεῖ τῷ κηρύγματι· ἐν δὲ τῷ τοῦ βίου σταδίῳ καὶ τῷ δεῦρο ἀγωνίᾳ, τίς ἂν γένοιτο ἀνθαγωνιστὴς ἀνδρὶ ἀγαθῷ, πλὴν τῆς πείρας τῶν δυσχερῶν; [*Atqui Olympicis Pythiisque ludis oleastrum nemo, nemo malum consequitur, qui solus secum in pulvere decertarit; sed adversario prius opus est, ut præconis voce victor declareris. In hoc verò vitæ spatio, hoc in certamine, quem bono viro adversarium dabis, præterquam adversæ fortunæ gustum?*] Vide, si vacat, & sequentia. Hierocles, Πρῶτον μὲν γὰρ ἀθληταὶ στέφανον οὐκ ἀγωνιζόμενοι οὐ λαμβάνουσιν, ἀλλ' ἀγωνισάμενοι καὶ νικήσαντες [*Primùm enim, Athletis, nisi certarint, corona non datur: imò nec nisi vicerint.*]

6. Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*] Πρῶτον [*primum*] hic significat, *ità demum*. Tertia similitudo attexitur; *Agricola si laboraverit, ita demum par erit eum de fructibus vesci.* Par similitudo 1 Cor. 9. 10. Sed ibi ostenditur quid operanti debeatur: hic, quid exigatur ut quis de fructibus se jure pascat. Non dubium est quin causas habuerit cur hæc diceret Paulus: nam & additur.

7. Νόει ἃ λέγω, *Intellige quæ dico*] Similis admonitio Marc. 13. 14. Νόει בין vel הבן. Dan. 9. 23. *Attende dictis.* ¶ δῴη γάρ σοι ὁ Κύριος σύνεσιν ἐν πᾶσι. *det enim tibi Dominus in omnibus intellectum*] In rebus tantis, non tantùm attentione, sed & illuminatione divinâ opus est, quam & nobis ipsis, & aliis precari debemus, Dan. 2. 21. quasi dicat, Multa jam intelligis, sed non omnia. Est in quo adhuc luce majore indigeas. Similis precatio Coloss. 1. 9. At in Manuscripto est δώσει [*dabit,*] quasi bene ominantis. Quomodo & Syrus videtur legisse, quamquam potest apud eum futurum pro precativo accipi, more gentis.

8. Μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν, *Memor esto Jesum Christum resurrexisse à mortuis*] Ne mirare etiam si quid mihi gravius eveniat. Mortuus est etiam Christus morte ignominiosâ; Sed à Deo ad vitam gloriosam resuscitatus est. Idem & mihi eveniet, & tibi, si adversis nihil territus in fide & professione persliteris. ¶ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, *ex semine David*] Sic & Rom. 1. 3. Non frustra autem istud hoc loco positum est. Nam si David regno destinatus tanta mala pertulit, si Jesus majora, in quo omnia illa promissa Davidis posteritati facta perfectissimum habebant implementum, quid mirere si nobis talia eveniant? Vide Actor. 13. 23. ¶ κατὰ τὸ Εὐαγγέλιόν μου. *secundùm Evangelium meum*] Sicut ego Christi mandata omnibus annuntiavi & annuntio. Par locutio Rom. 2. 16. 16. 25. quod explicant sic, τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ [*Evangelium quod evangelizatum est à me,*] Gal. 1. 11. sic & εὐαγγέλιον ἡμῶν [*Evangelium nostrum*] dicit Apostolus, adjutores suos secum socians, 1 Thessal. 1. 5. 2 Thess. 2. 14.

9. Ἐν ᾧ κακοπαθῶ, *In quo laboro*] Ἐν ᾧ hîc more Hebræo est *cujus causâ.* κακοπαθῶ *multa mala fero*, & æquo animo fero. Nam & hoc huic verbo his locis inesse etiam supra diximus. ¶ μέχρι δεσμῶν, *usque ad vincula*] Grave vinciri hominibus liberis. Ostendit non levia esse quæ patiebatur. Vide supra 1. 8. ¶ ὡς κακοῦργος. *quasi malè operans*] Nam adversùs tales inventæ manicæ & compedes. Sic & Christus κακούργοις [*facinerosis*] æquatur in supplicio, Lucæ 23. 32, 33, 39. ¶ ἀλλὰ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ οὐ δέδεται. *sed verbum Dei non est alligatum*] Loquor eadem libertate quasi vinctus non essem. Animus vinctus non est, isque linguâ adhuc utitur. Si ego hoc facio vinctus, quantò magis tu hoc facere debes solutus?

10. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Ob hoc ipsum Evangelium. ¶ πάντα ὑπομένω, *omnia sustineo*] Et hæc mala, & multa alia patienter fero. ὑπομένω יכלתי [*sustineo.*] Vide & infra 12. Hebr. 12. 2, 3. Jac. 5. 11. 1 Petr. 2. 20. ¶ διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς, *propter electos*] Bono Christianorum, qui meo exemplo confirmantur in fide, & ad parem sufferentiam animantur. De voce ἐκλεκτῶν [*electorum*] vide quæ dicta ad Matth. 24. 22. ¶ ἵνα καὶ αὐτοὶ σωτηρίας τύχωσι τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ μετὰ δόξης αἰωνίου, *ut & ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Jesu cum gloria cælesti*] Ut ipsi quoque per eadem incedendo vestigia perveniant ad salutem gloriamque æternam, dante Christo. Vide supra 1. 1.

11. Πιστὸς ὁ λόγος. *Fidelis sermo*] Nempe is qui sequitur. Solet enim hæc verba præfari ante egregiam sententiam. Vide 1 Tim. 1. 15. 3. 1. 4. 9. ¶ Εἰ γὰρ συναπεθάνομεν, *Nam si commortui sumus*] Γὰρ [*nam*] hîc ponitur pro אכן *certè*; Esaiæ 45. 1. *Mori* hic vocat miserias summas ac mortis pericula subire. Par locutio 2 Cor. 4. 10. ubi dicta vide. ¶ καὶ συζήσομεν. *& convivemus*] Vivemus cum illo vitam illam immortalem.

12. Εἰ ὑπομένομεν, *Si sustinebimus*] Vide supra 10. Subauditur hic accusativus, puta σταυρὸν [*crucem*] ut Hebr. 12. 2. aut πειρασμὸν [*tentationem*] ut Jac. 1. 12 ¶ καὶ συμβασιλεύσομεν *& conregnabimus*] Duo fecit ἀντίθετα [*opposita.*] Nam ut morti opposuit vitam, ita sufferentiæ regnum, quod modò dixit *gloriam*, id est, statum non tutum tantum, sed & excelsum. Vide Rom. 5. 17. In Martyrologio habemus, *Cùm sanctus Nestor cum magno gaudio respondit, Cum Christo meo, & eram, & sum, & ero: Tunc induratus Prætor dedit adversùs eum sententiam, ut quia Jesum Christum crucifixum sub Pontio Pilato fateretur, tanquam devotus Deo suo, illius subiret sententiam & ligno crucifixus resolveretur à vita. Ille gratias agens Deo, cùm jam affixus esset patibulo, docebat assistentem populum Christianum, ut persisterent in fide & charitate Christi, & lubentissimè compaterentur, ut & simul glorificarentur.* ¶ εἰ ἀρνούμεθα, *si negaverimus*] Nempe *ipsum*: quod subintelligendum liquet ex membro opposito, & ex Matth. 10. 33. ¶ κἀκεῖνος ἀρνήσεται ἡμᾶς· *& ille negabit nos*] Pro suis nos non agnoscet, ac proinde ad rerum suarum communionem nos non admittet. Vide dictum Matthæi locum.

13. Εἰ ἀπιστοῦμεν, *Si non credimus*] *Si nos in illum infidi sumus.* Sicut πιστὸς in his libris modò *credentem* significat, modò *fidelem*, ut Matth. 24. 45. 25. 21, 23. Luc. 12. 42. 16. 10, 11, 12. 19. 17. ita & ἀπιστεῖν [*non credere*] duplicem habet significatum. Sed eum quem diximus huic loco esse proprium ostendit oppositio. ¶ ἐκεῖνος πιστὸς μένει· *ille fidelis permanet*] Nempe non minùs in comminationibus quàm in promissis. ¶ ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται. *negare seipsum non potest*] Non potest negare se dixisse quæ dixit. Est μετωνυμία [*Transnominatio*] in ἑαυτόν [*seipsum.*] nam loquentem nominavit pro verbis loquentis.

14. Ταῦτα ὑπομίμνησκε, *Hæc commone*] הזכר. *Hæc in memoriam reduc audientibus.* ¶ διαμαρτυρόμενος ἐνώπιον τοῦ Κυρίου, *testificans coram Domino*] Eadem locutio 1 Tim. 5. 21. ¶ μὴ λογομαχεῖν, *noli contendere verbis*] Vide 1 Timoth. 6. 4. ¶ εἰς οὐδὲν χρήσιμον, *ad nihil enim utile est*] Pugna de verbis nihil habet utile. ¶ ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων. *nisi ad subversionem audientium*] Nam auditores per ista certamina scinduntur in partes, amittunt dilectionem mutuam: id vero est in hoc negotio מהפכה καταστροφὴ, *eversio.* In Glossario: καταστροφὴ, *subversio, excidium.* Timon,

> Τίς δ' ἄρ' τούσδ' ὀλοῇ ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
> Ἠχοῦς σύνδρομος ὄχλος· ὁ γὰρ σιγῶσι χολωθεὶς
> Νοῦσον ἐπ' ἀνέρας ὦρσε λάλην, ὀλέκοντο δὲ πολλοί.
> [*Ecquis eos tanto pugnæ inflammavit amore?*
> *Ad strepitum accurrens plebs atque exosa silentes:*
> *Unde loquax morbus multa cum peste cucurrit.*]

15. Σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ Θεῷ, *Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo*] Παραστῆσαι rectè Latinus vertit *exhibere.* Δόκιμον [*Probabilem*] sume ut Rom. 16. 10. 1 Corinth. 11. 19. 2 Cor. 10. 18. Jac. 1. 12. Sensus est, *fac te probes Deo.* In Manuscripto παραστῆσαι τῷ Χριστῷ [*exhibere Christo.*] ¶ ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον, *operarium inconfusibilem*] Ea agentem quorum pudere non debeat. Vide Roman. 6. 21. ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. *rectè secantem verbum veritatis*] Similitudo ducta à Victimis quæ certo ritu secari debebant, ut ad Leviticum ostendimus. Est autem & Evangelii annuntiatio sacrificium, & quidem egregium. Translatione paulùm diversa interpretes Proverbiorum 3. 6. & 11. 5. ὀρθοτομεῖν ὁδὸν dixere, ubi in Hebræo est ישר, quod alibi vertitur κατευθύνειν aut κατορθοῦν: nempe etiam *secare viam* dicimus. Evangelium autem ὀρθοτομεῖ [*rectè secat*] qui cuique accommodat ea monita quæ ei maximè conveniunt: quomodo de victimis aliæ partes dabantur Sacerdotibus, aliæ privatis. In Clementis Constitutionibus 7. 33. Ὀρθοτομοῦντες ἐν τοῖς Κυρίου δόγμασι [*Qui in Domini dogmatibus rectè omnia secant.*] Philo de Caïno & Abele, Οὕτως ὁ τιμιώτερος τοῦ χρυσοῦ λόγος ἐκ ποικιλμάτων καὶ μυρίων ἰδεῶν ἐπαινετῶς τελεσιουργεῖται, ὅταν ἄχρι τῶν λεπτοτάτων κεφαλαίων τμηθεὶς τρόπον τινὰ νοήματος δέξηται καθάπερ χρόνιμοι ἀποδείξεις ἐναρμονίους [*Ita oratio quovis auro pretiosior è variegato opere atque innumeris ideis cum laude absolvitur, ubi in subtilissima capita, quæ inventa comprehendant, concisa, argumentis posteà quæ cuique rei conveniant, tanquam subtegmine ornatur.*]

16. Τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας περιΐστασο· *Profana autem vaniloquia devita*] Περιΐστασθαι pro *cavere* habemus & ad Tit. 3. 9. & apud Josephum, quia circumcludere solemus ea à quibus nobis metuimus. In Manuscripto hic, ut & supra 1 Timoth. 6. 20. κενοφωνίας [*vaniloquia,*] non καινοφωνίας [*vocum novitates.*] ibi ἐκτρεπόμενος [*devitans,*] quod hîc περιΐστασο [*devita,*] & quod παραιτοῦ [*devita*] 1 Tim. 4. 7. Alibi βέβηλοι μῦθοι [*profanæ fabulæ,*] qui hîc βέβηλοι κενοφωνίαι [*profana vaniloquia,*] hominum commenta de rebus divinis, sine ulla revelatione. ¶ ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας· *multum enim proficient ad impietatem*] Non stant ista ubi incipiunt. Qui initio parvus videtur error, magnus fit processu, ut ajunt Dialectici. προκόπτειν [*proficere*] & de bono dicitur, ut sæpe, & de malo, ut infra 3. 13. Hebræi dicerent ירבו [*multiplicantur.*]

17. Καὶ ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει· *Et sermo eorum ut cancer serpit*] *Gangræna* non idem est quod *cancer*, sed vicinum aliquid. Bene autem νομὴν ἕξει, id est, *latè carnem sanam depascet*, יפשה [*expandet se,*] ut Levit. 13. 22. & alibi. Nam & Græci γάγγραιναν [*gangrænam*] dictam ajunt παρὰ τὸ γραίνειν, quod est, ἐσθίειν [*à comedendo.*] Latinus interpres *serpit*, non voce, sed sensu bene expresso Lucilius,

> *Serpere uti gangræna malo ad quem herpetica posset.*

Varro, *Non vituperamus, cùm sciamus digitum præcidi oportere, si ob eam rem gangræna non sit ad brachium ventura.* Hoc dicit; Latè serpit illud Philosophicum malum, præcipuè quòd multi illam vivendi rationem amplectantur, ut pœnas evitent quæ undique Christianis imminent. Nihil tam Christianismo nocuit, quàm illa instituta quæ ad Christianismum satis propè accedebant, & πολυθεΐαν [*multitudinem deorum*] per interpretationes quasdam molliebant. Sed causa cur homines multi illa instituta præ Christianismo amplecterentur, non erat quòd in iis esset certius aliquid, sed quod crux, quæ Christianos premebat, eo modo vitaretur. Tertullianus Præscriptione adversùs hæreticos, *Et quæstiones infructuosæ & sermones serpentes velut cancer: à quibus nos Apostolus refrænans nominatim Philosophiam contestatur caveri oportere.* Huic malo alterum non dispar primam Ecclesiam exercuit ab iis, qui similiter crucis vitandæ causâ Judaïcorum rituum necessitatem im-

imponere Gentibus volebant, de quo diximus in illas ad Galatas & Philippenses. Hæc ob oculos habere debet qui Paulum rectè velit intelligere. ¶ *ὧν ἐστιν Ὑμέναιος καὶ Φιλητός· ex quibus est Hymenæus & Philetus*] Est *πρόζευγμα* [*Zeugma à parte priore.*] Nomina sunt Græca, qualia multa in urbibus Asiæ per Græcos conditis. *Hymenæus* à nuptiarum Deo: *Philetus* nomen quale *Amatus*, *Optatus*, *Desideratus* apud Latinos: apud Græcos Ἐραστός [*Erastus.*]

18. Οἵτινες *περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν*, *Qui à veritate aberrarunt*] *Frustrati circa veritatem*, ut Tertullianus de Resurrectione carnis. Latinus bene *aberrarunt*: quomodo vocem eandem vertit 1 Timoth. 1.6. 6.21. ¶ *λέγοντες τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι· dicentes resurrectionem esse jam factam*] Vide 1 Corinth. 15.12. Sicut Philosophis mala vita *mors* dicitur, ità vita correcta *ἀνάστασις* [*resurrectio*,] ut & *παλιγγενεσία* [*regeneratio*,] de quo diximus ad Joh. 3.3. At in Euangelio *ἀνάστασις νεκρῶν* [*resurrectio mortuorum*,] aut *ἐκ νεκρῶν* [*ex mortuis*] tam apertè & tot locis describitur, ut non possit alia intelligi quàm quæ erit post corporis ab animo sejunctionem, quæ sejunctio vulgari sensu *mors* dicitur. Et certè illa nisi speretur, ne altera quidem illa morum *ἀνάστασις* [*resurrectio*] talis erit, qualis fuit in Apostolis & eorum fidelibus discipulis. Quare istis *ἀλληγορίαις* [*sensibus obtectis*] sensum maximè necessarium excludentibus omni modo obsisti debet. Tertullianus, *Æquè tangit eos qui dicerent factam jam resurrectionem: id de se Valentiniani asseverant.* *καὶ ἀνατρέπουσι τήν τινων πίστιν. & subvertunt quorundam fidem*] *Multorum fidem evertunt.* *ἀνατρέπουσι* עוה [*evertunt*,] ut Prov. 10.3. Vide simile 2 Thessal. 2.2, 11.

19. Ὁ *μέντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ Θεοῦ ἕστηκεν*, *Sed firmum fundamentum Dei stat*] Sicut qui palatia struunt, solent firma subjicere fundamenta, ita Deus moliens civitatem illam æternam, decreta quædam substravit, velut fundamenta, quæ manent inconcussa, quod fundamenti est proprium. Pari modò *fundamenta reipublicæ*, *libertatis*, *pacis*, *justitiæ*, *defensionis*, sæpe dixit Cicero, ea scilicet quibus res quæque innititur. ¶ *ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην· habens signaculum hoc*] Solebant enim fundamentorum lapidibus sententiæ quædam inscribi, boni ominis causâ. Vide simile quid Zach. 3.9. 4.10. & ibi dicta. Σφραγὶς hîc est id *quod lapidi inscribitur*, sicut alibi id quod sculpitur in annulo. Id *signum* vocant Latini: Plinius *ἀποσφράγισμα*, & exemplum dat, Quadrigam. Talia in aliis annulis, Sphinx, Leo, Rana, aliaque multa. Sunt & literæ in annulis, ut illæ,

> Ἤν με φιλῶντα φιλῇς, —
> [*Si me amantem amas.* —]

Hæc Hæbræis חותם, ut Exodi 28.11. ubi Græci *σφραγῖδα* [*sigillum*] dixere. Hinc & tessera nummaria, quia aliquid insculptum habet, חותם in Thalmudo de Siclis. ¶ *Ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ. Cognovit Dominus qui sunt ejus*] Ex Num. 16.5. ubi Græcis *ἔγνω Θεὸς τοὺς ὄντας αὐτοῦ* [*cognovit Deus qui sunt ejus*] Legerunt enim ידע [*cognovit*] in Kal, non in futuro Hiphil, ut alii. Duas sententias recitat Paulus velut fundamenta allectionis in civitatem coelestem. Prior est, Deum non professionem illam externam, sed cor præcipuè respicere, quod solus videt. Quod ibi Deo tribuitur, id hîc Christo: quod solemne nostris scriptoribus. ¶ *καί· Ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου. &; Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*] Altera sententia est, Professionem externam nihil prodesse, si adsint mala opera. Idem sensus Matth. 7.21, 22, 23. ubi dicta vide. Qui se Christi esse dicit, ut verè & cum suo bono talis sit, longe abeat à vita impura. Alios quam tales Christus pro suis non agnoscit. *ὀνομάζει τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου* [*nominat nomen Domini*] qui rogatus cujus sit disciplinæ, Christum nominat ut Magistrum. Vide 1 Corinth. 1.2.

20. Ἐν *μεγάλῃ δὲ οἰκίᾳ*, *In magna autem domo*] Qualis Deo est hîc Mundus. ¶ *οὐκ ἔστι μόνον σκεύη χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, non solùm sunt vasa aurea & argentea*] Qualia erant divitum escaria & potoria, L. Supellectili, §. Vitrea, D. De Supellectile legata. ¶ *ἀλλὰ καὶ ξύλινα, sed & lignea*] Ut hami & siphones adversùs incendia, rutra. ¶ *καὶ ὀστράκινα· & fictilia*] Putà lasana, scaphia, matulæ. ¶ *καὶ ἃ μὲν εἰς τιμήν, & quædam quidem in honorem*] Ut de quibus vescimur. ¶ *ἃ δὲ εἰς ἀτιμίαν. quædam autem in contumeliam*] Ut in quæ sordes egerimus. Huc autem tendit *ἀλληγορία* [*sensus obtectus*,] Non mirum si Deus etiam aliquos sinat se insinuare in Ecclesiam, qui deinde malis factis se prodant. Deo nihil abscedit, quia novit & bonis & malis uti. Confer quæ sunt Rom. 9.21, 22.

21. Ἐὰν *οὖν τις ἐκκαθάρῃ ἑαυτὸν ἀπὸ τούτων*, *Si quis ergo emundaverit se ab istis*] Ostendit similitudinem hanc habere aliquid dissimile. Nam vasa illa ærea nihil de se conferunt, cur sint hujusmodi aut istiusmodi; homo autem confert aliquid; potest enim Dei ope semet repurgare, & ita efficere ut sit vas honestum, accommodatum ad egregios usus. Sicut verbum *convertendi*, ita & *purificandi*, modò Deo tribuitur, ut causæ principi, modo ipsi homini, ut causæ secundariæ. Vide Psalm 73.13. Jacobi 4.8. 1 Petr. 1.22. 1 Joh. 3.3. ¶ *ἔσται σκεῦος εἰς τιμήν*, *erit vas in honorem*] Ne terrere isto quod attuli discrimine: est in hac re aliquid ἐφ' ἡμῖν [*quod in nostra est potestate.*] ¶ *ἡγιασμένον*, *sanctificatum*] Sicut vasa Templi. ¶ *καὶ εὔχρηστον τῷ δεσπότῃ, εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένον. & utile Domino ad omne opus bonum paratum*] *Δεσπότης* [*Dominus*] potest & Christus dici; sed sæpius vocatur Deus Christi Pater, ut Luc. 2.29. Act. 4.24. Judæ 4. Vide & Genes. 15.2. Josue 5.14. Esaiæ 1.24. 3.1. 10.33. & sæpissime in libris Sapientiæ, Sirachide & secundo Maccabaïco. *ἡτοιμασμένον* מוכן [*paratum.*] Sic in contrariam partem *κατηρτισμένα* [*aptata*] habemus Roman. 9.22. Magnus honos homini, divinæ bonitatis fiere instrumentum.

22. Τὰς δὲ *νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε· Juvenilia autem desideria fuge*] Per *νεωτερικὰς ἐπιθυμίας* תאוות נעורים [*juvenilia desideria*,] puto gloriolas intelligi, quibus qui student, *νεανιεύεσθαι* [*juveniliter agere*] Græcis dicuntur. Linguæ omnes fugere nos jubent id quod omni studio cavendum est. Vide 1 Corinth. 6.18. 10.14. 1 Timoth 6.11. Huic oppositum est *διώκειν* רדף [*persequi*,] quod jam habebimus. ¶ *δίωκε δὲ δικαιοσύνην*, *sectare verò justitiam*] *Innocentiam.* ¶ *πίστιν*, *fidem*] *Fidem in verbis.* ¶ *ἀγάπην*, *charitatem*] *Dilectionem erga omnes.* ¶ *εἰρήνην μετὰ τῶν ἐπικαλουμένων τὸν Κύριον ἐκ καθαρᾶς καρδίας. & pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro*] *Concordiam cum omnibus sincerè Christianis.* *ἐκ καθαρᾶς καρδίας* [*de corde puro*] habuimus & supra 1 Timoth. 1.5. Sic *ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας* [*in simplicitate cordis*] Ephes. 6.5. Coloss. 3.22. At in Manuscripto est: *εἰρήνην μετὰ πάντων τῶν ἀγαπώντων τὸν Κύριον* [*pacem cum omnibus qui diligunt Dominum.*]

23. Τὰς δὲ *μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ*, *Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita*] Est eadem admonitio quæ 1 Timoth. 1.4. & 6.4. *μωρὰς* [*stultas*] vocat illas quæstiones, quia ad veram & salutarem sapientiam nihil pertinent. *ἀπαιδεύτους* אין מוסר [*sine disciplina*,] ut Proverb. 5.23. *qui respuunt correctionem*, ut dicitur Proverb. 15.4. Solet & *ἀπαίδευτος* poni pro כסיל [*stulto*] ut Prov. 8.5. 15.15. & לץ [*derisore*] Proverb. 15.13. & pro נבל [*fatuo*] Prov. 17.22. legitur & Sapientiæ 17.1. & apud Sirachidem aliquoties. Intelligit hîc Paulus quæstiones immodestas: nam & Græci pro *ἀκόλαστον* dicunt *ἀπαίδευτον* [*sine disciplina*,] quia idem est *κολάζειν* & *παιδεύειν*. ¶ *εἰδὼς ὅτι γεννῶσι μάχας· sciens quia generant lites*] Id est, *lites*, *jurgia*. Sic & Tit. 3.9. Hebræum ריב modo *ἀντιλογία* [*contradictio*] vertitur, modò *μάχη* [*lis.*]

24. Δοῦλον δὲ Κυρίου, *Servum autem Domini*] Christi adeò patientis atque pacifici. ¶ *οὐ δεῖ μάχεσθαι*, *non oportet litigare*] *Rixari*, ריב, ut Genes. 26.20. Sic & Joh. 6.52. sic & apud Aristophanem, *οὐ μαχοῦμαί σοι*, *non contendam tecum verbis.* ¶ *ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας*, *sed mansuetum esse ad omnes*] *Lenem esse.* Sic 1 Thessal. 2.7. & Homerus,

> — πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν
> [— *benignus erat genitoris ad instar.*]

In Glossario: *ἤπιος*, *tranquillus*, *mansuetus*, ענו. ¶ *διδακτικόν*, *docibilem*] Vide 1 Tim. 3.2. ¶ *ἀνεξίκακον· patientem*] In Glossario, *ἀνεξίκακος patiens*; *ἀνεξικακία*, *clementia*, *patientia.* Quod in Digestis est *patientiam accommodare*, id in Basilicis *ἀνεξικακεῖν*. Sap. 2.19. *ἀνεξικακίαν* Latinus vertit *patientiam.* Hæc *ἀνεξικακία* [*patientia*] intelligenda de iis quæ fiunt extra censuram Ecclesiasticam.

25. Ἐν *πρᾳότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους· Cum modestia corripientem eos qui resistunt*] Vide 1 Tim. 6.11. qui errant, leniter tractandi, non maledictis exasperandi. *ἀντιδιατιθεμένους* [*resistentes*,] aliter affectos quàm nos sumus. nam *τὴν γνώμην διατεθῆναι* [*eo animo esse*] pro *διακεῖσθαι* [*ita affectum esse*] est etiam apud Isocratem. ¶ *μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν*, *ne quando det illis Deus pœnitentiam*] Experiendo an det illis Deus pœnitentiam, ut rectè eruditi exposuere: nam *μήποτε* pro *an* habemus & Luc. 3.15. Joh. 7.26. Reticentiam verò verbi similis ante *εἴπως* [*si quomodo*] habemus Act. 27.12. Rom. 11.14. Hebræi dicent אולי. Non omnibus qui vocationi reluctantur dat Deus pœnitentiam: nam quosdam aut inter peccata è vita eripit, aut etiam obdurat. In quibus autem hoc faciendum, in quibus non, ipsius solius est nosse: Hominum tentare omnia pro aliorum salute. ¶ *εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας· ad cognoscendam veritatem*] Ἐλθεῖν [*venire*] addit Manuscriptus, ut hæc verba *ἐξήγησις* [*explicatio*] sint ejus quod præcessit, *μετάνοιαν* [*pœnitentiam:*] si forte, inquit, det Deus illis men-

tem

tem meliorem, id est, ut perveniant ad agnitionem ejus veritatis quam nunc oppugnant.

26. Καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ Διαβόλου παγίδος, *Et resipiscant à Diaboli laqueis*] Ἀνανήφειν idem quod ἐκνήφειν Genes. 9. 24. 1 Sam. 25. 37. Joel. 1. 5. propriè *è vino ad se redire.* Sed per translationem usurpatur ad liberationem ab omnibus rebus aliis quæ mentem turbant, ut videre est Abac. 2. 7. 1 Cor. 15. 34. Laqueus diaboli sunt voluptates quæ hominem faciunt velut temulentum. Ab his liberamur per Christum Esaiæ 42. 7. ¶ Ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ, *à quo captivi tenentur*] Capti enim à diabolo tenentur. ζωγρεῖν [*vivos capere*] vox propriè bellica.

Ζώγρει Ἀτρέος υἱέ.

[*Captivum, Atride, me fac tibi.*]

sed latiùs usurpari cœpit, ut videre est Luc. 5. 10. ¶ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα. *ad ipsius voluntatem*] Dei: nam construenda hæc cum illo ἀνανήψωσι [*resipiscant*] posito διαςολῆς [*distinctionis*] signo post ὑπ' αὐτοῦ [*ab illo.*] Ad Dei voluntatem, nempe faciendum. Vide Ephes. 6. 6.

PRICÆUS.

1. ENδυναμοῦ] Ἐν Κυρίῳ, nempe, καὶ ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ut Ephes. 6. 10. loquitur. Tale 1 Cor. 16. 13. ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε. Bene & ἐνδυναμοῦ· οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς πνεῦμα δειλίας, ἀλλὰ ΔΥΝΑΜΕΩΣ, &c. suprà 1. 7. Vide & 1 Tim. 1. 12. Addit, ἐν τῇ χάριτι· Sic 2 Pet. 3. 18. τῇ χάριτι αὐξάνειν.

2. Καὶ ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ, ταῦτα παράθου, &c.] Sic Philipp. 4. 9. Ἃ; &c. ἠκούσατε (supple, ut hoc loco, παρ' ἐμοῦ) &c. ταῦτα πράσσετε. Vide & suprà 1. 15. Plutarchus in Conjugal. præceptis ad Euridicen, Πειρῶ τοῖς τῶν σοφῶν, &c. ἀποφθέγμασιν ὁμιλεῖν, καὶ διὰ σόματος ἀεὶ τὰς φωνὰς ἔχειν ἐκείνας ἃς, &c. παρ' ἡμῶν παρελάμβανες.

Ibid. ταῦτα παράθου πιςοῖς ἀνθρώποις] Catullus,

——— *Dicam vobis, vos porrò dicite multis.*

Παράθου, *propone.* Sic Act. 17. 3. διανοίγων, καὶ παρατιθέμενος & apud Plutarchum in περὶ παιδ. ἀγωγῆς de Pythagoræ ænigmatis, ἅπερ ἐγὼ παραθεὶς ἐξηγήσομαι· Vel παράθου, ut heic Vulgatus, *commenda*, nimirum ut solemus deposita, quæ fidissimis commissa volumus. Sic πιςῷ παρακατατίθεσθαι, Arrianus 4. 13. in Epictetum; &, ὡς πιςῷ κτίςῃ παρακατατίθεσθαι, 1 Pet. 4. 19. Πιςῷ ἐγχειρίζεσθαι, Chrysostomus ad 1 Tim. 3. dixit. Non res tantùm, sed & præcepta sermonesque παρακατατίθεσθαι solere, 2 Tim. 1. 18. & 6. 20. vidimus. Ita Exod. 19. 7. παρέθηκεν αὐτοῖς τοὺς λόγους τούτους. Πιςοὺς heic intellige, ut 1 Tim. 1. 12. εἰς διακονίαν πιςόν· id est, (ut 1 Tim. 2. 7.) quæ acceperunt, ἐν πίςει καὶ ἀληθείᾳ docturis, verbum Dei non adulteraturis, (2 Cor. 4. 2.) Vel, πιςοὺς expone; ut Act. 14. 22. τῇ πίςει ἐμμένοντας· cujusmodi Ephes. 1. 1. πιςοὺς ἐν Χριςῷ vocat, & Colos. 1. 1. πιςοὺς ἐν Χριςῷ ἀδελφούς. Vel πιςοὺς, ut Act. 16. 1. qui jam fidem amplexi sunt. Aut demum, ut 2 Tim. 1. 13. τοὺς ἐν πίςει ἀκούειν θέλοντας, id est, (ut heic Chrysostomus & Theophylactus,) οὐ συλλογιςικοὺς, οὐ συζητητικούς· quem in sensum & Hesychius, Πιςὸς, εὐσεβής.

Ibid. οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι] Theophylactus ad Luc. 11. Δεῖ οὐ μόνον θεοῦ λόγους ἀκούειν, ἀλλὰ καὶ ἑτέροις λαλεῖν. Ad Petrum Christus Luc. 22. 32. Σύ ποτε ἐπιςρέψας ςήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. D. Ambrosius de Officiis 1. 1. *Homines discunt prius quod doceant; & ab illo accipiunt quod aliis tradant:* lege, *& ab alio accipiunt quod aliis tradant.* D. Augustinus in Psal. 64. *Ex credentibus alii credunt; & non sufficit uni homini ut factus ipse sit fidelis, si non alium lucretur.* Idem de Temp. Serm. 56. *Lectiones divinas illo desiderio legere & audire debetis, ut de ipsis in domibus vestris, & alibi ubicunque fueritis, etiam loqui, & alios docere possitis: ut verbum Dei velut mundâ animâ, cogitatione assiduâ ruminantes, utilem succum, id est, spiritualem sensum, & vobis sumere, & aliis Deo auxiliante, propinare possitis.* Euthymius ad Matth. 13. *Magna est prædicationis virtus, quod semel fermentatum est, rursum reliqua partis fermentum fiet;* & ad Matth. 24. ea, QUI QUINQUE TALENTA ACCEPERAT, NEGOTIATUS CONFECIT ALTERA QUINQUE, *Duplicant ea quæ sibi concredita sunt omnes qui proficiscuntur ad salutem discipulorum, facientes eos rursus præceptores aliorum.* Idem ad Joh. 1. de discipulis qui Joanne Baptistâ relicto apud Jesum diversati sunt, *Tantum unâ nocte profecerunt, ut ad aliorum venationem sequente die procederent:* ad Joh. 12. de Christo Domino, *Quæ docebat & faciebat etiam pro Judæis erant, ut cùm illi imprimis didicissent, &c. postmodum alios docerent:* ad Joh. 15. *Seipsum vitem nominat, &c. palmites verò discipulos, quasi ex ipso germinantes sermone doctrinæ, & per eum nutritos ad fructificationem, &c. ut & ipsi similiter præbeant vinum doctrinæ:* & demum ad Joh. 17. ea, SED ET PRO IIS (*rogo*) QUI PER SERMONEM EORUM CREDITURI SUNT, *Ostendit quòd per eorum prædicationem alii quoque discipuli fiant.* Irenæus in Præfatione lib. 1. *Ea quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies,* &c. *& potenter adferes iis qui tecum sunt, ea quæ invalidè à nobis relata sunt. Et quemadmodum nos elaboravimus olim quærentes tibi discere, sententiam eorum* (Valentinianorum) *non solùm tibi facere manifestam, sed & subministrationem dare, uti ostenderemus eam falsam; sic & tu efficaciter reliquis ministrabis secundùm gratiam quæ tibi à Domino data est.* . Symeon Metaphrastes de Joanne Euangelista Ephesios sacerdotes ad verum Christi cultum instruente, Τοὺς μὲν λόγοις, τοὺς δὲ σημείοις, &c. τῆς πλάνης μεθίςησι· καὶ μετὰ τοσαύτης παρασκευάζει τῆς περιουσίας μεταμαθεῖν τὴν εὐσέβειαν, ὡς καὶ αὐτοὺς ἑτέροις ὑφηγητὰς τῆς ἀληθείας τοῦ λοιποῦ καὶ διδασκάλους καθίςασθαι. Plato 6. de Leg. Δεῖ μηδὲν παραλιπεῖν αὐτῷ, πάντα δὲ λόγον ἀφερμηνεύειν, ἵνα ὄντες τοῖς ἄλλοις μηνυταί τε ἅμα καὶ τροφεῖς γίγνωνται. In Ejusdem Sympoſio, Ἐγὼ πειράσομαι ὑμῖν εἰσηγήσασθαι τὴν δύναμιν αὐτοῦ, (ἔρωτος) ὑμεῖς δὲ διδάσκαλοι τῶν ἄλλων ἔσεσθε. Cyrianus in de Idolorum vanitate, *Ut de eo ad præcepta vitalia instrui possent, & discerent quæ docerent.* In distichis Catonianis,

Disce, sed à doctis, indoctos ipse doceto:

Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.

Vegetius 2. 10. de castrorum Præfecto, *Is*, &c. *peritissimus omnium legebatur, ut rectè doceret alios quod ipse cum laude fecisset.* Sidonius 3. 10. ad Tetradium de Theodoro, *Ad te meracissimum scientiæ fontem,* &c. *proficiscitur, non modo reperturus illic ipse quod discat, sed & forsitan relaturus indè quod doceat.* Seneca de virginibus Vestalibus cap. 29. de Vita beata, *Discunt facere sacra, & cùm didicerunt docent.* Idem 94. Epist. *Cui curata suffusio est, is non protinus,* &c. *aliis quoque* (visum) *potest reddere: malitiâ liberatus & liberat.* Isidorus Offic. ecclesiast. 2. 21. ait salem Catechumenis datum, ut ejus gustu condimentum sapientiæ percipiant, &c. & alios condiant. Plinius, lib. 6. Epist. 23. de Rusone, *Est indolis optimæ, brevi producturus alios, si interim provectus fuerit à nobis.*

Ibid. ἱκανοὶ ἑτέρους διδάξαι] Δυνάμενοι (ut Rom. 15. 14. loquitur) καὶ ἄλλους (ità enim in quibusdam codicibus, non ἀλλήλους legitur) νουθετεῖν. E converso Epist. 61. de histrione Cyprianus, *Quod malè didicit, cæteris quoque insinuat.*

3. κακοπάθησον] *Adversus omnia quæ accidere possunt,* &c. *adhortare te, & indura.* Seneca Ep. 4.

——— *Potiores*

Herculis ærumnas credas durosque labores,

Et Venere, & cœnis, & plumâ Sardanapali.

Virgilius, *Durate*: ubi Servius, *Duri estote ad labores sustinendos.* Seneca 82. Epist. *Malè mihi esse malo, quàm molliter. Malè nunc sic accipe, quemadmodum à populo solet dici, durè, asperè, laboriosè.* Idem Epist. 13. ad Lucilium suum, *Laborem si non recuses, parum est; posce.* Theophylactus ad Marc. 15. ea, πλέξαντες ἀκάνθινον ςέφανον, Φορέσωμεν (καὶ ἡμεῖς) ἀκάνθινον ςέφανον· τουτέςι, σπουδάσωμεν ςεφανωθῆναι τῷ τραχεῖ βίῳ καὶ ἐγκρατεῖ καὶ ἀνωδύνῳ. Κακοπαθεῖν apud Apostolum intellige cum comite suo μακροθυμεῖν. Vult Jacobi 5. 10.

Ibid. κακοπάθησον ὡς καλὸς ςρατιώτης] Arrianus lib. 3. c. 24. ex persona viri boni malis vexati, Τούτου (πειρασμοῦ) ὁ Ζεύς με αὐτὸν παρ' ἐμαυτοῦ λαβεῖν ἀπόδειξιν ἠθέλησε, καὶ αὐτὸς δὲ γνῶναι εἰ ἔχει ςρατιώτην οἷον δεῖ. Cujus loci sensum non videtur cepisse Latinus Interpres. Apud Senecam Epist. 67. Attalus Philosophus, *Malo me Fortuna in castris suis quàm in deliciis habeat:* ubi *in castris haberi*, est, ὡς ςρατιώτης κακοπαθεῖν. Seneca idem Epist. 51. de Catone, *Habitaturum* (eum) *tu putas unquam fuisse in Utica, ut præternavigantes adulteras dinumeraret, & aspiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu rosam?* &c. *nonne manere ille intra vallum maluisset, quàm unam noctem inter talia duxisse?* Imper. Severus apud Herodianum, lib. 2. Δουλείᾳ ςρατιωτῶν κάματος, οὐ τρυφή. In l. 1. ff. de test. milit. *Milites appellantur à militia, id est, duritia,* &c. Vide Festum in verbo *miles.* Cicero Tuscul. 2. *Nostri exercitus primùm unde nomen habeant vides; deinde, qui labor, & quantus agminis,* &c. D. Augustinus ad Psal. 36. itidem de militibus agens, *Quanta dura tolerant! quæ itinera!* &c. Terentius Heautont.

In Asiam ad Regem militatum iit. ———

Ubi Eugraphius, *In militiam, ubi scilicet durus labor.* Salustius de Mario militante, *Hiemem juxtà & æstatem pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare.* Artemidorus 2. 32. Οἷον ἀργὸς ὁ ςρατιώτης. Tertullianus ad Martyres, *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, sed de papilionibus*

bus expeditis & substrictis, ubi omnis duritia, imbonitas & insuavitas consistit. Seneca Epist. 36. *Nemo discit ut, si necesse fuerit, aquo animo in rosa jaceat: sed in hoc duratur,* &c. *ut stans, etiam aliquando saucius, pro vallo pervigilet, & ne pilo quidem incumbat.* Idem 37. Epist. *Promisisti virum bonum, sacramento rogatus es: decipit, si quis tibi dixerit mollem & facilem esse militiam,* &c. *Eadem honestissimi hujus & illius turpissimi* (gladiatorium intelligit) *auctoramenti verba sunt, uri virgis, ferroque necari:* & Epist. 20. *Civem esse se universi & militem credens, labores velut imperatos subit.* Καλὸς στρατιώτης hic, ut *bonus miles*, in lib. 5. §. 6. ff. de re milit. & in sententiis Hadriani Imperatoris, Ἐξέτασεν, &c. ἐὰν καλὸς στρατιώτης γένῃ. Talis Polluci 1. 11 στρατιώτης δόκιμος. Est & heic κακοπαθεῖν ὡς καλὸς στρατιώτης, quod 1 Tim. 1. 18. τὴν καλὴν στρατείαν στρατεύειν, & ibidem 6. 12. τὸν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι· quod quid sit, 2 Cor. 6. 4, 5. & sequentibus enumeratiùs exprimitur: adde & 2. 4. Sirachidem. Στρατιώτας κακοπαθοῦντας habemus in vitis Antonii & Gracchorum apud Plutarchum. Opponuntur talibus, στρατιῶται οὔτε δίψαν, οὔτε ἄλλην κακοπάθειαν φέρειν δυνάμενοι, in Excerptis Diodori Siculi. Suidas de Rege Prusia, Πρὸς τὰς πολεμικὰς χρείας ἀγεννής, &c. καὶ πρὸς τὰς κακοπαθείας ἀλλότριος. Vulgatus κακοπάθησον *labora* vertit: quam id peritè fecerit, ex optimorum Auctorum locis jam adductis vidimus. Suidas, Ἐπόνουν, ἐκακοπάθουν. Virgilius.

Assuetumque malo Ligurem: ——

id est, κακοπαθείᾳ. Servius ad eum locum, *Malo, labori.* Glossæ, Κακοπάθεια, *vexatio, labor.* Excerpta alius Glossarii, *Laboriosus*, κακοπαθής.

4. Οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις] Vult dicere, ut 1 Thess. 4. Φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν, καὶ τὰ ἴδια πράττειν. Pastor Hermæ 3. 4. *Abstine te à multis negotiis,* &c. *quicunque multa negotia agunt, multa delinquunt, quia constricti sunt circa negotia sua, & non serviunt Deo:* id est, οὐκ ἀρέσκουσι τῷ στρατολογήσαντι αὐτούς. Vide 1 Corinth. 7. 32, & 35. Οὐκ ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, est, *non emit, vendit, locat, contrahendisque negotiis implicatur,* ut in de Officiis Cicero locutus. Ambrosius 1. 36. opusculi eodem titulo insigniti, *Is qui Imperatori militat, à susceptionibus litium, actu forensium negotiorum, venditione mercium,* &c. *prohibetur.* In formula Comitivæ, &c. apud Cassiodorum 6. 22. *Causis* (de militibus agit) *non misceantur extraneis.* Vide lib. 13. §. 1. ff. de re milit. Artemidorus. ubi suprà, Ὁ στρατευόμενος ἐξ ἰδιωτικοῦ μεταβάλλει τὸν ἑαυτοῦ βίον· id est, ταῖς τῶν ἰδιωτῶν πραγματείαις οὐκ ἐμπλέκεται. Justinianus Novell. ρις'. Κατ' οὐδένα τρόπον συγχωροῦμεν τοὺς ἡμετέρους στρατιώτας ἔν τισι παντελῶς ἰδιωτικαῖς ὑπασχολεῖσθαι χρείαις. Citatus modò Cassiodorus 1. 17. *Hanc meritò Expeditionem Majores nominavere, quia mens devota præliis non debet aliis cogitationibus occupari:* nè nempe τῷ σώματι στρατευόμενός (τις) τῇ ψυχῇ ὀστρίζῃ, inquit Philo, de causis agens sub ipsa vetere Lege à militia excludentibus: ubi & addit, ἀνάγκη γὰρ τὴν αὐτοῦ διάνοιαν ἐκεῖ τετάσθαι πόθῳ τῆς ἀπολαύσεως ὧν ἀφειλκύσθη. Comparatione heic ductâ à seculari militiâ, re tantâ sedulitate obeundâ, menteque à rebus aliis tam liberâ & vacante, ostendit Apostolus quantò minùs deceat militiam tantò nobiliorem amplexum, ab aliis vitæ curis & nexibus avocari. In Canonibus Apostolorum dictis, Ἐπίσκοπος, &c. κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω. De Therapeutis Philo, Ἀρξάμενοι φιλοσοφεῖν, &c. πάσαις ἀποταξάμενοι ταῖς τοῦ βίου φροντίσι. Vide Luc. 14. 33. ubi & vox ἀποτάσσεται. Jamblichus in explicatione Symboli Pythagor. 1. Οὐδὲν δεῖ πρὸς τὴν θείαν ἐπιστήμην προσφέρειν τοιοῦτον οἷόν ἐστιν ἀνθρώπινον διανόημα, ἢ βιωτικῆς φροντίδος ἐχόμενον. Chrysostomus Homil. 7. in Joannem, Οὐκ ἔστιν ἄνθρωπον τῶν κατὰ τὸν παρόντα βίον ἀντεχόμενον πραγμάτων σφοδρῶς δυνηθῆναι ἐπιλαβέσθαι τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς γνησίως. In Passione D. Cypriani, *Veraciter perspiciens non posse perfectè in,* &c. *sapientia Dei philosophari terrenis cupiditatibus innixum,* ubi meliùs *innexum* (ἐμπλεκόμενον) scribas. Virgilius de Heleno.

——*Vittasque resolvit*
Sacrati capitis ——

Ubi Servius, *Bene cuncta corporis solvit, ut nè quâ parte animo religato ad Numen accedat.* Simplicius in cap. 74 Epicteti, Τὸν εἰς θεὸν ἑρμηνεύοντα οὐ χρὴ δίγνωμόν τι ἔχειν, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἀντεχόμενον. Sedulius ad 1 Cor. 6. *Qui spiritalibus additi sunt, terrenis non debent negotiis implicari.* Philo in De legg. special. Ὁ προσκεκληρωμένος θεῷ ὀφείλει πάντων ἀλλοτριοῦσθαι. Ità Seneca de bona mente loquens ad Lucilium suum, *Impedimenta omnia dimitte,* &c. *nemo ad illam venit occupatus.* Arrianus 3. 22. in Epictet. de vero Cynico, Τοσαύτης οὔσης καταστάσεως οἵα νῦν ἐστιν, ὡς ἐν παρατάξει, μήποτ' ἀπερίσπαστον εἶναι δεῖ (αὐτὸν) ὅλον πρὸς τῇ διακονίᾳ τοῦ θεοῦ, &c. οὐ προσδεδεμένον καθήκουσιν ἰδιωτικοῖς, οὐδ' ἐμπεπλεγμένον σχέσεσιν, &c. ubi & notabilis vox ἐμπλέκεσθαι. Adde quæ ad Matth. 6. 24. in hanc mentem ex eodem allata. Porphyrius περὶ ἀποχ. δ'. de Ægyptiorum sacerdotibus, Ἀπειπάμενοι πᾶσαν τὴν ἄλλην ἐργασίαν, καὶ πόρους ἀνθρωπίνους, ἀπέδωκαν ὅλον τὸν βίον τῇ τῶν θεῶν θεραπείᾳ, &c. Ἐμπλέκεσθαι ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, est quod Hippolytus Homil. περὶ συντελ. κόσμου, ἐν βιωτικοῖς πράγμασι δεσμεύεσθαι. Sic πράγμασιν ἐμπλέκεσθαι, Plutarchus, libro Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον; *implicare se negotiis*, Seneca cap. 16. ad Helviam, & Tiberius apud Suetonium dixere: *negotiis implicari*, Cicero in pro Ligario, & de Nat. D. item, ut suprà jam vidimus, in Officiorum libris. In Ejusdem Academicis est, *Officiis implicari.* Sic, *implicitam & negotiosam vitam*, Tertullianus 4. contra Marcionem: &, τοῖς τοῦ κόσμου μιάσμασιν ἐμπλέκεσθαι, 2 Pet. 2. 20.

Ibid. ἵνα ἀρέσῃ τῷ στρατολογήσαντι] Quod utique facere non poterit si aliis curis distrahatur. Plinius Epistolarum lib. 10. ad Trajanum scribens, *Ut primùm me, Domine, indulgentia vestra promovit ad Præfecturam ærarii Saturni, omnibus advocationibus,* &c. *renunciavi, ut toto animo delegato mihi officio vacarem.* Τῷ στρατολογήσαντι, est, τῷ αὐτὸν εἰς τὸ στρατόπεδον καταλέξαντι. Isidorus Orig. 9. 3. *Conscripti milites dicuntur, quia in tabulas conferuntur ab eo qui eos ducturus est.* Glossarium, Στρατολογία, *allectus, delectus.* Ἀρέσκειν τῷ στρατολογήσαντι heic, est quod Coloss. 1. 9. ἀξίως αὐτοῦ εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν περιπατῆσαι. In Epistola Ignatii dicta ad Polycarpum, Ἀρέσκετε ᾧ στρατεύετε. Philo in de Decalogo, Τῷ ταξιάρχῳ εὐαρεστοῦντας. Interpres vetus hoc loco, *cui se probavit*: quomodo etiam aut apud eum legit, aut ipse vertit; Joannes Cassianus Instit. 9. 3. Maluit insignissimus è nuperis Commentator, *qui se probavit* legi. Sanè *milites probare*, Vegetius 2. 21. & *tirones probare*, 2. 19. dixit: nec tamen malam putare communem lectionem me sinit Taciti hic locus de Agricola, *Castrorum prima rudimenta,* &c. *Suetonio Paulino, diligenti ac moderato Duci, approbavit.* Quibus adde quæ infrà ad com. 15. annotamus.

5. Ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ] Gregorius Nazianzenus Orat. in Pentecostem, Ἵνα μὴ ἀθλῆτε μόνον, ἀλλὰ καὶ νομίμως, ἐξ οὗ καὶ ὁ στέφανος. Vide Apulejum infrà ad cap. 4. com. 7, & 8. adductum. Aristides Orat. β'. de Pace, Ὁρᾶτε δὲ καὶ ἐν τοῖς στεφανίταις ἀγῶσι τοὺς ἔξω τῶν νομίμων τρόπων μαχομένους, ὅτι οὔτε αὐτοὺς ἐπαινοῦμεν, οὔτε, &c. ἀλλ' ἐμμένοντας τοῖς κειμένοις (id est, τοῖς κειμένοις νόμοις,) οὕτως, &c. κρατεῖν. Sic, τὸν ἔξω τοῦ κανόνος αὐτῷ δοθέντος τρέχοντα, διὰ τὸ ἄτακτον, ἄναθλον γίνεσθαι, dixit Justinus ad Zenam scribens. Habuit ut videmus, leges suas ἡ σωματικὴ γυμνασία· habet & suas illa quæ est πρὸς εὐσέβειαν, inter præcipuas quarum est ἡ κακοπάθεια, legitima Christi pugilum decertatio. Photius 201. Epistolâ, Οὐ δεῖ τρυφᾷν τὸν τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἐπιζητοῦντα, &c. οὐ δεῖ τὸν ἀθλητὴν ἡσυχάζειν, οὐδὲ τὸν ἀγωνιστὴν ὑπὸ σκιαῖς καὶ δένδρεσι καὶ παραδείσοις ἀνακεκλίσθαι καὶ ἀναπαύεσθαι, ἀλλ' ἐν μέσοις τοῖς ἀγῶσιν, ἐν αὐτοῖς τοῖς πειρασμοῖς δοκιμασθῆναι, &c. D. Augustinus in Psal. 60. *Nemo,* &c. *coronari potest nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit.* Primasius ad Philipp. 1. *Vult* (Deus) *suos probatos coronari.* Clemens Stromat. 4. de Christianis, Οὐκ ἀκονιτὶ στεφανούμενοι· Νομίμως ἀθλεῖν, ut Paulus, ita & Arrianus 3. 10. in Epictetum dixit. Sic & νομίμως πολεμεῖν, Plutarchus in Alexandri vita.

Ibid. οὐ στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλῇ] Sensus idem qui & Ejusdem in illis, Act. 14. 22. διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ εἰσελθεῖν εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν D. Ambrosius Offic. 1. 10. *Qui legitimo luctandi certamine coronam petunt, quotidiano usu palæstra durantes membra, nutrientes patientiam labori assuescunt.* P. Chrysologus Serm. 142. *Quis præter viam ad ullam pervenit mansionem?* Propertius,

Quis priùs infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit arte rota?

Arrianus 1. 24. in Epictetum. Ὀλυμπιονίκης δίχα ἱδρῶτος οὐ γίνεται. Plutarchus in De animi tranquillitate, Ἐν Ὀλυμπίᾳ οὐκ ἔστι νικᾶν τὸν ἀντιπάλους ἐκλεγόμενον.

6. Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν] Ordinem naturalem verborum istorum puto talem esse, τὸν γεωργὸν πρῶτον κοπιῶντα (i. e. κεκοπιακότα) δεῖ τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν· sententiam autem hujusmodi, Agricolam de fructibus percipere æquum est, at ità demum si priùs laboraverit. P. Chrysologus ubi suprà, *Quis ante ad fructum pervenit quam*

terræ laborem ſentiat, & ſudorem? quis antè poma carpit quàm plantæ ſuam tribuat & impendat induſtriam? Vox κοπιῶντα bene convenit laborioſæ hoc genus vitæ: hinc 7. 15. Sirachides de agricultura, ἐπίπονος ἐργασία.

> ——— *Redit agricolis labor actus in orbem*,

dixit maximus Poëtarum; &,

> ——— Οὐδέ ποτ' ἦμαρ
> Παύσονται καμάτου καὶ ὀϊζύος, οὐδ' ἔτι νύκτωρ
> Φθειρόμενοι, ———

ante illum Heſiodus.

7. *Νόει ἃ λέγω*] Marcus Antoninus 5. 6. Νοῦσιν ὃ λέγω, &c. Pindarus apud Gregorium Nazianzenum, Epiſt. ad Celeuſium, Σύνες ὅ, τι λέγω. Heſychius, Συνίημι ὃ Φής, νοῶ ὃ λέγεις. D. Hieronymus (niſi imitari, certè reſpicere, quàm vertere hunc locum maluit) legit, νοεῖς, & pòſt, δίδωκε· in quadam enim ad Paulinum Epiſtola ſic ſcribit, *Intelligis quid loquor; dedit enim tibi Dominus*, &c. & in Epiſt. ad Demetriadem, *Intelligis quod loquor.* Sic Lactantius cap. 5. de Opificio Dei, *Intelligis quid loquor.* D. Auguſtinus in Pſal. 83. *Dicimus, fratres, quod nóſtis:* & ad eundem Auguſtinum idem Hieronymus, *Scit quid dicam prudentia tua*, item alibi, *Scis quid taceam, & quid tacendo loquar:* quibus adde jam adducta ex M. Antonino, & Terentii illud, *Scis quid loquor?* ubi Donatus, *Legitur & ſic, Sed ſcis quid loquor.* Mihi tamen recepta lectio νόει videtur ſequenda. Intellige inquit) quod loquor. Sic ſæpiſſime in eoſdem Pſalmos idem Vir ſanctiſſimus Auguſtinus, *Intelligat charitas veſtra:* quod loquor, nempe; vel quod dicturus ſum. Idem in Pſal. 99. *Deus det mihi intelligere quod dicam, & vos intelligere quod auditis.* Heſychius (& fortaſſe ex hoc Apoſtoli loco,) Νόει, συλλογίζε, &c. In formula præfecti annonæ apud Caſſiodorum 6. 18. *Intuere quod loquimur.* Simile 1 Cor. 10. 5. κρίνατε ὅ φημι· & ibid 14. 37. ἐπιγινωσκέτω ἃ γράφω.

Ibid. *δῴη γάρ σοι σύνεσιν ὁ Κύριος*) Sic 1 Joh. 5. 10. δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, &c. Σύνεσιν heic intellige πνευματικήν· vide Coloſſ. 1. 9. In MS. ſummæ vetuſtatis qui in Anglia, δώσει legitur. Ego ſcripturam alteram meliorem puto. Scriptor Sapientiæ 7. 15. Ἐμοὶ δῴη ὁ θεὸς εἰπεῖν κατὰ γνώμην, &c. & in Epiſtola Barnabæ, Ὁ δὲ θεὸς, &c. δῴη ὑμῖν σοφίαν, ἐπιστήμην, σύνεσιν, &c. Apoſtolus noſter 15. 5. ad Romanos, Ὁ θεὸς δῴη ὑμῖν τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις. Idem 2 Theſſ. 3. 16. Ὁ Κύριος δῴη ὑμῖν τὴν εἰρήνην, &c. Adde & 1. 17. ad Epheſios. Tertullianus 1. ad Uxorem, *Tu ut ſolidum capere poſſis fidei commiſſum hoc admonitionis meæ, Deus faciat:* id eſt, δῴη σοι σύνεσιν. Cui non diſſimile in Ignatii dicta Epiſtola ad Polycarpum, Αὐτοῦ σύνεσιν πλείον ἧς ἔχεις. Illud γὰρ heic (ut infra com. 11. Act. 24. 5. & alibi,) abundare credo.

8. *Μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον*, &c.] Citatus ille Scholiaſtes in Florent. biblioth. Περὶ ἀναστάσεως κήρυττε. Nota & μνημόνευε. Heſychius, Σῶσιν ἔχε φρεσὶν, &c. μετὰ ψυχῆς ἔχε, καὶ διαμνημόνευε.

Ibid. *κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου*] Id eſt, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ὃ ἐγὼ ἐπιστεύθην, ut Galat. 2. 7. & 1 Tim. 1. 11. Eodem ſenſu 2 Theſſ. 3. 14. τῷ λόγῳ μου

9. *ἐν ᾧ κακοπαθῶ μέχρι δεσμῶν*] Id eſt, δι' ὃ, &c. Sic Coloſſ. 4. 4. τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ, δι' ὃ καὶ δέδεμαι· & Heb. 11. 36. μαστίγων πεῖραν ἔλαβον, ἔτι δὲ δεσμῶν· quæ exaggeranter dicta: eſt enim & mitior quædam φυλακὴ, quæ ἄδεσμος dicta. Vide Heſychium. Talis Act. 24. 23. illa, Κακοπαθῶ μέχρι δεσμῶν, locutio qualis Hebr. 12. 4. illa, μέχρις αἵματος ἀντικατέστητε.

Ibid. *κακοπαθῶ*, &c. *ὡς κακοῦργος*] Simile illud, ἀγωγὴν ἐπιβάλλων λαμβάνοντες, de Judæis abductis, in 3 Maccabaico.

Ibid. *ὡς κακοῦργος*] Patior quod homines facinoroſi ſolent, cùm non tantùm impunis deberem eſſe, ſed & laudari. Sic 2 Cor. 6. 8. de ſeipſo, ὡς πλάνοι, καὶ ἀληθεῖς. Adeò verè è Veteribus quidam dixit, (Apul. 7.) *Malos bonorum virorum famâ ſæpe gloriari, contrà innocentiſſimos noxiorum more puniri.* In Gloſſario, *Maleficus*, κακοῦργος. Heſychius, Κακοῦργος, δόλιος, κακὰ ἐργαζόμενος.

Ibid. *ἀλλ' ὁ λόγος τοῦ θεοῦ οὐ δέδεται*] Hecuba apud Euripidem,

> *Nos imbecilles forſan & captæ ſumus:*
> *At dii valentes.* ———

Unus è ſeptem fratribus ab Antiocho (2 Maccab. 7.) excarnificatis, Προσεχάλασαι ἡ γλῶττα, τέμνετε, οὐδὲ παρὰ τοῦτο τὸν λογισμὸν ἡμῶν γλωσσοτομήσεις· & Scriptor de bono Pudicitiæ in Cypriani Operibus, *Joſeph in imum carceris truditur, ſed ſola non eſt in carcere pudicitia.* Ὁ λόγος θεοῦ heic eſt, τὸ εὐαγγέλιον, ὑπὲρ οὗ καὶ ἐν ἁλύσει (ut Epheſ. 6. 20.) ἐπρέσβευε.

Ibid. *οὐ δέδεται*) Imo τρέχει, per me indignum operarium ejus, cui Deus non ſpiritum timoris, ſed virtutis dedit, 2 Tim. 1. 7. Euthymius ad Matth. 20. (ex Chryſoſtomo) de Joanne, *Euangelio totum orbem comprehendit, corpore verò mediam obtinuit Aſiam.* Chryſoſtomus idem Homil. 16. ad Antiochenos, de Apoſtolo noſtro, Ὁ διδάσκαλος ἐδέδετο, καὶ ὁ λόγος ἐπέτετο· ἐκεῖνος τὸ δεσμωτήριον ᾤκει, καὶ ἡ διδασκαλία πανταχόσε τῆς οἰκουμένης ἔτρεχε. D. Baſilius de Chriſti nomine capitivis, Κεκρατημένοι, ἀκράτητοι. Tertullianus lib. ad Martyres, *Habet* (carcer) *vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis*, Ignatius cauſam afferens cur Trallenſibus μυστικώτερα non ſcriberet, Φοβοῦμαι (inquit) μὴ νηπίοις οὖσιν ὑμῖν βλάβην παραθῶμαι, καὶ (συγγνωτέ μοι) μὴ οὐ δυνηθέντες χωρῆσαι τὴν ἐνέργειαν, στραγγαλωθῆτε. Addit deinde, καὶ γὰρ ἐγὼ οὐ καθότι δέδεμαι μὴ δύναμαι νοεῖν τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς ἀγγελικὰς τάξεις, &c. Ita enim ſcribendum putamus, pro eo quod in editis legitur, καὶ δύναμαι, &c. ſententiâ implicatâ, vel potiùs nullâ. Nos μὴ, exiguâ mutatione, pro καὶ ſubſtituendo, eruimus ſenſum, ſaltem loquendi modum, ſimilem Paulino. Scribere (inquit) potuimus vobis altiora, at nos retinuit reſpectus imbecillitatis veſtræ: neque enim quia in carcere detineor, eò minùs cœleſtia, angelorum ordines, &c. cognoſcere potis ſum & contemplari. Seneca de Animi tranquill. cap. 3. *Nec, ut leonem animaliumque impetus caveis coërcetur, ſic hominum.* Idem 3. 20. de Beneficiis, *Corpora obnoxia ſunt*, &c. *mens quidem ſui juris eſt; quæ adeò libera & vaga eſt, ut nè ab hoc quidem carcere* (carcerem carnis ſive corporis intelligit) *cui incluſa eſt teneri queat, quò minùs impetu ſuo utatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cœleſtibus eat*, quæ ultima idem planè ſonant quod Ignatii illa. Idem ad Helviam cap. 11. de animo ſapientis, *Non exſulare poteſt, liber, & diis cognatus*, &c. *nam cogitatio ejus circa omne cœlum, & in omne præteritum futurumque tempus immittitur; corpuſculum hoc atque illuc jactatur: in hoc ſupplicia, latrocinia, morbi exercentur; animus ſacer & æternus eſt, & cui non poſſit injici manus.* Cicero 3. de Finibus, &c. *Cujus etiamſi corpus conſtringatur, animo tamen vincula nulla injici poſſunt.*

10. *Πάντα ὑπομένω διὰ τοὺς ἐκλεκτούς*] Ignatius ad Polycarpum, Ἕνεκα θεοῦ πάντα ὑπομένειν ἡμᾶς δεῖ. In Gloſſis, Ὑπομένω, *tolero, fero, paſſo*, &c. *perpeſſo:* lege *patior, perpetior.* Διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς, ut electis Euangelium prædicem (vide Philip. 1. 24. ubi & δι' ὑμᾶς, & ibidem ἐπιμένειν ἐν σαρκὶ, quod quamdiu fecit, individuè comitabatur eum, ἐν σαρκὶ ὑπομένειν,) vel, διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς, in eorum exemplum, ut mala nempe & illi me imitantes perferant, nec ſpem abjiciant. Indè 2 Cor. 1. 6. illud, εἰ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως· ſupple θλιβόμεθα· & 1 Cor. 9. 23. τοῦτο δὲ ποιῶ διὰ τὸ εὐαγγέλιον· ubi & Theophylactus τὸ εὐαγγέλιον exponit per Euangelium ſervandos, quales hoc loco οἱ ἐκλεκτοί. Gregorius Nazianzenus Orat. de Patre ſuo, Κακοπαθοῦσιν οἱ ἅγιοι, εἴτε εἰς κάθαρσιν καὶ τῆς μικρᾶς ἰλύος, &c. εἴτε εἰς παίδευσιν τῶν ἀσθενεστέρων, ἐν ἐκείνοις μανθανόντων τὸ καρτερεῖν. Vide 2 Maccab. 6. 31. & quæ habes Suidas in Ἀντίοχος ὁ ἀυτομόλος. Seneca de viris bonis loquens, *Quare quædam dura patiuntur? ut alios etiam pati doceant, nati ſunt in exemplar*, (lib. Cur bon. viris, &c. cap. 6.) Idem cap. 24. Conſolat. ad Polybium, *Magni Duces*, &c. *adverſas res ad umbratâ lætitiâ abſcondunt, nè militum animi, ſi fractam Ducis ſui mentem viderint, & ipſi collabantur.* De Pompejo Lucanus,

> ——— *Nec deerat robur in enſes*
> *Ire Duci, juguloque pati vel pectore lethum:*
> *Sed timuit ſtrato nè miles corpore Magni*
> *Non fugeret* ———

Plutarchus de Nicia, Καταφανοῦς πᾶσιν ὄντος οὐ δι' ἑαυτὸν, οὐδὲ τῷ φιλοψυχεῖν, τοῖς πόνοις ἐμμένοντος, ἀλλὰ δι' ἐκείνους (milites ejus) τὴν ἐλπίδα μὴ προϊέμενον.

Ibid. *ἵνα καὶ αὐτοὶ σωτηρίας τύχωσι*] Ita idem 1 Cor. 9. 22. Τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα, ἵνα πάντως τινὰς σώσω. Imperator bonus magis de ſalute aliorum quàm de ſua ſolicitus eſt. Plutarchus (in Apophthegmatis Regum, &c.) de Pelopida, Τῆς γυναικὸς, ἐπὶ μάχην ἐξιόντος αὐτοῦ, δεομένης σώζειν ἑαυτὸν, ἄλλοις ἔφη δεῖν τοῦτο παραινεῖν· ἄρχοντι δὲ καὶ στρατηγῷ σώζειν τοὺς πολίτας. Σωτηρίας τυχεῖν autem dixit & Ariſtoteles in Problematis.

11. *Πιστὸς ὁ λόγος*] Is nempe quem adtexit. Vide ad 1 Tim. 3. 1. dicta.

Ibid. *εἰ γὰρ συναπεθάνομεν, καὶ συζήσομεν*] Τὸ συναποθανεῖν heic optimè exponas ex illis Philipp. 3. 10. γνῶναι τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ καὶ τῷ αὐτοῦ θανάτῳ συμμορφοῦσθαι. Ignatius, Apoſtoli noſtri ſenſu, at negativè, prolato, Ἐὰν

Ἐὰν μὴ αὐθαιρέτως ἔχωμεν τὸ ἀποθανεῖν εἰς τὸ αὐτοῦ πάθος, τὸ ζῆν αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν, Epist. ad Magnesios. Apostolus 2 Cor. 13. 4. Ἀσθενοῦμεν ἐν αὐτῷ, ἀλλὰ σὺν αὐτῷ ζησόμεθα· & ibidem, 4. 10. τὴν νέκρωσιν (αὐτοῦ) ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ (αὐτοῦ) ἐν τῷ ἡμῶν σώματι φανερωθῇ.

12. Εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν] Ὅπου αὐτός ἐστιν, (ut Joh. 14. 3.) καὶ ἡμεῖς ἐσόμεθα. Et hoc ex promisso Christi ipsius, Luc. 22. 28, 29. ubi & διαμένειν, & βασιλείαν habemus. Vide 2 Thess. 1. 5. & 3. 5. Philip. 3. 10. Jacob. 1. 12. 1 Pet. 4. 13. Apoc. 1. 9. & 3. 21. Polycarpus ad Philippenses, Ἐὰν ἀξίως αὐτοῦ πολιτευσώμεθα, (hujus autem non minima pars est quod heic ὑπομένειν dicitur) καὶ συμβασιλεύσομεν αὐτῷ. In Epistola Ignatii dicta ad Polycarpum eundem, Ἕνεκα θεοῦ πάντα ὑπομένειν ἡμᾶς δεῖ, ἵνα καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὑπομείνῃ εἰς τὴν βασιλείαν. Sidonius 9. 4. *Quisquis contempti mediatoris consequitur regnum, sequitur exemplum.* P. Chrysologus Serm. 40. ad Christi ea, OVES MEÆ SEQUUNTUR ME, *Necesse est ut quæ sunt ad mortem secutæ, sequantur ad vitam: quæ ad contumeliam comitatæ sunt, comitentur ad honorem.* Augustus Cæsar (apud Hegesippum 1. 34.) ad Herodem, *Quia nobiscum repudiatus es, nobiscum regna.* Euthymius ad Matth. 20. illud, POTESTIS? &c. BAPTISMO QUO EGO BAPTIZOR BAPTIZARI? *Subindicat quòd qui afflictionibus ejus non communicat neque regno ejus communicabit.* Vox συμβασιλεύειν etiam 1 Cor. 4. 8. occurrit. Ὑπομένομεν hîc subaudi τῇ θλίψει, ut pleniùs Rom. 12. 12. locutus. Pro ὑπομένομεν autem hoc loco malim συνυπομένομεν scribi: quo eodem sensu Rom. 8. 17. habemus συμπάσχεσθαι cum opposito suo συνδοξάζεσθαι· & Sirachidis 30. 10. συγγελάζειν & συνοδυνᾶσθαι· quin & supra heic συναποθνήσκεσθαι καὶ συζῆν habuimus.

Ibid. εἰ ἀρνούμεθα, κἀκεῖνος ἀρνήσεται ἡμᾶς] In die visitationis dicet nobis, οὐδέποτε ὑμᾶς ἔγνων. Euthymius ad Matth. 7. *Negat illos qui eum operibus negaverunt.* Vide Matth. 10. 33. & 1 Reg. 15. 23.

13. εἰ ἀπιστοῦμεν, ἐκεῖνος πιστὸς μένει] Sic 2 Thess. 3. 2. post οὐ πάντων ἡ πίστις, sequitur, πιστὸς δέ ἐστιν ὁ Κύριος, &c. ubi & κύριος est qui heic ἐκεῖνος· id est, Christus. Tale Rom. 3. 3. illud, Μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν τοῦ θεοῦ πίστιν καταργήσει; Sermo autem Pauli hoc loco defectivus est, subaudiendum enim, γινώσκομεν ὅτι ἐκεῖνος, &c. Vide similes locutiones Rom. 11. 18. 1 Cor. 9. 7. 1 Joh. 3. 20. & 5. 9. Πιστὸς μένει heic, ut de Eodem 1 Joh. 1. 9. πιστός ἐστι καὶ δίκαιος, & 1 Cor. 10. 13. πιστὸς ὁ θεός. Vide & Hebr. 10. 24. Philo in de Abele & Caïno, Τοῦ πιστευθῆναι χάριν ἀπιστούμενοι καταφεύγουσιν εἰς ὅρκον οἱ ἄνθρωποι, ὁ δὲ θεὸς καὶ λέγων πιστός ἐστι. Psalmista 145. 13. Πιστὸς Κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ. Pastor Hermæ 2. 3. *Deus verax est in omni verbo.* Πιστὸν autem in Contextu nostro, intellige non minùs in pœnis infligendis, quàm in præmiis distribuendis. D. Augustinus in Psal. 18. *Neque minatus, neque pollicitus Deus quenquam fallit: aut quisquam vel impius supplicium, vel pius præmium ejus potest eripere.*

Ibid. ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται] Οὐ δύναται heic est, ab eo alienissimum est, non cadit in naturam ejus: quo sensu & ea Joh. 5. 19. accipienda, Οὐ δύναται ὁ υἱὸς ἀφ' ἑαυτοῦ ποιεῖν οὐδέν· & Hebr. 6. 18. illud, itidem de Deo prolatum, ἀδύνατον αὐτὸν ψεύσασθαι. De cujusmodi locutionibus vide quæ fusè Jobius apud Photium. Jupiter apud Homerum,

—— Οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλόν.

Vide & Psal. 88. 35. Ἑαυτὸν heic expone, τὰ ἑαυτοῦ ῥήματα, vel τὴν ἑαυτοῦ χεῖρα. Deus promisso suo tanquam cautione se debitorem facit. P. Chrysologus Serm. 25. *Homo homini exigua chartula obligatione constringitur: Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? Sed dicis, esto quòd debeat: quo exigente restituet? Seipso, quia non potest ille mentiri,* (vide Numer. 23. 19. ubi & in Latino, *ut mentiatur.*) *Idem ipse est & executor & debitor.* Hyperides apud Julium Pollucem 2. 4. Οὔτε τὴν ἑαυτοῦ χεῖρα δυνατὸν ἀρνήσασθαι. In loco P. Chrysologi videtur non *executor*, sed *exactor* legendum. In Glossario, Ἀπαιτητὴς, *exactor.*

14. ταῦτα ὑπομίμνησκε] Supple αὐτοὺς, ut pleniùs Tit. 3. 1. loquitur.

Ibid. μὴ λογομαχεῖν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον] D. Ambrosius de Offic. 1. 22. *Absit pertinax in sermone contentio: quæstiones enim magis excitare inanes quàm utilitatis aliquid afferre solet.* Philo lib. De congressu erudit. quær. causâ, Ὥσπερ ἐν ἰατροῖς, ἡ λεγομένη λογοϊατρεία πολὺ τῆς τῶν καμνόντων ὠφελείας ἀποστατεῖ, &c. οὕτω καὶ ἐν φιλοσοφίᾳ λογοπῶλαί τε καὶ λογοθῆραί τινες, &c. εἰσὶν, τῶν ἀῤῥωστημάτων γέμοντα βίον θεραπεύειν οὔτε θέλοντες, οὐδὲ ἐπιτηδεύοντες. Quales illi medicinâ & philosophiâ, tales isti in rebus fidei. Plutarchus in Quæstion. Rom. de quibusdam Græciæ Sophistis, Τούτοις οἱ νέοι πολὺ πλεῖστον χρόνον ἐμμελετῶντες ἐπληροῦντο, καὶ δοξοσοφίας, καὶ λόγων ζήλου, σχολῆς καὶ διατριβὰς ἀπεργάζονται ἐν ἔργοις καὶ φιλοτιμίαν ἄγοντες, καλὸν δὲ καὶ χρήσιμον οὐδὲν ἐποίουν. Hinc & apud Themistium Orat. 14. σοφίσματα δυσμήχανα, &c. ὧν χαλεπὴ μὲν ἡ ξύνεσις, ἀχρεῖος δ' ἐπιστήμη· & Origenem 3. contra Celsum, τὰ ἄσεμνα τῆς κωμῳδίας, &c. ἃ μήτε τὸν λέγοντα ἐπιστρέφει, μήτε τὸν ἀκούοντα ὠφελεῖ. Vide ad 1 Tim. 1. 4. annotata. Seneca 49. Epist. *Si me nolueris per devia ducere, faciliùs ad id quò tendo perveniam. Veritatis enim* (ut ait Targicus ille) *simplex oratio est, ideo eam implicare non oportet; nec enim minùs quidquam convenit subdola ista calliditas animis magna conantibus.* Dicas ad argumentum Apostoli, Fidei simplex doctrina est, ideo eam implicare non oportet; nec enim minùs quidquam convenit quàm λογομαχία ista animis recta & salutaria sectantibus. Idem 82. Epistolâ ad quemvis minutulum disputatorem, *Acuta sunt ista quæ dicis*, &c. *at quædam inutilia* (q. d. εἰς οὐδὲν χρήσιμα) *ipsa subtilitas reddit.* Contrariâ sive ineptiæ, sive stultitiæ, isti laude Epist. 124. suum Lucilium ornat; *Omnia* (inquit) *ad aliquem profectum dirigis*, &c. *& tunc tantùm offenderis ubi summâ subtilitate nihil agitur*, i.e. ubi ἐκ λογομαχίας οὐδὲν χρήσιμον ἀναφαίνεται.

Ibid. εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων. Apud Athenæum lib. 13. ille, Τί ὄφελος τῶν τοσούτων ὀνομάτων, &c. ἐπιτρίψαι (malim ἐπιτρέψαι, *evertere*, ut heic καταστρέφειν) μᾶλλον ἢ σωφρονῆσαι τοὺς ἀκούοντας δυναμένων; Post χρήσιμον, supple ἀλλὰ, vel μόνον. Ità ferè Suidas in Σειρὴν, Τέλος ἔχει ἡδονῆς ἡ ᾠδὴ, ἄλλο μὲν οὐδὲν χρηστὸν, θάνατον δὲ μόνον· nec aliter heic Vulgatus, qui, *ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium.* Τοὺς ἀκούοντας καταστρέφειν, ex com. 18. hujus capitis exponere libet, τὴν αὐτῶν πίστιν ἀνατρέπειν. Sic *morum eversionem* Seneca Epist. 59. dixit. Usus est & *subvertendi* verbo formâ non multùm abludente Adelph. 1. 1. Terentius.

15. σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ θεῷ] Post δόκιμον supple στρατιώτην· quo sensu & illud Rom. 16. 10. τὸν δόκιμον, &c. exponendum putarim. Pollux 1. 11. in laudibus militum, ἐπίλεκτοι, δόκιμοι, &c. *Probabilem exhibere te* bene vertit Vulgatus Interpres. Symmachus in Epistolis, *Ità me Dii dominis probabilem præstent.* Seneca, (& de summo Numine, ut Paulus,) apud Lactantium 6. 24. *Hunc nos approbemus.* Idem de Diis loquens, Epist. 102. *Illis nos approbari, illis in futurum parari jubet.* Glossarium, Δόκιμος, *probus, probabilis:* fortasse rectiùs scribas, *probatus, probabilis.* Tertullianus in Apologetico, *Præsident probati quique seniores:* apud Apulejum lib. 10. ille, *Quod ad hoc ætatis sum vobis probatus, me vixisse gaudeo:* & in Floridis, *Nulli me probatiorem volo*, &c. i. e. δοκιμώτερον. Imò & in loco Rom. 16. 10. jam proximè adducto, non (ut vulgò) *probum*, sed *probatum* legendum, ex eodem Vulgato Interprete Rom. 14. 18. 1 Cor. 11. 19. 2 Corinth. 10. 18. & 13. 7. item 1. 12. Jacobi videtur constare. Notetur ultimo loco vis primæ vocis σπούδασον. Donat. ad 2. 1 Hecyræ, *Majoris operæ est studere quàm velle.*

Ibid. ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον] Σοφὸν (ut 1 Cor. 3. 10.) ἀρχιτέκτονα. Vide Philipp. 1. 10. ubi & οὐδὲν αἰσχυνθήσομαι. Scholiastes vetus in Bibliotheca Medicæa, plut. 4. num. 29. Ἀνεπαίσχυντον, παῤῥησιαζόμενον· Vulgat. *inconfusibilem:* hinc in Excerptis Glossarii, *Confusio, αἰσχύνη.* Ità & Sirachidis 42. 1. idem Vulgatus, *& eris sine confusione*, id est, ut hoc loco, *inconfusibilis.* Legit ergò, non ut nunc temporis codices, καὶ αἰσχυντηρὸς ἀληθινῶς, sed καὶ ἀνεπαίσχυντος ἀληθινῶς ἔσῃ; quæ & scriptura fortasse eo loco reponenda.

Ibid. ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας] Cui simile Galat. 2. 14. ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν· Ὀρθοτομοῦντα, est (ut 2 Cor. 4. 3.) μὴ τὸν λόγον δολοῦντα· unde ejusmodi operariis opponuntur 2 Cor. 11. 13. ἐργάται δόλιοι. Vulgatus *rectè tractantem* vertit: ex eo (ut frequentissimè) Glossarii Auctor, Ὀρθοτομῶ, *rectificatio, rectè tracto*; ubi pro *rectificatio* videtur *rectifico*, vel *rectifacio*, legendum. Expositores quidam, inter nuperos & eruditos istos haud postremi nominis, metaphoram hanc deductam putant à quibusdam modis ritubusque secandi sub Lege victimas. In Glossis lego quidem *Victimarius*, μοσχοτόμος· translationem tamen potiùs sumptam putem à marmorariis, sive lapicidis: quos & meliùs ἐργάτας vocaveris, quàm victimarios illos. Lucianus in de Somniis, Καὶ διδάσκου, παραλαβὼν λίθον, ἐργάτην ἀγαθὸν εἶναι. Quo loco etiam ἀγαθὸς ἐργάτης est ferè qualis Apostolo, ἐργάτης ἀνεπαίσχυντος· Respondet planè apud Nostrates, *a good workman:* quem quidem loquendi modum etsi ad multa artificiorum genera

applicamus;

applicamus; de nullis tamen eum frequentius nec magis propriè efferimus, quàm de artificibus iis qui lapides peritè aut secare aut committere noverunt. Apud Euripidem in ædificanda Troja Neptunus Apollinis *συνεργάτης*,

——— Λαΐνους πύργους πέριξ
Ὀρθοῖς ἔτεμνε κανόσιν. ———

Apulejus eandem figuram ad orationis structuram traduxit, *Non* (inquit) *è monte meo afferam lapidem directim cæsum*, &c. i. e. ὀρθότετμημένον. Quò pertinet & Glossarii illud, *Directum*, κατὰ κανόνα ὀρθωθέν. Metaphorâ ab arte fabrica desumptâ videtur & Apostolus usus, ubi ad Corinthios scribens, Οὐ τὸ ἔργον μου (inquit) ὑμεῖς ἐστε; quo loco ἔργον, (ut apud Latinos *opus*) substructio, ædificatio. Cicero ad Tironem, *Fac opus appareat.*

16. τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας περιΐστασο] Poscit, προκόψουσιν, quod sequitur, & illud, καὶ ὁ λόγος αὐτῶν, intelligamus heic constructionem quam vocant πρὸς τὸ σημαινόμενον vel, τὰς βεβήλους κενοφωνίας metonymicè, τοὺς β΄. κενοφώνους. Περιΐστασο, *devita*, ut & heic Vulgatus. Seneca (jam statim adducendus,) *Horum sermo vitandus est.* Affine 1 Tim. 6. 4. illud, Ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων. Glossæ MSS. ad hunc Pauli locum, in Florent. Biblioth. Περιΐστασο εἰς τὸ παῦσαι καὶ κωλῦσαι, ἢ ἀντὶ τοῦ παραιτοῦ.

Ibid. ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας] Sic, ἐπὶ πλεῖον κακίας προβαίνειν, lib. 1. Diodorus Siculus dixit: &, πρὸς ἀναίδειαν προκόπτειν, Constit. 47. Leo Imperator.

17. Καὶ ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει] Hermas 3. 9. *Sicut mortiferum est hominibus serpentium venenum, ita & verba talium homines inficiunt & perdunt.* Glossarium, Γάγγραινα, *cancer.* Hesychius, Γάγγραινα, Φαγέδαινα· οἱ δὲ καρκίνους πολυδιάχυτον ἐν τῷ σώματι. Habent discrimen tamen *cancer* & *gangrana.* Ad sensum loci istius Valer. Maximus, *Nullum vitium finitur ubi oritur:* & Seneca Natur. quæst. 3. 29. *In morbum transeunt sana & ulceri vicina consentiunt.* Juvenalis,

——— *Dedit hanc contagio labem,*
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit & porrigine porci.

Plinius junior de Christiana religione, *Non civitates tantùm, sed & vicos etiam atque agros istius contagio pervagata est.* Νομὴν ἔχειν heic non aliud mihi videtur quàm simpliciter νέμειν, ut 1 Tim. 6. 16. ἀθανασίαν ἔχειν ad quem locum annotata vide. Νέμειν autem, est quod Act. 4. 17. argumento non dissimili, ἐπὶ πλεῖον διανέμεσθαι, & Hebr. 12. 15. (metaphorâ à re hortensi desumptâ) πολλαπλασιάζειν. Optimè autem *serpit* vertebat vetus Interpres. Hieronymus ad Demetriadem, *Hæc impia & scelerata doctrina*, &c. *serpit in paucis, ut perveniat ad plurimos.* Idem in Epistolam ad Galatas, *Doctrina perversa ab uno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio auditores reperit:* (meliùs *primo in exordio* leges: sic *prima exordia* Virgilius) *sed paulatim cancer serpit in corpore.* Seneca de Tranquill. animi cap. 7. *Serpunt vitia, in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent:* ubi *vitia* intellige non mentis tantùm, sed & sermonis maleque sanæ doctrinæ. Idem Epist. 123. *Sunt quidam qui vitia gestant; horum sermo multùm nocet: nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit:* & paulò antè, *Horum omnium sermo vitandus est; hi sunt qui vitia tradunt, & alio aliunde transferunt.* Quod ait, *semina in animo relinquit*, est ferè quod heic Paulo, νομὴν ἔχειν· à qua mente & Plutarchus (lib. De discrim. adul. & amici) adulatorum fictas laudes γαγγραίνας καὶ καρκινώματα vocavit; quòd nempe semina quædam in animo relinquunt quæ eum corrumpunt depascuntque.

18. περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν] Sic 1 Tim. 6. 5. τῆς ἀληθείας ἀποστερεῖσθαι. Vulgatus, *à veritate exciderunt.* Irenæus 4. 43. & de Hæreticis loquens. *Omnes hi decidunt à veritate.*

Ibid. λέγοντες ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι] Est quædam ἀνάστασις morum, cùm prioris malæ vitæ mutatio insequitur; de qua ad Luc 15. 24 annotata vide: non aliam isti resurrectionem volebant agnoscere, cùm tamen sub spe ἀναστάσεως quæ post mortem illa altera ἀνάστασις fiebat, ejusque vel maximè intuitu ad effectum perducatur.

Ibid. καὶ ἀνατρέπουσι τήν τινων πίστιν] Simile Act. 15. 24 ψυχὰς ἀνασκευάζειν. Ἀνατρέπουσι, *subvertunt*, ut Vulgat. (Hesychius, Ἀνατρέπειν, ἀναστρέφειν,) vel *labefactant.* Glossarium, *Labefactat*, ἀνατρέπει, σαλεύει. Similitudo fortasse sumpta est à machinis bellicis, quæ malè munitorum fundamenta ἀνατρέπειν dicuntur: unde commate sequente opponitur στερεὸς θεμέλιος. Sic Tit. 1. 11. οἴκους ἀνατρέπειν id est, ut hoc loco, τὴν αὐτῶν πίστιν & apud Plutarchum in De sera Numinis vindicta, τὴν ψυχήν τινος ἀνατρέπειν. Τινῶν heic, ex Rom. 16. 18. τῶν ἀκάκων expone. Scholiastes ad hæc Pauli verba (in Biblioth. Florent.) Τινῶν, τῶν ἀφελεστέρων, τῶν ἀσθενεστέρων.

19. Ὁ μέντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ θεοῦ ἕστηκε] Sensum satis commodum habet hic verborum positus: nec malè tamen acceperis quasi hoc ordine collocata, Ὁ μέντοι θεμέλιος τοῦ θεοῦ στερεὸς ἕστηκεν. Tale 1 Pet. 1. 25. ex Esaia illud, Τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ μένει, &c. ubi ῥῆμα decretum Dei, ut hic, θεμέλιος. In Glossario, Στερεὸς, *validus, solidus, firmus.*

Ibid. Ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ] Οἶδεν (ut Joh. 13. 18.) οὓς ἐξελέξατο. Idem Ibidem 10. 14. τὰ ἐμὰ (πρόβατα) γινώσκω. De Deo Psal. 1. 7. Γινώσκει ὁδὸν δικαίων· & Psal. 36. 18. Γινώσκει τὰς ὁδοὺς τῶν ἀμώμων· Nahumi 1. 17. Γινώσκει τοὺς εὐλαβουμένους αὐτόν· Proverb. 4. 27. Ὁδοὺς τὰς ἐκ τῶν δεξιῶν οἶδε Moses Numer. 16. 5. *Manè notum faciet Dominus qui ad se pertinent:* Pastor Hermæ 3. 8. *Cognoscit omnes eos qui non servaverunt Legem:* Nazarius Panegyrico, *Spectat nos ex alto rerum arbiter Deus*, &c. *nec fieri potest, ut cùm spiritum quem ducimus, cùm tot commoda quibus alimur, Divinum nobis numen impertiat, terrarum se curis abdicaverit; nec inter eorum vitas dijudicet, quorum utilitates gubernat.* Τοὺς ὄντας αὐτοῦ, ut Rom. 8. 9. οὐκ ἔστιν αὐτοῦ, & 1 Cor. 15. 23. οἱ τοῦ Χριστοῦ. Sunt autem hic οἱ ὄντες αὐτοῦ, ii qui bene serviunt ei. D. Augustinus in Psalm. 100. citans Christi (qui hic Κύριος) ea, NON NOVI VOS, *In regula mea vos non agnovi.* Hoc vult Apostolus, Nemo nudo illius nominis obtentu speret illum decipi aut palpari posse: reiculas oves, etsi inter greges Christianorum latentes, novit optimè ἀρχιποίμην ille. Vide Joh. 10. 26.

Ibid. καὶ ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου] Sirachides 35. 5. Εὐδοκία Κυρίου ἀποστῆναι ἀπὸ πονηρίας. Simile 1 Pet. 1. 17. Unde & quod ibi πατέρα ἐπικαλεῖσθαι, &c. hoc loco, ὀνομάζειν τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου. Homeri est,

Οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.

Ibid. ἐν μεγάλῃ οἰκίᾳ, &c.] Sic, *magnas divitis domini ædes*, apud Virgilium: &, *exire ex magnis* (suis) *ædibus*, apud Lucretium.

Ibid. ἐν μεγάλῃ οἰκίᾳ οὐκ ἔστι μόνον σκεύη χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, ἀλλὰ καὶ, &c.] Pollux Onomastici 1. 44. φαίης δ' ἂν καὶ χρυσώματα, καὶ ἀργυρώματα, καὶ χαλκώματα ἐν μέρει τῶν σκευῶν. Σκεύη apud Apostolum sunt *homines*, qui quidem in mundo isto (pulcerrimâ Dei domo) versantur. Cyprianus contra Demetrianum, *Intra unam domum* (domum mundi hujus intelligit) *boni malique continemur.* Cicero in Paradoxis, *In magna familia sunt alii lautiores*, &c. *servi.*

Ibid. σκεύη, &c. ἀργυρᾶ] Glossarium, Ἀργυροῦν σκεῦος, *argentum factum.* Χρυσᾶ autem, καὶ ἀργυρᾶ magis Atticè quàm χρύσεα & ἀργύρεα dici, docet & Phrynichus.

Ibid. ὀστράκινα] Sic 2 Cor. 4. 7. ὀστράκινα σκεύη. Glossarium, *Fictile*, ὀστράκινον.

Ibid. καὶ ἃ μὲν εἰς τιμὴν, ἃ δὲ εἰς ἀτιμίαν] Τὰ τῶν καθαρῶν ἔργων δοῦλα σκεύη, τά τε ἐναντία, vocat 14. 7. Sapientiæ Scriptor. Synesius in Epistolis, Οὕτω καὶ σκεῦος, τὸ μὲν ἄτιμον, τὸ δὲ τίμιόν ἐστι, καὶ νομίζεται. Σκεύη ἐλέους & σκεύη εἰς ἀπώλειαν κατηρτισμένα, Apostolus Rom. 9. 22. dixit.

21. ἐὰν οὖν τις ἐκκαθάρῃ ἑαυτὸν ἀπὸ τούτων, ἔσται σκεῦος εἰς τιμὴν] Irenæus 4. 76. *Si opera Dei es, manum artificis tui exspecta, præsta ei cor tuum molle & tractabile: custodi figuram quâ te figuravit artifex, habens in temetipso humorem, ne induratus amittas vestigia digitorum ejus. Custodiens autem compaginationem, ascendes ad perfectum; ab artificio enim Dei absconditur quod in te est lutum*, &c. *manus ejus linies te ab intus & à foris auro puro & argento.* Voluit dicere, eris σκεῦος χρυσοῦν, ἀργυροῦν, σκεῦος εἰς τιμὴν, ut hoc loco Paulus loquitur. Non dissimile Esaiæ illud 52. 11. Ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε, κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς. Si ἐκκαθαίρειν ἑαυτὸν exposuerimus καθαρὸν ἑαυτὸν τηρεῖν, id est, non denuo te mundaverit, sed mundum intactumque servaverit, sententia non dissimilis erit Ignatianæ illi in Epist. ad Ephes. Ἔγνων παροδεύσαντάς τινας ἐκεῖθεν, ἔχοντας κακὴν διδαχὴν, οὓς οὐκ εἰάσατε σπεῖραι εἰς ὑμᾶς (q. d. ἀφ' ὧν καθαροὺς ἑαυτοὺς ἐτηρήσατε, &c.) ὡς ὄντες λίθοι, &c. ἡτοιμασμένοι εἰς οἰκοδομὴν θεοῦ πατρός· quomodo & apud Apostolum sequitur, εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένον. Qui hujusmodi expositionem non approbat, poterit illa, ἐάν τις, hunc in modum accipere; si quis eorum quorum fides jam inquinata (id est, labefactata) est, (dixerat enim suprà 17. ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει,) se iterum mundum reddiderit, ἀπὸ τούτων, ἀνθρώπων scilicet, de quibus com. 18. id est, ut com. 16. ab eorum βεβήλοις κενοφωνίαις, quod, (locutione 1 Cor. 5. 7. huic loco aptatâ) τὴν παλαιὰν ζύμην ἐκκαθαίρειν. Qui interpungendum post ἑαυτὸν putant, hoc sensu; qui perfecerit ut purus sit, is jam de cætero erit vas ad honorem separatus, videntur

falli:

falli: quis enim veterum Græcorum *ἀπὸ τούτων*, & non potiùs *ἐκ τούτου*, vel *ἀπὸ τότε* posuit? Adde quòd & interpungendi ratio post *τούτων* firmatur loco 2 Cor. 7. 1. *καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ*, &c. & 1 Joh. 1. 7. illo, *καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ π. ἁμαρτίας*: quibus adde & Simplicium, qui *ἑαυτὸν ἀπὸ τῶν ἀλόγων παθῶν καθαίρειν*, ad cap. 37. Epicteti dixit.

Ibid. *σκεῦος εἰς τιμὴν*] *Σκεῦος ἐκλογῆς*, ut Act. 9. 15. quâ metaphorâ usi & Græci Scriptores. Apud Suidam quis in *Σκεῦος*, de Damocle quodam, *Ἦν σκεῦος εὐφυὲς, πολλὰς ἔχων ἀφορμὰς εἰς πραγμάτων οἰκονομίαν.*

Ibid. *εὔχρηστον τῷ δεσπότῃ*] *Σκεῦος ἐν ᾧ οὐκ ἔστι χρήσιμον, ἐφ' ᾧ καυχήσεται ὁ κεκτημένος*, ut com. 58. in Epist. Jeremiæ dicta: id est, *σκεῦος εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς χρήσιμον*, ut 13. 11. apud Sapientiæ Scriptorem. Pastor Hermæ 2. 5. *Si in mel non mittatur absynthium, dulce erit, & in usu Domino suo.* Hesychius ex Philem. com. 11. vel hoc Apostoli loco, *Εὔχρηστον, χρήσιμον*. Vulgatus bene, *utile*: hinc in Glossarii Excerptis, *Utilitas, χρηστότης*.

Ibid. *εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένον*] Sic, *ἄγγος* (quod heic *σκεῦος*) *πάγχρηστον* Aristophanes in Acharnensibus dixit: &, Se natum *καλὸν*, &c. *καὶ εἰς ἅπαν ἔργον χρήσιμον*, in Pluto. Antigonus apud Plutarchum de Arato, *Ἀποδέχομαι τὸ μειράκιον, ἐγνωκὼς εἰς ἅπαντα χρῆσθαι.* Ità & *jumentum ad omnes usus quaetum*, Milesiarum Scriptor: & è converso, *ἀνδράποδον*, &c. *πρὸς πᾶσαν πραγματείαν ἄχρηστον*, Plutarchus in De liber. educ. Scholiastes vetus in Medic. biblioth. ad hæc Pauli, *εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν*, *Πρὸς διωγμοὺς, πρὸς λύπας, καὶ πρὸς μαρτυρίαν.* De *σκεύει* aptè autem Apostolus *ἡτοιμασμένον* dixit: hinc *σκευάσθαι, ἑτοιμάζεσθαι* (in *Σκεῦος*) apud Hesychium.

22. *Τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε*] In Glossis, *Juvenile, νεωτερικόν*. *Νεωτερικὰς ἐπιθυμίας* nonnulli heic gloriolas exponunt, quibus qui inserviunt *νεανιεύεσθαι* Græcis dicuntur. Hæc expositio si vera, simillima erit sententiæ loci istius admonitio Ciceronis illa, *Tu quæ speciem habent gloriæ, collecta ex inanibus splendoris insignibus, contemne: brevia, caduca & fugacia existima:* (Tuscul. 3.) & hæc Philonis Judæi lib. Resip. Noe, *Μὴ καθάπερ οἱ ἄφρονες τῇ τῶν τυχηρῶν λαμπρότητι περιαυγαζόμενος, ἀπάτης καὶ ψευδοῦς δόξης ἀναπίμπλασο.* Citatus modò Scholiastes generaliter illicitas quasvis voluptates & desideria intellexit: quo ferè sensu 3. 33. Jul. Firmicus, *Antistites Deorum* (antistes autem Dei veri Timotheus,) *à pravis voluptatum illecebris decet alienos esse.* Ego heic simpliciter intelligi malim cupiditates eas quæ juvenili ætati, in qua constitutus adhuc erat Timotheus, incidere solent: cujusmodi *νεανικὰς ἡδονὰς* Maximus Tyrius Dissert. 31. vocat: *τὰ νέων ζηλώματα*, apud Suidam vetus Epigrammatista: Tacitus Histor. 1. *adolescentiæ cupiditates:* & Cicero pro Cælio, *inanes adolescentis voluptates.* Idem in de Senectute, *Sunt pueritiæ certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? sunt & adolescentes: num ea jam constans requirit ætas?* &c. In his autem studiis sive cupiditatibus habet locum inanis gloriæ sectatio. Juveni autem sapienter, utque rerum peritus, hoc monitum dat Apostolus. *Voluptate & deliciis juventutem facilè intercipi* dixit Cicero in Vatinium: *ῥᾷστα τὰς τῶν νέων ψυχὰς εἰς ἡδονὰς ἐξολισθαίνειν*, lib. 1. Herodianus: &, *juvenilem ætatem mundi cupiditatibus obnoxiam esse*, Ambrosius 3. de Virginibus. *Νεανικὴν ἐπιθυμίαν* autem dixit & 7. 8. Andronicus Rhodius: opposuitque *τῇ μετρίᾳ ἐπιθυμίᾳ*, fortasse quia juvenes quæ volunt, immoderatè appetunt.

Ibid. *δίωκε δὲ δικαιοσύνην, πίστιν*, &c.] Dicæarchus in *Ἑλλάδος βίῳ* de Tanagrensibus, *Δικαιοσύνην, πίστιν*, &c. *ἀγαθοὶ διαφυλάξεσθαι.* *Διώκειν δικαιοσύνην* heic, ut 1 Tim. 6. 11. ubi dicta vide. *Φεύγειν καὶ διώκειν* hoc loco opponuntur, ut Rom. 12.9. *ἀποστυγεῖν καὶ κολλᾶσθαι.*

Ibid. *ἀγάπην, εἰρήνην, μετὰ τῶν ἐπικαλουμένων τὸν Κύριον ἐκ καθαρᾶς καρδίας*] In MS. nobilissimo illo qui in Britannia mea, legitur *μετὰ πάντων ἀγαπώντων τὸν Κύριον*, &c. In quibus illa *μετὰ πάντων* amplector ob locum 1 Cor. 1. 2. *σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου* & illum Roman. 12. 18. *εἰρηνεύεσθε μετὰ πάντων.* Illud *ἀγαπώντων* rejicio, ob locum ex 1 Cor. jam adductum: & illum 1 Pet. 1. 17. ubi & *ἐπικαλεῖσθαι.* *Τὸ μετὰ* heic non similitudinis nota est, sed aggregationis. Sic, *σὺν πᾶσι*, jam citato ad Corinthios loco. Postrema illa, *ἐκ καθαρᾶς καρδίας*, retulerim, non ad *τὸ ἐπικαλουμένων*, &c. sed ad illa, *δίωκε*, &c. *ἀγάπην.* Ità 1 Timoth. 1. 5. *ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας.* & 1 Petr. 1. 22. *καθαρᾶς καρδίας ἀγαπᾷν.*

23. *μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ*] Multi jam tum erant qui (ut de Juliano lib. 21. Ammianus Marcellinus narrat) *in scrutanda religione perplexius quàm componenda gravius dissidia excitabant, eaque progressa alebant verborum concertationibus.* Contra tales Timotheum Paulus hoc præcepto munit. *Ἀπαίδευτοι ζητήσεις* sunt, quales Seneca Epist. 45. *verborum cavillationes & disputationes acumen irritum exercentes*, vocat. Idem de Brevit. vitæ, cap. 13. *Alia deinceps hujus nota, quæ sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant, sive proferas, non doctior videbere, sed molestior.* Apud Apostolum autem pro materia subjecta, intellige quæstiones in rebus fidei. Vide ad 1 Tim. 1. 4. dicta, ubi & vox *ζητήσεις*. Rectè sapientissimus Regum, Ecclesiastæ 7. 30. *Fecit Deus hominem rectum* (i. e. simplicem,) *& ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* *Μωρῶν ζητήσεων* in historia vera, historia mythica, Grammatica, &c. congeriem satis amplam videre est apud Senecam jam citato loco, & A Gellium 4. 16. *Ἀπαιδεύτους* commodè Vulgatus *sine disciplina* vertit; hujusmodi quæstiones enim nihil ad *παιδείαν* (id est, *disciplinam*) fidei rectæ morumve conferebant.

Ibid. *γεννῶσι μάχας*] Id est, *rixas, jurgia*; vel, (ut bene hic, & Jacob. 4. 1. Vulgatus,) *lites.* Sic, *ad litem* [i. e. ad rixam) *evocare*, Seneca 3. 10. de Ira. dixit: &, *lites atque jurgia* Apulejus conjunxit; quomodo & ad Titum 3. 9. Apostolus noster, *ἔρεις καὶ μάχας.* Philo in De congressu erudit. quær. causâ, *Περὶ σμικρὰ σοφίσματα*, &c. *γλισχρολογούμενοι* & statim, *γνωσιμαχοῦντες, καὶ συμμαχοῦντες.* Repete quæ paulò superiùs ex Ammiano adducta. Gellius 14. 5. de duobus Grammaticis, *Clamantes compugnantesque* (*μαχομένους*) *eos reliqui.*

24. *ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας*]

——— *Facile omnes perferre ac pati.*

Quod 1 Corinth. 5. 14. *πρὸς πάντας μακροθυμεῖν.* *Episcopi professionem* (id est, *ἐπαγγελίαν*) *nil nisi justum & bene* (quod heic *ἤπιον*) *suadere*, dixit & lib. 22. Ammianus Marcellinus.

Ibid. *ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας*] Macrobius Saturnal. 1. 7. de Prætextato, *Erat in omnes placidus ac mitis.*

Ibid. *ἀνεξίκακον*] *Quædam* (enim) *nomina bona lentus ac sapiens debitor facit, qui sustinet, ac morâ fovet*, Seneca. Hierocles de amicis loquens. *Πρὸς τὴν ἀρίστην αὐτῶν τήρησιν*, &c. *καὶ τὴν ἐκ μεταμελείας αὐτῶν ἐπανάκλησιν πλεῖστα συμβάλλεται τὸ ἡμέτερον ἀνεξίκακον.* Arrianus 3. 22. de vero Cynico, *Τὸ ἀνεκτικὸν* (id est, *τὸ ἀνεξίκακον*) *τοσοῦτον ἔχειν δεῖ, ὥστε αὐτὸν ἀναίσθητον δοκεῖν τοῖς πολλοῖς, καὶ λίθον.*

25. *ἐν πρᾳότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους*] Vulgat. *cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.* *Corripientem*, id est, castigantem, nempe verbis. *Corripies nimirum & castigabis*, ——— Juvenalis dixit. *Τὸ veritati* puto è Contextu ejiciendum; nam nec facilè de suo solet addere Vulgatus Interpres, &, *pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, jam statim habebimus.

Ibid. *ἐν πρᾳότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους.*]

——— *Fructusque feros mollire colendo.*

Servius ad Georg. 2. *Docet posse industriâ etiam loca asperrima ad fertilitatem perduci.* Varro de R.R. 1. 4. *Salubritas quæ ducitur è cælo ac terra non est in nostra potestate, sed in Natura: ut tamen multum sit in nobis: quòd graviora quæ sunt, ea diligentiâ leviora facere possimus.* Seneca 3. 27. de Ira, *Mansuetè immansueta tractanda sunt.* Idem de Clementia 2. 7. *Sapiens agricolas bonos imitabitur qui non tantùm rectas procerasque arbores colunt, sed illis quoque quas aliqua depravavit causa adminicula quibus regantur applicant.* Ignatius ad Polycarpum, *Καλοὺς μαθητὰς ἐὰν φιλῇς, χάρις σοι οὐκ ἔστιν, μᾶλλον τοὺς λοιμοτέρους ἐν πρᾳότητι ὑπότασσε.* Et hoc est quod *ἐν πνεύματι πρᾳότητος καταρτίζειν*, Gal. 6. 1. dicitur. Hierocles, *Δυναμένους δὲ ἀνατρέπειν τὰ ψευδῆ, μήτε σφοδρῶς, μήτε ὑβριστικῶς τοῦτο ποιεῖν, ἀλλὰ σὺν πρᾳότητι τὴν ἀλήθειαν διώκειν* ubi mihi legendum videtur, *τὴν ἀλήθειαν δεικνύειν.* En locum hunc (ejusdemque sententiæ) è Marco Antonino 10. 4. *Καὶ εἰ μὲν σφάλλεται, διδάσκειν εὐμενῶς, καὶ τὸ παρορώμενον δεικνύειν.* Arrianus 2. 22. ait virum bonum prudentemque, *τῶν ἀνομοίων* (quales hic *οἱ ἀντιδιατιθέμενοι*) *ἀνεκτικὸν εἶναι*, (i. e. ut hic Apostolus, *ἀνεξίκακον*,) *πρᾶον πρὸς αὐτοὺς, ἥμερον*, &c. Imò doctoribus doctrinâ ipsâ mansuetudo non minùs necessaria: duci enim, non trahi vult humanæ naturæ morositas. Euthymius ad Joh. 3. Epist. illud, TESTIMONIUM NOSTRUM NON RECIPIT, *Hoc non indignè ferens dixit, sed leniter quod fiebat enarrans*, &c. *& quasi protestans; ac docens nos, ne cùm contra aliquos disputamus, indignè ne feramus, clamemus, aut exasperemur, si non persuadeamus*, &c. *Patienter enim respondere, est, conari ut quod dixeris credibile facias.*

Ibid. *μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ θεὸς μετάνοιαν*] Id est, exspectando (in verbo *μήποτε* enim, ut & in Græco Genes. 3. 22. & Rom. 11. 24. in *μήπως* est elleipsis,) an illis Deus pœnitentiam lar-

giatur. Seneca 7. 30. de Beneficiis, *Ut corporum, ità animorum vitia molliter tractanda sunt. Sæpe quod explicavit mora*, (quæ Paulo πρᾳότης, μακροθυμία) *pertinaciâ trahentis abruptum est.* Idem Epist. 50. *Sed nec indurata despero: nihil est quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura.* Et Epist. 29. *Sapientia*, &c. *eligat profecturos, abhis quos desperavit recedat: non tamen citò relinquat, sed in ipsa desperatione extrema remedia tentet.* Vide Luc. 13. 8. Ignatius ad Ephesios, Καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων δὲ ἀνθρώπων ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε (ἔςι γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐλπὶς μετανοίας) ἵνα θεοῦ τυχῶσι. Cyprianus Epist. 2. *Quos quidem separatos à nobis non derelinquimus, sed ipsos cohortati sumus, & cohortamur, agere pœnitentiam, si quomodo poterint recipere ab eo qui potest præstare.* Tacitus Annal. 5. *Differebat, brevibus momentis summa verti posse, dandumque intervallum pœnitentiæ senis.* Vulgatus heic, *Nequando*, &c. Ità in Glossario, Μήποτε, *nequando, nè forte*, &c. Et in vetere Onomastico, *Nequando*, μήποτε.

26. καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος]

Et Satanæ laqueis expediant caput.

Quod ἀνανήφεσθαι ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν ἐν τῷ κόσμῳ, Polycarpus ad Philippenses vocat. Καὶ ἀνανήψωσιν heic mihi sonat, εἰς τὸ ἀνανήφειν· ut mens loci sit, μήποτε δῴη αὐτοῖς ὁ θεὸς μετάνοιαν εἰς τὸ ἀνανήφειν ἐκ τῆς, &c. Sic planè Actor. 11. 18. τοῖς ἔθνεσι μετάνοιαν εἰς ζωὴν διδόναι. Vulgatus benè, ἀνανήψωσι, *resipiscant* vertit: ità in Glossario, *Resipisco*, ἀνανήφω. Lactantius lib. 6. cap. 24. *Resipiscit, quasi suam mentem ab insania receperit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad melius vivendum*: quæ (tacito Lactantii nomine) transcripsit more suo Isidorus Orig. lib. 10. Addit ibidem Lactantiùs. *Cùm id ipsum maximè caveat nè rursus in eosdem laqueos inducatur*: quæ ultima respondent Apostolicis, ἐκ τῆς παγίδος. Plutarchus in Camillo, Ὀλίγοι μὲν ἀνανήψαντες ἐν τῷ Φόβῳ, &c. Ubi fortè ἀνανήψαντες ἐκ τοῦ Φόβου legendum, ut hoc Apostoli loco, ἐκ τῆς παγίδος ἀνανήφειν. Puto commodè etiam verti posse, *expediant se.* Horat.

Non mortis laqueis expedies caput.

Terentius, & de mente depravata, ut hic Apostolus,

———*Vix me illinc abstraxi,*

Atque impeditum in ea expedivi animum meum.

Expedivi, quasi è laqueo nempè: in fabula Hecyra.

Ibid. ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα] Longum est si velim enumerare quanta & qualia ab Expositoribus allata sunt ad veram paucorum verborum istorum sententiam enodandam. Ego nec recitans, nec damnans eorum conjecturas, propono an legendum ἐζωγρημένοι ἀπ' αὐτοῦ, (non ὑπ' αὐτοῦ) εἰς τ. ἐ. θ. Ἐζωγρημένοι, capti (quod hoc loco redempti) à Deo nempe, ἀπ' αὐτοῦ, ex potestate ac servitute diaboli. Sic ferè Rom. 6. 17. ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ἐλευθεροῦσθαι· Apocal. 14. 4. ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων ἀγοράζεσθαι· & 1. 12. A Gellii de Vestalibus agentis, *Capi autem virgo propterea dici videtur, quia Pontificis maximi manu prehensa, ab eo parente in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur.* Εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, ad voluntatem Dei: ut αὐτοῦ heic referatur ad propinquius, διαβόλου, ἐκείνου ad remotius, id est, *Dei*, quomodo cap. sequente, com. 9. occurrunt αὐτῶν & ἐκείνων. Possunt autem, communi lectione permissâ, αὐτοῦ & ἐκείνου sat commodè ad unam eandemque personam referri: ut hæc diversa relativa non alium heic in finem posita videantur, quàm ut evitaretur unius ejusdemque vocis molesta geminatio. Ad Deum autem an ad Diabolum αὐτοῦ & ἐκείνου referenda, an verò alterum ad hunc, alterum ad illum applicandum, ambigitur ab Interpretibus. Ad Deum ego utrumque non dubitem referre: de Diabolo enim si locutus esset Apostolus, οἱ ἐζωγρημένοι dixisset: quod facilè concesserit mihi Lector animi attenti, aurisque non surdæ nec jacentis explorator. Sic Coloss. 1. 20. εἰς αὐτὸν (Deum) ἀποκαταλλάξαι. Εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, hic est, εἰς τὸ μηκέτι ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις, ἀλλὰ θελήματι θεοῦ, τὸν ἐπίλοιπον ἐν σαρκὶ χρόνον βιῶσαι, 1 Petr. 4. 2. Euthymius ad Joh. 7. illud, VOLUNTATEM EJUS FACERE, *Voluntatem Dei vocat nunc, operari virtutem*, &c. Porrò κείμενον istud conjungi malim cum ἀνανήψωσιν, &c. ut ordo sit, καὶ ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ, ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα· ποιεῖν nempe, quod subaudiendum. Vide Hebr. 13. 21. Apulejus lib. 11. *Nec injuriam, cujus beneficio ad homines redieris, id totum ei te debere quod vives.*

CAP. III.

VALLA.

2. CUpidi] Dixi superiùs Græcum vocabulum significare *pecuniæ cupidos*, h. e. *argenti*, Φιλάργυροι.

3. *Sine pace*] Potiùs *sine fœdere*, ἄσπονδοι.

7. *Et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*] *Valentes pervenire* est Græcè, ἐλθεῖν δυνάμενα.

10, 11. *Tu autem assecutus es meam doctrinam, persecutiones, passiones*] Potiùs *assectatus* sive *secutus es*: non enim *fuisset assecutus*, i. e. *adeptus*, *persecutiones & passiones* Pauli, ut Paulus ait, sed *assectatus* seu *secutus*, quod Græcum verbum indicat, παρηκολούθηκας, ut dixi in principio Euangelii Lucæ, 1. 3.

REVIUS in VALLAM.

10. FUisset assecutus] *Fuit* puto scriptum.

ERASMUS.

2. ET erunt] *Erunt enim*, ἔσονται γάρ. ¶ *Seipsos amantes*] Φίλαυτοι, *sui amantes, & sibi placentes*, h. e. suis commodis studentes. Unde dicta Φιλαυτία, *cæcus*, ut inquit Flaccus, *amor sui.* Id Ambrosius ità reddidit, *Erunt homines sui tantùm amatores.* Nos super hac dictione Φίλαυτος copiosiùs disseruimus in Chiliadibus nostris. Hugo Carrensis planè Theologicè explicuit hanc vocem; cujus equidem verba cum suo flore subscribam, *Sicut*, inquit, *solet dici de ribaldo, qui quando magnum frigus est, amplectitur se brachiis, ut sic calefaciat se quoquo modo; & dicitur derisoriè, Iste ribaldus multùm diligit se, qui sic se amplectitur brachiis.* An non flagitium fustuario dignum, sic nugari in adorandis literis, idque tam indoctè, non solùm impiè? Et tamen hæc legunt attoniti qui MORIÆ lusum ferre non possunt. Saltem qui tam impensè favent Carrensi, negent hæc ab ipso scripta, sed ab illius sodalibus parùm sobriis addita. ¶ *Cupidi*] Φιλάργυροι *cupidi pecuniæ: avari* legit Ambrosius. ¶ *Elati*] Ἀλαζόνες, *gloriosi*, ut ipse interpretatus est Paulus. Ambrosius legit *insolentes.* Hieronymus in Micheam legit *fastidiosi.* At suspicor scriptum fuisse *fastuosi.* Non damno quod vertit Interpres; sed tamen *elatus* esse potest qui non sit ἀλαζών, *qui fastu se jactat ac venditat, cùm sit inanis rerum bonarum.* ¶ *Parentibus non obedientes*] Ἀπειθεῖς, *immorigeri*, sive *intractabiles.* ¶ *Scelesti*] Ἀνόσιοι· quod rectiùs Ambrosius vertit *impii.* Dici possunt & *impuri.*

3. *Sine affectione*] Ἄστοργοι quod propriè significat *eos qui nullo affectu sunt in suos*, putà filios, aut famulos, aut uxorem. Deploratissimi sunt enim in quibus etiam naturæ affectus obsoleverunt. ¶ *Sine pace*] Ἄσπονδοι· quod Ambrosius vertit *sine fide.* σπονδὴ *fœdus* sign. & *amicitiam*: quod refertur ad alienos, & non domesticos, cum quibus boni fœderibus & amicitiæ vinculis copulantur, quibus naturà conjuncti non sunt. Gradus enim aliquot attigit, *Parentibus immorigeri*, quæ est impietatis species; erga Deum *impii* ἀνόσιοι, erga benemeritos *ingrati*, erga propinquos ἄστοργοι, erga amicitiæ fœdere junctos ἄσπονδοι. *Criminatores*] Διάβολοι, i. e. *calumniatores*, sive *delatores.* ¶ *Sine benignitate*] Ἀφιλάγαθοι· quod ità sonat q. d. *non amici bonis.* Sic interpretantur Græcanica Scholia. Ambrosius vertit *bonorum inimici*, Cyprianus *bonum non diligentes.*

4. *Proditores*] Προδόται, i. e. *desertores amicitiæ & sodalitatis.* ¶ *Protervi*] Προπετεῖς, *præcipites*, sive *temerarii.* ¶ *Tumidi*] Τετυφωμένοι, *inflati*: quanquam haud malè Interpres vertit. Eosdem & *turgidos* vocamus. Ipsum esse suspicor quod Cyprianus aliquoties reddit *stupore elati.* ¶ *Cæci*] *Cæci* nec est in Græcis nec in Latinis exempl. antiquis, nec apud Chrysostomum, nec apud Ambrosium. Opinor hanc vocem sic irrepsisse, quòd sciolus aliquis in margine ascripserit, veluti corrigens, pro τετυφωμένοι, τετυφλωμένοι· quorum prius sonat *elatos*, posterius *cæcatos.* ¶ *Et voluptatum amatores*] Φιλήδονοι μᾶλλον ἢ Φιλόθεοι. Longè venustiùs dixit Græcè dictionibus compositis, i. e. *voluptatum amantes magis quàm amantes Dei.* Cyprianus legit *voluptatem magis quàm Deum diligentes.* Tantum agmen vitiorum sequitur Philautiam. Eam pestem reddit insanabiliorem addita pietatis Simulatio.

5. *Speciem pietatis*] Μόρφωσιν· q. d. *formationem.* Notat enim eos qui dictis nôrunt aliis præscribere quomodo debeant piè vivere, cùm ipsi diversa sequantur. Cyprianus legit *deformationem religionis.* ¶ *Virtutem autem*] Δύναμιν. *Vim* hoc loco meliùs vertisset, ut opponatur *speciei.* ¶ *Abnegantes*] Ἠρνημένοι, *inficiati*: nam præt. temporis est, i. e. *qui abnegarunt.* ¶ *Et hos devita*] Ἀποτρέπου, *aversare*, quod est plus quàm *devita*: neque enim est illud παραιτοῦ, quod solet vertere *devita.*

6. *Qui penetrant*] Ἐνδύνοντες, *qui subeunt.* Ambrosius legit, *qui irrepunt*: verùm hoc non malè vertit Interpres. ¶ *Oneratas peccatis*]

peccatis] Σεσωρευμένα, q. d. *accumulatas*, & *acervo peccatorum obrutas.*

7. *Ad scientiam veritatis pervenientes*] Ἐλθεῖν δυνάμενα, id est, *Venire potentes.*

8. *Jannes & Mambres*] Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς, *Jannes & Jambres.* Quos Chrysostomus ait fuisse duos Magos Ægyptiorum qui portentis edendis certarint cum Mose: quanquam in Exodo non addantur illorum nomina, sed quæ Paulus acceperit ex traditione Judæorum quam ἄγραφον vocant, aut certè à Spiritu sancto. Quasi verò hoc tantopere retulerit scire Magorum nomina. In Hebraicorum nominum Interpretatione legimus utrumque MAMBRES & JAMBRES similiter expositum, quasi nihil intersit *Jambres* sones aut *Mambres.* Hoc rectè an secùs scriptum sit, par est periculum esse penès autorem potiùs quàm penès indicem.

9. *Sed ultrà non proficient*] Οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον. Ambrosius legit *non proficient amplius.* ¶ Quod noster vertit *insipientia*, Ambrosius *ignorantia*, ἄνοια, magis est *amentia*, sive *dementia*; atque ità vertit Interpres Chrysostomi.

10. *Assecutus es*] Παρηκολούθηκας quod non propriè sign. *assecutus es*, h. e. adeptus es. Alioqui qui quadrabit quod consequitur, *persecutiones* & *passiones*? nam hæc nemo dicitur *assequi.* Unde magis intelligendum est à principio usque ad finem *adfuisti, & testis es omnium.* Id enim significat παρακολουθεῖν, ut admonuimus & alias. In eum sensum interpretatur Theophylactus, unde nos vertimus *assectatus es.*

11. *Qualia mihi facta sunt*] Οἷά μοι, i. e. *quæ mihi*: nam οἷα pro ἃ Græcis usurpare mos est. ¶ *Antiochia*] Ἐν Ἀντιοχείᾳ, *in Antiochia*: nisi de civitate loquatur: ac de civitate, opinor, accipiendum.

13. *Seductores*] Γόητες, *impostores.* Ambrosius legit *deceptores.* ¶ *Errantes, & in errorem mittentes*] Πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι, i. e. *seducentes, & seducti.* Quod ità reddidit vel explanavit veriùs Ambrosius, *ipsi errantes, atque alios erroribus involventes.*

15. *Quæ te possunt instruere*] Σοφίσαι, i. e. *erudire*, sive *sapientem reddere.* ¶ *Per fidem quæ est in Christo Jesu*] Deest in Ambrosio, verùm id arbitror casu commissum.

16. *Divinitus inspirata*] Θεόπνευστος, quod verbo composito jucundiùs dixit Paulus. ¶ *Utilis est*] *Et utilis*, additâ conjunctione, καὶ ὠφέλιμος. Apparet subesse tacitam vim argumentandi in conjunctione; *Scriptura ut est Divinitus inspirata, & efficax est ad multa*, cùm humana doctrina sit inefficax. Aut, *Scriptura est Divinitus inspirata, & eadem est utilis*, &c. ut *omnis* referatur duntaxat ad *Scripturam Canonicam.* ¶ *Ad corripiendum*] Πρὸς ἐπανόρθωσιν, *ad correctionem.* Hoc loco D. Ambrosius πρὸς ἐπανόρθωσιν vertit *ad redintegrationem*, pro quo nostri codices habent *ad corripiendum.* Sed haud scio an Interpres scripserit *ad corrigendum.* Et quod divinaram in quarta editione comperi in exempl. Constantiensibus *ad corrigendum.* Nam Græca vox sonat *erigere quod erat incurvum*: nisi fortè ἔλεγχος & ἐπανόρθωσις ad idem pertinet. Nam Ambrosius in exponendo utramque sententiam videtur simul complecti. Sic enim scribit, *Manifestum est quia omnis Scriptura cujus Deus autor ostenditur, utilis est. Ad hoc enim data est, ut proficiat imperitis, & instauret deformes, attrahens iniquos ad justitiam, ut homo Dei in opere bono perfectus sit.* Hactenus ille. Jam quod Paulus dixit *ad doctrinam*, hic exponit *ut proficiat imperitis*; quod ait, *ad redargutionem & correctionem*, hic, *ut instauret deformes*; denique, quod *ad eruditionem quæ est in ipsa justitia*, hic interpretatur *attrahens iniquos ad justitiam.*

17. *Ut perfectus sit homo*] Ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, i. e. *ut perfectus* (sive *integer*) *sit is qui est homo Dei.* ¶ *Instructus*] Ἐξηρτισμένος, *consummatus & perfectus.* Atque ità legit Ambrosius, & consentit Græcorum interpretatio.

VATABLUS.

2. *ET erunt*] *Erunt enim.* ¶ *Cupidi, elati*] *Avari, gloriosi, arrogantes, insolentes.*

3. *Sine affectione, sine pace*] *Qui nullo erunt in suos affectu, nescii fœderis.* ¶ *Sine benignitate*] *Piorum osores.*

4. *Proterui*] *Temerarii.*

5. *Speciem*] Vel, *formationem*: ut illos notet qui etiam alios in pietate informare videantur. ¶ *Virtutem autem ejus abnegantes*] *Abnegatâ ejus vi*: quæ scil. operibus manifestari solet. ¶ *Devita*] *Aversare.*

6. *Qui penetrant domus*] *Subeunt in familias.* ¶ *Captivas ducunt mulieres*] i. e. Suâ doctrinâ reddunt captivas mulierculas peccatrices.

7. *Pervenientes*] *Venire valentes.*

8. *Mambres*] *Jambres.* ¶ *Moysi*] *Moysen* pro Lege accipere videtur, quòd per eum data sit.

10. *Assecutus es*] *Sectatus es*: i. e. doctrinæ & morum meorum sectator fuisti: vel, *assectatus es*; i. e. à principio usque ad finem assuisti, & testis es omnium, quænam fuerit doctrina mea, mores mei, &c. ¶ *Institutionem*] *Mores meos.*

11. *Passiones*] *Afflictiones*: quæ mihi acciderunt. ¶ *Quales*] *Quas.*

13. *Seductores*] *Impostores.* ¶ *Errantes, & in errorem mittentes*] *Dum & in errorem adducunt, & errant ipsi.*

15. *Instruere*] Vel, *sapientem reddere.* ¶ *In Christo Jesu*] Vel, *in Christum Jesum.*

16. *Inspirata* *] * *Est.* ¶ *Arguendum*] *Corrigendum*, Vet. ¶ *In justitia*] Vel, *de justitia*: quæ scil. est per fidem.

17. *Perfectus sit homo Dei*] *Integer sit is qui est homo Dei*: id est, Deo dicatus. ¶ *Instructus*] *Consummatus*, vel, *perfectus.*

CASTALIO.

10. *TU verò assecutus es*] Perspexisti.

14. *Et per quæ fidens factus es*] h. e. Christianus. Animadverte autem non esse scriptum ἐπιστεύθης sed ἐπιστώθης, hoc est, πιστὸς ἐγένου. quâ formâ dicitur δικαιωθῆναι, ὑψωθῆναι, &c.

16. *Omne scriptum*] Scilicet Sacrum: de quibus locutus est.

17. *Ut compositus sit Divinus homo*] Christianus.

CLARIUS.

8. *JAnnes & Jambres*] Fuerunt hi sub Pharaone Magi, quorum etsi nomina Scriptura non memorat, ea tamen vel per traditionem majorum sine scripto didicit Paulus, vel ab aliis autoribus sunt commemorata. Numenius enim Pythagoreus horum meminit, ut refert Eusebius Cæsareensis lib. 9. De præpar. Euang.

13. *Mali autem homines*] h. e. Sceleratorum hominum conatus succedere hîc videntur feliciùs, quòd à persecutoribus liberi sint: eaque res assiduè eos animat magis ac magis ad designanda scelera graviora. Eorum verò qui *piè vivere volunt in Christo* causa aliter habet hîc. At in futuro diversa utrorumque erit conditio: Illi enim perpetuò peribunt, ii autem vivent felicissimè. Sed & hîc quoque *amentia illorum* tandem *manifesta fiet omnibus*, sicut dixit paulò ante.

14. *Sciens à quo didiceris*] Duas profert causas cur manere illum oporteat immotum, & quòd non à quovis sed à Paulo didicerat, & quòd radices altiùs in eo defixæ erant agnitionis S. literarum. Quanti autem refert ab infantia alicui rei assuescere?

16. *Omnis Scriptura Divinitus inspirata*] Cùm multis usus esset consolandi modis, nunc id quod maximum est dicit. Profectò enim fortissimum solatium est, habere Scripturam è cœlo missam, quæ & tantis in tenebris lumen præferat, & gravissima quæque efficiat ut fiant levia. Hæc autem opportunè solatia proponit, cùm rem tristitiæ plenissimam mox sit commemoraturus, videlicet suæ vitæ finem.

ZEGERUS.

3. *SIne pace*] Gr. ἄσπονδοι, quod esse potest *à pace alieni* & *fœdifragi* sive *infidi*: siquidem ἀσπονδεῖν *pacem violare* declarat & *fœdera rescindere.* ¶ *Sine benignitate*] Hujus loco Græcè est ἀφιλάγαθοι, h. e. *bonorum osores.*

4. *Proterui*] PROTERVUS *petulantem* & *temerarium* signat, à *proterendo* dictus, quòd omnia sub pedibus esse velit, & nullus sit pudor in petendo & audendo, propter impudentem & arrogantem audaciam.

6. *Qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas*] Non modò intrant, sed *penetrant*, inquit: nec fallunt modò, sed *captivas ducunt*, utpote quibus utantur pro mancipiis.

8. *Jannes & Mambres*] Hi Magi fuere quos Mosi temporibus signa in Ægypto edidisse testatur Chrysostomus. Horum nomina unus hic Apostolus expressit: nam aliàs nusquam exprimuntur.

16. *Ad corripiendum*] *Corrigendum* legendum juxta vetustiora exemplaria: nam & Græcis est πρὸς ἐπανόρθωσιν *ad correctionem.* Quanquam *corripiendum* tolerari potest, & exstat in Bibliis etiam vetustis.

17. *In-*

17. *Instructus*] Interpretis exemplar habuit ἐξηρτυμένος, quod habes in editione Complutensium, ab ἐξαρτύειν *componere, instruere, apparare.* Quod autem nunc legimus, uno adstipulante Ambrosio, ἐξηρτισμένος signat *consummatum* & *praeparatum*, ab ἐξαρτίζω, quod tamen etiam pro *compono* usurpatur.

H. STEPHANUS.

5. MΌρφωσιν] *Formam:* vel *speciem.*

6. Τὰ γυναικάρια σεσωρευμένα ἁμαρτίαις] *Mulierculas cumulatas peccatis.*

14. Ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης] *In doctrina fidei quæ tibi est tradita.*

15. Σοφίσαι εἰς σωτηρίαν] *Sapientem reddere ad salutem:* vel *Sapientiam tibi afferre quæ sit ad salutem.*

17. Ἐξηρτισμένος] *Perfectè instructus.*

DRUSIUS.

2. S*Eipsos amantes*] Vel *sui amantes.* Syrus, *amantes animam suam*, vel, si placet, *animas suas.* Hebraismus notus tritusque. ¶ *Parentibus non obedientes*] Vel *immorigeri.* Syrus pro γονεῦσι videtur legisse ἀνδράσι· nam vertit לגבריהון *viris suis:* nisi malis cum Tremellio vertere *hominibus suis*, h. e. *iis qui ipsis præsunt:* quod mihi durum & coactum videtur. Versio Tremellii, *qui iis qui præsunt sibi non obtemperant.* ¶ *Scelesti*] Ἀνόσιοι Lex. V. Ἀνοσιώτατος, *sceleratissimus, scelestissimus.* Syrus עולא *impii*, ἀσεβεῖς. Apud Xenophontem ἀνόσιος oppositum habet εὐσεβής. Ergò ἀνόσιος idem quod ἀσεβής, i. e. *impius.* Verba sunt, γεγενημένον ἐξ εὐσεβοῦς ἀνόσιον. Theodorus, *impuri.* Nam ὅσιος *pius*, si non fallunt nos Interpretes 1 Tim. 2. 8. Vide quæ scripsimus ad illum locum. Pro *impuri*, quod in editione anni 1565. recentior editio. habet *profani*, βέβηλοι, ἀμύητοι, ἀνίεροι. Quòd si ὅσιοι *sancti*, ergò ἀνόσιοι *profani.*

5. *Speciem pietatis*] Syrus אסכמא דדחלתה דאלהא *convenientiam* (vel *speciem*) *timoris Dei.* Hinc liquet *timorem Dei* aliud nihil esse quàm *pietatem*, h. e. εὐσέβειαν.

6. *Qui penetrant domos*] i. e. Penitus intrant. Græcè οἱ ἐνδύνοντες, quod idem cum καταδύνοντες, qui se penitus immergunt. Syrus habet רמלולין, de quo vide Fullerum Miscel. lib. 3. cap. 14.

8. *Jannes & Mambres*] Tanquam aurum inter stercora, sic reperio interdum apud Magistros quod facit ad lucem N. T. De Janne & Mamre pridem repperi apud Nathanum autorem Lexici Juris, qui scribit principes eos fuisse Magorum Pharaonis, ac Mosi miracula edenti in Ægypto restitisse; qua de re locus insignis est in Gemara cap. *Col sorbanoth hatsibbur*, quem locum ibi laudat Nathanus, à quo ego habeo. Verba Lexici, *Cùm venisset Moses in Ægyptum cum signis à Deo ei datis, dixerunt Johani & Mamre principes Magorum Pharaonis, Hoc est opificium nostrum: nos enim possumus facere talia incantationibus nostris. Proinde similis es ei qui adducit paleam in Aphraim, quæ urbis est proventûs, unde frumentum in loca multa advehitur* &c. Ad hæc Moses adagium adagio excipiens, & clavum clavo pellens, *Dicunt homines*, inquit, *In urbem olerum olera defer.* Quæ memorata mihi & explicata in libro Adagiorum Rabbinicorum. Vide, si placet. Verba illa, *Hoc est opificium nostrum*, &c. Philo Græcè extulit ad hunc modum, Οὐδ' ἡμεῖς τῶν τοιούτων ἀμελετήτως ἔχομεν, ἀλλὰ χρώμεθα τέχνῃ δημιουργῷ τῶν ὁμοίων. Ex his apparet mendum esse 2 Tim. 3. 8. in libris Græcis, legendumque Μαμβρῆς aut Μαμβρῆς: quod tamen nolim pro certo affirmare: nam potuit διώνυμος esse. Certè apud Numenium philosophum Pythagoricum liquidò scriptum est Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς, quos dicit fuisse ἱερογραμματεῖς ἄνδρας in lib. 3. περὶ τἀγαθοῦ, ità scribens, Τὰ δ' ἑξῆς Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι ἐπὶ Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου. Μουσαίῳ γοῦν τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γενομένῳ Θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ, οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ τῶν Αἰγυπτίων οὗτοι ἦσαν, τῶν τε συμφορῶν ἃς ὁ Μουσαῖος ἐπῆγε τῇ Αἰγύπτῳ, τὰς νεανικωτάτας αὐτῶν ἐπιλύεσθαι ὤφθησαν δυνατοί. Hos intellexit Artabanus cùm scriberet Pharaonem advocasse, quos Mosi opponeret, τοὺς ἱερεῖς τοὺς ὑπὲρ Μέμφιν. Sed ad propositum. In Syriacis reperio ימברס, i. e. *Jambres*, ex Græco, in Latina vulgata *Mambres:* quæ scriptura proximè accedit ad Hebraicam. Interpres ille quisquis tandem fuit, post Græcos inseruit literam *b*, quod amat facere inter *m* & *r.* Exempla *Nimbrod* Gen. 10. *Mambre* Gen. 13. 18. *Jambri*, & alia pauca quæ diligens lector facilè per se observabit. Liber erat in veteri Ecclesia apocryphus hoc titulo, JANNES ET MAMBRES, in quo hæc de Mose referuntur, è quo si Thalmudicos, Numenium aliosque hæc nomina sumpsisse quis dixerit, fortasse à vero non aberraverit. Meminit horum Thanchuma sive Ilmedenu, fol. 40. col. 1. Numenii est illud, *Quid aliud Plato quàm Moses Atticus?* unde liquet ipsum Mosem legisse: vide Origenem in Matthæum; & De quæsitis per epistolam, epist. 105. Aut fortassis hæc sumpta sunt ex alio libro qui vocatur דברי הימים של משה, *Verba dierum Mosis:* cujus meminerunt Hascuni Num. 12. 1. commentatores super Aboth & Abenezra Exod. 4. 20. Cæterùm horum magorum meminit etiam Jonathan Exod. 6. 11. *Janis & Jambres incantatores, seu Magi, qui in Ægypto.* Ubi *Jambres.* pro *Mambres.* JANNES] In Lexico Thalmudico quod *Aruch* vocatur, ubi locus ex Gemara suprà memoratus, scriptum יוחני JOHANI vel JOHANNE, h. e. *Johannes:* quomodo etiam vocatur magus quidam apud Apulejum Apologiâ 2. pag. 375. quem Pius existimat fuisse Johannem Apostolum: meo judicio, non rectè. Potiùs inclino ut credam eundem fuisse cum hoc nostro. Parùm enim referre arbitror *Jannes* an *Johannes* aut *Johanne* scribas: nomina enim hujusmodi de facili corrumpuntur. Sanè in Thanchuma, loco citato, *Jonos* legitur & *Jombros*, non *Johannes* & *Jambres*, de quo nunc dicam. ¶ MAMBRES] Vel *Mamres.* Nam *b* inserta, ut in *Nembrod.* In scriptura Hebraica est ממרא, sed in Græca Ἰαμβρῆς, ut etiam apud Numenium & Interpretem Syrum, nisi quòd in hoc *Jannis & Janbris* per *n*; quod minùs se probat mihi. Similis varietas in *Jason* & *Mnason* Act. 21. 16. Mamres unus fuit ex federatis Abrahami Patriarchæ, à quo *Quercus Mamre* dicta, quæ in ed. Vulgata *Convallis Mambre.* Vide Genes. 13. 18. & 14. 24. Jonathan Exod. 1. 15. vocat hunc magum ממברס, quod scribit cum Hiric sub Jod; sed antiqui legebant *Jambres.* Alter principum magorum Pharaonis, qui Mosi restiterunt. Sunt qui apud Plinium emendant *Janne*, quod in editis *Jamne*, lib. 30. cap. 1. nescio an benè. Nam Jannes Ægyptius erat. Jamne autem, de quo Plinius, Judæus erat, si non fallit nos autor ille ità scribens, *Est & alia magices factio, à Moyse & Jamne & Jotape Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem.* Sed hîc libenter ἐπέχω.

9. *Sicut & illorum fuit*] Magorum Ægyptiorum videlicet, qui non poterant edere miracula omnia quæ Moses ediderat: ideo dicebant, *Digitus Dei est.* Historia nota est ex secundo librorum Pentateuchi.

15. *Ab infantia*] Vel, *à puero.* Syrus מן טליותך *à pueritia tua.* Quis nunc à puero non dico novit, sed discit S. literas? Monstri similis esset.

CASAUBONUS.

10. ΣΥ παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ] *Tu notam habes meam doctrinam.* Τὸ *assequi* est hîc ambiguum. Τὸ παρακολουθεῖν prorsus sic hoc loco accipitur ut apud Demosthenem eo loco quem citat Budæus p. 665.

SCULTETUS.

CAP. I.

Tempora χαλεπὰ v. 1. *Typus vitæ postremi seculi hominum descriptus v. 2 — 5. Explicantur varia vocabula Græca.*

ET verò experimur hodie Oraculi Apostolici veritatem, qui in χαλεποὺς illos καιροὺς incidimus quos Vulgatus *tempora periculosa*, Beza *molesta* interpretatur; meliùs Tremellius è Syro *dura*, Castalio *difficilia* verterunt. Ac versatur ob oculos nostros profanus ille Chrystianismus ævi extremi, quem præsaga D. Pauli mens ante tot secula penicillo Spiritûs S. depinxit. Μόρφωσιν enim εὐσεβείας plerique *habent*, habentes & audientes conciones, administrantes & usurpantes Sacramenta; sed δύναμιν *vim pietatis negant*, quæ vis in λογικῇ λατρείᾳ, *rationali Dei cultu*, in charitate non fucata ad proximum, in γυμνασίᾳ denique σωματικῇ consistit. Verorum Christianorum symbolum est, εὐσεβῶς, δικαίως, σωφρόνως. Hoc isti aversantur, qui quoad Deum non sunt φιλόθεοι sed ἀνόσιοι· quoad proximum sunt βλάσφημοι, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχάριστοι, ἄστοργοι, ἄσπονδοι, διάβολοι, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι, προδόται· quoad se sunt φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, προπετεῖς, τετυφωμένοι, ἀκρατεῖς, φιλήδονοι. Non sunt φιλόθεοι, h. e. θεοσεβεῖς· hæc enim sunt idem. Justinus Martyr Tryphone, *Providentiâ Dei factum est* ἵνα ἡμεῖς ὑμῶν τῶν νομιζομένων, οὐκ ὄντων δὲ οὔτε φιλοθέων οὔτε συνετῶν, συνετώτεροι καὶ θεοσεβέστεροι εὑρεθῶμεν, *ut nos quàm vos, qui reputamini quidem, sed non estis neque Dei amantes neque prudentes, prudentiores & religiosiores*

fiores reperiamur. ¶ Ἀνόσιοι sunt *impii, irreligiosi, profani.* Nam ὅσιον profanis etiam scriptoribus significat *sanctum*, ἁγνὸν καὶ εὐαγῆ καὶ καθαρόν· ἀνόσιον contrà, *impium, scelestum.* ¶ Jam βλάσφημοι non sunt hoc loco *qui in Deum probra congerunt*, sicut Suidas nimis angustè βλάσφημον definit τὸν εἰς Θεὸν ἐξυβρίζοντα, sed in genere *maledici*: sicut βλάσφημον ὄνομα *convitium* quodcunque dicitur Dionysio Halic. l. 9. Antiq. Et apud Xiphilinum *Helvidius Priscus* βλασφημεῖ τὸν αὐτοκράτορα, *maledicit Imperatori.* De Maximino quoque Herodianus lib. 7. βλάσφημα πολλὰ εἰς τὴν Ῥώμην καὶ τὴν σύγκλητον ἀποῤῥίψας. *cùm multa in Civitatem ac Senatum probra jecisset.* Neque verò Apostolo hic solùm βλάσφημοι *maledici*, sed & 1 Tim 6. 4. βλασφημίαι *maledicentiæ* dicuntur; ut & Ignatio Epist. ad Ephesios. ¶ Οἱ γονεῦσιν ἀπειθεῖς τοῖς ἀχαρίστοις rectè conjunguntur ut species generi. Utraque ἀχαριστία in vitio ponitur, generalis erga quosvis, specialis in parentes. Agnoverunt hoc Pagani. Aristotele 5. Ethic. referente, de Gratitudine homines commonefacturi Græci, in media urbe condiderunt templum Gratiis, quorum ut prima & secunda, *Aglaia* videlicet & *Euphrosyne*, de beneficiis monent, tum quòd honesta esse tum quòd ex benevolo animo proficisci debeant, ità tertia *Thalia*, i. e. *germinans*, innuit, debere officium redire pro officio. Parentibus autem vel maximè debetur obedientia & renutricatio, ut ità dicam, quod est ἀντιπελαργεῖν, & debita iis θρεπτήρια præstare unà cum omnibus pietatis officiis. Quo nomine laudatur Epaminondas, qui hunc maximum fructum suorum laborum & victoriarum esse duxit quòd illarum spectatores haberet parentes. Celebrantur etiam duo fratres Catanæi, qui suborto incendio suis humeris allevatos parentes extulerunt. Quæ gratitudo Deo comprimis placuit: ideo

Erubuere pios juvenes attingere flammæ.

Verum ἀχαριστία nunc imperium Orbis obtinere videtur: usque adeò passim locorum illud confirmatur quod Serpens in Apologo quodam ad rusticum dixit, *summum præmium pro summo beneficio est ingratitudo.* Atque, ut jam olim Melanchthon cecinit,

Sunt homines, humeris quos si quis gestet ad urbem
Ausoniam, domiti quæ caput orbis erat,
Nec tamen ad portam placidè deponat eosdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

¶ Ἄστοργοι, Vulgato, *sine affectione*: quem rectè reprehendit Beza, cùm non omnis *affectus* sit στοργή. Vertit igitur *charitatis expertes*, eodem errore: nec enim omnis *charitas* est στοργή. Castalio *inhumani*, quod longiùs etiam à Græco abest. στοργαὶ sunt *naturalis inclinatio* sive *benevolentia erga agnatos*, ut parentum erga natos, & vicissim natorum erga parentes, *die sehnliche naturliche liebe, die man wieder mahlen noch aussreden kan.* Gellius lib. 12. 1. vocat *nativam pietatem & amorem naturalem.* Ἄστοργοι ergò erunt homines *sine naturalibus affectibus*, vel *expertes charitatis naturalis*, vel *expertes nativæ pietatis.* Quales ἄστοργοι nobis depinguntur in Aquila, pullos exclusos statim è nido extrudente; in Corvo, pullos in nido quidem relinquente, sed non alente; in Viperis, siquidem mas concumbit cum vipera per collum, & tum femella præcidit collum masculi. Quando autem eduntur catuli viperæ, tunc arrodunt ventrem matris, ut egrediantur, & ità interficiunt matrem cùm eduntur. ¶ Ἄσπονδοι dubito an rectè dicantur *nescii fœderis* à Beza, *fœdifragi* à Castalione. Malim *irreconciliabiles*, *qui nullas admittunt* σπονδὰς, ut ἄσπονδοι ἐχθροὶ Suidæ & Hesychio οἱ ἀδιάλλακτοι. Sic Chrysostomus alicubi, οὐδὲ μετὰ τὴν συμφορὰν σπένδεται, *nè post ærumnam quidem placatur.* ¶ Διάβολοι sunt *calumniatores*, à διαβάλλειν· unde & *generis humani hostem* αἱ θεῖαι γραφαὶ διάβολον καλοῦσιν, ἀπὸ τῆς πρώτης αὐτοῦ πρὸς τὸν ἄνθρωπον διαβολῆς, ταύτης τῆς προσηγορίας τυχόντα, *Divinæ Scripturæ vocant Diabolum, à prima sua adversùs hominem calumnia & criminatione, appellatione hujusmodi illi impositâ*, Justino Martyre docente Cohortatione ad Græcos. ¶ Ἀνήμεροι sunt *immites, immanes, feri.* Opponuntur enim ἡμέροις. Justinus Martyr Quæst. & Respons. orthodoxis q. 44. Δείκνυσι τῷ προφήτῃ ἡμέρου τε καὶ ἀνημέρου ζώου σύζευξιν· ἥμερον μὲν γὰρ ζῶον ὁ ἄνθρωπος, ἀνήμερον δὲ ὁ λέων, *Ostendit* Deus *Prophetæ cicuris & feri animantis conjunctionem. Mite namque & mansuetum animal est Homo; ferum autem & immanis Leo*, interprete Joanne Lango. Sic apud Dionysium Halic. lib. 1. Antiq. illa, Κάκος βάρβαρος καὶ ἀνθρώπων ἀνημέρων ἄρχων, Galenus vertit, *Cacus barbarorum immanium quorundam princeps.* ¶ Φίλαυτοι hoc loco omnium consensu sunt *homines amore sui dementati*: de quibus Salomon, *Vidisti virum sapientem in oculis suis? Exspectatio est de stolido* melior *quàm de illo*, Proverb. 26. 12. Alio sensu Nazianzenus Orat. in Pentecosten hoc vocabulo usus est, scribens, συμβῶμεν ἀλλήλοις πνευματικῶς, γενώμεθα φιλάδελφοι μᾶλλον ἢ φίλαυτοι· quod Nicetas Paraphrastes exponens ait, Φέρε οὖν συμβῶμεν ἀλλήλοις πνευματικῶς, τουτέστιν, διατιθῶμεν πρὸς ἀλλήλους φιλικῶς καὶ εἰρηνικῶς· καὶ τοῦτο μὴ ἁπλῶς ποιήσωμεν, ἀλλὰ πνευματικῶς, ἤγουν ὡς δοκεῖ τῷ πνεύματι· Δοκεῖ δὲ, τὰς μὲν οἰκείας καταλιπεῖν ἐνστάσεις καὶ δόξας, τὴν δὲ ἀλλήλων οἰκονομεῖν ἀπαθῶς ὠφέλειαν, ὅπερ ποιοῦσιν οἱ μὴ φίλαυτοι ὄντες, ἀλλὰ φιλάδελφοι. ἔστι δὲ φίλαυτος μὲν, ὁ τὸ ἑαυτοῦ ζητῶν· φιλάδελφος δὲ, ὁ τὸ τοῦ ἑτέρου. ¶ Φιλάργυροι sunt, quibus, ut vulgò dici solet, ὁ ἄργυρος αἷμά ἐστι καὶ ψυχή. Vitii hujus fœditatem ad 1 Tim. 6. depinximus. ¶ Ἀλαζόνες sunt *arrogantes, gloriosi.* Quales apud Herodianum lib. 2. scribitur fuisse Julianus, cui οὐκ ἦν οἴκοθεν τοσαῦτα χρήματα ὅσα ἠλαζονεύσατο, *non fuerunt domi quas jactabat opes.* Sic Constantinus μεστὸς πάσης ἀλαζονείας, ἀφ᾽ ἑστίας ᾠήθη δεῖν ἄρξασθαι τῆς ἀσεβείας, *omnis arrogantiæ plenus, ab ipso lare sibi sumendum duxit impietatis exordium*, Zosimus l. 2. ¶ *Arrogantibus* conjunguntur ὑπερήφανοι & hic & Rom. 1. 30. & ἀλαζονία (nam & sine diphthongo sæpius reperitur) cum ὑπεροψίᾳ apud Zosimum lib. 5. item cum ὀργῇ apud eundem lib. 3. copulatur. Notum autem Theocriti illud, ἀλαζονείας οὐδεὶς ἔκφευγε δίκην, *arrogantiæ vindictam nemo effugit.* Adde, nec sororculæ ipsius, ὑπερηφανίας. ὑπερήφανος *superbum* sonat. Dionysius Halic. lib. 4. de L. Tarquinio, διὰ ταῦτα ἐπωνυμίαν τίθενται αὐτῷ Ῥωμαῖοι, τὸν Σούπερβον. τοῦτο δὲ δηλοῦν βούλεται κατὰ τὴν ἡμετέραν γλῶτταν, τὸν ὑπερήφανον, h. e. *unde* SUPERBUS *vulgò cognominatus est, quod nostrâ linguâ sonat* ὑπερήφανος. Igitur ὑπερηφανίαν φεῦγε, (monet Ignatius ad Heronem) ὑπερηφάνοις γὰρ ἀντιτάσσεται Κύριος, *Superbiam fuge: superbis enim Deus resistit.* Et cur superbis, Cinis? propter honores? Atqui εἰ καὶ γέγονεν ἄρχων ἐπὶ γῆς, μὴ ἀγνοείτω ὑπάρχων ἐκ τῆς γῆς, ἀπὸ χοὸς ἐπὶ θρόνον ἀναβαίνων, καὶ εἰς αὐτὸν μετὰ χρόνον καταβαίνων, h. e. *etsi factus est aliquis Princeps in terra, non tamen ignoret sese ortum ex terra, cùm ex pulvere ad solium conscendere, atque in pulverem tandem descendere possit*, Agapetus cap. 71. An propter genus? Ἐπὶ προγόνων εὐγενείᾳ μηδεὶς ἐναβρυνέσθω. πηλὸν γὰρ ἔχουσι πάντες τοῦ γένους προπάτορα, καὶ οἱ ἐν πορφύρᾳ καὶ βύσσῳ καυχώμενοι, καὶ οἱ ἐν πενίᾳ καὶ νόσῳ τρυχόμενοι, καὶ διαδήματα περικείμενοι, καὶ οἱ διὰ δώματα προσκείμενοι. μὴ τοίνυν ἐκ πήλου ἐγκαυχώμεθα γένος, ἀλλ᾽ ἐπὶ χρηστότητι σεμνυνώμεθα τρόπων, *Majorum nobilitate nè quis delicietur. Limum enim habent omnes generis autorem, & qui purpurâ byssoque turgent, & qui paupertate & adversâ valetudine affliguntur; tam qui diademate redimiti sunt, quàm qui per cubicula excubant. Ne igitur lutulentum jactemus genus, sed morum integritate gloriemur*, Idem Agapetus cap. 4. Superbis propter divitias? Τῶν ἐπιγείων χρημάτων ὁ ἄστατος πλοῦτος τῶν ποταμίων ῥευμάτων μιμεῖται τὸν δρόμον, πρὸς ὀλίγον μὲν ἐπιῤῥέων τοῖς ἔχειν νομίζουσι, μετ᾽ ὀλίγον δὲ παραῤῥέων εἰς ἄλλους ἀπέρχεται, *Terrenarum opum instabiles divitiæ fluviatilium undarum imitantur cursum. Modicum enim affluunt his qui habere se eas arbitrantur, mox verò refluentes ad alios accedunt*, Idem cap. 7. ¶ Erunt autem, inquit porrò Apostolus, extremi seculi homines etiam προπετεῖς, *præcipites, temerarii*, qui non vident πρόσσω καὶ ὀπίσσω, quod Homerus in Nestore laudat, &, quod Salomon queritur, neque præsentia neque futura cogitant, superstitioso Simonide stultiores, qui coluit Numen Ὑστέραν, i. e. *Posterum diem*, quo ipso innuit instabiles esse res humanas, nec securè vivendum agendumve. ¶ Τοὺς τετυφωμένους accensemus ordini τῶν ἀλαζόνων & ὑπερηφάνων, quemadmodum Ignatius Epist. ad Trallianos istos conjunxit, dicens, Ἐὰν ὑμεῖς ἀποθῆσθε φυσίωσιν, ἀλαζονείαν τῦφον, ὑπεροψίαν, δυνατὸν ὑμῖν ἔσται εἶναι ἀχωρίστους Θεοῦ, *Si vos abjeceritis animi tumorem & arrogantiam & fastum & superbiam, poteritis indivulsè Deo adhærescere.* ¶ Supersunt φιλήδονοι, quos ità affatur Basilius Hom. in S. Baptisma, Μὴ εἴπῃς, Καλὸς μὲν ὁ νόμος, ἀλλ᾽ ἡδίων ἡ ἁμαρτία. ἡδονὴ ἄγκιστρόν ἐστι τοῦ διαβόλου πρὸς ἀπώλειαν ἕλκον. ἡδονὴ, μήτηρ τῆς ἁμαρτίας, ἡ δὲ ἁμαρτία τὸ κέντρον ἐστὶ τοῦ θανάτου· ἡδονὴ, τροφὸς τοῦ αἰωνίου σκώληκος, ἣ πρὸς καιρὸν μὲν καταλεαίνει τὸν ἀπολαύοντα, ὕστερον δὲ πικροτέρας χολῆς ποιεῖται τὰς ἀναδόσεις. A quo non abludit Ethnicus, qui præcipit, Φεῦγε τέρψιν διὰ τὴν θλίψιν. ἔπεσθαι τοῖς τερπνοῖς εἴωθε τὰ λυπηρά. Et Poëta,

——— *Nocet empta dolore voluptas.*

Hanc fugiet, quisquis Chrysostomi illud secum identidem ruminârit, *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat*

CAP. II.

Ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας v. 6. *Jannes & Jambres qui fuerint* v. 8.

MOnachorum nostrorum proavos descripturus Apostolus ait *irrepere illos in familias*, ἐνδύνειν εἰς τὰς οἰκίας. Syro,

ut pridem observavit doctissimus Fullerus, ἐνδύνειν est καταδύνειν, h. e. *penitus seu in profundum ingredi, in penitiorem recessum se abdere.* Quod & Hesychii testimonio confirmatur, qui ἔνδυσιν interpretatur κατάδυσιν, ac καταδύσεις exponit τοὺς λαθραίους τόπους καὶ βαθεῖς, *loca occulta & profunda.* Rectè igitur Beza *qui irrepunt, id est, qui sese immergunt.* Non enim clandestinus duntaxat introitus illorum notatur, sed ejusmodi maximè quo quasi profundum petentes occultissima penetralia pertentabant, & intima quæque perscrutabantur & pernoscebant. Adeoque si δύνειν significat εἰς βάθος χωρεῖν (ut Græcæ linguæ periti explicant) certè magis εἰσδύνειν idem significabit. Erudita ergò est versio Vulgata, *qui penetrant domos:* quod valet ex sententia Grammaticorum *qui penitus intrant.* Quanquam Latini multò frequentiùs adhibitâ præpositione loqui solent, *qui penetrant in domos.* Sic enim de Androdo quodam ex Appione Polyhistore narrat Gellius, *illum specum quandam remotam latebrosamque nactum in eam se penetrasse & recondidisse.* Quibus verbis planè exprimitur nostrum ἐνδύνειν vel καταδύνειν. ¶ *Jannes & Jambres* (quorum v. 8. mentio) qui fuerint, docent Hebræi, Græci & Latini scriptores. Apud Nathanum enim Hebræum autorem Lexici Juris scribit Drusius se invenisse eos *principes magorum Pharaonis fuisse, ac Mosi edenti miracula restitisse.* Numenius Philosophus Pythagoricus dicit fuisse eos ἱερογραμματεῖς ἄνδρας, in libro 3. περὶ τἀγαθοῦ ità scribens, Τὰ δ' ἑξῆς Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς, ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι ἐπὶ Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου. Μουσαίῳ γοῦν τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γενομένῳ Θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ, οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ τῶν Αἰγυπτίων οὗτοι ἦσαν, τῶν τε συμφορῶν ἃς ὁ Μουσαῖος ἐπῆγε τῇ Αἰγύπτῳ, τὰς νεανικωτάτας αὐτῶν ἐπιλύεσθαι ὤφθησαν δυνατοί. Plinius quoque lib. 30. c. 1. eorum meminit, sed luce veritatis sacræ destitutus, Mosen quoque inter Magos recenset. Hos intellexit Artabanus, cùm scriberet *Pharaonem advocasse quos Mosi opponeret* τοὺς ἱερεῖς ὑπὲρ Μέμφιν. Vulgata pro Ἰαμβρῆς legit Μαμβρῆς. Cùm igitur in omnium ore fuerint hi Magi tempore etiam Apostolorum, mirum non est Apostolum hæreticos sui temporis veritati resistentes & ipsos cum iis contendisse. Adeoque frustrà sunt qui hinc prætextum arripiunt Traditiones nescio quas Ecclesiæ obtrudendi.

CAP. III.

Beza & Erasmi de interpretatione verbi παρακολουθεῖν liticula componitur ad v. 10, & 11.

De verbo παρακολουθεῖν in Deliciis Euangelicis Pragensibus ad Luc 1. 3. pluribus disserui. Hoc loco duorum meritissimorum N. Test. Interpretum, Bezæ & Erasmi, super eodem verbo erudita liticula componenda est. Ergò Erasmus verba illa, Σὺ δὲ παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ, τῇ ἀγωγῇ, interpretatur, *Tu verò assectatus es meam doctrinam,* &c. Contrà Beza cum Vulgata vertit, *Tu autem assecutus es doctrinam meam,* &c. Erasmus τὸ παρακολουθεῖν nihil aliud putat significare quàm *assectari, ut solet qui individuus est comes.* Quærit igitur quid sit *assequi, i. e. adipisci, alterius persecutiones.* Beza fatetur ille quidem παρακολουθεῖν propriè de *assectatore* dici, ut supra 1 Tim. 4. 6. ex Budæo tamen docet idem verbum *translatitiè etiam de animi intelligentia usurpari.* Ideo παρακολουθεῖν illi hoc loco est *assequi,* i. e. adipisci. Et quærit vicissim *quid sit assectari alicujus doctrinam & vitæ rationem:* deinde, *quomodo dici possit Timotheus assectatus persecutiones illas quas Paulus Antiochiæ, Iconii, Lystris sustinuit, cùm eo tempore Timotheus adhuc ignotus esset Paulo, & in Macedonia degeret.* Parùm abest quin exclamem,

> *Et vitulâ tu dignus, & iste, & quisquis amanos*
> *Verborum sensus studio rimatur amico.*

Si tamen Erasmi caput laureolâ ornàro, credo me id bonâ doctissimi Bezæ pace facturum; ubi accuratiùs perpenderit (quasi enim cum vivis ago) scopum Apostoli esse hortari Timotheum ad doctrinam, vitæ rationem, fidem suam sequendam ac imitandam. Jam qui assecutus est alicujus doctrinam, vitæ rationem, fidem, nihil opus habet exhortatione ad eam sequendam imitationeque exprimendam: *quia sequi* minus est quàm *assequi:* imò non potest dici juberive *sequi* qui jam *assecutus est.* Qui autem vero animi judicio, ut Timotheus, alicujus doctrinam, vitæ rationem, fidem assectatus est, is meritò monetur ut se ad imitationem ejus componat. Jure igitur quærit Erasmus quid sit *assequi alicujus persecutiones,* v. 11. Si Beza vicissim quærat quid sit *assectari alicujus doctrinam & vitæ rationem;* in promptu erit responsio, Ut sectando doctrinam alicujus audiat & discat sive cognoscat, vitæ rationem contempletur, & ad ejus imitationem se totum conformet. Terentius, *Ibi homo capit mediocrem ut sibi liceret discere id de me. Sectari jussi.* Atque hoc sensu Beza ipse vertit verba illa 1 Tim. 4. 6. καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας, ᾗ παρηκολούθηκας, *bonæque doctrinæ, quam assectatus es:* additque firmandæ versioni valde appositum Demosthenis περὶ στεφάνου locum, Ἐκεῖνος ὁ καιρὸς καὶ ἡ ἡμέρα ἐκείνη οὐ μόνον εὔνουν καὶ πλούσιον ἄνδρα ἐκάλει, ἀλλὰ παρηκολουθηκότα τοῖς πράγμασιν ἐξ ἀρχῆς h. e. *Negotia requirebant non tantùm acrem ingenio, ostensorum consilium, prudentem, sed etiam talem qui assectatus fuisset negotia,* i. e. qui antea negotiis interfuisset, *einer der offt darbey und mit gewesen were,* qui sciret quid priùs actum, quid postea responsum sit. Quæ ipsissima Pauli mens est scribentis, Σὺ δὲ παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ, τῇ ἀγωγῇ, &c. q. d. *Vidisti ab initio cursum meum, doctrinam meam, certamina & persecutiones meas: imitare igitur me in docendo, in patiendo.* Si pergat rogare *quomodo Timotheus dici possit assectatus persecutiones illas quas Paulus Antiochiæ, Iconii, Lystris sustinuit, cùm eo tempore Timotheus adhuc ignotus esset Paulo, & in Macedonia degeret,* respondebit Erasmus, Posse etiam ignotum contemplari alterius virtutes & constantiæ exempla, aut commemoratione eorum adfici: nec dubitandum esse Paulum Timotheo curriculi vitæ suæ historiam notitiam hujus antegressam sæpius narrasse, eamque Timotheo non minùs notam fuisse ac si fuisset αὐτόπτης. Fortè etiam quæret ex Beza unde probaturus sit Timotheum tum cùm Paulus Antiochiæ, Pisidiæ & Iconii doceret, fuisse in Macedonia. Bis Paulum fuisse Lystris apparet ex Act. 14. 6. & 16. 1. Primo adventu vidit Timotheus Pauli afflictiones, sed admodum adolescens, & fortasse adhuc puer. Secundo adventu adsumptus est à Paulo; à quo tempore Pauli sectator fuit, & *cum eo tanquam cum patre filius Deo servivit in Euangelio.* Phil. 2. 22.

CAP. IV.

Pietatis individua comes persecutio v. 12. Doctores πονηροὶ & γόητες v. 13. Mulierculæ onustæ peccatis, actæ variis cupiditatibus, semper discentes, *v. 6, 7.*

Pleni sunt Prophetici, pleni sunt Euangelici libri dictorum, exemplorum quibus aphorismus iste Paulinus corroboratur, *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Qui fit ergò quòd postquam parva nubecula Solem obduxit in Austria, Moravia, Silesia, Palatinatu, Boëmia, tot omnium ordinum homines à veritate Euangelica desciscunt, & quasi postliminio ad idolorum cultum revertuntur? Causa alia nulla est quàm quòd hujusmodi Apostatis nunquam seriò propositum fuit *piè in Christo vivere,* & propter Christum aliquid pati velle. Hinc cœlum quærunt in terra, & sine ignominia gloriam, sine paupertate divitias, sine morte vitam, sine certamine coronam sibi promittunt. Atqui *Regnum nostrum non est de hoc mundo.* Qui igitur Euangelium, qui veritatem fidei à fortuna Ecclesiæ visibilis vel excitata vel inclinata æstimant, ii nec hic nec ibi erunt fortunati. Quin ergò Pauli, quin omnium qui in Christo unquam piè vixerunt, exempla nobis ob oculos ponamus, aliter de piorum ærumnis judicabimus; præsertim si non solùm agonas sed liberationes etiam eorundem gloriosas consideraverimus. *Multa tribulationes justorum, sed ex omnibus eos Dominus liberat,* ait David Psal. 34. Accinit huic Paulus, & Meo, inquit, exemplo hoc comprobatum est. Persecuti me sunt, affixerunt me Antiocheni, Iconii Lystrenses, sed ἐκ πάντων δὲ με ἐῤῥύσατο ὁ Κύριος, *ex omnibus persecutionibus me liberavit Dominus.* Hoc canticum est omnium piorum vocibus decantatum. Loquuntur hoc veteres, loquuntur recentes historiæ. Et tamen ad tam benedictam, ad tam lætam omnium miseriarum & afflictionum nostrarum clausulam non attendunt qui levissimum lucellum, brevissimam vitæ suavitatem (si qua tamen conscientiæ cauteriatæ suavitas inesse potest) quæstui pietatis maximo, suavitati vitæ longissimæ, imò æternæ, præferunt. Queritur Thucydides de Græcis sui seculi, *neminem velle ταλαιπωρεῖν, aliquid mali sustinere propter honestum.* Justior nostra querela est, Neminem ferè velle ταλαιπωρεῖν propter gloriam Dei, propter suam ipsius salutem. ¶ Sed ad Paulum redeo; Qui, dum pii variis afflictionibus vexantur, τοὺς πονηροὺς καὶ γόητας *in pejus processuros* scribit. Quos Beza rectissime vertit *improbos & impostores:* quo eodem significatu Dionysius Halicar. lib. 11. Antiq. verbis istis usus legitur ajens, *Siccius quidam obsequitur æmulatorum voluntati,* ἐξαπατηθεὶς ὑπὸ ἀνθρώπων πονηρῶν, καὶ τῇ γοητείᾳ τῶν λόγων οὐ συνιδὼν, *non animadvertens præstigias sive imposturas verborum.* Quæritur autem an *impostores* hi iidem sint cum iis quos suprà dixit *irrepere in familias,*

familiis. Doctissimus Beza diversos esse censet: *De certis enim hominibus*, inquit, *illic agit, sive de pseudoapostolis qui tum Ecclesiam turbabant, sed ad metam suam pervenerant, hic verò in genere de hostibus Ecclesiæ, qui usquedum advenerit nostra redemptio, nunquam deerunt, & quotidie evadunt seipsis deteriores.* Verùm non est cur huc confugiamus, cùm φαινομένη contradictio ex contextu ipso possit tolli. *Impostores* enim πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, *qui alios in errorem inducunt, errantes & ipsi* (ut Tremellius è Syro, & Vulgatus è Græco vertunt) semper quidem *procedunt* ἐπὶ τὸ χεῖρον *in pejus, seipsis deteriores evadentes:* id quod Hæreticorum plurima exempla ab Epiphanio annotata docent: sed non semper *procedunt* ἐπὶ πλεῖον, plures subinde corrumpendo; nam patefactâ eorum amentiâ destituit ipsos hominum applausus. Castalio illa πλανῶντες καὶ πλανώμενοι interpretatur *fallent & fallentur*; liberiùs paulò, cum participiis Apostolus, non futuri temporis verbis, utatur. Beza, *tum seducentes* alios, *tum seducti* ipsi: benè quidem expressâ verborum sententiâ, sed ambiguè enunciatâ. Dubitari enim potest utrùm *seducti ipsi* intelligantur impostores, an ab iis corrupti. Itaque malim πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, *alios in errorem inducentes* (hoc enim est πλανᾶν) *errantes & ipsi:* hoc enim neutrali significatione est πλανᾶσθαι, ut apud Lucianum De Calumnia, ἐν σκότῳ πλανώμενοι *in tenebris errantes.* ¶ Penè oblitus eram *mulierculaum oneratarum peccatis, & variis cupiditatibus actarum, semper discentium, nunquam ad cognitionem veritatis pervenientium*, quas à Pseudoapostolis *captivas ductas* narrat Paulus. Hoc quid sit investigandum est. Non dubito, quas Euangelistæ ἁμαρτωλὰς *peccatrices mulieres* appellant, eas hic dici *oneratas peccatis & variis cupiditatibus actas.* Dominabatur enim in Græcia, adeoque Ephesi, luxuries, è qua intemperantia & libido erumpebant. Gliscebat autem jam tum secta eorum qui de Conjugio ità disserebant ut non obscurè promiscuas libidines viderentur approbare: qua de re Epiphanius in Simone Mago & ejus discipulis videatur. Cùm igitur mulierculæ peccatrices scelerum suorum conscientiâ vexatæ non tam expiationem delictorum solidam quàm impunè cupiditatibus suis indulgendi licentiam quærerent (quam Apostolorum doctrina minimè permittebat (patuerunt ipsarum ædes hæreticis istis, à quibus veluti captivæ ductæ, cùm veram animi consolationem nullam ex iis haurirent, fieri non potuit quin semper discerent, nunquam id quod conscientiam placat adsequerentur. Hydropi enim non absimilis est mala doctrina. Ut enim in Hydrope,

> *Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ,*

ità quò plùs quis haurit ex malæ doctrinæ fonte, eò magis appetit, nihil discit; natura tantùm languescit turbaturque, & homo tandem ad desperationem redigitur. Ac quemadmodum hodie reperias qui per omnes sectas vagantur, scire discupientes quid Anabaptistæ, quid Lutherani, quid Reformati, quid Papistæ, quid Sociniani doceant; quorum sitis nunquam restinguitur: ità tum temporis comparati erant multi Ephesii, qui, attestante Paulo Eph. 4. 14 *quovis doctrinâ vento circumferebantur*, &, cùm arundinis instar nunc huc nunc illuc agitarentur, in quo tandem acquiescerent nunquam inveniebant. Hæc mea super expositione præsentis loci conjectura est: quam omnibus eruditis & candidis viris examinandam historicè propono, paratus meliora & certiora, à quocunque monstrata, grato animo amplecti.

CAP. V.

Interpretatio vocis ἐπιστώθης *v.* 14. *Encomium Scripturæ v.* 15. πᾶσα γραφὴ *v.* 16. ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, ἄρτιος, ἐξηρτισμένος, *v.* 17.

IN *tenui labor est* quem Grammaticæ significationi vocum & phrasium eruendæ impendo, fateor; addo etiam, *tenuis gloria:* at non tenuis utilitas. Quàm enim præstet Pauli mentem ex Paulo ipso potiùs quàm ex Interpretibus ejus cognoscere, vel ex v. 14. liquet, ubi veram verbi ἐπιστώθης significationem nec Latini nec Germanici Græci textûs interpretes sunt assecuti. Verba Apostoli ista, Σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης. Vulgatus, *Tu verò permane in iis quæ didicisti & credita sunt tibi.* Beza, *At tu permane in iis quæ didicisti & quæ tibi concredita sunt.* Lutherus, *Du aber bleibe in dem das du gelernet hast, und dir vertrawet ist.* Hic quis Græca ex Latinis concipiat? Certè Interpretes istos legisse ἐπιστεύθης, non ἐπιστώθης, ex versionibus istis collegerim. Castalio vidit aliquid, sed mentem suam obscuriùs exposuit, vertens, *Tu vero in iis persevera quæ didicisti & per quæ fidens factus es. Animadverte*, inquit in Annotationibus, *non esse scriptum* ἐπιστεύθης *sed* ἐπιστώθης, h. e. πιστὸς ἐγένου, *fidens sive Christianus factus es: quâ formâ dicitur* δικαιωθῆναι, ὑψωθῆναι. Clarissimè omnium Paraphrastes Syrus vim vocis ἐπιστώθης expressit, qui, Tremellio interprete, ità habet, *Tu verò persiste in iis quæ didicisti & in quibus confirmatus es.* Est enim ἐπιστώθης idem quod ἐβεβαιώθης Ideo Theophylactus interpretatur ἐπληροφορήθης, *Tu verò mane in iis quæ didicisti & in quibus certior es redditus*, ex interpretatione Loniceri. Sic apud Nazianzenum Orat. in S. Pascha legimus, πιστώθητι τοῖς τύποις τῶν ἥλων, *Clavorum vestigiis tibi fidem faciant.* Hesychio quoque ἐπιστώθη est ἐπείσθης, ἐπληροφορήθης. Quæ omnia locum hunc Pauli pulcrè illustrant. Neque enim in genere tantùm ἔμαθε *didicit* Timotheus, ut multi, sed quod paucorum adeoque electorum proprium, etiam ἐπιστώθη, i. e. ἐπληροφορήθη, adeoque *firmissime de veritate Euangelica fuit persuasus.* Sic igitur versiculum hunc verterim, *Tu vero permane in iis quæ didicisti & quorum plena tibi fides facta est.* ¶ Adhortationem hanc illustrè excipit Scripturæ encomium, de qua pronunciat Apostolus quòd *possit Timotheum* σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, *erudire* (vel *eruditum reddere*) *ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu.* ¶ Deinde particulatim recenset Scripturæ utilitates, Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, *Tota Scriptura Divinitus inspirata est, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia.* Διδασκαλία complectitur ea quæ ad dogmata proponenda & confirmanda pertinent, ἔλεγχος dijudicationem & refutationem pravorum dogmatum, ἐπανόρθωσις correctionem morum, παιδεία informationem morum & justæ piæque vitæ institutionem. Carpunt autem Pontificii interpretationem vocis πᾶσα, quam nolunt *Tota* sed *Omnis* verti; ut probent, Paulum hoc loco non tribuere Scripturæ Sufficientiam. *Nam vox* OMNIS, inquit Bellarminus, *non solum toti corpori Scripturarum, sed etiam singulis libris tribuit eam laudem, ut utiles sint ad, &c. & tamen Chemnitius fatetur, non sufficere quemlibet librum Sacrum.* Sed ut qui in tenebris ambulant, ità qui ad veritatis lucem oculos claudunt, ubique impingunt. Nam nec Grammatica nec Chemnitius Pontificiis ullo modo patrocinantur. Nomen enim Græcum, πᾶς, πᾶσα, πᾶν, interdum Universalitatem significat, rectè Latinè vertitur *omnis, omne*, ut Joh. 3. 15. cùm verò Integritatem, redditur Latine *totus, tota, totum*; veluti in adagio isto, Πλέον ἥμισυ παντός, *Dimidium plus toto*, i.e. integro. Sic 1 Cor. 13. 2. *Si habeam* πᾶσαν τὴν πίστιν, h.e. integrum donum operandi miracula. Ità hic πᾶσα γραφὴ idem est quod ὅλη γραφὴ, adeoque rectè vertitur *tota Scriptura.* Verùm legamus *Omnis*, nihil lucrabitur Bellarminus. Causam enim nostram contra illum aget Ribera Comm. in Zach. 10. 7. ubi axioma hoc Theologicum profert, *Quæ in Scripturis de multis simul dicuntur, non omnia singulis conveniunt, sed quædam his, quædam illis.* Atqui *docere, redarguere, corrigere, erudire* multiplices sunt utilitates, quæ de *omni Scriptura* enunciantur, non ità tamen ut omnia singulis conveniant, sed quædam his, quædam illis. Loquitur porrò Paulus de Scriptura V. & N. T. dicit enim, *Timotheum ab infantia nosse Sacras literas:* at quo tempore infans erat Timotheus nondum exstabant Novi Testamenti libri. Mox addit, *Omnis Scriptura Divinitus inspirata*, &c. quâ generali sententiâ comprehendi etiam scripta Novi Testamenti quæ tum exstabant (exstabant autem ferè omnia, exceptis Joannis scriptis: hæc enim Epistola instante migrationis Pauli tempore scripta est) qui negat, neget idem N. T. scripta illa quæ tum exstitere fuisse θεόπνευστα, ut & *utilia ad doctrinam.* Quanquam si unus duntaxat liber Canonicus exstaret, sufficeret ille quoad substantiam doctrinæ salutaris, licèt ad claram doctrinæ ejusdem explicationem & intelligentiam multis fortassis non satis esset. ¶ Pergit Apostolus, & nè quis de sufficientia Scripturæ possit dubitare, attexit finem enarratarum utilitatum, Ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, *Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* Per *hominem Dei* Cajetanus & alii intelligunt quemcunque fidelem qui totum se Deo addixit. Verùm assentior iis qui *Dei interpretem* designari statuunt. Nam 1 Tim. 6. 11. *homo Dei* est periphrasis Ministri Euangelii. Et sic olim Prophetæ *Viri Dei* vocabantur. Præterea in tota hac Epistola secunda ad Timotheum agit Paulus de ministerio docendi & tradendi Euangelium. Ac nominatim compellat Timotheum ut Ministrum verbi, tum hic, tum 1 Tim. 6. 11. Quin idem declarant nomina illa *doctrinæ, redargutionis, correctionis*, & *institutionis*, quæ sacri Ministerii sunt propria. Ἄρτιος est *perfectus, absolutus, integer.* Hesychius, Ἄρτιον, ὑγιές, ὁλόκληρον. Diodorus de Troglodytis, lib. 3. *Membro aliquo captos aut incurabilis morbo correptos è vita submovent.* Μέγιστον γὰρ τῶν κακῶν ἡγοῦνται τὸ φιλοψυχεῖν τὸν μηδὲν ἄξιον τοῦ ζῆν πράττειν δυνάμενον;

μένον· διὸ καὶ πάντας μὲν ἰδεῖν ἐςι τὰς Τρωγλοδύτας ἀρτίους μὲν τοῖς σώμασιν, ἰσχύοντας δὲ ταῖς ἡλικίαις, Malorum enim hoc maximum arbitrantur, si quis amore vitæ teneatur qui nihil vità dignum agere potest. Ideo Troglodytas omnes videre licet corporibus integris & ætate validâ. Hoc loco ἄρτιος de perfectione Doctoris Evangelici accipitur. Loquitur enim de *homine Dei qui ad omne opus bonum* (quod scilicet ad officium fidi Doctoris pertinet) *ex Scriptura perfectè instruitur.* Ideo vocatur *ἐξηρτισμένος, perfectus, perfectè instructus.* Act. 21. 5. Ὅτε δὲ ἐγένετο ἡμᾶς ἐξαρτίσαι τὰς ἡμέρας, *expletis*, sive *absolutis, diebus.* Estque idem quod κατηρτισμένος Luc. 6. 40. Oecumenius ἐξηρτισμένον interpretatus est πεπληρωμένον. Complutensis editio habet ἐξηρτυσμένος, i. e. *instructus*, seu *compositus*, uno & eodem sensu. Dionysius Antiq. lib. 5. ἐπειδὴ ἅπασιν ἐξηρτύσαντο τοῖς εἰς τὸν ἀγῶνα ἐπιτηδείοις, *cùm jam satis ad bellum instructi viderentur.* Et libro eodem ἐξηρτυσμένη ςρατιὰ, *bene instructus exercitus.* Sententia Apostoli est, *Ministrum Evangelicum Scripturam S. ad usum docendi imperitos, redarguendi adversarios, corrigendi vitam malam, instituendi vitam justam accommodantem, esse Doctorem ἄρτιον, sanum; integrum, & ad omne opus quod ad munus Episcopale requiritur ἐξηρτισμένον, satis sufficienterque instructum.* Quòd si Scriptura sacra Doctoribus sufficit, quidni sufficiat auditoribus? Omnes quippè Christiani sunt σοφισθέντες *eruditi à gratia Dei*, puta per Scripturam. Ideo generatim nomine omnium Christianorum Judæos compellat Justinus Martyr, Dialogo cum Tryphone, ajens, Παύσασθε καὶ ἑαυτὰς καὶ τὰς ὑμῶν ἀκούοντας πλανῶντες, καὶ παρ' ἡμῶν μανθάνοντες τῶν σοφισθέντων ἀπὸ τῆς τοῦ Χριςοῦ χάριτος, *Desinatis & vosipsos & eos qui vos audiunt seducere, & à nobis discere incipiatis quos gratia Christi erudiit*, vel *eruditos reddidit.*

JAC. CAPPELLUS.

8. Quemadmodum *Jannes & Jambres*] Impius Apulejus in Apologia sua, *Si una causa vel minima fuerit inventa cur ego debuerim Pudentillæ nuptias ob aliquod meum commodum appetere, si quamlibet modicum emolumentum approbaveritis, ego ille sim Carmondas, vel Damigeron, vel is Moses, vel Jannes, vel Apollonius, vel Dardanus ipse, vel quicunque alius post Zoroastrem & Hostanem inter Magos celebratus est.* Magis *Mosem* annumerat profanus ille Scriptor, sed & *Janem*, qui Paulo dicitur *Jannes*: & proximè post *Mosem Janis* Apulejus meminit, quòd Moses & Jannes fuerint σύγχρονοι. Non est autem quod anxiè disquiramus undenam Paulo, undenam Apulejo Jannes innotuerit, cùm tot scriptores, non quidem Canonici, sed probæ notæ, & in historicis rebus fide digni pridem interciderint. Quàm multa Judæorum Ἑβραϊζόντων scripta sub Apostolis exstabant quorum hodie neque vola neque vestigium superest? Quotusquisque jam præter Canonicos eorumque Paraphrastas exstat liber Hebraïcè scriptus ante Pauli mortem? Omnes ad unum abolevit Vespasiani primùm, dein Adriani persecutio. Num. 22. 22. legimus de Balaämo, *Ipse autem vehebatur ab asino* (vel *insidebat asino suo*) *& cum eo duo ministri ejus.* Id R. Jonatan Uzielis f. ità παραφράζει, *Et duo ministri ejus Jannes & Jambres erant cum eo.*

13. *Seducentes & seducti*] Seneca ep. 81. *Cùm singulorum error publicum fecerit, singulorum errorem facit publicus.* Idem, *Nemo ita cadit quin alterum in se trahat.*

16. *Tota Scriptura est Divinitus inspirata, & utilis*] Vulgata versio, *Omnis Scriptura Divinitus inspirata est utilis.* Sic & ferè Syrus. Neuter agnoscit copulam καὶ, sed nec Arabs, & tamen hunc locum interpretatur ut nos. Et particulam quidem καὶ licèt illi tres Interpretes non exprimant, non est tamen necessarium eam à codicibus quibus nisi sunt abfuisse. Nam hujusmodi particulas aliquando vel addunt vel demunt Interpretes, ubi putant id fieri posse sine sensûs detrimento. Igitur etiamsi vox hæc abesset, nihilominus interpretari possemus ut Arabs, ut videlicet & θεόπνευςος & ὠφέλιμος sint prædicata duo cujus subjectum sit πᾶσα γραφή. Sed multò magis id debemus agnoscere cùm copulam hanc agnoscant omnes Græci codices, Chrysostomus, Oecumenius. Qui nostram interpretationem respuunt, obtendunt non dici πᾶσα ἡ γραφή, sed πᾶσα γραφή. Sed nec si sequaris interpretationem nostram opus erit articulo. Vox enim γραφή nonnunquam etiam sine articulo, sine adjectivo sumitur Antonomasticè, ut Rom. 1. 2. ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς. 2 Pet. 1. 20. πᾶσα προφητεία γραφῆς. Imprimis autem ubi conjunctum habet ea vox adjectivum aliquod, articulum illum non exigit, ut Joh. 19. 37. καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει Rom. 16. 26. διά τε γραφῶν προφητικῶν. Sed etsi vocem γραφὴ non sumeres hîc Antonomasticè, staret tamen interpretatio nostra, quia diceremus eam vocem ad aliud subjectum non esse referendam quàm ad id de quo locutus est Apostolus versu proximè præcedente. Itaque Chrysostomus in h. l. Τί οὖν; πᾶσα, ποία; περὶ ἧς εἶπεν, φησι, πᾶσα ἱερά· περὶ ἧς διελέγετο, ταῦτα εἴρητο· περὶ ἧς ἔλεγεν, Ὅτι ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας. Sed etsi Vulgatam & Syriacam versionem hîc sequi vel admittere vellemus, nihil tamen decederet nostræ doctrinæ. Tum enim τὸ, θεόπνευςος, dicerem sumendum non διακριτικῶς sed αἰτιολογικῶς, q. d. *Tota Scriptura, cùm sit inspirata Divinitus, est utilis*: alioqui si διακριτικῶς sumas vocem θεόπνευςος, & vocem πᾶσα vertas *omnis*, in casses indues te ex quibus vix te possis expedire, quasi vel minimus Scripturæ S. versus habeat omnes hos usus quos hîc describit Apostolus.

GROTIUS.

1. Τοῦτο δὲ γίνωσκε, *Hoc autem scito*] Multum confirmantur Episcopi ad vitandos & refellendos errores qui subnascuntur, ubi de iis erroribus ante præmoniti sunt. Sic adversus Pseudochristos egregia monita dedere Christus & Johannes. ¶ ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, *quod in novissimis diebus*] באחרית הימים id est, *posthac.* Idem ἐν ὑςέροις καιροῖς (*in novissimis temporibus*) 1 Timoth. 4. 1. Nam utroque modo transfertur illud באחרית. Patet autem agere Paulum de iis quæ Timotheo vivente eventura putabat, ex eo quod infra est 5. ¶ ἐνςήσονται καιροὶ χαλεποί. *instabunt tempora periculosa*] Ἐνεςῶτα sunt *præsentia*, Rom. 8. 38. 1 Corinth. 3. 23. 7. 36. Gal. 1. 4. ἐνςήσονται *aderunt.* Καιροὶ χαλεποὶ (*tempora periculosa*) idem quod ἡμέραι πονηραὶ [*dies mali*] Ephes. 5. 16. & Genes. 47. 9. & Psal. 49. 6. *Formidolosa tempora*, ait Cicero.

2. Ἔσονται γὰρ οἱ ἄνθρωποι φίλαυτοι, *Erunt enim homines seipsos amantes*] Etiam inter Christianos tales erant quidam, eoque faciliores decipi. οἱ ἄνθρωποι [*homines*] בני אדם [*filii hominis.*] φίλαυτοι [[*seipsos amantes*] vox est, si philosophicè eam sumamus, per se media; sed quæ usu tracta est in partem pejorem, ita ut φίλαυτος [*seipsum amans*] intelligatur, ὁ αὐτοῦ ἕνεκα πάντα πράττων κατὰ τὸ λυσιτελὲς [*qui sui gratiâ omnia facit atque ad suum compendium*] ait Aristoteles, addens alibi, ἢ πρὸς τὸ ἡδὺ [*aut ad voluptatem suam.*] Hi sunt ζητοῦντες τὰ ἑαυτῶν, οὐ τὰ τοῦ ἑτέρου [*qui quæ sua, non quæ alterius, sunt quærunt*,] contra quam facere vult Christianos Paulus 1 Corinth. 10. 24. ¶ φιλάργυροι, *cupidi*] בצע בצע [*avaritiæ deditæ.*] Jerem. 8. 10. Vide Luc. 16. 14. 1 Timoth. 6. 10. ¶ ἀλαζόνες, *elati*] *Jactatores.* זדים Proverb. 21. 14. Abac. 2. 5. שחץ Job. 28. 8. Vide Rom. 1. 30. ubi multa huic loco comparia. Plautus *gloriosum* dixit quem Menander ἀλαζόνα. ¶ ὑπερήφανοι, *superbi*] *Contemptores aliorum*, גאים, quæ vox alibi sic vertitur alibi ὑβριςὰς [*contumeliosi*, Rom. 1. 30. Jac. 4. 6. 1 Petr. 5. 6. Marci 7. 22. ¶ βλάσφημοι, *blasphemi*] *In ipsum Deum maledici.* Vide Matth. 26. 65. Nam in hoc sensu eminentiore sumendam hîc hanc vocem, indicat ordo. ¶ γονεῦσιν ἀπειθεῖς, *parentibus non obedientes*] Proximi Deo parentes. Vide idem crimen Rom. 1. 30. ¶ ἀχάριςοι *ingrati*]

Ingratum dicens, omne crimen dixeris.

Vide Luc. 6. 35. Sap. 16. 29. Sir. 29. 19, 28. ¶ ἀνόσιοι, *scelesti*] *Qui fœda patrant.* Vide 1 Tim. 1. 9.

3. Ἄςοργοι, ἄσπονδοι, *Sine affectione, sine pace*] De his vide ad Rom. 1. 31. Et fortè inde huc infarcta sunt; nam desunt in Syriaco. ¶ διάβολοι, *criminatores*] שטנים. Sic dicuntur qui viris bonis se opponunt præsertim calumniando. In his sunt ψιθυριςαὶ, καταλάλοι [*susurrones, detractores*] dicto capite ad Rom. 30. ¶ ἀκρατεῖς, *incontinentes*] Ἀκρατεῖς [*incontinentes*] sunt qui nec in bono nec in malo sibi constant: qualis ille de quo Horatius,

Nil æquale homini fuit illi. —

Vide Aristotelem & Interpretes Nicom. 7. 1. ¶ ἀφιλάγαθοι, *sine benignitate*] Oppositum ei laudi quam habemus Tit. 1. 8. in Glossario, φιλάγαθος *benignus.* Sic πνεῦμα φιλάγαθον [*spiritus benignus*] Sap. 7. 22.

4. Προδόται, *Proditores*] *Qui amicissimos produnt*, qualis Judas Luc. 6. 16. Vide & 2 Maccab. 5. 15. 10. 13, 22. ¶ προπετεῖς, *protervi*] Προπετὲς dicitur omne id quod non bene coctum atque præmeditatum est, ut Actorum 19. 36. Solentque προπετεῖς dici, tum qui assentiuntur, tum qui irascuntur levi de causa. Sed per excellentiam quandam προπετεῖς dicuntur *protervi, procaces, petulantes*, ut est in Glossario, respondetque in hoc

hoc sensu apud Proverbiorum Interpretes tum voci אויל 10. 15. tum פשק 13. 3. ¶ *τετυφωμένοι, tumidi*] *Inflati vanâ de se opinione*, quæ *τύφος* Græcis. Vide 1 Timoth. 3. 6. 6. 4. ¶ *φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι voluptatum amatores magis quam Dei*] Pares illis *quorum deum esse* dixit *ventrem* Philipp. 3. 17. Utraque vox bene efficta ad Græcam formam.

5. Ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι. *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*] Ita opposuit *μόρφωσιν* [*speciem*] & *δύναμιν* [*virtutem*,] quomodo *speciem* aut *imaginem* & *vim* sæpe Tacitus. Μόρφωσιν [*speciem*] habuimus & Rom. 2. 20. Sed ibi nihil habet oppositum, unde significatio ejus contrahatur. Syrus hic אסכמא *convenientiam*. Ἀρνεῖσθαι [*Negare*] hic dicuntur qui factis aliquid destruunt, sicut solent Hebræi à dictis ad facta *μεταφορὰς* [*Translationes*] facere. Vide quæ dicta 1 Tim 5. 8. ¶ *καὶ τούτους ἀποτρέπου. & hos devita*] סור מהם [*recede ab illis*,] *aversere*, ἀφοσιοῦσθαι ut Cicero loquitur. Verbo *ἀποτρέπεσθαι* [*devitare*] pro *φεύγω* [*fugio*] utuntur & elegantes Græci.

6. Ἐκ τούτων γάρ εἰσιν, *Ex his enim sunt*] *Ex horum numero erunt*: præsens pro futuro. ¶ *οἱ ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας, qui penetrant domos*]

Scire volunt secreta domûs, atque inde timeri.

ἐνδύνοντες penetrantes. ἐνδύνειν [*penetrare*] eodem sensu dicunt Physici. Ambrosius, *irrepentes*. ¶ *καὶ αἰχμαλωτίζοντες γυναικάρια σεσωρευμένα ἁμαρτίαις, ἀγόμενα ἐπιθυμίαις ποικίλαις & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, abreptas multis cupiditatibus*] Sequebantur hi veterem artem Pharisæorum, de quibus Josephus 18. 3. Ἦν γάρ μόριόν τι Ἰουδαϊκῶν ἀνθρώπων, ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου νόμου, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις. *Erat enim quædam Judæorum secta exactiorem patriæ legis cognitionem sibi vendicans, quibus tanquam Deo, ut videri volebant, charis addictum erat hoc mulierum sodalitium.*] Eandem artem factitasse quosdam qui se Stoicos simularent, dicit Scholiastes ad Horatii Epistolam primam. Egregiè dictum *αἰχμαλωτίζοντες* [*captivas ducentes*,] quia fœminas faciunt sibi obnoxias, quasi verbo captæ essent. Similes in eadem voce aut pari translationes habemus Rom. 7. 23. 2 Cor. 10. 5. & Judith. 16. 7. & in *ζωγρεῖν* [*vivos capere*,] supra 2. 26. Et maluit *γυναικάρια* [*mulierculas*] dicere, quàm *γυναῖκας* [*mulieres*,] ut illarum mulierum abjectam sortem magis ostenderet, quæ non tantùm vitiosæ erant, sed & *obrutæ* vitiis. Id enim est, *σεσωρευμένα*, ut intelligi potest Proverb. 15. 23. Sic populus Judaïcus כבד עון [*aggravatus iniquitate*] Esaiæ 1. 4. ubi Græci *πλήρης ἁμαρτιῶν* [*peccatis plenus*.] Addit *abreptas multis cupiditatibus*, non illis tantùm sexûs sui, sed & rapacitate, luxu, superbiâ. At Manuscriptus distinctiùs habet, *ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις* [*cupiditatibus & voluptatibus variis*.]

7. Πάντοτε μανθάνοντα, *Semper discentes*] Intererant illæ fœminæ conventibus Christianorum, ubi optima accipiebant præcepta. ¶ *καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμενα. & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*] Ἐπίγνωσιν [*scientiam*] intellige illam activam quæ rebus ostenditur. Et *δυνάμενα* sume, ut Matth. 12. 34. & Marc. 6. 5. ubi dicta vide. Erant *ἔκδοτοι τῷ πάθει* [*deditæ affectionibus*,] ut Clemens loquitur Strom. 2. & Doctores, qui eas severis comminationibus excutere ex hoc veterno debuerant, fovebant ista vitia, pollicentes se precibus suis effecturos ut illæ Deum haberent propitium. Vide Matth. 23. 14. ubi horum præcursores describuntur. Et utinam non & nunc multi sint tales! Vide de hujusmodi fœminis Platonem fine sexti de Legibus.

8. Ὃν τρόπον δὲ Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς, *Quemadmodum autem Jannes & Jambres*] Latini interpretes Græcum exemplar habuit Μαμβρῆς [*Mambres*.] Et sic Magus iste vocatur Numenio, ut ostendimus in Annotatis ad librum 1. pro Veritate Religionis Christianæ. Nec aliter in Thalmudico, titulo de Oblationibus. Alter est *Jannes*, quomodo & Apuleji habent optimi libri: ינס [*Jannus*] in Tanchuma. Nomen est Ægyptium, pro quo יוחני [*Jochanne*] in Thalmude. Hi sunt *Sacerdotes supra Memphim* Artabano. Hæc nomina Paulus non ex scriptura Mosis, ibi enim Magi memorantur non expressis nominibus, sed ex traditione aut veterum scriptis habuit. ¶ *ἀντέστησαν Μωϋσεῖ, restiterunt Moysi*] Exodi 7. 11. & sequentibus. Vide & locum indicatum Artabani. Numenius sic ait, Μουσαίῳ, ita Mosem vocat) *τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γενομένῳ Θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν Αἰγυπτίων* [*Musæo itaque Judæorum Duci, viro cujus preces plurimum apud Deum valuerunt, huic ergo qui rogatu Ægyptiorum astitère.*] Simile vide Actor. 13. 8. ubi est *ἀνθίστατο* [*resistebat*.] ¶ *οὕτως καὶ οὗτοι ἀνθίστανται τῇ ἀληθείᾳ, ita & hi resistunt veritati*] Rursum præsens pro futuro, ut sæpe apud Prophetas. Habebunt & illi suos Pharaones, quos obduraturi sunt. ¶ *ἄνθρωποι κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν, homines corrupti mente*] Sic *διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν* [*hominum mente corruptorum*] 1 Tim. 6. 5. ubi dicta vide. *ἀδόκιμοι περὶ τὴν πίστιν reprobi circa fidem*] *Circa fidem adulterini, rejiculi*. Vide Rom. 1. 28.

9. Ἀλλ' οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον· *Sed ultra non proficient*] *Progressus aliquos facient, sed non diu*. Pari modo Thucydides, *ἐπὶ πλεῖστον ἐξέρχονται· longissimè procedunt*; Hebræi dicerent: לא יכלו הוציא הכונתם [*non possunt ad finem perducere intentionem suam*.] ¶ *ἡ γὰρ ἄνοια αὐτῶν ἔκδηλος ἔσται πᾶσιν, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus*] *Brevi patescet amentia illorum* res suas sub Dei nomine agentium. Ficta non durant diu. In Manuscripto, *ἡ γὰρ διάνοια* [*cogitatio enim*.] ¶ *ὡς καὶ ἡ ἐκείνων ἐγένετο, sicut & illorum fuit*] Illorum Magorum qui Mosi obstiterunt.

10. Σὺ δὲ παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ, *Tu autem assecutus es meam doctrinam*] Tu verò longè aliud habes exemplar ad quod te formes, actiones omnes meas, quibus præsens fuisti. Ita hic accipiunt Chrysostomus, OEcumenius, Theophylactus. Sic Demosthenes de malè obita legatione, *παρηκολουθηκὼς ἅπασι κατηγορῶ, ideo accuso quia omnibus istis præsens adfui*. Idem: *ὅσα τυγχάνω δι' ἐμπειρίαν καὶ τῷ παρηκολουθηκέναι τοῖς πράγμασιν εἰδώς· quæ novi experiendo, & ideo quod rebus adfui*. Timotheus, à matre, credo, & avia commendatus, à puero sectatus erat Paulum, ut ejus vitam spectaret, & ad eam se componeret. Lucas quidem primam Timothei mentionem facit, ubi Paulus Lystra venit Actor. 16. 1. quia tunc in Euangelistam ordinatus fuit Timotheus. At ante id tempus Timotheum adfuisse Paulo, etiam indè apparet, quòd jamjam dicatur Iconii cum Paulo fuisse Timotheus, & Antiochiæ antequam Iconii. Iconii autem Paulus fuit, antequam Lystris, ut videre est Act. 13. 52. 14. 1. 16. 1. *Testis*, inquit, *fuisti mea doctrina ab initio*, quod hic addunt Græci interpretes. ¶ *τῇ ἀγωγῇ, institutionem*] Ἀγωγὴ est *vivendi ratio* 2 Macc. 4 16. 6. 8. 11. 24. *Vidisti*, inquit, *quis fuerit vita mea modus*, נוהג Rabbinis, pari origine. ¶ *τῇ προθέσει, propositum*] *Vidisti & perpetuum animi mei propositum*. Sic *πρόθεσις* sumitur Actor. 11. 23. & 2 Maccab. 3. 8. In Glossario, *πρόθεσις, προαίρεσις, propositum, voluntas*. Intelligit autem propositum propagandi Euangelii, & credentes semper meliores reddendi. ¶ *τῇ πίστει, fidem*] Πίστις [*fides*] hic videtur intelligenda *sinceritas in rebus agendis*, quomodo fermè 1 Tim. 6. 11. אמונה. ¶ *τῇ μακροθυμίᾳ, longanimitatem*] *Lenitas* circa nondum conversos, aut etiam circa lapsos pœnitentes. Vide 2 Cor. 6. 6. Gal. 5. 22. Ephes. 4. 2. Coloss. 3. 12. infra 4. 2. ¶ *τῇ ἀγάπῃ, dilectionem*] Quæ alibi generaliter sumitur, ut omnes virtutes comprehendat, hic verò specialiùs *pro fraterno affectu in Christianos omnes*: sed in Manuscripto abest hoc. ¶ *τῇ ὑπομονῇ, patientiam*] *Quomodo adversis mutatus nihil sim*: quæ adversa jam explicat.

11. Τοῖς διωγμοῖς, *Persecutiones*] *Vidisti accensa in me odia*. Vide Matth. 13. 21. 2 Cor. 12. 10. ¶ *τοῖς παθήμασι, passiones*] *Vidisti quæ mihi incommoda evenerint*. Vide 2 Cor. 1. 6, 7. Coloss. 1. 24. Philipp. 3. 10. ¶ *οἷά μοι ἐγένετο ἐν Ἀντιοχείᾳ, qualia mihi facta sunt Antiochia*] Pisidiæ: nam ibi Paulus fuerat antequam Iconium veniret, Actor. 13. 14. Tangitur autem hic historia quæ est Actor. 13. 45, & 50. ubi vides vi ejectum inde Paulum. ¶ *ἐν Ἰκονίῳ, Iconii*] Tangitur historia quæ est Actor. 14. 2, 4, 5. Ibi lapidatus etiam Paulus. ¶ *ἐν Λύστροις. Lystris*] Tangitur historia quæ est Actor. 16. 18. ubi rursum lapidiatur Paulus. ¶ *οἵους διωγμοὺς ὑπήνεγκα, quales persecutiones sustinui*] Quantæ se Judæorum & Gentium procellæ in me effuderint. ¶ *καὶ ἐκ πάντων με ἐῤῥύσατο ὁ Κύριος, & ex omnibus eripuit me Dominus*] Hebraica constructio pro *ἐξ ὧν πάντων ὁ Κύριός με ἐῤῥύσατο* [*ex quibus omnibus Dominus me eripuit*.] Servavit me Christus rebus majoribus.

12. *Καὶ πάντες δὲ οἱ θέλοντες εὐσεβῶς ζῆν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, διωχθήσονται. Et omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur*] Dixit Sirachides, Τέκνον, *εἰ προσέρχῃ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν* [*Fili, accedens ad servitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem*,] 2. 1. Sed providè hic addit Paulus, *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* [*in Christo Jesu*,] quia ista via secundùm Euangelium supra cæteras hoc habet proprium, quòd mundi odia in se concitat, ideoque multis vexationibus, etiam sævissimis, objacet: quod in ipso auctore ejus viæ Jesu Christo primùm apparuit, qui suis idem [illegible] prædixit Matth. 10. 17, 18. 23. 24. Joh. 16. 33. 17. 14.

13. Πονηροὶ δὲ ἄνθρωποι, *Mali autem homines*] רשעים [*impii,*] *homines omnibus vitiis dediti.* ¶ καὶ γόητες, *& seductores*] *Deceptores.* Sic λόγοι γοητικοὶ [*sermones præstigiatorii*] Aquilæ Prov. 26. 22. qui aliis μαλακοὶ מתלהמים [*blanditiæ.*] In Glossario, γόης, ὁ κόλαξ, *blanditor.* Sic Demosthenes γόης Æschini. ¶ προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, *proficient in pejus*] Magis magisque fient inverecundi; & primùm quæstiones inferent, deinde ipsa evertent Christianismi fundamenta. ¶ πλανῶντες, *in errorem mittentes*] Doctores enim illi plebem *decipiunt,* ¶ καὶ πλανώμενοι. *& errantes*] *Decipiuntur* iidem à Philosophis, præsertim à Pythagoristis, qui multi Ephesi, ut ad Epistolam Ephesiis inscriptam diximus. πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, מתעים ונתעים [*errare facientes & errantes.*]

14. Σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες, *Tu verò permane in iis quæ didicisti*] Similis admonitio 1 Timoth. 6. 14. ¶ καὶ ἐπιστώθης, *& credita sunt tibi*] Receptus sermo fuerat ἃ ἐπιστώθης [*quæ credita sunt tibi,*] sed est constructio κατὰ σύλληψιν [*per complexionem,*] ubi quid communiter de duobus dicitur, quod secundùm exactam regulam alteri tantùm convenit. ¶ εἰδὼς παρά τινος ἔμαθες· *sciens à quo didiceris*] Vult dicere, à me homine minimè mendaci ac tibi optimè volente. In Manuscripto παρά τινων [*à quibus,*] *à me & Barnaba.*

15. Καὶ ὅτι ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας, *Et quia ab infantia sacras Literas nosti*] Quæ sint ista ἱερὰ γράμματα [istæ *sacræ literæ*] jam audiemus. Mos erat & est nunc quoque Judæorum, à prima ætate quæ literarum capax est, sacra Scripta legenda dare pueris. ¶ τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ *quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu*] Hoc dicit, *Literæ istæ te ducunt ad Christum, qui in se credentibus confert salutem.* Idem sensus Joh. 5. 39. ubi dicta vide. σοφίσαι להחכים, *instruere.* Sic David de Lege Psalm. 19. 8. מחכימת פתי, σοφίζουσα νήπια [*sapientiam præstans parvulis.*]

16. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum*] Benè expressit sensum Syrus: *omnis Scriptura quæ à Deo inspirata est, etiam utilis est ad docendum,* &c. Deum enim nihil frustra facit, nec inspirat homines, nisi ad nos docendos. Scriptura autem θεόπνευστος [*divinitus inspirata*] ea est quæ scripta est aut ab iis qui Prophetarum munia obiere, ut Mose, Esaïa, Jeremia, Ezechiele, aut ab iis qui licet in alio essent vitæ genere, à Deo tamen certis temporibus afflati fuere, ut David & Daniel. His accessionis vice, & ad implendam aut sapientiam moralem, aut historiam, additi sunt libri nonnulli alii, probati à Magna Synagoga, tanquam optime convenientes cum illis θεοπνεύστοις [*divinitus inspiratis*] Addidit his ipsis & alios postea Christianæ Ecclesiæ, tum Græcæ, tum Latinæ consensus. Πρὸς διδασκαλίαν ללמדה [*ad docendum.*] Vide Rom. 15. 4. Docent nos libri isti Prophetici non omnia quæ Christus, sed tamen aliqua eò pertinentia, Galat. 3. 24. 2 Petri 1. 19. ¶ πρὸς ἔλεγχον, *ad arguendum*] לתוכחה, ut in Proverbiis aliquoties. *Utilis est ad monstrandam turpitudinem graviorum criminum.* Non occides, Non mœchaberis, &c. ἔλεγξιν [*correptionem*] eodem sensu dixit Petrus 2. Epist. 2. 16. Quid sit ἐλέγχειν [*arguere*] videbis Matth. 18. 15. Luc. 3. 19. Joh. 3. 20. 1 Cor. 14. 24. 1 Tim. 5. 20. Infra 4. 2. Tit. 1. 9, 13. 2. 15. ¶ πρὸς ἐπανόρθωσιν, *ad corripiendum*] Est quoddam discrimen inter ἔλεγχον [*redargutionem*] & ἐπανόρθωσιν [*correctionem.*] ἐλέγχονται [*redarguuntur*] inverecundi: ἐπανορθοῦνται [*corriguntur*] teneri, fragiles. ὀρθοῦν vel ἐπανορθοῦν est נצב, *labantem sustentare.* ¶ πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ. *ad erudiendum in justitia*] למוסר בצדק. Eos qui jam bene cœpere, magis magisque dirigunt Scripturæ illæ ad insistendum iter innocentiæ.

17. Ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. *Ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*] Melius alii Codices, ἐξηρτισμένος [*consummatus.*] Sequens membrum hic ἐξήγησις [*explicatio*] est præcedentis, ut supra 2. 21. ἄνθρωποι Θεοῦ [*homines Dei*] olim vocabantur Prophetæ: nunc meliori jure Doctores Novi Testamenti, ut diximus ad 1 Tim. 6. 11. Adde Luc. 10. 24. ubi isti Doctores Prophetis veteribus præferuntur. ἄρτιος idem quod τέλειος, שלם aut נכון κατηρτισμένος [*perfectus*] Luc. 6. 40. Syrus comma posuit post ἔργον ἀγαθὸν [*opus bonum,*] & copulam ante ἐξηρτισμένος [*consummatus,*] & illud ἄρτιος vertit גמיר, quod est *consummatus.* Illud verò ἐξηρτισμένος משלם, quod eundem aut vicinum cum altero habet sensum. Et mos est Hebræorum pluribus verbis ea eloqui quæ penitus imprimere lectoribus volunt. Eum qui est ἄρτιος aut ἐξηρτισμένος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν [*consummatus ad omne opus bonum*] Rabbini vocant מושלם בכל מדות [*perfectum in omnibus virtutibus.*]

P R I C Æ U S.

1. TOῦτο δὲ γίνωσκε] Ità Luc. 12. 9. Τοῦτο δὲ γινώσκετε· & Luc. 10. 11. Πλὴν τοῦτο γινώσκετε· 2 Pet. 3. 3. Τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες· & Matth 24. 43. ἐκεῖνο δὲ γινώσκετε. Vide & 2 Pet. 1. 20. Aristophanes Thesmophor. Σὺ τοῦτο γίνωσκε. Donatus in Eunuch. 3. 1. *Monentis est dicere, Scin'? vel Scito.*

Ibid. ὅτι ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται καιροὶ χαλεποί] Ὅτι ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται, &c. Petrus jam dicto loco. In vetere Mimo,

Quotidie est deterior posterior dies.

Ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις, est & in Græco Esaiæ 2. 2. &, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, Dan. 2. 28. Vide 1 Tim. 4. 1.

2. Φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, βλάσφημοι, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχάριστοι, &c.] Συναθροισμός, cui ex magna parte respondet hic Auctoris ad Herennium, lib. 4. *Cupidus, intemperans, impius in parentes, infestus in cognatos, in superiores contumax, in pares fastidiosus, in inferiores crudelis,* &c.

Ibid. Φίλαυτοι]

—— Quos subsequitur cæcus amor sui.

ζητοῦντες ἑαυτοῖς τὸ πλεῖον ἐν χρήμασι καὶ τιμαῖς καὶ σωματικαῖς ἡδοναῖς ἀπονέμειν ut 9. 9. apud Andronicum Rhodium. Seneca cap. 10. De vita beata, *Insolentiam, & nimiam æstimationem sui,* &c. *& amorem rerum suarum cæcum & improvidum.* Horatius in eodem argumento,

Stultus & improbus hic amor est, dignusque notari.

Quod & convenit cum hisce Aristoteles Ethic. lib. 9. Ἐπιτιμῶσιν (οἱ ἄνθρωποι) τοῖς ἑαυτοὺς μάλιστα ἀγαπῶσι, καὶ ὡς ἐν αἰσχρῷ φιλαύτους ἀποκαλοῦσι. Hesychius, Φιλαυτία, τὸ πάντα πρὸς τὰ ἑαυτῷ ἀρέσκοντα πράττειν. Speciem ejus habemus in Euripideis illis, Συναλλάσσειν βαιὸς, ἑαυτῷ δὲ ἄριστος.

Ibid. φιλάργυροι] Πλούτου ὀρεγόμενοι, ἀεὶ τὸ παρὸν ἐνδεέστερον τοῦ λοιποῦ ἡγούμενοι, καὶ τὸ κτηθὲν ἔλαττον τοῦ προσδοκωμένου, ut Dissert. 20. apud Maximum Tyrium. Contrarium Heb. 13. 5. ὁ τρόπος ἀφιλάργυρος. Vulgat. bene, *cupidi.* In Glossario, Φιλάργυρος, *avarus, cupidus.* Vide ad 1 Tim. 6. 10. notata.

Ibid. ἀλαζόνες] Scholiastes ad Equites Aristophanis, Ἀλαζὼν, ὁ μείζονα τῆς ἑαυτοῦ ἀξίας κομπάζων καὶ φρονῶν. In Glossis, Ἀλαζὼν, *jactator, gloriator,* &c. Gellius 13. 29. *Homo ineptè gloriosus.* Suidas, Παρὰ τῷ Ἀποστόλῳ, τοὺς ἐφ' οἷς οὐκ ἔχουσιν αὐχοῦντας ὡς ἔχοντας, ἀλαζόνας νοητέον. Quò pertinent & ista Apuleji de Platone loquentis, *Imperitis morbum ex gloriosa jactatione contingere,* (ait) *cùm eorum quorum ignarus est aliquis, doctrinam scientiamque mentitur.* Similia 4. 7. Ethic. apud Aristotelem occurrunt. Vulgatus heic *elati,* eruditè. Gellius 9. 15. *Præfatur arrogantiùs & elatiùs:* &c. Sic Plinius lib. 1. Epist. 9. *Gloriosiùs & elatiùs:* & 7. 22. *Nihil volo elatiùs* (i. e. gloriosiùs) *dicere.*

Ibid. ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι) *Molesti, odiosi, intempestivi, sibi placentes,* ut Epist. 88. apud Senecam: *multiloqui, gloriosi, insulsi,* ut in Plauti Pseudolo. Hesychius, Ἀλαζὼν, ὑπερήφανος, &c. Ἀλαζονεύεται, ὑπερηφανεύεται. Ἀλαζόνας hic D. Ambrosius *insolentes* vertit. In Glossis, *Insolenter,* ὑπερήφανος, ἀλαζών.

Ibid. ὑπερήφανοι] Servius ad Æn. 11. *Apud Majores superbia ingens facinus fuit, adeò ut Tarquinius pro multis sceleribus Superbi nomen acceperit.* Pacatus in Panegyrico suo, de Eodem, ac de iisdem, *Hominem libidine præcipitem, avaritiâ cæcum, crudelitate immanem, furore vecordem, vocaverunt Superbum: & putaverunt sufficere convicium.*

Ibid. βλάσφημοι] In Deum nempe, ut bene hîc Vir summus annotavit. Irenæus in Præfatione lib. 4. *Nunc autem quoniam novissima sunt tempora* (ἔσχαται, diceret Paulus, ἡμέραι εἰσὶ) *extenditur malum in homines, non solùm apostatas eos faciens, sed & blasphemos in plasmatorem instituit.*

Ibid. γονεῦσιν ἀπειθεῖς]

—— Qui audire monentes.
Sæpius indomitâ contemnunt aure parentes.
—— Qui jussa parentum
Rejiciunt, & præceptis parere recusant.

Deuteron. 21. 20. Υἱὸς ἡμῶν οὗτος ἀπειθεῖ, &c. καὶ οὐχ ὑπακούει τῆς φωνῆς ἡμῶν. Adde Terentii locum infrà ad 4. 4. adducendum. Glossarium, Ἀπειθὴς, &c. *contumax, inobtemperans, inobediens.* Huic vitio opponitur Sirachid. 3. 8. τοῖς γεννήσασιν αὐτὸν, ὡς δεσπόταις, δουλεύειν· & Luc. 15. 29. πατρὶ δουλεύειν, καὶ τὰς αὐτοῦ ἐντολὰς οὐ παρέρχεσθαι.

Ibid. ἀχάριστοι] Pollux 5. 32. Onomastici, Ὁ ἀποστερῶν χάριν, ἀχάριστος. Xenophon Memorab. lib. 2. Τοὺς εὖ παθόντας, ὅταν δυνάμενοι χάριν ἀποδοῦναι, μὴ ἀποδῶσιν, ἀχαρίστους καλοῦμεν.

μεν. Cicero 9. 7. ad Atticum, de Pompejo. *Ità meruisse illum de me puto, ut ἀχαριςίας crimen subire non audeam.*

3. Ἄςοργοι] Hesychius, Ἀςόργως, (respicit locum Rom. 1. 29.) τὰς μὴ ἀγαπῶντάς τινας. ubi malim τινα legi. Vulgat. heic, *sine affectione.* In Glossis, Στοργὴ, *affectio.*

Ibid. διάβολοι] In Glossis iisdem, Διάβολος, *criminator.* Vide Ezech. 22. 12. 1 Tim. 3. 11. & ad Titum 2. 3. notata. Polluci διαβλητικὸς, non διάβολος, probatur.

Ibid. ἀκρατεῖς] Scholiastes MS. in bibl. Florent. Ἀκρατεῖς, τουτέςι, γλώσσης, καὶ γαςρὸς, καὶ τῶν ὑπὸ ταύτην. Vulgat. *incontinentes*; Recentior *intemperantes*: parùm interest. Glossarium, Ἀκρατὴς, *incontinens, intemperans.* Tales Gellio, qui *à quibus rebus voluptatibusque se tenere debent, non tenent,* 17. 19. Cicero in Tuscul. quæst. *Appetitione nimiâ, quàm tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandam animi à temperantia & moderatione plurimum dissidentem.* Apulejus in de Philosophia, *Immoderatum ingenium* (q. d. ἀκρατὴς φύσις) *in quæcunque proruerit, modum non habet.*

Ibid. ἀνήμεροι]

——Quibus ingenium est immansuetumque ferumque.

Glossæ, Ἀνήμερος, *immitis, immansuetus.* Glossæ aliæ, *Immitis,* ἀνήμερος, ἀσυμπαθὴς, ἀπηνής. Prudentius,

Immitis, atrox, sævus, implacabilis.

Suidas, Ἄγριον, ἀνήμερον. Hesychius, Ἀνημέρων, ἀγρίων. Arrianus 1. 3. in Epictetum, Λύκοις ὅμοιοι, ἄγριοι, θηριώδεις, καὶ ἀνήμεροι. In versu Græco,

Ὦ θηρῶν, βροτὲ, μᾶλλον ἀνήμερε.

Ex quo fortasse Ovidius,

Mutum inventum quàm te genus omne ferarum.

Seneca 3. 8. de Ira, *Difficilis, & indomita natura,* (i. e. ἀνήμερος.) Pacuvius de Ajace, *fero animo & indomabili.* Cicero apud Lactantium 5. 11. *Si nemo est quin emori malit quàm converti in aliquam figuram bestiæ, quamvis hominis mentem sit habiturus: quanto est miserius in hominis figura esse animo efferato!*

Ibid. ἀφιλάγαθοι] Scholiastes MS. ille in Florent. biblioth. Ἐχθροὶ παντὸς ἀγαθοῦ.

4. Προδόται] Scholiastes idem, Προδόται φιλίας καὶ ἑταιρίας planè ut de Alfeno Catullus,

———Unanimis falsè sodalibus:

& ibidem,

Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.

E converso apud Theognidem,

Οὔτε τινὰ προὔδωκα φίλον καὶ πιςὸν ἑταῖρον.

Aristophanes Thesmoph. ex persona Euripidis, de sequiore sexu, τὰς προδότιδας, τὰς λάλας.

Ibid. προπετεῖς] Vulgat. *protervi.* Ità in Glossario, *Protervus,* προπετὴς &, *Protervitas,* προπέτεια. Ab hujus vitii trunco multi rami pullulant. Προπετεῖς enim dicas qui facilè irascuntur,

——— Quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis.

Προπετεῖς sunt & qui πρόγλωσσοι, citò in verborum aut insolentiam aut amaritudinem erumpentes. Hinc Proverb. 13. 3. in Gr. προπετὴς χείλεσι Sirachidis 9. 18. ἐν λόγῳ προπετὴς apud Suidam, Προπέτεια, ἡ ἀχαλίνωτος γλῶσσα· &, γλώσσῃ προπετεῖς, in Græco Epigrammate. Lego in Glossario, *Temeratores,* προπετεῖς· ubi *temerarii* (cunctanter tamen, nè temerariè) scribendum conjiciebam. Et en ecce istum Senecæ locum, *Quidam non habent iram in potestate, & illos ad temeraria verba qualibet indignatio effert.* Sunt & προπετεῖς, qui πρόχειροι dicti, i. e. manu prompti. Pollux 8. 7. Onomastici, Ἐπὶ δὲ τοῦ ὑβρίσαντος, ὑβριςὴς, &c. πρόχειρος, προπετὴς, &c. In versiculis Phocylidis dictis,

Μὴ προπετὴς τὴν χεῖρα, χαλίνου δ' ἄγριον ὀργήν.

Προπετεῖς dicuntur & qui Latinis *præcipites*, nempe in rebus aggrediendis. Hinc *hominem consiliis præcipitem*, Cicero in Philippicis dixit. Erotianus in Onomastico, Ἐν τῷ βίῳ προπετεῖς λέγομεν τὰς μὴ κατέχοντας ἑαυτῶν, ἀλλ' ὅσοι πρὸ καιροῦ ταῖς πράξεσι προσπίπτοντας. Quò pertinere etiam videntur Hesychii illa, Προπετὴς, προπίπτων πρὸ τοῦ λογισμοῦ· necnon Glossarii ista, *Perperus,* προπετής· ubi malim *properus* legi: Ità enim in eodem Glossario, *Præproperat,* προπετεύεται. Has omnes, & si quæ aliæ hujus vitii species, Apostolus voce istâ satis laxâ complexus videtur.

Ibid. τετυφωμένοι]

——— Φυσῶντες ἐφ' ἑαυτοῖς μέγα.

Ulpianus ad Demosth. Philipp. 3. Τετυφωμένον καλοῦμεν τὸν, &c. μεῖζον ἢ προσήκει φρονοῦντα. Quintilianus 2. 2. *Hinc tumor, & vana de se persuasio,* &c. Vide ad 1 Tim. 6. 4 annotata.

Ibid. φιλήδονοι] Φιλήδονοι sunt *qui effrenatis cupiditatibus omnia voluptatum genera haurire avent,* ut loquitur libro de Philosophia Apulejus. Suidas, Φιλήδονος, ὁ ταῖς ἡδοναῖς χαίρων· & in vetere Onomastico, *Voluptuosus,* Φιλήδονος. Clinias Pythagoricus, Φιληδονία ἐςὶν ἐν ταῖς ἀπολαύσεσι ταῖς διὰ σώματος. Demophilus ex ejusdem Scholæ scitis docet Φιλήδονον καὶ φιλόθεον τὸν αὐτὸν ἀδύνατον εἶναι. quod idem habet & Alterius in Photii bibliotheca. Et id quidem verum est secundùm communem acceptionem vocis, jamque adductas finitiones; Philosophorum autem nonnulli (putà Epicureos) *Voluptatem* non solùm bonum dixerunt esse, sed & summum bonum: alii (ut Stoici, si non bonum, saltem nec malum esse, sed ἀδιάφορον itaque eundem & σπουδαῖον esse posse, & *voluptuosum.* Cassius ad Ciceronem scribens, Famil. 15. 19. *Itaque & Pansa qui ἡδονὴν sequitur, virtutem retinet, & is qui à nobis,* (i. e. nostris intelligit autem Epicureos) *φιλήδονοι vocantur, sunt φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι, omnesque virtutes colunt & retinent.*

Ibid. φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι] Ità φίλαυτοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι dixit Philo Judæus, περὶ φυγάδ. 12. 43. &, πολύνους μᾶλλον ἢ πολυλόγος, 6. 35. Julius Pollux in Onomastico. Nec abhorrent Christi apud Joannem ea, τὴν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἢ τὴν τοῦ θεοῦ δόξαν ἀγαπᾷν. Φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι εἶναι, est quod ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς μᾶλλον ἢ τῷ θεῷ δουλεύειν, Basilius scribens ad Amphilochium vocat. Ejusmodi φιληδονίας pars est, οὐ τῷ Κυρίῳ, (ut Rom. 16. 18.) ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ δουλεύειν. Contraria laus Dionis in Platonis Epistolis, Ἀρετὴν περὶ πλείονος ἡδονῆς, &c. ἡγατηκώς.

5. Ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας] Μετασχηματιζόμενοι (ut 2 Cor. 11. 13. illi) εἰς φωτὸς ἀγγέλους. Similes planè Colossis, qui τὴν ἔξωθεν θεοπρεπῆ ΜΟΡΦΗΝ ἔχοντες, ἐντὸς εἰσι γυμνοὶ, καὶ λίθοι, καὶ μόλιβδοι, Plutarch. in πρὸς ἡγεμ. ἀπαιδ. μόρφωσιν εὐσεβείας ἔχειν, est quod Philoni in de Plantatione Noë, & Eusebio in Hieroclem, εὐσέβειαν ἐπιμορφάζειν. Hinc & μόρφωνες ejusmodi impostores Ignatio ad Magnesios dicti. Tacitus Annal. 16. de Egnatio Sorani accusatore, *Habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, cæterùm animo perfidiosus & subdolus.* Philo in de Mosis vita, Τὴν τοῦ σώματος μορφὴν, &c. ἐπὶ θήρᾳ καὶ ἀπάτῃ προβεβλημένοι· quod infrà hic com. 6. αἰχμαλωτεύειν.

Ibid. τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι] Ut illi Tit. 1. 16. θεὸν ὁμολογοῦντες εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις αὐτὸν ἀρνούμενοι. Δύναμιν, vim intellige, 1 Cor. 4. 19. Apostolus idem non dissimili oppositione, Γνώσομαι, οὐ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων, ἀλλὰ τὴν δύναμιν. Sic, *verbis* legum, *vim* potestatemque earum opponit Celsus ff. Tit. de Legibus, virtutis *nomini, vim,* rationem & effectum ejus, Lactantius 6. 5. &, *modulato facundiæ sonitui, vim rerum,* 11. 13. A. Gellius. Tertullianus, *Imago cùm lineas veritatis* (quasi diceret, μόρφωσιν ἀληθείας) *exprimat, vi tamen ipsâ caret:* 2 contra Marcionem.

Ibid. καὶ τούτους ἀποτρέπου]

Hi tibi sint Syrtes, hæc Acroceraunia vita.

Ἀφίςασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, ut 1 Tim. 6. 5. ubi dicta vide. Vulgatus bene, *devita.* Vult enim dicere Apostolus, hujusmodi cornu ferientibus, vel cornipetis, caveto occursare. Cæsar in Commentariis, *Iis omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt.* Phocylides,

— Κακόεργον ἀποτρωπᾶσθαι ἀνάγκη.

Sic, τοὺς ἀδίκους ἀποςρέφεσθαι, Simplicius in cap. 38. Epicteti dixit. Ignatius verò ad Smyrnenses, Οὓς οὐ μόνον ἀποςρέφεσθαι χρὴ, ἀλλὰ καὶ φεύγειν. Hesychius, Ἀποτρώπωμεν, ἀποφύγωμεν. E converso apud Eundem, Προσρεπόμενοι, σέβοντες, τιμῶντες, &c.

Ibid. τούτους ἀποτρέπου] Contra 1 Cor. 16. 18. τοιούτους ἐπιγινώσκετε.

Ibid. τούτους ἀποτρέπου· Ἐκ τούτων γάρ εἰσιν οἱ ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας, καὶ αἰχμαλωτεύοντες γυναικάρια σεσωρευμένα ἁμαρτίαις.]

——— Fidei specie grassantur inani,
Perque aditus crebros lucra pudenda petunt.

Nulla domus iis clausa, nec maritumfamiliàs tam absconditum secretum quin eò tempestivè interveniant: ut huc trahamus quæ Apulejus dixit de Cynico Cratete. D. Hieronymus ad Eustochium, *Viros quoque fuge* (q. d. ἀποτρέπου) *quos videris catenatos, quibusque fœminei,* &c. *crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientiâ frigoris pedes,* &c. (en μόρφωσιν εὐσεβείας) *qui postquam nobilium introierunt domos, & deceperunt mulierculas oneratas peccatis,* &c. *tristitiam simulant, &*

quasi

quasi longa jejunia furtivis noctium cibis protrahunt. Et pòst, *Quidam in hoc omne studium posuerunt, ut matronarum nomina, domos, moresque cognoscant, e quibus unum, qui hujus artis est princeps, breviter strictimque describam. Cum Sole festinus exsurgit, salutandi ei ordo disponitur,* &c. *& penè usque ad cubiculum dormientium,* &c. *ingreditur.* Plutarchus in De amici & adulat. discrim. Εἰς τὰ δωμάτια καὶ τὰς γυναικωνίτιδας ἐντείνοντες ὥσπερ πλεκτάνας τὸ πολυπράγμον, &c. Ἐνδύνειν & εἰσδύνειν dicitur de anguibus. Homerus Iliad. γ'. 880· ubi vetus Scholiastes, Τὸ ἐπῆλθε μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν εἰς τοὺς φωλεοὺς καταδυόντων ἑρπετῶν. Furtivis ejusmodi animalium lapsibus impostorum istorum artes & fallacias Apostolus comparat. De similis notæ mendicabulis habemus & Judæ com. 4. παρεισδύνειν· ad quem locum itidem annotata vide. Ἐνδύνειν autem εἰς οἰκίαν, non Paulus tantùm, sed & Aristophanes dixit. Vulgat. *penetrant domos*, aptissimè. Sic, *domum penetrare*, l. 5. & *larem penetrare*, l. 3. Apulejus. Glossæ, *Penetrat*, ἐνδύνει. Hesychius, Ἐνδύναι, εἰσδύναι, εἰσελθεῖν. Αἰχμαλωτεύοντες γυναικάρια, Ambrosius *mulierculis irrepentes* vertit. Ità, *animis muliercularum arrepere* (nisi fortè *irrepere* legendum) apud Tacitum Annal. 3. ubi & *muliercula*, γυναικάριον· ut & Seneca (per contemptum,) *mulierculas*, Epist. 63. dixit; & *mulierculam* Petronius. Anonymus de nescio quo apud Suidam, Πολλὰς τῶν γυναικῶν τῇ πειθανάγκῃ κατήγαγεν. Tacitus Annal. 5. de Fusio Gemino, *Alliciendis fœminarum animis aptus*: ubi *allicere* est ferè quod Paulo αἰχμαλωτεύειν. Vulgatus, *captivas ducentes*. Glossæ, Αἰχμαλωτίζω, *capto*, (meliùs *capio* legas) *captivum duco*. *Capere* autem, vel *captivas ducere* heic, est quod Rom. 16. 18. διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας τὰς καρδίας ἐξαπατῶν. Sic, *capi linguâ alicujus*, at sensu meliore, (ut 2 Cor. 10. 5. αἰχμαλωτίζειν) habemus 16. 3. apud Gellium. Σεσωρευμένα bene Vulgatus idem *oneratas* vertebat. Hesychius (qui hunc locum videtur respexisse) non aliter intellexit, cùm σεσωρευμένα, βεβαρημένα exposuit. Non dissimile apud Salustium *flagitiis & facinoribus cooperti*.

6. ἀγόμενα ἐπιθυμίαις ποικίλαις] Id est, πολλαῖς ἀνοήτοις καὶ βλαβεραῖς ἐπιθυμίαις, ut 1 Tim. 6. 9. locutus. Ἄγεσθαι ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας, dixit & 3. 12. Andronicus Rhodius. Cebes Thebanus in Tabula sua, de vitiosè viventibus, Ἄγονται κεκρατημένοι, ὥσπερ ὑπὸ πολεμίων, οἱ μὲν ὑπ' ἀκρασίας, οἱ δὲ ὑπ' ἀλαζονείας, οἱ δὲ ὑπὸ φιλαργυρίας, ἕτεροι δὲ ὑπὸ κενοδοξίας, οἱ δὲ ὑφ' ἑτέρων κακῶν. Contrà Galat. 5. 18. πνεύματι ἄγεσθαι· & apud Isocratem, De R. Euagora, ἡγεῖσθαι τῶν ἡδονῶν, ἀλλ' ὑπ' αὐτῶν μὴ ἄγεσθαι. MS. magnæ antiquitatis qui in Anglia, habet pleniùs, ἀγόμενα ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις. Ità Tit. 3. 3. ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις δουλεύειν (quod hoc loco ἄγεσθαι.) Sic & ἐπιθυμίας καὶ ἡδονὰς junxit Plato ipse in Gorgia, & Critone.

7. Πάντοτε μανθάνοντα, καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμενα] Quasi qui semper in via pergunt, ad finem viæ autem non unquam perveniunt. Simillimè Maximus Tyrius Dissert. 1. Μὴ δυναμένας ἀπαλλάττεσθαι τῆς ἀλητῆς, &c. ἰόντας δ' ἐπ' αὐτὸ ἀπαθεῖς ὁδοὺς καὶ πεπλανημένας· & Arrianus 2. 6. in Epictetum, Ἔξεζη τὸν ἀεὶ τὸν ἔνοικον καὶ μηδέποτε εὑρεῖν δυνάμενος. Lactantius 3. 30. *Hoc est illud quod Philosophi omnes in tota vita sua quæsiverunt, nec unquam tamen,* &c. *tenere valuerunt.* Apulejus de Deo Socrat. de imperitorum turba, *Prive vera rationis,* &c. *impos veritatis*: ubi *impos veritatis* est, εἰς ἀληθείας ἐπίγνωσιν ἐλθεῖν μὴ δυναμένη. Tale & Philonis (De Temulent.) illud, ἀεὶ τῶν ἀνηνύτων διψῶντα δι' ἐπιστήμης χρησίμων· nec non hoc Propertii,

> *Semper amans, fructu semper amoris egens.*

Suidas, de Zenone quodam, Judæo Alexandrino, Νεὼτερος ὤν, &c. μαθήματων, ἐφιέμενος μὲν ἀεί τι μανθάνειν, καὶ ἐρωτῶν δ, τι ἂν ἀγνοοῖ, πάντα δὲ σχεδὸν ἀγνοῶν. Jul. Firmicus Mathes. 5. 2. *In omnibus tardè proficient, laborantes tamen fortiter.*

Ibid. μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν, &c.] Sic Rom. 10. 2. ζῆλον ἔχειν, ἀλλὰ οὐ κατ' ἐπίγνωσιν.

8. κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν] Vide ad 1 Tim. 6. 5. dicta.

9. Ἀλλ' οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον] Seneca Epist. 79. *Nihil simulatio proficit,* &c. In Latino Sirachidis 28. 26. de lingua calumniatrice, *Perseverantia illius non permanebit*, Tale & Claudiani illud,

> *Sed caret eventu nimius furor, improba nunquam*
> *Spes læta diu.* ———

ἐπὶ πλεῖον προκόπτειν heic, ut suprà 2. 6. & Act. 4. 17. ἐπὶ πλεῖον διανέμεσθαι.

Ibid. ἡ ἄνοια αὐτῶν ἔκδηλος ἔσται, &c.] Sic, ἄνοιάν τινος ἐκκαλύπτειν, Var. 12. 51. apud Ælianum.

Ibid. ἡ γὰρ ἄνοια αὐτῶν ἔκδηλος ἔσται πᾶσιν] Q. d.

> *Verùm id non impunè ferent, namque omnibus illi*
> *Noscentur.* ———

Apud Terentium ille,

> *Non potest celari nostra diutiùs jam audacia:*

ubi & *audacia*, ἄνοια. In Epistolis Apollonii dictis, Περαιοῖ δὲ οὐδὲν, οὐδὲ γὰρ λαθεῖν δύναιο. Incertus apud Stobæum,

> Ψευδόμενος οὐδεὶς λανθάνει πολὺν χρόνον.

Hecuba apud Euripidem de falsa speciosè eloquentibus,

> Σοφοὶ μὲν εἰσ' οἱ τὰ δ' ἠκριβωκότες,
> Ἀλλ' οὐ δύνανται διὰ τέλους εἶναι σοφοί.

Id est, ἐπὶ πλεῖον οὐ δύνανται προκόπτειν. Vide Luc. 8. 17. 1 Tim. 5. ult. Ἔκδηλος ἔσται, me nempe, qui genus eorum jam signo tantùm, nominatim perstringente eos, atque opera (ut 3. Joh. 10.) quæ faciunt commonente. Ovidius in Ibin,

> ——— *Ego te nondum ferro jaculabor acuto,*
> *Protinus invisum nec petet hasta caput:*
> *Et neque nomen in hoc neque dicam facta libello,*
> *Teque brevi qui sis dissimulare sinam:*
> *Postmodo, si perges, in te mihi liber Iambus*
> *Tincta Lycambæo sanguine tela dabit.*

Aut, ἔκδηλος ἔσται, nimirum ex operibus ipsorum. Vide Matth. 7. 16. & quæ ibi annotata. Irenæus Præfat. lib. 1. de Ptolemæistis, *Jam autem secundùm gratiam Dei, in manifestum venerunt doctrina ipsorum: nihil enim est coopertum quod non revelabitur.* Euthymius ad Matth. 13. ea, CUM FRUCTUM HERBA FECISSET, TUNC APPARUERUNT ET ZIZANIA; *Quemadmodum zizania usque ad fructificationem occultata crescunt, tunc autem dignoscuntur: ità & hæretici quousque doceant, latentes permanent, ubi verò magnam sumpserunt fiduciam, tunc,* &c. *dignoscuntur.*

10. σὺ δὲ, &c.] Vult dicere, ut Heb. 6. 9. περὶ σοῦ πέπεισμαι τὰ κρείττονα. Sedulius hoc loco, *De te non timeo.* Plinius lib. 9. Epist. 5. *A quo vitio tu longè recessisti. Sed temperare non possum quo minus laudem; similis momenti:* & Epist. 9. *Plerique tantùm viventes amant, aut potiùs amare simulant: sed tibi perennis fides,* &c.

Ibid. παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ, τῇ ἀγωγῇ, τῇ προθέσει, &c.] Didicisti

> ——— *Sub me tollerare magistro*
> *Militiam & pietatis opus: mea cernere facta*
> *Adsuesti, & multis me jam sectaris ab annis.*
> *Me sequeris Gratiæ gentis decus, inque meis tu*
> *Fixa pedum ponis pressis vestigia signis.*

Quæ posteriora, ex facundissimo Lucretio adumbrata, heic optimè conveniunt: quod enim hic ait Paulus ad Timotheum, id 1 Pet. 2. 21. contractiùs est, τοῖς ἴχνεσιν ἐπακολουθεῖν· Job. 23. 11. *Vestigia ejus secutus est pes meus.* Euthymius ad Matth. 16. illud, SEQUATUR ME, *Per vestigia conversationis meæ incedat.* Cicero Academic. quæst. 1. *Hodie stat Asia Luculli institutis servandis, & quasi vestigiis persequendis,* Vulgatus, *Tu verò assecutus es doctrinam meam*: ubi legendum putem aut *sectatus es d. m.* (ità bene in vetere Onomastico, *Sector*, ἐπακολουθῶ) aut: *secutus es d. m.* Ità Plinius lib 10. Epist. 97. de Suetonio, *Et mores ejus secutus, & studia*: & in Adelphis Terentii ille,

> *Ego hanc clementem vitam,* &c. *secutus sum.*

Ad quem locum Donatus, *Secutus sum quasi magistrum bene beateque vivendi.* Si codices autem MSS. permitterent, legerem in Contextu nostro, σὺ δὲ παρακολούθει μοι, &c. q. d.

> ——— *Ego pravius ivi,*
> *Sit tibi cura sequi, me duce tutus eris.*

Sic Philipp. 4. 9. hortativè, eâdemque quæ hoc loco sententiâ, Ἃ ἐμάθετε, καὶ παρελάβετε, καὶ ἠκούσατε καὶ εἴδετε ἐν ἐμοί, ταῦτα πράσσετε· & in Epist. Ignatii dicta ad Heronem Diaconum, Οἶδας ὅπως σε ἀνέθρεψα, &c. ζηλωτής μου γίνου, μίμησαί μου τὴν ἀναστροφήν· vide & infra heic com. 14. Sic è converso 1 Tim. 6. 11. σὺ δὲ, &c. ταῦτα φεῦγε. Ad sensum loci Apostolici hujus Jamblichus ex Pythagora, Ἀναγκαῖον τὰς ἐνθυμουμένας τῶν νέων (nota τῶν νέων· νέος & Timotheus) προσέχειν ταῖς τῶν πρεσβυτέρων (talis autem & Paulus) καὶ καλῶς βεβιωκότων ὑπολήψεσι καὶ δόξαις. Cicero perfectum Oratorem formans, ut Apostolus noster Christianum doctorem & Episcopum, *Hoc sit primum in præceptis meis, ut demonstremus quem imitemur, atque ità, ut quæ maximè excellunt in eo quem imitamur, ea diligentissimè persequamur*: ubi & *persequi*, planè est quod hoc Pauli loco παρακολουθεῖν· &, *quæ maximè in eo excellebant*, erant, Paulo recitante ipso, ἡ αὐτοῦ διδασκαλία, ἡ ἀγωγὴ, ἡ πρόθεσις, &c. Ἀγωγὴ in contextu nostro est, *tenor*, sive ratio

ratio vivendi: τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ τὰς ἐν Χριστῷ, 1 Corinth. 4. 18. vocat. Scholiastes MS. in biblioth. Medic. Τῇ ἀγωγῇ, τῇ τοῦ βίου πολιτείᾳ. Act. 26. 4. βίωσις dicitur. Hinc βίοι & ἀγωγαὶ conjunctim apud Origenem contra Celsum 3. Glossæ, *Secta,* &c. ἀγωγή. Hesych. Ἀγωγή, τρόπος, ἀναστροφή, &c. Unde & 2 Maccab. 4. 16. ὧν τὰς ἀγωγὰς ἐζήλουν. Πρόθεσις hic est quæ Actor. 11. 23. τῆς καρδίας πρόθεσις. Sic 2 Maccab. 9. 27. παρακολουθοῦντα τῇ ἐμῇ προαιρέσει, i. e. προθέσει· ubi & nota παρακολουθεῖν, quo hic Paulus usus. Vide & 2 Maccab. 15. 19. Latinè *intentionem* non ineptè vertas. Glossarium, *Intentione,* σκοπῷ, προθέσει. Aptiùs autem huic loco Vulgatus, *propositum.* In eodem Glossario, *Propositum,* προαίρεσις, πρόθεσις, προκείμενον· Ità enim eo loco scribendum, non ut vulgò, προσκείμενον. *Propositi* voce utitur hoc sensu Plinius lib. 5. Epist. 14. & ad eum Trajanus scribens ibidem lib. 10. Plinius eundem alloquens in Panegyrico, *Vitæ,* &c. *censura tui mores, tuum propositum, tui actus obtinebunt:* & ibidem, *Ità congruens vitæ tenor, ità una eademque ratio propositi postulabat:* ubi *tenor vitæ* est quæ Paulo ἀγωγή· *propositi ratio,* quæ eidem πρόθεσις. Scholiastes MS. ille in Florent. biblioth. Τῇ προθέσει, τῇ προθυμίᾳ, καὶ τῷ τῆς ψυχῆς κατασήματι.

Ibid. τῇ προθέσει, τῇ πίστει, τῇ μακροθυμίᾳ, &c. τῇ ὑπομονῇ] Hunc locum videtur in animo habuisse Ignatius cùm sic scriberet ad Ephesios, Ἐμὲ ἔδει παρ' ὑμῶν ὑπομνησθῆναι πίστει, νουθεσίᾳ, ὑπομονῇ, μακροθυμίᾳ· unde pro νουθεσίᾳ (nec licentiosâ fortasse mutatione) προθέσει reponendum crederem, ut ità quatuor virtutes Apostolo nominatas memoraverit. Πίστει autem, προθέσει, &c. apud Ignatium, pro εἰς πίστιν, πρόθεσιν, &c. vel post τὸ μακροθυμίᾳ, ἐμμένειν subaudiendum.

Ibid. τῇ ἀγάπῃ] Idem Scholiastes MS. in Biblioth. Medic. Πῶς (φησι) μηδέν με τῶν πειρασμῶν νωθρότερον εἰργάζετο; Vide Rom. 8. 35. ubi & vox ἀγάπη.

Ibid. τῇ ὑπομονῇ] Subaudi (ut Roman. 12. 11.) ἐν ταῖς θλίψεσι. Vide 2 Corinth. 6. 4. & 12. 12. Vult dicere, τὸν αὐτὸν ἀγῶνα ἔχεις ὃν ἐν ἐμοὶ εἴδες· quo nomine 1. 30. Philippenses laudat.

11. καὶ ἐκ πάντων με ἐῤῥύσατο ὁ Κύριος] De quo & 2 Cor. 1. 10. ὃς ἐκ τηλικούτου θανάτου ἡμᾶς ἐῤῥύσατο· Sirachides 34. 13. *Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum,* &c. *& liberatus gratiâ Dei.* Vide & infra 4. 17.

Ibid. καὶ ἐκ πάντων με ἐῤῥύσατο ὁ Κύριος] Servavit me ex omnibus procellis illis, quarum & præsentem mortem nonnullæ intentarunt mihi. De diis Euripides, σώζουσι δ' ὡς φιλοῦσι. Vide 2 Pet. 2. 9. & in Græco Ps. 34. 17.

12. καὶ πάντες, &c.] Intellige ex proximè præcedentibus, ac si sic scripsisset, καὶ οὐ μόνον ἐγὼ, ἀλλὰ καὶ πάντες.

Ibid. πάντες οἱ θέλοντες εὐσεβῶς ζῇν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, διωχθήσονται] D. Augustinus in Psal. 36. *Cum sequeris viam Christi, non tibi seculi prosperitates promittas.* Idem in Psal. 62. *Quis pertinens ad Christum non variis tentationibus agitatur, & quotidie agit cum eo diabolus & angeli ejus, ut pervertatur qualibet cupiditate, qualibet suggestione, aut promissione lucri, vel terrore damni, vel promissione vitæ, vel terrore mortis, aut alicujus potentis inimicitiis, aut alicujus potentis amicitiis?* &c. *In persecutionibus vivimus, & habemus perpetuos inimicos, diabolum & angelos ejus.* Et ad Psal. 65. ea, Imposuisti homines super capita nostra, *Hæc passa est Ecclesia variis persecutionibus, passa est hæc & singillatim, & modò patitur etiam: non enim quisquam est qui se,* &c. *ab his tentationibus possit dicere immunem.* Lactantius 7. 22. *Omnes qui Deum sequi volunt, non tantum odio habentur, sed vexantur omnibus contumeliis, & excruciantur multiplici genere pœnarum.*

> *Militia species pietas, discedite segnes:*
> *Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.*
> *Verbera, crudelesque minæ, tormenta, catenæ,*
> *Carcer, in his castris, mors quoque sæva manet.*

Prudentius, & de Christianis loquens, Cathemer. 4.

> *Vexamur, premimur malis, rotamur;*
> *Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt:*
> *Juncta est suppliciis fides iniquis.*

Leo Magnus Serm. quadragesim. 9. ex hoc Pauli loco, *Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis.* Διωχθήσονται autem qui in Christo piè vivent, ad exemplum Christi ipsius. Lactantius 4. 26. *Aceti potus ac fellis cibus,* &c. *in os doctoris nostri veniens, pressurarum nobis ac laborum miseriarumque præbebat exemplum; quæ omnia tolerare ac perpeti necesse est eos qui veritatem sequuntur.* Vide 1 Pet. 2. 21. Matth. 5. 10. ubi & vox δεδιωγμένοι.

13. Πονηροὶ δὲ ἄνθρωποι, καὶ γόητες] Ità πονηροὺς ἀνθρώπους & τῶν λόγων γοητείαν junxit Dionysius Halicarnassensis. Πονηροὶ ἄνθρωποι καὶ γόητες heic sunt quales πονηροὺς καὶ ἀτόπους ἀνθρώπους, 2 Thess. 3. 2. idem hic Apostolus vocat. Γόητες, blandidici, deceptores, de cujusmodi suprà ad com. 5. ex Roman. 16. 18. dictum. Sic γόητες ἄνθρωποι apud Josephum Antiq. 11. 6. Φιλόσοφοι γόητες, lib. 8. apud Philostratum, & Orat. 6. apud Julianum: Pythagoras γόης dictus apud Jamblichum, & Aristoteles γόης apud Lucianum Dial. Mort. Pollux Onomast. 9. 8. Ἀπατεὼν, φέναξ, γόης, &c. & 4. 6. 53. γόης, ἀπατεὼν, &c. Suidas, Γόης, κόλαξ, πλάνος, ἀπατεών. Hesychius, Καταγοητεύων, ἀπατῶν. Hinc 2 Maccab. 12. 24. γοητεία, sermo blandiloquus. Glossæ, Γοητεία, ἐπὶ κολακείας, *blanditia.* Ibidem, Γοητεύω, κολακεύω, *blandior;* cui contrarium ἀγοητεύτως (i. e. non blandè) *dicere,* apud Ciceronem ad Attic. 12. 3.

Ibid. προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον] Ἐπὶ πλεῖον τῆς ἀσεβείας προκόψουσιν, ut suprà 2. 18. locutus. Ità, *gradum ex nequitia proferre,* in Nazarii Panegyrico. Chrysostomus Homil. 4. de Fato & Providentia, Καθάπερ κακῶν τινι ὁρμαθῷ, ἀεὶ δυσσεβεστέρῳ δόγματι τὸν ἅπαξ ἐκτραπέντα τῆς ἀληθείας ὁ διάβολος παραδίδωσιν. Cicero eodem ferè modo de animi perturbationibus, *Ipsæ se impellunt, ubi semel à ratione discessum est, ipsaque sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur, nec locum consistendi reperit.* Virgilius,

> *Ut cùm carceribus sese effudere quadrigæ,*
> *Addunt in spatia.* ———

Ubi Servius, *Currendo plus eorum cursus augetur.* Vulgatus & heic & suprà 2. 16. *proficient,* &c. recentior Interpres, *procedent.* προκόπτειν enim (inquit) heic in vitio ponitur, cui *proficiendi* vox non convenit. At idem est, Vir bone, hoc loco *proficere,* quod *procedere.* Glossarium, Προκόπτω, *promoveo, proficio, procedo;* nec istâ minùs illa (utpote vox media) sensu etiam deteriore ponitur: & hinc, *in deterius proficere,* non solùm Sedulius (ævi serioris Scriptor) ad 1 Tim. 6. dixit: *proficientia tyrannopolitarum vitia,* 5. 8 Sidonius; & Donatus ad 4. 2. Adelph. *in errore proficere;* sed & Seneca 3. 16. de Ira, *proficere in tormentum suum.* Ad hanc faciem & Apulejus in Apologia, *progredi mendacio* dixit. Cautè προκόψουσιν autem Apostolus posuit: nemo repentè enim turpissimus evadit. Hinc Seneca cap. 12. De brevit. vitæ, & Natur. quæst. 7. 31. *processus vitiorum* dixit: &, *homines quorum,* &c. *crescit improbitas,* 5. 12. Firmicus. Philo ubi de improbitate Caji Imperatoris, Οἷα δ' ἀναβαθμῶν ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον εἰς τὸ ἄνω προῄει· ubi meliùs προῄει, (id est, προέκοψε) legas.

Ibid. πλανῶντες] Aptè hoc de γόησι. Hesychius, Ἀπατηλοὶ, &c. γόητες.

Ibid. πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι] Nicephorus Gregoras lib. 25. Σποράδες καὶ πλανῆτες, &c. πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι. Isidorus Orig. 3. 70. *Decepti & decipere volentes.* Ovidius,

> ——— *Deceptaque decipit omnes.*

De Eva Orientius Illiberitanus,

> *Tu citò decepta es, tu citò decipiens.*

Chalcidius in Timæum Platonis, *Et ipsi falluntur & cæteros erroris ineluctabilis lubrico implicant.* D. Augustinus in Joh. Euang. de Mathematicis, *Seducti seducunt, & proponunt fallacias hominibus:* & in Psal. 61. de Mathematico pœnitente, & ad Ecclesiæ communionem reverso, *Seductus, seducens: deceptus, decipiens.* Idem Confess. 4. 1. *Ab undevicesimo anno ætatis meæ usque ad duodetricesimum, seducebamur, & seducebamus: falsi, atque fallentes.* Minucius in Octavio, *Falluntur, & fallunt.* Julianus 55. epist. Ἠπατημένος ἐξαπατᾷ, Heliodorus 2. Ἀπατῶ σε, καὶ ἀπατῶμαι. Cicero de Calvo Oratore, *Et ipse errabat, & alios etiam errare cogebat.* Simplicius in cap. 35. Epicteti, Μήτι παραλογισθεὶς αὐτὸς, καὶ σε συνεξαπατήσει τὸν ἐντυγχάνοντα. Simile Cyrilli illud apud Suidam, Καταμιαίνουσι, καὶ καταμιαίνονται· Jacobi 3. 6. Φλογίζουσα, καὶ φλογιζομένη· Maximi Tyrii Dissert. 36. Μισοῦντες, καὶ μισούμενοι. Xenophontis 7. Anabas. Παίοντες, καὶ παιόμενοι· Platonis 3. de Republ. ἐπιβουλεύοντες, καὶ ἐπιβουλευόμενοι. Plutarchi in Publicolæ vita, ὠθούμενοι, καὶ ὠθοῦντες· & in Camillo, διεφθαρκὼς, καὶ διεφθαρμένος· Theophylacti ad Joh. 10. διέφθειραν, καὶ διεφθάρησαν· Ovidii (Met. 2.)

> ——— *carpitque & carpitur unà.*

Plauti Asinar.

> ——— *Corruptus porrò suum corrumpit filium:*

Ciceronis De legg. 3. de malis Principibus, *Neque obsunt solùm quòd ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt:* Terentii Adelph. 3. 3. *Hic est de grege illo:* ubi Eugraphius, *De illis qui corrumpunt, & corrupti sunt:* Taciti, *Corrumpere, & corrumpi seculum vocatur:* Ejusdem 3. Ann. *corruptus simul & corruptor animus.* Πλανῶντες, plebem nempe, & miseras mulierculas: πλανώμενοι, à doctoribus quos sectantur ipsi, vel for-

sa à dæmonibus. Cyprianus in iisdem Tract. de Idol. vanit. *Non desinunt perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere:* & Confess. 3. 3. D. Augustinus, *Quid itaque verius quam eversores vocantur? eversi plane prius ipsi, atque perversi: deridentibus eos & seducentibus occulte fallacibus spiritibus in eo ipso quod alios irridere & fallere amant.*

Ibid. πλανῶντες, καὶ πλανώμενοι] Contrarium Ignatii illud ad Magnesios, Μή τις ὑμᾶς ἐξαπατάτω, ὥσπερ οὐδὲ ἐξαπατᾶσθε. Macrobii in Somn. Scip. 1. 6. de Hippocrate, *Tam fallere quam falli nescit:* Senecæ μιμητικῶς prolatum, Præfat. lib. 4. Natur. quæst. *Ego nec decipere volo, nec decipi possum:* & Manilii lib. 2.

Nam neque decipitur ratio, neque decipit unquam.

14. Σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες] Arrianus 1. 29. in Epictetum, Σὺ δὲ χρῆσθαι παραλθὼν οἷς ἔμαθες. Sic infra heic 4. 5. Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι. Plato in Epistola ad Aristodorum, Μένε ἐν τοῖς ἤθεσιν, ὥσπερ καὶ μένεις. Μένε ἐν οἷς, &c. est quod 2 Joh. Epist. com. 9. ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ μένειν. Sic 1 Tim. 4. 16. αὐτοῖς ἐπίμενε· & 1 Joh. 2. 24. Ὑμεῖς ὃ ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς, ἐν ὑμῖν μενέτω.

Ibid. καὶ ἐπιςώθης] Id est, ut Luc. 1. 4. ὧν τὴν ἀσφάλειαν ἐπέγνως. Hesychius, Πεισθείς, πιςωθείς. Idem, Ἐπιςώθη, ἐπείσθη, ἐπληροφορήθη· quæ dubitare non possunt quin ad hæc Apostoli pertineant, ideoque Ἐπιςώθης, ἐπείσθης, ἐπληροφορήθης scribendum. Ità Glossæ ad hunc Pauli locum MS. in Medic. biblioth. Ἐπιςώθης, μετὰ πληροφορίας ἔμαθες. Vulgat. *quæ tibi credita sunt:* ac si legisset, ἐπιςεύθης, *quæ tua fides credita sunt.* Vide 2 Tim. 1. 11.

Ibid. εἰδὼς παρὰ τίνος ἔμαθες] Talis 2 Tim. 1. 12. locutio, Οἶδα ᾧ πεπίςευκα. Vide & 1 Thess. 4. 2. Παρὰ τίνος, à me nempe, qui tibi λογικὸν ἄδολον γάλα, nullis Judaismi, nullis philosophicæ vanitatis nugis corruptum, propinavi.

15. Καὶ ὅτι ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας] Vegetius 1: 4. *Perfectius imbibuntur quæ discuntur à pueris.* Ἀπὸ βρέφους, ex more gentis suæ id curante genitrice ejus. Vide Proverb. 4. 4, 5. Ἱερὰ γράμματα, nempe Legem & Prophetas. In narratione de Susanna, *Cum essent justi* (parentes ejus) *erudierunt filiam suam* (ab infantia nempe) *secundum legem Moysi.* Josephus lib. 2. contrà Appionem de Hebræis, Ἀπὸ τῆς πρώτης εὐθὺς αἰσθήσεως αὐτοὺς (Μωϋσέως nempe νόμους) ἐκμανθάνοντες & Philo in de Legatione, Θεόχρηςα λόγια τοὺς νόμους εἶναι ὑπολαμβάνοντες· καὶ τοῦτο ἐκ πρώτης ἡλικίας τὸ μάθημα παιδευθέντες. Quæ obiter explicant etiam quid heic ἀπὸ βρέφους ab ea scilicet ætate quæ literarum capax esset. Plutarchus de Catone, Ἐπεὶ ἤρξατο (filius ejus) συνιέναι, παραλαβὼν αὐτὸς ἐδίδασκε γράμματα. Porphyrius in περὶ ἀποχῆς, de Essæorum quibusdam, Βιβλίοις ἱεροῖς, &c. καὶ προφητῶν ἀποφθέγμασιν ἐμπαιδοτριβούμενοι. Cicero 2 de Legibus, *A parvis didicimus, Si in jus vocat, atque eat.* Idem Tuscul. 2. de Poëmatis, *Hæc & à pueritia legimus & didicimus.* Παιδείας τὴν ἐκ βρέφους habemus etiam apud Jamblichum. Ἀπὸ βρέφους, *à parvulo*, ut apud Terentium Andr. *jam inde à pusillo puero*, ut apud Plautum Stich. *à primis pueritiæ rudimentis*, ut apud Ammianum Marcellinum lib. 22. *à teneris annis*, ut apud Virgilium. Idem de Metabo filiam instruente suam,

Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto,
Spiculaque ex humero parvæ suspendit & arcum.

Sic, σχεδὸν ἔτι ἐκ σπαργάνων δόγμα τι προσμανθάνειν, Philo in de Abrahamo: &, σχεδὸν ἐξ αὐτῶν σπαργάνων ἐντρέφεσθαί τινι, libro, ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλευθ. Vulgatus, ἀπὸ βρέφους, *ab infantia* vertit: nec aliter Marc. 9. 21. παιδιόθεν Latinè reddidit: quibus adde prolatum ex Susanna locum, item Tobiæ 1. 10. & 2 13. Plinius etiam in Panegyrico, *jam inde ab infantia* dixit. Seneca (propius Græcæ locutioni) *ab infante* dixit, 2. 5. de Ira.

Ibid. τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν] Τὰ δυνάμενα, ut Jacob. 1. 21. σῶσαι τὴν ψυχὴν σου. Σοφίσαι σε, instruere te ad salutem æternam, quæ unicus sapientiæ finis, & ad quam qui non sapiunt, audire meritò debent cum illo in Tragœdia,

——— Σοφὸς εἶ, πλὴν ἃ δεῖ σ' εἶναι σοφός.

In Glossis, Σοφίζω, *sapientiam præsto:* legendum puto, *sapientem præsto.* Thomas Magister, Σοφίζομαι ὑφ' ἑτέρου, ἀντὶ τοῦ, διδάσκομαι ὅπερ ἔχει ἐνεργητικὸν, τὸ σοφίζω. Hinc Psal. 104. 22. in Græco, σοφίζειν τινὰ· & Psalm. 145. 9. σοφοῦν τινα. Ignatius ad Smyrnenses, Χριςὸν, τὸν ὑμᾶς οὕτω σοφίζοντα. Eodem sensu etiam, eàdemque formâ, Psal. 119. 27. συνετίζειν τινά.

Ibid. διὰ τῆς πίςεως τῆς ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ] Quia de illo Prophetæ testimonium perhibent. Vide Joh. 5. 39. & Actor. 17. 2. dicta.

16. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευςος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν]

——— *Sunt multa piacula quæ nos*
His purè lectis poterunt recreare libellis.

Apostolus noster Rom. 15. 4. Ὅσα προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη· Euthymius ad Joh. 10. de Psalmorum libro, *In eo quæ habentur oracula, sunt à Deo afflata,* (i. e. sunt θεόπνευςα.) *& quæ homines instruunt, & corrigunt:* ἃ τοὺς ἀνθρώπους διδάσκουσι, καὶ ἐπανορθοῦσι. Theophylactus ad Joh. 10. de Scripturis, Ἐν ἀσφαλείᾳ ἡμᾶς καθιςῶσαι, καὶ γνώμας διδοῦσαι περὶ ὧν ἂν βουλοίμεθα πάντων. Philo in de Somniis, Ὁ ἱερὸς λόγος τοῖς μὲν, ὡς βασιλεὺς, ἃ χρὴ πράττειν ἐξ ἐπιτάγματος ὑφηγεῖται· τοῖς δὲ, ὡς γνωρίμοις, διδάσκαλος, τὰ πρὸς ὠφέλειαν ὑφηγεῖται· τοῖς δὲ, ὡς σύμβουλος, γνώμας εἰσηγούμενος τὰς ἀρίστας, &c. μέγα ὠφελεῖ· τοῖς δὲ, ὡς φίλος, ἐπιεικῶς ἢ μετὰ πειθοῦς πολλὰ, &c. ἀναφέρει. Suidas, non dissimiliter de Παιδεύσει, Τὴν ψυχὴν καθαίρει, ἢ βίον κοσμεῖ ἢ σωφροσύνην ἐντίθησι, ἢ δικαιοσύνην νομοθετεῖ· Πρὸς ἐπανόρθωσιν, nempe ἠθῶν unde & Hesychio Ἠθικὴ φιλοσοφία, ἠθῶν διορθωτική. Vulgat. *ad corrigendum* vertit. Glossæ, Ἐπανόρθωσις, *correctio, emendatio.* Lactantius 1. 4. de Prophetis, *A Deo mittebantur, ut & præcones essent majestatis ejus, correctores humanæ pravitatis.*

Ibid. πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ] Πρὸς νουθεσίαν 1 Cor. 10. 11. simili argumento. D. Augustinus de Tempore Serm. 237. *Scriptura est tanquam speculum; speculum hoc habet splendorem non mendacem, non adulantem, nullius personam amantem. Formosus es? formosum te ibi vides. Fœdus es? fœdum te ibi vides.* Arrianus 3. 21. in Epictetum. de mysteriis, ἐπὶ παιδείᾳ καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου κατεςάθη. Ἐν δικαιοσύνῃ, *in justitia, quæ nihil aliud est quàm Dei pia ac religiosa cultura.* Sunt verba Lactantii 5. 7. D. Augustinus Serm. 59. de Tempore, *Justitia nil aliud est quàm non peccare.*

17. Ἵνα ἄρτιος ᾖ, &c.] Id est, (ut Jacob. 1. 4.) τέλειος, καὶ ἐν μηδενὶ λειπόμενος. Scholiastes MS. ad hunc locum in Florent. Biblioth. Ἄρτιος, ὑγιὴς, τέλειος. Hesychius in Ἀρτίφρων, Ἄρτιον, τὸ ἀνελλιπές. Vulgatus bene heic, *perfectus:* id est, τέλειος. Seneca Epist. 34. *Scis quem dicam bonum? perfectum, absolutum,* &c. & Epist. 120. *Habebat perfectum animum, ad summam sui adductum:* id est, ἄρτιος ἦν. Quomodo autem ὁ ἄρτιος, vel ὁ τέλειος de humana fragilitate & imbecillitate intelligendum, ad Matth. 5. 48. diximus.

Ibid. πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος] Sic Tit. 3. 1. πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἑτοίμους. 2 Corinth. 9. 8. εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν περισσεύειν. vide & Coloss. 1. 10 De Socrate Apulejus, *Vir apprimè perfectus &*, &c. *ad omnia sibi congruentia officia promptus.* Contrà Tit. 1. 16. πρὸς πᾶν ἀγαθὸν ἔργον ἀδόκιμοι. Scholiastes MS. ille, Ἐξηρτισμένος, ἀπηρτισμένος, πεπληρωμένος. Vulgat. *instructus.* Glossarium, Ἐξαρτίζω, *instruo.* Ἐξηρτισμένος, *exstructus, instructus.* Glossæ aliæ, *Instruxit, ἐξήρτισεν.*

CAP. IV.

VALLA.

2. *Importunè*] Aliud hic verbum est *importunè*, ἀκαίρως aliud 2 Thess. 3. 2. *Ab importunis & malis hominibus*, ἀτόπων· quod nomen Græcè à *loco* dicitur, & Latinè à *portu:* quòd sicut locus importuosus sive carens portu est infestus navibus, ità quis infestus & dirus alicui dicitur *importunus.* At hoc ad Timotheum dictum est *à tempore*, sicut proximum, εὐκαίρως, ut magis legendum sit *opportunè*, *importunè:* quod non pejùs transferretur *tempestivè*, *intempestivè*, & foret verbum è verbo.

5. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto*] Græcè abest *sobrius esto.* Illud quoque *labora* ferè Græcè est *tolera*, sive, ut ad verbum, quoad fieri potest, transferam, *mala tolera*, κακοπάθησον.

14. *Reddet ei Deus secundùm opera sua*] Interpres transtulit proculdubio *reddat*, sicut in Græco est, ἀποδῴη, sed aliquis putans alienum esse à Paulo imprecari malum ei à quo accepit injurias, mutavit in indicativum: quasi non sit cùm alibi tum verò in Psalmis frequens hujusmodi imprecatio. De cujus rei qualitate

Qualitate non est hujus loci disputare: satis nobis sit niti Græcâ veritate.

18. *Liberavit enim me*] Gr. *Et liberabit me*, καὶ ῥύσεταί με.

ERASMUS.

1. **T***Estificor coram*] Διαμαρτύρομαι οὖν ἐγὼ, *Testificor igitur ego*, sive *obtestor*. ¶ *Deo & Jesu Christo*] *Deo* dixit pro *Patre*: sed apud Græcos quoniam non additur *Domino*, sermo fit anceps. Etenim si complexim legas, sensus est, *Jesum Christum eundem & Deum dici & Judicem*: sin disjunctim, *Dei* nomen ad Patrem pertinet, *Judicis* ad Christum. In superiore Epist. c. 6. disjunxit, *Præcipio tibi coram Deo qui justificat omnia, & Christo Jesu*, &c. Nec hic additur *Domini* cognomen; ac si aptiùs cohæret cum relativo quod sequitur, *qui*. ¶ *Vivos & mortuos*] Aut proverbiali figurâ dictum est pro *omnibus*; aut pios & impios sensit; aut defunctos ante judicii diem, & quos ille dies in vita deprehenderit. Quantâ solicitudine Paulus obtestatur suum Timotheum! In priore Epist. dixerat *præcipio*, hic *obtestor*, quod est vehementius; & addit quod est terribilius, *qui judicaturus est vivos & mortuos*. Utinam omnes Episcopi sic cogitarent, hanc obtestationem cuique singulatim esse proditam, sicut est re verâ. Quid autem exigit cum tam religiosa obtestatione? *Serves mandatum sine macula & irreprehensibile, usque in adventum Domini. Prædica verbum.* Quid Paulo respondebimus Pastores ubi ventum erit ad Judicium cujus nos commonefacit? ¶ *Et per adventum*] Κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, *in adventu*, sive *juxta adventum*. Refertur enim ad participium, *judicaturus in adventu*. Interpres legisse videtur καὶ pro κατὰ. Cæterùm non est hic παρουσίαν sed ἐπιφάνειαν, quod magis sonat *illustrationem*: sequitur enim *Regni* mentio.

2. *Opportunè, importunè*] Εὐκαίρως, ἀκαίρως, *tempestivè & intempestivè*. Et hoc proverbiali figurâ dictum est pro *assiduè & instanter*. ¶ *In omni patientia*] Μακροθυμίᾳ, i. e. *longanimitate*, aut, si hoc verbum videtur parùm Latinum, *lenitate*. Est enim Græcis virtus quæ opponitur ὀξυθυμίᾳ.

3. *Magistros, prurientes*] Διδασκάλους, i. e. *Doctores*. Et *prurientes* hic nominandi casu est accipiendum, κνηθόμενοι, i. e. *qui titillantur & pruriunt auditu*: unde quærunt qui scalpant aures voluptate orationis, non qui radant veritate.

5. *Tu verò vigila*] Νῆφε, i. e. *sobrius esto*, sive *vigila*. ¶ *Labora*] Κακοπάθησον, i. e. *feras afflictiones*, sive ut nos vertimus, *obdura in afflictionibus*. ¶ *Ministerium tuum imple*] Πληροφόρησον· de quo verbo frequenter & aliàs admonuimus: h. e. *facito plenam fidem tuæ prædicationis*. Id fiet, si viderint & vitam respondere doctrinæ, & in tantum te non venari tua compendia, ut afflictiones etiam atrocissimas alacriter feras amore Christi. ¶ *Sobrius esto*] Quo loco quod quidam antiqui codices habent, *vigilans esto*, in Græcis cod. non invenio, nec apud Ambrosium, nè apud Chrysostomum quidem, imò nec in optimæ fidei codice Paulinæ bibliothecæ. Suspicor autem hâc occasione irrepsisse, quòd νῆφε utrumque significat, *sobrius esto*, & *vigilans esto*: proinde fieri potest ut quod doctus aliquis annotarit, *sobrius esto*, id post in contextum traductum sit.

6. *Jam delibor*] Σπένδομαι, *immolor*. Ambrosius legit quidem *delibor*, sed enarrans declarat nihil interesse inter *delibor & immolor*. Chrysostomus ac Theophylactus hoc ajunt interesse, quòd θυσία, i. e. *hostia*, non relinquatur tota Deo, cùm σπονδὴ *libamen* totum relinquatur. Hoc quid sit aliis excutiendum relinquo. ¶ *Et tempus meæ resolutionis*] Ἀναλύσεως. Cyprianus in Epistola quadam legisse videtur ἀναλήψεως, sic adducens hujus loci testimonium, *Ego jam delibor, & tempus instat assumptionis meæ*. Origenis interpres cùm aliàs tum in Homiliis in Numeros indicat duplicem hujus loci fuisse scripturam, *resolutionis* & *regressionis*. *Regressionis* verbum quid sibi velit non satis intelligo, nisi quòd Græcis ἀνάλυσις utrumque sonat; *resolutionem* & *reversionem*: ut enim qui discedit *solvere* dicitur, ita reditus *resolutio*, Græcis ἀνάλυσις.

7. *Bonum certamen*] Τὸν καλὸν Quod non sonat simpliciter *bonum*, sed *præclarum* & *egregium*. Et articulus indicat illud certamen Euangelicum.

8. *In reliquo*] Λοιπὸν, i. e. *Quod superest*: atque ità vertit Ambrosius. Hic Interpres vertere consuevit *de cætero*. ¶ *Sed & his*] Ἀλλὰ καὶ πᾶσι, i. e. *sed & omnibus*. ¶ *Qui diligunt*] Τοῖς ἠγαπηκόσι i. e. *qui dilexerunt*: licèt in verbis Affectuum abutantur Græci præteritis.

9. *Festina ad me*] Σπούδασον, *Stude*, sive *Da operam*. Alioqui quæ sermonis figura est, *Festina citò*, h. e. ἥκομαι καὶ κατέρχομαι, quemadmodum jocatur Aristophanes.

10. *Diligens hoc seculum*] Ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, i. e. *postquam dilexit præsens seculum*, sive *amplexus præsens seculum*. ¶ *Crescens in Galatiam*] Κρήσκης, i. e. *Crisces*: sed Græcus sermo deflexit vocem Latinam, sicut Πούδης pro *Pudens*.

11. *In ministerio*] Εἰς διακονίαν, i. e. *ad ministerium*.

13. *Penulam*] G. Φελόνην. Quod est *Pallii* genus, non Consularis, ut quidam putant, sed quo tegimur ab imbribus, pelliceum, ut putat Hesychius. Quanquam idem addubitat num sit *scriniolum*. Alii putant esse *thecam librorum*: ità Græcanica Scholia. Hieronymus 3. adv. Pelag. dialogo vertit *lacernam* sive *penulam*. Tametsi in plerisque cod. pro *lacerna* depravatum erat *lucerna* à lucernario quopiam. ¶ *Et membranas*] Et redundat, μεμβράνας. Hic Latinam vocem Paulus usurpavit. O suppellectilem Apostolicam! penulam quæ defendat ab imbribus, & libros aliquot, haud dubiè sacros. Nunc quantum est caballorum, quantum bombardarum, quantum aliarum rerum quas referre non libet!

14. *Ærarius*] Χαλκεὺς, i. e. *faber ærarius*: nè quis de *quæstore ærarii*, aut *custode æris* accipiat, ut interpretati sunt quidam. ¶ *Multa mala mihi ostendit*] Ἐνεδείξατο, i. e. *multis malis me affecit*. Annotavit & Augustinus lib. De locutionib. Genes. primo, in Sacris literis *ostendere* frequenter usurpari pro *facere*. ¶ *Reddet illi Dominus*] Gr. *reddat*, ἀποδῴη· ut sit Imprecantis. Etiamsi Augustinus in explanatione Sermonis in monte habiti legisse videri poterat *reddet*, futuri temporis, ità dissolvens propositam ab ipso quæstionem, *Paulum non imprecari malum ei qui læserat, sed prædicere quid eventurum esset*. Quod idem tractat. lib. 16. Adv. Faustum c. 22. quo quidem & ipso loco in vulg. exemplaribus *reddet* scriptum legitur. Quanquam eodem mox loco adducit illud Pauli, *Utinam & abscindantur qui vos conturbant*: quod certè Prædicentis esse non potest. Præterea quid opus erat excusari quòd imprecationes in Sacris literis invenirentur, si hæc dicta sunt verbis futuri temporis; consentientibus & exemplaribus Latinis? Chrysostomus legit ἀποδῴη, sed in enarrando non movet hunc scrupulum. Theophylactus ingenuè testatur se legisse ἀποδῴη, verum id ait positum pro ἀποδώσει. Verùm de his accuratiùs dictum est nobis in Act. 23. ubi Paulus alapâ percussus ità loquitur Pontifici, *Percutiat te Deus, paries dealbate*.

15. *Et tu devita*] Φυλάσσου, i. e. *observa*, sive *cave*. ¶ *Restitit*] *Restitit*, ἀνθέστηκε.

17. *Prædicatio impleatur*] Πληροφορηθῇ, i. e. *ad plenum persuaderetur, & certam haberet fidem*.

18. *Liberavit*] Ῥύσεται, i. e. *liberabit*, fut. temporis, suffragante utroque Constantiensi. Sequitur enim *& salvum faciet*. ¶ *Cui gloria*] Græcus codex addidit *& imperium*, καὶ κράτος.

21. *Eubolus*] Εὔβουλος, *Eubulus*, penultimâ productâ, nomen à *bono consilio* dictum. ¶ *Et Prudens*] Καὶ Πούδης. Ambrosius & antiqui codd. habent *Pudens*, rursum voce Latinâ nonnihil detortâ à Græcis. ¶ *Et fratres ejus*] Non *ejus* sed *omnes* est apud Græcos, & ità legit D. Ambrosius, consentiente Chrysostomo, denique & exemplari Paulino, ad hæc utroque Constantiensi. Recensitis enim nominatim aliquot ex suis, reliquos generali nomine complectitur.

22. *Gratia vobiscum*] Pro hoc nescio quo casu in Ambrosianis cod. legitur *Vale*. Et tamen ex Commentariis licet divinare quòd legerit quemadmodum nos.

VATABLUS.

1. **T***Estificor* *] * *Igitur*. ¶ *Per adventum ipsius & regnum ejus*] *In adventu suo* [vel, *apparitione sua*] *& regno suo*.

2. *Opportunè, importunè*] *Tempestivè, intempestivè*. ¶ *Obsecra, increpa in omni patientia*] *Increpa exhortare cum omni lenitate*.

4. *Ad*] *Juxta*. ¶ *Prurientes*] Nominativus est: i. e. ipsi prurientes aures habentes: h. e. cupientes audire blanda & placentia.

5. *Labora*] *Afflictiones feras*. ¶ *Imple*] Vel, *abunde & plenè fac*.

6. *Delibor*] *Immolor*: id est, jamjam immolandus sum. ¶ *Resolutionis*] i. e. Mortis.

7. *Bonum*] *Præclarum, egregium*.

8. *In reliquo*] *Quantum ad reliquum attinet*. ¶ *Iis*] *Omnibus*.

9. *Festina*] *Da operam*.

10. *Diligens*] Vel, *amplexus*.

11. *Ministerio*] *Ministerium*, Vet. sub. *Euangelicum*.

13. *Penulam*] Pallii genus quo tegimur ab imbribus: pelliceum, ut putat Hesychius.

14. *Ærarius*] *Faber ærarius.* ¶ *Ostendit*] Heb. pro *multis malis me affecit.* ¶ *Reddet*] *Reddat*, Vet.

15. *Devita*] *Cave.* ¶ *Resistit*] *Restitit*, Vet.

17. *Confortavit*] *Corroboravit.* ¶ *Impleatur*] *Impleretur*, Vet. vel, *expleretur*: i.e. ad plenum persuaderetur, & certam haberet fidem. ¶ *Quia*] *Et*, Vet.

18. *Liberavit*] *Liberabit autem*: fut. temp. Vet. ¶ *Ab omni opere malo*] i.e. Ab omni alia calamitate.

19. *Priscillam*] *Priscam*, Vet.

21. *Salutant*] *Salutat*: sing. num. Vet.

CLARIUS.

2. *Opportunè, importunè*] Non propterea laudat importunitatem; sed ostendit, nunquam Episcopo cessandum ab officio: & opportunè quidem, si res patitur, tractanda omnia; sin minùs, nullum in negotiis tanti momenti tempus non opportunum existimandum. ¶ *Argue*] Ἔλεγξον. Cùm inveneris, inquit, peccantem, nihil priùs agas quàm rationibus illum erroris admonueris: deinde *increpa* etiam, si judicaveris ità oportere: postremò tanquam facto vulneri medicamentum adhibe *adhortationem, longanimitatis, doctrina*, nè videaris illum quasi inimicum urgere.

3. *Prurientes auribus*] Pruritus aurium ex superfluo aliquo humore oborto fit. Isti ergò *prurientes auribus*, h.e. ob vitiosas appetitiones, in eorum morem quibus pruriunt aures, *coacervabunt sibi magistros* qui aures eorum demulceant & pruritum recreent.

6. *Jam immolor*] Jam, inquit, sacrificium offero meipsum Christo. Et apertius hoc facit id quod sequitur, *& tempus mea resolutionis instat.*

7. *Bonum certamen certavi*] Hæc dicit non gloriandi gratiâ, sed ut discipulum consoletur: Quòd discessus ille non sit mors, sed finis laborum & pulcerrima consummatio certaminum, quodque jam ad percipiendas coronas proficiscatur, ut gaudere potiùs discipulus debeat quàm dolere.

14. *Reddat illi Dominus*] Paulus quidem gaudebat in afflictionibus: verùm propter eos qui inter fideles erant imbecilliores, oportebat ut ii qui admodum infensi erant, castigarentur interdum, nè imbecillæ hujus prædicationis vires crederentur. Vel certè prædictio est futurarum pœnarum.

17. *De ore leonis*] Neronem intelligit.

ZEGERUS.

1. *Judicaturus est vivos & mortuos*] Vel peccatores sentit, & justos; vel eos qui ante Judicii diem vitâ hâc defuncti erunt, & qui tum in vivis adhuc reperientur: vel animas ipsas mortis expertes, & corpora è diverso morti obnoxia; vel certè proverbiali schemate *vivos & mortuos* pro *omnibus* dixit. ¶ *Per adventum ipsius & Regnum ejus*] *Per* hoc loco non Juramenti sed temporis potiùs est indicativum, refferturque ad *judicaturus*. Est enim Græcè κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, i.e. *tempore adventûs* sive *illustrationis sua, & Regni sui.*

2. *Opportunè, importunè*] h.e. Omni tempore, assiduè.

3. *Coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus*] Scito *prurientes* hic esse nominandi casûs, non accusandi, ac referri debere ad *coacervabunt*. Hæc enim est sententia, *Juxta carnales suos adfectus aggregabunt sibi doctores ii quibus pruriunt aures, vanas & ad latorias fabulas audire gestientes.*

5. *Sobrius esto*] Desiderius unum citat exemplar quod hoc verbi non habet juxta Græca, Chrysostomum, & Ambrosium. Suspicatur autem ipse hâc occasione irrepsisse, quòd νῆφε (quod supra ponitur) signet utrumque, nempe *vigila* & *sobrius esto*. Sed his solis rationibus non ausim hoc ipsum cum Henrico Gravio explodere, quòd longo jam usu receptum sit.

6. *Delibor*] i.e. Immolor.

8. *In reliquo*] Posuit pro *Quod superest.*

13. *Penulam*] De hac voce traduntur diversa. Johannes Chrysostomus *pallium* esse dicit ad arcendos, opinor, à corpore imbres. Idem admonet nonnullos fuisse *qui* PENULAM *loculos fuisse putarint in quibus libri reconderentur.* B. Ambrosius vestem Romanam intellexisse sese indicat: quam Apostolo tribuit *quod Tarsensis esset. Constat autem Tarsenses in societatem* municipiumque *Romanorum*, hoc etiamnum teste Apostolo Act. 22. *receptos, ita ut appellarentur cives Romani. Et idcirco necesse est eosdem & curiam habuisse, in quam Romanorum more penulati convenirent.* Atque huic Ambrosianæ sententiæ libentiùs equidem subscripsero quàm cæterorum. Proinde Græcum vocabulum Φαιόλης, cùm planè videatur à Romanis mutuatum, (sicuti & alia nonnulla in eodem hoc capite, ut Κρήσκης [alias Κρίσκης] & Μεμβράνα) per ε scribere malim quàm per αι diphthongon. Quod si scribas Φαιόλης, *indusium* potiùs, h.e. vestem interiorem seu sagulum, signare videtur. Porrò quæ de Penula in Glossa ordinaria referuntur, studioso requirenda discutiendaque relinquentes, unum hoc Hieronymi verbum ibi adductum recitamus, *Volumen*, inquit, *Hebræum nunc replico, quod Paulus* penulam *juxta quosdam vocat.* ¶ *Membranas*] Chartam sentit, ni fallor, in qua scriberet Epistolas & alia: nam *librorum* modò meminerat. Usurpavit autem Apostolus vocem Latinam, nempe *membranas.*

14. *Alexander ærarius*] Χαλκεὺς *fabrum ærarium* declarat. ¶ *Multa mala mihi ostendit*] h.e. Intulit. Nam *ostendere* Hebræis aliquoties pro *facere* usurpatur: ut apud Psalten, *Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?* Psal. 4. Et, *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas?* Psal. 70.

16. *In prima mea defensione*] Quando pro tribunalibus Cæsaris pro se rationem reddere compulsus est, Act. 28.

17. *De ore leonis*] *Leonis* vocabulo Neronem designat, ob ipsius feritatem, Imperiique robur & magnitudinem.

22. *Gratia nobiscum*] Tam Græci codices quàm Latini perperàm hic habent *vobiscum*; uti liquet ex Chrysostomo, qui dicit Apostolum hic *etiam sibi imprecari*; & ex eo quòd soli Timotheo scribit Apostolus, cui in verbo proximè præcedenti singulariter loquens, *Dominus*, inquit, *Jesus Christus cum spiritu tuo*; & ex codice uno Gemblacensi. Subdubito tamen an hoc sit ipsius Apostoli, quòd veteres ferè hoc ipsum non attingant. Unus Ambrosius hujus loco *Vale* ponit.

LUCAS BRUG.

5. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.*] Ità legunt Latini codices plerique omnes & Glossematici, Autor Ordinariæ Glossæ, ac posteriores: manuscripta porrò, Germani latum & Societatis latum, tollunt verba ista, *Sobrius esto* (quanquam So. la. in margine literis aliis adjuncta habeat) adstipulantibus antiquioribus Latinis enarratoribus, Haymone, Primasio, Autore commentariorum quæ apud Ambrosium sunt, denique eorum Autore quæ apud Hieronymum: & apud priores quidem duos præ cæteris hoc nec exponitur, nec legitur; apud tertium verò, Autorem dico eorum commentariorum quæ apud Hieronymum, legitur, sed ità ut expositio adjectitium ac superfluum esse loquatur, *Ministerium tuum imple, sobrius esto*] *Episcopatûs scilicet: non enim semper ero in corpore, ut valeam commonere*: quod postremum, propter id quod subsequitur, *Ego enim jam delibor*, adjecit. Græci libri, Græcique tractatores & Syri, nihil hujusmodi eo loco habent. Cæterùm id quod Græci habent in principio versûs, σὺ δὲ νῆφε, transferri potest &, *tu verò vigila*, &, *tu verò sobrius esto*, ut sunt cognata *sobrium esse & vigilare*. Interpres, cum Græcis explanatoribus, & Syrico Interprete, id transtulit, *tu verò vigila*: hoc enim constanter ac fine omni varietati in nostra editione legitur. Videtur itaque alterum, nempe τὸ *sobrius esto*, quod à quibusdam libris omittitur, à quibusdam aliter legitur, ex ambiguæ illius Græcanicæ sententiæ alia translatione irrepsisse. Manuscriptum V. transpositis vocibus, scribit, *Esto sobrius*. Ambrosiastri commentario additus textus, eo planè loco quo nos habemus *tu verò vigila*, legit *tu verò sobrius esto*, nec postea agnoscit, sive *vigila*, sive *sobrius esto*. Consentit per omnia commentarius: nam *sobrium esse* pro *vigilare* videtur accipere, cùm in initio ait, *Admonet & hortatur ut vigilet.*

14. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet* [*reddidit* o.] *illi Dominus secundùm opera ejus.*] Unum Parisiensium (Ge. la.) duo nostra (Mal. ma. T.) & quatuor Hentenii manuscripta, cum Complutensi editione, Ambrosiastri commentariis juncto textu, & Primasii, ut textu & commentariis, legunt, *reddat*, ità ut Græci libri ferè habent, ἀποδῴη, Græco enarratore Theophylacto disertè adstipulante. Quædam MSS. ambiguè scribunt *reddz*. Porrò plerique, nostræque editionis studiosiores, tum scripti tum impressi Latini codices, *reddet* expressè habent, suffragantibus Expositoribus, Richelio, Brunone, Gorrano, Thoma, Lyrano, Carensi, Lombardo, Anselmo, Autore Glossæ, Haymone, Sedulio, denique B. Augustino libro 16. Contra Faustum cap. 22. & primi De sermone Domini in monte cap. 37. *Apostolus*, inquit posteriori loco, *non ait* reddat, *sed* reddet, *illi Dominus juxta opera ejus: quod verbum prænunciantis est, non imprecantis.* Quæ Augustini verba superiores Glossematici ferè in enarrationes suas transtulere. Græcum Parisiensium exemplar, ε, ἀποδώσει *reddet*, habet: itaque

itaque legitur & apud Latinum Chrysostomum, commentario minimè repugnante, ut non dicam manifestè consonante.

19. *Saluta* [*Salutate* o.] *Priscam & Aquilam.*] Scripti (Lob. Mal. ma. So. la. T.) impressique (Mog. Quent. &c.) aliquot codices *Priscillam* pro *Priscam* legunt, uti est in Complutensi editione, & quæ ex ea expressæ sunt, tum Latinè tum Græcè (Πρίσκιλλαν) uti & in Syriicis libris פריסקא. Porrò Hentenius castigator, hoc in marginem relato, textu donavit *Priscam*: ita est enim in plerisque omnibus, & fide dignissimis Latinis antigraphis, scriptis maximè; sed & in Græcis omnibus, quotquot vidi, ex Complutensi non oriundis, Πρίσκαν. Cæterùm dubium non est utroque hanc modo vocatam fuisse, eodem nomine nunc integrè nunc concisè, ut fit, elato: Nisi fortè *Priscilla* à *Prisca* diminutivum sit, quo ferè gaudent mulieres appellari. Act. 18. 2, 18, 26. *Priscilla* vocatur; ad Romanos c. 16. v. 3. *Prisca*: quanquam ad Romanos ejusmodi ferè varietas sit & Græcorum & Latinorum codicum cujusmodi hic; credo, de utroque loco, Actorum occasione, in quibus frequenter constanterque *Priscilla* nuncupatur. Tria manuscriptorum nostrorum hic *Priscum* scribunt, & Græca Aldi editio Πρίσκον. Existimarunt, opinor, aliqui hoc viri nomen esse, quia *Priscus* celebre est virorum quorundam agnomen: nam quòd viro suo hæc præposita sit, factum est, tum hic tum alibi (Act. 18. 18.) quòd, ut Græci ajunt, in fide magis enituerit, ac ferventior diligentiorque fuerit.

H. STEPHANUS.

1. Κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν] Vide 1 Tim. 6. 14.

2. Ἐπίστηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως] *Insta tempestivè, & intempestivè.*

3. Κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν] *Auribus prurientes.*

5. Τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον] *Ministerii tui plenam fidem facito.*

8. Τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ] Vide vers. 1.

9. Σπούδασον ἐλθεῖν] *Da operam ut venias.*

15. Ὃν καὶ σὺ φυλάσσου· λίαν γὰρ ἀνθέστηκε τοῖς ἡμετέροις λόγοις] *Quem & tu cave: valde enim restitit sermonibus nostris*: vel, *adversatus est.*

DRUSIUS.

1. V*Ivos*] qui tunc vivi reperientur. Hi non morientur aliorum hominum more, sed immutabuntur: quæ immutatio illis erit mortis loco. Hinc sumptus articulus ille Symboli Apostolici, *judicaturus vivos & mortuos.* Vide quæ notamus 2 Thess. 4. 16.

6. *Resolutionis meæ*] i. e. Mortis meæ. Nam in morte homo *resolvi* sive *dissolvi* dicitur, i. e. לִפְטוֹר aut לִפָּטֵר: unde, *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Quidam emendat *remigrationis meæ*, eâdem sententiâ. Idem interpretatur, *Cupio migrare, & esse cum Christo.*

13. *Penulam* Τὸν φελόνην, i. e. *penulam*; quæ & φαιλόνιον. Lex. V. φαινόλης, τὸ φαιλόνιον, *penula.* Sed alii aliter interpretantur: quidam *volumen Legis*; alii *vestem consularem*; Syrus *domum scriptorum*, i. e. scrinium aut scriniolum in quo scripta reponuntur, q. *repositorium scriptorum* dicas. Est etiam ubi legitur φελόνην & φαιλόνην.

14. *Multa mala mihi ostendit*] i. e. Fecit. Sic interpretatur Augustinus in libris Locutionum. *Videt malum* qui patitur; *ostendit*, qui exhibet aut infert. Gen. 50. 17. in edit. τῶν LXX. ὅτι πονηρά σοι ἐνεδείξαντο, i. e. *intulerunt.* Paulo antè v. 15. πάντα τὰ κακὰ ἃ ἐνεδειξάμεθα αὐτῷ· aliàs εἰς αὐτόν. Vide Annot. meas ad illum locum.

17. *Ex ore leonis*] i. e. Imperatoris. Sic Marsyas libertus Agrippæ, domino nuncians mortem Tiberii, Ebraïco sermone, מית אריא, *Mortuus est leo*, inquit Josephus Orig. l. 18. c. 8. Apud Zonaram 196. Τέθνηκεν ὁ λέων. Aut *ex ore leonis* dictum est proverbiale pro *è præsenti periculo.* Vide sis Adagia mea sacra.

SCULTETUS.

CAP. I.

Pauli cura pro Ecclesia v. 1. Incisum tollendum v. 2. ἐπίστηθι, ἐπιτίμησον *v. 2.* κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν *v. 3. Novi Germaniæ Propheta.* Νῆφε ἐν πᾶσι *v. 5.*

GRavis omnino sermo est quo Paulus Timotheum *per Judicem vivorum ac mortuorum obtestatur ut prædicet sermonem, instet tempestivè, intempestivè, arguat, objurget, exhortetur.* Ubi observatione dignum, quòd omnes officii Episcopalis partes illas τῇ μακροθυμίᾳ καὶ διδαχῇ *lenitate & doctrinâ* velit condiri. Tollendum enim est incisum sive κόμμα post verbum παρακάλεσον· siquidem lenitas non solùm in exhortante, sed & in prædicante sermonem, in arguente, objurgante, tempestivè, intempestivè instante requiritur, ut patet ex præceptis Apostoli superioribus, inprimis c. 2. 24, 25. *Lenitati doctrinam* copulat. Stulta enim est omnis prædicatio, redargutio, objurgatio, exhortatio cui salutaris doctrinæ & institutionis vis non est subjecta. ¶ Ἐπίστηθι activæ διαθέσεως significat *urge*, *insta*, seu *curationem exerce*, & *fungere munere tuo.* ¶ Ἐπιτίμησον, *objurga.* Interpres orationis Demosthenis Olynthiacæ 1. Τὸ μὲν ὀνειδίζειν, φαίη τις ἄν, ῥᾴδιον· τὸ δ᾽ ὑπὲρ τῶν παρόντων, ὅπῃ ἐστὶ συμφέρον, καὶ λυσιτελοῦντος ἔχει πιθῇ τοῖς ἀκούουσι λέγοντος, οὐ παντὸς ἐστιν, ἀλλὰ μόνον τοῦ συμπείθοντος τὸ λυσιτελὲς τῶν ἀκουόντων. *Conviciari cuivis in promptu est: sed objurgare, quod est monitoris, & ejus qui de re utili cum honore auditorum disserit, non cujusvis est, sed ejus duntaxat qui audientium spectat utilitatem.* ¶ Versu 3. nimis verus vates fuit Apostolus. Attigimus enim ea tempora quibus multi non solùm Doctores sed etiam doctrinam ipsam ad ingenium suum accommodatam volunt. Audivi meis auribus gemitus piorum Ministrorum, qui conquerebantur, alii, sibi conciones suas antequam haberentur politicorum censuræ esse subjiciendas; alii, sibi precum publicarum formulas quoad res & verba præscribi ab aula; cùm tamen Ministri illi viri essent pii ac prudentes. Sed ad Grammaticorum scholam redeo, in qua docemur Græcam phrasin esse κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν, ut τυπτόμενος τὴν κεφαλήν, & δακνόμενος τὴν καρδίαν· quam figuram expressit Ovidius, de Medea,

——— *humeris infusa capillos.*

Renovat autem querelas meas de seculo hoc ultimo Apostolus quando scribit, *Avertent à veritate aures, & ad fabulas convertentur.* Non nomino qui in Papatu horum similes. De se confitebuntur qui concionum suarum argumenta à Vespasiano Veronicæ sudario à vespis liberato, à Purgatorio Patricii, à Francisci, à Borrimæi miraculis sumunt. In ipsa Ecclesia Reformata, in publicis his miseriis, in crudelibus piorum persecutionibus, confugimus multi ad novos Prophetas, qui ex literarum apicibus, ex numerorum notulis aurea nobis secula & pulcerrima mundi Regna promittunt; cùm vel pueri in Logicorum scholis didicisse debuerimus, *Quantitatum*, adeoque literarum, syllabarum, numerorum, *nullam esse efficaciam*; cùm tot lectionibus, tot concionibus nobis hoc inculcatum sit, *Regnum nostrum non esse de hoc mundo*; Aureum seculum in cœlis, ferreum in terris exspectandum; Extremis temporibus *Lunam in sanguinem, Solem in tenebras versum iri*; Illum autem beatum fore qui non ad novorum Prophetarum oracula sed ad nominis Domini invocationem se recepturus est. Sed nimirum novorum Prophetarum sunt *fabulæ illæ ad quas convertuntur* qui *à veritate aures avertunt*. ¶ Quod igitur consilium suo Timotheo dat Apostolus, Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι, *Tu verò vigila in omnibus*, hoc idem suggero omnibus Christi amantibus, ut hic *vigilent*, nè à veritate Divinitus revelata aversi ad Paracelsi, ad Lichtembergii, ad aliorum nugas delabantur: Quorum fabulosorum hominum hoc minùs ferenda est impietas quòd Prophetarum Divinorum & Euangelistarum θεόπνευστα scripta ad stabiliendas vanitates suas detorquent, & ea Danieli, Ezechieli, Apocalypseos autori affingunt quæ sanctissimis viris nè in mentem quidem venerunt unquam.

CAP. II.

Κακοπάθησον, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, v. 5. Πληροφορεῖν τὸ κήρυγμα, *v. 17.* ἀκούσῃ *ibidem.*

MIrari subit quid doctiss. Bezam moverit ut verbum κακοπαθεῖν subindè aliter atque aliter verterit. Nam c. 1. 8. συγκακοπάθησον vertit *esto particeps afflictionum*: cap. 2. 3. κακοπάθησον interpretatur *tolera labores*: ibidem κακοπαθῶ v. 9. *affligor*: hic κακοπάθησον, *perfer injurias.* Sic κακοπαθεῖ Jac. 5. 13. aliquando vertit *ægrotat*, aliquando *æger animo est.* Atqui perpetua verbi significatio est, *perpetior* vel *tolero mala.* Nec causam video cur hic speciem malorum, *injurias*, exprimamus, cùm nec antecedentia nec consequentia id postulent. ¶ Phrasis τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, commodissimè illustratur ex v. 17. ubi Apostolus, *Deus*, inquit, *me confortavit*, ἵνα δι᾽ ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ. Sensus est, *ut ex mea omnium præsidio orbati constantia & mortis contemptu omnes intelligerent, & quasi in animis suis convincerentur, præconium Euangelii*

gelii non esse opus humanum sed Divinum. Hinc præceptum Timotheo datum intelliges, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, quod malè Vulgatus vertit, *ministerium tuum imple:* nec multò meliùs Castalio, *tuo munere perfungere:* optimè Beza, *ministerii tui plenam fidem facito*, Et Erasmus, *ministerium tuum ad plenum probatum reddito;* h. e. Ità partes omnes Ministerii tui exsequere ut omnes intelligant te rem seriam agere, & in Euangelii prædicatione proram & puppim salutis humanæ positam esse. Qua in re germani Dei Ministri à falsis & mercenariis differunt. Et talem se præstitit Timotheus. Ideo Paulus non dubitat scribere ad Philippenses, c. 2. 20, 21, 22. *Se neminem habere ἰσόψυχον, qui γνησίως res ipsorum curaturus sit (omnes enim quæ sua sunt quærere: non quæ Jesu Christi:) hujus autem δοκιμὴν probationem esse notam.* Ad summam, tum dicimur διακονίαν nostram πληροφορεῖν, cùm præ Euangelii prædicatione & propagatione omnia posthabemus, etiam vitam ipsam. Tunc enim oritur in animis hominum sive auditorum πληροφορία sive *certa persuasio* de Euangelio, ὅτι ἡ βουλὴ αὕτη ἢ τὸ ἔργον τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ, Act. 5. ¶ Cæterum v. 17. addit Paulus, καὶ ἀκούσῃ πάντα τὰ ἔθνη· quod Beza vertit, *quod (sc. præconium) audirent omnes Gentes.* Malim cum Vulgato & Castalione ad literam, *& audiant omnes Gentes*, h. e. *ut perspicua fiat & verbi gloria & cura Dei circa providentiam mortalium*, quemadmodum Theophylactus explicat.

C A P. III.

Euangelista & opus Euangelistæ *quid*, v. 5.

Discrepant inter se eruditi Theologi in definiendo Euangelista. Sunt qui Euangelistas vocant Apostolorum comites quasi individuos, huc tamen atque illuc ad Ecclesias visendas & constituendas missos & relictos, indeque reversos aut revocatos. Ac talem Euangelistam volunt esse Timotheum. Hoc enim, inquiunt, constat ab Act. 16. ad finem ejus historiæ, & variis Pauli Epistolis, Rom. 16. 21. 1 Cor. 4. 17. & 16. 10. 2 Cor. 1. 1. Phil. 2. 19, 22. 1 Thess. 3. 2, 6. Col. 4. 10, 11. Contrà Huldricus Zuinglius Tomo 3. pag. 45. in Ecclesiaste, *Si* PROPHETAM, *inquit, pro speculatore, qui quod malum est eradicat, & quod bonum est plantat, accipimus, Euangelistæ officium à Propheta nihil distat. Nec etiam* EUANGELISTAM *alium quam Episcopum vel Pastorem esse dicere possumus, quemadmodum ex Pauli verbis certè colligere licet, quibus Timotheum suum compellans ait,* At tu vigila in omnibus, opus perage boni Euangelistæ, ministerium tuum ad plenum probatum reddito. *Atqui Timotheus tum temporis cum hæc illi Paulus scribebat, Episcopum agebat. Unde constat, juxta Pauli sententiam idem esse Episcopi & Euangelistæ officium. Quod ipsum ex præcedentibus quoque Pauli verbis cuivis colligere facile est, quando circa initium capitis sic scribit,* Prædica sermonem, insta, &c. *quod quid aliud est quam Episcopi officium & Pastoris? Ideo nec ab Apostolo differt Euangelista, nisi quòd Apostolus incertis sedibus hinc inde fertur, Euangelistæ, Episcopi & Pastores proprias habent Ecclesias; Apostolis privatâ bonorum possessione interdictum erat, Episcopi & Pastores res proprias possidere possunt.* Hactenus Zuinglius. Facilis est autem illarum sententiarum conciliatio. Erant omnino nonnulli Apostolorum tempore quibus *Euangelistarum* nomen proprium erat, itinerum scilicet eorundem & laborum socii. Non erant illi Apostoli, & tamen non erant ad unam aliquam certam Ecclesiam destinati, sed mittebantur ad diversas Ecclesias ut ibi Euangelium docerent, præcipuè vero ut prima fundamenta jacerent; qualis fuit Philippus Actor. 21. Tychicus, Silvanus, alii. Quin ex Eusebio videre est, etiam post Apostolorum tempora tales Euangelistas fuisse: *Quamplurimi*, scribit lib. 3. cap. 34. Hist. Eccl. *tum viventium discipulorum vehementiore Philosophiæ amore erga Divinum verbum affecti, primum salutare mandatum adimplentes, facultates suas egenis distribuerunt, ac deinde peregrè profecti opus Euangelistarum perfecerunt, h. e. illis qui de doctrina fidei nihildum prorsus audierunt, Christum prædicare ac Divinorum Euangeliorum tradere Scripturam magno studio satagerunt. Hi autem fidei fundamentis novis quibusdam & peregrinis locis a se jactis; alios illic Pastores constituerunt, atque illis culturam eorum qui recens fuerant adducti commendarunt: ac tum alias ipsi regiones ac gentes, gratia ac cooperatione Dei adjuti, accesserunt. Divini namque Spiritûs etiam ad id usque temporis plurimæ admirabiles virtutes operationes suas exercebant, ità ut numerosæ virorum multitudines mox a primo auditu pietatem erga cunctorum Opificem prompto animo cordibus suis acceperint.* Loquitur de temporibus Trajani. Moris autem fuit Apostolorum, ex Euangelistis eligere quos certis Ecclesiis præficerent. Tantisper igitur vocabantur *Euangelistæ* dum Ecclesiarum certarum gubernacula illis traderentur. Tum enim certis affixi sedibus etiam *Episcopi* & *Pastores* nominabantur. Chrysostomus Præfat. in 1. ad Timoth. *Quid est cur Paulus Tito ac Timotheo tantum ex omni discipulorum numero scribit, cùm Silas & Lucas probati quoque & mirabili virtute præditi fuerint? Scilicet, quod his jam Ecclesiæ gubernacula curamque tradiderat, illos vero secum adhuc circumducebat.* Timotheus igitur etsi ἱστορεῖται, *in historiis scribitur, primus fuisse qui Ephesinæ paræciæ Episcopatum sortitus est*, Euseb. lib. 3. c. 5. *Euangelista* tamen hoc loco nominatur, quia Euangelista propriè sic dictus paulò antea fuerat, & jubetur *opus boni Euangelistæ facere*, quia eadem in Episcopo quæ in Euangelista docendi diligentia requirebatur.

C A P IV.

Distincta sacrificiorum genera. Martyrium Pauli, σπονδή. *Mors Sanctorum,* ἀνάλυσις. *v.* 6.

Distincta sacrificiorum genera fuerunt apud Judæos æquè ac Ethnicos. Aliàs enim mactabantur Pecudes; quarum mactatio vocabatur θυσία, à θύω *macto*. Aliàs offerebatur Panis vel Placenta, & illa oblatio vocabatur *immolatio*, à *mola*, placenta, *Kuchen*, unde *immolare*, placentas offerre, *Kuchen opfern*. Aliàs fundebatur Oleum vel Vinum vel etiam Sanguis in ignem; quod dicebant σπένδειν *libare*. *Libare* enim est fundere.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Libabant, h. e. fundebant ritu sacro. In conviviis adhibebantur ceremoniæ sacræ, quemadmodum nos precibus utimur. Stetit igitur *in media aula*, i. e. in medio cœtu, quidam fundens aliquid in ignem. Mandat autem Deus Exod. 29. 38, &c. *ut mactatis agnis anniculis binis* adderetur quoque *libamen*, h. e. aliquid olei & vini funderetur, *in odorem gratum, sacrificium igne absumendum Jehovæ.* Quem morem libamina victimis jungendi etiam Gentiles imitati sunt. Herodianus autor est lib. 5 Heliogabalum Imperatorem creatum *erexisse Deo pulcerrimum templum, plurimasque circa templum excitasse aras, ad quas quotidie manè taurorum hecatombas & ovium magnam multitudinem immolarit: coacervatisque super aras omni genus odoribus, etiam veterrimi cujusque optimi vini plurimas amphoras ante aras profudisse, sic ut rivi passim vini sanguinisque promiscuè defluerent.* Ità enim phrasin Herodiani τῶν βωμῶν προχέων doctiss. Sylburgius exponit, *ante (vel ad) aras profundens*, eamque confirmat ex Virgilio Æn. 7.

Hoc Pater Anchises auro libabat ad aras;

& ex Macrobio Saturn. 3. 11. *Libatio apud mensam, quæ cum ara maxima fuerat dedicata.* Addit ibidem Sylburgius, *Aliquando etiam in aram & in mensam fiebat libatio:* ut Æneid. 12.

——paterisque altaria libant.

Æneid. 1.

——in mensam laticum libavit honorem.

Æneid. 8.

In mensam læti libant, Divosque precantur.

Quâ significatione Herodiano scribendum fuisset τῶν βωμῶν καταχέων, vel potiùs τοῖς βωμοῖς ἐπιχέων. Verùm hæc obiter. Aliquando mactatâ victimâ, sanguinem ejus libabant. Pausanias in Arcadicis, Λυκάων δὲ ἐπὶ τὸν βωμὸν τοῦ Λυκαίου Διὸς βρέφος ἐνεγκὼν ἀνθρώπου, καὶ ἔθυσε τὸ βρέφος, καὶ ἔσπεισεν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τὸ αἷμα, *Lycaon ad Jovis Lycæi aram infante mactato humanum sanguinem libavit.* Quia igitur in Molaricis etiam sacrificiis, præterquam quod adolebatur victima, sanguinis aspersio ac etiam vini addebatur, Apostolus præsagiens se brevi sanguinem suum pro Christi gloria & veritate Euangelii fusurum, emphatico simul & pathetico verbo, eoque in significatione passiva quasi novo, σπένδομαι, *libor*, utitur. (Ut enim quod de S. Stephano Gregorius Nyssenus olim scripsit) καθάπερ τις ἱερεὺς, κατὰ τὸν πνευματικὸν νόμον ἑαυτὸν θυσίαν ἱερουργεῖ, οὐκ ἀλλότριον ἀλλὰ τὸ ἴδιον προσάγων σῶμα, καὶ ἀντὶ τῆς σπονδῆς ἀποβάλλων τοῦ αἵματος. Alii τὸ σπένδομαι interpretantur *immolor*. Sed *immolare* propriè quid sit modo dictum. Glossarium quidem vetus, Θύω, *macto, immolo.* Et *immolari* pro *mactari* Vulgatus dixit 1 Cor. 5. 7. Sed *immolare* pro σπένδειν *libare* non facilè legeris. Quid ergò est mors Martyrum? Est libamen acceptum aræ Dei, gloriosum libamen fructuosum Ecclesiæ. Quid generatim mors omnium fidelium? Nihil aliud nisi beata ἀνάλυσις, h. e. *migratio* ad Dominum: quam germanam hujus vocis vim & significationem esse, in Deliciis Euangelicis meis prolixè demonstravi.

monſtravi. Atque hoc eſt quod mortis horrorem in animo Apoſtoli elevat, ut Phil. 1. in hæc verba erumpat, *ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριςῷ εἶναι, Cupio migrare, & eſſe cum Chriſto.* Hanc mortis cupidinem in ipſa carnis noſtræ peccatricis infirmitate per intervalla minimùm ſentiet quiſquis cum Paulo bonam militiam militaverit.

C A P. V.

Suppellex magni Apoſtoli, penula & pauci libri. Φαιλόνης & Φαιλόνιον, v. 13. Imprecatio Apoſtolica, v. 14.

O *Supellectilem Apoſtolicam!* exclamat hic magnus Eraſmus *penulam, quæ defendat ab imbribus, & libros aliquot, haud dubie ſacros. Nec quantum eſt caballorum, quantum bombardarum, quantum aliarum rerum quas referre non libet!* Cæterùm nec in ſcribendo nec in exponendo vocabulo Græco quo *penula* indicatur doctis convenit. Alii enim Φαιλόνης ſcribunt, alii Φαινόλης· rurſum alii Φελώνης per ω magnum, alii Φελόνης per ο parvum. Ac placet quibuſdam, hanc eſſe *penulam*, κατ' ἀντιςοιχίαν quibuſdam *arcam librariam*. Græci etiam interpretantur εἰλητήριον τοῦ νόμου, i. e. *volumen legis Moſaicæ.* Sed bene Camerarius, βαρβαρίζει ἡ λέξις, *ſeu Latina, ſeu alterius linguæ; ſicut & id quod ſequitur,* τὰς μεμβράνας. Communiter Φαιλόνης vertitur *penula:* quam ſignificationem Beza ex Artemidoro confirmat. A Φαιλόνης derivatur Φαιλόνιον, vox in Chryſoſtomi & Baſilii Liturgiis uſurpata. Significat autem *pallium*, quo multùm uſi ſunt, tanquam ſimplici & facili, Chriſtiani olim, præcipuè Græci, quorum Epiſcopi indè illud (ut veriſimile eſt) in ſolennibus ritibus retinuerunt, cùm aliàs eo minimè utebantur. Non eſt autem Φαιλόνιον *caſula* illa ſive veſtis ſuprema quâ ſuper cæteras veſtes Sacerdos in Miſſa induitur. Veſtis enim ſacrificulorum ſuperior longè abeſt ab illa Pallii veteris ſimplicitate, neque illi vulgari veſti ſimilis, ſed parvulæ caſæ (unde *caſula* dicta eſt) Sacerdotem ab omni parte mœnibus quibuſdam concludens, recluſo ipſo in faſtigio foramine, unde caput exſerat, tanquam ex tubo quodam vaporario unde fumus exſiliat. ¶ Verſu ſeq. mirum quàm Græci ferè omnes, & Auguſtinus quoque inter Latinos, refugiant ab imprecatione voci ἀποδῴη incluſa. Autor Quæſt. & Reſp. ad Orthodoxos apud Juſtinum Mart. quæſt. 125. *Verba illa,* REDDAT ILLI DOMINUS IN DIE ILLA, *non ſunt vel κατάρα exſecratio, vel λοιδορία convitium, ſed πρόῤῥησις πρέπουσα ἀνδρὶ ἀποςόλῳ, μὴ ἐκδικοῦντι ἑαυτὸν, ἀλλὰ διδόντι τόπον τῇ ὀργῇ, prædictio decens virum Apoſtolicum, qui ſeipſum non ulciſcatur, ſed locum det iræ.* Theophylactus legit quidem ἀποδῴη, ſed expoſitione ſuâ lectionem tollit: *Confide,* inquit, *haud impunè hæc ei ſuccedent, ſed* REDDET EI DOMINUS, *pro* perſolvet. *Nam prophetia potius eſt quàm exſecratio.* Nec aliter Auguſtinus in explanatione Sermonis in monte habiti. *Paulum* enim ait *non imprecari malum ei qui læſerat, ſed prædicere quid eventurum eſſet.* Syrus quoque apud Tremellium τὸ, ἀποδῴη, per futurum expoſuit, *Redditurus eſt illi Dominus noſter ſecundùm opera ipſius.* Atqui novum non eſt Sanctos in Scriptura impiis imprecari vel temporariam quandam calamitatem converſionis ipſorum bono, vel etiam finale excidium, idque aut generatim omnibus quicunque fuerint, aut quibuſdam ſpeciatim, de quibus Divino oraculo vel certis indiciis conſtabat eſſe eos Dei & Eccleſiæ hoſtes, exemplo nobis non imitando. Fabrum certè iſtum manifeſta reprobationis ſui indicia edidiſſe teſtatur Epiſtola hæc, ut de ſpiritu Pauli Prophetico nihil dicam.

C A P. VI.

Cygneæ voces Pauli morituri, certaminis, curſûs, fidei, *& harum obſervationum finis,* CORONA, *v. 7, 8.*

Videor mihi videre Apoſtolum ſtantem uno pede in caducæ hujus vitæ exitu, altero in æternæ vitæ introitu, & reſpicientem retro edere iſtas voces, *Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, τὸν δρόμον τετέλεκα, τὴν πίςιν τετήρηκα, Certamen illud præclarum decertavi, curſum conſummavi, fidem* (præter quam ſcilicet nihil *in œconomo deſideratur* 1 Cor. 4.) *ſervavi*, oculis verò converſis læto animo dicere, *Λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης ςέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι ὁ Κύριος ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam Dominus reddet mihi in die illa.* Nimirum Sancti in hujus vitæ miſeriis futuræ delicias certâ fidei ſpe quaſi prælibant. Hinc Paulus in contemptu coronam gloriæ, Johannes in ſiti cryſtallinum aquæ vitæ fluvium, in tenebris æterni Solis lumen, in exſilio civitatem ſanctam à Deo paratam, Apoc. 21, & 22. ſibi proponunt. Nec mirum. Illud mirum, Etiam Ethnicos quaſi per ſomnium tale aliquid poſt obitum ſibi fuiſſe imaginatos; Οἱ γὰρ ἀγαθοὶ ſcribit Plato in Phædone & Gorgia, *εἰς τὸ Ἠλύσιον ἀναδραμόντες ἀθάνατα συμποσιάσουσι, ἀεὶ τοῦ νέκταρος ἐμπιπλάμενοι, Boni enim in campum Elyſium evecti ibidem agent ſempiterna convivia, ſemperque erunt pleni nectare.* Et Libanius Sophiſta in laudatione Juſtitiæ, *Ὁ δίκαιος χαίρων μεθίςαται, καλὴν ἀποδημίαν τὴν κλῆσιν, κήπους καὶ ἄνθη καὶ αὔρας ὀνειροπολῶν, Juſtus hinc migrat cum gaudio, & hanc pulcram peregrinationem appellat, ejuſque animo & flores & horti & auræ obverſantur.* Verùm, ut dixi, ſunt hæc hominum faculâ verbi Divini deſtitutorum ſomnia. Aliter longè fideles perſuaſi ſunt. *Norunt enim cui crediderunt.* Norunt illum Juſtum, qui labores ſuorum ſervorum honoribus, præmiis atque ſplendore cœlico eſt decoraturus. Quæ omnia vocabuló *Corona* Apoſtolus complectitur. Optimè ſanè. *Corona* enim, ut ſcribit Carolus Paſchalius De corona, *ſignat abſolutionem, conſummationem, perfectionem, & evincendo capiti deſtinatur, quæ & eminentiſſima & abſolutiſſima pars eſt totius humanæ compaginis. Corona eſt, ultra cujus excellentiam mortalium vota non extenduntur. Hinc ſummum omnium præmiorum ſunt Corona.* Et apud Platonem lib. 5. De Rep. ἀναδεῖσθαι *coronari* ſeu *redimiri* eſt Præmiis donari. Hinc eſt quòd *coronare* quandoque eſt Remunerare, & *corona* Remuneratio: ut apud Philoſtratum, ubi loquitur de viris probis, *quos Deus coronat οὐ χρυσοῖς ςεφάνοις, ἀλλ' ἀγαθοῖς πᾶσιν, non aureis, coronis, ſed omni genere bonorum.* Corona denique non qualecunque præmium notat, ſed præmium victoriæ, h. e. pugnando, vincendo partum. *Ubi durior pugna, ibi glorioſior eſt victoria,* inquit Severus Sulpitius in Dial. Ergò qui vincit, is propriè *coronam accipere* dicitur. Hinc *Fortiter pugnare* Pindaro Olymp. Od. 4. eſt *ire* ſeu *vadere ad victoriam*,

> Χαλκέοισι δὲ ἐν ἔντεσι νικῶν
> Δρόμον, ἔειπεν Ὑψιπυλείᾳ
> Μετὰ ςέφανον ἰών.

Æreis enim armis vincens curſum, dixit Hypſipylæ ad coronam vadens, i. e. ad præmium. Et Euripidi itidem,

> Ἥκω ἐπὶ τόνδε ςέφανον, ἀλλὰ πῶς λάβω;

Venio ad hanc coronam, ſed quomodo accipiam? De tali corona loquitur Apoſtolus, quæ certantibus, curſum conſummantibus, adeoque vincentibus datur. Hæc corona *non ſoli Paulo* promiſſa eſt, *ſed omnibus illuſtrem Domini adventum expetentibus.* Nemo autem ex animo illum expetit niſi qui *præclarum certamen* cum Apoſtolo *decertavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit.* Quin hoc igitur, Fratres, agamus: decertemus ςεφανίτην hunc ἀγῶνα, curramus, fidem ſervemus. Apud Romanos *ὀψώνιον οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολοὺς, ſtipendii nomine pedites in diem accipiunt binos obolos,* Polyb. lib. 6. Oboli autem duo, quemadmodum Lipſius in Electis ſupputat, faciunt aſſes Romanos tres. Vile profectò ſtipendium, pro quo tot labores, mors quin etiam ipſa adeunda erat. Hic verò ſtipendium quantum! *Corona juſtitiæ,* corona gloriæ. Scribit Dionyſius Halic. Antiq. Romanar. l. 9. *milites Romanos ſub ſignis Conſulis Appii contra Volſcos eductos deſeruiſſe ordines, idque præ invidia, ἵνα μὴ καλὸν ἀγώνισμα ὁ ἀνὴρ διαπραξάμενος θριάμβῳ τε καὶ ταῖς ἄλλαις ἐπιλαμπρυνθῇ τιμαῖς, ne Conſul re bene geſtâ triumpho aliiſque ornaretur honoribus.* D. Paulum *deſeruit Demas, averſi ſunt ab eo omnes qui in Aſia,* ſuprà 1. 15. at triumphum illius nec Demas nec deſertores Aſiatici impedire potuerunt. Idem fatum fuit, eſt, erit omnibus illuſtrem Domini Jeſu adventum exſpectantibus. Certemus tantùm, curramus tantùm; deſeramur ab his, ab illis; cuique ſui non aliorum agonis corona parata eſt. Eſt qui Delphicam laurum & Olympicum oleaſtrum ex Aſia profectus petat, non ignarus τῷ μαραινομένῳ τῷδε θαλλῷ κλέος ἀμάραντον, *marceſcenti illi corollæ gloriam quæ non marceſcit ineſſe,* ait Nicephorus Gregoras Hiſt. Rom. l. 8. Nobis nec in Aſiam nec in Africam proficiſcendum, Certaminis palæſtra in cujuſque cordis domicilio eſt: in hoc aut vincis aut vinceris: victus æternam ignominiam, vincens ἀμάραντον κλέος *immarceſcibilem gloriam* reportas. Omnes aliæ coronæ quibuſcunque ex floribus contextæ marceſcunt: Sola ex Amaranto facta non marceſcit, non putreſcit. Qua de cauſa primi Theſſali (Philoſtrato referente) coronas amarantinas conſtituerunt in funebria, nempe ut ſi navis illa θεωρίς, quæ ſacra deferebat ad Achillem, ventis detineretur, navigantes non fierent putridi. Talis eſt *corona gloriæ* 1 Pet. 5. 4. talis eſt *corona juſtitiæ. Chriſtianus ergò* (monet Clemens Alex. Pædag. 4.) *ne coronetur inſtar ſimulacrorum mortuorum. Pulcra enim amaranti corona ei repoſita eſt qui ſe rectè geſſerit. Hunc florem terra ferre non poteſt, cœlum ſolummodo eum producit.* Magna

erat

erat gloria Horatii Coclitis, quando illum Romani στεφανώσαντες ἀπέφερον εἰς τὴν πόλιν ὑμνοῦντες ὡς τῶν ἡρώων ἕνα. *coronarunt & cum virtutum praeconio velut unum ex heroibus in urbem intulerunt*, Dionys. Hal. lib. 5. Antiq. Major verò, longè major erit nostra gloria, quando ab æterno Dei Filio coronati inferemur in beatam Hierosolymam, sistemurque Deo universorum cum præconio illo solenni, *Hi sunt qui permanserunt mecum in tentationibus meis. Pater juste, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum æterna gloria mihi abs te data, glorificati & ipsi, spectatores.*

Sed jam villarum summa procul culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Vespera instat hujus laboris mei Critici. Et fortè satis & plus quàm satis dictum est in tristi hoc exsilio meo, in hoc senio meo, in hoc mœrore publico & privato meo, ad Epistolam utramque ad Timotheum. Nunc postquam harum Observationum cursum absolvi, certamen cum variis Interpretum erratis decertavi, fidem Grammaticam pro virili servavi, bonâ, credo, bonorum veniâ Observationes has iisdem finio verbis, pauculis immutatis, quibus vetus Ecclesiæ Scriptor suam Ἔκθεσιν πίστεως περὶ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας apud Justinum Martyrem conclusit, Ἴδε πῶς ἀθλήσας τὸν δρόμον ὁ λόγος νικητὴς ἀπεφάνθη· στεφανηφορείτω λοιπὸν, καὶ πομπευέτω, καὶ τοῖς τῆς νίκης στεφάνοις ὡραϊζέσθω, καὶ θριαμβευέτω τῶν ἀντιπάλων, ἤγουν τῶν ψευδεστάτων ἑρμηνευμάτων, τὴν ἧτταν. ἡμεῖς δὲ οἱ τοῦ Χριστοῦ προσάγοντες, τὸ ἐπινίκιον ᾄδωμεν, Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν, βοῶντες, ὁ λόγος ἠγώνισαι, τὸν δρόμον τετέλεκας, τὴν πίστιν τετήρηκας· λοιπὸν ἀπόκειταί σοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος. Μᾶλλον δὲ τὸν χορηγήσαντα τὴν νίκην ἀνυμνήσωμεν, τὸν θειότατον Λόγον τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, τὸ φωτίζον πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, τὸν δι' οὗ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν, τὸν δι' οὗ πάντα, τὸν δι' οὗ τὰ ἐν ταῖς ἁγίαις γραφαῖς δυσνόητα διασαφοῦμεν, τὸν κηδεμόνα, τὸν πρύτανιν, τὸν εὐεργέτην, ᾧ καὶ θύομεν διηνεκῶς θυσίαν αἰνέσεως, καὶ σπένδομεν ὡς Θεῷ δεήσεις εἰλικρινεῖς, καὶ θύομεν εὐωδίαν πράξεων, αὐτὸν ἑαυτοῖς ἀναστρέφοντες, αὐτὸν ἀνα[illegible]ίοντες. αὐτὸν λογιζόμενοι, αὐτῷ προσανέχοντες, αὐτὸν ἐν πᾶσιν ὑμνοῦντες, τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ χορηγὸν τῆς ἀνωτάτω βασιλείας, *Vide quomodo oratio certamine cursus confecto victoriam retulisse renunciata sit. Coronam deinceps ferat, cum pompa & comitatu magnifico progrediatur, victoriæ insignibus se spectandam inferat, ac de adversariis sive falsissimis interpretationibus profligatis triumphum agat. At nos qui Christi censemur nomine præcedentes, victoriæ carmen canamus, ac vociferemur*, Bonum certamen decertasti, oratio, cursum consummasti, fidem servasti. Quod superest, reposita tibi est justitiæ corona. *Quin imò hymnis potius concelebremus eum qui victoriam subministravit, Divinissimum* SERMONEM, *lucem veram quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem vivimus & movemur & sumus, per quem omnia consistunt, per quem difficiliora S. Scripturæ loca explanamus, qui curam nostri gerit, qui nos gubernat, qui benignè nobis facit, cui citra intermissionem mactamus hostiam laudis, & ut Deo preces sinceras libamus, & fragrantem operum bonorum odorem sacrificamus, ipsum in nostra ipsorum conversatione medium habentes, ipsum sperantes, ipsum cogitantes, in ipsum animos intendentes, ipsum in omnibus laudantes, beatam quippe spem & regni largitorem supremi.*

GUALTPERIUS.

13. Μεμβράνας, *membranas*] Vocem hanc Latinam esse omnes intelligunt. Syrus P. sensum potiùs quàm vocem exprimit. Reddit enim *fasciculum voluminum*: siquidem veteres membranis utebantur, ut jam nos papyro, ad scribendum. Atque ut jam libros paramus, illi non parabant, sed consutas membranas in volumen complicabant, ut faciliùs ferrentur & conservarentur meliùs. *Membrana* igitur est charta Pergamena, è pellibus animantium concinnata. Plin. lib. 13. c. 11.

LUD. CAPPELLUS.

17 Ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος] Neronem intelligit. Sic vocat Esther Assuerum, cap. 14. 13. in Additamentis Vulg. vers. ad Estheræ librum: *Tribue*, inquit illa, *sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis*, &c. Sic Marsyas Regis Agrippæ libertus, cùm patrono suo Romæ vincto Tiberii (à quo in vincula conjectus fuerat) mortem nunciaret, *leonem* Tiberium dixit, Josephus Antiq. Jud. l. 18. c. 6. ὁ Μαρσύας δὲ ὁ τοῦ Ἀγρίππα ἀπελεύθερος, πυθόμενος Τιβερίου τὴν τελευτὴν, ἔθει δρομαῖος τὸν Ἀγρίππαν ἀγγελούμενος, καὶ καταλαβὼν ἐν ἐξόδοις ὄντα εἰς τὸ βαλανεῖον, συννεύσας πρὸς αὐτὸν γλώσσῃ τῇ Ἑβραίων, Τέθνηκεν ὁ λέων, φησί, *Mortuus est*, *inquit*, *Leo*. Fortè indè est desumpta hæc phrasis quòd Reges tyrannicè dominantes ab Ezechiele comparantur Leonibus & Leænis Catulisque leonum, Ezech. 19

GROTIUS.

1. Διαμαρτύρομαι οὖν ἐγὼ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Testificor ergo coram Deo & Domino nostro Jesu Christo*] Seria admodum obtestatio, & maximi juramenti vim habens: similis 1 Tim. 5. 21. & supra 2. 14. ¶ τοῦ μέλλοντος κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς, *qui judicaturus est vivos & mortuos*] Non potuerat magis exprimere majestatem Christi quàm hoc titulo. Quanti enim fieri debet qui omnes judicabit? Vide Joan. 5. 25. Actor. 10. 42. 17. 31. 1 Cor. 15. 51. 1 Thess. 4. 16. *Vivos & mortuos*, id est, tum eos qui tum vivent, tum præmortuos 1 Cor. 15. 52. 1 Thess. 4. 15, 17. ¶ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ· *per adventum ipsius & regnum ejus*] Syrus non malè hoc explicat per ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*] quasi esset κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς βασιλείας αὐτοῦ [*per adventum regni ipsius.*] Pari modo ἐπιφάνεια τῆς δόξης [*adventus gloriæ.*] Regnat quidem jam Christus, sed id non in omnibus apparet, sicut tunc apparebit. Eadem ἐπιφάνεια dicitur κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam,*] ut videre est 1 Timoth. 6. 14. supra 1. 10. infra 8. κατὰ hîc tempus significat, ut Rom. 5. 6. & 9. 9. Et Paulus pro multis præpositionibus κατὰ usurpat.

2. Κήρυξον τὸν λόγον, *Prædica verbum*] Id est, τὸ εὐαγγέλιον [*Euangelium*] ut Matth. 4. 23. 24. 14. Marci 1. 14. 13. 10. 16. 15. Quod alibi dicitur κηρύσσειν τὸν Χριστὸν [*prædicare Christum.*] Hoc autem ideo inculcat Paulus quòd videret malorum, quæ ipse Paulus & alii ferebant, exemplo Timotheum posse timidiorem fieri. ¶ ἐπίστηθι, *insta*] Nempe αὐτοῖς [*illis*:] quomodo & Demosthenes dixit ἐφειστήκει δ' αὐτῷ, *urgebat eum*. Syrus vim hujus verbi bene expressit. ¶ εὐκαίρως, ἀκαίρως, *opportunè, importunè*] Id est, *in otio, vel negotio*. Nam εὐκαιρία pro *otio* ponitur Sirach. 28. 26. 1 Macc. 11. 42. Seneca Epistola 29. *Spargenda est manus: non potest fieri ut non aliquando succedat multa tentati.* ¶ ἔλεγξον, *argue*] *Ostende flagitiosis quàm agant turpia.* Supra 3. 16. ¶ ἐπιτίμησον, *increpa*] Ἐπανόρθου [*corrige*] Supra 3. 16. *Minùs malos verbis castiga.* Sic & verbum hoc sumitur Gen. 37. 10. & alibi in Glossario, ἐπιτιμῶ, *castigo*. ¶ παρακάλεσον, *obsecra*] *Hortare eos qui bene cœperunt.* Deest hoc apud Syrum. ¶ ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ καὶ διδαχῇ. *in omni patientia & doctrina*] Vide supra 3. 10. Sensus est, ἐν διδαχῇ μακροθύμῳ [*in doctrina patienti,*] id est, *docendo eos leniter*: ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*] ut jam modò.

3. Ἔσται γὰρ καιρὸς, *Erit enim tempus*] Non frustra hoc dixi, venient tempora quæ & exprobratione & castigatione egent. ¶ ὅτε τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνέξονται· *cum sanam doctrinam non sustinebunt*] Nempe πολλοὶ [*multi,*] *non ferent salubrem doctrinam*, id est, eam quæ vitam exigit ad Euangelii amussim. Similium hominum descriptio Esaiæ 30. 10. ¶ ἀλλὰ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τὰς ἰδίας, *sed ad sua desideria*] Malis cupiditatibus suis quærent advocatos: hic luxui, ille libidini, alius ebrietati. Vide Rom. 1. 24. Judæ. 16. ¶ ἑαυτοῖς ἐπισωρεύσουσι διδασκάλους, *cumulabunt sibi magistros*] *Multos reperient tales doctores*: ideo dicit ἐπισωρεύσουσι, *cumulabunt*. In Glossario, ἐπισωρεύω, *coaggero, congero, cumulo*. Concurrent undique μαντευόμενοι τὰ πρὸς χάριν [*vaticinantes ea quæ placent,*] ut est in Græco Ezechielis 12. 24. ¶ κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν· *prurientes auribus*] Tanquam leprosi, nam eorum est κνησμός [*pruritus.*] Eleganter autem *prurire* eos dicit *auribus* qui sermones quærunt vitia sua titillantes. *Assentatores populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantes*, ait Cicero.

4. Καὶ ἀπὸ μὲν τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀποστρέψουσι, *Et à veritate quidem auditum avertent*] Ἀποστρέψουσι τὴν ἀκοὴν [*auditum avertent.*] יסרו אזן [*declinabunt aurem*] ut est Prov. 28. 9. ἀπὸ τῆς ἀληθείας [*à veritate*] ab Euangelio, quod nemini assentatur. ¶ ἐπὶ δὲ τοὺς μύθους ἐκτραπήσονται. *ad fabulas autem convertentur*] Fabulæ illæ erant de expiationibus peccatorum, ex Chaldaica & Orphica disciplina. In his primum locum habebat aqua marina, deinde & fontana, scilla, sulfur, bitumen, quorum mentio in carmine Diphili, quod est in nostris Excerptis. Scillæ etiam apud Plinium, Dionem Chrysostomum, Artemidorum, Lucianum; sulfuris & facis apud Juvenalem & Claudianum in sexto consulatu Honorii, ubi & bituminis & aquæ mentio. Accedebant ad hæc Ἐφέσια γράμματα [*literæ Ephesiæ.*] De quibus diximus ad Actor. 19. 19. Tales μῦθοι [*fabulæ*] מהתלות [*illusiones*] Esai. 30. 10.

5. Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι, *Tu verò vigila in omnibus*] Vide

1 Thess.

1 Thess. 5. 6. ¶ *κακοπάθησον, labora*] *Nullis malis absterretor*, ut supra 2. 3. Additur hic in Manuscripto, ὡς καλὸς στρατιώτης Χριστοῦ Ἰησοῦ [*ut strenuus Jesu Christi miles.*] ¶ *ἔργον ποίησον Εὐαγγελιστοῦ, opus fac Evangelista*] Id est adjutoris Apostolorum, quæ magna sanè dignitas. Actor. 21. 8. Ephes. 4. 11. *ἔργον ποίησον, fac quod officium est.* Vide 1 Tim. 3. 1. ¶ *τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον. ministerium tuum imple*] *Imple*, ut infra 17. idem quod πληρῶσαι, Coloss. 1. 25. מלא, omnes partes ministerii bene exsequere, præsertim in ostendendis periculis à peccatis.

6. Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, *Ego enim jam delibor*] Eò magis debes officio incumbere, quia posthac auxilium non habebis à me, cui mors instat. Σπένδεσθαι [*delibari*] dicitur vinum quod aspergitur victimæ. Vitis in Epigrammate Græco sic loquens inducitur,

> *Κἂν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω*
> *Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ*
> [*Me rodes licet Hirce, tamen cùm victima ad aras*
> *Percutiendus eris, Vina ego, sufficiam.*]

Est etiam ad Philippenses 2. 17. comparatio ducta à libamentis, sed alio, ni fallor, modo. Ibi σπονδὴ sive *libamen* consideratur ut accessio victimæ, hîc ut præparatio ad mactationes. *Jam nunc aspergor vino*, id est, præparor ad mortem, ut victimæ solent. Victimæ legales Martyrum præfigurationes: Ideo animæ Martyrum sub altari Apoc. 6. 9. quia sanguis victimarum effundebatur sub altari Levit. 1. 5, 15. 3. 2, 8. & alibi. ¶ *καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε. & tempus resolutionis meæ instat*] Ἀναλύσεως, *migrationis*, פטירה aut potiùs *reditûs*. Vide quæ diximus ad Philipp. 1. 23. *ἐφέστηκε, imminet, prope est*, ut 1 Thess. 5. 3. dixit hoc Paulus, non tantùm quia omnia quæ videbat Romæ & in aula Neronis id credi jubebant, verùm insuper, ut arbitror, à Deo de eo quod futurum erat edoctus, quale quid & Cypriano & Chrysostomo evenisse legimus.

7. *Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, Bonum certamen certavi*] Utinam multi morte instante hoc de se prædicare verè possent, & non se vellent decipere per justitias imputatas, vel ceremoniales. *Præclarum* utique *certamen* quod pro Euangelio suscipitur, contra diaboli insidias, Mundi exempla, & carnis illecebras: & spei plenum, in eo bene se semper gessisse. Vide 1 Timoth. 6. 12. & Genes. 30. 8. ¶ *τὸν δρόμον τετέλεκα, cursum consummavi*] Nunquam defatigatus fui. Semper cucurri in hoc stadio. Vide 1 Cor. 9. 24, 26. Gal. 2. 2. Philipp. 2. 16. Hebr. 12. 1. ¶ *τὴν πίστιν τετήρηκα, fidem servavi*] Nunquam à fide & professione Christiana vel minimum defeci: quod alii fecere multi. Vide supra 1. 15.

8. *Λοιπὸν, ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*] Nempe vita immortalis & cœlestis: quæ *corona* nomine vocatur etiam Jac. 1. 12. 1 Petr. 5. 4. Apoc. 2. 10. 6. 2. & alibi. Rabbinis etiam עטרה. Λοιπὸν, id est, *quod restat, quod reliquum.* Explevi meas partes, restat Deus suas impleat. Δικαιοσύνη [*justitia*] hic ita largè sumitur, ut omne id comprehendat, quod Deo & hominibus debetur, aut cum laude præstatur, ut 2 Corinth. 3. 9. 5. 21. 9. 10. & alibi. Ἀπόκειται כמס [*reposita est*,] non apparet, sed bonâ fide asservatur. Vide Colossens. 1. 5. & ibi dicta. Hîc habes sensum mysticum dicti Proverbiorum 14. 32. וחסה במותו צדיק [*sperat in morte sua justus.*] ¶ *ὃν ἀποδώσει μοι ὁ Κύριος ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, quam reddet mihi Dominus in illa die*] *Reddet* pro labore, quanquam res ipsa laborem impensum excedit. Sic ἀποδώσει [*reddet*] habes Matth. 6. 6, 18. Rom. 2. 6. *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ* [*in illa die*] ut 1 Thess. 1. 10. supra 1. 12, 18. ¶ *ὁ δίκαιος κριτής. justus judex*] *Judicis* titulus Christo datur Actor. 10. 42. *Justus* autem dicitur, quia justitiæ & hoc est implere promissa. Vide quæ diximus libro II. de Jure Belli ac Pacis cap. 11. Tunc plenissimè implebitur dictum Psalm 7. 12. אלהים שופט צדיק [*Deus judex justus.*] ¶ *οὐ μόνον δὲ ἐμοὶ, non solum autem mihi*] Bene hoc ut & alios excitet ad participandum laborem sub spe communis præmii. ¶ *ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ. sed & omnibus qui dilexerunt adventum ejus*] Ἐπιφάνειαν intelligit illam eximiam de qua egit modo initio hujus capitis. Eam *diligere* dicuntur, id est, קוה, quod & per ἀγαπᾷν [*diligere*,] & per εὔχεσθαι [*precari*,] & per ἐπιθυμεῖν [*desiderare*] vertitur, qui exoptant, ut ea eveniat, quia inde omnia sperant optima: quod facere illi soli jure possunt, qui ad Christi præscriptum vitam instituerunt. Iis verò illud convenit אשרי כל־חוכי לו [*beati omnes qui expectant eum*] Esai. 30. 18. Adde Dan. 12. 12. Dixit autem ἠγαπηκόσι [*qui dilexerunt*] non ἀγαπῶσι [*qui diligunt*] animum referens ad tempus illud judicii, quasi dicat, *qui tunc deprehendentur adventum ejus sperasse.*

9. *Σπούδασον ἐλθεῖν πρός με ταχέως. Festina ad me venire cito*] Nempe *Romam*. Et hoc fecit Timotheus, ut apparet Coloss. 1. 1. Philem. 1. Hebr. 13. 23. Philipp. 2. 19.

10 *Δημᾶς γάρ με ἐγκατέλιπεν, Demas enim me reliquit*] *Dereliquit munus Euangelistæ.* Fecit ut illi de quibus supra 1. 15. *Me deserunt*, id est, adjutor meus esse noluit. Diximus autem Δημᾶς [*Demas*] esse curtatum nomen ex Δημήτριος [*Demetrius.*] An hic idem cujus mentio ult. Joh. 12? Vide hic etiam bonos interdum metu aut malis exemplis mutari. *Quare qui stat, videat ne cadat.* Sed & culpæ hujus pœnituisse Demam colligimus ex loco Philem. 24. & Coloss. 4. 14. ¶ *ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, diligens hoc seculum.*] Matth. 13. 22. ¶ *καὶ ἐπορεύθη εἰς Θεσσαλονίκην. & abiit Thessalonicam*] Ut ibi mercando rem faceret. Erat enim nobile emporium. ¶ *Κρήσκης εἰς Γαλατίαν, Crescens in Galatiam*] Nempe ad Euangelicam messem. Γαλατίας [*Galatia*] ambiguum est nomen: nam & Gallia sic vocatur Græcis, & Asiæ pars à Gallis antiquitus habitata. Ut Gallia potiùs hic intelligenda sit, facit Italiæ, ubi Paulus erat, vicinitas, & vetus apud Gallos fama. Epiphanius in sui temporis codicibus Γαλλίαν [*Galliam*] scriptam fuisse nos docet. Græci, qui nulla nomina habent in νς desinentia, scribunt Πούδης, Κλήμης [*Pudes, Clemes*,] pro *Pudens, Clemens.* Etiam Cynicus ille Justini Martyris hostis Tatiano Κρίσκης [*Criscens*] quomodo & hîc codices habent nonnulli. Nomen hoc in Syriaco malè legitur *Crispus*, in Arabico *Crisceus.* ¶ *Τίτος εἰς Δαλματίαν· Titus in Dalmatiam*] Quæ objecta Italiæ.

11. *Λουκᾶς ἐστι μόνος μετ' ἐμοῦ. Lucas est mecum solus*] Nam post iter illud quod fine Actorum descripsit, mansit in Italia cum Paulo, Coloss. 4. 14. Philem. 24. ¶ *Μάρκον ἀναλαβὼν, ἄγαγε μετὰ σεαυτοῦ· Marcum assume & adduc tecum*] Illum nempe Barnabæ consanguineum. Et hoc desiderium Pauli impletum est. Vide Philem. 24. Coloss. 4. 10. ¶ *ἔστι γάρ μοι εὔχρηστος εἰς διακονίαν, est enim mihi utilis in ministerium*] Nempe Euangelii, fortè ob Latini sermonis consuetudinem.

12. *Τυχικὸν δὲ ἀπέστειλα εἰς Ἔφεσον. Tychicum autem misi Ephesum*] Apparet id Ephes. 6. 21.

13. *Τὸν φελόνην, Penulam*] Vox Græca facta ex Latina: idque jam olim, cùm & Rhetor Comicus Ptolemæorum temporibus ea sit usus. Scribitur autem, ut solent externæ voces, variè; φαινόλης, ut apud Athenæum, φενόλης, φελόνης. In Glossario, φαινόλης, τὸ φελόνιον, penula. Φελόνιον legimus etiam in Liturgia Chrysostomi, & in posteriorum Græcorum libris. ¶ *ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι, quam reliqui Troade*] Urbe scilicet: nam non regionis id tantùm nomen fuit eo tempore, sed & urbis, ut ad Acta diximus. Reliquerat autem hanc penulam eo tempore, cujus est mentio Actor. 20. 6. ¶ *παρὰ Κάρπῳ, apud Carpum*] Nomen est Romanum; ita vocatur qui cibum carpebat apud Petronium. ¶ *ἐρχόμενος φέρε, veniens affer*] Vide paupertatem tanti Apostoli, qui rem tantillam tam longè relictam inter damna censuerit. ¶ *καὶ τὰ βιβλία, & libros*] Libellos scriptos ab interpretibus Veteris Testamenti, in quibus mores ritusque legales, nomina *Jannis & Mambris*, & similia. ¶ *μάλιστα τὰς μεμβράνας. maximè autem membranas*] Etiam hæc vox Latina. Erant autem pelles aptatæ in usum eundem quem chartæ exhibent, Attali Regis invento, unde & *pergamena* dictæ. Testes Varro, Plinius & alii. Græci hîc interpretes explicant σωμάτια, διφθέρας. In talibus membranis scribebant multi. Horatius,

> *Membranis intus positis delere licebit*
> *Quod non edideris.*

Cicero ad Atticum nos docet indices inde factos. Paulus bibliothecam librorum Græcorum non habebat, attamen in membranis ad usum suum excerpserat alia ex Epimenide, alia ex Arato, alia ex Menandro.

14. *Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit*] Idem ille de quo diximus Actor. 19. 33. & 1 Tim. 1. 20. Nocuit autem Paulo cùm is Ephesi esset, multa ab illo audita falsò referens. ἐνδείξασθαι κακὰ & πονηρὰ [*ostendere mala*] pro *facere ut quis mala sentiat*, habes & Gen. 50. 15, & 17. ἔδειξας σκληρὰ [*ostendisti dura*] Psalm 60. 5. הראית [*videndum exhibuisti.*] ¶ *ἀποδώη αὐτῷ ὁ Κύριος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. reddat illi Dominus secundùm opera ejus*] Tam quæ fecit, quàm quæ faciet. Hoc non est imprecantis, sed Deo judicium omne permittentis. ἀποδώη ישלם [*rependat.*] Esse πρόῤῥησιν πρέπουσαν ἀνδρὶ Ἀποστόλῳ [*prædictionem viro Apostolico convenientem*] ait Responsor ad Orthodoxos 125. legit fortè ἀποδώσει [*reddet*,] quomodo habet Manuscriptus & legit Syrus. At Clemens Alexandrinus legit ἀποδώη [*reddat*] atque Strom. 7. Ἀλλ' οὐκ ἐπὶ τῇ τῶν ἀνθρώ-

τον ἔλλεῖψη τῇ παῖδε συγχεχέει εὐχῇ τινι, πλὴν εἰ μὴ τὴν ἐπιςροφὴν τῆς δικαιοσύνης πιχναζόμενος, τοῖς δ᾽ ἀπηλγηκόσιν ὁ γνωςικὸς εἰκονομοίη τὴν αἴτησιν [*Tali prece non utendum in damnum cujusquam, nisi si quando vir sapiens extra ordinem eam adhibeat, ut eos qui dololuerunt ad justitiam revocet.*

15. Ὃν καὶ σὺ Φυλάσσου. *Quem & tu devita*] Cave eum ut periculosæ consuetudinis hominem: Φυλάττου pro *cave* habet & Theocritus. Vide & Luc. 12. 15. ¶ λίαν γὰρ ἀνθέςηκε τοῖς ἡμετέροις λόγοις. *valde enim restitit verbis nostris*] Idem tibi facturus si quam ansam invenerit.

16. Ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ, *In prima mea defensione*] Nempe postquam iterum Romam venerat. ἀπολογεῖσθαι [*defendere se*] dicitur reus cum causam dicit. In Glossario, ἀπολογοῦμαι, *defendo*. Vide Luc. 21. 14. Actor. 19. 33. 24. 10. 25. 8. 26. 1, 2, 24. ¶ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο, ἀλλὰ πάντες με ἐγκατέλιπον· *nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt*] Familiares scilicet, Neronis sævitiam extimescentes. Vide Psalm 88. 9. ¶ μὴ αὐτοῖς λογισθείη. *non illis imputetur*] *Ne imputetur*, nempe in hoc ut in graviora peccata ob hoc labi sinantur. Sit illis citus ad meliorem mentem reditus, ut Petro, אשו אל. Vide quæ ad Lucam diximus 23. 34.

17. Ὁ δὲ Κύριός μοι παρέςη, *Dominus autem mihi adstitit*] *Auxilio fuit*: sic παρέςη [*adstitit*] habes Psalm. 109. 31. ¶ καὶ ἐνεδυνάμωσέ με, *& confortavit me*] עזר. Vide 1 Tim. 1. 12. *Christus vires mihi dedit* ex promisso, Matth. 10. 19, 20. ¶ ἵνα δι᾽ ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ, *ut per me prædicatio impleatur*] *Ut impleretur prædicatio*, id est, consummationem suam consequeretur, in ipsa aula Cæsaris sonans. Vide supra 5. ¶ καὶ ἀκούσῃ πάντα τὰ ἔθνη· *& audiant omnes gentes*] Multi ex diversissimis gentibus, quibus in aula negotium erat. Martialis cùm plurimos numerasset populos qui in aula erant Cæsaris, addit,

Vox diversa sonat: populorum vox tamen una est;
Cùm verus patriæ diceris esse pater.

¶ καὶ ἐῤῥύσθην ἐκ ςόματος λέοντος· *& liberatus sum de ore leonis*] Id est Neronis; quem leonem vocavit & Seneca, memorante ad Juvenalem Scholiaste. Mos Scripturæ Principes idololatras & ob idololatriam sævientes appellare ferarum nomine, ut notat ad Danielem Iacchiades, ubi *Leonis* nomine describuntur Reges Chaldæi: & specialiter sub hoc nomine denotari Nabuchodonosorum ab Amoso 5. 19. sentiunt Hebræi. Vide & Jerem. 2. 30. Joël 1. 6. Nahum 2. 12. De Tiberio est apud Josephum 18. 8. τέθνηκεν ὁ λέων [*mortuus est leo.*] Annibal Libycus *Leo* apud Silium Italicum. Imperium idololatricum describitur cum dentibus *leoninis* Apoc. 13. 2. Fecit hic Deus quod in Proverbio est,

Esuriente leone ex ore exsculpere prædam.

Simul allusio est ad locum Danielis 6. 22.

18. Καὶ ῥύσεταί με ὁ Κύριος ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ, *Et liberabit me Dominus ab omni opere malo*] Non dicit, *liberabit me semper ab ore Leonis*; sed *liberabit me*, ne quid agam Christiano, ne quid Apostolo indignum. *Liberabit*, nempe potente auxilio Spiritûs. Vide quæ ad Matth. 6. 13. In Manuscripto novo hic est periodus, ῥύσεταί με [*liberabit me,*] sine καὶ [*&.*] ¶ καὶ σώσει εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ τὴν ἐπουράνιον. *& salvum faciet in regnum suum cæleste*] Est compendium loquendi, pro σώζων ἄξει με εἰς τὴν βασιλείαν [*salvum me faciens ducet in regnum.*] Simile loquendi genus habuimus Actor. 7. 9. & alibi. De voce ἐπουράνιος [*supercælestis,*] vide 1 Cor. 15. 40. Ephes. 1. 3, 20. 3. 10. 6. 12. Philipp. 2. 10. ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. *cui gloria in secula seculorum, Amen*] Similem δοξολογίαν [*laudationem*] circa finem Epistolæ habuimus Rom. 16. 27. Philipp. 4. 20. interdum & in mediis Epistolis.

19. Ἄσπασαι Πρίσκιλλαν καὶ Ἀκύλαν, *Saluta Priscillam & Aquilam*] Nam hos Paulus Ephesi reliquerat, Actor. 18. 19. ¶ καὶ τὸν Ὀνησιφόρου οἶκον. *& Onesiphori domum*] Non ipsum Onesiphorum, ut qui jam ex hac vita excessisset. Vide supra 1. 16.

20 Ἔραςος ἔμεινεν ἐν Κορίνθῳ. *Erastus remansit Corinthi*] Erat enim urbis ejus arcarius, Rom. 16. 23. Fuerat in Macedoniam missus à Paulo Actor. 19. 20. Deinde Corinthum redierat, ibique manserat, nec venerat Romam. ¶ Τρόφιμον δὲ, *Trophimum autem*] Ephesium, Actor. 20. 5. 21. 29. Is Paulum comitatus erat Hierosolyma usque. ¶ ἀπέλιπον ἐν Μιλήτῳ ἀσθενοῦντα. *reliqui infirmum Mileti*] Omnino assentior doctissimo Bezæ legenti ἐν Μελίτῃ [*in Melitâ.*] Nam & Arabs hic eam vocem habet quâ *Meliten* appellet Actor. 28. 1. In itinere Hierosolymis Paulus *Meliten* attigit, non Miletum. Videmus hic obiter Deum, qui tanta dona sanationum Apostolis dederat, aliquas voluisse corporis infirmitates, & in ipsis, & in ipsorum amicis manere, ut appareret eos esse homines. Ita hic Chrysostomus. De voce ἀσθενεῖν [*infirmum esse*] vide Joh. 11. 1, 2.

21. Σπούδασον πρὸ χειμῶνος ἐλθεῖν. *Festina ante hiemem venire*] Nempe Romam. Vide supra 9. ubi ostendimus paruisse huic præcepto Timotheum. Hic verò Paulus addit *ante hiemem*, quia periculosa est hieme navigatio. ¶ ἀσπάζεταί σε Εὔβουλος, *salutat te Eubulus*] Nomen est Atticum, quo appellatus Comœdiarum scriptor, Historicus alter, & alius Demosthenis adversator. ¶ καὶ Πούδης, *& Pudens*] *Pudens*, nomen Romanum est apud Martialem. ¶ καὶ Λίνος, *& Linus*] Presbyter Romæ. Meminere Clemens Constitutionibus Apostolicis, Irenæus 3. 3. Eusebius 3. 2, 4. 5. 6. & alii. Nomen est Græcum. ¶ καὶ Κλαυδία, *& Claudia*] *Claudia* sive *Clodia* (nam idem est utrumque) nomen muliebre frequens Romæ. ¶ καὶ οἱ ἀδελφοὶ πάντες. *& fratres omnes*] Qui multi jam erant Romæ, ut apparet Rom. 1. 8. Philipp. 4. 22.

22. Ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριςὸς μετὰ τοῦ πνεύματός σου. *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo*] Sic & Gal. 6. 18. Philem. 25. *Dominus vobiscum* Ruth. 2. 4. ibi Deus dicitur *Dominus*: hic verò Christus. ¶ Ἡ χάρις μεθ᾽ ὑμῶν. *Gratia vobiscum*] Hoc Paulus addidit manu suâ. Vide 2 Thess. 3. 17, 18. Sic & Coloss. 4. 18. Tit. 3. 15.

PRICÆUS.

1. Διαμαρτύρομαι οὖν ἐγὼ ἐνώπιον, &c. τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριςοῦ] Sic 1 Tim. 5. 21. & 2 Thess. 3. 6. Ad quem locum Sedulius, *Denunciationem non nudo verbo, sed obtestatione nominis Christi terribiliter infert, nè fortè simplicem velut humanâ voce prolatam contemnerent.*

Ibid. τοῦ μέλλοντος κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς] Rom. 14. 9. Act. 10. 42. 1 Petr. 4. 5. D. Augustinus in Psal. 66. *Qui venit humilis, veniet excelsus: qui venit judicandus, veniet judicaturus.* Ζῶντας heic intellige eos

Qui tunc in terris fuerint, atque ævum agitabunt:

qui 1 Thess. 4. 15. οἱ εἰς τὴν τοῦ Κυρίου παρουσίαν περιλειπόμενοι dicuntur. νεκρούς, omnes tantâ seculorum serie præmortuos: κεκοιμημένους, & κοιμηθέντας dicto ad Thessalonicenses loco.

Ibid. κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, &c. αὐτοῦ] Id est, ἐν τῇ ἐπιφ. α. Hesychius, Κατὰ πρόθεσις, ἀντὶ τοῦ ἐξ, καὶ ἀντὶ τοῦ ἀπὸ, καὶ ἀντὶ τοῦ ἐν, καὶ ἀντὶ τοῦ εἰς.

2. ἐπίςηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως] Vir summæ inter Recentiores doctrinæ, *in otio, vel negotio*, nempe tuo, ut hæc ad Timotheum referantur. Vulgat. *tempestivè & intempestivè*, ut referantur fortasse ad judicium existimationemque hominum, qui quod libenter audiunt, tempestivum; quod secùs, intempestivum putant. Eodem ferè sensu D. Augustinus (cui & Sedulius accedit,) *opportunè, volentibus; importunè, nolentibus.* Quæ expositio si bona, non malè illustrabitur τὸ εὐκαίρως ex istis Senecæ Epist. 108. ad Lucilium suum, *Cùm profecisse te videris*, (quasi diceret, tempestivè locutum,) *& animos audientium affeceris, insta vehementius: verisimile non est quantum proficiat talis oratio remedio intenta*: ubi & *insta* est quod heic ἐπίςηθι. Τὸ ἀκαίρως etiam ad prædictæ expositionis normam, accipiet lucem ex Ejusdem Epistolæ 89. hisce, prolatis, ut & superiora, de malis moribus insectandis, ut ista in Contextu sacro de refellendis falsis dogmatibus; *Cupiditates*, &c. *publicas quantum potes vexa, & istis dicentibus, Quousque eadem? responde*, &c. *quousque eadem peccabitis? remedia antè vultis quam vitia desinere? ego verò eo magis dicam, & quia recusatis, perseverabo*, &c. *dicam etiam invitis profutura.* Quam in mentem Idem & Epist. 121. *Virtutes exhortabor, & vitia converberabo: licet aliquis nimium immoderatumque* (q. d. ἄμετρον, ἄκαιρον,) *in hac parte me judicet, non desistam*, &c. Quibus adde Chrysostomi ista ad 1 Tim. 2. Τὸν σαλπίζοντα, κἂν μηδεὶς εἰς πόλεμον ἐξίῃ, σαλπίζειν δεῖ, τὸ αὐτοῦ πληροῦντα· & hæc ex Ejusdem homil. 39. ad Pop. Antiochenum, Ταῦτα, &c. κἂν προσέχητε, κἂν μὴ προσέχητε, ἐγὼ λέγων οὐ παύσομαι· τὸν γὰρ ἡμῖν παρὰ τοῦ Θεοῦ νόμον, ἄν τε ἀκούσῃ τις, ἄν τε μὴ ἀκούσῃ, τὴν διακονίαν ταύτην πληροῦν. Talem sensum his & Apostoli verbis aptari posse ut haud ægre concesserim, ità meliùs putem accipere ea quasi παροιμιακῶς dicta, pro *assiduè*, vel, *in omni tempore.* Chrysologus Serm. 114. *Nunquam curat qui infirmantis quærit & exspectat arbitrium.* Ambrosius 3. De Virginibus, *Nec tempus ad sanandum, nec locus quæritur: omnibus enim locis, omnibusque temporibus non est prætermittenda medicina*: q. d. εὐκαίρως, ἀκαίρως medicina adhibenda. Nicetas Choniates de Andronico Imperatore, Παιδαγωγῷ ἐμβριθεῖ ἐοικὼς, εὐκαίρως, ἀκαίρως ἐπέπληττεν. Bractonus de Legibus

gibus Angliæ, 4. 9. *Item dicitur dominium villanagium, quod traditur villanis; quod quis tempestive & intempestivè resumere possit*: id est, quovis tempore resumere. Tale Plautinum illud, (Trinum.) *Qui comedit quod fuit, quod non fuit*; id est, omnia: & Terentii, (Eunuch.)

Cum milite isto præsens absens ut fies;

id est, semper, usquequaque: Virgilii, —— *Aditumque per avia quærit*: ubi Servius, *Exprimitur violentia Turni, viam per avia enim nullus requirit.* Apud Senecam Tragicum,

—— *Aude, incipe*

Quicquid potes, Medea, quicquid non potes:

Et Catullum,

Hoc facias, sive id non pote, sive pote'st:

id est, fac omnibus modis. Plinius lib. 1. epist. 3. *Hoc sit negotium tuum, hoc otium*: id est, sive εὐκαιρεῖς, sive ἀκαιρεῖς, huic rei incumbe. Julianus Orat. 6. de Cratete, Ἐπορεύετο ἐπὶ τὰς τῶν φίλων οἰκίας ἄκλητος, κεκλημένος, (dixisset Apostolus noster, ἀκαίρως, εὐκαίρως,) διαλλάσσων τοὺς οἰκειοτάτους ἀλλήλοις. Virgil. 12. *Digna, indigna pati*: ubi Servius, *Proverbialiter dictum pro, omnia.* Terent. Adelph. 5. 9. *justa, injusta*: ubi Donatus, *Proverbiales sunt hujuscemodi elocutiones, fanda, nefanda; digna, indigna*, &c. Ità Livius, *per æqua & iniqua* (id est, omnino) *concordiam retinendam* dixit: & Aristophanes Pluto, δικαίως καὶ ἀδίκως, ubi Scholia, ἀντὶ τοῦ, παντὶ τρόπῳ. Nil aliud ergò heic Apostolus hortatur quàm non intermissam monendi & prædicandi assiduitatem. Nec aliud hàc loquendi formà præcipere voluit, quàm νύκτα καὶ ἡμέραν, &c. νουθετεῖν οὐ παύεσθαι· quod Act. 20. 21. ab eo de seipso dictum.

Ibid. ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον]

—— *Precibusque minas ac jurgia misce.*

Verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid

Sive animis sive arte vales, aut plurima servet.

Hinc & 1 Thess. 5. 14. ea, Νουθετεῖτε, &c. παραμυθεῖσθε, &c. ἀντέχεσθε. &c. μακροθυμεῖτε, &c. Plutarchus in περὶ παιδ. ἀγωγ. de cordatis patribus, διδάσκοντας, ἀπειλοῦντας, δεομένους, συμβουλεύοντας, &c. Gellius 5. 1. de Philosopho, *Cùm hortatur, monet, suadet, objurgat.* Cicero 6. 1. ad Atticum, *Non desino, &c. rogare, suadere, accusare Regem.* Virgil.

Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.

Seneca 1. 14. de Ira, *Corrigendus est qui peccat & admonitione, & vi, & molliter, & aspere.* Euthymius, ad Matth. 16. *Non ubique mitem esse præceptorem, sed quandoque asperum fieri: & interdum libere se discipulis tradere ad refocillationem: interdum vero increpare ad correptionem: & istà varietate illorum salutem procurare.* Idem ad Luc. 10. ea, INFUNDENS OLEUM ET VINUM; *Lenitatem ac mordacitatem: doctrina enim ejus* (Christi, qui ibi Samaritanus illi) *alibi mansuetè procedit & exhilarat, interdum verò perstringit ac mordet.* Chrysostomus Homil. 31. in Matthæum, Οἱ τῶν ἰατρῶν ἄριστοι οὐ καθ' ἕνα τρόπον θεραπεύουσι μόνον, ἀλλὰ &c. νῦν τέμνουσι, νῦν ἐπιδεσμοῦσι· καὶ σὺ τοίνυν ψυχῶν ἰατρὸς πάντα κίνει θεραπείας τρόπον. Vide ad Judæ comm. 22, & 23. annotata. Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 1. Πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας ἐπίπληξις ἔχει σκοπὸν τὴν σωτηρίαν, μεθαρμοζομένη μουσικῶς τοῦ λόγου πρὸς τὰς οἰκείας ἑκάστου τρόπους, τῇ μὲν ἐπιτεινόμενος αὐτοῦ, τῇ δὲ ἀνιέντος. Quibus similia Justiniani ista Novell. κϛ'. de civili magistratu loquentis, Καὶ ὥσπερ αὐτῷ μεμιγμένα τὰ τῆς ἀρχῆς ἐστιν οὕτως αὐτῷ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἁρμονίαν κεχρῆσθαι, ποτὲ μὲν ὀξυτέροις, ποτὲ δὲ καὶ πρᾳοτέροις τε καὶ ἀνειμένοις τοῖς φθόγγοις. Cicero Famil. 6. 6. *Quid ego monitorum aut lacrymarum prætermisi?*

Ibid. ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ διδαχῇ] Id est, ἐν πάσῃ διδαχῇ μακροθύμῳ· vel, ἐν πάσῃ διδαχῆς μακροθυμίᾳ. Idem autem hujus loci sensus qui illius 2 Tim. 2. 26. (ubi dicta vide.) Adde & 1 Thess. 5. 14. ubi & μακροθυμεῖν. Seneca 2. 10. de Ira, *Numquid ille cujus navigium* (navigio respondent heic Ecclesiæ Timotheo creditæ,) *multam undique laxatis compagibus aquam trahit, nautis ipsique navigio irascitur? occurrit potius, & aliam excludit undam, aliam egerit, manifesta foramina præcludit, latentibus & ex occulto sentinam ducentibus labore continuo resistit*, &c. *lento adjutorio opus est contra mala continua & fecunda.* Euthymius ad Matth. 10. *Non ferocitas per ferocitatem, sed per mansuetudinem, submitti solet: oportet eum qui insanis medetur, patienter ferre illorum injurias, solam præ oculis habendo liberationem ab insania.* Seneca de Clementia 1. 17. *Cui credita est aliorum salus, non debebit spem citò projicere*, &c. *luctetur cum vitiis, resistat*, &c. Idem 5. 1. de Beneficiis, *Succumbunt vitia virtutibus*, &c. *si illa non citò odisse properaveris*: quod idem est ac si dixisset, εἰ μακροθυμήσεις.

3. ἔσται γὰρ καιρὸς, &c.] Apponitur heic ratio cur à Timotheo tempestivè & intempestivè instandum. Asconius ad Ciceronis in Verrem Divinat. adducens illud, *philosophandum est etiamsi non est philosophandum*: (quod nil aliud est quàm εὐκαίρως καὶ ἀκαίρως philosophandum,) *Hoc in loco* (i. e. in loco opto, conveniente,) *nec oxymoron, nec cacozelon judicandum; leniri enim aut inferioribus dictis, aut superioribus.* En ergò non tantùm Apostoli zelum, sed & eloquentiam ejus!

Ibid. τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνέξονται] Non vitia illorum displicebunt iis, sed medici qui ea sanare conabuntur. Facient quod Barbari, qui formæ publicæ ignari, pro malis nummos rejiciunt qui sunt optimi. Isocrates ad Demonicum, Τοὺς πλείστους εὑρήσομεν, ὥσπερ τῶν σιτίων, τοῖς ἡδίστοις μᾶλλον ἢ τοῖς ὑγιεινοτάτοις χαίροντας· ubi & vox ὑγιεινοτάτοις notanda. Οὐκ ἀνέξονται, *non sustinebunt*, &c. Hesychius, Οὐκ ἀνέχομαι, οὐ καταδέχομαι. Idem Οὐκ ἀκούει ἐκείνης, οὐκ ἀνέχεται τὸ τρέχον. Clemens Stromat. 7. Εἰσὶ γὰρ οἳ οὐδὲ ἀνέχονται τὴν ἀρχὴν ἐπακοῦσαι τῶν πρὸς τὴν ἀλήθειαν προτρεπόντων. Isidorus Pelusiota Epistolarum lib. 5. Τῶν ἐπὶ τὴν οὐράνιον φιλοσοφίαν καλούντων οὐδὲ τὴν φωνὴν ἀνεχόμεθα. Philostratus 6. 15. de Tarsensibus, Ἀνειμένοι καὶ τρυφῶντες, μηδὲ τῆς τοῦ λόγου ἀνέχοντες ῥώμης. Simile Joh. 8. 43. τὸν λόγον ἀκούειν οὐ δύνασθαι. P. Chrysologus Serm. 131. *Sensus perversus audire non potest quod semel statuit odisse*: ubi *audire non potest*, est, ἀκούειν οὐκ ἀνέχεται. Sophocles Philoctete,

Σὺ δ' ἠχθόμεσθα, κ' ὅτε σύμβουλον δίχη.

Τῆς ὑγιαινούσης autem διδασκαλίας (quæ 1 Tim. 6. 3. ἡ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία,) impatientes erunt, quia ostendet iis peccata ipsorum, flagellabitque conscientias: ἐνεργὴς οὖσα, καὶ τομωτέρα ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν, διϊκνουμένη ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, &c. καὶ κριτικὴ ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας· ut aptè ad hujus loci argumentum divinus ad Hebræos Scriptor. Nimirum

—— *Rubet auditor cui pallida mens est*

Criminibus, tacitâ sudant præcordia culpâ.

Plutarchus in Vita Dionis, de Dionysio Siciliæ tyranno, docente Platone, ὡς μακάριος μὲν ὁ τῶν δικαίων, ἄθλιος δὲ ὁ τῶν ἀδίκων βίος, οὔτε τοὺς λόγους ἔφερεν, (Φέρειν est quod heic Paulo ἀνέχεσθαι,) ὡς ἐξελεγχόμενος.

Ibid. ἑαυτοῖς ἐπισωρεύσουσι διδασκάλους, κνηθόμενοι τὰς ἀκοάς] Chrysologus ubi suprà, *Quod vult, non quod est, audit, qui decrevit errare.* Lactantius 5. 1. de hujusmodi, *Nihil audire*, &c. *nisi expeditum ac disertum volunt, nec quicquam inhæret animis eorum nisi quod aures blandiore sono permulcet*, &c. & pòst, *Nil verum putant nisi quod auditu suave est, nihil credibile nisi quod incutere potest voluptatem.* In Ejusdem Epitomes cap. 3. *Non quærunt vera, sed dulcia: hæc illis videntur verissima esse quæ auribus blandiuntur: ità respuunt veritatem, dum sermonis suavitate capiuntur.* Repete & Isocratis locum jam suprà adductum. D. Hieronymus ad Ezech. 33. 32. ea, FACTUS ES IIS QUASI CARMEN MUSICUM, *Tales sunt usque hodie multi in Ecclesiis, qui ajunt, Venite, audiamus illum & illum mirâ eloquentiâ prædicationis suæ verba volventem, plurimique commovent & vociferantur*: ubi pro *commovent* puto *commoventur* legendum; videtur enim imitatus Gellii ista 5. 1. *Si clamitant*, (auditores) *si gestiunt, si vocum ejus* (Philosophi) *festivitatibus*, &c. *moventur*, &c. ubi *moventur*, ut apud D. Hieronymum *commoventur*: imo & in Gellio malim *commoventur* legi. Κνηθόμενοι τὰς ἀκοάς, est, τοῖς ὠσὶν (ut Act. 7. 51.) ἀπερίτμητοι· id est, *mentes in auribus prurientes*, ut Confess. 4. 8. D. Augustinus loquitur. Hinc *aures* (quasi prurientes nempe) *scalpere*, dixit Seneca 75. Epistolà. Idem Epist. 108. *Quidam veniunt* (ad scholam Philosophi) *ut audiant, non ut discant, sicut in theatrum voluptatis causâ ad delectandas aures*, &c. & pòst, *Non id agunt, ut aliqua illic vitia deponant*, &c. *sed ut oblectamento aurium perfruantur.* Ammianus lib. 18. & de auditoribus quibusdam, *Aurium delinimenta captantes.* Quintilianus lib. 11. *Sunt quidam, qui secundùm alia vita vitia, etiam hìc ubique audiendi quod aures mulceat voluptate ducantur.*

Humanum genus est avidum nimis auricularum,

dixit pridem Lucretius. Hesychius ad hunc Pauli locum, Κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν, ζητοῦντές τι ἀκοῦσαι καθ' ἡδονήν. Legimus in Glossis Isidori, *Prurientes auribus; qui libenter desiderant de alio mali quid audire*: quæ non tam ad sensum Apostoli faciunt, quàm ad mentem Juliani Apostatæ, qui Alexandrinis (Epist. 51.) ἀκοὰς κνησιώσας tribuit, id est, aut obtrectatione, aut saltem novarum rerum auditione gaudentes. Quo sensu itidem apud Plutarchum lib. περὶ ἀδολεσχίας legimus, τὰ ὦτα ἀποκναίουσιν.

4. ἀπὸ τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀποστρέψουσι] In Dialogo Hermetis & Asclepii dicto. *Sophistarum calliditate, decepti à vera, pura, sanctáque philosophia avertentur.*

Ibid. ἐπὶ δὲ τοὺς μύθους ἐκτραπήσονται] Ut olim Athenienses, qui Demostheni de communi salute loquenti obturbabant, fabulam de umbra asini inceptantem attentè audiebant. Plutarchus de juvenibus, (in De audiendo) Ἂν μέν τινι προσέχωσι διηγουμένῳ δεῖπνον, ἢ πομπὴν, ἢ ὄνειρον, &c. ἀκροῶνται σιωπῇ, καὶ προσλιπαροῦσιν· ἂν δέ τις αὐτοὺς ἐπισπασάμενος (legendum forsan ἀποσπασάμενος, *seducens eos à turba*, quod nempe monituri solent) διδάσκῃ τι τῶν χρησίμων, ἢ παραινῇ τῶν δεόντων, &c. οὐχ ὑπομένουσιν. Unde & illa Isocratis, Δεῖ τοὺς βουλομένους ἢ ποιεῖν ἢ γράφειν τι κεχαρισμένον τοῖς πολλοῖς, μὴ τοὺς ὠφελιμωτάτους τῶν λόγων ζητεῖν, ἀλλὰ τοὺς μυθωδεστάτους. D. Augustinus Confess. 4. 4. *A fide vera*, &c. *deflexeram in superstitiosas fabellas.* Non dissimile Rom. 2. 8. τῇ ἀληθείᾳ ἀπειθεῖν, πείθεσθαι δὲ τῇ ἀδικίᾳ· & apud Plutarchum in vita Periclis, τὸ φιλητικὸν πρὸς τὰ μηδεμιᾶς ἄξια σπουδῆς καταχρᾶσθαι, τῶν δὲ καλῶν καὶ ὠφελίμων παραμελεῖσθαι. Μύθους heic intellige, ut Tit. 1. 14. Ἰουδαϊκούς. Vide & 1 Tim. 4. 7. Aptum autem τοῖς μύθοις antitheton ἡ ἀλήθεια. Est μῦθος enim ψευδὴς λόγος τὴν ἀλήθειαν εἰκονίζων, ut docent nos Hesychius, Suidas, & alii apud Græcos magistri.

Ibid. τὴν ἀκοὴν ἀποστρέψουσιν, ἐπὶ δὲ τοὺς μύθους ἐκτραπήσονται] Adolescens Terentianus de patre suo Heautont. 2. 1.

Ne ille haud scit quàm mihi nunc surdo narret fabulam:
Magis nunc me amicæ dicta stimulant. ——

—— *Surdáque averteris aure*, apud Statium habemus.

5. Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι] Julianus 7. Orat. Σὺ δὲ νῆφε, καὶ γρηγόρει. Hesychius, Νῆφε, γρηγόρει, σωφρόνει. Ἐν πᾶσιν, in omnibus rebus. Ità, δίκαιον καὶ σπουδαῖον ἐν πᾶσιν, lib. 1. Diod. Siculus. Vide ad 1 Tim. 4. 15. annotata.

Ibid. κακοπάθησον] Vide ad 2 Tim. 2. 2. dicta.

Ibid. ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ]

—— *Fortis omissis*
Hoc age deliciis. ——

Id est, ut suprà 2. 15. σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παρέχειν τῷ θεῷ, ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον. Vide ad Act. 13. 2. adducta.

Ibid. τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον] Ità Act. 12. 25. Πληρώσαντες τὴν διακονίαν· & Actor. 20. 24. Coloss. 4. 17. τὴν διακονίαν τελειῶσαι. Nec aliud hic πληροφόρησον quàm πλήρωσον. Vide ad Luc. 1. 1. dicta. Hoc Rom. 15. 19. τὸ εὐαγγέλιον πληροῦν· Coloss. 1. 25. πληρῶσαι τὸν λόγον· infrà hic com. 17. τὸ κήρυγμα πληροφορεῖν. Angelus ad Hermam, 3. 10. *Permane in hoc ministerio, & consumma illud.* Seneca 1. 2. de Beneficiis, *Opus tuum perage, & partes boni viri exsequere.* Τὴν διακονίαν πληροῦν, est & apud Chrysostomum Homil. 1. ad Antiochenos. Quomodo autem implendum haberet Timotheus ministerium suum, videre est ex iis suprà com. 2. adde, & persecutionibus probrisque non cedendo. Euthymius ad Matth. 5. illud, SI SAL INFATUATUS FUERIT, *Videte quale ministerium vobis committendum est, & contendite ne laxemini opprobriis & maledictis.*

6. Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι] Apud Dionem Cassium Antoninus Imperator moriens, ad Centurionem à se tesseram petentem, Ἄπελθε πρὸς τὸν ἀνατέλλοντα, ἐγὼ γὰρ ἤδη δύομαι. Ἤδη σπένδομαι est sum ἐπιθανάτιος, ut 1 Cor. 4. 5. loquitur. Utroque loco enim ait mortem instare sibi, & quidem violentam. Euthymius ad Joh. 17. ea, JAM NON SUM IN MUNDO, *Quia paulò post moriturus.* Idem ad Joh. 12. ea, ME NON SEMPER HABEBITIS, *Suggessit illis de cæde sua quæ paulò post futura erat.* Virgilius,

Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus:

ubi Servius, *Vicina scilicet mortis beneficio.* In Ejusdem 3. Anchises, —— *Spes discite vestras:* ubi Servius, *Aut quasi senex loquitur, aut quia*, &c. *scit se esse moriturum.* Τὸ σπένδομαι à ritu vini infusi victimis jam mactandis desumptum. Scholiastes ineditus (ad hunc locum) in Medic. biblioth. Σπένδομαι, ἀνατίθεμαι τῷ θεῷ. Ibidem alius Scholiastes. Σπένδομαι, θυσιάζομαι τελειοῦμαι. Ità Christus Luc. 13. 32. de seipso, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι. Τὸ ἤδη, mortem (ut diximus) de proximo propinquantem notat. In Pluto Aristophanis ille,

Τὸν ἐμὸν μὲν αὐτοῦ τοῦ ταλαιπώρου σχεδὸν
Ἤδη νομίζων ἐκτετοξεῦσθαι βίον.

Philo de Mose morituro, Ἤδη ἀναλαμβανόμενος, καὶ ἐπ' αὐτῆς βαλβῖδος ἑστὼς, ἵνα τὸν εἰς οὐρανὸν δρόμον διανύῃ. Adde alium Ejusdem locum jam statim adducendum.

Ibid. καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε] Ὁ καιρός μου, ut Matth. 26. 18. ἐγγύς ἐστιν. Philo ex persona Mosis, in περὶ Φιλανθρωπίας, Ἐμοὶ ἀπαλλάττεσθαι καιρὸς ἤδη τῆς ἐν σώματι ζωῆς. Tobias senior 14. 3. πρὸς τὸ ἀποτρέχειν ἀπὸ τοῦ ζῆν εἰμι. Suetonius Claudio, *Et in ultima cognitione accessisse se ad finem mortalitatis*, &c. *pronunciavit.* Cicero 12. 14. ad Atticum, *Nam mihi* βεβίωται. Vult autem hoc Paulus, Eò pressiùs, fili Timothee, te moneo ista, eoque diligentiùs tu meis monitis incumbe, quia instat tempus quod à te auferet beneficium præceptorum meorum, & à me gaudium profectûs tui. Vide quæ Christus ad discipulos Joh. 14. 30. Euthymius ad ejusdem Joannis 9. ea, QUAMDIU FUERO IN MUNDO, &c. *Ad fidem adhortatur, propinquam esse mortem suam significans.* Sic Petrus, cùm dixisset δίκαιον ἡγοῦμαι, &c. διεγείρειν ὑμᾶς ἐν ὑπομνήσει, subjunxit, εἰδὼς ὅτι ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου. David moriturus ad Solomonem, 3 Reg. 2. 2. *Ingredior viam universæ terræ; confortare, & vir esto:* & Seneca Epist. 35. ad Lucilium suum, *Affer te mihi ingens munus, & quo magis instes, cogita me senem esse*, &c. Cyprianus non ἀναλύσεως heic, sed ἀναλήψεως legit: epistolâ enim 8. *assumptionis* vertit: at rectiùs putem ἀναλύσεως· sic τὴν ἐκ τοῦ βίου ἀνάλυσιν, Philo in Flaccum: εἰς γῆν τὰ τῶν ἀποθανόντων σώματα ἀναλύεσθαι, 3. 46. apud Artemidorum: &, ψυχῆς (è vita nempe) ἀνάλυσιν, in vetere oraculo 7. 13. apud Lactantium. Glossæ MSS. ad hunc Pauli locum in Medic. biblioth. Ἀναλύσεως, θανάτου· ἢ διὰ τὸ ἀναλύειν ἐξ ἧς ἐλήφθη γῆς, ἢ πρὸς τὸν δημιουργὸν Χριστόν· quarum verior posterior expositio. Arrianus 1. 9. in Epictetum, de Deo loquens, Ὅταν ἐκεῖνος ἀπολύσῃ ὑμᾶς ταύτης τῆς ὑπηρεσίας, τότε ἀπολύεσθε πρὸς αὐτόν· ubi malim, τότε ἀναλύετε πρὸς αὐτὸν reponi. Vulgatus ἀναλύσεως, *resolutionis* vertit, ut & Philipp. 1. 23. ἀναλῦσαι *dissolvi:* at illa potiùs Græcis διαλύσεως, & διαλύειν. Vide & quæ contra Lucretium Lactantius 7. 12. animas non *dissolvi* contendens. Tertullianus cap. 13. contra Gnosticos hunc locum adducens, bene *reversionis* vertit: ut & Hieronymus (Apolog. 1. in Ruffinum) dicto ad Philippenses loco, ἀναλῦσαι, *reverti.* Philostratus 4. 12. Ἀπὸ τῆς Ῥώμης ἀναλύειν. Apulejus, & de anima loquens (ut Apostolus noster,) in Apologia, *Semotâ corporis memoriâ*, &c. *redire* (id est, *revertere*, ἀναλύειν,) *ad naturam suam quæ est æterna.* Non temere autem Paulus ἐφέστηκε non ἐφίστηκεν dixit. Virgilius 10.

—— *Etiam sua Turnum*
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi.

Ad quem locum Servius, *Ad exprimendum celerem mortis adventum præterito usus est tempore.*

7. Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι] Lucilius,

Vicimus, ô socii, & magnam pugnavimu' pugnam.

Seneca, ex viri boni persona, cap. 20. de Animi tranquillitate, *Quandocunque Natura spiritum repetet*, &c. *testatus exibo bonam me mentem amasse, bona studia*, &c.

Ibid. τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι] En sanctam fiduciam! O

Quanta recordanti bona facta priora voluptas
Est homini cùm se cogitat esse pium!

Ἀγῶνα τὸν καλὸν ἀγωνίζεσθαι heic, ut 1 Tim. 6. 12. ubi dicta vide. Hoc loco autem ἀγωνίζεσθαι, est (ut lib. 17. Diodori Siculi) ἀγῶνα διαγωνίζεσθαι· loquitur enim, (ut ex proximè præcedentibus vidimus,) tanquam de certamine confecto, de homine jam è vivis abituro, & cui nil ampliùs laboris, at laboris præmium superesset. Ità Plutarchus Quæst. Rom. κϛ'. de anima à corpore separata loquens, ἀγῶνα μέγαν διηγωνισμένην. Vide Suidam, & Plutarchi ejusdem locos post pauca adducendos.

Ibid. τὸν δρόμον τετέλεκα]

—— *Adest spatiis ultima meta meis.*

Τὸν δρόμον μου μετὰ χαρᾶς τετέλεκα, ut Idem Actor. 20. 24. locutus: nam & heic μετὰ χαρᾶς subintelligi jubet fiduciæ spiritus illi qui has voces dictavit ei. Cicero Famil. Epist. 6. 4. *Actâ jam vitâ cum cursu suo bene confecto delectatur:* ut vox *cursu* notanda. Idem 1. Tuscul. quæst. *Mors tum æquissimo animo appetitur, cùm suis se laudibus vita occidens consolari potest.* Τὸν δρόμον, vitæ scilicet. Terent. Adelph. *Propè jam excurso spatio:* ubi Donatus, *Ad calcem*, &c. *vivendi: metaphorâ à cursoribus sumptâ.* Ennius, sed ad equos locutione deflexâ,

Sicut fortis equus spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, jam senio confectu' quiescit.

8. Λοιπὸν] Æneid. 11. *Quod superest:* ubi Servius, *De reliquo, & est absoluta locutio.*

Ibid. ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος] Tobiæ 3. 21. in Latino, *Hoc pro certo habeat omnis qui te colit, quòd vita*

ejus

ejus si in probatione fuerit, coronabitur, Apulejus, & de bono viro, libello de Philosophia, *Securus*, &c. *ad immortalitatem animam ire permittit, eamque quod piè vixerit, pracis fortunatorum loca habitaturam*: ubi *pracipit*, est πεποιθὼς οἶδεν, vel, spe certâ præsumit, ut heic Apostolus noster. Hesychius, ex hoc Contextûs loco, Ἀπόκειται, ἡτοίμασαι. Contrà 2 Petr. 2. 17. οἷς ὁ ζόφος τοῦ σκότους, &c. τετήρηται. Bene autem coronam ait manere cursum bene confectum. Lucretius lib. 6.

> *Tu mihi, suprema prascripta ad candida calcis*
> *Currenti, spatium pramonstra, callida Musa*, &c.
> *Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.*

Ibid. ὃν ἀποδώσει μοι ὁ κύριος] Ipse qui probatam voluit sufferentiam meam. Tertullianus cap. 1. De fuga in persecut. *A quo certamen edicitur nisi à quo corona & pramium proponuntur?* Porphyrius in de Nympharum antro, Ἀφ' ἧς (νοερᾶς φύσεως nempe τὸν κόσμον διοικούσης,) τὰ νικητήρια (quæ apud Apostolum ὁ στέφανος, &c.) τοῖς ἀθληταῖς τοῦ βίου ἀποδίδοται. Commodè autem ἀποδώσει sequitur post ἀπόκειται. Hesychius, Ἀπόθεσις, ἀπόδοσις. Ἀποτίθεσθαι autem non aliud est quàm ἀποκεῖσθαι.

Ibid. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ] Id est, ἐν ἡμέρᾳ (ut Rom. 2. 5.) τῆς ἀποκαλύψεως τῆς δικαιοκρισίας αὐτοῦ.

Ibid. ὁ δίκαιος κριτής] Ille justus, qui coronas, quod solet populus, ad immeritos non defert; nec, ut ludicrorum spectaculorum Judices, aut ambitu aut gratiâ vincibilis. D. Augustinus in Ps. 9. illud, JUDICABIT POPULOS CUM JUSTITIA, *Non quemadmodum judicant homines*, &c. *à quibus plerumque deteriores absolvuntur quàm condemnantur*. Idem de Tempore Serm. 130. *Volentes & nolentes* (in terra) *multùm errant qui judicant: ignorantes enim justitiam seducuntur, vel certè scientes per avaritiam corrumpuntur*, &c. *In supernis nihil tale. Judex justus est, & judicium ejus tanquam lumen prodit, non habens tenebras neque ignorantiam.* In Græco Psalmi 7. 11. Ὁ θεὸς κριτὴς δίκαιος. De Eodem 2 Maccab. 12. 6. τὸν δίκαιον κριτήν· ibidem 7. 36. ἡ τοῦ θεοῦ δικαία κρίσις. & 1 Petr. 2. 23. τῷ δικαίως κρίνοντι. Vide & Tobiæ 3. 2. 2 Thess. 1. 5. Opponitur Luc. 18. 6. ὁ τῆς ἀδικίας κριτής.

Ibid. οὐ μόνον δὲ ἐμοί, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν, &c.] Sic Act. 26. 29. Οὐ μόνον σέ, ἀλλὰ καὶ πάντας, &c. & 2 Joh. Epist. com. 1. Καὶ οὐκ ἐγὼ μόνος, ἀλλὰ καὶ πάντες, &c. Vide & Joh. 17. 20.

Ibid. τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ] Id est, qui ità vivunt ut ex animo possint dicere, *adveniat regnum tuum*: est enim heic ἡ ἐπιφάνεια αὐτοῦ omnino nil aliud quàm ἡ αὐτοῦ βασιλεία· vide suprà com. 1.

9. Σπούδασον ἐλθεῖν πρός με ταχέως] Ità & Tit. 3. 12. Σπούδασον ἐλθεῖν πρός με εἰς Νικόπολιν. & infrà heic, Σπούδασον ἐλθεῖν πρὸ χειμῶνος.

10. Δημᾶς γάρ με ἐγκατέλιπεν]

> —— *Flexisse videtur*
> *Inceptum, & vita contrarius ire priori.*
> *Incepit meliùs quàm desinit, ultima primis*
> *Discordant.* ——

Ἀπῆλθεν (ut Joh. 6. 66.) εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ οὐκέτι μετ' ἐμοῦ περιπατεῖ. Talis Joannes ille, qui Act. 13. 13. à Paulo & Barnaba ἀπεχωρίσθη (quod heic ἐγκαταλείπειν,) laboris nempe & periculorum fugiens, ut ibi Græci exposuere.

Ibid. ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα] Factus (Luc. 16. 8.) υἱὸς τοῦ αἰῶνος τούτου· Ἐμπλεκόμενος (ut 2 Timoth. 2. 2.) ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, vel (ut 1 Cor. 7. 33.) μεριμνῶν τὰ τοῦ κόσμου· vide & Matth. 13. 22. Præcipuè (quod conjicio ex iis quæ de Thessalonica sequuntur) dans operam ex mercatura opibus congerendis. D. Augustinus in Psal. 23. *Flumina in mare fluunt, & cupidi homines labuntur in seculum*: ubi *cupidi* sunt qui Græcis Φιλάργυροι. Scholiastes MS. autem in Medic. bibliotheca, Καὶ ἐκεῖ Thessalonicæ) ἱερεὺς εἰδώλων γενόμενος· de qua re nil uspiam legi. Ὁ νῦν αἰὼν heic est qui Galat. 1. 4. ὁ αἰὼν ἐνεστώς, ubi additur πονηρός, quod & heic subaudiendum videtur. Post vocem. αἰῶνα, supple, μᾶλλον ἢ ἐμέ· vel μᾶλλον ἢ τὴν τοῦ Χριστοῦ διακονίαν. Vide Joh. 3. 19. ubi plena locutio. Polycarpus ad Philippenses, Οὐ γὰρ τὸν νῦν αἰῶνα ἠγάπησαν.

Ibid. ἐπορεύθη] Glossarium, fortè ex hoc Pauli loco, Ἐπορεύθη, *abiit*.

Ibid. Κρήσκης] Unus forsàn τῶν ἁγίων τῶν ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, quorum Philipp. 4. 22. mentio: fortè & is ipse Neronis libertus cujus meminit Tacitus lib. 1. Historiarum. Κρήσκης heic, ut infrà com. 21. Πούδης. Servius ad Æneid. 4. *Nullum nomen Gracum in ns terminatur.*

11. Λουκᾶς ἐστι μόνος μετ' ἐμοῦ. Μάρκον ἀναλαβὼν ἄγε μετὰ σεαυτοῦ] Simillimè ad Atticum suum Cicero 13. 44. *Cottam mihi velim mittas: Libonem habeo mecum.*

Ibid. ἔστι γάρ μοι εὔχρηστος εἰς διακονίαν] Ità apud Terentium 5. 8. Eunuchi,

> —— *Magis opportunus, nec magis ex usu tuo*
> *Nemo est.* ——

Hesychius, ex hoc Apostoli loco, Εὔχρηστος, χρήσιμος.

13. Τὸν φελόνην] Est vox in linguam Græcam è Latina assumpta. Utuntur eâ Glossariorum Auctores, Colloquia Græca vetera, item Artemidorus: at variis modis scribitur, ut solent adscititia vocabula.

Ibid. ἐν Μιλήτῳ] Μελίτῃ (& rectè) Eruditi monuerunt legendum.

Ibid. παρὰ Κάρπῳ] Latinum nomen esse Vir summus putat, quia *Carpus* apud Petronium occurrit. Ego Græcum crediderim, & homini isti, cùm hæc Paulus scriberet, fortasse liberto; at dum in statu servili esset, à spe boni proventûs inditum. Sic inter nomina servilia 3. 39. apud Artemidorum, Κάρπος· ut & infrà heic in Epistola ad Philemonem, Ὀνήσιμος.

Ibid. τὰς μεμβράνας] In quibus scripserat fortè quæ in usum suum ex Lege, Prophetis, imò & Scriptoribus Ethnicis excerpserat. Scholiastes MS. ad hunc locum in Medic. bibliotheca, Μεμβράνας, ἐχίσεις τὸν νόμον ἐν αὐτοῖς γεγραμμένον. Frequens temporibus iis, ut & secutis, membranarum usus: unde & *membranas*, res à se in membranis scriptas nonnulli vocaverunt. Neratii *membranarum libri* citantur in l. item, ff. de servit. præd. rustic. & in l. duorum, ff. de pœnis. Μεμβράνη, ut & Φελόνη, è Græco in Latinum transiit. Licentiâ pari apud Pollucem Plato Comicus τὰς χάρτας dixit.

14. Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεύς] Χαλκεὺς fortasse ἀγαθός, πονηρὸς δὲ ἄνθρωπος· ut de Perillo tauri ænei fabricatore Lucianus locutus. Vulgatus, *Alexander ærarius*: i. e. faber ærarius. Ità in vetere Onomastico, *Ærarius*, χαλκεύς. & in Glossario, Χαλκευτής, *ærarius*. Ibidem paulò antè, Χαλκεύς, *faber ferrarius*: putem *ærarius* legendum. Sic infrà ibidem, Χαλκοτύπος, *faber ærarius*.

Ibid. πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο] *Ostendit*, i. e. fecit. Δεικνύειν, & δείκνυσθαι, sive simpliciter, sive per compositionem enunciatæ, sunt voces mediæ: legimus enim in hymno trium puerorum, κακὰ ἐνδεικνύμενοι. Habacuci 1. 3. ἔδειξάς μοι κόπους, &c. Psal. 59. 5. σκληρὰ ἔδειξας· Psal. 70. 20. ὅσας ἔδειξάς μοι θλίψεις; & 2 Maccab. 13. 9. τὰ χείριστα τοῖς Ἰουδαίοις ἐνδειξόμενος. Contrà autem Psal. 4. 6. ἀγαθὰ δεικνύειν in Excerptis Polybianis, εὐσέβειαν ἐνδείκνυσθαι· & apud Plutarchum in De mul. virtut. & Ciceronis vitâ, φιλοφροσύνην ἐνδείκνυσθαι. Vide ad 1 Tim. 1. 16. & Joh. 10. 32. notata.

Ibid. ἀποδῴη αὐτῷ ὁ Κύριος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ]

> —— *Illi pro talibus ausis*
> *Ille Deus, cujus pietas non talia temnit,*
> *Persolvat grates dignas, & pramia reddat*
> *Debita.* ——

In MSS. vetustis, (quorum præcipuus ille qui in Britannia mea,) ἀποδώσει legitur, quasi non imprecantis sint hæc verba, sed prædicentis, & τόπον τῇ ὀργῇ διδόντος. Acceperunt quidem ea posteriore sensu isto è Græcis, Theodoretus, Chrysostomus, Theophylactus, & Responsionum ad Orthodoxos Scriptor; è Latinis, Augustinus, Hieronymus & Sedulius. Favet & ei lectioni illud Thren. Jerem. 3. 64. ἀποδώσεις αὐτοῖς κατὰ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτῶν· Psal. 138. 8. illud, Κύριε, ἀνταποδώσεις ὑπὲρ ἐμοῦ. 2 Cor. 11. 15. ὧν τὸ τέλος ἔσται κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν· 2 Thess. 2. 8. ὃν ὁ Κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι, &c. & Galat. 5. 10. istud, ὁ ταράσσων ὑμᾶς βαστάσει τὸ κρίμα, ejusdem Pauli Actor. 23. 3. illa, ad Ananiam, τύπτειν σε μέλλει ὁ θεός, ob injuriam nempe (ut hic ab Alexandro) illatam mihi. Accedat locus 1 Pet. 4. 5. ille, οἳ ἀποδώσουσι λόγον τῷ ἑτοίμως ἔχοντι, &c. Adde Rom. 16. 20. 2 Thess. 1. 6. & hæc Chrysostomi ad 1 Tim. 2. ab imprecationibus, (cujusmodi heic communis lectio fert speciem) Christianos omnes absterrentia, Τὸν θεὸν παροξύνεις, ἐκεῖνα τὰ ἀνόσια φθεγγόμενος ῥήματα; ὅτως δεῖξον αὐτῷ, ὅτως ποίησον αὐτῷ, &c. ὅτως ἀνταπόδος αὐτῷ. Quæ ut pia quidem, & è fonte magni zeli emanantia, sed coërcendam eorum temeritatem qui privatæ solent indulgere iracundiæ, & levibus sæpe de causis hujusmodi amaritudines evomere: ità certum est etiam optimos viros, cùm aut Dei causâ ageretur sola, aut cum insignibus in eorum personas injuriis conjuncta, ab hac & similibus formulis non temperasse. Davidis Psalmus 109. ferè totus imprecatorius est. Idem Psal. 137. 7. *Memor esto, Domine, filiorum Edom*, &c. comm. 7, 8, 9. vide & Psal. 54. 16. & 27. 4, 5. & 69. 22, 23. cum sequentibus: item 2 Reg. 3. 39. Nehemias

hemias 6. 14. *Memento mei, Domine, pro Tobia & Sanballat, juxta opera eorum*: id est, ut heic Paulus, κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν. Zacharias 2 Paralip. 24. 22. in mortem lapidatus, *Videat Deus, & requirat.* Nec aliter hæc Pauli intellexit apud Photium Eulogius Alexandrinus, multorum sacræ Scripturæ locorum non indiligens expositor: additque hæc Apostolum Alexandro imprecatum fuisse, διὰ τὸ ἀμεταμέλητον καὶ ἀνεπίστροφον τῆς μοχθηρίας αὐτοῦ. Non video itaque cur non ἀποδῴη (receptam lectionem) sequamur. Simile Poëtæ illud,

——Dii, talia Grajis
Instaurate.——

Similius autem Psal. 28. 4. illud, Δὸς αὐτοῖς κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν. E converso 2 Tim. 1. 16. Δῴη ἔλεος ὁ Κύριος τῷ Ὀνησιφόρου οἴκῳ. Est verum quidem quod in Psalm. 108. scribit D. Augustinus, *Modum futura prædicendi, velut speciem malè optandi quidam intelligentes, putant odium odio, & malo animo malum animum reddi.* Est utique autem æquè verum, imprecationes bonorum hominum εἰς πονηρῶν οἰκοδομὴν esse, non autem εἰς καθαίρεσιν. Idem ipse sanctissimus vir in Psalm. 75. *Cum & homo justus & homo malus velint à Domino vindicari, unde discernuntur, nisi quia justus magis cupit inimicum suum corrigi quàm puniri?* Quibus similia Stromat. 7 (hunc locum Pauli adducens) habet Clemens Alexandrinus.

15. Ὃν καὶ σὺ φυλάττου]

—— Hic niger est, hunc tu, mi gnate, caveto.

Id est, ut Rom. 16. 17. ἀπ' αὐτοῦ ἐκκλίνε. Φύλαξαι ἀπ' αὐτοῦ, hoc sensu Sirachides 22. 13. dixit. Theophrastus, Τὰ τῶν ἠθῶν μὴ ἁπλᾶ ἀλλ' ἐπίβουλα φυλάττεσθαι μᾶλλον δεῖ ἢ τοὺς ἔχεις. Vide ad 1 Tim. 6. 5. dicta. Plutarchus in Pyrrhi vita, Σὺ φυλάττε τὸν ἄνδρα. Ignatius ad Trallianos, Φυλάσσεσθε τοὺς τοιούτους. Cicero 12. 38. ad Atticum, *O hominem cavendum!*

Ibid. ὃ καὶ σὺ φυλάττε] Euthymius ad Matt. 7. ea, OMNIS ARBOR, &c. *Non jussit illos punire, sed tantùm ab iis cavere.*

Ibid. λίαν γὰρ ἀνθέστηκε τοῖς ἡμετέροις λόγοις] Addit rationem cur ab eo sibi cavendum sit. Ità in Asino Lucianus, Φυλάττε τὴν Ἱππάρχου γυναῖκα, &c. μάγος γάρ ἐστι δεινή. Potest & emphasis inesse in ἡμετέροις λόγοις· ac diceret, quantò vehementiùs ergò obstiturus tuis, discipulè mi! οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ. Ἀντιστῆναι, in non dispari argumento habes & Actor. 13. 8. Glossarium, *Resistit*, ἀνθίσταται. *Restitit*, ἀντέστη. Glossæ aliæ, Ἀνθίσταμαι, *obsto, obsisto, resisto.*

16. Οὐδείς μοι συμπαρεγένετο] Συμπαραγίνεσθαι heic est quod Apulejo (causam itidem capitis, ut ille finxit, agenti,) *adsistendi solatium perhibere.* In Græco Psal. 94. 16. habemus sensu simili συμπαρίστασθαι ubi & sequitur, ut hoc Pauli loco, de præsenti numinis auxilio. Latinè satis Vulgatus autem, *Nemo adfuit mihi. Adesse dicuntur amici aut advocati in foro periclitantibus*, ait Donatus ad Terentium.

Ibid. ἀλλὰ πάντες με ἐγκατέλειπον] Apud eundem Terentium 2. 2. Eunuchi,

—— Omnes noti me atque amici deserunt.

Paulum ἐγκατέλειπον autem quia capitis periclitabatur: vide suprà 1. 15. Seneca Epist. 70. de Libone, *Omnes necessarii deseruerunt eum*, &c. *non jam reum, sed funus.* Philostratus 4. 12. de amicis Apollonii, apud eundem hunc Neronem causam capitis acturi, Ἀπαχθέντες οἱ μὲν ἔφασαν νοσεῖν, οἱ δὲ οὐκ εἶναι αὐτοῖς ἐφόδια, οἱ δὲ τῶν οἴκων ἐρᾶν, &c. Libet heic cum Cicerone (pro Milone) exclamare, *Quanta infidelitates! quàm apta ad tempus simulationes! quanta in periculis fuga! quanta timiditates!* Idem, sive Auctor ad Herennium 4. *Ut hirundines æstivo tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt; ità falsi amici sereno vitæ tempore præstò sunt, simulatque hiemem fortunæ viderint, devolant omnes.* Non talium è numero Onesiphorus, 2 Tim. 1. 16.

Ibid. μὴ αὐτοῖς λογισθείη] Vide Act. 7. 60. Sic 2 Cor. 5. 19. μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν & 2 Reg. 19. 19. μηδὲ λογισάσθω ὁ κύριός μου (lege μοι) ἀνομίαν. Et nota hæc ab Apostolo dici de iis qui deseruerant eum. Apollonius jam citato Philostrati loco, Οὐ λοιδορήσομαι τοῖς ἀπολελοιπόσιν ἡμᾶς.

17. Ὁ δὲ Κύριός μοι παρέστη] Ὁ Κύριος μετ' ἐμοῦ (ἦν) καθὼς μαχητὴς ἰσχύων, ut 20. 11. Jeremias locutus. Sirachides 4. 33. Ἀγώνισαι περὶ τῆς ἀληθείας, καὶ κύριος ὁ θεὸς πολεμήσει ὑπὲρ σοῦ. Παρέστη, curavit nè me ab illis desolatum sentirem, fiduciam dedit in has voces erumpendi,

Non tali auxilio nec defensoribus istis
Tempus eget.——

Effecit ut de illo dicerem, quod ipse ad Patrem suum, Ἐσκορπίσθησαν ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια, καὶ ἐμὲ μόνον ἀφήσουσι καὶ οὐκ εἰμὶ μόνος, ὅτι αὐτὸς μετ' ἐμοῦ ἐστιν. In Glossis, Παρίσταμαι, *adsto, adsisto.* De Deo, ut heic, occurrit in Plutarchi istis, (Lycurgo) Οὔτε γὰρ φόβον, &c. ἐγγίγνεσθαι, &c. ἀλλ' εὐπαθὲς φρόνημα μετ' ἐλπίδος καὶ θάρσους, ὡς τοῦ θεοῦ συμπαρόντος. Sic Psal. 108. 31. de Deo, παρέστη. Ὁ κύριος hic, est Christus. Ità Philipp. 4. 13. ubi & ἐνδυναμοῦν vide & Ephes. 6. 10. & 1 Tim. 1. 12. ubi conjunctim, (ut & infrà hic com. 22.) Χριστὸς κύριος.

Ibid. καὶ ἐνεδυνάμωσέ με] Dedit vires ille, qui

——τὸν ἀσθενῆ σθένειν
Τίθησι, καὶ τὴν ἄπορον εὑρίσκειν πόρον.

Ascanius apud Virgilium, *Jupiter omnipotens*: ubi Servius, *Dicendo omnipotens, ostendit eum etiam his quæ per se minùs valent, præstare posse virtutem.* Adde alium locum ex eodem Servio post pauca adducendum. Aptè autem ἐνεδυνάμωσε de homine verba publicè facturo. Amicus ad Aristidem Rhetorem à Numine suo declamare jussum, Ἀγώνισαι πάσῃ προθυμίᾳ, δυνάμεως δὲ μελήσει τῷ θεῷ. Adde Act. 1. 18. ubi ut hoc loco de prædicando Evangelio agitur, & occurrit δύναμιν λήψεσθε. Apulejus (capitis itidem, ut putabat, reus) Miles. 3. *Obortâ divinitus audaciâ*, (h. e. θεῶν ἐνδυναμούντων με) *sic ad illa*: i. e. ad accusatoris mei ἐγκλήματα.

Ibid. ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ] Τὸ κήρυγμα ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ, Tit. 1. 3.

Ibid. καὶ ἀκούσῃ πάντα τὰ ἔθνη] Id est, οἱ ἐκ παντὸς ἔθνους ἐν Ῥώμῃ κατοικοῦντες· ut huc trahamus ea quæ Act. 2. 5. de urbe Hierosolymitana dicuntur.

Ibid. καὶ ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος] *Non tradidit bestiæ* ut Psalm. 73. 9.) *Deus animam confitentis ei. Non dedit me* (ut Psalm. 123. 6.) *in captionem dentibus ejus*: ubi & com. 7. vide.

—— Dum ambigerem an essem comprensus, ab ipsis
Faucibus eripior, tangentiaque ora reliqui.

Ad Jovem Plinius de Trajano, in Panegyrico suo, *Tu jam tum illum in tutelam recepisti, cùm prædonis avidissimi faucibus eripuisti.* Cicero pro Archia, *Populi Romani laus est, amicissimam Cyzicenorum urbem ejusdem consilio ex omni impetu regio, &c. & faucibus ereptam esse.* Ἐῤῥύσθην autem intellige, Χριστοῦ (ut jam præcessit) αὐτὸν ἐνδυναμοῦντος· i. e. διδόντος αὐτῷ στόμα, καὶ σοφίαν ᾗ οὐκ ἐδύναντο ἀντειπεῖν οἱ αὐτοῦ ἀντικείμενοι. Servius ad Æneid. 1. *In nono libro nisi adderet —— Juno vires animumque ministrat, quis crederet Turnum de castris evasisse?* Apud Senecam Controvers. 1. 2. *Voluerunt Dii immortales in in hac puella ostendere vires suas, ut appareret quàm nulla vis humana divinis resisteret.* Λέοντος hîc, intellige Neronis, qui (ut Psalm. 21. 14.) aperuit super illum os suum tanquam leo rugiens. Artemidorus 2. 12. de summis Potestatibus, Τούτοις τὸ ζῶον (de Leone agit) ἔοικε διὰ τὸ ἰσχυρὸν καὶ δυνατόν. Vide Ezech. 12. 5. Proverb. 28. 15. Sic & Jerem. 2. 15. illud, *Super illum leones rugierunt*, exponit *Reges* Chaldæus Paraphrastes. Neroni autem non ob potentiam solam, sed vel magìs ob eximiam feritatem ejus *Leonis* cognomentum inditum. De eodem Apollonius apud Philostratum, Λέοντες μὲν κολακευόμενοι ἡμεροῦνται, τουτὶ δὲ ὑπὸ τῶν καταψηχόντων ἐπαιρόμενον, ἀγριώτερον αὐτοῦ γίνεται. Eunapius de nescio quo apud Suidam, Ἀνερρόθουτο, καὶ διεψυχαγώγει πρὸς τὸν λεγόμενον λέοντα ὅπως αὐτὸν φονεύσειεν. Bestiis pro qualitatibus morum, &c. quosdam homines assimilari dixit in libro de Anima Tertullianus. Vide ad Apuleji lib. 9. annotata. Ἐκ στόματος, vel, ἐκ βρυγμοῦ λέοντος ῥύεσθαι, proverbiale est. Ammianus lib. 29. *Tanquam leo ob cervum amissum vacuos morsus concrepans.* Vide in Græco Jobi 29. 17. Psalm. 22. 21. & 51. 3. Sirachidis. In verbis porrò Apostoli puto metathesin latêre, & naturalem ordinem eorum hujusmodi esse, Καὶ ἐνεδυνάμωσέ με, καὶ ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος, ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ· ut ità causam addat cur Deus illum liberatum voluerit.

18. Καὶ ῥύσεταί με, &c.] Ἐῤῥύσθην (inquit) ἐκ στόματος λέοντος, καὶ ῥύσεταί με, &c. Imitatus videtur Davidis 1 Reg. 17. 37. ea, Κύριος ὃς ἐξείλετό με ἐκ στόματος λέοντος, &c. αὐτὸς ἐξελεῖταί με ἐκ χειρὸς τοῦ ἀλλοφύλου τούτου. Talia & Pauli ejusdem 2 Cor. 1. 10. illa, Ἐκ τηλικούτου θανάτου ἐῤῥύσατο ἡμᾶς, &c. εἰς ὃν ἠλπίκαμεν ὅτι καὶ ἔτι ῥύσεται. Quæ & obiter docent nos illa, ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ (quæ hîc statim sequuntur) intelligenda, non (quod multi eruditorum volunt) de indigno quovis facinore quod in se Apostolus admittere posset, sed quod in eum falsi fratres aut nominis Christiani hostes machinari possent. Sic Hermes apud Lactantium 2. 15. Θεὸς ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. Petrus 2. 2. 9. Οἶδε Κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμῶν ῥύεσθαι. Idem qui suprà David, Psalm. 34. 19. de ejusmodi, Ἐκ πασῶν αὐτῶν (θλίψεων) ῥύσεται αὐτοὺς ὁ Κύριος· & Psal. 37.

40. Βοηθήσει

40. *βοηθήσει αὐτοῖς Κύριος, ῥύσεται αὐτοὺς, καὶ ἐξελεῖται αὐτοὺς ἐξ ἁμαρτωλῶν* ubi & sequitur, *καὶ σώσει αὐτούς* ut hoc Apostoli loco, *καὶ σώσει με*. In verbis porrò Contextûs nostri est *πλοκή*. Ῥύεσθαι enim, ut priore loco significat *liberare*, ità posteriore isto est, *custodire*, vel facere nè incideret: ut Matth. 6. 13. & in illis Menandri,

> *Ῥῦσον σεαυτὸν παντὸς ἐκ φαύλου τρόπου.*

Hesychius etiam, Ῥύεται, *σώζει, φυλάττει*, &c.

Ibid. *καὶ σώσει εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ τὴν ἐπουράνιον*] Quod Joh. 10. 25. *εἰς τὴν ζωὴν αἰώνιον φυλάττειν* & 1 Pet. 1. 5. *φρουρεῖν εἰς τὴν σωτηρίαν ἑτοίμην ἐν ἐσχάτῳ καιρῷ ἀποκαλυφθῆναι· Σώσει ε. τ. β.* compendiosum loquendi genus, quale Actor. 23. 24. *πρὸς Φήλικα διασώσωσι* & Act. 27. 44. *εἰς τὴν γῆν διασωθῆναι* ad quem locum similia & alia quædam annotasse meminimus. Josephus Antiquitatum 14. 25. *εἰς Ῥόδον διασώζεται.*

19. *καὶ τὸν Ὀνησιφόρου οἶκον*] Sic suprà 1. 6. *Δῴη ἔλεος*, &c. *τῷ Ὀνησιφόρου οἴκῳ*. E vivis enim excesserat Onesiphorus cùm hæc Paulus scripsit.

20. *Τρόφιμον δὲ*, &c.] Scholiastes MS. ad hunc locum in Florent. biblioth. *Τρόφιμος, Ἀρίσταρχος καὶ Πούδης, ἐν τοῖς διωγμοῖς τῷ Ἀποστόλῳ συγκακοπαθήσαντες, τέλος σὺν αὐτῷ τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν.*

21. *Σπούδασον πρὸ χειμῶνος ἐλθεῖν*) Sæpe *periculosa enim in hieme navigatio, semper autem incerta*, l. 6. Cod. de offic. Rect. Provinc. Cicero 15. 25. ad Atticum, *Hiberna navigatio odiosa est.* Idem Famil. 16. 8. ad Tironem, *Te rogo ne te tam longæ navigationi & viæ per hiemem*, &c. *committas*: & ibidem Epist. 10. *Festinare te nolo, ut*, &c. *periculosâ hieme naviges*: & demum Epist. 11. *Cave committas ut*, &c. *hieme naviges.* Cæsar in Commentariis, *Nè anni tempore* (i. e. hieme) *navigatione excluderentur.*

Ibid. *Σπούδασον πρὸ χειμῶνος ἐλθεῖν*]

> —— *Antè*
>
> *Quàm glacialis hiems aquilonibus asperet undas.*

Cicero famil. 7. 12. ad Trebatium, *Me Diis juvantibus ante brumam exspectabis.*

ANNOTATA
In Epistolam ad
TITUM.

CAP. I.

VALLA.

2. IN *spem vitæ æternæ, quam promisit Deus*, &c. *ante tempora secularia*] *Æterna αἰωνίου* & *secularia αἰωνίων* idem verbum est Græcè, ideoque cùm apud alios tum apud Augustinum lego, *ante tempora æterna*. De quo vocabulo alibi loquens, ait, *Sed non sunt ausi Latini dicere, hoc Seculare: nam longe in aliud mitteret sensum Seculare.* Sed ipse Augustinus viderit, si *seculum* est *αἰὼν*, & *secula αἰῶνες* cur non possit transferri *αἰώνιον seculare*, sed *æternum*. Certè quod ipse negat, Latini quidam ità transtulerunt, & verbum vetustum sanè est: unde dicti sunt *ludi seculares*, i. e. illius seculi.

5. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros*] Cur non *in Creta* potiùs quàm *Cretæ*? ut etiam Græcè est, *ἐν Κρήτῃ* etsi illi nominibus quoque urbium præpositionem addunt, quam tu à regionis nomine sustulisti. Non est Græcè pluralis numeri *civitates* sed *civitatem, κατὰ πόλιν*. Quæ res si quid differt, in hoc differt, quòd poterant plures in una civitate constitui Presbyteri, qui sunt iidem Episcopi; ut ipsa verba quæ sequuntur indicant.

7. *Sicut Dei dispensatorem*] *Velut* dicendum erat; quam elegantiam Græci non habent, *ὡς*.

11. *Quos oportet redargui*] Gr. *redarguere*; sive *quorum ora oportet comprimere*, ut in Euangelio Lucæ: nam idem hic quod illic est verbum, *ἐπιστομίζειν*.

12. *Malæ bestiæ, ventris pigri*] *Ventres* legendum est, *γαστέρες*.

13. *Quamobrem increpa illos durè*] Gr. *abscissè*, sive *præfractè*, *ἀποτόμως*.

14. *Aversantium se à veritate*] Gr. *aversantium veritatem*, sive *avertentium veritatem ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν.*

15. *Omnia munda mundis*] Gr. *Omnia quidem munda mundis, πάντα μὲν.*

16. *Cùm sint abominati & incredibiles*] Cur non potiùs *increduli*, aut certè *impersuasibiles*? *ἀπειθεῖς*. Meliùs igitur paulò pòst, 3. 3. *Eramus enim nos aliquando insipientes & increduli, ἀπειθεῖς.*

REVIUS in VALLAM.

2. IN *spem vitæ*] Integer versus cum annotatis post versum 6. conjectus erat.

5. *Cur non* in Cretà *potiùs quàm* Cretæ?] Convenit cum idiomate Hieronymiano: ut versione Chron. Euseb. ad A. 2370. *Istria occiditur*, i. e. in Istria. Epist. ad Pammachium adv. errores Jo. Hierosol. *Palæstinæ interrogaris; & respondes Ægypto.* Ibid. *versari Cypri.* Ad Gerontiam, *Bithyniæ veneno mortem reperiit*; item, *Judæos Macedoniæ rebellantes*, i. e. in Macedonia. Vide Scalig. Animadv. Euseb. p. 233. ubi & hujus loci meminit. Porrò *ἐν Κρήτῃ* apud Vallam trajectum erat.

11. *Nam idem hîc quod illic*]. Hic memoria Laurentio fraudi fuit. Neque enim *ἐπιστομίζειν* est in Luca, sed *ἀποστοματίζειν*, c. 11. 53. ut ipse ibi citat. Unde palàm falsum est quod dicit Erasmus, *eum ibi vel legisse vel somniasse ἐπιστομίζειν.* Interpres ibi vertit *os ejus comprimere.* Sed de significatione vocis videantur Erasmus & Beza in Lucam.

ERASMUS.

1. APostolus *autem*] Notavit hîc nonnihil formam salutationis. *Autem* subjunxit, cùm non præcesserit *quidem*, quod Hieronymus alicubi tribuit imperitiæ sermonis Græci, quasi hoc nusquam apud Græcos reperiatur. Imò notant hoc Grammatici, *δὲ* apud Græcos frequenter poni pro conjunctione copulativa *τε*, quod hoc loco factum apparet. ¶ *Secundùm fidem electorum Dei*] D. Hieronymus hic rursus impingit inscitiam sermonis Græcanici: *Qui non juxta humilitatem*, inquit, *ut plerique existimant, sed verè dixerat*, ETSI IMPERITUS SERMONE, NON TAMEN SCIENTIA, &c. Nec video causam cur id faciat nisi fortè quia dixit *electos Dei*, quemadmodum antè dixerat *servos Dei*, ac mox *quam promisit Deus*. Erat *servus Dei*, non juxta Mosaicam Legem, sed *juxta fidem electorum*; & *Apostolus Jesu Christi, juxta cognitionem veritatis Euangelicæ*, cùm Judæi mordicus tenerent umbras. Et *pietatem* opposuit Ceremoniis. Et *ἐπίγνωσις* est, non *γνῶσις*, *agnitio* veriùs quàm *cognitio*: de quo sæpè meminimus.

2. *In spem*] Ἐπ' ἐλπίδι, i. e. *in spe*, &c. sive *sub spe.* ¶ *Qui*

non

non mentitur] Ὁ ἀψευδής, q. d. *immentiens* aut *immendax*, & *à mendacio alienus*. *Verax* legit Ambrosius, *non mendax* Hieronymus. ¶ *Ante tempora secularia*] Πρὸ τῶν χρόνων αἰωνίων, i. e. *ante tempora æterna*. Ità legit Hieronymus. Augustinus adv. Priscill cap. 6. & aliis aliquot locis, præsertim ad Manichæos de Genesi cap. 2. legit hic quoque *ante tempora æterna*. Cæterùm *æterna* vocari non quæ nullum habuerint initium, cùm aliquod sit mundi conditi initium, sed ante quæ nulla fuerint tempora. Aquinas hic nihil meminit de mille annis, & admonet alteram scripturam habuisse pro *secularia*, *æterna*, i. e. *antiqua*. Hoc quid sibi velit nescio, nisi fortè Græcus aliquis codex habuit ἀρχαίων pro αἰωνίων. Sic enim Actor. 15. videtur *ab antiquis diebus* dictum pro *æterno*. ¶ *Manifestavit autem*] Nec hic præcessit μὲν quæ respondeat δέ. Et *suis* Græcè est ἰδίοις, ut ad Rem referatur, non ad Deum. Unaquæque res suum tempus habet. Et nobis *non suo tempore* vel *alieno tempore fieri* dicitur quod fit intempestivè. Et τὸν λόγον quidam interpretantur de *promissionis verbo*; quidam ipsum *Filium* interpretantur.

3. *Quæ credita est mihi*] Ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ· quod Faber Stapulensis ita vertit, *cui commissus sum*, quasi nihil referat utrùm dicas, *Filius tuus commissus est mihi*, an, *Commissus sum filio tuo*. Demiror autem ei viro tam profundum obrepsisse somnum ut non agnosceret figuram Græci sermonis quà ità loquuntur; *Hanc rem ego commissus sum*, quoties sentiunt, *Hæc res commissa est mihi*; præsertim cùm hæc loquendi formula toties sit obvia in Paulo. At conjicere mihi videor quid imposuerit Fabro nostro, nimirum ᾧ articulus postpositivus dandi casu positus, cùm accusandi casus magis conveniret. Verùm id factum est ob nomen quod antecessit eodem casu, κηρύγματι, cum quo concordat ᾧ juxta Græci sermonis idioma, dissidens à suo verbo. Sic enim legitur, fateor, in nonnullis exemplaribus, cùm in emendatioribus habeatur ὃ ἐπιστεύθην, atque adeò sic ipse Faber scribit in examinatione sua. ¶ *Secundum præceptum*] Rursum Græcè est κατ' ἐπιταγήν, *Juxta injunctionem*. Nos vertimus *delegationem*. Sentit enim sibi munus hoc prædicandi delegatum à Domino, sic ut recusare non liceat. ¶ *Tito dilecto filio*) Γνησίῳ τέκνῳ. i. e. *vero*, *legitimo*, *proprio ac germano filio*. Atque ità legit Ambrosius, q. d. *verè filio*, & non notho, neque degeneri a patre. Notat elegantiam hujus verbi & D. Hieronymus hunc enarrans locum, addens Græcæ vocis proprietatem non exprimi posse Latinis, licèt *vero*, *germano*, *ingenuo* propemodum explicare videatur. Pugnat autem inter se γνήσιον & νόθον, h. e. *adulterinum*. Et Plinius lib. 10. c. 3. quintum aquilarum genus γνήσιον vocat, idque sic interpretatur *velut verum solumque incorruptæ originis*. Ambrosius hoc loco legit *germano filio*, quemadmodum & in priore ad Timotheum.

4 *Gratia & pax*] Χάρις, ἔλεος, εἰρήνη, *Gratia, misericordia, pax*: etiamsi *misericordiam* nec Hieronymus nec Ambrosius addit. Certè quemadmodum Græci cod. habent legit Chrysostomus ac Theophylactus, quorum posterior attingit etiam in enarrando. Sed apparet additum apud Græcos, non tantùm ob id quòd reclamat consensus Latinorum codicum, verùm etiam quòd Origenes in Epist. ad Romanos, annotans ac distinguens formas salutationum quibus Paulus usus est in singulis Epistolis, loquitur hunc in modum, *Ad Timotheum primâ & secundâ*, GRATIA, MISERICORDIA ET PAX, &c. *ad Titum verò*, GRATIA ET PAX A DEO PATRE.

5. *Reliqui te Cretæ*] Ἐν Κρήτῃ, i. e. *in Creta*. Græci & urbium nominibus apponunt præpositionem: id quod apud Latinos rarissimum est. At Interpres ab insulæ vocabulo sustulit Græcam præpositionem; quod prorsus est intolerabile, præsertim cùm ea sit apud Græcos. ¶ *Quæ desunt corrigas*] Ἐπιδιορθώσῃ, i. e. *supercorrigas*, ut explicandi gratiâ sic loquamur. Sentit autem se priùs correxisse quædam; eadem nondum ad plenum correcta jubet à Tito corrigi. Emphasim Græcæ vocis notavit Hieronymus, præsentem explicans locum. Et in eandem sententiam liquidò interpretatur Chrysostomus, cujus Interpres vertit *supercorrigeres*. Proinde nos vertimus *pergas corrigere*. ¶ *Per civitates*] Κατὰ πόλιν, *in civitate*, sive *per civitatem*, i. e. in singulis civitatibus, sive oppidatim. Hæc insula quondam dicta est ἑκατόμπολις, quòd *centum habuerit oppida*.

6. *Sine crimine*] Ἀνέγκλητος· quod non ità sonat q. d. *vacantem omni culpâ*, sed *quem nemo possit accusare* sive *criminari*, *& vocare in jus ob crimen aliquod*. Sic enim interpretatur & Chrysostomus. Plus enim est ἀνέγκλητον esse quàm *vacare crimine*, propterea quòd integritas non rarò sit obnoxia crimini ob speciem probabilem culpæ: At nè hanc quidem Paulus patitur in Sacerdote. ἐγκαλεῖν enim est *intento crimine vocare in jus*. Et ἔγκλημα, *commissum*, *ob quod aliquis in jus trahi possit*. ἀνέγκλητος, *qui non possit ad hunc modum accusari*. Atque idem repetit paulò pòst, *Oportet Episcopum sine crimine esse*. Augustinus ad Bonifacium colligit, si idem esset *sine crimine* quod *sine peccato*, neminem asciscendem esse ad Ministerium Ecclesiasticum. ¶ *In accusatione luxuriæ*] Ἀσωτίας, i. e. *luxûs*: nè *luxuriam* pro *libidine* accipias; quod facere videtur Lyranus, qui meminit filiorum Heli. Quid autem sonat Latinis *in accusatione luxuriæ*? Sentit enim Paulus *sobrios*, *nec infames de luxu*.

7. *Sicut Dei dispensatorem*] Ὡς hìc non Similitudinem significat sed Congruentiam. Proinde magis conveniebat *tanquam* vel *ut* quàm *sicut*. ¶ *Non superbum*] Μὴ αὐθάδη, i. e. *non præfractum*; quod Hieronymus & Ambrosius legunt *non protervum*, & rectè sane. Nos vertimus *præfractum*, i. e. durum, & sui sensûs plùs satis tenacem. Quam vocem quidam suo judicio vehementer eruditus negat se intelligere quid sibi velit, cùm aliquoties obvia sit apud Ciceronem: Qui scribit lib. Offic. 3. *Ego etiam cum Catone meo dissensi: nimis mihi præfractum videbatur, ærarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare.* Exemplum consimile citat ex ejusdem Hortensio Nonius Marcellus, *His contrarius Aristotimus*, *præfractus*, *ferrem*, *nihil bonum nisi quod rectum atque honestum est*. Vel ex hoc Grammatico licebat discere quid esset *præfractus*; nimirum *durus*, inquit, *& inflexibilis*. ¶ *Non percussorem*] Μὴ πλήκτην. Hoc Hieronymus putat non pertinere ad pugnos, sed ad linguam contumeliosam & jurgiosam. Unde & Horatius in Odis, *Patruæ verbera linguæ*: quemadmodum in superioribus annotatum est. ¶ *Non turpis lucri cupidum*] Μὴ αἰσχροκερδῆ. Græcam vocem unicam tribus circumlocutus est Interprès, q. d. *turpilucrum*. Sentit autem Paulus omne studium lucri fœdum esse Sacerdoti. At Carrensis festiviter exposuit, TURPIS LUCRI, *id est*, *secularis*. Quasi sit aliud genus quæstûs Ecclesiasticum honestum. Sensit, opinor, de captandis testamentis, & avertendis ad se rebus malè partis, de involandis religionis defendendæ prætextu alienis facultatibus, de inescandis Sacerdotiis, de emungendis deliris aniculis, de compilandis crassis negotiatoribus. Nam nonnullis ejus generis histrionibus is quæstus nunc multò est uberrimus.

8. *Benignum*] Φιλάγαθον, q. d. *studiosum bonarum rerum*, aut *amantem bonos*. Superiùs dixit ἀφιλάγαθον. Hieronymus hoc loco pro φιλάγαθον legit *bonorum operum amatorem*. Theophylactus exponit ἐπιεικῆ, μέτριον, μὴ φθονοῦντα, i. e. *humanum*, *modestum*, *minimè invidum*. ¶ *Sobrium*] Σώφρονα. quod Hieronymus vertit *castum*. Ambrosius *prudentem*. Atque hæc omnia significat σώφρων, nisi quòd *sobrius* omnia fermè complectitur. Notat autem D. Hieronymus V. Interpretem, qui verbi ambiguitate deceptus pro *pudico* verterit *prudentem*. Atqui, ut Interpreti nonnihil patrociner, si Græca vox ambigua est, nimirum utrumque significans, *prudentem* & *pudicum*, quomodo deceptus est vertens *prudentem*? An Prudentia non congruit Episcopo? Verùm, ut aliàs admonui, D. Hieronymus studio tuendæ Virginitatis undique colligit & asciscit præsidia, & quicquid potest ad suas pertrahit copias. Quanquam σώφρων Græcis non tam *prudentem* sonat quàm *sobrium* & *sanæ mentis*: ut intelligamus animum sibi præsentem & nullis temulentum cupiditatibus. Siquidem hæc duo componit inter se Euripides in Iphigenia Aulidensi,

Συσσωφρονεῖν σοι βούλομ', ἀλλ' οὐ συννοσεῖν.

Theophylactus σώφρονα interpretatur καθαρὸν, δίκαιον τὰ πρὸς ἀνθρώπους, δηλονότι, ἀπροσωπόληπτον, i. e. *purum justum in hominum commercio*, *citraque personarum delectum*. ¶ *Justum*, *sanctum*] Ὅσιον· quod ità interpretatur Hieronymus ut dicat significare *sanctitatem mixtam pietate*, *quæ ad Deum refertur*. Nam ἅγιος, *sanctus*, h. e. *purus à vitiis*; εὐσεβὴς, *pius in Deum*. ¶ *Continentem*] Ἐγκρατῆ, *temperantem*. Quod, ut indicat D. Hieronymus, quidam haud rectè ad solam referunt libidinem, cùm ad omnes pertineat affectus, Iram, Avaritiam, Ambitionem, Invidiam, Timorem, ut omnibus his sit superior Episcopus. Mirè id perspexit Paulus, non posse prospicere aliis qui ipse sit obnoxius affectibus. Ego nullam spem video Rebus publicis nisi Princeps contingat liber ab omnibus vulgi cupiditatibus. At hodie haud scio an ullum hominum genus magis serviat omnibus affectibus, sive profanos spectes Principes, sive sacros. Hæc una res est quæ leges Cæsareas, quæ Pontificias, quæ scholas Theologicas, quæ conciones Ecclesiasticas miserè vitiavit: adeò ut si pergatur, nihil magis sit futurum hæreticum quàm si quis Christum ingenuè pureque doceat.

9. *Amplectentem*] Ἀντεχόμενον. quod Ambrosius vertit *tenacem*, D. Hieronymus *obtinentem*. Ambrosius elegantissimè expressit Græcam vocem. Nam ἀντέχεσθαι dicitur propriè *qui adhæret alicui velut unguibus affixus*, *nec se finit avelli*. ¶ *Fidelem sermonem*] Πιστοῦ λόγου· quod aliàs Ambrosius vertit *humanus sermo*. Significat autem *sermonem certum & indubitatum*,

dubitatum, ut certa respondeat, & quæ ipsam veri faciem præ se ferant. ¶ *Ut potens sit exhortari*] Gr. καὶ παρακαλεῖν, *&* *exhortari.* Hieronymus vertit *consolari.* Et *in doctrina* dictum est pro *per doctrinam.* *Doctrina* non tantùm ad hoc conducit Episcopo ut doceat indoctos, verùm etiam ut consoletur afflictos, aut exhortetur exstimuletque cessantes.

10. *Inobedientes*] Ἀνυπότακτοι quod D. Hieronymus legit *non subditi.* Sonat autem q. d. *qui in ordinem cogi non possint.* ¶ *Seductores*] Φρεναπάται. Græcis est dictio composita, quæ perinde sonat ac si dicas *mentium deceptores*: & ad hunc modum interpretatur D. Hieronymus. Pessimum autem & perniciosissimum genus decipiendi, ubi quis mentem omnium actionum fontem pravis inficit opinionibus. Nam hac via fit ut non solùm non pudeat malefactorum verùm etiam ex his laudem petamus. ¶ Cæterùm *vaniloqui* Græcè est ματαιολόγοι quod non sonat *mendacem* sed *inania frivolaque loquentem.* Nam *vanus* propriè Latinis dicitur mendax.

11. *Quos oportet redargui*] Ἐπιστομίζειν, i. e. *occludere sive obturare os.* Hieronymus legit *silentium indici.* Hoc ex loco palàm est Laurentium in Euangelio Lucæ legisse, aut certè somniasse, ἐπιστομίζειν pro ἀποστομίζειν de quo quod tum succurrebat illic diximus. Hic obiter annotandum, semper quæstûs notari qui urgent & infulciunt ceremonias.

12. *Proprius eorum propheta*] Ἴδιος αὐτῶν προφήτης. *Prophetam* vocat Poëtam, qui quasi præsenserit futura. *Proprium* autem vocat quòd Cretensis fuerit ipse qui hæc de Cretensibus scripserit: sive quòd per ironiam *Prophetam* vocavit, quasi talibus Christianis tales congruerent Prophetæ: sive quòd is Epimenidis liber unde versiculus hic sumptus creditur, titulum habeat Περὶ τῶν χρησμῶν, i. e. *De oraculis.* Tametsi non desunt qui testimonium hoc ad Callimachum Cyrenæum referant, apud quem initium hujus carminis invenitur.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται,

quòd Jovis sepulcrum apud se esse confinxerint, cùm is juxta vulgi opinionem fuerit immortalis. Hieronymus indicat & proverbio jactatum apud Græcos. Exstat & proverbium Græcis, Cretensium testans vanitatem, Κρητίζειν πρὸς τὸν Κρῆτα. Verùm hac de re qui velit plenius cognoscere, legat Miscellanea Angeli Politiani, aut nostras Chiliades: nam hic, quoniam Annotationes scribimus, brevitati quantum licet studendum. De occasione hujus carminis testantur & Græcanica Scholia. Est autem versus integer heroicus apud Epimenidem Cretensem. In quo sanè demiror Stapulensem laborasse ut carmen carmine redderet, idque ad hunc modum,

Gnosius usque loquax, mala bestia, viscera pigra.

Nec enim idem est *loquacem esse* & *mendacem*; nec ut hominem cibo deditum *ventrem* dicimus, item *viscera* dicimus: ut interim donemus *Gnosium* rectè positum pro *Cretensi*, & *usque* pro *semper.* ¶ *Mala bestia*] Θηρία. Quod non simpliciter *bestias*, sed & *feras ac veneno noxias bestias* significat. Indicat hoc titulus Nicandri, qui scripsit Θηριακά. Neque enim Ovem rectè dixeris θηρίον. Quin & hodie Germani sonant θὴρ pro *animali.* ¶ *Ventres pigri*] *Ventres* legendum *est*, γαστέρες ἀργαί. Nam ipsos *ventres* appellat homines abdomini deditos. Quemadmodum & Lucilius ventri deditos *ventres* appellat. Et Terentius in Phormione, *Pugnos*, inquit, *in ventrem ingere*, parasitum indicans. Germanam scripturam obtinebat Constantiense exemplar recentius: In vetustiore deprehendi quiddam ridiculum. Aliquis doctus annotaret in margine, *Menetis Poeta abusus est versiculo quem postea Callimachus usurpavit.* Id scriba rudis insulserat in contextum, & *Menetis* posuit pro *Epimenidis.* Dixerit aliquis, Quorsum opus est talibus nugis morari lectorem? Ut mihi credatur si quando commonstro locum simili modo depravatum: quod utinam rariùs accideret, in Sacris præsertim voluminibus.

13. *Increpa illos durè*] Ἀποτόμως, i. e. *ad vivum & severè.* Nec est *increpa*, sed *argue*, ἔλεγχε, h. e. *refelle.* ¶ *Ut sani sint*] Ἵνα ὑγιαίνωσι. Illud admonendus est lector, Paulum frequentiùs usum hoc verbo, quo Græci significant quicquid probandum est. Unde illud Μηδὲν ὑγιές, i. e. *Nihil sanum*, cùm omnia displicent. Hic igitur *ut sani sint* nihil aliud est quàm *ut rectè se gerant.* Ut rursum νοσεῖν, i. e. *ægrotare*, dicitur apud illos qui non rectè est affectus.

14. *Avertentium se à veritate*] Ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν, *aversantium veritatem*, h. e. abhorrentium à veritate. Vehementius enim est quod habent Græca.

15. *Coinquinatis autem*] Μεμιασμένοις quod magis sonat *impiatis*, *&* *piaculo aliquo profanatis*, *ut sint arcendi à sacris.* Quin & illud, *Omnia munda mundis*, rectiùs erat, *Omnia pura puris*: quandoquidem his verbis utuntur cùm de castitate sacrorum agunt. Exstat enim lex apud Senecam *Sacerdos sit casta castis, pura puris.* Vides ut Paulus in nullos incandescat acriùs quàm in eos qui Mosaicis ceremoniis Christum tendebant abolere, & hoc prætextu tyrannidem in Christianam plebem occupabant.

16. *Abominati & incredibiles*] Βδελυκτοὶ ὄντες καὶ ἀπειθεῖς, i. e. *abominabiles cùm sint & increduli.* Ambrosius & Hieronymus legunt *exsecrabiles & inobedientes*, pro quo non malè quadrabat, *intractabiles* aut *impersuasibiles.* ¶ Cæterùm *profitentur* magis congruebat hic quàm *confitentur*, ὁμολογοῦσιν εἰδέναι, i. e. *profitentur se scire*: nam hoc quoque sign. ὁμολογεῖν.

VATABLUS.

1. SEcundùm fidem electorum Dei] Heb. missus ad enuntiandum eam fidem, quam habent qui electi sunt à Deo. ¶ *Quæ secundùm pietatem est in spem*] Heb. quæ est de sincero Dei cultu cum spe.

2. *Secularia*] *Æterna.*

3. *Temporibus suis*] i. e. Proprio & definito tempore. ¶ *In prædicatione quæ credita est mihi secundùm præceptum*] Vel, *per prædicationem ad quam delegatus sum ego secundùm mandatum.*

4. *Dilecto*] *Germano*, *vero*, *legitimo.* ¶ *Secundùm communem*] *Propter parem*, vel, *communem.* ¶ *Gratia**] * *Misericordia.* ¶ *Et**] * *Domino.*

5. *Desunt corrigas*] *Reliqua sunt*, *pergas corrigere.*

6. *Sine crimine est*] i. e. Quem nemo possit accusare sive criminari, & vocare in jus ob crimen aliquod. ¶ *Non in accusatione luxuriæ*] Vel, *non obnoxios criminis luxûs*: aut, *non infames de luxu.*

7. *Sicut*] *Tanquam.* ¶ *Superbum*] *Præfractum*: i. e. durum, & sui sensûs plus satis tenacem.

8. *Benignum*] *Bonarum rerum studiosum.* ¶ *Sobrium*] *Prudentem*, vel, *castum.* ¶ *Continentem*] *Temperantem.*

9. *Amplectentem eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem*] *Tenacem indubitati sermonis*, *qui ad docendum in primis valet.* ¶ *Sit**] * *Et.* ¶ *Arguere*] *Refellere*: i. e. errorem & imposturam ipsorum proferre in lucem.

10. *Inobedientes*] *Intractabiles*: [*cedere nescii*, *pervicaces.*]

11. *Quos oportet redargui*] *Quibus oportet obturare os*: vel, *indicere silentium.*

12. *Proprius ipsorum*] i. e. De natione ipsorum. ¶ *Mala bestiæ*] *Perniciosa*, *fera.*

13. *Increpa*] *Redargue.* ¶ *Durè*] Vel, *severè.*

15. *Omnia munda mundis*] i. e. Omnes cibi, etiam lege vetiti, sunt puri fidelibus: h. e. illis vesci possunt sine peccato.

16. *Confitentur*] *Profitentur.* ¶ *Abominati & incredibiles*] *Abominabiles & increduli*: i. e. palàm ostendentes se esse exsecratione dignos, persuasionis Christianæ nihil habentes, & ad omne opus pium ineptos & deploratos.

CASTALIO.

12. DIxit eorum quidam, proprius ipsorum vates] Epimenides, qui fuit ipse Cretensis.

CLARIUS.

1. SEcundùm fidem electorum Dei] *Apostolus*, inquit, *sum ad prædicandam fidem*, *per quam electi Dei ad agnitionem veniunt veritatis.*

5. *Hujus rei gratiâ reliqui te in Creta*] Præcipuum Episcopi munus invisere sibi subjectas diœceses, & ordinare Ecclesiæ ministros idoneos.

12. *Dixit quidam ex illis*] Epimenides is fuit, qui cùm laudare vellet Jovem, & dicere, *eum non esse mortuum*, *sed semper esse*, reprehendit Cretenses, & eos arguit mendacii, ut qui dicerent *sepulcrum Jovis apud se esse.* Verùm cùm ait Paulus *verum hoc esse testimonium*, non ad superiora illa Poetæ verba respicit sed ad id tantùm quod hoc uno carmine dictum est, quòd scilicet *Cretenses mendaces sint*, &c.

15. *Omnia munda mundis*] Mundum & immundum propriè ex accipientium mente fit: naturâ enim sunt omnia munda iis qui non hæc cum illa Judaica superstitione cogitant. At aliis ista sunt ut ægrotis cibi, qui etsi jucundi per se sint, ob morbum tamen displicent. Sic horum conscientia, cùm sit inquinata, etiam cibos suâ cogitatione immundos facit.

ZEGERUS.

1. *Secundum fidem electorum Dei*] Κατὰ πίστιν ex consequentia litteræ videtur potiùs significare *ad fidem*, vel *propter*; ut intelligas *Paulum factum Apostolum propter fidem eorum qui per ipsum erant credituri, hoc est, Dei electorum*: nisi malis hoc ad *servum* referre, hoc ordine, *Paulus servus*, non juxta legem Mosaicam, sed *juxta fidem electorum Dei*.

2. *Ante tempora secularia*] *Secularia tempora* sunt quæ mundo permanente decurrunt. Ante mundum verò, & post, tempora nulla sunt. *Ante omnia* ergò *tempora* sentit cùm dicit *ante tempora secularia*.

3. *Tito dilecto filio secundùm communem fidem*] Apostolus suo more hic & in hujus Epistolæ exordio præpositoriâ voce κατὰ abusus videtur loco *propter*: ut *dilectus* dicatur *ob communem fidem*. Poteris tamen *secundum communem fidem* conferre cum consequentibus, *secundum communem fidem gratia tibi & pax à Deo*, &c.

5. *Quæ desunt corrigas*] h. e. *Quæ super sunt corrigenda corrigas*, Dist. 25. *Unum*.

6. *Unius uxoris vir*] Vide 1 Tim. 3. ¶ *Non in accusatione luxuriæ*] Μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας potest etiam esse *non in crimine luxûs*. Sentit enim filios non debere esse prodigos, nepotes, insolentes, gulæ luxuique deditos.

7 *Oportet enim Episcopum sine crimine esse*] Non dicit *vacantem omni culpâ*, sed ἀνέγκλητον, i. e. *ejusmodi quem nemo possit ob flagitium accusare, aut vocare in jus, & in quem nemo possit impingere crimen*: ἐγκαλεῖν enim *accusare* est, *in jus vocare, & dicam impingere*; ἔγκλημα *crimen*; unde ἀνέγκλητος, q. d. *incriminabilis*, vel *inaccusabilis*. Unde & Augustinus Tract. in Johann. 41. *Crimen*, inquit, *est peccatum grave accusatione & damnatione dignissimum*. Et paulò inferiùs, *Apostolus*, inquit, *quando elegit ordinandos vel Presbyteros, vel Diaconos, non ait*, Si qui sine peccato est; *hoc enim si diceret, nemo ordinaretur: sed ait*, Si quis sine crimine est, *sicut est Homicidium, Adulterium, aliqua Immunditia, Fornicationes, Furtum, Fraus, Sacrilegium, & cætera hujusmodi*.

8. *Benignum, sobrium*] Quod his interponitur *prudentem* redundat juxta exemplaria antiqua & Græca. Additum apparet ex ambiguitate verbi σώφρονα *prudentem* declarantis & *sobrium*, præter multa alia.

11. *Quos oportet redargui*] Quod dicitur *redargui*, Græcis à *reprimendo ore* dicitur ἐπιστομίζειν, voce activâ.

12. *Proprius ipsorum Propheta*] De Cretensibus loquitur, apud quos hunc discipulum suum reliquerat Apostolus, ut patet in exordio hujus Epistolæ, & de Poëta Epimenide Cretense quem suo more *Prophetam* nominat, *præconem* ac *vatem* significans. Est autem ejus carmen hexametrum his constans verbis,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

13. *Ut sani sint in fide*] h. e. ut sint orthodoxæ fidei, nullis erroribus infecti: unde & infert *non attendentes Judaicis fabulis*.

16. *Cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*] Apostolici sermonis sensum ità quoque licebit vertere, *Exsecrabiles cùm sint, & inobedientes* (sive *increduli*: utrumque enim ἀπειθεῖς denotat) *& ab omni opere bono alieni*. *Incredibiles* autem posuit pro *impersuasibiles*, sive *ad credendum inhabiles*.

LUCAS BRUG.

8. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse*, &c. *hospitalem, benignum, sobrium, justum*.] Sex Hentenii & undecim nostra MSS. cum impressis aliquot libris; & Nicolai Lyrani commentariis, addunt *prudentem*; *Benignum, prudentem, sobrium*. Plures verò longe, tum scripti tum impressi codices, cum Primasio, Anselmo, Hugone Carensi, Nicolao Gorrano & Brunone Carthusiano, tollunt. His, non tantùm quia pluribus, sed longè magis quia antiquioribus, verioribus ac melioribus, major adhibenda est fides. Ex illis quibus id additur, non unus est noster qui vetustate aut autoritate polleat. Græci libri adhæc & Syriaci his qui omittunt suffragantur. Sed quæ Græcè est vox σώφρονα, & *prudentem* & *sobrium* verti potest. Itaque editionis nostræ versioni *sobrium* (neque enim hoc ab aliquibus exemplaribus omittitur) adjecta est à quibusdam altera alterius *prudentem*. Certè Ambrosiastri editio *prudentem* habet eo loco quo nos *sobrium*, & quidem solum. B. Hieronymus in hujus loci commentario, ait, Latinum Interpretem, verbi σώφρονα ambiguitate deceptum, pro *pudico*, *prudentem* transtulisse (sic enim interpretari mavult, *pudicum*, sive *castum*) aut ad eam quâ Ambrosiaster usus est editionem respiciens, aut ad alia loca nostræ (1 Tim. 3. 2. Tit. 2. 2, 4, 5.) Nam hoc loco editionis nostræ germanam translationem *sobrium* esse, & redundare quibusdam *prudentem*, non nos tantum ex nostris, verumetiam Zegerus ex suis exemplaribus judicavit. Cùm alibi porrò, tum proximi capitis sexto versu, *sobrium* legit editio nostra ex σώφρων, quemadmodum hoc loco, *Juvenes similiter hortare ut sobrii sint*, σωφρονεῖν.

H. STEPHANUS.

5. Ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ] *Ut reformatione ac correctione tuâ quæ desunt addas*.

10. Φρεναπάται] *Qui vafre in animos irrepunt*.

11. Οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν] *Quibus oportet os obstruere*.

13. Ἀποτόμως] *Severe*.

16. Ὁμολογοῦσιν] *Profitentur*.

DRUSIUS.

5. *Creta*] Genus loquendi Hieronymo familiare; quod alius diceret *in Creta*; & sic est in Græco codice, ἐν Κρήτῃ. Sic in Chronico Eusebiano *Istria occiditur*, in Istria: & in Epistola ad Johannem Jerosolymitanum, *Palestina interrogaris, & respondes Ægypto*. Et *versari Cypri*, h. e. in Cypro. Et Comment. in Epist. ad Titum, c. 1. *scribentem ad Titum, qui erat Cretæ*. Ad Gerontiam, *Bithyniæ veneno mortem reperit*. Item, *Judæos Macedoniæ rebellantes*, h. e. in Macedonia. Quæ exempla, si unum excipias, (cur diffitear?) debeo illustrissimo Scaligero. Vide, si lubet, ejus Animadv. Euseb. 233. 2. & 234. 1.

8. *Justum, sanctum*] Aut *pium*, i. e. ὅσιον. Vel hinc liquet differentiam esse inter *justum*, i. e. צדיק, & *pium* i. e. חסיד: quod tamen Serarius nimis impudenter negat. Vide sis ejus Minerval, & Responsionem nostram l. 2. c. 16. Sanè alius est *Simeon justus*, & alius qui *Simeon pius* appellatur aut *sanctus*. Uterque memoratur in Johasin 2. 1, & 2. *Simeon Sanctus* שמעון החסיד: nam sic reddit nomen illud Interpres vetus. In Commentario super librum Aboth., *Pius est qui dat, & vult ut etiam alii dent*: &, *Justus sua tantum curat, pius de aliis etiam solicitus est*: &, *Pius stabilit collationem beneficiorum*. Quid autem sit *collatio beneficiorum*, quam גמילות חסדים vocant, docet Commentator ille 8. 2. Discrimen horum vocabulorum invenies notatum & in More Nebuchim, part. 3. cap. 53. Vide, si otium est, & si habes. R. David, HASID, *qui plus facit quàm jubetur facere*; SADDIC, *qui jussa Dei exsequitur*, Psal. 103. 17. ex Dras. R. Alexander in Medras Psal. 16. *Quicunque audit maledictum in se dici, & tacet, hic pius est*. Alibi est, *& silet in judicio*. Videndus R. David Psal. 17. 10. Rursum in Comment. super Aboth, *Pius est qui facit usque ad extremum, sive finem ultimum*, &c. Item, *qui non exspectat gratiam beneficii*. Hoc Cicero dixit, *qui beneficentiam sine spe præmiorum exercet*.

12. *Cretenses semper mendaces*, &c.] Hieronymus in Comment. ad h. l. *Dicitur autem iste versiculus in Epimenidis Cretensis Poëtæ Oraculis reperiri. Quem imprudentiarum sive illudens* Prophetam *vocavit* (*quòd scilicet tales Christiani tales habere mereantur Prophetas: quomodo &* Prophetæ *erant Baal, &* Prophetæ confusionis, *& alii offensionum, & quoscunque vitiosos Prophetas Scriptura commemorat*) *sive vere, quia de oraculis scripserit atque responsis, quæ & ipsa futura prænuncient & ea quæ ventura sunt multò ante prædicant. Denique ipse liber* ORACULORUM *titulo prænotatur: Quem quia videbatur Divinum aliquid repromittere, propterea Apostolum arbitror inspexisse, ut videret quid Gentilium divinatio polliceretur, & in tempore abusum esse versiculo scribentem, ad Titum qui erat Cretæ, ut falsos Cretensium Doctores proprio insulæ Doctore convinceret*. Idem in Epist. ad Galatas c. 4. *Scisse autem Paulum, licet non ad perfectum, literas seculares, ipsius verba testantur*, DIXIT QUIDAM EX EIS PROPRIUS EORUM PROPHETA.

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

Hic versus Heroicus Epimenidis Poëtæ est, cujus & Plato & cæteri scriptores veteres recordantur. Rursum in Epist. ad Titum commentans, *Sunt*, inquit, *qui putent hunc versum de Callimacho Cyrenensi Poëta sumptum; & aliqua ex parte non errant. Siquidem & ipse in laudibus Jovis adversùs Cretenses scriptitans, qui sepulcrum ejus se ostendere gloriabantur, ait*,

Cretenses semper mendaces, qui & sepulcrum ejus sacrilegâ mente fabricati sunt.

Verùm

Verùm (ut suprà diximus) integer versus de Epimenide Poëta ab Apostolo sumptus est, & ejus Callimachus in suo poëmate est usus exordio, sive vulgare proverbium, quo Cretenses fallaces appellabantur, sive furto alieni operis in metrum retulit. Vide sequentia ibidem. Sed & Epiphanium Adv. hæres. pag. 159. ¶ *Ventres pigri*] Syrus, *ventres otiosi.* Nam ἀργὸς *otiosus:* unde ῥῆμα ἀργὸν *verbum otiosum* Matth. 12. quod Ebraïcè diceretur דבר במל. Gulielmus Canterus novè interpretatur *ventres avidos & edaces:* nam id ἀργὸς etiam significare docet. Sanè Phavorinus, cùm hujus versiculi meminit, γαςριμάργυς exponit. Idem legit ἀργοὶ, quod Ἀττικώτερον est. Summâ, hunc versiculum, quem ità quidem vertit,

Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est,

nullo penè negotio, inquit, sic emendatè vertemus,

Cres semper mendax, mala bestia, venter edax est.

Addit Epimenidem, cùm γαςέρα μάργην vellet dicere, nec id carminis pateretur ratio, ejus loco ἀργὴν quod idem valere vellet, substituisse. Vide, si placet, Novas lectiones ejus, lib. 1. c. 15. Cæterùm, ut aliquid de meo addam, licèt edacitas aptè Ventri tribuatur, Belgæ tamen vulgari dicterio *ventrem pigrum* appellant hominem inertem & socordem.

14. *Non intendentes Judaicis fabulis,* μὴ προσέχοντες Ἰυδαϊκοῖς μύθοις] Syrus habet אמרא יהודיא, *fabulis Judæorum.* Cujusmodi plurimas invenies in Salomone Trecensi, qui vulgò *R. Salomo* vocatur, & in Thargum Jerosolymitano, quod sub nomine Jonathani nunc legitur, & in Manahemo de Recanati comment. in Legem. *Judaicè vivere,* i. e. יהודית Gal. 2. 14. *Judaismus,* 1. 13, 14. *Judaizo,* 2. 14. Ebraicè מתיהדים *Judaizantes,* in Historia Esther. Quanquam autem Judaizare nemini Christiano liceat, Judaicas tamen literas discere non est prohibitum, imò necessarium Theologo, cùm Christianæ religionis principia à Judæis pendeant, ut ait Origenes contra Celsum fol. 4. col. 1. cui in eo subscribo. *Salus enim,* inquit, *Christus à Judæis est.* Quin constat eos qui Ebraicam doctrinam aut contempserunt aut neglexerunt, in multis turpiter, nè dicam pueriliter, hallucinatos esse. Ausim dicere plerosque omnes errores ex ignoratione rerum Judaicarum in Ecclesiam Dei paulatim irrepsisse, cùm nemo esset ante hæc tempora qui eos in tanta caligine. Sed reprimam me. Nam etiam illi qui aliorum errata detexerunt, non patiuntur hodie sua detegi. Usque adeò invisa omnibus veritas. Neque in nugis, neque in verò verum toleratur.

CASAUBONUS.

12. Κακὰ θηρία] Faciunt huc quæ Aristoteles tom. 2. p. 71. περὶ κακίας θηριότητος disputat.

SCULTETUS.

CAP. I.

Cohærentia periodica & syntactica exordii. κατὰ πίςιν ἐκλεκτῶν. λόγος ἐν κηρύγματι. Χρόνοι αἰώνιοι. v. 1, 2, 3.

Est hoc singulare artificium Pauli ut in Epistolarum suarum exordiis, paucis multa, adeoque ut plurimùm Euangelici mysterii summam complectatur. Vidimus hoc proximè in exordio posterioris ad Timotheum: Videmus idem in hoc ad Titum, ubi se Apostolici muneris autoritate homines ad tria insignia bona adducere profitetur, ad justificationem in *fide,* ad sanctificationem in *pietate,* ad glorificationem in *spe vitæ æternæ,* quæ omnia in *agnitione veritatis,* qui est sermo Dei, Joh. 17. fundantur. Vocabulum κατὰ, in verbis κατὰ πίςιν ἐκλεκτῶν, v. 1. Beza simpliciter exponit *secundum:* ut sit sensus, Apostoli doctrinam consentire cum fide electorum qui fuerunt à mundi origine. Alii κατὰ pro εἰς poni putant, ut 2 Tim. 1. 1. vel ut εἰς usurpatur Rom. 1. 5. δι' ὃ ἐλάβομεν ἀποςολὴν εἰς ὑπακοὴν πίςεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι. q. d. *Apostolus Jesu Christi* (ἀφωρισμένος *segregatus, ordinatus*) *ad procurandam præconio Euangelii fidem electorum Dei,* &c. sive, *destinatus ad electos Dei per prædicationem Euangelii ad fidem & agnitionem veritatis adducendos.* Particulam ἐπ' v. 2. Piscator refert ad remotius nomen, ἀληθείας, v. 1. motus versu sequente tertio, ubi per appositionem additur τὸν λόγον αὐτοῦ. Alii ad ζωῆς αἰωνίου *vitam æternam* referunt ista *quam promisit,* & hanc promissionem v. 3. τὸν λόγον αὐτοῦ dici existimant; ut *articulus habeat vim ἀναφορικὴν & λόγος idipsum declaret quod Deus locutus erat, i. e. promiserat.* Sic Beza. Theophylactus autem versum tertium cum secundo ità copulat, *Quam promisit Deus mentiri nescius ante tempora secularia, patefecit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione,* &c. Et addit, *Non infert Apostolus* patefecit ipsam, *sc. vitam æternam, sed,* patefecit verbum suum: *quia Euangelium omnia complectitur, & quæ in præsenti nobis tempore data sunt, ut pietatem, fidem veritatis, & quæ in futuro nobis evenient, sc. vitam æternam.* Quid si & versu tertio sit ellipsis participii *ordinatus,* quod v. 1. omnino subaudiendum & hic ἀπὸ κοινοῦ repetendum? Sic enim omnia pulcrè fluent, nihilque coactum erit & violentum, hoc modò,

> *Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi,* ordinatus *ad* prædicandam *fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis quæ est secundùm pietatem:*
>
> *In spem vitæ æternæ, quam promisit Deus ille mentiri nescius ante tempora secularia, patefecit autem temporibus suis:*
>
> Ordinatus, inquam, *ad verbi sui prædicationem, quæ concredita est mihi,* &c.

Nam λόγος ἐν κηρύγματι nihil aliud esse videtur quàm κήρυγμα τοῦ λόγου. Per χρόνυς αἰωνίυς non *æternitatem* sed *multa secula* intelligo; quia tempora temporibus opponuntur, perinde ut Rom. 16. 25, 26. Et promissio vitæ facta est hominibus utique in tempore viventibus, vel à Deo ipso, ut illa, *Semen mulieris conteret caput serpentis;* & illa, *In semine tuo benedicentur omnes gentes:* vel per Prophetas, Rom. 1. 2. Si cum Theophylacto αἰωνίυς χρόνυς *tempora æterna* interpreteris, repugnabis textui, in quo dicitur πρὸ χρόνων *ante tempora;* quæ si æterna fingantur, fiet contradictio in adjecto. Deinde cum eodem illud *promisit* exponendum erit *promittere decrevit:* quod sanè durum est. Sed quomodo vita æterna olim promissa, nunc *patefacta* dicitur? Respondeo, Eodem modo quo Euangelium dicitur *revelatum* Rom. 16. 25. quod tamen & olim variis oraculis, promissionibus & umbris fuit proditum. Sed tum quasi tacitum, nunc *revelatum* dicitur ratione præsentis lucis quam aspiciebant Romani. Ità promittebatur vita æterna olim, sed sub typo terræ Chanaan, & umbris aliis; nunc verò per clarissimas promissiones, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Et hoc est quod ait Apostolus, ἐφανέρωσε δὲ καιροῖς ἰδίοις.

CAP. II.

Quid sit, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, v. 5. *Presbyteri Cretensium quales. Canonizatio conjugii Sacerdotum,* v. 6. Ἀσωτία, *ibidem.*

Interpretes ferè ad unum omnes vocem ἐπιδιορθώσῃ reddituri linguâ suâ vernaculâ, attentiores ad communem vocis significationem quàm ad sensum loci fuerunt. Ideo vertunt ἐπιδιορθώσῃ *corrigas,* vel *pergas corrigere.* At *corrigere* eorum est quæ sunt depravata, non etiam τῶν λειπόντων. Libanius Progymnasmatibus, pag. 27. edit. Parisiensis, καὶ τὰ μὲν καλῶς κείμενα φυλαττέτω· τὰ δὲ κακῶς, ἐπανορθούτω πρὸς τὰ χρηςότερα, *Quæ bene se habuerint: ea conservet; quæ malè, corrigat, ut meliora reddantur.* Testantur autem sequentia, in Creta nihil defuisse præter constitutionem Presbyterorum. Ergò sic vertam, *Hujus rei gratiâ reliqui te in Creta, ut quæ reliqua sunt conficias.* Germanicè, *das du folgest vollend anrichten, was noch mangelt.* Presbyteros autem non alios intelligit quàm Doctores. Verba subsequentia hoc arguunt, *Si quis est inculpatus, unius uxoris vir,* &c. *Oportet enim Episcopum inculpatum esse,* &c. Ideo Hieronymus in h. l. *Idem est ergò Presbyter qui Episcopus. Et antequam Diaboli instinctu dissidia in religione fierent, & diceretur in populo,* Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur. Postquam autem unusquisque eos quos baptizaverat suos esse putabat, non Christi, in toto terrarum orbe decretum est ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret.* Baptizàrunt illi Presbyteri: Doctores ergò fuerunt. Idem quatuor Scriptuarum testimoniis liquidò ostendit Presbyteros fuisse Pastores, nempe ex Phil. 1. 1. Actor. 20. 17, 28. Heb. 13. 17. & 1 Pet. 5. 1, 2. Dum autem Apostolus Presbyterum vult esse *unius uxoris virum, liberos habentem fideles,* certè canonizat Matrimonium Sacerdotum, quibus rei familiaris & liberorum curam commendavit 1 Tim. 3. 4. Sed videat Episcopus ut habeat τέκνα πιςὰ, μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας. Nam κατηγορία πολίταις ὀδύνων, *maledicere est obsonium hominibus,* ait Pindarus: quod Episcopi vel primi experiri solent. Ἀσωτίαν Beza & Castalio *luxum,* Vulg. *luxuriam* interpretantur. Illi Ciceronis autoritate nituntur, quam Beza ad Ephes. 5. 18. allegat. Hic ex Hieronymo defendi potest; ex Nonio item, qui dicit *luxuriam esse contra pudorem, & supra modum profusionem, atque intempestivam abundantiam.* Est autem ἄσωτος Aristoteli 4. Nicomach. ὁ δι' αὐτὸν ἀπολλύμενος. Ideo

Clemens Alexand. Pædag. lib. 2. cap. 1. ἀσώτως τ' αὐτὰς οἱ καλέσαντες πρῶτον, εὖ μοι δοκῶσιν αἰνίττεσθαι τὸ τέλος αὐτῶν, ἀσώςως αὐτὰς. κατὰ ἔκθλιψιν τοῦ Σ στοιχείου νενοηκότες.

CAP. III.

Querela de abusu præceptionum nonnullarum hoc capite Episcopis præscriptarum.

TRistis est querela Isaiæ Vatis cap. 9. *Manasse humeros suos comedit.* Quam renovare cogimur, quotquot certaminum Theologicorum in Ecclesiis Euangelicis spectatores sumus hodie. Verè enim suos humeros comedunt qui in fratrum suorum viscera tam crudeliter sæviunt tam dictis quàm scriptis. Estque spectaculum hoc bonis & prudentibus viris hoc acerbius, quòd dicacitati, mordacitati, maledictis & contumeliis inauditis præceptionum Paulinarum velum obtegitur. Nam quia ille Episcopum ejusmodi requirit qui possit τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν καὶ τὰς ματαιολόγας ἐπιςομίζειν, *contradicentes convincere & vaniloquis os obturare*, Theologi aliqui adversùs fidei Euangelicæ socios à se dissentientes sibi nihil non licere colligunt. At Apostolus adversarios eos notabat qui circa religionis Christianæ nucleum, videlicet doctrinam de Justificatione hominis coram Deo, errabant, & Circumcisionem aliasque Legis ceremonias ad salutem necessarias esse contendebant; ut patet ex v. 10. Quibus quid simile habeant controversiæ inter Euangelicos motæ equidem non video. Discrepantes sententias Euangelici circumferunt de Cœna Domini, & de Persona Christi: At neutra controversia ad fundamentum fidei pertingit. Utraque enim contendentium pars certò statuit, spiritualem ac salvificum esum ac potum carnis & sanguinis Christi fieri fide: At esum carnis & potum sanguinis Christi corporalem nè ii quidem in se salvificum esse audent dicere qui maximè illum defendunt, siquidem piis & impiis est communis. Jesum Christum utraque pars agnoscit Deum & hominem, Mediatorem item generis humani unicum, extra quem nulla salutis spes est. Quæ præter hanc confessionem à nonnullis disputantur, de triplici communicatione idiomatum, de triplici consideratione corporis Christi, Naturali Glorioso, Majestatico, de distinctionibus quibus à dogmate suo repugnantiam amovere annituntur, quales sunt, *Per se* & κατ' ἄλλο· Τῷ εἶναι, & τῷ ἔχειν. Φυσικὸν, & ὑπερφυσικόν· Κτήσει, & χρήσει· *Per apparitionem*, & *per disparitionem*; *Per abdicationem*; *Naturaliter sive essentialiter*: & *personaliter*; *Usurpatio majestatis universalis*, & *particularis*; *Usurpatio majestatis occulta*, *& manifesta*; *Usurpatio majestatis desinens*, & *indesinens*; ea omnia, præterquam quòd in Scriptura S. non continentur, Antiquitati orthodoxæ fuerunt ignota, & mirificis contradictionibus sunt implicita, tantum abest ut ad salutem æternam faciant, ut non dico à vulgo imperitorum, sed à Theologis ipsis intelligi nequeant. Qua de causa ante annos non ità multos Helmstadiani Theologi cum Wittembergensibus & Suevicis vehementer super his rixati sunt, & nunc Gießenses cum Tubingensibus super iisdem acerrimè disceptant. Et tamen in his controversiis summam rei Christianæ verti judicamus; & qui hanc vel illam sententiam amplectitur, is ab hoc vel illo ἑτερόδοξος ac, perinde ut olim Samaritanus à Judæo, omni odio dignus habetur: Cùm constet, in utrorumque, Lutheranorum putà & Reformatorum, cœtu multos esse melioris & sequioris sexûs homines qui Deum piè invocant, & fide in Jesum Christum ac innocentis vitæ studio per portam angustam ingrediuntur in Regnum cœlorum; contraque in utrorumque cœtu esse plurimos qui fide, charitate, adoratione in spiritu susque deque habitâ per latam impietatis portam introeunt in exitium æternum. Verùm fac esse quod multi sibi & aliis persuadent, ego minimè credo, hoc est, controversias quæ inter Euangelicos agitantur hodie ejusdem cum Apostolicorum temporum controversiis esse momenti ac ponderis; ex Apostolo tamen nostro discemus, longè aliter cum adversariis nostris quàm hodie fit, agendum. Nam qui in Episcopo *facultatem contradicentes convincendi & mataologis os obturandi* desiderat, idem 2 Tim. 2. præcipit, *ut servus Domini sit placidus erga omnes, ut cùm lenitate erudiat* τὰς ἀντιδιατιθεμένας, *ut non sequatur verborum pugnas.* A quibus monitis quàm longè abeant qui nullum thema Theologicum excutere possunt nisi stylo Satyrico antagonistæ personam exagitent, vident prudentes & deplorant. Quin huc res, prò dolor! recidit, ut concionatores nonnulli populari aurium pruritui inservientes tum denique suo se probè perfunctos officio existiment quando sexcenta in fidei socios convitia evomuerint, non absimiles veteribus Donatistis, de quibus Optatus Milevitanus l. 4. adv. Parmenionem, *Nullus vestrûm est qui non convitia nostra suis tractatibus misceat. Lectiones Dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras injurias explicatis. Profertis Euangelium, & facitis absenti fratri convitium. Auditorum animis infigitis odia, inimicitias suadendo, docendo suadetis.* In Academiis Professores invenias qui omnia quamlibet egregia ingenii dona vitamque adeò omnem contentionibus istis impenderunt. Reperias in iisdem alios, eosque juvenes, qui cùm famæ celebritatem aucupentur, deliberato consilio sibi alicujus nominis Theologum seligunt quem dentatis chartis ad certamen provocent, quò votorum suorum damnentur. Hinc (ut verissimè quidam scripsit) Ecclesiarum & Academiarum cathedræ hodie multis in locis pro rabularum, causidicorum & hujus generis demagogorum rostris habentur, ex quibus ii quibus statio hæc concredita est Satyras suas in imaginatos adversarios declamitant. Quòd si paulò benigniùs de controversiis Euangelicorum sentias, & Ecclesias Euangelicas dissensione super paucis Fidei capitibus distractas ad amabilem concordiam reduci posse statuas, manentibus locis controversis, ἄθεος illico proclamabere (expertus hoc scribo) qui mendacium cum veritate, Belial cum Christo sociare non erubescas. Neque verò vel mitescimus tot annorum decursu, vel in publico hoc calamitatum quasi diluvio inconsideratum illum zelum & animorum impotentiam abjicimus; sed stolidarum illarum cochlearum Æsopicarum instar, quæ dum ipsarum domus uruntur strident & canunt, in mediis patriæ communis & Ecclesiæ ruinis tantùm non tripudiamus, & vetera bella Theologica redintegrando novos nobis superbæ stultitiæ triumphos, novas à deformatis pennâ nostrâ fratribus corollas promittimus. Quæ omnia quàm parùm Theologo ei quem Paulus hâc Epistolâ informat conveniant, datâ hâc occasione ostendere ut debui ità volui.

CAP. IV.

Cretensium elogia. Mentiuntur ortum suum; Jovis sepulturam; alia. Cretissare. γαςέρες ἀργαί, v. 12. *Vinum Cretense cur* Malvaticum *nostris.*

NEmo Doctorum deinceps de corruptis auditorum suorum moribus conqueretur, si animo suo perpenderit quales informandi pio Tito fuerint commissi; Cretenses nimirum, quorum omnes virtutes uno versiculo complexus est Poëta, dicens,

> Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαςέρες ἀργαί.

Epimenides is est, quem Apostolus *patrium Cretensium Prophetam* nominat, quippe qui γνωςικώτατος fuerit, & de futuris rebus *per furorem sit vaticinatus*, Cicerone autore, lib. 1. De Divinatione. Qua de causa *Cretenses ipsi*, referente Laërtio, *tanquam Deo sacrificarunt.* Hujus igitur testimonio convincuntur *mendaces*, *malæ bestiæ*; γαςέρες ἀργαί. Mentiuntur enim *se esse* αὐτόχθονας· unde Marcianus Heracleotes ὁ περιηγητὴς ex Ephoro Regem ipsorum Creta αὐτόχθονα asserit.

> Πρῶτος δὲ Κρῆτας φασὶ τ' Ἑλληνικὰς
> Ἄρξαι, θαλαττίας τε πεποιηκὼς
> Πόλεις κατασχεῖν, ὡς δ' ὁ καὶ συνιςορεῖ
> Αὐτὸς Ἔφορος εἴρηκεν, εἶναι φησί τε
> Ἐπώνυμον τ' νῆσον ἀπὸ τ' Κρητὸς τινος,
> Τοῦ δὴ γενομένου βασιλέως αὐτόχθονος.

Mentiuntur *deos apud se natos*, apud Diodorum l. 5. Mentiuntur *Jovem apud se sepultum.* Inscripserunt enim sepulcro cuidam hunc versum,

> Ἐν τούτῳ Ζὰν κεῖθ', ὃν καὶ Δία κικλήσκουσι.

Ideo Callimachus Cyrenæus ad versum Epimenidis alludens sic ipsos arguit,

> Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
> Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Denique fingendi, simulandi & in omnia se transformandi insignes semper artifices habiti Cretenses: unde natum proverbium, Κρητίζειν, *Cretissare*, & Κρητίζειν πρὸς Κρῆτα, *Cretissare cum Cretense*, apud Polybium lib. 6. Dicuntur deinde κακὰ θηρία, *malæ bestiæ*, Καθόλου γὰρ ὁ περὶ τ' αἰσχροκέρδειαν καὶ πλεονεξίαν τρόπος οὕτως ἐπιχωριάζει παρ' αὐτοῖς, ὥστε παρὰ μόνοις Κρηταιεῦσι τ' ἁπάντων ἀνθρώπων μηδὲν αἰσχρὸν νομίζεσθαι κέρδος. *Sordidi avarique mores adeò apud illos obtinent, ut ex omnibus hominibus solos Cretenses sis inventurus apud quos nullum lucrum turpe censetur*, Polybius lib. 6. Et paulo pòst, Καὶ μὴν ὅτε κατ' ἰδίαν ἤθη δολιώτερα Κρηταιέων εὕροι τις ἄν, πλὴν τελέως ὀλίγων, ὅτε κοινὰς ἐπιβολὰς ἀδικωτέρας, *Atqui neque civium ingenia magis veteratoria quam Cretensium ullo invenias loco, si excipias oppidò pauca*, neque

neque publica consilia magis iniqua. Postremò nominantur Cretenses γαςέρες ἀργαὶ, *ventres pigri*, ut nonnullis placet. Ἀργὸς enim dicitur quasi ἀεργὸς, *sine opere*, *otiosus*, *incultus*: ut ῥῆμα ἀργὸν, *verbum otiosum*, Matth. 12. 36. ἀργὸς γῆ *terra inculta*, Aristoteli Oecon. Alii exponunt *ventres albi*, h. e. pingues. Vide Rutgersii Horatiana. Mihi Guil. Canterus suam sententiam probat, qui Lectionum novar. lib. 1. c. 15. γαςέρας ἀργὰς pro *avidu & edacibus* sumit, quæ aliàs μάργαι dicuntur: & reddit expositionis suæ graves causas. Quid enim in ventris pigritie magnopere sit reprehendendum negat se videre. Addit ἀργὸν non tantùm *ignavum* & *album* sed etiam *velocem* & *avidum* non rarò significare, ut κύνες ἀργοὶ Homero, *acres & veloces*. λήθαργος, ab *obliviscendi celeritate*. Præterea non dubitat Epimenidem dicturum fuisse γαςέρα μάργην, si id ratio carminis passa fuisset; pro μάργην igitur ἀργὴν dixisse. Et quoniam Grammatici vocabula λαίμαργος, γαςρίμαργος non tam à μάργος quàm ab ἀργὸς, sive per Antiphrasim sive aliâ ratione deducunt, statuit idem, meritò posse ἀργὸς, cùm de Ventre dicitur, ad gulositatem referri; siquidem & Phavorinus, ubi hujus versûs meminit, exponat γαςέρας ἀργὰς, γαςριμάργους, qui idem Atticè ἀργὰς pro ἀργὰς dixerit. Ergò sic vertit Canterus,

Cres semper mendax, mala bestia, venter edax est.

Non solùm autem edacitatis sed bibacitatis quoque nomine malè audiebant Cretenses. Ideo Apostolus præcipit Tito ut non eligat ibi Episcopum πάροινον, v. 7. Anus quin etiam jubet esse μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας, cap. 2. 3. Vitio huic ansam dedit generosissimum quod in Creta nascitur vinum, quod Germani *Malvasier* vocamus. Nomen hoc Cretense vinum traxit ab Epidauro urbe in Lycaonia sitâ, quàm Poëta ἀμπελόεσσαν dicit, vulgus Græcorum Μονεμβασίαν, Itali nautæ *Malvasiam*. Urbs illa generosissimi vini ferax est, cui cùm certet Cretense, *Malvasia* & ipsum vocatur.

JAC. CAPPELLUS.

12. Ἴδιος αὐτῶν προφήτης] Aristoteles Rhetoric. l. 3. c. 17. Τὸ γεγονὸς, ὅπερ ἤδη καὶ τοῖς μάντεσι, ὡς ἔφη Ἐπιμενίδης ὁ Κρὴς, ἐκεῖνος γὰρ περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων μὲν, ἀδήλων δέ. Cicero pro Archia Poeta, *Noster ille Ennius Sanctos appellat Poëtas, quòd quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.* Hieronymus Magno epist. 47. tom. 3. *Paulus Apostolus Epimenidis Poëtæ versiculo abusus est scribens ad Titum*, Κρῆτες, &c. *Cujus heroici hemistichium Callimachus usurpavit. In alia quoque Epistola Menandri ponit senarium,*

Φθείρουσιν ἤθη χρηςθ' ὁμιλίαι κακαί

Et apud Athenienses in Martis curia disputans Aratum testem vocat,

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.———

Hunc autem Epimenidis versum Callimachus ex parte suum fecit, eo nomine Cretenses & Arcadas damnans quòd apud se natum esse velint Jovem; imprimis verò Cretenses, quòd etiam tumulum ejus ostentarent. Sic igitur Callimachus,

Ζεῦ, σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι.
Ζεῦ, σὲ δ' ἐν Ἀρκαδίῃ. Πότεροι, Πάτερ, ἐψεύσαντο;
Κρῆτες ἀεὶ ψεῦςαι· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο. σὺ δ' οὐ θάνες· ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Ut Hieronymus, sic & Epiphanius adversùs Marcionem hæresi 42. p. 362. testatur Epimenidis esse versum hunc à Paulo citatum, & perperàm usurpatum à Callimacho.

LUD. CAPPELLUS.

8. Σώφρονα, δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ] Σώφρων sumitur pro eo qui opponitur μαινομένῳ καὶ ἄφρονι, uti liquet ex Act. 26. 25. Paulus Festo exprobranti insaniam, sic se excusat, Οὐ μαίνομαι, ἀλλ' ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. q. d. *Quæ ego dico non sunt insani, furentis & mente capti hominis, sed ejus qui sanus est & mente constat.* Marc. 5. 15. *viderant* τὸν δαιμονιζόμενον *eum, qui priùs fuerat dæmoniacus*, & furiis veluti agitatus, καθήμενον καὶ σωφρονοῦντα *sedentem & mente constantem.* Hoc sensu accipi hic potest, &, uti videtur, debet, σώφρον. Hoc pacto ἐγκρατὴς poterit hic significare *temperantem* tam in cibo & potu quàm in reliquis quæ corporis ejusque sensuum omnium voluptatem spectant. Ὅσιος autem erit *sanctus & pius* in iis quæ ad religionem pertinent: δίκαιος verò *justus* in iis quæ civilem vitam & moralem justitiam respiciunt. Ità nihil necesse fuerit ἐγκρατῆ accipere de eo qui planè & omnino à Venere abstinet, multò minùs de eo qui ea de re votum concepit atque emisit, sed de eo duntaxat qui in re illa, ut & in cibo & potu, modum tenet, seu temperans est & castus, non immodicus & ἀσελγής.

GROTIUS.

In Creta non video fuisse Paulum Apostolum, nisi in illo itinere quo ab Hierosolymis tractus Romam, Actor. 27. 7. Multi autem erant qui amore Pauli se navigationi ejus addiderunt comites, quorum fuere Tychicus & Trophimus, 2 Timoth. 4. 20. & Aristarchus, Coloss. 4. 10. & multi alii, inter quos & Titus, 2 Tim. 4. 10. Eum Paulus, cùm Cretam transiret, initia ibi Ecclesiarum videns, credo ex illa dispersione post Stephanum, reliquerat ad ea agenda quæ erant Metropolitæ. Puto non malè arbitrari Chrysostomum & alios, fuisse hunc Titum domo Corinthium, quia nomen ejus est in multis codicibus Actor. 18. 7. Videtur autem mihi, ut & aliis ante me, scripta hæc Epistola aut Româ, aut ex alio aliquo Italiæ loco, inter prima & altera Pauli vincula, quo tempore liber serviebat Euangelio. Eo autem tempore propositum illi erat transire in Epirum. Nam Epiri Nicopolim, quæ ab Actiaca Augusti victoria nomen habuit, rectiùs hic intelligit Hieronymus, & Latinorum alii, quàm Græci qui nos in Thraciam mittunt.

1. Παῦλος δοῦλος Θεοῦ, *Paulus servus Dei*] Sunt quidem omnes Christiani δοῦλοι Θεοῦ [*servi Dei*,] 1 Petr. 2. 16. sed eximiè id Apostolis competit: qui alibi sæpe δοῦλοι Χριςοῦ [*servi Christi*,] sed hic Apostolus à causa principe ordiri voluit. ¶ ἀπόςολος δὲ Ἰησοῦ Χριςοῦ, *Apostolus autem Jesu Christi*] Hic titulus ferme in omnibus est Paulinarum Epistolarum exordiis. ¶ κατὰ πίςιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ, *secundum fidem electorum Dei*] Κατὰ [*secundum*] hic significat id quò tendit Euangelica functio, ut 2 Tim. 1. 1. nempe *ad fidem illam ferendam, per quam homines fiunt electi Dei*, id est, Deo charissimi. Genitivus ἐκλεκτῶν [*electorum*] hic effectum significat. Et ἐκλεκτοὶ Θεοῦ [*electi Dei*], dicuntur, quomodo διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ [*docti ipsius Dei*] Joh. 6. 45. ¶ καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας, *& agnitionem veritatis*] Fides præcedit; sequitur major in dies ἐπίγνωσις [*agnitio*.] Sic & Ephes. 4. 13. Ἐκ πίςεως εἰς γνῶσιν [*ex fide in cognitionem*] ait Clemens Strom. 5. ¶ τῆς κατ' εὐσέβειαν· *quæ secundum pietatem est*] Iterum κατὰ [*secundum*] significat id quò tenditur. In id enim datur & fides & cognitio, ut piè vivatur. Sic & 1 Timoth. 6. 3. τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ [*ei quæ secundum pietatem est doctrina*.]

2. Ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, *In spem vitæ æternæ*] Ἐπ' ἐλπίδι, *sub spe*, quæ locutio est & 1 Corinth. 9. 10. ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου [*spem vitæ æternæ*] habes & infra 3. 7. ¶ ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς Θεὸς, *quam promisit qui non mentitur Deus*] אל אמן [*Deus verax*.] Firma spes est quæ promisso nititur fallere nescientis. Ideo Deus vocatur צור, id est, *rupes*. Vocem ἀψευδὴς habes & Sap. 7. 18. In Glossario, ἀψευδὴς, *verax*. ¶ πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora secularia*] Non *ab æterno*, sed *ante multa secula*. Idem enim valet, quod ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων [*ab antiquis diebus*] Actor. 15. 7. ἐκ γενεῶν ἀρχαίων [*à temporibus antiquis*] 15. 21. Vide quæ diximus 2 Tim. 1. 9. Non autem hoc vult, promissam vitam æternam isto nomine, sed magna bona promissa, sub quo involucro latet vita æterna per Christum evoluta. Respicitur præcipuè id quod est Gen. 15. 1. 17. 7. 22. 18.

3. Ἐφανέρωσε δὲ καιροῖς ἰδίοις τὸν λόγον αὐτοῦ, *Manifestavit autem temporibus suis verbum suum*] Aperuit decretum diu celatum, Rom. 16. 26. λόγον [*verbum*,] id est, דבר *decretum*, sicut *loqui* est *decernere*. καιροῖς ἰδίοις [*temporibus suis*,] id est, *tempore à se in id destinato*. Sic & 1 Tim. 2. 6. ¶ ἐν κηρύγματι, *in prædicatione*] *Per illum nuntium*. Sic Euangelii prædicatio vocatur Roman. 16. 25. 1 Cor. 1. 21. 2. 4. 15. 14. 2 Tim. 4. 17. ¶ ὃ ἐπιςεύθην ἐγὼ, *quæ credita est mihi*] Idem loquendi genus Gal. 2. 7. 1 Thess. 2. 4. 1 Timoth. 1. 11. ¶ κατ' ἐπιταγὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ· *secundum præceptum Salvatoris nostri Dei*] Adscendit rursus ad causam principem. Sic κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου Θεοῦ [*secundum præceptum æterni Dei*] Roman. 16. 26. κατ' ἐπιταγὴν Θεοῦ σωτῆρος [*secundum præceptum Salvatoris Dei*] 1 Tim. 1. 1. ubi dicta vide.

4. Τίτῳ γνησίῳ τέκνῳ, *Tito germano filio*] Æquatur hic Timotheo. Vide 1 Timoth. 1. 2. ¶ κατὰ κοινὴν πίςιν. *secundum communem fidem*] Sic ἐν πίςει [*in fide*] dicto ad Timotheum loco. Ostendit qua in re sit Pauli filius. Et dicit *fidem communem*, quia communis erat & Judæis, qualis Paulus; & Græcis, qualis Titus. ¶ χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριςοῦ, *gratia, misericordia, pax à Deo Patre*

Patre & Domino Jesu Christo] Hæc quoque habes ibidem ad Timotheum: sed ἔλεος [*misericordia*] à codicibus quibusdam bic abesse ex Origene & aliis discimus, nec legit Syrus. ¶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. *Salvatore nostro*] Titulum quem modò Deo dederat, nunc dat Christo, quia quæ ad salutem nostram fecit Pater, ea fecit per Christum: quæ Christus fecit, ea fecit Patris imperio.

5. Τούτου χάριν κατέλειπόν σε ἐν Κρήτῃ, *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ*] Manuscriptus, ἀπέλιπον: nempe ut Timotheum Ephesi. Reliquerat autem eum in Creta Paulus, eo quod jam diximus tempore. *Reliqui te Cretæ* dixit Latinus interpres, minùs usitatè, non tamen sine exemplo. Nam & Varro. *Cretæ ad Cortynam dicitur platanum esse.* Et Virgilius Æneidos 3.

Aut Cretæ jussit considere Apollo.

Et loquitur sic passim Hieronymus. ¶ ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, *ut ea quæ desunt corrigas*] Manuscriptus, ἐπιδιορθώσῃς, & *reliqua pergas ordinare*, ea scilicet quæ ego ob brevitatem temporis & impedimenta à custodibus ordinare non potui: nam διορθοῦν non semper est *corrigere*, sed sæpe *ordinare*. ¶ καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, *& constituas per civitates Presbyteros*] זקנים [*Seniores*,] sive פרנסין [*Pastores*,] inter quos principem obtinebat locum ὁ ἐν λόγῳ κοπιῶν [*laborans in verbo*] ut eum vocat Paulus, qui per excellentiam προεστὼς [*Antistes*] Justino, sicut per similem excellentiam ὁ ἐπίσκοπος [*Episcopus*,] *Angelus* in Apocalypsi. Ejus erat docere, aut etiam potestatem docendi idoneis, sive Presbyteris, sive Laïcis dare: planè ut factum in Synagoga. Et nota κατὰ πόλιν [*per singulas civitates*,] quia Titus toti Cretæ Præpositus fuerat, quæ ob urbium frequentiam olim dicta ἑκατόμπολις [*centum urbium insula*.] καταστήσῃς תפקד [*præficias*] ut Genes. 39. 4, 5. 41. 34. Deuteronom. 29. 10, & alibi. ¶ ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην· *sicut ego disposui tibi*] *Inde abiens mandavi*. Idem verbum 1 Cor. 7. 17. 11. 34. 16. 1. צוה.

6. Εἴ τις ἐστιν ἀνέγκλητος, *Si quis sine crimine est*] Ἀνεπίληπτος [*irreprehensibilis*] 1 Tim. 3. 2. Vocem ἀνέγκλητος [*sine crimine*] habes 1 Corinth. 1. 8. Coloss. 1. 22. 1 Tim. 3. 10. In Glossario, ἀνέγκλητος, *inaccusabilis*. ¶ μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, *unius uxoris vir*] *Unius matrimonii*, 1 Timoth. 3. 2. ¶ τέκνα ἔχων πιστά, μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας, ἢ ἀνυπότακτα. *filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos*] Τέκνα ἔχοντα ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνότητος [*filios habentem subditos cum omni castitate*] 1 Tim. 3. 4. Signum id est tum probitatis, tum diligentiæ ipsius, liberos instituisse ad fidem, ad obedientiam, ad temperantiam: ut meritò majus ei regimen credi debeat, qui in minori talem se præstitit, Matth. 25. 21. ἐν κατηγορίᾳ [*in accusatione*] esse dicitur, sicut ἐν αἰτίᾳ [*in causa*.] Ἀσωτία quid sit, vide Luc. 15. 13. Ephes. 5. 18. 1 Pet. 4. 4. Ἄσωτος וסבא זולל [*vorator & potator*] Deut. 21. 20. ἀνυπότακτος סורר ומורה [*inobediens*] ibidem.

7. Δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι, *Oportet enim Episcopum sine crimine esse*] Nam & πρεσβύτεροι [*Presbyteri*] omnes sunt ἐπίσκοποι τοῦ ποιμνίου [*gregis Episcopi*] Actor. 20. 28. sed qui princeps erat κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] commune nomen occupavit, ut in Africa *Senes*. ¶ ὡς Θεοῦ οἰκονόμον, *sicut Dei dispensatorem*] Id est, οἰκονόμον μυστηρίων Θεοῦ [*dispensatorem mysteriorum Dei*,] ut 1 Cor. 4. 1. ¶ μὴ αὐθάδη, *non superbum*] Αὐθάδης ex origine est *sibi placens*, αὐτοάδης, explicante in Magnis Moralibus Aristotele. In Glossario vertitur *contumax*. Theophrasto, αὐθάδεια, ἀπήνεια ὁμιλίας ἐν λόγοις [*morositas, in congressu & consuetudine difficultas*.] Euripides,

> Οὐδ' ἀστὸν ᾔνεσ' ὅστις αὐθάδης γεγὼς
> Πικρὸς πολίταις ἐστὶν ἀμαθίας ὕπο
> [*Nec approbem civem molestus qui siet*
> *Est civibus elatus per imper imperitiam*.]

Latini veteres quidam hoc loco *protervum* vertunt. ¶ μὴ ὀργίλον, *non iracundum*] Ὀργίλοι, *iracundi* Aristoteli Nicomacheorum lib. 10. qui ταχέως μὲν ὀργίζονται, καὶ οἷς οὐ δεῖ, καὶ ἐφ' οἷς οὐ δεῖ, καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ [*citò irascuntur, & quibus non oportet, & ob quæ non oportet, & plus quàm oportet*.] Hebraïcè בעל חמה Prov. 29. 22. ubi Græci, ἀνὴρ δὲ ὀργίλος [*vir autem iracundus*.] ¶ μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ. *non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum*] Hæc habes etiam 1 Tim. 3. 3.

8. Ἀλλὰ φιλόξενον, *Sed hospitalem*] Et hoc ibi habes. ¶ Φιλάγαθον, *benignum*] *Benignum* rectè exposuit Latinus, ut videre est ex iis quæ diximus 1 Timoth. 3. 3. ¶ σώφρονα, *sobrium*] Sic & 1 Timoth. 3. 2. ¶ δίκαιον, ὅσιον, *justum, sanctum*] צדיק וחסיד [*justum & sanctum*.] Ita enim Hebræi ista distinguunt, ut posterius illud priore plus in se contineat. Et sic apud Apostolos prius est δικαιοῦσθαι [*justificari*,] posterius ἁγιάζεσθαι [*sanctificari*.] ¶ ἐγκρατῆ· *continentem*] *Qui se contineat etiam à licitis rebus, boni alicujus causâ*. Sic sumitur τὸ ἐγκρατεύεσθαι [*se continere*] 1 Cor. 7. 9. 9. 25. Respondet id verbum Hebræo התאפק Genes. 43. 30. 1 Sam. 13. 12. Adde Actor. 24. 25. Gal. 5. 22.

9. Ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, *Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem*] Ἀντέχεσθαι cum Genitivo respondens Hebræo החזיק est *firmè aliquid amplecti*, ut apparet Esai. 56. 2, 4, 6. Proverb. 3. 18. Est vox verè Græca. Utuntur enim sic Euripides & Plato. κατὰ τὴν διδαχὴν [*secundùm doctrinam*,] id est, *ut ab Apostolis accepere*. אלי־דבר. Etiam hîc Ambrosius legit ἀνθρώπινον λόγον [*humanum sermonem*,] quem errorem ex scribendi compendio natum diximus ad 1 Tim. 1. 15. 3. 1. ¶ ἵνα δυνατὸς ᾖ, *ut potens sit*] Sæpe hanc locutionem habemus, δυνατός ἐστι [*potens est*] pro δύναται [*potest*.] Rom. 4. 21. 11. 23. 14. 4. & alibi. Sic & Num. 22. 38. in Græco. ¶ παρακαλεῖν, *exhortari*] *ad perseverantiam: & incrementum in pietate*. ¶ ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, *in doctrina sana*] *Per doctrinam illam Evangelicam, puram, salubrem*, 1 Tim. 1. 10. 6. 3. 2 Tim. 1. 13. 4. 3. At Manuscriptus pro his verbis habet τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει [*eos qui sunt in omni tribulatione*,] quod si recipimus, jam παρακαλεῖν non erit *hortari*, sed *consolari*, ut sæpe. Vide 2 Cor. 1. 4. ¶ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. *& eos qui contradicunt arguere*] Qui possit Judæos convincere per veteres prophetias & miracula, Græcos verò partim per miracula, partim per eruditorum inter ipsos testimonia. Hæc non sunt τοῦ τυχόντος [*plebeji cujusdam*.]

10. Εἰσὶ γὰρ πολλοὶ καὶ ἀνυπότακτοι, *Sunt enim multi inobedientes*] Καὶ [*&*] meliùs abest in Manuscripto. *Multi*, inquit, *sunt apud vos* מורים [*rebelles*,] *homines disciplinæ illius, quæ in Ecclesia est, impatientes*. ¶ ματαιολόγοι, *vaniloqui*] Γόητες [*impostores*] 2 Timoth. 3. 13. In Glossario, ματαιολόγος, *vaniloquus*. ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν [*conversi sunt in vaniloquium*] 1 Tim. 1. 6. און החשבים [*qui cogitant iniquitatem*] Ezech. 11. 2. ¶ καὶ φρεναπάται, *& seductores*] מתעים [*errare facientes*] Esai. 9. 16. πλανῶντες καὶ πλανώμενοι [*errare facientes & errantes*] 2 Tim. 3. 13. Verbum φρεναπατᾶν [*seducere*] habemus Gal. 6. 3. ¶ μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς. *maximè qui de circumcisione sunt*] Locutionem hanc ἐκ περιτομῆς [*de circumcisione*] habemus & Actor. 10. 45. 11. 2. Gal. 2. 12. Coloss. 4. 11. Illos indicat, qui docebant omnibus Israëlitis partem futuram in altero sæculo; quo nulla doctrina perniciosior. Et sunt qui Christiani dici volunt, & sub aliis nominibus idem docent. Multos in Creta fuisse Judæos docet nos pluribus in locis Josephus & Lucas Actor. 2. 11.

11. Οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν· *Quibus oportet os obturare*] *Os obturare*, ἐνδιδόναι τὸ στόμα. Pollux ἐπιστομίζειν interpretatur ἐπισχεῖν λέγοντα [*loquentem reprimere*.] Hoc in Zohar ad Deuteronomium, & apud alios Rabbinos dicitur סתם [*obturare*.] ¶ οἵτινες ὅλους οἴκους ἀνατρέπουσι, *qui universas domos subvertunt*] *Evertunt*, id est, à salute abducunt: quod ἀνατρέπειν τὴν πίστιν [*fidem evertere*] 2 Tim. 2. 18. ¶ διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ, *docentes quæ non oportet*] Ea quæ vitiis favent. Vide Ezech. 13. 18. τὰ μὴ δέοντα [*quæ non oportet*] 1 Tim. 5. 13. ¶ αἰσχροῦ κέρδους χάριν. *turpis lucri gratiâ*] *Turpe* sanè *lucrum* quod fit ex doctrina animos corrumpente. Vide quæ dicta Matth. 23. 14. 2 Tim. 3. 6. Rom. 16. 18. Philipp. 3. 19.

12. Εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν, *Dixit quidam ex illis*] Unus Cretensium, apud quos vivis. Dixit hoc qui eos bene noverat. ¶ ἴδιος αὐτῶν προφήτης· *proprius ipsorum Propheta*] Epimenides, quem *vaticinantibus per furorem* annumerat Cicero de Divinatione: προφήτην [*Prophetam*] eum vocat etiam Dio Prusiensis. Liber ejus nomen habebat χρησμῶν [*oraculorum*.] Clinias apud Platonem de Legibus: Τῇδε γὰρ ἴσως ἀκήκοας, ὡς Ἐπιμενίδης γέγονεν ἀνὴρ θεῖος, ὃς ἦν ἡμῖν οἰκεῖος. ἐλθὼν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν δέκα ἔτεσι πρότερον παρ' ὑμᾶς κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ μαντείαν, θυσίας τε ἐθύσατό τινας, ἃς ὁ Θεὸς ἀνεῖλε. καὶ δὴ καὶ φοβουμένων τὸν Περσικὸν Ἀθηναίων στόλον, εἶπεν ὅτι δέκα μὲν ἐτῶν οὐχ ἥξουσιν· ὅταν δὲ ἔλθωσιν, ἀπαλλαγήσονται, πράξαντες οὐδὲν ὧν ἤλπιζον, παθόντες δὲ ἢ δράσαντες πλείω κακά. [*Audisti fortè fuisse hic Epimenidem Divinum virum, nostrûmque etiam propinquum, qui decennio ante res contra Persas præclarè gestas cùm ad vos venisset, ut erat divino oraculo prædictum, immolatis hostiis, quas Deus jusserat, prædixit, cùm Athenienses Persicam classem formidarent, nec venturos esse Persas toto eo decennio, &, ubi venissent, re infectâ, plura præterea mala quàm fecerint passos, esse abituros*.] Vocat eum θεολόγον] [*Theologum*] Diodorus Siculus libro 5. Καθαρμοὺς διὰ τῶν ἐπῶν ἐποιήσατο [*carminibus lustrabat*,] ait de eo Strabo lib. 10. Plutarchus Solone, Οὗτος δὴ μεταπεμφθεὶς αὐτοῖς

αὐτοῖς ἧκεν ἐκ Κρήτης Ἐπιμενίδης ὁ Φαίστιος· ὃ ἕβδομον ἐν τοῖς σοφοῖς καταριθμοῦσιν ἔνιοι τῶν οὐ προστιθεμένων τὸν Περίανδρον. ἐδόκει δέ τις εἶναι θεοφιλὴς καὶ σοφὸς περὶ τὰ θεῖα, τὴν ἐνθουσιαστικὴν καὶ τελεστικὴν σοφίαν· διὸ καὶ παῖδα Νύμφης ὄνομα Βάλτης καὶ Κούρητα νέον αὐτὸν οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον [*Eam ob causam accitus ex Creta, venit Epimenides Phæstius, quem in numero Sapientum quidam, rejicientes Periandrum, recensent septimum. Habebatur is vir Deo apprimè acceptus, in rebusque sacris sapientiâ præcellens fanaticâ & mysticâ: unde Nymphæ filium Balta nomine ac novum Cureta eum illius ætatis homines dicebant.*] Vide & sequentia ibidem. Laërtius eum dicit fuisse Γνωστικώτατον, [*Rerum abditarum scientissimum,*] & Apulejus *fatidicum.* Maximus Tyrius Diatriba 22. Ἦλθεν Ἀθήναζε καὶ ἄλλος Κρὴς ἀνήρ, ὄνομα Ἐπιμενίδης· οὐδὲ οὗτος ἔσχεν εἰπεῖν αὐτοῦ διδάσκαλον· ἀλλ' ἦν μὲν δεινὸς τὰ θεῖα, ὥστε τὴν Ἀθηναίων πόλιν καμνομένην λοιμῷ καὶ στάσει διεσώσατο ἐκθυσάμενος [*Alius Athenas venit Cretensis, nomine Epimenides: qui nullum quoque artis suæ præceptorem afferre poterat; & tamen tanta illi divinarum rerum erat scientia, ut Atheniensium Rempublicam à peste simul seditionibusque quibus conflictabatur, sacrorum expiatione vindicaverit.*] Dicitur autem Paulo Propheta, quia à suis pro tali habebatur, sicut Prophetæ Baal. Quæ autem prædixit Epimenides, talia erant quæ dæmonum opesciri certò poterant, si verum est quod de eo ait Aristoteles Rhet. 3. 17. *περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ γεγονότων, ἀδήλων δέ* [*futura non prædicebat, tantùm quæ jam facta nec tamen nota essent, aperiebat.*] Vox προφητῶν [*Prophetarum*] etiam Græcis in usu. Sacerdotes Ammonis hoc vocabulo appellat Plutarchus. Et inter Latinos Julius Tragicus sic appellavit fanorum antistites, teste Festo. ¶ Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, *Cretenses semper mendaces*] Citat hunc versum & Favorinus. Infamati ab omni ævo Cretes hoc nomine. Callimachus,

> *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο*
> *Κρῆτες ἐτεκτήναντο*
> [*Cretenses semper mendaces, namque sepulchrum*
> *Rex struxere tuum.*]

Ovidius,

> *Numquid ei hoc fallax Creta negare potes?*

Et Alibi,

> ——*non fingunt omnia Cretes.*

Hinc proverbium, *πρὸς Κρῆτα κρητίζειν* [*Cum Crete Cretisare.*] ¶ *κακὰ θηρία, mala bestia*] Id est, homines in eo feris similes, quod aliis latentur noceant. *αὐτὸ τὸ θηρίον* [*ipsa bestia*] Æschines de Demosthene. ¶ *γαστέρες ἀργαί. ventres pigri*] *Ventres otiosi.* Ita vulgò interpretes: non malè. Favorinus *γαστέρες ἀργοί* [*ventres otiosi*] citat, & exponit *γαστριμάργους* [*gulosos.*] Videtur enim *ἀργοῦ* [*otiosi*] vocem sumpsisse in sensu strenuitatis, *παρὰ τὸ ἀρκεῖν* [*à suppeditando*] quasi dixisset Epimenides *strenuos comedones.* Etiam Latinis *ventres* dicuntur homines quibus ea pars potissima est.

13. *Ἡ μαρτυρία αὕτη ἐστὶν ἀληθής· Testimonium hoc verum est*) Quasi dicat, Epimenidis verba adduxi, non quòd ipsi multum sit tribuendum fidei, sed quod experientia idipsum & me docuerit & alios. ¶ *δι' ἣν αἰτίαν, quam ob causam*) *Cùm tales sint.* ¶ *ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως, increpa illos duriter*) [illegible], *Severè eos admone.* Sic *ἀποτόμως* [*severè*] habemus & 2 Cor. 13. 10. & *ἀποτομίας* [*severitatis*] vocem Rom. 11. 22. Et nomen *ἀπότομοι* [*severi,*] & adverbium *ἀποτόμως* [*severè*] habetur apud Sapientem Hebræum. In Glossario, *ἀποτόμως, præcise.* ¶ *ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει· ut sani sint in fide*] *Ut doctrinam servent sanam*, id est, incorruptam. Nam doctrinæ *fidei* nomen datur per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem.*] Sic infra 2. 2. *ὑγιαίνοντας τῇ πίστει* [*sanos in fide.* Notat Aristoteles *sanum* primùm dici de homine: *ἀναλόγως* [*suo modo*] de iis quæ ad sanitatem conferant. Sic *διδασκαλία ὑγιαίνουσα* [*doctrina sana*] supra 1. 9. Infra 2. 1. 2 Tim. 1. 13.

14. *Μὴ προσέχοντες Ἰουδαϊκοῖς μύθοις, Non intendentes Judaicis fabulis*] De Messia Rege terreno: de resurrectione priore in his terris: de bello Gog & Magog: de Behemotho & Leviathano, ac similibus. Προσέχειν μύθοις [*Attendere fabulis*] habuimus & supra 1 Tim. 1. 4. ¶ *καὶ ἐντολαῖς ἀνθρώπων ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν. & mandatis hominum aversantium veritatem*] Etiam quæ Deus per Mosem præceperat sunt præcepta hominum ubi Gentilibus imponuntur, quibus lex illa data non fuerat: imò etiam cùm à Judæis hoc tempore exiguntur ut ad salutem necessaria, Ephes. 2. 15. *Aversantium, veritatem,* id est, Euangelium. De voce *ἀποστρέφειν* [*avertere*] vel *ἀποστρέφεσθαι* [*aversari*] vide 2 Tim. 4. 4.

15. *Πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς, Omnia quidem munda mundis*] Quod generaliter dixerat, applicat ad leges de cibis vetitis. De iisdem Rom. 14. 20. *πάντα μὲν καθαρὰ* [*omnia quidem munda*] nempe per Euangelium. Hic additum est *τοῖς καθαροῖς* [*mundis,*] id est, Christianis puro corde & conscientiâ Deum colentibus, Matth. 5. 8. 1 Tim. 1. 5. 3. 9. 2 Tim. 1. 3. 2. 22. ¶ *τοῖς δὲ μεμιασμένοις, coinquinatis autem*] [illegible] vel [illegible], *eis qui vita sunt impura.* Est enim passivum in sensu reciproco, ut Hebr. 12. 15. ¶ *καὶ ἀπίστοις, & infidelibus*] Id est, *qui à priori impuritate per fidem se non purificant.* ¶ *οὐδὲν καθαρόν, nihil est mundum*] Non placent Deo quæ agunt etiam circa res medias: quia actiones tales ex animo Deus æstimat. Vide 1 Cor. 7. 14. 1 Tim. 4. 5. & ibi dicta. ¶ *ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις. sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia*] Passivum hic sumitur pro verbo substantivo & participio. [illegible] apud Hebræos. Illud secundum *καὶ* [*&*] hic valet *ὥσπερ* [*veluti,*] more itidem Hebræo. Non mirum est mentem eorum sordibus obsitam non videre quod verum est, quia mala vita, cujus ipsi sibi sunt conscii, sordes istas in mentem advehit.

16. *Θεὸν ὁμολογοῦσιν εἰδέναι, Confitentur se nosse Deum*] Judæi scilicet isti, dicunt se agnoscere Deum verum, Mundi opificem, auctorem Legis per Mosem datæ, inspiratorem Prophetarum, Rom. 2. 17. *ὁμολογοῦσι, prædicant, profitentur,* Rom. 10. 9. 1 Timoth. 6. 12. 1 Joh. 4. 2. 3. ¶ *τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνοῦνται, factis autem negant*] Faciunt contra legis præcepta. De hac locutione vide 2 Timoth. 3. 5. ¶ *βδελυκτοὶ ὄντες, cum sint abominati*] *Digni quos omnes exsecrentur.* Sicut תועבה, quod propriè est *βδέλυγμα* [*abominatio,*] sed etiam per *βδελυκτός* [*abominabilis*] vertitur, Proverb. 17. 15. ¶ *καὶ ἀπειθεῖς, & incredibiles*] Ne illi quidem parent legi, quam divinam esse dicunt, Roman. 2. 21, 22, 23. ¶ *καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι. & ad omne opus bonum reprobi*] Rabbini dicerent פסולים, *inutiles*, non minùs quàm nummi qui rejiciuntur. Vide Roman. 1. 28. 1 Cor. 9. 27. 2 Corinth. 13. 5, 6. 2 Tim. 3. 8. Hebr. 6. 8. Tales autem sunt profani omnes. Etiamsi quid faciant quod oportet, non faciunt ut oportet.

PRICÆUS.

2. **E**Π' ἐλπίδι] Pro *ἐν ἐλπίδι.* Sic Act. 2. 26. & 1 Cor. 9. 10.

Ibid. *ἣν ἐπηγγείλατο*] Glossarium (ex Græco loci hujus, & Vulgata versione.) *Promisit, ἐπηγγείλατο.*

Ibid. *ὁ ἀψευδὴς θεός*] Ὃς (ut 2 Tim. 2. 13.) *ἑαυτὸν ἀρνήσασθαι οὐ δύναται.* ad quem locum annotata vide, confer & Hebr. 6. 8. Æschylus Prometh.

> *Ψευδηγορεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταται στόμα*
> *Τὸ δῖον.* ——

Plato Polit. 2. *Οὐκ ἔστι πάντη ἄρα ἀψευδὲς τὸ δαιμόνιόν τε καὶ θεῖον. Παντάπασι μὲν, ἔφη.* Servius ad Æn. 7. *Dis id fantur quod sentiunt; non ut homines, de quibus lectum est, aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere.* Vulgatus optimè, *qui non mentitur:* i. e. qui non decipit. Est enim *ἀψευδὴς* hoc loco *ἀπαραλόγιστος.* Unde & apud Hesychium, *Ἀπαραλόγιστον, ἀψευδές, ἀληθές*

Ibid. *πρὸ χρόνων αἰωνίων*] Non, ab æternitate, sed, ab antiquis temporibus: vide ad Philemon. illud, *ἵνα αἰώνιον,* &c. dicta.

Ibid. *ἐφανέρωσε δὲ καιροῖς ἰδίοις*] Id est, *καιροῖς οὓς* (ut Act. 1. 7.) *ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ ἔθετο.* Hi *καιροὶ* sunt quos *ἐσχάτας ἡμέρας* Scriptor ad Hebræos vocat. Petrus 1. 1. 20. *ἐσχάτους χρόνους.* Καιροὶ ἴδιοι heic, ut & 1 Tim. 2. 6. & 6. 15.

4. *γνησίῳ τέκνῳ*] Vide ad 1 Tim. 1. 2. notata.

Ibid. *κατὰ κοινὴν πίστιν*] Ità Judæ com. 3. *περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας·* id est, *πίστεως.* D. Augustinus in Psal. 103. *Res communis media est,* &c. *non attinet ad te, nec ad me: propterea loquimur & sic de aliquibus hominibus, habent inter se pacem, fidem,* &c. *Quid est inter se? in medio sui. Quid est in medio sui? commune est illis.*

5. *κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ*] *Reliqui te Creta,* habet Vulgata versio, Vulgari minùs formâ, at non minùs Latinâ, ut pridem nos docuit non unus ex Eruditis. Dativus heic Locum in quo ostendit, ut Locum ad quem in illis, *It clamor cœlo;* &,

> ——*viridi compellere hibiscô:*

ad quem locum Servius videndus. Idem 1 Maccab. 12. 37. *Cùm cogitasset regnare Asiæ:* i. e. in Asia. Scribonius Largus Composit. 169. de trifolio acuto, *Nascitur plurimum Siciliæ.*

Ibid. *ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ*] Τὸ *ἐπὶ* in compositione quibusdam verbis prævia, significat (ut hoc loco) post alium venire, & in opere ejus immutare quid, aut ei supplementum addere: ità & Galat. 3. 15. in *ἐπιδιατάττεσθαι.* Τὰ *ἐλλείποντα ἐπανορθοῦν* (ut heic Paulus *ἐπιδιορθοῦν*) dixit in Demosthenis vita Plutarchus.

Ibid. *καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους*] Sic *ἀρχὰς καθιστάναι*

ςάνειν idem Plutarchus in Demetrii vita. Cyprianus ad Antoninum, *Cum jampridem*, &c. *per singulas urbes ordinati sint Episcopi*, &c. Justinus lib. 33. *Magistratibus per singulas civitates constitutis*, &c. Κατὰ πόλιν heic, ut 2 Macc. 12. 2. κατὰ τόπον. Vide ad Luc. 13. 22. dicta. In vetere Onomastico, *Oppidatim*, κατὰ πόλεις.

6 τέκνα ἔχων, &c. μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας,] Ut ità demum Ecclesiæ cura credatur ei, quoniam suos tam benè regere novit. Vide 1 Tim. 3. 5, & 6. Μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας, est, non (ut Luc. 15. 13. ille) ἀσώτως ζῶντα· sed quales ille qui fidem patris sui his verbis apud Lucianum appellat, τίνας πότε ἀκαίρως: τίνας κώμους ἐγκαλεῖς; τίς ἀσωτία; ubi & nota ἀσωτίας vocem, quâ hoc loco Apostolus utitur.

Ibid. ἢ ἀνυπότακτα] Qui 2 Tim. 3. 3. γονεῦσιν ἀπειθεῖς. Non tales, inquit Paulus, sed qui verè possint dicere, *Parentibus nostris paruimus, cessimus, imperiis eorum*, &c. *obsequentes nos submissosque præbuimus*, Senec. Benef. 3. 38. Vulgatus, *non subditi*, hoc est, parentibus. Contrarium Luc. 2. 51. ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς· ubi idem Vulgatus, *erat iis subditus*.

7. ἀνέγκλητον εἶναι, ὡς θεοῦ οἰκονόμον] Θεοῦ cum emphasi pronunciandum. Si in bonorum caducorum administratione ζητεῖται (1 Cor. 4. 2.) ἵνα οἰκονόμος πιστὸς (quod heic ἀνέγκλητος) εὑρεθῇ, quantò id magis in rerum spiritualium dispensatore requiritur! Ὡς θεοῦ οἰκονόμον, est (ut 1 Petr. 4. 10.) ὡς καλὸν θεοῦ χάριτος οἰκονόμον· De voce ἀνέγκλητος ad 1 Tim. 3. 10. annotata vide.

Ibid. μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, μὴ πάροινον, πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ, ἀλλὰ φιλόξενον, φιλάγαθον, σώφρονα, δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ] Recitatis vitiis quæ abesse debebant homini honore Episcopali ornando, ponit jam (ut & 1 Tim. 3. 3.) contrarias virtutes. Lampridius eâdem planè orationis formâ, Alexandri Imperatoris amicos & adsessores laudans, *Non malitiosos, non furaces, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos*, &c. *sed sanctos, venerabiles, continentes, religiosos.* Terent. 1. 2. Adelph.

—— Ruri esse parcum ac sobrium:

ubi Donatus, *Non in urbe, non prodigum, non insanum.* Μὴ αὐθάδη heic, non cujus in gestu, sermone, vultu quid tumidum & præfractum appareat; indicium animi plus æquo placentis sibi: unde & αὐθάδεις quasi αὐτοάδεις dicti: nec aliter in Glossario, *Sibi placens*, αὐθάδης. Vide & 2 Pet. 2. 10. ubi & Vulgatus, *sibi placentes.* Μὴ ὀργίλον, *non iracundum*: non

——— Cujus præcordia nullis

Interdum, aut levibus videas flagrantia causis.

Onomasticon vetus, *Stomachosus*, ὀργίλος· & in Glossis, Ὀργίλος, &c. *iracundus.* Μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην. Vide ad 1 Tim. 3. 3. dicta. Φιλάγαθον Vulgat. *benignum*, ut & in Glossario. Contrarii 2 Tim. 3. 3. ἀφιλάγαθοι. Μὴ αἰσχροκερδῆ. De tali ad Episcopatum apud Ephesios non admovendo monuit & Timotheum. Videtur autem voluisse quasi expressiùs cautum, nè id fieret apud Cretenses: nec id non de causa justissima. Polybius lib. 6. Καθόλου ὁ περὶ τὴν πλεονεξίαν τρόπος οὕτως ἐπιχωριάζει παρ' αὐτοῖς, ὥστε παρὰ μόνοις τοῖς Κρησὶ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων μηδὲν αἰσχρὸν κέρδος νομίζεσθαι. Quo loco quis uspiam aptior loco Pauli illustrando?

8. δίκαιον, ὅσιον] Ità Luc. 1. 75. Ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ. Vulgat. *justum, sanctum.* Ita in Onomastico vetere, *Sanctus*, ὅσιος· & in Glossis, Ὅσιος, *sanctus*, &c. Gellius 15. 18. *Castitate vitæ sanctus*: quæ itidem de Sacerdote, sed Pagano, dicta. Δίκαιον possumus justum erga homines interpretari; ὅσιον, sanctum erga Deum. Ità enim apud Scriptores Græcos nonnunquam distinguuntur. Philo in de Abrahamo, Ὁσιότης πρὸς θεὸν, δικαιοσύνη πρὸς ἀνθρώπους. Plutarchus in Demetrio, Τοῦτο δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσιον, δικαιοσύνη πρὸς ἀνθρώπους. Video tamen (ut 1 Thess. 2. 11.) utrumque ad convictum cum hominibus referri. Quin & ὅσιος Hesychio est non tantùm εὐσεβής, sed & δίκαιος, καθαρός, εἰρηνικός, &c.

Ibid. ἐγκρατῆ] Neque ab libidinis solius, neque ad generalem affectuum coërcitionem (ut nonnunquam sumitur) hoc loco istam vocem retulerim; sed ad virtutem oppositam vitio αἰσχροκερδείας in membro præcedente. Jure hanc autem, ut & virtutem ei proximè hic antecedentem, in homine tanto muneri admovendo requirit. Cicero in pro Muræna, *Nullâ re conciliare faciliùs benevolentiam multitudinis possunt ii qui*, &c. *præsunt, quàm abstinentiâ & continentiâ.*

9. Ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου] Id est, (ut 1 Tim. 6. 20.) τὴν παρακαταθήκην φυλάττοντα· est enim idem utrobique sensus; at ἀντέχεσθαι heic ἐμφατικώτερον. Sic Novell. ϙβ' Justinianus, τοὺς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν ἀσπαζομένους, καὶ ταύτης ἀντεχομένους· id est, firmiter tenentes eam, tenaciter adhærentes ei. Κατὰ τὴν διδαχὴν, ab Apostolis nempe, aut Presbyteris in Creta, aut priusquam in eam secessio post martyrium Stephani facta esset, Hierosolymis acceptam: quo sensu ὑποτύπωσιν ἔχειν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, de servanda a se tradita doctrina loquens, Timotheum hortatur; (ubi & ἔχειν est quod heic ἀντέχεσθαι) & Thessalonicenses 2 Epist. 2. 15. κρατεῖν (id est, ἀντέχεσθαι) τὰς παραδόσεις, ἃς εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς αὐτοῦ ἐδιδάχθησαν. Imò, unde scimus an ex eo ad Timotheum loco (qui 2 Epist. 1. 13. exstat,) & illo 2 Tim. 2. 2. pronomen μου etiam heic in contextum recipiendum? legendumque ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχήν μου πιστοῦ λόγου. Attendat lector non pervicax ad citatos locos, memineritque (quod & monendum duco firmandæ conjecturæ meæ,) eâdem loquendi formâ κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, Rom. 2. 16. & 16. 25. & 2 Tim. 2. 8. dixisse. Cui simile 2 Thess. 3. 6. κατὰ τὴν παράδοσιν ἣν παρ' ἡμῶν παρελάβετε. Ἀντέχεσθαι autem λόγου, satis Græcè dictum. Sic εὐδοξίας ἀντέχεσθαι, Jamblichus 1. 9. de Pythagoræ vita: Φιλίας ἀντέχεσθαι, Hierocles in carmen aureum: παιδείας ἀντέχεσθαι, & τῶν ἐλπίδων ἀντέχεσθαι, lib. 2. Diodorus Siculus. Ἀντέχεσθαι σώφρονος βίου, est in Ejusdem fragmentis: & alibi apud Eundem, τῆς πραιρέσεως ἀντέχεσθαι. Commodè heic in mentem venit locus Hebr. 13. 22. ubi vulgò legitur, ἀνέχεσθε τοῦ λόγου τῆς παρακλήσεως· sententia quidem non inconcinna, & quæ aptè fulciri poterit e contraria illa, 2 Tim. 4. 3. τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνέξονται. Lectionem eam secutus est & Vulgatus Interpres, quem ut sagacitatis, ità & sinceritatis nomine suspiciendum existimo. Quia fieri potest tamen ut is minùs fidis hac in parte exemplaribus usus fuerit, illius antiquitate, & per id auctoritate integrâ, propono an in illo (ut in isto ad Titum loco) ἀντέχεσθαι τοῦ λόγου legendum.

Ibid. ἵνα δυνατὸς ᾖ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν] Irenæus (qui & Episcopus) initio libri 5. *Omni modo elaboramus*, &c. *plurima tibi in subsidium præstare adversùm contradictiones hæreticorum; errantes autem retrahere & convertere ad ecclesiam Dei, neophytorum quoque sensum confirmare.* Idem 4. 44. *A talibus* (malos spiritus intelligit,) *absistere oportet, adhærere verò* (ἀντέχεσθαι) *his qui*, &c. *sermonem sanum*, &c. *præstant ad informationem & correctionem reliquorum.* Post ὑγιαινούσῃ commodè supplere possumus vocem μένειν· hortari eos, nempe, ad perseverantiam in sana fide. Simile Act. 11. 23. παρακαλεῖν, &c. τῇ προθέσει τῆς καρδίας τῷ Κυρίῳ προσμένειν· & Act. 14. 22. παρακαλοῦντες τῇ πίστει ἐμμένειν. MS. autem non incelebris vetustatis qui in Anglia, hunc Apostoli locum sic exhibet, παρακαλεῖν τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει. ut 2 Cor. 1. 4. & 1 Thess. 3. 7. Quæ si vera lectio, τὸ παρακαλεῖν, non *hortari*, sed *consolari* interpretandum. Τοὺς ἀντιλέγοντας, intellige omnis generis, præcipuè autem Judæos: vide Act. 18. 28. ubi & διακατελέγχειν. Convincere autem eos διὰ τῶν γραφῶν, τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν εἶναι. ut in dicto illo Actorum loco.

10. Εἰσὶ γὰρ πολλοὶ ἀνυπότακτοι] *Non subditi, ut sunt tauri, elatione cervicis, aratri & juncturæ impatientes*: ità ad Psal. 67. D. Augustinus. *Pessimum quemque asperrimè rectorem pati*, dixit & Salustius, in de Republ. ordinanda. Indè & Hebr. 13. 17. illud, πείθεσθαι ἡγουμένοις, &c. & Tit. 3. 1. ὑπομίμνησκε αὐτοὺς, &c. Glossarium, Ἀνυπότακτος, *indomitus.* Vulgatus benè, *inobedientes*: hoc est, ut diximus, rectoribus, vel, τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, de qua proximè: μὴ προσερχόμενοι τοῖς ὑγιαίνουσι λόγοις τοῦ Κυρίου, &c. καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, 1 Tim. 6. 3.

Ibid. ματαιολόγοι] *Vaniloqui*: vel, *leves, futiles, importuni locutores*, ut Gellius 1. 15. locutus.

Ibid. φρεναπάται] Κενοῖς λόγοις ἀπατῶντες, Ephes. 5. 6. τὰς τῶν ἀκάκων καρδίας ἐξαπατῶντες, Rom. 16. 18.

Ibid. μάλιστα δὲ οἱ ἐκ περιτομῆς] Sedulius ad Rom. 15. ea, QUI DISSENSIONES ET OFFENDICULA, &c. FACIUNT, *De illis dicit qui ex circumcisione*, &c. *venerant.* Vide Act. 15. 1. τοὺς ἐκ περιτομῆς habemus & Act. 11. 2.

11. Οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν] Apud Apulejum Milesf. 2. ille, *Ferenda non est quorundam insolentia.*

Ibid. οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν] Quintilianus 6. 5. *Contra turbantes audendum, & impudentiæ fortiter resistendum.* Vide Proverb. 26. 5. Illud ἐπιστομίζειν multi Eruditorum vertunt, *quibus os obturare oportet*, id est, facere, *ut occlusiorem stultiloquentiam habeant*, si verbis uti Plautinis libuerit. Huic geminum 1 Petr. 2. 15. φιμοῦν τὴν τῶν ἀφρόνων ἀγνωσίαν· unde alterum per alterum Hesychius exponens, Ἐπιστομίζων, (inquit) Φιμῶν, &c. & alibi Φιμῶν, ἐπιστομίζων. Non nescio apud Aristophanem, Philostratum, alios, præcipuè Plutarchum, hoc sensu istam vocem inveniri. Hoc loco tamen vertendum potiùs dixerim, *quibus frænum injiciendum*: hoc est, quorum vaniloqui

nimius

nimius inconsultusque cursus moderatrice Episcopi doctrinâ atque auctoritate ut fræno inhibendus. Jacobus 3. 3. *τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς ἐπὶ τὰ στόματα βάλλομεν*, &c. id est, *αὐτοὺς ἐπιστομίζομεν*· Frænis autem quia equi oridurii cohiberi solent, per metaphoram etiam hominum rerumque impetus nimii dicuntur *ἐπιστομίζεσθαι*. Ut meliùs constet quod dico, nonnulla heic exempla apponam, in quibus *ἐπιστομίζειν*, non *occludere*, vel *obturare*, sed, *cursum effrenem inhibere* necessario exponendum. In Allegoriis Legis Philo Judæus, Ἐπιστομιεῖ ὁ λόγος καὶ ἐγχαλινώσει τὴν ῥύμην καὶ φορὰν τοῦ πάθους. In eodem libro, τὸ συμβατήριον λόγον προτείνειν, ἵνα ὥσπερ ἡνιοχῶν ἐπιστομίζῃ τὴν ἐπὶ πλεῖον αὐτῶν (παθῶν) φοράν· & ibidem, Ἐκτέμνει τὸ στῆθος, ὅπερ ἐστὶ, τὸν θυμὸν, οὐκ ἐῶν αὐτὸν οἰκείαις ὁρμαῖς ἐκφέρεσθαι, δεδιὼς μήποτε ἀφεθεὶς, ἵππου τρόπον ἀποσκιρτήσας, ὅλην πατήσῃ τὴν ψυχήν· ἀλλὰ θεραπεύει, καὶ ἐπιστομίζει, τὸ μὲν πρῶτον λόγῳ, ἵνα ἡνιόχῳ χρώμενος ἀεί τοι μὴ σφόδρα ἀφηνιάσῃ, ἔπειτα δὲ τῶν ἀρεταῖν τοῦ λόγου, σαφηνείᾳ καὶ ἀληθείᾳ. Idem lib. Quod deter. insid. potiori, Ἔστι δ᾽ ὅτε μάρτυρος καὶ κατηγόρου λαβεῖν τάξιν, ἀφανῶς ἡμᾶς ἔνδοθεν ἐλέγχει, μηδὲ διᾶραι τὸ στόμα ἐῶν, ἀναλαμβανόμενος δὲ καὶ ἐπιστομίζων τὰς τοῦ συνειδότος ἡνίαις τὸν αὐθάδη καὶ μετ᾽ ἀφηνιασμοῦ δρόμον γλώττης ἐπίσχει· ubi & nota, *ἐπισχεῖν δρόμον γλώττης*, planè ut Apostolum intelligendum diximus. In Epistola Heracliti ad Hermodorum, quasi Ephesios alloquentis, Εἰ μὴ ἦσαν (οἱ νόμοι) ἀνέδην ἂν ἐπορεύεσθε, νῦν δέ τι καὶ μικρὸν ἐπιστομίζεσθε φόβῳ κολάσεως, &c. Lucianus de iniquo cursore, Ἀπογνοὺς τὴν ἐκ τοῦ τάχους ἐλπίδα ἐπὶ τὴν κακοτεχνίαν τρέπεται· καὶ τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος σκοπεῖ ὅπως τὸν τρέχοντα (melius *συντρέχοντα*) ἐπισχὼν ἢ ἐμποδίσας ἐπιστομιεῖ. Quæ ultima forsan Suidas respiciens, Ἐπιστομιεῖν, (inquit) ἐμποδίσαι, κατασχεῖν. Hoc sensu utitur voce istâ etiam Philostratus in Icone Κύκλωψ. Vulgat. heic, *redargui*: sic citato Hesychii loco, Ἐπιστομίζειν, &c. ἐλέγχειν· & statim heic apud Apostolum, *αὐτοὺς ἔλεγχε*. Nota porrò in Contextûs verbis inversionem esse, accipiendumque hoc *κείμενον* acsi positum esset post *κέρδους χάριν*.

Ibid. *ὅλους οἴκους ἀνατρέπουσι*] Id est, totarum familiarum fidem evertunt, est enim quod 2 Tim. 2. 18. *τὴν πίστιν ἀνατρέπειν*. Sic, *totas domos evertere*, apud Juvenalem: *universas familias evertere*, apud Ciceronem: *versare domos*, apud Poëtam præcipuum: *totas domos funditus tollere*, (i. e. evertere) apud Senecam: *evertere funditus domos*, apud Valer. Maximum, & Ammianum Marcellinum: & *scelere domum evertere*, apud Phædrum: *φιλίας καὶ οἰκειότητας ἀνατρέπειν*, apud Plutarchum: &, *βασιλείας καὶ ἡγεμονίας ἀνατρέπειν*, apud Eundem. Vide ad 2 Tim. 2. 18. notata. Domos autem evertebant φρεναπάται isti διὰ τῆς χρηστολογίας (ut & Rom. 16. de similibus dictum) *τὰς τῶν ἀκάκων καρδίας ἐξαπατῶντες*.

> *Τοῦτ᾽ ἔστ᾽ ὃ θνητῶν εὖ πόλεις ᾠκημένας*
> *Δόμους τ᾽ ἀπόλλυσ᾽, οἱ καλοὶ λίαν λόγοι·*

in Hippolyto etiam Euripides dixit.

Ibid. *διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ*] Λιτότης magnam vim exaggerandi habens. Sic in 3 Maccabaico, *λαλεῖν τὰ μὴ καθήκοντα*· & ibidem, *μηχανώμενοι τὰ μὴ συμφέροντα*, i. e. maximè perniciosa. Dio Cassius, *Συνωμοσίαι, καὶ στάσεις, ἑταιρεῖαί τε ἅπερ ἥκιστα τῇ μοναρχίᾳ συμφέρει*. In Græco Esaiæ 66. 4. *Ἃ οὐκ ἐβουλόμην*· i. e. quæ vel maximè abominabar. Tale & Marc. 13. 14. *ἑστὼς ὅπου οὐ δεῖ*. Rom 1. 18. *τὰ οὐ καθήκοντα* & Eph. 5. 4. *τὰ οὐκ ἀνήκοντα*.

Ibid. *διδάσκοντες ἃ μ. δ.*] Contrarium Coloss. 4. 4. *ὡς δεῖ λαλῆσαι*· & Tit. 2. 1. *λαλεῖν ἃ τῇ διδασκαλίᾳ πρέπει*.

Ibid. *αἰσχροῦ κέρδους χάριν*] Euripides Medeâ,

> *Πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ,*
> *Οἱ μὲν δικαίως, οἱ δὲ καὶ κέρδους χάριν.*

Theophylactus ad Joh. 10. de Judæorum rectoribus, *Οὐκ ἐζήτουν τοῦ λαοῦ τὴν ὠφέλειαν, ἀλλὰ τὴν ἐκ τοῦ λαοῦ αἰσχροκέρδειαν*. Vide ad 1 Tim. 3. 3. dicta.

12. *Εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν*, &c. *Κρῆτες*, &c.] Imitatus est ad Gentes sic scribens Tertullianus, *Natura Fama omnibus nota est: vestrum est*,

> *Fama malum, quo non aliud velocius ullum.*

Id est, unius ex Poetis vestris. Sic Act. 17. 28. idem Apostolus noster, *ὡς καί τινες τῶν καθ᾽ ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι*.

Ibid. *ἴδιος αὐτῶν προφήτης*] Pro tali à suis cultus: ideo *propheta* hic potiùs quàm *poëta* vocatur.

Ibid. *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται*] In Græca Anthologiâ,

> *Τὸν ψεύστην Δαμέτυμβον ἐπὶ χθονὶ θέντο (τίθειῦμαι;)*
> *Κρῆτες, ὅτι ψεῦσται καὶ Διός ἐστι τάφος.*

Ovidius,

> *——Non hoc quæ centum continet urbes,*
> *Quamvis sit mendax, Creta negare potest.*

Tertullianus cap. 20. de Anima, *Vulgata res est gentilium proprietatum: Comici Phryges timidos illudunt, Salustius vanos Mauros & feroces Dalmatas pulsat, mendaces Cretas etiam Apostolus inurit*. Diogenianus in Parœmiis, *Κρητίζειν, ἐπὶ τοῦ ψεύδεσθαι*. De Cretensibus Suidas, *ψευδομένων, ὑπολήψεις ἔχουσιν*. Idem in *Κάππα διπλῶν*, *Τρία κάππα κάκιστα Καππαδοκία, Κρήτη, καὶ Κιλικία*. Anonymus apud eundem in *Βαρυδαίμων*, *Κρὴς ὑπάρχων, καὶ φύσει ποικίλος*. Hinc *χρῆσθαι Κρητισμῷ*, pro *fallere*, apud Plutarchum, in Æmilii vita. Quibus similia apud Eundem in Solone, apud Polybium lib. 6. Nonnum Dionys. 8. Photium tmem. 249. & Socratem Histor. Ecclesiast. 3. 16. Vide & in *Κρητίζειν* Hesychium.

Ibid. *κακὰ θηρία*] Sic, & de homine, *κακὴ ἔχιδνα* in Græco Epigrammate. Maximus Tyrius Dissert. 34. *Ἐπειδὰν ψυχῆς θηριώδεις κρατήσωσιν ἐπιθυμίαι, φυλάττεται τὴν ἀνθρωπίνην ἐπιφάνειαν τῇ τῶν ἔργων ὑπηρεσίᾳ, ἀπέφηνεν τὸν χρώμενον ἐξ ἀνθρώπου θηρίον*. Hinc Arriani illud 2. 9. in Epictetum, *Οἱ μὲν ἡμῶν μεγάλα θηρία εἰσὶν, οἱ δὲ θηρίδια κακοήθη*. Et hinc, cum ejusmodi ingeniis conflictari, *θηριομαχεῖν*, 1 Corinth. 15. dictum. Est autem & hæc vox inter proverbiales. Plutarchus ex Ptolemæi Chrysermi persona de Cleomene loquentis, *θηρίον μέγα*. Apud Achillem Tatium lib. 6. *ὦ κακὸν θηρίον!* Julianus epist. 23. de Constantini Imper. amicis & clientibus, *τὰ περὶ αὐτὸν θηρία*. Pollux 9. 4. Onomastici, *θηρίων μᾶλλον ἢ ἀνθρώπων πόλις*. & ibidem de improbo & rapace publicano, *θηρίον ἄμικτον*· quo modo & de publicano ad Luc. 6. Theophylactus, *πονηρὸν θηρίον*. Philostratus in Heroicis, de sycophanta, *θηρίον ἀναιδές*. Utitur & Scriptor orationis in Aristogeitonem: sequuntur & hanc formam Latini. Plautus Bacchid.

> *—— Mala tu es bestia.*

Catullus,

> *Hunc metuunt omnes, neque mirum, nam mala valde est*
> *Bestia. ——*

Ammianus lib. 28. *Quietis impatiens, malefica bestia.*

Ibid. *κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί*] Sic Hesiodus de pastoribus,

> *——Κάκ᾽ ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον.*

quæ respiciens Hesychius, *Γαστέρες οἶον, τροφῆς μόνης ἐπιμελούμενοι*· Gulielmus Canterus (cujus in sententiam concesserunt & alii quidam,) ex Phavorino *ἀργὰς γαστέρας* heic exponit *γαστριμάργους*, id est, impigros ad edendum. Quæ de voce *ἀργός* affert in velocitatis sensu, sunt quidem vera ea, at heic minùs apta. Ἀργὰς accipio heic pro *otiosas*: q. d. *ἀέργους, ἐσθίειν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐργάζεσθαι θελούσας*· vide 2 Thess. 3. 10. Sic de fuco Var. 1. 9. Ælianus, *ἀργὸς, καὶ λίχνος*. Vel *ἀργὰς*, *tardas*, pigras, inertes; quales solet ingluvies facere, & pabuli sarcina immoderatiùs ingesti. Firmicus 5. 8. Mathes. *Qui*, &c. *conviviis & ingurgitationibus delectentur, inertes, pigri, ac ventri tantùm ac voluptatibus dediti*. Apulejus 6. Miles. *Semper pigro, & manducone*. Juvenalis,

> *Montani quoque venter adest abdomine tardus.*

Gellius 4. 19. de cibo nimio, *Advertimus hinc elici tarditatem*. Apud Suidam Anonymus quis in Ἱδρῶτι, *Ὑπὸ τροφῆς ὄντες βραδεῖς καὶ δυσκίνητοι*. Sic, *aprum multâ ilice pigrum*, Martialis dixit: &, *taurum pinguem ipsâque mole pigrum*, Juvenalis. Virgilius,

> *——Ille horridus alter,*
> *Desidiâ, latamque trahens inglorius alvum.*

Ventres de edacibus ponunt & Græci & Latini. Suidas de Sibaritis, *Γαστέρες ἦσαν καὶ τρυφηταί*. Euripides Alexandrâ,

> *—— Κακὸν δοῦλον γένος,*
> *Γαστὴρ ἅπαντα ——*

Longus Ποιμεν. 4. *Μαθὼν ἐσθίειν καὶ πίνειν*, &c. *καὶ οὐδὲν ἄλλο ὢν ἢ γνάθος καὶ γαστήρ*. Terent. 5. 7. Phorm.

> *—— Pugnos in ventrem ingere:*

ubi Donatus, *In ventrem, quasi parasito: an ventrem totum parasitum dixit? ut Lucilius,*

> *——Vivite ventres.*

Scholiastes vetus ad citatum è Juvenale versiculum, *Acerbè potiùs ventrem quàm ipsum venire dixit.*

Ibid. *γαστέρες ἀργαί*]

> *——Fruges consumere nati:*

& bene hoc de Cretensibus. Gellius 15. 2. de Cretensi philosophastro, *Libidine vini adusque ludibria ebriosum.*

13. *Ἡ μαρτυρία αὕτη ἐστὶν ἀληθής*] Ità Joh. 21. 24. Ἀληθής

θὴς ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ. Vide & Joh. 19. 35. & Joh. 3. epist. com. 12. Hic autem μαρτυρίαν putem παροιμίαν esse: credibile est enim jam transiisse versiculum illum in speciem proverbii. Simile apud Sophoclem illud,

> Ἀλλ' ἐστ' ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία, &c.

Ibid. ἡ μαρτυρία αὕτη ἐστὶν ἀληθής] Ità & Joh. 5. 32. & 8. 17. Simile 2 Petr. 2. 22. τὸ τῆς ἀληθοῦς παροιμίας.

Ibid. δι' ἣν αἰτίαν] Sic & Act. 22. 24. Glossæ, Δι' ἣν αἰτίαν. *quam ob causam*, &c. Quæ sumpta sunt ex hoc Pauli loco, & Vetere Interprete.

Ibid. ἔλεγχε αὐτοὺς]

> Οὐ παντελῶς δεῖ τοῖς πονηροῖς ἐπιτρέπειν,
> Ἀλλ' ἀντιτάσσειν,

dixerat olim Menander.

Ibid. ἀποτόμως] q. d.

> *Pectora tantis obsessa malis,*
> *Non sunt ictu ferienda levi:* Herc. fur.

Tiberius apud Tacitum Ann. 3. *Corruptus*, &c. *animus haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit.* Seneca. 1. 14. de Ira, *Corrigendus est qui peccat, & admonitione & vi, & molliter & aspere.* Isocrates Panegyrico, Ἐστιν οὐχ οἷόν τε ἀποτρέπειν τῶν ἁμαρτημάτων, &c. ἢν μή τις ἐῤῥωμένως ἐπιτιμήσῃ τοῖς ἁμαρτάνουσιν. & Cicero Offic. 1. *Objurgationes interdum incidunt necessariæ, in quibus utendum est fortasse & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore.* Ἀποτόμως ἐλέγχειν hic, est quod *vehementer & acriter redarguere errores*, Lactantius vocat. Plinius lib. 9. Epist. 21. *acriter & severè corripere.* Gellius 1. 19. *severâ & vehementi objurgatione incessere*: & 19. 5. *coërcere, & severius increpare.* Simile infrà 2. 15. μετὰ πάσης ἐπιταγῆς ἐλέγχειν· citato Isocratis loco, ἐῤῥωμένως ἐπιτιμᾶν· apud Julianum 6. Orat. πικρῶς ἐπιτιμᾶν, καὶ ἐξελέγχειν· & Actor. 18. 28. εὐτόνως διακατελέγχειν· Hinc & ἐπιτιμημάτων (ie. ἐλεγμῶν) ἀποτομία, apud Plutarchum De liber. educ. Hesychius, Ἀποτόμως, σκληρῶς, &c. &, Ἀποτόμως, &c. *præcise*: in Glossario.

Ibid. ἀποτόμως] Nil curans vaniloquorum sermunculos, aut malignorum susurrationes. *Rationabilis est indignatio quæ ex affectu disciplinæ venit*, Tertull. de Anima. Si putant duriter se tractari, fac sciant non id te, sed ipsorum morbum velle: nec medicum sævum fieri nisi ab ægris intemperantibus.

Ibid. ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει, μὴ προσέχοντες μύθοις] Ἵνα προσέρχ. τοῖς ὑγιαίνουσι λόγοις καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, μὴ νοσοῦντες περὶ τὰς ζητήσεις, &c. ut 1 Tim. 6. 3. locutus.

14. ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν] Id est, (ut 2 Tim. 4. 4.) ἀπὸ τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀποστρεφομένων. Sic, τοὺς ἀδίκους (pro, ἀπὸ τῶν ἀδίκων) ἀποστρέφεσθαι, Simplicius in cap. 38. Epicteti. Vulgatus hic, *aversantium se à veritate*, miro modo loquendi: nisi fortè, *avertentium se* reponendum. In Onomastico tamen, *Aversor*, ἀποστρέφομαι.

15. Πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς] Locutus de Judaicis fabulis à seductoribus profectis, speciatim hæc addit de cibis sub Lege interdictis: à quibus purè sub Euangelio viventes ait non arcendos. Vide & Rom. 14. 20. ubi eadem hæc loquendi forma. Seneca 95. Epist. *Eadem & turpia sunt & honesta: refert quare, & quemadmodum fiant.* Πάντα καθαρὰ, jam dictis locis est, (ut 1 Tim. 4. 4.) πᾶν κτίσμα θεοῦ καλόν· vel (ut Luc. 11. 41) proverbialiter dictum. Καθαροῖς intellige, ut 1 Tim. 1. 5. & 3. 9. τὴν συνείδησιν καθαροῖς. Patet id ex opposito in sequentibus, μεμίανται αὐτῶν, &c. ἡ συνείδησις. Glossæ, Καθαρὸς, *sincerus, mundus, purus.* Plato 4. de Legibus, Ἀκάθαρτος τὴν ψυχὴν ὁ κακὸς, καθαρὸς δέ γ' ὁ ἐναντίος.

Ibid. τοῖς δὲ μεμιασμένοις καὶ ἀπίστοις οὐδὲν καθαρόν] Tale Proverb. 13. 13. illud. Τῷ δολίῳ οὐδὲν ἀγαθὸν ἔσται· & 17. 6. Τοῦ πιστοῦ ὅλος ὁ κόσμος, &c. τοῦ δὲ ἀπίστου, οὐδὲ ὀβολός. Adde Sirachidis 39. 32. illa, Πυρὸς, καὶ γάλα, αἷμα σταφυλῆς, &c. ταῦτα πάντα τοῖς εὐσεβέσιν εἰς ἀγαθὰ, οὕτως τοῖς ἁμαρτωλοῖς τραπήσεται εἰς κακά· & ista Hieroclis, Ἁπλῶς εἰπεῖν, οὐκ ἔστι τῶν ἐν τῷ βίῳ ὃ μὴ πρὸς κακὸν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. Pindarus apud Clementem Alexandrinum, Pædag. 3. 12. Πιστὸν ἀπίστοις οὐδέν. P. Chrysologus Ser. 44. *Perversa sunt universa perversis:* & Seneca, *Laxata humo nihil stabile est.*

Ibid. ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις] Id est, μεμίανται γὰρ αὐτῶν ὁ ν. κ. ἡ σ. Ità mundum nil illis manet, non sui tamen, at vasis in quod mittitur vitio. Lucretius.

> *Intellexit ibi vitium vas efficere ipsum,*
> *Omniaque illius vitio corrumpier intus,*
> *Quæ collata foris & commoda cunque venirent.*

Seneca 98. Epist. *Malus animus omnia in malum vertit, etiam quæ specie optimi venerant.* Idem de Beneficiis 5. 11. *Quemadmodum stomachus morbo vitiatus, & colligens bilem, quoscunque acceperit cibos, mutat*, &c. *ità animus cæcus, quicquid illi commiseris, id onus suum & perniciem*, &c. *facit.* Et pòst, *Nihil potest ad malos pervenire quod prodest, imò nihil est quod non noceat: quæcunque enim illis contigerunt, in naturam suam vertunt, & profutura, si melioribus darentur, illis pestifera sunt.* Οὐδὲν καθαρὸν autem apud Apostolum non tantum ad cibos referendum putem, sed & actiones impurorum hominum etiam in ἀδιαφόροις comprehendere. Philo in de Legg. special. (eàdemque quâ hic Paulus oppositione,) Ὧν ἂν (ὁ ἀσεβὴς) ἐφάψηται πραγμάτων, πάντ' ἐστὶν ἐπίληπτα, τῇ τοῦ δρῶντος συμμεταβάλλοντα μοχθηρίᾳ· καὶ γὰρ κατὰ τοὐναντίον αἱ πράξεις τῶν ἀγαθῶν ἐπαινεῖται, βελτιούμεναι ταῖς τῶν ἐνεργούντων ἀρεταῖς. Persius,

> *Nil tibi concessit ratio, digitum exsere, peccas.*

Cicero Offic. 3. *Nullum factum eorum potest utile esse, cùm sit tot vitiis inquinatum.*

16. Θεὸν ὁμολογοῦντες εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνοῦνται] Euthymius ad Joh. 8. ea, QUEM DICITIS DEUM VESTRUM ESSE, ET NON COGNOVISTIS EUM, *Non cognovistis eum, utpote operibus negantes eum.* Tale Rom. 1. 20. illud, γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν. Θεὸν εἰδέναι heic, est quod ibidem com. 28. θεὸν ἐν ἐπιγνώσει ἔχειν. Qui re quod ore profitentur destruunt, id dicuntur ἀρνεῖσθαι. 1 Tim. 5. 8. 2 Tim. 3. 5. Ἔργοις heic intellige malis dogmatibus, & vitæ impuritate. Arrianus 3. 24. in Epictetum, Ἐπικουρείων καὶ κιναίδων ἔργα πράσσων, καὶ τὰ δόγματα ἔχων, τοὺς λόγους ἡμῖν λέγεις Ζήνωνος καὶ Σωκράτους. Quibus contraria Themistii ista Orat. 9. in laudibus Imperatoris sui, Καὶ γὰρ εἰ μὴ τὰ Πλάτωνος ἀποστοματίζεις, μηδὲ τὰ Ἀριστοτέλους μεταχειρίζῃ, ἀλλὰ τά γε ἐκείνοις δοκοῦντα τοῖς ἔργοις βεβαιοῖς. Cæsar ad seditiosos milites suos apud Dionem Cassium, Ὄνομα Ῥωμαίων ἔχοντας, ἔργα δὲ Κελτῶν δρῶντας. Anaxippus apud Athenæum 13.

> Ἐν τοῖς λόγοις φρονοῦντας εὑρίσκω μόνον,
> Ἐν τοῖσι δ' ἔργοις ὄντας ἀνοήτους ὁρῶ.

Euripides Alcestide,

> ——Λόγῳ γὰρ ἦσαν, οὐκ ἔργῳ φίλοι.

Photius Cod. 179. de Agapio, Χριστὸν χείλεσι μὲν τιμᾶν ὁμολογεῖ, ἔργοις δὲ καὶ δόξαις οὐδ' ἔστι λόγοις παραστῆσαι ὅσον βλασφημεῖ. In Flaccum Philo Judæus, Ἐγκότως εἶχον, τὸ κατηλλάχθαι δοκεῖν λόγῳ μόνον ἐπιμορφώσαντες, ἔργοις δὲ κατὰ διάνοιαν ἀσύμβατα μνησικακοῦντες.

Ibid. βδελυκτοὶ ὄντες] Βδελύγματα ἐνώπιον θεοῦ (ὄντες,) ut Lucas 16. 15. loquitur: vide in Græco Proverb. 15. 9. vel, *publicâ detestatione communique odio digni*, ut locutus 12. 1. A Gellius: *exsecratione totius humani generis digni*, ut Ejusdem 2. 6. De Sereniano quodam lib. 14. Ammianus Marcellinus, *Dignus omnium exsecratione.* Glossarium, Βδελυκτὸς, *abominabilis.* Hesychius, Βδελυκτὸς, μισητὸς, ἐξουδενημένος, &c. Affini sensu infrà 3. 3. στυγητός.

Ibid. ἀπειθεῖς] In jam laudato Glossario, Ἀπειθὴς, ὁ μὴ πιστεύων· *incredulus*, &c. Ibidem, Ἀπείθεια, *incredulitas*, &c. Vide infrà 3. 3. Vulgat. *incredibiles*, quod eodèm cadit. Eo sensu posuit & vocem illam Auctor dialogi ad Asclepium excusus cum Apuleji scriptis.

Ibid. πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι] Vide ad Apuleji 4. pag. 236. dicta. Ità ἀνδράποδον πρὸς πᾶσαν πραγματείαν ἄχρηστον, Plutarchus in De liber. educ. Contrarium, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἕτοιμος εἶναι, infra 3. 1.

CAP. II.

VALLA.

12, 13. *ET secularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc seculo; Exspectantes adventum magni Dei*] Quamvis sint *secularia* & *seculo* similia, tamen Græcè sunt dissimilia: nam *secularia* nunc Græcè dicitur *mundana*, κοσμικά. Et contrà *apparuit*, & *adventum* sunt diversa Latinè, tamen Græcè non differunt: nam *adventum* nunc Græcè dicitur *apparitionem*, ἐπιφάνειαν.

14. *Et mundaret sibi populum acceptabilem*] Gr. *peculiarem*, περιούσιον.

ERASMUS.

ERASMUS.

2. *Sobrios*] Νηφαλίους· quam vocem Hieronymus admonet ambiguam eſſe, ſignificantem utrumque, & *ſobrium*, h. e. non temulentum, & *vigilantem*. Quandoquidem & verbum νήφειν anceps eſt. ¶ *Pudicos*] Σεμνούς· quod aptiùs Ambroſius vertit *graves*, h. e. ſeveros, & honeſtatem præ ſe ferentes. ¶ *Prudentes*] Σώφρονας, i. e. *moderatos*, ſive *modeſtos*: quod rurſum D. Hieronymus vertit *pudicos*, ſuo more. Et nè videatur abſurdè ſenibus præcipi Pudicitia, addidit, *nè in aliena ætate* turpiter libidini vacare videantur. Adeò etiam in ſanctiſſimis viris deprehendere licet veſtigium aliquod humani affectûs. Chryſoſtomus σώφρονας interpretatur, ob animi moderationem, quòd ea ætas ob mentis imbecillitatem ſoleat immoderatiùs excandeſcere. Quemadmodum jubet νήφειν, quòd ſomniculoſi tardique ſint ſenes. Tum σεμνοὺς eſſe vult, quòd ferè dum repueraſcunt ineptiant. Denique *ſanos* eſſe jubet, quòd deſipiſcat ſenum vulgus.

3. *In habitu ſancto*] Ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς· quod perinde valet ac ſi dicas, *eo amictu eoque inceſſu & corporis motu qui deceat ſacras matronas ac Deo dicatas*. Ambroſius vertit *in ſtatu religione digno*, velut explicans compoſitam vocem ἱεροπρεπεῖς, & κατάστημα referens non ſolùm ad *veſtitum*, ſed ad omnem *corporis habitum ac geſtum*. Sic enarrat & D. Hieronymus. ¶ *Non criminatrices*] Μὴ διαβόλους, i. e. *non calumniatrices*, ſive *delatrices*. In Hieronymo legimus *incentrices*, haud ſcio an mendoſe: etiamſi idem exponit *accuſatrices*. ¶ *Multo vino ſervientes*] Πολλῷ οἴνῳ δεδουλωμένας, *multo vino deditas*, ſive *addictas*. Solent autem anus huic vitio affines eſſe. ¶ *Bene docentes*] Καλοδιδασκάλους, *honeſta docentes*. Opinor quòd quædam illis annis lenæ ſint, alienæ nequitiæ miniſtræ.

4. *Ut prudentiam doceant*] Ὡς σωφρονίζωσι, i. e. *ut ſobrias* ſive *pudicas reddant*: quod poſterius Hieronymus legit, *ut ad caſtitatem erudiant*, ſuo more torquens quicquid poteſt ad Virginitatem, cui ſavit non ſine ſuſpicione, nec ſine calumnia. Ambroſius legit *ut inſtituant*. ¶ *Adoleſcentulas*] Hunc accuſativum Græci referunt ad σωφρονίζωσι. Ut intelligas mandari matronis natu grandioribus *ut doceant puellas amare maritos*.

5. *Prudentes*] Σώφρονας· quod rurſus Hieronymus legit *caſtas*. Sed quia ſequitur *caſtas* ſive *puras*, ἁγνάς, fortaſſis quadrabat hic *ſobrias* aut *prudentes*. ¶ *Domûs curam habentes*] Οἰκουρούς, quod ſonat *domûs cuſtodes*, ut aſſiduè domi ſint, & rem domi curent: quæ præcipuè mulierum laus. Unde veteres, autore Plutarcho, pingebant Venerem teſtudini inſiſtentem, quòd id animal nunquam à domo diſcedat: ſymbolum probæ matrisfamilias. ¶ *Ut non blaſphemetur*] Hoc adjectum putant ob eas quæ maritum haberent ethnicum aut Judæum.

5. *Ut ſobrii ſint*] Σώφρονας. Et hic Hieronymus legit *pudici*, ſui ſimilis.

7. *Teipſum præbe*] *Præbens*, παρεχόμενος. Et ità legit Ambroſius, Græcis conſentiens. ¶ *Exemplum*] Τύπον, i. e. *formam* aut *exemplar* potiùs quàm *exemplum*. ¶ *In doctrina, in integritate*] Græci ſic habent, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, ἀφθαρσίαν λόγον ὑγιῆ, i. e. *in doctrina integritatem, gravitatem, incorruptionem, ſermonem ſanum*. Ad eum modum legit fermè Chryſoſtomus, niſi quòd parùm liquet unde illi ſit dictio *copiam*, niſi fortè ille pro ἀδιαφθορίαν ſcriptum repperit εὐπορίαν aut ἀφθονίαν. Sic enim illius vertit Interpres, *In doctrina*, inquit, *copiam, honeſtatem, ſermonem ſanum, irreprehenſibilem*; cùm apud Chryſoſtomum Græcum tale nihil reperiam. Porrò in nonnullis cod. additur ἀδιαφθαρσίαν, cùm præceſſerit ἀδιαφθορίαν. Nihil eſt autem quod priori reſpondeat nec apud Ambroſium, nec apud Hieronymum, nec apud Chryſoſtomum. Theophylactus non attingit ἀδιαφθαρσίαν. Atque hoc quoque nomen ἀδιαφθορίαν Hieronymus torquet ad Virginitatem, cùm, meâ ſententiâ, magis declaret *integritatem animi*, nullis cupiditatibus corrupti, non irâ, non ambitione, non avaritiâ. Locum hunc ſecùs refert D. Hilarius lib. De Trin. 8. *In omnibus teipſum bonorum factorum præbens exemplum, docentem cum veneratione verbum ſanum*, &c. Quod Græcè eſt σεμνότητα Hilarius vertiſſe videtur *cum veneratione*. *Verbum ſanum* eſt λόγον ὑγιῆ· de quo D. Hieronymus nonnihil admonet, nempe quæ ſequuntur ad *integritatem doctrinæ* poſſe referri, ſed obſtare quod ſequitur, *ſermonem ſanum*. At mihi non videtur eſſe cauſa cur hic offendamur. Quanquam enim nemo docet niſi loquatur, tamen refert non paulùm quomodo loquaris.

8. *Irreprehenſibile*] Ἀκατάγνωστον. Quod & ità ſonare poteſt, *quod contemni non poſſit*: h. e. ut cum autoritate doceat. ¶ *Vereatur*] Ἐντραπῇ, i. e. *pudeſiat*: quod ſæpiùs jam vertit *confundatur*. Ambroſius & Hieronymus legunt *revereatur*. ¶ *Nihil habens dicere*] Μηδὲν ἔχων λέγειν, *nihil potens dicere*, ſive *nihil habens quod dicat*. Nam ἔχειν cum infinito verbo ſignificat *poſſe* apud Græcos.

9. *Subditos eſſe*] D. Hieronymus admonet hunc locum bifariam legi. Altero modo ut accipias, *ſervos ſubditos eſſe debere dominis in omnibus*; ut hæc particula ἐν πᾶσι referatur ad verbum præcedens. Altero, ut intelligas *ſervos complacentes eſſe debere in omnibus*, ὑποτάσσεσθαι, ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι. Atque ità quidem habent Græci codices hujus tempeſtatis. Etiamſi Hieronymus indicat Græcos ſecùs diſtinguere, nempe juxta priorem ſenſum; cùm juxta poſteriorem diſtinguant hodie quos ego viderim codices. Porrò εὐαρέστους interpretatur, non *qui ſatisfaciant ac placeant dominis*, ſed *ſibi non diſpliceant*, & ſuam fortunam qualiſcunque eſt, boni conſulant. Quæ quidem interpretatio haud ſcio an ſit coactior; certè diſcrepat ab interpretatione Græcorum, nec cohæret cum eo quod ſequitur, μὴ ἀντιλέγοντας. Nam & ſuperiùs εὐάρεστον dixit Paulus *quod gratum eſſet & placeret*, licèt Græci δυσάρεστον appellant *cui non facilè fiat ſatis*, cui diverſus ſit εὐάρεστος. Mirum eſt autem unde Ambroſius legerit *optimos*, niſi mendum eſt, aut niſi codex illius habebat ἀρίστους. Certè εὐάρεστοι hic dicuntur *qui modis omnibus ſtudent placere*: quod magis congruit cum eo quod ſequitur, μὴ ἀντιλέγοντας. ¶ *Non contradicentes*] Μὴ ἀντιλέγοντας· quod eleganter reddidit Ambroſius *reſponſatores*.

10. *Non fraudentes*] Μὴ νοσφιζομένους. Quod Hieronymus legit *furantes*. Eſt enim νοσφίζειν *aliquid decerpere ac furtum detrahere*, cùm totam rem non auſis tollere: quod ſervi ſolent. ¶ *Sed in omnibus*] *Sed fidem omnem*, πίστιν πᾶσαν. Et Hieronymus legit *fidem omnem*, & huic conſentiens Ambroſius.

11. *Apparuit enim*] Ἐπεφάνη· quod Hieronymus & Ambroſius vertunt *illuxit*. *Apparet* enim quod videtur, etiamſi non ſit: at ἐπιφαίνεται quod *ſit conſpicuum & illuſtre*. Nam antè videbatur apud Judæos in anguſto latère, & hic etiam Legalium operum fiducia obſcurata: nunc uſque ad Servorum genus illuſtrata eſt. Neque tamen id temporis Euangelii gratia innotuerat omnibus hominibus: ſed nullum hominum genus excludebatur. ¶ *Dei & Salvatoris*] Græca ſecùs habent, ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος, *Gratia Dei ſalutaris*, vel *ſalutifera*. Etiamſi Hieronymus & Ambroſius aliter legunt. Quanquam in antiquiſſimo Græco codice Chryſoſtomi legamus σωτήριος· neque ſecùs exponit, ſi quis expendat attentiùs. Sine controverſia Theophylactus legit σωτήριος. Certè conjunctio & non additur in Latinis emendatioribus. Nec eſt otioſus articulus, ἡ σωτήριος, qui declarat non eſſe ſalutem niſi per Dei gratiam. Quod autem ait *Servatoris*, poteſt vel de Patre vel de Filio accipi. Sic enim Hieronymus, *Vel quòd Dei Patris vivens & ſubſiſtens gratia ipſe ſit Chriſtus, vel quòd Chriſti Dei Salvatoris hæc ſit gratia, & non merito noſtro ſalvati ſimus*; Idem fieri poteſt in proximo loco, *ut doctrinam Servatoru noſtri Dei ornent in omnibus*. Minimum autem diſcrimen eſt inter σωτῆρος & σωτήριος.

12. *Erudiens nos*] Non eſt διδάσκουσα, quod eſt *docens*, ſed παιδεύουσα, vox à *pueris* dicta; ſive quòd Gratia nos ut rudes clementer doceat, ſive quòd per ignorantiam lapſos maternè corripiat. ¶ *Abnegantes*] Ἀρνησάμενοι. Participium eſt præt. temporis. Poterat verti *abnegatis ſecularibus deſideriis*; ut legit Ambroſius, *abnegatâ impietate & ſecularibus deſideriis*. Hic locus annotandus eſt iis qui malè freti gratiâ negligunt bona opera, cùm in hoc ipſum Gratia liberet à peccatis ut deinceps piis operibus vacemus. ¶ *Secularia deſideria*] Κοσμικὰς ἐπιθυμίας, i. e. *mundana deſideria*. Alioqui Latinis *ſeculare* dicitur quod centeſimo quoque anno inſtauratur; ut *ludi ſeculares*. Neque enim eſt ab eo quod ſequitur, ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, *in hoc ſeculo*. ¶ *Sobriè*] Σωφρόνως· quod hic quoque Hieronymus vertit *pudicè*, ſuo more, nè parùm videatur conſtans.

13. *Et adventum*] Ἐπιφάνειαν, *apparitionem*, ſive *illuſtrationem*, ut & aliàs vertit. Quanquam eadem vox & *adventum* ſignificat, ſed *cum ſplendore*, veluti cùm emergit Sol. ¶ *Magni Dei & Salvatoris*] Τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος. Id ità legi poteſt ut utrumque pertineat ad Chriſtum, *Dei & Servatoris*; aut prius pertineat ad Patrem, poſterius ad Chriſtum. Chryſoſtomus ac Theophylactus utrumque tribuunt Chriſto, & item Hieronymus, exſultantes adversùs Arrianos, ceu victores; cùm ſermo planè ſit anceps; imò magis pro illis facere videatur quàm pro nobis. Primùm negari non poteſt quin ſermo Græcus ſit ambiguus & ex æquo pertinens ad ſenſum utrumlibet. Quid autem agas adversùs hæreticum ex loco prorſus ancipiti? Quod ſi illos urgeas Interpretum conſenſu, certè Ambroſius vir ſum-

mus & Episcopus orthodoxus divisim accipit, ut *magni Dei* referatur ad Patrem, *Servatoris* ad Christum. Ipsius verba subscribam, *Hanc esse dicit beatam spem credentium, qui exspectant adventum gloriæ magni Dei, quod revelari habet Judice Christo, in quo Dei Patris videbitur potestas & gloria, ut fides sua præmium consequantur. Ad hoc enim redemit nos Christus ut piam vitam sectantes repleti bonis operibus Regni Dei heredes esse possimus.* An non hic palàm dicit Patrem revelaturum gloriam suam Judice Christo? At *adventus* in Sacris literis non tribuitur Patri, sed Filio. Nec hic simpliciter nominatur *adventus Patris*, sed *adventus gloriæ*, quam interim exspectamus in humilitate constituti. Tum apparebit majestas nostra cùm aperietur gloria magni Dei Patris & Servatoris nostri Jesu. Quid autem hic metuimus Arianos, cùm tot locis Paulus *Dei* vocabulum tribuat Patri, Filium appellans *Dominum*? Si Filius Dei tantùm in principio Euangelii Johannis adeò clarè pronunciatus esset *Deus*, nonne sufficeret adversùs universos Arianos? Postremò Ariani quidam hunc quoque locum accipiunt de Filio, & tamen non credunt quod nos credimus. *Magnum* enim *Deum* fatentur, *verum* negant: & hæc est illorum impietas. Quanquam omissus articulus in libris Græcis facit nonnihil pro diversa sententia, *μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος*. Evidentiùs distinxisset Personas si dixisset *καὶ τοῦ σωτῆρος*. Miror quid secutus Scholiastes ille *magnum Deum* interpretatur Spiritum sanctum. Fortasse locum captabat in quo Spiritus sanctus manifestè diceretur Deus. Nam quòd Thomas apparitionem gratiæ tribuit Spiritui sancto, cui peculiariter ascribitur opificium conceptionis Christi, non arbitror ad hunc locum posse torqueri.

14. *Populum acceptabilem*] Περιούσιον, i. e. *peculiarem.* D. Hieronymus in Commentariis hujus loci negat se à quopiam secularium perito literarum potuisse discere quid esset *περιούσιον*, verùm ex Deuteronomio collegisse, unde Paulus hunc locum sumpsisse videtur, *ut esses ei in populum acceptabilem ex omnibus populis.* Rursum in Psalmo 24. *Elegit sibi Dominus in possessionem sibi.* Quod dictum est *in possessionem*, LXX. ac Theodotion transtulerunt *περιουσιασμὸν*, Aquila & Quinta editio *περιούσιον*, syllabæ commutatione factâ, non sensûs. Symmachus pro eo quod est in Græco *περιούσιον*, in Hebræo סגלה expressit *ἐξαίρετον*, h. e. *egregium* vel *præcipuum*, pro eo quod idem in alio volumine, Latino sermone utens, *peculiarem* interpretatus est. Putat enim Hieronymus minimùm interesse inter *περιούσιον* & *ἐπιούσιον* Porrò varietas hæc nascitur ex ambiguitate præpositionis *περὶ* & *ἐπί.* Etenim qui vertunt *possessionem* & *peculiarem*, huc spectarunt, quòd *οὐσία* sign. *substantiam*, h. e. facultates & possessionem, & *περὶ circum*: ut quod in bonis nostris sit & in nostro, ut ajunt, ære, id *peculiare* dicimus. Rursum qui verterunt *egregium*, huc respexerunt, quòd *περὶ* significat aliquoties Eminentiam, & *οὐσία essentiam*; q. d. *reliquas substantias antecellentem.* Existimat in eundem sensum accipi posse quod est in Precatione Dominica, *Panem nostrum ἐπιούσιον*, i. e. *non vulgarem*, sed *eximium illum qui de cœlo mittitur*: qua de re & suo loco nonnihil attigimus. Porrò quod addit Faber, Hieronymo idem esse *περιούσιον* & *γνήσιον*, miror unde sumpserit, nisi fortè idem esse putat *peculiare* & *ingenuum* aut *verum.* Quemadmodum Symmachus, ut dixi, *peculiarem* vertit. Augustinus in Epistola contra epist. Pelagiani c. 13. legit *populum abundantem.* ¶ *Sectatorem bonorum operum*] Ζηλωτὴν, i. e. *Æmulatorem.* Et ità Ambrosius.

15. *Cum omni imperio*] Μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. Non quòd jubeat illum esse imperiosum, sed quòd velit hæc diligenter mandari atque injungi populo. ¶ *Nemo te contemnat*] Μηδείς σου περιφρονείτω. D. Hieronymus admonet, hic non esse idem verbum quo usus sit Paulus scribens ad Timotheum, *Nullus adolescentiam tuam contemnat*: illic esse *καταφρονείτω. καταφρονεῖν* enim dici *qui despicit ac nihili facit*: quod & in bonam partem accipi possit, veluti si quis pro Christo contemnat cruciatus aut mortem: at *περιφρονεῖν*, *qui fastu quodam sibi videtur alio melior ac sapientior.* Citatque citra nomenclaturam quod est apud Aristophanem in Nebulis, ubi Socrates sic inducitur loquens,

> Ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον,

Interpretans ad hunc modum, *Scando per aërem, & pluris me novi esse quàm Solem.* Vult igitur Paulus Titum ità vivere ut nemo sit qui sibi melior videri possit, quanquam ipse sit Episcopus.

VATABLUS.

2. PUdici] *Graves*, vel, *gravitate morum præditi.* ¶ *Prudentes*] *Modesti*, vel, *moderati.*

3. *Sancto*] Vel, *qui deceat sanctas & Christianas.* ¶ *Criminatrices*] *Calumniatrices.* ¶ *Servientes: bene*] *Deditas: honesta.*

4. *Prudentiam doceant*] *Modestas reddant.*

5. *Prudentes, castas, sobrias*] *Ut sobriæ sint, puræ.* ¶ *Blasphemetur*] *Malè audiat*, vel, *vituperari possit à quoquam.*

7. *In integritate, in gravitate*] *Integritatem, gravitatem*, Vet. sub. *retine*: q. d. in hac docendi provincia sis integer vitæ & gravis moribus.

8. *Vereatur*] *Pudefiat.* ¶ *Nobis*] *Vobis.*

9. *Contradicentes: non fraudantes, sed in omnibus*, &c.] *Responsatores: non suffurantes*: [i.e. qui non subducant se ministerio herorum suorum,] *sed omnem fidem*, &c.

10. *Ostendentes* *] * *Et.*

11. *Apparuit*] *Illuxit.* ¶ *Salvatoris nostri*] *Salutaris*, Vet.

12. *Abnegantes impietatem & secularia desideria*] *Abnegatâ impietate, & mundanis desideriis.*

13. *Adventum*] Vel, *apparitionem, illustrationem.*

14. *Acceptabilem*] *Peculiarem.*

15. *Cum omni imperio*] i. e. Ut potestatem & mandatum docendi habens. ¶ *Nemo te contemnat*] q. d. *Ità te gere, ut nemo*, &c.

CASTALIO.

7. IN *doctrina integritatem, gravitatem*] Scilicet præstans.

CLARIUS.

3. HOnesta *docentes*] Cur ergò alibi prohibet mulieres docere? Sed hic de eo sermone loquitur qui domi fit monendi gratiâ atque adhortandi: ibi verò prohibet præsidere, & sermonem habere ad populum.

11 *Apparuit enim*] Quòd tam servi, inquit, quàm cæteri æquè mihi sint curæ, facit illa cogitatio, quòd *salutaris hæc gratia Dei omnibus æquè hominibus proposita est.*

15. *Nemo te contemnat*] Ità te præbeas ac geras ut nemo te contemnere audeat: quòd non solùm ad inculpatam vitam pertinet, verùm etiam ad id, ut servato decoro & cum autoritate faciat omnia, sicut de Domino scriptum est, *Erat enim tanquam autoritatem habens, & non sicut Scribæ.*

ZEGERUS.

2. PUdici] Σεμνὸς multa complectitur, *castum, venustum, severum, honestum, gravem, pudicum.* ¶ *Sani in fide*] Quid sit superiori capite docuimus, v. 13.

3, 4. *In habitu sancto*] Ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, i. e. *in habitu statuque qui sacras deceat matronas*, ità ut *κατάστημα* referatur ad omnem *corporis habitum ac gestum.* ¶ *Bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament*] Hanc germanam esse distinctionem arguunt primùm vetustissimorum Commentarii, nominatim Chrysostomi atque Hieronymi, ut cæteros sileam: Deinde & τὸ σωφρονίζωσι accusantem exigens casum, cujus loco, ut vim verbi exprimere Interpres binas voces; *prudentiam doceant*, substituit: quanquam *σωφρονίζειν* non solùm *prudentiam docere*, verùm etiam *sobrium & modestum reddere, ad castitatem erudire*, ac *moderari* significat. Matronis itaque permittit hortaturque, *ut adolescentiores fœminas quæ bona sunt doceant, in primis prudentes & pudicas esse, deinde maritos proprios adamare*, &c. Neque his repugnat quod alio loco dixit, *Docere autem mulieri non permitto* 1 Tim. 2. nam ibi intelligendum est, in viros illis tantùm sublatam esse doctrinam. *Ut prudentiam doceant adolescentulas*, sic distinguunt omnes, ni fallor, codices nostri: cùm Hieronymus aliter vertens sic distinguat, *ut ad castitatem erudiant adolescentulas.* Et Ambrosius, *ut instituant adolescentulas viros suos diligere.* Verùm ut nostra est alia versio, ità aliam esse puto distinctionem.

7, 8. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate: Verbum sanum, irreprehensibile*] Græca (ut hodie habent quæ quidem viderim exemplaria: nam vetusti Interpretes in his recitandis variant) ad verbum reddita ità sonant, *Juniores consimiliter hortare sobrios esse; circa omnia teipsum præbens formam bonorum operum: in doctrina integritatem; gravitatem, verbum sanum, irreprehensibile.* Quæ licèt apicibus & syllabis dissideant à nostris, re tamen coincidunt, aut certè minimùm discrepant. Vult ergò Apostolus his verbis Titum *per omnia esse exemplar*

bonorum

bonorum operum, *in doctrina*, *in integritate* & castitate animi nullis cupiditatibus vitiati, *in gravitate*, nè levis sit docentis autoritas: *verbum sanum* sit nullo errore infectum, atque *irreprehensibile*; sive, ut legit Hieronymus, *in sermone sano & irreprehensibili*. *Non quod ullus*, inquit idem Hieronymus, *tantæ facundiæ & prudentiæ sit ut à nemine reprehendatur* (*reprehenduntur quippe Apostoli & Evangelistæ ab hæreticis & Gentibus*) *sed ita quòd nil dignum reprehensione dicat aut faciat.* Vult præterea illud *in omnibus* ad superiora pertinere, *ut pudici sint in omnibus*; & postea inferri, *teipsum exemplum præbens*. Edit. Lovaniensis unum adnotat exemplar cum Græcis sic habens, *Temetipsum præbe exemplum bonorum operum*, *in doctrina integritatem*, *gravitatem*, *verbum sanum*. Verùm uni non soleo fidere absque rationibus aliis; quanquam interim fateor hoc ipsum esse commodius.

11. *Dei Salvatoris*] Legendum Θεοῦ καὶ σωτῆρος, aut Θεοῦ σωτῆρος, non σωτήριος, i. e. *salutaris*. Testimoniis supersedeo.

14. *Et mundaret sibi populum acceptabilem*] i. e. Mundando redderet sibi peculiarem, gratum & acceptabilem.

LUCAS BRUG.

5. *Prudentes*, *castas*, *sobrias*, *domûs curam habentes.*] De adolescentulis maritatis est sermo. Jam tertiò ex ancipiti voce σώφρων aucta est nostra editio alterâ translatione. Nam quæ in plerisque libris, atque ab Autore Glossæ ac posterioribus Glossematicis ambo, leguntur, *prudentes & sobrias*, uni eidemque illi Græcæ voci respondent, σώφρονας. Habet verò major librorum pars primo loco *prudentes*, tertio *sobrias*; quidam autem, octo scripti nostri (Mal. ma. T. E. Pl. m. I. Atr. S. K. F.) *sobrias* secundo loco τῷ *prudentes* adjunctum, *Prudentes*, *sobrias*, *castas*: quæ ex varietate fit manifestiùs, alterum ex altera interpretatione, vel certè ex superioribus similibus locis, adjectum. Neque verò, si utrumque dedisset Interpres, à se invicem separasset, id quod facit major librorum pars. Porrò cùm præcedenti proximè loco germana nostræ editionis interpretatio monstrata sit esse *sobrium*, adjectitiaque *prudentem*: hîc è contrà, germana translatio videtur *prudentes* esse, adjectitia *sobrias* (variè τὸ σώφρων, nunc hoc, nunc illo modo, reddere Interpretem jam ostendimus) hoc enim, *sobrias* inquam, à tribus antiquitate venerandis MSS. omittitur, Germani lato, Societatis lato, & cujus fidem maximi facio, Malmundarii minori. Tum τὸ *prudentes* ab omnibus eo legitur loco quo Græcè σώφρονας. Hieronymus *pudicas* vertit (id enim superiùs probabat) sic & Ambrosiastri editio, quam nostræ editionis versione auctam esse autumo, cùm habet, *Prudentes*, *pudicas esse*, *castas*, *domûs curam habentes*. Nam *pudicas esse* iis quæ præcedunt congruit, *Ut instituant adolescentulas viros suos diligere*, *amare filios*, *pudicas esse*, *castas*, &c. Ità sunt omnia sciolorum injuriis exposita, ut misceant, separent, addant, demant, mutent, quæ libet.

H. STEPHANUS.

3. Κ*ατασχήματι ἱεροπρεπεῖς*] *Habitu qui sanctimoniam deceat*: vel, *præ se ferat*. ¶ Καλοδιδασκάλας] *Honestatis magistræ*: vel, *eorum quæ honesta sunt*.

4. Ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, Φιλάνδρους εἶναι, Φιλοτέκνους] *Ut adolescentulas castigatione suâ doceant esse virorum & liberorum amantes.*

5. Οἰκουροὺς ἀγαθάς] *Bonas custodes domûs*, i. e. diligentes: sine interpunctione.

14. Περιούσιον] Peculiarem.

DRUSIUS.

5. D*omûs curam habentes*] Alius *domi manentes*. Nam οἰκουρός, *quæ domi se continet*, *& negotia domestica curat*. Quod est indicium optimæ matrisfamilias. Unde οἰκουρία, cùm quis domi manet & res familiæ curat. Plutarchus, Τὴν Ἠλείων ὁ Φειδίας Ἀφροδίτην ἐποίησε χελώνην πατοῦσαν, οἰκουρίας σύμβολον ταῖς γυναιξί. Testudo enim domum suam portat: unde *domiporta* dicitur, ut etiam Cochlea. Apud Chaldæos meretrix vocatur נפקת ברא, quòd *foras exeat*, &, ut Salomo loquitur, *domi non maneant pedes ejus*. Ideo bona materfamilias assimulatur *Viti quæ fructum fert in lateribus domûs* Psal. 128. 3. Cur *in lateribus domûs*? Quia uxor, quæ verè sit uxor, nunquam abest à domo, maritum observans, liberosque curans, & negotia familiæ sedulò administrans. Nam esse diu à domo, & discursare per plateas & fora, signum est impudicæ, sicut idem Salomo ait, *Modò foris*, *modò in plateis*, &c. ¶ *Subditas viris suis*] Vide Col. 3. & 1 Petr. 3. & lib. Musar. 73. 2. ubi matrona quædam ad sponsam, *Sint oculi tui suspensi in maritum*, *ut oculi ancillæ in manum heræ suæ*; *& tunc honorata eris in oculis ejus*. *Sapiens quædam*, *cùm filiam in thalamum introduceret*, *dicebat ei*, *Mea filia*, *sta coram eo*, *& ministra ei*. *Quod si fueris ei ancilla*, *ipse erit tibi servus*, *& honorabit te ut dominam*: *sed si extuleris te contra eum*, *erit tibi dominus*, &c. Vide quoque fol. eod. pag. 1. Respexit autem ad locum Geneseos, *Ad eum erit appetitus tuus*, *& ipse dominabitur in te*.

11. *Omnibus hominibus*] Omnibus quidem illuxit, sed non omnes eam gratiam accipiunt. Aut *omnibus*, i. e. omnis generis hominibus. Aut *omnibus*, tam Judæis quàm Græcis. Sic alibi, *Conclusit omnes sub peccato*, *ut omnium misereatur*.

12. *Secularia desideria*] Vel *seculares cupiditates*, i. e. *mundanas*: nam in Græco fonte κοσμικάς, & in Syro בריגתא דעלמא *cupiditatibus mundi*. *Secularis* hoc significatu usurpatur sæpe ab autoribus Ecclesiasticis. Andreas Placus, SECULARE *pro* MUNDANO *hic capitur*: *aliòqui Latinis* SECULARE *dicitur quod centesimo quoque anno instauratur*, *ut* LUDI SECULARES.

13. *Magni Dei*] Non solùm *Deus* sed etiam *Deus magnus* vocatur hîc Christus. Cur igitur horrent illum *Deum* appellare novatores? *Homo Divinus est*, inquiunt, *non Deus propriè*. Φεῦ τῆς ἀσεβείας. Tunc audes negare quod Scriptura tam clarè asseverat? Quòd si non est verè Deus, nec adorandus igitur nobis est. Apagite qui contrà itis, & oculo tandem aperite, ut Solem in ipso meridie lucentem clarè cernatis, videatis.

SCULTETUS.

CAP. I.

Σωφρονίζειν τὰς νέας. οἰκουροὶ v. 4, 5. ἀνυπότακτος v. 8. εὐάρεστος v. 9.

Græca versibus 4, & 5. ab interpunctis jam olim laborarunt. Alii enim verbum σωφρονίζωσι conjunxerunt cum accusativis sequentibus, τὰς νέας: alii ab his discreverunt, & à voce *adolescentulas* novam periodum sunt exorsi, perinde ac Apostolus dixisset, Σὺ δὲ λάλει (δίδασκε) πρεσβύτιδας ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, &c. ἵνα σωφρονίζωσι. Τὰς νέας (λάλει διδάσκων) Φιλάνδρους εἶναι, Φιλοτέκνους, &c. Sed prior distinctio hodie in omnibus emendatis cod. servatur, & rectè quidem. Nam quia v. 3. anus jusserat esse καλοδιδασκάλους *honestatis magistras*, commodè v. 4. subjungit quid docere adolescentulas debeant, nempè, *amorem maritorum & liberorum*, *temperantiam*, &c. quæ sequuntur. Beza versum quartum ità interpretatur, *Ut sapientes reddant adolescentulas*, *ut sint maritorum ac liberorum amantes*: quæ versio fortassis ei non satisfecerit qui existimarit sapientiam vix cadere in sexum muliebrem, nedum in adolescentulas; imò sapientiam in hoc sexu non magnopere requiri. Μισῶ σοφὴν γυναῖκα, *Odi sapientem feminam*, inquit Euripides. Nè dicam Bezæ versionem æquè ac Vulgatæ ambiguam esse; siquidem dubitandum ad *anusne* ipsas an ad *adolescentulas* referendum sit illud *ut sint*. Cùm autem σωφρονίζειν sit σώφρονα ποιεῖν, item *castigare*, *cohibere*, *imperare*, non malè verteris, *ut castigando doceant adolescentulas*, *maritorum ac liberorum amantes esse*: vel, *ut doceant adolescentulas modestas esse*, *maritorum ac liberorum amantes*. Sic Lutherus feliciter sanè & vitatâ ambiguitate, *Das sie die Junge weiber lehren zuchtig sein*, *ihre Männer lieben*, &c. Illa verò quæ v. 5. leguntur, οἰκουρούς, ἀγαθάς, vel distingui possunt, vel conjungi. Malim conjungi, *ut sint bonæ* (*seu fideles*) *custodes domus ac familiæ*. Sic enim apud Libanium Sophistam in Declamatione Orestis Agamemnon Clytemnestræ uxori valedicens, οἰκουρὸν ἀγαθὴν explanat, οἰκέτει, καὶ Φύλαξ ἴσο τῆς οἰκίας πιστή, h. e. *Larem serva*, *& familiæ custos fidelis esto*. Sic Homero dicta ἀγαθὴ κουροτρόφος, *bona nutrix*, Odyss. ί. v. 27. Et Latinis Græcos imitantibus *bona fœmina* dicta est officiosa, morigera & frugi, quæ domestica probè curabat. Ennius lib. 3. Annal.

Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.

Cicero Philipp. 3. *Tua uxoris*, *bonæ fœminæ*, *locupletis quidem certè Bombalio quidam pater fuit.* Ut ad οἰκουρὸν vocem redeam, Augusto apud Dionem mulier οἰκουρός, οἰκονόμος, παιδοτρόφος Philo, θηλείαις οἰκουρίαι καὶ ἔνδον μονὴ ἐφαρμόζουσι. Unde Clementi Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11. κάλλιστον ἔργον γυνὴ οἰκουρός. Ista fœminarum οἰκουρία Græcis olim, Romanis non item in usu. Æmilius Probus Præfat. prioris libri De vita excell. Impp.

Quem, inquit, *Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus materfamilias non primum locum tenet aedium atque in celebritate versatur? Quod multò fit aliter in Graecia. Nam neque in convivium adhibetur nisi propinquorum, neque sedet nisi in interiore parte aedium, quae γυναικωνῖτις dicitur, quo nemo accedit nisi propinquitate conjunctus.* Cicero Act. 3. in Veterem, *Tum iste, ut aliquid responderet, negavit moris esse Graecorum ut in convivio virorum accumberent mulieres.* Apud Spartanos tamen legimus puellas ipsas *nudis femoribus tunicisque solutis curricula & palaestras cum juvenibus inire solitas, aedibus propriis relictis.* Ideo Euripides Andromachâ dixit *mirum esse non debere si ad castitatem non instituerentur foemina,*

> ——Κἀτα θαυμάζειν χρεὼν,
> Εἰ μὴ γυναῖκας σώφρονας παιδεύετε;

Sed de ἀσωτίᾳ satis. ¶ V. 8. per λόγον ἀκατάγνωστον intelligit *sermonem qui damnari*, h.e. culpari, non possit, ab iis scilicet qui Euangelio sive sanae doctrinae adversantur. 2 Macc. 4. Montanus ἀκαταγνώστως vertit *innocentes.* ¶ Quae versu seq. occurrunt, ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι, malo cum Erasmo interpretari *ut in omnibus illis placeant* quàm cum Beza *ut in omnibus sint eis accepti.* Fatetur enim Beza ipse Erasmi versionem *sententiam rectè exprimere*, quam interpretatio Bezae non assequitur. Potest enim servus actiones Domino probare, ac proinde placere, qui tamen non est gratus aut acceptus propter alias causas.

CAP. II.

Symbolum Christiani hominis, σωφρόνως, δικαίως, εὐσεβῶς v. 12. λαὸς περιούσιος v. 14. περιφρονείτω v. 15.

Athenagorae haec Legatione pro Christianis vox est, Οὐδεὶς Χριστιανὸς πονηρός, εἰ μὴ ὑποκρίνηται τὸν λόγον, *Nullus Christianus malus est, nisi hanc professionem simulârit.* Causam Apostolus dicet. Nam qui *piè* ad Deum, *justè* ad proximum, *temperanter* erga se ipsum egerit, is verò malus non erit, sed omnes veri Christiani numeros explebit. Beza τὸ, σωφρόνως, reddit *sapienter.* Vulgatus *sobriè.* Neutrum placet; σωφροσύνη enim latiùs multò patet quàm *sobrietas:* & aliud est σοφῶς *sapienter*, aliud σωφρόνως, quod omnino puto vertendum *temperanter.* Diodorus certè Siculus l. 1. Biblioth. eandem sententiam recitans, pro σωφροσύνῃ ponit ἐγκράτειαν. Scribit enim *apud Ægyptios commendari defunctorum τὴν εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην καὶ τὴν ἐγκράτειαν, pietatem in Deos, justitiam & continentiam.* Sic Gelenius & Sylburgius vocem σωφροσύνη interpretantur *temperantiâ*, quando Dionysii Halicar. encomium Romanis l. 1. Antiq. tributum vertunt, ὧν οὔτε εὐσεβεστέρους οὔτε δικαιοτέρους οὔτε σωφροσύνῃ πλείονι παρὰ πάντα τὸν βίον χρησαμένους οὐδεμία πόλις ἤνεγκεν, *quibus nec pietate nec justitiâ nec perpetuâ per omnem vitam temperantiâ praestantiores ulla unquam civitas tulit.* ¶ Λαὸς porrò περιούσιος v. 14. quis? Exod. 19. 5. profitetur Deus se Israeliticum populum *in peculium suum adscivisse:* ubi exstat verbum Hebraeum סגלה *Segullah.* Hoc Graeci Interpretes vertunt περιούσιον. Hieronymus in Commentariis hujus loci negat se à quopiam secularium perito literarum potuisse discere quid esset περιούσιον. Fateor & ego me diligenter consuluisse scriptores Graecos super hujus vocabuli significatu: sed tantundem mihi magistri muti quantum vocales Graeci Hieronymo olim responderunt. Dicamus igitur quod res est. Graeci Interpretes, cùm Hebraïcam vocem *Segullah* aliter non possent, novo vocabulo à περιουσία derivato interpretati sunt, dixeruntque περιούσιον, pro quo Symmachus Graecè ἐξαίρετον *egregium* vel *praecipuum*, Latinè in alio volumine *peculiarem* dixit. Sensum vocis tenemus, etsi Grammaticae significationis rationem non assequimur. Nimirum ut olim in V. T. Deus populum Israelitarum ex omnibus gentibus selegit, quem amaret, cui benefaceret, & à quo vicissim coleretur: itâ in N. T. omnes verè fideles quasi in peculium suum adscripsit, ut haberet quos gratiâ suâ amplexaretur, & à quibus vicissim honoraretur. Quâ de causâ λαὸν περιούσιον vocat Apostolus ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, quemadmodum Strabo lib. 15. Magos Persarum σεμνοῦ τινος βίου ζηλωτὰς appellat. Neque enim vulgaris conditionis est coetus Christianorum, sed eximius atque peculiaris, qui in pulcerrimis poenitentiae, precum, liberalitatis & benignitatis operibus se quotidie exercet. ¶ Postremum hujus capitis praeceptum est, Μηδείς σου περιφρονείτω. Ubi περιφρονείτω vel est positum pro καταφρονείτω, & est repetitio praecepti Timotheo dati 1 Tim. 4. 12. Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω, *Nemo tuam juventutem despiciat:* vel est ὑπερφρονείτω, περισσῶς φρονείτω quemadmodum possis interpretari versiculum illum Aristophanis in Nebulis,

> Ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον,

Vagor cogitationibus meis *in aëre, & supra Solem sapio.* Sic sensus esset, *Nemo te plus sapere ausit.* Reperiuntur enim non rarò in Ecclesia qui se existimant, ut Niobe apud Libanium Sophistam, μεῖζον τῆς θνητῆς φύσεως φρονεῖν, *altius sapere quàm humana ferat natura:* qui & ipsi in piae moderationis gyrum à prudente Tito sunt revocandi. Verùm prior expositio est simplicior.

JAC. CAPPELLUS.

10, 11. UT *Dei Servatoris nostri* Christi *doctrinam* Euangelicam *ornent in omnibus* pro virili, servi videlicet fidum dominis suis obsequium praestando. *Salutaris enim Dei gratia*, doctrina gratuitae salutis, cujus versu praecedente mentio facta est, *illuxit omnibus*, tam servis quàm dominis, tam Graecis quàm Judaeis, tam barbaris quàm Romanis aut Graecis. Dicuntur enim haec ad consolandos & ad officium incitandos quosvis homines, imprimis autem servos, qui locum infimum inter homines obtinebant, & inter quos erant multi barbari. Haec igitur, inquit Apostolus, salutis doctrina, quae gentes omnes tot secula latuerat, nunc *omnibus*, i. e. quibusvis, *illucescit*, ut omnes, etiam infimae sortis homines, sapere discant, & vitam honestam instituere; quod antea videbatur ab ingenuis tantùm exigi.

GROTIUS.

1. Σὺ δὲ λάλει, *Tu autem loquere*] Id est, *doce.* Sic enim Hebraei dicunt דבר ubi de Doctoribus agunt. ¶ ἃ πρέπει τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ. *quae decent sanam doctrinam*] *Quae conveniunt cum ista sancta disciplina*, de qua ante dixi 1. 9.

2. Πρεσβύτας, *Senes*] Videtur hîc potiùs aetas intelligenda quàm dignitas. Et frequens est eo sensu vox πρεσβύτης [*Senex*] apud interpretes Veteris Testamenti. Movet me ut ita sumam id quod sequitur infra 4, & 6. ¶ νηφαλίους εἶναι, *ut sobrii sint*] Id est, vino utentes non plus quàm valetudo requirit. *Senibus vinum pro lacte esse* ajunt Graeci; sed modum servare debent, primùm ut valetudini suae & menti consulant: deinde ut quantum aetate praestant caeteris, tantum praestent & exemplis. De voce νηφαλίους [*sobrii*] vide 1 Tim. 3. 2, 11. ¶ σεμνούς, *pudici*] Vide 1 Tim. 3. 8. ¶ σώφρονας, *prudentes*] Vide idem. ¶ ὑγιαίνοντας τῇ πίστει, *sani in fide*] Supra 1. 13. ¶ τῇ ἀγάπῃ, τῇ ὑπομονῇ. *in dilectione, in patientia*] Quae fidem sequuntur, 2 Tim. 3. 10. *Sanitas* in his est sinceritas.

3. Πρεσβύτιδας ὡσαύτως, *Anus similiter*] Appellantur & sic κατ' ἐξοχὴν αἱ προκαθήμεναι [*per excellentiam quae praesident.*] Sed cur de aetate hîc potiùs sumendum sit, jam indicavimus. Et utitur hoc sensu ea voce Æschines. ¶ ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, *in habitu sancto*] Κατάστημα Hesychio, quod in Glossario vertitur *status*, & *gestum* & *habitum* significat. ἱεροπρεπεῖς [*sacri*] *quasi semper in Templo versarentur*, ut anus illae Judaïcae, de quibus vide quae dicta ad Luc. 2. 37. Sic ἱεροπρεπὴς κνίσσα, [*nidor sacer*] apud Lucianum. ἱεροπρεπῶς, θεοπρεπῶς [*sanctè, divinè*] Hesychius. ¶ μὴ διαβόλους, *non criminatrices*] 1 Tim. 3. 11. ¶ μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας, *non multo vino servientes*] Idem quod νηφαλίους [*sobrias*] dicto ad Timotheum loco. οἴνῳ δεδουλωμένοι למאחרים על היין [*qui commorantur in vino*] Proverb. 23. 30. Consuetudo homines vitiorum servos facit, Joh. 8. 34. Rom. 7. 14. *Anus multibiba & merobiba* apud Plautum. ¶ καλοδιδασκάλους, *bene docentes*] *Rectè docentes.* Talis foemina laudata in Prov. 31. 26. ותורת חסד על לשונה [*Lex sanctitatis in lingua ejus.*] Non tales de quibus queritur apud Euripidem Hermione,

> Κακῶν γυναικῶν εἴσοδοί μ' ἀπώλεσαν
> [*Me perdiderunt mulierum affatus mali.*]

4. Ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, *ut prudentiam doceant adolescentulas*] Theano, Ταῖς νεωτέραις ὑμῖν ἡ μὲν ἐξουσία παρὰ τῷ νόμῳ δίδοται, τῶν οἰκετῶν ἄρχειν ἅμα τῷ γάμῳ· ἡ δὲ διδασκαλία παρὰ τῶν πρεσβυτέρων ἀπαιτεῖν ὀφείλει περὶ τῆς οἰκονομίας ἀεὶ παραινούντων [*Juvenculis nuptis statim lege imperium in servos datur: has tamen doceri oportet a provectioribus, quae eas de domûs regimine assiduè admoneant,*] & quae sequuntur. Σωφρονισταὶ dicebantur Athenis *qui Juvenum mores formabant.* ¶ Φιλάνδρους εἶναι, *ut viros suos ament*] *Ut sint maritorum amantes*, quo sensu Lucianus φιλανδρίαν [*amorem in maritum*] in

in laude dixit. ἀνὴρ [*vir*] & *maritum* significat, & *quemvis virilis sexûs*, quo respectu mulier Φίλανδρος [*virum amans*] dicitur probri causâ *virosa*. ¶ Φιλοτέκνους, *filios suos diligant*] *Liberûm amantes*. Hirundini hoc nomen dant Græca epigrammata.

5. Σώφρονας, *Prudentes*] *Modestas*. Vide 1 Tim. 2. 15. 3. 2. ¶ ἁγνὰς, *castas*] *De queis mentiri fama veretur*. ¶ οἰκουρούς, *domûs curam habentes*] Non περιερχομένας τὰς οἰκίας [*circumeuntes domos*,] ut illæ de quibus 1 Tim. 5. 13. & Prov. 7. 12. Philo de Legibus specialibus, Ἀγοραὶ γὰρ καὶ βουλευτήρια καὶ δικαστήρια καὶ θίασοι, καὶ σύλλογοι πολυανθρώπων ὁμίλων, καὶ ὁ ἐν ὑπαίθρῳ βίος, διὰ λόγων καὶ πράξεων κατὰ πολέμους, καὶ κατὰ εἰρήνην, ἀνδράσιν ἐφαρμόζουσι· θηλείαις δὲ οἰκουρία καὶ ἔνδον μονὴ, παρθένοις μὲν εἴσω κλισιάδων τὴν μέσαυλον ὅρον πεποιημέναις· τελείαις δὲ ἤδη γυναιξὶ τὴν αὔλειον [*Fora, curia, tribunalia, sodalitia, comitia, & sub dio vita, quæ causis agendis, rebusque gerendis in bello ac pace occupata est, viris conveniunt; fœminis verò cura rei familiaris, & domûs custodia. Virgines penetralia: mulieres aulam non egrediuntur.*] Quæ ultima ex illis sunt Menandri,

> —πέρας γὰρ αὔλιος θύρα
> Ἐλευθέρᾳ γυναικὶ νενόμιστ᾽ οἰκίας
> [—*nam limes domus*
> *Matronis gravibus, atriense est ostium.*]

Qui cum non malè convenit illud Meleagro Euripidis,

> Ἔνδον μένουσαν τὴν γυναῖκ᾽ εἶναι χρεὼν
> Ἐσθλήν, θύρασι δ᾽ ἀξίαν τοῦ μηδενός
> [*Lare contineri fœmina officium probæ est*,
> *Foris vagantes nullius pretii puta.*]

¶ ἀγαθὰς, *benignas*] Φιλαγάθους, ut de Presbytero loquitur supra 1. 8. Talis Tabitha Actor. 9. 36. πλήρης ἀγαθῶν ἔργων [*plena operibus bonis.*] ¶ ὑποτασσομένας τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν, *subditas viris suis*] Et hic passivum est pro reciproco, quod in verbis τάσσεσθαι [*ordinari*,] & inde derivatis frequens: maximè verò in ὑποτάσσεσθαι [*subditum esse*] Luc. 2. 51. Rom. 8. 7. 10. 3. 13. 1, 5. Et nominatim de mulieribus Ephes. 5. 22. Coloss. 3. 18. quibus locis dicta consule. ¶ ἵνα μὴ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ βλασφημῆται. *ut non blasphemetur verbum Dei*] Sic & Rom. 2. 14. 1 Tim. 6. 1. Nam si qua mulier Christiana vixisset licentiùs, continuò dicturi erant Græci, *Quid ei proficit nova hæc disciplina?* Maximè verò in hoc periclitabantur, si maritus esset aut Paganus, aut Judæus.

6. Τοὺς νεωτέρους, *Juvenes*] נערים. ¶ ὡσαύτως παρακάλει σωφρονεῖν. *similiter hortare ut sobrii sint*] *Ad modestiam eos excita.*

7. Περὶ πάντα σεαυτὸν παρεχόμενος τύπον καλῶν ἔργων, *In omnibus præbens teipsum exemplum bonorum operum*] Non verbis tantùm præire debes, sed & exemplo. τύπον pro *exemplari quod imitandum proponitur* habemus Philipp. 3. 17. 1 Thess. 1. 17. 2 Thess. 3. 9. 1 Petri 5. 3.

8. Ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, ἀφθαρσίαν, λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον, *In doctrina integritatem, gravitatem, incorruptibilitatem, verbum sanum, irreprehensibile*] In Manuscripto ἀφθορίαν [*integritatem*,] cujus interpretamentum illud ἀφθαρσίαν [*incorruptibilitatem*] quod à pluribus codicibus abest: neque id legêre Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Reguntur hi accusativi ab illo παρεχόμενος [*præbens*,] non repetito σεαυτόν [*teipsum.*] Solet ἄφθορος [*incorrupta*] dici de virgine. Est ergo ἀφθορία ἐν τῇ διδασκαλίᾳ [*integritas in doctrina*,] *puritas illibata*. Σεμνότης est *in docendo gravitas*, ut 1 Tim. 2. 2. 3. 4. λόγος ὑγιὴς, ἀκατάγνωστος [*verbum sanum, irreprehensibile*] *is sermo, in quo non modò nihil sit noxium, sed nec quod malè accipi possit.* Vide Gal. 2. 11. Vocem ἀκατάγνωστος [*irreprehensibilis*] habes & 2 Macc. 4. 17. ¶ ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῇ, μηδὲν ἔχων περὶ ὑμῶν λέγειν φαῦλον. *ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de vobis*] Ὁ ἐξ ἐναντίας est *is qui adversæ est partis*: loquitur sic Aristoteles. Articulus autem ὁ hîc generalitatem significat, ut alibi sæpe. De voce ἐντρέπεσθαι [*confundi*] vide 2 Thess. 3. 14. Φαῦλον רע [*malum*] Joh. 3. 20. 5. 29. Jac. 3. 16.

9. Δούλους ἰδίοις δεσπόταις ὑποτάσσεσθαι, *Servos dominis suis subditos esse*] Repetendum ex superiore loco παρακάλει [*hortare.*] Rursum hic habes ὑποτάσσεσθαι [*subditum esse*] in sensu reciproco. Sensus idem qui Ephes. 6. 5. Coloss. 3. 22. ¶ ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι, *In omnibus placentes*] Nempe τοῖς δεσπόταις [*dominis*,] qui dativus ex præcedenti subintelligitur. Solet autem εὐάρεστος [*placens.*] dativum habere post se, Sap. 4. 10. Rom. 12. 1, 2. 14. 18. 2 Cor. 5. 9. Ephes. 5. 10. Philipp. 4. 18. Coloss. 3. 20. *Vult servos omni modo id agere, ut Dominis placeant, eisque se probent.* ἐν πᾶσιν [*in omnibus*] sume ut Coloss. 3. 22. ¶ μὴ ἀντιλέγοντας· *non contradicentes*] *Non responsatores*; ita enim Plautus loquitur.

10. Μὴ νοσφιζομένους, *Non fraudantes*] *Non furaces* vult dicere: sed leniori verbo usus est, ut cùm Jurisconsulti dicunt *res amotas*. Vide 2 Macc. 4. 32. In Glossario, νοσφίζομαι, *peculor, usurpo*. ¶ ἀλλὰ πίστιν πᾶσαν ἐνδεικνυμένους ἀγαθήν. *sed in omnibus fidem bonam ostendentes*] Ἀγαθὴν πίστιν ex Latino, *bonam fidem*. ἐνδείκνυσθαι [*ostendere*] sume ut 2 Tim. 4. 14. ¶ ἵνα τὴν διδασκαλίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ κοσμῶσιν ἐν πᾶσιν. *ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*] *Ut professionem suam ornent*, ut commendent bonis moribus. Nam professionem μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] vocat διδασκαλίαν [*doctrinam.*] Et doctrinam hanc Christi, *Dei Patris doctrinam* vocat, quia ipsi à Deo Patre fuit mandata. De titulo σωτῆρος [*Salvatoris*] tributo Patri Christi vide 1. Tim. 2. 3. 4. 10. supra 1. 3.

11. Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, *Apparuit enim gratia Dei*] Summa Dei bonitas quæ in Euangelio apparuit, summam etiam vitæ puritatem desiderat. Comparat hanc bonitatem astro alicui, quod subitò illucet. Vide Luc. 1. 79. Actor. 27. 20. Infra 3. 4. נגלה [*manifestata est*] ut Gen. 25. 7. Locum Sophoniæ 2. 11. Sic habent Græci, ἐπιφανήσεται ὁ Κύριος ἐπ᾽ αὐτοὺς καὶ ἐξολοθρεύσει πάντας τοὺς θεοὺς τῶν ἐθνῶν τῆς γῆς, καὶ προσκυνήσουσιν αὐτῷ ἕκαστος ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ [*Apparebit Dominus super eos, omnesque Deos gentium terræ disperdet, & adorabunt eum singuli de loco suo*] Quæ verba paululùm mutata citat Chrisostomus 2. adversùs Judæos. ¶ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις. *salutaris omnibus hominibus*] *Quæ salutaris est hominibus omnibus*, nempè eam acceptantibus.

12. Παιδεύουσα ἡμᾶς, *Erudiens nos*] Nempe per Christum. ¶ ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, *ut abnegantes impietatem & mundana desideria*] ἀρνησάμενοι [*abnegantes*] hic est *abdicantes*, ea locutione de qua egimus 2 Tim. 3. 5. Ἀσέβεια [*impietas*] solet εἰδωλολατρείαν [*idololatriam*] sequi, ut apparet ex Ciceronis disputationibus de Natura Deorum. Κοσμικαὶ ἐπιθυμίαι [*mundana desideria*] dicuntur eæ cupiditates, quas major pars hominum sequitur. Ea enim pars major sæpe in his libris κόσμου [*mundi*] vocatur nomine. ¶ σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. *sobriè & justè & piè vivamus in hoc seculo*] Tribus verbis breviter omnes officii nostri partes conclusit. Nam ea aut ad nos pertinent, aut ad hominem alterum, aut ad Deum. Philo, libro Virum bonum esse liberum, Ὅροις καὶ κανόσι τριττοῖς χρώμενοι τῷ τε φιλοθέῳ, καὶ φιλαρέτῳ, καὶ φιλανθρώπῳ, τοῦ μὲν οὖν φιλοθέου δείγματα παρέχονται μυρία, τὴν παρ᾽ ὅλον τὸν βίον συνεχῆ καὶ ἐπάλληλον ἁγνείαν, τὸ ἀνώμοτον, τὸ ἀψευδὲς, τὸ πάντων μὲν ἀγαθῶν αἴτιον, κακοῦ δὲ μηδενὸς νομίζειν εἶναι τὸ θεῖον. τοῦ δὲ φιλαρέτου, τὸ ἀφιλοχρήματον, τὸ ἀφιλόδοξον, τὸ ἀφιλήδονον, τὸ ἐγκρατὲς, τὸ καρτερικόν· ἔτι δὲ ὀλιγοδεΐαν, ἀφέλειαν, εὐκολίαν, τὸ ἄτυφον, τὸ νόμιμον, τὸ εὐσταθὲς, καὶ ὅσα τούτοις ὁμοιότροπα. τοῦ δὲ φιλανθρώπου εὔνοιαν, ἰσότητα παντὸς λόγου κρείττονα κοινωνίαν [*Quæ triplici regulâ examinant, amore Dei & virtutis, & hominum. Pietatis erga Deum argumenta præ se ferunt plurima, castitatem in tota vita perpetuam, à jurejurando mendacioque abstinentiam, & quod ad Deum auctorem bona omnia, malum verò nullum referunt. Virtutem quoque sibi esse cordi satis declarant, dum pecuniam, honores, voluptatesque contemnunt fortiter, vivuntque continenter, in laboribus complexi frugalitatem, simplicitatem, felicitatem, modestiam, legum reverentiam, constantiam & id genus cætera. Charitatem porrò eorum erga homines indicat benevolentia, mira dictu æquabilitas, & omnium rerum societas,*] &c. Idem pietatis & justitiæ cohærentiam sic ostendit, Τῆς αὐτῆς φύσεώς ἐστιν, εὐσεβῆ τε εἶναι καὶ φιλάνθρωπον· καὶ περὶ τὸν αὐτὸν, ἑκάτερον ὁσιότης μὲν πρὸς Θεὸν, δικαιοσύνη δὲ πρὸς ἀνθρώπους θεωρεῖται [*Ejusdem est naturæ religiosum esse & hominum amantem: apud eundem spectantur pietas in Deum, & in homines justitia.*] Qua de re multa diximus libro II. de jure Belli ac Pacis 20. 44. & sequentibus, tum in textu, tum in Annotatis.

13. Προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, *Exspectantes beatam spem*] Est & hic μετωνυμία [*Transnominatio.*] Nam rei speratæ datur *spei* nomen, ut & Gal. 5. 5. Coloss. 1. 5. Et *spes*, id est, vita æterna dicitur μακαρία [*beata*,] quia omne id quod beatum hominem facere potest in se continet. ¶ καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης, *& adventum gloriæ*] Hic rursus καὶ [*&*] est ἐξηγητικόν [*explicativum.*] Et ἐπιφάνεια δόξης [*apparitio gloriæ*] more Hebræo est *gloriosa apparitio*. Vide Matth. 25. 30. Marci 13. 26. ¶ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ

Χριστοῦ.

Χριστοῦ. *magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi*] Illa *apparitio* dicitur non *Christi* tantùm futura, sed & *Dei*: quia Deus majestatem illam Christo tribuit. Ideo dicitur Christus venturus ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς [*in gloria Patris*] Matth. 16. 27. Marc. 8. 38. Ita hunc locum rectè accepit Ambrosius. Qui putant τοῦ σωτῆρος [*Salvatoris*] dici debuisse, si hæc distinxisset Apostolus, norint in his libris τὰ ἄρθρα [*articulos*] sæpe poni ubi opus non est, & sæpe omitti ubi ex usu ponerentur.

14. Ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, *Qui dedit semetipsum pro nobis*] *Qui Jesus morti se devovit nostrâ causâ.* ¶ ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας, *ut nos redimeret ab omni iniquitate*] Nempe per prædicationem Apostolorum fultam illo Spiritu quem Christus ipsis impetraverat. Vide 1 Petr. 1. 16. ¶ καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον, *& mundaret sibi populum acceptabilem*] Id est, *purgatos à vitiis, eos sibi faceret populum præstantem*, עם סגלה [*populum peculiarem* Exod. 19. 5. Deut. 7. 6. 14. 2. 26. 18. vertitur λαὸς περιούσιος [*populus præstans*] à περιεῖναι quod est *præstare*, ut apud Plutarchum Lycurgo, τοσοῦτον περιῆν τῇ πόλει [*adeò præstans erat in urbe.*] Hinc & περιουσιασμὸς Psalm. 135. 41. Ecclesiastæ 2. 8. *Possessionem præstantissima* Symmachus pro eodem dixit ἐξαίρετον [*selectum*,] ut nos docet Hieronymus. ¶ ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. *sectatorem bonorum operum*] קנא, id est, *vehementer studiosum.* Vide de hac voce Actor. 21. 20. 22. 3. 1 Corinth. 14. 12. Gal. 1. 14.

15. Ταῦτα λάλει, καὶ παρακάλει, *Hæc loquere & exhortare*] Sume λάλει [*loquere*,] ut supra 1. in Manuscripto pro λάλει [*loquere*] est δίδασκε [*doce.*] ¶ καὶ ἔλεγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. *& argue cum omni imperio*] Nempe imperans Dei nomine ut à peccatis abstineant: quomodo ἐπιταγὴ sumitur 2 Cor. 8. 8. ¶ Μηδείς σου περιφρονείτω. *Nemo te contemnat*] Id est, *ita te gere, ne contemni possis.* Similis monitio 1 Tim. 4. 12. ubi καταφρονείτω, quod hic περιφρονείτω [*contemnat.*] Scholiastes Aristophanis ad Nebulas περιφρονῶ [*contemno*] ait ἴσον [*idem*] esse τῷ καταφρονῶ.

PRICÆUS.

1. ΛΆλει] Doceto. Sic suprà 1. 11. λαλοῦντες· Coloss. 4. 4. λαλῆσαι· 1 Petr. 4. 11. Luc. 9. 11. ἐλάλει· & Joh. 8. 47. λαλιὰ, doctrina.

2. Πρεσβύτας νηφαλίους εἶναι] Seneca 1. 5. de Clementia, *Cùm virtutibus inter se sit concordia, nec ulla alterâ melior aut honestior sit, quædam tamen quibusdam personis aptior est.* Νηφαλίους εἶναι autem, & quia senes sunt, (Seneca Controvers. 2. 6. *Senex ebrius*, &c. *nonne portentum est?*) & quia sacerdotes sunt. P. Chrysologus Serm. 26. *Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium.* Sedulius autem hoc Apostoli loco, *Ut sobrii sint, id est, non luxuriosi:* quæ nec malè expositio congruit. Seneca dicto Controversiarum loco, *Luxuriosus adolescens peccat, senex insanit.*

3. ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς] Vulgatus, *in habitu sancto.* Recentior, *in habitu qui sanctimoniam deceat.* Putârunt, credo, κατάστημα id hic esse quod 1 Tim. 2. 9. καταστολή· mihi latiùs sumenda videtur vox κατάστημα, nec amictum tantùm, sed & gestum, incessum, vultum, &c. complecti. Porphyrius in περὶ ἀποχῆς δ΄. de Ægyptiorum sacerdotibus, Τὸ δὲ σεμνὸν αὐτῶν καὶ ἐκ τοῦ καταστήματος ἑωρᾶτο, πορεία τε γὰρ ἦν, &c. εὔτακτος, καὶ βλέμμα καθεστηκός. Hinc βλέμματι καὶ κινήματι καταστηματικὸς, Plutarchus in Gracchorum vita. Ἐν καταστήματι ergò ἱεροπρεπεῖς, *quarum probata est conversatio, sermo moderatus, sancta verecundia:* ut (& de provectioris ætatis fœminis) locutus D. Hieronymus Epistolâ ad Demetriadem. Idem 4 Epist. *Quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est.* Græcè contractiùs dicas, ὧν αὐτὸ τὸ κατάστημα μαθητεία ἐστίν ut de Trallensium Episcopo dixit S. Ignatius, cujus verba Hieronymus videtur imitatus. Ambrosius de Virgin. 3. in laudibus B. Mariæ Virginis, *Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Cassianus, Collat. 11. 2. de quibusdam in Ægypto anachoretis, *Quorum ita*, &c. *sanctitas in ipso fulget aspectu, ut vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus possit conferre doctrinam.*

Ibid. ἱεροπρεπεῖς] Vulgat. *in habitu sancto.* Potes & ita, *in habitu qualis decet sanctos.* Sic apud Hesychium, Θεοπρεπεῖς, θεῷ ἁρμόζοντας.

Ibid. μὴ διαβόλους] *Non criminatrices*, ut bene Vulgatus. Onomasticon vetus, *Criminari*, διαβάλλειν· & in Glossario, *Criminator*, διάβολος. De sensu vide ad 1 Tim. 3. 11. annotata.

Ibid. μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας] Quin potiùs qualis illa, de qua Afranius,

> *Vigilans, ac solers, sicca, sana, sobria.*

Columella 12. 1. de villici uxore, *Considerandum erit an à vino*, &c. *à viris remotissima sit.* Nota & quàm significanter δεδουλωμένας dixerit.

> Οὐδεὶς γὰρ μεθύων, ἂν σκοπῇς,
> Ὃς οὐχὶ δοῦλός ἐστι τοῦ πεπωκέναι.

Δεδουλωμένον οἴνῳ etiam Philostratus 2. 14. dixit: & *vino corpus mancipare*, Apulejus. Hæ tales unâ voce οἰνόληπτοι. Passivum heic (sensu reciproco) pro, ἑαυτὰς δούλας ποιούσας. Non temere autem præcipiendum hoc ait ætatis provectioris fœminis. Scholiastes vetus Homeri, Iliad. ζ. de anubus loquens, Χαίρει τῷ οἴνῳ ἡ ἡλικία αὕτη. In Plauti Curculione anus lena illa,

> *Flos veteris vini meis naribus objectus est,*
> *Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras:*

& alia amphoram apud Phædrum alloquens,

> *O suavis anima! quantùm te dicam bonam*
> *Antehac fuisse, tales cùm sint reliquiæ!*

Pollux 2. 2. Onomastici, Πρεσβύτης φίλοινος, μέθυσος, οἰνοπάχλη· (ubi nescio an οἰνομάχλη legendum.) Apulejus, & de anu, lib. 6. *Delira ac temulenta.* De eadem 4. *Diebus ac noctibus nil quidquam rei quàm vinum savienti ventri tuo solas ingurgitare.* Hinc & 9. Ejusdem proverbiale illud, *anus ad armillum revertitur:* armillum autem vas vinarium exponitur à Grammaticis. *Solutas mero aniculas* apud Petronium habemus: *recoctam vino anum*, apud Eundem, in Diomede literatore: *multibibam & merobibam anum*, in fabulis Plautinis.

Ibid. καλοδιδασκάλους] Qualis ille de quo Plinius junior 3. 3. ad Hispullam, *Nil ex hoc viro filius tuus audiet nisi profuturum.* In Senecæ Thebaide,

> *Ego sum magister juris ac moris probi.*

Quibus apposita Salustii illa de Catilina, *Juventutem*, &c. *multis modis mala facinora edocebat.*

Ibid. καλοδιδασκάλους] Non διδασκάλους κακῶν, ut mulieres apud Euripidem illæ: non qualis Salvia Crispinilla, quam *libidinum Neronis magistram* vocavit Tacitus: non *ludi malitiæ magistras*, ut Sostrata apud Terentium: sed *sanctæ conversationis magistras*, ut Hieronymus; *bonarum artium magistras*, ut Petronius locutus. Ejusmodi, *quarum in contuberniis nil possit nisi sanctum honestumque videri*, cujusmodi apud Plinium juniorem lib. 4. ep. 19. Hispulla.

> *Recta inculcantes, non famâ digna sinistrâ,*
> *Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus.*

Recta autem quæ docendum habebant speciatim sequuntur.

4. Ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας φιλάνδρους εἶναι] Id est, σωφρονιζούσας τὰς νέας φιλάνδρους εἶναι· vel ἐλλειπτικῶς dicta, pro ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, διδάσκουσαι αὐτὰς φιλάνδρους εἶναι. D. Augustinus de anu in domo avi sui, Confess. 9. 8. *Curam filiarum dominicarum suarum commissam sibi diligenter gerebat, & erat in iis coercendis, cùm opus esset, sanctâ severitate vehemens, atque in docendis sobriâ industriâ.* Bene Auctor ad Herennium, *Sapienter hi faciunt qui adolescentes castigant, ut quibus virtutibus omnem vitam tueri possint, eas in ætate maturissima velint comparare.* Τὰς νέας σωφρονίζειν hic, ut apud Plutarchum in De liberis educandis, τοὺς μειρακίσκους σωφρονίζειν· apud Eundem, lib. Quomodo amici ab adulat. &c. υἱὸν ἄσωτον σωφρονίζειν· Apulejum, *adolescentiam* (i. e. adolescentes) *coercere*, lib. 10. & apud Herodianum lib. 3. τοὺς υἱοὺς σωφρονίζειν. In Glossis, Σωφρονίζω, *compesco.*

Ibid. ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, &c.] Vulgat. *ut prudentiam doceant adolescentulas.* Cicero in Catone M. *Senectutis est proprium, ut adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii genus instruat.* Sic & *juvenes salubribus præceptis instruere*, apud Petronium.

Ibid. φιλάνδρους εἶναι] *Amare nuptias suas, nihil pluris marito facere*, ut Controvers. 1. 6. locutus Seneca.

Ibid. φιλάνδρους εἶναι] Ut Bruti Porcia, quam φίλανδρον Plutarchus vocat; ut Irene & Alcestis & Camma quas Idem eodem attributo decorat; ut Alypiana, cujus φιλανδρίαν (in Epistolis) Gregorius Nazianzenus; & Plotina, cujus eandem virtutem lib. 7. Apulejus prædicat: non *viris adversas*, ut Sostrata, de qua supra. Plinius lib. 4. Epist. 19. de uxore sua, *Amat me, quod castitatis indicium est.* In Claudiæ cujusdam lapide sepulcrali,

> *Suum maritum corde dilexit suo.*

Tobiæ 10. 3. de parentibus Saræ, *Dimiserunt ire, monentes eam honorare soceros, diligere maritum.* Euripides Medeâ,

> —— Μεγίστη γίγνεται σωτηρία,
> Ὅταν γυνὴ πρὸς ἄνδρα μὴ διχοστατῇ.

Post

Post φιλάνδρους addit Apostolus, σώφρονας, οἰκουρούς. Sic Philo, itidem de bonis uxoribus, σώφρονας, οἰκουρούς, φιλάνδρους dixit: & φιλάνδρους καὶ σώφρονας γυναῖκας, Plutarchus.

Ibid. φιλάνδρους εἶναι, φιλοτέκνους, σώφρονας]

—*Castum ut servare cubile*

Conjugis, & parvos curent non temnere natos.

Seneca de Megara Amphitryonis,

—*Castâ fide*

Servans torum natosque.—

Polycarpus ad Philippenses, Ἔπειτα καὶ τὰς γυναῖκας ὑμῶν, &c. στεργούσας τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας, &c. καὶ τὰ τέκνα παιδεύειν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου τοῦ Κυρίου. Σωφροσύνην, φιλανδρίαν, καὶ φιλοτεκνίαν, junxit & Cato apud Zonaram.

Ibid. σώφρονας] In Glossis, Σώφρων γυνὴ, *pudica, casta.* Vide ad 1 Tim. 2. 9. annotata.

Ibid. σώφρονας, ἁγνὰς, οἰκουρούς] Ut illa de qua in vetere Epigrammate,

Casta, pudens, vulgi nescia, fida viro.

Ubi *casta*, quæ hic ἁγνή; *pudens*, ferè quæ heic σώφρων; *vulgi nescia*, quæ heic οἰκουρός. Apulejus 9. *Quàm sobria, quàm fida matrona!* ὡς σώφρων, καὶ ἁγνή!

Ibid. ἁγνὰς]

—*Timidas Venerem temerare maritam,*

Sanctaque legitimi fallere jura tori.

Ibid. οἰκουρούς] Quæ dicant cum testudine,

— Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος.

Euripides Heraclidis,

Γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν

Κάλλιστον, εἴσω θ' ἥσυχον μένειν δόμων.

Idem Troadibus,

—Ἔνθα κἂν προσῇ, κἂν μὴ προσῇ

Ψόγος γυναιξὶν, αὐτὸ τοῦτ' ἐφέλκεται,

Κακῶς ἀκούειν ἥτις οὐκ ἔνδον μένει.

Quem in sensum & l. 31. Cod. de procurat. *Mulieres vagari non possint sine contumelia, aut læsione & nota matrimonialis pudoris.* Donatus ad 2. 2. Hecyræ, *Non est æquum domo mariti abesse nuptam.* Cato in De re rustica, de uxore villici, *Ad cœnam nè quò eat, neve ambulatrix siet:* & 12. 1. Columella, *Persuasissimum habere debet* (uxor villici nempe) *aut in totum, aut certe plurimùm, domi se morari oportere.* Vide ad 1 Tim. 5. 13. dicta. In Claudiæ jam citato lapide, *Domum servavit, lanam fecit, &c.* Suidas, Γυναικὸς τυγὴ ἐπὶ τῶν ἀργῶν, ἤδη χρὴ τὰς γυναῖκας οἴκοι μένειν. Propertius,

Et quæcunque viri fœmina limen amat.

Ibid. οἰκουρούς] Apud Apulejum lib. 9. illa, *Ego mulier, & intra hospitium contenta.* Artemidorus 1. 52. Ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οἰκουροῦσιν αἱ γυναῖκες. Apud Eundem 1. 66. & 2. 33, 35. & 71. item 3. 54. γυναῖκας οἰκουροὺς habemus: & apud Plutarchum, lib. An seni Respubl. ger. sit, γυναικῶν οἰκουρίαν. Philo in de Principis creatione, Γυναῖκες, ὧν ὁ βίος οἰκουρικὸς φύσει, καὶ κατοικίδιος. Ægyptii (ut narrat idem Plutarchus in Conjugal. præceptis) mulieribus usum sandaliorum calceorumque interdixerunt, ut faciliùs intra domûs limen continerent se: nunc autem pleræque mulieres (inquit) si pedes tegumentis aurátis non indutæ fuerint, libentiùs multò domi versantur quàm in publicum prodeunt: quæ nec minùs verè de nostri seculi mulieribus affirmare licuerit.

Ibid. ἀγαθὰς] Apulejus 6. *Cognata mea, bona præterea fœmina.* Ità *bonas matronas*, Terentius in Eunuchi Prologo. In Glossis, Ἀγαθὴ, *bona, benigna.* Vidi qui (H. Steph.) vocem istam conjungerent ei quæ proximè præcedit, legerentque (ablatâ ὑποστιγμῆς notâ) οἰκουροὺς ἀγαθάς· Malim ego disjunctim legi, &, si faverent MSS. codices, φιλαγάθους scribi, ut suprà 1. 8. Imò & Clemens Alexandrinus inter alias nuptarum dotes φιλαγαθίαν ponit, Pædag. 3. 8.

Ibid. ὑποτασσομένας τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν] Sic in Plutarchi Conjugal. præceptis, ἑαυτὰς τοῖς ἀνδράσιν ὑποτάττουσαι· Artemidori 2. 33. γυναῖκα, &c. τῷ ἀνδρὶ πειθομένην· & apud Simplicium, in cap. 61. Epicteti, τῷ ἀνδρὶ ὑποτεταχθαι. Vide ad 1 Tim. 2. 12. dicta.

Ibid. ἵνα ὁ λόγος τοῦ θεοῦ μὴ βλασφημῆται] Ità 1 Tim. 6. 1. ubi annotata vide.

6. τοὺς νεωτέρους ὡσαύτως, &c.] A senioribus (de quibus suprà com. 2.) ad juniores moribus formandos transit: planè ut 1 Epist. cap. 5. com. 1, & 5. D. Petrus. Cicero in Catone majore, *Officia non eadem disparibus ætatibus tribuuntur; alia sunt juvenum, alia seniorum, alia constantis ætatis.* Vide Senecam suprà ad com. 2. adductum. Νεωτέρους hic est νέους· ut Joh. 21. 18. Act. 5. 6. 1 Tim. 5. 1. 1 Petr. 5. 5. Hesychius, Νεώτεροι, οὐ μόνον συγκριτικῶς, ἀλλὰ καὶ νέοι Ἀττικοί.

7. Περὶ πάντα παρεχόμενος σεαυτὸν τύπον καλῶν ἔργων] Cicero 3. Offic. *Ut nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magnâ laude dignum sine usu & exercitatione consequi possunt: sic officii conservandi præcepta traduntur illa quidem ut faciamus ipsi.* Euthymius ad Matth. 11. illa, ΔΙΣΙΤΕ Α ΜΕ; *Seipsum in exemplum constituit, ut faciliùs sermo reciperetur:* vide 1 Cor. 9. 27. Plutarchum ad 1 Tim. 3. 2. illud νηφάλιον, &c. adductum; & quæ ad 1 Tim. 4. 12. annotavimus. Illud περὶ πάντων malim cum Hieronymo referre ad præcedentia: σωφρονεῖν περὶ πάντα, ergò hoc loco, ut Luc. 10. 41. περὶ πολλὰ τυρβάζεσθαι. Σεαυτὸν παρεχόμενος τύπον, à capite legendum, ut dicto ad Timotheum loco, τύπος γίνου, &c. Bene Vulgatus autem, *præbens te exemplum.* Donatus ad Adelph. 5. 5. *Præbes te, te ostendis, factis te probas.* Apulejus lib. 10. de venenaria illa, *Talem parentem præbuit qualem exhibuerat & uxorem.*

Ibid. ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν] Hoc est quod 1 Tim. 2. 7. διδάσκαλος ἐθνῶν ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ.

Ibid. ἐν τῇ διδασκαλίᾳ σου ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, ἀφθαρσίαν] Nil habent quo regantur accusativa ista: supplendum ergò ἐνδεικνύμενος, vel, ἀπὸ κοινοῦ, παρεχόμενος, at voce σεαυτὸν sepositâ. Τὸ ἀφθαρσίαν non agnoscit Vulgatus, non agnoscunt complures ex antiquioribus Græcis. Τῇ διδασκαλίας ἀδιαφθορίᾳ contrarium est apud Ignatium, θεοῦ πίστιν ἐν κακῇ διδασκαλίᾳ φθείρειν. Pro ἀδιαφθορίαν autem, vetustissimus qui in Anglia codex ἀφθορίαν legit; q. d. illibatam sinceritatem: γάλα ἄδολον, ut 1 Petr. 2. 2. In ista codicum diversitate datur locus modestè interrogandi an ἀδιαφορίαν Apostolus scipserit, id est, ἀπροσωποληψίαν, rationem, sive tenorem, docendi personarum non facientem discrimen: ut sit idem heic ἐν ἀδιαφορίᾳ διδάσκειν, quod Matth. 22. 16. ὁδὸν θεοῦ διδάσκειν ἐν ἀληθείᾳ, &c. καὶ οὐ βλέπειν εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων. Hesychius, Ἀδιάφορον, ἀδιάκριτον· quo sensu & 1 Tim. 5. 21. (de disciplina, ut hîc de doctrina) χωρὶς προκρίματος, & μηδὲν κατὰ πρόσκλισιν.

8. Λόγον ὑγιῆ.] Ut 1 Tim. 6. 8. λόγοι ὑγιαίνοντες.

Ibid. ἀκατάγνωστον] Vulgat. *irreprehensibilem:* id ferè est, ut in Glossario, ἀκατηγόρητον, *inaccusabilem.* Irenæus 4. 45. de legitimis Ecclesiæ doctoribus, *Apud quos, &c. id quod est sanum irreprobabile* (i. e. ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον) *sermonis, constat.* Ἀκατάγνωστον heic, ut è converso in jam citato Glossario, Καταγνωστὸς, &c. *notatus.*

Ibid. ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῇ, μηδὲν ἔχων περὶ ὑμῶν λέγειν φαῦλον] Cicero in pro Sylla, *Lætor cum me esse, in quem cùm cuperes nullam contumeliam jacere potuisti.* Idem in pro Fontejo, *De quo vos homine, Judices, nè ab inimicis quidem ullum fictum probrosum non modò crimen, sed ne maledictum quidem audistis.* Damascius de Hermia philosopho, apud Photium, Τὰ πρὸς ἀρετὴν ἤσκητο, ὥστε μηδ' ἂν τὸν μῶμον αὐτὸν ἐπιμεμφθῆναι, μηδὲ μισῆσαι τὸν φθόνον. Ὁ ἐξ ἐναντίας heic, est qui 1 Tim. 5. 14. ὁ ἀντικείμενος· ad quem locum annotata inspice. In Glossis, *Diversa pars*, ἐξ ἐναντίας μέρος. Vulgat. *qui ex adverso est.* Μηδὲν ἔχων λέγειν, bene vertebat Idem, *nil habens dicere.* Gellius 14. 1. *non habeo dicere:* & 3. 1. *Rogatus ecquid haberet, &c. dicere:* sic *cùm habeam dicere, &c.* Apulejus in Apologia. Τὸ ἐντραπῇ, etsi locum 2 Thess. 3. 14. ob oculos habeam, malim cum Hieronymo & Ambrosio *revereatur* vertere, quàm cum ætatis nostræ Eruditis *erubescat*, vel *pudefiat:* non enim ideo erubescit quis quòd alii nil objicere potest, sed cùm quod objiciat ei non habet, reveretur eum. Ignatius de Polybio Trallensium episcopo, Ὃν λογίζομαι καὶ τοὺς ἀθέους ἐντρέπεσθαι· ubi ἄθεοι pars sunt τῶν ἐξ ἐναντίας· qui apud Apostolum & Judæi & Gentes intelligendi: Ἐντρέπεσθαι autem eum ob gravitatem morum, doctrinæ sinceritatem, & vitæ integritatem. Post ἐντραπῇ in Contextu puto σε supplendum. Ὑμῶν heic, (nisi maluerimus sub persona Episcopi designari etiam gregem ejus,) videtur poni pro σοῦ· sic Joh. 4. 19. σὺ, & statim, ὑμεῖς· & 2 Tim. 4. ult. *cum spiritu tuo*, & post, *gratia vobiscum:* ut contrà Galat. 6. 1. ὑμεῖς, & pòst, σκοπῶν σεαυτόν· item Matth. 11. 24. ὑμῖν, & statim σοί· vide ad 1 Tim. 5. 4. annotata. Occurrunt multæ in his libris hujusmodi locutiones, nec temporibus, nec casibus, nec numeris, nec prædicatis respondentes, dum res attentiùs urgentur, posthabitis Grammaticorum regulis.

9. Δούλους ἰδίοις δεσπόταις ὑποτάσσεσθαι] Supple ex com. 6. παρακάλει. Scholiastes ad Plutum Aristophanis, Ἕπεται ὁ οἰκέτης τῷ δεσπότῃ, καθάπερ ὁ πῦς τῷ ὑποδήματι. Vide 1 Petr. 2. 18. ubi & ὑποτάττεσθαι.

Ibid. ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι] Non heris qui dicant, ὡς ἀρέσκει ὑμῖν οὐ ποιήσομεν, ut ille 19. 21. apud Sirachidem. Recentior Interpres, *in omnibus accepti iis*, malè, & moleste. Vulgatus optimè, *in omnibus placentes iis.* Apulejus 8. *Diu vivas*,

ut dominis placeat. Verba Pauli ista jam olim non uno modo interpungi solita nos docet Hieronymus: alii enim ἐν πᾶσιν ad sequens εὐαρέστους retulerunt, alii ad praecedens illud ὑποτάσσεσθαι. In sensu quidem, utrovis interpunxerimus modo, subest nullum discrimen, priorem tamen illum crediderim praeferendum: sic 1 Cor. 10 33. πάντα πᾶσιν ἀρέσκω. Joh. 8. 29. τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε, id est, τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ ἐν πᾶσι. Simile (quod & huic generi hominum 1 Tim. 6. 1. praecipitur) τιμῆς πάσης ἀξίους τοὺς δεσπότας ἡγεῖσθαι. Praecipua autem honoris pars hero praestiti, est adimpletio mandatorum ejus.

Δοῦλε, δεσποτῶν ἄκουε καὶ δίκαια κἄδικα,

ait apud Æsychilum ille. At non ità Apostolus intelligendus. Ἐν πᾶσιν enim & hic & alibi apud Eundem, etsi sono universale, debet accipi restrictè, ut nempe excipiantur ea in quibus honor Dei, Reipublicae salus, nec non alia multa, honori aut voluntati herorum pugnarent. Seneca 3. 20. de Benef. *Non aut nos* (heri) *omnia jubere possumus, aut in omnia* (meliùs, *aut in omnibus*, vel, *aut omnia*) *servi parere coguntur: contra Rempublicam imperata non facient, nulli sceleri manus commodabunt.* Vide Fornerii Selectionum 1. 27.

Ibid. μὴ ἀντιλέγοντας] Non

—— argutos ut par pari respondeant,

Ad mandata claudos, caecos, mutos, mancos, debiles;

qualis servus ille in Plautina fabula (Mercat.) at qualis alter ille, qui sic loquitur apud Comicum eundem,

Sed ego insciens qui, &c. hero postulem moderarier;

Dicto me emit audientem, haud imperatorem sibi.

Virgilius de Mercurio,

—— Ille patris magni parere parabat

Imperio. ——

Ubi Servius, *Non respondet, &c. sed dictis obtemperat:* ubi *respondere* (quod & *responsare* Latini vocant) est quod heic ἀντιλέγειν. Rom. 9. 20. ἀνταποκρίνεσθαι. Nec verò inanis monitio Apostolica ista.

——— Lingua mali pars pessima servi,

etsi argumento nonnihil discrepante, Satyricus Romanus dixit.

10. μὴ νοσφιζομένους] Non *Qui haec habeant consilia, Ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga,* ut apud praedictum Comicum (Pseudol.) flagitribae illi. In Ejusdem Milite glorioso,

——— Hominem servum suas

Domitas habere oportet, &c. manus orationemque:

Id est, ut apud Apostolum, μὴ ἀντιλέγειν, μὴ νοσφίζεσθαι. Xenophon. παιδ. 8. Διδάσκειν τοὺς παῖδας, ὥσπερ τοὺς οἰκέτας διδάσκομεν μὴ ἐξαπατᾶν, μηδὲ κλέπτειν, &c. Virgilius,

—— Audent cum talia fures.

Ubi Servius, *Pro servis fures posuit, furta enim specialiter servorum sunt.* Hesychius, Νοσφιζόμενος, ἀφαιρούμενος, κλεπτόμενος, &c.

Ibid. ἀλλὰ πίστιν πᾶσαν ἐνδεικνυμένους ἀγαθήν] Ità ὁλοσχερῆ βεβαίαν πίστιν ἀποδείκνυσθαι, in 3. Maccabaico.

11. ἐπεφάνη γὰρ, &c.] Vulgat. *apparuit enim.* Huc refero illa in Glossario, Ἀνεφάνη, *exorta est, apparuit. Exorta est,* ἡ χάρις nempe, de qua hoc loco. Potest fieri etiam ut in codicibus quibusdam antiquis ἀνεφάνη apud Paulum scriptum fuerit, non ἐπεφάνη.

Ibid. ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις θεοῦ] Τὸ φῶς (ut 1 Joh. 2. 8.) τὸ ἀληθινὸν ἤδη φαίνει.

Discussis tenebris in lucem secula fudit.

Suidas, Ἐπιφάνεια, &c. ἡ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, &c. ἔνσαρκος οἰκονομία. Seneca cap. 32. ad Polybium de Claudio aut Nerone, *Sidus hoc quod praecipitato in profundum, ac demerso in tenebris orbi refulsit, &c.* Ammianus lib. 22. de Juliano Imperatore, *Miratus publicas voces multitudinis magnae* (Antiochensium,) *salutare sidus Eois partibus illuxisse acclamantis.* Mamertinus in Panegyrico, ad Eundem, *Heic primùm editur, heic quasi quoddam salutare humano generi sidus exorsus.* Ἐπιφαίνειν de Numinibus dicitur: hinc τὴν τῆς θεοῦ ἐπιφάνειαν Plutarchus dixit in Themistocle. Hoc loco autem non exposuerim simpliciter, *illuxit*; sed *sponte & inexspectatò illuxit.* Theophylactus de hac ipsa luce ad Matth. 4. Οὐχ ἡμεῖς ἐζητήσαμεν αὐτὸ, ἀλλ' ἐκεῖνο ἡμῖν ἐπεφάνη· quam in mentem & Hesychius, (haec Pauli, ut videtur, respiciens,) Ἐπεφάνη, ἐπ' αὐτοφώρῳ ὤφθη.

Ibid. ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις] *Salutaris omnibus hominibus,* inquit magnus Expositor, (Grot.) imò, *illuxit omnibus hominibus:* verus verborum ordo enim videtur hujusmodi esse, ἡ γὰρ χάρις θεοῦ ἡ σωτήριος ἐπεφάνη πᾶσιν ἀνθρώποις· & ità accipi debere clamat locus ille Joh. 1. 9. ubi φωτίζειν πάντα ἄνθρωπον, est quod heic ἀνθρώποις πᾶσιν ἐπιφαίνειν. Clemens Alexandrinus in Protreptico, eodem argumento isto, Φῶς ἐστι κοινὸν, ἐπιλάμπει πᾶσιν ἀνθρώποις. Sic Luc. 3 6. ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ· ubi & σωτήριον, ut obiter id moneam, est quod hic χάρις σωτήριος. Repete & locum Senecae ante pauca adductum.

12. ἵνα ἀρνησάμενοι τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, &c. εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι] Id est, ἵνα (ut 1 Petr 4. 2.) μηκέτι ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις, ἀλλὰ θελήματι θεοῦ τὸν ἐπίλοιπον ἐν σαρκὶ χρόνον βιώσωμεν· vel, ἵνα (ut 1 Cor. 5. 8.) ἑορτάζωμεν μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ κακίας, &c. ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. Primasius ad 1 Cor. 12. *Cum religione debemus etiam mores mutare.* Irenaeus 4. 47. *Quemadmodum in Novo Testamento ea quae est ad Deum fides hominum aucta est, additamentum accipiens Filium Dei* (ἐπιφανείσης nempe τῆς χάριτος αὐτοῦ τῆς σωτηρίου, ut hic Apostolus loquitur,) *ità & diligentia conversationis adaucta est, &c.* Confer hujus argumenti locum Act. 17. 30. & ibi annotata: adde 2 Petr. 2. 20. ubi & τὰ τοῦ κόσμου μιάσματα ἀποφεύγειν, ut hîc τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας ἀρνεῖσθαι,

Ibid. ἀρνησάμενοι τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας] Ἄσπιλον ἑαυτὸν τηροῦντες ἀπὸ τοῦ κόσμου, ut loquitur 1. 27. Jacobus. Κοσμικὰς ἐπιθυμίας intellige, τὴν ἐπιθυμίαν τῶν ὀφθαλμῶν, τῆς σαρκὸς, καὶ τὴν τοῦ βίου ἀλαζονείαν, quae sunt τὸ πᾶν ἐν τῷ κόσμῳ. ità commodè enim ex 1 Joh. 2. 16. Apostolum posse explicari credam. Hae sunt quas & ἀνθρώπων ἐπιθυμίας vocat Petrus jam citato loco.

Ibid. σωφρόνως] Glossae, Σωφρόνως, *sobriè castè.*

Ibid. σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς, &c.] Sic εὐσεβεστέρους, δικαιοτέρους, σωφρονεστέρους (quod notabile) lib. 1. Dionysius Halicarnass. &, σώφρων, ὅσιος, δίκαιος, apud Porphyrium, περὶ ἀποχ. δ'.

Ibid. σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν] Ità, *sobriè, severe, continenterque vivere,* apud Ciceronem 2 de Officiis. Δικαίως autem καὶ εὐσεβῶς ζῆν, ut Paulus, dixit & Diog. Laertius in Antisthene: adde Pindarum infrà 3. 3. adducendum.

13. Προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης, &c.] Προσδέχεσθαι ἐλπίδα dixit & Lucas Act. 24. 15. heic autem ἐλπίδα προσδέχεσθαι, est, κατὰ μετωνυμίαν, expectare id quò spes tendit, nempe, praemium vitae aeternae. Sic Jobi 2. 9. προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου· Galat. 5. 5. ἐλπίδα δικαιοσύνης προσδέχεσθαι· & 2 Maccab 7. 14. τὰς ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἐλπίδας προσδοκᾷν. Quo loco ἀπὸ τοῦ θεοῦ legendum putem Vide & Tobiae Scriptorem 2. 18. Ἐπιφάνεια & δόξα sunt voces de mundanis Potestatibus, & honoribus usurpari solitae. Hinc αὐτοκρατορικαὶ ἐπιφάνειαι, apud Philonem in Legatione: unde & ex Antiochis unus ὁ Ἐπιφανὴς dictus. In vetere Onomastico, *Illustris*, ἐπιφανής. Glossae, Ἐπιφανὴς, *illustris, nobilis*; & ibidem, Ἐπιφάνεια δόξης, *illustratio, nobilitas:* ubi fortè legendum, Ἐπιφάνεια, δόξα· sunt enim παράλληλα. Hinc δόξαν καὶ ἐπιφάνειαν, Arrianus 3. 22. in Epictetum conjunxit: &, τὰ ἐπιφανῆ καὶ πρὸς δόξαν, Plutarchus in περὶ φιλαδελφίας. Ab Apostolo autem eminentiore jure hae voces de Rege Regum enunciantur. Eâdem addit ratione, τοῦ μεγάλου, qui & titulus summis terrae Potestatibus solebat tribui. Agrippa ad Cajum Caesarem jam citato Philonis libro, Ὑμεῖς οἱ μεγάλοι, &c. Vide Marc. 10. 42. Arrianus 3. 26. in Epictetum, Ὑμεῖς οἱ τὸν Κύριον τὸν μέγαν ἔχοντες. Hinc *magnus Princeps*, de Romano Imperatore loquens, Apulejus 10, & 11. Ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, nil aliud est quàm ἐπιφάνειαν θεοῦ ἔνδοξον, vel δεδοξασμένην, *apparitionem gloriosam.* Sic Ephes. 1. 18. τῆς δόξης πλοῦτος, i. e. πλοῦτος ἔνδοξος. 1 Tim. 1. 11. τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ, *gloriosum Evangelium.* Psal. 72. 19. τὸ ὄνομα δόξης pro τὸ ὄνομα ἔνδοξον. Psal. 145. 5. τῆς δόξης τῆς ἁγιωσύνης σου, pro, τῆς ἐνδόξου ἁγιωσύνης. Sirachid. 43. 12. κύκλωσις δόξης· i. e. ἔνδοξος κύκλωσις. 2 Petr. 1. 16. τιμὴν καὶ δόξαν, nempe, τιμὴν ἔνδοξον· & 1 Thess. 1. 12. βασιλείαν καὶ δόξαν, pro ἔνδοξον βασιλείαν. Προσδέχεσθαι τὴν ἐπιφάνειαν, &c. θεοῦ, hîc id ipsum est quod 2 Petr. 3. 12. προσδοκᾷν καὶ σπεύδειν τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ θεοῦ ἡμέρας vocatur: ubi & praecessit, ποταποὺς δεῖ ὑπάρχειν ἡμᾶς ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς· ut hoc Pauli loco praecessit, σωφρόνως, δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζῆν.

Ibid. τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ] Scriptor Tobiae 3. 16. Ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ μεγάλου.

Ibid. τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ] Bene faciunt qui utrumque heic praedicatum ad idem subjectum (nempe Christum) referunt. Ità 1 Tim. 1. 11. de Eodem, τοῦ μεγάλου θεοῦ, &c. nec aliter Justinianus, saepissime in Novell. Constitut. η'. θ'. ρλα'. ρμς' & alibi.

14. Ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς] Vide 1 Petr. 2. 24. & ad 1 Tim. 2. 6. dicta.

Ibid. ἵνα καθαρίσῃ, &c.] Hebr. 1. 3. Ephes. 5. 25, 26. ubi & ra-

& *καθαρισμὸς*, & *καθαρίζειν*. Euthymius ad Matth. 20. ea, BAPTISMO QUO EGO BAPTIZOR. *Cæde, quam Baptismum vocat, propter hominum purificationem.*

Ibid. *λαὸν περιούσιον*] Γένος nempe *ἐκλεκτὸν*, &c. *ἔθνος ἅγιον, λαὸν εἰς περιποίησιν*, ut 1 Petr. 2. 9. Περιούσιον, *eximium, præstantem*, à *περιεῖναι*. Eudemus in Lexico suo nondum edito, Περιούσιος λαὸς, *ὁ ἔγκριτος, ὁ ὑπερέχων τοῦ ἄλλου λαοῦ*. Ex eo Suidas, in Οὐσία & Περιούσιος. Hesychius, Περιούσιον, &c. *περιποιητόν.*

Ibid. *ζηλωτὴν καλῶν ἔργων*] Ità *ζῆλον καλῶν ἔργων*, Plutarchus in Gracchorum vita: *τῶν καλῶν ζῆλον*, Idem in Lycurgo: & *ἐπιτηδευμάτων ἀρίστων ζηλωτὴς*, in Phocione. Ἀρετῆς *πάσης ζηλωτὴς*, est & in Diodori Siculi fragmentis.

15. *Ταῦτα λάλει καὶ παρακάλει*] Sic 2 Thess. 3. 12. *παραγγέλλειν* (quod heic *λαλεῖν*,) *καὶ παρακαλεῖν*. In MS. vetustissimo qui in Britannia, legitur, *ταῦτα δίδασκε, καὶ παρακάλει* sic 1 Tim. 6. 2. sic & Act. 18. 25. *ἐλάλει, καὶ ἐδίδασκεν.*

Ibid. *ἔλεγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς*] Vide suprà ad 1. 13. dicta.

Ibid. *μηδείς σου περιφρονείτω*] Nemini injuriâ aut nimiâ facilitate tuâ contemnendi te ansam præbe. Sic in l. observandum. ff. de Offic. Præsid. *In adeundo se facilem præbeat, sed contemni se non patiatur.* Vel, *μηδείς σου περιφρονείτω*, id est, *τῆς νεότητός σου.* Vide 1 Tim. 4. 12. & ibi dicta. Eunapius in vita Maximi, de Juliano, *δι' ἡλικίαν περιφρονηθεὶς* ubi & nota *περιφρονεῖσθαι* positum, ut in contextu nostro. Eudemus in Lexico MS. Περιφρονεῖν, *καταφρονεῖν*. Sic *περιφρονεῖν* habemus apud jam dictum Eunapium in vita Ædesii, apud Jamblichum cap. 51. de vita Pythagoræ, & sæpe apud Plutarchum.

CAP. III.

VALLA.

1. NOn *litigiosos esse*] *Lites* sunt in judicio. Græca vox magis videtur significare *non rixosos*, &, ut suprà dixi, *non pugnaces*, *ἀμάχους*.

8. *Qui credunt Deo*] *Crediderunt* legendum est, *πεπιστευκότες*, i. e. qui ad fidem accesserunt. Est ergò *credere* In fide esse; *credidisse* autem, Ad fidem accessisse, ut Rom. 13. 11. *Nunc autem propior est nostra salus quàm cùm credidimus*, i. e. nunc cùm credimus & in credendo perseveramus.

ERASMUS.

1. DIcto *obedire*] Πειθαρχεῖν. Quod est propriè *Magistratibus parêre.*

2. *Non litigiosos*] Ἀμάχους, i. e. *non pugnaces*, h. e. non jurgiosos & contentiosos.

3. *Increduli*] Ἀπειθεῖς, Ambrosius *inobsequentes*, Hieronymus legit *inobedientes.*

4. *Et humanitas*] Καὶ ἡ φιλανθρωπία, i. e. *amor erga homines*, non *ἀνθρωπότης*. Nam quidam hoc loco *humanitatem* interpretantur Incarnationem Christi: Quorum de numero est Thomas, qui tamen addit alteram interpretationem. Porrò quòd Theophylactus exponit de assumpta natura humana, non est accipiendum quasi Pater eam assumpserit, sed quòd Pater sic dilexerit humanum genus ut ejus servandi studio Filium unicum demiserit in terras ut homo factus nos ad se traheret. At Paulus hic loquitur de Patre Jesu. Quod hic vertit *humanitas*, Hieronymus interpretatur *clementiam* in Commentariis. Et *ἐπεφάνη* Hieronymus vertit *illuxit*, h. e. palàm facta est per Filium incarnatum. Nec enim locum habet distinctio Thomæ quam hic inducit, quòd Græca vox quâ usus est Paulus nihil aliud significare potest quàm *studium & amorem erga homines*, cui diversa est *μισανθρωπία*. Et quòd Deum *Salvatorem* vocat, magis ad Patrem referendum videtur quàm ad Filium. Certè de Patre interpretantur Ambrosius simul & Hieronymus. De Filio nullus adhuc interpretatus est. Porrò quò minùs accipi possit de tota Trinitate, palàm obstat Hieronymus, qui demonstrat in hoc capitulo distinctim exprimi tres Personas simul operantes negotium salutis humanæ: cujus hæc verba sunt in Commentariis, *Diligentiùs*, inquit, *attendamus, & inveniemus in præsenti capitulo manifestissimam Trinitatem. Benignitas quippe & clementia Salvatoris nostri Dei, non alterius quàm Dei Patris, per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritûs sancti, quem effudit super nos abunde per Jesum Christum*, &c. Minùs quidem evidenter Ambrosius, sed tamen eadem scribit: *Deus enim*, inquit, *misericordiâ suâ salvos nos fecit per Christum cujus gratiâ renati Spiritum sanctum acceptmus.* Vides, lector, ut & hic tres distinguat Personas. His equidem non onerarem lectorem nisi locus hic, cùm sit perspicuus, tamen magnis calumniis fuisset impetitus. Videmus autem hic Patrem vocari *Salvatorem*, quemadmodum in superiore capite.

5. *Non ex operibus justitiæ*] Οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, i. e. *non ex operibus quæ sunt in justitia.* Sentit autem de operibus legis Mosaïcæ, de quibus multa scribit Romanis. Quanquam Orthodoxi de omnibus operibus hominum interpretantur. Qui vociferantur vocem esse delicatorum militum, quoties extenuantes nostra merita extollimus gratiam Dei, cur non obstrepunt Paulo, qui toties rejicit nostra opera, toties inculcat Gratiam & Misericordiam Domini? cur non in jus vocant Chrysostomum, Theophylactum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, breviter veteres omnes, qui talibus vocibus explerunt suos libros? ¶ *Et renovationis Spiritûs sancti*] Sermo Græcis est anceps, quòd διὰ paternum casum postulet. Ac legi potest, *& renovationem Spiritûs sancti*, ut repetatur præpositio, *& per renovationem Spiritûs sancti.* Atque ità sanè legit Hieronymus ordinans hunc locum in Commentariis. Neque secùs interpretatur Chrysostomus, ità repetens, *Hoc est enim quod ait*, PER RENOVATIONEM SPIRITUS SANCTI.

6. *Abunde*] Πλουσίως quod Hieronymus vertit *opulenter.* Augustinus ad Valentinum legit *ditissime.* Similiter lib. De peccator. meritis ac remiss. c. 27.

8. *Volo te confirmare*] Βεβαιοῦσθαι. Quod anceps est verbum: potest enim esse *confirmari.* ¶ *Ut curent bonis operibus præesse*] Ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι. Ambrosius ità reddidit, *ut soliciti sint ad effectum bonorum operum.* [illegible] potissimùm inculcanda quæ faciunt ad vitæ pietatem. *Bonis operibus* dativus est non ablativus, & respondet præpositioni *præ.* Sic enim *præesse bonis operibus*, quemadmodum dicitur aliquis *præfectus annonæ* aut *militiæ.* ¶ *Qui credunt*] Οἱ πεπιστευκότες, *qui crediderunt.* Ità legit Ambrosius.

9. *Et genealogias*] Γενεαλογίας quod Ambrosius reddit *originum enumerationes.* ¶ *Pugnas legis*] Μάχας νομικάς, i. e. *pugnas legales*: quod Hieronymus explicans, *Quæ veniunt*, inquit, *ex Lege.* ¶ *Devita*] Περιΐστασο de quo superiùs diximus.

10. *Post unam & secundam*] Latinius erat *post unam & alteram.* Et ità legit Hieronymus. Ambrosius legit *post primam*, interpretans illos semel duntaxat admonendos, nè si sæpius id fiat, confirmatiores reddantur in malo; sed devitandos, ut sibi relicti aut frigeant nemine obsistente, aut soli pereant. Ambrosianam lectionem hodie sequimur, qui hæreseos semel convictum, si relabatur, non devitamus, sed incendimus. Tertull. in lib. De præsc. hæreticor. refert quemadmodum Ambrosius. *Admonitionem* melius quàm *correptionem*, ut indicat idem Ambrosius. Cæterùm *hæreticum*, ni fallor, appellat, non qui dissentiat à quibuslibet placitis Doctorum, sed factiosum, licèt & factiosus sit qui hæreseos autor est. Sic interpretatur Chrysostomus locum 1 Corinth. 11. *Oportet autem hæreses esse.* Chrysostomus ac Theophylactus interpretantur de perversis dogmatibus. ¶ *Devita*] Παραιτοῦ, i. e. *rejice.* Non est *περιΐστασο*, quod modò eodem verbo expressit. Hic locus est quem senex quidam Theologus, & in primis severus, in Concilio produxit. Cùm venisset in quæstionem num quis esset locus in literis Canonicis qui juberet hæreticum affici supplicio capitis, *Devita, devita*, inquit, putans *devitare* Latinis esse De vita tollere. Id nè quis suspicetur meum esse commentum, accepi ex Johanne Coleto, viro spectatæ integritatis, quo præsidente res acta est. Eamus nunc & negemus periculosum esse errare in verbis. Sic Jureconsulti furem suspendunt, quòd lex *latronem plecti capite* jubet, & Gallorum vulgus furem *latronem* appellat. Sic Medici frequenter errant magno capitis nostri periculo, dum ob inscitiam vocabulorum venenum porrigunt pro remedio.

11. *Proprio judicio condemnatus*] Αὐτοκατάκριτος, voce compositâ *per se condemnatum*, qui pertinaciter dissideat ab omnibus. Cyprianus in Epistola primi libri tertia legit *à semetipso damnatus.* Rectius erat *per se damnatus*, h. e. damnatus etiamsi nemo Judex de illo pronunciet, quemadmodum dicimus *αὐτοδίδακτος.* Cæterùm illud *subversus est* Græcè est *ἐξέστραπται*, quod & ità potest accipi, *excidit à vita*, sive *deflexit.* [illegible] *ἁμαρτάνει* potest verti *errat*, sed ità errat ut sit *per se condemnatus*, etiamsi nemo illum condemnet, ut qui semel atque iterum admonitus noluerit resipiscere.

12. *Festina*] Σπούδασον, i. e. *stude*, sive *curâ.* *Nicopolis* Thraciæ civitas, ut autumat Chrysostomus. Theophylactus scripsit eam imminere Istro flumini. Hieronymus putat esse eam quæ ob victoriam quâ Cæsar Augustus devicit Antonium & Cleo-

Cleopatram nomen hoc sortita est. At eam peractam constat apud Actium Epiri promontorium: unde & Suetonius *Actiacam victoriam* appellat. Et Hieronymus præfans in hos Commentarios planè declarat se putare Paulum de Nicopoli Epiri fuisse locutum.

13. *Legis peritum*] Νομικόν. Hieronymus legit *Legis doctor.* ¶ *Soliciste præmitte*] Πρόπεμψον. Imò *deducito*, sive *prosequere*: quod officium solemus hospitibus exhibere. Atque in hunc sensum interpretatur D. Hieronymus.

14. *Discant autem & vestri*] *Nostri* primâ personâ legitur tum in Græcis cod. tum in Latinis antiquis: & consentiunt Interpretes.

15. *Gratia vobiscum*] Græci legunt, *Gratia cum omnibus vobis.* Eam lectionem probat Hieronymus, testans in nonnullis cod. adjecta fuisse duo verba *Domini nostri.* Ambrosius legit, *Gratia Dei cum omnibus vobis.* Exemplar Constantiense habebat, *Gratia Dei cum omnibus vobis, Amen.*

VATABLUS.

1. D*Ictò obedire*] Magistratui.

2. *Neminem blasphemare, non litigiosos esse*] *Nec de quoquam maledicant, non pugnaces:* i. e. jurgiosos & contentiosos.

3. *Increduli*] *Inobedientes.* ¶ *Odibiles*] *Invisi.*

4. *Humanitas*] *Erga homines amor.*

5. *Ex operibus justitiæ*] *Propter opera justa.* ¶ *Secundùm*] Vel, *propter.* *Renovationis*] Potest etiam per accusativum legi, *renovationem.* ¶ *Spiritûs sancti*] Vel, *quæ fit à Spiritu sancto.*

6. *Abunde*] *Opulenter.*

7. *Heredes simus secundùm spem*] Heb. hæreditatem exspectaremus.

8. *Fidelis*] *Indubitatus.*

9. *Pugnas Legis devita*] *Concertationes quæ ex Lege oriuntur omitte.*

10. *Hæreticum*] *Factiosum, Sectarum autorem:* vel, *Defectorem.* ¶ *Devita*] *Rejice.*

11. *Proprio judicio condemnatus*] i. e. Cùm ipsi judicent æternâ damnatione dignos qui veritati resistunt, seipsos condemnant cùm ipsi veritati resistant.

12. *Festina*] *Da operam, cura.*

13. *Præmitte*] *Deduc.*

CASTALIO.

5. L*Avacro renascentiæ, renovationisque Spiritûs sancti*] Quo renascimur, & à Spiritu sancto renovamur.

10. *Sectarium hominem*] Vitiosæ sectæ addictum.

11. *Sciens eum perversum esse, & ità peccare ut ipse à seipso damnetur*] Suâ culpâ pereat, qui in erroro persistet.

CLARIUS.

3. E*Ramus enim aliquando*] Vide circumspectam modestiam, atque ut hominem Christianum non deceat quenquam probris afficere, quamvis sceleratum & impium. Et nos, inquit, in eisdem tenebris adhuc versaremur, nisi *benignitas atque humanitas Servatoris nostri Dei apparuisset.*

10. *Hæreticum hominem*] De iis loquitur qui jam suâ obstinatione sunt immedicabiles, qui suo ipsorum judicio sunt condemnati, neque enim haberit quo se excusare jure possint.

ZEGERUS.

1. D*Icto obedire*] i. e. Dictato à Magistratibus sive Principum decretis subjectos esse atque parere.

4. *Humanitas*] Græcè ab *amore erga homines* φιλανθρωπία dicta est. Hanc sic definit Speusippus, *Philanthropia est humanitas & affectio amicitiæ, hominum conciliatrix, habitus omnibus beneficus, gratiarum redditio, gratitudo benefica.* Hoc admoneo nè humanam hîc naturam significari putes.

5. *Et renovationis Spiritûs sancti*] Hoc idem verti poterat *& renovationem Spiritus sancti*, ut in *&* subaudiatur τὸ διά.

8. *Bonis operibus præesse*] Quid sit habes in fine hujus capitis.

9. *Genealogias*] *De generatione sermones.* Testatur hoc Hieronymus Judæos propriè pulsare, refertque eosdem *ab exordio Adam usque ad extremum Zorobabel omnium generationes ità memoriter velociterque percurrere, ut eos suum putares referre nomen.*

11. *Delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus*] Horum loco trina tantùm verba Græcis habentur, ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος, quorum postremum è tribus vocibus, αὐτός, κατὰ & κριτής, conflatum est. Atque eadem licebit vel sic interpretari, *erat per se damnatus. Propterea autem*, inquit Hieronymus, *à seipso dicitur damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia per Sacerdotes de Ecclesia propelluntur; hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes: quæ recessio propriæ conscientiæ videtur condemnatio.*

13. *Solicitè præmitte, ut nihil illis desit*] *Præcipit*, inquit Hieronymus, *Tito, ut quoniam de Creta ad Græciam navigaturi erant, non eos faciat sitarchiis indigere, sed habere ea quæ ad viaticum necessaria sunt.* Σιταρχία est vas vel pera in qua cibus poni consuevit. Huic etiam expositioni adstipulatur Ambrosius & Theophylactus. πρόπεμψον enim pro *officio prosequere* posuisse videtur, cùm alioqui προπέμπειν *comitari, præmittere*, deinde etiam *honoris causâ deducere* signet.

14. *Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios*] Sentit beneficia & sublevamina præstanda esse destitutis ac miseris ab iis qui Christum profitentur, & inter Christiani nominis cultores exerceri debere officia charitatis; sicuti est vitæ necessaria suppeditare egentibus, injuriam patientibus opitulari, mœstis adferre consolationem, &, ut semel dicam, quoquo modo indigentibus prospicere, idque quatenus necessariis usibus judicatur esse satis. Atque ità fit. ¶ *Ut non sint infructuosi*] Dum & aliorum sterilitati subveniunt, & sibi fructum bonum acquirunt.

H. STEPHANUS.

2. Ἀ*μάχους εἶναι*]. *Ut à pugna sint alieni.*

11. Εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος] *Sciens mentem huic perversam esse*: ut dicitur *mens perverti.*

DRUSIUS.

1. D*Icto obedire*] Non tantùm debemus obedire Principibus, sed etiam pro iis orare. In libro Aboth, cap. 2. R. Hanina vicarius Pontificis, *Esto precans pro pace Regni. Nisi enim esset metus, alter alterum vivum devoraret.* Quod extendunt ad Regna gentium & nationum mundi. *Nisi esset metus*, Regni videlicet. Nam autoritas Regia continet omnes in officio. ¶ *Paratos*] נכונים *rectos, dispositos.* Syrus [illegible]. Ergò נכון *paratus.* 108. 1. Ἑτοίμη ἡ καρδία μου. Hier. *paratum est*: alius, *rectum est*: alius, *dispositum est.* Sic Interpretes è Gallia, *Mon cœur est dispose.* Psalm. 51. 10. נכון LXX. εὐθὲς *rectum.* Hieron. *stabilem.* Nam ἕτοιμος, *firmus, stabilis.* Unde ἡτοιμάσθη *firmatum est.*

2. *Blasphemare*] Verbum Græcum est βλασφημεῖν, quod significat βλάπτειν τὴν φήμην, καὶ συκοφαντεῖν, *famam lædere, & calumniari.* Ebraïcè גדף, quo verbo usus fuit hoc loco Interpres Syrus. Lex V. Βλασφημῶ, *jurgo, maledico.* Psal. 44. 16. מגדף Aq. & Sym. βλασφημοῦντος, *conviciantis, famam maledictis lædentis.*

3. *Increduli*] *Diffidentes*, vel *rebelles, contumaces.* Utrumque sign. ἀπειθεῖς. Lex. V. Ἀπειθής, ὁ αὐθάδης, *contumax, inobtemperans, inobediens.* Ἀπειθής, ὁ μὴ πιστεύων, *incredulus, diffidens.* Sanè ἀπείθεια duplex. Una posita est in intellectu, cùm videlicet aliquis doctrinæ veræ non vult assentiri: quo sensu opponuntur πιστεύειν καὶ ἀπειθεῖν. Altera posita est in voluntate ac moribus, quæ *rebellio & contumacia* redditur.

15. *Scripta ex Nicopoli Macedoniæ*] Syrus, *Finit Epistola ad Titum, quæ scripta è Nicopoli, & missa per Zenam & Apollo.* Dico *Syrus*; non quòd credam Interpretis hæc verba esse, sed quòd legantur in editione Syra. Contrà potest disputari ex v. 12. hujus capitis.

SCULTETUS.

CAP. I.

Ἔργα ἐν δικαιοσύνῃ v. 5. διαβεβαιοῦσθαι· προΐστασθαι καλῶν ἔργων. v. 8. παραιτεῖσθαι αἱρετικὸν ἄνθρωπον v. 10.

QUæ Apostolus v. 5. vocat ἔργα ἐν δικαιοσύνῃ ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς (h.e. ἃ ἐποιήσαμεν, relativo conveniente cum casu genitivi anteposito) ea simpliciter dixeris τὰ τῆς ἡμετέρας δικαιοσύνης ἔργα. Est autem ἔλλειψις participii ὄντων vel γενομένων. Ac quæri potest utrùm verba ista, *Non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia*, pertineant ad præcedentia, *Postquam bonitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei*, an ad sequentia, ἔσωσεν ἡμᾶς. Aliqui ad præcedentia referunt, & post ἔλεον ponunt ὑποστιγμήν, ac in apodosi subintelligunt verba ista (τότε δηλονότι ὁ Θεὸς) ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ, &c. Alii ad sequentia, & hi uno spiritu legunt, ἀλλὰ

κατὰ

κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς. Doctrina gratuitæ justificationis utramque verborum collocationem ferre potest. ¶ V. 7. verba *κατ' ἐλπίδα* utrinque distinguo, ut genitivi *ζωῆς αἰωνίου* à voce *κληρονόμοι* videantur pendere, non à voce *ἐλπίδα*. ¶ Quæ sequuntur, Πιστὸς ὁ λόγος, Lutherus versûs septimi clausulam facit, & ante Lutherum Theophylactus: nec sine causâ. *Quia enim de futuris locutus erat*, inquit Theophylactus, *fidem & autoritatem verbo suo apponit. Planum est enim è præcedentibus quod qui talia dedit, futura etiam daturus est.* Novam igitur periodum orditur v. 8. his verbis, *Καὶ περὶ τούτων βούλομαί σε διαβεβαιοῦσθαι*, quæ vertit Lonicerus *de his volo te confirmari*. Vulgatus, *& de his volo te confirmare*. Beza, *& hæc volo te affirmare*. Alius, *de his velim te asseveranter pronunciare*. *ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι οἱ πεπιστευκότες τῷ Θεῷ*, *quò curent rectè factis fungi qui Deo confidunt*, Castalio: *ut qui crediderunt Deo, curent bonis operibus præstantes esse*, Beza: qui ad *καλῶν ἔργων* subintelligit *ἕνεκα*. *nam alioqui dicendum fuerat*, inquit, *καλοῖς ἔργοις & προΐστασθαι idem hic*, ait, *declarat quod Latinis verbum* præstare *pro* anteire. Sed nihil attinet particulam *ἕνεκα* subintelligere. Nam *προΐστασθαι* alibi quoque genitivum regit, 1 Tim. 3. 4 *τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενον* 1 Thess. 5. 12. *προϊσταμένους ὑμῶν*. Atque haud scio an ullius idonei scriptoris autoritate probari possit, *προΐστασθαι* idem esse aliquando quod *præstare* sive *anteire*. Itaque Vulgatum hîc retinendum censeo, quem Erasmus quoque secutus est. Quin Beza ipse hoc verbum 1 Tim 3. 4. sic reddidit, *τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενον*, *qui sua domui bene præsit*. Fatebitur, scio: sed, hoc loco, dicet, *absurdum erit sic interpretari. Nemo enim facilè intelliget quid sit* bonis operibus præesse; *nec aliter intelligi poterit quàm sic dicantur bona opera subjici, quibus homines præficiantur.* Cùm igitur de significatione verbi *προΐστασθαι* constet, quærendum potiùs quid per *καλὰ ἔργα* Apostolus hîc intelligat quàm nova verbo *προΐστασθαι* significatio affingenda. Quid si per *καλὰ ἔργα* hoc loco denotentur *honestæ functiones*? Certè versus 14. postulare videtur ut ità vox accipiatur, *Μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων προΐστασθαι εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας*. Quorsum enim aliàs conjunctio *καί*? An quia *οἱ ἔξω*, quibus opponuntur *οἱ πεπιστευκότες τῷ Θεῷ*, *καὶ ἡμέτεροι*, an illi, inquam, *etiam bonis operibus præstantes sunt*? Huc accedit quòd v. 14. additur *εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας* quod quid sibi velit intelligi potest ex collatione Act. 6. 3. *οὓς καταστήσομεν ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης*; *quos præficiamus huic negotio*. Nec ignota est Scripturæ hæc vocabuli *ἔργον* significatio. Nam *ἔργον* pro *functione* etiam dixit Apostolus 1 Tim. 3. 1. & quidem cum epitheto *καλόν*, *Εἴτις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ*. Nec sine causâ exclamat Apostolus, *Ταῦτά ἐστι τὰ καλὰ καὶ ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις*, innuens *publicas ejusmodi functiones & Deo gratas & hominibus esse fructuosas*. Neque verò huic sententiæ obstat quòd, si hîc *ἔργον* capiatur pro *functione*, supervacanea videri possit admonitio v. 14. Inter versum enim 8 & 14 hoc videtur interesse, quòd 8 de functionibus ordinariis in politia & œconomia agitur, ut præcedentia testantur, 14 autem de extraordinariis, qualis erat legatio Zenæ & Apollo, ex qua videtur occasionem atripere ab hypothesi ad thesin transeundi, & fideles generatim monendi ut & ipsi ad hujusmodi *functiones parati sint, ad necessarios usus, ut non sint ἄκαρποι*, vel fratribus *inutiles*, vel sibi, vel civili societati & isti Reip. in qua vivunt; unde infideles ansam captare possent Christianam religionem calumniandi, & dicendi, *Otii homines ignavâ operâ, philosophâ sententiâ*. ¶ V. 10 jubetur Titus *hominem hæreticum post unam ac alteram admonitionem παραιτεῖσθαι devitare*, ut habet Vulgata, vel *rejicere*, ut Erasmus, Beza, Piscator. Et his quidem *rejicere* est Excommunicare dum resipiscant. Dubitari autem potest an eousque pertingat verbi *παραιτοῦ* significatio. Nam 1 Tim. 5. 11. idem verbum legitur, vertiturque à Vulgato ut hîc *devita*: quod ut duriusculum Montanus correxit, & pro *devita* posuit *recusa*: quod etiam facit Beza, & addit expositionem, *ne in collegium viduarum admitte*. Quidni & hîc consimilis verbi *παραιτοῦ* interpretatio retineatur, expliceturque, *Hæreticum recusa*, h. e. in externa Ecclesiæ congregatione manere nè patere?

CAP. II.

Occasione subscriptionis Epistolæ ad Titum, ut & posterioris ad Timotheum, disputatur, An Episcopatus ab Apostolis, adeoque jure Divino, sit institutus.

Quemadmodum posterioris ad Timotheum Epistolæ subscriptio *Timotheum primum Ephesiorum*, ità Epistolæ ad Titum subscriptio *Titum primum Cretensium Episcopum* nominat. Etsi autem Subscriptiones illæ Apostolicæ non sunt, & idcirco neque in Syro neque in omnibus Græcis exemplaribus leguntur; sed aliquot pòst seculis ex Græcorum Scholiis videntur adjectæ (nè dicam quòd ista ad Titum Subscriptio Epistolæ ipsi repugnat, quando dicit *Nicopoli scriptam Epistolam*, cùm Paulus cap. 3. 12. Titum accersat Nicopolim, *ἐκεῖ γὰρ illic enim*, inquit, *decrevi hibernare*) ansam tamen nobis dant Quæstionem hanc excutiendi, *An Episcopatus sit Divinus*, h. e. An Apostoli hoc Ecclesiæ regimen instituerint, ut unus aliquis non solùm populo sed etiam Presbyteris & Diaconis præficiatur, penès quem sit & manuum impositio sive ordinatio & consistorum Ecclesiasticorum directio. Negarunt hoc olim Aërius apud Epiphanium Hær. 75. & Johannes Hierosolymitanus apud Hieronymum ad Pammach. Sunt & hodie multi eruditi iidemque pii viri, qui etsi Aërium in eo peccasse scribunt quòd receptum ab orbe universo gubernationis Ecclesiasticæ modum improbarit, cum eodem tamen sentiunt regimen Episcopale non esse Divinum. A quorum opinione cur meum in hac quidem causa judicium sejungam, moveor & rationibus efficacibus & exemplis illustribus & autoritatibus præclaris. Sic autem sentio, Primùm, In Apostolicis literis nomen *Episcopus* nunquam diversum quid à Presbyteri officio designare. Nam *Episcopus*, *Presbyter*, *Apostolus* nomina erant communia, ut videre est ex Actor. 20. Phil. 1. 1. Tit. 1. 1 Petr. 5. 1, 2. Actor. 1. 20. Deinde, In prima Ecclesia Apostolica communi Presbyterorum operâ Ecclesiam fuisse gubernatam, idque aliquot prædicationis Apostolicæ annis. Priùs enim cœtus erant colligendi quàm de eorum perpetua gubernatione aliquid definiendum. Tum, Apostolos, quamdiu ipsi Ecclesiis vel præsentes vel propinqui essent, non solitos fuisse Episcopum propriè dictum præficere, sed Presbyteros tantùm, sibi verò solis Episcopalem autoritatem reservare. Postremò, Postquam Euangelium longè lateque propagatum, & ex illa Presbyterorum æqualitate Diaboli instinctu schismata in religione facta sunt, tum Apostolos ipsis Pastoribus sive Presbyteris, in locis præsertim remotioribus, aliquos præfecisse, qui ab Apostolorum statim discipulis, Ignatio & aliis, soli *Episcopi* appellati, & hâc voce à Presbyteris ac Diaconis fuerint discreti. Rationes promo. Scribit Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum, *Presbyter idem est qui Episcopus. Et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis*, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur. Postea in toto orbe decretum est ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris*, &c. Undè sic colligo, *Quando dici cœptum in populis*, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *tum unus de Presbyteris electus præpositus est cæteris. At viventibus Apostolis ità dici cœptum in populis*: de quo præter alias Pauli Epistolas prior ad Corinthios nos dubitare non sinit. *Igitur viventibus Apostolis unus de Presbyteris electus & cæteris est præpositus.* Deinde nullum aliud tempus dari potest quo primùm creati sint Episcopi quàm Apostolicum; siquidem omnes Apostolorum primarii successores fuerunt Episcopi, ut testantur Episcoporum successiones in nobilissimis Ecclesiis, Hierosolymitanâ, Alexandrinâ, Antiochenâ, Romanâ, apud Eusebium. Aut igitur proximi Apostolorum successores acceptam ab Apostolis gubernationis Ecclesiasticæ formam suopte arbitratu immutarunt, (quod vero non est simile) aut Episcopale Ecclesiæ regimen ab Apostolis ipsis est profectum. Præterea jam tum Apostolorum tempore in qualibet majori civitate Presbyteri multi, Episcopus unus tantùm esse poterat: Jam tum Apostolorum tempore *ὁ προεστὼς præpositus*, qui postea *Episcopus* dictus, manus imponebat sive ordinabat Ministros verbi; quod Presbyteri facere non audebant: Jam tum igitur Episcoporum vocatio à Presbyterorum munere erat diversa. Exempla Episcoporum Apostolicorum quis desiderat? Pleni sunt libri veterum de Timothei & Titi Episcopatu, quorum uterque, utut primùm Euangelistam egerit, Euangelista tamen esse desiit, postquam Timotheus Ephesinæ, Titus Cretensi Ecclesiæ fuit præfectus. Nam *Euangelistæ in peregrinis locis tantùm fundamenta fidei jecerunt, postea Pastoribus certis curam reliquam commendarunt, ipsi alias regiones ac gentes accesserunt*, ut scribit Eusebius Hist. Eccl. lib. 3. c. 37. At Paulus & Ephesi & in Creta aliquandiu docuerat; ideo Timotheum Ephesi, Titum in Creta jubet manere, non utique ut Euangelistas, sed Ecclesiæ gubernatores. Id quod etiam Epistolæ ad utrumque scriptæ evincunt. In his enim non Ecclesiæ colligendæ, quod erat Euangelistarum, sed collectæ gubernandæ, quod est Episcoporum, rationem illis præscribit. Suntque præcepta omnia ità conformata ut non speciatim ad Timotheum & Titum sed generatim ad omnes Episcopos referantur, adeoque ad temporariam Euangelistarum potestatem minimè quadrent. Quid? quòd de Timothei & Titi Episcopatu non solùm Eusebius, Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus, Epiphanius,

nius, Oecumenius, Primasius, Theophylactus, sed etiam vetustissimi omnium in N. Testamento Historiographi, quorum monumenta interciderunt, testati sunt. Eusebius certè ad illos provocans Hist. Eccl. lib. 3. cap. 4. *Timotheus*, inquit, ἱςορεῖται, *in Historiis scribitur*, *primus fuisse qui Ephesinæ parœcia, sicut & Titus Cretensium Ecclesiarum, Episcopatum sortitus est.* Quòd si Apocalypsis Johannem Apostolum, & non Seniorem quendam Apostolorum discipulum, agnoscit autorem, septem illa nobis nova Episcoporum Apostolicorum exempla suggerit. *Angelos* enim *septem Ecclesiarum* doctissimi quique Interpretes interpretantur septem Ecclesiarum Episcopos: neque verò aliter possunt nisi textui vim facere velint. Nam quid ego de Jacobo dicam, non illo quidem Apostolo, sed Servatoris nostri fratre, matris Domini privigno? quem ab Apostolis Hierosolymorum Episcopum fuisse ordinatum Eusebius lib. 2. c. 1. Hist. ex Clementis 6. Hypotyposeων, Hieronymus De Scriptorib. Eccles. ex 5. Commentariorum Egesippi, referunt; Ambrosio in cap. 1. ad Galatas, Chrysostomo Hom. 33. in Act. 15. Augustino contra Cresc. lib. 2. c. 37. Epiphanio hæresi 65. Synodo 6. in Trullo, Can. 32. adstipulantibus. Enimvero hic est ille Jacobus qui fixum Hierosolymis habuit domicilium, velut ordinarius Episcopus; quem Paulus primo & ultimo suo Hierosolymam adventu invenit in Urbe, Apostolis ferè omnibus foris Euangelizantibus; Gal. 1. Act. 21. qui in Concilio Apostolorum decernenda conclusit (*Erat enim*, inquit Chrysostomus, *Episcopus Hierosolymitanæ Ecclesiæ*) à quo denique cùm quidam venissent, Petrus cum Gentibus edere noluit, Gal. 2. Ab exemplis ad autoritates transeo, quas autoritate suà mox occupat Ignatius, cujus hæc sunt axiomata, *Episcopus est, qui omni principatu & potestate superior est*, *Presbyterium est sacer cœtus, consiliarii & assessores Episcopi. Diaconi sunt imitatores Angelicarum virtutum, quæ purum & inculpatum ministerium illi exhibent. Qui his non obedit, sine Deo est, & impurus est, & Christum contemnit*, καὶ τὴν αὐτοῦ ΔΙΑΤΑΞΙΝ & CONSTITUTIONEM *ejus imminuit*, Epist. ad Trallianos. Idem, *Hortor ut studeatis concorditer omnia agere; Episcopo præsidente Dei loco; Presbyteris, loco Senatûs Apostolici; Diaconis, ut iis quibus commissum est Jesu Christi ministerium*, Epist. ad Magnesianos. Et rursum, *Presbyteri subjecti estote Episcopo, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris & Diaconis*, ad Tarsenses. Atqui Apostolorum discipulus fuit Ignatius. Unde igitur illi ista Hierarchia Ecclesiastica nisi ab Apostolis ipsis? Audiamus nunc Epiphanium Hær. 75. *Non omnia statim potuerunt Apostoli constituere. Presbyteris enim opus erat & Diaconis: per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Ubi verò non inventus est quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo: Ubi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Singula res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis, quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, parabantur, Ecclesiâ hoc modo complementa dispensationis accipiente.* Sed Eusebius ad rem propiùs accedet, & nervosiùs causam aget. Is enim lib. 3. Hist. Eccl. cap. 22. itemque in Chronico, auctor est, Euodium primum Antiochiæ Episcopum ordinatum fuisse, anno Christi XLV Claudii Imp. III. Atqui tum Apostolorum plerique in vivis fuere. Jam Hieronymus ad Euagrium scribit, *Alexandriæ à Marco Euangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum* Episcopum *nominabant*. At Marcus obiit, ut est apud Eusebium & Bucholcerum, anno Christi LXIV. vivis adhuc Petro, Paulo, Johanne Apostolis. Ex ipso Hieronymo igitur clarum est, Episcopatum tempore Apostolorum fuisse institutum. Passusque est bonus Hieronymus humani quid quando scripsit, *Episcopos magis ex Ecclesiæ consuetudine quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris majores esse.* Nisi fortè *consuetudinem Ecclesiæ* pro *consuetudine Apostolica*, & *Dominicæ dispositionis veritatem* pro *instituto Christi* capiat. Quanquam nè sic quidem veritati Historicæ satisfecerit: siquidem ex Apocalypsi, cap. 1, 2, 3. patet, gubernandæ per Angelos sive Episcopos Ecclesiæ formam non solùm Apostolorum temporibus ratam & solennem fuisse sed ab ipso Dei Filio confirmatam. Et Ignatius illam ipsam formam διάταξιν Christi vocavit. Cumque scribat Hieronymus, *in toto orbe decretum esse ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris*, & verò demonstraverim, viventibus adhuc Apostolis Episcopos, tanquam Presbyteris ordinatione superiores, singulis Ecclesiis singulos præfectos fuisse, non immeritò quærimus, Ubi, Quando, A quibus id *decretum* factum sit. Origine igitur Divinâ gaudet Episcopatus. Quem quo modo Ecclesiæ Romanæ Præsules primis ferè trecentis annis veritate doctrinæ, innocentiâ vitæ, constantiâ in afflictionibus & morte ipsâ pro Christi gloria perferenda exornarint, & contra quo modo subsequentibus temporibus eundum primùm ambitione, mox πλεονεξίᾳ πολυπραγμοσύνῃ bona hujus mundi ad se trahente, tum hæresi, tandem tyrannide ità corruperint ut Romana Hierarchia hodie non nisi larvam Hierarchiæ Ecclesiasticæ Apostolicæ, Meretricis autem Babylonicæ vivam imaginem præ se ferat, veteres pariter & recentes Historiæ loquuntur. Quapropter omnes Episcopi monentur ut naturam Episcopatûs Apostolici, cujus se successores jactant, probè secum perpendant. Episcopatus ille peculiaria duo habebat, succedendi privilegium, & ordinandi prærogativam: Reliqua illi cum Presbyteris erant communia. Jubentur igitur Episcopi, æquè ac Presbyteri exercere se ad pietatem; doctrinâ & moribus à contemptu se vindicare; exemplaria suis gregibus se præbere; donum Divinitus acceptum, prophetandi imprimis, non negligere; lectioni, consolationi, doctrinæ intenti esse; hæc meditari, in his esse, adeoque in sacra hac functione & rebus Divinis perpetuò occupari: cum promissione, si id fecerint, ipsos se & auditores servaturos; sin minùs, & posthabitâ rerum Divinarum ac pietatis curâ in alia omnia præcipites ruant, Satraparum more fastum & luxum hujus seculi consectati, ipsos se & auditores perditum ituros.

CAMERON.

10. Αἱρετικὸν ἄνθρωπον παραιτοῦ] *Hæreticus* hoc loco non eum simpliciter significat qui erroneas & falsas tuetur opiniones, sed eum notat cui id volupe est. Ea enim est nominum Græcorum in ικὸς desinentium proprietas, ut ad qualitatem designandum non adhibeantur modò, sed etiam ad innuendam delectationem quam in ea capit cui illa qualitas inest. Et sanè quod Paulus Timotheo minimè præcipit ut ejusmodi hominem leniter doceat, sed tantùm ut *post unam atque alteram admonitionem* sive *redargutionem devitet*, argumentum est lasciva & petulantia ingenia à Paulo intelligi: alios enim cum omni mansuetudine edoceri vult. Unde efficitur, non eum continuò qui hæretico errore imbutus est, esse hæreticum, & pro hæretico habendum.

GROTIUS.

1. Ὑπομίμνησκε αὐτοὺς, *Admone illos*] Vide 2 Tim. 2. 14. De eis vult moneri Cretas quorum maximè indigebant. ¶ ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι, *Principibus & Potestatibus subditos esse*] Rursum hic ὑποτάσσεσθαι sumitur ut 2. 5, 9. ἐξουσίας [*potestates*] vocat *Præsides*: ἀρχὰς [*Principes*] autem τὰς ὑπερεχούσας ἐξουσίας [*supereminentes Potestates*] ut loquitur Rom. 13. 1. Pari modo distinguit hic Apostolus βασιλέας [*Reges*,] id est, *Imperatores*, & τοὺς ἐν ὑπεροχῇ ὄντας [*eos qui in sublimitate sunt*:] Petrus verò βασιλέας [*Reges*] & ἡγεμόνας [*Duces*] 1 Petr. 2. 14. Sic Rex dicitur ראש [*Caput*] Hebræis, ut Ezechiel. 38. 2. Valde seditiosa semper fuit Creta. ¶ Πειθαρχεῖν, *dicto obedire*] *Imperiis obtemperare.* Vide Actor. 5. 29. ¶ Πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἑτοίμους εἶναι, *ad omne opus bonum paratos esse*] Contra affectos quàm illi erant, de quibus supra 2. 16. ἑτοίμους נכונים, *bene paratos*. In Glossario, ἕτοιμος, *paratus, preparatus*.

2. Μηδένα βλασφημεῖν, *Neminem blasphemare*] *Ut nemini maledicant.* Sic vox ista sumitur Matth. 27. 39. Marci 15. 29. Luc. 23. 39. Actor. 13. 45. 18. 6. Rom. 3. 8. 1 Cor. 4. 13. 10. 30. 2 Petr. 2. 10. Hebræi dicunt גדף [*maledictis insectari*,] & ita hic Syrus. ¶ ἀμάχους εἶναι, *non litigiosos esse*] 1 Tim. 3. 3. ¶ ἐπιεικεῖς, *modestos*] Ibidem. ¶ πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πραότητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους, *omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines*] Non tantùm adversùs fidei consortes, sed etiam adversùs contradictores. De voce ἐνδείκνυσθαι [*ostendere*] jam diximus 2 Timoth. 4. 14. Supra 2. 10. πᾶσαν πραότητα, id est, *summam lenitatem*. Vide Ephes. 1. 8. Coloss. 1. 9. 1 Tim. 1. 15.

3. Ἦμεν γάρ ποτε καὶ ἡμεῖς ἀνόητοι, *Eramus enim aliquando & nos insipientes*] Hoc pertinet ad tolerandos eos qui fidei contradicunt. Fuimus & nos tales, inquit. *Faciet nos moderatiores respectus nostri, si consuluerimus nos*, ait Seneca de Ira 2. 28. Cùm dicit Paulus ἡμεῖς [*nos*,] non tam se intelligit, quàm eos qui ex Gentibus vocati erant, per κοίνωσιν [*Communicationem*] satis ipsi familiarem, neque nimiùm obtortam, cùm Christiani omnes unius corporis membra sint. Tale illud Bruti ad Ciceronem, *Quòd si Romanos nos esse meminissemus.* ἀνοήτους [*insipientes*] autem vocat *non intelligentes rerum divinarum*: nam de iis rebus hic agitur. Vide Luc. 24. 25. Rom. 1. 14. ¶ ἀπειθεῖς, *increduli*] Ne illis quidem Dei legibus obsequentes quæ naturales dicuntur, & quas societas humana exigit. ¶ πλανώμενοι, *errantes*] πλανᾶσθαι [*errare*] dicuntur eximiè

eximiè ii qui colunt idola, Deut. 4. 19. 30. 17. נדחים [*decepti.*] ¶ *δουλεύοντες ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις, servientes desideriis & voluptatibus variis*] Id est, *ἐπιθυμίαις ἡδονῶν* [*desideriis voluptatum.*) Δουλεύοντες [*servientes*] *addicti, mancipati*, quomodo δεδουλωμένοι habuimus supra 2. 3. Adde quod Matth. 6. 24. Roman. 6. 6. ¶ *ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ διάγοντες, in malitia & invidia agentes*] Vide Rom. 1. 29. Διάγοντες [*agentes*] est brevis locutio. Subauditur enim βίον [*vitam,*] quod expositum habes 1 Tim. 2. 2. Sic διάγειν ἐν ἡσυχίᾳ, διάγειν ἡδέως [*agere in tranquillitate, jucundè agere*] frequentia apud Græcos. ¶ *στυγητοί, odibiles*] *Digni odio*: nam talem sensum habent verbalia ejusmodi. Et sic *ἀγαπητὸν* [*dilectum*] dignum amore interpretatur Hieronymus in Commentariis ad Philemonem. ¶ *μισοῦντες ἀλλήλους· odientes invicem*] *Mutuò infesti*, ferarum more. Vide 1 Johan. 2. 9.

4. Ὅτε δὲ ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ, *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei*] Idem hic *χρηστότης καὶ φιλανθρωπία Θεοῦ* [*benignitas & humanitas Dei*, quod modo *χάρις Θεοῦ* [*gratia Dei*] 2. 11. Est & hic *καὶ* [*&*] rursus *ἐξηγητικόν* [*explicativum.*] Nam *χρηστότης* [*benignitas*] nomen generale explicatur per specialius *φιλανθρωπίας* [*humanitatis*] sic Rabbini solent dicere, טובה ורחמים [*bonitas & clementia.*] Notat etiam Plutarchus Deum non dici *φίλιππον* [*Philippum*, id est, *equorum amantem*] sed *φιλάνθρωπον* [*Philanthropum*, id est, *hominum amantem.*] Vide Psal. 8. 5. Σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ] *Salvatoris nostri Dei,*] ut supra 2. 10.

5. Οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, *Non ex operibus justitia quæ fecimus nos*] Plerorumque enim mala fuerant opera, *ἐν δικαιοσύνῃ* [*in justitia*] Hebræo more pro *κατὰ δικαιοσύνην* [*secundum justitiam.*) Sensus idem Ephes. 2. 9. Alluditur ad Deut. 7. 7. ¶ *ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον, sed secundum suam misericordiam*] Hoc est quod dicto ad Ephesios loco dicitur Θεοῦ τὸ δῶρον] [*Dei donum,*] חן אלהים [*Dei gratia,*] Gal. 1. 15. *διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ* [*per gratiam suam.*] Beneficia ultro ingessit, nihil tale petentibus 1 Petri 1. 3. In Manuscripto, *κατὰ τὸ αὐτοῦ ἔλεος* [*secundum suam misericordiam.*] ¶ *ἔσωσεν ἡμᾶς, servavit nos*] Est *μετωνυμία* [*Transnominatio,*] nam *servavit*, dixit, pro *in via salutis collocavit*. Sic Ephes. 2. 5. & 2. 8. *χάριτί ἐστε σεσωσμένοι* [*gratiâ salvati estis.*] ¶ *διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, per lavacrum regenerationis.*) In Manuscripto, *διὰ τοῦ λουτροῦ* [*per lavacrum.*] Baptismum intelligit junctim cum doctrina baptismi. Vide & Ephes. 5. 26. & 1 Petr. 3. 21, ubi *βάπτισμα σώζειν* [*baptisma salvare*] dicitur. Pars *novæ nativitatis* est exactio vitiorum quæ in baptismo promittitur. Vide quæ ad Joh 3. 3. & Matth. 28. 19. Adde Gal. 3. 27. Coloss. 3. 12. ubi similiter baptismus simul cum doctrina & re significata consideratur. Theophilus Antiochenus, Ἔτι μὴν καὶ εὐλογήθη ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τὰ ἐκ τῶν ὑδάτων γενόμενα, ὅπως ᾖ καὶ τοῦτο εἰς δεῖγμα τοῦ μέλλειν λαμβάνειν τοὺς ἀνθρώπους μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν διὰ ὕδατος καὶ λουτροῦ παλιγγενεσίας, πάντας τοὺς προσιόντας τῇ ἀληθείᾳ καὶ ἀναγεννωμένους καὶ λαμβάνοντας εὐλογίαν παρὰ τοῦ Θεοῦ [*Praterea animalia quæ humor profert, benedictionem Dei consecuta sunt: ut notum esset mortalibus, fore ut pœnitentiam apprehendant, & peccatorum remissionem nanciscantur per aquam & regenerationis lavacrum, quotquot accedunt ad veritatem, & regenerantur accipientes benedictionem à Deo.*] ¶ *καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου. & renovationem Spiritûs sancti*] Post baptismum datur Spiritus sanctus agens ad omnia maxima. Hæc est pars altera novæ nativitatis, quæ hic *ἀνακαίνωσις* [*renovatio,*] ut & Rom. 12. 2. Coloss. 3. 10. Respicitur locus Ezechielis 18. 31. Notant Veteres in hoc loco τῆς Τριάδος [*Trinitatis*] mentionem satis expressam.

6. Οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. *Quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum*] Ἐξέχεεν [*effudit*] per se largam communicationem significat, ut videre est Actor. 2. 17, 18, 33. 10. 45. Præterea addidit Paulus *πλουσίως*, quod in ipsius sermone est, *abundanter*. Διὰ Ἰησοῦ [*Per Jesum*] quia Jesus hoc ipsum à Patre obtinuit.

7. Ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι, *Ut justificati gratiâ ipsius*] *Mundatis vitiis per fidem quæ ipsius dono nobis contigit*, Rom. 3. 28. 5. 1. Gal. 2. 16. Vide & Prolegomena nostra in Epistolam ad Romanos. ¶ *κληρονόμοι γενώμεθα κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου. hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ*] *Hæredes* etiam hic esse dicimur, sed jure ac certâ spe. Ideo hic additur *κατ' ἐλπίδα* [*secundùm spem.*] Sic Rom. 8. 24. *τῇ ἐλπίδι ἐσώθημεν* [*spe salvati sumus.*]

8. Πιστὸς ὁ λόγος *Fidelis sermo*] Nempe id quod sequitur, ut 1 Tim. 1. 15. 3. 1. 4. 9. 2 Tim. 2. 11. Id autem quod sequitur est, *oportere eos qui Deo credunt curam gerere ut præsint honestis laboribus*. ¶ *καὶ περὶ τούτων βούλομαί σε διαβεβαιοῦσθαι, & de his volo te asseverare*] Id est, *de his volo te loqui cum maxima asseveratione, ut de rebus certissimis*. Διαβεβαιοῦσθαι [*asseverare*] 1 Tim. 1. 7. est loqui *μετὰ βεβαιώσεως* [*cum confirmatione.*] Vide Hebr. 6. 16. בגבורה [*nervose.*] ¶ *ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι οἱ πεπιστευκότες τῷ Θεῷ. ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo*] Ita hic per *ἵνα* [*ut*] inchoat sententiam, quomodo per *ὅτι* [*quia*] 1 Tim. 1. 15. & 6. 10. *προΐστασθαι* cum dativo significat *præesse*, ut 1 Tim. 3. 5. *Præesse* autem *bonis operibus*, non est aliud, quàm domum suam facere honesti alicujus opificii officinam, omnes suos exercere in laboribus honestis, non agere vitam lenonum, parasitorum, scenicorum, aruspicum, aut his similem. Hunc sensum nobis monstrat eadem sententia repetita infra 14. cum additamento, *εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας* [*ad necessarios usus.*] Opponuntur hæc ei quod modò de Cretensibus dixerat, *γαστέρες ἀργαί* [*ventres otiosi.*] ¶ *ταῦτά ἐστι τὰ καλὰ καὶ ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις. hæc sunt bona & utilia hominibus*] *Hæc per se honesta sunt*, sicut ait Hesiodus,

——Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος
[——*Dedecus non est operari.*]

Ea utilitatem ad hanc vitam adferunt. Vide Sirach. 38. 36, & ibi dicta.

9. Μωρὰς δὲ ζητήσεις, *Stultas autem quæstiones*] *Quæstiones inanes*, ad pietatem nihil facientes, 2 Timoth. 2. 23. מבוכות Rabbinis. ¶ *καὶ γενεαλογίας, & genealogias*] Varias illas emanationes proprietatum, sive ספירות, Judæorum otiosorum negotia. Vide 1 Timoth. 1. 4. ¶ *καὶ ἔρεις καὶ μάχας νομικὰς, & contentiones & pugnas Legis*] Id est, *ἔρεις ἐκ μαχῶν νομικῶν*, *lites ex diversa locorum Legis interpretatione natas*, 2 Timoth. 2. 23. 1 Timoth. 6. 4. Iisdem morbis laborabant Judæi Ephesini & Cretes. ¶ *περιΐστασο· devita*] Vide de hac voce 2 Timoth. 2. 16.

10. Αἱρετικὸν ἄνθρωπον, *Hæreticum hominem*] Αἱρεσιώτην habet hîc Syrus, Arabs. - - - id est, *sectarium*. Αἱρέσεως vox per se media, ubi in malam partem sumitur significat idem quod *σχίσμα* [*dissensio,*] nisi quòd illa generalitas *σχίσματος* [*dissensionis*] voce *αἱρέσεως* [*hæresis*] contrahitur ad eas partes quæ fiunt ex opinionum diversitate. Est ergo hic *hæreticus* is qui per opinionem de Ecclesia partes facit; qui in id disputat, ut sibi discipulos paret, unitate contempta; qui est זקן ממרא [*senex rebellans,*] ut loquuntur Hebræi; מין ut Rabbini, à voce quæ *speciem* significat. ¶ *μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ post unam & secundam correptionem devita*] Non dicit *excommunica*: nam ipsi ultro communionem deserunt. Ergo tales monendi sunt semel atque iterum ex præcepto Christi, Matth. 18. 16, 17, 18. Id si non prosit, abrumpenda cum eis familiarior consuetudo, ut 1. Corinth. 5. 9. *παραιτοῦ* [*devita,*] id est, *ἀποστρέφου* [*aversare.*] In Glossario, *παραιτοῦμαι, evito*.

11. Εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, *Sciens quia subversus est qui ejusmodi est*] Et hîc passivum est pro reciproco: *ἐξέστραπται* idem quod *ἐξεστραμμένος ἐστὶν* [*subversus est.*] איש תהפכות [*vir perversitatum*] ex Deut. 32. 20. Latini quoque talem *perversum* vocant, *prava mens*. ¶ *καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. & delinquit cùm sit proprio judicio condemnatus*] *Scit ipse se peccare*. Intus non potest se non damnare. Cur? quia de rebus divinis affirmat multa sine revelatione, & hoc facit, ut de Ecclesia, cujus paci consulere debebat, partem sibi faciat in qua regnet. Est hæresis *obstinatioris animi dementia*, in Codice Justinianeo, L. 2. de Summa Trinitate. *Hæreticus* Augustino, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratiâ, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur. *αὐτοκατάκριτος* [*proprio judicio condemnatus,*] Thalmude Hierosolymitano, titulo de Synedrio מחייב [*seipsum debitorem efficiens.*] Justinus ad Zenam, Τὸ γοῦν ἐμοὶ δοκοῦν εἴποιμι ἂν, ὅτι πᾶς ὁ τὴν γνώμην κοσμικὸς, καὶ τοῦ ὀρθοῦ κανόνος ἔξω γινόμενος, αὐτοκατάκριτός ἐστιν, εἰδὼς ὃ πράττει κατ' ἐπιτήδευσιν, καὶ γινώσκων μὲν τὸν ἐν αὐτῷ πόλεμον, τὴν δὲ εἰρήνην ἐν τοῖς σπλάγχνοις μὴ ἐπιστάμενος [*Dicam quid mihi videatur, nimirum, eum, qui eo animo est ut mundum hunc sibi pro fine propositum habeat, atque à verâ normâ deflectat, esse apud se damnatum, cùm & quo studio agat sciat, & pugnam videat quam in se fovet, nec tamen operam det ut pacata sua viscera habeat.*] Tertullianus *αὐτοκατάκριτον* vertit, *sibi damnatum*, id est, *apud se*.

12. Ὅταν πέμψω Ἀρτεμᾶν πρός σε, *Cum misero ad te Artemam*] Contractum nomen ex *Artemidoro*. Vide quæ ad initium Lucæ. ¶ ἢ Τυχικὸν, *aut Tychicum*] Is inter comites Pauli fuerat à Judæa Romamusque, & inde ab eo nunc huc nunc illuc mittebatur. Vide Act. 20. 4. Eph. 6. 21. Coloss. 4. 7. 2 Timoth. 4. 12.

4. 12. ¶ *σπούδασον ἐλθεῖν πρός με εἰς Νικόπολιν· festina ad me venire Nicopolim*] Nempe ex Creta in Epirum, quò Paulus venturum se sperabat, &c, ut quidam putant, venit medio illo tempore inter duas ejus vincturas. ¶ *ἐκεῖ γὰρ κέκρικα παραχειμάσαι· ibi enim statui hyemare*] Κέκρικα, *constitui*, ut Act. 20. 16. Παραχειμάσαι, hic est, ut in Glossario, *hibernare*, *hiemem transigere*.

13. Ζηνᾶν τὸν νομικὸν, *Zenam Legisperitum*] Est hoc nomen contractum ex *Zenodoro*. Νομικὸς, ὁ νόμους εἰδὼς, *Jurisperitus*, *Legisperitus*, in Glossario. Stoici νομικὸν [*Legisperitum*] definiebant τὸν ἐξηγητικὸν τοῦ νόμου [*Legis interpretem.*][1] Jus Romanum etiam Græci didicere, ut Tryphoninus, Callistratus, Menander, Arcadius. Neque dubito quin multi ex Juris Sacerdotibus Christi Sacerdotes facti sint, quòd in ea religione omnia juris præcepta viderent eminenter contineri. Inter eos fuit Tertullianus, plenus locutionum juris Romani, quanquam non is est cujus quædam in Digestis habemus. ¶ *καὶ Ἀπολλὼ, & Apollo*] Etiam hunc Romæ apud Paulum fuisse suspicor: multis enim adjutoribus in tanta urbe opus habebat homo vinctus. ¶ *σπουδαίως πρόπεμψον, sollicitè præmitte*] Illi, ne fallor, Roma per Cretam ibant in Judæam & Syriam, Pauli missu. προπέμπειν [*præmittere*] hic est *curare ut proficiscantur*, nempe subministratis, ut sequitur, iis quæ ad iter necessaria, ut navi, viatico, cibariis. Sic vox προπέμπειν [*præmittere*] sumitur Sap. 19. 2. 1 Cor. 16. 11, & alibi. Σπουδαίως, *sedulò*, *enixè* in Glossario. Vide Luc. 7. 4. & Sap. 2. 6. ¶ *ἵνα μηδὲν αὐτοῖς λείπῃ, ut nihil illis desit*] Nempe quod ad iter sit necessarium, ut jam diximus. λείπῃ pro ἐλλείπῃ [*desit*] quomodo Luc. 18. 22.

14. *Μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι, Discant autem & nostri*] *Nostri*, id est, Apelles, Tychicus, & alii quos mittimus, si quo in loco resederint. ¶ *καλῶν ἔργων προΐστασθαι, bonis operibus praeesse*] Assuefiant, inquit, *habere domi officinam aliquam*, me imitantes, Actor. 20. 34. ¶ *εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, ad usus necessarios*] *Ad vitæ subsidia.* Sic χρείας [*usus*] habemus Actorum 20. 34. Rom. 12. 13. Et in singulari Philipp. 2. 25. 4. 6. Bene autem addidit ἀναγκαίας [*necessarios,*] id est, victum & tegmen, quæ natura desiderat, 1 Tim. 6. 8. ¶ *ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι. ut non sint infructuosi*] Ne sint

—— segnes aliena ad pabula fuci.

καρπὸς [*fructus*] dicitur *quæstus ex opera*, Proverb. 31. 16.

15. *Ἀσπάζονταί σε οἱ μετ' ἐμοῦ πάντες, Salutant te qui mecum sunt omnes*] Lucas, Timotheus, Epaphras, & alii. ¶ *ἄσπασαι τοὺς φιλοῦντας ἡμᾶς ἐν πίστει· saluta eos qui nos amant in fide*] Id est, fratres, ut Coloss. 4. 15. 1 Thess. 5. 26. πάντα ἅγιον ἐν Χριστῷ [*omnem sanctum in Christo,*] ut Philipp. 4. 21. *Saluta*, inquit, *eos qui nos amant ob communem fidem*. Nam id valet hoc loco ἐν [*in,*] more Hebræo. ¶ *Ἡ χάρις μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen*] Coloss. 4. 18. 2 Timoth. 4. 22. habemus, ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν [*gratia vobiscum.*] Hic præterea habemus πάντων [*omnibus,*] ut & Hebr. 13. 25. nempe ne quis se exclusum quereretur.

P R I C Æ I.

1. Ὑπομίμνησκε αὐτοὺς]

Præceptum auriculis hoc instillare memento.

Vide 2 Tim. 2. 14. Recentior, *suggere illis:* an ergò malè Vulgatus *admone?* In Glossis, *Monet*, &c. ὑπομιμνήσκει.

Ibid. *ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι*] Et summis & secundis Potestatibus se submittere. Ità ut exponam facit locus 1 Petr. 2. 14. Sophocles,

ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ' ὑπεικτέον, τί μή;

Simplicius in cap. 38. Epicteti, *Πρέπει τοῖς ὄντως ἄρχουσι πάντας πείθεσθαι τοὺς ἀρχομένους, καὶ ὑπακούειν προθύμως.* Ibidem, *Εἰ δὲ καὶ ὀνόματι μόνον τύχωσιν ἄρχοντες, τὰ τοῖς ἄρχουσι προσήκοντα μὴ πράττοντες, καὶ οὕτως, ὡς μοχθηροῦ χρὴ μὲν καταγινώσκειν, τὸ δὲ τῇ ἀρχῇ προσῆκον ἀποδιδόναι, πρωτεῖον συγχωροῦντες, καὶ πειθόμενοι ἐφ' οἷς κατὰ ψυχὴν οὐ βλαπτόμεθα.* Nicolaus Damascenus (apud Stobæum) de Lacedæmoniis, *Σεμνύνονται ἐπὶ τῷ παρέχειν ἑαυτοὺς παρέχειν καὶ κατηκόους ταῖς ἀρχαῖς.* Contrarium Rom. 13. 2. *τῇ ἐξουσίᾳ ἀντιτάττεσθαι.* Congruenter autem, adeoque necessariò, hæc Apostolus suggerit erga homines φιλοστασιώτας. Anonymus apud Suidam, v. Ἀνόσιον, *Οἱ δὲ Κρῆτες*, &c. *ἀνόσιον τὰ πλήθη, συνταλῶντες ἐξ αἰῶνος παραδεδομένην ἐλευθερίαν φυλάττειν.* Vide & eundem Suidam in *Οἱ Κρῆτες τὴν θυσίαν.*

Ibid. *πειθαρχεῖν*] Glossarium, Πειθαρχῶ, *obtempero*, *pareo*, *obedio*, *obsequor*. Hesychius, Πειθαρχήσαντες, *πεισθέντες.*

Ibid. *πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἑτοίμους εἶναι*] Sic, *ἑτοίμως εὖ ποιεῖν*, Plutarchus in Alexandri vita. Et nota *πρὸς ἔργον ἀγαθὸν* q. d. non ad impia eorum jussa exsequenda. Vide suprà ex Simplicio adducta: adde quod & Rom. 13. 4. *ὁ ἄρχων*, *θεοῦ διάκονος* vocatur *εἰς τὸ ἀγαθόν*. Simile ei quod hic dicitur est Rom. 15. 2. *εἰς τὸ ἀγαθὸν ἀρεσκέτω.*

2. Μηδένα βλασφημεῖν, *ἀμάχους εἶναι, ἐπιεικεῖς*] Conviciis neminem insectari, non jurgiosos, sed modestos esse. Firmicus 2. 33. ad Lollianum, *Nunquam alienis jurgiis gaudeas, sed tibi in omni conversatione placeat quieta moderatio.* Apulejus in Apologia sua, *Non sum jurgiosus.* Τὸ ἐπιεικεῖς recentior Interpres *moderatos* vertit: Vulg. *modestos*. Glossæ, *Modestus*, *ἐπιεικής*. Suidas, Ἐπιεικὴς, *πρᾶος*, *μέτριος*. Glossæ aliæ, Ἐπιείκεια, *mansuetudo*, &c. *modestia.*

Ibid. *ἐπιεικεῖς, πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πραότητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους*] Sic Philipp. 4. 5. *τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις.* Hoc loco autem *πραότητα ἐνδείκνυσθαι*, puto præcipuè esse, obstinatos & veritati fidei obstrepentes mansuetè & patienter instruere, quod 2 Tim. 2. 25. *ἐν πραότητι τοὺς ἀντιδιατιθεμένους παιδεύειν.* Ità ut accipiam me monent quæ hic sequuntur, *ἦμεν γάρ ποτε καὶ ἡμεῖς*, &c. Tale ferè Poetæ illud,

Parcius ista viris tamen objicienda memento:

Novimus & qui te. ——

Ità & Galat. 6. 1. post *ἁμαρτάνοντα ἐν πραότητι καταρτίζειν*, sequitur, *σκοπῶν σεαυτὸν μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς.* Πραότητα ἐνδείκνυσθαι heic, ut suprà 2. 10. *ἐνδείκνυσθαι πίστιν* & apud Plutarchum in Lycurgi vita, *εὔνοιαν ἐνδείκνυσθαι.*

3. *Ἦμεν γάρ ποτε καὶ ἡμεῖς*, &c.] Eramus enim & nos quales nunc illi. Cum his & quæ continuò sequuntur confer Galat. 4. 3. Ephes. 2. 3, 11, 12. 1 Cor. 6. 11. ubi &, *καὶ ταῦτά τινες ἦτε.* Minucius in Octavio, *Et nos idem fuimus, & eadem vobiscum quondam, adhuc cæci & hebetes sentiebamus.* Hierocles, *Δεῖ συγγνωμονικῶς ἀκούειν τῶν ψευδομένων, καὶ πείρᾳ μανθάνειν οἵων ἡμεῖς ἐκαθάρθημεν κακῶν, τῇ μὲν κοινωνίᾳ τοῦ συγγενοῦς ὑποκείμενοι τοῖς αὐτοῖς πάθεσι, τῇ δὲ ἀλεξικάκῳ τῆς ἐπιστήμης ἐξ ἐναντίας αὐτῶν γενόμενοι.* D. Augustinus in Psal. 85. *Unusquisque recordetur quid fuit, &c. & tunc subveniet ei qui adhuc est quod ille jam non est.* Idem in Psalm. 54. *Prosit tibi ad habendam misericordiam, quia & tu fortè, si bonus es, ex malo factus es bonus.* Et in Psalm. 50. *Cum tolerantia vivendum est nobis inter malos, quia cum mali essemus, cum tolerantia vixerunt boni inter nos: non obliviscentes quid fuerimus, non desperabimus de his qui nunc sunt quod fuimus.* Deus, Exod. 22. 21. ad Israëlem, *Advenam non contristabis, neque affliges eum, advenæ enim & ipsi fuistis.* Plinius amicum juniorem monens, nè filium suum nimis rigidè tractaret, *Cogita illum puerum esse, & te fuisse.* Plutarchus simili argumento, *Τοὺς πατέρας οὐκ ἀξιῶ τελείως τραχεῖς καὶ σκληροὺς εἶναι*, &c. *ἀλλὰ πολλαχοῦ συγχωρῆσαί τινα τῶν προτέρων ἁμαρτημάτων, καὶ αὐτοὺς ἀναμιμνήσκειν ὅτι ἐγένοντο νέοι.*

Ibid. *ἀνόητοι*] Ἐχθροὶ (ut Coloss. 1. 21.) *τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς* vel, *ἐν ματαιότητι* (ut Ephes. 4. 17. *τοῦ νοὸς ἡμῶν περιπατοῦντες.* Hierocles, *Οὐκ ἔστιν ἢ μὴ ἀνοηταίνειν τὸν τοῦ θεοῦ γενόμενον ἔρημον, ἢ μὴ ἔρημον εἶναι θεοῦ τὸν εἰς ἄνοιαν ἐμπεσόντα· τὸν γὰρ ἀνόητον ἀνάγκη καὶ ἄθεον εἶναι, καὶ τὸν ἄθεον ἀνόητον.*

Ibid. *ἀνόητοι, ἀπειθεῖς*] Repetendum *ποτέ*. Sic Rom. 11. 30. *ὑμεῖς ποτε ἠπειθήσατε*, &c. Ἀπειθεῖς, intellige *τῷ θεῷ*, ut citato ad Romanos loco; vel, veritati, id est, Euangelio. Sic, *ἀνοήτους εἶναι, καὶ τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι*, Galat. 3. 1. conjuncta: quam in mentem & Hesychius, Ἀπειθὴς, &c. *ἄπιστος.* Hoc Rom. 11. 32. *εἰς ἀπείθειαν συγκλείσθαι.*

Ibid. *πλανώμενοι*]

—— Velut sylvis, ubi passim

Palantes error certo de tramite pellit.

Seneca 45. Epist. *Qui quò destinavit pervenire vult, unam sequatur viam; non per multas vagetur. Non ire istud, sed errare est.*

Ibid. *πλανώμενοι.*] Ἐν πλάνῃ, ut 2 Pet. 2. 18. *ἀναστρεφομένους.*

—— Semita nulla pedem stabilibat. —— Eramus

Inconsulti homines, vitáque erat error in omni:

quales illi *—— Quos fugienda patrum vestigia ducunt,*

Et monstrata diu veteres trahit orbita culpa.

Sap. 5. 7. Ἐπλανήθημεν ἀπὸ ὁδοῦ ἀληθείας, &c. *διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους·* ignari quò tendebamus, caducis & offensilibus gressibus per viam mortis incedebamus. *Vagabamur passim*, &c. *secuti fremitum & clamorem dissonum in diversa vocantium, conterebatur vita nostra inter errores*, Seneca De V. B. cap. 1. Lactantius, & (ut Apostolus) de Paganis, 6. 8. *Errant, velut*

in

in magno mari, nec quò ferantur intelligunt. De iisdem in Psal. 103. D. Augustinus, *Vivebant moribus suis*, &c. *tanquam in deserto vagantes.* Euthymius in Joh. 12. ea, UT FILIOS DEI DISPERSOS CONGREGARET, *Filios Dei gentes nominavit*, &c. *dispersos autem ob varia de Deo dogmata*, ubi *dispersi* sunt πλανώμενοι. Iterum Lactantius 4. 3. hanc materiam persequens, *Teneri veritas non potest ubi*, &c. *animus in multa dispersus, huc atque illuc divagatur.* Repetendum autem ex verbis Apostoli ἦμεν γὰρ, ex superioribus. Sic Petrus 1. 2. 25. ἦμεν γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα. Πλανώμενοι vertunt hic *errantes*: malim ego, *errabundi*: non tam actus enim quàm status errationis mihi videtur denotari. In vetere & optimo Onomastico, unà cum Glossariis excuso, *Errabundus*, πλανώμενος.

Ibid. δουλεύοντες ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις] Ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ὀρεγόμενοι, ut Plato 4. de Legg. locutus: id est, πορευόμενοι (ut 1 Pet. 4. 3.) ἐν ἀσελγείαις, &c. οἰνοφλυγίαις, κώμοις, πότοις, καὶ εἰδωλολατρείαις. Ejusmodi enim sunt quas Paulus hoc loco ἡδονὰς ποικίλας vocat. Vide & Cebetem Thebanum ad 2 Tim. 3. 6. adductum. Ἐπαλλήλαις καὶ διαφόροις ἡδοναῖς συνέχεσθαι de Commodo lib. 1. Herodianus dixit. Et nota hic δουλεύοντες ἡδοναῖς. Ammonius in περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων, Δοῦλοί εἰσιν καὶ οἱ τῶν ἡδονῶν, οἰκέται δὲ δεσποτῶν. Thomas Magister, Δοῦλοι, οἱ ταῖς ἡδοναῖς κάτοχοι, καὶ ὑποτασσόμενοι βασιλεῦσιν. ubi legendum fortè, ὡς βασιλεῦσιν· unde & Rom. 6. 12. μὴ βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία. Seneca 47. Epist. *Alius libidini servit, alius avaritiæ, alius ambitioni*, &c. voluit dicere, ἡδοναῖς ποικίλαις δουλεύει. In Epistola Pythagoræ dicta ad Hieronem, Ἡδοναὶ, &c. δουλοῦνται ψυχὰς ἀσθενῶν ἀνθρώπων. Hinc *servum vitiis pectus*, apud Ovidium, Remed. Amor. 1. &, *servitus, obedientia fracti animi arbitrio carentis suo*, apud Ciceronem Paradox. Vide Joh. 8. 34. 2 Pet. 2. 19. Ἡδοναῖς autem καὶ ἐπιθυμίαις δουλεύειν, non Paulus tantùm, sed & Plutarchus dixit, in Conjugal. præceptis: item Plato, ἐπιθυμιῶν δοῦλον.

Ibid. ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ διάγοντες] Μεστοὶ, ut Rom. 1. 29. φθόνου, &c. κακοηθείας. Lactantius 4. 26. *Ante cognitionem Dei fuimus injusti, mali, nocentes*, &c. *omnia scelere ac libidine polluebamus.* Διάγειν heic, est quod Ephes. 2. 3. argumento simili ἀναστρέφεσθαι. Quo & sensu Coloss. 3. 6. ἐν αὐτοῖς ἐζῆτε dixit.

Ibid. ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ διάγοντες] Supple, τὸν βίον. Opponitur, ὁσίως καὶ δικαίως τὸν βίον διάγειν, apud Pindarum. Vulgatus *agentes*: ubi malim *degentes* legi. In Glossario enim (& fortè ex hoc Pauli loco) *Degentes*, διάγοντες. In vetere item Onomastico, *Dego*, διάγω.

Ibid. ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ διάγοντες] Sic ἐν πότοις καὶ κύβοις διάγειν, dixit Plutarchus in Demetrio: &, ἐν οἴνῳ διάγειν, Idem in Catone: ἐν ἀφθόνοις διάγειν, in vita Syllæ: &, ἐν εἰρήνῃ διάγειν, in Timoleone. In Glossis, *Conversor*, διάγω. Possumus, nec malè, ea ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ, pro ἐν κακίᾳ φθόνου accipere, figurâ notissimâ: hinc φθόνῳ τὸν πλησίον κακίζειν, dixit Jobius 5. 44. in Photii bibliotheca. Suidas etiam (quod propè accedit expositioni isti,) κακίαν, σπουδὴν τοῦ τὸν πέλας κακῶσαι interpretatur. Φθόνον autem *invidentiam* verterim, exemplo Ciceronis, qui *invidia* vocem quasi ambiguam Tuscul. 3. censebat evitandam.

Ibid. στυγητοί] Suidas, Στυγητὸς, μισητός. Glossarium, *Detestabilis*, &c. στυγητός. Hesychius (ex hoc, ut videtur, Apostoli loco) Στυγητοὶ, μισητοὶ, χαλεποὶ, &c. Dicitur & στυγερός. Vide Suidam eundem. Ità in Glossis, Στυγερὸς, *invisus, odiosus.*

Ibid. μισοῦντες ἀλλήλους] Ἀλλήλους (ut Gal. 5. 15.) δάκνοντες καὶ κατεσθίοντες. Vide & Matth. 24. 10. *Invisi mutuis odiis*, ut alicubi Tacitus (Annal. 14.) locutus. Idem 4. Histor. *Invisus avunculo, infensusque.* Salustius de Bomilcare, *Suspectus Regi*, (Jugurthæ) *& ipse eum suspiciens.* Maximus Tyrius Dissert. 36. Μισοῦντες, καὶ μισούμενοι. Contrarium Ephes. 4. 32. εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι. Vulgatus, *odientes invicem*, quod non reapse adeò sordidum ac Interpreti recentiori visum. Sanè Plinius 7. Epist. 20. *invicem diligere* dixit.

4. ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία] Φιλανθρωπία heic, amor in humanum genus. Hierocles, itidem de Deo loquens, Τὸ τῆς φιλανθρωπίας ἀγαθὸν κοινῷ τῷ γένει προτείνων. Φιλανθρωπίαν Eidem tribuerunt & Plato 4. de Legg. & Plutarchus in πρὸς ἡγεμόνα ἀπαιδ. Vulgat. *humanitas.* In Glossario, Φιλανθρωπία, *humanitas, clementia, indulgentia.* Ut autem heic Apostolus χρηστότητα & φιλανθρωπίαν junxit, easdem junxit Plutarchus in Ciceronis vita: item χρηστὸν καὶ φιλάνθρωπον, lib. 5. Herodianus historicus; & lib. 4. Dionys. Halicarnassensis.

Ibid. τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ] Ὃς πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι θέλει, 1 Tim. 2. 3.

5. ἐξ ἔργων, &c. ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ, &c.] Euthymius ad Luc. 1. ea, *PER VISCERA MISERICORDIS DEI NOSTRI, Per compassionem misericordiæ ipsius, & non per opem ipsorum.* Confer 1 Joh. 4. 10.

Ibid. κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς] Nos qui tot cupiditatibus & affectibus serviebamus, (suprà com. 3.) immensâ & merâ misericordiâ suâ salutis fecit æternæ candidatos. Euthymius ad Luc. 13. ubi de muliere annos octodecim contracta, *Figurabat hæc mulier communem humanitatem*, &c. *ab affectibus in terram inclinatam, ac humi ad terrena contractam, nec omnino*, &c. *cujus ità miserè habentis misertus est qui eam formaverat, ut per Evangelium*, &c. *erexit, ut viam quæ in cœlum ducit rectà transiret.* Κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον heic, est quod Ephes. 1. 5. argumento isto, κατὰ τὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ εὐδοκίαν Ità & 1 Pet. 1. 3. κατὰ τὸ, &c. αὐτοῦ ἔλεος. Quod heic Apostolus ait, est quod Rom. 15: 9. τὰ ἔθνη ὑπὲρ τοῦ ἐλέους τὸν θεὸν δοξάζειν dixit.

Ibid. ἔσωσεν ἡμᾶς] Hesychius ex hoc loco, Ἔσωσεν, ἐῤῥύσατο, ἐλυτρώσατο.

Ibid. διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας] 1 Cor. 6. 11. in materia ista, ἀλλ' ἐλούσασθε. Hesychius, Παλιγγενεσία, τὸ ἐκ δευτέρου ἀναγεννηθῆναι. Glossarium, Παλιγγενεσία, *regeneratio, recreatio, renatio.* Intelligit heic Apostolus baptismum. Phavorinus, Παλιγγενεσία, τὸ ἅγιον βάπτισμα. Suidas in Λυτρωτὴς, ad Psalmistæ ea, λυτρωτά μου, Ὡς διὰ τῆς παλιγγενεσίας τοῦ βαπτίσματος τῆς προτέρας ἐλευθερώσας φθορᾶς, καὶ τῆς τῶν δαιμόνων δουλείας λυτρώμενος. Sedulius ad 1 Tim. 2. *Baptismus est filiorum Dei generatio.* Euthymius ad Matth. 26. *In baptismo sensibilis quidem est aqua, sed intelligibile donum est regeneratio.* Hinc, τοῦ βαπτίσματος ἀναγέννησις apud Justinum Martyrem: & apud Lucianum in argumento eodem (sed irrisoriè) δι' ὕδατος ἀνακαινίζειν. Pars autem παλιγγενεσίας in Baptismo erat vitiorum abnegatio. Ità Plutarchus in fabula Bacchi discerpti παλιγγενεσίαν exponit τὴν τοῦ ἀλόγου καὶ ἀτάκτου κόλασιν.

6. πνεύματος ἁγίου, οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως] Ità Actor. 10. 45. ἐπὶ τὰ ἔθνη ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκκέχυται. Rom 5. 5. ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου, &c. & apud Tertullianum cap. 6. De fuga in persecut. *In omnem jam carnem effuso Spiritu sancto.* In voce ἐξέχεεν alluditur aut ad unguentorum effusionem, (Chrysologus Serm. 60. de Filio, quod heic Paulus de Patre per Filium, *Toto Divinitatis unguento nostram se fudit in carnem, ab unguento Christus dictus*, &c. *hoc unguenti nomen effudit in nos qui à Christo Christiani dicimur*,) aut, ἐξέχεεν significat heic, largissimè & abundantissimè effudit: οὐκ ἐκ μέτρου, ut de eodem Spiritu Joh. 3. 33. dicitur. Hieronymus in expositione Psal. 44. ad Principiam, *Propriè in Salvatorem verbum Effusionis adjungitur, ut significet gratiæ largitatem.* Sirachides 18. 11. ἐξέχεεν ἐπ' αὐτοὺς τὸ ἔλεος αὐτοῦ· & ibidem 1. 9. ἐξέχεεν αὐτὴν (σοφίαν) ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. Sic, *effuse donare*, Cicero in pro Cœlio, & pro S. Roscio Amerino: &, *patrimonium suum impetu immensæ liberalitatis in filium effundere*, in l. 2. Cod. de inoffic. donat. Seneca Natur. quæst. 4. 13. de aëre, *Hic quod Natura tam homini quàm feris*, &c. *in usum largè & beatè profudit*; i. e. πλουσίως ἐξέχεεν. Pollux 3. 23. de homine non parco, Ἀφειδὴς, &c. ἐκκεχυμένος. D. Augustinus in Psal. 76. *Quod ait, Effunde iram tuam, satis hoc verbo indicavit quòd multam iram voluerit intelligi.*

Ibid. οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως] Iliad. ε΄. vers. 618.

——— Τρῶες δ' ἐπὶ δοῦρα τ' ἔχευον
Ὀξέα. ———

Ad quem locum vetus Scholiastes, Ἔχευον, δαψιλῶς ἔπεμψαν, ἐπέχεον ἀθρόως· ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ὑγρῶν.

7. Ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι κληρονόμοι γενώμεθα κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου] Id est, κατ' ἐλπίδα γενώμεθα κληρονόμοι ζωῆς αἰωνίου· ni ità acceperimus enim, erit involuta sententia, & objecto, sive relativo, carebit vox κληρονόμοι. Sensus est, ut justificationem, quasi dilectionis paternæ pignus, à gratia ejus adepti, ad consecutionem hereditatis æternæ vitæ spe bonâ erigamur. *Spe futuri beneficiis præsentibus pignorati*, ut 11 Apulejus locutus. Minucius in Octavio, *Dei nostri liberalitate securi ad spem futuræ felicitatis fide præsentis ejus majestatis animamur.* Alludit heic Apostolus ad morem dividendi mundanas hereditates, quarum partem parentes filiis quandoque in antecessum permittunt: indicium, modò bene se gesserint, fore ut plura & majora insequantur. Apulejus de Pudentilla sua, *Ut eos* (filios suos) *ex ea quam tribuisset parte securos haberet, & ad reliqua hereditas spe bonâ invitaret.* Simile Ephes. 1. 14. ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας.

8. Πιστὸς ὁ λόγος] Is nempe quem apponam, cum Ambrosio enim potiùs ad sequentia, quàm cum Chrysostomo, Theophylacto, Hieronymo, & Sedulio, hæc verba ad præcedentia retulerim. Vide ad 1 Tim. 3. 1. annotata.

Ibid. *Καὶ περὶ τούτων βούλομαί σε διαβεβαιοῦσθαι*] In editis quibusdam fortè meliùs, *περὶ τούτου*, id est, *λόγου*. *Διαβεβαιοῦσθαι*, asseveratè loqui, ut de re summè necessaria. Vulgat. *de his volo te confirmare*, id est, *volo confirmes*. Pereruditè autem *confirmare* dixit. Plinius junior Epistolarum lib. 10. *Sibi quoque confirmat necessarios esse milites*: & non semel Cicero ipse. Gellius 1. 21. de Higino, *In commentariis quæ in Virgilium fecit, confirmat, & perseverat*, &c. Ità & in Glossario, *Ἐπιβεβαίωσις, perseverantia, confirmatio.*

Ibid. *ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι*] *Φροντίζωσι, curent*. In Glossis, *Φροντίζω, curo, accuro*. Hesychius, *φροντίζει, μεριμνᾷ*. Non dissimile 2 Corinth. 8. 21. *καλὰ προνοούμενοι*. *Ἵνα φροντίζωσιν*, accipiendum quasi uno verbo dixisset, *φροντιζέτωσαν*· est enim initium *τοῦ πιστοῦ λόγου*, de quo jam dixerat. Sic 1 Tim. 1. 3. *ἵνα παραγγείλῃς*, &c. pro *παράγγελλε*· & Ephes. 5. 33. *ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα*, id est, *ἡ δὲ γυνὴ τὸν ἄνδρα φοβείσθω*. Locutiones istas, & hujusmodi alias, partim ex melioris Græciæ penu depromptas, partim Paulo peculiares, oportet probè cognitas habeat qui Apostoli scripta intelligere voluerit. *Καλῶν ἔργων προΐστασθαι* non idem est quod suprà 2. 7. *ἑαυτοὺς καλῶν ἔργων τύπους παρέχεσθαι*· sed, domum suam honestarum rerum quasi officinam habere: bonorum (ut ità loquar) operum *ἐργαστηριάρχας* esse: *θείων καὶ καλῶν ἔργων ἡγεμόνας εἶναι*, ut in Bruto Plutarchi: *μὴ τέχνης τινὸς καὶ ἐργασίας ἀσχήμος καὶ ἐπονειδίστου προΐστασθαι*, ut in Epistolis Julianus locutus. Exemplum Proverb. 31. 13. & sequentibus vide. Contrarium in Plutarchi Pericle, *ἐργασίας οὐ κοσμίας προΐστασθαι*· apud Apulejum (ex nostra emendatione) lib. 5. *vitiorum officinam recludere*; & in Ejusdem Apologia, *domum totam lenoniam, totam familiam contaminatam, uxorem lupam, filias similes habere.*

Ibid. *ταῦτά ἐστι τὰ καλὰ*] Seneca 76. Epist. *Dicimus & illa bona esse, quæ à virtute perfecta contractaque sunt, id est, opera ejus omnia.*

Ibid. *καὶ ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις*] Occurrit tacitæ interrogationi, dicens opera bona esse ea quæ hominibus (id est, civili societati) bonum & utile apportant: sublevando nempe ipsorum qui operantur necessitates, (vide infrà com. 14.) aut aliquid conferendo ad communem convictum, qui opificiis honestis instruitur & adjuvatur. His statim pugnas verborum quasi inutiles opponit. *Καλὰ καὶ ὠφέλιμα* (ut Paulus) dixit & Plutarchus initio vitæ Periclis, & initio vitæ Demetrii: &, *καλὸν καὶ ὠφέλιμον* in de Sanit. tuenda. Idem in De liber. educandis, *Ταῦτα μὲν καλὰ καὶ ὠφέλιμα*· & ibidem, *ταῦτα μὲν οὖν καλὰ καὶ συμφέροντα.*

9. *Μωρὰς δὲ ζητήσεις*] Vide ad 2 Tim. 2. comm. 14, & 23. dicta.

Ibid. *καὶ μάχας νομικὰς*] *Pugnas*, id est, contentiones, ex varia partium Legis interpretatione orientes. Vide Act. 18. 15. & 23. 20. & 25. 19.

Ibid. *εἰσὶ γὰρ ἀνωφελεῖς*] *Αὐτόθι*· non enim solùm inutiles erant, sed & noxiæ. Eâdem facie *γογγυσμὸν ἀνωφελῆ* 1. 11. Scriptor Sapientiæ dixit; LXX. Proverb. 28. 3. *ὑετὸν ἀνωφελῆ*· Jeremiæ 2. 8. *ἀνωφελές*· & Sirachides 30. 23. de tristitia, *οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῇ ὠφέλεια*. Seneca Epist. 48. ad mentem Pauli appositissimè, *Disputationes istæ utinam tantùm non prodessent; nocent.* Vide 2 Tim. 2. 14. & quæ diximus ad 1 Tim. 1. 4.

Ibid. *ἀνωφελεῖς καὶ μάταιοι*] Glossarium, *Irrita*, &c. *ἀνωφελῆ, μάταια*. Hesychius, *Ἐτώσιον, ἀνωφελές, μάταιον*, &c. *Ματαίως καὶ ἀνωφελῶς* junxit & Aristoteles ipse Ethic. 1. 3.

10. *μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ*] Primasius ad 2 Timoth. 4. illud, *ὃν καὶ σὺ φυλάσσου*, *Monet cavere perversos.*

11. *ἐξέστραπται, καὶ ἁμαρτάνει, ὢν αὐτοκατάκριτος*] Ignatius simili loquendi modo Epist. ad Smyrnenses, *Τελείως αὐτὸν* (Christum) *ἤρνηται, ὢν νεκροφόρος*· ità enim eo loco legendum, non *ὡς νεκροφόρον*, (ut apud Theodoretum) apparet ex hoc Apostoli loco, quem Vir ille verè Apostolicus videtur imitari voluisse. At hæc obiter. Cæterùm ordinem verborum Pauli puto talem esse, *ὢν αὐτοκατάκριτος ἐξέστραπται καὶ ἁμαρτάνει*· id est, cùm à conscientia sua revincatur de improbitate sua, in perversitate tamen & peccato pertinaciter manet. Non mirum autem, si qui malè facit, à se damnatur.

——— Se
Judice nemo nocens absolvitur, ———

Satyricus dixit: & Photius, *Οἱ ἀσεβεῖς αὐτοκατάκριτοι*. Isidorus in Sententiarum libris, *Ex hoc ipso quòd quisque de facto suo erubescit, ipse sibi Judex fit.* Scriptor Sapientiæ 15. 13. de Idolorum cultore, *Scit se super omnes delinquere.* Apulejus in Apologia sua, *Quòd si à cæteris silentium est, tamen ipsi sibimet conscii sunt posse se meritò increpari.* Irenæus 3. 1. (& ut heic Paulus de hæretico) *Est à seipso damnatus, & repugnans saluti suæ.* Est ergò heic *αὐτοκατάκριτος*, *ὁ κρίνων ἑαυτὸν* (ut verba Rom. 14. 22. huc aptem) *ἐν ᾧ δοκιμάζει* in perversis dogmatibus, nempe quæ alicujus commodi temporalis causâ (ut Augustinus, itidem de hæretico loquens, dixit,) vel sequitur, vel introducit. Beda ad illud Judæ, ERRORE BALAAM EFFUSI SUNT, *Pro amore terrestrium commodorum, veritatem, quam ipsi nôrunt, impugnant, & contradictione Core*, &c. *intereunt, quicunque appetitu indebiti primatûs sese ab unitate Ecclesiæ secernunt; scientesque & prævidentes quantum mali gerant, ad scelerum tamen tartara descendunt.* Illud *ἐξέστραπται* vertit Vulgatus *subversus est*. Videtur usus exemplaribus in quibus scriptum erat *κατέστραπται*. Vide 2 Timoth. 2. 14. ubi Idem *καταστροφὴν*, *subversionem* vertit. *Ἐξέστραπται* mihi sonaret *perversus est*: ut & fortè heic in Vulgato legendum. Vertebat hic è recentioribus quidam, *de via deflectit*: id esset quod 1 Petr. 2. 15. *τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν καταλείπειν*. Cicero in pro Cluentio, *Sic hominem accipiemus ut molestè ferat se de via decessisse.*

12. *εἰς Νικόπολιν*] Quæ priùs Ambracia vocabatur, ab Augusto autem (qui eam, quòd Actiaco bello ei adversata fuisset, diruit, aliamque ejus loco ædificavit) Nicopolis nominata. Servius ad Æneid 3.

Ibid. *ἐκεῖ γὰρ κέκρικα παραχειμάσαι*] Vide 1 Corinth. 16. 6.

13. *σπουδαίως πρόπεμψον*] *Προπέμπειν* heic non videtur (quod nonnunquam) *comitari* sive *deducere*: sed, *ad iter instruere*, curando nempe nè quid viæ conficiendæ necessarium desit. Cicero 8. 5. ad Atticum, *Tironem Curio commendes, ut ei*, &c. *si quid opus erit, in sumptum eroget.* In Epistola Artaxerxis dicta ad Histanen, *Δὸς αὐτῷ* (Hippocrati) *χρυσίον*, &c. *καὶ τ᾽ ἄλλα χρῄζει ὧν σπανίζει, καὶ πέμπε πρὸς ἡμᾶς.* Vide Actor. 28. 10. *Μετὰ σπουδῆς προπέμπειν* habemus & 19. 2. apud Sapient. Scriptorem.

Ibid. *ἵνα μηδὲν αὐτοῖς λείπῃ*] Plutarchus in Dionis vita, *Ὅπως ἐπιλείπῃ μηδὲν αὐτούς*, &c. Ante *ἵνα* autem in Contextu nostro supplendum *βλέπων, προνοῶν*, aut quid simile, ut ad 1 Timoth. 1. 3. monuimus. Hermas 3. 2. de bono divite, *Libenter*, &c. *ei* (pauperi) *præstat omnia, & curat nè quid desit ei.*

14. *Μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων προΐστασθαι*] *Ἡμέτεροι* hic sunt qui Gal. 6. 10. *οἰκεῖοι τῆς πίστεως*· suprà hic com. 8. *τῷ θεῷ πεπιστευκότες*. Sic *ἡμετέρους*, de Stoïcis loquens, Arrianus 2. 12. in Epictetum dixit: ut Seneca de iisdem, *nostros*, epist. 5. de Ira 2. 19. & alibi. Euthymius ad Luc. 24. 22. ea, *τινὲς ἐξ ἡμῶν* (i. e. *τῶν ἡμετέρων*,) *Nostra, aut fideles sicut & nos.* *Καλῶν ἔργων προΐστασθαι*, *incumbere, aut præesse alicui bono artificio*: vide suprà com. 8. Chrysostomus ad Matth. 12. de purpuraria illa cujus Actor. 16. mentio, *Ἐργαστηρίῳ προεστήκει.*

Ibid. *εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας*] Ad necessaria vitæ præsidia paranda: sunt enim *χρεῖαι ἀναγκαῖαι* ea quæ (ut appositè apud Gellium 9. 13. C. Gracchus loquitur,) necessariò vitæ causâ parantur. Vide l. 44. ff. de V. S. *τὰ πρὸς τὸ ζῆν ἀναγκαῖα* dixit Malchus in Pythagoræ vita. Dionysius Halicarnass. lib. 4. *τὰ καθ᾽ ἡμέραν ἀναγκαῖα*. Apostolus noster 1 Timoth. 6. 8. (ubi dicta vide,) *διατροφὰς καὶ σκεπάσματα*. Scholiastes ad illud Juvenalis 14.

——— *Panem quæramus*; ———

Ex labore quæramus quod nobis ad victum sufficiat. Vide Proverb. 27. 26, 27. Philo in *περὶ Κοσμοπ.* de patrefamiliàs, *Πόνους καὶ ταλαιπωρίας*, &c. *ἐνδέχεται ἕνεκα πορισμοῦ τῶν ἀναγκαίων*. Plutarchus Pythagoricum illud, *Ἐπὶ χοίνικα μὴ καθίσαι*, exponit, *τὴν ἀργίαν φεύγειν, καὶ προνοεῖν ὅπως τὴν ἀναγκαίαν τροφὴν παρασκευάσωμεν.* Glossæ, *Ἐπιτήδεια, τὰ ἀναγκαῖα, copiæ.* *Χρείας ἀναγκαίας* autem, ut Paulus, ità & Siculus Diodorus dixit.

Ibid. *ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι*] *Οὐκ ἀργοὶ, οὐδὲ ἄκαρποι*, ut verba 2 Petr. 1. 8. huic loco aptemus. *Εἷς καρπὸς τῆς ἐπιγείου ζωῆς διάθεσις ὁσία, καὶ κοινωνικαὶ πράξεις*, sententiâ non multùm abludente, dixit Marcus Antoninus. *Ἄκαρποι* hic sunt quales suprà 1. 13. *ἀργὰς γαστέρας* vocavit, & 2 Thess. 3. 11. *μηδὲν ἐργαζομένους.*

15. *οἱ μετ᾽ ἐμοῦ πάντες*] Id est, *οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἀδελφοὶ*, ut Gal. 1. 2. locutus. Vide & 2 Cor. 13. 12.

Ibid. *τοὺς φιλοῦντας ἡμᾶς ἐν πίστει*] In fide, non quovis mundano intuitu. Hoc Philipp. 1. 8. *ἐν Χριστοῦ σπλάγχνοις ἐπιποθεῖν τινα*· Colos. 1. 8. *ἀγαπᾷν ἐν πνεύματι*· & 2 Joh. 2. *ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἀγαπᾷν.*

ANNO.

ANNOTATA
In Epistolam ad
PHILEMONEM.

VALLA.

6. **U**T *communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitionem omnis boni in Christo Jesu*] Ἐνεργής. Videtur dicendum fuisse *efficax:* nam *evidens*, unâ literâ mutatâ, dicitur *ἐναργής*. Unde nescio an in Epistola illa Hieronymi quæ præponitur libris Pentateuchi sit legendum per *a* potiùs *enargia*, an per *e energia*, ut ad Hebræos 4. 12. *Vivus est enim sermo Dei & efficax*, ἐνεργής. Nam videtur Hieronymus significare potiùs *evidentiam* quàm *efficaciam*, cùm dicit, *Habet quid latentis energia viva vox.* De qua etiam dictione dixi superiùs.

8. *Imperandi tibi quod ad rem pertinet*] Ego mallem dicere *quod decens est:* nam *ad* quam *rem* istud *pertinet*? Sed quid disputo, cùm Græcâ sim ubique veritate contentus? τὸ ἀνῆκον.

9. *Propter charitatem magis obsecro, cùm sis talis ut Paulus senex, nunc autem & vinctus Christi*] Quia videbatur non posse fieri comparatio de Paulo ad Paulum, ut in prima persona diceretur, *Cum sim talis ut Paulus senex*, mutaverunt quidam in secundam personam, ut de Philemone dicatur, *cùm sis talis ut ego*. At hoc Græca veritas negat: παρακαλῶ τοιοῦτος ὤν, i. e. *cum talis sim, obsecro ut Paulus, ut senex, ut vinctus Jesu Christi.*

12. *Tu autem illum, id est, viscera mea, suscipe*] In plerisque cod. pro correctione inveni corruptionem, ut scribatur *ut* vel *sicut* pro *id est*, τουτέστι, & deletâ vetustâ scripturâ, vel notatâ quæ vera erat, subditam vel suprascriptam falsam.

16. *Jam non ut servum, pro servo charissimum filium ac fratrem*] Non dicitur Græcè *pro servo*, i. e. ὑπὲρ δούλου, sed ὑπὲρ δοῦλον, h. e. *supra servum*, videlicet *charissimum filium ac fratrem.*

17. *Suscipe illum sicut me*] Dicendum erat *velut me*, sive *tanquam me*, h. e. *ac si esset ego*, ὡς.

18. *Si autem tibi aliquid nocuit, aut debet, hoc mihi imputa*] Nè quis in malam partem caperet *imputare*, poterat transferri non minùs rectè *hoc mihi expensum fer.* Optimè tamen translatum, etsi non optimè omnes intelligant, ἐλλόγει.

20. *Ita, frater, ego te fruar in Domino*] Non est conjunctum *ita* cùm verbo *fruar*, sed separatum hoc, *Ita, frater:* quod nescio cur Interpres (quod nunquam fecit) dixerit pro *Etiam*, *Ita*, ναί de quo superiùs disserui. Non est nunc illud verbum consuetum quod significat *fruor*, sed quod fortè magis significat *potior*, ὀναίμην.

REVIUS in VALLAM.

6. **E**Videntiam *quàm* efficaciam] Contrà sentio. Quid enim est *latens evidentia*? ἀσύστατον hoc: sed *latens efficacia* optimè intelligitur. De re ipsa, i. e. de loco Apostoli, rectè judicat Valla: nam in omnibus Græcis codd. est ἐνεργής· & ità quoque vertit Syrus interpres, ut notavit Beza: qui tamen ἐναργής, quod Vulg legit, rectius esse suspicatur. Confer Erasmum.

12. Τουτέστι] Loco motum erat, & ità positum quasi ea esset falsa scriptura, cùm sit vera.

ERASMUS.

1. **D**Ilecto *adjutori*] Ἀγαπητῷ καὶ συνεργῷ, i. e. *dilecto & adjutori*, sive *cooperario*. Atque ita legitur in vetustis cod. Latinorum, in Hieronymo, Ambrosio & Chrysostomo: quorum Ambrosius ità circumloquitur καὶ συνεργῷ, *& laborum nobis participi.* Nam *dilecto* hic nomen est, non participium: cujus admonet & Hieronymus in Commentariis quibus hanc explicat Epistolam, censens ἀγαπητὸν magis sonare *diligibilem* quàm *dilectum*; atque in re ipsa hoc interesse, quòd ἠγαπημένος, i. e. *dilectus*, esse possit qui non sit ἀγαπητός, i. e. *dignus qui diligatur:* velut cùm inimicos ex præcepto Christi diligimus, sunt quidem nobis ἠγαπημένοι *dilecti*, at non ἀγαπητοί. Vide quantulam rem Hieronymus non judicarit indignam quam annotaret etiam in Commentariis justis & accuratis; & ego quibusdam videor nihil indicasse.

2. *Et Appiæ sorori charissimæ*,] Καὶ Ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ, *& Apphiæ dilectæ.* Hanc Chrysost. existimat fuisse uxorem Philemonis. Notat Pauli consilium Chrysostomus. Asciscit multas personas, quò faciliùs exoret. Adjungit *Timotheum*, quem *fratrem* vocat, solitus vocare *filium:* sed *fratris* vocabulum conveniebat autoritati. Deinde Philemoni tribuit geminos titulos, *dilecto & cooperario*; ut hic quoque Paulo consentiat. Et huic adjungit *Appiam*, quam *dilectam* nominat. Rursus addit *Archippum*, quem συστρατιώτην dicit. Eodem pertinet quòd seipsum appellat *vinctum Jesu Christi.* Inhumanius est negare vincto. Tanta erat solicitudo Apostolo ut unum homuncionem fugitivum reconciliaret. ¶ *Quæ in domo tua est Ecclesiæ*] Καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ. De familia sensit, opinor. Proinde nos vertimus *congregationem*. Indicat hoc haud obscurè Chrysostomus hunc enarrans locum. Cæterùm quando hæc Epistola scribitur ad plures, incertum erat quò referretur pronomen *tua*, ad *Philemonem*, an ad *Archippum*, qui proximè præcessit in ordine recensionis; nisi mox totum sermonem verteret ad unum Philemonem: quod ante nos indicavit Hieronymus.

4. *Semper memoriam tui faciens*] Adverbium ἀεὶ potest utrolibèt referri, vel ad superiorem partem vel ad insequentem. Nec ad sensum magnopere refert an intelligamus *semper agentem gratias*, an *semper memorem in deprecationibus ad Deum.* Admonuit & hoc Hieronymus, nè quis causetur à me res frivolas afferri.

5. *In Domino Jesu, & in omnes sanctos*] Mirum cur casum mutarit, cùm Græcis sit utrobique casus accusandi, *in Dominum Jesum, & in omnes sanctos:* quemadmodum legit Ambrosius, cumque hoc Chrysostomus.

6. *Evidens fiat*] Græci legunt ἐνεργὴς *efficax:* nam ἐναργὴς, per Alpha, significat *evidens*. Ità legisse videtur Interpres. Hieronymus admonet in Græco meliùs haberi ἐνεργής, quod exponit *efficax*, sive *operatrix*; ut accipiamus fidem ipsis factis præstitam & comprobatam. Et in hunc sensum enarrat Chrysostomus ac Theophylactus. Mirum autem quid secutus Ambrosius pro *evidens* & *efficax* legerit *accepta*. ¶ *Omnis operis boni*] *Operis* redundat, nec invenitur vel in Græcis vel in antiquis cod. Latinorum; ad hæc nec apud Hieronymum, nec apud Ambrosium, nec apud Chrysostomum aut Theophylactum: tantùm est *omnis boni*. ¶ *In Christo Jesu*] Ante hæc verba reperio in Græcis cod. τοῦ ἐν ὑμῖν *quod est in vobis*. Idque legitur apud Chrysostomum ac Theophylactum, & apud Hieronymum. Ambrosius legit *quæ est in nobis*, ut *agnitionem* referat, non *bonum*. Et dilucidius est *erga Christum Jesum*, ut hæc particula referatur ad *efficax: Ut communicatio fidei tuæ fit efficax erga* (vel *in*) *Christum Jesum*, ad cujus gloriam spectat fidei tuæ communicatio. Siquidem in plerisque Græcorum cod. scriptum comperio εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν. Quòd si legamus ἐν Χριστῷ, vertendum erat *per Christum Jesum*; ut intelligas *agnitio-*

nem boni, sive *bonum*, esse in nobis beneficio Christi, non nostro merito. Cæterum cùm Theophylactus interpretetur de fide viva & operante in nobis, gradibus virtutum, tamen Interpres aut non sentiens hoc aut dissimulans semper infulcit suum *evidens*, cùm non congruat expositioni.

7. *Gaudium enim magnum habui & consolationem*] Gr. χάριν ἔχομεν πολλὴν ἐπὶ τῇ ἀγάπῃ σου, i. e. *Gratiam habemus multam in dilectione tua.* Interpres legit χαρὰν· eamque lectionem secuti videntur Hieronymus & Ambrosius, cumque his Chrysostomus: & germanam ac veram arbitror, quòd in hujusmodi vocum affinitatibus passim labi comperiamus notarios. Et tamen aliàs annotatum est à nobis, χάριν accipi pro χαρὰν apud Paulum. Theophylactus legit χάριν, sed interpretatur χαράν· ¶ *Requieverunt*] Ἀναπέπαυται, i. e. *refocillata sunt.*

8. *Multam fiduciam*] Παῤῥησίαν· de quo sæpius admonui. ¶ *Quod ad rem pertinet*] Τὸ ἀνῆκον, i. e. *decens*, sive *conveniens.* Sentit enim illius esse officii; quod tamen sic ab eo petit quasi sit gratuitum aut præter officium.

9. *Cùm sis talis ut Paulus*] Gr. μᾶλλον παρακαλῶ, τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης, i. e. *magis autem hortor, cùm talis sim ut Paulus senex.* Sentit enim se, cum id quod æquum erat suo jure potuisset *imperare Philemoni*, nempe *Paulus* & *senex*, postremò *vinctus Jesu Christi*, maluisse tamen *uti precibus*, memorem *charitatis* potiùs quàm autoritatis. Ambrosius interpretatur Philemonem Paulo fuisse coævum; quod tamen nec Chrysostomus nec Theophylactus nec Hieronymus indicat. Ambrosius legit *cùm talis sis.* Sed hic palàm reclamat ratio Grammaticæ, nisi fortè placet ut Paulus hic videatur admisisse Solœcismum, aut, ὢν nominandi casûs positus sit pro ὄντος, & subaudiatur pronomen σου· quæ sermonis forma nonnunquam reperitur apud Græcos. Hieronymus interpretari videtur juxta Græcos, cùm ait, *Grandis petentis autoritate propositâ, per quam & Apostolus obsecrat & senex & vinctus Jesu Christi.* Hos itaque sequi maluimus, sic tamen ut liberum sit cuique suo frui judicio.

12. *Illum ut mea viscera*] Αὐτὸν, τοῦτ' ἔστι τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, i. e. *ipsum hoc est, mea viscera.* Porrò quod in plerisque Latinis additur *filium meum charissimum* apud Græcos non additur. Nec est quicquam in Hieronymi Commentariis unde conjectes eum legisse *filium charissimum.* Fortassis adjectum est hoc ab eo qui voluerit interpretari quid sit, *hoc est, viscera mea.*

14. *Sine consilio*] Χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης, *sine tua sententia.*

15. *Ad horam*] Πρὸς ὥραν. Rectè monuit Hieronymus hic *horam* pro *tempore* positam: nisi quòd *hora* breviculum tempus magis indicat. Quanquam quòd Græci usurpant *horam* pro *tempore*, id propemodum imitatus est Horatius,

Qui purgor bilem sub verni temporis horam.

¶ *Ut in æternum*] Ἵνα αἰώνιον, i. e. *æternum*, h. e. ipsum jam non temporarium ministrum, sed perpetuò tecum victurum. Atque ità legit Ambrosius, simulque Hieronymus. Et consentiebat cum Græca lectione uterque codex Constantiensis.

16. *Sed pro servo*] Gr. ὑπὲρ δοῦλον, *supra servum.* Quidam legisse videntur ὑπὲρ δούλου. Quanquam hic magis quadrabat ἀντὶ δούλου. Certè Hieronymus legit, *jam non sicut servum, sed plus servo:* quanquam Latinius erat *servo potiorem:* & sic habebat exemplar utrumque Constantiense.

19. *Ego reddam*] Ἀποτίσω, *dependam* sive *resolvam.* Est enim sermo fidejubentis pro Onesimo, & sese illius vice obstringentis. D. Hieronymus ex hoc loco ratiocinatur Onesimum non sine furto profugisse à domino suo. Quod idem testatur Theodoretus in Græcorum Scholiis. In iisdem reperio, Philemonem Phrygem fuisse. Apud hos autem ingens erat mancipiorum proventus: unde & proverbium, *Phrygem plagis emendari:* & tamen produnt hunc Onesimum postea Romæ Martyrii lauream meruisse.

20. *Ità, frater*] *Ità* hic Affirmantis adverbium est, ναί. Ambrosius addit sic, *Ità, frater; sic ego te fruar in Domino.* Est autem vox obtestantis fratrem aut filium quem optamus nobis esse voluptati, quasi nihil sit nobis illius fruitione dulcius: Per eam igitur adjurat Philemonem. Hieronymus ναὶ vult esse Blandientis, quemadmodum apud Hebræos est ANA. Est autem allusio ad nomen servi quem commendat. Nam *Onesimus* Græcè *utilis* est: ad quod allusit & superius, cùm diceret, *Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis*, h. e. nunc id est quod dicitur ὀνήσιμος. Declarat autem hæc Epistola quamlibet brevis Paulum hominem fuisse singulari quadam præditum humanitate, qui tanto studio servum fugitivum commendaverit, & ei commendaverit obsecrans & obtestans cui pro sua autoritate proque meritis in illum poterat imperare quod rogat. Deinde quid festivius etiam dici poterat vel ab ipso Tullio in hujusmodi argumento? nisi quòd quidam nomine duntaxat Christiani, animo infestissimi Christo, nihil eruditum putant, nihil elegans nisi quod idem sit ethnicum: & universum sermonis florem semel periisse existimant si quid de Christo fuerit admixtum, quod illius sapiat doctrinam; cùm ea vel prima sit eloquentiæ pars, sermonem rebus accommodare. Quò magis etiam admiror ullos de hac Epistola dubitasse num Pauli esset, cùm pro ratione modoque argumenti nihil esse magis Paulinum possit.

22. *Donari me vobis*] Χαρισθήσομαι ὑμῖν i. e. *donabor vobis.* Et ità legit Ambrosius.

VATABLUS.

1. JEsu Christi] Vel, *propter Jesum Christum.* ¶ *Dilecto* *] * *Et.* ¶ *Adjutori*] *Collega.*

2. *Charissimæ*] *Dilectæ.*

3. *Gratia*] Sub. *dicunt.* ¶ *Vobis*] Sub. *multiplicetur.*

5. *In Domino Jesu*] *Erga Dominum Jesum.*

6. *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat*, &c.] Vel, *ut fides tua, quam nobiscum communem habes, sit efficax & operosa, agnito omni bono quod vobis contigit per Jesum Christum.* Vet. non legunt *operis:* legunt autem, *boni in vobis in Christo*, &c. ¶ *Boni* *] * *In vobis.*

7. *Habui*] *Habemus.* ¶ *In charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt*] *Propter charitatem tuam, quòd ventres sanctorum refocillati sunt:* vel, *quòd alimenta necessaria sanctis suppeditasti.*

8. *Multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: propter*, &c.] *Cùm liberum mihi sit propter Christum illud tibi imperare quod decens est* [vel, *conveniens*] *tamen propter*, &c.

9. *Cùm sis talis ut*] *Cùm talis sim Paulus*, &c.

10. *Obsecro te*] *Obsecro, inquam, te.*

12. *Ut*] *Id est*, Vet. ¶ *Mea viscera*] Heb. pro homine dilectissimo.

13. *Volueram*] *Volebam.* *Evangelii*] i. e. Quæ ego patior propter Evangelium.

14. *Consilio autem tuo*] *Sententiâ autem tuâ*, vel *judicio.* ¶ *Bonum*] Vel, *beneficium.*

15. *Horam*] Pro brevissimo tempore *horam* accipit. ¶ *Æternum*] i. e. Ut post reditum perpetuò tibi ministraret.

16. *Pro servo*] *Supra servum, majorem servo.* ¶ *Et in carne, & in Domino?*] i. e. Ob carnalia ministeria & corporalia, quæ tibi præstat: & propter Dominum in quem nunc credit?

19. *Reddam*] *Dependam, resolvam:* sub. *quicquid debet tibi Onesimus.* ¶ *Mihi* *] * *Insuper.* ¶ *Ità*] *Certe:* q. d. *ne dubites, ego profectò rependam.*

20. *Fruar in Domino*] i. e. Si hoc feceris, adjutus ero per te in re Domino grata: vel, *Utinam ego de te fruitionem & voluptatem capiam in hac re justa.* Aut, *Ego te per Dominum rogo, ut de te*, &c. ¶ *Christo*] *Domino*, Vet. Heb. eum quem charissimum habeo propter Dominum in quem credit.

22. *Simul* *] * *Autem.*

CLARIUS.

4. SEmper memoriam tui faciens] *Siquando*, inquit, *memoriam tui facio* (id autem *semper* facio) continuò *gratias ago Deo meo de te, eo quòd audio dilectionem tuam:* &c. Vide autem artificium. Epistola est commendaticia: verùm antè quàm veniat ad commendationem, præmittit ista quæ non solùm demulceant animum, verùm etiam tacitè hortentur & incitent Philemonem, nè, cùm in reliquis rebus omnibus generosè impleat omnia quæ ad Christianum virum pertinent, in hac re desit suæ exspectationi.

6. *Ut communicatio fidei*] *Ut efficaciam habeat communicatio fidei tua, dum agnoscis bonum omne ex eo esse in vobis quòd erga Christum Jesum estis affecti.*

8. *Fiduciam habens in Christo*] Scio, inquit, me imperare tibi posse, confisus tuâ erga me charitate; sed rogare malo. Et hæc artis plena sunt verba, sicut & quæ sequuntur, *Paulus senex, nunc autem vinctus Jesu Christi:* quæ omnia ad persuadendum sunt efficacissima. Appellat præterea Onesimum *filium suum*, idque antè quàm proprium ejus proferat nomen. At quem Paulus *filium suum* vocat, quis jam illum rejicere audeat? atque adeò quis non potiùs charissimè amplectatur? Vocat eum *sua viscera*, & tam charum ut *optarit tenere eum apud se.* Et illud, *ut pro te ministraret mihi*, tacitè admonet quid ille debeat. *Scribit* demum *suâ manu*, nequid desit ad efficaciam: quod & ad

ad Galatas fecit: *Videte*, inquiens, *quantâ epistolâ scripserim vobis meâ manu.*

ZEGERUS.

6. UT *communicatio fidei tua evidens fiat in agnitione omnis operis boni quod est in vobis in Christo Jesu*] Variè hic locus potest exponi. Primò sic, ut superiora repetam, *Gratias ago Deo meo, semperque memoriam facio tui in meis precationibus, audiens tuam dilectionem ac fidem, quam habes cùm erga fideles omnes, tum præcipuè erga Christum: & precor ut societas fidei tua*, quam unà nobiscum es adeptus, ἐνεργὴς γένηται *efficax atque operosa sit in Christo per cognitionem omnis boni quod in vobis est*; ità ut non modò operosa sit fides, verùm etiam opus tuum bonum cognoscas & intelligas. Aliter sic, *Ut fidelis atque benigna tua ista communicatio beneficentiaque manifesta fiat, ità ut cæteri experientiâ agnoscant esse in te omne bonum erga Christum Jesum*, eoque & erga fideles. Item aliter, *Ut fidei tua communicatio magis ac magis communicetur ac evidens fiat omnibus, ad cognoscendum omne opus bonum quod in nobis est* (ità enim legunt nonnulli) *in Christo Jesu.* Denique illud *in agnitione omnis boni in vobis* potest esse tale, *Agnosco omnem hominem bonum qui inter vos est.* Scito illud *operis* neque Græcos legere neque Latinos, vel primæ vel mediæ ætatis Interpretes, sed nuper (nam in vetustis non est) adjectum esse à studiosis: primùm, quòd sic, opinor, à quibusdam viderent explanari, nec id sanè sinistrè: deinde, nè videretur locus non facere adversùs Pneumaticos, qui negant bona opera necessaria esse homini ad salutem. Sed adsit ut quisquam velit assutitiis hujusmodi verbis convincere hæreticos, quin potiùs agnoscat in particula illa *evidens fiat*, quod Græcè etiam significantius est ἐνεργὴς γένηται, *operatrix* sive *efficax fiat*, apertè satis opera designari, ut nè commemorem alia Scripturæ loca. Porrò, Vetusti aliquot codices non habent *quod in vobis est*: plurimi tantùm habent *in vobis, in Christo Jesu*: pauci, *quod est in Christo Jesu.* Veteres tamen Interpres & aliquot codices id habent quod posuimus, nisi quòd Ambrosius & Hieronymus omittant *Jesu.*

7. *Gaudium enim magnum*] Χάριν hic pro *gaudio* positum est: aut certè χαρὰν scribendum est, ut nulla sit ambiguitas: nam hoc sequuntur Interpretes. ¶ *Quòd viscera sanctorum requieverunt per te*] h. e. Fidelium corda & affectus tuâ beneficentiâ & consolatione recreantur & refocillantur.

9. *Cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus*] Illud ὤν, i. e. *exsistens*, pro quo Interpres Hieronymus atque Ambrosius *cùm sis* legunt, Chrysostomus & Theophylactus ipsorumque æmuli ad primam personam referre maluerunt, *Cùm talis sim, nempe Paulus ille senex, nunc autem & vinctus.* Et quanquam hoc nos sub secunda legamus persona, non mihi videtur Apostolus sensisse Philemonem sibi coævum fuisse & in vinculis comparem, sed in illo *talis* potiùs ad animum respexisse; *talis*, nimirum Christianus, pius, indulgens, longanimis, &c. *ut ego ille Paulus senex & vinctus*: etiamsi quibusdam secùs videatur.

11. *Qui tibi aliquando inutilis fuit*] Refert B. Hieronymus Onesimum servum Philemonis, fugam furto cumulantem, quædam rei domesticæ heri sui compilasse, eundemque porrò secessisse in Italiam, nè facilè ab hero potuisset apprehendi: qui tandem, posteaquam per luxuriam omnem prodegisset pecuniam, resipiscens regressus sit ad Apostolum Paulum atque ab ipso receptus sit in gratiam. Huc itaque remittit ad Philemonem, commendans illum propter resipiscentiam, optatque & orat non secùs illum atque sua ipsius viscera suscipi; uti liquet ex sequentibus.

20. *Ita, frater*] Ναὶ hoc loco per *ità* translatum non est Adsimilantis sed Blandientis particula, qualis Theutonica illa vocula *Ke* propemodum est. Nec habemus Latini, annotatore Hieronymo, quo ejus vocis proprietatem exprimamus. *Sicut enim*, inquit, ANAH *illud Hebraicum, pro quo frequenter* LXX *Interpres* ὠδὴ *transtulerunt, in lingua sua significat deprecantis affectum* (*unde nonnunquam Symmachum pro* ANA δέομαι, *i. e.* obsecro, *transtulit*) *ità & nos eandem in Græca lingua vim patimur quam Græci sustinent in Hebræa.*

LUCAS BRUG.

6. UT *communicatio fidei tua evidens fiat in agnitione omnis boni* [*agnitionem* 3 MS. *boni omnis* o.] *quod est in vobis in Christo Jesu.*] Moguntina & pleræque aliæ typographorum editiones, cum uno atque altero manuscripto exemplari, addunt *operis*, *In agnitione omnis operis boni*: id quod & Græcè legitur in primo & decimo Parisiensium antigraphis, ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἔργου ἀγαθοῦ. Primum est Complutense: cui adde ea quæ ex illo nuper expressa sunt. Cæterùm ut plerique omnes Latini codices manuscripti id omittunt, ità & Græci alii quotquot vidi: quibus Syri, & Tractatores, B. Hieronymus, Dionysius Richelius, atque ætate intermedii, Græci & Latini, quos consuluimus, omnes volunt: quanquam Theophylactus frequentem *operis* faciat mentionem, fortè quòd subaudierit, ut quidam alii; nam in calce enarrationis ait, *Sed omne potiùs bonum, quod in vobis est, h. e. quod tibi adest, effundas in egentes.* Hentenius itaque & Zegerus, Latinæ nostræ editionis castigatores, id rejecerunt. Non tamen nuper adjectum esse, id quod Zegerus existimat, satis loquuntur vetustissima MSS. sed nostræ editionis minùs studiosa, Malmundarii majus & T, in quibus, & quidem solis, id invenimus, hunc in modum, *In agnitione* [*agnitionem* T.] - *omnis* [T. sed malè] *operis boni quod in nobis est in Christo Jesu.*

Τὸ *quod est*, quod sequitur, in impressis nullis reperi, nisi in Hentenii & Zegeri operâ emendatis; nec in manuscriptis, nisi duobus proximè commemoratis, Mal. m. & T, divisim *quod in nobis est.* In duobus aliis, H. & Busl. atque Ambrosiastri textu, *quæ in nobis* [*vobis* H.] *est*, legitur (verùm H 18 legit demum post *in Christo Jesu*) in tribus, E. Pl. m. l. superflua cum conjunctione, *& quæ in nobis* [*vobis*] *est.* A plerisque autem nihil hujusmodi agnoscitur, Haymone, Autore Glossæ atque hujus scholâ, suffragantibus. Arbitror editioni nostræ explicationis gratiâ hæc addita: subaudiendum enim est hujusmodi aliquid, *quod est, quæ est, quod sit*, aut *qui est*, si quidem addas *in nobis* aut *vobis*: idque Græca indicant. Sed cætera quidem Græco congruere possunt, παντὸς ἀγαθοῦ τοῦ ἐν ἡμῖν [ὑμῖν;] *quæ est* verò non potest, nisi τοῦ articulo aut omisso, aut cum τῇ mutato. Hieronymus tamen, licèt textus *quod in vobis est* habeat, *quæ est* intelligit; *qui est* Scholiastes Hieronymi operibus junctus; *quod est* Theophylactus atque Euthymius; *quod sit*, nisi *nobis* legerit, nostrâ opinione Chrysostomus, cæteroqui *quod est.* Syrus ambiguus ex se est ad *quod est* & *quæ est.*

In vobis, quod proximum est, legunt septem exemplaria manuscripta, Ge. l. Lob. Q. E. G. H. A. & excusa à Quentelio Biblia, correctaque ab Hentenio & Zegero. His adstipulantur Græci codices complures, Chrysostomus & Theophylactus Græci enarratores, denique Syriaca antigrapha. *In nobis* porrò habent septem alia exemplaria manuscripta, Mal. ma. mi. So. la. T. Pl. m. l. Busl. His Græca Complutensis & Regia editio, omnesque Græci codices ad quos suam N. Testamenti Græcam editionem Parisienses contulerunt, auxiliantur, Hieronymus præterea, & Hieronymo junctus Scholiastes, Latini tractatores (quanquam Hieronymi textus *in vobis*, hujus neutrum habeat) postremò, Græcus autor Euthymius, tametsi de hoc, an Theophylacto non debeat adjungi, vehementer dubitem: & de Chrysostomo id quod tandem ait, *Si socius*, inquit, *es in fide, debes esse & in cæteris socius*, dubium nonnihil an *nobis* legerit reddit. Major verò Latinorum librorum pars, tum scriptorum tum impressorum, neutrum legit, nec *in nobis*, nec *in vobis*; tantùm *in agnitione omnis boni in Christo Jesu*: ex scriptis nostris, Brug. Leod. Q. L. &c. ex impressis, Mog. Colon. Nuren. &c. Quibus, Haymo, Autor Glossæ, Anselmus, Lombardus, perpetuus Glossæ non sectator tantùm, sed descriptor potiùs, Carensis, Thomas Lyranus, Gorranus, Bruno, Richelius, concinunt. Autoris commentariorum Ambrosio adscriptorum textus, *quæ in nobis est*, addit: sed utrùm Autor ipse hoc legerit, commentarius, qui post *agnitionem omnis bonis* nihil explicat, incertum relinquit. Quæ nunc genuina sit editionis nostræ scriptura, prudenti lectori judicium relinquo. *Operis*, & *quod est* sive *quæ est*, transfodienda esse satis certum videtur: sed de tertio hoc quid verum sit mihi non constat, an *Omnis boni in vobis in Christo Jesu*, an *Omnis boni in nobis in Christo Jesu*, an *Omnis boni in Christo Jesu.*

Sed necdum finis est varietatum in hac una pericope. Plerique Latini libri, cum Græcis, *in Christo Jesu* habent; unus, cum Syricis, *in Jesu Christo*; duo, textus Hieronymo & Ambrosiastro juncti, duntaxat *in Christo*; quidam, Atrebatensis Collegii sericatus, & ii quibus Ambrosius Catharinus est usus, absque autoritate, nisi fortè Brunonis Carthusiensis, nihil horum.

H. STEPHANUS.

7. Ἀναπέπαυται διὰ σοῦ] Vide vers. 20.

8. Διὸ πολλὴν ἐν Χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοὶ τὸ ἀνῆκον] *Quamvis magnam in Christo libertatem habeam imperandi tibi quod est tui officii.*

18. Τοῦτο

18. Τῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει] *Hoc mihi imputa:* q. d. Hoc mihi expensum feras.

20. Ἀνάπαυσόν μυ τὰ σπλάγχνα] *Da requiem visceribus meis:* vel, *Refocilla viscera mea.*

DRUSIUS.

5. CHaritatem tuam & fidem] Charitatem erga sanctos, fidem erga Deum. Aut *charitatem tuam & fidem* האמונה חסדך charitatem tuam fidam ac stabilem firmamque.

7. *Gaudium magnum*] Χάριν πολλήν. Hic perspicuè χάρις pro χαρὰ ponitur. Cui firmando Syrus, qui חדותא interpretatur, i. e. *lætitiam.* Sic interpretantur etiam Scholia Græca 2 Cor. 1: 15. Hesychius, Χάρις, δωρεὰ, χαρά. Tob. 7. in fine edit. Rom. δῴη σοι χάριν ἀντὶ τῆς λύπης ταύτης, *det tibi gaudium:* ubi libri alii χαρὰν, ediderunt. Ut χάρις pro χαρὰ, sic Φύσις pro Φύσα Lev. 1. 16. in Theodotione, *vesicula gutturis, ingluvies.*

12. *Illum, id est viscera mea,*] Vel, *utpote viscera mea,* h. e. filium, quem in vinculis genui. Nam *liberi partes sanguinis parentum, atque adeò quædam quasi membra unius corporis,* Faber Semest. lib. 3. c. 99.

15. *Æternum*] Ad vitam. Sic Horatius,

Serviet æternum qui parvo nesciet uti,

h. e. quoad vivet. Aliter, *servies ei in seculum,* εἰς αἰῶνα, usque ad Jobilæum.

CASAUBONUS.

9. ΔΙὰ τὴν ἀγάπην] Græca σχόλια aliter distinguunt, & longè rectius. Similiter corrigitur locus Joh. 7. 21, 22. Vide ibi à nobis notata. ¶ Πρεσβύτης] Est nomen honoris: ut cùm dicit Aristoteles tom. 2. p. 71. *Socrates,* q. ὁ πρεσβύτης.

20. Ναὶ, ἀδελφὲ] Vide quæ diximus in Matth. 15. 27. Ναὶ, Κύριε.

SCULTETUS.

CAP. I.

Narratio de Philemone & Onesimo. Historia vinculorum Pauli.

PHilemonem natione Phrygem, officio Colossensium in Phrygia Episcopum fuisse, plerique veterum tradidere. Ἀπφίαν uxorem ejus fuisse testatur Theodoretus lib. 5. Divinorum decretorum, cap. de Matrimonio. Theophylactus dubitanter hoc asserit. Sed Græcus Scholiastes Philemonem atque Apphiam δεσπότας τῦ Ὀνησίμυ vocat. Etsi autem omnes Græci codices constanter legunt Ἀπφίᾳ, non autem Ἀππίᾳ, Interpres tamen Vetus Latinus barbaram Tarsensium pronunciationem, etiam à Dione Prusensi Oratione quæ *Tarsica secunda* inscribitur exagitatam, Romanè suaviusque extulit, & pro *Apfia Appiam* dixit. Collegam in munere sacro Philemon habuit Archippum quem Paulus hic *suum commilitonem* appellat; ad Colossenses autem 4. 17. monet ut *quam in Domino accepit* διακονίαν *impleat.* Celebratur Philemonis *fides & charitas & beneficentia in omnes* v. 5, & 7. Laude autem inprimis digna est privata ejus pietas, quòd *domi* quoque *suæ* quasi *Ecclesiam* quandam habuit. Ubicunque enim vel duo sunt in nomine Christi congregati, ibi Ecclesia est. Ideo Nyssenus Oratione de euntibus Hierosolyma etiam currum, quo cum paucis vehebatur, *Ecclesiam* vocat. Porrò Philemonis domum istam, quam hic Paulus nominat, ad sua usque tempora integram mansisse, usibus publicis Ecclesiæ destinatam, Theodoretus scribit Præfatione ad hanc Epistolam. Onesimus (quæ vox, Julio Polluce 5. Onomast. autore, idem planè significat quod χρησὸς sive εὔχρηςος) Philemonis servus fuit, civis & ipse Colossensis, ut colligere licet ex Col. 4. 9. *Cum Onesimo, qui ex vobis est.* Quod si ità est, existimat Scipio Gentilis vir clarissimus vel vernam eum fuisse Philemonis ex ancilla ejus natum, vel potiùs à patre venditum: quod patrium & usitatissimum fuisse apud Phryges probat ex Philostrato lib. 8. De vita Apollonii. Hic igitur Onesimus sublectis ex domo Philemonis pecuniis aufugit. Romam ubi venit D. Paulo se applicuit, à quo institutus & baptizatus nomen idem post Baptismum & percepta Christianæ religionis sacramenta retinuit quod antè habuerat. Cumque Pauli vincti Diaconum summâ fide ageret, clarus & admirandus ipse etiam factus est, scribit Theophylactus. Hunc ergò non ut ἀκόλυθον sive *pedissequum,* (nulli enim dum erant Acoluthi) non ut Catechumenum vel Competentem sive petentem mysteriorum participationem (quæ nomina postea in Ecclesiam sunt introducta) sed ut planè perfectum Christi discipulum hero suo reconciliat. Credibile autem est Onesimum à Philemone fuisse Romam remissum, ut Paulo in vinculis ad tempus ministraret (quod ipse Paulus hic videtur petere v. 13.) & à Paulo cum Epistola ad Colossenses denuò ad Philemonem ablegatum, Col. 4. 8, 9. Ignatius Epist. ad Ephesios Onesimum Episcopum Ephesinum celebrat, tertium Ecclesiæ illius à Paulo & Timotheo Doctorem. Martyrologium Romanum indicat, ipsum Romæ, quò vinctus jussu Proconsulis Asiæ missus fuerat, supplicio affectum ac lapidibus obrutum fuisse sub Trajano. Nicephorus lib. 3. c. 1. martyrium ejus refert ad Domitianum, pro quo fortè *Trajanum* legendum.

Cæterùm cùm propter Christum omnia sint pulcra, etiam vincula, ut Theophylactus in hanc Epistolam scribit, D. Paulus tantùm non gloriatur hic de suis vinculis: & simul ansam nobis dat quærendi, Quomodo ex vinculis scripserit, Quomodo in vinculis docuerit, Quomodo & in vinculis filios spirituales genuerit, qualem Onesimum esse affirmat. Solutionem quæstionis ratio custodiarum Romanarum suppeditat: quæ omnino fuit triplex. Captivi enim vel apud Magistratus, vel in conducto liberoque hospitio, vel in carcere custodiebantur. In carcere rursum triplex erat custodia: locus communior, in cujusmodi loco Joannem Baptistam fuisse detentum, ut ab amicis adiri posset, ad Matth. 11. diximus: locus interior tutiorque, qui Φυλακὴ ἐσωτέρα dicitur, *carcer interior* dicitur Act. 16. 24. in quam Paulus & Silas ibidem conjecti dicuntur: denique locus depressius in carcere, ut *Barathrum* Athenis, *Profundum* Cyzici, *Tullianum* Romæ. Paulum singula custodiarum genera expertum scribunt eruditi. Et sanè de carcere res certa. In carcerem conjectus Philippis Act. 16. 24. sed statim liberatur. Rursum Cæsareæ in carcere sed tolerabili detinetur biennium Act. 24. 23, 27. Postremò, Nero ultimo Imperii anno in carcerem eum trudi jussit, ex quo non liberatus, sed ad supplicium tandem fuit electus. Est qui Tullianum fuisse putat, & Paulum ad illum allusisse quando 2 Cor. 11. 25. scripsit, νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, *diem & noctem in profundo egi.* Sed Epistolæ ad Corinthios priùs sunt scriptæ quàm Paulus iterum Romam non tam ad docendum quàm morte doctrinam confirmandum rediit. Jam conducto liberoque hospitio usus scribitur eo tempore quo primùm Romam à Festi militibus fuit ductus, Lucas testis Act. 28. 30. *Mansit Paulus biennium totum* ἐν ἰδίῳ μισθώματι, *in proprio conducto.* Apud amicos vel Magistratus an aliquando custoditus sit ex Scriptura colligi nequit. Conjectant aliqui ex eo quòd in ipsa Cæsaris aula habuerit qui ipsi studerent; inter quos Chrysostomus numerat pocillatorem Neronis Epaphroditum & Principis concubinam. Sive autem in carcere sive extra carcerem rei custodirentur, vinciebantur catenâ unâ, vel duabus, milite uno vel duobus appositis qui eâdem cum reis catenâ alligabantur. Seneca Epist. 5. *Quemadmodum eadem catena & custodiam* (h. e. rem custoditam, reum) *& militem copulat, sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt.* Augustinus in Psal. 127. *Ligantur duo & mittuntur ad judicium, latro & alligatus* miles; *ille sceleratus, iste innocens: unâ catenâ ligantur, & longè sunt à sese.* Sic Petrus *inter duos milites dormit vinctus catenis duabus,* Act. 12. 6. Et Act. 21. 33. *Tribunus jubet Paulum vinciri catenis duabus,* cui proculdubio duo milites assederunt: quemadmodum postea Romæ in conducto habitans, & catenam suam ubique secum circumtulit, quâ circumductus fuit, addito milite, qui eâdem catenâ vinciretur, Act. 28. 16. Ideo prædicans Euangelium Judæis ait, ἕνεκα τῆς ἐλπίδος τῦ Ἰσραὴλ τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι, *propter spem Israelis circumductus sum hâc catenâ.* Sicut autem manus rei dextra solùm constringebatur catenâ, & ejusdem nexu militis sinistra, quando unus miles custodiæ præerat; ità utraque manus duabus catenis, cùm duo milites custodiæ dati, hinc atque hinc ab alterutro milite adstricta tenebatur. Hinc ergò intelligere est quando & quomodo D. Paulus ex vinculis scripserit, liberos genuerit, Regnum Christi amplificarit, videlicet quando Romæ in conducto liberoque hospitio habitavit. Etsi enim (ut dictum) & catenâ erat circumdatus, & milite uno eâdem catenâ vincto custodiebatur, tamen μετὰ πάσης παῤῥησίας, ἀκωλύτως, *cum omni libertate, nemine prohibente,* ut scribit Lucas Act. 28. 31. *Regnum Dei prædicare* potuit, concessâ etiam illi facultate cum catena militeque in publicum prodeundi: quod & ipsum fuisse consuetudinis Romanæ Josephus lib. 18. Antiq. Judaic. cap. 8. docet; *Agrippa,* inquit, *tunc vinctus ante regiam stabat inter alios quosdam æquè vinctos, incumbens præ mœrore in quandam arborem.* Et paulò pòst scribit, *Antoniæ intercessione à Macrone Præfecto prætorio Imperatoris Tiberii impetratum fuisse ut Agrippa in custodia servaretur à militibus*

studiis humanioribus, convictoremque haberet Centurionem ei curæ præpositum, & quotidianis uteretur lavacris, & pateret ad eum libertis atque amicis aditus, quorum sublevaretur officiis. Quod ipsum Paulo nostro contigisse Lucas disertim testatur. In ista igitur vinculorum libertate biennium Romæ transigens, rem Christi strenuè egit, viam salutis fidenter docuit, multosque, ac inter hos Onesimum, convertit; Epistolas etiam ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, & hanc ad Philemonem exaravit.

CAP. II.

Grammatica vocum expenditur, ἀγαπητὸς. κατ' οἶκον. χάριν pro χαρά. ἀνάπαυσις. τὸ ἀνῆκον. ἄχρηστος, εὔχρηστος. τάχα. πρὸς ὥραν. ναί. ὀναίμην, alia.

E*Rudita Grammatica est janua ad quamcunque sententiam rectè intelligendam*, scribit alicubi Melanchthon. Agnovit hoc veterum memoriâ Hieronymus: ideo non piguit illum in accuratis suis Commentariis & hoc annotare, vocabulum ἀγαπητὸς v. 1. non esse participium sed nomen, censuitque ἀγαπητὸν magis sonare *diligibilem* quàm *dilectum*; atque in re ipsa hoc interesse, quòd ἠγαπημένος, i. e. *dilectus*, esse possit qui non sit ἀγαπητὸς, h. e. *dignus qui diligatur*; velut cùm inimicos ex præcepto Christi diligimus, sunt quidem nobis ἠγαπημένοι *dilecti*, sed non ἀγαπητοί. Omnes tamen veteres Latini ἀγαπητὸν καὶ συνεργὸν interpretantur *dilectum & adjutorem* sive *cooperarium*. Cui v. 2. æquipollet vox συστρατιώτης, à *militiæ societate* deducta. Ex phrasi autem τῇ κατ' οἶκον ἐκκλησίᾳ versu eodem Josephus Scaliger in Notis Manuscriptis exponit versiculum illum Act. 2. ubi scribitur, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, quod Vulgatus vertit *circa domos frangentes panes*, Beza *domatim*: at Scaliger *domi*: de quo suo loco. Quæri autem potest cujus in domo Ecclesia illa fuerit, Philemonis an Archippi? Archippi sanè proximè mentio facta. Sed totius Epistolæ contextus evincit, de Philemonis domestica Ecclesia agi. ¶ V. 4. vox πάντοτε ad *gratiarum actionem* & *deprecationem* referri potest. Obscurior autem versuum 4, 5, 6, & 7. dispositio illustrabitur, si Lector observarit Apostolum v. 4. professum fuisse & gratiarum actionem & deprecationem pro Philemone; eundemque mox utrumque exponere, & quæ de re gratias agat, & quid à Deo in deprecatione petat: illud v. 5, & 7. hoc v. 6. Ubi κοινωνία etiam *communio* reddi, & pro ἐνεργὴς cum Vetere ἐναργὴς *evidens* legi, ἐπίγνωσις autem activè potiùs quàm passivè accipi potest. ¶ V. 7. χάριν ἔχομεν Theophylactus exponit *gaudium habemus*. Sic Syrus, sic Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Vulgatus, & hos secuti Castalio & Beza χάριν pro χαρὰν interpretantur. Pulcrum est quod subjungitur, ὅτι τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ, *quòd sanctorum animi per te recreati sunt*; *quòd viscera sanctorum refocillata sunt per te*; *quòd viscera sanctorum requieverunt per te*, Vulgatus, quem defendit Scipio Gentilis, eò quòd verbum Græcum ductum sit à viatoribus, qui viâ vel æstu ac siti confecti & defessi requiescunt, eoque recreantur & quasi respirant. Cujus ἀναπαύσεως quanta sit suavitas Virgilius docet, canens,

> *Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum*
> *Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.*

Hoc sensu apud Xenophontem Pæd. 4. dicitur, Σὺ, ὦ ἄγγελε, ἀνάπαυσαι, ἐπεὶ πεπόνηκας, *Tu, ô nuncie, requiesce; siquidem te fatigasti.* Etiam in versione vocabulorum τὸ ἀνῆκον v. 8. patrocinium Vulgati suscipit Scipio: Non quòd probet illa, *quod ad rem pertinet*, sed quòd judicet Vulgatum scripsisse, scribere certè debuisse, *quæ ad te pertinent*. *Ea enim*, inquit, *pertinere ad nos dicentur maximè & proprissimè quæ sunt officii nostri, i. e. à nobis præstari debent. Cicero lib. 14. ad Attic. epist. 7.* Videas nè quid ei desit: id cùm ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem & dignitatem. *Atque ità subtilissimè Cæsar Scaliger Officium definivit*, Jus actionis ad quemcumque statum pertinens. *Rectè jus. In omni enim officio inest quædam obligatio, saltem naturalis, quam ratio gignit humana. Quare sententiam magis & rem quàm vocabuli sonum spectans Syrus Interpres* τὸ ἀνῆκον *vertit* τὰ δίκαια, *i.e.* justa. *Omne enim officium justum est. Et latius patet* τὸ δίκαιον *quàm* τὸ νόμιμον" *nam & τὸ ἴσον complectitur, Aristot. Eth. 4. cap. 1.* ¶ Versu subsequenti nono illa τοιοῦτος ὢν, *cùm talis sim*, Vulgatus vertit *cum talis sis*. Ac Ambrosius interpretatur, Philemonem fuisse Paulo coævum. Sed bene observat Erasmus, nec Chrysostomum, nec Theophylactum, nec Hieronymum hoc indicasse; & repugnare Grammaticam, nisi ὢν positum sit pro ὄντος, & subaudiatur pronomen σοῦ. At ego judico particulam ὡς & Ambrosium & Vulgatum fefellisse, ut illud τοιοῦτος de Philemone acciperent quasi is cum Paulo sene hic comparetur. Pericles eâdem penè phrasi de se olim usus est, Καίτοι ἐμοὶ τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργίζεσθε, ὃς οὐδενὸς ἥσσων οἴομαι εἶναι, &c. *Et mihi tali viro irascimini, qui nemini vestrûm cedo.* ¶ Τέκνου, ὃν, v. 10. Enallage Attica est: referturque articulus ὃν vel ad Onesimum, vel ad verbum υἱοῦ, quod est notius. Ut, *Præneste sub ipsa*, i. urbe. ¶ V. 11. ἄχρηστος & εὔχρηστος prudenter opponuntur. Χρηστὸς πονηρῷ apud Euripidem in Hecuba, Libanium & alios Autores opponitur. Verùm hic voce ἄχρηστος *inutilis* velantur vetera Onesimi facta; voce autem εὔχρηστ novæ ejus renati virtutes celebrantur. ¶ Σὺ δὲ αὐτὸν, τουτέστι τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, προσλαβοῦ. *Viscera* liberos vocant intra viscera gestatos. Onesimus igitur charissimus Pauli filius. Et sic illum appellat v. 10. ¶ Ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ, ἀλλὰ κατὰ ἑκούσιον] Τὸ ἀγαθὸν, i. e. ἀγαθοεργία seu ἀγαθοποιία σου *ut esset opus benignitatis tuæ voluntarium, non expressum necessitate.* ¶ Pergit Apostolus, Τάχα γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς. Ambrosius lib. 2. De pœnitentia cap. 5. de particula τάχα *fortè* scribit, *Non semper Dubitantis est ista locutio. Denique ipsi sapientes seculi, qui omnem gloriam statuunt in expressione verborum, quod Latinè* Fortè *dicimus, Græci* τάχα *non ubique pro dubitatione posuerunt. Ajunt itaque dixisse primum suorum Poëtam*,

> ——— ἦ τάχα χήρη
> Σεῦ ἔσομαι.

quod est, citò vidua ero. *Et alibi*,

> ——— τάχα γάρ σε κατακτενέουσιν Ἀχαιοὶ
> Πάντες ἐφορμηθέντες.

Non enim dubitaret, omnibus simul insurgentibus unum facilè ab universis posse prosterni. Laudat & Cicero morem veterum Romanorum, qui semper *videri* in sententiis, in testimoniis *arbitrari* dicebant, cùm Galli & Græci in testimoniis dicendis *se certè scire*, *se compertum habere* affirmare solerent. Ἐχωρίσθη autem est *separatus*; subintellige *à Deo*, πρὸς ὥραν, *ad tempus*, vel etiam *ad horam*, quod Synesius Epist. ad Cyrillum imitatus hunc locum dixit εἰς καιρόν. Ἴθι, inquit, παρὰ τὴν μητέρα τὴν ἐκκλησίαν, ἀδελφὲ Κύριλλε, ἤγουν ἀπενόστης, ἀλλ' εἰς καιρὸν ἐχωρίσθης. Extenuatur fuga Onesimi, ut momentanea & unius horulæ videatur. ¶ Sed quid est quòd Onesimum v. 16. vocat *Philemonis fratrem in carne*? Omnino assentior Clariss. viro Scipioni Gentili, qui existimat naturalem fratrem Onesimum fuisse Philemonis, putà à patre ejus ex ancilla procreatum. Nam & hi servi sunt, cùm matris conditionem sequantur. Certè oppositio tale quid exigit, quando Paulus ait, *fratrem mihi dilectum, quanto magis tibi & in carne, & in Domino?* ¶ Προσλαβοῦ αὐτὸν ὡς ἐμὲ, *excipe eum tanquam me.* Beza Syrum probat, qui legit ὡς ἐμέν. Miror. Qui *filium*, qui *viscera*, qui *fratrem* suum dixerat Onesimum, quidni diceret, *ut meipsum excipe eum?* ¶ Verbo ἠδίκησε complectitur quicquid jure factum non est. ¶ Ὑπακοῇ autem v. 21. plena obedientia humilisque continetur. Plus enim est ὑπακούειν vel κατακούειν quàm simplex ἀκούειν, nempe πάνυ ὑπακούειν, ὥστε καὶ δούλους νομίζεσθαι, i. e. *planè & ad nutum parere, ut servi solent.* Ulpianus notat in Demosthenis Olynthiacam. ¶ Jam illa v. 20. Ναὶ, ἀδελφὲ, ἐγώ σου ὀναίμην, rectè interpretaberis, *Obsecro, frater, hac mihi à te commoditas contingat*, i. e. fructum istum ex te capiam. Nimirum, ὥστε τοῦ Ὀνησίμου προσληφθέντος ὑπὸ σοῦ, ἀναπαυθῆναι τὰ σπλάγχνα μου. Verbo ὀναίμην ad nomen *Onesimi* alludit, quod ab ὀνῆμι *juvo*, *prosum*. ὀνήσιμος, *utilis*, *fructuosus*.

CAP III.

Inventio Logica in Epistola ad Philemonem.

SIquid in genere suasorio admirandum est, certè hoc Epistolicum est. In ista enim brevitate singulis ferè verbis singula argumenta sunt subjecta, eaque ità tum ἐμφατικὰ tum πληκτικὰ ut vel ferreum pectus emollire possint. Annititur Paulus reconciliare Philemoni servum transfugam Onesimum. Persuasionis rationes à Philemonis, à sua, ab Onesimi persona sumit PHILEMON qui non morem gerat voluntati Pauli? *Dilectus*, est, *adjutor* est, v. 1. *Appiam* habet uxorem, *Archippum* vel collegam vel amicum *domi suæ*, alios fideles, qui omnes cum Paulo pro Onesimo intercedant, v. 2. Celebratur ejus *fides in Christum*, *charitas in omnes sanctos*, v. 5. quâ *exhilarat* Apostolos & *refocillat viscera sanctorum*, v. 7. ¶ Jam PAULUS quis qui petit? Is qui divina quæque Philemoni apprecatur, v. 3. qui *gratias Deo agit* pro fide & charitate Philemonis v. 4. & 5. qui Deo supplicat quotidie ut Philemonis fides cum pari beneficentia conjuncta omnibus innotescat, v. 4. & 6. cujus gaudium sit

sit Philemonis effusa in sanctos benignitas, v. 7. qui cùm *imperare* possit, *petit*, v. 8, 9. qui jam *senex*, idemque *captivus Jesu Christi* sit, v. 9, & 10. quem Philemon *κοινωνὸν habeat*, v. 17. qui unicè hoc beneficio frui desideret, v. 20. denique qui tantum tribuat Philemoni ut speret *facturum eum etiam amplius quàm petiisset*, v. 21. ¶ Neque minor persuasionis vis ab ONESIMO ipso tracta. *Filius Pauli* est, & quidem *in vinculis genitus*, v. 10. immutatus planè ab eo qui fuit, antè *ἄχρηστος* Philemoni, nunc *εὔχρηστος* Philemoni simul & Paulo, v. 11. ideo non vinctus vel cum custode, ut improbus, sed liber ac solutus remittitur, ut probus, v. 12. quin vices Philemonis in ministerio Pauli explere poterat, nisi metuisset Paulus nè eo retento visus fuisset Onesimus invito Domino suo ibi hærere, v. 13, & 14. Agnoscenda quoque in *secessu* Onesimi (sic enim fugam vocat) Dei providentia, v. 15. & insignis secessûs illius utilitas: *Secessit ad horam:* pro hora una *habes illum perpetuum*; tum *pro servo fratrem*, non, ut antè, *carnalem* tantùm, sed *spiritualem* etiam; pro *inutili dilectum*, v. 15, 16. At damnum passus est Philemon? Est qui *resarciat* Paulus, v. 18, & 19. Ad summam, plena roboris & lacertorum est tota Epistola, &, ut dixi, singulis ejus verbis mirifica quædam argumentandi vis latet recondita.

GROTIUS.

1. ΠΑῦλος δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ, *Paulus vinctus Christi Jesu*] Romæ agens sub militis eâdem catenâ vincti custodia Actor. 28. 16. Genitivus hîc causam significat, ut & infra 9. Ephes. 3. 1. 2 Timoth. 1. 8. pro quo Ephes. 4. 1. δέσμιος ἐν Κυρίῳ [*vinctus in Domino.*] ¶ καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς, *& Timotheus frater*] *Fratres* vocabant se mutuò Christiani ob communem regenerationem. Timotheus perpetuus fermè Pauli comes, ut videre est 2 Timoth. 3. 10. etiam Romæ ipsi aderat Ephes. 1. 1. Coloss. 1. 1. ¶ Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ, *Philemoni dilecto*] *Philemon* nomen est Græcum, quo appellatus fuit & Poëta nobilis, & rerum naturalium scriptor quidam Plinio memoratus. Videtur habitasse Ephesi, ubi Onesimus postea Episcopatu functus est, ut & Ignatii litteræ, & alii scriptores tradunt. Hunc Philemonem *dilectum* sive *charissimum* vocat Paulus, quod eum interiore quâdam amicitiâ, ut virum valde pium, complecteretur. ¶ καὶ συνεργῷ ἡμῶν, *& adjutori nostro*] Id est, uni Presbyterorum illorum qui Ephesi plures erant, Actor. 20. 17. Omnes autem πρεσβυτέρους (*Presbyteros*,] atque etiam πρεσβύτιδας [*Presbyteras*,] quæ fœminis ad Christum vocandis dabant operam, Apostoli *sui operis adjutores* vocabant, Rom. 16. 3. 9. Philip. 2. 25. Coloss. 4. 11.

2. Καὶ Ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ, *Et Appia dilecta*] *Appia* nomen est Romanum. π mutatur in φ more Hebræo. ¶ καὶ Ἀρχίππῳ τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν, *& Archippo commilitoni nostro*] Euangelistæ munus hic obiisse videtur, modò Ephesi agens, modò Colossis, Coloss. 4. 17. ubi postea eum resedisse, ac sic Episcopum factum testatur Ambrosius. Tales ob molestiam muneris commilitones suos vocare Paulus solebat, ut videre est Philipp. 2. 25. ¶ καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ· *& Ecclesia quæ in domo tua est*] Ad *Philemonem* hoc referendum, cui præcipuè inscribitur hæc Epistola. In *ejus domo* complures erant Christiani. Etiam *tres Ecclesiam faciunt*, teste Tertulliano. Sic in Aquilæ & Priscillæ domo qui erant, Ecclesia dicuntur, Roman. 16. 5. 1 Corinth. 16. 19. & qui in Nymphæ domo, Coloss. 4. 15.

3. Χάρις ὑμῖν, καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*] Precatur illis *favorem Dei, & Christi*, & prospera omnia, quæ Hebræi *pacis* nomine solent appellare. Utitur sæpe hac precatione Paulus, ut 1 Corinth. 1. 3. 2 Cor. 1. 2. Galat. 1. 3. Ephes. 1. 2. Coloss. 1. 2. 1 Thessal. 1. 1.

4. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, *Gratias ago Deo meo*] Gratias Deo debemus pro donis, non tantùm in nos, sed & in alios collatis, Roman. 1. 8. 1 Corinth. 1. 4. Ephes. 1. 16. ¶ πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, *semper memoriam tui faciens in orationibus meis*] Eadem verba habes dicto loco Ephes. 1. 16. unde discas προσευχὰς [*orationes*] hic dici omnes ad Deum allocutiones, etiam per quas non poscitur aliquid, sed gratiæ aguntur.

5. Ἀκούων σου τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν, *Audiens charitatem tuam & fidem*] Causam reddit suæ gratiarum actionis, qualem videbis & dictis locis, Roman. 1. 8. 1 Corinth. 1. 4. Ephes. 1. 16. Egregia hic biga nominatur *Dilectio* & *Fides*. Vide 1 Cor. 13. 13. Galat. 5. 6. Eph. 6. 23. 1 Thessal. 3. 6. 1 Timoth. 1. 14. & 6. 11. 2 Tim. 1. 13. 2. 22. ¶ ἣν ἔχεις πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν, *quam habes in Dominum Jesum*] Hoc ad *Fidem* refertur. ¶ καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους· *& erga omnes sanctos*] Hoc ad *Dilectionem*. *Sancti* vocantur Christiani omnes, ut Ephes. 1. 1. & alibi sæpe.

6. Ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἔργου ἀγαθοῦ τοῦ ἐν ὑμῖν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν· *Ut communicatio fidei tuæ efficax fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christum Jesum*] Est primùm hic trajectio: nam verba illa εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν [*in Christum Jesum*] pertinent ad id quod præcessit τῆς πίστεώς σου [*fidei tuæ.*] Deinde κοινωνία τῆς πίστεως [*communicatio fidei*] positum est pro ipsa *fide*, *quæ Philemoni cum aliis illis Christianis erat communis*. Et ἐν ἐπιγνώσει [*in agnitione*] hic παθητικῶς [*passivè*] sumitur, habetque innotescendi significationem. Sensus enim est, *Eò spectabat tua ista dilectio, ut fides, quæ tibi cum aliis sanctis communis est, actuosa fieret, ac sic cognosceretur per bona illa opera, quæ abs te aliisque procedunt.* Ἐνεργὴς γένηται [*efficax fiat*] hic dicitur eodem sensu, quo πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη [*fides, quæ per charitatem operatur*] Galat. 5. 6. Inde sequitur ἐπίγνωσις, id est, patefactio ejusdem fidei. Ostenditur enim *fides per opera*, Jac. 2. 18.

7. Χαρὰν γὰρ ἔχομεν πολλὴν καὶ παράκλησιν, *Gaudium enim magnum habemus & consolationem*] Meritò, inquit, gratias Deo pro istis vestris virtutibus habemus, quia nobis maximum inde gaudium, & in malis, quæ Euangelii causâ toleramus, solatium provenit. Sic & 2 Cor. 7. 4, 13. 1 Thess. 3. 7. ¶ ὅτι τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ, ἀδελφέ. *quia viscera sanctorum refocillata sunt per te frater*] Σπλάγχνα [*viscera*] hîc pro animo, ut Sirach. 30. 7. 33. 5. Itaque ἀναπέπαυται τὰ σπλάγχνα [*refocillata sunt viscera*,] & infra 20. ἀνάπαυσόν μου τὰ σπλάγχνα [*refice viscera mea*] parem sensum habet cum illo, ἀνέπαυσαν τὸ ἐμὸν πνεῦμα [*refocillarunt meum spiritum*] 1 Cor. 16. 18. Pauperes, inquit, tranquillo sunt animo, eò quòd experiendo didicerint, in tuis divitiis paratum esse suis necessitatibus subsidium.

8. Διὸ πολλὴν ἐν Χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων, ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον, *Quapropter multam in Christo fiduciam habens præcipiendi quod tui officii est*] Apostolica functio à Christo mihi injuncta hoc jus mihi dat, ut tibi, Christianisque aliis ea præcipere possim, quæ officii vestri sunt. Παῤῥησίας [*fiducia*] vox ex Græco sermone ad Syros venit latiore significatu, ita ut sæpe *jus auctoritatemque* significet.

9. Διὰ τὴν ἀγάπην μᾶλλον παρακαλῶ, *Propter charitatem magis obsecro*] *Malo ut amicum precari per necessitudinem amicitiæ nostræ.* ¶ τοιοῦτος ὢν, *cum sim talis*] Id est, *ad preces descendo, cùm talis sim*, qualem me esse nosti. ¶ ὡς Παῦλος, *nempe Paulus*] Tot Ecclesiarum conditor. ¶ Πρεσβύτης, *Senex*] *Jam & provectâ ætate*, cui multa concedunt etiam ignoti. ¶ νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ· *nunc autem & vinctus Jesu Christi*] Id est, *propter Christum vinctus*, ut modò diximus. Magna debetur reverentia iis qui dura ferunt honestissimis de causis, Coloss. 4. 18. Ephes. 4. 1.

10. Παρακαλῶ σε, *Obsecro te*] Παρακαλῶ σε hîc *precandi*, aut potiùs *deprecandi* habet significationem. Servi si quid deliquissent, precatorem sibi parare solebant, ut notat ad Terentium Donatus. Similis est huic deprecatio Plinii pro liberto Sabiniani epistolâ libri noni unâ & vicesimâ. ¶ περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνου, ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς μου, *pro filio meo, quem genui in vinculis meis*] *Quem hîc Romæ, dum vinctus sum, Christianum feci.* Dei opus est regignere hominem, sed tanta est ejus bonitas ut in nominis sui consortium ministros suos admittat, 1 Corinth. 4. 15. Galat. 4. 19. Sic & σώζειν [*salvare*] dicuntur Apostoli Roman. 11. 14. & alii 1 Corinth. 7. 16. 1 Timoth. 4. 16.

11. Τόν ποτέ σοι ἄχρηστον, *Qui tibi aliquando inutilis fuit*] Deprecantium mos est rerum asperitatem verbis lenire. Onesimus non *inutilis* modò Philemoni fuerat, sed & *damnum dederat*. Conjuncta esse solent fuga ac furtum. Itaque in Codice Justinianeo titulum de servis fugitivis sequitur ille de furtis. Martialis,

A pedibus didicere manus peccare protervæ:
Non miror furem qui fugitivus erat.

Et qui servum vendebant, promittere solebant *furem non esse, fugitivum non esse*, L. *Cum in venditione*, L. *Lucius*, §. ult. L. *Evictâ re*, §. ult. L. *Si ita quis*, L. *Quia dicitur*, D. de Emptionibus. L. *quoties*, D. si familia furtum fecisse dicatur. L. Et emptor, §. *venditorem*, D. de act. empt. Varro 2. de re Rust. Seneca Controversiâ 3. 21. ¶ νυνὶ δέ σοι καὶ ἐμοὶ εὔχρηστον, *nunc autem & tibi & mihi utilis*] Quia Paulo utilis erat, erat & Philemoni. Communia enim sunt τὰ τῶν φίλων [*amicorum.*]

Alludit

Alludit ad nomen *Onesimi.* ¶ *ὃν ἀνέπεμψα· quem remisi*] Nempe cum hac epistola.

12. *Σὺ δὲ αὐτὸν, τουτέστι τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, προσλαβοῦ. Tu autem illum, id est, mea viscera, suscipe*] Προσλαμβάνεσθαι varias habet significationes, omnes ad benevolentiam & beneficia pertinentes, ut apparet Actor. 18. 26. Roman. 14. 1. 3. 15. 7. Hic interpreter: *benignè in domum recipere*, quomodo Actor. 28. 2. *τὰ ἐμὰ σπλάγχνα* [*mea viscera*,] id est, *ita mihi dilectum, quomodo viscera nostra diligimus.* Artemidorus, *τὰ σπλάγχνα τὸν παῖδα σημαίνουσι* [*viscera filium significant.*] Sic apud Plautum,

——— ——— *meum corculum.*

30. *Ὃν ἐγὼ ἐβουλόμην πρὸς ἐμαυτὸν κατέχειν, Quem ego volebam mecum retinere*] Est hic indicativus pro subjunctivo, more Græco. *Voluissem eum mecum retinere*, nempe nisi obstitissent rationes aliæ, quæ jam sequentur. De hoc loquendi genere vide quæ diximus ad Matth. 26. 39. ¶ *ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ μοι, ut pro te mihi ministraret*] *Ut mihi præstaret, quæ tu, si hic esses, præstiturus mihi omnia esses.* ¶ *ἐν τοῖς δεσμοῖς τοῦ Εὐαγγελίου in vinculis Evangelii*] *In his vinculis, quæ Evangelii causâ sustineo.* Idem loquendi genus quod habuimus supra 9.

10. *Χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης οὐδὲν ἠθέλησα ποιῆσαι· Præter tuam autem sententiam nihil volui facere*] *Nolui eo uti, nisi te ultro id volente.* ¶ *ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ, ἀλλὰ κατὰ ἑκούσιον. uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*] Si eum Paulus retinuisset, non tam apparuisset voluntas Philemonis, quàm si eum ad se missum ipse ad Paulum remitteret. Seneca 2. de Benef. 4. *Si vis scire an velim, effice ut possim nolle.* Ἑκούσιον [*voluntarium*] & ἀναγκαῖον [*necessarium*,] sive *τὸ κατ' ἀνάγκην* [*ex necessitate*] inter se opponuntur, ut 1 Petri 5. 2. Sic *libera voluntate aliquid exsequi*, & *ex necessitate*, inter se opponit Paulus Jurisconsultus L. *Atqui natura*, §. *Si libero*, D. de negotiis gestis. Laus autem non debetur nisi liberis actionibus.

15. *Τάχα γὰρ διὰ τοῦτο, Forsitan enim ideo*] Quasi dicat, *fortè id Dei consilium fuit, cùm eum fugere permisit.* Confer Genes. 45. 5. ¶ *ἐχωρίσθη, discessit*] Vides & hic quod modò diximus, lenitate verbi mitigari id quod in re est asperum: *ἐχωρίσθη* [*discessit*] dixit, pro *fugit.* Talia sunt quæ Græci *εὐφημισμοὺς* [*honestas appellationes*] vocant. ¶ *πρὸς ὥραν, ad horam*] Id est, ad modicum tempus. Idem loquendi genus 2 Corinth. 7. 8. Galat. 2. 5. 1 Thessal. 2. 17. ¶ *ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς, ut æternum illum recipias*] *Ut à me correctus perpetuo tibi sit utilis.* Αἰώνιον [*æternum*] ita hic dictum, quomodo apud Horatium, *Serviet æternum.* Doctrina Evangelica non tollit statuum differentias, & imperia dominorum in servos, ut apparet 1 Tim. 6. 1, 2. Tit. 2. 9. 1 Petr. 2. 18. Ephes. 6. 5, 6. Coloss. 3. 22. Nulla ergo causa est cur Christianus, qui ut Dominus in servos habere imperium potest, non possit habere in subditos ut Princeps. Paria sunt in domo Dominus, in regno Rex. Seneca 3. de Benef. 18. *Si servo quò minus in nomen meriti perveniat, necessitas obest & patiendi ultima timor, idem istud obstabit & ei, qui Regem habet, & ei qui Ducem, quoniam quanquam sub dispari titulo, varia in illos licent.* Ideoque Petrus imperia Regum & Dominorum inter se æquat. Nam & servos malè meritos domini non adito magistratu torquere, imò & occidere poterant. L. 1. D. de his qui sui, vel alieni juris sunt. Instit. eod. tit. §. *In potestate.* Nec Romæ tantùm id jus fuit, sed & in Græcia. Vide Senecam Controvers. 5. 35. Venit enim hoc ex jure Gentium, ut nos docent dicta juris loco. Hoc jure quomodo domini uti deberent, ex quo Christiani facti sunt, Paulus eos docuit, eadem dicturus Regibus, si tam Reges tunc fuissent Christiani, quàm multi dominorum erant Christiani. Et Nicodemus & Josephus Arimathensis Senatores fuere, cum imperio & puniendi potestate. Nam Senatus tam publicus populi, quàm urbis Hierosolymitanæ jus verberandi habebat, ut apparet Matth. 10. 17. Actor. 5. 40. 2 Corinth. 11. 24. imò & morte puniendi, si quando Romani id permitterent, sicut generalem permissum habebant Judæi occidendi alienigenam qui intra templi septa intrasset. Hos tamen Senatores, discipulos, suos, Christus nunquam monet, ut ab eo munere desisterent, Et si id fecisset, rupisset haud dubiè legem, quæ legitimo more ad tale munus vocatis imperabat fungi eo munere, quod longè ab ipso abfuit, qui dum vitam egit mortalem factus *fuit sub lege* Gal. 4. 4. nec ullam ejus partem infregit ipse, aut aliis infringendi auctor fuit.

16. *Οὐκέτι ὡς δοῦλον, non jam ut servum*] Supple *tantùm*, quod sequentia ostendunt. Sæpe apud omnes gentes, maximè verò apud Hebræos, hæc particula subauditur: deinde repetendum ex superioribus *προσλαβοῦ* [*suscipe*] ¶ *ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον, sed supra servum*] Pertinentem ad te non solo jure herili, sed & ¶ *ἀδελφὸν ἀγαπητὸν, fratrem dilectum*] Nempe Christianis omnibus. ¶ *μάλιστα ἐμοί, maximè mihi*] *Mihi* qui ejus operam fidelem sum expertus. ¶ *πόσῳ δὲ μᾶλλον σοί, quantò autem magis tibi*] *Tibi multò charior quàm mihi esse debet*, quia in tuo usu semper futurus est, dum voles. ¶ *καὶ ἐν σαρκί, & in carne*] Corpus Onesimi non tam ipsius est, quàm tuum est, *κτήσει καὶ χρήσει* [*possessione & usu.*] Apud Aristophanem Cario,

> Τοῦ σώματος γὰρ οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον
> Κρατεῖν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον
> [*Domino dominium corporis non dat sua*
> *Fortuna, sed ei qui suum pretio facit.*]

Solent permisceri inter se *σάρξ* [*caro*] & *σῶμα* [*corpus*,] ut apparet ex Hebræo. Soph. 1. 17. Ezech. 10. 12. & alibi, collatis versionibus Græcis & Latinis.

17. *Εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνόν, Si ergo me habes socium*] *Si me habes pro amico*, ac proinde rerum tuarum participe. ¶ *προσλαβοῦ αὐτὸν, suscipe illum*] Non modò pœnam, quam jure tuo exigere poteras, ei condona, sed & *benignè eum excipe. In domum, in animum recepisti*, dixit in re planè simili Plinius in Epistola 9. 24. ¶ *ὡς ἐμέ. sicut me*] Nam amicus Paulo cùm esset Onesimus, quod ipsi præstabatur, Paulo ipsi præstari videbatur.

18. *Εἰ δέ τι ἠδίκησέ σε, Si autem aliquid nocuit tibi*] *Si quid fugiens abstulit.* ¶ *ἢ ὀφείλει, aut debet*] *Aut si ex rationibus tuis reliquator erat.* Nomen generis pro specie. ¶ *τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει. hoc mihi imputa*] *Id meis rationibus imputa. Me pro eo fac tuum nomen.*

19. *Ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί, Ego Paulus scripsi meâ manu*] Ut certus sis, *habes hic manum meam.* Poteris me ubi voles convenire ex chirographo. Hoc est, quod *scribere cautionem* vocat Scholiastes ad L. *Titius.* D. quæ res pignori. Adde L. *lect* D. si certum petatur. & L. *Aurelius.* §. *quidam.* D. De liber leg. ¶ *ἐγὼ ἀποτίσω. ego reddam*] Hoc Latinò dicitur *pecuniam constituere*, de quo titulus est in Digestis, *ἀναδέχεσθαι* dicunt Græci, ut Demosthenes contra Lacritum. Forma ipsa continetur his verbis, *ἐγὼ ἀποτίσω*, aut *satisfaciam tibi*, ut habet Novella 115. 6. Quæ inseri solet titulo Codicis, de pecunia constituta. Sic in l. *Eum qui*, §. *Julianus*, formula hæc legitur, *Scripsi secundùm mandatum Seji, si quid tibi debitum approbatum erit, me tibi cauturum, & soluturum sine controversia.* Et alia, L. quidam, eodem titulo: *Decem quæ Lucius Titius ex arca tua mutua acceperat, salvâ ratione usurarum, habes penes me, domine.* Constitui autem pecunia potest, etiam quæ naturaliter tantùm debetur. L. 1. § *debitum.* D. dicto titulo. Servi dominis debere possunt, non quidem civiliter, sed naturà. L. stipulatur, §. adhiberi, cum lege sequente. Sic & pro obligatione naturali rectè fidejussor accipitur. L. *fidejussor*, §. *fidejussor*, D. de fidejussoribus. Donatus ad illud Terentii Phormionis, *Fiet, me vide.* Quia in jure promittit & interponit suam fidem, quod nos dicimus, *Me habes.* ¶ *ἵνα μὴ λέγω σοι, ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις. ut non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes*] Est *σχῆμα* [*figura*] *παρασιωπήσεως* sive *reticentiæ*, cùm dicimus omittere nos velle, quod maximè dicimus. *Poteram dicere*, ait Paulus, *te non tantum rerum tuarum, sed & tui ipsius mihi esse debitorem:* nempe quia Philemon, absque Paulo fuisset, mansisset in crassis tenebris vitiisque longè à spe salutis.

20. *Ναὶ ἀδελφέ, Ita frater*] Ναὶ hic est precantis, ut apud Hebræos. ¶ *ἐγώ σου ὀναίμην ἐν Κυρίῳ. ego te fruar in Domino*] Id est, *liceat mihi gaudere de tuis in Christo profectibus.* Syr. 30. 2. *ὁ παιδεύων τὸν υἱὸν αὐτοῦ, ὀνήσεται ἐπ' αὐτῷ* [*qui castigat filium suum gaudebit in eo.*] Ignatius ad Magnesios, *Διακόνου Σωτίωνος οὗ ἐγὼ ὀναίμην* [*Diaconi Sotionis quo ego gaudeam.*] Idem ad Ephesios, *ὀναίμην ὑμῶν διὰ παντὸς* [*gaudeam vobis semper.*] ¶ *ἀνάπαυσόν μου τὰ σπλάγχνα ἐν Κυρίῳ. refice viscera mea in Domino*] Id est, *propter Christum fac me tranquillum hac de re.*

21. *Πεποιθὼς τῇ ὑπακοῇ σου ἔγραψά σοι, Confidens in obedientia tua scripsi tibi*] *Fiduciam mihi fecit, cognita illa tua, quam Evangelio præstas, obedientia.* Ita ὑπακοὴ [*obedientia*] sumitur Roman. 1. 5. 15. 18. 16. 19, 26. 2 Corinth. 7. 15. 10. 5, 6. 1 Petr. 1. 14, 22. ¶ *εἰδὼς ὅτι καὶ ὑπὲρ ὃ λέγω ποιήσεις. sciens quoniam & super id quod dico facies*] *Pro certo habeo plus te facturum, quàm ego audeam poscere.*

22. *Ἅμα δὲ καὶ ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν· Simul autem & para mihi hospitium*] *Hospitium para.* Ita sumitur *ξενία* [*hospitium*] Act. 28. 23. & apud Josephum & alios. ¶ *ἐλπίζω γὰρ ὅτι διὰ τῶν προσευχῶν ὑμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν. nam spero per orationes*

vestras me donatum iri vobis] *Spero fore ut ad preces vestras Deus me* (id est, adventum ad vos meum) *vobis concedat.* Simile 1 Tim. 3. 14. Sunt qui spem hanc Pauli impletam putant, & liberatum eum à vinculis ivisse in Asiam, rediisse Romam.

23. Ἀσπάζονταί σε Ἐπαφρᾶς, *Salutant te Epaphras*] Nomen plenum est Ἐπαφρόδιτος [*Epaphroditus*] Philipp. 2. 25. 4. 18. Contractum Ἐπαφρᾶς [*Epaphras*] Coloss. 1. 7. 4. 12. Cujus generis nomina in ᾶς contracta multa adduximus ad Lucæ initium. ¶ ὁ συναιχμάλωτός μου, *concaptivus meus*] Vide Rom. 16. 7. Col. 4. 10. ¶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *in Christo Jesu*] Id est, *propter Jesum Christum*, ut supra 20. ¶ Μάρκος, *Marcus*] Is cujus mentio Actor. 12. 12, 25. 15. 37, 39. Coloss. 4. 10. ¶ Ἀρίσταρχος, *Aristarchus*] Unus eorum quorum mentio Actor. 19. 29. 20. 4. 27. 2.

24. Δημᾶς, *Demas*] Cui plenum nomen *Demetrius.* Nominatur Colossens. 4. 14. 2 Timoth. 4. 10. ¶ Λουκᾶς, *Lucas*] Medicus qui Euangelium & Acta nobis dedit. Vide Colossens. 4. 14. 2 Timoth. 4. 11. ¶ οἱ συνεργοί μου. *adjutores mei*] Vide supra 1.

25. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Gratia Domini nostri Jesu Christi*] *Favor Christi.* ¶ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν, *cum spiritu vestro*] Id est, *sit vobiscum.* Eadem locutio Gal. 4. 18. Alibi pro eo dixit μεθ' ὑμῶν, καὶ μετὰ πάντων ὑμῶν [*vobiscum & cum omnibus vobis.*] ¶ Ἀμήν. *Amen*] Est vox quam Ecclesia respondebat lectis Epistolis. Ideo omnibus Pauli Epistolis cœpit adscribi. Vide quæ ad Matth. 6. 13.

PRICÆI.

1. Συνεργῷ ἡμῶν] Adjutori in opere fidei promovendo. Sic 1 Thess. 3. 2. 2 Cor. 1. 10. & 3. Joh 8. Ambrosius lib. 3. de Virginibus, *Laboraturos nos Dominus sciebat, & auxilium de sociis ministravit.* Enthymius ad Luc. 5. ea, ANNUERUNT SOCIIS SUIS UT VENIENTES ADJUVARENT EOS, *Participes ac socii capturæ Apostolicæ sunt Episcopi ac magistri singularum Ecclesiarum, qui suo labore Apostolis cooperantur.* In Bruto Cicero *Hortensium gloriosi laboris sui comitem & consortem* vocat.

2. Ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ] Sic Rom. 16. 12. Περσίδα τὴν ἀγαπητήν. Ἀπφίᾳ, Philemonis uxori, ut Chrysostomus & Theodoretus volunt. Addo ego, etiam recens nuptæ. Pollux 3. 8. Onomastici, Ἀπφία, καὶ ἀπφάριον, νέας δεσποίνης ὑποκορίσματα.

Ibid. Ἀρχίππῳ] Nomen Comici itidem inter veteres notissimi. Sic Archippa Themistoclis uxor apud Plutarchum.

Ibid. τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν] Ità Marcus Imperator apud Herodianum filium Commodum συστρατιώτην vocat. A militia seculari illa Apostolus locutionem sumpsit. Ambrosius de Virginibus 2. *Habet Christus milites suos, qui etiam legiones habet.* Vide Philipp. 2. 25. & 2 Tim. 2. 2.

4. πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου] Vide ad 2 Tim. 1. 3. annotata. Est autem heic trajectio, pro πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, ἀκούων, &c.

5. Ἀκούων σου τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν, &c.] Ponit causam cur Deo gratias ageret. Sic & Coloss. 1. 3, 4. Contrarium 1 Cor. 11. 18. & 2 Thess. 3. 11. ubi & vox ἀκούω. Laudat paucis heic Apostolus Philemonem, at eximiè: fides enim & charitas perfectum Christianum efficiunt. Vide ad 1 Tim. 1. 5. dicta.

6. Ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἔργου ἀγαθοῦ τοῦ ἐν ὑμῖν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν] Ante ὅπως videtur προσευχόμενος aut quid simile intelligendum. Ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου, est communicatio (i. e. εὐμεταδοσία) illa quæ ex fide manat tua. Ἐνεργὴς γένηται *efficax fiat.* Ἐν ἐπιγνώσει, est, ἐν φανερώσει. Παντὸς ἔργου ἀγαθοῦ, bonorum operum omnis generis, nempe, prout permiserint vires facultatum tuarum. Ἐν ὑμῖν, pro ἐν σοί, ut Tit. 2. 8. ὑμῶν pro σοῦ occurrit. Εἰς Χριστὸν, ad honorem Christi spectantium (operum nempe, quo ferè sensu Luc. 12. 21. εἰς θεὸν πλουτεῖν·) vel, εἰς Χριστὸν, in pauperes Christianos, juxta Christi ipsius Matth. 25. 40. ea, ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων, ἐμοὶ ἐποιήσατε.

7. τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ] Multorum pauperum fidelium animos recreâsti, dum ex opibus tuis eorum necessitatibus tempestivè subvenires. Catullus,

> *Qualis in aerei pellucens vertice montis*
> *Rivus muscoso prosilit è lapide,*
> *Dulce viatori lasso in sudore levamen,*
> *Tale fuit nobis Manlius auxilium.*

Ibid. τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ] Id est, ut Rom. 12. 13. ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες. Plinius lib. 8. epist. 13. de Titinnio Capitone, *Studiosos amat, fovet, provehit: multorumque qui aliqua componunt, portus, sinus, præmium,* &c. Vel διὰ σοῦ, est, διὰ τὴν σὴν φιλοξενίαν, recreâsti animos sanctorum φιλοξενίᾳ tuâ. D. Augustinus in Psal. 85. *Alii virginitatem vovent,* &c. *alii vovent domum suam hospitalem esse omnibus sanctis advenientibus.*

8. πολλὴν, &c. παῤῥησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον, μᾶλλον παρακαλῶ] Non auctoritate tecum, sed precibus fraternis ago. Mercurius de Jove apud Plautum in Amphitryonis prologo,

> *Tametsi pro imperio vobis quod dictum foret*
> *Scibat facturos, quippe qui intellexerat*
> *Vereri vos se & metuere, ità ut æquum est, Jovem:*
> *Verùm profectò hoc petere me precariò*
> *A vobis jussit leniter dictis bonis.*

Ad filium senex Terentianus in Hecyra,

> *Etsi scio ego,* &c. *meum jus esse ut te cogam*
> *Quæ ego impero facere, ego tamen,* &c.

Ubi Donatus, *Maxima necessitas est orans pater.* Volumnia ad filium Coriolanum apud Plutarchum, Ἦν μὲν ὁσιώτατον ἄνευ τινὸς ἀνάγκης τυχεῖν με παρά σου δεομένην, &c. Berecynthia ad Jovem filium apud Virgilium,

> ——— *Da, nate, petenti:*

ubi Servius, *Ac si diceret, ei quæ jubere debuerat.* Euander apud eundem Virgilium, lib. 11.

> *Non hæc, O Palla, dederas promissa parenti.*

Ubi idem Servius, *Quidam non parenti, sed petenti legunt: ut non jure affectionis quam filius patri ducebat,* (lege *debebat*) *sed humanitatis eum convenisse videatur.* Idem ad Æneid. 6. *Major ad impetrandum vis est, eum rogare qui possit jubere.* Pacatus in Panegyrico, *Et qui posset cogere, mavult impetrare.* Ausonius in Epistola centoni nuptiali prævia, *Quodque est potentissimum genus imperandi, rogat qui jubere poterat.* Τὸ ἀνῆκον Vulgatus vertit, *quod ad rem pertinet.* Sculktetus malè conjecit *quod ad te pertinet* legendum. Petronius, *Nec putavit ad rem pertinere,* &c. Cicero 14. 7. ad Atticum, *Ad meque quod ad rem pertinet,* &c. *scribes.* Παῤῥησία heic (ut Hebr. 10. 19. & alibi,) est, quam 1 Cor. 9. 12. & 2 Thess. 3. 9. ἐξουσίαν vocat: ubi summâ (ut heic) modestiâ, de suo jure cedit.

Ibid. μᾶλλον παρακαλῶ] Vide gravitatem ejus comitate conditam.

> *Admovitque preces, & jus immiscuit illis.*

Livius lib. 22. *Non imperio modò, sed consilio, ac propè precibus agens.*

Ibid. τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης] Homerus Iliad. α'. τηλίκε· ubi Scholia, τοιαύτην ἡλικίαν ἔχοντος. Hesychius. Τηλικώτατον, πρεσβύτατον, &c. Vulgatus illud τοιοῦτος ὢν, *cùm sis talis* vertit, puto *cùm sim talis* scribendum. Obtendit senilis ætatis suæ auctoritatem quò faciliùs impetret: vide 1 Pet. 5. 1. Agamemnon apud Homerum de Achille, *Cedat mihi, quia & majore sum dignitate præditus,*

> Ἠδ' ὅσσον γενεῇ προγενέστερος εὔχομαι εἶναι.

Ubi vetus Scholiastes Helmstadii in 8. editus, Ὡσανεὶ δὴ προάγει τὴν ἡλικίαν. Terentius in Hecyræ prologo,

> *Sinite exorator ut siem, eodem ut jure uti senem*
> *Liceat, quo usus sum adolescentulus.*

Ibidem,

> ——— *Facite ut vestra auctoritas*
> *Meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit.*

Ubi Donatus, *Auctoritati meæ, quia jam senex sum.* Gregorius Nazianzenus Procopium pro Eugenio rogans, Διὰ τὴν ἡμετέραν πολιὰν, &c. δὸς (παρακαλῶ) καὶ ἡμῖν, καὶ τῷ κλήρῳ παντὶ ταύτην τὴν χάριν. Idem Olympium pro Aurelio (milite desertore) orans, Ὑπὸ τὰς ἡμετέρας ἑαυτὸν τέθεικε χεῖρας, &c. ὥσπερ τινὰ εἰκόνα βασιλικὴν τὴν πολιὰν ἡμῶν προβαλλόμενος· & in Epist. ad Nectarium, Τοῦτο ἡμῖν χάρισαι, &c. αἰδεσθεὶς μὲν τῆς ἱκέτιδος τὴν ἡλικίαν.

Ibid. ὡς Παῦλος πρεσβύτης] Hesych. Πρεσβύτης, γέρων, ἡλικιώτης. Glossarium, Πρεσβύτης, *senex, longævus, grandævus.*

Ibid. νυνὶ δὲ δέσμιος τοῦ Χριστοῦ] Id est, propter Christum. Joannes Apocal. 1. 9. Ἐγενόμην (relegatus nempe) ἐν, &c. Πάτμῳ διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Genitivus heic, ut diximus, causam propter quam significat: sic Galat. 6. 16. Ἰησοῦ στίγματα· Coloss. 1. 24. Χριστοῦ θλίψεις· Hebr. 11. 26. Χριστοῦ ὀνειδισμόν· apud Ciceronem

nem Offic. 1. *bonorum* (i. e honores propter) *contentiones*: & infrà heic com. 13. δεσμὰ τοῦ εὐαγγελίε, i. e. Euangelii causâ injecta. Magnum autem Apostoli precibus isto nomine pondus accedit. Ignatius ad Trallianos, Παρακαλεῖ ὑμᾶς τὰ δεσμά μυ ἃ ἕνεκεν Ἰησοῦ Χριστοῦ περιφέρω. Vide & Ephes. 4. 1. & 6. 20.

10. Περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνυ] Sic 3 Joh. 4. τὰ ἐμὰ τέκνα. Τέκνον autem Onesimum vocat, quia fidei Christianæ mysteriis participaverat eum. D. Augustinus in Psal. 58. *Filios vestros fideles, quos fide genuistis.* Euthymius ad Christi Luc. 8. ea, CONFIDE FILIA; *Filiam vocat ipsam, utpote per fidem sibi adoptatam.* Vide 1 Cor. 4. 15. Irenæus 4. 79. *Qui ab aliquo edoctus est verbo, filius docentis dicitur, & ille ejus pater.* Ambrosius 1. 7. de Officiis, *Nec minus enim vos diligo quos in Evangelio genui, quàm si conjugio suscepissem.* Gregorius Nazianzenus in Epistolis, Κρείττων ἡ πνευματικὴ συγγένεια τῆς σωματικῆς. Theophylactus ad 1 Tim. 2. Παιδεῦσαι, ὄντως τεκνογονία.

Ibid. ὃν ἐγέννησα, &c.] In spiritu, vel fide nempe. Salvianus in Epistolis, *Adhortamini, docete, instruite, formate, gignite.*

Ibid. Ὀνήσιμον] Ut 2 Tim. 1. 16. Ὀνησίφορον. Servile nomen utrumque, & ob utile speratum vel adeptum ab eorum dominis impositum. In vetere sepulcrali lapide, ONESIMUS ANICETUS FECIT DOMINO: & in alio, ... Q. BATONIUS ONESIMUS PATRONO, &c.

11. Τόν ποτέ σοι ἄχρηστον, νυνὶ δὲ, &c.] Sic 1. Pet. 2. 10. Οἵ ποτε ὐ λαὸς, νυνὶ δὲ λαὸς θεοῦ. Vide & Gal. 4. 8, 9. Ἄχρηστον hîc, ut infrà 15. ἐχωρίσθη dixit, ulpam hominis furis & fugitivi verbis lenibus minuere volens.

12. σὺ δὲ αὐτὸν, τουτέστι, τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, προσλαβοῦ] Τουτέστιν, ut Rom. 1 12. Hebr. 2. 14. & 1 Pet. 3. 20. Τὰ σπλάγχνα μυ, quem intimis visceribus diligo. Sic Esther 7. 3. ad Assuerum, *Dona mihi animam meam*: i. e. populares meos, quos ut animam diligo. Ità & Satyricus de Græculis ad urbem Romam confluentibus, (Sat. 3.)

Viscera magnarum domuum, dominique futuri.

Vel, τὰ σπλάγχνα μυ, quem amo (ut Philip. 1. 8.) ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ· vel demum σπλάγχνα, metonymicè filium meum. Τέκνον, ut suprà Com. 10. à me in fide genium. Artemidorus lib. 5. Oneirocritici, Τὰ σπλάγχνα τὸν παῖδα σημαίνειν, ὅτι γὰρ καὶ τὸν παῖδα καλεῖν ἔθος ἐστίν. Idem 1. 46. Οἱ παῖδες σπλάγχνα λέγονται· & cap. 35. Τὰ ἑαυτοῦ, &c. σπλάγχνα διὰ τοῦ σώματος ἀποκρίνειν, τέκνων ὄλεθρον προαγορεύει. Suetonius (ex Asclepiade Mendete) de matre Augusti Cæsaris, *Somniavit intestina sua ferri ad sidera, explicarique per omnem terrarum & cœli ambitum*: ibidem sequitur continuò de nato filio. D. Basilius de egeno filium venum exponente, Τὰ σπλάγχνα προτείνεται τιμὴν τῶν τροφῶν. Jacobus de Josepho apud Philonem, Ἀτιθάσσοις καὶ σαρκοβόροις θηρσὶν εὐωχία, &c. γέγονας, γευσαμένοις καὶ ἐστιαθεῖσι τῶν ἐμῶν σπλάγχνων. Nonnulla apponamus ex Latinis ejusdem notæ. Lactantius 6. 20. *Qui viscera sua* (i. e. filios) *canibus prædam objiciunt.* Darius ad milites de conjuge & liberis suis, *Eripite viscera mea ex vinculis.* Statius, Theb. 7.

——*Sua credita matri*
Viscera.——

Apulejus 8. *Jam contra sua sæviens viscera*: id est, filiolum suum. Ovidius ubi de Druso,

Ille rogus miseræ viscera matris habet.

Idem Metam. 10. de Cinyra patre Myrrhæ,

Accipit obscæno genitor sua viscera lecto.

Canace apud Eundem de prole sua exposita,

Viscera montanis ferret edenda lupis.

& pòst,

Diripiunt avidæ viscera nostra feræ.

Quintilianus Declam. 338. *Filium matri eripere conaris, & partem viscerum avellis.* Idem procemio libri 6. ubi de rogo filii sui, *Tunc optimum fuit infaustum opus*, &c. *super immaturum funus consumpturis viscera mea flammis injicere.* Apud Eundem Declam. 5. pater ille ad ingratum filium suum, *Has quas subtrahis manus, hæc verba quæ negant, de meo spiritu, de meis visceribus hausisti.* Ibid. Declam. 18. uxor ad maritum loquens de communi pignore, *Sanguinem qui de tua fluxit anima, viscera de tuis concepta vitalibus.* Interpres Nicomacheorum 8. 16. Οἱ γονεῖς στέργουσι τὰ τέκνα, ὡς ἑαυτῶν τι ὄντα.

Ibid. αὐτὸν, &c. προσλαβοῦ]

——*Per tua obsecro*
Genua, ut tu istud insipienter factum sapienter feras,
Et illi ignoscas.——

13. ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ μοι, &c. ἵνα πληρώσῃ τὸ σου ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας] Trebatius ad Ciceronem, *Charitate & amore tuum officium præstaturos.*

14. χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης ὐδὲν ἠθέλησα ποιεῖν] Nolui eum, etsi Euangelii causâ, captivo mihi ministraturum detinere, non præeunte consensu tuo. Theophylactus ad Tit. 2. *Uxores à maritis disjungens conscientiæ prætextu servosque ab heris divellens prætextu pietatis; non est irreprehensibilis.*

Ibid. χωρὶς τῆς σῆς γνώμης ὐδὲν ἠθέλησα ποιῆσαι] Trium Horatiorum pater apud Dionysium Halicarnassensem, Εὐσεβὲς πρᾶγμα ποιεῖτε, ὦ παῖδες, &c. ὐδὲν ἄνευ τῆς ἐμῆς γνώμης διαπραττόμενοι. In Epistola Ignatii dicta ad Polycarpum, Μηδὲν ἄνευ τῆς γνώμης σοῦ γενέσθω. Vide Suidam in Πλείσταρχος. Josephus Antiquit. lib. 20. Ὡς ὐκ ἐξὸν, Ἀνάνῳ χωρὶς ἐκείνυ (Præsidis) γνώμης συνέδριον καθίσαι. Herodianus de Pertinace, Οὔτε τὸ πῦρ εἴασεν ἑαυτοῦ προπομπεύειν, οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι, πρὶν ἢ μαθεῖν τὴν γνώμην τῆς συγκλήτου βυλῆς. Plinius junior ad Trajanum, *Nihil decernendum putavi donec te consulerem*, &c. Apulejus Floridis, *Nil tantum, nil tantulum faciam, cujus vos non & gnaros & Judices habeam.*

Ibid. ἵνα μὴ ὡς κατ' ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σε ᾖ, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἑκούσιον] Sic 1 Pet. 5. 2. Ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως. Ità ἑκούσιον γνώμην, Eusebius τῇ ἀνάγκῃ opponit: ὑπ' ἀνάγκης, τῇ ἑκουσίᾳ. Plutarchus in Agide & Cleomene: &, ἀνάγκην, τῇ ἑκουσίως, in vita Numæ: Suidas. v. Χρηστὸς, τὸν ἐξ ἀγάπης χρηστὸν, τῷ χρηστῷ ἐξ ἀνάγκης· Apostolus etiam, Rom. 8. 20. τὸν ἑκόντα, τῷ ὑποτάττοντι. Κατ' ἀνάγκην heic, quod 2 Cor. 9. 2. ἐξ ἀνάγκης dixit. Post τὸ ἀγαθόν σε (quæ locutio itidem Rom. 14. 16. & 3 Joh. 5. occurrit) subaudi ἔργον. Suidas, Αὐτὸ δείξει, παροιμία, ἐλλείπει τὸ ἔργον.

15. Τάχα γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς] D. Augustinus Confess. 5. 8. de matre sua, *Et quid à te petebat, Deus meus, nisi ut me navigare non sineres? sed tu altè consulens, & exaudiens cardinem desiderii ejus, non curasti quod tunc petebat, ut in me faceres quod semper petebat.* Valerius Maximus de Lycurgi legibus ad tempus providè & sapienter abrogatis, *Itaque ut semper esse possent, aliquando non fuerunt.* Similem loquendi modum vide & in Latino Jobi 14. 20. Quin & apud Sapientiæ Scriptorem 6. 21. ubi vulgò legimus τιμήσατε σοφίαν, ἵνα εἰς τὸν αἰῶνα βασιλεύσητε, vividior multò sensus foret si hoc modo legamus, τιμήσατε σοφίαν πρὸς ὥραν, ἵνα εἰς α. β. Justitiam colite illud breve vestræ vitæ spatium, ut postea in æternum regnare possitis. Ἐχωρίσθη heic est reapse ἐδραπέτευσε· cui verbo (ut supra monuimus,) tanquam insuaviori pepercit. Sic, *amotarum*, (i. e. subreptarum) *rerum actionem contra uxorem*, Jurisconsulti dicunt. Πρὸς ὥραν, est quod 1 Cor. 7. 5. πρὸς καιρὸν, & 1 Thess. 2. πρὸς καιρὸν ὥρας. Vulgato, ut & Jobi 10. 14. & alibi, *ad horam.* Idem τὸ αἰώνιον, *æternum* eruditè vertebat. Virgilius, *Æternumque locus*, &c. ubi Servius, *In æternum: & est adverbium.* In Georgicis,

Æternùm frangenda: —

ubi idem Servius, *Semper, perpetuò.* In Vulgato autem strictiùs accipienda est vox ista, ut diuturnitatem significet: quo ferè sensu in Græco Proverb. 22. 28. ὅρια αἰώνια habemus, [illegible] est, antiqua, vel, quorum non exstat memoria.

Ibid. πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον, &c.] Nota oppositionem istam. In Epistola Smyrnensis Ecclesiæ de Polycarpi martyrio, Διὰ μιᾶς ὥρας τὴν αἰώνιον κόλασιν ἐξαγοραζόμενοι. Sic, πρὸς ὀλίγον, Sapient. 16. 5, & 6. opponitur τῷ μέχρι τέλυς· *in æternum, brevi tempori*, in Latino 1 Maccab. 14. 41. *ad tempus*, τῷ *in æternum*, 6. 12. & 7. 6. apud Lactantium: & τὰ πρόσκαιρα, 2 Corinth 4. 18. τοῖς αἰωνίοις.

16. Οὐκέτι ὡς δοῦλον] Joh. 15. 15. Οὐκ ἔτι ὑμᾶς δύλυς λέγω. Galat 4. 7. Οὐκέτι εἶ δοῦλος, ἀλλ' υἱός.

Ibid. ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον, ἀδελφὸν ἀγαπητὸν] De eodem Coloss. 4. 9. πιστῷ καὶ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ. Lactantius de servis heroum Christianorum, *Tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt: sed eos & habemus & dicimus spiritu fratres, religione conservos.* Chrysologus Serm. 26. ad servum Christianum quemvis, *Qui* (Christus nempe) *parem te fecit per gratiam, quem conditio fecerat disparem servilis vilitate.* Vide & 1 Tim. 6. 2. Quintus ad Marcum Ciceronem de Tirone manumisso, *Mihi gratissimum fecisti cùm eum*, &c. *nobis amicum quàm servum esse maluisti.* Pro δοῦλον autem in Contextu puto δούλυ legendum. Ità & Vulgatus, *pro servo* vertit.

Ibid. πόσῳ δὲ μᾶλλόν σοι] Glossarium, *Quo magis*, (scripserim, *Quantò magis*) πόσῳ μᾶλλον.

Ibid. καὶ ἐν σαρκὶ] Hinc & Ephes. 6. 5. κατὰ σάρκα κύριοι.

17. Εἰ ὖν ἐμὰ ἔχεις κοινωνὸν] Subaudi, τῆς αὐτῆς χάριτος

Vide.

Vide Philipp. 1. 7. Hinc 1. 4. ad Titum *κοινὴ πίστις*, & Judæ com. 3. *κοινὴ σωτηρία*· item Philipp. 2. 1. *πνεύματος κοινωνία.* Plutarchus de Pythagoricis agens (lib. *περὶ Πολυφιλίας*) *κοινοῦ λόγου μετέχοντας* dixit. Vel *κοινωνὸν* intellige, ut apud Apocal. 1. 9. *ἐν τῇ θλίψει καὶ ὑπομονῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Vide & Philip. 4. 14. & 2 Cor. 1. 7. Quæ hic Eruditi de rerum vel bonorum inter Paulum & Philemonem communione afferunt, mihi minùs probabilia videntur.

18. *Εἰ δέ τι ἠδίκησέ σε*] Si quid tuum abſportavit, quod ſolent ſervi fugitivi. Horatius,

Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes. ——

Virgilius Georg. 1. de Luna decima ſexta,

—— *Contraria furtis*:

ubi Servius, *Illuc ſpectat, ut Domino ſit ſpes inveniendi quod amiſerit, & ſervus rapere aliquid aufugiens formidet.* Servus Terentianus Phorm. 1. 4.

Aliquid convaſaſſem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.

Leno Plautinus de lorariis, Pſeud. Sc. *Exite.*

—*Ubi data occaſio eſt, rape, clepe, tene, harpaga,*
Bibe, es, fuge: hoc eſt eorum opus.

Martialis,

Non miror furem qui fugitivus erat.

Ἀδικεῖν, itidem ut heic, de ſervo, Coloſſ. 3. 25. occurrit; cum duplici autem, ut & hoc loco, accuſativo, Act. 25. 10. Heſychius, ex hoc Apoſtoli loco, *Ἠδίκησεν, ἔβλαψεν.*

Ibid. *ἐμοὶ ἐλλόγει*] *Mihi expenſum feras*, Cicero 15. 20. ad Atticum dixit. Domitianus ad Terentium Maximum, (apud Plinium Epiſt. lib. 10.) *Summam* (Archippo) *expenſam liberalitati meæ feras.* Vulgatus, *mihi imputa*, ità in vetere Onomaſtico, *Imputo, προσλογίζομαι.* Alcibiades apud Plutarchum, *Ἐμὲ γράψατε, ἐμὸς φίλος ἐστὶν, ἐγὼ ἐγγυῶμαι.* Vide & D. Auguſtini locum jam ſtatim adducendum.

19. *Ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί*] Id eſt, hâc manûs meæ ſcripturâ me obligo ad ſarciendum quicquid damni attulerit tibi. Ità in l. 24. ff Depoſ. vel contra, *Centum nummos quos hâc die commendaſti mihi, &c. eſſe apud me ut notum haberes, hâc epiſtolâ meâ ſcriptâ tibi notum facio*: & in l. 40. ff. de rebus credit. *L. Titius ſcripſi me accepiſſe à P. Mævio quindecim mutua, &c.* ubi & *ſcripſi*, ut apud Paulum *γέγραφα.* In Colloquiis Scholaſticis veteribus habemus eo ſenſu *ἐχειρογράφησας*· & in Gloſſis, *Caviſti, &c. ἐχειρογράφησας*· item Luc. 16. 6. *γράψον* *Ἔγραψα* hîc habet vim eandem quam haberet *γράφω.* Sedulius ad 1 Cor. 5. illud, *ἔγραψα ὑμῖν, Pro ſcribo, vel ideo præteritum dicit, quia cùm legerent tempus ſcribendi præteritum eſſet.* *Ἐγὼ Παῦλος* ad majorem rei affirmationem; vide 2 Cor. 10. 1.

Ibid. *ἐγὼ ἀποτίσω*] Ità Rom. 12. 19. ex perſona Dei autem, *ἐγὼ ἀνταποδώσω.* In Gloſſario, *Ἀποτίω, pendo, refarcio.* Heſychius, *Τίσω, ἀποδώσω, τιμήσω.* Idem, *Ἀποτίσει, ἀποδώσει.* *Ἐγὼ ἀποτίσω*, formulâ in ſe debitum recipientis. Sic Luc. 10. 34. *ἐγὼ, &c. ἀποδώσω σοι.* D. Auguſtinus in Pſal. 36. *Si non tenes pauperem redditorem, idoneum tenes fidejuſſorem. Ecce Deus tibi de ſcriptura ſua,* (i. e. cautione) *dicit, Da, ſecurus eſto: reddam. Quomodo ſolent dicere fidejuſſores? Ego reddo, ego accipio, mihi das.* Non diſſimile Geneſ. 43. 9. illud, *Ego puerum ſuſcipio, &c. de manu mea illum require.*

Ibid. *ἵνα μὴ λέγω σοι, &c.*] Terent. 1. 3. Phorm. *Ut ne addam, &c.* ubi Donatus, *Σχῆμα παράληψις ut ne, quod Græci ἵνα μή.*

Ibid. *ἵνα μὴ λέγω σοι, ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις*] Ut taceam, non ſolùm qualecunque damnum ab eo illatum meo intuitu te poſthabere debere, ſed & teipſum debere mihi: quod vel totis caducis bonis tuis præſtantius & pretioſius longe. *Σεαυτὸν προσοφείλεις* ait, quia eum Paulus in fide inſtituerat. Simplicius in cap. 37. Epicteti, de ſalutarium rerum præceptoribus, *Τροφεῖς ὄντες καὶ ἐπιμεληταὶ οὐ τοῦ σώματος ἡμῶν, ἀλλ' ΗΜΩΝ ΑΥΤΩΝ εἰσι*·

20. *Ναὶ, ἀδελφέ*] Cicero ad naturâ fratrem, ut Paulus ad fratrem ſpiritu, *Non, &c. præceptis, ſed precibus tecum fraternis ago.* Vide ſupra com. 9.

Ibid. *ἐγώ σου ὀναίμην ἐν Κυρίῳ*] Vulgatus, *te fruar, &c.* quo & ſenſu Suidas, *Ἐγώ σου ὀναίμην, ἐγώ σου ἀπολαύσω*· ubi legendum *ἀπολαύσαιμι.* Frui Philemone, eſt de illius in Euangelica pietate profectibus gaudere, & conſolatione frui. Gloſſæ vetuſtiſſimæ ad Pauli iſta, in Medic. bibliotheca, *Ὀναίμην σου, ἀντὶ τοῦ, ἀπολαύσαιμί σου τῶν ἐν Χριστῷ κατορθωμάτων· ἴδοιμί σε πλουτοῦντα ἐν ἅπασι τοῖς πνευματικοῖς ἀγαθοῖς.* Loquitur autem Apoſtolus, hâc voce utens, (ut & ſupra illis, *σπλάγχνα* & *ἐγέννησα*,) ex parentis perſona. Sirachides 30. 2. *Ὁ παιδεύων τὸν υἱὸν αὐτοῦ, ὀνήσεται ἐπ' αὐτῷ.* Ad matrem filia illa apud Poëtam Philemonem,

—— *Γένοιτό σοι τέκνον*
Ὄνησις, ὥσπερ καὶ δίκαιόν ἐστι.

Hinc in Epiſtola ad Heronem Diaconum, quæ inter Ignatianas, *Ὀναίμην σου, παιδίον.* Ad filiam mater apud Terentium, 4. 2. Hecyræ,

—— *Ità obtingant ex te quæ opto mihi.*

Id eſt, ut heic Paulus, *Ἐγώ σου ὀναίμην.*

Ibid. *ἀνάπαυσόν μου τὰ σπλάγχνα*]

—— *Solare humilem, atque ignoſce reverſo:*
Hanc ſine me ſpem ferre tui. ——

Ibid. *ἀνάπαυσόν μου τὰ σπλάγχνα*] Eſt quod 1 Cor. 16. 18. & 2 Cor. 7. 13. *τὸ πνεῦμα ἀναπαύειν*· Coloſſ. 4. 8. *τὴν καρδίαν παρακαλεῖν.* Pſyche ad Cupidinem ſuum (apud Apulejum) ſimillimâ obteſtandi formâ. *Tibi devota charaque animam gaudio recrea.* Plinius pro Roſciano Gemino Trajanum orans, *Te, Domine, rogo gaudere exornatâ Quæſtoris mei dignitate*: id eſt, te rogo ut poſſim gaudere dum in illius dignitate meam ipſius auctam & exornatam video. Phædrus,

Decerne quod religio, quod patitur fides:
Et gratulari me fac judicio tuo.

21. *Πεποιθὼς τῇ ὑπακοῇ σου, ἔγραψά σοι*] Non diſſimile, minoris autem fiduciæ, ejuſdem illud 2 Cor. 2. 9. *εἰς τοῦτο ἔγραψα, ἵνα γνῶ, &c. εἰ, &c. ὑπήκοοί ἐστε.* Confer & 2 Theſſ. 3. 4. Heſychius, ex hoc Apoſtoli loco, *Πεποιθὼς, ἐλπίσας, πιστεύσας*, In Gloſſis, *Πεποιθὼς, confiſus, fretus, fidens.* Nec multùm ab his Pauli diſcedunt Ciceronis illa, ad Quintum fratrem, *Si ad ea quæ faceres auctoritas accederet mea, tibi ipſi illa putavi fore jucundiora.*

Ibid. *εἰδὼς ὅτι καὶ ὑπὲρ ὃ λέγω, ποιήσεις*] Utitur magnâ Paulus, ſed & laudabili, ſolertiâ in Philemonem exorando: plus enim quàm quod petit, promittit ſibi de clementia ejus. Donatus in Eunuchum, *Plus eſt id præſtitiſſe quod qui accepit non auſus eſt poſtulare.* Ovidius.

—— *Majora petitis*
Credibile eſt magnos ſæpe dediſſe Deos.

22. *ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν· ἐλπίζω γὰρ ὅτι, &c. χαρισθήσομαι ὑμῖν*] Cicero Famil. epiſt. lib. 14. ad Terentiam ſuam, *In Tuſculanum nos venturos putamus, &c. ibi fac ut ſint omnia parata.*

Ibid. *ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν*] Euthymius ad Luc. 9. 52. UT PARARENT EI, *Hoſpitium ſcilicet.* Cicero ad Atticum ſuum, *Pylea paratum eſt hoſpitium.* Martialis in epiſtola libro 9. prævia, *Vale, & hoſpitium para.* Sic & Joh. 14. 2, 3. *τόπον ἑτοιμάζειν.* In vetere Epitaphio,

Præceſti hoſpitium dulce parare tuis.

Ibid. *ξενίαν*] Suidas, *Ξενίαν, καταγώγιον, κατάλυμα.* Heſychius, *Ξενία, ὑποδοχὴ, &c. κατάλυμα, καταγώγιον*· Vide & Act. 28. 23.

Ibid. *ἐλπίζω γὰρ ὅτι διὰ τῶν προσευχῶν ὑμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν*] Id eſt, ut Hebr. 13. 19. *ἀποκατασταθῶ ὑμῖν*· ubi & præceſſit, *προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν.* *Χαρίζεσθαι* hoc ſenſu etiam Act. 27. 24. habemus. *Ὑμῶν*, Philemonis nempe, Apphiæ, Archippi, & Eccleſiæ quæ in domo veſtra.

23. *ὁ συναιχμάλωτός μου*] Vulgatus, *concaptivus meus*: quâ formâ & in Gloſſario, *Συνδέσμιος, convinctus.* Itaque Gloſſarii ea, *Concaptivus, συναιχμαλώτης*, ad hunc locum, vel Coloſſ. 4. 10. exiſtimo referenda.

SCIPIO-

SCIPIONIS GENTILIS, JCti,

In D. PAULI Apostoli ad

PHILEMONEM

Epistolam

COMMENTARIUS.

Opus Posthumum,

Theologis, Jurisconsultis, Historicis, Poëtis, Oratoribus ac Philologis utilissimum, lectu jucundissimum.

Illustri ac verè Generoso Dn.

D. CAROLO L. B. à ZEROTINA, Seniori, Rossicii, Przeroviæ, Drzewohosticii, *&c. Dno, S.C. Regiæque M. Consil. Promarchioni* Moraviæ, *&c. Mecœnati literatorum munifico*,

S.

QUi ex nostris Italiam, Europæ reginam, & in ea Campaniam, Insubres Subalpinosque populos, in primis Siciliam *horreum populi Romani* olim dictam adeunt, Heros illustris, Carole Baro Zerotine, illi nobis præter Sumen fertilitatis, urbes florentissimas, munitissimas rerumque copiâ omnium uberrimas, reduces deprædicant. Idem fere faciunt & ii qui Bohemiæ Regnum ac Moraviam vestram penetrant, & in utraque agros feracissimos vinetaque, hortos, prata & silvas inspiciunt; inprimis qui Pragam urbium augustissimam, alteram Romam, in qua magni Cæsaris Monarchæ potentissimi invictissimique Sedes, tot templa, fora, curiæ, palatia spectatoribus occurrunt, dulcis quietis asylum, Academiæ Karulinæ antiquissimæ Hospitium, deveniunt, istis in partibus tantum apparatum supra modum, supra fidem, mirantur, urbes alias egregie exornatas, opera humanæ industriæ tractu longi temporis elaborata & exeffecta dilaudant suspiciuntque. Quæ sane vulgum trahunt, aut certe eos quos splendor externus delectat. Cordatiores aliud in suis peregrinationibus spectant, nimirum Dei opt. max. effusas erga Bohemiæ ac Moraviæ populos benedictiones, pietatem, virtutem ac doctrinam incolarum; & ante omnia Principum virorum ingenia factaque, qui ad clavum sedent Reip. quorum prudentiæ debet atque animis quòd viget, quòd floret provincia, quod pacis beneficiis utitur fruitur copiosissimis: Quorum τῶν μεγιςάνων judicium excoctum & maturum ante se exserere solet quàm lanugo prima malos vestiat aut obumbret, ut nusquam adeò gentium largiorem civilis prudentiæ sementem beneficam Jehovæ manum fecisse pro certo habeat, quisquis ad alia Regna aut Provincias Christiani orbis animum intenderit. Inter eos verò plurimos Te, Carole Zerotine, illustriss. familiam ducere, jam publicus pene totius Europæ consensus unanimi suffragio proscribit. Nam cùm ab ineunte ætate perpetuis & non interruptis per omnes fere Europæ regiones peregrinationibus eam scientiarum variarum rerumque gerendarum notitiam comparasses, ubi domum reversus quodcunque obferretur ardui ac difficilis negotii ità conficeres, utì omnibus appareret, nihil aut utile cuiquam aut salutare aut denique honorificum esse posse quod non à tuis consiliis & prudentia posset exspectari expedirique: in eam omnes de Te opinionem rapuisti ut velut pro tutelari Numine non haberent modo sed etiam venerarentur. Itaque domus tua non Moraviæ sed pene ipsius Christianæ Reip. oraculum est, quæ non à privatis solum, sed maxima frequentia summorum ac splendidissimorum hominum aditu celebratur. Jam quid Religionem dicam, tuæ quæ clypeo auctoritatis ac constantiæ contegitur? Tuis meritis invidiam oppressisti, idque consecutus es, ut quod tibi curæ est id ratum quoque sit apud omnes. Quid de Literis? quarum Tu Mecœnas unicus, Patronus ac Fautor benignissimus, & tanto major quanto ipse doctior. Etsi enim amorem literarum ex Majorum altissima serie acceperis, tamen avitas laudes tuis Te studiis longissime excessisse, vel ipsi, si in vitam redirent, lubentes & ultrò faterentur, opinor, & hanc literarum gloriam Tibi rescriberent. Atque hinc factum existimo ut nemo, non dicam ex summis illis Literar. Luminibus; sed & ex medii ordinis doctis exstiterit hactenus qui non ad Te, vel literis vel operis alicujus literarii inscriptione, tanquam ad certissimi fidelissimique Præsidis literarum aram advolutus, sacra fecerit; ac in Te virtutem, & quidquid gloriam mereri potest, honorandum propitiandumque sibi duxerit. Omnesque hactenus illi admirandam

dam illam humanitatem & Regiam munificentiam tuam seculo & posteritati non satis commendare potuerunt. Idem autem honoris officium diu animo conceperat optimus & pientissimus olim pater meus ὁ μακαρίτης Scipio Gentilis Jurisconf. Consiliarius Reip. Antecessor Academiæ Norimbergensis. Sed, prô dolor! dum deliberat quod Te dignum ex operibus suis, quæ perfecta habebat non pauca, seligeret, mors ipsius cogitationes & institutum violento incidit impetu. Nunc autem mihi Commentarium paternum in Paulianam Philemonis Epistolam doctissimorum virorum amicorum paternorum consilio publicanti, & avus maternus charss. Cæsar Calandrinus, Tuæ Generositatis Illustr. observantiss. cliens, & viri magni non pauci, quorum auctoritatem aspernari mei pudoris non erat, institere, ut in Patris, cujus memoria in benedictione, locum succederem, ac quod ille unicè optasset exsequerer. Facile autem fuit inclinantem ultro impellere. Quid enim post obitum longè charissimi capitis magis optandum mihi quàm favor ac gratia virorum summorum, qui sublevare orbitatem meam & consolari ac salutem promovere possint & velint? Quorum hoc aut illud præstare qui magis posit, qui magis velit quàm Tu, Illust. Domine, seculum hoc mihi nullum dederit. Accipe igitur, Generosissime Dn. Zerotine, Commentarium huncce Pietatis paternæ & in Te simul observantiæ utriusque testem, eumque læto vultu suscipe, &, sicubi à Reipubl. negotiis respirare continget, evolve: Meque Tuarum virtutum admiratorem nunc, &, si Deus vitam protraxerit, præconem olim non malignum gratiâ & favore Tuo complectere; atque hanc verè Illustr. Nominis Tui appellationem non ingratam habe. Deus ter opt. ter max. Te Illustrem Heroëm Ecclesiæ & Reip. Christianæ atque Literariæ quàm diutissimè servet incolumem, ut commune Bonum Te vindice ac Tutore augescat, Literæ etiam tuo incomparabili patrocinio, earumque decus floreat & indies magis magisque virescat. Fiat, fiat. Norimbergæ, ex ædibus avi materni, Kal. Martiis, Ann. cIↃ. IↃ cXIIX.

Illustr. Nomini Tuo omni observantiâ
& cultu deditissimus Cliens

ÆGIDIUS ALBERICUS SCIPIONIS JC.F.GENTILIS.

Ad Illustr. Dn. CAROLUM L. B. à ZEROTINA, &c.

Μουσηγέτῃ ἢ εὐεργέτῃ.

ATrâ genas & ora pingi sepiâ,
Tingique succo fæditer loliginis,
Pudore suffundi, profana pectora,
Vos opto, quotquot remini à Sacris libris
Vel eruditionem abesse (quam vocant)
Politiorem, vel etiam facundiam.

Heic δεῖγμα, quam conscripsit ad Φιλήμονα,
Dat Paulus, orator tonans, Epistulâ,
Academiæ quæ floruit Tarsi pius
Alumnus, ad Gamaliëlis hinc pedes
Auditor assiduus diu qui sederat,
Sed rectiùs poli ministerio probo
Edoctus omnimodè entheam eloquentiam.
Adeò eruditè, adeò disertè differit,
Ut Tullios sic farier nemo audiat,
Pericleas Demosthenea sve potentiùs
Orare causas. Deprecatur, præcipit,
Monet, docet, placat decenter servuli
Herum; suæ sed interim demit nihil
Auctoritatis ponderi, nihil Pio,
Æquoque justo: (Nam peritus gnaviter
Legum cluebat:) detrahit domino nihil.

Commonstrat isthæc Scipio pol artifex
Digito sagaci, ceu sacratâ virgulâ.
Quæ destinârat mente, magne Heros, Tibi:
Fera Morta disturbârat hocce consilI.
Natus patrissans, proprium dicans, opus
Offert, politum dico ad unguem septies.
Ut ad palatum sit Tuum, optat strenuè.
Et te Jehova sospitet Moraviæ,
Votis precamur omnibus, Baro optume.

GEORG. REMUS, JC.

SCI-

SCIPIONIS GENTILIS
JURISCONS.
In Epistolam D. PAULI ad
PHILEMONEM
COMMENTARIUS

Argumentum, Dignitas, Utilitas hujus Epistolæ.

SCripsit hanc Epistolam D. Paulus in urbe Roma ad Philemonem amicum atque hospitem suum, Colossensium Episcopum, pro servo ejus Onesimo. Is enim ab hero, rebus, utì putant, quibusdam ablatis, Romam cùm profugisset, D. Paulo sese, Euangelium Christi illic magnâ gloriâ docenti, applicaverat, institutusque ab eo, & Christianæ Religionis mysteriis initiatus, apud eum aliquandiu hæserat, Diaconi, ut ex hac Epistola intelligimus, h. e. ministri, functus munere. Scribendi causa hæc una fuit, ut servum hero reconciliaret. Quod cùm difficile Paulo videretur apud dominum justissimis de causis vehementer iratum, & fortasse pro ingenio Phrygum duriorem, omni orationis artificio eum aggressus est, ut quod volebat ab eo vel eblandiretur vel extorqueret. Mirè enim hunc novum Discipulum diligebat, quem & *filium dilectissimum* sæpiùs & *viscera sua*, adeoque *ipsum se*, appellat: quo nihil efficaciùs dici potest aut ardentiùs. Neque verò verbis solùm ac precibus sibi pro eo agendum putavit, sed cùm rei familiaris jacturâ non mediocriter accensum Philemonem sciret, soluturum se pro eo omnia recipit hâc Epistolâ quæcunque ille domino ulla ex causa deberet. Cujusmodi promissionem *obligationem constituta pecunia* dicimus: de qua infrà suo loco fusiùs explicandum erit. Nam hæc tanquam altera pars est hujus elegantissimæ Epistolæ, licèt & ipsa, ut alia omnia, priori illi subserviat, quæ in deprecatione commendationeque Onesimi consumitur. Dignitatem & utilitates plurimas maximasque hujus Epistolæ exponit verè aureus Doctor Johannes Chrysostomus statim initio suarum in eam Homiliarum: *Sed quia non desunt*, inquit, *qui hanc Epistolam superfluò adjectam putant, quando & pro re adeò parva & pro uno homine conscripta est, discant planè qui hujusmodi sunt innumeris se criminibus reprehensionibusque obnoxios esse. Non modò enim tam parvas Epistolas & pro rebus adeò necessariis, oportuit scribi, sed utinam non defuisset qui nobis Apostolorum historiam diligentissimè tradidisset; non tantùm quid scripserint, quid locuti sint, sed ut sese per omnem vitam habuerint, quid & quando comederint, quando sederint, quò iverint, quid diebus singulis gesserint, & quibus in locis vixerint, quam ingressi fuerint domum, quò navigaverint, ubinam applicuerint, cæteraque diligenter exposuisset! adeò illorum omnia eximiâ utilitate sunt referta.* Rectè & prudenter hanc rationem adjecit, nè posset ei objici quod Julius Capitolinus initio Vitæ Opilii Macrini Junio Cordo objecit: *Junio*, inquit, *Cordo studium fuit eorum Imperatorum Vitas edere quos obscuriores videbat: qui non multum profecit: Nam & pauca reperit & indigna memoratu, asserens se minima quæque persecuturum, quasi vel de Trajano aut Pio aut Marco sciendum sit quoties processerit, quando cibos variaverit, & quando vestem mutaverit, & quos quando promoverit: quæ ille omnia exsequendo libros mythistoriis replevit, talia scribendo; cùm omnino rerum vilium aut nulla scribenda sint, aut nimis pauca: si tamen ex his mores possint animadverti, qui reverà sciendi sunt, sed ex* (f. *ea*) *parte, ut ex eo* (f. *ea*) *cætera colligantur.* Hæc ille, qui duos fines notat ob quos talia scribi debeant, si mores ex iis animadvertantur, & si cætera ex iis intelligi possint. Eandem sententiam in Plutarchi Vitis non semel legas. Nec minore animo pro hac Epistola pugnat B. Hieronymus in Præfatione ad Paulam & Eustochium, adversùs eos qui eam Pauli esse negabant, ejusque autoritatem & argumentum despiciebant. Quorum in numero fuit Marcion. *Qui cùm cæteras Epistolas ejusdem*, inquit, *vel non susceperit, vel quædam in his mutaverit atque corroserit, in hanc solam manus non est ausus mittere, quia sua illam brevitas defendebat. Sed mihi videntur, dum Epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiæ lateat. Quæ orantibus vobis, & ipso nobis S. Spiritu suggerente, suis locis explanare conabimur.* Quibus in verbis, si quis ea cum dicto Chrysostomi loco comparare volet, animadvertet discipuli imitationem non obscuram. Discipulus enim & auditor Chrysostomi fuit Hieronymus, disertissimi Græcorum Patrum disertissimus Latinorum. Brevitatis autem crimen (si ità appellandum est) sic diluit, *Si autem brevitas habetur contemptui, contemnatur Abdias, Nahum, Sophonias, & alii duodecim Prophetarum, in quibus tam mira & tam grandia sunt, quæ feruntur, ut nescias utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas an magnitudinem sensuum. Quod si intelligerent hi qui Epistolam ad Philemonem repudiant, nunquam brevitatem despicerent, quæ pro laciniosis Legis oneribus Euangelico decore scripta est, dum breviatum consummatumque sermonem facit Dominus super terram.* Nunc breviter de utilitate hujus Epistolæ disseramus. Eæ multæ sunt. Primùm quòd ut nihil negligamus, nullumque hominem, quamvis infimæ sortis, contemnamus, nos admonet. Deinde non esse de servorum ingenio desperandum docet, quia non modò ad frugem reverti sed etiam virtute ac laude præstare possint: ac testatur idem Chrysostomus in Epist. 2. ad Thessalonicenses cap. 2. Hom. 5. complures sibi cognitas domos quæ plurima commoda ex servorum virtute ceperint. *Quod si*, inquit, *servus, qui sub potestate est, potest dominum suum corrigere, multò magis potest dominus corrigere servos, ut non solum Æsopum Phrygem fuisse scias qui eam se artem tenere professus est quâ dominum suum meliorem efficere potest. Quod & eò libentiùs noto quòd Celsus simili ratione scribit, non indecorum videri patrem à filio regi. Ex hac utilitate manat & illa, quòd non debeamus servorum aut infimorum hominum, si modò probi honestique sint, consuetudine erubescere, cùm D. Paulus, ille princeps Apostolorum, tanti servum Onesimum, eundemque fugitivum, mutato in melius vitæ instituto, fecerit. Simul etiam aliam rationem hic intelligimus, quòd cùm Paulo totius orbis terrarum cura in Euangelio propaganda incumberet, non neglexit tamen vel singulos, eosque viles ac servos.* Ità D. Chrysostomus Hom. De Profectu Euangelii. Est & illa non vulgaris sed maximi momenti utilitas, & quæ ad doctrinam &, ut ità loquar, ad jura Christianæ fidei pertinet, quòd ex hac Epistola intelligimus homines servos, si ad Christi fidem religionemque accedant, non propterea liberos fieri vel invitis eripi dominis, etiam Christianis. Jam quâ mansuetudine Episcopi Ecclesiarum sese erga inferiores gerere debeant, quod eorum sit officium, quæ observanda in præcipiendo modestia, in admonendo libertas in laudando ratio, quæ hominis sit nobili loco nati civiliterque instituti in aliqua re petenda comitas, quæ eruditio atque humanitas, hæc aliaque plurima intra hujus brevissimæ Epistolæ curriculum conclusa sunt. Quæ nostra deinceps aperiet interpretatio.

§. II. Ἐπιστολὴ] Quid ni? cùm & novo genere ab Apostolo sit scripta, & ab omni ferè aliarum ipsius Epistolarum argumento differat, & (dicendum est enim quod sentio) sola inter omnes *Epistola* dici verè proprieque mereatur. Quod ut intelligant, & credant nobis ii qui exiguum vel nullum humaniorum literarum gustum habent, apponam hic de Epistolæ forma atque natura judicium duorum omnis ætatis maximorum Philosophorum, Aristotelis & Demetrii Phalerei. Sic enim hic scribit in

libro

libro elegantissimo doctissimoque quem *περὶ ἑρμηνείας*, i.e. *De Elocutione*, inscripsit, Εἰδέναι δὲ χρὴ ὅτι οὐχ ἑρμηνεία μόνον, ἀλλὰ καὶ πράγματά τινα ἐπιστολικά ἐστιν. Ἀριστοτέλης γοῦν, ὃς μάλιστα ἐπιτετευχέναι δοκεῖ τοῦ τύπου ἐπιστολικοῦ. Τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοι, φησίν· οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν. Εἰ γάρ τις ἐν ἐπιστολῇ σοφίσματα γράφει καὶ φυσιολογίας, γράφει μὲν, οὐ μὴν ἐπιστολὴν γράφει. Φιλοφρόνησις γάρ τις βούλεται εἶναι ἡ ἐπιστολὴ σύντομος καὶ περὶ ἁπλοῦ πράγματος ἔκθεσις, καὶ ἐν ὀνόμασιν ἁπλοῖς. Quæ sic vertit doctissimus Victorius, *Scire oportet, non solùm elocutionem verùm etiam res quasdam esse accommodatas Epistolis. Aristoteles sanè, qui præter cæteros videtur, consecutus formam epistolarem, Hoc autem non scribo ad te, inquit: non enim Epistolæ accommodatum est. Si enim aliquis in Epistola sophismata scribit & naturæ rationes, scribit ille quidem, non tamen Epistolam scribit. Expressio enim quædam amoris debet esse Epistola, concisa, & de re simplici exposita, & in nominibus simplicibus.* Hactenus Phalereus. Considera mihi ista quatuor quæ Demetrius characteri Epistolari tribuit: quæ omnia in hac D. Pauli Epistola sic comparent expressaque sunt ut fingi nihil possit Divinius. Nam φιλοφρόνησις quidem illa, quam mox appellat φιλικὰς φιλοφρονήσεις *amicabiles blanditias*, in iisque versari τὸ κάλλος *pulcritudinem* Epistolæ dicit, cùm in tota hac Epistola conspicitur atque elucet, tum maximè in exordio ipsius. Συντομία sive *brevitas*, quam ille secundo loco ponit, ipsa sese ostendit nobis tacentibus. Quâ dote præcipuè commendatæ olim fuerunt Bruti epistolæ, qui in hoc genere scriptionis omnibus & Græcis & Latinis præstitisse à Philostrato judicatus est. Videatur Plutarchus in Vita Bruti, initio. Photius in Bibliotheca, ubi de Phrynicho, Καὶ Μαρκιανόν φησι, τὸν κριτικὸν συγγραφέα, ὑπερορᾶν μὲν Πλάτωνος καὶ Δημοσθένους, τὰς δὲ Βρούτου τοῦ Ἰταλοῦ ἐπιστολὰς προκρίνειν, καὶ κανόνα τῆς ἐν λόγῳ ἀρετῆς ἀποφαίνειν, *Refert & Marcianum, eum qui Critica conscripsit, Platone atque Demosthene despecto, Bruti Romani Epistolas prætulisse, atque hunc pro norma omnis in dicendo virtutis statuere.* Jam verò Simplicitas rerum atque argumenti epistolaris & antea à nobis indicata est, & in Commentario magis magisque illustrabitur, sic tamen ut summum in ea simplicitate artificium atque ingenium Pauli demonstretur à nobis. Quod de simplicibus autem nominibus addit Demetrius, eò, ut opinor, pertinet ut orationem & stylum Epistolæ quàm simplicissimum esse oportere intelligatur. Hoc est enim quod M. Tullius dicit, *epistolas quotidianis verbis texi solere.* Tumor certè orationis & accurata nimis structura & sententiarum acumen alienissima sunt ab Epistolæ natura, ut ipsemet Demetrius profitetur eodem loco. Proverbia tantùm excipit, quorum usurpationem, etiam πυκνήν, i.e. *crebram*, alterum decus Epistolæ ponit, additâ elegantissimâ ratione, καὶ τοῦτο γὰρ μόνον, inquit, ἐνέστω αὐτῇ σοφόν, διότι δημοτικόν τί ἐστιν ἡ παροιμία καὶ κοινόν, i.e. eodem Victorio interprete, *Etenim hoc tantùm in ipsa exsistat sapiens, quia populare quoddam est proverbium & commune.* Addit autem Phalereus, quod magis huic de Epistolari forma illustrandæ sententiæ sit, ὁ δὲ γνωμολογῶν καὶ προτρεπόμενος οὐ δι' ἐπιστολῆς ἔτι λαλοῦντι ἔοικε, ἀλλὰ μηχανῆς, i.e. *Qui autem sententias edit & suadet aliquid* (accuratiùs scilicet & pro autoritate) *non ei similis est qui per epistolam loquatur, sed per machinam*, h.e. quasi persona quædam Dei alicujus qui διὰ μηχανῆς in scenam exsistebat ex alto, præscripturus vel denunciaturus aliquid pro imperio. Quod postremum observari velim, respondet enim planeque convenit cum eo quod Paulus in hac Epistola ait, διὸ πολλὴν ἐν Χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων, &c. ut in hoc vestibulo interpretationis nostræ aliquid de illo summo artificio quo Paulum in his literis usum diximus libemus.

§. III. Παῦλος] Nunc de *Pauli* nomine aliquid dicendum est. In quo si non integros tres dies, ut de seipso B. Chrysost. profitetur, at multas certè horas me consumpsisse, nec meditando modò, ut ille, sed aliorum sententias cognoscendo, libenter fateor. Neque aliter discipulus ejus, cùm suam de hac re sententiam pluribus verbis exposuisset: *Plùs fortè*, inquit, *quàm oportuit, sed necessariò disputatum est. Necessitatem*, credo, intelligit Hieronymus, quòd hæsitare de hac re multos etiam doctissimos Theologos, & inter eos Præceptorem suum, animadvertisset, nè tam illustris mutatio in tanto viro lateret, quæ & ipsis Judæis Paulique tribulibus stuporem moverat, qui cùm ex persecutore omnium acerrimo Christiani nominis repentè Christianum ipsum factum & Christianæ religionis vehementissimum assertorem videbant,

Et veterem in Pauli quærebant pectore Saulum,

ut eleganter Vida Cremonensis canit. Et D. Gregorius Nazianzenus De Spiritu S. καὶ ποιεῖ Παῦλον ἀντὶ Σαύλου, καὶ τοσοῦτον εἰς εὐσέβειαν ὅσον εἰς κακίαν κατέλαβε, Orat. 44. Sed explicatio D. Hieronymi doctis viris non probatur. Neque enim verò simile videtur ut à Paulo Sergio Cretæ Proconsule, quem ad fidem Christi traduxerat, quasi devicto & sub jugum Christi misso, hoc nomen acceperit, ut Romani aliquot Imperatores à devictis gentibus cognomina sunt adepti, ut Scipiones *Africani*, ut Metelli *Cretici* vel *Baleares* appellarentur. Aliud enim hoc est. Quare prudenter Appianus in Syriacis Seleuci Regis cognomen Νικάτωρ potiùs à *victoriis* ejus deduxit quàm à *Nicatore* quodam victo sive cæso: Τῷ δὲ ἀρέσκομεν μᾶλλον τοῦ Νικάτορα κτεῖναι, ubi ridiculè Italicus interpres contrariam sententiam expressit, sicut alia multa. Probabilior est Chrysostomi opinio, quam & B. Ambrosius sequitur, nomen hoc Paulum accepisse à conversione sua, sive à Christo ipso, qui tanquam novo servo suo nomen ei mutaverit, recepto dominorum more: Sicut à Babyloniorum Rege Ananiæ, Azariæ, Misaëli, quos bello ceperat, factum est ut deinceps *Sedrak*, *Mesak* & *Abdenago* nominarentur. Proprium enim signum & argumentum dominii esse, nomina imponere vel mutare. Quod & Deus ipse ostenderit, cùm ad Adamum animalia omnia adduxisset, jussissetque ut dispiceret quibus ea nominibus appellaret. Nec movere nos debet quod etiam post conversionem aliquamdiu *Sauli* nomen retinuerit. Nam huic objectioni, quæ doctissimum Bezam movit quò minùs huic opinioni assentiretur, sic idem Chrysostomus respondit, Pio prudentique consilio id factum fuisse, quò illustrior foret ea conversio; ut in famulis evenire solere ait, qui obscuri ignotique sint si post arreptam fugam nomen mutent. Moram fuisse igitur aliquam interponendam donec Judæi cognoscerent hunc illum esse Saulum qui paulò antea tam vehemens atque ardens in Christianis consectandis comprehendendisque fuerat. Qua de causa, non propter ætatem, νεανίου nomine eum appellat in Actis Lucas, ut rectè à Budæo aliisque doctis viris observatum est contra Veterem Interpretem, qui *adolescentis* transtulit. Non defuere qui & à parvitate brevitateque corporis *Paulum* dictum (quâ figurâ & pingi solet: quasi hominum procerissimo sub D. Augusto nomen non fuerit *Pusioni*, teste Plinio lib. 7. c. 16.) vel à contemptione ejus existiment: Non etiam qui à Græco Παῦλα, quod valet *quietem*; item qui ab Hebræo POEL, quod *effectorem* declarat. Alii etiam binominem eum semper fuisse existimant, *Saulum*que & *Paulum* pariter appellatum: quæ deterrima mihi opinio videtur: quamvis non ignorem frequens id in Syria & Judæa fuisse; nec solùm in appellationibus hominum sed etiam urbium. Sic postremis temporibus eadem urbs *Ptolemais* & *Acco*; aliæque eodem modo. Sed maximè mihi probatur illa sententia sive conjectura doctissimi Theologi, quem suprà quoque nominavi, Bezæ. Cum S. Lucas neque ante actionem cum Paulo Proconsule institutam unquam *Paulum* nominet, neque postea unquam *Saulum*, non temere id factum videri: Sed ideo quòd ab hoc tempore atque ab hac victoria primùm cœperit inter Gentes Apostolatu suo fungi, quibus nomen *Pauli* familiarius fuerit, ut Judæis *Sauli*. Non pigebit & me quid ego de hac re sentiam profiteri. Existimo enim hoc *Pauli* nomen Romanum, & à Romanis donatum inditumque fuisse non Apóstolo primùm huic nostro, sed patri avove ejus unà cum civitate Romana. Itâ enim moris fuit, ut qui beneficio alicujus Romani civis aut ducis civitatem esset consecutus, is nomen familiæ ejus quoque assumeret. Plena Historia exemplorum. Talis apud Cæsarem l. 1. Belli Gall. c. 47. *C. Valerius Procillus C. Valerii Caburi filius*, qui Caburus *à C. Valerio Flacco civitate donatus erat.* Talis Demetrius Megas, de quo M. Tullius Cicero in Epist. ad Acilium Procos. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem à Cæsare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur*, lib. 13. ad Famil. ep. 36. Duxit me in hanc conjecturam, quòd ipsemet Paulus *civem se Romanum natum* professus est celeberrimâ illâ ad Romanum Tribunum responsione quæ in Act. 22. 25. legitur. Nec verum sit quod doctissimi quidam viri affirmant, Tarsum fuisse coloniam populi Romani; ut alibi à nobis in Oratione habita de Apostolo Paulo est demonstratum. Sed puto vel temporibus Pompeji, cùm in Oriente res gereret, aliquem ex familia Romana Paulorum nobilissima hoc jus parentibus Sauli nostri impetravisse vel à Pompejo, vel à Senatu, ob aliquod facinus egregium, vel aliud in Remp. meritum: vel (quod longè probabilius est) ipsum Cæsarem, cùm jam rerum victo Pompejo potiretur, Ægyptumque in potestatem redegisset, concessisse hoc beneficium non Pauli solùm parentibus, sed multis aliis nobilissimis & fortissimis viris ex Judæorum gente, quorum præcipuè auxilio operâque præclarâ in illis Orientis bellis usus fuerat. Quòd autem ante conversionem, imò & postea aliquandiu, nomen *Sauli* retinuerit, id vel apud Judæos solos factum est, vel quia jus civitatis à Paulo ob metum vel invidiam intermissum, vel quia in Paulo

aliisque

aliisque Tarsensibus, ejus popularibus, factum esset hoc jus civitatis obscurius, vel etiam à Cassio & adversariis Cæsaris & Augusti planè iis ereptum; ut in eadem Oratione docuimus. Cicero in Epistola suprà citata, de eodem P. Cornelio Mega, *Cumque propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam in qua nomina civitate donatorum incisa essent revelli jussisset, eidem Dolabella, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse quod de Mega vereretur: beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in civium Romanorum numero haberes. Cæterisque in rebus tibi eum ità commendo ut majori studio neminem commendarim.* Sic & apud Hebræos variæ causæ mutandi nominis fuerunt: unde accidit ut Judæorum plerique duo nomina habuerint, ut doctissimus ille Isaacus Casaubonus in Baronianis ostendit cap. 30. ad Apparatum. Ità & apud Romanos. Nam præter Adoptionem, quæ notissima ratio & vulgatissima fuit, etiam Applicationis, & Manumissionis, & Dominii, & Amicitiæ, & alia quædam jura hujus rei ac mutationis causas observavimus. Vide Plinium 7. 12.

§. IV. Vers. 1. Δέσμιος Χριςοῦ Ἰησοῦ, *Captivus* (sive *vinctus*) *Christi Jesu*] Nulla Pauli Epistola hunc titulum habet. Eundem repetit in medio cùm ait, *νυνὶ καὶ δέσμιος Ἰησοῦ Χριςοῦ.* Bis etiam sua *vincula* nominat, & in fine Epaphram *συναιχμάλωτον* suum, q. d. *concaptivum*, ab eadem mente vocat. Hujus rei plures causæ mihi videntur reddi posse. Una est, Quòd revera ex vinculis tum scribebat, &, ut existimo, arctiori custodia quàm antea cùm alias Epistolas ex Urbe scriberet; ut infrà ex iis quæ de Pauli vinculis custodiaque dicam apparebit. Altera causa est, Quòd maximè instituto suo inserviebat hæc appellatio mentioque *vinculorum.* Voluit enim quasi præparare & mollire Philemonis animum ad ignoscendum, excitata in eo misericordià & contemplatione casuum humanorum. Non potest enim implacabiliter homini irasci qui se hominem cogitat. Postrema &, meo judicio, potentissima illa ratio, quamvis occultior, fuit, Quòd hoc modo quasi argumenti quodam genere labefactare durum Philemonis animum voluit, eique persuadere non solùm ut ignosceret Onesimo, sed etiam ut liberum eum esse pateretur, utpote quem Pauli vincula jam antea vindicassent in libertatem. Nam ea videtur occasio conversionis ad Christi fidem Onesimo fuisse, quòd Paulum vinctum vidisset mirabilium effectorem operum. Vide Chrysost. Hom. De Profectu Euangelii, pag. 447. col. 4. Servitus igitur & captivitas Pauli Onesimi libertas fuit, quod clariùs significat cùm dicit *eum à se genitum in vinclis Euangelii*; item cùm *non ut servum eum recipi ultrà* jubet, *sed ut* liberum atque *fratrem.* Simili ratione atque argumento motus fuit Imp. Leo ut Jordani cuidam ignosceret, rogatus de eo quoque à celebratissimo illo Daniele Stilita, quem Imperator ad columnam suam illam venerabundus inviserat, à quo discedens equo lapsus peneque oppressus fuerat. Ità enim brevissimà Epistolà Danieli deprecatori respondit, quam hîc propter elegantiam & humanitatem ingenii totam adscribam Latinè ex Surio: *Periculi quidem mei causa non alius fuit quàm ipse mihi, qui sic ausus sum ascendere ante oculos tuos, & non pedes abii à sacra columna. Ego autem deinceps diligenter cavebo. Jordani verò Stratori non modò non irascor, sed etiam valdè lætor quòd meus ex equo lapsus ei causa fuerit ut qui jacebat surgeret.* Hæc Imperator, qui extremis illis verbis intelligit conversionem Jordanis, cùm ex ea occasione ex Ariano factus esset Orthodoxus, Danielis admonitu & orationis ejus comitate. Nemo existimet Paulum hunc sibi titulum, *Vinctus Jesu Christi*, hîc adscivisse jactantiæ causâ, quamvis aliis in locis multùm pieque glorietur vinculis suis: sed & eodem cognomine quo hîc utitur Ephes. 3. 1. Ἐγὼ Παῦλος ὁ δέσμιος τοῦ Χριςοῦ Ἰησοῦ ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν. Ubi observandum quòd articulum addidit tum suo tum *Christi* nomini, quem in hac Epistola omisit; ut intelligamus alio fine idem cognomen usurpavisse illic, i. e. cujusdam quasi dignitatis ex hac re ostentandæ fuæ: quæ tanta est ut D. Chrysostomus in Hom. De Patientia Jobi eam & *Imperio & Consulatu majorem esse* dicat, *pro Christo vinciri. Imò, si quis me*, inquit, *cum Angelis statuat, aut cum Paulo vincto, vincula eligerem*; & cætera, ut solet, Divinitus. Plus est autem & magnificentius *Christi vinctum* se dicere quàm *pro Christo.* Nam *Christi vinctus* est qui non solùm vincula pro Christo patitur, sed etiam Christi famulus est &, ut Juris clientularis verbo utar, *Ligius.* Ità enim appellant illum clientem sive vasallum qui nullâ personâ, nè Rege quidem excepto, alteri feudario est hominio obligatus. Appellatio ex eo orta quòd ligatis manibus se in fidem senioris addiceret, & juramentum, quod vocant, fidelitatis præstaret. Indè & *Homo* illius propriè dicitur: quod Latinorum institutum fuisse Anna Imp. Alexii Comneni filia ostendit lib. 4. De rebus gestis patris, *καὶ δεξάμενος τοῦτον ὁ βασιλεὺς, καὶ παντοίας φιλοφροσύνης ἀξιώσας, χρήματά τε δοὺς ἱκανὰ, πείθει παρακρῆμα ἄνθρωπον αὐτοῦ γενέσθαι, τὸν τοῖς Λατίνοις συνήθη ὅρκον ἐπομοσάμενον.* Ab hac consuetudine Pauli elegantissimè Gregor. Nazianzenus in Oratione 5. in principio, ad patrem & Basilium *in Christo se vinctum* dicit, *non catenis ferreis, sed tenacissimis spiritûs vinculis constrictum, à senectute, & amore erga eos.* Quod autem Chrysostomus alio loco scribit, Hom. 47. in Acta Apost. Tom. 3. col. p. 256. *nullum in rebus humanis spectaculum posse sublimius excogitari quàm Paulum vinctum pro gradibus templi Hierosolymitani concionantem*, idem planè & iisdem penè verbis Plinius antea scripserat de corona graminea, *Data est*, inquit, *& à Senatu populoque Romano, quâ claritate nihil equidem in rebus humanis sublimius duco, Fabio illi qui rem omnem Romanam restituit non pugnando*, lib. 22. c. 5. Cui similia alibi de Augusto lib. 16. cap. 3. *Dedit hanc* (rostratam coronam) *Agrippa Augustus; sed civicam à genere humano accepit ipse.* Quod coronæ civicæ & Augusti & gramineæ sive obsidionali Fabii tribuit Plinius, idem catenæ Pauli tribui potest à nobis, & quidem multò justiùs, utpote per quam verè genus humanum Pauli laboribus servatum in Christo judicatur. Atque ità non absurdè possumus illa verba interpretari Pauli quæ suprà exposuimus ex cap. 3. ad Ephesios, ubi non contentus dicere *se* esse *Paulum illum vinctum Christi Jesu*, addidit ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν, *pro vobis Gentibus*, i. e. pro salute vestra. Verba autem Chrysostomi cum quibus eadem esse Plinii diximus, si quis Græca requirat, hæc sunt, *Paulus stabat in gradibus, & à loco editiore loquendi facilitas magna erat ligato. Quid huic spectaculo par, videre Paulum duabus catenis ligatum concionantem? Quomodo non turbatus est? quomodo non confusus est tantum populum exasperatum videns astante Præside?*

§. V. Καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς] De hoc more institutoque Pauli, suo nomini in Epistolis aliorum quoque nomina adscribendi, ità scribit eruditissimus Salvianus Episcopus in Epist. ad parentes, rationes ejus instituti reddens. *Cur ita? Primùm, credo, ut simul esse agnoscerentur qui simul scriberent. Deinde, ut hi qui separatim ab unoquoque edocti fuerunt, sciant omnium non discrepare sententiam. Postremò, ut quos singulorum non movebat autoritas, omnium saltem moveret assensus. Ità ergò & nos ingentium exemplorum parvi imitatores*, &c. Hieronymus autem & ipse duplicem reddit rationem: *Ut & Epistola*, inquit, *majorem haberet autoritatem, quæ non ab uno scribebatur; & quia nulla æmulatio erat inter Apostolos, si quid forte Paulo dictitante alis Spiritus ingessisset, absque ulla tristitia addebat Paulus.* Et postea, *Hunc autem morem scribendi in nonnullis Epistolis ejus invenire poteritis, quòd cùm plures & ad plures in præfatione ponantur, postea per totum corpus Epistolæ unus disputans inducitur.* Hæc ille. Ego & illam peculiarem causam in hac Epistola fuisse Paulo existimo quòd tot aliis charissimis discipulis vel collegis sibi, cùm eam scriberet, præsentibus, ut apparet ex fine Epistolæ, unius tamen elegerit *Timothei* nomen quod adjungeret suo; Quia summè mitis & misericors Timotheus, sic quidem ut harum & aliarum virtutum quasi exemplar quoddam perfectissimum haberetur; quò magis ejus nomine permotum iri Philemonem existimavit Paulus. Certè Isidorus Pelusiotes Timotheum ἀοίδιμον καὶ πάσης εὐφημίας ἄξιον vocat lib. 2. epist. 155. Et rursus lib. 3. epist. 91. *tantam à sua virtute iis à quibus audiebatur utilitatem eum attulisse ait, ut etiam solâ recordatione eos qui ipsius meminissent in officio contineret. Poterat enim vel solum in animis versans pudorem simul ipsis immittere, atque eos quibus ipse in mentem veniebat à turpibus & absurdis affectibus puros & immunes efficere.* Hoc igitur & D. Paulus hîc spectavit, ut ab Iracundia Philemonem & ab Avaritia, turpissimis vitiis, revocaret statim initio tanto objecto fulgore nominis atque virtutum. Illud nonnihil turbat animum meum, quòd hîc ipse Timotheus dicitur unà cum aliis discipulis atque amicis Paulum deseruisse in priore defensione quam pro se coram Nerone habuit. Ità enim ipsemet Paulus scribit, & quidem ad Timotheum ipsum, Epistolà posteriore, Ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο, ἀλλὰ πάντες με ἐγκατέλιπον. Additque continenter, *ne Dominus ipsis id imputet:* quo modo certè non scripsisset si inter desertores illos & Timotheus fuisset. Potiùs crediderim à Paulo dimissum fuisse ad Ecclesiarum in Asia procurationem, (ut sæpe ab eo factum est) rediisseque postea ad eum Romam cùm esset iterum accersitus, ut ex d. Epistola cognoscitur. Quod si recipitur, i. e. bis Romæ fuisse Timotheum, nihil absurdi sequitur si dicamus priore illo tempore hanc Epistolam à Paulo scriptam fuisse, in qua nomen *Timothei* tanquam præsentis suo adscribit, sicut & in Epistola ad Philippenses, aliàque ad Colossenses. Mihi quidem non magis persuaserit quis Timotheum desertorem Pauli fuisse, quàm Marcum Euangelistam à Christo discessisse cum aliis ob non intelle-

ctum Christi de carnis suæ manducatione responsum: quod ausus est Epiphanius affirmare.

§. VI. *Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ καὶ συνεργῷ ἡμῶν*] Philemonem hunc; cui hæc Epistola scripta, natione Phrygem, eundemque Colossensium, quod est nobile inprimis Phrygiæ oppidum, Antistitem fuisse omnes putant. Quod præter alia testimonia etiam nomen ipsum indicat in illis nationibus frequens. Ex eadem certè gente & Philemon clarus Poëta Comicus fuit, cujus se Romæ signum vidisse Pierius Valerianus scribit, capeduncul am exporrectâ manu tenentis, altera manu volumen tenaciter restrictum, quasi qui pretium carminum vel dramatum sibi deposcat, additâ inscriptione Græcâ ΦΙΛΗΜΩΝ. Avarissimus enim fuisse dicitur, & ingenti pretio venundare fabulas suas solitus. Quo vitio avaritiæ tota illa natio malè audiebat; & non fuisse ab eo immunem hunc Philemonem Pauli familiarem atque collegam verisimile est. Cur enim, si alios ejus mores Paulus notat, pro Onesimo servulo non deprecatur solùm accuratissimè, sed etiam peculiolam ei spondet? Paulo quidem ut alios Poëtas, quorum etiam testimoniis utitur, sic & Philemonem video lectitatum fuisse. Nam quod 1 Tim. 2. *non se permittere mulieri* ait *αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ*, videtur doctis viris respexisse ad illos Philemonis versiculos,

> Ἀγαθῆς γυναικός ἐστιν, ὦ Νικοστράτη,
> Μὴ κρείττον' εἶναι τ' ἀνδρὸς, ἀλλ' ὑπήκοον.
> Γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρ' ἐστὶν κακὸν μέγα.

Quis non putet, cùm illum alium ejusdem Poëtæ versiculum legerit,

> Ἄτας πονηρὸς οἶνος ὁ πολὺς ἐς' ἀεί,

quin statim illud Pauli præceptum eidem Timotheo scriptum sibi tacitus subjiciat, *Modico vino utere*, 1 Tim. 5. Et cùm anus jubet esse *μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας*, Tit. 2? Theognis,

> Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακός· ἢν δέ τις αὐτὸν
> Πίνῃ ἐπισαμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθός.

Vide plura in Gnomis veterum, pag. 77. Pulcrè autem iis laudibus quas initio hujus epistolæ Paulus tribuit Philemoni, respondet sui nominis notatio tum Græca tum Hebræa. Nam ab *osculi suavitate* Græcis dicitur: unde Lucretius lib. 5. de amatoribus agens, quomodo soleant amicarum vitia & mendas extenuare vocabulis, ait *labiosam* iis videri & appellari Φίλημα, q. dixeris *ad oscula factam*. Hebræis autem, ut autor est Hieronymus, idem est PHILEMON quod *Os panis*. Verè enim ità dici potest qui panem egenis distribuit, eosque fovet ac resocillat: Quâ virtute inprimis Philemonem præstitisse hæc Epistola luculentissimum præbet testimonium. Nè quis contrario sensu interpretetur, quasi qui panem comedat aut voret ipse; quomodo per ludibrium solent in Academiis rupices & scelerati homunciones vocare liberalium doctrinarum & scientiarum Professores Germanico vocabulo ad Latinum alludente. Quam contumeliam à vilium etiam capitum, sed tamen civium, humanitate removit olim gravissimus & eruditissimus Philosophus Dio Prusensis in Oratione Tarsica posteriore, ubi Senatum ipsum & optimates splendidosque cives reprehendit acerrimè quòd plebem egenam atque abjectam, licèt civium numero adscriptam, non pleno tamen jure civium haberent, denique contumelioso eos vocabulo appellarent λινουργοὺς, quod Latino cum Poeta Horatio & vulgo dixeris *fruges consumere natos*, & ex ea re famem inferentes.

§. VII. V. 2. Καὶ Ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ, καὶ Ἀρχίππῳ τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν] *Appiam* istam uxorem fuisse Philemonis, ad quem propriè hæc Epistola scribitur, plerique veterum tradidere. Neque aliter videtur eam D. Paulus Archippo præposuturus fuisse & viro & diacono, & suo aliorumque Christi Ministrorum collegæ & commilitoni. Quare & Græcus Scholiastes Philemonem atque Appiam δεσπότας τοῦ Ὀνησίμου vocat. Idemque præter alios testatur & Theodoretus lib. 5. Divinor. decretorum, cap. de matrimonio. Idem in hanc Epistolam notat rationem cur eam Paulus hic compellarit: *Quia verisimile erat*, inquit, *si fuisset prætermissa, fuisse etiam repugnaturam iis quæ scribebantur. Unde & factum puto quòd pars etiam titulo eam ornet quo Philemonem ἀγαπητὸν appellans.* Posset tamen quis suspicari Archippi eam uxorem fuisse. Nam & in Epistola 2. ad Timotheum, cap. 4. Priscillam præponit Aquilæ marito: quod ea de causa factum Chrysostomo videtur quòd ea ferventior in fide fuerit. Ipsa certè non minùs quàm maritus Aquila Judæum illum Apollo Spiritu Dei ferventem *assumpserunt*, καὶ ἀκριβέστερον αὐτῷ ἐξέθεντο τὴν τοῦ Θεοῦ ὁδὸν, ut legitur in Actis Apostolorum, cap. 18. 26. i. e. *in via* (sive *doctrina*) *Dei accuratiùs eum instituerunt*. Sed ego aliam hujus rei causam puto verisimiliorem. Nimirum hâc quoque ratione blandissimâ infirmiorem sexum honorare Paulus voluit & in de confirmare: quod ejus præceptis conjugalibus alibi expositis convenit. Ut nihil fide consuetudine olim maritorum dicam, qui paulò humaniores essent, de qua ità D. Hieronymus, *Mirum quidem videri non potest quid fœmina religionis Christianæ mysteria sacramentaque ità calluerit ut viros etiam alioqui doctos & ingeniosos erudiverit. Nam & Basilius ille Magnus testatur in epistola, sese à nutrice sua perfectissimè instructum fuisse in omnibus fidei Christianæ articulis: cui postea adjungit & matrem.* Porrò neque illud prætermittendum est, quòd in omnibus vetustis cod. Ἀπφίᾳ legatur, non autem Ἀππίᾳ, ut Interpres V. Latinus extulit, prudenter, ut mihi quidem videtur, & ad Romanam faciliorem suavioremque pronunciationem, cùm *Apfia* illud absurdum quiddam & barbarum sonet, nec sine labore & narium flatu. Cujusmodi vitium pronunciationis in Tarsensibus omnibus Pauli nostri civibus mirificè totâ oratione & eloquentissimè exagitat summus Orator Dio Prusensis, quæ *Tarsica secunda* inscribitur. *Ῥεγχεῖν* vocari Scholiastes illic quam declarat ἄλογον ἦθος κατὰ φωνῆς ἀνήχησιν sicut & Photius Patriarcha, ἐκφύσησιν ἦθος. Cui vitio non absimile est ille Florentinorum quasi gargalismus in loquendo, valdè odiosus iis qui non ei assueverunt. Sed nulla odiosior (etiam Christianis Patribus notatum) quàm Hebræorum pronunciatio. Facit & Josephus *Apfii* cujusdam mentionem: ut dubitandum non sit quin hoc nomen rectè hic apud Paulum scribatur, & proprium sit Judææ gentis ac linguæ: sicut & *Phascha*, quod Græci *Pascha* dixerunt ejusdem εὐφωνίας gratiâ, teste Gregorio Nazianzeno.

§. VIII. Καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ] Sanctus Ignatius Epist. ad Heronem Diaconum, *Saluta quoque pudicissimam Mariam filiam meam eruditissimam*, πολύμαθεσάτην, *& quæ in domo illius est Ecclesiam.* Hæc adjectio *Ecclesiæ domesticæ Philemonis* eodem pertinet quò *Apfiæ* & *Archippi* præscriptio; ut videlicet herus ad ignoscendum Onesimo magis permoveatur. Nam ut in illis duobus autoritas considerata sit quâ apud Philemonem valebant, sic in Ecclesia cœtuque domestico non tam singulorum, quibus omnibus Philemon imperabat, quàm nominis *Ecclesiæ* dignitas spectata fuit. Quid enim Ecclesiæ oranti deneget non Dominus, sed Diaconus vel Presbyter? Dominus erat Philemon singulorum quos domi habebat, sed non itidem Ecclesiæ: hujus enim potiùs minister erat. Neque tamen non & singulos Paulus rogat, vel conjunctim conservos, ut tales sunt; ut qui optimè sciret (quod acutè Chrysostomus observavit) sæpe fieri ut servorum oratio domini voluntatem immutaret, idque tum maximè cùm pro conservo rogant, in quem ipsimet fortasse animum heri commoverant, ut fit, obtrectando vel deferendo: præsertim cùm servi illi rogant qui gratiâ apud dominum valent, vel in ejus conspectu ac ministerio assiduò versantur. Ea enim res audaciores facere solet etiam servos. Eleganter B. Hieronymus in Psal. 133. *Numquid tantam habent fiduciam servi qui in villis sunt quantam illi qui quotidie ministrant? Illis magna dignitas est, qui faciem vident domini sui, & ministrant ei. Denique cæteri servi, qui faciem non vident domini sui, si voluerint aliquid impetrare, conservos petunt.* Eadem & Salvianus. Quòd autem eos servos nominatim Paulus non appellat, eadem ratio fuit quâ nec *servos* sed *Ecclesiam* appellavit; nè fortè Philemonis ira magis incenderetur quàm mitigaretur, si non solùm servos deprecatores sibi allegatos videret, sed etiam in ea re exæquatos eos Doctori Collegæque Archippo. Ecclesia verò Dei discrimina ista ignorat Dominorum & Servorum. Qua de causâ vehementer indignatum Imp. Tiberium legimus, acriterque sacerdotes increpavisse, quòd *cùm pro incolumitate Principis vota susciperent, Neronem quoque & Drusum* filios iisdem *commendavere*, ut scribit Cornel. Tacitus lib. 4. Annalium, qui & rationem duplicem hujus indignationis exponit, & quòd *adolescentes senectæ suæ* eâ re *æquari doleret*, & *nè mobiles adolescentium animi præmaturis honoribus ad superbiam extollerentur.* In qua posteriori latet illa magis arcana ratio quam idem callidissimus Princeps illâ voce ad Macronem Præfectum prætorio Cajo blandientem injecit, *Occidentem ab eo deseri, Orientem spectari.* Sed ad Paulum redeamus. Quærat aliquis cur *Ecclesiam* dixerit *quæ domi tua est*, i. e. Philemonis, non autem *vestra*; ut sic quoque uxorem Apfiam comprehenderet, eique hâc ratione blandiretur, quæ aliàs offendi, ut mulier, eâ re potuisset. Sed blandiendi in hoc nulla ratio erat, præsertim cùm eam suâ sponte facturam quod Paulum velle intellexisset, pro suo in illum amore, speravit. Et domus non *mulieris* dicitur esse, sed *viri*. *Sicut enim vinum aquâ temperatum, tametsi aqua adsit plus, tamen Vinum vocamus, ità rem familiarem & domum æquum est viri appellari, quamvis majorem partem attulerit mulier*, inquit Plutarchus libello, Γαμικὰ παραγγέλματα. Τὴν οὐσίαν, καὶ τὴν

εἶκον

ἶκον, quod malè Interpres vertit *rem familiarem*, omisso *domûs* vocabulo. Aliud est enim domus, aliud res domestica vel familiaris. Postremò notandum est, *Ecclesiam* rectè etiam proprieque dici, ut hic ab Apostolo, etiam domum & familiam cujusque fidelis, quantulacunque ea sit. Quidni? Et Tertullianus in illis verbis Christi Servatoris nostri, *Ubicunque duo erunt in nomine meo congregati, in medio eorum ego sum*, Ecclesiam apertè agnoscit, lib. De pœnitentia, ac in Exhortatione castitatis, in qua Caput & Pastor ipse se Christus dicit verus, universalis & supremus, καὶ εἷς ὑμῶν ὁ καθηγητής, ut Matth. 23. appellatur. Dixi fidelis, sed intellexi & fidelem ipsam. Neque enim *Ecclesia Christi* verè & propriè de aliis dicatur quàm de fidelibus atque electis. Ità Isidorus Pelusiotes lib. 2. Epist. 246. Ecclesiam definivit meliùs quàm nostri recentiores multi, Ἄθροισμα τῶν ἁγίων τὸ ἐξ ὀρθῆς πίστεως καὶ πολιτείας ἀρίστης συγκεκροτημένον, h. e. ut eruditissimus Billius vertit, *Sanctorum cœtum ex recta fide atque optima vivendi ratione collectum*. Quare Imp. Constantinus Magnus unam ex iis orationibus, quas Latinâ linguâ composuit, AD SANCTORUM COETUM inscripsit, quam & *Ecclesiæ* postea *dedicavisse* testatur Eusebius lib. 4. Vitæ Const. cap. 32. Hujus Ecclesiæ domesticæ caput & Episcopus fuit non alius quàm ipse Philemon, idem ille qui publicæ, Colossensis populi. Nè quis Archippum vel alium putet, multò minùs uxorem Philemonis. Quæ altera causa existimari debet cur cùm plurium nomina quibus scribebat cum Philemone conjunxisset, tamen singulariter τῇ κατ' οἶκόν σε ἐκκλησίᾳ dixerit. Neque enim stabilis ulla certaque Ecclesia, non fortuitò conglobata, intelligi potest sine aliquo Episcopo: *Illi sunt Ecclesia*, inquit B. Cyprianus in Epist. ad Pupianum, *plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo.* Non igitur tota domus Philemonis Ecclesia fuit (neque hoc Paulus dixit) sed illi qui in domo ejus erant Christo addicti, licèt duo treisve tantùm fuissent. Sicut & Jurisconsultis nostris *collegium* accipitur; Et elegantissimè Gregorius Nyssenus currum quo vehebatur cum paucis *Ecclesiam* vocat. Ità enim scribit in Epistola De euntibus Jerosolyma, Τὸ γὰρ ὄχημα ἡμῖν ἀντὶ ἐκκλησίας καὶ μοναστηρίου ἦν, διὰ πάσης τῆς ὁδοῦ συμψαλλόντων πάντων καὶ συννηστευόντων τῷ Κυρίῳ, i. e. *Vehiculum publicum*, quod ab Imperatoris benignitate impetratum εἰς εὐκολίαν τῆς ὁδοῦ scribit, *nobis erat vice Ecclesiæ & Monasterii, toto itinere cunctis concinentibus & jejunantibus Domino.* Tametsi in his verbis *Ecclesiæ* vocabulo non ipsi homines sed locus potiùs intelligatur, ut & *Monasterii*. Tria enim *Ecclesiæ* vocabulo apud Græcos significari notavit, ut apud Latinos *concionis* etiam, A. Gellius lib. 18. cap. 7. Unde & cœtus malorum *Ecclesia* dicitur, τῶν ἀπὸ τῆς πίστεως ἀποστάντων 1 Tim. 4. Monasterium autem, quale Christianorum erat Philonis Judæi temporibus, ità ex ipso Philone scribit Eusebius lib. 2. cap. 15, & 17. *Est in singulis locis consecrata orationis domus, quæ appellatur* Σεμνεῖον vel μοναστήριον *in quo secedentes honesta & casta vita mysteria celebrant, nihil illuc prorsus quod ad cibum potumque pertinet inferentes, vel ad reliqua humani corporis ministeria; sed Legis tantùm libros & volumina Prophetarum, hymnos quoque in Deum, & cætera his similia.* Hujusmodi loca nascentis Ecclesiæ temporibus multa ubique fuisse non est dubitandum, ut pluribus exposui ad Epistolam Plinii de Christianis lib. 10. & ad Orationem Divi Pii de Christianis non persequendis; ubi & illud doceo, Quæ idem Philo libro adversùs Flaccum scribit de locis & conventibus Judæorum, quæ ubique ferè gentium præcipueque Alexandriæ habuerunt, & *Synodos*, *Clinas*, *Proseuchas* aliisque nominibus ipsi vel indigenæ appellabant, omnis impuritatis, compotationum seditionumque receptacula, de Christianorum quoque conventibus falsò fuisse credita & persuasa, imò & vindicata acerbissimis pœnis, cùm tamen Judæis omnia illa impunè cederent, concessâ iis licentiâ publicis etiam Imperatorum decretis. Postremò sciendum est, aliam Ecclesiam Colossis publicam fuisse, cui itidem pro Antistite præerat Philemon, ad quam est Pauli Epistola scripta ex eadem urbe Roma, & per eundem hunc Onesimum ac Tychicum ad eos transmissa. Domum autem Philemonis, quam hic Paulus nominat, integram mansisse usque ad tempora sua scribit Theodoretus in Præfatione ad hanc Epistolam, usibus publicis Ecclesiæ destinatam, templum è domo. Callimachus in hymno Apollinis ὀλολυγὴν τὴν μετὰ εὐφημίας λέγει εὐχὴν, Scholiastes ibi, pag. 53.

§. IX. V. 3. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ, &c.] In omnibus Pauli Epistolis hæc vel paulò immutata reperitur inscriptio, quâ illum usum pro vulgari illa Græcorum χαίρειν minimè dubitandum est. Nam & in vocabulo χάρις in tali positu nihil aliud declarari puto quàm χαίρειν sive χαρὰν. quo verbo utitur infrà in hac Epistola Paulus, ut in veteribus cod. legi ajunt pro eo quod in aliis χάριν exaratum est: quamvis, ut dixi, eodem sensu accipiatur & χάρις: neque hic solùm sed & 2 Cor. 1. & apertissimè Tobiæ 7. editionis Romanæ illo loco, Ὁ Κύριος τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς δῴη σοι χάριν ἀντὶ τῆς λύπης ταύτης, ut observavit eruditiss. Joh. Drusius lib 13. Obs. 5. Non ignoro aliter ab aliis exponi in hisce Epistolarum inscriptionibus hoc vocabulum, cui *Gratia* in Latino sermone respondeat, atque ità omnibus verti, à nemine, quod sciam, *gaudium*. Sed hoc judicium meum est, ut ab usitata inscriptione & salutatione noluerit longiùs Paulus discedere, quam & veteres Patres retinuerunt; cùm sit & antiquissimum institutum & maximè proprium Epistolæ, adeò quidem ut etiam quæ verè & propriè dici Epistolæ non possunt propter argumenti rationem, ut suprà §. 1. dixi, vel propter longitudinem, vel propter orationis tumorem, tamen Epistolæ dicantur & judicentur ob hoc ipsum quòd τὸ χαίρειν adscriptum habeant. Demetrius Phalereus περὶ ἑρμηνείας. Τὸ δὲ μέγεθος συνεςάλθω τῆς ἐπιςολῆς, ὥσπερ καὶ ἡ λέξις· αἱ δὲ ἄγαν μακραὶ, καὶ προσέτι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ὀγκωδέστεραι, οὐ μὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιστολαὶ γένοιντο ἂν, ἀλλὰ συγγράμματα, τὸ χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον καθάπερ τὰ Πλάτωνος πολλὰ, καὶ ἡ Θουκυδίδου. Quid quòd & ipsum nomen *Charta* à χαίρειν factum esse doctissimi viri tradiderunt, Josephus Scaliger & Justus Lipsius. Unde & Martiali *Charta salutatrix* pro *epistola*, & Hispanis abscissè *Charta*: nisi malis, quod proprius est, à verbo χάρις vel χαρὰ deducere. Atque ità S. Ignatius Apostolorum Petri & Pauli σύγχρονος in Epist. ad Magnesios in ipsa inscriptione, καὶ εὔχομαι ἐν Θεῷ πατρὶ, καὶ Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ἐν ᾧ πλεῖστα χαίρειν ὑμᾶς εἶη. Addit autem Paulus & hic in inscriptione & in extremo Epistolæ *Deum & Jesum Christum*: qui mos ejus perpetuus est & in aliis omnibus Epistolis precandi ac salutandi, ut eum omnium bonorum largitorem & autorem solum agnoscamus, etiam minimorum: quamvis nihil minimum aut exiguum dici debet quod in nos Deo largiente confertur. Et eleganter pieque Plutarchus in libro De Stoicorum repugnantiis Jovem *ridiculum* appellat, *quòd sese ex eo χαριδότην & κτήσιον & ἐπικάρπιον cognominari velit quia aureas matellas aureasque fimbrias vitiosis dono det, probis autem ea quæ uno sint æstimanda denario, ubi Jovis providentiâ ditati fuerint*, &c.

§. X. V. 4. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου] De precaturus pro servo Onesimo non statim vel ejus mentionem facit, vel rem ipsam adgreditur, sed animum Philemonis quasi præparat ac præmollit, quem esse fugitivo justis de causis infensissimum intelligebat: Sicut Medici malagmatis quibusdam priùs ulceri crudo adhuc & ardenti mederi solent quàm scalpello omnino attingant. Præparationis autem & mitigationis istius ratio blanditiæ quædam sunt ex laudibus Philemonis petitæ. Quod rectene factum à Paulo sit, dubitare forsan poterit eorum aliquis qui hanc Epistolam tanquam Paulo & Apostoli spiritu indignam sibi contemnandam olim existimaverunt. Sed multa sunt quæ Paulum, quamvis blanditum Philemoni concedamus, à crimine adulatoris excusent. Primùm enim blanditiæ non indecent etiam Theologum, cùm vitiosæ omnes non sint, præsertim si inter amicos & familiares, maximeque in scribendo, usurpantur. Imò Phalereus φιλικὰς istas φιλοφρονήσεις Epistolæ summum ornamentum esse statuit, ut suprà etiam admonuimus. Aliud est enim blandiri, aliud adulari, quod semper vitium est & quidem *omnium vitiorum turpissimum*, ait Dio Prusensis Orat. 3. de Regno, Πάντων γὰρ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τῶν κακῶν αἴσχιστην ἂν εὕροι τις τὴν κολακείαν· quòd vilissimi animi sit adulari. Adde & perniciosissimum iis quorum animi adulationibus corrupti, sibi dum indulgent, ab innocentia & virtute longissimè recedunt. Quod eleganter insinuavit ipse Paulus Rom. 16. Καὶ διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων· ubi Vulgaris Interpres *dulces sermones & benedictiones* vertit, minùs efficaciter. Rectiùs & eruditiùs Beza *blandiloquentiam & assentationem* interpretatus est: cujus doctissimas Notas vide. Sunt enim hæc vocabula ἐκ τῶν μέσων, ut Grammatici loquuntur, & cùm in bonam partem tum in malam poni solent: sicut & ipsum vocabulum ἀρεσκείας, quod *placentiam* & *placorem* quidam veterum Latinorum dixere. Distinguuntur enim hæc & æstimantur, ut alia vitia virtutesque, ex proæresi ac fine quem quisque intendit. Quare & ipse Romanus Senatus laudabiliter prudenterque est Neroni Principi aliquando adulatus, si hoc verbo uti licet, *ut juvenilis animus*, inquit lib. 13. Annalium Tacitus, *levium quoque rerum gloriâ sublatus majores continuaret.* Quin & ipsum qui peccavit, maximè Principem vel potentem virum, interdum honestè & cum fructu publico laudari posse didicimus à summo Philosopho, eodemque regendæ Reip. (si M. Tullio credimus) peritissimo & exercitatissimo, Demetrio Phalereo, qui hæc ità tradit in illo suo elegantissimo & nunquam satis vel laudato à me vel lecto libello περὶ ἑρμηνείας sive *De Elocutione*

Fff 2 Ponam

Ponam enim verba Græca autoris, quòd quædam sint etiam quæ videtur Tacitus ad verbum exposuisse in ea quam modò recitavi sententia. Ait igitur, *Καί ποτε αὐτὸν τὸν ἁμαρτάνοντα ἐπαινέσομεν, οὐκ ἐφ' οἷς ἥμαρτεν, ἀλλ' ἐφ' οἷς οὐχ ἡμάρτηκεν· οἷον τὸν ὀργιζόμενον ὅτι χθὲς ἐπῃνεῖτο πρᾶος φανεὶς ἐπὶ τοῖς τοῦ δεῖνος ἁμαρτήμασι, καὶ ὅτι ζηλωτὸς τοῖς πολίταις συνέστη· ἡδέως γὰρ δὴ ἕκαστος μιμεῖται ἑαυτὸν, καὶ συνάψαι βούλεται ἐπαίνῳ ἔπαινον, μᾶλλον δὲ ἵνα ὁμαλῆ ἔπαινον ποιῆσαι.* Similis sed periculosior est illa ratio quam apud prudentissimum Guicciardinum legi in iis quos linguâ vernaculâ scripsit Politicos aphorismos, quâ non jam ipse Princeps qui peccavit, sed ipsum peccatum laudatur, neque eo modo quo interdum consolari homines qui deliquerint solemus, sed alio exquisito & occulto magis; si quis causam excogitet ejus facti honestam ac laudabilem aliquam quâ dicat impulsum Principem fuisse. Nam cùm Princeps ipse intelligit se eâ causâ motum non fuisse, ex eo accidit ut quasi non ab alio sed à sua ipse conscientia admonitus pœnitentiâ ducatur, eoque fiat in posterum cautior. Sed lubrica est hæc sæpe ratio, præsertim in Principe vel stolido vel ad scelera prono, si intelligat etiam perperàm factis posse honestam aliquam causam obduci, semperque aliquos reperiri qui ea probent ac defendant. Honestius & tutius existimo genus orationum quod *Panegyricum* appellatur. Neque enim planè Isidoro assentiendum est, qui lib. 6. Originum, c. 8. *Panegyricum*, inquit, *est licentiosum & lasciviosum genus dicendi in laudibus Regum, in cujus compositione homines multis mendaciis adulantur. Quod malum à Græcis exortum est, quorum levitas instructa dicendi facultate & copiâ incredibili multas mendaciorum nebulas suscitavit.* Hæc Isidorus, quæ nemo generaliter vera esse putet. Semper certè falsa sunt cùm optimis Principibus tales laudationes instituuntur, ut Trajano à Plinio & Dione Prusæo, qui in orationibus illis De Regno virtutes & præclaras artes factaque sic laudat ut non obscuré Trajano blandiatur, qui illa rebus moribusque exprimebat. Denique *species* potiùs quædam *adulationis*, id est imago, hæc est, *non adulatio*, ut idem Plinius lib. 6. Epist. 27. ad Severum scribit. Optimum genus præcipiendi per exemplum.

§. XI. *Πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου*] *Gratiam Dei & preces suas* conjungit D. Paulus, quorum utroque adjuvari & perfici charitatem & bona opera Philemonis vult intelligi. Nihil enim vel gratiâ Dei vel precibus tanti Apostoli efficacius dici potest ad virtutem vel inserendam vel confirmandam in cujusque animo. Quod S. Basilius intelligens ipse etiam hæc duo simul junxit, quibus *se recreatum à morbo* scribit Epist. 5. ad Eusebium Episcopum Samosatensium, *gratiam*, inquam, *Dei & preces ipsius*. Nihil inter Christianos jam à primis nascentis Ecclesiæ temporibus magis usitatum & custoditum fuit quàm hic mos precandi pro aliis, quà publicè, quà privatim: Neque aliud arctius vinculum Christianæ pietatis. Ut non immeritò Paulus statim initio hujus Epistolæ, cùm suam in Philemonem benevolentiam significare vellet, hoc argumento fuerit Precum usus. Reperio & in ipsa Epistolarum inscriptione ac salutatione olim adhiberi consuevisse, ut in literis Gilberti Principis S. Hospitalis Hierusalem custodis sive Magistri ad Ludovicum Francorum Regem præscriptum, *& sacrarum Orationum Hierusalem æternam participationem.* Ait D. Paulus, *semper mentionem tui faciens in precibus meis.* Vetus Interpres, *memoriam in orationibus*: ità enim usitatiùs olim loquebantur; & plus quiddam videtur esse *memoriam facere* quàm *mentionem*: illo enim jucunda quædam & sancta recordatio significatur. Unde & Martyrum Ecclesiæ vel Sacella *Memoriæ* appellatæ fuerunt, teste Augustino lib. 22. De Civitate Dei, cap. 8. Ait Paulus, *πάντοτε*, *semper*, quo ex verbo hic & alibi in S. literis usurpato impium suum dogma Messaliani & Enthusiastæ dicti fortè propagaverunt. Omnia enim Orationibus ac precibus solis tribuebant, Sacramenta neque obesse neque prodesse affirmantes; ideoque semper orandum, omisso omni opere & labore manuum, juxta illud Christi, ut ajebant, Joh. 6. *Operamini cibum qui non perit*, ut apud Theodoretum lib. 4. De hæret. fabul. & Epiphanium Hæres. 40. relatum est. Quin & Dæmones assiduâ oratione fugari dicebant; nec quenquam esse vel fuisse, nè Apostolorum quidem, qui Dæmonem in se habitantem non circumferret. Alius longè usus orationum apud sanctos & orthodoxos. Piissimè & ad hunc Pauli locum accommodatè B. Cyprianus Epist. 57. *Jejuniis, vigiliis, orationibus insistere cum omni plebe non desinamus; incumbamus gemitibus assiduis & deprecationibus crebris. Hæc sunt munimenta spiritualia & tela Divina, quæ protegunt. Memores nostri invicem simus, concordes atque unanimes: utrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutuâ charitate relevemus. Et si quis istinc nostrûm prior Divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio: pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.*

§. XII. V. 5. *Ἀκούων σου τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν*] Plus est in hoc argumento, quod Paulus in hac Epistola tractat, *audiens* quam *εἰδέναι* vel aliud simile dicere. Nam illo verbo *audire* significatur bona fama quæ erat de Philemone apud omnes, quam ut tueatur ut rem pretiosissimam tacitè admonetur his verbis à Paulo. Ut tota hæc Epistola est plena roboris & lacertorum, sic in omnibus ejus partibus, ac penè dixerim verbis ac syllabis, mirifica quædam argumentandi vis latet: quam evolvi atque explicari maximè interest eorum qui cum pietate bonas literas amant & doctrinam interiorem. Eodem artificio sed apertiùs in eadem re usus est M. Basilius Epist. ad Andronicum ducem deprecatoriâ pro Domitiano familiari & fratre scriptâ, *Etenim istud considera*, inquit, *quòd domini quidem eorum qui injurias fecerunt, multi jam ex prioribus fuerunt quorum nulla mentio ad posteros transmissa est. Remiserunt autem iram, qui multos Philosophiâ antecesserunt, quorum immortalis memoria in omne tempus tradita est. Addatur & hoc itaque inter historiæ tua exempla.* Sic igitur & Apostolus tacitè monet Philemonem ut hanc quoque laudem inter exempla historiæ suæ esse, & ad posteros transmitti ejus memoriam patiatur. Notum est enim illud Horatianum,

> *Paulùm sepultæ distat inertiæ*
> *Celata virtus.*

Neque spernenda homini Christiano est omnis gloriæ cupiditas, dum sit in Christo. Certè *Φιλοτιμίαν* usurpat in bonam partem Apostolus in priore ad Thessalonicenses pro *honesto & ordinato appetitu gloriæ*, quâ cupimus retinere bonam conscientiam, & studemus conciliare nobis approbationem honestorum hominum qui rectè de virtutibus judicant. Quæ memini me legere in Homilia quadam magni illius Philippi qui non minùs ipse tamen gloriam fugiebat quàm ipsum gloria persequebatur. Eleganter autem conjungit Charitatem & Fidem in hoc loco Paulus, non Spem & Fidem, ut veteres solebant, etiam Ethnici. Horatius,

> *Quam Spes & albo rara Fides colit*
> *Velata panno.*

Sed aliud illi intelligebant his vocabulis, aliud Christiani. Nam FIDES nobis est *credere in verum Deum, & quem misit Servatorem nostrum Jesum Christum*, & cætera quæ Apostolico Symbolo continentur. SPES autem, omnium Dei promissorum apprehensio, inter quæ primum locum obtinet vitæ æternæ donum. Solitos autem Christianos hæc quoque conjungere, magnus Scaliger in explicatione Freheriani numismatis Imp. Constantini docuit, rationemque hujus conjunctionis illam reddit, *quia altera sine altera non est*. Chrysostomus in 1 Cor. 13. 13. *Quæ duo*, i.e. Fides & Spes, *ità certâ sibi mutuâ vice conjuncta sunt ut altera sine altera stare non possit. Quicquid enim Fides credendo acquirit, hoc Spes sustinendo præsumit. Quid quod*, subdit Scaliger, *veteres Novum T. Fidei symbolum esse dicebant, Vetus autem Spei*? Paulinus,

> *Lex antiqua novam firmat, veterem nova complet:*
> *In veteri Spes est, in novitate Fides.*

Denique quid à Catechumeno exigebatur? Fides. *Credo in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum sanctum*, &c. Spes. *Spero resurrectionem.* Indè illa in vetustissimis monimentis Christianorum, CREDO VIVERE, SPERO RESURRECTIONEM. DEPOSITUS IN SPEM RESURRECTIONIS. Et indè Clemens Alexandrinus *παροιμιακῶς* dixit, *πίστει ἐλπίδα κεράσαι*, *Fidem spei miscere*, vel *temperare*. Sed Paulus Charitatem cum Fide hoc loco conjunxit quòd Spem cur nominaret ratio non erat. De beneficentiæ enim laude agebat quâ in fideles *sanctosque omnes* utebatur Philemon, ut hic dicitur, & Philemoni excitando: & in ipso *Fidei* nomine etiam Spes intelligitur, ut paulò antè ex Chrysostomo demonstratum est. Cæterùm cùm *διδακτικῶς* agit, omnes hasce tres virtutes Christianorum proprias conjungit, ut in illo nobili prioris ad Corinthios loco, cap. 13. *Νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπίς, ἀγάπη, τὰ τρία ταῦτα, μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη. Charitatem majorem & Spe & Fide* dicit tum propter diuturnitatem; quia Charitas æterna erit, cùm duabus aliis, Spe præsertim, non item egemus in æterna vita, ubi quod credidimus & speravimus plenâ adepti possessione erimus: tum quia Spes & Fides non egreditur personam credentis vel sperantis, cùm Charitatis vis longiùs progrediatur, i.e. ad proximum: sicut doctissimi quique Interpretes ad illum locum exponunt. Quare idem de Charitate dici potest quod Philosophus dicit de Justitia, eam esse *ἀλλότριον ἀγαθὸν alienum bonum*, quia, ut Cicero interpretatur, *tota foras spectat atque projecta est, totaque ad alienas utilitates sese exporrigit.*

Postremò

Postremò notandum est quòd Paulus cùm laudasset Charitatem & Fidem collegæ, adjecit explicationis causâ hæc verba, *ἣν ἔχεις πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους*, i.e. *quam habes erga Dominum Jesum, & erga omnes sanctos*, ut vertit Beza atque V. Interpres, nisi quòd particulâ *in* pro *erga* utatur; cùm tamen in Græco priori loco ponatur particula *πρὸς*, in posteriori *εἰς*: quod non sine causa factum puto. Nam quod de Fide dixerat, id ad *Christum* propriè retulit; quod de Charitate, ad proximum sive *sanctos*. Neque enim quisquam, opinor, *charitatem habere* vel *exercere* dicitur *erga Deum*, sed *pietatem* potiùs. *Pietas adversùm Deum*, inquit Cicero. Neque Fidem *in sanctos* ullos habemus, sed in Deum & unigenitum ejus Filium Jesum Christum. Quare potuisset fortè & debuisset illa Græcarum vocum differentia in Latina interpretatione (quod aliquatenus fecit V. Interpres, cùm casus variavit, *in Domino Jesu, & in omnes sanctos*) exprimi vel retineri, cùm diversas sententias ac relationes oratio Pauli contineat.

§. XIII. *Πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους*] Etiam in hoc vocabulo *πάντας omnes* argumentum pulcerrimum cubat, quod tale est, Si in omnes sanctos tam beneficus es ut vera de te fama prædicat, etiam pauperes ac viles, si mundum spectes, sanctos tamen non contemnes aut negliges. Talis autem Onesimus meus, vel potiùs noster, pro quo nunc apud te deprecor. Suscipere igitur eum debes, eique ignoscere, neque committere ut beneficentiæ tuæ fontes, qui omnibus sanctis patent, uni Onesimo meo præclusisse videaris. Neque verò abhorret à decoro, vel Epistolarum, natura, argumentis ac demonstrationibus talibus uti, præsertim tectè, & formâ ipsâ specieque argumentandi occultatâ: quod unus omnium optimè vidit Aristoteles, qui etiam solus vel præ cæteris unus vidit consecutusque est *τύπον τὸν ἐπιστολικόν*, ut inquit Phalereus. Is enim *καὶ ἀποδείξεσί πως χρεῖται ἐπιστολικαῖς*, inquit, exemplumque affert ex eodem aptissimum & simillimum huic quo nunc D. Paulum usum observavi argumento. Cùm enim docere ac demonstrare vellet, decere eodem modo beneficia conferre in magnas civitates atque in parvas, tali usus est demonstratione, *Οἱ γὰρ Θεοὶ ἐν ἀμφοτέραις ἴσοι. ὥστ' ἐπεὶ αἱ Χάριτες Θεαὶ, ἴσαι ἀποκείσονταί σοι παρ' ἀμφοτέραις*, h.e. *Dii enim in utrisque sunt æquales. Quare & Gratiæ Deæ æquales constituentur à te apud utrasque*, i.e. in utroque genere urbium, magnarum & parvarum. Quæ sententia vel in primis Christianæ convenit religioni, in qua omnes æquales sunt: sicut & Deus omnium æqualis, vel omnibus æquus Pater.

§. XIV. *Τοὺς ἁγίους*] Unum est hoc eorum nominum quibus pii homines & Christiani appellati olim fuerunt; sed non eorum tamen proprium. Nam & veteres Patres aliique ante Christum natum *sancti* dicuntur in Veteris Novique Test. libris. Sed cùm Deus per excellentiam ac propriè solus dicatur *sanctus* ac *bonus*, adeò ut Christus ipse *neminem* posse *dici bonum* affirmet *præter solum Deum*, ea fortè causa fuit cur longiùs itum sit, atque hoc nomen non solùm aliis sed etiam ipsis Apostolis abjudicaverint homines scrupulosi & severi nimis. Constantinus quidem Imp. cognomento *Copronymus* edicto sanxit nè *sancti* nomen cuiquam, nè Apostolo quidem, ac nè matri quidem ipsi Servatoris nostri ac Dei, tribueretur, ut scribit lib. 3. Annalium Zonaras; nisi id abusus extorsit, qui in Ecclesiam postea irrepsit. Aliàs ipsa Dei Ecclesia *sanctorum cœtus* definitur, ut suprà docuimus. Notabile est quod Macchiavellus in Historia Florentina lib. 3. scribit, *Octoviros rei militaris præfectos in ea Republica* sanctos *proprio magistratûs vel curationis ejus nomine appellatos fuisse.* Initio autem nascentis Ecclesiæ cùm ipsi Apostoli tum alii Christi fidem complexi *Discipuli* vulgò & ipsi inter se appellabantur, mulieres *Discipulæ*. Quæ & veterum Pythagoreorum appellatio fuit, sicut & magister ipsorum *Doctor* vel *Ipse* dictus: unde illud, *Αὐτὸς ἔφη, Ipse dixit*, i.e. Pythagoras. Quæ haud paulò veriùs ac meliùs usurpata postea in Christo à Discipulis ejus fuere. Sed mox in Concilio Apostolorum Antiochiæ habito *Christiani* appellati sunt, pulcerrimo & gloriosissimo atque in omne ævum in omnibusque gentibus clarissimo vocabulo. Ut mirandum non sit si impius ille Julianus Imperator hoc nomen nobis inviderit, vetueritque, quantum in ipso fuit, usurpari: *Galilæos* enim nominari legi latâ jussit. Et simile quiddam in secunda Synodo Ephesina sancitum, impura illa & sacrilega, in qua Eutyches scelestissimus absolutus fuit. Reperi, cum aliud inquirerem, memorabilem sententiam Abbatis Panormitani, clarissimi Juris Pontificii Interpretis, in cap. *Decet*, de imm. Eccles. quam hic adscribendam duxi, CHRISTIANI *nomen*, inquit, *rectè assumptum. Nam & unctionem nobis Christus communicavit*, JESUANI *rectè dici non possumus, quoniam Servator unus ipse est.* Alio sensu apud Prophetam Abdiam v. 21. *Servatores* populi dicuntur, ex eo scilicet quòd populum in bello servarent tuerenturque ab hostibus. Quare non incallidè, ut cætera, sic & hoc nostri temporis Sacerdotes sive Monachi: Non enim ipsi inter se *Jesuitas* vel *Jesuanos* appellant, neque ab aliis appellari, ut opinor, cupiunt; sed potiùs *Sodales* vel *Socios Jesu*, & *Societatis Jesu*: in quo ridiculi tamen sunt, & sui acuminis falsi; cùm in tota Scriptura nemo *sodalis* vel *socius Jesu* appelletur præter unum Judam proditorem, & quidem ab ipso Christo, *Ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει*; Diutissimè & *Fratrum* nomen illis veteribus Christianis adhæsit, aliaque similia honestissima inter ipsos. Nam suis quidem & à paganis longè aliter habiti appellatique fuerunt, nempe ad ignominiam confictis nominibus, inter quæ præcipuum & frequentissimum fuit *Impostores*: adeò ut hoc vocabulo Ulpianus, Christiani nominis acerbissimus hostis, eos indigitarit, cùm scripsit, *Si, ut vulgari verbo impostorum utar, exorcizavit*, L. 1. §. 6. D. de var. & extr. cognit. Hieronymus Epist. 10. ad Fur. *Ubicunque advenit Christianus, usurpant statim de trivio, ὁ Γραικὸς ἐπιθέτης*, scil. *O Græcum impostorem*, & Epist. 19. ad Marcell. *Si tunica non canduerit, statim illud è trivio, Impostor & Græcus est.* *Græci* enim appellabantur Christiani, quòd Græcorum more pallio, abjectâ togâ, uterentur. Similiter & *Judæi* & *Nazaræni* appellati, quòd ex Judæa orti essent, & Christi hominis Judæi religionem sequerentur: quod ex Tacito Suetonio, Tertulliano, aliisque veteribus scriptoribus docuere jampridem eruditissimi viri. Nec meliori conditione ipse Autor religionis & salutatis nostræ Princeps fuit, *Impostor* à suis Judæis vocatus. Ità enim Budæus & alii rectè interpretati sunt illum locum Matthæi cap. 27. *Κύριε, ἐμνήσθημεν ὅτι ἐκεῖνος ὁ πλάνος εἶπε, Μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι. Domine, memoriâ tenemus quòd Impostor ille dixit, Post tres dies resurgo*, vulgò *seductor*. Ab eadem mente impiissima & sceleratissima *Syrus Sophista* à Luciano nominatur.

§. XV. V. 6. *Ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθοῦ, Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis boni in vobis in Christo Jesu*] Ità V. Interpres, qui *ἐναργὴς* hic legit: quod rectiùs ferè putat doctissimus Interpres quàm quod in Græcis cod. legi ait, *ἐνεργὴς efficax*, ut ipse vertit. Pergit enim Paulus beneficentiam Philemonis laudare, eumque desiderio bonæ famæ magis magisque accendere: nec minùs alios quoque ad eandem laudem hortatur. Quemadmodum cùm Christus Servator noster illam nobilem Petri confessionem laudat; *Beatus es, Simon Bar-Jona, βεβαιώσας τοῖς ἐπαίνοις τὸν λόγον, παιδεύει τοὺς ἅπαντας, sermonem Petri laudatione confirmans, omnes erudit*, inquit Basilius Seleuciensis. Quare *communicationem fidei tuæ in agnitione omnis boni*, &c. sic interpretor quasi velit Paulus dicere, precari se Deum ut Philemonis fides cum pari beneficentia conjuncta omnibus innotescat, pariter atque exemplo & hortamento ac velut protelo sit ad easdem laudes persequendas, ut eæ non magis propriæ sint Philemonis quàm communes omnium sanctorum: Sicut & Christus ipse communis est omnium Servator, *omnis*que autor & largitor *boni*, i.e. omnium, ut interpretor, virtutum. Simul indicat, omnes in piis hominibus virtutes à Christo proficisci & in Christum referri, maximeque Fidem & Charitatem, quas suprà nominavit, & à fide ac charitate Philosophorum sive Ethnicorum hominum differre suprà monuimus. Non dixit *κοινωνία ἀγαθοῦ*, vel *ἀγάπης*, *communicatio boni*, vel *charitatis & beneficentiæ*, quia veræ fidei hæc fructus sit atque effectus. Unde illud Jacobi Apostoli, *Fidem ex operibus ostendi, tanquam ex fructibus arborem.* Deinde ambiguum erat si *communicationem boni* dixisset, præsertim addito *quod est in vobis in Christo Jesu*, sive *per Christum Jesum*. Nam hâc ratione S. Eucharistiam videri potuisset designare: quod à re & instituto ejus erat alienum. Ità enim per excellentiam quandam *κοινωνία τοῦ ἀγαθοῦ* olim accipiebatur, ut ex hoc Basilii M. in Epist. ad Amphilochium loco apparet, *Οἱ ἔξω ὄντες τῆς ἐκκλησίας εἴργονται τῆς κοινωνίας τοῦ ἀγαθοῦ, Qui extra Ecclesiam constituti sunt, arcentur à communione Boni*, i.e. Cœna Domini. Sed quod est 2 Cor. 8. 4. *Τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους*, idem est quod in hac Epistola parvâ immutatione verborum dixit, ut suprà exposuimus. Itaque Syrum & Arabem Interpretes illum locum accepisse notat ibi eruditissimus Beza; Perinde, inquit, accipiunt ac si dicerentur Macedones non exspectasse ut de hac collatione compellarentur ab Apostolo, qui fortasse potiùs videbat eos aliorum subsidio egere, sed contrà precibus apud eum institisse ut & ipsi in hujus beneficentiæ partem ac societatem admitterentur.

§. XVI. *Τοῦ ἐν ὑμῖν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν*] In hac Philemonis laudatione & charitatis blandimento *Dei* & *Jesu Christi* nomen sæpius inculcat D. Paulus. Cujus rei, præter ferventissimum amorem & pietatem, duas peculiares propriasque causas videor

poſſe reddere. Una eſt, Quòd dum tantas laudes Philemoni tribuit, in iiſque commemorandis tantopere inſiſtit, non ſibi propterea gratiam aliquam apponi velit, cùm ipſe non ſit earum laudum auctor, ſed Deus. Qua in re vitium non ſolùm adulatoris ſed & exprobratoris egregiè vitavit. Scitum eſt enim illud Poëtæ excellentiſſimi, Pindari, qui cuidam dicenti, *Ego te ubique & apud omnes laudo*, reſpondit, *Et ego tibi gratias refero: facio enim ut verax ſis*, ut refert Plutarchus in libro περὶ δυσωπίας. Quòd ſi cui gratiæ agendæ ſint, non ſibi ſed Deo ſoli, qui virtutum omnium Pater eſt & Donator, agendas eſſe Paulus ſignificat, cùm inquit, Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, &c. Altera cauſa eſt, Quòd hâc ratione, i. e. interpoſito toties Dei nomine, vera ſe & ex animi ſententia loqui declarat. Intelligebat enim non ſolùm alios qui hanc Epiſtolam legerent, ſed & ipſum Philemonem, ſuſpicari poſſe, nè ironicè potiùs quàm ex animo hæc ſcripſiſſe de ipſo videretur, præſertim cùm ipſa res contrarium de eò clamaret in cauſa ſervuli, cui & propter fugam & rei familiaris jacturam tantopere iraſcebatur. Eſt quidem omnium hominum, etiam optimorum, etiam ſapientiſſimorum, vitium, laudes ſuas libenter audire: quæ, ut ait Seneca, *ſæpius excluſa tandem admittuntur*. Sed alii magis iis capiuntur, & ſine judicio vel modo plerique. Ad hoc, nemini non notum erat ingenium Phrygum; qua ex gente Philemon erat. Duri enim & illiberales atque avari in primis habebantur: quod & proverbium teſtatur,

> *Φρὺξ ἀνὴρ πληγεὶς ἀμείνων καὶ διακονέστερος.*

Eoſdem tamen laudibus ſupra modum delectatos fuiſſe exiſtimant altero illo proverbio declarari, Μᾶλλον ὁ Φρύξ· ut non ſit propterea Paulus reprehendendus, quamvis daremus eum paulò blandiùs Philemoni ſcripſiſſe ut propoſito inſerviret ſuo. Ironia certè ab eò abfuit: plerumque ea turpis eſt, & in omnibus. Duos enim ſolos legimus, hoc vitio cùm laborarent, excuſationem meruiſſe apud veteres, Socratem illum Athenienſem, & P. Scipionem Africanum. Duas etiam tantùm cauſas Ironiæ probabiles eſſe docet acutiſſimus Philoſophus Piccolomineus lib. 4. Moralis Philoſophiæ. Tunc Ironia uſum Paulum doctiſſimi viri exiſtimant cùm alapa percuſſus juſſu Ananiæ Pontif. Maximi, objurgantibus eum *quod parietem dealbatum* appellaverat, *Neſciebam*, inquit, *Pontificem Max. eſſe. Scriptum eſt enim, Principi populi tui non maledices.* In quo reſponſo duplex mihi videtur ineſſe Ironia: Primùm quòd dicit, *Neſciebam eum Pont. Max. eſſe:* vix enim id veriſimile cuipiam videri poſſit, cum ne à pueris quidem ex ejus ſaltem veſtitu quiſnam eſſet ignorari potuerit. Deinde, quòd eundem Ananiam *Principem populi* vocat, cùm eſſet tantùm Pontifex Max. ut non videatur ratio hæc congruere cum dicto & pœnitentia Pauli. Diſtincta enim hæc erant apud Judæos munera, *Pontificis*, inquam, *Max.* & *Principis Sacerdotum*, & *Principis populi*, ut eruditi viri obſervaverunt: licèt duo illa priora paſſim confundi videas, etiam apud doctos. Sed maximè ex eo deprehenditur Ironia Pauli, quia Ananias iſte verus Pontifex non erat, quamvis Pontificis Max. officio fungeretur in illa rerum omnium perturbatione, ut apparet ex Fl. Joſephi hiſt. illorum temporum. Similis Ironia Pauli notata eſt pariter in appellatione Epimenidis Poëtæ Cretenſis, cùm *Prophetam Cretenſium* eum dixit Epiſtolâ ad Titum, Ἴδιος αὐτῶν προφήτης, ut Eraſmus & alii exiſtimant. Sed cùm Felicem Præſidem hominem ſceleratum κράτιστον, i. e. *optimum*, appellat, Ironiâ uſus videtur vel adluatione: quod meritò repudiarunt viri doctiſſimi & in his Baronius, Cardinalis clariſſimus, Annalium Eccleſiaſticorum conditor; qui & illud eruditè in Præfat. in lib. Antiquit. ubi Epaphroditum laudat annotavit, *Romanis Bonos dici ſolitos candidatos, Optimos verò ipſos jam Magiſtratus*, prolato Senecæ loco ex lib. 2. epiſt. 3. Paulum igitur nihil aliud quàm ſolitum dignitatis titulum Præſidi tribuiſſe quo compellari ſolebat. Ironia vera irriſionem habet admixtam, præſertim ſi quod dicitur apertè falſum ſit, niſi conſuetudine, ut dixi, excuſetur. Irriſiſſet Paulus Felicem ſi vel alio vocabulo inuſitato compellaſſet eum, vel ei quo uſus vocabulo eſt adjeciſſet *omnium* aut ſimile quiddam. Quomodo, ſed ex vero meritoque, eruditiſſimum & humaniſſimum Epiſcopum Syneſium reperio locutum eſſe in Epiſt. 44. ad Johannem, οὐ γὰρ δή, inquit, κράτιστε τῶν ἡγεμόνων, ἐρεῖς, *Optime Præſidum.* D. quoque Auguſtinus lib. 1. contrà Adverſarium Legis & Prophetar. Ironiam notavit in illis verbis Pauli 2 Cor. 12. χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην, *Donate*, vel *condonate*, *mihi hanc injuriam*, quòd ſcilicet victum manibus meis, dum veſtris commodis inſervio, toleravi, nec vobis gravis aut oneroſus fui. *Cur enim*, inquit Auguſtinus, *roget ſibi ignoſci, qui profuerit officio?* Sed mihi non tam Ironia in his verbis, quæ eſt latens quædam irriſio, quàm aperta ingrati & inſipientis animi exprobratio contineri videtur. Potiùs in tota illa Epiſtola, quæ à D. Paulo ſui extenuandi & Corinthios contrà commendandi & laudandi causâ ſcripta ſunt, ſanè multa pro Ironia quadam perpetua accipi poſſunt, & quali uſum Socratem, quoties ageret cum Sophiſtis, apud Platonem legimus. Nec ab hac figura ſpecieque reprehenſionis alienus fuit, quoties res poſcebat, ipſe immaculatus Dei Agnus, Jeſus Chriſtus, veluti Marci 7. 9. in verbo, Καλῶς, inquit: quod Beza vertit *ſanè bene*, ex Terentio, ut ait; malim *eleganter*, vel *pulcrè*. Sicut Solimannus Imperator Ferdinandi Cæſ. Legatis multa de jure quod in Hungariæ Regnum Cæſar haberet diſputantibus, nihil aliud ſubridens reſpondit quam *Giuſel*, *Giuſel*, i. e. *Pulcrè*, *Pulcrè:* quaſi non ipſius gladius juſque victoriæ omnia illa jura quæ contrà adferebantur deleviſſet, ut ipſe dictitabat. Sed & alia defenſio pro Paulo adferri poteſt, ea videlicet quâ ſe ipſe Cicero tuetur adverſus eos qui laudatum Calvum ab ipſo indignabantur, lib. 15. ad Famil. Epiſt. ultima ad Trebonium. *Deinde ingenium ejus melioribus extuli laudibus quàm tu id verè potuiſſe fieri putas. Primùm quod ita judicabam, amore* [*acute*] *movebatur: genus quoddam ſequebatur, in quo judicio lapſus, quo nolebat* [*valebat*] *tamen adſequebatur quod potuit.* [*probaret*] *Multæ erant & recondita literæ: vis non erat: ad eam igitur adhortabar. In excitando autem & in acuendo plurimum valet, ſi laudes eum quem cohortere.*

§. XVII. V. 7. Τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ] Virum nobilem & primarium Coloſſis fuiſſe Philemonem literis proditum eſt: Divitem & liberalem ex hoc loco intelligimus, totâque laudatione ejus, quæ ad ſolam ferè munificentiam refertur. Quamvis dici & illud poſſit, ex collationibus piorum hominum eam in ſanctos liberalitatem exercuiſſe, cùm eſſet ſimul Eccleſiæ ejus Epiſcopus, ad cujus munus propriè pertinet quàm plurimis benefacere ac ſubvenire, præſertim egentibus. Chryſoſt. in Matth. pag. 192. c. 2. Notanda eſt autem in his Pauli verbis elegantiſſima αὔξησις, cum ait, non *ſancti*, ſed *viſcera ſanctorum*; item, *refocillata ſunt*. Nam inſignem Philemonis beneficentiam ſignificat, cujus ſenſus ad intima uſque viſcera ſanctorum penetraverit, eoſque non modò adjuverit ſed penitus recrearit ſummoque gaudio perfuderit: Hoc enim verbum ἀναπαῦσαι Paulo ſignificat. Vetus Interpres *requierunt*, vertit, *ineptè* ait Beza, ſed videtur verbi Græci etymologiam ſecutus. Neque ſignificatio verbi *requieſcendi* abſurda hoc loco, vel ſegnitie ſententiæ notanda, ut puto. Eſt enim verbum Græcum ductum à viatoribus, qui via vel æſtu ac ſiti confecti & defeſſi requieſcunt, eoque recreantur & quaſi reſpirant. Unde & *Manſiones* ac *Stationes* in Itinerariis dictæ. Neque aliam originem fortè habuit verbum *Raſta*, quo veteres Germani *milliaria* ſignificabant, nimirum à *Ruhe*, quod eſt *quies*; & *Steben*, quod eſt *ſtare*, unde *Raſta* factum eſt ut equidem opinor. B. Hieronymus Commentario in Joëlem Prophetam, *Pſalmiſta dicente*, (Pſal. 139.) SEMITAM MEAM ET FUNICULUM MEUM TU INVESTIGASTI. *In Nilo enim flumine ſive in rivis ejus ſolent naves funibus trahere certa habentes ſpatia, quæ appellant* Funiculos: *ut labori defeſſorum recentia trahentium colla ſuccedant. Nec mirum ſi unaquæque gens certa viarum ſpatia ſuis appellet nominibus, cùm & Latini* mille paſſus *vocent, & Galli* leucas, *& Perſæ* paraſangas *&* raſtas *univerſa Germania, atque in ſingulis nominibus diverſa menſura ſit.* Idem ſuprà ſcribit LXX. Interpretes χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων, *Funiculorum torrentem*, tranſtuliſſe. Quanta ſit autem hujus ἀναπαύσεως ſuavitas, enim ignotum eſt. Adeò ut Poëtæ, cùm eximiam quandam ſuavitatem ac recreationem demonſtrare volunt, ab hac re ſimilitudinem mutuari ſoleant. Virgilius,

> *Quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum*
> *Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.*

De vocabulo σπλάγχνα pluribus infrà dicendum erit ſuo loco, i. e. ubi Paulus Oneſimum *ſua viſcera* appellat.

§. XVIII. Ἀδελφέ] Magnum πάθος habet in fine periodi hujus poſita vox ἀδελφέ, *Frater:* quod non haberet, aut certè eſſet hebetior oratio, ſi in principio vel in medio collocata fuiſſet. Quod obſervatum eſt etiam cùm in aliis quibuſdam veterum ſcriptorum locis, tum in illo maximè Virgilii, lib. 6. Æneidos, ubi Anchiſes nepotem Cæſarem ſic alloquitur,

> *Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,*
> *Projice tela manu, ſanguis meus.*

Nam & in verbis ipſis ineſt maxima ἔμφασις, *ſanguis meus*, & in ipſa collocatione. Converte, vel alio loco illa verba pone, interibit & venuſtas tota ſententiæ, & πάθος. Interibit, dico: quod & res ipſa demonſtrat, & ſummo dicendi & agendi magiſtro, Demetrio Phalereo, animadverſum in forma orationis quam δεινότητα Græci vocant, notatumque in præceptis eſt in elegantiſſimo libro περὶ ἑρμηνείας. Sic enim ait, Ποιητικὸν

δεινότητι

δεινότητός ἐςι καὶ τὸ ἐπὶ τέλει τιθέναι τὸ δεινότατον, περιλαμβανόμενον γὰρ ἐν μέσῳ ἀμβλύνεται· καθάπερ τὸ Ἀντισθένους, Σχεδὸν γὰρ ὀδυνήσει ἄνθρωπος ἐκ Φρυγάνων ἀνας άς. εἰ γὰρ μετασυνθείη τις ὕτως αὐτὸ, Σχεδὸν γὰρ ἐκ Φρυγάνων ἀνας ὰς ἄνθρωπος ὀδυνήσει, καί τοι ταυτὸν εἰπὼν, ὐ ταυτὸν ἔτι νομισθήσεται λέγειν, *Quamvis*, inquit, *idem dixerit, non idem amplius existimabitur dicere.* Quod & Horatium significare illo versu voluit in libello De Arte Poëtica,

> ——— *Sudet multùm frustraque laboret*
> *Ausus idem: tantum series juncturaque pollet.*

i. e. *ordo, œconomia, compositio verborum*, ut ibi Acron exponit. Sunt nunc homines pariter & inepti & impii qui Paulinas Epistolas quasi ab omni elegantia artificioque nudas contemnunt aut fastidiunt: Quibus quid aliud hoc tempore objiciam magis accommodatum stultitiæ eorum refellendæ quàm judicium maximi illius & harum inprimis literarum quæ ab *humanitate* nomen habent intelligentissimi acerrimique censoris, Des. Erasmi, & quidem de hac ipsa quam illustramus Epistola scriptum. *Declarat*, inquit, *hæc Epistola, quamlibet brevis, Paulum hominem fuisse singulari quadam præditum humanitate, qui tanto studio servum fugitivum commendaverit, & ei commendaverit obsecrans & obtestans, cui pro sua auctoritate proque meritis in illum poterat imperare quod rogat. Deinde quid festivius etiam dici poterat vel ab ipso Tullio in hujusmodi argumento? nisi quòd quidam nomine duntaxat Christiani, animo insensissimi Christo, nihil eruditum putant, nihil elegans nisi quod idem sit Ethnicum; & universum sermonis florem semel periisse existimant si quid de Christo fuerit admixtum, quod illius sapiat doctrinam: cùm ea vel prima sit eloquentia pars, sermonem rebus accommodare. Quò magis etiam admiror ullos de hac Epistola dubitasse num Pauli esset, cum pro ratione modoque argumenti nihil esse magis Paulinum possit.* Hæc Erasmus. Non dubito quin Italos nostros hac reprehensione, in primisque Jac. Sanazarium Poëtam, perstringat. Nam is, cùm de Christo Jesu tres libros, sanè luculentos, scripserit, nè semel quidem *Christum* aut *Jesum* nominare ausus est, offensus, ut puto, parùm Latinis auribus tritis nominibus: sed hoc in verbis. Quale autem illud est & quantum ejusdem in eodem opere peccatum, etiam aliis notatum, quòd sanctissimæ Virgini Mariæ veteres de more Sibyllas in manibus ponit! & de rebus à Christo gerendis vaticinium prolaturus, non Esaiam, non Davidem, non veterem alium Prophetam, sed Proteum ea canentem inducit in antro Jordanis, quò ex marino suo domicilio fortè diverterat! Nam quid de P. Bembo dicam? Is quidem Epistolas omnes Pauli palàm condemnavit, easque deflexo in contumeliam vocabulo *Epistolaccias* est ausus appellare, cùm amico autor esset *nè illas attingeret*, vel, *si cœpisset legere, de manibus abjiceret, si elegantiam scribendi & eloquentiam adamaret.* Impiene magis an stultè hæc Bembus dixerit sciri non potest; adeo utrumque in eò excellit atque eminet, Impietas, inquam & Stultitia. Ut cæteram ejus Carminum obscœnitatem taceam, quid ejus Epistolis ineptius, & quidem illis quas Summi Pontificis nomine, & de rebus maximis scripsit, & ad viros maximos? Mentiar ergo, & luam gravi pœnâ, si vel unam mihi in decem illis voluminibus epistolam ostendant amatores ejus quæ non insigni aliquo vitio Grammatico laboret, aut puerili aliqua ineptia conspicua sit & demonstrabilis. Nè quid de rebus ipsis atque sententiis dicam sapientiæ inanissimis, & mirè languidis & (repetendum est enim quod ejus proprium maximè est) ineptis.

§. XIX. V. 8, 9. *Διὸ πολλὴν ἐν Χριςῷ παῤῥησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον, διὰ τὴν ἀγάπην μᾶλλον παρακαλῶ*] Laudatâ pluribus verbis à Paulo, ut in tam brevi Epistola, Philemonis erga omnes sanctos beneficentiâ & charitate, eaque ratione ejus animo ad misericordiam mollito atque demulso, apertiùs jam atque alacriùs rem aggreditur. Ac quoniam deprecatoris personam semel inducit, hìc tamen sese in ea gerit ut personæ suæ non oblitus videatur. Ità, inquam, Philemonis amici & collegæ meminit, ut simul etiam meminerit se Paulum & Apostolum esse: Sed hoc ipsum tamen modestissimè ac mollissimè, & non nisi prælato *Christi* nomine, cujus auctoritati suam inniti demonstrat. Quin etiam quò leniùs hæc deprecatio in animum influat, nè Christi quidem auctoritate se usurum fuisse significat, nisi humanitate quoque Philemonis esset provocatus atque excitatus. Quibus omnibus concurrentibus, quæ singula per sese valere poterant ad defensionem Pauli, siquidem imperio uti quàm precibus maluisset, non se tamen *imperare* quicquam ei velle dicit, sed *rogare*. Quid potest, quæso, hàc Pauli humanitate dulcius aut blandius excogitari? Quis unquam vel summorum Oratorum tanto est usus & tam suavi comique artificio? Cujus non animum tam dulcis expugnaret agendi & dicendi ratio? Estne aliquid ultrà quò progredi possit civilis & bene instituti hominis comitas? Neque enim cùm dicit Paulus *se rogare malle*, id simpliciter dicit, nè quis fortè putaret preces imperiosas, præsertim sua auctoritate & Christi antè præposita, sed adjicit, *διὰ τὴν ἀγάπην rogare se.* Idque eò magis mihi fecisse Paulus videtur quòd sciebat verbum *παρακαλῶ*, quo bis hìc utitur, etiam pro *hortari* ex usu Græcæ linguæ accipi posse: quod parùm abest ab *imperio*, præsertim cùm à potentiore pronunciatur. Unde & *ἀντιπαρακαλεῖν* pro *dehortari* vel *in diversum hortari* Xenophon dixit. *Παῤῥησίαν* Cicero *pro imperio loqui* exponit lib. 9. Epist. ad Att. 17. *αὐθεντικῶς*. Sic alibi Apostolus vetat mulierem *αὐθεντεῖν*, i. e. *imperium in virum exercere.* Precatur igitur & supplicat Paulus, & quidem *per charitatem & dilectionem*, non solùm Philemonis, apud quem precator intervenit, sed etiam suam parem ac mutuam. Ità divina planè artificio preces & imperium, humanitatem & auctoritatem, dignitatem & humilitatem miscuit: quod & in sequentibus perpetuò facit. Quâ etiam ratione usum Demosthenem didici ab Ulpiano ejus interprete in Oratione pro Corona ad illa verba, *Ἀξιῶ, καὶ δέομαι πάντων.* Ità enim ibi notat, *Κρᾶσις ἀξιώματος καὶ οἴκτου γεγένηται. τὸ μὲν, ἀξιῶ, τὸ δίκαιον νομίζω, ὑπολάβοι ἄν τις· τὸ δὲ δέομαι, σαφῶς τὸ ἱκετεύω δηλοῖ· ὥςε διὰ μὲν τοῦ, ἀξιῶ, φυλάττει τὸ Φρόνημα· διὰ δὲ τοῦ, δέομαι, θηρεύει τὸν ἔλεον. Atque ità*, inquit, *per verbum ἀξιῶ peto magnitudinem animi retinet, per verbum δέομαι misericordiam venatur.* Elucet ergò in oratione Pauli & auctoritas Apostoli Christi in verbo *ἐπιτάσσειν*, & dignitas consiliarii sive hortatoris & humilitas deprecatoris in verbo *διὰ τὴν ἀγάπην παρακαλῶ.* Ipsum enim verbum quo *imperii potestatem* significavit planè id exprimit. Est enim *ἐπιτάττειν pro imperio statuere*, ut Budæus docet, prolato Aristotelis in 4. Politic. loco, *Ἀρχὰς δὲ λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βυλεύσασθαι περί τινων, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι. καὶ μάλιςα τοῦτο. τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐςι.* Et indè *ἐπιταττόμενοι* sunt *subditi*, quibus imperia accipere necesse est. *Cruci affigi, libertatem portendere* Artemidorus cùm *servis* dixisset, hanc orationem subjecit, *Ἀνεπίτακτοι γὰρ οἱ ςαυρωθέντες.* Significavit hanc potestatem etiam luculentiùs D. Paulus, cum dixit *παῤῥησίαν ἔχων ἐπιτάττειν*, i.e. *potestatem habens imperandi tibi*, vel *pro imperio tibi mandandi.* Quare ut severitatem horum verborum mitigaret, adjecit *τὸ ἀνῆκον*, i. e. *id quod decet*, vel *quod tui est officii.* Quo temperamento etiam usus est & Demosthenes in suprà allegata Oratione, *Ἐπειδὴ*, inquit Ulpianus, *τὸ, ἀναγκάζειν, ὕποπτον ἦν, ἐπήγαγεν εὐθὺς τὸ, δίκαια ποιεῖν. δεῖ γὰρ καὶ ἄκοντας ἐμβάλλειν εἰς τὰ καθήκοντα τὺς οἰκείυς. Qui enim conjuncti nobis sunt & familiares, eos & invitos adigendos* ait *ut præstent ea quæ deceant.* Talis Philemon Paulo erat multis de causis, & tamen, quia, ut antea dixi, deprecatoris personam semel suscepit, molliùs agit cum eo Paulus: quod etiam infrà causa addita demonstrat, cum ait, *ut ex voluntate non ex necessitate benefacias.* Nihil enim alienius est à deprecatoris persona quàm imperiosius loqui vel arrogantius, etiam ubi erga inferiorem agimus & obnoxium. Idque diligentissimè cavere prudentes homines & modesti solent. Prudentissimè hoc idem Plinius Cæcilius vidit in Epistola ad Solimanum, quâ pro liberto fugitivo deprecatur, *Vereor*, inquit, *nè videar non rogare sed cogere, si precibus ejus meas junxerim.* Unde discimus non solum potentiorum hominum preces vim quandam necessitatis habere conjunctam, sed & amicorum. Est & illa utilitas, quòd, ut Seneca scribit lib. 1. De clementia, cap. 4. *Remissiùs imperanti meliùs paretur.* Non minus fortasse juris, neque levioribus de causis, in Philemonem habebat Paulus quàm Imperator improbissimus Opilius Macrinus in Oratione ad Rom. Senatum missa, in quo hoc refert Julius Capitolinus, *Antonino Divinos honores & miles decrevit, & nos decernimus, & vos, P. C. ut decernatis, cùm possimus Imperatorio jure præcipere, tamen rogamus.* Quid est enim aliud hoc quàm servitutem Senatui exprobrare, &, quod acerbissimum est, simul quasi per clementiam illudere? Tolerabilior videtur nuda illa *παῤῥησία* quâ usi Legati Rom. Pontificis ad Angliæ Regem in causa cædis Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, cùm is quædam elatiùs, ut ipsis videbatur, dixisset, *Noli*, inquiunt, *minari, ò Rex. Nullius nos minas pertimescimus. Sumus enim ex illa aula quæ solita est imperare & Regibus & Imperatoribus.* C. Cæsarem Caligulam te putes audire, qui in convivio Regibus aliquot de sua nobilitate disputantibus exclamavit. *Εἷς κοίρανος ἔςω, εἷς βασιλεὺς*, Sueton. in Vita, c. 22. Sicut & Bonifacius ille Octavus Legatis ab Imp. Alberto missis, accinctus ense, & Imperatoriâ coronâ aliisque ornamentis in solio consìdens, cùm audisset eorum postulata, exclamavit, *Ego sum Cæsar.* Quod tamen

tamen modestè, imò & demissè, ab eo factum videri potest, cùm idem fecerit & antea Jurisconsultus Nerva Tiberii principatu. Nam cùm pro more jus diceret, litigatori cuidam, ad Cæsaris cognitionem provocanti, iratus adscenso Cæsaris tribunali, *Dic*, inquit, *apud Cæsarem.*

§. XX. Ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον] *Imperare quod officii tui est*, vertit doctiss. Beza, reprehenso V. Interprete, qui ità reddit, *quæ ad rem pertinent.* Sed puto omnino eum scripsisse, debuit certè, *quæ ad te pertinent.* Ea enim *pertinere ad nos* dicuntur maximè & propriissimè quæ sunt officii nostri, i. e. à nobis præstari debent. Cicero lib. 14. ad Attic. epist. 7. *Videas nè quid ei* (Ciceroni filio) *desit. Id cùm ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem & dignitatem.* Atque ità subtilissimè Cæsar Scaliger *Officium* definivit, *Jus actionis ad quemcunque statum pertinens.* Rectè *jus.* In omni enim officio inest quædam obligatio, saltem naturalis, quam ratio gignit humana. Quare sententiam magis & rem quàm vocabuli sonum spectans Syrus Interpres τὸ ἀνῆκον vertit τὰ δίκαια, i. e. *justa.* Omne enim officium justum est, neque aliter sit officium. Unde & nomen ductum volunt ab *efficiendo quod deceat*, licèt idem legibus non imperetur; ità ut necessitatem homini adferat. Latius enim patet τὸ δίκαιον quàm τὸ νόμιμον· nam & τὸ ἴσον complectitur, ut est apud Aristotelem c. 1. Ethic. 4. *Latius patent fines officii*, inquit Seneca, *quàm juris regula.* E contrario quoque multa sunt quæ licent per leges sed non decent: ut de nuptiis quibusdam traditum est: & decori tum ratio major est ac potentior quàm juris, vel potiùs permissûs juris, & conniventiæ legum. Neque enim temerè *jus* dixerim quod ab honestate remotum est & decoro, aut si est, honestas certè & pudor præferendus est, ut de nuptiis diximus. Atque ità etiam Menandri capio illum elegantissimum versum,

Τὸ καλῶς ἔχον τε κρεῖττόν ἐστι καὶ νόμου.

Id quod decet, interdum potentius est & ipsâ lege. Cicero eâdem Epistolâ, *Quid honestum mihi sit, quid liceat, quid expediat.* Possemus hæc illustrare multis Juris nostri exemplis; sed modus adhibendus est. Illud prætermittendum non est, Videri Paulum tacitè admonere his verbis Philemonem nominis sui ac officii, quod suprà diximus à *beneficentia* & *misericordia suavitate*que factum esse. Quam esse maximam utilitatem nominum, atque ex iis etiam fluere officiorum ipsos fontes Stoici arbitrati sunt, ut unusquisquisque suo nomine tanquam *officii*, i. e. τοῦ καθήκοντος, velut admonitore ac magistro utatur. De quo exstat elegans Epicteti disputatio apud Arrianum, Πῶς ἐκ τῶν ὀνομάτων τὰ καθήκοντά ἐστιν εὑρεῖν. Quod multò magis Christianorum doctrinæ & consuetudini convenire, adeoque populi Dei universi institutis, à viris doctissimis observatum est, & tota Veteris ac Novi Fœderis historia testatur. Postremò videri alicui posset non satis prudenter in hoc loco Paulum versatum esse, qui tacitè exprobret amico quasi & officii sui esset oblitus & nominis: quod contrà se habet. Blanda quædam & amica admonitio illa est & suavissimè in animum influens, cùm quis bonorum & ornamentorum suorum imagine quasi perfunditur, & nè à seipso desciscat admonetur. Non ignorum id iis qui scripta Ciceronis & aliorum veterum legerunt. Quos & optimus disertissimusque Sadoletus imitatus sic scribit lib. 3. epist. ad Franc. Picum Mirandulæ Comitem, de Gregorio Lilio, *Quem quod foves & sustentas in ejus afflictis rebus, facis quidem quod te decet. Neque ego habeo exemplum aliud, quid deceat, quàm te ipsum præstantius. Sed & mihi facis gratissimum, qui illum non mediocriter diligo.* Quibus ex ultimis verbis alia elici responsio ad superiorem objectionem potest, Vehementiam nimirum amoris quo erga Onesimum erat affectus animi hanc admonitionem officii à Paulo extorsisse. Sadoleti libentissimè mentionem feci, tum quòd res & locus hic Pauli admonebat, tum quia is & doctrinâ & sanctitate vitæ & eloquentiâ dissimillimus illi suo collegæ esset de quo suprà dictum, & (quod caput est) Divinas Pauli Epistolas, à quibus illum abhorruisse diximus, non tractabat solùm & legebat diligentissimè, sed etiam eruditissimis & laboriosissimis Comment. (ut de Ep. ad Romanos sæpe ipse testatur) illustrare & interpretari, summæ curæ, summoque in pretio habuit, dignissimus ob id judicandus qui ut vivus sic & mortuus ab omnibus ametur & laudetur.

§. XXI. Παρακαλῶ] Ex hoc loco incipit palàm deprecari pro servo Onesimo apud herum Philemonem: quod est argumentum hujus Epistolæ. Quoniam autem summo in hac re artificio planeque admirabili usus est, ut id omnibus innotescat, non pigebit primùm locos ipsos Rhetoricos Deprecationis præponere, quorum aliqui apertè sunt à Paulo usurpati, aliqui ità tectè & dissimulanter ut, cùm maximè persuadeant, tamen minimè sese ostendant, eoque validiùs pugnent. Est enim optimè dictum ab optimo magistro Dionysio Longino in libello περὶ ὕψους, Τότε γὰρ ἡ τέχνη τέλειος, ἡνίκ' ἂν φύσις εἶναι δοκῇ· ἡ δ' αὖ φύσις ἐπιτυχὴς, ὅταν λανθάνουσαν περιέχῃ τὴν τέχνην, *Tunc demum ars perfecta est, si natura esse videatur: & tum demum natura felix, si clam & quasi fallens contineat artem.* Novem deprecationis locos enumerat Zasius noster in Commentario Rhetoricorum ad Herennium. Primus est *ab officiorum excessu*, ut appellat. Quem palàm inducit à persona sua Paulus, cùm ait, *Ut taceam quod te ipsum mihi debes.* Et alibi innuit in hac Epistola, sed occultius, ut suis locis docebo. Item à persona Onesimi, pro quo deprecatur cum ait, *eum sibi in vinculis Euangelii inservivisse Philemonis vice.* Secundus, *à vita inculpata.* In Onesimo nulla culpa coargui certò potest præter hanc unam Fugæ, quam tamen excusat, & in bonum laudemque vertit acutissimè Paulus. Sed de Onesimo plura infra. Tertius est à *splendore natalium.* Hoc uti directo non potuit ullo modo Paulus in servo & fugitivo. Quanquam & in servitutem incidere possint etiam nobilissimo & Regio genere orti; quos propterea non *servos*, quod absurdum videretur, sed *barbaros* appellari solitos tradit lib. 1. Polit. Aristoteles. Sed quod rectà non potuit D. Paulus, id aliâ ratione fecit, & Onesimum non solum liberum jam hominem esse judicandum dicit postquam Christianus factus erat, sed *filium fratrem*que etiam *suum* appellat non semel, item & *Philemonis fratrem:* Atque ità eum & sibi civi Romano, quæ maxima nobilitas est, & Philemoni Colossensi nobili, ut veteres Theologi Historicique testantur, exæquat. Quartus, *à spe utilitatis.* Hunc locum apertè tractavit atque exposuit in illis verbis, τόν ποτέ σοι ἄχρηστον, νυνὶ δὲ σοὶ καὶ ἐμοὶ εὔχρηστον. Quintus, *à digna retaliatione*, ut Zasius loquitur, *mansuetudinis.* Id verò totâ ferè Epistola agit Paulus ut mansuetudinem Philemonis extollat, eamque ipsi magno futuram & usui persuadet & gloriæ. Tale est illud Mithridatis supplicis ad Tigranem Armeniæ Regem apud Sallustium, *Teque illa fama sequetur, auxilio venisse magnis Regibus.* Sextus, *à remotione fraudis.* Maximo artificio hunc locum induxit Paulus, cum ait, *Onesimum fortè separatum fuisse* (quasi auctore Deo) *ad tempus, ut in æternum illum reciperet.* Non ergò fraus Onesimi in illa fuga versata est, sed consilium & providentia Dei arcana. Septimus, *à lapsu officioso.* Aufugit Onesimus Romam, sed ut à Paulo in Christiana religione institueretur, *eique ministraret in vinculis Euangelii*, & quidem *heri sui loco*; ut manifestò declarat hæc Epistola Non igitur odio Philemonis vel crudelitate impulsus, sed officii causâ. Similiter ut Horatius ille se defendebat quòd sororem *non odio, sed boni publici causâ interfecisset.* Et Cicero *Q. Ligarium non odio Cæsaris in Africam appulisse, sed bono studio erga Rempub. Pompejumque & Senatum.* Octavus, *ab exemplo.* Nullis exemplis aliorum palam utitur Paulus in hac Epistola, sed, si attendas, occultè utitur & exemplis, & quidem luculentissimis atque vehementissimis. Nam & persona *Pauli*, hominis ad omnem mansuetudinem facti, & *Timothei*, quem sibi in hac Epistola adjunxit, summâ ac planè divinâ humanitate viri, ut suprà ostendimus, & aliorum præterea qui in hac Epistola nominantur, piissimorum hominum recordatio multa clementiæ, misericordiæ, liberalitatis & præstantissima exempla suppeditabat tacitè, imò in oculis statuebat Philemonis. Sed nullum majus ac pulcrius exemplum proponi potuit quàm ipse sibi: quod & industriissimè Paulus in hac Epistola, præsertim in principio, est exsecutus. Nonus, *à sublata periculi formidine.* Hoc loco non obscurè usus est Paulus in illis verbis *Ut in* PERPETUUM *eum reciperes:* quibus verbis certam æternamque possessionem ei pollicetur. Hisce Zasii & aliorum artis Oratoriæ magistrorum locis adjici & alii possunt: In primis *à dignitate deprecantis.* Quem etiam non omisit, imò splendidissimè usurpavit Apostolus, in illis verbis, τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης, &c. & totâ passim Epistolâ, ubi sua vincula suaque merita proponit. Potentissimus est autem ille *à laudibus ejus apud quem deprecatores intervenimus* locus; ideoque à Paulo non tractatus solùm egregiè, sed etiam inculcatus sæpe est, maximè verò, ut dixi, in ipso hujus Epistolæ aditu: ut & hic valeat nobile illud præceptum Pindari, *Ut domûs, sic orationis splendidissimum esse debere vestibulum.* Hæc de locis Deprecationis ad hanc Epistolam exponere volui, quò meliùs ejus artificium intelligeretur. Addam aliquid & de ipsa Deprecatione: Quam Rhetores inter Status non referunt, quia statu careat & controversiâ. Neque enim defensio in illa versatur, sed errori venia petitur. Duas enim res Deprecatio continet, Confessionem delicti sive errati, & Preces, ut ignoscatur. Eleganter utrumque Sallustius complexus est uno *deprecandi* verbo, cùm scribit, *Postquam errasse Regem & Jugurtha scelere lapsum deprecati sunt.* Nam plena esset oratio, *errasse Regem confessi sunt*, vel *agnoverunt*, *& ut ipsi ignosceretur oraverunt:* Imò & causam ignoscendi simul

simul inclusit, cùm ait *scelere eum alieno lapsum.* Quamvis enim, ut dixi, Defensio non versetur in Deprecatione, Excusatio tamen quædam delicti, ejusque pro quo deprecamur subtilis & latens Commendatio adhiberi in ea solet, cùm ipsa Confessio & Deprecatio palàm & verbis clarissimis exprimi debeat. Quod licet ex illis tribus M. Tullii Orationibus intelligere quas *Cæsarianas* veteres Grammamatici vocant, quòd ad Cæsarem habitæ fuerint, & deprecationem ferè contineant, Pro Rege Deiotaro, Pro Q. Ligario, Pro M. Marcello: nec minùs in hac brevissima Pauli Epistola hæc omnia, si quis attendat, comparebunt. Idque maximè locum habet observarique debet ubi nondum de reo judicatum est. Prudenter & pulcrè D. Chrysostomus ad Imp. Theodosium, Ἡμάρτομεν, ὦ Βασιλεῦ. ἐ κρύπτομεν τὴν ἁμαρτίαν, ἧς καὶ ἡ κρίσις κατηγορεῖ. οὐκ ἀρνούμεθα τὴν μανίαν ἣν κατὰ τῶν σῶν εἰκόνων ἐμάνημεν, μᾶλλον δὲ καθ' ἑαυτῶν. ἀλλὰ τὴν Φιλανθρωπίαν, ὡς κατάκριτοι, παραμένομεν. Ex his quæ antea diximus & quæ porrò dicemus in explicatione totius Epistolæ facilè quivis intelliget quantus Orator Paulus fuerit &, ut Hieronymi verbis in Epist. ad Pammachium dicam, *quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator ejus quod agit. Videntur quidem*, inquit, *verba simplicia & quasi innocentis hominis & rusticani, & qui nec facere nec declinare noverit insidias: sed quocunque respexeris, fulmina sunt.* Quibus penè gemina sunt quæ suprà initio hujus capitis ex Longino recitavi.

§. XXII. Τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος] Dixi superiori proximo capite locum hîc Rhetoricum Deprecationis versari, à dignitate & auctoritate ejus qui deprecator intervenit; *Talis ego, utpote Paulus, deprecor:* planè ut apud T. Livium Annibal Pœnus Imperator, cùm ad Scipionem in castra venisset, ageretque cum eo de conditionibus pacis inter Rom. populum & Carthaginenses, postquam superiora fœdera irrita fuisse dixisset, quòd non satis dignitatis in legatorum Carthaginensium personis fuisse videri vellet, statim subjecit, *Annibal peto pacem. Ego Paulus precor:* In quem locum Theodoretus Episcopus Cyri, *Adjicit*, inquit, *humilitati gloriationem. Vide quis sit qui petit. Sufficit autem nominis mentio ad efficiendum ut revereatur vel maximè adversarius. Qui enim Paulum audit, audit prædicatorem totius orbis, terra marisque cultorem, & vas electionis, & alia ad quæ narranda vel decies mille linguis opus esset. Non igitur gloriandi causâ ità de se Paulus loquitur, sed ut magis animum permoveret ad obsequendum sibi. Nec si gloriatus esset, indecorum aut superbum id videri potuit. Neque enim omnis laudatio sui reprehendi debet. Paulus quidem Apostolus multa magnifica sæpe de se ipso scripsit multis in locis, plus semper à nobis laudandus cum se ipse laudat quàm cùm de se tacet*, ut non minùs verè quàm acutè D. Chrysostomus scribit in Homilia 1. de Pauli laudibus. Nec quenquam legi apud antiquos qui Catonem illum Censorium propterea reprehenderit aut irriserit quòd Orationes de suis laudibus composuerit, cùm & conscientiâ veritatis ac virtutum suarum id faceret, & excellâ quadam atque exaggeratâ animi altitudine: Quamvis enim ab inimicis atque invidis publico judicio quadragies & ampliùs accusatum, memoria proditum sit, semper tamen absolutus victorque discessit. Ut non malè ei accommodemus quod T. Livius de ejus nepote Catone Uticensi, omnium ipsius virtutum non minùs quàm nominis herede, scripsit his elegantissimis verbis, quæ reperi apud D. Hieronymum Commentario in Oseam Prophetam lib. 2. in Præfatione, *Magis*, inquit, *optarem illud mihi contingere quod T. Livius scribit de Catone: Cujus gloria neque profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit; cùm utrumque summis præditi fecerunt ingeniis. Significat autem M. Ciceronem & C. Cæsarem, quorum alter laudes, alter vituperationem suprà dicti scripsit viri.* Hæc D. Hieronymus. Quoniam verò illud verbum τοιοῦτος ὢν pro nimio & arrogante accipi poterit, idcirco quasi explicans subjicit, ὡς Παῦλος πρεσβύτης, &c. tametsi cùm non ad sui gloriam & ambitionem id referat Paulus, sed ad sublevandam hominis miseri fortunam, jure laudetur ab omnibus. Sicut Pericles eodem planè verbo de se olim usus est, additaque itidem explicatione, bono fine, i. e. calumniæ depellendæ causâ & purgandi sui, Καίτοι ἐμοὶ τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργίζεσθε, ὃς οὐδενὸς ἥσσων οἴομαι εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, Φιλόπολίς τε, καὶ χρημάτων κρείσσων, *Et mihi tali viro irascimini, qui nemini vestrûm cedo*, &c.

§. XXIII. Πρεσβύτης] Non solam Dignitatem & Auctoritatem suam tanquam arietem vehementissimum ad expugnandum Philemonis animum Paulus adhibuit, de quo suprà expositum est, sed ab eadem sua persona Misericordiæ veluttelum in eum intorsit. Quis enim adeò duri atque immitis ferreique animi esse possit quem non penitissimè sauciet hæc oratio, *Paulus senex, nunc & vinctus Jesu Christi?* Dixi Misericordiæ. Quamvis enim *senectutis* maxima sit veneratio, adeoque & auctoritas, ut omnibus notum est, (sicut & *vinculorum in Christo*. Quare hunc locum ità Theodoretus explicat, *Adjecit &* SENEM, *ostendens canos germinasse in laboribus: eâ etiam ratione fide dignam efficiens orationem. Aliud etiam adjungit*, NUNC ET VINCTUS JESU CHRISTI. *Reverere Paulum, reverere senectutem, reverere vincula quibus ut veritatis prædicator adstrictus sum*) tamen hoc loco ad commiserationem excitandam ejus est mentio usurpata: quod cùm aliis ex rebus intelligitur, tum ex illis adjunctis particulis, νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος q. d. *Ad senectutem, quod ipsum est onus per se gravissimum, etiam accessit calamitas vinculorum.* Quod multò efficaciùs à Paulo & elegantiore formâ elatum est quàm à Demosthene in Apologia sua apud disertissimum Libanium, Δεσμώτης γέρων, i. e. *vinctus* vel *captivus senex:* ubi se quasi in pompa ad ludibrium traductum queritur externas aut inimicas apud gentes. Plurimum autem valere ad impetrandum calamitates, viri præsertim boni, nemini dubium esse potest qui modò homo sit. Quod cùm sciret naturæ ille maximus interpres Homerus, non dubitavit Ulyssem illum suum, quem ad exemplar boni & prudentis Principis efformavit, sic precantem inducere, cùm ad Phæacum se aulam conferret,

Δός μ' ἐς Φαίηκας Φίλον ἐλθεῖν ἠδ' ἐλεεινόν.

Quod artificium etiam ipse Aristoteles in eo notavit lib. 3. Rhetoricorum. Chrysostomus tria hîc observat ac distinguit, *Paulus, Senex, Vinctus. O ineffabilem*, inquit, *bonitatem! Quantis hunc* (Philemonem) *modis exornare pergit! Ex persona qualitate*, PAULUS *enim: Ex ætate, quia* SENEX: *Ex eo quod omnibus justius potentiusque est, quia* VINCTUS JESU CHRISTI. Ambiguum est quod dixit, *ex ætate.* Nam utrumque significat, & venerationem, & misericordiam. Senes enim non magis sunt venerabiles quàm miserabiles. Idque ità Ulpianus Demosthenis interpres notat Orat. περὶ παραπρεσβείας. Q. Ennius prærogativâ quadam non magis *Poeta* quàm *Senex* ob venerationem dici meruit. Quâ re factum puto ut imagini suæ sive statuæ hos ipse versus adscripserit,

ASPICITE, ô CIVES, SENIS ENNI IMAGINI FORMAM,
HIC VOSTRÛM PANXIT MAXUMA FACTA PATRUM.

Quos ego sic leviter immutatos Paulo accommodem,

Aspicite, ô cives, seni' Pauli in imagine formam,
Hic nostri panxit maxuma facta Dei.

Neque verò, cùm Joh. Chrysostomi scripta, ea præsertim quibus Pauli Epistolas aliaque interpretatus est, lego, dubitare possum quin ille scribens in ipsam Pauli imaginem defixos oculos non animi solùm sed & corporis habuerit, adeoque quin & imaginem Pauli senis ac vincti in annulo si non insculptam (vetante id Græcorum religione) saltem depictam gestaverit, eâque signare solitus fuerit, ut L. Sylla imagine Jugurthæ vincti sibi à Boccho Rege traditi, ut auctor est Plinius & alii. Certè idem ipse D. Chrysostomus in oratione de laudibus Melecii tradit *Antiochenses consuevisse ejus imaginem in annulis palà expressam gestare.* Et Gregorius Nyssenus in Vita S. Matrinæ virginis *signatorio ejus annulo Crucis signum impressum fuisse* testatur.

§. XXIV. Νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ] Oculis propemodum Philemonis subjicit speciem sui captivi vinculisque onerati Paulus. Quæ ῥητορικὴ Φαντασία Græcis Magistris eorumque eximio Longino dicitur in elegantissimo περὶ ὕψους libello. Sic enim scribit, cùm illius phantasiæ vires, quantæ sint, declarat, Τί ἦν ἡ ῥητορικὴ Φαντασία δύναται; πολλὰ μὲν ἴσως καὶ ἄλλα τοῖς λόγοις ἐναγώνια καὶ ἐμπαθῆ προσεισΦέρειν. κατακιρναμένη μέντοι ταῖς πραγματικαῖς ἐπιχειρήσεσιν, ὁ πείθει τὸν ἀκροατὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ δουλοῦται, *Non solùm persuadere potens est, sed etiam quasi servum atque captivum auditorem in potestatem suam redigere.* Deinde subjicit similitudinem pulcerrimam, & non alienam ab hoc Pauli nostri loco: est enim de carcere, & qui in eo attinentur vinctorum fuga. Καὶ μὴν εἴ τις ἅμα Φησὶν, αὐτίκα δὴ μάλα κραυγῆς ἀκούσαιτε πρὸ τῶν δικαστηρίων, εἶτ' εἴποι τις ὡς ἀνέῳκται τὸ δεσμωτήριον, οἱ δὲ δεσμῶται Φεύγουσιν, ὑδεὶς ἅτως ὅτε γέρων ὅτε νέος ὀλίγωρός ἐςιν ὃς οὐχὶ βοηθήσει καθ' ὅσον δύναται. εἰ δὲ δή τις εἴποι παρελθὼν, ὡς ὁ τύτους ἀΦεὶς ὗτός ἐςιν, ὑδὲ λόγυ τυχὼν, παραυτίκ' ἂν ἀπόλοιτο. Quis sibi persuadeat, Philemonem, cùm hanc partem literarum legeret, nullam edidisse vocem, nullas profudisse lacrymas? Non ille Phryx sed frutex fuisset. Postremò sciendum est, hæc tria nomi-

nomina, *Paulus*, *Senex* & *Vinctus Christi*, quamvis ad misericordiam commovendam quoque pertinere dixerimus, tamen præcipuè omnia eò spectare ut dignitas & auctoritas Pauli ob oculos Philemoni poneretur. Nam & Vincula Christi ad dignitatem Pauli majestatemque pertinent. Sic certè & D. Ignatius ejus discipulus interpretatus videri potest, cùm de se sic scribit in Epistola ad Magnesios, *Fruar vobis per omnia, si dignus sim. Tametsi enim vinctus sum, comparandus tamen uni vestrûm solutorum non sum.* Extenuat enim ipse se vir sanctus, cùm nè ex vinculis quidem Christi tantam sibi dignitatem arrogare audet ut se cum iis qui eâ dignitate carebant comparet. Denique cùm *Senex* dixit, ætatis dignitatem ostentavit; cùm *Paulus*, gloriæ atque virtutis decora. Quæ duo simul juncta omne fastidium aurium abstergunt, excusantque eum & invidiâ liberant qui se ipsum laudet. Plutarchus in libro De sui laude, Τέτως μὲν ἂν εἰ μὴ μόνον ἔχωσιν ἡσυχίαν, ἀλλὰ καὶ δόξαν καὶ ἀρετὴν, δοτέον. Et addit maximam hujus rei, etiam quod ad alios, qui instigantur, utilitatem, οὐ γὰρ, inquit, ἀνωφελὲς, ἀλλὰ μέγαν ζῆλον ἐμποιεῖν, ἅμα καὶ φιλοτιμίαν τινὰ τοῖς ὅυτω πολιτευομένοις.

§. XXV. V. 10. Παρακαλῶ σε περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνα] Multa sunt & varia Epistolarum tum genera tum nomina quibus Ecclesia Christiana jam à primis temporibus usa est, συςατικαὶ, εἰρηνικαὶ, ἀπολυτικαὶ, κοινωνικαὶ, δογματικαὶ, ἐγκύκλιοι, προςατικαὶ, aliæ plures. Nec Latina Ecclesia in hac varietate se inferiorem Græcâ gessit, *Commendatitias*, *Pacificas*, *Commonitoriales*, *Testimoniales*, *Formatas*, *Decretales*, *Memoriales*, & aliis nominibus excogitatis eas appellando. Hæc Pauli Epistola, si ab universo argumento æstimetur, ἀξιωματικὴ est & *Deprecatoria*; si ex partibus ejus, potest & συςατικὴ, i. e. *Commendatoria*, dici, & *Dimissoria*, & *Testimonialis*, & *Monitoria*. Apud Zonaram *Systatica* distinguuntur ab *Irenicis*, & ab utrisque *Formata*, in can. *Ecclesias*, 68. Distinct. Dicuntur autem *Formata* quæ & *Canonica*, quarum formam Gratianus tradit Distinct. 73. Et Concilio Laodicensi cautum *nè quis Clericus vel Laicus sine formata peregre proficisceretur*, c. *Non oportet*, De consecrat. Dist. 5. utpote *quarum commercio in una communionis catholica societate concordasse* scribit Optatus Episcopus Milevitanus lib. 2. Hujusmodi literas, quia & compositis quibusdam & arcanis notis scribebantur, ἐπιςολιμαῖα συνθήματα vocat Gregorius Nazianzenus Orat. 1. adv. Julianum. De quo & memorabile improbitatis argumentum Sozomenus Hist. Eccl. lib. 5. commemorat: *Fertur*, inquit, *notas literarum Episcopalium inprimis imitatus, quibus solebant peregrinos invicem commendare, quoque irent & unde proficiscerentur significare, quo tanquam noti propter symboli testimonium hospitio susciperentur & curarentur. Hoc ideo excogitaverat ut Ethnicos studiis Christianorum assuefaceret.* Idem lib. 6. cap. 17. *Quamvis illis illicitum sit orare cum illis qui aliunde sine literis veniunt, qua mutuum* in fide *consensum per signa ipsis inscripta & aliis incognita declarant. Compositas notas* Tibullus appellat illo versu, notante Casaubono ad Æneæ Tactica,

Blandaque compositis abdere verba notis.

Græci συνθηματικῶς γράφειν dicunt, & συνθηματικὰ γράμματα, vel συνθήματα, ut jam ex Gregorio annotavi. Suidas Συνθηματικῶς interpretatur συμβολικῶς quod non placet eidem doctiss. amico nostro, quòd *symbola* propriè aliud sint. Ità tamen & Sozomenus eo quem allegavi loco accepisse videtur. Apud Synesium verò Epist. 143. hoc vocabulo συνθήματα Christianorum *symbola* & *tesseras epistolares* significari puto, non ipsas *epistolas*, quæ apertè ab iis in illa Epistola distinguuntur: ità enim ibi scriptum est, Καὶ ᾔτεις συνθήματα παρ' ἡμῶν τε γενέσθαι, καὶ παρὰ τῶν δυναμένων τοῦτο ποιεῖν σὺν φίλων, γράμματα πρός τε αὐτὸν καὶ πρὸς τὸν ἐφεστῶτα ἄρχοντα· quæ ità vertit eruditiss. interpres, *Petebas ut fierent à nobis signa, & ab amicis tuis, qui id facere possunt, commendationes* (malim *literas commendatitias*) *cùm ad eum, tum ad ordinarium Magistratum.* In Jure nostro autem συνθήματα vocantur *litera*, sive *codicilli*, sive *diplomata publici cursûs & vehicularis*. Quæ autem fuerint illa symbola quibus in hac re Christiani olim utebantur, infrà alio loco disseremus.

§. XXVI. Τέκνα, ὃν] Primùm notanda est elegans atque Attica generis ἐναλλαγὴ, τέκνα, ὃν. Sed posterior vox refertur vel ad *Onesimum*, quod nomen proximè sequitur, vel tacitè ad verbum υἱὸν, quod frequentius & notius est. Quomodo & Ulpianus Jurisc. *Fidei commissa*, inquit, *quocunque sermone relinqui possunt, non solùm Latinâ vel Græcâ, sed etiam Punicâ vel Gallicanâ.* Intelligitur enim tacitè *Linguâ*, non quod expressum antè erat *sermone*. Sic & apud Interpretem N. T. *Mille passus, & alia duo*, non est Solœcismus, ut doctiss. Theologus putat, qui id salvo Prisciano constare non posse ait: nam subintelligitur *miliaria* sive μίλια. Imò ipse Priscianus elegantiæ causâ dictum à Virgilio notat, *Præneste sub ipsa*, quod alibi *Præneste sub altum*. Nam *sub ipsa*, i. e. *urbe*, non *oppido* subintelligendum. Illud admirabilius & tamen Ἀττικῶς dictum esse Græci Grammatici docuerunt, φίλε τέκνον, ut est apud Aldum Seniorem in Collectione, pag. 171. Simili ratione relatio fit interdum ad vocem in præcedente aliqua dictione latentem Homerus Iliad. ά.

——— εἴρυτο δ' ἄςυ καὶ αὐτούς.

i. e. ἀςοὺς, ut Eustathius observavit. Athenæus lib. 14. πανήγυρις πολυήμερος, ὡς ἐν μιᾷ subintelligendum est ἡμέρᾳ, quæ vox latet in præcedente voce. Joh. 8. 44. de Diabolo, ὅτι ψεύςης ἐςὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, i. e. *mendacii*, τοῦ ψεύδους, non *Diaboli*, qui patrem non habet. Quæ doctiss. Casaubonus notavit in Baronianis. Quibus addi potest insignis Sallustii locus in Catilinaria, *Sed antea conjuravere*, &c. *De qua priusquam dicam*, i. e. *de conjuratione*, quæ vox latet in verbo antepoſito *conjuravere*. Deinde notandum quòd Paulus non contentus dicere *pro filio meo*, adjecit *quem genui in vinculis meis*, & tum demum subjecit *Onesimi* nomen. In quo singularis Pauli prudentia consideranda est. Nam quia sciebat vel ipso nomine *Onesimi* posse ad iram excitari Philemonem, idcirco tam multa & tam jucunda & mitigandæ iræ aptissima præposuit, ut leniùs accideret atque acciperetur invisi nominis & hominis recordatio. Nam quos odit quisque aut detestatur, eos nè nominari quidem æquo fert animo. Unde illa in libris Juris nostri in parentum elogiis filios exheredantium, *Non nominandus*, vel *Non filius meus, latro, gladiator*, L. 3. D. de liberis & posthumis. Ait Paulus, *quem genui in vinculis meis*. Non igitur simpliciter *Filius meus*, quo nomine etiam alienos charitatis & amoris causâ appellare interdum solemus, sicut & *fratres*, ut noster quoque Jurisc. Paulus scripsit in L. *Nemo*, D. de her. instit. sed *verè filium meum, quem ego genui*, i. e. γνήσιος quod epithetum solitus est Paulus addere *Tito*, ut in Epistola ad eum scripta: de quo libet adscribere judicium D. Hieronymi; *Scribit autem Apostolus* TITO CHARISSIMO FILIO: *quod Græcè dicitur*, Τίτῳ γνησίῳ τέκνῳ, *& Latino sermone non potest explicari.* Γνήσιος *enim hoc potius sonat, cùm quis* fidelis *&* proprius *& (ut ita dicam)* legitimus *sive* germanus *absque comparatione alterius appellatur. Ex quo intelligimus fuisse & in filiis Pauli plurimam differentiam; quod alios haberet* γνησίως, *i. e.* germanissimos, *sibique conjunctos, & de vero matrimonio ac de libera procreatos; alios verò quasi ex ancilla & ex Agar, qui non possunt hæreditatem accipere cum libera filio Isaac. Sermo quippe & sapientia & doctrina quâ Titus Christi Ecclesias instruebat, efficiebant eum proprium Apostoli filium, & ab omni aliorum consortio separatum.* Hæc Hieronymus: quæ nemo non videt, quod ad alios filios Pauli attinet, & contumeliosa esse & planè absurda atque à mente Pauli alienissima. Nam, ut de Onesimo taceam, quem in hac Epistola tot titulis decorat, tot laudibus extollit quot planè alium neminem, nè Titum quidem, (id enim fortasse dici potest fecisse ut instituto inserviret) etiamne Timotheum inter illegitimos & nothos (id est enim *ex ancilla susceptos*) numeravit aut habuit, quia nusquam eum γνήσιον appellavit? At quem magis dilexit, aut cujus pietati ac virtuti plus tribuit? testantur tum alia, tum Epistolæ ejus duæ ad ipsum scriptæ. Quòd si verum amamus, cùm Paulus dicit *se in vinculis suis*, quæ mox *Evangelii vincula* vocat, *Onesimum genuisse*, omnibus filiis eum, etiam Tito, præfert. Nam magnos per se dolores parientium auget acerbitas vinculorum.

§. XXVII. Ἐγέννησα] Paulum uxorem habuisse & liberos procreasse asserit Andreas Dudithius libro De Conjugio Presbyterorum. Neque verò de solo Baptismo hæc spiritualis, de qua Paulus loquitur, generatio est accipienda, sed multò etiam magis de institutione ipsa religionis Christianæ. Sic certè Clemens Alex. lib. 1. ςρωμάτων, *Patres*, inquit, *eos dicimus qui nos Catechesi instituerunt.* Et paulò pòst, *Filius autem est quisquis eruditur, ex eo quod ei qui eum erudit obedeat.* Mira primo aspectu ratio, sed vera tamen, & Paulo hic non prætermissa, cùm infrà *ministrum suum* Onesimum dicit. Illa communis & in aperto posita ratio est, quia omnis discipulus quasi gignitur & efformatur à præceptore suo; cùm in aliis scientiis, tum maximè in Christianæ Religionis doctrina, quæ longè omnibus est sublimior & optabilior. Unde sanctissimus Cosmas apud Johannem Hierosolymitanum Patriarcham in Vita Damasceni queritur *sibi facultatem denegari filios per Philosophiam generandi: hoc enim desiderio non minùs teneri Philosophos quàm alios sobolis ex sese procreandæ.* Ipse Paulus alibi sese Matribus parturientibus comparavit, ut Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, ὡς πάλιν ὠδίνω, inquit: Sunt

enim

enim ὠδῖνες propriè *matrum parientium dolores.* Significat autem non obscurè Paulus, Galatas à religione veràque pietate, in qua eos primùm instituerat ac genuerat Christo, nonnihil defecisse à falsis Apostolis seductos atque deceptos, ut iterum essent à se restituendi & formandi, quasi pristinum characterem stultitiâ vel contemptu confudissent aut delevissent. Miror quid eruditissimo Theologo atque Interpreti venerit in mentem, cùm in verbo Pauli μορφωθῇ *Metaphoram esse* dixit *ab amatoribus sumptam. Forma enim*, inquit, *in animis amatorum insculpta illud est quod amoris igniculos excitat ac fovet*, & cætera, quæ mihi alieniora videntur à sententia Pauli; licèt non negem & hâc ratione rectè dici *Christum in nobis efformari.* Nam multi modi multæque rationes sunt hujus ἐκμορφώσεως. S. Isidorus Epist. 193. l. 3. de D. Paulo, *κἀκεῖνος γὰρ ἔκτρωμα εἶναι ἑαυτὸν ἔλεγε, καίτοι τὰ ἐξαμβλωθέντα ἀναμορφῶν, καὶ δεύτερον ὠδίνων τὰς θείας χαρακτῆρας μὴ ἀποσώσαντας*, h. e. Billio interprete, *Nam & ille abortivum se esse asserebat, cùm tamen ipse abortivos fœtus, qui Divinas notas minimè servaverant, refingeret ac denuò parturiret.* Hæc ille. Utraque Pauli partio fuit eadem, i. e. spiritualis, ut nemo non intelligit. At cùm Avitus Alcimus Viennensis Archiepiscopus, idemque Poëta elegantissimus, de matre sua sic loquitur ad Fuscinam sororem,

> *Teque reparturiens & mente & corpore Christo*
> *Jungere perciperet* ——

allusit quidem ad hunc locum Apostoli Gal. 4. Sed non unam vel unius generis partionem intelligit, verùm duplicem, & corporalem & spiritualem, atque utramque etiam iteratam & geminatam; ideoque ait, *& mente & corpore reparturiens.* Corporalis prior fuit, cùm eam utero enixa est; posterior, cùm eam Christo quasi desponsavit, i. e. virginitati perpetuæ ejus corpusculum mancipavit. In qua posteriore corporali generatione inest & posterior spiritualis: nuptiæ enim spirituales istæ sunt quibus Christo junguntur. Prior autem spiritualis fuit institutio ejus in religione Christiana. Hoc Alcimus intelligit. Neque inusitatum sit aut mirum, à matre filiam institutam atque edoctam. Exemplo sit, ne' alia conquiramus, nutrix & mater Basilii Magni, à quibus se in religione Christiana perfectissime institutum ipse non dissimulavit Epistola quadam de nutrice sua, in alia Epistola autem & de matre. Quid ni? cùm & ipse D. Paulus 2 Tim. 1. testetur, & pro laude adscribat Timotheo, quòd à matre piissima educatus institutusque fuerit; ut Apollo Alexandrinus ab uxore Priscilla, teste Luca Actor. 18. Neque enim in domestica, ut ità loquar, Ecclesia valuisse unquam arbitror quod idem alio loco præcipit, *In Ecclesia mulier taceat*, 1 Cor. 14. *Si quid tamen discendum eis est, id ut domi à maritis inquirant ac discant* jubet. *Docere domi, si docta sint, non vetat, dum intra parietes domesticos, non quasi in theatro communi fiat*, ut D. Chrysostomus rectissime monet. Postremò sciendum est, cùm Paulus toties Onesimum *filium suum* vocet & *viscera sua*, aliisque ejusmodi titulis eum ornet, cùm etiam *retinere se eum voluisse* dicat *ut sibi in vinculis Evangelii ministraret*, ex iis rebus certò colligi, non solùm in religionis Christianæ doctrina eum à Paulo institutum, sed etiam sacro Lavacro ablutum, & ad sanctæ Communionis mysterium admissum fuisse. Atque aliter perfectè & *γνήσιος filius* & fidelis aut Christianus existimari non potuisset, aut illas in Ecclesia Christi functiones obire. Denique *planè perfectum ac formatum*, ut ità dicam, *Christi discipulum* eum remisit ad Philemonem, non *Catechumenum* solùm, vel *Competentem.* Hæc enim nomina postea in Ecclesiam Christianam inducta fuerunt. Priùs enim homines præceptis Religionis instituebantur. Postea ad petitionem Mysteriorum sive Sacramentorum erudiebantur, ut ea maximo ardore & desiderarent & peterent, unde *Competentes* dicti. Postremò Mysteriorum participes fiebant, quæ antea nè videre quidem potuerant, & quasi in plenam ac firmam Fidei Christianæ possessionem collocabantur. Idque institutum diutissimè in Ecclesia Christi viguit: Nec dissimile illi veteri paganorum fuit quo Epoptæ fiebant. Quibus de rebus plurima & eruditissima sunt ab Isaaco Casaubono magno annotata in Baronianis. Quod notandum hic putavi, tum quia locus admonebat, tum propter quosdam alios doctissimos viros, qui Onesimum nihil nisi Ἀκόλυθον sive, ut Patres Latini vocant, *Acolythum* Paulo fuisse scribunt, quorum tenuissima & infima erat in Ecclesia Christi functionis species. *Pedissequum* à *sequendo* dixeris; cui eâdem ratione *Pedellus* Rectoris Academici comparetur. Diaconis autem etiam Sacramenti dispensandi facultatem concessam fuisse liquet ex Epist. D. Hieronymi ad Rusticum Episcopum Narbonensem, quæ in Jus Pontificium relata est, c. *Diaconi*, Dist. 93. Acoluthos temporibus Pauli nullos fuisse, apparet ex eo quòd nullam eorum, sicut nec *Ostiariorum*, *Lectorum*, & similium mentionem faciat idem Hieronymus in c. 19. Esaiæ, ubi ordines functionesque Ecclesiasticas enumerat.

§. XXVIII. Ἐν τοῖς δεσμοῖς μου] Scripsit hanc Epistolam Paulus è vinculis atque carcere, ut & ad Philippenses, cap. 1. Quorum *vinculorum* quoniam & hic multam & alibi sæpe mentionem facit, iisque mirum in modum gloriari solet, non erit fortasse inutile aut alienum ab instituto si de iis paulò accuratiùs exponamus, unde & huic Epistolæ & aliis plurimis N. T. locis lux afferatur. Non texam historiam, quoties & quibus in locis vinctus Paulus atque in carcerem conjectus fuerit: quod & ipse de se profitetur, & alii multi scripsere, præsertim Lucas in Apostolicis Actis. Sed quâ ratione & Romam vinctus venerit, & in Urbe diu versatus sit in vinculis vel in custodia, id tantùm explicabo. Igitur cùm ob metum insidiarum quas sibi à Judæis structas sciebat, maximè in itinere, ad Cæsarem appellasset, quamvis ex sententia Agrippæ Regis tanquam innocens dimitti potuisset si appellationem illam non interposuisset, centurioni est ac militibus vinctus traditus, qui eum Romam, ut moris fuit majores istos, ut sic dicam, reos, perducerent. Catenam fuisse quâ vinctus fuit dubitare nemo potest qui Acta modò Apostolica & Epistolas Pauli legerit. Servatam quoque in eo consuetudinem Romanam non est cur quisquam ambigat; ut eâdem catenâ quâ reus constrictus erat, etiam miles ejus custodiæ additus vinciretur, seu manus militis sinistra & rei dextra unius catenæ nexu copulabantur. Quod præter alios indicat ille Senecæ locus Epist. 59. *Quemadmodum eadem catena & custodiam* (i. e. reum) *& militem copulat, sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedant.* Et D. Augustinus in Psal. 128. *Ligantur duo, & mittuntur ad Judicem, latro & alligatus*; (puto excidisse vocem *miles*) *ille sceleratus, iste innocens unâ catenâ ligantur, & longè sunt à sese.* Id diligentioris custodiæ causâ factum, nè vincti elaberentur aut sibi noxam inferrent, manifestum est. Quâ diligentiâ & cautione maximè opus fuit in itinere, ubi major effugiendi facultas. Sed & in urbibus, maximeque Romæ, idem servatum, variè tamen, ut opinor, nec passim in omni reo, in omni loco. Paulum Apostolum in triplici fuisse custodia Romæ observavi, vinctus tamen; *in conducto liberoque hospitio, apud amicos* vel *magistratus*, denique *in carcere.* Baron. Tom. I. Annal. pag. 677. & Francisc. Hotoman. lib. 5. Observ. in verbo *Vincula.* De *conducto* testatur clare Lucas, qui non solùm illa scripsit, sed & vidit, cùm Paulo Romæ adhæreret assiduus. Sic enim scribit Act. 28. 30. Ἔμεινε δὲ ὁ Παῦλος διετίαν ὅλην ἐν ἰδίῳ μισθώματι, καὶ ἀπεδέχετο πάντας τοὺς εἰσπορευομένους πρὸς αὐτόν. Quo tempore an vinculis oneratus fuerit dubitari potest: Et non puto. Id enim & Lucas satis significat, cùm mox addit, *docuisse eum μετὰ πάσης παῤῥησίας ἀκωλύτως.* De custodia apud amicos vel magistratus; usitata quidem illa olim Romæ fuit, in personis præsertim illustrioribus, ut ignorare non potest quicunque Romanam historiam primis labris degustavit. Credo autem (nam nihil certi reperi) D. Paulum etiam tali usum custodiâ, Neronis permissu, & benevolentiâ in eum quorundam potentium Romanorum. Nam & in ipsa Cæsaris aula qui ei studerent habuisse, non solùm ex aliis antiquis scriptoribus didicimus, sed ipsemet claris propemodum verbis profitetur. Inter eos pocillatorem Neronis numerat D. Chrysostomus Epaphroditum, itemque Principis concubinam. Quo nomine intellexit fortasse ipsam Poppæam, quam Corn. Tacitus *principale scortum* non veretur appellare, nec immeritò priusquam in justæ uxoris locum ducta esset. Eam enim Judæis summopere studuisse ex Josepho clarum est. Unde & non absurda conjectura duci potest, cùm apud Neronem pro se dixit Paulus, id honoris ei habitum fuisse, ut non more reorum vulgarium & nocentium hominum, sed vinculis liber atque exsolutus causam suam ageret. In ea actione, quam ipse *primam suam ἀπολογίαν* vocat 2 Tim. 4. 16. *ab omnibus se desertum fuisse* queritur, sed, ut puto, discipulis suis. Absolutus cùm fuisset à Principe & Judicibus, (quod ipse significat illis verbis cùm *ex ore leonis se liberatum à Deo* dicit) iterum liberè cœpit Evangelii ministerium Romæ exsequi, & per decem quidem annos, ut Eusebius in Historia Ecclesiastica, & Joh. Chrysost. Hom. De profectu Evangelii, pag. 448. scribunt, donec novis delationibus Nero exasperatus in carcerem eum trudi jussit: ex quo non liberatus, sed ad supplicium eductus tandem fuit paulò ante Neronis ipsius interitum, ut alibi dictum. Quamvis autem primò, cum Romæ versaretur, in carcere non fuerit, imò neque in libera aliqua custodia arctiori, sed vel in conducto, ut suprà dictum, hospitio, vel apud amicos & splendidiores aliquos cives Romanos aulicosque diverterit, tamen nihil prohibet existimare eum catenam suam ubique circumtulisse, quâ circumdatus fuit addito milite, reatûs signum simul & custodiam, nè facilè elabi possit ignoratus. Quam rem non obscurè ipse significat

apud

apud Lucam d. cap. ultimo, cum ad Judæos suos ait, τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι. Nec novum id aut soli Paulo concessum fuit, ut sic in publicum cum catena militeque prodiret. Idem & de Agrippa Rege Caji Principis familiari scribit Fl. Josephus lib. 18. Antiq. Jud. cap 7. *Tunc verò*, inquit, *vinctus ante regiam stabat inter alios quosdam atque vinctus, incumbens præ mærore in quadam arbore.* Et non multis verbis interjectis, *Antonia intercessione à Macrone Præfecto prætorio Imp. Tiberio impetratum fuisse* dicit *ut in custodia servaretur à militibus humanioribus, convictoremque haberet Centurionem ei cura propositum, & quotidianis uteretur lavacris, & pateret ad eum libertis atque amicis aditus, quorum sublevaretur officiis. Admittebanturque ad eum Silas amicus, & è libertis Marsyas atque Stychus, inferentes ei cibos quibus delectabatur, & stragula quasi venalia circumferentes, noctu substernebant, permissu militum jam antè præmonitorum Macronis imperio. Atque in hunc modum sex menses egit in custodia.* Quæ licèt prolixiora idcirco adscribenda hoc loco duxi, tum ut hic mos veterum custodiarum illustraretur, tum maximè ut Pauli conditio Romæ quæ fuerit non ignoraretur. Eadem enim ferè omnia Paulo contigisse quæ de Agrippa Josephus retulit, ex dicta D. Lucæ historia evidenter cognosci potest, si quis conferendi laborem non subterfugiat. Eodem sensu accipiendum est illud Senecæ lib. 1. De Tranquillitate, *Ptolemæum Africa Regem, Armeniæ Mithridatem inter Caianas custodias vidimus.* Præfectum illum militum quem στρατοπεδάρχην Lucas appellat, & à quo ut seorsim *habitaret in conducto & quasi proprio hospitio* permissum Paulo fuit, addito tamen, ut dixi, milite, Burrhum fuisse crediderim. Is enim Neronis Præfectus prætorio fuit: nec alienus à religione Judæorum, certè non ab humanitate & sapientia, eoque & Senecæ Neronis præceptoris & moderatoris familiaris, & omnibus studiis muneribusque aulicis conjunctissimus. Porrò Senecæ adeò non ignotus Paulus noster fuit, ut ea res occasionem præbuisse fingendi mutuas illas inter eos Epistolas quæ circumferuntur jam à prima antiquitate videatur. In carcere verò publico cum Paulus esset, forte Tulliano, ut docti viri existimant, (qua de re idem Joh. Chrysost. Homil. De profectu Evangelii, pag. 447. col. 1. & seqq. in princ.) nullis eum catenis aut compedibus vinctum fuisse nemo dixerit qui *sua* eum *vincula* toties appellare & se *vinctum* profiteri videat. Ulpianus, *Verum est eum qui in carcere clusus est non videri neque vinctum neque in vinculis esse, nisi corpori ejus vincula sint adhibita*, L. 216. Dig. De verb. significat. Neque tamen hæc firma satis conjectura est ut id existimemus. Nam *vincula & in vinculis esse* vel *vinctum esse* etiam de eo usurpantur qui planè omnibus vinculis solutus ac liber in carcere attinetur, vel latumiis, ut ait Callistratus lib. 2. Edicti Monitorii. L. IX. Dig. quibus ex caus. in integr. major. ubi earum *Latumiarum* nomine intelligas carcerem, vel Syracusanum illum qui proprie & specialiter ità dictus, vel alium in lapidicinis carcerem, seu carcerem Romæ sic appellatum, cujus mentio apud Livium lib. 32. *Triumviri carceris Latumiarum.* Per similitudinem quidem illius Syracusani carceris omnes horribiliores & sæviores carceres *Latumias* dictos verius est; sicut & *Barathrum*, qui Athenis, & *Profundum*, qui Cyzici, *Tullianum*, qui Romæ nobilissimi fuerunt. Ad quem allusisse D. Paulum existimat vir doctiss. cum 2 Cor. 11. scribit, νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, ubi Interpres Vetus, *Nocte & die in profundo maris fui*, vertit, additâ voce *maris*; quam prudenter Novus omisit. Eum verò cum in carcere Romæ esset etiam vinculis ullis oneratum fuisse non puto; non quia id vel *vetitum legibus*, ut Accursius malè existimavit, vel *insitatum fuerit ubi criminis qualitas catenarum acerbitatem postulaverit*, ut ait L. I. G. de custod. reor. quæ est Imp. Constantii humanissima & diligentissime scripta adversus crudelitatem Constitutio; sed quia non temere civi Romano vincula adhibita, neque necesse in Paulo fuit, præsertim parietibus carceris coërcito satis custoditeque. Qua de re pluribus dixi in Oratione quam de D. Paulo scripsi habuique publice in conventu Academico. Nec Cicero de veris vinculis, i. e. catena, compedibus, manicis, nervis, similibusque intellexit, sed solum de carcere & custodia, cum in Catilinaria quarta ait, *Vincula sempiterna ad singularem pœnam nefarii sceleris inventa.* Disputat enim contra sententiam C. Cæsaris, qui conjuratos in perpetua custodia per municipia Italiæ habendos censuerat, ut est apud Sallustium. D. Paulus Dei optimi benignitate & peculiari providentia humanius ac mitius quàm vulgò solent à custodibus carcerum & militibus cum in itinere tum Romæ habitus tractatusque fuit. Quod contrà accidit ejus discipulo sanctissimo D. Ignatio, qui itidem Romam vinctus & cum custodia militari missus de eorum crudelitate in epistola ad Romanos conqueritur, *non à decem hominibus se tractum, sed à decem leopardis alligatum, terrâ marique à Syria Romam usque cum bestiis depugnavisse.* Romæ quidem (ut de aliis locis nihil dicatur) nihil prorsus ad vitæ necessitates commodaque corporis defuisse Paulo crediderim in tanta piissimorum hominum discipulorumque multitudine; cum & ex maximis opulentissimisque urbibus Asiæ pecunia à Christianis Ecclesiis ei submissa subministrataque fuerit largissimè & liberalissimè: quod nec ipse reticuit in Epistolis. Neque ullam memini ejus querelam, quòd duriùs habitus in carcere fuerit vel alio loco à custodibus. Quod, ut dixi, singulari in eum Dei beneficentiâ factum est. Nam *commentarienses*, sive *præfectos carcerum, etiam quæstum in calamitatibus & squalore reorum facere solitos* etiam S. Isidorus testatur in Epist. ad Arsenophorum lectorem, quæ est 78. l. 4. ubi de Josepho loquitur in Ægypto captivo, cui ab ipso Commentariensi, quem ἀρχιδεσμοφύλακα vocat, imperium in alios qui simul carceri inclusi erant demandatum, & ab eo clementissimè curatum scribit: πῶς γὰρ ὁ ὠμὸς καὶ ἀμείλικτος καὶ τὰς ἀλλοτρίας πραγματευόμενος συμφορὰς (τοιοῦτοι γὰρ σχεδὸν πάντες οἱ δεσμοφύλακες) τῷ ἡμερωτάτῳ καὶ πρᾳοτάτῳ δεσμωτήριον ἐπέτρεπεν, τὸ κέρδος μὲν μηδὲν περιποιησάμενος ἐκ τούτου, &c. Quæ verba disertissimi & sanctissimi Theologi eò quoque libentius adscripsi quòd non parum facere mihi visa sunt ad illustrandam eam quam supra laudavi Imp. Constantii constitutionem, qui non longè ab ætate Isidori vixit & imperavit. *Illud etiam*, inquit Imperator, *observabitur, ut neque his qui stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatoribus vendere*, & quæ sequuntur. Hoc est enim πραγματεύεσθαι τὰς ἀλλοτρίας συμφορὰς, quod Isidorus ait. *Stratores erant*, inquit Accursius, *quidam qui captos custodiebant, & lectos sternebant.* Sed alii ab *equis magistratuum sternendis* hoc nomen rectius deducunt.

§. XXIX. Ὀνήσιμον) Hic est hujus Epistolæ & lator & argumentum. Dixi antea servum Philemonis Colossensium Antistitis, &, ut quidam adjiciunt, nobilis servum fuisse, ab eoque Romam ad Paulum profugisse. Eandem quoque patriam Colossas illi adscripsere veteres. Quod & significare Paulus videtur in ea ad Colossenses in fine, cum ait, *Onesimo, qui ex vobis est.* Vellem & illud explicavissent nobis, quâ ratione civis civi servitutem serviisset. Non enim, opinor, se ipse Philemoni vendidit participandi pretii causa, qui mos & modus apud Romanos fuit quo civis in servitutem civis venire poterat. Ego existimo, si Colossæ Onesimi patria fuit, vel vernam eum Philemonis fuisse ex ancilla ejus natum, vel (quod magis puto) à patre venditum: Id enim *patrium & usitatissimum erat apud Phryges*, ut testatur Philostratus lib. 8. De Vita Apollonii, Φρυξὶ γοῦν ἐπιχώριον καὶ ἀποδίδοσθαι τοὺς αὐτῶν· καὶ ἀνδραποδισθέντων, μὴ ἐπιστρέφεσθαι· additque rationem, *quod hæ nationes*, inquit, *caterique barbari nequaquam turpem existiment servitutem.* Unde non immeritò de illis Cicero exclamat, *O nationes natas servituti!* Cujus testimonio & aliorum affirmationi plus credendum est quàm nescio quibus collectionibus Ptolemæi ex sideribus positúque terrarum ductis. Sic enim ait lib. 2. Quadripartiti, *Lydos, Cilices, Pamphylios, quoniam ad Pisces & Jovem pertinent, divites, & liberales, & negotiatores, & libertatis amantes, & in contractibus minimè morosos esse*, Ὅθεν αὐτοὶ μᾶλλον πολυχρήματοί τε, καὶ κοινωνικοὶ, καὶ ἐμπορικοὶ, καὶ ἐλεύθεροι, καὶ εὔνομοι περὶ τὰς συναλλαγάς. Illud prætermittendum non est, cum ab initio ipso hujus Epistolæ Paulus hoc unum ageret ut pro Onesimo deprecaretur apud herum Philemonem, tamen ab *Onesimi* nomine abstinuisse, quod esse domino invisissimum intelligebat; nec prius aperte ipsum posuisse quàm multis modis summoque artificio animum Philemonis quasi præparavisset præmollivissetque ad misericordiam atque veniam. Nec nominavit prius eum quàm *filium suum* & quidem *à se in vinculis genitum* diceret: ut non potuerit quod statim subjicit nomen non levissime lenissimeque ad aures atque ad animum ejus accidere. Quo artificio quid divinius excogitari possit equidem nescio. Neque hic substitit, sed ea statum adjicit quæ mirificè ad iracundiam omnem ex animo herili delendam faciunt. Nam & fatetur Onesimi delictum vel delicta, cùm eum *inutilem ei paulò antea fuisse* dicit, & *nunc utilissimum futurum* pollicetur confirmatque; tum alia quæ sequuntur summi ingenii summæque prudentiæ, & quæ non Apostolum modò sed & virum eruditissimum eum fuisse ostendunt ac evincunt. De nomine *Onesimi* est illud hoc loco notandum, idem eum nomen post Baptismum & Christianæ religionis percepta Sacramenta retinuisse quod antè habuerat: Quod aliter solet hodie usurpari, & prioribus quoque Ecclesiæ temporibus usurpatum fuit. Nomina enim mutari, novaque indi iis qui ad Christi religionem confugiunt, manifestum est. Quod in aliis, i. e. liberis ingenuisque hominibus, non reprehendendum,

hendendum, imò laudandum planè videtur: In servis meritò repudies, nisi dominorum voluntate id fiat. Cum enim signum argumentumque dominii in nominum impositione vel mutatione versetur, ut suprà à nobis demonstratum est, non magis id permitti alii debuit quàm servum alienum manumittere liberlateque donare. Quamvis igitur Baptismus παλιγγενεσία quædam sit & *nova generatio*, itaque in S. literis appelletur, tamen non eadem in ea servantur quæ in naturali illa atque mundana, quam statim vel paucis interjectis diebus excipit nominis impositio. Cujusmodi diem *Nominalia* veteres Ethnici appellabant: sed & Christiani in primitiva, ut arbitror, Ecclesia sua Nominalia habuerint in festis solennibusque diebus. Ità enim apud Gregorium Nazianzenum cognomento *Theologum* scriptum est Orat. in S. Baptisma, quæ est 42. in principio. Nominat enim ibi γαμήλια, γενέθλια, ὀνομαστήρια, κυρόσυνά τε καὶ κατοικέσια, καὶ ἐτήσια, & similia, quæ ait *celebrari solita* τοῖς σαρκὸς φίλοις, *ab amicis* sive *cognatis carnis atque mundi*.

§. XXX. V. 11. Τόν ποτέ σοι ἄχρηστον] De vitiis servilibus agit Apostolus. At hoc verbo ἄχρηστον, licèt omnium notissimo, denotari fugam, furtaque & alia fortè Onesimi flagitia, nemo, opinor, non intelligit. Certè Theodoretus Cyri Episcopus non solùm *furem* & *fugitivum* sed etiam *mastigiam* & *parietem perfossorem* eum appellat. Primum igitur quæri potest decueritne Paulum pro tam vili & tam infami homine deprecari, præsertim scripto & tam accuratis literis. Nam, ut Gregorius Nazianzenus in Carminibus ait,

Αἰσχρὸν, ἄριστον ἐόντα συνήγορον ἔμμεν' ἀλιτρῶν.

Et Plinius Cæcilius in Epist. ad Solimanum, quâ pro liberto deprecatus profitetur *se & postea deprecaturum*, sed addit cautionem, *si modò tale sit ut rogare me, ut præstare te deceat*. Poterat & alia ratio Paulum ab ista deprecatione deterrere. Nam & ipse fuerat olim in suspicionem furti vocatus, Chrysostomo teste, qui eam ob causam in administratione pecuniæ publicæ ex collectis piorum redactæ alios sibi adjungi petierat in Epistola. Falsò, inquies. Sio; sed tamen & cavit ipse falsam hominum suspicionem, & cavere alios docuit exemplo suo. Quare & avaritiæ ac petacitatis vitium à sese removit Phil. 4. 10. illo in loco, Ἐχάρην δὲ ἐν Κυρίῳ, &c. Elegantissimè S. Isidorus lib. 3. Epist. 124. de hoc præcipit, Δεῖ γὰρ inquit, φοβεῖσθαι τὰς κατηγορίας, κἂν μὴ ἀληθεῖς ὦσιν, ἐπειδὴ πολλοὶ τὴν ἀκρίβειαν ἀγνοοῦντες πρὸς τὴν δόξαν ἀποβλέπουσι, καὶ τοιοῦτον ἕκαστον εἶναι κρίνουσιν οἵους ἂν τοὺς συνόντας θεάσωνται, i. e. *Metuendæ sunt enim vituperationes, etiamsi falsæ sint; quandoquidem veritatis ignari ad famam oculos conjiciunt, atque unumquemque talem esse judicant quales eos esse conspiciunt qui cum eo versantur.* Quæ videtur mihi expressisse de illis Isocratis Orat. ad Dæmonicum præceptis, Μηδενὶ πονηρῷ πράγματι μήτε παρίστασο μήτε συνηγόρει· δόξεις γὰρ καὶ αὐτὸς τοιαῦτα πράττειν, οἷά περ ἂν τοῖς ἄλλοις πράττουσι βοηθῇς. Sed hæc rectè dicuntur si quis patrocinium talium hominum suscipiat, eosque defendat, (hoc est enim quod Nazianzenus ait, συνήγορον) aut etiam si quis pessimo publico pro sontibus deprecetur. Quâ ratione excusari existimamus posse rigidam illam & crudelem multis visam constitutionem Imp. Arcadii & Honorii, L. Quisquis, Cod. ad L. Jul. majest. quâ etiam deprecatores notantur infamiâ in crimine omnium atrocissimo, *insidiarum Principi structarum*. Sunt & aliæ rationes quæ Paulum hic excusent, imò & dignissimum laude clament. Apud herum pro servulo deprecatur, neque eo improbo, sed, ut ipse ὑποκοριστικῶς, *inutili*, & non longo temporis spatio, & eo converso jam ad bonam mentem ac frugem, & Christianæ religionis Sacramentis instituto, & qui *heri sui vice Paulo ministraret in vinculis*, & cui ad fugam capessendam & secum aliquid asportandum non tam nequitia ipsius auctor duxque fuisset quàm Euangelii amor, & viaticuli necessariarumque rerum inopia, & quis scit an etiam ipsius Philemonis sævitia aut importunitas? Id enim nonnulli cùm ex veteribus tum ex novis prodiderunt. Quid si è contrario (nihil enim certi nobis constat) dicamus eum nimiâ heri indulgentiâ corruptum fuisse? Quam non esse parvam injuriam quâ domini servos afficiunt, sed ferè omnium maximam, disertissimus Orator & Philosophus gravissimus Dio Prusensis docet Orat. 10. Quare pessimus sic à domino effectus jure ab eo profugit, ut idem Dio scribit, ut operaretur videlicet, & non otium, ut antea, agens, dormiensque & edens, indies semper fieret pejor. *Tu parvam putas esse injuriam*, inquit, *quæ hominem faciat praviorem?* Certè vox ἄχρηστος, i. e. *inutilis* vel *infructuosus*, quâ voce Paulus hic utitur, simile quoddam indicat. Sed verius tamen est hoc verbo mitiori scilicet & honestiori ὑποκοριστικῶς eum usum pro veris nominibus, *furis*, *fugitivi*, & similibus. Quales μειώσεις elegantissimas in tota hac Epistola observes licet, & nos suis locis indicabimus. Ità Aristoteles lib. 3. Rhet. notat latrones & fures sese ipsos appellare solitos ποριστάς, ut hodie Hispani *Cercadores*: & similiter Marcellinus aleatores honestiori nomine *tesserariorum* abuti scribit. Christiani autem antiquis temporibus *infructuosi* ab inimicis vocabantur, fortè quòd Reip. munera militiæque propter idolorum cultum refugerent. Tertullianus Apologet. cap. 43. *sed alio quoque*, inquit, *inimicorum titulo postulamur, & Infructuosi in negotiis dicimur*.

§. XXXI. Νυνὶ δὲ σοὶ καὶ ἐμοὶ εὔχρηστον] Unico vocabulo, eoque mollissimo, & μειώσει non magis Atticâ quàm Christianâ ad incredibilem extenuationem peccatorum Onesimi excogitato usus, repentè & celerrimâ mutatione alium ipsum nunc factum esse ait: ut mihi quidem videatur D. Paulus non minorem in hac re celeritatem adhibuisse quàm soleant aves illa loca prætervolare quæ Græci propterea ἄορνα vocant. Non existimabat enim vel instituto suo convenire, vel Christianam pietatem decere, in homine tam illustri conversione morum ad summam virtutem transgresso & quasi transformato priora peccata exagitare duriùs, vel in iis exponendis immorari. *Aliquando*, inquit, *tibi inutilem, nunc & mihi & tibi utilissimum*. Nolo mihi quicquam alienum sciens prudensque arrogare. Notavit vel potiùs innuit uno verbo hoc artificium Pauli optimus & doctissimus Theologus atque interpres Theodoretus Cyri Episcopus. Nunc reliqua explicemus. Existimo Paulum his verbis ad proverbium omnium sermone tritum eruditè alludere, putà, *Heri servus*, *hodie liber*: *Heri pauper*, *hodie dives*: *Heri Catechumenus*, *hodie Sacerdos* vel *Episcopus*, & si quæ sunt similia. Quâ figurâ loquendi significatur repentina mutatio morum, vel fortunæ, vel conditionis. Sic igitur est Paulinum, *Heri inutilis*, *hodie utilissimus*. Et nota quòd non dixit *heri*, sed ποτὲ *aliquando*, nè putidè affectavisse figuram proverbii putaretur: quamvis proverbia maximè Epistolis conveniant, ut ex Demetrio Phalereo alibi annotavimus. Spectavit & illud D. Paulus, quòd semel tantum & brevi aliquo momento *inutilem* fuisse Philemoni videri voluit Onesimum, &, ut infrà loquitur, *ad momentum* sive *ad horam ab eo abscessisse*, *ut in æternum ab eo reciperetur*. Uno enim momento possumus præteritam vitam omnem commutare, & ex luteis aurei fieri, si Dei gratia adspiraverit: quod Paulus Philemoni in seipso insinuat. In ea quoque verecunda Pauli dissimulatio notanda est, quòd cum ad ONESIMI nomen alluderet, id tacitè maluit & aliis verbis facere quàm apertè & vocabulo Ὀνησίμῳ, aliisve ex eo derivatis. Nam Ὀνήσιμος idem significat planè quod χρηστὸς sive εὔχρηστος, ut Julius quoque Pollux in lib. 5. Onomastici scripsit: ubi tamen Ὀνησιφόρα inter contraria & μοχθηρά, i. e. *improba*, vocabula numerat: quod mirum videri possit: cum ἄχρηστος, quo vocabulo Apostolus hic solertissime utitur, *inutilis*, ab *improbo* differat ac distinguatur. Libanius Declamatione de Ara, Ὅτε νὴ Δία πονηρότατος ἐγὼ τις καὶ ἥκιστα φιλανθρωπίας ἄξιος, ἢ πονηρὸς μὲν οὐ λίαν, ἄχρηστος δέ· quemadmodum & ἀπράγμονας & ἀχρείους pro diversis usurpavit Thucydides lib. 2. Μόνοι γάρ τε, inquit, μηδὲν τῶνδε μετέχοντα, οὐκ ἀπράγμονα ἀλλ' ἀχρεῖον νομίζομεν, i. e. ut Laurent. Valla vertit, *Soli enim nos, qui nihil in Rep. rationis habet, non civem otiosum sed inutilem arbitramur.* Sed in verbo ἄχρηστος ambiguitas major est: nam quia χρηστὸς frequentissime pro *viro probo* accipitur, videbatur ἄχρηστος contrà pro *improbo* accipi debere *pravoque homine*: quod vocabulum & ipsum ab *otio* & *ignavia* ductum est, vel potius ad eam significationem translatum: nam & *Pravus* Latinis dicitur à Gr. πρᾶος, quod *lenem mitem*que significat. Sed quia id in militia inutile noxiumque est, ubi potiùs ferocia & audacia requiritur, idcirco gens bellicosa *pravum* dixit pro *imbelli* atque *ignavo*, tandem & pro *malo*; cùm inter *Mite* & *Imbelle* magna sit differentia: licet & vitiorum nomina sæpe virtutibus tribui soleant, ut in his quoque factum est. Vide Orationem Æschinis ad Ctesiph. p. 54. Nazianzenus Carmine de Vita sua,

Οἷς τὸ πρᾶον μὲν ἂν ἀνανδρίας λογίζεται.

Et alibi in Epistolis *mitem forti* opponit atque *pugnaci*: καὶ ὁ πρᾶος, inquit, ἔξω μαχητής. Eodem modo quem Græci φαῦλον, i. e. *malum*, appellant, Germani totidem literis *ignavum ac putri otio desidem* dicunt. Et ratio in utraque fortissima & bellicosissima gente, Romana & Germana, par odium, ignavia atque inertia, quam Germani *æquo cum gravissimis flagitiis supplicio puniebant*, ut est apud Tacitum libello De moribus Germanorum. Illud animadvertendum est, non obscurè Paulum hanc mutationem in Onesimo morum tribuere conversioni ejus & Christianæ religioni; quasi nulla alia res, nulla lex eum ex homine improbo probum honestumque effecerit. Quod nec fieri posse ab humanis legibus contendit B. Augustinus Epist. 54. ubi ait, *Jura*

civilia non ut boni sint, sed ut mali minus molesti sint efficere. Quo in loco vir doctissimus notat, *Leges civiles medium inter Christum & Diabolum esse.* Quæ quis æquo atque moderato præditus judicio probet? Veriùs Ulpianus noster de Juris Professoribus, vel, ut ipse vocat, *Justitia Sacerdotibus*; *Bonos non solùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes.* Sed rectè *cupientes* & modestissimè, ut Jurisconsultum decet. Aristot. lib. 3. Polit. c. 6. Denique hoc discrimen inter legem humanam & legem Divinam sive Christianam statui debere existimo, quòd illa *cupiat conetur que efficere bonos*, Christiana etiam *possit*, vires certè & robur homini Christiano ad ea quæ præcipit perficienda subministret. Meritissimè autem Paulus ad Deum refert & Christianam pietatem quòd Onesimus ex *inutili & malo probus utilisque* factus fuerit, quia non facilè poterat aliter cogitari vel persuaderi Philemoni, cùm & ipsa experientia contrà staret, & proverbii antiquissimi fides, quod & in contrarium quoque valet; *Hominem non facilè hero probum hodie improbum videri posse.* Eleganter ad hanc rem Libanius Declamatione 16. Εἶτα συλλογίζεσθαι τοῦτο, ὅτι χθὲς χρηστὸς, οὐκ ἂν δὴ πονηρὸς γένοιτο. Euripides, cujus *singulos versus singula* putabat Oracula Cicero, in Hecuba ore ipsius Hecubæ sic ait,

> Ἀνθρώποις δ' ἀεὶ
> Ὁ μὲν πονηρὸς, οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός·
> Ὁ δ' ἐσθλὸς, ἐσθλός. οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
> Φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί.
> Ἆρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν, ἢ τροφαί;

Quæ sic vertit Magnus Erasmus,

> *At mortalium quisquis malus,*
> *Nil possit aliud esse quàm semper malus,*
> *Frugi usque frugi. Sors nec ingenium viri*
> *Adversa vitiat, sed probus semper manet.*
> *Utrùm id parentum an educantium magis?*

Aliâ sententia dictum est à Choro in Phœnissis,

> Οὐ γὰρ ὃ μὴ καλὸν, οὔποτ' ἔφυ καλόν.

In rebus id verissimum, in hominibus varium. Neque aliter Pontificii Juris illud proverbiale carmen intelligitur, *Semel malus semper malus in eodem genere delicti: putà, fur semper fur, fugitivus semper fugitivus.* Quare in hoc elevando mirificum est artificium Pauli nostri. Sicut è contrario Æschines, cùm Demosthenem argueret quòd repentè ex improbo cive probum se simularet factum, tabulis publicis eum convincere conatus est; *Pulcrum*, inquit, *Athenienses, jus est tabularum publicarum custodia. Immota enim permanet, neque unà cum Reipub. transfugis immutatur, sed facultatem populo dat, ubi commodum fuerit, hominum olim improborum ac sceleratorum repentè mutatâ voluntate opinionem sua probitatis quærentium cognoscendi.* Hanc igitur præsumptionem elidere voluit Apostolus, cùm Onesimum à se institutum, à se genitum, suumque in Euangelio ministrum profitetur. Nec spem affert, sed rem ipsam, i. e. conversionem ejus sibi visam probatamque, *Nuvi*, inquit, *Nunc & tibi & mihi utilissimum.* Pretiosiorem igitur factum remittit, idque ex præsenti non ex futuro jubet æstimari. Quid aliud, quæso, dixit alter Paulus, Jurisconsultus ille noster gravissimus, in L. *Pretia*, D. ad L. Falcidiam? Nam scribit, *unumquemque servum æstimandum esse qualis in præsentia est; ejusque utilitatem spectandam esse ex præsenti tempore; nec quenquam delinquendo pretiosiorem fieri* ait, loquens de servo qui noxam nocuit. Quod infrà de Onesimo quoque à Paulo dicetur. Meritò igitur dicitur hoc loco Onesimus εὔχρηστος quo significatur non modò servum factum pretiosiorem, sed & dominum locupletiorem qui talem servum recipit. Quod absurdè diceretur si sola spes in eo considerata esset & futuri temporis utilitas, quamvis ferè certa & explorata esset, veluti si servus noster heres sit institutus: cùm multis ex causis accidere possit nè jussu nostro adeat nobisque acquirat. *Esse enim absurdum & præposterum antè nos locupletes dici quam acquisierimus*, inquit eodem loco Paulus ex Pedio vetustissimo Jurisconsulto. Quibus omnibus objectionibus una particula *Nuvi* Paulus Apostolus hic occurrit.

§. XXXII. V. 12. Ὃν ἀνέπεμψα] Prudentissimè fecit Apostolus Paulus quod neque Onesimum sine literis ad Philemonem herum remisit, neque literas solas ad eum misit. Noluit pro absente deprecari, quòd, ut rectissimè Joh. Chrysostomus annotavit, *tunc maximè indignari domini soleant cum ipsis pro absentibus preces porriguntur.* Deus non amat intercessores, sed ipse precari vult. Vide Chrysost. Homi. De profectu Euangelii, pag. 448. col. 4. Eodem consilio & Plinius Cæcilius usus est in liberto ad Sabinianum amicum unà cum literis deprecatoriis remittendo. Remisit igitur Paulus Onesimum, & quidem liberum ac solutum, non, ut consuetudo in servis fugitivis erat, vinctum vel cum custode: ut hâc quoque ratione adprobaret Philemoni probitatem & religionem servuli quem ipse in fide Christiana instituerat. Cicero in Epistola ad Vatinium Illyrici Proconsulem de Dionysio suo fugitivo requirendo & sibi remittendo, *Quemcunque*, inquit, *fidem ei dederis, præstabo. Sin improbus fuerit, ut est, duces eum captivum in triumpho.* Vide omnino Epist. 2. Cicer. adversus Brutum in fine, ubi de Licinio. Mitti etiam à dominis olim solebant qui retraherent fugitivos, *fugitivarii* ob id dicti. Qua in re tamen non tam utilitati consulere plerique consueverunt quàm dolori atque vindictæ: ideoque nullis sumptibus parcebant quò servulum sæpe nihili reciperent, ut testatur Dio Prusæus Orat. 10. & satis significat etiam Synesius Cyrenæorum Episcopus Epist. 114. de servo neptis suæ ex sorore. *Ego*, inquit, *quod ad me attinet, fuissem eum valere, (quo pacto enim consentaneum est, deteriorem quidem melioribus non indigere, qui autem profitentur se meliores indigere deteriore?) sed domina miseri illius servi* (τοῦ κακοδαίμονος) *nondum persuadetur ut eum contemnat qui eam non amat: & me plurimum rogavit ut mitterentur qui eum retraherent. Suscepit operam istam volens contubernalis noster Aiathales.* οὔπω πείθεται τῶν οὐκ ἀντεχομένων. Obscurè & planè in contrariam Synesii sententiam vertit Latinus interpres, voce necessariâ omissâ, φιλοσοφεῖν. Vertendum enim erat, *nondum ad eum gradum sapientiæ venit ut sibi persuaderi patiatur, contemneret eos à quibus non amatur.* Quod clariùs adhuc intelliges si hanc Epistolam cum indicato Dionis loco contuleris. Est & alia ejusdem Synesii Epistola summâ elegantiâ & lepore condita, ad fratrem Eutropium, 32. de alio servo suo, quem ait *& animo & nomine servum*, καὶ τοὔνομα δοῦλον, καὶ τὴν προαίρεσιν, *luxûsque & libidinum mancipium: quem jubet sibi remitti in navi, vinctum in ipso navis tabulato, nè si in navem descendat*, inquit, *dolia multa semivacua reddat. Si autem navigatio longior sit, & ad facem usque sorbuerit florem vini, & vero nautis persuaserit idem facere. Nam præter reliqua vitia aptissimum est scelus ut ad voluptates vocet alios. Non se tamen supplicium de ipso aliud sumpturum* pollicetur, eodem modo quo Cicero, ut suprà docuimus, addita memorabili hâc sententia, Ἀποχρῶσα γὰρ ἡ πονηρία δίκη τῷ πονηρῷ· quod ità Latinorum veterum quidam, *Satis pœna in ipso scelere esse*, effert. Sanè Monachus transfuga & desertor deputatur cohorti Præsidis ex Novell. 5. sed ex Novell. 123. cap. 42. is tantùm qui bis desertor factus est, qui semel, monasterio redditur.

§. XXXIII. Σὺ δὲ αὐτὸν, τουτέστι τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, προσλαβοῦ] Non ut retractum ex fuga, non ut redditum, non etiam ut remissum servum suscipi jubet, sed tanquam sponte sua reversum. Quamvis enim volens redibat ad herum, tamen suadente & remittente Paulo, & literis ejus munitus id faciebat. Quantum autem inter illa tria intersit, declarat illa generosa vel potius ferox vox Regis Mithridatis ad Imp. Claudium, ad quem suasu Regis Adorsonum & fide profectus erat: *Non sum remissus ad te*, inquit, *sed reversus: vel, si non credis, dimitte, & quære, hoc est, retrahe, si potes, atque experitor.* Addit etiam Paulus, non *ut servum*, vel *ut Onesimum*, sed *ut viscera mea*, inquit, h. e. filium meum: quo nomine omnia continentur. Quem locum imitatus est doctissimus ille Episcopus Salvianus in pulcerrima Epistola deprecatoria quam pro se & uxore filiolaque scripsit ad parentes ejus: *Suscipite*, inquit, *ergò hanc, ut mea viscera, & quantum in vobis est, vestra facite; inlicite, adhortamini, docete, instituite, formate, gignite.* Imitatus est & Magnus ille Gregorius Nazianzenus Orat. 2. ubi Nazianzenus suæ fidei curæque à patre eorum Episcopo creditos *sua* itidem *viscera appellat*, unà cum aliis dulcissimis vocabulis: Sic enim ait, Τὸ ἐμὸν γεώργιον, ἡ ἄμπελος ἡ ἐμὴ, τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, μᾶλλον δὲ τοῦ κοινοῦ πατρὸς ἡμῶν, ὃς οὕτως ἐν Χριστῷ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγέννησεν. αἰδεῖσθε μὲν καὶ ἡμᾶς· δίκαιον γάρ· οἱ πάντων ὑμᾶς προετιμήσαμεν, *Vos mea agricultura, vinea mea, viscera mea, aut communis potiùs parentis hujus nostri, à quo per Euangelium in Christo geniti estis. Nos quidem etiam ipsos colite atque observate: æquum enim: cùm vos omnibus rebus prætulerimus.* Explicationem illam, *in Christo per Euangelium vos genuit*, ex eodem Paulo sumpsit 1 Cor. 4. Signatè autem Paulus hoc loco προσλαβοῦ dixit. *Suscipimus* enim quasi porrecta manu supplices ac jacentes, ut notavit eruditiss. Interpres ad illud Lucæ 1. 54. Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ, μνησθῆναι ἐλέους. Est enim, teste Galeno, τὸ ἀντιλαμβάνεσθαι manûs proprium, ut ex antecedenti intelligatur consequens.

§. XXXIV. V. 13. Ὃν ἐγὼ ἐβουλόμην πρὸς ἐμαυτὸν κατέχειν] Sed cur non retinuerit, causam infrà exponit. Ac nè illud quidem voluit, moram aliquam interponere, ut ità magis animus heri placaretur. Multò minùs exspectandum sibi judicavit donec ipse ad Philemonem proficisceretur, quod brevi facere

facere in animo habebat, ut apparet ex fine hujus Epistolæ. Nam differentiam in eo suam aliquam ambo prodidissent, & Paulus & Onesimus. Deinde verendum erat nè, si ipse eum reduxisset, etiam ipsius consilio profugisse videretur: quod Æschini callidissimè exprobravit Demosthenes in Oratione περὶ ςεφάνε· ideoque usus est suspiciosissimo verbo, *reduxit*. Ad quem locum Ulpianus, *Nota*, inquit, *verbi solertiam. Postquam enim dixit, è concione adjutore Æschine fugisse, propriè dixit*, REDUXIT, *i.e. in eundem locum denuo sistit eum Senatui per quem prius evaserat.* Admonet me hic locus sententiam quandam Aristotelis, quam ex ejus Epistola ad Antipatrum Phalereus refert, illustrem, si potero, super exsule quodam sene, ut ait, scriptam his verbis, *Εἰ δὲ πρὸς ἀπάσας οἴχεται τὰς φυγὰς ἔτος, ὥςε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς τοῖσγε εἰς ᾅδε κατελθεῖν βελομένοις ὐδεὶς φθόνος*· quæ sic vertit doctiss. Victorius, *Sin autem ad omnes fugas hic abit, ut non reducere liceat, planum est non esse invidendum his qui apud inferos sunt, redire volentibus.* Hujus autem sententiæ interpretationem quàm modestissimè, ut in re obscura, talem commentus est, *Si hic senex ad omnes fugas* (sive *exsilia*) *abit ex oculis, ut non liceat, cùm velis, reducere; planum est quòd iis qui apud inferos sunt, redire volentibus, nulla invidia sit: id est, nemo, qui sapiat, illis invidere debet, quia scilicet & ipsi quod ardenter cupiunt nunquam adepturi sunt. Conficit igitur ipsos desiderium illud sine utilitate ulla.* Hæc optimus ille & de literis omnibus præstantissimè meritus senex, qui vereor nè in hoc sene Aristoteleo assecutus sit mentem magni Philosophi. Neque enim ullam video consequentiam vel rationem mediocriter docto homine, nedum Aristotele, dignam, si quis ità dicat, *Ille senex exsul ità ad omnes fugas abit & quasi delabitur ut reducere eum non liceat: Ergò non est invidendum iis qui ab inferis redire frustrà cupiunt.* Dicam igitur quid mihi videatur. Primum quod Aristoteles ait ὐδεὶς φθόνος malè interpretari Victorius videtur *nulla invidia*, vel *invidendum non est*; cùm ea locutio apud Græcos, ut eruditiss. Budæus in Commentariis multis prolatis exemplis docet, idem valeat quod *denegandum non est*, vel *non denego*, vel *succensendum non est*, aut *ægre ferendum.* Deinde in illis verbis κατελθεῖν βελομένοις excidisse particulam abnutivam existimo, scriptumque fuisse ab Aristotele μὴ κατελθεῖν βελομένοις· ut sit hic sensus, *Si hic & senex & exsul* (quorum utraque calamitas atque ærumna significatur) *libenter in omni exsilio versatur, sive ad omnia loca libenter & æquo animo exsulandi causà abit, ut se reduci & revocari ab exsilio nolit, sive nè ea videat quæ visu, sive nè ea audiat quæ auditu sunt miserrima, certè succensendum nullo modo est iis qui ex inferis ad hanc vitam ærumnosissimam redire nolunt ab æterno illo exsilio*, ut Horatius vocat, *cùm illic, præsertim si campis Elysiis potiantur, meliore conditione vitæ fruantur.* Et ideo, ut Virgilius ait,

Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.

Addit autem Demetrius judicium suum de hoc loco Aristotelis tale; *Qui sic disputat, demonstranti magis similis est, non familiariter loquenti: ideoque magis Epistolæ quàm dialogo hanc rationem convenire. Quis enim*, inquit, *sic loquatur cum amico ut Aristoteles ad Antipatrum scripsit*, &c. *Demonstranti*, quod ait, i.e. ἐπιδεικνυμένῳ, id non intelligo de Oratoris sermone & demonstrativo dicendi genere, quod Fabius *ostentativum* appellat, (atque in hoc iterum labi Victorium puto) sed de accurata differendi ratione vel argumentatione, quæ Aristoteli ἐπίδειξις & ἀποδεικτικὴ dicitur. Quòd si quis dicat, non solùm à sermone familiari eam sed etiam ab Epistolari alienam esse (quod tamen Demetrius negare videtur, dum hanc Epistolæ Aristoteleæ insertam sententiam laudat) ei ego sic responderim, Non absolutè vel simpliciter id cuivis Epistolæ convenire, sed accuratiori, & quæ ad Regem vel alium præpotentem eruditumque hominem scripta sit, ut illa Aristotelis ad Regem Antipatrum. Alia ratio est si quis Regis aut Imperatoris nomine Epistolas scribit: qua in re Philostratus Lemnius reprehendit olim per epistolam Aspasium Oratorem Ravennatem, quòd ad Imperatorias literas scribendi munus promotus, quasdam majori contentione quàm decebat, quasdam verò minùs dilucidè scripsisset: ὧν ὐδέτερον, inquit, βασιλεῖ πρέπον· αὐτοκράτωρ γὰρ δὴ ὁπότε ἐπιςέλλοι, ὐδὲ ἐνθυμημάτων, ὐδ' ἐπιχειρήσεων, ἀλλὰ δόξης, ὐδ' αὖ ἀσαφείας, ἐπειδὴ νόμους φθέγγεται· σαφήνεια δὲ ἑρμηνεὺς νόμε, i.e. *Quorum neutrum Regi* (sive *Imperatori*) *decorum conveniensque erat. Imperator enim, cum epistolas mittit, neque enthymematis, neque argumentis, sed cum gloria & imperio id facere debet, neque rursus obscuritate uti, cùm leges pronunciet: perspicuitas autem Legis interpres est.* Hæc Philostratus, qui suam illam ad Aspasium epistolam dicit à se de ratione Epistolas scribendi scriptam fuisse. Simillimum præceptum Dionysii Longini in libro περὶ ὕψες. ubi & Mosem legislatorem Judæorum laudat quòd in Dei operibus imperiisque exponendis magnifica & Deo digna oratione sit usus: *Ταύτῃ*, inquit, *καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, ὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ Θεὺ δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ Θεὸς, φησί. τί; Γενέσθω φῶς· καὶ ἐγένετο. Γενέσθω γῆ· καὶ ἐγένετο.* Quæ si consideravisset Galenus, nunquam in hac ipsa re Mosem reprehendisset vel irrisisset.

§. XXXV. *Ἵνα ὑπὲρ σῦ διακονῇ μοι ἐν τοῖς δεσμοῖς τοῦ εὐαγγελίε*] *Nunquam qui privatim nequam est* (ut hic Onesimus in fuga) *publicè frugi erit*, Æschin. ad Ctesiph. p. 24. Quodnam verò *ministerium* Apostolus intelligit? Spirituale, ut videtur: ait enim ὑπὲρ σῦ. Nam nobilis Philemon, ut tradunt Ecclesiastici scriptores. Deinde *in vinculis Evangelii* ait: quod tamen est ambiguum, cùm possit intelligi *in vinculis quæ propter Evangelium sustineo.* Utrumque igitur verum est, & spiritualia & corporalia ministeria præstitisse Paulo Onesimum. Theophylactus, *κατηχήθη παρ' αὐτοῦ, καὶ γέγονεν αὐτῷ χρήσιμος εἰς διακονίαν.* Quæ posteriora verba sunt Pauli 2 Tim. 4. 11. Qua in re meritò reprehensa est à doctissimis viris Cardinalis Cajetani sententia, qui *Diaconos in primitiva Ecclesia solùm in mensis profanis Christianorum ministrasse, non etiam in spirituali illa & cælesti Cœna Dominica scribit*: quod cùm aliis testimoniis S. Patrum, præcipueque Hieronymi, tum S. Ignatii Apostolorum discipuli auctoritate refellitur. Apud hunc enim exstat de Diaconis, sicut & de Episcopis & Presbyteris, quos & *Sacerdotes* vocat (quæ administrationes ac dignitates unà cum Ecclesia natæ sunt) pulcerrimus & notabilis locus in Epistola S. Ignatii Martyris & Apostolorum συγχρόνε ad Trallicnsem Ecclesiam, *Δεῖ δὲ καὶ τὺς διακόνους ὄντας μυςηρίων Χριςοῦ Ἰησοῦ, κατὰ πάντα τρόπον ἀρέσκειν. ὐ γὰρ βρωτῶν καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται. δέον ὖν αὐτῶν τὰ ἐγκλήματα φυλάττεσθαι ὡς πῦρ φλέγον. αὐτοὶ μὲν ὖν ἔςωσαν τοιοῦτοι· ὑμεῖς δὲ ἐντρέπεσθε αὐτοὺς ὡς Χριςὸν Ἰησῦν, ὖ φύλακές* (vicarii) *εἰσιν τοῦ τόπε, ὡς καὶ ὁ ἐπίσκοπος τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων τύπος ὑπάρχει· οἱ δὲ πρεσβύτεροι, ὡς συνέδριον Θεῦ, καὶ σύνδεσμος ἀποςόλων Χριςοῦ. χωρὶς τέτων ἐκκλησία ἐκλεκτὴ ὐκ ἔςιν, ὐ συνάθροισμα ἁγίων, ὐ συναγωγὴ ὁσίων.* Et post multa, *Τί δὲ διάκονοι ἀλλ' ἢ μιμηταὶ τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων, λειτυργῦντες αὐτῷ* (Episcopo) *λειτυργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον*; Et in Epistola ad Magnesios *Episcopum* ait *vice Dei præsidere, Presbyteros esse loco Senatus Apostolici, Diaconis commissum esse Jesu Christi ministerium.* Idem appellat eos *συμβύλυς καὶ συνεδρευτὰς τοῦ ἐπισκόπε.* Fuere & aliæ plures in illa nascente Ecclesia administrationes quæ putantur ab imperitis novæ & à Romanis vel Græcis Episcopis excogitatæ. Nam in Epistola ad Antiochenses, *Saluto*, inquit, *Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores. Saluto custodes sacrorum vestibulorum in Christo Diaconissas. Saluto Christo affiatas virgines, quibus fruar in Domino Jesu.* Paulus verò Apostolus omnes illas functiones videtur duobus nominibus complexus in Epistola ad Philippenses statim initio, cùm ait, *Omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, unà cum Episcopis & Diaconis.* Aliàs *Diaconorum* nomen omnes qui functionem aliquam vel munus in Ecclesia gerunt comprehendit, etiam ipsos Apostolos, ut intelligimus ex ipsius quoque Petri oratione quæ exstat Actor. 1. 25. & Paulo Rom. 11. 13. Qua de causa verbo *Διακονίας* [*l. διακονίας*] Monasterii non *administratio* tantùm & *opera*, quâ Ecclesiæ Dei serviebant, maximè in distribuenda pauperibus pecunia & bonorum Ecclesiasticorum administratione (quod cùm ex aliis tum maximè ex pulcerrimo Prudentii hymno in Laurentium Martyrem cognosci potest) sed etiam *auctoritas* atque *imperium* significatur. Sanctus quidem Ignatius in omnibus Epistolis cùm *Diaconorum* facit mentionem, etiam ipsis Episcopis ac Presbyteris videtur eos præferre, ardentissimeque suum erga eos affectum adeò declarat ut nihil dici posit supra. Insecutis verò temporibus eò dignitas eorum crevit, vel eos potiùs sibi ipsis spiritus eamque arrogantiam sumpserunt, ut etiam ipsis Presbyteris sese præferrent, multis eorum ambitioni suffragantibus, adversùs quos Hieronymus & Augustinus scripsere; ii præsertim qui principes in ipsorum ordine erant, & ob id *Archidiaconi* appellati sunt: cæterique iis, non solùm Presbyteri, sed etiam Archipresbyteri. Quod eâ maximè ratione factum videri potest quòd Archidiaconus jurisdictioni præsit atque universæ Ecclesiasticæ disciplinæ, & *oculus Episcopi* dicatur, c. *Ad hæc*, &c. ult. de off. Archid. aliaque similia, quæ apud gravissimum & eruditissimum nostri seculi Jurisconsultum Jac. Menochium legi possunt, Consilio 51, & 52. & iterum Cons. 257. in quo Decanum Capituli etiam Vicario Episcopi præferendum esse pugnat, eo maximè argumento, quòd sit loco Archidiaconi & Archipresbyterii, eorumque dignitatem obtineat, præsertim ubi nullus Archidiaconus vel

Archipres-

Archipresbyter est. Nequid hîc dicatur de Diaconis Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ, quos & Episcopis & Archiepiscopis ipsis præferri dignitate constat. Inter quos legi quendam qui *Cardinalis Diaconus in carcere Tulliano* vocatur. In quo carcere fortè & Paulus Apostolus extremo vitæ tempore fuit, habuitque hunc sibi Diaconum Onesimum, quem idcirco hoc loco *Diaconum suum in vinculis Euangelii* vocat; multò & justiore & honoratiore titulo quàm illum Cardinalem dixi, quem verisimile est in amplissimo & magnifico potiùs palatio habitavisse; ut omnium mos est purpuratorum illius aulæ. Cur autem D. Paulus tantopere Diaconum sibi Onesimum expetiverit, non ea sola ratio est quòd eum ardentissimè diligebat, sed illam etiam ob rationem, quòd *Episcopus vel Sacerdos sine Diaconis nomen non habet, ortum non habet, officium non habet*, ut ait B. Hieronymus in epistola quadam ad Rusticum, c. *Diaconi*, 2. Dist. 43. ubi addit, *Sacerdotibus non licere de mensa Domini calicem tollere nisi eis traditus fuerit à Diaconis*; adeoque *in ipso altari Domini Diaconos Episcopis anteponi*, & cætera quæ apud ipsum legi & in Jure Pontificio.

§. XXXVI. V. 14. Χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης οὐδὲν ἠθέλησα ποιεῖν] Multæ & graves causæ potuerunt Paulum Apostolum movere ut Onesimum, quamvis cuperet, sibi retinendum non judicaret. Quarum causarum unam tantùm elegit quam Philemoni exponeret, quòd ea & honestissima esset & institutæ deprecationi maximè conveniret, ut pluribus sequenti capite docebo. *Opportunum tempus interveniendi pro servo est quando servus emendatur*: ità Arnobius in Psalm. Dav. Nunc alias causas explicemus. Et primò occurrit illa quam ipsemet Paulus in hujusmodi casibus alibi pro regula & præcepto tradidit, nimirum nè hàc ratione infamaretur Euangelium, si religionis Christianæ prætextu servi sese dominis suis impunè eriperent. Ità enim scriptum est 1 Tim. 6. 1. ἵνα μὴ ὄνομα τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται, ab Ethnicis scilicet, quibus solemne erat omnia mala publica Christianis imputare, ut est apud Tertullianum, Cyprianum, Minutium Felicem, Athenagoram, Justinum Martyr. Hieronymum, & alios veteres. Quod & Chrysostomus in hac Epistola annotavit, Ὅτι ἐπὶ ἀνατροπῇ τῶν πάντων ὁ Χριστιανισμὸς εἰς τὸν βίον εἰσενήνεκται. Non fuisse autem hanc Ethnicorum querelam, quod servos quidem attinet, vanam, sed frequentissimè in ea re non à servis modò, sed etiam ab aliis qui eos reciperent, adeoque à Pontificibus aliisque Antistitibus Christianis peccatum, clarè demonstrant tot regulæ, tot Constitutiones Ecclesiæ veteris, totque Patrum Decreta: Quorum bonam partem legere est in Jure Pontificio relatam in prima parte Decreti, Dist. 54 cujus inscriptio est, *Servi sine dominorum consensu & libertate non ordinentur*. Ubi hujus mali cùm fontes multi aperiuntur tum incommoda gravissima. Etiam illa quam suprà attuli ratio expressa est in rescripto Gelasii ad Rufinum & Aprilem Episcopos, his verbis, *Qua modo omnibus est amovenda pernicies, nè per Christiani nominis institutum aut aliena jura pervadi, aut publica videatur disciplina subverti*: quod & *à Clericali dignitate alienum* esse subjungit. Non dubito quin & Onesimus ipse optaverit ad dominum reverti suum, quò testaretur, non se ideo religionem Christianam amplexum fuisse ut se legitimi domini potestati subduceret. Quare nec retineri à Paulo, quamvis ille voluisset, neque auctoritate vel imperio, neque religionis prætextu, neque precibus ab hac sententia potuerit deduci: ut hic quoque valeat illud πολυθρύλλητον Homeri de hospitibus atque convivis,

Χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

Apud veteres Romanos memorabile est quod Plinius lib. 28. Nat. hist. cap. 2. narrat, his verbis, *Vestales nostras hodie credimus nondum egressa urbe mancipia fugitiva retinere in loco precatione*. Sed magica hæc precatio sine dubio fuit. Alia causa quà moveri Paulus justissimè potuit ut servum hero remitteret, illa est, Quòd non ignorabat quæ Jure Romano (nè quid de aliarum gentium moribus dicam) constituta essent in eos qui servos alienos fugitivos aut receptarent aut retinerent, sanè plurima, & diligentissimè severissimeque omnia. De quibus nihil hoc loco dicam, cùm sint ea à me collecta atque explicata fusiùs in Commentario ad Orationem Divi Marci Imp. de servis fugitivis. Illud modò hic admonebo, Videri mihi labem hanc atque *perniciem*, ut Gelasius rectè vocat, in Rep. maximè versatam fuisse postquam primus omnium Imperatorum Constantinus M. abjectâ Gentilium superstitione ad religionem Christianam conversus est. Quare non parùm ipsi aliisque ejus successoribus laborandum fuit ut hoc malum tolleretur; quod fieri nisi interdictorum & pœnarum severitate non potuit. Atque eò referendum puto quod in veteribus inscriptionibus observavimus,

IMP. AUG. CONSTANTINO PATRI DOMINORUM.

Ejusdem rei clarissima quædam documenta hodieque exstant in Codice Justinianeo, in quo tales relatæ Imp. Constantini sunt Constitutiones, quibus diligenter & severè adversùs hujusmodi servos, eosque qui ipsos manumiserint insciis dominis, vel aliquid de bonis dominorum possident, sancitum est, ut apparet ex L. 7. Cod. De his qui à non dominis manumissi sunt. L. 3. Cod. Quib. ad libertat. proclam. non licet, & aliis. *Non ergò Imperator sibi licere voluit servum manumittere invito domino*, ut inquit Zasius Intellect. singular. pag. 34. Ubi obiter adnotare placuit morem servos in theatro manumittendi. Qua de re Æschinem vide contra Ctesiph. pag. 13, & seq. Postremò & illâ causâ permotus videtur Paulus ad remittendum Philemoni servum, Quòd fortè questum Philemonem de eo recepto cognorat. Certè ità Paulus existimavit, iniquo animo Philemonem in sese esse, cùm dicat *eo invito noluisse se quicquam in eare*, i. e. retentione Onesimi, *facere*; eoque justior videri Philemonis indignatio potuit, si Paulum, ad quem confugisse servum resciverat aut suspicabatur, de eo admonuit. Ignorantia enim receptatores solet aliquo modo excusare. Quod & in illo nequissimo pariter ac mollissimo Q. Catuli epigrammate apud Gellium lib. 19. c. 9. relato notatum est,

Quid si non interdixem nè illum fugitivum
Mitteret ad se intrò, sed magis ejiceret?

Vide sis omnino Chrysost. Comment. in Matth. p. 194. col. 3. Omnibus igitur de causis rectissimè Paulus fecit, quod nullâ nec commodorum suorum nec religionis etiam ratione habitâ Onesimum hero remisit, præsertim cùm de heri voluntate dubitaret.

§. XXXVII. Ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ, ἀλλὰ κατὰ ἑκούσιον] Xenocrates rogatus *quid præstare posset discipulis*, respondit, *ut id voluntate faciant quod alii jure coguntur*. Refert Servius in lib. 7. Æneid. Docet igitur hic Paulus Philemonem discipulum quod Xenocrates suos. Sanè nihil iniquiore animo ferre homines probi & generosi solent quàm videri aliquid necessitatè potiùs coacti facere quàm voluntate suâ & animi inductione; cujus opinionis vitandæ causâ, quod libentissimè alioquin erant facturi, interdum non faciunt. Quare prudens ille Phœnix Achillis adolescentiæ moderator, cùm eum ad pugnam exhortaretur, gravissimè peccaturum dicit, si rogatus à Principibus Græcorum, multisque & amplissimis donatus muneribus id facere nolit quod postea tamen nullo rogante & sine ulla gratia sit facturus, etiamque invitus. Ἐλέγχει, inquit vetus Homeri Scholiastes, ὅτι καὶ ἄκων ὕστερον αὐτόλητος [*so.* αὐτάκλητος] ἐπικουρήσει. Deinde quod ab invito fit, quamvis ipsum per se laudabile & honestum sit, tamen virtute caret: quemadmodum & si sine bono non fiat. Nam ut à voluntate tanquam principio sic & à fine honestæ actiones dijudicantur, ut Philosophi docent. Nec minùs eleganter Synesius Epist. 147. ad Johannem, qui ad solitudinem adjunxerat & fuscum palliolum; *Approbo*, inquit, *id omne quod Dei causâ fit. Id enim cujus gratiâ aliquid fit, auctori tribuit, ut rectè faciat, & penes voluntatem est virtus*, Τὸ γὰρ οὗ χάριν γίνεται, δίδωσι κατορθοῦν τῷ ποιοῦντι, καὶ ἡ προαίρεσις ἔχει τὴν ἀρετήν. Dicit autem hoc loco Apostolus τὸ ἀγαθόν σου quod antea τὸ εὔχρηστόν σου dixerat. Nihil enim *bonum* nisi quod *honestum*. Hieronymus lib. 4. in Esa. 11. *Unde & Stoici*, inquit, *qui nostro dogmati in plerisque concordant, nihil appellant Bonum nisi solum honestum atque virtutem, nihil Malum nisi turpitudinem*. Voluit autem hàc ratione Paulus omnem hanc laudem mansuetudinis & misericordiæ tribui Philemoni; quia, ut eleganter ait Val. Maximus lib. 2. cap. 2. *quicquid cogitur imperio, exigenti magis quàm præstanti acceptum refertur*. Huc pertinet & illa eloquentissimi Doctoris Joh. Chrysostomi disputatio in Hom. 5. De Pauli laudibus, ubi ait, *Quia sponte nos vult effici bonos Deus, non necessitate atque violentiâ, idcirco magna cum varietate in hominibus curandis uti*. Cujusmodi studium & Paulo attribuit. Imitatus Divinum præceptorem est Isidorus Pelusiotes in Epist. Neque tamen, si quid alieno jussu atque imperio facimus, continuò dicendum est *involuntarium*, cum & id non solum velle sed & libenter facere possimus. Neque *virtutis* aut *officii* nomine privari debet. Utrumque enim virtus, utrumque officium est, licèt diversum. Salvianus lib. 2. ad Catholicam Ecclesiam, *Non ut cæteris voluntariam, sed imperativum officium professionis indicit*. Eleganter *imperativum* opponit *voluntario*. Sicut ab eadem mente S. Hilarius in Psal. 119. in litera Nun, *voluntaria legitimis* anteponit. Hæc enim voluntaria non legitima sunt, & his obtemperare libertatis potiùs quàm necessitatis officium. Multò quidem semper est gratius in beneficiis quod

quod spontè fit quàm quod necessitate. *Odi humanitatem*, inquit Demosthenes in Orat. contra Leptinem, *quam extorquet necessitas.* Ideo autem legitima voluntariis opponuntur, quia legum sit imperare, & legum servi simus. Unde & *imperativa* ac *legitima verba* in libris nostris idem significant, & à *precariis* toto genere distinguuntur. In ratione autem disciplinæ, præsertim Ecclesiasticæ, quia obedientia maximè laudatur, nihil ex arbitrio proprio, sed ex præscripto facere, in primis honestum & pium habetur. Quare Johanni Damasceno viro & Theologo nobilissimo monasticam vitam ingresso senior inter præcepta, quæ multa & varia ei exposuit, hoc primo loco ponit, Τὸ μηδὲν πράττειν τῷ ἰδίῳ θελήματι· ideoque & καλὸν θεμέλιον id appellat: ut legere est apud Johannem Patriarcham Hierosol. in Vita Damasceni. In argumento autem hoc nostro nihil magis alienum erat quàm aliquid pro imperio agere videri erga herum qui justissimis de causis fugitivo servo erat infensus. Itaque officium tantum ei & pudorem Paulus objicit, *quo magis homines liberos commoveri quàm ullâ necessitate vel imperio* Demosthenes primâ Philippicâ scribit. Nihil autem omnium minùs imperari potest aut debet quàm Religio, ut sanctissimorum Patrum ac Theologorum decretis, sed & Imperatoris primi Christiani exemplo patet, Constantini Magni, de quo ita Zonaras lib. 3. Annalium scribit, *Postquam Christiana religionis doctrinâ & mysteriis institutus instructusque fuit, Christianis securitatem per praconem denunciavisse, templaque eorum aperiri, novaque condi; ac vicissim fanis falsorum deorum clausis, impune quosvis qui vellent Christianam religionem amplecti permisisse.* Βιάζεσθαι μὲν γὰρ οὐδένα ἔλεγε βούλεσθαι, τοὺς δὲ ἑκόντας τῷ Χριστῷ προστιθεμένους ἀποδέχεσθαι, i. e. *neminem se vim adhibiturum, sed eos libenter suscepturum qui sponte ad Christi se religionem contulissent.* Alia ratio fuit, nec tamen, si omnia perpendas, injusta, Caroli itidem Magni, primi in Occidente Imperatoris, cùm Saxones bello ac suppliciis & adegit ad Christianam religionem, abjuratâ veteri patriâque superstitione, & in ea sæpiùs rebellantes acerbissimis exemplis continuit. Sed hæc quæstio gravior est & perplexior quam ut hic à nobis disceptari debeat. Exstant cùm aliorum de ea commentationes, tum accurata Alberici Gentilis JC. fratris mei optimi clarissimique in libris De jure belli disputatio.

§. XXXVIII. V. 15. Τάχα γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς] Tria in hac pulcerrima & divinissima Epistola Paulo proposita fuisse mihi videor animadvertisse. Unum est, ut Onesimum servum fugitivum hero reconciliaret. Alterum, ut eum in maxima heri gratia dignitateque collocaret. Tertium, ut Philemon eum sibi Romam remitteret. Priora illa duo non solùm summo artificio sed etiam summo animi ardore tractavit, & quidem palàm. Neque enim desiderium suum de utroque capite dissimulavit ullo modo, cùm & ut recipiatur ab hero sæpe iteratis verbis contendit, & ipse se pro eo *satisfacturum* spondet, & *non ut servum, sed ut fratrem dilectissimum haberi* eum oportere demonstret. Tertium illud, ut sibi Onesimus remittatur, non est palam ausus petere; tum nè irritaret animum Philemonis, si hoc modo non tam remittere ei servum quàm ab eo penitùs abalienare eique eripere videretur, addito precum ludibrio. Nam ut Jure civili proditum est, *neminem videri dare aut solvere quod illico recepturus sit*, ità nec Paulus reddere servum hero visus esset, quem statim reposceret. Sed quod apertè ausus non est, nè susceptum à se patrocinium corrumperet, id obliquè & exquisitissimis rationibus aggressus est. Nam cùm antea *utilem ac pernecessarium sibi* Onesimum *in administratione Euangelii* dixit, cum *desiderium ejus retinendi suum* exponit, cum *filium*, cum *viscera sua* toties appellavit, quid aliud quàm significare Philemoni voluit, eum ut sibi remitteret, totumque condonaret? Ad omnia ista tria obtinenda respexit Paulus his verbis, quæ huic capiti præfiximus. Voluntatem enim Dei immortalis arcanam ob oculos proponit Philemoni, quâ factum sit ut fugam ille arripuerit ad sese Romam, quò non solùm Christianâ religione à se imbueretur, sed etiam administrationis fieret Euangelicæ particeps & quasi socius. Huic voluntati non obluctari debuit Philemon, nec parère aliâ ratione meliùs poterat quàm servo ad Paulum remisso. Simul & lenit extenuatque delictum Onesimi, quò faciliùs ei ignoscatur. Postremò, si Deo impulsore fugit vel, ut ait, *separatus est* ab hero, etiam eodem Deo auctore non pro fugitivo eum & *servo* sed *pro fratre* habendum esse significat: quod postea apertè ab eo petit. Cæterum quia inverisimile sciebat atque incoloratum videri posse Philemoni aliisque si palàm negaret Onesimum fugitivum esse ac furem, modestissimè simul ac artificiosissimè ab humanis rationibus Philemonis mentem traducit ad altissimum atque arcanum Dei consilium: Sed ità ut nec illa quæ dixi delicta Onesimi neget, & hoc tamen insinuet. Ipsa autem delicta, Deus bone, quantâ arte extenuat! Primùm ait ἐχωρίσθη, *separatus est*, non *fugit*: deinde, πρὸς ὥραν *ad tempus*, vel *ad momentum*. Non igitur propriè & ex usu Juris *fugitivus* dici potest, ut infra dicetur: tum, *ut ipsum reciperes*: denique, *in æternum*. Quæ singula nobis pro instituti nostri ratione accuratiùs explicanda sunt. Sed priùs de particula illa τάχα exponamus quædam nec protrita nec inutilia Sacrarum amatoribus literarum.

§. XXXIX. Τάχα] Artificium Pauli, quòd neque negat, neque fatetur delictum Onesimi, sed dubitanter de eo scribit, quod est inter negare & confiteri medium. Atque in hanc rem Julius Severianus in Syntomatis sive Præceptis artis Rhetoricæ, *Scias nunquam confitenda esse quæ nocent, interdum vero neganda:* quod Cicero Milonianâ Oratione scitè observavit. Neque dubitantis animo, sed affirmationem hoc temperamento emollientis à Paulo factum esse ut hâc particulâ uteretur existimat eruditissimus Theologus atque Interpres: quam observationem apud alios veteres Theologos reperi. Sic enim B. Ambrosius lib. 2. De pœnitentia, cap. 5. de hac ipsa particula scribit, *Non semper dubitantis est ista locutio. Denique ipsi sapientes seculi, qui omnem gloriam statuunt in expressione verborum, quod Latinè fortè, dicimus Græcè τάχα, non ubique pro Dubitatione posuerunt. Ajunt itaque dixisse primum suorum Poëtam,*

—— ἦ τάχα χήρη
Σεῦ ἔσομαι.

quod est, Citò vidua ero. *Et alibi*,

—— τάχα γάρ σε κατακτανέουσιν Ἀχαιοὶ
Πάντες ἐφορμηθέντες.

Non enim dubitaret, omnibus simul insurgentibus, unum facilè ab universis posse prosterni. Hæc Ambrosius, qui & alia Scripturæ loca profert. Similiter B. Hieronymus in Epist. ad Galatas, cap. 2. ad illa verba, *Nè fortè in vanum currerem, aut cucurrissem*, *dictum esse* ait, *non quò Paulus timuerit nè per decem & septem annos falsum in Gentibus Euangelium prædicasset; sed ut ostenderet præcessoribus suis, non se in vacuum currere aut cucurrisse, sicut putaverunt ignorantes.* Et Paulò antè humilitati id & modestiæ Pauli tribuit. Habet talis moderatio & illam utilitatem, quòd plùs sæpe valet ad persuadendum quàm si quis diceret, *Certò scio*, vel *Certò mihi persuadeo*, utique in rebus obscuris ac dubiis, quemadmodum Ulpianus Demosthenis interpres declarat in primam Olynthiacam. Imò & in rebus certis atque claris tali temperamento verborum uti prodest. Quod probat ille mos veterum Romanorum laudatus Ciceroni adversùs temeritatem Gallorum & Græcorum irreligiosam, qui in testimoniis dicendis *se certò scire*, *se compertum habere*, affirmare solebant; at contrà Romani semper *videri* in sententiis, in testimoniis *arbitrari* dicebant, teste Cicerone in Lucullo extremo, & in Oratione pro M. Fonteio. Quod *verbum consideratissimum* Cicero appellat, non quòd dubitarent de eo quod testabantur (id enim certò illis constabat, & constare debebat) sed nè temere & impudenter aut cupidè testimonium dixisse viderentur. Neque secùs ipsi Judices, & quorum maximè debent esse certæ sententiæ, hoc verbo utebantur. Qua de re alibi à nobis copiosiùs explicatum est. Hujusmodi locutiones & particulas Accursius *temperamentum Philosophicum* appellat, quod & cum M. Tullio *Romanum*, cum Hieronymo *Paulinum* vel *Theologicum* possis appellare. Interdum & Deo ipsi talis oratio tribuitur in S. literis: ut Matth. 21. cùm sciret Filium suum interfectum iri, dixit tamen: *Fortè verecundabuntur*, &c. Item Ezech. 2. *Si fortè audierint*: quod dictum Chrysostomus interpretatur, *nè quidam ex amentia dicerent prædictione Dei coactos eos obtemperare non potuisse*, Hom. 68. in Matthæum. Talia sunt illa quoque in quibus non Dubitationis particula *fortè*, sed aliæ similes ponuntur, velut illa Conditionis species Εἰ, vel εἴπως, vel μήποτε. Nam ut illa Dubitationis index certa perpetuaque non est, sic neque istæ. Phil. 3. Εἴπως, vel Εἰ, habet vim non Dubitandi, sed aliquid Pollicendi. Sicut & Num. 22. & Lev. 22. Act. 17. 2 Tim. 2. Μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς, &c. *Si fortè Deus eis concesserit pœnitentiam. Verbum enim ambiguum tribuitur Deo, apud quem nihil est ambiguum, ut liberum servetur homini arbitrium, nè in præscientia ejus quasi necessitate vel facere aliquid vel non facere cogatur*, ut eleganter ait D. Hieronymus lib. 5. in Jeremiam. Apud Lucam cap. 14. in illis verbis, μήποτε καὶ αὐτοί σε ἀντικαλέσωσι, planè affirmatio continetur, non dubitatio. Sicut 1 Thess. 4. Εἰ γὰρ πιστεύομεν, non conditio sed comparatio est.

§. XL. Ἐχωρίσθη] *Separatus est*, inquit, neque addit à quo, vel cujus ope aut consilio: sed tacitè ad Deum refert, ut ex sequentibus apparebit. Idcirco autem *Dei* nomen non expressit, aut ejus voluntatem, quòd ipsum sibi hoc subjicere Philemonem voluit; in hoc quoque admirabili usus artificio. De quo sic

ſic Theophraſtus & Demetrius Phalereus, duo maximi artis Rhetoricæ Magiſtri, *Plurimum valere ad perſuadendum, ſi non cuncta accuratè exponantur, ſed quædam relinquantur auditori, ut ipſe intelligat & cogitet per ſeſe & ſuâ perſpicientiâ. Cùm enim intellexerit quod ab oratore vel ſcriptore omiſſum eſt, non auditor ſolùm ejus ſed & teſtis efficitur, & ſimul benevolentior redditur. Acutior enim ſibi videtur tuâ operâ factus, qui occaſionem ei intelligendi præbueris. Contrà autem omnia, uti ſtulto, exponere, ſimile eſt damnantis auditorem.* Verba Græca ſi quis deſiderat, ea exſtant in libro Phalerei περὶ ἑρμηνείας ſæpe antea à me laudato. Similiter Ariſtoteles l. 2. Rhetoricorum ad Theodectem non procul à fine, quæ eò libentiùs protuli quòd imitati in eo mihi videntur Doctoris maximi ſui ſententiam. Sic enim ſcribit, Πάντων δὲ καὶ τῶν ἐλεγκτικῶν καὶ τῶν δεικτικῶν συλλογισμῶν θορυβεῖται μάλιϛα τὰ τοιαῦτα ὅσα ἀρχόμενα προορῶσι, μὴ τῷ ἐπιπολῆς εἶναι. ἅμα γὰρ καὶ αὐτοὶ ἐφ᾽ ἑαυτοῖς χαίρουσι προαισθανόμενοι, καὶ ὅσων τοσοῦτον ὑστερίζουσιν, ὥσθ᾽ ἅμα εἰρημένων γνωρίζειν. Hoc eſt igitur quod verbo *ſeparatus* intelligi Paulus voluit. Non dixit *abſciſſus*, vel *abruptus*, quæ ſunt duriora verba, & quibus æterna ſeparatio atque abalienatio declaratur. Ità elegantiſſimè Syneſius Epiſcopus *ſeparari* & *abſcindi* oppoſuit, quaſi contraria vel diverſa, in Epiſt. ad Cyrillum 12. ſtatim initio, Ἴθι, inquit, παρὰ τὴν μητέρα τὴν ἐκκλησίαν, ἀδελφὲ Κύριλλε, ἧς οὐκ ἀπεκόπης, ἀλλ᾽ εἰς καιρὸν ἐχωρίσθης. Imitatus hunc locum Pauli Apoſtoli videtur, & quaſi interpretatus, cùm πρὸς ὥραν, quibus verbis Paulus utitur, ipſe εἰς καιρὸν dixit. Qua de re plura ſequenti capite. Idem ſonat *abruptus* verbum, quo abſtinuit prudentiſſimè Paulus. Sed id in hac ſignificatione uſurpavit Dio Chryſoſtomus Orator eloquentiſſimus Oratione Tarſicâ poſteriore, pag. 419. in fine editionis Pariſienſis. Neque hoc verbum de Deo uſurpari ſine contumelia potuiſſet, quem auctorem hujus ſeparations Oneſimi videri Paulus voluit, ut ſuprà dictum. Eâdem ratione, ſed à contrario ductâ, uſus eſt Servator noſter in laudando Magdalenæ facto Matth. 26. cùm muſſitantibus Diſcipulis ob illam pretioſiſſimi unguenti effuſionem dixit, Καλὸν ἔργον ἐποίησεν, *Bonum opus fecit*; non autem ſimpliciter & imperſonaliter, *Bonum opus factum eſt. Neque enim*, inquit B. Iſidorus Peluſienſis lib. 2. Epiſt. 88. *ipſum facinus privatim & per ſe expendit, verùm adjunctâ mulieris quæ fecit perſonâ. Perinde ac ſi diceret, Quandoquidem ſemel hoc fecit, laude atque commendatione digna eſt. Non igitur factum, ſed animum facientis laudavit: neque pro lege haberi voluit quod illa fecerat, aut in exemplum trahi.* Quod artificium loquendi ἄῤῥητον σοφίαν appellat, i.e. ut eleganter Billius vertit, *ſapientiam omni orationis facultate præſtantiorem*; ad verbum, *inenarrabilem*, vel *quæ nullâ dicendi vi exprimi poſſit.* Ita igitur non ſolùm honeſtiſſimo vocabulo fugam Oneſimi Paulus extenuat, ſed etiam ad Deum auctorem eam retulit uno eodemque, licèt occultè, verbo: quod planè Divinum artificium eſt. Nam prius illud humanum, & uſitatum magnis auctoribus, etiam mediocribus eſt, ut *ſeparatum eſſe*, *diſceſſiſſe* dicant, qui aufugit; & contrà, qui diſceſſit, *aufugiſſe*: ut apud Homerum Agamemnon Achilli ſe abiturum minitanti,

> Φεῦγε μάλ᾽, inquit, εἴ τοι θυμὸς ἐπέσσυται.

Fuge, ſi id tibi cordi eſt: non autem *Abi*, vel *Diſcede*. Concludendum eſt; non captivitate, non etiam voluntate Oneſimum Romam ad ſe veniſſe Paulum ſignificare, ſed fato, i.e. voluntate Dei arcanâ, eo pertractum. Hæc enim tria ſunt quorum aliquo eum adductum cogitari poterat. Tacitus, ſive Fabius, Dialogo De Oratoribus, cap. 17. *Si eum qui armatus C. Cæſari reſtitit, vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in Urbem pertraxiſſet. Captivitate*, non potuit Paulus id dicere; falſum enim erat: *voluntate*, non erat Oneſimo honeſtum, neque Philemonis animo placando. Solo *fato*, i.e. ut dixi, arcano Dei conſilio, excuſari ac defendi ejus fuga potuit.

§. XLI. Πρὸς ὥραν] Dixi ſuprà hoc verbo maximè declarari, certè apud intelligentes Juris civilis, Oneſimum ſervum pro fugitivo haberi non oportere. Quod Paulus cùm palàm dicere non auderet re ipsâ tamen ità credi voluit. Nam *fugitivus* ità definitur à Cœlio, veteri Juriſconſulto, *qui eâ mente diſcedit ne ad dominum redeat*: vel, ut à Caſſio, *qui certo propoſito dominum relinquit*, Leg. 17. Dig. de Ædilit. Edicto. Nam his verbis ſignificatur voluntas propoſitumque domini in perpetuum relinquendi, nunquamque ad eum redeundi. Quorum utrumque ab Oneſimo removet Paulus. Prius quidem illud de mente atque propoſito, cùm dixit Ἐχωρίσθη, *ſeparatus eſt*; ut ſuperiori capite annotatum. Poſterius, cùm ait πρὸς ὥραν· quod Novus Interpres vertit *ad tempus*, Vetus *ad horam*, quod & mihi magis placet. Eſt enim efficacius & inſtituto Pauli convenientius, qui fugam illam & ſeparationem Oneſimi ità etiam in hoc extenuat ut momentaneam & unius *horulæ* eam videri velit. Græcis ſcriptoribus, præſertim Theologis, qui ità peccant, elegantiſſimè dicuntur, ἐκ συναρπαγῆς ἁμαρτάνειν, vel ἁρπασθέντα, συναρπασθέντα, vel παρασυρέντα. Greg. Nazianzenus Carm. 22. Ὡς ἓν μὲν ἁρπασθέντα, καὶ τὸν δεύτερον πταίσαντα, καὶ μικρόν τι συγγνώμην ἔχει. *Pauca peccata veniam habere*: de qua ſententia pluribus paulò pòſt agam. Eâdem ratione atque arte quâ hic πρὸς ὥραν ἐχωρίσθη, dixit τόν ποτέ σοι ἄχρηςον. Nam τὸ ποτὲ ambiguum eſt; ut cùm pluſculum temporis in ea noxa Oneſimus fuiſſet, occultè quaſi momento fuiſſe inſinuaret, ſummâ celeritate & quaſi furtim ſubreptâ atque occultâ mediâ, quam in fuga fecit, morâ. Qui autem *ad tempus* dicit, is quodvis & quantumcunque tempus exprimit: quod eſſe docui à mente & inſtituto Pauli alieniſſimum. Nullum eſt enim tempus tam longum quod non hâc ratione loquendi ſignificetur. Ergò, ſi rem accuratè penſitemus, tria ſunt in hac fuga Oneſimi; primum, locus, quòd longè à Coloſſis; ſecundum, tempus non longum, πρὸς ὥραν· tertium, animus. Illa priora duo non faciunt verè fugitivum, ſed probant potiùs: tertium planè fugitivum facit, ſi non revertendi animo fugit, i.e. ità longè ut penitus: ut in illo Ciceronis verſiculo in Elegia quæ *Talemiſſus* inſcripta, citante Servio in Eclog. 5. Virgil.

> *Jam mare Tyrrhenum longè penituſque paludes*
> *Rellinquunt*, &c.

Notum eſt omnibus quid callidiſſimus ille & novæ perfidiæ repertor, Antonius Epiſcopus Atrebatum, Burgundus *ſive Hiſpanus* Dux, in Illuſtriſſimo & fortiſſimo Principe, ſed infelici fortunâ uſo, Philippo Landgravio commentus, in talibus verbis, vel potiùs verbulo, fuerit, unius immutatione literulæ, in conditionibus linguâ Germanicâ perſcriptis, cùm pro *ſine ullo carcere* poſuiſſet *ſine æterno* vel *perpetuo carcere*. Cui ſimillimam fraudem reperi in Turcicis Annalibus ab Leunclavio editis, uſumque eâ Caramanorum Regem; quæ gens à perfidia calliditateque mirum in modum celebratur. Nam cùm is pacem cum Mahomete initam fœduſque violaſſet, viri præſtantes, quorum interventu atque auctoritate fœdus illud coitum erat, Caramanidem accedentes his dicuntur verbis uſi, *Tu nos, ô Princeps, pacis conficiendæ causâ intercedere voluiſti, teque pacem operâ noſtrâ factam* SEPTEM ANNIS *obſervaturum promiſiſti: cur ergò*, &c. Quibus ille, *Equidem*, ait, *minimè ſum uſus voce* IL, *quâ denotantur* anni, *ſed voce* IEL, *quâ* venti *ſignificantur: adeoque me pacem ſervaturum promiſi, non* ad ſeptem annos, *qui ſunt* IEDIIL, *ſed* ad ſeptem ventos, *h.e.* IEDIIEL. *Hactenus autem à pacis initæ temporibus non ſeptem modò ſed centies mille venti præterierunt.* Opponit autem Paulus πρὸς ὥραν & αἰώνιον, *in perpetuum* ſive *in æternum*, quod Joh. 8. 35. dicitur εἰς τὸν αἰῶνα, ubi ſignificat *uſque ad vitam*. Ait enim *ſervum non manere domi in perpetuum, ſed filium*. Quomodo *ſocietatem in perpetuum coiri poſſe* Juriſconſulti noſtri dicunt, i. e. uſque ad vitam eorum qui contraxerunt. Neque enim ad hæredes tranſit, Leg. I. Dig. pro ſoc. & *actio perpetua*, vel *perpetuari*, cujus vita producitur uſque ad annos XXX, quæ eſt omnium actionum quaſi vitæ terminus, ut hominum centum anni. Quâ ratione & *civitati relictum uſumfructum centum annis finiri* conſtitutum eſt, quòd ea ſit longiſſima hominis vita. Maximum igitur ingenium atque artificium Paulus in his verbis adhibuit, ut rei turpitudinem honeſtâ oratione tegeret, aſperitatem leniret, eoque præſtantiùs & & efficaciùs quò ſimpliciùs & occultiùs id omne diſſimulavit, utpote ſimpliciſſima oratione uſus: quod magni & prudentis Oratoris proprium eſt, ut ſuprà ex Dionyſio Longino obſervabamus, & à M. Tullio M. Antonii ſummis laudibus poſitum eſt.

§. XLII. Ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς] Continetur his verbis quaſi concluſio voluntatis & decreti Divini, quo factum eſſe Paulus antea innuit potiùs quàm dixit ut Oneſimus hero relicto Romam profugeret. Neque enim ſine illa fuga fuiſſet, Oneſimus Paulum convenire poterat, & ab eo in Chriſtiana pietate inſtitui. Et acutiſſimè S. Hieronymus obſervavit hìc talem Soritem: *Sic*, inquit, *& in Oneſimo poſſumus intelligere quod mala principia occaſiones fuerint rei bonæ. Si enim dominum non fugiſſet, non veniſſet Romam, ubi erat Paulus vinctus in carcere: Si Paulum in vinculis non vidiſſet, non recepiſſet fidem in Chriſtum: Si fidem non recepiſſet, nunquam Pauli effectus filius in opus Evangelii mitteretur. Ex quo paulatim & per gradus ſuos reciprocante ſententiâ, ideo Miniſter Evangelii eſt factus Oneſimus quia fugit à domino.* Sed de Sorite quidem diſputa-

tum

tum est à nobis copiosè & accuratè in Disputationibus nostris ad Africanum, in L. qui D. ad Leg. Falcid. Sed cur dixit *αἰώνιον*, non autem *πάλιν*, vel *iterum*; ut cùm agit de conjugibus qui votum continentiæ mutuo consensu voverunt 1 Cor. 7. 5. *καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχησθε*. Concedit enim *secedere*, vel *debitum*, *τὴν ὀφειλὴν*, *intermitti πρὸς καιρὸν*, ut ait, *ad tempus*. Sed in hoc loco aliud intelligit, nimirum Philemoni sic servum restitui suum ut perpetuò eum sit retenturus: quod & de hac vita corporali accipi potest, & de illa vera atque æterna, ut in sequentibus demonstrabitur. Nec displicet mihi conjectura doctissimi Theologi, qui his verbis à Paulo *allusum* putat *ad ea quæ de perpetuis mancipiis in Lege stabiliuntur*, *Exod.* 21. 6. *&* *Deut.* 15. 17. Sanè *servi* & *in seculum*, d. loco Exodi, *εἰς τὸν αἰῶνα*, *in æternum*, vertit Græcus Interpres, i. e. ut Scholiastes Hebræus, *usque ad Jubilæum*. Quod probat etiam vir politissimus Joh. Drusius Cent. 2. Miscellan. cap. 8. rejectâ B. Augustini interpretatione, qui naturaliter & non ex politiæ illius more, ÆTERNUM, *cujus finis non est*, intellexit. Nam omnibus servis libertas in Jubilæo contingebat, dicente Domino, *Mei enim servi sunt: ego eduxi eos è terra Ægypti: non veneant conditione servorum*. Nam qui in Gentibus erant, aut cum advenis in Judæa peregrinantibus, aliâ lege serviebant, Levit. 25. 46. Ad quem locum rectè idem Augustinus, ÆTERNUM *dixit*, *ubi temporis non est præstitutus modus quousque serviant*, *sicut præstitutus est iis quos in remissione dimitti jubet libertati suæ*. Quod autem idem eruditissimus Interpres in verbo *ἀπέχῃς*, quo hîc Paulus usus est, annotavit, præpositionem *ἀπὸ* eam vim habere *ut Paulus fugitivum servum non commendare sed restituere*, non dare sed reddere (in quibus magna differentia est: quod Æschines in Orat. contra Ctesiph. indicat, sed alio fine) *domino suo videatur*, licèt, ut intelligi voluit, *multis partibus pretiosiorem factum*, *&* *perpetuò addictum*, quomodo *&* *Josephum egisse cum fratribus suis* ait Gen. 45. 5. vehementer probo. Danda enim opera Paulo fuit nè, dum extenuare & lenire delicta gravissima & turpissima vellet, in impudentiæ manifestæ crimen incideret, aut etiam arrogantiæ atque superbiæ, qui eò usque collegam suum & (quod caput est) fugitivi servuli dominum despiceret, ut eum simpliciter ab hac fuga commendari vellet; sed digitum intendit ad arcanum Dei consilium, qui in eum finem Onesimum ad exigui temporis spatium abduxerit ab hero ut longè pretiosiorem & fructuosiorem eum reciperet, & quidem in perpetuum. Sic enim Joseph in dicto Geneseos loco delictum fratrum suorum ad Divinam providentiam convertit, quâ factum sit ut quem illi modis omnibus perditum cupiverant, is in extrema eos inopia tegeret atque ab exitio vindicaret ultimo miserrimoque famis. Ex hoc igitur quòd tantum bonum tantaque commoda peperit, delictum illud Onesimi tenue, certè non atrox aut capitale, existimari potest, nè laude quidem & commendatione vacuum esse, atque id ità tacitè Paulum insinuare Philemoni voluisse. Divinè enim Aristoteles, ut omnia, l. 3. Ethic. c. 1. scribit, *ἐπὶ ταῖς πράξεσι δὲ ταῖς τοιαύταις ἐνίοτε καὶ ἐπαινοῦνται, ὅταν αἰσχρόν τι ἢ λυπηρὸν ὑπομένωσιν ἀντὶ μεγάλων καὶ καλῶν· ἂν δ' ἀνάπαλιν, ψέγονται*, *In talibus actionibus homines interdum etiam laudantur, cùm scilicet magnarum atque honestarum rerum causâ turpitudinem aut molestiam aliquam subierint ac pertulerint: at si aliter fecerint vituperantur*. Quam sententiam non satis expressit eruditissimus ille Hermolaus Barbarus in sua Epitoma, cùm ait, *Evitandæ maximæ calamitatis causâ parumper delinquere laudis est*. Meliùs multò Jason Pheræus in illo suo dicto, *Injustè quædam minuta esse agenda, ut rectè possint magna res confici*, ut refert Plutarchus in bello qui continet *Præcepta De sanitate*: qui perperàm quasi admirans addit, *Nescio quâ ratione adductus id Jason*, scilicet *dixerit*. Est enim ratio satis aperta & gravis & justa, apud Ethnicos præsertim, qui ignoraverunt illud veri Dei præceptum, *Non sunt facienda mala ut eveniant bona*: quod tamen in hoc proposito nostro nullum locum habet, ut ex superiori disputatione liquet. Postremò illud hoc loco notandum est, quòd consideratissimè Paulus non fuit contentus dicere *ἀπέχῃς recipias*, vel *eum tibi restituo*, sed adjecit *αἰώνιον in æternum*, sive *perpetuum*. Nam quamvis *restituendi* verbo id satis intelligi fortasse potuit, tamen videri poterat Paulus propter ardentissimum desiderium, quo se flagrare multis modis ostendit, Onesimi penès se retinendi recipiendique, non tam restituisse eum Philemoni quàm ab eo velut abalienavisse, vel ità dedisse ut repeteret. Donatus in Andria, DARE *est*, *quod repetas*; DEDERE, *in æternum*. Propriè autem neque *dedit* eum Paulus, neque *dedidit*, cùm *dari* aut *dedi* non possit domino sed *restitui*. Dare enim est *dominium transferre*: neque qui dominus semel est ampliùs effici dominus potest, ut nostri Juris disciplina est: *Dedere multò magis; quia nihil deditur nisi proprium* *&* *perpetuum fiat ejus cui deditur*. Atque ità in eodem Jure nostro *in perpetuum recedere à domino* dicitur servus, vel *servi dominium transferri*, *qui noxæ deditus est*, Tit. Institution. De noxa lib. actionibus. Cui ex altera parte respondet quod hic Paulus ait, *in perpetuum recipere*. Optimè & ex Juris intellectu *recipere*. Neque enim servus fugiendo dominum sui possessione vel dominio subvertit, Leg. 1. Cod. De serv. fugitiv. Aliâ ratione igitur *separatus* à domino servus hic dicitur à Paulo quàm ab Aristotele lib. 5. Ethicor. cap. 6. *Τὸ δὲ κτῆμα*, inquit, *καὶ τὸ τέκνον, ἕως ἂν ᾖ πηλίκον καὶ μὴ χωρισθῇ, ὥσπερ μέρος αὐτοῦ*, *Servus & filius, donec parvus est, neque separatus, tanquam pars ipsius est*. Strabo lib. 15. de Indis scribit *eos juvenibus pro servis uti dum adolescant, quemadmodum Cretenses Aphamiotis & Lacones Helotis utebantur*. Nam illud *ἐχωρίσθη* ad utrumque pariter quod nominarat referendum est, non ad solum *filium*, ut Lambini versio retulit. Separatur enim æquè servus à domino atque filius à patre, veluti manumissione. Unde & *duæ personæ incipiunt esse dominus & servus per manumissionem*, ut scriptum est à Juliano in l. 10. Dig. De optione legata: quæ antea una erat, cùm servus scilicet potestate domini teneretur, & *quasi pars ejus esset*, ut ait Aristoteles. Qualia & de Filio leguntur in Juris nostri libris. Servus enim *per sese* Jure Civili *non est persona*, *sed res*, ut Albertus Rosatus in lib. De stat. hom. scribit, & *possessio*: unde & *κτῆμα* Græcis dicitur & *κτῆσις* & *σῶμα*. Quòd si personam, utpote homo, habet, eam Jure civili & in rebus actionibusque civilibus habet ex sui domini persona, non ex seipso. Quo sensu eleganter Theophilus *servos* ait *ex dominorum suorum persona χαρακτηρίζεσθαι*, in Titulo Instit. De stipulat. servorum, in principio, cùm ipsi sint *ἀπρόσωποι*, i. e. *personam non habeant*. Ampliùs etiam, *neque caput habere* Jure civili dicuntur, *neque heredem*, *neque patriam*, *neque adeò nomen*, à Philostrato, lib. 8. De vita Apollonii Tyanei, *Οἰκεῦν*, inquit, *ὑπὲρ ἀνδραπόδου κρίνει με. ᾧ γὰρ μήτ' αὐτῷ ὄνομα, μήθ' ἂν ἔφυ, μὴ κλῆρός ἐστιν, οὐχὶ, ὦ θεοὶ, τοῦτον ἐν ἀνδραπόδοις χρὴ τάττειν*; Quæ omnia aliaque præterea incipit habere simul ac separatus est à domino manumissione, & quasi novus homo effectus est.

§. XLIII. V. 16. *Οὐκέτι ὡς δοῦλον*] Ex his verbis doctissimos viros suspicatos esse existimo atque in eam opinionem descendisse ut servos suscepto Baptismo & Christianam amplexos religionem eo ipso liberos factos existimarent; infirmissimo argumento. Sed hæc quæstio bipartita est. Primùm enim quæritur, *an Christiano liceat possidere Christianum mancipium*: deinde, *an Baptismus sit modus quidam manumissionis vel libertatis acquirendæ*. Prior quæstio dubitationem nullam habet, si S. literas & instituta veteris Ecclesiæ consulamus. Constat enim licere: Quod & Jure civili Romano comprobatum est. Quare in Codice Justinianeo vetantur Judæi & Pagani Christianum mancipium habere, non etiam Christiani; sicut indicat Titulus libri primi, cum in ipsa Inscriptione atque Rubrica, tum in Constitutione ei subjecta Impp. Honorii & Theodos. Cujus ratio illa optima redditur apud Eusebium lib. 4. De Vita Constantini, quam illic & Cujacius in Paratitlis adscripsit, *Ἀθέμιτον εἶναι προφητοφόνταις καὶ κυριοκτόνοις τοὺς ὑπὸ τοῦ σωτῆρος ἐλευθερωμένους ζυγῷ δουλείας ὑπάγεσθαι*. Cujus Constitutionis sententia eò usque producta est ut Alciatus in leg. 1. §. *sed si mihi*, Dig. De verb. oblig. scripserit, *si fundum Judæis quis vendiderit in quo sint adscriptitii Christiani, utilem venditionem per hoc inutile vitiari*. Sed ratio verior illa videtur à periculo nè Christiani servi consuetudine Judæorum vel Paganorum corrumpantur, & ritibus à Christiana religione alienis assuescant. Qua de causa etiam cibum sumere cum Judæis interdictum est hominibus Christianis, Cap. *Nullus*. 28. quæst. I. cap. *Ad hæc*, & ibi not. Extr. de Judæis. Quanta etiam vis sit imperii & potestatis nemo ignorat, ut omnes dominis suis placere studeant. Est & ultio quæsita in homines impios & præfractos, vel blandimentum ad ejurandam nefariam superstitionem. Hoc certè videtur spectavisse ille Patavinus Episcopus Anno 1559. qui Hebræos, quos *Maranos* vocant, opulentos homines, cùm se Patavium contulissent, compluresque haberent in famulitio suo Christianos utriusque sexûs, interdicto nè quisquam Christianus eis serviret, excedere ex urbe coëgit, ut testatur Tiber. Decianus in Tractatu Crimin. cap. 16. lib. 5. ubi & illam plenissimam Christianæ mansuetudinis legem refert, quam in Salandia & Gallia vigere ait, *non esse Judæos qui ipsi ad Christi religionem conversi sunt, facultatibus suis spoliandos: eosque qui id faciant excommunicatione feriri Jure Canonico & decretis Basileensis Concilii* scribit: *eâdemque pœnâ & Christianos qui Judæis serviunt affici; servosque omnes duodecim solidis à*

Judais posse Christianum quemcunque redimere, ex cap. 1. Extr. de Judæis docet, d. cap. *Ad hæc*, & cap. *Judæi*, eod. titulo. Illud autem non tam lenitatis Christianæ est quàm plenum impiæ stultitiæ quod à quibusdam Canonici Juris Doctoribus traditum scribit; *gravius puniendum eum qui Judæum occidit quàm qui Christianum; nisi ubi res ad exemplum pertinet, ut in Francofurtensi facinore accidit: Quòd in Judæo & corpus pariter & anima occidatur, qui fortè converti ad fidem Christi potuisset.* Sed ut ad institutum redeat oratio: Quamvis Christiano interdictum non sit servum Christianum possidere atque habere, ut supra dictum, tamen minimè id convenire homini verè pio & Christiano videtur. Beatus quidem Isidorus Pelusiotes Iróni Scholastico, lib. 1 Epist. 142. scribens, cujus servus ad ipsum profugerat iræ dominicæ vitandæ causâ, ob admissum delictum, *admiratum se fuisse* ait *quod is se servum esse Ironis dixerat*: admirationisque causam pulcerrimam & sanctissimam addit his verbis, Οὐ γὰρ οἶμαι οἰκέτην ἔχειν τὸν φιλόχριστον Εἴρωνα, εἰδότα τὴν χάριν τὴν πάντας ἐλευθερώσασαν, *Neque enim Christi amantem Ironem, qui cognitam & exploratam eam gratiam habeat quæ omnes in libertatem vindicavit, famulum ullum* (sive *servum*) *habere arbitror.* Neque alia mens Pauli est in hac tota Epistola. Decorum urget & officium hominis Christiani, non legem fert, aut necessitatem imponit habendi pro libero eum qui servus esset. Quod si faceret, sua ipse præcepta suasque convelleret leges, quas Dominis pariter Servisque Christianis non uno loco tulit, quatenus imperare illi, obedire isti debeant. Elegantissimè illud 1 Cor. 7. *Unusquisque in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat. Servus vocatus es? nè sit tibi curæ. Sed si potes etiam liber fieri, potiùs eo utere. Etenim qui in Domino vocatus est servus, libertus Domini est. Similiter & qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis: nè estote servi hominum. Unusquisque in quo vocatus fuit, fratres, in eo maneat.* Apertè Paulus servos jubet manere servos, nisi honesta & justa iis libertatis adipiscendæ ratio offeratur: Hanc enim nequaquam repudiandam existimat: planè ut Seneca, quem & novisse & in amicis habuisse Paulus putatur, cùm Stoicorum more disputavisset *æquales esse, eum qui in atrio opibus circumflueret, & qui in ponte mendicaret, malle se tamen, si optio detur, illum opulentum esse quàm hunc mendicum* venustissimè profitetur. *Non enim odisse aut respuere divitias sapientem, sed non desiderare aut anxiè persequi.* Verba ejus non memini, sententiam, ut puto, retuli. Cætera quæ Paulus de *Servitute & Libertate in Domino* seu *Christo* disserit, ad spiritualem illam, non ad hanc temporalem pertinent, nisi quatenus & corpus, sicut anima, Deo servire tanquam ejus templum debet: quod evidentiùs etiam patet ex iis quæ antea in fine proximi capitis dixerat: ad quem locum allusisse mihi videtur Tertullianus lib. De Corona militis, cum ait, *Corona & libertas secularis. Sed tu jam redemptus es à Christo, & quidem magno. Servum alienum quomodo seculum manumittet?* Hæc est igitur illa *gratia* quam Isidorus in allegato loco dicit *omnes in libertatem vindicavisse*: licèt non obscurè insinuet eam gratiam humanæ quoque & corporali libertati apud homines pios sufficere debere: Quod ipsum totâ hâc Epistolâ, præcipueque hoc quem interpretamur loco, Apostolus agit. Sed quod ex ejus Epistola ad Corinthios recitavimus, *Si quis liber esse possit, eo potius uti debere*, ei contrarium videri potest quod S. Ignatius ipsius Pauli amicus atque discipulus scribit in Epist. ad Polycarpum Ecclesiæ Smyrnensis Episcopum, Δούλους, inquit, καὶ δούλας μὴ ὑπερηφάνει· ἀλλὰ μηδὲ αὐτοὶ φυσιούσθωσαν, ἀλλ᾽ εἰς δόξαν Θεοῦ πλεῖον δουλευέτωσαν, ἵνα κρείττονος ἐλευθερίας τύχωσιν ἀπὸ Θεοῦ· μὴ αἱρέτωσαν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ἐλευθεροῦσθαι, ἵνα μὴ δοῦλοι εὑρεθῶσιν ἐπιθυμίας, *Servos & ancillas nè fastidias; sed nec ipsi inflentur fastu, sed ad gloriam Dei officiosiùs serviant, ut potiorem libertatem à Deo consequantur: neque eligant à Republ. manumitti, nè servi inveniantur concupiscentiæ.* Sed nihil minùs quàm ut dissentiat à præceptore discipulus, &, quod caput est, sanctissimus à sanctissimo. Honestas enim & justas libertatis rationes Paulus, injustas & improbabiles Ignatius proponit: In illis modestia servorum, in his superbia & insolentia elucet. Et notandum est quod Ignatius ait, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, i.e. *à communi* vel *Republ. manumitti*. Alludit enim ad morem illorum temporum, cum servi maximè in ludis atque spectaculis à populo, vel ejus acclamationibus, manumitterentur. Quem adeò invaluisse existimo ut Oratione D. Marci Imp. opus fuerit qua is tolleretur, atque ejusmodi manumissiones irritæ esse juberentur. Qua de re pluribus exposuimus ad Comment. de Orationibus Principum. Vide etiam Æschinem contra Ctesiph. in princ. ubi de servis manumissis in theatro in conventibus totius Græciæ. Eandem quam Ignatius servorum Christianorum insolentiam intellexit B. Theodoretus in 1 Tim. 6. Pauli de iis præceptum explicans; *Illi enim*, inquit, *domini* (scilicet *infideles*) *videntes servos suos insolentes, Evangelicam doctrinam maledictis appetebant, ut quæ eorum causa esset insolentiæ.* Hoc est quod Paulus dicit, *nè Evangelium infametur*, si justæ dominorum potestati propter religionem servi subtraherentur: quod vulgò factitatum fuisse posterioribus temporibus & Christianâ fide invalescente vero simile est. Gregorius quidem Nazianzenus, quod Onesimus iste Philemonis de quo hæc Epistola scripta est, fecit, multos suo tempore factitasse, ut fugerent, fugamque Evangelii causâ susceptam simularent, testatur, in Carmine de vita sua. Sic enim ait, de Maximo loquens, qui Christianæ fidei simulationem fugæ suæ prætendebat, quam ob scelera arripuerat, eoque tanquam martyr Christi Gregorium fefellerat,

——Τὴν ἐπ᾽ αἰσχίστοις φυγὴν
Πέζιν πεποίηχ᾽, ὡς Θεοῦ πάσχων χάριν.
Μαστιγίας ἦν, ἀλλ᾽ ἐμοὶ νικηφόρος.

Inter crimina quoque in Synodo Gangrensi objecta Eustathio, Sebastiæ Armeniæ Episcopo, & hoc fuit, quòd prætextu pietatis servos heris suis abstulisset: valuitque id inter alia ad ejus condemnationem, teste Socrate Hist. Eccl. lib. 2. cap. 43. & meritò: nam id contra Christianas & Ecclesiasticas formulas fieri, ex hac ipsa quam interpretamur Epistola B. Chrysostomus docet in Præfatione: ubi & illud in 1 Tim. 6. *Nè nomen Dei & doctrina blasphemetur: Dicturi enim*, inquit, *& Gentiles sunt quòd possit servus placere Deo. Aliàs enim illis necessitas fermè imponeretur blasphemandi, ac dicendi, Christianæ religionis cultum ad evertenda omnia in hanc vitam fuisse invectâ, cum servi auferantur à dominis, & nimiùm quidem violenter.* Ex his quæ diximus, apparet, duriorem hac in parte videri Christianam legem quàm Mosaicam. Nam Moses septimo quoque anno servos manumittit; quod lex Christi non sancit, imò servire Christianos etiam Christianis ac fidelibus dominis jubet nullâ temporis præscriptione additâ; monenturque ii, d. cap. 6. Tim. 1. *nè eo fideles dominos despiciant quòd fratres sint, sed potiùs iis libentiùsque serviant quòd fideles sint, & ejusdem Christi beneficentiæ participes ac veluti socii.* Simili figurâ ut Cicero, *qui non tam amant quòd nobiles sunt quàm quòd noti.* Quò pertinent & illæ simillimæ ac geminæ præceptiones in Epist. ad Ephesios cap. 6. scriptæ quà servis, quà dominis. Et vehementer placet quod illic v. 9. adscriptum est, *Et vos, domini, eadem facite erga illos, remissis minis*, ἀνιέντες τὴν ἀπειλήν. *Minarum* appellatione omnem asperitatem ac duritiem dominorum significari: quod eò factum puto quia minari non soleamus nisi servis, aut quos ignominiosè quasi servos à nobis haberi volumus, ut memini quodam loco apud T. Livium legere. Dixit Paulus *servis minas remittentes*, planè ut Cicero lib. 1. Offic. *servis contumeliam detrahentes. Meminerimus*, inquit, *& adversus infimos justitiam esse servandam. Etiam dominum Patremfamilias*, servos *Familiam* (vel *Familiares*) *appellaverunt majores nostri, omnem servis contumeliam detrahentes.* Confer hunc locum Ciceronis cum illo Pauli, non lac lacti, non ovum ovo magis simile. Quod autem D. Augustinus in eodem versiculo μετ᾽ εὐνοίας δυλεύειν sic exponit, quasi *non debeant Christiani servi libertatem à Christianis dominis flagitare*, sicut lege Mosis poterant, ut jam dictum, nescio cur magno Erasmo non arriserit, cùm aptissima videatur expositio, & Pauli sententiæ cùm illo loco tum aliis in Epistolis expositæ convenientissima. Nec verum puto quod ille ait, *de dominis Ethnicis magis agere illic Paulum quàm de Christianis*: quod refellit ipsemet Paulus statim v. 9. *Et vos, domini, eadem facite erga illos*, &c. neque enim hæc Ethnicis sed Christianis præcipiebat, ut opinor. Quod autem idem Erasmus *turpe esse videri* ait *inter Christianos omnino nomen Heri aut Servi audiri. Cùm enim Baptismus*, inquit, *omnes pares reddat, qui convenit fratrem fratri servum appellari?* pia magis quàm vera sententia est: Quam secuti nostri Juris interpretes, Bartolus, & alii, magno consensu etiam in bellis nomen potiùs quàm jura servitutis inter Christianos sustulerunt. Sed hac tota de re accuratissimè disputavit Albericus Gentilis, frater meus, lib. 3. De Jure Belli, cap. 9. Sanè etiam hodieque inter Christianos servi Christiani reperiuntur, vel simili servis conditione homines; quales sunt in Germania qui *homines proprii* vocantur, & *adscriptitiis* veteribus vel *originariis* annumerantur: de quibus cùm alii Germani Jurisconsulti & Historici scripsere, tum in primis clariss. Zasius multis in locis exposuit, qui & libellum se edidisse De servis Germanorum in quodam responso scribit, quem licet diu quæsitum videre mihi non contigit. Errat tamen ille, cùm ibidem ait *Germanos olim non habuisse servos*: quod non est. Tacitum vide lib. De morib. Germ. c. 25. qui decepit eum. Eadem ferè conditio apud Gal-

los est Albinorum, & quos *Manus mortuas* sive *manumortales* appellant, de quibus exstant etiam integra responsa multa & diligentissimè scripta Franc. Hottomanni: ut de Bohemis & reliquis Christianis nationibus nihil dicatur, apud quos varia genera servorum, vel propè servorum Christianorum recepta esse videmus: nec quisquam id, quod sciam, hactenus improbavit. Sanè sævitia nimia & intoleranda dominorum etiam legibus Romanis improbata coërcitaque est in veris servis, ut vel ex una illa humanissima Imp. Antonini Pii Constitutione apparet, quæ integra refertur in l. 2. Dig. De his qui sui vel al. jur. sunt. Nec inutile Reip. fortean esset si plena illa & justa servitus hodie revocaretur in bellis quæ Christiani populi inter se gerunt: non tam multi ex gregariis, præsertim tenuioribus, militibus capti necarentur, desperato redemptionis pretio, & abolito veteri in mancipia jure; ut pluribus de hoc ipso etiam disserit frater meus eo quem indicavi loco. Indè petere licet. Illud prætermittendum non puto, quòd B. Isidorus lib. 4. Epist. 12. ad Theodorum Diaconum scribens, illam Pauli sententiam 1 Cor. 7. quam suprà retuli, interpretans invertere eam planè videtur, quasi Paulus ità servos adhortatus esset *quia servum esse nihil adversi habet. Ideo consulo tibi ut, quamvis liber fieri possis, servitute uti malis. Nam ità futurum esse ut minor à servo exigatur ratio quàm à libero*, & quæ sequuntur. Et sanè id poscere videtur cùm subjecta expositio ipsius Pauli, tum sermonis Græci proprietas: ait enim Paulus, *Δοῦλος ἐκλήθης; μή σοι μελέτω· ἀλλ' εἰ καὶ δύνασαι ἐλεύθερος γενέσθαι, μᾶλλον χρῆσαι*. Notanda est particula *εἰ καὶ*, quæ amplificationem quandam habet. Ideoque Isidorus ad *τὸ χρῆσαι*, addit δουλείᾳ. Contrà Beza & alii *beneficium libertatis* subintelligi putant: ideoque transtulit *sed si potes*, dissimulatâ voculâ *καὶ*, quam retinuit Vulg. Interpres, *Sed etsi potes*.

§. XLIV. Ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον] Ostensum est superiore capite, non licere Judæis vel Paganis possidere Christiana mancipia, idque ex lege Imp. Constantini Magni, quam (quod ibi annotare oblitus sum) longo pòst tempore renovavit Occidentalis conditor Imperii Carolus, neque nomine neque rebus gestis Constantino minor. Ità enim in Kapitulis ejus (ità leges appellabant) scriptum est, *Præcipimus generaliter omnibus, ut vel mancipia Christiana Paganis vel Judæis non tradantur*. Ad quam legem eruditissimus P. Pithœus hæc adscripsit ex Epistola Gregorii M. ad Brunichildem Francorum Reginam, *Omnino præterea admirati sumus cur & in Regno vestro Judæos Christiana mancipia habere permittatis*. In eandem sententiam & aliis Francorum Regibus, Theodorico & Theodoberto, scripsit. Ità Imperatores, ità Pontifices, omnes Magni. A qua mente piissima quomodo postea discesserint Romani Antistites, non est ignotum. Quamvis enim Christianos servos habere diu interdictum fuerit Judæis, tamen vexare eos & spoliare, & plusquam servili utilitate habere, non modò non prohibitum, sed palàm permissum fuit, & tantùm non claris verbis injunctum. Qua de re exstat inprimis gravis & pia liberaque, & Pauli spiritûs ac libertatis, Jac. Sadoleti Cardinalis Carpentoratensis Episcopi ad Alexandrum Farnesium Pauli III. nepotem querimonia, quæ digna est ut hîc adscribatur. *Sed dicam apertè*, inquit, *uti se res habet. Qui potest videri amore religionis in suis provinciis Lutheranos persequi*, (de Pontifice Romano, qui tunc Paulus III. erat, loquitur) *qui in eisdem provinciis tantopere sustinet Judæos? Sustinet autem? imò verò auget, condecorat, honestat. Nulli enim unquam ullo à Pontifice Christiani tot gratiis, privilegiis concessionibusque donati sunt quot per hosce annos Paulo III. Pontifice honoribus, prærogativis, beneficiis non aucti solùm sed armati sunt Judæi. Ac cæteris quidem fidelibus & optimè meritis nova Juris beneficia ad propulsandam, si qua illata est, injuriam conceduntur; Judæis solùm, ad inferendam. Quanquam non est ista Pontificis optimi culpa, sed eorum qui ad suum ex Judæis quæstum Pontificis nomine utuntur: de quibus honestius est vos existimare quàm me scribere. Judæi quidem opibus referti, fœnoribus insolentes, inter has plebes tanquam inter pecudes lupi grassantur. Oppida jampridem vastata sunt, familiæ plurimæ exturbatæ laribus suis, & exterres factæ, dispersæ inter finitimas nationes, queruntur horum conditionem temporum & miseras fortunas suas*, & cætera non minùs graviter eâdem Epistolâ, quæ lib. 12. legitur. Nunc ad alteram quæstionis proximo capite expositæ partem veniamus, *An scilicet Baptismus servum conditione servili liberet*. De hac humana loquor. Nam de servitute Peccati & Mortis ac Diaboli nulla est dubitatio: Unde & *liberti Christi* vel *Dei* appellantur qui Baptismo abluti sunt, & quasi manumissi tanquam à Principe vitæ ac libertatis auctore summo, 1 Cor. 7. & alibi. Et ad eam Isidorus Epist. 12. lib. 4. elegantissimè explicat, ut solet. De hac quæstione agens Rainaldus Corsus lib. 2. Indagationum Juris Civilis, c. 22. scribit illustrem virum Hippolytum Austrium Corregii Comitem contendere solitum acutis piisque argumentis, *Baptisma servo pro vindicta esse*. Atque hanc esse *communem omnibus piis observationem* ex Alciato lib. De singulari certamine, cap. 43. testatur, *ne Christianum mancipium habeant, sed statim mittant manu*. Sed ipse Corsus contrariam sententiam defendit, quam & auctoritate clari Jurisconsf. Ludovici Romani in Consilio 248. comprobat, & rationibus cùm ex S. literarum testimonio petitis, tum aliis quibusdam, quas apud ipsum legere est, omissâ (quod mireris) hâc Epistolâ D. Pauli, quæ eximia in hanc rem. Illa ex Jure Canonico deprompta validissima videtur, quòd Pontifex in cap. *Per venerabilem*, Tit. *Qui filii sint legitimi*, servum in Presbyterum ordinari posse ait, & per hoc liberari servitute: Ergò solo Baptismate liber non erat. Qua de re, i. e. de Ordinatione servorum, infrà capite proximo dicendum erit. In præsenti autem quæstione mihi aliquot casus distinguendi videntur. Nam aut servus unà cum hero Baptismum suscipit, aut ipse herus eum baptizandum curat, aut id fit ab alio consentiente hero, aut sine heri consensu. Si pariter Baptismum uterque suscipiat, dubitandum non videtur quin & servus liber fiat, quasi in filium hâc ratione eum herus adoptaverit, vel certè liberum esse jusserit. Ad quam speciem refero illo Gregorii Theologi Orat. 40. de hero qui cum servo suo aqua vitali ablutus fuerat, Ἀφ' ἧς ἡμέρας μετετέθης, πάντες εἶξαν οἱ παλαιοὶ χαρακτῆρες· μιᾷ μορφῇ Χριστὸς ἐπιτέθειται, *Ex qua die per Baptismum immutatus, veteres omnes notæ (characteres) cesserunt: unâ formâ omnibus Christus impositus est*. Notandum est quod ait *omnes veteres characteres*. Nam & corporalis servitutis illos intelligit, & ratio, ut dixi, suadet. Nam & si seorsim ipse dominus eum offerat, curetve baptizandum, eo ipso liberum facit & quasi mittit manu. Idque conveniens est etiam Catonis sententiæ, Justinianique Constitutioni, quæ in lib. 1. Instit. Tit De adoptionib. relatæ sunt. Quòd si alius quàm dominus servum Baptismo ablui curet, si id volente & consentiente domino faciat, non video quî hic casus à superiore distingui debeat. Ipse enim fecisse id dominus intelligitur quod ejus jussu vel consensu alius facit, ut sunt Juris civilis notissimæ regulæ. Sed quid si domino præsente & tacente? Contrarium dicendum est si domino ignorante vel invito id fecerit, aut, quod eodèm redit, ipse se servus baptizandum dederit. Nihil enim juri dominorum per hoc præjudicari verissimum puto: quò pertinet ferè illa Corsi disputatio. Quod amplius est, *nec si dominus Judæus sit, subtrahitur ejus potestati servus Christianus factus, sed manet ejus ut antea servus*, ut Ludovicus Romanus dicto loco respondit, & ad eum probat eruditissimus Mandosius; Facit quidem Baptismus dignum manumissione & libertate, sed non etiam manumittit vel liberat. Neque id de servitute solùm dicendum est, sed & de omni alia obligatione, sive ea civilis sit & pecuniaria, sive ex maleficio, putà furto, descendat. Nam secutus postea Baptismus iis obligationibus pœnisve neminem liberat, sive Paganum, sive Judæum: ut pulcerrimo responso probat acutissimi ingenii Jurisconsultus Phil. Decius, quod est in ejus Consil. numero 130. ubi & receptiorem hanc sententiam esse docet, & argumentis quæ in contrarium afferri poterant optimè clarissimeque respondet, veluti illi, quòd *per Baptismum prorsus novus homo videatur*, ut scriptum est in cap. 1. 26. Distinct. quia id intelligendum sit *de foro*, ut ait ex Aretino, *conscientiæ, quoad pœnam Gehennæ & Purgatorii*. Item, quòd *absolutio facta per Baptismum & facta per Pœnitentiam publicam æquiparentur*; quia idem quod antè respondendum sit, ut multis allegationibus probat, & de pœnitentia. Denique concludit rem claram esse, maximè verò *si ad hunc finem, ut evitaret pœnam, baptizandum se dederit*: quòd *facilè præsumptionibus colligi posse* ait, & nos suprà capite proximo declaravimus. Legi & in eandem sententiam Responsum clarissimi itidem Jurisconsulti Tib. Deciani Acad. Patav. Antecess. potest. In summa, quæ de Baptismo dicuntur, quasi ad libertatem nos perducat, ea non de libertate mundana & corporali, sed de cœlesti & spirituali capienda sunt. τὴν κάτω & τὴν ἄνω ἐλευθερίαν Gregorius Nazianzenus eleganter appellat in divinissima illa De Baptismo Oratione, quæ est 40. Atque ità in tota illa Oratione, & maximè in principio, ubi Baptismi plurima & pulcerrima epitheta atque ornamenta commodaque congerit, omnia ad cœlestem vitam spiritualemque refert; inter quæ est, Κλεὶς οὐρανῶν βασιλείας, ζωῆς ἄμειψις, δουλείας ἀναίρεσις, &c. Ità & S. Ignatius elegantissimè *hominem pium* appellat *numisma à Deo velut effigiatum*; & contrà, *impium* esse *falsum & adulterinum nummum, non à Deo sed à Diabolo suâ formâ percussum atque impressum*: Ὁ θεοσεβὴς ἄνθρωπος νόμισμά ἐστιν ἀπὸ Θεοῦ χαραχθὲν· ὁ ἀσεβὴς, ψευδόμενον νόμισμα, κίβδηλον, νόθον, παραχάραγμα, οὐχ ὑπὸ Θεοῦ ἀλλ' ὑπὸ διαβόλου ἐνεργασθέν. Ex his facilè intelligitur quid sibi Paulus hoc loco voluerit, cùm non contentus dicere, *Non ut servum*, addit, *sed plusquam servum*.

§. XLV. Ἀδελφὸν ἀγαπητὸν] Quamvis omnes Christiani inter se *fratres* sint, hæc tamen res non tollit apud nos discrimina ulla vel dignitatis vel nobilitatis vel potentiæ vel divitiarum, & similia, imò nec libertatis & servitutis: quod apertissimè declarat Paulus 1 Tim. 6. in principio, ubi *servos, & qui sunt sub jugo*, jubet *modestè obedire dominis, neque eos despicere propterea quòd sint ipsorum fratres, ac dilecti, eorundemque beneficiorum Dei participes.* Sicut neque apud Græcos, cùm omnes *fratres & cognati* inter se haberentur, ut est apud Platonem in 4. De Rep. aliasque nationes pro *barbaris* haberent, tamen etiam inter ipsos jus Servitutis valuit; ut apparet ex eodem Platone lib. 5. De Rep. Neque aliud, licèt longè mitiori conditione, jus Hebræis ipsis inter se fuit; quamvis & *fratres*, ut Græci, omnes existimarentur, & cæteras pariter nationes tanquam externas & barbaras odissent, despicerent, non minùs quàm Græci, imò longè veriùs & vehementiùs, ut testatur optimus auctor Flav. Josephus cùm in Antiquitatum libris, tum in iis quos adversùs Appionem Alexandrinum scripsit. Solùm igitur in Ecclesia Christi nullum est discrimen, nullus liber aut servus, nobilis aut obscurus, dives aut pauper: non etiam in Republica Christiana. Denique triplex genus Libertatis & Servitutis in S. literis notare est; unum Corporis, alterum Animi, tertium Spiritûs, quæ & Animæ dicitur. Priora illa duo genera etiam Ethnicis nota explicataque fuerunt. De libertate & servitute corporali eadem omnium gentium sententia, idem jus semper fuit: Unde & *juris gentium constitutio* Servitus dicitur in libris nostris. Servitutem vel libertatem animi variè acceptam video, præsertim à Philosophis. Nam Aristoteles quidem eos esse *naturâ servos* dicit lib. 1. Polit. *qui mente sunt atque ingenio hebeti, ut se ipsi regere non possint, sed corpore robusto ad necessarios vitæ usus accommodati & quasi facti.* Quod & Homerum intellexisse Plato 6. De legibus aliique observarunt in illis versibus Odyss. ρ'.

> Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀπαμείρεται εὐρύοπα Ζεὺς
> Ἀνδρῶν ὅς ἂν δὴ κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι.

Nam τὸ ἦμαρ, i. e. *diem*, non alium quàm natalem significari, unde hominis cujusque fatum & conditio pendet. Quomodo & Euripides in Hecuba usurpat δούλιον ἦμαρ. Eadem mens & Diogenis Cynici fuit, cùm interrogatus *cur servi dicerentur ἀνδράποδα*, respondit, *Quia pedes habent illi quidem virorum, sed mentem qualem tu.* Quò respexisse videtur Basilius M. in Ep. 87. ubi de servorum & eunuchorum testimonio loquens ait, *Quomodo horum mens recta sit, quorum etiam pedes perversi sunt?* Stoici paulò aliter omnes non solùm stultos sed etiam vitiosos & malos in servorum numero habuerunt: quod vel pueris notum est ex M. Tulli Paradoxis. Neque Christiani homines, etiam Theologi, ab hac sententia abhorruere. Nam Gregorius Nazianzenus, qui per excellentiam *Theologus* cognominatus est,

> Δοῦλος ἐμοὶ πᾶς σκαιός· ἐλεύθερος, ὅστις ἄριστος,

inquit in Carmine in Divitem malè moratum. Philonis etiam Judæi liber exstat cujus inscriptio, *Omnes sapientes esse liberos.* Quæ disputatio cum Platonis illa lib. 6. De legibus convenit, ut discipulum ex præceptore, vel hunc ex illo agnoscas. Ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει. Libertas autem & servitus Animæ sive Spiritûs salutem & interitum sive damnationem animæ significant. Earumque frequentissima in S. literis mentio est, maximeque in Epistolis D. Pauli. Neque alia ei *servitus corruptionis* est Rom. 8. cùm ait, ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, *liberabitur à servitute corruptionis*, quàm hæc, ut dixi, Spiritûs. Non alia etiam *servitus* quæ dicitur *Peccati, Mortis, Diaboli*, & interdum *Legis*, quatenus peccatum ostendit & morte æternâ vindicat. Et *servitutem corruptionis* appellat, quò innuat ab Adamo primùm, postquam peccavit, initium atque originem traxisse. Ex eo enim miseriæ omnes calamitatesque natæ sunt; inter quas & Servitus est, vel præcipua illius corruptionis primigeniæ soboles ac testis: tametsi *servi* nomen ante Noæ tempora in Scripturis non legatur, sed à peccato demum Chami unà cum re, i. e. servitute, natum fuerit: & *servus futurus non fuerit, si ebrius non fuisset*, scribit D. Ambrosius in lib. De Helia & jejunio, cap. 5. Nam certè prima origo & causa fuit in peccato Adami, & ab eo corrupta natura humana in posteros propagata. *Originale peccatum* vulgò dicimus. Alioquin legibus servire, est liberum esse. Ideo *legum servi sumus*, inquit Cicero, *ut liberi esse possimus.* Atque hâc ratione etiam Christi servitus, sive Christo & Deo servire, *libertas* in literis S. appellatur, ut in suprà allegatis locis Epistolarum Pauli, & priori Petri Epistolâ, ubi scriptum est, *quasi liberi, & non quasi velamen* (ubi alludit ad Pileum libertatis notam: unde *ad pileum vocare*, h. e. ad libertatem) *habentes libertatem, sed sicut servi Dei.* Sed nullibi luculentiùs hæc res explicatur quàm à Paulo Gal. 4.

§. XLVI. Μάλιστα ἐμοὶ] Quasi dicat Apostolus, MAXIME MIHI, *qui & eum genui, & discipulum habui & ministrum:* QUANTO MAGIS TIBI, *qui eum non genuisti, nec ullum beneficium in eum contulisti tale quale ego, & qui ipse filius pariter meus es, uti ille?* Hic de conjunctione quâ discipuli & initiati suo Episcopo tenentur. Sic apud veteres, qui in Augurum collegium: Item Quæstor suo Imperatori. Onesimum, quem in hac Epistola *filium* appellat, & *à se genitum, suaque viscera*, hoc loco *fratrem* dicit, diversâ scilicet ratione; ut æqualitatem in Christi Ecclesia omnium ostenderet, etiam servorum & ingenuorum. Elegantissimè Greg. Nazianzenus Orat. 40. de Baptismo, quem *omnibus hominum generibus summè ut utilem esse* dicit, Δέξαι ὁ ἐν ἐξουσίᾳ τὸν χαλινὸν, ὁ ἐν δουλείᾳ τὴν ἰσοτιμίαν, *qui in libertate es*, (vel *tua spontis*) *frænum accipe: qui in servitute, æqualitatem honoris.* Doctissimus Billius malè, meo judicio, vertit *qui in potestate atque imperio es*, corruptâ elegantissimâ antithesi quam Gregorius instituit servatque in sequentibus. Sed cur ait Paulus μάλιστα ἐμοὶ, *mihi maxime?* Non tam ad *fratrem* isthuc referendum quàm ad proximum verbum *dilectum.* Neque enim quisquam *magis frater* esse alteri potest, sed *magis dilectus atque charus.* Sed & fraterna jura ac velut vincula plura sunt: ut in proposito hoc nostro, *frater* Onesimus erat Paulo, & quia Judæi ambo erant (De quibus suprà diximus, *fratres* inter se omnes & *cognatos* existimatos fuisse. Atque hoc etiam nomine ab ipso Deo à cæteris distinguuntur: unde illud, *Fratri tuo non fœnerabéris*, & similia in S. literis. Quod & Græci inter se tenuerunt, & veteres Germani, ut se omnes *fratres* appellarent, teste Plutarcho in Vita Marii) *Deinde frater*, quia socius in administratione Euangelii. Nam si *societas pecuniæ* & negotiationis alicujus mundanæ *jus fraternitatis inducit*, ut Ulpianus noster scribit in Leg. *Verum*, in prin. D. Pro socio; quantò magis id efficere debet rerum Divinissimarum sanctissimique Numinis societas? Etiam eam ob causam *maximè* Paulo Onesimus *frater* quòd ejus mensâ contuberniòque uteretur.

§. XLVII. Πόσῳ δὲ μᾶλλόν σοι καὶ ἐν σαρκὶ καὶ ἐν Κυρίῳ;] Cùm *sibi maximè fratrem dilectum* appellaverit Onesimum Paulus, ejusque rei rationes suprà exposuerimus, cur adjicit, *Multò magis talem eum Philemoni videri debere & in carne & in Domino?* Quidam eò referunt, quòd Onesimus & Philemon ambo Gentiles fuerint, eoque & *in carne fratres* rectè dicantur; quod dicere Paulus, qui Judæus genere erat, non potuit. Quæ interpretatio recipi posset si constaret eos Ethnicos fuisse. Neque enim quòd Judæorum lege vetitum esset nè Judæus Judæum mancipium haberet, satis argumenti est cur id existimemus. Potuit enim si non in perpetuum at certè ad tempus Judæus servire Judæo. Deinde quid vetat quò minùs alter Judæus fuerit, alter Ethnicus? *In carne* autem idcirco *fratres* dicuntur quia ex eodem genere, adeoque in eodem oppido, Colossis nati fuerint. Familiare enim Phrygibus fuisse liberos suos vendere, suprà ex Philostrato docuimus: & potuit aliâ civili ratione alter alterius esse servus. Quid si dicamus naturalem fratrem Onesimum fuisse Philemonis, putà à patre ejus ex ancilla procreatum? Nam & hi servi sunt, cùm matris conditionem sequantur, ut notissimum est; etiamque patri, ut apparet ex Pauli responso in Leg. *Naturalis*, V. Dig. De Præscr. verbis: L. *Si ut alleget.* C. ad L. Falcid. Et apud Livium lego aliquot millia filiorum quos Romani milites in Hispania generaverant, manumissos & libertate donatos fuisse. Theodori Bezæ expositio planè absurda est, qui hæc ità accipit, IN CARNE, i. e. *& quatenus humano more tibi servus est, dignus quem ames, & multò magis quoniam tibi nunc frater est in Domino.* Utrumque enim, i. e. & quod *in carne* dicit, & quod *in Domino*, ad id unum quod dixerat *fratrem dilectum* apertè Paulus retulit. Non potest autem *dilectus frater* dici quia servus sit, præsertim tam dilectus ut Pauli etiam dilectionem maximam ea dilectio superaret. Sed de hoc unusquisque ut lubet. Quod autem *in Domino* Paulus dicit, dubium non est quin ad Christianæ charitatis conjunctionem æqualitatemque retulerit: de qua suprà expositum. Quæ etiam major arctiorque in Onesimo erat quòd & ipse Ecclesiasticæ functioni præpositus esset, ut Paulus, ut Philemon. Diaconus enim erat jam à Paulo institutus. Sed quia id sine consensu domini fieri non poterat, certè non debebat, ideo non obscurè & hoc loco & totâ Epistolâ id unicè Paulus agit, licèt latenter & summo artificio, ut Philemon eum manumitteret, liberumque esse & Diaconum pateretur. Quorum neutrum sine domini consensu, ut dixi, potuit, vel etiam voluit. Qua de re multæ Pontificum & Conciliorum Constitutiones exstant in Juris Canonici libris, præcipuè sub Distinct. 54. In qua notanda est differen-

differentia quædam inter Jus Pontificum & Civile, quæ eodem loco adscriptis simul utriusque Juris sanctionibus annotata est. Nam ex Novella Justin. 123. unde sumptum est posterius cap. *Si servus absente* d. Dist cautum est *ne servus qui ab Episcopo factus sit Presbyter aut Diaconus fiat liber, si id ignorante ejus domino vel dissentiente fecerit.* At Concilii Aurelianensis decreto, quod refertur in priore cap. *Si servus absente*, eodem Titulo, *etiam ignorante domino Presbyter aut Diaconus ab Episcopo non ignaro servilis conditionis factus, fit continuò liber; sic tamen ut domino in duplum damnum ab Episcopo resarciatur*, id est, duo pro uno servi reddantur. Quod tamen repugnat omnibus aliis Constitutionibus illius tituli, & Rubricæ ipsi sic conceptæ, *Servi sine dominorum consensu & libertate non ordinentur*. Itaque meritò inter Paleas ille Canon rejiciatur, sicut & ille quo cavetur *ut Judas servus ad sacra loca confugiens libertatem adipiscatur*. Alia ratio est servorum ipsius Ecclesiæ, vel ad ejus jura pertinentium hominum. Ii enim justè tuteque ab Ecclesia & in Ecclesia manumittuntur, sicut & alii servi consentientibus dominis. In quo manumissionis genere quæ observata fuerint docet eruditiss. Fornerius lib. 1. Selectionum cap. 4. & seq. ubi & refert in Concilio Carthaginensi duo capita legi *περὶ ἐλευθερῶν τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γενομένων* quorum uno tractatur, *an quicunque servi ad Ecclesiam confugiunt, manumittendi sint*; altero, *an sic manumissos, postea libertos domini vindicare possint.* Et de utroque capite sancti Patres decreverunt adeundum & consulendum esse Imperatorem. Legi & Kapitula Caroli Magni de hoc genere manumissionis, quod ibi vocatur *ad altare*, vel *cornua altaris*. Monachorum cùm dignitas nulla sit vel administratio Ecclesiastica (ut est Presbyterorum & Diaconorum, ideoque vilitate servili pollui non debet) Imp Justinianus crebris, ut videtur, transfugiis motus Constitutionem de iis edidit, quâ cavet ut *liceat quidem servis se in monasterium, eoque modo se à dominorum potestate liberare*: sed certas & graves adscripsit conditiones; *si pietatis & sanctimoniæ causâ id fecerint; si non ob scelera & flagitia, adeoque suppliciorum metu, fugerint: si per triennium in disciplina monastica explorati probatique fuerint; si a dominis hoc temporis spatio repetiti non fuerint.* Nam totum hoc triennii tempus liberum domino relinqui voluit ad repetendum atque abducendum mancipium; dum tamen hæc duo probet, primùm, *se ejus dominum esse*; deinde, *servum à se fugisse, furtumque sibi vel aliam noxam nocuisse.* Sed & elapso triennio unam causam abducendi servi domino liberam reliquit, *si is à monasterio in quod se recepit profugerit.* Elapso igitur triennio, ut dixi, fit liber, *quasi a Deo manumissus*, ut ait Johannes in sua Nov. summa. Neque prætermittenda est hoc loco nobilissima & humanissima Regni Galliæ consuetudo, quâ fit ut servus quicunque & cujuscunque, simul ac pedem in terra Galliæ posuit, momento liber exsistat. Quam tamen sive consuetudinem sive legem non tenere exterorum Principum vel populorum Legatos ad Regem missos, verius omninò videtur, cùm & fide publicâ illi veniant, & jure gentium solo obligentur, non Jure civili, aut consuetudine ullius populi. Hoc Jus terræ Franciæ allegavit bello Metensi Guisius Dux, cùm Lud. Avila Cæsarei equitatûs Præfectus tubicine misso servum fugitivum ab eo repeteret; quod ipse jus, ut genti Christianæ maximè conveniens ac decorum, violari à se nollet, ut est apud Aug. Thuanum lib. 9. Histor. relatum. Nec dissimilis, ausim dicere, in captivos Christianos aliosque, quos vel bello ceperint, vel emerint, humanitas Turcarum. Neque enim fugitivos durioribus pœnis coërcent: quòd ignoscendum putent, si libertatis amore, qui omnium animantium generi insitus est, fugam arripiant. Quâ eâdem humanitate & in aviculas captivas uti solent: Eas enim pretio redimunt sæpe in hoc tantùm ut statim manu emittant: cumque illæ in libertatem se recipientes cantillant, sibi gratias ab iis agi pro libertate concessa dicunt. Qualis barbaries illa Cardinalis Perusini fuit, qui Turcis servis suis ex fuga retractis frontes inuri jussit literis C. P. impressis; cùm Turcæ nihil ampliùs quàm catillum ferreum fugitivo circumdent, signum fugæ! Quod & olim usitatum fuisse ex illo in Vita Hilarii loco discimus, *Et quasi mancipium fugitivum, vinctus vinculo, & armillâ labia perforatus.* De literis & stigmatis quibus fugitivi afficiebantur, res vulgò etiam notissima. Unde & *literati* sunt appellati. Vide sis pulcerrimos versiculos apud Zonaram Annal. 3. pag. 121. edit. Basileensis, quos

Γραπτοὶ γράφουσι δέσμιοι τῷ δεσμίῳ.

Item alios suprà pag. 118. Qui complusculi tamen frontibus sanctorum atramento infuso incisi, Theophili Imp. ob singulare imaginum odium jussu. Alia ratio fuit militum illorum Turcarum, de quibus idem scribit Annal. 3. in Imperio Mauritii, qui spontè cruces suis frontibus incisâ cuti atramentoque infuso pariter inscripserunt, à Christiano, ut dicebant, persuasi, cùm eorum gens gravi fame laborat: futurum enim ut nemo eorum qui se ità pinxissent fame periret. Nec suâ fuerunt spe frustrati, ut dicebant.

§. XLVIII. V. 17. *Εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνόν*] Alio & vehementissimo argumento Paulus utitur, ex persona sua ducto, vel societate quæ illi cum Philemone erat omnium rerum. Id enim significat hoc loco verbum *κοινωνός*. Neque ad unum aliquod genus refertur, sed planè ad omnia tam humana quàm Divina Quippe & Episcopus Philemon erat, & Pauli hospes, ut infrà apparebit. Eleganter Joh. Damascenus, ut in ejus Vita refert Joh. Patriarcha Hierosolymitanus, ad Cosmam Italum hominem, quem ex captivitate redemerat, *Ecce*, inquit, *posthac non solùm liber eris, sed constituo etiam te κοινωνὸν τοῦ οἴκου μου, καὶ συνδεσπότην κατ' ἐμὲ, σύμμετρόν μοι πάσης χαρᾶς τε καὶ θλίψεως.* Cui congruit nobilissima Pythagoreorum sententia, *Amicorum omnia communia.* Simul ex eo insinuat, si in Onesimo sibi gratificetur Philemon, futurum ut non minùs in potestate Philemonis futurus postea sit. Ea enim est illius sententiæ, vel amicitiæ Pythagoricæ (Tales & Essæi. Vide Joseph. De Bello Judaico, lib. 2. cap. 7.) imò Christianæ jus ac potestas. Quod ità venustissimè expressit eloquentissimus Philosophus Dio Prusæus Orat. 3. de Regno, *Ὁ τοῖς φίλοις χαριζόμενος, ἥδεται διδοὺς, ἅμα καὶ ὡς αὐτὸς κτώμενος. καὶ γὰρ δὴ παλαιός ἐστιν ὁ λόγος, ὁ κοινὰ ἀποφαίνων τὰ τῶν φίλων. οὐκ ἂν ἀγαθῶν παρόντων τοῖς ἀγαθοῖς, οὐχ ἥκιστα ἂν εἴη ταῦτα κοινά.* Est & alia Græcis hujus vocabuli significatio, pro *miti*, *benigno*, *liberali*. Unde & Mercurius *κοινωνὸς* dictus, teste Aristotele lib. 2. Rhet. cap. 24. quòd liberalissimus sit: Quæ fortè ratio fuit cur nudus exserto humero pingeretur. Neque Latini ab hac significatione abhorrent. Beneficos enim homines & *φιλανθρώπους communes* appellari Servius scribit in lib. 8. Æneidos. Et ità Suetonium Tranquillum usurpasse in Vespasiano & alibi notarunt doctissimi interpretes, pro quo vulgò perperàm legitur *comis* vel *comissimus*, cùm in veteribus membranis *communis* & *communissimus* probè exaratum exstet. Cui contrarium *ἀκοινώνητος* & *ἀκοινώνητον*, quo verbo & Cicero utitur in Epistolis. Idem est apud Salvianum *imprastabilis*, lib. 4. De providentia Dei: *Immisericordem*, inquit, *imprastabilem, inhumanum, asperum, durum.* Hoc sensu ità Paulus locutus fuerit, *Si me virum bonum, si humanum esse putas.* Sed prior interpretatio verior est.

§. XLIX. *Προσλαβοῦ αὐτὸν ὡς ἐμέ*] Sensus est, *Recipe, quem fugientem ad Christi Crucem prehendere non potuisses.* Arnobius in Psal. 136. *Si enim ad statuas Regum æreas confugientes persequentes evadunt, quanto magis ad crucem confugientes Domini nostri Jesu Christi à suis adversariis teneri non possunt?* imò nec à dominis servi: Tit. Cod. De his qui ad statuas Princip. confug. Itaque argumentum tale est, *Si me habes κοινωνόν, & hunc recipere debes ut me ipsum, utpote qui filius meus sit, & quidem in vinculis Evangelii à me generatus* Syrus Interpres legit *ὡς ἐμόν*, languidiore multò sententiâ. Eundem enim se & Onesimum videri vult Apostolus, i. e. *αὐτότην*, ut Aristotelis verbo utar, & ab ipso ad hanc naturæ conjunctionem vel similitudinem declarandam fabricato. Cui malè eruditissimus Victorius *ipsissimum*, quo Plautus utitur, respondere ait. Nam id Plautus ex Aristophane, qui *αὐτότατος* dixit, interpretatus est: Pluto,

Χρ. Ἐκεῖνος αὐτός; ΠΛ. Αὐτότατος.

Itali *Medesimo* dicunt. De quo ad hunc locum appositè annotavero ingeniosam P. Aretini, ejus qui *Flagellum Principum* cognomen habuit, sententiam in Epistola ad Atrebatensem Episcopum lib. 4. *Avenga che a voi scrivendo al di voi padre scrivo Per che la medesima differenza che è tra se proprio & se medesimo, e tra la creatura & il genitore.* Nec mirum dici hæc de Filio, cùm eadem dicuntur & de Servo. Nam Siracides Eccles. 32. *Si est tibi famulus*, inquit, *esto tibi tanquam tu ipse, quia sanguine parasti eum, & est tanquam tu ipse.* Sed hoc ad cognationem illam quam inter omnes homines natura constituit referendum est. Quod præter Florentinum JC. Lactantium & alios ità disertè expressit Clem. Alexandrinus cap. ult. Pædag. *Famulis utendum tanquam nobis ipsis: Sunt enim homines, sicut nos.* Amplius etiam quiddam in Pauli hisce verbis intelligi oportet. Si enim in hac deprecatione pro Onesimo magis spectari vult quàm ipsum, cui esse justissimis de causis iratum herum sciebat. Est igitur oratoria & simul pia quædam *κρύψις* in istis verbis, occultatâ & quasi de medio surreptâ personâ Onesimi. Sicut & mox Translatione Rhetorica quodammodo utitur, cùm quæ deliquerat Onesimus in se quasi transfert, certè reum se pro illo constituit. Simili artificio in illa vehementi pro Landtgravio socero captivo deprecatione usus fuit Mauritius apud Carolum V. Cæsarem, cùm omissa omni de landtgravii meritis, deque jure disceptatione unum se & Brandeburgicum, qui tum bene

de Cæsare

de Cæsare meriti essent, spectari in illo liberando rogabat. Nam & Paulus merita in Philemonem sua paulò pòst in medium adducit; nequid artificiosæ pariter & vehementi deprecationi desit.

§. L. V. 18. *Εἰ δέ τι ἠδίκησέ σε*] Cùm omnes ferè machinas expugnando Philemonis animo adhibuisset Apostolus, quæ à Justo atque Honesto ductæ rationes erant, etiam Utilis & commodorum rationem sibi in medium afferendam judicavit. Quam & uno verbo sed efficacissimo suprà attigerat, cùm dixit, *νυνὶ δέ σοι εὔχρηστον*, *Nunc & tibi perutilem*; dum cupit non solùm certa sed etiam præsentia videri commoda quæ ex converso Onesimo herus caperet. Intelligebat enim homines præsentibus maximè commodis commoveri, neque suas spes libenter in longum projicere. Nam, ut Claudianus ait,

——Omne futurum
Despicitur, suadentque sui præsentia fructum.

Et Pindarus in laudibus Regis Hieronis ponit, *τὸ παρακείμενον ἐνέχει φρονεῖν*, *quod præsentia sciret æstimare & curare.* Quam laudem & Ulpiano JC. tribuit Zosimus lib. 1. Hist. *Καὶ νομοθέτης ἦν ἄριστος, καὶ τὸ παρὸν ἐνδιαθεῖναι, καὶ τὸ μέλλον δυστόχως συνιδεῖν δυνατός.* Atque ità miro artificio Paulus lucrosam hanc servuli fugam videri vult hero Philemoni, non solùm quod ad bona spiritualia, sed etiam quod ad temporalia ista. *Οὐδὲν γάρ ἐστιν ἀκερδὲς τῶν αὐτοῦ*, *Nihil enim est non lucrosum eorum quæ à Deo fiunt.* Itaque & ad Deum auctorem hanc fugam Onesimi suprà retulit, ut ibi exposuimus. Huc igitur & hæc pars Epistolæ pertinet, ut etiam ab Utilitate animum Philemonis inducat ad ignoscendum. Quod in deprecationibus Quintilianus lib. 7. Instit. cap. 4. in loco de Deprecatione; *Si spes in futurum innocenter victuri, & in aliquo usu futuri.* Eodemque pertinet quod acutè annotavit Joh. Chrysostomus in hunc locum, *Sciebat enim Apostolus quantopere homines angi jacturâ rei familiaris soleant, & quidem à servis illatâ.* Hæc de artificio Paulino. Nunc rem ipsam consideremus atque explicemus pro instituto nostro accuratiùs. Formula elegantissima atque omnibus numeris absolutissima hic continetur ejus conventionis quam primus introduxit edicto suo Prætor. *Constituta pecunia*, vel *constitutum* appellatur, unde & *constitutoria* sive *constit. pec. obligatio*que actio dicitur; de qua Titulus cum in Digestis, tum in Codice ac Novellis exstat. Nudâ conventione nudove consensu contrahitur: eoque Prætoris edicto opus fuit, quod videretur à regulis Juris civilis abhorrere ut ex nudo pacto actio daretur, nisi in conventionibus Jurisgentium; qui contractus propterea sunt & dicuntur. Omnes enim conventiones ad tria genera rediguntur, quorum duo contractus sunt, una nihil nisi nuda simplexque conventio. Aliæ enim & nomen & causam habent, i. e. obligationis; veluti Emptio, Locatio, Societas, Depositum. Aliæ causam obligationis habent, nomine carent: Quales sunt qui vulgò *contractus innominati* dicuntur, quibus quia causa subest ut quis alteri obligetur, putà datum vel factum aliquod ex conventione præscripta, propterea & actionem pariunt. Aliæ denique sunt quæ & re atque causa & à nomine vacuæ nudæque sunt; de quibus soleo illum Germanici Cæsaris versum in Phænomenis stellarum usurpare,

Nullum nomen habens, neque causam nominis ullam.

Et his actio non nascitur, sed exceptio duntaxat; ut fusè à nobis explicatum est in Comment. ad Titulum Dig. De Pactis. Constituti conventio non immeritò referatur inter contractus nominatos: Nam & actionem parit, & nomen habet non inelegans, licèt non jure Civili sed Prætorio attributum. Est autem hujus conventionis sive contractûs usus longè frequentissimus; nam & utilitas eum tandem extorsit. Neque aliò retulerim negotii illud genus quod per *cambii literas*, quas vocant, plerumque explicari solet, cùm scilicet negotiator aliquis vel alius acceptis de summa aliqua pecuniæ alteri solvenda literis, iis se acquiescere dicit, soluturumque se profitetur. In hoc Pauli constituto multa sunt quæ interpretatione nostrâ indigent, neque ab aliis sine cognitione Juris civilis ullo modo intelligi possunt. Igitur hæc de eo exponam: Primùm, quòd constituit Paulus ex obligatione conditionali. Deinde quòd ex delicto descendente. Tertiò: quòd ex obligatione & debitione duntaxat naturali, qualis sola inter dominum & servum contrahi potest. Quartò, quòd per epistolam. Quintò, quòd Paulus egens & captivus. Postremò, formula ipsa explicabitur, ut antè dixi, pulcerrima & absolutissima, quâ nec peritissimus Jurisconsultus meliorem ediderit, licèt tantum sciat quantum Servius & Labeo.

§. L I. *Εἰ*] Conditionem hæc particula plerumque facit; interdum & sæpe quidem pro causa accipitur, *causalis*que à nostris appellatur. Itaque ponitur pro *Εἴπερ*, vel *quia:* quod & interpres Demosthenis Ulpianus annotavit. Atque hâc ratione potuisse defendi Diagoram Melium putat Alciatus, qui de Deo ità scripserat, *Si Deus est, oportet eum summè bonum esse:* unde & ἄθεος & θεομάχος vulgò nominatus. Apertiùs ille alius Philosophus initio statim operis sui, *Dii quidem an ulli sint nescio:* Cujus præter alios facit Aristoteles in Rhetoricis mentionem. Non poterat ignorare Paulus quæ in dominum deliquisset servus, aut si quid ei deberet; nec candori & recenti Christianismi professioni Onesimi conveniebat, eum de suis rebus noxisque celare. Quare hæc verba sic interpretanda existimo, *Si paruerit vel constiterit tibi aliquid ab Onesimo deberi:* ut in nobilissimo illo Scævolæ responso quod legitur in L. *Qui Romæ*, §. *Augerius*. Dig. De verb. obligat. de quo tot Interpretum disputationes exstiterunt. Sed ut merè in hac oratione versetur, constat & conditionale debitum constitui posse, & constitutæ pecuniæ obligatione teneri, sic quidem ut obligatio constituti, tanquam accessoria, ex priori pendeat, & vel cum illa valeat, vel cum illa perimatur, prout conditio exstiterit vel non exstiterit, L. *Id quod sub conditione*, D. De constit. pec. Neque turbat, quòd neque *creditum* dicatur, neque *creditores* quibus sub conditione debeatur. Nam id præsenti statu obligationis inspecto dicitur conditionis eventu. Cæterùm propter spem, quæ præsens est debitum aliquando iri, & quia exsistens quandoque conditio ad tempus interpositæ conventionis retroducitur, non impropriè *creditum* & *creditores* appellantur. Atque ità temperanda est Glossa veteris Scholiastæ in Epist. ad Hebræos, *Ἐπειδὴ γὰρ τὰ ἐν ἐλπίσιν ἀνυπόστατά ἐστιν, ὡς τέως μὴ παρόντα.* Nam & spes, ut dixi, *præsens est debitum iri:* ut loquitur in Institutionibus Justinianus: & obligatio certè aliqua est etiam antequam conditio exsistat: quia non licet à contractu discedere altero invito, sed exspectanda conditio. Quare & verbum *oportet* vel *oportebit* non malè & de conditionali obligatione accipitur, maximè ubi nulla pura vel in diem contracta obligatio est, de qua intelligatur, ut ab Alexandro fusiùs explicatur ad L. *Si stipulatus*, Dig. De verb. oblig.

§. L II. *Ἠδίκησε*] Ut pignus, ut fide jussor omni obligationi etiam ex maleficio descendenti adhiberi potest, sic & constitutum: Nam & hæc occasio est obligationum aliarum. Continet autem hoc quo Paulus utitur verbum *omnem injuriam atque damnum quo ab altero affecti sumus*, ut Aristoteles in Ethicis, Imp. Justinianus lib. 4. Instit. Tit. de Lege Aquilia, declarant. Quare & Furtum hoc generali nomine comprehenditur. Sed, ut rectè Joh. Chrysostomus monuit, *injuriæ* magis verbo quàm *furti* uti Paulus voluit, ut rei turpitudo levioris verbi specie tegeretur. Turpissimum enim omnium ut crimen sic & nomen *furis*, quod vitium & *naturæ probrum* dicitur à Jurisconsulto, & in servos tantùm aut servilis ingenii homines cadit. Quanquam potuit & de aliis delictis Onesimi Paulus loqui quibus detrimentum aliquod domino intulisset. Unde non malè Hieronymus & alii *si quid tibi nocuit* interpretati sunt generaliter; ut & illi qui *læsit* verterunt. Sed potest aliquis *nocere* & *lædere* alterum, non tamen *injuriâ*, ut Iphicrates adversùs Nausicratem dixit, *ποιῆσαι δ' ἔλεγε, καὶ βλάψαι, ἀλλ' οὐκ ἀδικεῖν*, ut refert Aristoteles lib. 3. Rhet. c. 15. Sed hoc in aperta defensione locum habet, non cùm delictum agnoscitur, ut hic Onesimi à Paulo: vel hæc verba *nocere* vel *lædere* absolutè posita sunt. Tunc enim de *damno per injuriam dato* & *jure alterius imminuto ac violato* capitur, ut in præceptis illis tribus Juris. *Alterum non lædere.* Fortè & actor vel dispensator, vel pecuniis & Kalendario præpositus Onesimus fuit, vel similis ministerii, in quo læserit dominum vel malè gerendâ re, vel deferendâ. Plutarchus, quem Latini *actorem servum*, *οἰκονόμον* vocare videtur libello De liberis educandis, *Τῶν γὰρ δούλων τῶν σπουδαίων τοὺς μὲν γεωργοὺς ἀποδεικνύουσι, τοὺς δὲ ναυκλήρους, τοὺς δὲ ἐμπόρους, τοὺς δὲ οἰκονόμους, τοὺς δὲ δανειστάς.* Præcipua, ut ità dicam, dignitas fuit ejus qui *Columella* dicebatur, quasi ei tanquam columnæ res dominica inniteretur. Lucilius lib. 22.

Servu' neque infidus domino, neque inutili' cuiquam,
Lucilii columella hic situs est Tubero.

Inutilem dixit pro *damnoso* vel *injurioso*; ut suprà Paulus Onesimum *ἄχρηστον* appellavit mitiori vocabulo. Contrà *ἔντιμος δοῦλος* Lucæ 7. ubi videsis omnino Bezæ Annotat. In libro Veterum Inscriptionum Romanarum epigramma elegantissimum legi de alio Onesimo, quod hic adscribendum duxi:

ONESIMO ANICETUS FECIT
DOMINUS.

O utinam vivo potuissem præmia morum
Reddere! nunc lacrymas accipe pro meritis.
Nam semper, fateor, tacitâ te mente probavi:
Detexit sensus ultima flamma meos.

Tu

Tu columen rerum semper, tu cura mearum:
Nunc eris & luctus tu quoque causa mei.
Ossibus infundam, quæ nunquam vina bibisti.

Nemo tam stupidus est qui non videat hæc à domino dici de servo sive ad servum actorem & columellam: ad quod etiam allusum illis verbis, *Tu columen rerum.* Quare corrigenda omnino ejus inscriptio est, legendumque, ONESIMO ANICETO FECIT DOMINUS, vel ANICETUS. Nam cur servus duo nomina habeat? Nisi ANICETI malis, ut intelligatur cujus servus esset. Certè Domini nomen præteriri non potuit. Mirum quid in mentem venerit Baronio Cardinali, qui *solà cupiditate religionis Christianæ & audiendi Pauli profugisse Romam Onesimum* scribit. Nam si ità esset, longè liberiùs egisset cum hero Paulus, non ità verecundè & dubitanter ut supra factum. Neque hic de ullis Onesimi delictis mentionem talem fecisset; quamvis & ipsa fuga per se satis gravi jacturâ & incommodo dominum afficit. *Detrimenta, fugas servorum,* &c. inquit Horatius. Multi certè magis ob fugam, verbis præsertim, servis irascuntur quam ob furta: ut Cicero in suo illo Chrysippo filii præceptore, *Mitto furta: fugam non fero, quâ mihi nihil visum est sceleratius. Itaque usurpavi vetus illud Drusi Prætoris in eo, qui eadem liber non juraret, me istos liberos non addixisse, præsertim cùm adesset nemo à quo rectè vindicarentur,* lib 7. ad Attic. Epist. 2. Eadem querela lib. 13. Epist. ad Famil. Ep. 77. de Dionysio, altero servo suo, & Ciceronum puerorum præceptore, ad P. Sulpitium, *Dionysius,* inquit, *servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cùm multos libros surripuisset, nec se impunè laturum putaret, aufugit. Is est in provincia tua. Eum & M. Bolanus familiaris meus & multi alii Naronæ viderunt. Sed cùm se à me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere quàm mihi gratum futurum sit. Res ipsa parva, sed animi mei dolor magnus est. Ubi sit, & quid fieri possit, Bolanus te docebit. Ego si hominem per te recuperaro, summo me beneficio à te affectum arbitrabor.* Verisimile est non aliter de Onesimo affectum fuisse dominum, cùm D. Paulus tam accuratâ deprecatione & tam vehementi apud eum utatur. Neque hic Diogenis sententiâ utimur, quam recitat Dio Chrysostomus Orat. 10 *Magnum lucrum esse liberari à malo homine.* Nam ut nihil aliud, *ultio in lucro ponitur,* ut ait Tacitus; quam etiam in vilissimis servulis fugitivis expetunt & persequuntur etiam boni & mites domini. Ultio enim, ut cecinit maximus Poëtarum,

——πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται, ἠΰτε καπνός.

In qua similitudine (ut hoc obiter moneam) duas contrarias res cernere licet eidem tamen fini adjectas, *Mel,* inquam, & *Fumum.* Nam quid dulcius melle, quid amarius fumo? Et tamen utrique comparatur, sed *melli,* quâ voluptatem ex dolore inimici præsentit animus; *fumo,* quâ ea cupiditas vel voluptas turbida gliscit in pectore, vel, ut loquitur Homerus, *αὔξεται.* Atque hæc de verbo ἠδίκησε, quo omnia continentur *quæ non jure facta sunt:* unde & *obligatio ex maleficio,* vel *quasi maleficio.* Veteres Romani publicè illata quomodocunque damna verbo *rapuisse* declarabant: ex quo more *res raptæ* per Feciales repeti solitæ. Servius in lib. 10. Æneid. ad illa verba,

——*Tum res rapuisse licebit,*

Clarigationem, inquit, *exercere, h. e. per feciales bella indicere. Nam veteres lædere* RES RAPERE *dicebant, etiamsi Rapina nullum crimen exsisteret. Similiter satisfacere* RES REDDERE *dicebant.* Ad conventiones & debitiones ex iis natas talia verba, ἀδικῆσαι, *Lædere, Nocere,* & similia non pertinent. Aliud enim sunt *delicta,* aliud *contractus:* licèt generali & latâ quadam significatione & *delicto, contrahi,* & *delicta συναλλάγματα* dicantur Aristoteli & Jurisconsultis nostris: de qua re alibi. Verbum *debendi,* ut *obligationis,* sua natura generale est, ità omnes obligationes complectitur: Sed cùm speciali vocabulo quo maleficia declarantur subjicitur pro *pecuniaria & ex conventionibus orta debitione* capitur; ut hoc loco à Paulo, & passim à Jurisconsultis nostris. Gal. 4. 12. οὐδέν με ἠδικήσατε, Paulus dicit eo sensu quo apud Homerum,

Οὐ γάρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους.

Doctissimus Beza eò dictum vult quasi iis verbis Paulus significet se injuriam qua à Galatis in repudianda doctrina Euangelii affectus erat, iis condonare, si resipiscerent. Sed præstat ità ut dixi interpretari, *Non me aliquâ injuriâ affecistis, qui Legatus & Apostolus Christi sum, sed ipsum Principem Christum.* Ut Zeno qui *injurias ferret* interrogatus, *Quo animo Legati solent,* inquit. Neque propterea caulam suam à Christi causa separare Paulus dicendus est, sed quem primariò offenderent illi demonstrare voluit. Neque est prætermittendum artificium quod in hoc loco, adeoque in hoc verbo ἠδίκησε, D. Chrysostomus observavit, leniendæ rei causa hoc verbum elegisse Paulum: *Non ait, Si quid furatus est, sed, Si quid te læsit. Simul & peccatum confitetur, & non veluti servi peccatum, sed quasi amici ad amicum, Injuria magis usus quàm Furti nomine.* Quæ maximi Doctoris observatio in memoriam mihi revocat alterius Constantinopolitani Episcopi, neque illo minoris, in eodem genere deprecatorio sententiam. Is est Gregorius Nazianzenus cognomento *Theologus.* Nam cùm è Nemesiano quodam vehementiùs peteret ut multam nescio cui remittere vellet, in fine adjicit *se uti ejusmodi deprecatione quâ olim quidam amicus usus fuit, Agesilaus apud Hidrieum Carem pro Nicia amico,* Εἰ μὲν οὐδὲν ἀδικεῖ, διὰ τὸ δίκαιον ἄφες· εἰ δὲ ἀδικεῖ, διὰ τὴν ἡμετέραν φιλίαν ἄφες· πάντως δὲ ἄφες. Auctor hujus sententiæ fuit Agesilaus, teste Plutarcho in Laconicis. Non iisdem verbis Paulus usus est de Onesimo, sed eodem planè consilio. Nam quacunque ratione sibi eum dimitti & condonari petit à domino, cùm antea duo illa priora quæ in illa Laconica deprecatione leguntur accuratissimè & ingeniosissimè exposuisset, *justa,* inquam, omnia Onesimi, & *amicitiam suam* cum Philemone ejus domino: Quibus & Decori rationem, quæ Justi quædam pars est, & arcanum Dei decretum, quod omnis justitiæ fons est, aliaque adjunxit, ut omni ex parte Philemonem premeret adigeretque ad ignoscendum. Hoc est enim quod Laco dixit, πάντως δὲ ἄφες. Quod Paulus hoc loco ἠδίκησε dixit, Lucas, vel potiùs Architelones sive Magister publicanorum, Luc. 19. 8. ἐσυκοφάντησα, pariter generali vocabulo & ad omne injuriæ genus pertinente, dixit, Καὶ εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, ἀποδίδωμι τετραπλοῦν. Ubi Erasmus & V. Interpres, *si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum,* pari cautione & elegantia qua hic usum Paulum diximus ediderunt. Beza, *si quid cuipiam per calumniam eripui,* magis simpliciter & nude: Sed non est assecutus, ut existimo, ejus loci & gloriationis sensum. Nam si *quadruplum* ille *reddebat* pro ereptis, juris id necessitate faciebat; nec erat in quo magnopere suam æquitatem ostentaret. Ità enim Edicto de Publicanis cautum fuit, *si quid per vim extorsissent, ut in quadruplum tenerentur, in quo inerat & simplum,* L. *Hoc edicto,* in fin. Dig. De publican. cùm *si quid simpliciter & vi non adhibita defraudavissent, dupli, in quo & ipso simplum inerat, tenerentur.* Ille autem se *quadruplum* etiam in hoc casu *restituere* gloriabatur.

§. LIII. Ἢ ὀφείλει] Tertium caput in hoc Paulino constituto erat de *obligatione & debitione pecuniaria* qua servus domino obstrictus erat. Ea verò non potuit esse nisi naturalis. Nam civiliter servus non obligatur, præsertim domino, ut nec dominus servo. Nec idcirco minùs constitutum pro tali debito factum valet. Constitui enim potest & quod naturaliter debetur, sive à constituente sive ab alio debeatur, ut in Leg. 1. D. De const. pec. & alibi scriptum est. Imò & propter has maximè obligationes, ex quibus actio vel nulla est, ut sunt naturales, vel non in præsens, ut in diem contractæ, vel incerta, ut quæ sub conditione initæ sunt constitutæ pecuniæ obligatio in usum venit, quò conventiones illæ, alias infirmæ aut minus commodæ, in tutum redigerentur. Et notandum quòd non dicit σοὶ ὀφείλει, sed generaliter: Ergò & si alii. Generale verbum ponit post speciale. Vide Excerp. Serv. nu. 18. Illud quæritur in proposito Pauli constituto, *An pro servo apud ipsius dominum rectè quis constituat, ità ut domino firmiter civiliterque obligetur?* Quod idem quæras de fidejussione. Ratio dubitandi est, quod nemo potest apud alterum pro ipso fide jubere vel constituere, cùm pro servo alieno vel filio familiàs nihil vetet nos alii quàm domino vel patri constituere, sicut & fidejubere: L. 19. Dig. De pec. constit. Est & alia ratio quæ impedire videtur nè domino pro ipsius servo apud ipsum fidejubendo vel constituendo quis obligetur. Nam si consistere obligationem hanc fidejussoriam vel constitutoriam dixeris, eveniet tamen ut statim ipso jure tollatur per confusionem; utpote jure creditoris & debitoris in unam personam concurrente: L. *Si debitori, Cod. De pactis.* L. *Si Stichus,* §. *adutio,* D. De solut. cum similibus. Est autem dominus in proposito isto nostro & debitor, utpote ratione servi sui debitoris, & idem creditor, utpote cui pro servo qui se obligavit constituendo vel fidejubendo. Sed respondendum est, dominum non esse debitorem ratione servi sui, imò potiùs creditor est, cùm servus domino naturaliter tantùm obligetur, ut suprà dictum. Sed si servus peculium habeat, cùm de peculio actione Prætoria dominus teneatur, eatenus quoque confu-

sione

sione tolleretur obligatio, si quis pro servo fidejussisset apud eum, vel ei constituisset. Quod tamen utique verum non est: quia peculium non esse intelligitur, nisi prius deducto quod domino debetur. Imò & quod dominus pro servi sui noxa aliave causa alteri solvit, id domino quoque debetur ab eo; amplius etiam, si quid pro vicario ipsius à domino solutum fuerit: Leg. 16. Dig. De peculio. Rectè igitur Paulus pro servo Onesimo se obligavit Philemoni in id omne quod ex quacunque causa Onesimus ipsi debet. Illa inter Constitutum & Fidejussionem notanda differentia est, quòd ego apud creditorem meum constituere pro me possum, ex eoque duplici obligatione teneri incipio, & veteri principali, & nova, quæ accessit, constitutoria: cum tamen ipse pro me ipso fidejubere non possim, nec si fide jubeam, ex eo obliger. L. 21. D. De fidejussor. Qua de re explicatum est à nobis in Disputationibus ad Africanum, Disp. 10. in qua d. Leg. 21. quæstiones continentur. Festiva igitur fuit & jocosa illa fidejussio Josephi Tobiæ filii, quam refert Fl. Josephus l. 12. Antiq. c. 4. *Cum is vectigalia Cælesyriæ sibi addici à Ptolemæo Rege peteret, seque duplum numeraturum ejus quod priores publicani solverant promitteret, libenter auditus à Rege, & quosnam fidejussores tantæ pecuniæ sibi daturus esset, rogatus, Probos, inquit, & honestos, & quibus ipse credere non gravaretur. Eorum nomina edere jussus, Te, Rex, dabo, inquit, tuamque conjugem, ut alter alteri pro me fidejubeatis. Quo Rex delectatus atque arridens absque ullo fidejussore promisit eum vectigalia illa conducta habere.*

§. LIV. Τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει] *Sibi imputari atque expensum ferri* jubet *quod Onesimus hero debebat.* Id enim ἐλλογεῖν Paulo significat, quod Appianus καταλογίζειν, Aristoteles lib. 2. Oeconomico λογίζεσθαι dicit, & Theophrastus in libello De Characteribus, cap. περὶ Σμικρολογίας, ὅστις μικροῦ πριάμενος λογίζεται, ut notavit hic eruditissimus Casaubonus noster, allegato hoc Pauli loco B. Chrysostomus ità exposuit, πρὸς ἐμὲ ἔχεις τὴν ὀφειλὴν, quod interpres vertit, *à me debitum exige*, minus clarè. Sed intellexit Chrysostomus (fuit enim Juris civilis non imperitus) quod Onesimus inefficaciter, utpote naturaliter tantum, hero debebat, id verè & propriè, h. e. civiliter, jam deberi à Paulo ex constituto. Ideoque & *exigendi* verbum eruditè hic usurpatum est. Nam quod natura solum debetur, exigi non potest, cum nec actio de eo sit, ut supra docuimus. Erasmus parum eruditè pro *fidejussione* vel *expromissione* hæc verba Pauli & sequentia accepit. Magna enim differentia est inter hæc tria, *fidejussionem*, *expromissionem*, & *constitutum*. Indoctius B. Ambrosius & alii *syngrapham* & *cautionem* appellant: quæ non confundit Paulus Apostolus Juris Romani intelligentissimus, & Romæ jam diu hærens, & qui seriò atque ex professo hoc agebat ut se Philemoni obligaret. Fidejussio non fit per epistolam, sicut nec expromissio, nec novatio. Fiunt enim stipulatione, quæ non contrahitur nisi *inter præsentes*, & *verbis*, & *continenti*, L. 1. § inter. Dig. De verb. oblig. At *constituere & præsentes & absentes possumus, sicut & pacisci & per nuncium & per nosmetipsos, & quibuscunque verbis*, inquit Cajus Leg. 13. Dig. De constit. pec. quibuscunque verbis, dum tamen aptis. Non sunt autem apta, si impersonaliter quis constituat, puta *solvetur*, vel *satisfiet tibi*, non addito *à me*, vel *à nobis*, si plures sint qui constituant. Nam & constituendo duo rei fieri possumus. Rectè igitur & prudenter hoc quoque Paulus, qui suam personam denotavit, Ἐμοὶ *mihi*, inquit, *imputato*: & statim, *Ego Paulus*: item, *Ego solvam*. Auth. *Si quando*, Cod. de constit. pec. Sed cur impersonalis responsio in stipulatione valet, veluti, *Centum dabis? Dabuntur*: quia ad interrogationem facta est quæ certam personam continet.

§. LV. V. 19. Ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα] Non est de substantia constituti ut quis proprià manu scribat, cùm & alienà æquè consensus declarari possit. Solo autem consensu constitutæ nos pecuniæ obligari, manifestum est. Sed ut certiùs de hoc consensu constare posset, ità Paulus egit quomodo & Cicero in Epistola ad Trebatium Jurisconsultum, qui in castris Cæsaris erat, l. 7. ep. 18. *Ego renovabo*, inquit, *commendationem, sed tempore. Sic habeto, non tibi majori esse curæ ut iste tuus è me discessus fructuosissimus tibi sit, quàm mihi. Itaque quando vestræ cautiones infirmæ sunt, Græculam tibi misi cautionem chirographi mei.* Ubi hærent interpretes quid sit *Græcula cautio*. Plerique de *commendatione ad Cæsarem Græcè scripta* intelligunt, sed jam duabus lineis antea negavit se in præsentia id facturum, sed suo *tempore*. Ego existimo syngrapham significari, quâ se Cicero pro Trebatio obligabat, si quis ei mutuas pecunias dedisset. Quam appellat *Græculam cautionem*, quia *syngrapha* proprium Græcorum institutum, sicut Romanorum *obligatio*, & *perscriptio nominum*. Nec minùs illa ratio firma apud Græcos quàm hæc apud Romanos. Unde & ἀσφάλεια dici cœpit: & Nazianzeno in Carmine adversùs jurantes,

Χειρόγραφον δὲ τῶν δεσμῶν δεσμεῖ πλέον·

quod Jure Romano rectiùs dixeris de Stipulatione: Est enim *vinculum vinculorum*. Salvianus lib. 4. De Gubernatione Dei, *Mendacibus interdum atque perjuris cautione factâ & dato fidejussore res conceditur.* Egestatem & parsimoniam nimiam Trebatio objicit, sed, ut solet, ludibundus, in illa Epistola Cicero. Et fortè non pro voto à pecunia erat instructus, ut à Cicerone ei succurri oportuerit. Et opponit pecuniariæ syngraphæ *cautiones Trebatii*, i. e. Jurisconsultorum, tanquam *infirmas*, in hoc etiam jocatus, ut mox in *formulis*: quod & in aliis Epistolis antea fecerat. Eodem pertinet quod illi objicit de *palimpsesto & chartula deletitia*: *An hoc significas*, inquit, *nihil fieri? frigere te? ne chartulam quidem suppeditare?* D. Paulus membranis usus est in Epistolis. Quod autem in eadem Epistola Cicero scribit, *Ego te Balbo, cùm ad nos proficiscetur, more Romano commendabo*, quamnam commendationem intelligit? credo accuratam & religiosam & gravem; quæ in hominibus Romanis ab eodem commendantur etiam in dicendis testimoniis, opponunturque levitati & temeritati tum Græcorum, tum Gallorum, Orat. pro L. Flacco, & Orat. pro M. Fontejo. Hujus Romani in commendando moris meminit eodem libro, Epist. 5. ad Cæsarem de eodem Trebatio, *De quo tibi homine*, inquit, *hoc spondeo, non illo vetere verbo meo, quod, cùm ad te de Milone scripsissem, jure lusisti, sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur: probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem.* Hoc est quod alias dici solet, *sine fuco & fallaciis*, *more majorum*, ut idem loquitur lib. 1. Ep. 1. ad Attic. Et passim fides & simplicitas Romanorum in loquendo & omni officio laudatur. Unde & *Latinè loqui* vel *dicere* pro *verè*, *graviter*, *apertè*, *simpliciter*: cui Cicero opponit in Verrinis *accusatoriè dicere*, sive, ut alibi loquitur, *lege accusatoriâ*. Quod autem fuerit *illud vetus verbum suum*, quo se usum in commendando Milone, & quod à Cæsare *jure lusum* dicit, conjectura nemo facilè assequi possit: nisi quòd non displicet quod à Joh. Glandorpio excogitatum est, affirmasse Ciceronem Cæsari, *illo* (Milone) *meliorem virum non reperiri*: quod eò detorserit per jocum Cæsar quasi ad Faustam Syllæ filiam alluserit, quæ Milonem præ cæteris sibi virum elegerat quòd maximè Vir esset. An quia Milo Salustium loris cecidit in adulterio Faustæ uxoris deprehensum? Sed hoc genus loquendi cùm Cicero apertè *moris Romani* faciat, idque opponat *veteri illi verbo suo*, non videtur posse idem cum illo esse dici. Sed de his nimis multa. Similis est huic Paulinæ illa constituti formula apud Julianum in leg. 5. D. De pec. const. *Scripsi me, secundùm mandatum Seji, si quid tibi debitum adprobatum sit, me tibi cauturum & soluturum sine controversia.*

§. LVI. Τῇ ἐμῇ χειρὶ] Hoc quoque ad certiorem & firmiorem promissionis fidem adjectum est. Eundem *scribere* & *dictare* opponuntur, Cicero Ep. 2. lib. 2. ad Q. Fratrem. Alibi ostentando affectui vel honori erga eum cui scribitur, vel cujus causâ hæc adjiciuntur putà in salutatione. 1 Cor. 16. Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, *Salutatio meâ manu Pauli.* Verisimile enim est, Epistolas ipsas ab aliis scriptas fuisse dictante Paulo; quorum & nomina interdum exprimuntur, ut in Epistola ad Romanos extrema, *Saluto vos in Domino ego Tertius, qui Epistolam scripsi.* ὁ γράψας τὴν ἐπιστολήν. Beza, *qui Epistolam descripsi*: & reddit expositionem, *id est, qui dictante Paulo excepi, vel potiùs ex ejus adversariis descripsi*: Erasmum & Vet. Interpretem *scripsi* ambiguo verbo vertisse. Similis ambiguitas apud Salvianum in verbo *dictandi*, cùm ait, *Paulum Apostolum cùm omnes Epistolas suas dictaverit, in quibusdam tamen non suum tantùm nomen inscripsisse, Sed Silvani & Timothei.* *Dictare* enim pro *scribere* & *componere* accepit, sive alius eam ex ore ipsius sive ex adversariis excepit atque descripsit. Videtur autem Paulus in omnibus suis Epistolis, quas mittebat, manu propriâ salutationem scripsisse, ut à cæteris supposititiis literis dignoscerentur. Ità enim scribit Epistolâ posteriore ad Thessalonicenses, in fine, *Salutatio meâ manu Pauli: quod est signum in omni Epistola: ità scribo*, &c. Sed de hoc loco, *signo*que literarum Pauli pluribus dicendum erit ad extrema verba hujus Epistolæ. Quasdam tamen Epistolas totas suâ manu perscripsisse Paulum, dubitari non debet; vel quia non semper præstò esset cujus manu uteretur, vel aliis de causis. Sic D. Ambrosius Epistolam ad Galatas *holographam* fuisse, i. e. totam atque integram propria manu à Paulo scriptam, itaque missam colligit ex illis d. Epistolæ verbis cap. 6. Ἴδετε πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ, *Videtis qualibus* (vel *quantis*, i. e. quam

i.e. quàm longis) *literis vobis scripserim meâ manu.* Cui & Erasmus assentitur; quasi Paulus hâc ratione affectum & studium suum erga Ecclesiam Galatarum voluerit ostendere, cùm tam grandem Epistolam scriberet; probatque & Vulgarii interpretationem, qui τὸ πηλίκοις non ad *magnitudinem literarum* retulit: sed ad *deformitatem*, quasi Paulus imperitus fuerit pingendarum literarum; ex quo augetur studium ipsius, qui magno labore etiam ob hanc causam eas literas exaraverit. Quod alienum mihi videtur non tam à doctrina & dignitate Pauli (nihil enim in hac re positum est) sed à modestia ejus vel prudentia; quasi eousque ἀνόητοι essent Galatæ ut nec viderent quam eleganter pictæ literæ essent. Fuere ex Patribus, ut D. Hieronymus, qui significationem Græci vocabuli secuti *figuram fuisse literarum grandiorem* dicunt: cujusmodi characteres Plautus *cubitum*, *longas*, alii, *librales & unciales literas* vocant. Augustinus non *videte*, vel *videtis*, sed *vidistis* hoc loco legit, *quasi manùs agnita admonens*, ut inquit Erasmus, nè per alios fictis epistolis deciperentur. Et sanè multis modis fraudem in his admitti solere constat, non solùm totis literis suppositis, sed etiam parte aliquâ literis veris adjectâ; quod difficillimum est deprehensu, maximè ubi alienâ manu quis scripsit. Eruditissimus ille Synesius Episcopus, & verò Dux belli bonus, in Epistola ad Olympium, quæ est 132. in editione Parisiensi, hujusmodi dolum se fecisse & deprehendisse demonstrat in literis Olympii, in quarum una parte, adeoque post subscriptionem ipsam, adscriptum erat de insigni equo Italo, retentum eum Seleuciæ esse quòd naviculator tale onus propter tempestatem recusasset; cùm in literis eum à se mitti significaret Olympius, ut ex Synesii verbis colligo. Falsam autem fuisse illam adscriptionem literarum, equumque furto interversum, ex tribus suspicatus est Synesius, ex *dictione*, ex *manu*, & ex *scriptura inelegantia*: Ἐπειδὴ δὲ, inquit, μήτε τὴν λέξιν ἐπέγνων, ἀδελφὴν οὖσαν τῆς σῆς, μήτε τὴν χεῖρα, μήτε τὴν ἀκρίβειαν τῆς γραφῆς, ἐδικαίωσα μὴ ἀγνοεῖσθαι, τοιοῦτο. ἄτοπον γὰρ, εἰ τοιοῦτος ὢν ὁ ἵππος μήτε ἐμοὶ, μήτε σοὶ σῴζοιτο, i. e. *Posteaquam neque dictionem agnovi, tua similem ac germanam, neque manum, neque elegantiam scripturæ, æquum putavi certiorem te ea de re facere. Absurdum namque sit si talis equus neque tibi neque mihi salvus sit. Manum* non à *scriptura* distinguit (idem enim sunt) sed ab *elegantia & forma scripturæ*, i.e. καλλιγραφίᾳ. De qua vide sis elegantissimam Epistolam Basilii Magni, quæ est ultima, ad Calligraphum quendam: *Rectè*, inquit: *scribe, & utere versuum ordine recto; & neque ad altitudinem manus ipsa elevetur, neque per præcipitia feratur, neque coge calamum, ut obliquè procedat, velut cancer apud Æsopum*, & quæ sequuntur. Neque indigna hæc cura Episcopo; cùm & ipse Augustus excidere officio voluerit IXI pro IPSI scripserat, apud Sueton. Ut ad propositum redeam, B. Ambrosius etiam pro benevolentiæ argumento & pietatis accepit quòd sua manu ei Imp. Gratianus scripserat: *Scripsisti*, inquit lib. 5. Epist. 26. *tuâ totam epistolam manu, ut ipsi apices fidem tuam pietatemque loquerentur.* Sed similitudo, quam addit, sanè ridicula, *Sic & Abraham*, inquit, *suâ manu quendam vitulum occidit, ut hospitibus epulantibus ministraret.* Philo monet Principes ut *commentarios suâ potiùs quàm alienâ manu scriptos legant: ità enim firmiùs præcepta animo imprimi; & libentiùs quodammodo agnoscet propria, sic secum cogitans, Ego tantus Princeps scripsi hæc, cùm tot subditos habeam*, &c. Ornabo hoc caput suavissima Ciceronis ad Atticum φιλοφρονήσει, lib. 7. Epist. 2. *Venio ad Epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi, aliam aliâ jucundiorem, quæ quidem erant tuâ manu. Nam Alexidis* (is servus Attici) *animum amabam quòd tam probè accedebat ad similitudinem tuæ literæ: manum non amabam, quia indicabat te non valere.* Hæc Cicero, qui *literam* pro *scriptura* posuit & *picturam literarum*, quam *propriam alicujus manum* dicere solemus; *animum*, pro *studio Alexidis in imitanda heri manu.* Paulo Apostolo, præter supra expositas causas, etiam illa ratio videri potest fuisse cur propriâ manu hæc Philemoni scriberet, nè palam exprobrare ei duritiem & merita sua videretur. Quo consilio usus est & B. idem Ambrosius in iis literis quibus Imp. Theodosio crudelitatem Thessalonicensem exprobrabat l. 5. Epist. 28. *Postremo*, inquit, *scribo manu meâ, quod solus legas.*

§. LVII. Ἐγὼ ἀποτίσω] Prioribus illis verbis, *Ego Paulus scripsi manu meâ*, cautio propriè continetur; his autem constituti obligatio. Nam illa quæ antea usurparat, ἐλλόγει μοι, ambigua videri poterant. Atque ita est cùm per epistolam quis constituit absenti, simul & obligat sese, & obligationis probationem exponit, ipsas scilicet literas. Parum est enim habere quem obligatum, nisi & probare id possis. Denique idcirco tam accuratè in hac re versatus est Apostolus ut omnia & seriò & sincerè à se agi declararet. Neque propterea amicitiæ facta est injuria. Nam egregiè *Perseus* (ut est apud Plutarchum in libello περὶ δυσωπίας, i.e. *De vitioso pudore*) *amicorum cuidam argentum mutuò cùm daret, in foro & apud mensarios contractum confici voluit*, δι᾽ ἀγορᾶς καὶ τραπέζης ἐποιεῖτο τὸ συμβόλαιον. *Cumque is admiraretur, diceretque, Adeone, Persæ, omnia νομικῶς, i.e. ad juris formulam, & tam exquisitâ cautione? Omnino, respondit, ut amicè recipiam, neque jure experiri cogar in repetendo. Multi enim ab initio omissâ cautione ob pudorem vitiosum, postea lege agere susceptis insuper inimicitiis coacti fuerunt.* *Cautio* cum *solutione* conjungitur, sed alio sensu, apud Julianum JC. in illa relata specie, *Scripsi me, secundùm mandatum Seji, si quod tibi debitum approbatum erit, tibi cauturum, & soluturum sine controversia*, L. 5. D. De constit. pecun. Cauturum enim quod promittit, de alia cautione intelligit, puta fidejussore vel pignoribus datis donec ei solvat. Constitutum enim ipsum nusquam legi inter cautiones referri, quamvis accessoria obligatio sit, & præcedenti firmandæ adjiciatur. Nunc qua fiducia se Paulus constitutæ pecuniæ obligaverit, & quidem in id omne quod Onesimum quacunque ex causa debuisse appareret, considerandum est. Unde enim illi pecunia, vel etiam spes ulla numorum, inopi, seni, captivo, & propè jam damnato? Deinde, *omnia erant* olim inter Christianos *communia*, ut in Actis Apostolorum notatur. Quid igitur? Ego non dubito quin Paulus pecuniam habuerit, vel nancisci honestè potuerit, addo etiam quantamcunque desiderasset, idque maximè cum in vinculis esset. Nota est enim Christianorum jam in ipso Ecclesiæ ortu liberalitas & consuetudo in sublevandis captivis ac pauperibus & collectis & collationibus: qua consuetudine postea quidam abusi ad quæstum etiam faciendum. Illustre ejus rei exemplum in Peregrino quodam, qui simulatâ Christianæ religionis professione usque eò ut etiam suâ voluntate & operâ in vincula conjiceretur, ingentes opes ex eleemosynis & collationibus piorum collegerit, ut commemorat Lucianus in Peregrino. Quod igitur Paulus de suo non potuisset, id de largitionibus sibi factis facillimè, si urgeretur, Philemoni exsolvisset. Fuit apud Gentiles Græcos institutum illud pulcerrimum & plenum humanitatis, quod ipsi ἔρανον vel ἐρανίζειν appellabant, cùm obrutis ære alieno vel aliàs egenis civibus amici collatione pecuniæ subvenirent eâ lege ut restituerent, si quando ad lautiorem fortunam pervenissent. De quo genere collectæ multa eruditè magni illi literarum Antistites, Gul. Budæus in Comment. linguæ Gr. & If. Casaubonus ad Theophrastum exposuere. Ex talibus igitur pecuniis maximè æs alienum solvi vel judicatum fieri consueverat, ut præter alios ostendit Demosthenes in Orat. De liberis Lycurgi. Quidni & Paulus & alii ex piorum collatione idem efficere potuerint, & verò soliti sint? Neque enim vel fidem fallere tam sancti homines, vel bonam copiam ejurare sustinuissent, vel vi & impressione cogere creditores ut sibi debita remitterent, chirographa & cautiones redderent, re non solutâ; quod tamen factitasse Donatistas illos hæreticos Optatus Milevitanus testatur lib. 3. Congregatis enim per compita vicosque sceleratis hominibus circumvagantes, publicæ se justitiæ vindices ferebant, quo prætextu & servos ad pileum vocabant, oppressosque ære alieno homines à creditoribus liberabant; minaces etiam literas ad Præfectos scribentes, quibus mortem iis denunciabant nisi expungerent eorum debita, delerentpue chirographa quibus tenebantur adstricti. Quæ aliaque pessima cùm agerent, *sancti* tamen dici volebant, & *Ducem sanctorum* Donatum.

§. LVIII. Ἵνα μὴ λέγω σοὶ] An exprobratio est hæc? quæ aliena à deprecatione? Imò elegans figura, παράλειψις, i.e. *Omissio* sive *Præteritio*, cùm negamus aliquid nos velle dicere, quod tamen eo ipso aperimus cùm nos id dicimus omittere: Quæ in accusationibus & objurgationibus maximè locum habet. Cujus ea vis est ut vehementiùs moveat ac terreat, aut suspicari plura nos cogat, quam si tota res fusè explicaretur. Ἐν γὰρ τούτοις, inquit Demetrius Phalereus, de quodam loco Demosthenis loquens, καὶ εἴρηκε πάντα ὅσα ἐβούλετο, καὶ παραλιπεῖν αὐτά φησι, ὡς δεινότερα εἰπεῖν ἔχων ἕτερα καὶ πικρότερα. Vide sis Publ. Rutilium Lupum De figuris sententiarum & elocutionis. Idem notat & Ulpianus in Orat. ejusdem Demosthenis De Corona in principio; ubi eandem vim tribuit alii figuræ, quæ ἀποσιώπησις, i.e. *Reticentia*, dicitur, superiori maximè affinis, sive τοῦ αὐτοῦ ἤθους ἐχομένη, ut loquitur Phalereus. Nam παράλειψις figura narrat, sed brevissimè & quasi uno verbo, Ἀποσιώπησις reticet vel abrumpit inchoatam sententiam: Ut illo loco Demosthenis, *Mihi autem. Sed nolo aliquid tristius initio.* Cicero in Epistola quadam ad Atticum de Cæsare, *O celeritatem incredibilem! Hujus autem nostri* (Pompeji) *Sed non possum sine dolore accusare eum de quo angor & crucior.* Nam abrupto illo sermone tarditatem aliaque plura & gravia vitia & peccata

Pompeji ità significat, ut si omnia sigillatim explicavisset, non meliùs potuisset & efficacius. *Quædam enim non dicta majora videntur, & suspicione potiùs cognita*, inquit idem Phaleretus alio loco ejusdem libri περὶ ἑρμηνείας, de figura Reticentià loquens, Ἔνια γὰρ μὴ ῥηθέντα μείζονα φαίνεται, καὶ ὑπονοηθέντα μᾶλλον· quod ità Ulpianus extulit, ἵνα ὑπόνοιαν πλείονα τῷ ἀκροατῇ παρεμβάλλῃ σιωπήσας τὴν ῥῆσιν, *ut auditori majorem suspicionem illâ verborum suppressione injiciat.* Solent summi Oratores interdum hujusmodi figuris sic uti, ut dicant *se ista reticere* vel *omittere*, idque faciunt vel propter multitudinem eorum, vel propter insectationem odiosam: sed postea tamen, silentio dissoluto, eadem exponunt propter utilitatem, quia dicenti vel auditoribus utilia sint. Quale artificium notavit & explicavit Elias Cretensis apud Gregorium Theologum Orat. 1. ad illum locum, Καὶ σιωπῶ λέγειν ὅσα, &c. num. 115. edit. Parisiensis, additque hujusmodi reticentiæ vel præteritionis genus in Hermogenis De Methodi calliditate reperiri. Paulus noster in hac Præteritione duobus verbis plura dixit quam si longissimâ fuisset oratione in commemorandis beneficiis suis in Philemonem usus. Quid enim non comprehendatur his verbis, *Teipsum mihi debes?* quæ nunc exponam. Nulla res magis incitabat liberalitatem Augusti erga Herodem Regem quam magnus animus accipientis, Joseph. lib. 1. De bello Jud. c. 15.

§. LIX. Ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις] Sed illa priùs dubitatio tollenda est. Cùm enim tam accuratè tamque firmiter se Paulus pecuniæ constitutæ pro Onesimo obligaverit, seque soluturum omnia promiserit, subjectis continuò his verbis, *ut non dicam quòd te ipsum mihi debes*, totius illius obligatiois jura infregisse videtur. Objicit enim Philemoni compensationem, quæ pro solutione cedit. Porrò solutione omnem obligationem tolli constat. *Est* enim *compensatio crediti & debiti inter se contributio*, ut ait Modestinus, leg. 1. D. De compensat. Sed hoc ita, si pecuniarium utrumque sit creditum & debitum. Pecunia cum pecunia compensatur: Spiritualia verò aliaque beneficia vel debitionis rebus pecuniariis nullo modo compensantur. Constituit autem de re pecuniaria & familiari Paulus pro Onesimo: Philemon Paulo alia debebat, i.e. agnitionem & doctrinam, & fortè procurationem Euangelii, & adde quæcunque velis alia beneficia, ex quibus obligatio nulla nascitur, nisi naturalis quædam ad ἀντίδωρα, quæ officio potiùs & pudore cujusque hominis grati quàm ullius juris nexu continentur. Sed apud viros bonos piosque non minor officii ac pudoris ratio est quàm regularum & vinculorum juris. Atque isthuc vult hoc loco Paulus: nec minùs propterea constitutæ pecuniæ obligatio manet. Hanc tamen spiritualium bonorum vel debitorum cum temporalibus, carnalibus compensationem alio loco non admittit solùm sed etiam urget. Sic enim est Rom. 15. *Placuit Macedoniæ & Achaja conferre aliquid in pauperes sanctos qui sunt Hierosolymis. Placuit enim eis, & debitores eorum sunt. Nam si spiritualia ipsorum* bona *Gentes participarunt, debent etiam ipsæ in carnalibus eis ministrare.* Hoc argumento, si rectè memini, usus est & Æneas Sylvius, qui postea *Pius II.* Pontifex fuit, ad Germanos, ut strenuè pecuniam & alia temporalia bona in Ecclesiam Romanam conferrent, à qua doctrinam Euangelii accepissent. Quod ferri fortasse olim potuit, si modus esset adhibitus. At hodie non Romæ solùm, sed ubique gentium, & in omni ferrè Christiana religione, Antistites aliique exigunt, tanquam debitum, pecunias & bona carnalia, cùm vicissim nihil ipsi præstent bonorum spiritualium. Sed animadvertendum est quòd Apostolus non simpliciter dicit *bona ista carnalia deberi*, sed cum *debitione* conjungit *beneplacitum* sive *beneficentiam*, εὐδοκίαν cum ὀφειλήσει, quia scilicet Gentes civiliter, i.e. jure aliquo obligationis civilis, non erant adstricti ut quid Hierosolymitanis penderent, ut suprà expositum. Nec dubium est quin eodem sensu hîc dicat Philemoni, *te ipsum mihi debes*; utpote quem à servitute Diaboli liberaverat per Euangelium, aliisque honoribus & beneficiis ornaverat. Nam & legibus Atheniensium cautum fuit ut *qui ab hostibus liberatus erat, si liberatori pretium non restitueret, ei addiceretur*, teste Demosthene in Orat. contra Nicostratum. Cui simile jus reperio apud Romanos fuisse. Sic enim in L. 20. D. De Testamentis scriptum est, *Qui ab hostibus redemptus est alterius opera atque pecuniâ, videri adhuc vinculo aliquo retineri donec solvat*, i.e. jure quodam pignoris retineri, quasi adhuc servum, L. 2. Cod. De postlim. revers. Sed & nexi apud Romanos serviebant, itemque Græcos, licèt lege Solonis, ut pluribus Romanis, nè corpora debitorum obligarentur, sancitum fuerit, teste Plutarcho lib. περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι. *Quasi vero*, inquit Plutarchus, *non fœneratoribus serviant, imo & servis eorum:* ideoque syngraphas *vincula* & *compedes* appellat. Tantum igitur argumentum in his verbis Pauli animadvertendum, *Qui seipsum alteri debet, multò magis omnia sua eidem debet.* Salvianus lib. 2. Ad Ecclesiam Cathol. *Unde intelligant omnes religiosi non satis se Deo reddere, etiamsi universas dederint facultates; quia licet sua cuncta dispensent, ipsos se tamen debent.* E contrario quoque facilè est solvere quod Deo debetur. *Nemo enim pauper est*, inquit B. Ambrosius lib. 2. De Pœnitentia, cap. 8. *qui Deo debet, qui seipsum pauperem non fecerit. Etsi non habet quæ vendat, habet quæ solvat. Oratio, lacrymæ, jejunia debitoris boni census est*, & quæ sequuntur. Sed nullius (audeo dicere) veterum Patrum sententia cum illa sapientissimi Cosmi, qui privatus Reges auctoritate & opibus æquavit, elegantissimo & piissimo dicto, quod refert lib. 7. Historiæ Florentinæ Machiavellus, comparari potest. Is enim, cùm & in templorum ædificationes & in pauperum eleëmosynas ingentes & plusquam regias opes expendisset, solitus tamen est dicere, *Non potuisse se in suis accepti & expensi codicibus unquam reperire debitorem Deum.* Intellexit videlicet vir maximus & liberalissimus, eum, etiamsi tam multa, imò etsi omnia sua in tales causas impendisset, in quibus ipse Deus se debitorem constituit tanquam in se collata essent, tamen longè longeque plura atque adeo seipsum Deo debere; imò nec Deo quicquam dedisse quod non esset Dei; imò etiam quod Deo solvimus, deberi illi, propter ipsius infinitam in nos beneficentiam, donaque ἀμεταμέλητα, ut Paulus noster alibi vocat. E contrario etiam Deus & minimi oboli quem pauperibus dederimus, ultro se debitorem nobis offert ac constituit, quasi ipsemet accepisset. Qua de re elegantissimam sententiam memini me in Gregorii Nazianzeni quadam Epistola legere, atque his versiculis exprimere,

Paupertas est larva Dei: Nam paupere dextram
Extendente cavam, dum petit æra, manum,
Ipse Deus latet in persona pauperis illa,
Perque cavam recipit pauperis æra manum.

§. LX. V. 20. Ναὶ, ἀδελφέ] Ναὶ particula Concedentis est, pro quo Latini *Ità* & *Etiam* dicunt, ut scribit doctiss. Budæus. Vetus igitur interpres hoc loco vertit *Ità*; Novus, *Etiam*. Sed si sequentia verba, ut debemus, assumas, *Fruar te in Domino*, Obsecrationis, & quidem vehementissimæ, speciem continet, non solùm Optandi modum, ut Novus Interpres putavit. Atque ità Symmachus Hebraicum verbum Græcè reddidit Αἰδέομαι, h. e. ut Hieronymus interpretatur, *obsecro*. Capnio lib. 3. De verbo mirifico, cap. penult. *Hæc est adjuratio & exorcismus vehemens atque fortis*, OBSECRO VOS, FRATRES, PER NOMEN DOMINI JESU CHRISTI. *Nam & Jusjurandum tali oratione significatur.* Gregorius Orat. 28. in ipso principio, Ἐπόθουν ὑμᾶς, ὦ τέκνα, καὶ ἀντεποθούμην τοῖς ἴσοις μέτροις. πείθομαι γὰρ, εἰ δεῖ καὶ πίστιν προσθεῖναι τῷ λόγῳ καὶ νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἀδελφοὶ ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. Τοῦτον γάρ μοι πεποίηκε τὸν ὅρκον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ᾧ πρὸς ὑμᾶς κεκινήμεθα, ἵνα κατασκευάσωμεν Κυρίῳ λαὸν περιούσιον, i. e. *Desiderabam vos, filii, atque à vobis ex æquo vicissim desiderabar. Persuasum enim id habeo ac, si ad eam rem jusjurandum interponendum est, per nostram gloriationem jure quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. Hanc jusjurandi formam mihi condidit Spiritus sanctus, cujus numine atque afflatu ad vos venimus, ut Domino populum eximium & peculiarem comparemus.* Ità Billius hæc vertit. Sed quod ad jusjurandi, ut ait, formam attinet, non satis expressit Græca, Ναὶ νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἀδελφοὶ, quæ sunt Pauli 1 Cor. 15. In aliis codicibus Epistolarum Pauli non ὑμετέραν *vestram* sed ἡμετέραν *nostram* legi testantur & Beza & Billius, duo summi in diversissimo genere religionis & vitæ viri. Priorem magis probat Beza, posteriorem Billius, qui & ità vertit in Gregorio contra fidem Græci exemplaris: quod perperàm ab eo factum videtur. Sed verbo *Per nostram* jusjurandum, verbo *Per vestram* obtestatio contineri videtur: Inter quæ multum interesse Beza notat, quia jurare per solum Deum Christiano licet, testificari etiam elementa, puta Cœlum, Aquam, Terram, aliasque res creatas. Sed non rectè ista differentia huic Paulino loco accommodari videtur; quia *per gloriationem nostram quæ est in Christo Domino nostro* aliquid affirmare species est, non Testificationis vel Ostentationis alicujus, sed Juramenti, vel certè vehementioris cujusdam & sanctioris Affirmationis. Nam idem Gregorius, licet ὅρκον in suprà recitatis verbis dicat, tamen alibi omnino negat Paulum juravisse, nè tum quidem cùm dicit, *Testis Deus*, vel *Novit hæc Deus*, Carmine πρὸς πολυόρκους. Nè intelligatur Paulus in hoc loco ad quem hæc commentamur juravisse, etiam illud mihi persuadet, quòd ad Philemonem gente Phrygem scribit. Porrò *Phryges rarissime solitos jurare, eâque re cæteris gentibus temperamiores fuisse*, testatur Socrates lib 4.

Hist

Hist. Eccl. cap. 28. Ut si etiam alibi & apud alios jurejurando uti consuevisset, tamen hoc loco & ad Philemonem, cui scribit, abstenturus videatur. Στοχασέον γὰρ, inquit Phalereus, καὶ τοῦ πρέποντα ᾧ γράφεται. Nec præterire possum, in illo Pauli loco ad Corinthios, quem suprà exposui, B. Hieronymum non *gloriationem* sed *salutem* Latinè dixisse in Epistola cujus initium, *Sæpe & multum*, quod propiùs accedit ad verum jusjurandum. Nam *per salutem suam vel liberorum qui jurat, quia respectu Divini Numinis id faciat, rectè jurasse intelligitur*, auctore Ulpiano in Leg. *Qui per suam*, Dig. De jurejur. Cujusmodi sacramenti genus apud Judæos usitatum fuisse, quod illi CORBAN appellarent, i.e. *Donum & munus Dei*, ex Theophrasti libris de legibus refert lib. 1. contra Appionem Alex. Flav. Josephus. S. Chrysostomus Hom. 52. in Matt. *oblationem* eo vocabulo significari scribit: quod & B. Cyprianus probare videtur in Serm. De Eleemosynis, illo loco, *quæ corbonam omnino non respicis*. Sanè ità accipiunt hodie Turci. Ità enim eleemosynas vocant, teste Leunclavio lib. 14. Hist. Musulmannicæ, ex Judæorum, ut alia innumerabilia, ritibus: quamvis verbum sit ipsum Syriacum CORBANA quo sermone Judæi & Christus Servator plurimùm utebantur.

§. LXI. Ἐγώ σε ὀναίμην ἐν Κυρίῳ] Cùm antè dixisset Philemonem planè suum esse, ex eo necessariâ quadam consequentiâ concludit *fructum etiam ejus ad se omnem pertinere*. Est enim hoc dominii fructus vel maximus: quod & Cicero in Epistola ad Curium intellexit, cùm ait, *Id enim cujusque maximè est proprium quo quisque fruitur atque utitur.* Est, inquam, hoc argumentum Pauli, *Si teipsum mihi debes, etiam te frui* (sive *fructum ex te percipere*) *debeo, ac jure possum.* Sed tamen (ut totâ hâc Epistolâ) precibus uti mavult, ut voluntarium sit quod à Philemone petit bonum. Latet etiam in verbo ipso ὀναίμην aliud argumentum, ex persona & nomine *Onesimi* ductum. Quasi enim ita dicat, *Fructum ex te capiam in salute Fructuosi:* vel ita, *Ipsum nomen* ONESIMI *te admonere debet ut hunc abs te fructum* (vel *hanc gratiam*) *consequar.* Aptissimè autem D. Paulus hoc verbo & loquendi modo usus est in hac tam vehementi obsecratione, ut supra notabamus. Demosthenes, Ἱκετεύω, ἀντιβολῶ πρὸς παίδων, πρὸς γυναικῶν, πρὸς τῶν ὄντων ἀγαθῶν ὑμῖν, οὕτως ὄναισθε τούτων, μὴ περιίδετέ με. Apud S. Ignatium in Epistolis frequentissima est hæc obsecratio, *Ità te fruar.* Vel Optandi modo, ut in Epist. ad Magnesios, τοῦ συμβιωτοῦ μου διακόνου Σωτίωνος, οὗ ἐγὼ ὀναίμην. Sicut autem suprà, ubi manifestè allusit ad nomen *Onesimi*, noluit tamen ipsum nomen ponere, sed pro eo εὔχρηστον dixit, ita & hoc loco etiam obscuriùs ad idem nomen allusit; quòd puerile & putidum ei videbatur si palam hæc posuisset, quasi allusionum venator quidam & auceps: Quo in genere comptuli homines & auræ popularis captatores lascivire consueverunt. Unde illud apud Platonem in Convivio à Socrate per irrisum dictum, Παυσανίου δὲ παυσαμένου. διδάσκουσι γάρ με ἴσα λέγειν οὑτωσὶ σοφοί. Quare ut hoc artificium magis occultaret, vel hanc reprehensionem quam dixi vitaret, verbo ὀναίμην statim adjunxit ἐν Κυρίῳ, *in Domino:* Quo adjuncto sanctissimo nomine & obsecrationem suam efficaciorem reddidit, & modestiæ sibi laudem peperit, ut qui omnia sua dona & in Philemonem merita ad Christum tanquam ducem & auctorem referret; neque tamen omni se gloriâ spoliaret. Quod & alibi ab eo factum, ut se Christo conjungeret, etiam tanquam συνεργὸν quendam & *cooperatorem*, ut 2 Cor. 5. Corinthios rogat primùm Christi nomine, deinde & suo, qui Christi *minister* esset, ejusque *vicibus fungeretur* sive, ut ait, *legatione*; quam appellat διακονίαν & λόγον τῆς καταλλαγῆς, i.e. *ministerium & sermonem reconciliationis*, quæ est hominum cum Deo per Jesum Christum.

§. LXII. Ἀνάπαυσόν μου τὰ σπλάγχνα ἐν Κυρίῳ] Quem fructum superioribus proximis verbis intellexerit, quamvis non esset argumento harum literarum obscurum, tamen apertiùs hoc loco efficaciùsque declarat. *Viscera* enim *sua* quæ *refocillari* cupit, Onesimum appellat, ut antea cùm dixit, Προσλαβοῦ τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, quod ibi exposuimus. Sed non erraverit qui hìc de Pauli ipsius persona capiat. Nam quis dubitet patrem, ut magis terretur & affligitur in periculis malisque filiorum, sic & maximè gaudere & recreari salute rebusque secundè fluentibus? Ità non plus Onesimo quàm sibi ex Onesimo hanc fruitionem Paulus optat, ut maximè æquum erat ex eo *quem in vinculis Evangelii genuerat*, ut suprà dixit. Quò pertinet & piorum omnium filiorum votum. Quod ità Philemon Poëta, hujus Philemonis nostri συμπατριώτης, expressit,

> Ἐπαινέ με, μῆτερ· καὶ γένοιτό σοι τέκνων
> Ὄνησις, ὥσπερ καὶ δίκαιόν ἐστι σοι.

h. e. ut inter scribendum tumultuariò verti,

> *Me procreâsti, mater; ô & liberi*
> *Tibi usui sint, ut æquum est, ac fructui.*

Vel *& gaudio*. Sed volui exprimere verbum Ὄνησις, quo & Paulus hic usus est in superiori periodo. Eodem modo initio hujus Epistolæ dictum est *viscera sanctorum à Philemone refocillata esse*, i.e. ipsos sanctos, ut ibi explicavimus. Pro *misericordia* quoque accipi *viscera* manifestum est: quod & Paulus Phil. 2. ait, εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί. Posterius verbum ἐξηγητικῶς posuit, vel, ut Græci Grammatici loquuntur, ἓν διὰ δυοῖν. Inde ἄσπλαγχνος, *immitis, immisericors*, vel *durus homo & à voluptate omni alienus:* quomodo Epicurus Epaminondam Thebanum σιδηροῦν σπλάγχνον, i.e. *ferreum intestinum*, appellare solitus est, quòd cùm jucundè in otio ei vivere licuisset, laboribus se maximus confecisset, teste Plutarcho lib. advers. Colotem. Sic *viscera commoveri alicui.* Unde Verbum σπλαγχνίζεσθαι, quod de ipso Christo usurpatum in Euangelio: & Deus ipse εὔσπλαγχνος & πολύσπλαγχνος appellatus. Neque in S. literis modò vel religionis nostræ scriptis tales significationes reperiuntur, sed & apud Ethnicos scriptores, etiam qui Latinissimè locuti sunt. Ex quibus supersunt illi Cilnii Mecœnatis versiculi ad Horatium Poëtam,

> *Ni te visceribus meis, Horati,*
> *Jam plus diligo, tu tuum sodalem*
> *Hinno me videas strigosiorem.*

Hæc quis neget elegantissimè mollissimeque dicta ab Ethnico & impuro homine atque effeminatissimo. At illa Cardinalis Bembi quis laudet in Epistola PP. Leonis X. nomine ad Franciscum Galliarum Regem scripta, *Te hortor ac per Dei matris testata nobis sæpis viscera oro obsecroque?* quod postea, quia fortè nimis sibi Christianè locutus videretur, ità commutavit, *Quare per deos atque homines excita te, accelera, accingere:* planè Divinitus. At illud planè mundissimum, & auctoris ingenio dignum, *per Dei matris testata nobis sæpe viscera.* Quid hoc est, *obsecrare* vel *jurare* (id est enim *testari* hac in re) *per viscera Virginis Mariæ*? At D. Gregorius etiam *per sanguinem Dei* jurantes reprehendit: & meritò, in carminibus: quod hodie tamen vulgatissimum est magno Christiani nominis probro. Etiam non jurisjurandi sed quasi condimenti cujusdam gratiâ in sermone talia usurpantur; Sicut temporibus Salviani (quod & ad nostra usque manavit) *Per Christum* dicere solebant. Qui & narratiunculam addit de quodam qui dicebat, *se teneri res cujusdam rapere, quia per Christum juraverat se id facturum.* Contrà Apostolus noster Paulus, *in Christo*, vel *in Domino*; ut hoc loco bis, *Fruar te in Domino*; *Refocill a viscera mea in Domino.* 2 Cor. 11. *Est veritas Christi in me*, pro jurejurando positum existimant. *Affirmat* enim *sub testimonio Christi*, ut Ambrosius illic ait. Id autem quid aliud quàm jusjurandum?

§. LXIII. V. 21. Πεποιθὼς τῇ ὑπακοῇ σου ἔγραψά σοι] *Habent & ista magnam hortandi atque exorandi vim.* Chrysostomus, *Erubesceret enim profectò*, inquit, *& si nihil ob aliud non id faceret quod admonetur, certè ex eo quod hanc ille de se tantam fiduciam habet.* Cur *tantam*? Collegit id opinor candidissimus & eloquentissimus Doctor ex verbo ὑπακοῇ, quo *plena obedientia humilisque* continetur. q. d. *Scio te vel ad nutum mihi obtemperaturum hac in re, ut non sit opus prolixioribus & accuratioribus precibus.* Plus enim est ὑπακούειν vel κατακούειν quàm simplex ἀκούειν. Quod ità notat Ulpianus in Demosthenis Olynthiacam, ad illa verba, Καὶ γὰρ οὐδεὶς τοῦ κατακούειν. *Observandum est hoc verbum. Non enim dixit* ἀκούειν, Parere duntaxat, *sed* κατακούειν τὸ δ' ἐστὶ κάτω ὑπακούειν, ὥσπερ καὶ δούλους νομίζεσθαι, id est, *planè & ad nutum parere, ut obnoxii solent aut servi*, Sed Paulus non servilem aliquam obedientiam significat, verùm enixam & plenissimam, sed ab ingenuo liberoque animo profectam, ut diximus. Neque enim vituperare Philemonem aut abjicere debuit, sed laudare potiùs, ut his literis perpetuò fecit. Est autem & quædam obediendi laus ac gloria minori præsertim aut subdito. In nostro quidem hoc proposito Paulino etiam ab illa re commendatur Philemonis promptissimus ad parendum animus, quòd misericordiæ opus imperatur ei vel injungitur, ut lapsum, ut confitentem, ut se ipsum poenæ & arbitrio Domini offerentem recipiat. Qua in re obedire alterius voluntati neminem dedecet, nè nobilissimum quidem ac summis opibus præditum. Polybius quidem, gravis imprimis auctor, non dubitavit populi Romani ingenium ità laudare sub persona Lycortæ patris, summæ inter Achæos dignitatis viri, in Selectis de Legationibus, Ῥωμαίοι, inquit, ποιοῦσι μὲν τὸ καθῆκον αὑτοῖς, (exsulibus Achæis, qui se restitui petierant) συνυπακούοντες τοῖς ἀκλήροις δοκεῖν εἰς τὰ μέτρια τῶν ἀξιουμένων, *Romanos facere quidem quod ipsos deceat* (vel *officii*

ipsorum

ipsorum ratio postulat) cùm miserorum hominum precibus & voluntati, quæ præsertim æqua videatur, morem gerunt, sive *obsecundant. Cæterum*, inquit, *ubi aliquis ipsos docuerit ea quæ postulentur partim fieri non posse, partim conjuncta esse cum ingenti sociorum populi Rom. dedecore, non esse moris illorum contendere pertinaciter, & invitos ad talia compellere.* Juvat me in hac laude populi omnium gentium victoris aut principis immorari, eamque pulcerrimâ sanctissimi & sapientissimi Antistitis Isidori Pelusiotæ sententiâ illustrare: Ex qua simul & hæc Paulina oratio illustretur. Sic enim in Epist. 164. lib. 3. ad Theodorum Scholasticum scribit, Θεσμός ἐςιν ἄνωθεν καλῶς κεκυρωμένος, καὶ νόμος ἄγραφος πρὸς φιλανθρωπίαν βλέπων, τοὺς κρατοῦντας τοῖς ὅπλοις τῶν ἱκετευόντων ἡττᾶσθαι, καὶ τοὺς πολέμῳ νικῶντας παραχωρεῖν τῷ οἴκτῳ. Ubi quod θεσμὸν, &c. Billius vertit *legem antiquitùs præclarè confirmatam*, non expressit ulla ex parte sententiam Isidori. Nam *legem Divinam* sive *à Deo traditam ac stabilitam* intelligit, quam interpretans θεσμὸν ἔμφυτον, i. e. *legem naturâ insitam* dicit, & utroque loco ἄγραφον νόμον, eandem scilicet rem aliis verbis: sicut Cicero pro Milone in vulgatissima & omnibus nota sententia. Gravissima verò est objurgatio & comminatio quam ibidem Isidorus attexit, *nihil miri aut absurdi eventurum ei qui tali legi non paruerit, adeoque deprecatores & patronos servorum suorum contempserit, si ad eandem conditionem fortunamque redigatur: illâ enim acerbitate & naturam ipsam & misericordiam contumeliâ affecisse eum.* Qualia Paulus de Philemone ominari nec voluit nec debuit. Dixi autem obedientiam non servilem sed hominis liberi à Paulo hic significari. Servilis exempla cùm multa & in Historia Ecclesiastica sint, & in quotidiana experientia, præsertim in tot sectis monachorum, versentur, tamen unum ex veteribus monumentis libet huc adferre, de sanctissimo & nobilissimo opulentissimoque viro Joh. Damasceno, cùm in monasterium esset receptus. De quo Joh. Hierosolymitanus Patriarcha, qui Vitam ejus conscripsit commemorat in sanctæ illius obedientiæ argumentum, *à Seniore imperatum ei fuisse ut corbes procul in Palæstinam ferret, ibique venderet, pretio ultra duplum justi valoris definito, nè vilius venderet.* Tum alio tempore *ob versiculum quem ab alio exoratus fecerat,*

Πάντα μετακινεῖς τ' ἀνθρώπων,

imperatum ei fuit ut omnium monachorum cellas converreret stercoraque egereret atque exportaret. Nec illi segniter paruit. Longè aliam obedientiam hic Paulus exigit à Philemone, ut videlicet Onesimo ignoscat, ac debita dimittat, idque *in Domino*, ut suprà non semel dixit. *Dimittere* autem *debita* Deus cùm jussit, etiam *delicta condonare* nos jussit; eoque non tam Paulo vel alii deprecatori quàm Deo obedientia præstatur, ut præclarè Synesius Epist. 28. ad Simplicium scribit, Καὶ ὁ τοῦ λαβεῖν δίκην ὑπεριδὼν ὑπήκοος τοῦ Θεοῦ.

§. LXIV. Εἰδὼς ὅτι καὶ ὑπὲρ ὃ λέγω ποιήσεις] Etsi antea dixerat *persuasum sibi esse Philemonem petitioni suæ planè obtemperaturum*, addit tamen (quod idem ferè cum illo videtur) *scire se facturum eum etiam amplius quàm petiisset.* Sed paucissimis & concisissimis his verbis duo nova, eaque maximi momenti, efficere vult ac consequi. Unum est, ut Philemoni magis imprimeret, quòd tam accuratis precibus esset erga eum de Onesimo usus, id non ab ulla diffidentia profectum esse, sed nimio potiùs erga Onesimum amore & desiderio juvandi ejus. Nam, ut Servius in illum Virgilii locum,

—— Desiste precando.
Viribus indubitare tuis,

scribit, *Precum nimietas postulalionis* (leg. *postulantis*) *significat dubitationem.* Hanc ergò suspicionem ab animo Philemonis amoliri voluit his verbis Paulus. Alterum est, ut latenter ob modestiam, & tamen sic ut id facilè Philemon perspiceret, desiderium omne exponeret, ut qui non solùm ignosci Onesimo & libertatem concedi cuperet, quæ antea petierat, sed etiam alia, putà ut fratris loco haberet, ut rebus omnibus quibus posset ornaret, denique ut eum sibi Romam remitteret ad Euangelii secum obeundam administrationem. Quæ omnia à Philemone expleta fuisse verisimile est. Sanctus quidem Ignatius, qui illis temporibus vixit, in Epist. ad Ephesios ità scribit, *Postquam universam vestram multitudinem in Onesimo, viro nunquam satis ob charitatem prædicando, vestro autem Episcopo, excepèrim.* Et paucis interjectis, *Crocus autem, & Deo & vobis dignus, quem veluti exemplar vestræ charitatis accepimus, per omnia me recreavit, & illum catena mea non puduit: quemodo & ipsum refrigeret Pater Jesu Christi unà cum Onesimo, Byrrho, Euploe, & Frontone; per quos omnes vos, quoad charitatem, vidi.* Ex quibus intelligitur, Onesimum unà cum aliis nominatis legatum ad Ignatium fuisse missum ab Ecclesia Ephesiorum. Familiarissimus enim & charissimus S. Ignatio fuit, eumque Smyrnæ quoque convenit. Pauloque post eum est Romæ, quò vinctus jussu Procos. Asiæ missus fuerat, supplicio affectus sub Trajano, anno ejus Imperii undecimo lapidibus obrutus, ut indicat Martyrologium Romanum: ubi & illud scriptum est, *corpus ejus ad eum locum in quo ordinatus fuerat Episcopus delatum esse.* Nicephorus falsò eum *sub Domitiano* passum scribit, ut viri docti annotarunt; nisi pro *Domitiano Trajano* apud eum legendum sit; lib. 3. cap. 11. Quantopere autem Onesimus & quantis virtutibus effulserit in illo Episcopi munere, idem Ignatius ostendit in eadem Epist. ad Ephesios, inquiens, *Quem opto juxta Christum vos amare, omnesque vos illius similes esse. Benedictus Deus qui donavit vobis, qui tales estis, talem habere Episcopum.* Et inferiùs, *Onesimus supra modum laudat* (ὑπερεπαινεῖ) *vestrum decentem compositumque ordinem, quodque omnes secundùm veritatem vivitis, & quod inter vos nullus sit hæresi locus.* Hinc apparet quantopere Onesimo illa fuga Christianæque Ecclesiæ profuerit, & quàm verè in hac Epistola scripserit auguratusque sit de Onesimo discipulo & filio suo Paulus cùm dixit εὔχρηστον & quàm prudenter pieque à Synesio Cyrenensium Episcopo dictum sit Epist. 57. *Divinæ sapientiæ, virtutis ac potestatis munus esse non modò benefacere (quæ est natura Dei, sicut Ignis calefacere, & Luminis illuminare) sed etiam maximè per mala excogitata à quibusdam bonum aliquem finem & utilem efficere, & utiliter his quæ videntur improba uti.* Καὶ γὰρ σοφίας ἐςὶν εὐμηχάνου, καὶ τοῖς κακοῖς ἐν δέοντι χρήσασθαι, inquit; i. e. ut doctissimus Interpres vertit, *Nam & prudentia est solertis, etiam malis commodè uti.*

§. LXV. V. 22. Ἅμα δὲ καὶ ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν] *Hospitium sibi parari* quòd Apostolus petit, suprà monuimus, obliquè etiam ob eundem finem deprecationis efficacioris esse factum; ut si literas non revereretur Philemon (quamvis vix credibile id videri poterat) præsentiæ suæ quasi timorem ipsi injiceret, qui coràm ea quæ petierat acriùs esset ab eo reposciturus. Quis vel ipsum oculorum Pauli ardorem ferre potuisset, aut vocem sustinere objurgantis & irati Pauli? Non magis certè quàm ille Cimber C. Marii, ad quem interficiendum missus erat. Quòd autem dicit ἅμα *simul*, indicat se celeriter ad eum esse venturum, & vestigiis insecuturum Onesimum harum literarum latorem; quò magis eum sui quasi præsentis imagine commoveret, & ut præoccuparet Philemon in Onesimo manumittendo honestandoque & aliis rebus quas suprà dixi Paulum ab eo petere de Onesimo. Quæ omnia tamen quasi unum essent videri voluit: cui nunc alterum addit de *hospitio suo*, nè nimis multa simul ab eodem petere videretur: quod cùm est per sese putidum atque impudens, tum verò ad impetranda quæ velis inutile atque alienum. Quod eleganti simul acutoque responso indicavit Cosmus ille Medices, Etrusci, quod hodie in Italia potentissimum est, Imperii creator, summæ vir sapientiæ, cùm Emandi cuidam Hispano, qui tria ab eo petierat, & *ut sese clementer ex Aula dimitteret*, & *ut pecuniâ se juvaret*, & præterea *ut literas sui commendandi causâ ad Regem Hispaniarum scriberet*, rescripsit his verbis, LI VUOL TROP DE COSE, *Nimis multa petit.* Hoc quidem vitium (quod *petacitatem* appellemus licet) & invisum & vitatum diligentissimè Paulo fuisse, multis argumentis doceri potest. Quare Diogenes τοὺς μεγάλα καὶ ἀθρόα λαμβάνοντας μεγαλοπτώχους dicebat, in Gnomis vett. p. 76. De Hospitii jure, quod Paulo cum Philemone, sicut & cum Onesiphoro & aliis, fuit, non est quòd hoc loco pluribus dicatur. Non solùm Gentilium hoc institutum fuit (de quo pleni sunt omnes libri, Cic. 19. Epist. lib. 13.) sed Christianorum, & quidem horum maximè, neque solùm in eos cum quibus hospitii, ut dixi, jura constituta sanctaque habebant, sed passim in omnes. Chrysost. in Johan. pag. 35. col. 4. Quod cujus testimonio clariùs certiusque nobis constet quàm hostis & persecutoris Christianorum infensissimi & acerbissimi, Imperatoris, inquam, Juliani Apostatæ? Is enim inter ea quibus religio Christiana in immensum crevit vel primo loco numerat τὴν περὶ τοὺς ξένους φιλανθρωπίαν, καὶ περὶ τὰς ταφὰς τῶν νεκρῶν προμήθειαν, καὶ τὴν σεμνότητα κατὰ τὸν βίον, quam tamen homo nefarius, & simulandi præ omnibus hominibus callidissimus artifex, ut ejus vita declarat, non erubescit *simulatam* & πεπλασμένην *fictamque* appellare. Exstat, & in Jus Pontificium. Dist. 85. relata est Epistola Gregorii ad Johannem Episcopum de Archidiacono quodam Florentino Ecclesiæ Anconitanæ, *quem malè audire* scribit *ob tenacitatem tantam, ut in domo ejus amicus nunquam ad charitatem introierit*, ut loquitur. De quo mandat inquiri,

inquiri, *& si ità esse deprehenderit, nè is, quantumvis S. Scripturæ scientissimus esset, ad regiminis officium assumatur*, interdicit. Ubi *amicum* accipere videtur pro *omni Christiano*. Nam Christiani inter se *amici & fratres* sunt. B. Hieronymus Damaso Papæ, *Quoniam quicquid habent clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorum & hospitum invigilare debent*, &c. Quæ ibidem Epistola in Jus Canonicum relata est, Causâ 16. quæst. 1. Eleganter igitur, ut omnia, & sanctissimè Synesius Episcopus Epist. 57. κατὰ Ἀνδρόνικον, *Mensam sacram rem esse dicit, per quam*, inquit, *Deus honoratur Præses amicitiæ & hospitii*, Φίλιος τε καὶ ξένιος. *Et Abrahamum hospitalitas Dei reddidit convivatorem*, Θεοῦ ἑςιάτορα. Piè, inquam, quæ nomina Antiquitas Gentilis tribuit Jovi suo, ea vero & omnipotenti Deo accommodavit. Sed ut ad Paulum redeam, non pigebit hic adscribere de hoc loco judicium D. Hieronymi, cùm & alia contineat digna quæ non tantùm apud eum legantur: *Non puto*, inquit, *tam divitem fuisse Apostolum, & tantis sarcinis occupatum, ut de præparando ageret hospitio, & non unâ contentus cellulâ, breve corporis sui spatium ædes amplissimas existimaret; sed ut dum eum exspectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est. Si autem hoc non dispensatoriè sed verè quis existimat imperatum, ut sibi hospitium præparet, Apostolo magis quàm Paulo hospitium præparandum est. Venturus ad novam civitatem* (Colossas,) *prædicaturus crucifixum, & inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros: & necesse erat primùm ut domus in celebri esset urbis loco, ad quam facilè conveniretur; deinde, ut ab omni importunitate vacua, ut ampla, quæ plurimos caperet audientium, nè proxima spectaculorum locis, nè turpi viciniâ detestabilis; postremò, ut in plano potius esset sita quàm in cœnaculo. Quam ob causam eum existimo etiam Romæ in conducto mansisse biennium. Nec parva, ut reor, erat mansio, ad quam Judæorum turbæ quotidie confluebant.* Hæc Hieronymus.

§. LXVI. Ἐλπίζω γὰρ ὅτι διὰ τῶν προσευχῶν ὑμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν] Hoc etiam pertinet ad blanditias illas amicabiles à quibus maximè Epistolæ commendari atque ornari tanquam propriâ quadam dote solent. Cùm enim *sperare se* dicat *futurum ut ad ipsos veniat, & cum ipsis colloquatur ac vivat*, (Cæsar. Baron. Annal. 1. pag. 676. & G. Cambden. in Britan. pag. 40.) satis declarat quantopere ipsorum benevolentiâ consuetudineque delectetur. Simul enim morum similitudo per hoc significatur, quâ nihil est ad conjungendas continendasque amicitias aptius & efficacius; Sicut contra dissimilitudo morum & ingeniorum etiam alioqui conjunctissimos maximè abalienat. Elegantissimè Synesius Epist. 50. scribit, Ὁ τρόπος ἡμᾶς πρὸ τοῦ τόπου διῴκισεν, i. e. *Mores nos prius quàm loca separaverunt.* Venustas enim Græci sermonis & agnominatio illa vocum τρόπος & τόπος exprimi Latinè non potest. Quâ etiam delectatum Paulum nostrum video in Epistola 2 Thess. extremâ, Ἐν παντὶ τρόπῳ καὶ τόπῳ. Sic enim conjungenda puto quæ separatim in variis codicibus leguntur. Hujusmodi est illud apud Platonem in Hipparcho, ἐν ἐποίᾳ ἄξια φυτευθῆναι καὶ χώρᾳ καὶ ὥρᾳ. Et addit, ἵνα τί καὶ ἡμεῖς τῶν σοφῶν ῥημάτων ἐκβάλωμεν, ὧν οἱ δεξιοὶ περὶ τὰς δίκας καλλιεποῦνται. Et apud Apostolum nostrum Rom. 1. Φθόνου & Φόνου, i. e. *invidiâ & cæde.* Item, πορνείᾳ & πονηρίᾳ, *scortatione & malitiâ.* Sed ad rem. Quamvis Paulus initio hujus Epistolæ *semper sibi in memoria ac precibus præsentem obversari Philemonem* dixerit, tamen veram & corporalem quoque ejus præsentiam sese expetere hoc loco demonstrat: quod desiderium excitatur ab ipsa memoria. Id omnibus enim amicis conjunctisque personis valet id quod eruditissimus idem Synesius aliâ Epist. 148. scribit ad Olympium amicum, quem licèt absentem memoriæ tamen suæ ἐπιδημεῖν ait, i. e. *perpetuò occurrere atque obversari:* Οὐδὲν, inquit, ἂν ἐν ἡμῖν γένοιτο τῆς περὶ σε μνήμης ἱερώτερον, ἢ τὸ πάλιν περιπτύξασθαι τὴν σεβάσμιόν σου κεφαλήν. Ὁ δοίη ποτὲ Θεὸς, καὶ ἴδοιμέν σε, καὶ ἀκούσαιμεν σου τῆς ἡδίστης τῶν λόγων ἠχοῦς, i. e. *Nihil queat esse apud nos tui recordatione sacrosanctius quàm rursum venerandum tuum caput amplecti: Quod utinam aliquando concedat Deus, & te videamus, & audiamus jucundissimum sermonum tuorum sonum.* Quæ verba quis non videt hisce Paulinis, quæ interpretamur, simillima esse, atque eandem continere sententiam? Et verò, quamvis recordatione præsens nobis sit amicus aliquis, tamen nemo non intelligit efficaciorem multò esse jucundioremque præsentiam veram & naturalem, mœrentibus præsertim. De qua ità Philemon Poëta, *Ut ægrotantes viso Medico levari dolore, ità mœrore oppressos minus angi si amicum præsentem viderint.* Eò etiam pertinere videtur hæc adventûs sui significatio, ut magis Philemonem impellat ad benefaciendum Onesimo, nè exspectet donec ipse coràm adsit aut roget. Omnia enim ad Onesimum in hac Epistola referuntur. Neque enim eum tanquam fugitivum remittit Colossas ad herum, sed tanquam *fratrem* ei præmittit, & *collegam & commilitonem*, & *Diaconum* sive *ministrum* suum, & illius Ecclesiæ quasi *Legatum* sive *Apostolum*, ut hæc omnia nomina tribuit Epaphrodito, quem pariter ad Ecclesiam Philippensium misit, quem ipse erat secuturus, ut *in Domino* dicit *se confidere*, Phil. 2. 24, 25. Legi quod C. Plinius de Timanthis pictoris excellentissimo ingenio scribit, *In omnibus intelligi plus semper quàm pingitur; & cùm ars summa sit, ingenium tamen ultra artem esse:* Idem planè vereque de Paulo ejusque operibus, atque hac maximè Epistola, à nobis dici potest. In aliis Epistolis Paulus, ubi de adventu suo spem facit, solet addere *ut vobiscum refocillet* vel *reficiar*. Quod non dubitavit etiam ad mulierem scribere S. Ignatius Epist. ad Mariam Cassoboliten, quam πάνσοφον appellat, & alibi πολυμαθεστάτην. *Sed non est*, inquit, *in hominis potestate via ejus. Impedit enim meam voluntatem militaris custodia*, Quod & de se Paulus dicere potuit, qui non custodiebatur solùm sed & vinctus erat. Ideoque ait, *Spero Deum concessurum*, &c. Quæ spes tamen irrita fuit: Nam supplicio non multò pòst jussu Neronis affectus fuit Apostolus.

§. LXVII. V. 23, 24. Ἀσπάζονταί σε Ἐπαφρᾶς] Moris fuit cùm aliis, tum præcipuè Paulo, salutationes in suis literis addere, non solùm à se, sed etiam ab aliis. Quoniam autem unà cum salutatione etiam osculum dare solebant, indè factum est ut eodem vocabulo ἀσπασμὸς utrumque significaretur, *salutatio*, inquam, & *osculum*. Ea consuetudo tam vulgaris & promiscua apud Ethnicos fuit, præsertim Romanos, ut etiam in vicis & in foro amicos sibi occurrentes oscularentur. Quem & Persarum morem fuisse testatur Strabo lib. 15. extremo. Parcior longè ac modestior inter Christianos usus osculi fuit. Nam in Ecclesia se mutuò osculabantur, quod *osculum sanctum* Paulus appellat, & ejus imitatione S. Ignatius in Epist. ad Antiochenses; & ferè post recitatam Orationem Dominicam, teste Justino Mart. in orat. ad Imp. Antonin. & Augustin. 83. serm. Unde hoc osculum Tertullianus in lib. De Orat. appellat *signaculum orationis*, i. e. quasi clausulam & confirmationem quâ oratio obsignabatur. *Obsignare* enim pro *claudere* figuratè dici solet. Aliud est cùm id *signum pacis & reconciliationis* appellatur. Notam enim & symbolum sive argumentum intelligunt auctores. Sed & inter Ethnicos olim, lege etiam à Tiberio latâ, prohibitus hic mos fuit ob molestias & importunitatem, in tam populosa maximè urbe; & postea etiam inter Christianos sublatus optimis & laudabililibus de causis, ut eruditiss. Baronius demonstrat Annal. Eccl. sub anno XLV. Precibus, quas diximus, finitis, sed ante participationem S. Cœnæ, fiebat hæc salutatio, tum osculo, tum verbis illis, PAX VOBISCUM. Sic intelligendus est Chrysostomus Hom. 78. in fin. in cap. 16. Johannis, ubi sic Interpres vertit, *Ideo in mysteriis invicem salutamus, ut multi unum efficiamur, & communes pro non initiatis preces effundimus, pro infirmis, & terræ & maris & universi orbis fructibus sacrificamus.* Osculum enim vel in primis significat: de quo & alio loco, quem Baronius annotavit, plura scribit. Non dubito quin iste osculandi mos in veteri Ecclesia inter alia occasionem præbuerit calumniæ in Christianos vulgò jactatæ, quasi in conventibus illis nocturnis, quos precum & mysteriorum sanctissimorum causâ habebant, in mutuos amplexus & promiscuam libidinem effunderentur, luminibus exstinctis. Obsolevit hic mos osculandi in tota penè Europa. Philippus tamen Melanchthon, ille optimus, ille doctissimus, in Dominica 2. post Trinitatis, *Quid est*, inquit, OSCULARI FILIUM? *Est Metaphora sumpta à veteri more excipiendi hospites cum osculo & complexu.* Apud nos verò (uti notorium) hoc non est moris. Et tanta est bestialitas in plerisque, ut si osculo excipere quem velint, eum non possint non offendere fœtore hesternæ crapulæ. Simile illud Ciceronis, *Qui tamen me ultus est, cùm inimicum meum illo ore dissuaviatus est.* In nuptiis retenta apud omnes gentes osculorum libatio: de qua multa Doctores Juris Pontificii & Civilis scripsere. Etiam in homagiis Vasallorum usitata olim fuit: quod leges apud Paulum Æmylium lib. 9. Hist. Francorum. Etiam in Edictis sive rescriptis Imperatoris obsignatis, qui ea susciperet, osculari signum consuevit, honoris & cultûs eximii gratiâ, teste Joh. Damasceno lib. vel orat. 3. De Imaginibus.

§. LXVIII. Ἐπαφρᾶς, &c. Ἀρίσταρχος, Δημᾶς, Λουκᾶς, οἱ συνεργοί μου] *Timothei* nomen non adscribit, quia ejus nomen initio literarum assumpserat adjunxeratque suo. Quamvis in tota hac Epistola ipse loquatur in singulari numero: Quod rectè atque ordine fit ubi qui scribit non solùm præcellit auctoritate vel imperio, ut in Epistolis M. Tullii quas suo & filii aliorumque nominibus præpositis scripsit, sed solus etiam est cujus personâ tota scriptio nitatur. Nunc de singulis qui in hac salutatione nominantur, paucis exponendum est. Primo

Primo loco ponitur *Epaphras*, & quidem singulari titulo encomioque ornatus. Quod licet clariùs intelligere ex Col. 4. ubi ità scriptum est, *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi, semper decertans pro vobis in precibus, ut stetis integri & repleti in omni voluntate Dei. Hoc enim de eo testor, eum multo vestri studio ardere, & eorum qui sunt Laodiceæ, & eorum qui Hierapoli.* Ex quibus apparet, eum Colossensem fuisse, etiam eorum Episcopum, ut ex his verbis colligi videtur, & clarè affirmat B. Ambrosius ad d. Epistolam; ubi idem & de Archippo scribit, qui pariter in eadem Epistola nominatur, sed non ut Episcopus tamen, verùm ut Minister. Quare & Epaphræ solius, tanquam Episcopi Colossensium, mentio in Martyrologio Romano, & de Archippo negat Primasius, ut observavit clarissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius sub annum Christi LX. cap. 11. Nominantur præterea, cùm in hac ad Philemonem, tum in illa ad Colossenses Epistola, *Lucas, medicus* & *Demas*, itemque *Marcus*, & *Aristarchus*, quem in illa Epistola *concaptivum suum* vocat, ut in hac Epaphram. *Lucas* non alius est quàm is qui Euangelium scripsit: quod dilaudat Paulus his verbis, *Cujus in Euangelio gloria est.* Paulo charissimum fuisse etiam illud indicio est, quòd speciali cum elogio eum nominat, *Lucas*, inquit, *medicus ἀγαπητός, ille dilectus*; sicut hìc *Epaphram concaptivum*, quòd iisdem vinculis Romæ adstrictus teneretur ob Euangelii doctrinam. *Demas* autem is est de quo 2 Tim. 4. Paulus conqueritur quòd *ab ipso desertus fuerit, & ad seculum transfugerit*, i. e. delicias & blandimenta hujus vitæ secutus sit. Unde occasio Dorotheo in Synopsi fuit comminiscendi, Demam à religione Christiana defecisse, & simulacrorum Sacerdotem factum esse Thessalonicæ. Quod refellit idem eruditissimus Annalium scriptor: Atque hunc eundem esse quem hoc loco Paulus cùm cæteris laudat & συνεργόν suum appellat, honorificentissimo testimonio docet; ut appareat post illam ad Timotheum Epistolam reversum eum fuisse Romam, & Paulo iterum sese applicuisse atque adhæsisse, Euangelicæ procurationis socium & adjutorem. Quod ego certiùs colligo ex Epistola S. Ignatii ad Heronem, ubi sic est, *Salutant te Episcopi, Onesimus* (hic de quo tota hæc Epistola Pauli loquitur) *Bitus, Demas, Polybius.* De *Marco* ità est 2 Tim. 4. 9. ubi jubet eum *quàm primum ad se venire. Marcum*, inquit, *assume & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerio.* Eum cum *Aristarcho* conjungit, & *consobrinum Barnabæ* vocat in Epist. ad Colossenses, ut ab Euangelista separaret. *Mansisse perpetuò apud Paulum usque ad Barnabæ obitum, indè in Cyprum cum Epaphra & Tychico profectum, eique Ecclesiæ præfuisse* Metaphrastes scribit. Quamvis autem tot discipulorum & adjutorum Pauli in hac Epistola sint adscripta nomina, salutationis & charitatis Christianæ, ut apparet, declarandæ gratiâ, tamen & illud propositum Paulo fuit, tacitè admonere hìc quoque ratione Philemonem ut vel illorum causâ ignosceret Onesimo. Ut in omnibus rebus considerare & sibi dicere homines prudentes & boni solent illud Homeri, quod Cicero in ore habebat,

Αἰδέομαι Τρῶας, ———

Revereor Troas, i. e. Optimates Ecclesiæ, inprimisque D. Paulum illorum principem: quod subjecto versiculo Homerus sic expressit, & ex eo Cicero Epist. 1. lib. 7. ad Atticum,

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην καταθήσει.

Neque alia ratio est instituti illius Christianorum & veterum Ethnicorum in deprecationibus, ut viros fœminasque sanctas & religiosas adhiberent, vel etiam res mutas, putà statuas atque imagines Dei vel sanctorum. Quod in sua superstitione præcipuè soliti observare Alexandrini in Ægypto cùm Reges suos iratos placare vellent, ut testatur auctor lib. De bello Alexandrino.

§. LXIX. V. 25. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν] Diximus suprà, hunc fuisse veteris Ecclesiæ in mysteriis participandis morem ut post orationem finitam osculo se mutuo salutarent. Id verò non fuit mutum & sine ullis verbis, sed addi solebat hæc precatio, PAX VOBISCUM, ut patet ex Augustini serm. 83. Cujus ritûs similitudinem in Epistolis quoque suis Paulus usurpavit, cùm salutationi subjicit hanc precationem, Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου, &c. *Gratia Domini Jesu Christi sit vobiscum*, vel *cum spiritu vestro*, ut factum est hoc loco, & in Epistola ad Romanos, & 2 Thess. 4. 18. & alibi. Idem enim *Gratia* quod *Pax* significat: quamvis interdum distinguantur, ut Rom. 1. 7. & in hac ipsa Epistola in principio. Vel sanè pro uno ponuntur, ἓν διὰ δυοῖν. Sic enim Chrysostomus Hom. 86. in Joh. 20. *Hoc verbum*, PAX VOBIS, *primùm post resurrectionem dixit* CHRISTUS. *Ideo Paulus semper*, GRATIA, *inquit*, ET PAX. Quod *Pacis* nomen hac in re usitatum Judæis fuit, itemque Christo & ejus Discipulis. Omnia autem bona *Pacis* vocabulo declarabant, sed auxilium inprimis & prosperum in omni recto conatu successum, vel felicitatem, ut Luc. 19. τὰ πρὸς εἰρήνην σου. Quomodo & Germanicus Cæsar accepit in Phænomenis Arati, illis versibus ad Jovem,

Hac ego dum latu coger (leg. *conor*) *prædicere Musis,*
Pax tua, tuque adsis nato, numenque secundes.

Illud notandum est, videri doctissimis viris hoc quasi symbolum Pauli in Epistolis fuisse, & notam quâ ejus Epistolæ internoscerentur & ab aliis fictitiis distinguerentur: idque maximè probari putant illa ad Thessalonicenses loco quem suprà allegavi. Sed profectò illa verba οὕτω γράφω *ità scribo* non ad sequentem clausulam, *Gratia Christi*, &c. referenda videntur, sed potiùs ad præcedentia, cùm dixit, *Salutatio meâ manu Pauli.* Videtur enim peculiare aliquod signum habuisse in scribendo ex quo suas dignosci literas voluerit. Nec absurdum fuerit existimare, Paulum vel signo Crucis, vel CHRISTI ipso nomine certâ aliquâ figurâ expresso usum fuisse; cujusmodi figuram in annulis ex antiquis ruderibus effossis conspici ajunt. De variis generibus Epistolarum quibus usa vetus Ecclesia Christiana, suprà dictum est. Sed quod ad hunc locum pertinet, sciendum est in iis, præsertim quæ *Formatæ* & *Canonicæ* dicebantur, quibus Catholicæ fidei societas & concordia significabatur ejus cui peregere proficiscenti concedebantur, notas quasdam & symbola fuisse adhibita, nè ab aliis interceptæ intelligi possent. Unde eas ἐπιστολιμαῖα συνθήματα Gregorius vocat Orat. 1. adv. Julianum Apostatam. De cujus improbitate & calliditate hæc commemorat Sozomenus lib. 5. Hist. Eccl. *Fertur*, inquit, *notas literarum Episcopalium inprimis imitatus, quibus solebant peregrinos invicem commendare, quoque irent & unde proficiscerentur significare, quò tanquam noti propter symboli testimonium hospitio susciperentur & curarentur. Hoc ideo excogitaverat ut Ethnicos studiis Christianorum assuefaceret.* Idem lib. 6 cap. 17. *Quanquam illis minimè licitum sit orare cum illis qui aliunde sine literis veniunt qua mutuum in fide consensum per signa ipsis inscripta & aliis incognita declarant.* Hinc factum est, opinor, ut Suidas συνθηματικῶς γράφειν interpretetur συμβολικῶς, ex more Christianorum scilicet, quòd notis illis occultis & arcanis etiam symbola quædam adjici mos esset. Quamvis eruditiss. Casaubonus illam expositionem Suidæ non probet in Comment. ad Æneæ Tactica. Sed probatur & ratione quam jam dixi, & illo quem allegavi Sozomeni loco, quem à Casaubono prætermissum miror. Budæus συνθηματικὰς ἐπιστολὰς & *tesseras epistolares* vocat & *furtivas literas*. In Jure nostro συνθήματα sunt *codicilli* sive *diplomata qua pro cursu publico dari consueverunt.* Quæ autem olim symbola μυστικὰ usurpaverit Ecclesia Christiana, tradit magnus Scaliger in explicatione Numi Frcheriani Imp. Constantini, & uberrimè atque accuratissimè alterum illud literarum decus Is. Casaubonus in Exercitationibus ad Annales Baronii, membr. 17. cap. 43. præsertim ea quæ in ritibus initiatorum & S. Synaxeos adhibita observataque diligentissimè & religiosissimè fuerunt. Quorum hodie & aliorum multorum nec vestigium superest.

§. LXX. Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν. Ἀμήν.] Hoc verbum in omni lectione sacra vel precatione extremo loco poni vel accini solitum nemo est qui nesciat. Id primum in Oratione Dominica, quam Tertullianus *legitimam orationem* appellat, usurpatum est: unde *signaculum orationis* Dominicæ appellatur à D. Hieronymo. Sed quod ad Epistolas attinet, S. Ignatius aliud post ipsum collocavit, nimirum *Gratia*. Ità enim in Epist. ad Ephesios scribit, *Valete in Deo Patre, & Domino Jesu Christo, communi spe nostrâ, in Spiritu sancto. Valete. Amen. Gratia.* Et nè mendum suspiceris, ità de hoc loco scribit Gregorius Pontifex in Epist. ad Anastasium Episcopum Antiochenum, *Amen. Gratia:* additque continuò, *Quæ videlicet verba descriptis vestris accepta ideirco in meis Epistolis pono ut de S. Ignatio vestra Beatitudo cognoscat quia non solum vester est sed & noster. Sicut enim Magistrum ejus Apostolorum principem habemus communem, ità quoque ejusdem principis discipulum nemo habet privatum.* Cæterùm hæc vox Ἀμὴν cùm pro clausula precationibus adhibetur, *Ità fiat*, vel *sit* Optantis modo declarat: cùm affirmationi alicui vehementiori, ut *Amen dico vobis*, &c. significat *verè* & *certè*, verbo Hebraico, quo *Veritas* & *Fides* exprimitur, ut periti Hebraicæ linguæ annotarunt. Prudenter autem fecerunt illi Interpretes atque Doctores qui veterem Ecclesiæ Christianæ morem secuti, hanc vocem, sicut & alias quasdam, veluti *Hosanna*, *Alleluja*, sibi ubique retinendas censuerunt. Græci etiam Ethnici hàc voce ἀμὴν, vel ἦ μὴν, usi videntur pro sua & propria, eâque in juramentis præcipuè usi sunt. Qua de re liber magni illius

illius Philippi Melanchthonis sententiam hic adscribere, cùm alia quoque bona contineat. Sic igitur scribit in Homilia in Johannem 16. AMEN *est asseveratio jurantis. Et credo Græcum* ἀμὴν *esse ab hac voce. Nam & Græci jurantes præponunt* ἀμὴν *vel* ὄμνυμι. *Hæc eadem sunt cum illo Hebræo Amen. Grammatici dicunt particulam* ἀμὴν *esse asseverationem: & passim invenitur in Demosthene, Xenophonte, Isocrate. Sed originem hujus vocis non sciunt Græci. Est autem haud dubie sumpta à Patribus, & fuit usu recepta in juramentis. In juramento Attico dicebatur*, Juro verè, quòd propugnare velim pro sacris solus, & cum aliis. *Ibi est usurpata particula* ἀμὴν, i.e. Verè. *Sic dicebant in fœderibus*, Ὄμνυμι ἀμὴν εἶναι φίλος Ἀθηναίων. *In summa, in omnibus juramentis Græcis usurpatur illa particula: sed nesciunt unde sit. Christus hic bis repetit*, Amen, Amen, *ut excitet in nobis fidem: q. d.* Si non vis credere Deo, crede juranti. Hæc ille: qui bene dicit *in omnibus juramentis*, i.e. non publicis modò, quorum exempla proposuerat, sed etiam privatis, ut probant omnia exempla à Budæo in Commentariis prolata. Qui *& sponsionibus & expromissionibus eam particulam convenire* docet ex Demosthene, Εἶναι καταστήσαντι τοὺς ἐγγυητὰς ἦ μὴν τίσειν, ἀφεῖσθαι, *Licere & liberum esse abire, si sponsores dedisset, qui soluturum repromitterent.* Cui simile illud Ciceronis in Bruto, *Non me hercule repromittere istbuc quidem ausus sum, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum.* Quod eò libentiùs hic annotavi, quòd Paulus, qui pro Onesimo se soluturum hac Epistolà constituit, hosce viros & collegas suos non solùm ut testes & deprecationis hujus socios sed etiam quasi adpromissores nominandos putavit, adhibito in fine quasi signaculo jurisjurandi, vel fiduciæ in Deo; quod hæc particula præfert: ut undiquaque septa ac munita esset obligatio sua, commendatioque Onesimi. Similis est illa conclusio Sulpitiæ Romanæ in gravissimo & sapientissimo carmine de Edicto Imp. Domitiani quo Philosophos Urbe exegit. Ità enim Calliopen fingit, post editam promissionem temporum meliorum, sibi in fine dicentem,

> *Vive, vale: manet hunc pulcrum sua fama dolorem:*
> *Musarum spondet chorus & Romanus Apollo.*

Quo modo S. Ignatium scripsisse in fine Epistolæ, *Valete. Amen. Gratia*, suprà notavimus. De universi populi in templo acclamatione vocis hujus *Amen*, quod *Tonitru* D. Hieronymus appellat, cùm ab aliis expositum sit, dicere supersedebo.

§. LXXI. *Subscriptio.* Ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης δι᾽ Ὀνησίμου οἰκέτου) In quibusdam cod. præponitur Πρὸς Φιλήμονα. In aliis multò plura addita, ut Beza hic observat, quæ Latinè sic sonant, *Pauli Apostoli Epistola ad Philemonem* (Cur non addidit *Colossensium Antistitem?* Card Pompejus Columna epistolam Pontificis rejecit quòd non erat inscriptum, *Episcopo Reatino*, ut Jovius in Vita Pomp. Columnæ refert) *& Apsiam Onesimi dominos, & ad Archippum Diaconum Ecclesiæ Colossensis, scripta est Romæ per Onesimum servum.* Cujusmodi Subscriptiones etiam in aliis Epistolis adscriptæ sunt, sed nos omnes liquidà fide, ut idem vir doctissimus notat in Epist. 2. ad Tim. & alibi. Quod notandum Juris studiosis propter illam Interpretum doctrinam, cùm dicunt, *subscriptionem epistolæ vel alterius instrumenti idem operari ac si tota scriptura esset subscriptoris manu exarata, omniaque in ipsa continere quæ in ipso instrumento continentur*, ut tradunt hoc in Leg. *Lucius*, §. *Emptor*, Dig De Pact. & aliis locis. Quod verissimum est si ejus ad quem instrumentum literæve pertinent subscriptio fuerit, non si alterius, ut in proposito nostro accidit: præsertim cùm diversa in subscriptione leguntur, quorum nulla vel mentio vel probatio est in literis, veluti quòd Apsia illa uxor Philemonis fuerit, ut subscriptio eam facit, cùm eam pariter cum Philemone appellat *Onesimi dominos.* Quamvis non sit hoc necessarium in Jure nostro argumentum: Potuit enim & non uxor communem eum servum habere cum Philemone. Firmius argumentum est ex deprecatione, & tota hujus Epistolæ scriptione, quæ ad solum Philemonem dirigitur: Quod non fecisset Apostolus si Apsia uxor ejus non fuisset & tamen simul cum eo domina Onesimi: Eam enim quoque placari oportuisset, & quidem multò magis quam ipsum Philemonem; ut sunt muliebres animi implacatiores & minùs ad ignoscendum faciles. Vehementius enim quàm viri affectionibus commoventur. Unde *fœmineum* pro *magno* atque *vehementi* positum in illo versu Virgilii de Camilla,

> *Fœmineo prædæ & spoliorum ardebat amore.*

Hanc certè causam Chrysostomus & alii reddunt cur Paulus etiam *Apsiæ* meminerit in inscriptione harum literarum, quamvis uxor ejus fuerit. Postremò illud observandum est, quòd hæc Epistola *ab Onesimo servo*, cujus gratià scripta fuit, lata ad herum fuit. Quæ res habuit peculiarem causam in tali tabellario, vel, ut Hieronymus loqui amat, *literarum bajulo*, ut suprà quoque annotavimus. Sed quamvis hæc causa non fuisset, non propterea hujusmodi tabellariis non utebatur Paulus, cæterique Apostoli, etiam cum de rebus gravissimis, & ad totas Ecclesias scriberent. Nam per hunc eundem servum & Tychicum lata ad Colossenses Epistola fuit eodem tempore. Et gravissima omnium illa ad Romanos scripta quemnam habuit latorem? Muliercularn Phoeben. Ubi magnus Erasmus, *Atque illud interim subit mirari, cujusmodi Legatis tunc usi fuerint illi verè Pontifices, cùm Paulus ad Romanos adhuc florentes te tam arduis rebus scripserit per muliierculam.*

APPENDIX.

Monendus es, erudite & candide Lector, huic PHILEMONIANÆ *Epistolæ ob materiæ cognationem respondere*

I. Judæ Orationem ad Josephum fratrem pro Benjamino fratre deprecatoriam, quam refert Josephus 2. Antiq. Jud. c. 3. quæ incipit, *Fatemur, Præses, graviter*, &c.

II. Basilii M. Epistolam 164. ad Andronicum ἄρχοντα ἢ στρατηγὸν, *Præsidem*, cujus initium est, *Quòd si corpore*, &c.

III. Salviani ad YPATIUM & QUIETAM parentes Epistolam, cujus exordium est, *Paulus Apostolus*, &c.

Videre licebit & Zonaram To. 3. Annal. pag. 34. & Synesium Epist. 151. qui auctores doctorum piorumque hominum manibus teruntur.

JANUS GRUTERUS

In obitum Scip. Gentilis JC. V. C. Condiscipuli sui Lugduni Batavor. sub J. Lipsio & H. Donello, Anno 1574.

Si possem lacrymâ, si singultantibus odis
Uxori ac natis te revocare tuis,
Largiter in questus irem, ô Gentilis, ut orbi
E Rhadamantheo restituare foro.
Id quia fata vetant, unum quod restat, honore
Exsequias memori prosequar ergò tuas.
Altorfi siquidem audibas non ultima gemma,
Sive Themin coleres, sive Heliconiades.
Utque tuis labiis gaudebat Suada Latina,
Græcula sic in eis crebrior hospes erat.
Te Liber cum Mercurio, te terna colebat
Gratia, cumque albis Flora Cupidinibus.
Denique charus eras Phœbo, Musisque; Jocisque,
Teque superbibat Tusca loquente Lepos.
Exsilium genii ingeniique infringere suevit
Dotem aliis: famæ summa sed indè tuæ est.
In patria nomen modò qui vulgare teneres,
Factus es illustris conditione loci:
Qualiter illuni fax nocte pusilla triumphat,
Ilicet exortam quæ perit ante diem.
Et tamen Italiæ vel sic quoque Sidus opimum es,
Sive tuis Musis, sive tuâ Themide.
Haud secùs herba tremens sub aquis, ut tangitur aurâ,
Coralium efficitur, coraliumque manet.

ANNOTATA

In Epistolam ad

HEBRÆOS.

CAP. I.

VALLA.

Multifariè multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis] Nè diceret Interpres bis *locutus*, dixit *loquens*, cùm Græcè (quod est longè melius) dicatur *locutus*, λαλήσας.

3. *Figura substantia ejus*] *Figura* Græcè nunc dicitur *character*, χαρακτὴρ & *substantia*, *hypostaseos*, ὑποστάσεως, nè quis aliter accipiat quàm Græca veritas patiatur. ¶ *Portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis*] Cur non *ferens* potiùs quàm *portans*, ut est Græcè, φέρων; Græcè quoque est, *qui per seipsum purgationem peccatorum nostrorum fecit, sedet ad dexteram*: sive *in dextera*. δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης. Hic verè dicitur *Majestas*: nam superiùs cùm hoc vocabulum legimus, ferè *gloria* Græcè dicitur.

14. *In ministerium missi*] Non *missi*, sed *qui mittuntur*, ἀποστελλόμενα.

REVIUS in VALLAM.

3. Qui per seipsum] Sensus flagitat, *qui postquam per seipsum*.

ERASMUS.

1. Multifariàm multisque modis] Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως. Vox prior à *partibus* dicta est, posterior à *modo*. Si quid interest, illa referri potest ad varias partes redemptionis humanæ, hæc ad varietatem figurarum & oraculorum. Partes sunt Nativitas Servatoris, Doctrina, Miracula, Crux, Resurrectio, Ascensio, &c. Singulæ verò partes ut diversis typis præfiguratæ sunt, ità diversis Prophetarum oraculis prædictæ. ¶ *Loquens*] Λαλήσας, i. e. *locutus*, præt. temporis. *Olim locutus in Prophetis, proximis temporibus locutus est nobis in Filio.* Interpres illud fugisse videtur nè bis diceret *locutus*, cùm Paulo utrobique sit dictio consimilis, λαλήσας & ἐλάλησεν, & in his sit etiam gratia schematis. ¶ *In Prophetis, in Filio*] Chrysostomus etiam annotat præpositionem *in* positam esse loco *per*.

3. *Splendor gloriæ*] Ἀπαύγασμα, i. e. *refulgentia*, sive *relucentia*: quod ex alio resplendet. Nam Filius *lumen* est *de lumine*. ¶ *Et figura*] Χαρακτὴρ, quam dicere possis *formam expressam ex alio*, sive *notam rei cujpiam impressam*, velut in cera. Vox dicta à verbo χαράττω, quod est *insculpo* sive *notam imprimo*. Augustinus libro De incarnatione Verbi pro *charactere* subindè citat *figuram expressam*. Hieronymus adducens hunc locum in Commentariis Esaiæ legit pro CHARACTER *forma*. Nihil autem propiùs exprimit archetypum quàm imago impressa sigillo. ¶ *Substantia*] Ὑποστάσεως. Non est οὐσία, quam *essentiam* vertit Quintilianus: ὑπόστασις à *subsistendo* dicta est, quæ Græcis aliquando accipitur pro persona. Ex hoc verbo nata est magna digladiatio, quòd Ariani exigerent tres *Hypostases*, & verbum *homousii* non reciperent. ¶ *Portansque omnia verbo virtutis suæ*] Φέρων τε τὰ πάντα. Meo quidem judicio φέρων hoc loco non significat idem quod *portans* sive *bajulans*, sed *agens* potiùs sive *movens ac moderans*. Nam φερόμενα dicuntur Græcis *quæ impetu quodam aguntur*: unde & φορὰν *impetum* vocant. Et ἄγειν καὶ φέρειν dicitur *qui suo arbitratu*

arbitratu moderatur aliquem. Sentit enim Paulus, aut quisquis fuit autor Epistolæ, non solùm mundum hunc conditum per Filium, quemadmodum modò dixerat, *per quem fecit & secula*, verùm conditum regi & administrari; idque non studio curàque & industriâ, sicut administrant Homines, sed *verbo*, h. e. nutu, *sua potentia.* Nam quod Principi Verbum est quo jubet aliquid fieri, hoc illi est Velle. In hanc sententiam interpretatur & Chrysostomus, annotans emphasim hujus participii φέρων. Gubernat enim aliquis cum negotio: Fert, qui sine negotio movet quò libet. Proinde nos vertimus *agat moderetúrque.* Thomas, licèt non senserit emphasim hujus vocis, tamen haud multùm aberrat à scopo. ¶ *Purgationem peccatorum faciens*] Græci addunt δι' ἑαυτοῦ, i. e. *per seipsum purgationem peccatorum faciens.* Et *faciens* apud Græcos præt. temporis est: unde transferre poterat, *purgatione peccatorum factâ*; nè *sedendo videatur purgare.* Priùs enim *purgavit* morte suâ, deinde *consedit.* ¶ *Sedet*] *Sedit*, præt. temporis est apud Græcos, ἐκάθισεν, q.d. *consedit.* Chrysostomi interpres vertit *sedere fecit.* Et huic lectioni consentit enarratio cùm Chrysostomi tum Theophylacti, quos mirum nihil fuisse offensos participio γενόμενος, nisi fortè legerunt γενόμενον. Et sanè Græca vox est ambigua, sed obstat participium quod sequitur γενόμενος. Cæterùm Chrysost. tale nihil habet. Illud verum est, καθίζειν Græcis & neutraliter & transitivè usurpari. ¶ *Ad dextram*, &c.] Gr. aliquantò secùs habent, ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης, *in dextera throni majestatis.* Quanquam hic exemplaria Græcorum variant, nec *throni* mentio additur apud Chrysostomum, nec apud Theophylactum. Atque hic verè *majestas*, est, non δόξα.

4. *Tantò melior Angelis factus*] Non est Græcè μείζων sed κρείττων, quod sonat *potiorem* sive *potentiorem.* Vel hunc explicent locum qui contendunt nullo modo Christum fuisse Angelis minorem. Quomodo dicetur *melior* sive *potior factus* qui nunquam fuerit minor? Nisi fortè sophistarum more libebit argutari, ex æquali factum majorem. Nec *melior* hìc pertinet ad mores, sed ad præstantiam, dignitatem ac potentiam. ¶ *Differentius*] διαφορώτερον, *excellentius*: quòd διαφέρειν duo Græcis significat, *differre & præeminere.* ¶ *Hereditavit*] κεκληρονόμηκεν, *hereditate accepit*, sive *sortitus est.*

5. *Ego ero illi in Patrem*] Quanquam aliàs quadrabat *loco Patris* & *loco Filii*, tamen hìc malui, *Ego ero illi Pater*, *illi erit Filius*, nè quis imaginetur adoptionem.

6. *Et cùm iterum*] Ὅταν δὲ πάλιν, *Cùm autem iterum.*

7. *Et ad Angelos quidem suos*] *Suos* superest. Nec additur in emendatioribus Latinis. ¶ *Flammam ignis*] Πυρὸς φλόγα, i. e. *ignis flammam*, h. e. igneam flammam.

8. *Thronus tuus, Deus*] Ὁ θρόνος σου ὁ Θεός. Incertum est an hic sit sensus, *O Deus, sedes tua est in seculum seculi*; an hic, *Ipse Deus est tibi thronus in seculum seculi.* Nam sermo Græcus anceps est. Sed priorem sequuntur Interpretes. Chrysostomus annotavit & hic articulum esse additum ὁ Θεός quæ quidem annotatio non video quem habeat locum nisi accipiamus ὁ Θεός dici Filio. Innuit enim Chrysostomus, articulo significari verum Deum. De Patre verò nec Ariani dubitant quin sit ὁ Θεός.

11. *Ipsi peribunt, tu autem permanebis*] Græcis verba sunt præsentis temporis, *pereunt*, & *permanes*, ἀπολοῦνται, διαμένεις. Quanquam *pereunt* ambiguum est, & in διαμένεις solus accentus facit futurum tempus διαμενεῖς.

12. *Mutabis eos*] Ἑλίξεις αὐτούς, i. e. *volves*, sive *vertes*, *eos.* Atque id verbi magis quadrat in *Cœlos*, aut etiam in *vestem.* Interpres legisse videtur ἀλλάξεις. Et apud Hebr. est תחליפם transitivum secundum, à verbo חלף, quod est *mutavit*, quemadmodum mutatur amictus. Unde & *mutatoria* dicuntur, annotante Capnione nostro. Græci constanter legunt ἑλίξεις, non ἀλλάξεις atque ità interpretatur Chrysostomus & Theophylactus. Proinde quid legendum sit eruditis expendendum relinquo.

14. *In ministerium missi*] *Missi* apud Græcos præsentis temporis, ἀποστελλόμενα, i. e. *qui mittuntur.* Mittuntur enim & hodie. ¶ *Et capient*, non *capiunt*, h. e. futuro tempore, non præsenti.

VATABLUS.

1. Multifariè] *Multifariam*, Vet. ¶ *Loquens*] *Locutus.* ¶ *In Prophetis: Novissimè*] *Per Prophetas: Novissimis.*

2. *In Filio*] *Per Filium.*

3. *Splendor*] *Refulgentia.* ¶ *Figura*] *Expressa imago.* ¶ *Substantiæ*] Vel, *subsistentiæ.* ¶ *Portansque*] *Moderaturque.* ¶ *Verbo virtutis suæ**] Heb. potenti suo jussu. * *Per semetipsum.* ¶ *Purgationem peccatorum faciens, sedet*] *Purgatione peccatorum factâ, sedit.*

4. *Melior*] *Præstantior.* ¶ *Differentius*] *Excellentius.* ¶ *Hereditavit*] *Sortitus est.*

6. *Et cum*] *Cùm autem.*

7. *Ad angelos*] i. e. De angelis. ¶ *Ignis*] Heb. *igneam.*

8. *Ad Filium*] i. e. De Filio.

9. *Præ participibus suis*] *Ultra consortes tuos.*

11. *Peribunt, tu autem permanebis*] Vel, *pereunt, tu autem permanes.*

12. *Mutabis*] *Involves*, Vet. aut *vertes*, vel, *circumvolves.*

14. *In ministerium missi*] *Qui in ministerium mittuntur.* ¶ *Capiunt*] *Capient*, Vet. fut. temp. i. e. qui futuri sunt hæredes salutis.

CLARIUS.

1, 2. Locutus Patribus in Prophetis] Quod ait *in Prophetis* & *in Filio* idem est quod *per Prophetas* & *per Filium*: nam familiare est Hebræis *in* ponere pro *per.* Quod contra hæreticos illos facit qui differentiam in Divinis Personis colligebant ex harum particularum differentia, quemadmodum M. Basilius latiùs docet in libro quem De Spiritu S. scripsit ad Amphilochium. Ait ergò Apostolus *Deum superioribus temporibus locutum Judæorum genti variis diversisque modis per Prophetas, postremis verò temporibus locutum esse per ipsum Filium*; qui cùm Filius sit, paternæ etiam naturæ ac potestatis est particeps: idcirco ait, *Quem constituit hæredem universorum.* Atque ut communia omnia opera utriusque intelligas, addit, *per quem fecit & secula.* Quòd si *secula* commune est opus Patris ac Filii, procul dubio & quæ in seculis ipsis facta sunt commune sunt opus: neque id solum, verùm etiam ipse Filius ab æterno est: neque fieri intra secula potuit is *per quem facta sunt secula.*

3. *Qui cùm sit splendor*] Tantùm non dicens, Etsi dixi quòd *Pater illum ἔθηκεν*, h. e. *posuit*, *hæredem universorum*, cave tamen nè quicquam humile cogites, ut illum credas θετὸν, h. e. *adoptivum*, ac non naturâ Filium sed gratiâ. Quocirca addo nunc, illum ab initio *splendorem fuisse gloriæ, & characterem ac tanquam expressum sigillum substantiæ ejus. Splendor* quidem naturalem Filii à Patre progressum signat. Nusquam enim secundùm gratiam aut adoptionem proficiscitur *splendor* ab aliquo, non à Sole, non ab Igne, non à quavis alia re à qua splendor consueverit proficisci. Adjectio autem illa *gloriæ* significat ejus quod maximè est venerabile & quo nihil est majus in Patre (nam appellatio *gloriæ* maximum quid significat) *splendorem* esse Filium. Illud etiam ὤν, h. e. *cùm sit* (de quo dictum est Mosi, EGO SUM QUI SUM) & illa vox *splendor* idonea sunt asserere Filii à Patre progressum secundùm naturam, eandemque substantiam ac sempiternitatem. Deinde apertiùs adhuc facit id quod dixit, cùm addit, *& character substantiæ ejus*, quasi totam in seipso hauserit essentiam substantiamque Patris. Deus est, Artifex est Omnipotens est, & quicquid Paternam essentiam exprimit, totum est Filius, præterquam quòd Pater non est. Quare & *omnia verbo potentiæ suæ fert*, h. e. continet, agit, regit. ¶ *Per semetipsum purgatione*] Commemoratis iis quæ Divina sunt, jam descendit ad ea quæ nobiscum versatus & similis nostri factus egit: quod & Joannes in principio Euangelii fecit.

5. *Filius meus es tu*] Hoc testimonium & in Actis Apostolorum adductum est de Christi Humanitate. Sunt tamen qui ità distinguant, ut priora verba, h. e. *Filius meus es tu*, dicta sint quatenus est Deus & Λόγος, & sempiternam per illud verbum *es* significent generationem; posteriora autem verba, h. e. *hodie genui te*, quatenus est Homo, cùm illa verba factam in tempore generationem signent: suam enim facit Pater illam Filii generationem secundùm carnem, cùm Deus & Homo unus sit Christus. Similiter & illud, *Ego ero illi in Patrem*, de Incarnatione dictum est: nam illud *eris* manifestè ad assumptam pertinet Humanitatem.

6. *Et cùm iterum introducit*] *Introducere* hìc accipe pro *in manum tradere*, tunc enim possedit orbem terræ, qui volens ab eo regeretur, cùm pro omnibus gustavit mortem, & cùm creditus est esse Deus. Gratum autem facit sermonem cùm ait *Patrem introduxisse filium.* *Introduxit* autem, non quòd antea localiter esset extra creaturam (quo enim pacto is qui omnia implet?) sed quia nihil habebat cum ea commune, cùm Deus tantùm esset, postea verò quàm nostram accepit carnem, tunc illam habuit cum creatura communem. ¶ *Primogenitum* autem non ratione alterius qui postea genitus sit vocat; sed idem est hic quod *unigenitum.* Nam *primogenitus est* ante quem nemo natus

natus est, tametsi nemo post eum sequatur. Cùm igitur placuit Patri ut carne appareret Filius suus *primogenitus* habitantibus *orbem terræ*, ait, *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Scriptum est enim, *Et accedentes Angeli ministrabant ei:* &, *Videbitis Angelos descendentes super Filium hominis.*

7. *Qui facit Angelos suos spiritus*] Psal. 104. ad literam ex iis quæ in eodem Psalmo præcedunt & sequuntur apparet illic *spiritus* accipi pro *ventis* potiùs. Verùm hoc citationi huic non obstat: per VENTOS enim Psalmographus Allegoricè *Angelos* intelligit, sicut COELOS *Apostolos* interpretatur Paulus Rom. 10. & Psal. 19.

8, 9. *Thronus tuus, Deus*] *De Angelis quidem*, inquit, *dictum est, Qui facit Angelos suos spiritus*, ut cœlestes illæ potestates *nuncii* quidam sint: *at cùm de Filio* sermo habetur, non ait, *Qui facit*; sed quid? *Sedes tua, Deus, in seculum. Sedes* enim Regni indicium est, sicut & *virga* ac *sceptrum*. Quòd autem ad Filium sermo habeatur, declarant verba sequentia, quæ de Patre loquuntur, cùm ait, *Propterea unxit te Deus*, &c. Quod verò addit *oleo exsultationis*, alludit ad morem Regum & Sacerdotum, qui ungebantur; & hujus unctionem longè præstantiorem esse ostendit. ¶ *Præ participibus tuis*] Aliis enim *datur Spiritus ad mensuram*, at *in Filio habitavit omnis plenitudo Divinitatis.*

10. *In principio, Domine, terram fundasti*] Si omnia per Filium facta sunt, meritò hoc testimonium Filio ascribitur. Et cùm de iis dixerit quæ post Incarnationem ei acciderunt, nunc ista ante Incarnationem intellige.

11, 12. *Ipsi peribunt*] Omnia enim hæc visibilia formam mutabunt, & ex corruptibilibus fient incorrupta. Nam & *ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis*, &c. *Peribunt* ergò ab hac facie quæ nunc est. Quod videtur per illa verba significari, cùm ait, *Velut amictum circumvolves eos*, &c. Potest autem & Hebraïsmus esse, sic, Fieri quidem faciliùs potest ut hæc omnia pereant, *tu verò semper idem ipse es.*

13. *Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*] Illud *quoadusque* vel *donec*, etsi terminum quendam statuere videatur, non tamen eam habet vim ut excludat id quod postea sequitur; sed ob eam duntaxat causam ponitur ut illud tutum reddatur de quo suspicari quis posset. Nam post subactos hostes non metuit quis ne de sede ejiciatur; sed si timendum est, id antè quàm subacti sint est faciendum. Securus ergò jubetur esse quâ parte vereri quis possit: post periculum verò nihil est necesse ista commemorare. Sic dictum est, *non cognovit eam donec peperit*; ut quo tempore suspicari quis posset, illud omne quavis suspicione liberaretur: nam post editum filium non fuerat hac de re cogitandum, cùm jam ex virgine natus esset.

14. *Nonne omnes*] Ingens Hominis dignitas, purgatissimas illas Mentes *omnes administras esse ob salutem* hominum. Angeli ergò, inquit, conservi nostri sunt, & longè inferiore dignitate quam Filius.

ZEGERUS.

3. Figura substantiæ] i. e. Forma expressa ex substantia Patris. Est autem Græcè *character*. Tractat hunc locum Origenes lib. περὶ ἀρχῶν 1. cap. 2. si quis plura desiderabit. ¶ *Portansque omnia verbo virtutis suæ*] h. e. Sustentans, moderans, & continens universa potentissimo verbo suo, non curà, ut homines quippiam administrant, sed solo arbitrio soloque nutu potentiæ suæ. ¶ *Purgationem peccatorum faciens, sedet*, &c.] Græcè simplicius est præt. temporis verbo, sic, *per semetipsum purgatione factâ peccatorum nostrorum, sedet in dextera Majestatis in excelsis.* Cùm enim purgasset nos delictis nostris per suam mortem, tum consedit. Attamen idem quoque sedens jam efficit per sua Sacramenta, semel demortuus. Ἐκάθισεν autem præteritum loco præsentis posuit ex Hebræorum consuetudine.

4. *Tantò melior Angelis effectus quantò differentius*, &c.] Et hoc quoque Græci meliùs habent, *Tanto potentiâ, autoritate & sublimitate potior effectus Angelis, quantò præstantius præ illis sortitus est nomen:* quanquam scitè vertit Interpres.

13. *Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum*] Rectè annotavit Primasius *quoadusque* vel *donec* non significare finem alicujus temporis isto in loco, sed pro *infinito & sempiterno* positum esse, q. d. aliis verbis, *Tu semper habita in plenitudine majestatis meæ, quia semper subjiciam æternitati tuæ inimicos tuos Judæos, aliosque incredulos.*

LUCAS BRUG.

14. Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis?] Multi codices *capiunt* legunt, cum Autore Glossæ, Gorrano & Richelio; multi, & fide digniores, *capient*, cum Haymone, Anselmo & Brunone. Carensis utriusque meminit lectionis. Græcè & Syriacè (ex Græco nostra est translatio) est διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν id quod κατὰ πόδα vertas, ità ut Augustinus legit lib. 3. De Trinitate cap. 11. *Propter eos qui futuri sunt hereditatem possidere salutis.* Quare rectè Correctores, Hentenius & Zegerus, τὸ *capient* textu donarunt. *Capiunt*, quod scribunt libri quidam, error est manifestus, ex incommodò lectionis *capiunt* natus.

H. STEPHANUS.

3. ὍΣ ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης] *In quo cùm resplendeat gloria ejus:* vel, *reluceat.*

4. Διαφορώτερον] *Præstantius.*

14. Λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα] *Spiritus ad functiones idonei, qui ad obeunda ministeria mittuntur.*

DRUSIUS.

EPISTOLA PAULI APOSTOLI] In Syriacis abest illud *Pauli Apostoli*: tantùm ibi habetur, *Epistola ad Ebræos.* Sanè de autore olim dubitatum fuit. Eusebius Hist. Eccl. lib. 6. cap. 14. à Paulo scriptam ait Ebraicè, & à Luca versam Græcè. Cur autem nomen suum de more non præfixerit, ejus rei causam adfert, quòd invisum & exosum id esset Judæis. Hieronymus in Comment. Jes. 6. pag. 24. *Hanc Epistolam Latina consuetudo non recipit:* & pag. 25. *Epistola huic contradicitur, quid Ebræis scribens utatur testimoniis quæ in Ebræis voluminibus non habentur.* Idem Comment. in Epist. ad Titum, pag. 203. *Jam inter Ecclesiasticas Epistolas est recepta.* Hinc patet dubitatum olim fuisse non tantùm de autore sed etiam de ipsa Epistola. Nam si ei *contradicebatur*, si *non recipiebatur à Latinis*, profectò fuit tempus cùm ambigeretur de ea essetne recipienda necne. Dubitationem sustulit posterior ætas, quæ illam absque ulla omnino dubitatione recepit. ¶ AD EBRÆOS] Latè capio hoc nomen, ut etiam Hellenistas comprehendat, qui Ebræi quidem erant, sed quoniam in sacris utebantur linguâ Græcâ, ideo peculiariter *Hellenistæ* vocabantur. Ad hos potissimùm scripta fuit hæc Epistola. Patet ex testimoniis V. T. quæ ex Bibliis Græcis descripta sunt: unde non est credibile hanc Epistolam primùm Ebraicè scriptam fuisse.

1. *In Prophetis*] De hac locutione disputamus Hos. 1. 2. Animad. lib. 2. cap. 49. Vide & Quæsita mea, epist. 39. Ebraicè בנביאים ἐν τοῖς προφήταις.

2. *Per quem fecit & secula*] Quicquid in seculis unquam extitit. Similis locus infrà 11. 3. *Fide intelligimus aptata esse secula:* quod alius interpretatur *constructum esse mundum.* Sic hoc loco idem convertit, *per quem & mundum condidit. Mundum* Græci vocant κόσμον. An etiam αἰῶνας; Primasius ad hunc locum, *Hic per secula debemus intelligere omnia quæ facta sunt in tempore. Nam quod Evangelista Johannes dicit*, Omnia per ipsum facta sunt, *hoc Apostolus significavit, dicendo*, per quem fecit & secula, *referens hoc ad Divinitatem ejus.* עולם propriè *seculum.* Sulpicius Hist. sacræ lib. 1. *Igitur vacuo tum seculo*, i. e. mundo. Rursum Primasius in Epist. ad Ephesios, SECULUM & HOMINES SECULI *dicimus, sicut* DOMUM *dicimus vel* BONAM *vel* MALAM, *dum habitantes in ea intelligimus homines.* Annotat hoc ad locum, *juxta seculum mundi hujus.*

3. *Substantiæ ejus*] Hinc Tertullianus dixit tres in Deo substantias esse. Quis hodie ità loqui auderet? Non quid, [illegible] quo sensu aliquid dicatur videndum est. Hoc modo excusari posset illud *De tribus Elohim.* Nam qui hoc dixit, per *Elohim* Personas intellexit. Non ità Scriptura loquitur, ideo imitari debemus. ¶ *Ad dexteram*] לימין, ut Psal. 110. 1. לימיני *ad dexteram meam.* Novè hoc dixit ἐν δεξιᾷ, ut infrà 8. 1. & 12. 2. quod Marc. 16. 5. ἐν δεξιοῖς, & alibi ἐκ δεξιῶν à dextris, licèt una tantùm sit dextera. Syrus מן ימינא. Sic etiam Ebræi loquuntur. Psal. 110. 5. על ימינך *ad dexteram tuam:* 121. 5. על יד ימינך *ad manum dextram tuam.*

4. *Nomen*] Quodnam hoc nomen? Haut dubiè *Filius Dei*, quem Deus genuit ab æterno. Alioquin Angeli vocantur *filii Dei*, sed alio sensu; non enim certè geniti fuerunt à Deo, sed creati.

creati. Homines quoque ità vocantur. Verùm ut *filius Dei* aliter nominatur Christus, & aliter Homines, ità *Servator* nominatur, i.e. JESUS, à *servando*, quomodo & Homines appellantur, sed alio modo. Nam quia servat homines à peccatis suis, quod proprium Dei est, ideo JESUS dictus est. Utrumque igitur innuit Deitatem ejus.

5. *In patrem, in filium*] Verè Pater, verè Filius. Siquidem particula ל in hoc loco non Similitudinem notat sed rei Veritatem. Sic, *fuit ei in uxorem*, uxor revera. Interdum aliud significat, & *in patrem* valet *pro patre*; *in filium*, *pro filio*; *in uxorem*, *uxoris loco*.

6. *Adorent eum*] וישתחוו quidam interpretantur *adoraverunt eum*, & ajunt esse præteritum pro futuro. Sic Ebræus David cognomento *Camus*. Sed Græci LXX. προσκυνήσατε αὐτῷ, & Hieron. *adorate eum*. ¶ *Angeli Dei*] Non malè interpretatur אלהים *Angeli Dei*. Nam cùm de Angelis usurpatur, significat Angelos bonos, non malos, h.e. Angelos Dei, non Satanæ. Sanè Diabolus nusquam *Deus* vocatur simpliciter, nisi cum additamento, ut, *Deus hujus aëris*, aut *seculi*, &c. In LXX. est ἄγγελοι αὐτοῦ *Angeli ejus*.

CASAUBNUS.

3. Ἀπαύγασμα τῆς δόξης] Placet vehementer expositio Scholiastæ, ut sit Christus Φῶς ἐκ Φωτός, sicut dicitur Nonno Joh. 1. Sic *lumen de lumine* dicitur Tertulliano pag. 645.2. Idem sæpe Christum *Dei radium* vocat. Sic Anastasius p. 430. υἱὸν δὲ ὡς τὰς ἀκτῖνας ἀπέστειλε, τὸ ἀπαύγασμα ἐπὶ γῆς. Ibidem Christus vocatur χαρακτὴρ ἐνυπόστατος. ¶ Καὶ χαρακτὴρ] Vide Bezam. Ego *impressam formam* potiùs. *Forma* & *figura* longè differunt; ut hîc planè *figura* locum habere non possit, sed *forma*. Differentiam indicat Ciceronis locus, tom. 4. p. 208. [lib. 1. De Nat. Deor. *Sed hoc dico; non ab hominibus formæ figuram pervenisse ad Deos: dii enim semper fuerunt*, &c. *Non ergò illorum, humana forma; sed nostra, divina dicenda est.* Hic fortasse fuerit locus: sed tamen certus non sum. Alii enim plures in Cicerone loci ex quibus idem colligatur.]

CAMERON.

1. ΠΟλυμερῶς καὶ πολυτρόπως, &c.] Uti distincta fuerunt tempora Ecclesiæ dicebat etiam Divinam sapientiam (cujus est omnia facere lege quadam quæ sapiat autorem suum) diversis temporibus sive diversis ætatibus Ecclesiæ diversimodè etiam cum Ecclesia agere: quò respexisse hîc videtur omnino Apostolus. Πολυμερῶς Latinè reddi possit. q.d. *multis partibus*, h.e. per gradus & momenta, non simul & semel: ità ut τὸ πολυμερὲς nihil aliud isthîc sit quàm diversitas graduum intensionis & remissionis in revelatione. Πολυτρόπως verò est *variis modis*. Nam ut aliud est μέρος, aliud verò τρόπος, sic aliud est πολυμερὲς, aliud πολύτροπον. Deus enim modò nudè & apertè, veluti veste detractâ, veritatem suam proponit intuendam, modò verò eam veluti veste adoperit, neque perspicuam exhibet nisi per involucrum: hinc est illud Apostoli πολυτρόπως. Tum etiam Deus modò per Angelos, interdum afflatu quodam Spiritûs sui, interdum per somnia, modò per visiones sese revelat & voluntatem suam patefacit: hoc etiam pertinet ad illud πολύτροπον. Jam discrimen temporum sive ætatis Ecclesiæ id requirebat.

2. Ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων] Respexit hic autor Epistolæ ad illud Psal. 2. *Postula à me, & dabo Gentes hereditatem tuam.* Quo loco dominium Christi in omnes creaturas, quod ei traditum est à Patre, vocatur *hereditas*; dominium, inquam, quod habet propter munus Mediatorium. Etenim duplex est Christi dominium in creaturas, alterum Essentiale, quod ab æterno habet commune cum Patre & Spiritu sancto, nimirum quatenus est Deus, alterum verò veluti Vicarium, quatenus est Mediator. De priore illo dominio vox illa κληρονόμος non est hic intelligenda: Primò, quia imperium illud quod habet quatenus est Deus, quandoquidem naturale est, non potest dici θέσις, quomodo hic Christus dicitur *constitutus heres*: alioqui pari ratione posset dici à Deo *constitutus Deus*: quod absurdum est. Deinde, *hereditas* ei tribuitur, quomodo *heredis* nomen: *Heres* autem dicitur quia dominium illud quod obtinet in creaturas, id commune habet cum hereditate: quod quemadmodum is qui hereditatem adit in locum alterius succedit, sic (quod ad Imperium illud attinet) Christus Mediator veluti successit in locum Patris, ut sit ejus Vicarius. Jam quod habet Filius à Patre quatenus est Deus, id non habet ut Vicarius & succedens in alienum locum, sed naturali & essentiali communicatione. Dominium igitur de quo hoc loco agitur est jus aliquod (ut ità dicam) Vicarium quod pendet à Munere. *Heres* ergo hic est Caput, Dominus, Princeps. Nam בכור *primogenitus* apud Hebræos (qui idem erat propriè heres) erat fratrum suorum Dominus, & familiæ veluti Princeps. Quin & Latinis *Heres* pro *Domino* accipitur, Instit. Juris Civ. lib. 2. Tit. 19. de Heredum qualitate & differentia §. ult. *Pro herede gerere, est pro Domino gerere. Veteres enim Heredes pro Dominis appellabant.* ¶ Τοὺς αἰῶνας] Hâc voce Apostolus non *Ecclesiam* (ut nonnulli volunt) sed *Mundum* significat: sic enim eodem sensu infrà cap. 11. 3. usurpatur ab eo vox ista αἰῶνας. Πίστει νοοῦμεν, inquit, κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ· neque vero usquam alibi eâ voce usus est ad significandam Ecclesiam. Deinde, vox ista usitata fuit eo sensu tum temporis in Ecclesia Judaica. Nam in Liturgia Judæorum Deus passim רב העולמים *Dominus mundi* vocatur. Faciunt nempe illi triplicem עולם seu *mundum*. Primus est עולם השפל *mundus inferior*, h.e. Regio ista elementaria. Secundus est עולם התיכון *mundus medius*, orbes scilicet cœlestes, quos alio vocabulo vocant גלגלים, h.e. *rotas*, *orbes*. Tertius est עולם העליון *mundus superior*, illud nempe quod Apostolus vocat *tertium cælum* 2 Cor. 12. 2.

3. Ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης] Δεξιὰ μεγαλωσύνης est δεξιὰ Θεοῦ. Quòd verò μεγαλωσύνην prò *Deo* posuit, id videtur fecisse pro consuetudine Ecclesiæ Judaicæ, in qua vox הגבורה *potentia*, *robur*, Dei nomenclatura fuit. Sic apud Petrum 1 Cath. 4. 14. *Spiritus gloriæ* Spiritus *Dei* dicitur: nam & כבוד *gloria* ipsum Deum Judæis significabat. Potest tamen *Spiritus gloriæ* שכינת הכבוד pro *Spiritu glorioso* accipi: at non perinde δεξιὰ μεγαλωσύνης pro δεξιὰ μεγάλη.

4. Κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων] Quæri possit quomodo Christus factus hîc dicatur κρείττων τῶν ἀγγέλων; cùm totius Personæ ratione, non solùm secundùm naturam Divinam, infinitis partibus excellentior Angelis fuerit. Sed primò respondetur, γίνεσθαι in Scriptura referri sæpe ad rei quæ jam est manifestationem; v. g. Rom. 3. 4. Γινέσθω, inquit Apostolus, ὁ Θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης. Et Jac. 1. 12. *Beatus vir*, inquit Apostolus, *qui tolerat tentationem*, *quia* δόκιμος γενόμενος, *cùm probatus fuerit*, *accipiet coronam vitæ*: ubi δόκιμος γενόμενος non dicitur is qui cùm antè esset ἀδόκιμος factus est δόκιμος, quin potiùs is qui se δόκιμον probavit. Sic Dn. Jesus, *Si vos mutuò ametis*, *eritis Discipuli mei*: *eritis*, h. e. probabitis vos esse. Deinde Christus haud incommodè possit videri dici revera hoc loco *factus Angelis præstantior*, quomodo infrà 2. 9. dicitur *gloriâ & honore coronatus*, *qui paulisper fuit inferior Angelis factus propter mortis perpessionem*, ut sit antithesis inter Christi statum sedentis ad dexteram Patris & expiantis in cruce peccata nostra. Nempe præcessit illud καθαρισμὸν ποιησάμενος. Tota igitur sententia huc redibit, *Christus consedit gloriosus ad dexteram Dei Patris*, *jam tandem præstantior Angelis factus*, *cùm antea in terris*, *opere redemptionis nondum peracto*, *Angelis esset factus ad tempus quodammodo inferior.* ¶ Κεκληρονόμηκεν ὄνομα] Quæritur qui *hereditasse*, h. e. jure hereditario consecutus esse, *nomen Filii* dicatur hîc Christus, cùm id nomen sit ei naturale. Quod ut expediatur, distinguenda est Res à Nomine: nam res naturâ potest inesse quæ nomen conveniens non continuò adipiscitur. *Nomen* enim hoc loco est quo res Hominibus & Angelis innotescit. Nam Deus nominibus non eget ad res cognoscendas: id imbecillitatis est humanæ. Jam verò quia Propheta verbis illis, *Filius meus es tu*; *Ego hodie genui te*, præconium edidit quo Christi præstantia, postquam jam resurrexit à mortuis & in cœlum ascendit, celebrata est, ideo dicitur non quidem Rem *jure hereditario adiisse*, sed Rei *nomen*, h. e. id quo res illa Angelis & hominibus innotuit. Christi nempe sessione ad dexteram Patris maximè patefactum est omnibusque clarè innotuit Christum esse verum Dei Filium.

6. Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ, &c.] Sunt qui primum Christi adventum potiùs quàm secundum his verbis denotari volunt: & qui sunt in ista sententia trajiciunt particulam πάλιν, acsi scriptum esset, Πάλιν δὲ, ὅταν εἰσαγάγῃ. Sed ista Trajectio usque adeò dura est ut careat exemplo. Trajectiones autem tum solummodo sunt admittendæ cùm sunt necessariæ: At nulla est hoc loco trajectionis illius necessitas. Fortè illud eos movit quod Angeli Christum natum adorarunt: Ego verò nullus dubito quin Angeli Christum semper adorent: at verò adstitisse Angelos Christo nato, & specie humanis sensibus obviâ Christum adorasse, ut Magi, hoc verò jam probari non potest ex Scriptura. Cecinerunt quidem illi hymnum Deo, atque ità sanè Christum adoraverint, sed hic de solenni quadam & Christo (ut ità dicam) appropriata adoratione agitur. Forsan & id eos traxit in hanc sententiam, quòd Christus hoc loco dicitur *introducendus in mundum*, atqui in secundo adventu judicabit de cœlis,

nec

nec descendet in terram. Sed hoc levissimum est: nam contrà dixerim, Christum, cùm primum nasceretur, non fuisse productum *εἰς τὴν οἰκουμένην*, quamvis tum ἦλθεν *εἰς τὸν κόσμον*. Nam *introduci in mundum* est Exhiberi spectandum tanquam in theatro *τῇ οἰκουμένῃ* id quod Christo statim nato non contigit, continget verò in secundo adventu, cùm veniet judicaturus vivos & mortuos. Quantò firmiora videntur ista? quòd *εἰσαγάγῃ* rem futuram significat, deinde verò etiam quòd jungitur cum *πάλιν*. Illud vero jam refelli nullo modo potest, quòd totus Psalmus unde locus hic desumptus est describit majestatem Christi regnantis, & in hostes quidem severè animadvertentis, suos autem magnificè & plenè liberantis: id quod ad Christi nativitatem, quæ abjecta & humilis fuit, referri non potest. ¶ *Πάντες ἄγγελοι Θεοῦ*] In Hebræo est אלהים *Dii*: atque illud DII videtur tam ad Gentium *Deos* quàm ad *Angelos* posse accommodari. Sed illud primò hoc loco observandum est, quòd LXX. Interpretes hanc ambiguitatem sustulerunt: nam nomen אלהים *Angelos* verterunt. Cùm igitur LXX. Interpretum autoritas apud Judæos summa esset, non erat verendum Apostolo nè Judæis videretur locum illum Scripturæ in alienum sensum detorsisse. Adde quòd hic adoratio præscribitur, & quidem ut cultus voluntarius: quod diis Gentium non convenit, qui plerique omnes figmenta fuerunt cerebri humani potiùs quàm personæ. Deinde vel raró vel nunquam nomen illud אלהים, cùm solum ponitur, adhibetur ad significanda *Gentium idola*; quin id fit semper cum adjectione aliqua, ut *dii Gentium*, *dii Moab*, &c. Tum etiam, cur potius Idola quam Idololatras hortaretur ad Deum adorandum? Atqui Idololatris imprecatur, eos verò haudquaquam hortatur ad hunc cultum Christo exhibendum: quod omnino fecisset si de honore quem nolentes volentes coguntur impii Deo habere, hoc loco ageretur, ac non multo potius de cultu voluntario, quem nec impii nec Dæmones exhibent Deo. Huc etiam illud accedit quòd Gentium dii hoc loco אלילים dicuntur: Atqui non est verisimile eos quos אלילים contemptim vocavit Spiritus S. statim magnifico nomine אלהים vocari, eo maximè loco ubi agitur de ignominia & dedecore quo Idololatræ afficiendi sunt. Videtur enim habere speciem aliquam excusationis si *Dii* potuerant videri quos coluerant. Adde quòd quibus verbis agit Spiritus S. de Idololatris & Idolis, verbum adhibet futuri temporis יבשו, at cum de adoratione facit mentionem, utitur imperativo השתחוו, cujus mutationis nulla potior ratio reddi potest quàm quòd illic de eventu, hic de officio agatur. Nec illud prætermittendum est, quòd toto Psalmo describitur gratulatio quædam omnium creaturarum, Cœli, Terræ, Hominum, quidni etiam & Angelorum? soli excipiuntur ex hoc numero Idololatræ, nempe quorum extremo interitu Christus regnaturus est.

9. *Διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε*, &c.) Subjectum hujus unctionis persona est Mediatoris, *unctio* verò constitutio hujus personæ in officio Mediatoris: Quæ iterum duobus modis potest intelligi, vel ut *unctio* significet realem (ut ità loquar) Constitutionem, vel hujus realis constitutionis publicam & solemnem Declarationem. Hinc facile est intelligere quid significet *διὰ τοῦτο*. Nam si *ἔχρισε* accipiatur de reali constitutione in munere Mediatorio, certum est *διὰ τοῦτο* Convenientiam notare: Solus nempe is inventus est dignus tanto munere ob personæ secundum utramque naturam spectatæ sanctitatem. Quòd si nomine *unctionis* intelligamus solemnem declarationem istius unctionis, quæ tum demum facta est cum Christus consedit ad dexteram Patris, (id quod Petrus significantissimè expressit his verbis, *τοῦτον ἐποίησεν ὁ Θεὸς Χριστὸν καὶ Κύριον*, Act. 2. 36. quid enim aliud est *ἐποίησε Χριστὸν* quàm *ἔχρισε*; cum tamen non tum demum Dominus noster *Christus & Dominus factus sit*, verum multò antè; sed quia tunc demum Christus ingressus est in gloriam suam, perinde loquitur Petrus ac si tum demum Filius Dei *Christus ac Dominus fuisset factus*.) hoc, inquam, si intelligatur *unctionis* voce, *διὰ τοῦτο* Convenientiam pariter significabit: Æquum enim fuit & verò justum ut qui obeundi muneris sui causâ tot mala tamque indigna perpessus est, is summam gloriam adipisceretur. Et quidem convenientia justitiæ hic intelligi debet, secundùm quam justitiæ conveniens est ut qui Legem servavit idem sit beatus, scilicet ut bonum Physicum sequatur bonum Ethicum. ¶ *Παρὰ τοὺς μετόχους σου*] In Christo licet considerare Personam & Officium; in Persona duas naturas, Humanam & Divinam. Ac quod ad officium quidem attinet Christus nullos habet *μετόχους*· solus est Mediator. Quod verò ad Personam attinet, nè hactenus quidem sunt vel in cœlo vel in terra qui se Christi *μετόχους* esse ausint gloriari. Sed cum in Persona sit natura Divina & Humana, creata & increata, juxta naturam humanam Christus *μετόχους* habet omnes omnino homines. Deinde verò quia natura humana in Christo condita est ad Dei imaginem, & hactenus item *μετόχους* habet omnes fideles; quos ideo pro *fratribus* agnoscit ipse *primogenitus inter multos fratres*.

11. *Αὐτοὶ ἀπολοῦνται*] Sunt qui existimant hoc Universum ità interiturum ut eò omnia recidant unde orta sunt, i. e. in nihilum; atque eò urgent vocem hanc *ἀπολοῦνται*. Sed hæc sententia cum S. Scriptura ex diametro pugnat, etiam cum analogia fidei pugnare videtur. Et cum Scriptura quidem: Nam Apostolus ad Rom. 8. non jam ambiguè & obscurè sed disertissimis verbis, quæ nullo interpretamento obscurari & depravari possunt, docet mundum, quem *creaturam* vocat v. 20, 21, 22. innovatum iri, utpote qui & ipse particeps futurus sit *gloriæ filiorum Dei*. Atqui quod in nihilum redigitur perit quidem funditus, non innovatur; & quod omnino non est ullo decore exornari potest. Cum analogia fidei verò pugnare hanc sententiam vel hinc liquet, quòd quibus argumentis ea nititur, iisdem argumentis evertitur dogma de Resurrectione mortuorum. Deinde quid fidei convenientius est quàm ut existimemus gloriam filiorum Dei longè maximam fore? Atqui ea non est futura longè maxima nisi non modò in ipsis verùm etiam in creatura extet hujus gloriæ quædam imago, ad eundem scilicet modum quomodo in hac vita non modò in semetipsis verùm etiam in hac mundi machina vident argumenta miseriæ in quam delapsi sunt. Ergò hic *interitus cœlorum* nihil aliud est quàm cœlorum mutatio, quæ qualis sit futura non est sobriæ & piæ mentis vel anxiè quærere vel temere definire. Illud tenendum est arctè, Mutationem hanc non fore in deteriorem sed in meliorem statum.

JACOBI

JACOBI CAPPELLI OBSERVATIONES In Epistolam ad HEBRÆOS:

In quibus, per analysim & doctrinam, expenditur etiam Vulgata versio, & cum aliis versionibus confertur.

Illustrissimo Domino,

GUIDONI ALDONCEO DUREFORTIO, Comiti DURAZZI, LORGII, &c.

Video civitatem nostram, Illustrissime Comes, concursantem, occursantem tuæ Celsitudini, ac tantùm non prehensantem pallio; ut testetur quisque lætitiam quam concepit ex conjugio quod nuper, III. Kalend. Martias, felicissimè consummatum est inter C. T. & τοῦ μακαρίτου Illustrissimi Principis Henrici Turræi filiam Elisabetham Turræam. Et mihi quidem quid gratius esset quàm si possem præsens vobis præsentibus gratulari, & mei erga C. T. officii testimonium perhibere? Sed quintus jam hic agitur mensis ex quo domi conclusum detinet me non febris ardens sed languor exedens, ac ità vires meas exhauriens, ut sæpe visus sim mortuo quàm viventi similior. O si tum Domino placuisset dimittere servum suum in pace, cùm & amici de me desperarent, & ego nihil amplius spirarem præter cœlestia! Sed quandoquidem aliter Deo visum, fiat voluntas Domini. Sed & faxit Deus pro sua misericordia ut, quotquot menses annosve diebus meis adjecturus est, eos impendam, non mihi, sed Dei gloriæ, sed Ecclesiæ, sed clementissimis meis Dominis, quibus nuper ἐπιγαμίας vinculo consociatus es. Quanquam ergò neque publicis muneribus adhuc satisfacere possim, nec præsens testari meam erga T. C. observantiam, num propterea plane mutus ero, ἀσύμβολος, expers officii? Quin potius libellus hic vices meas geret, ac testabitur quàm impense Deum orem ut connubio tuo quàm cumulatissime benedicat. Spondet id exquisita morum ac voluntatum inter vos consensio. *Ea demum* enim *est vera amicitia, idem velle, idem nolle.* Sed eò firmiora sunt amoris vestri vincula quod fundamentum habent in Christo, cujus cognitionem, cujus amorem imbibistis ambo, sincero pietatis lacte ab ipsis, quod ajunt, teneris unguiculis innutriti. Jam si majores vestros spectem, tam multa virtutis exempla C. T. circumstant ut nullum sit laudis genus cujus domesticum aliquod exemplum non habeat C. T. quo fiat ad officium incitatior. Omnia quoque fausta nobis spondent mores tui tam inculpati, tam à vitiis alieni, tam addicti rebus bonis ac honestis, ut nè calumnia quidem habeat quod in moribus tuis ausit arrodere. Sed æquum non est ut tuas Majorumve tuorum laudes culpâ deteram ingenii. Aliud à me postulat meus hic libellus, aliud etiam exspectat à me pietas tua. Ad rem igitur ut veniam, instituti mei rationem paucis Celsitudini tuæ reddere non dubitabo, idque tantò magis quòd eam videmus impensè favere tum in genere bonis literis, tum imprimis Academiæ Scholæque nostræ. Cùm igitur à Collegis meis fratribus Reverendis rogatus fuissem ut Epistolam ad Hebræos publicis lectionibus interpretandam susciperem, sensi non leve onus mihi imponi, tantò magis quod ad eam rem nihil antehac præparatum habebam. Decrevi tamen illorum sive precibus sive consiliis ità parêre ut ab Academiæ nostræ more non discederem. Solent autem hic Professores Theologiæ Theses Theologicas alternis conscribere, quas publicè disputandas proponant. In eum usum destinavi primùm selectas aliquot ex meis prælectionibus observationes in Epistolam ad Hebræos. Sed cùm auditoribus meis nimis brevis videretur hæc anthologia ut votis eorum satisfacerem, deinceps magnam lectionum mearum partem in formam Thesium digere mihi necesse fuit. Adeoque difficultas & præstantia rerum in hac Epistola comprehensarum paulatim induxit me ad fusiùs enarranda posteriora quàm priora capita. Hæc inæqualitas si cuiquam displicet, is excusabit hominem eo perductum per occasionem & aliorum hortatu potiùs quàm suopte motu certove consilio. Rem ipsam quod attinet, fateor hic me totas ingenioli mei vires intendisse ut pro virili difficultates occurrentes exhaurirem: in quo si non semper voto conatuique respondit successus,

cessus, fidem tamen ac diligentiam nostram æqui bonique consulent pii lectores. Iis ego vicissim omnia fausta comprecor in Domino. Hanc æquitatem imprimis à T. C. humanitate spero, ut quæ nos multis benevolentiæ suæ testimoniis cohonestare non sit dedignata. Huic favori quid rependam nihil habeo præter ardentissimas ad Deum preces, ut tum C. T. tum totam tuam Illustrissimam familiam ac parentelam, imprimis autem eam quam nuper tibi cooptasti, novis in dies benedictionibus cumulare dignetur, ac eam incolumem Ecclesiæ bono quàm diutissime conservare.

T. C. Observantissimus

J. CAPPELLUS.

Nomina candidatorum S. Theologiæ, qui nostras in Epistolam ad Hebræos Observationes in Thesium formam digestas publicè disputandas susceperunt.

In CAP.	*Anno Domini* 1621.
I. & II.	Gedeon Chero Houdanensis. April. XXVI.
III.	Johannes Ramet Sedanensis. Junii VII.
IV.	Jacobus Girom Parisiensis. Julii V.
V.	Johannes Petitius Genabensis. Augusti IX.
VI.	Stephanus Chamaillartius Castilionensis. Novemb. VII.
VII. 1.	Johannes Mettayerius Domno-Martinensis. Decemb. X.
	Anno Domini 1622.
VII. 14.	Benjamin Tricotel Bellovacus. Feb. XI.
VIII.	Antonius Clemens Middelburgo-Zelandus. April. IV.
IX. 1.	Petrus Molineus Parisiensis. Maji. V.
IX. 13.	Petrus Ganthois Sedanensis. Junii XIII.
X. 1.	Ludovicus Heraldus Sedanensis. Julii XI.
X. 15.	Jacobus Micheli Genevensis. Aug. VIII.
X. 30.	Andreas Pelloquinus Blæsensis. Octob. XVII.
XI. 1.	Georgius Cragius Scotus. Novemb. XXI.
	Anno Domini 1623.
XI. 9.	Daniel Sauvagius Sedanensis. Jan. XXIII.
XI. 20.	Johannes Ramet Sedanensis. Febr. XVII.
XII. 1.	Petrus Molineus Parisiensis. Apr. V.
XII. 18.	Ludovicus Heraldus Sedanensis. Maji XXII.
XIII.	Stephanus Vacherius Rupellanus. Julii X.

JAC. CAPPELLUS.

ANtequam hujus Epistolæ penetralia introspiciamus, prius velut in vestibulo dispiciendum, 1. Quis eam scripserit, 2. Ad quos, 3. Quâ linguâ.

I. Authorem ejus primarium esse Spiritum S. non est quòd dubitemus: Secundarium esse Paulum affirmantibus optimis quibusque scriptoribus non est cur fidem abrogemus. Illud mirum, qui factum ut, cum à Paulo Romæ scripta sit, Roma propemodum ultima eam in canonem admiserit. Causæ videntur fuisse; 1. Quod ejus exemplar nullum à Paulo Romæ relictum sit antequam in Orientem mitteretur. 2. Quòd Judæis scripta, videri potuit Christianis minus necessaria. 3. Quòd cum in ea essent δυσνόητά τινα, *quæ malè firmi homines ad exitium suum pervertebant*, visum est quibusdam consultius futurum si cum reliquis Paulinis Epistolis publicè non legeretur. Quæcunque tandem causa moverit quosdam ad hanc Epistolam excludendam à canone, ea certè nec justa fuit nec idonea, & consequenter non leviter erratunt quotquot culpam hanc admiserunt. In eo versatæ sunt errore permultos annos duæ Dioeceses Imperii Romani, Romana videlicet & Carthaginensis, vel, si cuipiam id nimium videtur, duæ civitates, Roma scilicet & Carthago. Et Romæ quidem eam agnoscebat Clemens, defunctus A. D. LXXVI. ut testatur Euseb. Hist. lib. 3. cap. 37. Tertullianus Presbyter Carthaginensis, A. D. CCXVI. De pudicitia scribens adversùs Zepherinum & clerum Romanum, *Volo tamen*, inquit, *ex redundantia alicujus etiam comitis Apostolorum testimonium superducere idoneum confirmandi de proximo jure disciplinam magistrorum. Exstat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos.* Citat autem aliquot versus ex Hebr. 6. petitos, quos cùm putasset Zepherino cleroque Romano plurimùm adversari, multò maluisset eos ut canonicos & Paulinos quam ut Barnabanos & ordinis secundarii citare, si vidisset Romam aut Carthaginem hanc Epistolam habere ut Paulinam aut ut canonicam. Romæ sub eodem Zepherino scribens Gajus adversùs Montanistas, tredecim tantùm Epistolas Paulo tribuit, eam ad Hebræos non adnumerans, ut testatur Eusebius lib. 6. cap. 21. & Hieronymus De scriptoribus Ecclesiasticis. Post A. D. CCL. Cyprianus De martyrio cap. 11. septenarium numerum commendans, *Apostolus*, inquit, *Paulus*, *qui hujus legitimi numeri & certi meminit*, *ad septem Ecclesias scribit*, ad Romanos scilicet, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses; eam videlicet ad Hebræos non adnumerans: quod & patet ex eo quòd, cùm etiam ex apocryphis multa mutuetur, tamen hujus Epistolæ testimonio nunquam, quod quidem animadvertere potuerim, utatur. Cùm autem à clero Romano leviter dissenserit Cyprianus, nusquam ab eo dissentit super judicio quod de hac Epistola fieri debebat. Post A. D. CCCXXV. Eusebius lib. 6. cap. 21. καὶ εἰς δεῦρο παρὰ Ῥωμαίων τισὶν οὐ νομίζεται τοῦ Ἀποστόλου τυγχάνειν, *Nunc quoque quibusdam Romanis non creditur esse Pauli*; videlicet eo modo quo 1 Cor. 10. 7, 8, 9, 10. vox τινὲς *quidam* usurpatur pro *plerisque*. Hinc est quòd Hieronymus in GAJO, locum hunc Eusebii describens, vocem hanc *quibusdam* omisit. Hieronymus Romæ diu nutritus, Orientem petiit post A. D. CCCLXXII. Romam rediit A. D. CCCLXXX. Ultimum vale Romæ dixit A. D. CCCLXXXV. Is ad Dardanum epist. 129. *Latinorum*, inquit, *consuetudo non recipit eam inter Scripturas canonicas.* Et in Esa. 6. *Paulus in Epistola ad Hebræos*, *quam Latina consuetudo non recipit.* Sic ad Euagrium tom. 4. ep. 22. *De Melchisedeke plenius est tractatum in Epistola ad Hebræos*, *quam omnes Græci recipiunt*, *& nonnulli Latinorum.* Idem ad Dardanum tom. 4. ep 25.

Non

Non solùm ab Ecclesiis Orientis sed ab omnibus retro Græci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipitur, licet plerique eam vel Barnabæ vel Clementis arbitrentur: & nihil interest cujus sit, cum Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Johannis eâdem libertate suscipiunt, & tamen nos utramque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem sed veterum scriptorum autoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent, quippe qui & Gentilium literarum raro (addenda videtur particula *non*) *utantur exemplis, sed quasi canonicis & ecclesiasticis.* Hæc certè non dicit ex Eusebii mente sed ex sua, ut qui non posset ignorare quænam esset *Latinorum*, h. e. Latii, in quo tamdiu versatus fuerat, *consuetudo*. Hæc Baronio displicent, A. D. LX. Sed nullius scriptoris testimonio potuit ea falsi convincere, qui quidem post Clementem Romæ scripserit antequam Romà discederet Hieronymus An. D. CCCLXXXV. At Bellarminus tantum abest ut falsi damnet Hieronymi de Romano clero testimonium, ut id potius confirmet, De verbo Dei lib. 1. c. 17. *Recepta fuit Epistola ad Hebræos etiam ab omnibus Latinis post Lactantium.* At quis post Lactantium Romæ scripsit ante An. D. CCCLXXXV. præter Hieronymum? Pergit Bellarminus, *Soli Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius hanc Epistolam non videntur agnoscere: nec enim unquam eam citant, quod sciam. At Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus Rufinus, & alii deinceps omnes eam ut Paulinam agnoscunt, & frequentissimè citant.* Augustinus id didicerat in Mediolanensi potius quàm in Romana diœcesi. Utut sit, scripsit post An. D. CCCLXXXV. post quem fateor tam Romæ quàm Carthagine, tam in Latio quàm in Africa redditum huic Epistolæ debitum honorem. At id à quoquam Romæ vel Carthagine factum post An. D. LXXVI, ante An. D. CCCLXXXV. non puto demonstrari posse ex ullo genuino locorum illorum per quatuor priora secula scriptore. In reliquis autem etiam Occidentis diœcesibus, etiam ante An. D. CCCLXXXV. receptam hanc Epistolam ut canonicam, colligere possumus ex iis ipsis quos laudat Bellarminus. Hieronymus enim erat Dalmata, Rufinus Aquileiensis, Hilarius Pictaviensis, Ambrosius Mediolanensis. Ità videmus quatuor Occidentis diœceses, quarum scriptores etiam ante An. D. CCCLXXXV. Epistolam hanc ut Paulinam, ut canonicam celebrabant. Hinc colligere possumus, 1. e. Falsò jactari nescio quem Nicænæ Synodi canonem super librorum canonicorum numero. Quis enim Romæ fuisset ausus huic obniti decreto? 2. Romam erroris nunquam immunem fuisse. Tum demum enim suum hunc errorem deposuit, cum aliis multis, iisque deterrimis, valvas aperire cœpit. 3. Romam nunquam fuisse canonem Ecclesiarum. Sed si quas Ecclesias ab errore revocavit exemplo suo, etiam ipsam tum Ecclesiæ reliquæ suo vicissim exemplo revocarunt ab errore. Sic, ut alias controversias non attingamus, cum quædam (ut testatur Eusebius Hist. lib. 3. cap. 3.) Ecclesiæ non admisissent in canonem secundam Petri Epistolam, postea tam Carthaginensis & Romanæ quàm reliquarum Ecclesiarum consensu permotæ sunt ad restituendum illi suum honorem. Enimvero sic decuit *spiritus Prophetarum Prophetis subjici*, ut jubemur 1 Cor. 14. 32. Romam imprimis & Carthaginem decebat ut secundam Petri sic & Epistolam ad Hebræos in canonem admittere, cum huic illa testimonium perhibeat. Scribit enim Petrus secundam Epistolam iisdem quibus & primam, nempe Judæis *dispersis*, h. e. ubique degentibus, tam Hellenistis quàm Hebraizantibus, ut cui Judæorum potissimùm cura demandata esset, Gal 2. 7. Sic igitur legimus 2 Pet. 3. 15, 16. *Sicut & dilectus frater noster Paulus pro data sibi sapientia scripsit vobis, ὡς καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς, quemadmodum & in omnibus epistolis loquens in iis*, scilicet in omnibus, *de istis*, de quibus ad vos scripsi. Hic perspicuè distinguit Petrus reliquas Paulinas Epistolas ab ea quam scripsit Paulus iisdem quibus & Petrus scribebat, ità tamen hanc à reliquis distinguens ut omnes commendet, utpote cœlestis sapientiæ plenas. Sed & ultimi capitis explicatio characteres aliquos indicabit, v. 18, & seqq. qui doceant hanc Epistolam à Paulo Romæ scriptam. Quam autem quidam obtendunt styli diversitatem, non est quòd ea nos moveat. Cùm enim ad Hebræos scribat Paulus, nihil mirum si frequentiores quam in reliquis Epistolis Hebraismos usurpet. Hinc autem nascitur præcipua styli diversitas, quæ certè non potest esse idonea causa ut dicas hanc Epistolam non esse Pauli, vel eam Petri non esse quæ vocatur Secunda Petri. Hactenus de Epistolæ hujus auctore. Summam ejus ut paucis indicem; Ejus quidem duo posteriora capita versantur in genere ἠθετικῷ, antecedentia verò potissimum in genere didascalico. Cum autem Theologia dicatur à Θεὸς & λόγος, θεολογικωτάτη omnino est hæc ad Hebræos Epistola, ut quæ luculenter enarret τὸν Λόγον Θεοῦ & Λόγον τὸν Θεὸν, & quidem statim in ipso limine, quasi summam totius suæ dissertationis primo versiculo est complexus.

II. Hactenus, à quo; Sequitur ut videamus ad quos scripta sit hæc Epistola. Utrumque Paulus in contextu suarum Epistolarum solet exprimere: neutrum hic exprimit in textu, sed tantùm in titulo, cui, si non suum, eorum certè ad quos scribebat, nomen apposuit. Est enim titulus hic non nuper confictus, sed ab ipso Paulo præfixus, cùm appareat non tantùm in Græcis cod. sed etiam in versionibus omnibus tam Orientalium quàm Occidentalium Ecclesiarum. Nec aliter citatur à Patribus. At quinam, inquies, sunt HEBRÆI? Ea vox hodie potest latiùs patere quàm Pauli tempore. Nam hodie nulli comparent Judæi qui non dici possint *Hebræi*. Tum verò Judæorum erant duæ classes: Alii dicebantur *Hellenistæ*, alii dicebantur *Hebræi*. Et ii quidem qui cis Hierosolymorum aut Tyri meridianum habitabant, *Hellenistæ* dici poterant duas ob causas; 1. quòd omnes aut plerique Græcè loquerentur, 2. quòd in eorum Synagogis Biblia Græcè legerentur. Qui verò vel Hierosolymis vel ultrà versùs Orientem habitabant, *Hebræi* vel *Hebraizantes* dicebantur: 1. quòd eorum lingua cum Græcà Romanâve comparata dici poterat *Hebræa*, 2. quòd in eorum Synagogis Biblia legerentur Hebraice. Qui volunt hanc epistolam Hebraicè scriptam, hos decepit titulus. Cùm enim ad Hebræos scribebatur, Hebraicè quoque scribi debuisse sunt opinati. Sed meminisse debuerant etiam Hierosolymis magnum fuisse linguæ Græcæ usum: Cis Hierosolyma paucissimi Judæi aliter quàm Græcè loquebantur. Scribebat autem Paulus Judæis sub Imperio Romano viventibus. Cùm ii propemodum omnes Græcè loquerentur, etiam ipse Græcè loqui debuit. Et id clamat ipse stylus Hebraismis quidem scatens, sed ità tamen ut attentus lector satis agnoscat Epistolam Græcè primum scriptam. Cum igitur Græciensibus potius quàm Hebraizantibus Judæis accommodet sese, cur eos vocat *Hebræos*? 1. Quia Judæorum omnium principes erant Hierosolymitani. 2. Quia fuerat ab Hierosolymitanis accusatus, in vincula conjectus, judici traditus. Cum illis potissimum Paulo res erat: Illi verò gaudebant hoc elogio. Hæc est causa cur iis gratificans, eos *Hebræos* nuncuparit, utque doceret se nec Græcis nec Græciensibus Judæis ità favere, quin etiam Hebraizantes Judæos magni faceret & amaret.

III. *Quanam linguâ primum scripti sint libri Canonici.* Totum Vetus Instrumentum Hebraicè primum Dei jussu scriptum, constat inter Judæos, si paucula quædam excipias Chaldaica Jeremiæ, Danielis & Esdræ libris adspersa. Videlicet ante Jeremiam Prophetam, ante Manassem Regem Hebraica lingua Judæis erat vernacula, eaque sola, ut colligi potest ex Esa. 36. 11. Ex quo verò Manasses, deinde Joakim, Jechonias & Sedekias in Babyloniam abducti sunt, linguæ Babyloniorum cœpit esse magnus inter Judæos usus; sed ita ut etiam Hebraica retineretur adhuc à multis donec paulatim, idque post Alexandri Magni tempora, desiit Judæis esse vernaculus purus Hebraismus. Quia tamen in Synagogis perseverabat ejus usus, etiam ejus notitia conservabatur à plerisque, si non exquisita, saltem rudis. Novi verò Testamenti si non omnes saltem plerasque partes Græcè primum scriptas fatentur omnes eruditè pii. Videlicet quia prædicabatur Euangelium, non in sola Judæa, sed Imperio Romano toto, adeoque multis in locis extra Rom. Imperium sitis, procul ab Imperio Romano dissitis; ideo scripserunt Apostoli libros canonicos eà linguà quæ tum erat communissima. Duo tamen sunt N. Testamenti libri quos multi contendunt Hebraicè primum scriptos, dein à nescio quo donatos linguà Græcà. Ii libri sunt Euangelium Matthæi & Epistola Pauli ad Hebræos. Et Matthæum quidem Hebraicè scripsisse dixerunt Irenæus, Hieronymus, Athanasius in Synopsi, Epiphanius hær. 29. Nicephorus, & alii multi, quorum consensui fidem derogare videtur esse temerarium & insolens. Sed cum in ejusmodi rebus sæpenumero contingat ut alter alterius vestigia sequatur & dicta referat ἀβασανίστως, pios lectores rogatos velim ut patiantur me cum bona Patrum à me commemoratorum venia expendere quàm solidum sit fundamentum quo nititur hæc opinio sane pervetusta & pervulgata. Certum est Nazaræos hæreticos usos Euangelio quodam Hebraico, quod ipsi dicebant à Matthæo scriptum. Sed an erat hæreticis in re tanti momenti fides adhibenda, nullo præeunte examine? An non prius erat, & quidem à multis, idque quàm accuratissimè fieri poterat, instituenda collatio inter editionem Hebraicam & Græcam, ut ex hac collatione constaret utra fontis rationem haberet editio? Hieronymus Adv. Pelag. dialogo 3. *In Euangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque sermone sed Hebraicis literis scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazareni, secundum Apostolos,*

stolos, sive, ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod & in Cæsariensi habetur bibliotheca, narrat historia, ECCE MATER DOMINI ET FRATRES EJUS DICEBANT EI, JOHANNES BAPTISTA BAPTISAT IN REMISSIONEM PECCATORUM; EAMUS ET BAPTISEMUR AB EO. DIXIT AUTEM EIS, QUID PECCAVI, UT VADAM ET BAPTISER AB EO? NISI FORTE HOC IPSUM IGNORANTIA EST. His verbis Nazaræorum Euangelistes inducit Christum accusantem se ignorantiæ, & quidem vitiosæ: unde perspicuum est hunc esse Pseudoeuangelistam, & Matthæo perperam affictum hoc scriptum: nisi forte fuit versio quædam hæc Euangelii secundum Matthæum ab hæreticis quibusdam interpolata, quam Nazaræi vel putabant vel fingebant esse purum putum αὐτόγραφον Matthæi. Hieronymus ad Damasum epist. 41. tom. 4. rogatus quid Matthæi 21. 9. significet OSANNA IN EXCELSIS, *Matthæus,* inquit, *qui Euangelium Hebræo sermone conscripsit, ità posuit,* אושענא ברמה, OSANNA BERAMA, *id est, Osanna in excelsis,* &c. Ex his verbis apparet Hieronymum habuisse præ manibus Hebraicum illud exemplar quod Matthæo tribuebatur. Sed indidem non obscure colligi potest exemplar illud Matthæo perperàm affictum ab homine qui non erat admodum peritus Hebraicæ linguæ: siquidem Hebraismus postulat ut τὸ, ἐν ὑψίστοις, *in excelsis,* vertatur במרומים, non autem, ברמה. Idem De scriptoribus Ecclesiasticis in MATTHÆO, *Ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Beræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum quòd ubicunque Euangelista Veteris Scripturæ testimoniis utitur, non sequatur LXX. translatorum autoritatem, sed Hebraicam.* Bene quidem illud: sed id pertinere potest ad laudem Interpretis, non ad probandum exemplar illud fuisse potiùs authenticum Matthæi quàm versionem è Græco factam. Ibidem in PANTÆNO testatur Euangelium secundùm Matthæum *Hebraicis literis scriptum* in India repertum à Pantæno & Alexandriam advectum; sed non ait id à se visum, nedum cum eo collatum quod habebat penès se. Si Hebraicum Euangelium Nazaræorum esset authenticum Matthæi, Græcum esset multis nominibus vitiosum. Erant enim in Hebr. multa quæ non habentur in Græco, ut illud, Hieronymo teste, in Esa. 40. *Descendet super eum omnis fons Spiritûs sancti:* & illud, *Factum est autem, cùm ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Spiritûs sancti, & requievit super eum, & dixit illi, Fili mi, in omnibus Prophetis exspectabam te ut venires, & requiescerem in te. Tu enim es requies mea, tu es Filius meus primogenitus qui regnas in sempiternum.* Hæc sufficiunt ad docendum quàm falsò gloriati sunt Nazaræi suum exemplar Hebraicum esse primarium & authenticum exemplar Matthæi. Non erat ille fons illimis, sed rivus impurus, impurior Hebræo qui circumfertur hodie. Neutrum, inquies, est authenticum, sed fuit tertium aliquod Hebræum utroque purius. At tertium illud quis legit? quis vidit? Cur tibi fingis tragelaphos, quos colas, quos propugnes, cùm hæc propugnatio nemini sit usui, & omnibus Ecclesiis sit dedecori? Qui potest enim illis honorificum esse quòd fingis Ecclesiis à Deo commissos thesauros, quos tamen nulla servaverit, nulla ullo habuerit in pretio? Epistolam ad Hebræos quod attinet, primus, ni fallor, Clemens Alexandrinus apud Eusebium Hist. lib. 6. cap. 14. vel 11. scripsit eam γεγράφθαι Ἑβραίοις Ἑβραϊκῇ φωνῇ. Nempe quia *scribitur Hebræis,* indè colligit *Hebraicè scriptam,* nullâ necessitate. Autoris antiquitas illi fidem conciliavit apud multos, cùm tamen exstet, quod sciam, nemo qui testetur exemplar Hebræum à se visum, nedum sedulò lectum, & cùm Græco diligenter collatum, ut indè colligeret utra fontis rationem haberet editio. Nostro seculo Judæus aliquis Cano persuasit exemplar illud apud Carpentoractenses exstare. Sed cum nemo testetur id à se visum, quis non videat Cano verba data? Jampridem nimis verum est illud Juvenalis,

Qualiacunque voles Judæi somnia vendent.

Ibidem Clemens ait Epistolam ad Hebræos à Luca donatam Græcâ linguâ, idque ex styli similitudine colligi posse. Contra, vel hinc colligas Clementem conjecturis agere, iisque futilissimis, cum hujus Epistolæ stylus stylo Lucæ sit dissimillimus. Id subolfaciens Eusebius Hist. l. 3. c. 32. vel 37. vult eam Hebraicè quidem scriptam, sed à Clemente Romano potius quam à Luca versam. At nè id quidem verum esse liquidò constat. Nam si Clemens Romanus esset autor illius editionis quâ propemodum omnes utebantur Ecclesiæ, certè Roma non fuisset passa trecentos & amplius post Clementis mortem annos effluere antequam Epistolam illam ut Paulinam, ut Canonicam, Ecclesiis commendaret. Hic Fr. Ribera, doctus alioqui Jesuita, *Si Hebraicè scripta non est quia exemplar Hebraicum non exstat, ergo nec Tobiæ liber nec Judith Chaldaicè scripti sunt, nec liber Ecclesiastici nec primus Maccabæorum Hebraicè, quos tamen his linguis legit Hieronymus.* Vide, Ribera, quam dissimilia componas. 1. Primum libri quos memoras Canonici non sunt, teste non tantum totâ gente Judaicâ, sed & Hieronymo, & sanctissimis quibusque Patribus ac Conciliis. Quamobrem horum intercidisse fontes primarios non est mirum. At si Deus Paulum & Matthæum Hebraicè scribere jussisset, non passus fuisset sanctos illos fontes ubique exarescere. 2. Quos memoras libros legit Hieronymus, Epistolam ad Hebræos Hebraicè scriptam quis à se lectam profitetur? 3. Exstat hodieque Tobias tam Hebraice quam Chaldaice; exstat & Matthæus Hebraicus, sed ita ut cuivis cordato facile constet editiones illas esse versiones, eoque rivulos, non fontes ipsos. 4. Siracides ipse testatur suum laborem nil nisi versionem esse, &, utut id tacuisset, id satis doceret ipsa libri lectio. At quid habes in hac Epistola, quid in Matthæo, unde colligere possis hos esse rivulos, non fontes! Contrà, quàm multa sunt in utroque opere quæ testantur Græcam editionem esse fontem, non rivum? Argumentum quod Cardinalis Cajetanus petit ex Heb. 7. 2. licèt quidam ex tuis ut futile sugillaverit, tu tamen agnoscis tandem id esse magni momenti; agnoscis, inquam, interpretationes illas non Interpretis esse, sed ipsius Pauli: quod certè verissimum est. Quid igitur respondes? *Nomen,* inquis, *viri est* מלכי צדק. *Rex autem justitiæ est* מלך צדק. Esto: sed alterum altero obscurius non est, nec ullus Hebræus tam pueriliter scripserit ut in re tam clara interpretationem hujusmodi adhibeat. Omnino qui verum amat & attentè locum hunc considerabit, agnoscet orationem hanc hominis esse Græcè non Hebraicè scribentis. Præterea, ut in aliis Epistolis Paulinis, sic etiam in hac παρονομασίας habemus aliquot, ut Heb. 5. 8. & 11. 37. quod indicat, ut illas, sic etiam hanc Græcè primùm scriptam. Vide quæ notamus in Heb. 11. 37. Jam si Paulus, si Matthæus Hebraicè scripsissent, Interpretes illorum non tam frequenter loco ab illis citata verbis LXX. viralis versionis expressissent, nec toties apud Matthæum occurrerent vocabulorum Hebraicorum interpretationes. Sic ex Heb. 9. 16, 17. liquidò constat, non quidem invalidas esse rationes hujus Epistolæ, ut perquam iniquè collegit Cajetanus, sed eam à Paulo Græcè scriptam. Denique, si Matthæus Hebraicè scripsisset, an una Cæsariensis Ecclesia curasset habere illud exemplar quod dicebatur esse Matthæi? an omnes reliquæ thesaurum illum fuissent aspernatæ? In Paulum verò potuissetne tam contumax esse Christianorum omnium conjuratio ut nè unus quidem legeretur authenticum illius exemplar inquisivisse, conservasse? Quantò satius, quantò sanctius est credere, Patres aliquot falso rumori vel opinioni ficulneo fundamento subnixæ nimium tribuisse, quàm tot Ecclesias onerare probro certè non levi? Ità nihil video quod obstet quò minùs dicemus totum Vetus Instrumentum Hebraicè, totum Novum Græcè primùm Dei jussu conscriptum.

1. Πολυμερῶς] Videtur hæc vox non tantùm significare *multis vicibus,* sed & *multis partibus:* ut sciamus, Euangelicæ doctrinæ veluti particulas tantùm aliquas, olim primò pauciores, dein pro serie temporis aliquantò plures, ὑπαινικτικῶς indicatas, prout innuit Esaias 28. 10. donec totum corpus illius doctrinæ plenius & planius ab ipso Christo traderetur, ut ab illo simul & promissionum Patribus factarum complementum & Euangelicæ doctrinæ plenitudinem acciperemus. Quò pertinet illud Heb. 11. ult. *non acceperunt promissionem,* hoc est, exhibitionem Christi promissi, plenamque promissionis Euangelicæ revelationem, quòd *Deus de nobis melius quiddam providerat, nè sine nobis consecrarentur,* aut *perficerentur.*

3. *Qui cùm splendor gloriæ,* ἀπαύγασμα τῆς δόξης] i. e. Ἔνδοξον, h. e. cùm sit gloriosus splendor emanans à Patre, vel irradiatio gloriæ Paternæ. Plutarchus De profectu virtutis dicit *placidos tranquillosque somnos esse* προκοπῆς ἀπαυγασμάς τινας, *quasi quasdam irradiationes profectûs in virtute.* ¶ *Et character hypostaseos ejus*] Vet. Interp. Hieronymo vetustior vocem ὑποστάσεως vertit *substantiæ:* unde factum ut aliqui Deo tribuerent *tres substantias.* Hieronymus contrà, cum videret ὑπόστασιν reddi *substantiam,* & malè tribui Deo *tres substantias,* nè *hypostases* quidem *tres* dicere audebat, utut id auctoritate Concilii Alexandrini A. D. CCCLXII. habiti postularent Orientales ab Hieronymo circa An. D. CCCLXXVIII. Quin & multis post An. D. CCCLXXVIII. annis dubitanter adhuc ea de re scribebat Augustinus De Trinit. lib. 7. cap. 5. *Hoc est Deo* ESSE *quod* SUBSISTERE, *& ideo si una* ESSENTIA *Trinitas, una etiam* SUBSTANTIA. *Fortassis igitur commodiùs dicuntur tres* PERSONÆ

quàm

quàm tres SUBSTANTIÆ. Et lib. 5. cap. 8. ESSENTIAM *dico quæ οὐσία Græce dicitur, quam usitatiùs* SUBSTANTIAM *vocamus. Dicunt quidem & illi* HYPOSTASIM: *sed nescio quid volunt interesse inter* USIAM *&* HYPOSTASIM: *ita ut plerique nostrûm, qui hoc Græco tractant eloquio, dicere consueverint μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, quod est Latinè* UNAM ESSENTIAM, TRES SUBSTANTIAS. Ità videlicet vertendum putabat Augustinus, quia videbat Interpretem quo solebat uti vocem HYPOSTASIM hoc loco vertisse *substantiam*: adeò multis erroribus aliquando januam aperit vel unus error Interpretis. Pergit Augustinus cap. 9. *Sed quia loquendi nostra consuetudo jam obtinuit ut hoc intelligatur cùm dicimus* ESSENTIAM *quod intelligitur cùm dicimus* SUBSTANTIAM, *non audemus dicere* UNAM ESSENTIAM, TRES SUBSTANTIAS, *sed* UNAM ESSENTIAM *vel* SUBSTANTIAM, TRES *autem* PERSONAS.

4. *Tantò præstantior Angelis factus, ὅσῳ διαφορώτερον quò præstantius quàm illi sortitus est nomen*] Arrianus in Periplo maris Erythræi, μαργαρίτης ἱκανὸς καὶ διάφορος: Duo sibi potissimùm probanda proponit Apostolus; 1. Christum Angelis multò superiorem esse, 2. Christum aliquandiu factum inferiorem Angelis, c. 2. 7. R. Abraham Ezræ F. in Gen. 1. refellit R. Gaonem (is videtur esse R. Saadias) dicentem *Angelis præstantiorem esse Hominem.* Sed Gaon hoc dictum mutuari potuit ex aliquo majorum suorum scito huic Apostolicæ sententiæ gemello, cujus vim & causam non intelligebat Aben Ezra, fortè nec ipse R. Gaon. Utut sit, certum est Humanam naturam in Christo factam sse Angelicâ quodammodo præstantiorem.

5. *Nam cui dixit Angelorum*] Videri quidem potest repetendus ex v. 1. nominativus, nempe *Deus* Pater. Certè Psal. 2. 7. Pater Filium alloquens inducitur: Sed Psal. 97. 7. & 104. 4. non inducitur Pater Filium alloquens. Itaque præstat tum v. 5. tum v. 6, 7, 8, 10, 13. dicere, verbum personale, utpote nominativo destitutum, impersonaliter exponendum Hebræorum more, hoc modo, *Nam cui dicitur*: v. 6. *Rursus cùm inducitur primogenitus in orbem terrarum, illi dicitur*: v. 7. *Angelis verò dicitur*: v. 10. *Et* dicitur: nam supplendum. Nam certè Psal. 102. 25. non Pater sed Propheta Filium vocat Κύριον, *Dominum.* Sic 1 Pet. 2. 6. Διὸ καὶ περιέχει ἐν τῇ γραφῇ, h. e. *Quapropter etiam continetur in Scriptura.* Apostolus ut Heb. 1. 13. & 7. 3. & aliàs, sic & hîc usurpat argumentum à non dicto: quod certè nullius esset ponderis nisi Scriptura plenissimè contineret ea quæ cùm humana ratio per se non possit assequi, tamen sunt ad fidem, ad mores, ad salutem necessaria. *Cuinam igitur Angelorum unquam dixit, Tu es Filius meus, ego hodie genui te?* h. e. ego hodie, Resurrectionis, inquam, die, declaravi te meum esse Filium, eumque proprium, & eo modo genitum à me quomodo se genitam à me nulla creatura gloriari potest. Ut has Davidis voces ad Christi resurrictionem referamus, auctorem habemus ipsum Apostolum Act. 13. 33. ubi complementum promissionis factæ Patribus & hujus oraculi quærere nos jubet in Christi Resurrectione. Sic Heb. 5. 5. ad Christi Glorificationem referuntur hæc verba, *Tu es Filius meus, ego hodie genui te.* Enimvero quemadmodum stellæ tum demum dicuntur *oriri* cùm nobis incipiunt apparere, sic tum demum videtur Christus ex Patre genitus cùm per resurrectionem plenissimè revelavit Pater hunc ὄντως & ἰδίως esse Filium suum, ut docetur Rom. 1. 4.

6. *Rursum autem, cùm inducitur primogenitus in orbem terrarum, illi dicitur, Et adorent eum omnes Angeli*] h. e. Cùm describitur Christi veluti primogeniti & πάντως ἐν πᾶσι πρωτεύοντος in Regnum suum advenientis ingressus. Id autem graphicè fit Psal. 97. Cùm enim ab æterno Rex sit Deus, Psaltes dicens, *Dominus regnat, exsultet terra,* docet se de novo quodam Regno loqui. Id autem est Regnum Euangelicum, cujus Principem *ab Angelis adorari* jubet Psaltes: quod & factum sub ipsum nativitatis Christi tempus, Luc. 2.

7. Πρὸς δὲ τοὺς ἀγγέλους] Pro, περὶ δὲ τῶν ἀγγέλων, *De Angelis autem dicit,* Scriptura videlicet: vel, *De Angelis autem dicitur,* ut notavimus in v. 5. Habentur autem hæc Psal. 104. 4. ubi Apostoli scopo conveniunt non minùs, imò magis, veritatis Hebraicæ quàm versionis Græcæ verba. Sic igitur ad Pauli mentem Hebræa commode verti possunt, *Qui utitur Angelis ut ventis, & ministris suis velut igne flammeo*: quòd scilicet Deo subsint, ejusque mandato pareant, non minus Angeli quàm Venti reliquaque meteora, sive flammea sive nubila.

8. *Ad Filium autem, Thronus tuus, ô Deus,* &c.] Series Psalmi docet satis hæc neque Solomoni convenire, neque Deo Patri, sed Filio; ut cui dicatur, *O Deus,* ô Fili, *Deus tuus,* Pater, *unxit te oleo lætitiæ præ sodalibus tuis,* h. e. spiritualibus donis & sapientiæ thesauris te locupletavit supra tam omnia quàm singula mystici corporis tui membra.

10. *Et, Tu ab initio, Domine, fundasti terram*] Series quoque Psalmi 102. docet, ibi quædam de Filio dici, quædam de Patre. V. 12. *Tu autem, Domine,* Fili, *in æternum permanes.* V. 15. *Et timebunt gentes nomen Domini,* Patris, *& omnes Reges terræ tuam,* ô Fili, *gloriam.* V. 16. *Exstruet Dominus,* Pater, *Sionem,* &c. Non sunt hæ temerariæ, confusaneæ, præcipites Personarum enallagæ, sed mysticæ mysterii Trinitatis adumbrationes. Quod igitur tertiâ personâ de Deo dicitur, intelligendum id de Patre; quod in secundam personam usurpat Psaltes, Filium compellari discimus ab Apostolo genuini Scripturæ sensûs teste locupletissimo. Eo igitur auctore dicimus à Propheta Filium compellari, dum ait, *Ab initio terram fundasti,* &c.

14. *Annon sunt omnes spiritus administratorii*] Judæis hæc veritas adeò nota fuit & persuasa ut vel omnes vel aliquos speciatim Angelos vocent מלאכי שרת *Angelos ministerii.* Hos fidelium precibus interesse volunt: &, ut pleraque fabulis inquinant, ad Heb. linguæ commendationem volunt, iis demum Angelos immisceri precibus quæ fiunt Hebraice. Talmudis tract. De Benedict. cap. 2. f. 9. *Quisquis ea quæ sibi sunt necessaria postulat Aramicâ linguâ, huic sese non immiscent Angeli ministerii, quod Angeli ministerii* אין מכירים *non agnoscant,* h. e. non probent, *linguam Aramicam.* Omissis autem his ineptiis, sufficiat nobis ex hoc loco colligere, Judæis semper notum & persuasum fuisse, Angelos esse spiritus ministratorios, rerum humanarum inspectores, & fidelium adjutores, quod imprimis ex Psalm. 34. discere potuerunt. Nè verò putemus hoc esse quibusdam inferioris ordinis Angelis proprium, docet Apostolus *omnes Angelos esse spiritus ministratorios.* Quamobrem omnes vocantur à Græcis ἄγγελοι, ab Hebræis *Maleacim*: utraque vox *nuncium* significat. Adeoque vox Græca videtur ab Orientali quapiam lingua petita: In Orientalibus enim linguis ISGAD אזגד *nuncium,* אגרת IGGERET *epistolam* significat. Hinc ἄγγαρος dicitur *is qui jubetur ob publica munia nuncium deferre.* Hinc in genere dicitur *angariari* qui jubetur publicum aliquod munus obire. Ab ἄγγαρος ergò factum ἄγγελος. Hujusmodi publicum munus obit Dei jussu non unus Angelus, sed Angelorum tota natio, prout hunc aut illum officii publici ministrum esse jubet Deus. Hinc patet vanitas Judaici commenti quod habetur apud R. Mosem Maimonis F. Misnæ tract. 1. c. 2. § 7. *Variantur,* inquit, *Angelorum nomina pro graduum varietate. In primo sive supremo gradu sunt ii qui dicuntur Animalia sanctitatis; in secundo, Rotæ; in tertio, Erellim; in quarto, Chasmallim; in quinto, Seraphim; in sexto, Maleacim; in septimo, Elohim; in octavo, filii Elohim; in nono, Cerubim; in decimo, Ischim sive Viri. Hæc sunt decem nomina quibus designantur Angeli pro decem graduum quibus inter se distincti sunt varietate.* Primum, secundum & quartum nomina, h. e. *Animalia, Rotæ* & *Chasmallim,* petuntur ex Ezek. 1. sed inepte *Chasmal* à Judæis ponitur ut peculiaris Angelorum ordo, cùm sit potiùs coloris cujuspiam nomen. Quintum *Seraphinorum* nomen petitur ex Esa. 6. Tertium *Erellim* nomen petitur ex Esa. 33. 7. sed absurde. Sanè, si solum vocis etymon spectes, videtur Angelo bene convenire, q. d. ἐπόπτην Θεοῦ *Dei contemplatorem*: sed cùm his inspectoribus *lacrymas* & *planctus* tribuat Propheta, rationi convenientius est ut dicamus eâ voce designari quosvis quidem in genere *feciales* sive *legatos,* hic autem nominatim *legatos* ab Ezekia missos ad Rapsakem. Septimum nomen *Elohim* petitum est ex Psal. 8. 5. Octavum, *filiorum Elohim,* nomen ex Jobi 1. Sed quo jure vel hæc duo vel sextum *Maleacim* nomen sumes pro speciali quodam Angelorum ordine potiùs quàm pro communibus quibusdam elogiis convenientibus cuivis Angelo? Ultimum sive decimum *Ischim* אישים sive *Virorum* nomen indè petitum est, quòd in apparitionibus Angelorum commemorandis Scriptura sæpe dicit, ויאמר האיש, *& dixit ille vir.* At non indè sequitur quod Judæi volunt, eos demum ad nos mitti Angelos qui sunt ordinis infimi. In eo tamen errore versatur etiam is qui S. Dionysio Pauli discipulo suas speculationes adscripsit, adeoque disertius quàm Judæi vult secundum ordinem à primo, tertium à secundo, & sic deinceps, suum lumen accipere, eoque fieri ut inferiores ordines quorundam superiorum nomina nonnunquam accipiant, ut Isa. 6. cum tamen, ut quidem ipse vult, à solis infimæ sedis Angelis illuminentur Homines: quod certè Pauli discipulo non convenit, cum hîc Apostolus doceat *omnes Angelos esse spiritus ministratorios, & ad electos subindè mitti solitos,* eo saltem tempore quo viguit typici fœderis œconomia. Nunc autem non magis infimi quàm supremi ordinis Angelis subjectum est Regnum Euangelicum. Angelorum ordines quod attinet, eos aliter quidem distribuit Pseudo-Dionysius quàm Judæi, sed eâdem temeritate. Utrinque

 peccatur

peccat ut adversus præceptum quod habetur Col. 2. 18. Peccat etiam Methodius adversus Originem disputans, apud Epiphanium hær. 64. §. 19. *Τοῦτο (vel εἰς τοῦτο) γάρ ἦν ἡ τῶν Ἀγγέλων σύςασις, τῷ Θεῷ ἐπὶ προνοίᾳ γεγονέναι τοῖς ὑπ᾽ αὐτοῦ διακεκοσμημένοις.* Non ideo erectos Angelos docet Scriptura ut res terrenas legatorum instar moderarentur, sed ut fidelibus, quoties ita Deo videtur, satellitum instar opem ferrent.

LUD. CAPPELLUS.

12. Ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς, καὶ ἀλλαγήσονται] Sic habent non modò omnes codices Græci N. T. sed etiam Græci codices translationes Lxx. Interp. Psalm. 102. 26. unde hic locus ab Apostolo desumptus est de verbo ad verbum juxta versionem illam Græcam. Atque sic etiam legerunt hoc loco tum Syrus tum Arabs interpres, nempe *ἑλίξεις convolves* sive *complicabis*: ille enim חפף, iste טון reddidit, quorum utrumque id significat. Et Psalm. 102. 26. Arabica versio habet illud idem verbum טון *complicabis*, quia facta est illa versio non de Hebræo, sed ut plurimùm & ferè semper ex Græca Lxx. Interpr. translatione, aut verò etiam ex Vulgata Latina. At Syriaca Psalmorum translatio edita ab Erpenio (quæ ut plurimùm sequitur Hebræum) retinet Psalm. 102. 26. vocem Hebraicam חלף, quæ *mutare* & *immutare* significat. Vulgata item Latina Versio Ecclesiæ Romanæ tum hic apud Apostolum tum Psalm. 102. habet *mutabis eos.* Unde conjiciunt nonnulli, autorem illius Versionis utrobique legisse in Græco *ἀλλάξεις*, non verò *ἑλίξεις*, eamque putant tum hic tum apud Psaltem genuinam esse lectionem; atque sic Lxx. Interp. primùm reddidisse putant, quod postea facili lapsu librariorum mutatum sit in *ἑλίξεις*, quòd *complicandi* vox vesti aptiùs quadraret quàm *immutandi*, maximè cum Esa. 34. 4 phrasis illa *convolvendi cœlos instar libri* occurrat, quo in loco Lxx. reddiderunt, *ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον.* Sed si ità est, unde tanta Græcorum codicum tum Vet. tum N. T. constantia in lectione ista *ἑλίξεις*, quam etiam secuti sunt hoc loco Syrus & Arabs? An illis omnibus opponemus & præponemus unam Vulgatam versionem? Quid ergò est? Cur reddidit Vulg. Interpres *mutabis*? Nempe vel hic contra consuetudinem suam à Græco discessit, & Hebræum secutus est: quod interdum ab eo fit, sed rariùs: non quòd autor illius Versionis Hebraicè intellexerit, (facta enim est ex Græco Lxx. Interpretum, non ex Hebræo) sed quòd vulgata illa versio Psalmorum ab Hieronymo, qui Hebraicè sciebat, recognita fuit & quibusdam in locis emendata. Vel ex aliis Græcis Translationibus, Aquilæ, Symmachi, &c. in codicem quo usus est autor illius Versionis irrepserat *ἀλλάξεις* pro *ἑλίξεις* hoc enim videre est, interpolatos non rarò fuisse codices Græcos V. T. ex illis Translationibus. Vel glossema in margine illius codicis ex Hebræo annotatum migravit in textum. Vel denique autor illius Versionis ex voce sequenti *ἀλλαγήσονται* conjecit non *ἑλίξεις* sed *ἀλλάξεις* in præcedenti esse legendum, quòd hæc aptè sequi & quadrare videret, *ἀλλάξεις καὶ ἀλλαγήσονται*, melius quàm si *ἑλίξεις* dicatur: ac prout existimavit esse legendum, sic etiam vertit *mutabis eos.* Sed quæret aliquis, Qui fieri potuit ut תחליפם, quod propriè *ἀλλάξεις αὐτοὺς* significat, redditum sit à Lxx. *ἑλίξεις*? An tam imperiti fuerunt linguæ Hebrææ? Sanè longè adhuc graviores deprehendi possunt lapsus in eorum Translatione: hujus autem hæc potest reddi non longè à vero ratio, eos nempe videri, deceptos affinitate soni literarum ח & ק, legisse תקליפם, jam vero Chald. קלף KELAPH sign. *deglubere, excoriare, decorticare*, & קלף KELEPH illis significat *pellem, corticem, arboris librum*, seu *membranam cui aliquid inscribitur*: pellis autem & cortex cùm detrahitur, volvitur; & membranæ quibus aliquid inscriptum est, convolvi solent & complicari: unde videtur esse illud *ἑλίξεις* Lxx. Interpretum.

14. *Οὐχὶ πάντες εἰσὶ πνεύματα λειτουργικὰ ἀποςελλόμενα,* &c.] Alludit proculdubio Apostolus ad etymon vocis Hebraicæ מלאך, quâ Angeli in Scriptura vocantur. Nam לאך videtur omnino olim significasse Hebræis *operari, λειτουργεῖν* siquidem indè est מלאכה *opus, ars, artificium*, quod à Lxx redditur interdum *ἔργον λατρευτὸν*, semel autem *λειτουργία*, 1 Par. 26. 30. Itaque מלאך primò *ministrum, famulum, λειτουργὸν*, deinde verò *nuncium* sive *ἄγγελον* significasse videtur. Unde postmodum voce illâ ad Spiritus cœlestes traductâ *Angeli* מלאכים sunt dicti, quòd Dei sint tum *Ministri λειτουργοὶ*, tum etiam *Nuncii ἄγγελοι.* Indeque est quod subjunxit Apostolus *ἀποςελλόμενα*, ut geminâ illâ voce *λειτουργικὰ* & *ἀποςελλόμενα* totam vim vocis מלאכים exprimeret. Respexit etiam proculdubio Apostolus ad phrasin antiquam Rabbinicam quâ à Judæis ab omni ævo in Talmud Angeli passim dicuntur מלאכי שרות, q. d. *ἀγγέλους λειτουργίας* sive *λειτουργικούς* nam שרת est *λειτουργεῖν ministrare.* Porro ministerium illud Angelorum erga pios ad Dei nutum agnoscunt Judæi, qui sic in suo סדור sive Euchologio Deum compellant, *Præcipe Angelis tuis qui constituti sunt supra res humanas, ut sint mihi auxilio, me juvent, servent, liberentque.*

GROTIUS.

Cujus Scriptoris sit hæc Epistola non mirum est hodie dubitari, cum etiam Veteres dubitaverint. Vetustissimi in tres partes scinduntur; alii enim Barnabæ eam tribuunt, alii Clementi Romano, alii Lucæ. Posteriores multi eam Paulo adscripsere. Facillima refutatu est postrema hæc opinio, ideo quòd Paulinæ Epistolæ inter se sint germanæ pari charactere & dicendi modo, hæc vero manifestè ab iis discrepet, selectiores habens voces Græcas, leniusque fluens, non autem fracta brevibus incisis ac salebrosa. Tum vero locutiones quædam Paulo familiares hic nusquam apparent, contrà apparent aliæ non Paulinæ, ut *παραῤῥυεῖσθαι* [*perfluere*] & *αἰῶνες* [*secula*] pro *Mundo.* Præterea Paulo hanc Epistolam abjudicat, quod hujus Scriptor se eis annumeret qui non à Christo, sed ab ejus discipulis notitiam Euangelii accepere 2. 3. cùm contra Paulus auctoritatem sibi addat inde quod hanc notitiam à Christo ipso acceperit. A Barnabæ quoque sermone multum distat, si verè Barnabæ ea Epistola est quam nos habemus, partim Græcam, partim Latinam, sed quam apparet eandem esse quâ usi sunt Clemens Alexandrinus, Origenes alii. Est enim illa Barnabæ dictio præ hac rudis & incompta & *βαρβαρίζουσα* [*barbarismum sapiens.*] Clementis Romani oratio ad hanc nostram propiùs accedit: sed videtur is, ut vocatus à Gentibus, in litteris Hebræorum multo minùs quàm hic scriptor fuisse versatus; neque alia videtur causa, cum Veterum nonnulli Epistolam hanc Clementi Romano adscriberent, nisi quod verba quædam viderent in Epistola Clementis ad Corinthios quæ & hic apparent. Sed id infirmum est, cùm & Paulinis verbis frequenter utatur Clemens. Nec aliud inde sequitur, quàm Epistolam hanc & lectam fuisse Romæ & in pretio habitam quo tempore ad Corinthios scribebat Clemens: quanquam in Canonem à Romanis serò recepta est. Restat ergo ex iis quos Veteres nominarunt, Lucas, cui ergo hanc Epistolam libens tribuerim, Nam sicut hæc Epistola bene Græca est & florida, ita & sermo Lucæ, ubi non Christi aut Apostolorum refert verba, sed in aliis rebus narrandis, putà Pauli navigatione, liberiùs spatiatur. Ad hoc scriptam apparet ex Italia hanc Epistolam infra 13. 24. Pauli non facit mentionem, quia nempe Paulus eo tempore vinculis liberatus extra Italiam erat profectus in Epirum, ut videtur Tit. 3. 12. Habuerat autem Paulus, Romæ cùm esset, secum & Lucam & Timotheum. De Luca apparet Coloss. 4. 14. 2 Tim. 4. 11. Philem. 24. De Timotheo Ephes. 1. 1. Philipp. 2. 19. Coloss. 1. 1. Philem. 1. Hos Paulus, cùm ab Italia discessit, in Italia reliquit ad percolendam eam quam Paulus fecerat latiusque spargendam sementem. Horum Timotheus dum suo muneri instat vinctus: sed mox è vinculis exemptus fuerat, infra 13. 23. Lucas interim, qui & ipse antea vinctus fuerat, sed ex vinculis exierat, infra 10. 33. in aliqua parte Italiæ dans operam convertendis aut confirmandis Italis, tempus reperit scribendi ad illos Christianos quos in Judæa & Syria quondam noverat, Syrus & ipse origine. Eorum autem non pauci persecutionum onere pressi à cœtibus se subduxerant: Ut ergo hos in viam reducat, alios vero adhuc stantes fulciat, multis ostendit, omnes veteres historias, & dicta Prophetarum, occultâ quâdam Dei dispensatione in Christo ejusque rebus figurandis occupari. Et fieri potest ut istorum mysteriorum explicationem ex ore partim Pauli, partim Barnabæ hauserit: ita ut & istis pars hujus Epistolæ aliqua adscribi rectè possit. Neque vero hac tantum re, sed omnibus modis id agit hic Scriptor, ut Christianismi præ Judaismo præstantiam altè infigat animis, & afflictionibus opponit æterna præmia. Lucam autem hujus Epistolæ scriptorem ostendunt etiam vocabula & loquendi genera quædam Lucæ velut propria. *Εὐλαβεῖσθαι* & *εὐλάβεια* pro *metuere* & *metu*, Actor. 23. 10. Hebr. 5. 7. 11. 7. *εἰς τὸ παντελὲς* [*omnino*] Luc. 13. 11. pro *εἰς τὸ διηνεκὲς* [*in perpetuum*] habemus Hebr. 7. 3. *μαρτυρούμενος* [*bonum habens testimonium*] & *μαρτυρεῖσθαι* [*bonum testimonium reddere*] Actor. 6. 3. 16. 2. Hebr. 7. 8. 11. 2, 5, 39. *χρηματίζεσθαι* [*responsum accipere*] Luc. 2. 26. Actor. 10. 22. Hebr. 8. 5. *ἡγούμενος* [*præcessor*] Luc. 22. 26. Hebr. 13. 7, 17. *ἀρχηγὸς* [*dux*] Actor. 3. 15. 5. 31. Hebr. 2. 10. 12. 2. *πρὸς* loco particulæ *περὶ* Luc. 18. 1. 19. 42. 20. 19. Actor. 28. 25. Hebr. 1. 7, 8. Præterea Scriptor hic versionem Lxx. plerumque addictè sequitur, quod & ipsum Lucæ est. Inscriptio ad Hebræos vetus: ita enim hanc Epistolam nominant Tertullianus de Pudicitia, & Clemens Strom. 6. Per Hebræos autem intelliguntur Judæi, ut Act. 6. 1. 2 Cor. 11. 22.

Philipp.

Philipp. 3. 5. sic & lingua Hebræa est Judaica Luc. 23. 38. Act. 21. 40. 22. 2. 26. 14. Græcè autem scripta est hæc Epistola, quia is sermo Lucæ familiarior. Judæi autem plerique etiam Græcè norant: nonnulli vero eorum tantùm Græce, ut liquet Actorum 6. 1.

1. Πολυμερῶς, *Plurifariam*] In Glossario πολυμερῶς, *plurifariam*, id est, pluribus temporibus: tempore Abrahami, Isaaci, Jacobi: temporibus Mosis, Josuæ, Judicum: temporibus Davidis, Salomonis & Prophetarum: ac postremò temporibus Danielis, Aggæi, Zachariæ, Malachiæ. ¶ καὶ πολυτρόπως, *multisque modis*] Dando visa diurna aut nocturna, aut afflatus internos, aut voces auditas: interdum per figuras, interdum apertè. Vide quæ dicta Num. 12. 6. ¶ πάλαι, *olim*] מקדם. Ideo hoc dicit quia ante Christi tempora diu oracula cessaverant. ¶ λαλήσας τοῖς πατράσιν, *loquens Patribus*] Nempe Hebræorum, ad quos est hic sermo. ¶ ἐν τοῖς προφήταις, *in Prophetis*] *Per Prophetas* populo exponentes ea quæ diximus. ¶ ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων, *novissimis diebus hisce*] Id est, *tandem nunc.* Vide Act. 2. 17. 2 Tim. 3. 1. in Manuscripto est ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων [*in extremo horum dierum*] quomodo Num. 24. 14. Ezech. 38. 16. ¶ ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ, *locutus est nobis in Filio*] *Locutus nobis est per Filium*; res maximas & cœlestes non servis credidit, sed Filio. Vide Matth. 21. 37. Joh. 1. 18. 3. 16. 15. 15. 1 Petri 1. 10.

2. Ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, *Quem constituit heredem universorum*] Id est, *Dominum*; nam & Latinis *heres* idem quod *herus*. Christus in cœlum evectus rerum omnium est Dominus, à Patre scilicet hoc jure accepto, Ephes. 1. 20, 22. 1 Cor. 15. 27. Sic infra 2. 8. Patribus hereditas data terrestris & caduca, Christo cœlestis & æterna. Hic sensus sublimior Psalm. 2, & 8. ¶ δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν. *per quem condiderat & secula*] Videtur δι' οὗ [*per quem*] hic rectè accipi posse pro δι' ὃν [*propter quem*.] nam sicut διὰ cum accusativo interdum est *per*, ut alibi ostendimus, & ampliùs probatur per locum Apocalypseos 4. 11. 22. 11. 13. 14. Ita διὰ in genitivo interdum valet *propter*. Vide Bezam Rom. 6. 4. sic δι' ὧν pro *quapropter* poni solet. Et ἀόριστος [*aoristus*] ille ἐποίησε [*fecit*] hic commodissimè vertitur per plusquamperfectum *condiderat*. Ideo autem hæc interpretatio hoc loco maximè mihi se probat, quia ad Hebræos scribens videtur respicere ad dictum vetus Hebræorum, *propter Messiam conditum esse mundum*. Idem Hebræi עולמים quod valet αἰῶνας [*secula*] pro *mundo* ponunt per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] quandam. Hinc Deus רב עלמים [*Magister mundi*,] sic כולי עלמא Chaldæis, *totus mundus*, sic infra 11. 3. πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας [*fide intelligimus aptata esse secula*,] id est, *mundum*. Quid mirum est esse Dominum omnium, cujus causâ omnia fuere condita?

3. Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, *Qui cum sit effulgentia gloriæ*] *Repercussus Divinæ Majestatis*, qualis est solis in nube qui dicitur παρήλιος. זיוה hic Syro, id est, *germen*, non malè. sic locum Esaiæ 4. ubi eadem vox, Jonathan de Messia accipit: sic Sapientia dicitur ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου [*effulgentia æternæ lucis*] Sap. 7. 26. Clemens Romanus, qui totum prope hunc locum descripsit, pro ἀπαύγασμα τῆς δόξης [*effulgentia gloriæ*] posuit ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ [*effulgentia Majestatis ejus*.] Sunt qui alludi putant ad Irin, argumento ducto de loco Ezech. 1. 28. & Zach. 2. 8. ubi dicta vide. Etiam Rabbi Salomo Barjochai Irin ad Messiam refert: quò fortè respicit & Apocalypsis 4. 3. Δόξα כבוד aut גבורה *Majestas Divina*. Ea cùm per se conspici nequeat, cernitur in Christo, sicut Sol, quem directè oculi nostri tueri nequeunt, cernitur in aqua, speculo, nube. Vide 2 Cor. 4. 4. Coloss. 1. 15. adde & 1. 13. Lucianus Martyr, Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, οὐσίας, καὶ βουλῆς, καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης Θεοῦ ἀπαράλλακτος εἰκὼν [*Filius Dei, essentiæ, consilii, potentiæ, gloriæque Divinæ per omnia simillima imago*.] ¶ καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *& figura substantiæ ejus*] Alia comparatio a sigillo annuli, cujus forma ceræ imprimitur. Cicatrix dicitur χαρακτὴρ κατακαύματος [*character combustionis*] Levit. 13. 28. ציר vertitur χαρακτὴρ ab Aquila Psalm. 49. 15. id verò *nuncium* sive *legatum* significat, ut Prov. 13. 18. 25. 13. Jerem. 49. 13. quia legatus mittentis personam refert. χαρακτὴρ in Glossis *figura, luminamentum*, sed legendum est *lineamentum*. Ὑπόστασις [*substantia*] hic non ita sumitur, quomodo Platonici & post Origenem ex Platonicis Christiani sumpsere: sed continuatur cœpta comparatio. Solent Græci distinguere τὰ κατ' ἔμφασιν [*ea quæ apparent esse*,] & τὰ καθ' ὑπόστασιν [*ea quæ realiter sunt*,] ut scriptor de Mundo. Sic Philo in ejusdem tituli libro: αὐγὴ δὲ καθ' ἑαυτὴν ὑπόστασιν οὐκ ἔχει [*splendor per se substantiam non habet*,] non quòd nullam habeat ὕπαρξιν [*subsistentiam*,] sed quòd principalitas & origo ejus sit in Sole. Sic in annulo figura est καθ' ὑπόστασιν [*secundùm substantiam* seu *primario*,] in cera κατ' ἔμφασιν [*secundum repræsentationem* seu *secundario*.] Ita potentia, justitia, veritas in Deo Christi Patre sunt primario, in Christo vero secundario, sed ita ut nobis in Christo ea evidenter appareant, Joh. 14. 9. Erat super Arcam quoddam ἀπαύγασμα [*effulgentia* quædam:] & aliquid tale vidère Moses, Esaias, Ezechiel. At quanto clarior effulgentia in Christo, ita ut præ hoc ista evanescant? Syrus ὑποστάσεως [*substantiæ*] vertit אתותה: quomodo *naturam Patris impressam Filio* dixère Basilius & Hilarius. Latinus hic *figura substantiæ ejus*. Talia commodè interpretanda, non malignè cavillanda sunt. ¶ Φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, *portansque omnia verbo virtutis suæ*] Αὑτοῦ [*ejus*] habent & Manuscripti, in quibus spiritus isti Grammaticales distinguuntur, & ita legit Cyrillus 8. contra Julianum. Sensus est, *Christum verbo potentiæ paternæ* (id est, jussu) *regit cuncta*. Φέρειν [*portare*] sæpe est *regere*: &, quod hic addit Chrysostomus, *cum quadam facilitate*: Sic usurpatur & Hebræis נשא Num. 11. 14. Deut. 1. 9. unde נשיא *Princeps*. ῥῆμα [*verbum*] pro *jussu* poni apparet Luc. 5. 5. & infra 11. 3. Sic & 1 Reg. 1. 27. Seneca de Deo, *vehit omnia*, Epistola 31. Vide ea quæ Actor. 15. 29. ¶ δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *per semetipsum purgationem peccatorum nostrorum faciens*] *Postquam morte sua causam dedisset ejus fidei, per quam à peccatis purgamur*, quod nec Moses fecerat nec Prophetæ. Vide quæ dicta ad Rom. 3. 25. Valde autem significanter dicitur δι' ἑαυτοῦ [*per semetipsum*.] Non alias victimas obtulit ut Levitici Sacerdotes, sed *semetipsum*: de ista purgatione vide infra 10. 12. & 1 Petr. 1. 22. Abest tamen hoc δι' ἑαυτοῦ [*per semetipsum*] à Manuscripto. ¶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς. *sedit ad dextram throni Majestatis in excelsis*] Scandit oratio. Prætulit Christum Patribus, Mosi, Prophetis. Jam & Angelis eum præferre volens, per quos Deus Patres, Mosem & Prophetas fuit allocutus, ostendit illum solo Deo Patre minorem. Locus dexter est ejus qui Regi est proximus. Vide Matth. 20. 21, & ibi dicta. Locutio ἐν δεξιᾷ [*ad dextram*] exstat & Roman. 8 34. Ephes. 1. 20. Coloss 3. 1. infra 8. 1. 10. 12. 12. 2. 1 Petri 3. 22. Genes. 48. 13. Judic. 16. 30. θρόνος μεγαλωσύνης [*thronus Majestatis*] sive δόξης [*gloriæ*,] Hebræis כסא כבוד, significat ipsius *Dei summam majestatem* Apocal. 4. 2, & sequentibus 19. 4. 21. 5. cui proximus est *Agnus*, id est, Christus 5. 6, 13. 7. 10, 17. 22. 1, 3. Bene autem addidit ἐν ὑψηλοῖς במרומים [*in excelsis*,] id est, *in cœlo supremo*, aut supra cœli partes aspectabiles, ut infra 7. 26. Vide & quæ dicta Ephes. 1. 3, 20. quia & David in eximio quodam loco à Deo constitutus est Psalm. 89. 28. sed in terris tantùm.

4 Τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, *Tantò melior Angelis effectus*] *In tantum prælatus Angelis*, nempe illo tempore quo ad dextram Patris consedit. ¶ ὅσῳ διαφορώτερον παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν ὄνομα. *quantò excellentius præ illis nomen hereditavit*] *Quantò majore titulo insignitur*. nam κληρονομεῖν נחל aut ירש [*jure hereditario possidere*] est *certum mansurumque jus adipisci*, quomodo habebantur apud Hebræos res hereditariæ, id est, res soli, ut alibi diximus. διαφορώτερον, *excellentius*. Sic & infra 8. 6.

5. Τίνι γὰρ εἶπέ ποτε τῶν ἀγγέλων, *Cui enim dixit aliquando Angelorum*] Quasi dicat, non modo vulgaribus Angelis hunc titulum non dedit, sed ne ulli quidem ex illis השרים הראשנים τῶν ἀρχόντων τῶν πρώτων [*primorum Principum*,] ut est Dan. 10. 13. ¶ Υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε; *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ex Græco Psalm. 2. 7. quod rectè verteris, *ô mi fili, hodie te genui*. Ex mystico sensu Psalmi rectè argumentatur, quia Hebræi omnes fatebantur eum Psalmum, quanquam in Davide aliquo modo impletum, (quo de sensu diximus ad ipsum Psalmum (sensu tamen arcano & sublimiore ad Messiam pertinere: qui supra omnes *Filius Dei* dicendus sit, *à Deo genitus*, id est, evectus ad imperium, non in homines tantùm, sed & in Angelos: ut agnoscit Abarbaniel. Videtur quidem hic locus Psalmi ad excitationem Christi è mortuis aptari à Paulo Actor. 13. 33. sed ibi ipsa illa excitatio consideratur; ut initium gloriæ Christi. Solet illud *Hodie* usurpari de temporibus insignis lætitiæ, ut videre est Jer. 1. 10, 18. ¶ Καὶ πάλιν· *Et rursum*] Id est, *alio loco*. Sic πάλιν [*rursum*] habes Matth. 4. 7. Roman. 15. 10, 11, 12. 1 Corinth. 3. 20. Sic & infra 2. 13. 10. 30. ita *rursum* posuit Virgilius 3. Æneidos,

Rursum in secessu, &c.

Est autem is locus 2 Samuel. 7. 14. ¶ Ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα, καὶ αὐτὸς ἔσται μοι εἰς υἱόν; *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium?*] Id est, *ego ero ei vice Pa-*

tris, *& ipse mihi vice Filii.* Utar eo quomodo patres filio utuntur, & eum protegam quomodo patres filios solent. Et hæc verba de Græco desumpta. Salomon, de quo dicto loco agitur in sensu vulgari, typus Christi, non in omnibus (ostendunt id sequentia quæ Christo applicari nequeunt) sed eò quòd sapientiâ præstitit, regnavit in pace, gentibus multis imperavit, Templum Deo struxit. Et hunc in modum ad Messiam aptat hæc verba Isaac Benarama.

6. Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην, *Ubi autem rursum introducit primogenitum in orbem terræ*] Esse hic transpositionem bene vidit Syrus. Recta enim constructio esset, Πάλιν δὲ ὅταν εἰσαγάγῃ [*rursum autem ubi introducit.*] Deinde notandum hic subaudiri nomen γραφὴ [*scriptura*, ut Galat. 3. 16, & alibi. Præterea illud *ubi introducit* valere, *ubi describit introduci*, eâdem figurâ quâ Virgilius dixit,

Tum Phaetontiadas musco circumdat amaræ.
Corticis. —— ——

Vide & Galat. 3. 22. τὸν πρωτότοκον [*primogenitum*] sensu inferiore significat Davidem, qui eo nomine ut inter Reges eximius vocatur Psalm. 89. 27. & illud οἰκουμένην [*orbem terræ*] *terram Judæam*, quod etiam ex Græca Psalmi illius nempe 97. inscriptione apparet: sensu autem excellentiore πρωτότοκος [*primogenitus*] est Christus Rom. 8. 29. Coloss. 1. 15, 18. Apoc. 1. 5. & οἰκουμένη est *regio illa suprema quæ ab Angelis habitatur*, ut ipse mox Scriptor noster ad hæc sua verba respiciens dicet 2. 5. Psalmos omnes à 93. ad 101. in se continere mysterium Messiæ dixit David Kimchi. ¶ Καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*] In Græco Psalmi, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ [*adorate eum omnes Angeli ejus.*] At ibi de Deo agitur, hic de Messia. Verum hoc: sed quia pridem receptum erat apud Hebræos Deum singulari modo in Messia habitaturum, & fore (ut Thalmudici loquuntur) digito monstrabilem; ideo quæcunque de honore Dei dicebantur, eadem applicari solebant ad Messiam. Sensus autem qui hujus loci idem & 1 Petri 3. 22.

7. Καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους λέγει· *Et ad Angelos quidem dicit*] Id est, *de Angelis*, quem esse Lucæ ἰδιωτισμὸν [*loquendi modum*] modo annotavimus. Similis locutio Jerem. 14. ¶ Ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα· *Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos flammam ignis*] Et hoc ex Græco LXX: nisi quòd hic Scriptor locum memoriter citans pro πῦρ φλέγον [*ignis ardens*] posuit πυρὸς φλόγα [*ignis flammam*,] ubi Aquila πῦρ λάβρον [*ignem voracem*,] Symmachus πυρίνην φλόγα [*igneam flammam.*] Sensus hujus loci est, nihil magnum est in nomine *Angelorum* & *ministrorum*, cùm ea nomina Scriptura det etiam vento & flammæ. Nam omnes creaturæ quibus Deus extra ordinem utitur, eo nomine venire diximus ad Genes. 3. 23. & Maimonides Duce dubitantium 2. 6. Ac sicut ventus & flamma *Angeli* dicuntur, ita contra Angeli quidam *Seraphim*, id est, flammæ, *& Cherubim*, quo nomine olim videntur significati venti. Confer Psalm 18. 11. & 54 3. quia & efficacia & celeritas melius per res nobis cognitas exprimi nequit. Sed priorem sensum magis exigit series loci in Psalmo, nec obstat articulus ille τοὺς, qui creditur subjectum notare, non prædicatum. Nam & apud Atticos, & apud nostros scriptores articulus iste sæpe abundat.

8. Πρὸς δὲ τὸν υἱόν, *Ad Filium autem*] Hoc vult, Filio dari titulos multò eminentiores. Constabat autem inter Hebræos, quod & modò attigimus, Salomonem in multis rebus typum fuisse Messiæ: & qui ei dantur tituli, eos multò sublimiore sensu in Messiam competere. ¶ Ὁ θρόνος σου, ὁ Θεός, εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος· ῥάβδος εὐθύτητος, ἡ ῥάβδος τῆς βασιλείας σου. ἠγάπησας δικαιοσύνην καὶ ἐμίσησας ἀνομίαν· διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεός, ὁ Θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου. [*Thronus tuus, Deus, in seculum seculi: virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis*] Planè eadem verba quæ in Græco Psalmi ejus qui Hebræis 45. Græcis 44. nisi quod in Græco est εἰς αἰῶνα αἰῶνος [*in seculum seculi*] sine articulis. Et in Manuscripto hoc loco pro ἀνομίαν [*iniquitatem*] est ἀδικίαν [*injustitiam*,] pari sensu. Pro ὁ Θεὸς [*Deus*] in Hebræo est אלהים [*Elohim*] quod nomen pluribus quidem sive *Angelis* sive *Judicibus* dari solet: at cum uni tribuitur, Deo soli convenit: quia tunc est oratio ἐλλειπτικὴ [*defectiva*] pro אלהי אלהים [*Deus Deorum*,] ut alibi diximus. Sensus ergo est, *Deus ipse est sedes tua perpetua*, id est, si Salomonem respicimus, *sicut sedes inconcussos tenet homines, ita Deus te semper in regno sustentabit*: si verò Christum, *Deus ipse te sustentabit in regno nunquam desituro.* Per sceptrum regium in Salomone μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] intelligitur ratio regiminis: in Christo sermo Euangelii ab ipso primum publicatus. *Dilexit* Salomon *justitiam & odit injustitiam*, nempe à prima ætate: *ideo præ cæteris*, non popularibus tantum suis, sed & *fratribus electus est à Deo in Regem*, 1 Paralip. 28. 5. quod unctione significatur 1 Reg 1. 34. Jesus, dum vitam egit mortalem, nihil aliud quàm justa & honesta omnia verbo & exemplo docuit, arguens hic contraria. Ideo post mortem excitatus dignitatem supra omnes homines, imò supra Angelos, est consecutus, quæ dignitas hic humano more significatur *unctionis vocabulo.* Sic χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε [*Christum illum fecit Deus*] Actor. 2. 36. διὰ τοῦτο [*propterea*] sume ut διὸ [*propter quod*] Philipp. 2. 9. Est autem more Græco accusativus ἔλαιον [*oleum*] positus eo sensu quo Latini ablativum usurpant. Et ἔλαιον ἀγαλλιάσεως [*oleum exultationis*] dicitur id quod causam det summi gaudii. Vide Joh. 15. 11. 17. 13. Verterunt alii in Psalmo ἐλαίῳ ἀγλαϊσμοῦ [*oleo splendoris*;] alii καλλωπισμοῦ, δόξης, κόσμου [*ornamenti, gloriæ, decoris.*] Pro μετόχους [*participes*] Symmachus posuit ἑταίρους [*sodales.*] Sunt autem duo nominativi אלהים אלהיך [*Deus, Deus tuus*] *ille Deus quem tu colis.* Locum hunc de Messia interpretatur Paraphrastes Chaldæus & Rabbini multi.

10. 11, 12. Καί, *Et*] Et alio loco, nempe Psal. 102. 26. ¶ Σὺ κατ᾽ ἀρχάς, Κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί. Αὐτοὶ ἀπολοῦνται, σὺ δὲ διαμένεις· καὶ πάντες ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσονται. Καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτούς, καὶ ἀλλαγήσονται. σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσι. *Tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ut vestimentum veterascent: Et velut amictum complicabis eos & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*] Et hoc ex LXX nisi quod ibi verbis transpositis, Κατ᾽ ἀρχὰς τὴν γῆν σὺ κύριε ἐθεμελίωσας [*in principio terram tu Domine fundasti.*] Et quod in Manuscripto hoc loco est· ἑλίξεις αὐτοὺς ὡς ἱμάτιον καὶ ἀλλαγήσονται [*involves eos tanquam vestimentum & mutabuntur.*] Rursum quod de Deo dictum fuerat, Messiæ aptat, quia constabat inter Hebræos, & Mundum hunc Messiæ causâ conditum (unde ἐθεμελίωσας [*fundasti*] rectè intelligi putem, *causa fuisti cur fundaretur*; & *opus manuum tuarum*, id est, propter te factum: nam ידי [*per manum*] Hebræis & Chaldæis etiam *propter* significat, & sic Latinus Jobi 11. 3. legit בידך [*in manu tua*] vertit autem *tibi*) & fore ut novus meliorque Mundus condatur per ipsum. Pro eo quod in Hebræo est לפנים, id est, *jam olim*, LXX. posuere κατ᾽ ἀρχὰς [*in principio*,] exponentes hunc locum ex initio Geneseos ubi est בראשית [*in principio*] *Terra* dicitur *fundata* similitudine sumpta ab ædificiis, unde & καταβολὴ [*constitutio*] dicitur Matth. 13. 35. 25. 34. Lucæ 11. 50. Joh. 17. 24. Ephes. 1. 4. infra 4. 3. 9. 26. 1 Petri 1. 20. Apoc. 13. 8. 17. 8. *Cœlorum* nomine hic intelligi debet non illa suprema regio, sedes divinæ Majestatis & Angelorum: sed aër & æther quæ terram velut *vestiunt*, unde sumpta quæ sequitur similitudo. *Vestes* antequam pereant *veterascunt.* Vide infra 8. 13. Sic & aëris & ætheris vires minuentur. *Vestes* ubi usui amplius non sunt, solent *complicari* & *abjici*: Sic & aer & æther *auferentur.* Nam & hunc sensum habet חלף Hebræum verti turque ἀφαιρεῖσθαι [*auferri*] & παρέρχεσθαι [*præterire*] & ἀπέρχεσθαι [*abire.*] Idem per μετάθεσιν [*Transpositionem*] significatur infra 12. 27. παρελεύσονται [*præteribunt*] eodem sensu 2 Petri 3. 10. quanquam in Hebræo non est ἑλίξεις [*complicabis*,] sed ἀλλάξεις, תחליפם, quod *mutabis* ibi vertit Latinus & *mutabuntur*: id est, *te faciente abscedent*: ita ut videri possit in Græcum textum pro ἀλλάξεις [*mutabis*] irrepsisse ἑλίξεις [*complicabis*] ex loco Esaiæ 34. 4.

13. Πρὸς τίνα δὲ τῶν ἀγγέλων εἴρηκέ ποτε· *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando*] Alia congerit elogia Messiæ, quæ Angelis nec aptata sint, nec aptari queant. *Dixit*, nempe *Deus.* ¶ Κάθου ἐκ δεξιῶν μου ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου; *Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*] Ex Psalm 110. quem de Messia intelligendum agnoscit Rabbi Saadia Gaon. Illud *sede ad dexteram* hoc loco non solam dignitatem, sed simul & securitatem significat. Quis non sit securus apud Regis potentissimi dextram? Vide Johan. 6. 63. 7. 34. Confer Actor. 2. 34. 1 Corinth. 15. 25. infra 10. 13. ἐκ δεξιῶν [*à dextris*] est *à dextro latere* לימיני. Eadem locutio Deut. 33. 2. 1 Sam. 23. 19. 1 Reg. 2. 19. Matth. 20. 21, 23. 22. 44. 25. 33, 34. 26 64. 27. 38. Marci 10. 37, 40. 12. 36. 14. 62. 15. 27. 16. 19. Lucæ 1. 11. 20. 42. 22. 69. 23. 33. Actor. 2. 25, 34. 7. 55, 56. Securus esto, inquit Deus Messiæ, non modo posthac nihil tibi nocebit, verum insuper efficiam ut omnes hostes tui tibi subjiciantur. Mos erat Regnum Orientis victos calcare pedibus

dibus. Josue 10. 24. Psalm. 47. 3. Clemens Romanus hunc locum describens addit, Τίνες οὖν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ; οἱ φαῦλοι καὶ ἀντιτασσόμενοι τοῦ Θεοῦ τῷ θελήματι τὸ θέλημα ἴδιον [*Qui sunt ejus hostes? mali, & qui Divina voluntati opponunt suam.*] Multum autem hoc pertinet ad erigendos eorum animos qui ob Euangelium dura perpetiebantur.

14. Οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα, *Nonne omnes sunt administratorii spiritus*] רוחא דתשמשתא [*spiritus officii*:] aliter מלאכי השרת [*Angeli ministerii*] pro quo hîc Syrus sensu eodem רוחא דתשמשתא [*spiritus administratorii.*] In omni regno multum præstat Filius Regis Satrapis quantumvis magnis. Filius Regis sedet, Satrapis stantibus, aut euntibus quo mittuntur. ¶ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν; *in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?*] Non tantùm Christo serviunt, sed & Christianis, ut videre est Actor. 5. 19. 12. 9. Christiani rectè dicuntur μέλλοντες κληρονομεῖν τὴν σωτηρίαν [*salutem jure hereditario possessuri.*] In id enim destinantur & eo pervenient, nisi ipsi sibimet obstent. κληρονομεῖν σωτηρίαν [*salutem jure hereditario possidere,*] idem quod κληρονομεῖν ζωὴν αἰώνιον [*vitam æternam possidere,*] Matth. 19. 29. Marc. 10. 17. Luc. 10. 25. 18. 18. κληρονομεῖν βασιλείαν Θεοῦ [*possidere regnum Dei,*] Matth. 25. 34. 1 Cor. 6. 9, 10. 15. 50. Gal. 5. 21. κληρονομεῖν τὰς ἐπαγγελίας [*possidere promissiones,*] infra 6. 12. κληρονομεῖν τὴν εὐλογίαν [*possidere benedictionem,*] infra 12. 17. 1 Petri 3. 9. Vide & quæ diximus supra 1, 2, & 4.

CAP. II.

VALLA.

1. **N***E fortè pereffluamus*] Cur non potiùs *praterfluamus?* παραρρυῶμεν.

17. *Ut misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum*] Potius *in his qua ad Deum sunt*, seu *spectant*, τὰ πρὸς τὸν Θεόν, sicut facit posterius, *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus in his qua sunt ad Deum*, τὰ πρὸς τὸν Θεόν, c. 5. 1.

REVIUS in VALLAM.

1. **P***Raterfluamus*] Confer Erasmum & Bezam.

ERASMUS.

1. **P***Ereffluamus*] Valla mavult *praterfluamus*, παρρυῶμεν. Chrysostomus interpretatur *pereamus*, sumptumque putat ex Proverbiis Salomonis; *Fili mi, nè effluas*, υἱὲ, μὴ παραρρυῇς. Prorsus enim & irreparabiliter perit quod dilabitur. Hâc formâ dixit mulier 2 Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.*

3. *Qua cum initium accepisset enarrandi*] *Enarrari* legitur in vetustis exemplaribus, nominatim in Paulino. Græcè est λαλεῖσθαι, h. e. *qua primum dicta fuit à Domino.*

5. *De quo loquimur*] *Quo* refert *orbem terra*, non *Deum*: id quod ex Græcis palam est.

6. *Quis, dicens*] Τὶς, i. e. *quidam.*

7. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*] Admonet hoc loco Jacobus Faber Stapulensis, apud Hebræos haberi, *Minuisti eum paulò minùs à Deo.* Atque ità prorsus indicavit Hieronymus, aut si quis alius fuit Psal. 8. pro *Angelis*, qui illis vocantur מלאכים MALACHIM, haberi אלהים ELOIM. Thomas refert hunc locum ad humanam naturam Christi, qui minor Angelis factus sit, non juxta animam sed juxta corpus assumptum, per quod mortalis & doloribus obnoxius erat, cùm Angeli nullis malis attingi possint. Cujus equidem sententiam non rejicio, nisi quod prudenter accipiendum est quod dixit, Christum secundum animam humanam non fuisse inferiorem Angelis. Nam si nullus doloris sensus ad ullam animæ partem pertinebat, non potuit esse acerbissimus in Christo dolor, quem ipse tamen Thomas vult proximum fuisse cruciatibus damnatorum apud inferos. Et si hoc nomine minor est Angelis quod corpus haberet obnoxium doloribus, multò magis dicetur minor quòd animam haberet obnoxiam tædio mœrorique. At Faber hoc loco dissentiens à Thoma, multis argumentis contendit, *à Deo* legendum esse, non *ab Angelis*; quæ recensere longius sit, nec admodum necessarium, cum liber exstet formulis semel atque iterum excusus. Verùm sive legas *à Deo* sive *ab Angelis*, videtur idem manere scrupus. Etenim si de assumpto intelligas Homine, quemadmodum necesse est, non *paululum* fuit *imminutus à Deo*, imò infrà abjectissimos etiam homines; quemadmodum ipse de se testatur in Psalmis, *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Nulla enim proportio naturæ Humanæ ad Divinitatem. Nè *ab Angelis* quidem *paululùm* fuit *diminutus*, qui usque ad famem ac sitim, usque ad flagra, ad crucem, usque ad mortem denique descenderit. Proinde mihi videtur illud *paulò minùs*, quod Græcè est βραχύ τι, non ad Dignitatis imminutæ modum esse referendum, sed ad Temporis modum quo versatus est Christus in terris; q. d. *ad breve tempus diminutus est ab Angelis*, quemadmodum interpretatur Chrysostomus & Theophylactus. Neque verò refellit hujus partis sensum id quod sequitur, *gloriâ & honore coronasti eum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves*, &c. siquidem prius illud pertinet ad Jesu Vitam actam in terris & Passionem, hoc posterius ad Glorificationem, ad quam ut homo subvectus est. Neque verò prorsus hoc fefellit Aquinatem, qui indicat *paulò minùs* bifariam accipi posse, vel ut pertineat ad *quantitatem* (sic enim loquitur) vel ut pertineat ad *durationem.* Stapulensis in jus trahit Interpretem Epistolæ, qui quidem quisnam fuerit incertum est. Ut parùm probabile sit ipsam Epistolam à Paulo fuisse conscriptam, sanè sunt qui Lucam putent Interpretem fuisse. Quam opinionem si recipimus, is Interpres in jus vocari non potest, præsertim cùm apud Hebræos hæc vox אלהים ELOIM πολύσημος habeatur, quippe quæ utrovis numero, singulari aut plurali, *Deum* aut *Deos* declaret, nonnunquam *Angelos*, aut *homines* etiam *admiratione dignos.* Interdum *Principes* aut *Judices*, ut illic, *Principi populi tui non maledices.* Et Exod. 21. *Offerat eum dominus diis, & applicabitur ad ostium.* Quo loco Hebræi DIIS interpretantur *Judicibus.* Et Chaldaica interpretatio sic extulit, *Adducat eum magister suus ad judicem*, quemadmodum annotavit & Capnion noster in Rudimentis Hebraicis. Verùm hæc ad præsens institutum propriè non attinent, nisi quatenus exigit lectionis ratio: proinde paucis indicasse sat esse duximus. Alioqui erant in hac Epistola diligentiùs excutienda permulta, quæ non nisi verbosâ disputatione possint explicari. Unum illud addam; Hieronymum videri non admodum probasse quòd hæc propriè tribuantur Christo, cùm enarrans Psalmum ait, *Hunc locum Apostolus in Epistola ad Hebræos super Christo interpretatur.* Et de autore ejus adeò fuit dubitatum ut serò recepta sit à Romana Ecclesia; quandoquidem in hanc unam omnium nihil commentatus est Ambrosius. Et Hieronymus ait à nonnullis non fuisse receptam ob id quod in ea nonnulla citarentur quæ apud Hebræos non invenientur. Ex hoc loco Faber Stapulensis, vir cum primis probus ac doctus, ansam arripuit conflictandi mecum, sive id fecit instinctu alieno, sive quo meum animum exploraret, sive affectu quodam humano, ut nullus adhuc hominum exstitit qui omnibus horis sapuerit. Sed quoniam illius insectatio Commentariis intermixta passim legitur, neque commodum est visum nostram apologiam, quâ illi copiosius respondeo, in hunc infulcire locum, capita rerum duntaxat annotabo lectori.

I. Primum, quòd facit me rejicientem suam sententiam ac Hieronymianam interpretationem, res ipsa declarat longè secùs esse, cùm utramque recenseam, nec hanc nec illam rejiciens, sed tantùm indicans scrupulum qui videatur in utraque lectione obstrepere, eumque conor amoliri, per hoc & Fabri partes adjuvans. Nam is scrupulus graviùs obstabat si legamus *eum paulum diminutum à Deo* quàm si *ab Angelis.*

II. Deinde, quod hanc disputationem mecum susceptam vocat *Prophetica intelligentia defensionem*, ad me certè non pertinet, cùm ego Propheticam intelligentiam pro virili adjuvem, non impugnem. Nec hic sine contumelia me facit intelligentiæ Propheticæ adversarium, etiamsi constaret Prophetam hoc sensisse quod ille vult, cùm nec Fabro adverser, & Hieronymianam annotationem nominatim etiam adducam.

III. Quod dixeram illum hac in parte *à Thoma dissentire*, id ità defendit quasi criminis vice intentatum, cum nihil tale sit in scriptis meis. Solus Hieronymus admonuit de *Eloim*, cæteri omnes tum Græci tum Latini legunt *ab Angelis*: cum his consentit Thomas, nisi quod addit distinctionem de Corpore & Anima Christi: Id quoniam habebat peculiare, nominatim illius feci mentionem. Quid enim magni erat si dixissem *Fabrum hic dissentire à Thoma*, ubi dissentit ab omnibus orthodoxis, imo ab ipso Paulo, quem putat hujus autorem Epistolæ, & à publica Ecclesiæ lectione tot seculis recepta comprobataque?

IV. Quarto loco sic mecum argumentatur quasi jam constaret

ret ac definitum esset, legendum *à Deo*, non *ab Angelis*, cùm id versetur in quæstione, imo maximè vertatur in dubium, quod ille veluti certum & confessum assumit, an legendum sit *à Deo*: quod semel duntaxat annotavit Hieronymus, & unus, & paucis verbis, nec improbans tamen receptam lectionem, & aliis locis adducens hunc Psalmum juxta id quod nos vulgo legimus.

V. Velut impiè dictum rejicit ac refutat, quod obiter scripserim, id quod in Psalmo legitur, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, de Homine assumpto intelligendum: perinde quasi his verbis distraxerim Christi Hypostasim, aut quasi *Christi* vocabulum pro una duntaxat natura usurparim, cùm nihil tale sermo meus habeat; qui neque à Latinæ linguæ consuetudine, nec à veterum scriptis, nec à S. literis abhorret, nisi palàm calumniari velis. Quod *diminutus* dicitur *Christus*, utique pertinet ad naturam Humanam assumptam, juxta quam diminutus est: Et tamen ostendo, ex supervacuo, non absurdè aliquid posse enunciari de altera naturarum quæ sunt in Christo quod in alteram propriè competat. Sed hæc copiosius disseruntur in Apologia: nam paucis annotari non possunt.

VI. Quod ille velut absurdum exsecratur, *Christi* vocabulum pro una accipi natura, demonstro rectè accipi juxta vulgatam Scholarum opinionem, nempe pro Divina unita humanæ, etiamsi negem id à me factum: idque doceo clarissimis argumentis.

VII. Quod ille toties insulcit, *homo assumptus fuit imminutus à Deo*, constat Fabri sermonem esse, non meum.

VIII. Quòd diximus Christum, non solùm infra Angelos descendisse, sed *infra abjectissimos etiam homines*, Faber atrociter eum sermonem refutat, tanquam impium & Christo Deoque indignissimum, tanquam spiritui adversantem, & literæ quæ occidit adhærentem, tanquam Prophetæ repugnantem: cum ego multis modis demonstrem hunc sermonem cum primis esse pium, concinentem oraculis Prophetarum, congruentem cum interpretatione Orthodoxorum, cum primis consentientem cum verbis Pauli; præsertim si modum dejectionis æstimemus non juxta naturam Hominis assumptam duntaxat, verum etiam juxta naturæ corruptæ injurias pleraque; potissimum autem juxta speciem hominis nocentis, quam nostrà causà gessit ad tempus, juxta quam crucifixus est inter duos facinorosos velut & ipse damnatus ob scelera sua. Nam juxta hunc sensum potissimum placet Ambrosio intelligi quod ad Philippenses scribit Paulus, *Exinanivit semetipsum*, &c.

IX. Quod inibi ratiocinatur Faber, *Si propter naturam humanam assumptam paulum est imminutus à Deo, cum Deus esse perseveravit, non consistit abjectum fuisse infra abjectissimos homines*, palàm est omnibus, non agere Fabrum Dialecticè, dum assumit adversum me βραχύ τι hic referri ad modum Dignitatis, ut opponatur *multùm*, cum ego doceam referri ad Tempus, ut opponatur *diu*. Neque pugnant, *plurimum esse diminutum*, & *paulisper esse diminutum*.

X. Quod in calce hujus particulæ adjicit, me intendere hunc esse sensum Prophetæ, *Christum non paulùm fuisse imminutum ab Angelis, ac tantò minus à Deo*, & ex his consequi, *Multò magis à Deo diminutum, si multùm fuit diminutus ab Angelis*, atque ità denique Prophetæ sensum utroque modo subrui, sive legamus *à Deo*, sive legamus *ab Angelis*, satis, opinor, ex superioribus liquet, hoc illi non modò sine causa verum etiam sine mente in me dictum esse. Ejusdem farinæ est illa clausula, *Quare hic sermo seipsum elidit, & falsum esse omni ex parte manifestat.* Nulla enim pugna in meo sermone; sed in iis quæ Faber ex sese comminiscitur tota hæc pugna est.

XI. Porrò, quod undecimo loco subjicit, Non consistere sermonem quo scribo *Christum nè ab Angelis quidem paululùm fuisse diminutum, qui ad mortem usque crucis descenderit*, nemo non videt ità dictum ut aut ipse non perpenderit quid diceret, aut amicum voluerit irridere: *Si non ab Angelis*, inquit, *paululùm quidem fuit diminutus, quomodo approbatur in Propheta legendum esse*, MINUISTI EUM PAULO MINUS AB ANGELIS? *Pugnantne* PAULO MINUS *&* NON PAULO MINUS, PAULULUM? Non animadvertit Faber hanc enunciationem, *Nè ab Angelis quidem paululùm fuit diminutus*, affirmativam esse, non negativam, quæ significat, *diminutum, sed non paulùm, imò multùm*. Secus esset si dixissem, *Nè paululùm quidem fuit diminutus*. Liquet igitur hìc nihil esse quod secum pugnet.

XII. Quæ nos adduximus è Psalmis, *Ego sum vermis, & non homo*, similiaque Christi testantia humilitatem, negat verè in Christum competere, sed tantùm juxta æstimationem impiorum. Atqui cùm interprete Augustino, imò veteribus omnibus, hæc Christo tribuantur ob Humanam naturam assumptam & naturæ nostræ injurias, postremò ob afflictiones, quas ut homo nocens perpessus est, nè hæc quidem in illum verè competent. Imò quia Christi dejectio nobis humilitatis exemplum præscribit, opinor magis convenire ut hoc exemplum ut summum ità verissimum esse credamus. Quòd si appellatio *vermis* & in membra Christi competit, non statim consequitur, in ipsum non competere.

XIII. Quòd adducit Mariam matrem Jesu, dilectum Discipulum, Magdalenam ac reliquos multâ compassione flevisse Christum, magis pro me facit. Etenim si nihil in illo erat non magnificum ac felix, quid super illo flebant?

XIV. Quòd rogat qui conveniat eum dici *vermem* qui sit *primogenitus omnis creaturæ*, & superior est omnibus creaturis; vicissim eum rogabo qui convenerit olim Christum dici *Deum & hominem, mortalem & immortalem, Filium hominis & Filium Dei, mortuum & vivum?* Quis enim non videt diversissima in eundem competere ob naturarum diversitatem quas eadem Hypostasis complectitur?

XV. Quod dicit *Jesum ità fuisse hominem ut omnium maximè verè fuerit homo*, nihil ad me pertinet. Mihi satis est quòd ipse sese vocat *non hominem*. Neque enim quisquam ità insanit ut accipiat illum non fuisse verè hominem. Sed quemadmodum quæ contemptissima sunt dicuntur *non esse*, ità dejectissimos homines *non homines* dicimus. Porrò an Christus magis fuerit Homo quàm cæteri, Dialecticis disputandum relinquo, qui negant in Substantiam cadere *magis & minus*. Ego ut Christum Hominem fuisse profiteor, ità non ausim affirmare *maximè omnium fuisse Hominem*.

XVI. Quòd Christus, ut ait, in Euangelio non ascribit sibi nomen *vermis*, sed ea potiùs quæ sunt dignitatis, primùm mihi satis est quòd se in Propheta *vermem* dixerit. Neque verò quæ in S. literis testantur Christi dignitatem, derogant illius assumptæ humilitati; ut neque retrorsùm, quæ declarant humilitatem, derogant celsitudini.

XVII. Negat Christum *vermem* dici posse, quod terrenus non sit, sed juxta Paulum *cœlestis*. Imò & cœlestis erat, & terrenus. Juxta illud dicitur *Filius Dei*; juxta hoc, *Filius hominis*, sive *Adæ*. Porrò quod addit de *proportione identitatis aut æqualitatis*, an ulla talis sit ipse viderit. Sed si hanc solam ponit in Christo, non erit ullo pacto *imminutus à Deo*; quod tamen fatetur Faber. Quod si juxta assumptam naturam dicitur inferior Deo Patre, proferat ille, si quam novit, proportionem inter Creatorem & rem creatam.

XVIII. Quod ratiocinatur, *& Seraphin ad Deitatem collatos Vermes dici posse*, nihil ad me pertinet. Neque verò sic argumentor, *Inter Hominem & Deum nulla est proportio, Igitur Homo vermis est*; verum ità colligo, *Christus se Vermem dicit, & non hominem, opprobrium & rejectamentum plebis, Igitur non fuit paululùm ab Angelis diminutus, sed plurimùm, etiam infra vulgus hominum.*

XIX. Quæstionem movet, *an ob injurias susceptas Christus fuerit in se diminutus.* Exponat quid dicat *in se*, & nihil fuerit negotii illi respondere. Neque ratio vetat Christum quò plura passus est, hoc merito fuisse majorem, & tamen interim vere dejectum. Ut dissimulem hic quòd me facit adversarium suum, qui pro ipso faciam; quòd meum sermonem conjungit cum opinione Judæorum, quâ Christus multum fuit diminutus: quòd periculum denunciat si meis dictis pertinaciter hæream. Ego verò mea facilè recantabo si prior recantet Paulus quod scripsit, *exinanivit semetipsum.*

XX. Negat mortem Christi dicendam *humiliationem*, sed magis *exaltationem*, cùm ipse dicat, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Eâdem ratione latrones poterant dici *exaltati.* Imò Paulus ipse Christi passionem *diminutionem* interpretatur in hac ipsa Epistola; *exaltationem*, resurrectionis & immortalitatis gloriam. Atque hoc loco videtur sibi parum constare Faber. Cùm enim omnibus machinis hoc agat Faber nè Christus dicatur *verè humiliatus fuisse*, sic concludit, *Passionem illius non vocandam Humiliationem in malam notam.* Fatetur igitur esse *humiliationem in bonam notam.* Atqui *in optimam notam* nos illi tribuimus. Quis enim aliter tribuat Christo nisi prorsus impius?

XXI. Ait *Christum cum ista pateretur nihilo secius fuisse Regem Angelorum*; velut absurdum sit dicere illum *humiliatum infra Angelos* qui Rex sit Angelorum. Atqui eâ ratione non fuit inferior Deo, cùm fuerit Deus. Et tamen hoc certè dat Faber.

XXII. Sic ait, *Verum hæc omnia pro nobis miseris juxta oracula pati debebat, & videri admirandus supra omnes, & videri abjectus & humiliatus*: nimirum innuens non humiliari qui immeritus affligitur. Imò hoc magis se dejecit quò magis innoxius

noxius pro indignis ea pati voluit. Et, ni fallor, sicut verè visus est admirandus, ità verè visus est abjectus & humiliatus, non simpliciter, sed, quod mihi satis est, aliquo modo.

XXIII. Quod proponit de Martyribus, pro me facit. *Humiliantur* illi cùm cervicem præbent lictori; *exaltantur* gloriosæ mortis tum memoriâ, tum præmio.

XXIV. Negat βραχύ τι ad Temporis modum posse referri quo Christus versatus est in terris, cùm eum mox jubeantur adorare omnes Angeli. Mirum verò si jubentur adorare qui Deus est. Nec tamen ideo consequitur non aliquâ parte fuisse inferiorem, qui fuerit mortalis, cum illi sint immortales.

XXV. Fortiter negat apud Hebræos MEAT sonare spatium Temporis, sed Quantitatis sive Magnitudinis, & locis aliquot productis putat se rem factam habere. Quasi verò consequatur, si MEAT alicubi sit usurpatum apud Hebræos ut non declaret *brevitatem temporis*, non posse usquam ad Temporis significationem accommodari. Certè Psal. 37. *Adhuc pusillum & non erit peccator*, Hebræis est MEAT. Item Psal. 109. *Fiant dies ejus pauci:* rursus est MEATIM. Rursum Psal. 2. *Cum exarserit in brevi ira ejus:* est BIMEAT. Nec dubito quin centum loca produci queant, si quis hoc agat. Vide quid est rem dubiam ut exploratam asseverare.

XXVI. Quis non videt præceptionem nihil ad rem pertinere quâ docet huc vocabula *multum* ac *parum*, similiaque quoties junguntur vocabulis *Auctionem Diminutionemve* designantibus, nequaquam solere significare Tempus? sed *paulo minus* adjungitur verbo *minuisti*. Non enim hic agitur rectene verterit Latinus Interpres, sed quid Græca vox βραχύ τι declaret. Quis enim Latinus unquam dixit *paulò minus* pro *paululum*? quod magis sonat *propemodum*. Quod si βραχύ τι Græcis ad Tempus pertinet, non vertendum erat *paulò minus* aut *paululum*, sed *paulisper*. Neque quicquam vetat ità loqui, *Paulisper auxisti rem meam*, *Paulisper dejectus fuisti*.

XXVII. Conatur & Græcorum autoritate probare βραχύ τι non posse ad Tempus referri, quòd Eustathius Homeri interpres de Talentis loquens βραχύ τι dixerit, non Tempus indicans, sed Magnitudinem aut Æstimationem. Primùm plus tribuendum arbitror Athanasio, Chrysostomo, Origeni, viris usque ad eloquentiæ miraculum Græcè peritis, quàm Eustathio alienorum commentariorum rhapsodo. Ad hæc, qui consequitur, *Eustathius βραχύ τι accommodavit ad Magnitudinem, Igitur non potest ad Temporis modum pertinere?* ut quoniam *brevem fustem* dicimus, non liceat dicere *breve tempus*.

XXVIII. Quod docet, *Si quis tempus volet significare, dicendum esse ἐπ' ὀλίγον aut μικρόν· quod posterius est apud Johannem:* hæc non significant *Tempus*, nisi quia subauditur χρόνον, *asinum* significatura si subaudiatur ὄνον, quemadmodum usu venit & in βραχεῖ; cum dicimus ἐν βραχεῖ, i. e. *brevi*, nimirum *tempore*.

XXIX. Docet si Interpretes LXX. tempus intelligi voluissent, dicturos fuisse, ἠλάττωσας αὐτὸν ταχὺ παρ' ἀγγέλους, idque ità Latinè vertendum fuisse, *Minuisti eum cito ab Angelis*. Verum quis ità loquitur, *Citò vixit*, pro *Non diu vixit*? licèt, *Citò mortuus est*, aptè dicatur qui non diu vixerit. *Christus citò exaltatus fuit*, quia non diu fuit humiliatus.

XXX. *Vulgarium* & *Athanasium* duos facit, cùm Commentarii in Epistolas Pauli qui circumferuntur versi à quodam Priore S. Balbinæ, Vulgarii sint, seu potiùs Theophylacti Bulgariensis Episcopi, non Athanasii: quod protinus deprehendet qui Græca contulerit.

XXXI. Cùm Faber asseveret hanc lectionem esse impiam atque adeò hæreticam, si quis contendat tueri, *paulisper imminutus ab Angelis*, tamen Chrysostomum ac cæteros orthodoxos omnes non aliter excusat quàm quòd decepti per LXX. qui verterint *ab Angelis*, putarint sic esse apud Hebræos, ac difficultate loci constricti huc confugerint, ut βραχύ τι ad Temporis modum detorquerent, sed falsò. Mallem illum de tantis Ecclesiæ columnis paulò civiliùs fuisse locutum, præsertim cùm nemo sit omnium qui non cum illis hac in parte sentiat. Ipse denique Hieronymus illis assentitur, sicut antè docuimus, idque in opere non suspecto: cùm Commentarii quos habemus in Psalmos aut non sint Hieronymi, aut certè multis locis contaminati sint alienis emblematis. Ut omittam quòd tot seculis magno consensu sic legit, sic cantat, sic docet Ecclesia; quæ ut labi possit alicubi, certè sensum hæreticum non amplecteretur tot ætatibus.

XXXII. Quæ adducit ex Euangelio de Dignitate Christi contra me non faciunt, qui sic illi tribuo pro tempore assumptam humilitatem ut dignitati non derogem. *Uno*, inquit, *Patre minor* dicitur. Verum; sed eidem Patri fuit æqualis. Ità secundùm aliquid inferior fuit Angelis, non simpliciter inferior.

XXXIII. Multis verbis docere nititur, Hominem unitum Divinitati hoc ipso sic exaltatum fuisse super omnia ut paulum esset imminutus à Deo. Atqui quod Faber hic vocat *exaltationem*, Paulus vocat *exinanitionem*; & addit, *formam servi accipiens*, quod ipse quoque Faber superius interpretatur *Humanam naturam*. Certè Faber *inæqualitatem* ponit in Christo *secundum quiddam*: quæ si sumitur juxta comparationem Divinæ naturæ & Humanæ quomodo secundum hæc dici potest *paulum deminutus*?

XXXIV. Exspatiatur in campum latè patentem, multa colligens de Excellentia Christi. Quibus adeò nihil detraho ut ad illius dignitatem mihi jejunè parceque dicta videantur. Sed, ut antè demonstratum est, hæc non officiunt iis quæ de ejusdem Humilitate sunt dicta juxta naturam assumptam.

XXXV. Quando Faber usque adeò mordicus tenet, *Christum non nisi paululum fuisse imminutum à Deo*, vel illud expediat, quo sensu Paulus dicat eundem *exinanisse se*. An *exinanire* sign. *Paululum quiddam diminui*, quod nobis penè sonat *in nihilum redigere*? Perinde quasi dicas. *Exanimavit hominem*, & interpreteris, *id est*, *leviter commovit*.

XXXVI. Non satis amicè patrocinatur Aquinati, *qui Græcè Hebraiceque ignarus, secutus sit aliorum errorem*. Atqui si Christus nullo modo fuit Angelis inferior, manifesta blasphemia est illum *Angelis* facere *inferiorem*. Id certè vel citra linguarum peritiam sentire poterat Thomas, vir non omnino stupidus.

XXXVII. Quoniam Faber omnem culpam rejicit in Interpretem, sic argumentabar, *Si Lucas est interpres hujus Epistolæ, hunc non oportet reum agere. Id*, inquit, *non recipimus, cùm omnes sentiant incerto autore translatam*. Imò quisquis est cujus exstat argumentum in hanc Epistolam, testatur Lucam plusquam interpretem hujus Epistolæ fuisse, qui memor sensûs & ordinis post obitum Pauli ex sua memoria Græcè illam descripserit. Non asseverat, inquis, sed testatur ità multos sensisse. Quod si prorsus *incertus* est *interpres*, ut fatetur, quomodo Faber certò negat esse Lucam?

XXXVIII. Jam adjicit in fine *Cæterùm non oportet autoritatem scribentis, quicunque is fuerit, sed veritatem facere victoriam*. Id si verum est, quomodo Faber unam unius Hieronymi annotationem secutus de re tanta tam constanter pronunciat? Deinde quid si Lucas sit autor? nam id assumpsi: non erit huic aliquid deferendum?

XXXIX. Fatetur ELOIM Hebræis polysemum esse, & respondere duabus vocibus Latinis, *Deus* & *Dii*. Verum est quod fatetur, & negari non potest: cæterum hoc adjiciendum erat, quod constat ELOIM non solum sonare *Deos*, verum etiam *Primates*, *Judices*, denique & *Angelos*.

XL. Hoc ait interesse, quòd *Eloim*, quoties absque Pluralitatis nota ponitur, *Deum* sonat, atque ità semper transtulerunt LXX. rursum, quoties *Deos* sonat, additur COL Pluralitatis nota. Id nihil opus est aliunde petitis argumentis refellere, cum ipse sermo ψευδόμενος se ipsum refellat. In hoc Psalmo non additur COL., & tamen non verterunt *Deum*. Rursum Exod. 2. *Diis non detrahes*, non apponitur COL, & tamen verterunt *Deos*.

XLI. Flagellat Interpretem hujus Epistolæ, qui in Psalmo non verterit ELOIM *à Deo*, cum idem fecerunt LXX. quibus magis conveniebat hoc imputari.

XLII. Quidam Hebræus Hispanus, homo meâ sententiâ non vulgariter exercitatus in suis literis, ait hoc interesse inter ELOIM & MALACHIM, quòd Angeli quodque, quoties de dignitate agitur, quòd assistunt Deo, ELOIM vocantur; ubi de functione, h. e. cum aliquò mittuntur, MALACHIM vocantur. At hîc dignitatis fit collatio.

XLIII. Elevat Paraphrasim Chaldæorum, quæ juxta LXX. translationem pro ELOIM habet MALACHIM, i. e. *Angelos*. Cui ego in hac sanè parte puto nonnihil tribuendum, præsertim cum consentiat cum autoritate LXX. quam ferè sequuntur & Apostoli.

XLIV. Ut censor severus objurgat me, & amentiæ accusat, qui scripserim quòd *Hieronymus non videatur admodum probasse hunc Psalmum propriè tribui Christo*, sic detorquens quasi *propriè* dixerim *verè*, cùm Latinè, ut opinor, dixerim *propriè tribui* quod ità tribuitur ut in alium neminem competat. Permulta sunt in Psalmis quæ nobis cum Christo sunt communia. Nihil igitur in his meis verbis quod tam acriter debuit incessi.

XLV. Procul rejicit meam conjecturam, quòd collegerim ideo *videri non admodum probari Hieronymo hæc propriè tribui Christo* quòd scripserit, *Hunc locum Apostolus in Epistola ad Hebræos super Christo interpretatur*. Fateor gravem autorem

Paulum; sed primum incertum an is hujus Epistolæ sit autor: deinde, fatetur Hieronymus hunc *Scripturas aliquando ad victoriam detorquere:* postremò, non video quomodo possit totus hic Psalmus Christo accommodari. Solemus autem in autorem rejicere si quando ipsi fidem dictorum præstare nolumus. Verùm id quoniam paucis annotari non potest, ex Apologia qui volet reliqua petat. Neque hic quicquam affirmo; tantùm ajo *videri*.

XLVI. Quòd Christus in Euangelio citat versiculum ex hoc Psalmo, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, non arguit necessariò Psalmum hunc propriè in Christum competere. Imò sententia potest esse generalis quam adducit.

XLVII. Stultitiam impingit, qui scripserim *usque adeò dubitatum de autore hujus Epistolæ ut serò sit recepta à Romanis; cùm hoc ad rem propositam nihil attineat.* Certè hactenus pertinebat, ut si Pauli non est, minùs nos ejus urgeat autoritas.

XLVIII. Negat *constare quod hanc Romani sero receperint.* Neque mihi constaret nisi Hieronymus hoc literis prodidisset, testans suâ ætate Apocalypsim non fuisse receptam à Græcis, Epistolam ad Hebræos à Latinis: nam hanc Græci libentiùs receperunt in odium Arianorum. Comperiet hoc non esse meum somnium, qui legerit Epistolam ad Dardanum De terra repromissionis, ubi fatetur à Latinis non fuisse receptam, cùm maximè vellet esse receptam. Legat ejusdem Commentarios in Esaiæ cap. sextum. Rursum ejusdem in caput octavum. Clarius etiam rursum in Matthæi caput 26.

XLIX. Arguit eam fuisse receptam à Romanis jam olim, quòd hæc translatio præcesserit tempora Hieronymi. Ut hoc donemus esse verum, tamen hinc nihil aliud confici potest quam hanc Epistolam translatam fuisse ante tempora Hieronymi. Neque enim statim quod translatum est, receptum est.

L. Existimat evidentissimum esse argumentum, Epistolam hanc fuisse receptam à Romanis, quòd Hieronymus utatur ejus testimonio adversùs Jovinianum. Si ideo fuit recepta quòd hujus utitur testimonio, receptus fuit & Pythagoras, cujus adversùs eundem utitur testimonio.

LI. Suaviter irridet argumentationem meam ut minimè Dialecticam, *Sero fuit recepta, quia in hanc nihil commentatus est Ambrosius*, quasi consequatur pari ratione, *In quemcunque librum non scripsit commentarios Ambrosius, eum serò fuisse receptum à Romana Ecclesia.* Ac verè prædicat, *hoc enthymema non unis dignum Anticyris*, si quis ad eum colligat modum. At ego in re conjecturali synathrœsmo sum usus: Primùm quòd serò recepta sit, teste Hieronymo; deinde quod quædam in ea citentur ex Hebræorum voluminibus quæ illic non reperiantur. Addo in cumulum conjecturarum, quòd Ambrosius, cùm in cæteras omnes scripserit, in hanc unam non scripserit. Erant & aliæ conjecturæ, quas hic velut aliud agens non putavi recensendas. Nec est necesse ut ex singulis conjecturis nascatur certa conclusio. Satis est si ex multis congestis argumentis confletur probabilis suspicio.

LII. Existimat argumentum irrefutabile, hanc Epistolam fuisse receptam, quod Ambrosius ac Hieronymus in libellis suis utantur illius testimonio. Id argumento est sic fuisse receptam ut jam tum à multis legeretur veluti Pauli, non autem fuisse receptam autoritate publicâ velut partem Scripturæ canonicæ de qua non liceret dubitare.

LIII. Jam ad argumentum quod adducit ex Dionysio, qui in libris De Divinis nominibus adducat hujus Epistolæ testimonium, respondeo, Quoniam incertus est ille Dionysius, fieri posse ut aliquantò posterior fuerit Ambrosio.

LIV. Fortiter asseverat nullos unquam de hac Epistola dubitasse præter Ebionitas, Marcionitas, & horum similes hæreticos. Quod si doceo Hieronymum & Augustinum de hac Epistola dubitasse, sicut mox, & in calce hujus Epistolæ docebimus, ex regula Fabri consequetur eos esse *hæreticos*, qui nobis certè sunt orthodoxi, nec dubito quin & ipsi Fabro.

LV. Ait Hieronymum, cùm ait *illic quædam citari quæ non compareant apud Hebræos*, hæreticorum recitare calumnias, non suam sententiam. Quid senserit Hieronymus de hac Epistola mihi non satis liquet: nam is vafer est, & in hac fuit opinione ut non protinus evulgandum sit quod apud te senseris, quando Christus turbis per parabolas locutus est, solis Discipulis aperiens Regni mysterium. Quod si apud Hebræos ea reperiuntur, cur Hieronymus non indicat?

LVI. In calce concludit, de hac non esse dubitandum, quandoquidem sacrosanctæ Synodi & Canones eam approbarunt. De Synodorum approbatione mihi non constat. Nunc certè constat receptam. Quo animo recepta sit, mihi nondum constat, an ut Pauli, an ut cui debeatur par autoritatis cum cæteris. Quibuscunque legibus recepta est, eam accipio. Tantum illud dicam, Apocalypsis si non fuisset in canonem recepta, nihilominus consistere potuisse fidem Christianam. Porrò si sacrosancta Synodus approbavit Epistolam ad Hebræos, cur audet Faber in ea locum taxare velut *impium & Christo indignum?* nisi forte Synodo fuit exemplar emendatum, & mox ab approbatione repentè totius orbis Græci pariter ac Latini codices omnes depravati sunt, adeò ut à nemine scire potuerit quid ea Synodus legisset.

LVII. Quicquid est incommodi aut offendiculi, id in Interpretem rejicit; sed meo judicio parùm prudenter in tanto Græcorum ac Latinorum codicum consensu, præsertim cùm nemo veterum hoc lemmate sit usus, cum incertum sit an Lucas sit interpres. Verùm hac de re nihil contendo: Tantùm tribus verbis admoneo lectorem, quò illi cogitandi quærendique materiam suppeditem: quod quidem maximè conveniebat huic argumento, quo profitemur Annotationes, non Definitiones.

Summa rerum capita paucis annotavimus fastidioso lectori. Qui volet rem pleniùs cognoscere, legat Apologiam nostram quâ Fabro respondemus. *Imperitiæ* crimen facilè agnoscam, *impietatis in Christum* nec debeo nec possum agnoscere, cui soli fateor omnem deberi gloriam, longè majorem quàm omnis humana prædicatio queat illi tribuere. Nec est contumelia quòd illi tribuimus Humilitatem, cujus crucem, cujus flagra reverenter adoramus etiam, cujus ignominia nostra est gloria. Atque utinam Faber, dum suam tuetur sententiam, non impetisset simplicem ac sincerum amicum tot dictis odiosissimis, quod illo viro indignum erat, etiamsi quid illi fuissem adversatus. Et tamen quod ad contumeliam attinet, facilè vel negligo, vel amicitiæ condono, vel homini denique ignosco, præsertim cùm quicquid hic criminis aut erroris impingit, sit mihi cum probatissimis Ecclesiæ Doctoribus, imò cum publico totius Ecclesiæ judicio commune. Cæterùm non opinor tantum esse tribuendum amico ut in illius gratiam haberi velis blasphemus & impius in Christum ubi non sis. Et hanc tamen calumniam sic à me depuli, quoad licuit, non læserim amici famam: ut nemini dubium esse possit quin necessitatis fuerit quòd me defendi; Christiani pudoris, quòd à talione abstinui.

9. *Eum verò qui modico quàm ab Angelis*] Τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον, i. e. *Eum vero qui paulum quiddam præ Angelis diminutus est*, si quis verbum verbo reddat: si quis sensum malit, *Eum verò qui paulisper præ Angelis diminutus est.* ¶ *Gratia Dei*] Hic ablativi casûs est χάριτι Θεοῦ, i. e. *per gratiam Dei*, h. e. beneficio Divino. ¶ *Pro omnibus*] Ὑπὲρ παντὸς, i. e. *pro universo*, *sive pro omni* aut *quovis*.

10. *Decebat enim eum*] Hoc ad Patrem est referendum, non ad Filium. Laborat enim in hoc Theophylactus nè præpositio *per* diminuere videatur autoritatem. Nam & *per eum fieri* dicuntur *omnia* à quo fiunt omnia. Proinde non solum de Filio dicitur quòd *per illum condita sunt omnia*, verùm etiam de Patre. Unde *consummare* legendum est activè, non passivè, τελειῶσαι. Certè in exemplari quod nobis exhibuit Bibliotheca Paulina apud Londinum, scriptum visitur *consummare*, licèt depravator aliquis e transpunxerit calamo. Suffragabatur codex Constantiensis vetustior. Sensus enim hic est, *Decebat enim eum*, nempe Patrem, *qui* non unum Filium Jesum, sed cum illo *multos adducere vellet in gloriam, ut eum qui esset Princeps ac Dux salutis cæterorum legitimum & perfectum redderet variis afflictionibus.* Ad eum modum & legit & interpretatur Chrysostomus. Proinde librariorum errore in nonnullis cod. *consummari* scriptum habetur, verbum passivum. Quam tamen lectionem reperio in Commentariis Fabri. ¶ *Autorem salutis*] Ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας, h. e. *Ducem ac Principem.* Nam *autoritas* magis est penès Patrem, juxta D. Hilarium, etiamsi Christus etiam *autor* est.

12. *Laudabo te*] Ὑμνήσω σε, *hymnis celebrabo.*

13. *Fidens in eum*] *In eodem*, πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ. ¶ *Et pueri mei*] *Mei* superest, τὰ παιδία ἅ μοι, i. e. *pueri quos mihi.*

16. *Nunquam enim Angelos apprehendit*] Οὐ γὰρ δήπου, *Non enim videlicet.* Quanquam δὴ Expletiva conjunctio vehementiæ nonnihil addit. Et πού nonnunquam vertitur *alicubi*, ut sit sensus, *Nusquam in Divinis literis legi quòd Deus assumpserit Angelicam naturam.* Quod si probatur, vertendum erat, *Non enim usquam sanè Angelos apprehendit.* Ad eum sensum facit & verbum præsentis temporis. Demiror autem quid secutus interpres Chrysostomi legat, *Non enim quenquam Angelorum apprehendit*, nisi fortè putavit in genitivo ἀγγέλων subaudiri τινὸς verùm is genitivus est verbi. Certè Chrysostomus Græcus non discrepat à nostra lectione. Jam ipse Chrysostomus admonet Metaphoram sumptam ab iis qui cursu insequentes

quentes fugientem occupant ac retrahunt. Angelos lapsos Christus non redemit, nec assumpsit illorum naturam. *Apprehendit* præsentis temporis, ἐπιλαμβάνεται, i. e. *assumit & induit*: quemadmodum & mox, *semen Abrahæ apprehendit*. Quanquam aliàs utatur hoc verbo Paulus pro *assequi*.

17. *Et fidelis Pontifex*] Ἀρχιερεὺς, i. e. *Summus sacerdos*: tametsi sæpius ità vertit. ¶ *Ad Deum*] Τὰ πρὸς τὸν Θεόν, i. e. *in his quæ ad Deum pertinent*, aut *quæ apud Deum aguntur*.

18. *In eo enim*] Ἐν ᾧ γὰρ, *Nam in eo quod*, h. e. *Ideo quod*. ¶ *Et tentatus*] *Et* copula redundat, nec legitur in vetustis Latinorum exemplaribus. Sunt autem meo quidem judicio conjungenda hæc duo, πέπονθε πειρασθεὶς, i. e. *quod accidit illi tentari*, ut participium positum sit loco verbi infinitivi. ¶ *Et eis qui tentantur*] Redundat hic quoque copula *&*. In vetustiore codice Constantiensi quispiam adjecerat in spatio.

VATABLUS.

1. *ABundantiùs oportet observare nos ea*] *Vehementiùs oportet attendere iis.* ¶ *Pereffluamus*] *Perfluamus.*

2. *Prævaricatio*] Vel *contradictio*: sic quædam exempl. Græca.

3. *Initium accepisset enarrandi*] *Primùm cœpisset enarrari.*

4. *In nos*] Vel, *nobis.* ¶ *Contestante*] *Attestante.*

5. *Quo*] Sub *orbe.* ¶ *Loquimur*] Enallage est temporis, præsens enim loco futuri ponitur: i. e. de quo in sequenti testimonio loquemur.

9. *Eum autem qui modicò quàm angeli minoratus est*] *Eum tamen qui paulum quiddam præ angelis diminutus fuit.* Hoc dicitur propter mortem quam subiit: sunt enim angeli immortales. ¶ *Gratiâ*] Ablativus: i. e. per gratiam, h. e. beneficio Divino. ¶ *Omnibus*] *Quovis.* ¶ *Gustaret mortem*] Heb. moreretur.

10. *Eum*] Nempe Patrem. ¶ *Qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem*] Vel, *multis filiis in gloriam adductis, Principem* [Christum scil. Filium.] ¶ *Per passionem consummari*] *Per passiones consummare*, Vet. vel, *perfectum facere.*

11. *Non confunditur*] *Non pudet eum.*

12. *In medio Ecclesiæ*] Vel, *in media concione.*

14. *Communicaverunt carni & sanguini*] Vel, *commercium habent cum carne & sanguine*: i. e. homines sunt.

16. *Nusquam enim angelos apprehendit*] *Non enim videlicet angelos assumit*: i. e. angelorum formam, sed humanam.

17. *Debuit*] *Debebat.* ¶ *Similari*] *Similis fieri.* ¶ *Ad Deum*] i. e. In his quæ apud Deum forent agenda. ¶ *Ut repropitiaret*] i. e. Ad expianda.

18. *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus*] *Nam ex eo* [vel, *ob id*] *quod contigit tentatum esse.*

CASTALIO.

1. *PErfluamus*] Obliviscamur.

CLARIUS.

1. *NE fortè perfluamus*] Ne tanquam rimarum plenis hæc effluant & excidant memoriâ.

2. *Si enim qui per Angelos*] Et ad Galatas ait *Legem ministerio Angelorum ordinatam.* *Si* ergò *quæ per Angelos*, inquit, *dicta sunt* in Vet. Testamento, *stabilia fuerant*, & *peccantes omnes acceperunt justam ultionem*, *nos*, qui ista vidimus, *quo pacto effugiemus*? præsertim cum hìc non temporaria bona sed æterna salus nobis paretur.

3. *Ab eis qui audierunt in nos confirmata est*] *Et cùm cognovissent*, inquit, *gratiam quæ data est mihi*, *Jacobus*, *Cephas & Johannes*, *qui videbantur columnæ esse*, *dexteras dederunt mihi & Barnabæ*, &c. Alii referunt illud *in nos* non ad Paulum solum, sed ad fideles qui tunc erant.

5. *Non enim Angelis*] Hoc sequitur illam superiorem comparationem Angelorum cum Filio Dei. Quod autem ait *orbem terræ futurum*, intelligit futurum spiritualem mundum, *de quo*, inquit, *omnis hic sermo noster agit.* Ipse enim Christus Judex illius *orbis terræ* sedebit, Angeli verò tanquam ministri ac servi astabunt. Vel sic, Superior quidem spiritualis mundus visus est fuisse *subjectus Angelis*, cùm *eorum ministerio data sit Lex*; at *futurus* non ità, cùm per ipsum Dominum hæc allata sit salus.

9. *Quid est homo*] Cur ista nunc addit? Cùm majorem ostendere vellet Christum Angelis, videbatur adversari huic sententiæ illud quod scriptum est; quòd scilicet *paulo minor factus sit Angelis*: idcirco meminit hujus loci ut solvat hanc oppositionem, & solvens ait, dictum esse quòd *imminutus sit ob passionem* & mortem, cui Angeli non sunt obnoxii. Hæc autem conveniunt quidem & in omne Hominum genus, ut dicas, *Quid est homo quod memor es ejus?* neque enim solum dedit ut esset, verùm etiam ut bene esset. Et cum sit *memor* semper, *visitat* eum malè affectum. Quod autem ait *minuisti eum*, hic ejus sententiæ meminit quæ post transgressionem lata est dum morti obnoxius est factus, & hâc re minor Angelis. Verum cum (ut diximus) & de omnibus hominibus hæc dicta sint, in primis tamen ad Christum secundum carnem referuntur, qui Caput omnium est nostrum. Nihil ergo impedit assumpta hominis natura quo minus *subjiciatur* illi *orbis terræ futurus*, cùm Homini, qui *paulò minor factus est Angelis*, ob jam dictam causam *omnia fuerint subjecta.* Tunc vero Dei Filium adorare Angeli sint jussi.

8. *Necdum videmus omnia subjecta ei*] Nondum prædicatione Euangelicâ ubique disseminatâ, nondum apparet omnium Rex.

9. *Ut gratiâ Dei*] Gratia enim sanctissimæ Trinitatis fuit ut Filius pateretur: Nullum enim ob debitum Pater Filium tradidit. Pulcrè autem dixit *gustaret mortem*: nam in ea non mansit, sed duntaxat quodam modo gustavit.

10. *Propter quem omnia*] *Decebat*, inquit, ut Deus & Pater: *in cujus gloriam & quo autore omnia sunt*, *qui* per Unigeniti gloriam *multos filios* munere adoptionis, videlicet homines, *in gloriam adduxit*, *Principem & Autorem salutis eorum* Christum, factum illis similem, qui pati mortem posset, *per passiones consummaret*, atque per crucem perfectum declararet ac gloriosum. Quam vero ob causam ità decebat? *Quia ex uno omnes*, & *qui sanctificat* scilicet, & *qui sanctificantur*; h. e. ejusdem naturæ esse oportet, ut quemadmodum qui perierat, naturâ suâ abusus, eam corruperat, ità alius infinities meliùs eâ utens quàm ipsa requirebat, suâ bonitate totius naturæ malitiam aboleret. Vide autem quid Christus cæteris antecellat: ille enim *sanctificat*, nos *sanctificamur*. *Quam ob causam non erubescit*, inquit, *fratres vocare eos.* Nam unitâ sibi carne, fraternitatem continuò induit. Dicens autem *erubescit*, declaravit differentiam. Neque enim secundum naturam, quamvis verè sit homo, sed benignitate frater est, quandoquidem est & verè Deus.

13. *Ego ero fidens in eum*] Hoc testimonium adhibitum est ad acceptam Humanitatem ostendendam.

15. *Qui timore mortis*] Erant ante devictam mortem homines obnoxii servituti ob ipsius mortis metum, & nihil liberè, uti nunc, agere audebant. Quem enim non perterrefaceret Mortis nomen? At nunc ii qui antea tanquam maximum supremumque malorum omnium mortem formidabant atque aversabantur, jam quasi melioris vitæ principium ad eam læti accurrunt, si quando opus est pro Christo ac ejus Legibus pati. Quod cùm sit, an non manifestè patet, Servatorem Christum liberasse nos & *timore mortis* & *servitute*? Videtur & posse intelligi de iis qui non amore Dei sed timore pœnæ tanquam servi subjiciebantur: per Christum verò invecta libertas est, quâ ut filii ducimur per viam Dei.

16. *Nusquam enim Angelos*] Justum, inquit, fuit ut hâc viâ ingrederetur, quandoquidem non Angelicam sed Humanam accepit naturam, *cui debuit per omnia similis fieri*, *ut esset misericors & fidelis* veraxque *Pontifex*, cujus proprium est eos quorum est Pontifex *liberare à peccatis*, tanquam medium atque intercessorem.

18. *In eo enim in quo passus est*] Videtur enim experientia magis misericordem efficere: verùm propter id quod ait, *potest iis qui tentantur auxiliari*, possumus sic intelligere; Quoniam, quamvis haberet corpus nulli peccato obnoxium, *tentatus est* tamen *ac passus*, justum fuit ut jus haberet adversùs Malignum illum, & homines qui ab eo detinebantur ipse eriperet, ac *opitulari posset iis qui tentarentur.*

ZEGERUS.

1. *PRopterea abundantiùs oportet nos observare*] Cùm, inquit, per proprium Filium nobis sit locutus, cumque tanta sit hujus Filii dignitas, excellentia & majestas, diligentiùs oportet oculos animumque advertere ad ea quæ nobis ab ipso tradita sunt. ¶ *Ne fortè pereffluamus*] i. e. Pereamus, sive à veritate excidamus.

3. *Quæ cùm initium accepisset enarrari* [al. *enarrandi*] *per Dominum*] Hæc salus, inquit, primùm enarrari cœpit à Domino Salvatore. ¶ *Ab iis qui audierunt*] Jungendum est cum illo, *confirmata est.*

5. *Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur*] Referenda sunt hæc non ad proximè præcedentia, sed ad ea quæ c. 1. de Christi excellentia dicta sunt. Præmiserat autem, post alia dicente ad Filium Patre, *Sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* nunc ab interpositis digressus subdit, *Non enim Angelis subjecit orbem terræ qui tandem futurus erat, de quo loquebamur* modò, dicentes, *Cùm introducit primogenitum in orbem terræ. Futurum* autem dixit orbem quia conditus est, & aliquando nil exstitit: & erat *futurus* quoad essentiæ Filii perpetuitatem. Cæterùm *enim* pro *autem* aut simili vocula posuit.

6. *Quid est Homo quòd memor es ejus*, &c.] Hæc de homine mortali propriè dicta Apostolus in sequentibus ad hominem Christum refert. ¶ *Filius hominis*] i. e. Adæ. Hebræis abjectivè pro *homine vili ac fragili* dicitur.

7. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*] Hoc de quovis homine dictum, ut modò indicavimus, ad hominem Christum refertur, qui juxta humanitatem modico tempore Angelis, sive, ut aliis placet, Deo, inferior factus est. אלהים quippe plurali terminatione *Deum* vel *Deos* & Angelos significat. Clemens tamen hujus interpres Epistolæ τὸ, παρ' ἀγγέλους, posuit pro eo quod in Psalmo est מאלהים.

10. *Decebat enim eum per quem omnia*, &c. *consummari*] Si legeris *consummari*, intelligenda hæc erunt de Filio per passionem consummato, h.e. ad gloriam perducto: si verò *consummare*, accipienda erunt illa, *decebat eum per quem omnia*, qui multos filios in gloriam adduxerat, de Patre *autorem salutis* Christum *per passionem consummante*, i.e. perficiente.

11. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno*] Scilicet autore Deo *omnes*, tam *qui sanctificat* Christus, quàm *qui sanctificantur* mortales.

13. *Ego ero fidens in eum*] *Ego* Christus *ero fidens in eum*, nempe Patrem Deum. Locus est apud Prophetam Psal. 18. 2. ubi nos legimus *sperabo in eum*.

14. *Quia ergò pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter*] Quemadmodum, inquit, pueri illi de quibus locutus sum carni participarunt & sanguini, horumque incommodis fuere obnoxii, nimirum mortalium hominum filii; ità & Christus voluit eisdem corporis malis fieri obnoxius.

16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*] Sentit nusquam in Divinis literis legi quòd Christus Angelicam naturam assumpserit redimendam, sed Humanam apprehendit, ab Abrahæ semine nascendo. Chrysostomi versi contextus habet, *Non enim quenquam Angelorum apprehendit*.

18. *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari*] In ea videlicet carne in qua passus est ipse Dei Filius, potens est etiam nobis auxiliari nè tentationibus succumbamus. Vel ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς, &c. potest esse, *Ex eo quod passus & tentatus est ipse, potens & propensior est tentatis succurrere*.

H. STEPHANUS.

1 MH' ποτε παραῤῥυῶμεν] *Nè dilabamur:* q. d. nè dilabatur nobis & effluat illa salus.

4. Συνεπιμαρτυροῦντος τῷ Θεῷ.] *Simul etiam testimonium illis præbente Deo.*

7. Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους] *Fecisti eum paulò inferiorem Angelis.*

10. Τελειῶσαι] *Consecrare:* vel *sanctificare.*

DRUSIUS.

6. QUid est Homo?] Propheta usus fuit nomine אנוש ENOS, in quo sensus *doloris & ærumnæ*, quasi *animal* dicas *plenum doloris & ærumnosum*. Cæterùm Eusebius novam originationem adducit quæ huic loco optimè quadrat: nam interpretatur ENOS ἐπιλήσμων, παρὰ τὸ נשה *obliviscor*, q. d. *Quid est animal illud obliviosum* (nam citò Creatoris sui obliviscitur) *ut ejus memor sis?*

7. *Ab Angelis*] Vox Hebræa ambigua est: nam reddi potest *à Deo* ELOHIM enim & *Deum* & *Angelos* denotat.

9. *Gratiâ Dei*] Χάριτι Θεοῦ. De variante lectione χωρὶς Θεοῦ vide Fabrum Semest. lib. 3. c. 12. pag. 158. Vide quinetiam Theodorum.

12. *Fratribus meis*] *Fratres suos* appellat filios Abrahæ, à quo & ipse oriundus erat. Vide infrà v. 16, & 17.

CAMERON.

1. MH'ποτε παραῤῥυῶμεν] Παραῤῥυῆναι Græcè ea dicuntur quæ excidunt animo. Estque hæc locutio non modò apud profanos autores qui Græcè elegantissimè scripserunt usitata, sed in Sacris etiam libris usurpata, ut Prov. 3. 21. μὴ παραῤῥυῇς, *nè excidant*, ubi in Hebræo est אל ילזו *ne desiciant à te, nè recedant:* sed videntur legisse אל ילוזו. Sed sic hæc locutio refertur ad res, Metaphorâ ductâ ab Aqua, quæ nisi quodam conceptaculo contineatur facilè diffluit. Sed & de Personis, non modò de Rebus, eadem locutio venustissimè item usurpatur. Enimvero solent Latini scriptores eleganter hominis animum Vasi assimilare. Lucretius lib. 6. statim initio.

> *Intellexit ibi vitium vas efficere ipsum,*
> *Omniaque illius vitio corrumpier intus.*
> *Quæ collata foris & commoda cumque venirent:*
> *Partim quod fluxum* (h. e. παραῤῥυὲν) *pertusumque esse videbat,*
> *Ut nullâ posset ratione explerier unquam.*

Etiam D. N. Jesus Christus hominis mentem vasi similem fecit: *Nemo*, inquit, *infundit novum vinum in utres veteres, nè rumpantur, & diffluant*, μὴ παραῤῥυῶσι. Et hic operæpretium est Metaphoræ concinnitatem observare. Non enim confertur hominis animus cum vase ideo tantùm quòd debeat retinere visa, audita, meditata, sed quòd debeat esse instar thesauri & pyxidis unde audita, dicta, visa, meditata depromantur quando usus postulat. *Homo bonus*, inquit Christus, *ex bono thesauro cordis sui*, &c. Quemadmodum igitur & liquor *diffluere* dicitur cùm non continetur, sic vasa item dicuntur *diffluere*, omnibus ferè linguis, cùm non continent. Et non est prætereunda vis præpositionis παρὰ· nam ἐκρυῆναι aliud est: & ἐκρυῆναι *effluere* vas sæpe expedit, ut cùm vitiorum, & earum rerum quarum recordatio nocet magis quàm prodest, memoriam ex animo delemus, vel etiam ea nobis alia cogitantibus ultrodelentur: quod accidit bonis viris. Sed hoc nihil minus est quam παραῤῥυῆναι *diffluere*; id quod iis tantùm contingit qui ea quæ omni studio memoriæ semel mandata debuerunt retineri passi sunt elabi.

2. Δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος] Quæri hic possit an is qui in monte Sinai allocutus est Mosem & populum, fuerit ipse Deus, an verò Angelus aliquis: & dubitandi ratio est manifesta. Nam si fuit Deus, quomodo eo deprimit hic Legem Apostolus quod sit doctrina seu λόγος λαληθεὶς δι' ἀγγέλων, quasi in hoc doctrinâ Euangelicâ inferior esset, quæ scilicet non fuerit λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων; sed ἐν τῷ υἱῷ? non enim Filius Patre præstantior est. Sin Angelos dicamus eos qui decem illa verba Legis protulerunt, quomodo Angelo ea oratio poterit convenire, *Ego sum Deus tuus*, &c. Nam frigidum est quod nonulli adferunt, Angelum tanquam Dei Legatum nomen Dei usurpare. Sanè patroni clientum personas sæpe induunt: At nè fando quidem unquam auditum est, ullum Legatum, cum Principis sui mandata proponit, aliter loqui quàm in tertia persona, *Princeps meus hæc dicit.* Cujus rei illustre testimonium habemus apud Prophetas, apud quos nimirum solennis formula est, *Dicit Dominus.* Imò in visionibus Angeli profitentur se missos. Quid igitur statuendum est? Quomodo Lex dicenda est λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων? Nempe, Verborum illorum quibus concepta fuit Lex in aere sonus Angelorum operâ fuit efformatus, (quomodo amanuenses pingunt in charta symbola earum notionum quæ sunt in heri mente, &, si res poscit, in heri persona:) Id quod Angelorum vires non superat: nam certè tantum possunt quantum Cacodæmones, qui in hoc genere tantundem præstant. Nec est quòd quis quærat potueritne Deus solo nutu sine Angelorum operâ vocem illam effingere: nam omnino sanè potuit, sed libuit Deo uti in hoc genere Angelorum operâ. Potuit solo nutu Sodomam perdere, exercitum Sancheribi delere; non fecit tamen. At verò, dicet aliquis, si solo Dei nutu id fuisset effectum, annon visa fuisset ea vox potiùs dicenda *Dei vox*? Minimè verò: neque enim Deus utitur voce: hoc imperfectionis est: sed tamen *vox Dei* dicitur quæ extraordinariâ quadam ratione ad mentem Dei exprimendam in aëre fit. Sic tonitru dicitur *vox Dei*, quanquam certum sit tonitru non proficisci à Deo immediatè. Sic Jobum dicitur *Dominus allocutus è turbine*, quod Angeli operâ productum tonitru atque articulatum mentem Dei exprimeret. Itaque Lex dicitur λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων, quia Angelorum operâ factum est ut repræsentata fuerit quædam λαλιὰ Israelitis. Nempe tonitru & procellâ Lex data est, & quidem tonitru faciente vocis verborum Legis materiam, ad quam accedere necesse fuit quam vocant articulationem Angelorum operâ.

3. Ἀρχὴν

3. *Ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι*] Duo hîc possunt Lectorem habere solicitum; primùm, quòd videtur autor hujus Epistolæ *prædicationem salutis* inchoare à Christi temporibus; deinde vero, quod videtur innuere inchoatam illam *prædicationem* à Christo, ab eodem non fuisse absolutam. Prius illud facilè solvitur. Etsi enim Moses & Prophetæ de salute & vita æterna locuti sint, tamen id fecere obscurè & pro illorum temporum ratione. Deinde, *salutis prædicatio* ea propriè appellanda est quæ & partæ salutis rationem explicat, & ea nunciat gesta esse quibus salus parta est. Non enim *Euangelium* dici potest nisi earum rerum quarum est *ἀγγελία*: Atqui jam præteritarum solummodo rerum est *ἀγγελία*: Itaque præteritarum tantùm est Euangelium. Ergo salus ante Christum exhibitum prædicata quidem est, sed non ità ut ea prædicatio *Euangelium* dici propriè possit. A Christo vero hactenus *inchoata* salutis prædicatio dici possit, quatenus consideratur Christus agens in terris. Nam si Christum spectemus etiam sedentem ad dexteram Dei Patris, indeque mittentem Spiritum S. hoc pacto tum *inchoata* tum *prafecta* etiam dici possit à Christo Euangelii prædicatio. Sed hic mentio fit *τοῦ λαλεῖσθαι*, *locutionis Christi*: Itaque agitur de Christi prædicatione in terris, cùm dicatur *salus cæpisse λαλεῖσθαι διὰ Χριστοῦ*. Dicitur autem *cæpta* tantùm à Christo in terris salutis prædicatio: Cùm enim Euangelii prædicatio duabus in rebus sita sit, Primùm, ut res præteritæ narrentur, quî potuit Christus in terris agens mortem suam, resurrectionem, ascensum in coelos, sessionem ad dexteram Dei, vocationem Gentium, &c. prædicare? Deinde, cùm hæ res ità debeant narrari ut remoto velo & omni involucro proponantur, futurarum vero rerum in hoc genere ea est conditio ut quamdiu sunt futuræ obscurior debeat esse earum notitia, oportuit res istas à Christo tradi obscuriùs, quia non debuerunt proponi apertius.

4. *Σημείοις τε καὶ τέρασι καὶ ποικίλαις δυνάμεσι*] *Σημεῖα* Hebraicè אותות, *τέρατα* מופתים, & *δυνάμεις* גבורות unum idemque sunt, quemadmodum 1 Tim. 2. 1. *δεήσεις, προσευχαὶ, ἐντεύξεις* unam eandemque rem diversis nominibus significant. Neque verò hæc vocabulorum accumulatio pro *ταυτολογίᾳ* est habenda. Etsi enim idem significatur, tamen non eodem modo significatur. Nam miracula dicuntur *σημεῖα* quia *signa* sunt præsentiæ Divinæ, atque eorum proprius usus est ut confirmetur fides nostra: *τέρατα* verò, quòd homines *dent in stuporem*, non modo rapiant in admirationem; terrorem enim incutiunt: nam *τέρας* dicitur quasi *τρέας*, *ἀπὸ τοῦ τρεῖν*, quod est *tremere, pavere, terreri*: *δυνάμεις* vero, quia in eis elucet Dei *potentia*; ut certè vera miracula sine vi infinita patrari nequeunt. ¶ *Πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς*] *Μερισμοὶ πνεύματος* sunt varia illa dona Spiritûs S. quæ & *χαρίσματα* vocantur, de quibus Apostolus fuse 1 Cor. 12. 4. Et *μερισμοὶ* quidem, quod nemini uni indulgentur omnia, sed unicuique suum peculiare donum; deinde vero, quod eadem dona non eâdem copiâ singulis tribuebantur. *πνεύματος* vero *μερισμοὶ*, quod, ut docet Apostolus eodem illo loco, *Spiritus hac dona pro arbitrio impertiebatur*.

5. *Οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν*] Status Ecclesiæ Christianæ hic ab Apostolo *οἰκουμένη* propterea vocatur quòd verba Psalmi, quæ mox Apostolus interpretaturus est, ab adversariis potuerunt intelligi de mundo hoc quatenus habitabilis est & cultus, quomodo Hebræi תבל dicunt; idque opponunt *τῷ* מדבר *deserto*, quasi *οἰκουμένην ἐρήμῳ* opponeres: hinc factum est ut *οἰκουμένης* vocabulum usurparit Apostolus. *οἰκουμένη* vero *μέλλουσα* vocatur quia non agit hoc loco Apostolus de statu Ecclesiæ qualis est in hac vita: nam nè hactenus quidem est *οἰκουμένη*. Mundus enim Ecclesiæ desertum est, *οἰκουμένη* Ecclesiæ est in coelo, sicuti Israëlitarum in terra Canaan. Dicitur autem *mundus ille futurus non esse Angelis subjectus*, quia opponitur hîc ab Apostolo *mundus ille futurus* huic mundo, qui Angelis tum bonis tum malis est subjectus, quamvis diversissimâ ratione; his ut tortoribus, grassatoribus, prædatoribus; illis ut Dei Ministris. At *futurus mundus* soli Christo subjectus est; quem hoc nomine Angelis præfert.

6. *Τί ἐστιν ἄνθρωπος*] Cùm Psalmus ex quo ista desumpta sunt primâ fronte nihil aliud continere videatur quàm deprædicationem summæ Dei erga Hominem bonitatis, quæ se prodidit in excellentia Hominis quâ Deus eum in prima creatione ornavit, cum eum constituit Dominum universi hujus orbis terrarum, cui tota hæc mundi machina veluti ministrat, cujus dominii & præstantiæ Hominis supra reliquas omnes creaturas conspicienda se præbent etiamnum hodie vestigia quædam, licèt obscura valde ob peccati labem, mirum non immeritò videri alicui possit quàm aptè quæ sic de Homine in naturali illo suo statu considerato à Propheta dicta videntur, ea Christo singulariter applicentur, quasi de eo primò & propriè dicta essent. Itaque ut hic scrupulus eximatur, utque nè Apostolus abuti videatur hoc Prophetæ testimònio, ostendendum est, totum illum Psalmum non esse de prima Hominis creatione intelligendum, neque de hodierno Hominis naturali post peccatum statu, sed de Christo & fidelium per Christum restauratione acaccipiendum esse necessario. Multa igitur sunt quæ obstant quò minùs hic Psalmus referri possit ad primam creationem: Illud primùm, quod continet gratiarum actionem: Atqui non est verisimile Ecclesiam gratias Deo agere ob Creationem, tacito Redemptionis opere. Deinde, quibus beneficiis pii exciderunt, ea quoties commemorant cum gratiarum actione, toties agnoscunt miseriam in quam suâ culpâ delapsi sunt, simul etiam petunt ut in locum unde dejecti sunt restituantur: quorum nihil hoc Psalmo fit. Huc & illud accedit, quòd Deus dicitur hoc Psalmo propagasse usquequaque totâ terrâ gloriam nominis sui: id quod nonnisi ad Ecclesiam Judæorum & Gentium pertinet. Nam primâ creatione gloria nominis Dei non latiùs patuit quàm Paradisus: nondum enim erant alibi qui nominis Dei laudem celebrarent. Adde quòd non quadrant primæ creationi illa verba, *Ex ore infantium & lactentium*, &c. hæc verò multò minùs, *propter eos qui tibi adversantur, ad compescendum hostem*. Sed & illa ותחסרהו *ἠλάττωσας αὐτὸν* ad primam creationem nequeunt referri: notant enim, si eorum propriam vim æstimemus, conditionis mutationem in pejus. Unde & apparet quàm rectè LXX. Interpretes מעט verterint *βραχύ τι*, & מאלהים *παρ' ἀγγέλους*, illud, quoniam מעט ad Tempus etiam refertur, Hos. 1. 4. hoc verò, quia tota sententia frigida foret & inepta si אלהים *Deum* significaret. Quis enim putet Prophetam voluisse *Hominem*, vel in prima creatione, fuisse summo *Deo paulo inferiorem*? Deinde, manifesta antithesis, quæ huc redit, *Ad exiguum tempus eum Angelis reddidisti defectiorem, at postea gloria & magnificentiâ coronasti eum*. Objici posset, Hominis dignitatem sic describi ut illi subjiciantur boves & oves; quod non videtur quadrare restaurationi Ecclesiæ per Christum. Imò vero, inquam, si hic ageretur de prima creatione, minima hæc foret pars tantæ dignitatis: sed sic solent Prophetæ gloriam Regni Messiæ describere verbis res terrenas significantibus, ut Psalm. 72. 16. *Frumentum det fragorem in vertice montium*, &c. Sic ergo ostensum est Psaltem eo Psalmo non agere de Hominis creatione, & donis per creationem Homini collatis; sequitur ergo ut de Ecclesiæ redemptione, deque donis quæ fidelibus per Christum & redemptionis gratiam collata sunt, isthîc agatur. Quod ut fiat manifestius, tenendum est quæ sit hoc capite Apostoli mens; hæc nempe, Christum supra Angelos evehere, eumque illis longè superiorem probare: id quod facit hoc argumento; *Deus non Angelis sed Christo subjecit τὴν μέλλουσαν οἰκουμένην futurum seculum*, v. 5. *Ergò Christus est Angelis superior*. Antecedens illud quoad priorem ejus partem, nempe, *Deum non subjecisse Angelis futurum seculum*, sic probat, *Deus homini subjecit futurum seculum, Ergo non Angelis*. Probat autem *Homini à Deo subjectum esse futurum seculum*, adducto Davidis ex Psal. 8. 6, 7, 8. testimonio, hoc modo, *Omnia*, teste Davide, *à Deo homini sunt subjecta*, v. 8. Jam verò subjectio illa non est accipienda de subjectione rerum quæ concessa est Homini à Deo in prima creatione, h. e. de potestate quam tum Homo accepit à Deo in omnia manuum ipsius opera, cujus Moses meminit Gen. 1. 28. Ergò intelligendum est illud Davidis dictum de subjectione *τῆς μελλούσης οἰκουμένης futuri seculi*. Probat autem dictum illud Davidis non debere accipi de subjectione hujus seculi Homini à Deo in creatione facta, indè quia scilicet non videmus illud Davidis dictum compleri in hac vita, in hoc seculo, *Non enim videmus nunc omnia pedibus hominis esse subjecta*. Imo vero tantum abest ut Homo omnibus creaturis dominetur, ut contrà eas habeat & experiatur sæpissime inimicissimas. Quandoquidem ergo in hac vita & hoc seculo non videmus omnia esse Homini subjecta, & Scriptura solvi non potest, necesse est ut illud Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*, non de subjectione rerum in hac vita intelligatur, sed de ea quæ futura est in venturo seculo, in quo verè omnia & plenè Homini subjicientur. Sic probat Apostolus *non Angelis sed Homini subjectum esse à Deo futurum seculum*. Sed præterea probat idem Apostolus, *Christo subjectum esse futurum seculum*, deque eo intelligendum esse illud Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*: & quidem hoc pacto id probat, *Illi subjectum est futurum seculum*, sive, *Illum honore & gloriâ coronavit Deus* (sunt enim ista duo Apostolo hic *ταυτοδυναμοῦντα*) *quem prius Deus ἠλάττωσε παρ' ἀγγέλους*, v. 7. *Sed Jesus Christus is est quem Deus ἠλάττωσε βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. Ergo Christus is est cui futurum seculum à Deo subjectum est*, sive, *quem Deus honore & gloriâ coronavit*. Ubi observandum est, *βραχύ τι* isthic non significare *paulo infra*, uti vulgo redditur, sed *ad breve tempus*, quod ab ipso Apostolo explicatur v. 9. verbis illis, *διὰ τὸ πάθη-*

ϰα τοῦ θανάτυ, h. e. *per illud tempus quo passus est mortem.* Atq; e hinc liquet verba Psaltis propriè & primo de Christo esse accipienda, qui *ad breve tempus* (passionis nempe suæ tempore) factus est respectu naturæ suæ humanæ *Angelis inferior*, non vero de humano genere, cui illud βραχύ τι *ad breve tempus* non potest accommodari. Agitur ergo eo Psalmo de dominio quod Christus accepit in omnes omnino Dei creaturas, nullis exceptis, etiam in Angelos, (nam *in eo quod Deus illi subjecit omnia, nihil omisit quod non sit ei subjectum*) sive de gloria & honore illo quo Deus Christum post mortis passionem, resurrectionem, in cœlum ascensionem coronavit, cùm eum evexit & collocavit in cœlo à dexteris suis supra omne nomen tam in cœlo quàm in terra. Nam *hodie videmus Jesum gloriâ & honore coronatum, qui* paulo antè *ad breve tempus propter mortis perpessionem factus fuerat Angelis inferior*, v. 9. Ubi observanda est oppositio quam isthic facit Apostolus inter Christum, qui *gloria & honore coronatus est*, cujusque *pedibus omnia subjecta sunt*, & Hominem, cui v. 8. negat *omnia esse subjecta.* Sic enim demonstrat Apostolus Davidis dictum non posse (uti loquuntur in Scholis) verificari de Homine, sed de solo Christo. Sic itaque breviter disputat Apostolus; *Scriptura solvi non potest*, sed necesse est ut complementum suum sortiatur; Illa autem testatur, *omnia hominis pedibus à Deo esse subjecta*; quod cùm *non videamus* jam fieri *in hoc seculo*, necesse est ut tandem aliquando, nempe in futuro, id verum comperiatur, cùm scilicet fideles per Christum miseriis omnibus hujus vitæ soluti in cœlum transferentur & supra omnes creaturas evehentur. Hæc autem gloria fidelibus non primò & per se sed propter Mediatorem Christum competit, adeoque eorum Capiti primariò convenit, qui homo factus, cùm morte suâ hominem redemisset, post passiones suas cum summa gloria in cœlum evectus est, & supra omnes creaturas constitutus. De quo solo propterea & propriè verificatur (ut ità dicam) Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*, de fidelibus autem in futura vita nonnisi secundario & per participationem seu communionem quam habent cum Capite suo Christo.

10. Διὰ παθημάτων τελειῶσαι] Vox τέλειος ut plurimùm quidem & primo ad Cognitionem in Pauli scriptis, sed etiam non raro ad Mores refertur. Nempe duplex est cognitio, est enim cognitio quædam quæ sita est in nuda perceptione rerum, & est quæ sita est in experimentis: Et quomodo secundùm priorem illam cognitionis speciem τέλειοι à Paulo dicuntur qui summum, h. e. maximum, cognitionis mysteriorum Divinorum gradum assecuti sunt, quantum scilicet in hac vitæ istius caducæ infirmitate assequi possumus, ità secundùm posteriorem istam cognitionis speciem τέλειοι dicuntur qui docent reapse & factis se verè didicisse quod se didicisse profitentur. Unde Jacobus 3. 2. τέλειον vocat eum qui potest continere linguam, & Christus Matth. 5. 45. τελείυς vocat eos qui patientes sunt. Est nempe quoddam *discere experimentale*, ut ità loquamur, secundùm quod Christus dicitur *didicisse obedientiam ex iis quæ passus est*, cap. 5. 8. Atque hoc respectu dicitur hìc τελειωθεὶς διὰ παθημάτων, Metaphorâ ductâ ab humana infirmitate; Christus nempe veluti *initiatus est* & tandem *perfectus* omni virtutis experimento & documento.

11. Ἐξ ἑνὸς πάντες] Ἐξ ἑνὸς nec Deum Patrem, nec Adamum, neque vero etiam naturam humanam significare videtur. Nam si vel ad *Deum* vel ad *Adamum* referretur, ratio conformitatis nostræ cum Christo non esset manifesta: nam etiam Angeli sunt ex Deo, & impii homines ex Adamo. Atqui certum est Apostolum rationem reddere cur Christum nobis, nos Christo conformes esse oporteat, idque juxta eam conformitatis rationem quæ Angelorum cum Christo conformitati non competit. Cæterùm inter impios & Christum nulla conformitas est, ut hic Christus non sit ut homo simpliciter considerandus sed ut homo sanctus. Quid igitur statuendum est? Nempe videtur Apostolus hàc locutione ἐξ ἑνὸς designare Paritatem conditionis, spiritualis, inquam; quasi juxta nostrum considerandi modum Deus mente concepisset Ecclesiæ suæ ideam quandam quæ in uno aliquo esset per omnia sibi similis; deinde vero voluerit Caput & Sanctificatorem Ecclesiæ Christum ejusdem esse conditionis cujus est Ecclesia tota. Fortasse etiam alluserit ad id quod jure Levitico factitari solitum est, quo jure delibatæ ex acervo primitiæ acervum sanctificabant, cùm essent primitiæ & acervus ἐξ ἑνὸς, h. e. *ex eadem massa.* Quod siquis quærat quid sit id tandem, respondebimus id esse quod Paulus vocat *imaginem Dei*, item *novam creaturam*, quod 2 Pet. 1. 4. dicitur θεία φύσις, præterea verò conditio quæ Dei imaginem sequitur, nempe afflictionum communio. Uno verbo ἐξ ἑνὸς est *ejusdem naturæ & conditionis spiritualis.*

13. Ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ] Mirum videri possit qui faciat iste locus ad Apostoli propositum. Nempe docuerat Apostolus v. 11. Christum *sanctificatorem & fideles sanctificatos esse ἐξ ἑνὸς*, h. e. *ejusdem conditionis & naturæ spiritualis.* Id vero inde probat quod & Christus in diebus carnis suæ *in Deo spem suam collocavit*: id quod non est Dei, sed nec illius creaturæ quæ non angitur & conflictatur rebus adversis. Ex quo patet eo quod etiam *Christus Deo confidit*, utrumque Christo convenisse, ut Homo esset, sed qui Spiritu Dei ageretur, sine quo nulla in Deo confidentia est; idemque Homo ærumnosus. Non enim Angelis neque beatis spiritibus convenit illud, *Ego confidam in ipso*: cujus rei hæc ratio est, quod hæc confidentia spem habet & exspectationem, cui nullus locus esse potest postquam datum est frui summo Bono. Itaque in S. Scriptura etsi piis hæc oratio tribuitur, attamen iis nunquam tribuitur nisi tum cùm in maximis animi angoribus versantur. ¶ Καὶ πάλιν Ἰδοὺ, &c.} Cùm hæc verba Ἰδοὺ ἐγὼ, &c. immediatè apud Esaiam sequantur præcedentia, Ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, mirum videri possit cur Apostolus inter ea interserat ista καὶ πάλιν. Crediderim ideo id factum quod diversum sit quod instituit probare; itaque illud καὶ πάλιν non respicit verba quæ profert ex Propheta, sed scopum disputationis. Nam duo erant Apostolo probanda autoritate Scripturæ; Primùm, conditionem Christi eandem debuisse esse quæ nostra: hoc jam probavit ex illo loco ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ· deinde vero, conformitatem naturæ spiritualis nobiscum: id etiam verbis illis jam probavit, sed obscurius. Itaque idipsum instituit apertè & directè probare istis verbis, *Ecce ego & pueri quos mihi dedisti.* Potest etiam & illa afferri ratio, Quod verba illa, Ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, pars versiculi sunt, & quidem ultima; unde factum sit ut cùm Hebræorum more sequens versus disterminatus sit à præcedente per *Soph pasuc* quem vocant, eum versum Apostolus citavit acsi nova esset sententia & longo distaret intervallo: quomodo v. g. qui prudenter distinctionem librorum Sacrorum in certa quædam capita, quia usu jam recepta est, observant, etiamsi cohæreat initium capitis cum fine præcedentis, attamen in citationibus non continuo utrumque versum jungunt. ¶ Καὶ τὰ παιδία, &c. Cùm *Christi fratres* passim dicamur in N. T. mirum videatur quomodo hic παιδία ejus dicamur. Sed nihil necesse est ut sic verba Prophetæ accipiamus ac si diceremur παιδία Christi: nam verborum sensus constabit si dicamur *liberi* respectu Dei, sed quos Deus eo *liberos suos* fecit quod nos Christo tradidit, juxta illud, *Nemo venit ad me nisi Pater trahat illum*: & illud etiam, *Quos dedisti mihi ego custodivi*, &c. Sed & illud παιδία ità licet interpretari, ut etiam Christi respectu παιδία dicamur, sed quomodo Prophetæ de Christo loquuntur. Nam apud Esaiam 53. 10. *posteritas* illi tribuitur: & dubium non est quin eodem spectet illud apud eundem, *Generationem ejus quis enarrabit?* v. 8. Et Psal. 110. 3. *ros juventutis tuæ* haud dubiè ponitur pro multitudine הילדים παιδίων quanta est guttarum roris.

14. Παραπλησίως] Παραπλησίως, ὁμοίως, τὸν αὐτὸν τρόπον eadem sunt apud bonos autores, nempe usurpantur aliquando de rebus numero diversis at specie iisdem. Fortè etiam Apostolus eo spectavit ut notaret differentiam simul & convenientiam humanæ naturæ in Christo & in nobis, quæ multiplex est. Primùm enim in nobis humana natura non modò est σὰρξ καὶ αἷμα, verùm etiam ἐκ σπερμὸς καὶ αἵματος. At in Christo est quidem illa, quod ad substantiam attinet, σὰρξ καὶ αἷμα, sed ἐκ πνεύματος ἁγίυ. Deinde vero etiam in dotibus animi naturalibus, quas vocant, Christus infinitis partibus nobis antecelluit. Tertio, Omnes ejus affectus pravis & vitiosis perturbationibus vacarunt. Denique, humana natura non sola seorsim in eo existebat, quod *subsistere* vocant, sed conjuncta cum natura Divina.

16. Οὐ γὰρ δήπυ ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, &c.} Doctissimi Interpretes unanimi consensu verbum ἐπιλαμβάνεσθαι ad naturæ assumptionem in Personæ unitatem retulerunt. Sed primò hæc non est vis verbi ἐπιλαμβάνεσθαι, ut significet *assumere in unionem personæ*: quin ἐπιλαμβάνεσθαι propriè est *apprehendere*: unde factum est ut etiam *opitulari* significet, Sirac. 4. 12. καὶ ἐπιλαμβάνεται, Sapientia nimirum, τῶν ζητούντων αὐτὴν, *opitulatur quærentibus ipsam.* Nam qui in summo discrimine versantur, vel qui se jam ultro in perniciem conjecerunt, eos si fieri potest injectâ manu asserimus, juxta illud Judæ 23. ὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ τῦ πυρὸς ἁρπάζοντες. Ergo non sine elegantia quadam traductum est hoc verbum ad id significandum quod sub finem versûs præcedentis ἀπάλλαξιν vocavit. Deinde, quemadmodum dura nimis locutio foret, *Filius Dei assumpsit homines*, dum id volumus tantùm significatum, *Filius Dei assumpsit naturam humanam*, ad eundem modum & hæc itidem locutio, *Filius Dei assumpsit Angelos*, ad significandum *Filium Dei assumpsisse naturam Angelicam*, pariter dura videri possit. Tum etiam vix dicimus

dicimus Filium Dei *assumpsisse hominem*, quanquam *hominem factum* tradat Scriptura: qui ergò Angelicam negatur assumpsisse naturam, cur non negatur potiùs *factus Angelus* quàm *Angelos assumpsisse*? Denique, omnino Apostolus ostendit v. 17. *Christum oportuisse per omnia nobis esse similem*, hàc ratione, quòd *non assumpsit Angelos, sed semen Abrahæ*: Atqui si ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραὰμ est *assumere naturam humanam*, idem videbitur probasse per idem; nam *fieri nobis per omnia similem* & *assumere naturam nostram* non videntur re sed verbis tantùm differre. Quòd si ἐπιλαμβάνεται pro ἀντιλαμβάνεται ponitur, omnia quadrant; ut hæc sit mens Apostoli, *Christus non venit redempturus Angelos, sed Homines; itaque oportuit Christum hominibus esse similem, fratribus nimirum suis*: nam *semen Abrahæ* hìc sunt credentes; porrò soli fideles sunt *Christi fratres*. Sic suprà collegit, *Quoniam παιδία κεκοινώνηκε αἵματος καὶ σαρκὸς, ipse similiter eorum particeps factus est*. Ergò παιδία, ἀδελφοὶ, σπέρμα Ἀβραὰμ, ἁγιαζόμενοι iidem sunt, *credentes* nempe. Adde quòd assumptionis naturæ humanæ in unitatem Personæ actio momentanea, non continua, fuit. Itaque eam Apostolus paulò superiùs verbo præteriti temporis μετέσχε significavit, cujus hæc est vis ut duarum naturarum unionem aptè designet. Non enim merus homo μετέχειν naturæ humanæ propriè dici possit: itaque Apostolus dum meminit τῶν παιδίων, non dixit eos μετέχειν sed κοινωνεῖν αἵματος καὶ σαρκὸς. At opitulandi actio Christi continua est, cæterum actio continua nullo tempore convenientius quàm præsenti repræsentari potest. Nam sicut in Linea fingunt Puncti productionem, sic in Temporis continuatione fingimus promotionem quandam Præsentis: quod quale sit præter id quod νῦν vocant animo capi non potest. Hæc igitur causa est cur ἐπιλαμβάνεται dixerit Apostolus, non verò ἐπελάβετο. Objiciunt nonnulli, Christum opitulatum esse Angelis, quatenus per eum confirmati sunt in bono, itaque fore ut Apostolus negarit quod res est, si ἐπιλαμβάνεται significat *opitulari*. Sed quemadmodum non omne Christi beneficium σωτηρία *salus* dicitur, sed *salus* ea demum est quæ perditis obtingit, sic non quævis opitulatio verbo ἐπιλαμβάνεσθαι designatur, sed ea tantummodo quæ fit injectâ manu: Qualem Judas describit, *Alios servate ex flamma rapientes*. Qui sic opitulatur ἐπιλαμβάνεται. Uno verbo, ἐπιλαμβάνεσθαι est eorum qui ceciderunt, & qui manu prehensi erigendi sunt ex lapsu: quod Angelis in bono confirmatis non convenit. ¶ Σπέρματος Ἀβραὰμ] Hoc nomine ii quos Christus redemit hìc vocantur, fideles nempe. Cujus siquis quærat rationem, eam expedit Paulus in Epist. ad Romanos qui duplex statuit Abrahami σπέρμα in quorum altero etiam Gentes censentur, nempe qui ex Gentibus credunt. Atque hàc locutione eò lubentiùs est usus hujus Epistolæ autor quod ad Hebræos scribit, qui se Abrahami filios gloriabantur. Pertinet nimirum ad laudem Abrahami quòd *Pater* dicitur *omnium credentium*, sive Judæi sint sive Gentiles.

18. Πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς] *Tentatio* cùm dicatur multis modis, hoc loco tamen intelligenda est ità ut nihil aliud significet quàm luctam animæ Christi adversùs omnis generis dolores & ærumnas: quæ lucta *Tentatio* dicitur vel respectu Dei (quò referenda sunt illa Davidis toties reperita, *Proba me*, & *Probasti me*: sunt enim magnificentiora quàm ut ulli mortalium propriè conveniant) vel respectu Diaboli, qui Christo studuit omnibus modis esse molestus: quo illud pertinet, *Princeps hujus Mundi venit, sed nihil in me invenit*, Joh. 14. 30. Ergo cùm dicit Apostolus πέπονθε notat Materiale tentationum Christi, quod fuit dolor corporis & animi, non inordinatus ille qui est à peccato diffidentiæ, vehementissimus tamen. Formale vero notatur illo πειρασθεὶς nam quod perpessiones sunt tentationes, pendet id non à patiente sed ab inferente dolorem. Atqui dolorum Christi duo fuerunt distinctissima genera: Alterum quod immediatè à Deo proficiscebatur, sine ullius creaturæ interventu, cruciatus nimirum animæ Christi: hactenus Christus à Deo tentatus fuit immediate. Alterum genus dolorum Christi ejusmodi fuit ut à creaturis proficisci potuerit: & hactenus item Christus à Deo tentatus dici possit, haud immediatè tamen. Cæterùm creaturæ quæ Christo molestiam exhibuerunt, vel spiritu Satanæ instigatæ, vel Angeli ipsi Satanæ fuerunt. Harum tentationum respectu Christus à Diabolo, non modo à Deo, quanquam diversissimo consilio, tentatus dici possit.

JAC. CAPPELLUS.

2. *SI per Angelos pronunciatum verbum fuit firmum*, &c.] Legale typicumque fœdus intelligit Apostolus, *per Angelos ordinatum interventu ministerioque mediatoris*, i. e. Mosis, Gal. 3. 19. Sic enim explicandum locum illum suadet vox ἐν χειρὶ, quæ docet, μεσίτην illum de quo agitur fuisse ministrum Angelorum: quod certè mediatori typico, nempe Mosi, convenit, non autem mediatori propriè dicto. Sic igitur hic argumentatur Apostolus, *Si fœdus typicum ab Angelis Mosis ministerio promulgatum tanta fuit firmitatis ut subindè quævis illius violatio morte puniretur*, ut patet ex Num. 15. 30. 1 Sam. 6. 19. 2 Sam. 6. 6. 1 Reg. 13. 4, 24. & 20. 36. 2 Reg. 2. 23, 24. & 2 Chron. 30. 20. *quantò minùs impunè feret qui fœdus Euangelicum ab ipso Filio promulgatum insuper habuerit?*

3. *Quomodo nos effugiemus, si tantam salutem*, tam gratiosum & tam salutare fœdus, *neglexerimus, quæ cùm ab ipso Domino primùm prædicari cœperit, ab iis qui ipsum audiverant nobis fuit confirmata?*] Nihil obstat quo minùs potuerit Paulus ità loqui: 1. Per ἀνακοίνωσιν, qualem habemus, eamque multo duriorem in speciem, 1 Thess. 4. 17. Secundo, licèt Paulus Gal. 2. 6. dicat *sibi nè ab eminentissimis quidem inter Apostolos quidquam collatum*, tamen id restringi potest ad auctoritatem, de qua propriè loquitur Apostolus. Quanquam etiam institutionem si spectes, non opus habuit Paulus humanis documentis, qui in tertium usque cœlum subvectus reliquos omnes Apostolos sapientiâ superabat: Sed tamen hoc ipsum quod videbat tam multos & tam pios testes oculatos eorum quæ fecerat Christus, id non parùm faciebat ad confirmandam Pauli fidem, quæ quantumvis magna tamen in dies incrementum accipiebat etiam ab iis qui Christum non viderant, ut patet ex Rom. 1. 12. quanto magis ab iis qui dicere poterant quod habetur 1 Joh. 1. 1. *se* videlicet *ea nunciare quæ viderant, audiverant, adeoque palpaverant de verbo vivifico?*

5. *Non enim Angelis subjecit mundum illum qui venturus est, de quo loquimur*] Οἰκουμένη Græcis designat τόπον οἰκήσεως *locum habitationis*. Apostolus autem etiam χρόνον complectitur, adeoque tempus aliquod potiùs quàm locum aliquem designat, ut exprimat id quod ab Hebræis dicitur עולם. Ea vox significat κόσμον, οἰκουμένην, αἰῶνα, *mundum, orbem habitabilem, seculum*. Jam cùm aliunde tum ex Talmudici De Idololatria tractatûs cap. 1. fol. 2. disces à Judæis fieri seculorum duas classes. Est illis עולם הזה, ὁ νῦν αἰὼν, *seculum præsens*: est & עולם הבא, vel עתיד לבא, αἰὼν ὁ μέλλων, *seculum venturum*, quâ voce designant non tantum statum verorum Israëlitarum post mortem, ut cùm tract. De Synedrio cap. 10. §. 1. dicunt *omnibus Israëlitis futuram partem in seculo venturo*, sed & intelligunt id quod aliter vocant ימי המשיח *dies Messiæ*. Dierum Messiæ duæ sunt periodi, Prior est intra primum & secundum adventum Christi: Posterior complectitur totum illud spatium quod secundum Christi adventum secuturum est. Harum duarum periodorum neutra *subjacet Angelis*, utraque Christo. Sed priorem potissimum respicit Apostolus: necdum enim locutus erat de gloria quæ consummationem seculorum est consecutura, sed de gratia quæ primum Christi adventum consecuta est. Ut igitur duos λόγους *sermones*, sic & duo *secula* comparat inter se. Cùm prius verbum, fœdus scilicet Legale typicumque, fuerit Angelorum ministerio promulgatum, ac subindè renovatum, ampliatum, sancitum; etiam seculum huic typico fœderi destinatum erat *Angelis* quodammodo *subjectum*. Posterius autem verbum, fœdus scilicet Euangelicum, cùm ab Angelis non fuerit promulgatum, [illegible] ab ipso Christo primùm, dein ab ipsis Apostolis eorumque successoribus, nè *seculum* quidem hujus Euangelici fœderis prædicationi destinatum *Angelis subjectum* est, sed uni Christo. Quam ob causam, quæ frequentes olim fuerant, post stabilitum ab Apostolis Christi Regnum desierunt vel raræ admodum esse cœperunt Angelorum apparitiones: & quæ contigerunt, pertinebant ad liberationem fidelium, non ad novorum mysteriorum revelationem. Sed nec contemnendum discrimen illud quod videmus inter Veteris & Novi Testamenti secula. Sub Vetere Abraham, Josue, Daniel coram Angelis procumbentes non reprehenduntur: Sub Novo Johannes idem bis faciens bis reprehenditur, Apoc. 19, & 22.

6. *Testatus est autem quis alicubi, dicens, Quid est homo*, &c.] Pertinent hæc ad demonstrandam non fluxam aut fluctuantem Apostoli memoriam, sed Judæorum, ad quos scribit, intelligentiam, certè memoriam, ubi de Scripturis agebatur, ut quibus non esset opus exprimere libros, capita, versiculos, sed quibus vel unicum hemistichium sufficeret, ut digito ad fontem intento, locum integrum consulerent, aut animo recolerent. Quam ob causam ipsi quoque vix unquam loca citant, sed nuda Scripturæ verba referunt. Oecumenius, ὡς εἰδότας τὰς γραφὰς διαλεγόμενος, οὐ τίθησι τῶν λεγόντων τὰ ὀνόματα. Dixeris, Annon ad Hominis dignitatem in genere commendandam pertinent Davidis verba? Quid igitur in iis est peculiare quod pertineat ad Christum etiam supra Angelos extollendum? Respondeo, Dignitatis nostræ considerari posse vestigium, aut fastigium,

gium. Vestigium nostræ dignitatis indicatur Psalm. 8. 8. quo commemoratur animalium brutorum infra Hominem dejectio. In hoc vestigio conspiciuntur reliquiæ, sive mavis rudera, primigeniæ dignitatis quam Adam acceperat in creatione, quamque culpâ quidem amiserat suâ, sed quam utcunque recuperaverat beneficio promissionis subobscuræ quidem, sed Euangelicæ tamen, quæ veluti postliminii jure natalibus suis Hominem restituit. Fastigium nostræ dignitatis in eo patet quòd David non bruta sola sed *omnia* dicit *Homini subjecta* Psal. 8. 7. Hujus autem fastigii considerari potest fructus aut dominium. Fructus ad omnia Christi membra redundat: Dominium autem penès unum est Christum. Per unum Christum & in uno Christo dignitatem hanc accepit Humana natura, ut, licèt aliquandiu paulùm infra Angelos dejecta, postea tantam sublimitatem sit consecuta ut omnia pedibus illius sint subjecta, & consequenter etiam Angelorum omnes ordines. Hujus dominii longè præstantissimi considerari rursus potest jus aut manifestatio. Jus jam nunc competit Christo, & quidem plenissime: Manifestatio verò juris illius plena fiet in consummatione seculorum. Hinc est quod hic v. 8. dicitur, *Nunc autem nondum videmus ei esse omnia subjecta.* Idem patet ex Psal. 110. 1. & 1 Cor. 15. 25, 26, 27, 28.

9. Τὸν δὲ βραχύ τι, &c.] Synchysis est, non obscura quidem illa, sed perelegans: cujus verba planiora fient si sic construantur, Βλέπομεν δὲ τιμῇ καὶ δόξῃ ἐςεφανωμένον Ἰησῦν τὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλυς ἠλαττωμένον διὰ τὸ πάθημα θανάτυ, ὅπως χάριτι τῦ Θεῦ γεύσηται θανάτυ ὑπὲρ παντός, *Videmus vero gloria & honore coronatum Jesum, qui paulo minor factus fuerat Angelis propter passionem mortis*, *ut*, inquam, *gratia Dei mortem gustaret pro toto* corpore videlicet suo. Synchyseos exemplum habes Psal. 45. 5. Lxx. vertunt, Τὰ βέλη συ ἠκονημένα· λαοὶ ὑποκάτω συ πεσῦνται· ἐν καρδίᾳ τῶν ἐχθρῶν βασιλέως. *Sagitta tua acuta (populi sub te cadent) in cor inimicorum Regis.* Ibi beneficio parentheseos tollitur συγχύσεως obscuritas. Phil. 1. 21. Ἐμοὶ τὸ ζῆν, Χριςὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος pro, Χριςὸς ἐμοὶ κέρδος ἐςὶ, καὶ εἰς τὸ ζῆν, καὶ εἰς τὸ ἀποθανεῖν. Hic autem συγχύσεως hujus elegantia patet ex eo quod illius beneficio, τὸ, διὰ τὸ πάθημα θανάτυ, potest ad utrumque membrum referri. Vocum autem ὑπὲρ παντὸς intelligendam non de omnibus simpliciter hominibus, sed de omnibus Dei filiis, de quibus versu sequente, vel, quod eodèm recidit, toto Christi corpore mystico, non ità pridem docuimus in nostris thesibus De efficacia mortis Christi. Quod autem Nestoriani, Oecumenio teste, malignè legebant hîc ὅπως χωρὶς pro χάριτι, id refellit consensus non tantum Græcorum exemplarium, sed & versionum tam Orientalium quàm Occidentalium.

10. *Decebat enim eum*, nempe Patrem, *propter quem sunt omnia, & per quem sunt omnia, ut, cum multos filios ad gloriam* per afflictiones *adduxisset, Principem salutis eorum per afflictiones consecraret*] Ratio τῦ πρέποντος & ἐναρμονίυ συμμετρία suadet ut in priore membro suppleam ex posteriore voces has *per afflictiones*: q. d. *Cum tot filios suos per afflictiones conserasset, afflictionum viâ perduxisset ad gloriam Pater cœlestis, decebat sane & æquum erat ut Principem salutis earum eâdem viâ perduceret ad cœlestem gloriam.* Hic locus est illustris ad evertendum commentitium Limbum in quem pios Patres ante Christi passionem defunctos relegavit superstitio. Sed non propterea desinit Christus esse *Princeps salutis eorum*, quia nec gloriam nec salutem illam unquam adepti fuissent nisi Christus fuisset venturus: adepti sunt eam merito mortis quam perpessurus erat Christus. Hoc ipso docuit Christus quam æternum sit Sacerdotium suum, cum virtutem suam exserturum sit in æternum, & eam exserere cœperit statim ab initio. Interim hic versus est instar transitionis ad secundum quæstionis membrum: Eâdem enim operâ docet Apostolus conveniens fuisse ut consecraretur qui sese abjecerat, & ut per afflictiones perveniret ad consummationem illam quâ nunc fruitur.

11. *Nam qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno sunt omnes*] Hactenus in eo potissimum versatus est Apostolus ut probaret Christum Angelis superiorem esse: Deinceps docet cur oportuerit eum ad tempus Angelis inferiorem esse. Docet igitur id fuisse rationi consentaneum ut responderet typis qui Christo figurando fuerant adhibiti, typis, inquam, tum Legalibus tum Propheticis. Typi Legales postulabant ut massæ sanctificandæ decerperetur primitiarum & decimarum nomine quidpiam ex eadem massa desumptum, sive fructus arboris sive segetes messis sive vindemiam quis sanctificare vellet.

12. *Quam ob causam non erubescit fratres ipsos vocare, dicens, Annunciabo nomen tuum fratribus*] His verbis continentur duæ rationes cur oportuerit Christum Hominem fieri; 1. ut tantò liberius ad eum accedamus, cùm *ipse non dedignetur nos fratres suos nuncupare*: 2. ut in ipso compleretur quod olim prænunciaverant Prophetæ, non tam in sua quam in Christi, cujus figuram gerebant, persona loquentes. Hic ad specimen proponuntur duo typi Prophetici, David & Esaias. David quidem cùm alibi passim tum imprimis Psal. 22. cujus hic laudatur versus 22. sed ità ut nobis consulendus sit totus Psalmus, ac præsertim octodecim priores versiculi, qui certè non Davidi conveniunt, sed Christo; nec Christo possent convenire nisi pro nobis hominem induisset.

13. *Et rursus*, Ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, *Ego fiduciam in ipsum collocabo. Et iterum, Ecce ego, & pueri quos mihi dedit Deus*] Priorem hanc citationem plerique referunt ad Psal. 18. 2. qui certè versus, si sensum spectes, Apostoli verbis convenit, adeòque totus Psalmus 18. Christo non incommodè potest aptari. Sed cùm Apostolus in hac potissimùm Epistola loca Scripturæ citet secundùm versionem Lxx-viralem, nobis non satis est voces ab Apostolo citatas cum Hebræis conferre, sed eædem sunt etiam cum versione Lxx-virali conferendæ. Ea verò Psal. 18. 2. 3. vertit ἐλπιῶ ἐπ' αὐτῷ. Vero propius est igitur ab Apostolo duabus his citationibus respici duos versus Esaiæ c. 8. nempe v. 17, & 18. cùm versum 17 Lxx. convenienter Hebraicæ veritati vertant, ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ. Sed quia solum hoc hemistichium non satis demonstrat id quod sibi proponit Apostolus, eam ob causam etiam sequentem v. 18. citat, non quidem integrum, sed eâ mente ut à nobis integer legatur & expendatur. Sic igitur Esaias 8. 18. *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Dominus, ut signa & prodigia sint in Israële.* Quòd autem *Esaias cum pueris à Deo sibi commissis erat Israëlitis instar portenti*, in eo typum Christi præferebat, qui cùm esset ratione plusquam Propheticæ virtutis instar signi planè cœlestis, tamen infirmitatis nostræ quam induerat respectu Judæis erat *instar signi in contradictionem positi*, adeoque portenti cujusdam instar exsecrandis Judæis erat exsecrationi: quod certè locum non habuisset nisi nobis similis factus fuisset. Quòd si quis duas istas citationes malit ex duobus diversis locis mutuari, per me licet priorem petat ex Esa. 12. 2. quo versio Lxx-viralis iisdem vocibus utitur, ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ. Et quamvis in Hebræo non sit illud ἐπ' αὐτῷ, tamen ex natura rei satis subintelligi potest. Potest quoque totum Esaiæ caput 12 ad Christum referri, si dicamus Esaiam undecimo capite de Messia locutum in tertia persona, capite 12 per Apostrophen ipsum Christum compellare verbis istis, *Et dices*, ô Christe, *die illo celebrabo te*, &c. Ità totus hic sermo, *celebrabo te*, &c. ad finem usque capitis poterit esse Christi, & ad instituti Paulini confirmationem facere.

14. *Quoniam pueri*, &c.] q. d. *Cum pueri*, quos Deus Esaiæ ut Christi typo commisit, *fuerint ejusdem* cum Esaia *carnis, sanguinis ejusdem, Christus quoque voluit ejusdem esse carnis & sanguinis* cum pueris à Patre sibi commissis, mortalis, non secus ac illi, factus, *ut mortem* pro illis *oppetens aboleret imperium mortis, quod Satan in illos exercebat* ac in perpetuum sibi vendicabat.

17. *Unde debuit per omnia similis fieri fratribus*] Hæc necessitas nihil habet quod Dei liberrimi agentis libertati adversetur, quasi Deus Chrysippei cujusdam fati catenis alligatus fuerit ad hæc eo quo præstitit modo præstanda. Oecum. in Heb. 2. 9. ὁ κατὰ ὀφειλὴν πατὴρ τὸν υἱὸν ἔδωκεν, ἢ ὁ υἱὸς κατεδέξατο, ἢ τὸ πνεῦμα συνήργησεν εἰς τὸν ςαυρὸν, ἀλλὰ πάντα χάριτι γέγονε. Sed demonstrat 1. Infirmitatem nostram, tali medico, talibus remediis indigentem, 2. Constantiam oraculorum Divinorum, 3. Justitiæ Divinæ majestatem & illibatam firmitatem, cujus satisfactioni sapientia suppeditavit modum plusquam sufficientem & modis omnibus congruentem. Eâdem mente Christus ipse Luc. 24. 26. dicit *oportuisse Christum pati.* Hujus immensæ bonitati, quæ sibi veluti necessitatem hanc imposuit, sit æterna laus & gloria, AMEN.

GROTIUS.

1. Διὰ τοῦτο, *Propterea*] Cùm, ut jam ostendimus, major sit etiam Angelis ille nostræ doctrinæ auctor. ¶ δεῖ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι, *abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus*] *Eo magis par est nos animum intendere eis quæ percepimus.* Vide Actor. 16. 14. ¶ μήποτε παραῤῥυῶμεν. *ne fortè pereffluamus*] *Ne dilabamur* ut aqua quæ inutiliter effluit: quæ similitudo exprimitur 2 Sam. 14. 14. Psalm. 58. 8. sic Prov. 3. 21. υἱὲ, μὴ παραῤῥυῇς [*fili, ne effluas*] *ne deflectas à Lege.* Origenes adversùs Celsum 8. Ὁ δὲ πολὺς τῶν πιςεύειν δοκούντων, καὶ μὴ τηλικοῦτος, δεῖται, ὑπομνήσεως χάριν, μὴ βουλόμενος ἢ μὴ δυνάμενος πάσας τοιαύτας ἄγειν ἡμέρας, αἰσθητῶν παραδειγμάτων, ἵνα μὴ τέλεον παραῤῥυῇ [*Plerique autem, quanquam credere videntur*,

videntur, cum tamen ad hanc quasi staturam non pervenerint, utque omnem diem perinde quasi fectus sit aut non possint agere aut nolint, hisce exemplis, quæ in sensus incurrunt necesse habent admoneri, ne planè decidant.] *Ne plane decidat.* Sic Lament. 4. 9. יזובו *fluxerunt*, id est, conciderunt. Et hîc *ne cadamus* vertunt Syrus & Arabs, nec aliter hic sumpsit Chrysostomus & Græci alii. Sic quæ intereunt aquæ effluenti comparantur Job. 20. 27. ἐκρεῖν [*effluere*] fermè simili sensu habes apud Plutarchum Catone Uticensi. Similis admonitio illa Irenæi 4. 45. *Non debemus* (inquit ille Senior) *superbi esse, neque reprehendere veteres, ne forte post agnitionem Christi agentes aliquid quod non placeat Deo, remissionem ultra non habeamus delictorum, sed excludamur à regno ejus.* Nihil hîc cavere jubemur, quod non & fieri possit & sæpe fiat.

2. Εἰ γὰρ ὁ δι' Ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος, *Si enim qui per Angelos dictus est sermo*] Id est, Lex Mosis, quæ non data est per Filium, sed per unum è præcipuis Angelis Dei nomine loquentem, Actor. 7. 38. multis aliis Angelis stipantibus Deut. 33. 2. Actor. 7. 53. Gal. 3. 19. Josephus libro 15. Ἡμῶν δὲ τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τοῦ Θεοῦ μαθόντων [*Cum nos dogmatum potissima, & sanctissimam legum partem per Angelos à Deo acceperimus.*] ¶ ἐγένετο βέβαιος, *factus est firmus*] קים [*constitutus est*,] id est, *minas habuit non irritas.* Sic & promissa dicuntur βεβαιοῦσθαι [*confirmari*] aut εἶναι βέβαια [*esse firma*,] ubi rebus implentur, Rom. 4. 16. 15. 8. ¶ καὶ πᾶσα παράβασις, καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν· *& omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem*] Παράβασις, פשע [*prævaricatio*] & παρακοὴ, מרי [*inobedientia*] dicuntur de illis peccatis quæ apertum Legis contemptum secum ferunt, quorum ultorem se Deus profitetur Deut. 32. 35. Respiciuntur autem hic ea quæ in deserto contigêre pœnarum exempla, quæ breviter indicat Paulus 1 Cor. 10. 6, 7, 8, 9, 10.

3. Πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα, *Quomodo nos effugiemus*] *Quomodo pœnam evademus.* Sic Esaiæ 20. 6. ואיך נמלט אנחנו: πῶς ἡμεῖς σωθησόμεθα; [*quomodo nos salvabimur?*] ¶ τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας; *Si tantam neglexerimus salutem?*] Id est, λόγω σωτηρίας τηλικαύτης [*sermonem tantæ salutis.*] *Si negligamus sermonem, qui obedientibus tantam adfert salutem*, id est, æternam & cœlestem, quam Lex non adfert, sed tantùm salutem brevem & terrenam. Sic Euangelium vocatur λόγος σωτηρίας [*sermo salutis*] Actor. 13. 26. ὁδὸς σωτηρίας [*via salutis*] Actor. 16. 17. & εὐαγγέλιον σωτηρίας [*Euangelium salutis*] Ephes. 1. 13. ¶ ἥτις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ Κυρίου, *quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum*] *Ut de Lege judicetur, spectandum ejus initium* ait Josephus contra Appionem 2. Legis Euangelicæ initium ab ipso Domino Dei Filio. Solent res magnæ per magnos expediri. ¶ ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη. *ab eis qui audierunt in nos confirmata est*] Duplici modo, inquit, certi sumus de ejus veritate: primùm, quia non per multos homines transfusa fama ad nos venit, sed *eos habemus magistros qui ab ipso Domino ista audivere*, Apostolos scilicet: deinde, quia *miracula & dona Spiritûs*, majora quàm unquam & frequentiora, *testimonium dedêre* eidem sermoni. βεβαιοῦσθαι [*confirmari*] hoc loco, *reddi fide dignum*, ut Marci 16. 20. εἰς ἡμᾶς [*in nos*,] id est, *nobis*, ut εἰς ὑμᾶς [*in vos*] *vobis* 1 Petr. 1. 25. Diximus supra ex hoc loco bene colligi scriptam Epistolam ab aliquo discipulo Apostolorum, qualis fuit Lucas.

4. Συνεπιμαρτυροῦντος τοῦ Θεοῦ σημείοις τε καὶ τέρασι, καὶ ποικίλαις δυνάμεσι, *Contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus*] Hæc tria habes & Act. 2. 22. ubi dicta vide, & 2. 43. 4. 30. Verbum μαρτυρεῖν [*testimonium perhibere*] eodem sensu habes Actor. 14. 3. Lex vetus testimonium habuit per fulgura & tonitrua. Lex nova per sanationes plurimas. ¶ καὶ πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς κατὰ τὴν αὐτοῦ θέλησιν. *& Spiritûs Sancti distributionibus secundùm suam voluntatem*] Non sola prophetiæ dona, sed & linguarum. μερίζειν [*distribuere*] de his donis dicitur Rom. 12. 3. 1 Cor. 7. 17. quia non omnibus omnia dabat Deus, sed quæ & quantum & quibus vellet Ephes. 4. 17. Hujus discriminis ratio cùm non appareat, meritò ad Dei voluntatem recurritur 1 Cor. 12. 18.

5. Οὐ γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, *Non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum*] Postquam hujus Epistolæ scriptor ex argumentis primo capite propositis illationem fecerat, rursum alia addit argumenta quibus firmet eandem illationem. In regione illa superætherea sunt quidem Angeli; sed non illi imperant ut Christus. Vocat hanc οἰκουμένην μέλλουσαν [*orbem terræ futurum*] non quia jam non existat; sed quia nobis ea non plenè nota est, nec adhuc contigit. Sic Hebræi dicunt עולם הבא [*seculum venturum*] nostri respectu. Vide librum de Morte Mosis. Sic mysticè explicatur locus Psalmi 9. 6. ¶ περὶ ἧς λαλοῦμεν. *de quo loquimur*] Id est, ἐλαλήσαμεν [*loquuti sumus.*] Nam per tempus præsens exprimi solent ea quæ proxima sunt præsenti, sive exacta, sive ventura. Respicitur enim hic id quod præcessit 1. 6. ut & alii rectè observarunt.

6. Διεμαρτύρατο δέ πού τις λέγων· *Testatus est autem in quodam loco quis, dicens*] Τὶς [*Quis*] dicit, quia illorum carminum quæ sunt in libro Psalmorum, non unus est scriptor, imò & sæpe scriptor ignoratur. Διεμαρτύρατο, *testatur*, hoc est, *ostendit* העיד. nam id verbum sic verti solet. ¶ Τί ἐστιν ἄνθρωπος ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ, ἢ υἱὸς ἀνθρώπου ὅτι ἐπισκέπτῃ αὐτόν; *Quid est homo quòd memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?*] Verba ipsa LXX. Interpretum ex Psalm. 8. qui sensu primum obvio agit de Adamo & semine ejus: sensu autem mystico referri debet, & ab Hebræis Sapientibus referebatur ad Messiam & semen ejus. Nam Adamum figuram gessisse Messiæ recepta erat illis temporibus sententia, ut diximus Rom. 4. 14. 1 Cor. 15. 45. & sequentibus. Et specialiter de hoc loco Psalmi vide 1 Cor. 15. 27. Ephes. 1. 22. Dominium in res mundi inferioris datum Adamo & posteris ejus imago est dominii ejus quod in Mundo supremo habet Christus, & cujus participes erunt qui ipsius naturam induerunt, & ab ipsius nomine digni sunt appellari. ἐπισκέπτεσθαι פקד *curam alicujus peculiarem gerere.* Mirum fuit illud de Adamo, qui ut cætera animantia de luto erat factus, multò magis mirum hoc de Christo qui inter homines agens nihil magni prætulit exteriora spectantibus. Vide Matth. 8. 20. 11. 6. Philipp. 2. 7. 2 Cor. 8. 9. Psalmus iste 8. ut alii nonnulli, solebant cantari cum gaudio in vindemiis. Inde dicuntur על־הגתית [*pro torcularibus.*]

7. Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*] אלהים hic de *Angelis* sumpsere Græci interpretes quorum verba hîc ponuntur: non malè. Vide Psalm. 97. 7. βραχύ τι מעט [*paulo minùs*] alium sensum habet κατὰ πόδας [*juxta verbum*,] alium κατὰ τὸ ἀλληγορούμενον [*juxta sensum reconditum*] ut sæpe. Nam illo modo sumptum significat *pauxillum*: (*intellectu enim & quâdam volendi libertate*, ut Tatianus explicat, *homo quasi par est Angelis, corporis conditione est inferior*) hoc verò modo sumptum significat *ad tempus exiguum*, quomodo ea vox sumitur Oseæ 1. 4. & alibi. ¶ δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφάνωσας αὐτόν, *gloriâ & honore coronasti eum*] Adamum intellectu, voluntate liberâ: Christum cognitione plenissimâ rerum Divinarum, voluntate perfectâ, potestate admirabili. *Coronasti*, id est, ornasti; à specie ad genus. ¶ καὶ κατέστησας αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου. *& constituisti eum super opera manuum tuarum*] Adamum super armenta & pecora, ut in Psalmo sequitur, ut videre est Gen. 1. 28. (de quo dominio nunc imminuto, non planè adempto, videri potest Cyrillus Epistolâ ad Calosyrium contra Anthropomorphitas, & Isidorus libro 3. Epistolâ 95.) Christum verò supra Angelos. In istis locis mysticis non omnes articuli ad speculum respondent. Vide 2 Sam. 7. 13, 14, 15.

8. Πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*] Idem sensus qui in membro præcedente. Nam *imponere aliquem supra res alias*, est *illas res illi subjicere.* Est & hoc ex LXX. ¶ νῦν δὲ οὔπω ὁρῶμεν αὐτῷ τὰ πάντα ὑποτεταγμένα. *nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei*] Hoc vult, illa verba Psalmi nec in Adamo, nec in quoquam ex ejus posteris effectum habuisse nisi tenuem: quare majus aliquid in eis latere. αὐτῷ [*ei*,] id est, homini generaliter considerato.

9. Τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον βλέπομεν Ἰησοῦν διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, *Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum*] *Videmus*, id est, certò cognoscimus ex relatu Stephani, & Pauli, & ex effectibus regni quos ipse Christus prædixerat, nempe missione Spiritûs Sancti, vocatione Gentium, rebusque aliis. *Videre* hoc sensu sumitur non apud Hebræos tantùm, sed apud gentes omnes. Βραχύ τι hoc loco est *ad breve tempus*, ut modò diximus. *Jesus summo honore ac potestate ornatus*: præest enim creaturis omnibus & cœlestibus & terrestribus, quantum exêgit usus Ecclesiæ ipsius. Interponit autem διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου [*per passionem mortis*] ut cum eo connectat sequentia. Illud autem διὰ τὸ [*per*] non consecutionem solam significat, sed plus aliquid, id est, dignum fuisse Jesum qui in tantum eveheretur, eo quod se deprimi passus esset ad mortem usque ignominiosam Dei causâ. Vide supra 1. 9. ¶ ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. *ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem*] Sæpe fit ut

tris, & ipse mihi vice Filii. Utar eo quomodo patres filio utuntur, & eum protegam quomodo patres filios solent. Et hæc verba de Græco desumpta. Salomon, de quo dicto loco agitur in sensu vulgari, typus Christi, non in omnibus (ostendunt id sequentia quæ Christo applicari nequeunt) sed eò quòd sapientiâ præstitit, regnavit in pace, gentibus multis imperavit, Templum Deo struxit. Et hunc in modum ad Messiam aptat hæc verba Isaac Benarama.

6. Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην, *Ubi autem rursum introducit primogenitum in orbem terræ*] Esse hic transpositionem bene vidit Syrus. Recta enim constructio esset, Πάλιν δὲ ὅταν εἰσαγάγῃ [*rursum autem ubi introducit.*] Deinde notandum hic subaudiri nomen γραφὴ [*scriptura*, ut Galat. 3.16, & alibi. Præterea illud *ubi introducit* valere, *ubi describit introduci*, eâdem figurâ quâ Virgilius dixit,

Tum Phaëtontiadas musco circumdat amaræ.
Corticis. —— ——

Vide & Galat. 3. 22. τὸν πρωτότοκον [*primogenitum*] sensu inferiore significat Davidem, qui eo nomine ut inter Reges eximius vocatur Psalm. 89. 27. & illud οἰκουμένην [*orbem terræ*] *terram Judæam*, quod etiam ex Græca Psalmi illius nempe 97. inscriptione apparet: sensu autem excellentiore πρωτότοκος [*primogenitus*] est Christus Rom. 8. 29. Coloss. 1. 15, 18. Apoc. 1. 5. & οἰκουμένη est *regio illa suprema quæ ab Angelis habitatur*, ut ipse mox Scriptor noster ad hæc sua verba respiciens dicet 2. 5. Psalmos omnes à 93. ad 101. in se continere mysterium Messiæ dixit David Kimchi. ¶ Καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*] In Græco Psalmi, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ [*adorate eum omnes Angeli ejus.*] At ibi de Deo agitur, hìc de Messia. Verum hoc: sed quia pridem receptum erat apud Hebræos Deum singulari modo in Messia habitaturum, & fore (ut Thalmudici loquuntur) digito monstrabilem; ideo quæcunque de honore Dei dicebantur, eadem applicari solebant ad Messiam. Sensus autem qui hujus loci idem & 1 Petri 3. 22.

7. Καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους λέγει· *Et ad Angelos quidem dicit*] Id est, *de Angelis*, quem esse Lucæ ἰδιωτισμὸν [*loquendi modum*] modò annotavimus. Similis locutio Jerem. 14. ¶ Ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα· *Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos flammam ignis*] Et hoc ex Græco LXX: nisi quòd hic Scriptor locum memoriter citans pro πῦρ φλέγον [*ignis ardens*] posuit πυρὸς φλόγα [*ignis flammam,*] ubi Aquila πῦρ λάβρον [*ignem voracem,*] Symmachus πυρίνην φλόγα [*igneam flammam.*] Sensus hujus loci est, nihil magnum est in nomine *Angelorum* & *ministrorum*, cùm ea nomina Scriptura det etiam vento & flammæ. Nam omnes creaturæ quibus Deus extra ordinem utitur, eo nomine venire diximus ad Genes. 3. 23. & Maimonides Duce dubitantium 2. 6. Ac sicut ventus & flamma *Angeli* dicuntur, ita contra Angeli quidam *Seraphim*, id est, flammæ, & *Cherubim*, quo nomine olim videntur significati venti. Confer Psalm 18. 11. & 54 3. quia & efficacia & celeritas melius per res nobis cognitas exprimi nequit. Sed priorem sensum magis exigit series loci in Psalmo, nec obstat articulus ille τοὺς, qui creditur subjectum notare, non prædicatum. Nam & apud Atticos, & apud nostros scriptores articulus iste sæpe abundat.

8. Πρὸς δὲ τὸν υἱὸν, *Ad Filium autem*] Hoc vult, Filio dari titulos multò eminentiores. Constabat autem inter Hebræos, quod & modò attigimus, Salomonem in multis rebus typum fuisse Messiæ: & qui ei dantur tituli, eos multò sublimiore sensu in Messiam competere. ¶ Ὁ θρόνος σου, ὁ Θεὸς, εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος· ῥάβδος εὐθύτητος, ἡ ῥάβδος τῆς βασιλείας σου. ἠγάπησας δικαιοσύνην καὶ ἐμίσησας ἀνομίαν· διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου. [*Thronus tuus, Deus, in seculum seculi: virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis*] Planè eadem verba quæ in Græco Psalmi ejus qui Hebræis 45. Græcis 44. nisi quod in Græco est εἰς αἰῶνα αἰῶνος [*in seculum seculi*] sine articulis. Et in Manuscripto hoc loco pro ἀνομίαν [*iniquitatem*] est ἀδικίαν [*injustitiam,*] pari sensu. Pro ὁ Θεὸς [*Deus*] in Hebræo est אלהים [*Elohim*] quod nomen pluribus quidem sive *Angelis* sive *Judicibus* dari solet: at cum uni tribuitur, Deo soli convenit: quia tunc est oratio ἐλλειπτικὴ [*defectiva*] pro אלהים אלהים [*Deus Deorum,*] ut alibi diximus. Sensus ergo est, *Deus ipse est sedes tua perpetua*, id est, si Salomonem respicimus, *sicut sedes inconcussos tenet homines, ita Deus te semper in regno sustentabit*: si verò Christum, *Deus ipse te sustentabit in regno nunquam desituro.* Per sceptrum regium in Salomone μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] intelligitur ratio regiminis: in Christo sermo Euangelii ab ipso primum publicatus. *Dilexit* Salomon *justitiam & odit injustitiam*, nempe à prima ætate: *ideo præ cæteris*, non popularibus tantum suis, sed & *fratribus electus est à Deo in Regem*, 1 Paralip. 28. 5. quod unctione significatur 1 Reg 1. 34. Jesus, dum vitam egit mortalem, nihil aliud quàm justa & honesta omnia verbo & exemplo docuit, arguens hic contraria. Ideo post mortem excitatus dignitatem supra omnes homines, imò supra Angelos, est consecutus, quæ dignitas hic humano more significatur *unctionis vocabulo*. Sic χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε [*Christum illum fecit Deus*] Actor. 2. 36. διὰ τοῦτο [*propterea*] sume ut διὸ [*propter quod*] Philipp. 2. 9. Est autem more Græco accusativus ἔλαιον [*oleum*] positus eo sensu quo Latini ablativum usurpant. Et ἔλαιον ἀγαλλιάσεως [*oleum exultationis*] dicitur id quod causam det summi gaudii. Vide Joh. 15. 11. 17. 13. Verterunt alii in Psalmo ἐλαίῳ ἀγλαϊσμοῦ [*oleo splendoris,*] alii καλλωπισμοῦ, δόξης, κόσμου [*ornamenti, gloriæ, decoris.*] Pro μετόχους [*participes*] Symmachus posuit ἑταίρους [*sodales.*] Sunt autem duo nominativi אלהים אלהיך [*Deus, Deus tuus*] *ille Deus quem tu colis.* Locum hunc de Messia interpretatur Paraphrastes Chaldæus & Rabbini multi.

10. 11, 12. Καὶ, *Et*] Et alio loco, nempe Psal. 102. 26. ¶ Σὺ κατ' ἀρχὰς, Κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί. Αὐτοὶ ἀπολοῦνται, σὺ δὲ διαμένεις· καὶ πάντες ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσονται. Καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς, καὶ ἀλλαγήσονται. σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσι. *Tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ut vestimentum veterascent: Et velut amictum complicabis eos & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*] Et hoc ex LXX nisi quod ibi verbis transpositis, Κατ' ἀρχὰς τὴν γῆν σὺ κύριε ἐθεμελίωσας [*in principio terram tu Domine fundasti.*] Et quod in Manuscripto hoc loco est· ἑλίξεις αὐτοὺς ὡς ἱμάτιον καὶ ἀλλαγήσονται [*involves eos tanquam vestimentum & mutabuntur.*] Rursum quod de Deo dictum fuerat, Messiæ aptat, quia constabat inter Hebræos, & Mundum hunc Messiæ causâ conditum (unde ἐθεμελίωσας [*fundasti*] rectè intelligi putem, *causa fuisti cur fundaretur*; & *opus manuum tuarum*, id est, propter te factum: nam על ידי [*per manum*] Hebræis & Chaldæis etiam *propter* significat, & sic Latinus Jobi 11. 3. legit בידך [*in manu tua*] vertit autem *tibi*) & fore ut novus meliorque Mundus condatur per ipsum. Pro eo quod in Hebræo est לפנים, id est, *jam olim*, LXX. posuere κατ' ἀρχὰς [*in principio,*] exponentes hunc locum ex initio Geneseos ubi est בראשית [*in principio*] *Terra* dicitur *fundata* similitudine sumpta ab ædificiis, unde & καταβολὴ [*constitutio*] dicitur Matth. 13. 35. 25. 34. Lucæ 11. 50. Joh. 17. 24. Ephes. 1. 4. infra 4. 3. 9. 26. 1 Petri 1. 20. Apoc. 13. 8. 17. 8. *Cœlorum* nomine hìc intelligi debet non illa suprema regio, sedes divinæ Majestatis & Angelorum: sed aër & æther quæ terram velut *vestiunt*, unde sumpta quæ sequitur similitudo. *Vestes* antequam pereant *veterascunt*. Vide infra 8. 13. Sic & aëris & ætheris vires minuentur. *Vestes* ubi usui amplius non sunt, solent *complicari* & *abjici*: Sic & aër & æther *auferentur*. Nam & hunc sensum habet חלף Hebræum vertiturque ἀφαιρεῖσθαι [*auferri*] & παρέρχεσθαι [*præterire*] & ἀπέρχεσθαι [*abire.*] Idem per μετάθεσιν [*Transpositionem*] significatur infra 12. 27. παρελεύσονται [*præteribunt*] eodem sensu 2 Petri 3. 10. quanquam in Hebræo non est ἑλίξεις [*complicabis,*] sed ἀλλάξεις, תחליפם, quod *mutabis* ibi vertit Latinus & *mutabuntur*: id est, *te faciente abscedent*: ita ut videri possit in Græcum textum pro ἀλλάξεις [*mutabis*] irrepsisse ἑλίξεις [*complicabis*] ex loco Esaiæ 34. 4.

13. Πρὸς τίνα δὲ τῶν ἀγγέλων εἴρηκέ ποτε· *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando*] Alia congerit elogia Messiæ, quæ Angelis nec aptata sint, nec aptari queant. *Dixit*, nempe *Deus.* ¶ Κάθου ἐκ δεξιῶν μου ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου; *Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*] Ex Psalm 110. quem de Messia intelligendum agnoscit Rabbi Saadia Gaon. Illud *sede ad dexteram* hoc loco non solam dignitatem, sed simul & securitatem significat. Quis non sit securus apud Regis potentissimi dextram? Vide Johan. 6. 63. 7. 34. Confer Actor. 2. 34. 1 Corinth. 15. 25. infra 10. 13. ἐκ δεξιῶν [*à dextris*] est *à dextro latere* לימיני. Eadem locutio Deut. 33. 2. 1 Sam. 23. 19. 1 Reg. 2. 19. Matth. 20. 21, 23. 22. 44. 25. 33, 34. 26 64. 27. 38. Marci 10. 37, 40. 12. 36. 14. 62. 15. 27. 16. 19. Lucæ 1. 11. 20. 42. 22. 69. 23. 33. Actor. 2. 25, 34. 7. 55, 56. Securus esto, inquit Deus Messiæ, non modo posthac nihil tibi nocebit, verum insuper efficiam ut omnes hostes tui tibi subjiciantur. Mos erat Regnum Orientis victos calcare pedibus

dibus. Joſue 10. 24. Pſalm. 47. 3. Clemens Romanus hunc locum deſcribens addit, *Τίνες οὖν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ; οἱ Φαῦλοι καὶ ἀντιτασσόμενοι τοῦ Θεοῦ τῷ θελήματι τὸ θέλημα ἴδιον* [*Qui ſunt ejus hoſtes? mali, & qui Divinæ voluntati opponunt ſuam.*] Multum autem hoc pertinet ad erigendos eorum animos qui ob Euangelium dura perpetiebantur.

14. *Οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα, Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus*] רוחות עבודה [*ſpiritus officii:*] aliter מלאכי השרת [*Angeli miniſterii*] pro quo hic Syrus ſenſu eodem רוחא דתשמשתא [*ſpiritus adminiſtratorii.*] In omni regno multum præſtat Filius Regis Satrapis quantumvis magnis. Filius Regis ſedet, Satrapis ſtantibus, aut euntibus quo mittuntur. ¶ *εἰς διακονίαν ἀποςελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν; in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?*] Non tantùm Chriſto ſerviunt, ſed & Chriſtianis, ut videre eſt Actor. 5. 19. 12. 9. Chriſtiani rectè dicuntur *μέλλοντες κληρονομεῖν τὴν σωτηρίαν* [*ſalutem jure hereditario poſſeſſuri.*] In id enim deſtinantur & eo pervenient, niſi ipſi ſibimet obſtent. *κληρονομεῖν σωτηρίαν* [*ſalutem jure hereditario poſſidere,*] idem quod *κληρονομεῖν ζωὴν αἰώνιον* [*vitam æternam poſſidere,*] Matth. 19. 29. Marc. 10. 17. Luc. 10. 25. 18. 18. *κληρονομεῖν βασιλείαν Θεοῦ* [*poſſidere regnum Dei,*] Matth. 25. 34. 1 Cor. 6. 9, 10. 15. 50. Gal. 5. 21. *κληρονομεῖν τὰς ἐπαγγελίας* [*poſſidere promiſſiones,*] infra 6. 12. *κληρονομεῖν τὴν εὐλογίαν* [*poſſidere benedictionem,*] infra 12. 17. 1 Petri 3. 9. Vide & quæ diximus ſupra 1, 2, & 4.

CAP. II.

VALLA.

1. N*E fortè pereffluamus*] Cur non potiùs *præterfluamus?* *παραῤῥυῶμεν*.

17. *Ut miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum*] Potius *in his quæ ad Deum ſunt, ſeu ſpectant, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν*, ſicut facit poſterius, *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtitutus in his quæ ſunt ad Deum, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν*, c. 5. 1.

REVIUS in VALLAM.

1. P*Ræterfluamus*] Confer Eraſmum & Bezam.

ERASMUS.

1. P*Ereffluamus*] Valla mavult *præterfluamus, παῤῥυῶμεν*. Chryſoſtomus interpretatur *pereamus*, ſumptumque putat ex Proverbiis Salomonis; *Fili mi, nè effluas, υἱὲ, μὴ παραῤῥυῇς*. Prorſus enim & irreparabiliter perit quod dilabitur. Hâc formâ dixit mulier 2 Reg. 14. *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur.*

3. *Quæ cum initium accepiſſet enarrandi*] *Enarrari* legitur in vetuſtis exemplaribus, nominatim in Paulino. Græcè eſt *λαλεῖσθαι*, h. e. *quæ primum dicta fuit à Domino.*

5. *De quo loquimur*] *Quo* refert *orbem terræ*, non *Deum*: id quod ex Græcis palàm eſt.

6. *Quis, dicens*] Τὶς, i. e. *quidam.*

7. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*] Admonet hoc loco Jacobus Faber Stapulenſis, apud Hebræos haberi, *Minuiſti eum paulò minùs à Deo.* Atque ità prorſus indicavit Hieronymus, aut ſi quis alius fuit Pſal. 8. pro *Angelis*, qui illis vocantur מלאכים MALACHIM, haberi אלהים ELOIM. Thomas refert hunc locum ad humanam naturam Chriſti, qui minor Angelis factus ſit, non juxta animam ſed juxta corpus aſſumptum, per quod mortalis & doloribus obnoxius erat, cùm Angeli nullis malis attingi poſſint. Cujus equidem ſententiam non rejicio, niſi quod prudenter accipiendum eſt quod dixit, Chriſtum ſecundum animam humanam non fuiſſe inferiorem Angelis. Nam ſi nullus doloris ſenſus ad ullam animæ partem pertinebat, non potuit eſſe acerbiſſimus in Chriſto dolor, quem ipſe tamen Thomas vult proximum fuiſſe cruciatibus damnatorum apud inferos. Et ſi hoc nomine minor eſt Angelis quod corpus haberet obnoxium doloribus, multò magis dicetur minor quòd animam haberet obnoxiam tædio mœrorique. At Faber hoc loco diſſentiens à Thoma, multis argumentis contendit, *à Deo* legendum eſſe, non *ab Angelis*; quæ recenſere longius ſit, nec admodum neceſſarium, cum liber exſtet formulis ſemel atque iterum excuſus. Verùm ſive legas *à Deo* ſive *ab Angelis*, videtur idem manere ſcrupus. Etenim ſi de aſſumpto intelligas Homine, quemadmodum neceſſe eſt, non *paululum* fuit *imminutus à Deo*, imò infrà abjectiſſimos etiam homines; quemadmodum ipſe de ſe teſtatur in Pſalmis, *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Nulla enim proportio naturæ Humanæ ad Divinitatem. Nè *ab Angelis* quidem *paululùm* fuit *diminutus*, qui uſque ad famem ac ſitim, uſque ad flagra, ad crucem, uſque ad mortem denique deſcenderit. Proinde mihi videtur illud *paulò minùs*, quod Græcè eſt *βραχύ τι*, non ad Dignitatis imminutæ modum eſſe referendum, ſed ad Temporis modum quo verſatus eſt Chriſtus in terris; q. d. *ad breve tempus diminutus eſt ab Angelis*, quemadmodum interpretatur Chryſoſtomus & Theophylactus. Neque verò refellit hujus partis ſenſum id quod ſequitur, *gloriâ & honore coronaſti eum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves*, &c. ſiquidem prius illud pertinet ad Jeſu Vitam actam in terris & Paſſionem, hoc poſterius ad Glorificationem, ad quam ut homo ſubvectus eſt. Neque verò prorſus hoc fefellit Aquinatem, qui indicat *paulò minùs* bifariam accipi poſſe, vel ut pertineat ad *quantitatem* (ſic enim loquitur) vel ut pertineat ad *durationem*. Stapulanſis in jus trahit Interpretem Epiſtolæ, qui quidem quiſnam fuerit incertum eſt. Ut parùm probabile ſit ipſam Epiſtolam à Paulo fuiſſe conſcriptam, ſanè ſunt qui Lucam putent Interpretem fuiſſe. Quam opinionem ſi recipimus, is Interpres in jus vocari non poteſt, præſertim cùm apud Hebræos hæc vox אלהים ELOIM *πολύσημος* habeatur, quippe quæ utrovis numero, ſingulari aut plurali, *Deum* aut *Deos* declaret, nonnunquam *Angelos*, aut *homines* etiam *admiratione dignos.* Interdum *Principes* aut *Judices*, ut illic, *Principi populi tui non maledices.* Et Exod. 21. *Offerat eum dominus diis, & applicabitur ad oſtium.* Quo loco Hebræi DIIS interpretantur *Judicibus.* Et Chaldaica interpretatio ſic extulit, *Adducat eum magiſter ſuus ad judicem*, quemadmodum annotavit & Capnion noſter in Rudimentis Hebraicis. Verùm hæc ad præſens inſtitutum propriè non attinent, niſi quatenus exigit lectionis ratio: proinde paucis indicaſſe ſat eſſe duximus. Alioqui erant in hac Epiſtola diligentiùs excutienda permulta, quæ non niſi verboſâ diſputatione poſſint explicari. Unum illud addam; Hieronymum videri non admodum probaſſe quòd hæc propriè tribuantur Chriſto, cùm enarrans Pſalmum ait, *Hunc locum Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos ſuper Chriſto interpretatur.* Et de autore ejus adeò fuit dubitatum ut ſerò recepta ſit à Romana Eccleſia; quandoquidem in hanc unam omnium nihil commentatus eſt Ambroſius. Et Hieronymus ait à nonnullis non fuiſſe receptam ob id quod in ea nonnulla citarentur quæ apud Hebræos non inveniantur. Ex hoc loco Faber Stapulenſis, vir cum primis probus ac doctus, anſam arripuit conflictandi mecum, ſive id fecit inſtinctu alieno, ſive quo meum animum exploraret, ſive affectu quodam humano, ut nullus adhuc hominum exſtitit qui omnibus horis ſapuerit. Sed quoniam illius inſectatio Commentariis intermixta paſſim legitur, neque commodum eſt viſum noſtram apologiam, quâ illi copioſius reſpondeo, in hunc infulcire locum, capita rerum duntaxat annotabo lectori.

I. Primum, quòd facit me rejicientem ſuam ſententiam ac Hieronymianam interpretationem, res ipſa declarat longè ſecùs eſſe, cùm utramque recenſeam, nec hanc nec illam rejiciens, ſed tantùm indicans ſcrupulum qui videatur in utraque lectione obſtrepere, eumque conor amoliri, per hoc & Fabri partes adjuvans. Nam is ſcrupulus graviùs obſtabat ſi legamus *eum paulùm diminutum à Deo* quàm ſi *ab Angelis.*

II. Deinde, quod hanc diſputationem mecum ſuſceptam vocat *Propheticæ intelligentiæ defenſionem*, ad me certè non pertinet, cùm ego Propheticam intelligentiam pro virili adjuvem, non impugnem. Nec hic ſine contumelia me facit intelligentiæ Propheticæ adverſarium, etiamſi conſtaret Prophetam hoc ſenſiſſe quod ille vult, cùm nec Fabro adverſer, & Hieronymianam annotationem nominatim etiam adducam.

III. Quod dixeram illum hac in parte *à Thoma diſſentire*, ità defendit quaſi criminis vice intentarim, cum nihil tale ſit in ſcriptis meis. Solus Hieronymus admonuit de *Eloim*, cæteri omnes tum Græci tum Latini legunt *ab Angelis*: cum his conſentit Thomas, niſi quod addit diſtinctionem de Corpore & Anima Chriſti: Id quoniam habebat peculiare, nominatim illius feci mentionem. Quid enim magni erat ſi dixiſſem *Fabrum hic diſſentire à Thoma*, ubi diſſentit ab omnibus orthodoxis, imo ab ipſo Paulo, quem putat hujus autorem Epiſtolæ, & à publica Eccleſiæ lectione tot ſeculis recepta comprobataque?

IV. Quarto loco ſic mecum argumentatur quaſi jam conſtaret

ret ac definitum esset, legendum à *Deo*, non *ab Angelis*, cùm id versetur in quæstione, imo maximè vertatur in dubium, quod ille veluti certum & confessum assumit, an legendum sit à *Deo*: quod semel duntaxat annotavit Hieronymus, & unus, & paucis verbis, nec improbans tamen receptam lectionem, & aliis locis adducens hunc Psalmum juxta id quod nos vulgo legimus.

V. Velut impiè dictum rejicit ac refutat, quod obiter scripserim, id quod in Psalmo legitur, *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*, de Homine assumpto intelligendum: perinde quasi his verbis distraxerim Christi Hypostasim, aut quasi *Christi* vocabulum pro una duntaxat natura usurparim, cùm nihil tale sermo meus habeat; qui neque à Latinæ linguæ consuetudine, nec à veterum scriptis, nec à S. literis abhorret, nisi palàm calumniari velis. Quod *diminutus* dicitur *Christus*, utique pertinet ad naturam Humanam assumptam, juxta quam diminutus est: Et tamen ostendo, ex supervacuo, non absurdè aliquid posse enunciari de altera naturarum quæ sunt in Christo quod in alteram propriè competat. Sed hæc copiosius disseruntur in Apologia: nam paucis annotari non possunt.

VI. Quod ille velut absurdum exsecratur, *Christi* vocabulum pro una accipi natura, demonstro rectè accipi juxta vulgatam Scholarum opinionem, nempe pro Divina unita humanæ, etiamsi negem id à me factum: idque doceo clarissimis argumentis.

VII. Quod ille toties infulcit, *homo assumptus fuit imminutus à Deo*, constat Fabri sermonem esse, non meum.

VIII. Quòd diximus Christum, non solùm infra Angelos descendisse, sed *infra abjectissimos etiam homines*, Faber atrociter eum sermonem refutat, tanquam impium & Christo Deoque indignissimum, tanquam spiritui adversantem, & literæ quæ occidit adhærentem, tanquam Prophetæ repugnantem: cum ego multis modis demonstrem hunc sermonem cum primis esse pium, concinentem oraculis Prophetarum, congruentem cum interpretatione Orthodoxorum, cum primis consentientem cum verbis Pauli; præsertim si modum dejectionis æstimemus non juxta naturam Hominis assumptam duntaxat, verum etiam juxta naturæ corruptæ injurias pleraſque; potissimum autem juxta speciem hominis nocentis, quam nostrâ causâ gessit ad tempus, juxta quam crucifixus est inter duos facinorosos velut & ipse damnatus ob scelera sua. Nam juxta hunc sensum potissimum placet Ambrosio intelligi quod ad Philippenses scribit Paulus, *Exinanivit semetipsum*, &c.

IX. Quod inibi ratiocinatur Faber, *Si propter naturam humanam assumptam paulum est imminutus à Deo, cum Deus esse perseveraverit, non consistit abjectum fuisse infra abjectissimos homines*, palàm est omnibus, non agere Fabrum Dialecticè, dum assumit adversum me βραχύ τι hic referri ad modum Dignitatis, ut opponatur *multum*, cum ego doceam referri ad Tempus, ut opponatur *diu*. Neque pugnant, *plurimum esse diminutum*, & *paulisper esse diminutum*.

X. Quod in calce hujus particulæ adjicit, me intendere hunc esse sensum Prophetæ, *Christum non paulùm fuisse imminutum ab Angelis, ac tantò minùs à Deo*, & ex his consequi, *Multò magis à Deo diminutum, si multùm fuit diminutus ab Angelis*, atque ità denique Prophetæ sensum utroque modo subrui, sive legamus *à Deo*, sive legamus *ab Angelis*, satis, opinor, ex superioribus liquet, hoc illi non modò sine causa verum etiam sine mente in me dictum esse. Ejusdem farinæ est illa clausula, *Quare hic sermo seipsum elidit, & falsum esse omni ex parte manifestus*. Nulla enim pugna in meo sermone; sed in iis quæ Faber ex sese comminiscitur tota hæc pugna est.

XI. Porrò, quod undecimo loco subjicit, Non consistere sermonem quo scribo *Christum nè ab Angelis quidem paululùm fuisse diminutum, qui ad mortem usque crucis descenderit*, nemo non videt ità dictum ut aut ipse non perpenderit quid diceret, aut amicum voluerit irridere: *Si non ab Angelis*, inquit, *paulùm quidem fuit diminutus, quomodo approbatur in Propheta legendum esse*, MINUISTI EUM PAULO MINUS AB ANGELIS? *Pugnantne* PAULO MINUS *&* NON PAULO MINUS, PAULULUM? Non animadvertit Faber hanc enunciationem, *Nè ab Angelis quidem paululùm fuit diminutus*, affirmativam esse, non negativam, quæ significat, *diminutum, sed non paulùm, imò multùm*. Secùs esset si dixissem, *Nè paululùm quidem fuit diminutus*. Liquet igitur hic nihil esse quod secum pugnet.

XII. Quæ nos adduximus è Psalmis, *Ego sum vermis, & non homo*, similiaque Christi testantia humilitatem, negat verè in Christum competere, sed tantùm juxta æstimationem impiorum. Atqui cùm interprete Augustino, imò veteribus omnibus, hæc Christo tribuantur ob Humanam naturam assumptam & naturæ nostræ injurias, postremò ob afflictiones, quas ut homo nocens perpessus est, nè hæc quidem in illum verè competent. Imò quia Christi dejectio nobis humilitatis exemplum præscribit, opinor magis convenire ut hoc exemplum ut summum ità verissimum esse credamus. Quòd si appellatio *vermis* & in membra Christi competit, non statim consequitur, in ipsum non competere.

XIII. Quòd adducit Mariam matrem Jesu, dilectum Discipulum, Magdalenam ac reliquos multâ compassione flevisse Christum, magis pro me facit. Etenim si nihil in illo erat non magnificum ac felix, quid super illo flebant?

XIV. Quòd rogat qui conveniat eum dici *vermem* qui sit *primogenitus omnis creaturæ*, & superior est omnibus creaturis; vicissim eum rogabo qui convenerit olim Christum dici *Deum* & *hominem*, *mortalem* & *immortalem*, *Filium hominis* & *Filium Dei*, *mortuum* & *vivum*? Quis enim non videt diversissima in eundem competere ob naturarum diversitatem quas eadem Hypostasis complectitur?

XV. Quod dicit *Jesum ità fuisse hominem ut omnium maximè verè fuerit homo*, nihil ad me pertinet. Mihi satis est quòd ipse sese vocat *non hominem*, Neque enim quisquam ità insanit ut accipiat illum non fuisse verè hominem. Sed quemadmodum quæ contemptissima sunt dicuntur *non esse*, ità dejectissimos homines *non homines* dicimus. Porrò an Christus magis fuerit Homo quàm cæteri, Dialecticis disputandum relinquo, qui negant in Substantiam cadere *magis* & *minus*. Ego ut Christum Hominem fuisse profiteor, ità non ausim affirmare *maximè omnium fuisse Hominem*.

XVI. Quòd Christus, ut ait, in Euangelio non ascribit sibi nomen *vermis*, sed ea potiùs quæ sunt dignitatis, primùm mihi satis est quòd se in Propheta *vermem* dixerit. Neque verò quæ in S. literis testantur Christi dignitatem, derogant illius assumptæ humilitati; ut neque retrorsùm, quæ declarant humilitatem, derogant celsitudini.

XVII. Negat Christum *vermem* dici posse, quod terrenus non sit, sed juxta Paulum *cœlestis*. Imò & cœlestis erat, & terrenus. Juxta illud dicitur *Filius Dei*; juxta hoc, *Filius hominis*, sive *Adæ*. Porrò quod addit de *proportione identitatis aut æqualitatis*, an ulla talis sit ipse viderit. Sed si hanc solam ponit in Christo, non erit ullo pacto *imminutus à Deo*; quod tamen fatetur Faber. Quod si juxta assumptam naturam dicitur inferior Deo Patre, proferat ille, si quam novit, proportionem inter Creatorem & rem creatam.

XVIII. Quod ratiocinatur, *& Seraphin ad Deitatem collatos Vermes dici posse*, nihil ad me pertinet. Neque verò sic argumentor, *Inter Hominem & Deum nulla est proportio, Igitur Homo vermis est*; verum ità colligo, *Christus se Vermem dicit, & non hominem, opprobrium & rejectamentum plebis, Igitur non fuit paululum ab Angelis diminutus, sed plurimum, etiam infra vulgus hominum*.

XIX. Quæstionem movet, *an ob injurias susceptas Christus fuerit in se diminutus*. Exponat quid dicat *in se*, & nihil fuerit negotii illi respondere. Neque ratio vetat Christum quò plura passus est, hoc merito fuisse majorem, & tamen interim vere dejectum. Ut dissimulem hîc quòd me facit adversarium suum, qui pro ipso faciam; quòd meum sermonem conjungit cum opinione Judæorum, quâ Christus multum fuit diminutus: quòd periculum denunciat si meis dictis pertinaciter hæream. Ego verò mea facilè recantabo si prior recantet Paulus quod scripsit, *exinanivit semetipsum*.

XX. Negat mortem Christi dicendam *humiliationem*, sed magis *exaltationem*, cùm ipse dicat, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*. Eâdem ratione latrones poterant dici *exaltati*. Imò Paulus ipse Christi passionem *diminutionem* interpretatur in hac ipsa Epistola; *exaltationem*, resurrectionis & immortalitatis gloriam. Atque hoc loco videtur sibi parum constare Faber. Cùm enim omnibus machinis hoc agat Faber nè Christus dicatur *verè humiliatus fuisse*, sic concludit, *Passionem illius non vocandam Humiliationem in malam notam*. Fatetur igitur esse *humiliationem in bonam notam*. Atqui *in optimam notam* nos illi tribuimus. Quis enim aliter tribuat Christo nisi prorsus impius?

XXI. Ait *Christum cum ista pateretur nihilo secius fuisse Regem Angelorum*; velut absurdum sit dicere illum *humiliatum infra Angelos* qui Rex sit Angelorum. Atqui eâ ratione non fuit inferior Deo, cùm fuerit Deus. Et tamen hoc certè dat Faber.

XXII. Sic ait, *Verum hæc omnia pro nobis miseris juxta oracula pati debebat, & videri admirandus supra omnes, & videri abjectus & humiliatus*: nimirum innuens non humiliari qui immeritus affligitur. Imò hòc magis se dejecit quò magis innoxius

noxius pro indignis ea pati voluit. Et, ni fallor, sicut verè visus est admirandus, ità verè visus est abjectus & humiliatus, non simpliciter, sed, quod mihi satis est, aliquo modo.

XXIII. Quod proponit de Martyribus, pro me facit. *Humiliantur* illi cùm cervicem præbent lictori; *exaltantur* gloriosæ mortis tum memoriâ, tum præmio.

XXIV. Negat βραχύ τι ad Temporis modum posse referri quo Christus versatus est in terris, cùm eum mox jubeantur adorare omnes Angeli. Mirum verò si jubentur adorare qui Deus est. Nec tamen ideo consequitur non aliquâ parte fuisse inferiorem, qui fuerit mortalis, cum illi sint immortales.

XXV. Fortiter negat apud Hebræos MEAT sonare spatium Temporis, sed Quantitatis sive Magnitudinis, & locis aliquot productis putat se rem factam habere. Quasi verò consequatur, si MEAT alicubi sit usurpatum apud Hebræos ut non declaret *brevitatem temporis*, non posse usquam ad Temporis significationem accommodari. Certè Psal. 37. *Adhuc pusillum & non erit peccator*, Hebræis est MEAT. Item Psal. 109. *Fiant dies ejus pauci*: rursus est MEATIM. Rursum Psal. 2. *Cum exarserit in brevi ira ejus*: est BIMEAT. Nec dubito quin centum loca produci queant, si quis hoc agat. Vide quid est rem dubiam ut exploratam asseverare.

XXVI. Quis non videt præceptionem nihil ad rem pertinere quâ docet huc vocabula *multum* ac *parum*, similiaque quoties junguntur vocabulis *Auctionem Diminutionemve* designantibus, nequaquam solere significare Tempus? sed *paulo minus* adjungitur verbo *minuisti*. Non enim hic agitur rectène verterit Latinus Interpres, sed quid Græca vox βραχύ τι declaret. Quis enim Latinus unquam dixit *paulò minus* pro *paululum*? quod magis sonat *propemodum*. Quod si βραχύ τι Græcis ad Tempus pertinet, non vertendum erat *paulò minus* aut *paululum*, sed *paulisper*. Neque quicquam vetat ità loqui, *Paulisper auxisti rem meam*, *Paulisper dejectus fuisti*.

XXVII. Conatur & Græcorum autoritate probare βραχύ τι non posse ad Tempus referri, quòd Eustathius Homeri interpres de Talentis loquens βραχύ τι dixerit, non Tempus indicans, sed Magnitudinem aut Æstimationem. Primùm plus tribuendum arbitror Athanasio, Chrysostomo, Origeni, viris usque ad eloquentiæ miraculum Græcè peritis, quàm Eusthatio alienorum commentariorum rhapsodo. Ad hæc, qui consequitur, *Eusthatius βραχύ τι accommodavit ad Magnitudinem*, *Igitur non potest ad Temporis modum pertinere?* ut quoniam *brevem fustem* dicimus, non liceat dicere *breve tempus*.

XXVIII. Quod docet, *Si quis tempus volet significare*, *dicendum esse ἐπ' ὀλίγον aut μικρόν· quod posterius est apud Johannem*: hæc non significant *Tempus*, nisi quia subauditur χρόνον, *asinum* significatura si subaudiatur ὄνον, quemadmodum usu venit & in βραχεῖ; cum dicimus ἐν βραχεῖ, i. e. *brevi*, nimirum *tempore*.

XXIX. Docet si Interpretes LXX. tempus intelligi voluissent, dicturos fuisse, ἠλάττωσας αὐτὸν ταχὺ παρ' ἀγγέλους, idque ità Latinè vertendum fuisse, *Minuisti eum cito ab Angelis*. Verum quis ità loquitur, *Citò vixit*, pro *Non diu vixit*? licèt, *Citò mortuus est*, aptè dicatur qui non diu vixerit. *Christus citò exaltatus fuit*, quia non diu fuit humiliatus.

XXX. *Vulgarium* & *Athanasium* duos facit, cùm Commentarii in Epistolas Pauli qui circumferuntur versi à quodam Priore S. Balbinæ, Vulgarii sint, seu potiùs Theophylacti Bulgariensis Episcopi, non Athanasii: quod protinus deprehendet qui Græca contulerit.

XXXI. Cùm Faber asseveret hanc lectionem esse impiam atque adeò hæreticam, si quis contendat tueri, *paulisper imminutus ab Angelis*, tamen Chrysostomum ac cæteros orthodoxos omnes non aliter excusat quàm quòd decepti per LXX. qui verterint *ab Angelis*, putarint sic esse apud Hebræos, ac difficultate loci constricti huc confugerint, ut βραχύ τι ad Temporis modum detorquerent, sed falsò. Mallem illum de tantis Ecclesiæ columnis paulò civiliùs fuisse locutum, præsertim cùm nemo sit omnium qui non cum illis hac in parte sentiat. Ipse denique Hieronymus illis assentitur, sicut antè docuimus, idque in opere non suspecto: cùm Commentarii quos habemus in Psalmos aut non sint Hieronymi, aut certè multis locis contaminati sint alienis emblemtais. Ut omittam quòd tot seculis magno consensu sic legit, sic cantat, sic docet Ecclesia; quæ ut labi possit alicubi, certè sensum hæreticum non amplecteretur tot ætatibus.

XXXII. Quæ adducit ex Euangelio de Dignitate Christi contra me non faciunt, qui sic illi tribuo pro tempore assumptam humilitatem ut dignitati non derogem. *Uno*, inquit, *Patre minor* dicitur. Verum; sed eidem Patri fuit æqualis. Ità secundùm aliquid inferior fuit Angelis, non simpliciter inferior.

XXXIII. Multis verbis docere nititur, Hominem unitum Divinitati hoc ipso sic exaltatum fuisse super omnia ut paulum esset imminutus à Deo. Atqui quod Faber hîc vocat *exaltationem*, Paulus vocat *exinanitionem*; & addit, *formam servi accipiens*, quod ipse quoque Faber superius interpretatur *Humanam naturam*. Certè Faber *inæqualitatem* ponit in Christo *secundum quiddam*: quæ si sumitur juxta comparationem Divinæ naturæ & Humanæ quomodo secundum hæc dici potest *paulum diminutus*?

XXXIV. Exspatiatur in campum latè patentem, multa colligens de Excellentia Christi. Quibus adeò nihil detraho ut ad illius dignitatem mihi jejunè parceque dicta videantur. Sed, ut antè demonstratum est, hæc non officiunt iis quæ de ejusdem Humilitate sunt dicta juxta naturam assumptam.

XXXV. Quando Faber usque adeò mordicus tenet, *Christum non nisi paululum fuisse imminutum à Deo*, vel illud expediat, quo sensu Paulus dicat eundem *exinanisse se*. An *exinanire* sign. *Paululum quiddam diminui*, quod nobis penè sonat *in nihilum redigere*? Perinde quasi dicas, *Exanimavit hominem*, & interpreteris, *id est*, *leviter commovit*.

XXXVI. Non satis amicè patrocinatur Aquinati, *qui Græcè Hebraiceque ignarus*, *secutus sit alterum errorem*. Atqui si Christus nullo modo fuit Angelis inferior, manifesta blasphemia est illum *Angelis* facere *inferiorem*. Id certè vel citra linguarum peritiam sentire poterat Thomas, vir non omnino stupidus.

XXXVII. Quoniam Faber omnem culpam rejicit in Interpretem, sic argumentabar, *Si Lucas est interpres hujus Epistolæ*, *hunc non oportet reum agere*. *Id*, inquit, *non recipimus*, *cum omnes sentiant incerto autore translatam*. Imò quisquis est cujus exstat argumentum in hanc Epistolam, testatur Lucam plusquam interpretem hujus Epistolæ fuisse, qui memor sensûs & ordinis post obitum Pauli ex sua memoria Græcè illam descripserit. Non asseverat, inquis, sed testatur ità multos sensisse. Quod si prorsus *incertus est interpres*, ut fatetur, quomodo Faber certò negat esse Lucam?

XXXVIII. Jam adjicit in fine *Cæterùm non oportet autoritatem scribentis*, *quicunque is fuerit*, *sed veritatem facere victoriam*. Id si verum est, quomodo Faber unam unius Hieronymi annotationem secutus de re tanta tam constanter pronunciat? Deinde quid si Lucas sit autor? nam id assumpsi: non erit huic aliquid deferendum?

XXXIX. Fatetur ELOIM Hebræis polysemum esse, & respondere duabus vocibus Latinis, *Deus* & *Dii*. Verum est quod fatetur, & negari non potest: cæterum hoc adjiciendum erat, quod constat ELOIM non solum sonare *Deos*, verum etiam *Primates*, *Judices*, denique & *Angelos*.

XL. Hoc ait interesse, quòd *Eloim*, quoties absque Pluralitatis nota ponitur, *Deum* sonat, atque ità semper transtulerunt LXX. rursum, quoties *Deos* sonat, additur COL Pluralitatis nota. Id nihil opus est aliunde petitis argumentis refellere, cum ipse sermo ψευδόμενος se ipsum refellat. In hoc Psalmo non additur COL, & tamen non verterunt *Deum*. Rursum Exod. 2. *Diis non detrahes*, non apponitur COL, & tamen verterunt *Deos*.

XLI. Flagellat Interpretem hujus Epistolæ, qui in Psalmo non verterit ELOIM *à Deo*, cum idem fecerint LXX. quibus magis conveniebat hoc imputari.

XLII. Quidam Hebræus Hispanus, homo meâ sententiâ non vulgariter exercitatus in suis literis, ait hoc interesse inter ELOIM & MALACHIM, quòd Angeli quodque, quoties de dignitate agitur, quòd assistunt Deo, ELOIM vocantur; ubi de functione, h. e. cum aliquò mittuntur, MALACHIM vocantur. At hîc dignitatis fit collatio.

XLIII. Elevat Paraphrasim Chaldæorum, quæ juxta LXX. translationem pro ELOIM habet MALACHIM, i. e. *Angelos*. Cui ego in hac sanè parte puto nonnihil tribuendum, præsertim cum consentiat cum autoritate LXX. quam ferè sequuntur & Apostoli.

XLIV. Ut censor severus objurgat me, & amentiæ accusat, qui scripserim quòd *Hieronymus non videatur admodum probasse hunc Psalmum propriè tribui Christo*, sic detorquens quasi *propriè* dixerim *verè*, cùm Latinè, ut opinor, dixerim *propriè tribui* quod ità tribuitur ut in alium neminem competat. Permulta sunt in Psalmis quæ nobis cum Christo sunt communia. Nihil igitur in his meis verbis quòd tam acriter debuit incessi.

XLV. Procul rejicit meam conjecturam, quòd collegerim ideo *videri non admodum probari Hieronymo hac propriè tribui Christo* quòd scripserit, *Hunc locum Apostolus in Epistola ad Hebræos super Christo interpretatur*. Fateor gravem autorem Paulum;

Paulum; sed primum incertum an is hujus Epistolæ sit autor: deinde, fatetur Hieronymus hunc *Scripturas aliquando ad victoriam detorquere:* postremò, non video quomodo possit totus hic Psalmus Christo accommodari. Solemus autem in autorem rejicere si quando ipsi fidem dictorum præstare nolumus. Verùm id quoniam paucis annotari non potest, ex Apologia qui volet reliqua petat. Neque hîc quicquam affirmo; tantùm ajo *videri*.

XLVI. Quòd Christus in Euangelio citat versiculum ex hoc Psalmo, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, non arguit necessariò Psalmum hunc propriè in Christum competere. Imò sententia potest esse generalis quam adducit.

XLVII. Stultitiam impingit, qui scripserim *usque adeò dubitatum de autore hujus Epistolæ ut serò sit recepta à Romanis; cùm hoc ad rem propositam nihil attineat.* Certè hactenus pertinebat, ut si Pauli non est, minùs nos ejus urgeat autoritas.

XLVIII. Negat *constare quod hanc Romani sero receperint.* Neque mihi constaret nisi Hieronymus hoc literis prodidisset, testans suâ ætate Apocalypsim non fuisse receptam à Græcis, Epistolam ad Hebræos à Latinis: nam hanc Græci libentiùs receperunt in odium Arianorum. Comperiet hoc non esse meum somnium, qui legerit Epistolam ad Dardanum De terra repromissionis, ubi fatetur à Latinis non fuisse receptam, cùm maximè vellet esse receptam. Legat ejusdem Commentarios in Esaiæ cap. sextum. Rursum ejusdem in caput octavum. Clarius etiam rursum in Matthæi caput 26.

XLIX. Arguit eam fuisse receptam à Romanis jam olim, quòd hæc translatio præcesserit tempora Hieronymi. Ut hoc donemus esse verum, tamen hinc nihil aliud confici potest quam hanc Epistolam translatam fuisse ante tempora Hieronymi. Neque enim statim quod translatum est, receptum est.

L. Existimat evidentissimum esse argumentum, Epistolam hanc fuisse receptam à Romanis, quòd Hieronymus utatur ejus testimonio adversùs Jovinianum. Si ideo fuit recepta quòd hujus utitur testimonio, receptus fuit & Pythagoras, cujus adversùs eundem utitur testimonio.

LI. Suaviter irridet argumentationem meam ut minimè Dialecticam, *Sero fuit recepta, quia in hanc nihil commentatus est Ambrosius*, quasi consequatur pari ratione, *In quemcunque librum non scripsit commentarios Ambrosius, eum serò fuisse receptum à Romana Ecclesia.* Ac verè prædicat, *hoc enthymema non unis dignum Anticyris*, si quis ad eum colligat modum. At ego in re conjecturali synathroesmo sum usus: Primùm quòd serò recepta sit, teste Hieronymo; deinde quod quædam in ea citentur ex Hebræorum voluminibus quæ illic non reperiantur. Addo in cumulum conjecturarum, quòd Ambrosius, cùm in cæteras omnes scripserit, in hanc unam non scripserit. Erant & aliæ conjecturæ, quas hîc velut aliud agens non putavi recensendas. Nec est necesse ut ex singulis conjecturis nascatur certa conclusio. Satis est si ex multis congestis argumentis conflatur probabilis suspicio.

LII. Existimat argumentum irrefutabile, hanc Epistolam fuisse receptam, quòd Ambrosius ac Hieronymus in libellis suis utantur illius testimonio. Id argumento est sic fuisse receptam ut jam tum à multis legeretur veluti Pauli, non autem fuisse receptam autoritate publicâ velut partem Scripturæ canonicæ de qua non liceret dubitare.

LIII. Jam ad argumentum quod adducit ex Dionysio, qui in libris De Divinis nominibus adducat hujus Epistolæ testimonium, respondeo, Quoniam incertus est ille Dionysius, fieri posse ut aliquantò posterior fuerit Ambrosio.

LIV. Fortiter asseverat nullos unquam de hac Epistola dubitasse præter Ebionitas, Marcionitas, & horum similes hæreticos. Quod si doceo Hieronymum & Augustinum de hac Epistola dubitasse, sicut mox, & in calce hujus Epistolæ docebimus, ex regula Fabri consequetur eos esse *hæreticos*, qui nobis certè sunt orthodoxi, nec dubito quin & ipsi Fabro.

LV. Ait Hieronymum, cùm ait *illic quædam citari quæ non compareant apud Hebræos*, hæreticorum recitare calumnias, non suam sententiam. Quid senserit Hieronymus de hac Epistola mihi non satis liquet: nam is vafer est, & in hac fuit opinione ut non protinus evulgandum sit quod apud te senseris, quando Christus turbis per parabolas locutus est, solis Discipulis aperiens Regni mysterium. Quod si apud Hebræos ea reperiuntur, cur Hieronymus non indicat?

LVI. In calce concludit, de hac non esse dubitandum, quandoquidem sacrosanctæ Synodi & Canones eam approbarunt. De Synodorum approbatione mihi non constat. Nunc certè constat receptam. Quo animo recepta sit, mihi nondum constat, an ut Pauli, an ut cui debeatur par autoritatis cum cæteris. Quibuscunque legibus recepta est, eam accipio. Tantum illud dicam, Apocalypsis si non fuisset in canonem recepta, nihilominus consistere potuisse fidem Christianam. Porrò si sacrosancta Synodus approbavit Epistolam ad Hebræos, cur audet Faber in ea locum taxare velut *impium & Christo indignum?* nisi forte Synodo fuit exemplar emendatum, & mox ab approbatione repentè totius orbis Græci pariter ac Latini codices omnes depravati sunt, adeò ut à nemine scire potuerit quid ea Synodus legisset.

LVII. Quicquid est incommodi aut offendiculi, id in Interpretem rejicit; sed meo judicio parùm prudenter in tanto Græcorum ac Latinorum codicum consensu, præsertim cùm nemo veterum hoc lemmate sit usus, tum incertum sit an Lucas sit interpres. Verùm hac de re nihil contendo: Tantùm tribus verbis admoneo lectorem, quò illi cogitandi quærendique materiam suppeditem: quod quidem maximè conveniebat huic argumento, quo profitemur Annotationes, non Definitiones.

Summa rerum capita paucis annotavimus fastidioso lectori. Qui volet rem pleniùs cognoscere, legat Apologiam nostram quâ Fabro respondemus. *Imperitiæ* crimen facilè agnoscam, *impietatis in Christum* nec debeo nec possum agnoscere, cui soli fateor omnem deberi gloriam, longè majorem quàm omnis humana prædicatio queat illi tribuere. Nec est contumelia quòd illi tribuimus Humilitatem, cujus crucem, cujus flagra reverenter adoramus etiam, cujus ignominia nostra est gloria. Atque utinam Faber, dum suam tuetur sententiam, non impetisset simplicem ac sincerum amicum tot dictis odiosissimis, quod illo viro indignum erat, etiamsi quid illi fuissem adversatus. Et tamen quod ad contumeliam attinet, facilè vel negligo, vel amicitiæ condono, vel homini denique ignosco, præsertim cùm quicquid hîc criminis aut erroris impingit, sit mihi cum probatissimis Ecclesiæ Doctoribus, imò cum publico totius Ecclesiæ judicio commune. Cæterùm non opinor tantum esse tribuendum amico ut in illius gratiam haberi velis blasphemus & impius in Christum ubi non sis. Et hanc tamen calumniam sic à me depuli ut, quoad licuit, non læserim amici famam: ut nemini dubium esse possit quin necessitatis fuerit quòd me defendi; Christiani pudoris, quòd à talione abstinui.

9. *Eum verò qui modico quàm ab Angelis*] Τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον, i. e. *Eum vero qui paulum quiddam præ Angelis diminutus est*, si quis verbum verbo reddat: si quis sensum malit, *Eum verò qui paulisper præ Angelis diminutus est.* ¶ *Gratia Dei*] Hîc ablativi casûs est χάριτι Θεοῦ, i. e. *per gratiam Dei*, h. e. beneficio Divino. ¶ *Pro omnibus*] Ὑπὲρ παντὸς, i. e. *pro universo*, sive *pro omni* aut *quovis*.

10. *Decebat enim eum*] Hoc ad Patrem est referendum, non ad Filium. Laborat enim in hoc Theophylactus nè præpositio *per* diminuere videatur autoritatem. Nam & *per eum fieri* dicuntur *omnia* à quo fiunt omnia. Proinde non solum de Filio dicitur quòd *per illum condita sunt omnia*, verùm etiam de Patre. Unde *consummare* legendum est activè, non passivè, τελειῶσαι. Certè in exemplari quod nobis exhibuit Bibliotheca Paulina apud Londinum, scriptum visitur *consummare*, licèt depravator aliquis *e* transpunxerit calamo. Suffragabatur codex Constantiensis vetustior. Sensus enim hic est, *Decebat enim eum*, nempe Patrem, *qui* non unum Filium Jesum, sed cum illo *multos adducere vellet in gloriam, ut eum qui esset Princeps ac Dux salutis cæterorum legitimum & perfectum redderet variis afflictionibus*. Ad eum modum & legit & interpretatur Chrysostomus. Proinde librariorum errore in nonnullis cod. *consummari* scriptum habetur, verbum passivum. Quam tamen lectionem reperio in Commentariis Fabri. ¶ *Autorem salutis*] Ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας, h. e. *Ducem ac Principem.* Nam *autoritas* magis est penès Patrem, juxta D. Hilarium, etiamsi Christus etiam *autor* est.

12. *Laudabo te*] Ὑμνήσω σε, *hymnis celebrabo.*

13. *Fidens in eum*] *In eodem*, πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ. ¶ *Et pueri mei*] *Mei* superest, τὰ παιδία ἅ μοι, i. e. *pueri quos mihi.*

16. *Nunquam enim Angelos apprehendit*] Οὐ γὰρ δήπου, *Non enim videlicet.* Quanquam δὴ Expletiva conjunctio vehementiæ nonnihil addit. Et ποῦ nonnunquam vertitur *alicubi*, ut sit sensus, *Nusquam in Divinis literis legi quòd Deus assumpserit Angelicam naturam.* Quod si probatur, vertendum erat, *Non enim usquam sanè Angelos apprehendit.* Ad eum sensum facit & verbum præsentis temporis. Demiror autem quid secutus interpres Chrysostomi legat, *Non enim quenquam Angelorum apprehendit*, nisi fortè putavit in genitivo ἀγγέλων subaudiri τινὰ: verùm is genitivus est verbi. Certè Chrysostomus Græcus non discrepat à nostra lectione. Jam ipse Chrysostomus admonet Metaphoram sumptam ab iis qui cursu insequentes

quentes fugientem occupant ac retrahunt. Angelos lapsos Christus non redemit, nec assumpsit illorum naturam. *Apprehendit* præsentis temporis, ἐπιλαμβάνεται, i.e. *assumit & induit:* quemadmodum & mox, *semen Abrahæ apprehendit.* Quanquam aliàs utatur hoc verbo Paulus pro *assequi.*

17. *Et fidelis Pontifex*] Ἀρχιερεὺς, i.e. *Summus sacerdos:* tametsi sæpius ità vertit. ¶ *Ad Deum*] Τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, i.e. *in his quæ ad Deum pertinent*, aut *quæ apud Deum aguntur.*

18. *In eo enim*] Ἐν ᾧ γὰρ, *Nam in eo quod*, h.e. *Ideo quod.* ¶ *Et tentatus*] *Et* copula redundat, nec legitur in vetustis Latinorum exemplaribus. Sunt autem meo quidem judicio conjungenda hæc duo, πέπονθε πειρασθεὶς, i.e. *quod accidit illi tentari*, ut participium positum sit loco verbi infinitivi. ¶ *Et eis qui tentantur*] Redundat hic quoque copula *&*. In vetustiore codice Constantiensi quispiam adjecerat in spatio.

VATABLUS.

1. ABundantiùs oportet observare nos ea] *Vehementiùs oportet attendere iis.* ¶ *Pereffluamus*] *Perfluamus.*

2. *Prævaricatio*] Vel *contradictio:* sic quædam exempl. Græca.

3. *Initium accepisset enarrandi*] *Primùm cœpisset enarrari.*

4. *In nos*] Vel, *nobis.* ¶ *Contestante*] *Attestante.*

5. *Quo*] Sub. *orbe.* ¶ *Loquimur*] Enallage est temporis, præsens enim loco futuri ponitur: i.e. de quo in sequenti testimonio loquemur.

9. *Eum autem qui modicò quàm angeli minoratus est*] *Eum tamen qui paulum quiddam præ angelis diminutus fuit.* Hoc dicitur propter mortem quam subiit: sunt enim angeli immortales. ¶ *Gratiâ*] Ablativus: i.e. per gratiam, h.e. beneficio Divino. ¶ *Omnibus*] *Quovis.* ¶ *Gustaret mortem*] Heb. moreretur.

10. *Eum*] Nempe Patrem. ¶ *Qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem*] Vel, *multis filiis in gloriam adductis, Principem* [Christum scil. Filium.] ¶ *Per passionem consummari*] *Per passiones consummare*, Vet. vel, *perfectum facere.*

11. *Non confunditur*] *Non pudet eum.*

12. *In medio Ecclesiæ*] Vel, *in media concione.*

14. *Communicaverunt carni & sanguini*] Vel, *commercium habent cum carne & sanguine:* i.e. homines sunt.

16. *Nusquam enim angelos apprehendit*] *Non enim videlicet angelos assumit:* i.e. angelorum formam, sed humanam.

17. *Debuit*] *Debebat.* ¶ *Similari*] *Similis fieri.* ¶ *Ad Deum*] i.e. In his quæ apud Deum forent agenda. ¶ *Ut repropitiaret*] i.e. Ad expianda.

18. *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus*] *Nam ex eo* [vel, *ob id*] *quod contigit tentatum esse.*

CASTALIO.

1. P*Erfluamus*] Obliviscamur.

CLARIUS.

1. N*E fortè perfluamus*] Ne tanquam rimarum plenis hæc effluant & excidant memoriâ.

2. *Si enim qui per Angelos*] Et ad Galatas ait *Legem ministerio Angelorum ordinatam. Si ergò quæ per Angelos*, inquit, *dicta sunt* in Vet. Testamento, *stabilia fuerunt, & peccantes omnes acceperunt justam ultionem, nos*, qui ista vidimus, *quo pacto effugiemus?* præsertim cum hic non temporaria bona sed æterna salus nobis paretur.

3. *Ab eis qui audierunt in nos confirmata est*] *Et cùm cognovissent*, inquit, *gratiam quæ data est mihi, Jacobus, Cephas & Johannes, quæ videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ*, &c. Alii referunt illud *in nos* non ad Paulum solum, sed ad fideles qui tunc erant.

5. *Non enim Angelis*] Hoc sequitur illam superiorem comparationem Angelorum cum Filio Dei. Quod autem ait *orbem terræ futurum*, intelligit futurum spiritualem mundum, *de quo*, inquit, *omnis hic sermo noster agit.* Ipse enim Christus Judex illius *orbis terræ* sedebit, Angeli verò tanquam ministri ac servi astabunt. Vel sic, Superior quidem spiritualis mundus visus est fuisse *subjectus Angelis*, cùm *eorum ministerio data sit Lex*; at *futurus* non ità, cùm per ipsum Dominum hæc allata sit salus.

9. *Quid est homo*] Cur ista nunc addit? Cùm majorem ostendere vellet Christum Angelis, videbatur adversari huic sententiæ illud quod scriptum est, quòd scilicet *paulo minor factus sit Angelis*: idcirco meminit hujus loci ut solvat hanc oppositionem, & solvens ait, dictum esse quòd *imminutus sit ob passionem* & mortem, cui Angeli non sunt obnoxii. Hæc autem conveniunt quidem & in omne Hominum genus, ut dicas, *Quid est homo quod memor es ejus?* neque enim solum dedit ut esset, verùm etiam ut bene esset. Et cum sit *memor* semper, *visitat* eum malè affectum. Quod autem ait *minuisti eum*, hic ejus sententiæ meminit quæ post transgressionem lata est dum morti obnoxius est factus, & hàc re minor Angelis. Verum cum (ut diximus) & de omnibus hominibus hæc dicta sint, in primis tamen ad Christum secundum carnem referuntur, qui Caput omnium est nostrum. Nihil ergo impedit assumpta hominis natura quo minus *subjiciatur* illi *orbis terræ futurus*, cùm Homini, qui *paulò minor factus est Angelis*, ob jam dictam causam *omnia fuerint subjecta.* Tunc vero Dei Filium adorare Angeli sint jussi.

8. *Necdum videmus omnia subjecta ei*] Nondum prædicatione Euangelicâ ubique disseminatâ, nondum apparet omnium Rex.

9. *Ut gratiâ Dei*] Gratia enim sanctissimæ Trinitatis fuit ut Filius pateretur: Nullum enim ob debitum Pater Filium tradidit. Pulcrè autem dixit *gustaret mortem:* nam in ea non mansit, sed duntaxat quodam modo gustavit.

10. *Propter quem omnia*] *Decebat*, inquit, ut Deus & Pater: *in cujus gloriam & quo autore omnia sunt*, *qui* per Unigeniti gloriam *multos filios* munere adoptionis, videlicet homines, *in gloriam adduxit*, *Principem & Autorem salutis eorum* Christum, factum illis similem, qui pati mortem posset, *per passiones consummaret*, atque per crucem perfectum declararet ac gloriosum. Quam vero ob causam ità decebat? *Quia ex uno omnes*, & *qui sanctificat* scilicet, *& qui sanctificantur*; h.e. ejusdem naturæ esse oportet, ut quemadmodum qui perierat, naturâ suâ abusus, eam corruperat, ità alius infinities meliùs eâ utens quàm ipsa requirebat, suâ bonitate totius naturæ malitiam aboleret. Vide autem quid Christus cæteris antecellat: ille enim *sanctificat*, nos *sanctificamur. Quam ob causam non erubescit*, inquit, *fratres vocare eos.* Nam unitâ sibi carne, fraternitatem continuò induit. Dicens autem *erubescit*, declaravit differentiam. Neque enim secundum naturam, quamvis verè sit homo, sed benignitate frater est, quandoquidem est & verè Deus.

13. *Ego ero fidens in eum*] Hoc testimonium adhibitum est ad acceptam Humanitatem ostendendam.

15. *Qui timore mortis*] Erant ante devictam mortem homines obnoxii servituti ob ipsius mortis metum, & nihil liberè, uti nunc, agere audebant. Quem enim non perterrefaceret Mortis nomen? At nunc ii qui antea tanquam maximum supremumque malorum omnium mortem formidabant atque aversabantur, jam quasi melioris vitæ principium ad eam læti accurrunt, si quando opus est pro Christo ac ejus Legibus pati. Quod cùm sit, an non manifestè patet, Servatorem Christum liberasse nos & *timore mortis* & *servitute*? Videtur & posse intelligi de iis qui non amore Dei sed timore pœnæ tanquam servi subjiciebantur: per Christum verò invecta libertas est, quâ ut filii ducimur per viam Dei.

16. *Nusquam enim Angelos*] Justum, inquit, fuit ut hàc viâ ingrederetur, quandoquidem non Angelicam sed Humanam accepit naturam, *cui debuit per omnia similis fieri, ut esset misericors & fidelis* veraxque *Pontifex*, cujus proprium est eos quorum est Pontifex *liberare à peccatis*, tanquam medium atque intercessorem.

18. *In eo enim in quo passus est*] Videtur enim experientia magis misericordem efficere: verùm propter id quod ait, *potest iis qui tentantur auxiliari*, possumus sic intelligere; Quoniam, quamvis haberet corpus nulli peccato obnoxium, *tentatus est* tamen *ac passus*, justum fuit ut jus haberet adversùs Malignum illum, & homines qui ab eo detinebantur ipse eriperet, ac *opitulari posset iis qui tentarentur.*

ZEGERUS.

1. P*Ropterea abundantiùs oportet nos observare*] Cùm, inquit, per proprium Filium nobis sit locutus, cumque tanta sit hujus Filii dignitas, excellentia & majestas, diligentiùs oportet oculos animumque advertere ad ea quæ nobis ab ipso tradita sunt. ¶ *Ne fortè pereffluamus*] i.e. Pereamus, sive à veritate excidamus.

3. *Quæ cùm initium accepisset enarrari* [al. *enarrandi*] *per Dominum*] Hæc salus, inquit, primùm enarrari cœpit à Domino Salvatore. ¶ *Ab iis qui audierunt*] Jungendum est cum illo, *confirmata est.*

5. *Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur*] Referenda sunt hæc non ad proximè præcedentia, sed ad ea quæ c. 1. de Christi excellentia dicta sunt. Præmiserat autem, post alia dicente ad Filium Patre, *Sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* nunc ab interpositis digressus subdit, *Non enim Angelis subjecit orbem terræ qui tandem futurus erat, de quo loquebamur* modò, dicentes, *Cùm introducit primogenitum in orbem terræ. Futurum* autem dixit orbem quia conditus est, & aliquando nil exstitit: & erat *futurus* quoad essentiæ Filii perpetuitatem. Cæterùm *enim* pro *autem* aut simili vocula posuit.

6. *Quid est Homo quòd memor es ejus*, &c.] Hæc de homine mortali propriè dicta Apostolus in sequentibus ad hominem Christum refert. ¶ [*Filius hominis*] i.e. Adæ. Hebræis abjectivè pro *homine vili ac fragili* dicitur.

7. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*] Hoc de quovis homine dictum, ut modò indicavimus, ad hominem Christum refertur, qui juxta humanitatem modico tempore Angelis, sive, ut aliis placet, Deo, inferior factus est. אלהים quippe plurali terminatione *Deum* vel *Deos* & Angelos significat. Clemens tamen hujus interpres Epistolæ τό, παρ᾽ ἀγγέλας, posuit pro eo quod in Psalmo est אלהים.

10. *Decebat enim eum per quem omnia*, &c. *consummari*] Si legeris *consummari*, intelligenda hæc erunt de Filio per passionem consummato, h.e. ad gloriam perducto: si verò *consummare*, accipienda erunt illa, *decebat eum per quem omnia*, qui multos filios in gloriam adduxerat, de Patre *autorem salutis* Christum *per passionem consummante*, i.e. perficiente.

11. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno*] Scilicet autore Deo *omnes*, tam *qui sanctificat* Christus, quàm *qui sanctificantur* mortales.

13. *Ego ero fidens in eum*] *Ego* Christus *ero fidens in eum*, nempe Patrem Deum. Locus est apud Prophetam Psal. 18. 2. ubi nos legimus *sperabo in eum*.

14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter*] Quemadmodum, inquit, pueri illi de quibus locutus sum carni participarunt & sanguini, horumque incommodis fuere obnoxii, nimirum mortalium hominum filii; ità & Christus voluit eisdem corporis malis fieri obnoxius.

16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*] Sentit nusquam in Divinis literis legi quòd Christus Angelicam naturam assumpserit redimendam, sed Humanam apprehendit, ab Abrahæ semine nascendo. Chrysostomi versio contextus habet, *Non enim quenquam Angelorum apprehendit.*

18. *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari*] In ea videlicet carne in qua passus est ipse Dei Filius, potens est etiam nobis auxiliari nè tentationibus succumbamus. Vel ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτός, &c. potest esse, *Ex eo quòd passus & tentatus est ipse, potens & propensior est tentatis succurrere.*

H. STEPHANUS.

1 MH' ποτε παραῤῥυῶμεν] *Nè dilabamur:* q.d. nè dilabatur nobis & effluat illa salus.

4. Συνεπιμαρτυροῦντος τοῦ Θεοῦ.] *Simul etiam testimonium illis præbente Deo.*

7. Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ᾽ ἀγγέλους] *Fecisti eum paulò inferiorem Angelis.*

10. Τελειῶσαι] *Consecrare:* vel *sanctificare.*

DRUSIUS.

6. QUid est Homo?] Propheta usus fuit nomine אנוש ENOS, in quo sensus *doloris* & *ærumnæ*, quasi *animal* dicas *plenum doloris & ærumnosum*. Cæterùm Eusebius novam originationem adducit quæ huic loco optimè quadrat: nam interpretatur ENOS ἐπιλήσμων, παρὰ τό נשה *obliviscor*, q.d. *Quid est animal illud obliviosum* (nam citò Creatoris sui obliviscitur) *ut ejus memor sis?*

7. *Ab Angelis*] Vox Hebræa ambigua est: nam reddi potest *à Deo* ELOHIM enim & *Deum* & *Angelos* denotat.

9. *Gratiâ Dei*] Χάριτι Θεοῦ. De variante lectione χωρὶς Θεοῦ vide Fabrum Semest. lib. 3. c. 12. pag. 158. Vide quinetiam Theodorum.

12. *Fratribus meis*] *Fratres suos* appellat filios Abrahæ, à quo & ipse oriundus erat. Vide infrà v. 16, & 17.

CAMERON.

1. MH' ποτε παραῤῥυῶμεν] Παραῤῥυῆναι Græcè ea dicuntur quæ excidunt animo. Estque hæc locutio non modò apud profanos autores qui Græcè elegantissimè scripserunt usitata, sed in Sacris etiam libris usurpata, ut Prov. 3. 21. μὴ παραῤῥυῇς, *nè excidant*, ubi in Hebræo est אל ילזו *ne deflectant à te, nè recedant:* sed videntur legisse אל יזלו. Sed sic hæc locutio refertur ad res, Metaphorâ ductâ ab Aqua, quæ nisi quodam conceptaculo contineatur facilè diffluit. Sed & de Personis, non modò de Rebus, eadem locutio venustissimè item usurpatur. Enimvero solent Latini scriptores eleganter hominis animum Vasi assimilare. Lucretius lib. 6. statim initio.

> *Intellexit ibi vitium vas efficere ipsum,*
> *Omniaque illius vitio corrumpier intus.*
> *Quæ collata foris & commoda cumque venirent:*
> *Partim quòd fluxum* (h. e. παραῤῥυέν) *pertusumque esse videbat,*
> *Ut nullâ posset ratione explerier unquam.*

Etiam D. N. Jesus Christus hominis mentem vasi similem fecit: *Nemo*, inquit, *infundit novum vinum in utres veteres, nè rumpantur, & diffluant*, μὴ παραῤῥυῶσι. Et hîc operæpretium est Metaphoræ concinnitatem observare. Non enim confertur hominis animus cum vase ideo tantùm quòd debeat retinere visa, audita, meditata, sed quòd debeat esse instar thesauri & pyxidis unde audita, dicta, visa, meditata depromantur quando usus postulat. *Homo bonus*, inquit Christus, *ex bono thesauro cordis sui*, &c. Quemadmodum igitur & liquor *diffluere* dicitur cùm non continetur, sic vasa item dicuntur *diffluere*, omnibus ferè linguis, cùm non continent. Et non est prætereunda vis præpositionis παρά· nam ἐκρυῆναι aliud est: & ἐκρυῆναι *effluere* vas sæpe expedit, ut cùm vitiorum, & earum rerum quarum recordatio nocet magis quàm prodest, memoriam ex animo delemus, vel etiam ea nobis alia cogitantibus ultro delentur: quod accidit bonis viris. Sed hoc nihil minus est quàm παραῤῥυῆναι *diffluere*; id quod iis tantùm contingit qui ea quæ omni studio memoriæ semel mandata debuerunt retineri passi sunt elabi.

2. Δι᾽ ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος] Quæri hîc possit an is qui in monte Sinai allocutus est Mosem & populum, fuerit ipse Deus, an verò Angelus aliquis: & dubitandi ratio est manifesta. Nam si fuit Deus, quomodo eo deprimit hîc Legem Apostolus quod sit doctrina seu λόγος λαληθεὶς δι᾽ ἀγγέλων, quasi in hoc doctrinâ Euangelicâ inferior esset, quæ scilicet non fuerit λαληθεῖσα δι᾽ ἀγγέλων; sed ἐν τῷ υἱῷ? non enim Filius Patre præstantior est. Sin Angelos dicamus eos qui decem illa verba Legis protulerunt, quomodo Angelo ea oratio poterit convenire, *Ego sum Deus tuus*, &c. Nam frigidum est quod nonulli adferunt, Angelum tanquam Dei Legatum nomen Dei usurpare. Sanè patroni clientum personas sæpe induunt: At nè fando quidem unquam auditum est, ullum Legatum, cum Principis sui mandata proponit, aliter loqui quàm in tertia persona, *Princeps meus hæc dicit.* Cujus rei illustre testimonium habemus apud Prophetas, apud quos nimirum solennis formula est, *Dicit Dominus.* Imò in visionibus Angeli profitentur se missos. Quid igitur statuendum est? Quomodo Lex dicenda est λαληθεῖσα δι᾽ ἀγγέλων? Nempe, Verborum illorum quibus concepta fuit Lex in aere sonus Angelorum operâ fuit efformatus, (quomodo amanuenses pingunt in charta symbola earum notionum quæ sunt in heri mente, &, si res poscit, in heri persona:) Id quod Angelorum vires non superat: nam certè tantum possunt quantum Cacodæmones, qui in hoc genere tantundem præstant. Nec est quòd quis quærat potueritne Deus solo nutu sine Angelorum operâ vocem illam effingere: nam omnino sanè potuit, sed libuit Deo uti in hoc genere Angelorum operâ. Potuit solo nutu Sodomam perdere, exercitum Sancheribi delere; non fecit tamen. At verò, dicet aliquis, si solo Dei nutu id fuisset effectum, annon visa fuisset ea vox potiùs dicenda *Dei vox*? Minimè verò: neque enim Deus utitur voce: hoc imperfectionis est: sed tamen *vox Dei* dicitur quæ extraordinariâ quadam ratione ad mentem Dei exprimendam in aere fit. Sic tonitru dicitur *vox Dei*, quanquam certum sit tonitru non proficisci à Deo immediate. Sic Jobum dicitur *Dominus allocutus è turbine*, quod Angeli operâ productum tonitru atque articulatum mentem Dei exprimeret. Itaque Lex dicitur λαληθεῖσα δι᾽ ἀγγέλων, quia Angelorum operâ factum est ut repræsentata fuerit quædam λαλιὰ Israelitis. Nempe tonitru & procellâ Lex data est, & quidem tonitru faciente vocis verborum Legis materiam, ad quam accedere necesse fuit quam vocant articulationem Angelorum operâ.

3. Ἀρχὴν

3. Ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι] Duo hic possunt Lectorem habere solicitum; primùm, quòd videtur autor hujus Epistolæ *prædicationem salutis* inchoare à Christi temporibus; deinde vero, quod videtur innuere inchoatam illam *prædicationem* à Christo, ab eodem non fuisse absolutam. Prius illud facilè solvitur. Etsi enim Moses & Prophetæ de salute & vita æterna locuti sint, tamen id fecere obscurè & pro illorum temporum ratione. Deinde, *salutis prædicatio* ea propriè appellanda est quæ & partæ salutis rationem explicat, & ea nunciat gesta esse quibus salus parta est. Non enim *Euangelium* dici potest nisi earum rerum quarum est ἀγγελία· Atqui jam præteritarum solummodo rerum est ἀγγελία· Itaque præteritarum tantùm est Euangelium. Ergo salus ante Christum exhibitum prædicata quidem est, sed non ità ut ea prædicatio *Euangelium* dici propriè possit. A Christo vero hactenus *inchoata* salutis prædicatio dici possit, quatenus consideratur Christus agens in terris. Nam si Christum spectemus etiam sedentem ad dexteram Dei Patris, indeque mittentem Spiritum S. hoc pacto tum *inchoata* tum *perfecta* etiam dici possit à Christo Euangelii prædicatio. Sed hic mentio fit τοῦ λαλεῖσθαι, *locutionis Christi*: Itaque agitur de Christi prædicatione in terris, cùm dicatur *salus cœpisse* λαλεῖσθαι διὰ Χριστοῦ. Dicitur autem *cœpta* tantùm à Christo in terris salutis prædicatio: Cùm enim Euangelii prædicatio duabus in rebus sita sit, Primùm, ut res præteritæ narrentur, qui potuit Christus in terris agens mortem suam, resurrectionem, ascensum in cœlos, sessionem ad dexteram Dei, vocationem Gentium, &c. prædicare? Deinde, cùm hæ res ità debeant narrari ut remoto velo & omni involucro proponantur, futurarum vero rerum in hoc genere ea est conditio ut quamdiu sunt futuræ obscurior debeat esse earum notitia, oportuit res istas à Christo tradi obscuriùs, quia non debuerunt proponi apertius.

4. Σημείοις τε καὶ τέρασι καὶ ποικίλαις δυνάμεσι] Σημεῖα Hebraicè אתות, τέρατα מופתים, & δυνάμεις גבורות unum idemque sunt, quemadmodum 1 Tim. 2. 1. δεήσεις, προσευχαὶ, ἐντεύξεις unam eandemque rem diversis nominibus significant. Neque verò hæc vocabulorum accumulatio pro ταυτολογίᾳ est habenda. Etsi enim idem significatur, tamen non eodem modo significatur. Nam miracula dicuntur σημεῖα quia *signa* sunt præsentiæ Divinæ, atque eorum proprius usus est ut confirmetur fides nostra: τέρατα verò, quòd homines *dent in stuporem*, non modo rapiant in admirationem; terrorem enim incutiunt: nam τέρας dicitur quasi τρέας, ἀπὸ τοῦ τρεῖν, quod est *tremere, pavere, terreri*: δυνάμεις vero, quia in eis elucet Dei *potentia*; ut certè vera miracula sine vi infinita patrari nequeunt. ¶ Πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς] Μερισμοὶ πνεύματος sunt varia illa dona Spiritûs S. quæ & χαρίσματα vocantur, de quibus Apostolus fuse 1 Cor. 12. 4. Et μερισμοὶ quidem, quod nemini uni indulgentur omnia, sed unicuique suum peculiare donum; deinde vero, quod eadem dona non eàdem copiâ singulis tribuebantur. πνεύματος vero μερισμοὶ, quod, ut docet Apostolus eodem illo loco, *Spiritus hæc dona pro arbitrio impertiebatur*.

5. Οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν] Status Ecclesiæ Christianæ hic ab Apostolo οἰκουμένη propterea vocatur quòd verba Psalmi, quæ mox Apostolus interpretaturus est, ab adversariis potuerunt intelligi de mundo hoc quatenus habitabilis est & cultus, quomodo Hebræi תבל dicunt; idque opponunt τῷ מדבר *deserto*, quasi οἰκουμένην ἐρήμῳ opponeres: hinc factum est ut οἰκουμένης vocabulum usurparit Apostolus. οἰκουμένη vero μέλλουσα vocatur quia non agit hoc loco Apostolus de statu Ecclesiæ qualis est in hac vita: nam nè hactenus quidem est οἰκουμένη. Mundus enim Ecclesiæ desertum est, οἰκουμένη Ecclesiæ est in cœlo, sicuti Israëlitarum in terra Canaan. Dicitur autem *mundus ille futurus non esse Angelis subjectus*, quia opponitur hîc ab Apostolo *mundus ille futurus* huic mundo, qui Angelis tum bonis tum malis est subjectus, quamvis diversissimâ ratione; his ut tortoribus, grassatoribus, prædatoribus; illis ut Dei Ministris. At *futurus mundus* soli Christo subjectus est; quem hoc nomine Angelis præfert.

6. Τί ἐστιν ἄνθρωπος] Cùm Psalmus ex quo ista desumpta sunt primâ fronte nihil aliud continere videatur quàm deprædicationem summæ Dei erga Hominem bonitatis, quæ se prodidit in excellentia Hominis quâ Deus eum in prima creatione ornavit, cum eum constituit Dominum universi hujus orbis terrarum, cui tota hæc mundi machina veluti ministrat, cujus dominii & præstantiæ Hominis supra reliquas omnes creaturas conspicienda se præbent etiamnum hodie vestigia quædam, licèt obscura valde ob peccati labem, mirum non immeritò videri alicui possit quàm aptè quæ sic de Homine in naturali illo suo statu considerato à Propheta dicta videntur, ea Christo singulariter applicentur, quasi de eo primò & propriè dicta essent. Itaque ut hic scrupulus eximatur, utque nè Apostolus abuti videatur hoc Prophetæ testimònio, ostendendum est, totum illum Psalmum non esse de prima Hominis creatione intelligendum, neque de hodierno Hominis naturali post peccatum statu, sed de Christo & fidelium per Christum restauratione accipiendum esse necessario. Multa igitur sunt quæ obstant quò minùs hic Psalmus referri possit ad primam creationem: Illud primùm, quod continet gratiarum actionem: Atqui non est verisimile Ecclesiam gratias Deo agere ob Creationem, tacito Redemptionis opere. Deinde, quibus beneficiis pii exciderunt, ea quoties commemorant cum gratiarum actione, toties agnoscunt miseriam in quam suâ culpâ delapsi sunt, simul etiam petunt ut in locum unde dejecti sunt restituantur: quorum nihil hoc Psalmo fit. Huc & illud accedit, quòd Deus dicitur hoc Psalmo propagasse usquequaque totâ terrâ gloriam nominis sui: id quod nonnisi ad Ecclesiam Judæorum & Gentium pertinet. Nam primâ creatione gloria nominis Dei non latiùs patuit quàm Paradisus: nondum enim erant alibi qui nominis Dei laudem celebrarent. Adde quòd non quadrant primæ creationi illa verba, *Ex ore infantium & lactentium*, &c. hæc verò multò minùs, *propter eos qui tibi adversantur, ad compescendum hostem*. Sed & illa ותחסרהו ἠλάττωσας αὐτὸν ad primam creationem nequeunt referri: notant enim, si eorum propriam vim æstimemus, conditionis mutationem in pejus. Unde & apparet quàm rectè LXX. Interpretes מעט verterint βραχύ τι, & מאלהים παρ' ἀγγέλους, illud, quoniam מעט ad Tempus etiam refertur, Hos. 1. 4. hoc verò, quia tota sententia frigida foret & inepta si אלהים *Deum* significaret. Quis enim putet Prophetam voluisse *Hominem*, vel in prima creatione, fuisse summo *Deo paulo inferiorem*? Deinde, manifesta antithesis, quæ huc redit, *Ad exiguum tempus eum Angelis reddidisti defectiorem, ac postea gloriâ & magnificentiâ coronasti eum.* Objici posset, Hominis dignitatem sic describi ut illi subjiciantur boves & oves; quod non videtur quadrare restaurationi Ecclesiæ per Christum. Imò vero, inquam, si hîc ageretur de prima creatione, minima hæc foret pars tantæ dignitatis: sed sic solent Prophetæ gloriam Regni Messiæ describere verbis res terrenas significantibus, ut Psalm. 72. 16. *Frumentum det fragorem in vertice montium*, &c. Sic ergo ostensum est Psaltem eo Psalmo non agere de Hominis creatione, & donis per creationem Homini collatis; sequitur ergo ut de Ecclesiæ redemptione, deque donis quæ fidelibus per Christum & redemptionis gratiam collata sunt, isthic agatur. Quod ut fiat manifestius, tenendum est quæ sit hoc capite Apostoli mens; hæc nempe, Christum supra Angelos evehere, eumque illis longè superiorem probare: id quod facit hoc argumento; *Deus non Angelis sed Christo subjecit* τὴν μέλλουσαν οἰκουμένην *futurum seculum*, v. 5. *Ergò Christus est Angelis superior.* Antecedens illud quoad priorem ejus partem, nempe, *Deum non subjecisse Angelis futurum seculum*, sic probat, *Deus homini subjecit futurum seculum, Ergo non Angelis.* Probat autem *Homini à Deo subjectum esse futurum seculum*, adducto Davidis ex Psal. 8. 6, 7, 8. testimonio, hoc modo, *Omnia*, teste Davide, *à Deo homini sunt subjecta*, v. 8. Jam verò subjectio illa non est accipienda de subjectione rerum quæ concessa est Homini à Deo in prima creatione, h. e. de potestate quam tum Homo accepit à Deo in omnia manuum ipsius opera, cujus Moses meminit Gen. 1. 28. Ergò intelligendum est illud Davidis dictum de subjectione τῆς μελλούσης οἰκουμένης *futuri seculi.* Probat autem dictum illud Davidis non debere accipi de subjectione hujus seculi Homini à Deo in creatione facta, indè quia scilicet non videmus illud Davidis dictum compleri in hac vita, in hoc seculo, *Non enim videmus nunc omnia pedibus hominis esse subjecta.* Imo vero tantum abest ut Homo omnibus creaturis dominetur, ut contrà eas habeat & experiatur sæpissime inimicissimas. Quandoquidem ergo in hac vita & hoc seculo non videmus omnia esse Homini subjecta, & Scriptura solvi non potest, necesse est ut illud Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*, non de subjectione rerum in hac vita intelligatur, sed de ea quæ futura est in venturo seculo, in quo verè omnia & plenè Homini subjicientur. Sic probat Apostolus *non Angelis sed Homini subjectum esse à Deo futurum seculum.* Sed præterea probat idem Apostolus, *Christo subjectum esse futurum seculum*, deque eo intelligendum esse illud Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*: & quidem hoc pacto id probat, *Illi subjectum est futurum seculum*, sive, *Illum honore & gloriâ coronavit Deus* (sunt enim ista duo Apostolo hic ταυτοδυναμοῦντα) *quem prius Deus* ἠλάττωσε παρ' ἀγγέλους, v. 7. *Sed Jesus Christus is est quem Deus* ἠλάττωσε βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. *Ergo Christus is est cui futurum seculum à Deo subjectum est*, sive, *quem Deus honore & gloriâ coronavit.* Ubi observandum est, βραχύ τι isthic non significare *paulo infra*, uti vulgo redditur, sed *ad breve tempus*, quod ab ipso Apostolo explicatur v. 9. verbis istis, διὰ τὸ πάθη-

τα τοῦ θανάτυ, h. e. *per illud tempus quo passus est mortem.* Atque hinc liquet verba Psalmis propriè & primo de Christo esse accipienda, qui *ad breve tempus* (passionis nempe suæ tempore) factus est respectu naturæ suæ humanæ *Angelis inferior*, non vero de humano genere, cui illud βραχύ τι *ad breve tempus* non potest accommodari. Agitur ergo eo Psalmo de dominio quod Christus accepit in omnes omnino Dei creaturas, nullis exceptis, etiam in Angelos, (nam *in eo quod Deus illi subjecit omnia, nihil omisit quod non sit ei subjectum*) sive de gloria & honore illo quo Deus Christum post mortis passionem, resurrectionem, in cœlum ascensionem coronavit, cùm eum evexit & collocavit in cœlo à dexteris suis supra omne nomen tam in cœlo quàm in terra. Nam *hodie videmus Jesum gloriâ & honore coronatum, qui* paulo antè *ad breve tempus propter mortis perpessionem factus fuerat Angelis inferior*, v. 9. Ubi observanda est oppositio quam isthic facit Apostolus inter Christum, qui *gloriâ & honore coronatus est*, cujusque *pedibus omnia subjecta sunt*, & Hominem, cui v. 8. negat *omnia esse subjecta.* Sic enim demonstrat Apostolus Davidis dictum non posse (uti loquuntur in Scholis) verificari de Homine, sed de solo Christo. Sic itaque breviter disputat Apostolus; *Scriptura solvi non potest*, sed necesse est ut complementum suum sortiatur; Illa autem testatur, *omnia hominis pedibus à Deo esse subjecta*; quod cùm *non videamus* jam fieri *in hoc seculo*, necesse est ut tandem aliquando, nempe in futuro, id verum comperiatur, cùm scilicet fideles per Christum miseriis omnibus hujus vitæ soluti in cœlum transferentur & supra omnes creaturas evehentur. Hæc autem gloria fidelibus non primò & per se sed propter Mediatorem Christum competit, adeoque eorum Capiti primariò convenit, qui homo factus, cùm morte suâ hominem redemisset, post passiones suas cum summa gloria in cœlum evectus est, & supra omnes creaturas constitutus. De quo solo propterea & propriè verificatur (ut ità dicam) Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*, de fidelibus autem in futura vita nonnisi secundario & per participationem seu communionem quam habent cum Capite suo Christo.

10. Διὰ παθημάτων τελειῶσαι] Vox τέλειος ut plurimùm quidem & primo ad Cognitionem in Pauli scriptis, sed etiam non rarò ad Mores refertur. Nempe duplex est cognitio, est enim cognitio quædam quæ sita est in nuda perceptione rerum, & est quæ sita est in experimentis: Et quomodo secundùm priorem illam cognitionis speciem τέλειοι à Paulo dicuntur qui summum, h. e. maximum, cognitionis mysteriorum Divinorum gradum assecuti sunt, quantum scilicet in hac vitæ istius caducæ infirmitate assequi possumus, ità secundùm posteriorem istam cognitionis speciem τέλειοι dicuntur qui docent reapse & factis se verè didicisse quod se didicisse profitentur. Unde Jacobus 3. 2. τέλειον vocat eum qui potest continere linguam, & Christus Matth. 5. 45. τελείυς vocat eos qui patientes sunt. Est nempe quoddam *discere experimentale*, ut ità loquamur, secundùm quod Christus dicitur *didicisse obedientiam ex iis quæ passus est*, cap. 5. 8. Atque hoc respectu dicitur hic τελειωθεὶς διὰ παθημάτων, Metaphorâ ductâ ab humana infirmitate; Christus nempe veluti *initiatus est* & tandem *perfectus* omni virtutis experimento & documento.

11. Ἐξ ἑνὸς πάντες] Ἐξ ἑνὸς nec Deum Patrem, nec Adamum, neque vero etiam naturam humanam significare videtur. Nam si vel ad *Deum* vel ad *Adamum* referretur, ratio conformitatis nostræ cum Christo non esset manifesta: nam etiam Angeli sunt ex Deo, & impii homines ex Adamo. Atqui certum est Apostolum rationem reddere cur Christum nobis, nos Christo conformes esse oporteat, idque juxta eam conformitatis rationem quæ Angelorum cum Christo conformitati non competit. Cæterùm inter impios & Christum nulla conformitas est, ut hic Christus non sit ut homo simpliciter considerandus sed ut homo sanctus. Quid igitur statuendum est? Nempe videtur Apostolus hàc locutione ἐξ ἑνὸς designare Paritatem conditionis, spiritualis, inquam; quasi juxta nostrum considerandi modum Deus mente concepisset Ecclesiæ suæ ideam quandam quæ in uno aliquo esset per omnia sibi similis; deinde vero voluerit Caput & Sanctificatorem Ecclesiæ Christum ejusdem esse conditionis cujus est Ecclesia tota. Fortasse etiam alluserit ad id quod jure Levitico factitari solitum est, quo jure delibatæ ex acervo primitiæ acervum sanctificabant, cùm essent primitiæ & acervus ἐξ ἑνὸς, h. e. *ex eadem massa.* Quod siquis quærat quid sit id tandem, respondebimus id esse quod Paulus vocat *imaginem Dei*, item *novam creaturam*, quod 2 Pet. 1. 4. dicitur θεία φύσις, præterea verò conditio quæ Dei imaginem sequitur, nempe afflictionum communio. Uno verbo ἐξ ἑνὸς est *ejusdem naturæ & conditionis spiritualis.*

13. Ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ] Mirum videri possit quî faciat iste locus ad Apostoli propositum. Nempe docuerat Apostolus v. 11. Christum *sanctificatorem & fideles sanctificatos esse* ἐξ ἑνὸς, h. e. *ejusdem conditionis & naturæ spiritualis.* Id vero inde probat quod & Christus in diebus carnis suæ *in Deo spem suam collocavit*: id quod non est Dei, sed nec illius creaturæ quæ non angitur & conflictatur rebus adversis. Ex quo patet eo quod etiam *Christus Deo confidit*, utrumque Christo convenisse, ut Homo esset, sed qui Spiritu Dei ageretur, sine quo nulla in Deo confidentia est; idemque Homo ærumnosus. Non enim Angelis neque beatis spiritibus convenit illud, *Ego confidam in ipso*: cujus rei hæc ratio est, quod hæc confidentia spem habet & exspectationem, cui nullus locus esse potest postquam datum est frui summo Bono. Itaque in S. Scriptura etsi piis hæc oratio tribuitur, attamen iis nunquam tribuitur nisi tum cùm in maximis animi angoribus versantur. ¶ Καὶ πάλιν Ἰδοὺ, &c.] Cùm hæc verba Ἰδοὺ ἐγὼ, &c. immediatè apud Esaiam sequantur præcedentia, Ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, mirum videri possit cur Apostolus inter ea interserat ista καὶ πάλιν. Crediderim ideo id factum quod diversum sit quod instituit probare; itaque illud καὶ πάλιν non respicit verba quæ profert ex Propheta, sed scopum disputationis. Nam duo erant Apostolo probanda autoritate Scripturæ; Primùm, conditionem Christi eandem debuisse esse quæ nostra: hoc jam probavit ex illo loco ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ: deinde vero, conformitatem naturæ spiritualis nobiscum: id etiam verbis illis jam probavit, sed obscurius. Itaque idipsum instituit apertè & directè probare istis verbis, *Ecce ego & pueri quos mihi dedisti.* Potest etiam & illa asserri ratio, Quod verba illa, Ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, pars versiculi sunt, & quidem ultima; unde factum sit ut cùm Hebræorum more sequens versus disterminatus sit à præcedente per *Soph passuc* quem vocant, eum versum Apostolus citavit acsi nova esset sententia & longo distaret intervallo: quomodo v. g. qui prudenter distinctionem librorum Sacrorum in certa quædam capita, quia usu jam recepta est, observant, etiamsi cohæreat initium capitis cum fine præcedentis, attamen in citationibus non continuo utrumque versum jungunt. ¶ Καὶ τὰ παιδία, &c. Cùm *Christi fratres* passim dicamur in N. T. mirum videatur quomodo hic παιδία ejus dicamur. Sed nihil necesse est ut sic verba Prophetæ accipiamus ac si diceremur παιδία Christi: nam verborum sensus constabit si dicamur *liberi* respectu Dei, sed quos Deus eo *liberos suos* fecit quod nos Christo tradidit, juxta illud, *Nemo venit ad me nisi Pater trahat illum*: & illud etiam, *Quos dedisti mihi ego custodivi*, &c. Sed & illud παιδία ità licet interpretari, ut etiam Christi respectu παιδία dicamur, sed quomodo Prophetæ de Christo loquuntur. Nam apud Esaiam 53. 10. *posteritas* illi tribuitur: & dubium non est quin eodem spectet illud apud eundem, *Generationem ejus quis enarrabit?* v. 8. Et Psal. 110. 3. *ros juventutis tuæ* haud dubiè ponitur pro multitudine הילדים παιδίων quanta est guttarum roris.

14. Παραπλησίως] Παραπλησίως, ὁμοίως, τὸν αὐτὸν τρόπον eadem sunt apud bonos autores, nempe usurpantur aliquando de rebus numero diversis at specie iisdem. Fortè etiam Apostolus eo spectavit ut notaret differentiam simul & convenientiam humanæ naturæ in Christo & in nobis, quæ multiplex est. Primùm enim in nobis humana natura non modò est σὰρξ καὶ αἷμα, verùm etiam ἐκ σαρκὸς καὶ αἵματος. At in Christo est quidem illa, quod ad substantiam attinet, σὰρξ καὶ αἷμα, sed ἐκ πνεύματος ἁγίυ. Deinde vero etiam in dotibus animi naturalibus, quas vocant, Christus infinitis partibus nobis antecelluit. Tertio, Omnes ejus affectus pravis & vitiosis perturbationibus vacarunt. Denique, humana natura non sola seorsim in eo existebat, quod *subsistere* vocant, sed conjuncta cum natura Divina.

16. Οὐ γὰρ δήπυ ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, &c.] Doctissimi Interpretes unanimi consensu verbum ἐπιλαμβάνεσθαι ad naturæ assumptionem in Personæ unitatem retulerunt. Sed primò hæc non est vis verbi ἐπιλαμβάνεσθαι, ut significet *assumere in unionem personæ*: quin ἐπιλαμβάνεσθαι propriè est *apprehendere*: unde factum est ut etiam *opitulari* significet, Sirac. 4. 12. καὶ ἐπιλαμβάνεται, Sapientia nimirum, τῶν ζητύντων αὐτὴν, *opitulatur quærentibus ipsam.* Nam qui in summo discrimine versantur, vel qui se jam ultro in perniciem conjecerunt, eos si fieri potest injectâ manu asserimus, juxta illud Judæ 23. ὃς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ τῦ πυρὸς ἁρπάζοντες. Ergo non sine elegantia quadam traductum est hoc verbum ad id significandum quod sub finem versûs præcedentis ἀπαλλάξῃ vocavit. Deinde, quemadmodum dura nimis locutio foret, *Filius Dei assumpsit homines*, dum id volumus tantùm significatum, *Filius Dei assumpsit naturam humanam*, ad eundem modum & hæc itidem locutio, *Filius Dei assumpsit Angelos*, ad significandum *Filium Dei assumpsisse naturam Angelicam*, pariter dura videri possit. Tum etiam vix dicimus

dicimus Filium Dei *assumpsisse hominem*, quanquam *hominem factum* tradat Scriptura: qui ergò Angelicam negatur assumpsisse naturam, cur non negatur potiùs *factus Angelus* quàm *Angelos assumpsisse*? Denique, omnino Apostolus ostendit v. 17. *Christum oportuisse per omnia nobis esse similem*, hàc ratione, quòd *non assumpsit Angelos, sed semen Abrahæ*: Atqui si ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραὰμ est *assumere naturam humanam*, idem videbitur probasse per idem; nam *fieri nobis per omnia similem* & *assumere naturam nostram* non videntur re sed verbis tantùm differre. Quòd si ἐπιλαμβάνεται pro ἀντιλαμβάνεται ponitur, omnia quadrant; ut hæc sit mens Apostoli, *Christus non venit redempturus Angelos, sed Homines; itaque oportuit Christum hominibus esse similem fratribus nimirum suis: nam semen Abrahæ* hîc sunt credentes; porrò soli fideles sunt *Christi fratres*. Sic suprà collegit, *Quoniam παιδία κεκοινώνηκε αἵματος καὶ σαρκός, ipse similiter eorum particeps factus est*. Ergò παιδία, ἀδελφοὶ, σπέρμα Ἀβραὰμ, ἁγιαζόμενοι iidem sunt, *credentes* nempe. Adde quòd assumptionis naturæ humanæ in unitatem Personæ actio momentanea, non continua, fuit. Itaque eam Apostolus paulò superiùs verbo præteriti temporis μετέσχε significavit, cujus hæc est vis ut duarum naturarum unionem aptè designet. Non enim merus homo μετέχειν naturæ humanæ propriè dici possit: itaque Apostolus dum meminit τῶν παιδίων, non dixit eos μετέχειν sed κοινωνεῖν αἵματος καὶ σαρκός. At opitulandi actio Christi continua est, cæterum actio continua nullo tempore convenientius quàm præsenti repræsentari potest. Nam sicut in Linea fingunt Puncti productionem, sic in Temporis continuatione fingimus promotionem quandam Præsentis: quod quale sit præter id quod νῦν vocant animo capi non potest. Hæc igitur causa est cur ἐπιλαμβάνεται dixerit Apostolus, non verò ἐπελάβετο. Objiciunt nonnulli, Christum opitulatum esse Angelis, quatenus per eum confirmati sunt in bono, itaque fore ut Apostolus negarit quod res est, si ἐπιλαμβάνεται significat *opitulari*. Sed quemadmodum non omne Christi beneficium σωτηρία *salus* dicitur, sed *salus* ea demum est quæ perditis obtingit, sic non quævis opitulatio verbo ἐπιλαμβάνεσθαι designatur, sed ea tantummodo quæ fit injectâ manu: Qualem Judas describit, *Alios servate ex flamma rapientes*. Qui sic opitulatur ἐπιλαμβάνεται. Uno verbo, ἐπιλαμβάνεσθαι est eorum qui ceciderunt, & qui manu prehensi erigendi sunt ex lapsu: quod Angelis in bono confirmatis non convenit.

¶ Σπέρματος Ἀβραὰμ] Hoc nomine ii quos Christus redemit hic vocantur, fideles nempe. Cujus siquis quærat rationem, eam expedit Paulus in Epist. ad Romanos qui duplex statuit Abrahami σπέρμα in quorum altero etiam Gentes censentur, nempe qui ex Gentibus credunt. Atque hâc locutione eò lubentiùs est usus hujus Epistolæ autor quod ad Hebræos scribit, qui se Abrahami filios gloriabantur. Pertinet nimirum ad laudem Abrahami quòd *Pater* dicitur *omnium credentium*, sive Judæi sint sive Gentiles.

18. Πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς] *Tentatio* cùm dicatur multis modis, hoc loco tamen intelligenda est ità ut nihil aliud significet quàm luctam animæ Christi adversùs omnis generis dolores & ærumnas: quæ lucta *Tentatio* dicitur vel respectu Dei (quò referenda sunt illa Davidis toties repetita, *Proba me*, & *Probasti me*: sunt enim magnificentiora quàm ut ulli mortalium propriè conveniant) vel respectu Diaboli, qui Christo studuit omnibus modis esse molestus: quo illud pertinet, *Princeps hujus Mundi venit, sed nihil in me invenit*, Joh. 14. 30. Ergo cùm dicit Apostolus πέπονθε notat Materiale tentationum Christi, quod fuit dolor corporis & animi, non inordinatus ille qui est à peccato diffidentiæ, vehementissimus tamen. Formale vero notatur illo πειρασθείς: nam quod perpessiones sunt tentationes, pendet id non à patiente sed ab inferente dolorem. Atqui dolorum Christi duo fuerunt distinctissima genera: Alterum quod immediatè à Deo proficiscebatur, sine ullius creaturæ interventu, cruciatus nimirum animæ Christi: hactenus Christus à Deo tentatus fuit immediate. Alterum genus dolorum Christi ejusmodi fuit ut à creaturis proficisci potuerit: & hactenus item Christus à Deo tentatus dici possit, haud immediatè tamen. Cæterùm creaturæ quæ Christo molestiam exhibuerunt, vel spiritu Satanæ instigatæ, vel Angeli ipsi Satanæ fuerunt. Harum tentationum respectu Christus à Diabolo, non modo à Deo, quanquam diversissimo consilio, tentatus dici possit.

JAC. CAPPELLUS.

2. *SI per Angelos pronunciatum verbum fuit firmum*, &c.] Legale typicumque fœdus intelligit Apostolus, *per Angelos ordinatum interventu ministerioque mediatoris*, i. e. Mosis, Gal. 3. 19. Sic enim explicandum locum illum suadet vox ἐν χειρὶ, quæ docet, μεσίτην illum de quo agitur fuisse ministrum Angelorum: quod certè mediatori typico, nempe Mosi, convenit, non autem mediatori propriè dicto. Sic igitur hic argumentatur Apostolus, *Si fœdus typicum ab Angelis Mosis ministerio promulgatum tantæ fuit firmitatis ut subindè quævis illius violatio morte puniretur*, ut patet ex Num. 15. 30. 1 Sam. 6. 19. 2 Sam. 6. 6. 1 Reg. 13. 4, 24. & 20. 36. 2 Reg. 2. 23, 24. & 2 Chron. 30. 20. *quantò minùs impunè feret qui fœdus Euangelicum ab ipso Filio promulgatum insuper habuerit*?

3. *Quomodo nos effugiemus, si tantam salutem*, tam gratiosum & tam salutare fœdus, *neglexerimus, quæ cùm ab ipso Domino primùm prædicari cœperit, ab iis qui ipsum audiverant nobis fuit confirmata*?] Nihil obstat quo minùs potuerit Paulus ità loqui: 1. Per ἀνακοίνωσιν, qualem habemus, eamque multo duriorem in speciem, 1 Thess. 4. 17. Secundo, licèt Paulus Gal. 2. 6. dicat *sibi nè ab eminentissimis quidem inter Apostolos quidquam collatum*, tamen id restringi potest ad auctoritatem, de qua propriè loquitur Apostolus. Quanquam etiam institutionem si spectes, non opus habuit Paulus humanis documentis, qui in tertium usque cœlum subvectus reliquos omnes Apostolos sapientiâ superabat: Sed tamen hoc ipsum quod videbat tam multos & tam pios testes oculatos eorum quæ fecerat Christus, id non parùm faciebat ad confirmandam Pauli fidem, quæ quantumvis magna tamen in dies incrementum accipiebat etiam ab iis qui Christum non viderant, ut patet ex Rom. 1. 12. quanto magis ab iis qui dicere poterant quod habetur 1 Joh. 1. 1. *se* videlicet *ea nunciare quæ viderant, audiverant, adeoque palpaverant de verbo vivifico*?

5. *Non enim Angelis subjecit mundum illum qui venturus est, de quo loquimur*] Οἰκουμένη Græcis designat τόπον οἰκήσεως *locum habitationis*. Apostolus autem etiam χρόνον complectitur, adeoque tempus aliquod potiùs quàm locum aliquem designat, ut exprimat id quod ab Hebræis dicitur עולם. Ea vox significat κόσμον, οἰκουμένην, αἰῶνα, *mundum, orbem habitabilem, seculum*. Jam cùm aliunde tum ex Talmudici De Idololatria tractatûs cap. 1. fol. 2. disces à Judæis fieri seculorum duas classes. Est illis עולם הזה, ὁ νῦν αἰών, *seculum præsens*: est & עולם הבא, vel עתיד לבא, αἰὼν ὁ μέλλων, *seculum venturum*, quâ voce designant non tantum statum verorum Israëlitarum post mortem, ut cùm tract. De Synedrio cap. 10. §. 1. dicunt *omnibus Israëlitis futuram partem in seculo venturo*, sed & intelligunt id quod aliter vocant ימי המשיח *dies Messiæ*. Dierum Messiæ duæ sunt periodi, Prior est intra primum & secundum adventum Christi: Posterior complectitur totum illud spatium quod secundum Christi adventum secuturum est. Harum duarum periodorum neutra *subjacet Angelis*, utraque Christo. Sed priorem potissimum respicit Apostolus: necdum enim locutus erat de gloria quæ consummationem seculorum est consecutura, sed de gratia quæ primum Christi adventum consecuta est. Ut igitur duos λόγους *sermones*, sic & duo *secula* comparat inter se. Cùm prius verbum, fœdus scilicet Legale typicumque, fuerit Angelorum ministerio promulgatum, ac subindè renovatum, ampliatum, sancitum; etiam seculum huic typico fœderi destinatum erat *Angelis* quodammodo *subjectum*. Posterius autem verbum, fœdus scilicet Euangelicum, cùm ab Angelis non fuerit promulgatum, sed ab ipso Christo primùm, dein ab ipsis Apostolis eorumque successoribus, nè *seculum* quidem hujus Euangelici fœderis prædicationi destinatum *Angelis subjectum* est, sed uni Christo. Quam ob causam, quæ frequentes olim fuerant, post stabilitum ab Apostolis Christi Regnum desierunt vel raræ admodum esse cœperunt Angelorum apparitiones: & quæ contigerunt, pertinebant ad liberationem fidelium, non ad novorum mysteriorum revelationem. Sed nec contemnendum discrimen illud quod videmus inter Veteris & Novi Testamenti secula. Sub Vetere Abraham, Josue, Daniel coram Angelis procumbentes non reprehenduntur: Sub Novo Johannes idem bis faciens bis reprehenditur, Apoc. 19, & 22.

6. *Testatus est autem quis alicubi, dicens, Quid est homo*, &c.] Pertinent hæc ad demonstrandam non fluxam aut fluctuantem Apostoli memoriam, sed Judæorum, ad quos scribit, intelligentiam, certè memoriam, ubi de Scripturis agebatur, ut quibus non esset opus exprimere libros, capita, versiculos, sed quibus vel unicum hemistichium sufficeret, ut digito ad fontem intento, locum integrum consulerent, aut animo recolerent. Quam ob causam ipsi quoque vix unquam loca citant, sed nuda Scripturæ verba referunt. Oecumenius, ὡς εἰδότας τὰς γραφὰς διαλεγόμενος, οὐ τίθησι τῶν λεγόντων τὰ ὀνόματα. Dixeris, Annon ad Hominis dignitatem in genere commendandam pertinent Davidis verba? Quid igitur in iis est peculiare quod pertineat ad Christum etiam supra Angelos extollendum? Respondeo, Dignitatis nostræ considerari posse vestigium, aut fastigium.

videntur, cum tamen ad hanc quasi staturam non pervenerint, cumque omnem diem perinde quasi fessus sit aut non possint agere aut nolint, hisce exemplis, quæ in sensus incurrunt necesse habent admoneri, ne planè decidant.] *Ne plane decidat.* Sic Lament. 4. 9. יזבו *fluxerunt*, id est, conciderunt. Et hîc *ne cadamus* vertunt Syrus & Arabs, nec aliter hic sumpsit Chrysostomus & Græci alii. Sic quæ intereunt aquæ effluenti comparantur Job. 20. 27. *ἐκρεῖν* [*effluere*] fermè simili sensu habes apud Plutarchum Catone Uticensi. Similis admonitio illa Irenæi 4. 45. *Non debemus* (inquit ille Senior) *superbi esse, neque reprehendere veteres, ne forte post agnitionem Christi agentes aliquid quod non placeat Deo, remissionem ultra non habeamus delictorum, sed excludamur à regno ejus.* Nihil hic cavere jubemur, quod non & fieri possit & sæpe fiat.

2. *Εἰ γὰρ ὁ δι' Ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος, Si enim qui per Angelos dictus est sermo*] Id est, Lex Mosis, quæ non data est per Filium, sed per unum è præcipuis Angelis Dei nomine loquentem, Actor. 7. 38. multis aliis Angelis stipantibus Deut. 33. 2. Actor. 7. 53. Gal. 3. 19. Josephus libro 15. *Ἡμῶν δὲ τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τοῦ Θεοῦ μαθόντων* [*Cùm nos dogmatum potissima, & sanctissimam legum partem per Angelos à Deo acceperimus.*] ¶ *ἐγένετο βέβαιος, factus est firmus*] קום [*constitutus est,*] id est, *minas habuit non irritas.* Sic & promissa dicuntur *βεβαιοῦσθαι* [*confirmari*] aut *εἶναι βέβαια* [*esse firma,*] ubi rebus implentur, Rom. 4. 16. 15. 8. ¶ *καὶ πᾶσα παράβασις, καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν· & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem*] *Παράβασις*, פשע [*prævaricatio*] & *παρακοή*, מרי [*inobedientia*] dicuntur de illis peccatis quæ apertum Legis contemptum secum ferunt, quorum ultorem se Deus profitetur Deut. 32. 35. Respiciuntur autem hic ea quæ in deserto contigêre pœnarum exempla, quæ breviter indicat Paulus 1 Cor. 10. 6, 7, 8, 9, 10.

3. *Πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα, Quomodo nos effugiemus*] *Quomodo pœnam evademus.* Sic Esaiæ 20. 6. ואיך נמלט אנחנו: *πῶς ἡμεῖς σωθησόμεθα;* [*quomodo nos salvabimur?*] ¶ *τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας; Si tantam neglexerimus salutem?*] Id est, *λόγου σωτηρίας τηλικαύτης* [*sermonem tantæ salutis.*] *Si negligamus sermonem, qui obedientibus tantam adfert salutem*, id est, æternam & cœlestem, quam Lex non adfert, sed tantùm salutem brevem & terrenam. Sic Euangelium vocatur *λόγος σωτηρίας* [*sermo salutis*] Actor. 13. 26. *ὁδὸς σωτηρίας* [*via salutis*] Actor. 16. 17. & *εὐαγγέλιον σωτηρίας* [*Euangelium salutis*] Ephes. 1. 13. ¶ *ἥτις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ Κυρίου, quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum*] *Ut de Lege judicetur, spectandum ejus initium* ait Josephus contra Appionem 2. Legis Euangelicæ initium ab ipso Domino Dei Filio. Solent res magnæ per magnos expediri. ¶ *ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη. ab eis qui audierunt in nos confirmata est*] Duplici modo, inquit, certi sumus de ejus veritate: primùm, quia non per multos homines transfusa ea fama ad nos venit, sed *eos habemus magistros qui ab ipso Domino ista audivere*, Apostolos scilicet: deinde, quia *miracula & dona Spiritûs*, majora quàm unquam & frequentiora, *testimonium dedêre* eidem sermoni. *βεβαιοῦσθαι* [*confirmari*] hoc loco, *reddi fide dignum*, ut Marci 16. 20. *εἰς ἡμᾶς* [*in nos,*] id est, *nobis*, ut *εἰς ὑμᾶς* [*in vos*] *vobis* 1 Petr. 1. 25. Diximus supra ex hoc loco bene colligi scriptam Epistolam ab aliquo discipulo Apostolorum, qualis fuit Lucas.

4. *Συνεπιμαρτυροῦντος τοῦ Θεοῦ σημείοις τε καὶ τέρασι, καὶ ποικίλαις δυνάμεσι, Contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus*] Hæc tria habes & Act. 2. 22. ubi dicta vide, & 2. 43. 4. 30. Verbum *μαρτυρεῖν* [*testimonium perhibere*] eodem sensu habes Actor. 14. 3. Lex vetus testimonium habuit per fulgura & tonitrua. Lex nova per sanationes plurimas. ¶ *καὶ πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς κατὰ τὴν αὐτοῦ θέλησιν. & Spiritûs Sancti distributionibus secundùm suam voluntatem*] Non sola prophetiæ dona, sed & linguarum. *μερίζειν* [*distribuere*] de his donis dicitur Rom. 12. 3. 1 Cor. 7. 17. quia non omnibus omnia dabat Deus, sed quæ & quantum & quibus vellet Ephes. 4. 17. Hujus discriminis ratio cùm non appareat, meritò ad Dei voluntatem recurritur 1 Cor. 12. 18.

5. *Οὐ γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, Non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum*] Postquam hujus Epistolæ scriptor ex argumentis primo capite propositis illationem fecerat, rursum alia addit argumenta quibus firmet eandem illationem. In regione illa superætherea sunt quidem Angeli; sed non illi imperant ut Christus. Vocat hanc *οἰκουμένην μέλλουσαν* [*orbem terræ futurum*] non quia jam non existat; sed quia nobis ea non plenè nota est, nec adhuc contigit. Sic Hebræi dicunt עולם הבא [*seculum venturum*] nostri respectu. Vide librum de Morte Mosis. Sic mysticè explicatur locus Psalmi 9. 6. ¶ *περὶ ἧς λαλοῦμεν. de quo loquimur*] Id est, *ἐλαλήσαμεν* [*loquuti sumus.*] Nam per tempus præsens exprimi solent ea quæ proxima sunt præsenti, sive exacta, sive ventura. Respicitur enim hic id quod præcessit 1. 6. ut & alii rectè observarunt.

6. *Διεμαρτύρατο δέ πού τις λέγων· Testatus est autem in quodam loco quis, dicens*] *Τὶς* [*Quis*] dicit, quia illorum carminum quæ sunt in libro Psalmorum, non unus est scriptor, imò & sæpe scriptor ignoratur. *Διεμαρτύρατο, testatur*, hoc est, *ostendit* העיד. nam id verbum sic verti solet. ¶ *Τί ἐστιν ἄνθρωπος ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ, ἢ υἱὸς ἀνθρώπου ὅτι ἐπισκέπτῃ αὐτόν; Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?*] Verba ipsa LXX. Interpretum ex Psalm. 8. qui sensu primum obvio agit de Adamo & semine ejus: sensu autem mystico referri debet, & ab Hebræis Sapientibus referebatur ad Messiam & semen ejus. Nam Adamum figuram gessisse Messiæ recepta erat illis temporibus sententia, ut diximus Rom. 4. 14. 1 Cor. 15. 45. & sequentibus. Et specialiter de hoc loco Psalmi vide 1 Cor. 15. 27. Ephes. 1. 22. Dominium in res mundi inferioris datum Adamo & posteris ejus imago est dominii ejus quod in Mundo supremo habet Christus, & cujus participes erunt qui ipsius naturam induerunt, & ab ipsius nomine digni sunt appellari. *ἐπισκέπτεσθαι* פקד *curam alicujus peculiarem gerere.* Mirum fuit illud de Adamo, qui ut cætera animantia de luto erat factus, multò magis mirum hoc de Christo qui inter homines agens nihil magni prætulit exteriora spectantibus. Vide Matth. 8. 20. 11. 6. Philipp. 2. 7. 2 Cor. 8. 9. Psalmus iste 8. ut alii nonnulli, solebant cantari cum gaudio in vindemiis. Inde dicuntur על הגתית [*pro torcularibus.*]

7. *Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*] אלהים hic de *Angelis* sumpsere Græci interpretes quorum verba hîc ponuntur: non malè. Vide Psalm. 97. 7. *βραχύ τι* מעט [*paulo minùs*] alium sensum habet *κατὰ πόδας* [*juxta verbum,*] alium *κατὰ τὸ ἀλληγορούμενον* [*juxta sensum reconditum*] ut sæpe. Nam illo modo sumptum significat *pauxillum*: (*intellectu enim & quâdam volendi libertate*, ut Tatianus explicat, *homo quasi par est Angelis, corporis conditione est inferior*) hoc verò modo sumptum significat *ad tempus exiguum*, quomodo ea vox sumitur Oseæ 1. 4. & alibi. ¶ *δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφάνωσας αὐτόν, gloriâ & honore coronasti eum*] Adamum intellectu, voluntate liberâ: Christum cognitione plenissimâ rerum Divinarum, voluntate perfectâ, potestate admirabili. *Coronasti*, id est, ornasti; à specie ad genus. ¶ *καὶ κατέστησας αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου. & constituisti eum super opera manuum tuarum*] Adamum super armenta & pecora, ut in Psalmo sequitur, ut videre est Gen. 1. 28. (de quo dominio nunc imminuto, non planè adempto, videri potest Cyrillus Epistolâ ad Calosyrium contra Anthropomorphitas, & Isidorus libro 3. Epistolâ 95.) Christum verò supra Angelos. In istis locis mysticis non omnes articuli ad speculum respondent. Vide 2 Sam. 7. 13, 14, 15.

8. *Πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ. Omnia subjecisti sub pedibus ejus*] Idem sensus qui in membro præcedente. Nam *imponere aliquem supra res alias*, est *illas res illi subjicere.* Est & hoc ex LXX. ¶ *νῦν δὲ οὔπω ὁρῶμεν αὐτῷ τὰ πάντα ὑποτεταγμένα. nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei*] Hoc vult, illa verba Psalmi nec in Adamo, nec in quoquam ex ejus posteris effectum habuisse nisi tenuem: quare majus aliquid in eis latere. *αὐτῷ* [*ei,*] id est, homini generaliter considerato.

9. *Τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον βλέπομεν Ἰησοῦν διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum*] *Videmus*, id est, certò cognoscimus ex relatu Stephani, & Pauli, & ex effectibus regni quos ipse Christus prædixerat, nempe missione Spiritûs Sancti, vocatione Gentium, rebusque aliis. *Videre* hoc sensu sumitur non apud Hebræos tantùm, sed apud gentes omnes. *Βραχύ τι* hoc loco est *ad breve tempus*, ut modò diximus. *Jesus summo honore ac potestate ornatus*: præest enim creaturis omnibus & cœlestibus & terrestribus, quantum exêgit usus Ecclesiæ ipsius. Interponit autem *διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου* [*per passionem mortis*] ut cum eo connectat sequentia. Illud autem *διὰ τὸ* [*per*] non consecutionem solam significat, sed plus aliquid, id est, dignum fuisse Jesum qui in tantum eveheretur, eo quod se deprimi passus esset ad mortem usque ignominiosam Dei causâ. Vide supra 1. 9. ¶ *ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem*] Sæpe fit ut id

id quod sequitur respiciat aliquid quod præcessit, sed non ἀμέσως [*immediatè.*] Ratio enim hic redditur non simpliciter cur Christus evectus sit, sed cur per tam graves perpessiones ad mortem usque. Potuerat enim id & aliter fieri. Huic objectioni ut occurrat, dicit id factum *ex singulari Dei bonitate* (id enim χάρις חסד [*gratia*]) quia nimirum id è re esset totius generis humani. ὑπὲρ παντός [*pro omni*] pro ὑπὲρ πάντων [*pro omnibus.*] Græca locutio ut σίγα πᾶς [*cuncti tacete*] apud Aristophanem. γεύσασθαι θανάτου [*gustare mortem*] est *mori*, ut Matth. 16. 28. Marc. 9. 1. Luc. 10. 27. Joh. 8. 52. pro χάριτι Θεοῦ [*gratiâ Dei*] quidam Codices jam olim habuere χωρὶς Θεοῦ [*absque Deo,*] quod sequuntur hic nonnulli Codices Syriaci, & Ambrosius 2. de Fide ad Gratianum: unde apparet non debere hujus scripturæ mutatæ culpam in Nestorium aut Nestorianos conjici. Videntur qui id mutarunt id sensisse, Christum etiam pro Angelis mortuum, atque adeo *pro omnibus extra solum Deum.*

10. Ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ δι' ὃν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, *Decebat enim eum propter quem omnia & per quem omnia*] *Conveniens*, inquit, hoc fuit sapientiæ Dei. πάντα [*omnia*] hîc ut & Rom. 11. 35. intelligenda *ea quæ ad salutem nostram pertinent. Ea omnia, & per Deum gubernantur*, quod est δι' οὗ [*per quem,*] *& ad ejus summam gloriam spectant*, quod est δι' ὃν [*propter quem*] hoc loco, & illo ad Romanos εἰς αὐτόν [*in ipsum.*] ¶ πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα, *qui multos filios in gloriam adduxerat*] Est ἀόριστος [*aoristus*] vice præsentis. Et dicitur hîc Deus fecisse quod facere decreverat, ut Ephes. 1. 4. 2. 6. Cùm non paucos sed multos homines ad salutem vellet perducere, rationem reperit & ipsis perutilem & sibi pergloriosam. ¶ τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων τελειῶσαι. *auctorem salutis eorum per passionem consummare*] Τελειῶσαι [*consummare*] hic idem est quod modo εἰς δόξαν ἄγειν [*in gloriam adducere,*] Ea enim summa est hominis *perfectio.* Sic infra 5. 9. 7. 28. 11. 40. In Glossario, ἀρχηγός, *auctor.* Sic Actor. 3. 15. 5. 31. infra 12. 2. Quia fieri non potest ut qui se pietati dedunt, non multa mala patiantur, Sirach. 2. 1. Actor. 14 22. sæculo præsertim adeo corrupto, ideo Deus voluit *ipsum auctorem salutiferæ doctrinæ non nisi per graves calamitates perducere ad statum illum perfectæ beatitudinis*, ut & nos eò fortiùs ferremus adversa, ut quæ ante nos in summo gradu pertulerit ipse Dei Filius.

11. Ὅ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες, *Qui enim sanctificat & qui sanctificantur ex uno omnes*] Christus nos sanctos facit doctrinâ suâ & exemplo. Ille ex Spiritu Sancto conceptus est, & nos per Spiritum Sanctum novam adipiscimur naturam; ita communem habemus originem. Non spectari hic originem ex Adamo ostendunt sequentia. Sic Pontifex Hebræorum ex Jacobo non minùs erat quàm is qui per eum expiabatur populus. ἁγιάζειν [*sanctificare*] in hoc libro modò ad puritatem illam legalem refertur, modò ad veram atque internam, cujus illa erat imago. εἷς [*unus*] autem de Deo rectè explicari ostendunt loca Joh. 8. 41. 1 Cor. 8. 6. Gal. 3. 20. ¶ δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν, *propter quam causam non erubescit fratres eos vocare*] Apparet id Matth. 28. 10. Et bene dicitur *non erubescit* de eo qui major minoribus se sociat. Simile loquendi genus habes infra 11. 16.

12. Λέγων. *Dicens*] Id est, *cùm sub Davidis persona hæc multò ante dicens introducitur.* Pleræque enim Davidis res & verba eximiam Christi imaginem habuêre. ¶ ἀπαγγελῶ τὸ ὄνομά σου τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἐν μέσῳ ἐκκλησίας ὑμνήσω σε. *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*] Ex Græco citatum, sed memoriter; nam ibi pro ἀπαγγελῶ [*nuntiabo*] est sensu eodem διηγήσομαι אספרה. David Rex, tamen Israëlitas *fratres suos* vocat ex Legis præscripto, Deut. 17. 20. Sic & Christus ex Lege impositi sibi muneris. David in medio populi Israëlitici *Dei laudes celebravit*, Christus in medio discipulorum à morte in vitam revocatus, Matth. 28. 18, 19. Luc. 24. 44, 45, 46, 47, 48, 49. Joh. 20. 17, 21.

13. Καὶ πάλιν· *Et iterum*] Id est, *alio loco*, ut supra 1. 5. ¶ Ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ. *Ego ero fidens in eum*] Nempe in adversis: sunt enim verba desumpta ex Græco Esaiæ 8. 17. ut & sequentia de sequentibus. Rege Israëlis & Syro urbem premente non destitit Esaias *Dei promissis confidere.* Sic & Christus pressus à Judæis & Romanis. Idem facere debebant Hebræi illi Christiani ad quos hæc scribuntur, & alii qui eo nomine censeri volunt. ¶ Καὶ πάλιν. Ἰδοὺ ἐγὼ καὶ τὰ παιδία ἅ μοι ἔδωκεν ὁ Θεός. *Et iterum; Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus*) Πάλιν hîc est *deinde.* Nam hæc verba subsequuntur. Subintelligenda autem quæ porrò sequuntur ἔσται σημεῖα καὶ τέρατα [*erunt signa & prodigia,*] aut ut in Hebræo est, *in signum & in portentum.* Prophetæ modò Dei, modò Christi gerunt imaginem. Non dixit Esaias *filii mei*, sed *quos dedit mihi Deus*: quia ex præcepto Dei erant geniti. Sic Deus filios suos Christo dat educandos atque curandos, Joh. 17 12. Jam olim autem ad Messiam aptatum hunc locum apparet ex verbis Simeonis Luc. 2. 34 & ex Gemara.

14. Ἐπεὶ οὖν τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini*] Quia filii Dei, id est, pii omnibus subjecti sunt incommodis quæ ferre potest vita hæc mortalis. σάρξ [*caro*] & αἷμα [*sanguis*] hic neque vitiosos appetitus, neque solam materiam significant, sed cum materia qualitatem, id est, τὸ παθητόν, τὸ φθαρτόν [*passibile, corruptibile.*] Sic & infra 5. 7. 1 Tim. 3. 16. 2 Cor. 4 11. ¶ καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν, *& ipse similiter participavit eisdem*] non expedit eum eximi communi illi sorti. In Glossario, παραπλησίως, *perinde, similiter.* Utitur Demosthenes. Aristoteles pro eodem dixit παραπλήσιον. ¶ ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, *ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*] Ostendit utilitates ex hoc consilio Dei consecutas. Samael, id est, *Diabolus*, dicitur Hebræis *habere imperium mortis.* Habes hoc in Thalmude Baba-Bathra, in libro Caphthor, in libro de Morte Mosis, apud Maimonidem Directoris dubitantis 3. 22. Nimirum accusator est eorum qui vitiis se dedunt, ut videre est Zach. 3. 1. & tales ostendit detinendos in morte, id est, non debere excitari ad vitam meliorem, Rom. 6. 23. 1 Cor. 15. 56. Christus in suis auferendo ista vitia simul abstulit hoc jus accusatori, Rom. 8. 2. Sicut in Christo non reperit quod accusaret, Joan. 14. 30. ita nec in Christianis, quia ἀγνοήματα [*aberrationes*] quæ in illis manent non dicuntur peccata, eo scilicet sensu ut ob ea damnari possint, 1 Joh. 3. 9.

15. Καὶ ἀπαλλάξῃ τούτους ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας. *Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*] Christus quos à vitiis liberat, eos etiam certos facit vitæ æternæ. θάνατος φοβερώτατον [*mors rerum omnium terribilissimum*] ait Aristoteles. Homo naturaliter amat sui conservationem; ideo *mortem* maximè *metuit.* Neque potest eam non metuere qui aut non putat aliam fore vitam, aut non eo est in statu ut ejus se debeat sperare futurum participem. Metus autem omnis secum trahit servitutem, id est, servilem conditionem. *Servorum* enim est *metuere*, Rom. 8. 15.

> Οὔποτε δουλεία κεφαλὴ ἰθεῖα πέφυκεν
> [*Non est mancipium rectâ cervice tueri.*]

ἀπαλλάξῃ [*liberaret*] nempe τοῦ φόβου [*à timore*] quod ex sequentibus intelligitur.

16. Οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, *Nusquam enim Angelos apprehendit*] Ἐπιλαμβάνεσθαι apud Platonem & alios est *solenniter vindicare.* Hic autem ex superioribus intelligendum est *vindicare* sive *asserere in libertatem manu injecta.* Hebræa אחז & חזק & תמך solent verti per ἐπιλαμβάνεσθαι. Omnia autem hæc *manûs injectionem* significant: quomodo Græca vox sumitur Marci 8. 23. Luc. 9. 47. 14. 4. 23. 26. Actor. 23. 19. Sic infra 8. 9. Solent autem manu apprehendi qui è servitute aut vinculis educuntur. *Nusquam in libertatem vindicat Angelos*, id est, vindicans introducitur. Par locutio ei quæ supra 1. 6. ¶ ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. *sed semen Abrahæ apprehendit*] Id est, *id agit ut vos Hebræos liberet à peccatis & metu mortis.* Eventûs enim nomen sæpe datur operæ in id impensæ. Hebræis scribens satis habet de illis loqui. De Gentibus alibi loquendi locus. Christus ad Hebræos liberandos venit, Joh. 8. 36. Matth. 1. 21. 15. 24. Ita hunc locum verè explicat Chrysostomus & Græcorum alii.

17. Ὅθεν ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, *Unde debuit per omnia fratribus similari*] Κατὰ πάντα [*per omnia*] intellige ex subjecta materia, *rebus adversis, cruciatu, morte dura.* ὤφειλε, id est, *ita fieri ex usu fuit*: quo sensu & Latini sæpe usurpant *debet* non ex rigore, sed κατὰ πλάτος [*late.*] Sic ἔδει [*oportebat*] Luc. 24. 26. & hîc modò ἔπρεπε [*decebat*] ¶ ἵνα ἐλεήμων γένηται, *ut misericors fieret*] Ut eò promptius *miseris succurrat mali non ignarus.* Multæ sunt utilitates ex passionibus & morte Christi. Sacri scriptores nunc hanc, nunc illam nobis ob oculos ponunt. ¶ καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν Θεόν, *& fidelis Pontifex ea quæ ad Deum*] מול האלהים [*coram Deo*] Exodi 18. 19. ubi similiter in Græco τὰ πρὸς τὸν Θεόν [*quæ ad Deum pertinent.*] Sæpe ostendit hic scriptor quantum Christus præstet summo Sacerdoti legali. Erat ejus officium Dei vice apud populum fungi, & populi vice apud Deum: Utrumque eximiè facit Christus. Nunc hic spectatur illud posterius, ut & infra 5. 1. *fidelis* נאמן hîc dicitur is qui munere suo bene fungitur. πιστὸς τὰ πρὸς τὸν Θεόν [*fidelis ea quæ ad Deum*

Deum pertinent,] id est, κατὰ τὰ [*in iis*] more Græco. ¶ εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ. *ut repropitiaret peccata populi*] ἱλάσκεσθαι ἁμαρτίας [*repropitiare peccata*] hoc quidem loco, ut ex sequentibus apparet, est *auferre peccata* sive *purgare à peccato*, id est, efficere ne peccetur, vires suppeditando pro modo tentationum. Respondet Hebræis vocibus כפר & טהר, quæ verti solent interdum per καθαρίζειν [*purgare*] Exod. 29.37. 30.10. Num. 30.9,13. ἐκκαθαρίζειν [*expurgare*] Deut 32.44. ἀφαιρεῖν [*auferre*] Exodi 34.9. Esaiæ 27.9. ἐξιλασμὸς ἀποστῆναι ἀπὸ ἁμαρτίας [*propitiatio absistere ab iniquitate*] Sirach. 35.5. Et sic fortè exponi non malè potest illud Sirach. 3.3. ὁ τιμῶν πατέρα ἐξιλάσεται ἁμαρτίας [*qui patrem honorat expiat peccata,*] quia reverentia parentum multos custodit à peccato. Vetus Pontifex tantùm expiabat à peccatorum pœnis liberando: Jesus verò ab ipsis peccatis.

18. Ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι. *In eo enim in quo passus est ipse tentatus, potens est iis qui tentantur auxiliari*] Πέπονθεν, נענה [*afflictus est*] Esaiæ 53.7. Sensus est, *Cùm enim ipse tentatus fuerit per ea quæ pertulit, hoc magis potest moveri ad auxilium ferendum iis qui tentantur.* ἐν [*in*] pro *per* frequens his Scriptoribus. Et singulare pro plurali propter generalitatem, ut modò ὑπὲρ παντὸς [*pro omni.*] ἐν ᾧ πάσχει [*in quo.*] Deinde est μετωνυμία [*Transnominatio*] *potest auxiliari* pro *potest moveri ad auxiliandum.* Nihil enim magis ad miserandum nos movet, quam malorum similium quæ nobis evenerunt memoria. Sic δύναται συμπαθῆσαι [*potest misereri*] habemus infra 4.15. ubi etiam est πεπειρασμένον [*tentatum.*]

CAP. III.

VALLA.

1. *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quantò ampliorem honorem habet domus qui fabricavit eam*] Interpres nonnunquam transfert non modo verbum è verbo, sed etiam casum è casu. Taceo quòd dixi *Amplioris gloriæ* pro *Ampliori gloriâ dignus est*, ut ratio Latinæ linguæ postulat. Eundem casum comparativo dedit, h. e. genitivum. Qui cùm sit ejusdem vocis cujus est nominativus (de *domus* loquor) plerique hunc locum non intellexerunt, quorum est Remigius, non inveniens sententiæ exitum. At si transtulisset Interpres *domo*, nemo sententiam ignorasset. *Domum* nunc Apostolus intelligit populum Dei & Christi, in qua habitat, quamque fabricavit.

10. *Propter quod infensus fui generationi huic*] Meliùs sic quàm quo modo emendatur, *Offensus*, προσώχθισα.

REVIUS in VALLAM.

10. Προσώχθισα] Sic ex nostris posui. Laurentius tamen (ut & Erasmus in nota) habebat προσώχθησα, quod & ipsum Græcum est: hoc mihi religio fuit præterire. Cæterùm quod Laurentius magis probat *infensus* quàm *offensus*, ejus causam esse conjicit Erasmus quòd *offensus* durè cohæret cum dativo *generationi isti.* Etiamsi (ut idem monet) apud Suetonium legimus *offensior pontificibus* pro *subiratus.*

ERASMUS.

1. *Pontificem confessionis vestræ*] *Nostræ* legunt Græci, ἡμῶν atque ità Chrysostomus, suffragante vetustissimo simul & fidelissimo codice Paulino. Consentiebat uterque Constantiensis. Ac rursus est ἀρχιερέα. ¶ Cæterùm APOSTOLUM vertere poterat *Legatum.* Mihi rectiùs videtur quadrare *professio* quàm *confessio*, quando Græca vox est ambigua.

2. *In omni domo*] Ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ, i. e. *in tota domo.*

3. *Amplioris enim gloriæ*] Interpres secutus Græcum sermonem, genitivum vertit pro ablativo. Dicendum erat, *Ampliori gloriâ dignus.* ¶ *Habet domus*] Rursum hic genitivum pro ablativo transtulit. Nam dicendum erat *ampliorem domo*, vel *ampliorem quàm domus.* Laurentius indicat hic lapsum Remigium interpretem, qui non invenerit exitum sententiæ, eamque culpam rejicit in Latinum Interpretem. Thomas & hoc recentiores accipiunt HONOREM DOMUS, *gloriam in domo*, aut *de domo*, secùs interpretantibus Chrysostomo & Theophylacto, qui populum Dei *domûs* appellatione designatum volunt. Moses administravit populum, Christus condidit. Nos, quò magis perspicuus foret sensus, expressimus ad hunc modum, *Tantò namque majore gloriâ quàm Moses hic dignus est habitus, quantò majorem habet honorem qui construxit domum quàm ipsa domus.*

6. *Quæ domus*] Οὗ οἶκος, i. e. *cujus domus:* ut *cujus* referatur vel ad *Deum* vel ad *Christum.* ¶ *Fiduciam*] Παῤῥησίαν, q. d. *audaciam.* ¶ *Et gloriam*] Καύχημα. Plus aliquid adjecit, si non solùm *fidamus*, verùm etiam *gloriemur*, ac veluti *jactemus sortem nostram.*

9. *Probaverunt*] Græci addunt *me.* ¶ *Quadraginta annis*] Hoc Græci distinctione referunt ad superiora, *viderunt opera mea per quadraginta annos.* At eam lectionem palàm refellit quod sequitur, *Quibus autem infensus fuit quadraginta annis?*

10. *Offensus fui*] Προσώχθισα. Laurentius magis probat *infensus* quàm *offensus*, ob id, ni fallor, quòd *offensus* durè cohæret cum dativo *generationi isti.* Etiamsi apud Suetonium legimus *offensior Pontificibus* pro *subiratus.* Porrò Græcis προσοχθεῖν est *tædium molestiamque capere ex re quapiam.* Denique Hebræis est קוט, quod *tadii molestiæque* significationem sonat. Unde D. Hieronymus transtulit, *Quadraginta annis displicuit mihi generatio illa*, h. e. Pertuli eam semper rebellantem, idque non sine tædio meo. Nam Deus in literis Divinis sæpenumero hominum more loquitur. Græca dictio composita videtur ab ὄχθη *ripa*, sive *locus asper in quem impingunt naves.* ¶ *Generationi huic*] Ἐκείνῃ est Græcè, i. e. *illi:* & *illa* vertit Hieronymus, ut modò indicatum est. ¶ *Et dixi semper*] Græci distinguunt ut *semper* adverbium referatur ad verbum *errant*, nec additur pronomen *ii.*

11. *Quibus juravi*] Ὡς ὤμοσα, i. e. *Sicut juravi.* Interpres legisse videtur οἷς. Porro illud, *Si introibunt*, est Abjurantis, ut perinde valeat quasi dicas, *Juravi eos non ingressuros in requiem meam.* Aliquoties addimus, *Emoriar si fecero; Dispeream, ni optimum erat.*

12. *Ne fortè*] Μήποτε, i. e. *Nè quando.* ¶ *Discedendi à Deo vivo*] Ἐν τῷ ἀποστῆναι, i. e. *in deficiendo*, sive *desciscendo.*

13. *Hodie cognominatur*] Τὸ σήμερον καλεῖται, i. e. *vocatur.* Totum enim hoc tempus usque ad vitæ finem vocatur *Hodie.* ¶ *Ut non obduretur*] Ἵνα μὴ, i. e. *ut ne.*

15. *Hodie si vocem ejus*] In repetitione hujus sermonis nonnulli Græcorum codices habebant μου, i. e. *vocem meam.* Alii rursus αὐτοῦ, i. e. Indicat Chrysostomus hic Hyperbaton esse in hoc quod dicitur *vocem ejus*, &c. Totum enim sermonem qui in medio est pendere usque ad initium proximi capitis, *Timeamus ergo.* Porro ergo addidit ad corrigendum Hyperbatum longiusculum. Item Hyperbaton videri potest in eo quod præcessit, *Sicut dicit Spiritus sanctus, Hodie*, &c. usque ad verbum, *Videte, fratres:* siquidem in medio nullum est verbum quod absolvat orationem. ¶ *In illa exacerbatione*] *Illa* redundat, nisi quod additum est explanandæ rei gratiâ.

16. *Quid'am enim audientes*] Ἀκούσαντες præt. temporis est, i. e. *cùm audissent.*

17. *Quorum cadavera*] Ὧν τὰ κῶλα, i. e. *quorum membra.* Interpres legisse videtur πτώματα, nisi maluit exprimere sensum. Nam *membra* dicuntur & vivorum.

18. *Non introire*] Μὴ εἰσελεύσεσθαι, i. e. *non introituros.*

19. *Quia non potuerunt introire*] Hoc loco verba quæ adduntur, *in requiem ipsius*, non invenio in Græcis exemplaribus, nè in antiquis quidem Latinis. Verùm è superioribus apparet adjecta.

VATABLUS.

1. *Confessionis*] *Professionis*, i. e. Euangelicæ fidei.

2. *Fecit*] *Constituit:* sub. *Pontificem.*

3. *Amplioris enim gloriæ*] *Ampliori enim gloriâ.* ¶ *Domûs*] Genitivus pro Ablat. Vet. *quantò majorem habet honorem is qui construxit domum quàm ipsa domus.*

6. *In domo sua*] *Est super domum ipsius:* i. e. eam administrat. ¶ *Gloriam*] *Glorificationem:* i. e. spem gloriosam.

7. *In exacerbatione secundùm diem*] *In irritatione, in die.*

9. *Infensus*] Προσοχθεῖν significat *tædium & molestiam capere ex re aliqua:* unde Hieron. legit, *displicuit mihi generatio illa.*

11. *Juravi in ira mea, si introibunt*] Heb. pro, *Iratus juravi non ingressuros.*

12. *Discedendi*] *Desciscendo.*

13. *Cognominatur*] Vel, *appellatur.* ¶ *Fallaciâ peccati*] i. e. Fallaci & seducenti peccato.

14. Sub-

14. *Substantiæ ejus*] *Subsistentia ejus:* i. e. si illud per quod primùm subsistimus: i. e. fidem firmam, &c.

16. *Audientes*] *Cùm audissent.* ¶ *Ab*] *Ex*, Vet.

17. *Cadavera*] *Membra.*

18. *Non introire*] *Non ingressuros.*

19. Καὶ videtur hic nota inferentis pro *ergo*.

CLARIUS.

1. A*Postolum*] *Apostolum* appellat, quæ vox *missum* significat, quia missus fuit à Patre ut homo. ¶ *Confessionem* autem hic vocat fidem; & addit *eum fuisse fidelem*, h. e. servasse fidem in quærenda populi salute, & idem sensisse cum Patre *qui eum fecit*, h. e. constituit, *Apostolum atque Pontificem.*

3. *Ampliori enim gloriâ*] Cùm dixisset *fidelem fuisse Christum sicut & Moses fuit*, & tantùm æquasset eum Mosi, nunc quanto sit Mose præstantior docet: ait ergò, *Fidelis quidem fuit Moses super totam domum*, h. e. populum; verùm & ipse erat pars domûs, h. e. unus è populo. *Tantò igitur majore gloriâ Christus quàm Moses dignus est, quantò majorem honorem habet is qui fecit domum quàm domus ipsa*, & quantum interest inter eum qui fecit & id quod factum est. *Domum* hic vocat populum cum ipso Mose, quandoquidem & Moses unus erat è populo: *factor* autem & *artifex* hujus *domûs* Christus est; neque hujus duntaxat domûs, verùm etiam *rerum omnium:* hoc enim est quod ait, *Qui autem omnia creavit, Deus est.*

11. *Si introibunt in requiem meam*] Ἔλλειψις est Hebraica, quam implebis si dicas, *Si introibunt in requiem meam, mentitus ero.* Ait ergo, *Tamdiu neglexerunt agnoscere vias meas, dum me eò impulerunt ut jurarem, fore ut in requiem meam*, h. e. promissam terram, *non ingrederentur*, in quam si ingressi fuissent, requiem à bellis omnibus habuissent. At illa requies umbra fuit requietis veræ atque æternæ quæ per Christum parata est; quâ illi nimirum privandi sunt qui Christo pollicenti credere noluerint.

14. *Initium substantiæ*] Fidem in Christum intelligit: per eam enim subsistimus, & participes facti sumus Christi.

16. *Sed non universi qui profecti sunt*] Scilicet educti ex Ægypto pervenerunt in terram Promissionis, imò nè Moses quidem ipse. Et hanc esse sententiam, ostendunt quæ sequuntur. Non enim pauci quidam ex illis *prostrati sunt in deserto*, sed omnes præter Josue & Caleb; qui nè ipsi quidem quod Mose magis digni essent, ingressi sunt.

ZEGERUS.

3. A*Mplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit eam*] Bifariam construi potest. *Tantò majore gloriâ dignus Christus habitus est quàm Moyses, quantò majorem habet honorem is qui fabricavit domum quàm domus ipsa* Atque ità genitivi *amplioris gloriæ* & *domûs* vice ablativorum accipiendi sunt, quorum loco (quia carent) Græci genitivis utuntur. Item, *Tantò amplioris gloriæ habitus est iste dignus præ Moyse*, h. e. Christus Moyse præstantior, *quanto habet ampliorem ipsius domûs* (vel *ex* (al. *in*) *ipsa domo*) *honorem is qui fabricavit eam* quàm qui dispensat tantùm id eadem, veluti Moyses qui administrationem acceperat domûs ac familiæ Israeliticæ. Atque hoc pacto genitivus *amplioris gloriæ* spectabit ad illud *habitus est*, vel potiùs, sicut in priori modo, ad *dignus*, quod etiam genitivum regit; *domûs* vero, ad *honorem*.

9. *Quadraginta annis*] Nè vitiosâ distinctione offendaris, jungenda sunt hæc cum superioribus, juxta veterum tam Latinorum quàm Græcorum cod. fidem. Neque hanc distinctionem refellit, quòd circa hujus capitis finem subjungitur, *Quibus autem infensus fuit* XL. *annis:* nam pro *infensus fui* Hebræi אקוט legunt, i. e. *tædium & molestiam cepi.* Et huic item LXX. Interpretum versio respondet, habens προσώχθισα Psal. 95. 10. non modò *infensus fui* verùm etiam *tædium cepi* significans. Quâ voce D. Clemens, Apostoli Pauli interpres, simul quicquid de XL. annorum tentatione præmiserat complexus est. Et Psaltes Hebræo verbo illo אקוט præscriptam *tentationem* demonstrans, ארבעים, inquit, שנה אקוט בדור: tanquam si inquiat, *Sic tentantem, probantem & videntem opera mea generationem* XL. *annos pertuli, & dixi, Semper errant corde.* Vel Hebræis est, *Et dixi, Populus errans corde.*

11. *Si introibunt*] *Si* particula hoc loco Abjurativa est, aut certè Negativa. Valet enim perinde q. dicamus, *Perjurio obnoxius sim si hi introierint in requiem meam.* Latini addunt *emoriar, disperеam*, aut simile quippiam. Vel, *juravi in ira mea, Non introibunt in requiem meam.* Reperies hoc ferè apud Veterem Bibliorum Interpretem, ut Deus jurando peculiariter his vocibus utatur, *Si*, quoties negat; *Nisi* vel *Si non* (pro quo LXX. habent ἦ μὴν, Hebr. CHI) quoties affirmat. Ut Psalm. 89. 35. *Semel juravi in sancto meo, Si David mentiar.* Mar. 8. 12. *Amen dico vobis, Si dabitur generationi isti signum.* Infrà 6. 14. *Nisi benedicens benedicam tibi.* Esa. 14. 24. *Juravit Dominus exercituum, dicens, Si non ut putavi ita fiet.* Potest tamen hic locus, *Si introibunt*, & similes, quemadmodum & ille, *Nisi benedicens*, & per Aposiopesin accipi, quâ non explicatur ad plenum quod intenditur. Et pulcrè sanè sub defectiva oratione & hic & infrà, ibi, *Nisi benedicens*, ponit narrationem Apostolus ad ostendendum quòd æterna sive bona sive mala omnem superarent narrationem & linguam.

12. *Discedendo à Deo vivo*] Sic scriptum vidimus in exemplari membranaceo, consentiente editione Græcâ.

14. *Si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineatis*] h. e. Si susceptam Christi fidem quasi solidam firmamque substantiam retineatis. Dicitur autem fides *initium substantiæ*, quâ videlicet ceu immobili fundamento subsistimus ac vivimus vitâ spirituali, dicente Prophetâ, *Justus autem ex fide vivit*, Hab. 2. 4. Et Fides *substantia* esse describitur infrà 11. 1.

16. *Quidam enim audientes, exacerbaverunt*] Cavendum itaque & vobis nè de pollicitationibus hæsiteris, & increduli sitis. Nihil quippe vobis conducet sola promissorum auditio, nisi & fidem his præstiteritis. Audierunt & patres illi veteres, sed increduli *exacerbaverunt* & irritaverunt Dominum suum.

19. *Introire propter incredulitatem*] Omittendum *in requiem ipsius.*

H. STEPHANUS.

8. Ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ] *Sicut in illa exacerbatione:* i. e. in illa contentione quâ exacerbatus & ad iram provocatus est Deus.

14. Ἐάνπερ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως βεβαίαν κατάσχωμεν] *Si illud fiduciæ principium tenuerimus firmum.*

15. Ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ] Vide vers. 8.

16. Παρεπίκραναν) *Exacerbarunt* Dominum.

17. Προσώχθισα] *Infensus fuit.*

DRUSIUS.

2. Q*Ui fecit illum*] Explicant QUI FECIT *qui constituit*, ut *facere Regem.* Ebræi aliter explicant, nempe per גדל & רומם, *evexit ad dignitatem, extulit, amplificavit, ornavit.* 1 Sam. 12. 6. *qui fecit Mosen & Aharonem.* Psal. 95. 6. & 100. 3. *Ipse fecit nos.* Deut. 32. 6. *Ipse fecit te.* Hos. 8. 14. *Oblitus est Israël factoris sui*, sive *ejus qui fecit ipsum.* Job. 35. 10. *Deus factor meus.* Psal. 149. 2. *in factore suo.* Jes. 54. 5. *factor tuus.* Vide & Sirach. 47.

8. *Sicut in exacerbatione*] Nomen est loci qui Ebræis MERIBA, Græcis autem LXX. Παραπικρασμὸς, redditur, i. e. *Exacerbatio*, Psal. 95. 8. unde hic locus descriptus. Sic alibi ἐν Σιαγόνι, h. e. in loco qui LECHI vocatur Ebræis. Id Græcè sonat σιαγὼν, i. e. *maxilla.* Cæterùm MERIBA Gen. 13. 8. ubi appellativè sumitur, Hieronymus reddit *jurgium*, & LXX. μάχη. Est autem *jurgium* propriè μάχη ἡ διὰ λόγων, si non fallit nos autor Glossarii veteris: nam μάχη ἡ διὰ χειρῶν propriè *rixa* dicitur. Apud Davidem editio Hieronymi habet *sicut in contradictione.* ut MERIBA sit *contradictio*, non *exacerbatio* aut *irritatio*, ut est in Psalterio Gallico. ¶ *Secundùm diem tentationis*] Meliùs ex Ebræo vertit Hieronymus *sicut in die tentationis:* vult dicere, *quo tentastis Deum in deserto.* Locus iste indè MASSA dictus est, quod sonat πειρασμὸς, i. e. *tentatio.* Radix נסה *tento.* Exod. 17. 7. item Deut. 6. 16. *quemadmodum tentastis in Massa:* & 33. 8. *quem tentasti in Massa.* Sic hoc loco legi potest *sicut in die Massæ. Dies Massa*, ut *dies Meriba*, ut *dies Jerusalem.* Sic *dies Madian* Jes. 9. 4.

11. *In requiem meam*] h. e. In Terram promissam, quæ *terra Chanaan* & *terra Israël* & *terra Sancta* dicitur. Sed cur vocatur *requies Dei*? Nam potiùs requies erat filiorum Israël, qui requiescebant in ea à molestiis ac laboribus multis. *Requies Dei* vocatur quia dederat eam filiis Israel quietè inhabitandam & incolendam. Aliquando *requies Dei* nuncupatur Templum, ut Psal. 132. 4. *Hæc est requies mea in seculum seculi:* & v. 8. *Surge, DOMINE, in requietem tuam.* Quæ verba habentur

tur & 2 Par. 6. 41. Et quia Templum erat Jerosolymæ idcirco etiam Jerosolyma vocatur. Vide Sirach. 36. 12. Per *Templum* Ecclesiam significari notum est. Hinc locum Jes. 11. 10. *& erit requies ejus gloriosa*, alii de Ecclesia, & alii, in queis Hieronymus, de Sepulcro exponunt: nam in eo corpus requiescit. Mich. 2. 10. *non est hæc requies:* de Terra promissionis loquitur: & est sensus, Non diu requiescetis in ea, non diu habitabitis eam quiete. Primasius ad hanc Epistolam 507. *Notandum tres requies ab Apostolo in Epistola ad Ebræos commemorari; Unam Sabbati, quo requievit Deus ab operibus suis; Secundam Palæstinam, in quam ingressi Israëlitæ requieturi erant à miseria & laboribus multis; Tertiam quoque, quæ vera est requies, Regnum videlicet cælorum, ad quam quos pervenire contigerit, planissimè requiescent à laboribus & ærumnis hujus seculi.* De hac ultima requie intelligendus Apostolus infrà 4. 1, 9. ubi *sabbatismum populi Dei* eam vocat.

17. *Quorum cadavera*] Κῶλα interpretatur *cadavera*, quæ Ebræi vocant פגרים. Est enim certè פגר *corpus animâ cassum*. Sic Græci interpretantur eam vocem Num. 14. 29, 33. Levit. 26. 30. Jes. 66. 24. & 1 Sam. 17. 46. Vide Annot. nostras in Numeros.

18. *Juravit*] Hoc est quod Deus dicit apud Mosem, *Levavi manum meam*, Num 14. 30. nam jurantes manum levabant. Vide Annotationes.

CAMERON.

1. Τὸν ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν] Quoniam Politia Judæorum censetur Mose & Aarone, ut 1 Sam. 12. 6. *Dominus qui fecit Mosen & Aaronem*, & in Psalm. 77. 20. & 99. 6. Moses autem *Dei Apostolus* fuit, h. e. missus à Deo (ut ipse Exod. 3. 15. testatur) ad liberandum populum, Aaron verò ἀρχιερεὺς *summus Sacerdos* fuit. Et in Christiana Politia, h. e. in Ecclesia, nos oportuit utrumque habere, *Apostolum & summum Sacerdotem*, hoc tamen discrimine, quòd in Politia Judaica ista non fuerunt semper in una eademque persona conjuncta, sed divisa, Moses propriè fuerit *Apostolus*, Aaron *summus Sacerdos*; quamvis ante Legem datam utrumque Mosi competebat. *Apostoli* autem nomen hic generale est, nè quis fortè putet Christum vocari *Apostolum* ob munus Propheticum simpliciter. Sanè Christus est missus ad liberandum populum suum, *Quemadmodum*, inquit, *misit me Pater, sic ego vos mitto*. En se *Apostolum* vocat. Quòd verò dicitur *Apostolus* καὶ ἀρχιερεὺς *nostræ confessionis*, eo nihil aliud significatur quàm Christum eum esse ἀπόστολον *&* ἀρχιερέα *quem nos confitemur*, nos, inquam, qui in eum per eum credimus.

2. Τῷ ποιήσαντι αὐτὸν] Hinc novi Ariani effici contendunt Christum habuisse *factorem*, proindeque esse creaturam. Quòd si respondeas, Christum fuisse *factum* secundùm naturam humanam, poterunt urgere, sic sibi non satisfieri. Itaque respondemus Christum fuisse *factum* ratione muneris, h. e. constitutum esse à Deo in munere Mediatoris. Quæ locutio non debet ideo videri dura, quia vel explicata est, vel usitata in aliis Scripturæ locis. עשה *facere* linguâ Heb. est etiam *ornare*: ut Est. 6. 6. מה לעשות באיש *Quid faciendum est homini cujus honore Rex delectatur?* hic *Quid faciendum* idem est quod *Quo honore, quo ornatu & decore vel magnificentiâ afficiendus est?* Quoniam verò munus dignitatem affert & ornamentum, hinc fit ut vocare ad munus sit etiam עשה. Sic Deus dicitur *fecisse Mosen & Aaronem*, h. e. ornasse munere & honore illo quo functi sunt erga Israëlitas, 1 Sam. 12. 6. Ergò τῷ ποιήσαντι αὐτὸν *est ei qui vocavit eum ad munus Mediatorium*, Deo nempe à quo constitutus est in eo munere, eo honore ornatus fuit, uti dicitur infra 5. 4, 5. *Nemo sibi sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo, ut Aaron. Ità & Christus non sibi hunc honorem tribuit ut fieret Pontifex, sed is qui dixit ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Similis est isti illud quod habetur Act. 2. 36. ubi Petrus ait de Christo, *Certò sciat tota domus Israel hunc factum esse à Deo Dominum & Christum*, Κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε, h. e. *constituit*.

3. Ὁ κατασκευάσας αὐτὸν] Ecclesia eadem *Dei domus* est & *Christi*; Deus enim Christi operâ eam condidit: quemadmodum Mundus item Dei & Christi opificium est, quandoquidem Deus per Filium suum Mundum condidit; cæterum operis & opificii diversa ratione. Nam solo Dei nutu per Filium omnia sunt creata, verum Ecclesiæ structura majoris fuit moliminis. Oportuit enim Dei Filium naturam humanam assumere, atque in ea peccata nostra expiare, Dei voluntatem non modò patefacere extrinsecus, sed mittere Spiritum S. qui intrinsecus suos erudiret: quo potissimum respectu *domum* illam Christus hîc dicitur κατασκευάσας. Nam ad externam prædicationem quod attinet, & quicquid illius solâ vi præstari potest, nihil opus est alio quam Mose & Prophetis, h. e. meris hominibus. Cæterum Ecclesia *Dei & Christi domus* dicitur, quia Deus per Verbum & Spiritum suum in ea habitat, eam regit & gubernat.

4. Ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας, Θεός] Τὰ πάντα eadem hîc sunt quæ Eph. 3. 9. τῷ τὰ πάντα κτίσαντι διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, & 2 Cor. 5. 17. τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα. τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, &c. Constructio enim Ecclesiæ Christianæ, postquam Christus ascendit in cœlum, faciem orbis terrarum renovavit. Etsi autem hujus operis ἀποτέλεσμα unicum fuit, tamen quia eò perventum est multis & maximis rebus patratis, & *commoto veluti cælo terrâque*, ut est apud Prophetam Aggæum 2. 6. τὰ πάντα *multa* illa & magna dicuntur: ut sit hæc Apostoli mens, Quicquid in constructione Ecclesiæ factum est, id ejusmodi fuit ut ab eo solo qui Deus sit proficisci potuerit. Ergò *qui omnia illa magna fecit Deus est*, h. e. (ut ego quidem arbitror) Deum esse necesse est. Hæc itaque verba non videntur ad Mundi creationem referenda, sed de Ecclesiæ constructione à Christo facta intelligenda.

5. Καὶ Μωσῆς μὲν πιστός, &c.] Immane quantum est discrimen inter Mosis & Christi Mediationem, ut interim de personis nihil dicamus: hoc verò discrimen Apostolus paucissimis quidem his verbis, sed significantissimè, notavit. Ubi observandum est, Apostolum agere non tam de Christi persona quàm de officio, quod eâ vult esse cum dignitate conjunctum ut nullos eo fungi possit qui idem non sit Dei Filius; cùm contrà Mosis ministerium, etsi fuit excellentissimum, haud dubiè tamen non erat hujusmodi ut superaret naturæ humanæ modum. Unde facilè solvi potest quæstio haudquaquam contemnenda. Etenim Apostolus negat *Christum præfuisse domo Dei ut servum*, at verò ab Esaia *Servus* vocatur Christus, & quidem ubi de Justificatione agitur, *Servus meus justus cognitione sui multos justificabit:* quæ videntur inter se pugnare. Neque verò quæstio dissolvitur si Christum dicas *servum Dei* respectu naturæ humanæ, quandoquidem Christus *servus Dei* eò loci dicitur ob ministerium quod obivit; cujus etiam meminit, professus *se venisse non qui ministerium admitteret aliorum, sed qui ministraret ipse*. Deinde verò cùm Moses dicitur *servus Dei*, non notatur Mosis persona, sed ministerium; cujus si ratio habeatur, Moses servus fuit, sed hæc servitus dignitas summa fuit, ut Regum servi Nobiles sunt. Nos igitur sic respondemus, Duo esse genera ministerii: Unum eorum est quod à nemine possit obiri ob dignitatem qui non sit idem Filius. Omnes nempe ministerii Christi partes sunt ejusmodi ut requirant potentiam infinitam: nam & Christi officium Propheticum, Sacerdotale & Regium ejusmodi sunt ut nisi qui Deus sit nemo possit iis defungi. At est aliud genus ministerii quod ejusmodi est ut qui non sit Deus eo defungi possit. Hoc ministerio qui functi sunt *servi Dei* dicuntur simpliciter & omni modo. Moses verò, quia hujus generis officio functus est quod excellentissimum fuit, dicitur antonomasticè *Dei servus*. Non igitur pugnant ista, ut *Moses* dicatur *præfuisse ut servus, Christus verò ut filius*, quamquam etiam servus fuit: nam filium nihil vetat quadam ratione *servum* dici, dummodo ejus ministerium non sit adeò vile ut non deceat filium. Sed & aliud est: nam servit aliquis vel secundùm dispensationem, ut loquuntur, vel quia aliter servire nefas est. At Christi servitus œconomica fuit: nam cum *servi formam assumeret erat in forma Dei*. Non fuit ejusmodi servitus Mosaica. ¶ Εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων] Existimarim Apostolum hâc ratione Mosis ministerium à Christi munere distinguere. Nam Moses *testis* erat tantum voluntatis Divinæ, non item Divini operis effector & patrator; at Christus non testis modò Divinæ voluntatis, sed etiam autor redemptionis nostræ fuit. Deinde, Moses nullo vero sacrificio oblato peccata populi expiavit, tantùm institutis jussu Dei externis & carnalibus sacrificiis Christi spirituale & Divinum sacrificium, quo justitiæ Dei cumulatissimè satisfactum est, præfiguravit, eòque Christi Euangelio testimonium perhibuit: Atque ità τὰ λαληθησόμενα significarit *ea quæ à Christo ejusque Apostolis erant annuncianda*.

6. Τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος] Παῤῥησία & καύχημα ἐλπίδος est *Spes quæ gignit* παῤῥησίαν *&* καύχημα· παῤῥησίαν quidem apud Deum, καύχημα adversùs ea omnia quæ terrorem nobis possunt incutere. *Justificati*, inquit Apostolus Rom. 5. 1. *ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum: Per quem etiam hunc habemus aditum in gratiam per quam stamus*, (hæc est παῤῥησία *libertas*) *& gloriamur sub spe gloriæ Dei:* hoc est καύχημα illud.

illud. Utriusque exemplum illustre habemus Rom. 8. 28, & 31, & seqq.

10. Ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ] Omnes homines aliquid appetunt per se: id quoties non est bonum sed malum, in eo graviter *errant*: nam boni vice malum appetunt. Nec alia peccati ratio est. Deinde error omnis Mentis est, sed tamen pertinet etiam ad Voluntatem, cùm nempe versatur circa ea quæ vel expetenda sunt vel fugienda. Ergò καρδία hic *mens* est, ut alibi passim, & hoc est πλανᾶσθαι τῇ καρδίᾳ, *errare mente*. ¶ Οὐκ ἔγνωσαν τὰς ὁδούς μου] *Dei via* est quem dicimus vulgò *modum agendi* quem Deus probat: & duobus modis sumitur in Scriptura; primùm pro eo agendi modo quem Deus ipse sequitur, ut cùm dicitur, *Via Domini non sunt sicut via vestra*: deinde pro eo agendi modo quem vult nos sequi: tum *via Domini* est quam Deus jubet & probat. *Via Domini* ergò hoc loco sunt præcepta Dominica. *Ignorari* autem dicuntur eàdem ratione quâ Stoici (etiam Aristoteles) ajunt *improbos ignorare ὧν δεῖ ἀπέχειν, καὶ ὧν δεῖ ἐφίεσθαι*. Neque verò ideo excusandi sunt qui sic peccant: non enim peccant ignorantiâ mediorum, sed finis; quæ ignorantia, teste conscientiâ, nullam habet excusationem. Itaque omnes Philosophi eam exagitant ut αἰτίαν μοχθηρίας, eamque detestantur; tantum abest ut excusent.

13. Σκληρυνθῇ τις ἀπάτῃ τῆς ἁμαρτίας] *Fraus peccati* dicitur (ut suprà καύχησις τῆς ἐλπίδος) peccatum quod decipit. Dicitur autem *decipere* Peccatum quòd sit apparens bonum (alioqui non appeteretur) revera cùm sit malum: unde etiam ἁμαρτία *aberratio* dicitur. Ratio autem hujus indurationis hæc est: Euangelium pollicetur res æternas, Dei favorem, consolationem Spiritûs: sed hæc invisibilia sunt & futura: Contrà, quæ in peccato sunt, præsentia sunt; & quia speciem habent utilis & jucundi, etiam honesti, sed convenientem pravitati judicii, facit ut contemnamus Euangelium, quemadmodum Esavus primogenituram. Hic contemptus *induratio* est.

14. Μέτοχοι γεγόναμεν τοῦ Χριστοῦ] Hæc verba ità sunt hoc loco accipienda atque illa Christi, *Si vosmet invicem amaveritis, vere Discipuli mei eritis*, non *formaliter* (ut loquuntur in Scholis) sed *interpretativè* seu *declarativè*, h. e. ut non intelligatur tum demum fore ut *Christi compotes reddamur* postquam perseveraverimus, sed id tum demum ipsâ experientiâ & factis comprobatum iri. Nam cùm sine Christo nil possimus, multò maximum sit proindeque & difficillimum opus perseverare, absurdum foret putare à quoquam id præstari posse qui Christo non fuerit priùs insitus, palmes scilicet veræ Vitis. *Christi* autem *participatio* duabus potissimùm in rebus sita est, ut jus veluti in Christum habeamus, deinde ut fruamur Christo; quorum prius fide obtinetur, posterius communicatione naturæ Christi. *Naturam* voco ingenium veluti Christi, quod fit renovatâ naturâ nostrâ per Spiritum S. Deinde etiam *naturam Christi* voco beatam & gloriosam immortalitatem, quæ per eundem Spiritum nobis inhabitantem obtingit, teste Apostolo Rom. 8. ¶ Ἐάνπερ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως, &c.] Ὑπόστασις vocabulum est quo LXX. Interpretes reddiderunt Hebraicum תוחלת, quæ vox *exspectationem*, *spem*, *fiduciam* significat. Nam ὑφίστασθαι est *subsistere*, non trepidare, non commoveri, sustinere impetum aut impressionem, statu immoto & inconcusso. Sic Latini dicunt *subsistere aprum*, Græcè ὑφίστασθαι κάπρον, & ὑφίστασθαι πολέμιον. In quo duo requiruntur, primùm, intentio oculorum (quod pertinet ad exspectationem) deinde status firmus & immobilis, nempe nè ingruentia & adversa nos occupent & dejiciant, & ut optata nè præterire sinamus, sed amplectamur avidè; illud interim dantes operam ut nè præcipites impatientiâ constitutum tempus acceleremus, irrito & infelici conatu, sed (ut docet Scriptura) *possideamus animas nostras in patientia*, & ad Prophetæ exemplum, exspectantes Dominum, ut in specula vigiles & exploratores, stemus. Hæc est ὑπόστασις fidelium. Ἀρχὴ autem ὑποστάσεως dicitur quemadmodum καύχημα τῆς ἐλπίδος, & infrà cap. 6. 1. λόγος τῆς ἀρχῆς· nempe eâ ὑπόστασις ἣν ἤρξασθε ἔχειν, vel ἣν εἴχετε ἐν ἀρχῇ. Johannes in Apocalypsi similem notionem aliter expressit, *Fac*, inquit, *prima opera*: quod nihil aliud est quàm *pergite ut cœpistis*.

15. Ἐν τῷ λέγεσθαι, &c.] Puto ἐν τῷ λέγεσθαι esse quod Hebraicè diceretur כאשר, h. e. *quandoquidem dictum est*, & cohærere ista cum v. 13. Nam illa, *Christi enim facti sumus participes*, &c. interjecta sunt & inclusa parenthesi, ità ut hæc integra sententia fuerit, *Exhortamini alii alios quotidie, quamdiu appellatur dies hodiernus, nequis ex vobis induretur fraude peccati* (*Christi enim facti participes sumus*) *quandoquidem dictum est*, *Hodie*, &c. Ergò illud ἐν τῷ λέγεσθαι non referendum est ad Tempus, sed simpliciter κατὰ τὸ ῥητὸν accipiendum. Nam tempus illis verbis designatum est satis significanter, *quo ad appellatur dies hodiernus*, nihil ut opus fuerit ejusdem rei, & quidem in proximo, tam obscurâ repetitione.

JAC. CAPPELLUS.

Ut humana corpora non tantùm venis intermixta sed & passim sanguine plena esse voluit Deus, sic & Scripturam non tantùm ὑποτυπώσει Ethicisve tractationibus veluti venis quibusdam irrigari, sed & passim hoc veluti sanguine nutriri voluit: quod imprimis in hac Epistola conspicuum est, cujus non tantùm duo posteriora capita cohortationibus instruxit Apostolus, sed & undecim priora, licèt didascalicis disputationibus propriè destinata, voluit hoc veluti vivifico succo animari. Non obstant tamen cohortationes illæ quò minus institutum suum urgeat, nempe commendationem Christi, ut Angelis, ut quovis homine longè præstantioris. Non est autem quòd superfluum putemus secundum membrum demonstrato primo. Nam licèt infimus Angelorum quovis mortali sit longè dignior, si personam spectes, potest tamen alicujus hominis munus videri, saltem apud homines, commendabilius Angelico munere. Inter homines autem tres sunt quorum munera reliquorum omnium erant longè sanctissima: Ii sunt Moses, Melchisedec, Aaron. Horum muneribus Christi munus longè præstantius esse probans Apostolus, nihil reliqui facit ad exquisitissimam Christi commendationem. Singulis collationibus suæ sunt tum admixtæ, tum adjunctæ cohortationes.

1. *Unde*, h.e. quapropter, *fratres sancti*, *vocationis cœlestis participes*] Sunt hæc propria verorum fidelium elogia. Nam etiamsi quodammodo conveniant etiam hypocritis, quatenus & ipsi vocantur ad bona cœlestia, & multorum charismatum cum fidelibus participes fiunt, tamen hæc antonomasticè sumpta solis electis & regeneratis conveniunt. Ii sunt Dei filii, eoque nostri *fratres*; ii non tantùm foris, aut intellectu sanctificantur, sed etiam in ipsa voluntate per vivificam regenerationem. Hi *donorum cœlestium participes* fiunt, non tantùm momentaneo gustu, sed & perdurante ac sustentante pastu. Est autem hæc vocatio *cœlestis*, 1. Ratione principii: fit enim intus è Spiritu Sancto. 2. Ratione finis: ducuntur enim adeoque perducuntur ad cœlestem gloriam. 3. Ratione medii: nam & verbum & semen regenerationis per quod sanctificantur, sunt bona non terrena sed cœlestia. Hæc beneficia quibusnam propriè conveniant si spectes, de reprobis dicendum quod Petrus Simoni Mago Act. 8. 21. *Non est tibi pars neque sors in hoc negotio. Cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Sed quia rectitudinem illam cordis perspicere non possumus, nedum internam Spiritûs S. operationem, aut æternam Patris electionem, ideo si spectemus officia quæ commendantur nobis erga fratres, erga sanctos, eo loco habere debemus, & ut verè *fratres* ac *sanctos* complecti quotquot saltem foris profitentur veram in Christum fidem & vitæ sanctimoniam. ¶ *Considerate Apostolum & Pontificem nostræ confessionis Jesum Christum*] In Christi cum Mose comparatione duo facit Apostolus; 1. omnia quæ Mosi conveniunt elogia docet etiam Christo convenire, 2. docet ampliora multò Christo quàm Mosi convenire. Præcipua Mosis elogia sunt hæc, quòd erat 1. *Apostolus*, 2. *Pontifex*, 3. *Insignita fidei*. Moses erat *Apostolus* Patris ad Israelitas: Petrus autem, Paulus & reliqui erant *Apostoli* Christi ad totum terrarum orbem. Titulus hic tantæ dignitatis visus est etiam Mahometanis ut non alium ampliorem titulum suo Mahometi largiantur, sed hoc unum exigant ab iis qui Mahometismum amplexuri sunt, ut scilicet profiteantur Mahometem esse RESUL ELLAHI, *Apostolum Dei*. Christus autem est Patris *Apostolus* longè digniori ratione quàm quisquam mortalium. Moses à Deo missus est ut fœdus Legale renovaret, & Euangelicum typis aliquot adumbraret; Petrus, Paulus, ut Euangelicum fœdus nunciarent; Christus ut Dei fœdus tum Legale, tum Euangelicum non nunciaret tantùm sed etiam impleret ac perficeret. Cùm ergò dicit Joh. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, non æqualitatem sed similitudinem Apostolatûs indicat, quòd ut Christus à Patre sic illi à Filio missi sint immediatè, & auctoritate, quam cujusque munus postulabat, instructi. Pontificatus ordinarius Aaroni quidem est à Deo datus, non Mosi; sed cùm & ipse Moses sacrificarit, suisque sacrificiis ipsum Aaronem totumque Sanctuarium sanctificaverit, non tantùm ut *Apostolus* verùm etiam ut *Pontifex* ab Israelitis considerari debuit, sed typicus, Aarone quidem major, Christo verò, cujus typum præferebat, immane quantum inferior. Erant Moses & Aaron *Pontifices confessionis Judaicæ*, Christus verò *nostræ*. Ergone nihil habet Christi Pontificatus quod spectet confessionem Judæorum? Habet, quatenus promissiones Euangelicas

gelicas obvelabant typi Judaici. Sed multò magis propriè *nostræ confessionis* est *Pontifex*, quia submotis illis typis purum putum Euangelii fœdus nobis annunciatur & offertur. Deinde, pronomen illud *nostræ* non tam adhibetur ad excludendos veteres eosque veros Israelitas sive Judæos quàm ad excludendos novos eosque rebelles, qui cùm gratiam sibi Divinitus oblatam respuerent & suis typis postponerent, sibi jam nihil reservabant præter fœdus Legale & nudum typorum corticem medullà vacuum. Inter hos & veteres probaque notæ Judæos discrimen hoc exortum est, quòd quem veteres votis & omnibus vocabant ac anxià sed pià solicitudine exspectabant, hunc exhibitum novi respuerunt, diris devoverunt, & hodieque devovent.

2. *Qui fidelis est ei qui fecit ipsum, sicut Moses*] Fuit quidem insignis quin irreprehensa *fides* Mosis, quatenus *fidelitatem* significat, & opponitur Perfidiæ, Simulationi, Fraudi. Hæc Mosis inculpata sinceritas laudatur Num. 12.7. Sed quatenus *fiduciam* significat FIDES, & opponitur Dubitationi; fuit quidem Mosis fides præstans & eximia, sed non prorsus inculpata. Fuit enim reprehensus, adeoque transitu Jordanis exclusus, quòd petram semel percutere jussus, ut ex ea fluentem eliceret, bis eam percusserit, adjunctis vocibus dubitationis indicibus, *Etiamne ex hac rupe vobis aquam prabiturus esset Deus?* Num.20.10. In Christo fides omnis maculæ fuit expers, sive pro *sinceritate* sive pro *fiducia* sumatur. *Faciendi* verbum hic *constituere* significat. Pater Filium, sed & Filius semetipsum Sacerdotem & Mediatorem *fecit*, i.e. constituit. Ut 1 Sam. 12.6. *Fecit Mosem & Aaronem*, h. e. constituit Sacerdotes & Duces. Sic 1 Cor. 1.30. *Factus est sapientia*, &c. Sed etsi *facere* sumatur pro *creare*, certè non potest Humana Christi natura subduci à censu rerum creatarum. ¶ *In tota domo ejus*] Vetus Interpres minùs commodè reddit *in omni*. Arabs omisit vocem hanc. Dicitur autem Moses fuisse *fidus in tota domo Dei*, 1. quia fidus fuit in omnibus rebus ad Dei domum pertinentibus quæ fuerunt ipsi commissæ, 2. quia Dei domus non erat alibi quærenda quàm in populo qui Mosi fuit commissus. Chrysostomus eleganter, DOMUS *hic significat non vaòv templum, sed λαὸν populum.*

3. Vetus Interpres, duobus Hellenismis Latinæ linguæ insolentibus retentis, versum hunc admodum obscurum reddidit hoc modo, *Amplioris enim gloria* (pro *ampliori gloriâ*) *iste pra Mose dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domûs* (pro *quàm domus*) *qui fabricavit illam:* q.d. Moses domûs illius cui præerat particula tantùm erat: architectus autem non tantùm quavis parte domûs sed & totâ domo præstantior est.

4. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo*] Syrus & Arabs *ab aliquo homine*: quod additamentum in illis linguis ordinarium est. Alioqui etiam animalibus brutis sunt suæ *domus*, quas ipsa sibi construunt, vel quas illis natura construxit. ¶ *Qui autem omnia creavit, Deus est*] Sic omnes, quod sciam, Interpretes: Series tamen sermonis potiùs postulare videtur ut articulus ὁ sumatur ἀναφορικῶς, hoc modo, *Ille verò* Christus *fabricator omnium Deus est*: vel, *Ille vero Deus est omnia fabricatus*; quod interpretamentum asserendæ Christi Divinitati perillustre est. Sed nè si quidem receptam interpretationem retineremus, quid quam decederet huic Divinæ veritati, quia series sermonis & argumentationis Paulinæ ratio suaderet ut hoc ipsum suppleamus, nempe, *Christum esse Deum*. Sed & Col. 1.16. dicuntur *omnia condita*, ἐν αὐτῷ, δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτόν. Et v. 17. *Et ipse est ante omnia, & omnia ἐν αὐτῷ in ipso* (vel *per ipsum*) *consistunt*: quæ si cui nos satisfaciunt ad asserendam Christi Divinitatem, huic nihil satisfaciet. Quòd autem Enjedinus ὁ δὲ πάντα κατασκευάσας restringit ad solos pios, id & impium est, & impium illius Arianismum fulcire non potest. Ecquis enim nisi Deus potest esse piorum omnium, Ecclesiæ totius architectus, instaurator, fabricator?

5. *Et Moses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant*] Rationi consentaneum erat ut statim initio fidelissimus comperiretur Moses, quò fide dignius esset testimonium quod postea perhibiturus erat in monte Sinai: commendatus tamen est non *ut filius*, sed *ut servus*.

6. *Christus verò tanquam Filius in domo sua*] Sic Vetus versio, quasi legerit ἐν τῷ οἴκῳ. Meliùs, *domui sua præsidens*, ἐπὶ τὸν οἶκον. ¶ *Quæ domus sumus nos*] Sic Vetus versio, quasi legerit ὅς. Melius Erasmus, Beza, Syrus, Arabs, *cujus*, οὗ. Cùm autem 2 Cor. 6.16. dicamur *templum Dei viventis*, & hìc dicamur *domus Christi*, sequitur hinc Christum esse *Deum viventem*, h.e. verum. ¶ *Si fiduciam & gloriam* (significantiùs dixeris *gloriationem*) *spei usque ad finem retineamus*] His verbis Fides & Spes designantur ab effectis. Fides parit παῤῥησίαν, h. e. *libertatem petendi cum fiducia* quidvis à Deo quod quidem sit nobis ad salutem necessarium. Huic Fidei conjuncta Spes parit *gloriandi libertatem*, non adversùs Dominum aut fratres, sed in Domino, adversus hostes, Mundum scilicet, Satanam, Infernum, h.e. contemnendi res mundanas cum cœlestibus comparatas, & minas hostium nos ab officio deterrere conantium. Tum enim licet nobis generosâ fiduciâ minas illorum & bruta fulmina despicari, & de certaminis eventu bene sperare, quantacunque sit vel illorum potentia vel infirmitas nostra, quòd persuasum habeamus causam nostram esse Dei causam, & Deum futurum ὑπερασπιστὴν, vindicem ac remuneratorem nostrum. Hujusmodi sanctæ gloriationis exempla videmus Psal. 3.3,6. & 27.1,3. Rom. 8.30. & seqq. 1 Cor. 15.55. ¶ Cæterùm particula ἐάνπερ *si modo* doctrinam de Sanctorum Apostasia non confirmat sed evertit. Docet enim eos qui deficiunt, nunquam ὄντως & verè fuisse *domum Dei*. Quisquis igitur ὄντως est *domus Dei*, vera vivaque domûs illius pars, hunc Deus non patitur unquam deficere, prout disertè docetur 1 Joh. 2.19. Deus autem electis, quos fide donat, persuadens quòd sint *domus Dei*, persuadet etiam futurum ut *semper sint Domus Dei, in domo Dei*, Psal. 23.6.

7. *Quapropter*] Hactenus collatio Christi cum Mose. Sequitur cohortatio, eaque primò Davidis, dein Apostoli verbis. ¶ *Sicut dicit Spiritus sanctus*] Arabs omittit particulam *sicut*. Ut autem Matth. 22.43. quod ex Psal. 110.1. ut Act. 1.16. quod ex Psal. 41.10. sic hìc quod ex Psal. 95.7. petitur, *à Spiritu sancto dictum* affirmatur, & merito. Cùm enim *tota Scriptura* sit θεόπνευστος, ut docetur 2 Tim. 3.16. & 2 Pet. 1.21. quicquid in Scriptura legitur id *dicit Spiritus sanctus*. Idem verò Spiritus sanctus vocatur Actor. 4 24,25. *Creator cœli, terra & omnium quæ sunt in iis*, utpote qui sit ὄντως Deus. Psalmi vero 95. duæ sunt partes. In priore usque ad HODIE SI, &c. David loquitur in sua, vel cujusvis Apostoli, Prophetæ, fidelisve persona. In posteriore loquitur in persona Patris commendantis doctrinam & munus Filii. ¶ *Hodie, si vocem ejus audieritis*] Arabs Interpres N.T. *si illum*. Editiones reliquæ, quin & Arabes Interpretes Psalterii constanter legunt, *si vocem ejus*. HODIE, h.e. *in hoc seculo*, ut interpretatur non tantùm Apostolus, sed & Judæus R. Salomon; *Quamdiu durat hoc seculum, tamdiu durat illud* HODIE. Bellarminus, licèt aliquando fontes Hebraicos adversùs eorum obtrectatores defendat, De verbo Dei lib. 2. cap. 2. tamen postea factus est illis adeò infensus ut in hunc locum scribens contendat fontes Hebraicos hic esse depravatos quòd versum finiant in hoc verbo *audieritis*: cùm in eodem verbo versum finiant Græci codices N.T. à Plantino editi A.D. MDLXX. & à Roberto Stephano A.D. MDLI. quin & Novi T. versio Vulgata Lugdunensis A.D. MDC. & Plantini A.D. MDLX. Enimvero quid interest in qua vocula versum finias, cùm utrobique idem sit sensus?

8. *Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundùm diem tentationis in deserto*] Anselmus post Chrysostomum id refert ad rebellionem quæ refertur Num. 13, & 14. cùm Israelitæ decem falsis testibus credentes potiùs quàm Josuæ Nunis & Chalebo Jesunnæ F. comminationem hanc acceperunt, *Futurum ut omnes* (præter Josuam & Chalebum) *qui tum erant majores annorum viginti, perirent in deserto*. Syrus & Arabs vertunt, *Nè obduretis corda vestra in irritationem, sicut in exacerbatione, & sicut in die tentationis in deserto*. Ita videntur innuere duo loca rebellionibus Israëlitarum infamia, quorum alter vocatus est מריבה, Παραπικρασμὸς, *Exacerbatio*, Num. 20.13. alter מסה, Πειρασμὸς, *Tentatio*, Exod. 17.7. Et sanè quamvis plurimæ fuerint Israëlitarum in deserto rebelliones, tamen hæ duæ tresve videntur cum contextu nostro plurimum affinitatis habere. Bellarminus mavult hæc ad omnes vel quasvis Israëlitarum in deserto rebelliones referre. Nos putamus aliquas ex his peculiariter designari. Sed scrupulum movere videtur quòd Num. 20.13. LXX. vertunt, *Hæ sunt aquæ* ἀντιλογίας, *contradictionis*, non *exacerbationis*, ut hìc. Resp. Varietatem hanc, ut & alias consimiles, ab Interpretum varietate nasci. Versionis enim quæ Ptolemæo Philadelpho data est, non unus fuit autor. Ea vulgò dicitur LXX. Seniorum, sed tropicè, quòd sc. facta sit à legatis LXX-viralis quod Hierosolymis erat Synedrii. Hos verò legatos fuisse non LXX. sed quinque, discimus ex Talmudis tractatu De Scribis cap. 1. §. 7. Hos quinque partitos operas inter se colligimus ex eo quòd unam eandemque vocem sæpe videmus aliter atque aliter redditam nullà necessitate: Puta vocem מריבה primus reddidit λοιδορίαν, *convitium*, Exod. 17.7. secundus ἀντιλογίαν, *contradictionem*, Num. 20.13. tertius παραπικρασμόν, *exacerbationem*. Psal. 95.9. Unus isque peritus ac constans Interpres vocem hanc, & multas alias consimiles, constantiùs fuisset interpretatus.

9. *Ubi*

9. *Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea quadraginta annis*] Hæ duæ voces *quadraginta annis* in Psalterio quidem Arabico tam Genuæ quàm Romæ excuso junguntur, ut hîc, cum verbo *viderunt*. In reliquis verò, quas quidem mihi videre licuit, omnibus editionibus Psalterii cum sequentis versiculi verbo *infensus fui* conjunguntur. Utrovis modo legas, verus est & commodus sensus. Hujusmodi multa passim occurrunt in Scriptura, ut etiam tum cùm lectionum aut interpretationum varietas turbas dare videtur, tamen, si rem propiùs inspicias, utravis lectio, utravis interpretatio sensum in se contineat verum & commodum: quod sanè non sine singulari Numinis providentia factum. Hoc innuere volunt Talmudistæ cùm passim dicunt אל תקרי, *Ne legas sic, sed sic*; cùm tamen mutatio quam imperare videntur nullum in Bibliis Hebraicis locum habeat. Sunt igitur hæc Talmudistarum verba non προςακτικῶς sed συγχωρητικῶς accipienda: q. d. Etiamsi sic legas ut habent exemplaria quædam, Interpretes quidam, tamen sic quoque verus & commodus erit sensus. Neque verò circa puncta tantùm versantur hæ varietates, sed nonnunquam etiam circa consonantes. Ut cum tractatu *Moed katon* cap. 1. fol. 9. dicunt Psal. 49. 12. *legendum*, h. e. legi posse, קברם *sepulcrum eorum*, non קרבם *intimum eorum*. Et cum tractatu De benedictionibus, cap. 2. fol. 15. dicunt Psal. 68. 14. *legendum*, h. e. legi posse, בצלמות *in umbra mortis*, non autem בצלמון *in Tsalmon*. Hujusmodi plura congerere possemus si hic locus id postularet. Quòd si varietates multas lectionum & interpretationum admittere potest Scriptura salvâ veritate quæ secundum pietatem est, quantò magis varias verborum connexiones? Omnino passim occurrunt in Scriptura voces aliquot inter duo verba tam apposité interjectæ ut ad utrumvis referri possint.

10. *Propter quod infensus fui generationi huic*] Sic Vetus versio N. T. At vetus versio Psalterii *generationi illi*. Vox *illi* melius respondet voci ἐκείνῃ, quam Apostolus post Græcum Interpretem addit Hebræo majoris perspicuitatis ergò. Eâdem mente vocem hanc διὸ *propterea* vel *quapropter*, addit, cum nec in Hebræo nec in Græco sit. ¶ *Et dixi*] In Scriptura passim *&* ponitur pro *verò*, *autem*, vel alia quavis hujusmodi particula. Quod hic quoque locum habere potest. Hactenus Psalmi verba Judæos in deserto mortuos propriè respiciunt. Quæ sequuntur tam ad illos quàm ad cujusvis alterius gentis & seculi rebelles referri possunt & debent, imprimis ad eos qui respuerunt Euangelium ab Apostolis prædicatum. ¶ *Semper errant in corde*] In Hebræo legitur, *Populus hic errat corde*, non ii soli quos Moses eduxit ex Ægypto, sed infidelium quorumvis multitudo, ac imprimis Judæorum natio. Græcus Interpres pro עם *populus*, legit עולם *semper*; sive fuit hæc lectionis varietas sive lectoris properantia, cujusmodi festinationis exempla quædam occurrunt in hac versione. Sed qualiscunque tandem sit vel alibi vel hoc loco versio Græca, cùm nihil hic exprimat alienum à veritate, nihil erat necesse cur hic à versione recepta discederet Apostolus. Syrus & Arabs Interpretes N. T. vertunt, *Hic populus errat*, &c. ut habetur in Hebræo. Arabs Interpres Psalterii Romæ excusi vertit, *Hic populus in omni tempore errat in corde suo*, quasi tam Hebraicæ veritati quàm versioni Græcæ satisfacere voluerit. Arabs Psalterii Nebiensis, *Hi errant in corde suo*: quod ad Hebræum propiùs accedit. ¶ *Ipsi autem non cognoverunt vias meas*] Nempe *cognitione approbationis*, inquit Bellarminus. Sed hæc distinctio locum potiùs habet cùm Deus dicitur aliquos *non nosse*, ut Matth. 7. 23. Hic autem locum potiùs habet ea distinctio quæ fit inter intellectum *speculativum* & *practicum*. Videlicet multa novit intellectus Speculativus, multa novit Conscientia, quæ Practicus intellectus ignorat: ità certè se gerit ac si jam ea planè nesciret. Tenebras videlicet offundit intellectui prava cupiditas, ut ducem suum transversum abripiat ad ea quæ expetit peragenda. Nunquam ab officio discedit voluntas, quin mentem nostra ipsam obnubilet aliquis error. Quam ob causam peccata nostra vocantur ἀγνοήματα, שגיאות Psal. 19. 13. Heb. 9. 7. Vide v. 13.

11. *Quibus juravi in ira mea*] Sic V. Interpres N. T. quasi legerit οἷς quod cum Hebraica voce אשר rectè convenit. V. Interpres Psalterii, *ut juravi*. Apostolus & LXX. ὡς ὤμοσα. Beza rectè, meâ quidem sententiâ, sumit hic ὡς pro ὥςε, *itaque*. Quæ de Pœnitentia vel Ira Dei dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, ea sunt intelligenda θεοπρεπῶς. *Si introibunt in requiem meam*. Hic *si* ponitur pro *non*. Est hæc Comminantis & Jurantis formula, sed ellliptica. Hic autem Spiritûs S. sive per Davidem sive per Apostolum loquentis mens est, non tantùm referre quid Israëliris in deserto murmurantibus comminatus sit Deus, sed & comminationem illam iis quos compellat applicare, ut scirent sibi quoque, nisi dicto fiant audientes, præclusum iri aditum ad requiem illam æternam cujus figura fuerat ingressus in terram promissam sive Chananæam. Ità perspicua mens erit Apostoli & vis argumentationis ejus Heb. 4. 8.

12. *Videte*] Hactenus Davidis, nunc suis verbis Hebræos cohortatur Apostolus ad constantiam in retinenda professione Christiana. ¶ *Fratres*] Quò implacabiliores noverat Judæorum adversùs se animos, eò blandiùs illos compellat, eoque sæpius illis commemorat quàm fraterno debeant adversùs omnes esse animo. ¶ *Ne fortè sit in aliquo vestrûm*] h. e. *In ullo vestrûm*, ut rectè Beza. Non enim nesciebat Apostolus quàm multi Judæi propenderent ad Christi abnegationem. ¶ *Cor malum incredulitatis*] His verbis indicatur fons apostasiæ, tum Judæorum, tum aliorum. Ille fons est malignitas mentis & præfracta capitis obstipi incredulitas. ¶ *Discedendi*] Sic constanter V. V. codices legunt. Meliùs tamen Beza, *desciscendo*, ἐν τῷ ἀποςῆναι. Erasmus & Arabs, *ut desciscat*. Syrus, *& abscedatis*. ¶ *A Deo vivo*] Sic passim Scriptura loquitur, ut verum & propriè dictum Deum à falsis & nuncupatitiis distinguat. Putabant autem Judæi se solos esse Dei viventis veros adoratores, & hoc obtentu deficiebant à Christo, quasi nomen Christo à suis patribus crucifixo dare, id esset à vivente Deo deficere. Apostolus contrà contestatur eos apostasiâ suâ defecturos ab eo cui κυριωτάτως convenit istud elogium. Pater videlicet, Filius & Spiritus S. unum sunt, 1 Joh. 5. 7. unus Deus, isque vivens in se, per se, ipsissima Vita, cujus vita est ipsa ejus essentia, cujus tum vita tum essentia fons est omnis vitæ, omnis essentiæ, omnis existentiæ.

13. *Sed adhortamini*] Rectè. Nam licèt παρακαλεῖν sæpe significet *consolari*, sæpius tamen significat *adhortari*. Utroque nomine *Paracletus* dicitur Spiritus S. ¶ *Vosmetipsos*] Syrus, *ex animo vestro*. Clarius Erasmus, *vos invicem*. Rectè quoque & Beza, *alii alios*. Passim enim pro ἀλλήλους Apostolus dicit ἑαυτούς. Col. 3. 16. νουθετοῦντες ἑαυτούς. 1 Thess. 5. 13. εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς. Ubi V. V. & Erasmus perperàm admodum habent, *pacem habete cum eis*. Sic Col. 3. 13. χαριζόμενοι ἑαυτοῖς. Sic & Ephes. 4. 32. quo loco vix tandem in mentem venit V. Interpreti ut verteret *invicem*. ¶ *Per singulos dies*] Videlicet ut corporis sic mentis pabulo opus habemus in dies singulos, quin & in horas, cum tamen multos non pudeat terque quaterque saturos in die fieri, cibi verò spiritualis privationem non gravatè ferant in dies, in menses, in annos multos. ¶ *Donec hodie cognominatur*] Quamdiu durat hujus seculi dies. Quantumvis enim longa videatur hominum quorundam vita, tamen tota est instar unius diei: Cujus usurâ dum fruimur, nisi tenebrarum operibus ex animo renunciaverimus, tum verum fiet illud Poetæ,

> *Nobis, cum semel occidit brevis lux,*
> *Nox est perpetua una dormienda*;

sed sine quiete, sine doloris, sine cruciatûs intermissione, non qualem somniabat lascivus Catullus. Contrà, μηδεὶς ἀπογινωσκέτω ἕως ἂν ζῇ, inquit Chrysostomus. ¶ *Ut non obduretur quis* (h. e. quisquam) *ex vobis fallaciâ peccati*] Perquam apposite. Nunquam enim peccat voluntas obdurata, quin simul erret etiam intellectus, adeoque mutuas hæc duo tenebras sibi conciliant, & invicem imposturam faciunt & patiuntur, ut monuimus in v. 10. Hinc est quòd Ephes. 4. 22. dicitur *vetus homo corrumpi* κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης.

14. *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus*] Clarius & aptiùs Beza, *Si modo principium illud quo sustentamur*, ἐάνπερ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποςάσεως, h. e. *principium fidei*, ut rectè Glossa Ordinaria post Chrysostomum. Vocatur enim fides ὑπόςασις τῶν ἐλπιζομένων, Heb. 11. 1. Fides, inquam, ea quæ speramus ità certa nobis facit ac si sisteret ea, præsentiaque nobis faceret, vel nos deduceret in rem præsentem. Quin & ut ςυλοβάτης columnam, sic fides animos nostros fulcit adversùs insilientium hostium vesanos impetus. Sic fiducia quam de Corinthiis conceperat Paulus erat fulcrum gloriationis, ὑπόςασις τῆς καυχήσεως, illius quâ de illis gloriatus fuerat 2 Cor. 9. 4. & Spiritus S. dona quæ sentiebat in se fulcrum erant illius gloriationis quâ de suo Apostolatu constanter gloriabatur 2 Cor. 11. 17. His locis ὑπόςασις est *id quod facit ut quid subsistat*. At Heb. 1. 3. ubi Filius dicitur *character hypostaseos* Patris, tum *hypostasis* (ut & apud sanos omnes Theologos de Trinitatis mysterio loquentes) est *id quod reapse subsistit*, *existit*, *vivit*, *agit*, *intelligit*: nè putemus Personas Divinas esse nudas proprietates & attributa. Est autem versûs quartidecimi eadem quæ sexti mens. Nam ii demum propriè loquendo sunt *domus Christi*, *fiunt ipsius Christi participes*, quibus Deus *firmam ad exitum usque perseverantiam* largitur. Reliqui multorum quidem Christi donorum participes fiunt, ipsius Christi participes non fiunt.

15. *Dum dicitur, Hodie*] Ut v. 7, 8. h. e. dum personat aures vestras commonefactionis Divinæ dulcedo, cavete nè obsurdescatis, aut adversùs stimulos calcitretis. ¶ *Si vocem ejus audieritis*] Syrus, *filiam vocis ejus.* Sic à Judæis oraculum nuncupari solet, quòd oraculorum vox ut plurimum susurro quàm tonitrui sit similior, quomodo *filius jumenti* dicitur pullus quamdiu matrem agnoscit, eoque quamdiu parvulus est. ¶ *Nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione*] Vetus videlicet Interpres articulum ἐν τῷ sumpsit ἀναφορικῶς, non male. Syrus & Arabs, *in exacerbationem illius.*

16. *Quidam enim audientes*] Melius Erasmus & Beza, *cum audivissent* vocem illam, *exacerbarunt.* Arabs & Syrus, *Quidam ex illis audiverunt, & exacerbaverunt illum*, nempe Dominum. ¶ *Sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Mosem*] Sanè non omnes damnantur hujusmodi παραπικρασμῷ qualem hic & per Prophetas passim Judæis exprobrat Apostolus. Sed heu! quàm pauci memorantur expertes hujus culpæ! Est igitur in hac oratione λιτότης sive μείωσις, quâ subinnuit non esse quòd miremur si pauci Judæi maneant in fide Christi, cùm Mosis seculo tam pauci sibi temperaverint à murmure adversùs Deum, aut à diffidentia de Deo.

17. *Quibus infensus est annis quadraginta*] Hic voces *annis quadraginta* conjungit Apostolus cum verbo προσώχθισεν, ut Psal. 95. 10. nè quis putaret ab Apostolo falsi damnatas v. 10. omnes aut plerasque Psalmorum editiones quæ sic voces istas connectunt, utque confirmaret id quod diximus in v. 10. de lectionum & interpretationum varietate toleranda, modò nihil habeant ἐτερόδοξον, nihil falsum. ¶ *Nonne illis qui peccaverunt*] Peccant quidem omnes, sed ut ἁμαρτωλὸς sic & ἁμαρτάνειν aliquando κατ᾽ ἐξαίρετον tribuitur atrocioribus quibusdam in Deum rebellionibus, ut 1 Joh. 3. 8, 9. ¶ *Quorum cadavera prostrata sunt in deserto*] Quamvis nostrum non sit *alienum servum judicare*, Rom. 14. 4. eoque mortis æternæ damnare Judæos omnes *quorum cadavera prostrata sunt in deserto*, tamen hæc prostratio typus fuit illius exitii quod eos manet quotquot ad exitum usque perseverant in sua contumacia, ut docet Apostolus 1 Cor. 10 11.

18. *Quibus juravit non introire*] Nimis mordicus Hellenismis adhæret Vetus hic interpres Latinus. Erasmus & Beza, *non ingressuros.* Respicit autem id quod legitur Num. 14. 28, 29. ¶ *In requiem ipsius*] Meliùs Erasmus & Beza, *in requiem suam* Hæc autem Psalmi quidem 95 verba sunt, sed quæ confirment & explicent id quod dicitur Num. 14. 28, 29. ¶ *Nisi illis qui increduli fuerunt*] Erasmus & Beza, *qui non obedierant.* Malim vertere *qui rebelles fuerant.* Cognata quidem & connexa sunt ἀπιστία & ἀπείθεια, *incredulitas & rebellio*; non sunt tamen confundenda. Inculcat autem Apostolus illud, ut sciamus iis demum patêre cœlum & aditum ad requiem cœlestem qui Deo, qui Christo se præstiterint in hac vita dicto audientes.

19. *Et videmus quia non potuerunt*] Sic passim V. interpres reddit ὅτι. Concinniùs Erasmus *quod*, vel per infinitivum, ut Beza, *non potuisse introire propter incredulitatem.* Syrus addit *huc usque.* Nè quis obtendat ullum in judicio Divino locum esse προσωποληψίᾳ, docet Apostolus nulli patêre requiem æternam nisi credenti & obedienti, nec cuiquam aditum ad requiem illam præcludi nisi propter infidelitatem, ejusque individuam comitem inobedientiam: A qua nos liberet æternùs Pater pro sua in Christo gratia. AMEN.

LUD. CAPPELLUS.

2. Πιστὸν ὄντα ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ] Sic etiam Judæi de Mose loquuntur in Sedet Tephilloth Lusitanorum, fol. 36. על יד נביא נאמן ביתו *per manum Prophetæ sui fidelis in domo sua*, vel *cujus fidei commissa est ipsius domus*, ᾧ ἐπιστεύθη ὁ οἶκος αὐτοῦ. Illud de Mose dicitur Num. 12. 7. *in tota domo mea* נאמן הוא *fidelis est*, πιστός.

GROTIUS.

1. Ὅθεν, *Unde*] Cùm ita se habeant ea quæ diximus hactenus. ¶ ἀδελφοὶ ἅγιοι, *fratres sancti*] Appellat eos à parte potiore, ut Paulus Rom. 1. 7. 1 Cor. 1. 2. 2 Cor. 1. 1. Ephes. 1. 1. Philipp. 1. 1. Coloss. 1. 2. ¶ κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι, *vocationis supercœlestis participes*] Nempe *nobiscum.* Et *vocationem* vocat ἐπουράνιον [*supercœlestem*] quia ad supercœlestia nos ducit, non ad terrenam possessionem, ut Lex Mosis. ¶ κατανοήσατε, *considerate*] Quis & quantus fuerit *bene attendite.* ¶ τὸν ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. *Apostolum & Pontificem professionis nostræ. Jesum Christum*] Ὁμολογίαν [*Professionem*] vocat fidem Christianam quam profitemur, κατὰ μετωνυμίαν [*per Transnominationem*] ut & infra 4. 14. 10. 23. Ejus ἀπόστολος [*Apostolus*] dicitur Jesus, id est, *ejus publicandæ causâ à Deo missus*, quod ipse de se sæpe prædicat. Vide quæ diximus ad Joh. 9. 7. & Gen. 49. 10. Dicitur *ejusdem fidei summus sacerdos* qui sancivit eam non pecudum, sed suo ipsius sanguine. Implevit simul & Mosis & Aaronis partes, at multò quam illi sublimiùs.

2. Πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτόν, *Qui fidelis est ei qui fecit illum*] Id est, *ei qui ipsum fecit tum Legatum, tum Sacerdotem:* quo sensu Deus dicitur ποιῆσαι [*fecisse*] *Mosem & Aaronem* 1 Sam. 12 6. Sic Κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε [*Dominum & Christum fecit eum Deus*] *Fidelem* autem *eum fuisse* dicit, quia omnia sibi imperata, quamvis durissima, executus est. ¶ ὡς καὶ Μωϋσῆς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. *Sicut & Moyses in omni domo ejus*] Ex Græco Num. 12. 7. ubi οἶκος [*domus*] more Græco & aliis gentibus frequente ponitur pro *familia*, ut Actor. 16. 15. Domus autem illa est populus Israëliticus, οἶκος Ἰσραὴλ [*domus Israel*] Actor. 2. 36. Moses non ejus partes, sed totum eum summa fide curabat.

3. Πλείονος γὰρ δόξης οὗτος παρὰ Μωϋσῆν ἠξίωται, *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus*] Hoc vult dicere, Quod de Mose dictum est, Christo etiam convenit, at multò excellentiùs. παρὰ [*præ*] hic *particula comparans.* Satis fuerat dicere πλείονος ἤ [*amplioris quàm*] aut πολλῆς παρά [*multa præ.*] Sed solent sæpe comparationes bis exprimi. Hebræi dicerent נשא יותר ממשה [*exaltatus est magis quàm Moses.*] ¶ καθ᾽ ὅσον πλείονα τιμὴν ἔχει τοῦ οἴκου ὁ κατασκευάσας αὐτόν. *quantò ampliorem honorem habet domûs qui fabricavit illam*] Sicut familia *domus* dicitur, ita qui familiam gignit dicitur eam *struere*, בנה, unde בן *filius* Hebræis. Vide quæ diximus Exod. 1. 21. Moses pars familiæ, Christus supra familiam.

4. Πᾶς γὰρ οἶκος κατασκευάζεται ὑπό τινος, *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo*] *Gignitur ab aliquo*, ut Abrahamidæ ab Abrahamo. ¶ ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας Θεός. *qui autem omnia creavit Deus est*] Hoc vult, Deus quidem genitor est & populi Israëlitici & Ecclesiæ, sed Ecclesiam genuit per Christi sanguinem, ita ut rectè & Christus eam genuisse dicatur. Quod Mosi circa populum Israëliticum aptari non potest. τὰ pro ταῦτα [*hæc,*] ut Rom. 11. 29.

5. Καὶ Μωϋσῆς μὲν πιστὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus*] *In domo Dei regenda.* Altera comparatio Christum Mosi præferens. ¶ ὡς θεράπων, *tanquam famulus*] Sicut vocatur in Græco dicto Numerorum loco. Philo de Allegoriis, καθάπερ Μωσῆς λέγεται πιστὸς ἐν παντὶ τῷ οἴκῳ γεγενῆσθαι [*Quemadmodum Moses dicitur fidelis fuisse in universa domo.*] ¶ εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων. *in testimonium eorum quæ dicenda erant*] *Ut pronuntiaret populo ea quæ Deus ei dicenda quoquo tempore mandabat.* Nam *testari* dicitur etiam qui refert mandata, ut 1 Cor. 1. 6. 2. 1. 15. 15. 2 Tim. 1. 8. Apoc. 1. 2. Moses ne castra quidem movebat nisi ex Dei jussu.

6. Χριστὸς δὲ, ὡς υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ. *Christus verò tanquam filius in domo sua*] Ita rectiùs legitur. *Christus supra familiam*, id est, familiæ imperat: quare? est enim *ipsius familia* per ipsum genita. Dicunt Jurisconsulti, *etiam vivente patre filium quodammodo dominum esse rerum paternarum.* Unde & in Comœdiis filii à servis *heri minores* dicuntur, & filia *domnula*, id est, *dominula*, in inscriptionibus. ¶ οὗ οἶκός ἐσμεν ἡμεῖς, *cujus domus sumus nos*] *Nos Christiani sumus ejus familia, & erimus* scilicet. Nam præsens hic futurum comprehendit. ¶ ἐάνπερ τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν. *si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*] Est Trajectio. Nam ordinaria constructio per πρόζευγμα [*Zeugma à parte priore*] fuerat, ἐὰν βεβαίαν κατάσχωμεν μέχρι τέλους τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος [*si firmam retineamus ad finem usque fiduciam & gloriam spei.*] Tum verò per παῤῥησίαν [*fiduciam*] intelligenda est per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *professio Christianismi aperta*, ut & infra 10. 35. Per καύχημα ἐλπίδος, *lætitiam spei* (nam καύχημα idem valere quod ἀγαλλίαμα [*lætitia*] alibi ostendimus) intelligitur spes illa læta, nempe vitæ æternæ, sub iis legibus sub quibus à Christo promissa est. *Si retinuerimus hanc*, inquit, *firmam*, id est, inconcussam *ad finem usque.* ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται [*qui sustinuerit usque in finem, hic salvus erit,*] Matth. 10. 22. *Nativitas salutaris non accepta, sed custodita vivificat*, ait Cyprianus.

7. Διὸ, *Quapropter*] Hoc conjungendum cum eo quod post longum Scripturæ testimonium sequitur: βλέπετε ἀδελφοί [*videte fratres.*] Cohæret autem cum antedictis hoc modo, *Cum tamen*

tantum honorem acceperitis ut & Dei & Christi familia censeamini, videte ne tanto honore excidatis. ¶ καθὼς λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον *ficut dicit Spiritus Sanctus*] Per Davidem, Psal. 95. 8, &c. ¶ Σήμερον ἐὰν τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούσητε, *hodie, si vocem ejus audieritis* , Id est, die σκηνοπηγίας [*fixionis tabernaculorum,*] cui celebrandæ scriptus ille hymnus, & quo tempore prælegi populo illa vetus historia solebat. Sumpta hæc ex Græco LXX. ἐὰν [*si*] hic est *cum, ubi, quoties.*

8. Μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν, *Nolite obdurare corda vestra*] תקשו אל *ne animum exhibeatis intractabilem.* Habemus idem verbum Exodi 7. 3. 13. 15. Deut. 2. 30. 10. 16. tribuique solet, ut & verbum כבר [*aggravare*] & similia, tum Deo, tum hominibus, sed sensu nonnihil diverso, ut alibi diximus. ¶ ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ, *sicut in exacerbatione*] In loco nominato מריבה [*Meriba*] Exodi 17. 7. Num. 20. 13, 24. Id autem redditur illis locis λοιδορία [*convitium*] & ἀντιλογία [*contradictio.*] Sed παραπικρασμοῦ [*exacerbationis*] eadem est significatio. Et nota verum esse quod diximus ad Gen. 11. 1. etiam nomina hominum aut locorum propria exprimi solere in linguis aliis, vocibus non ejusdem soni, sed parem significatum habentibus. *Jurgati sunt Israelitæ cum Mose & Aarone*, Exodi 17. 2. Sed Deus id perinde æstimat quasi secum jurgati essent, ut videre est Num. 20. 13. ¶ κατὰ τὴν ἡμέραν τοῦ πειρασμοῦ ἐν τῇ ἐρήμῳ. *secundum diem exacerbationis in deserto*] Etiam hic πειρασμὸς [*exacerbatio*] est pro מרה [*Mara*] quod nomen itidem est loci in deserto ex historia sic dicti. *Dies Massæ* est tempus illud quo circa Massam egit populus: sicut *dies Madian* Esaiæ 9. 4. LXX. Exodi 17. 7. & Deut. 6. 16. nomen hoc proprium vertunt πειρασμόν [*tentationem.*] Sed nos, unde id nomen, est *irritare*, quod & πειράζειν [*tentare*] & πικραίνειν [*exacerbare*] Græcis. κατὰ τὴν ἡμέραν [*secundum diem,*] id est, *quomodo illo tempore*, ut Jobi 29. 2. Jerem. 44. 6. Dan. 9. 15. & alibi.

9. Οὗ ἐπείρασάν με οἱ πατέρες ὑμῶν, *Ubi tentaverunt me patres vestri*] Illud οὗ [*ubi*] ostendit locorum præcessisse nomina. Et apparet hic πειράζειν [*tentare,*] ut jam diximus, idem esse quod πικραίνειν [*exacerbare.*] ¶ ἐδοκίμασάν με καὶ εἶδον τὰ ἔργα μου, *probaverunt me & viderunt opera mea*] Me [*me*] non est in Græco: sed subauditur ex priori. In Hebræo exprimitur. Sensus autem est, *quanquam magna opera mea viderant, tamen libuit eis me irritando periculum facere potentiæ meæ.* καὶ [*&*] pro καίπερ גם [*quanquam,*] sensus idem Deut. 29. 2, 3, 4. Ponenda interpunctio post μου [*mea,*] ut in Hebræo & editione Sixti Græca. Et id exigunt quæ sequuntur infra 17. & ipsa historiæ series. ¶ τεσσαράκοντα ἔτη. Διὸ προσώχθισα τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ, *quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi isti*] Διὸ hic significat *propter* hæc & similia. Sic διὸ pro διὰ τοῦτο [*propter quod*] habemus & 2 Corinth. 4. 13. προσώχθισα אקוט *pertæsum me est eorum.* Sic Jobi 10. 1. נקטה נפשי κάμνων τῇ ψυχῇ μου, in Latino *tædet animam meam.* Suidæ προσώχθισα est δυσαρεστῶ, βδελύττομαι [*offensus sum animo, abominor.*] Et in hoc Psalmo tam Aquila quàm Symmachus δυσηρεστήθην [*ægre tuli.*] Vocat autem γενεὰν [*generationem*] *homines ætatis istius*, idque *ex maxima parte*, ut jam videbimus. Et est συνεκδοχὴ [*Complexio*] *in annis* XL. vult enim dicere *magnam partem illorum annorum.* Vide Num. 16. 22. Videtur autem ideo urgere illud *de* XL. *annis*, quia par spatium Deus Judæis ad pœnitentiam post Christum enectum præfinierat. pro ἐκείνῃ [*isti,*] in Manuscripto est ταύτῃ [*huic.*]

10 Καὶ εἶπον Ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ, αὐτοὶ δὲ οὐκ ἔγνωσαν τὰς ὁδούς μου. *Et dixi: Semper errant corde, ipsi autem non cognoverunt vias meas*] In Græco LXX. καὶ αὐτοί [*& ipsi*] *Nosse* hic est *curare*, ut Psalm. 1. 6. & alibi. *Populus iste vagum cor habet, non libet ei insistere viis à me præscriptis.*

11. Ὡς ὤμοσα ἐν τῇ ὀργῇ μου. *Itaque juravi in ira mea*] Ὡς hic valet *itaque*, ut & Hebræum אשר. Et sic rectè accepit Syrus. Juramentum hoc habes Num. 14. 28. Repetuntur eadem verba infra 4. 3. ubi itidem est ὡς [*itaque,*] non ut quidam hic legerunt οἷς [*quibus.*] ¶ Εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου. *si introibunt in requiem meam*] Subauditur aliquid, ut in juramentis solet, 1 Sam. 14. Psalm. 132. 2, 3. Marci 8. 12. Cùm homines jurant, subauditur, *malè mihi faciat Deus*, ut 1 Sam. 25. 22. Cùm Deus, *ne pro Deo habear.* κατάπαυσις [*requies*] dicitur regio illa ubi populus à longis jactationibus quievit, ut Deut. 12. 9. Addit Deus voculam μου [*meam,*] quia ejus boni auctor erat Deus: partim etiam quia tunc Arca, quæ Dei nomine vocabatur, vagari desiit. Sub his involucris obtegi Messiæ tempora sensit & David Kimchi.

12. Βλέπετε ἀδελφοί, *Videte fratres*] Cohæret cum iis quæ dicta supra 7. ¶ μήποτε ἔσται ἔν τινι ὑμῶν καρδία πονηρὰ ἀπιστίας, *ne forte sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis*] *Ne unquam in quoquam vestrûm sit animus malus*, id est, incredulus. Nam genitivus iste vicem habet adjectivi. ¶ ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ Θεοῦ ζῶντος. *discedendo à Deo vivo*] Duplex est ἀπιστία [*incredulitas,*] ab initio vocationis, & ex post facto. Hæc autem illâ est deterior, quia secum trahit desertionem Dei. Vide 1 Timoth. 4. 1. valde autem efficaciter dictum ἀπὸ Θεοῦ ζῶντος [*à Deo vivo,*] ut & infra 9. 14. & 10. 31. Nam *qui vivit*, id est, semper vivit (ita enim id verbum hic sumitur) semper etiam pœnas sumere potest. Benè autem dictum, ἀπὸ Θεοῦ ζῶντος [*à Deo vivo.*] Nam sicut qui Christo credit, Deo credit, Joh. 12. 44. quia Deus omni modo id egit ut Christum à se missum ostenderet Joh. 6. 27. ita qui Christum deserit, simul Deum deserit. ἐν τῷ pro εἰς τό, quæ particularum mutatio frequens his & aliis libris. Nolite redire ad Judaismum, sicut illi in Ægyptum, unde eos Deus eduxerat.

13. Ἀλλὰ παρακαλεῖτε ἑαυτοὺς καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἄχρις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται. *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies donec Hodie cognominatur*] Ἑαυτοὺς [*vosmetipsos*] pro ἀλλήλους [*invicem*] ut 1 Cor. 6. 7. & alibi. Σκηνοπηγία [*fixio tabernaculorum*] Judæorum indicata per σήμερον [*hodie,*] semel anno peragebatur: nostra, dum durat hoc sæculum. Vivimus enim incertis sedibus, & sedem quietam exspectamus: neque opus est nobis in memoriam redigi, quod quotidie sentimus ¶ ἵνα μὴ σκληρυνθῇ τις ἐξ ὑμῶν, *ut non obduretur quis ex vobis*] Obdurescat contra pia monita. ¶ ἀπάτῃ τῆς ἁμαρτίας *fallacia peccati*] Ἁμαρτίαν [*peccatum*] generis nomine hic vocat metum vexationum & odii, per quem multi seducti eo tempore deficiebant ab Euangelii professione.

14. Μέτοχοι γὰρ γεγόναμεν τοῦ Χριστοῦ, *Participes enim Christi effecti sumus*] *Jus nacti sumus ut participemus de Christi claritate*, sed jus pendens, datum sub conditione perseverandi, ut sequitur. Vide supra 6. ¶ ἐάνπερ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν *si tamen initium substantiæ usque ad finem firmum retineamus*] Idem sensus qui supra 6. ibi ἐλπὶς [*spes*] dicitur, quæ hic ὑπόστασις [*substantia.*] Idem enim significant. Itaque תוחלת ἐλπὶς [*spes*] vertitur Lam. 3. 18. ὑπόστασις [*substantia*] Psal. 34. 8. Vide quæ dicemus infra 11. 1. Et dixit ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως [*initium substantiæ*] per ὑπαλλαγὴν [*Immutationem,*] nostris his libris non infrequentem, pro τὴν ὑπόστασιν τὴν ἐξ ἀρχῆς, *spem illam quam ab initio habuimus.* Talia sunt *argentum siclorum*, pro *siclis argenteis*; *sanguis in anima* pro *anima in sanguine*; *templum immissum igni*, & similia à Davide Kimchi & aliis notata. Fidem autem intelligo cum sancta professione conjunctam.

15. Ἐν τῷ λέγεσθαι· *Dum dicitur*] Hoc quidam connectunt cum præcedentibus. Chrysostomus & qui eum sequuntur Græci cum iis quæ sequuntur, Φοβηθῶμεν οὖν [*timeamus ergo,*] ubi nos novam habemus sectionem, non alia de causa quàm quia ita visum est exscriptoribus, cùm Græci aliis utantur sectionibus. Græcos si sequamur, illa omnia à τινὲς γὰρ ἀκούσαντες [*quidam enim audientes*] ad Φοβηθῶμεν οὖν [*timeamus ergo,*] erunt longa παρένθεσις [*Interpositio*] quales in his libris multæ: & ἐν τῷ λέγεσθαι [*dum dicitur*] valebit cùm audimus hæc dici, nempe quæ ad nos non minùs quàm ad veteres illos pertinent. ¶ Σήμερον ἐὰν, *Hodie si*] Repetita ex iis quæ supra 7.

16. Τινὲς γὰρ ἀκούσαντες, *Quidam enim audientes*] *Quidam qui audierant* Decalogum tanta cum majestate pronuntiatum, & præcepta Dei alia per Mosem data & plurimis miraculis confirmata. ¶ παρεπίκραναν, *exacerbaverunt*] *Irritarunt*, nempe *Deum.* ¶ ἀλλ' οὐ πάντες οἱ ἐξελθόντες ἐξ Αἰγύπτου διὰ Μωϋσέως. *sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Mosen*] *Mose educente.* Sic Oseæ 12. 13. ἐν προφήτῃ [*in Propheta*] id est, *per Mosem Prophetam.* Non tales Josue, non Calebus, non quæ subnata est soboles. Sic & nunc defecere aliqui à Christianismo, infra 10. 25. Vos nolite illorum exemplum sequi: sed potiùs Josuæ & Calebi, qui nullis adversis territi spem semper firmam retinuere.

17. Τίσι δὲ προσώχθισε τεσσαράκοντα ἔτη; *Quibus autem infensus est quadraginta annis?*] An omnibus sine discrimine? non sanè: novit causas cujusque discernere. In Manuscripto, τίσιν δὲ καὶ [*quibus autem &*]. ¶ Οὐχὶ τοῖς ἁμαρτήσασιν, *Nonne illis qui peccaverunt*] Intellige hic ἁμαρτάνειν [*peccare*] in illo sensu graviore quo respondet voci פשע [*præfractè legem transgredi,*] ut Jobi 33. 9. Proverb. 29. 6. Lam. 3. 42. Vide quæ supra 2. 2. Manuscriptus hic habet ἀπειθήσασιν [*illis qui non paruerunt,*] fortè ex Glossemate. ¶ ὧν τὰ κῶλα ἔπεσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ, *quorum cadavera prostrata sunt in deserto*] Et hoc ex Græco Num. 14. 29. ubi in Hebræo פגריכם quomodo eadem vox vertitur Levit. 26. 30. Num. 14. 33. 1 Sam. 17. 46. Esai. 66. 24. Propriè פגרים sunt *reliquiæ*, ut apparet ex illo Levitici loco, ubi idolorum fragmina eodem nomine dicuntur. Et Chal-

dæis

dæis verbum [illegible] est *destruere*. *Desertum* hîc gehennæ respondet.

18. *Τίσι δὲ ὤμοσε μὴ εἰσελεύσεσθαι εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius*] Id est, *qui sunt, quibus cum juramento minatus est eos non intraturos.* ¶ *εἰ μὴ τοῖς ἀπειθήσασι. nisi illis qui non obedierunt?*] *Iis qui leges ejus contempserant præfractè*, [illegible], unde nomen *Mara*. Id enim verbum per ἀπειθεῖν [*inobsequens esse*] vertitur Exod. 23. 21. Deut. 1. 26. 9. 7, 23, 24. Jos. 1. 18. Esai. 50. 5. 63. 10.

19. Καὶ βλέπομεν, *Et videmus*] *Ex historia cognoscimus.* ¶ *ὅτι οὐκ ἠδυνήθησαν εἰσελθεῖν, quia non potuerunt intrare*] In sedes illas quietas, obstante nimirum decreto illo Dei peremptorio. ¶ *δι' ἀπιστίαν. propter incredulitatem*] *Quia fidem non habuerant promissis Divinis*, quæ causa & tunc fuit inobedientiæ & nunc est.

CAP. IV.

VALLA.

12. V*Ivus enim sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti*] Quidam (quorum est Ambrosius) hunc locum transferunt, *Verbum Dei validum, & omni gladio acutius.* Hinc datur intelligi, non esse verum quod quidam volunt, *Macharam* esse tantum alterâ parte acutam, cum hic dicatur *utrinque acuta*, *μάχαιραν δίστομον*, sive *duo habens ora*, sive *utrinque incidens.* Nam & illud vocabulum quod ab aliis *acutior*, ab aliis *penetrabilior* transfertur, si decor pateretur, posset magis transferri *incidentior* seu *amputantior*, *τομώτερος*.

16. *In auxilio opportuno*] Ego mallem dicere *in auxilium opportunum*, ut Græce habetur, *εἰς εὔκαιρον βοήθειαν.*

ERASMUS.

1. N*E forte*] Μήποτε, i. e. nè quando. ¶ *Aliquis ex nobis deesse*] Ὑστερηκέναι, i. e. *non assecutus fuisse.*

2. *Et nobis*] *Et* redundat. ¶ *Nunciatum est*] Εὐηγγελισμένοι, i. e. ut ad verbum reddam, *euangelizati sumus*, h. e. *nobis prædicatum est Euangelium.* Sic alibi, *Pauperes euangelizantur.* *Non admixtus*] Μὴ συγκεκραμένος, i. e. *non contemperatus*, h. e. non aptè conjunctus, velut anima copulatur corpori temperaturâ, quòd Fides veluti vita sit auditui. ¶ *Ex his quæ audierunt*] Τοῖς ἀκούσασιν, i. e. *iis qui audierunt.* Porrò dativus hic pertinet ad participium *admixtus.* Hunc locum perturbatiorem reperio in Græcorum Commentariis. Apud Theophylactum Græcum mendosius habebatur; apud versum etiam mutilus: proinde Theophylacti Græca subscribam ut habent, *μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι· τοῦτ' ἔστι, μὴ ἑνωθέντας, μὴ συμφρονήσαντας περὶ τῆς πίστεως τοῖς ἀκούσασιν, ἀλλ' ἀποσφαγέντας αὐτῶν. θαυμασίως δὲ οὐκ εἶπε, μὴ συμφωνήσαντας, ἀλλὰ, μὴ συγκεκραμένους, ἵνα τὴν ἄκραν ἕνωσιν δηλώσῃ. ἀκούσαντας δὲ ἐνταῦθα λέγει τοὺς πιστεύσαντας· οὗτοι γὰρ τῷ ὄντι ἀκούσαντες ἂν λέγοιντο. ὁ δὲ ἐν ἁγίοις Ἰωάννης, μὴ συγκεκραμένους, ἐνόησε τοὺς περὶ Χαλὲβ καὶ Ἰησοῦν· οὗτοι γὰρ ἀστασίαστοι ἔμειναν, οὐδὲ συνανεκράθησάν, φησιν, οὐδὲ συνέστησαν καὶ συνεφθάρησαν τοῖς ἄλλοις στασιάζουσι καὶ μίαν πᾶσι γνώμην ἔχουσι. τίσι δὲ τούτοις; τοῖς ἀκούσασι καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσι. τοῦτο δὲ κατὰ τὴν μεγάλην αὐτοῦ καὶ βαθεῖαν σοφίαν ὁ ἅγιος οὗτος εἶπεν· ἐμοὶ γοῦν ἀναξίῳ οὐκ ἔδωκε νοῆσαι πῶς αὐτὸ εἶπεν*, i. e. *Non admixtos fidei iis qui audierant*] h. e. *non unitos, non concordes de fide cum iis qui audierant, sed ab illis divulsos. Mirè verò non dixit* non consentientes, *sed* non commixtos; *quò summam unitatem declararet.* Qui audierant *hic dicit pro eo quod est* qui crediderant. *Nam hi cuipiam* audisse *dici possunt. Cæterum D. Joannes* non admixtos *intelligit Chaleb & Jesum. Nam permanserunt alieni à seditione, neque simul cum cæteris seditionem moventibus, eundemque cum omnibus animum habentibus, inquit, commixti sunt, neque simul insurrexerunt, neque simul consumpti sunt. Quibus autem illis? Nimirum iis qui audierunt, nec ullam receperunt utilitatem. Hoc verò juxta magnam suam ac profundam sapientiam locutus est sanctus ille: mihi vero indigno non dedit intellectum quomodo hoc dixerit.* Hæc Theophylactus, cùm in translatione Latina quædam diversa sint, quædam absint. Nam illic *Basilii* non *Joannis* fit mentio, & postremi versus prætermissi sunt. Ex his colligo vel apud Græcos fuisse duplicem lectionem, vel apud nos lectionem esse depravatam. Etenim si Græci rectè legunt *συγκεκραμένους*, nobis *admixtis* legendum est, non *admixtus*. Et sane in vetustiore codice Constantiensi habebatur *admixtis* citra ullum rasuræ aut inductionis vestigium. Nec dubito quin eadem lectio in pluribus exemplaribus inveniri queat, si quis vetustas excutiat bibliothecas. Quinimo dum hæc scribo consulo editionem Hispanicam, & *admixtis* comperio, non *admixtus*, & Græcè *συγκεκραμένους*, non *συγκεκραμένος*. Unde apparet & apud Græcos fuisse duplicem lectionem. Nam & in Theophylacto scriptum erat *συγκεκραμένους* per *ου*, quod aliquis correxerat, annotatâ diphthongo *ου*· & editio Aldina habebat *συγκεκραμένος*, consentiens cum exemplaribus quæ nos secuti sumus. Sed in utraque lectione scrupuli nonnihil est. Etenim si legas *συγκεκραμένους*, non consistit interpretatio Chrysostomi locum accommodantis ad Caleb & Jesum Nave. Nam his planè *sermo profuit*, qui ideo se non admiscuerunt seditioni quia credebant sermoni Divino. Si legas *συγκεκραμένος*, durè cohærent duo dativi *τῇ πίστει* & *τοῖς ἀκούσασι*. Deinde quomodo dicitur *sermo non auditus iis qui audierunt*? Verùm hic postremus scrupulus facilè discutitur ex Græcis verbis, in quibus *auditûs* nomen est, *ἀκοῆς*, non participium, perinde sonans, q. dicas *sermo rumoris* sive *promissionis*. Quidam enim hoc interpretantur de exploratoribus nunciantibus quæ vidissent. Jam si legas *συγκεκραμένους*, sensus erit, *non profuisse incredulis audisse eundem sermonem de terra repromissa quem alii audierant, eò quòd per fidem non essent admixti iis qui audierant*, h. e. auscultarant: ut *ἀκοὴν* accipias simplicem *auditum*, mox eandem vocem accipias pro *credulitate*, q. d. *audierant & non audierant.* Et ad hanc sententiam non est legendum *fidei*, sed *fide*; ut sit Græcus dativus declarans Modum, similis instrumentali. Quomodo dicis eos *non fuisse admixtos* cæteris? Quia *non crediderunt* quemadmodum & illi. Hoc pacto non offendunt duo dativi, quorum alter est Modi, alter respondet præpositioni *σύν*. Si legas *συγκεκραμένος*, intelliges *sermonem non fuisse commixtum fidei in his qui audierant.* Quemadmodum enim vinum non prodest homini nisi misceatur corpori, ità non prodest auditus sermo nisi fides eum transferat in animi viscera. Atque in hanc sententiam dativus *fidei* respondet præpositioni *σὺν*, & *iis qui audierunt* dativus est Acquisitionis, ut subaudire possis IN, *in his qui audierunt*; & *audierunt* nihil aliud valebit quàm *auribus hauserunt.* Quanquam hic locus & apud Chrysostomum est perturbatior, si modò hi Commentarii sunt illius. Nam titulus indicans eos post mortem illius editos, nonnihil suspicionis præbet lectori. In his autem deprehendas duplicem lectionem. Etenim cùm ait, *ἀλλ' οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνους μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι*, satis declarat se legisse *sermonem admixtum cum fide in his qui audierant.* Rursus in progressu sermonis videtur aliud legisse, Ὁ δὲ λέγει, *τοιοῦτόν ἐστιν. ἤκουσαν κἀκεῖνοι ὥσπερ ἡμεῖς ἀκούομεν, ἀλλ' οὐδὲν ὄφελος αὐτοῖς γέγονε. μὴ τοίνυν νομίσητε ὅτι ἀπὸ τοῦ ἀκούειν τοῦ κηρύγματος ὠφεληθήσεσθε, ἐπεὶ κἀκεῖνοι ἤκουσαν, ἀλλ' οὐδὲν ἀπώναντο, ἐπειδὴ μὴ ἐπίστευσαν. οἱ οὖν περὶ Χαλὲβ καὶ Ἰησοῦν, ἐπειδὴ μὴ συνεφώνησαν τοῖς ἀπιστήσασι, διέφυγον τὴν κατ' ἐκείνων ἐξενεχθεῖσαν τιμωρίαν. καὶ ὅρα τι θαυμαστόν. οὐκ εἶπεν, οὐ συνεφώνησαν, ἀλλ' οὐ συνεκράθησαν, τοῦτ' ἔστιν, ἀστασιάστως διέστησαν, ἐκείνων πάντων μίαν καὶ τὴν αὐτὴν γνώμην ἐσχηκότων. ἐνταῦθά μοι δοκεῖ καὶ στάσιν αἰνίττεσθαι*, i. e. *Quod autem dicit tale est, Audierant & illi, quemadmodum nos audimus, sed nihil utilitatis hinc ad illos rediit. Proinde nè putetis quod vobis profutura est audita prædicatio, quandoquidem & illi audierant, sed nihil inde fructus perceperunt, eò quod non crediderunt. Igitur Chaleb & Jesus, quoniam non consenserunt iis qui non crediderunt, effugerunt vindictam illis illatam. Ac vide mirum quiddam. Non dixit* non consenserunt, *sed* non commixti sunt, *hoc est, ab seditione subduxerunt sese, cùm omnes illi unam & eandem mentem obtinerent. Hic mihi videtur & seditionem tacitè significare.* Ex his videtur is quisquis hæc scripsit legisse *συγκεκραμένους*, videlicet cum ait, *οὐ συνεφώνησαν, ἀλλ', οὐ συνεκράθησαν*, idque accommodat ad Chaleb & Jesum, qui abstinuerunt à conjuratione, parentes voci Dei. Verum hæc sententia ne consistit quidem, cum negetur *sermo profuisse iis qui se non miscuerant.* Proinde suspicor hoc Commentarium esse rhapsodiam diversarum opinionum. Mihi simplicior lectio videtur *συγκεκραμένος*. *Ex* præpositio superest; & *qui* legendum, non *quæ*.

3. *Qui credimus*] Οἱ πιστεύσαντες, *qui credidimus.* ¶ *Et quidem operibus*] Καίτοι, *quanquam*: ut intelligas jurasse, *illos non introituros in requiem, cùm jam parata esset requies, nempe perfectis mundi operibus, quibus absolutis requievit Deus die septimo*: tametsi tolerari potest & altera lectio.

6. *Quibus prioribus*] *Prius* est Græcè, *πρότερον*.

7. *Terminat diem*] Ὁρίζει, *designat*, sive *definit*, aut *præstituit.* ¶ Nec additur *quendam* apud Græcos: quanquam exemplaria variant hoc loco.

8. *De alia loqueretur post hac die*] Περὶ ἄλλης ἐλάλει μετὰ ταῦτα ἡμέρας, *de alia locutus fuisset post hac die.* Nisi accipias *posthac* adverbialiter. Sentit enim alium quendam Sabbati diem qui illum primum sequeretur.

11. *In ipsum quis*] Melius erat *in idem exemplum*, αὐτῷ ὑποδείγματι. Ac mihi quidem Græcorum verborum sententia videtur hæc esse, *Ne quis cadat ut illi ceciderunt in deserto, eodem exemplo incredulitatis & inobedientia: & sicut illi ceciderunt ob incredulitatem*, ut dicit Psalmographus, *ità isti perirent similiter, similiter peccantes.* In hunc sensum consentiunt Græcanica Scholia. Græci sic habent, ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ τις ὑποδείγματι πέσῃ τῆς ἀπειθείας.

12. *Et efficax*] Ἐνεργής. Hieronymus alicubi vertit *evidens*, nominatim commentans in Esa. 66. quòd, ut opinor, legerit ἐναργής. At hoc sanè loco magis quadrabat *efficax*. ¶ *Et penetrabilior*] Τομώτερος, *acutior*, sive *incidentior*, si sic liceat Latinè loqui, à verbo τέμνω *seco*, sive *incido*. ¶ *Gladio ancipiti*] Δίστομον, *utrinque incidentem*, sive *utrinque acutum*: quod Hieronymus cumpluribus locis vertit *bicipitis*. Græci aciem gladii vocant στόμα *os*, quòd hàc parte mordeat. ¶ *Ac medullarum*] Καὶ μυελῶν. Quanquam nonnulli Græci cod. habent μελῶν, *membrorum*. Theophylactus legit μυελῶν, unà cum Chrysostomo. ¶ *Et discretor*] Κριτικὸς, *judex*, sive *qui judicare possit*: unde & Latinis *Critici* dicuntur. Græci κρίνειν hic exponunt ἐτάζειν, *examinare*; etiamsi bellè vertit Interpres.

13. *Ulla creatura invisibilis*] Οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς, *non est creatura non manifesta*, sive *occulta.* ¶ *Et aperta*] Καὶ τετραχηλισμένα. Quod perinde sonat q. d. *cervicata*. Græci putant Metaphoram sumptam ab Ovibus, quibus pellis à cervice detrahitur cùm excoriantur, sive ab iis qui cervicem inflectunt cum se submittunt, & agnoscunt se esse inferiores. Sic & Juvenalis, de scrutante omnia,

——— *Aulam resupinat amici.*

14. *Spei nostræ confessionem*] *Spei nostræ* apud Græcos non invenio; nec ascribitur in exemplari Paulino, nec in Donatianico, nec apud Chrysostomum. Mihi videtur articulus additus explicare quam professionem sentiat, videlicet eam cujus paulò antè dixit *Jesum Apostolum nostræ confessionis.* In Constantiensi vetustiore scriptum erat *teneamus confessionem ejus.* Consentiebat alter recentior.

15. *Qui non possit compati*] Συμπαθῆσαι. *Compatiendi* verbum optarim equidem Latinis tam esse receptum quàm Græcis est συμπαθεῖν, idemque pollere. Proinde nos coacti periphrasi rem sumus elocuti. Est enim συμπαθεῖν *affici moverique sensu alieni mali.* ¶ *Tentatum autem*] Melius erat, *sed tentatum.* Eadem vis utriusque conjunctionis, sed non semper ubivis quadrant omnes apud nos. ¶ *Pro similitudine*] Καθ᾽ ὁμοιότητα, *juxta similitudinem.* Quod non ità accipiendum est quasi Christus aut non fuerit verè homo, aut non fuerit verè passus, sed quod ipse immunis à peccato carnis naturæ peccatricis mala assumpsisset, & perinde pœnas dederit quasi ipse peccasset.

16. *Ad thronum gratiæ ejus*] *Ejus* redundat, nec est in vetustis exemplaribus τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος. Nam Gratiam opponit severitati Legis Mosaicæ. ¶ *In auxilio opportuno*] Εἰς εὔκαιρον βοήθειαν, *non opportunum auxilium.*

VATABLUS.

1. NE fortè] *Nequando.* ¶ *Existimetur*] *Videatur.* ¶ *Nobis*] *Vobis.* ¶ *Deesse*] *Non assecutus fuisse*: i. e. partes suas minus obiisse.

2. *Nunciatum est*] i. e. Promissio facta est sicut & illis. ¶ *Auditus*] *Auditionis*: i. e. non profuit illis audisse sermonem, quòd iis quæ audierant non crediderunt.

3. *Et quidem*] *Quanquam.* ¶ *Operibus ab institutione mundi perfectis*] Oratio est ecliptica, significans, Nos qui credimus requiem ingredimur: & sanè in eam in quam ipse Deus post mundi creationem ingressus est, cujus typus erat terra Chanaan.

7. *Terminat*] *Designat, præstituit.*

8. *Jesus*] Vel, *Josue.* ¶ *Requiem*] Sub. *veram.*

9. *Sabbatismus*] *Requies.*

10. *Ingressus est*] *Est ingressurus.* ¶ *Ejus*] Sub. *Dei.* ¶ *Requievit*] *Requiescet*, Vet.

11. *Ne in idipsum incidat incredulitatis exemplum*] *Nè quis eodem concidat incredulitatis exemplo*: i. e. nè quis è nobis ob incredulitatem corruat ut illi corruerunt.

12. *Penetrabilior*] *Penetrantior, acutior*: i. e. magis cædens quàm quivis gladius utrinque incidens: q. d. Incredulitatem fugiamus, alioqui peribimus: nam verbum Dei est vivum; i. e. Deus potenter & severè exsequetur quod verbo suo prædixit. De pœnis loquitur eorum qui Christo non credunt. Alii *Sermonem Dei* Christum intelligunt, qui vivit & potens est ut faciat quod vult. ¶ *Ancipiti*] *Utrinque acuto.* ¶ *Discretor*] *Cognitor, Judex*: i. e. qui judicare possit.

13. *Invisibilis*] *Occulta.* ¶ *Ad quem*] *De quo.*

14. *Confessionem*] *Professionem.*

15. *Compati infirmitatibus nostris: tentatum autem*] Vel, *affici sensu infirmitatum nostrarum: sed tentatum.* ¶ *Pro similitudine*] *Juxta similitudinem.*

16. *In auxilio opportuno*] *In opportunum auxilium.*

CASTALIO.

1. NE *si fortè desinat ingrediendi in ejus requietem promissio*] Tum desinet promissio, cum jam in ejus requietem intrabitur. Itaque danda opera est ut dum licet pareamus; nè si simus ad eam rem tardiores, opprimamur de improviso, atque ità tardasse videamur, h. e. tardaverimus. Nam δοκεῖν Græcis & *videri* Latinis aliquando cum re ipsa conjunguntur: ut quod ait Aristoteles, *Omnia* τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίεσθαι δοκεῖ, *bonum expetere videntur*; h. e. Apparet omnia bonum expetere, Omnia bonum expetere videmus. Talia multa reperies apud Isocratem, necnon apud Ciceronem; quale est illud Offic. 1. *Nunquam omnino periculi fugâ committendum est ut imbelles timidique videamur*, h. e. simus. ¶ *Tardasse videatur*] Tardet, & serò veniat.

2. *Non conjunctus cum eorum fide qui audiverant*] Μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι, pro τῇ πίστει τῶν ἀκουσάντων de quo loquendi modo vide quæ scripsimus ad Col. 2. quoniam fidem non habuerunt.

3. *Ingredimur enim in requietem qui fidem habemus*] h. e. Non nisi qui fidem habent in requietem ingrediuntur. Est autem hujusmodi argumentatio; Quod David de Domini requiete loquitur, necesse est ut aut de Sabbato loquatur, in quo quievit Deus, aut de quiete quam adepti sunt Israëlitæ in Chananæam ingressi, aut de alia quiete quæ sit adhuc futura: Atqui de duabus prioribus loqui non potest, cum earum altera jam a principio conditi mundi fuerit, altera multis seculis ante Davidem: Necesse est igitur ut de futura dicat.

14. *Teneamus professionem*] Respondeamus professioni nostræ.

15. *Qui sit in omnibus similiter periclitatus*] Ut nos.

16. *Gratiam inveniamus ad opportunum auxilium*] Per quam nobis suo tempore feratur auxilium.

CLARIUS.

3. QUamvis operibus] Post requiem illam, inquit, de qua scriptum est, *Deum requievisse ab operibus suis*, alia commemoratur requies. Sicut ergò requies illa Sabbati nihil prohibet aliam etiam esse requiem Promissæ terræ, sic neque hæc Promissæ terræ requies prohibet aliam requietem dici, illam videlicet Regni cœlorum; de qua loquitur David, admonens *nè obdurent corda sua* nè fraudentur verá illâ requie, cujus umbra fuit illa in quam Josue populum introduxit. Nisi enim tertiam habuisset Deus requiem, non dixisset, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*; quasi omnino superstit requies in quam intraturi sint ii qui non obduraverint corda sua.

8. *Nam si eis Jesus requiem*] Si illa tantùm, inquit, *esset requies, Promissa illa terra in quam Jesus Nave populum introduxit, non de alia per David locutus esset Deus requetis die: relinquitur ergò Sabbatismus*, h. e. requietio.

10. *Qui enim*] Quoniam hi fideles affligebantur malis, ideo prætermissâ hic mentione bonorum futurorum, ex hac tantum parte consolatur eos, dum ait, quòd ingressi in illam requiem Regni cœlorum quietem habebunt à persecutionibus afflictionibus.

12. *Vivus est enim*] Sensim ostendit Christum illa etiam efficisse quæ Israëlitis contigerunt. *Vivens* enim est, ait, & non morietur in æternum; & *efficax* etiam est, & quod egit in antiquos Israëlitas, idem & nunc aget: omnia enim *penetrat*, non ea solum quæ quamvis corporea sint tamen abdita delitescunt, ut *medulla*, verum etiam in corporea & invisibilia, velut *anima* ac *spiritus* & *cogitationes cordis*; *ut nihil omnino sit invisibile coram illo*, sive Cherubin sint sive Seraphin. Ad ostendendam autem ejus efficaciam, utitur exemplis nobis notioribus dum eum comparat *gladio utrâque parte acuto*, docens non esse illi opus ullo gladio ad perdendos hostes, sed solo jussu.

13. *Nuda & aperta*] Quod ait *aperta*, in Græco est τετραχηλισμένα,

γυμνώμενα, quod interpretantur *collum inclinantia*, quasi non valeant inspicere in illam gloriam Judicis & Dei nostri Jesu. ¶ *Ad quem*] Quia λόγος (quæ vox hic posita est) significat etiam *rationem*; videtur sic interpretandum, *cui ratio reddenda nobis est factorum nostrorum.*

15. *Non enim*] Noster Pontifex non est Mosaicæ Legis similis, quæ nihil condonare poterat, nè Mosi quidem ipsi, quem è terra Promissionis exclusit cum reliquis; sed *habemus Pontificem qui possit compati.*

ZEGERUS.

1. E*Xistimetur aliquis ex vobis deesse*) Δοκῇ τις ἐξ ὑμῶν ὑστερηκέναι, i. e. *appareat* (vel *existimetur*) *aliquis vestrûm præteritus esse*; vel, ut Chrysostomus versus habet, *putet aliquis vestrûm se alienatum esse. Aliquis ex nobis deesse* magis quadrat quàm quod Græci & Latini quidam cod. habent, *vobis*, propter illud *timeamus.*

2. *Sed non profuit illis sermo auditûs, non admistus fidei ex iis qua audierunt*] Sensus hic est, *Non profuit* Hebræis *illis* ad Terram promissam ituris *sermo ipsius auditûs*, i. e. sermo promissionis, auditu tantùm exceptus, sed *non admistus* neque conjunctus *cum fide*, quam *ipsa quæ audierant* promissa benedictionibus plena illis conciliare debuerant. Sunt etiam qui *ex iis quæ audierunt* interpretentur, *propter malos illos rumores de Terra promissa per exploratores delatos.* Græca hoc loco variant. Hanc autem lectionem, quantum ex Græcorum Comment. colligere licuit, arbitror germaniorem, ἀλλ' οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνους μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι. Recentiores verò codices pro συγκεκραμένους, συγκεκραμένος nominandi casu habent. Verùm priorem lectionem sequuntur Interpretes propè omnes. Et Theophylacti interpres testatur Græcè esse *admisti*. Sensus autem ejusmodi est, *Sed non profuit illis*, nempe incredulis, *audisse sermonem* de Terra promissa, *eò quòd per fidem non essent coadunati iis qui obaudierant*; vel, ut habet Chrysostomi versor, *qui non erant temperati fide eorum quæ audierant.*

3. *Ingredimur enim in requiem qui credidimus, quemadmodum dixit, Sicut juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam*] Probat à contrario, credentes ingressuros in requiem cœlestem, cùm incredulos juramento confirmet Dominus non introituros in requiem ipsius. ¶ *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis*] Clausula hæc pendet ab illo quod suprà dictum est, *nobis nunciatum est*. Nec enim ab eo loco propriè usquam perfecta periodus constituitur præterquam post *institutione mundi perfectis*. Ostendit autem Apostolus duplicis figuræ testimonio nobis nunciatam esse requiem illam cœlestem: Primò per hoc quòd Deus consummato mundi totius opere septimo die conquieverit. De quo ità subdit,

4. *Dixit enim in quodam loco de die septima sic, Et requievit*, &c.] Quid enim aliud signatur hoc ipso, quòd post creatum Hominem mox sequenti die requieverit ab omnibus operibus, quàm quod illum ad requiem crearit, & post hujus vitæ labores destinarit ad æternam felicitatem assumere? Idem denique & altero testimonio comprobat, cùm subjungit,

5. *Et in isto*] Inquit, quem modò citavimus Psalmo, *rursum* denunciatum est sub figura requiei filiis Israël promissæ, de requie illa beata, dicente Scripturâ, ¶ *Si introibunt in requiem meam*] Quo, sicut suprà, per oppositum significatur credituros in requiem sempiternam (quam peculiariter *suam* Deus vocat) admittendos. Liquet igitur ex prædictis de triplici requie Apostolum facere mentionem; de Requie diei septimæ in consummatione operum mundi, de Requie Israëlitici populi in terra Palæstina, & de Requie sempiterna.

6, 7. *Quoniam ergò superest introire quosdam in illam, & ii quibus prioribus annunciatum est non introierunt*, &c.] *Quoniam ergò* juxta Dei promissa *restat ut quidam requiem illam ingrediantur*, (nam quod ad illos attinet *quibus annunciatum est*, *propter incredulitatem suam non introierunt*) rursus *post tantum temporis spatium* à promissa Palæstina *præfinit* alium *diem*, quem non septimum sed *hodiernum* esse voluit, *dicendo* τὸ HODIE *per os Davidis*, *quemadmodum*, inquit, *jam* non semel *dictum est*: quo consistente in requiem illam ingredi valemus, si modò *non obduraverimus corda nostra*, *sicut in illa exacerbatione*. Hæc volunt ea quæ mox verba subsequuntur, *iterum terminat diem quendam*, HODIE *in David dicendo post tantum*, &c.

8. *Nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die*] Probat per hæc Davidem Spiritu S. afflatum æternam requiem in præmisso Psalmo figuratè per requiem illam Palæstinam præsignasse. *Nam si*, inquit, *Jesus* (sive *Josue*) Nun sive Nave filius veram *requiem* suis *præstitisset*, *nequaquam Deus* per os Davidis *alterius venturi postmodum diei meminisset.*

9. *Sabbatismus*] i. e. *Requies.*

12. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio*] Respicit ad ultionem illam Israëliticæ gentis in deserto factam. Nam si *in idem incidamus incredulitatis exemplum* propter quod prostrata sunt in deserto tot hominum millia, *est sermo Dei* ab ipsius ore procedens *vivus*, *efficax*, *& gladio utrinque incidente penetrantior*, quo intereamus. Sermo autem *Dei* ipse Dei Filius est, vel Scripturæ Divinæ vis neutiquam violanda, cujus effectui nè jota quidem decedet. ¶ *Discretor*] *Judex* (sive *examinator*) *cogitationum*, κριτικός.

13. *Ad quem nobis sermo*] i. e. Ipsi reddituri sumus actuum nostrorum rationem. λόγος enim nonnunquam cujusque rei *causam* signat.

14. *Habentes ergò Pontificem magnum*] Hic Apostolus post multa interjecta tandem regreditur ad descriptionem Sacerdotii Christi, quemadmodum cœperat in initio capitis 3. ubi sic habet, *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est*, &c. ¶ *Spei nostræ confessionem*] Illud *spei nostræ* adjectum est à quopiam, quò sensus esset plenior, ex hujus Epistolæ c. 10. 23. nè quis existimet Græca esse mutila. Declarat id tum Augustini lectio in Speculo, tum exemplaria vel paulò vetustiora.

15. *Pro similitudine*] i. e. Secundùm similitudinem nostri; videlicet, quia perinde carnis peccatricis incommoda, à carnis vitiis alienus, sustinuit; ac nos ob carnis vitia carnis simul & animi vexationem commeruimus. Sunt tamen nonnulla corporis incommoda, utpote quæ ex causis accidentalibus homini accidunt, ut sunt Lepra, Scabies, Morbi caduci, quibus corpus Christi negatur fuisse obnoxium, ut docet B. Thomas in Summæ suæ par. 3. qu. 14.

16. *In auxilio opportuno*] *Auxilium* hoc loci pro *tempore auxilii* accipiendum est.

H. STEPHANUS.

1. Ὑστερηκέναι] *Nimiùm tardando exclusum fuisse*: q. d. à tergo remansisse.

8. Εἰ αὐτοὺς κατέπαυσεν] *Si requiem eis attulisset*: vel, *In requie eos collocasset.*

12. Κριτικὸς ἐνθυμήσεων] *Præditus facultate judicandi de cogitationibus.*

13. Γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα] *Nuda & patentia.*

15. Συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν] *Tangi sensu infirmitatum nostrarum*: vel, *affici.*

DRUSIUS.

9. S*Abbatismus*] Ἀπολείπεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ. Syrus habet, *firmum hoc sabbatizandum esse. Sabbatizo* aliud nihil quàm *quiesco*: unde *Sabbatismus*, *quies* sive *requies*, i. e. κατάπαυσις, quæ est vetus interpretatio vocis *Sabbatum*, i. e. שבת. Hieron. in lib. Nom. *Sabbatum*, *Requies*. Eusebius De Præparat. Euang. l. 13. c. 7. *Sabbatum Latinè Quies interpretari potest.* Josephus lib. 2. adv. Appion. *Sabbatum juxta Judæos Quies vel Cessatio est ab omni opere.*

CAMERON.

1. K*Αταλειπομένης ἐπαγγελίας*] Dubium esse possit an καταλείπεσθαι hoc loco sit *deseri*, *derelinqui*, atque ad incredulos referatur & contemptores gratiæ Divinæ (quo sensu ἐπαγγελία *promissio* positum foret pro *re promissa*, quemadmodum *spes* & *fides* in Scriptura non rarò eas res significant quæ creduntur & sperantur;) an verò καταλείπεσθαι hoc loco significet *superesse*, & ad Deum referatur, ut sit totius sententiæ hæc summa, *Cum reliqua sit*, *cum supersit nova quietis promissio*, *caveamus nequis nostrûm eâ semetipsum frustretur*, *defraudet*. Et hic posterior sensus verbis & scopo Apostoli maximè convenire videtur. Id enim est quod instituit probare, quodque concludit adeò ver. 9. *Itaque reliquus est Sabbatismus populo Dei.* Ergò καταλειπομένης ἐπαγγελίας non est *derelictâ* seu *desertâ promissione*, sed *cum reliqua sit*, *cum supersit promissio*. Nam promissioni terræ Canaan, & illius quietis quæ ejus terræ possessionem comitabatur, nullus jam locus est reliquus: Ergò vel nulla quies superest piis, vel novam oportet superesse promissionem.

2. Καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ κἀκεῖνοι] Dubium esse possit quomodo Israëlitæ in deserto dicantur fuisse εὐηγγελισμένοι. Sed quemadmodum in Scriptura duplex est

ἱλασμὸς *propitiatio*, sic duplex εὐαγγελισμός. Est propitiatio Typica, Ceremonialis, & propitiatio Realis. Illa peragitur aspersione sanguinis Christi. Sic duplex *Euangelium*: Typicum seu Carnale, quod nihil aliud fuit quàm promissio terræ Canaan, quam quotquot crediderant non continuò necesse est crediderint ad salutem in Deum; quemadmodum neque fides Miraculorum salvifica est. Et est *Euangelium* Spirituale seu Reale, promissio de vita æterna. Juxta priorem *Euangelii* rationem Israëlitæ fuere εὐηγγελισμένοι in Ægypto & deserto, ut esset is εὐαγγελισμὸς typus nostri εὐαγγελισμοῦ. Quemadmodum igitur contemptores istius εὐαγγελισμοῦ Typici exciderunt jure adeundi terram Canaan, sic contemptores Veri & Realis Euangelii excluduntur Regno cœlesti. ¶ Ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς] Existimem simpliciter esse idem quod λόγος ὃν ἤκουσαν. Neque dubium est quin alluserit ad Præconum consuetudinem, qui præconii initium faciunt solemne illud, Ἀκούετε λαοί· quod & Prophetæ solebant: unde illa, *Audi, Israël*; *Audiat domus David*. Itaque verbum Dei Hebraicè dicitur etiam שמועה Esa. 28. 9. & 53. 1. Et hinc ἀκοὴ πίστεως & λόγος πίστεως & ῥῆμα τῆς πίστεως pro eodem sumuntur Rom. 10. ¶ Μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι] Complutensis editio habet μὴ συγκεκραμένους, quam lectionem eò repudiavit doctissimus Interpres quasi nullum funderet sensum. Atqui si vera lectio est, sensus apertissimus est, *Non profuit illis promissio terræ Canaan, quod non essent admissi & conjuncti per ejusdem fidei communionem cum iis qui obedierunt.* Nam ἀκούειν in Scriptura non modò est *audire* sed *obedire*. Hoc pacto συγκεκραμένοι hoc loco fuerint quos alibi Scriptura vocat συσσώμους, *qui in idem corpus coaluerunt*, Eph. 3. 6. id quod fit ejusdem promissionis ejusdemque fidei participatione. Sed recepta lectio retinenda potiùs videtur: pauci enim fuerunt quibus datum est promissionem, quam amplexi fuerant, firmiter tenere. Itaque superest quærendum quo sensu λόγος *promissio* non dicatur fuisse συγκεκραμένος *temperata*, *mista fide*. Cujus Metaphoræ hæc videtur esse ratio. Nisi cibus ita coquatur & condiatur ut nequeat vel respui, vel non concoqui, non conducit ad alendum: Id verò fit aliquando si aliquid admisceas. Ità planè nisi Verbum Dei ità condiatur ut respui nequeat nullum profert fructum; conditur autem dum Deus adjungit, admiscet donum fidei. Itaque πίστις hoc loco consideratur non cum ea σχέσει quam habet ad homines, quomodo significat actum credendi ab homine profectum, sed ut Dei donum: ut sit sensus idem quem aliis verbis expressit Moses Deut. 29. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens.* Ergò sententia plana est, *Non profuit iis sermo eò quod non fuit conditus dono fidei.*

12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ] Sunt qui putant λόγον τοῦ Θεοῦ hîc Christum significare: sic enim Christus à Johanne Antonomasticῶς dicitur: deinde, quod dicitur v. 13. *nullam rem creatam occultam esse in conspectu ipsius*, quia ad personam propriè pertinet, efficere videtur omnino ut ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ hoc loco persona sit, proindeque & Dei Filius Christus. Rursus, altera ex parte nusquam dicitur in Scriptura Christus Λόγος τοῦ Θεοῦ nisi in scriptis Johannis Apostoli, idque perraro. Non sic Paulus, non sic reliqui loquuntur Apostoli. Deinde, cur Epistolæ hujus autor, qui *Christum*, qui *Dei Filium* exsertè nominat passim, hoc loco vocet λόγον Θεοῦ; Denique, non videtur personæ convenire ut dicatur *efficax*, *penetrantior quovis gladio*, &c. quæ si personæ maximè tribui possent; tribuerentur tamen respectu alicujus actionis: atqui in hoc genene actio Divina est interna verbi prædicatio: primò igitur & proximè ista *Verbo Dei* conveniunt. Et sanè qui hîc expenderit vim conjunctionis γὰρ, satis deprehendet λόγον Θεοῦ Verbi prædicationem non ipsam Christi Personam significare. Notat enim haud dubiè conjunctio illa rationem subjectam iis quæ præcesserunt: atqui præcessit dehortatio à contemptu Euangelii, cujus hæc ratio inter multas adfertur ab Apostolo, hoc & seq. versu, quòd qui Euangelium contemnunt, quod semel fuerant amplexi, (nam de hujus generis contemptu hoc loco agitur) torqueri solent & angi conscientiâ, nempe spreverunt agnitam veritatem. Etsi verò videantur ad tempus quiescere, quies illa stupor potiùs quàm quies æstimanda est, qualis est obrutorum vino & somno. Vulgatum autem est in Scriptura Verbo Dei judicium tribuere: non enim ad nos pertingit sensus Judicii Divini nisi interventu Verbi. ¶ Μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος] Qui Verbum Dei Gladio comparavit, & gladii est secare & dividere in partes, consequens erat cùm omnis Verbi vis in anima exseratur, ut animam sectilem faceret. Et cùm partes animæ sint Mens & Affectus, *mentem* (quam Philosophi νοῦν vocant) πνεῦμα appellat, ψυχὴν verò *affectus*. Ergò Verbum Dei in mentem, in affectus agit potentissimè. Et hæc actio ideo dicitur *sectio*, primum quia sectione quæ clausa fuerant & involuta aperiuntur & explicantur, deinde dolor infertur. Præterea Sectio vel medelæ vel etiam *vindictæ* causâ adhibetur. Utrumque convenit Dei Verbo: nam apud humiles & qui sunt animo dejecto sectio hæc Verbi medela est, & apud contumaces & præfracto animo homines ultio est & vindicta.

13. Τετραχηλισμένα] Videtur esse Metaphora petita à re palæstrica. Nam luctatores tum demum adversarium dicuntur τραχηλίζειν cum obstricto collo ità versant ut objiciant spectatorum oculis nudum conspiciendum & retectum undiquaque, id quod tum demum maximè fit cùm ejus cervicibus inequitant. Certè apud Hesychium principem Grammaticorum τετραχηλισμένα exponitur γυμνά. Nam altera significatio τραχηλίζειν *demetere cervicem* non convenit huic loco. ¶ Τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ] Illud αὐτοῦ referendum est & conjungendum cum eo quod sequitur, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, hoc pacto, *Verbum Dei est efficax*, &c. *Et is de quo nobis est sermo*, Deus nempe, *omnium rerum conscius est, etiam arcanorum animi.* Non est ergò referendum ad λόγον Θεοῦ, quod antecessit.

15. Πεπειρασμένον κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, χωρὶς ἁμαρτίας] Tentationis varia sunt genera, inter quæ est tentatio illa quæ *afflictionis* dicitur: ea per doloris sensum peragitur. Adeò autem verum est tentationes esse quæ oriuntur ab afflictionibus, ut ipsa afflictio *tentatio* Antonomasticè vocetur 1 Cor. 10. 13. *Tentatio vos non cepit nisi humana*, &c. Et cap. 2. hujus Epist. Apostolus fidelium afflictiones non dubitavit *tentationes* appellare, siquidem afflictos eosdem *tentatos* dixit, vers. ult. imò & ipsum Christum afflictionibus *tentatum* prædicat. Verba ejus sunt, Ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι. Tum & hoc loco πεπειρασμένον κατὰ πάντα, &c. *tentatum* dicit *per omnia* Christum, nempe perpessionibus & doloribus. Illud verò χωρὶς ἁμαρτίας *sine peccato* duobus modis accipi potest, vel ut χωρὶς *absque* exceptionem notet; ut sit sensus, *Christum omnia genera tentationum expertum præter tentationem carnis, quæ eadem peccatum est.* Atque ità hunc locum interpretatus est Syrus Interpres: nam illud χωρὶς ἁμαρτίας reddidit סטר מן חטיתא, q. d. *seorsum à peccato*, h. e. excepto peccato; quâ significatione particula Græca χωρὶς non semel occurrit, ut Matth. 15. 38. χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων, & 2 Cor. 11. 28. χωρὶς τῶν παρεκτὸς *exceptis reliquis*. Vel etiam χωρὶς hoc loco significat *sine*, quomodo doctiss. Interpres accepit hanc vocem; ut sit hæc sententia, *Christus in omnibus tentatus est pari ratione ac nos, sine peccato tamen.* Nam in hac carnis nostræ infirmitate vix accidit ut afflictionibus tentemur sine peccato. Etsi enim non superet afflictio & vincat, facit tamen primo statim impetu ut cedamus, & etsi non prosternamur, attamen subsidamus & succumbamus veluti. Tentationes ab afflictionibus profectæ, quas Christus expertus est, non fuerunt ejusmodi: Christus enim nè minimùm quidem cessit loco. Contra nobis id ipsum evenit quod iis qui luctantur: etsi enim non continuò affligantur solo, neque verò prorsus cedant, vacillant tamen & titubant. Atque hæc interpretatio (quamvis & prior commodum habet sensum) eo juvatur, quòd postquam Apostolus dixit κατὰ πάντα *in omnibus*, addidit καθ' ὁμοιότητα *pari ratione*. Afflictiones enim & tentationes Christi hujus generis duobus modis cum nostris conferri possunt; primò in materia, ut ità loquar, ut Christus in eadem incurrerit quæ nos; deinde in vi & efficacia, ut quemadmodum nos afficimur dolore quoties hæc vel illa objiciuntur, Christus pariter acrem senserit dolorem. Prius illud significavit Apostolus dicto κατὰ πάντα, posterius significasse videtur dicto καθ' ὁμοιότητα. Jam verò quia vis afflictionum non modò est in doloris sensu, sed etiam in peccato in quod impellimur vi doloris, addendum fuit in hac similitudine afflictionum Christi & nostri, eum modum esse observandum ut nè ullam peccati labem Christo adspergamus. Tentatus fuit igitur Christus *in omnibus*, & quidem, quod ad sensum doloris attinet, *eâdem ratione* quâ nos, *sine peccato* tamen: quod nobis haud contingit si quando cum rebus adversis conflictamur. Nam (utamur enim hoc exemplo) quantumvis aquam puram & limpidam exagites, non fit turbida; sed si aquam puram quidem, ut videtur, sed in cujus ima parte cœnum est vel limus, agitaveris, continuò quæ visa est pura aqua videtur lutulenta, aut certè turbidula. Porrò cùm Christus dicitur *tentatus in omnibus*, nè putemus Christum speciatim & sigillatim perpessum ea omnia quibus miseri mortales obnoxii sunt, (ea enim sunt infinita) sed hoc accipiendum est (ut loquuntur in Scholis) latâ significatione.

JAC. CAPPELLUS.

1. **T**\]*Imeamus ergò*\] Timere nos aliquando vetat Deus, aliquando jubet. Est videlicet duplex Timor, prior diffidentiæ, alter reverentiæ. Priorem, ut vitiosum & Deo contumeliosum, *perfecta charitas excludit* 1 Joh. 4. 18. Alter, reverentiæ scilicet timor, utpote laudabilis & Deo gratus, nec charitatem excludit, nec excluditur à charitate. Quin potiùs quò magis in charitate proficimus, eò magis in nobis minuitur meticulosa diffidentia & crescit religiosus timor.

Res est solliciti plena timoris amor,

inquit Ovidius, de vitioso amore loquens. Id longè veriùs dici potest de nostro erga Deum amore: Paritis omninpiam sollicitudinem & religiosum metum offendendi eum quem fides & conscientia nobis dictat esse tot nominibus tam amore quam reverentiâ dignum. ¶ *Nè forte relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus existimetur aliquis ex vobis deesse*] Erasmus & Beza, *videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus.* Malim *comperiatur.* Quidam cod. habent ἐξ ἡμῶν. Τὸ ὑςερηκέναι petitum est à cursu, in quo qui postremus attingit metam excidit spe præmii. Potest autem quivis, etiam electus, excidere, quatenus peccator, quales sumus omnes; sed quatenus electus excidere non potest, h. e. contingere non potest ut excidat, quia nè prorsus ac finaliter excidat prospicit electio Dei, tam constans in proposito quàm gratuita.

2. *Nam & nobis nunciatum est, quemadmodum & illis*] Tum iis videlicet qui sub Mose, tum iis qui sub Davide vixerunt. Ut igitur illis sic & nobis facta promissio ingressûs in requiem Dei, si modò fide verâ promissionem illam complectamur. Hæc promissio summam Euangelii continet. Cùm igitur Marc. 1. 1. dicitur *Principium Euangelii Jesu Christi*, non vult Marcus simpliciter tum demum prædicari cœpisse; sed tum demum à Christo vel ab ejus anteambulone Johanne prædicari cœpisse, adeoque prædicari tum cœpisse, non, ut olim, typicè, sed remotis typorum ænigmatis. Alioqui continuò post Adami lapsum prædicari cœpisse, patet I. ex promissionibus Euangelii summam continentibus & adumbrantibus factis Adamo, Gen. 3. 15. Noæ, Gen. 9. 9. Abrahamo, Gen. 12. 1. & 15. 1. reliquisque Patriarchis & Prophetis. II. ex fide, quâ præditos fuisse Patres illos docet Apostolus Hebr. 11. Fides autem cùm sit *ex Euangelii auditu*, Rom. 10. 17. Euangelium quoque jam tum cœpisse necesse est. III. ex salute quam consecuti sunt Enoch, Elias, aliique sancti viri. Hanc salutem æternam qui Patriarchis ac Prophetis negant, docent se Sadducæos potiùs quàm Christianos esse. ¶ *Sed non profuit illis sermo auditus*] Syrus & Arabs, *sermo quem audiverunt.* Ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς Antonomasticè vocatur Euangelium, quo modo libri Canonici vocantur Antonomasticè Βιβλία, מקרא, *Scriptura.* Adeoque Metonymicè dicitur ἀκοὴ *auditus* Esa. 53. 1. Rom. 10. 16. Joh. 12. 38. *Quis credidit auditui nostro?* h. e. *sermoni auditûs*, Euangelio. Etsi verò nihil prosit prædicatio nisi fides audientis accedat, non propterea pendet electio Patris cœlestis ab hominum arbitrio, quia Deus, qui corda scrutatur & regit, voluntates electorum ità movet ac sanctificat ut non possit illis inutilis esse prædicatio fœderis Euangelici. *Auditus* autem Verbi cùm nobis commendatur, non propterea damnatur ejus lectio cùm alibi lectio disertè commendetur, Joh. 5. 39. Apoc. 1. 3. Deut. 17. 19. Damnantur igitur tam hi qui lectionis obtentu negligunt auditum quàm qui auditûs obtentu lectionem prohibent, ut Pontificii, apud quos populi maxima pars Dei verbum nec unquam audit nec unquam legit, præter lacinias quasdam, easque ut plurimùm ignotâ audientibus linguâ demurmuratas. ¶ *Non admistus fidei ex iis qui audierunt*] Sic constanter legunt codices V. Interpretis, quasi legerit τοῖς ἀκουσθεῖσι, cùm tamen Græci cod. constanter legant τοῖς ἀκούσασι. Sed in eo variant exemplaria quòd quædam legunt μὴ συγκεκραμένους, pleraque verò μὴ συγκεκραμένος, quæ licèt sit vera lectio, potest tamen etiam reliquis lectionibus commodus ac verus aptari sensus: quod hujusmodi varietatibus passim occurrere monuimus cap. 3. 9. Igitur si legas συγκεκραμένους, tum dixerim hic τοῖς ἀκούσασι sumi pro τοῖς ὑπακούσασι. *Non profuit igitur illis sermo auditus qua non fuerunt commixti per fidem iis qui obedivérunt.* Videlicet fides ità nos unit acsi commisceretur alter alteri, quomodo varia tritici grana commiscentur inter se ut fiant unus panis. 1 Cor. 10. 17. Ordinaria Glossa Vulgatam versionem ità παραφράζει, *Ut sermo & fides simul jungerentur, propter hæc quæ audierunt ab exploratoribus*, Chalebo scilicet & Josua. Syrus & Arabs, *Quia non fuit commixtus fidei ab illis*, (vel *apud illos*) *qui audierunt illum.* Nos lectionem Græcam magis receptam ut magis probamus sic ità potiùs explicandam censemus, *quia non fuit admixtus per fidem iis qui audiverunt*, ut τῇ πίστει ponatur pro διὰ τῆς πίστεως. Videlicet Dei sermonem tam avidis auribus haurire debemus, ità penitus imbibere, ut non secùs ac insitùs immixtusve nobis de pulmone nostro revelli nunquam possit.

3. *Ingredimur enim in requiem ejus nos qui credidimus*] Sic & Arabs. At Erasmus, Beza, Syrus, *ingredimur.* Sanè vox Græca propriè significat *ingredimur.* Sed vidit V. Interpres præsens sæpe sumi pro paulo pòst futuro; ut Luc. 22. 20. Matt. 26. 28. ubi V. V. vertit *effundetur*, cùm in Græco sit *effunditur.* Sic Gen. 18. 17. Apostolus autem hic utens præsenti tempore, docet non tantùm temporis intermedii brevitatem sed etiam eventûs certitudinem ἀμετάπτωτον, ex hypothesi scilicet ordinationis Divinæ. Ergone fides nos introducit in requiem Dei? Introducit sanè, quia nonnisi credentibus patet illa requies, quemadmodum & solis incredulis occluditur: Sed non propterea suo merito cœlum aperit, quo modo infidelitas suo merito cœlum occludit. ¶ *Quemadmodum dixit, Sicut juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam*] Hæc verba propriè quidem & per se sunt comminatoria, sed ex consequenti promissionem etiam includunt. Quippe David incredulis ingressum in requiem patere negans, docet nulli verè credenti requiem illam occludi. Sic licèt non abs re tam à nobis quàm à Judæis mandata dividantur in Affirmativa & Negativa, tamen quævis jussio prohibitionem, quævis prohibitio jussionem aliquam includit. Id postulant leges Consequentiarum; quarum usum à Scriptura qui volunt eliminare, ii Scripturæ nervos incidunt, & nobis oculos effodiunt, ut Philistini Samsoni, quò faciliùs & nobis & rebus Divinis illudant. ¶ *Et quidem operibus ab institutione mundi factis*] q. d. Cùm ingressum in requiem Dei neget David infidelibus Psal. 95. tot annis post obitum Josuæ, tot seculis post sextiduum Creationis, quâ peractâ Deus ab operibus suis dicitur quievisse, sequitur tertium aliquod quietis genus à Davide designari, quod à præcedentium utroque fuit figuratum.

4. *Dixit enim* (h. e. *dicitur*, ut suprà monuimus in c. 1. 5.) *quodam loco* (nempe Gen. 2. 2.) *de die septima sic, Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis*] h. e. Cùm sex diebus creasset omnia quæ sunt usquam in cœlis aut in terra, septimo cessare cœpit à novarum specierum creatione. Alioqui *non lassatur, non defatigatur Dominus* Esa. 40. 28. Sed nec otiatur. *Pater*, inquit Christus Joh. 5. 17. *huc usque operatur, & ego operor*, regens scilicet & *portans omnia præpotenti suo verbo*, Heb. 1. 3. Hanc providentiæ vim indefessam ac pervigilem agnoscunt etiam Ethnici. Maximus Tyrius Orat. 5. οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς σχολὴν ἄγει. ἢ γὰρ ἂν ἐπαύσατο καὶ οὐρανὸς περιφερόμενος, καὶ γῆ τρέφουσα &c. ἀλλ' ἡ Διὸς πραγματεία ἄτρυτος οὖσα καὶ διηνεκὴς καὶ ἀκοίμητος, καὶ μηδέποτε ἀπαγορεύουσα μηδὲ ἐπαναχωροῦσα τοῦ ἑαυτῆς ἔργου, ἀέναον χορηγεῖ τὴν σωτηρίαν τοῖς οὖσι. Hinc ergò refellas licet 1. Epicurum, qui Deo veternum otiosum affingit; 2. Aristotelem, cùm æternitatem Mundo tribuit; 3. Basilium, aliosque Patres, cùm dicunt Angelos multis ante sextiduum seculis creatos; 4. Anthropomorphitas, ad literam sumentes ea quæ de Deo dicuntur ἀνθρωποπαθῶς. Quies autem quâ Deus opere Creationis absoluto quievisse dicitur potest esse typus illius quietis quâ Christus absoluto nostræ Redemptionis opere quietem laboribus suis dignam nactus est; ut hæc inter alias causa sit cur observatio Sabbati cum reliquis ceremonialibus typis antiquata sit.

5. *Et in isto* (Psalmo 95.) *rursus, Si introibunt in requiem meam*] Quasi dicat Psaltes, *Vos quidem increduli non introibitis in requiem meam, sed in eam introibunt fideles.* Quandonam autem requiem illam ingrediantur docetur Apoc. 14. 13. ἀπάρτι videlicet, *amodo, jam nunc*, ipso momento quo moriuntur in Domino. Architecti verò Purgatorii, cùm flammis eos addicunt ad aliquot annos aut secula, jubent eos in Phalaridis tauro quiescere, ac dicere, *Quàm suave est!* prout dicturum Sapientem somniabant insanientes sapientiæ consulti. Ante mortem sunt inquieti fideles, non tantùm quòd cum ærumnis sed & quòd cum cupiditatibus suis est illis perpetuò luctandum. Quod & agnoscunt Judæi. Rabba in Genes. § 9. *Toto tempore quo justi vivunt, pugnant adversus* יצר *figmentum suum.*

6. *Quoniam ergò superest introire quosdam in illam*] Non quòd *Ei*, *Si*, sumatur affirmativè potiùs c. 4. 5. quàm c. 3. 11. Nam utroque loco citatur unus & idem versus Psalmi 95. Non potest autem unum idemque vocabulum uno eodemque loco sumi simul affirmativè & negativè; sed hanc conclusionem elicit Apostolus ex rationis rectæ legibus, quæ contrariorum esse consequentia docent. Et præterea, cùm Deus nihil faciat frustrà, solennis Mosis legatio quâ totus Israel invitatus est ad ingressum in requiem Dei, docet Deum sibi proposuisse numerum aliquem insignem in requiem illam introducere. ¶ *Et iis quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem*]

Erasmus

Erasmus & Beza, *quibus priùs annunciatum est.* Arabs, *quibus priùs euangelizatum est*, ut suprà v. 2. Adverbium hoc *prius* non est sumendum ἁπλῶς, sed secundùm quid, eorum respectu quibus postea facta est promissio. Nam si quæras quinam sint simpliciter & absolutè *primi quibus Euangelium annunciatum est*, ii sunt Adam & Eva, sed iis quos Moses eduxit ex Ægypto *priùs annunciatum est* Euangelium quàm iis quos Josue in terram cis Jordanem sitam introduxit.

7. *Iterum terminat quendam diem*, (h. e. seculum aliquod) *Hodie, in David* (h. e. per Davidem, Hebræorum more) *dicens, post tantum temporis* (videlicet CCCXCVI. annis post Jordanis transitum) *quemadmodum dictum est* (suprà 3. 7.) *Hodie, si vocem ejus audieritis nè obduretis corda vestra*] Discimus 1 Cor. 10. 6. ea *quæ contigerunt Israëlitis* sub Mose *fuisse figuras* eorum quæ contingere debebant Judæis quibus prædicavit Christus, quemadmodum ipse Moses fuit figura Christi. Ut igitur eorum quibus primùm prædicavit Moses exclusio à requie Patribus promissa fuit documentum, beneficium istud alteri generationi destinatum esse; sic eorum quibus primò prædicavit Christus exclusio à requie longè præstantiore fuit documentum, esse generationem aliam cui destinetur ingressus in requiem illam longè felicissimam. Utrobique vides quàm sæpe contingat ut alii serant, alii metant.

8, 9. *Nam si eis Jesus* (h. e. Josue) *requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac requie. Itaque relinquitur Sabbatismus aliquis populo Dei*] q. d. Si promissionum Euangelicarum quæ Patriarchis factæ fuerant complementum integrum à Josua, vel sub Josua, fuisset præstitum, non fuisset nobis à Davide tot seculis post Josuam designatum seculum aliquod cui κατ' ἐξαίρετον conveniat Psalmi 95. denunciatio. Seculum autem illud est seculum Apostolorum.

10. *Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus*] Hactenus docuit Apostolus novam nobis exspectandam esse requiem longè digniorem ea quam sub Josua consecuti sunt Israëlitæ: nunc docet cur requies illa vocetur *requies Dei*. Hujus nuncupationis multæ quidem assignari possunt causæ: 1. quòd à Deo donetur; 2. quod nos faciat Dei participes; 3. quòd à Christo, qui verus est Deus, nobis sit acquisita. Sed Apostolus hîc maluit aliam causam nobis proponere, similitudinem videlicet aliquam inter requiem quam nobis largiturus est Deus & requiem quam Scriptura Deo tribuit Gen. 2. 2. ut scilicet sciamus, quietis æternæ, quam exspectamus, typum fuisse non tantùm quietem quam debellata Chananæâ consecuti sunt Israëlitæ, sed & illam quæ tribuitur Deo Gen. 2. 2. *Quies* autem opponitur *operi*, opponitur & *labori*, Deo cùm propriè non conveniat labor, Quies quæ Deo tribuitur non opponitur Labori, sed Operi. Nobis verò cum conveniat non minus labor quàm opus, Quies quam nobis pollicetur Deus opponitur tam Labori quàm Operi. Rabba in Gen. 5. 10. vult etiam *laborem* Deo tribui, cùm Deo tribuitur *quies*, ut tantò detestabilior sit impiorum perversitas cùm opera Dei subvertunt aut profanant, utque tantò commendabilior nobis sit piorum industria cùm exornandis ac prædicandis Dei operibus incumbunt. Sed ibidem Judæi ipsi agnoscunt hæc impropriè & ἀνθρωποπαθῶς dici. Sic enim ajunt §. 12. *Non cum labore, non cum lassitudine creavit Deus hunc orbem.* Propriè verò Deo convenit ut opus quoddam, sic & à quodam operis genere cessatio. Opus quod Deo propriè convenit, & quidem soli Deo, est Creatio novarum specierum. Opus hoc absolvit sextiduo. Sequens dies quieti destinatur, quia reliquum omne tempus destinatur cessationi à novarum specierum creatione. Opus quod Homini, quod creaturæ convenit, & quidem creaturæ soli, est Peccatum. Ab hoc opere jam nunc cessare debemus, quantum in nobis est; sed ab eo revera cessabimus, & quidem in æternum & perfectè, ubi vitæ nostræ curriculum, quasi septimanæ sextiduum aliquod, absolverimus. Rursus labor quem hoc sextiduo currente exantlandum habemus est Pœna peccati, & Fidei nostræ probatio. Ab his laboribus hîc quidem ferias aliquas nonnunquam largitur nobis Deus; sed subindè recurrunt ærumnæ novæ perferendæ, cruces novæ bajulandæ. Tum demum plena quies nobis est exspectanda ubi peracto vitæ nostræ sextiduo pervenerimus ad beatum illum æternumque Sabbatismum quem crucis suæ merito nobis peperit Christus.

11. *Festinemus ergò* (meliùs Beza, *Studeamus*) *ingredi in illam requiem*] h. e. Inire viam illam, ac indies progredi in illa via, quæ nos ad cœlestem requiem est perductura. Ea vero via est Fides in Christum, qui dicit, *Ego sum via, veritas & vita.* Festinandum, inquam, ad metam, non ad mortem ipsam; ad quam nec præcipiti nec propero cursu festinandum, sed ità comparandus animus ut

Summam nec metuas diem, nec optes.

Non est quòd illam adeamus: illa nos ultro nec opinantes est aditura. Faxit Deus nè nos aliò properantes & frustra fugitantes opprimat improvisa. At interim dum ad nos veniat hæc ultima rerum hujus seculi linea, videndum ut Vitæ non Mortis viam ineamus, idque gradu non præcipiti sed diligenti, μηδὲν ἀναβαλλόμενοι, nunquam εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα comperendinantes, sed nec unquam confuso pavori vel inconsideratæ præcipitationi locum dantes, memores illius Græci proverbii, Σπεῦδε βραδέως, sed imprimis illius dicti Prophetici Esa. 28. 16. *Qui credit, non erit præceps*, eoque nec confundetur. ¶ *Ut ne in id ipsum incidat quis incredulitatis exemplum*] h. e. Nè, si segnitiem ac rebellionem Judæorum, qui Mosi restiterunt, imitemur, in eandem cum illis perniciem incidamus, eamque sempiternam. Chrysostomus, *Si nè terrenam quidem requiem adipisci potuerunt qui murmurarunt aut scortati sunt in deserto, quo modo nos cælo dignabitur Deus si vivamus inconsiderate?*

12. *Vivus est enim sermo Dei*] Hactenus cohortationes & argumenta cohortationum ex Psalmo 95. petita. Sequuntur aliæ rationes ad constanter retinendum veram in Christum fidem: quòd scilicet sit ille 1. *vivus Dei sermo*, 2. *summus Pontifex*, v. 14 Apoc. 19. 13. *Nomen ejus vocatur* SERMO DEI. Aliàs simpliciter Λόγος, Joh. 1. 1. Is à plerisque Patribus ut & à Vet. Interprete solet nuncupari VERBUM. Sed hic ab eo vocatur SERMO. Tertullianus utroque modo vertit. Nam in libro De carne Christi, *Verbum, inquit, caro factum est.* Adversùs Praxeam verò c. 17. *Sermo caro factus est*: & cap. 3. dicit, etiam *Rationem* posse verti, idque meliùs, ut quidem ipse putat. ¶ *Et efficax*] Est quidem etiam προφορικὸς λόγος ἐνεργὴς, sed ideo quia verbum est hujus ἐνυποστάτου Λόγου viventis & vivifici Sermonis. ¶ *Et penetrabilior omni gladio ancipiti*] Sic Apoc 1. 16. dicitur *ex ore Christi* prodire ῥομφαία δίστομος ὀξεῖα. Eo gladio *gentes percutere* dicitur Apoc. 19. 15. prout Esa. 11. 4. & 2 Thess. 2. 8. dicitur Christus *improbum oris sui spiritu conficere*, tum quòd conscientias redarguat Christi verbum, utut ac illis fastidiosè rejectum, tum quòd ex hoc ipso verbo sententiam laturus sit Christus adversùs reprobos in ultimo Judicio. Hîc autem *gladius anceps* dicitur, non quòd amphibologiis fallacibus illudat hominibus Christus, ut ὁ Λοξίας, sed quòd in eo nihil sit obtusum. ¶ *Et pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus*] Cùm Scriptura ψυχὴν πνεύματι opponens, *animam* à *spiritu* distinguens, soleat *animam* usurpare pro *carne*, ut *animalis homo* sit idem quod *carnalis* 1 Cor. 2. 14. nihil video quod hîc quoque magis conveniat. Homines nè distinguere quidem possunt inter affectus *animales* & *spirituales*: Christus autem non internoscit tantùm, sed & *separat* hos ab illis, ut carnalem illam *animam*, naturæ scilicet nostræ depravationem, aboleat indies, *spiritum* autem magis ac magis vivificet. Sed nec quidquam obstat quò minùs hîc & 1 Thess. 5. 23. sumatur *anima* pro vegetativa vel sensitiva facultate, *spiritus* autem pro rationali substantia. Aliquando verò vox *anima* ψυχὴ significat idem quod πνεῦμα *spiritus*, Animam scilicet hominis propriè dictam, sive rationalem, ut Psalm. 103. 1, 22. Lucæ 1. 46. ¶ *Compagum quoque & medullarum*] q. d. Nihil est in nobis tam reconditum quò non penetret is qui nos novit intus & in cute, non tantùm ut pervideat omnia, sed etiam ut feriat, sive Medici sanantis, sive Judicis punientis affectu. ¶ *Et discretor cogitationum & intentionum cordis*] Est quippe Christus καρδιογνώστης, non ut explorator tantùm sed etiam ut Judex. OEcumenius, διακρίνει καὶ διακρίνων ἐλέγχει καὶ τὰς ἐνθυμήσεις αὐτάς.

13. *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus*] *Sermonis* videlicet illius quem superiore versu descripsit. Dicitur autem etiam Verbum enunciativum *judicare de nobis*, quia Judex ex lege judicat, & ipsâ legis promulgatione utitur ad terrorem hominibus incutiendum: at *videre* propriè dicitur non Lex, sed Judex. Quo fit ut totam hanc orationem tribuere malim essentiali quàm enunciativo Sermoni. Chrysostomus & OEcumenius hæc sic παραφράζουσι, *Quid dicam? homines illi notos esse? Nè creatura quidem ulla est qua latère possit aut fugere perspicaces illius oculos.* ¶ *Omnia autem nuda & aperta sunt in oculis ejus*] Ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἱερείων τῶν εἰς θυσίαν προσαγομένων, τῷ πολύφρονι γέγραπται Παύλῳ, inquiunt Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 94. Chrysostomus, & OEcumenius. Dicuntur autem intimæ victimarum partes τραχηλίζεσθαι cùm earum præcordia reteguntur; quia dissectionis initium fiebat à cervice, quæ τράχηλος dicitur. Τράχηλος aliquando quidem pro toto *collo* sumitur, sed Synecdochicè; propriè verò Jugulo opponitur, estque superior pars τῆς ῥάχεως, h. e. *spina dorsi*, à qua nomen accepit. Hæc autem Christo cùm tribuuntur, proponitur nobis ut verus & ὄντως Deus. Laudem hanc sibi Deus unus arrogat, ideoque Deus unus nobis invocandus. Cùm enim Oratio sit intimorum mentis

tis affectuum motus, cuinam competere poteſt hic honor niſi ei qui mentis intimos receſſus introſpicit, iiſque mercedem quam ipſi viſum eſt rependit? Id autem uni Deo tribuitur cùm aliàs, tum imprimis 1 Reg. 8. 39. Eleganter Seneca Ep. 83. *Quid prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? Nihil Deo clusum eſt. Intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit.* ¶ *Ad quem nobis eſt ſermo*] Sic Eraſmus & V. V. Id ſignificare poteſt, quem invocamus. Et ſanè Filius invocari poteſt, adeoque Sanctus quoque Spiritus, non minùs quàm Pater, quia tam tertiæ ſecundæque quàm primæ Trinitatis Perſonæ conveniunt hujus verſûs elogia. Viciſſim quia ſoli Deo conveniunt hujus verſûs elogia, ideo ſolus quoque Deus, ut ab Apoſtolorum veris majoribus, ſic & ab Apoſtolorum veris ſucceſſoribus, invocatur. Chryſoſtomus, ᾧ ἔχομεν δοῦναι εὐθύνας τῶν πεπραγμένων. Sic & Oecumenius, Syrus, Arabs, Aretius. Ordinaria Gloſſa, *Cui oportet nos reddere rationem de operibus noſtris.* Poteſt etiam πρὸς ὃν hic accipi pro περὶ οὗ, *de quo*; ut Heb. 1. 7. Ex tribus illis interpretationibus quamcunque ſeligas, hujus verſiculi clauſula docet, ut antecedentibus capitibus ſic duobus his verſibus 12, & 13. deſcriptam fuiſſe Chriſti dignitatem.

14. *Habentes igitur Pontificem maximum*] Hactenus Chriſto nos adhærere juſſit Apoſtolus v. 12, & 13. quòd ſit ὁ Λόγος, *Sermo Dei.* Deinceps ad eandem nos invitat conſtantiam quòd ſit ἀρχιερεὺς omnium longè *maximus.* Aaron, ejuſque ſucceſſor aliquando vocatur ſimpliciter כהן, ἱερεὺς, *Sacerdos*, ſed Antonomaſtice. Ἀρχιερεὺς contrà dicitur aliquando de quovis principe cujuſvis familiæ Sacerdotalis. Hujuſmodi verò familiæ fuerunt 24. ut patet ex 1 Chron. 24. 1. & ſeq. Hinc eſt quòd in Euangeliis ſæpe memorantur ἀρχιερεῖς, Matth. 2. 4. & 16. 21. & 20. 18. & 21. 15, 23, 45. & alibi paſſim. Hinc etiam eſt quòd horum XXIV. ἀρχιερέων primus vocatur ἀρχιερεὺς μέγας. Chriſto verò convenit hoc elogium eminentiore multò ratione quàm Kaiphæ, vel cuiquam mortali; quia mortales illi Pontifices ſolum terreſtre Sanctuarium conſperſo pecudis ſanguine ſanctificabant. Chriſtus vero cœleſte Sanctuarium ſanctificavit, idque ſuo ſanguine. ¶ *Qui penetravit cœlos*] Qui conſcendit ad ſummum cœlorum faſtigium. Inepti ſunt qui ex verbis iſtis exſculpere volunt dimenſionum penetrationem. Num etiam dimenſionum penetrationem aliquam confingemus quoties idem verbum διέρχεσθαι uſurpatur? Ut Matt. 12. 43. Marc. 4. 35. Luc. 2. 15, 35. & 8. 22. & 9. 6. & 11. 24. & 19. 4. Act. 8. 4, 40. & 9. 32, 38. & alibi paſſim. Hæc dimenſionum penetratio tragelaphus eſt confictus ad fulciendam ac ſubvehendam tranſubſtantiationis Pontificiæ chimæram. ¶ *Jeſum Filium Dei*] Interpretes non aſſequuntur emphaſim articuli Græci τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. Articuli repetitio docet hæc elogia ſumenda κατ' ἐξαίρετον, eo videlicet modo qui nulli convenit alteri. ¶ *Teneamus confeſſionem*] Quidam V. V. codices addunt *noſtræ ſpei.* Adjectionem hanc nec Græci cod. agnoſcunt, nec Syrus, nec Arabs. Ordinaria Gloſſa rectè ſic interpretatur, *fidem cordis cum oris confeſſione, ut fides ſit etiam in ore.*

15. *Non enim habemus Pontificem*] Hæc eſt occupatio. Poterat enim quis objicere, eo nobis opus eſſe Pontifice qui noſtrarum infirmitatum ſenſu poſſit affici: qui poſſit autem id ei convenire quem etiam Angelis & cœlis ſuperiorem eſſe dixit Apoſtolus? Reſpondet Paulus, Pontificis illius præſtantiam non obſtare quo minùs etiam miſeriarum noſtrarum ſenſu tangatur, cùm eas & ipſe ſit expertus. ¶ *Qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris*] In Græco quidem eſt συμπαθῆσαι. Aoriſti verò præteritum tempus deſignare ſolent, ſed & præſens aliquando complectuntur; ut Interpretes meritò per præſens reddiderint hunc aoriſtum. ¶ *Tentatum autem per omnia*] h. e. Qui cujuſvis generis infirmitates noſtras ſenſit, & per eas tentatus eſt ſive probatus. ¶ *Pro ſimilitudine*] Eraſmus, *juxta ſimilitudinem.* Beza, *ſimiliter.* Græcè καθ' ὁμοιότητα, videlicet ἡμῶν, h. e. eodem quo nos modo, vel in ea natura ſecundùm quam nobis ſimilis factus eſt. ¶ *Excepto peccato*] Infirmitatum noſtrarum aliæ ſunt εὐδιάβλητοι, *reprehenſibiles, affines culpæ*; aliæ vero ſunt ἀδιάβλητοι, *vitii, culpæ, peccati prorſus expertes.* Docet igitur Apoſtolus, Chriſtum expertum qualvis poſterioris generis infirmitates, primi nullas.

16. *Adeamus* ergò *cum fiducia*] Videlicet exauditionis, adeoque cum libertate petendi quidvis quod quidem pertineat ad Dei gloriam, aut ad ſalutem Eccleſiæ, vel noſtram. His enim aut cuiquam horum repugnans quidpiam ſi fortè petierimus per errorem, id nobis cùm recuſatur, debemus repulſam illam beneficio deputare, & petitiones omnes noſtras cum hac exceptione concipere, *ſi voluerit Deus, ſi judicaverit id ſuæ gloriæ ſaluti ve noſtræ convenire.* Intra limites iſtos concluſam orandi libertatem & exauditionis fiduciam complectitur vox Græca μετὰ παῤῥησίας. ¶ *Ad thronum gratiæ*] Nequis putet hujus παῤῥησίας obtentu ſibi patere viam ad effrænem licentiam aut ſuperbam de ſuis meritis præfidentiam, docemur ab hac fiducia nos deduci non in errorum devia, nec ad ſuperbiæ typhum, ſed *ad gratiæ Divinæ thronum*, ut cui referamus in ſolidum accepta omnia quæ poſtulamus aut jam accepimus beneficia. Viciſſim, nè nos abſterreant peccata noſtra, docet Apoſtolus hunc eſſe non judicii ſed *gratiæ* thronum. ¶ *Ut miſericordiam conſequamur & gratiam inveniamus*] Omnium videlicet beneficiorum hic unus fons eſt, quod dignatus eſt nos in Chriſto χαριτῶσαι *gratos ſibi reddere*, & nobis *gratiam facere*, h. e. peccata noſtra condonare. Prius agnoſcere debent etiam Angeli benedicti: poſterius agnoſcere debent ſaltem omnes homines electi præter unum Chriſtum, *in quo nos ſibi gratos fecit Deus*, & *propter quem* noſtri miſertus, *debita nobis omnia dimiſit*, Epheſ. 1. 6, 7. ¶ *In auxilio opportuno*] Meliùs Eraſmus & Beza, *ad opportunum auxilium.* Syrus & Arabs, *in tempore oppreſſionis.* Sæpe quidem auxilium differre, miſerias noſtras inſuper habere, vel etiam dormitare nobis videtur Deus. Præſtò tamen ſemper eſt auxilium ejus, & quidem in tempore, non cùm id maximè expetimus, ſed cùm id maximè nobis expedit. Id agnoſcebant adeoque prædicabant Ethnici Poëtæ, cùm in fabulis ſuis deſcribebant, acciſis, imò conclamatis rebus ſuppetias venientem, ὡς ἀπὸ μηχανῆς, ὡς ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς, Θεόν. Adeoque licèt ad obitum uſque differret ſuum ſubſidium Deus, tamen nè ſic quidem nobis videri deberet ſerum aut ἄκαιρον, ſed vel maximè εὔκαιρον, quia nunc ἔτι τὸ θέατρον συνέστηκεν, ἔτι ὁ ἀγὼν ἐνέστηκεν, ἔτι τὸ βραβεῖον μετέωρον, ut inquit eleganter Chryſoſtomus. Tum verò plenæ victoriæ, ſempiternæ coronæ tempus erit. Viciſſim videamus ut *ad gratiæ thronum accedamus* dum adhuc εὔκαιρός ἐστιν ἡ βοηθείας αἴτησις, antequam occludatur ὁ νυμφὼν, & omnis gratiæ ſpes æternum præcludatur: quod fit continuò poſt mortem. Cæterùm miraculoſo propitii Numinis auxilio cùm tunc imprimis indigeamus, ſperandum eſt non defuturam nobis in tempore præſentem & opportunam ejus opem. Quod faxit clementiſſimus ille Pater pro ſua erga nos in Chriſto miſericordia. AMEN.

LUD. CAPPELLUS.

9. Ἀπολείπεται σαββατισμός] Notum eſt *Sabbatiſmum* illum eſſe vitam æternam. Sic loquuntur & Judæi in Maſſecheth. תמיד de jugi ſacrificio, cap. ult. in fine capitis. Miſna ſic habet, *Die ſeptimo Levitæ canunt Pſalmum XCII. cui titulus eſt,* PSALMUS CANTICI PRO DIE SABBATI: *qui Pſalmus eſt Canticum* לעתיד לבוא ליום שכלו שבת מנוחה לחיי עולמים, *in futurum, pro die qui totus eſt Sabbatum, requies vitæ æternæ.*

12. Λόγος τοῦ Θεοῦ, τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν] Targum Cant. 3. 8. in hæc verba אחזי חרב, &c. ſic παραφράζει, *Sacerdotes*, inquit, *& Levitæ omneſque Tribus Iſraelis tenent univerſi verba Legis* דמתילין לחרבא *quæ comparantur gladio.* Quod illi de Lege, Apoſtolus de Euangelio longè meliore jure dixit.

13. Τετραχηλισμένα] Non rejicio illorum ſententiam qui volunt eſſe Metaphoram à Luctatoribus ductam, qui antagoniſtam tum dicuntur τραχηλίζειν cùm ejus collo veluti inequitantes eum ſpectatoribus nudum conſpiciendum præbent. Sed & aliam de ea voce proferam conjecturam. ערף Hebræis τράχηλον ſignificat: ab eâ voce Arabes verbum ערף deduxerunt, quod *ſcire, noſſe*, illis ſonat: quâ ſignificatione invenitur etiam apud Rabbinos, teſte Elia in Tisbi, & David de Pomis in Dictionario ſuo. Syris forſan idem ſignificavit. Forte Apoſtolus reſpiciens ad illam vocis ערף apud Arabas & Rabbinos ſignificationem, à voce Græca τράχηλος, quæ iſti Hebraicæ ערף reſpondet, fecit τραχηλίζω, novâ & incognitâ Græcis ſignificatione, pro *notum facio*, unde τετραχηλισμένα *nota, cognita*, Arabicè מערופה.

GROTIUS.

1. Φοβηθῶμεν οὖν, *Timeamus ergo*] Diximus ex Chryſoſtomi & aliorum ſententia non malè hæc poſſe connecti cum iis quæ ſupra 3. 15. ¶ *μήποτε καταλειπομένης ἐπαγγελίας εἰσελθεῖν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ δοκῇ τις ἐξ ὑμῶν ὑστερηκέναι. ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe*] *Ne cui veſtrûm libeat ſibi deeſſe, cùm relictum ſit vobis jus intrandi in ipſius requiem.* Δοκεῖν non ſemper eſt *videri*, ſed *pro libitu agere*, ut Matth. 3. 9. diximus. ὑστερεῖν τινος Græcè dicitur *cui aliquid deeſt* ad rem adipiſcendam, ut videre eſt Matth. 19. 20. & hic infra 12. 15. ἐπαγγελία καταλειπομένη [*pollicitatio relicta*] eſt *hereditas relicta*, quæ hereditas quia non ex Lege venit, ſed ex promiſſo, quaſi ex teſtamento Galat. 3. 29. ideo vocatur ἐπαγγελία [*pollicitatio*] per μετωνυμίαν [*Transnominationem*,] qualem in eadem voce habemus Act. 1. 4. Epheſ. 2. 12. pari modo κληρονο-

μεῖν ἐπαγγελίαν [*hereditare promissionem*] habemus infra 6. 12. Exponit autem per πρόσθεσιν [*Appositionem*] quæ sit illa *hereditas* sive *res promissa*, nempe *intrare in requiem Dei*, illam perpetuam atque perfectam, quæ respondet figuræ jam ante dictæ, & in sequentibus apertiùs explicabitur. καταλείπεσθαι [*relinqui*] de hereditate habes non tantùm apud Juris scriptores, sed & Psalm. 49 11. & Sirach. 11. 18.

2. *Καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, Etenim & nobis nuntiatum est*] Constructio Græca qualis Matth. 11. 5. Lucæ 7. 22. quæ passivum personæ facit etiam ex activo dativum regente: idque hic eò faciliùs procedit, quòd activum εὐαγγελίζω [*annuntio*] non tantùm cum dativo, ut Luc. 1. 19. 2. 10. & alibi, sed & cum accusativo construitur, ut Luc. 3. 18. *Lætum nuntium accepimus, promissionem egregiam.* ¶ *καθάπερ κἀκεῖνοι· quemadmodum & illis*] Suo scilicet modo. Illi de rebus terrenis promissa acceperant, nos de cœlestibus. ¶ *ἀλλ' οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνους, sed non profuit illis sermo auditus*] Λόγος ἀκοῆς קול שמועה [*vox auditionis*] Jerem. 10. 22. *Sermo ille longè lateque auditus nihil illis profuit.* ¶ *μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι. non admixtus fidei iis qui audierant*] Συγκεκραμένους [*admixtos*] non συγκεκραμένος [*admixtus*] habent Manuscripti non pauci: sed bona videtur lectio συγκεκραμένος [*admixtus*,] ut fides hic comparetur partibus humani corporis per quæ fit digestio & cibus in succum vertitur. Ita Lucas Medicus ex arte medica voces sumpserit. Sensus non dispar in Epistola Demosthenis ἡ δὲ τῶν λόγων πειθὼ τῆς τῶν ἀκουσόντων εὐνοίας προσδεῖται [*Indiget autem eloquentia benevolentia audientium*;] & apud Chrysostomum 2. adversùs Judæos, οὐδὲν γὰρ ὄφελος ἀκροάσεως ὅταν ἡ διὰ τῶν ἔργων ἐπίδειξις μὴ συμβαίνῃ τοῖς λεγομένοις [*Nec audisse juvat, nisi auditis vita respondeat.*] Potest tamen ferri & altera, hoc sensu, *ideo eis sermonem illum non profuisse, quia illi per fidem se non conjunxerant audientibus*, id est, obedientibus, nempe Josuæ & Calebo; sed semet separaverant, ut Core & Dathan, & postea alii: Ita ut occulta comparatione feriat hic scriptor eos qui Christianam ἐπισυναγωγὴν [*congregationem*] deserebant. Vide infra 10. 25. Hunc sensum videtur concepisse Chrysostomus.

3. *Εἰσερχόμεθα γὰρ εἰς τὴν κατάπαυσιν οἱ πιστεύσαντες, Ingredimur enim in requiem qui credidimus*] Præsens pro omni tempore. Et tunc *in requiem* Dei *intrarunt* credentes, fide nempe obediente, & nunc intrabunt. Manuscriptus habet εἰσερχώμεθα [*ingrediamur*] non malè. ¶ *καθὼς εἴρηκεν· quemadmodum dixit*] Deus scilicet, ut indicat locus citatus. ¶ *ὡς ὤμοσα ἐν τῇ ὀργῇ μου, εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου· sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*] Repetit verba quæ & supra habuimus 3. 11. sed ut ea aptet ad sensum sublimiorem. Et urget illud μου [*meam*,] ut ostendat quietem intelligi similem ei quâ Deus fruitur. ¶ *καίτοι τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων. & quidem operibus ab institutione mundi perfectis*] Est ὑποφορά [*Subjectio.*] Poterat enim aliquis auditâ *Dei quiete*, intelligere illam quæ rerum creationem subsecuta est, & cujus Adamus aliquo modo particeps fuit, sine ullo labore suaviter vivens. Ait ergo *opera Dei* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*ab institutione mundi*,] id est, statim à Mundo condito *fuisse facta*. Non ergo de illa quiete egit Deus; cùm dixit tanto post tempore *illos refractarios in suam quietem non intraturos*. ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*ab institutione mundi*] hic designat tempus illus sex dierum in Genesi descriptum. Similitudo deducta ab ædificio, ut Matth. 13. 35. 25. 34. Luc. 11. 50. infra 9. 26. Apocal. 13. 8. 17. 8. Nam istis in locis καταβολὴ κόσμου [*institutio mundi*] ita sumitur; ut & ultimum opus, id est, hominis creatio comprehendatur.

4. *Εἴρηκε γάρ που περὶ τῆς ἑβδόμης οὕτω. Dixit enim in quodam loco de die septima sic*] Non solebant Judæi loci librum & caput nominare: quia à prima ætate ita scriptis istis assueverant, ut quisque auditis verbis locum nosset: ideo satis habuit dicere που [*quodam in loco.*] Eleganter autem more Judæorum Alexandrinorum & quorundam in Syria ἑλληνιζόντων [*Græcè loquentium*] Sabbatum vocat τὴν ἑβδόμην [*septimam*] ut Philo plurimis in locis. ¶ *Καὶ κατέπαυσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ. Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis*] Ex Græco Genes. 2. 3. Illud ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ [*die septima*] abest in Manuscripto.

5. *Καὶ ἐν τούτῳ πάλιν, Et in isto rursum*] Id est, *in isto quem jam prædixeram loco*, iterum quietis & quidem suæ mentionem facit, differentis ergo ab illa prima. ¶ *Εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου. Si introibunt in requiem meam*] Repetit verba supra posita 3. ut ostendat de illa illico post creationem quiete non agi.

6. *Ἐπεὶ οὖν ἀπολείπεταί τινας εἰσελθεῖν εἰς αὐτήν, Quoniam ergo superest introire quosdam in illam*] Quandoquidem igitur alia est quies in quam homines à Deo sunt introducendi. ἀπολείπεται, *restat*, sive *futurum est*, ut infra 9. 10, 26. τινὰς, αὐτὴν [*illam*] hic totum genus significat. ¶ *καὶ οἱ πρότερον εὐαγγελισθέντες, & ii quibus prioribus annunciatum est*] Illi qui ex Ægypto exierant & quibus promissa fuerat requies, sed sub conditione. Supra 2. ¶ *οὐκ εἰσῆλθον δι' ἀπείθειαν, non introierunt propter inobedientiam*] Propter inobedientiam excidêre promisso.

7. *Πάλιν τινὰ ὁρίζει ἡμέραν, σήμερον, Iterum terminat diem quendam, hodie*] *Designare* ait in Psalmo, mysticè scilicet, tempora Messiæ; de quo mystico sensu constabat inter Judæos. ὁρίζει, *designat.* ¶ *ἐν Δαβίδ, in David*] *Per Davidem.* Judæi Psalmos, qui nomen aliud adscriptum non habent, citant sub *Davidis* nomine: Abenesdra in præfatione ad Psalmos. Et in Græco Psalmus iste inscriptum habet, Αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαβίδ [*laus Cantici ipsi David.*] ¶ *λέγων, μετὰ τοσοῦτον χρόνον, καθὼς εἴρηται, dicendo, post tantum temporis, sicut dictum est*] Annis quingentis aut amplius post illam historiam quæ est in Numeris· καθὼς εἴρηται [*sicut dictum est.*] ut jam attigimus supra 3. 7. in Manuscripto clariùs, καθὼς προείρηται [*sicut supra dictum est.*]

8. *Εἰ γὰρ αὐτοὺς Ἰησοῦς κατέπαυσε, Nam si eis Jesus requiem præstitisset*] Id est, Si illa plena ac perfecta fuisset quies quæ iis per *Jesum* sive *Josuen* filium Nuni evenerat. *Josue* & *Jesus* idem est nomen. Vide quæ dicta ad Matth. 1. 21. & Act. 7. 45. ¶ *οὐκ ἂν περὶ ἄλλης ἐλάλει μετὰ ταῦτα ἡμέρας. nunquam de alia loqueretur posthac die*] Nempe in sensu sublimiore. Majus aliquid latebat, inquit. *Dies* hic est tempus. Jam autem diximus convenisse inter Judæos agi hic de Messiæ temporibus.

9. *Ἄρα ἀπολείπεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei*] Aliqua major quies indicata per Sabbatum, quod *quietem* significat. A voce σαββάτου [*Sabbati*] est σαββατίζειν, *celebrare Sabbatum*, quâ utitur Justinus & alii. Inde σαββατισμὸς [*sabbatismus*,] *Dei quies* est, ut Philo explicat de Caino, ἡ ἄνευ κακοπαθείας μετὰ πολλῆς εὐμαρείας ἀπονώτατος ἐνέργεια [*actus tranquillissimus labore carens & molestia*] & addit οἰκειότατον μόνῳ Θεῷ τὸ ἀναπαύεσθαι [*requiescere soli Deo propriissimum*,] Ad hujus quietis participationem perducet nos resurrectionis dies. Interim & in hac vita est ejus gustus aliquis, tum in pace conscientiæ, tum in libertate à ritibus Judaicis: & post hanc vitam ante resurrectionem in statu illo animarum qui describitur Apocal. 14. 13.

10. *Ὁ γὰρ εἰσελθὼν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὥσπερ ἀπὸ τῶν ἰδίων ὁ Θεός. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.*] Philo Allegoriis, Κατέπαυσεν οὖν τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ ὧν ἐποίησε, τοῦτο δ' ἐστὶ τοῦτο. τὰ θνητὰ γένη παύεται πλάττων ὁ Θεός, ὅταν ἄρχηται ποιεῖν τὰ θεῖα, καὶ ἑβδομάδος φύσει οἰκεῖα. ἡ δὲ πρὸς τὸ ἦθος ἀπόδοσις τοιαύτη, ὅταν ἐπιγίνηται τῇ ψυχῇ ὁ κατὰ ἑβδομάδα ἅγιος λόγος, ἐπέχεται ἑξὰς, καὶ ὅσα θνητὰ τουτὶ ποιεῖν δοκεῖ. [*Itaque quiescere fecit diem septimum ab operibus suis, quæ fecit, id autem est hujusmodi; mortalia hæc fingere desinit Deus, cum divina & septenarii naturæ convenientia facere incipit. Ad mores porro hoc modo pertinet: simulatque sancta illa ratio, quæ septenarii naturam habet, animam intravit, senarius & quæ ei cognata sunt mortalia omnino coërcentur.*] Et postea, Αἰτία δ' ἣν εὐλογιστός τε καὶ ἅγιος γέγονεν ὁ κατὰ τὸ ἕβδομον καὶ τέλειον φῶς ἄγων αὐτός, ἐπεὶ ἐν ταύτῃ τῇ φύσει παύεται ἡ τῶν θνητῶν σύστασις. καὶ γὰρ οὕτως ἔχει· ὅταν ἀνατείλῃ φέγγος τῆς ἀρετῆς, τὸ λαμπρὸν καὶ θεῖον ὄντως, ἐπέχεται τῆς ἐναντίας φύσεως ἡ γένεσις [*Causa redditur ob quam benedictus sanctusque factus sit, qui juxta septimam perfectamque lucem degit, quandoquidem in hac natura desinit rerum mortalium compositio. Nam ita se res habet, ubi clarus ille, vereque Divinus splendor virtutis exoritur, cessare facit generationem naturæ contrariæ.*] Idem de Sacrificiis Caini & Abelis, ἑορτὴ γὰρ ψυχῆς ἡ ἐν ἀρεταῖς εὐφροσύνη τελεία [*Festus enim animæ dies est perfecta lætitia juncta virtuti.*] Et libro, Deum esse immutabilem, Ὁ γὰρ τεταγμένος Θεῷ μόνῳ Σαμουὴλ, ἄλλῳ δὲ τὸ παράπαν συνὼν μηδενὶ, κατὰ τὸ ἓν καὶ τὴν μονάδα τὸ ὄντως ὂν κεκόσμηται. αὕτη δὲ ἡ κατάστασίς ἐστιν ἑβδομάδος ἀναπαυομένης ἐν Θεῷ ψυχῆς, καὶ περὶ μηδὲν τῶν θνητῶν ἔργων ἔτι πονουμένης, κατὰ ἀπόλειψιν ἑξάδος [*Samuel enim in solum Dei ministrorum ordinem adscitus, nemini præterea serviens, ab uno & ente honestatur: qui status est septenarii animæ in Deo requiescentis, & nullis mortalibus occupatæ negotiis: cùm senarium à tergo reliquerit.*] Clemens Strom. 6. ἡ ἑβδόμη τοίνυν ἡμέρα ἀνάπαυσις κηρύσσεται, ἀποχὴ κακῶν ἑτοιμάζουσα τὴν ἀρχέγονον ἡμέραν τὴν τῷ ὄντι ἀνάπαυσιν ἡμῶν, ἣν δὴ καὶ πρώτην τῷ ὄντι φωτὸς γένεσιν ἐν ᾧ τὰ πάντα συνθεωρεῖται

καὶ

καὶ πάντα κληρονομεῖται. ἐκ ταύτης τῆς ἡμέρας πρώτη σοφία καὶ ἡ γνῶσις ἡμῖν ἐλλάμπεται [*Septimus ergo dies dicitur quies, abstinentia à malis, præparans illum primarium & ex quo cuncta orta sunt diem, qui est verè nostra quies, qui quidem prima quoque est revera lucis generatio, in qua omnia simul & cernuntur & possidentur. Ex hoc die prima nobis sapientia & cognitio illuxit.*] Liber qui dicitur θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς [*ad Arithmeticam Theologica*] ubi de Heptade agit, *καθοσιωτέον δὲ τῆς λεγομένης εὐδαιμονίας ἀπολαύσει* [*Beatitudinis fruitioni consecranda est.*] Utitur autem hic scriptor verbo ἀορίςῳ [*aoristi,*] non tantum quia futurum illud certissimum est, verùm etiam quia in hac ipsa vita, ut jam diximus, quidam ejus quietis gustus datur.

11. *Σπουδάσωμεν οὖν εἰσελθεῖν εἰς ἐκείνην τὴν κατάπαυσιν· Festinemus ergo ingredi in illam requiem*] *Demus operam ut ad summam illam futuri seculi tranquillitatem perveniamus.* Rebus aliis omissis hoc agamus. ¶ *ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ τις ὑποδείγματι πέσῃ τῆς ἀπειθείας. ut ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum*] *Hoc ideo*, inquit, *dico, ne quis vestrûm incidat inobedientiam talem, qualis illi exemplum dedere.* Nam ὑπόδειγμα [*exemplum*] dicitur illud *quod viam aliis monstrat*, ut videre est Sirach. 44. 15. 2 Maccab. 6. 28, 31. Joh. 13. 15. infra 8. 5. 9. 23. Jac. 5. 10. 2 Petri 2. 6. Est ergo ὑπαλλαγὴ [*casuum permutatio,*] ὑποδείγματι τῆς ἀπειθείας [*exemplum incredulitatis*] pro τῇ ἀπειθείᾳ τῇ ἐν ὑποδείγματι [*incredulitatem quæ est in exemplo.*] Dictum est Hebræorum סימן לבנים אבות [*signum quod sequuntur filii sunt parentes.*]

12. *Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ καὶ ἐνεργὴς, Vivus est enim sermo Dei & efficax*] Id est, *agens perpetuò ut ea quæ vivunt.* Convenit hoc omni verbo Dei, sed præcipuè Euangelico. Vide Psalm. 105. 19. 107. 20. 147. 15, 18. Esai. 40. 8. 55. 11. 1 Petr. 1. 23, 24. Fieri potest ut respiciatur ignis qui erat in altari victimarum. ¶ *καὶ τομώτερος, & penetrabilior*] Planè idem dicit Philo de Herede rerum divinarum, *Ἵνα τὸν ἀδίδακτον ἐννοῇς Θεὸν τέμνοντα τάς τε τῶν σωμάτων καὶ τῶν πραγμάτων ἑξῆς ἁπάσας ἡρμόσθαι καὶ ἡνῶσθαι δοκούσας φύσεις, τῷ τομεῖ τῶν συμπάντων αὐτοῦ λόγῳ, ὃς εἰς τὴν ὀξυτάτην ἀκονηθεὶς ἀκμὴν, διαιρῶν οὐδέποτε λήγει τὰ αἰσθητὰ πάντα, ἐπειδὰν μέχρι τῶν ἀτόμων καὶ λεγομένων ἀμερῶν διεξέλθῃ* [*Ut Deum cogites, quem docere nemo possit, qui corpora & quicquid est usquam, quæ pulchrè naturâ cohærere videatur, secat verbo suo nihil non scindente; quod ut est acutissimum, omnia quæ sub sensum cadunt ita dividit, ut tum finem faciat cùm ad atoma & individua quæ vocantur pervenerit.*] In Carminibus qui Phocylidis nomen præferunt, habemus aliquid non dissimile,

> *Ὅπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τομώτερόν ἐςι σιδήρου.*
> [*Telum homini ratio, ferro vel acutius ipso.*]

Mosis preces gladio omnia secanti pares, in libro Hebræo de morte Mosis. ¶ *ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίςομον, omni gladio ancipiti*] Eadem comparatio apud Philonem, quem legisse videtur hic scriptor, libro de Caino, *Οὐχ ὁρᾷς ὅτι καὶ Ἀβραὰμ ὁ σοφὸς ἡνίκα ἤρξατο κατὰ Θεὸν μετρεῖν πάντα, καὶ μηδὲν ἀπολείπειν τῷ γεννητῷ, λαμβάνει τῆς φλογίνης ῥομφαίας μίμημα πῦρ καὶ μάχαιραν, διελεῖν καὶ καταφλέξαι τὸ θνητὸν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ γλιχόμενος ἵνα γυμνῇ τῇ διανοίᾳ μετάρσιος πρὸς τὸν Θεὸν ἀναπτῇ;* [*Non vides sapientem illum Abrahamum, postquam secundùm Deum omnia metiri cœpit, creaturis nihil faciens reliqui, ad instar ignei gladii ignem & gladium sumpsisse, cùm quidem à se quicquid esset mortale abscindere ac comburere cuperet, quò nudâ mente sublimis ad Deum evolaret?*] Dicitur *μάχαιρα δίςομος* [*gladius anceps*] aut *ῥομφαία δίςομος*, Apoc. 1. 16. 2. 12. *gladius secans in utramque partem*; Hebræis; חרב פיפיות [*gladius acierum*] ut Psal. 149. 6. aut פיות [*orium*] ut Prov. 5. 3. aut שני פיות [*duorum orium*] ut Jud. 3. 16. Syrus hic, סכינא דתרין פומא [*gladius anceps.*] quali usi Levitæ in victimis dissecandis, unde & similitudinem illam sumpsit Philo. Levitæ discernebant, quæ in victimis partes essent Dei, quæ hominum. Et tum per ignem, tum per illam dissectionem mysticè jam tum Sapientes intelligebant vim Dei omnia penetrantem ac dijudicantem, ut quidam ex Veteribus notavere. ¶ *καὶ διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs*] Jam clariùs explicat, quò tendat ista comparatio: *πνεῦμα* [*spiritus*] hic est appetitus rerum cœlestium: *anima* rerum terrestrium. Sermo Dei ista confundi non patitur: totum vult hominem Matth. 6. 24. Itaque admotus animo statim facit appareat in utram partem propendeat. חפש כל חדרי בטן [*investigat omnia secreta ventris*] Prov. 20. 27. ¶ *ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν, compagum quoque & medullarum*] Per Translationem ea quæ sunt corporis, applicat animo. Leviticus culter pervenit ad minima, quales sunt *nervi* in juncturis, & ad intima, quales sunt *medulla.* Sic & sermo Dei & intima & minima animi penetrat, inque ea agit. ¶ *καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας. & discretor cogitationum & intentionum cordis*] Tribuit sermoni id quod propriè Dei est; quia Deus secundum eventum, quem sermo habuit judicat; non tantùm de actionibus sed & de *cogitationibus* ac *consiliis* hominum. Vide Psalm. 139. 23.

13. *Καὶ οὐκ ἔςι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus*] Videtur mihi hoc loco κτίσις [*creatura*] significare opus hominis, quia id est velut *creatura* hominis. Ita κτισθῆναι [*creari*] sumitur & Sirach. 23. 20. ¶ *πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*] Pergit in comparatione victimarum, quibus non lana tantùm, quæ vestis est loco, sed & pellis detrahitur, ut interiora appareant. Id Hebræi vocant פשט. Est autem vox bene Græca *τραχηλίζειν*, teste Phavorino, significatque *à collo pellem victimæ in duas partes dissecare & detrahere.* Et ait is ipse Grammaticus inde factum ut per *μεταφορὰν* [*Translationem*] *τετραχηλισμένοι* dicerentur *φανεροὶ καὶ ἀνακεκαλυμμένοι* [*manifesti & detecti.*] Nec aliter hic sumpsere Græcæ puritatis periti Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Alio sensu *ἐξετραχηλίζετο* apud Josephum Belli Judaïci 4. 21. & apud Plutarchum est, *prehendere quasi obtorto collo.* Et *ἐξετραχηλίζετο*, *cruciabatur*, apud Philonem contra Flaccum. ¶ *πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, ad quem nobis sermo,*] Id est, *coram illo verbo de quo nunc agimus*, Euangelio scilicet. *πρὸς* [*ad*] hic sumitur ut supra 1. 7.

14. *Ἔχοντες οὖν ἀρχιερέα μέγαν, Habentes ergo Pontificem magnum*] Qui non Levitarum, sed verbi sui adeo efficacis ministerio utitur. ¶ *διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς, qui penetravit cælos*] *Qui per aërem ætheremque pervenit* ad illam sedem quietis. Sic vox *οὐρανῶν* [*cœlorum*] sumitur infra 7. 26. Pontifex legalis transibat per Atrium & per Basilicam templi: *quorum Atrium* mundum elementarem designabat, *Basilica* cœlum sidereum. ¶ *Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, Jesum filium Dei*] Non famulum sed *Filium Dei*, ut supra 3. 6. ¶ *κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας. teneamus professionem*] *Retineamus professionem*, id est, firmi in ea perstemus. Sic *κρατεῖν* [*tenere*] sumitur & Apoc. 2. 25. 3. 11. pro. *ὁμολογίαν* [*professionem*] sume ut supra 3. 1.

15. *Οὐ γὰρ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*] Cùm in comminatione ostenderit severa judicia, nunc, ne animus despondeatur, ostendit à Christo paratum auxilium legitimè certare volentibus. Et *δύνασθαι* [*posse*] hic referendum est ad affectum, ut supra 2. 18. *ἀσθένειαι* [*infirmitates*] sunt adversa quibus subjacent Christiani, ut Roman. 8. 26. 1 Corinth. 2. 3. 2 Cor. 11. 30. 12. 9, 10. Galat. 4. 13. *Συμπαθῆσαι* [*compati*] vox purè Græca quales multæ in hoc libro. Reperitur & infra 10. 34. nec alibi in his libris: Utuntur Isocrates, Aristoteles, & alii. In Glossario, *συμπαθῶ*, *misereo.* ¶ *πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάντα, tentatum autem per omnia*] Omnibus modis, à dextra & sinistra, Matth. 4. Gravissimè autem ante mortem & in morte. Repetit quod supra dixerat 2. 18. ¶ *καθ᾽ ὁμοιότητα, pro similitudine*] *Perinde ut nos.* Ita rectè hic Arabs. Sic Rabbini dicerent כדמותנו [*secundùm similitudinem nostram.*] ¶ *χωρὶς ἁμαρτίας. absque peccato*] *Ita tamen ut nunquam succubuerit.*

16. *Προσερχώμεθα οὖν μετὰ παῤῥησίας τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος, Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ*] Οὖν [*Ergo,*] id est, cùm tantum habeamus commendatorem. Illud *θρόνῳ τῆς χάριτος* [*thronum gratiæ,*] כסא רחמים [*solium misericordiæ*] ab Hebræis est, qui dicunt, Deum ubi videt totum Mundum esse damnabilem, surgere *à solio judicii*, מכסא הדין, ut sedeat in solio misericordiæ: quod maximè post Christum apparuit. *μετὰ παῤῥησίας*, hic est, *cum bona spe sive fiducia*, vide Ephes. 3. 12. & supra 3. 6. Concipitur autem Christus tanquam proximus divino solio, ut Apocalyps. 7. 17. & alibi sæpe. ¶ *ἵνα λάβωμεν ἔλεον, καὶ χάριν εὕρωμεν εἰς εὔκαιρον βοήθειαν. ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*] Vox *ἐλέους* [*misericordia*] hic non peccata respicit, sed significat חסד [*benignitatem,*] sicut *χάρις*, חן [*gratiam,*] per quæ *bonitas Dei* significatur. Explicatur autem quo tendat ea bonitas, nempe ut *auxilium obtineamus*, nempe Christo id pro nobis agente: *εὔκαιρον* [*opportunum*] *quale convenit tempori*: ita Græci vertunt בעתו [*in tempore suo*] Psalm. 104. 27. Vide Marci 6. 21. Syrus ad sensum bene *in tempore afflictionis.* In Manuscripto pro *ἔλεον* est *ἔλεος.* Nihil refert. Est enim utraque declinatio non in aliis tantùm Græcis, sed & in nostris libris. *εὕρωμεν* verò est *consequamur*, נמצא. Vide Lucæ 1. 30. & ibi dicta.

CAP. V.

VALLA.

1. QUI *juxta mensuram suam condolere possit iis*] Non est Græcè *suam*: quod fortassis totum uno verbo transferri poterat, *compassibilis*: nam Græcè *compati* nunc dicitur μετριοπαθεῖν. Idem fortè non malè transferatur, *Qui particeps passionis possit esse.*

4. *Sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*] *Sicut* (vel *tanquam*) *& Aaron* dicendum erat, non *tanquam*, καθάπερ καὶ.

11. *Et interpretabilis ad dicendum*] Imò *& difficilis ad interpretandum*, δυσερμήνευτος.

12. *Quæ sunt elementa exordii sermonum Dei*] *Eloquiorum Dei* legendum est, λογίων.

14. *Qui pro consuetudine*] Gr. *propter habitum*, διὰ τὴν ἕξιν.

REVIUS in VALLAM.

2. METριοπαθεῖν] Hoc à Beza quantum satis est explicatur. Vallæ interpretationem hic corrigit Erasmus, nec immeritò.

11. *Interpretabilis*] Exemplaria quæ vidi habent *inerpretabilis.*

ERASMUS.

1. EX *hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*] Aut addenda erat conjunctio *&*, aut nomen relativum *qui*: quod ego posterius malim, etiamsi participio Græco non addidit articulum ὁ. Non enim hæc dicuntur de Christo Pontifice nostro, sed adhibentur similitudinis conferendæ gratiâ; tametsi in quibusdam Latinis exempl. manet recta scriptura.

2. *Qui condolere possit*] Μετριοπαθεῖν, quod sonat q. d. *moderate ferre*, h. e. non graviter succensere. Quanquam Græcanica Scholia μετριοπαθεῖν exponunt pro συμπαθεῖν, i. e. *compati*, voce ipsâ nihil tale præ se ferente. Theophylactus pro unica voce multas reddit συμμετρεῖν, συμπαθεῖν, συγκαταβαίνειν, συγγινώσκειν, i. e. *congruere*, *condolescere*, *accommodare se*, *ignoscere*. Vox autem Græca dicta est à *moderandis affectibus*. Non enim facilè remittit qui læsus impotenter irascitur. Quod equidem admiror nè Vallæ quidem animadversum fuisse, qui rectè verti potuisse putat *qui particeps passionum possit esse*. Chrysostomus annotavit hoc sermone denotari præcellentiam Christi à reliquis Sacerdotibus, ob id, ni fallor, quòd hic solus liber ab omni peccato, tamen alienis peccatis indoluerit. At nunc quo fastidio, quo supercilio despicimus alienum erratum! quàm atrociter sævimus in lapsos, ipsi gravioribus obnoxii vitiis!

4. *Tanquam Aaron*] Καθάπερ καὶ Ἀαρὼν, *quemadmodum & Aaron*, additâ conjunctione.

5. *Semetipsum clarificavit*] Ἐδόξασε, *glorificavit*.

7. *Pro sua reverentia*] Ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, *à reverentia*. *Sua* additum est explicandi gratiâ, quanquam magis quadrabat *sui*. Atque ita scriptum fuisse in codice Paulino testatur etiamnum rasuræ vestigium. Illud item admonendum, εὐλάβειαν non modò significare *reverentiam*, verùm etiam *pietatem*: quod sanè verbi non malè quadrabat hoc loco, cùm loquatur de Patre & Filio.

8. *Et quidem cùm esset filius*] Καίπερ ὢν υἱὸς. Interpres separavit hæc, quorum ordo inter se cohæret, propter Græca participia. Sensus autem ad hunc habet modum, *Qui in diebus carnis suæ, cum precationes & supplicationes apud eum qui ipsum poterat servare à morte, cum clamore valido & lacrymis obtulerit, & exauditus sit pro reverentia; tametsi filius esset, didicit ex his quæ passus est obedientiam.* Per participia reddi poterat ad hunc modum, *Qui in diebus carnis suæ, precationibus & supplicationibus ei qui se servare poterat à morte, cum clamore valido & lacrymis oblatis, & exauditus pro reverentia, quamvis esset filius, tamen ex his quæ passus est didicit obedientiam.* ¶ *Dei*] Non est in Græcis, nec apud Chrysostomum Interpretem, nec apud Theophylactum. Cùm filius esset, non servus, tamen afflictus est tanquam noxius servus.

10. *A Deo Pontifex*] Ἀρχιερεὺς, *summus sacerdos*: quanquam hic ἀρχιερέα sic penè perpetuò vertit.

11. *Grandis sermo*] Πολὺς ὁ λόγος, *multus*, sive *copiosus*. ¶ *Et interpretabilis ad dicendum*] Suspicor Interpretem vertisse *ininterpretabilis*, sicut superiùs *ininvestigabiles*. Nam Græcè est, δυσερμήνευτος λέγειν, *difficilis interpretatu & explicatu*. Quo quidem loco nonnihil demiror Thomam, qui putarit hanc vocem *interpretabilis* bifariàm exponi posse, ut *in* habeat negationem, *quam nemo possit interpretari*; aut affirmativè INTERPRETABILIS, *qui indigeat interpretatione*. Primùm enim si *in* negat, velut in illis, *indoctus*, *impius*, quid significat quod superat, *terpretor*? Quanquam quibus verbis addi solet hæc præpositio cùm negationem habet? quasi liceat dicere *inamare* pro *non amare*, quemadmodum *inamabilis*; & *impudere* pro *non pudere*, quemadmodum *impudens*. Nec enim *interpretor* compositum est ab *in* & *terpretor*, sed ab *inter* & verbo inusitato seu nomine potius. Deinde ut accipiamus affirmativè, quis hoc illi concedat *interpretabilem* idem significare quod *indigentem interpretatione*? velut si *sanabilis* dicatur qui egeat sanatione. An non hoc insignitæ cujusdam impudentiæ est hæc cum autoritate docere non consultis Græcis, sine quibus hæc definiri non possunt? sive id scriptum fuit ab illo viro, sive alius quispiam admiscuit. Siquidem Græca vox omnino respuit hanc Aquinatis distinctionem, quæ nihil aliud declarare potest quam *difficilem ad interpretandum*, h. e. quem non facilè quisquam interpretetur, vel enarret potius. Nam ἑρμηνείαν etiam Philosophi vertunt *enunciationem*. ¶ *Imbecilles facti estis ad audiendum*] Νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς, *segnes auribus*, ut ipse paulò pòst vertit.

12. *Sermonum Dei*] Λογίων, *eloquiorum*, autore Valla.

13. *Expers est sermonis*] Ἄπειρος, *inexpertus*, sive *rudis*. Non enim omnino caret eloquiis, sed in iis nondum adolevit. *Expers* autem respondebat ad *particeps*; & hoc fefellit Interpretem, aut certe scribam. ¶ *Parvulus enim est*] Νήπιος. Cur non magis *infans*, cùm loquatur de *lacte*? præsertim cùm Græca vox non propriè significet *parvulum*, sed *puerum*, aut *parum sapientem*, præsertim ætate.

14. *Pro consuetudine*] Διὰ τὴν ἕξιν, *propter habitum*: quanquam Interpres non malè rem explicuit si dixisset *pro assuetudine*, sive *assuefactione*. Nam *hab tus* in hunc sensum vox est Philosophis peculiaris. ¶ At *sensus* est αἰσθητήρια, quod magis sonat *organa sentiendi*: nè quis putet esse νοῦν, quod ita subindè verterit.

VATABLUS.

1. EX *hominibus assumptus*] *Qui ex hominibus assumitur.* 2. *Condolere possit iis*] Vel, *moderatè ferre eos qui*, &c. i. e. non succensere iis qui, &c.

3. *Propterea*] *Propter hanc.*

4. *Sumit*] *Usurpat.* ¶ *Tanquam Aaron*] *Quemadmodum & Aaron.*

5. *Clarificavit*] *Glorificavit.*

7. *In diebus carnis suæ*] Heb. dum viveret. ¶ *Preces, supplicationesque ad eum qui possit eum*, &c.] *Cùm precationes & supplicationes apud illum qui poterat ipsum à morte servare, cum clamore valido & lacrymis obtulerit, & exauditus sit pro reverentia, tametsi filius esset, tamen didicit ex*, &c. Vet. legunt, *& exauditum*: neque legunt, *Dei*. *Pro reverentia autem*: i. e. pro ea reverentia quâ Patrem est sollicitè prosecutus, sive, quòd Patrem in honore haberet. Legi potest, *pro pietate*: cùm de Patre loquatur & Filio.

9. *Consummatus*] *Perfectus redditus*. Alii, *perfectio factus est*, &c.

11. *Grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum*] Vel, *multa ferent dicenda, eaque difficilia explicatu*. Vet. legunt, *ininterpretabilis*. ¶ *Imbecilles facti estis ad audiendum*] *Segnes facti estis auribus*: i. e. nihil curatis verbum Dei audire.

12. *Sermonum*] *Eloquiorum.*

13. *Expers est*] *Is rudis est*: i. e. non potest intelligere sermonem Euangelicum qui docet veram justitiam. ¶ *Parvulus*] *Infans*: sub. *in Christo*.

14. *Pro ipsa consuetudine*] Vel, *propter assuetudinem*.

CASTALIO.

11. A*Uribus segnes estis*] i. e. Auditores segnes.

CLARIUS.

1. O*Mnis namque*] Naturam ac morem proponit Pontificis, cujus fecerat mentionem, ut ostendat Christum aptissimè omnium ac maximè propriè esse Pontificem. Sed observandum est hanc similitudinem fieri secundùm eminentiam. Ea autem comparatio quæ fit secundùm eminentiam, in quibusdam com-

communicat, & in quibusdam antecellit. In hoc enim antecellit quòd (sicut infrà dicturus est) *non habet necessitatem, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis peccatis hostias offerre, deinde pro peccatis populi.* Sed hoc loco non distinguit, cùm ad alia festinet.

6. *Secundum ordinem*] Illud *secundùm ordinem Melchisedech* duo complectitur, & quod *Sacerdos* sit, & *in æternum. Sacerdos* quidem *secundùm ordinem Melchisedech*, vel quia non legitur Melchisedech carnales obtulisse hostias, vel quia corporeo non fuerit unctus oleo, vel etiam quod Gentium esset Sacerdos. *In æternum* vero, quia non scribitur quando cœptum sit vel desierit Sacerdotium Melchisedech; & infrà dicitur *neque initium neque finem dierum habuisse*; cujusmodi ob causam dicitur etiam *sine patre & sine matre.*

7. *In diebus*] h. e. Cùm versaretur in terra cum hominibus, & dispensationem acceptæ humanitatis exerceret patiendo: alioqui nunquam acceptam deposuit carnem. ¶ *Exauditus est*] Ità *exauditus est* ut resurrexerit, & quasi *reveritus sit* Pater ejus pietatem. Hæc autem sic dicuntur ob infirmitatem audientium, qui nondum ingentem haberent de Christo opinionem, & ob assumptam etiam carnem. Sunt tamen qui quærant quo pacto *exauditus sit*, & *pro qua reverentia* exauditus, cùm mortem, quam recusabat, sit passus: & respondent, Duas fuisse in eo postulationes, unam quâ deprecaretur mortem, alteram quâ precaretur; hoc est, unam quâ recusaret, alteram quâ vellet mori. Eâ igitur prece quâ dixit, *Non quod ego volo, sed quod tu*, ingentem præ se tulit *reverentiam*, & eâ etiam parte *exauditus est.* Ideo & post addit, *& consummatus*, τελειωθεὶς, h. e. per passionem & crucem & mortem perfectus nobis agnitus, atque suprà quàm dici possit bonus ac benignus visus est. Quæritur etiam, illud *quamvis esset Filius* cui jungendum sit: nam siquis per Hyperbaton accipiat, cujus frequens est usus in Scriptura, sensus hic esse potest, *In diebus carnis suæ, quamvis esset Filius, obsecrationes & preces obtulit*, &c. h. e. Quamvis ea posset quæ & Pater, tamen dispensationem carnis voluit exercere. Potest & conjungi illi verbo *exauditus*, quod *scilicet exauditus sit, quamvis esset Filius*, cui non esset opus exaudiri, cùm sine precibus impleri possit ejus voluntas. Aptissimè autem jungitur & sequentibus, sic, *Quamvis esset Filius, didicit ex iis quæ passus est obedientiam*; videlicet per experimentum eorum quæ passus est didicit id quod noverat quatenus Filius & Deus erat, idque contra Adæ inobedientiam. *Sicut enim unius hominis inobedientiâ*, &c. Rom. 5.

11. *De quo nobis*] h. e. Cogimur multis verbis uti propter vestram imbecillitatem in re quæ meritò tam vobis nota esse deberet ut etiam ipsi alios docere possetis.

12. *Quibus lacte*] *Lac* appellat humiliores de Christo sermones, videlicet, de Carne & assumpta Humanitate, *solidum* vero *cibum*, perfectiores, ac de ejus Divinitate.

ZEGERUS.

1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*] Causam reddit cur *cum fiducia ad* magni Pontificis *thronum accedere* debeamus, *Quia*, inquit, *pro hominibus Pontifex constituitur.*

8. *Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam*] Quanquam Filius esset, inquit, Dei, ex immanitate cruciatuum perdidicit experimentoque cognovit labores obedientiæ. *Dei* subdititium est, ut liquet ex Gr. & Latinis antiquis & Chrysostomo & Theophylacto. Agitur enim hic de *obedientia*, quæ filiorum est.

10. *Pontifex juxta ordinem Melchisedec*] Operæ pretium putavi ad hujus loci explanationem ex Primasii & aliorum Commentariis, paucis annotare causas cur Christus *Sacerdos juxta ordinem Melchisedec* potiùs dicatur quàm *juxta ordinem Aaron.* Et prima quidem est, Quia Melchisedec secundum Legalia mandata Sacerdos non fuit, sed secundum cujusdam singularis Sacerdotii dignitatem, panem offerens Deo & vinum, non brutorum animalium cruorem: Juxta cujus ordinem Christus æternus Sacerdos non victimas Legales sed carnem & sanguinem proprium obtulit, *Caro*, inquiens, Joh. 6. 55. *mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus.* Ista quoque duo munera commisit Ecclesiæ in sui offerenda memoriam. Unde patet sacrificum pecudum, quod fuit ordinis Aaronici, pertransisse, & id permanere quod est ordinis Malchisedec. Secunda causa est, Quia Melchisedec Rex fuit simul & Sacerdos, unctusque non oleo visibili, sed Spiritu S. Christus item geminâ hâc dignitate insignitus est. Nam quòd Regiam sortitus sit dignitatem, ipse manifestè eloquitur Psal. 2. 6. *Ego*, inquiens, *constitutus sum Rex ab eo.* Et post resurrectionem suam Matth. 28: 18. *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas.* Quòd verò Sacerdos exsistat, in confesso est; quoniam semet obtulit pro nobis in ara crucis, & nunc interpellat Deum Patrem pro nostra salute Porrò quòd unctus sit non oleo visibili sed plenitudine Spiritûs S. Psalmographus nobis manifestat, ità ad ipsum inquiens Psalm. 45. 7. *O Deus, unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Tertia causa est, Quia sicuti de unica legimus Melchidedec oblatione, eâque multarum gentium patri Abrahamo factâ Gen. 14. 18. ità & Christus semel semetipsum omnium gentium Patri & Deo obtulit immolandum pro nobis. Quarta, Sicut ille Abrahamo revertenti à cæde Regum, ità & Christus hostiam obtulit victoribus vitiorum. His possunt & aliæ plures adjungi rationes, quas sagaci lectori relinquimus investigandas, præsertim ex hujus Epistolæ cap. 7. de Sacerdotii æternitate ex genealogiæ Melchisedec celatione, de Decimatione ipsi Melchisedec ab Abrahamo facta, in qua omnes, quamvis magni, Christo sumus obnoxii, & de cæteris.

11. *Interpretabilis ad dicendum*] *Interpretabilis* negativè positum est pro *ininterpretabilis* sive *inexplicabilis*; sicuti & Proverb. 5. & rursus Rom. 11. *investigabilis* pro *impervestigabilis.*

12. *Propter tempus*] Hoc dixit vel quia jamdudum Christum profiterentur, vel quia ante cæteros Christum per Legem & Prophetas cognovissent.

13. *Expers est sermonis justitiæ*] h. e. Rudis est (sive capax non est) sermonis qui de vera perfectâque justitia & de sincera vita est.

14. *Exercitatos habent sensus*] *Sensus* hic dicit partes sensorias, i. e. αἰσθητήρια.

LUCAS BRUG.

11. *De quo nobis" grandis* [*grandis nobis* 10. MSS. G. S. " πολὺς] *sermo & interpretabilis ad dicendum* [*discendum* o. *docendum* o.] Græcè pro *interpretabilis* est δυσερμήνευτος, quod est, *interpretatu difficilis*, sive, ut Syri dixerunt, עמיק *asper & negotiosus.* Quare conjiciunt plerique legendum nobis esse *ininterpretabilis* duplicato *in.* Sic autem notarunt Parisienses in tribus manuscriptis se reperisse, Di. o. l. Ge. l. quibus Hentenius quatuor addidit. Nos etiam in tribus ità invenimus, Q. Buss. So. au. in quinque verò ità correctum. Complutense exemplar, & quædam alia post illud impressa, hoc habent. Adstipulantur Enarratores Bruno & Richelius Carthusiani; quanquam ille alterius lectionis *interpretabilis* meminerit. Sic & Autor Glossæ, Carensis ac Gorranus, priùs *ininterpretabilis*, tum *interpretabilis*, explicare videntur. Haymo, si ad hunc modum non legit *ininterpretabilis*, in hunc sensum exposuit: *Illa*, inquit, *difficultas interpretandi sermonem*, &c. Similiter, vel ità ut eodem recidat, & cæteri exposuerunt, sive *interpretabilis* legerint, sive *ininterpretabilis.* Nam vel negativè intellexerunt *in* vocis *interpretabilis*, vel *indigentem interpretatione* explicuerunt, id quod idem unum est quod obscurum, profundum, atque intellectu difficilem. Utrumque explicandi modum D. Thomas adfert; posteriorem Lyranus; qui solùm *interpretabilis* legerunt, quod in plerisque est libris, atque antiquitatis spectatæ, & à Zegero castigatore studiosè servatum. Hoc si Interpres vertit, alterum haud dubiè intellexit; *interpretabilis ad dicendum* dixit, pro *ininterpretabilis ad dicendum*, h. e. interpretatu atque explicatu difficilis. Juvandus subinde est Latinè loquens Græcus Interpres, non lacerandus, nec qui voces juxta ejus explicant mentem, carpendi.

H. STEPHANUS.

1. Ἀρχιερεὺς] *Summus Sacerdos.* Uno verbo *Pontifex.*

2. Μετριοπαθεῖν δυνάμενος τοῖς ἀγνοοῦσι] *Moderatè tangi miseratione eorum qui ignorantiâ tenentur*: vel *affici.* Vel, *Qui quantum satis est possit misereri vicem eorum.*

7. Ἱκετηρίας] *Supplicationes.*

8. Ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε, τὴν ὑπακοήν] *Didicit obedientiam ab iis quæ passus est.*

9. Τελειωθεὶς] *Consecratus.* Vide suprà 2. 10.

DRUSIUS.

1. *Dona & sacrificia*] Alius, *donaria & victimas. Dona* מנחות vocantur & קרבנות. Sed מנחה Græci sæpius reddunt θυσίαν, קרבן autem tam cruenta sacrificia quèm incruenta significat. *oblationem* vulgò reddunt. Hoc noto propter eum qui ad hunc locum scripsit, *Nomine* donariorum *intelligit omnes oblationes rerum vita expertium*: θυσίας *autem reliqua sacrificia* vocat

vocat, animalium videlicet quæ jugulabantur. Sunt qui *munera* שלמים dicta non numerant inter קרבנות *oblationes*: quod improbat Andreas Masius. Ex eorum numero est Moses Cordubensis cognomento *Ægyptius*.

2. *Qui ignorant & errant*] Verbum שגה *errare* quidem significat; sed nomen quod ab eo derivatur שגיונות non significat *errores*. Quid igitur? Pluralis est à sing. שגיון, quod est instrumentum musicum aut genus cantionis. Itaque non reperitur nisi apud Davidem & in Precatione Habacuc. *Errores* potiùs שגיאות dicuntur, ut Psal. 19. 12. Narrabo quod à viro magno audivi. Is erat Carolus à Roorda maximæ tum autoritatis inter Ordines Generales Provinciarum Unitarum. Narrabat mihi se interfuisse concioni cujusdam Ecclesiastæ non è multis, qui enarrabat Precationem illam Habacuci. In titulo est על שגיונות, quod Belgicus Interpres verterat *Pro innocentibus.* Ad hoc explicandum Concionator ille se vertebat in omnes partes, totamque horam in eo consumebat. Finità concione invitavit eum Carolus ille ad prandium, prolatisque Bibliis editionis Latinæ patefecit supinum errorem ejus. Vide quid sit ex lacunis enarrare populo verbum Dei. Dico ex lacunis turbidis & iis quæ malè versa sunt in linguas Latinam aut vernaculam. Propterea laudandi sunt Principes Christiani qui operam in id dant ut S. literæ quàm emendatissimè conversæ legantur à populo. Utinam ea res cordi esset nostris Ordinibus! quod optare, non sperare possumus, usque adeò.

Batava terribili tremit optima terra tumultu.

6. *Melchisedec*] Vel *Malchisedec.* Nam Ebraicè מלכיצדק. Sed antiqui legebant *Melchisedec*, Græcè Μελχισεδέκ. Sic *Melchom* dicebant pro *Malchom*, & *Melchiel* pro *Malchiel*. Exponitur *Rex justus*: Ità Josephus, Clemens, Philo, & alii. Nam *Sedec* antiquà declaratione *justus*, i.e. צדק. Sed melius Apostolus, βασιλεὺς δικαιοσύνης, Ebr. 7. 2. Sic etiam Eusebius Ἀποδείξ. l. 5. c. 3. Sanè quidem צדק est *justitia*. In historia Ebraica legimus *Sedec* fuisse nomen antiquum Urbis. Disertè Gorionides in nænia super Jerusalem, *Vocatur nomen tuum Sedec, & de nomine tuo appellatus fuit Joram Melchisedec*, q. *Rex Sedec*. Eadem *Salem* dicebatur, unde *Rex Salem*, i. e. interprete Apostolo, βασιλεὺς εἰρήνης, *Rex pacis*. Hieron. de Quæst. Ebr. *Melchisedec Ebræi ajunt esse Sem filium Noë. Et supputantes annos vitæ ejus, ostendunt eum ad Isahac usque vixisse; omnesque primogenitos Noë, donec sacerdotio fungeretur Aharon, fuisse pontifices. Porrò Salem, rex Jerusalem dicitur, quæ prius Salem appellabatur.* Idem in epist. ad Euagrium de alia Salem hunc locum intelligit, nempe de Sichemi urbe cujus mentio apud interpretes Geneseως per hæc verba, *Et venit Jacob ad urbem Sichem in Salem.* Qui locus ab aliis aliter exponitur. Dicam suo loco. Moses Gerundensis Gen. 14. 18. *Juxta sententiam doctorum nostrorum Melchisedec, h.e. Sem filius Noë, profectus est è terra sua Jerosolymam ad colendum ibi Deum, fuitque illic sacerdos.* Eadem scribit Primasius in hanc Epistolam pag. 140. *Tradunt*, inquit, *Ebræi Melchisedec ipsum esse Sem primogenitum Noë: qui eo tempore quo natus est Abraham habuerit annos ætatis* CCXCII. *eoque tempore quo mortuus est Abraham habuerit annos* DLXXV. *& ità supervixerit Abraham annos* XXXV. *quibus expletis facti sunt omnes dies vitæ ejus* DC. Contrariam sententiam tuetur Procopius Gen. 15. pag. 121. in extremo. Quæ firmatur primùm autoritate Apostoli Ebr. 7. 3. deinde quia terminus filiorum Sem erat in Oriente procul à terra Chanaan. Nec admodum credibile est Sem patrem eorum habitasse inter Chananæos. Quanquam R. S. censet Chananæos fuisse ex posteris Sem: in quo sanè valde fallitur.

12. *Quibus lacte opus sit*] i. e. Infantes & pueri. Nam pueris lacte opus, juvenibus autem solido cibo. Joseph Albo serm. 3. c. 14. *Cibus qui convenit puero est lac, & qui convenit juveni panis & caro & vinum.* Vide quoque serm. eod. c. 13. & librum Ægyptii Mosis qui *More Nebuchim* inscribitur, part. 3. cap. 35. videlicet fol. 159. pag. 2.

SCALIGER.

7. Ἀπὸ τῆς εὐλαβείας] *A metu*, cùm oraret, *Pater si fieri potest ut hic calix transeat.* Nam in illa obtestatione duo sunt, ἡ εὐλάβεια, καὶ ἡ παραίτησις, *metus*, & *deprecatio mortis*. A metu acceptus fuit Deo; à deprecatione mortis non fuit auditus.

CASAUBONUS.

2. Καὶ αὐτὸς περίκειται ἀσθένειαν] Ἀντὶ, περικειμένην ἔχει, ut exponi debent similia loquendi genera. Schol. Soph. p. 82.

7. Καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας] Locus est difficilis, & quem εὐλαβῶς debemus tractare. Qui negant εὐλάβειαν esse *metum*, parùm sani sunt si negant ità passim usurpari à Græcis scriptoribus. Mihi autem de hujus loci explicatione ità videtur; sed videtur tantum. Trajectionibus in his Scriptoribus nihil est frequentius. Puto igitur per Trajectionem ità locum posse accipi ac si esset scriptum, καὶ δακρύων ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, προσενέγκας, καὶ εἰσακουσθεὶς, καίπερ ὢν υἱὸς, &c. ἀπὸ τῆς εὐλαβείας h. e. *qui fuit ejus metus.* Sic enim hoc loquendi genus debemus interpretari. Ut apud Athenæum p. 182. cum participio, ut hîc, ἀπὸ τῆς ἰσχύος, *quod fuit ejus robur*: i. e. tantum erat ejus robur. Sanè εἰσακούεσθαι ἀπό τινος (quod Bezæ aliisque probatum) quis unquam veterum dixerit nescio. Lat. *præ*. Sic ἀπὸ pro ὑπὸ fuerit positum. Εὐλάβεια quid sit, vide locum Eustathii Ὀδ. pag. 54. Et dicitur sæpe de *religioso metu*: ut Athen. p. 137. [Etiam sine trajectione sensus ex hac interpretatione verborum percommodus: ut scilicet dicatur *Deus Christum exaudisse ob ipsius εὐλάβειαν*· vel, *quæ fuit ejus εὐλάβεια*, seu *pietas* & *reverentia*. Εὐλαβὴς in his libris idem quod θεοσεβὴς quod satis notum. Optimus igitur sensus, qui & generali isto scito, non semel in Scriptura repetito, confirmatur, Ἁμαρτωλῶν ὁ Θεὸς οὐκ ἀκούει· ἀλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ, καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῇ, τούτου ἀκούει. Joh. 9. 31. quod & Homerus alicubi dixit. Ἀπὸ autem pro διὰ interdum poni, & causam non Efficientem tantùm (quæ nonnulli subtiliter hîc distinguunt) sed & Meritoriam notare certum est.]

10. Προσαγορευθεὶς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ] *Salutatus*, i. e. constitutus: ut apud Latinos, *Salutare aliquem Regem.*

CAMERON.

2. Μετριοπαθεῖν δυνάμενος] Μετριοπαθεῖν duo in se complectitur, quorum prius significatur voce μέτριος, nempe ἐπιείκεια & εὐγνωμοσύνη, unde oritur vel excusatio, vel, si res poscat, purgatio: quæ virtus plerumque indè proficiscitur quòd meminimus & nos esse homines; unde fit ut de aliis non duriùs quàm de nobismetipsis statuamus. Alterum verò est συμπάθεια, cùm sensu alienæ miseriæ afficimur. Ergò unico verbo ἐμφατικώτατα causa & effectum significantur. Quid est igitur μετριοπαθεῖν; ὑπὸ ἐπιεικείας τινὶ συμπάσχειν (nam ἐπιεικὴς idem μέτριος est) *alterius malis affici, eo quod non rigidè & severè sed humaniter & placidè de aliis judices, tanquam si tua ipsius res ageretur, ut qui te putes eâdem conditione.* Ergò inter summum Pontificem Legalem & Christum hoc interest, quod, cùm agitur de nostris peccatis, Christus συμπάσχει quidem nobis, at non μετριοπαθεῖ, quippe qui ipse peccato neque sit neque unquam fuerit obnoxius, at in calamitatibus & ærumnis & rebus adversis quibuscum nobis res est, hîc verò non modò συμπάσχει sed μετριοπαθεῖ etiam Christus, utpote *qui tentatus per omnia fuerit, absque peccato tamen.* ¶ Περίκειται ἀσθένειαν] Ἀσθένεια hoc loco est proclivitas naturæ ad peccandum, quæ Christo nullo modo convenire potest. Itaque hactenus typus Christi summus Pontifex non fuit. Quod ut observaremus Apostolus monuit his verbis, Πᾶς ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος. Nam Apostolus hîc tacite opponit Sacerdotem qui est ἐξ ἀνθρώπων Sacerdoti qui est κατὰ τάξιν Μελχισεδὲκ, & Dei Filius. Etsi enim & is περίκειται ἀσθένειαν, attamen non est hæc ἀσθένεια unde oritur ignorantia & aberratio, i.e. peccatum. Et quamvis afficiatur sensu alienæ miseriæ, attamen hoc non eò facit quòd & ipse obnoxius sit culpæ cujus miseria pœna est. Et quamvis sacrificium offerat, non tamen id eò facit quod sit peccator ipse. In qua comparatione facile est videre in quibus conveniat, in quibus item disconveniat Sacerdoti cœlesti cum terreno. Itaque Apostolus in redditione non quæcunque in protasi fuerunt Christo accommodat, ut liquet. Quòd si etiam ἀσθένειαν Christo tribuit, attamen id facit ità ut ἀσθενείας nomine nil aliud intelligi possit quàm *naturæ infirmitas* (quam σαρκὸς nomine designat v. 7.) pura ab omni peccati labe.

5. Υἱός μου εἶ σὺ] His verbis, inquiunt hodierni Photiniani, indicat Apostolus Patrem hàc Christi compellatione, *Tu es Filius meus*, &c. constituisse eum summum Sacerdotem, ac proinde appellationem *Filii Dei* designare munus duntaxat Sacerdotale seu Mediatorium. Sed Resp. primò per βίαιον, Si (ut volunt Hæretici) verbis illis, *Tu es Filius meus*, Christus est constitutus Mediator, sequitur Christum non fuisse Mediatorem nisi post resurrectionem, cùm, teste Paulo Act. 13. 33. Pater demum post resurrectionem illi dixerit, *Tu es Filius, ego hodie genui te.* At verò nè ipsi quidem Hæretici ausint dicere Christum demum post resurrectionem constitutum fuisse Sacerdotem. Resp. secundò, Nihil aliud posse ex dicto Apostoli elici nisi hoc, Christum ab eo vocatum esse ad munus Mediatorium à quo genitus

tus est, & à quo dictum est ei, *Tu es Filius meus*: quod nos non negamus: negamus tantùm verbis illis, *Tu es Filius meus*, Christum fuisse constitutum Sacerdotem. Neque etiam his verbis, *Ego hodie genui te*, continetur institutio Christi in munere Mediatorio, sed declaratio & patefactio quòd Filius sit; ac proinde non ultro eum involasse in illud munus quo defunctus est, sed ad id vocatum fuisse à Patre.

7. *Εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας*] Εἰσακούειν apud LXX. Interpretes adhibetur ad interpretandam vim verbi הושיע *servare*, Psal. 55. 17. Et certè hoc loco σώζειν & εἰσακούειν pro iisdem ponuntur: Verba Apostoli sunt, *Obtulit preces & supplicationes ad eum qui poterat ipsum servare*: & mox, *& exauditus fuit*, quid aliud hoc sit quàm *& servatus fuit*? Jam *servari ex metu* si non dicitur duriusculè, nec *exaudiri ex metu* duriùs dici videri debet, siquidem in Scriptura pro iisdem usurpatur utrumque verbum. At verò *exaudiri ex reverentia* pro *exaudiri pro reverentia*, illud verò adeò durum dictu est ut nullum ejus generis locutionis exstet exemplum. Nam quæ adferunt viri docti aliena sunt; ut illud, *Non potuerunt loqui ἀπὸ χαρᾶς*: nam ἀπὸ eo loco est *præ*, & notat causam veluti Physicam: itaque nomen & verbum significant, alterum causam, alterum effectum illius causæ in eadem persona, non aliunde sed intrinsecus, idque ad modum effecti Physici & consequentis vi naturæ. Hic diversa ratio est: nam qui *exaudiuntur propter reverentiam*, alienâ, nempe Dei, ope exaudiuntur, atque inter reverentiam & exauditionem aliquid intercedit, nempe Dei voluntas, benevolentia, sapientia, unde exauditio seu liberatio est propriè tanquam à causa effectum. Deinde, omnino convenit scopo Apostoli ut *εὐλάβειαν* (quomodo sæpissime sumitur etiam apud profanos scriptores) *metum* interpretemur: nam præcesserunt illa *obtulit preces & supplicationes μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς*. Certè qui nihil metuunt, neque precantur, neque verò inter precandum exclamant, vociferantur. Sed quis fuit ille *metus*? Nempe horror futuri mali; quomodo Chirurgi manum exhorrescit ictum intentantis etiam is qui de exitu nihil dubitat. Quomodo ergò *exauditus* fuit Christus? Nimirum factus confirmatior: cujus rei historia exstat luculenta apud Euangelistas. Causa igitur hujus metûs fuit doloris magnitudo, quem natura refugit citra peccatum, modò id fiat sine querela & obmurmuratione adversus Deum, id quod à Christo diligenter cautum est illis verbis, primum, *Si possibile est*, deinde & illis, *Non mea voluntas fiat, sed tua*.

8. *Ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν*] Duobus modis aliquid discitur, *διανοίᾳ* & *πείρᾳ*, *mentis agitatione*, & *experientiâ*. Multa verò tenemus percepta & comprehensa animo quæ experiundo non didicimus; quam ad cognitionem cum accessit sensus & experientia, non intenditur cognitionis modus, sed nova species seu cognoscendi modus adjicitur priori. v. g. Mens pia novit optimè quid sit esse Martyrem, & verò non detrectat Martyrium; sed cum Martyrio fungitur tamen, *discit obedientiam*, nempe, ut dixi, *πείρᾳ experientiâ*; non quasi antea ignara fuerit officii. Unde sanè satis liquet quomodo Christo non convenit *didicisse obedientiam*, nimirum *διανοίᾳ*, qui discendi modus à peccato est & ignorantia; cum tamen Christo optimè conveniat *obedientiam didicisse experiundo*, qui modus discendi neque peccatum neque ignorantiam ullam (ut loquuntur) præsupponit.

9. *Καὶ τελειωθεὶς*] Vide quæ de hac voce dicta sunt ad Luc. 13. 32. in hæc verba, *καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι*.

13. *Ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης*] Quæri potest quomodo dicantur *ἄπειροι λόγου δικαιοσύνης* qui tenent *στοιχεῖα τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ*. Posset unico verbo responderi, *στοιχεῖα τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ* dici rudimenta religionis Christianæ, quæ *στοιχεῖα* dicuntur ductâ Metaphorâ à re Grammatica, in qua initium fit *ἀπὸ τῶν στοιχείων ab elementis*: sunt autem *elementa* literæ & syllabæ & voces singulares, in quæ *λόγος* resolvitur, primum in voces, deinde in syllabas, denique in literas. Consequens igitur fuit ut perseverans in Metaphora absolutiorem doctrinam *λόγον orationem* vocaret. Sed quoniam hæc non dicuntur continuò, nil necesse est huc devenire. Verba enim Apostoli sunt, *Qui lactis particeps est, est ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης*, ubi *λόγος δικαιοσύνης* eodem modo dictum videtur atque alibi *gladius Spiritûs*. Nam *lactentes non utuntur ratione*: Ergò quia lactentibus comparantur, (ut concinnior esset Metaphora) dicendum erat & eos *non uti ratione*. At nè quis illud interpretaretur secius, cum iidem sint adulti, adjiciendum erat *justitiæ*, hac mente, *Quemadmodum similes sunt lactentibus eò quòd rudiori doctrinâ imbuti sunt; sic item & lactentibus similes sunt, quòd in percipiendis principiis Christianæ religionis non ratiocinantur*, non jam dico *carnaliter*, id enim in vitio ponendum est, sed *spiritualiter*. *Volo*, inquit Apostolus, *vos esse pueros malitiâ, non autem sensu*. 1 Cor. 14. 20. & *Ὡς φρονίμοις λέγω· κρίνατε ὅ φημι*. Ergò *λόγος δικαιοσύνης* hic est quam *σοφίαν* Apostolus vocat & *γνῶσιν*. Quæ duabus in rebus videtur sita esse, primum in percipienda ratione dogmatum Christianæ religionis, deinde in collatione V. & N. Testamenti, mysteriorumque explicatione. Prius illud vocatur *γνωρισμὸς πολυποικίλου σοφίας Θεοῦ*, Eph. 3. 10. Secundum illud, *διάνοιξις καὶ παράθεσις ἐκ τῶν γραφῶν*, Act. 17. 3. quorum utrumque egregiè præstitum est ab Apostolo in hac Epistola, & deinceps præstabitur.

JAC. CAPPELLUS.

Confirmaturus Apostolus quod superiore capite dixerat, *Nobis talem esse Pontificem cujus beneficio possimus cum fiducia gratiæ thronum adire*, docet primùm Christum esse *Pontificem legitimum*; secundò, Christum esse *μέγαν ἀρχιερέα*. *Legitimum* esse docet, quia conveniunt illi omnia quæ requiruntur in legitimo Pontifice. Enarrationis hujus duæ sunt partes, *πρότασις* v. 1. *ἀνταπόδοσις* v. 5.

1, 2. *Omnis namque Pontifex*] Legitimus sc. & bonus. Nec enim intrusis aut sceleratis sed optimis quibusque præferendum Christum sibi proponit Apostolus. Igitur legitimus & bonus Pontifex I. *assumitur ex hominibus*. Unde sequitur Christum esse verum hominem. II. *Pro hominibus constituitur in iis quæ sunt apud Deum*. Nec enim utilitatem suam sed fratrum salutem quærit legitimus Pontifex; nec ut imperet hominibus, sed ut pro hominibus mediatoris partes agat apud Deum. Et reliqui quidem Pontifices typici tantum mediatores erant: Christus reverà Pontificatum suscepit, non sibi, sed nobis; sed neque suscepit ut mundum nobis, sed ut Deum conciliaret ac propitium redderet. III. Constituitur Pontifex *ut offerat dona* rerum inanimatarum, *& sacrificia* rerum animatarum *pro peccatis*; sive generatim, ut holocausta; sive nominatim, pro peccatis quibusdam admissis, sive scienter, sive imprudenter. Prior species dicebatur עולה, altera dicebatur חטאת. Erant quidem præterea שלמים, h. e. *eucharistica*, pro pace vel alia benedictione quavis impetrata. Horum non meminit hic Apostolus, ut quæ minus ad institutum faciant. Nam ideo *cum fiducia* jubemur *ad gratiæ thronum accedere*, non quia subindè Patri gratias egit Christus, sed ideo quia pro peccatis nostris oblatione suâ justitiæ Divinæ satisfecit. IV. Quartò requiritur ut Pontifex possit *μετριοπαθεῖν*. Vetus versio, *condolere*. Sed aliquid amplius significat vox Græca, nempe *μετριάζειν*, h. e. *moderatum esse*. Requiritur, inquam, 1. *Moderatio*, *μετριότης*, *mediocritas* illa quam Horatius *auream* vocat,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

2. Sequitur τὸ *συμπάσχειν*. Ἀπάθεια Stoicorum est somnium brutusve stupor; vel est dos non viatoris sed metam adepti. Dum hic versamur, non modò tolerantur sed & requiruntur in nobis quædam *πάθη*, Pudor, Pœnitentia, Misericordia. Judæi docent Sacerdotem non cœlibem, non illiberem esse debere, nè sit immitis. Hic autem *δυνάμενος* idem significat quod *ὀφείλων*, ut 2 Cor. 13. 8. *Nihil possumus*, i. e. nihil debemus, *adversus veritatem*, *sed* omnia *pro veritate*. Igitur summus Sacerdos *potest*, i. e. debet, *μετριοπαθεῖν*, &c. i. e. *μετρίως φέρειν τὰ τῶν πλανωμένων ἀγνοήματα, ἤτοι ἁμαρτίας*. Μετρίως verò φέρειν est *moderate ferre*, ut apud Plutarchum *μετριώτερον τὴν συμφορὰν ἐνεγκεῖν*. Maximus Tyrius Orat. 6. *ἀλυπότατον ἐμαυτὸν παρέχω καὶ μέτριον*. Josephus lib. 2. c. 4. Antiq. *τὴν πρὸς ἀδελφοὺς μετριότητα* vocat æquitatem illam quam Joseph erga suos fratres exercuit. ¶ *Iis qui ignorant & errant*] h. e. Peccatoribus: quo modo peccata passim *ἀγνοήματα* dici monuimus in cap. 3. v. 10. quod scilicet semper sint cum aliqua tum erroris tum ignorantiæ specie conjuncta. ¶ *Nam & ipse circumdatus est infirmitate*] Reliqui quidem omnes infirmitate duplici, culpæ scilicet & pœnæ; Christus pœnæ tantùm infirmitatibus fuit obnoxius. Unde colligi potest quantò sit Christus quovis Sacerdote præstantior, ut docetur cap. 7. 28.

3. *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ità pro semetipso, offerre pro peccatis*] Uno videlicet excepto Christo, lex illa Sacerdotes omnes obligabat, Levit. 4. 3. Huic oblationi conjungi debebat peccatorum confessio, Levit. 5. 5. Fiebat id imprimis die Propitiationis, cujus ritus describuntur in Misnaiot & Talmude tract. Joma. Fiebat, inquam, id verbis conceptis, quæ referuntur eò loci c. 4. §. 2. *Confitebatur*, ajunt, *& sic dicebat, Quæso, Domine*, חטאתי, פשעתי, עויתי, *iniquè feci, deliqui, peccavi coram te, ego & domus mea, & filii Aaron cum sanctis tuis: quæso, Domine, propitius esto iniquitatibus,*

delictis

delictis ac peccatis quibus iniquè feci, deliqui & peccavi coram te, ego & domus mea, & filii Aaron cum sanctis tuis, sicut scriptum est in lege Mosis servi tui.

4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*] Nempe cum suus est ordini non confusioni locus. Loquitur autem Apostolus de Pontifice quàm optimo. Atque hæc est quinta Pontificatûs dignitas, Inauguratio videlicet Divina, vocationis legitimæ comes individua. *A Deo* verò *vocatur* etiam is qui vocatur ab hominibus, modo duo concurrant; 1. ut munus ipsum sit legitimum, lege Dei præscriptum; 2. ut observentur ritus à Deo præscripti. Utroque nomine vitiosam contendimus esse tum Papæ tum Sacrificulorum ejus vocationem, nostram verò legitimam. 1. Nusquam enim præscripsit Deus ut unus eligatur Episcopus qui Christianis omnibus præsit, qui sit ἀνυπεύθυνος, ἀναμάρτητος, caput totius Ecclesiæ. 2. Nusquam præscripsit Deus ut eligantur Sacerdotes qui pro vivis & mortuis sacrificent Dei Filium, & quidem sacrificio propriè dicto. 3. Quod exigit Deus morum examen, 1 Tim. 3. Tit. 1. id à Pontificiis non observatur, ut apud quos palàm vigeat rerum sacrarum Simoniaca nundinatio. Itaque de illis dici potest quod de Judæorum Pontificibus dicit in hunc locum Oecumenius, αἰνιττόμενος τοὺς ἱερέας τοὺς τότε τῶν Ἰουδαίων, μὴ ὄντας δυνάμει ἱερέας, διὰ τὸ αὐτοὺς ἐπεπηδᾶν, καὶ ὠνον πεποιημένας τὴν ἱερωσύνην. Sic Chrysostomus, ἐνταῦθά μοι δοκεῖ καὶ τῶν Ἰουδαίων αἰνίττεσθαι ἱερέας, τοὺς ἐπιπηδῶντας, καὶ τὸν νόμον τῆς ἱερωσύνης παραφθείροντας.

5. *Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret*] Hactenus πρότασις. Sequitur ἀνταπόδοσις, velut ordine retrogrado ducens initium ab ultimo membro. Docet igitur Apostolus Christum nullum munus invasisse, sed ea sibi vendicasse quæ pridem Pater de Messia prædixerat. ¶ *Sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*] Paulus duo sibi proposuerat probanda: 1. Christum à Patre glorificatum: eò pertinet secundi Psalmi citatio. Sic glorificatum ut fieret Pontifex: eò pertinet Psalmus 110. versu sequente laudatus. Psalmum secundum non de Davide sed de Davidis Filio κατ' ἐξοχὴν dicto intelligendum agnoscunt ipsi Judæi, Talmudis tract. De Idololatria, cap. 1. fol. 3. & apud Rabbam in Gen. §. 43. Sed imprimis mirum est quod dicitur Talmudis tract. De festo Tabernac. cap. 5. fol. 52. *Messiæ Davidis Filio quàm primùm revelando diebus nostris dixit Deus, Pete à me quidvis, & dabo tibi. Dicitur enim Psalmo 2. Enarrabo decretum,* &c. *Ubi ergò Messias Josephi filius vidit se occidi, dixit coram eo, Domine mundi, nihil à te peto nisi vitam. Dixit ei, Vitam? quousque, non dixisti. Jam vaticinatus est de te Pater tuus: Dictum est enim Psal. 21. 4. Vitam petiit à te, & dedisti illi.* Aben Ezra dicit *de Davide, vel de Messia Psalmum 2. intelligendum.* R. Salomon, *Patres nostri* [illegible] *Allegorice interpretati sunt hunc Psalmum de Messia, literalis vero sensus est de Davide.* R. D. Kimchi de Davide Psalmum interpretatur. Et sanè potest utcunque maxima pars literalis sensûs ad Davidem referri, dummodo meminerimus Davidem esse typum Messiæ, eoque præstantissima quæque Psalmi hujus elogia longè sublimiore modo Messiæ quàm Davidi convenire.

6. *Quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*] Rabba in Gen. §. 55. malignè locum hunc vertit, *propter verbum Melchisedeki*, & eam ob causam totum hunc Psalmum interpretatur de Abrahamo, quod & secutus est R. S. Jarchi. Sed Aben Ezra agnoscit durum esse interpretamentum istud: Ipse nihilo meliùs hunc Psalmum interpretatur de Davide. Christo verò Matth. 22. 43. dicenti, Qui fit ut David, cum Messiæ sit pater, tamen Messiam vocet *Dominum suum*, his verbis, *Dixit Dominus Domino meo*, non ausi sunt Judæi negare Psalmum 110. de Christo intelligendum esse. Cæterum Psal. 110. 4. David duo docet; 1. Christum, licèt oriundum à Juda, Sacerdotem nihilominu futurum mandato Patris; 2. Quis futurus sit ordo Pontificatûs illius. Prius ab Apostolo consideratur hoc versu, posterius infrà v. 9. & c. 7.

7. *Qui in diebus carnis suæ*] *Caro* Christo cùm tribuitur, tria significat. Primò sumitur propriè, Luc. 24. 39. cùm Christus ait, *Spiritus carnem & ossa non habet.* Secundò significat Humanitatem. Ut cùm Act. 2. 30. Rom. 1. 3. & 9. 5. dicitur *secundum carnem.* Sic *manifestatus in carne* 1 Tim. 3. 16. θανατωθεὶς σαρκὶ 1 Pet. 3. 18. *passus in carne* 1 Pet. 4. 1. *venit in carne* 1 Joh. 4. 2. Tertiò, *caro* significat Infirmitates hujus vitæ, ut hic. Eodem sensu sumitur hæc vox 2 Cor. 10. 3. Gal. 2. 20. Phil. 1. 22, 24. & 1 Pet. 4. 2. Sic & Infirmitatem designat *caro* Psal. 65. 2. & 78. 39. Esa. 31. 3. Eodem ferè sensu sumitur conjunctim *caro & sanguis* Matth. 16. 17. Ephes. 6. 12 Heb. 2. 14. Imprimis verò 1 Cor. 15. 50. Sic & Judæi passim; ut Rabba in Gen. §. 1. 4, 49. imprimis §. 53. *Angeli,* inquit, *sciunt se vivere & stare in æternum. Ego verò, qui sum caro & sanguis, hodie sto, cras moriturus.* Resurrectio tum Christi tum nostra carnis quidem infirmitates exuit, veritatem non abolet, ut patet ex Luc. 24. 39. Joh. 19. 26. ¶ *Preces supplicationesque ad eum qui possit* (meliùs Erasmus, Beza, Syrus, Arabs, *qui poterat*) *illum salvum facere à morte*] Esa. 63. 3, 6. cùm Christus ait, *Torcular calcavi solus: brachium meum servavit me*, excludit non Patrem, sed omnes homines, creaturas omnes. Zach. 9. 9. *Ecce Rex tuus venit justus*, נושע. Arias Montanus rectè vertit *& salvatus.* Obtulit autem Christus non tantùm *preces*, sed & semetipsum perpessionum amarissimarum jugo, idque pro nobis, non pro se: & quas obtulit etiam pro se preces, eas obtulit pro se ut Sponsore nostro, ut scilicet illa quam pro nobis obibat sponsio suum finem quàm plenissimè potentissimeque consequeretur: quod certè non fuisset consecutus Christus si succubuisset ipse jugo quod pro nobis subibat. Nihil igitur hìc habet Socinus quo satisfactorium oblationum Christi meritum evertat. ¶ *Cum clamore valido & lacrymis offerens*] Meliùs Erasmus & Beza, *cùm obtulisset. Clamor contentiosus* à Christo removetur Matth. 12. 19 Esa. 42. 2. sed tribuitur *clamor* Christo concionanti, Joh. 7. 28. & 12. 44. oranti in cruce Marc. 15. 34. *Lacrymæ* verò Joh. 11. 35. Sed & cùm toties *secessisse* dicatur orationis causâ, potuit sæpe Christo contigisse quod hìc illi tribuitur. Utut sit, *lacrymas Christi legimus, risum non legimus*, ut peritè notat Ambrosius. ¶ *Et exauditus est pro reverentia*] Sic & OEcumenius ac Chrysostomus, Τοσαύτη, inquiunt, ἦν αὐτοῦ εὐλάβεια, ὡς ἀπὸ τούτου αἰδεῖσθαι αὐτὸν τὸν Θεόν. Lyranus, *Sicut sua religio merebatur.* Sic & reliqui qui εὐλάβειαν *reverentiam* hìc vertunt, cùm tamen constanter legatur ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, non autem διὰ τὴν εὐλάβειαν. Ἀπὸ significat quidem aliquando Causam efficientem, ut ἀπὸ χαρᾶς *præ gaudio* Matth. 13. 44. Luc. 24. 41. Act. 12. 14. ἀπὸ λύπης *præ tristitia* Luc. 22. 45. ἀπὸ φόβου *præ timore* Matth. 28. 4. Sed quæstio est an unquam ἀπὸ significet Causam meritoriam. Non puto. Hæc est causa cur Syrus, Arabs, Beza vertant *ex metu.* Adde quòd in Apostoli scopo meliùs convenit, ut qui doceat hìc quàm similis nobis factus sit Christus, quàm ὁμοιοπαθὴς, ut tantò aptior nobis Sacerdos esset. Si quem turbat quòd Christus *timuisse* dicitur, quantò magis quod dicitur *turbatus?* Joh. 11. 33. & 12. 27. & 13. 21. Ambrosius etiam *dubitationem* illi tribuit, De fide lib. 2. c. 3. *Ut homo, dubitat; ut homo, turbatur. Quia suscepit animam, suscepit & animæ passiones. Deus, inquit, meus, quare me dereliquisti? Ut homo, loquitur, meos circumferens metus, quod in periculis positi, à Domino nos deseri putamus.* Et cap. 4. *Mihi prodest scire quia propter me Christus suscepit meas infirmitates. Dubitatio illa nos firmat, ne tu, si cœperis dubitare, desperes. Dubitationem* videlicet Christo tribuit Ambrosius, quia metus omnis aliquam dubitationis speciem includere videtur. ¶ *Metus* certè Christo non semel tribuitur in Scriptura. Primùm Luc. 22. 44. Christus dicitur ἐν ἀγωνίᾳ γενέσθαι. Nemesius De nat. hom. c. 20. ἀγωνίαν definit φόβον ἀποτεύξεως. Thomas, *timorem extrinsecus advenientis mali*, in P. Lombardum l. 3. d. 26. q. 1. & in Summa 1a 2æ q. 41. & De verit. q. 26. §. 47. Secundò Matth. 26. 37. dicitur Christus *cœpisse* λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Maldonatus περιφράζει, *Ità vehementi discriminis objecti metu angi ut quodammodo exanimis & attonitus sit.* Ibidem profitetur Patres omnes in eo consentire, Christum timuisse: sed *timuit*, inquit, *at sponte & libere.* Tertiò Mar. 14. 33. ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. V. Interpres, *Cœpit pavere & tædere.* Erasmus, *Cœpit expavescere & angi.* Thomas Summæ p. 3. q. 18. §. 6. ait *in Christo fuisse quidem agoniam, secundùm partem sensitivam, non secundùm partem rationalem.* Sanè meritò negat in Christo fuisse sententiarum, rationum, voluntatum contrarietatem. Sed est etiam animæ à corpore separatæ suus sensus. At certè non timuisset Christus si solam mortem, si solas corporis, quæ referuntur ab Euangelistis, perpessiones perferendas habuisset. Ecquot enim Martyres hilari vultu graviora pertulerunt? Aliud quidpiam longè gravius peccato nostro debebatur, & à Sponsore nostro sustinebatur, quod ipsi sanguineos expressit sudoris grumos.

8. *Et quidem cùm esset Filius*] Antonomasticè scilicet dictus. Alioqui nihil hìc mirum tribueretur Christo, cùm omnibus Dei filiis commune sit ut indies proficiant. ¶ *Didicit*] Sic Luc. 2. 52. *Et Jesus proficiebat sapientiâ, staturâ, & gratiâ apud Deum & homines.* Noverat quidem omnia Christus quatenus Deus, eoque non opus erat ut quicquam disceret aut sapientiâ proficeret: sed quatenus homo, non omnia sciebat, ut patet ex Mar. 13. 32. quo loco particulam hanc οὐδὲ ὁ υἱὸς perperàm in suspicionem adducit Ambrosius, De fide lib. 5. c. 8. quasi suppotitiam. Meliùs ipse paulò pòst, *Eâdem videtur ignorare condi-*

conditione quâ proficit. ¶ *Ex iis quæ passus est*] Hæc est scientia quam *experimentalem* vocant, ac Christo tribuunt Scholastici præter infinitam ac æternam naturæ Divinæ scientiam, adeoque præter beatificam, quâ comprehensorum nulli cedebat, sed potiùs omnes καθ' ὑπερβολὴν antecellebat, etiam secundùm humanam naturam. ¶ *Obedientiam*] Ergone Christus ullam obedientiæ partem unquam ignoravit aut detrectavit? Nullam sanè. Sed ea finitæ cujusvis, ac imprimis humanæ, quamdiu præsentis vitæ curriculum emetitur, naturæ ratio est, ut hujus scientia speculativa plurimùm crescat aut confirmetur cùm in praxim revocatur. Die Pentecostes Apostoli linguarum multarum scientiam totam semel & simul adepti sunt: Non dubium est tamen quin hæc scientia deinceps usu fuerit in illis confirmata. Imprimis autem Voluntas, quò diligentiùs ac ἐκτενέστερον incumbit officio, eò magis in bono confirmatur. Sed nulla praxis radices in cordibus nostris altiores agit quàm quæ cum aliqua perpessione conjuncta. Ipsa difficultas quam patimur, ac labor quem exantlamus, est instar cœli scalprive rei quam experimur scientiam altùm insculpentis, ut meritò dicantur τὰ παθήματα τῶν μαθημάτων ἐνεργέστατα. Interim illustrissimum in eo documentum habemus quàm ὄντως ac verè Christus fuerit homo non tantùm corporis sed & animæ ratione, cum & corporis & animæ nostræ non tantum essentiales proprietates sed & accidentales infirmitates, quæ quidem sunt hic essentiæ comites individuæ, susceperit omnes, excepto peccato, ac præterea multas quæ nihil quidem ad essentiam ipsam faciunt, sed ad salutem nostram plurimùm conferunt.

9. *Et consummatus*] Beza, *consecratus.* Erasmus, *perfectus redditus.* Hæc omnia complectitur vox τελειωθείς. Nam & afflictiones Christo fuerunt consecrationis instar, & cum indies incrementum aut confirmationem acciperet Christi sapientia, certè novam aliquam perfectionis speciem adeptus est in meta; ad quam cum pervenerit viâ non violis sed spinis conspersâ, meritò dicitur hîc & cap. 2. 10. διὰ παθημάτων τελειωθῆναι. Denique tum τελειωθεὶς dicitur, quia sacrificium quod pro nobis susceperat tunc ἐτελειώθη *ad exitum perductum est.* Quamobrem exclamavit, Τετέλεσται, Joh. 19. 30. ¶ *Factus est*] Ergone priusquam metam illam adipisceretur Christus, nulli *salutis auctor* fuerat? Imò videmus quàm multorum animos simul & corpora sanaverit ante mortem. Et cum *omnes promissiones in Christo sint Etiam & Amen*, 2 Cor. 1. 20. cujuscunque tandem promissionis, imprimis ad Salutem pertinentis, complementum consecuti sunt Patres, id consecuti sunt merito Christi, quin & crucis Christi merito. Spectatur igitur hîc non temporis momentum, sed satisfactionis, cui salus nostra debetur, pretium. ¶ *Omnibus obtemperantibus sibi*] Per veram sc. ac perseverantem fidem. Est quidem redemptionis à Christo persolutæ pretium in se redimendis mortalibus omnibus sufficiens, sed iis demum impetratur & applicatur illa redemptio quos justificante ac cum obedientiæ perseverantia per charitatem operante fide donat electio. ¶ *Causa salutis æternæ*] h. e. Æternum duraturæ, finem nunquam accepturæ. Sunt quidem in hac vita multæ species αἰώνων *seculorum*; sed quæcunque prædicitur ultra seculorum istorum consummationem αἰωνιότης, ea simpliciter est αἰώνιος à parte quidem pòst, ut Scholastici loquuntur, h. e. sempiternum duratura, sive salutem electorum sive cruciatum improborum spectes.

10. *Appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech*] Hactenus probavit Apostolus Christum esse ἀρχιερέα. Deinceps probaturus est esse μέγαν ἀρχιερέα, non, inquam, secundum Aaronis, sed *secundùm Melchisedeki ordinem*, Aaronico longè præstantiorem. Sed dissertationem hanc præfatione communit, cujus quatuor sunt partes; Reprehensio v. 11. Exhortatio c. 6. 1. Comminatio v. 4. Consolatio. v. 9.

11. *De quo nobis sermo grandis & ininterpretabilis ad dicendum*] Hoc omnino respicere videtur Petrus 2. ep. 3. 16. cùm inter ea de quibus agit Paulus ait esse *quædam* δυσνόητα, *intellectu difficilia.* Non sibi sed Judæis δυσερμήνευτον esse dicit λόγον, *explicatu difficilem sermonem, quem habiturus est de Melchisedecho.* ¶ *Quoniam*, inquit, *imbecilles facti estis ad audiendum*] Meliùs Erasmus & Beza, *segnes.* Νωθρὸς est *qui non facile potest* ὠθεῖσθαι, *moveri.* Quod hîc de suo sermone dicit Apostolus, idem de tota Scriptura dici potest, obscuritatum ejus causam ut plurimùm in hominibus esse, non in ipsa Scriptura, etiam in iis quæ Spiritus S. velut oppanso velo nobis minùs conspicua reddidit. Fecit id, non ut crucem nobis figeret, aut lites sereret, sed ut frænum injiceret curiositati nostræ, vel ut obdormiscentem subindè segnitiem nostram ad diligentiorem Scripturarum perscrutationem incitaret.

12. *Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus*] Erasmus & Beza, *pro temporis ratione:* q. d. Cùm tamdiu discipuli fueritis, nunc deberetis esse doctores. Ad id videlicet suos auditores hortari debet fidelis Pastor, & ad eam rem subsidia subministrare. Ea verò sunt, 1. ut in Ecclesia nihil dicatur ignotâ populo linguâ, 2. ut Dei verbum quàm diligentissimè populo legatur, 3. ut excitetur populus non tantùm ad audiendum in sacris Synaxibus sed etiam ad legendum in privatis ædibus Dei verbum. Hæc fuit Ecclesiæ praxis omnibus ante, & multis post nativitatem Christi seculis, cui δὶς διὰ πασῶν adversatur Ecclesiæ Rom. methodus: ut vel hinc colligas hanc esse μεθοδείαν τῆς πλάνης. ¶ *Rursus indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei*] Malim vertere *quænam sint prima elementa oraculorum Dei.* στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς pro πρῶτα στοιχεῖα, Hebraismus. ¶ *Et facti estis quibus lacte sit opus, non solido cibo*] Eadem habetur reprehensio 1 Cor. 3. 1, 2. q. d. Non estis progressi, sed regressi: qui sanè segnitiei fructus est,

> *Non aliter quàm qui adverso vix flumine lembum*
> *Remigiis subigit, si brachia fortè remisit,*
> *Atque illum in præceps prono rapit alveus amne.*

Sed alia suberat major causa, quòd Hebræi plerique licet Christianismum amplexi redibant ad typorum ceremonialium observationem, ut necessariam ad salutem. Hæ verò ceremoniæ vocantur *elementa mundi* Col. 2. 8, 20. Gal. 4. 3. *infirma & egena elementa*, Gal. 4. 9.

13. *Omnis enim qui lacti is est particeps, expers est sermonis justitiæ. Parvulus enim est*] Horum verborum considerandus sensus, 1. προτάσεως, 2. ἀνταποδόσεως respectu. Προτάσεως respectu sensus is est, *Qui lactis ità particeps est ut indigeat lacte*, ut lac sitcibus ejus, is non est capax *cibi solidioris*, neque corporei, neque spiritualis; *quòd sit infans.* Ἀνταποδόσεως sensus hic est, Qui typorum ceremonialium ità particeps est ut iis indigere se putet, ac eos ut cibum suum amplectatur, is *sermonem justitiæ*, fœdus Euangelicum in quo vera justitiæ doctrina traditur, *capere non potest.* Repuerascit enim, adeoque jam redit ad *infantiam*, eamque priore deteriorem. Νηπίοις, παιδίοις, *infantibus, pueris* similes esse aliquando jubemur, Matth. 18. 3. Luc. 18. 17. Aliquando vetamur, 1 Cor. 14. 20. Ephes. 4. 14. Jubemur eorum imitari Simplicitatem fraudis expertem, Humilitatem, Docilitatem, Fiduciam in parentes; fugere Timiditatem, Inconstantiam, Credulitatem, Ignorantiam.

14. *Perfectorum est solidus cibus*] *Perfectio* quam jubemur sperare est *futuros non Angelis æquales*, Luc. 20. 36. De hac 1 Cor. 13. 10. Ephes. 4. 13. *Perfectio* quam hic adipiscuntur quidam fideles vel opponitur Simulationi, prout David aliique quidam dicuntur fuisse *perfecti*; vel opponitur Ignorantiæ quæ Judaizantes Christianos occupabat, ob quam dici poterant tantum *Semichristiani.* De hac loquitur hic Apostolus. Potest etiam aliis defectibus quibus hic multi laborant, & à quibus multi sanantur opponi, tum hic, & Col. 1. 28. & 4. 12. Jac. 3. 2. 1 Joh. 4. 18. vel certè 1 Cor. 2. 6. Phil. 3. 15. ¶ *Eorum qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali, pro consuetudine*] Erasmus, *propter assuetudinem.* Beza, *propter habitum*, cui voci propriè respondet Græca, διὰ τὴν ἕξιν. Virtutum civilium semina quædam habemus in rectæ rationis principiis, augentur autem frequentatis actibus, ex quibus fiunt Habitus. Virtutum Christianarum semina sparguntur in regeneratione, quæ frequentatis actibus incrementum ac robur accipiunt, & in Habitus commutantur. Unionis autem inter intellectum & voluntatem ea vis est, ut lumen intellectûs conferat ad voluntatis sanationem, & sanatio voluntatis ad mentis illuminationem. Quam largiatur nobis Pater luminum in unigenito Filio suo. AMEN.

GROTIUS.

1. Πᾶς γὰρ ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος, *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus*] Cohærent hæc cum superioribus, neque divelli debuerant. Ostendere enim vult Christum omnia habere, quæ in summo Sacerdote requiruntur, & quidem modo excellentissimo. Non tantum autem Legem hic respicit, sed & morem ante Legem, cum aut primo geniti familiarum, aut à populis electi Reges inirent sacerdotium. Nunquam cœlestes spiritus id munus adiere. λαμβάνειν hic ut לקח Num. xxv. 4. est *segregare*, ut quæ ex acervo desumimus. ¶ ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum*] Brevis locutio, qualis & supra 2. 17. *Constituitur ad rem Divinam peragendam pro hominibus.* Dicunt Judæi, *prout Summus Sacerdos se gerit, ita Deum esse populo infensum aut propitium.* Philo de Legibus specialibus, de Summo Sacerdote sic loquitur, Βούλεται γὰρ αὐτὸν ὁ νόμος μείζονος μεμοιρᾶσθαι φύσεως, ἢ κατ' ἄνθρωπον, ἵνα διὰ

διὰ μέσε τινὸς ἀνθρωποι μὲν ἱλάσκωνται Θεὸν, Θεὸς δὲ τὰς χάριτας ὀρέγῃ καὶ χορηγῇ [*Postulat enim in eo viro Lex præstantiorem homine indolem, ut hoc mediatore Deus propitietur hominibus, ejusdemque ministerio porrigat eis largiaturque suam gratiam.*] Rursus de Præmiis & Pœnis, Τέταρτον δὲ ἀρχιερωσύνην δι' ἧς προφητείαν ἐπιςημονικῶς θεραπεύσει τὸ ὂν, καὶ τὰς τῶν ὑπηκόων κατορθώσει εὐχαριςίας, εἰ δὲ διαμαρτάνοιεν, εὐχὰς καὶ ἱκεσίας ἱλασκόμενος ποιήσεται [*Postremò quartus accessit Pontificatus, ut pro sua facultate prophetica sciret eum, qui est, colere, & quando subditis res prosperè cedunt, gratias illi ageret: quòd si ulla incideret offensio, supplex impetraret veniam.*] • ¶ ἵνα προσφέρῃ δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν. *ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*] Explicat generalitatem per species quasdam. Δῶρα [*dona,*] קרבנים [*oblationes*] est generale, sed eximiè dicitur de holocaustis, ut videre est Levit. 1, 2. θυσία [*sacrificium*] item satis generale. Comprehendit enim & מנחה [*oblationem è simila:*] sed cùm hic addatur ὑπὲρ ἁμαρτιῶν [*pro peccatis*] intelligendum אשם [*delictum in committendo*] de quo Levit. 4. 3. & sequentibus, ὑπὲρ hîc, pro quo alibi est περὶ, significat *ob*. Et in Manuscripto infra 3. pro ὑπὲρ scribitur περί.

2. *Μετριοπαθεῖν δυνάμενος τοῖς ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις. Qui condolere possit iis qui ignorant & errant*] Μετριοπαθεῖν est *non inclementer affici*. Sic μετριοπαθῶς pro *clementer* dixit Appianus Iberico. In Glossis μετριοπαθῶ, *moderor*. Et Aristoteles sapientem ait esse μετριοπαθῆ [*moderatum,*] non ἀπαθῆ [*affectionibus animi carentem.*] μετριοπαθεῖν est משכיל אל־דל [*qui intelligit super egenum*] Psalm. 41. 1. Rectè autem addit ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις [*iis qui ignorant & errant,*] quia in loco illo Levitici additur נפש כי־תחטא בשגגה [*anima quæ peccaverit per ignorantiam*] in Græco ψυχὴ ἁμαρτῇ ἔναντι Κυρίε ἀκεσίως [*anima quæ peccaverit ante Dominum involuntarie*] pro quo Aquila ἐν ἀγνοίᾳ [*per ignorantiam.*] Utrumque & illud ἀκεσίως [*involuntarie*] & ἐν ἀγνοίᾳ [*per ignorantiam*] non sumitur ut apud Philosophos, sed ita ut culpa ponatur sine dolo, ut in iis quæ per oblivionem legis fiunt, aut subito motu absque deliberatione. In criminibus gravioribus, si innotuissent, nihil poterat Sacerdos Summus: ἀδύνατος ἡ τῆς κολάσεως παραίτησις [*impossibilis pœna deprecatio*] ait Josephus contra Appionem 2. πλανᾶσθαι [*errare*] שגגה, hic est *per incogitantiam aliquid agere*. Itaque פתי vertitur & ἄφρων [*stultus*] & ἄκακος [*innocens.*] Est autem hic dativus positus pro περὶ cum accusativo, sicut & ל Hebræis pro על [*super*] ponitur. Et δυνάμενος [*qui possit*] hic rursus ad affectûs pronitatem referendum est, ut supra 2. 18. 4 15. ¶ *ἐπεὶ καὶ αὐτὸς περίκειται τὴν ἀσθένειαν· quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*] Ἀσθένεια [*infirmitas*] vox est generalis, quæ modò ad animum, modò ad corpus refertur. Hic significat accidere Summo Sacerdoti posse ut aut obliviscatur præcepti alicujus de tam multis, aut ut id non ita repente ipsi in mentem veniat. Vide Rom. 4. 19.

3. *Καὶ διὰ ταύτην ὀφείλει καθὼς περὶ τοῦ λαοῦ, ὅτω καὶ περὶ ἑαυτοῦ προσφέρειν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν. Et propterea debet quemadmodum pro populo ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis*] Περὶ τοῦ λαοῦ [*pro populo*] dupliciter intelligitur, aut distributim pro singulis de populo, de quali sacrificio agitur dicto capite Levit. 4. aut collectim, quale sacrum fiebat semel vertente anno in diebus כפרים [*propitiationum*] & describitur Levit. 16. Sic & Pontifex si conscius esset se per oblivionem aut incogitantiam aliquid commisisse, offerebat vitulum, Levit. 4. 2. quòd si non esset sibi ejus conscius, tamen quia fieri poterat ut lapsus esset, præceptum aliquod non rectè intelligendo, in anniversario illo sacro vitulum pro se ac domo sua offerebat, ut videre est Levit. 16. 6, 11, 17. Cùm autem hoc generaliter dicitur de omni Sacerdote, sequitur Christum quoque obtulisse pro se ὑπὲρ ἁμαρτιῶν [*pro peccatis,*] id est, ut a doloribus illis qui peccatorum pœnæ esse solent, & occasione nostrorum peccatorum ipsi infligebantur, posset liberari: obtulit autem preces.

4. *Καὶ οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμήν, Nec quisquam sibi sumit honorem*] *Per Legem nemini licet se ingerere in id munus suo arbitratu.* ¶ *ἀλλὰ ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών. Sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*] *Is* scilicet *honorem hunc accipit.* Vocabantur autem à Deo post Aaronis tempus non singuli (nam in iis aut Senatus aut Regis electio valebat, prælucentibus interdum Prophetis) sed tota stirps Aaronis, quam egredi electio non poterat.

5. *Οὕτω καὶ ὁ Χριςὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενηθῆναι ἀρχιερέα, Sic & Christus non seipsum clarificavit ut fieret Pontifex*] Id est, εἰς τὸ γενηθῆναι, quales particulæ sæpe subticentur: non semet extulit, ut Core & Dathan. Vide Joh. 8. 54. In Manuscripto pro γενηθῆναι est γενέσθαι. ¶ *ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτὸν, υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*] *O fili mi, ego hodie te genui*, id est, novam dignitatem tibi tribui, regnum cum sacerdotio conjunctum. Vide supra 1. 5. Actor. 13. 33. & quæ ad Psalmum 2. nobis dicta. Jesus Sacerdotale quidem munus suum aliquo modo erat auspicatus, cùm semet Patri victimam offerret: sed id non satis apparebat. Tunc autem planè apparuit eum non Regum tantùm, sed & Sacerdotem summum à Deo constitutum, cùm Apostolis spectantibus evectus est ad cœlum supremum, quod per Templi aditum, in quod summus Sacerdos solus intrabat, figurari omnes Hebræi noverant, & nos ostendimus Matth. 27. 50. Primogeniti familiarum ante Legem Sacerdotes. Christus autem meliori jure, quippe Dei ipsius primogenitus, Rom. 8. 29. Coloss. 1. 15. supra 1. 6.

6. *Καθὼς καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει. Quemadmodum & in alio dicit*] Supple τόπῳ [*loco.*] Ita enim Græci vocant id quod Hebræi פרשה [*sectionem,*] Græci etiam περιοχὴν [*periocham,*] qua de re diximus Actor. 8. 32. ¶ *Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*] Sic & infra 10. 6. 20. 7. 11, 17, 21. Ex Græco Psalm. 110. 1. In Hebræo illud κατὰ τὴν τάξιν [*secundum ordinem*] est על דברתי [*secundum modum*] quod infra 7. 15. bene ad sensum effertur κατὰ τὴν ὁμοιότητα [*secundum similitudinem.*] In Syriaco כדמותה, id est, *ad modum*: דברה *conditio* aut *modus*, ut Ecclesiastæ 3. 18. Sic τάξις sumitur 2 Macc. 9. 18. Est vox non malè Græca: dicunt enim Græci ἐν τάξει ἔχειν γαμετῆς, ἐν ἐχθροῦ τάξει, τάξιν ἔχειν τελετῆς, τάξιν νόμε [*uxoris loco habere, instar inimici, sacrorum numero censeri, legum numero,*] & similia quæ significant, hoc esse instar rei alterius. *Ad modum Melchisedeci*, id est, modo augustissimo, quo regnum simul & sacerdotium jungebantur, ut ante Legem Mosis. εἰς αἰῶνα [*in æternum*] valet, *sine successore*.

7. *Ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, Qui in diebus carnis suæ*] Id est, *in tempore sui status infirmi, ac multis malis obnoxii*, qui sæpe solet apud Hebræos nomine בשר, id est, σαρκὸς [*carnis*] ut Esai. 31. 3. aut etiam vocibus בשר ודם σαρκὸς καὶ αἵματος [*carnis & sanguinis*] ut supra 2. 14. significari: quia corporis humani constitutio, quæ in sacris literis vocatur *caro & sanguis*, nos istis malis subjectos facit. ¶ *δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσενέγκας, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens*] Δεήσεις [*preces*] est nomen generis. ἱκετηρία [*supplicationes*] plus aliquid significat, *preces valde submissas*, ut 2 Macc. 6. 18. Et חיל quod *magnam anxietatem* significat, vertitur per ἱκετεύειν [*supplicare,*] ut videre est Psam. 37. 7. In Glossis, ἱκετηρία, *oratio, precatio, supplicium*. ἱκετεύω, *supplico, precor*. Respicitur autem hic illud præcipuè tempus quo Christus maximè sensit infirmitatem naturæ humanæ, cùm à vi Divina quasi destitutus mortem cum tantis cruciatibus conjunctam vehementer perhorresceret, ne quid esset humani quod non pertulisset ille qui Filius erat Dei, ne nos putaremus ob hoc à Deo despectos si talia interdum & nobis evenirent, ac non eò minùs crederemus nos etiam nostro modo filios Dei esse. Vide Matth. 26. 37, 38, 39, 42, 44. Marci 14. 33. Luc. 22. 42, 43, 44. Quod in Lege veteri erant ignorantiæ & incogitantiæ, id in Christo erant affectus naturales qui ex dolore aut doloris metu oriuntur, qui eousque in Christo invaluerunt, Dei provido permissu, ut fuerit non tantùm λυπῶν [*tristis*] sed & ἀδημονῶν [*mæstus,*] Matth. 26. 38. Quid ergo naturaliter appetebat? liberari à tali morte: quod, si sola potentia Dei spectetur, Deo non erat impossibile effectum dare. Marci 14. 36. Sed hoc ne fieret, ex re erat humani generis. ἐκ θανάτου [*a morte,*] id est, ἐκ τούτου τοῦ θανάτου [*ab hac morte.*] *καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. & exauditus precibus liberatus ex metu*] Est contracta locutio frequens & Hebræis & Græcis. Sensus est, *In hoc exauditus fuit ut ab isto metu liberaretur*. Par locutio Psalm. 22. 22. ubi quod in Hebræo est עניתני rectè vertitur *exaudisti me*, id est, exaudiens liberasti *ab illis cornibus* μονοκερώτων [*unicornium,*] id est, malorum hominum. Sic Psal. 55. 17. ubi in Hebræo est יושיעני *servabit me*, LXX ponunt εἰσήκουσέ με [*exaudivit me*] per μετωνυμίαν [*Transnominationem.*] ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, id est, *liberatus ab illo metu* cruciatuum per Angelum ad se missum Luc. 22. 43. per quem ei ob oculos positus est ingens ille fructus ad homines redundaturus ex illis ipsius duris sanè perpessionibus, & quidem conjunctus cum maxima ipsius gloria, Philipp. 11. 9. εὐλάβεια est id quod ἀδημονεῖν [*gravissimè angi*] dicitur Matth. 26. 37. Marc. 14. 33. Sic Josue 22. 24. מדאגה [*præ sollicitudine*] Græci vertunt ἕνεκα εὐλαβείας. quæ ipsa vox Hebræa Prov. 12. 26. vertitur φοβερὸς λόγος [*sermo terribilis,*] ipsum autem verbum דאג, εὐλαβεῖσθαι Esaiæ 57. 11. φοβεῖσθαι [*timere*] Jerem. 17. 8. Sic Josephus de Rege marito

marito Estheræ, εὐλαβείας αὐτὴν ἀπολύων [*timore ipsam liberans.*] Et Lucas ipse Actor. 23. 10. εὐλαβηθεὶς posuit pro *timens*. Ab illo ergo metu Christus liberatus forti animo se paravit ad ferendos illos dolores. Vide ad hunc locum quæ habet Nazianzenus.

8. Καίπερ ὢν υἱός, *Et quidem cum esset Filius*] Multò magis quàm Adamus, conceptus contra naturæ ordinem. Vide Luc. 3. 38. ἔμαθεν ἀφ᾽ ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν. *didicit ex iis quæ passus est obedientiam*] Alludit ad Proverbium Græcum, παθήματα, μαθήματα [*nocumenta, documenta,*] quales sententiæ & cum simili παρονομασίᾳ [*Vocum allusione*] sunt ferme in linguis omnibus. Sensus est, expertus est in tantis tentationibus quam sit arduum Deo obedire. ἀφ᾽ ὧν, idem est quod ἐξ ὧν [*ex quibus.*] Par locutio Matth. 24. 32. & supra 7. ἀπὸ τῆς εὐλαβείας [*à metu.*]

9. Καὶ τελειωθείς, *Et consummatus*] *Ad ultimum usque perstans. Consummato opere.* Vide supra 2. 10. Philipp. 3. 12. & quæ dicta ad Luc. 13. 32. ¶ ἐγένετο τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου. *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*] Id est, *iis qui obediendi propositum habent*, *obtinet* tanquam summus Sacerdos ea Spiritûs auxilia, per quæ possint & ipsi tentationes quamvis gravissimas superare & sic *pervenire ad æternam illam salutem.* Ingens & consolatio & exhortatio, omnibus quidem, sed illis maximè temporibus & hominibus necessaria.

10. Προσαγορευθεὶς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀρχιερεὺς κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ· *Appellatus à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec*] Nempe in illo Psalmo 110 cujus jam facta mentio. προσαγορευθεὶς נקרא [*appellatus.*]

11. Περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος, *De quo nobis grandis sermo,*] Supple *posset esse. Multa dicere possemus.* περὶ οὗ, *de qua re*, de qua similitudine inter Melchisedecum & Christum. ¶ καὶ δυσερμήνευτος λέγειν. *& ininterpretabilis ad dicendum*] Id est, ἐν τῷ λέγειν [*in dicendo,*] *quem si eloquerer, ægrè intelligeretis.* Nam qui quod sibi dicitur intelligit, is sibi id *interpretatur.* Ita rectè hunc locum accepit Hieronymus ad Euagrium. Confer Joh. 16. 12. Præparat eos ad id quod hic differt, mox editurus cap. 7. ¶ ἐπεὶ νωθροὶ γεγόνατε ταῖς ἀκοαῖς. *quoniam imbecilles facti estis ad audiendum*] Id est, ὑπόκωφοι [*surdastri.*] Nam νωθροὶ sunt *segnes* ut Prov. 22. 29. Sir. 4. 32. 11. 13. Per μεταφορὰν [*Translationem*] dicuntur hoc nomine ii qui non attendunt ad ea quæ ipsis dicuntur; ut solent quæ corporibus conveniunt, ad animos transferri.

12. Καὶ γὰρ ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι διὰ τὸν χρόνον, *Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus*] *Tamdiu Euangelium audistis, ut jam debeatis idonei esse ad docendos alios.* Singuli vestrûm apti jam esse debebant, εἰς τὴν ἐπισκοπὴν καὶ εἰς τὸ κοπιᾶν ἐν τῷ λόγῳ [*ad episcopatum & ad laborandum in verbo.*] ¶ πάλιν χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, *rursus indigetis ut vos doceamini*] Supple με [*à me.*] *Opus habetis ut ego vos doceam.* Eadem locutio 1 Thess. 4. 9. Plena autem 1 Thess. 1. 8. ¶ τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ. *quæ sint elementa exordii sermonum Dei*] Id est, Euangelii, in quo maxima & summè necessaria sunt Dei oracula, quæ & sic dicuntur 1 Petr. 4. 11. στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς [*elementa exordii*] non hic id sunt quod στοιχεῖα τοῦ κόσμου [*elementa mundi*] Gal. 4. 3. & Coloss. 2. 8, & 20. sed id quod infra dicitur 6. 1 ὁ τῆς ἀρχῆς λόγος & θεμέλιον [*inchoationis sermo & fundamentum,*] *prima rudimenta*, [illegible] κατήχησις [*Catechesis* seu *initialis institutio*,] de qua re diximus ad Matth. 28. 20. Et illud ἀρχῆς [*principii*] est ἐξηγητικόν [*explicativum.*] Nam omnium artium principia vocantur *elementa.* Sic Hebræis *Legis principia* dicuntur יסודי התורה [*elementa Legis*] Maimonidæ Duce dubitantium 3. 35. ¶ καὶ γεγόνατε χρείαν ἔχοντες γάλακτος καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς. *& facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo*] Eundem sensum alia similitudine explicat. Infantibus lac datur, adultioribus *solidior cibus*, qui βρῶμα 1 Cor. 3. 2.

13. Πᾶς γὰρ ὁ μετέχων γάλακτος, *Omnis enim qui lactis est particeps*] Supple, *tantùm.* Alia comparatio lactis est 1 Petr. 2. 1, 2. ¶ ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης. *expers est sermonis justitiæ*] Hic δικαιοσύνης [*justitiæ*] dixit pro τελειότητος [*perfectionis,*] ut ex sequentibus apparet. Et genitivus est pro adjectivo. Sic *justa hominis statura* dicitur quæ ad summum pervenit. Sic *mammona justitiæ*, id est, veræ divitiæ. Et אמת, *veritas*, sæpe vertitur δικαιοσύνη [*justitia.*] Et *imputatur in justitiam*, id est, pro magno opere habetur. Intelligit autem id quod Clementi Alexandrino & aliis γνῶσις dicitur *cognitio* πολυποικίλου σοφίας Θεοῦ [*multiformis sapientiæ Dei,*] ut loquitur Paulus Ephes. 3. 10. σοφία [*sapientia*] per excellentiam, 1 Cor. 2. 6. quæ datur per διάνοιξιν τῶν γραφῶν [*revelationem scripturarum*] Luc. 24. 32. Vera Cabala. ¶ νήπιος γάρ ἐστι. *parvulus enim est*] Sic se habet ad illam penitiorem doctrinam quomodo pueri ad artes viriles. Vide 1 Cor. 3. 1. 13. 11. Infantibus nec dentes sunt ad mandendum cibum duriorem, nec ventriculi ea vis quæ talem cibum concoquat. Alimentum infanti conveniens est lac; juveni panis, caro, vinum. Est hæc sententia jam ab aliis adducta ex Josepho.

14. Τελείων δέ ἐστιν ἡ στερεὰ τροφή, *Perfectorum autem est solidus cibus*] Τελείους [*Perfectos*] intelligit *homines perfectæ ætatis*, ut 1 Corinth. 2. 6. 14. 20. Ephes. 4. 13. Philipp. 3. 15. Per hos verò eos qui in rerum divinarum meditatione multum profecerunt, οἱ τὴν γνωστικὴν πίστιν εἰληφότες [*qui scientiam fidei junxerunt,*] ut Clemens loquitur 6. Strom. ¶ τῶν διὰ τὴν ἕξιν, *eorum qui propter habitum* Ἕξις est *firma facilitas*, interprete Quintiliano. κατηγοριῶν] [*Categoriarum* seu *Prædicamentorum*] scriptori, ἕξις χρονιώτερον καὶ μονιμώτερον διαθέσεως [*habitus firmior est dispositione & hæret tenacius,*] sive διάθεσις διὰ χρόνου πλῆθος συμπεφυσιωμένη [*dispositio ob temporis diuturnitatem altius in fixa & quasi conflata.*] Galeno, διάθεσις χρόνιος καὶ δύσλυτος [*dispositio diuturna nec facilè solubilis.*] Philoni, δεσμὸς οὐκ ἄρρηκτος ἀλλὰ μόνον δυσδιάλυτος [*Vinculum non quod frangi non possit, sed tantùm quod vix solvi.*] Sunt autem ἕξεις [*habitus*] tum in scientiis tum in virtutibus. Hîc de priori genere ἕξεων [*habituum*] agitur. Talem habent qui multùm & attente in Scripturis versati sunt. ¶ τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. *exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali*] Sicut in homine externo lingua, palatum, nares indicant quæ res bonæ quæ malæ sint, eoque meliùs quò magis in iis sunt exercitata, sic & homo interior sua habet αἰσθητήρια [*sentiendi organa*] per quæ allato aliquo mystico intellectu Scripturæ facilè judicat, an is rectus sit, an non, ex natura tum ipsius Euangelii, tum illarum dispensationum, per quas Deus Euangelium figuravit, & ad id suo tempore recipiendum homines præparavit. Sic & αἴσθησις [*sensus*] à corpore ad animum transfertur Philipp. 1. 9. γυμνάζω, *exercito*, in Glossis. Vide 1 Timoth. 4. 7. infra 12. 11. sic γυμνάζειν τὴν ψυχὴν [*animam exercere*] dixit Isocrates. Hæc διάκρισις [*discretio,*] de qua hîc agitur, non multùm dissimilis est τῇ διακρίσει τῶν πνευμάτων [*discretioni spirituum,*] de qua 1 Cor. 12. 10. In veste summi Sacerdotis alterna tintinnabula aurea & mala Punica significabant facilitatem ejus להבין בין טוב לרע, *ad discernenda bona à malis.* Habemus id in Zeror.

CAP. VI.

VALLA.

1. **Q***Uapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem*] Imò *omittentes*, ἀφέντες. Nec *inchoationis*, dixissem potiùs quam *primordii* seu *principii* τῆς ἀρχῆς.

9. *Viciniora saluti*] Gr. *vicina* seu *propinqua*, ἐχόμενα.

11. *Ostentare solicitudinem*] Non est Græcè *ostentare* sed *ostendere* seu *demonstrare*, ἐνδείκνυσθαι.

12. *Imitatores eorum qui fide & patientiâ hereditabunt promissiones*] Gr. *per fidem & patientiam hereditant*, si modo hoc verbum reperitur, sive *hereditate possident* διὰ πίστεως καὶ μακροθυμίας κληρονομούντων.

13. *Nisi benedicens benedicam te*] Non est Græcè *Nisi*, quod dicitur εἰ μὴ, sed quod simile nonnihil est, ἦ μὴν, quod est Affirmantis & Asseverantis, i. e. *Verè*, vel *Profectò*, vel *Enimvero*, vel *Usque.*

16. *Homines enim per majorem sui jurant*] Hoc est quod dixi superius *transferre casum è casu*, quasi nos demus comparativo genitivum, more Græco. Ergò *se* fuit dicendum. Verum Græcè ista particula non legitur sed subauditur.

ERASMUS.

1. **Q***Uapropter intermittentes*] Ἀφέντες, *omittentes*, seu potius *omisso sermone.* ¶ *Inchoationis*] Melius vertisset *Primordii*, sive *principii*, quemadmodum paulò antè vertit *exordii*, ἀρχῆς. Sentit autem ea verba quibus rudes adhuc in Christo initiantur & instituuntur, nempe Catechumeni. ¶ *Fides ad Deum*] Ἐπὶ Θεόν, *in Deum.*

2. *Baptismatum doctrina*] Quidam hoc conjunctim legunt, ut sit sensus *doctrina quæ est de baptizando.* At Græcanica Scholia sic interpretantur ut separatim sit legendum. *Omittentes sermonem illum, quibus primùm instituuntur rudes in Christo*, nempe eum qui est de *Pœnitentia*, h. e. primum admonentur ut relinquant vitam pristinam, renascituri in Christo; deinde de *Fide* in Christum condiscunt, quid sit credendum, deinde his traditis succedit *Baptisma*, cujus mysteria tum demum aperiuntur. Post hæc docentur de sacramentis fidei nostræ, & paran-

tur ad accipiendum Spiritum sanctum. Quanquam si mavis conjunctim legere, nihil vetat quo minùs intelligas de *instituto & doctrina prima qua baptizandis*, h.e. Catechumenis, *solet tradi*. Quod si placet, singula quoque quæ sequuntur possunt ad *doctrinam* referri, *qua est impositione manuum*, *de resurrectione mortuorum*, *de judicio æterno*. Atque hunc sensum mihi sequi videtur Chrysostomus, ut totum hoc quod recensuit de *pœnitentia*, de *fide*, de *baptismatibus*, de *manuum impositione*, de *resurrectione mortuorum*, de *judicio æterno*, *fundamentum sit doctrinæ Christianæ*, sine qua nemo sit Christianus. Cæterum in his adolescere & à virtute in virtutem progredi *perfectionis* est.

4. *Gustaverunt etiam*] *Gustaveruntque* est Græcè, γευσαμένους τε. Nè putemus hic novum esse caput.

5. *Gustaverunt nihilominus*] Rursum vim conjunctionis circumlocutus est: nam Græcè est *& gustaverunt*. ¶ *Virtutesque venturi seculi*] Δυνάμεις· ut intelligas hic esse infirmitatem, illic apparere potentiam, quæ jam nunc incipit in piis ceu pignus immortalitatis futuræ. Hoc admonere visum, nè quis interpretetur de *virtutibus* quæ Vitiis opponuntur.

6. *Rursum renovari*] Ἀνακαινίζειν, *renovare*, verbo activo, ut subaudias *se*. Hic quoque locus in causa fuit quo minus hæc Epistola Pauli putaretur nonnullis, quod id videatur asserere quod à nonnullis hæreticis defensum est, *Si quis à Baptismo relapsus esset in peccatum letale*, h.e. in Homicidium, aut Adulterium, aut simile, *non posse pœnitentiâ restitui*. Verùm hanc difficultatem duobus explicant modis. Primùm ut accipiamus impossibile dictum quod admodum difficile voluit intelligi. Est autem tempestiva hujusmodi exaggeratio in deterrendo. Nam sufrigidum mihi videtur sic elabi ut dicamus *impossibile* esse *quoad nostras vires*. Deinde ut Pœnitentiam cum Baptismo conjungamus. Siquidem per Baptismum peccatis pristinis morimur. Porrò Baptismum non iterari, jam olim receptum est Patrum autoritate. Ad hanc sententiam faciunt quæ sequuntur, *rursum sibi crucifigentes Filium Dei*, quod aliàs Paulus Baptismum appellet *unà cum Christo crucifigi*, *commorique* & *consepeliri*. Proinde ut ille non nisi semel mortuus est, ità non convenit iterari Baptismum. Eodem pertinet *renovandi* verbum Nam pœnitentiâ quâ nos utimur non tam renovamur quàm sarcimur: Solus Baptismus renovat. Ad hunc ferme modum Chrysostomus. Apparet autem tum fuisse qui Judaico animo satis esse putabant ceremonias Sacramentorum, atque hâc fiduciâ licentius peccabant quòd arbitrarentur subindè licere ad ea remedia recurrere. Hunc igitur errorem diligenter eximit hoc loco Paulus. ¶ *Ad pœnitentiam*] Εἰς μετάνοιαν. Admonet Chrysostomus præpositionem εἰς usurpatam vice ἐν, & ἐν positum loco διὰ, more Hebræorum. ¶ *Rursum crucifigentes*] Ἀνασταυροῦντας quod Hieronymus quodam in loco vertit *recrucifigentes*, Græcam exprimens vocem. ¶ *Et ostentui habentes*] Παραδειγματίζοντας quod vertit in Matthæo *traducere*. Verti poterat *infamantes*, sive *ludibrio exponentes*. Reddunt enim quodammodo Christum infamem & ludibrium faciunt, qui, cùm semel sit mortuus, semper victurus, suâ vitâ efficiunt ut illi sit sæpius moriendum, videlicet iterantes id propter quod ille mortem suscepit.

7. *A quibus colitur*] Δι' οὓς καὶ γεωργεῖται, *per quos & colitur*: ut intelligamus fructum reddendum, non quibuslibet, sed iis quorum operâ culta est terra. Id enim efficit addita conjunctio, quam Interpres omisit.

9. *Viciniora saluti*] Ἐχόμενα σωτηρίας, *propinqua saluti*, sive *adhærentia saluti*. Certè Augustinus l. 3. contra Cresconium, c. 74. citat *meliora & hærentia saluti*. Verùm Interpres, quoniam præcesserat comparativum, subjunxit item comparativum.

10. *Et dilectionis*] Gr. καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης, *laboris dilectionis*, nempe laboris quem ob charitatem in juvandis proximis adierunt.

11. *Ostentare*] Ἐνδείκνυσθαι, *ostendere*, sive *monstrare*, *exhibere*, *præstare*. Nam *ostentare* semper in malum sonat. ¶ *Ad expletionem spei*] Πρὸς τὴν πληροφορίαν q. d. *certificationem*. Certissimæ enim spei fiducia nascitur ex piis operibus potiùs quàm ex syllogismis: & qui frigidè sperat, languet in piis operibus. Nam πληροφορία dicitur cùm certissimis argumentis rei cujuspiam fit fides. ¶ *Usque in finem*] Ἄχρι τέλους. Id quod non solùm accipi potest de Perseverantia usque ad finem vitæ, sed multò magis de Perfectione spei, quæ crescit & adolescit in nobis, simul augescente pietate, *donec occurramus in virum perfectum*. Nam hinc cœpit hæc disputatio Pauli, ut grandescerent in Christo.

12. *Ut non segnes*] Ἵνα μὴ νωθροὶ, *nè languidi*, aut *segnes*. Id quod paulò superiùs vertit *debiles*. ¶ *Et patientiâ*] Μακροθυμίας, i.e. *longanimitate*, si quis ad verbum exprimat. Expressiùs autem dixit Apostolus quàm Interpres, *qui per fidem & patientiam*. ¶ *Hereditabunt*] Κληρονομούντων, i.e. *hereditatem capiunt*; & est præsentis temporis, non futuri.

13. *Abrahæ nempe*] *Nempe* posuit pro *quippe*, τῷ γὰρ Ἀβραάμ. Sed in quibusdam cod. rectè habetur *namque*, velut in exemplari Paulino & in aliis item emendatioribus.

14. *Nisi benedicens benedixero*] Non est Græcè εἰ μὴ *nisi*, sed ἦ μὴν, quod, ut indicat Theophylactus, hoc loco adverbium est Confirmandi. Nihil autem aliud est jusjurandum quàm vehemens confirmatio. Eadem vox habetur apud LXX. Gen. 22. quam tamen Hieronymus non reddidit Latinè, quia sæpe non potest commodè reddi. Quoniam autem Scriptura frequenter utitur syllaba *Si*, cùm jurando negat, *Nisi* cùm affirmat, Interpres hic rectè pro ἦ μὴν posuit *nisi*: nec id præter Latinorum consuetudinem. ¶ *Multiplicabo*] Cur non potiùs *multiplicavero*, πληθυνῶ;

16. *Per majorem sui*] Rursum oblitus reliquit Græcum casum. Latinè dicendum erat *majorem se*. Quanquam apud Græcos pronomen nullum additur, sed tantùm est *per majorem*. ¶ *Et omnis controversia finis*] Græci legunt *illis* αὐτοῖς, non αὐτῶν ut accipias, *illis*, nempe *hominibus*, *jusjurandum est finis omnis controversiæ*. ¶ *Ad confirmationem est juramentum*] Apparet & hic εἰς, i.e. *in*, positum pro *per*. *Finitur controversia confirmatione jurisjurandi*.

17. *Immobilitatem*] Τὸ ἀμετάθετον, *immutabilitatem*, sive *firmitatem*. Solent enim hominum testamenta & pacta rescindi, at Dei non item.

18. *Quibus impossibile est*] Gr. *in quibus*, ἐν οἷς. ¶ Nec est *fortissimum*, sed ἰσχυρὰν, *validum*.

19. *Quasi ancoram*] Ὡς ἄγκυραν, *tanquam ancoram*. Vetusti Latinorum codices habent *sicut ancoram*. ¶ *Ad interiora velaminis*] Καταπετάσματος· quod propriè significat *aliquid obtentum atque obductum quod arceat conspectum*.

VATABLUS.

1. I*Ntermittentes inchoationis Christi sermonem*] *Omisso qui in Christo rudes inchoat sermone*. ¶ *Ad perfectionem feramur*] i.e. Demus operam iis circa quæ versari debent qui in Christo adulti sunt. ¶ *Jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum*] i.e. Non rursum docentes fundamenta, quæ primùm omnium solent doceri Christiani, quæ vos jam edocti estis, quæ sunt pœnitentia à malis operibus, quæ mortem gignunt, fides in Deum, baptismus, impositio manuum, resurrectio & judicium æternum. Est autem ordo inversus, *baptismatum doctrina* pro *doctrinæ baptismatum*: ut pendeat à substantivo *fundamentum*: q. d. *non rursus jacientes fundamentum doctrinæ baptismatum*: i.e. non rursum docentes baptisma, &c.

3. *Et hoc*] *Atque id*: q. d. *docebimus vos perfectiora*.

4. *Enim*] Hoc loco vocat, *enim*; aut vertendum est per *Certe*. ¶ *Gustaverunt etiam*] *Gustaveruntque*.

5. *Gustaverunt nihilominus*] *Et gustaverunt*. ¶ *Virtutesque*] *Potentiasque*: i.e. gloriam. ¶ *Prolapsi sunt*] *Prolapsi fuerint*: sub. *in Judaismum* vel *Hellenismum*.

6. *Renovari*] *Renovare se*: i.e. impossibile est quòd rursum resipiscant. ¶ *Sibimetipsis*] i.e. In suam ipsorum perniciem: q.d. *Christum non pluris faciunt quàm qui illum crucifixerunt, illisque sunt similes*. ¶ *Et ostentui*] *Et ludibrio*: & pro *id est* positum.

7. *Germinans*] *Generans*, Vet. ¶ *A quibus*] *Per quos*.

8. *Cujus consummatio in combustionem*] *Cujus exitus huc tendit ut exuratur*.

9. *Viciniora*] *Propinqua*, *adhærentia*.

10. *Et dilectionis*] *Laboris dilectionis*: i.e. ex charitate suscepti. ¶ *In nomine*] *Erga nomen*: i.e. erga illum.

11. *Ostentare*] *Ostendere*, *præstare*. ¶ *Ad expletionem spei*] *Ad plenam spei certitudinem*.

12. *Patientiâ hereditabunt*] *Longanimitate hereditatem capiunt*.

13. *Promittens*] *Cùm promisisset*, vel *promissurus esset*: sub. *prolem*.

14. *Nisi*] *Certe*. ¶ *Benedicens benedicam te*, &c.] Heb. valde te felicem reddam, & haud dubiè multiplicabo te.

15. *Longanimiter ferens*] *Cùm patienter exspectasset*. ¶ *Repromissionem*] *Promissionem*.

17. *Pollicitationes*] *Pollicitationis*, Vet. ¶ *Immobilitatem*] *Immutabilitatem*, *firmitatem*.

19. *Incedentem*] *Introeuntem*.

CASTALIO.

12. QUi per fidem & patientiam] Μακροθυμία aliquando dicitur ab ארך אפים, ad verbum μακρὸς θυμῷ *tardus irâ*, qui Latinè *lentus* appellatur: unde *lentitudo* est μακροθυμία, quæ eadem nonnunquam *clementia* aut *facilitas* dici potest. Atque ità solet Paulus hoc verbo uti. Nec me fallit, *lentitudinem* in vitio aliquando poni; sed potest & in laude dici, cùm eam laudes quam alii vituperent. Nonnunquam μακροθυμία dicitur pro ὑπομονὴ, h. e. *patientia:* atque ità loquuntur Euangelistæ, & hic autor, ut ostendit sententia, cùm ea cum Spe conjungatur, ut 1 Thess. 1. dicitur ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος.

17. *Heredibus promissi*] Promissæ felicitatis.

CLARIUS.

1. QUapropter omittentes] Hortatur eos ut perfectiora aggrediantur. *Relinquentes*, inquit, *sermonem initii Christi*, sermonem videlicet doctrinæ, quòd *fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis ponendum sit*, quòd oporteat *in Deum credere*, *baptizari*, dignos fieri dono sancti Spiritûs quod per *impositionem manuum* dabatur, doceri de *resurrectione* ac futuro *judicio*. *Perfectionem* autem accipiunt, non solùm superioris illius de Christo Theologiæ comprehensionem, quantum homini fas est, verùm etiam profectum in virtutes, & afflictionum persecutionumque tolerantiam. Primùm itaque credentes baptizamur; deinde agnoscimus quæ pro nobis Christus passus est ac fecit; postea virtutibus perficimur; postremò scientiâ illâ quæ ad Theologiam pertinet efficimur digni.

3. *Et hoc faciemus*] Quid *faciemus*? *feremur* scilicet *ad perfectionem.*

4. *Impossibile enim est*] Cùm superiùs meminisset *Baptismi*, nunc dicit, *Impossibile esse renovari ad pœnitentiam*; non pœnitentiam auferens, sed docens non esse quærendam repetitam renovationem per Baptismum. Iis enim fortasse Judaici mores placebant, qui variis baptismatibus in Lege assueverant: idcirco volebat & Novi Testamenti Baptismum identidem repetere, & indè assequi remissionem peccatorum. Sunt tamen qui illud IMPOSSIBILE (quando hæc vox, ut alibi diximus, variis accipitur modis) interpretentur *admodum difficile & quod rarò usu veniat*, ut qui tam multis Dei donis sint ditati, si ingrati recedant ac labantur, postea redeant ad pœnitentiam. Vel sic, *Et hoc faciemus, ad altiora scilicet feremur, omissis primis rudimentis & elementis exordii sermonum Dei, ad quæ qui postquam illuminati semel fuerint, & gustaverint donum cœleste, relapsi fuerint, tam rarum est & factu difficile ut impossibile videri possit eos per pœnitentiam renovari, cùm illis iterum sese subjiciant propter quæ Christus crucifixus est, ut ab illis liberi essent. Atque ità quantum ad stultitiam illorum attinet, hoc agere videantur, ut Christo iterum occasionem præbeant cur iterum se crucifigi sinat, cùm voluntariè sive malitiâ peccantibus nobis & à fide in Christum discedentibus non relinquatur alia post Christum pro peccatis offerenda hostia.*

5. *Virtutesque seculi venturi*] Δυνάμεις, quæ sit videlicet vis futuri seculi, & qui usus, quòd in eo unusquisque retributionem accipiet eorum quæ egit, quodque finem non habeat neque pœna neque felicitas, & alia multa.

6. *Rursum crucifigentes*] Nam Baptismus crucem ac mortem Christi significat: tali ergò per Baptismum pœnitentiâ ad alteram crucifixionem alteramque mortem illum vocant, & subsannant atque infamant.

10. *Non enim injustus Deus*] Injustus ergò erit si oblivisca tur? Quid ergo illud vult quod in Euangelio monemur ut, *cùm omnia feceritis, dicamus nos servos esse inutiles?* at servo inutili quæ fit injuria siquis ejus obliviscatur? Sed vide benignitatem Dei: vult ipse ut facta nostra, quæ per se nullius sunt pretii, pretium apud se habeant, & *justum* esse vult ut merces illis rependatur. *Stude igitur*, ait Bernardus, *habere merita, habita data noveris, fructum speres Dei misericordiam.* Possumus ergo, atque adeò debemus spem in operibus ponere, eâ ratione tamen ut quæ pretium à Deo habeant, non à nobis, atque ità non in nobis sed in Deo gloriabimur, qui opera nostra per se non æstimemus, sed exspectemus pretium illis à Deo adhiberi.

18. *Ut per duas res*] Duo fuerunt maxima & immutabilia quæ intercesserunt, & Deus ipse promittens, & additum promissioni jusjurandum.

19. *Ad interiora velaminis*] In ipsum cœlum. Alludit autem ad fabricam Tabernaculi.

ZEGERUS.

1. Q*Uapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur*] Quia, ait, suprà diximus *perfectiorum esse solidum cibum, eorum qui propter assuetudinem exercitatos habent sensus*, & tales vos esse oporteat, *omissis initialibus de Christo sermonibus ad perfectiora ducamur.*

4. *Baptismatum doctrina*] Si duo hæc conjunctim legas sensus erit, *Omittentes sermonem de institutione* (seu *doctrina*) *quæ primùm catechumenis tradi consuevit.* Sin separatim, sensus erit, *Omittentes initialem sermonem de Baptismate & de doctrina quâ baptizatis plenius fidei traduntur sacramenta.*

3. *Et hoc faciemus*] Ad perfectiora tradenda feremur, *siquidem permiserit Deus.*

4, 5, 6. *Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt*, &c. *rursus renovari ad pœnitentiam*] Causam dicit cur omittat rursus initia tradere Christianæ professionis iis qui semel Christum induissent, nempe quod fieri nequeat ut à semel suscepta fidei & baptismatis illuminatione relapsi ad pristina vitia *denuo renoventur* εἰς μετάνοιαν, i. e. *in* (vel *ad*) *pœnitentiam*, h. e. *per pœnitentiam*, interprete Chrysostomo. *Renovabitur* enim, inquit, *ut aquilæ juventus tua.* Qui etiam hanc renovationem non nisi in lavacro fieri tradit. Hanc sententiam habet & Ambrosius lib. De pœnitentia 2. Glossa Ordinaria, & Aquinas, qui etiam D. Augustinum hujus profert sententiæ autorem. Verùm apud Augustinum non reperio, nisi lib. De vera & falsa pœnitentia, c. 3. falsò præferenti titulum Augustini. Quanquam quod habet Chrysostomus copiosè sed obscuriùs, is liber breviter & dilucidè explicat his verbis, *Dixit eos renovari per pœnitentiam impossibile esse, ut rursum crucifigant Filium Dei & ostentui habeant, id est, ut iterum baptizentur. Qui enim baptizatur mortem crucis & sepulturam repræsentat.* Recentiores aliquot simpliciter hunc locum accipiunt de quavis pœnitentia, & IMPOSSIBILE interpretantur *admodum difficile.* His consentire videtur D. Ambrosius lib. De pœnitentia c. 2. post priorem illam sententiam, in hæc etiam verba descendens, *Possem quidem etiam illud dicere ei qui hoc* (nempe præsens Apostoli verbum) *de Pœnitentia dictum putat, quia quæ impossibilia sunt homini, possibilia sunt apud Deum*, &c. Sed & D. Hieronymus cum his sentire videtur, libro videlicet adv. Jovinianum 2. nisi quòd Montani & Novati errorem (qui contendunt *non posse renovari per pœnitentiam eos qui sibi crucifixerunt Filium Dei & ostentui habuerunt*) Apostolum solvere dicat per ea quæ subnectit, *Confidimus de vobis meliora & viciniora saluti, tametsi ità loquimur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur*, &c. ¶ *Virtutesque seculi venturi*, Ut sunt Impassibilitas, Immortalitas, &c.

7, 8. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: Proferens autem spinas ac tribulos reproba est*] Cùm dixisset *impossibile esse post gustatum cœleste donum, postquam susceptum cum Spiritûs S. participatione verbum Euangelicum, prolapsos rursus renovari ad pœnitentiam*, hoc nunc paradigmate rei ostendit terribilitatem, declaratque; Quia combiberunt verbum, & sæpius cœlesti pluviâ irrigati sunt, & nec sic frugiferi facti sunt. Si enim non excolereris, inquit, si non potareris imbribus, non esset tantum malum. *Si enim non venissem*, inquit Joh. 15. 22. *& locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Si verò sæpiùs bibisti & excepisti, quâ ratione pro fructibus alia protulisti? Ità ferè Chrysostomus. ¶ *Cujus consummatio in combustionem*] Cujus finis combustio est.

11. *Ostentare*] Dictum est pro *ostendere*, vel *præstare*. ἐνδείκνυσθαι enim est *monstrare*, *exhibere* & *præstare*. ¶ *Ad expletionem*] Πληροφορίαν, q. d. *certitudinem spei*; i. e. ut plenam & perfectam spem vos habere ostendatis.

12. *Hereditabunt*] Gr. *sortiuntur*, sive *hæreditate obtinent*, tempore præsenti: atque id molliorem facit orationem.

13. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit*] Dilucidior erit sententia congruentiorque verborum series clausulam hanc, *quoniam neminem habuit per quem juraret majorem*, per Parenthesin interjectam intelligas.

14. *Nisi benedicens*] *Nisi*, i. e. ἢ μὴν, hoc loco Affirmantis est, q. d. *Certè benedicens benedicam tibi.* Vide suprà 3. 11.

16. *Et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum*] i. e. Omnis altercationis & litis finis est jusjurandum, idque in certam confirmationem.

17. *In quo*] Significare videtur hic *propter quod.*

18. *Per duas res immobiles*] Nempe promissionem & jusjurandum.

19. *Incedentem usque ad interiora velaminis*] i.e. Penetrantem usque ad Sancta sanctorum, quæ intra velum sunt. Tum autem spes nostra interiora penetrat velaminis, cùm cœlestia præmia certissimâ sibi exspectatione servari credit, sperat, amat, atque operibus ostendit qui credat & quid speret.

H. STEPHANUS.

6. Παραπεσόντας] *Cùm prolapsi sint.* ¶ Παραδειγματίζοντας] *Ignominiæ exponentes.*

9. Ἐχόμενα σωτηρίας] *Ad salutem pertinentia:* vel, *cum salute conjuncta.*

11. Πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος ἄχρι τέλους] *Ut plenè in* animis vestris *spes confirmetur.*

15. Μακροθυμήσας] *Cùm patienter expectasset.*

17. Τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ] *Immutabilitatem consilii sui.* ¶ Ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ] *Interpositione jurisjurandi usus est.*

DRUSIUS.

4. QUi *semel sunt illuminati*] Verbum Græcum φωτίζειν, quo hic usus fuit Apostolus, non tantùm *baptizare* sign. sed etiam *docere, instituere.* Ità passim in editione Aquilæ Pontici, qui sic amat reddere verbum Hebraicum הורה *docuit*, ut Exod. 4. 12. והוריתך *docebo te*, φωτίσω, *illuminabo, illustrabo.* Psal. 119. 33. הורני *doce me*, A. Th. φώτισον. Prov. 4. 4. וירני idem Aquila ἐφώτιζόν με, *illustrabant me.* Jes. 27. 11. φωτίζουσιν αὐτήν, *illuminant eam*, ubi Hier. *docentes eam.* Levit. 10. 11. ולהורות, LXX. συμβιβάζειν, alius φωτίζειν. Vide Rom. ed. Verbum הורה eodem modo interpretantur LXX. Jud. 13. 8. item 4 Reg. 12. 2. & 17. 27. καὶ φωτιοῦσιν αὐτοὺς τὸ κρῖμα τοῦ Θεοῦ τῆς γῆς, *docebunt eos judicium Dei terræ.* Igitur *qui semel sunt illuminati*, h. e. edocti & instituti in religione Christiana.

6. *Rursus renovari ad pænitentiam*] Alius, *ut denuo renoventur per pænitentiam.* Vult dicere, *ut denuo pænitentiam agant*, aut *resipiscant.* Jes. 22. 14. *Si expiabitur iniquitas hæc donec moriamini.* R. David ad h. l. *Non expiabitur iniquitas hæc Deportatione, donec moriamini morte gladii, quæ expiabit iniquitatem istam. Jonathan autem interpretatur de Morte secunda, quæ mors est animæ in altero seculo. Dicunt autem Doctores nostri f. m. Qui in manu habet profanationem Nominis, non est ei facultas ut pendeat à pænitentia, & ut expietur iniquitas ejus in die Kippurim, neque castigationibus abstergitur, sed omnia suspendunt, & mors abstergit.*

8. *Et tribulos*] Καὶ τριβόλους. Herba est inimica frugibus, quæ à Plinio inter terræ pestes numeratur. Respexit autem ad locum Gen. 3. 18. *Spinas ac tribulos germinabit tibi.* Præcedit autem, *Maledicta terra propter te.*

12. *Et patientiâ*] Vel *longanimitate.* Lex. Græco-Lat. vetus, Μακροθυμία, *longanimitas.* Μακρόθυμος, *longanimus:* malim *longanimis.* Sic *turpilucris* rectiùs dicitur quàm *turpilucrus.* Idem Lexicon, sed Lat. Græcum, *Longanimis*, μακρόθυμος. Nam θυμὸς *animus*, i. e. ira vel excandescentia, ut quidem sumitur in illo Horatii,

——*animum rege*,

i. e. θυμόν, quem qui cohibet vocatur ab Hebræis ארך אפים *longus irarum*, h. e. tardus ad iram.

13. *Neminem habuit per quem juraret majorem*] Nemo jurat per inferiorem. Unde negant Deum jurasse per thronum suum, qui est infra ipsum. Vide More part. 1. cap. 9. Cujus Scholiastes Nominibonus, qui Hebraicè SEM TOB, *Quicunque*, inquit, *jurat, jurat per id quod est supra se:* & mox, *Juramentum quod fit per alium quàm per Deum benedictum, nullum est.* ¶ *Juravit per semetipsum*] *Moses non juravit per sedem Dei, sed per essentiam & veritatem ejus*, ibid. *Deus jurat per seipsum, non per alium*, fol. 12. Col. 2. & 4. Vide quoque textum.

15. *Longanimiter ferens*] Μακροθύμως φέρων, quod uno verbo dixit Apostolus μακροθυμήσας, & alius interpretatur *cùm patienter exspectasset.* Vide quæ scripsimus ad v. 12.

16. *Per majorem jurant*] Non per parem, non per minorem. Deus autem, qui non habet majorem, jurat *per animam suam*, aut *per sanctitatem suam*, aut deinque *per excellentiam Jacobi:* quæ omnia recidunt in idem cum illo *per seipsum.* Sic apud Prophetam, *Per me juro.* ¶ *Omnis controversiæ finis*] Non omnes controversiæ finiuntur jurejurando, sed multæ. Sensus ergò est, *plurimarum controversiarum finis*, quæ videlicet aliter finiri nequeunt. Simile, *Omnes quæ sua sunt quærunt:* &, *Omnes gentes habent præputium*, i. e. pleræque.

19. *Intra velum*] Velum interius significat, quod Sanctum, in quo Sacerdotes erant à Sancto sanctorum dividebat: quod ingressus est Jesus tanquam Pontifex, qui semel in anno illud ingrediebatur, videlicet ipso die festi Chipphurim. Lapsus memoriæ meæ, de quo me admonuit reverendus & doctiss. vir Moses Cartaldus Ecclesiasta Diepensis in Gallia. Utinam ad hoc exemplum alii similiter facerent. Fatale est ordini nostro ut invisi simus iis de quibus optimè meremur. Id fit non culpâ nostrâ, sed culpâ eorum qui ægrè ferunt si alii sciant quod ipsi nesciunt. Talia sunt tempora. Cæterum non aliam fuisse mentem meam liquet ex iis quæ notata ad c. 9. v. 7. Scitum illud, *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Postridie diei illius Pontifex faciebat diem bonum fratribus suis Sacerdotibus, h. e. convivio eos excipiebat. Vide Thesbitem Eliæ in יום טוב. Qua de re dixi alibi, & dicam adhuc infra, si Deus permiserit.

CAMERON.

2. BΑπτισμῶν διδαχῆς] Dictum (si conjecturæ locus est) videtur βαπτισμῶν in plurali numero, quia inter Judæos frequentes erant Baptismi. Hinc fit ut Baptismus Christus *Baptismi* fuerit appellatus: quemadmodum idem hic autor Christi sacrificium θυσίας appellat infrà 9. 23. Neque verò consequens est ut pari de causa dicendum fuerit ἐπιθέσεων χειρῶν. Nam primò id nonnisi duriter admodum dici potest. Deinde verò non fuit creber usus ἐπιθέσεως χειρῶν, ut Baptismorum apud Judæos: nam ἐπιθέσει χειρῶν (quam illi vocant סמיכת ידים) vix utebantur nisi in dedicatione & consecratione personæ.

4. Ἀδύνατον γὰρ] Videntur hæc cohærere non cum iis quæ immediatè præcedunt, sed cum initio sive versu 1. ità ut Apostolus hic redeat unde fuerat digressus. ¶ Γευσαμένους τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου] Videtur hoc elogio idipsum intelligi quod Christus *donum Dei* vocat Joh. 4. 10. *Si scires*, inquit Samaritanæ, *donum illud Dei.* Et Rom. 5. 15. vocat δωρεὰ simpliciter, deinde v. 17. δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης, nempe Dei gratia in Christo offerentis remissionem peccatorum, lætitiam spiritualem, sanctitatem, & spem beatæ immortalitatis, denique veram felicitatem, quam soli Electi verè & ad salutem amplectuntur.

5. Δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος] *Virtutes futuri seculi* sunt, meo quidem judicio, quæ Act. 2. 11. vocantur τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *magnifica Dei*, illa nempe quæ Deus antè jacta mundi fundamenta præparavit suis per Christum exhibenda. Psaltes vocat נכבדות *gloriosa*, Psal. 87. 3. Sed quænam est nomenclaturæ hujus ratio? Nimirum δυνάμεις גבורות *miracula* dicuntur. Quoniam verò quæ rapiunt in admirationem ea pro miraculis habentur (Hebræi quæ sunt ejusmodi vocant נפלאות θαύματα) hinc fit ut δυνάμεις Apostolus vocarit admiranda illa quæ elucent in opere Redemptionis nostræ, mysterium Incarnationis, Mortis, Resurrectionis, Ascentionis in cœlum, Conjunctionis Christi cum Ecclesia, &c. Dicuntur autem ista *vitæ futuræ* δυνάμεις, quia pertinent ad vitam futuram, & de iis quicquid in hac percipi potest futuræ vitæ arrha quædam est, Ephes. 1. 9. & seqq. usque ad v. 16.

11. Πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος] Πληροφορία τῆς ἐλπίδος dicitur ut suprà καύχημα τῆς ἐλπίδος, *spes quæ habet πληροφορίαν.* Nam quæ nititur spes promissionibus humanis, ea certa esse nequit: quæ Divinâ nititur promissione, ea debet esse certissima; & verò ni sit, in eo peccatur, & quidem gravissimè. Cæterùm πληροφορεῖσθαι eodem modo dicitur quo ἐμφορεῖσθαι. Est autem ἐμφορεῖσθαι *satiari.* Quia verò si Spes & Fides Evangelica dubitationem habeant admixtam, anxietatem afferunt, donec exempta sit dubitatio, animus veluti fame laborat, atque (ut quæ sunt vacua) expleri appetit, id quod obtingit cùm fides & spes est certa: nam tum demum animus πληροφορεῖσθαι dicitur, & hæc affectio animi πληροφορία est.

12. Κληρονομούντων τὰς ἐπαγγελίας] Observandum est *promissiones* nunquam dici in plurali numero promissionem gratiæ nisi respectu Patrum qui ante Christi tempora vixerunt. Sic Gal. 3. 16. *Abrahamo dictæ sunt promissiones.* At respectu populi N. Testamenti *promissio* in singulari numero dicitur. Cujus rei hanc suspicor esse causam; quòd promissio gratiæ πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως olim proposita est, h. e. per gradus & certis temporum intervallis. Ergò non respectu materiæ sed externæ formæ unicam promissionem *promissiones* vocat Apostolus, nempe cùm de iis agit quibus tam *variè* tamque *multipliciter* promulgata fuit promissio. Sed quoniam exhibito jam Christo tota promissio re exhibita fuit, tota perfectissimè promulgata,

hinc

hinc fit ut quod antea *promissiones* id postea *promissio* sit appellatum.

17. Ἐν ᾧ] Positum est pro ἐφ' ᾧ *quam ad rem.* *Hâc mente homines per eum jurant qui major est, ut sit controversiæ finis; eundémque in finem jusjurandum interposuit Deus, dum vellet ostendere hæredibus immutabilitatem consilii sui.* ¶ Ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ] Μεσιτεύειν est *interponendo aliquid agere*: v. g. cùm non adhibetur fides verbis, μεσιτεύομεν δι' ὅρκου. Id Deus hoc loco dicitur fecisse.

18. Οἱ καταφυγόντες] Καταφυγόντες, h. e. מנוסים. Nam נוס, quod Lexica exponunt *sperare*, *confidere*, propriè significat καταφεύγειν *confugere aliquo.* Argumento est quod מנוס significat *perfugium* καταφυγήν. Et revera splendidissima Metaphora est, & quæ significantissimè demonstrat affectum animi eorum qui in rebus adversis constituti, postquam se vident oppugnari undequaque, & frustrà circumferunt oculos, vel exspectantes vel requirentes humanum auxilium, ad Deum tanquam ad unicum perfugium sese recipiunt. ¶ Τῆς προκειμένης ἐλπίδος] Spem intelligit ad quam invitamur in Euangelio: Quæ dicitur προκειμένη quòd ad eam omnibus pateat aditus nisi qui obduruerunt: hi verò sui sibi exitii autores sunt; culpa Dei nulla est, sed beneficentia potius. Siqui verò parent Euangelio, ideoque sperant quæ sperare jubentur, iis profectò non caro & sanguis sed Dei Spiritus tanti boni fuit autor. Eodem sensu κοινὴ σωτηρία dicitur *communis salus*, h. e. salus veluti in medio posita, Judæ 3. Non est ergò hic *spes* res sperata, sed ipsa virtus quæ in rem speratam tanquam in objectum fertur. Neque verò est quòd quisquam miretur eam dici προκειμένην, cùm multi sint homines, & quidem ii non prorsus profani, qui delusi Satanæ artibus, & infrà quàm decet animo dejecti vi tentationis & imbecillitate fidei, dubitant sintne ex eorum numero quibus liceat sperare vitam æternam. Ergò Apostolus, ut hinc profanis hominibus, cavillantibus ad se non pertinere ut sperent in Deum, os obstruat, indè verò dubitantes confirmet, spem hanc dicit προκειμένην. Est autem Metaphora ducta à certantibus, qui ad βραβεῖα & palmas in medio positas contendunt. Κοινὴν autem idem esse quod autori Epistolæ ad Hebræos προκειμένην, liquet ex voce ἐπαγωνίζεσθαι, quæ apud Judam eodem versu mox sequitur, παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι, &c.

JAC. CAPPELLUS.

1. QUapropter] Hactenus Reprehensio, quam inchoatam diximus cap. 5. 11. Sequitur Cohortatio. ¶ *Inter mittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursus jacientes fundamentum*] Meliùs Erasmus & Beza, *Omisso qui in Christo rudes inchoat sermone.* Τὸν λόγον τῆς ἀρχῆς & θεμέλιον vocat Apostolus eam doctrinam in qua conveniunt tam Judæi quàm Christiani, & consequenter à qua, tanquam à fundamento, debet initium duci. Apostolicæ cohortationis hæc est summa, Hactenus retrocessistis velut in dies repuerascentes; sed tandem, excusso veterno, vobis adspirandum ad eam perfectionem quam obtinent soli verè Christiani. ¶ *Pœnitentia ab operibus mortuis*] h. e. Mortiferis, qualia sunt omnia peccata, Rom. 6. 23. quod ii demum agnoscunt ex animo qui seriò sentiunt quænam sit peccati natura, quænam Dei majestas. Sed in eo certè consentiunt omnes tam Judæi quàm Christiani, necessariam ad salutem esse Resipiscentiam à peccatis, & *Fidei in Deum* doctrinam.

2. *Baptismatum doctrina*] Malim *Baptismorum*, quippe distinctionis ergò βαπτισμὸς ab Apostolis ad plura refertur quàm βάπτισμα. *Baptismorum* autem *doctrina* fundamentalis dici potest, & tam inter Judæos quàm inter Christianos ὁμολογούμενος, quia fatentur utrique nobis ad Deum accedentibus opus esse lotione. Sed Christiani, certè veri, tam à Christianis ortos quàm proselytos initiant per Lotionem in nomine Patris, Filii & Spiritûs Sancti; nullasque præterea lotiones ad salutem necessarias esse credunt nisi spirituales. Judæi non à Judæis ortos sed proselytos tantùm per Lotionem initiant; mulieres quidem per Lotionem solam, viros verò per Circumcisionem & Lotionem, quibus addebatur etiam Sacrificium aliquod cùm stabat Templum, aut Arca, ut prolixè docet R. Moses Maimonis F. Misnæ Tract. De concubitu prohibito, cap. 3. Et præter hanc initiatoriam, ut ità dicam, lotionem multas alias præterea lotiones externas habent Judæi, tum poculorum, tum hominum, Marc. 7. 4, 8. Hebr. 9. 10. Hominum, inquam, ἐξεγειρομένων, aut à foro redeuntium, aut etiam ad orationem sese parantium: de quibus Maimonides Misnæ Tract. De benedictionibus, cap. 4. & 6. ¶ *Impositionis manuum*] Is ritus tam Judæis quàm Christianis communis est, & à Judæis dicitur סמיכה. R. David Ganaz, sive mavis *Ganz*, i. e. *Anser*, in suo Germine, notat, *in Israelitarum terra*, h. e. in Chananæa, *cessasse* χειροθεσίαν *sub Hillele secundo*, cùm in ea pridem antea cessasset Synedrium LXXvirale. Hillel II. Doctoris munere fungi cœpit A. D. CCCLVIII. Non propterea desierunt Judæi scholas habere, sed ex tum aliò translatæ sunt, Pombaditam videlicet & Suram. Notant autem Judæi necesse non esse ut Doctor ei quem Doctorem facit reapse manum imponat, sed sufficere si dicat אני סומך אותך, q. d. Ἐγώ σε χειροθετῶ, pro χειροτονῶ, *Ego te Doctorem constituo.* Vide Scaligerum Adversùs Serarium pag. 76. ¶ *Resurrectionis mortuorum, & judicii æterni*] h. e. Cujus effectus æternùm duraturus est, sive piorum gloriam sive reproborum damnationem spectes. Hos autem duos articulos licèt negaverint tum Sadducæi, tum apud Christianos hæretici quidam, qui refelluntur 1 Cor. 15. tamen iis assentiuntur tum Christiani, tum Judæi omnes, ut patet ex Talmudis Tract. De Synedrio cap. 10.

3. *Et hoc faciemus*] h. e. Quod vobis suademus, ut non semper hæreatis in primis elementis, sed ad summa feramini, *id nos faciemus*; vel, de his ipsis fundamentalibus doctrinæ Christianæ capitibus acturi sumus alias. ¶ *Siquidem permiserit Deus*] Hâc exceptione mortalibus semper utendum, ea docetur Jac. 4. 13, 14, 15.

4. *Impossibile est enim eos*, &c.] Hactenus Exhortatio. Sequitur Comminatio, sed ellipticum aliquid habens: q. d. Nisi quàm primùm desinatis cancrorum more retrocedere, illa regressio vos abducet in defectionem ac ruinam prorsus insanabilem. Nam, &c. In hac Apostolicæ comminationis ætiologia tria describuntur; 1. Dei beneficium, 2. Hominum defectio, 3. Defectionis pœna. Dei beneficium describitur, 1. κατὰ πρόληψιν, 2. κατ' ἐργασίαν. ¶ *Qui semel sunt illuminati, & gustaverunt donum cæleste*] Hæc est proleptica Divini beneficii descriptio, respiciens intellectûs illuminationem, & eam voluntatis immutationem ut aliquo modo gratiam cœlestem sibi oblatam amplexi sint, sed ad gustum usque tantùm. Et *gustare* quidem aliquando præsupponit & complectitur manducationem potumve, ut Judic. 19. 5. Psal. 34. 9. 2 Sam. 3. 35. Hic autem tam potui quàm manducationi opponitur, ut 2 Reg. 4. 40. Matth. 27. 34. Hactenus autem πρόληψις, sequitur ejus ἐργασία. ¶ *Et participes facti sunt Spiritus sancti*] Per mentis illuminationem, ut ea caperent quæ capere non possunt homines merè ψυχικοί, 1 Cor. 2. 14. licet potuerint in eorum adhuc esse numero qui *nondum quidquam norunt sicut oportet scire*, quales sunt δοκησίσοφοι, de quibus 1 Cor. 8. 2.

5. *Nihilominus*] Meliùs Erasmus & Beza, *Et.* ¶ *Gustaverunt bonum Dei verbum*] h. e. Quàm bonum sit & salutare fœdus Euangelicum. ¶ *Virtutesque seculi venturi*] Quanta sit æternæ vitæ felicitas viderunt illi, ejusque gaudia delibarunt, sed primoribus tantum labris: quod gustantium est proprium. Horum hominum conditio sub alia similitudine describitur Matth. 13. 20.

6. *Et prolapsi sunt*] Aliquid ampliùs designat Apostolus quàm sonare videntur ejus verba. Nam si Rom. 11. 11. πίπτειν à πταίειν ità distinguitur ut πίπτειν peculiariter significet totalem & æternum gentis Judaicæ casum, hic certè παραπίπτειν peculiariter significare potest ejusmodi casum qui penitus exstinguat eam vitæ spiritualis speciem quam ii qui versu quinto quartoque descripti sunt per vocationem acceperant: quæ vita licet minùs præstans sit eâ quam confert regeneratio κατ' ἐξοχὴν dicta, tamen multò præstantior est eâ quam habent ii qui non alio quàm naturali lumine fruuntur & ducuntur. Hic autem *casus* est peccatum in Spiritum sanctum, quod ut hic *insanabile*, sic *irremissibile* dicitur Matth. 12. 31. Mar. 3. 29. Luc. 12. 10. Quod item simpliciter dicitur *ad mortem* 1 Joh. 5. 16. idque non meriti tantum sed etiam eventûs habitâ ratione. Meritum si spectes, peccata Petri, Davidis, Salomonis erant mortalia, veniâ indigna; eventum si spectes, veniam sunt consecuta, eoque non fuerunt ad mortem. Peccatum autem quod hic, quod Matth. 12. 31. & 1 Joh. 5. 16. describitur, est ejusmodi ut nunquam instaurationem, veniam nunquam consequatur, eoque culpam illam necessariò sequatur mors æterna. ¶ *Impossibile est eos rursùs ad pœnitentiam renovari*] Vox quidem ἀνακαινίζειν propriè significat *renovare*; sed series sermonis satis indicat eam hic idem significare quod *renovari.* Dicitur autem id ἀδύνατον ex hypothesi Divinæ ordinationis, quia contingere non potest ut quos renovaturus est Deus, eos patiatur hoc casûs genere prolabi. ¶ *Rursum cruci figentes sibimetipsis* (h. e. quod in illis est) *Filium Dei, & ostentui* (h. e. ludibrio) *habentes*] Hæc est descriptio casûs cujus antea mentio facta fuerat, nè quis putaret quemvis hominis baptizati regenerative casum talem esse ut postea nullus sit ad renovationem & gratiam reditus, sive in poli foro, prout putarunt duriores Novatiani, sive saltem in foro soli vel Ecclesiæ, prout suam sententiam explicarunt moderatiores Novatiani, ut Acesius apud Socratem lib. 1. c. 7. Ex hujus autem versiculi

cum

cum præcedente comparatione *Peccati* quod *in Spiritum sanctum*, quod *irremissibile*, quod *ad mortem*, quod *insanabile* dicitur κατ' ἐξαίρετον, descriptionem hanc colligere possumus; ut esse dicatur *Hominis à Spiritu S. sic innovati ut de promissionum Euangelicarum veritate & præstantia mens ejus penitus convicta fuerit, easque jam ut sibi Divinitus oblatas cum aliquo gustu gaudioque complexa fuerit voluntas, ejus, inquam, hominis lapsus in ejusmodi veritatis Euangelicæ contemptum & odium, ut eam, eoque Christum ipsum, quantâ maximâ potest afficiat contumeliâ & injuriâ:* quale fuit multorum qui Christum in crucem adegerunt peccatum. Dicitur speciatim *peccatum in Spiritum Sanctum*, quia Spiritus S. est proximum ac immediatum agens à quo veritas illa menti, voluntati, conscientiæ persuadetur. Est & speciatim peccatum in Filium, quia veritatis illius præcipuum objectum est Christus unigenitus Dei Filius. Omnia quidem peccata, imprimis, atrocia scelera, Patris, Filii, Spiritusque S. Majestatem violant, eoque sunt indigna remissione, morte dignissima: sed peccatum quod hic describitur Majestatem illam speciali quodam indignitatis modo violat; in quem incidere non patitur Deus ullum eorum quos elegit ab æterno, quosque regeneratione veniâque donaturus est æternum duraturâ. Unde colligitur cur hæc peccati species speciali modo dicatur *ad mortem*, *insanabilis*, *irremissibilis*, *in Spiritum Sanctum*.

7. *Nam*] Ætiologia comminationis v. 4. inchoatæ, quæ confirmatur à simili, cujus ἀνταπόδοσις disertè quidem non exprimitur, sed per se patet. ¶ *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem*] *Ager Dei sumus*, Θεοῦ γεώργιον, 1 Cor. 3. 9. *vinea Domini*, *planta delectationum ejus*, h. e. in qua maximè delectatur, Esa. 5. 7. *Pluvia* quâ nos irrigat sunt tam Legis quàm Euangelii prædicatio, quâ foris aures personat, intus corda pulsat; nec non etiam beneficia, quæ largâ manu profundit in nos. Hæc omnia suâ quidem naturâ sunt emollientia, ut quæ plùs satis nos obligent ad emolliendam cordis nostri duritiem. Imprimis verò cùm Dei commonefactiones ut plurimum sint non rapidus imber, non tempestas continua, sed subindè recurrens pluvia, quà suavius in mentes nostras insinuat, & efficacius cordis ima penetret. Est enim ea Dei benignitas ac Φιλανθρωπία ut κατὰ συγκατάβασιν attemperet solo pluviam quam cœlitus emittit. Ut vasa oris angusti, si sensim instilles, admittunt, si profundas, respuunt liquorem superfusum. Ideo monita beneficiaque sua Deus ut plurimum ità temperat ut nos irrigent potiùs quàm obruant. ¶ *Et generans herbam opportunam illis à quibus colitur*] Non satis est si dicas te non adulterum esse, non rapacem.

Virtus est vitium fugere.

At non id tantum, sed & id quod decet facere. Maximum vitium est nullis præditum esse virtutibus. Quid turpius quàm

——— *monstrum nullâ virtute redemptum*
A vitiis?

Non tantum malus operarius sed & otiosus in tenebras exteriores extruditur. Otium enim Satanæ pulvinar & vitiorum omnium fomes. *Arbor sterilis amputatur & in ignem abjicitur* Matth. 3. 10. Vineæ Dominus fructus sibi debitos meritò reposcit. ¶ *Accipit benedictionem à Deo*] Hoc ipso testatur se Divinæ benedictionis esse participem.

8. *Proferens autem spinas ac tribulos reproba est*] Nempe si quantumvis bene culta, pluviis opportunis irrigata, nihil tamen aut vix quidquam præter *spinas & tribulos proferat*, *est* sanè *reproba terra*. Sunt autem Spinis vitia simillima: I. Quòd sponte suâ veniant. Non est quòd quæras quis severit spinas carduosve, Peccati quis sit autor. Sponte suâ rubigine ferrum obducitur: sponte suâ carduis exasperatur terra: sponte suâ

Gens humana ruit per vetitum nefas.

Perditio tua ex te, ô Israël, Hos. 13. 9. II. Tenax & ferax admodum est senticetum, ut cui si vel minimam agelli partem largiaris, brevi tempore propagetur, & totum agrum inficiat: Sic & Vitio nihil tenacius est, nihil pullulat magis. *Obedientiam obedientia, transgressio transgressionem trahit*, inquiunt Judæi. *Abyssus abyssum inclamat*] & multi *peccatum trahunt* veluti *rudentibus iniquitatis*, Esa. 5. 18. III. Non tantùm inutiles sed & aculeis pungentibus horridæ sunt spinæ: adeoque Spinis aliquis est usus, Vitio nullus, nisi quòd etiam è tenebris lucem educere novit Deus: sed Deus unus hoc novit. Peccato nihil est neque fœdius nec exitiosius. ¶ *Et maledicto proxima*] Peccatori quamdiu manet in vivis nunquam præcluditur spes: simul ac excessit, nulla deinceps spes ulli relinquitur qui quidem in Christo mortuus non fuerit; quo modo nec ullus agon superest exantlandus ei qui spiritum suum Domino tradidit. *Beati qui moriuntur in Domino*, Apoc. 14. 13. ¶ *Cujus consummatio in combustionem*] Clariùs Beza, *cujus exitus* tendit *ad*. Non est quòd quæras qualis sit futurus ignis ille. Nè corporibus quidem cruciandis aut etiam exurendis semper necessarius est ignis materialis, cum &

——— *Boreæ penetrabile frigus adurat*,

& febrium cohortes innumeræ sanguinem adurant, unde & καῦσοι dicuntur. Multò minùs animæ cruciandæ necessarius est materialis ignis. Quamobrem non solum Ignem sed & Vermes comminatur Scriptura; utrumque proculdubio Metaphoricè, sed verissimè tamen, ut sciamus neque Vermis nervos arrodentis nec ullius Ignis dolorem esse comparandum cum eo qui cruciaturus est reprobos.

9. *Cæterùm*] Hactenus Comminatio. Sequitur Consolatio; Siquidem quàm necessariæ sunt segnibus cohortationes, & defectionem meditantibus comminationes, tam necessariæ sunt afflictis consolationes. Consolatur autem eos duabus potissimum rationibus, 1. suæ reprehensionis scopum ac mentem explicans, versibus quatuor, 2. Fœderis Euangelici firmitatem demonstrans, v. 13. Primùm igitur ità suam mentem explicat acsi dicat, Quòd vobiscum ut cum segnibus ac defectionem molientibus egi, non eà mente feci quòd vos omnes credam vitiis istis laborare, sed ut ab iis tantò studiosiùs caveant qui nondum iis infecti sunt. ¶ *Dilectissimi*] Sic V. Versio, quasi legerit ἀγαπητότατοι, cùm tamen hoc superlativo nunquam utatur Apostolus. Sic autem vocat electos. Cùm enim *propter electos omnia se pati* profiteatur 2 Tim. 2. 10. electis quoque potissimum scribit: imprimis consolationes sunt electorum propriæ. ¶ *Confidimus de vobis*] Πεπείσμεθα. Sic Phil. 1. 6. Hic rectè notat Chrysostomus, Apostolum non dixisse νομίζω *puto*, sed πεπείσμεθα. Hæc enim non est ὑπόληψις *opinio* quædam *ex conjectura*, sed sancta certaque *persuasio*, quam acceperat ut fidelis, aut ut Apostolus. Ut fidelis, sciebat Christum ἀρχιποίμενα nostrum nunquam futurum sine veris aliquot ovibus; nedum tam citò tantus grex intercidisset totus. Ut Apostolus, ut Propheta, nosse poterat nominatim multos quos per revelationem sciebat in electorum esse numero, quomodo sciebat *Euodiæ*, *Syntyches*, *Clementis nomina in Vitæ libro esse scripta*, Phil. 4. 2, 3. Ad revelationem hujusmodi videtur hîc Apostolus respicere. De se verò cùm dicit πέπεισμαι, Rom. 8. 38. non loquitur ut Propheta, sed ut fidelis & electus. Quam ob causam ibidem in electorum persona dicit, Rom. 8. 35. *Quis separabit nos à dilectione Christi?* Et 2 Cor. 5. 3. *Scimus nos habere domum æternam in cœlis, ideoque suspiramus*, &c. ¶ *Meliora & viciniora saluti*] Clariùs Erasmus & Beza, *cum salute conjuncta*. Fides, Pietas, Sanctitas, licèt non sint causa salutis nostræ, sunt tamen adeò cum salute conjuncta, adeò συνεχῆ, ut nè disjungi quidem possint. Hujus irruptæ copulæ vis non est in operum nostrorum merito, sed in Divini propositi firmitate. ¶ *Tametsi ità loquimur*] q. d. Quamvis vos ita compellemus acsi sitis omnes in eadem sentina dicam an sententia, tamen scio multos è vobis improbare reliquorum ignaviam & perfidiam, ideoque eos à Deo conservatum iri certò persuasus sum Sic Gal. 5. 10. πέποιθα εἰς ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ, ὅτι οὐδὲν ἄλλο φρονήσετε· quantumvis eos ut *infantes*, ut *dementatos* aut *fascinatos* increpuisset c. 3. 1.

10. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri*] h. e. Ut patiatur inutilia vobis esse opera vestra & mercedis expertia. Psal. 20. 3. *Recordetur omnes oblationes tuas*, h. e. acceptas habeat. Non merentur quidem opera nostra mercedem istam: nec enim cuiquam debitor esse potest Deus: sed 1. Tanta Dei benignitas est ut non possit non iis bene velle & bene facere à quibus sincerè diligitur. 2. Tam verax est ut quod promisit id non possit non effectum dare. 3. Tam constans est in decretis suis ut quos secundùm electionis propositum donavit verâ fide, verâ charitate, eos nunquam hoc dono spoliet, nunquam spe suâ frustretur.

Ἡ δὲ δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

Sed etsi strictè sumatur *justitia* pro Virtute quæ tribuit cuique quod suum est, nè sic quidem sequeretur merito tuo dari mercedem quam tibi rependit Dei justitia. Tuum enim est etiam id quod tibi donatur, quantumvis gratis, quodque tibi fuit promissum. Denique, qui diversas vias ineunt, justum est ut diversos exitus habeant. 1 Thess. 1. 6, 7. Non propterea desivit esse gratuita beneficentia Dei erga fideles in exitu, quomodo gratuitus fuit ejusdem favor in ingressu. Non est igitur quòd ex his verbis præsidium ullum sperent Meritorum humanorum patroni. ¶ *Et dilectionis*] Omisit V. Versio vocem κόπου, ut & Arabs & Syrus. At 1 Thess. 1. 3. V. Versiò vertit *& laboris & charitatis*, insertâ copulâ quæ non exstat in Græco. Utrobique

Beza *laboriosam charitatem* vertit, rectè. Sed & Erasmus non malè vertit hic, *& laborem ex charitate susceptis.* Græca phrasis τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης, Hebraismum sapiens, utrumque complectitur. Nec enim vera charitas est illa quæ segnis est & secura, nec est Deo grata sedulitas nostra nisi suam originem habeat à charitate. Mutuas operas ista sibi debent, nè frustra desudet labor noster, nevè languescat nostra charitas. ¶ *Quam ostendistis*] Non ad ostentationem, (sic enim charitati non deputaretur ministerium istud) sed quomodo lux non potest non conspiciendam se præbere: sic latere non potest sedula charitas, officiosa sedulitas. Cum igitur *filios lucis* esse nos jubeat Deus, jubet quoque *coram hominibus opera nostra lucere*, ut fratribus nostris simus subsidio simul & exemplo. ¶ *In nomine ipsius*] h. e. *Propter nomen Dei*, ut rectè Chrysostomus. ¶ *Qui ministrastis sanctis, & ministratis*] Clariùs Beza, *ut qui ministraveritis & ministretis sanctis. Sanctos* fideles vocat Scriptura, non blandientis sed cohortantis affectu, ut meminerimus nos naturà quidem nostrà pollutos esse, sed ad sanctimoniam vocatos id operam dare debere ut elogio quo nos cohonestat Deus nos reddamus quàm dignissimos. Chrysostomus, *Omnis fidelis, quatenus fidelis, est sanctus.*

11. *Cupimus autem*] Oecumenius, *Non dixit* VOLUMUS, βουλόμεθα, *sed* CUPIMUS, ἐπιθυμοῦμεν. ὃ φιλοστοργότερον ἦν. ¶ *Unumquemque vestrûm eandem ostentare solicitudinem,*] Melius Erasmus, *præstare.* Joh. 10. 32. *Multa bona* ἔδειξα *præstiti vobis*, Demosthenes Olynth. 2. ἔργον τι δεικνύειν. Herodianus in Pertinace, ἐπιδεξαμένῳ τε ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πολλὰ σώφρονα καὶ χρηστὰ ἔργα. 2 Tim. 4. 14. Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο. Non ideo facienda bona sunt ut videamur boni; sed nec ideo debemus à bonis operibus abstinere nè probitatem nostram ostentare videamur. ¶ *Ad expletionem spei*] Sic & Syrus ac Arabs. Melius tamen Erasmus, *ad plenam spei certitudinem.* Et Beza, *ad plenam spei persuasionem.* Hoc omnino significat vox πληροφορία. Quò vero magis in nobis accenditur bonorum operum studium, eo magis in nobis confirmatur spei nostræ certitudo, quòd regenerationis nostræ fructus sint totidem argumenta nostræ justificationis. ¶ *In finem usque*] Perseverantiam hanc passim urget & & exigit Deus, sed eandem præstat ac perficit, ut qui bonum opus in nobis inchoatum irritum manere nolit, Phil. 1. 6.

12. *Ut efficiamini non segnes*] Νωθροί. Si etiam *de verbo otioso rationem reddituri sumus*, quid si *maxima vitæ nostræ pars nobis elabatur nihil agentibus*, aut *aliud agentibus?*

> Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.
> Φιλεῖ γε τῷ κάμνοντι συσπεύδειν Θεός.
> Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίγνεται.
> Δεῖ τοὺς γενομένους μέχρις ἂν ζῶσιν πονεῖν.
> Θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται.

Hujusmodi sententiis Ethnicorum plenus est Stobæus serm. 29. Sed imprimis notatu digna sunt ista Musonii, *Homines*, inquit, *vitiosi tot laboribus se cruciant ut suas cupiditates expleant*, ἡμεῖς δὲ οὐκ ἀνεξόμεθα ταλαιπωρεῖν περὶ εὐδαιμονίας ὅλης; ¶ *Verum imitatores eorum*] Ingenitum est mortalibus imitandi studium: sed ut plurimum malos aut mala potiùs imitamur quàm bona. Nostrum autem est imitari non tantum bonos, sed in optimis quibusque optima quæque. ¶ *Qui fide & patientiâ*] Duas istas virtutes potissimum hic memorat Apostolus, ut tanto commodius transeat ad secundum consolationum suarum argumentum. ¶ *Hereditabunt promissiones*] Melius Beza, *hereditatem obtinent.* Loquitur enim de Patriarchis, qui jam possidebant illam hereditatem quæ cum arduo loco sita sit, eam sine labore non possumus assequi. At enim cùm testatus sit Apostolus quam exploratam haberet eorum ad quos scribebat salutem, quorsum tot modis illos ad officium hortatur? Nempe quia sciebat Deum hàc ipsà ratione destinasse suos ad salutem perducere.

13. *Abrahæ namque promittens Deus*] Hactenus consolatus est Apostolus Hebræos benignà suarum reprehensionum interpretatione: deinceps eos consolatur ab Euangelici Fœderis firmitate sive promissiones ejus spectes, sive Sacerdotium, de quo cap. 7. 1. Tam promissionum autem quàm Sacerdotii firmitatem hoc nomine commendat quòd eam jurejurando sanciverit Deus. ¶ *Quoniam neminem habuit majorem per quem juraret*] Vel, *Quia non poterat jurare per majorem.* Ergòne dici potest Deus aliquid *non posse?* Augustinus De civit. lib. 5. c. 10. *Propterea quædam non potest Deus quia est omnipotens.* Idem Adv. Arianos cap 4. voces has Christi explicans Joh. 5 29, 30. *Non potest à se quidquam facere Filius*, &c. *Quod ait se* non posse, *non deficientis est, sed in eo quod de Patre natus est permanentis. Tamque laudabile est quod Omnipotens non possit mutari, quàm laudabile est quòd Omnipotens non potest mori.* Hieronymus ad Eustochium ἀποτολμῶ. *Audenter dico, cùm omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam.* Bellarminus De Eucharistia lib. 3. c. 2. *Omnes Theologi scribunt Deum dici Omnipotentem quia potest id omne quod non implicat contradictionem. Quod enim implicat contradictionem non est possibile ullo modo, quia potest esse & non esse simul* Thomas De veritate contra Gentiles lib. 2. c. 20. *Oportet quòd Deus dicatur non posse quidquid est contra rationem entis in quantum est ens, vel facti entis in quantum est factum.* Hæc non minùs perplexa sunt quàm barbara. Clariùs & solidiùs dixeris, ea quæ contradictionem implicant fieri non posse, quia sic everteretur omnis ratio veri, omne discrimen inter verum & falsum: quod certè Deo longè veracissimo convenire non potest. ¶ *Juravit per se ipsum*] Nempe Gen. 22. 16. Facit id passim in Comminationibus, ut Amos 4. 2. Jer. 22. 24 & 46. 18. Ezek 5. 11. & 14. 16, 18, 20. & 17. 16. & 33. 27. & 34. 8. & 35. 6, 11. & quod eodèm ferè recidit, in Increpationibus, ut Ezek. 16. 48. & 18. 3. & 20. 3. In Promissionibus verò vix usquam nisi sint Euangelicæ, ut Esa. 49 18. Ezek. 33. 11. Psal. 89. 35. Pertinet autem id 1. ad notandam incredulitatem aut securitatem nostram, 2. ad commendandam Dei bonitatem, qui dignatur huic infirmitati sese nostræ κατὰ συγκατάβασιν accommodare, 3. ad commendandam promissionum Euangelicarum dignitatem. Chrysostomus, *Ut Pater, sic & Filius jurat per se ipsum.* Oecumenius, *Cùm vides Christum dicentem, Amen, amen,* &c. *cogita eum non potuisse jurare per majorem.*

14. *Dicens, Nisi*] Sic & Erasmus. Meliùs Beza, *Certe.* Hebræa vox כי sumitur aliquando pro אכן *certe*, ut Job 34. 31. Non tamen hic hæc sola vox jurisjurandi vim habet: sed Apostolus hæc refert ut verba promissionis quam jurejurando per se ipsum facto confirmaverat antecedente versu, Genes. 22. 16. ¶ *Benedicens benedicam*] Hebraismus est in Scriptura frequens Pleonasmi speciem habens, & faciens ad rei confirmationem ac ἐπίτασιν, si modò sit ejusmodi quæ possit intendi. *Benedictio* verò Dei complectitur omnia beneficia quæ cum ratione possumus à Deo sperare vel accipere. Nam quæ speramus aut optamus vel maximè supplicia potiùs sunt quàm beneficia nisi Deus ea nobis largiatur animo *benedicendi.* Votorum vero nostrorum hæc debet esse summa, ut in eorum numero simus quibus dicturus est Christus, *Venite, benedicti Patris mei*, Matth. 25. ¶ *Et te*] In Hebræo *semen tuum.* Sed Apostolus hic brevitatis ergò dixit *te*; quod eodèm recidit. Nam *benedictio seminis* redundat in patrem. ¶ *Multiplicando multiplicabo*] Id quidem significant Hebrææ voces, sed non id tantùm significant. Significant enim *Faciam ut semen tuum sit multum & magnum; multum instar pulveris, magnum instar stellarum.* Sic Dan. 12. 3. fideles dicuntur *futuri similes splendori firmamenti, similes stellis firmamenti:* quin & ἰσάγγελοι Luc. 20. 16. Cur semen Abrahami comparetur Pulveri, multas sed plerasque frigidas & pulveri non absimiles rationes reddit Rabba in Genes. §. 40. & 69

15. *Longanimiter ferens*] Meliùs Erasmus & Beza, *Et cùm patienter exspectasset.* Abrahami patientiam inchoant Judæi à duodequinquagesimo ætatis ejus anno, quo fingunt à Rege Chaldæorum in ignem injectum quòd verum Deum prædicaret, & inde ereptum: quasi sibi velit hoc Scriptura cùm ait *Abrahamum ereptum ex Ure*, h. e. ut quidem illi volunt, *ex igne*, vel *fornace, Chaldæorum.* At UR eo loco significat urbem Ur. Nec Abraham vocatus legitur antequam esset septuagenarius. At certè ex quo vitæ septuagesimum annum attigit, jam tum cœpit μακροθυμίας suæ specimen egregium edere, cùm annos triginta post primam promissionem exspectarit antequam ullam ex Sara prolem susciperet. Sed & unicum ab ea filium habuit: in quo cùm restringerentur Dei promissiones, tamen jam erat sexagenarius antequam liberos ullos procrearit. Et tum quidem geminos habuit Isaac, sed postea nullos. Ità centum amplius post primam de Seminis immensâ multiplicatione promissionem annis, toto denique vitæ tempore, duorum tantùm ex Sara nepotum avum se vidit: quod certe videri poterat tantæ promissioni non convenire. Credidit tamen promissioni Divinæ, constituram etiam hac in parte veritatem suam. ¶ *Adeptus est promissionem*] Adepti sanè sunt Abrahami posteri multiplicationem illam immensam; Ipse verò quam *promissionem adeptus est?* Hanc certè, *Benedicam tibi*, & Gen. 15. 1. *Ego clypeus tuus & merces tua magna valde.* Hoc Abrahamo fuit plùs satis. In hoc nunquam est deceptus: hanc promissionem mercedem illam in multa secula non distulit Deus, sed in omnia seculorum secula perpetuavit, & porrò perpetuaturus est in æternum. Fuit hic fructus longè uberrimus μακροθυμίας Abrahameæ.

16. *Nam*] Ἐργασία αἰτιολογικὴ duabus partibus constans; protasi,

protasi, hoc versu; & antapodosi, v. 17. ¶ *Homines*] Hæc est πρότασις. In qua tria consideranda; 1. Sitne jurandum, 2. Quo modo, 3. In quem finem. ¶ *Jurant*] q. d. *Quoties homines δεόντως jurant, tum jurant per majorem.* Jurandum omnino non esse multi sibi persuaserunt. Basilides apud Eusebium lib. 6. c. 4. rogatus à militibus ut juraret, *μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ τὸ παράπαν ὀμνύναι διεβεβαιοῦτο· Χριστιανὸν γὰρ ὑπάρχειν.* Idem bis affirmat Tertullianus De Idololatria, cùm tamen in Apologetico dicat. *Juramus, non per Genios Cæsarum, sed per Salutem Cæsarum.* Gregorius Neocæsariensis in Ecclesiasten cap. 8. contendit *Jusjurandum omni ratione fugiendum.* Sic & Ambrosius De virginib. lib. 3. Chrysostomus ad Antiochenos hom. 5. & in Acta hom. 8, 9, 11, 12. Hieronymus in Matth. 5. *Permittebantur in Deum jurare, non quod rectè hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere quàm Dæmonibus.* Isidorus Pelusiota Theophilo Nauclero lib. 1. Epist. 55. *Obtempera voci Christi, quæ vetat ne jures omnino.* Τὸ δὲ μὴ ὀμνύναι, μηδ' ἀπαιτῆσαι ὅρκον ἐςίν. In Photii Nomocanone tit. 9. §. 1. 27. Τὸ κείμενον ait *Leges & canones vetare ne Clericus juret.* Τὸ δὲ σχόλιον negat exstare ullam hujusmodi legem canonemve. Ibidem §. 2. citatur codex adeò non improbans omnem usum jurisjurandi, ut testes jurare jubeat antequam testentur: quod tamen non exigit Jus civile Judæorum. Valdenses accusabantur quasi damnantes omnem usum jurisjurandi. Sed Seisselius fol. 9. *Non jurant*, inquit, *nisi coacti*, h. e. nisi jubeantur ab eo qui jus habet cogendi. Et fol. 99. *Eorum*, inquit, *opinionem hac in parte probamus, ut ab omni contineant se juramento voluntario.* Hæc est omnino Christi mens Matth. 5. 34. 35. Nec enim id agit ut Magistratum spoliet suo jure, sed ne privatus jura Magistratûs usurpet. Magistratus habet jus exigendi Juramenti & jus Gladii, tum erga cives immorigeros, tum adversùs hostes publicos. Hæc jura non evertit sed confirmat Christus cùm vetat privatos nisi jussos à Magistratu jurare, v. 35. ultionem sumere, v. 39. hostiliter adversùs quenquam se gerere, v. 43. 44. Reum aliquem perduellionis, hostem Reip. denunciare, hostilibus armis insequendum dare, non est id privati cujusquam, sed Principis opus. Cùm patres familiâs habebant in suos gladii jus, ut Romæ, ut in Chananæa, Gen. 38. 24 exigendi quoque juramenti jus habebant, ut Abraham ab Eliezero Gen. 24. 2, 3. Utrumque jus penès Magistratum esse sapienter instituit Moses, Exod. 21, & 22. imprimis verò Christus, Matth. 5. Rom. 13. ¶ *Per majorem sui*] h. e. *Se.* Durus Hellenismus, quales multos habet V. Interpres. Sed & perperàm adjectum hoc pronomen. Quippe si morem spectes, homo non semper *jurat per majorem se*, cùm jurat *per caput suum*, Matth. 5. 36. *per sceptrum*, Iliad α'. Si jus spectes, (quod omnino facit Apostolus) non satis est ut jures per eum qui te major est, sed per eum qui major est omnibus. Deut. 6. 13. Jer. 4. 2. Maimonides de juramento cap. 11. §. 2. *Non licet jurare per quidquam aliud cum nomine Dei. Et quisquis in jurejurando consociat quidpiam nomini Dei, eradicatur ex hoc seculo*, non quidem ex sententia Judicum, sed ab ipso Deo. *Non est nomen præter unicum illud benedictum, cum quo sit æquum participare gloriam jurisjurandi.* Gratianus can. 22. q. 1. §. 9. Concilio Carthag. 4. cap. 91. *Clericus per creaturas jurans acerrimè objurgandus: si perstiterit in vitio, excommunicandus.* Quod Abigail Davidi dicit, 1 Sam. 25. 26. potest ità verti, *Vivat Dominus, & vivat anima tua, quod prohibuerit te Dominus ab effusione sanguinis:* ut sint hæc precantis non jurantis verba. Alias pleraque loca quæ verti solent *vivit*, potiùs vertenda sunt *per viventem*, vel *per vitam*, & ità quidem accipiendo ut *per vitam* sumatur Metonymicè, pro *per Auctorem vitæ.* Quomodo Gen. 31. 42, 53. Jacob dicitur *jurare per pavorem patris sui Isaaci*, h. e. per eum quem Isaac cum pavore venerabatur. Sic 1 Cor. 15. 31. νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, h. e. per Christum, quo solo gloriari nobis licet. Sic cùm Christiani, teste Tertulliano, jurabant *per salutem Cæsarum*, videntur jurasse per eum à quo pendet salus Cæsarum. Ità poterit excusari quòd Joseph fratribus suis dicit Gen. 42. 15, 16. *Per vitam Pharaonis*; quòd Anna 1 Sam. 1. 26. quòd Abner 1. Sam. 17. 55. quòd David 1 Sam. 20. 3. quòd Tekuitis 2 Sam. 14. 19. dicunt *per vitam animæ tuæ*; quòd Urias 2 Sam. 11. 11. ait, *Per vitam tuam, & per vitam animæ tuæ.* Nè verò dicas has esse non Jurisjurandi sed simplicis Assertionis formulas, vetat Scriptura quæ Davidem ità loquentem *jurare* dicit, 1 Sam. 20. 3. vetat & Dei nomen, quod ut plurimùm adjungebatur, ut cùm Sunamitis Elisæo dicit, 2 Reg. 4. 30. sed & Elisæus Eliæ 2 Reg. 2. 4, 6. *Per viventem Dominum, & per vitam animæ tuæ*; q. d. *Per Deum, per eum, inquam, qui dat vitam animæ tuæ.* Ità non peccaverunt illi adversùs interdictum Christi Matth. 5. 35. nisi quòd jurabant injussi & sine necessitate. ¶ *Et omnis eorum controversia*] Quæ quidem nec ratione nec hominum testimonio dirimi potest, idque coram Judice, prout sancitur Exod. 22. 9, 10, 11. *Si nemo viderit, Domini jusjurandum intercedet inter ambos* litigantes. Jam autem dixerat *coram Judice rem agendam.* Certè quæstionem juris nemo decidit ex litigantium jurejurando, sed tantùm quæstionem facti. ¶ *Finis est jusjurandum adhibitum ad confirmationem*] Cùm Juramenti quale descriptum est à nobis, usus habeat fundamentum in diserto Dei mandato, ejusque finis pertineat ed fraternitatis inter homines ac concordiæ conservationem, quin & ad Dei gloriam, ut qui vindex hoc modo agnoscatur omnium scelerum, καρδιογνώςης, non potest illicitus esse omnis jurisjurandi usus. Ità decisas habemus propositas quæstiones tres; 1. An sit jurandum, 2. Quo modo, 3. In quem finem. Sed etiam atque etiam rogatos velim pios Magistratus ut seriò dispiciant an non frequentiùs quàm par sit exigant usum jurisjurandi.

17. *In quo volens Deus*] Hactenus ἐργασίας πρότασις. Sequitur ἀνταπόδοσις ejus: Cujus duo sunt præcipua capita; 1. Quænam sit Electionis; 2. Quænam esse debeat, adeoque quænam Dei beneficio sit, Spei vis. ¶ *Abundantius*] Περισσότερον. Videlicet ea vox non semper id significat quod redundat, sed etiam id quod *abundat cum laude vel fructu:* ut Rom. 3. 1. ¶ *Ostendere pollicitationis heredibus*] h. e. *Iis qui futuri sunt heredes salutis* Hebr. 1. 14. Ii sunt electi, quibus in Abrahami, ut credentium patris, persona facta est promissio salutis æternæ, de qua Gen. 22. 16. Heb. 6. 14. Æterna felicitas est instar hereditatis amplissimæ, quâ fruituri sunt, quidem in solidum, omnes electi. Is cujus heredes sumus est Deus, qui nos pro filiis suis habere dignatur. Christus autem considerari potest ut frater, aut ut pater noster. Si consideretur ut frater, sumus *heredes Dei*, h. e. Patris, *coheredes Christi* Rom 8. 17. Si consideretur ut pater, sumus heredes etiam ipsius Christi, qui dignatus est mortem oppetere ut suos heredes testamenti donationum compotes redderet. ¶ *Immobilitatem*] Meliùs Beza, *immutabilitatem:* h. e. ut doceret quàm sit firmum & immutabile Prædestinationis suæ decretum. Immutabilitas illa comparatur aliquando *firmitati montium*, Psal. 125. 1. Aliquando præponitur non tantùm *montium* sed & *cælorum* firmitati, Esa. 54. 10. Matth. 5. 18. ¶ *Consilii sui*] Secundùm electionem scilicet. Deus quidem consultatione non habet opus; sed quia tum demum valida censentur hominum decreta cùm facta sunt præeunte deliberatione, ut sui decreti firmitatem ostendat Deus, id proponit ut factum cum antecedente deliberatione. Igitur humano more Deo tribuitur 1. βουλὴ, πρόθεσις, πρόγνωσις, *consilium*, 2. βούλησις, *voluntas* seu *decretum*; ac dicitur *omnia perficere secundùm consilium voluntatis suæ* Ephes. 1. 11. Cùm igitur decretum Electionis fuerit non ἄλογος ὁρμὴ *cæcus impetus*, sed μετὰ βουλῆς, μετὰ προθέσεως, μετὰ προγνώσεως conjunctum, tantò firmius à nobis censeri debet. Tamen ut ejus sive consilii sive decreti firmitas tantò liquidiùs nobis elucescat, ¶ *Interposuit jusjurandum*] Consilium suum nobis declarans, declarationem suam jurejurando confirmavit. Ità quemadmodum Filius apud Patrem pro nobis μεσιτεύει, sic sancti Spiritûs jusjurandum apud nos quodammodo intercedit pro Patre.

18. *Ut per duas res immutabiles*] Consilii scilicet Divini declarationem, & declarationis illius confirmationem juramento factam. Consilium Dei quis possit infringere? Quantò minùs si fuerit jurejurando confirmatum? ¶ *Quibus*] Meliùs Erasmus & Beza, *in quibus*, ἐν οἷς. ¶ *Impossibile est mentiri Deum*] Dici quidem potest, *Deus non potest mentiri:* tamen non de nihilo maluit Apostolus dicere, *Impossibile est Deum mentiri*, ut meminerimus illam impossibilitatem esse considerandam ex parte rei, non ex parte Dei, h. e. pendère non ab ullo virtutis Divinæ defectu, sed ab ipsa rerum ἀσυςασίᾳ. ¶ *Fortissimum solatium habeamus*] Hactenus docuit quænam sit vis Electionis Divinæ. Deinceps docturus est quænam sit vis Spei quam Deus largitur electis, & cui magis ac magis augendæ debemus quotidie studere. Spei verò vim hanc esse docet, ut animas nostras adversùs insultus hujus mundi firmet instar Columnæ, instar Ancoræ, easque subvehat à terrenis ad cœlestia. ¶ *Nos qui confugimus*] A quo? A Deo. Ad quem? Ad Deum: à Deo scilicet irato ad Deum intercessione Filii placatum, à Dei justitia ad Dei misericordiam. Aliud καταφύγιον si captemus, quodcunque tandem illud sit, invalidum prorsus erit, adeoque noxium. Tum demum nobis patebit perfugium longè tutissimum cùm confugiemus ad promissionem illam Fœderis gratiæ quam nobis in verbo declaravit & jurejurando sancivit. ¶ *Ad tenendam propositam spem*] Rei quidem speratæ conveniunt hæc elogia, ut quæ nobis proponatur apprehendenda fide & spe: sed quia Deus ipsâ spe, ut fide, utitur ad firmandas animas nostras; ideo spes ipsa nobis proponitur instar validæ cujusdam columnæ quam firmiter amplecti debemus. Cùm enim κράτος *vim* significet,

ficet, *κρατερὸς robustum*, *κρατεῖν* non significat hic simpliciter *tenere*, sed *firmiter tenere*, quo modo Joab altaris cornua tantâ vi corripuit ut ab illis divelli non posset.

19. *Quam sicut ancoram habemus animæ*] Hæc est altera similitudo quâ Spei firmitas declaratur eò significantiùs, quòd eâdem operâ docemur quo loco simus, nempe procelloso, ut validâ nobis opus sit anchorâ, quæ navim nostram firmet adversùs decumanos quibus agitamur fluctus. Sed visibiles ancoræ duobus laborant incommodis; 1. Quòd earum rudentes frangi possunt, 2. Quòd cursum morantur. Neutro vitio laborat invisibilis hæc ancora, ut quam Deus invictam præstet adversùs quamlibet tempestatem, & quæ nobis sit non remoræ sed calcaris instar, ut tantò curramus expeditius quo firmius adstringit navim nostram hæc ancora. ¶ *Et incedentem*] Melius Erasmus *introeuntem*. Hinc discimus hanc ancoram tenacem quidem propositi, sed & volucrem esse, ut quæ præpete volatu feratur, & subvehat nos ad sublimia: nempe quia nos quoque sumus non *κάτωθεν* sed *ἄνωθεν*, velut arbor inversa, *Φυτὸν οὐράνιον*. ¶ *Usque ad interiora velaminis*] h.e. Ad intimum usque Sanctuarium. Id autem est cœlum, idque supremum, quod 2 Cor. 12. 2. *tertium* nuncupatur; cujus typum gerebat intimum Mosis Salomonisque Sanctuarium.

20. *Ubi* (melius Erasmus & Beza, *quò*) *præcursor*] Habuit Christus *præcursores* suos, Johannem Baptistam & Prophetas, atque adeò pios omnes ante Christum, in fide Christi defunctos. Sed illi *præcursores* erant ut Apparitores, ut coheredes vi meritoque Christi præcurrentes ad Sanctuarium cœleste, quod absque illo foret nec illis nec cuiquam patuisset unquam. Christus autem est *præcursor* ut Dux & Liberator noster. ¶ *Pro nobis*] h.e. Bono nostro. *Passus* autem *pro nobis* cum dicitur, id significat non tantum bono nostro, sed & loco nostro: nam ideo passione sua Dei justitiæ pro nobis satisfecit nè nos teneremur ei satisfacere, ut qui non possimus illi satisfacere nisi morte sempiterna. Resurrexit autem & cœlos conscendit *pro nobis*, ut quam suo merito nobis adeptus est salutem eam sua virtute vendicet, tueatur, conferat ac conservet in æternum. ¶ *Introivit*] Primùm quidem secundùm animam, dein etiam secundùm corpus. Postremum hunc, utpote permanentem ac in secula perdurantem, ingressum respicit hic Apostolus. ¶ *Jesus secundùm ordinem Melchisedek Pontifex factus in æternum*] His verbis transitum sibi parat Apostolus ad secundum membrum firmitatis Fœderi Euangelico convenientis, quod diximus vers. 13. petitum à Sacerdotii Christi firmitate, dignitate, præstantia.

GROTIUS.

1. Διὸ, *Quapropter*] Id est, Ne semper tales maneatis, quales jam esse vos dixi, spectans maximam gregis vestri partem. Scriptores nostri modò se majoribus, modò provectioribus accommodant. ¶ *ἀφέντες τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον, intermittentes inchoationis Christi sermonem*] *Sermonem primitivum Christi*, id est, de Christo & ejus disciplina, quæ sæpe *Christi* nomine comprehenditur. *Ista tyrocinia*, inquit, *nunc seponemus*. ¶ *ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα· ad perfectionem feramur*] Τελειότητα [*perfectionem*] vocat intellectum figurarum latentium in Veteri Testamento, & dispensationes Dei omnes tendentes ad Euangelium. Vide supra 5. 14. & ibi dicta. ¶ *μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι, non rursus jacientes fundamentum*] *Non iterum repetentes ea quæ pridem didicistis, & quæ sunt* יסוד [*fundamenta*] *Christianismi*. Vide supra 5. 13. ¶ *μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, pœnitentiæ ab operibus mortuis*] Pœnitentia enim Baptismum præcedit, Actor. 2. 31. ἔργα νεκρὰ [*opera mortua*] sunt quæ à Deo nos alienant. Sicut anima vitam dat corpori, ita animæ Deus. Vide quæ dicta hac de re ad Matt. 8. 21. *μετάνοια*, תשובה [*conversio* seu *resipiscentia*.] ¶ *καὶ πίστεως ἐπὶ Θεόν. & fidei ad Deum*] Quæ & ipse Baptismum præcedit, Actor. 8. 37. Fides in Christum simul est *Fides in Deum*.

2. Βαπτισμῶν διδαχῆς, *Baptismatum doctrina*] Id est, *doctrinæ de duplice Baptismo*, interiore & exteriore. Vide quæ à nobis dicta ad Matth. 3. 6. 28. 19. & Johan. 3. 5. Meminisse semper debent baptizati quid promiserint & quid acceperint. ¶ *ἐπιθέσεώς τε χειρῶν, impositionis quoque manuum*] סמיכת ידים. Sub hoc nomine intelliguntur ritus omnes extra Baptismum & Eucharistiam. Nam manus imponebantur & baptizatis ad obtinendam vim confirmantem Spiritûs Sancti, & ordinatis ad Presbyterium, & post peccata reconciliatis, & corpore infirmis: imò & novis conjugibus benedictionem ab Ecclesia postulantibus. Vide quæ diximus ad Matth. 19. 13. ¶ *ἀναστάσεώς τε νεκρῶν, resurrectionis mortuorum*] תחית המתים. Postquam locutus est de nostro officio, adjicit etiam præmii mentionem. Vide Johan. 5. 25. 1 Corinth. 15. 16, 29, 52. Dicitur *ἀνάστασις ἐκ νεκρῶν* [*resurrectio ex mortuis*,] & *ἀνάστασις νεκρῶν* [*resurrectio mortuorum*,] quomodo hic, & 1 Corinth. 15. 12, 13, 42. ¶ *καὶ κρίματος αἰωνίου. & judicii æterni*] דין, nempe in utramque partem, ut videre est Matth. 25. 46. Sic Tertullianus in Præscriptione contra Hæreticos, *Venturum cum claritate ad sumendos Sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum, & ad profanos adjudicandos igni perpetuo, factâ utriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione.* Hinc refellitur Origenis opinio. Unum est judicium irretractabile valens in perpetuum.

3. Καὶ τοῦτο ποιήσομεν ἐάνπερ ἐπιτρέπῃ ὁ Θεός. *Et hoc faciemus si quidem permiserit Deus*] *Faciemus hoc, si Deus vitam* dederit, alio tempore, in usum eorum qui rudiores sunt. Sperabat se & alias ad Hebræos Epistolas scripturum. Et fortè scripsit, sed interierunt. At Manuscriptus *ποιήσωμεν*, *faceremus*, si Deus permitteret, si esset otium.

4, 5, 6. Ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, καὶ καλὸν γευσαμένους Θεοῦ ῥῆμα δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, Καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, Et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*] Hoc dicit, non frustra illa Christianismi elementa sive fundamenta sæpe repeti & animis inculcari, quia ex iis abjectis ingens sit periculum. Hic locus maximè in causa fuit, cur diu Romana Ecclesia cunctata sit hunc librum in Canonem recipere. Liquet ex Tertulliano de Pudicitiâ. Erat enim in disciplina circa lapsos mitior cæteris Ecclesiis. Ecclesiæ pleræque post baptismum lapsos aliquos reconciliabant & admittebant ad communionem; sed excipiebant tria gravissima crimina; idololatriam, homicidium, & adulterium. Queritur Tertullianus à Papa Zephyrino admissos ad pacem Ecclesiæ mœchos. At verò id non fuisse novum, sed vetus Romæ, docet nos Pastor Hermæ 2. 4. sed de semel tantùm lapso agens, non de iterum lapso, quam distinctionem habes & apud Clem. Strom. 2. Temporibus Cypriani cùm de lapsis in idololatriam disputaretur an recipi ad pœnitentiam publicam & reconciliationem possent, & mos fuisset varius, etiam in ipsa Africa, sustinuit judicium suum Cyprianus, eò spectans ut persecutione cessante aliquid in commune statueretur. Romana Ecclesia lenior cæteris auctor fuerat ut post longa pœnitentiæ tempora lapsi ad communionem reciperentur. Displicuit id Novato & Novatiano, qui hac de causa schisma fecere. At sententia Romanæ Ecclesiæ de lapsis in idololatriam, parique modo de lapsis in homicidium, placuit magnæ Synodo Nicænæ, ut ex ejus Canonibus videre est. Neque tamen cogitandum est veteres illos rigidioris disciplinæ observatores pro certo habuisse tales in æternum perituros; sed commendabant eos Divinæ misericordiæ, privatis non publicis precibus, neque ita ut certi quid eis pollicerentur. Et hoc etiam observatum in iis, qui post primam pœnitentiam publicè actam rursus se aliis, extra illa tria, criminibus obstringerent. Tertullianus de Pœnitentia, *Hæc igitur venena ejus providens Deus, clausâ licet ignoscentiæ januâ & intinctionis serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat: sed jam semel, quia jam secundò; sed ampliùs nunquam, quia proximè frustra. Nonne enim & hoc semel satis est?* Vide & sequentia, ubi pœnitentia secunda dicitur respectu ejus quæ Baptismum præcedit. Infra eodem libro hanc pœnitentiam & *secundam* & *unam* vocat, cujus *in arcto* dicit esse *negotium*, & cum quàm severa disciplina exerceretur, latè ostendit. Ambrosius, *Quamvis cautè & salubriter provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs utilis esset ægrotis, quæ tantò magis utilis est quantò minùs contemptibilis fuerit; quis tamen audeat Deo dicere, Quare huic homini, qui post pœnitentiam primam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, iterum parcis?* Et portam pœnitentiæ interdum claudi etiam apud Deum Hebræi sentiebant, ut videre est in paraphrasi Chaldæa Cantici 5. 5. apud Rabbinos ad Esaiam 22. 14. Philo autem de Præmiis & Pœnis ait, Ἐνταῦθα δὲ ὅλοι βίοι πίπτουσιν οὓς ἅπαξ ἀνατραπέντας μόγις ἔστιν ἀνεγεῖραι [*In hoc verò tota vita collabitur quam semel subversam ægre possis restituere.*] Cum quibus bene congruunt ea quæ habet Irenæus 4. 45. Etiam M. Antonius libro 11. dicit ægrè coalescere ramum semel amputatum, etiamsi rursus inseratur. Quàm longè à veteri illa disciplina abitum sit, nihil opus est dici? res manifesta est. Attamen Romana Ecclesia quæ lenior, ut dixi, cæteris fuit, hunc librum in auctoritatem Canonicam recepit postea: unde sequitur hunc locum ab ea aliter quàm ab illis aliis intellectum. Quare & nos videamus quis huic loco sensus dari commodus possit,

qui cum Romanæ Sedis illis quas dixi constitutionibus non pugnet. Ut dicam quod sentio, existimo παραπεσόντας [*prolapsos*] hic dici *eos qui à fide Christiana desciunt*, nam & נפל [*cadere*] sic usurpant Hebræi, & verbum מעל [*prævaricari*,] παραπίπτειν [*prolabi*] vertitur Ezech. 14. 13. 15. 8. 18. 24. 20. 27. & nomen inde deductum מעל, ἀπόστασις [*prævaricatio*] 2 Paral. 28. 19. 33. 19. ἀποστασία [*defectio*] 2 Paralip. 29. 19. Hoc ipsum est quod per παραρρυῆναι [*effluere*] significavit supra 2. 1. per σκληρύνεσθαι [*obdurari*] 3. 13. & sequentibus. Syrus hic *si iterum peccaverint*, nempe in sensu graviore, ut supra 3. 17. De iis autem dicitur *non posse eos restitui in pœnitentiam*, id est, ad frugem meliorem reduci, nempe per Legem Mosis, quia scilicet defecerant ab illa quæ & optima est & certissima, & post Christum missum unica. Hunc sensum optimè nobis expressit contra Tryphonem Justinus, Τοὺς δὲ ὁμολογήσαντας καὶ ἐπιγνόντας τοῦτον εἶναι τὸν Χριστὸν, καὶ ἥτινοσοῦν αἰτίᾳ μεταβάντας ἐπὶ τὴν ἔννομον πολιτείαν, ἀρνησαμένους ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, καὶ πρὶν τελευτῆς μὴ μεταγνόντας, οὐδόλως σωθήσεσθαι ἀποφαίνομαι [*Qui hunc Christum esse agnoverint & confessi sint, quacunque de causa posteà desciscant ad Legem ex ejusque præscripto vitam instituant, dum & esse hunc Christum negent, nec eos erroris sui ante obitum pœniteat, hosce ego servatum iri nego.*] Ostendit autem talem defectionem à Christianismo posse evenire, non Catechumenis tantùm aut recens baptizatis νεοφύτοις [*novitiis*,] verùm etiam iis qui plurimum profecerant, ne quis se putaret à tali periculo immunem, quod ipsum & Paulus nos docet 1 Corinth. 9. 27. Profectum autem illum describit verbis egregiis. Primùm ait ἅπαξ φωτισθέντας [*semel illuminatos.*] Verum quidem est Baptismum apud Veteres nomen habuisse φωτισμοῦ [*illuminationis*] qui φωτισμὸν [*illuminationem*] promittit, ut diximus ad Matth. 28. 19. quò spectans Syrus vertit *qui ad baptismum descenderunt.* Sed simplicius est intelligi hic eos qui cognitione Euangelicæ doctrinæ imbuti fuere, quo sensu φωτίζειν [*illuminare*] & φωτισμὸν [*illuminationem*] habemus Joh. 1. 9. 2 Cor. 4. 4, 6. & infra 10. 32. Solet sic verti Hebræum הזהיר. Addit eos *gustasse donum cæleste*, id est, pacem conscientiæ, de qua Rom. 5. 1. Philipp. 4. 7. quæ consequitur peccatorum remissionem conversis indultam: Est autem & hic infra γεύσασθαι [*gustare*] *experiendo cognoscere*, ut 1 Petr. 2. 3. Psalm. 34. 9. Prov. 31. 18. Subjicit etiam *participes fuisse Spiritûs sancti*, id est, dona consecutos Prophetiæ, Linguarum, Sanationum, quæ non contingebant eo tempore nisi justificatis, id est, purgatis. *Gustatum* etiam *ab iis* ait *bonum Dei verbum*, id est, egregia illa promissa. Nam sic *bonum Dei verbum* sumitur Jerem. 29. 10. & 33. 14. Zach. 1. 13. δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος [*virtutesque seculi venturi*] est ἐξήγησις [*explicatio*] illius *verbi boni*, id est, promissi. Non enim hoc erat promissum Dei de restituendo populo in suas terras post LXX. annos, aut de Zorobabelis principatu, sed de summa illa potentia quam circa nos Deus ostensurus est in illo altero seculo. Vide Ephes. 1. 19. ubi ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως [*supereminens magnitudo virtutis*] dicitur quod hic pluraliter δυνάμεις [*virtutes.*] Eadem hæc promissa τίμια καὶ μέγιστα ἐπαγγέλματα [*pretiosa & maxima promissa*] 2 Petr. 1. 4. Discimus hinc nullum esse talem profectum qui nos planè securos faciat. ἀνακαινίζειν est חדש [*renovare*] quod sæpe significat *in priorem statum restituere*, ut Psal. 103. 5. Lam. 5. 21. Nemo, inquit, tantus est magister qui id facere possit. Et πλεονάζει [*abundat*] vox πάλιν [*rursus*,] cùm sequatur ἀνά. Quales & alibi. ¶ ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας. *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei & ostentui habentes*] Vide quantum sit peccatum à Christianismo deficere. Nam qui id faciunt eo ipso ostendunt credere se Christum fuisse impostorem, ac proinde dignum cruce omnique ignominiâ. Dicuntur hoc facere ἑαυτοῖς [*sibimetipsis*,] id est, *apud se.* Et egregiâ figurâ dicuntur id facere quod factum approbant. Pari sensu infra dicet 10. 29. à talibus hominibus *proculcari*, id est, fœdissimè tractari *Dei Filium, & sanguinem ejus, quo fœdus sanxit, haberi pro sanguine profano*, id est, facinorosi hominis. De significatu vocis παραδειγματίζειν vide Matth. 1. 19.

7. Γῆ γὰρ ἡ πιοῦσα τὸν ἐπ' αὐτῆς πολλάκις ἐρχόμενον ὑετὸν καὶ τίκτουσα βοτάνην εὔθετον ἐκείνοις δι' οὓς καὶ γεωργεῖται, μεταλαμβάνει εὐλογίας ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo*] *Bibere* etiam Græcis terra dicitur cùm irrigatur. Anacreon,

> —— ἡ γῆ μέλαινα πίνει.
> [—— *Nigra terra potat.*]

Et Hebræis רוה *inebriari* Psalm. 65. 11. βοτάνη hoc loco idem valet quod Hebræum עשב, ut videre est Gen. 1. 11. ubi in Græco est βοτάνη. Significat autem omne id quod ex terra nascitur, etiam fruges. εὔθετον [*opportunam*] dixit *utilem iis propter quos colitur*, id est, fundi dominis. Vide Luc. 14. 35. *Talis terra benedictionem accipit à Deo*, id est, vocatur *terra Dei*, ut videre est Gen. 13. 10. Ezech. 28. 3. ברך, εὐλογεῖν multa significat, sed inter alia etiam *laudare, celebrare*, ut Psal. 145. 2. Gen. 9. 26. *Terra* respondet homo ex terra sumptus. *Imbri* dona illa quorum supra fuit mentio. Sic βαπτίζειν πνεύματι [*baptizare Spiritu*] Marci 1. 8. & prophetia stilla dicitur. Fruges sunt opera pietatis. *Dominus* cujus sunt isti fructus est Deus: ab eo denominantur, vocantur *Filii Dei.*

8. Ἐκφέρουσα δὲ ἀκάνθας καὶ τριβόλους, *Proferens autem spinas & tribulos*]

> —— *Subit aspera sylva,*
> *Lappaque tribulique*, ——

ut est apud Virgilium. Vide & Matth. 13. 7. Non dixit hic τίκτουσα [*generans*] ut modò, sed ἐκφέρουσα, *ejiciens* velut abortus. Allusio ad locum Gen. 3. 17. 18. ¶ ἀδόκιμος, *reproba est*] *Displicet talis terra domino suo.* ¶ καὶ κατάρας ἐγγὺς, *& maledicto proxima*] *Brevi futurum est, si talis manet, ut dominus terram talem exsecretur.* Vide Matth. 21. 19. Marci 11. 21. ἐγγὺς [*proxima*] rem brevi futuram significat Matth. 24. 32. 26. 18. Marci 13. 28. Luc. 20. 30. 21. 31. Johan. 2. 13. 6. 4. 7. 2. 11. 55. Sic & infra 8. 13. ¶ ἧς τὸ τέλος εἰς καῦσιν. *cujus consummatio in combustionem*] Hic erit exitus, ut tandem dominus pertæsus sumptuum, villam & arbores & senticeta exurat, habeatque derelictui. Simile est Luc. 13. 6. & sequentibus. Adde Matth. 3. 10. & 13. 30. Est autem hic μετωνυμία [*Transnominatio.*] Nam de terra dicitur quod propriè iis rebus convenit quæ terræ superstant. τέλος, *rei exitus*, ut Roman. 6. 21, 22. Philip. 3. 19. *Sentibus & tribulis* respondet contemptus Christianæ religionis; *maledicto herili*, damnatio; *incendio*, pœna gehennæ.

9. Πεπείσμεθα δὲ περὶ ὑμῶν, ἀγαπητοὶ, τὰ κρείττονα καὶ ἐχόμενα σωτηρίας, εἰ καὶ οὕτω λαλοῦμεν. *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur*] Id est, *Quanquam hæc diximus, speramus tamen vos*, id est, maximam partem vestrûm, non esse eo loco ut à Christianismo defecturi sitis, quanquam sunt è vobis qui malo exemplo præivere, & cæteri aliquid remisere de prima alacritate: πέπεισμαι hic non est *certus sum*, sed *spero*, aut *mihi persuadeo*, ut & Rom. 15. 4. Utitur sic & Plato, ἐχόμενα σωτηρίας, *quæ cum salute cohæreant*, id est, ea quæ vos non planè à salute alienent.

10. Οὐ γὰρ ἄδικος ὁ Θεὸς, ἐπιλαθέσθαι τοῦ ἔργου ὑμῶν καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης ἧς ἐνεδείξασθε εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ διακονήσαντες τοῖς ἁγίοις καὶ διακονοῦντες. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri & laboris dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis*] Ideo, inquit, spero vos salutem adepturos quia bene cœpistis. Justitiæ est implere promissa: quare Deus *injustus* aliquo modo dici posset, si non staret promissis. ἔργον [*opus*] hîc intellige quod ἔργον πίστεως [*opus fidei*] dicitur 1 Thessal. 1. 3. *apertam professionem Christianismi.* Huic addit, ut & dicto ad Thessalonicenses loco κόπον ἀγάπης [*laborem dilectionis*] *dilectionem conjunctam cum laboribus & molestiis*, quanquam in Manuscripto, ut & in Latino abest κόπου [*laboris.*] *Quam ostendistis*, inquit, *in nomen ipsius*, id est, in religionem Christianam, per quam Deus summè honoratur. *Quia ministratis*, inquit, *Sanctis*, id est, ob Christum vinctis aut aliter afflictis omnem opem tulistis. Vide infra 10. 33. Exemplo sit ille Mnason Actor. 21. 16. Addit *& ministratis*, eoque ipso ostendit se non lapsis loqui, sed adhuc stantibus, quanquam cum labendi periculo, iis maximè qui præ metu à publicis cœtibus abstinere cœperant.

11. Ἐπιθυμοῦμεν δὲ ἕκαστον ὑμῶν τὴν αὐτὴν ἐνδείκνυσθαι σπουδὴν, *Cupimus autem unumquemque vestrûm eandem ostentare sollicitudinem*] Non satis est ad consequendam salutem ea nosse, sed perstandum est. Vide quantâ prudentiâ Scriptor hic utatur. Modò terret, deinde rursus erigit, erectos iterum monet, nec universos tantùm, sed & singulos. τὴν αὐτὴν σπουδὴν [*eandem sollicitudinem*,] id est, *par studium, quale ostendistis antehac.* Quidam enim refrixerant. ¶ πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος ἄχρι τέλους. *ad impletionem spei usque in finem*] Πληροφορία hic non est *certitudo*, sed *impletio* sive *consummatio*, quo sensu πληροφορίαν habemus Coloss. 2. 2. & 1 Thessal. 1. 5. πληροφορεῖν 2 Timoth. 4. 5, 17. *Implere* autem *spem* dicitur qui conditionem implet sub qua res speranda proposita est.

12. Ἵνα μὴ νωθροὶ γένησθε, *Ut non segnes efficiamini*] *Hoc ideo dico*, inquit, *ne quid remittatis* de isto studio. Conjunguntur νωθρὸς [*segnis*] & παρειμένος [*remissus*] Sirach. 4. 32. In

Glossario,

Glossario, νωθρότερος, *languidior*, Hebræis רפה. ¶ μιμηταὶ δὲ τῶν διὰ πίστεως καὶ μακροθυμίας κληρονομούντων τὰς ἐπαγγελίας. *verùm imitatores eorum qui fide & patientia hæreditant promissiones*] Patriarcharum, ut sequentia indicant. Et κληρονομούντων [*eorum qui hæreditant*] positum pro κληρονομησάντων [*eorum qui hæreditaverunt*,] præsens pro præterito. Nam quanquam Abrahamus, Isaacus, & Jacob terram illam promissam non possederunt, neque viderunt ingentem illam posteritatem & regnum in ea, jus tamen certissimum ad posteros transmiserunt. Qui autem jus habet, rem ipsam habere quodammodo videtur, ut in jure est proditum. Est autem ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*] cùm dicitur πίστεως καὶ μακροθυμίας [*fide & patientia*] pro *per fidem patientem* sive *constantem in adversis*. Cùm de nobis sermo est ἐπαγγελία [*promissio*] singulari numero dici solet: cùm de Patribus sæpe ἐπαγγελίαι [*promissiones*.] Complura enim erant promissa diversis facta temporibus, per quæ tamen illud unum & magnum promissum de vita æterna nobis factum adumbrabatur, & mysticè in illis continebatur.

13. Τῷ γὰρ Ἀβραὰμ ἐπαγγειλάμενος ὁ Θεὸς, ἐπεὶ κατ' οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι, ὤμοσε καθ' ἑαυτοῦ, *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum*] Promisso addidit jusjurandum, ut duobus vinculis teneretur. Utitur dicto noto inter Hebræos, *Qui jurat, jurat per id est supra se*: Item, *Deus jurat per semetipsum, non per alium*. Philo de Caino & Abele, ὁ μαρτυρῶν παρ' ὅσον ὁ μαρτυρεῖ κρείσσων ἐστὶ τοῦ μαρτυρουμένου [*Testis in quantum testimonium exhibet, major est eo, cui datur testimonium*.] Idem in Allegoriis, ὁρᾷς γὰρ ὅτι οὐ καθ' ἑτέρου ὀμνύει Θεὸς, οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ κρεῖττον· ἀλλὰ καθ' ἑαυτοῦ, ὅς ἐστι πάντων ἄριστος [*Vides enim, quod non per alium Deus jurat, nihil enim illo præstantius: sed per seipsum, qui est omnium optimus*.] Respiciuntur verba Gen. 22. 16.

14. Ἦ μὴν εὐλογῶν εὐλογήσω σε καὶ πληθύνων πληθυνῶ σε. *Certè quidem benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te*] Eadem verba in LXX. dicto Geneseos loco, nisi quod pro πληθυνῶ σε [*multiplicabo te*] ibi est πληθυνῶ τὸ σπέρμα σου [*multiplicabo semen tuum*.] Sed sensus est idem, cùm mos sit Hebræis parentes pro liberis nominare, quasi una essent persona. Illa verò participia suis verbis adjuncta apud Hebræos intendunt significationem. Hoc enim vult, *mirum in modum & prosperabo te, & ingentem tibi prosperitatem dabo*. ἦ μὴν [*certè quidem*] formula affirmantis maximè frequens jurantibus. Demosthenes ὀμνύει ἦ μὴν ἀπολωλέναι Φίλιππον [*jurat Philippum quidem certè periisse*.]

15. Καὶ οὕτω μακροθυμήσας ἐπέτυχε τῆς ἐπαγγελίας. *Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem*] Ad mortem usque inter tentationes plurimas in illa spe perstitit, quæ post ipsius mortem impleta est.

16. Ἄνθρωποι μὲν γὰρ κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι, *Homines enim per majorem sui jurant*] Per Deum qui & omnia certò novit & ad vindicandam perfidiam est potentissimus. ¶ καὶ πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος. *& omnis controversia eorum finis ad confirmationem est juramentum*] Omnem dubitationem tollit juramentum confirmativum promissi. Hebræis *dicere* est etiam *cogitare*. Sic ἀντιλογία, *cogitatio in contrarium*, nempe quasi id quod dicitur, futurum non esset. Ægyptii jusjurandum vocabant μεγίστην πίστιν [*fidem maximam*] narrante Siculo Diodoro: τελευταίαν πίστιν [*fidem ultimam*] dixit Halicarnassensis. Philo tribus in locis μαρτυρίαν Θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου [*Dei testimonium de re de qua ambigitur*:] Procopio ὕστατον καὶ ἐχυρώτατον πίστεώς τε καὶ ἀληθείας ἐνέχυρον [*ultimum atque firmissimum & fidei mutuæ & veracitatis pignus*.] Terentius,

> *Aliud si scirem qui firmare meam apud vos possem fidem*
> *Sanctius quàm jusjurandum, id pollicerer tibi, Lache.*

17. Ἐν ᾧ, *In quo*] *Quare*, quod alias ἐφ' ᾧ. ¶ περισσότερον βουλόμενος ὁ Θεὸς ἐπιδεῖξαι τοῖς κληρονόμοις τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, *abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui*] Solet Deus interdum dici μετατίθεσθαι βουλὴν [*mutare consilium*,] ubi res mutata novum consilium exigit: ut videre est Jonæ 3. 10. Jerem. 18. 11. Sed hæc promissio, tum carnalis de multiplicanda posteritate Abrahami, tum spiritualis de colligenda Ecclesia Christo, & piis perducendis ad vitam æternam, est *immutabilis*, ἀμεταμέλητος [*sine pœnitentia*, בלא Rabbinis. Intellige ergo hic κληρονόμους ἐπαγγελίας [*heredes promissionis*] & Patres illos veteres, & Christianos. Vide & quod supra 4. 1. ¶ ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ. *interposuit jusjurandum*] Ex Latino *intervenit*. Dicuntur autem Latinis *intervenire*, qui fidem alicujus fulciunt. Sic Deus suam ipse fidem fulsit jurejurando. In Glossis, μεσιτεύω, *intervenio*. Philo de Caino & Abele, Τοῦ πιστευθῆναι χάριν, ἀπιστούμενοι καταφεύγουσιν ἐφ' ὅρκον οἱ ἄνθρωποι. ὁ δὲ Θεὸς καὶ λέγων πιστός ἐστιν, ὥστε καὶ τοὺς λόγους αὐτοῦ βεβαιότητος ἕνεκα μηδὲν ὅρκων διαφέρειν, καὶ συμβέβηκε τὴν μὲν ἡμετέραν γνώμην ὅρκῳ, τὸν δὲ ὅρκον αὐτὸν Θεῷ πιστοῦσθαι· οὐ γὰρ δι' ὅρκον πιστὸς ὁ Θεὸς, ἀλλὰ δι' αὐτὸν καὶ ὁ ὅρκος βέβαιος. Τί οὖν ἔδοξε τῷ ἱεροφάντῃ παρεισαγαγεῖν αὐτὸν ὀμνύοντα; ἵνα τὴν ἀσθένειαν διελέγξῃ τοῦ γενητοῦ, καὶ διελέγξας ἅμα παρηγορήσῃ. οὐ γὰρ δυνάμεθα διηνεκῶς τὸ ἄξιον τοῦ αἰτίου κεφάλαιον ἐν ψυχῇ ταμιεῦσαι τῇ ἑαυτῶν, τὸ οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς, ἵνα ἅπαντα τὰ ἀνθρωπολογούμενα ὑπερκύψωμεν, ἀλλὰ πλεῖστον μετέχοντες τοῦ θνητοῦ καὶ χωρὶς αὐτῶν ἐπινοῆσαι μηδὲν δυνάμενοι, μήτε ἐκβῆναι τὰς ἰδίας κῆρας ἰσχύοντες, ἀλλ' εἰς τὸ θνητὸν εἰσδυόμενοι καθάπερ οἱ κοχλίαι, καὶ περὶ αὐτοὺς ὥσπερ ἐκεῖνοι σφαιρηδὸν εἰλούμενοι, καὶ περὶ τοῦ μακαρίου καὶ ἀφθάρτου καθάπερ περὶ αὐτῶν δοξάζομεν· τὴν μὲν ἀτοπίαν τοῦ λόγου, ὅτι ἀνθρωπόμορφον τὸ θεῖον ἀποδιδράσκοντες· τὴν δὲ ἐν τοῖς ἔργοις ἀσέβειαν, ὅτι ἀνθρωποπαθὲς, ἐπανορθούμενοι. διὰ τοῦτο χεῖρας, πόδας, εἰσόδους, ἐξόδους, ἔχθρας, ἀποστροφὰς, ἀλλοτριώσεις, ὀργὰς προσαναπλάττομεν, ἀνοίκεια μέρη καὶ πάθη τοῦ αἰτίου, ὧν ἐστι καὶ ὅρκος τῆς ἡμετέρας ἀσθενείας ἐπικουρία. [*Homines cùm fidem apud alios non inveniunt, ut fides sibi habeatur ad jusjurandum confugiunt, Deo vel loquenti tantum habenda fides, ut nec sermo ejus juramento hilo infirmior sit. Itaque affirmationi nostræ ob juramentum, ipsi juramento ob Deum creditur. Neque enim Deo à jurejurando accedit fides, quod & vim & fidem suam à Deo accipit. Cur ergo vati nostro visum, jurantem eum introducere? ut creaturæ infirmitatem & argueret & consolaretur. Non enim possumus semper in animo servare sententiam dignam primâ causâ non esse Deum qualis homo, ut sic attollamur super omnia quæ humanum in modum dicuntur: sed quia maxima ex parte affines sumus rerum mortalium & præter eas nil cogitare possumus, neque proprios morbos egredi: sed in res mortales immersi tanquam cochleæ, dum illarum in morem ipsi nobis involvimur, easdem de illo beato immortalique quas de nobis opiniones habemus, verbis quidem negantes Deum humanâ formâ præditum, re autem ab impietate quorundam qui affectus ei tribuunt non alieni, utcunque tergiversamur: ideo manus, pedes, introitum, exitum, odium, alienationem, aversationem, iram ei affingimus, affectus nihil ad auctorem illum summum pertinentes, in quibus & jusjurandum est nostræ imbecillitatis subsidium*.] Tertullianus de Pœnitentia, *O beatos nos quorum causâ Deus jurat! miseros si ne juranti credimus*.

18. Ἵνα διὰ δύο πραγμάτων ἀμεταθέτων, ἐν οἷς ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεὸν, ἰσχυρὰν παράκλησιν ἔχωμεν, *Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*] Hic jam dimisso sensu carnali mysticum sive spiritualem arripit, de quo agitur Matth. 3. 9. & Rom. 9 7. Gal. 3. 16. *Duæ res quarum Deum non pœnitet*, sunt promissum, ubi impleta est ejus conditio, & juramentum. Præterea apertè in his agit Deus, non obscurè, ut interdum in vaticiniis rerum aliarum. Aperta locutio vocatur *veritas*, Dan. 7. 16. ψεύσασθαι [*mentiri*] impropriè dicitur cujus verbis aliquis fallitur, ideo quòd non ea intelligat. Sic Ezechiel decepit Sedeciam, dicens non futurum ut videret Babylonem: Putabat is se eo non deportandum; at deportatus est, sed jam cæcus. *Firma* sanè est *consolatio* quæ nititur dictis immutabilibus, minimeque obscuris: qualia imprimis sunt promissa Euangelica. ¶ οἱ καταφυγόντες κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος. *qui confugimus ad tenendam propositam spem*] *Nos* inquit, *qui confugimus*, relictis nempe seculi vitiis, *ad obtinendam spem illam quæ nobis in Euangelio proponitur*. Confugimus tanquam ad asylum, ut illi de quibus Num. 35. 2. & Josue 21. 27. *Spes* hic dicitur per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] res ipsa sperata, id est, vita æterna, ut Gal. 5. 5. & alibi. κρατῆσαι [*tenere*] pro εἰς τὸ κρατῆσαι [*ad tenendum*.] & κρατεῖν, *potiri*, ut κρατεῖν τοῦ ποταμοῦ [[*potiri flumine*.] Et προκειμένη ἐλπὶς [*spes proposita*,] ut infra προκείμενος ἀγὼν [*propositum certamen*] 12. 1. προκειμένη χαρὰ [*gaudium propositum*] 12. 2. Sic προκείμενος σκοπὸς [*meta proposita*] apud Galenum.

19. Ἣν ὡς ἄγκυραν ἔχομεν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν, *Quam sicut ancheram habemus animæ tutam ac firmam*] Ἣν [*Quam*] refero ad παράκλησιν, ad *consolationem* quæ ex illis promissis oritur. Ea est *vice firmæ ac tenacis anchoræ*; quia inter tantos fluctus & tempestates seculi efficit ne mergamur, nempe si eâ rectè utamur, ut illi nautæ Actor. 27. 29. Sic Hecuba, apud Euripidem de filio, οἴκων ἄγκυρά τ' ἐμῶν [*domûs anchora meæ*.] ¶ καὶ εἰσερχομένην εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος. *& intrantem usque ad interiora velaminis*] Et hoc refero ad παράκλησιν [*consolationem*.] *Consolatio ista intrat*, id est, velut præsentes nos sistit in Cœlo illo summo, quod signi-

ficatur *per adytum illud quod erat intra velum* dictum פרכת, quod discriminis causa interpretes & Philo vocant *καταπέτασμα* [*velum*,] cùm velum alterum in foribus Basilicæ vocent *κάλυμμα* [*operimentum*.] De tota hac re diximus ad Matth. 27. 51.

20. Ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς, *Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus*] Ex occasione veli istius paulatim redit ad explicandum Christi sacerdotium, quam rem distulerat ut Hebræos officii sui commonitos ad attentionem præpararet. In Glossario, πρόδρομος, *antecursor*, *præcursor*. Esaiæ 28. 4. בכורה *ficus primitiva* vertitur πρόδρομος. *Christus eò prior ivit*, *idque nostro bono*, ut & nos eò accerseret, sicut ipse dixit Joh. 14. 27. Habemus, inquit, non promissum tantùm, sed & exemplum. ¶ κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, *secundùm ordinem Melchisedec*] *Ad modum Melchisedeci*: vel *pari lege aut conditione*, ut diximus supra 5. 6. Hoc ideo quia Melchisedec non minùs Rex fuit quàm Sacerdos: neque ex ortûs lege id habuit, neque alii id jus reliquit: in quo multùm differebat ab Aaronis posteris. Similitudines tales nec ad speculum respondent, nec premi debent singulæ circumstantiæ: sed observandum quo tetenderit divina tam veterum temporum dispensatio. ¶ ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα. *Pontifex factus in æternum*] Nempe ut nos à peccatis immunes faciat, vires nobis eximias impetrando, si ad ipsum recurramus. Vide supra 2. 17. Cum his cohærent quæ sequuntur.

CAP. VII.

VALLA.

6. CUjus *autem generatio non annumeratur in eis*, *decimas sumpsit ab Abraham*] Et apertiùs diceretur & veriùs, *Is qui non numeratur ex generatione* (sive *ex familia*) *eorum*, *decimas sumpsit*, ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν.

9. *Et* (*ut ità dictum sit*) *per Abraham & Levi*, *qui decimas accepit*, *decimatus est*] Consuetius est sic transferre, *Et*, *ut sic dicam*, καὶ, ὡς ἔπος εἰπεῖν. Nec legendum est *accepit*, nè intelligatur de *Melchisedec*, hoc est, Levita & Sacerdos, ὁ δεκάτας λαμβάνων.

24. *Hic autem*, *eò quòd maneat in æternum*, *sempiternum habet Sacerdotium*] Æternum & *sempiternum* idem significant, & penè idem vocabulum sunt: at Græcè diversa. Dicitur enim *sempiternum*, *incommutabile* sive *intransgressibile* sive *imprævaricabile*, ἀπαράβατον.

25. *Unde & salvare in perpetuum potest*, *accedens per semetipsum ad Deum*] Legendum est *accedentes per ipsum*, προσερχομένους δι' αὐτοῦ.

REVIUS in VALLAM.

9. DE *Melchisedec*, *hoc est*, *Levita & Sacerdos*] Deest aliquid. Sic ergò lege, *Nec legendum est* accepit, *nè intelligatur de Melchisedec*, *sed* accipit, *Levi videlicet*, *h. e. Levita & Sacerdos.*

ERASMUS.

2. PRimùm *quidem interpretatum Rex justitiæ*] Nam MELCHISEDECH apud Hebræos sonat *Regem justitiæ*. Quandoquidem illis מלכי MALCI, *Rex meus* dicitur. In compositione autem Jod litera euphoniæ gratiâ assumitur. צדק ZEDEC *justitia*. SALOM שלום autem *pacem* sonat. Id vocabuli quidam putant inditum à Melchisedec urbi Hierosolymarum. Hoc ex loco deprehendi potest error interpretationis in libello qui incerto titulo circumfertur, adjectus utriusque Testamenti voluminibus, De vocabulis Hebraicis, cum appareat id operis nihil aliud esse quàm tumultuariam non unius hominis coacervationem, etiamsi D. Hieronymus testatur sese hisce de rebus librum edidisse. Nam illic MELCHISEDEC exponitur in hunc modum, MELCHISEDEC *Rex justus*, *sive Rex justitiæ*, *aut Rex pacis*, *sive pacificus*. Atqui in hoc nomine MELCHISEDEC nulla vox est quæ *pacem* significet. Neque Paulus ait MELCHISEDEC sonare *Regem pacis*, sed MELCHISALEM מלכי שלום exprimere *Regem pacis*. Hieronymus in Nominibus hujus Epistolæ exponit MELCHISEDEC *Rex justus*.

3. *Sine patre*, *sine matre*] Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ· compositis apud Græcos dictionibus. ¶ *Et sine genealogia* apud illos est ἀγενεαλόγητος, quod fere sonat q. d. *cujus generis origo non possit reddi.*

4. *Intuemini autem*] Θεωρεῖτε δὲ, *consideratis*, sive *videtis*. Quanquam potest accipi, *& considerate*. ¶ *De præcipuis*] Ἐκ τῶν ἀκροθινίων· quod significat *primitias frugum*. Interpres legisse videtur ἀκροθινίων, quæ vox *præcipua* significat. Verùm hoc loco ἀκροθίνια dixit pro *spoliis* sive *exuviis ab hoste detractis*, interpretantibus ad eum modum & Græcanicis Scholiis ipsoque Chrysostomo. Et reperitur in hoc significatu apud Philostratum Sophistam. Interpres illud secutus videtur, quod in fastigio acervi præcipua soleant poni. Illud ridiculum, quod interpres Chrysostomi, cùm ACROTHINIA vertisset *præcipua*, nostram secutus editionem subjecit, PRÆCIPUA *dicuntur exuviæ*, videlicet oblitus se Latinè loqui, non Græce. Quanquam & Latinis *opima spolia* dicebantur velut egregia, quæ ducibus essent detracta. Græca vox dicta est vel à *tangendis summis*; unde & ἀκροθινιάζειν & ἀκροθινεῖν· vel ab ἄκρον, quod est *summum*, & θῖνες *acervi frumentorum* aut *ordei*.

5. *Tanquam & ipsi exierint*] Sermo Latinus anceps est utrum hæc verba pertineant ad *Levitas* accipientes decimas, an ad *fratres* dantes: cæterùm quoniam Græcis est ἐξεληλυθότας, non potest aliò referri quàm ad *fratres*.

6. *Cujus autem generatio*, &c.] Ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν, δεδεκάτωκε τὸν Ἀβραάμ, *is qui non numeratur ex generatione eorum*, *decimas sumpsit ab Abraham*.

7. *Sine ulla autem contradictione*] Χωρὶς δὲ πάσης ἀντιλογίας, *Sine omni verò contradictione*: quod modò vertit *controversiam*.

8. *Ibi autem contestatur*] *Contestans*, μαρτυρούμενος, i. e. *de quo testatum est quod viveret*. Nam de hoc pronunciatum est quod *Pontifex esset in æternum*. Siquidem participium μαρτυρούμενος medium est. Et in hanc sententiam interpretantur Græcanica Scholia.

9. *Ut ità dictum sit*] Ὡς ἔπος εἰπεῖν, i. e. *ut sic dicam*. Ad verbum sonat *ut verbum dicam*. Idem Græci dicunt ὡς τύπῳ εἰπεῖν. Hoc genus sermonis nusquam reperies apud Paulum alibi. ¶ *Et Levi qui*] *Et* hoc loco non est accipiendum simpliciter pro conjunctione copulativa, verùm pro *etiam* sive *quoque*, ut sit sensus, *non solùm Abraham dedisse decimas Melchisedech, verùm etiam in Abraham autore gentis ipsum etiam Levi*, *cujus est jus Decimarum*, *solvisse decimas*. Porrò quod præmolliit sermonem, dicens, *ut ità loquar*, explicat paulò pòst, *nam adhuc in lumbis patris erat*, h. e. nondum erat natus Levi, quem tamen dico quodammodo fuisse decimatum in patre. ¶ *Decimas accepit*] Ὁ δεκάτας λαμβάνων, *qui decimas accepit*, sive *solitus est accipere*, participio præsentis temporis. Loquitur enim non de Melchisedech, sed de sui temporis Levitis decimas accipere solitis.

11. *Sub ipso*] Sub. *Sacerdotio Levitico*, nè quis ad hominem referat.

13. *In quo enim*] Ἐφ' ᾧ γὰρ, *in quem enim*, sive *de quo*. ¶ *De alia tribu est*] Φυλῆς ἑτέρας μετέσχηκεν, *alterius gentis*, sive *tribûs particeps fuit*.

14. *In quâ tribu*] Εἰς ἣν φυλὴν, *de qua tribu*, sive *ad quam tribum*. ¶ *Nihil de Sacerdotibus*] *Sacerdotio* legendum, περὶ ἱερωσύνης. Sed ut πρεσβυτέριον *ordinem Presbyterorum* declarat, ità Paulus *Sacerdotium* pro *collegio Sacerdotum* usurpasse videtur.

17. *Secundùm ordinem Melchisedec*] Τάξις & *ordinem* significat & *ordinationem*; ac, meâ sententia, hic magis quadrabat *ordinatio*. Non enim agitur quotus fuerit Melchisedec, aut Christus, sed quomodo fuerit ordinatus.

20. *Et quantum est non sine jurejurando*] Καὶ καθόσον. Apertiùs vertisset, *& quatenus non citra jusjurandum*; ut sit sensus, *hoc esse meliorem spem nostram per quam*, *Christo Sacerdote*, *accedimus ad Deum*, *quod illi Sacerdotium commissum fuerit in æternum*, *idque non sine jurejurando*, *quò certior esset spes promissorum*.

24. *Sempiternum habet Sacerdotium*] Ἀπαράβατον, *quod ad alium transire non possit*, quod successione non aliunde transmigret ad alium, quemadmodum fieri necesse erat in Sacerdotio Mosaico.

25. *In perpetuum potest*] Εἰς τὸ παντελὲς· quod magis sonat *ad plenum*, sive *perfectè*, h. e. ut Græcorum exponunt Scholia, non solùm hic, sed etiam illic. Verùm hoc nonnihil primâ fronte sapere videtur Origenis dogma, quemadmodum & aliàs habet quædam quæ illius decretis in speciem patrocinari videantur, ut de servandis Dæmonibus. ¶ *Accedens*] Et Græci cod. & Latini vetustiores habent *accedentes*, προσερχομένους. ¶ *Ad interpellandum pro nobis*] Ὑπὲρ αὐτῶν, *pro ipsis*.

26. *Innocens*] Ἄκακος, *expers doli*. Sic & Chrysostomus interpretatur. Nam *innocens* Græcis non potest Latinè reddi, si Ciceroni credimus.

28. *Qui*

28. *Qui post Legem est*] Gr. τῆς μετὰ τὸν νόμον, *quod post Legem est*. Tametsi Græca præpositio μετὰ anceps est. Nam legi potest *& supra Legem*. Quòd si legis *qui post Legem*, intellige *post Legem conditam*, nempe in Psalmis. Sive mavis *supra Legem*, intelligitur plus fuisse ponderis in voce Divina quàm in præcepto Mosi. Abrogat enim id quod posterius est priùs condita; & abrogat quod à majore profectum sit autore id quod minor instituerat. ¶ *In æternum perfectum*] Τετελειωμένον, q. d. *factum semper idoneum ac legitimum*. Neque enim Sacerdos semper aut ubique idoneus est ad peragendum sacrum.

VATABLUS.

1. R*Egresso*] *Regredienti*.

2. *Sine patre, sine matre, sine genealogia*] i.e. Cujus genus & origo non describitur in Sacris literis.

4. *Intuemini*] *Considerate*. ¶ *Præcipuis*] *Spoliis*.

5. *Ipsi*] Sub. *Fratres*.

6. *In eis*] *Ex eis*: i.e. qui non duxit genus ab illis.

7. *Meliore*] *Majore*.

8. *Hic*] Adverbium: i.e. inter Judæos. ¶ *Morientes*] *Qui moriuntur: mortales*. ¶ *Contestatur quia vivit*] *Is de quo testatum est quòd vivat*.

9. *Dictum sit*] *Loquar*. ¶ *Accepit*] *Accipit*, Vet.

11. *Sub ipso*] *Per hoc*: sub. *sacerdotium*: vel, *propter ipsum*: sub. *consummationem*, *ut absolutè perficeretur*.

13. *In quo*] *Nam is de quo*.

14. *In qua tribu*] *Ad quam tribum*. ¶ *Sacerdotibus*] *Sacerdotio*, Vet.

15. *Et ampliùs adhuc manifestum est*] Vel, *Idque magis etiam liquet*: sub. *quod Legis mutatio fiat*. ¶ *Si* *] * *Quidem*. ¶ *Secundùm*] *Juxta*: & infra.

16. *Secundùm virtutem*] *Juxta potentiam*. ¶ *Insolubilis*] *Indissolubilis*: i.e. sempiternæ.

17. *Contestatur*] *Testificatur*.

18. *Infirmitatem*] *Imbecillitatem*: i. e. quòd ad vitam æternam consequendam & peccati remissionem non ità valde conferret.

19. *Ad perfectum adduxit*] *Perfecit, perfectum reddidit*: i.e. nullum unquam ità absolutum reddidit, ut illum ad Deum perduceret. Legem ceremoniarum intelligit adumbrantium Christum. ¶ *Introductio verò melioris spei*, &c.] i.e. Aperiebat viam ad autorem spei melioris, Christum.

20. *Quantum est non sine jurejurando*] *Quatenus non citra jusjurandum* (sub. *summus sacerdos factus est*.)

21. *Juravit Dominus & non pœnitebit eum*] Heb. pro, *Juravi ego, & non pœnitebit me*. ¶ *Æternum* *] * *Secundùm ordinem Melchisedec*.

22. *In tantum melioris*] *Tanto potioris*.

24. *Sempiternum*] i.e. Quod ad alium transire non potest, & successione transmigrare ad alium.

25. *In perpetuum*] *Ad plenum, perfectè*. ¶ *Accedens*] *Accedentes*, Vet. ¶ *Per semetipsum*] *Per ipsum*. ¶ *Nobis*] *Eis*, Vet.

26. *Innocens*] *Expers doli*. ¶ *Segregatus à peccatoribus*] i.e. Qui nunquam habuit locum inter peccatores.

27. *Sacerdotes*] *Illi Pontifices*.

28. *Qui*] *Quod*. ¶ *Post Legem est*] i.e. Regnante Davide, è cujus Psalmis desumptus est hic locus. ¶ *Perfectum*] Sub. *constituit*.

CASTALIO.

13. E*X qua nullus astat aræ*] Sacerdotio fungitur.

19. *Nihil perfecit Lex, sed adjectio melioris spei*] Sacerdotium Melchisedechianum perficit hominem.

CLARIUS.

3. S*Ine patre, sine matre*] Hoc propterea dicitur quòd hujus non describatur genealogia, neque à quibus aut quando ortus, neque quando obierit. Figura autem hic fuit Christi, qui fuit *sine Patre* in terra, & *sine Matre* in cœlo, & *neque initium habuit dierum, neque finem est habiturus*. Ingens ergò est inter Novum Vetusque Testamentum differentia, quæ ex Sacerdotii differentia colligitur.

8. *Morientes homines*] Mortales. Ostendere autem vult excellentiam hujus Melchisedec, ob quam acceperit decimas. Quod autem ait, *testimonium habuisse illum quod viveret*, sic accipe, ut superiùs dictum est, Quòd scilicet Scriptura mortem ejus non dixerit, sed vitam tantum. Sacerdotium ergò Levitarum moriturum erat, illud verò *secundùm ordinem Melchisedec* futurum est æternum.

11. *Si ergo consummatio*] Docet Sacerdotium Novi Testamenti atque ipsum Testamentum Veteri esse præstantiùs. *Si enim perfectionem*, inquit, *habuisset Leviticum Sacerdotium, sub quo lata est Lex, quid opus erat ex alia tribu quam Levitica exsurgere alium qui secundùm ordinem Melchisedec, & non secundùm ordinem Aaron potiùs, Sacerdotio fungeretur?*

12. *Translato enim Sacerdotio*] Vide ut aptè introducit Novum Testamentum. Cùm Legis, inquit, autoritas conjuncta sit cum ratione Sacerdotii, *necesse omnino est ut mutatâ formâ Sacerdotii, mutetur & forma Legis*.

16. *Secundùm legem mandati carnalis*] *Magis etiam*, inquit, *perspicuum est Sacerdotium hoc diversum à Mosaico esse, quod cùm dicit, secundùm ordinem Melchisedec Sacerdotem Christum esse debere, admonet fore ut non carnales hostias immolet, quas Lex præcipit immolandas, sed Divinâ virtute ad indissolubilem vitam ducat*.

22. *In tantum melioris testamenti*] Et quia videlicet non habet finem sicut Legale, & quia intercessit jusjurandum, & quia Legalia imperfecta erant & infirma, hæc autem perfecta & fortia.

25. *Unde & salvare*] Alii Sacerdotes ob mortem non possunt quod cœperant prosequi, & sunt quasi sponsores incerti: Jesus autem, quia in æternum manet, quos cœpit salvos facere, *eos potest ad perfectam salutem perducere qui accessum habent ad Deum per ipsum, dum semper vivit, atque ut Sacerdos interpellat pro ipsis*.

27. *Hoc enim fecit semel*] Quid? ut offerret scilicet *pro peccatis populi*: nam pro se nè semel quidem opus fuit, cùm sine peccato esset.

28. *Lex enim*] *Lex infirma infirmos* quoque *homines constituebat*, ut utrinque nihil esset validum: *at sermo jusjurandi, qui Legi succedit, constituit Filium Dei perfectum atque immortalem*.

ZEGERUS.

1. M*Elchisedec Rex Salem*] Quis sit hic *Melchisedec* & quæ hæc *Salem* docet ex traditione eruditissimorum quorundam Hebræorum D. Hieronymus Epist. ad Euagrium, *Misisti*, ità scribens, *Tradunt hunc esse Sem primum filium Noë; & eo tempore quo ortus est Abram habuisse ætatis annos CCCXC*. (hic omittimus annorum supputationem atque alia, post quæ sequitur,) *Salem autem non, ut Josephus & nostri omnes arbitrantur, esse Jerusalem, nomen ex Græco Hebraicoque compositum (quod absurdum esse peregrina lingua mixtura demonstrat) sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur* Salem: *& ostenditur ibi palatium Melchisedec, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam*. Putat quoque eandem esse civitatem de qua apud D. Johannem 3. 23. scribitur, *Erat Johannes baptizans in Ennon juxta Salim*. ¶ *Et benedixit ei*] Videlicet Abrahamo Melchisedec.

3. *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habens*] Non quia parentes nullos habuerit, quippe qui ut cæteri homines in lucem prodierit, sed quia ejus generatio literis non sit demandata, nec ejus quinam fuerint progenitores nomine explicentur, intelligendum est. Quomodo ergò iste *sine patre, sine matre*, quomodo *neque initium dierum neque finem vitæ habuit*, nec narrata *genealogia*, sic & Christus ipsâ naturâ rei sine initio & fine fine est. Sicut enim illius nescimus vel initium vel finem, propter quod non fit scriptum; sic & nescimus Filii Dei, quia scribi nequaquam potuit. *Generationem* enim *ejus*, inquit ille, *quis enarrabit?* Isa. 53. 8.

5. *Quanquam & ipsi*] Subaudi *fratres*.

7. *A meliore benedicitur*] Κρείττων validiorem & potentiorem signat, nedum *meliorem*.

8. *Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur quia vivit*] *Et hic*, inquit, i.e. in Levitico Sacerdotio, *morituri homines decimas accipiunt*, & morte identidem majoribus sublatis decimationis jus ad posteros transit: *ibi autem*, i.e. in Melchisedecico Sacerdotio, *testimonium perhibetur* per Scripturam, *quod* qui decimas capit *vivat & maneat in æternum*. Ità enim legimus, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*, Psal. 110.

9. *Et (ut ità dictum sit) per Abraham & Levi, qui decimas accepit, decimatus est*] i.e. Non *Abraham* modò decimas exsolvit ipse Melchisedec, verùm etiam *& Levi* ipse, qui Sacerdotii obtinuit principatum, & ad quem exigendarum *decimarum* jus pertinuit, *in lumbis adhuc* proavi sui *Abrahæ delitescens*

quodam

quodam modo decimas exsolvit. Licebit quoque per *Levi* universum Levitarum ordinem intelligere, propterea quòd *accepit* Græcis sit præsentis temporis λαμβάνει.

11. *Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat*, &c.] Quod dicit tale est, Quòd si contenderitis *in Sacerdotio Levitico perfectionem, finem atque consummationem fuisse propterea quod sub illo Lex data sit populo, quid opus erat*, juxta Psalmi Vaticinium, *alium surgere Sacerdotem, qui non juxta ritum Aaron* præcipui illius ex Levitica tribu Sacerdotis, *sed juxta ordinem Melchisedec Sacerdos diceretur*?

12. *Translato enim Sacerdotio*] *Enim* hic pro *autem* posuisse videtur, quemadmodum & alibi.

13. *In quo enim hæc dicuntur de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit*] *Is*, inquit, *de quo hæc* in Psalmo *scripta sunt*, nimirum Christus, *ex alia tribu*, videlicet *Juda*, *exortus est*, *unde nullus altario* sacrisque curandis *destinatus est*.

15, 16. *Et amplius adhuc manifestum est*, &c.] Primùm memineris hic *si* pro *siquidem* positum esse, hoc sensu, *Magis insuper liquet & manifestum fit*, quantum inter Mosaicum interfit & Christi Sacerdotium; *siquidem ad similitudinem Melchisedec* testatur Psalmographi Vaticinium *exsurgere Sacerdotem alium, qui non juxta carnalis mandatum legis Pontifex futurus sit, sed juxta permanentis & indissolubilis vitæ suæ potentiam.* Tanquam si inquiat, Aliam etiam ostendo differentiam utriusque Sacerdotii, non modò ex Tribu, neque modò ex Persona, neque ex Jurejurando, atque aliis de quibus suprà disputavimus; sed ex diversa utriusque virtute ac robore; siquidem illud pro carnalis legis conditione carnale ac temporale erit, hoc verò pro suæ potentiæ conditione spirituale atque æternum. In hanc ferè sententiam enarrant Chrysostomus, atque is cujus est in hanc Epistolam fragmentum titulo Ambrosii. Alii tamen de Sacerdotii translatione accipiunt, dicentes, *Et amplius adhuc manifestum est*, scilicet Legalis Sacerdotii factam esse translationem. Porrò illud *secundum legem mandati carnalis* Hypallage est, pro eo quod est *secundum mandatum legis carnalis. Indissolubilis* ex Græco manifestum est casûs esse paterni, eoque & *vitæ* epitheton.

17. *Tu es Sacerdos in æternum*] Emphasis ac vis disputationis hoc duntaxat in loco in eo sita est quòd dicitur *in æternum.* Nam pro diverso diversorum hujus versiculi verborum respectu toties jam recitatum est unum idemque testimonium, ut perspicuum fit superiorem Paulinæ disputationis seriem intuenti.

18, 19. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati*, &c.] *Abrogatio*, inquit, *fit veteris mandati* Legalis & Testamenti, *quia inutile atque infirmum erat, nec perfectum quemquam reddere poterant:* at ejus loco *introductio* alterius fit mandati & testamenti, quod longè *potioris spei* est, utpote *per quam* spem non jam *ad interiora velaminis*, sed ad ipsum *proximamus* summi *Numinis* conspectum. Porrò quòd quidam illud ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος transtulit *verùm erat introductio ad spem potiorem*, ut intelligatur *mandatum vetus introductionem fuisse ad spem potiorem*, planè violentum est & à veterum explanatione dissentiens.

20, 21, 22. *Et quantum est non sine jurejurando* (*alii quidem*, &c.) *in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus*] Ex hac ipsa Parenthesis annotatione cæterorumque verborum distinctione perspicuam arbitror jam tibi factam intelligentiam. Verùm, nequid fortè adhuc sit quod possit remorari, eandem aliis plenioribus verbis replico. *Hoc ipso quod interposito juramento Christi Sacerdotium firmatum est*, evidens fit, *quanto melioris testamenti promissor atque intercessor factus sit Jesus.* Nam quod ad *reliquos Sacerdotes* attinet, *citra jusjurandum creantur.* Quòd si quæras quo Scripturæ testimonio, quoque juratore; *Per eum de quo* in Psalmo canitur, *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum*, Psal. 110. Sunt tamen alii qui particulam illam, *Et quantum est non sine jurejurando*, absque periodo conjungunt superioribus, ità ut ibi, *Alii quidem*, novum faciant orationis caput: denique illud, *In tantum*, periodo segregant à præcedentibus; nec priùs finiunt orationis cursum quàm ubi legerint, *prohiberentur permanere.* Verùm quàm hæc non quadrent (tametsi non ignorem ità in Græcis exempl. reperiri) cuivis rem pressiùs intuenti perspicuum fit.

25. *Accedens per semetipsum*] Quò minùs *accedentes* legere possis in Vulgata versione, illud *semetipsum* prohibet, etiamsi Græcis sit *accedentes*, sed apud quos αὐτοῦ sit anceps ad *ipsum* & *seipsum.* Hesychius lib. 2. in Levit. *accedens* habet.

LUCAS BRUG.

9. ET, *ut ità dictum sit, per Abraham & Levi, qui decimas accepit, decimatus est*] Manuscripta exemplaria sex, Ge. l. Brug. Lob. P. Pl. la So ru. & impressa quædam, Ven. Quent. &c. pro *accepit* præsenti tempore scribunt *accipit*; quomodo & Haymonis, ac Glossæ ordinariæ descriptoris, Petri Lombardi, denique Brunonis Carthusianorum Patriarchæ, commentaria habent; quanquam Haymonis utramque explicare videantur. Huic lectioni Græci volunt, & B. Augustinus, cujus verbis Beda pro commentario utitur, Græcis conformiter legens, lib. 10. De Gen. ad literam cap. 19. *Propter* [*Per* & *Propter* utrumque Græca admittunt.] *Abraham, & Levi accipiens decimam, decimatus est:* ὁ δεκάτας λαμβάνων, est Græcè; id quod Syri significanter reddiderunt, *Ille qui decimas accipiebat.* Nicolaus Zegerus *accipit* in textum retulit. Sensus is est quem Haymo dedit; Abrahamo decimas dante Melchisedeci, decimas dedit etiam Levi, ejusque posteritas, quæ hactenus juxta Legem à cæteris Israëlitis decimas accipit, seu accipere consuevit. Crediderim *accipit* cum *accepit* ab aliquibus mutatum fuisse, quòd scirent jam tum cùm Apostolus hæc scriberet, abrogatum per Christum fuisse Levitarum jus exigendarum à reliquo populo Israël decimarum, ut cætera legis statuta ac ceremonias.

25. *Unde & salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum*] *Accedens* habent plerique libri; *accedentes* sex Parisiensium (Di. l. Ge. l. Pau. Do. Const. Compl.) sex nostri (Brug. sed hoc id est, nisi fallor, quod Parisienses signarunt Do. Mal. ma. So. la. Q. Quent. Reg.) duo Hentenii, quidam Lugdunensium. Anselmus, Lyranus, Bruno & Richelius *accedens* legunt. Primasius, Haymo, Autor Glossæ, Lombardus, Carensis, Thomas, Gorranus, utrumque agnoscunt, admittunt & explicant. Græci codices, Græcis tractatoribus, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, adsipulantibus, τοὺς προσερχομένους *accedentes* scribunt; similiter Syrici, מתקרבין, & Hebraicè edita hæc epistola, si cujus est illa autoritatis, בשם: id quod quadrat ei quod sequitur, *Semper vivens ad interpellandum pro eis*, quanquam in plerisque Latinis codicibus sit *nobis.* Ambrosius Catharinus aliique, *accedentes*, non *accedens*, veram nobis esse lectionem judicant. Epanorthotes etiam noster (qui quòd mendosè plerisque locis visus fuerit scriptus, jamdiu siluit) *accedens* modernis, ut ipse loquitur, codicibus tribuit; *accedentes*, juxta antiquos & Græcos, probat. Zegerus arbitratur propter τὸ *semetipsum* in nostra editione *accedentes* non posse legi: ego verò existimarim *accedentes* in *accedens* propter τὸ *semetipsum* mutatum fuisse Non est Interpres anxius reciproci & non reciproci pronominis observator. Opinor tamen non incongruè hic reciproci pronominis *se* usum esse posse: verùm ad vitandam amphibologiam, nè intelligas *se* ad *accedentes* referri, videtur Interpres *semetipsum* dixisse. In impressis quibusdam, Quenteliano nominatim, legitur *ipsum*; sed ex arbitraria, ut facilè suspicor, emendatione.

H. STEPHANUS.

1. Ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων] *Revertenti de cæde Regum.*

3. Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος] *Cujus nec pater nec mater scripti sunt in genealogiis.* Ità Syrus interpres.

5. Ἐντολὴν ἔχουσιν ἀποδεκατοῦν τὸν λαὸν] *Præceptum habent accipiendi decimas à populo.*

11. Εἰ τελείωσις διὰ τῆς Λευϊτικῆς ἱερωσύνης ἦν] *Si perfectio contingere potuerat per Leviticum Sacerdotium.*

13. Προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ] *Operam dedit altari.*

19. Ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος] *Sed spes melior, quæ fuit introducta*: vel, *ascita.*

26. Ἡμῖν ἔπρεπε] *Nobis conveniebat*: vel, *nos decebat.*

DRUSIUS.

1. REx *Salem*] Quæ pòst *Jerusalem* dicta. Nam quod Hieronymus suspicatur de alia Salem, quæ juxta Sichem, in qua olim palatium Melchisedeci ostendebatur, valde controversum est; cùm nata sit hæc opinio ex loco ambiguo, *Venit Jacob Salem*, quod nunc interpretantur appellativè, *salvus, incolumis*: nam id שלם, quando appellativum est, etiam significat. Dixi hac de re plura in magnis Annotationibus ad Genesin. ¶ *Sacerdos*] i. e. כהן *Cohen*, ut habetur in textu Hebræo. Nec dubium quin ἱερεὺς hic positum sit pro ἀρχιερεύς, h. e. *Sacerdos* pro *Sacerdos summus*, qui & *Pontifex*, vel, si placet,

Pontifex

Pontifex maximus: qualis erat Aharon, qui tamen aliquando simpliciter *Sacerdos* appellatur. Sic *Angelus* pro *Archangelus* accipi notius est quàm ut probandum sit. Similiter *pistor* vocatur qui princeps erat pistorum; & *pincerna*, princeps pincernarum. Syrus hic habet כומרא, quod nomen Judæi non usurpant nisi de Sacerdotibus deorum falsorum. ¶ *Dei summi*] *Excelsi, supremi, altissimi*: quem Hebræi ELION, Phœnices Ἐλιοῦν ELIUN appellant, ut est apud Sanchuniathonem, quem Philo Biblius in Græcum sermonem convertit, crebrò citatum ab Eusebio Pamphili: unde nos habemus. Syrus hic edidit מרימא, quod reddunt *excelsi*.

2. *Rex justitiæ*] MELECH sive MELCHI, *Rex*, & SEDEC *justitia*. Sunt qui SEDEC perhibent esse antiquum nomen Urbis: quod mihi non videtur. Hieronymus צדק *justum* interpretatur: quâ formâ reperitur כבד *gravis*, item ארך *longus*, כסל *stultus*, & alia nonnulla. Esa. 41. 10. ימין צדקי Hier. *dextera justi mei.* Rursum Psal. 17. 1 צדק *justum*: priùs Aquila verterat δίκαιον. Ab eo igitur Hieronymus didicit. Quin LXX. Cohel. 3. 16. מקום צדק interpretantur τόπον δικαίου, ubi Vulg. nostra *locum justitiæ*, Gen. 14. 18. in Jonatha מלכא צדיקא *Rex justus.* Utut sit, SEDEC, meo judicio, melius redditur: *justitia* quàm *justus*. Siquidem *justus* צדיק dicitur: quod ubique obvium. ¶ *Rex pacis*] Imò *Rex salvus* aut *incolumis*: nam id SALEM propriè significat, ut diximus. Sed antiquâ interpretatione, SALEM, *pax*. Hier. in lib. Nom. Clemens Strom. l. 4. Alioqui *pax* SALOM dicitur: unde ABSALOM, *Pater pacis*; & SAR SALOM, *Princeps pacis*. Eucherius in Gen. pag. 145. SALEM, *quæ nunc pro* SICHEM *nominatur*, *sonat* consummatam *atque* perfectam: *ista vero quæ postea* JERUSALEM *dicta est*, Pacificam. *Utrumque enim accentu paululum declinatio hoc vocabulum sonat.* Quod de accentu scribit, vanum est. Neque SALEM quæ nunc pro *Sichem* nominatur, alia est ab illa quæ postea *Jerusalem* dicta. Hausit autem è Hieronymo, cui pro omnia non est fidendum. In libro Locorum, *Josephus verò Salem esse affirmat, in qua regnavit Melchisedec*; *quæ postea dicta est* Solyma, *& ad extremum* Jerosolymæ *nomen accepit*. Sententia hæc in omnes partes melior ac sanior est quàm illa Eusebii, quam ferè Partes sequuntur, *Salem civitas Sicimorum, quæ est Sichem.* Videndus Hieronymus Epist. 126. Josephi verba habentur Ant. hist. l. 1. c. 11. Certum est Jerosolymam antiquitus *Salem* dictam esse. Sic sanè vocatur apud Davidem, Psal. 76. 2. quo in loco ità scribit, *Et fuit in Salem umbraculum ejus.* Id Latinè sonat *perfectus, integer, incolumis*. Unde Gen. 33. 18. ubi vetus editio, *Et venit Jacob in Salem urbem Sicimorum*, & LXX. εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων, interpretes nuperi habent, *venit salvus & incolumis*: Sic etiam Thargumistæ Onc. & Jon. Nec aliter Hebræi. Sunt qui *Jerosolymam* appellatam putant nomine composito ex יראה & *Salem*. Gorionides c. 82. ἐτυμολογίζει יראה שלם *videbit perfectam: Videbit*, i. e. respiciet, eam Deus, cum *perfecta* erit & *absque macula*. In Genesi magno, *Melchisedec nominavit eam Salem*; *Abraham*, יראה, *i. e. Videbit, Providebit*; *Deus benedictus ex utroque fecit Jerusalem.*

3. *Sine patre*] Ergò non habuit patrem? Habuit, sed in historia ejus pater non memoratur; ut nec *mater*, nec *genus* ejus: ideo ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος dicitur. Simile quod Hebræi dictant de Jacobo Patriarcha, *Jacob non est mortuus.* Nam cùm de morte ipsius sermo, Scriptura non utitur verbo *moriendi*. Non enim certè dicitur וימת *& mortuus est*, sed ויגוע *& exspiravit*, Gen. 49. 33. ¶ *Neque initium dierum neque vitæ finem habens*] *Dierum vitæ* videlicet. Vult dicere, *Scriptura non memorat quando natus, nec etiam quando mortuus sit aut diem obierit.*

5. *Sacerdotium accipientes*] Nam Aharon ex filiis Levi, cujus posteri omnes fungebantur Sacerdotio, & *Sacerdotes* vocabantur. Unde Samuel Levita erat, non *Sacerdos*, qui non erat ex posteris Aharonis. Res est, non conjectura. ¶ *Decimas sumere à populo*] Imò Levitæ *sumebant à populo*; è quibus deindè dabant decimas ipsis Sacerdotibus, quæ *decima decimarum* dicebantur. Solvo nodum; Levitæ *sumebant à populo* immediatè, Sacerdotes autem mediatè, videlicet per Levitas, qui ex decimis suis, quas à populo acceperant, decimam partem dabant filiis Aharonis, h. e. Sacerdotibus.

6. *Cujus genus ad illos non refertur*] *Sacerdotes* videlicet. Non enim certè erat ex posteris Aharon: quin genus ejus omninò reticetur: unde *sine genere*, i. e. ἀγενεαλόγητος, fuisse dicitur, suprà v. 3. non quod genus non habuerit, sed quod illud à Mose non memoretur.

7. *Id quod minus est*, &c.] Quid? nonne homines benedicunt Deo? Benedicunt sanè: sed de hac benedictione non agit hoc loco Apostolus. Nam *Deo benedicit* qui eum laudat: unde *Deus benedictus*, h. e. laudandus. Aliud est cum homo homini *benedicit*, aut Sacerdos populo. Nam tunc significat bene precari. Loquitur autem hic de publica benedictione Sacerdotum, qui in Templo fiebat solenni ritu, expresso etiam propriis vocalibus Nomine tetragrammato.

8. *Quod vivat*] Quod non sit mortuus. Non enim certè legitur mortuus esse: Si non est mortuus, ergo vivit. Quæ intelligenda sunt ut illa, *sine patre*, *sine matre*, *sine genere*. Non enim in his rei veritas spectatur, sed quid scriptum sit de illo à Mose. Simul etiam docemur argumentum à non scripto quandoque pondus habere, nec ubique rejiciendum esse; præsertim ubi quid certo consilio & datâ operâ deque industria & studio prætermittitur, ut hic factum esse nullum omnino dubium est.

11. *Alium Sacerdotem*] *Sacerdos alius* ut *Rex alius*: pro quo Exod. 1. 18. *Rex novus*, i. e. καινός· sed in LXX. ἕτερος. Sic *ætas* vel *generatio alia*. Hebraicè דור אחר γενεὰ ἑτέρα Exod. 1. 6. & Jud. 2. 10. Quod autem ait *surrexit*, id valet *exstitit*, *exortus est*. Notavi alias.

13. *Altario*] Severus Sulpicius, *altariumque sub monte constituit*. Prudentius etiam *altar* usurpat. *Altar*, *altare*, *altarium*; ut *cochlear*, *cochleare*, *cochlearium*; *laquear*, *laqueare*, *laquearium*. Adhibe Notas meas ad Historiam sacram Sulpicii, pag. 126.

15. *Exsurgat*] Vel *surgat*, i. e. exsistat, exoriatur, ut suprà v. 11. *necessarium fuit alium surgere Sacerdotem*. Sic Exod. 1. 8. *Surrexit Rex novus qui non noverat Josephum*: & in Euangelio, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptistâ*. Manahemus in Mosen 185. 2. *Non surrexit propheta amplius sicut Moses in Israele*: *sed in nationibus mundi surrexit Balaam.*

21. *Non pœnitebit eum*] Non mutabit hoc juramentum suum, sed servabit illud immutabiliter. *Pœnitentia* in Deo nihil aliud est quàm mutatio vel rei vel sententiæ. Augustinus De civit. Dei, lib. 17. c. 7. *Ubi legitur quod* pœnitebit *eum*, *mutatio rerum significatur*, *immutabili scientia manente Divinâ*. *Ubi ergo* non pœnitere *dicitur*, *non mutare intelligitur*. Tertullianus Adv. Marcion. lib. 2. *Pœnitentia in Deo aliud nihil quàm mutatio sententiæ prioris*; *quæ etiam sine reprehensione possit admitti in homine*, *nedum in Deo*, *cujus omnis sententia caret culpa*. Alibi est, *non pœnitet Deum ut hominem*, nempe ex recordatione delicti. Nam pœnitentia ex delicto non cadit in Deum, ut nec delictum ipsum.

23. *Permanere*] In vita, vivere. Mox, *in æternum manet*, i. e. vivit. Sic in Euangelio Johannis, *Si eum volo manere*. Græcè μένειν & παραμένειν. Quia vero *semper manet*, v. 25. dicitur πάντοτε ζῶν *semper vivens*; & quia *semper vivit*, ideo *æternum habet Sacerdotium*, *semper interpellans pro iis qui ad ipsum accedunt.*

CAMERON.

3. Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, &c.] Aaron non fuit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, habuit *initium dierum*, habuit *finem vitæ*: nempe notum est unde ortus, quo pacto consecratus in Sacerdotem, quando mortuus decesserit successori. At de Melchisedeco nihil tale proditum est: imò certo Dei consilio suppressum illud est; ut qui velint quærere quis fuerit Melchisedec, si id invenerint videri possint frustrati Dei consilium. In quo cernitur secunda Christi & Melchisedeci convenientia. Ideo enim Scriptura Melchisedecum facit ἀπάτορα, ἀμήτορα, ἀγενεαλόγητον, ut nè requiramus in Christo genealogiam carnalem ut pro Sacerdote habeatur. Deinde, describitur Melchisedec ac si nunquam mortuus fuisset: id quod illi non magis revera contigit quam ut esset revera ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. Sed tamen Scriptura mortis Melchisedeci non meminit, ut quatenus fieri potuit in eo adumbretur vita æterna Christi Sacerdotis. Hæc itaque de Christo accipienda sunt tanquam dicta respectu ipsius non Personæ sed Sacerdotii. Nam Christus respectu Personæ suæ Divinæ Patrem habuit, respectu naturæ humanæ matrem; genealogia ejus describitur à Luca & Matthæo; habuit *initium dierum*, cùm conceptus est ex Spiritu S. habuit *finem vitæ*, cùm exspiravit in cruce. Porrò respectu naturæ Divinæ, secundum quam dici potest ἀμήτωρ (etsi non ἀπάτωρ) ἀγενεαλόγητος, *sine dierum initio & fine vitæ*, illius, inquam, solius respectu non est Sacerdos, sed duntaxat quatenus Θεάνθρωπος & Mediator. Christus ergò respectu Sacerdotii sui dicitur hic ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, &c. quatenus neminem habuit in Sacerdotio suo decessorem cui ipse successerit, neminem item successorem cui ipse decesserit: quod non fuit in Aarone, qui habuit longa serie successores, quorum genealogia in Scriptura recensetur; sed adumbra-

adumbratum fuit in Melchisedeco, qui non est patre Sacerdote natus, neque matre quæ à Sacerdotus originem duceret, nec ulli Sacerdotes leguntur illi in Sacerdotibus successisse, aut in ejus genealogia commemorantur. Sed *nec initium dierum habuit* (quatenus ejus nativitas non commemoratur) h. e. nullus ante eum defunctus est Sacerdotio cui ipse deinde successerit & à cujus morte Sacerdotium auspicatus ipse fuerit; denique *neque vitæ finem*, h. e. nullus commemoratur ei successisse in Sacerdotio: qua in re typus fuit Christi.

11. Ὁ λαὸς γὰρ ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτητο] Νομοθετεῖσθαι ἐπὶ τῇ ἱερωσύνῃ est *accepisse à Deo politiam cujus pars esset ἱερωσύνη.* Nam Politiæ Judaicæ duæ partes erant: altera judicia & res civiles spectabat, altera ritus religiosos: cætera nobis cum illis communia fuere. Ergò νομοθετεῖσθαι ἐπὶ ἱερωσύνῃ est νομοθεσίᾳ *quæ habet* ἱερωσύνην *subjici.* Sed quorsum ista spectant? Nempe ut ostendat Apostolus ἱερωσύνην à νομοθεσίᾳ non posse divelli; ut si illa mutetur, νομοθεσίαν mutari necesse sit; non enim aliter ratio ejus constare possit: ut si præcipuam partem ædium (utpote quâ nititur earum compages) diruas, & totas ædes diruas, ut à fundamento eas instaurari necesse sit.

16. Ἐντολῆς σαρκικῆς] Ἐντολὴ σαρκικὴ est præceptum *offerendi sacrificium*, cujus sacrificii tota vis sita est in expiatione *carnali*, tota vis, inquam, effectrix, ut idem hic Apostolus interpretatur cap. 9. 13. ¶ Δύναμις ἀκαταλύτου ζωῆς est vis illa profecta à Divinitate Christi, quâ effectum est ut Christus non modò ipse vivat in æternum, sed & vitam in nos derivet. Et hoc item Apostolus interpretatur cap. 9. 14. Certè δύναμις ἀκαταλύτου ζωῆς quæ in *Christo* est, profecta est *à Spiritu æterno, per quem sese obtulit* Patri.

17. Κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ] Τάξις Μελχισεδὲκ quid sit facile intelligi potest ex eo quod v. 11. opponitur τάξει Ἀαρών. Nam τάξις Ἀαρὼν est *conditio Sacerdotis Aaronici Lege præscripta:* unde colligitur quæ illius ratio quæque (ut ita dicam) natura fuerit. Id quod deprehendi potest ex v. 16. Nam quod dixerat οὐ κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρὼν, id interpretatur οὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς· quod verò dixerat *secundum ordinem Melchisedec*, id exponit κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. Hinc liquet quæ sit convenientia Hebrææ vocis דברה & Græcæ τάξεως, utque altera alteri respondeat: nempe דברה sive דבר est *res conditio.* Eccles. 3. 18. אמרתי אני בלבי על דברת בני האדם, *Dixi ego in corde meo super statu & conditione filiorum hominum.* Sic Matth. 19. 10. Εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικὸς, οὐ συμφέρει γαμῆσαι. Omnino phrasis est Hebræa: nam דבר & דברה αἰτίαν illis significant: quoniam verò דברה *statum & conditionem* significat, hinc factum est ut αἰτία eodem significatu usurpatum sit. Sed tamen non quævis conditio דברה τάξις debet vocari, sed ea duntaxat quæ præscripta est, ut דברה sit hic veluti *Idea.* Nam rerum formæ, ut sunt in materia, si *ideæ* dicuntur, ideo sic appellantur quòd habeant σχέσιν ad eam formam quæ est in mente artificis. Nec aliunde factum est ut דבר, quæ vox *verbum* significat, rem ipsam notet.

18. Διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς] Lex Dei ἀσθενὴς & ἀνωφελὴς eo sensu dicitur quem explicat idem hic Apostolus infra cap. 10. hujus Epistolæ, & Apostolus Paulus initio cap. 8 Epist. ad Rom. item cap 7. ejusdem Epistolæ, & passim. Nam nec Lex Moralis sanctificare, nec expiare Ceremonialis valet.

19. Οὐδὲν ἐτελείωσεν ὁ νόμος] Nihil aliud vult Apostolus quàm Legem fuisse tantùm rudimentum; nempe quomodo Gal. 3. 24. *Legem* dicit *fuisse pædagogum usque ad Christum; postquam autem Christus exhibitus est, nihil opus esse pædagogo*, quia Christiani non sunt ampliùs instituendi rudimentis, sed habendi pro perfectis discipulis. Indeque est quòd passim totam Legis œconomiam Paulus vocet *rudimenta* στοιχεῖα, sive *elementa*, quæ scilicet pueris traduntur. Estque phrasis illa non, ut quidam viri docti putant, desumpta ex Græcorum loquendi more, sed usurpata in Ecclesia Judaica. Nam Esdræ 7. 6, 12. hoc elogio insignitur Esdras quòd fuerit ספר גמיר *Scriba perfectus*, seu *completus.* Nempe גמר & *discere* & *perficere* significat, ut גמר sit ille qui *plenè & perfectè didicit.* Et præcipua Pandectarum Judaicarum pars גמרא dicitur, q. d. *perfectionem* τελειότητα. Itaque dubium non est Apostolos, qui, cùm non essent superstitiosi, res sacras tradiderunt vocabulis usitatis, ab hac formula non abhorruisse, dum vellent docere discrimen quod est inter eos qui imbuti sunt Euangelio & eos qui imbuti sunt eâ cognitione duntaxat quæ petitur à Lege & Prophetis, ut qui imbuti sunt cognitione Euangelii habeantur pro perfectis, q. d. pro iis quibus etiam גמרא nota est, h. e. ea Theologia quæ est maximè recondita. Unde Apostolus Euangelium vocat *Mysterium quod fuit omnibus retro seculis absconditum:* contrà Legis œconomiam vocat (uti dictum) στοιχεῖα *elementa.* ¶ Ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος] Idem est quod ἐπεισαγωγὴ κρείττονος θυσίας, κρείττονος ἱερωσύνης, quæ ἐλπὶς dicitur respectu Veterum, qui præstantiùs Sacerdotium exspectabant, atque illâ spe servati sunt. Neque enim Apostoli scopus hic est ostendere quæ sint Legis vires, ut referri possit illud ad ipsam Legem, sed id tantùm instituit docere, quàm sit Lex ἀνωφελὴς, ut quæ nihil potuerit præstare, nè in eorum quidem gratiam qui eam servare maximè studuerunt: quorum siqui servati fuerint, id omne debuerunt promissionibus quæ respiciebant Christi Sacerdotium, quarum promissionum respectu Christi Sacerdotium dicitur κρείττων ἐλπίς. Præterea manifesta hic est antithesis inter Legem & Euangelium, Levi & Christum.

25. Εἰς τὸ παντελὲς] Εἰς τὸ παντελὲς & εἰς τὸ διηνεκὲς differunt ἐμφάσει, subjectâ materiâ non differunt. Nam διηνεκὲς propriè perpetuitatem temporis significat, παντελὲς non hanc solùm, verùm etiam omnimodam perfectionem.

26. Κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν] Participium κεχωρισμένος hoc loco nominascit: non enim dicitur Christus κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν quasi quondam immistus illi turbæ, pòst segregatus inde fuerit; sed dicitur κεχωρισμένος quòd nulla cum iis fuerit ei communio neque consociatio.

JAC. CAPPELLUS.

1. NAm] Hactenus pios consolatus est Apostolus ab Electionis & Promissionum Fœderis Euangelici firmitate. Deinceps eos consolatur à firmitate præstantiâque Sacerdotii Fœderis illius. Igitur ex eo quod sub capitis sexti finem dixerat, *Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedeki*, colligit 1. Christi Sacerdotium esse præstantius Aaronico; 2. Aaronicum Sacerdotium cum toto suo Legis ceremonialis apparatu abrogandum esse, ut œconomiæ longè præstantiori cedat, v. 11. In prima capitis enarratione duo proponuntur: nempe typi 1. Descriptio, 2. Applicatio. ¶ *Melchisedek Rex Salem*] Ejus scilicet de qua Joh. 3. 23. in qua fuit palatium cujus rudera visebantur adhuc Hieronymi tempore, ac dicebantur *rudera palatii Melchisedekiani*, ut ipse testatur ad Euagrium. Ibidem, non autem propè Jerusalem, ut quæ montibus undique cingeretur, erat campus qui cùm à forma diceretur SAVE, i. e. *planus*, à Melchisedeko dictus est *Campus Regis*, Gen. 14. 17. Quæ sanè satis indicant fuisse revera Regem aliquem inclytum juxta Jordanis ripam, cui nomen esset *Melchisedeko*, cui subjacebat tum urbs Salem, tum circumjacens planities, quæ dicebatur *campus Save.* Quin & ipsa ratio Grammatica docet hæc esse propria rerum creatarum nomina, non alicujus Personæ Trinitatis elogia. Regum autem illum non esse Semum, ut Judæi volunt, patet ex eo quòd cùm tot posteros habuerit Sem, tamen nullus eorum dictus est *Rex Salem.* Idem probant alia quæ notamus in v. 3, 4, 6. ¶ *Sacerdos Dei summi*] *Spiritus S.* dicitur quidem *pro nobis intercedere*, Rom. 8. 15, 26. sed ut sanctas preces nobis inspirans, non ut Sacerdotem pro nobis agens: quo munere si pro nobis fungeretur, tantum certè beneficium non dissimularet Scriptura. Potuit autem Deus certis quibusdam signis demonstrare Melchisedekum à se Sacerdotio decoratum, & itâ quidem ut etiam Regium nomen & Regiam quoque potentiam illi lubentes offerrent Salemenses. ¶ *Qui occurrit Abrahamo*] Et quidem Regio comitatu. *Panem* enim *& vinum protulit.* Itâ vertit V. Interpres. Significantiùs verò LXX. ἐξήνεγκεν. Undenam? Ex Salem. Quonam? In planitiem suam. Cuinam? Respondeat Epiphanius, αὐτῷ καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ, *Abrahamo & iis qui cum ipso erant.* Hujusmodi satellitium, hujusmodi ministerium nunquam adhibuit Deus cùm aliquam Trinitatis Personam, aut etiam Angelum mortalibus visendum exhibuit. ¶ *Reverenti à cæde Regum*] Ut scilicet miraculosâ victoriâ dignum ἐπινίκιον caneret, & ex itinere fessos Regiâ munificentiâ sublevaret. ¶ *Et benedixit illi*] Sacerdotali scilicet benedictione, cujus muneris proximè facta est mentio.

2. *Cui etiam* (utpote Sacerdoti) *decimas omnium* spoliorum *divisit Abraham*] Utpote cujus auspiciis secundum Deum gestum fuerat bellum. Hactenus Typus. Sequitur Applicatio typi. Oecumenius, λοιπὸν θέλει δεῖξαι πῶς τύπος ἐστὶ τοῦ Χριστοῦ ὁ Μελχισεδέκ. Docet igitur Apostolus primum ab elogiis dein ab actionibus Melchisedeki quantò præstantius sit Christi Sacerdotium Aaronico. ¶ *Interpretatus autem* (MELCHISEDEK) *est primum quidem Rex justitiæ*] h. e. Si quæras quis sit is cujus typus fuerit Melchisedek, is est Christus, idque primò quia *Rex* est *justitiæ*, adeoque *nostra Justitia*, Jerem. 23. 6. 1 Cor. 1. 30. ¶ *Deinde verò Rex Salem, h. e. Rex pacis*] Ut qui non tantùm pace summa fruatur ipse, sed nobis suo sanguine comparaverit pacem cum Deo, nobiscum, & cum proximis, cum nostra natura simus iræ filii, discordes tam nobismet ipsis quàm proximis & Deo. Cæterum Josephus quidem Antiquit. lib. 1. c. 11.

c. 11. putat *Hierosolymorum Regem* fuisse Melchisedekum. Et sanè JERUSALEM nomen est compositum à ירא & שלם, q. d. *Visura pacem*, *Fruitura pace*. Et ut in aliis nominibus propriis compositis sic etiam in hoc altera pars compositionis nonnunquam omittitur, ut Psal. 76. 2. Ità sentiebant Hippolytus, Irenæus, Eusebius Cæsariensis, Eusebius Emissenus, Apollinarius, Eustathius Antiochenus, Hieronymo teste ad Euagrium tom. 4. epist. 22. Nos tamen Hieronymo potius ibidem scribenti credimus Melchisedekum fuisse Regem, non Hierosolymorum, sed urbis ad Jordanis ripam sitæ quæ dicitur *Salem*, Joh. 3. 23. Rationes Hieronymi sunt, 1. Quòd à Jordanis fonte ad Jordanis ostium tendentibus occurrit non Hierosolymitanus sed Salemensis ager, ad Jordanis ripam situs. 2. *Oppidum*, inquit, *juxta Scythopolim*, *quæ usque hodie appellatur Salem: & ostenditur ibi palatium Melchisedek, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam.* Sed illud malè, quòd Salem hæc ab Hieronymo collocatur juxta Sichem, perperàm id colligente ex Genes. 33. 18. Rationes insuper meæ hæ sunt; 1. Quòd Heb. 7. 8. Paulus opponat Hierosolymitanum agrum Salemensi. 2 Quòd Jerusalem, cùm undique montibus esset cincta, Psal. 125. 2. nullum campum habere poterat cui conveniret istud elogium *Campus Save*, de quo Gen. 14. 17. h. e. *Campus planus*.

3. *Sine patre*] Secundum humanam naturam. Rationem enim habuit Apostolus sui seculi, non Abrahamæi. ¶ *Sine matre, sine genealogia, nec initium dierum nec vitæ finem habens*] Secundum Divinam naturam. ¶ *Assimilatus est, inquam*, Melchisedek *Filio Dei*, qui *manet Sacerdos in æternum*] Particula δὲ verti potest hic *inquam*, ut & 1 Cor. 7. 8. & pronomen *qui* potest subintelligi, non minùs quàm Deut. 32. 17. Job. 3. 3. & 4. 6. Psal. 22. 31. Esa. 40. 20. & passim alias. Ità nihil opus erit ut ullum æternitatis elogium tribuas ipsi Melchisedeko, neque propterea desinent alia multa superesse in quibus fuerit typus Christi. Quòd si velis hæc etiam Melchisedeko tribui, fiet id ratione valde mystica, quo modo dicitur Isaak *excitatus à mortuis ἐν παραβολῇ*, Heb. 11. 19. solium Salomonis *æternum*, 1 Chron. 17. 12, 23. Dicuntur hæc probabiliter quidem, sed non necessariò. Fateor quidem ex silentio Mosis aliquid elici posse quod ad scopum Apostoli faciat. Sed, mea quidem sententia, sufficiet huc usque progredi; Præcipuum Geneseos argumentum in eo versatur ut doceat διαδοχὰς Principum Ecclesiæ virorum: Hujus unius διαδοχὴ nulla docetur: Ergò Sacerdotium illius est ἀδιάδοχον & hoc maximè nomine typus est Sacerdotii Christi, quod non potest non ἀδιάδοχον esse cum ipse sit æternus, ἀπάτωρ, &c. Indè verò vel maximè patet Melchisedekum non esse Semum. Fuit enim Sem vir quidem eximius, & Sacerdos Dei non minus quàm Abel, Noe, Abraham: sed qualecunque tandem fuit Semi Sacerdotium, ἀδιάδοχον non fuit. Epiphanius autem hæresi 55. §. 7. disputans adversùs eos qui volebant Melchisedekum esse ipsum Dei Filium, sic argumentatur ex hoc versu, οὐ γάρ τις ἑαυτῷ ὅμοιος γενήσεταί ποτε, *Nemo sibimetipsi similis unquam erit.*

4. *Spectate verò*] Hactenus elogia duo; nunc actiones Melchisedeki considerandas nobis proponit Apostolus, sed ità ut eâdem operâ velit nos eas applicare Christo, ut cujus typus fuerit Melchisedek, & ab iis colligere quantò sit præstantior Christus tum Abrahamo tum ejus totâ posteritate: qui præcipuus est Apostoli scopus. ¶ *Quantus fuerit hic, cui decimas dederit etiam Patriarcha*] Quò minus honoris debuit Abraham Melchisedeko secundùm carnem, eò majorem habuit Apostolus occasionem erumpendi in hanc admirationem: cui locus nullus esset si Melchisedek esset Sem, Abrahami pater. Eccur enim mireris si videas filium assurgentem patri, aut patrem benedicentem filio? ¶ *Ex spoliis*] Vel, *exemptis prius inde primitiis*. Nam ἀκροθίνια designant potiùs *spoliorum primitias* quàm *spolia*. Et lex Decimarum postulabat, certè sub Mose, ut priùs offerrentur Primitiæ quàm Decimæ. Erant autem Primitiarum duo genera, cùm aliæ minores essent, putà fructus unus ex arbore una, quæ בכורים dicebantur Exod 23. 19. aliæ majores, ut quæ facerent quinquagesimam circiter proventùs partem: eæque distinctionis ergò dicebantur à Judæis תרומה גדולה Deut. 18. 4. Decimationes autem erant, non tres, ut putavit autor Græcus libri Tobiæ, c. 1. 7. sed duæ tantùm, ut disertè docent R. Moses Ægyptius, De donis pauperum cap. 6. & De Decima secunda cap. 1. & R. Moses Hispanus Affirmativo mandato 136.

5. *Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes mandatum habent decimarum accipiendarum à populo secundùm Legem*] Eam habes Num. 18. 21. *Filiis autem Levi dedi decimas omnes Israelis in possessionem*, *pro cultu quo serviunt*, *pro cultu*, inquam, *quem exhibent tabernaculo conventûs.* In hoc mandato Morale quidem est aliquid: quia cùm *operarius* omnis *mercede sua dignus sit*, jus naturale dictat ut *qui servit altari*, *vivat ex altari*. Sed in eo mandato Politicum aliquid esse patet ex eo quòd hujus mandati fuit insuper aliud fundamentum, idque Politicum, nempe quòd Levitis non fuerat, ut Tribubus reliquis, in herciscunda Chananæa assignata portio. Fuit etiam aliquid Ceremoniale, quia decimarum istarum pars aliqua sacrificiis destinabatur, quæ ceremonialium umbrarum non minima pars erant. Qui verò dicitur Clerus Romanus iniquum hic se præbet: 1. Quòd cùm vix centesimam populi partem efficiat, nec ullas victimas immolandas habeat, sibi tamen proventuum omnium decimas arrogat. 2. Quòd cum ex toto populo tam opima spolia corradat, nihilominus & sua patrimonia retineat, & amplissima quotidie latifundia expiscetur. 3. Quòd ut crumenas nostras exhauriat, animas nostras excarnificat & inficit tabe pestilentissimâ superstitionis & idololatriæ. ¶ *A fratribus suis, quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ*] *Fratres suos* eos demum agnoscunt Judæi qui se profitentur ortos ab Abrahamo & cum Circumcisione totum Vet. Testamenti canonem retinent.

6. Ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν] Epiphanius hær. 55. colligit ex his verbis Melchisedekum esse γενεαλογούμενον μὲν, ἀλλ' οὐκ ἐκ τῶν Λευί· Idem habet hær. 67. Indè quoque colligi potest Melchisedekum ad Levitarum genealogiam nullo modo pertinere, ut qui nec ex majoribus nec ex posteris Abrahami esset. ¶ *Decimas sumpsit ab Abrahamo*] Ergò non eas tantùm obtulit Abraham, sed & eas admisit ac per suos satellites reportandas curavit Melchisedek. Nihil unquam tale fecit ulla Trinitatis Persona quoties se visendam hominibus dedit, sed nec Angelus ullus. ¶ *Et huic qui habebat promissiones benedixit*] Non ut Deum orans pro Patriarcha, sed ut Patriarcham nomine Dei compellans, ut in hunc ipsum finem à Deo missus.

7. *Sine ulla autem contradictione quod minus est à majore benedicitur*] Eâ videlicet benedictione qua Melchisedek benedixit Abrahamo, benedictione mystica, Sacerdotali, Prophetica. Alioqui creaturæ *benedicunt* Deo, ut potentiori; quia cùm illi benedicimus, agnoscimus nos illi debitores esse, eique gratias agimus pro beneficiis acceptis. Quamobrem tum εὐλογεῖν εὐχαριστεῖν & ἐξομολογεῖσθαι sunt synonyma. Homines hominibus *benedicere* possunt, ut Deum orantes pro proximis suis mutuo quodam charitatis affectu ac fraternitatis contesseratione. Tum certè locum non habet Apostolicum axioma, sed tum demum cùm homo nomine Dei, ut Dei legatione fungens apud hominem, benedicit homini.

8. *Et istic quidem*] Ubi vos estis, in Hierosolymitano scilicet agro. Sic vocem ὧδε vertendam hoc loco putamus, non autem *hic*, quòd nec in Italia, in qua scripsit hanc Epistolam Apostolus, adeoque nec in ulla cis mare Mediterraneum, Nilumve, vel trans Tigridem sita provincia decimas accipiendi jus haberent Levitæ, ut docet Maimonides tract. De Terumis cap. 1. Et certè non video quomodo Græcè dicere possis aliter *istic* quàm ὧδε. Quod si pertendas ὧδε vertendum *hic*, non *istic*, memineris scriptores aliquando sic agere acsi præsentes cùm iis ad quos scribunt colloquerentur. Ità hæc Pauli verba sic accipi possunt, acsi dicat *hic*, h. e. Hierosolymis. Denique possunt voces ὧδε *hic* & ἐκεῖ sumi pro νῦν *nunc* & τότε *tunc*. Ità potest accipi quod legitur Psal. 14. 5. *Ibi* (pro *tunc*) *pavebunt summo pavore*, *cùm Dominus aderit generationi justa*. Ulysses Thersitæ Iliad β'.

Εἴ κ' ἔτι σ' ἀφραίνοντα κιχήσομαι, ὥς νύ περ ὧδε.

Particulæ νύ περ sunt expletivæ. Illud autem ὡς ὧδε significat idem ac ὡς νῦν, ut exponit Didymus. ¶ *Decimas accipiunt homines morientes*] Est hæc vita veluti mors continua. Sed & morientes] dici possunt mortales & paulò pòst morituri. ¶ *Illic autem* (in agro scilicet Salemensi, decimas accipiebat) *is cui testimonium perhibetur* (in Scriptura videlicet, ut rectè subintelligit Arabs Interpres) *quòd sit vivus*] Is autem est Christus. Non quòd Melchisedek esset ipse Christus, sed quòd in Melchisedeki persona Abrahamum decimaret Christus, cui passim testimonium perhibet Scriptura quòd sit Antonomasticè *vivus*, quin & ipsa *Vita*, ut verus ac vivens Deus. Si cui non satisfacit interpretatio nostra, videat an illi magis placitura sit ista simplicior, *Illic autem* decimas accipit *is cujus vita testimonium perhibetur*, morti non perhibetur. Mysterio verò non caret istud Mosis silentium cùm reliquorum omnium virorum illustrium in Genesi commemoratorum obitum diligentissimè describat.

9. *Et* (*ut uno verbo dicam*) Hæc parenthesis indicat Apostolum ad applicationis hujus conclusionem properare. ¶ *In Abrahamo etiam Levi, qui decimas accipit* (à fratribus suis

 Abrahami

Abrahami filiis) *decimatus est*] A Christo videlicet per Melchisedekum. Eademque ratione qui suis fratribus benedicit Levi à Christo, cujus personam gerebat Melchisedek, benedictionem accepit.

10. *Nam is adhuc in lumbis patris erat, cùm occurreret Abrahamo Melchisedek*] Idque non tantùm quia tum nullos adhuc liberos habebat Abraham, sed imprimis quia Dei providentiâ coram Melchisedeko sistebatur Abraham ut totius suæ, à se naturæ viribus orituræ, posteritatis personam gerens. Dixeris etiam Christum ipsum Abrahami filium esse. Est sanè, sed secundùm naturam humanam, idque non lege naturæ, sed modo naturæ captum excedente. In Melchisedeki verò persona decimabat Abrahamum & Abrahamo benedicebat Christus, non ut homo, sed ut homine quid longè majus. Sic Rom. 5. 12. *in Adamo peccarunt omnes* ab Adamo naturæ viribus tum oriundi tum orituri, non autem Christus, qui nè secundum quidem humanam naturam naturæ viribus ortus est ab Adamo.

11. *Igitur*] Supplenda conclusio quam postulat tota præcedens oratio de Melchisedeko, nempe, *Ergò Christi Sacerdotium est præstantius Levitico.* Hæc conclusio novo medio sic probatur; *Per quem habetur consummatio, is est longè præstantissimus: Habetur autem non per Sacerdotium Leviticum, sed per Christum: Ergò*, &c. Minor probatur hypothetico syllogismo, qui transitum præbet ad novam quæstionem, de Legis Ceremonialis abrogatione. ¶ *Si consummatio per Leviticum Sacerdotium haberetur, (nam sub hoc sancita lex est populo) quid amplius erat opus alium excitari Sacerdotem?*] Hic videndum quid Judaica gens, quid Apostolus sentiat. Judæi putabant Sacerdotium in familia Levitica perductum ad consummationem, & consummandi sive sanctificandi virtute donatum fuisse, Davidis imprimis & Salomonis seculo; 1. Quia David & Salomon domum electam ad perfectionem suam perduxerunt; 2. Quia digesserunt perquam egregiè familias Sacerdotales; 3. Quia legibus illis nihil postea fuerat additum; 4. Quia leges omnes Sacerdotales, adeoque leges omnes Ceremoniales, Aaronis familiæ velut affixæ erant. Apostolus contrà contestatur, nè Davidis quidem leges indidisse Sacerdotio Levitico veram, spiritualem, permanentem τελείωσιν, cum ipse David Psal. 110. prædicat exoriturum alium Sacerdotem cujus subrogatio totum Leviticum Sacerdotium sit abrogatura. Nè Natura quidem quicquam facit frustrà, neque mutationem quærit nisi ut melius quidpiam adipiscatur: Quantò minùs abrogaret Dei Gratia Sacerdotium Leviticum nisi ut illud præstantiore commutaret? Vicissim promissio Sacerdotii præstantioris Aaronico subinnuit abrogationem Aaronici Sacerdotii cum suo apparatu. ¶ *Qui diceretur*] Nuncupationum humanarum non est eadem ratio quæ Divinarum. Humanæ plerumque vanæ sunt & falsi manifestæ. Hinc est quod in Scriptura *dici*, nempe Divinitus, idem significat quod *esse*: ut Matth. 1. 21. Luc. 1. 35. Esa. 7. 14. & 9. 5. Jer. 18. 6. ¶ *Secundum ordinem Melchisedeki, & non secundum ordinem Aaronis*] Utrumque Sacerdotium typicum fuit, utrumque fuit typus Sacerdotii Christi: Sed Aaronicum successionum beneficio propagabatur ac veluti perpetuabatur, Melchisedek nulli successit, Melchisedeko nullus. In hoc maximè simile fuit Christi Sacerdotium Melchisedekiano non Aaronico.

12. *Translato enim Sacerdotio necesse est ut Legis quoque fiat abrogatio*] Hac ætiologiâ confirmat Apostolus connexionem hypothetici sui syllogismi. q. d. Cùm abrogatio Sacerdotii Levitici secum trahat etiam Ceremonialis legis, ut ab hoc Sacerdotio pendentis, abrogationem, nunquam illi Sacerdotio subrogandum aliud prædixisset Deus per Davidem Psal. 110. nisi vidisset prioris quidem infirmitatem, alterius verò præstantiam longè perfectissimam & potentissimam ad invehendam consummationem, quam Sacerdotii Levitici leges ceremoniales figurabant quidem, sed præstare non poterant.

13. *Nam*] Hæc est probatio Minoris subintellectæ, quæ sic ferè concipi potuit, *Atqui Deus per Davidem testatur Sacerdotium à Levitica tribu translatum iri ad aliam.* Hujus, inquam, subintellectæ Minoris probatio continetur his verbis, *Nam is* Messias, *de quo dicuntur hæc* Psalmo 110. *ad aliam Tribum pertinet*, nempe Juda, *de qua nullus attendit altari*] Legitimè scilicet. Accessit quidem Ozias Rex ad altare ut thus offerret; sed irritus fuit ejus conatus: Statim enim repulsus fuit à Sacerdotibus, & à Deo leprâ percussus, 2 Chron. 26 18. Interim ex hoc v. 13. discimus translationem de qua v. 12. eam intelligi quæ sit non à ramo ad ramum sed ab arbore ad arborem, ut ita dicam, à Tribu ad Tribum. Prioris generis translationes multas expertum fuerat Sacerdotium Aaronicum, sed ita tamen ut hactenus mansisset in Aaronica familia. Quamobrem translationes illæ signa quidem erant veluti veterascentis arboris, & mortis secuturæ præsagia; non erant tamen lethalia vulnera. Cùm autem Aaronis familiæ, quin & Tribui Levi, prorsus ereptum est Sacerdotium, ut ad Messiam ab alia Tribu ortum transferretur, fuit hæc translatio veluti totius arboris eradicatio vel exstinctio.

14. *Palàm enim est ex tribu Juda exortum esse Dominum nostrum*] Messiam oriturum ex Tribu Juda palàm erat omnibus Judæis ante multa secula. Jesum Nazarenum esse Messiam palàm erat iis ad quos scribebat Apostolus. Iisdem quoque, etiam tacentibus Euangelistis, manifestum esse poterat B. Mariam ex Tribu Juda, quin & ex familia Davidis oriundam esse. Sequentibus seculis ut id manifestum semper esset, voluit Deum tam Mariæ quàm Josephi genealogiam ab Euangelistis conscribi, Mariæ quidem à Luca, Josephi verò à Matthæo, ut Joseph sit Jacobi quidem filius, Matth. 1. 16. Eli verò gener, Luc. 3. 23. Salathiel autem sit Neri quidem filius, Luc. 3. 27. heres verò Jechoniæ, Matth. 1. 12. quomodo Sedekias quoque dicitur *Jechoniæ filius* 1 Chron. 3. 16. cùm tamen Sedekias sit Jechoniæ patruus. Hæc nobis convenientissima videtur esse conciliatio duarum istarum genealogiarum. Nam quas pridem commenti sunt conciliationes Africanus & Damascenus eæ cum Scriptura disertè pugnant, ut alibi demonstravimus, nostrarum pro Casaubono Vindiciarum lib 3. c. 1. ¶ *Cujus tribus respectu nihil de Sacerdotio locutus est Moses*] h. e. Tribui Juda nihil promissum est à Mose quod esset Sacerdotale. Messiam quidem oriturum à Juda docuerat Moses Gen. 49. 10. Messiam autem illum Sacerdotem futurum multis demum post Mosis obitum seculis docuit David Psalm. 110. Ex his autem verbis & ex v. 13. ut etiam ex cap. 8. 4. patet falsitas fabulæ quam refert Suidas in voce Ἰησοῦς, Jesum videlicet in Sacerdotum numerum fuisse cooptatum cum hoc elogio, *Jesus Dei viventis & Mariæ virginis filius.* Nè Levita quidem ullus audebat Sacerdotum obire munia; sin minùs, capital erat, Num. 18. 3, 7. Et tamen omnes Israëlitæ integri vitæ scelerisque puri dicebantur מיוחסים לכהונה *apti Sacerdotio*, h. e. affinitate Sacerdotali digni, ut qui possent Sacerdotum filias ducere, vel Sacerdotibus filias collocare. Et tales debebant esse quotquot ad Synedrium LXX-virale cooptabantur.

15. *Multoque magis etiam patet*] Quod docuimus v. 11. Perfectionem videlicet quærendam in Christi Sacerdotio, non in Levitico. ¶ *Cum ad Melchisedeki similitudinem exoriatur*] Exoriturus prædicatur Psal. 110. Hic *si* non est conditionale sed αἰτιολογικόν, ut Rom. 8. 31. 2 Cor. 5. 15. 1 Thess. 3. 8. 1 Petr. 1. 17. ¶ *Sacerdos extraneus*] i. e. Ex alia Tribu. Hic enim ἕτερος respondet voci זר, quâ passim utitur Moses, vetans nè *quis* ZAR *extraneus*, h. e. alienus à Tribu Levitica, *accedat ad tabernaculum conventus*, Num. 18. 4. *neve* ZAR *extraneus* ab Aaronis stirpe *accedat ad altare*, Num. 18. 7. Quibus locis ZAR à LXX. vertitur ἀλλογενής. Sed & ἕτερος ab iis vertitur Exod 30. 9. Ἀλλόφυλοι verò peculiariter dicuntur qui non sunt Israëlitæ, & imprimis Philistini, qui cùm terram Israëlitis promissam occuparent, tamen nec à Chananæis nec ab Israëlitis erant oriundi. Ità versus hic continet argumenta duo. 1. *Qui subrogatur, præstantior est eo cui subrogatur Divinitus: Christi Sacerdotium à Deo subrogatur Aaronico*, Psal. 110. *Ergò præstantius est.* 2. *Cum Melchisedek Abrahamo præstantior sit, Aarone certè præstantior est is qui fit Sacerdos ad similitudinem Melchisedeki: Talis est Christus, Ergo præstantior est Aarone.* Et hæc quidem eò brivius perstringuntur quòd hæc jam notata fuerant v. 11.

16. *Qui factus est Sacerdos, non secundùm legem mandati carnalis, sed secundùm vim indissolubilis vitæ*] In hoc quoque versu latent argumenta duo. *Qui Sacerdotium suum consecutus est ratione plane spirituali, is eo præstantior est qui Sacerdos factus est ritibus externis, qui corpus tantùm attingunt, ac tam ob causam dicuntur δικαιώματα σαρκός* Heb. 9. 1. Hic est tertius hujus loci syllogismus. 2. *Qui factus est Sacerdos secundùm vim indissolubilis vitæ, præstantior est Aarone, qui Sacerdotium suum consecutus est secundùm vim vitæ mortalis.* h. e. eâ lege atque omine ut paulò post moriturus Sacerdotium ad posteros transmitteret: *Christus autem Sacerdos est priore non posteriore modo; Ergò præstantior Aarone.* Hic est quartus hujus loci syllogismus, qui fusiùs enarratur v. 23. & 24.

17. *Testatur enim* (Scriptura Psal. 110. 4.) *Tu Sacerdos*] q. d. Quamvis magnificum & sanctum sit Sacerdotium Leviticum, tamen eo sublato, in te, quantumvis ab alia Tribu oriundum, transferam Sacerdotium. ¶ *In æternum*] Cùm Christus sit verus ac vivens Deus, non ψιλὸς ἄνθρωπος, æternitas quæ tribuitur ipsius Sacerdotio non debet eo modo sumi quo quandoque tribuitur quibusdam rebus humanis, sed eo qui Divinæ Majestati dignissimus est. ¶ *Secundum ordinem Melchisedeki*] Dixerat Apostolus v. 15. *secundum similitudinem*

nem. Aben Ezra כמנהג *secundum morem.* Ad verbum κατὰ λόγον *secundum rationem.* Scio quidem phrases illas על דברתי רבות ab Interpretibus variè reddi, quin & aliquando sic verti acsi simpliciter significarent *propter.* Sed possunt constanter verti κατὰ λόγον. Eccles. 3. 18. & 8. 2. Psal. 45. 4. & 79. 9. Num. 31. 16. & ita quidem ut quemadmodum Græcis λόγος modò significat orationem, modo rationem, eadem diversitas in his phrasibus Hebraicis locum habeat. Potest etiam appositè reddi *secundum similitudinem*, ut ver. 15. Sic & Exod. 33. 22. *Cum transire faciam gloriam meam.* Paraphrasis Chaldaica vertit, *Cum faciam transire* דברת יקרי *similitudinem gloriæ meæ:* sic, inquam, vertit Onkelus. Fagius id non satis commodè reddit *conditionem gloriæ.* Non est autem necessarium ut Davidis verba sic accipiamus ac si dicat, *Tu es Sacerdos in æternum quomodo Melchisedek est Sacerdos in æternum:* sed ità possunt hæc accipi ut designentur duæ dotes Sacerdotii Christi, q. d. *Tu Sacerdos es, 1. in æternum; 2. eâ ratione quâ Melchisedek fuit Sacerdos*, nempe quia fuit simul Rex & Sacerdos, *Rex pacis & justitiæ*, Sacerdos ἀδιάδοχος.

18. *Enimvero*] Hæc est confirmatio primi syllogismi, quo docuerat Christi Sacerdotium, cùm Aaronico subrogetur, Aaronico præstantius esse. ¶ *Fit ἀθέτησις, abrogatio*] Homo Dei mandatum ἀθετῶν est reus violatæ Majestatis Divinæ, quia tenetur Deo jubenti parere: Deus verò cùm suum aliquod mandatum ἀθετεῖ, non lædit propterea Majestatem suam, quia non sibi sed Homini legem illam tulerat. ¶ *Prioris mandati*] Fœderis Euangelici duæ fuerunt constitutiones, quas hic Apostolus ἐντολὰς vocat. Prior est typica, altera spiritualis. Typicæ constitutionis delineatio quædam cœpit haud multò post Adami lapsum & promissionem Seminis Satanæ Regnum eversuri. Jam tum enim videmus Sacrificia quædam, ac eam ob causam distinctionem inter animantia Munda, sacrificiis apta, & Immunda, quæ Deo sacrificare nefas esset. Sed neque nobis satis constat, uti nec nobis scire necesse est, quousque progressa fuerit hæc delineatio, & quicunque fuit illius progressus ante nativitatem Abrahami, deinceps incrementa magna cœpit, donec Mosis, certè Salomonis temporibus velut ad colophonem perduceretur. Omnium istorum typicorum rituum expolitio vel accumulatio cum suo Sacerdotio consideratur ab Apostolo velut unicum mandatum, propter unitatem finis ac intrinsecæ formæ, quòd hæc omnia nihil aliud essent quam adumbrationes cœlestium beneficiorum præstantioris Sacerdotis virtute consequendorum. ¶ *Propter suam infirmitatem & inutilitatem*] Videsis Esaiæ 1. Psal. 50. Erant videlicet hæc omnia virtutis nullius, nullius usûs; 1. Si considerentur in se, seorsim, à suo scopo sejuncta, quomodo considerata fuerant à plerisque nihil in hac œconomia spectantibus præter corticem & pompam. 2. Imprimis verò si sic considerentur (quod jam tum plerique Judæi faciebant, & hodie faciunt omnes Judæi) ut opponatur & anteponatur Christo, & ità quidem ut horum obtentu rejiciatur ipse Christus, in quo solo vim suam & usum habebant. Hoc modo sunt prorsus *invalida*, prorsus *inutilia*, quin & onerant non levant utentem. Sunt enim sigilla maledictionis quam Lex pronunciat in transgressores, nisi maledictionis illius amolitio quæratur in eo quem figurant illi typi. 3. Si retineantur cum Christo quidem, sed invito Christo. Nam qui beneficium oblatum à Christo respuit, Christum ipsum respuit, inutilemque sibi reddit Christi gratiam & adventum, eoque se rursus implicat nexui totius implendæ Legis, Gal. 5. 2, 3.

19. *Nihil enim sanctificavit Lex*] Ceremonialis cum suo Sacerdotio Levitico. ¶ *Sed fuit introductio spei melioris*] h. e. Ad rem longè meliorem, nempe Christum, Gal. 3. 24. *Spes* autem pro re sperata passim usurpatur, Rom. 8. 24. Col. 1. 5. Hebr. 6. 18. ¶ *Per quam* (spem, vel, *per quem* Christum, in quem speramus) *accedimus ad Deum*] Sic *fide aditum habemus ad gratiam per quam stamus* Rom. 5. 2. Erant Fœderi typico typica quoque bona quæ speranda proponebantur, sed eâ lege ut manu ducerent veros Israelitas ad spem bonorum longè præstantiorum per Messiam consequendorum.

20. *Et quatenus non absque jurejurando* Sacerdos factus est. 21. *Nam illi quidem* (Aaron ejusque posteri) *citra jusjurandum facti sunt Sacerdotes. Hic verò* (Christus) *cum jurejurando per eum qui dixit illi, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeki.* 22. *Tanto potioris fœderis sponsor factus est*] Hic vicesimus secundus versus connectendus est cum copula & vicesimi versiculi. Hoc autem est quintum argumentum, gemellum illi quo jam usus est cap. 6. 13, 17, 18. Pertinet videlicet ad commendandum tam Fœdus Euangelicum quàm Fœderis illius Sponsorem, quòd utrumque jurejurando confirmavit Deus, non autem Fœdus Legale nec Leviticum Sacerdotium. Cæterùm Fœdus Euangelicum Legali præstantius est, imprimis nostri respectu, quia cùm prius Fœdus nobis infaustum reddidisset nostra culpa, secundum nobis longè faustissimum reddit Dei gratia, nostrique Sponsoris ac Redemptoris virtus.

23. *Et illi quidem plures facti sunt Sacerdotes, quòd mors prohiberet eos diu manere.* 24. *At iste, propterea quod in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium*] Quod vers. 16. breviùs perstrinxerat Apostolus, id hic aliquantò fusiùs enarrat. Hoc autem argumentum evertit commentitium Papæ Vicariatum. Is dicit se *Generalem* modò *Successorem*, modo *Vicarium*, idque modò Sacerdotalis, modò Propheticæ, modò Regiæ Christi dignitatis respectu. Sed cùm Christus sit æternus, non magis vicario quàm successore opus habet. Pastores nec Reges nec Sacerdotes sunt loco Christi, sed sunt *Ministri Christi, dispensatores mysteriorum ejus* 1 Cor. 4. 1. nomine Christi cohortantes privatim & publicè singulos & universos ad officium, non autem Christi locum obtinentes ad dominatum in suos greges usurpandum, nedum ad Sacerdotium ullum propriè dictum exercendum, aut cuiquam inspirandum regenerationis Spiritum.

25. *Unde & servare potest in æternum* (vel *prorsus*) *eos qui per ipsum accedunt ad Deum, cum sit semper vivus ad interpellandum pro eis*] *Vivus* Hebræis dicitur is qui vegetus est, vividus, efficax, potens, idoneus ad id quod molitur perficiendum, Exod. 1. 19. Quia vero prævidebat Spiritus S. exorituros sophistas qui dicerent unicum quidem nobis esse Sacerdotem, Mediatorem unum ratione redemptionis, intercessionis autem respectu nobis esse Mediatores multos, multos Sacerdotes, κρησφύγετον hoc evertit Apostolus, docens æternam Christi virtutem excludere collegas, vicarios, successores omnes, tam intercessionis quàm salutis sive redemptionis respectu. Orant quidem homines pro fratribus, sed ut mutui deprecatores, ut conservi, ut συναίτιοι, non ut mediatorio munere fungentes, non magis intercessionis quàm Sacerdotalis satisfactionis sive redemptionis ratione, cùm alterùm munus ab altero pendeat, & utrumque postulet virtutem infinitam, meritum infinitum.

26. *Talis enim nos decebat Pontifex, pius, innocens, impollutus*] Hujusmodi dotibus instructum esse Sacerdotem nostrum non tantum nobis erat ad salutem necessarium, sed & ipsi multo convenientius & decorum magis quàm si fuisset, qualem somniabant Judæi, truculentus aliquis sanguinis humani potor ac multarum gentium debellator. ¶ *Segregatus à peccatoribus*] Quatenus videlicet peccatores sunt. ¶ *Et sublimior cœlis* visibilibus *factus*] Adeoque subvectus in supremam supremi cœli partem, & ità quidem ut nunc in terra non sit, non magis in crustulo quàm in sepulcro, Matth. 28. 6. Act. 3. 21.

27. *Cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus, prius pro suis peccatis victimas offerre, deinde* pro peccatis *populi. Id enim* (offerre videlicet) *fecit semel, cum semetipsum obtulit*] Hic quatuor tribuuntur Christo singularia; 1. Quod non opus habuit extra se quidquam offerre, sed *semetipsum obtulit.* 2. Quod non multas sed unicam obtulit victimam, *semetipsum*; 3. Quòd *semel* tantum; 4. Quod eam obtulit, non *pro se*, (nec enim *opus erat*) sed pro nobis tantum: quæ certè consistere non possunt cum fictitio Missæ sacrificio, neque cum Socini commento, volentis Christum etiam pro semetipso obtulisse.

18. *Siquidem Lex* ceremonialis *Sacerdotes constituit homines* meros *infirmitate laborantes: Sermo verò qui post Legem latam jurejurando confirmatus est, Filium* constituit *in æternum sanctificatum*] Ut qui duraturus sit æternum, & suis sanctificationem æternum duraturam conferat, non autem candelæ similem, quæ sexcenties uno die potest exstingui, toties redardescere.

LUD. CAPPELLUS.

19. *Οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος*] Mirum cur hic, & versu ultimo *υἱὸν εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον*, vocem τελειόω doctissimus Interp. reddiderit *sanctificare*, aliique eum hac in parte secuti sint, cùm significatio *perficiendi*, *consummandi*, quæ vocis illius est vel maximè propria, huic loco & infrà versui 28. optimè quadret. Sensus enim hujus loci hic est, *Legem non eam vim habere ut nos perficiat ac consummet*, h. e. ad veræ sanctitatis & gloriæ perfectionem plenamque consummationem nos adducat. Infra autem v. 28. sensus est, *Christum omnibus Sacerdotii sui partibus plenissimè in æternum defunctum esse*, ità ut nihil ampliùs supersit ei peragendum, utpote qui unica corporis sui oblatione Sacerdotii sui partes omnes perfectissimè impleverit. Τελειόω autem propriè de Sacrificiis usurpatur, deque expiatione per Sacrificia. Unde etiam τελεταὶ sunt *Sacrificia* ipsa apud profanos autores. Certè Luc. 13. 32. cum

Christus dicit, *καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι*, manifestè intelligit mortem suam, sacrificium quo oportebat eum defungi, quo peracto *εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένος ὑπάρχων* nihil opus habet amplius *τελειοῦσθαι*, h. e. *sacrificio defungi*.

20. *Καὶ καθόσον οὐ χωρὶς ὁρκωμοσίας*] Non cohæret hic versus cum præcedente, sed cum 17. ut sensus hic sit, *Deus constituit Christum Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, & quidem non sine jurejurando.* Quare v. 18, & 19. includendi sunt parenthesi, qua Apostolus rationem reddit cur opus fuerit novum inducere Sacerdotem, qui non esset secundum ordinem Aaronicum, sed secundum ordinem Melchisedec, nempe quia Lex, cui Sacerdotium Leviticum subserviebat, non poterat nos perficere & consummare, *διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ τὸ ἀνωφελές*. Non observata ea parenthesi locus obscurus manet & implicatus, sed ea observata planus fit & expeditus. Porro apud profanos Scriptores occurrunt *ὁρκωμοτεῖν*, *ὁρκωμότης*, *ὁρκωμόσιον*, & in plurali *τὰ ὁρκωμόσια*. At non temere apud eosdem invenias *τὴν ὁρκωμοσίαν* in singulari. Sed apud Græcos LXX. Interpp. occurrit respondens voci Hebraicæ אלה, quæ *exsecrationem* significat, quæ in jurejurandis usurpabatur. Ezech. 17. 18. ובזה אלה *καὶ ἠτίμασεν ὁρκωμοσίαν τοῦ παραβῆναι τὴν διαθήκην*. Et v. 19. *vivo ego* אם לא אלתי *ζῶ ἐγὼ ἐὰν μὴ ὁρκωμοσίαν μου ἣν ἠτίμασε*. Loquitur de jurejurando quo Nabuchodonozor Jehojachin adstrinxerat fore ut sibi esset subditus, quod jusjurandum fregit Jehojachin missis ad Regem Ægypti legatis quibus opem adversùs Babylonium postulabat. Sic 2 Esdr. 8. 95. *Ἐν τούτῳ γενέσθω ἡμῖν ὁρκωμοσία πρὸς τὸν Κύριον*, de jurejurando quo Israelitæ se obstrinxerant ut dimitterent uxores alienigenas quas contra Dei legem duxerant. Eam vocem אלה iidem Interpp. exponunt aliquoties per *ὅρκον* & *ὁρκισμόν*. Unde liquet *ὁρκωμοσίαν* idem illis esse quod *ὅρκος* & *ὁρκισμός*, *jusjurandum*. Quos secutus Apostolus hic eam usurpat de jurejurando quo Deus se obstrinxit erga populum suum de Sacerdotio tum Levitico, tum Christi secundum ordinem Melchisedeci.

GROTIUS.

1. *Οὗτος γὰρ ὁ Μελχισεδὲκ, βασιλεὺς Σαλήμ, Hic enim Melchisedec Rex Salem*] *Melchisedec* nomen proprium in Phœnice sive Cananæa pari formâ quâ *Adonisedec* Jos. 10. 1. Nam interponere Jod nominibus compositis mos est illarum gentium, quod multis exemplis patet. Rex ejusdem urbis, quæ *Salem* dicta olim, apud Josuam verò pleniùs *Jerusalem*. Puto hunc Melchisedecum, virum justitiâ celebrem, eum esse qui in Sanchuniathonis historia dicebatur Συδύκ [*Sydyc*,] ut ex Philone Byblio nos docet Eusebius, nimirum pari modo quo *Jerusalem* est *Salem*. Huic autem nomen à Phœnicibus, qui & Cananæi, consecratum in Jovis stellam qui צדק [*zedec*] Phœnicibus primùm, deinde Rabbinis: nimirum quod id sidus imprimis sit benignum & pacificum. Et in nomine hujus & Principis & Sacerdotis latet mysterium ad Christum eximio sensu se referens. Nam & is *Rex* est exactissimam nobis *justitiam adferens*, & civitas quam condidit, id est, Ecclesia, *pacem* habet cum Deo, *pacem* & inter homines quærit. *Salem* autem esse *Jerusalem*, non tantum Josephus & Hebræi testantur alii, sed & Psalm. 76. 2. Nec ea remota fuit ab itinere Abrahami regredientis Mambrene: ut viri eruditi ostenderunt. Et ut ab hac distinguatur Salem altera, dicitur *Salem Sicimorum* Gen. 33. 18. ¶ *ἱερεὺς Θεοῦ τοῦ ὑψίστου*, *Sacerdos Dei summi*] In Manuscripto *τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου* [*Dei summi*] quomodo est & in Græco Gen. 14. 18. ubi in Hebræo כהן לאל עליון [*Sacerdos Dei altissimi.*] Illud עליון [*Aljon*,] quod Plautus & Sisenna extulere *Alon*, erat nomen quo Phœnices appellabant *summum Deum*. Vide quæ diximus ad Marcum 5. 7. כהן cum additur *Dei*, semper est *sacerdos*. Et antiquis temporibus Reges fuisse & Sacerdotes ostendimus ad Genesis locum. ¶ *ὁ συναντήσας Ἀβραὰμ ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων*, *qui obviavit Abrahæ regresso a cæde Regum*] Et hoc ex Græco Gen. 14. 17. *μετὰ τὸ ὑποστρέψαι αὐτὸν ἀπὸ τῆς κοπῆς τοῦ Χοδολλογομὸρ καὶ τῶν βασιλέων μετ' αὐτοῦ* [*Postquam reversus erat à cæde Chodorlohomor & Regum qui cum eo erant*,] Regum nempe illorum quatuor qui præter Chodorlahomorum nominantur initio dicti capitis. *Συναντήσας*, *cùm obviam venisset* Abrahamo in signum amicitiæ, ut Actor. 10. 25. Sic exercitus occurrit Vitellii filio apud Tacitum Historiarum 2. ¶ *καὶ εὐλογήσας αὐτόν*· *& benedixit ei*] Ritu nempe Sacerdotis Gen. 14 19. Est alioqui verbum *εὐλογεῖν* satis late patens, sed hic intelligendum ut Num. 6. 22. Sirach. 36. 9.

2. *Ὧ καὶ δεκάτην ἀπὸ πάντων ἐμέρισεν Ἀβραάμ. Cui & decimas omnium divisit Abraham*] Nempe in honorem Dei Summi quem & Melchisedec & Abraham colebant, Gen. 14 20. Vetustissimus mos fuit omnium gentium de præda decimam Deo dare. Notavimus in libro 3. de Jure Belli & Pacis 6. 1. ¶ *πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης*, *primum quidem qui interpretatur Rex justitiæ*] Explicatio nominis Melchisedec. Genitivus autem est pro adjectivo. Itaque Regem justum rectè explicat Josephus. ¶ *ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλήμ*· *ὅ ἐστι βασιλεὺς εἰρήνης*. *deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis*] Explicatio nominis quo urbs ab ipso regnata vocabatur. Et nota Christum tum regni sui specimen quoddam dedisse, tum sacerdotium inchoasse apud eandem urbem, Matth. 21. 3. & 10. Lucæ 13. 33.

3. *Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. Sine patre, sine matre, sine genealogia*] Postremum hoc priora explicat: neque enim *genus ejus* à Mose *recensetur*, ac *ne pater* quidem aut *mater*: unde videas, quantum hic distet à Leviticis Sacerdotibus, qui patre esse debebant Aaronide, matre autem Israëlitide. Levit. 8. 1. 21. 14. & ob id diligentissimè observari solebant census generis ipsorum, ut videre est Esdræ 2. 62. Philo ad Decalogum, *Ἱερέως γὰρ τὸ γένος ἐξετάζεται μετὰ πάσης ἀκριβείας εἰ ἀνεπίληπτον*] *Nam in genus Sacerdotis summâ diligentiâ inquiritur, num inculpatum sit.*] Syrus hic non malè, *Cujus nec pater, nec mater scripti sunt in genealogiis.* Sic Seneca Epistola 108. cum dixisset duos Romanos Reges esse quorum alter patrem non habeat, alter matrem, id ipsum explicans dicit, *de Servii matre dubitari: Anci patrem nullum dici.* Plurimas apud gentes etiam maternum genus in Sacerdotibus spectabatur. Porphyrius de Brachmanibus, *Ἑνός εἰσι γένους. ἐξ ἑνὸς γὰρ καὶ πατρὸς καὶ μιᾶς μητρὸς πάντες κατάγονται* [*Eodem genere orti sunt, quippe eodem patre, matre etiam eadem prognati.*] Jon in Tragœdia Euripidis;

> —— *Ὡς καὶ ἀμήτωρ*
> *Ἀπάτωρ τε γεγὼς τοὺς θρέψαντας*
> *Φοίβου ναοὺς θεραπεύω*
>
> [—— *nam tanquam incertâ matre,*
> *Et incerto patre natus, illud quod me aluit*
> *Phœbi templum colo.*]

ostendens hoc esse contra morem. Sic apud Athenienses Rex sacrorum causâ ex matre debebat esse virgine ac cive, ut ad dictum Levitici 21. locum ostendimus. In Controversiis Senecæ lex est, *Sacerdos casta è castis, pura è puris sit.* Ubi & hoc habes, *Si mater tua prostitisset, tibi noceret.* Hyrcano objectum fuit matrem ejus bello captam fuisse: Suspicio enim facit ut tales vix puræ credantur ob fortunam servilem. At Melchisedecus nullo genere, nullâ parentum mentione (quam tamen in aliis plurimis adhibere Moses solet) non aliter quàm quasi de cœlo delapsus introducitur, in quo haud dubium quin latuerit mysterium. Philo de Allegoriis, *Καὶ Μελχισεδὲκ βασιλέα τε τῆς εἰρήνης, Σαλήμ· τοῦτο γὰρ ἑρμηνεύεται· ἱερέα ἑαυτοῦ πεποίηκεν ὁ Θεός, οὐδὲν ἔργον αὐτοῦ προδιατυπώσας, ἀλλὰ τοιοῦτον ἐργασάμενος βασιλέα καὶ εἰρηναῖον, καὶ ἱερωσύνης ἄξιον τῆς ἑαυτοῦ πρῶτον* [*Melchisedecum etiam Regem pacis, id enim est Salem sacerdotem sibi constituit Deus, nullo ejus ante descripto merito, sed ipse eum primum talem fecit, & Regem, & pacatum, & suo sacerdotio dignum.*] Dicit deinde per Melchisedecum figurari *τὸν ἀληθῆ λόγον* [*verum sermonem*,] qui neque *νοῦν* [*mentem*] habet patrem, neque matrem *τὴν αἴσθησιν* [*sensum*,] sed à Deo ipso trahat originem; ita sæpe Veteres argumentum trahunt ab eo quod in textu non dicitur. Sic Philo libro Pejorem insidiari meliori, ex eo quòd Caini mors scripta inveniatur, deducit *κακὸν ἀθάνατον εἶναι ἀφροσύνην* [*amentiam malum esse immortale*,] & contrà *animum placere ante opera*, ex eo quod Noë Deo placuisse dicitur ante operum mentionem. Est autem verbum *γενεαλογεῖν* [*genus recensere*, unde hoc nomen *ἀγενεαλόγητος* [*cujus genus recenseri nequit*,] bene Græcum construitur cum accusativo apud Herodotum & Plutarchum. ¶ *μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων*· *neque initium dierum, neque finem vitæ habens*] Nempe in Mosis Historia. Id factum ut eò aptior esset ad figurandum Christum. Solet enim alioqui Moses de viris magnis agens addere quando nati, quando mortui sint. ¶ *ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum*] Id est, ita in scenam venit ut exitus ejus non appareat, planè quasi sacerdotium ejus esset perpetuum, quale est Christi. Sicut quæ narrantur dicuntur fieri ab eo qui narrant, ut vidimus supra 1. 6. ita quod non narratur ponitur quasi non sit. Addi potest Melchisedecum fuisse *sacerdotem in perpetuum*, id est, quamdiu veri Dei cultus in Phœnice mansit.

4. *Θεωρεῖτε δὲ πηλίκος οὗτος, Intuemini autem quantus sit hic*] *Quantæ dignitatis.* ¶ *ᾧ καὶ δεκάτην Ἀβραὰμ ἔδωκεν ἐκ τῶν ἀκροθινίων ὁ πατριάρχης. cui & decimas dedit de præcipuis Abraham*

ham Patriarcha] Καὶ [*Et*] referendum ad Ἀβραάμ [*Abraham,*] Non alii tantùm, sed magnus ille Abraham auctor Judaïci generis, illi decimas dedit. Et hæc vox ἀκροθινίων bene Græca est: sed genitivus est ἐξηγητικὸς [*explicativum,*] sive vice appositionis. Nam ipsa pars prædæ quæ Deo dicatur vocatur ἀκροθίνια [*Acrothinia*] Herodoto, Thucydidi, Xenophonti, & in Phœnissis Euripidi. πατριάρχαι [*Patriarchæ*] dicuntur & *tribuum progenitores* & *familiarum*, ut videre est 1 Paral. 9. 9. 22. 3. 27. 22. 2 Paralip. 19. 8. 23. 20. 26. 12. Act. 2. 29. 7. 8, 9. Multò autem justiùs eo nomine vocatur Abraham, unde omnes istæ tribus & familiæ ortum trahebant. πατριὰ frequentissimè est *familia*, sed & pro *tribu* sumi ostendimus ad Matth. 1. 16. Rectè autem hic scriptor נתן, ἔδωκε [*dedit,*] intellexit non de Melchisedeco, sed de Abrahamo, ut & LXX. Philo & Josephus. Syrus pro ἔδωκε [*dedit*] habet פרש, *separavit*, quæ vox sacris propria. Sic Num. 8. 16. pro Hebræo נתונים, *dati*, Chaldæus habet מפרשין [*separati.*]

5. Καὶ οἱ μὲν ἐκ τῶν υἱῶν Λευὶ τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες, *& quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes*] Λαμβάνοντες [*Accipientes*] ita positum ut λαμβάνει [*accipit*] supra 5. 4. Omnes sacerdotes erant ex Aarone, Aaron ex Levi. ¶ ἐντολὴν ἔχουσιν, *mandatum habent*] Id est, *Jus hoc habent*, כשרם, Marci. 10. 5. ¶ ἀποδεκατοῦν τὸν λαὸν, *decimas sumere à populo*] Id est, *à popularibus suis decimas exigendi*. עשר quod δεκατοῦν [*decimare*] & ἀποδεκατοῦν [*edecumare*] vertitur, sæpe refertur ad res, Genes. 28. 22. Deut. 14. 22. 26. 12. 1 Sam. 8. 15, 17. Hîc verò ad eos quorum res sunt, ut & mox 6. ἀποδεκατοῦν Latini dicunt *edecumare*, ut est in Glossario. ¶ κατὰ τὸν νόμον, *secundùm Legem*] Num. 18. 24. & sequentibus, ubi vides Levitas accepisse decimas à privatis, Sacerdotes verò ab ipsis Levitis. Duplici ergo modo Sacerdotes Aaronidæ populares suos edecumarunt, primùm quia id ipsum quod Levitarum erat à populo venerat, deinde quia & Levitæ pars populi. ¶ τουτέστι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτῶν καίπερ ἐξεληλυθότας ἐκ τῆς ὀσφύος Ἀβραάμ. *id est, à fratribus suis quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ*] Et hoc alicujus dignitatis, non ab externis, sed à popularibus accipere decimas. Hoc præstruit, ut majorem deinde Melchisedeci dignitatem inferat. *Ex lumbis exire* dicuntur Hebræis qui ex alicujus semine nascuntur Genes. 35. 11. 2 Paralip. 6. 9. Causa ejus locutionis nota Prosectoribus.

6. Ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν, *Cujus autem generatio non annumeratur in eis*] Cujus genus neque à Levi neque ab Abrahamo deducitur. ¶ δεδεκάτωκε τὸν Ἀβραὰμ, *decimas sumpsit ab Abraham*] *Edecumavit Abrahamum.* Constructio quæ supra. ¶ καὶ τὸν ἔχοντα τὰς ἐπαγγελίας εὐλόγηκε. *& hunc qui habebat repromissiones benedixit*] Magna & hæc dignitas, ei benedicere qui Deo erat charissimus, ut ex promissis tantis & toties repetitis apparebat.

7. Χωρὶς δὲ πάσης ἀντιλογίας, *Sine ulla autem contradictione*] *Extra controversiam* dicerent Latini. ¶ τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται. *quod minus est à meliore benedicitur*] Neutrum pro Masculino ut Ephes. 1. 10. & alibi. εὐλογεῖται [*benedicitur*] intellige, *ritu Sacerdotali*, ut supra 2. Nam neque populus eo modo Levitis benedicebat, neque Levitæ Sacerdotibus, neque Sacerdotes summo Sacerdoti.

8. Καὶ ὧδε μὲν, *Et hic quidem*] Ὧδε, *hic*, id est, in lege Levitica ¶ δεκάτας ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι λαμβάνουσιν· *decimas morientes homines accipiunt*] Ostendit hoc ipsa Lex quæ Sacerdotibus Sacerdotes vult succedere. Num. 3 & 18. ¶ ἐκεῖ δὲ, *ibi autem*] In loco illo Geneseos. ¶ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. *contestatur quia vivit*] Supple, *tantùm*. Vitæ ejus fit mentio, והוא [*& ille:*] mortis autem nulla significatio. ¶ καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν, *& ut ita dictum sit*] Est & hæc locutio Græcæ elegantiæ. Utuntur Æschylus Persis, Thucydides, Plato Timæo & de Republica 2. Ælianus de Animalibus 4. 36. & alii, præsertim ubi aliquid dicturi sunt παρακεκινδυνευμένον [*periculosè susceptum*] aut *eximium*. Sic & in Euripidis Oreste,

— ὡς δ' εἰπεῖν ἔπος
[— *Ut ita dicam,*]

quia durior est figura quæ sequitur, ideo eam præmunivit ex doctorum præcepto. Quintilianus 8. 3. *Et si quid periculosius finxisse videamur, quibusdam remediis præmuniendum est: ut ita dicam: si licet dicere: quodammodo: permitte mihi sic.* Hebræi dicunt, על דרך מה [*quodammodo.*] ¶ διὰ Ἀβραὰμ καὶ Λευὶ ὁ δεκάτας λαμβάνων δεδεκάτωται· *per Abraham & Levi qui decimas accepit decimatus est*] Bona parentum dicuntur etiam posterorum bona in jure. Et cum Abrahamus has decimas dedit, simul expetivit ut Melchisedecus & sibi & posteritati suæ benediceret. Διὰ Ἀβραὰμ [*per Abraham,*] *in Abrahami persona.*

10. Ἔτι γὰρ ἐν τῇ ὀσφύϊ τοῦ πατρὸς ἦν ὅτε συνήντησεν αὐτῷ ὁ Μελχισεδέκ. *Adhuc enim in lumbis patris erat quando obviavit ei Melchisedec*] Levi illic erat non ἐνεργείᾳ [*actu,*] sed δυνάμει [*potentia,*] αὐτῷ [*ei*] nempe *Abrahamo.*

11. Εἰ μὲν οὖν τελείωσις διὰ τῆς Λευϊτικῆς ἱερωσύνης ἦν. *Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat*] Τελείωσις [*consummatio*] hoc loco est id quod in genere Sacerdotii perfectissimum est. Vide supra 2. 10. 5. 9. infra 19. ¶ ὁ λαὸς γὰρ ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτητο, *populus enim sub ipso Legem accepit*] In Manuscripto ἐπ' αὐτῆς νενομοθέτηται [*de illa Legem accepit.*] Jam tum cum à Davide Psalmus iste scriberetur, populus Legem habebat de Sacerdotio Levitico: illis Sacerdotibus honorem, primitias, decimas & oblationum partes dabat ex lege. ἐπ' αὐτῆς, *de illa.* Vide inter Præcepta jubentia tertium & vicesimum. ¶ τίς ἔτι χρεία, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἕτερον ἀνίστασθαι ἱερέα, *quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedec alium surgere Sacerdotem*] Nempe ut prædicit ille Psalmus. ἀνίστασθαι [*surgere*] dicitur qui munus aliquod publicum orditur, ut Exodi 1. 8. Sic & ἐγείρεσθαι [*surgere*] Matth. 11. 11. 24. 11. Marci 13. 22. Joh. 7. 52. Actor. 9. 8. 13. 22. Hebræi dicunt הקים 2 Sam. 23. ¶ καὶ οὐ κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρὼν λέγεσθαι; *& non secundum ordinem Aaron dici?*] Nempe in Psalmo. *Cur ille venturus Sacerdos ibi dicitur fore instar Melchisedeci, & non instar Aaronis?*

12. Μετατιθεμένης γὰρ ἱερωσύνης, *Translato enim Sacerdotio*] *Sacerdotio translato in aliquem non Aaroniden*, quod futurum prædicit Psalmus. ¶ ἐξ ἀνάγκης καὶ νόμου μετάθεσις γίνεται. *necesse est ut & Legis translatio fiat*] Nempe ἱερατικοῦ [*sacerdotalis,*] de quo supra egerat. Judæi volunt Legem nulla in parte mutatum iri. At ex Psalmo apparet mutatum iri, & quidem in eximia ejus parte, nempe de Sacerdotio. Neque enim stante Lege Sacerdos aliquis esse potuit non Aaronides. Ac proinde illa etiam sanctio Legis evanuit, *Maledictus qui non fecerit omnia verba Legis hujus.* μετατίθεσθαι est *mutare*, unde supra τὸ ἀμετάθετον [*immutabile.*] Sic apud Platonem μεταθώμεθα, id est, *sententiam mutemus.* Chrysostomus in 2. Adversùs Judæos & hoc notat, *maximam Legis partem circa sacra versari.*

13. Ἐφ' ὃν γὰρ λέγεται ταῦτα, φυλῆς ἑτέρας μετέσχηκεν, ἀφ' ἧς οὐδεὶς προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ. *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præstò fuit*] Illud γὰρ [*enim*] eò pertinet ut præstructis quæ oportebat, jam ostendat sensum Psalmi illius omnibus partibus in Jesum Nazarenum competere. Ἐφ' ὃν, *in quem* dicta ista competunt. Sic mox εἰς ἣν [*in quam.*] Μετέχειν φυλῆς est *esse de tribu*, sicut μετέχειν σαρκὸς καὶ αἵματος 2. 14. *habere carnem & sanguinem.* Pro προσέσχηκε [*præsto fuit*] Manuscriptus habet προσέσχε. Et est vox bene Græca, significatque *operam dare.* Sic προσέχειν πολέμῳ, πράξει, ἔργοις [*operam dare militiæ, negotio, laboribus*] frequentia apud Græcos. Alii libri habent προσέστηκε, עמד [*adstitit.*] Constabat inter Judæos Christum esse debere ex tribu Judæ, nempe per Davidem.

14. Πρόδηλον γὰρ ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν. *Manifestum est enim quòd ex Juda ortus sit Dominus noster*] Si ex Davide, ergo ex Juda. Judæ familiæ promissum fuit regnum. Et Sacerdos in Psalmo prædictus non minùs Rex quàm Sacerdos esse debuit. Et bene electum est verbum ἀνατέταλκεν [*ortus est,*] quia Christus sub Zorobabelis figura dicitur צמח, ἀνατολὴ [*Oriens,*] sive βλαστὸν aut βλάστημα [*germen:*] nam his modis Hebræum illud vertitur Jer. 23. 5. 33. 15. Zach. 3. 8. 6. 12. ¶ εἰς ἣν φυλὴν οὐδὲν περὶ ἱερωσύνης Μωσῆς ἐλάλησε. *in qua tribu nihil de Sacerdotio Moyses locutus est*] *In quam tribum competens nihil Moses de Sacerdotio dixerat.* Sequitur ergo ex Psalmo aliam Legem Legi Mosis substitutum iri. In Manuscripto est, οὐδὲν περὶ ἱερέων [*nihil de Sacerdotibus.*] Et sic legit Latinus.

15. Καὶ περισσότερον ἔτι κατάδηλόν ἐστι, *Et amplius adhuc manifestum est*] Hoc ipsum quod dixi de Legis mutatione, *amplius etiam aliunde liquet.* Sic Rabbini dicere solent ויתר מזה [*& multò amplius.*] πρόδηλον & κατάδηλον [*manifestum*] voces bene Græcæ, quales multæ in hac Epistola. ¶ εἰ κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδὲκ ἀνίσταται ἱερεὺς ἕτερος, *si secundum similitudinem Melchisedec exsurgat alius Sacerdos*] Εἰ [*Si*] hic est *quandoquidem*, ut Roman. 5. 10. ἀνίσταται [*exsurgat*] sume ut supra 2.

16. Ὃς οὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, *Qui non secundùm legem mandati carnalis*] *Secundum jus illud* (nam νόμος [*lex*] etiam jus significat, ut 1 Corinth. 7. 39. Exod. 12. 49.) *quod venit ex præcepto dato carni*, id est, hominibus mortalibus, quorum alter alteri succedit. *Caro* mortalem conditionem significat, ut supra 5. 7. ¶ ἀλλὰ κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου

sed

sed secundum virtutem vitæ insolubilis] *Per vim vitæ immortalis.* Nam ideo Christus ad vitam immortalem perductus est, ut in æternum Sacerdos noster esset. Vide supra 5. 5, 6. Dicit autem vitam ἀκατάλυτον [*insolubilem*] quia nunquam ab illo corpore discedit: לא יקרע [*non scindetur*] Exod. 39. 23.

17. Μαρτυρεῖ γάρ· *Contestatur enim*] David ostendit verum esse quod dico. μαρτυρεῖν [*contestari*] hic ut Roman. 3. 21. In Manuscripto μαρτυρεῖται γὰρ, *redditur illi hoc testimonium.* ¶ ὅτι σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ. *quoniam tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*] Premit illam vocem לעולם [*in æternum*] quæ alibi quidem *longum tempus* significat, at hic *æternitatem*: quis enim potest esse Dominus Davidis regis, nisi qui sit cœlestis ac proinde æternus? ὅτι [*quoniam*] hic est recitantis.

18. Ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται προαγούσης ἐντολῆς, *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati*] Jam incipit ostendere nihil mirum esse quod Lex illa Mosis, cujus pars erat Lex Levitica, abolita est. ἀθετεῖν hic non est *violare*, ut alibi, sed *pro imperio tollere*, ut Gal. 3. 15. ἐντολὴν [*mandatum*] hic vocat totam congeriem ἐντολῶν [*mandatorum.*] προάγειν hic est *præcedere*, ut 1 Timoth 1. 18. Præcesserat Lex Christum multis sæculis, à Mosis temporibus. ¶ διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές· *propter infirmitatem ejus & inutilitatem*] Nempe comparata comparatè. Non mirum est imperfectiora perfectioribus cedere.

19. Οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος, *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex*] Non perduxit homines ad justitiam illam veram & internam, sed intra ritus & facta externa constitit. Nemo illis temporibus fuit virtutibus Apostolicis conferendus. Quod si qui prope accessere, non Legi id debebant, sed gratiæ velut de Euangelio promutuo sumptæ atque prærogatæ. Vide Rom. 8. 3. Galat. 3. 2, 21. ubi dicta vide. οὐδὲν [*nihil*,] id est, οὐδένα [*neminem*,] locutione qualis supra 7 & Joh 6. 63. ¶ ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος, δι' ἧς ἐγγίζομεν τῷ Θεῷ. *introductio vero melioris spei per quam proximamus ad Deum*] Promissa terrestria non operantur mortis contemptum, sed eum operatur spes melior vitæ æternæ atque cœlestis. Inde tam crebra martyria. Illud ἐπὶ in ἐπεισαγωγὴ [*introductio*] significat posterius aliquid, ut in ἐπιδιατάσσεται [*superordinat*] Galat. 3. 15. Et est locutio satis frequens, *Post introductio spei melioris*, pro *spes melior post introducta.* Pro ἐγγίζομεν [*appropinquamus*] In Manuscripto est ἐγγίζωμεν [*appropinquemus*,] *per quam ad Deum prope accedere possimus*, id est, vere pii reddi. Hoc enim est ἐγγίζειν Θεῷ [*appropinquare Deo.* Soph. 3. 2. & 4. 8. Est autem vox proprie sacerdotalis, ut videre est Ezech. 42. 13. 43. 19. Et Christiani per Christum summum Sacerdotem facti *Sacerdotes*, 1 Petri 2. 5. Apocal. 1 6.

20. Καὶ καθ' ὅσον οὐ χωρὶς ὁρκωμοσίας, *Et quantum est non sine jurejurando*] Tertium addit privilegium hujus sacerdotii in Psalmo prædicti præ legali, quod hoc institutum est cum jurejurando, ut scilicet semper duraret: quæ vis est rerum juratarum. Vox ὁρκωμοσία [*jusjurandum*] ex duobus idem significantibus composita reperitur & infra 21. 28. Plato in neutro plurali dixit ὁρκωμόσια [*juramenta*,] quomodo & locus quidam dictus in Attica ubi Theseus Amazonibus juraverat, Plutarcho memorante. In Glossario, ὁρκωμοσία, *juratio.* καθ' ὅσον hic est *quantò*. Respondet enim ei quod sequitur τοσοῦτον [*tanto.*] Talibus autem vocibus solet præponi *quanto* pro *quia*. Sic apud Tacitum, *Quanto dites, tanto magis imbelles: quanto inopina, tanto majora: quanto intentus, tanto occultior: quanto ignara Barbaris, tanto toleratiora.*

21. Οἱ μὲν γὰρ χωρὶς ὁρκωμοσίας εἰσὶν ἱερεῖς γεγονότες· *Alii quidem sine jurejurando Sacerdotes facti sunt*] Aaron & posteri ejus. ¶ ὁ δὲ μετὰ ὁρκωμοσίας, *hic autem cum jurejurando*] Nempe Christus in Psalmo prædictus. Et subauditur per Zeugma, *Sacerdos constitutus est.* ¶ διὰ τοῦ λέγοντος πρὸς αὐτόν· Ὤμοσε Κύριος καὶ οὐ μεταμεληθήσεται. Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, *per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec*] Illa, Ὤμοσε Κύριος καὶ οὐ μεταμεληθήσεται [*Juravit Dominus & non pœnitebit eum*] per παρένθεσιν [*interpositionem*] legenda sunt. Nam illud σὺ ἱερεὺς [*tu Sacerdos*] cohæret cum τοῦ λέγοντος πρὸς αὐτόν [*eum qui dixit ad illum.*] Sed ut ostenderetur dictum illud fuisse cum jurejurando, ideo & præcedentia Psalmi verba interjicienda fuere, οὐ μεταμεληθήσεται [*non pœnitebit eum*] *non mutabit factum* supra 6. 17. *Pœnitentia in Deo nihil aliud quam mutatio sententiæ prioris*, Tertullianus adversùs Marcionem. 2.

22. Κατὰ τοσοῦτον κρείττονος διαθήκης γέγονεν ἔγγυος Ἰησοῦς. *In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus*] *Tantò melioris pacti sponsor factus est Jesus*: pacti scilicet æternum vaituri. Ἐγγυητὴς, *fidejussor, sponsor*, in Glossario. Cicero, *me ut sponsorem appellat*, id est, fidejussorem. Moses pro Deo spopondit in Lege veteri: Jesus pro Deo in nova Lege. Lex utraque & pactum continet: habet præter officii præscriptionem etiam promissa. Sponsorem dare solent minùs noti: & Moses & Jesus hominibus meliùs noti erant quàm Deus, qui est inconspicuus. *Spopondit* autem Christus, id est, nos certos promissi fecit, non solis verbis, sed perpetuâ vitæ sanctitate, morte ob id toleratâ & miraculis plurimis. Huc eò pertinet, ne miremur mutatam Legem.

23. Καὶ οἱ μὲν πλείονές εἰσι γεγονότες ἱερεῖς διὰ τὸ θανάτῳ κωλύεσθαι παραμένειν· *Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere*] Ἱερεῖς [*Sacerdotes*,] id est, per excellentiam. ἀρχιερεῖς, כהנים הגדולים [*Pontifices magni*,] supra septuaginta fuere ab Aarone ad Templi excidium. Non poterant permanere in sacerdotio, morte id prohibente. Et id Lex ostendit Exod. 28 43.

24. Ὁ δὲ, διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα, *Hic autem eò quod maneat in æternum*] *Quia semper manet*, & non moritur. ¶ ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην· *sempiternum habet Sacerdotium*] Latinè optimè vertas, *non transmittit Sacerdotium.* Jus quod à defuncto pervenit ad successorem Latinè dicitur *transmitti*. Græcis παραπέμπεσθαι, hic παραβαίνειν *Apud veteres in sacra quoque succedebatur*, Servius ad 11. Æneidos. ἀπαράβατον, די לא יעדה [*quod non auferetur*] Danieì 7 14 ubi Græci οὐ παρελεύσεται [*non præteribit.*] Syrus hic לא עברא [*non transitorium.*]

25. Ὅθεν καὶ σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ, πάντοτε ζῶν εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν. *Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro eis*] *Qui semper vivit, semper etiam potest pro nobis Deum compellare, ut nos servet*, id est, ut nobis auxilia impetret contra tentationes. εἰς τὸ παντελὲς, *in perpetuum* diximus esse ex Lucæ vocibus usurpatis 13. 11. in Euangelio. Et rectè hic verterunt tum Syrus tùm Latinus, quomodo & Græci Patres hanc vocem intelligunt. Pari locutione supra dixit εἰς τὸ διηνεκὲς 3. Hebraicè נצח. τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ [*accedentes per ipsum ad Deum*,] *qui per ipsum Deum colunt*: ut infra 11. 6. ὑπερεντυγχάνειν est *desideria alicujus commendare.* Habuimus eandem vocem, sed sensu nonnihil deflexo, ut Roman. 8. 26 Facit autem hoc Christus non submissa ut olim, *sed potenti interpellatione*, quemadmodum loquitur Gregorius Magnus. Vide Roman. 8. 34.

26. Τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς, *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex*] In Manuscripto ἡμῖν καὶ ἔπρεπε [*nobis & decebat.*] Talis etiam esse debebat, qualem jam descripsimus, multò melior illis Aaronidis, quorum multi mali, alii mediocriter tantùm boni fuere. ἔπρεπεν, id est, *conveniebat* nobis talem Pontificem dari. Vide supra 2. 10. ¶ ὅσιος, *sanctus*] חסיד, qui non laminæ, sed menti inscriptum habeat קדש ליהוה [*Sanctitas Domino*] Exodi 39. 30. ¶ ἄκακος, *innocens*] Oportet sit remotus ab omni re mala, non tantum, ne pollutam ducat, Levit. 21. 13. ¶ ἀμίαντος, *impollutus*] Qui non tantùm pollutus non fuerit illis contaminationibus externis, de quibus agitur Levit. 22. sed nec ullo vitio. Vide Jac. 1. 27. 1 Petr. 1. 4. ¶ κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *segregatus à peccatoribus*] Sicut in adytum nullus intrabat præter summum Sacerdotem, in Basilicam Templi nemo præter Sacerdotes, ita oportebat hic Sacerdos perfectior longè sit positus à contactu malorum hominum, Joh. 7. 34. ¶ καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος· *& excelsior cœlis factus*] Supra aeream & æthe-ream regionem positus. Sic & supra 4. 14.

27. Ὃς οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ· τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνενέγκας. *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro delictis populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo*] Καθ' ἡμέραν [*Quotidie*] hic est *sæpissime, quoties res fert*, ut & infra 10. 11. neque enim tantùm in sacro anniversario, sed & quoties aut summus Sacerdos conscius sibi esset subreptionis alicujus, aut alius quivis, offerebantur victimæ περὶ ἁμαρτίας, חטאת [*pro peccato.*] Videtur autem & hic & supra 5. 3. dici Christus quoque obtulisse non sæpius quidem, sed semel pro peccatis non populi tantùm, sed & suis, quod defendi potest eâ explicatione quam attulimus ad Matth. 27. 50. ut vox ἁμαρτιῶν [*peccatorum*] de Christo ita sumatur sicut singulare ἁμαρτία [*peccatum*] Rom. 6. 10. pro doloribus illis qui solent peccatorum pœnæ esse, & quas Christus occasione etiam peccatorum humani generis toleravit, & à quibus liberatus est per mortem acceleratam tum cùm obtulit

non

non pecudem, sed corpus suum, ut perfectissimam victimam. Et est hæc quoque locutio de Lege sumpta. Nam & profluvium muliebre dicitur אשם [*peccatum*] Levit. 12. 8. 15. 30. & lepra 14. 13. ubi in Græco περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato.*] Sicut hic *semel obtulisse dicitur Christus*, ita *semel pro peccatis passus* 1 Petr. 3. 18. Pro ἀνενέγκας in Manuscripto προσενέγκας [*offerendo,*] ut supra 5. 1, 3, 7. & infra sæpe.

28. Ὁ νόμος γὰρ ἀνθρώπους καθίστησιν ἀρχιερεῖς, ἔχοντας ἀσθένειαν. *Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes*] Lex Mosis sine jurejurando prolata. ἀσθένειαν [*infirmitates*] hic sunt adversa quibus subjecta est mortalitas, ut supra 4. 15. ¶ ὁ λόγος δὲ τῆς ὁρκωμοσίας, *sermo autem jurisjurandi*] Promissum Dei juratum in Psalmo. ¶ τῆς μετὰ τὸν νόμον, *qui post Legem est*] Debent posteriora in legibus esse perfectiora. ¶ υἱὸν εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον. *Filium in æternum perfectum*] Τετελειωμένον [*Perfectum*] hoc loco significat ita perfectum ut nec morti nec ullis adversis subjaceat. Pari sensu id verbum habuimus supra 2. 10. Et *Filium* nempe Dei, non hominem cæteris parem nascendi sorte.

CAP. VIII.

VALLA.

1. CApitulum autem super ea quæ dicuntur] Cur non; *Summa autem* (sive *In summam autem*) *super iis quæ dicuntur?* Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. ¶ *Qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis*] Cur non, sicut superiùs, *sedit?* ἐκάθισεν. Quod superiùs *Majestatis*, idem nunc ait *Magnitudinis*, μεγαλωσύνης. Superiùs *ad dexteram*, nunc *in dextera:* sed nunc magis Græco respondet, ἐν δεξιᾷ.

4. *Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos*] Gr. *Si enim esset* (vel *essent*, sive, *Nam si essent*) *quidem super terram.* Reliquam quoque partem sic transtulissem, *non etiam Sacerdos esset:* i. e. *Si essent* munera & hostiæ, *non* tamen *esset Sacerdos*, idoneus, quia cæteri qui illa offerebant, umbraticè & non verè offerebant, εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, οὐδ' ἂν ἦν ἱερεύς.

7. *Nam si illud prius culpâ vacasset, non utique secundi locus inquireretur*] *Culpâ* non videtur nunc vocabulum idoneum. Græcè sic est, *Si enim primum illud irreprehensibile esset* (sive *invituperabile esset*, sive, *Nisi enim primum illud vituperabile esset*) *non inquireretur secundi locus*, Εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας τόπος ἐζητεῖτο.

8. *Ecce dies venient*) *Veniunt* legendum est, ἔρχονται.

13. *Dicendo autem novum, veteravit prius*] Ego dixissem, *antiquavit primum*, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην. Non modò quia *veterare* sensum passivum nescio an reperiatur, ut nunc accipiendum est, sed etiam quia idem verbum est quod illud sequens, *quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est*, παλαιούμενον.

REVIUS in VALLAM.

4. ESsent] Ἦν non potest habere significationem pluralem, nisi referatur ad δῶρα vocem remotissimam: quod coactum est. Itaque frivola est sequens expositio.

13. *In sensum passivum*] *Activum*, ni fallor, legendum.

ERASMUS.

1. CApitulum autem] Κεφάλαιον, sive *Caput*. Sentit enim se compendio dicturum quod fusiùs disseruit, & id quod est præcipuum explicaturum. ¶ *Magnitudinis*) Μεγαλωσύνης. Potius *majestatis*, sicut paulò antè vertit.

2. *Sanctorum minister*] Λειτουργὸς quod non simpliciter sonat *ministrum*, sed plerumque *ministrum sacrorum*, & *qui fungatur officio Sacerdotis pro aliis.* Unde quod nos vulgò vocamus *officium*, Græci λειτουργίαν appellant. Vocem putant hinc dictam: λήϊτον olim dicebant *prytaneum*, h. e. locum publicum in quo versabantur Magistratus; & ἔργον, *opus:* unde commutatis aliquot literis λειτουργοὶ dicti *qui in his locis Magistratibus inserviebant.* Porrò genitivus *sanctorum* potest vel ad Homines referri, vel ad ipsa Sancta, ut dicatur *administrare sancta* pro nobis veluti Sacerdos. Quanquam autem Græca Scholia malunt de hominibus accipere, tamen id quod proximè consequitur magis suadet ut de rebus sanctis accipiamus, *minister sanctorum, & tabernaculi veri*; ut *veri* quoque referatur ad *sancta*. Ut enim hoc tabernaculum, nempe cœlum, *verum* est *tabernaculum*, ità sancta sanctorum quæ illic administrat *verè sancta* sunt. Theophylactus & Chrysostomus sequuntur posteriorem sententiam, etiamsi Theophylactus recenset utramque.

4. *Si ergò esset*] Εἰ μὲν γὰρ, *Si enim.* ¶ *Nec esset Sacerdos*] Οὐδ' ἂν ἦν ἱερεύς, *nè Sacerdos quidem esset*, ut qui nihil offerret quale Lex præscripserat.

5. *Cùm consummaret*] Μέλλων ἐπιτελεῖν, *cùm consummaturus esset.*

6. *Nunc autem melius*] Διαφορωτέρας, *excellentius:* licèt in nonnullis habeatur διαφορωτέρως. ¶ *Quanto*] Latinus debebat addere *tantò* ut respondeat *quanto:* nam Græcis licet omittere.

7. *Illud prius*] Ἡ πρώτη ἐκείνη, *primum illud.* Nisi quòd Græci abutuntur aliquoties hoc superlativo vice comparativi. ¶ *Culpâ vacasset*] Ἦν ἄμεμπτος, *fuisset irreprehensibile*, sive *de quo queri non possis*, aut *in quo nihil posset desiderari.* Quod tamen Chrysostomus ità torquet ut ἄμεμπτος accipiatur pro *eo*, non *quod ipsum sit inculpabile*, sed *quod inculpabiles reddat*, ut *culpa* sit Hominum, non Testamenti. Quanquam Paulus ad Romanos fatetur Legem fuisse *infirmam*, nec potuisse conferre perfectam salutem: & in Actis idem affirmat Lucas. Et Petrus appellat *onus omnibus importabile.* Et Deus apud Prophetam appellat *justificationes non bonas.* Quæ omnia juxta Chrysostomi sententiam accipienda sunt. Nihil enim à Deo proficiscitur quod non sit bonum. Et Paulus aliàs Legem *sanctam & bonam* appellat. ¶ *Locus inquireretur*] Ἐζητεῖτο τόπος, *quæsitus fuisset locus.*

8. *Vituperans enim*] Μεμφόμενος γάρ. Verbum est unde perductum erat nomen ἄμεμπτος. Probat enim *non caruisse reprehensione*, cùm ipse Deus de eo *queratur.* ¶ *Ecce dies venient*] Hoc testimonium adduxit ex Jer. 31. & ità adduxit ut appareat secutum per omnia editionem LXX. sed ab Hebraica veritate minimùm abhorrentem. Primum *venient*, pro quo Hieronymus vertit *veniunt.* Græcè est ἔρχονται, quod ad utrumque tempus pertinet. Nam de *pacto*, sive, ut alibi vertitur, *fœdus*, mox dicemus. Quod autem Hieronymus vertit *irritum fecerunt*, Paulus, sive quis alius fuit (ad hunc enim modum citat Hieronymus) expressit οὐκ ἐνέμειναν, *non perstiterunt in testamento* sive *pacto.* Deinde, quod ille vertit *dominatus sum eorum*, hic explicuit ἠμέλησα αὐτῶν, *neglexi eos*, juxta LXX. Præterea, quod Hieronymus vertit *in visceribus*, hic extulit εἰς τὴν διάνοιαν, *in mentem.* Ad hæc, quod Paulus dixit ἕκαστος, Hieronymus vertit *vir*, secutus ἰδίωμα sermonis Hebraici.

9. *Quâ apprehendi manum*] Magis est *apprehendens manum.*

10. *Dando leges*] Διδοὺς, *dans:* pendet enim à superioribus. ¶ *Superscribam*] Ἐπιγράψω, *inscribam*, quod Græca præpositio sit ambiguæ naturæ.

11. *Proximum suum*] Τὸν πολίτην αὐτοῦ, i. e. *civem suum.* Quanquam alii cod. habent τὸν πλησίον, *proximum.* ¶ *A minore usque ad majorem*] Ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν, *à parvo illorum usque ad magnum illorum*, consentientibus & Hebræis.

13. *Veteravit prius*] Πεπαλαίωκε, *antiquavit*, sive *fecit antiquum.*

VATABLUS.

1. CApitulum autem super ea quæ dicuntur] *Summa autem eorum quæ dicimus, hæc est.* ¶ *Magnitudinis*] *Majestatis.*

2. *Deus*] *Dominus*, Vet.

4. *Ergò*] *Enim.* ¶ *Nec esset sacerdos*] *Nè sacerdos quidem esset:* sub. *nisi offerret.* ¶ *Essent qui offerrent*] *Sint qui offerre debeant.*

5. *Qui exemplari & umbræ deserviunt cælestium*] i. e. Qui quidem exemplari & umbræ deservierunt eorum quæ agenda olim erant in cœlis per Christum. In cœlo enim Deo seipsum offert Christus. ¶ *Consummaret*] *Absoluturus esset.* ¶ *Vide**] ** Enim.*

6. *Nunc**] ** Autem*, Vet. ¶ *Melioris*] *Præstantioris.* ¶ *Melioribus repromissionibus*] *Præstantioribus promissis.*

7. *Prius culpâ vacasset*] *Primum fuisset irreprehensibile:* vel, *fuisset integrum & omnibus numeris absolutum.* ¶ *Inquireretur. Vituperans enim eos dicit*] *Quæsitus esset. Nam incusans eos* [sub. *Israelitas*] *loquitur illis.*

8. *Venient*] *Veniunt.* ¶ *Consummabo*] Vel, *percutiam.* ¶ *Testamentum*] *Fœdus:* & infra.

10. *Quia hoc*] *Hoc autem.* ¶ *Dando*] *Dabo.* ¶ *Superscribam*] *Inscribam.*

11. *Minore* * — *majorem* *] * * Eorum, Vet.

12. *Propitius ero*] *Placatus ero super*: vel, *clemens & facilis ero super*, &c. ¶ *Eorum* *] * *Et iniquitatum eorum.* ¶ *Jam*] *Amplius.*

13. *Veteravit*] *Antiquavit.*

CASTALIO.

5. QUi *quidem cœlestium exemplo & umbrâ ceremoniis operantur*] Eorum cultus exemplum &, umbra est rerum cœlestium.

CLARIUS.

1. CApur *autem*] *Summa*, inquit, *ac caput eorum quæ hactenus dicta sunt, est hoc, Talem habemus Pontificem*, &c.

2. *Sanctorum minister*] In illa verè Sancta introivit quorum figuræ erant quæ à Mose fuerant instituta, ibique peragit veri sacerdotii munus.

3. *Omnis enim Pontifex*] Oportuit Christum per mortem in vera Sancta introire hanc ob causam; Cum *Sacerdotes ad hoc instituantur ut offerant hostias*, Christi autem Sacerdotium diversum sit ab illo Levitico: *si Christus adhuc in terra esset, nè Sacerdos quidem esset*, cum his Legalibus sacrificiis non uteretur: At verò ut Sacerdos esset, *debuit aliquid offerre*. Per mortem ergò obtulit semetipsum hostiam perfectam, & resurgens à mortuis assumptus est in cœlum, locum idoneum, ubi Sacerdotium suum exerceat, h. e. interpellet pro nobis. Quarum rerum *exempla* quædam & *umbra* fuerunt ista Legalia: quod significavit Deus cum jussit ut *Moses faceret omnia secundum exemplar quod ostensum erat illi in monte.*

6. *Melioribus repromissionibus*] Nam ibi terrena & temporaria promittuntur, hic cœlestia atque æterna.

8. *Ecce dies venient*] In hoc Jeremiæ testimonio apertè promittitur *Novum Testamentum*, & Veteris rejectio prædicitur. Ait igitur Deus se daturum leges, non jam lapidi inscriptas, ut in priore factum fuit Testamento, sed *in cordibus eorum*, per Spiritum videlicet sanctum; atque ità propagandam esse hanc veritatis lucem ut *tam parvi quàm magni, omnes agnoscant Dominum.* Quod jam impletum omnes cernimus.

ZEGERUS.

1. CApitulum *autem super ea quæ dicuntur*] i. e. Summa & præcipua quædam pars eorum de quibus modò fusius disseruimus hæc est, nempe quòd *talem habeamus Pontificem*, &c.

3. *Omnis enim Pontifex*] *Enim*, quia non habet cujus dicat causam, pro *autem* accipiendum est. ¶ *Necesse est & hunc habere aliquid quod offerat*] Habet verò & Christus quod offerat, semetipsum scilicet, mortis suæ passionem, hostiam multò sanctissimam, eoque & Deo Patri gratissimam.

4. *Si ergò esset super terram, nec esset Sacerdos*, &c.] Hic magis quadrat *enim*, ut in Græcis exempl. quàm *ergo*. Reddit enim rationem cur dixerit Christum *Pontificem consedere ad dexteram sedis magnitudinis* (sive *majestatis*) *in cœlis*. *Nam si terrenus*, inquit, *esset Sacerdos*, ut Aaron, *non esset utique Sacerdos*, Legalis scilicet, quia Leviticæ tribûs nequaquam fuit, per consequens nec Pontifex juxta Legis literam esse potuit: *cùm essent secundùm Legem* deligendi *qui offerrent hostias & munera, umbræ tantummodo ac typo servientia cœlestium hostiarum.* Sunt præterea mediæ ætatis Theologi aliquod, inter quos est is qui Glossæ interlinearis autor est, qui locum hunc ad proximè præcedentem particulam, *necesse est habere quod offerat*, referentes, edisserunt ad hunc modum, *Si ergò esset super terram*, i. e. si id quod Christus obtulit terrenum esset munus Legali hostiæ simile, *non esset Sacerdos* Christus ad id offerendum necessarius, *cùm essent alii qui hujusmodi munera secundùm Legem offerrent.* Hanc ut non improbarim interpretationem, ità illam non addubitaverim judicare meliorem. Juxta hanc autem utcunque tolerari potest illud *ergò*, dum vulgò legimus, *Si ergò esset super terram.*

11. *Non docebit unusquisque proximum suum*, &c.] D. Augustinus De Spiritu & litera, cap. 24. quæstione hoc Vaticinium pertractans, explicat quo pacto intelligendum sit. Ità enim scribit, *Nunc certè jam tempus est Testamenti Novi, cujus per Prophetam facta est promissio per hæc verba quæ ex illa Prophetia commemoravimus. Cur ergò adhuc dicit unusquisque civi suo & fratri suo, Cognosce Dominum? An fortè non dicitur cum Evangelium prædicetur, & ejus ipsa sit prædicatio ut hoc ubique dicatur? Nam unde se Apostolus Gentium dicit esse doctorem nisi quia hoc fit quod ipse ait,* Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? *Cum ergo nunc ista prædicatio usquequaque crebrescat, quomodo tempus est Testamenti Novi de quo Propheta dixit*, & non docebit unusquisque civem suum, &c. *nisi quia ejusdem Test. N. æternam mercedem, i. e. ipsius Dei beatissimam contemplationem promittendo conjunxit? Quid est ergò*, omnes à minore usque ad majorem eorum, *nisi omnes pertinentes spiritualiter ad domum Israel & ad domum Juda, h. e. ad filios Isaac & semen Abrahæ?* Qui plura de hoc Jeremiæ Vaticinio desiderabit, legat Augustinum De Spiritu & litera cap. 19. atque item 20.

H. STEPHANUS.

1. ΚΕφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις] *Summa autem eorum quæ dicimus est hæc.*

2. Τῶν ἁγίων λειτουργὸς] *Sanctuarii minister.*

5. Κεχρημάτισται] *Divinitus admonitus fuit*: vel *edoctus.*

9. Ἐν ἡμέρᾳ ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν] *Eo die quo prehendi manum ipsorum.*

13. Πεπαλαίωκε] *Antiquavit.* ¶ Ἐγγὺς ἀφανισμοῦ *Non procul abest ab evanescendi periculo*: vel, *instat illi evanescendi periculum.*

DRUSIUS.

1. COnsedit *in dextera*] Suprà 1. 3. *ad dexteram.* Sed ἐν δεξιᾷ est in fonte Græco non hic solùm sed ibi quoque, ut & infra 12. 2. & alibi passim. Reperio etiam ἐν τοῖς δεξιοῖς Marc. 16. 5. licèt una tantum sit dexterea. ¶ Porro κεφάλαιον, quod *capitulum* interpretatur, Syrus reddit *caput*, i. e. ראש, quod Hebræi dicunt ראש, & pro *summa* usurpant; ut ubi legitur, *Tolle caput filiorum Israel*, hoc est, *summam* Lexicon Græco-Lat. V. Κεφάλαιον, *capitulum, summa*: & Lat. Græcum, *Summa*, κεφάλαιον.

2. *Sanctorum*] Obliquus est à recto *Sancta*, i. e. Sanctuarium aut Sacrarium; quod & *Sanctum* dicitur, i. e. ἅγιον, ut Sirach. 4. 13. λειτουργήσουσιν ἁγίῳ i. e. *Sanctuario*, nisi malis *Sancto*, i. e. Deo. Sed *sanctus* קדש dicitur, *sanctuarium* autem קדש Psal. 102. 19. ממרום קדשו LXX. ἐξ ὕψους ἁγίου αὐτοῦ. Hier. *de excelso sanctuario suo.* Sæpius usurpant τὰ ἅγια pro *Sanctuario*. Etiam *Sanctum sanctorum* ità vocatur infra 9. 12. *introivit semel in Sancta*, εἰς τὰ ἅγια. Similiter קדש de *Sancto sanctorum* dici testis mihi Moses de Kotsi, quem vide, si placet, in libro qui per sigla vocatur, סמג fol. 83. col. 2.

3. *Munera & hostias*] מנחה וזבחים. Nam מנחה, quod antiquitus legebant MANAHA, *donum*, *munus*. Infrà v. 4. τὰ δῶρα, i. e. קרבן, quo vocabulo etiam victimæ comprehenduntur. Sic dico; MANAHA tantum usurpatur de sacrificio incruento ut θυσία de cruento: CORBAN autem, i. e. δῶρον, de utroque: quapropter *oblationem* convertunt, quæ Græcis προσφορὰ & ἀναφορά. Nam ἀναφέρω *offero*, i. e. προσφέρω.

8. *Testamentum novum*] i. e. *Fœdus novum*. διαθήκη pro συνθήκη vox est linguæ Hellenisticæ. Dicit autem *novum fœdus*, & non *novam Legem*. Nam *Christus non venit solvere Legem, sed adimplere.* Quo sensu verum esse potest quod in Precibus Judaicis Pragæ impressis, *Ego credo quòd hæc Lex non mutabitur, & quod non erit Lex alia à Creatore, cujus nomen sit benedictum.*

CAMERON.

3. ΠΑ͂ς γὰρ ἀρχιερεὺς, &c] Versus hic includendus est Parenthesi: quartus enim cum primo & secundo, non cum isto, connectendus est.

4. Εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, &c.] Ut hæc Apostoli ratiocinatio, ejusque vis, capiatur, notandum est, Actionem summi Sacerdotis immolantis extra Sanctuarium, & ingredientis in Sanctuarium unam eandemque fuisse, itaque altera sine altera jure esse non potuit: Quemadmodum in S. Cœna Edere panem & Vinum bibere non sunt duæ actiones, sed una eademque actio duabus constans partibus. Atque ità se rem habere hinc evinci potest, quòd non alio consilio Sacerdos offerebat extra Sanctuarium quàm ut ingrederetur in Sacrarium; nec expiatio illa in alium finem instituta fuit neque aliâ lege quàm ut ingressus in Sanctuarium sisteret se, peracto sacrificio, coram Domino. Jam id tantisper fieri oportuit quantisper verus Sacerdos non intulit in Sanctuarium verum Sacrificium, quoniam oportuit hoc pacto significari verum Sacerdotem nondum introiisse in verum Sanctuarium, nempe cœlum. Hæc est autem ratio τοῦ τύπε & τοῦ

τοῦ τυπωθέντος, *rei figuratæ & figuræ*, ut figura non cedat veritati per partes, sed per se totam; h. e. stat figura tota donec in ejus locum veniat tota veritas. Ergò cum una actio summi Sacerdotis fuerit constans duabus partibus, Immolare sacrificium extra Sanctum sanctorum, & ingredi in Sanctum sanctorum, non cessit per partes actioni Christi offerentis sese in terra, & sistentis se in cœlo (alioqui sequeretur potuisse Sacerdotem ingredi in Sancta sanctorum nullo oblato sacrificio, quod cesserat nimirum Christi sacrificio) sed tota Sacerdotis actio toti Christi actioni decessit. Itaque tum demum sublatum est Sacerdotium Leviticum postquam Christus ingressus est in cœlum. Atque hoc est quod nos docet Apostolus cap. 9. 8. ubi docet apertè *stetisse prius Tabernaculum quamdiu verus Sacerdos non ingressus est in Sancta sanctorum*. Jam stante Tabernaculo stat & λατρεία ejus. Ergò Christi remanente in terra stetisset Tabernaculum, proindeque & λατρεία, atque illâ stante Christus Sacerdos esse non potuit, quia duo Sacerdotia non possunt de jure simul obtinere. Sic ergo Christus mansisset in terra, quoniam sic obtinuisset Sacerdotium Leviticum, Christus ipse nè Sacerdos quidem foret. Jam verò ingressus est in cœlum, itaque umbræ evanuerunt. Sed ajunt, Sic non potuisse fieri ut Christus offerret in terra. At illud facilè diluitur: Primùm, quia inchoari potest functio veri Sacerdotis stante typico Sacerdotio, at perfecta esse non potest illo stante. Non ergo sequitur verum Sacerdotem Christum non obtulisse in terra; tantùm sequitur, actionem ejus non adeptam fuisse complementum in terra. Quemadmodum ex eo quòd oportuit Sacerdotem typicum ingredi in Sancta sanctorum, non sequitur Sacerdotem typicum non obtulisse sacrificium extra Sanctuarium. Porrò cùm dicimus actionem Christi, quà Sacerdos est, non habuisse complementum in terra, totam intelligimus actionem: Nam oblatio peracta in terra perfectissima fuit, sed perfectione partis, non autem perfectione totius. Deinde aliud est offerre in terra, aliud peractâ oblatione manere in terra. Apostolus non dicit, *Si Christus obtulisset in terra, non fuisset Sacerdos*, sed (ut constat ex initio capitis) hoc tantùm vult Apostolus, *Si Christus mansisset in terra, si non consedisse ad dexteram Patris* (hoc enim est εἰ γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς) *ne Sacerdos quidem fuisset*, non est nempe Sacerdos qui cœpit duntaxat, non absolvit, actionem Sacerdotalem. Quemadmodum igitur si summus Sacerdos non fuisset ingressus in Sancta sanctorum, nè Sacerdos quidem fuisset, summus, inquam; ità si Christus non consedisset ad dexteram Patris, pari ratione nè Sacerdos quidem fuisset, functione, inquam. Et quia in Christo, qui Sanctus est sanctorum, non potest officium à legitima functione officii distingui, ex eo quòd non fungeretur officio, rectè inferri posset, nè officium quidem ei competere.

5. Καθὼς κεχρημάτισται] Quæritur quomodo ex Dei ad Mosen dicto concludi possit Ceremonias Legales fuisse *typos & umbras*; quod tamen Apostolus se concludere innuit voce hâc καθὼς κεχρημάτισται. RESP. Deus non verbis duntaxat, ut Noacho, designavit Arcam, sed exemplari, idque in montis jugo. Id non factum fuit frustrà, sed ut monerentur Israëlitæ Arcam illam non rem ipsam fuisse, sed rei typum. Porrò, quæ sit illa res præter cœlum? A qua sententia nè Judæi quidem abhorrent. Hæc est vis argumenti Apostoli, quæ non nititur illis verbis, *nequid addas*, &c. verùm istis, κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα σοί.

6. Ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις] *Promissiones* Evangelii *præstantiores* Legalibus dicuntur, primò quia conditio Legis est, *Hoc fac, & vives*: id quod simpliciter impossibile est, quando Lex nos invenit peccatores, nec ullum relinquit pœnitentiæ locum; quod facit Evangelium. Deinde verò promissiones Evangelii habent comitem efficaciam Spiritûs sancti apud Electos, promissiones Legales apud neminem. Tertio, promissio Evangelii complectitur donum Perseverantiæ, promissio Legis minimè. Quartò, promissiones Legis sunt obscuræ, Evangelii Sole meridiano clariores. Atqui promissio non solatur nisi quatenus non est. Ergò, etiam cæteris paribus, promissio Evangelii *præstantior* est promissione Legis. Quintò, promissiones Legis (nam hic Apostolus notat Legem scriptam) pertinent ad solos Judæos, promissiones Evangelii indiscriminatim ad omnes. Denique, promissio Legis est possessio terræ Chanaan, seu vita beata in illius possessione; promissio Evangelii est vita beata in cœlis degenda.

11. Καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν, &c.] Videri possent primâ fronte verba ista pugnare cum Verbi ministerio, quod tamen perpetuum debet esse in Ecclesia. Certe quò liberaliùs Deus indulget Spiritum, eo minùs opus est externâ prædicatione Evangelii. *De charitate fraterna*, inquit Apostolus 1 Thess. 4. 9. *non necesse habetis ut scribam vobis: ipsi namque docti estis a Deo ut diligatis alii alios*. Respiciebat illum Jeremiæ locum qui est cap. 31. 34. Et Johannes, *Unctio vos docet omnia*, 1 Cathol. 2. 27. Sed promissiones N. Fœderis inchoantur in hac vita, implentur autem in vita futura: Ergo cùm Spiritus non indulgeatur plenè in hac vita, opus est prædicatione Evangelii, etiam externâ. Deinde, hæc sunt intelligenda ut dicta comparatè & Hyperbolicè; uno verbo, accipienda ut *inscriptio Legis in corde*, quæ denunciatur ut futura, quanquam & olim piorum cordibus Deus inscripserit Legem, sed hoc tam exile fuit præ eo quod Christus attulit at Propheta ejus nullam habuerit rationem.

JAC. CAPPELLUS.

1. SUmma] Vel *Præcipuum caput*, Κεφάλαιον. Menander apud Plutarchum De consolatione, Τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν λόγων, ἄνθρωπος εἶ. ¶ *Eorum quæ diximus* est, *Nos habere talem Pontificem, qui consedit in dextera throni Majestatis in cœlis*] h. e. In throno cœlesti qui est ad dexteram Majestatis. Aliud autem est *assidere dexteræ*, aliud *coextendi dexteræ* vel *æquari dexteræ Patris*. Corpori Christi, sive mavis, Christo etiam secundùm humanam naturam considerato, tribuitur prius, non posterius: eoque solii sublimitas corpori Christi concessa non infert infinitudinem, non infert, inquam, immensitatem, non magis quàm æternitatem.

2. Λειτουργός, *minister*, τῶν ἁγίων] Neutro genere, i. e. *intimi Sanctuarii*, in quo videlicet est thronus ille sublimis. Sanctissimum autem locum illum ἠλειτούργησεν, *unxit, sanctificavit* ut Dan. 9. 24. dicitur, cùm in illud suum sanguinem pro nobis oblatum intulit, cùm peracta sanguine suo peccatorum nostrorum expiatione cellissimum illum thronum inscedit, Heb. 1. 2, 3. ¶ *Et tabernaculi veri*] Non typici, sed ab intimo Mosis Tabernaculo Sanctuariove figurati. ¶ *Quod Dominus fixit, & non homo*] Eoque nec ab ulla creatura refigi potest. Quo nomine vel maximè cœleste Sanctuarium terreno discrepat & præstat. Duplex erat in Mosis Tabernaculo locus sanctus. Intimus dicebatur τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, vel absolutè τὰ ἅγια· extimus dicebatur τὸ ἅγιον. Uterque typus erat cœlestis Sanctuarii, utpote cujus sunt duæ partes præcipuæ: Suprema soli Capiti, proximè sequens membris Christi deputatur; solis, inquam, & omnibus Christi membris, qui sunt totidem Reges & Sacerdotes 1 Petr. 2. 9 Apoc. 1. 6. Hæc ut adumbraret Mosis Tabernaculum, intima quidem ejus pars soli summo Sacerdoti patebat, extima solis Sacerdotibus, & ità quidem ut in ea nihil facerent nisi Sacerdotale, nihil quod pertineat ad hujus vitæ πραγματείαν. Ità nè bibere quidem aut edere licebat illis in eo Sanctuario, nedum uxoribus jungi, vel suas sordes egerere, sed tantùm sacris operari. Sic & nos in cœlo sacris tantùm operabimur, idque jugiter. Sacra nostra Dei laudes erunt: hoc erit nostrum ἔργον, nostra λειτουργία hoc agemus, & quidem hoc unum: in hoc toti erimus: nihil profanum, nihil terrenum, nihil πάρεργον à nobis admiscebitur.

3. *Omnis enim Sacerdos ad offerenda dona & victimas constituitur*] Habet quoque Sacrarium suum, quod oblationum illatione sanctificat. ¶ *Unde necesse fuit hunc quoque* Christum *habere quod offerat*] Sanguinem videlicet suum. Necesse quoque fuit Christo suum esse Sacrarium, nempe cœleste, quod sui sanguinis illatione consecraret.

4. *Nam si esset in terra, nè Sacerdos quidem esset*] Nec victimam quam offerret, nec Sacrarium quod sanctificaret ullum haberet. Necesse fuit igitur eum esse Sacerdotem eo qui v. 1, & 2. describitur modo. ¶ *Cùm sint Sacerdotes* (ab alia tribu oriundi) *qui secundùm Legem offerant dona*] Victimasque, earumque sanguine sua Sacraria sanctificent.

5. *Qui serviunt exemplari & umbræ rerum cœlestium*] i. e. Totum hoc illorum ministerium versatur circa typos rerum cœlestium, quas unus administrat Sacerdos noster Jesus Christus. ¶ *Sicut Divinitus dictum est Mosi, cum esset absoluturus Tabernaculum, Vide, inquit, omnia facias ad exemplar quod tibi ostensum est in monte*] h. e. Quod tu cùm esses in monte contemplatus es supernè, velut in ipso cœlo constitutum, ut videlicet scias totum opus tuum futurum cœlestium rerum typum. Quòd si tam exsertè vetuit Deus nè quid fieret in terreno Tabernaculo nisi secundùm typum cœlestis, quo jure nobis licebit quicquam addere vel demere typo quem ipse cœlestibus suis pandectis, Scripturis, inquam, canonicis, insculpsit?

6. *At nunc sortitus est* Christus *excellentius ministerium* (quàm Aaron) *quò præstantioris fœderis est mediator*] Christus quàm Aaron Mosesve. Fœdus autem est duplex, Legale & Evangelicum. Evangelici quoque Fœderis duplex fuit promulgatio, typica & spiritualis. Spiritualis Evangelii constitutio sive administratio dicitur Antonomasticè *Fœdus Evangelicum*. Typica vero fœderis Evangelici administratio *Legalis* nomen retinet,

 quia

quia connexam habuit Fœderis Euangelici renovationem ac promulgationem solennem. Hinc est quod Joh. 1. 17. *Lex* opponitur *Gratiæ*, h. e. gratioso Fœderi, & *Veritati*, h. e. spirituali Euangelici sive gratiosi Fœderis illius promulgationi. ¶ *Quod præstantioribus promissionibus sancitum est*] Fœdus Legale promittebat quidem Adamo vitam æternam, sed gloriam minorem eâ quam confert Fœdus Euangelicum. Siquidem *ubi delictum abundavit, superabundavit gratia* Rom. 5. 20. Plus in Adamo secundo recuperavimus quàm amiseramus in primo. Fœdus autem typicum habebat quidem etiam æternæ vitæ promissiones, sed sub typis rerum terrenarum obvelatas. Fœdus autem Euangelicum, prout ab Apostolis & Christo promulgatum est, promissiones quidem easdem habet, sed clariùs, planiùs & pleniùs propositas. Socinus ex hoc versu non minùs absurdè quàm impiè colligit, Christum, Mediator cum dicatur, non satisfecisse pro peccatis nostris, cùm contrà colligat Apostolus 1 Tim. 2. 5, 6. *Christum dedisse semetipsum ἀντίλυτρον pro nobis*, quia *Mediator* est noster, isque *solus*: non quòd id colligat ex notione vocis, sed ex natura rei. Si non quævis mediatio satisfactionem exigit, ea certè satisfactionem exigit quæ fit inter partes inæquales & dissidentes quarum superior ab inferiore fuit offensa. Quantò magis satisfacere tenebatur Mediator noster, cùm inter partes illas quas ille conciliare voluit sit inæqualitas tanta, tantum dissidium, offensa tanta, qualis est nostra, ut qui peccatis innumeris Majestatem infinitam offenderimus, eoque pœnam æternam meruerimus? Christus ità Mediator est ut sit etiam *Sponsor*, Heb. 7. 22. *Propitiator* 1 Joh. 2. 2. *Redemptor* 1 Cor. 1. 30. & 6. 20.

7. *Nam*] Hæc est Assumptionis subintellectæ probatio. Quippe Syllogismus proximè præcedens integer talis erat, *Cujus fœderis promissiones sunt præstantiores, id quoque præstantius est: Fœderis Euangelici, quale fuit à Christo promulgatum, promissiones sunt præstantiores quam fœderis Legalis, aut etiam Euangelici, quale fuit ab Aarone Mosève promulgatum. Ergo*, &c. Hujus, inquam, Assumptionis probationem habes v. 7. ¶ *Si prius illud fœdus*, sive Legale, sive typicum, (considerantur enim hæc duo tanquam unum) *fuisset ἄμεμπτον, perfectum*] Dici potest *non ἄμεμπτον* id cui subest aliquod vitium, vel id cui deest aliquod bonum. Hic autem sumitur posteriore non priore modo. ¶ *Hauquaquam fuisset secundo quæsitus locus*] Quæritur autem locus secundo: Prius igitur non erat modis omnibus absolutum. Minor illa, quam hic supplemus, probatur versibus sequentibus. Posterius autem Fœdus priore præstantius est, quia plus habet lucis, libertatis, fiduciæ; cùm prius plus haberet umbrarum, plus servitutis, plus timoris, Rom. 8. 15. Gal. 4. 3. Actor. 15. 10. Ità prius Fœdus dici potest *fœdus herile*; posterius autem est *fœdus adoptionis, fœdus conjugale, fœdus testamentale*. Fœderis prioris consortes erant quidem & ipsi *filii Dei*, erant *Christi sponsa*, erant *hæredes Dei, cohæredes Christi*. Sed quemadmodum nunc quoque, si comparetur status noster cum statu futuri seculi, *vita nostra latet in Christo, necdum patet quid futuri simus*; sic si comparetur status fœderatorum ante promulgationem Euangelii cum eo statu qui nunc obtinet, certè tum latebant illæ dotes sub typorum involucris, necdum patebat eorum gloria quam adventu gratioso Filii revelatam voluit Deus, multò pleniùs & illustriùs revelandam in adventu secundo gloriosoque Servatoris nostri.

8. *Nam incusans eos, inquit, Ecce dies veniunt, dicit Dominus*] Ità loqui solet Scriptura de diebus Messiæ, quos eam ob causam indigitant Judæi *seculum venturum*. Ante Christi nativitatem Antonomasticè dicebantur *dies venturi* dies secuturi primum adventum Christi; nunc Antonomasticè *dies venturos* dicimus eos qui sequentur secundum adventum Christi. ¶ *Cum pangam cum domo Israëlis & cum domo Juda fœdus novum*] Ergòne nullus ante Jeremiam locus erat huic fœderi? Erat sanè, sed latebat sub umbris fœderis typici. Scriptura verò sæpe sic loquitur acsi tum demum res fieret cùm incipit innotescere. Istud verò fœdus an cum solis & omnibus Israëlitis Judæisve pangitur? Omnino, siquidem hic & passim aliàs *Israël* & *Judæus* is demum dicitur quem Deus facit participem fœderis gratiæ. Rom. 11. 28, 29. & 11. 26. Joh. 1. 47. Hujus fœderis notitiam cùm per multa secula nullam habuerint gentes multæ, nulla ratio patitur ut universalis dicatur hæc gratia.

9. *Non secundum fœdus quod pepigi cum patribus illorum*] Judæi *patres* vocant omnes suos majores, sed imprimis eos ad quos missus est Moses, ut patet ex 1 Cor. 10. 1, 2. ¶ *Quo die prehendi manum ipsorum*] Quomodo pater filii sui manum prehendere solet, idque firmiter, ut eo certiùs firmet gressus ejus. ¶ *Ut educerem eos ex Ægypto*] Hæc liberatio typus quidem erat liberationis ab æterna morte, sed hic typus opponitur antitypo suo. ¶ *Nam ipsi non perstiterunt in illo meo fœdere*] Quinimo *violarunt* ac *irritum reddiderunt*: id enim propriè significat vox Hebraica הפרו. Videlicet, sive Fœdus Legale, sive typicum Euangelii velum spectes, utrumque potuit rescindi, utrumque re verâ planè rescinditur à multis. Unicum est, mere scilicet Euangelicum Fœdus, quod ità cum electis pangit Deus ut prospiciat nè ab iis planè rescindi & irritum reddi possit. Patitur quidem Deus electos in illud fœdus peccare, sed ità tamen ut semper maneat victrix vis Fœderis ad conferendam fœderatis salutem æternam. Qui sanctorum, quantumvis κατ' ἐξαίρετον regeneratorum, apostasiam propugnant, ii satis docent se nunquam fuisse verè sanctos. ¶ *Et ego despexi eos, inquit Dominus*] Apostolus hic, ut passim aliàs, sequitur editionem Græcam, quæ sola tum Hellenistis erat in usu, licèt ejus auctores codicibus mendosis sint usi, aut emendatos codices sæpe perperàm sint interpretati. Igitur is qui locum hunc est interpretatus proculdubio codicem habuit in quo scriptum erat געלתי, quod significat *despexi*. Id instituto Pauli cùm percommodè possit aptari, nihil necesse fuit ut discederet ab interpretatione cujus apud Hellenistas tantus erat usus, autoritas tanta. Neque propterea sequitur, Apostolum voluisse damnare lectionem inter Judæos Hebraizantes receptam, & unum codicem quo Græcus Interpres usus est anteponere reliquis omnium Synagogarum codicibus Hebraicis, in quibus legitur בעלתי, quod licèt primâ fronte videatur minùs convenire quam געלתי, non est tamen quòd à nobis in mendi suspicionem adducatur, cùm nec falsi nec absurdi quicquam contineat. Veritas igitur Hebraica suadet ut dicamus hanc fuisse Jeremiæ mentem, *Quamvis essem eorum Dominus, tamen fœdus meum reddiderunt culpâ suâ, suâ contumaciâ irritum, adeoque nullum. Sed superest mihi fœdus aliud cujus erga suos fœderatos ea futura sit efficacia ut eorum omnes defectus & contumacias sit superatura.*

10. *Quamobrem hoc est fœdus quod paciscar cum domo Israëlis. Post hos dies* h. e. in seculo venturo, quod adventui Messiæ primo vel secundo destinatur) *inquit Dominus, dans leges meas in mentem eorum*] Heb. *Indam legem meam in medio* (vel *in præcordiis*) *ipsorum*: ut videatur prius membrum idem prorsus designare, (prout apud Hebræos sæpe fit) quod posterius, ¶ *Et cordi eorum inscribam eam*] Sunt videlicet inscriptionum duæ species. Inscribitur Lex *menti* vel *voluntati*. Utrumque Divinum quidem est beneficium, sed posterius priore multò præstantius, & Euangelico Fœdere verisque fœderatis ejus multò magis speciale. *Inscribit* Deus *menti*, cùm facit ut ea norimus quæ prius nobis erant ignota, vel minùs nota: *Inscribit cordi*, cùm facit ut ea velimus & faciamus quæ prius nobis erant ingrata, vel minùs grata. Utrumque docet non tantùm quàm nobis necessaria sit sed etiam quàm efficax cœlestis illa sculptura, quam insuperabilis in iis quos verè facit fœderis sui participes. ¶ *Et ero eis in Deum*] h. e. In Principem, & quidem singulari modo, qui non potentiam tantùm sed & benevolentiam designat. ¶ *Et erunt mihi in populum*] Gratum & obsequentem. Idem Deus pollicetur Abrahami semini, Gen. 17. 7, 8. Videlicet Euangelicæ sunt promissiones quas Deus Abrahamo fecit & Circumcisionis symbolo confirmavit. Ecclesia nonnunquam consideratur ut Regnum, cujus populus sunt electi, pii, fideles, iique soli; Princeps autem Deus, electos suos regens, protegens, cumulans beneficentiâ verè Regiâ, verè Divinâ. Aliquando consideratur ut Domus, cujus domestici sunt iidem fideles, Paterfamilias Deus, ut qui fideles adoptet, regeneret, amore plusquam paterno complectatur. Consideratur etiam ut unum Corpus, cujus Caput est idem Deus, nempe Christus, vel Pater in Filio. Quocunque modo consideretur Ecclesia, beneficia quæ Deus illi pollicetur vel sanctificationem vel justificationem spectant. Sanctificatio inchoatur in hac vita, completur in futura. Initia descri-buntur hoc versu, perfectio sequente versiculo.

11. *Neque docebunt singuli proximum suum, & singuli fratrem suum, dicendo, Cognosce Dominum: Nam omnes me cognoscent à minimo usque ad maximum*] Hoc beneficium impletur potiùs in futura quàm in hac vita; quia licèt etiam in hac vita filios suos omnes & solos faciat Deus participes luminis alicujus, quod ipse solus affundit, & ab homine nullo, à creatura nulla suppeditari potest, à nulla superari, quæ luminis affusio etiam *unctio* vocatur 1 Joh. 2. 20, 27. tamen lumen istud internum non excludit, sed præmittit, quod fovet, ac confirmat lumen externum, quod alter alteri mutuò tenetur affundere pro modulo gratiæ Divinitus acceptæ. In cœlo verò luminis gloriæ tanta vis erit ut non ampliùs opus habituri simus mutuis hujusmodi subsidiis; sed *Deus* unus *erit omnia in omnibus*. Nè chartâ quidem aut Scripturâ tum ampliùs erit opus. Qui verò volunt nè nunc quidem Scripturâ Ministeriove nobis opus esse, ii dum putant

tant se jam metam & fastigium adeptos, à recta via nos abducunt, & in exitii barathrum dejiciunt.

12. *Quia propitius ero iniquitatibus eorum*] Hactenus Sanctificatio. Sequitur Justificatio sive reconciliatio cum Deo per remissionem peccatorum. Eâdem operâ docemur quisnam sit fons Divinorum erga nos beneficiorum, nempe non meritum cujusquam hominis, sed Dei misericordia gratiam nobis faciens per & propter Christum Mediatorem. ¶ *Et peccatorum ipsorum ac iniquitatum ipsorum*] Hæc synonymorum aggregatio facit ad rei confirmationem, nè putemus ullum esse peccatorum genus cujus remissio nobis aliunde sit exspectanda quàm à Dei misericordia. ¶ *Non recordabor amplius*] Memoria Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, quia designat perfectionem quidem, sed cum infirmitate conjunctam. *Recordari* dicitur Deus *peccatorum nostrorum* cùm ea punit; *oblivisci*, cùm ea condonat, cùm ea non imputat, sed delet Christi sanguine.

13. *Novum dum dicit, prius antiquavit*] h. e. Declaravit prius esse vetus: adeoque cum pollicetur Deus se veteri fœdere subrogaturum novum, hoc ipso docet se prius illud antiquaturum & abrogaturum. ¶ *Quod autem antiquatur ac veterascit, accedit ad interitum*] Ac tandem interit. Quod nunquam intériturum est, id nè veterascit quidem nec senescit. Itaque nusquam Angeli dicuntur *senes*, nusquam eorum natura *vetus* dicitur, quia nec abolebitur unquam, nec decrescit eorum virtus. Quæsiverit aliquis, Fœderine Legali an typicæ fœderis gratiæ constitutioni tribuenda sit hæc antiquatio? Respondemus, Eam utrique convenire sed aliter huic, aliter illi. Lex antiquatur, cum abrogatur sententia maledictionis quam in nos ferebat, cumque nobis proponitur non ut causa regnandi sed ut norma vitæ, ut via Regni. Antiquantur verò typi, cum ab eorum præstandorum obligatione liberamur.

GROTIUS.

1. ΚΕφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, *Capitulum autem super ea quæ dicuntur*] *Post tot dicta hæc esto summa.* In Glossario, κεφάλαιον, *summa*, ראש, Exod. 30. 11. Num. 4. 2. 31. 26, 49. Utuntur sic Isocrates, Thucydides, Plato. Vide quæ dicta ad Rom. 13. 9. In Manuscripto, ἐν τοῖς λεγομένοις, *in jam dictis* hoc est præcipuum. ¶ τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης, *Talem habemus Pontificem qui consedit in dextera sedis majestatis*] Vide supra 1. 3. θρόνος μεγαλωσύνης, כסא הכבוד [*solium majestatis*] significat ipsam Dei majestatem. Explicat id rectè Maimonides Ducis dubitantium l. 9. Aaronidæ apud arcam Dei stabant: hic apud thronum Dei consîdet ut potestatis consors. ¶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *in cælis*] Id est, ἐν οὐρανῷ οὐρανῶν [*in cœlo cœlorum*] quod supra dixit ἐν ὑψηλοῖς [*in excelsis*] 1. 3. Vide quæ diximus ad Matthæum 3. 2.

2. Τῶν ἁγίων λειτουργὸς, [*Sanctorum minister*] Ἅγια [*Sancta*] vocat totum Templum, quod מקדש [*Sanctuarium*] Mosi & Prophetis, interdum קדש [*Sanctum*,] ut Psalm. 102. 26. Intelligit autem, ut sequentia indicant, universum hoc, comprehensâ etiam regione superæthereâ. Λειτουργὸς enim significat *qui aliquid peragit alterius imperio*, משרת [*ministrans*,] ut videre est supra 1. 7. & Roman. 13. 6. Soletque eximiè dici de Sacerdotibus Nehem. 10. 39. quia afferunt ea quæ Deus exigit, quod dicitur λειτουργεῖν [*ministrare*] Exod. 28. 35, 43. 29. 30. 35. 18. 39. 25, 43. & alibi. Christus ministerium suum partim in terris peregit, partim in summo cœlo peragit. ¶ καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, *&* *tabernaculi veri*] Ἀληθινὰ [*vera*] vocantur res præcipuæ quarum res minores figuræ sunt. Sic & infra 9. 24. Vide quæ diximus ad Matth. 26. 29 Lucæ 22. 16. Johan. 1. 9. 6. 32. 15. 1. infra 9. 24. Adde 1 Johan. 2. 8. Non minùs Tabernaculum illud, quod pro Templo fuit, quàm ipsum Templum a Salomone structum figuram gerebat Universi. Vide quæ diximus ad Matth. 27. 5. Adde egregium locum Clementis Alexandrini Strom. 5. In tota structura Tabernaculi magnam abscondi sapientiam ajunt Albelda & Abarbanel. Philo de Mundi creatione Cœlum vocat ἱερὸν καθαρώτατον [*templum nitidissimum*.] ¶ ἣν ἔπηξεν ὁ Κύριος, *quod fixit Dominus*] Mundi opifex. πήγνυσθαι [*figi*] propriè de tentoriis dicitur, quæ clavis attinebantur, quorum mentio Esaiæ 33. 20. & 54. 2. vox autem πήγνυσθαι, נטה [*figi*] Gen. 26. 25. 35. 21. Exod. 33. 7. Jud. 4. 11. 2 Sam. 6. 17. 1 Paralip. 16. 1. 2 Paralip. 1. 4. Sed per translationem etiam de Universo usurpatur Job. 38. 6. Esaiæ 42. 5. ¶ καὶ οὐκ ἄνθρωπος *&* *non homo*] Non Beseleel aut Levitæ. Similem oppositionem structuræ divinæ & humanæ habes infra 9. 11, 24. & 11. 10.

3. Πᾶς γὰρ ἀρχιερεὺς εἰς τὸ προσφέρειν δῶρά τε καὶ θυσίας καθίσταται *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur*] Ostendit, cur dixerit λειτουργὸς [*minister*,] quia talis est omnis Sacerdos summus. Quid sint δῶρα καὶ θυσίαι [*munera & hostiæ*] diximus 5. 1. ¶ ὅθεν ἀναγκαῖον ἔχειν τι καὶ τοῦτον ὃ προσενέγκῃ. *unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat*] *Quare necesse est Christus*, quem Psalmus *Sacerdotem* vocat & quidem eximium supra Aaronidas, *aliquid offerat*. Id quid sit dicet infra 9. 12.

4. Εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, οὐδ' ἂν ἦν ἱερεὺς, *Si enim esset super terram nec esset Sacerdos*] In Manuscripto εἰ μὲν οὖν [*si ergo*] Bene progreditur ad causam reddendam dicti alterius, nempe Christum in toto Universo ac proinde etiam in summo Cœlo esse Sacerdotem. *Nam si in terris*, supple *tantùm*, *obeundum ei fuisset ministerium*, *nihil opus erat eum fieri Sacerdotem*, quod in Psalmo prædicitur. ἦν apud Græcos, præsertim ubi ἂν additur, vim habet modi potentialis, quasi diceret οὐκ ἂν εἴη [*non utique esset*.] ¶ ὄντων τῶν ἱερέων τῶν προσφερόντων κατὰ τὸν νόμον τὰ δῶρα. *cùm essent sacerdotes qui offerrent secundum Legem munera*] In Manuscripto deest ἱερέων [*Sacerdotes*.] *Erant qui ista offerrent quæ in Lege præscripta sunt.* Nihil opus erat ob id Messiam mitti. In voce δῶρα [*munera*] intellige κατὰ σύλληψιν [*per Complexum*] etiam θυσίας [*hostias*.] *Erant*, nempe cùm Psalmus iste scriberetur. Nam ὄντων etiam pro imperfecto ponitur. Sic Plautus,

Cum uxore modò adveniens voluptatem capit.

Plinius, *Apes inter se dimicant*, *induratis attritu arborum costas*, id est, postquam induravere. Plura talia notarunt viri docti.

5. Οἵτινες ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ λατρεύουσι τῶν ἐπουρανίων, *Qui exemplari & umbræ deserviunt cælestium*] Bene causam reddit cur major Sacerdos mitti debuerit, quia ille cultus erat umbratilis. Res principales vocantur *corpora*, ea verò quæ rerum principalium significationem habent *umbræ*: perspicuâ admodum Tralatione, Coloss. 2. 17. vide & infra 10. 1. δεῖγμα est *pars de re sumpta*, *unde rei qualitas intelligatur*: Latini dicunt *specimen*, & sic vox illa Græca in Glossario exponitur. ὑπόδειγμα minus aliquid, non pars rei, sed simile quiddam. Vide infra 9. 23. Jacobi 5. 10. 2 Petri 2. 6. Vide & supra 4. 11. Tentorium Mosis temporibus, Templum verò post Salomonem nihil aliud erant quam umbræ totius Universi & gubernationis Dei in Universo, cujus pars præcipua est regio illa superætherea. Vide infra 9. ¶ καθὼς κεχρημάτισται Μωϋσῆς, *sicut responso edoctus est Moyses*] *Divinitus edoctus.* De verbo χρηματίζεσθαι [*responsum accipere*] vide Matth. 2. 12, 22. Actor. 10. 22. infra 11. 7. Quibus in locis vides more Græco Passivum formari ab Activo Dativum regente: ita ut explicare liceat καθὼς κεχρημάτισται τῷ Μωσεῖ [*sicus responsum est Moysi*,] ea locutione quam habemus Luc. 2. 26. Hebræi dicerent צוה [*juberi*] in Pual. ¶ μέλλων ἐπιτελεῖν τὴν σκηνήν, *cùm consummaret tabernaculum*] Nempe Exodi 25. 40. Quò respicit & Stephanus Act. 7. 44. ¶ ποιήσῃς πάντα κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα σοι ἐν τῷ ὄρει. *omnia facito secundùm exemplar quod tibi ostensum est in monte*] Verba sunt LXX. nisi quòd additum est πάντα [*omnia*.] Exemplum illud in monte Mosi monstratum erat spirituale, corporeum ejus figura. At illud spirituale significavit rem multò magis spiritualem, & mons Cœlum supremum. Hunc sensum esse loci illius in Exodo mysticum vidêre & veteres Hebræi. Philo libro Pejorem insidiari meliori, Ἡ δὲ Μωϋσέως σκηνὴ συμβολικῶς οὖσα ἀνθρώπου ἀρετή, κλήσεως οὐχ ὑπάρξεως ἀξιωθήσεται, μίμημα καὶ ἀπεικόνισμα τῆς θείας ἐκείνης ὑπάρχουσα [*Moysis autem tabernaculum figurate humanam virtutem significans*, *appellabitur tantum*, *non erit verè*, *cum nihil aliud sit nisi imago Divini*.] Idem libro de Ebrietate dicit σκηνὴν ἀρετῆς ἀσωμάτου σύμβολον [*tabernaculum incorporeæ virtutis symbolum*] Et de Vita Mosis, Σκηνὴν οὖν ἔργον ἱερώτατον δημιουργεῖν ἔδοξεν, ἧς τὴν κατασκευὴν θεσφάτοις λόγοις ἐπὶ τοῦ ὄρους Μωϋσῆς ἀνεδιδάσκετο, τῶν μελλόντων ἀποτελεῖσθαι σωμάτων ἀσωμάτους ἰδέας τῇ ψυχῇ θεωρῶν, πρὸς ἃς ἔδει, καθάπερ ἀπ' ἀρχετύπου γραφῆς καὶ νοητῶν παραδειγμάτων αἰσθητὰ μιμήματα ἀπεικονισθῆναι [*Tabernaculum igitur*, *sanctissimum opus erigi placuit*, *cujus apparatum ex oraculis in monte Moyses didicerat*, *animâ futuri ædificii contemplatus ideas incorporeas*, *ad quarum exemplar intelligibile oportebat sensibile opus extrui*.]

6. Νυνὶ δὲ διαφορωτέρας τετύχηκε λειτουργίας, *Nunc autem excellentius sortitus est ministerium*] Est λειτουργὸς [*minister*] ut supra dixit 2. sed λειτουργία [*ministerium*] illius multò excellentior est illâ Leviticâ. Nomen διαφορωτέρα [*excellentioris*] habuimus & supra 1. 4. νυνὶ δὲ [*nunc autem*] non temporis est nota, sed oppositionis. Vide quæ dicta Rom 7. 17. 1 Cor. 5. 11. 7. 15. τυγχάνειν, *nancisci*, ut Luc. 20. 35. 2 Tim. 2. 10. infra 11. 35. נחל. Pro τετύχηκε alii libri habent τέτευχε. ¶ ὅσῳ κρείττονός ἐστι διαθήκης μεσίτης, *quanto melioris testamenti mediator*

mediator

mediator est] Quod cœperat dicere 7. 12. *Legem esse mutatam*, id nunc à Prophetis prædictum ostendit. Et utitur voce διαθήκης ברית [*pacti*,] quia omnis Lex Divina sub conditione quædam promittit, ideoque & pacti induit naturam, ut diximus in Anteloquio ad Novum Testamentum; Christus, non Moses, hujus pacti est Μεσίτης [*Mediator*.] Nam & obtinuit ne crimina ante vocationem commissa homines à pœnitentia, aut pœnitentià ductos à venia excluderent, & impetravit nobis summa à Deo beneficia ad vitam æternam pertinentia 1 Tim. 2. 5. Adde Gal. 3. 19, 20. infra 9. 15. 12. 24. ¶ ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται. *quod in melioribus repromissionibus sancitum est*] נתנה [*annumeratum est*.] Satis fuerat dicere τέθηται (*positum est*) sed maluit dicere νενομοθέτηται (*sancitum est*) ut ostenderet pactum hoc simul & legem esse. Sic junguntur *lex & pactum* Psalm. 78. 10. ἐπὶ [*in*] verò cum dativo hoc loco, ut sæpè apud elegantiores Græcos, significat contractûs partem. Sunt autem *promissa meliora*, quia credentibus promittitur justitia non externa, sed interna; venia non ab erroribus, sed à peccatis quibusvis antecedentibus; Spiritûs dona non paucis, ut sub Lege, sed omnibus; & vita, non terrestris & temporaria, sed cœlestis & æterna.

7. Εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη ἦν ἄμεμπτος, *Nam si illud prius culpâ vacasset*] Πρώτη [*primum*] pro προτέρα [*prius*.] Vide quæ diximus Joh. 1. 15. ἄμεμπτος [*culpâ vacans*] hic comparatè sumitur & nonnihil impropriè, eo sensu ut intelligatur fœdus Sinaïticum non tale fuisse, quo non alterum posset esse perfectius. Vide supra 7. 18, 19. Pari ferme modo sumi κατεγνωσμένος [*condemnandus*] Gal. 2. 11. ad illum locum diximus. Et in hac ipsa re ἀνωφελὲς [*inutilis*] supra 7. 18. Vide & quæ dicta Actor. 13. 38. ¶ οὐκ ἂν δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος. *non utique secundi locus inquireretur*] Id est, non fuisse illud amotum, ut hoc succederet. Nam qui locum alicui rei quærit, sæpe ejus causâ rem alteram amovet.

8. Μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς λέγει, *Vituperans enim eos dicit*,] Μεμφόμενος [*Vituperans*,] id est, *minoris faciens* pactum prius *dicit illis* qui nempe sub pacto priore vivebant. ¶ Ἰδοὺ ἡμέραι ἔρχονται, λέγει Κύριος, καὶ συντελέσω ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰσραὴλ, καὶ ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα διαθήκην καινήν. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda testamentum novum*] Ex Græco capitis Jerem. 31. 31. & sequentibus: sed id caput in Græcis editionibus multis est 38. ob transpositionem ibi factam. ἔρχονται, באים [*veniunt*] sono est præsens, sensu sæpe futurum, ut 1 Thess. 1. 10. & alibi. καὶ συντελέσω, id est, *cum efficiam*, locutione frequenti Hebræis. ἐπὶ τινι *cum* vel *erga*. Utuntur hoc eodem loco in hunc eundem sensum Justinus contra Tryphonem & Tertullianus 4. adversus Marcionem. In Justino hæc præcedunt, Ὁ γὰρ ἐν Χωρὴβ, παλαιὸς ἤδη νόμος, καὶ ὑμῶν μόνων. ὁ δὲ πάντων ἁπλῶς· νόμος δὲ κατὰ νόμου τεθεὶς, τὸν πρὸ αὐτοῦ ἔπαυσε· καὶ διαθήκη μετέπειτα γενομένη, τὴν προτέραν ὁμοίως ἔσησεν· αἰώνιός τε ἡμῖν νόμος καὶ τελευταῖος ὁ Χριστὸς ἐδόθη, καὶ ἡ διαθήκη πιστὴ, μεθ' ἣν οὐ νόμος, οὐ πρόσταγμα, οὐκ ἐντολή [*Quæ namque in Oreb promulgata est lex, vetus jam & vestra duntaxat est: hæc autem communis est prorsus universorum: si quidem lex adversus legem lata, antiquiorem recentior abolet: & posterius testamentum priori similiter derogat. Postrema vero & sempiterna lex nobis data est, Christus: atque est hoc testamentum firmum & stabile, post quod jam non lex, non præceptum, non mandatum erit illum.*] Mentio est novi pacti & quidem αἰωνίου [*æterni*] etiam Jer. 32. 40. Ezech. 16. 60. 34. 25. Et sensus quidem apertior illorum locorum respicit tempus illud quo Judæi propè omnes & ex decem tribubus qui vellent, restituti in patrias sedes, cultum Dei restituerant qui nullâ postea idololatriâ corruptus fuit, quod ante sæpe evenerat. Confer dicta de eo tempore Esaiæ 2. 3. Jeremiæ 31. 1. 33. 8. Ezech. 11. 17. 20. 41. 36. 24. Et ipsam solemnem pacti renovationem ex parte populi Deo approbante, quam habemus Neh. 10. Et certè tantum erat illud beneficium, ut omnium veterum posset oblivionem inducere, ac proinde singuli de populo non ex doctrina Magistrorum, sed proprio sensu Dei bonitatem summam agnoscerent: qui sensus, & post eum recens admodum memoria tum hujus boni, tum malorum quæ ab idololatris pertulerant, efficacissima erat ad Dei cultum in illo populo diu retinendum. Sed cum illa dispensatio Dei, per quam sibi ex omnibus terris collegit populum, manifestiùs quàm ullæ aliæ, figuret Messiæ tempora, ut & Rabbini agnoscunt, ideo sæpius ex Prophetarum locis eò spectantibus verba in sensu sublimiore ab Apostolis & eorum adjutoribus producuntur: ut in plurimis locis Euangeliorum & Actuum & Pauli Epistolarum videre est. Et certè ita à Deo directa sunt verba, ut in Christi tempora quadrent exactiùs. Per hunc enim verè non antiquum fœdus renovatum est, sed factum *planè novum*: & quidem non diuturnum, sed planè æternum: *Judæ* autem & *Israelis* nomen egregio mysterio ad Christi Ecclesiam referuntur, non tantùm quia hæc nunc populus Dei est meliori jure quàm illi fuere, verùm etiam quia nominum significatio id postulat: nam Judas est ἐξομολογούμενος [*confitens*,] ut Philo rectè interpretatur, quod Christiani faciebant etiam vitæ suæ pretio, Israël verò, *qui Deum superat*, id est, quidvis à Deo obtinet, sicut Christiani obtinent omnia quæ ad vitam ducunt æternam. Vide Rom. 2. 28, 29. & 9. 6. & ibi dicta. Adde jam quòd in illis temporibus populi in patriam restituti non figura tantùm, sed & gustus quidam Euangelii fuit. Nam Christus, ut jam appropinquans, apertiùs à Prophetis indicatus est. Verba quædam Prophetarum per Esdram & alios mysticè explicata spem quandam fecere vitæ melioris, & credentibus contigit Spiritus, multò quàm olim fortior.

9. Οὐ κατὰ τὴν διαθήκην ἣν ἐποίησα τοῖς πατράσιν αὐτῶν, *Non secundum testamentum quod feci Patribus eorum*] Id est, meliore successu. κατὰ [*secundum*] similitudinem significare solet. Similitudo autem ista hoc loco in eventu spectatur. ¶ ἐν ἡμέρᾳ ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν, *in die quâ apprehendi manum eorum*] Ἐν ἡμέρᾳ [*In die*,] id est, *circa illud tempus*. In Hebræo, *In die apprehendere me manum eorum*, id est, cùm apprehendissem, quod hic per participium non ineleganter exprimitur. Solent qui aliquem è carcere educunt, manum ejus prehendere. Vide quæ diximus supra 2. 6. *In die*, pro *circa illud tempus*, habes in re eadem Ezech. 20. 5. ¶ ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου. *ut educerem illos de terra Ægypti*] Id est, εἰς τὸ ἐξαγαγεῖν, quod clarius in Hebræo להוציאם [*ad educendum eos*.] ¶ ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, *quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo*] *Non steterunt pactis*. Sic *dictis manere* apud Virgilium. ἐμμένειν [*permanere*] hoc sensu habemus Deut. 27. 26. Jerem. 24. 25. Actor. 14. 22. Gal. 3. 10. In Hebræo est, *ipsi violarunt pactum meum*, nempe in cultu vituli, in Massa & Meriba, in Madianitide, & rursum paullò post Josuæ tempora, ut jam seriora omittam. ¶ κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, λέγει Κύριος. *& ego neglexi eos, dicit Dominus*] Pro λέγει Κύριος [*dicit Dominus*,] tum hìc, tum infra in Græco est Φησὶ Κύριος [*inquit Dominus*] sensu eodem. Apparet autem LXX. interpretes pro בעלתי [*dominatus sum*] legisse געלתי [*aspernatus sum*,] id enim est ἠμέλησα. *Neglexi eos vicissim*, non defendi eos contra serpentes, Levitas in eorum occisionem armavi, passus sum eos venire sub jugum Madianitarum, Philistinorum & aliarum gentium.

10. Ὅτι αὕτη ἡ διαθήκη ἣν διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, λέγει Κύριος, *Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus*] Ὅτι [*Quia*] est pro Hebræo כי quod hic valet *sed*, quomodo Hieronymus rectè vertit in Jeremia. Pro διαθήσομαι [*disponam*] in Hebræo est אכרת *scindam*, quia fœdera scissâ pecude fiebant. Μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας [*post dies illos*] in sensu primo valet *post exsilium*: in sensu sublimiore, *Post mala illa quæ Judæi pertulêre, per arma civilia inter se, & externa Pompeii ac Sossii*. In Manuscripto est διαθήκη μου [*testamentum meum*] Hic Ἰσραὴλ [*Israel*] ponitur pro *omni posteritate Israelis*: ubi opponitur Judæ significat decem tribus, ut alibi diximus. ¶ διδοὺς νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν, καὶ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς. *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas*] Ponendum comma post alterum αὐτῶν [*eorum*.] In Græco LXX. est διδοὺς δώσω [*dans dabo*] & γράψω αὐτοὺς [*scribam eos*,] in Hebræo est *dabo*. Sensus est, *Efficiam ut omnes legem meam memoriter teneant*, nempe in sensu primo, *per multitudinem Synagogarum quæ structæ sunt illo tempore, ubi lex ter in hebdomade docebatur*: in sublimiore sensu, *Spiritum sanctum dabo Christianis, qui eos doceat atque hortetur*, Joh. 14. 17, 26. 15. 26. 16. 13. 1 Joh. 2. 27. Uterque sensus est in Ezech. 36. 26. ¶ καὶ ἔσομαι αὐτοῖς εἰς Θεὸν, καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι εἰς λαόν. *& ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*] *Illi me colent, ego eos protegam*; Locutio par ei quam supra habuimus 1. 5.

11. Καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν ἕκαστος τὸν πολίτην αὐτοῦ, καὶ ἕκαστος τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, λέγων, Γνῶθι τὸν Κύριον. ὅτι πάντες εἰδήσουσί με ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν. *Et non docebit unusquisque civem suum, & unusquisque fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum*] Dixere Græci interpretes οὐ μὴ διδάξωσιν in potentiali; id est, *non opus erit ut doceant*. Πολίτην [*Civem*] hic dixit pro συμπολίτην [*concivem*.] in Hebræo hic רעהו [*socium suum*;] at Levitici 19. 18. בני עמך [*filium populi sui*.] Sic & Latini dicunt, *meus municeps*, id est, ejusdem mecum municipii particeps. Olim qui aliqua de re dubitabant, consulebant Prophetas, & ab iis officium suum edocebantur 1 Sam. 9. 9. *Cognoscere Dominum*, id est, Domini

mini voluntatem. Post reditum à Babylone omnes, qui non perpetuo labore victum cogerentur quærere, Legem ediscebant. Et sic Christi præcepta, quæ Lex est nova, facilè ediscunt omnes Christiani. Vide 1 Cor. 1.5. Joh. 6.45. *A minimo ad maximum:* id est, adolescentes & senes. Eadem locutio Genes. 19.11. 1 Sam. 5.9. 30.2, 19. 2 Reg. 25.26. 2 Paralip. 31.15. 34.30. Esai. 22. 24. *μεγάλα αὐτῶν* [*majorem eorum,*] id est, inter ipsos.

12. *Ὅτι ἵλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν, καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι. Quia propitius ero iniquitatibus eorum & peccatorum eorum & iniquitatum eorum jam non memorabor*] Quod hîc in Hebræo est כי & in Græco ὅτι optimè vertitur per *profectò*. ἵλεων εἶναι sicut ἱλάσκεσθαι supra 2.17. in sensu vulgari est, *pœnas exigere nolle criminum:* in sensu mystico est, *ita sanare animum ut crimina non redeant.* Sic & *non meminisse eorum* sublimiori sensu Deus dicitur, ubi nihil est novi quod vetera in memoriam reducat. Pro ἀδικίαις in Hebræo est עונם [*iniquitatibus eorum;*] ea vox significat *facta omnia contra æquum.* Pro duabus vocibus Græcis *τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν* [*peccatorum eorum & iniquitatem eorum*] una est in Hebræo לחטאתם [*peccatorum eorum,*] quæ ita generalis est, ut omnia alia peccata quæ sub nomine *ἀδικίας* [*iniquitatis*] non solent venire, comprehendat. Syrus & Latinus unam tantùm vocem legerunt hoc loco, & Græci quidam: ita ut altera horum videri possit irrepsisse ex glossemate.

13. *Ἐν τῷ λέγειν, καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην. Dicendo autem, novum, veteravit prius*] Id est, *ostendit esse inutilem*, quales sunt senes decrepiti. Est enim hic similis figura, qualis supra 1.6. ¶ *τὸ δὲ παλαιούμενον καὶ γηράσκον ἐγγὺς ἀφανισμοῦ. quod autem antiquatur & senescit propè interitum est*] Occultè vaticinatur & Templum & Rempublicam Judæorum brevi perituram. Id evenit decem ferme annis post scriptam hanc Epistolam. Senectutem mors excipit. Didicisse hoc potuit Lucas tum ex Daniel. 9.22. tum ex iis quæ ipse Christi verbis posuit in Euangelio 21.20.

CAP. IX.

VALLA.

1. ET *Sanctum seculare*] Græcè, ut iterum dixi, est *mundanum* potius quam *seculare*, *κοσμικόν*.

10. *Usque ad tempus correctionis impositis*] Legendum est *impositi:* refertur enim ad nominativum *munera & hostia*, non ad ablativum *cibus & potibus*, *& baptismis*, *& justitiis: ἐπικείμενα.*

11. *Christus autem assistens Pontifex*] Quid sibi vult hoc verbum *assistens?* An *Patri assistens?* at hoc subaudiri non potest. Præterea non diceretur paulò pòst *introivit in Sancta.* Ergò verum esse docet ratio quod Græcè legitur, *veniens* seu *adveniens*, *παραγενόμενος.*

24. *Non enim in manufactis Jesus introivit, exemplaria verorum*] Meliùs sic in quibusdam cod. legitur, *Non enim in manufacta Sancta introivit Jesus, εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστός.*

28. *Ad multorum exhaurienda peccata*] Gr. *ad multorum referenda* (sive *exhibenda*) *peccata*, videlicet ut remitterentur à tre: *ἀνενεγκεῖν.*

REVIUS in VALLAM.

10. IMpositi] Imò *imposita:* & sic Laurentium scripsisse liquet.

28. *Referenda*] Hoc considerandum. Nam multò aliter Beza.

ERASMUS.

1. HAbuit quidem & prius] Εἶχε μὲν οὖν, *Habuit quidem igitur*. Et *prius* nomen est, & ad *Testamentum* refertur. Nec est Græcè *prius*, sed *primum*. ¶ *Justificationes culturæ*] Sermo anceps est. Potest enim distinctè legi δικαιώματα λατρείας, sed rectiùs conjunctim legitur: λατρείαν enim appellat *ritus sacrificiorum.* ¶ *Et Sanctum seculare*] Τό, τε ἅγιον κοσμικόν, *Sanctum mundanum:* quòd in eam partem admitterentur etiam proselyti ac Gentes: id quod indicant Commentarii in hunc locum Chrysostomi ac Theophylacti.

2. *Candelabra*] Ἥ τε λυχνία, *& candelabrum*, numero singulari. Nos *lucernas* vertimus, quòd idem candelabrum multas sustineat lucernas. ¶ *Quæ dicitur Sancta*] *Sancta* hoc loco pluralis est numeri, neutri generis, ἥτις λέγεται Ἅγια, *quæ dicitur*, sive *dicuntur*, *Sancta;* ut respondeat ad hoc quod mox sequitur, *Sancta sanctorum.* Torquetur admodum D. Augustinus in Quæstionib. super Levit. quæst. 53. quem in sensum accipiendum sit *Sanctum sancti*, putatque dictum τὸ ἅγιον τοῦ ἁγίου perinde quasi plenè dicas τὸ πνεῦμα ἅγιον τοῦ Θεοῦ ἁγίου, *Spiritum sanctum sancti Dei*, cùm constet hanc conduplicationem juxta idioma sermonis Hebraici epitasin habere sanctimoniæ. Siquidem priorem partem duntaxat *Sanctum* appellat; alteram, ut eximiè sanctam, *Sanctum sanctorum.*

3. *Post velamentum autem secundum*] *Secundum* referendum est ad *velamentum*, non ad *Tabernaculum.* Apud nos enim anceps est sermo, apud Græcos nequaquam. Licèt ipsa res atque etiam sermonis tenor reclamet Græcorum lectioni. Paulus enim distinguit *duo tabernacula*, non *duo velamenta:* nec enim erant duo velamenta. Hanc distinctionem prosequens Apostolus paulò inferiùs ità loquitur, *His verò ità compositis, in prius quidem tabernaculum semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, in secundum autem semel in anno solus Pontifex*, &c.

4. *Thuribulum*] Θυμιατήριον. Quod locum quoque significat, aut *aram in qua fit suffitus.*

5. *Super quæ erant*] Ὑπεράνω δὲ αὐτῆς, *Supra illud autem*, sive *supra illam;* ut referas ad *Arcam*, attestantibus Scholiis Græcanicis.

6. *In priore quidem*] Εἰς μὲν τὴν πρώτην. Cur non potius *in primum quidem?* cum præsertim Græcus Interpres ità locutus sit, & Grammatices ratio postulet. Similiter in eo quod sequitur, εἰς δὲ τὴν δευτέραν. ¶ *Sacrificiorum officia*] Τὰς λατρείας. Explicuit Interpres Græcam vocem, quam aliquoties vertit *culturam* sive *obsequium.*

7. *Quem offerret*] Ὃ προσφέρει, *quem offert.* ¶ Nec est *pro ignorantia*, sed *pro ignorantiis.*

9. *Quæ parabola*] Cur non potius *similitudo*? aut quid hîc opus voce Græcâ? ¶ *Temporis instantis*] Εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, *in tempus quod instabat*, h. e. pro tempore tum præsente. ¶ *Juxta quam*] Καθ' ὃν, *juxta quod*, sive *in quo*, ut subaudias *tempore.*

10. *In cibis & in potibus*] Interpres non potuit reddere Græci sermonis gratiam, ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι, nisi dixisset *in esculentis & poculentis.* ¶ *Et justitiis*] Δικαιώμασι, *justificationibus.* ¶ *Impositis*] Ἐπικείμενα, *imposita*, refertur enim ad *munera* & *hostias.* Apud Græcos certa est lectio. Nec tam est *imposita* quàm *sita.* In his enim quæ commemoravit sita est Judaica religio.

11. *Assistens*] Παραγενόμενος, *accedens.* Alioqui parum apte cohæret quod mox sequitur, *introivit in Sancta.* Etenim qui potest *introire* qui jam *assistit*? ¶ *Per amplius*] Duæ sunt dictiones, διὰ τῆς μείζονος, *per id quod amplius*, sive *majus, erat.* ¶ *Non manufactum*] Οὐ χειροποιήτου, dictione compositâ.

14. *Qui per Spiritum sanctum*] Διὰ πνεύματος αἰωνίου, *per Spiritum æternum.* Et in hunc modum legit & interpretatur Chrysostomus.

15. *Morte intercedente*] Θανάτου γενομένου, *morte factâ.* Quanquam Interpres bene reddidit sententiam.

16. *Ubi enim testamentum, mortem*, &c.] At D. Hieronymus prodidit vocem quam Interpres verterunt *testamentum*, Hebræis magis sonare *pactum* aut *fœdus* ברית. Quod si verum est, apparet hanc Epistolam scriptam ab eo qui Hebraicè nescierit: id quod haud ità dissimile veri videtur. Certè D. Hieronymus constanter vertit *pactum.* Jam διαθήκη Græcis *dispositionem* sonat magis quam *testamentum.* Et Hebræis עדות à *testibus* dictum est, quòd pacta quæ rata velimus esse sub testibus sanciri soleant. Proinde LXX. videntur hoc secuti, qui *testamentum* transtulerunt. Verùm si quis vocem sequi malit quàm sermonis usum ac proprietatem, quicquid adhibitis agitur testibus *testamentum* erit. ¶ Nec est *confirmatum*, sed βεβαία, h. e. *ratum* sive *firmum*, ut subaudias *est.*

19. *Lecto enim*] Λαληθείσης γὰρ, *Dicto enim.* ¶ *Mandato Legis*] Græca secus habent, Λαληθείσης γὰρ πάσης ἐντολῆς κατὰ νόμον ὑπὸ Μωϋσέως παντὶ τῷ λαῷ, *Cum enim omne mandatum dictum* (sive *recitatum*) *esset juxta Legem à Mose toti populo.* ¶ *Et lana coccinea*] Καὶ ἐρίου κοκκίνου, *lana coccina*, à *cocco*, qui adhibetur tingendæ purpuræ.

20. *Hic sanguis testamenti*] Ad hæc allusisse videtur Christus in Cœna, *Hic sanguis novi Testamenti*, simili modo suum repræsentans sacrificium.

22. *Sine ſanguinis effuſione*] Græcè compoſita dictio eſt, *αἱματεκχυσίας*. Et hic locus nonnihil ſapere videtur Origenicum, ſi legas quæ ſequuntur, & ſi quis craſſius interpretetur. Proinde Chryſoſtomus rem trahit ad Allegoriam. Synagoga terra erat, Eccleſia cœlum. Illorum Sanctum paulo ante vocavit *mundanum*; noſtra *cœleſtia* ſunt, cum ſimus ipſi cœleſtes.

24. *Non enim in manufactis*] Gr. *in manufacta ſancta*, &c. *εἰς χειροποίητα ἅγια*. & conſentiunt noſtri cod. emendatiores. ¶ *Exemplaria verorum*] Græce non eſt *ὑποδείγματα*, quemadmodum paulò antè, ſed *ἀντίτυπα*, *velut reddentia ſimilitudinem verorum*. Neque mihi videntur abſurde dici *exemplaria* vetera illa, quæ delineabant ac velut adumbrabant Euangelicam hiſtoriam. Certe nobis erant *exemplaria*, etiamſi Deo non fuerunt. Qui ſcripſit hanc Epiſtolam nihil intereſſe putavit inter *ὑπόδειγμα* & *ἀντίτυπον*.

26. *In conſummatione*] Ἐπὶ συντελείᾳ, *ſub conſummationem*, ſive *inſtante conſummatione*. Nam eam vim habet aliquoties ea præpoſitio ſi dandi caſui jungatur; ut, *captavit illum ἐπὶ θανάτῳ*.

VATABLUS.

1. HAbuit quidem & prius] *Igitur habebat quidem etiam prius*: ſub. *teſtamentum*. ¶ *Juſtificationes cultura*] i. e. Cultus in ſpeciem ſanctificantes. ¶ *Sanctum ſeculare*] i. e. Templum terreſtre conſtans materiâ familiari hominibus in ædificiis conſtruendis. De Tabernaculo loquitur.

2. *Tabernaculum*] i. e. Prima pars tabernaculi. ¶ *Candelabra*] *Candelabrum*. ¶ *Propoſitio panum*] i. e. Panes Deo expoſiti. ¶ *Quæ dicitur ſancta*] *Quod vocatur ſanctum*.

3. *Velamentum*] *Velum*. ¶ *Dicitur ſancta*] *Vocabatur ſanctum*.

5. *Superque eam*] *Supra hanc autem*. ¶ *Gloriæ*] i. e. Teſtes laudabilis præſentiæ Dei: vel, oſtendentes ubi in nube gloria Domini apparere deberet.

6. *In priori quidem Tabernaculo ſemper introibant*] *In prius quidem Tabernaculum ſemper intrecunt*: præſentia pro præteritis imperfectis. ¶ *Officia conſummantes*] *Ritus peragentes*.

7. *In ſecundo*] *In ſecundum*. ¶ *Offerret*: *Offert*, Vet. ¶ *Suâ & populi ignorantiâ*] *Seipſo & populi ignorantiis*.

8. *Propalatam*] *Manifeſtatam*. ¶ *Sanctorum*] i. e. Ad ſancta: h. e. in cœlum, ut paulò poſt.

9. *Quæ parabola eſt temporis inſtantis: juxta*, &c.] *Quod erat figura pro tempore tum præſente: in quo dona & ſacrificia offerebantur, quæ non poterant*, &c.

10. *Servientem*] *Cultorem*. ¶ *Solummodo*] Sub. *quæ ſacrificia poſita erant tantum in*, &c. ¶ *Baptiſmatibus & juſtitiis*] *Ablutionibus & juſtificationibus*. ¶ *Carnis*] i. e. Corporis. ¶ *Impoſitis*] *Impoſita erant*: ſub *illa*.

11. *Aſſiſtens*] Vel, *factus*. ¶ *Amplius*] *Majus*. ¶ *Creationis*] *Factura*, *ſtructura*.

12. *Aut*] *Et*, Vet. ¶ *Sancta*] i. e. Cœlum. ¶ *Inventâ*] i. e. partâ.

13. *Aſperſus*, *inquinatos*] i. e. Quo diluto aquâ aſpergebantur inquinati.

14. *Per Spiritum*] i. e. Impellente Spiritu. ¶ *Sanctum*] *Æternum*. ¶ *Immaculatum*] Vel, *inculpatum*, *irreprehenſibilem*. ¶ *Emundavit*] *Emundabit*. ¶ *Noſtram*] *Veſtram*, Vet. ¶ *Mortis*] *Mortuis*, Vet. i. e. infidelibus quæ mortem afferunt.

15. *Mediator*] Vel, *conciliator*: q. d. in hoc novo fœdere conciliatorem agit. ¶ *In redemptionem*] Vel, *ad liberationem*.

17. *Confirmatum eſt*] Vel, *ratum eſt*: i. e. cùm mortui ſunt teſtatores.

19. *Lecto enim omni mandato Legis*] *Cùm enim omne mandatum eſſet juxta Legem recitatum*. ¶ *Ipſum quoque*] *Et ipſum*.

21. *Aſperſit*,] *Aſpergebat*.

23. *Exemplaria quidem cœleſtium*] i. e. Imagines & exemplaria eorum quæ in cœlis ſunt: h. e. Tabernaculi cœleſtis. ¶ *Melioribus*, *Potioribus*.

25. *In*] *Cum*.

26. *Ab origine mundi*] *A condito mundo*. ¶ *In conſummatione*] *In conſummationem*, Vet. vel, *inſtante conſummatione mundi*. ¶ *Deſtitutionem*] *Deſtructionem*, Vet. vel, *profligationem*, *abrogationem*.

28. *Exhaurienda*] *Tollenda*. ¶ *Sine peccato*] i. e. Non ut iterum ſe offerat pro peccato, Heb. ¶ *Apparebit omnibus exſpectantibus ſe*] *Conſpicietur illis qui illum exſpectant*. Vet. non legunt *omnibus*.

CASTALIO.

1. MUndanumque Sanctuarium] Humanum & terreſtre.

16. *Ubi eſt teſtamentum*, *teſtatoris mortem conſequi neceſſe eſt*] ברית *fœdus* ſive *pactum* eſt, quod Græce *συνθήκη* dici poſſet. Verum autores Sacri pro *συνθήκη* appellant *διαθήκην*, quod verbum proprie *teſtamentum* ſonat (niſi quod raro etiam apud profanos ponitur pro *pacto*, ſicut obſervavit Joachimus Camerarius) unde libros Sacros *Vetus* & *Novum Teſtamentum* ſolemus dicere, cum, ſi Latine loqui velis, *Vetus* & *Novum Fœdus* dicendi ſint. At hic autor Hebraici verbi vim non perpendens, cum Græce ſcriberet (nam Græce ſcriptam eſſe hanc Epiſtolam vel ex hoc loco evinci poteſt; ſiquidem Hebraicè nemo ſic argumentari poſſit, ut ex PACTO *teſtamentum* faciat, & ideo *teſtatoris mortem* invehat) à Græco *διαθήκης* verbo duxit argumentum; quale fecit etiam in cap 2. ubi pro *Deo* poſuit *Angelos*. Hæc res in cauſa fuit ut nos in hac Epiſtola *διαθήκην* *teſtamentum* interpretaremur, contrà quàm ſolemus: alioquin ſi *fœdus* vertiſſemus, non haberet locum hæc autoris diſputatio.

23. *Cœleſtium exempla*] Rerum ſpiritualium.

CLARIUS.

1. HAbuit quidem & primum] Oſtendere jam vult ex ipſa Tabernaculi forma non vanam quidem omnino fuiſſe illam veteris cultûs religionem, ſed umbram tamen duntaxat fuiſſe eorum quæ in Novo declarata ſunt Teſtamento. *Habebat ergò Vetus Teſtamentum juſtificationes cultûs*, h. e. ritus quoſdam qui juſtitiæ ſpeciem quandam præſe ferrent, *& Sanctum mundanum*, vel mundanam exterioremque ſanctimoniam, vel atrium illud ad quod inviſendum omnibus patebat acceſſus: nam cortinæ atrii erant plenæ foraminibus, arcentes quidem ingreſſum populi, ſed aſpectum non prohibebant.

7. *Semel in anno ſolus Pontifex*] Præter illud indeficiens incenſum manè & veſpere, ſemel per annum ſummus Sacerdos ſolenniter incenſum offerebat, & deprecabatur in die Expiationis, quæ decima erat in menſe vel lunatione Septembris, & deliniebat cornua altaris ex ſanguine oblato pro peccato. Quanquam & eo die ingrederetur in Sancta ſanctorum, non quòd [illegible] ſtaret altare aureum & incenſi, ſed quia ante arcam Domini deprecabatur pro peccato populi: Veriſimile tamen eſt tempore ſecundi Templi, loco Arcæ fœderis ſtetiſſe in Sancto ſanctorum altare incenſi aureum. Nam Judæi teſtantur, eo tempore nec Arcam Domini, nec Propitiatorium, nec Tabulas teſtamenti ibi fuiſſe.

8. *Hoc ſignificante Spiritu ſancto*] Per hanc Tabernaculi in hunc modum extructionem, quòd ſcilicet *Sacerdotes* alii, *qui in priore Tabernaculo miniſtrabant*, prohibeantur intrare in Sancta ſanctorum, *ſolus autem Pontifex ſemel in anno in illa intraret, idque non ſine ſanguine, ſignificavit Spiritus ſanctus, tamdiu dum ſtaret illud umbratile Tabernaculum, non eſſe aperiendam viam Sanctorum*, h. e. ad illa vera Sancta atque cœleſtia, ſed per Chriſti veri ſummi Sacerdotis ſemel oblatum ſanguinem Sancta illa eſſe aperienda. Idcirco & in morte ejus velum Templi ſciſſum eſt.

10. *Juſtificationibus carnis*] Illa erant inſtituta, non ut conferrent veram perfectamque juſtitiam, ſed ut his figuris aſſueti aptiores eſſent homines capeſſendæ veritati.

11. *Per amplius & perfectius Tabernaculum*] Non habuit opus Chriſtus Moſaico Tabernaculo & fabricâ illâ *manu hominum factâ*, *atque hujus creationis*, h. e. ſtructuræ humanæ, ſed *per longè perfectius tabernaculum*, h. e. per aſſumpti corporis diſpenſationem, & *per proprium ſanguinem*, *introivit ſemel*, non per ſingulos annos, ſed ſemel tantùm *in* vera illa *Sancta*. Scio pleroſque viros doctos interpretatos eſſe TABERNACULUM NON MANU FACTUM *ipſum cœlum*; ſed cùm infrà dicatur, *Chriſtum non intraſſe in manufacta Sancta*, *ſed in ipſum cœlum*, per quod intelliguntur illa vera Sancta, quæ ratio eſt ut dicamus Chriſtum per cœlum intraſſe in cœlum?

13. *Ad emundationem carnis*] Ut ſcilicet ii qui immunditiam contraxerant ex rei cujuſpiam immundæ contactu, atque ejuſmodi rebus, ex illa aſperſione mundi jam cenſerentur.

14. *Quanto magis ſanguis Chriſti*] Si res inferiores Homine, ut *ſanguis taurorum*, & cætera talia, *vim habent purificandi exterioris hominis*, *quanto efficacior eſſe debet ad hominis conſcientiam emundandam ſanguis Chriſti Dei*? qui non per corporeum ignem, ut victimæ Legales, ſed *per Spiritum ſanctum*, cujus

cujus operâ tabernaculum illud corporis exſtructum fuerat, *obtulit ſe immaculatum Deo.*

15. *Et ideo Novi Teſtamenti*] *Medium* ſe atque *interceſſorem* præbuit Chriſtus ad hanc purificationem, cùm nos, utpote hoſtes, non valeremus ad Deum accedere: & cùm pœnæ ſcelerum dandæ eſſent, idque juſtitiæ Dei eſſet conſentaneum, ipſe Filius luit pœnas in cruce moriens pro nobis, ut *transgreſſionibus*, quas *prius Teſtamentum* auferre nequiverat, *abolitis, ii qui vocati ſunt accipiant promiſſionem æternæ hæreditatis.*

16. *Ubi enim teſtamentum*] Tantum abeſt ut ſcandalum pati quis debeat ex morte Chriſti, ut illa ipſa ſit quæ huic Teſtamento robur præbeat: *nam teſtamentum in morte confirmatur teſtatoris.* Quod ut faciliùs crederemus, quòd ſcilicet ſanguine Chriſti confirmaretur hoc Teſtamentum, voluit Deus ut etiam *Vetus per ſanguinem dedicaretur.* Et ſanè *oportuit ut quæ umbræ erant cœleſtium, hujuſcemodi* craſſis *purificationibus uterentur, ipſa verò cœleſtia longe melioribus quàm hæ ſint.* Unde & locum elegit Chriſtus tanto ſacrificio idoneum: *non enim in hæc manu hominum facta Sancta introivit, ſed in ipſum cœlum.*

28. *Secundò ſine peccato*] In primo adventu, cùm *tranſtuliſſet in ſe* noſtra omnium *peccata*, tanquam ingens peccator mortem ignominiæ plenam pertulit; ut diceret Paulus, *Deum feciſſe illum peccatum*, h. e. veluti hoſtiam devotam pro peccato: at *in ſecundo* adventu non perſonam peccatoris induet, ſed glorioſus apparebit in Paterna gloria.

ZEGERUS.

1. HAbuit *quidem & prius juſtificationes culturæ*] De Veteri loquitur Teſtamento, quod ſuos habuit cultus & ſacrificiorum ritus, quibus ſecundùm legem juſti habebantur, quanquam mentibus non purificarentur ejuſmodi culturus dediti ac ſervientes. ¶ *Et ſanctum ſeculare*] Rectiùs, meâ ſententiâ, ii qui *Sanctum ſeculare* interpretantur *ſanctificationem ſecularem* ſeu *mundanam*, in rebus mundanis, corporalibus & extrariis ſitam, quàm qui locum illum circa Tabernaculum communem omnibus, acceſſibilem etiam proſelytis Gentibus ac Nazaræis; Quem & ob id *ſeculare Sanctum* vocatum dicunt quòd quibuſvis in illud ingredi licitum eſſet. Quanquam video majorem interpretantium partem hanc ſequi ſententiam.

2. *Tabernaculum enim factum eſt primum*] De altera duntaxat hic loquitur Tabernaculi parte, quæ dicebatur *Sancta*, ut poſtea ſubdit. ¶ *In quo erant candelabra*] h. e. Septem lucernarum receptacula ex uno candelabro inſtar ramorum ſurgentia. ¶ *Propoſitio panum*] Per Hypallagen accipiendum, pro *panes propoſitionis*, ſeu *panes propoſitorii*, qui in ſacra Tabernaculi menſa proponebantur; quibus non aliis quàm Sacerdotibus veſci erat licitum. ¶ *Quæ dicitur Sancta*] Aliàs *quod.* Hoc referri debet ad *tabernaculum*, quod dicebatur *Sancta* numero plurativo propter res ſacras ibidem reconditas: id quod ex Græcis manifeſtum fit, ubi relativum à *Tabernaculo* in genere non diſcordat. Quod ad ſermonis formam attinet, ſi legamus *quæ dicitur Sancta*, ut ferè habent codices, dicendum Interpretem ſic ſui ſeculi more locutum, pro eo quod hodie diceremus, *quod dicitur Sancta*, vel *quæ Sancta dicuntur.* Nam relativum utrilibet poteſt concordari. Poſuit autem verbum numeri ſingularis, ut reſponderet *Tabernaculo*, & nè putaremus hic referri quæ immediate præcedunt, *candelabra, menſa*, & *propoſitio panum.*

3. *Poſt velamentum autem*] Apud Græcos vox *ſecundum* non alio poteſt quàm ad *velamentum* referri, cum hiſtoriæ unius tantum velaminis mentionem faciant. Hinc igitur colligi poteſt utrumque Tabernaculum ſuum habuiſſe velum; ſed alterum fortaſſe diverſi generis à priori, & minus pretioſum, cujus hiſtoriæ non meminerunt. Unde & Theophylactus quoque duplex indicat fuiſſe velamen. Non abſurdum etiam fuerit ſi prius velamen accipiamus oppanſionem illam quæ in Moſi adhuc portatili Tabernaculo muri loco fiebat. Nil tamen prohibet quò minus Latini Latinam lectionem ità diſtinguamus, *Poſt velamentum autem, & tabernaculum*; maximè cum ipſe Apoſtolici ſermonis tenor hoc ipſum rectè admittat, imò penè etiam requirat, ut liquet intuenti.

4. *Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens Manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ*] Huic adverſari videtur quod 3 Reg. 8. ſcribitur, *In arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ.* Verum quod hîc dicit Apoſtolus de tempore Moſi accipiendum eſt, ante Templi ædificationem, quo non erat alius locus commodus reponendis urnæ & virgæ Aaronicæ.

5. *Superque eam Cherubim*] i. e. Supra Arcam teſtamenti, h. e. ſupra Propitiatorium, quod erat Arcæ opertorium.

8. *Hoc ſignificante Spiritu S. nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum*] Tanquam ſi dicat, Hoc ipſo quod vetus ille ritus mactandarum pecudum, ceremoniarum, oblationum, & reliquus Moſaicæ legis cultus perſiſtebat, nec dabatur cuiquam in Sancta illa ſanctorum ingreſſus niſi uni ſummo Sacerdoti, idque hâc lege, nè pluries quàm ſemel annuè, & non abſque ſanguine, ingrederetur, deſignabat Spiritus, eo tempore necdum patuiſſe omnibus verè puris ac ſanctis in cœlum, Tabernaculum longe omnium ſanctiſſimum, ingreſſum: quem tandem ſummus Sacerdos Chriſtus proprio ſanguine reſeravit. Cæterum illud, *nondum propalatam eſſe ſanctorum viam*, dici poteſt vel, Viam ad Sancta ſanctorum nequaquam patuiſſe, vel, Sanctorum hominum viam necdum fuiſſe manifeſtam.

9, 10. *Quæ parabola eſt temporis inſtantis, juxta quam,* &c.] Græca paulo his obſcuriora, atque ejuſmodi ſunt ut & *tempus inſtans* propter relativum ὃν intelligi ſuadeant, tempus veteris Legis tum adhuc præſens cùm Epiſtola hæc ſcriberetur; & illud ἐπικείμενα, quod *impoſita* vertit Interpres, referri poſtulent ad *munera* & *hoſtias*, non ad *cibos* & *potus* & *baptiſmata*, ut noſtra vult editio. Ut autem ad oculum cernas, ſic illa habent, Ἥτις παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν ἐνεστηκότα, καθ' ὃν δῶρά τε καὶ θυσίαι προσφέρονται, μὴ δυνάμεναι, &c. uſque ad ἐπικείμενα· quæ ad verbum enumerata ità ſonant, *Quæ comparatio in tempus præſens*, (ut ſubaudias *eſt*, vel *ſpectat*) *in quo munera & hoſtiæ offeruntur, non potentia juxta conſcientiam perficere* (vel *conſecrare*) *ſervientem, ſolùm in cibis & potibus & variis lotionibus & juſtificationibus carnis uſque ad tempus emendationis impoſita.* Verùm Interpres, quò declinaret ſermonis incommoditatem pariter & abſurditatem, non inſcitè ſenſum nobis potiùs quàm verba transfudit, illud interim εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα ſic anceps relinquens ut ad utrumvis, ſive ad tempus veteris Legis ſive ad tempus Gratiæ, referri liceat; tametſi poſterius magis ſuadeat ratio. Id tamen animadverti debet, ſive dicas *juxta quam parabolam*, ſive καθ' ὃν, i. e. *juxta quod tempus*, vel *in quo tempore*, & quæ ſequuntur non niſi ad veteris Legis ſtatum pertinere.

10. *Uſque ad tempus correctionis impoſitis*] Cave legas *correptionis* pro *correctionis.* *Impoſitis* verò an *impoſita* legas, ad ſenſum nihil refert, niſi quòd Græci *impoſita* habeant.

11. *Aſſiſtens Pontifex*] Παραγενόμενος non tam *aſſiſtens* eſt quàm *adveniens*: at hoc magis quadrare videtur propterea quòd ſubditur *introivit.* ¶ *Per amplius & perfectius Tabernaculum*] *Amplius & perfectius Tabernaculum* dicens, Cœlos ipſos deſignavit, quos penetravit Pontifex noſter, ad dexteram Patris conſcendens; aut, (ſi illhoc magis probatur) Chriſti Humanitatem: quod Tabernaculum tantò Moſi fuit præſtantius quantò pretioſiorem illo theſaurum, nempe Chriſti Divinitatem, continuit. Item hoc ipſo majus eſſe comprobatur corporis Chriſti Tabernaculum quòd non naturali aut humano hominum opere, quòd non induſtriâ manuariâ, denique quod *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri* Joh. 1. 13. ſed virtute Spiritûs S. modo mirabili ineffabilique ſit ex virginea carne fabrefactum. Per quod veluti per prius Tabernaculum voluit Pontifex noſter Chriſtus ad loca illa ſanctiſſima, Patris majeſtatem interpellaturus, pertranſire. Nec mirum cuiquam videri debet quòd corpus Chriſti *tabernaculum* dixerim, cum & Apoſtolica vox vel noſtra corpora *Spiritus S. templa* eſſe teſtatur 1 Cor. 6. 19.

18. *Sanguine dedicatum eſt*] i. e. Roboratum & conſecratum.

19. *Lanâ coccineâ*] i. e. Rubrâ. ¶ *Hyſſopo*] Hyſſopus herba eſt humilis è petris naſcens, ut volunt: quâ in aſperſione utebantur propterea quòd denſior eſſet & liquoris capacior, teſte Chryſoſtomo.

20. *Hic ſanguis teſtamenti*] Nimirum quo firmatum ac roboratum oſtenditur fœdus ſeu teſtamentum.

23. *Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari; ipſa autem cœleſtia, melioribus hoſtiis*] *Exemplaria* dicit typica illa veteris Legis; *cœleſtia*, nos & quæ Eccleſiæ ſunt, quorum illa argumenta prætulere atque figuras. Illa his ſupradictis *neceſſum*, Lege præcipiente, *erat* victimis ritibuſque *expurgari*, nempe *ſanguine vitulorum & hircorum, aquâ, lanâ, hyſſopo, cinere vitulæ: at* iſta *cœleſtia longè potioribus*, ſcilicet pretioſiſſimo Filii Dei ſanguine & morte, qui ità nos penitus repurgavit ut & animas ipſas quavis labe abſterſerit. Cæterum quæ velit per illa *exemplaria* peculiariter intelligi, ipſe ſuprà mihi videtur ſatis inſinuare ubi dicit, *Librum & omnem populum aſperſit:* & paulo poſt, *Etiam Tabernaculum & omnia vaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit: & omnia penè in ſanguine mundantur.* Quæ verò per *cœleſtia* nec ipſe Apoſtolus ſpeciatim, nec explanatores, quos equidem viderim, manifeſtant. Non abſurdum autem mihi videtur ſi pro *Tabernaculo* Cœlum ipſum accipiamus,

mus, juxta quod subdit, *Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum*; pro *Libro*, verba Divina; pro *populo* Israëlitico, populum Christianum, cujus conversatio in cœlis est; pro *vasis* seu *armis instrumentisve ministratoriis*, corpora hæc nostra aliquando futura cœlestia, vel etiam actiones, sermones & cogitatus, quibus ceu instrumentis in Dei utimur servitio. Nec mirum cuiquam videri debet si cœlestia hæc *purgari* dicantur, cum non ocularis sed spiritualis hæc sit intelligenda purgatio. Quinimo nec in exemplaribus illis externa hujusmodi lotio ubique locum habere potest. Citius enim commaculaveris rem aliquam quàm expurgaveris sanguinis aut cineris aspergine. Verum quantum equidem intelligo, sicuti ibi per illam aspersionem quanta illis rebus deberetur dignitas, puritas & veneratio, ità & hic quoque per cœlestium rerum expiationem summa indicatur earum dignitas, sanctitudo & majestas. Et sicut immolati animantis sanguine & populus & cætera omnia Deo dedicabantur, atque adeo & fœdus firmum ratumque reddebatur, ità & nunc occisi Agni cruore & nos & omnia quæ Ecclesiæ sunt Deo consecrata sunt, & fœdus nostrum cum Deo perstat immobile.

26. *Ad destitutionem peccati*] Εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, h. e. *ad reprobationem profligationemque peccati.*

28. *Secundò sine peccato apparebit*] h. e. Videbitur tunc nil habens quod offerat pro peccato. In priori siquidem adventu Pontifex ad expianda peccata visus est; in secundo adventu Judex ad vindicanda peccata conspicietur. Item *sine peccato* dicere possumus, sine corporis peccato obnoxii mortalitate. Theophyl. exponit ad hunc modum, *Mortuus est ille, inquit, nostris onustus criminibus & eadem Deo offerens Patri, ut deleat obliteretque quorum gratiâ mortem sit ipse perpessus. Eum namque qui peccatum nullum patrarit sontem effecit Pater, tanquam qui nostra in se conscivisset facinora. Apparebit tamen secundò nil ultrà deferens peccatorum, pro quibus non iteratò erit huic moriendum qui semel obivit, sed ut Judex adveniet salutis futurus se exspectantibus.*

LUCAS BRUG.

26. NUnc *autem semel, in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit*] Impressi codices, & major longè scriptorum pars (Mal. mi. So. la. T. Lob. Q. E. Pl. m. L. &c.) cum Autore Glossæ, Anselmo, Carensi, Gorrano & Brunone, *destitutionem* legunt: unus Parisiensium (Di. o.) quatuor Hentenii, & decem nostri scripti (Brug. Leod. Mal. ma. O. P. &c) *destructionem*, Haymone & Richelio suffragantibus, habent. Prior vox admodum similis est Græcæ; *ἀθέτησιν*, quasi *depositionem* dicas: utraque convenit sensu. Bruno Carthusiensis *destitutionem* exponit *destructionem*. Syrum, *ut aboleret peccatum*, habet.

H. STEPHANUS.

2. Ἡ λυχνία] *Candelabrum.*

13. Σποδὸς δαμάλεως ῥαντίζουσα τοὺς κεκοινωμένους] *Cinis juvencæ aspergens pollutos.*

18. Οὐδ' ἡ πρώτη χωρὶς αἵματος ἐγκεκαίνισται] *Ne prius quidem illud testamentum sine sanguine dedicatum fuit.*

24. Εἰς χειροποίητα ἅγια, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν] *In manufactum sanctuarium, quod sit exemplar vero respondens ex adverso.*

26. Εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας] *Ad abolendum peccatum.*

27. Ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν] *Destinata est mors omnibus hominibus.*

DRUSIUS.

1. JUstificationes *cultura*] Quis hoc intelligat? Lux ei ex iis quæ dicam. *Justificationes* appellat δικαιώματα, h. e. חקים *ritus, ceremonias Legis.* Hoc primum. Deinde *culturam* vocat λατρείαν, i. e. עבודה *cultum Divinum.* ¶ *Sanctum*] Ἅγιον, Tabernaculi pars in qua Sacerdotes versabantur, quæ & ἅγια vocatur, Ebraicè autem מקדש, *in qua erant lucerna, mensa, & panes propositionis.* Vide sequentia. ¶ *Seculare*] Nisi ea ætas *seculare* usurpasset pro *mundano*, nunquam κοσμικὸν *seculare* vertisset. Eadem ætas *seculum* dixit pro *mundo*, ut posteriores Judæi עולם, quod propriè *seculum* denotat. Græcis αἰὼν est *seculum.* An etiam *mundus*? Suprà vidimus, *qui condidit secula*, i. e. mundum. Ergò αἰῶνες *mundus*; quomodo τὰ ἅγια *Sacrarium* sive *Sanctuarium*, & αἱ δεξιαὶ *dextera.* Si αἰῶνες, ergò etiam αἰών. Nam & ἅγιον in usu pro *Sanctuario*, & ἡ δεξιὰ *dextera*: unde ἐν δεξιᾷ, quod etiam dicunt ἐν δεξιοῖς.

2. *Primum in quo*, &c.] Partitur Tabernaculum in *primum* & *secundum.* *Primum* appellat ἅγια, quod & ἅγιον dicitur, & קדש *sanctitas*, & מקדש *Sanctuarium* sive *Sacrarium*, & בית קודשא (ità Syrus) *domus sancta* sive *locus sanctus* & עזרת כהנים *terminus Sacerdotum.* Nam in eo Sacerdotes operabantur sacris: qualis est locus ille in templis Pontificiorum qui *Chorus* nuncupatur. Hoc Tabernaculum à Macario Ægyptio dicitur σκηνὴ ἐξωτέρα, i. e. *exterius*, Hom. 47. ¶ *Quæ dicitur Sancta*] Melius, *quod dicitur Sancta.* Nam *propositio panum* non dicebatur *Sancta*; sed ipsum *Tabernaculum prius Sanctum & Sancta* dicebatur, i. e. ἅγια· in quo Heterosis numeri pro ἅγιον. Similiter *Sanctum sanctorum* per hujusmodi Heterosin paulò pòst vocatur *Sancta sanctorum.*

3. *Post velamentum secundum*] Malim, *Post velum secundum.* Recentior Interpres, *Post medium autem velum. Medium* non est nisi quod inter duo ad minimum. Si tria erant vela, tum illud quod in medio erat *medium* dici potest. Videamus an hoc velum de quo hic sermo medium fuerit. Primum velum separabat Gentes ab Israële, h. e. à loco in quo populus erat. Secundum separabat Israëlem à Sacerdotibus, h. e. à Sancto. Tertium dividebat Sanctum à Sancto sanctorum. De primo velo altum hic silentium. *Secundum* ergò vocat quod erat tertium. Nam ut primum obtendebatur Sancto, ità secundum obtendebatur Sancto sanctorum. Dicam apertius. Duo Tabernacula erant, imò tria: sed duo tantùm hic memorantur. Primi Tabernaculi velum respectu alterius quod hic *secundum* vocatur rectè *primum* dici potest. Ergò velum secundum non medium, sed quod à primo erat secundum, inter Tabernaculum quod vocatur *Sancta* sive *Sanctum* & illud quod hic dicitur *Sancta sanctorum.* Scio alios aliter sentire: sed profectò aut ego in magno errore sum, aut verum est quod nunc dixi. Docti dijudicent. ¶ *Sancta sanctorum*] Infra v. 7. vocatur σκηνὴ δευτέρα *tabernaculum secundum*, & à Macario σκηνὴ ἐσωτέρα *Tabernaculum interius*, ut alia σκηνὴ ἐξωτέρα *Tabernaculum exterius*, Hom. 47. Dicitur etiam τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων Exod. 26. 33. in LXX. & *Sanctuarii sanctuaria* in Hieronymo: Item דביר *Oraculum*, vel, si mavis, λαλητήριον, quasi *Locutorium*, & ἄδυτον, & ἀνάκτορον, & χρηματιστήριον, & apud Davidem דביר קדש יהוה *oraculum DOMINI sacrosanctum.* Ἀνάκτορον Symmachus interpretatur quod in fonte מעון *habitaculum.* Dicitur autem de Templo. Non igitur malè interpretatur. Nam ἀνάκτορον *templum*; item *palatium*, & *Regia domus.* Pro *adyto templi* nondum legi. Quocirca judicio hic opus est. Sanctum sanctorum vocatur *Sanctum intra velum*, & *Sacrarium sacrosanctum*, & *Sanctum* simpliciter. Fallor si non hunc locum innuunt Ebræi cum dicunt לפני לפנים *coram interius.*

4. *In qua urna aurea*, &c.] Ergò *in Arca erant præter Tabulas fœderis, urna aurea habens manna, & virga Aharonis quæ germinavit?* Ità Theodoretus, Quæst. 60. in Exodum. Quod tamen verum non videtur. Nam legimus 1 Reg. 8. 9. *nihil fuisse in Arca præter duas tabulas lapideas.* Si tantùm duæ tabulæ lapideæ in ea erant, ergò nec urna nec virga. Ideo ἐν ᾗ *in qua* quidam referunt ad τὴν σκηνήν, ut dicat *in Tabernaculo secundo, quod appellant Sancta sanctorum, fuisse urnam manna, & virgam Aharonis, tabulasque fœderis*, videlicet urnam & virgam ante Arcam (ità Moses de Kotsi in libro Præceptorum 210. 1.) tabulas autem in Arca. Pseudophilo scribit in Arca fuisse positos à Cenez XII. lapides qui inscripta habebant nomina XII. Tribuum; *Et sunt*, inquit, *illi lapides in Arca testamenti DOMINI cum tabulis ad hodiernum diem.* Falsum, falsum, si verum quod in libris Regum. Nam particula רק *tantummodo* excludit alia omnia, nedum lapides illos. Aben Gorion lib. 6. *In Sacrario interiori, quod est Sanctum sanctorum, erat arca fœderis, in qua duæ tabulæ lapideæ fœderis quod pepigit Moses cum Israële in Sinai. Etiam ibi erat virga Aharonis quæ florem produxerat.* IBI, h. e. in Sancto sanctorum, non in Arca: nam tum dixisset potiùs, *in ea quoque erant.* *In urbe natus esse* dicitur & qui natus ad eam h. e. in territorio ejus. Sic *in Jericho* valet ad Jericho; *in Gabaon*, prope Gabaon Jos. 10. 10. *in Cariathiarim*, prope Cariathiarim, Jud. 18. 12. Sic fortè *In qua urna aurea*, &c. Ut dicat urnam auream manna continentem fuisse prope Arcam, & tabulas fœderis in Arca propriè loquendo. Hoc pono, non statuo. Quod autem ex Philone produximus, habetur in Antiquitatibus Biblicis sub ipsius nomine editis: unde sumpsit Tertullianus Contra Marc. lib. 4. *Duodecim*, inquit, *lapides ab Jesu de Jordane lectos, & in arcam testamenti conditos deprehendo.* ¶ *Tabulæ fœderis*] Fractæ an integræ? Quidam has, alii illas fuisse putant in Arca. Sunt etiam qui fractas

cum

cum integris illic collocant. In tractatu De victimis, *Ecce tabula cum fragmentis tabularum posita in Arca erant.* Vide Juchasin 95. Abenezram Exod. 25. 16. & Annot. nostras ad illum locum.

5. *Cherubim obumbrantia*] Χερουβὶμ κατασκιάζοντα, genere neutro, ut Exod. 25. 18. δύο Χερουβὶμ χρυσοτορευτά. Subintelligitur autem ζῶα vel πνεύματα. ζῶα vocat Josephus. πνεύματα sunt *spiritus*; quo respectu dicendum fuisset *obumbrantes.* Sed Græcam constructionem retinent antiqui Latini, ut in illo, *Cherubim & Seraphim beata.* Nam quod quidam annotat, nomina illa in utraque lingua neutra esse, ut *Thalmud* & *Thargum*, nimis absurdum est, cùm Hieronymus & Beda non obscurè doceant & asseverent dicendum esse *duos Cherubim aureos.* Sed quis ferret dicentem *duo Elohim aurea*? an non ab omnibus exploderetur? Sic dico, Aut vana est illa regula, aut malè Hieronymus locutus est cùm *Cherubin* genere masc. construeret, nisi eum per Ebraismum excusari posse existimes. Vide sis illum, si placet, Ezec. 10. & Bedam Ezec. 1. 5. & Annotat. nostras majores Exod. 25. & Genebrardum Psal. 18. 10. & Observ. meas.

6. *In primum tabernaculum*] Εἰς τὴν πρώτην σκηνήν. Mox, εἰς δὲ τὴν δευτέραν, *in secundum autem.* Duo Sanctuaria, quæ Apostolus *tabernacula* vocat, agnoscit compositor Historiæ Ebraicæ ad hunc modum scribens, *Debet Sacerdos esse modestus supra omnes homines qui sunt in terra, maximè cùm stat ad ministrandum in duobus Sanctuariis, quæ sunt exterius & interius. Nam Sanctuarium exterius est unum, & Sanctuarium interius, h. e. Sanctum sanctorum, est alterum sive secundum. Porrò in Sanctuario exteriore conveniunt Sacerdotes ad ministrandum juxta præceptum summi Sacerdotis, qui est pater vicium seu ephemeriarum Sacerdotum: In Sanctuarium verò interius, quod est Sanctum sanctorum, non ingreditur homo, nisi Pontifex solus semel in anno.*

7. *Semel in anno*] Vel *quotannis.* Vide Manahemum in Mosen 142. 2. Hiscuni sive Hascuni Exod. 26. 31. Ingrediebatur autem ipso die Chipphurim, i. e. *Expiationum.* Moses de Kotsi scribit illum eo die quater ingressum esse. Vide סמ 83. 2. Sunt qui extra ordinem ingressum existimant quando ad consulendum oraculum DOMINI ex re nata illud ingredi necessarium erat. Nam ideo χρηματιστήριον locus vocabatur, ut dictum est. Sed hic ἐπέχω. Viderit Genebrardus qui hoc scripsit ad Psal. 98. 8. אחת בשנה *unâ in anno*, sub. *vice*, i. e. semel. Non dicit *semel in die*, sed *in anno*: & tamen qui quater uno die ingreditur, videtur etiam quater in anno ingredi. Hoc Apostolus negat, non Moses. Ideo Ebræi scribunt eum ipso die Kipphurim quater ingressum esse. Scribit hoc præter Mosem de Kotsi autor More Nebuchim fol. 172. pag. 1. Apud Mosem legimus Pontificem *semel in anno expiasse populum à peccatis*, Levit. 16. 34. Dies iste ordinarius erat & regularis, quo solus Pontifex intrabat. Reliquis diebus intrabant Caathitæ, qui Arcam involutam portabant cùm movenda essent castra. Vide Nicolaum Levit. 16. Id fiebat ex necessaria causa, non ordinariè. *Quater* Ebræi enunciant ארבע פעמים *quatuor vicibus.* ¶ *Solus Pontifex*] De tempore quo ingressus est Pontifex Sacrarium interius diximus. Quibus addo, fuisse diem illum decimum mensis septimi, quem *Thesri* vocant, qui septimus erat à Nisan. Postridie dabat convivium fratribus suis, h. e. Sacerdotibus. Vide Miscell. mea, cent. 2 cap. 78. & Observat. lib. 5. c. 2. Primasium in Epist. ad Rom. ubi pro *decimâ septimâ die* videtur legendum *decimâ die septimâ.* Quod autem sequitur *à festivitate Paschali*, correctionis indiget. *Decima die* rectum esse paret ex Annalibus Templi secundi 39. 2. Nam prælium cum Antiocho commissum fuit nono die: ingressus autem est Sanctum sanctorum Hyrcanus postridie, h. e. decimo, quando vox audita fuit quæ diceret, *Heri adjuvit Deus filios tuos.* Vide quinetiam Theodoretum in Lam. 1. & Eucherium in libros Regum, pag. 186. sed inprimis Theodorum Luc. 1. in ultima editione.

8. *Sanctorum viam*] Ut *via Dei* quæ ducit ad Deum, sic *via Sanctorum* quæ ducit ad Sancta, h. e. ad Sacrarium interius, quod soli Pontifici patebat. Vide notata in v. 12.

9. *Parabola*] משל *similitudo*, quæ Syris פלא. Mutant & vertunt *exemplar*, i. e. τύπος, ὑπόδειγμα. ¶ *Servientem*] Altari, qui & *minister altaris.* Intelligit autem Sacerdotem qui ritus obit in Tabernaculo priore seu exteriore. Aut *servientem*, τὸν λατρεύοντα, i. e. *cultorem* quemvis.

12. *In Sancta*] בקדש, ut v. 8. *Sancta* vocat Sacrarium interius quod *Sanctum sanctorum* dicitur. Vide quæ notavimus ad c. 8. 2.

16. *Ubi enim testamentum*, &c.] Argumentatur à voce Græca διαθήκη, quâ & Syri utuntur; licèt in Hellenistica lingua διαθήκη sit idem cum συνθήκη, *pactum, fœdus*, quod Ebræi ברית vocant. Id *testamentum* nunquam significat.

21. *Vasa ministerii*] כלי השרת Num. 4. 12. h. e. τὰ σκεύη τὰ λειτουργικὰ, ut ibi ediderunt LXX quæ hic vocantur τὰ σκεύη τῆς λειτουργίας. Sic Exod. 25. *Vestimenta ministerii ad ministrandum in Sancto.*

27. *Hominibus semel mori*] Non omnibus. Nam qui mutabuntur, non morientur; unde *vivi* dicuntur: ex quo illud, *Judicare vivos & mortuos*: &, *qui tunc vivi reperientur.* Aut omnibus, quia immutatio illis loco mortis erit. Vide Theodorum.

CASAUBONUS.

17. Ἐπεὶ μήποτε ἰσχύει] Scholiastes per interrogationem legit, & habet ἰσχύσει.

CAMERON.

1. Εἶχε μὲν οὖν καὶ] Doctiss. Interpres eò propendet ut καὶ hic expungatur; retinuit tamen, sed eâ lege ut jungeretur cum δικαιώματα· quod eodem videtur redire ac si jungeretur (ut revera jungendum est) cum πρώτη. Vix enim percipi potest quomodo differant ista, *Habuit prius fœdus etiam constitutos religionis ritus*, &, *Habuit etiam prius fœdus constitutos religionis ritus.* Certè καὶ non videtur redundare: nam etiam in N. Test. δικαιώματα sunt, & λατρεία, & etiam ἅγιον, quanquam minime κοσμικόν· sed in V. Test. δικαιώματα, λατρεία, ἅγιον umbræ fuere, in N. Test. res ipsa. Quanquam nulla ratio nos cogit eò recurrere: nam sæpe in Scriptura καὶ est ἐμφατικόν, ut Phil. 2. 9. διὸ καὶ ὑπερύψωσεν αὐτὸν ὁ Θεός· idem enim est ac si dictum fuisset διὸ ὑπερύψωσεν, nisi quòd illud καὶ mirè emphaticum est, proindeque non redundat. Quod si cui placeat prius, ut hic instituatur comparatio inter V. & N. Test. (quod ego quidem arbitror non spectasse Spiritum S. hoc loco) adjecta fuerit particula καὶ· nam cæteroqui præcedente disputatione satis clarum est, consilium Spiritûs S. esse duo Fœdera inter se conferre: sed quia dubitari non potuit quin V. Test. habuerit δικαιώματα, λατρείας, ἅγιον κοσμικόν, contrà verò dubitari id potiùs potuit, an N. Test. hæc habuerit, ideo crediderim non esse mentem Apostoli, seu Spiritûs S potiùs, in hac imparium comparatione ponere in minori quod est in controversia, in majori quod est extra controversiam. Repugnat enim lex Comparationis imparium, v. g. nemo dixerit, *Non modò arbores vivunt, sed & homines*, quia hoc est extra controversiam, illud non item. Atque eodem pacto, quia procul ambiguo est V. Test. habuisse δικαιώματα, non æquè procul ambiguo est an Novum habuerit, non est verisimile Apostolum hoc voluisse statim initio ponere. *Non modò Novum Testamentum sed etiam Vetus habuit* δικαιώματα. ¶ Ἡ πρώτη] Sunt qui putant hic σκηνὴν subaudiendum esse. At nec apud Syrum nec apud Vulg. Interpretem expressa est vox σκηνή· neque verò etiam subintelligenda videtur; Primò, quia haud dubiè πρώτη eadem hic res est quæ versu ultimo præcedentis capitis, cum quo iste versus cohæret, atqui patet πρώτην præcedenti versu appellari διαθήκην· hic igitur πρώτη διαθήκη pariter est. Deinde, statim versu sequenti σκηνὴ dicitur tanquam interpretamentum illius quod dixerat ἅγιον κοσμικόν· atqui σκηνὴ non habet σκηνήν. Denique, vix propriè dicitur, *Tabernaculum habuit* δικαιώματα, cum de Fœdere, *Hoc fac, & vives*, rectissimè dici possit, ut cui addita sint δικαιώματα, cujusque adeò illa partes dici possint haud absurde. ¶ Δικαιώματα] Alibi jam monuimus, unam eandemque rem in Scriptura diversis nominibus vocari, propterea quòd una eademque res diversas affectiones & proprietates habet. Sic nempe Dei præcepta Hebraicè vocantur מצות. פקדים, משפטים, חקים, Quibus in vocabulis non est anxiè quærenda differentia, quasi res diversæ diversis vocabulis significarentur: non enim LXX. pari varietati usi sunt: etenim חק & מצוה &c. vertunt δικαίωμα indiscriminatim. Porrò δικαίωμα illis est quicquid ἐδικαίωσεν ὁ Θεός, *quodcunque Deus justum esse & rectum pronunciavit*; *quod Deus jus esse voluit.* Unde factum est ut peculiari quadam ratione adhibitum fuerit vocabulum δικαιώματα ad ea Legis præcepta significanda quæ non pertinent ad jus naturæ, nec aliter nec aliam ob causam justa sunt quàm quia Deus jussit, ut hâc nomenclaturâ contineantur homines in officio, neve quærant præcepti rationem quod Deus ἐδικαίωσε. Hoc igitur loco Apostolus δικαιωμάτων nomine non præcepta quæ vocantur Legis Moralis, sed Ceremonialis intellexit. Et certè cùm dicat *Fœdus habere* δικαιώματα, absurdum est ut nomine δικαιωμάτων intelligamus legem Moralem: quis enim dubitet in omni Fœdere Dei cum hominibus esse præcepta illa Moralia? sed intelligenda sunt ea quæ pertinent ad Ritus & Ceremonias, ob eam causam quam jam diximus. ¶ Λατρείας] Sunt qui putant λατρείας hic esse genitivi casûs, & conjungendam esse cum an-

tecedenti voce δικαιώματα. At repugnat illud quod sequitur, τό, τε ἅγιον κοσμικόν: istud enim notat præcessisse ἀσύνδετον: alioqui dicendum fuisset καὶ τὸ ἅγιον κοσμικόν. Sed & Apostolus hoc eodem capite duo hæc distinctè proponit & explicat: Nam τῶν λατρειῶν meminit v. 6. τῶν δικαιωμάτων v. 10. Et quemadmodum ignobiliori speciei nomen generis tribuitur, ut cùm Bestiam *animal* dicimus, quamvis & Homo animal sit, sic δικαιώματα dicuntur ab Apostolo illi ritus qui non erant λατρεῖαι, quamvis omnis λατρεία δικαίωμα sit; quemadmodum etsi Homo animal sit, tamen *animalis* nomine simpliciter sumpto non intelligimus Hominem; saltem ut vulgò loquimur. Hoc igitur discrimen erit inter δικαίωμα & λατρεία, quod λατρεία sit δικαίωμα quod Dei cultum respicit, & positum est totum in Sacrificiis & Oblationibus, δικαιώματα verò simpliciter (quemadmodum Apostolus ipse explicat v. 10.) ea sunt quæ nos respiciunt, ut Ablutiones, Aspersiones, Abstinentia à certo quodam genere ciborum, Jejunia, &c. Porrò certum est LXX. in V. T. hanc vocem λατρεία, & verbum adeò unde oritur ad Dei cultum accommodasse, idque de industria. Hoc facilè indè potest deprehendi, quòd cùm verbum עבד, & indè derivatum עבודה, indiscriminatim ad Deum Hominesque referantur, illi tamen verbo δουλεύειν cùm de Deo agitur rarò vel nunquam utuntur, λατρεύειν ferè semper. Id quod nulla alia de causâ factum videtur quàm quòd vellent Dei cultum hâc appellatione minùs usitatâ σεμνύνειν. Nam certè (quicquid infimæ ætatis Grammatici, minorum scilicet gentium, dictitent) λατρεύειν & δουλεύειν apud bonos & priscos autores eadem sunt, hoc solo discrimine, quòd λατρεύειν videtur quasi antiquatum. Cæterùm λατρεύειν *cultum externum* propriè significat LXX. Interpretibus, quemadmodum & עבודה Hebraice. Nam amorem Dei & proximi neque λατρείαν neque עבודה quis dixerit, sed nec illum cultum quo beati Spiritus in cœlo Deum prosequuntur, qui vellet cum LXX. loqui, λατρείας dixerit, neque עבודה, si cum Prophetis volumus loqui. Itaque in N. T. non dicitur simpliciter λατρεία cultus N. Testamenti, sed λογικὴ λατρεία Rom. 12. 1. (quemadmodum & λογικὴ θυσία dici possit) & λατρεύειν ἐν πνεύματι Rom. 1. 9. Id quod plurimùm facit ad hujus loci illustrationem, in quo Apostolus λατρειῶν nomine cultum illum Aaronicum externum & carnalem, sed typicum, notat. ¶ Τό, τε ἅγιον κοσμικόν] Sic vocatur Tabernaculum à Mose constructum. Ubi notandum omnia typica dici *mundana*: v. g. terra Chanaan dicitur *Mundus* Rom. 4. 13. *Non enim per Legem promissio facta est Abrahamo, ut esset heres mundi, sed per justitiam fidei*: omnino intelligitur terra Chanaan, quatenus typus erat Regni cœlestis. Sic Apostolus vocat *elementa mundi* typica illa rudimenta Ecclesiæ nondum adultæ. Appellationis ratio hæc est, quia illa, quod ad substantiam attinet, & separata à sua significatione, sunt aliquid terrenum. Dicat aliquis hoc pacto posse etiam dici nostra Sacramenta κοσμικά. Sed non est par ratio: nam præter significationem & obsignationem nostra Sacramenta nullum habent usum; ac Typi etiam ex Dei instituto aliquem habebant usum præter significationem, qui usus materia erat idonea quæ significationis capax esset. Itaque mundano quodam more erat id quod significabat: v. g. terra Chanaan erat populi Dei hereditas mundana, nempe comparata cum cœlesti hereditate, quam significabat.

7. Ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων] Verbum verbo ὑπὲρ τῶν ἀγνοημάτων est *pro erratis*. Unde Socinus, homo phraseos Scripturæ, nullâ ingenii culpâ, sed officii Christi contemptu, imperitus occasionem arripuit asserendi Sacerdotem die Propitiationum obtulisse tantùm pro levibus quibusdam peccatis, vel potiùs *erratis* quæ propriè rationem peccati non habuerunt. Jam nè videamur uti ejus artibus, hoc illi concedimus, ἀγνόημα etiam dici שגגה semel: est autem שגגה *peccatum*, non quale describit Aristoteles, ἄγνοια ἐν τῇ προαιρέσει, sed circumstantiarum ut plurimùm: attamen ἄγνοια apud LXX. Interpretes idem est quod אשם & חטאה, quæ voces etiam *atrox scelus & delictum* significant, item idipsum est quod פשע *transgressio, rebellio*. Sed & miser ille refellitur ipsius Dei autoritate: nam Lev. 16. jubetur princeps Sacerdotum confiteri die Propitiationum על עונות, etiam על פשעי Israelis, וכל חטאתם *& omnia peccata eorum*.

8. Μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν] Hinc non efficitur quod volunt Pontificii, *Pios ante Christi ascensum in cœlum nullum fructum mortis Christi persensisse*; quæ summa fuisset miseria: sed hoc tantùm Apostolus vult, *Nondum ingressum fuisse summum Pontificem Ecclesiæ in verum Sanctuarium quamdiu velum Sanctuarii carnalis non fuit scissum.*

15. Εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ] Socinus sic inflectit ista ut velit intelligi peccata ejusdem generis cum iis quæ fuerant sub priore fœdere; ut hæc sit sententia, *Christum ejusmodi peccata redemisse sanguine suo quæ sacrificiis Legalibus expiari non poterant.* Sed pugnat hoc interpretamentum cum Apostoli scopo, qui est ostendere sacrificium Christi fuisse necessarium: Nam si in V. Test. peccata nullo fuerunt expiata sacrificio, nihil opus erat sacrificio in N. Test. Sed Apostolus hoc voluit, peccata non fuisse expiata in V. Test. itaque opus fuisse sacrificio in N. Test. alioqui futurum ut Patres V. Test. perirent.

25. Οὐδ' ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτόν] Volunt Pontificii aliam esse Christi oblationem (sive Sacrificium) *incruentam*, aliam verò *cruentam*: & cruentam quidem semel esse factam neque verò iterandam esse, at incruentam sæpius iterari censent: de illa autem cruenta, non verò de ista incruenta, loqui hic Apostolum somniant. Verùm observandum est, passionem non esse separari à Sacrificio Christi, ut nullum sit sacrificium ubi nulla est passio. Etenim sic Apostolus probat non fuisse opus *ut Christus semetipsum sæpius offerret*, imò hoc absurdum esse; *quia*, inquit, *alioqui sæpius illi patiendum fuisset à jactu mundi fundamentis*. Argumentum nullum erit si Christus offerri potest ita ut non patiatur. Pontificii ergò hâc suâ distinctione sacrificii *cruenti* & *incruenti* evertunt Apostoli Argumentum, faciuntque eum ineptè argumentantem.

26. Ἀπὸ καταβολῆς κόσμου] Hæc verba forent supervacanea si Patribus, qui ante Christum vixerunt, nihil opus fuit sacrificio Christi: quod contendit Socinus. Responderi enim posset, Ideo Christus non est oblatus sæpius, imò neque oblatus est omnino temporibus Patrum illorum, quòd Patribus nihil eo esset opus. ¶ Ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων] Non est hoc torquendum, sed accipiendum simpliciter, ut *finis seculorum* hic dicatur quod alibi ab Apostolo dicitur *plenitudo temporum*, & ἐσχάται ἡμέραι, quod est Hebraicè אחרית הימים, tempus nempe illud quo absoluta est omnibus partibus œconomia quâ Deo visum est uti in Ecclesia colligenda & gubernanda usque ad adventum Christi, qui finem imposuit omni œconomiæ, & perfectionem eam attulit cui nihil adjici possit in hoc seculo; contra quàm fiebat temporibus illis quæ Christi adventum præcesserunt; nam subindè aliquid vel addebatur, vel detrahebatur, vel immutabatur, Dei sapienti consilio.

GUALTPERIUS.

5. Χερουβίμ] Vox Hebræa כרוב *Cherub* vel *Cherubinus*, imago humana sed alata, operculo Propitiatorio vel Arcæ fœderis imposita Exod. 25. 18 repræsentans Angelos invisibiles. Unde Moses Angelos ante Paradisum collocatos *Cherubim* appellavit, ut populus nomine noto & quasi visibili meliùs comprehenderet Angelos invisibiles. Plurale כרובים. Avenarius in Lexico כרוב interpretatur *imaginem cujusque facici quæ expansis alis tanquam avis volare pingitur*, *& apparet* Psal. 18. 11. *Et vectus est super Cherub*, *& volavit*, *& latus est.* P. Fagius ad Gen. 3. 24. CHERUBIM *sic dictos volunt eò quòd formam puerorum sive adolescentum præ se tulerint. Caph literam enim notam esse dicunt Similitudinis*, *&* רביא RABIA *Puerum seu Adolescentem significare. Testis est hujus rei D. Kimhi, qui in libro Radicum scribit*, Rabini nostri b. m. ponunt Caph literam servilem, & dicunt CHERUB idem significare quod CHERUBIA, i. e. *Quasi puer* seu *adolescens*, quòd scilicet puerorum formam habeant.

JAC. CAPPELLUS.

Hujus capitis duæ sunt partes. In prima typum, in secunda antitypum describit Apostolus. Eò verò spectat utraque descriptio, ut discamus quantò sit præstantius typo antitypum. 1. *Igitur*] q. d. Cùm ante tot secula prædixerit Jeremias antiquandum prius Fœdus, æquum est ut tandem aliquando complementum suum sortiatur illius Prophetia. ¶ *Habuit quidem*] Sed jam habere desiit, quia quocunque tandem honore prius illud Fœdus afficiatur à Judæis, tamen apud Deum nullius ampliùs est virtutis: Deus jam illud habet pro nullo. Hanc vim huic præterito meritò tribuunt Chrysostomus & Oecumenius. ¶ *Etiam prius*] Multi Græci cod. addunt σκηνή, ut & Arabs. Sed est hoc glossema, prout agnoscit Photius apud Oecumenium. Quamobrem neque Syrus, neque V. Interpres Latinus, neque Chrysostomus agnoscit additamentum istud; quin potiùs & Chrysostomus & optimi quique Interpretes agnoscunt hic ab antecedentibus supplendam vocem διαθήκη *fœdus*, prout omnino postulat series orationis. ¶ *Constitutiones*] Δικαιώματα. Verum δικαιοῦν Rebus cùm tribuitur, significat *æquum censere*, *constituere*: Personis verò cùm tribuitur, significat aliquando quidem *castigare*, quin & *emendare*, *mundare*; multò tamen sæpius *absolvere*; prout multis exemplis varias illas acceptiones alibi

alibi demonstravimus. Δικαίωμα quoque varia significat. Primùm enim significat κατόρθωμα, ut Rom. 5. 18. opponitur enim παραπτώματι. Eo sensu sumi potest Apoc. 19. 8. Sic & apud Aristotelem Rhet. lib. 1. c. 13. τὰ δ' ἀδικήματα πάντα καὶ τὰ δικαιώματα διέλωμεν. Secundò significat *absolutionem*, ut Rom. 5. 16. opponitur enim *condemnationi*. Sed eo sensu sæpius usurpatur δικαίωσις. Tertiò significat *judicium*; ut Apoc. 15. 4. & apud LXX. sæpe. Quartò, idque longè sæpissime, significat *constitutionem*; ut apud LXX. passim, & in Novo Testamento Luc. 1. 6. Rom. 1. 32. & 2. 26. & 8. 4. Quintò significat apud recentiores Græcos *probationes & instrumenta quibus utuntur litigatores ut aliquid sibi vendicent*; ut Juris Orientalis lib. 1. pag. 109. περὶ τῶν δικαιωμάτων, &c. ¶ *Ad cultum pertinentes*] Sic enim existimo vocem λατρείας accipiendam genitivo casu, prout in omnibus ferè cod. & a veteribus & recentioribus plerisque Interpretibus accipitur. Qui volunt δουλείαν latiùs patere quàm λατρείαν, licet exemplis multis refellantur, tamen excusari possunt, modò fateantur imagini manufactæ nè δουλείαν quidem ullam esse tribuendam, prout Scriptura disertè sancit, & omnem cultum religiosum quantumvis externum dici λατρείαν, & uni Deo deberi, quod ex hoc capite liquido constat v. 1, 6, 9. Apud exoticos scriptores quisnam sit hujus vocis usus colligere potes ex his Plutarchi verbis De consolatione, Τοιαύτης δὲ τοῦ βίου τῶν ἀνθρώπων ὄντος, πῶς εὐδαιμονίζειν μᾶλλον προσήκει τοὺς ἀπολυθέντας τῆς ἐν αὐτῷ λατρείας ἢ κατοικτείρειν; Omnino *servitutem* hic designat vox λατρεία. Idem paulo post, ἀπαλλαγεὶς τῆς τοῦ σώματος λατρείας. ¶ *Et Sanctuarium mundanum*] Κοσμικὸν opponit Apostolus τῷ ὑπερκοσμίῳ, h. e. ὑπερουρανίῳ, quale est Christi Sanctuarium. Hæc est πρόληψις. Sequitur ἐργασία, describens Veteris Fœderis primo Sanctuarium, deinde cultum utrumque typicum.

2. *Tabernaculum enim constructum fuit*] In hunc ipsum finem videlicet ut esset Sacerdotum veteris Fœderis Sanctuarium, idque duplex. ¶ *Prius quidem, in quo erat candelabrum & mensa*] Duo sunt etiam corporibus nostris longè gratissima, Lux & Vita. Ad hæc duo referri possunt omnia ferè dona spiritualia. Utrumque beneficium istud adumbrabatur in hoc Tabernaculo, Lux quidem in *candelabro*, Victus autem in *mensa*. Neutrum videlicet negat Deus fœderatis suis, neutrum sperare debemus nisi pertineamus ad Dei fœdus, neque lucem, inquam, salutarem, neque veram animæ vitam. ¶ *Et propositio panum*] Hypallage, pro *& panes propositionis*. Hebr. *panes facierum* sive *faciei*, לחם הפנים, h. e. panes coram Dei facie speciatim ordinati, propositi, consecrati. ¶ *Quod Tabernaculum dicitur Sanctum*] ἥτις λέγεται ἁγία. Sic enim accipi potest, propterea quod ἅγια plurali numero dicitur potiùs de intimo Sanctuario, quòd numerus pluralis apud Hebræos sæpe vim habeat superlativi.

3. *Post secundum velum*] Quod describitur Exod. 36. 35, 36. Primum autem ibidem describitur v. 37, 38. ¶ *Erat tabernaculum quod vocatur Sancta sanctorum*] קדש קדשים, h. e. *locus sanctissimus*, sive *Tabernaculum sanctissimum*, cùm alterum diceretur tantùm *Tabernaculum sanctum*.

4. *Aureum habens altare suffitus*] Non situs sed relationis & officii ratione. Quemadmodum enim altare Sacrificiorum licèt extra locum Sanctum esset tamen ad locum Sanctum suam relationem habebat, cujus respectu locus Sanctus dici poterat *habere Sacrificiorum altare*; sic altare Suffitûs licèt esset in loco Sancto tamen suam σχέσιν habebat ad locum Sanctissimum sive Sanctuarium intimum, ut in cujus gratiam è loco Sancto quotidie bis super illud altare Suffitûs adoleretur, prout jubetur Exod. 30. 7, 8. quemadmodum altare Suffitûs à Salomone constructum licèt esset extra דביר *debir adytum* Salomonis, tamen nuncupatur מזבח לדביר *altare adyti* 1 Reg. 6. 22. ¶ *Et arcam fœderis undique circumtectam auro*] Quod in aliquot Mosis instrumentis magnificum videri potuerat, postea vilum est exile, cùm Salomon tot instrumenta, tantam ædem obtexit auro: non quòd Deus auro delectaretur potiùs tum quàm hodie, sed quòd populus tum hujusmodi typis opus haberet, ut sciret à solo Deo, ab illius gratuito fœdere verum splendorem & ornamentum exquisitum ac solidum exspectandum. Nunc autem præterito typorum illorum seculo, meritò possumus idem dicere quod Juvenalis,

Dicite, Pontifices, in templo quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donata à virgine puppa.

Et pompam illam sibi non placere satis testatus est Deus cùm passus est Ecclesiæ infaustas esse primas consecrationes Dominicorum aureorum factas à Constantino & Constantio Hierosolymis & Antiochiæ. ¶ *In qua erat*] Licèt 1 Reg. 8. 9. & 2 Chron. 5. 10. dicat Scriptura solas Tabulas Arca positas, tamen Judæi quidam dixerunt Canticum Mosis in Arca positum, ut notat R. Salomon in Deut. 31. 26. Sed ibidem notat alios agnoscere *Canticum illud positum à latere quidem Arcæ, sed extrà, non intrà*, nos quoque putamus Urnam & Virgam potiùs extrà quàm intrà, sed juxta Arcam fuisse: quod aliquando significat vox *in*, ut Prov. 1. 21. *in ostiis* pro *juxta ostia*. Pindarus Olymp. 6. dicit Amphiaraum edidisse suum oraculum ἐν Θήβαις, i. e. *juxta Thebas*. ¶ *Urna aurea habens manna*] Mosis Exod. 16. 33. jubetur eam *ponere coram Domino*, h. e. juxta Arcam. Erat id continuum miraculum, quòd tot secula mansit incorruptum Manna, cùm in deserto nè triduum quidem servari posset. ¶ *Et virga Aaronis quæ germinavit*] Hanc Moses Num. 17. 10. jubetur *ponere coram testimonio*, i. e. coram Arca testimonii. Mirabilius fuit videre florem incorruptum per tot secula manentem quàm virgam aridam unâ nocte frondescentem. Tam autem Mannæ quàm hujus Virgæ flos illibatus per tot secula manens typus erat immarcescibilis coronæ quam Deus æternùm conservaturus est in cœlo tum Capiti tum membris Ecclesiæ. ¶ *Et tabulæ fœderis*] Lapideæ scilicet, quibus insculptus erat Decalogus, quæ solæ erant in arca 1 Reg. 8. 9. 2 Chron. 5. 10. sumendo propriè vocem *in*. Quid enim vetat quò minùs uno eodemque versu dicantur *in arca* esse tam quæ juxta quam quæ intrà erant; quo modo *Romæ* dicimus *habitare* tam qui juxta quàm qui in ipsa degunt urbe? Itaque nodum hic in scirpo quæsivit Drusius in Exod notâ 28.

5. *Supra hanc autem Arcam erant Cherubini gloriosi obumbrantes Propitiatorium: de quibus nunc non est dicendum singulatim*] Cùm Fœdus Legale sit ab omnibus violatum, meritò superimponebatur illi tegumentum, quòd Fœderis Legalis violatoribus nulla possit esse felicitas nisi tegantur eorum peccata, Psal. 32. 1. Tegumentum istud appositè dicitur *propitiatorium*, quia non aliâ ratione tegi voluit Deus offensas nostras nisi propitiatione quam unus Christus præstitit, unus præstare potuit. Mysterium hoc cernui venerantur Angeli, ὡς ἐπιθυμοῦντες παρακύψαι 1 Petr. 1. 12. Hactenus duplicis Tabernaculi descriptio: sequitur jam ritus utrique Tabernaculo præscriptus.

6. *His autem ità ordinatis, in prius quidem Tabernaculum quotidie ingrediuntur Sacerdotes qui ritus obeunt*] Hoc juge ministerium erat typus tum ejus quod in cœlo jugiter obeunt Angeli Spiritusque consecrati, tum illius quod in terra jugiter peragere debent fideles. Ministerium autem juge de quo Dan. 8. 11, 12, 13, 14 est illud ipsum quod hic describitur, à cujus abolitione per Antiochum facta fluxerunt dies MMCCC. ad Nicanoris cædem, quæ causam adjudicavit Sanctuario, cujus sempiternam abolitionem procurabant hoc toto spatio Seleucidæ ad illam usque diem, quæ conatus illorum prorsus infregit.

7. *In secundum autem Tabernaculum semel quotannis solus Pontifex*] Decimo videlicet Tisri die. R. Moses de Kotsi Mandato negativo 303. *Semel tantùm, nempe die Propitiationis, in Sancta sanctorum ingreditur summus Sacerdos: tum quater ingreditur. Si sæpius, aut si quovis alio die, mortis est reus.* Vide Levit. 16. 2. ¶ *Non sine sanguine*] Quippe nec cuiquam in cœlum patet aditus sine propitiatione, nec propitiatio fieri potuit sine sanguine. ¶ *Quem offert pro suis & populi peccatis*] Ad v. *ignorantiis*: quæ phrasis duo docet; 1. Etiam per ignorantiam admissa contra Dei legem esse peccata propriè dicta, ut copiosè docet Hieronymus adversùs Pelagianos; 2. Nullam esse tantam malitiæ solertiam cui non admixta sit ignorantiæ caligo.

8. *Hoc declarante Spiritu sancto*] Revelatore scilicet ac dispensatore mysteriorum Regni cœlestis, ¶ *Nondum patefactam esse viam ad Sanctuarium, adhuc stante priore Tabernaculo*] Lyranus, *Per hoc quod non patebat accessus Sacerdotibus ad Sanctum sanctorum, designabatur quòd via veniendi ad cœlestia non erat patefacta sicut in N. Testamento, & quòd V. Testamentum habebat adhuc cursum suum: quod significabatur per primam partem Tabernaculi.* Ordinaria Glossa & Lombardus dant quidem etiam alias interpretationes, sed Lyrani primam ultimo loco ponunt, ut in qua potissimùm acquiescant. Thomas, *Christus adhuc latebat sub figuris literæ obumbratus.* Anselmus, *Non poterat veritas palam emicare & effulgere nisi umbra removeretur.* Dixeris, Intimum Sanctuarium non erat tam ἀόρατον quàm inaccessum, ac proinde cœlestium bonorum non cognitio tantum sed & fruitio negabatur stante priore Tabernaculo. Huic objectioni responderi potest duabus rationibus; Primùm ex mente Chrysostomi locum hunc ita παραφράζοντος, Ὁ οὐρανὸς ἔτι ἐστὶν ἄβατος, *Cœlum adhuc est inaccessum*, nempe vobis Judæis, in quorum corde Tabernaculum primum habet adhuc suam στάσιν, ut qui sitis adhuc illi velut affixi. Secundò, dici potest cœlum antè Christi mortem inaccessum fuisse, quia mortis Christi merito reseratum est, ità quidem ut nisi Christus fuisset

Pro nobis moriturus & morte suâ soluturus ac inanem redditurus *στάσιν* primi Tabernaculi, cœlum certè nunquam patuisset, nunquam educti fuissemus *ex Lacu in quo non est aqua*, Zach. 9. 11. ¶ At etiam ante Christi nativitatem, virtute mortis quam perpessurus erat Christus, ex Gehennæ lacu jam eductos fuisse fideles, iisque jam patuisse cœlum, docet 1. Exemplum Eliæ, cujus etiam corpori pervium fuit cœlum 2 Reg. 2. 11. Numquid Patriarcharum animas in deteriorem locum ablegabimus quàm corpus Eliæ? 2. Qui cùm peccatores adhuc essent fruebantur gratâ communione cum Deo, ubi peccatores esse desierant, an tum demum excludebantur ab omni Dei præsentia? Conditionemne Martyrum deteriorem faciemus post quàm ante martyrium? 3. Spem beatam quâ se sustentabant fideles, Gen. 49. 10, 18. Psal. 27. 13. & 42. 3. quo jure differemus in multa post mortem eorum secula? 4. Ut ante Christi mortem sic nunc quoque deferuntur animæ fidelium in sinum Abrahami Luc. 13. 29. & 16. 22. h. e. in portum tutissimum, in quo fideles non tantùm *requiescunt à laboribus suis*, sed & epulo beatissimo fruuntur Apoc. 14. 13. Psal. 16. 11. & 36. 9.

9. *Quod erat exemplar pro tempore præsenti*] Potest quidem symbolicum istud documentum etiam ad ea referri tempora quæ Christi resurrectionem antecesserunt: Tum enim multò minus quàm nunc patebant salutis æternæ mysteria: Tamen hæc symbola propriè respiciebant seculum illud quod fluxit inter Christi resurrectionem & eversionem Templi 1 Cor. 10. 11. Eo seculo multæ quidem Judæorum myriades profitebantur fidem in Christum Actor. 21. 20. Sed quia Tabernaculum Mosis adhuc stabat, eique nimis erant addicti Judæi, non poterat illis liquidò patere *via* perducens ad cœleste Sanctuarium. ¶ *Quo*] Καθ' ὃν. Sic & Chrysostomus, & omnes hodie Græci codices, aut plerique. Oecumenius tamen legit καθ' ἣν, V. Interpres vertit *juxta quam*, nempe *parabolam*: sed id minus quadrat. ¶ *Dona sacrificiaque offeruntur, quæ non possunt conscientiam cultoris sanctificare*] Ergone potuerant antea quod tum non poterant? Minimè sanè. Tamen si nunquam id potuerant, multò minus id poterant post Christi resurrectionem aut mortem. Ante Christi mortem, utut externa, tamen viva quodammodo fuerant: Post Christi resurrectionem exsanguia quodammodo mortuaque cœperunt esse: Post eversionem Templi non tantum emortuus sed & lethalis esse cœpit illorum usus, ut Augustinus ad Hieronymum apposite scribit.

10. *Quæ quidem in cibis duntaxat & potionibus, & variis lotionibus*] Minus commodè V. Interpres vertit *baptismatibus*, cum Apostoli distinctionis ergò vocem βαπτισμὸς aliquando latiùs usurpent quàm vocem βάπτισμα. ¶ *Et præceptis carnalibus*] h. e. Carnem sive cutem tantum attingentibus, ut dicitur v. 13. ¶ *Ad correctionis usque tempus imposita sunt*] h. e. Ad illud usque tempus quo Christus per Apostolos Ecclesiæ suæ meliorem formam erat daturus. *Corriguntur*, Thoma teste, *quæ mutantur in melius, non tantùm ut mala, sed & ut minus bona.*

11. *Postquam autem*] Hactenus typus. Sequitur antitypum; Quod typo præponitur tribus potissimum nominibus; I. quòd Christus præstantius Sanctuarium habeat, v. 11. II. quòd præstantiorem conferat sanctificationem, v. 13. III. quòd præstantioris fœderis sit Mediator, v. 15. ¶ *Advenit Christus*] In carne scilicet. Nam *in Spiritu* non semel ad homines venerat, 1 Petr. 3. 19. h. e. Divinitatis suæ virtute. Quin & apparitiones multas exhibuit, veluti totidem incarnationis suæ præludia. ¶ *Summus Sacerdos*] כהן, i. e. *administrator*. Verbum enim כהן *ministrare* significat. ¶ *Bonorum futurorum*] Ad futuram æternamque vitam pertinentium. ¶ *Per majus & perfectius tabernaculum*] Erat Tabernaculo Mosis sua perfectio, majestas sua, sed longè minor eâ quæ residet in Christo, ut in quo non σκιωδῶς, non typicè, sed σωματικῶς, i. e. verè, *habitet omnis plenitudo Deitatis*, Col. 2. 9. ¶ *Non manu factum, hoc est, non hujus structuræ*] Per Tabernaculum, inquam, nec ab homine nec ab ulla creatura constructum, per immolationem videlicet sui corporis, cujus typus erat primum Mosis Tabernaculum: quia quemadmodum non nisi per primum patebat aditus ad secundum, sic non nisi per Christum, eumque crucifixum, non nisi crucis ejus merito patuit cuiquam aut cuiquam unquam patebit aditus in cœlum. Ideo meritò dicit Joh. 14. 6. *Ego sum via, veritas & vita.*

12. *Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in intimum Sanctuarium*] Quia suum corpus eò semel illatum indè nunquam eduxit, Actor. 3. 21. & effuso semel in crucis ara suo sanguine, nullo deinceps sacrificio nobis opus fuit ¶ *Æternam redemptionem nactus*] h. e. Adeptus jus conferendæ redemptionis æternæ iis omnibus quibus hoc beneficium ipsi conferre libet. Vel εὑράμενος respondet non tantum voci מצא *nactus*, sed & voci מציא, quemadmodum הבין significat non tantum *intelligere* sed etiam *intelligendum dare*. ¶ Cum autem מציאות Rabbinis significet *essentiam*, & נמצאות dicantur *ea quæ sunt* Gen. 19. 15. Judic. 17. 9. 1 Sam. 9. 8. & 13. 15, 16. Psal. 37. 36. Dan. 11. 19. Hos. 2. 7. Mal. 2. 6. ממציא dici potest *is qui facit ut aliquid exsistat*. המציא certè significat *sistere, repræsentare* Levit. 9. 12, 13, 18. 2 Sam. 3. 8. Zach. 11. 6. quod hic quoque probè quadrat. Christus enim nobis *æternam redemtionem* suo sanguine repræsentavit. Ut scias quàm frequenter apud Hebræos מציאות significet *essentiam*, audiamus primum articulum eorum quos Judæi vocant Tredecim fundamentales articulos Is sic habet, העקר הראשון להאמין שהבורא יתברך נמצא במציאות גמורה וכי הוא עלת מציאות כל הנמצאים ובו קיום מציאותם. *Primum fundamentum*, (vel *Primus articulus est*) *credendum, quod Creator benedicendus est essentia perfecta, & est causa essentiæ omnium entium, & in eo stabilimentum est essentiæ aliorum.* Utut sit, hic locus commentitium Missæ sacrificium funditus evertit. Cùm enim *redemptionem æternam* suo sacrificio *nobis acquisiverit Christus*, iteratione sacrificii jam non est opus. Idem locus Christi Divinitatem adstruit solidissimè. Qui possit enim *redemptionem æternam nobis acquirere* nisi qui virtutis est æternæ ac prorsus infinitæ? Indidem refellitur error Origenis, putantis non minùs in futura quàm in hac vita locum habituras varias mutationum vices, ut alii per pœnitentiam ex inferis in cœlum evehendi sint, alii suâ culpâ detrudendi sint è cœlis in tartara. Nobis verò fixum illud ac immotum constet, *æternam redemptionem nobis acquisitam à Christo*: Cui sit æternùm honos & gloria. ¶ Undique nobis laqueos & foveas parat Satan. Judæum impellit ad respuendum Euangelicum Fœdus obtentu Veteris, Manichæum ad respuendum totum Vetus Testamentum obtentu Novi: Mediam viam init Christianus, ità Novum Fœdus amplectens ut Veteri debitam venerationem impendat. Hieronymus ad Paulinum, tom. 4. epist. 1. *In Levitico singula sacrificia, imò singulæ penè syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus spirant cœlestia sacramenta*, i. e. arcana. Hæc Veteris Testamenti commendatio non pertinet ad contumeliam, sed ad tantò majorem gloriam novi, quia quantacunque sit Veteris dignitas, Novum tamen Vetere multò præstantius est. Hoc illud est quod probat Apostolus hoc capite, docens quantò melioris notæ sit Sanctuarium, sanctificatio fœdusque Christi quàm Aaronis aut Mosis.

13. *Nam*] Hactenus de Sanctuario: nunc de Sanctificatione ¶ *Si sanguis taurorum & hircorum & cinis vaccæ rufæ*] De qua Num. 19. 2. ¶ *Adspergens coinquinatos*] Contactu cadaveris, ossis vel sepulcri, ità quidem ut prohiberentur ab hominum consortio & ab ingressu Templi, quasi leprâ quadam essent infecti vel fœtido cœno. ¶ *Sanctificat ad carnis puritatem*] Restituit eis libertatem versandi cum hominibus, ingrediendi Templum, & in eo vacandi rebus Divinis. Erat hæc *sanctificatio carnis*, h. e. externa tantum, non interna. At nec externa, nec interna, sed nulla prorsus est sanctificatio quam obtendunt humana commenta, Monachi cucullus, Imago cerea vocant *Agnus Dei*, & id genus næniæ, imprimis Aqua quam *benedictam* vocant, quibus tamen Papa non dubitat majorem vim tribuere quàm Mosaicis Ceremoniis Divinitus institutis, Elisæi Sali, Fimbriæ vestis Christi, Epistolâ quæ tribuitur Alexandro I. Urbanus V. Ceremoniale Ecclesiæ. De Consecr. dist. 3. can. 20. *Aquam.* Hoc quid aliud est quàm hominis somnia Dei mandatis & ipsi Christo præponere, vel æquare?

14. *Quantò magis sanguis Christi, qui semetipsum obtulit inculpatum Deo*] His verbis oblatio Christi quibusvis aliis anteponitur; Ethnicorum, quia dæmoniis offerebantur; Judæorum, quia pecudes offerebant rationis expertes; Christianorum, quia semetipsos quidem offerunt, sed reos, non inculpatos. ¶ *Per Spiritum æternum*] h. e. Per suam ipsius Divinitatem, quæ *Spiritus* vocatur 1 Tim. 3. 16. 1 Petr. 3. 19. Hæc autem est causa cur *redemptionem æternam nobis* suâ morte *repræsentaverit*, quia Divina Persona sibi personaliter unitam hanc humanam naturam in ara crucis offerens indidit huic oblationi pretium valoris infiniti. Alioqui nostræ preces offeruntur Deo per Spiritum æternum Rom. 8. 26, 27. Quin etiam Dei sunt omnia, neque propterea quidquam æternum est infinitæve virtutis nisi quod Deus suum singulari prorsus modo fecit unitate personæ. Hinc est quòd *Deus Ecclesiam suam acquisivisse* dicitur *sanguine suo* Actor. 20. 28. Hic autem perperam habet V. Interpres *per Spiritum sanctum*. Hunc errorem satis revincit consensus codicum Græcorum, & Interpretum Orientalium Arabis ac Syri, qui constanter legunt *per Spiritum æternum.*

rum. ¶ *Purgabit conscientiam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi*] h. e. Efficiet ut à reatu & servitute peccati liberati, velut à sordibus fæculentis & lepra spirituali mundati, possimus ad Dei thronum accedere, & ipsius cultui vacare. Peccata sunt *opera mortua*, tum quòd fœtida sint olidi cadaveris instar, tum quia sunt mortifera. Polluunt autem nos, 1. ob reatum, qui nos extorres facit à Dei domo; 2. ob pravitatem, quæ nos reddit ad malum proclives, aversos à Deo. A priore pollutione nos liberat Justificatio, à posteriore Regeneratio. Utrumque beneficum nobis impetrat & confert Christus merito suæ satisfactionis & oblationis suæ. Priorem pollutionem potissimum respicit Apostolus, ut quæ conscientiam propriè spectet. Nam si pannosus, lutulentus, leprosus quispiam coram rege comparere non audet, quantò minùs is ad Deum audebit accedere qui teste judicéque conscientiâ suâ sentit se læsæ Majestatis Divinæ multis nominibus reum, ac æternâ morte dignum esse? At ubi Spiritu S. conscientiæ nostræ testimonium perhibente sentimus nos Christi merito Patri reconciliatos, tum demum velut emaculatis novâque veste ornatis intrepidè ad Deum accedere licet, ac illum bonâ conscientiâ Patrem compellare Rom. 5.1 & 8.26, 27. 1 Pet. 3.21.

15. *Itaque*] Hactenus de Sanctuario & Sanctificatione: nunc de Fœdere. ¶ *Ob id novi Fœderis Mediator est*] q. d. Cùm Sanctuarium & Sanctificatio Christi sit longè præstantioris notæ quàm Aaronica, nihil mirum si *Fœderis Novi*, novâ ratione sanciendi, *Mediator* est Christus. ¶ *Ut intercedente* suâ *morte*] Utpote qui suum Fœdus voluerit testamenti rationem habere, ¶ *Ad redemptionem prævaricationem sub priore fœdere commissarum*,] Cujus merito pii redimantur à reatu peccatorum adversus prius Fœdus commissorum, ¶ *Vocati*] Tam internâ quàm externâ vocatione per regenerationem, ¶ *Promissionem accipiant hereditatis æternæ*] Fruantur sibi promissâ felicitatis æternæ possessione. ¶ Dixeris, An eæ solæ nobis remittuntur prævaricationes quas committimus adversùs Fœdus Legale? Non solæ quidem illæ, sed etiam illæ nobis remittuntur: quanquam omnia nostra peccata, quamvis adversus Euangelicum Fœdus commissa, sunt etiam Legalis Fœderis violationes. Prius enim Fœdus nos obligat ad fidem, reverentiam & obsequium Dei, quicquid tandem Deus nobis imperet aut promittat.

16. *Nam ubi testamentum est, mors testatoris intercedat necesse est*] Hæc scilicet est causa cur Fœdus suum morte suâ sanciverit Christus, quia Fœdus suum voluit esse non quidem per omnia simile testamentis humanis, testamentis propriè dictis, sed habere tamen rationem testamenti propriè dicti. Pauli Syllogismus talis est, *In omnibus testamentis mors testatoris intercedat necesse est: Christus voluit Fœdus suum habere rationem testamenti: Ergo necesse fuit ut intercederet mors Christi.* Sequitur probatio Majoris. Versiculus, inquam, 17. adhibetur ad probationem versiculi 16. non versiculi 15.

17. *Testamentum enim in mortuis ratum est*] h. e. Tum demum rata sunt hominum testamenta cùm mortui sunt eorum conditores, ¶ *Quandoquidem nondum validum est, cùm vivit testator*] Ideo Christus licet noluerit Fœdus suum in omnibus esse simile testamentis humanis, tamen iis in hoc saltem simile voluit esse, quòd à morte testatoris validitatem suam accipiunt. Quamobrem nisi Christus fuisset sanciturus morte suâ Fœdus suum, nullam certè vim habuisset. Sed non propterea tum demum vim habere cœpit ubi spiritum emisit, quomodo nec vim suam amittere cœpit ubi per resurrectionem spiritum suum recepit; nec ità transmisit in nos jus suum ut eo spoliaretur; nec ullis legibus adstrictus fuit, nè redderetur irritum à Prætore testamentum ejus, velut inofficiosum.

18. *Unde nè prius quidem* Fœdus *sine sanguine dedicatum fuit*] Subintelligitur hujusmodi Major, *Si prius Fœdus sanguine dedicandum fuit, multo magis secundum, quod habet rationem testamenti.*

19. *Nam*] Confirmatio Minoris ex Exod. 24.3. ¶ *Cùm Moses recitasset toti populo*] Excludi nempe debet nullus ab auditu, sed nec à lectione verbi Divini, Joh. 5.39. Apoc. 1.3. Psal. 1.1, 2. Col. 3.16. Esa. 8.20. Roma multos arcet à lectione Scripturæ, ad auditum autem ejus neminem invitat, ut quam populo linguâ vernaculâ legendam audiendamve nunquam curet. ¶ *Omne mandatum secundùm Legem*] h. e. Quicquid hactenus acceperat à Deo, quicquid inscribere jussus fuerat Fœderis libro de quo Exod. 24.7. Sed & acceperat totam κατ' ἐντολήν, Legem Moralem cap. 20 Ceremonialem & Judicialem c. 21. 22, 23. ¶ *Accipiens* Moses *sanguinem vitulorum & hircorum*] Exod. 24.5. *vitulorum* tantùm fit mentio: sed est Synecdochica locutio. Cùm enim agatur illic de populi totius holocaustis, non solos vitulos oblatos rationi consentaneum est. ¶ *Cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo*] Nè hæc quidem, inquis, memorantur Exod. 24. Non memorantur ibi sane. Sed nec sanguis aspergi potest nisi mixtus aquâ: congelasceret enim: & neutrum aspergi potest sine quopiam aspergillo. Qualenam autem fuerit aspergillum, qualis aspersio quâ Moses usus est, unde potius id disces quàm ex iis locis quibus præcipitur quomodo fieri debeant aspersiones & aspergilla? Præcipitur autem id Levit. 14.6, 51, 52. Num. 19.6, 18. Iis locis *aqua*, *lana coccinea* & *hyssopi* fit mentio. ¶ *Simul & librum & totum populum aspersit*] Solius quidem *populi* mentio disertè fit Exod. 24.8. sed librum quoque sanguine aspersum subinnuunt Mosis verba. Præterea Moses populo quidem præcipit omnia quæ Deus volebat observari, sed eorum quæ fecerat ipse circumstantias omnes non describit. Itaque nec *hircorum* nec *aquæ* nec *lanæ coccinæ* nec *hyssopi* meminit Exod. 24. quæ tamen omnia Divinitus inspiratus Apostolus adhibita sciebat. Eodem modo reliqui quoque Scripturæ libri simul omnes complectuntur omnia quæ lumine rationis scire non possumus, quæque tamen nobis ad salutem scitu necessaria sunt; sed non est quod exigamus ut ea complectantur ac exprimant quæ luminæ naturæ nobis dictat ipsa Ratio, putà, *Totum esse majus sua parte*, *De re quavis veram esse negationem aut affirmationem*, & id genus alia principia Logica, Mathematica, Physicave, quantumvis etiam Theologis utilia sint ad veritatis Divinæ confirmationem. Multò minùs exigere debemus ut in Scriptura reperiantur ea quorum ignoratio non potest obesse saluti nostræ, qualia sunt ea quæ modò recensuimus, aut nomina Magorum Pharaonis, ac id genus alia.

20. *Dicens, Hic est sanguis testamenti quod mandavit vobis Deus*] Ad verbum Exod. 24.8. *Ecce sanguinem fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super omnes sermones istos*: quibus verbis subinnuit Moses id quod hic disertè docetur, nempe librum quoque sermones istos complectentem aspersum eodem sanguine quo respersus fuerat populus. Tam Mosis autem quàm Pauli verba sic commodè possunt explicari, *Hic sanguis est sacramentum testamenti*, &c. Quam interpretationem etiam admittere possunt adeoque postulant omnia consimilia verba Sacramentalia, Gen. 17.9. Matth. 26.26, 28. Mar. 14.22, 24. Luc. 22.19, 20. 1 Cor. 10.4, 16. & 11.24, 25.

21. *Insuper autem tabernaculum & omnia vasa sacri ministerii sanguine similiter aspersit*] Non exprimitur quidem in Exod. 40. sed cum Exod. 29.36. dicatur ipsum *altare purificandum*, cùm Levit. 16.14, 15, 18. jubeatur Aaron quotannis ipsum *intimum Sanctuarium aspergere sanguine*, rationi consentaneum est, *thus* quod *adolevisse* dicitur Moses & *holocausta* quæ *mactasse* dicitur Exod. 40.27, 29. in erectione Tabernaculi, non alio pertinuisse quàm ut eo thure, eo sanguine purificaretur totum istud Tabernaculum, quod erigebatur ac consecrabatur Deo. Sed etiamsi nihil tale fecisset Moses ipse, constaret tamen verbis Apostoli veritas sua, cùm id per Aaronem ejusve filios faciendum curarit Levit. 16.14, 15, 18. Ut autem Tabernaculum sanguine pecudum fuit aspersum, sic animas nostras Christi sanguine Spiritus sanctus aspergit Heb. 12.24. 1 Pet. 1.2. Quamobrem hujus beneficii symbolo, nempe Baptismo, convenit non minus aspersio quàm immersio, pro locorum & temporum in quibus administratur Baptismus varietate.

22. *Ac propemodum in sanguine omnia purgantur*] Vocem σχεδὸν *propemodum* addit Apostolus propter aliquas purificationes quæ fiebant aquâ sine sanguine, quas usurpant hodieque Judæi, licèt sacrificia nulla jam habeant. ¶ *Et sine sanguinis effusione non fit peccatorum remissio*] i. e. Sacrificium propitiatorium. Cùm igitur hanc vim inesse Missæ velit Papa, falsò vocat eam *sacrificium incruentum*. Aut incruentum si pertendit esse sacrificium illud, fateatur saltem propitiatorium non esse.

23. *Itaque necesse fuit exemplaria quidem eorum quæ sunt in cœlis*, *hisce rebus* terrenis atque corruptibilibus *purificari*, *ipsa autem cœlestia*, cœlum ipsum & animas nostras cœlesti naturâ præditas, *melioribus hostiis quàm istis*] Hostiâ reliquarum omnium multò præstantissimâ. Sæpe quidem autores tam sacri quàm exotici numerum pluralem usurpant pro singulari: Scriptoribus autem sacris id peculiare est, ut pluralem usurpent nonnunquam pro singulari superlativo, maximè cùm Hebræi superlativo careant. Sic τὰ ἅγια dicunt locum Sanctissimum; *diem Propitiationem* כפרים, diem Propitiationis omnium totius anni longè celeberrimæ. Sic Deum vocant ישועות *salutes* Psal. 42.6, 11. & 43.5. h. e. salutem perfectissimam; τὸν λόγον חכמות, Prov. 9.1. *sapientias*, h. e. sapientiam longè præstantissimam; 1 Sam. 11.3. Sic אל דעות est *Deus scientiarum*, h. e. omniscius. Psal. 94.1. אל נקמות *Deus ultionum*, i. e. ultor severissimus. Aliquando septenarius additur, ut Apoc. 1.4. & 4.5. τὰ ἑπτὰ πνεύματα pro τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον,

¶ Et

¶ Et corruptibilia quidem Tabernaculi vasa corruptibili pecudum sanguine purgari necesse fuit, necessitate 1. Præcepti, 2. Decori vel ordinis, 3. Typi sive significationis. Incorruptibile verò cœlum & immortalem hominis animam incorruptibili Christi sanguine sanctificari necesse fuit necessitate Medii, quia nobis opus erat tali piaculo, quia nullum aliud medium instituit Deus ad cœlum nobis patefaciendum, ad expurgandas à peccatorum sordibus animas nostras, præter immaculatum Christi sanguinem quem pro nobis in cruce profudit.

24. *Nam*] Ἐργασία, quâ rursus docet Apostolus quantò præstantius sit Christi Aaronis Mosisve, I. Sanctuarium, v. 24. II. Sanctificatio, cap. 10. 1. III. Fœdus, cap. 10. 16. Ut igitur incipiamus à primo, Christi Sanctuarium Aaronico præstantius esse docet tribus rationibus; I. Quòd sit ἀχειροποίητον, v. 11. II. Quòd sit ἀληθινὸν, v. 24. III. Quòd semel tantùm eò sit ingressus, v. 25, 28. ¶ *Non ingressus est Christus in manufacta*] Jam Heb. 8. 2. & 9. 11. opposuerat Apostolus ἀχειροποίητον χειροποιήτῳ, ut rem longè præstantissimam rei longè minoris pretii. Ἀχειροποίητα videlicet ea vocat quorum ea est præstantia ut à nulla creatura possint construi, neque destrui lædive; χειροποίητα verò, quæ cùm hominum manu facta sint, possunt etiam hominum manu dissolvi. ¶ *Sanctuaria*] h. e. Intimum augustissimumque Sanctuarium: numerus pluralis pro singulari superlativo, ut monebamus in v. 23. ¶ *Verorum*,] *Verus* hic opponitur non *falso* sed *figurato typicove*. ¶ *Antitypa*] h. e. *Exemplaria*. *Antitypum* enim hic idem significat quod *typus oppositus veritati*. Contrà 1 Pet. 3. 21. significat veritatem oppositam typo, quo sensu passim sumitur à plerisque Doctoribus tam veteribus quàm recentioribus. ¶ *Sed in ipsum cœlum, ut nunc*] Τὸ *nunc* hic opponitur Seculis Christi resurrectionem antegressis, ut infra v. 26. 1 Pet. 3. 21. Act. 17. 30. 2 Cor. 5. 16, 17. Aliquando verò τὸ *nunc* opponitur Æternitati consummationem seculorum secuturæ, Rom. 8. 18. 2 Cor. 4. 17. ¶ *Appareat pro nobis in conspectu Dei*] Id tum demum de summo Sacerdote dicebatur cùm stabat coram Arca, Sanctuarium ingressus intimum, ibique Deum orans pro populo, quòd peculiarem quandam efficaciam & benedictionem precibus illis pollicitus esset Deus. Idem de Christo tum demum dicitur ubi cœlum ingressus est, quòd tum vel maximè cœperint efficaces esse Christi preces, etiamsi nunquam fuerint inefficaces. Efficaciam hanc respicit Apostolus hic & Rom. 8. 34. Ubi autem uni Sacerdoti licebat ἐμφανίζεσθαι τῷ προσώπῳ Θεοῦ pro populi peccatis in intimo Sanctuario, sic uni Christo licet in cœlo pro nobis intercessorem agere. Quamobrem hoc munus uni Christo tribuitur Rom. 8. 34. 1 Tim. 2. 5. 1 Joh. 2. 1, 2. Quod pii pro nobis orant, tum in terris, tum in cœlo, faciunt id non pro munere mediatorio tanquam intercessores, sed pro mutuo charitatis officio tanquam conservi, coheredes, adeoque συνεστῶτες· nec orant pro singulis, ut qui non norint singula, neque singulos, Esa. 63. 16. 2 Reg. 22. 21. 1 Reg. 8. 39.

25. *Nec ut semetipsum offerat*] Tertium hoc est argumentum Apostoli supplentis hanc Majorem ut indubitatam, nempe, *Quò quæque satisfactio perfectior est, eò minus opus habet iteratione supplementove.* Unde sequitur, à Pontificiis accusari Christi satisfactionem ut imperfectissimam, utpote cui tot adjungant supplementa ex hominum meritis somniisque petita, quamque quotidie velint sexcentis locis iterari; cùm Aaronica sacrificia propitiatoria quotidie quidem iterarentur, sed unico saltem loco: propitiatoriorum autem Aaronis sacrificiorum præstantissimum semel tantùm quotannis iterabatur, ut hîc docet Apostolus ad confirmationem Majoris illius propositionis quam modò recensuimus, nempe, *Satisfactionem, quo perfectior est, eo minus iterandam.* ¶ *Sicut summus Sacerdos ingreditur in intimum Sanctuarium quotannis cum sanguine alieno*] h. e. Non suo. Contra Job. 19. 27. *non alienus*, i. e. proprius *Visuri sunt* Deum *oculi mei*, *non* oculi *alterius*, q. d. Ego ipse meis hisce oculis contemplaturus sum Dei faciem. Dixeris, Cùm hodieque pro nobis intercedat Christus, quidni possit hodieque pro nobis offerri? Resp. Quia non valet argumentum ab actione gloriosâ doloris omnis experte ad passionem satisfactoriam cum doloribus aut cum probro conjunctam.

26. *Alioqui oportuisset eum sæpius passum fuisse*] Quod iniquum prorsus esse satis per se patet. Sed insuper hæc ætiologia nititur hoc axiomate longè verissimo, *Oblatio Christi nihil aliud est quàm ejus passio.* Hinc quidnam adversùs Pontificios sequatur, manifestum est, nempe, *At vos vultis ut Christus reapse quotidie sexcentis locis offeratur; Vultis igitur ut sexcentis locis quotidie patiatur.* Sic rursus ex Apostoli mente possumus argumentari, *Christus offerri non potest nisi cruentâ sanguinis effusione: Vos vultis quotidie Christum offerri: Vultis ergo quotidie sanguinem ejus effundi, utut Incruentum vocetis sacrificium vestrum.*

¶ *A conditu mundi*] Quia continuo post Mundi conditum secutus est Adami lapsus, si servandis hominibus necessaria fuisset frequens iteratio sacrificii Christi, necesse fuisset has iterationes inchoari continuo post Orbis creationem. Tum autem jacta sunt mundi fundamenta cùm primum mundi creationi manum admovit Deus, cujus potentia subministravit tam fundamentum quàm id quod erat huic fundamento superstructurus, & utrusque tam materiam quàm formam, ut qui nihil extra semetipsum sit mutuatus. Mundum ab æterno creatum qui somniant, ii non Scripturæ tantùm adversantur sed & rectæ rationi. ¶ *Nunc autem*] Vide supra v. 24. ¶ *In consummatione seculorum*] Hæc phrasis aliæque consimiles usurpantur propriè simpliciterque, vel figuratè, secundùm quid. Ἁπλῶς, κυρίως *consummatio seculorum* dicitur ultimum Judicium & seculum illi proximum Matth. 13. 39, 40, 49. At secundum quid & figurate seculum quod proximè secutum est exortum stellæ natalis Christi prænunciæ dicitur *dierum* [Hebrew] *finis*; quam vocem hic retinuit Syrus Interpres, ut & Arabs, petitam ex Gen. 49. 1. Esa. 2. 2. Mich. 4. 1. Dicitur etiam τέλη τῶν αἰώνων 1 Cor. 10. 11. καιρῶν πλήρωμα Ephes. 1. 10. [Hebrew] Num. 24. 17. ἐσχάτη ὥρα 1 Joh. 2. 18. hic denique συντέλεια τῶν αἰώνων. Hujusmodi locutionum hæc est causa, quod intra seculum illud complementum acceperint figuræ Legis, Joh. 19. 30. prædictiones Prophetarum, Dan. 9. 24. militantis Ecclesiæ perfectio, sive canonem sive statum ejus spectes, Heb. 11. 40. Secundum quidem adventum Christi describunt aliquando Prophetæ, sed ità ut vix eum distinguant à primo, nedum in iis describendis immorentur quæ contigerunt inter seculum nativitatem Christi proximè secutum & seculum quod proximè resurrectionem mortuorum antecedet. ¶ *Semel per suimetipsius immolationem*] i. e. Per sacrificium sui semel peractum in cruce. Inculcat enim sæpius illud ἅπαξ *semel*, ut toties commentitiam sacrificii Christi iterationem proculcet. ¶ *Comparuit*] *Stitit se præsentem*, coram Deo scilicet, ejusque supremo Sanctuario. Hic enim πεφανέρωται eodem sensu sumitur quo supra v. 24 dixit Christum ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ. ¶ *Ad peccati abolitionem*] Eam peragit Christus impetrando nobis 1. remissionem peccatorum, ac veluti nostri reatûs abolitionem, 2. regenerationem, quæ pravitatem nostram corrigit paulatim, ac tandem prorsus est abolitura, cùm *liberabimur ab hoc corpore mortis* Rom. 7. 24. Utrumque beneficium binis elogiis describitur, & Christi morti tribuitur, Dan. 9. 24. quia beneficium hoc utrumque nobis promeritus est Christus unâ suimetipsius oblatione.

27. *Et sicut illud statutum est hominibus ut semel moriantur*] Fixit hanc legem Deus Homini, non sibi. Potuit igitur efficere ut Enoch & Elias mortem non gustarent, sicuti nec ii qui vivent cùm adveniet Christus, Heb. 11. 5. 2 Reg. 2. 11. 1 Cor. 15. 51. Potuit & efficere ut quidam non semel moriantur, quotquot videlicet à mortuis sunt excitati. Paucorum autem exceptio non infirmat sed potiùs confirmat legem: quam etiam Ethnici passim commemorant, ut Euripides apud Plutarchum De consolatione,

Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται.

¶ *Et postea judicium*] Unum videlicet. Nam ultimum judicium nihil aliud erit quàm promulgatio solennis & totalis executio sententiæ semel in singulos cùm moriuntur latæ, Luc. 16. 22, 23. Qui verò post mortem volunt animas post varios longosque cruciatus tandem in cœlum admitti, ii certè plura judicia Deo contra Pauli mentem affingunt. Cæterum cum Hebræis דין *judicium* significet, Macedones mortem vocabant δάναν, teste Plutarcho De Poëtis audiendis. A δάνος deduci potest θάνατος. Dei certè judicium non magis vitare possumus quàm mortem, Rom. 12. 19. 2 Cor. 5. 10.

28. *Sic & Christus semel oblatus ut peccata tolleret.*] Ut ea sursum attolleret in crucem, quomodo victimæ sursum attollebantur ut imponerentur altari. Sic Heb. 7. 27. 1 Pet. 2. 5. Ἀναφέρειν significare *sursum attollere* patet ex Matth. 17. 1. Marc. 9. 2. Luc. 24. 51. *Sustulit* quoque Christus *peccata nostra* cum *abolevit*, cum ἠθέτησεν ea, ut dictum est suprà v. 26. *sustulit*, inquam, ea ferendo pœnam & abolendo reatum. ¶ *Multorum*] Electorum, non omnium. Sic Es. 53. 11. Matth. 20. 28. & 26. 28. Marc. 10. 45. *Mortuus* tamen dicitur Christus *pro omnibus*, 2 Cor. 5. 15. 1 Tim. 2. 6. Heb. 2. 9. 1 Joh. 2. 2. h. e. pro quibusvis, ut passim *omnis* sumitur pro *quovis*: vel quia mors Christi plusquam sufficiens est omnibus omnium hominum peccatis expiandis. ¶ *Secundo sine peccato*] *Sine sacrificio pro peccato*, cum huc primò venerit ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας, Roman. 8. 3. adeoque factus ἁμαρτία 2 Cor 5. 21. h. e. *sacrificium pro peccato.* ¶ *Conspicietur*

cietur ad ſalutem] Conſpicietur quidem tum etiam ab hoſtibus ſuis Zach. 12. 10. Apoc. 1. 7. ſed iis conſpiciendum ſe præbebit ad condemnationem, piis autem ad ſalutem. Ideoque conſpicietur ab impiis cum horrendo planctu, à piis verò cum gaudio venerationis pleno. ¶ *Ab iis qui ipſum*] Secundum ipſius adventum. ¶ *Exſpectant*] i. e. Sperant & expetunt. Nam is demum propriè dicitur *exſpectare*, *ἀπεκδέχεσθαι*, qui quod exſpectavit, quod prævidit, id oblatum lubens ſpectat, lubens *ἐκδέχεται*. Itaque, ſi propriè loqui velimus, Chriſti ſecundum adventum exſpectant electi ſoli, iique adulti, 2 Tim. 4. 8. Sed & *exſpectare* quodammodo dici potes aliquid cùm id non refugis, cùm, ſi futurum id ſcias, gaudeas potius quàm doleas. Itaque dies illa dici poteſt ab infantibus electis, quin etiam ab omnibus creaturis, præterquam à reprobis, *exſpectari*. Atqui dicitur eam *exſpectare πᾶσα κτίσις omnis creatura*, idque *μετ' ἀποκαραδοκίας, ἐπ' ἐλπίδι συστενάζουσα καὶ συνωδίνουσα nobiſcum ingemiſcens*, Rom. 8. 19, 21, 22. Omnino. Sed cùm hæc dicantur ad pios adverſus perſecutorum oppreſſionem confirmandos & conſolandos, ab hujus exſpectationis ſocietate res ipſa docet excludendos oppreſſores, eoque Satanam, ejuſque miniſtros, qui certè neque nunc calamitatibus noſtris ingemiſcunt, neque tum gloriæ noſtræ gratulabuntur, neque conſequentur ullam liberationem. Neutrum igitur horum *ἀποκαραδοκοῦσι*. Nos ut utrumque ſeriò exſpectemus & expetamus, faxit in Chriſto Deus Optimus Maximus. AMEN.

LUD. CAPPELLUS.

1. **T**'O, *τε ἅγιον κοσμικὸν*] Sic vocat Tabernaculum à Moſe conſtructum, cui Apoſtolus vult reſpondere aliud *ἅγιον ἐπουράνιον*. *Κοσμικὸν* autem vocat, quia ejus uſus fuit in hoc duntaxat *κόσμῳ mundo*. Judæi ipſi duplex ejuſmodi Sanctuarium agnoſcunt, quorum alterum vocant מקדש של מעלה *Sanctuarium ſupernum*, alterum מקדש של מטה *Sanctuarium infernum*, ſive *ſuperius* & *inferius*. R. Jona in קרבן תמיד, *Non novi qua de re veniam à te ſim poſtulaturus, an de pollutione Sanctuarii, an vero de everſis Altaribus, an de ſucciſis lucis*, של כשרו או על מקדש של מעלה או על מקדש *an de Sanctuario ſuperno, an verò de Sanctuario inferiore.*

12. *Αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος*] h. e. *Adeptus, conſecutus*: quomodo & Rom. 4. 1. *εὑρηκέναι κατὰ σάρκα, conſecutum eſſe ſecundum carnem*. Hoc ſignificatu occurrere *εὑρίσκεσθαι* apud Græcos ſcriptores notatum eſt ab aliis. Sed & eſt phraſis Hebraica. מצא enim Hebræis interdum idem eſt quod *conſequi*. Joſ. 17. 16. לא ימצא לנו ההר *non invenietur nobis mons ille*, h. e. non poterimus vincere, ſuperare, nobis ſubjicere montem illum.

25. *Ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ*] *Cum ſanguine alieno*, h. e. non ſuo. Opponitur hic *ἀλλότριος τῷ ἰδίῳ* quæ eſt ſignificatio hujus vocis minùs uſitata, ità ut idem ſit quod *ἄλλος*. Sic accipitur Matth. 17. 25. *An Reges tributa accipiunt à filiis ſuis: ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων, an ab alienis?* h. e. ab illis qui non ſunt filii ſui. Sic 2 Cor. 10. 16. *οὐκ ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι καυχήσασθαι, non ut glorier in aliena menſura*, h. e. in diſtrictu qui mihi non eſt aſſignatus. LXX. voces Hebraicas זר & נכרי reddunt per hanc vocem *ἀλλότριον*. Occurrit autem זר & נכרי Prov. 27. 2. eàdem ſignificatione quâ hîc *ἀλλότριον*. *Laudet te*, inquit Salomon, זר *peregrinus, & non os tuum*, נכרי *ἀλλότριος, non vero labia tua*; h. e. Alius à te, non tu ipſe tete laudes.

GROTIUS.

1. **E**'*Ιχε μὲν οὖν καὶ ἡ πρώτη σκηνὴ δικαιώματα λατρείας, Habuit quidem & prius tabernaculum juſtificationes cultura*] In Manuſcripto abeſt illud *σκηνὴ* [*tabernaculum*,] ut & in Syro & Latino: & rectè. Eſt enim natum ex gloſſemate, nec legèrunt id Chryſoſtomus & ſecuti eum Græci. Et *ἡ πρώτη* [*prius*] intelligendum ex prioribus *διαθήκη* [*teſtamentum*.] Ea habuit *δικαιώματα præcepta* multa neutiquam conferenda cum Chriſti præceptis. *δικαιώματα* חקים [*præcepta*] Num. 30. 17. Deut. 4. 14, 40, 45. Pſalm. 119. 12. Luc. 1. 6. Habuit & *λατρείας* [*cultus*.] Rectè enim & hoc nomen ſumas in accuſativo. Nam & tertius accuſativus ſequetur. *Habuit illud pactum cultus ſuos*, nempe externos, de quibus in Levitico. ¶ *τό, τε ἅγιον κοσμικόν. & ſanctum ſeculare*] Et hic eſt accuſativus. *Habuit pactum illud ſanctuarium ſuum mundanum*, id eſt, mundi totius imaginem. Vide ſupra 8. 2.

2. *Σκηνὴ γὰρ κατεσκευάσθη ἡ πρώτη, Tabernaculum enim factum eſt primum*] Explicat formam illius ſanctuarii qualis fuit Moſis temporibus, cùm Lex lata eſt. *σκηνή*, id eſt, משכן, ſæpe vocatur totum illud *tabernaculum* ſive *tentorium* potiùs, cujus duæ erant potiſſimæ partes, ſed quæ & ipſæ rectè *σκηναὶ* [*tabernacula*] dicuntur, quia habebant quæque ſuum velut tectum. Et ſic loqui etiam Hebræos notarunt eruditi. Et nota hic rurſum *πρώτη* [*primum*] pro *προτέρα* [*prius*,] ut ſupra 8. 7, 13. *πρώτην* [*primum*] autem vocat eam quæ prior intrabatur, & vocabatur *ἅγιον* [*ſanctum*] cui in Templo reſpondit היכל [*ſubdiale*] *πρόναον* Philoni. *δευτέραν* [*ſecundum*] verò eam quæ ob majorem ſanctimoniam vocabatur *ἅγια ἁγίων* [*Sancta Sanctorum*,] cui in Templo reſpondebat דביר *locus oraculi*. Illud Cœliætherei & eorum quæ ab æthere reguntur, hoc ſuperætherei imago erat, ut alibi diximus. ¶ *ἐν ᾗ ἥ τε λυχνία, in quo erat candelabrum*] מנורה, imago planetarum. Erant enim rami ſex & unus in medio ſcapus, ut Philo explicat de Vita Moſis & de Hærede rerum divinarum. Nec aliter Joſephus Ant. 3. 7. ¶ *Καὶ ἡ τράπεζα, καὶ ἡ πρόθεσις τῶν ἄρτων, & menſa & propoſitio panum*] *Menſa* שלחן *& panes duodecim in ea poſiti*. *ἡ πρόθεσις ἄρτων* [*propoſitio panum*] pro *οἱ προτεθέντες ἄρτοι* [*panes propoſiti*] locutione frequente & Hebræis & Græcis ii ſunt לחם פנים [*panes conſpectuum*] Exodi 35. 13. ita dicti quia in conſpectu ſemper erant Sacerdotibus. Significabant hæc alimenta ex terra quidem naſci, ſed vi ſiderum eam vegetante. Ita Philo de Hærede rerum divinarum & de Vita Moſis. ¶ *ἥτις λέγεται ἅγια. quod dicitur ſancta*] Non *ἁγία* [*ſancta* fœminini generis] ſcribendum, ſed *ἅγια* [*ſancta* neutrius generis] ut ex ſequentibus apparet & ſupra 8. 2. קדש Exodi 26. 33. ubi Græci *ἅγιον* [*ſanctum*.] *ἥτις* [*quod*] nempe *σκηνὴ πρώτη* [*tabernaculum prius*.]

3. *Μετὰ δὲ τὸ δεύτερον καταπέτασμα, Poſt velamentum autem ſecundum*] Intra פרכת, quod propriè Græcis *καταπέτασμα* [*velamentum*,] cùm illud velum, per quod primum in tentorium intrabatur, dici Græcis ſoleat *κάλυμμα* vel *ἐπίσπαστρον*, Hebræis מסך [*operimentum*,] ut diximus ad Matt. 27. 51. ¶ *σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum*] קדש הקדשים Exod. 26. 33. Græci interpretes ſingulariter *ἅγιον ἁγίων* [*Sanctum Sanctorum*] vocant. Hic ſcriptor poſthac *ἅγια* [*ſancta*,] nempe ſubaudito quod ſemel expreſſum fuerat *τῶν ἁγίων* [*Sanctorum*.] Id ſignificat eum locum altero fuiſſe ſanctiorem. Nam comparativos aut ſuperlativos Hebræi per genitivos additos ſæpe exprimunt.

4. *Χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον, καὶ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης περικεκαλυμμένην πάντοθεν χρυσίῳ, ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης. Aureum habens thuribulum, & arcam Teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ frondueras, & tabulæ Teſtamenti*] Hic eſt locus qui eruditis plurimis ſuſpectam fecit Epiſtolam; alios verò multùm torſit: quia *θυμιατήριον* [*thuribulum*] fuiſſe *ἐν τῇ σκηνῇ τῇ ἐξωτέρᾳ* [*in tabernaculo exteriore*] ſatis conſtat ex Moſe, Philone, Joſepho, Rabbinis: tum verò 1 Regum 8. 9. 2 Par. 5. 10. Joſeph. 8. 2. ſatis apertè dicitur, in arca nihil fuiſſe aliud, niſi duas *πλάκας τῆς διαθήκης* [*Teſtamenti tabulas*,] id eſt, *τοῦ δεκαλόγου* [*Decalogi*,] quod initium *διαθήκης* [*Teſtamenti*.] Ego qui hanc Epiſtolam maximi facio, nunquam adducar ut ejus auctoritatem deſeram. Et puto objectis hoc modo optimè reſponderi. *θυμιατήριον* hîc non eſt menſa, ſed impoſitum menſæ *batillum*: *ἐσχάραν* vocat Joſephus 3. 7. *πυρεῖον* [*prunarium*] LXX. Levit. 16. 12. ubi in Hebræo המחתה, quam vocem Saadias Gaon vertit מגמרה quod ſignificat *πυρεῖον, prunarium*, quo nomine ab Arabibus vocatur illud in Cœlo Sidus, ut notatum Scaligero. Hæc *ἐσχάρα* facilè portabatur, ut idem ille Joſephus nos docet. Ubi autem deſcribitur Levitici 16. commate 12. ritus ille expiationis anniverſariæ, dicitur in Hebræo de ſummo Sacerdote, ולקח מלא המחתה גחלי אש מעל המזבח מלפני יהוה ומלא חפניו קטרת סמים דקה והביא מבית לפרכת ונתן את הקטרת על האש לפני יהוה quæ LXX. ſic vertunt, *Καὶ λήψεται τὸ πυρεῖον πλῆρες ἀνθράκων πυρὸς ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου, τοῦ ἀπέναντι Κυρίου, καὶ πλήσει τὰς χεῖρας θυμιάματος συνθέσεως λεπτῆς· καὶ εἰσοίσει ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος. καὶ ἐπιθήσει τὸ θυμίαμα ἐπὶ τὸ πῦρ ἔναντι Κυρίου.* Quorum verborum hic eſt, ut arbitror, ſenſus: *Sumet ſummus Sacerdos batillum cum prunis de iſta menſa quæ reſpicit Arcam, manus autem ſuas implebit aromate optimè facto: deinde cum iſtis* (nempe priùs tranſponens batillum intra velum, deinde ipſe intrans cum pugillis aromatum) *intrabit intra velum interius: & de iſto aromate imponet in prunas batilli apud Arcam.* Dicitur *ἐσχάρα* autem fuiſſe *coram Deo* iſto Levitici loco, quia reſpiciebat Arcam, ut apertè dicitur Exod. 40. 5. Notus eſt autem mos Hebræorum, qui per *συνεκδοχὴν* [*Complexionem*] ſigni pro re ſignata Arcam appellant *Dei* nomine. Ita Exodi 30. 6, 8. quod dictum fuerat *coram propitiatorio*, mox dicitur *coram Domino*. Jam non difficile intellectu eſt, cur dicat hic ſcriptor interius illud tentorium *habuiſſe batillum*, non quod ibi ſemper eſſet, ſed quòd ſemper Arcam,

Arcam, quæ erat in adyto, respiceret, & in illo die maximè solemni expiationis in tentorium interius, id est, in adytum transferretur. *Habere* enim dicimur id quod in nostro est usu. Quod verò de *urna* & *virga* ex libro Regum & aliunde objicitur, id puto sic optimè dilui: Mosis tempore fuit in Arca & urna illa cum Manna, & Aaronis virga. Et ubi potiùs quàm in Arca, cùm intra adytum positum Manna apertum sit ex loco Exodi 16. 33? Virgam verò positam apud ipsum Legem, quæ & *testimonium* dicitur, constat ex Num. 17. 10. Et in Arca positam fuisse virgam dicit Gorionides. Et lapsu temporis, cùm metus esset ne virga cariem, Manna autem mucorem pateretur, ablata ea sunt ex Arca, & custodita in loco carente ventis & solibus. Et cùm Templum Salomonis conderetur, eadem de causa non reposita sunt illa in Arca, sed in crypta subterranea, ut Rabbini veteres scribunt. Sunt autem hæc omnia ab hoc scriptore non inaniter posita. Nam illud *batillum* ex tentorio exteriore illatum in adytum significat corpus Christi, quod post gravissimas perpessiones, quæ igni comparari solent in Sacris Litteris, ex terris transiit in cœlum supremum. *Suffitum* preces Christi significat quas semper pro nobis facit, Apoc. 5. 8. *Virga* autem *Aaronis quæ fructum protulit* (id enim est ἐβλάστησεν [*germinavit,*] de quo historia est Num. 17.) semper durans Christi sacerdotium: *Manna* verò pastum cœlestem quem nobis dat in verbo suo: *Tabulæ* autem *fœderis* significant præcepta meliora Christi *ad diligendum Deum super omnia, & proximum juxta nos ipsos.* Dicit præterea Divinus hic Scriptor *batillum* fuisse *ex auro*, quod dictum etiam à Josepho dicto loco Antiq. 3. 7. Arca ארון הברית [*Arca fœderis*] nulli alii rei serviebat quàm ad asservanda ea quæ erant in Arca, ut Philo notat de Vita Mosis, sicut & multarum Gentium sacra cistà condebantur, ut Clemens nos docet admonitione ad Gentes de sacris Eleusiniis, de sacris verò Thebanis Seneca Hercule OEtæo,

Nos Cadmeis Orgia ferre
Tecum solita condita cistis.

Hanc quoque *Arcam* sive *cistam obtectam* ait fuisse *auro*, quod & Exod. 25. 11. 37. 2. legimus. Addit & *urnam* fuisse *auream*, quod ipsum habemus Exod. 16. 33. Στάμνος, *urceus*, *urna* in Glossario. Apud Hesychium, στάμνος, ὑδρία, κάλπη [*urna, hydria, situla.*] *Aurum*, quia rubiginem non sentit, ut notat Philo de Rerum Divinarum hærede, significat perpetuam durationem eorum bonorum quæ per ista aurea vel aurata significantur: πλάκες, לוחת [*tabulæ*] Exodi 31. 18. Hinc δίπλακα θεσμὸν [*Legem duarum tabularum*] dixit Orphicorum scriptor. *Tabulas* intellige integras ac novas: quanquam & fractarum reliquias in Arcam conditas quidam tradant.

5. Ὑπεράνω δὲ αὐτῆς Χερουβὶμ δόξης κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον, περὶ ὧν οὐκ ἔστι νῦν λέγειν κατὰ μέρος. *Super eam verò erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, de quibus non est modò dicendum per singula*] Χερουβὶμ δόξης [*Cherubim gloriæ,*] id est, forma Cherubinorum inter quos Dei Majestas se ostendebat Exodi 25. 22. Levit. 16. 2. Græci Χερουβὶμ [*Cherubim*] ubique construunt cum articulo aut adjectivo neutro, nempe quia major pars formæ sumpta erat de mutis animantibus. ἱλαστήριον [*propitiatorium*] ponunt LXX. & Philo pro כפרת, quia כפר etiam ἱλάσκειν, *propitiare* significat. Deus autem propitium se ostendebat populo, præsentiæ suæ signum ostendendo, ut jam diximus, inter Cherubinos, sive quod idem est, super Arcam. At כפר nativo sensu est *tegere*, ut Genes. 6. 14. unde כפרת verti potest ἐπίθεμα [*tegumentum,*] quâ voce utitur Josephus Antiq. 3. 6. & Philo, qui & πῶμα [*operculum*] vocat libro de Vita Mosis. Erat tegmen supernè parulum requiescens super Arcam, more tabulæ, ut ait Rabbi Salomo. κατασκιάζειν [*obumbrare*] quod συσκιάζειν est Exod. 35. 20. 37. 9. σκιάζειν 1 Paralip. 28. 18. quia Cherubinorum alæ sic erant expansæ super illud Arcæ tegmen, sicut aves pullis incubant: unde proverbiale, *umbra alarum* Psalm. 57. 2. Explicationem mysteriorum sub hac re latentium in aliud tempus reservat; sed quia aut hoc morte præventus non præstitit, aut certè liber iste ad nos non pervenit, nos id quod maximè probabile arbitramur ea de re diximus partim ex Philone, partim ex aliis ad Matth. 27. 51. ad Exod. 25. 18. & ad Ezechiel. 1. 5. Erant in quoquo Cherubino formæ quatuor: hominis & leonis; illa beneficentiam, hæc iram significans: & aquilæ, quæ celeritatem; & bovis, quæ tarditatem notat. Ita formæ illæ idem innuunt quod Deus Mosi dixit, se celerem esse ad benefacta, tardum ad ultionem. Unde non abit quod Philo dicit in multis locis per Cherubinos intelligi Dei ἀγαθότητα [*bonitatem*] & ἐξουσίαν [*potestatem*] sive δυνάμεις ποιητικὴν καὶ βασιλικὴν [*facultates creatricem & regalem,*] sive εὐεργετικὴν καὶ κολαστήριον [*beneficam & castigatricem*] ut loquitur libro de Sacrificantibus. Inter has duas Dei facultates media est ἡ ἵλεως Θεοῦ δύναμις [*divina misericordia*] quam per ἱλαστήριον [*propitiatorium*] adumbrari ait Philo de Vita Mosis, id est, clementia erga lapsos. Hæc verò in Christo ita eximiè apparuit, ut propterea Christus ἱλαστήριον [*propitiatorium*] vocetur Rom. 3. 25. & ἱλασμὸς [*propitiatio*] 1 Joh. 2. 2. 4. 10.

6. Τούτων δὲ οὕτω κατεσκευασμένων, *His verò ita compositis*] Id est, cùm ita se habeat tentorii exterioris & interioris structura. ¶ εἰς μὲν τὴν πρώτην σκηνὴν διαπαντὸς εἰσίασιν οἱ ἱερεῖς τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες. *in priori quidem tabernaculo*] *semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes*] Non semel intrant, sed quotidie & ibi *cultum peragunt*, id est, suffitum faciunt, panes proponunt, lucernam accendunt. Διαπαντὸς respondet Hebræo תמיד [*semper*] quod sæpe habes in Lege. τὴν πρώτην σκηνὴν [*primum tabernaculum*] sume ut supra initio hujus sectionis. ἐπιτελεῖν [*perficere*] ut & συντελεῖν solet poni pro עשה vel עבד quod est *facere*, *obire*. Et ita hic rectè accepit Syrus.

7. Εἰς δὲ τὴν δευτέραν, *In secundo autem*] Quæ & ἐσωτέρα [*interior*:] id est, in adytum. ¶ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μόνος ὁ ἀρχιερεύς, *semel in anno solus Pontifex*] Figuræ magis quam rei causâ. Nam major pars sacri alibi fiebat. ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, אחת בשנה [*semel in anno*] Exod. 30. 10. Levit. 16. 34. is dies erat decimus mensis Tisri. ¶ οὐ χωρὶς αἵματος, *non sine sanguine*] Vituli & hirci Levitic. 16. 14, 15. Eo sanguine aspergebatur tegmen illud sive ἱλαστήριον [*propitiatorium.*] Hinc apparet, quanquam dicitur *summus Sacerdos semel intrasse*, id intelligendum quod uno tantùm die intraverit, non quòd non aliquoties exierit & rursus intrarit: primùm enim intrare eum oportuit batilli inferendi causâ: deinde suffitûs: deinde sanguinis vitulini primùm, deinde & hircini. Itaque quater illo die eum intrasse ait Moses Kotzi: rectè ¶ ὃ προσφέρει ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων. *quem offert pro sua & populi ignorantiis*] Προσφέρει [*offert,*] id est, *fert intra adytum* קרב. Pro se vitulinum sanguinem, hircinum pro populo. Quanquam autem in die ἱλασμῶν [*propitiationum*] expiabantur omnia peccata quibus in Lege non erat adjecta mortis pœna aut ἐξολοθρεύσεως [*excissionis*, tamen maluit hic scriptor uti voce ἀγνοημάτων [*ignorantiarum*,] ut summi Sacerdotis Hebraici honori parceret, qui & pro se offerebat ac precabatur; præsumi autem non debebat aliter peccasse quàm per ignorantiam. Alioqui solent etiam quævis peccata per χαριεντισμὸν [*locutionem mollem*] dici ἀγνοήματα [*ignorantiæ*] ut videre est Tob. 3. 3. Judith. 5. 20. Sirach. 51. 26. 1 Maccab. 13. 39.

8. τοῦτο δηλοῦντος τοῦ πνεύματος ἁγίου, *Hoc significante Spiritu Sancto*] Nempe Deo per afflatum suum Mosi hæc præcipiente. Vide Levit. 16. 1. nam וידבר יהוה [*& locutus est Dominus*] interdum quidem ubi id exprimitur, de voce intelligitur; sed plerumque de afflatu. ¶ μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν, *nondum propalatam esse Sanctorum viam*] Id est, εἰς τὰ ἅγια [*in Sancta.*] ἅγια [*Sancta*] posthac cùm dicit scriptor compendio utitur. Vult enim intelligi ἅγια ἁγίων [*Sancta Sanctorum,*] quomodo οὐρανοὶ [*cœli*] sæpe dicuntur οὐρανοὶ οὐρανῶν [*cœli cœlorum.*] Hoc autem loco ἅγια [*sancta*] intellige ἀληθινὰ [*vera*] ex iis quæ supra 8. 2. rem ipsam quæ per adytum illud significabatur, id est, superæthereas sedes. Via eò ducens est Euangelium, præcepta habens verè cœlestia. Eam viam Christus primus patefecit, aditumque fecit omnibus ad summum cœlum. Pervenient quidem eò etiam Abrahamus, Isaacus, Jacobus, ut videre est Matth. 8. 11. & alii viri eximii, ut videbimus infra 11. 34, 40. Sed hi eò pervenient quasi per machinam, non per viam, extraordinaria quadam ac rara Dei dispensatione. Ideo velum adyti disruptum fuit Christo moriente. ¶ ἔτι τῆς πρώτης σκηνῆς ἐχούσης στάσιν *adhuc priore tabernaculo habente statum*] Id est, *quamdiu cultus Templi illius officium suum faciebat.* Nam מעמד [*status,*] *officium* significat, explicante Kimchi ad Esaiam 22. 19. Sic & 2 Paral. 9. 4. 30. 16. 35. 10, 15. Dan. 10. 11. Officium autem suum facere desiit apud Deum quidem Christo mortuo, à morte excitato, in Cœlum evecto, & misso Spiritu Sancto: apud homines verò omnes tunc cùm corruit Templum. Nam tunc simul & cultus ille (qui hic per σκηνὴν [*tabernaculum*] intelligitur μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*]) concidit.

9. Ἥτις παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, *Quæ parabola est hujus temporis instantis*] Alii libri habent τὸν καιρὸν [*temporis.*] Idem est sensus: nam ἐνεστηκὼς καιρὸς est *tempus præsens.* Sic & ἐνεστῶτα [*præsentia*] Roman. 8. 38. 1 Corinth. 3. 22. 7. 26. Galat. 1. 4. Nec refert quod hoc participium sit præteriti temporis. Nam sic & ἐνέστηκε [*instituit*] dicitur pro ἐνίσταται [*instat*] 2 Thessal. 2. 2. Hoc dicit, *Hæc mystica explicatio,* משל, *etiam nunc locum habet in iis quorum opinione stat adhuc ille cultus & vim habet.* De voce παραβολῆς [*parabolæ*] vide quæ ad Matt.

13. 3

13. 3. ¶ *καθ' ὃν δῶρά τε καὶ θυσίαι προσφέρονται, juxta quod munera & hostiæ offeruntur*] Scripta est hæc epistola stante Templo, manente adhuc cultu illo & apud Judæos plerosque opinione illum adhuc cultum esse Deo gratissimum. Hoc autem ideo dicit ne Hebræi ad quos scribit paterentur se retrahi ad Judaismum. Quid *δῶρα* [*munera,*] quid *θυσίαι* [*hostiæ*] diximus supra 5. 1. In Manuscripto *καθ' ἣν* [*juxta quam,*] nempe *παραβολὴν* [*parabolam,*] quomodo & Græcos quosdam apparet legisse. ¶ *μὴ δυνάμεναι κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem*] Συνειδήσεως [*Conscientiæ*] voce animam intelligit *συνεκδοχικῶς, τὸν ἔσω ἄνθρωπον* (*per comprehensionem, internum hominem*) ut hic & infra Theophylactus. *Isti cultus non possunt sectatorum suorum animos purgare à vitiis, quod facit Euangelium.* Vide supra 7. 19.

10. *Μόνον ἐπὶ βρώμασι, καὶ πόμασι, καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς, καὶ δικαιώμασι σαρκὸς μέχρι καιροῦ διορθώσεως ἐπικείμενα Solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & præceptis carnis usque ad tempus correctionis impositis*] Lex illa maximâ sui parte ritualis, imposita erat Judæis, ut eo fræno retinerentur tum ab impietate tum ab idololatria, & sic paratiores essent ad recipiendum Euangelium. Vide quæ dicta Galat. 3. 23, 24. *Tempus correctionis* est tempus Legis ac fœderis melioris. Vide supra 8. 6. Est autem *ἐπὶ* [*in*] hoc loco pro *præter* sive *super*. Nam *dona* illa & *victimæ* impositæ tantùm erant Hebræis, sicut & aliæ partes Legis quas jam addit, ei usui quem dicet. *βρώματα* [*cibos*] dicit propter leges de cibis vetitis: *πόματα* [*potus*] propter vini abstinentiam in Sacerdotibus quo tempore munus suum fungebantur, Levit. 10. 9. *Varias lotiones* nominat, quia lotio alia erat Sacerdotum Exodi 29. 4. alia Levitarum Num. 8. 7. alia Israëlitarum post impuritatem aliquam contractam Levit. 15. 8, 16, 18, 27. 17. 15. 22. 6. Num. 19. 19. *Δικαιώματα σαρκὸς* [*præcepta carnis*] sunt cætera præcepta quorum observatio hominem aut à pœna liberabat, aut admittebat ad consortium aliorum & aditum in Templi basilicam quoad Sacerdotes, aut in Templi atrium quoad alios. Quæ omnia ad *carnem*, id est, vitam præsentem pertinent. At in Manuscripto non est *δικαιώμασι σαρκὸς* [*præcepta carnis,*] sed *δικαιώματα* [*præcepta,*] ut sit sensus ad priora se referens, quasi dicat *ἅτινά ἐςι δικαιώματα* [*quæ sunt præcepta,*] neque aliter legit Syrus. *Δικαιώματα*, חקים [*præcepta*] ut supra 1. Et bona est constructio *ἐπικείμενα* [*imposita*] sicut & *μὴ δυνάμεναι* [*quæ non possunt;*] quia ubi præcessit fœmininum & neutrum de rebus non de personis, ut hic *δῶρα καὶ θυσίαι* [*munera & hostiæ,*] additur adjectivum in neutro, interdum & in fœminino, ut modò *δυνάμεναι* [*quæ non possunt.*]

—Leges & plebis scita coacta

apud Lucanum.

11. *Χριστὸς δὲ παραγενόμενος, Christus autem assistens*] Id est, *Christus postquam advenit*, postquam se patefecit. Vox est frequens Lucæ in Euangelio & in Actis. ¶ *ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, Pontifex futurorum bonorum*] Ad obtinendam nobis justitiam interiorem, Spiritum Sanctum & vitam æternam. Vide infra 10. 1. ubi itidem habes *τῶν μελλόντων ἀγαθῶν* [*futurorum bonorum.*] Ideo Syrus addit, *quæ fecit*, id est, quæ nobis præstitit. ¶ *διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς, οὐ χειροποιήτου, τουτέςιν, οὐ ταύτης τῆς κτίσεως, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis*] Volens dicere Christum ingressum esse in summum cœlum per passiones & mortem, ut magis persequeretur cœptam cum Sacerdote legali similiudinem, dicere voluit *intrâsse eum per corpus suum & per sanguinem suum*: quia *corpus μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem*] rectè poni potest pro *doloribus corporis*, & *sanguinem* pro *morte* sumere frequens est omnibus gentibus, ideò quod ex copiosa sanguinis effusione mors sequatur. Verùm corpus non suâ voce expressit, sed circumlocutione quâdam mysticâ aptâ ad persequendam, ut dixi, similitudinem. Hebræorum mos est corpus vocare *σκῆνος* [*tabernaculum,*] unde id & Pythagorici hausere, ut diximus ad Sap. 9. 15. ad 2 Corinth. 5. 1. 4. Tum verò Christi corpus ob inhabitantem vim divinam *Templum* dicitur Johan. 2. 21. Dicitur autem hoc corpus *non* esse *χειροποίητον* [*manufactum,*] & quid eâ voce significet exponit addens, id est, *hujus creationis*, per *creationem* intelligens constitutum in natura ordinem, qui בריה [*creatio*] Hebræis. Fuit enim corpus illud conceptum supernaturali modo. Bene autem usurpavit hoc sensu illud *οὐ χειροποίητον* [*non manufactum,*] quia solet Hebræis per abusionem quandam *χειροποίητον* [*manufactum*] dici omne id quod fit per modum naturalem. Sic & infra 9. 24. & Marci 14. 58. Actor. 7. 58. 17. 24. Ephes. 2. 11. 2 Corinth. 5. 1. Idola quoque *χειροποίητα* [*manufacta*] sæpe vocant Prophetæ, quia nihil est in illis divini. Notandum autem sæpe eandem rem veteris Testamenti ad plures significatus referri: ut tentorium exterius ad significandum cœlum astriferum, ejusque effectus, ad significandum totum cultum legalem, ad significandum corpus Christi, propter diversa tentorii illius accidentia, quæ commodè & huc & illuc referri poterant.

12. *Οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, Neque per sanguinem hircorum & vitulorum*] Dicitur per aliquid fieri id quod sine eo non fit. Sic summus Sacerdos legalis non intrabat in adytum, nempe postremo introitu, nisi secum ferens *sanguinem hircinum* pro populo, *vitulinum* pro se. ¶ *διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος, sed per proprium sanguinem*] *Suo sanguine fuso*, qui *sanguis novi pacti*, Matth. 26. 28. Lucæ 22. 20. Roman. 3. 25. 5. 9. 1 Cor. 10. 16 11. 25. Ephes. 1. 7. 2. 13. Coloss. 1. 14, 20. hic infra 13. 12, 20. ¶ *εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, introivit semel in Sancta*] In summum cœlum, Marci 16. 19. Lucæ 24. 51. Actor. 1. 10, 11. 2. 34. Ephes. 4. 10. Coloss. 4. 1. *Semel*, non in anno, sed in omni ævo ad ejus finem. ¶ *αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. æternâ redemptione inventâ*] *Repertâ ratione quâ nos in perpetuum liberaret* à peccatis, per mortem nempe suam & resurrectionem Roman. 4. 25. Hoc sensu *λύτρωσιν* [*redemptionem*] habemus 1 Petri 1. 18. Vide quæ diximus supra 2. 18. 7. 9, 10. Idem jam nunc dicet *καθαρίζειν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων* [*emundare ab operibus mortuis.*] Est est hæc *liberatio perpetua*, cùm illa legalis nonnisi in annum valuerit: erat enim repetenda.

13. *Εἰ γὰρ τὸ αἷμα ταύρων καὶ τράγων, Si enim sanguis taurorum & hircorum*] Ταύρων [*Taurorum*] dixit, pro quo supra *μόσχων* [*vitulorum.*] Sic & infra 10. 4. Rectè. Est enim *μόσχος* [*vitulus,*] *ταῦρος νεώτερος* [*taurus junior.*] Et Josephus 3. 1. ubi describit sacrum *ἱλασμοῦ* [*propitiationis*] *ταῦρον* [*taurum*] dixit ubi LXX. *μόσχον* [*vitulum.*] Totus Josephi locus dignus qui legatur. ¶ *καὶ σποδὸς δαμάλεως, & cinis vitulæ*] Ex Numer. 19. In Glossario, *Δάμαλις*, *vitula*, *juvenca*. Sic *bucula Myronis* Græcis *δάμαλις*. Ex hoc cinere fiebat aqua, cujus aspersio purgabat, id est, ad hominum consortium & ad atrium Templi admittebat eos, qui attigissent cadaver hominis aut sepulchrum. ¶ *ῥαντίζουσα τοὺς κεκοινωμένους, aspersus inquinatos*] טמאים quod *ἀκαθάρτους* [*immundos*] solent vertere LXX. ipsum autem verbum טמא, *μιαίνειν*, *ἐκμιαίνειν*, *βεβηλοῦν* [*inquinare, polluere, profanare*:] quod *κοινοῦν* [*commune reddere*] Matth. 15. 11, 18, 20. Marci 7. 15, 18, 20, 23. Actor. 10. 15. 11. 9. 21. 28. Apocal. 21. 27. Locutio inde quod quæ sancta sunt, ea sunt Deo separata: quæ non sunt talia, manent in usu profano, qui est usus *communis*. Hinc prolata significatione qui ad Sanctuarium accedere non possunt, dicuntur *κεκοινωμένοι* [*communes redditi* seu *inquinati,*] & alimenta quibus non Dei populus, sed aliæ gentes utebantur *κοινὰ* [*communia*] Actor. 10. 14. Roman. 14. 14. Itaque & infra opponuntur *κοινὸν* [*commune*] & *ἐν ᾧ τις ἡγιάσθη* [*in quo quis est sanctificatus*] 10. 29. Aspersionis quæ per sanguinem fiebat mentio etiam apud Scholiasten ad Acharnenses Aristophanis. ¶ *ἁγιάζει πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα, sanctificat ad emundationem carnis*] Ἁγιάζειν [*sanctificare*] idem quod *καθαρίζειν* infra טהר [*purgare,*] unde adjectivum טהור modò *καθαρὸς* [*purus,*] modò *ἅγιος* [*sanctus*] vertitur. Illa *purgatio* sive *sanctificatio* tantùm ad vitæ hujus mortalis usus pertinet. Exemplum vide Numer. 19.

14. *Πόσῳ μᾶλλον τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ Θεῷ, καθαριεῖ τὴν συνείδησιν ἡμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων εἰς τὸ λατρεύειν Θεῷ ζῶντι; Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis adserviendum Deo viventi?*] Quantò Christi Filii Dei & innocentis sanguis præstat sanguini carentium ratione animantium, tantò purgatio debet esse major. Uterque ad colendum Deum; sanguis pecudum ritualiter, sanguis Christi præcipuè animo, qui *κατὰ συνεκδοχὴν* [*per Comprehensionem*] hic ut & supra 9. *συνείδησις* [*conscientia*] dicitur. Sanguis pecudum per cinerem purgat à contactu mortui corporis, sanguis Christi à peccatis, quæ hic vocantur *opera mortua*, ut & supra 6. 1. Et egregiè *operibus mortuis* opponitur *cultus Dei vivi*, qui sicut semper vivit, ita & semper prodesse nobis potest. *Oblatio* autem *Christi* hic intelligitur illa, quæ oblationi legali in adyto factæ respondet. Ea autem est non oblatio in altari Crucis facta, sed facta in adyto cœlesti. Facta autem ibi est *per Spiritum æternum*, aut, ut ante dixit 7. 16. *per vim vitæ indissolubilis*, quia spiritus ejus jam non erat vivens tantum, ut in vita hac terrena, sed in æternum corpus sibi adjunctum *vivificans*, 1 Corinth. 15 45. *Διὰ πνεύματος αἰωνίου* [*Per Spiritum æternum*] habent optimi codices, & ita legit Theophylactus, ut & Syrus: Græci alii & Latini *διὰ πνεύ-*

ματος ἁγίου [*per Spiritum Sanctum*,] quod quem sensum recipere possit, Vide Roman. 1. 3. & 1 Petri 3. 18. *Διὰ* [*per*] hic sume supra 12. pro præpositione *cum*, quomodo & Hebræum ב poni solet. Intelligitur hinc dignitas oblationis, quòd eam fecit is, qui jam spiritu & corpore erat immortalis. *Sanguini* autem purgatio ista tribuitur, quia per sanguinem, id est, mortem Christi, secutâ ejus excitatione & evectione, gignitur in nobis fides Roman. 3. 25. quæ deinde fides *corda purgat* Actor. 15. 9. Rom. 3. 22. & passim in eadem epistola. Similitudo autem purgationis legalis & Euangelicæ non est in modo purgandi, sed in effectu. Illa idoneos homines reddebat ad ingressum sanctuarii terrestris, hæc ad ingressum sanctuarii cœlestis. Cum dicit *ἄμωμον* [*immaculatum*] respicit legem victimarum Levit. 22. 20. Numer. 19. 2. Deuter. 15. 21. In victimis legalibus nullum debebat esse corporis vitium: In Christi vita nihil fuit vitiosum: & ideo Spiritu illo æterno statim donatus est. Quidam libri pro *ἡμῶν* [*nostram*] hic habent *ὑμῶν* [*vestram*,] sed *ἡμῶν* [*nostram*] est in Manuscripto, & sic Syrus legit, & ita versum habent quidam codices Latini. Manuscriptus verò *καθαριεῖ*, id est, *purgare valet*; solemus enim futuro sic uti. Etiam post *ζῶντι* [*viventi*] habet *καὶ ἀληθινῷ* [*& vero.*] Vide Johan. 17. 3. 1 Thess. 1. 9. 1 Joh. 5. 20. & ita legit etiam Theophylactus.

15. *Καὶ διὰ τοῦτο διαθήκης καινῆς μεσίτης ἐστὶν*, *Et ideo Novi Testamenti Mediator est*] ברית quod *pactum* significat aut *fœdus* (est autem fœdus non omne pactum, sed publicum) Græci interpretes vertunt *διαθήκην* & Latini *testamentum*, non illo speciali sensu juris civilis, sed generaliore, quia testatio est voluntatis: de qua de diximus in Prolegomenis ad Euangelia. Sed & *testamentum* illud ut in jure civili sumitur, ubi hæredis institutioni, ut fieri solet, conditio additur, aut legatorum fideive commissorum onera, est pactum quoddam, & quidem eò nobilius, quia morte testatoris secutâ nullam jam mutationem recipit. Et propterea Scriptor hic pactum Dei novum, quod perfectius esse debuit priore, vult esse etiam testamentum in illo significatu potiore sive juris civilis. *Propterea*, inquit, *factum Christum μεσίτης* [*Mediator*] non veteris, sed *novi pacti*, quia hoc pactum novum non pecudum sanguine, sed ipsius *μεσίτου* [*Mediatoris*] fuit sanciendum. *μεσίτης* est *qui pacem inter partes efficit*, ut explicavimus ad Galat. 3. 19. Solet autem sæpe pax fieri sub certis legibus priùs implendis quàm pax valeat. Talis pax etiam *διαθήκη* [*pactum*] est. ¶ *ὅπως θανάτου γενομένου*, *ut morte intercedente*] Ipsius, non victimarum. Id enim facilè intelligitur ex dictis supra 12. ¶ *εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων*, *in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priore testamento*] Mors ejus intercessit eum in finem ut liberarentur homines ab illis peccatis quæ in populo Dei dicto ante Christum *ἐπὶ τὸ πλεῖστον* [*plerumque*] valuerant. Idem sensus qui Actor. 13. 38. ubi dicta vide. *ἀπολύτρωσις* [*redemptio*] quod supra 12. *λύτρωσις*. *ἀπολύτρωσις παραβάσεων* [*redemptio prævaricationum*,] id est, *ἀπὸ παραβάσεων* [*à prævaricationibus*] quomodo apud Ciceronem *liberatio culpæ*, pro *à culpa*. *ἐν τῇ πρώτῃ διαθήκῃ* [*in priore testamento*,] id est, *prioris pacti tempore*. Non poterat illius temporis multitudo cum multitudine Christiana Apostolicorum temporum ulla ex parte comparari. Tantum ubique erat sordium non tantum in animo latentium, sed & foris apparentium. Alibi *ἀπολύτρωσιν* [*redemptionem*] alio sensu sumi suis locis annotavimus. Sed huic loco id quod diximus optimè convenit. Nam qui cessat peccare, is jam ex lege novi pacti in pace est cum Deo, Rom. 5. 1. ¶ *τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν οἱ κεκλημένοι τῆς αἰωνίου κληρονομίας*. *repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis*] Qui sic liberati sunt à peccatis, eis continget res in pacto novo promissa, quæ est vita æterna 1 Timoth. 4. 8. 2 Timoth. 1. 1. supra 8. 6. *κεκλημένοι* [*vocati*] intellige *cum effectu*, ut 1 Cor. 1. 24. Judæ 1. Et cur vita æterna *κληρονομίας* [*hæreditatis*] appelletur nomine, vide dicta Galat. 3. 18. Ephes. 1. 14, 18. Coloss. 3. 24. *ἐπαγγελίαν* [*repromissionem*] autem pro *re promissa* habes & Lucæ 24. 49. Actor. 1. 4. 2. 33. Rom. 4. 13. & alibi.

16. *Ὅπου γὰρ διαθήκη*, *Ubi enim testamentum est*] In sensu illo potiore & excellentiore, ut modo diximus. ¶ *θάνατον ἀνάγκη φέρεσθαι τοῦ διαθεμένου*. *mors necesse est referri testatoris*] *Ferri*, id est, exspectari, quomodo *ἤνεγκεν* [*pertulit*] Rom. 9. 22. est enim exspectatio onus quoddam. Sic נשא habes Deut. 24. 15. Jer. 44. 14. Quidam testatores quando non opus est, tamen id exprimunt: ut apud Salvianum Contra avaritiam 3. *Quando ego ex rebus humanis exiero, tunc mihi tu ille, carissime, heres esto.*

17. *Διαθήκη γὰρ ἐπὶ νεκροῖς βεβαία*, *Testamentum enim in mortuis confirmatum est*] Hoc est quod dicunt Romani Jurisconsulti, *testamentum morte confirmatur*. *ἐπὶ* hic temporis habet notam, *ubi illi mortui sunt qui testamentum fecere*. Sic *ἐπὶ κυνί*, *tempore Caniculæ*, dicunt Græci. ¶ *ἐπεὶ μήποτε ἰσχύει ὅτε ζῇ ὁ διαθέμενος*. *alioqui nondum valet dum vivit qui testatus est*] *Nunquam enim valet, dum vivit testator*, id est, *nullum interim producit effectum*, ut rectè hic Syrus. Est enim *testamentum*, Modestino definiente, *voluntatis justa sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit*. Unde & *voluntas defuncti* à Quintiliano definitur. *Viventis nulla est hæreditas*. L. 1. D. de Hered. vel Actione vendita. L. 1. D. pro herede.

18. *Ὅθεν οὐδ᾽ ἡ πρώτη χωρὶς αἵματος ἐγκεκαίνισται* *Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est*] Nempe ut figura ad rem figuratam propiùs accederet. *ἐγκαίνιον* vel pluraliter *ἐγκαίνια* est *res alicujus dedicatio* Esdræ 6. 16, 17. Nehem. 12. 27. Dan. 3. 2. idem *ἐγκαίνισις* Num. 7. 88. *ἐγκαινισμὸς* Num. 7. 10, 11, 84. 2 Paralip. 7. 9. Daniel. 3. 3. & inscriptione Psalmi qui Hebræis 30. Græcis 29. 1 Maccab. 4. 56. 59. 2 Macc. 2. 9. 19. Quintilianus, *Nec pro encænio ducendum scelus primum*. Verbum *ἐγκαινίζειν*, חנך [*dedicare*] Deuter. 20. 5. 1 Reg. 8. 64. 2 Paralip. 7. 5. 1 Maccab. 4. 36, 54, 57. 5. 1. Habemus & ubi חדש [*innovare*] vertitur *ἐγκαινίζειν*, ut 1 Samuel. 11. 14. 2 Par. 15. 8. Habes hoc verbum & infra 10. 20.

19. *Λαληθείσης γὰρ πάσης ἐντολῆς κατὰ νόμον ὑπὸ Μωϋσέως παντὶ τῷ λαῷ*, *Lecto enim omni mandato Legis à Mose universo populo*] Intelligit præcepta illa, quæ sunt Exodi 20 21, 22, 23. Et *λαλεῖν* hic est *de libro recitare*. *κατὰ νόμον*, *ex Dei jussu*. ¶ *λαβὼν τὸ αἷμα τῶν μόσχων καὶ τράγων μετὰ ὕδατος καὶ ἐρίου κοκκίνου καὶ ὑσσώπου*, *accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo*] Exod. 24. 6. tantum dicitur sanguine victimarum respersum fuisse populum. Sed *sanguini* solitam misceri *aquam* & *περιῤῥαντήριον* [*aspergillum*] fieri ex *hyssopo & lana coccinea* discimus ex altero loco Lev. 14. 49. 50. De *Hyssopi* usu in aspersione habes & Exod. 12. 22. & Psalm. 51. 9. *Hirci* mentio extra textum Mosis hic addita, quia credibile est præter victimas *σωτηρίους* [*ob salutem*] accessisse & *περὶ ἁμαρτιῶν* [*pro peccatis*] in quo genere potissima victima hircus Levit. 4. 23. 9. 3. 16. 15. Solere autem jungi victimas *εὐχαριστηρίους* [*gratiarum actionis*] & *περὶ ἁμαρτιῶν* [*pro peccatis*] videmus dicto loco Levitic. 9. 3, 4. ¶ *αὐτό τε τὸ βιβλίον καὶ πάντα τὸν λαὸν ἐῤῥάντισε*, *ipsum quoque librum & omnem populum aspersit*] *Populum*, intellige eos qui de populo proximè adstabant, & in hac re populi totius gerebant vices. *Librum* fuisse respersum nec in Mose nec in Thalmudicis legimus. Et potest *αὐτό τε τὸ βιβλίον* [*ipsum quoque librum*] referri ad *λαβὼν* [*accipiens*.] Id enim expressè dicit historia Exod. 24. 7. Ita *καὶ* [*&*] hic erit *παρέλκον* [*superfluum*] ut sæpe fieri solet post participia, quia illa participia vim habent verbi. Perinde enim est quasi dixisset *ἔλαβε καὶ ἐῤῥάντισε* [*accepit & adspersit*.] Huc alludit Petrus 1 Epist. 1. 2.

20. *Λέγων*, *Τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός*. *Dicens*, *Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus*] In LXX. *Ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο Κύριος πρὸς ὑμᾶς περὶ πάντων τῶν λόγων τούτων*. *ecce sanguis testamenti, quod disposuit Dominus ad vos de omnibus verbis his*] De antiquissimo more fœdera sanciendi sanguine diximus ad Matth. 25. 28. Ad hæc verba alludit Christus illo apud Matthæum loco. *ἧς ἐνετείλατο* כרת אשר [*quod pepigit*] Exod. 24. 8.

21. *Καὶ τὴν σκηνὴν δὲ καὶ πάντα τὰ σκεύη τῆς λειτουργίας τῷ αἵματι ὁμοίως ἐῤῥάντισε*. *Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit*] Unctum fuisse à Mose Tabernaculum cum vasis eò pertinentibus legimus Levit. 8. 10. *Aspersionem* verò *sanguinis* præmitti solitam unctioni rectè colligimus ex eo quod ibidem sequitur de altari asperso primum, deinde *uncto*. Sic & vestes sacerdotales aspersæ fuere *sanguine*, Lev. 8. 30. qua de re sic Josephus 3. 9. *Κἀκ τοῦ αἵματος τῶν τεθυμένων, τήν τε στολὴν τοῦ Ἀαρῶνος καὶ αὐτὸν σὺν τοῖς παισὶν ἔῤῥανεν, ἀφαγνίσας πηγαίοις τε ὕδασι καὶ μύρῳ, ἵνα τοῦ Θεοῦ γίγνοιντο* [*Victimarum deinde sanguine & tunicam Aaronis & ipsum quoque cum filiis aspersit, fontanâ etiam aquâ & unguento lustravit, ut Dei fierent.*] Ubi vides pariter præcedere aspersionem, unctionem sequi. *Σκεύη τῆς λειτουργίας* כלי השרת [*Vasa ministerii*] Num. 4. 12.

22. *Καὶ σχεδὸν ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται κατὰ τὸν νόμον*, *Et omnia pene in sanguine secundum Legem mundantur*] *Σχεδὸν* [*Pene*] prudenter dicit, quia nonnullæ purificationes per aquam solam fiebant Exodi 19. 10. Levit. 16. 28. Num. 31. 23. ¶ *καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις*. *& sine sanguinis effusione non fit remissio*] Et proverbium Hebraicum. Citatur in Thalmude Hierosolymitano sub nomine Benuzielis לא כפרא אלא בדם [*Nulla expiatio nisi per sanguinem*.] Videtur id primùm usurpari cœpisse in criminibus gravioribus, ut per pecudis sanguinem significaret is qui eum offerebat se, si rigidè Deus agere vellet, mortem meruisse. Macrobius ex Trebatio *animalem*

hostiam

hostiam esse dicit, *in quo anima sola Deo sacretur:* ejusque causas explicari a Virgilio versu,

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis.

Ubicumque est נסלח { *dimittetur* } in Lege, reperies præcedere *sanguinis* mentionem. Erat tamen & hic quædam exceptio, nempe ita pauperum ut nec turtures nec columbas sibi comparare possent, Levit. 5. 11.

23. Ἀνάγκη οὖν τὰ μὲν ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς τούτοις καθαρίζεσθαι· *Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari*] De voce ὑποδείγματος [*exemplaris*] diximus supra 8. 5. Refertur hoc ad tentorium & exterius quod cœli astriferi erat figura, & maximè ad interius quod figura erat cœli summi sive superætherei, quod & ipsum in prima dedicatione aspersum fuit sanguine victimali, priusquam eo solemniter intraret summus Sacerdos. ¶ αὐτὰ δὲ τὰ ἐπουράνια, *ipsa autem cœlestia*] *Loca illa super etherea.* Vide 1 Cor. 15. 40. 48, 49. Ephes. 1. 3, 20. 2. 6. 3. 10. 6. 12. 2 Tim. 4. 18. supra 3. 1. 6. 4. 8. 5. ¶ κρείττοσι θυσίαις παρὰ ταύτας. *melioribus hostiis quam istis*] Quæritur cur θυσίαις [*hostiis*] dixerit in plurali, deinde cur καθαρίζεσθαι [*mundari*] dicat de illa regione in qua nihil est impuri: θυσίαις [*hostiis*] dixit quia non tantùm Christi perpessiones intelligit, sed & eorum qui ipsum sectantur, una cum precibus & misericordiæ operibus. Illud autem καθαρίζεσθαι [*mundari*] est μετωνυμία [*Transnominatio,*] qualem sæpe usurpari necesse est ubi inter se comparantur res partim similes, partim dissimiles. Nam quia per legalem καθαρισμὸν [*mundationem*] aditus dabatur in sanctuarium, ideo, effectum sumendo pro causa, καθαρίζεσθαι [*mundari*] dixit cœlum summum pro eo quod est *aditum per ista in illud cœlum dari.* Et nota hic iterum κρείττων [*melior*] addito παρὰ [*præ,*] cum satis fuisset dicere κρείττοσι τούτων [*melioribus istis.*]

24. Οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, *Non enim in manufacta sancta Christus introivit, exemplaria verorum*] Χειροποίητα [*Manufacta*] intellige quæ facta sunt arte hominum, ac proinde non vi divinâ. Vide supra 2. Ἀντίτυπον vox est anceps; nam & de Figura dicitur, ut hic: & de re per figuram significata, ut 1 Petr. 3. 21. In Glossario, ἀντίτυπον, *exemplum, exemplar.* Idem sensus Sap. 9 8. Εἶπας οἰκοδομῆσαι ναὸν ἐν ὄρει ἁγίῳ σου, καὶ ἐν πόλει κατασκηνώσεώς σου θυσιαστήριον, μίμημα σκηνῆς ἁγίας ἣν προητοίμασας ἀπ' ἀρχῆς [*Dixisti ædificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare imitamentum tabernaculi sancti quod præparasti ab initio.*] Philo de Vita Mosis, Τὰ ἄδυτα τῆς σκηνῆς ἅπερ ἐστὶ συμβολικῶς νοητά [*Penetralia Tabernaculi, symbola intelligibilium.*] Sic & Rabbi Israel de Anima, *inferius sanctuarium* ait *factum ad similitudinem superioris.* Ergo hic ἀντίτυπα [*exemplaria*] idem quod Sapienti Hebræo μιμήματα, τύποι [*imagines, figuræ,*] Rom 5. 14. 1 Cor. 10. 11. Et ἀληθινὰ [*vera*] hic ut supra 8. 2. quæ νοητὰ [*intelligibilia*] Philoni. ¶ ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, *sed in ipsum cœlum*] Nempe οὐρανῶν [*cœlorum,*] id est, summum coelum. Sic ἅγια [*sancta*] aliquoties dixit & dicet pro ἅγια ἁγίων [*Sancta Sanctorum.*] Id enim ex rei natura satis intelligitur. ¶ νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν. *apparere nunc vultui Dei pro nobis*] Id est, εἰς τὸ ἐμφανισθῆναι [*ut appareat,*] quale loquendi compendium & supra habuimus. ἐμφανίζεσθαι, *apparere, conspiciendum se dare,* ut Matth. 27. 53. Φανεροῦσθαι [*manifestari*] infra 26. Syrus hic נתחזא *ut conspici se faceret.* Perstat in similitudine. Nam & summus Sacerdos dicitur *apud Deum apparere,* ubi stat apud Arcam. Sic Christus apparet coram solio Majestatis, ut nostras res Deo commendet, supra 7. 25.

25. Οὐδ' ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτὸν, *Neque ut sæpe offerat semetipsum*] Οὐδὲ hic valet *at non.* Post propositas similitudines etiam disparitates quasdam ostendit. Summus Sacerdos quotannis ad Arcam Dei intrabat: Christus ad solium Dei semel, nunquam inde abiturus. Summus Sacerdos sanguinem victimæ vice victimæ secum ferebat: Christus semet qui victima factus fuerat. Nimirum hæc una oblatio immensum præstabat illis toties repetitis. Προσφέρειν [*offerre*] hic intellige ἐμφανίζειν, *ostendere se* in Sanctuario cœlesti. ¶ ὥσπερ ὁ ἀρχιερεὺς εἰσέρχεται εἰς τὰ ἅγια κατ' ἐνιαυτὸν ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ· *quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno*] Εἰς τὰ ἅγια [*In Sancta*] breviter dictum, ut jam monuimus pro εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων [*in Sancta Sanctorum.*] Et ἐν [*in*] pro *cum,* ut διὰ [*per*] supra 12. Simile loquendi genus 1 Joh. 5 6. Gen. 32. 10. Oseæ 4. 3. & alibi. Utitur præsenti tempore, ut & supra 13, & 22. quia Templum & cultus illic adhuc manebant.

26. Ἐπεὶ ἔδει αὐτὸν πολλάκις παθεῖν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*] Si aliqua major efficacia fuisset in oblatione repetita, expediisset Christum non tam diu promitti, sed mitti illico post mundum conditum, ut posset singulis sæculis aut certè Jubilæis pati & offerre. ἔδει [*oportebat*] sæpe non præcisam necessitatem significat, sed id quod melius aut utilius est. Vide Luc. 2. 49. 13. 16. 19. 5. sic supra ἀνάγκη [*necesse erat*] 23. *A fundatione Mundi,* id est, jam olim, ut Luc. 11. 50. ¶ νῦν δὲ ἅπαξ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ πεφανέρωται. *nunc autem semel in consummatione seculorum ad abrogationem peccati per hostiam suam patefactus est*] Νῦν [*Nunc*] hic non est temporis, sed oppositionis, ut supra 2. 18. 8. 6. Non esse verum id quod quis imaginari possit, oblationem sæpius repetitam plus valere, inde apparet quod Christus nec sæpe passus est (quod & Paulus dixit Rom. 6. 9, 10) nec sæpe se ostendit in sanctuario cœlesti, sed semel, idque Mundo adeò ad interitum suum appropinquante, ut nec tempus quidem superesse videatur, quo Christus denuo mitti & denuo pati possit. Sicut Paulus ita & hic Scriptor in id propendebant, ut crederent de propinquo imminere Mundi ruinam. Sic τὰ τέλη αἰώνων [*fines seculorum*] dicuntur Apostolorum tempora 1 Cor. 10. 11. Aliquantò diutiùs quàm illi putarunt staturum, Petro primùm deinde Johanni patefactum est, ut ex Epistola 2. cap. 3. Petri, & ex Apocalypsi apparet. Συντέλεια αἰῶνος [*Consummatio seculi*] vel αἰώνων (*seculorum*) quid sit intelligi facile est ex Matth. 13. 39, 40, 43. 24. 3. 28. 20. Sunt tamen viri eruditi qui συντέλειαν αἰώνων [*consummationem seculorum*] intelligunt respectu Templi & Reipublicæ Judaicæ. Christus πεφανέρωται [*patefactus est,*] id est, ἐνεφανίσθη [*apparuit,*] ut jam locutus est, obtulit se & ostendit Deo Patri in Sanctuario Cœlesti. Est autem utrumque passivum pro Hithpael more Hebræo. Nam πεφανέρωται [*patefactus est*] hic valet התגלה [*revelavit seipsum.*] Διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ [*per hostiam suam,*] id est, *postquam ipse victima fuit factus.* Utrumque autem hoc εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας [*ad peccati abrogationem,*] *ut peccatum* in nobis *extingueretur.* Sic ἀθέτησιν ἐντολῆς [*mandati abrogationem*] habuimus supra. Fit autem hoc per passionem primùm Christi, quæ fidem nobis ingenerat, quæ corda purificat: deinde per apparitionem Christi apud Deum, quia ibi Christus nobis ea impetrat auxilia, quæ pro temporum ratione sunt necessaria.

27 Καὶ καθ' ὅσον ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν, μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις· *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, postea autem judicium*] Ἀπόκειται, *reservatur, restat* post exactam hanc vitam mori. Sic habemus ἀπόκειται Deut. 32. 34. 2 Tim. 4. 8. Est Lex generalis in homines lata, ut moriantur. Si quibus aliter evenit, ut Enocho & Eliæ, ii nihil sunt ad tantam hominum morientium multitudinem. *Postea judicium,* id est, postea sistentur Deo. Nam hoc ex nomine *judicii* intelligi datur Roman. 14. 10. Pro καθ' ὅσον [*in quantum*] alii codices habent καθ' ὃ [*quatenus.*] fortè scriptum fuerat καθὼς [*quemadmodum.*] Adfertur enim similitudo quædam Christi cum hominibus cæteris. Syrus איכנא, Latinus *quemadmodum.*

28. Οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἅπαξ προσενεχθεὶς, *Sic & Christus semel oblatus est*] Hoc quoque προσενεχθεὶς [*oblatus est*] significationem habet Hithpael: id est, *postquam semel se Deo obtulit, Deo se stitit.* Subintelligendum διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ [*per hostiam suam,*] quod paulò ante præcessit. Sicut homines semel moriuntur, inde semel sistentur Deo: sic Christus semel mortuus, semel quoque Deo se stitit. Et hoc fuit judicium quod Deus Christo reddidit, evectio ejus sine mora in summam gloriam. ¶ εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, *ad multorum exhaurienda peccata*] Idem hoc est quod modò dixit εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας [*ad peccati abrogationem.*] Nam ἀναφέρειν [*sursum ferre*] pro simplice φέρειν, נשא [*ferre*] ponitur Num. 14. 33. Deut. 15. 24. Esaiæ 53. 12. *ferre* autem, id est, נשא, sæpe est *auferre,* & per ἀφαιρεῖν vertitur Levit. 10. 17. Num. 14. 18. & alibi. Sic & ἀνάγειν sumitur Josue 24. 32. 2 Sam. 21. 13. Esdr. 1. 11. Latinus hic *ad multorum exhaurienda peccata.* Et *multorum* dixit, eventum respiciens, ut Matth. 26. 28. ἐκ δευτέρου χωρὶς ἁμαρτίας ὀφθήσεται τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις εἰς σωτηρίαν. *secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem*] Addit Manuscriptus διὰ πίστεως [*per fidem,*] non malè. De hac *exspectatione* vide 1 Thess. 1. 9, 10. 2 Tim. 4. 8. ὀφθήσεται [*apparebit*] cum εἰς σωτηρίαν [*in salutem*] construit Syrus: *ideo apparebit ut illis salutem adferat æternam qui ipsum exspectarunt per fidem.* Eodem referri debet χωρὶς ἁμαρτίας [*sine peccato,*] id est, *cùm jam erunt extra periculum peccandi,* ita ut ampliùs interpellatore pro se opus non habeant: cùm jam erunt ἀναμάρτητοι [*immunes à peccato.*] Sæpe solent actuum nomina poni pro potentiæ nominibus. Sic ἀθάνατος [*immortalis*] *qui mori nequit.*

CODURCUS.

16, 17, 18. Ὅπου γὰρ διαθήκη θάνατον ἀνάγκη φέρεσθαι τοῦ διαθεμένου, &c.] Verbum *Testamenti* propriè dicti juxta institutum Jus civile Romanorum nullo modo quadrat huic loco. Vox itaque διαθήκη his versibus, ut superioribus capitibus, atque hoc ipsomet antè & pòst, ubique reddenda est *Fœdus*, *Pactum*, quod à Deo *pangi*, *feriri*, & *iniri* dicitur. Hebraicè כרת ברית. *Fœdus* illud duplex esse docet Apostolus ex Scripturis, vetus & novum. Utriusque Deum esse auctorem. Qui pro sua erga homines reos, damnatos, morti obnoxios infinita misericordia, peccatorum patratorum pœnà persolutâ, paciscitur fore se Deum propitium, vitamque & beatitatem æternam concessurum hominibus gratiam suam ultro & ex animo amplexantibus, seque totos sanctissimæ justissimæ legis sibi mandatæ obsequio addicentibus & consecrantibus. Sed quia huic conditioni, sine qua constare *Fœdus* non potest, homines solvendo non sunt, id oneris si incumbat hominibus actum est de illis. Pœnas enim peccati admissi contra Deum hominibus ferre, idem est quod perire in æternum. Nec præstare per se fidem, perstareque in pietate, sanctitate & justitia constanter & firmè sustinent. Ideo vas & sponsor & mediator ejusce Fœderis ipsis opus est. Nusquam verò vel in terra vel in cœlis reperiri potest qui pœnas luere pro homine peccatore suo sibi exitio velit aut valeat, seque hominesque asserere & vindicare ab omnipotentis Dei ira & damnatione, ejusque judicio satisdare & satisfacere queat. Non homines, quorum genus universum profligatum & perditum est funditus. Non Angeli, qui strictis gladiis hominibus necem interminantur. Solus Deus auctor illius Fœderis prædem & obsidem, vadem & sponsorem, cujus ope ab æterna morte redimatur genus humanum, cujusque meritis electorum salus æterna nitatur, sufficere & præbere potuit. Idipsum Christus Dominus profitetur Euangelii secundùm Joannem cap. 3. *Ita Deus*, inquit, *mundum dilexit ut Filium suum unigenitum dederit, nè pereat qui in eum crediderit, sed vitam habeat æternam.* Ipseque Filius, per quem *omnia sunt facta, sine quo factum est nihil quod fuerit, factus est caro*, humanam naturam assumpsit, ut esset fœderis illius ἔγγυος καὶ μεσίτης, pax nostra. αὐτὸς γάρ ἐστι ἡ εἰρήνη ἡμῶν ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἓν τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ καταργήσας, Eph. 2. 12. Et Col. 1. 19. θεῷ εὐδόκησε ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ εἰς αὐτὸν εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ. Et 2 Cor. 5. 15. εἰς Θεοῦ τοῦ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν. ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον. πάντα ἐκ τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ, διὰ τοῦ Χριστοῦ. Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν. Neque aliter constat hoc Fœdus nisi Mediatoris & vadis nostri sanguine. Nec nisi sanguine precioso unigeniti ratum fuit. Id sibi vult Apostolus hoc in loco. Cujus Divina sententia planè aliorsum torquetur ambiguà & ancipiti vocum διαθήκη & διαθέμενος interpretatione, quæ hoc in loco non significant *testamentum* & *testatorem*, quâ significatione Jure civili Romano sumuntur, sed *fœdus* & *fœderatum*. Hunc itaque locum, ut tollatur ambiguum, sic vertere, saltem sic intelligere, oportet: *Ubi enim fœdus, mors intercedat fœderati necesse est: fœdus enim in mortuis confirmatur. Alioquin non valet quandò vivit qui fœderatus est.* Neque enim διαθήκη *testamentum* hic est. Et διαθέμενος passivè hic sumitur; non activè. Estque non *testator*, sed *fœderatus*, is quicum fœdus initur, quem obire mortem fœdere Divino necesse est; unde neutrum fœdus sine sanguine peractum. Quod conceptissimis verbis adnectit sanctus Apostolus, ὅθεν οὐδ' ἡ πρώτη χωρὶς αἵματος ἐγκεκαίνισται, *unde nec prius sine sanguine consecratum est* vel *celebratum*. Nam cùm versibus præcedente & sequente continuatâ serie διαθήκη necessariò non *testamentum*, significatione Juris civilis Romani, sed *fœdus* significet, qua ratione in hoc intermedio tmemate, cujus sensus omnino pendet à superiori & posteriori, *testamentum* propriè dictum significaret? Præterea totis capitibus 7, 8, 10. non aliâ significatione nisi *fœderis* accipi potest. Ergò neque in hoc pronunciato. Ad hæc in illis laudatis locis suprà & infrà ex Jeremia & Exodo promptis, nomen διαθήκη usurpatum, quod respondet Hebraico ברית, Latinus interpres Mosis & Prophetarum optimè vertit *fœdus*, cur hic *testamentum* ancipiti significatione interpretati sint, non video.

Adde quod nullibi vox Hebraica ברית & Græca διαθήκη in sacris literis veteris instrumenti pro *testamento* significatione illâ quà in Jure civili Romano, usurpatur. Nec propriè *testamenti* verbo usus est S. Pauli Epistolarum interpres. Quod si quis intercesserit, quæro ab illo quid sibi velit illud Eph. 2. 12. *Alienati à conversatione Israël, & hospites testamentorum promissionis.* Doceatque quàm bene congruè interpretentur Græca, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας. Et Act. Ap. 3. 25. ὑμεῖς ἐστε υἱοὶ τῶν προφητῶν καὶ τῆς διαθήκης ἧς διέθετο ὁ θεὸς πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, λέγων πρὸς Ἀβραάμ, Καὶ τῷ σπέρματί σου ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς. *Vos estis filii testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros*, &c.

Insuper Jus illud civile condendorum testamentorum ignotum fuit Judæis. De eo Moses nè verbum quidem. Contra constat donationes omnes factas inter vivos, nullas mortis causâ. Tandem Jus illud civile Romanum testamentorum, non jus apud Judæos sed nefas fuit, ut versatili & ambiguâ fide illuderent invicem homines sibi, variâ & inconstanti sententiâ fallerent & fallerentur. Sed donationes factæ sunt inter vivos adhibito jurejurando. Et quod semel constitutum & pronunciatum fuerat, firmum & invariabile manebat. Nec bene convenit Juri Romano testamentorum factionis cum pietate paterna erga liberos, cum charitate & amore erga affines, amicos, proximos, ut opes tuæ quæ post mortem tuam in potestate tua ampliùs non sunt, in quas tibi extincto jus nullum superest, pro arbitrio tuo donatæ cuilibet post obitum tantum censeantur; quas debuisti liberali manu prudenter, consultò, dum vita maneret, dispensare & elargiri liberis, affinibus, amicis, proximis pro ratione personarum, loci, ætatis, conditionis, ut quæque occasio & cujusque necessitas postulabat. Neque ullum exstat vestigium ejusmodi testamentorum à Patriarchis, à Judæis, à viris sanctis jure naturali vel Judaico nuncupatorum.

Legimus Abrahamum dum adhuc viveret dedisse omnia bona sua Isaaco, & filiis Cethuræ aliisque munera & dona largitum eos ab Isaaco segregasse, atque Orientem versùs emisisse, Gen. 25. Ità Isaacus non testamenti factione pro more Juris Romani, Jacobo & Esau filiis suis bona sua addixit: Eaque maximè quorum heres institutus, quæ fidei ejus commissa fuerant, ut traderet proli suæ, atque alterutri natorum suorum, Gen. 27. Sed advocato Esau natu majore dimisit illum venatum, ut de præda capta esculentium ipsi suave conficeret, quo degustato benediceret illi. Jacob matri morem gerens fratrem antevertit. Accedit ad patrem cum condimento, benedictionem ejus occupat, Succedit Esau: quas paravit delicias patri affert. Pavet attonitus Isaac, quanquam deceptus, benedictionem ore sacro Jacobo tributam revocare nequit, nec mutare factum potuit. Si jus ejusmodi testamenti apud viros sanctos obtinuisset, recipere se extemplo poterat Isaac, & recinere, quòd superstes & sospes in vivis etiamnum exstaret: sed Divino juri & fidei bonæ morem gerit & obtemperat, inque ea quam Deo duce pronunciaverat sententia perstat.

Non aliâ ratione Jacob Patriarcha filiis suis florens adhuc ætate, non exspectatâ morte, armenta gregesque & reliquam suppellectilem largitus, morte adventante eos accersivit, & singulis Divino numine afflatus, pronunciato immutabili decreto, affuturas in posterum benedictiones dispertitus est. Sed Josue post legem à Deo latam & traditam per Moysem, cùm populum Israëliticum in possessionem universæ terræ Canaan intromitteret, atque ejus partes duodecim tribubus assignaret, non cujusquam testamenti tabulas vel codicillos inspexit consuluitve, sed cuique obvenientem jure belli sortem addit.

Neque Caleb cùm filiam suam Hotnieli fratris filio, qui Kiriathsepher expugnaverat: traderet in matrimonium, cùm jam ei agrum dono dedisset, postularetque insuper ipsa imminentes montes scatentes fontibus & subjectas valles irriguas, causata agrum illum siccum esse & aridum, spes ejus distulit aut frustratus est testamenti pollicitatione, cujus nullum jus, nulla lex extitit inter Judæos; sed illico votis ejus assensit.

Hoc maximè claret etiam ex illa parabola, qua Dominus Pharisæorum murmura compescuit, & calumnias eorum coërcuit, quæ habetur de filio prodigo Lucæ 15. In qua proponit Dominus quod vulgò fieri jure Judaico soleret. *Cuidam patri*, inquit, *erant duo filii.* Minor natu cùm jam per ætatem res suas sibi gerere & curare fas esset, petit à patre, δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον, i.e. *Da mihi partem hereditatis contingentem, quæ ad me attinet. Et dispertitus est ipsis sua bona.*

Enimverò si Jus civile Romanum de testamentis apud Judæos obtinuisset, stultissima fuisset junioris illius petitio, stulteque & imprudenter admodum pater petitioni ejus adnuisset & indulsisset. Nam non incivilis modò & temeraria, sed & impia foret ejusmodi petitio apud eos qui Jus civile Romanum usurpant, ut filius hereditatem aut partem ejus à parente sospite, vegeto & incolumi petat, quam nonnisi testamento potest consequi. Videretur enim ejus morti imminere, & meritò temeritatis & insolentiæ pœnas daret. Sed cùm nepotulus ille paternæ hereditatis

ditatis partem sibi concessam dilapidavisset, domumque parentis reversus esset, cùm iniquè ferret frater ejus opiparè apparatum immerenti fratri convivium, ut stomachum ejus deliniret pater, & exasperatum animum demulceret, *Omnia mea tua sunt*, inquit, *fili*. Quæ planè testantur nullum testamento juxta Jus civile Romanum apud Judæos locum fuisse.

Ac non solummodo inter privatos homines tenuiorum fortunarum dominos liberale illud genus donationis inter vivos usurpatum fuit apud Israëlem, verùm etiam inter eos penès quos summum imperium fuit. David enim qui totius Israëlitici populi regno potitus est, qui in potestatem suam Moabitas, Ammonitas, Philistæos, Amalecitas redegerat, qui Damascum & totam Syriam usque ad Euphratem sub jugum miserat, Deo duce & auctore accersitos ad se Sadocum summum Pontificem, Nathanem Prophetam, Benaiam prætorio præfectum, jussit eos Salomonem filium deducere Gehonem, atque illic unctum inaugurare, consecrare, proclamare Regem Judæ & Israëlis, ut sederet in solio suo, & totius imperii habenas moderaretur, ipse sospes & superstes David cùm adhuc viveret.

Cujus magnanimitatis exemplum Job etiam præbuit apud Idumæos. Exantlatis enim tot ærumnis quibus probatus est à Domino, restitutus in pristinum statum duplo florentiorem, cum septem filiis tres filias formà & nomine perquam celebres, Dianam, Cassiam, Cornuamaltheam coheredes instituisse dicitur: Non equidem ullo testamento, quod viro sanctissimo ignobile fuisse certum est; sed donatione inter vivos familiari bonis omnibus. Hoc namque officio paterno defunctus, centum annos vixisse deinde circiter, & natos natorum generationes quatuor spectasse asseritur.

Instant contrà erroris illius defensores, Christum testatoris vice esse mortuum, perque Christi mortem Dei testamentum ratum & confirmatum fuisse, perque Christi mortem homines cœlestem adire hereditatem, inque ejus potestatem mitti. Respondetur, verissimum quidem Christum esse mortuum. Sed falsissimum instar testatoris esse mortuum, ut vel testamentum Patris vel suum ratum faceret & confirmaret. Sed mortem obivit quasi vas & sponsor, & mediator Divini fœderis pacti cum peccatoribus morti obnoxiis, ut peccatum aboleret, factus reus quasi ex syngrapha, ut deleret chirographum quod contra nos erat, ut Divinum fœdus ratum fieret & firmaretur. Nec pro Deo Patre vel pro se mortuus est, sed *pro nobis*, pro peccatis nostris *factus est peccatum*, i. e. hostia peccati, *ut fieremus justitia*, i. e. ut absolveremur à peccato, & verè justi & sancti essemus, fide præditi, donati Spiritu S. ut renati ex aqua & Spiritu S. in regnum cœlorum homines ingredi valeant. Unus pro omnibus mortuus est, & in eo omnes sunt mortui. Mortuus est quasi reus. Et Divino judicio obnoxium se fecit pro nobis, ipse insons & innocens, agnus Dei sanctus & immaculatus. Factus est victima ut peccata mundi tolleret, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Subjecit se Pilato judici, ut patri obsequeretur. *Non haberes potestatem in me, nisi tibi esset data desuper*, οὐκ εἶχες οὐδεμίαν ἐξουσίαν κατ' ἐμοῦ, εἰ μὴ ἦν σοι δεδομένον ἄνωθεν Judicio atque damnationi Pilati sese subjecit. ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη. i. e. *In ejus exinanitione damnatus est: sublatus est è medio*, Act. Apost. 8. 33. Eaque ratione nullo modo testamenti factionem habuit. Neque ut testator mortuus est, sed ut reus & damnatus, violentà morte, supplicio cruento, è medio sublatus est. Nec Jure Romano servis & morte damnatis testandi jus fuit, aut jure gentium, sed fisco omnia damnatorum bona adjudicantur. Christus verò personam servi subiit, & peccata hominum gestavit. Quasi latro inter duos latrones judicio Pilati cruci affixus est. Atque eatenus omni jure testamenti faciendi nudatus & spoliatus est. Optimeque Psal. 102. comparatur לעני כי יעטף *pauperi trepidanti ob famem & nuditatem*: & לשריד Asseritque de se דמיתי לקאת מדבר הייתי ככוס חרבות כצפור בודד על גג, i. e. *Similis factus sum pellicano & noctuæ, & passeri solitario.*

Iterum resurget aliquis supereritque in hac causa, opponetque hunc obicem. Atqui Christus Dei Patris heres esse dicitur, nosque etiam heredes Dei, Christi coheredes nuncupamur. Testator est ergò Deus, & testamentum à Deo factum est. Respondetur: Deus Pater Christum heredem instituit non per Testamentum quasi moribundus aut moriturus: sed Fœderis illius dispositione quæ insinuatur his verbis Psal. 110. *Sede ad dexteram meam donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et Psal. 2. *Tu es filius meus, ego hodie genui te. Pete à me, dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, per resurrectionem à mortuis, reconciliatione factà per sanguinem crucis. Nos etiam per mortem ipsius reconciliati, propitiato Deo per sanguinem crucis Dei heredes facti sumus, Christi coheredes. Hoc itaque Testamenti & Testatoris interpretamentum naturæ Fœderis, de quo hic agitur, planè repugnat. Nam Testamenti factione Testator, factor Testamenti, qui voluntatem suam testatur, qui bona sua disponit & dispensat, dividit & donat quibuslibet, personam gerit morientis vel morituri. Heres verò donatus, vel dotatus aut donatarius, personam sustinet superstitis & victuri. At contrà in hoc Fœdere persona quæ donat, quæ bona sua dispensat & largitur, nempe Deus, est immortalis, manet in æternum, interitui obnoxius non est. Ille verò cujus gratià Fœdus transigitur, fœderatus, qui heres est, cui per hoc Fœdus à largitore Deo bonorum omnium confertur hereditas, moritur, mortemque illum obire oportet hoc Fœdere, quod non aliter nisi morte, cujus fit gratià, fœderati, constare potest. Ergò rationibus Apostoli consentaneum non est mutuari voces Testamenti & Testatoris, ad significandum res ex diametro adversantes. Neque Christus mortuus est quasi Testator, quasi dominus bonorum, quasi dispositor & donator: sed tanquam vas & sponsor, tanquam debitor, tanquam obnoxius, tanquam reus, tanquam damnatus, tanquam servus, tanquam spoliatus & exinanitus & omnium egenus. Quam personam induerat, gerebat, egitque per totam vitam, in cruce potissimùm, quamque desposuit in sepulcro. Omnium heres factus non per mortem alterius, ut in Testamento fieri solet, sed proprià morte. Proinde falsissimum est autorem Fœderis illius quod Testamentum appellant, esse mortuum. Deus enim Pater quem Testatorem esse oportet, si Fœdus est Testamentum, immortalis est. Et Christus autor Fœderis non fuit, sed ἔγγυος καὶ μεσίτης, *vas & sponsor & mediator* illius. Atque eatenus mortuus est. Et quatenus mortuus est, Testamenti factionis jus non habuit.

Sed & hæc interpretatio Testamenti nonnisi Testatoris morte confirmati, vivo verò Testatore instabilis & irriti, omni juri naturali & Divino repugnat, & justitiam planè pessum vertit. Definitur enim *Justitia constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Et si Testamentum jure factum & suum cuique tributum per Testatorem, Testatoris constans & perpetua voluntas etiam vivo Testatore firma & invariabilis stare debet. Sin minus, etiamnum mortuo Testatore ratum & firmum manere nefas, sed quasi cassum & inane sanctis legibus abrogatur. Postque mortem Testatoris jure gentium & civili contra injustum, injuriosum, inofficiosum Testamentum, germanis & legitimis successoribus & defensoribus nominis & bonorum suorum actio concessa est. Nec hoc sanctissimum Apostoli effatum, ὅπου γὰρ διαθήκη, θάνατον ἀνάγκη φέρεσθαι τοῦ διαθεμένου· διαθήκη γὰρ ἐπὶ νεκροῖς βεβαία· ἐπεὶ μήποτε ἰσχύει ὅτε ζῇ ὁ διαθέμενος, quicquam habet commercii cum veteratorum, versipellium, stellionum, fluxæ fidei hominum scitis & sanctionibus, quibus nitebatur monstri ingentis horrendi Caji Cæsaris Caligulæ Imperatoris sententia, quam in ejus vita refert Suetonius: Cùm quidam, inquit, parentes ipsum inter liberos heredem nuncuparent, derisores eos vocabat, quòd post nuncupationem vivere perseverarent, & multis venenatas macteas mittebat. Verùm agit Apostolus veteri fœdere Divino cum primis parentibus, Patriarchis, Israëlitico populo inito, deque novo per Christum redemptorem cum omni genere hominum pacto. Obliteratis itaque Testamenti & Testatoris vocibus hoc in loco, & reposito ubique verbo Fœderis pro Testamenti vocabulo tam hìc quàm suprà & infrà, hos versus sic vertendos censemus, *Nam ubi Fœdus mortem sequi necesse est Fœderati*, i. e. illius propter quem sancitur. *Fœdus enim mortem subeuntibus firmatur. Quandoquidem nequaquam viget donec vivit fœderatus*, i. e. ille pro quo disponitur. Probat autem Apostolus hoc dictum, nonnisi subeuntibus mortem hominibus Fœdus Divinum constare, inductione primi Fœderis, quod sanguine effuso celebratum est, ὅθεν οὐδ' ἡ πρώτη χωρὶς αἵματος ἐγκεκαίνισται, *Unde* inquit, *nec primum sine sanguine dedicatum.* Moses enim acceptis taurorum atque hircorum sanguine, aquâ, lanâ coccineâ, hyssopo, tam legis librum quàm universum populum conspersit cum hoc dicto, *Hic est sanguis fœderis quod vobis Deus præcepit*: τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός, הנה דם הברית אשר כרת יי עמכם *quod vobiscum sanxit Dominus.* Omnes autem immolatæ victimæ, quarum sanguis effundebatur, vicem offerentium subibant, atque infligendas peccatoribus pœnas repræsentabant. Eàque ratione liberandos omni noxâ reos significabant: καὶ σχεδὸν ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται κατὰ τὸν νόμον, καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις, i. e. *Et fere omnia per sanguinem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio*, inquit Apostolus. Enimvero justitia Divina pœnas luere peccatores postulat. Misericordia verò & clementia tauros, hircos atque ejusmodi mundas hostias jugulari hominum loco, hocque modo delicta piari priori fœdere concessit, donec nasceretur & exoriretur Agnus Dei qui

peccata

peccata mundi tolleret, Semen mulieris prodiret in lucem, quod serpentis caput contereret, Æterni Fœderis ἔγγυος καὶ μεσίτης, *vas & sponsor & mediator*, Christus moreretur. Qui verè *languores nostros pertulit, & dolores nostros ipse gestavit: vulneratus fuit ob peccata nostra, & percussus propter iniquitates nostras. Castigatio pacis nostra in eum incubuit, vibicibus ejus sanati sumus. Omnium nostrûm iniquitates Dominus ei imposuit. Et seipsum pro peccatis nostris hostiam dedit.* Qui peccatum abolevit, mortem superavit, Satanam architectum peccati vicit, deque omnibus inimicis nostris triumphavit 1 Cor. 15. ποῦ σου θάνατε τὸ κέντρον; ποῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος; & sanguine suo novum fœdus sanxit. Peccatorum nostrorum memoriam in æternum obliteravit, pronunciantibus Prophetis Jer. 31. אסלח לעונם ולחטאתם לא אזכר עוד, *Iniquitati eorum propitius ero, & peccatorum eorum non recordabor amplius.* Et Esa. 43. אנכי אנכי הוא מחה פשעיך למעני וחטאתיך לא אזכר, *Ego, ego sum delens delicta tua propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Atque ità mortem ob nostra peccata perpessus novum Fœdus sanxit. Hoc itaque dictum Apostoli veteri Fœderi usquequaque quadrat ab Adamo ad Christum. Siquidem cùm primos parentes post eorum lapsum confitentes reos Deus peregisset, veniam ipsis peccati admissi indulsit, diræ & exitialis calumniæ damnato Satana, fraudis & insidiarum artifice & instructore. Pepigit fœdus cum Adamo ejusque posteris, hac lege & sententià in serpentem latà, Ponam inimicitias inter mulierem & serpentem, inter semen mulieris & serpentis semen; mulieris semen calcaneo suo caput serpentis conteret. Contra mulierem verò, Dolores tuos augebo, & tormina addam tibi in puerperio. Cum cruciatu parturies. Vir tuus in te dominabitur, & voluntas tua voluntati ejus obnoxia erit. Adversus Adamum ejusque posteros, Multis laboribus & sudoribus terram coles, spinas & carduos feret tibi, atque ærumnabilis erit vita tua, donec in terram redieris de qua ortus es. Quia pulvis es & in pulverem reverteris. His conditionibus Dei fœdus cum Adamo constitit: vitam illi & vestes pelliceas concessit, quas illi ex mactatis belluis aptavit. Hinc Adamus natos suos Cainum & Abelem pastionem & arationem agricolationis duas partes edocuit, tradiditque ipsis hoc fœdus. Quod acceptum ab Adamo pari modo non exercuerunt. Abel namque per fidem sacrificium melius quàm Cain obtulit. Cain verò serpentis virus atrum in corde gestans, violato Divino fœdere atque omni jure, manus suas animumque fraterno sanguine fœdavit. Tandem post aliquod tempus resurrexit sanctum genus filiorum Dei in posteris Seth. Quod rapto è medio hominum Enocho, fœderis Divini religiosissimo observatore, inito fœdere cum filiis hominum, contractis nuptiis cum eorum filiabus, earum illecebris & pulcritudine captum, à Dei fœdere descivit. Accensa est ira Dei in universum genus hominum, & decretum de eo per diluvium perdendo factum est: excepto Noacho qui constanter in Divino fœdere perstitit. Quod Dominus cum Noacho confirmavit variis symbolis & sacramentis. Primò aquarum diluvio, quo demersa universa terra, omnesque impii deleti, à quo Noë & domus ejus octo capita numero servata sunt. Deinde arcà, in quam ingressus est Noë, perque eam sospitatus, cujus antitypum Baptisma est. Tertiò sacrificiis omnigenùm quadrupedum & volucrium mundorum factis. Demum iride, quæ species est & imago & sacramentum filii Dei, qui dictus est ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, i. e. *repercussio gloriæ & character personæ patris.* In quibus omnibus repetitis Divini Fœderis sanctionibus dictum Apostoli verum elucescit, διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς βεβαία, i. e. *Fœdus quorundam morte firmatur.* Sed maximè postquam Deus è medio Chaldæorum, Camarinorum, & Astrologorum ex civitate Ur, quæ dicta est Camarina, & quæ verè fuit omnis superstitionis & impietatis camarina, Abrahamum eduxit, pepigitque Fœdus cum eo, vaccæ, capræ, arietis, turturis & columbæ sacrificio imperato: quodque Fœdus iteravit Circumcisionis instituto. Tandem immolatione charissimi Filii nuncupatà Quæ omnia probant Apostoli pronunciatum, citra sanguinem & mortem fœderati, i. e. ejus quicum initur, Divinum fœdus stare nequit. Omnia enim illa hominem per peccatum morti obnoxium liberari Divinà gratià & misericordià significabant. Idipsum clarissimè etiamnum innotuit, cùm Dominus Israëlem ex Ægypto liberavit, & cum eo Fœdus pepigit agni sacramento. Angelus Domini omnes Ægyptiorum primogenitos interfecit. Agni sanguis in vestibulo Israëlitis præsidio fuit. Quando mare rubrum Israël sicco pede pertransivit, Pharao cum toto exercitu fluctibus obrutus est. Omnia etiam sacrificiorum genera per Mosem Israëli tradita & commendata Divini Fœderis sacramenta idipsum protestabantur, hominem scilicet morte dignum servari & liberari misericorditer purà & mundà & innoxià victimà cæsà. Quæ omnia Christi sacrificium delineabant & adumbrabant, quod omnium typorum & sacramentorum loco subiit, quod verè & reapse maculas nostras delevit, peccata nostra è medio sustulit, quodque placato & propitiato Deo erga nos Fœdus ejus nobiscum in æternum stabilivit; & quo Apostolicæ sententiæ, διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς βεβαία, *fœdus subeunte mortem aliquo firmum est*, veritatem experimur.

CAP. X.

VALLA.

19, 20. **H***Abentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam*] *In introitum* potiùs legendum, quòd videlicet *confidamus introire in Sancta.* Nam quid est nunc *in introitu Sanctorum*? & ità Græcè habetur, εἰς τὴν εἴσοδον. Posset etiam transferri *quem*, h. e. *introitum*: nam Græcè *introitus* est generis fem. Nec accipiendum est *initiavit*, ut quidam faciunt, pro *inchoavit*, sed pro *consecravit* seu *dedicavit*: nam idem hic Græcè vocabulum, ἐνεκαίνισεν, & superiùs c. 9. 18. *dedicatum est*, ἐγκεκαίνισται.

30. *Mihi vindictam*] Nominativo legendum est *vindicta*, ἐκδίκησις.

33. *In altero quidem, opprobriis & passionibus spectaculum facti; in altero autem, socii taliter conversantium effecti*] Apertiùs transferretur pro bis *in altero* bis *tum*, τοῦτο μὲν, τοῦτο δὲ. *Spectaculum facti* Græcè dicitur *theatro expositi*, i. e. *theatrizati*, θεατριζόμενοι. *Theatrum* Græcè, Latinè *spectaculum* & *spectacula* dicitur.

34. *Nam & vinctis compassi estis*] Pudendum est vicem Latinorum, qui ità Sacrorum librorum veritatem corrumpi permiserunt, nè dicam corruperunt. Nam hic locus præcipuè probat hanc Epistolam esse Pauli, cùm dicat, *compassi estis vinculis meis*, non *vinctis*, δεσμοῖς μου.

38. *Justus autem ex fide vivit*] Legendum est *vivet*, ζήσεται.

REVIUS in VALLAM.

20. **I***Nitiavit*] Hic bis mendosè scriptum erat *nunciavit.* ¶ *In introitum*] *Est quidem*, inquit Erasmus, *Græcus sermo anceps*, εἰς τὴν εἴσοδον. *Verùm non video cur non rectè possit accipi* nos habere fiduciam in introitu, *quo Christus Pontifex pro nobis ingressus est Sancta. Etiamsi diversa lectio mihi non improbatur, & magis quadrat ad ea quæ sequuntur*, ACCEDAMUS CUM VERO, &c. Eam quoque Beza secutus vertit *libertatem ingrediendi.*

34. *Vinculis meis*, non *Vinctis*] Δεσμίοις legit Vulgatus pro δεσμοῖς· ut & Syrus, & duo Bezæ manuscripti; qui tamen *Vinculis* prætulit. Erasmus utramque lectionem sanam habere sententiam autumat. Quod Valla ex hoc loco colligit hanc Epistolam Paulo tribuendam esse, argumento eum perinfirmo niti judicat Beza. Erasmus etiam *frivolum* id & *ridiculum* arbitratur: *quasi*, inquit, *non omnes ferme Apostolorum successores & adjutores in vinculis fuerint.* Vellem paulò modestiùs: nam vix puto Erasmum hoc probare posse.

ERASMUS.

1. **N***On ipsam imaginem*] Οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα. *Ipsam* posuit pro *veram & expressam, quæ rem totam ut est repræsentet.* Unde & Christum *imaginem Dei* vocat. At *umbra* nihil repræsentat præter extrema quædam corporis lineamenta. Unde rudis illa priscorum pictura cœpit.

2. *Alioqui cessassent offerri*] Græcanica Scholia admonent per interrogationem esse legendum, *an non desiissent offerri?* Interpres legisse videtur, ἐπεὶ ἐπαύσαντο ἂν προσφερόμεναι. Pro nobis facit Theophylactus. Certè aut omittenda erat negatio, aut legendum per interrogationem, quæ vim habet negandi. Cæterùm hic eleganter Interpres participium vertit in verbum infinitivum, ἐπαύσαντο προσφερόμεναι pro προσφέρεσθαι, quod aliàs quidem parùm eleganter reliquit.

3. *Sed in ipsis commemoratio*] Subaudiendum est *sacrificiis* sive *hostiis*, sive *in iisdem.* Loquitur enim de iteratis.

5. *Hostiam & oblationem noluisti*] Quisquis hanc scripsit Epistolam, minimùm discrepat ab editione LXX. in citandis

V. Instru-

V. Instrumenti testimoniis, juxta quos ità legimus, *Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι· ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ἐζήτησας. τότε εἶπον, Ἰδοὺ ἥκω· ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου.* Ubi pro *aures* positum est *corpus*: atque ità legit Augustinus enarrans Psalmum 40. At D. Hieronymus juxta veritatem Hebraicam transtulit hoc modo, *Victimâ & oblatione non indiges aures autem fodisti mihi. Holocaustum & pro peccato non petisti. Tunc dixi, Ecce venio. In volumine libri scriptum est de me, ut facerem placitum tibi, Deus meus.* Cæterùm quod dicit, *aures autem perfodisti mihi*, indicat obedientiam fidei, quam Deus jam requirebat à suis cultoribus, fastiditis victimis.

7. *Ut faciam Deus*] Hoc referendum est ad illud quod præcessit, *Ecce venio, ut faciam*, &c. annotantibus Græcorum Scholiis; & liquet ex his quæ sequuntur.

9. *Tunc dixi, Ecce venio*] Ubi hæc verba repetuntur, *dixit* est Græcè *τότε εἴρηκεν*. Mirum est autem cur Interpres Latinus mutaverit personam, cùm referantur verba superiùs posita. Et tamen ità scriptum fuisse in vetustiss. codice Paulino rasuræ vestigium indicat. Neque secùs legisse videtur Chrysostomus, vel hoc argumento, quòd quæstionem movet de quo hoc dicatur. Nam si legisset *tunc dixi*, h. e. si ipse diceret de se, non conveniebat interrogare de quo hoc diceretur. Post hæc consului Græcum codicem, & reperi *εἴρηκεν*, i. e. *dixit*, in posteriore loco, cùm apud Theophylactum esset *εἶπον dixi*. Variant & Latini codices. ¶ *Ut sequens statuat*] *Τὸ δεύτερον*, *secundum*, sive *posterius*.

11. *Sacerdos præstò est quotidie*] *Ἱερεὺς ἕστηκεν*, *Sacerdos stat*, ut verbum verbo reddam. Nec est quòd nos offendat temporis ratio, cùm in hujusmodi verbis præteritum usurpetur pro præsenti. Hoc admonui, quòd animadverterim quosdam frustrà offendi, in quibus est Stapulensis noster. Alioqui si legas *stabat*, parùm congruet quod mox consequitur, *quæ non possunt auferre peccata.* Quanquam Græcè est *οὐδέποτε δύνανται*, *nunquam possunt*: atque ità scriptum comperi in exemplari Paulino, atque item in Constantiensi.

12. *Pro peccatis offerens hostiam*] *Προσενέγκας θυσίαν.* Participium est præt. temporis, quamobrem mutato genere vertere poterat *oblatâ hostiâ.*

14. *Sanctificatos*] *Τοὺς ἁγιαζομένους*, *eos qui sanctificantur.*

16. *Dabo leges*] *Διδοὺς νόμους*, *dans leges.* Codex Donatiani habebat *dando* pro *dabo.* Consentiebat Constantiensis.

19. *In introitu*] Valla castigat *in introitum*, quasi *nos confidamus futurum ut introeamus Sancta.* Et est quidem Græcus sermo anceps, *εἰς τὴν εἴσοδον.* Verùm non video cur non rectè possit accipi, *nos habere fiduciam in introitu quo Christus Pontifex pro nobis ingressus est Sancta.* Etiamsi diversa lectio mihi non improbatur, & magis quadrat ad ea quæ sequuntur, *Accedamus cum vero*, &c.

20. *Initiavit*] *Ἐνεκαίνισεν*, *innovavit*, sive *dedicavit*: unde *Encænia.* ¶ *Viam novam*] *Ὁδὸν πρόσφατον*, *viam recentem.*

22. *Accedamus*] *Προσερχώμεθα*, *accedimus.* Etiamsi hic Græcorum exemplaria variant. ¶ Et *in plenitudine* est *ἐν πληροφορίᾳ*· de quo sæpe jam admonuimus. Ac de *certitudine fiduciæ* interpretantur Græcorum Commentarii qui Chrysostomo inscribuntur.

23. *Confessionem indeclinabilem*] *Ἀκλινῆ*, *non vacillantem, neque huc & illuc nutantem*, h. e. firmam & immotam. Alioqui *indeclinabile* dicitur quod vitari non possit.

24. *In provocatione charitatis*] *Εἰς παροξυσμόν.* Quod Lucas in Actis accipit pro *excandescentia*, in malam partem: hic in bonam usurpavit, pro *exstimulatione.*

25. *Collectionem nostram*] *Ἐπισυναγωγὴν*, *aggregationem*, quasi postea accesserint aut accessuri sint. ¶ *Quantò videritis*] *Ὅσῳ βλέπετε*, *quanto videtis.*

27. *Terribilis autem*] Melius erat *sed terribilis.* Quanquam idem significent hæ conjunctiones, tamen nonnihil refert aliquando quam quo loco ponas. ¶ *Et ignis æmulatio*] *Ζῆλος.* Igni veluti sensum tribuit. Nam *zelum* appellat impetum ulciscendi. ¶ *Quæ consumptura est*] *Ἐσθίειν μέλλοντος*, *qui comesurus est*, sive *devoraturus.* Et hic locus palàm adimit spem Christianis relapsis in peccatum, nisi commodè interpretemur juxta rationem quam superiùs indicavimus ex Chrysostomi sententia, atque etiam Theophylacti, Non posse repeti Baptismum, qui Christi mortem repræsentat. Testatur nominatim Theophylactus, hunc Pauli sermonem à nonnullis eò fuisse depravatum ut interpretarentur, non dari locum veniæ à Baptismo revolutis in vitia. Quoniam autem ea quæ sequuntur, *sed terribilis exspectatio judicii*, videntur pugnare cum hac interpretatione (nam alioqui dixisset, *sed sequitur pœnitentia*) posset & sic explicari, ut Paulus *ὑπερβολῇ* utatur quò magis deterreat eos à peccando. Similia sunt in Epistola Johannis. Aut ut intelligamus de iis qui deficiunt à lege Christi, quos *adversarios* vocat.

28. *Irritam quis faciens*] *Ἀθετήσας τις νόμον*, *aliquis qui irritam fecit legem.*

29. *Mereri supplicia*] *Ἀξιωθήσεται*, *merebitur*, seu *dignus habebitur.* ¶ *Pollutum duxerit*] *Κοινὸν*, *communem.* Sic enim vocant Judæi quod est profanum & abominandum. Porrò *duxerit* positum est pro *existimarit*, aut *habuerit.*

30. *Mihi vindictam*] Græcè est *vindicta* nominandi casu, *ἐμοὶ ἐκδίκησις*, ut & antè admonuimus. Perinde valet ac si dicas, *Mea est vindicta, & meum est ulcisci, non vestrum.* ¶ *Et ego retribuam*] *Et* redundat, consentiente Constantiensi. ¶ *Quia judicabit*] *Quia* non est apud Græcos. Cæterùm illud *in altero quidem opprobriis* dilucidius verti poterat per *tum* & *tum*, aut *partim* & *partim*, aut *non modò* & *non solum. Partim quidem dum & probris & pressuris affecti, spectaculo fuistis omnibus, partim dum consortes ità conversantium facti estis.* Ut sit sensus, Illos duplici nomine laudari, qui non solùm ipsi persecutionem ob Christi fidem sustinuerint, verùm & aliis hæc patientibus adfuerint & communicarint. Porrò quod Laurentius arbitratur, ex hoc potissimùm verbulo doceri posse hanc Epistolam esse Pauli, quòd de *vinculis suis* meminerit, frivolum est, nè dicam ridiculum, quasi non omnes ferme Apostolorum successores & adjutores in vinculis fuerint.

33. *Spectaculum facti*] *Θεατριζόμενοι. Θέατρον* Græcis *spectaculum.* Unde qui in theatrum producuntur ut omnibus sint spectaculo *θεατρίζεσθαι* dicuntur.

34. *Nam & vinctis*] Gr. *τοῖς δεσμοῖς ἐμοῦ*, *vinculis meis.* Interpres legisse videtur *δεσμίοις.* Theophylactus legit *δεσμοῖς μου.* Utraque lectio sanam habet sententiam. ¶ *Cognoscentes vos*] Græci sic legunt, *Γινώσκοντες ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς καὶ μένουσαν*, *cognoscentes vos habere in vobismetipsis meliorem substantiam in cælis & manentem.* Quidam cod. pro *ἐν ἑαυτοῖς* habent *ἐν οὐρανοῖς*, *in cælis.* Quidam habebant ad hunc modum, *ἔχειν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς*, *habere vobisipsis meliorem substantiam in cælis.*

35. *Nolite itaque amittere*] *Μὴ ἀποβάλητε οὖν*, *nè abjiciatis igitur.*

36. *Patientia enim vobis necessaria est*] *Ὑπομονῆς γὰρ ἔχετε χρείαν.* Quod non simpliciter sonat *patientiam* quâ toleramus mala, sed *patientem exspectationem*, cum spe præmii duramus in malis, & nos rebus melioribus servamus.

37. *Adhuc enim modicum aliquantulum*] *Ἔτι γὰρ μικρὸν, ὅσον, ὅσον*· quod ità vertere poterat, *Adhuc enim perpusillum*, aut *perquam exiguum tempus.* Nam Græci sermonis conduplicatio epitasin habet brevitatis temporis, idque juxta proprietatem Hebræi sermonis, qui congeminatione verbi ejusdem vehementiam explicant. Quod genus est illud Jeremiæ, *Ficus bonas bonas, & ficus malas malas.* Rursum illud ejusdem, *Templum Domini, Templum Domini.* Itidem Esaias cap. 10. *Adhuc enim paululum modicumque, & consummabitur indignatio mea.*

38. *Ex fide vivit*] *Ζήσεται*, *vivet*, sive *victurus est.* ¶ *Quia si*] Antiqui cod. habent *quod si.* Græci *καὶ ἐὰν*, *& si.* ¶ *Non placebit anima mea*] *Οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ*, *non complacitum est animæ meæ in illo.* Quanquam D. Hieronymus existimat *ea* legendum, ut referatur ad *visionem*, non ad *hominem*: præcedit enim in Habacuc, unde hic desumptus est locus, *Scribe visionem*, &c. Atque illud *si subtraxerit se* refert ad Christum tardantem, non ad hominem desperantem. De quo cui cordi fuerit copiosius edoceri, legat hujus enarrationem in 2 caput Habacuc.

39. *Subtractionis filii*] *Filii* non reperio in Græcis cod. ac nè in Paulino quidem exemplari, nisi quòd aliquis recentiore manu in spatio versus dirimente ascripserat *filii.* Suffragabatur nobis hic vetustissimus codex Constantiensis. Porrò ità dixit *non sumus subtractionis*, q. d. *non sumus subtractores*, h. e. qui refugiunt ac detrectant obedire: *sed sumus fidei*, h. e. fideles, q. d. sumus Dei. Nec est *simus* sed *sumus*, *ἐσμὲν*, modo Indicandi, non Imperandi.

VATABLUS.

1. *ACcedentes*] Sub. *ad Templum.* ¶ *Perfectos facere*] i. e. Liberare à peccatis.

2. *Alioquin* *] * *Nonne.* ¶ *Ideo quòd nullam haberent*] *Propterea quòd nullam habuissent.* ¶ *Cultores semel mundati*] *Qui sacrificassent, ac semel mundati essent.*

3. *In ipsis*] *Per ipsas*: sub. *hostias.*

4. *Impossibile enim est sanguine taurorum*] Vel, *Impossibile est sanguinem taurorum*, &c.

7. *Venio*] *Adsum.* ¶ *Libri*] *Voluminis*: i.e. Legis & Prophetarum. ¶ *De me*] Vel, *mihi.*

8. *Quia hostias & oblationes*] *Hostiam & oblationem.*

9. *Sequens*] *Secundum*, vel, *posterius.*

10. *In qua voluntate*, *Per quam voluntatem.*

11. *Præstò est*] Vel, *assistit.* ¶ *Non*] *Nunquam*, Vet.

12. *Unam pro peccatis offerens hostiam*] *Unâ pro peccatis oblata hostiâ.*

13. *De cætero*] *Id quod superest*: vel, *in posterum exspectans.*

14. *Consummavit*] *Perfectos effecit.* ¶ *Sanctificatos*] *Eos qui sanctificantur.*

15. *Contestatur autem nos*] i.e. Cujus rei testis est nobis Spiritus.

16. *Testamentum quod testabor ad illos*] *Fœdus quod feriam cum illis.* ¶ *Dabo*] *Dando*, Vet. Heb. pro *dabo.*

19. *Fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi*; *Quam*, &c.] *Libertatem adeundi in Sancta per sanguinem Jesu*, *eâ viâ quam dedicavit nobis recentem*, vel, *accessibilem.*

21. *Et*] Sub. *Cumque habeamus.*

22. *In plenitudine fidei*] *Cum certa fide.* ¶ *Aspersi corda à conscientia mala*, *& abluti*, &c.] i.e. Sanguine Christi habentes corda mundata à peccatis, & per baptismum abluti corpus.

23. *Indeclinabilem*] *Non vacillantem.*

24. *In provocationem charitatis & bonorum operum*] Vel, *in hoc ut provocemus ad charitatem & bona opera.*

25. *Collectionem nostram*] *Aggregationem nostrî mutuam.* ¶ *Consolantes*] *Adhortantes invicem.* ¶ *Videritis*] *Videtis.*

26. *Peccantibus nobis*] i.e. Deficientibus à Christianismo ad Judaismum.

27. *Terribilis autem*] *Sed terribilis.* ¶ *Æmulatio quæ consumptura est*] *Zelus qui devoraturus est*, &c. *Zelum ignis* vocat Impetum ulciscendi & vehementiam.

28. *Irritam quis faciens*] *Qui rejecerit.*

29. *Mereri*] *Merebitur*, vel, *dignus habebitur.* ¶ *Pollutum duxerit*] Vel, *ceu rem profanam habuerit.*

30. *Vindictam*] *Vindicta*, Vet. i.e. meum est ulcisci.

32. *Passionum*] *Afflictionum.*

33. *Et in altero*] *Partim.* ¶ *Tribulationibus*] Sub. *afflicti estis vos*, *spectaculum*, &c. ¶ *In altero*] *Partim.*

34. *Vinctis compassi estis*] *Afflictionum quæ ex vinculis meis contigerunt participes fuistis.* Gr. *Vinculis meis condoluistis.* ¶ *Cognoscentes* *] * *In vobismetipsis.* Alii legunt ἑαυτοῖς, i.e. *vobisipsis*, sine præpositione *in.* ¶ *Et manentem substantiam*, &c.] *Substantiam in cœlis*, *& manentem.* *Ne abjiciatis igitur.*

36. *Necessaria est*] *Est opus.*

37. *Modicum aliquantulumque*] *Perpusillum temporis*, *& qui*, &c.

38. *Vivit*] *Vivet*: fut. temp. Vet. ¶ *Non placebit animæ meæ*] Gr. *non sibi placet anima mea in illo*, Hebr. est.

39. *Subtractionis filii*] *Qui subtrahamus nos.* ¶ *Fidei*] *Ad fidem pertinemus.* ¶ *Animæ*] i.e. Vitæ.

CASTALIO.

23. TEneamus *spei professionem immobilem*] Speremus firmissimè felicitatem quam nos sperare profitemur.

CLARIUS.

3. SEd *in ipsis commemoratio*] Illa, inquit, *sacrificia* quæ fiunt *non tollunt peccata*, *sed per illa fit commemoratio peccatorum*, & fatentur homines esse se peccatores.

5. *Ingrediens mundum*] Christus per acceptam naturam nostram *intrans in mundum*, ut salutem nostram operaretur, *ait* per David, *Oblationes hæ victimæque Legales non tibi*, Pater, *placent*, quas hactenus ob istorum imbecillitatem tolerasti. Quando igitur hæc jam repellis, & *aptasti mihi corpus*, per quod beneplacitum tibi sacrificium offeram, *ecce venio*, *ut faciam voluntatem tuam*: nam *de hac re in volumine libri* Divinæ legis tuæ passim *scriptum est.* Quod autem ait *in volumine*, non est ἐν κεφαλῇ, h. e. *in capite*, quod verbum philosophari multos fecit, sed ἐν κεφαλίδι *in volumine*, quod sic vocatur à formâ quâ libri apud Hebræos scribi consueverunt, ut circumvolvantur.

15. *Contestatur autem nos*] *Spiritus Sanctus* per illa jam antea commemorata verba Prophetæ Jeremiæ *testatur* remissa esse nobis peccata. *Cùm enim prius dixisset*, *Hoc est testamentum*, &c. adjecit, *& peccatorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius.*

26. *Voluntariè enim peccantibus*] Neque hic tollitur Pœnitentia: sed docet, non debere eos exspectare quotidianas victimas quæ ob repetita peccata, ut in Lege fiebat, offerantur; sed quemadmodum Christus unâ oblatione omnia peccata abolevit, sic post semel condonata peccata non debere eos iterum ad eadem revolvi, quod nihil est aliud quàm videri velle quotidie repetitas hostias pro peccato exspectare. Neque simpliciter dixit *peccantibus*, sed *voluntariè peccantibus*, qui non infirmitate aliquâ aut ignorantiâ sed vitiorum delectatione spontè atque ex animo peccant. Hujusmodi autem hominibus quid exspectandum est (id enim plurimùm eis usu venit) nisi minæ æterni ignis?

27. *Ignis æmulatio*] Ignis ille tanquam æmulator Divini honoris sæviet in impios.

29. *Sanguinem testamenti pollutum duxerit*] Illud *pollutum* in Græco est κοινὸν *commune*, quod in Scripturis, more Hebræorum, significat & *immundum* & *quod nihil à cæteris distet.* Hic ergò reprehendit eos qui sanguinem Christi nihilo chariùs æstimant quàm communia alia.

34. *Nam & vinculis meis compassi*] Videtur hic esse χιασμός· nam cùm duo dixisset, *in altero facti spectaculum*, *in altero socii*, &c. Prius respondit posteriori.

ZEGERUS.

1. NOn *ipsam imaginem rerum*] Emphasis est in demonstrativo *ipsam*; q. d. *non ipsissimam* (sive *perfectam*) *imaginem*, h. e. non ipsam veritatem rerum. Theophylactus ex Basilio M. indicat *umbram* dici Legem, *imaginem* verò quæ nunc in Ecclesia peraguntur, quæ & ipsa aliorum perfectiorum bonorum, i.e. *rerum* (quas vocat Apostolus) significationes sint, quæ in futuro seculo exspectamus. Differunt autem hic *umbra* & *imago* quemadmodum rudis figuræ alicujus macula, nil repræsentans præter extrema quædam corporis lineamenta, & pictura omnibus suis coloribus decorata.

3. *Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit*] Tanquam si dicat, Non expiationem, non solutionem peccatorum operantur Legales illæ hostiæ quotannis oblatæ; illæ commemorant arguuntque peccata nequaquam esse soluta. In eo siquidem quòd hostiæ offerebantur, redargutio erat peccatorum, in eo quòd assiduè & quotannis aliæ atque aliæ victimæ offerebantur, argumentum erat inefficaciæ in illis ad condonanda peccata. Sed dixerit aliquis, Quid ergo? Estne sacrificium Altaris invalidum, quod toties & tam multis in locis offerri & iterari conspicimus? Denique si semel oblatum totius tulit peccata mundi, ut quid in singulos dies tot repetitis vicibus totque hostiarum immolationibus iteratur? Offertur quidem per singulos dies, non quòd semel à Christo oblatum invalidum sit ad totius seculi tollenda crimina, sed ut tanti beneficii perpetua habeatur recordatio. *Hoc*, enim inquit, *facite in meam commemorationem*, Luc. 22. 19. Deinde iteratur quidem, nec tamen multa sunt, ut in veteri Lege, sacrificia, sed unum atque idem semper & ubivis est sacrificium. Alioqui hâc ratione, quoniam in multis locis offertur, multi essent & Christi. Quomodo igitur unum & non multa, cùm à multis diversis in locis diversisque temporibus offeratur? Advertendum est quod Divinitas Verbi Dei una atque eadem omni tempore omnique loco semper perseverans, & omnia replens, inscrutabili suâ virtute hoc operetur, & unum semper fit sacrificium, quemadmodum una est Divinitas, & unum corpus quod Divinitas ipsa suscepit.

7. *In capite libri scriptum est de me*] De hoc *libro* & *libri capite* varia est Interpretum sententia. Sed ne infinita replicem, illud mihi probabilius censetur, ut de libro Psalmorum hoc dictum accipiamus, ubi in primo Psalmo juxta id quod hic subjungitur, *ut faciam*, *Deus*, *voluntatem tuam*, scriptum est, *sed in lege Domini voluntas ejus*: quandoquidem totus hic locus, *hostiam & oblationes*, &c. *noluisti*, &c. ex ejusdem libri Psalmo 40. desumptus est. Simplicissima quoque & hæc erit ratio, si quod D. Clemens, aut si quis alius est Pauli Interpres, ex LXX. Interpretibus posuit ἐν κεφαλίδι βιβλίου, pro illo accipiamus quod Hebræis legitur, במגלת ספר, i.e. *in volumine libri*, vel *in volumine descriptionis.* Nam de Patris adimplenda per Christum voluntate per corporis ipsius immolationem passim loquuntur Scripturæ.

9. *Aufert primum*, *ut sequens statuat*] Utrobique subaudiendum *Sacerdotium*, vel *Testamentum*, vel *Sacrificium*, aut aliquid simile. Apud Græcos aptiùs videtur subaudiendum *voluntatem*,

tem, quod illis neutri generis est: sequitur enim è vestigio, *In qua voluntate sanctificati sumus.*

11. *Praesto est*] i.e. Assistit.

14. *Consummavit*] i.e. *Perfectos reddidit*, τετελείωκε, vel *perfectos reddit*; ut præteritum accipias loco præsentis, sicuti id est non infrequens apud Hebræos.

15, 16. *Contestatur autem nos & Spiritus S.*] Græcè est μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν *testificatur autem nobis.* ¶ *Postquam enim dixit, Hoc autem*] Subaudi *est testamentum quod testificabor ad illos*, &c. Ecliptica est oratio, atque ità suppleri potest, *Postquam enim dixit, Hoc autem est testamentum quod testabor*, sive (ut Græcè est) *disponam ad illos, dicit Dominus, Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas.* Adjecit etiam hoc, *& peccatorum & iniquitatum eorum non recordabor*; ut patet suprà cap. 8.

18. *Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio* (subaudi *necessaria pro peccata.*) *Habentes itaque*, &c.] Sensus & ordo verborum hic est, *Itaque fratres, cùm ex peccatorum remissione certam habeamus fiduciam super introitu ad loca verè sancta*, quæ illa quondam Sancta sanctorum figurabant, *per sanguinem Christi, quem introitum Christus nobis inchoavit & fecit viam novam & ad vitam perducentem*, idque ingrediens *per carnis suæ velamen, cumque habeamus & Sacerdotem magnum domûs Dei*, i.e. Ecclesiæ, *moderatorem, accedamus cum vero corde plenâque fide*, ut Pontificem nostrum imitantes tandem in Sancta sanctorum sequi mereamur.

25. *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam*] Admonet illos nè segregent sese à communibus congregationibus, in quibus mutuæ fiebant ad fidei constantiam cohortationes, consolationes, de rebus dubiis collationes, institutiones, & id genus reliqua; *sicut*, inquit, *quibusdam mos est* ab hujusmodi semet cœtibus subducere.

26. *Voluntariè enim peccantibus*] Referendum est ad id quod paulò superiùs dictum est, *abluti corpus aquâ mundâ teneamus spei nostræ confessionem immotam.*

29. *Sanguinem testamenti pollutum duxerit*] h.e. Qui sanguinem Christi, quo Novum Testamentum consecratum & sancitum est, communem exsecrandumque judicaverit. κοινὸν pro *polluto* & *abominando* posuit, idque ex Hebræorum idiomate.

33. *In altero quidem opprobriis*, &c. *in altero*, &c.] Ita dictum est pro *partim quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, partim autem socii taliter conversantium effecti.* Quod postremum perinde valet ac si dicat, *Non solùm in propriis passionibus non erubescitis, quin etiam & cum Apostolis in tribulationibus & contumeliis agentes gaudetis.* Ita ferè Chrysostomus.

34. *Nam & vinctis compassi estis*] Græcè est τοῖς δεσμοῖς μου *vinculis meis*, sed refragante Chrysostomo: ut probabile sit à librariis id esse depravatum, & pro δεσμοῖς δεσμίοις scribendum, ablato etiam μου· nisi fortè *vincula* pro *vinctis* per Metonymiam accipias.

37. *Adhuc enim modicum aliquantulumque qui venturus est veniet*] Quibusdam adjectis & immutatis, Apostolus Prophetæ Habacuc verbis tanquam suis utitur. Ità enim in ejus Prophetiæ cap. 2. juxta LXX. legimus, *Si defecerit, exspecta eum, quia veniens veniet & non tardabit. Si retraxerit se, non placebit animæ meæ in eo. At justus ex fide mea vivet. Adhuc enim aliquantulum* scriptum visitur in exempl. Emsteiniensi, sine *modicum*, quod supervacaneum videtur.

38. *Quod si subtraxerit se*] Justus à fide semel suscepta.

39. *Non sumus subtractionis filii*] h.e. Non sumus increduli, subducentes nosmet à fide *in perditionem.* Cæterùm ὑποστολὴ non modò *subtractionem*, verùm etiam *prævaricationem, repressionem*, deinde & *metum non planè nec ingenuè loquentis* signat: quæ sanè huic loco non ineptè congruunt.

H. STEPHANUS.

1. Τελειῶσαι] *Sanctificare.* Vel ad verb. *Perfectos reddere.*

8. Ἀνώτερον λέγων] *Cùm superiùs dixisset.*

22. Ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς] *Cùm nostra corda tanquam aspersione pura fuerint reddita à conscientia mala.* Vide cap. 9. 13, & 19.

32. Πολλὴν ἄθλησιν ὑπεμείνατε παθημάτων] *Athletico quodam robore varias afflictiones sustinuistis*: vel *graves.*

33. Θεατριζόμενοι] Tanquam *in theatrum producti.*

38. Ἐὰν ὑποστείληται] *Si se subduxerit*: vel *subtraxerit.*

39. Οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς] *Non sumus ii qui nos subducamus*: vel *subtrahamus.*

DRUSIUS.

5. *Ingrediens mundum*] i.e. Homo factus. Nam *Homo* vocatur בא עולם *intrans mundum*, & pluraliter באי עולם sunt *homines.* Quocirca Pleonasmus esse videtur in illo Euangelii Johannis, *Omnem hominem venientem in mundum.* Vide quæ notavimus ad illum locum. ¶ *Oblationem*] Προσφορὰν, i.e. קרבן, quomodo Syrus Interpres retulit. Novè interpretantur vocem מנחה *oblationem*: quam alibi reddunt δῶρον *donum* sive *munus*, & θυσίαν *hostiam* sive *victimam* vel *sacrificium*, & μαναὰ, πεπέςι δῶρον. Ità Symmachus Dan. 2. 46. Vox merè Ebraica. Et antiqua lectio est MANAHA pro eo quod nunc legunt & scribunt MINHA sive MINCHA. Nam H, Heth tam per *ch* quàm per *he* nudum & simplex exprimi potest. Sic *Hebron* & *Chebron*, *Hermon* & *Chermon*, *Thanhuma* & *Thanchuma*, *Ham* & *Cham.* ¶ *Corpus aptasti mihi*] Aures perforando, quo ritu corpus aptum reddebatur ad obsequium vel servitium heri, cui perforatus aures inserviebat usque ad annum Jubilæum. Nam quin eò respexerit Prophetes nullum omnino dubium est.

6. *Et pro peccato*] Καὶ περὶ ἁμαρτίας. Subintelligitur autem θυσίαν, aut hujusmodi quid, ut sit *hostiam pro peccato*: quæ aliquando ἁμαρτία *peccatum* dicitur; ut ubi legimus Christum *pro nobis factum esse peccatum*, i.e. victimam pro peccato. Περὶ ἁμαρτίας obvium & Rom. 8. 3. Vide Psal. 39. 6. qui Ebræis est 40. ubi codex Ebræus וחטאה *& peccatum.* Mox Senes habent οὐκ ᾔτησας, quod Apostolus mutavit in οὐδὲ εὐδόκησας, *non approbasti, non placuerunt tibi.* Levit. 4. 14. *Juvencum filium bovis* περὶ ἁμαρτίας, *pro peccato*, לחטאת. 14. 19. את החטאת, LXX. τὸ περὶ τῆς ἁμαρτίας, *oblationem pro peccato.*

7. *In capite libri*] Ἐν κεφαλίδι βιβλίου. Syrus *in capite Scripti*, ברש כתבא. Ergò κεφαλὶς *caput*, i.e. principium. Hieron. *In capite libri scriptum est de me*; *h.e. in principio Geneseos.* Idem Quæst. in Genesin, LXX. *interpretes & Symmachus ac Theodotio* IN PRINCIPIO *transtulerunt, quod Aquila interpretatur* IN CAPITULO. Puto Græcè fuisse ἐν κεφαλίδι. Nam hoc Hieronymus interpretatur *in capitulo*, Zach. 5. 1. *Volumen, quod Ebraicè* מגלה, *à Symmacho dicitur* κεφαλὶς, *i.e.* capitulum; *juxta illud*, IN CAPITULO LIBRI SCRIPTUM EST DE ME. Suidas, Κεφαλὶς βιβλίου, ὅπερ τινὲς εἴλημα φασιν· Ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ. Innuit autem Aquilam & Symmachum. Chrysostomus, τὴν κεφαλίδα εἴλημα εἰρήκασιν Ἀκύλας καὶ ὁ Σύμμαχος. In margine, οὕτω [illegible] τὰς θείας γραφὰς μέχρι καὶ σήμερον Ἰουδαῖοι κατασκευάζειν εἰώθασι. Hoc verum si accipias de quinque libris Mosis, h.e. de Lege. Lex. V. Εἴλημα, *volumen.* Appellatio à *volvendo.* Sic מגלה à verbo גלל *involvo.* Scholion, ἐν κεφαλίδι. Aq. ἐν εἰλήματι. Sym. ἐν τῷ τεύχει τοῦ ὁρισμοῦ σου. Alius, ἐν τόμῳ. Ezec. 2. 9. κεφαλὶς βιβλίου, Schol. ἀντὶ τοῦ τόμος. Οὕτω γὰρ τὸν τόμον Ἑβραῖοι προσαγορεύουσιν. Eò labor ut credam in Hellenistica lingua κεφαλὶς idem esse quod מגלה *volumen.* Ità sanè sumitur Ezræ 6. 2. Εὑρέθη ἐν τῇ βάρει τῶν Μήδων πόλεως κεφαλὶς μία, i.e. *volumen unum.* Vide notas an edit. Rom. Jes. 8. 1. גליון *volumen*: alius κεφαλίς. In edit. Rom. Lat. ex Symmacho ἐν τῷ τεύχει, *in volumine.* Vide, si placet.

31. *Horrendum est incidere in manus Dei*] Sirach. 2. 18. *Incidamus in manus Dei, & non in manus hominum.* Sensus est, *potiùs quàm in manus hominum.* Eadem sententia habetur 2 Sam. 24. 14. Deus enim est *misericors & miserator*, h.e. ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων. Quomodo igitur *Horrendum est incidere in manus*, &c. Capio de Deo irato. Quò pertinet illud, *Castiga me, DOMINE, in judicio, & non in ira tua.* Iram enim Dei nemo mortalium sustinere potest.

32. *Illuminati*] Illustrati luce veritatis aut Euangelii, vel certè baptizati. Nam Φωτισμὸς *Baptismus*, & Φωτίζω *baptizo.* In editione Aquilæ Pontici הורה *doceo*, Φωτίζω. Nam qui alium docet, eum *illuminat.* Huc pertinet, *Populus qui sedebat in tenebris, lux magna eis affulsit.*

33. *Spectaculum*] ראי, quod παράδειγμα interpretantur. Nah. 3. 6. ושמתיך כראי. LXX. θήσομαί σε εἰς παράδειγμα. Recentior Interpres, *in theatrum producti.* Nam Græcè θεατριζόμενοι. Vide sis Annotationes ejus. Syrus, *fuistis* aut *facti estis* חזיונא *spectacula.* Alius, *fuistis spectaculo*, ut illi qui in theatrum producuntur.

CASAUBONUS.

37. Μικρὸν ὅσον ὅσον] Vide Hesychium.

CAMERON.

5. Σ*ῶμα δὲ κατηρτίσω μοι*] LXX. ità reddiderunt quod in Hebræo est *aurem perforasti mihi*: quod erat apud Hebræos Servitutis signum, uti liquet ex Exod. 21 6. Itaque sensus est, *Tu me servum tuum effecisti*. Quæ consuetudo autem perforandi quia nullum apud Græcos locum habebat, ideo à LXX. prudentissimè locus iste paulò generaliùs est redditus, *tu autem corpus mihi disposuisti*, h. e. Tu corpus meum certo quodam modo ac ratione affecisti atque notasti. Nam & Græcis mos erat servorum corpora notâ aliquâ peculiari insignire. Porrò notandum hic est LXX. non dicere, *σῶμα δὲ προσηρτίσω μοι*, quod esset, *corpus mihi attexuisti & coaptasti*, sed habent *κατηρτίσω*, ità ut *σῶμά μοι* idem hic sit quod *σῶμά με*· cujus generis locutiones frequentissimæ sunt in lingua Græca, Hebræa & Latina.

25. *Μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν*] Sunt qui *ἐπισυναγωγὴν* hic idem esse volunt quod *συναγωγὴν*, & Ecclesiam eâ voce significari putant. Sed si ità est, sensus erit, *Ne deserite Ecclesiam vestram*: quomodo non solent loqui Apostoli: nam *Ecclesiam Dei* dicunt, & *Ecclesiam Christi*, sed *Ecclesiam vestram*, vel *Ecclesiam horum* aut *illorum* non solent dicere. Deinde, pugnat illa interpretatio cum mente Apostoli: nam agitur de conventibus Christianorum in unum cultûs Divini causâ coactis: Itaque Apostolus hortationis suæ argumentum adjicit, quòd sic *accenditur charitas mutua*. Jam verò quæ esset hæc sententia, *Ne deficite ab Ecclesia ut accendatur charitas mutua*? Profectò absurda plane. Sed si *ἐπισυναγωγὴν conventum* intelligamus, optimè quadrant ista: nihil enim est potentius ad colligendos fidelium animos quàm si frequentissimè conveniant publicarum Precum & Verbi audiendi causâ. *ἐπισυναγωγὴ* ergò non est hic *cœtus*, sed *contio* potiùs, & ipse, ut ità loquar, *coeundi actus*: hortatur enim Apostolus ut ne coeant infrequenter & raro.

29. *Τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ἐν ᾧ ἡγιάσθη*] Dupliciter *sanctificantur* homines; alii absolutè, ut soli fideles, cùm scilicet non tantùm ab aliis hominibus segregantur (hoc enim verbum *sanctificare* sæpe significat in Scriptura) à Deo, sed & remissione peccatorum apprehensâ, & Spiritus S. virtute sanctificantur, & in sanctitatis studio permanent. Alii comparatè; qui scilicet separantur quidem ab aliis hominibus externâ fidei professione, & aliquâ forte vitæ instituti immutatione; at non sanctificantur absolutè, ut fideles. Ad hoc posterius sanctificationis genus pertinet hoc Apostoli dictum, *in quo sanctificatus fuit*.

GUALTPERIUS.

6. Ὁ*λοκαύτωμα*] Vox Græca, ex *ὁλοκαυτόω* vel *ὁλοκαυτέω*, *totum comburo*, *totum cremo*: quod in quibusdam sacrificiis fieri solebat. Indè *ὁλοκαύτωμα*, *victima* seu *hostia quæ integra comburitur*, *& ex qua nihil reliqui fit*. *ὁλόκαυστον* idem. Hieron. HOLOCAUTOMATA, *quæ &* HOLOCAUSTA, *sunt quæ super altare integra concremantur*. VICTIMÆ *autem &* HOSTIÆ, *quarum pars offertur altari*, *pars Sacerdotibus tribuitur*. Lutherus reddit *Brand-Opffer*. Hebr. עלה OLAH, sic dictum ab *ascendendo*, quòd igne absumptum sursum ascenderet & evanesceret. Idem Psal. 51. 21. vocatur כליל *sacrificium totum consumendum igne*. Tota enim victima, quam oportebat ex masculis vitulis, agnis aut hœdis, turturibus vel *περιστερίδιοις* eligi, *ἄμωμον εἶναι*, cremabatur, & velut in fumum versa efferebatur in sublime atque evanescebat. Quo significabatur, oportere hanc corruptam & fœdâ peccatorum illuvie contaminatam naturam destrui & renovari. R. Ab. Esra notat עלה fuisse *sacrificium juge*, כליל *sacrificium Sacerdotis*.

JAC. CAPPELLUS.

1. N*Am*] *Αἰτιολογία παραβατική*. Rationem enim reddens Apostolus cur Christus ingressus sit in Sanctuarium Aaronico nobilius, eâdem operâ transit ad alterum comparationis membrum, de quo diximus c. 9. 24. quo probat quantò præstantius sit Christi quàm ullum Aaronis sacrificium. Probat autem id tribus rationibus; 1. Quia Legis sacrificia fuerunt tantum umbra sacrificii Christi; 2. Quia sacrificia Legis sanctificandi vim nullam habebant, v. 1. Tertia ratio petitur ab auctoritate Scripturæ, v. 5. ¶ *Lex*] Ceremonialis ab antitypo suo distincta, adeoque quatenus opponitur antitypo suo, prout opponebatur ab iis adversùs quos disputat Apostolus. Alioqui verè fideles, quos *Lex instar pædagogi deducebat ad Christum*, qui pro luminis quod tum illis affundebatur modo typos cum antitypo conjunctim considerabant & amplectebantur, ii certè non solâ pascebantur umbrâ nec solis glandibus ac deliciis terrenis, sed ut nobis sic etiam illis Deus erat *clypeus & merces magna valde*, Gen. 15. 1. *eodemque* nobiscum *cibo potuque nutriebantur* 1 Cor. 10. 3, 4. ¶ *Habens umbram*] Etiamsi Christum vivis admodum coloribus depinxerint Apostoli Gal. 3. 1. vividioribus certè quàm Prophetæ, tamen si Sacramenta veterum cum nostris compares, putà Circumcisionem cum Baptismo, Paschalem Agnum cum Cœna Dominica, durum est dicere fuisse tantùm *umbram* in veteribus illis signis, in nostris demum *ipsam rerum imaginem* haberi: At si typos Judaicos cum ipso Christo compares, fuerunt illi certè tantùm instar *umbræ*, cujus *corpus est in Christo*, Col. 2. 17. ¶ *Bonorum futurorum*] Lotionis sanctificantis, Oblationis expiatoriæ, Sacrificii propitiatorii; quæ cuncta præstitit unus Christus, & quidem iis temporibus quæ Prophetæ *κατ' ἐξαίρετον* ventura nuncupabant: quo modo nunc *κατ' ἐξοχὴν futurum* nuncupatur tempus illud quo Christus secundò venturus est ad judicandos vivos & mortuos. ¶ *Non ipsam effigiem rerum*] h. e. Non res ipsas, vel, ut Chrysostomus & OEcumenius, *non ipsam veritatem*, vel, ut Faber Stapulensis, *non ipsum archetypum*. Ità locum hunc acceperunt Syrus & Arabs, & merito. 1. Primò enim instituit Apostolus hoc & præcedenti capite comparationem inter duo, putà Typum & Antitypum; non inter tria, putà inter Sacramenta Judaica, Sacrementa nostra, & id quod in cœlo consequemur. Possunt quidem institui commodæ veræque comparationes inter illa tria, sed eæ sunt aliunde potiùs quàm ex hoc textu probandæ. 2. Cùm unius ejusdemque rei dari possint sexcentæ rudiores adumbrationes, totidem expressiores imagines, ecquam tandem illarum vocabimus *ipsam imaginem rerum*? 3. Inter typos Mosaicos multi fuerunt quos veriùs dixeris vivas imagines, vivis coloribus instructas, quàm crassas tantùm ac rudes adumbrationes. At cum cuique rei, certè visibili, sit effigies sua, huic certè comparata quævis imago quibuscunque tandem coloribus adornata, dici potest *umbra*. Cùm in utero matris membra formantur infantis, dicitur infans *ἐξεικονίζεσθαι* Exod. 21. 22, 23. Naturalem hanc effigiem imitari conetur quivis Apelles, Apellis effigies dici poterit *umbra*, illam verò quam ipsa Natura sive Deus impressit dicere poteris *αὐτὴν τοῦ πράγματος εἰκόνα ipsam effigiem rei*. Alienæ sunt enim omnes reliquæ, non ipsi rei propriæ. Sic Phil. 2. 7. *formam servi* vocat Apostolus non imitationem naturæ humanæ sed ipsam naturam humanam: quin & v. 6. *formam Dei* vocat ipsam Divinitatem, (licèt neque pingi neque videri possit) non ullam Divinitatis imitationem. ¶ *Iisdem sacrificiis quæ quotannis offeruntur*] Et quidem eodem modo: quam ob causam vocantur *eadem sacrificia*. Erant tamen hæc sacrificia multa, non unum. Sic, etiamsi nullum esset discrimen inter Missam hodiernam & Ambrosianam, inter utramvis & Cœnam Domini (quod tamen est longè maximum) nihilominus essent actiones illæ multæ, non una: ideoque multò minùs dici possent *unum idemque sacrificium* propriè dictum quàm Levitica, quæ saltem uno tantùm loco offerebantur, & eodem prorsus modo quo primitus. ¶ *Assiduè*] Εἰς τὸ διηνεκές, Syrus & Arabs hanc vocem omittunt. Vulgata versio vertit *indefinenter*. Respicit Apostolus vocem תמיד, quam Heb. 9. 6. verterat διὰ παντὸς, ut & LXX. passim. Respicit quoque Paulus seculum & mentem Mosis Judæos obligantis ad ritus illos peragendos *εἰς τὸ διηνεκὲς in perpetuum*, donec videlicet eos huic eximeret necessitati Deus ipse, qui non sibi sed Homini leges figit. Rursus, *in perpetuum*, h. e. ad seculum usque venturum, ad manifestationem usque Christi, ad primum ejus adventum usque; quo modo nunc quoque Baptismus & Cœna Domini dici possunt *εἰς τὸ διηνεκὲς in perpetuum instituta*, quia nunquam nobis licuit, licebit nunquam iis quidquam addere, quidquam demere, quidquam immutare, donec Deus ipse nos eximat huic necessitati: quod fiet in secundo demum adventu Christi, in futuro seculo. ¶ *Nunquam potest accedentes sanctificare*] Quoad conscientiam videlicet ac mentem, sed tantùm quoad cutem, ut docuit c. 9. 9, 10. Probat autem id tribus rationibus; I. Quia nunquam iterari desinebant, & eodem quidem semper modo. II. Quia reatum suum profiteri tenebantur offerentes, eoque fateri ritus illos non habere vim abolendi reatum, v. 3. III. Quia fieri non potest ut pecudis ullius sanguis auferat peccata. v. 4.

2. *Alioqui desiissent offerri*] Vel, *Alioqui nonne desiissent offerri*? Variant enim hic codices Græci. Quidam particulam negativam οὐκ habent, quidem non habent, ut nec V. Interpres, nec Syrus, nec Arabs. Series sermonis liquidò docet interrogationis beneficio conciliandam varietatem istam. Sunt sanè tum in Græcis tum in Hebraicis cod. quædam lectionum diversitates, sed omnes ejusmodi ut vel utraque lectio possit esse vera, vel facilè placari possit ista pugna. Sic etiam sine lectionum varietate

non-

nonnunquam occurrunt *ἐναντιοφανῆ*, sed quæ non sunt *ἀδιάλλακτα*, & quæ nostrum hàc ipsà pugnæ specie segnitiem ad diligenter & piè scrutandas ac comparandas inter se Scripturas excitant, prout jubemur Joh. 5. 39. ut non sit quòd propterea vel turbentur pii vel insultent Pontificii, quasi liceat illis ullum ob causam Scripturæ nasum cereum affingere. Cæterùm argumenti Paulini vim ità conantur eludere Judæi docentes, unius quidem tantùm, seu unius saltem, anni peccata deleri die Propitiationum, ideoque non prorsus evanidos esse ritus illius diei. Certè non prorsus inutilia sunt Medicorum pharmaca licèt sæpius iteranda; nec cibi, licèt quotidie sæpius ingerendi: Tamen hinc meritò captat Ecclesiastes occasionem lugendæ vanitatis hujus vitæ, ut addictæ servituti volubilitatis perpetuæ. Sed & Christus eàdem ratione nititur, ut doceat quam præstans nobis offerat beneficium Joh. 4. 14. cùm ait, *Qui biberit ex aqua quam illi daturus sum, non sitiet in æternum.* Sed certè non est eadem Satisfactionis quæ Medicinæ Cibive ratio; sed nec eadem Justificationis quæ Sanctificationis ratio; nec eadem Eucharistici quæ Propitiatorii sacrificii ratio. ¶ *Quòd semel expiati nullam ampliùs habuissent conscientiam peccatorum suorum qui cultum illum exhibebant*] Corpus per partes alitur & sanatur: Etiam mentis nostræ tenebræ paulatim dispelluntur, cordis nostri durities sensim emollitur: Deo quoque tenemur quotidie gratias agere. Sed Deo non satisfit per partes, neque per partes quisquam apud Deum absolvitur. Itaque nihil obstat quò minùs iterentur cibi, potiones Medicorum, eucharistica sacrificia; Satisfactio verò Propitiatiove pro peccatis aut nulla prorsus est apum Deum, aut est valoris infiniti, eoque non iteranda. Quod certè non Judæos tantùm, sed & Pontificios jugulat, qui Missam suam volunt esse Sacrificium propriè dictum & Propitiatorium, & tamen quotidie sexcenties iterandum. At semel quidem, inquiunt, satisfecit Christus pretio virtutis infinitæ, sed *λύτρον* illud quotidie nobis est applicandum. Applicandum fatemur, iterandum pernegamus. Sic Christi sacrificium subindè commemorandum nobis esse docet Scriptura 1 Cor. 11. 26. iterandum verò sacrificium illud nusquam docet, sed disertè negat, in hac potissimùm Epistola, c. 9. 25, 26.

3. *Sed in ipsis fit quotannis commemoratio peccatorum*] Et quidem omnium, Lev. 16. 21. ut quorum nullum ritibus antecedentibus fuerit expiatum. Sic quotidie peccata nostra confitemur, & quidem omnia, quia nullam transgressionum nostrarum expiat aut delet confessio nostra, sed earum omnium expiationem in uno Christi sacrificio quærit. Omnia verò totius populi peccata quomodo potuit confiteri Pontifex Leviticus nisi *κατ᾽ ἐπιτομήν*; Ridiculi sunt igitur non minùs quàm iniqui Pontificii, qui quoties *peccatorum confessionem* in Scriptura commendatam legunt, toties confirmatam volunt Auricularem suam omnium *καθ᾽ ἕκαστα* delictorum apud Presbyterum aliquem demurmurationem.

4. *Impossibile est enim ut sanguis taurorum & hircorum auferat peccata*] Sive reatum eorum abolendo, sive mentem reddendo puram ex impura. Siquidem nulla res corporea potest in spiritualem agere, multò minùs æternam justitiam introducere per cordis sanctificationem & hominis reconciliationem cum Deo, eamque sempiternam, qualem optat & optare debet homo peccatricis ac pravæ naturæ suæ sibi conscius. Hactenus duabus solidissimis rationibus probavit Apostolus quantò præstantius sit Christi quàm ullum Legis Ceremonialis sacrificium. Deinceps id confirmaturus est auctoritate Scripturæ, quæ prædixerat futurum ut nullum à Christo Legale sacrificium exigeretur, sed aliquid iis omnibus longè præstantius.

5. *Ideo ingrediens in mundum, dicit*] Psal. 40 6, 7, 8. Ex his Apostoli verbis discimus Psal. 40. describi Christi ingressum in mundum, & quæ dicit Psaltes, saltem tribus illis versibus, ea Psaltem dicere non in sua sed in Christi persona. Quî potest, inquis, Psalmus 40. Christo convenire, cùm v. 12. legatur, *Assecutæ sunt me iniquitates meæ*? Respondeo 1. vocem עונתי commodè verti posse *pœnæ meæ*, sive mavis *calamitates & ærumnæ*. Passim enim ea vox *pœnam* significat. Christum autem assecutæ sunt pœnæ graves, & quidem peccatorum pœnæ, sed nostrorum non suorum. 2. Etiamsi pars aliqua Psalmi Christo convenire non posset, nihilominus illi tribui posset aliqua pars ejus. Potest enim Psalmus continere dialogismum; primùm fidelis, quinque primis versibus; deinde Filii, sequentibus quinque versibus; ac denique fidelis rursus, reliquâ Psalmi parte. Hujusmodi dialogismum admittere potest etiam sequens Psalmus 41. aliique non pauci, ut alternatim vel inter se loquantur, vel Deum compellent variæ personæ: quæ varietas ex analogia fidei petenda est, ut docemur Rom. 12. 6. Denique, nec hic nec usquam aliàs est necesse ut si versus aliquot Christo conveniunt, totus propterea Psalmus totumve caput ad Christum referatur. ¶ *Sacrificium & oblationem noluisti*] Οὐκ ἠθέλησας. Hebræa vox propriè significat *οὐκ εὐδόκησας* & contra cum Apostolus v. 6. vertit *οὐκ εὐδόκησας*, Hebræa vox propriè significat *non postulasti*, vel, ut LXX. *οὐκ ἐζήτησας non quæsivisti.* Res eodèm recidit utrobique. Perinde est ac si dicat, *Nec sacrificium nec oblationem a me petiisti, à me tibi offerri voluisti.* Non semel ità locuti sunt Prophetæ, acsi Deus nulla sacrificia haberet grata. Qui fit hoc, inquies, cùm instituerit ea Deus ipse? Dicitur id I. comparatè, ut, *Misericordiam volo, non sacrificium*, Hos. 6. 6. h. e. Nullius pecudis sacrificium ità mihi gratum est ut opera misericordiæ, obedientiæ. Eodèm spectat quod dicitur Psal. 50. 7. 1 Sam 15. 22. II. Dicitur id *ἐλεγκτικῶς increpatoriè*, ut Esa. 1. 11. Jer. 6. 20. Amos 5. 21. quasi dicat Deus, *Nullius impœnitentis & in impietate perseverantis sacrificium mihi gratum esse potest.* III. Dicitur id Propheticè, ut Esa. 66. 3. *Sacrificans bovem* erit quasi *percuteret hominem*, &c. ubi scilicet advenerit Messias. Hic autem Davidis in Christi persona loquentis mens est ut doceat non quid ab aliis sed quid à se postulet Deus. ¶ *Sed corpus aptasti mihi*] Sic Apostolus versionem LXX-viralem secutus, ut passim. Nam quòd quidam ejus codices legunt *ὠτία*, factum id ex eo quo notaverat quidam vocem Hebræam significare non *corpus* sed *aures*. Nota marginis, ut passim aliàs, in textum irrepsit in quibusdam cod. ac indè etiam in Vulgatam versionem. At si prior vox fuisset mutanda, mutanda fuisset etiam sequens. Hebraicus enim textus non habet *aures aptasti*, sed *aures perforasti*, *mihi*: pro quo LXX. *σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.* Qui potuerunt, inquis, in animum inducere ut ità verterent? Quia rem, ut aliàs sæpe, spectarunt potiùs quàm verba. Romanorum major erat Herilis & Patria potestas quàm Hebræorum. *Hebræi corpus nec in heri nec in patris erat potestate*, inquit R. Moses Affirmativo mandato 132. ideoque devoveri non poterat. Ubi tamen servus Hebræus hero sex annos serviverat, tum si nollet servitutem exuere, dabat aures suas hero perforandas, ac ità novum & majus quàm pridem jus hero dabat in corpus suum, Exod. 21. 6. adeoque corpus suum velut in mancipium offerebat hero; herus vicissim hàc aurium perforatione ità servo corpus aptabat ut in eum sibi novum jus acquireret, ut Deus in eam rem quæ sibi consecratur. Igitur Hebræa sic verti possunt, *aures autem perforasti mihi*, ut tibi sim in sacrificium. Græca quoque sic, *corpus autem aptasti mihi* in sacrificium. Et enim hoc orationis subjectum.

6. *Holocaustis &* sacrificiis *pro peccato non delectaris*] h. e. Non est, inquam, tibi gratum ut à me tibi quidquam offeratur eorum quæ lex tua postulat.

7. *Tunc dixi*] i e. Ideo sic apud me constitui. ¶ *Ecce venio, facturus, ô Deus, voluntatem tuam*] Heb. *Ecce venio, tuam, ô Deus, voluntatem facere delector.* Res eodèm recidit, ac perinde est acsi Christum ità loquentem inducat David, *Quia nullum à me sacrificium Legale postulas, ideo paratus sum ad id faciendum, ad offerendum id sacrificium, quod tibi placuerit, sacrificium beneplaciti tui*, לעשות (זבח) רצונך, *τοῦ ποιῆσαι θυσίαν τῆς εὐδοκίας σου.* Licèt enim generalis sit oratio, est tamen ad subjectum quo de agitur restringenda. Agitur autem de Sacrificio. Ut Tabernaculum, Arca, Tabulæ Legis, sic & Sacrificia erant in testimonium: quam ob causam passim dicuntur *Tabernaculum testimonii*, Exod. 27. 20. *Arca testimonii*, Exod. 25. 22. & 26. 33. *tabula testimonii*, Exod. 31. 18. Christus autem ejusque sacrificium non est tantùm in testimonium, in exemplum (quanquam est etiam *in testimonium*, 1 Tim. 2. 6. *in exemplum*, 1 Pet. 2. 21.) sed etiam לרצון *εἰς εὐδοκίαν*, *ad benevolentiam* Dei nobis conciliandam. Ideoque licèt sacrificia Levitica passim dicantur *ὀσμὴ εὐωδίας τῷ Κυρίῳ*, Exod. 29. 18, 25. Levit. 1. 9, 13. tamen id illis conveniebat typicè tantùm, Christi verò sacrificio *κατ᾽ ἀλήθειαν secundum veritatem.* Christi sacrificium, & quidem unicum, est propriè *θυσία τῆς εὐωδίας, τῆς εὐδοκίας τοῦ Θεοῦ*, *sacrificium suaveolentiæ, benevolentiæ Dei*, ut quod non tantum placeat Deo, sed & placet Deum, ejusque benevolentiam nobis conciliet. ¶ Venio, inquam, prout *de me scriptum est in capite libri*] Ἐν κεφαλίδι βιβλίου. Sic Apostolus post LXX. vertit *τὸ* במגלת ספר, quod propriè significat *in volumine libri.* Hic verò quærendum 1. quid *libri*, 2. quid *voluminis* voce designetur. ספר *βιβλίου libri* vox hic idem significat quod *βιβλίων librorum.* Utraque phrasis ab Hebræis usurpatur ad designandum V. Test. canonem. Quippe *Misnajoth* tract. *Megilla* cap. 3. sic legimus, *Si cives vendiderint plateam urbis, in illius pretio comprehenditur etiam Synagoga; sub Synagoga comprehenduntur arca; sub arca comprehenduntur lintea; sub linteis comprehenduntur etiam* ספרים *Biblia.* Habet quidem aliquando Synagoga plures arcas, multos libros, variam supellectilem. Non quisquis Synagogam vendit, etiam totam ejus supellectilem & ornatum vendidisse censetur. Sed vendidisse

est usus. Tria sunt videlicet Sanctuarium, Sacrificium, Fœdus, ità connexa ut primi præstantia secundi præstantiam commendet. ¶ *Etiam ipse Spiritus sanctus*] h. e. Scriptura, cujus auctor est Spiritus S. 2 Petr. 1. 21. Quod pertinet. I. Ad Divinitatis confirmationem, cùm tota Scriptura sit Divinitus inspirata, 2 Tim. 3. 16. II. Hinc sequitur eos esse blasphemos qui ut ab homine peccatore, ab homine Peccati, pendere nos jubeant, Scripturam despicantur ut literam mortuam, & quæ nec sententiam ferre nec testimonium perhibere cuiquam possit. III. Hinc sequitur Traditiones quæ vocantur ἄγραφοι, quæ videlicet nullum habent ἐν ταῖς γραφαῖς fundamentum, falsò *Dei verbum* nuncupari, cùm Apostoli nihil *Dei verbum* vocent nisi quod habetur in S. Scriptura. ¶ *Postquam enim dixit*, (Jer. 31. 33.) *Hoc est fœdus quod paciscar cum iis post dies illos, dicit Dominus*] Ubi videlicet advenerit Filius meus, Messias vobis promissus. ¶ *Indam leges meas cordibus eorum, & eorum mentibus eas inscribam*] Addunt hìc quidam codices *postea dicit*; alii, *tunc dixit*. Alterutrum sanè scribendum hic aut supplendum.

17. *Et peccatorum atque iniquitatum ipsorum non recordabor ampliùs*] q. d. Non amplius pollicebor illis bona terrena, cœlestium antitypa; sed, veluti remoto typorum integumento, verè spirituales erunt promissiones meæ, complectentes hæc duo potissimum, Regenerationem & Justificationem.

18. *Ubi verò est horum remissio*, ibi *non est ampliùs oblatio pro peccato*] h. e. In Euangelico verò Fœdere, in quo nobis offertur & exhibetur *peccatorum remissio*, in eo nullam à nobis exigit Deus *oblationem pro peccato:* ideoque multò præstantius est Fœdus hoc novum vetere, quod novas in dies exigebat oblationes pro peccato.

19. *Cùm igitur habeamus*] Hactenus in didascalico dicendi genere versatus Apostolus transit ad νουθετικόν. Hortatur autem illos. I. ad Fiduciam, v. 19. II. ad Perseverantiam, v. 24. ¶ *Fratres*] Hoc elogio tum maximè utitur Apostolus cum ad officium nos hortatur, ut volentes ducat amoris fraterni funibus potius quàm invitos trahat imperio δεσποτικῷ, idque tantò magis quia cohortationes illæ cum aliqua reprehensione sunt plurimùm conjunctæ, imprimis autem ista. ¶ *Libertatem*] i.e. Jus. Ea vox propriè quidem significat *dicendi libertatem*; transfertur tamen etiam ad *faciendi libertatem*. Ea servilem diffidentiam, quod in se est, excludit; filialem reverentiam non excludit. ¶ *Aditûs ad Sanctuarium*] Datur quidem nobis libertas ingressûs, non accessûs solius. *Ingressus* tamen metæ propriæ convenit, ac comprehensoribus: *accessus* etiam viatoribus in stadio datur; quem hic ab Apostolo præcipuè spectari patet ex v. 22. ¶ *Per sanguinem Jesu*] Et quidem per hunc unum: *Non est enim in alio quoquam salus*, Act. 4. 12.

20. Ἣν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν ὁδὸν] Beza, *Eâ viâ quam dedicavit nobis.* Chrysostomus, *Viâ quam construxit, & quam inivit ipse.* Hujus vocis emphasis duo docet, nempe viam hanc esse 1. *Novam*, 2. *Sanctam.* 1. Est *nova*; quia nisi patefecisset illam Christus, ea nunquam ulli mortali patuisset. Itaque cuicunque patuit, per hunc Initiatorem Principemque salutis nostræ patuit. 2. Est *sancta*; quia non turpi cauponatione sed ratione sanctissimâ cœlestis Regni januam nobis aperuit Christus, nec in profanum locum, sed in Sacrarium longè sanctissimum. Ità Templorum consecrationes, repurgationes, adeoque solennes hujusmodi officiorum commemorationes dicebantur ἐγκαίνια, Joh. 10. 22. Heb. 9. 18. ¶ *Via recenti*] Nunquam veterascit, nunquam languescit sanguinis à Christo pro nobis effusi virtus. Sed & nuper viam illam iniverat Christus cùm hæc scribebat Apostolus. ¶ *Et vivâ*] i. e. Vivificâ Ut enim lux Solis sic via Christi vestigiis impressa κυριώτερον *vivifica* dicitur quàm *viva*. Ideo tamen etiam *viva* dicitur quia promanat à Christo, in quo nihil est emortuum, sed omnia vivida. ¶ *Per velum*] Quo scilicet discludebatur locus Sanctissimus à Sancto. ¶ *Hoc est per carnem suam*] Quod diximus Velum considerari potest ut præbens, aut ut prohibens aditum Sanctuarii. Ut præbens, typus erat carnis Christi; quia quemadmodum in Adytum illud non patebat aditus nisi per velum illud, sic in cœlum nulli patet aditus nisi per Christum. At si consideretur Velum istud ut prohibens aditum & aspectum Sanctuarii, tum erit typus dissidii quo Gentes à Judæis discludebantur, quin & ab ipso Deo. Hoc sepimentum veluti *parietem intergerinum* disrupit unius Christi mors, Ephes. 2. 14, 15. An propterea Patres à Regno cœlorum exclusos in Limbum relegabimus? Minimè verò, nisi velimus eos in Gehennam ignis detrudere. *Nec enim est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo qui non est cum Christo*, inquit Augustinus De peccat. merit. l. 1. c. 28. Sed ideo dicitur *in infernum descendisse Christus ut vinctos de inferis liberaret*, ut Hieronymi verbis utar in Esa. 14. quia si Christus nunquam passus fuisset, nullus ab inferni cruciatu liberatus fuisset.

21. *Cùm etiam Sacerdotem magnum habeamus, præfectum domui Dei*] q. d. *Cùm is* qui nobis viam stravit ad cœleste Sanctuarium tantæ sit auctoritatis ut toti *Dei domui sit præpositus*, & *magnus Sacerdos, accedamus*, &c. Ità docet Apostolus hos duos titulos verè proprieque sumptos uni Christo convenire. Romanus tamen Episcopus utrumque titulum arrogare sibi non verecundatur, utpote *sic in Templo Dei sedens ut ostentet se quasi Deum*, 2 Thess. 2, 4.

22, 23. *Accedamus*] Ad Sanctuarium cœleste, nunc quidem supplicaturi, posthac autem fruituri Deo. ¶ *Corde vero*] Sincerè, sine fuco & fallaciis, intrepidè, *spiritu & veritate:* sic enim *vult adorari Deus*, Joh. 4. 23. Ad quem acceditur non corporis sed cordis motu: quo modo nec manducatur Christus ore corporis sed cordis, utpote cibus mentis non ventris. ¶ *In plerophoria fidei*] Phrasim & vocem Apostolicam retinemus, ut emphaseos plenam, ac requirentem 1. *certam mentis persuasionem*, 2. *firmam cordis fiduciam.* Sic. c. 4. 16. jussit nos *ad gratiæ thronum accedere cum fiducia*, μετὰ παῤῥησίας. Hos fidei oculos ambos suffodiunt Pontificii, cùm docent Ignorantiæ alumnam esse Pietatem; esse verò superbiam, si credas à Deo te amore paterno amari, quantumvis id te credere jubeat Deus. ¶ *Expurgatis per aspersionem* sanguinis Jesu Christi *cordibus à conscientia mala*] Ab omni simulatione, ut saltem in posterum ex animo fieri studeamus *integri vitæ, scelerisque puri.* Alioqui *mala mens, malus animus* perinde agit ac si fucum ipsi Deo facturus esset: quæ certe conscientia non potest non esse pessima. Ità *conscientiam malam* opponit Apostolus *vero cordi.* Hæc autem sinceritas cordis & conscientiæ seriò quidem est expetenda, sed non aliâ ratione quàm per Christum & in Christo petenda. ¶ *Et abluto corpore aquâ purâ*] Quod per *aspersionem* designaverat Apostolus v. 22. id nunc per *ablutionem*, h. e. immersionem vel effusionem, significat, non inani synonymorum coacervatione sed utili mysteriorum explicatione docens, 1. Quid sibi velit Spiritus S. cùm ait Ezech. 36. 25. *Effundam super vos aquam puram, ut mundi fitis*; 2. Quid sibi vellent ablutiones Mosaicæ; 3. Quid Baptismus à Joh. Baptista, dein à Christo institutus: nempe *lotione corporis in aqua pura* designabatur *aspersio cordis in sanguine Christi.* ¶ *Teneamus spei confessionem invariatam*] Mutuis videlicet nexibus inter se cohærent ista, Spes ac Fides cordis, & oris Confessio, Rom. 10. 10. Confessio verò debet esse 1. Sincera, non ludens æquivocis, non ambagibus illudens; 2. Constans ac intrepida, quæ nec in hanc nec in illam partem vacillet aut declinet. Ità demum erit ἀκλινής. Talis autem erit si principium habeat à *plerophoria fidei* speique. Vicissim ea demum erit vera Fides, probæque notæ Spes, ac μετὰ πληροφορίας, quæ talem edit confessionem. ¶ *Fidelis enim est qui promisit*] Diffidentiam in nobis parit hostium potentia, vel infirmitas nostra. Utrique telo clypeum impenetrabilem præbet promissionum Dei constantia, quippe qui polliceatur *se præstiturum unà cum tentatione evasionem*, 1 Cor. 10. 13. se redditurum efficacem *vocationem* nostram, 1 Thess. 5. 24. se facturum ut *ab eo non recedamus*, Jer. 32. 40. ut nec hostium vis, astus, numerus, nec nostra fragilitas vocationis Divinæ, quæ secundùm electionem est, consilium sit frustratura. Hanc verò spem superstruit Apostolus non superbiæ, non licentiæ, non ignaviæ, sed humili sedulæque pietati.

24. *Observemus alii alios*] Hactenus ad Fiduciam Hebræos hortatus est Apostolus; deinceps ad Perseverantiam, ut æmulatione mutuâ sed sanctâ pergant in pietatis ac veræ fidei professione. Hortationem autem suam confirmat propositis exemplis I. desertorum, quos manet æternum ac horrendum exitium, v. 25. II. agonum quos jam fortiter subiverant, v. 32. III. piorum innumerorum, qui justitiæ coronam reportaverunt, cap. 11. 1. ¶ *Ut nos acuamus ad fidem & bona opera*] Quam Hesiodus laudavit Æmulationem ad congerendas opes terrenas, eam hic commendat Apostolus ad excitandum charitatis & pietatis studium. Ille quidem,

> *Εἰς ἕτερον γάρ τίς τε ἰδὼν ἔργοιο χατίζων·*

hic, *Κατανοῶμεν ἀλλήλους.* Ille,

> *Εἰς ἄφενον σπεύδοντα* ——

hic, *εἰς ἀγάπην.* Ille,

> *Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει* ——

hic, *εἰς παροξυσμόν.* Utrumque κατ' ἀκυρολογίαν. Sic 1 Cor. 8. 10. οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα φαγεῖν. Tertullianus De velandis virginibus. *Scandalum est, nisi fallor, non bonæ rei sed malæ exemplum, ædificans ad delictum.* Alibi, *ædificari ad ruinam.*

25. *Nè*

25. *Ne derelinquatis*] Potest quidem participium μὴ ἐγκαταλείποντες cum antecedentibus connecti; sed clarior erit oratio si participium vertatur per imperativum, ut passim alias, Rom. 12. 9, 10, 11, 12, 13, 16. ¶ *Vestram*] Ἑαυτῶν quidem est tertiæ personæ; refertur tamen etiam ad secundam & primam, quia reciprocatio referri potest ad quamvis personam. Nostra sunt autem quædam reapse, quædam solo titulo. Apostoli mens est, Cavete nè derelinquatis eam communionem quam professi fuistis esse vestram. ¶ *Aggregationem*] Bellarminus De Ecclesia lib. 3. cap. 1. *Populus N. Testamenti nusquam dicitur Synagoga, sed semper Ecclesia.* At hic vocatur ἐπισυναγωγὴ & Jac. 2. 2. συναγωγή. Et à Patribus passim Christianorum cœtus vocantur συνάξεις. Ibidem ait Bellarminus, CONGREGARI *commune est Hominibus cum Bestiis, at* EVOCARI *proprium est Hominum.* Imò proprium Bestiarum est *congregari*, cùm *grex* propriè dicatur de Bestiis. Sed Metaphoricè passim Hominibus utrumque tribuitur, adeoque fidelibus. Falsum est etiam quod ibidem ait Bellarminus, יעד & קהל propriè significare *congregari*: siquidem יעד propriè significat *convenire*, קהל *vocare*: unde Græcum καλέω, & Latinum *kalo*. Utrumque propriè convenit Hominibus. *Quemadmodum mos est quibusdam*] Λιτότης sive μείωσις pro *multis*. Sic 1 Cor. 10. 7, 8, 9, 10. alibique passim τινὲς ponitur etiam ubi de multis agitur. Pertinet id ad vitandam exaggerationis suspicionem & ad emolliendos animos, *lenitate verborum rei tristitiam mitigante.* ¶ *Sed cohortamini alii alios*] Ad perseverantiam. Ellipsis oppositi, ut Num. 9. 16. Job. 23. 17. Psal. 84. 11. Matth. 15. 4, 5. Curantur autem contraria contrariis. Ut à vitio, quodcunque tandem illud sit, caveamus, nullum est efficacius προφυλακτικὸν quàm si contrariis virtutibus studeamus enixissimè. Sed nec satis est fugere malum, nisi faciamus bonum: adeoque non possumus ex animo malum fugere nisi contrario bono navemus operam, & quidem impigre. ¶ *Idque tantò magis quò magis appropinquare videtis diem illum*] Novissimorum videlicet Judaici populi temporum, qui fuit typus novissimorum totius Orbis temporum. Ultimum Judicium Antonomasticè dicitur *dies ille* 2 Tim. 4. 1, 12, 18. & 4. 8. 1 Thess. 5. 4. 2 Thess. 1. 10. Apostolorum autem seculo poterat quidem dici Judicium ultimum *accedere*, sed magis propriè dicebatur *accedere* dies judicii Judaici, qui typus erat ultimi Judicii: Horrendum, inquam, Dei judicium, quod per Vespasianum, Trajanum, Adrianum in Judæos exercuit, fuit imago quædam ultimi Judicii quod Deus in omnes totius Orbis reprobos exercebit.

26. *Etenim*] Hæc est ætiologia tacitæ comminationis æternum exitium desertoribus denunciantis. ¶ *Post acceptam cognitionem veritatis*] Euangelicæ. Sic 1 Tim. 2. 4. Jac. 5. 19. Tit. 1. 14. Is autem *accepisse cognitionem* hic dicitur qui non tantùm audivit Euangelium, sed teste judiceque conscientiâ penitus persuasus est intus hanc esse cœlestem Divinamque veritatem. Denique designat potissimùm eos Apostolus qui *veritatis cognitionem acceperunt* ὁ τυχόντως, sed eo quem suprà 6. 4, 5. descripsit modo. ¶ *Peccaverimus*] Et eo quidem peccato quod proximè præcedente versu descripsit Apostolus. q. d. ■ spontè Christianismum ejuraverimus, & ità quidem ut ex ignavis desertoribus fiamus hostes infensi. ¶ *Nulla deinceps superest hostia pro peccatis*] Primùm, quia peccatum in Spiritum S. est simpliciter *irremissibile*, Matth. 12. 31. simpliciter *mortale*, 1 Joh. 5. 16. ut quod veniam nunquam consequatur, sed semper æternâ morte puniatur. Secundo, quia Christi desertoribus quibusvis *nulla superest*, alia videlicet, *hostia pro peccato.* Itaque si veniam consequi cupiant, redeant necesse est ad illam quam ad tempus deseruerant hostiam. Sed priorem potissimùm rationem respicit Apostoli comminatio, sanè gravissima, & singulare quidpiam ac horrendum intonans.

27. *Sed tremenda quædam exspectatio judicii*] Hypallage, pro *sed exspectatio tremendi cujusdam judicii.* h. e. Nihil est exspectandum illis nisi terribile Dei judicium. ¶ *Et zelus*] h. e. Zelotypia, furor, ira. Sic enim passim describit Scriptura Dei vindictam in impios, & eam imprimis quæ quidpiam habet insigne. *Judicium & zelus* est judicium quod exercetur, sententia quæ fertur & executioni datur ab eo qui zelo percitus est. Sunt hæc ἀνθρωποπαθῶς intelligenda, non κατὰ προσωποποιΐαν, quasi Paulus Igni corporeo zelum nescio quem affingeret. ¶ *Ignis devoraturi*] *Zelus ignis* dicitur is qui flammis ultricibus vindictam exsequitur. Cùm autem sævissimus quisque cruciatus ignis ministerio fiat, hinc est quod inferorum cruciatus passim vocatur *ignis gehennæ*, vel etiam simpliciter *ignis.* Is autem eò terribilior est quòd ità devorat ut non absumat, ità cruciat ut cruciatui finem nullum imponat, remissionem nullam largiatur. ¶ *Adversarios*] Est quidem Deus adversarius eorum omnium qui moriuntur in peccato: Sed ii κατ' ἐξοχὴν *adversarii Dei* dicuntur qui cùm hic viverent sese gesserunt ut juratos hostes Christi, qui veritatem Euangelicam, utut sibi præcognitam, tamen infensis animis pro virili parte sunt insectati: qui furor iis maximè convenit qui peccant in Spiritum sanctum.

28. *Qui legem Mosis irritam reddiderit*] h. e. Qui Judaismum vel deseruerit ipse, vel alios ad eum deserendum pellexerit. Is המסית vel המדיח uno verbo dicitur. Respicit Apostolus verba Mosis Deut. 13. 5, 6, 7, 8. ut ἀθετεῖν hic sit idem quod ἐγκαταλείπειν v. 25. Multa quidem sunt legis Mosaicæ mandata quæ si quis sciens transgressus fuerat capitale erat: Sed omnino respicit Apostolus ἀθετήσεως κατ' ἐξαίρετον dictæ genus: quod innuit etiam Talmud, De synedrio cap. 10. §. 1. cùm Israelitis æternâ felicitate privandis annumerat *eos qui dicunt Legem è cœlo non esse.* ¶ *Absque misericordia moritur*] Alludit verba Legis, *Non parcet eis oculus tuus*, Deut. 7. 16. & 25. 12. imprimis verò Deut. 13. 8. Tantus autem erat Legis Mosaicæ rigor ut etiam urbes integras cultûs Divini desertrices, deficientes à Judaismo vellet internecione deleri, Deut. 13. 12. Ergone gladio feriendi sunt hæretici? nec singuli tantum, sed conglobati? sed urbes integræ? Respondeo, Aliud est in aliquo Christianismi capite errare, aliud Christianismum totum ejurare. Erat pestilentissima Sadducæorum hæresis: Nusquam tamen in reliquos Judæos invehitur Christus quòd in Sadducæos ultore gladio non animadverterent. Urbes integras quod attinet, Moses agit tantùm de urbibus in Chananæa sitis. Itaque typicum aliquid habebat mandatum istud. ¶ *Sub testimonio* consentiente testium oculatorum *duorum aut trium*] Minimè suspectorum, de quorum fide nulla sit justa dubitandi causa. Nam id licèt disertè non exprimatur in Lege Deut. 19. 15. subintelligendum tamen satis docet ipsa ratio, & in eo consentit Jus civile Judaicum cum Romano. Juri verò tam Divino quàm humano contrarium est Jus Pontificium, cùm LXXII. testes ad unius Præsulis, certè Rom. condemnationem exigit in actis Synodi Rom. quæ Marcellinum E. R. thurificationis convicit LXXII. testibus; ac tum demum eum damnavit: quasi non aliter eum damnare licuisset. Adeoque tribuitur huic Synodo canon hic prorsus ἀκανόνιστος. XII *unciis in libra census probabitur, & in* LXXII *comparentibus damnabitur Præsul.*

29. *Quantò, putatis, acerbiore supplicio dignus censebitur*] Et *erit.* Nam utrumque complectitur verbum ἀξιωθήσεται. ¶ *Qui Filium Dei conculcaverit, & profanum duxerit Testamenti sanguinem*] Designaverat videlicet Apostolus v. 25. non quamvis desertionem, sed cum insectatione furiosa, cum insultatione proterva, cum contumeliosa denique insolentia conjunctam, qualis erat plerorumque Judæorum apostasia, qui sibi pridem cognitam Euangelij veritatem ultro deserere non verecundabantur. Sic autem supra 6. 6. dixerat eos, quod in se est, *Dei Filium* ἀνασταυροῦν καὶ παραδειγματίζειν. ¶ *Per quem fuerat sanctificatus*] Externâ cooptatione in fœdus, & internâ mentis illuminatione, quin & ipsius cordis immutatione quadam: quam tamen necesse non est ejusdem speciei fuisse cum ea cordis immutatione quæ κατ' ἐξαίρετον dicitur *regeneratio.* Itaque non est quòd suæ sententiæ favere putent hunc locum ii qui volunt nullam esse sanctificationis, regenerationis, fidei speciem à qua non possint excidere, quin & à qua re ipsâ non excidant multi qui prius eâ donati fuerant. *Excidere* verò dicunt eum qui sic cadit ut postea non resurgat. ¶ *Et gratiæ Spiritum affecerit contumelia*] His maximè verbis innuit eam desertionem, eam transgressionem à se v. 25, & 26. designatam, quam Christus vocat *peccatum in Spiritum sanctum* Matth. 12. 31. Vicissim ex hoc capite & sexto colligi potest vera definitio peccati illius de quo Matth. 12. 31. & 1 Joh. 5. 16. Ità nec cap. 6. 4, 5, 6. nec hic cap. 10. 26, 29. quidquam docet Apostolus quod faveat Novatianis, nulli crimini post Baptismum admisso spem veniæ facientibus, aut etiam nimio veterum Christianorum rigori, qui multis criminibus in exitu tantùm spem veniæ faciebant, aut multorum annorum pœnas, quas *Pœnitentias* vocabant, infligebant. Perperàm enim ad alia crimina refertur quod de blasphemia in Spiritum Sanctum apostasia dicitur: & cujus criminis reum convincere solus potest Deus, hujus cognitionem & animadversionem sibi perperàm vendicat homo mortalis. Nec est propterea quòd nobis blandiamur si nobis videamur nondum eò dementiæ venisse; quin potiùs maturè prospiciendum nè quæ nobis leviora videntur delicta, paulatim ad alia, dein etiam ad alia, quantumvis atrocia, nos trahant aut pelliciant.

30. *Novimus eum*] i. e. Scimus quàm verax, quàm potens sit Deus. ¶ *Qui dixit*] Deut. 32. 35. ¶ *Mihi vindicta*] q. d. Cùm penès me unum sit jus & potestas ulciscendi, cavete nè sibi

sibi quisquam vestrùm id arroget. Hic meritò discessit Apostolus versione LXX-virali, ut quæ nobis hic præstantissimum eripiat documentum vertendo *ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω*. Unde duo licet colligere: 1. Cùm versionem hanc sequuntur Apostoli, sequuntur eam non ut inculpatam non ut θεόπνευστον, (alioqui semper eam sequerentur) sed ut receptam. 2. Cùm hæc versio tribuitur LXX-viris, error est pridem receptus, vel *σχῆμα λέξεως*. Nam si verè proprieque loqui velimus, non est dicendum, *LXX sic vertunt*, sed *Sic vertit Interpres LXX viralis*, h. e. is qui librum, qui locum hunc Græcâ linguâ donavit nomine Synedrii LXX-virali, ab eo missus ad Pt. Philadelphum. Non unus quidem ad Philadelphum missus est, sed quinque, si Talmudi credimus: At quocunque tandem numero missi fuerint, partiti sunt operas inter se, quod vel ex hôc loco patet. Nam si LXX. diversi Interpretes in suis LXX. codicibus legissent hic ליום, ac eam ob causam vertissent *ἐν ἡμέρᾳ*, potuissetne lectionis illius memoria sic aboleri ut hodie nullum ejus vestigium usquam appareat? Est igitur mendum unius codicis, error unius Interpretis, qui locum hunc Synedrii LXX-viralis nomine vertit; cui nostrum est opponere non Apostoli tantùm auctoritatem fidemve codicis quo usus est Apostolus, sed & fidem reliquorum omnium cod. Hebraicorum quibus utuntur, quibus quocunque tandem seculo sunt usi, sive Christiani, sive Judæi omnes. Idem sentiendum de similibus dissensionibus inter Græcam & Hebraicam editiones, ut Psal. 22. 1. Hos. 11. 2. Zac 12. 10. & infra v. 37, 38. & alibi. Editio Græca præfert testimonium unius, non LXX codicum Hebraicorum; vel errorem, non LXX Interpretum, sed unius. Editio verò Hebraica præfert consensum omnium Synagogarum, quocunque solo, quocunque seculo vixerint; nisi possimus aliunde probare etiam inter ipsos, quibus utuntur Judæi, codices Hebræos esse lectionis varietatem. ¶ *Ego retribuam*] Heb. ושלם, VESCHILLEM. Quâ voce significari quidem potest *& retribuit*, vult R. Salomon, vel *& retributio*, ut volunt Aben Ezra & Kimchi; sed & potest significari *& retribuam*, ut habet Chaldæus, Græcus, & V. Latinus Interpres. Est enim SCHILLEM pro SCHALLEM; quod non infrequens esse patet ex 2 Sam. 12. 14. Infinitum autem modum pro quovis finito sæpe poni, disces ex Kimchi Grammatica fol. 11. ¶ *Et rursus*] Deut. 32. 36. ¶ *Dominus judicabit populum*] In ira sua. Judicat quidem Deus populum suum etiam tum cum eum vindicat & liberat ab hostibus externis. Sed comminatorias esse voces istas hic nos docet testis omni major exceptione. Neve quis putet Apostolum præter Mosis mentem Mosis verbis abuti, notandus Mosis scopus. Is à v. 5. ad v. 37. sui Cantici totus est in reprehensionibus & comminationibus, quas pii Doctores potuerunt quidem & debuerunt quovis seculo commemorare, sui seculi corruptelis applicare: referendas tamen illas potissimùm ad Judæorum adversùs Christum contumaciam, patet 1. ex Deut. 31. 29. quo Moses dicit se prædicturum *clades Judæis obventuras novissimis diebus*. 2. ex Deut. 32. 5, 21. quas Judas v. 12. & Paulus Rom 10. 19. suo seculo disertim applicant.

31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*] Et irati, ulciscentis. Bene Mimographus, *Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia*. Cùm autem ira Dei spectat correctionem, non ultionem, tum præstat in Dei quàm in hominum manus incidere, ut exemplo suo testatur David 2 Sam. 24. 14. Adeoque manus irascentis Dei non possumus effugere nisi confugientes ad medicam & paternam illius manum. Faxit Christus ut non fulmineam excandescentis ac ulciscentis Dei sed benignam placati Patris manum experiamur.

32. *Revocate in memoriam superiores dies*] Hactenus Hebræos hortatus est Apostolus ab eorum qui pereunt exemplo. Nunc eos hortatur ab exemplo tum proprio, ad finem usque capitis, tum aliorum, cap. 11. ¶ *Quibus postquam illustrati fuistis*] Luce videlicet cognitionis Euangelicæ. Sed & veteres Baptismum vocabant *Φωτισμὸν*, nec immeritò, cùm ipsa Scriptura signis passim imponat rei signatæ nomina. Quamobrem & hic Syrus, Arabs, V. Interpres vertunt, *Postquam baptizati fuistis ingens certamen afflictionum sustinuistis*. Sic Gal. 3. 4. *Tam multa passi estis frustra? si modò frustrà*. q. d. Quid fœdius quam si præ timore stationem deserat veteranus, qui tiro cùm esset intrepidum animum præstiterat? Hujus cohortationis vim habentis encomii partes duæ sunt; prolepsis, v. 33. & *ἐργασία*, v. 34. Hic autem eleganter *ἄθλησις παθημάτων* dicitur *ἀθλητικὴ κακοπάθεια*: unde discimus afflictiones fidelium esse non ultiones, non satisfactiones, sed *σωφρονισμοὺς castigationes* paternas, vel *ἀθλήσεις* honorificas, quarum *ἀγωνοθέτης moderator* est Christus ipse; *ἆθλα δὲ*, non folium caducum, sed immarcescibilis corona, felicitas æterna.

33 *Partim dum in theatrum estis producti cum probris & oppressionibus*] Idem de se dicit 1 Cor. 4 9. In hoc theatro qui videbantur *θριαμβεύεσθαι*, ii re verà suos hostes, carnifices suos triumphabant, utpote sui Ducis exemplo victores in ipsa morte. ¶ *Partim cum socii facti estis eorum qui versantur in hoc statu*] h. e. Cùm affecti estis sensu calamitatum quas perpetiebantur fratres vestri. Et sanè duplex, ut sic dicam, est martyrium, 1. Constantiæ, 2. Charitatis. Prius illustrius quidem est, sed inutile tamen sine secundo, 1 Cor. 13. 3 Secundum etiam sine primo salutem obtinet, modò non desit animus martyrio, cujus animo deest martyrium proprie dictum. Hæc est illa *Communio sanctorum* quæ commendatur in Symbolo, & Rom. 12. 13, 15.

34. *Nam & de vinculis meis mecum doluistis*] Hactenus *πρόληψις*. Sequitur *ἐργασία καθ᾽ ὑστέρωσιν*, ordine retrogrado revocans in memoriam laudabilem Hebræorum 1. *συμπάθειαν* amantissimam, 2. *κακοπάθειαν* constantissimam. Hic duo codices, Rob. Stephano teste, legunt *δεσμίοις*· & ità legerunt V. Interpres, Syrus, Arabs. Plerique tamen Græci cod. habent *δεσμοῖς μου*, ut & Chrysostomus, OEcumenius, Theophylactus. Et hæc certe lectio probabilior est, ut quæ meliùs conveniat tum Hellenismo, tum Pauli stylo sua vincula passim in Epistolis suis commemorantis, non inani jactantiâ, sed ut catenis ac stigmatis suis quasi totidem sigillis uteretur ad veritatis Euangelicæ confirmationem. ¶ *Et direptionem facultatum vestrarum accepistis cum gaudio*] Arabs addit *magno*. Atqui

Ὁ χρυσός ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς,

certè plerisque: unde fit ut quidam numorum suorum direptionem quam membrorum suorum mutilationem impatientiùs ferant. Christi verò discipuli, ut sine cunctatione suos & sua reliquerunt ut Christo servirent, sic flagris discissi, *gaudentes abscedebant à synedrio, quod digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumelia afficerentur*, Act. 5. 41. Eâdem alacritate pro Christi nomine mortem oppetierunt non Apostoli tantùm, sed & inter Judæos, quos hic collaudat Apostolus, plurimi. ¶ *Scientes*] Vera fides non patitur nos cum Academicis in omnibus *ἐπέχειν*, de omnibus disserere, nihil asserere; nec vult nos cum Pontificiis ea tantùm scire quæ nè Diabolus quidem ignorat. Suam habet illa scientiam sibique propriam, faciens ut sciamus non modò Deum, cœlum, Mediatorem esse, sed & nostra hæc esse, non merito nostro, sed gratuito Dei dono. ¶ *Vos habere*] Electos scilicet. Nam etiamsi monitiones scribantur omnibus communiter, tamen eximiæ laudes hujusmodi tribuuntur electis singulariter. In eorum ad quos scribebat Apostolus numero sciebat esse multos probæ notæ: quinam autem essent illi noverat Deus, 2 Tim. 2. 19. ¶ *Potiorem substantiam*] Vanitas Philosophorum anxiè disputabat. *Sintne bona quæ Corporis & Fortunæ vulgò dicuntur*. Cui bono? Sint hæc *ὑπάρχοντα*, quæ tamen mox necessariò nos relinquunt, aut à nobis relinquuntur. Sint *bona*, quæ tamen multos deteriores reddunt; sed accipientium & abutentium, non donantis vitio, adeoque nec suo. Certè negari non potest quin multò justiùs *ὑπάρχοντα bona*que dicantur illa quæ sic nostra sunt ut nobis eripi non possint, & nos indies meliores reddunt ac beatiores. ¶ *In cœlis*] Hoc præclarum elogium omisit V. Interpres, sed habetur in omnibus cod. Græcis, & apud Syrum & Arabem. ¶ *In vobis ipsis*] *Ἐαυτοῖς*. Qui possumus enim *in nobis ipsis* habere quod habemus *in cœlis*? Quidni verò possimus? cum is qui *merces* est nostra Gen. 15. 1. tam cœlos quàm terram impleat? tam nobis intimus quàm supra cœlos elatus? Sed & habemus hic quidem *in nobis* jus & spem hereditatis æternæ, *in cœlis* olim habituri rem ipsam. Itaque licet incolatus noster sit in terra, tamen *municipatus noster est in cœlis*, Phil. 3. 20. ¶ *Et permanentem*] Nobis quidem nihil videtur terrà stabilius: Re verà fluxa sunt omnia terrena nostra. Terra considerari potest in se, vel nostri respectu. In se quidem, ut centrum universi, si cum reliquis quæ circumstant illam corporibus comparetur, stabilis est, adeoque sola stabilis, & quidem in æternum, Eccles. 1. 4 quia nihil quod terram circumstat potest eam loco movere. Si nostri respectu consideretur, ut est nostra pars hæc aut illa terræ, tum certè mobilis est non minùs quàm illa quæ *mobilia* nuncupamus. Cœlum contrà, quod in perpetuo motu nobis videtur esse, sic est comparatum ut nihil permanens habere possimus nisi in cœlo. Sed & cœlum Antonomasticè dictum superius est mobilibus istis & aspectabilibus cœlis.

35. *Igitur*] q. d. Cùm tam horrendum sit veritatis Euangelicæ desertorum exitium, cùm jam pro veritate tam multa toleraveritis, cavete *ne abjiciatis*. Sic Erasmus, Illyricus, Beza, Ribera. Meliùs V. Interpres *ne amittatis*. *Abjicere* Græci dicunt *ἐκβάλλειν*, *ἀποῤῥίπτειν*, *ἀποβάλλεσθαι*. *Ἀποβάλλειν* autem

Græca ut idem sit quod jam κεφάλαιον *capitulum* dicitur. Melius illi qui putant linguâ Græciensium Judæorum κεφαλίδα idem esse quod מגלה *volumen*, siquidem tum hic tum Esdr. 6. 2. & Ezech. 2. 9. invenitur usurpata vox illa pro מגלה, quod est in Hebræo. Notandum est autem, verba illa, *Ecce venio ut faciam, O Deus, voluntatem tuam*, non adferri à Psalte vel à Paulo quasi ex aliquo Scripturæ loco desumpta & exscripta: hoc duntaxat volunt, id quod verbis illis significatur, haberi in Scriptura, ἐν κεφαλίδι βιβλίου. Quid autem verbis illis significetur Apostolus ipse nobis explicat v. 10. *voluntatem* nempe illam *quam Christus venit ut faceret*, esse *oblationem corporis sui*. Quærendum igitur restat, ubinam in Scriptura innuatur scriptumque sit, Christum oblaturum se in sacrificium. Atque hic observandum est primò, vix ullos alios libros Sacros (eorum qui jam exstant) tempore Davidis scriptos fuisse præter Pentateuchum Mosis, (si fortè librum Jobi excipias, quem nonnulli non sine aliqua ratione suspicantur ab ipso Mose, aut alio illius ævi homine, scriptum esse) ac proinde non potuisse Davidem alium innuere librum Sacrum præter Pentateuchum. Secundò, nullus liber Sacer meliori jure ἀντονομαστικῶς dici debuit ספר βιβλίον *liber*, præter illum qui etiamnum hodie à Judæis sic dicitur, semperque dictus est. Itaque *in Legis volumine* מגלה ספר quærenda est corporis Christi προσφορά. Quæ sanè satis apertè docetur & innuitur Sacrificiis Legalibus, quæ veri istius Sarcificii typi fuerunt atque umbræ.

GROTIUS.

1. Σκιὰν γὰρ ἔχων ὁ νόμος τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum*] Illorum bonorum, de quibus diximus 9. 11. De voce *umbræ* vide supra 8. 5. Coloss. 2. 17. ¶ οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων, *non ipsam imaginem rerum*] *Non ipsam rerum substantiam*, ut hic vertit Syrus. Sic εἶδος [*species*] usurpatur 2 Cor. 5. 7. Sic & *effigiem* Plinius major usurpat de re ipsa quæ plenè spectatur. ¶ κατ' ἐνιαυτὸν ταῖς αὐταῖς θυσίαις, ἃς προσφέρουσιν εἰς τὸ διηνεκὲς, οὐδέποτε δύναται τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι. *per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter nunquam potest accedentes perfectos facere*] Est & hic Trajectio, nam nativa constructio fuerat, ταῖς αὐταῖς θυσίαις ἃς προσφέρουσιν εἰς τὸ διηνεκὲς κατ' ἐνιαυτὸν [*eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter per singulos annos,*] id est, non quotannis, non per annos decem aut centum, sed perpetuò, dum stat Templum. Et *easdem* dicit *victimas*, id est, ejusdem generis, vitulinas & hircinas. προσφέρουσιν [*offerunt*] nempe οἱ ἀρχιερεῖς [*Pontifices*] quod ex antecedentibus facilè intelligitur. προσερχομένους [*accedentes*] nempe τῷ Θεῷ [*Deo*] ut supra 7. 25. infra 11. 6. eos qui tali modo Deum colunt, quos jamjam dicet λατρεύοντας עבדים [*cultores.*] Nam summus Sacerdos in illo sacro personam referebat populi ipsius. τελειῶσαι [*perfectos facere*] sume ut supea 9. 9. Si summus Sacerdos hoc non potuit & in tam solemni sacro, quantò minùs alii Sacerdotes?

2. Ἐπεὶ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι, *Alioquin cessassent offerri*] Locutio bene Græca & Lucæ familiaris 5. 4. Actor. 5. 42. 6. 13. 13. 10. 21. 32. ἐπεὶ ἂν hic est *cæteroquin*. Manuscriptus οὐκ ἂν ἐπαύσαντο [*non cessassent.*] quomodo & Græci expositores legerunt, & monent id pronunciandum cum interrogationis nota. ¶ διὰ τὸ μηδεμίαν ἔχειν ἔτι συνείδησιν ἁμαρτιῶν τοὺς λατρεύοντας ἅπαξ κεκαθαρμένους. *Ideo quòd nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati*] *Si semel purgati fuissent* (quemadmodum sunt veri Christiani 1 Petr. 1. 22. supra 9. 14, 26, 28.) *non ultra conscii sibi essent novorum quotannis peccatorum, quæ expiatione egerent.* Morbo ablato nihil opus fuisset novis medicaminibus. Manuscriptus habet κεκαθαρισμένους [*purificatos,*] non male: sic Actor. 15. 9. 2 Cor. 7. 1. Ephes. 5. 26. Titum 2. 14. 1 Joh. 1. 7.

3. Ἀλλ' ἐν αὐταῖς, *Sed in ipsis*] Nempe θυσίαις [*hostiis*] diebus ἱλασμοῦ [*propitiationis.*] ¶ ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν κατ' ἐνιαυτόν. *commemoratio peccatorum per singulos annos*] *Mentio fit* in precibus summi Sacerdotis novorum *criminum illo anno commissorum*, adstipulante populo. Vide Levit. 16. 20. & sequentibus.

4. Ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας· *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*] Vide supra 9. 13. ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας [*auferre peccata*] quod supra ἀθετεῖν [*abrogare*] & ἀναφέρειν [*sursum ferre*] est *extinguere peccata*, sive *facere ne ultra peccetur.* Id sanguis Christi facit, tum quia fidem in nobis parit, tum quia Christo jus dat nobis auxilia necessaria impetrandi. Pecudum sanguis nihil efficit tale.

5. Διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον λέγει· *Ideo ingrediens mundum dicit*] Psal. 40 *Venit in Mundum* David, cum ex speluncis & ab exilio egrediens, ostendit se populo in Hebrone 2 Sam. 2. *Venit in Mundum* Christus, cùm è vita privata egrediens nomine Dei agere cœpit cum populo. Id enim Christus ipse intelligit per ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον [*venire in mundum,*] ut ostendimus ad Joh. 1. 9. λέγει [*dicit,*] *introducitur hæc loquens* David sensu vulgari, Christus mystico. ¶ Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, *Hostiam & oblationem noluisti*] In sensu vulgari, Hæc non magni facis, obedientiam istis præfers 1 Sam. 15. 21, 22. Oseæ. 6. 6. in sensu mystico, Finem vis facere veteribus sacrificiis. Quid sit θυσία [*hostia*] diximus supra 5. 1. 8. 3. προσφορὰν (*oblationem*) hîc accipio de *sacrificiis sponte oblatis* נדבות, nam & iis datur nomen קרבן: id est, προσφορᾶς (*oblationis,*) ut videre est Levit. 7. 16. ¶ σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. *corpus autem aptasti mihi*] Hieronymus in versione quam fecit ex LXX. posuit *aures autem perfecisti mihi*, unde liquet in Græcis libris fuisse ὠτία (*aures*) quod & in Scholiis ad Psalmos multis annotatum est. Et sic legère in Psalmo Cyrillus inter Græcos, Arnobius minor inter Latinos, ut & alii monuere. Et hoc quidem cum Hebræo convenit. Sed pro κατηρτίσω [*aptasti*] in Hebræo est כרית [*perfodisti*] quod veterum quidam verterunt ὠτία δὲ ἔσκαψάς μοι [*aures autem perfodisti mihi.*] allusione non obscura ad morem illum, quo septennio exacto qui in servili fortuna fuerant, in posterum se volentes heris suis mancipabant, Deut. 15. 17. Voluit ergo dicere David Deo: ita me devinxisti beneficiis, ut in posterum semper tuus esse velim usu ac mancipio. Sed nec κατηρτίσω [*aptasti*] malè hic positum, id est, *aptasti me posti*, quod fieri solitum Lex illa Deuteronomii indicat. At scriptor noster pro ὠτία (*aures*) posuit σῶμα (*corpus,*) ad quod exemplum etiam in codicibus versionis LXX. Interpretum mutatio facta est, qualem & aliis locis observavimus. Fecit autem hoc ut sensum mysticum magis exprimeret: non enim in Christo auricula posti, sed corpus totum cruci aptatum est in obedientiæ testimonium. Et auricula illa in Lege pars erat simulque signum totius corporis quod hero addicebatur.

6. Ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ εὐδόκησας. *Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt*] In LXX. est, οὐκ ᾔτησας, ut & in Hebræo לא שאלת [*non postulasti.*] Sed voluit noster scriptor vim fastidii ostendere. Ideoque verbum delegit ad id quam maximè efficax. περὶ ἁμαρτίας (*pro peccato,*) supple θυσίαν [*hostiam*] חטאת.

7. Τότε εἶπον, *Tunc dixi*] Sunt & hæc verba Psalmi, & id quod vertitur τότε significat *propterea.* ¶ Ἰδοὺ ἥκω, ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, τοῦ ποιῆσαι, ὁ Θεὸς, τὸ θέλημά σου. *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam*] Sic & LXX. apud quos ὁ Θεὸς [*Deus*] solet esse vocativus. ספר quod vertitur βιβλίον [*liber*] Hebræis dicitur quodvis scriptum. Ita *scriptura divortii* vocatur ספר כריתות, βιβλίον ἀποστασίου Deut. 24. 1. Et bene Syrus hic posuit כתבא [*scriptura.*] Hic verò intelligitur instrumentum confectum de mancipatione perpetua in servitutem, de qua jam agi cœpit. Omnes autem chartæ Hebræorum non in paginas distingui, sed in orbiculum convolvi solebant, ut videre est Jerem. 36. 27. quare מגלת ספר hic in Hebræo nihil est aliud, quam *charta volubilis*, quod Aquila & Symmachus dixere εἴλημα [*volumen.*] Id ipsum vocabant κεφαλίδα à rotunda *capitis* forma, unde & in ædificiis *quæ rotunda* sunt κεφαλίδες (*capita*) dicuntur, ut Exodi 26. 32. 27. 17. 36. 34. 38. 27, 28. Num. 3. 36. 1 Reg. 7. 30. 2 Paralip. 3. 5. & aliis in locis. Suidas, κεφαλὶς βιβλίου ὅπερ τινὲς εἴλημά φασιν [*caput libri quod quidam volumen vocant.*] Esdræ 6. 2. in Hebræo מגלה, in Græco κεφαλὶς [*caput,*] nec aliter id ipsum nomen Hebræum vertit Ezech. 2. 9. 3. 1, 2. pro quo Jeremiæ 36. 23. ponitur χάρτης [*charta*] & χαρτίον [*chartula.*] Esaiæ verò 8. 1. est nomen alterum Hebræum, sed ejusdem originis & significatûs גליון, ubi Eusebius apud quosdam interpretes ait positum κεφαλίδα (*caput.*) *In instrumento*, inquit, *inter nos facto scriptum est, me facturum quicquid vis.* Sic gladiatores auctorationem faciebant uri, scindi, ferro necari.

8. Ἀνώτερον λέγων. *Superius dicens*] Id est, λέξας: præsens pro modo exacto. ¶ Ὅτι θυσίαν καὶ προσφορὰν καὶ ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ἠθέλησας οὐδὲ εὐδόκησας· *Quia hostias & oblationes & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi*] Ὅτι [*Quia*] hic, ut sæpe, est verbum recitantis. Et duo membra Psalmi dissecta, ob sensûs paritatem in unum contraxit. ¶ αἵτινες κατὰ τὸν νόμον προσφέρονται, *quæ secundùm Legem offeruntur*] Apparet illa omnia Lege præscripta. Imminebat ergo Legis mutatio, nempe verbis illis οὐκ ἠθέλησας [*noluisti*] & οὐκ εὐδόκησας [*non placita sunt tibi*] sumptis in sensu sublimiore.

9. Τότε εἴρηκεν. *Tunc dixit*] *Ob id subintulit.* Verba scriptoris nostri. In Latino quoque legi debet *dixit*, ut habent codices non pauci. ¶ Ἰδοὺ ἥκω τοῦ ποιῆσαι ὁ Θεὸς τὸ θέλημά σου. *Ecce venio ut faciam Deus voluntatem tuam*] Omisit illud ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ [*in capite libri scriptum est de me*], quia est figuratum & ornatus causâ tantùm adhibitum. ¶ Ἀναιρεῖ τὸ πρῶτον ἵνα τὸ δεύτερον στήσῃ. *Aufert primum, ut sequens statuat*] Sicut solet fieri in Syllogismis disjunctivis ἱστάναι הקים est *statuere*, *figere*, *firmare*. Meritò minora evanescunt, ubi tam magna præstantur.

10. Ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμὲν διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐφάπαξ. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel*] Repetendum tacitè ex priore ἡγιασμένοι [*sanctificati.*] & ἐν ᾧ θελήματι [*in qua voluntate*] sume εἰς ὃ θέλημα [*in quam voluntatem.*] *Nos qui per oblationem Christi semel* in summo Cœlo *factam sanctificamur*, *in hoc sanctificamur*, *ut eandem voluntatem Dei impleamus*, quæ obedientiam præfert victimis: id est, ut & ipsi corpus nostrum, si res ita ferat, aptemus doloribus & morti, in hoc ut Deo obediatur. Confer quæ supra 2. 11. & sequentibus.

11. Καὶ πᾶς μὲν ἀρχιερεὺς, *Et omnis quidem summus Sacerdos*] Nempe legalis. In aliis libris est ἱερεὺς [*Sacerdos.*] Sed Manuscriptus habet ἀρχιερεὺς [*summus Sacerdos,*] quod clarius. ¶ ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργῶν, *præsto est quotidie ministrans*] In accendendo candelabro, in suffitu faciendo, primæ erant partes summi Sacerdotis. Cæteri erant ei adjutores ἕστηκε [*stetit*] pro, *omni tempore solet stare.* ¶ καὶ τὰς αὐτὰς πολλάκις προσφέρων θυσίας, *& easdem sæpe offerens hostias*] Τὰς αὐτὰς [*easdem*] sume ut supra 1. πολλάκις [*sæpe,*] id est, quoties res fert. Vide supra 7. 27. ¶ αἵτινες οὐδέποτε δύνανται περιελεῖν τὰς ἁμαρτίας. *quæ nunquam possunt auferre peccata*] περιελεῖν quod ἀφαιρεῖν [*auferre*] supra 4. Hoc sensu περιαιρεῖν habemus Gen. 38. 14, 19. 41. 42. Exodi 8. 8, 11, 31. 10. 17. Psalm. 119. 22, & 43. Exodi 33. 6. & alibi sæpe. Sic & Lucas hac voce utitur Actor. 27. 20. & scriptores bene Græci. Sæpe hunc sensum inculcat & Paulus ut magni momenti.

12. Αὐτὸς δὲ μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν, *Ipse autem unam pro peccatis offerens hostiam*] Nempe in cœlo ut summus Sacerdos in Sanctuario. Pro αὐτὸς δὲ [*ipse autem,*] in Manuscripto, οὗτος δέ [*hic autem.*] ¶ εἰς τὸ διηνεκὲς ἐκάθισεν ἐν τῇ δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. *in sempiternum sedet in dextra Dei*] Quia illa una oblatio sufficit, ideo non redibit ut offerat: manebit ibi donec redeat, non iterum oblaturus, sed judicaturus, & triumphaturus. εἰς τὸ διηνεκὲς [*in sempiternum*] de eadem re habuimus & supra 7. 3. ἐν δεξιᾷ [*in dextra*] habuimus & supra 1. 3. 8. 1. infra 12. 2. Rom. 8. 34. Ephes. 1. 20. Coloss. 3. 1. Alibi ἐκ δεξιῶν [*à dextris*] quomodo & hic habet Manuscriptus, aut ἐν τοῖς δεξιοῖς [*in dextris.*] Δεξιὰν κατὰ χεῖρα [*ad dextram*] ex Pindaro citavimus alibi.

13. Τὸ λοιπὸν ἐκδεχόμενος ἕως τεθῶσιν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ. *De cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus*] *Exspectans*, inquit, *id quod restat, ut omnes inimici ipsi subjiciantur*, non imperia tantum Christo adversantia, sed & mors ipsa, ut explicat Paulus 1 Cor. 15. 26. Et hoc excludit oblationem novam.

14. Μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους. *Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*] Per *oblationem* intelligit & id quod ei conjunctum est, impetrationem Spiritûs Sancti: per quem qui sanctificati sunt, habent quo in perpetuum sanctos se servent, si Dei opem non deserant. Nihil illis ex parte Dei deerit. Hoc dicit τελειοῦν [*consummare.*] Vide supra 9. 9. & hoc capite 1.

15. Μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· *Contestatur autem nos & Spiritus Sanctus*] Per Jeremiam, cui Spiritus Sanctus loquenda dictavit. ¶ μετὰ γὰρ τὸ προειρηκέναι. *Postquam enim prius dixit*] Εἰρηκέναι [*dixit*] habet Manuscriptus. Sed nihil refert.

16, 17. Αὕτη ἡ διαθήκη ἣν διαθήσομαι πρὸς αὐτοὺς μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, λέγει ὁ Κύριος, Διδοὺς νόμους μου ἐπὶ τὰς καρδίας αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τῶν διανοιῶν αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς· Καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι. *Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum & in mentibus eorum superscribam eas. Et peccatorum eorum & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius*] Etiam hic omisit quædam in medio posita, ut videre est & in Jeremiæ loco 31. 33. & sequentibus, & supra 8. 8. ac deinceps. Nimirum ea hic repetit quæ maximè ad id serviunt quod vult inferre. Syrus illud οὐ μὴ μνησθῶ vertit *non commemorabo*, id est, non exprobrabo. Et εἴρηκε [*dixit*] subauditur ante illa καὶ τῶν ἁμαρτιῶν [*& peccatorum.*] Quidam codices etiam adscriptum habent τότε εἴρηκε [*tum dixit.*]

18. Ὅπου δὲ ἄφεσις τούτων, οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας. *Ubi autem horum remissio jam non est oblatio pro peccato*] Sumit hic ἄφεσιν [*remissionem*] pro *sanatione animi à peccatis*, quomodo ἱλάσκεσθαι [*propitiare*] 2. 17. & ἵλεως εἶναι [*propitium esse*] 8. 12. Et est hic sensus sublimior & μυστικώτερος [*magis reconditus.*] Tunc enim verè ἀφίενται [*remittuntur*] peccata, cùm ita missa fiunt, ut non redeant. Nam si pœna tantum ablata sit, peccata verò redeant, non mirum est repeti προσφορὰν περὶ ἁμαρτίας [*oblationem pro peccato.*] Loquitur de Christianis, non quales sunt omnes, sed quales esse debent, & plerique tunc erant. Docebantur omnes, post baptismum prolabi esse exitiale, aut cum maximo exitii periculo conjunctum. Itaque plurimi inoffenso cursu ad metam pertingebant.

19. Ἔχοντες οὖν, ἀδελφοὶ, παῤῥησίαν εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ, *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*] Bene jam fundatâ dignitate Christi præ Leviticis Sacerdotibus, & oblationis ab ipso factæ præ illorum oblationibus, egregia hinc infert monita ad perseverandum in professione Christianismi & in pietate. παῤῥησίαν [*fiduciam*] hic significat *jus intrandi in summum cælum*, pari figurâ quâ εὐλογεῖν [*benedicere*] est *benefacere*. Vide 2 Cor. 7. 4. Christus per sanguinem suum eò intravit: & nos *per sanguinem Christi*, id est, fidem & servando & factis monstrando, quæ ex sanguine ipsius ortum habet, eodem intrabimus.

20. Ἣν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν, *Quem initiavit nobis*] Ἣν [*Quem*] nempe εἴσοδον [*introitum,*] quam & ὁδὸν [*viam*] jam vocabit. ἐνεκαίνισεν, *dedicavit*, *initiavit*. Vide supra 9. 8. ¶ ὁδὸν πρόσφατον, *viam novam*] Est πρόσθεσις [*Appositio.*] Explicat enim illud quod εἴσοδον [*introitum*] dixit. Et bene appellat *novam*, quod interpretare ut supra 9. 8. πρόσφατος חדש [*nova*] Eccles. 1. 9. *Via nullam ante trita solo.* ¶ καὶ ζῶσαν, *& viventem*] Id est, ζωοποιοῦσαν [*vivificantem,*] quam locutionem observavimus ad Johan 6. 50. Via ista dura & aspera videtur, quia sæpe etiam in mortem nos trahit: sed verè ad vitam ducit, eamque æternam. ¶ διὰ τοῦ καταπετάσματος, τουτέστι, τῆς σαρκὸς αὐτοῦ· *per velamen, id est carnem suam*] Diximus modò ad 9. 11. corpus Christi totum vocari σκηνὴν [*tabernaculum.*] Ejus autem pars extima est *caro*, sicut *velum* σκηνῆς [*tabernaculi.*] In Sanctuarium interius pervadi non poterat nisi velo isto adaperto, id est, carne perrupta. διὰ τοῦ καταπετάσματος [*per velamen,*] מבית לפרכת [*intra velum*] Levit. 16. 2.

21. Καὶ ἱερέα μέγαν ἐπὶ τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ· *Et Sacerdotem magnum super domum Dei*] Nempe ἔχοντες [*habentes.*] Non jus tantùm illud accepimus, sed & perpetuum habemus commendatorem rerum nostratum. Is curam gerit Ecclesiæ quæ *domus Dei* dicitur. ἐπὶ cum accusativo sæpe apud Græcos idem valet quod *propter*, sicut & על Hebræum.

22. Προσερχώμεθα, *Accedamus*] Colamus nempe Deum. Supra 4. 16. 7. 25. hic supra 1. ¶ μετὰ ἀληθινῆς καρδίας, *cum vero corde*] Pietate non ficta. Idem dicitur ἐν ἁπλότητι καρδίας [*in simplicitate cordis*] Ephes. 6. 5. Coloss. 3. 22. non καρδίᾳ πονηρᾷ [*corde malo,*] de qua supra 3. 12. ¶ ἐν πληροφορίᾳ πίστεως ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς *in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala*] *Per fidem* enim *purgantur corda* 1 Petri 1. 22. Πληροφορία πίστεως, *plenitudo fidei* hic dicitur fides talis, quæ hominem totum impleat, quæ nihil relinquat vacui. Vide Colossens. 2. 2. 1 Thessal. 1. 5. supra 6. 11. Συνείδησις πονηρὰ [*Conscientia mala*] hîc dicitur *animus mali sibi conscius*: sicut contra συνείδησις ἀγαθὴ [*conscientia bona*] Actor. 23. 1. 1 Timoth. 1. 5, 19. 1 Petri 3. 16. Per *conscientiam* autem *malam* sive *mali*, intelliguntur ipsa peccata, vocabulo effecti sumpto pro causa. Pro ἐῤῥαντισμένοι in Manuscripto est ῥεραντισμένοι ex dialecto, ut puto, aliqua.

23. Καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ, *Et abluti corpus aquâ mundâ*] Neque cor mala cogitet, neque corpus mala exsequatur; sed purum sit utrumque vi doctrinæ purissimæ, quæ & per *aquam* significata est in Veteri Testamento (ut diximus ad Johan. 3. 5.) & nunc in baptismo continetur. Par monitio ad puritatem *carnis* & *spiritus* est 2 Cor. 7. 1. Est autem allusio ad locum Levit. 16. 4. ורחץ במים את בשרו [*lavabit aquis carnem suam*] ubi LXX. λούσεται ὕδατι πᾶν τὸ σῶμα [*abluet aquâ totum corpus.*] Vide præceptum Jubens XCI. & Vetans CCCIV. ¶ κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ· *teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem*] Hoc ideo dicit, quia quidam jam malorum metu à *professione* defecerant. Vide & supra 3. 1. 4. 14. Et egregie commendavit professionem addito spei nomine, ut & Petrus 1 Epist. 3. 15. Illa professio spem vitæ æternæ habet comitem. ἀκλινῆ, *nihil inclinatam*, *nihil nutantem*. Hoc quoque non frustra addit, quia erant & qui non deseruerant professionem, sed in ea vacillabant. ¶ πιστὸς γὰρ ὁ ἐπαγγειλάμενος, *fidelis enim*

enim est qui repromisit] Sic & dicto loco 2 Corinth 7. 1. admonitio fundatur in *promissis*. Si nos Deum non fallimus, Deus non fallet. Sic & 1 Thessal. 5. 24. 2 Thess. 3. 3. Hæc autem scribenda aut legenda κατὰ παρένθεσιν [*per Interpositionem.*] Nam continuatur deinde sermo.

24. Καὶ κατανοῶμεν ἀλλήλους εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων· *Et consideremus invicem in provocationem charitatis & bonorum operum*] *Observemus alii aliorum actus, ut si qui languescant, eos excitemus ad dilectionem & pia facta.* κατανοεῖν, *observare* Psalm. 22. 19. παροξύνειν vox est media, quæ ex adjectis hic in bonam partem sumitur, ut & Proverb. 6 3. Vertere licet cum Glossario *exacuere*, *stimulare*. Sic παροξύνειν ἐπὶ μάχην [*provocare ad pugnam*] est apud Plutarchum.

25. Μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, *Non deserentes collectionem nostram*] Id est, ἀλλήλων, ut 1 Corinth. 6. 7. & alibi. ἐπισυναγωγή, *congregatio in unum locum* 2 Maccab. 2. 7. Sic & συναγωγὴ Jac. 2. 2. *Deserere conventus* est initium quoddam defectionis. Contra in Ecclesiis Deus auget sua dona. Ideo in literis Ignatii paria monita habemus. Ad Polycarpum, Πυκνότερον συναγωγαὶ γινέσθωσαν [*crebrius fiant conventus.*] Ad Ephesios: Σπουδάζετε οὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν Θεοῦ καὶ δόξαν· ὅταν γὰρ συνεχῶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ γίνησθε, καθαιροῦνται αἱ δυνάμεις τοῦ Σατανᾶ, καὶ ἄπρακτα αὐτοῦ ἐπιστρέφει τὰ πεπυρωμένα βέλη πρὸς ἁμαρτίαν. ἡ γὰρ ὑμετέρα ὁμόνοια καὶ σύμφωνος πίστις, αὐτοῦ μὲν ἐστιν ὄλεθρος, τῶν ὑπασπιστῶν αὐτοῦ βάσανος (*Date igitur operam ut ad laudandum Deum gratiasque eidem agendas sæpius in unum conveniatis: vobis enim frequenter in unum convenientibus extenuantur Satanæ vires, irritaque ad ipsum redeunt ignita ipsius peccatorum jacula. Unanimitas etenim vestra concorsque fides ipsius quidem est pernicies, tormentum autem ipsius satellitum.*) ¶ καθὼς ἔθος τισίν, *sicut consuetudinis est quibusdam*] Didicerat jam aliquos id fecisse, ideo metuit ne exemplum latiùs serpat. ¶ ἀλλὰ παρακαλοῦντες· *sed consolantes*] Nempe ἑαυτοὺς [*vosmetipsos*,] quod ex præcedenti repetendum. Etiam in hoc *alii alios hortamini* ne conventus deserantur. ¶ καὶ τοσούτῳ μᾶλλον, ὅσῳ βλέπετε ἐγγίζουσαν τὴν ἡμέραν. *& tanto magis quanto videritis appropinquantem diem*] Vide quæ dicta supra 9. 26.

26, 27. Ἑκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων ἡμῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία. Φοβερὰ δέ τις ἐκδοχὴ κρίσεως, καὶ πυρὸς ζῆλος ἐσθίειν μέλλοντος τοὺς ὑπεναντίους. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quædam exspectatio judicii & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios*] Citat hunc locum Clemens Alexandrinus Strom. 2. ut probet post baptismum unam tantùm pœnitentiam admitti, aitque αἱ δὲ συνεχεῖς καὶ ἐπάλληλοι ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι μετάνοιαι οὐδὲν τῶν καθάπαξ μὴ πεπιστευκότων διαφέρουσιν, ἢ μόνῳ τῷ συναισθέσθαι ὅτι ἁμαρτάνουσι· καὶ οὐκ οἶδ' ὁπότερον αὐτοῖν χεῖρον, ἢ τὸ εἰδότα ἁμαρτάνειν, ἢ μετανοήσαντα ἐφ' οἷς ἥμαρτεν, πλημμελεῖν αὖθις [*Quos autem, cum crebrò peccant, identidem pœnitet, hi ab iis, qui prorsus nec crediderunt nullâ alia re differunt, nisi quod peccare se sentiunt. Nec utrum deterius sit scio, scientem prudentem peccare, an, cum peccati pœnituerit, relabi.*] Non dispari sensu hunc locum producit Theodoretus libro 12. contra Græcos. Quæ utiliter dici ad homines absterrendos ab iteratione criminum, & disciplinæ veteris Ecclesiæ satis congruere agnosco. Cæterùm quæ hîc antecedunt de *professione retinenda*, me eò ducunt, ut hæc eodem modo interpreter quomodo ea quæ supra habuimus 6. 4. & ἁμαρτάνειν [*peccare*] accipiam pro *rejicere Christianismum*, sicut ἁμαρτήσαντες [*peccasse*] dicuntur supra 3. 17. *ii qui Legem rejiciebant*, & 2 Petr. 2. 4. *Angeli defectores*. Additum autem ἑκουσίως [*voluntariè*,] quia tales ignorantiam culpæ suæ obtendere nequeunt. Ii autem qui sic *a Christianismo deficiunt, & Christi sanguinem pro profano sanguine habent*, ut mox dicitur, per nullas *victimas* alias ad bonam frugem revocabuntur, ut veniam consequi possint. λαβεῖν ἐπίγνωσιν ἀληθείας [*notitiam veritatis accepisse*] idem quod φωτισθῆναι [*illuminatum esse*] supra 4. 4. ἐπίγνωσις non est qualiscunque, sed *experimentalis* quædam *cognitio*. Vide Ephes. 1. 17. 4. 13. Philipp. 1. 9. Coloss. 1. 10. 2. 2. 3. 10. 1 Timoth. 2. 3. 2 Timoth. 2. 25. 3. 7. Tit. 1 1. Philem. 6. ἐκδοχὴ κρίσεως [*exspectatio judicii*] locutione Hebræa *judicium expectandum*. Pœna eos manet horribilis πυρὸς ζῆλος [*æmulatio ignis*] est *ira Dei per ignem se exserens*. Vice versa πῦρ ζήλου [*ignis æmulationis*] dixit Ezech. 36. 5. Sophonias 1. 18. 3. 8. Sic dicimus pro eodem φλὸξ πυρὸς [*flamma ignis*] & πῦρ φλογὸς [*ignis flammæ.*] Ignis dicitur *comedere* אכל, ut Esaiæ 30. 27. Jerem. 5. 14. & alibi. τοὺς ὑπεναντίους [*adversarios*] nempe Dei, ut Esaiæ 59. 18. Nahum. 1. 2. Respici videtur historia quæ est Numer. 16. 35. Levit. 10. 2.

28. Ἀθετήσας τις νόμον Μωϋσέως, *Irritam quis faciens Legem Moysis*] Ἀθετεῖν hîc est *violare Legem*, ut Ezech. 22. 26. & alibi. Intellige autem hoc de criminibus quibus mortis pœna in Lege constituta est. ¶ χωρὶς οἰκτιρμῶν, *sine miseratione*] Ἀπαραίτητος ἡ κόλασις [*pœna indeprecabilis est*,] ut ex Josepho alibi attulimus. Neque Rex, neque Senatus ignoscendi habebant potestatem. ¶ ἐπὶ δυσὶν ἢ τρισὶ μάρτυσιν, *duobus vel tribus testibus*] Id est, si res ad cognitionem Judicum perveniat Deut. 17. 6. Dei autem cognitionem nemo effugit. ¶ ἀποθνήσκει. *moritur*] Gladio, lapidatione, strangulatione aut igne.

29. Πόσῳ δοκεῖτε χείρονος ἀξιωθήσεται τιμωρίας, *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia*] Nam & crimen est gravius, ut jam dicet, & Deus in sua manu pœnas habet, ad quas nulla potentia humana potest pertingere. Et eleganter interjicitur illud δοκεῖτε (*putatis.*) *Quid ipsi putatis ea de re?* Sicut ἄξιος (*dignus*] ita ἀξιοῦ (*dignor*] vox est media, & tam ad pœnas quam ad præmia refertur. ¶ ὁ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καταπατήσας, *qui Filium Dei conculcaverit*] *Proculcans* tanquam inutilem בעט 1 Sam. 2. 29. ¶ καὶ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος, *& sanguinem testamenti pollutum duxerit*] *Sanguinem illum, in quo sancitum est fœdus, habens pro sanguine profano*: morte dignum Christum pronuncians tanquam Dei nomine abusum. Hoc est quod supra 6. 6. dictum est *iterum crucifigere & infamare*. ¶ ἐν ᾧ ἡγιάσθη, *in quo sanctificatus est*] Aoristus hîc pro Plusquamperfecto ponitur: per quem sanguinem ipsi à vitiis purgati sanctique facti fuerant. ¶ καὶ τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐνυβρίσας; *& spiritui gratiæ contumeliam fecerit*] *Spiritum illum, quem summo Dei beneficio acceperant, contumeliâ afficiens*: nullius pretii æstimans tantum donum, quo se ipse ait privatum. Vides hîc etiam eos qui Spiritum acceperant, qui nisi justificatis non dabatur, defectores fieri posse. Vide 1 Thess. 5. 19.

30. Οἴδαμεν γὰρ τὸν εἰπόντα. *Scimus enim qui dixit*] Cogitemus quis & quantus Deut. 32. 35. ¶ ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, *mihi vindicta, ego retribuam*] Nam & ibi de Dei desertoribus agitur. Verba ex Hebræo sumpta, ut & à Paulo Roman. 12. 19. qui & ipse alia ejus capitis verba aptat Christi temporibus Roman. 10. 19.

31. Καὶ πάλιν, Κύριος κρινεῖ τὸν λαὸν αὐτοῦ, *Et iterum, Dominus judicabit populum suum*] Et hoc ex LXX. Psalmo qui apud Hebræos 135. 14. κρίνειν [*judicare*] ibi est *vindicare*. Sic etiam ultionem Deus sumet de iis qui Ecclesiam contempsere. ¶ Φοβερὸν τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας Θεοῦ ζῶντος. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*] Nam cùm in æternum vivat, in æternum etiam potest punire. Vide supra 9. 14. *Incidere in manus* est pœnas dare, 2 Sam. 24. 14. Sirach. 2. 18.

32. Ἀναμιμνήσκεσθε δὲ τὰς πρότερον ἡμέρας, *Rememoramini autem pristinos dies*] Excitat ipsos ad fortitudinem suo ipsorum exemplo. Simile in Apocal. 2. 3. ¶ ἐν αἷς φωτισθέντες, *in quibus illuminati*] *Accepta primum Evangelii luce*. Vide supra 6. 4. ¶ πολλὴν ἄθλησιν ὑπεμείνατε παθημάτων· *magnum certamen sustinuistis passionum*] Sic ἀγωνίζεσθαι (*certare*) usurpatur Coloss. 1. 29. Et hîc ἀγῶνα [*certamen*] Græcam vocem posuit Syrus: *Luctam cum rebus adversis*. Nam παθήματα [*passiones*] dicuntur omnis generis adversa, Roman. 8. 18. 2 Corinth. 1. 6, 7. Coloss. 1. 24. Philipp. 3. 10. supra 2. 9, 10.

33. Τοῦτο μὲν] *Partim*. Nam sic Demosthenes & Græci alii per τοῦτο μὲν & τοῦτο δὲ exprimunt, quod Latini per geminum *partim*. ὀνειδισμοῖς τε καὶ θλίψεσι θεατριζόμενοι· *opprobriis & tribulationibus in theatrum producti*] Id est, θέατρον γενόμενοι [*spectaculum facti*,] ut loquitur Paulus 1 Corinth. 4. 9. *Spectaculum fuistis omnibus per ingesta vobis probra & damna*. Ita rectè hîc Syrus. ¶ τοῦτο δὲ, κοινωνοὶ τῶν οὕτως ἀναστρεφομένων γενηθέντες· *partim socii taliter conversantium effecti*] Id est, ut mox exponet, συμπαθήσαντες [*compassi.*] Significat eos & dolore tactos ex fratrum malis, & succurrisse eos quantum poterant laborantibus, deprecando pro iis & necessaria subministrando. τῶν οὕτως ἀναστρεφομένων, *eorum qui in malis talibus versabantur*. Sic κακὴ ἀναστροφὴ [*mala conversatio*] 2 Macc. 5. 8.

34. Καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε, *Nam & vinculis meis compassi estis*] Probat duo quæ posuerat membra, sed inverso ordine. Legendum, ut in Manuscripto est, τοῖς δεσμίοις συνεπαθήσατε [*vinctis compassi estis*,] quomodo infra 13. 2. μιμνήσκεσθε τῶν δεσμίων [*mementote vinctorum.*] Et apparet hîc ita legisse Syrum & Latinum. Post Stephani mortem vehementer vexati fuere illi in Judæa Christiani, ut videre est Actor. 11. 19. 1 Thessal. 2. 14. ¶ καὶ τὴν ἁρπαγὴν τῶν ὑπαρχόντων

ὑμῶν μετὰ χαρᾶς προσεδέξασθε, *& rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*] Nempe per plebis seditiones quæ sæpe ex odio religionis oriri solent. *Cum gaudio*, nempe quod summum honorem existimarent ob Christum pati, Actor. 5. 41. Matth. 5. 12. Jac. 1. 2. ¶ γινώσκοντες ἔχειν ἑαυτοῖς κρείσσονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς καὶ μένουσαν. *cognoscentes habere vobis ipsis meliorem & manentem substantiam in cælis*] In Glossario, ὕπαρξις, *substantia, opes*. Usurpat Polybius & alii, etiam Græci interpretes Veteris Testamenti, ut Prov. 13. 11. 18. 11. 19. 14. Jer. 9. 10. 2 Paral. 35. 7. Esdr. 10. 8. Daniel. 11. 13, 24, 28. Intelligit autem bona vitæ æternæ, quæ & thesauri nomine vocantur Matth. 6. 20. 19. 21. Marci 10. 21. Luc. 12. 33. Sic & sapientiæ adesse dicitur עתק הון *substantia durabilis*, Prov. 8. 18. Dicuntur autem rem habere ad quam jus habent, loquendi genere etiam Jurisconsultis usitato. In Manuscripto est ἔχειν ἑαυτοὺς [*habere vos*] pari sensu, & deest ἐν οὐρανοῖς [*in cælis*] ut & in Latino. ἑαυτοὶ apud Græcos omnis personæ est. Vide supra 25.

35. Μὴ ἀποβάλητε οὖν τὴν παῤῥησίαν ὑμῶν, *Nolite itaque amittere confidentiam vestram*] Ita hic appellat liberam Christianismi professionem: ut Marci 8. 32. Actor. 4. 13, 29, 31. & alibi. ¶ ἥτις ἔχει μισθαποδοσίαν μεγάλην. *quæ magnam habet remunerationem*] *Jus habet ad magna præmia*. Vocem μισθαποδοσίας [*remunerationis*] & supra usurpavit hic scriptor 2. 2. & usurpaturus est infra 11. 26. In Glossario, μισθαποδοσία, *mercedis retributio*.

36. Ὑπομονῆς γὰρ ἔχετε χρείαν· *Patientia enim vobis necessaria est*] Non sufficit cœpisse, perstandum est, Matth. 10. 22. 24. 13. Marci 13. 13. Lucæ 21. 19. Roman. 2. 7. ¶ ἵνα τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ποιήσαντες κομίσησθε τὴν ἐπαγγελίαν· *ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*] Ποιήσαντες [*facientes*] nempe ad finem usque. κομίζεσθαι [*reportare*] verbum valde proprium ad significandam boni aut mali perceptionem ex præcedente promisso aut comminatione, 2 Cor. 5. 10. Ephes. 6. 8. Coloss. 3. 25. infra 11. 19, 39. 1 Petri 1. 9. 5. 4. 2 Petri 2. 13. Et ἐπαγγελία [*promissio*] hic rursum pro *re qua promissa est*, ut Lucæ 24. 49. Actor. 1. 4. Gal. 3. 22. supra hic 6. 15. 9. 15.

37. Ἔτι γὰρ μικρὸν ὅσον ὅσον, ὁ ἐρχόμενος ἥξει καὶ οὐ χρονιεῖ. *Adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet & non tardabit*] Priora verba sunt scriptoris nostri: sequentia ex LXX. Abac. 2. 3. μικρὸν ὅσον, ὀλίγον ὅσον [*aliquantulum, pauxillum*] frequentia apud Græcos. Repetere autem bis illud ὅσον ex more est Hebræorum. Similis locutio Jerem. 23. 3. *Is qui venturus est veniet, nec tardabit*: nempe ignis in sensu vulgari, in sensu sublimiore Christus Mundum judicaturus. Idem dicit quod supra 25. Sic & Petrus fideles solatur, quòd mala illorum ad breve tempus durent, 1 Petri 1. 6. 5. 10.

38. Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται· *Justus autem ex fide vivet*] *Qui bonus rectusque est, is vivet*, id est, manebit *in fide sua*, ut est in Hebræo, aut ἐκ πίστεώς μου [*ex fide mea*] ut est in Græco, & hic legit Syrus, id est, *per fidem in me vivet*, id est, semet sustentabit, respirabit per fidem, per exspectationem promissorum. Vide quæ diximus ad Abac. & ad Rom. 1. 17. In Manuscripto ὁ δὲ δίκαιός μου [*justus autem meus*,] & ita scriptum in multis codicibus Græcis Abacuci. Et hanc lectionem tum in Abacuco, tum hoc loco sequitur Eusebius Demonstr. 6. 14. Legerunt ergo LXX. צדיקי [*justus meus*.] ¶ καὶ ἐὰν ὑποστείληται οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ. *quod si subtraxerit se non complacitum est animæ meæ in illo*] Invertit verborum ordinem. Nam in Propheta hæc præcedunt, & apparet ad illud ἐὰν ὑποστείληται [*si subtraxerit se*] subaudiri τις [*quis*.] Legerunt autem LXX. interpretes, quos hic scriptor sequi amat, non עפלה [*effert se*,] sed עלפה [*deficit*,] & non נפשו [*anima*,] sed נפשי [*anima mea*] sensu sanè optimo. עלף, ut ad Abacucum diximus, verti solet per ἐκλείπειν [*deficere*] & ὀλιγοψυχεῖν [*animo concidere*,] eundem sensum habet ὑποστέλλεσθαι. est enim *minus facere quàm rectum est*, Actor. 20. 20. Hoc dicit Deus, *Si quis exspectando defatigetur, & propterea exspectare bona illa promissa desinat, is mihi summopere displicebit*. ¶ ἡμεῖς δὲ οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς εἰς ἀπώλειαν ἀλλὰ πίστεως εἰς περιποίησιν ψυχῆς. *Nos autem non sumus subtractionis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ*] Subauditur τέκνα [*filii*,] quod & in Latinis codicibus quibusdam additâ voce *filii* expressum repetimus. τέκνα ὑποστολῆς [*filii subtractionis*] *ii qui deficiunt*: τέκνα πίστεως [*filii fidei*] *ii qui credunt & pergunt credere*. Et εἰς [*in*] utrobique exitum rei significat, ut ל Hebræum. Περιποίησις ψυχῆς [*acquisitio animæ*] est id, quod κτᾶσθαι ψυχὴν [*possidere animam*] dicitur Lucæ 21. 19. εὑρίσκειν [*invenire*] Matth. 16. 25. σώζειν [*salvare*] Marc. 8. 35. Luc. 9. 24. Φυλάσσειν [*custodire*] Joh. 12. 25. De voce περιποιήσεως [*acquisitionis*] vide quæ diximus ad Ephes. 1. 14. 1 Thess. 5. 9. 2 Thessal. 2. 14.

CAP. XI.

VALLA.

1. **E***St enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*] Cur *sperandarum*, quod est futuri, & *apparentium*, quod est præsentis? Græcè est ejusdem temporis, ἐλπιζομένων, i. e. *quæ sperantur*. οὐ βλεπομένων, i. e. *quæ non videntur*.

4. *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus*] Interpres nè diceret *plurem hostiam* (quod non reperitur) abusus est superlativo pro comparativo, quasi non posset dicere *plus hostiarum*, πλείονα θυσίαν. Etiam *esse justus* Græcanicè dixit, cum dicere posset *testimonio probatus est esse justus*, ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος.

8. *Fide qui vocatur Abraham obedivit*] *Fide vocatus Abraham obedivit*, transferendum fuit: aut sic translatum est, ergò & sic legendum, πίστει καλούμενος.

9. *In casulis habitando*] Gr. *in tentoriis*, sive *in scenis*, ἐν σκηναῖς.

12. *Propter quod ab uno orti sunt, & hoc emortuo, tanquam sidera cæli*] Legendum est *orta*: quod tamen Græcè ambiguum est. Certè *hac*, non *hoc*: refertur enim *orta* ad *sidera*, quod perinde est ac si diceretur, *& quidem emortuo*; ἐγεννήθησαν, καὶ ταῦτα νενεκρωμένου.

15. *Et si quidem meminissent de qua exierant, habebant utique tempus revertendi*] Non de præterito loquitur Apostolus, sed de præsenti: ideoque sic fuit transferendum, *Et si quidem illius recordarentur ex qua exierunt, haberent tempus revertendi*, καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνημόνευον ἀφ' ἧς ἐξῆλθον, εἶχον ἂν καιρὸν ἀνακάμψαι.

16. *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum*] *Deus* pro *Deum* dixit, more Græco, non Latino. Dicitur enim, *Ille erubescit vocari bonum*, non *bonus*: rectè autem, *Cupit* aut *timet vocari bonus*. Sed cur *confunditur* potius dixit quàm *pudet*, idque aliquoties, ut Græcè est, ἐπαισχύνεται;

19. *Unde eum & in parabolam accepit*] Alium sensum facit nunc accusativus quàm, ut est Græcè, dativus, i. e. noster ablativus, ἐν παραβολῇ.

21. *Et adoravit fastigium virgæ ejus*] Ad quid refertur *ejus*? si ad *Jacob*, dicendum fuit *suæ*; sed si ad *Joseph*, dicendum fuit *ejus*. Sed cur *fastigium* potius quàm *summitatem*, ut Græcè est? Nec *adoravit fastigium*, sed *super fastigium*, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ.

25. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis delitiis habere jucunditatem*] Gr. *fruitionem*, ἀπόλαυσιν. Nec Latinè rectè dicitur, *habeo jucunditatem*, sed *voluptatem* & *delectationem*: ut *jucunditas* vocis; *voluptas* verò sive *delectatio*, eam audientis.

32. *Et quid adhuc dicam?*] Legendum est *dico* λέγω.

REVIUS in VALLAM.

4. **P***Lus hostiarum*] Imò *majoris pretii hostiam*. Videatur Beza. ¶ *Probatus est esse justus*] Fortè, *probatus est justus*: nam illud *esse* rejicit.

12. *Propter quod*] Positus erat post versum 13. & præterea perturbata sunt verba; quæ sic restituenda puto, *Legendum est* orta. *Refertur enim* orta *ad* sidera: *quod tamen Græcè ambiguum est*, ἐγεννήθησαν. *Certè* hac, *non* hoc: *quod perinde est ac si diceretur*, & quidem emortuo, καὶ ταῦτα νενεκρωμένου. Falsum tamen hic & absurdum interpretamentum est Vallæ. Quid enim? an ab Abrahamo orta sunt sidera? & sidera cùm oriuntur dicuntur γεννᾶσθαι; quid falsius? Quanquam tale quid reperitur libro De verâ circumcisione, inter opera Hieronymi tom. 4. p. 124. *Lucratur orbitatem* (fortè *orbem*) *dum parricidium meditatur*; *&, cùm unica non parcit in terris, stellas pro filiis annumerare jubetur in cælis; carnalisque desertor naturæ in natura siderum collocatur, & humani contemptor seminis Pater vocatur astrorum*: insulsum commentum! Quod autem *& hac* mavult Laurentius quam *& hoc*, locum obscuravit, non illustravit. Quid enim, quæso, est, *ab uno*, *& hac emortuo*? sanè, καὶ ταῦτα, ut rectè monet Erasmus, ex consuetudine Græci sermonis, facit ad ἐπίτασιν, quod Latini reddere solent, *idque*, *atque id*, *& quidem*, (quod ultimum & Valla annotat) aliisque similibus modis.

modis. Vulgatæ *& hoc*, licèt legenti ex καὶ τούτῳ translatum videri possit, sensu tamen cum reliquis convenit: neque ab eo abhorruit Beza, dum vertit *eoque*.

15. *Non de præterito loquitur Apostolus, sed de præsenti*] *Non assentior hac quidem in parte*, ait Erasmus, *Laurentio Vallæ, qui putavit in hunc vertendum fuisse modum*, Et, siquidem illius recordarentur ex qua exierunt, (*ità scripsit, non exierant*) haberent tempus revertendi: *veluti de præsenti loquatur, non de præterito. Atqui id longè secus est. Loquitur enim de Abraham ac similibus, quibus liberum erat in patriam redire, si patriæ desiderium eos tenuisset. Cæterùm Laurentium offendit verbum præsentis temporis quod mox sequitur*, nunc autem meliorem appetunt. *Quasi verò nova sit hujusmodi temporis Hypallage. Quid quod ut sequitur ità præcessit etiam verbum præsentis temporis*, ἐμφανίζουσιν ὅτι; Addo ex Beza, NUNC *hoc in loco non esse Temporis adverbium, sed conjunctionem συνακτικὴν, quâ in assumptionibus argumentorum utimur*.

16. *Dicitur enim*, Ille erubescit vocari bonum, *non* bonus] Viderit hoc Laurentius. Sanè Erasmus non putat quicquam obstare quominus ità loquamur.

ERASMUS.

1. *Sperandarum substantia*] Ἐλπιζομένων ὑπόστασις, i. e. *quæ sperantur*, ut *sperandarum* nomen sit gerundivum non participium, ὑπόστασιν dixit *certitudinem*, & *id cui aliquid innititur ac fulcitur*. Augustinus enarrans caput Euangelii secundùm Johannem 14. sic adducit, *Est autem fides sperantium substantia*, ut ἐλπιζομένων accipiatur activè, cùm sit verbum medium; quasi Fides sit quo nitantur credentes. Itidem citat lib. De Pecc. merit. & remiss. 2. cap. 31. Ibidem ἔλεγχος vertit *convictionem*, sed durè. Hîc quidam argutantur circa hanc definitionem, ut ipsi vocant, cùm encomium Fidei potius sit quàm definitio Dialectica. Tametsi Hieronymus ac Theophylactus eam appellant *definitionem*, quod speciem aliquam habet Definitionis quâ rei naturam explicant Dialectici. Siquidem hoc exordiolo ingreditur Fidei laudationem, mox & exemplis ostendens quantam vim habeat Fides. Nisi fortè putant esse finitionem ubicunque legerint *est*. Veluti si dicam, *Literæ sunt in rebus adversis solatium, in secundis ornamentum*, hanc Eruditionis laudatiunculam existiment ad definitionum leges exigendam. Et sunt qui submotâ hâc definitione, ceu nimiùm Apostolicâ parumque Magistrali, subjiciunt aliam Sophisticam & Aristotelis redolentem Dialecticam, videlicet hanc, *Fides est voluntaria certitudo absentium, infra scientiam & supra opinionem constituta*. Deblaterat & alia ferme hujus generis vulgatissimum Glossema in caput De summa Trinitate & Fide catholica. Quorum est illud, SYMBOLUM, *dicitur à* SYN, quod est *Simul*, & BOLUS, *Morsus: quod singuli Apostolorum attulerint morsellum suum*. Illud adjiciam, hoc loco *Fidem* non usurpari propriè pro ea quâ credimus credenda, sed quâ speramus, h. e. ipsâ fiduciâ. Glossema quoddam vetustum indicat hoc dictum per Synecdochen, cum fides sit & præteritorum & præsentium & futurorum. ¶ *Argumentum*] Ἔλεγχος, *indicium*: nam id hoc loco significat *argumentum*. Interpres Chrysostomi vertit *convictio*. Etiamsi in libris vulgatis ubique depravatum est *conjunctio*. Eam vocem cum toties repetat, nullus tamen animadvertit mendum, nè in postrema quidem editione. Certè sensus ipse monere poterat lectorem hujus rei. Etenim cùm ait, *Conjunctio quippe est in rebus admodum manifestis*, perspicuum est hic non congruere *conjunctionem*. ¶ *Non apparentium*] Gr. οὐ βλεπομένων, *quæ non videntur*.

2. *Testimonium consecuti sunt senes*] Non est *senes*, sed *seniores*, πρεσβύτεροι. Et ἐμαρτυρήθησαν, quod hic vertit *testimonium consecuti sunt*, transferre poterat *testimonio probati sunt*, sive *testimonium emeruerunt*.

3. *Ex invisibilibus visibilia*] Εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *ut ex his quæ non apparent, ea quæ videntur fierent*.

4. *Plurimam hostiam*] Πλείονα θυσίαν, *copiosiorem hostiam*, sive *plus hostiarum*. Interpres nè diceret *plurem hostiam*, comparativum mutavit in superlativum. ¶ *Esse justus*] Græcè dixit magis quàm Latinè, ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος, *testimonio dictus est esse justus*, sive *testimonium meruit quod esset justus*. ¶ *Muneribus ejus*] *De muneribus* est Græcè, ἐπὶ τοῖς δώροις, *de donariis*.

6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo*] *Deo* hoc loco non repetitur apud Græcos, quos ego viderim, sed subauditur ex superioribus. Certè nec apud Chrysostomum Græcum nec apud Theophylactum additur.

7. *Metuens*] Εὐλαβηθεὶς, *cavens*, sive *veritus*.

8. *Fide qui vocatur Abraham*] Πίστει καλούμενος Ἀβραάμ. Interpres non respexit ad verbum præteriti temp. *obedivit*. Itaque vertendum erat, *Fide vocatus Abraham obedivit*, aut, *Fide cum vocaretur Abraham obedivit*: ut *fide* pertineat ad verbum *obedivit*. Sed rectiùs ad utrumque accommodatur, *Vocatus Abraham per fidem*, & *obedivit per fidem*. Siquidem fide promeruit ut illi nomen augeretur. Non enim illi prius auctum est quàm de eo dictum est, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*. Theophylactus sic interpretatur ut *vocatus* non faciat ad nominis appellationem, sed ad jussum Dei. Bis enim vocatus est à Deo, cum juberetur relinquere natalem terram, rursum cum vocaretur in montem immolaturus filium. Ac juxta hunc sensum ordinandus est sermo, *Abraham cum vocaretur à Deo, per fidem obedivit*. ¶ *In locum exire*] Et hoc Græcè *obedivit exire*, poterat Latinè, *obedivit* (sive *paruit*) *exiens*, sive *ut exiret*.

9. *In casulis*] Ἐν σκηναῖς, *in tentoriis*.

11. *Sara sterilis*] Epitheton *sterilis* non invenio in Græcis, licèt ascriptum sit in vetustiss. nostris cod. Ex Chrysostomi & Theophylacti enarratione parùm liquet an Interpres addiderit de suo, an hinc sumpserit. ¶ *In conceptione seminis*] Εἰς καταβολὴν σπέρματος. Interpres probè & verecundè reddidit sententiam Græci sermonis. Imbecillitas enim corporis obstat quò minùs semen subsidat & adhærescat in matrice, propter imminutam attrahendi ac retinendi vim. Nam illud καταβολὴν aliquoties vertit *fundationem*. Proinde Chrysostomus vim verbi explanans exponit *ad suscipiendum semen ac retinendum*. Demiror autem cur Faber maluerit pro CONCEPTIONE *successionem*, nisi quòd verecundiùs etiam quam Interpres studuit efferre, aut (quod magis suspicor) librariorum incuriâ pro *susceptione* mutatum est *successione*. Theophyl. indicat quosdam esse in hac sententia ut putent & feminis inesse semen, & ad id hunc locum posse accommodari. ¶ *Etiam præter tempus ætatis*] Gr. sic est, καὶ παρὰ καιρὸν ἡλικίας ἔτεκεν, *& præter tempestivitatem ætatis peperit*, h. e. alienâ ætate.

12. *Propter quod ab uno orti sunt*] Διὸ καὶ ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν, *propter quod ab uno nati sunt*, sive *ex uno geniti*. ¶ *Et hoc emortuo*] Καὶ ταῦτα νενεκρωμένου, *idque emortuo*, sive, *eoque mortuo*. Nè quis putet Abraham jam vitâ defunctum genuisse filios. Sic enim vertit quidam, *ex uno nati sunt, & ipso cùm mortuus esset*. Imò Græcus sermo significat illum jam *effœto defectoque fuisse corpore*, sicut & in Epistola ad Romanos dixit *mortificationem vulvæ & corporis*. Deinde καὶ ταῦτα ex consuetudine Græci sermonis facit ad epitasin, quod Latini reddere solent *idque, atque id, & quidem*, aliisque similibus modis. Ut nè Laurentium quidem oportuerit admodum offendi numero pronominis.

13. *Aspicientes*] Cùm mutarit genus paulò antè, ut temporis servaret rationem, cur non idem facit in hoc participio? Nam dicere poterat, *non acceptis, sed eminus* (sive *procul*) *conspectis & salutatis, & confessi*. ¶ *Et salutantes*] Ante hæc verba invenio in Græcis cod. καὶ πεισθέντες *persuasi*.

15. *Et siquidem illius meminissent*] Καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνημόνευον ἀφ' ἧς ἐξῆλθον, εἶχον ἂν καιρὸν ἀνακάμψαι, *Et siquidem illius meminissent unde fuerant profecti, habuissent tempus revertendi*. Nec enim assentior hac quidem in parte Laurentio Vallæ, qui putavit in hunc vertendum fuisse modum, *Et si quidem illius recordarentur ex qua exierant, haberent tempus revertendi*, veluti de præsenti loquatur, non de præterito. Atqui id longè secus est. Loquitur enim de Abraham ac similibus, quibus liberum erat in patriam redire, si patriæ desiderium eos tenuisset. Cæterum Laurentium offendit verbum præsentis temporis quod mox sequitur, *nunc autem meliorem appetunt*. Quasi verò nova sit hujusmodi temporis Hypallage. Quid? quòd ut sequitur ità præcessit etiam verbum præs. temporis, ἐμφανίζουσιν ὅτι. Certè quod paulò inferius subjicitur, *non confunditur Deus vocari Deus illorum*, non potest nisi ad Patriarchas accommodari. Dicitur enim *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*. Jam num Latinè dici possit, *Erubescit vocari bonus*, quemadmodum dicimus, *Cupit videri bonus*, viderit Laurentius, qui hoc negat, cum nihil obsistat quò minus ità loquamur.

17. *In quo susceperat*] Ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος, *qui promissiones acceperat*.

19. *Arbitrans*] Λογισάμενος, *perpendens*, etiamsi participium præt. temporis est. ¶ *In parabolam accepit*] Ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, *in similitudine adduxit*, h. e. in typo Christi immolandi. Siquidem *illum* referendum est ad *Isaac*, quem vivum reduxit domum.

21. *Et adoravit fastigium virgæ illius*] Hieronymus in Quæst.

Quæst. Hebraicis notat Interpretes LXX. qui perperàm transtulerint, *adoravit contra summitatem virgæ ejus*, cum apud Hebræos habeatur, *& adoravit ad caput lectuli.* Quod si verum est, quid faciemus autori quisquis est hujus Epistolæ? aut qui patrocinabimur Hieronymo? Porrò cum Hieronymus fatetur Hebraicam vocem esse ancipitem, sicuti revera est si scribatur absque punctis, cur alterum sensum asseverat esse falsum, alterum adeò mordicus tenet ut interpretans adjecerit etiam aliquid de suo? *Adoravit*, inquiens, *Dominum conversus ad lectuli caput.* In tantum eo tempore abhorrebant ab adorandis ullis rebus creatis, soli Deo hoc honoris servantes; cùm hodie repertum sit ex supernaturali Philosophia, ligneam statuam eàdem adoratione adorari quâ adoratur æterna Trias: neque quisquam est cujus aures hic offendat sermo, cum undique tam multa producantur offensiva piarum aurium. Cæterùm cum locis aliquot in Sacris voluminibus legamus adoratos Reges, quid erat periculi si pater adorasset filium Principem? Ut 2 Reg. 9. Et 3 Reg. 1. adoratur Salomon etiam à David patre, ut videtur. Quidam sic elabuntur, quasi adoraverit non virgam Joseph sed Regnum Christi, quod intelligebat eo sceptro signari. Augustinus aperit aliam rimam, ut pro *αὐτοῦ* legamus *αὑτοῦ*, iisdem quidem literis, sed mutato spiritu, sive additâ literâ *ἑαυτοῦ*, ut intelligamus senem innixum baculo suo adorasse Dominum. Illud dissimulandum non est, In Græcis non esse *adoravit summum virgæ*, sed *ad summum*; cùm noster Interpres præpositionem velut otiosam reliquerit. Siquidem hoc adorare videmur ad quod prono corpore nos inclinamus. Et Græca vox quâ usi sunt LXX. *προσεκύνησεν* propriè significat capitis inclinati gestum, cum moto à fronte galero caput submittimus. Porrò cum Symmachus verterit, quod probat Hieronymus, *adoravit ad caput lecti*, mirum cur illius nullam fecerit mentionem, magis suam confirmaturus sententiam: certè aliàs frequenter adducit Symmachi testimonium. Porrò cum *lectum* audimus, non oportet imaginari quòd Jacob decubuerit in plumis Germanicis; sed *lectus* sedilis erat genus in quo poterant sedere plures: quod genus adhuc videtur apud Italos. In his horis pomeridianis acquiescunt porrectis tibiis, reliquo corpore erecto. Itâ probabile est Jacob ad ingressum filii demissis pedibus sedisse in lecto, quemadmodum proximo capite dicitur *confortatus*, h. e. collegisse vires suas, ut extrema verba proferret Joseph ac reliquis filiis suis. Et sicut post extrema mandata scribitur *collegisse pedes suos in lectum, exspirasse*, itâ hic post mandatam sepulturæ curam non collegit quidem pedes, sed præ lassitudine inclinavit corpus ad caput lectuli. Quòd si quis pro LECTO *baculum* malit legere, alio modo significatur senilis ac jam deficientis corpusculi lassitudo. Quæstio autem de adorato Domino cujus essentiam viderit ad caput lectuli, videtur ex Hebræorum commentis nata.

22. *De profectione*] Περὶ τῆς ἐξόδου, *de exitu.*

24. *Fide Moses grandis factus negavit se esse filium*, &c.] Ante hunc locum additum erat in codice Donatiani, sed manu recentiore, *Fide Moses grandis factus occidit Ægyptium, considerans dolorem fratrum suorum.*

25. *Temporalis peccati*] Ἢ πρόσκαιρον ἔχειν ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν, *quàm temporariam habere peccati fruitionem.*

26. *Thesauro Ægyptiorum*] Τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν, *thesauris qui erant in Ægypto.* ¶ *Aspiciebat*] Ἀπέβλεπεν, *respiciebat*, sive *spectabat*, aut *rationem habebat retributionis.*

27. *Animositatem Regis*] Τὸν θυμὸν, *iracundiam*, sive *ferociam.* ¶ *Tanquam videns*] Ὡς ὁρῶν. Melius erat *perinde quasi videret.*

28. *Primitiva*] Πρωτότοκα, *primogenita.*

29. *Quod experti*] Ἧς πεῖραν λαβόντες, *cujus* (nempe *maris*) *experimentum cum cepissent Ægyptii.*

30. *Circuitu dierum septem*] Κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας, *circumdati.* Nec alioqui meâ sententiâ satis expressit sententiam. Non enim sentit obsidione septem dierum muros evictos, sed posteaquam singulis diebus Levitæ portantes Arcam circumissent civitatem, septimo die ad clangorem tubarum muri corruerunt.

31. *Excipiens exploratores*] Et hoc participium præt. temporis est δεξαμένη, *exceptis exploratoribus.*

32. *Quid adhuc dicam?*] Λέγω, *dico?* ¶ *Jephthe*] Quod Græci scribunt *Hiephthae*, tetrasyllabum, Ἰεφθάε. Notatus est à nonnullis & hic Epistolæ locus, ut admonet Chrysostomus, quòd *Jepte* meretricis filium & filiæ immerentis interfectorem in Sanctorum catalogo recenseat, item *Barachi* & *Samsonem.*

34. *Impetum ignis*] Δύναμιν, *vim.* ¶ *Aciem gladii*] Στόμα, *os gladii*, sive *στόματα* numero Multitudinis, quod tamen Græci pro *acie* ponunt, quòd eâ parte mordeat. Quanquam sunt apud Græcos qui *στόμα* quoque dictum putant à *τέμνω*, *incido*, quòd ore incidamus & comminuamus cibum. Unde & δίστομος dicitur gladius utrinque incidens. ¶ *Convaluerunt de infirmitate*] Ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας, *potentes redditi sunt ex imbecillitate*, nè quis somniet eos revaluisse à morbo. Chrysostomus interpretatur de reversis ab exsilio Babylonico, in quo cum fuissent ejecti ac mortuis assimiles, postea restituti sunt pristino vigori. Theophyl. attingens & hanc interpretationem, admiscet de Ezechia, qui à morbo revaluit. Posteriorem sequitur Thomas. ¶ *Castra verterunt exterorum*] Παρεμβολὰς ἔκλιναν, *incursiones, sive impressiones, in fugam verterunt, & inclinarunt.* Dicitur enim *inclinata* acies cùm parat fugam & cedit in bello. Nec malè vertit Interpres, si quis modò sentiat quid hoc loco sit *vertere*, i. e. ad fugam impellere. Demiror autem cur Stapulensis maluerit *evertere* quàm *vertere*: nam *vertere* multò erat aptius. Certè *evertere* non video quo pacto tolerari possit hoc sanè loco.

35. *Mulieres*] Gr. γυναῖκες, quæ vox & sexum significat & uxorem. ¶ *Mortuos*] De liberis accipiendum est. ¶ *Distenti sunt*] Ἐτυμπανίσθησαν. Quod à corio sumptum est in tympano distento. Quanquam Græcanica Scholia interpretantur de his qui fustibus contusi perierunt. Cæditur enim crebris ictibus tympanum.

37. *Secti sunt*] Quod Hieronymus alicubi vertit *serrati sunt*, ut accommodet ad supplicium Esaiæ. ¶ *Tentati sunt*] Nescio quo casu acciderit ut nec apud Chrysostomum nec apud Theophylactum ulla fiat mentio hujus particulæ *tentati sunt*, præsertim cùm sit dilutior utrisque quibus miscetur. Præcedit enim *dissecti sunt*, & sequitur *occisione gladii occubuerunt.* Mihi videtur adjectitia. Suspicor enim eruditulum aliquem pro ἐπρίσθησαν mutare voluisse ἐπειράσθησαν, atque itâ vocem utramque relatam in contextum, cùm altera esset ascripta in spatio marginis. ¶ *In melotis*] Ἐν μηλωταῖς, *pellibus ovillis.* Sicut λεοντῆ dicitur *exuvium leonis.* Equidem non possum ridere virum alioqui magnum Thomam Aquinatem, tamen miseret me ac pudet illius nomine tam fœdi lapsûs, etiamsi fatear hæc non omnino propriè pertinere ad fidem, nec esse periculum ut hæreticus judicetur qui consimiliter fuerit hallucinatus. Verùm illud periculum est, nè qui bonas didicere literas, cùm hæc legunt, ex his metiantur cætera, ut est hominum ingenium. MELOTA, inquit, *est vestis facta de pilis camelorum, ut quidam dicunt. Vel melius, quòd taxus habet pellem hirsutam, de qua fit vestis quæ dicitur* MELOTA. Jam quantò insulsius imò impudentius delirat super hac voce quisquis fuit autor operis omnium indoctissimi, quod vocant *Catholicon.* Hic triumphum agant scilicet qui Apostolicæ simplicitatis prætextu suæ patrocinantur inscitiæ. Hujusmodi sanè vel ipsos superant Apostolos. Neque enim quisquam illorum tam inscius vocum aut rerum fuit ut ex Ove faceret Camelum, aut aliud novum animal, arboris cognomine. Quanquam ego vix adduci possum ut credam hæc ab Aquinate scripta, primùm Italo, deinde tam cæteris in rebus vigilanti. Et haud scio an bona pars hujus erroris Interpreti sit imputanda, qui è duabus Græcis vocibus alteram transtulerit, alteram reliquerit. Siquidem *in pellibus caprinis*, Græcè est αἰγείοις. At cur fugit ad eundem modum circumloqui μηλωταῖς *in pellibus ovillis*? nisi quod suo more horruit bis dicere *pellibus.* Quanquam μηλωτὴ non tam *pellem ovis* significat quàm *exuvium*, h. e. pellem corpori detractam unà cum lana. ¶ *Egentes*] Ὑστερούμενοι, *destituti rebus necessariis.* Quanquam Interpres bene reddidit.

39. *Testimonio fidei probati*] Μαρτυρηθέντες διὰ τῆς πίστεως, *testimonio comprobati sunt per fidem.*

40. *Providente*] Et hoc participium est præt. temporis apud Græcos, προβλεψαμένου, i. e. *quod Deus melius quiddam de nobis prospexerat.* Augustinus aliter citat lib. De pecc. meritis & remiss. 2. c. 31. *Pro nobis enim meliora providerunt.* Pro προβλεψαμένου codex illius habuit προβλεψάμενοι tum aliter distinxit, ut τοῦ Θεοῦ referatur ad promissiones, non ad participium sequens.

VATABLUS.

1. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*] *Rerum quæ sperantur essentia, demonstratio rerum quæ conspici non possunt*: i.e. quæ credit res promissas à Deo, nondum tamen præstitas, tam veras esse quàm si jam præstitæ essent, præsentes & demonstratæ. Hortatur Hebræos ut exemplo majorum, qui constanter res futuras à Deo sibi promissas exspectarunt, credant vitam æternam promissam sibi etiam Deum donaturum.

2. *In hac*] *Per hanc.* ¶ *Senes*] *Majores.*

3. *Aptata*] *Perfecta.* ¶ *Ex invisibilibus visibilia fierent*] *Ex his quæ non apparent, ea quæ videntur fierent.*

4. *Plurimam*] *Uberiorem*: i.e. magis acceptam. ¶ *Muneribus*]

neribus] *De denariis.* ¶ *Per illam defunctus adhuc loquitur*] i. e. Propter eam adhuc hominum sermone celebratur.

5. *Quia transtulit*] *Quod transtulisset.* ¶ *Dominus*] *Deus.*

6. *Quia est, &*] *Quòd sit, & quòd.* ¶ *Inquirentibus se*] i. e. Cultoribus suis.

7. *Responso accepto*] *Oraculo admonitus*: vel, *nuncio Divino admonitus.* ¶ *Non videbantur*] i. e. Diluvium. ¶ *Metuens*] Vel, *cavens*, aut, *veritus*: sub. *Deum.* ¶ *Damnavit mundum*] i. e. Facto suo condemnavit eos in fidelitatis, & ostendit esse incredulos. ¶ *Institutus*] *Factus.*

8. *Qui vocatur*] *Vocatus*: i. e. dum accerseretur.

9. *Casulis*] *Tentoriis.*

11. *Virtutem in conceptione seminis*] *Vim ad concipiendum & retinendum semen.* ¶ *Præter tempus ætatis*] *Contra ætatis rationem peperit.* ¶ *Fidelem*] Vel, *veracem & fidum.*

12. *Uno*] Sub. *Abraham.* ¶ *Orti sunt*] Sub. *Posteri.* ¶ *Emortuo*] Vel, *jam annis effæto.* ¶ *Multitudinem*] *Multitudine*, Vet.

13. *Juxta fidem*] i. e. Cùm fidem hanc haberent. ¶ *Non acceptis repromissionibus*] i. e. Terram Chanaan. ¶ *Aspicientes**] * *Et credentes.* ¶ *Hospites sunt*] *Advenæ essent.*

14. *Hoc*] *Hac*, Vet.

15. *Ipsius meminissent de qua exierunt: habebant utique tempus revertendi*] *Illius meminissent unde fuerant profecti: habebant opportunitatem revertendi.*

16. *Confunditur*] *Erubescit.*

17. *In quo*] *Qui*, Vet.

18. *In Isaac vocabitur tibi semen*] Heb. Habebis filium qui dicetur Isaac: vel, ex Isaac excitabitur tibi posteritas.

19. *Arbitrans quia &*] *Cùm illud secum perpendisset quòd &.* ¶ *In parabolam*] Vel, *in similitudinem*: i. e. ut esset similitudo Christi immolandi & excitandi.

20. *Jacob & Esau*] *Ipsi Jacob, deinde ipsi Esau.*

21. *Adoravit*] i. e. Gratias egit, Heb. ¶ *Fastigium virgæ suæ*] *Ad summum baculi sui*: i. e. innixus baculo suo præ senectute.

22. *Moriens*] *Moriturus.* ¶ *Profectione*] *Exitu.*

25. *Temporalis peccati habere jucunditatem*] *Temporariam habere peccati fruitionem.*

26. *Thesauro*] *Thesauris.* ¶ *Improperium*] *Probrum*: i. e. vitam Christi impiorum convitiis objectam.

27. *Animositatem*] *Ferociam.* ¶ *Invisibilem enim tanquam videns sustinuit*] *Perinde enim quasi vidisset eum qui est invisibilis, ità obduravit*, vel, *perseveravit.*

28. *Primitiva*] *Primogenita.*

29. *Experti*] *Cùm tentassent.*

30. *Circuitu dierum septem*] *Circundati per septem dies.*

31. *Excipiens*] *Cùm excepisset hospitio.*

32. *Dicam?*] *Loquor?*

33. *Vicerunt*] *Devicerunt*, Vet. ¶ *Operati sunt*] *Exercuerunt.*

34. *Effugaverunt*] *Effugerunt*, Vet. ¶ *Convaluerunt de infirmitate*] *Potentes redditi sunt ex imbecillitate.* ¶ *Castra verterunt*] *Incursiones averterunt*: vel, *acies instructas declinaverunt.*

35. *De resurrectione*] Heb. per resuscitationem, vel, restitutionem vitæ. ¶ *Non suscipientes redemptionem*] i. e. Aspernati liberationem quæ proponebatur illis. ¶ *Invenirent*] *Consequerentur.*

37. *In occisione gladii mortui sunt*] Heb. gladio cæsi sunt. ¶ *In melotis*] *In ovillis pellibus*: q. d. malè induti fuerunt. ¶ *Egentes*] Vel, *destituti rebus necessariis.*

39. *Testimonio fidei probati*] i. e. Probi à Deo judicati ob fidem.

40. *Consummarentur*] i. e. Vitâ æternâ donarentur.

CASTALIO.

1. E*St autem fides, speratorum subjectio*] *Hypostasis* non significat hic propriè *substantiam*. Nam si *Fides est substantia* (sive *subsistentia*) *eorum quæ sperantur*, efficitur ut rerum substantia sit antequam sint ipsæ res: nam quæ sperantur nondum sunt: ut quòd speramus Resurrectionem mortuorum, ea nondum est. Quòd si Fides est ejus *substantia*, efficitur ut jam subsistet, h. e. sit, Resurrectio, aut certè ut subsistet antequam sit: id quod fieri non potest. ὑπόστασις est *substantia*, & ipsa *res* atque *materia*, ut in hujus Epistolæ cap. 1. 3. Transfertur ad alia, ut 2 Cor. 11. 17. ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως, *in hac gloriandi materia*, sive *argumento*. Nec ab ea notione recedit, quòd cap. 3. 14 ponitur pro *disputationis argumento*, & autoris *loco* quem sibi tractandum proposuit: ut sit ὑπόστασις, cùm res ὑφίσταται, *proponitur, subjicitur & præsens statuitur.* Itaque hic dicitur *eorum quæ sperantur subjectio*, quòd absentia nobis subjiciat ac proponat, efficiatque ut præsentia esse videantur, nec secùs eis assentiamur quàm si cerneremus. Estque idem hoc loco ὑπόστασις, quod ἔλεγχος, & ἐλπιζομένων quod οὐ βλεπομένων, geminatâ sententiâ; ut ex eo apparet quòd hæc nullâ conjunctione copulantur. Itaque liceret ità conjungere, *Fides est rerum quæ non cernuntur, sed sperantur, subjectio ac demonstratio.*

3. *Ità ut ex iis quæ non exstabant*] Εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων pro εἰς τὸ ἐκ τῶν μὴ φαινομένων.

4. *Mortuus adhuc loquitur*] Cùm ejus sanguis ad Deum conqueri dicitur. Vide infrà cap. 12.

14. *Qui enim dicunt talia*] *Se esse peregrinos.*

19. *Unde eum videtur quodammodo recepisse*] Παραβολὴ *comparatio* est & *similitudo*. ἐν παραβολῇ *recepit ex mortuis filium Abrahamus*, quomodo paulò antè dicitur eum *mactasse*. Nam neque *mactavit*, neque *recepit ex morte*. Sed cum id facturus fuerit, perinde est ac si mactasset, & rursum in vitam revocatum recepisset. Hoc est quod dicit ἐν παραβολῇ, quòd res ipsa non facta sit, sed facta esse videatur.

23. *Regis edictum veriti non fuerunt*] Regi non paruerunt.

26. *Majores divitias esse ratus Christi probrum*] Pro Christo patiendum.

27. *Inaspectabilem*] Deum.

35. *Quo meliorem assequerentur resurrectionem*] Quæ melior esset quàm illa liberatio.

CLARIUS.

1. E*St autem fides*] Factâ *fidei* mentione, declarat quid appellatione *fidei* sit intelligendum: quæ res efficit ut quisque magis ad ea quæ ad hanc fidem pertinent animetur. Ait ergò, *Fidem esse rerum quæ sperantur* ὑπόστασιν, & tanquam basim ac fundamentum quo subsistant ea quæ nondum adsunt, & tanquam præsentia jam esse videantur: & addit, *argumentum rerum quæ non cernuntur.* Fides enim demonstrat ea quæ non videntur, esse conspicua Quo pacto? Dum mente & spe ac certâ fiduciâ in Deum intuetur ea quæ non apparent. Fides ergò est id sine quo res de qua est fides nec sperari potest: nihil enim amatur nisi cognitum. Est enim Notitia, quantum ad certitudinem attinet, infra Scientiam, quæ ex cognitione contingit causarum, & supra Opinionem, quæ adjunctam habet formidinem de opposito illius quod opinamur, à qua libera est Fides. Est enim certa notitia sive, ut hic dicitur, *apprehensio rerum non apparentium*: hoc enim significare hoc loco ἔλεγχος videtur. Atque ut agnoscas quanta Fidei sit vis, illud cogita, quòd *hâc unâ intelligimus mundum* & omnia quæ in eo sunt *facta Dei imperio, & ex invisibilibus facta visibilia*, i. e. cùm non essent, solo Dei verbo exstitisse. Quod qui aliâ viâ ingressi assequi voluerunt, infinitis se involverunt erroribus. Quod autem ait *ex invisibilibus facta visibilia*, videtur significare, illa antequam crearentur in Divina quidem mente fuisse, sed tunc non fuisse *visibilia*; vel certè, sicut diximus, cùm non essent, exstitisse imperio Dei.

4. *Copiosiorem hostiam*] Ob fidem scilicet in Deum, quodque se illi totum crederet. Idem & Enoch accidisse memorat.

7. *Per quam damnavit mundum*] Qui scilicet neque credidit Noe dicenti peritura omnia diluvio, neque per Arcæ illius constructionem, quæ futurum exitium intentabat, corrigi voluit.

8. *Fide vocatus*] Qui ex *Abram* fide factus est *Abraham.*

13. *Quòd peregrini & hospites essent*] Quemadmodum David ipse dicebat, *Advena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei.*

19. *Unde eum & in typo reduxit*] Nam Isaac typus fuit Christi, quo immolatus quidem fuit pro nobis, sed resurrexit tamen, neque detineri a Morte potuit; quemadmodum Isaac oblatus quidem fuit à patre, sed vixit tamen. Cùm ergò Abraham ineffabilem præ se fidem tulisset erga Deum, atque obedientiam, quæ ipsas etiam naturæ leges vinceret, accepit iterum filium, non qualem obtulerat, sed eum ingenti additamento ac dignitate: reduxit enim illum ferentem similitudinem Filii Dei: & Abraham quidem Dei Patris typum gessit; Isaac verò, Dei Filii.

20. *Fide de futuris*] Cùm benediceret Isaac Jacob & Esau, totum fide factum est, cum prævideret utriusque futuram vitam ac diversum præmium.

21. *Adoravit fastigium virgæ ejus*] In *virga* intelligebatur Regnum Christi, cujus figuram gessit Joseph, cum & ipse à suis proditus fuisset.

22. *Et de ossibus suis mandavit*] Ut certò scirent futurum Israelitarum exitum de Ægypto.

23. *Fide Moses natus*] *Ut viderunt parentes tam egregiâ indole puerum*, crediderunt velle Deum illum servari, & *hâc fide occultaverunt eum tribus mensibus.*

26. *Improperium Christi*] Pertulit opprobria quæ olim Christus passurus erat, cujus figuram ipse gerebat.

27. *Fide reliquit Ægyptum*] i. e. Factum & thesauros Ægyptiorum. ¶ *Invisibilem enim*] Deum adjutorem mente tanquam oculis cernebat, & omnia ab eam causam perferebat.

32. *Deficiet enim me tempus*] Historiæ quæ in hoc contextu raptim memorantur satis obviæ cuique esse possunt, quare non singillatim eas commemorabimus.

35. *Distenti sunt*] Eculeis ac tormentis variis. ¶ *Non suscipientes redemptionem*] i. e. Nolentes redimi ab illa pœna, cùm liceret eis vivere si cessissent impiorum consilio. Atque id fecerunt ob fidem & spem *resurrectionis*, quæ longè *melior* esset quàm exiguus hujus vitæ fructus.

39. *Non acceperunt repromissionem*] Quid, inquit, vos doletis quòd adhuc sitis in certamine, nequedum retributionem acceperitis? Videtis ut *ii omnes*, quos prædiximus, sancti, *probati per fidem* placuisse Deo, *nondum promissa* justis bona *sunt assecuti*?

40. *Deo pro nobis melius quid providente*] Cùm præfigeret tempus unum retributionis, *ut non illi ante nos* sed omnes pariter coronaremur, ut tanquam unum corpus in omnibus simul membris gloriam assequatur suam. Hoc autem intelligi de Resurrectione corporum, quæ eodem tempore in omnibus facienda reservatur.

ZEGERUS.

1. *ARgumentum non apparentium*] *Argumentum* dixit pro *demonstratione*, *ostensione*, *probatione*, & *certa persuasione*. Dicitur enim ἔλεγχος ἀπὸ τοῦ ἐλέγχειν, quod est *argumentis comprobare & ostendere.* D. Augustinus tract. in Joh. 79. aliquantò secus hanc Fidei descriptionem extulit ad hunc modum, *Est autem fides*, inquit, *sperantium substantia*, & *convictio rerum quæ non videntur.* Quòd autem dixit *sperantium*, scilicet hominum, noster vero Interpres *sperandarum rerum*, ex ambiguitate fit Græci vocabuli ἐλπιζομένων activam & passivam habentis significantiam. Porro *convictio* dictum est à *convinco*, quod non raró primitivi sui *vinco* significantiam retinens usurpatur pro *exprimo*, & *quasi difficultatem dicendo supero*, pro quo Vulg. Interpres vertit *argumentum* ab *arguendo*, i.e. ostendendo & probando. Hoc admonere visum est nè cui scrupulum faciant D. Augustini verba: præsertim ob id quòd pro CONVICTIO *conjunctio* mendosè legatur in ipsius voluminibus.

3. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*] *Per fidem*, ait, *intelligimus* & credimus *condita esse secula*, & quicquid seculis ipsis, imo æternitate ipsâ, comprehenditur; atque id solo *Dei jussu*, *ità ut* ex nihilo aliquid, ex incorporeis corporea, *ex invisibilibus & non apparentibus visibilia fierent.*

4. *Fide plurimam hostiam*] Πλείονα, i. e. *abundantiorem hostiam.* Ad verbum sonat *plurem*, quod quia usu caret, ejus loco superlativum substituit Interpres ¶ *Et per illam defunctus adhuc loquitur*] *Per illam*, vel *propter illam*, *hostiam*; vel, *per illam fidem mortuus* illo suo facto & exemplo ad justitiam nos erudiens *loquitur.* *Sicut enim cælum*, inquit Chrysostomus, *tantùm apparens loquitur*, *sic & ille dum in memoriam venit. Nunquam enim in tanta esset admiratione si mille linguas haberet si viveret*, *in quanta nunc admiratione est.*

6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est*, & *inquirentibus se remunerator sit*] Hoc dilucidius fuisset si sic ennunciasset Interpres, *Accedentem ad Deum credere oportet & quòd Deus ipse sit*, & *quòd requirentibus se remunerator sit.* Verùm τὸ EST & SUM Scriptura peculiariter tribuit Deo tanquam aliquid Divinæ essentiæ proprium; juxta illud, EGO SUM QUI SUM. QUI EST *misit me ad vos*, Exod. 3. 14.

7. *Fide Noe responso accepto*] Sup. *à Deo.* Vel χρηματισθείς, i. e. *oraculo certior factus*, vel *compellatus*, ἀπὸ τοῦ χρηματίζειν, quod interdum *responsa dare legationibus*, interdum *appellare aliquem*, h. e. *compellare*, *appellare*, *alloqui*, & *agere cum quopiam in negotio aliquo*, interdum *jus dicere* & *sancire* significat. Et χρηματίζειν propriè Deus, Pontifices, Principes & Magistratus, aut alioqui autoritate prædicti dicuntur. ¶ *Metuens*, *aptavit arcam*] Non est hic φοβηθεὶς *terrore perculsus* aut *formidans*, sed εὐλαβηθεὶς *reverentem* & *piè ac religiosè timentem præcaventemque* declarans. ¶ *Per quam damnavit mundum*] Incertum est etiam apud Græcos quo spectet relativum *quam*, ad *fidem*ne an ad *Arcam*: utrumlibet enim referre potest. *Per fidem damnavit mundum*, dum mundi vitia exsecrando respuit & abdicavit, dumque fidei suæ justitiâ quid interesset inter suam & reliquorum viventium vitam discrevit: nam id quoque κατακρίνειν designat. *Per Arcam damnavit mundum*, dum tali ipsum ostendit supplicio dignum, qui neque per tam diuturnam Arcæ constructionem corrigebatur, neque ex illa instructus Divinam credebat superventuram ultionem. Vel, *damnavit*, i.e. condemnandum judicavit.

8. *Fide, qui vocatur Abraham obedivit in locum exire*] Græca ejusmodi sunt ut variam admittant syntaxin. Sic enim habent, Πίστει καλούμενος Ἀβραὰμ ὑπήκουσεν ἐξελθεῖν εἰς τὸν τόπον. Primus ordo hic est, *Is qui dictus est Abraham per fidem obedivit ità ut exiret in locum quem accepturus erat in hereditatem.* Secundus hic est, *Abraham per fidem sic vocatus* (nam cùm priùs vocaretur *Abram* fide promeruit auctionem nominis Gen. 17.) *obedivit in locum exeundo.* Tertius ordo fidem utrique simul parti accommodat. *Fide vocatus*, *fide obedivit.* Potest quoque καλούμενος idem esse quod *vocatione jussus* sive *admonitus*: atque ità *fide* jungendum erit cum *obedivit*, juxta ordinem quem primo posui loco, qui & vulgatior est & simplicior. Historiam habes Gen. 11, & 12.

10. *Fundamenta habentem civitatem*] h. e. Cœlestem, quæ fundamentis stabilita est perpetuis.

11. *Præter tempus ætatis*] h. e. *Præter opportunitatem ætatis*; quandoquidem vetula jam erat Sara & ad fœturam minimè idonea. Unde Græcis non est simpliciter *tempus*, quod illi χρόνον dicunt, sed καιρὸς *temporis commoditatem opportunitatemque* significans.

12. *Propter quod & ab uno orti sunt*, & *hoc emortuo*] *Ab uno*, videlicet *Abraham*: vel *ab uno* Abrahæ & Saræ corpore (juxta illud, *Erunt duo in carne una*) *eoque jam effœto* & ad generationem invalido, ἐγεννήθησαν *geniti sunt*, ut subaudias *filii*, excreveruntque in immensam multitudinem, &c. Quòd autem pro & *hoc* legitur καὶ ταῦτα, quod sonat & *hæc*, ad epitasin facit: tanquam si dicas, *orti sunt ab uno illo*, *ad hæc etiam emortuo.* Vel, *geniti sunt ab uno*, *idque emortuo.* Licebit quoque Græcis verbis alterum dare sensum, ut in ταῦτα subaudiantur ac demonstrentur τὰ τέκνα, *filii*, & νενεκρωμένου in propria sua accipiatur significatione, hoc pacto, *Propterea & ab uno Abraham*, *eoque jam tum è vivis sublato cùm multiplicaretur ipsius semen ad multitudinem usque stellarum*, *orti sunt* & oriuntur etiam ii liberi qui patris hujus fidem imitantur, atque adò etiam qui ab hoc juxta carnalem propagationem duxerunt ducuntve originem.

13. *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti*] Apostolus sive hujus Interpres κατὰ hoc loco abuti videtur pro μετὰ vel ἐν, h. e. pro *cum* vel *in*: quemadmodum è diverso μετὰ apud Poëtas pro κατὰ nonnunquam sumitur. *In fide*, vel *cum fide*, *defuncti sunt.* ¶ *A longè eas adspicientes*] Quod hic adjicitur καὶ πεισθέντες ex annotatione quapiam interpretante illud *à longè aspicientes* contextui insertum puto. Nam id apud nullum invenio explanatorem, nè apud OEcumenium quidem, in medio commentario scilicet, cùm hæc duo jungat, *visis* & *salutatis.*

15, 16. *Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt*] Ostendit per hæc, Patres illos, Abraham, Isaac & Jaacob, cùm terræ alienæ inquilini essent, haudquaquam detentos fuisse desiderio patriæ unde semel fuerant egressi, quam repetendi (si id libuisset) haud defuisset utique illis opportunitas: *Verùm præstantiorem opperiebantur patriam*, *nempe cælestem.* ¶ *Non confunditur Deus vocari Deus eorum*] Sicuti passim in Scripturis legimus, *Deus Abraham*, *Deus Isaac*, *Deus Jaacob.* ¶ *Paravit enim illis civitatem*] Rationem reddit cur *meliorem expeterent terram*, nimirum quòd *paratam sibi* nossent *à Deo civitatem cælestem.*

19. *Unde eum & in parabolam accepit*] PARABOLA in præsenti loco *typum* & *figuram* signat. Immolatio enim Isaac typus fuit immolandi Christi, sicuti id pulcrè edisserit Primasius hunc enarrans locum, atque item Chrysostomus scribens in Gen. 21.

20. *Fide & de futuris benedixit Isaac Jacob & Esau*] Isaac, inquit, tantæ erat erga Deum fiduciæ ut jam moriturus filiis suis Jacob & Esau bonorum post futurorum benedictionem polliceri non dubitarit Gen. 27. Et ut eis benedicendo comprecatus est, ità & rei declaravit eventus.

21. *Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit*] h. e. Utrumque Josephi filium, Ephraim videlicet & Manasse, nepotes

nepotes suos, Jacob moriturus impositis transversim manibus benedixit, Gen. 48. ¶ *Et adoravit fastigium virgæ ejus*] Diversa est in hunc locum Interpretum sententia. Nonnulli juxta LXX. Interpretes volunt *ipsum Jacob filii sui Joseph adorasse virgam ipsam*; atque hoc ipso præsignasse exaltationem Joseph in terra Ægypti, & fratrum ipsius futuram adorationem. Nonnulli *Jacob baculo suo ob senium innixum adorasse Deum* dicunt. Unde Græcis legitur ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, i. e. *ad summitatem virgæ suæ*, vel *ejus*. Quanquam αὐτοῦ pro reciproco magis exigit adspirationem: sed hæc differentia non semper servatur. Nonnulli item in *adoratione virgæ ipsius Joseph* futurum imperium Christi præsignatum adseverant, cui universus subjiciendus erat mundus. Joseph enim venditus à fratribus Christi gerebat imaginem. Virga insuper Imperii dignitatem portendebat, dicente Psalmistâ Psal. 45. *Virga æquitatis, virga Regni tui.* Nonnulli præterea B. Hieronymum sequi malunt, qui à LXX. dissentiens verba illa Genes. 47. על ראש המטה vertit *ad caput lectuli.* Non malè tamen verterunt LXX. cum utrumque sit anceps vocabulum, ראש videlicet ad *caput* & *fastigium*, & מטה ad *lectum* & *virgam.* Tractat hunc locum Geneseos & Augustinus Quæst. in Gen. 162. & maximè probat quod Græcè est, *adoravit super caput*, vel *in cacumine*, *virgæ* αὐτοῦ *suæ.* Eucherius tertiam illam habens sententiam, *Sceptri*, inquit, *significatio accipienda est per virgam, & per hoc Regni potestatisque fastigium, in quo Christus intelligitur adoratus, qui futurus erat Regni Hebræorum caput.*

22. *Memoratus est*] *Mentionem facit*, à *memoror*, *aris.*

24. *Fide Moyses grandis factus occidit Ægyptium, considerans dolorem fratrum suorum*] Hanc clausulam offendimus in duobus exemplaribus antiquis diversarum regionum scriptam ante illud, *Fide Moyses grandis factus negavit se esse.* Et probabile est eorundem verborum repetitionem scribæ occasionem præstitisse ut præpositam partem omitteret; ità ut hactenus penitus & Græcis adempta fuerit & Latinis. Quam consultius duxerim reponere.

25. *Quàm temporalis peccati habere jucunditatem*] Scelus namque esse duxit Moyses si regii ipse esset luxûs particeps, fratres autem sui afflictionibus defatigarentur.

26. *Improperium Christi*] *Improperium Christi* Moyses pertulit, quia pro Christo & ad ipsius similitudinem & typum tale hic à suis quale à suis Christus pertulit opprobrium. Vel quia illatæ justo injuriæ non tam homini inferuntur quàm Christo, juxta illud Matth. 25. 40. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Vide Theophylactum.

27. *Fide reliquit Ægyptum*] Quando post cædem Ægyptii ad vocem objurgantis se defugit Exod. 2. confisus tamen se propediem reversurum & liberaturum populum. ¶ *Invisibilem enim tanquam videns sustinuit*] Ἐκαρτέρησε *sustinuit* absolutè, ni fallor, posuit, ut *invisibilem* cum *videns* construas. Sic enim lego apud Chrysostomum, *veluti videns invisibilem, sic sustinebat:* quod ità potest explicari; *Tantâ erat animi roboratus constantiâ quasi Deum coram conspexisset paratum succurrere.*

28. *Pascha & sanguinis effusionem*] *Sanguinis effusionem* adjecit, insinuans unctionem illam sanguinis agnini in postibus domorum ad arcendum Angelum exterminatorem, nè ibi exstingueret *primitiva*, h. e. primogenita.

30. *Circuitu dierum septem*] h. e. Circuitu septeno septenis facto diebus. Vide Jos. 6.

34. *Castra verterunt exterorum*] Scito *castra* hic non esse propugnacula nec arces, quæ Græcis ἐρύματα, ἀκροπόλεις & ἐπάλξεις dicuntur, sed *tentoriorum ordines castrensi ordinatione consertos*, h. e. παρεμβολάς. *Castra* ergò *verterunt*, h. e. inclinaverunt & in fugam verterunt viceruntque, *gentium alienarum.*

35. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*] Ut Sunamitis per Elizæum, Sarephthana per Eliam.

37. *Circuierunt in melotis*] *Circuierunt*, inquit, quia ut profugi incertis vagabantur sedibus propter malorum persecutiones. *Melota* est propriè pellis ovina & cujusvis quadrupedis. Nam μῆλον *ovem* signat & *quadrupedem*. Hujusmodi autem melotis propter asperitatem usi leguntur veteres Monachi, idque exemplo Eliæ Prophetæ. Nonnulli *melotas* dici existimant ab animali quodam hirsuto & aspero quod *Melus* seu *Melis* dicitur eò quòd sit avidissimum mellis, & alio nomine *Taxus* appellatur.

39. *Non acceperunt repromissionem*] Videtur ipse sibimet adversari Apostolus, propterea quòd præmiserit, *operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Verùm ibi de promissionibus vitæ præsentis, hic verò de promissione loquitur vitæ cœlestis. Quid ergo? An fortè Sancti mortali hoc exuti corpore nullâ donati sunt gloriâ? Absit. *Hodie enim*, inquit Dominus latroni Luc. 23. 43. *mecum eris in paradiso.* Ad hæc B. Johannes in Apocalypsi 6. 11. *Datæ sunt*, inquit, *illis singulæ stolæ albæ:* sed non vestientur duplicibus donec vestiamur & nos. Unde hoc ipsum insinuans Apostolus subjungit, *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Vide autem, prudens lector, explanatores, cumque his Origenem, qui tractat hunc locum scribens in Lev. 10. cum judicio & cautim legas, nè in errorem incidas eorum qui putant animas corporibus exutas non potiri visione Divinâ. Tractat hoc argumentum B. Thomas scribens in 4. Sent. dist. 45. art. 2.

LUCAS BRUG.

6. SIne fide autem [*enim* o.] *impossibile est placere Deo*] Plerique Latinorum codicum, cum Syrico Testamento, addunt *Deo*. Unus porrò Parisiensium (Ge. l.) duo Hentenii, & duo nostri (Leod. Mal. ma.) manuscripti, tollunt. Accedunt alii duo nostri (L Atr. C) qui alio scribunt loco, *Impossibile est Deo placere.* Græca exemplaria, Græcique tractatores, OEcumenius & Theophylactus, non legunt. Subauditur, ex eo quod proximè antecedit, *Ante translationem enim testimonium habuit* Enoch *placuisse Deo.* Fieri possit majoris claritatis ergò nostris libris adjectum fuisse, aut ex Glossa in textum irrepsisse; quemadmodum vox *quenquam*, tametsi & ea Syriacè sit (addit enim hujusmodi Syrus frequenter, & quasi Paraphrasten agit, propter quod Syriacam hanc editionem primigeniam esse Apostoli scripturam necdum facilè persuaderi queo), quam in 11. manuscriptis antigraphis legimus, diversis locis, sed ferè isto, *Impossibile est quenquam placere Deo:* in uno est, *Sine fide autem placere Deo impossibile est quenquam.*

H. STEPHANUS.

1. Ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων] *Illud quod facit ut jam existent quæ sperantur, & quod demonstrat res quæ non cernuntur.*

5. Εὐηρεστηκέναι] *Placuisse.*

7. Χρηματισθεὶς] *Præmonitus Divinitus.*

8. Ὑπήκουσεν ἐξελθεῖν] *Ità auscultavit ut abiret.*

15. Εἶχον ἂν καιρὸν ἀνακάμψαι] *Habuissent tempus ad revertendum.*

19. Ἐν παραβολῇ] *Similitudine quadam.*

23. Ἀστεῖον] *Venustum.*

24. Μέγας γενόμενος] *Cùm ætatem virilem attigisset.*

25. Συγκακουχεῖσθαι τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ] *Unà cum populo Dei mala perpeti.*

28. Ὁ ὀλοθρεύων τὰ πρωτότοκα] *Qui perdebat primogenita.*

34. Ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας] *Validi facti sunt ex imbecillis.*

35. Ἐτυμπανίσθησαν] *Distenti fuerunt.*

37. Περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν] *Oberrarunt ovillis & caprinis pellibus amicti.*

38. Ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς] *Cavernis terræ.*

DRUSIUS.

4. DE *muneribus ejus*] Nam מנחה *munus*. Id usurpatur de eo quod Habel obtulit Gen. 4. 4. Obtulit autem *de primitiis pecudum* vel *ovium suarum*, ibid. Ergò MANAHA latiùs patet quàm vulgò existimant.

5. *Nè videret mortem*] Alibi est, *nè malitia mutaret intellectum ejus.* Qui hoc scripsit, haut dubiè de morte peccatorum intellexit. Nam peccatores *mortui* vocantur, & sunt revera mortui Deo & in peccatis suis. Plura de hac re scripsimus in Notis ad Historiam sacram Sulpicii Severi. Vide, si habes. Apud Mosen, *Ambulavit Henoch cum Deo, & non ipse, quia tulit eum Deus. Non ipse*, sub. *fuit.* Cæterùm *non esse* dicitur qui non est in vivis aut in rerum natura. Unde colligunt mortuum non fuisse. Argumentum valde infirmum. Nam etiam לקח *tolle* de Morte usurpatur. Ex Mose igitur hoc evinci potest. Verba Apostoli clara sunt, sed ambigua. Nam accipi possunt etiam de *morte* Calamitatum, & de *morte* Peccatorum. Si de naturali *morte* intellexit, non tamen dicit eum vivere ità ut adhuc moriturus aliquando sit. Nam qui subitò immutantur, immutatio ea illis est mortis loco. Non *moriuntur* propriè loquendo, h. e. aliorum hominum more; siquidem anima à corpore non separatur, nihilominus mutantur ut sint alii quàm fuerunt, videlicet incorrupti & immortales. Pro *tulit eum* apud Mosen licet vertere *rapuit eum*: quod de morte immatura & subita dici opinantur. Judicent qui de hac re judicare possunt. *Non omnes*

thyrsigeri Bacchi sunt. Syrus hic habet, *& mortem non gustavit*: quod noto propter eos qui distinguunt inter *videre mortem* & *gustare mortem*: quorum opinionem aliàs refutavimus: non pœnitet. [Vide quæ habentur ad Luc. 3. 37.] ¶ *Nec fuit inventus*] Idem cum illo *nec fuit*. Simile Exod. 35. 23. *apud quem inveniebatur*, i. e. erat: & Mal. 2. 6. *iniquitas non fuit inventa in labiis ejus*: & alibi, *nec fuit inventus dolus in ore ipsius*. Sirach. 20. 1. *Est silens inventus sapiens*, qui est sapiens. ¶ *Placuisse Deo*] Quod Ebræus dicit *ambulavit cum Deo*, LXX. referunt interpretantes, καὶ εὐηρέστησεν τῷ Θεῷ. Igitur *ambulare cum Deo*, quod Persius dixit *vivere cum Deo*, est ità vivere ut Deo placeas. Nam qui improbè vivit non ambulat cum Deo sed cum Diabolo. In eadem editione μετέθηκεν αὐτὸν, *transtulit eum*. Vide Notas in Sulpicium: non enim lubet quæ illic notata sunt hic repetere: aliud est quod agam: propero etiam ad finem.

6. *Et inquirentibus se remunerator fit*] Renumeratur enim iis vitam æternam. Amos 5. 4. *Requirite DOMINUM, & vivetis.* Τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν, *iis qui eum requirunt*. Ebraicè דורשיו. Vocantur etiam מבקשיו *quærentes eum*. Psal. 40. 16. *lætabuntur omnes quærentes te.* Utrumque simul obvium Deut. 4. 29. *Quæres inde DOMINUM Deum tuum, & invenies, quando requisiveris eum ex toto corde tuo & ex tota anima tua.* Docet hic locus quomodo Deus requirendus sit ut inveniri possit. Psal. 10. 4. *non requirit*, sub. *Deum*. Scholia Ebraica enarrant, *non precatur eum*. Nam qui precatur, *quærit Deum*, opem & auxilium ejus implorando. Quod qui facit, Deum esse credit qui curet res humanas. Contra legimus, *Non est requiens Deum*: & Psal. 14. 1. *Dixit stultus in corde suo, Non est Deus*, ELOHIM videlicet, i. e. Judex qui providentiâ suâ hæc inferiora regat & gubernet. *Deum etiam requirit* qui ad Prophetas adit, eosque de Dei voluntate consulit. Vide Gerundensem in Exod. 121. 1.

9. *In casulis habitando*] Emendant *in tabernaculis*: malim *in tentoriis*, Nam Hraelitarum vita olim erat sub pellibus vel in tentoriis. *Tentorium* autem אהל dicitur, cùm *tabernaculum* sit משכן: unde σκηνή. Sed OHEL etiam οἶκος redditur, quòd in eo habitaretur ut in domo. Hoc tantùm intererat; Qui habitabant in tentoriis subindè mutabant sedem, nec ullum stabile aut fixum domicilium habebant. Quò respexit sanè hoc loco Apostolus. *Arabes Scenitæ* nomen acceperunt ab eo quòd in tentoriis habitarent, nam σκηνή tam *tentorium* quàm *tabernaculum*: promiscuè namque ita reddunt Interpretes Græci.

11. *In conceptione seminis*] Alius, *ad concipiendum semen*. Malim, *ad jactum* seu *emissionem seminis*: quod idem cum illo *ad jaciendum* seu *emittendum semen*. Nam in fonte εἰς καταβολὴν σπέρματος. Καταβολὴ enim non est *conceptio*, sed *jactus qui fit ex alto deorsum*, ut cùm agricolæ semen mittunt in terram: unde sementis καταβολὴ vocatur & καταβολὴ σπέρματος. Item καταβάλλειν vel καταβάλλεσθαι σπέρμα dicitur qui semen jacit in terram. Quorsum hæc? Ut ostendam ne Syrum quidem hunc locum rectè percepisse, qui vertit זרעא דתקבל, *ut acciperet* sive *conciperet semen*: nam Græcum vocabulum hoc non significat. Quid igitur? Opinio Ebræorum est, cùm fœmina prior emittit semen, marem concipi. Semen enim viri informat semen mulieris, quod habet rationem materiæ. Vide librum παιδείας 80. 1. Id colligunt ex Levit. 12. 2. *Mulier cum semen emiserit, & pepererit filium marem.* Vide quoque Manahemum 140. 3. Item Abenezram, Hiscuni, & R. Levi Levit. 12. R. Salomo Gen. 46. 15. *Mulier qui prior semen emittit parit marem; ut si vir prior semen jaciat, fœmellam.*

12. *Et hoc emortuo*] i. e. viribus effœto & ad gignendum ineptо, videlicet ratione ætatis: erat enim tum centenarius. Per fidem autem consecutus est ut etiam pòst ex Cetura multos filios genuerit. Augustinus De Gen. ad literam, lib. 12. c. 7. *corpus emortuum* duplici sensu ait dici: *Uno modo*, inquit, *dicitur de eo qui generare non potest ex vetula, etiamsi posset ex juvencula. Hoc sensu de Abrahamo legitur quod habuerit corpus emortuum, cùm tamen postea ex Cetura generaverit.* Vide sis eundem lib. 1. Quæst. 32. & Annotationem nostram Rom. 4. 19. Ben He He in libro Aboth cap. 5. *Filius centum annorum ac si esset mortuus, transit & discedit e mundo.* ¶ *Orti sunt*] Ἐγεννήθησαν *nati* vel *geniti sunt*: subintelligitur autem *posteri*; aut potiùs verbo inclusum verbale: ut Gen. 6. 4. וילדו להם *& pepererunt eis*: ità vertendum, *non genuerunt eis*; quippe pronomen להם masculinum est. Alioqui ילד de Viris etiam usurpatur. Ebraicè ילדו *nati sunt nati*: sic ἐγεννήθησαν γεννητοί. Quale illud apud Davidem, *ne dormiam mortem*, dormitionem vel somnum mortis: quod idem cum illo, *ne moriar*. ¶ *Sicut arena*] *Quantus est arena, quæ ad oram maris, numerus*, &c. Nam licèt arena sterilis & infrugifera sit, tamen eò non respexit Apostolus; ut nec Prophetæ cum utuntur hâc similitudine vel comparatione. Quod noto propter eos qui de hac re aliter sentiunt. Vide Justinum in dialogo cum Tryphone habito fol. 114. Eusebium lib. 2. Προπαρασκ. cap. 40. Idem dicendum de *stellis cœli*. Quamvis enim quæ sub aspectum cadunt numerari sciam ab Astrologis, tamen aliæ innumeræ sunt quæ sub aspectum non cadunt. *Sanè quantò quis acutiùs eas intuetur*, inquit Augustinus lib. 16. De civit. Dei, c. 23. *tanto plures videt; unde & acerrimè cernentibus aliquæ occultæ esse meritò existimantur.* Videto sis eundem lib. eodem, cap. 24. & lib. Confess. 5. c. 3. tom. 1. fol. 101.

13. *Mortui sunt omnes isti*] Ergò etiam Henoch *mortuus* fuit. Quomodo *mortuus*, si *non vidit mortem*? *Videt mortem* & is cujus ingenium mutatur per improbitatem. Vide Henochum meum. Si aliter est, tunc excusabis Apostolum, quoniam interdum sub majore numero comprehenduntur qui ad eum non pertinent: ut Gen. 35. 26. *Hi sunt filii Jacob qui nati ei sunt in Mesopotamia*, licèt Benjamin natus esset in terra Chanaan. Similiter Gen. 42. 13. *Duodecim fratres uno patre geniti sumus*, cùm pòst dicat Josephum *non esse*. Jud. 9. 5. *interfecit fratres suos septuaginta viros*, licèt unus non fuerit occisus. 1 Cor. 15. 5. *apparuit illis duodecim*. Non erant duodecim, sed undecim tantum: nam Judas tunc mortuus erat.

23. *Elegantem*] Ἀστεῖον, *festivum*, *scitum*, *bellum*. Exod. 2. 2. est טוב *bonum* in fonte. Syrus hic habet שפיר *pulcrum*. טוב etiam *pinguem* denotat. Sic ἀστεῖος accipitur Jud. 3. 17. ἀνὴρ ἀστεῖος σφόδρα, i. e. pinguis, de Eglone; & est בריא in Ebræo. Vide Observ. meas lib. 4. c. 12. Legitur eadem vox Act. 7. 20. ἀστεῖος τῷ Θεῷ, quod Græca Scholia enarrant εὐάρεστος Cohel. 7. 26. *bonus coram Deo*. LXX. ἀγαθὸς πρὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ. Sym. ἀρεστὸς τῷ Θεῷ.

24. *Filius Filiæ Pharaonis*] *Pharao* nomen dignitatis apud Ægyptios. Græci Φαραὼ & Φαραών· Ebraicè פרעה. *Pharao* Φαραών, ut *Salomo* Σαλωμών. Josephus autor in lingua Ægyptia *Regem* significare: Scribit hoc Ant. hist. lib. 8. c. 12. Alii censent à primo Rege, qui *Pharao* nominabatur, reliquos dictos esse *Pharaones* usque ad Alexandrum, post quem deinde vocati sunt *Ptolemæi* à Ptolemæo Lagi F. Eusebius in Chronico, *Ægyptiorum Reges omnes tunc Pharaones dicebantur, non hoc proprium habentes nomen; sed pro dignitate Reges tunc utebantur hoc nomine, sicut & apud nos Imperatores Augusti nuncupantur. Hoc nos ex libris Manethonis sacerdotis Ægypti lectum posuimus.* Quòd sit nomen commune & non proprium, probari potest duobus aliis argumentis ex ipso textu sacro petitis. Unum est quòd Joseph Pharaonem alloquens dicat, *vivat Pharao*. Absurdum enim esset & prorsus incivile si quis regem ità proprio nomine compellaret. Alterum quia junctum ei aliquando proprium nomen, ut Pharao Vafre, Pharao Nechao &c. Sic *Pharao Cenchres*, teste Eusebio, *mari rubro submersus fuit, cùm populum Dei persequeretur.* Quin ipsi Chronologi singularum ætatum Pharaones propriis suis nominibus enumerant, ut dubitare de eo nemo jam debeat. Habetur hoc nomen cùm alibi, tum Act. 7. 10.

32. *Samson*] Græcè est Σαμψὼν, *Sampson*: cui scripturæ inserta litera, ut in *Nembrod*, & *Mambre*. Syrus habet שמשון, quod legunt *Semsun*. Ebraicè est שמשון, *Simson*, *Semson*, *Samson*; ut *Nimrod*, *Nemrod*, *Namrod*. Sic *Nisibis*, *Nesibis*, *Nasibis*. In lib. Interpr. *Samson*, *Sol eorum*, *vel Solis fortitudo*. שמש *sol*, הן *eorum*, quod Jerosolymitani scribunt ן, ut זיוה. און *fortitudo*. Josephus Ant. Jud. lib. 5. cap. 13. *Samson significat Robustum.* Adito sis ad Græcum exemplar. Nam mihi nunc non vacat.

35. *Distenti sunt*] Exponunt *fustuario multati sunt*, *fustibus cæsi sunt tympani modo crebris ictibus.* Nam τύμπανον de *fustium pœna*. Sic Aristophanis Scholiastes. Thomas enarrat de *cruciatu Equulei*; quam sententiam probat Hieronymus Magius in libro De Equuleo. Nam quem *equuleum* Latini vocant, Græci τύμπανον dixerunt: unde τυμπανίζεσθαι de iis qui in tympano torquentur, quod in tympani tensilis & pulsatilis morem corpora quæ torquebantur in equuleo distenderentur, & tympanis versatilibus in equuleo locus esset. Unde & τύμπανον hujusmodi organum dictum 2 Mach. 6. 19. αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε, *ultro ad tympanum accedebat*. Forsan eò respexit Apostolus. Dicitur & τύπανον. Crucis etiam genus esse docet Stephanus in Thesauro: *nisi fortè*, inquit, *denotat palum, ad quem alligati fustibus concidebantur & contundebantur sontes.* Chrysostomus & post eum Theophylactus exponunt de Crucis tormento, in quo aliquis distenditur: quod meritò improbat Magius ille. Vide, si vacat, Scholiastes Aristophanis, cujus suprà meminimus, τύμπανα scribit esse ξύλα οἷς ἔτυπτον ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι. Tantum de hoc verbo. Aliàs plura, ubi plura observavero.

37. *Lapidati*

37. *Lapidati sunt*] Lapidatum fuisse Jeremiam, & ossa ejus Alexandriam translata, testantur Zonaras 82. & 83. Dorotheus in Synopsi, Epiphanius, Tertullianus, Autor Altercationis Ecclesiæ & Synagogæ. Sed & autor Operis imperfecti in Matthæum, hom. 41. qui etiam eum *Sacerdotem* fuisse scribit. ¶ *Secti sunt*] *Serrâ dissecti sunt*; quod Hieronymus dixit uno verbo *serrati sunt*. Vide Observ. meas lib. 10. c. 19. Autor Operis imperfecti hom. 33. *Populus Judaicus falsa testimonia dixit interfectoribus Prophetarum, maximè in Esaiam apud Regem Manassen, dicens, Quia Principes vestros Sodomitas appellat, & populum Israëliticum Gomorritas. Dominum Sabaoth se vidisse blasphemat, cùm dicat Deus, Nemo videbit faciem meam, & vivet. Propter quod & serratus est lignea serrâ.* Sulpicius Epist. 2. *Quod si Esaiinum illud supplicium persecari fortè placuisset, nunquam profectò impar Propheta serris ac laminis dissecari membra timuisset.* Hujus supplicii mentio 1 Par. 20. 3. his verbis, *populum vero qui erat in urbe serravit serrâ*, & 2 Sam. 12. 31. *serris ferreis*. Tradunt Jesaiam, cùm Manassem fugeret, in arborem quandam se abdidisse seu inclusisse, & hanc Manassem serrâ dissecandam curasse. Judicent eruditi. Nam si erat certum & usitatum genus supplicii, non videtur verum esse. Unus Jeremias memoratur lapidatus fuisse, & Jesaias serrâ dissectus; quomodo igitur dicit *lapidati, secti*? Fortè plures eo genere mortis perierunt. Aut est locutio ut, *Mortui sunt qui quærebant animam tuam*, de Pharaone; &, *animam pueri*, de Herode in Euangelio. Origenes Epistolâ ad Julium Africanum, *Ebræi quæ potuerunt omnia expunxerunt ex S. Scriptura quæ proferrent aut Seniorum aut Principum aut Judicum crimina, nè manibus vulgi tererentur, & apud plebem haberentur despicatui. Quorum quædam servantur in Apocryphis; ut illud de Jesaia, qui serrâ fuit dissectus. Unde illud Pauli,* LAPIDATI SUNT, SECTI SUNT, *more apud Ebræos & Græcos observato, qui pluralem usurpant de uno singulari.* ¶ *In melotis*] Μηλωτὴ *ovina pellis* propriè. Latiùs accipitur pro qualibet *pelle*. Lex. V. Μηλωτὴ, *pellis*. Appellatio à μῆλον *ovis*. MELOTE *ovina, ut* LEONTE *leonina*, ALOPECE *vulpina*, ubi *pellis* subintelligitur. Syrus, *induti pellibus ovillis*, si modò אמרא *ovis* & non *agnus*. Apud Suidam μηλωτὴ est *zona pellicea*, ζώνη ἐκ δέρματος. Hos. 2. 5. in Thargum, h. e. in editione Chaldaica Jonathæ, עמרא *lana*. In Aruch, h. e. in Lexico Thalmudico, מילת & מילתא *lana pura*: quod citatum ibi ex Gemara. R. David rad. מרד ex monumentis τῶν διδασκάλων, *stravit illis lectum ex lana* (vel *melata*) *alba* מילת לבנה מצע. Capite Chol Jad in Niddah, *Domus Sammai dicunt*, Probant lectos eorum melata. *Id significationem habet lana pura, quam subigunt in melatam laneam & lineam.* In principio Gemaræ, *Induam eum lanâ pretiosâ* מילתא יקרא. Est & מילת *tenerum quod in auricula inferiore*. Mercerus Gen. 37. 3. מילת interpretatur dicens esse *tenuissimam lanam agninam*, ubi R. S. כלי מילת. *Sericum* vertunt Gen. 49. 11. in ed. Complutensi, sed male.

SCALIGER.

4. ΛΑλεῖται] *Prædicatur, in ore omnium est.* Nam vetus translatio ineptè, *loquitur*.

19. Ἐν παραβολῇ] *In imagine* quadam resurrectionis: quia qui immolationi addictus erat, & postea liberatus, videtur tanquam resurrexisse. Hæc est Calvini expositio longè omnium optima.

21. Προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου] Secutus est autor hujus epistolæ LXX. interpretum editionem. Vertendum erat ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ κραββάτου, *in capite grabbati*. *Grabbatum* & *virga* Hebraicè iisdem literis, sed diversis apicibus vocantur. מִטָּה *lectus*, מַטֶּה ῥάβδος.

CASAUBONUS.

1. ΥΠόστασις] Ὑπόστασις dubio procul hìc accipitur ut cùm apud Philosophos dicuntur τὰ πρός τι habere ὑπόστασιν, h. e. esse revera, non autem τῆς ἡμετέρας διανοίας ἀναπλάσματα. Ὑφίσταται pro ἔχει τὸ εἶναι usurpant Philosophi. ut Ammonius cùm dicit χρόνον οὐχ ὅλον ἅμα ὑφίστασθαι, sed κατὰ μόνον τὸ νῦν. ἐν γὰρ τῷ γίνεσθαι καὶ φθείρεσθαι εὐθὺς, τὸ εἶναι ἔχει.

5. Διότι μετέθηκεν] LXX. habent μετατέθεικεν. ¶ Εὐηρεστηκέναι] Sequitur in hac voce LXX. qui pro eo quod Hebraica veritas habet *ambulavit coram Domino*, ipsi vertunt εὐηρέστησεν, ut & alibi passim.

6. Προσερχόμενον] Videtur ad phrasin Hebraicam alludere quâ est expressum τὸ εὐαρεστεῖν.

13. Παρεπίδημοι] Utitur Athenæus pag. 98.

CAMERON.

1. ΕΛπιζομένων ὑπόστασις] Chrysostomus, aliique post eum, ὑπόστασιν hìc οὐσίαν *substantiam* interpretatur. Sed eo potiùs sensus accipienda est in N. T. hæc vox, quo in Veteri apud Lxx. Atqui illi תוחלת, h. e. *exspectationem*, interpretantur per hanc vocem ὑπόστασιν. Psal. 39. 7. Quia & Apostolus ipse sic eam vocem accepit supra 3. 14. Atque isthîc vide quæ de hac voce jam annotavimus.

39. Οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν] Non potest hoc trahi ad commentum Limbi Patrum, quod volunt Pontificii: nam dicuntur *non reportasse* in hac vita *promissionem*, uti liquet ex v. 13. *mortui sunt non adepti promissiones*, h. e. *mortui sunt priusquam adipiscerentur promissionem*. Ergò agitur de promissione implenda in hac vita. At illa promissio implenda in hac vita non potest esse alia quàm exhibitio Christi, & plena revelatio mysterii Redemptionis nostræ: nam non puto quempiam negaturum impetrasse eos remissionem peccatorum & Spiritum sanctum pro modulo œconomiæ quæ tum vigebat. Deinde, eodem loco scriptum est, *ut nè sine nobis perficerentur*. At hæc perfectio fuit sita in exhibitione promissionis: nam eò non fuerunt perfecti quòd non erant consecuti promissionem. Nos ergò præ illis perfecti sumus eò quòd adepti sumus promissionem. Promissio autem erat rei præstandæ in hac vita. Ergò discrimen nostræ perfectionis & Patrum situm est in eo quod in hac vita exhibetur: Non ergò hìc agitur de statu animæ post hanc vitam.

40. Ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι] Nihil aliud vult Apostolus his verbis quàm *ut nè perficerentur fideles priusquam ad nostra tempora deventum esset*. Consilium enim Dei fuit ut nè statim perficeretur Ecclesia, sed certo quodam tempore. Et profectò nè Angelis quidem beatis notum fuit mysterium Redemptionis nostræ ante Christum exhibitum (atque haud magis spiritibus Patrum) tam clarè quàm Christo exhibito & revelato. Itaque tota ista τελείωσις sita est in cognitione, quæ multò illustrior est re exhibitâ & revelatâ quàm dum exhibenda & revelanda est, ut sunt vaticinia & omnes Dei prædictiones multò obscuriores ante quàm post earum complementum. Non facit ergò iste locus ut nè populus utriusque Ecclesiæ, Judaicæ & Christianæ, fuerit in discipulis Christi, sed tantùm facit ut qui vixerunt discipuli temporibus revelati Euangelii præ illis qui sub Lege & ante Legem vixerunt perfecti fuerint. Atque hìc observandum est, particulâ istâ ἵνα μὴ *ut nè* non notari Finem sed Eventum rei: nam particulæ illæ *ut nè* in Scriptura eodem redeunt quò Latinæ particulæ *adeò ut*, *adeò ut non*, i. e. notant id quod evenit sæpe, non notant consilium & finem, ut sit sensus, *Isti omnes non acceperunt promissiones. Nam hoc Deus voluit esse privilegium nobis peculiare qui vocati sumus per Euangelium, adeò ut illi quantumvis pii, tamen non adepti sint perfectionem, nempe in hac vita, quemadmodum nos; perfectionem, inquam, quæ sita est in revelatione Euangelii, quæ est omnis revelationis complementum.* Nec opus est tantopere urgere verba illa, *nè perficerentur sine nobis*, quasi videretur Apostolus innuere eos tandem nobiscum esse perfectos qui antea non fuerant perfecti: constabit enim illis suus sensus etiamsi eousque non urgeantur. Nam si priùs perfecti fuissent illi quàm nos, *perfecti fuissent sine nobis*: non enim viximus eorum temporibus. Sed & concedi posset, eos fuisse perfectos nobiscum, h. e. adeptos tandem majorem illius mysterii cognitionem. Etsi enim paradoxum id nonnullis videatur, verum tamen est, mysterium Redemptionis nostræ nè Angelis quidem ante exhibitum Christum fuisse perinde notum atque jam Ecclesiæ notum est; Ergò ne beatis spiritibus piorum receptis cœlo. Itaque siquis quærat an novâ gloriâ locupletati sint Christo exhibitio, possumus id affirmare citra ullam nimiæ curiositatis suspicionem, cùm certum sit mysterium illud iis redditum fuisse multò notius: Porrò quò Deus notior est eò amatur vehementiùs: Quò autem Christus notior est, eò Deus est notior; est enim Christus Dei imago.

JAC. CAPPELLUS.

1. ESt autem fides] Ex eorum, inquiebat Apostolus, numero sumus qui fide tendunt & perducuntur ad salutem. Qualisnam autem est illa Fides? Hoc illud est quod jam demonstraturus est Apostolus tum Fidei descriptione, v. 1. tum exemplis v. 4. Definit igitur hìc Fidem Antonomasticè dictam, sive Justificantem & Salvificam. Credis Deo narranti, (unde consurgit fides Historica) vel promittenti; promittenti, inquam, vel speciale quidpiam & extraordinarium (unde consurgit ea fides quæ Miraculorum aut Prophetiæ dicitur) vel promittenti tibi te servatum iri per Christum; & hæc est fides propriâ quidem *electis*,

 Tit. 1. 1.

Tit. 1. 1. sed & *communis* omnibus electis, Tit. 1. 4. adultis videlicet. Ea verò reliquas ambitu suo complectitur, quoties qui tibi salutem æternam promittit Deus, idem etiam aliquid speciale tibi promittit aut revelat. Quidquid enim dicat Deus, id ut verissimum & sanctissimum amplectitur vera fides. ¶ *Fiducia sistens*] Ὑπόστασις. Ea vox apud exoticos scriptores & apud Græcos Instrumenti V. Interpretes admodum varia significat; apud Paulum duo. Primò significat *Personam subsistentem*, *eamque Divinam*, vel illius *Personæ subsistentiam*, Heb. 1. 3. Secundò significat *habitum* vel *actum fiducialem*. Quo sensu consideranda 1. præpositio, 2. nomen. Præpositio sumitur hîc eodem sensu quo sumitur in vocibus ὑπομένειν, ὑπομονή. Designat enim utrobique *submissionem cum exspectatione conjunctam*. Nomen στάσις considerandum ut habens significationem *standi*, vel *statuminandi*, vel denique *sistendi*. Priorem tantùm significationem respexisse videntur Interpretes LXX-virales cùm ὑπόστασιν usurpant pro תוחלתי, Psal. 39. 7. vel pro תקוה, Ruth. 1. 12. Ezek. 19. 5. Ità ὑπόστασις erit *fiducia velut in statione manens ac rem promissam exspectans cum animi submissione*. Sed & *statuminandi* vim respicit Apostolus, cùm fiduciam nostram vocat, ὑπόστασιν, 2. Cor. 9. 4. & 11. 17. Heb. 3. 14. quia firmat animum Fides adversùs insultus Satanæ, Carnis & Mundi. Hic verò *sistendi* quoque vim respicit, habetque vim quam vix ulla lingua potest assequi; ut vel hinc colligas hanc Epistolam Græcè scriptam. Chrysostomus in hunc locum, Ἡ ἀνάστασις οὐ παραγέγονεν οὐδέ ἐστιν ἐν ὑποστάσει, ἀλλ' ἡ ἐλπὶς ὑφίστησιν αὐτὴν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ψυχῇ, *Resurrectio nondum exsistit in se, sed spes eam sistit*, ac veluti sub manum ponit, *in anima nostra*. Ut igitur ὑφίστημι significat aliquando *sisto*, sic ὑπόστασις significare potest *actum habitumve fiducialem*, *habentem vim non tantùm statuminandi sperantem*, *sed & sistendi rem speratam*, καὶ παραῖναι τρόπον τινὰ παρασκευάζουσαν, ut in hunc locum loquitur Oecumenius. Sic quoque παραφράζουσι Syrus & Arabs Interpretes. Cùm autem Fides feratur in futura, in præsentia, in præterita, de tribus his ordine agit Apostolus. ¶ *Ea quæ sperantur*] Patres sperabant Adventum Messiæ & ingens aliquod Incrementum Ecclesiæ. Hoc quia videmus, sperare desinimus. Supersunt nobis tamen speranda multa, Sanctificationis nostræ complementum, Æternæ vitæ beata fruitio, Judicium ultimum, Resurrectio carnis, Glorificatio tam corporis quàm animæ. Hæc autem sistit Fides ac veluti sub manum ponit, non ut ea desinamus expetere, sed ut tantò acriùs expetamus, ut à diffidentia liberati circumstantia pericula fortiùs subeamus, & ingruentes calamitates patientiùs toleremus spe bonorum promissorum, quorum præstantiam & certitudinem nobis ob oculos ponit Fides. ¶ *Et demonstratio*] Ἔλεγχος propriè quidem *convictionem* significat; sed quia solida demum est ea convictio quæ fit per demonstrationem, hinc est quòd etiam *demonstrationem* significat ἔλεγχος. Aristoteles Rhetoricorum ad Alexandrum cap. 14. Ἔλεγχος δέ ἐστιν ὃ μὴ δυνατὸς ἄλλως ἔχειν, ἀλλ' οὕτως ὡς ἡμεῖς λέγομεν. Omnis autem persuasio, maximè verò quæ fit per convictionem, præsupponit 1. intellectum capientem, saltem utcunque, propositiones quibus credit, 2. assensum. Itaque non dicit Apostolus *Fidem esse demonstrationem eorum quæ non intelliguntur*, sed *eorum quæ non videntur*. Est, inquam, *fiducia nobis persuadens*, *idque cum convictione quadam*, *etiam ea veraciter adesse*, *reapse subsistere*, *quæ tamen à nobis non videntur*. Id autem potest quidem etiam ad futura referri: nam certè quæ nondum contigerunt, ea non possunt à nobis videri. Sed quia jam de futuris egit Apostolus, hic potiùs respicit beneficia Dei non futura quidem illa, sed invisibilia; qualia sunt Electio nostra, Justificatio nostra sive Reconciliatio cum Deo, Dei Dilectio erga nos. Hæc quia videri non possunt, nè credi quidem possunt à reprobis, quin & subindè revocantur à nobis in dubium: sed diffidentiam illam Fides falsi convincit, & docet hæc esse tam certa quàm quod nobis est certissimum. Et fides quidem quam hominibus adhibemus tale quidpiam præstat: Licet enim rem promissam non statim exhibeant, quia tamen à nobis fide digni censentur, ideo rem ab illis promissam & die dictâ præstandam habemus pro jam præstita. Quantò magis id præstare debet verbum Dei, qui Veritas est ipsa? Bonitas ipsa? cujus virtuti pervia sunt omnia? Restitat quidem hîc Caro, omnia tuta timet: nihil illi minùs est ἀξιόπιστον quàm quod est αὐτόπιστον. Sed ut contumaciam & præfidentiam sic & diffidentiam carnis nostræ subigit Dei Spiritus, & fidei nostræ vim illam præstat quæ conspicua nobis reddat ea quæ naturâ suâ sunt invisibilia, & præsentia faciat ea quæ post multa demum secula sunt eventura. Quid in nobis præstet Fides discamus ab effectis quæ produxit in Patribus. Nondum natus erat Christus, & tamen jam *diem Christi videbat Abraham*, *& gestiebat*, Joh. 8. 56. Jam *eundem* quem nos *cibum manducabant*, *eundem potum bibebant*, 1 Cor. 10. 3. Sic nos nondum in cœlo sumus, & tamen dicimur jam *à mortuis excitati*, *in cœlis unà cum Christo collocati*, Ephes. 2. 5, 6. Jam *cupit* Apostolus *dissolvi & esse cum Christo*, Phil. 1. 23. nec ille modò, sed & omnes electi, pii, in quorum persona loquitur Apostolus 2 Cor. 5. 4. Hinc est quòd insultant Morti, 1 Cor. 15. 55. toti mundo, Rom. 8. 37. idque cum gloriatione quadam, 1 Cor. 15. 31. Phil. 1. 26. & 2. 16. & 3. 3. Heb. 3. 6. Jac. 1. 9. Rom. 5. 2, 11. Est autem convictio duplex: Prior convincit quales simus erga Deum, altera qualis Deus sit erga nos. Utraque duûm est generum: vel enim hanc conjunctionem peragit sola conscientia, vel eam peragit conscientia fide subnixa. Prior convictio parit terrorem, desperationem, odium; posterior, fiduciam, spem, amorem.

2. *Per eam enim* fiduciam *testimonium* fidei *consecuti sunt majores*] i.e. Patres nostri, non tantùm secundùm carnem sed & secundùm spiritum, q. d. Quorum fidem Scriptura laudat, tribuit illis ὑπόστασιν τῶν ἐλπιζομένων, ἔλεγχον τῶν οὐ βλεπομένων. Pertinet igitur hæc ὑπόστασις, hic ἔλεγχος ad fidei constitutionem.

3. *Per fidem*] Hactenus futura & præsentia, nunc etiam præterita docet Apostolus objectum esse fidei, nempe quia credit Deo non tantùm promittenti, sed & narranti. Dixerit aliquis, Quid hæc ad veram fidem? an non multi credunt narranti Deo mundum ex nihilo creatum, &c. qui tamen veram fidem non habent? Multi sanè; sed nemo veram fidem habet qui non etiam hanc habent. Sic multa prædita sunt animâ vegetativâ quæ sensitivâ carent; sed nihil pollet animâ sensitivâ quod non etiam vegetativâ præditum sit. Deinde, quemadmodum sensus, etiamsi non vegetiores, nobiliores tamen sunt in Homine quàm in Bruto, sic fides historica nobilior est in Dei quàm in mundi filiis. Filius enim mundi cum credit mundum ex nihilo creatum, non ultrà progreditur: Dei filius non hic subsistit: Considerat enim hæc ut à suo Patre creata bono suo, eoque concipit novas in dies flammas filialis erga Deum dilectionis. Sed & hoc ipsum melius credit quàm Philosophus, licèt rationes quibus id confirmare possit minus videat quàm Philosophus nomine potius quàm re verâ Christianus. ¶ *Intelligimus*] An non, inquies, per rectam rationem intelligimus æternum non esse mundum, sed à Deo creatum? Intelligimus sanè, sed per rationem à fidei instrumentis illuminatam, i. e. à verbo Dei. Alioqui Philosophi quantumvis perspicaces id non modò non assequebantur, sed pernegabant. Fides autem afficit quidem intellectum, at non solum, sed & voluntatem, quia non tantùm μετ' εὐδοκίας assentitur, sed etiam cum spe fiduciâque bono nostro cessura quæ sentimus esse vera. ¶ *Secula*] Αἰῶνας. עולם in Scriptura passim *seculum* significat. Vix unus aut alter exitat locus, Eccl. 3. 11. Esa. 64. 5. ubi fortasse sumi possit pro *mundo*. Sed apud Talmudistas passim Deus dicitur רבון של עולם, *Dominus mundi*. Ità, si non in Scriptura, saltem apud Rabbinos jam pridem vox hæc duo significat, 1. *mundum*, 2. *durationem rerum quæ sunt in mundo*. Neutrum autem est æternum, nec à semetipso, sed à Deo. Sic suprà 1. 2. dixit Apostolus *à Filio Dei facta secula*, i. e. seculum tum quà sumitur pro *mundo*, tum quà sumitur pro *tempore*. Intelligimus igitur, idque fide, totum hoc Universum à Deo creatum, 1. nullis molitionibus aut machinis adhibitis, sed solo verbo, 2. ordine convenientissimo, 3. ex nihilo. ¶ *Verbo Dei*] i. e. Nullis instrumentis adhibitis, quin & sine labore, solâ voluntatis declaratione: quod & Mosis testatur historia; *Dixit Deus*, *Fiat lux*: *& fuit lux*. *Dixit*, i. e. decrevit, voluit, testatus est se velle. ¶ *Aptata fuisse*] Κατηρτίσθαι, i. e. ordine convenienti coagmentata, sive spectes ordinem creationis, quem ex solo Mose discimus, sive spectes eum ordinem qui sese videndum præbet: quem subindè carnalis ratio nostra culparet, nisi Carnem ipsam damnaret & compesceret Fides, imprimis cùm eam contemplamur ἀταξίαν quam peccatum invexit in mundum. ¶ *Adeò ut facta sint*] Εἰς τὸ γεγονέναι, i.e. ὥστε γεγονέναι. ¶ *Ea quæ videntur ex his quæ non videntur*] Τὰ βλεπόμενα μὴ ἐκ φαινομένων. Anastrophe pro ἐκ μὴ, h. e. ut rectè interpretatur Chrysostomus, τὰ ὄντα ἐξ οὐκ ὄντων. Τὰ ὄντα virtutis ac essentiæ finitæ dicuntur βλεπόμενα φαινόμενα, quo modo dicuntur Hebræis נמצאים, εὑρισκόμενα, ut monuimus Heb. 9. 12. Quidquid enim est, modò sit finitum, id ab aliquo videri potest & inveniri: quod autem omnino non est, nè visibile quidem est. Ratio quidem capere non potest quo modo quidquam ex nihilo fieri possit, quòd id sit supra captum ipsius naturæ, licet id non sit supra virtutem agentis infiniti. Igitur omnia quæ sunt, præter ipsum factorem, ἐξ οὐκ ὄντων à Deo facta Fides à Deo didicit, & Divinitus edocta facit ut etiam nostra ratio videat id non esse contra rationem, sed rectæ rationi consentaneum.

4. *Abel*]

4. *Abel*] Hactenus Fidei descriptio. Sequuntur Exempla, proposita 1. sigillatim, v. 4. 2. dein acervatim, v. 32. In iis quæ sigillatim, proponit Apostolus temporis seriem sequitur, à primordiis rerum ad annos circiter MMDL. A primordiis, inquam, rerum, quia laus Abelis redundat etiam in ipsius parentes Adamum & Evam, à quibus pietatem est edoctus, prout parentes edocti fuerant à Deo. Nec enim assentiri possumus Chrysostomo dicenti, Παρ' ἑαυτοῦ τὸ ἀγαθὸν ἐξεῦρεν, *A semetipso bonum hoc invenit Abel.* Imò Divinitus institutus tum Abel, tum ipsius parentes: *Omnis enim bona donatio descendit à Patre luminum*, Jac. 1. Nec primos parentes nostros deseruit Deus, nec ἀμάρτυρον se reliquit, ut patet ex Gen. 3. 16. ¶ *Fide obtulit*] Quomodo *fide*; cùm fidei norma debeat esse Dei verbum, idque scriptum? Nunc quidem ità se res habet ex quo per Mosem consignari voluit Deus verbum suum, imprimis ex quo per Apostolos verbi sui sive revelationum suarum conscriptioni coronidem imposuit. Quorsum enim conscribendum curavit verbum suum nisi ut id nobis esset non dimidiata sed integra norma tum fidei tum morum, nè quis posset humana commenta pro Dei verbo nobis obtrudere? Ante conscriptionem autem verbi sui habebat alias rationes Deus quibus revelationes suas ab hominum commentis distingueret, ac filiorum suorum saluti consuleret. ¶ *Deo*] Et quidem soli Deo. Oblationes enim hujusmodi non sunt politicum quid, ut eleemosynæ quæ pauperibus, & tributa quæ Principibus offeruntur; sed erant pars cultûs religiosi, qui Deo soli debetur, sive sit externus, sive sit internus. Imprimis Thus erat oblationum istarum, cultûs hujus religiosi pars non minima; cùm tamen Pontificii cum sexcentis aliis modis tum etiam thure creaturas innumeras cultu religioso mactent. ¶ *Sacrificium*] Et quidem propriè dictum. Nam Kain offerebat tantum de fructibus terræ, Abel autem מבכרות צאנו ומחלבהן *de primogenitis ovium suarum & de adipibus earum*; hoc est, ovis cujusque vel gregis sui primogenitum offerebat, reliquarum verò, quas videlicet ipse cum suis erat manducaturus, pinguissimas quasque partes. Unde probabiliter colligi potest etiam ante Diluvium permissum Homini fuisse carnis usum. Idem etiam colligi potest ex distinctione mundorum animalium ab immundis, quæ jam tum obtinebat, & quidem ex instituto Dei. ¶ *Majoris pretii*] Vulgata versio, *plurimam hostiam*: quod certè durum est. Græcè πλείονα, quod Hebraismum sapit. Nam Hebræis רב, cùm propriè significet πολὺ *multum*, tamen significat etiam *magnum*, *pretiosum*, *præstans*. Fecit autem Abelis fides, 1. ut optima quæque sui pecoris offerret Deo, ut qui sincerâ mente Deum coleret & ex animo: Kain autem vilissima quæque, ut qui perfunctoriè tantum & ἀφοσιώσεως ἕνεκα sacris operaretur. 2. Etiamsi materiæ respectu majoris pretii fuissent oblationes Kainis quàm Abelis, tamen hoc ipso quod Abel fide suas victimas offerebat, Kain autem fide vacuus erat, Kainis quidem oblationes erant apud Deum nullius planè pretii, quin potiùs abominandæ, (quid enim Deo detestabilius est hypocrisi?) Abelis autem oblationes erant Deo gratissimæ. Spectat enim Deus non muneris pretium sed mentem offerentis. ¶ *Quàm Kain*] Παρὰ Κάϊν. ¶ Hoc sensu præpositionem hanc usurpat Apostolus Heb. 9. 23. & 12. 24 ¶ *Per quam testimonium obtinuit quod esset justus*] Testimonium quidem hoc disertè perhibetur Matth. 23 35. Sed & Gen 4. 4. testimonium hoc illi perhibetur, licèt non ità diserte. Cùm autem Hebræis scribat, apud quos major erat auctoritas Mosis quàm Christi, respicit potiùs Apostolus hìc Mosis quàm Christi testimonium: quod & sequentia demonstrant, cùm ait, ¶ *Testimonium perhibente Deo donis illius*] Videlicet cum Gen. 4: 4 dicit Moses, *Et respexit Dominus Abelem & oblationem ejus.* Docet enim Abelem acceptum fuisse Deo. Quos autem acceptos habet Deus, eos etiam pro justis habet, sive tales sint in se, sive tales sint in Sponsore suo, nempe Christo, qualis erat Abel. Hinc est quod dicitur *testimonium* illud *consecutus fide*, i. e. non ex operum merito, sed ex fœdere gratiæ, quod fides amplectitur. ¶ *Et mortuus adhuc per eam* fidem *loquitur*] Clemens Strom. lib. 2. & Chrysostomus legunt λαλεῖ. Nempe sciebant τὸ λαλεῖται sumi posse pro λαλεῖ, quo modo sumpsit Syrus, Arabs, & V. Interpres. Rem ipsam quod attinet, omne magnum exemplum censetur esse veluti continuum & vocale documentum. Ut apud Virgilium Æneid. 6.

> ——— *Phlegyasque miserrimus omnes*
> *Admonet, & magnâ testatur voce per umbras,*
> *Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.*

Videlicet ex Virgilii mente clamat id Phlegyæ pœna, utpote insignis. Est autem Abelis exemplum illustre vel hoc maximè nomine quòd primum est. *Loquitur* autem Abelis, 1. patientia, 2. felicitas post mortem, 3. vindicta, sive pœna quam Kaini inflixit Deus ob Abelis necem. *Loquitur*, inquam, 1. pretiosam esse mortem fidelium coram Deo; 2. quid exspectare debeant à Dei justitia piorum oppressores; 3. quid exspectare debeant à Dei misericordia fideles in suis calamitatibus; 4. quales esse debeamus in agonibus hujusmodi. Certè tum *post mortem locutus est Abel* cùm sanguis ejus vindictam postulavit, Gen. 4. 10.

5. *Enoch fide translatus est*] q. d. Quòd Enoch translatus est, id obtinuit fide. Syrus vertit *immutatus est*. Arabs, *translatus est in paradisum*, in eum videlicet in quem se quoque *raptum* ait Apostolus 2 Cor. 12. 1, 2, 3. Quem Judæi nè sibi quidem ignotum esse docent cùm ajunt, נוחו עדן, *Requies ejus Eden.* ¶ *Ne videret mortem*] i. e. Nè moreretur. Sic Psal. 16. 10. *Non patieris Sanctum tuum* Christum *videre corruptionem*, i. e. corrumpi. Contrà *videre bonum* est Frui bono, Psal. 34. 12. *Videre* videlicet apud Hebræos refertur etiam ad ea quæ quovis externo vel interno sensû vel etiam experientiâ percipiuntur, ut *videre* sit idem aliquando quod *experiri*. Quòd si *translatus est Enoch ne moreretur*, perperàm dicunt Pontificii, sub Antichristo (quem sibi fingunt, qualem volunt, & qualis nunquam erit, ut & Judæi Christum) remissum iri in terras Enochum ut moriatur. Hoc certè figmentum ἀντιφατικῶς adversatur assertioni Pauli. Paulò speciosiùs fabulantur, sed fabulantur tamen, *Eliam venturum antequam ultimus, isque tremendus, Christi dies adveniat*: quasi voluerit id Malachias cap. 4. 5. Sed quantumvis terribilis futurus sit secundus adventus Christi, terribilior sanè primo, tamen etiam primus fuit נורא *reverendus* piis, & *tremendus* impiis, ut cujus contemptum secuta fuerit pœna perquam tremenda, totius videlicet Judææ vastatio multò quàm unquam terribilior, & totius gentis Judaicæ repudium, quod hodieque durat. Eum autem quem Malachias *Eliam* vocat, & Christi *prodromum* nuncupat, esse Johannem Baptistam, patet ex Lucæ 1. 17. Matth. 11. 14 & 17. 11, 12. ¶ *Et non fuit inventus*] Heb. ואיננו, *& non exstitit*, in terris sc. Quâ phrasi Spiritus S. utitur quidem ad traducendam impiorum vanitatem, qui cùm auctoritatis & potentiæ perpetuitatem sibi suisque spondeant in terris, momento sic concidunt ut ea de quibus gloriabantur & quibus nitebantur derepente nulla sint. Sed & se dicit David Psal. 39. ult. *Patere me respirare, priusquam exspirem*, ואינני *& nullus sim*, in terris videlicet. Improbum est igitur Judæorum commentum qui phraseos hujus obtentu traducunt Enochum ut improbum. ¶ *Quia transtulerat eum Deus*] Nempe quò transferebat ac hodieque transfert piorum omnium animas. ¶ *Priusquam enim transferretur testimonium obtinuerat quod placuisset Deo*] Respicit id quod dicitur Gen. 5. 22, 24. *Et ambulavit Enoch coram Domino.* Quod & de Noa dicitur Gen. 6 9. Quibus locis Chaldæus P. vertit, *& ambulavit in timore Domini.* Quin & Gen. 17. 1. Deus Abrahamo dicit, *Ambula coram me, & esto integer.* Et ipse Gen. 24 40. profitetur *ambulasse se coram Deo.* Quibus duobus locis Chaldæus P. vertit פלח *colere*. LXX. constanter vertunt εὐαρεστεῖν. Duo videlicet hâc voce designari viderunt, 1. studium placendi Deo, 2. conatui votoque respondentem eventum. Targum Hierosolymitanum verba Mosis Gen. 5. 24. sic explicat, *Et coluit Enoch Deum sincere: & non exstitit* amplius in terris, *quia subtractus est à verbo* quod procedit *à conspectu Domini.*

6. *Est autem impossibile sine fide* Deo *placere*] Vox *Deo*, cum in Græco manifestè subintelligatur, ab Arabe, à Syro, à Vulgata versione meritò exprimitur. Quippe sic argumentatur Apostolus, *Quisquis Deo placet, fide præditus est: Enoch Deo placuit; Ergo fide præditus fuit.* Hoc autem εὐαρεστεῖν designat amorem Dei consequentem, quo priora sua dona vel hoc nomine quod sua sunt probat, & majoribus cumulat ac coronat; non autem amorem antecedentem, quo nos quantumvis indignos dignatur eligere quibus gratiam faciat & fidem det, ut nos à gratia perducat ad gloriam. Hic enim amor antecedens omnes spirituales Dei benedictiones non invenit sed facit nos placentes Deo: nihil, inquam, in nobis invenit quod Deo placeat, sed iis nos dotibus instruit quæ deinceps illi placeant, Ephes. 1. 3, 4. ¶ *Accedentem enim ad Deum*] i. e. Eum qui habet aditum ad Dei gratiam. Id vero non haberi nisi fide docetur Rom. 5. 2. Hunc aditum habuit Enoch, & quidem ratione planè singulari. ¶ *Oportet credidisse*] Πιστεῦσαι. Qui simpliciter accedit, hunc oportet credere; qui verò sic accedit ut admittatur, hunc oportet credidisse. Hic autem *accedere* posteriore modo sumitur, ut sit idem quod εὐαρεστῆσαι *placere*. Cùm enim alterum alterius sit ἀποδεικτικόν, etiam ἐξηγητικὸν alterum alterius sit necesse est. ¶ Ὅ, τι ἐστὶ] *Quidnam illud sit esse Deum* alicujus: vel sine virgula, ὅτι ἐστὶ *quod sit*, nempe suus Deus. Series sermonis suadet ut suppleamus ὅτι ἐστὶν αὐτοῦ Θεός, i. e. *Qui accedit ad Deum, credere debet eum esse suum Deum.*

Deum. ¶ *Et esse remuneratorem iis qui requirunt ipsum*] Seriò videlicet & ex animo. Hæc est Paulini Syllogismi Minor. Subintelliguntur vero Major & Conclusio. Integer Syllogismus talis est, *Nemo potest credere Deum esse suum Deum, & eorum à quibus invocatur remuneratorem, nisi fide sit præditus: Nemo potest ad Deum accedere, & ita quidem ut Deo placeat, nisi credat eum esse suum Deum*, &c. *Ergo sine fide Deo placere nemo potest.* Eodèm recidit si dicas, *Quisquis credit Deum esse suum Deum*, &c. *is fide præditus est: Quisquis Deo placet is credit eum esse suum Deum*, &c. *Ergò quisquis Deo placet fide præditus est.* Indidem colligi possunt duo fidei Syllogismi practici. Primus est, *Quisquis Deum seriò requirit, experitur eum remuneratorem: Tu, O anima mea, Deum serio requiritо; Experieris eum remuneratorem amplissimum.* Alter est, *Quisquis Deum requirit, experitur eum remuneratorem beneficentissimum: Tu, Domine, scis te à me requiri & diligi.* Psal. 27. 8. Joh. 21. 15, 16, 17. *Ergò tu, Domine, meus eris Deus, clypeus meus, & merces mea magna valde*, Gen. 15. 1. Joh. 20. 28. Psal. 18. 1. & 27. 1. & passim alibi. Fides enim ἀσυλλόγιστος non est, sed docet nos hypothesim ex thesi colligere, ut 1 Tim. 1. 15. ab hypothesi rursus ad thesim assurgere, ut 2 Tim. 4. 8. Cùm ità pios argumentari vetant Pontificii, eos fide simul & rectâ ratione, quod in ipsis est, spoliant.

7. *Admonitus oraculo Noë*] Χρηματίζειν dicitur propriè quidem vel Antonomasticè de Deo; dicitur tamen etiam de iis qui nonnunquam vocantur אלהים, h. e. de Magistratu. Eò referri potest etiam illud, μοιχαλὶς χρηματίσει, Rom. 7. 3. Apud exoticos scriptores χρηματίζεσθαι est *celebrari*, ut apud Isocratem in Encomiis Busiridis Helenæ. ¶ *De iis quæ nondum videbantur*] Quæ prævidere nec oculus nec ullus ullius hominis sensus poterat, adeoque nè creatura quidem ulla, maximè cùm ante tot annos, putà CXX, prædictionem illam acceperit Noë. ¶ *Timore percussus*] Pio quidem illo (nam εὐλάβεια *timorem* & *pietatem* significat, ut monuimus Hebr. 5. 7.) sed serio tamen. Nec enim minatur Deus ut pulvillos nobis consuat, sed ut veternum excutiat. Tremit & filius indolis bonæ cùm patrem irascentem videt, etiamsi non sibi sed famulis succensentem videat. ¶ *Fide construxit Arcam*] Tantæ molis ut capere posset omnes species animantium perfectorum quæ non possunt in aquis vivere, cum cibis unius anni: quod verum esse demonstravit Buteo, licèt cubitum Noæ nihilo longiorem faciat Parisino; cum tamen maximus Hebræorum cubitus sesquicubitum Parisinum æquet. Sed & tectum Arcæ multo capacius erat quàm putarat Buteo. Et sanè præter ea quæ servata sunt in Arca, deletum affirmat Moses כל יקום הארץ, i. e. quicquid in aquis diu stare non potest, quidquid opus habet respiratione Gen. 7. 10, 21, 22, 23. ¶ *Ad servandam domum suam*] Eamque solam, constantem tantum *animabus octo*, 1 Pet. 3. 20. Omnia reliqua quæ pulmonis beneficio respirant, ut Homo, penitus exstincta sunt; ut quæ creata fuerant in usum Hominis, propter Hominis peccatum servituti molestissimæ mancipata se sentirent, Rom. 8. 20. & quæ servabantur, suam salutem secundùm Deum Homini, ut domino suo, deberent. ¶ *Per quam* Arcam, i. e. Arcæ constructionem, *condemnavit mundum*] Cùm enim Arcæ constructioni CXX. annos impenderit Noë, contestans hominibus ut resipiscerent, alioqui perituros omnes, hæc ipsa constructio fuit instar concionis continuæ damnantis hominum contumaciam & incredulitatem: unde & *præco justitiæ* vocatur 2 Pet. 2. 5. Sed nunc quoque damnat incredulos hæc Arca, quatenus erat hæc typus Ecclesiæ, extra quam non est salus. Nec Noe tantum incredulos sui seculi damnavit, sed & Ninevitæ & Regina Sabæorum hodieque damnant Judæorum adversus Christum contumaciam, Matth. 12. 41, 42. ¶ *Et ejus quæ secundum fidem est justitiæ factus est heres*] h. e. Factus est vitæ cœlestis heres per eam justitiam quæ est secundum fidem. Sic 2 Timoth. 4. 8. *corona justitiæ* dicitur vita cœlestis, quâ Deus suos emigrantes ex hac vita coronat. Ut Dei cum Homine Fœdus, sic & Justitia duplex est; justitia Legis, per quam fieret heres, si quis perfectè Dei legem impleret, Gal. 3. 21. Sed immane quantum ab hac perfectione distamus quotquot sumus Adami filii; ideoque superest una Fœderis Gratiæ justitia, per quam hereditatem cœlestem adire nobis liceat. Ea vocatur *justitia fidei* Rom. 4. 11, 13. *justitia per fidem*, Rom. 3. 22. *justitia ex fide*, Rom. 9. 30. & 10. 6. ἐπὶ τῇ πίστει, Phil. 3. 9 hic vero *secundùm fidem*, quod eodèm recidit. Sic autem nuncupatur quia Fœderis Gratiæ summa est fides in Christum.

8. *Abraham*] Nè quis putaret priscis seculis aliam fuisse quàm nunc ad salutem viam, Deus voluit etiam illo bis mille annorum intervallo, quod à Judæis *Tohu* vocatur, exstare saltem duos tresve testes illustres ex quibus liquidò constaret obedientiam fidei fuisse semper unicam ad Regnum cœlorum viam. Sequentia secula, quo notiora sunt, eo plura nobis suppeditant ad veritatis hujus confirmationem testimonia. ¶ *Vocatus*] Magnam oportet fuisse vocantis & vocationis hujus efficaciam, quæ perduxerit Abrahamum ad obedientiam tam admirabilem, tam παράδοξον. Magnam contrà cæcitatem nostram oportet esse si velimus nullam esse Dei vocationem tam efficacem quæ non possit ab homine mortali, à terræ vermiculo, superari. ¶ *Fide obedivit*] Sunt hæc individuo nexu conjuncta. Nam neque vera fides est quæ non parit obedientiam, nec *obedientiæ* nomine dignum est ullum obsequium quod non à fide prodit. Certè Satan ipse cogitur obsequi Deo, quia non potest eluctari; *obediens* tamen dici nunquam meretur, quia nullam habet in Deum fiduciam, nullum obsequendi Deo studium. ¶ *Ut exiret*] E patria fertilissima, & in qua proculdubio multum poterat, cum etiam exsul & erro coleretur ab Hettæis ut *Princeps Dei*, Gen. 23. 6. h.e. Princeps magnus. Et certè Ptolemæi quoque temporibus stabat ad Tigridis ripam urbs quæ nuncupatur à Ptolemæo *Cartara*; sed videtur esse *Kir-Thara*, h. e. *urbs Thara*. ¶ *In locum quem accepturus erat in hereditatem*] i. e. Quem adibat Abraham ut eum in hereditatem accepturus, quia fidem habebat in Dei promissionem, quamvìs oculis ejus nihil obversaretur quod huic promissioni fidem faceret, sed ei viderentur obstare quàm plurima. Cæterùm cùm ab hoc itinere Dei vocationem & Abrahami jam septuagenarii fidem inchoet Apostolus, hinc patet quàm sint inepti Judæi qui fabulantur vix quinquagenarium Abrahamum fuisse cùm jam doctorem ageret, & idola subverteret; ut eam ob causam in fornacem ardentem injectus, incolumis evaserit. ¶ *Et exivit*] Ure Chaldæorum cum patre Teracho, cum fratris filio Lotho, cum uxore Sara, totoque famulitio, Act. 7. 2, 3, 4. Gen. 11. 31. ¶ *Nesciens quonam iret*] Hoc unum illi plus satis erat quòd sciebat se Deo duce & auspice suum iter instituere, eoque non posset non faustum & felicem ejus exitum esse. Cùm Abraham *pater credentium* dicatur Rom. 4. 11. gratum nobis esse debet videre quibus nominibus fidem Abrahami commendet Scriptura.

9. *Per fidem Abraham commoratus est in terra promissa, ut aliena*] h. e. Quanquam in ea nihil possideret præter sepulcrum, idque septuaginta ferè post ingressum in Chananæam annis emptum, non desiit tamen Dei promissioni fidem adhibere, fiduciamque suam in Deo collocare. ¶ *In tabernaculis*] Vulgata versio, *in casulis*. Possunt vero transferri tentoria; casulæ non possunt, quantumvis exiles. Peregrinantibus igitur conveniunt tabernacula sive tentoria meliùs quàm casulæ. Deus scilicet voluit Patriarchas in tentoriis vitam agere, tum ut ipsi scirent se peregrinos adhuc esse, nondum possessores terræ sibi promissæ, tum ut nos quoque sciremus totam hanc vitam peregrinationis instar esse, datum hic nobis non habitandi domicilium sed commorandi diversorium. ¶ *Cum Isaaco & Jacobo*] Vixit quidem Abraham septuaginta quinque annos cum Isaaco, quindecim cum Jacobo: Sed non tam id spectat Apostolus quàm quòd scenitæ fuerunt Isaac & Jacob non minus quàm Abraham. Scenitæ quidem fuerunt etiam Arabes aliique quidam populi, quibus hæc vita laudi non fuit; nempe quia compellebat eos ad hanc vitam egestas, impatiens moræ temeritas & latrocinandi libido. Patriarchas autem, opulenti cùm essent, & bene compositæ sedatæque mentis, cum tranquillam & innoxiam vitam agerent, sola fides eos & obsequendi Deo studium continebat in tentoriis; ut & multis post seculis Rechabitas studium obsequendi Jonadabo patri, & jurisjurandi quo posteros suos obstrinxerat Jonadab reverentia. ¶ *Suis coheredibus*] Nam illis non minus quam Abrahamo promittebatur hæc possessio, eaque non minus stabilis quàm si obtigisset illis hereditario jure, eoque quàm optimo: quam ob causam *hereditas* nuncupatur. Neque vero fuit Isaac heres Abrahami, nec Jacob Isaaci: sed sumus omnes *coheredes*, *heredes*, inquam, *Dei*, *coheredes*, non tantum Abrahami, sed & ipsius *Christi*, Rom. 8. 17.

10. *Exspectabat enim civitatem quæ habet fundamenta*] Æterna videlicet, ut dicitur Esa. 58. 12. Est enim διακριτικὸν hoc epithetum. Enimvero quemadmodum Esa. 47. 1. dicitur *non esse solium filiæ Chaldæorum*, sic dicere possumus nullam civitatem terrenam habere fundamentum, ut quæ possit everti, & ab ea cives illius avelli; cum cœlestis Hierusalem à nemine labefactari possit, nec ab ea quisquam illius civis avelli. Cæterum Apostolus dixit *fundamenta* potius quam *fundamentum*, Hebræorum more, qui dicunt שתות potius quàm שת Psal. 11. 3. Esa. 19. 9. & מוסדות השמים *fundamenta cæli*, 2 Sam. 22. 8. מוסדות תבל *orbis fundamenta*, 2 Sam. 22. 16. Psal. 18. 15. מוסדי הארץ *fundamenta terræ*, Psalm. 82. 5. Prov. 8: 29. Esa. 24. 18. & 40. 21. Mich. 6. 2. יסודות ציון *fundamenta Sionis*, Thren. 4. 11. Esa. 58. 12. Quibus omnibus locis etiam Græcus Interpres dixit numero plurali θεμελίους aut θεμέλια. Adeoque

cùm

cùm Hebræi numero singulari dicunt *fundamentum*, Græcus Interpres aliquando numero plurali dicit *fundamenta*, ut Job. 22. 16. Psalm. 87. 1. & 137. 7. Esa. 28. 16. Ezek. 13. 14. ¶ *Cujus artifex & architectus est Deus*] Christus videlicet verax & verus Deus, idem est cœlestis Jerusalem fundamentum, fundator & consummator.

11. *Et ipsa Sara*] Quantumvis mulier, quantumvis initio tam incredula ut risu Dei promissionem exciperet, tamen & ipsa tandem Dei promissis fidem adhibuit. ¶ *Sterilis cùm esset*] Ut quæ multos annos, fortè plùs quàm septuaginta, convixisset Abrahamo, neque tamen unquam concepisset. Notationem hanc quidem Græci cod. non habent, sed eam Vetus habet Interpres, & Syrus & Arabs. ¶ *Fide vim accepit*] Licèt enim absolutum esset Dei super ea re decretum, licèt absolutè promissionem suam enunciaret, tamen fidem exigebat tam Saræ quàm Abrahami: neque propterea ab eorum voluntate pendebat, quia quam exigebat fidem eandem indidit ipse suo Spiritu; cujus vim, licèt nullo modo violentam, superare nemo potest. Ergone Fides hujus effecti causa fuit? Fuit aliquo modo; non quidem efficiens, non meritoria sed causa sine qua non, quia Deus exigit & efficit ut suarum promissionum complementum antecedat fides. ¶ *Ad seminis collationem*] Εἰς καταβολὴν σπέρματος, i. e. *εἰς τὸ καταβάλλειν σπέρμα εἰς μήτραν, ut posset & ipsa semen conferre.* Id & vox Græca propriè significat, & generationi planè necessarium est. Mulier enim frustrà viri semen exciperet nisi semen & ipsa conferret: conceptio fieri nulla potest, nedum generatio, nisi materiam & ipsa subministret, & quidem idoneam. Neutrum verò poterat sterilis & vetula Sara si spectes ordinem naturæ. ¶ *Et præter ætatis rationem peperit*] Quippe post Diluvium nulla legitur mulier quæ tam grandæva pepererit, nonagenaria videlicet. ¶ *Quod fidelem judicaris eum qui promiserat*] An hoc unum spectat Fides? Non quidem hoc unum, sed etiam hoc spectat. Quippe Satan instigat nos ad dubitandum modò de fide sive sinceritate, modò de potentia, modò de benevolentia Dei promittentis. Sed hæc omnia ignita Satanæ tela repellit & restinguit Fides, docens nihil esse quod Dei consilium frustrari virtutemve possit infringere; Deum esse veritatem ipsam, eoque nihil promittere nisi maximè seriò; certiores denique notas esse Divinæ dilectionis erga nos quàm ut de ea dubitare fas sit.

12. *Quapropter & ex uno eodemque jam emortuo*] Sic Rom. 4. 19. Gen. 18. 11, 12. ubi vox זקן sign. non tantùm *senem* sed & *senio confectum*. Erat autem confectus supra morem illius seculi, cùm omnes ejus majores vixissent plures annis ducentis. Sic David ante septuagesimum ætatis annum jam emortuus erat, cùm tamen omnes ejus majores vixerant plures annis centum, & hodie videamus octogenarios homines adhuc vegetos. Sed & Abrahamo, non secùs ac Aquilæ, de qua Psal. 103. 5. veluti redivivo vires ità restitutæ sunt ut non tantùm Isaacum, sed &, quadraginta circiter post Isaaci nativitatem annis, multos ex Ketura liberos genuerit. ¶ *Nati sunt* posteri *multitudine similes astris & arenæ innumerabili quæ* jacet *ad littus maris*] Sic & Gen. 15. 5. & 22. 17. & 26. 4. & 32. 12. Exod. 32. 13 Deut. 1. 10. 1 Chron. 27. 23. Sic *Joseph* dicitur *collegisse triticum instar arenæ maris* Gen. 41. 49. Sic quidam exercitus fuisse dicuntur *multitudine similes arenæ maris*. Jos. 11. 4. Judic. 7. 12. 1 Sam. 13. 5. 2 Sam. 17. 11. 1 Reg. 4. 20, 29. & passim alias: quæ sanè sunt Hyperbolica, sed proverbialia. Hyperbolas autem quasdam, imprimis παροιμιώδεις, in Scriptura reperiri patet ex Dan. 8. 5. Num. 13. 33. Deut. 1. 28. Psal. 107. 26.

13. *Omnes hi per fidem mortui sunt, non adepti promissiones*] Sic v. 39. Hic autem necesse non est ad Enochum usque recurrere, qui mortuus non est, cùm sufficiat id ad Abrahamum ejusque coheredes referre; qui quamvis nec Chananæam possederint, nec Christum oculis corporeis usurpaverint, nihilominus promissiones Divinas tam firmâ fide sunt amplexi ac si viderent jam earum integrum complementum. ¶ *Sed eminus illas conspicati, & de illis persuasi, illas eminus salutarunt*] Ut nautæ terram post longam navigationem, ut Xenophontis milites mare post longam in aliena terra peregrinationem, & quivis alius patriam post longum exsilium. Sic autem Balaam Num. 24. 17. testatur *à se conspici sed eminus*, beatum Semen Patribus promissum, nempe Christum. ¶ *Et professi sunt se hospites & advenas esse in terra*] Profitetur id non tantum Jacob Gen. 47. 9. sed & David Psal. 39. 12. & inter ipsos Ethnicos quidam, ut Cicero libro De Senectute.

14. *Nam qui hæc dicunt, docent se patriam quærere*] Eo que se nondum assecutos patriam & hereditatem sibi promissam.

15. *Si verò meminissent illius ex qua fuerant egressi*] h. e. Si verò cum *testabantur se peregrinos esse, se desiderare patriam, intellexissent illam ex qua pridem egressi fuerant*, si nullius alterius patriæ venisset illis in mentem. ¶ *Habuissent tempus ad revertendum*] Suppetebat sanè tempus ad reditum, cùm à promissione prima, vel ab Abrahami exitu è patria, ad Israelitarum exitum ex Ægypto fluxerint anni CDXXX. Gal. 3. 17. Exod. 12. 40. Nec tempus modò sed opportunitas illis suppetebat. Cum enim Abrahami filii quos ex Ketura genuit redierint in Orientem, unde profectus erat Abraham, & in eo tractu condiderint urbem de nomine matris dictam KATRA KARTA, i. e. *Civitatem Ketura*, quantò facilius id erat Isaaco, qui solus plura possidebat quàm omnes Keturæi simul? Præterea, cum Abraham ex patria procul petendam & adducendam ad Isaacum curaverit uxorem, quantò fuisset Bathueli gratius Rebeckam Isaako præsenti dare quàm eam tam procul ablegare? Videlicet Abraham & Isaak adeo non desiderabant illam patriam ut etiam illam refugerent; non quòd eam odissent, aut in ea se putarent odiosos esse, sed quia jubebantur aliam longè præstantiorem quærere, & ad eam totis viribus adspirare.

16. *Nunc autem*] Illativam vim habet hic particula *νῦν nunc*, ut passim apud Hebræos ועתה, Psal. 2. 10. q. d. Cum faterentur se peregrinos esse, neque priorem patriam, in qua propinquis amantissimis & charissimis abundabant, repeterent, hinc sequitur eos aliam in votis habuisse. ¶ *Meliorem expetunt, hoc est, cœlestem*] Patriam eam expetunt pii in qua nihil est metuendum aut fugiendum, nihil deest eorum quæ meritò optari possunt, sed suppetit abundantissimus bonorum omnium cumulus: Ea verò non est in terra, sed in cœlo, cœlum ipsum, imò Deus ipse, qui nonnunquam vocatur *cœlum*, Dan. 4. 22. Lucæ 15. 21. & 20. 4. ¶ *Propterea non pudet*] *Non verecundatur.* ¶ *Illorum vocari Deus*] q. d. Cum nullam patriam, mercedem nullam quærerent nisi Deum ipsum, Deus quoque non est dedignatus vocari *Deus illorum*, idque singulari ratione, ut qui sit ipse merces illorum, totus in illis, quemadmodum illi toti sunt in Deo. ¶ *Paraverat enim illis urbem*] Nempe semetipsum. Deus ipse civitas est illa, hereditas illa quæ fuerat illis promissa præparataque, & ab illis expetita, Gen. 15. 1, 2. Sed & Cœlum supremum nobis describitur instar domûs amplissimæ Apoc. 21. & 22.

17. *Abraham* rursus, *cùm tentaretur*] A Deo, Gen. 22. 1. h. e. probaretur. At *tentare* cùm significat Ad peccandum inducere, tum meritò dicitur Jac. 1. 13. *neminem à Deo tentari*. Hæ verò tentationes fiunt immediatè, vel mediatè. Immediatè nos tentat sola *Concupiscentia*, Jac. 1. 14. h. e. affectus noster, quia soli affectus nostri possunt immediatè voluntatem ad peccandum inducere. Satan verò, cum nos tentat, non agit quidem in voluntatem nostram, sed in affectus nostros, eos ità proritans ut voluntatem ad id perpetrandum pelliciant quod nobis est vetitum. Neutro modo Deus quenquam tentat, sed aliquando dicitur ad id quod malum est inducere; ut Davidem, 2 Sam. 24. 1. Achabum, 2 Reg. 22. 19. &c. cum homines jam nocentes, in ira sua, justo suo judicio tradit vel *propriis concupiscentiis*, Rom. 1. 24, 26. vel Satanæ. Hinc est quòd propriè loquendo *Satan* is est qui Davidem induxit ad numerandum populum, ut docetur 1 Chron. 21. 1. Utut sit, hujusmodi *tentationes* meritò deprecantur fideles, Luc. 11. 4. & cavere jubentur nè in eas incidant, Luc. 22. 40, 46. 1 Cor. 7. 2. Gal. 6. 1. Cum verò *tentare* significat Explorare, Probare, tum ut Dei proprium est probare corda, Psal. 7. 9, 10. & 17. 3. Jer. 11. 20. & 16. 10. & 20. 12. eodem modo dicitur aliquando Deus nos *tentare*, Exod. 15. 25. & 20. 20. etiam animo paterno, ut 1 Cor. 10. 13. Heb. 2. 18. & 4. 15. & 11. 37. Hinc est quòd aliquando fideles optant à Deo se *probari*, Job. 23. 10. adeoque *tentari*, Psal. 26. 2. vel *lætari* jubentur *cum tentantur*, 1 Pet. 1. 6. Jac. 1. 2. Abrahamum cùm tentavit Deus, omnino probavit illum, & quidem animo verè paterno. ¶ *Obtulit*] *Offerre* potest hic, ut passim aliàs, sumi pro *sacrificare*, quòd Abraham filium non simpliciter obtulerit, sed etiam sacrificarit, quod quidem in illo fuit. ¶ *Fide*] Mirabilem reddidit hanc Abrahami fidem & obedientiam imperatæ rei difficultas, quo modo gravem & prorsus inexcusabilem reddidit Adami culpam imperatæ rei facilitas. Nec est quòd dicas fuisse tralatitium apud Chananæos, Pœnos, aliasque gentes à Chananæis forsan ortas, ut filios immolarent. Fecit hoc in illis vesanus stupor, siquidem furor idololatricus cùm alia vitia tum etiam ἀστοργίαν & saxeam quandam ἀπάθειαν potest inducere. At pietas vitia quidem exuit, humanitatem non exuit. Gratia naturam non destruit sed perficit. David etiam filii perduellis Absalomi vitam morte suâ repræsentatam cupiebat 2 Sam. 19. 1. Abraham, cùm Isaacum obtulit, erat proculdubio sui compos, Φιλόστοργος, sed omnes ejus affectus & tentationes superabat reverentia quam Deo deberi sciebat, & fiducia quam in illo collocabat. ¶ *Is*,

inquam, qui promissiones acceperat] Nempe de seminis in immensum multiplicatione, de Chanaanitidis ad suos heredes & quidem ad Isaacum ejusque posteros transmissione, quæ totidem erant validissimæ tentationes, à quibus non minùs quàm à vehementibus τῆς σαρκὸς affectibus arietari sentiebat Abraham animum suum, succubiturus omnio omnino nisi sagittas omnes illas umbone fidei repulisset. ¶ *Offerebat*] Hoc imperfectum emollit vim perfecti proximè præcedentis. Videlicet oblationis cum sint multæ partes, plerisque jam defunctus erat Abraham, cum manum inhibuit Deus nè ulteriùs pergeret. Cæterùm cùm utrobique multi dubitationum fluctus Abrahami mentem possent percellere, tamen Spiritus S. fecit ut penitus persuaderetur Abraham utrumque mandatum à Deo sibi datum. Quidni verò possit idem Spiritus S. electorum animis eam indere persuasionem quòd sint filii Dei, & ità quidem ut hæc sit certitudo fidei erroris omnis expers, cùm id à Spiritu S. fieri testetur Scriptura Rom. 8. 16? Non si somnians vigilare se putat, ideo vigilans nescit aut dubitare tenetur an vigilet necne. ¶ *Unigenitum illum*] Erat Isaac unigenitus 1. ratione matris Saræ, 2. ratione promissionum quæ soli Isaaco destinatæ fuerant, ut indicat versus sequens.

18. *De quo dictum fuerat*] Sic vertendum τὸ πρὸς ὃν, suadet series sermonis, quo modo cap. 1. 7. vertendum monuimus πρὸς τοὺς ἀγγέλους *de Angelis*, non autem *ad Angelos*. Sic Gen. 20. 13. אמרי לי significat non *dic mihi*, sed *dic de me*. Et Exod. 14. 3. *Et dicit Pharao* לבני *de filiis Israëlis*, *Perplexi sunt*. ¶ *In Isaaco vocabitur tibi semen*] Hæc Gen. 21. 12. dicta urgentur Rom. 9. 7. ut discamus unum Isaacum destinatum fuisse promissionum heredem, eundemque typum fuisse Christi, cujus unius beneficio possumus inter Dei Patris benedictos annumerari. Id verò vel maximè commovebat animum Abrahami cùm jubebatur Isaacum offerre. Et omnino succubuisset huic tentationi nisi illius fidem inconcussam reddidisset Spiritus sanctus.

19. *Cùm illud secum perpendisset*] Λογισάμενος, idque non ad λόγῳ, non ad rationis humanæ, sed ad fidei stateram. ¶ *Deum vel à mortuis* Isaacum *excitare posse*] Credebat videlicet Abraham Immortalitatem animarum & corporum Resurrectionem. Idem sciebat, inviam Deo nullam esse viam, Dei consiliis obstaculum nullum objici posse, injustum esse non posse quod ab Opt. Max. Deo præcipiebatur, non posse cuiquam esse fraudi Deo præstitam obedientiam. ¶ *Quamobrem etiam illum* Isaacum à mortuis *similitudine* quadam *recepit*] h. e. Quòd Isaac servatus est ab imminenti morte, fuit hæc Resurrectionis quædam species, non quidem propriè sed *parabolicè*, i. e. figuratè, dictæ. Nam ut Hebræi vocem משל, sic Instrumenti Veteris Interpretes Græci vocem παραβολὴ sumunt pro quovis *tropo* vel *schemate*, sive dictionis, sive sententiæ, *quod propriam vocum*, sive singularum, sive conjunctarum, *significationem cum venustate quadam immutat*; ut hic *à mortuis excitare* pro *mortis*, ut ità dicam, *faucibus eripere*. Ut enim Abraham quodam modo jam obtulerat filium, sic Isaac quodam modo jam mortuus erat; eoque subsidium quod illi præbuit ὡς ἀπὸ μηχανῆς Deus, fuit illi resurrectionis instar. Cæterùm quod Poetæ, quoties dignus vindice nodus inciderat, è machina Deum aliquem introducebant in scenam ad oblatæ difficultatis solutionem, id erat confictum ad mimicam hujus historiæ imitationem; quomodo Satan passim est operum Dei simia, & Poetæ Divinorum oraculorum fuerunt interpolatores frequentissimi. Locus in quo gesta sunt ista fuisse dicitur in aliquo è montibus Moriæ. In iisdem montibus exstructum fuit Templum & Christus pro nobis passus est. Nempe ut Templum, sic & Isaac, in hoc maximè negotio, fuit insignis typus Christi *sese pro nobis per Spiritum æternum offerentis*, & mox reapse resurgentis. Vide Gen. 22. 2. & 2 Chron. 3. 1. Matth. 26. 61. & 27 63.

20. *Fide & Isaac* prophetans *de futuris*] Et quidem ad adventum usque Messiæ, cujus seculum vocabatur Antonomasticè *seculum venturum*. Mirum videri potest qui potuerit Isaac futura prævidere, qui nè præsentia quidem videbat. Sed alii sunt corporis, alii mentis oculi. At nè mens quidem Isaaci videbat cum Jacobone loqueretur an cum Esavo. Nempe Deus suis revelat, non omnia, sed quantum vult, & quatenus vult. ¶ *Benedixit Jacobo & Esavo*] Qui potuit Isaac Jacobi mendacio benedicere? Non mendacio benedixit, nec mendaci, quà mendax erat, & mendacii ac fraudis nonnihil in hoc negotio adhibebat, sed filio suo, sed primogenito suo, quod & satagebat. Itaque deceptus fuisset Isaac nisi deceptus fuisset. Ergone nobis licebit imitari fraudes Jacobi? Minimè vero. Nostrum enim est imitari non tantum optimos quosque, sed in optimis optima quæque. Interim dispensavit hæc pro sua providentia Deus, ut sciremus, 1. Benedictiones Divinas dari non meritis nostris, sed gratiâ Dei; 2. Nos coram Patre cœlesti benedictionem impetrare non posse nisi Primogeniti nostri veste simus induti; 3. Regnum cœlorum rapi non à tepidis sed à ferventibus. Quodnam verò discrimen erat inter benedictionem Jacobi & Esavi? Esavo promittitur tantùm robur armorum & copia bonorum ex *pinguedine terræ & rore cœli* promanantium. Jacobo promittitur insuper ea prærogativa quæ est filiorum supra servos & τῶν εὐλογητῶν supra maledictos. Ità verò typum præferebant suæ quisque posteritatis, ut etiam ipsi participes essent earum rerum quarum erant typi.

21. *Fide Jacob moriens benedixit singulis filiorum Josephi*] Paulò post benedixit etiam singulis filiis suis: Sed *benedictionem filiorum Josephi* commemorat hic Apostolus potiùs quàm benedictionem filiorum Jacobi, non modò quòd prior tempore fuerit, sed & quòd plus habeat affinitatis cum ea benedictione quâ Jacobo & Esavo benedixit Isaac. Videmus enim utrinque duo filiorum paria benedictionem paternam accipientia; videmus & utrobique secundò-genitum antepositum primogenito. Et Isaac quidem videri potest id fecisse per errorem, Jacob autem contendit id à se factum consultò, neque tamen carnali quodam affectu sed inspiratione Divinâ. ¶ *Et adoravit*] Sunt hæc verba Mosis Gen. 47. ult. spectantia non benedictionem filiorum Josephi, quæ sequenti demum capite refertur, sed mandatum Jacobi quo se vetuit in Ægypto sepeliri. Paulus videlicet hàc connexione testatum voluit utrumque profectum à fide. ¶ *Super fastigium scipionis sui*] על ראש המטה. Hieronymus vertit, *conversus ad lectuli caput*. Sic 1 Reg. 1. 47. de Davide moribundo dicitur, *Et adoravit Rex in lecto suo*. Hic videlicet vocem Hebræam מטה Hieronymus legit MITTA, quomodo Chaldæus quoque Paraphrastes, Aquila, Symmachus, Talmud in librum Esther cap. 2. fol. 16. Neque probari potest quenquam aliter hunc locum interpretatum præter Interpretem LXX-viralem, qui vocem Hebræam legit MATTE, eoque vertit ῥάβδου· qui tamen & ipse vocem eandem מטה in eodem negotio legit MITTA, & vertit κλίνην, Gen. 48. 2. & 49. 33. Inconstantiæ consimilis exempla multa videre est in hac versione LXX-virali. Hic nihilominus Græcum Interpretem sequi non dubitavit Apostolus, quia sciebat etiam illi sententiæ constare suam hoc in loco veritatem. Quippe potuit simul Jacob Deum invocaturus *ad lectuli caput converti* sive *reclinari*, quod propriè significant Hebræa Mosis verba, & *inniti summitati scipionis sui*, quod omnino vult Apostolus post Interpretem à LXX-virali Synedrio missum ad Pt. Philadelphum. Certè Stephanei, Plantiniani, aliique probæ notæ codices Græci legunt αὐτοῦ. Sed V. Interp. Latinus Novi T. cùm legisset αὐτοῦ, vertit, *& adoravit fastigium virgæ ejus*: sive non animadvertit præpositionem ἐπὶ, sive putavit eam non obstare quò minùs ità verti possit: quæ fuit etiam Chrysostomi & Oecumenii sententia. Quærunt igitur anxiè cur Jacob adoraverit fastigium virgæ Josephi; dicuntque factum id à Jacobo volente præfigurare reverentiam quam Decem Tribus exhibuerunt Josephi filiis, imprimis Ephraimo, post secessionem à Jeroboamo factam: Vel etiam adoratum à Jacobo Josephum propter dignitatem ejus Regiam, aut Regiæ quàm proximam: quàm sententiam tuetur quoque Fr. Ribera. Sed certè sunt hæc tam à Pauli quàm à Mosis verbis aliena, & à decoro. Potuit quidem adeoque debuit Jacob honorem habere Josepho cùm in loco publico suo munere fungebatur: quo modo Fabius Maximus Consul anno U. C. DXLI. censetur meritò jussisse patrem Proconsulem loco cedere, prout refertur apud Gellium lib. 2. c. 2. Sed Jacob domi suæ debuit à filiis suis honorari, non contra. Multò longiùs à vero discedunt qui volunt in Josephi sceptro nescio quam imaginem insculptam fuisse quam Jacob adoraverit. Id enim pugnat non tantùm cum lege Dei, sed & cum ὀρθοδοξούντων Abrahami posterorum praxi, qui nec ante migratam Ægyptum nec post reditum à captivitate Babylonica leguntur unquam ullum ulli statuæ vel imagini cultum exhibuisse.

22. *Joseph moriens*] Fuit is insignis Christi typus, tum quòd venditus à fratribus evasit in Principem & nutritium Ecclesiæ, tum quòd fuerit simul Princeps & Propheta. Fuit idem exemplum insigne virtutis, cui nec carcer felicitatem nec aula sanctimoniam & integritatem potest eripere. ¶ *Fide meminit egressus Israëlitarum*] Prophetico scilicet Spiritu prædixit tum oppressionem Ægyptiorum, tum Israëlitarum liberationem ab Ægyptiaca servitute. ¶ *Deque ossibus suis mandavit*] Ut videlicet asportarentur in Chananæam, quam habebat & volebat à filiis haberi pro patria. Hinc est quòd Ethnici, simiarum instar, rem, non rei rationem imitantes, sæpe hoc affectabant. Cum Euripides Atheniensis in Macedonia mortuus esset, *legati ab Atheniensibus missi petierunt ut ossa Athenas in terram illius patriam*

triam

triam permitterent transferri, sed maximo consensu Macedones in ea re deneganda perstiterunt, Gellius lib. 15. cap. 20. Longè verò altiùs oculos attollebant Patriarchæ, tum Jacob tum Joseph. Volebant enim suas exuvias in Chananæam deferri, quò testarentur suam in Deum fidem, qui sibi suisque posteris illius terræ possessionem promiserat. Rursus, cum Chananæa patribus promissa typus esset Terræ viventium quæ fidelibus omnibus promittitur, hoc mandato de suorum ossium in Chananæam translatione testabantur se credere corporum Resurrectionem, cujus beneficio corpora nostra ab Ægyptiorum sepulcralibus ergastulis liberata transferentur in beatiores sedes, quæ simul sunt & terra viventium & supercœlestia tabernacula. Cùm autem Christiani ex suis sepulcris eduxerunt ea quæ Martyrum esse putabant ossa, ut ea transferrent in Templa nuper à se condita, (quod quarto demum seculo multis jam corruptelis abundante fieri cœptum est) hæc translatio non potest se tueri Patriarcharum exemplo. Nam qui transtulerunt ossa Josephi, 1. fecerunt id jussi, & quidem à viro θεοπνεύστῳ. 2. Rationes habebant illi seculo planè peculiares. 3. Non ea transtulerunt in Templum Oratoriumve, sed in sepulcrum. 4. Non eò pertinebat ossium Josephi translatio ut ullus illis deferretur cultus religiosus, prout hodie fit à Pontificiis ossa Martyrum, si tamen Martyrum, gemmis inserentium, ut à populo cum stupore spectentur, ut illis oscula figantur, accendantur cerei, fiant suffitus, ut illis populus in genua provolutus supplicet, ut etiam certis diebus honoris religiosi causâ circumferantur: quæ certè nè quarto quidem seculo fiebant, nedum sub Apostolis & Prophetis. Sed ubi semel superstitioni januam aperuit κακοζηλία sive præpostera Patriarcharum imitatio, ea deinceps exitiosa semper Ecclesiæ Christianæ cepit incrementa.

23. *Moses natus*] Fervente persecutione. ¶ *A parentibus absconditus est fide*] Dixeris hanc fuisse στοργήν. Sed qui renes scrutatur novit & Apostolo persuasit non solam στοργὴν hanc fuisse sed & sinceram erga Deum reverentiam & fiduciam. ¶ *Tres menses*] Quòd diutiùs absconditus non est, fecit id non tam parentum infirmitas quàm emissariorum Pharaonis diligens & accurata perquisitio, ut nè, siquidem vellent, diutiùs eum possent parentes abscondere. ¶ *Quòd viderent infantem esse pulcrum*] טוב, ἀστεῖον. Quæ voces, ut & Latina vox *bonus*, tam ad animum quàm ad corpus referuntur. Imp. Caligula apud Suetonium cap. 33. *Tam bona cervix, quoties jussero, demetur.* Ovidius Metamorphos. lib. 1.

Siqua latent, meliora putat. ——

Sic Rebecca Gen. 24. 16. dicitur טובת מראה *bona aspectu*, i.e. formosa. Ἀστεῖος vicissim significat non tantùm *pulcrum*, ut hic & Act. 7. 20. sed & *bonum*. Philo tractatu QUOD OMNIS BONUS LIBER, pag. 676. *ὥστε ἐλεύθερος ἂν εἴη ὁ ἀστεῖος. Et* pag. 678. *Πλουσίων μὲν καὶ ἐνδόξων καὶ ταῖς ἡδοναῖς χρωμένων μεστὴ γῆ καὶ θάλασσα, Φρονίμων δὲ καὶ δικαίων καὶ ἀστείων ὀλίγος ἀριθμός.* ¶ *Et non timuerunt edictum Regis*] Multos quidem Ethnicos videmus animo generoso contempsisse Tyrannorum iniqua mandata, vitam innocentum etiam præsenti vitæ suæ discrimine conservasse. Sed in illis

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido,

vel quivis alius humanus affectus in liberos, in agnatos, in amicos: Hic verò fide permotos fuisse Mosis parentes vidit ὁ καρδιογνώστης Deus, & id Apostolo nostro revelavit; nec tantum Amrami sed & aliorum respectu, quorum hic fidem prædicat, non στοχαστικῶς, non solo charitatis judicio motus, sed certâ Spiritûs S. persuasione.

24. *Moses jam grandis*] Μέγας *factus*. Syrus, *factus* גברא, *vir*, annorum scilicet XL. Act. 7. 23. quæ certè jam grandis est ætas, valde virilis & rebus magnis gerendis apta. ¶ *Fide renuit dici filius filiæ Pharaonis*] Eum videlicet adoptaverat filia Pharaonis, & *filium suum* vocabat, Exod. 2. 10. Act. 7. 21. Sed hoc ipso quòd Moses Exod. 2. 11. Act. 7. 23. dicitur *egressus*, ex aula videlicet, *ut visitaret fratres suos*, testatus est pluris à se fieri quòd Israëlitarum erat frater quàm quòd censebatur esse filius filiæ Pharaonis: quod illi nunquam in mentem venisset nisi certò persuasus fuisset quantò Pharaone major esset Pater Israëlitarum. Hic præclarè Chrysostomus, *Perinde est*, inquit, *acsi dicat* Apostolus, *Nemo vestrûm relinquit regiam, eamque splendidam, neque tales thesauros, neque cum posset esse filius Regis, id contempsit, ut Moses.*

25. *Potius eligens*] Τὸ προαιρετικὸν sive *facultatem electivam* homini nec pravitas ingenita nec fides eripit. Patet enim latissimè tam bonorum quàm malorum campus. Sed pravitas nobis congenita vetat nè τῷ προαιρετικῷ bene utamur, nè quid eligamus quod sit verè bonum secundùm Deum, & ad res Dei tam eligendas quàm capessendas exsequendasve nos ineptos reddit. Contrà Fides vetat nè perituris æterna, Deum mundo postponamus. Quoties electio nostra fertur εἰς τὸ δέον & δεόντως, est id opus Fidei, sive Spiritûs regenerationis, à quo fides in nobis formatur. ¶ *Simul malis affici cum populo Dei*] Certè visitando fratres, eosque pro virili sublevando, sentiebat quantum sibi periculum arcesseret, non tantùm vexationis illius quam perpetiebantur Israëlitæ, sed & capitis. ¶ *Quàm temporariam*] Πρόσκαιρον. Sic habent omnes probæ notæ Græci codices: quod multò rectius est quàm προσκαίρως, quod habuit is codex quo Vet. Interpres usus est. ¶ *Habere fruitionem peccati*] Nempe Moses, cùm sentiret à Deo se vocari ad fratres visitandos, consolandos, adjuvandos, prout docetur Act. 7. 25. peccasset gravissimè si vocationem cœlestem & veros fratres quàm aulæ delicias deserere maluisset. Ut id videret & crederet fecit Fides, docens momentaneas esse præsentis vitæ delicias sive calamitates, æternam esse conditionem quæ nos manet post hanc vitam. Hinc est quòd flocci fecit aulæ voluptates cum cœlestibus comparatas, & pericula quæ sibi videbat à Pharaonis ministris parata si fratribus vellet esse subsidio, quoties ea comparabat cum pœnis quæ manent incredulos ac contumaces.

26. *Arbitratus*] Arbitrorum duplex est sententia: Prior est, ut ità dicam, interlocutoria; altera decisiva. Hic autem *arbitrari* non est simpliciter opinari, sed veluti singulorum opinionibus examinatis, rationibus utrinque subductis, sententiam ferre; quam Scholastici vocant *ultimum judicium intellectûs practici*. Est autem ejusmodi ut ei necessariò voluntas assentiatur: ideoque facultas hæc vocatur ἡγεμονικόν. Eò fit ut errorem Intellectûs necessariò sequatur etiam Voluntatis error. Ut autem non erres in eligendo tria requiruntur; 1. Ut absit ab intellectu cæcitas, 2. Ut absit à voluntate pravitas & ægritudo, 3. Ut seriò mentem intendas objecti propositi considerationi. Tum certè non magis poterit sana voluntas aversari bonum sedulo & evidenter ab intellectu sibi demonstratum quam intellectus cæcitatis expers falsi damnare verum in bono lumine collocatum, evidenter sibi demonstratum & diligenter à se consideratum. Doctrinam hanc, quam dictat ipsa ratio, confirmat etiam Textûs nostri series, docens rectam Mosis electionem fuisse fructum & effectum revelationis illius cœlestis quæ penitus Mosem persuasit quanto præstent cœlestia terrenis, æterna momentaneis. ¶ *Christi probrum esse divitias majores thesauris qui erant in Ægypto*] h.e. Communionem cum Christo Christique populo, quantumvis indignas contumelias perpetiente, beatiorem esse quam possessionem omnium Ægypti thesaurorum. Hinc discimus Israëlitarum & Mosis probrum fuisse *Christi probrum*, non tantùm propter similitudinem aliquam, sive prævisam, sive non prævisam, inter Mosis & Christi maletractationem, sed imprimis quod ille populus esset Christi populus, eoque Christus sibi factas reputaret contumelias omnes quibus afficiebatur ille populus. ¶ *Intuebatur enim*] Ergone licet officium facere mercedis intuitu? Omnino licet officium facienti spectare retributionem, adeoque retributionis utramque paginam: Licet nobis & pœnam timere & mercedem sperare. Sed non licet hoc solum spectare, solo retributionis in utramvis partem intuitu jussa capessere, vel vetitis abstinere. Indolis bonæ filius, etiamsi non conjiciat oculos in ea quæ vel accepit vel accepturus est à patre, patrem tamen amat & colit; scit nihilominus se, si patri sit sequens, nec operam perditurum nec oleum. ¶ *Mercedis retributionem*] Ergone vita beata redditur ut merces? Sanè dignatur Deus retributionem illam nomine *mercedis*; at non propterea redditur ut merces debita, sed ut gratuita remuneratio, quales sunt pleræque patrum erga filios in lauta domo remunerationes; imprimis autem hæreditas, quæ quo major est eò magis est gratuita, eoque minùs imputatur ut merces debita. Quanto minùs nos decet mercenariâ mente Deo servire, vel putare nostram opellam mereri sive de condigno sive de congruo mercedem illam æternam, cùm nec ulla sit inter opus nostrum & Dei retributionem proportio, & opera nostra sint & à nobis Deo debita, & nobis à Deo donata, eoque nos Deo, non Deum nobis obligent?

27. *Fide reliquit Ægyptum, non veritus iram Regis*] At Exod. 2. 14, 15. *Moses timuisse* dicitur, & *metu Pharaonis in desertum Madianitarum fugisse.* Verum id quidem. Sed nisi fides Mosis hunc timorem excussisset, poterat aliâ sed vitiosâ ratione Pharaoni satisfacere. Potest etiam id intelligi de reditu Mosis in Ægyptum eâ mente ut Ægyptum prorsus relinqueret, cùm Israëlitis omnibus ut eam relinquerent auctor esset. ¶ *Fuit enim animo forti*] Ἐκαρτέρησε, & ità quidem ut quæcunque tandem offerrent se pericula, vel incommoda, ea subire paratus esset. Id enim καρτερεῖν significat. Ἀποκαρτερεῖν autem est desperationis fortitudinem mentientis. ¶ *Quasi videret eum qui*

videri

videri non potest] Deum videlicet, eumque videns ut expiditionis suæ ducem & auspicem.

28. *Fide peregit Pascha*] Jampridem ad relinquendam Ægyptum paratus erat pius populus antequam ad Paschatis celebrationem accederet. Itaque non est quòd hic ullam ὑστέρωσιν Pauli verbis affingamus. ¶ *Et effusionem illam sanguinis*] Immolavit Agnum Paschalem populus, ejusque sanguine profuso respersit ædium suarum postes & superliminaria, quòd id à Deo jussum esset, certoque sciret suum hoc obsequium inutile sibi non futurum. ¶ *Nè* Angelus *qui perimebat*] Qui post aliquot horas peremturus erat. ¶ *Primogenita*] Tam rationis expertia quàm ratione prædita. ¶ *Tangeret ipsos*] Fides illos persuadebat se læsum non iri modò Dei mandatis ex animo parerent. *Paschatis* autem eò libentius meminit Apostolus quod sciret quanta sit inter ejus celebrationem & fidei Christianæ Sacramentum affinitas.

29. *Fide transierunt mare Rubrum*] Ut exitus ex Ægypto Paschatisque celebratio sic maris Rubri transitus fuit communis multis improbis, qui subindè murmurabant in Mosem & in Deum; sed in paucorum gratiam Deus etiam reliquos fecit beneficii sui participes: hic verò quod videtur de omnibus universè dici, de veris fidelibus est intelligendum singulariter. *Transiverunt* quidem omnes, sed non omnes *fide transiverunt*. Sic *transiverunt* etiam ἄλογα multa, sed solis ratione præditis fuit Sacramentum tum hic transitus tum potus aquæ miraculosè profluentis è rupe, 1 Cor. 10. 4. ¶ *Tanquam per terram*] Ità quidem ut nec ab aquis utrinque circumstantibus, nec à solo, quod videri poterat futurum cœnosum, algosum, uliginosum, quidquam acceperint detrimenti. ¶ *Cujus maris facto periculo Ægyptii absorpti sunt*] Cùm putarent non minùs sibi quam Israëlitis tutum fore transitum illum, cum toties experti fuissent quanto discrimine distinxisset Deus Israëlitas ab Ægyptiis, id tum quoque sunt experti, non damno tantùm sed & exitio suo, nec corporis tantùm sed & animæ. Quippe πρόσκαιρον & externum discrimen quo Deus Israëlitas ab Ægyptiis distinguebat typus erat tam æterni quam interni discriminis quod Deus posuit inter electos & reprobos.

30. *Fide conciderunt*] Verorum Israëlitarum fides impetravit conciderent. ¶ *Mœnia Jerichuntis*] Apprimè conveniebat primam cis Jordanem Chananææ civitatem non hominum sed unius Dei manu corruere, ut id Israëlitis animos daret, & hostes exterreret, hoc exemplo commonitos sibi non cum hominibus sed cum Deo rem esse. ¶ *Circumdata dies septem*] Cum tubæ clangore. Ridicula carni videri poterat hæc expugnandi ratio, quo modo pleraque quibus in populi sui gratiam utitur Deus media mundo ridicula videntur & ludibrio habentur: sed experimento testatum fecit Deus quam ipsi facile sit invicta reddere quæ per se sunt infirma, & *ea quæ sunt per ea quæ non sunt confundere*.

31. *Rahab meretrix*] Πόρνη. Hebr. זונה. quæ certè voces ut plurimùm significant *meretricem*. Πόρνη tamen fit à περνάω, περνάσκω, à quibus oritur Rabbinicum פרנס PIRNES. Quæ verba non significant *scortari* sed *alimenta subministrare*. Radix autem Hebrææ vocis זנה potest esse duplex: Potest enim ea vox à זנה deduci, quod certè *scortari* significat; potest enim à זן deduci, à quo originem habet מזון, quæ vox *alimentum* significat. Quamobrem Chaldæus hujus historiæ Paraphrastes Jos. 2. 2. vertit פונדקיתא, quæ vox est pura puta Græca. πανδοκεύς *cauponam* significat. Et certè quærebatur Rahab non ut *meretrix* sed ut *hospita*. At ut *cauponari*, καπηλεύειν, nunquam sumuntur in bonam partem; etiamsi vir probus & caupo non sint ἀσύστατα; sic quævis caupona *meretrix* audiebat: etiamsi fortè castè viveret. Non poterat uxor obstare quò minùs maritus fieret caupo; quo minùs autem meretrix ipsa fieret obstare poterat. In eo censu potuit esse Rahab, etiamsi Scriptura passim ex usu loquendi recepto vocet eam זונה, Jos. 2. 2. & πόρνην, ut hic & Jac. 2. 25. Quod si tam re quam nomine fuit meretrix, renunciavit certè non minus impudicitiæ quam idololatriæ cùm veram in Deum fidem profiteri cœpit, ut id non obstiterit quo minùs eam duceret Salmon Boozi pater, Davidis abavus, Ruth 4. ¶ *Fide non periit*] Quòd cum popularibus *non periit* id obtinuit *fide*, cujus specimen eximium edidit in oratione quam habuit exploratoribus à Josua missis, imprimis autem in charitate quam illis exhibuit. ¶ *Unà cum iis qui rebelles erant*] Ità vertendum censemus, quia cùm nulla lingua participium habeat imperfecti temporis, (Græca certè nullum habet) reliqua participia defectum illum supplent, eoque sunt intelligenda prout postulat series sermonis. Eo modo sumitur hæc ipsa vox 1 Petr. 3. 20. Dicuntur autem *rebelles* tum Chananæi, quos Josue debellavit, tum ii quibus Noe prædicavit, quòd illorum tota vita perpetua quædam esset series rebellionis, infidelitatis, impietatis, omnis denique impuritatis: ut verbum ἀπειθεῖν utrobique designet actionem non unam sed continuam ex habitu pravo proficiscentem. ¶ *Cùm exploratores* Hierichuntem à Josua missos *excepisset pacificè*] i. e. Animo benevolo beneficoque, quo servavit illos incolumes, etiam præsenti vitæ discrimine. Quâ ratione certè docuit fidem suam non esse nudam rerum credendarum cognitionem, sed singularem in Deum fiduciam operantem per charitatem in proximos. Quòd autem huic charitatis officio mendacium admiscuit, id non pertinet ad mendacii laudem, sed ad infirmitatis humanæ notationem, in qua nihil est ab omni parte beatum.

32. *Et quid præterea dico?*] Hactenus exempla fidei sigillatim & servato temporum ordine recensuit Apostolus à primordiis rerum ad illud usque seculum quo Deus populum suum in terram Patribus promissam introduxit, ut v. 4. monuimus. Sequentia secula, quia propiora notioraque, breviùs perstringit Apostolus, ut cui satis sit vel virorum aliquot fide præditorum nomina vel res aliquot fide gestas recensere quasi cursim, & ad fontes sacros intento digito. In nudis fidelium aliquot nominibus recensendis tria selegit paria, in quibus temporibus seriem servavit si par pari conferatur, sed ea tamen ità digessit ut in unoquoque pari qui posterior nominatur sit tempore prior, sed minùs insignis, sive virtutes, sive nævos quibus adhuc laborabant, spectes. ¶ *Deficiet enim me tempus enarrantem*] Si singula fidei per charitatem & pietatem operantis exempla quibus testimonium perhibet Scriptura recensere velim, *deficiet me* χρόνος ὁ τῇ ἐπιστολῇ ἁρμόδιος, καὶ οἷον ἡ συμμετρία, inquit Oecumenius; i. e. *tempus legitima prolixitati unius epistolæ, quæ certè non debet immensum excrescere*. Potest etiam simpliciter esse proverbialis Hyperbole, cujusmodi multas etiam à Sacris scriptoribus usurpari monuimus in v. 12. ¶ *De Gedeone, de Barako*] Gedeon Barako posterior est tempore: Sed ut fides Gedeonis tam paucis hominibus, nempe trecentis, innumeras Madianitarum copias profligantis fuit illustrior quam Baraki, qui procedere non ausus est in aciem nisi præviam haberet Deboram; ità plures sunt ac fœdiores Gedeonis quam Baraki nævi. Quod enim Barak sine Debora noluit in aciem prodire, tam modestiæ quam diffidentiæ deputari potest, ut qui saluti populi quàm gloriæ suæ consulere maluerit. Gedeon autem ante pugnam diu dubitavit, & post pugnam sculptile fecit, quod ipsius familiæ fuit exitio. ¶ *De Sampsone, de Jepte*] In hoc quoque pari Sampson tempore posterior est Jephte, sed illustrior, si corporis & animi robur spectes, incomparabile prorsus, ut qui nullis copiis sed solis membris armatus in aciem prodiret, & nihilominus magnam hostium stragem ederet. Sed & eminentiores Sampsonis fuerunt quam Jephtæ nævi. *Fuit sanè gravius Jephtæ culpa cum* voto temerario juravit se Deo sacrificaturum quidquid sibi post victoriam primum occurrisset obviam: At Sampsonis cespitationes frequentiores fuerunt & fœdiores, ut qui matrimonia cum alienigenis consociaverit, & impuræ Delilæ fœdum in modum se mancipaverit. Quòd autem videtur etiam mortem sibi conscivisse, non fuit hæc αὐτοχειρία propriè dicta, non magis quàm militis iniquo loco strenuè pugnantis, & reputantis quàm sit

Dulce & decorum pro patria mori.

Quòd uno brachiorum suorum impulsu columnas templi dejecit, templum Dagonis evertit, & Philistinorum tria millia contrivit, fuit hoc opus non humanæ sed captum humanum longè superantis virtutis; eoque totum hoc ἀποτέλεσμα tribuendum non desperationi, non ultioni, non furori cuipiam, sed inspirationi Divinæ, cui parere fuit opus pietatis & fidei. Adde quod in hoc potissimùm actu fuit Sampson typus Christi, qui suâ morte plures quàm totâ vitâ profligavit hostes, libertatemque suo sanguine nobis acquisivit. ¶ *Davide & Samuele*] Etiam in hoc tertio pari qui posterior nominatur prior est tempore, minùs illustris, sed magis inculpatus. ¶ *Et Prophetis*] Aliisque viris quibus testimonium aliquod illustre perhibet Scriptura. In eo verò numero censendos omnes illos quos hoc capite commemorat Apostolus, patet ex capitis hujus versu penultimo.

33. *Qui fide*] i. e. Qui quidem fide præditi fuerunt, & fidei suæ specimen aliquod eximium ediderunt. Deinceps autem non personas sed res ipsas indicat, res, inquam, aliquot insignes, quas vel gesserunt, ver. 33. vel perpessi sunt, ver. 35. iis quos fide donavit Deus. ¶ *Regna debellarunt*] Ut Josue XXXI. Reges, David pauciores numero sed multò potentiores, Ahod Eglonem Moabitarum, Barak Jabinem Chananæorum Regem, Gideon Madianitas, Jephte Ammonitas, Sampson Philistinos. ¶ *Exercuerunt justitiam*] Sive distributivam, sive quæ designat eleemosynam, sive quæ virtutes omnes in se complectitur,

complectitur, eique tam seriam operam navarunt ut velut hanc unam artem factitarent: Quo modo contrà reprobi dicuntur *iniquitatem exercere* vel *operari*, *ἐργάζεσθαι*, quòd in ea toti sint. ¶ *Assecuti sunt promissiones*] Easque vel speciales; ut Sara, Anna, Manue liberos obtinuerunt *vires ultra sortemque senecta*: vel communes electis, ut Gratiam & Remissionem peccatorum, Adoptionem, Liberationem ab æterna morte, & consequenter Æternæ vitæ fruitionem. Licèt enim tum obscuriores essent quam hodie salutis æternæ promissiones, non erant tamen nullæ; licèt obscurius intelligerentur, intelligebantur tamen aliquo modo. Intelligebant, inquam, pii sibi gratiam & misericordiam à Deo promitti, quantumvis indignos se sentirent Dei beneficiis, sive præsentibus, sive futuris. Hujusmodi *promissiones & amplexi sunt & assecuti*, licèt promissi Mediatoris exhibitionem toties sibi promissam non sint assecuti, sed is Apostolicis demum temporibus exhibitus sit: quò pertinet quod sæpiuscule negat Apostolus eos *promissiones consecutos*, ver. 13, & 39. ¶ *Occluserunt ora leonum*] Ut Sampson Judic. 14. 6. David 1 Sam. 17. 34. Imprimis verò Daniel, prout refertur Dan. 6. 22.

34. *Exstinxerunt vim ignis*] Ut Sidrac, Misac & Abdenago, Dan. 3. ¶ *Effugerunt acies gladii*] Ut David gladium Saulis, Elias gladium Achabi, Elisæus gladium Syrorum. ¶ *Convaluerunt ab infirmitate*] Post morbos alioqui lethales; ut David Psal. 6. & 32, & 38. Ezekias Esa. 38. ¶ *Fortes facti sunt in bello*] Cùm viderentur imbelles; ut Abraham, Barak, David. ¶ *Exterorum castra verterunt in fugam*) Multis quidem id commune. Sed videtur Apostolus respicere factum Jonathanis de quo 1 Sam. 14.

35. *Mulieres receperunt mortuos suos ex resurrectione*) h.e. Resurrectionis beneficio; ut Sareptana 1 Reg. 17. Sunamitis 2 Reg. 4. Hactenus res fortiter gestæ. Sequuntur perpessiones à fidelibus constanter toleratæ. ¶ *Alii verò fustibus casi sunt*] Hesychius, Τυμπανίζεται, πλήσσεται, ἐκδέρεται, ἰσχυρῶς τύπτεται. Suidas Τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήσσεται, ἐκδέρεται, καὶ κρεμᾶται. Suspensi videlicet fustuario tympanorum instar cædebantur ad mortem usque. Hæc verberatio fieri non poterat sine magna pellis laceratione & velut excoriatione. Locus ubi cædendus suspendebatur & alligabatur dicebatur τύμπανον. Hinc est quod Hesychius ait τύμπανον esse *supplicii genus*: de quo vide 2 Macc. 6. 28. Chrysostomus vult τυμπανισμὸν λέγεσθαι ἀποκεφαλισμὸν, i.e. *decollationem*. Sed de ea paulò post agitur, ver. 37. ¶ *Non suscipientes liberationem*] Quam illis offerebant tortores modo tyrannicis mandatis obsequi vellent. ¶ *Ut consequerentur resurrectionem meliorem*] Liberatione quam respuebant. Sed & resurrectio piorum dici potest *melior* incomparabiliter impiorum resurrectione, qui resurgent quidem & ipsi, sed ad mortem & *opprobrium æternum*, Dan. 12. 2. At hæc si fuisset Apostoli mens, dixisset τῆς κρείττονος cum articulo διακριτικὸν & ἐμφατικὸν vim habente.

36. *Alii ludibria flagellaque sunt experti, rursusque vincula & carceres*] Ut Micheas, Amos, Jeremias. Eleganter autem dicitur μαστίγων πεῖραν ἔλαβον· ut apud Diodorum Siculum lib. 3. μηδέπω δεσποτείας ἐχύλιδος πεῖραν λαβόντας.

37. *Lapidati sunt*] Ut Zacarias 1 Chron. 24. Naboth 1 Reg. 21. ¶ *Serrâ dissecti sunt*] Ut Esaias jussu Manassis, ut quidam Judæi volunt. ¶ *Tentati sunt*] Id non habetur nec apud Syrum, nec apud Arabem Interpretem. Erasmus vult esse glossema. Plerique tamen Græci cod. habent ἐπειράσθησαν, cùm proximè dixisset Apostolus ἐπρίσθησαν. Est hæc Paronomasia: Quod orationis ornamentum in Scriptura non est infrequens; & vix apud Interpretes occurrit nisi casu. Sed hæc Paronomasia videtur esse potius à consilio; imprimis autem illa quam habemus Heb. 5. 8. ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθεν ὑπακοήν· ut vel hinc colligas hanc Epistolam à Paulo Græcè scriptam. Quidam igitur, non quidem excarnificati sed admotis tormentis exterriti, *tentative*, possentne metu suppliciorum ad idololatriam adigi, cùm promissionum varia genera priùs fuissent adhibita. Hic est enim mos Tyrannorum, ut modò vulpinâ modò leoninâ pelle grassentur in ovile Christi. ¶ *Occasione gladii occubuerunt*] Erant (teste R. Mose de Kotsi Affirmativo mandato 99, 100, 101.) Judæis quatuor tantùm ordinaria suppliciorum genera, Vivicomburium, Lapidatio, Strangulatio, & Decollatio. Postremum istud dicebatur הרג בסיף Φόνος μαχαίρας *occisio gladii*. Idololatria verò non intra hos limites substitit, sed ingeniosa perversè fuit ad excogitanda suppliciorum nova genera. ¶ *Oberraverunt* in desertis quoquoversus *cum ovillis & caprinis pellibus*] h.e. Iis obtecti pellibus quas quomodocunque nancisci potuerant. Elias 2 Reg. 1. 8. dicitur בעל שער, LXX. δασύς. Vulgata versio, *pilosus*, i.e. pilosam vestem indutus. Quamobrem illius pallium אדרת vocatur, à LXX. μηλωτή, 1 Reg. 19. 13, 19. & 2 Reg. 2. 8, 13, 14. Videtur tamen Apostolus aliquos alios respicere quorum historia tum quidem erat nota, nobis autem ignota. ¶ *Destituti*] Rebus necessariis; ut Elias, qui pascebatur à corvo 1 Reg. 17. David, qui propterea panes propositionis edit 1 Sam. 21, & 25. ¶ *Oppressi, male habiti*] h.e. Nullum maletractationis genus omissum est quod non à Satanæ ministris adhibitum fuerit ad labefactandam piorum fidem.

38. *Quibus dignus non erat mundus*] Pios mundus ità vexat acsi digni non essent quos terra gestaret aut aleret: Apostolus contrà *κατ' ἀντανάκλασιν dicit mundum*, h. e. homines addictos huic mundo, persecutores impios, *indignos fuisse* quibus affulgerent luminaria tam eximia. Itaque subductis ac in cœlum receptis illis luminaribus; sibi suisque tenebris relictus est mundus. ¶ *In desertis errantes, & montibus, & speluncis, & cavernis terræ*] Ut David 1 Sam. 22, & 23, & 24. Elias sub Achabo 1 Reg. 19. & centum illi Prophetæ quos Abdias in duabus cavernis alebat 1 Reg. 18. Ut jam eos non attingam quorum historia describitur in libris non canonicis, sive exstent adhuc ii libri, sive tum exstarent, qui jam pridem interciderunt; quod quam plurimis libris non canonicis contigisse non est dubium. In iis autem quæ merè sunt historica nihil vetat quò minùs potuerit Apostolus respicere etiam libros ad canonem non pertinentes; ut Tit. 1. 13. versum integrum mutuatur ex Epimenide, cum etiam in Ethicis quædam mutuetur ex Ethnicis Poëtis, ex Arato, Actor. 17. 28. ex Menandro, 1 Cor. 15. 33.

39. *Et omnes hi*] Quotquot hoc capite commemorati sunt. ¶ *Per fidem adepti testimonium*] Approbationis, quod scilicet Deo placuerint. ¶ *Non obtinuerunt* tamen *promissionem*] In hac vita, h. e. exhibitionem Messiæ, & hanc quam Apostoli videbant militantis Ecclesiæ perfectionem, quantumvis & Patribus sæpe promissam, & ab ipsis ardenter expetitam, ut docet ipse Christus Luc. 10. 23, 24. Hujus exhibitionis cunabula conspicatus Simeon quantopere sibi gratuletur videmus Luc. 2. 29. Alioqui salutis quam suo sanguine promeriturus erat Christus expertes veteres non fuisse patet ex Act. 15: 11. 1 Cor. 10. 1, 2, 3. Heb. 13. 8. Et certè nemo dixit hactenus; nemo pius ausit dicere, Patres, quos hic tantopere celebrat Apostolus, igne gehennæ continuo fuisse cruciatos ad resurrectionem usque Christi. Si fuerunt immunes ab horrendis illis cruciatibus quos meretur peccatum, cujus tandem nisi Christi pro peccatis nostris & illorum satisfacturi merito? Igitur etiam ante pretii solutionem vim ejus persenserunt, saltem hactenus ut non essent filii tenebrarum & gehennæ. Quid igitur vetat quò minùs eam sentire potuerint ut essent filii lucis, cùm abolito per mortem in electis peccato nullum medium esse possit inter lucis & tenebrarum filium? Præterea, quam adepti sunt immunitatem à gehennæ cruciatu, an non eam Deus ipsis promiserat? an non eam & ipsi fide fuerant amplexi? Non igitur post Christi demum resurrectionem adepti sunt eas salutis promissiones quæ spectant animarum à corporibus solutarum statum, ut constat etiam ex his quæ diximus in v. 33.

40. *Quod Deus de nobis melius quiddam prævidisset*] i. e. Quod voluerit Apostolici seculi quàm antecedentium meliorem esse conditionem: quod & sæpe prædicat Scriptura, Luc. 10. 23, 24. Act. 17. 30. Aggæi 2. 6, 7. Rom. 16. 25, 26. ut scilicet tandem aliquando nobis exhiberetur Christus, & salutis mysteria multò pleniùs & planiùs multoque pluribus quam unquam revelarentur. ¶ *Nè sine nobis perficerentur*] His verbis designatur eventus potius quam consilium, q. d. adeo ut non priùs quam nos, non priusquam ad tempora nostra deventum esset, consecuti fuerint *perfectionem* cognitionis; vel, si mavis, illam militantis Ecclesiæ *perfectionem* quam olim vehementer expetebant, quamque Apostolorum demum seculo largiri voluit Deus. Qui colligunt hinc Patrum animas ante Christi resurrectionem beatas non fuisse, Patribus injuriam faciunt, cùm eos post quam ante mortem miseriores faciunt, & Textûs nostri verbis abutuntur. Certè etiamsi daremus illis quod volunt, tamen Patrum animæ beatæ fuerunt, & *perfectionem* cœlestem adeptæ ante animas eorum quibus scribit Paulus. Sed nec Pauli mentem assequuntur qui *perfectionem* de qua loquitur referunt ad gloriam corporis & animæ simul. Quid enim hac in parte melius habemus quàm Patriarchæ? Certè non resurgent ante nos; sed neque nos resurgemus ante illos. Superest igitur ut seculorum inter se comparatio quam instituit hic Apostolus respiciat non defunctorum sed viventium sive viatorum statum: non, inquam, quamnam mutationem expertæ sint animæ fidelium à corporibus solutæ; sed quam mutationem expertus sit militantis Ecclesiæ status, quem constat longè præstantiorem, longè perfectiorem fuisse sub Apostolis quam seculis ullis antegressis.

LUD. CAPPELLUS.

5. M*Εμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ*] Respicit Apostolus ad locum qui est Gen. 5. 24. ubi in Hebræo est ויתהלך חנוך את האלהים *& ambulavit Enoch cum Deo.* Quod LXX. reddiderunt, *εὐηρέστησε δὲ Ἐνὼχ τῷ Θεῷ.* Quam phrasin similiter transtulerunt Psal. 116. 9. אתהלך לפני יהוה *εὐαρεστήσω ἐνώπιον Κυρίου ἐν χώρᾳ ζώντων.* Rem nempe expresserunt, non vim & propriam significationem verbi.

11. *Fide etiam ipsa Sara vim accepit εἰς καταβολὴν σπέρματος, concipiendi semen*] Phrasis est Hebraica. Sic enim loquitur Eva cùm Sethum peperisset, *Vocavit* nempe *eum Seth ὅτι* שת לי אלהים זרע *κατέβαλέ μοι ὁ Θεὸς σπέρμα* (Nam שית propriè est *καταβάλλειν, ponere, deponere:* unde שתות *fundamenta ædificii*, quia deorsum ponuntur seu jaciuntur.) h. e. *fecit Deus ut καταβολὴ σπέρματος in me esset fœcunda.* Non enim ex quovis congressu proseminatur fœtus. Rectè autem ab aliis jam est observatum illam *καταβολὴν* ad virum esse referendam. Itaque minùs bene redditum videtur *ad collationem seminis*, h. e. ut & ipsa semen ad conceptionem conferre posset, quoniam illa seminis quæ à fœmina fit collatio non aptè dici potest *καταβολή*, sed ea tantum quæ à viro est. Ad quam *καταβολὴν* respexisse videtur Poëta ille Græcus quem Plutarchus laudat initio libelli *περὶ παίδων ἀγωγῆς*,

> *Ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους*
> *Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους.*

16. *Νυνὶ δὲ κρείττονος ὀρέγονται, τουτέστιν ἐπουρανίου*] Joseph. lib. 3. De bello Jud. cap. 14 cùm socios suos consolatur spe beatæ immortalitatis futuræque in cœlis gloriæ, similia his, & illis quæ infra habentur (cap. 12. 23.) loquitur, *Οὐκ ἴστε ὅτι τῶν μὲν ἐξιόντων τοῦ βίου κατὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον, καὶ τὸ ληφθὲν παρὰ τοῦ Θεοῦ χρέος ἐκτινόντων, ὅταν ὁ δοὺς κομίσασθαι θέλῃ, κλέος μὲν αἰώνιον, οἶκοι δὲ* (h. e. in cœlo) *καὶ γενεαὶ βέβαιοι. καθαραὶ δὲ ἐπήκοοι μένουσιν αἱ ψυχαί, χῶρον οὐρανοῦ λαχοῦσαι τὸν ἁγιώτατον, ἔνθεν ἐκ περιτροπῆς αἰώνων ἁγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασιν;* Hâc voce *οἶκοι*, quâ cœlum denotat, satis indicat, nos ergò hîc peregrinari, patriam domumque nostram esse cœlum: quod autem subjicit, *καθαραὶ ἐπήκοοι μένουσι ψυχαί*, proximè accedit ad id quod Apostolus infra 12. 23. dicit, *προσεληλύθατε πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων.*

17. *Ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος*] Atqui supra ver. 13. negavit Apostolus *Patres accepisse promissiones*, *μὴ λαβόντας τὰς ἐπαγγελίας.* Et infra 39 *οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν.* Ergò aliud est *κομίζειν, λαβεῖν*, aliud verò *ἀναδέξασθαι ἐπαγγελίας.* Nempe *λαβεῖν, κομίζεσθαι ἐπαγγελίαν*, est *rem ipsam promissam consequi, eâ frui, in possessionem ejus mitti; ἀναδέξασθαι* verò *ἐπαγγελίαν* est *promissioni factæ fide assentiri.* Abraham ergò dicitur hîc *ἀναδεξάμενος τὰς ἐπαγγελίας*, quia factæ à Deo promissioni fide assensus fuerat, atque ita *oblatam exceperat, ἀνεδέξατο.* Alibi dicitur *μὴ λαβεῖν, μὴ κομίζειν τὰς ἐπαγγελίας*, quia Christum promissum non vidit exhibitum, fide tantum percepit eum venturum.

GROTIUS.

1. Ἔ*Στι δὲ πίστις, Est autem fides*] Cùm per Abacuci locum *fidei* incidisset mentio, voluit Scriptor hîc magna ejus præconia congerere: non quòd sola fides sufficiat ad consequendam salutem, sed quòd ex fide nascatur & justitia & sanctitas illa cui vita æterna promittitur. Ideoque ostendit fidem semper à Deo & piis hominibus factam maximi. *Fides radix Legis*, ajunt Rabbini Bacchai & Channanel. Fidem autem intelligit eam quâ Dei dictis creditur atque fiditur. Neque enim de fide in Christum agit, cùm veterum temporum exempla profert, sed de fide in Deum; cujus species excellentissima est fides illa Euangelica, quæ ita est fides in Christum ut simul sit fides in Deum, quia quæ dixit Christus ea dixit Dei nomine. Vide Joh. 14. 1. Describit autem fidem partim per effectus, partim per causas, idque per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem.*] ¶ *ἐλπιζομένων ὑπόστασις, sperandarum substantia*] *Rerum sperandarum firma quædam exspectatio.* Nam & sic supra habuimus vocem *ὑποστάσεως* 3. 14. & ibi diximus vocem Hebræam תוחלת modò verti per vocem *ἐλπίδος* [*spei,*] modò efficacius per vocem *ὑποστάσεως* [*substantiæ.*] Vide & 2 Corinth. 9. 4. Sic fortitudinem Coclitis *ὑπόστασιν* [*substantiam*] vocat Polybius. *Tota fidei substantia*, ait Tertullianus de Cultu fœminarum 2. ¶ *πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. rerum argumentum non apparentium*] Id est, *nascitur fides ex diligenti examine eorum quæ dicuntur de rebus, quæ sub sensum non cadunt.* Qualia sunt proles ex uxore sterili, divitiæ illæ futuræ, de quibus supra 10. 35 & alia similia. In Glossario, *ἔλεγχος, indicium, probatio.* Ita Herodotus, Thucydides, Plato, Isocrates sæpe vocem hanc usurpant. Sic apud Xenophontem *ἐλέγχεται γελοῖος ὤν, convincitur esse ridiculus.* Et hinc in Dialecticis *ἔλεγχοι, rationes explorandi argumenta.* Est hæc delineatio quædam fidei ex effectis & ex causis, ut diximus. Videamus & alias. Sirachidæ, *πίστις ἀρχὴ κολλήσεως Θεοῦ* [*fides initium conjunctionis, quâ Deo agglutinamur*] 25. 17. Epicuro, *πίστις πρόληψις διανοίας* [*fides est præsumtio mentis.*] Straboni, *περὶ τὸ ὂν στάσις* [*firma persuasio de veritate.*] Basilidi, *ψυχῆς συγκατάθεσις τῶν μὴ κινούντων τὴν αἴσθησιν διὰ τὸ μὴ παρεῖναι* [*assensus animæ de rebus quæ quia non adsunt, non movent sensum.*] Clementi Alexandrino Strom. 2. *συγκατάθεσις ἰσχυρᾶ τινι* [*assensio rei cuidam firma.*] Item, *ὑπόληψις ἑκούσιος, καὶ πρόληψις εὐγνώμονος προκαταλήψεως* (*opinio spontanea bonaque opinionis præsumptio.*) deinde, *ἰσχὺς εἰς σωτηρίαν καὶ δύναμις εἰς ζωὴν αἰώνιον* [*vis ad salutem & potentia ad vitam æternam.*] Et quia spes hîc ponitur ut fidei effectus non malè huc adferam & Philonis locum de Præmiis & Pœnis, *Τὴν δὲ ἀναγκαιοτάτην σπορὰν ἐπισκεπτέον, ἣν ὁ ποιητὴς ἐν ἀρετώσῃ χώρᾳ κατέσπειρε λογικῇ ψυχῇ. ταύτης δὲ ὁ πρῶτος σπόρος ἐστὶν ἐλπὶς ἡ πηγὴ τῶν βίων. ἐλπίδι γὰρ κέρδους ὁ χρηματιστὴς ἐπαποδύεται πολυτρόποις ἰδέαις πορισμῶν. ἐλπίδι δὲ ὁ ναύκληρος εὐπλοίας περαιοῦται τὰ μακρὰ πελάγη. ἐλπίδι δόξης καὶ ὁ φιλότιμος αἱρεῖται πολιτείαν, καὶ κοινῶν πραγμάτων ἐπιμέλειαν. δι' ἐλπίδα βραβείων καὶ στεφάνων, καὶ οἱ τῶν σωμάτων ἀθληταὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας ἀθλοῦσιν. ἐλπὶς εὐδαιμονίας καὶ τοὺς ἀρετῆς ζηλωτὰς ἐπαίρει φιλοσοφεῖν ὡς ταύτῃ δυνησομένους καὶ τὴν τῶν ὄντων φύσιν ἰδεῖν, καὶ δρᾶσαι τὰ ἀκόλουθα πρὸς τὴν τῶν ἀρίστων βίων θεωρητικοῦ τε καὶ πρακτικοῦ τελείωσιν, ὧν ὁ τυχὼν ἐστὶν εὐθὺς εὐδαίμων* [*Nunc consideremus sementem cumprimis necessariam, quam ille conditor in animâ rationis capace velut in fœcundo solo fecit: in hac enim sata est spes, à qua veluti fonte varia vitarum genera orta. Spe enim lucri mercator nullum non quæstum occipit. Spe aliâ inductus nauclerus, nimirum fore ut feliciter naviget, vasta maria trajicit. Spe honorum ambitiosus accedit ad rempublicam, & se adduci patitur, ut, quæ publicè profutura sunt, curet. Spe præmii ac coronæ athletæ gymnica certamina obeunt. Beatitudinis spes virtutis amore incensos ad sapientiæ studium incitat: dum hac se consecuturos sperant ut & naturam rerum nôrint, & quæ ad activæ & contemplativæ vitæ, quæ sunt duo optima vitarum genera, perfectionem conferunt, agant: cui quæ obtigerint ei extemplo beatum esse obtigit.*] Et mox, *Μόνος δ' ἀποδοχῆς ἄξιος ὁ ἀνεθεὶς τὴν ἐλπίδα Θεῷ, καὶ ὡς αἰτίῳ τῆς γενέσεως αὐτῆς, καὶ ὡς ἀσινῆ καὶ ἀδιάφθορον ἱκανῷ μόνῳ διαφυλάξαι* [*Solus rectè facit, qui in Deo spem suam omnem ponit, qui & ut essemus fecit, & solus potest id quod fecit integrum atque incorruptum servare.*] Eidem Philoni libro de confusis linguis *πίστις* [*fides*] dicitur *ὀχυρωτάτη καὶ βεβαιοτάτη διάθεσις* [*constitutio omnium firmissima atque constantissima.*] Idem de Herede rerum divinarum, *Τὸ μηκέτι ζητεῖν πεπιστευκότος ἔργον* [*Nihil sciscitari opus est credentis.*] Ibidem pro *ἐπίστευσε* [*credidit*] posuit *βεβαίως κατείληφε* [*firmiter comprehendit.*] Apud eundem libro de Abrahamo, *Μόνον οὖν ἀψευδὲς καὶ βέβαιον ἀγαθόν, πίστις, ἡ πρὸς τὸν Θεὸν πίστις, παρηγόρημα βίου, πλήρωμα χρηστῶν ἐλπίδων, ἀφορία μὲν κακῶν, ἀγαθῶν δὲ φορά, δεισιδαιμονίας ἀπόγνωσις, εὐσεβείας γνῶσις, εὐδαιμονίας κλῆρος, ἐν ἅπασι βελτίωσις. ἐπερηρεισμένη τῷ πάντων αἰτίῳ, καὶ δυναμένῳ μὲν πάντα, βουλομένῳ δὲ τὰ ἄριστα* [*Nullum est ergo aliud constans bonum, nullum quod habentem non fallat, præter fidem, in Deum (inquam) fidem, quæ & vitæ solatium est, & spe bonâ ut alamur, facit. A fide, cùm malum proveniat nullum, bona omnia lætâ segete prodeunt: hæc superstitionem pellit, pietatem asserit, beatitudinis quasi hæreditas, est: hæc omnia in melius provehit, omnium auctori innixa, qui & potest omnia, & vult optima.*] Ibidem mox *τὴν πίστιν πρὸς τὸ ὂν* [*fidem ergà eum qui est*] vocat *τὴν βασιλίδα τῶν ἀρετῶν* (*reginam virtutem.*) Pertinent ad hanc rem & verba quæ Josephus Antiq. 2. 6. tribuit Mosi in transitu maris Erythræi, *Οὐδὲ ἀνθρώποις καλῶς τὰ παρόντα πεπολιτευμένοις πρὸς ὑμᾶς δίκαιον ἀπιστεῖν, ὡς οὐχ ὁμοίοις ἐσομένοις πρὸς τὰ μέλλοντα· τῆς δὲ τοῦ Θεοῦ νῦν ἀπογινώσκειν ὑμᾶς προνοίας μανίας ἔργον ἂν εἴη, παρ' οὗ πάνθ' ὑμῖν ἀπήντηκεν, ὅσα δι' ἐμοῦ πρὸς σωτηρίαν, καὶ τὴν ἀπαλλαγὴν τῆς δουλείας οὐδὲ προσδοκῶσιν ὑπέσχετο· μᾶλλον δὲ χρῆν ἐν ἀπόροις γεγενημένους βοηθὸν ἐλπίζειν τὸν Θεόν* [*Si homo aliquis res vestras bene ac prudenter hactenus administrasset, oportebat & in posterum similem ejus curam & diligentiam exspectare: nunc postquam Deus ipse gubernandos vos suscepit, quanta insania fuerit ejus opem non sperare, qui per me ultrò vobis præstitit quicquid ad vestram salutem ac libertatem nec opinantibus promiserat, imo hæc ipsa difficultas & angustia magis vos ad sperandum accendere debuerat.*] deinde,

Οὐ γὰρ

Οὐ γὰρ ἐπὶ μικροῖς τὸ θεῖον τὴν ἑαυτῦ συμμαχίαν ἕσαν εὔνουν δίδωσιν, ἀλλ' ἐφ' οἷς ἀνθρωπίνην ἐλπίδα μὴ βλέποι πρὸς τὸ κρεῖττον παροῦσαν· ὅθεν τοιέτῳ βοηθῷ πεπιςευκότες, ᾧ δύναμις καὶ τὰ μικρὰ ποιῆσαι μεγάλα, καὶ τῶν τηλικούτων ἀσθένειαν καταψηφίσασθαι, μὴ καταπεπλῆχθαι τὴν Αἰγυπτίων παρασκευὴν, μηδὲ ὅτι θάλασσα κατόπιν ὑμῖν, ὄρη τε Φυγῆς ὁδὸν ὑ παρέχοντα διὰ τῦτο ἀπογινώσκετε τῆς σωτηρίας· γένοιτο γὰρ ἂν καὶ ταῦθ' ὑμῖν πεδία τοῦ Θεῦ θελήσαντος, καὶ γῆ τὸ πέλαγος [*Non enim in parvis rebus Deus propitius auxilium afferre solet, sed tum potissimum quando spei superest minimum. Ergo hujus ope freti, qui potest & ex parvis magna facere, & horum potentiam debilem reddere, ne terreamini Ægyptiorum apparatu, neque propter fugam mari & montibus impeditam animum despondete. Potest enim Deus & hos in planiciem & mare in terram vertere.*] Sumitur autem interdum fides ita ut obedientiam comprehendat quam efficit fides. Salvianus de Gubernatione Dei 3. *Quid igitur credulitas, vel fides? Opinor fideliter hominem Christo credere, id est, fidelem Deo esse, hoc est fideliter Dei mandata servare.*

2. *Ἐν ταύτῃ γὰρ ἐμαρτυρήθησαν οἱ πρεσβύτεροι. In hac enim testimonium consecuti sunt seniores*] Πρεσβύτεροι hic sunt, qui הקדמני 1 Sam. 24. 14. *Veteres illi egregii viri,*

—— οἳ πρότερον ποτ' ὄλοντο
[*—— qui jam pridem obiere*]

ait Simonides. Sicut hic *seniores* sunt veteres, ita Tacito *vetus* sæpe est senex aut ætate provectior aliis. Sunt enim ista vicini significatûs, nisi quòd frequentiùs *senex* ad spatium vitæ hominis unius, *vetus* ad Mundi tempora refertur. *ἐν ταύτῃ* [*in hac,*] id est, *per hanc fidem. ἐμαρτυρήθησαν, testimonium adepti sunt,* à *Deo* scilicet, *bonum atque honorificum.* Pari modo Actor. 6. 3. *ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρεμένες, viros de quibus bene omnes testantur.* Sic & Actor. 10. 22. 16. 2. 22. 12.

3. *Πίςει νοῦμεν κατηρτίσθαι τὲς αἰῶνας, Fide intelligimus aptata esse secula*] Per *αἰῶνας* [*secula*] hic ut supra, intelligit *totum hoc universum*, ita ut nunc distinctum in sua membra, Cœlum, Terram, Mare, Sidera, Saxa, Plantas, Animantia, Homines. Eos ait *κατηρτίσθαι* [*aptata,*] id est, *in ordinem certamque speciem digesta.* Eodem sensu *καταρτίζειν* pro Hebræo כון [*aptare*] habemus Psalm. 74. 16. & 89. 38. Hoc dicit fide nos *comprehendere*, id est, per Dei revelationem factam Adamo, Abrahamo, & aliis, ac deinde per manus traditam & à Mose Prophetisque conscriptam, Gen. 1. toto capite, 14. 19. 20. 11. 31. 16. Neh. 9. 6. Job. 12. 9. Psal. 89. 12. 102. 26. 115. 16. 135. 6. 136. 4. Esai. 37. 16. 40. 26. 42. 5. 45. 7, 12. 48. 13. 66. 2. Jer. 10. 16. 27. 5. 32. 17. 51. 15. Zach. 12. 1. Argumenta à Philosophis producuntur speciosa in utramque partem: nec omnium est de eorum vi dijudicare. Justinus ad Diognetum de Deo agens, *αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπέδειξεν, ἐπέδειξε δὲ διὰ πίςεως ᾗ μόνῃ Θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται* [*Seipsum ipse dedit conspiciendum, conspiciendum autem se dedit per fidem per quam solam Deum videre concessum est.*] ¶ *ῥήματι Θεῦ, verbo Dei*] *Jussu Dei.* Ita enim sumi *ῥῆμα* [*verbum*] ostendimus Hebr. 1. 3. Psalm. 33. 9. ¶ *εἰς τὸ μὴ ἐκ Φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. ut ex invisibilibus visibilia fierent*] Similis locutio 2 Macc. 7. 28. *ἀξιῶ σε τέκνον, ἀναβλέψαντα εἰς τὸν ὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα ἰδόντα, γνῶναι ὅτι ὐκ ἐξ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ ὁ Θεὸς καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος* [*Peto, nate, ut adspicias ad cœlum & ad terram & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quia non ex exstantibus fecit illa Deus & hominum genus.*] Nos nunc videmus arbores ex arboribus gigni, animantia ex animantibus, homines ex hominibus. At primæ illæ arbores, prima animantia, primi homines non habuere ortum ex talibus, qualia nunc exsistunt atque conspiciuntur. Hoc ideo dicit ut eò faciliùs credamus, Deum exhibere posse quæ non conspicimus. Vide infra 7. In Manuscripto est *τὸ βλεπόμενον ἐποίησε* [*visibile fecit*] nempe *τὸ πᾶν* [*omne.*] Tum verò *εἰς τὸ* hic valet *ita ut.*

4. *Πίςει πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ Θεῷ, Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo*] Nota *θυσίαν* [*hostiam*] hic dici tam de frugibus quàm de pecudibus, qua de re diximus ad Levit. 2. ad Marc. 9. 49. & hic supra 8. 3. *πλείονα* [*plurimam*] hic valet *acceptiorem*, quomodo & Hebræi sumunt יתר. Sic ferme Matth. 6. 25. 12. 41, 42. Marci 12. 33. Luc. 11. 31, 32. 12. 23. Et *παρὰ Κάϊν* [*quàm Cain*] intelligendum *παρὰ τὴν τῦ Κάϊν* [*quam illa Caini erat,*] quomodo hic accepit Syrus. Tale est illud Plinii, *omnium triumphorum lauream adepte majorem.* Subauditur enim *laureis.* Ideo autem *acceptiorem* dicit fuisse *oblationem Abelis*, quia fidem habuit. Credidit Deum repensare bona & mala facta, quod & disertè ad historiam addidit Paraphrastes Hierosolymitanus. Simile est quod ait Bacchai, *Deum in exitu ex Ægypto, non sanguinem respexisse aspersum postibus, sed Israelitarum fidem.* ¶ *δι' ἧς ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος, per quam testimonium consecutus est esse justus,* Per fidem factus est justus, & ejus justitiæ accepit testimonium, à Deo nempe, ut sequitur. Est hic idem verbum *μαρτυρεῖσθαι* [*testimonium consequi,*] de quo diximus supra 2. ¶ *μαρτυρῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτῦ τῦ Θεῦ· testimonium perhibente muneribus ejus Deo*] Nempe igne cœlitus misso super ea dona Deus ostendit Abelem, & propter Abelem ejus oblationem sibi gratam esse, ut diximus ad Gen. 4. 4. Et ita hic Græci Interpretes omnes, Gen. 4. 4. ubi in Hebræo est אל מנחתו [*ad oblationem ejus:*] unde apparet olim מנחה [*oblationem*] fuisse nomen generis, quod in Lege est nomen speciei. Sic & sub Euangelio opera ex fide proficiscentia grata habet Deus. ¶ *καὶ δι' αὐτῆς ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται. & per illam defunctus adhuc loquitur*] Manuscriptus *ἔτι λαλεῖ* [*adhuc loquitur.*] Nempe in Genesi. *Ob fidem mortuus adhuc ibi loquitur*, id est, sanguis ejus ad Deum clamat Gen. 4. 10. Est enim hic præsens pro præterito, quod ita vividè ostenditur quasi præsens sit. Cædes Abelis à Deo vindictam exegit. Legendum, ut dixi, ostendit id quod infra est 12. 24. *αἵματι ῥαντισμῦ κρεῖττον λαλῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ* [*aspersionis sanguine melius loquente quàm Abel,*] ubi idem locus Geneseos respicitur. *δι' αὐτῆς* hic valet idem quod *δι' αὐτήν* [*per illam.*] Vide quæ diximus supra 1. 2. Sensus vulgaris loci Geneseos apertus est; at sensus mysticus, pios post mortem vivere, quia & loquuntur. Philo post tractatam hanc historiam libro Pejorem insidiari meliori, *ζῇ γὰρ ὁ τεθνάναι δοκῶν, εἴγε καὶ ἱκέτης ὢν Θεῦ καὶ Φωνῇ χρώμενος εὑρίσκεται* [*Vivit enim qui mortuus existimatur, quandoquidem comperitur etiam Deum supplex alloqui.*] Paria ferme habet Jonathan ad dictum Geneseos locum.

5. *Πίςει Ἐνὼχ μετετέθη τῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ ὐχ' εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός· Fide Enoch translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur quia transtulit eum Deus*] *Μετετέθη* [*Translatus est*] de Enocho habet & Sirach. 44. 16. Illa *καὶ ὐχ' εὑρίσκετο* [*& non inveniebatur*] cum sequentibus sunt ejus quod dixit probatio, ex textu Græco Gen. 5. 24. Ita autem à sapientibus intellectus fuit textus ille, ut crederetur Enochus à morte immunis servatus speciali privilegio. Samaritanus eo loco, *Accepit eum Angelus ejus.* Onkelos, *non occidit eum Deus*, id est, non passus est mori, cui locutioni similis 1 Reg. 17. 20. Jonathan, *Sublatus fuit & ascendit in cœlum ex mandato coram Domino.* Josephus, *ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον* [*recessit ad Deum.*] *Translatus est in Paradisum*, Arabs hoc loco. Id magnum argumentum erat posse dari vitam hac meliorem. ¶ *πρὸ γὰρ τῆς μεταθέσεως αὐτῦ μεμαρτύρηται εὐηρεςηκέναι τῷ Θεῷ. ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*] Quod in Hebræo dicitur, *ambulavit Enoch coram Deo*, id Græci Gen. 5. 22. & 24. vertunt, *εὐηρέςησεν Ἐνὼχ τῷ Θεῷ* [*placuit Enoch Deo.*] Nec aliter Syrus Geneseos interpres. Propriè *ambulavit coram Deo* significat, *vacavit Deo, Deo operam dedit.* Chaldæus tam de Enocho quàm de Noë *ambulavit in timore Dei:* qui autem tales sunt, Deo placent. Neutrum esse potest sine fide. Ideo sequitur hic,

6. *Χωρὶς δὲ πίςεως ἀδύνατον εὐαρεςῆσαι· Sine fide enim impossibile est placere*] Nempe *Θεῷ* [*Deo,*] quod ex præcedentibus repetendum. Hujus dicti jam reddet rationem. *πιςεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ Θεῷ, ὅτι ἐςὶ, καὶ τοῖς ἐκζητῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται· credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*] Id est, Nemo religionem habebit ullam, nisi credat, & esse Numen aliquod æternum atque omnipotens, & curam agere rerum humanarum, ita ut obedientibus sibi bona reddere velit. *Accedere ad Deum* est Deum colere, ut diximus supra 7. 25. 10. 22. *Quærere* verò Deum בקש aut דרש est eas inire vias, per quas Dei favor obtineri possit, ut videre est Deut. 4. 29. Jer. 29. 13. Zach. 8. 21, 22. Amos 5. 4. Psal. 10. 4. 40. 17. Etiam Cicero de Natura deorum dixit *nullam esse religionem, si nullam rerum humanarum procurationem habeant dii.* Et Epictetus ad pietatem requirit duo quæ hic habemus, nisi quod pro Deo deos nominat, *ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ Θεῶν ἔχειν ὡς ὄντων καὶ διοικέντων τὰ ὅλα καλῶς καὶ δικαίως* [*rectas de diis habere opiniones, ut sentias & esse eos, & bene justeque administrare universa.*] Seneca, *Primus est deorum cultus, deos credere: deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est.* Sic & Ælianus ait etiam à Barbaris affirmari, & esse Numen & nostri curam gerere. Plutarchus optimè, *ὐ γὰρ ἄφθαρτον καὶ μακάριον μόνον, ἀλλὰ καὶ Φιλάνθρωπον καὶ κηδεμονικὸν, καὶ ὠΦέλιμον προλαμβάνεσθαι καὶ νοεῖσθαι χρὴ τὸν Θεὸν* [*nec enim putandum, Deum immortalem & beatum esse tantùm, sed & curæ esse ei humanum genus, amare eum homines ac tueri.*] At Lactantius, *Neque honor ullus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti, nec ullus metus, si non irascitur non colenti.*

Vide

Vide plura, si vacat, in libro nostro secundo de Jure Belli ac Pacis 20. 46. in textu & in annotatis. Sicut hic voce μισθαποδότῃ [*remuneratoris*] ita & voce μισθαποδοσίας [*remunerationis*] alibi utitur hic scriptor, ut 2. 2. 10. 35. infra 26.

7. Πίστει χρηματισθεὶς Νῶε περὶ τῶν μηδέπω βλεπομένων, εὐλαβηθεὶς κατεσκεύασε κιβωτὸν εἰς σωτηρίαν τοῦ οἴκου αὐτοῦ. *Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ*] Χρηματισθεὶς, *Oraculo monitus*, ut Matth. 2. 12, 22. Actor. 10. 22. supra 8 5. Illud πίστει [*fide*] refertur ad κατεσκεύασε [*aptavit*,] *fide struxit Arcam*, id est, quia oraculo fidem habebat. Illa autem περὶ τῶν μηδέπω βλεπομένων [*de iis quæ adhuc non videbantur*] rectè construes cum εὐλαβηθεὶς [*metuens.*] Nam εὐλαβεῖσθαι περὶ τούτου [*de hoc metuere*] etiam apud Platonem legimus, & Latinè non minùs dicimus *metuo de hac re* quam *metuo hanc rem*. De verbo εὐλαβεῖσθαι quo sensu ab hoc scriptore sumatur diximus supra 5. 7. Ex Oraculi monitu metuit diluvium universale, quale quid nunquam visum fuerat. Et bene hoc exemplum profertur, quia in sacra Scriptura fides Noë patet: operum, quæ tamen fidem comitata sunt, nulla mentio ante eum locum, quo Noë *Deo placuisse* dicitur, ut bene notat Philo in Allegoriis. κιβωτὸν aut λάρνακα Hebræis תבה esse *navem constratam*, quales sunt Arcæ, diximus ad Matth. 24. 38. & ad Gen 6. 14. Videat ibi dicta, si cui vacat. Dicitur autem hoc fecisse Noë *ad salutem domûs suæ*, id est, suam & uxoris & trium filiorum ac nuruum, Gen. 6. 18. 1 Petr. 3. 20. Sic & nos debemus metuere poenas quas non videmus, & ad eas vitandas intrare Arcam, id est, amplecti Baptismum cum doctrina Baptismi, explicante Petro 1. 3. 21. atque ita servare nos ipsos, & quot possumus, alios. ¶ δι' ἧς κατέκρινε τὸν κόσμον, *per quam damnavit mundum*] *Condemnare* dicitur aliquos etiam qui suo facto ostendit, quid alii facere debuerint, atque inde eos non idem facientes culpæ convincit, ut videre est Matth. 12. 41, 42. ubi a nobis dicta videat, qui volet. Δι' ἧς, *per quam*, Arcam scilicet, nam *fidei* mentio sequetur. Cùm Arcam strueret Noë, simul causam omnibus dicebat cur strueret: illi autem nihil credidere, Matth. 24. 38. 1 Petr. 3. 20. τὸν κόσμον [*mundum*,] id est, totum extra familiam suam genus humanum; eodem sensu vox κόσμου [*mundi*] usurpatur 2 Petri 2. 5. ¶ καὶ τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσύνης ἐγένετο κληρονόμος. *Et quæ per fidem est justitiæ hæres est institutus*] Justitiam hîc vocat præmium justitiæ, sicut peccatum apud Hebræos est poena peccati. Præmium autem justitiæ erat totius Mundi possessio. Ad eam autem justitiam per fidem pervenerat. Et nobis obveniet possessio Mundi melioris itidem per justitiam ex fide.

8. Πίστει καλούμενος Ἀβραὰμ ὑπήκουσεν, *Fide vocatus Abraham obedivit*] Id est, Ἀβραὰμ καλούμενος, πίστει ὑπήκουσε, *vocatus per fidem obedivit*, Gen. 12. 5. Actor 7. 3. Dictum Pythagoræ, ἕπου Θεῷ [*Deum sequere*,] hoc exemplo illustrat Clemens Alexandrinus, & post eum Ambrosius. At in Manuscripto, πίστει ὁ καλούμενος Ἀβραὰμ [*fide qui vocatur Abraham*,] *is cui Deus Abrahamo fecit nomen*, ut sit πρόληψις [*Anticipatio.*] ¶ ἐξελθεῖν εἰς τὸν τόπον ὃν ἔμελλε λαμβάνειν εἰς κληρονομίαν, *exire in locum quem accepturus erat in hæreditatem*] Ex Chaldaica terra & Mesopotamia in Cananæam, quam ipse, id est, posteri ipsius erant possessuri. ¶ καὶ ἐξῆλθε, μὴ ἐπιστάμενος ποῦ ἔρχεται. *Et exiit nesciens quò iret*] Id est, nesciebat quæ aut qualis esset illa terra Canaan. Congruit hoc cum verbis Gen. 12. 1, & 7. Sic ποῦ apud Græcos etiam *quo* significat, ut ποῦ γῆς εἰσέδυ [*quo terrarum sese abdidit*] apud Euripidem. De re vide Gen. 12. 1. Actor. 7. 3. ubi dicitur, *I in terram, quam monstrabo tibi.*

9. Πίστει παρῴκησεν Ἀβραὰμ εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας ὡς ἀλλοτρίαν, *Fide demoratus est Abraham in terra repromissionis tanquam in aliena*] Εἰς τὴν γῆν [*in terram*] pro ἐν τῇ γῇ [*in terra*,] quomodo παροικεῖν, quod respondet Hebræo גור [*habitare in loco peregrino*] construitur Gen. 20. 1. 21. 34. 26. 3. Pari modo κατοικεῖν εἰς τὴν γῆν [*habitare in terram*] pro ἐν τῇ γῇ [*in terra*] habes Actor. 7. 4. *Vixit ibi ut incola.* Vide quæ diximus ad Luc. 24. 18. & Ephes. 2. 19. 1 Petr. 2. 11. *Terra illi*, id est, generi ejus, *promissa*, *ipsi fuit tanquam aliena*; nam ne glebam quidem terræ ibi possedit, præter tantillum quod sibi comparavit ad Saram sepeliendam, Actor. 7. 5. Eo exemplo docemur non offendi morâ, sed patienter exspectare implementa divinarum promissionum. ¶ ἐν σκηναῖς κατοικήσας, *in casulis habitando*] Ut illi,

Quorum rite vagas plaustra trahunt domos.

Nam qui solum possident, ibi ædificant, ibi manent. ¶ μετὰ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ συγκληρονόμων τῆς ἐπαγγελίας τῆς αὐτῆς· *cum Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem*] Μετὰ [*cum*] hic non significat idem tempus, sed paritatem rei; nam & Isaaco eædem factæ sunt promissiones Gen. 22. 17. 26. 24. & Jacobo Gen. 28. 13. *Isaacus*, ajunt Hebræi, *ægrè aquas sibi necessarias reperit*, Jacobus ægrè locum, in quo tentorium figeret. Vide Gen. 26. & 33. Tamen de implemento promissionum non dubitarunt. Sic & nos longa exspectatio lassare non debet.

10. Ἐξεδέχετο γὰρ τὴν τοὺς θεμελίους ἔχουσαν πόλιν, *Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem*] *Sperabant aliquando* posteros suos illis in locis non vagas domos habituros, sed *urbem in bonis fundamentis bene locatam*, id est, Hierosolyma. Per μητρόπολιν [*metropolim*] verò significatur terræ totius possessio. Tentoria non habent θεμελίους [*fundamenta*,] quia transmoventur. Urbs Hierosolyma per κατάχρησιν [*abusionem*] vocatur *tentorium immobile* Esaiæ 33. 20. ¶ ἧς τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεός. *cujus artifex & conditor Deus*] Id est, *quam urbem Deus illis erat miris modis paraturus.* Vide 1 Sam. 5. Psal. 122. Ideo *urbs sancta*, *urbs Dei* vocatur. Τεχνίτης est *architectus*, δημιουργὸς, *faber.* Deus rationes ad parandam ipsis hanc urbem & invenit, & exsecutus est. Hæc urbs imago est civitatis coelestis.

11. Πίστει καὶ αὐτὴ Σάῤῥα στεῖρα οὖσα, *Fide & ipsa Sara sterilis*] Et naturâ & annis. πίστει ἔλαβε [*fide accepit*] ut sequitur. Sic supra 4. 5. 7. A virorum exemplis venit ad foeminas, ut sexum utrumque excitet. ¶ δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε, *virtutem in conceptionem seminis accepit*] Sunt qui hic intelligi putant *muliebris seminis ejaculationem in locos suos.* Sed ego eos qui ita sentiunt non puto ἐν τοῖς Φυσικοῖς [*in naturalibus*] errare. Attamen Hebræos non ita subtiliter locutos arbitror, neque hunc scriptorem: sed hoc voluisse, *consecutam Saram vim* εἰς καταβολὴν σπέρματος [*ad ejaculationem seminis*,] nempe *virilis recipiendam*; quomodo accepit Chrysostomus εἰς τὸ κατασχεῖν σπέρμα [*ad retinendum semen.*] Καταβάλλειν est *dejicere de loco superiore.* Et ita, ut dixi, accepit Syrus. ¶ καὶ παρὰ καιρὸν ἡλικίας ἔτεκεν, *etiam præter tempus ætatis peperit*] Gen. 18. 11. In Manuscripto est tantùm παρὰ καιρὸν ἡλικίας [*præter tempus ætatis*,] ut cohæreat cum illo ἔλαβε [*accepit.*] Bene. Nam παρὰ καιρὸν ἡλικίας [*præter tempus ætatis*] est אחרי בלתי [*postquam consenui*] Gen. 18. 12. nec aliter legit Latinus. ¶ ἐπεὶ πιστὸν ἡγήσατο τὸν ἐπαγγειλάμενον. *quoniam fidelem credidit eum esse qui repromiserat*] Nempe postquam ab Angelo edocta esset, non esse jocum, sed rem seriam, Gen. 18. 12, 13, 14 Vide supra 10. 23. Simile vide Luc. 1. 45.

12. Διὸ καὶ ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν, καὶ ταῦτα νενεκρωμένου καθὼς τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ τῷ πλήθει, καὶ ὡσεὶ ἄμμος ἡ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης ἡ ἀναρίθμητος. *Propter quod & ab uno orti sunt, & hoc emortuo tanquam sidera cæli in multitudinem & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis*] Sunt impleta suo tempore promissa illa quæ sunt Gen. 15. 5. 22. 17. 26. 4. idque ipsum apertè significat Moses Deut. 1. 10. Adde 2 Sam. 24. 9. διὸ [*propter*] refer ad fidem & Abrahami & Saræ. Egregiè dixit *ab uno*, nam sic Abrahamum vocare solebant Hebræi, ut videre est Malach. 2. 15. καὶ ταῦτα Græca locutio, quam Latinè rectè exprimas *& quidem.* Νενεκρωμένου [*emortuum*] vocat Abrahamum respectu genituræ, quia per longam ætatem eæ vires in eo erant emortuæ. Sic τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας [*emortuum uterum Saræ*] dixit Paulus ad Rom. 4. 19. ubi dicta vide. Sic *mortuum leonem* habes & apud Martialem. Ajunt Hebræi, vires extra ordinem Abrahamo propter Saram datas mansisse etiam ad tempus Cethuræ. Hoc argumento & nos credimus non deesse Deo vires mortuos excitandi ad vitam, præsertim cùm id non promissum tantùm sit, sed & specimen ejus admirabile datum in Christo. Cùm innumera indicamus, usurpamus aut stellarum nomen, quarum multæ sunt quæ visum effugiunt, aut arenarum. Vide quæ ad Genesin à nobis & aliis dicta.

13. Κατὰ πίστιν ἀπέθανον οὗτοι πάντες μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀλλὰ πόῤῥωθεν αὐτὰς ἰδόντες καὶ ἀσπασάμενοι, *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & amplectentes*] Etiam hic illud κατὰ πίστιν [*juxta fidem*] construi debet non cum proximis vocibus, sed cum illo ἰδόντες [*aspicientes.*] Et οὗτοι πάντες [*isti omnes*] intellige *ab Abrahamo deinceps.* *Per fidem illi morituri videbant & spe quidem amplexabantur promissa quæ non acceperant*, id est, res promissas, possessionem terræ, regnum, urbem famosissimam, Templum. Hoc est quod dicitur, *nomen* יהוה [*Adonai*,] id est, promissa exsequentis *illis non fuisse cognitum*, Exodi 6. 3. Πόῤῥωθεν ἰδόντες [*à longè aspicientes*] nempe sicut navigantes terram. Abraham didicerat exspectandos annos quadringentos. Sic & nobis, quæ longè abesse videntur, speranda sunt etiam in ipso mortis tempore. Quod hic post ἰδόντες [*videntes*] quidam codices habent καὶ πεισθέντες [*& persuasi*] id abest in Manuscripto. ¶ καὶ ὁμολογήσαντες, ὅτι ξένοι καὶ παρεπίδημοί εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς. *& confitentes quia hospites sunt & peregrini*

super

super terram] *Fatebantur se in ipsa illa terra non ut possessores vivere, sed ut hospites & peregrinos.* Respiciuntur verba Abrahami Gen. 23. 4. & Jacobi Gen. 47. 9. Idem sensus qui supra 9. nisi quòd hic etiam ad Isaacum & Jacobum aptatur quod de Abrahamo dictum fuerat, ut & Gen. 28. 4. Sensus mysticus satis patet. Philo libro de Agricultura eadem illa Jacobi verba sic explicat, Παροικεῖν ἢ κατοικεῖν ἤλθομεν. τῷ γὰρ ὄντι πᾶσα μὲν ψυχὴ σοφοῦ πατρίδα μὲν οὐρανὸν, τὴν δὲ ξένην ἔλαχε [*Inquilini ut essemus, non inhabitatores perpetui, venimus; vere enim sapientis anima cœlum patriam, terram hospitium habet.*] Et de Confusione linguarum, Διὰ τοῦτο οἱ κατὰ Μωϋσῆν σοφοὶ πάντες εἰσάγονται παροικοῦντες· αἱ γὰρ τούτων ψυχαὶ στέλλονται μὲν ἀποικίαν οὐδέποτε τὴν ἐξ οὐρανοῦ. Εἰώθασι δὲ ἕνεκα τοῦ φιλοθεάμονος καὶ φιλομαθοῦς εἰς τὴν περίγειον φύσιν ἀποδημεῖν. ἐπειδὰν οὖν ἐνδιατρίψασαι σώμασι τὰ αἰσθητὰ καὶ θνητὰ δι' αὐτῶν πάντα κατίδωσιν, ἐπανέρχονται ἐκεῖσε πάλιν ὅθεν ὡρμήθησαν τὸ πρῶτον, πατρίδα μὲν τὸν οὐράνιον χῶρον, ἐν ᾧ πολιτεύονται, ξένον δὲ τὸ περίγειον ἐν ᾧ παρῴκησαν νομίζουσαι [*Quapropter apud Moysem sapientes omnes inducuntur inquilini: Horum enim animæ cœlitus tanquam in coloniam missæ, visendi discendique studio solent ad hæc terrena descendere: ubi hospitio corporis usæ & contemplatæ sensibilia mortaliaque omnia, retro, unde venerant, redeunt. Cœlum enim in quo verè habitant, patriam: terram, quâ ad tempus usæ sunt, sibi alienam putant*] Dicitur ξένος [*hospes,*] qui per loca sibi externa transit: παρεπίδημος [*peregrinus*] qui moram ibi ducit. Plato Axiocho, Τὸ κοινὸν δὴ τοῦτο καὶ πρὸς πάντων θρυλλούμενον, παρεπιδημία τίς ἐστιν ὁ βίος [*Nimirum illud verum est quod vulgò omnes jactant: vita hæc nihil est aliud nisi quædam in alieno solo mora.*]

14. Οἱ γὰρ τοιαῦτα λέγοντες ἐμφανίζουσιν ὅτι πατρίδα ἐπιζητοῦσιν. *Qui enim hæc dicunt significant se patriam inquirere*] *Desiderant habere patriam*: nam qui in patria est, non est aut hospes aut παρεπίδημος, Latinè *incola.* ἐμφανίζουσι, *significant.* Sic Actor. 23. 15. Esther. 2. 2.

15. Καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνημόνευον ἀφ' ἧς ἐξῆλθον, εἶχον ἂν καιρὸν ἀνακάμψαι. *Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi*) Si ideo se peregrinos vocabant, quòd Chaldæam haberent pro patria, licebat illuc redire. Intra annos plus ducentos qui intercessere inter Abrahami exitum è Chaldæa & Jacobi mortem satis temporis fuit Abrahamo, Isaaco, Jacobo redeundi in Chaldæam, si illam amassent ut patriam suam. Verbum ἀνακάμπτειν [*reverti*] habemus & Matth. 2. 12. Luc. 10. 6. Actor. 18. 21. Pro ἐξῆλθον [*exierunt*] in Manuscripto est ἐξέβησαν (*egressi sunt.*) Abrahamus & Sara inde exierant; liberi autem quasi iidem cum parentibus.

16. Νυνὶ δὲ κρείττονος ὀρέγονται, *Nunc autem meliorem appetunt*) Nempe *patriam* non quam habuerant, sed quam habituri erant eorum posteri ex promisso Dei. νῦν (*nunc*) hic ut alibi est oppositionis pro *At vero*, ut supra 9. 26. Et præsens est pro præterito, ut & supra 14. & infra 16. ¶ τουτέστιν ἐπουρανίου. *id est cœlestem*] Id est, illa patria sensu mystico cœlum summum significat. Docet hoc ipsum Maimonides in יד titulo de Pœnitentia cap. 8. §. 1, & 2. Similis locutio 2 Cor. 3. 13. ubi itidem miscentur figura & res figurata, ut & infra 26. Anaxagoras dicenti cuipiam, *nulla tibi patriæ cura est*, *Meliora loquere*, inquit, *mihi enim maxima cura patriæ est*, *cœlum digito monstrans*. Philo libro de Somniis dicit in historia istâ peregrinantium Abrahami & liberorum ejus egregiam occultari doctrinam, & aliquanto post eam explicans, ait, Ἴσως καὶ τὸ περὶ ἀφθαρσίας ψυχῆς ὑπαινίττεται δόγμα διὰ τούτων· ἀπολιποῦσα μὲν γὰρ τὸν οὐράνιον τόπον, ὡς καὶ μικρὸν πρότερον ἐλέχθη, καθάπερ εἰς ξένην χώραν ἦλθε, τὸ σῶμα. Φησὶ δὲ οὐ μέχρι τοῦ παντὸς καθειργμένην αὐτὴν ὁ γεννήσας περιόψεσθαι πατὴρ, ἀλλ' οἶκτον λαβὼν λύσειν τὰ δεσμὰ, καὶ ἐλευθέραν ἄχρι τῆς μητροπόλεως ἀσφαλῶς παραπέμψειν [*Fortasse de immortalitate animæ dogma hic subindicatur. Relicto enim cœlesti loco, ut paullo ante dixi, in corpus quasi peregrè profecta est, ei pater pollicetur, non semper se passurum illam teneri carcere, sed misericorditer soluturum ejus vincula, liberatamque tuto deducturum in veterem patriam.*] Et rursum, ὁ δὲ μακρὸς αἰὼν αὐτῇ καὶ βίος ἐν τῇ νοητῇ πόλει ταμιεύεται [*Manet autem eum vita ista longæva in ea urbe quam intelligimus non videmus.*] Idem & in libro de Mundi opificio nominat νοητὴν πόλιν [*urbem quæ intellectu percipitur.*] Et vocatur Jerusalem *urbs sancta*, *urbs Dei*, quæ nomina sensu multò pleniore summo illi Cœlo conveniunt. ¶ διὸ οὐκ ἐπαισχύνεται αὐτοὺς ὁ Θεὸς, Θεὸς ἐπικαλεῖσθαι αὐτῶν· ἡτοίμασε γὰρ αὐτοῖς πόλιν. *ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem*] Sensus est, οὐκ ἐπαισχύνεται αὐτοὺς ὁ Θεὸς, τουτέστιν οὐκ ἐπαισχύνεται Θεὸς ἐπικαλεῖσθαι αὐτῶν (*Deum non pudet eorum, id est, non erubescit vocari Deus eorum.*) Verbum ἐπαισχύνομαι [*erubesco*] aut cum accusativo personæ construitur, ut Marci 8. 38. Luc. 9. 26. aut cum infinitivo rei, ut supra 2. 11. Deus cum specialiter dicitur *Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi* Exod. 3. 15. eo ipso intelligitur eorum esse fautor summè atque εὐεργέτης [*benefactor*] ut diximus, & ex Abenesdra firmavimus ad locum Matth. 22. 32. Ostendit autem noster scriptor, jure hoc nomen Deo tribui, quia *illis paraverat*, id est, *destinaverat egregiam urbem*, nempe Hierosolyma, ut jam diximus. Per quam πόλιν [*civitatem,*] imò μητρόπολιν [*metropolim,*] significatur μυστικῶς [*arcano sensu*] summum cœlum, ut ex hoc scriptore & ex Philone jam didicimus. ἑτοιμάζειν [*parare*] est *destinare*, ut Tob. 6. 22. in Græco, Matth. 20. 23. 25. 34. Marci 10. 40. sic & προετοιμάζειν [*præparare*] Sap. 9. 8.

17. Πίστει προσενήνοχεν Ἀβραὰμ τὸν Ἰσαὰκ, *Fide obtulit Abraham Isaac*] Sic & Jacobus 2. 21. ἀνενέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ [*cùm obtulisset Isaac filium suum.*] Partem enim oblationis etiam effectu implevit imponens filium altari: partem animo, paratus eum etiam mactare. Salvianus de Gubernatione Dei libro 1. *Immolare sibi Deus filium jussit: pater obtulit, & quantum ad defunctionem cordis pertinet, immolavit.* Philo de eadem re in libro de Abrahamo, Τῷ δ' ἡ πρᾶξις, εἰ καὶ μὴ τὸ τέλος ἐπηκολούθησεν, ὁλόκληρος καὶ παντελὴς οὐ μόνον ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τῶν ἀναγνωσκόντων διανοίαις ἀνάγραπτος ἐστηλίτευται [*Facinus tamen hoc quamvis effectu caruit, nihilominus pro integro absolutoque non modo in sacris refertur voluminibus, sed & in lectorum insculptum est mentibus.*] Itaque & à Deo ipso tanquam rei perfectæ præmium accepit, *Non pepercisti unigenito filio tuo propter me* Genes. 22. 12. Et ille quidem filio non pepercit: Christus autem & ejus Martyres nec sibi. ¶ πειραζόμενος, *cùm tentaretur*] Deo explorante ipsius fidem, idque postremùm. Nam post id ultra exploratus non est Gen. 22. 1. in hac historia, *Tentavit Deus Abraham*. Sirachides de re eadem, ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιστὸς (*in tentatione fidelis compertus est,*] 44. 20. ¶ καὶ τὸν μονογενῆ προσέφερεν, *& unigenitum offerebat*] *Unicum*, nempe ex justa matre familias, יחיד Gen. 22. 2. 12. 16. ¶ ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος. *qui susceperat repromissiones*] *Quæ promissa à Deo sibi facta in animum admiserat*, nempe in Isaaci posteritate implenda, quod jam addet. ἀναδέχεσθαι plus est quàm δέχεσθαι. Itaque *suscipere* non male vertit Latinus.

18. Πρὸς ὃν ἐλαλήθη· Ὅτι ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. *Ad quem dictum est, Quia in Isaac vocabitur tibi semen*] id est, *ea posteritas erit longè clarissima, tuumque nomen propagabit & terram illam insignem possidebit, quæ per Isaacum tibi obveniet*, Genes. 21. 12. ubi in Græco Geneseos similiter κληθήσεταί σοι σπέρμα [*vocabitur tibi semen*] quomodo & Roman. 9. 7. Notandum autem Isaacum cùm morti destinabatur, fuisse improlem. ὅτι [*quia*] hic abundat, ut Matth. 16. 18. Lucæ 1. 61. 8. 49. & alibi.

19. Λογισάμενος, *Arbitrans*] Istud λογισάμενος [*arbitrans*] referendum ad remotius, nempe ad προσενήνοχεν [*obtulit*] λογισάμενος, חשב, *animo reputans.* ¶ ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατὸς ὁ Θεὸς, *quia & è mortuis suscitare potens est Deus*] Hæc erat fides, Evangelicæ sanè suppar. Credebat ex Isaaco se habiturum posteros; credebat eundem interficiendum. Hæc conciliari non poterant, nisi per admirandam Dei potentiam ad id efficiendum, quod eo tempore exemplo carebat. ¶ ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο· *unde eum & in parabolam accepit*] Ὅθεν ἐν παραβολῇ [*unde in parabolam*] id est, ἐκ νεκρῶν ἐν παραβολῇ, במשל, *per imaginem quandam resuscitationis ex mortuis.* Jam enim mortuus erat in sua & patris opinione. Redditus ei est ex Orci faucibus. Sic resuscitatio à morte & liberatio à periculis præsentissimis comparantur 2 Corinth. 1. 9, 10.

20. Πίστει περὶ μελλόντων εὐλόγησεν Ἰσαὰκ τὸν Ἰακὼβ καὶ τὸν Ἠσαῦ. *Fide & de futuris benedixit Isaac Jacob & Esau*] Crediderat Deo res magnas posteris suis eventuras, Genes. 26. 24. Sed solemniter quasi testamentum conditurus; Deo dirigente, eas ita partitus est, ut Jacobo potiores assignaret, nempe de terra illa Abrahamo promissa. Ideoque *Jacob* hîc quanquam natu minor præponitur: quomodo & *Abraham Nachoro* Gen. 11: 26. In hac quoque re figura latet populi Judaïci & Christiani, quam evolvit Paulus Rom. 9.

21. Πίστει Ἰακὼβ ἀποθνήσκων ἕκαστον τῶν υἱῶν Ἰωσὴφ εὐλόγησε, *Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit*) Ἀποθνήσκων, id est, *moriturus*: præsens pro proximè futuro, quales locutiones complures adduximus ad Matth. 26. 28. In hoc quoque Jacobi testamento, Deo dirigente, minor prælatus est majori, ad idem figurandum quod diximus. Sic nota ἕκαστον [*singulos*] dici etiam ubi de duobus tantùm sermo est. Intellexit Jacobus regnum in Ephraimi stirpe extiturum. ¶ καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. *& adoravit fastigium virgæ ejus*]

Plane hic sequitur noster Scriptor versionem LXX. Gen. 47. 31. Vox Hebræa quæ hoc loco in Genesi legitur & 48. 2. המטה tam *baculum* potest significare, quam *lectum*. Nam puncta vocalia, quæ significationem variant, olim adscripta non fuere. Forte etiam eadem olim fuit pronunciatio in significatu utroque, ut multæ sunt voces πολύσημοι, sed à Grammaticis postea repertæ discriminatio. *Adoravit* autem nempe Deum, quod interpres Latinus addidit dicto loco Gen. 47. 31. & idem supplendum 1 Reg. 1. 47. Videtur autem Jacobus, quò majorem Deo honorem haberet, preces facturus ex lecto surrexisse (nam postea *retulisse pedes suos in lectum* dicitur Gen. 49. 32.) & in eo consedisse innixus scipioni, qui gestus egregiam habet fidei imaginem. Nam cui quis innititur, id scipioni comparatur, 2 Reg. 18. 21. Esaiæ 36. 6. Ezech. 29. 6. Et ideo מטה etiam στήριγμα [*fulcimentum*] vertitur, ut Psal. 105. 16. Ezech. 4. 16. 5. 16. 7. 11. 14. 13.

22. Πίστει Ἰωσὴφ τελευτῶν, *Fide Joseph moriens*] Et hic τελευτῶν sumendum ut modò ἀποθνήσκων [*moriens.*] ¶ περὶ τῆς ἐξόδου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐμνημόνευσε, *de profectione filiorum Israël memoratus est*] Memor fuit aliam terram suis & fratrum posteris promissam, ac proinde eos aliquando ex Ægypto exituros. ¶ καὶ περὶ τῶν ὀστέων αὐτοῦ ἐνετείλατο. *& de ossibus suis mandavit*] *Mandata dedit de ossibus suis* in promissam terram deportandis, quod signum erat eum de possessione promissa nihil dubitare. Historia ex Gen. 50. 24. Josue 24. 32. Vide & Actor. 7. 16.

23. Πίστει Μωϋσῆς γεννηθεὶς ἐκρύβη τρίμηνον ὑπὸ τῶν πατέρων αὐτοῦ, *Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis*] *Fide* nempe *parentum*, quos hic πατέρας [*patres*] vocat, masculinum pro communi usurpans, ut sæpe Jurisconsulti. Eadem locutio Psalm. 45. 17. Quod sacra Scriptura de matre Mosis narrat Exodi 2. 3. idem debere & de patre intelligi docet nos Stephanus Actor. 7. 20. & ipsi LXX. in Exodo, ἐσκέπασαν αὐτὸ μῆνας τρεῖς· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἐδύναντο αὐτὸ ἔτι κρύπτειν, [*occultaverunt eum tribus mensibus; Quoniam autem non poterant eum ulterius abscondere,*] &c. Itaque rectè hic Scriptor utrumque parentem designat. Apud Ezechielem Tragicum Judæum Moses sic loquitur,

> Ἐνταῦθα μήτηρ ἡ τεκοῦσ' ἔκρυπτέ με
> Τρεῖς μῆνας — —
> [*Hic me Parens quæ me peperit clam condidit*
> *Tres menses* — —.]

¶ διότι εἶδον ἀστεῖον τὸ παιδίον, *eò quod vidissent elegantem infantem*] Oraculo prius accepto ex ipsis oriturum qui populo libertatis auctor esset, quare cùm infans ipsis natus esset *mirum in modum pulcher*, טוב הוא [*pulcher ille*] ἀστεῖος [*elegans*,] ut ibi LXX. ἀστεῖος τῷ Θεῷ [*elegans Deo*] ut Stephanus Actor. 7. 20. ἀγαθός [*bonus*] ut Aquila, καλός [*pulcher*] ut Symmachus, non dubitarunt quin is ipse esset ad quem id oraculum pertineret. χάρις ἡ παιδικὴ πολλὴ καὶ ἄκρατος [*multa & mira venustas puerilis*] apud Josephum: qui & hoc habet, Τὸν δὲ Θεὸν ἡγεῖτο πᾶσαν ἐκποριεῖν ἀσφάλειαν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν ψεῦδος γενέσθαι τῶν εἰρημένων [*De Deo verò certam spem habebat, provisurum ut oraculi veritatem eventus indicaret.*] Philo de vita Mosis, Γεννηθεὶς οὖν ὁ παῖς εὐθὺς ὄψιν ἐνέφηνεν ἀστειοτέραν ἢ κατ' ἰδιώτην [*eo tempore natus hic puer visus est præ se ferre haud vulgarem indolem.*] ¶ καὶ οὐκ ἐφοβήθησαν τὸ διάταγμα τοῦ βασιλέως. *& non timuerunt Regis edictum*] Magna fides vincit metus omnes. Edictum intellige quo jubebantur parentes Judæi exhibere infantes mares ut interficerentur. Nam & hoc comprehensum fuit in edicto quod breviter refertur Exodi 1. 22. Ezechiel Tragicus,

> Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένει
> Τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν εἰς βαθύῤῥοον
> [*Post hæc Hebræis imperat, sexûs maris*
> *Natum quod esset amnibus rapidis dare.*]

Philo de Parentibus Mosis, Ὡς καὶ τῶν τοῦ τυράννου κηρυγμάτων ἀλογῆσαι [*adeò ut edictum Tyranni contemnerent.*]

24. Πίστει Μωϋσῆς μέγας γενόμενος, ἠρνήσατο λέγεσθαι υἱὸς θυγατρὸς Φαραώ, *Fide Moyses grandis factus recusavit dici filius filiæ Pharaonis*] Sprevit honorem quem habebat dici filium adoptivum Thermutidis filiæ tanti Regis, Exodi 2. 9. Actor. 7. 21. Ezechiel Tragicus,

> Ἕως μὲν οὖν τὸν παιδὸς εἴχομεν χρόνον,
> Τροφαῖσι βασιλικαῖσι καὶ παιδεύμασιν
> Ἅπανθ' ὑπισχνεῖθ', ὡς ἀπὸ σπλάγχνων ἐῶν.
> [*Puerilem usque nos quamdiu ætatem egimus*
> *Sic disciplinis imbuit regaliter*
> *Aluitque, tanquam natus ex ipsa forem.*]

Apud Josephum Thermutis dicit, ἐμαυτῆς μὲν ἡγησάμην παῖδα ποιήσασθαι, τῆς δὲ σῆς βασιλείας διάδοχον [*quem decrevi adoptare mihi filium, tibi vero in principatu ac imperio successorem.*] Idem habes in Midrasch Bereschith. Hujus autem generosi animi præsagium dedit Moses infans, cum diadema sibi per jocum à Rege impositum in terram abjecit, quod narrat Josephus Antiq. 2. 5. ἠρνήσατο λέγεσθαι, *recusavit dici*. Nam & ἀρνεῖσθαι pro *repellere* usurpant Græci, ut notatum eruditis. Μέγας γενόμενος, ויגדל [*& adultior factus,*] Exodi 2. 11. ubi LXX. μέγας γενόμενος Μωϋσῆς [*cum grandis esset factus Moyses,*] id est, *cum jam ad justam ætatem pervenisset, annorum* XL. Actor. 7. 23. quomodo & Midrasch Bereschith & Hebræi alii. Magna fides, quæ principatus spernit & contemptis se aggregat.

25. Μᾶλλον ἑλόμενος συγκακουχεῖσθαι τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ ἢ πρόσκαιρον ἔχειν ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν, *Magis eligens affligi cum populo Dei quàm temporalis peccati habere jucunditatem*] Neque enim poterat fortunam illam retinere ætate jam honorum capace, nisi & edicta illa crudelia tueretur, quod erat peccatum per se grave, & multò gravius in eo qui nosset promissa isti populo facta. Breve est omne quod temporale est, diuturnum quod ad posteros transit. κακουχεῖσθαι [*affligi*] vox bene Græca, quam & infra usurpabit hic Scriptor 37. & 13. 3. utitur Thucydides & alii. Vides jam tum præfiguratum Euangelium, fide per crucis tolerantiam demonstrata.

26. Μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος τῶν Αἰγύπτου θησαυρῶν τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ· *Majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi*] Ὀνειδισμὸν Χριστοῦ [*improperium Christi*] hic vocat contumelias illas quas tum Israëlitæ patiebantur, quæ figura erant eorum quas perpessurus erat Christus, & ob Christum Christiani, ut rectè hic Chrysostomus. Est enim hæc locutio contracta, & similis ei quam supra habuimus 15. Et bene procedit comparatio: nam & populus Israëliticus sicut *filius Dei primogenitus* vocatur Exodi 4. 21. Jerem. 31. 9. ita & χριστός [*Christus*] Abac. 3. 13. ob maxima beneficia, quæ unguenti nomine significantur. Sic & parentes ejus populi Χριστοὶ [*Christi*] vocantur Psalm. 105. 15. ¶ ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν. *respiciebat enim in remunerationem*] *Mercedem* illam Abrahamo promissam Genes. 15. 1. terram illam excellentem. ἀποβλέπειν est *respicere*, vox frequens scriptoribus bene Græcis. Vocem μισθαποδοσίας [*remunerationis*] jam aliquoties habuimus.

27. Πίστει κατέλιπεν Αἴγυπτον, *Fide reliquit Ægyptum*] Fidem habens oraculo in rubo & tot aliis. ¶ μὴ φοβηθεὶς τὸν θυμὸν τοῦ βασιλέως· *non veritus animositatem Regis*] Respicitur historia quæ est Exod. 10. 28, 29. Nam cùm Rex dixisset Mosi, *cave ne ultra faciem meam videas: nam quocunque die apparueris, morieris*: respondit Moses, *Erit ut dicis, non videbo ultra faciem tuam*. Talia sunt multorum Regum edicta, quale illud Corinthii Regis in Medea Euripidis:

> — Προὐννέπω δέ σοι,
> Εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται Θεοῦ,
> Καὶ παῖδας ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονός,
> Θανῇ. — —
> [— *Sed prædico tibi*
> *Si te postera lux Dei viderit,*
> *Et liberos tuos intra regionis hujus fines,*
> *Morieris* — —

Quod Ennius sic verterat,

> *Si te secundo lumine hic offendero,*
> *Moriere.* — —

¶ τὸν γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε. *invisibilem enim tanquam videns sustinuit*] Ἐκαρτέρησε, חזק id est, *constans fuit*. Vide Job. 2. 9. Et cur *constans fuit? quia Deum inconspicuum ita præsentem habebat animo* quasi eum conspiceret. Et hæc egregia est fidei descriptio. Nunquam illi excidebat illud אשר אהיה [*Qui sum.*]

28. Πίστει πεποίηκε τὸ πάσχα, *Fide celebravit Pascha*] Id est, ἐπασχάτισε, nos in formulis Hebraïcis: *fisus promisso*, quod est Exodi 12. 3. Hoc autem *Pascha* cum rebus annexis manifestam habet Christi figuram 1 Corinth. 5. 7. ¶ καὶ τὴν πρόσχυσιν τοῦ αἵματος. *& sanguinis effusionem*] Προσχέειν & προσεκχέειν respondent Hebræo זרק quod est *aspergere*, Exodi 24. 6. 29. 11, 16. & in Levitico & alibi sæpe. Intelligenda hic πρόσχυσις sive *sparsio* facta ad postes, qui μυστικῶς [*sensu recondito*] cor nostrum significant, sicut *sanguis* ille agni, passionem Christi. ¶ ἵνα μὴ ὁ ὀλοθρεύων τὰ πρωτότοκα, θίγῃ αὐτῶν. *ne qui vastabat primitiva tangeret eos*] Ὁ ὀλοθρεύων [*qui vastabat*] nempe ἄγγελος [*Angelus*] qui ὁ ὀλοθρευτὴς [*exterminator*] 1 Cor. 10. 10. ὁ ὀλοθρεύων [*perdens*] Sap. 18. 22, 25. Is est qui in libro Tobiæ & apud Rabbinos dicitur אשמדאי [*Asmodeus.*]

modaus.] Idem המשחית [*vastator.*] Exodi 12. 23. ubi Græci *τὸν ὀλοθρεύοντα* [*disperdentem,*] & Jerem. 2. 30. ubi itidem in Græco ὁ ὀλοθρεύων [*disperdens.*] Vide quæ dicta nobis ad indicatum jam ad Corinthios locum. *τὰ πρωτότοκα* [*primogenita*] nempe *γεννήματα* [*genimina,*] tam enim de pecudibus quam de hominibus agitur in Exodo 12. 12. *Tangere* hic est *ferire* נגף Exod. 21. 23. quomodo & *ἅπτεσθαι* [*tangere*] sumitur 1 Paral. 16. 22. Psalm. 105. 15. 1 Johan. 5. 18. Sic & nos per Christi sanguinem, si eo rectè aspergamur, liberamur ab eo qui mortis habet imperium.

29. *Πίστει διέβησαν τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν, ὡς διὰ ξηρᾶς· Fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram*] Explicat quod est Exodi 14. 22. ויבאו בני ישראל בתוך הים ביבשה [*&* *ingressi sunt filii Israel in medio maris per siccum.*] Non tantum in viris primoribus, sed & in multitudine ostendit exemplum fidei. Nam ad Mosis hortamenta quæ legimus Exod. 14. 13. ingressi sunt in mare, & illæsi semicirculum in ipso mari transiere. Id mare hic vocatur Ἐρυθρὰ θάλασσα [*rubrum mare,*] quomodo in Psalm. 106. & 135. loquuntur LXX. Sed rectiùs Ἐρυθραῖα [*Erythræum*] dicitur, non à *rubore*, sed ab *Erythra*, quomodo Græci nomen transtulere *Edomi*, qui idem *Esau*: cujus posteri oram illius maris tenuere, ut videmus 1 Reg. 9. 26. *ὡς διὰ ξηρᾶς* [*tanquam per aridam terram.*] Sic Exodi 14. 21. *ἐποίησε τὴν θάλασσαν ὡς ξηράν* [*fecit mare tanquam siccum.*] In Hebræo לחרבה [*in siccitatem.*]

Curvata in montis speciem circumstetit unda.

¶ *ἧς πεῖραν λαβόντες οἱ Αἰγύπτιοι κατεπόθησαν. quod experti Ægyptii absorpti sunt*] Tracti exemplo & putantes sibi tutum fore quod Israelitis tutò cedere videbant, *absorpti sunt*, nempe fluctibus. Exod. 14. 27. בלע *καταπίνω*, pluribus in locis valet & vertitur *καταποντίζω* [*demergo.*] Sic etiam increduli in summa mergentur mala, piis evadentibus.

30. *Πίστει τὰ τείχη Ἱεριχὼ ἔπεσε κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας. Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem,* Πίστει [*Fide*] construe cum *κυκλωθέντα*, expone non *obsessa*, sed *circuita*. Fecerat enim hoc populus cum armis & buccinis, Arca præeunte, fidem habens Josuæ dictis Jos. 6. Conciderunt autem mœnia die Sabbati, ut tradunt Hebræi. Sic Christi temporibus, quod implementum est Sabbati, concidit idololatria sine ulla vi humana, ad sonum verbi ejus.

31. *Πίστει Ῥαὰβ ἡ πόρνη οὐ συναπώλετο τοῖς ἀπειθήσασι, δεξαμένη τοὺς κατασκόπους μετ' εἰρήνης. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace*] Et hîc *πίστει* [*fide*] construendum cum *δεξαμένη* [*excipiens.*] *ideo excepit & salvos fecit exploratores* ab Josua missos, *quod crederet* unum esse Deum verum, qui in Ægypto & Arabiæ desertis locis res tam miras patrasset, cujus cultores erant Israëlitæ. Post exempla Patrum addidit exemplum etiam fœminæ & extraneæ & turpis vitæ. Nam & cauponam exercebat, & simul corpore quæstum, unde זנה, id est, *πόρνη* [*meretrix*] dicitur. De eo more vide L. *Palam.* §. *si qua*, D. de ritu nuptiarum, & L. qui adulterium. C. de adulteriis. Vocatur autem *πόρνη* [*meretrix*] non quòd talis manserit, sed quòd talis ante fuisset, quomodo Matth. 21. 31. *αἱ πόρναι* [*meretrices*] dicuntur *intrare in regnum cæleste*. *Μετ' εἰρήνης* [*Cum pace,*] *cum incolumitate*, id est, ita eos excepit ut tutos eos præstaret cum capitis sui periculo. Fides sanè magna, & ut Jacobus explicat, cum egregiis operibus conjuncta, qualis esse debet Christianorum fides. Rectè dixit Chrysostomus in Raaba esse figuram eorum, qui olim idololatræ, &, ut Scriptura loquitur, cum Dæmonibus scortati fuerant: nam hi post fidem, sed non otiosam, eximentur exitio, cui subjacebunt increduli.

32. *Καὶ τί ἔτι λέγω; Et quid adhuc dicam?*] *Quid opus est hac de re loquar amplius?* Plena est talium exemplorum tota Scriptura. ¶ *Ἐπιλείψει γάρ με διηγούμενον ὁ χρόνος, Deficiet enim me tempus enarrantem*] Tale illud,

Ante diem fera componet vesper Olympo,

& similia. ¶ *περὶ Γεδεών, de Gedeon*] Qui fidem habuit Angelo, Jud. 6. ¶ *Βαράκ τε καὶ Σαμψὼν καὶ Ἰεφθάε, & Barac, & Sampson, & Jephte*] Qui omnes afflatu Divino excitati sunt ad regendum vindicandumque populum, unde & *Prophetæ* Josepho vocantur. Huic afflatui paruere per fidem. Vide Jud. 4. 14. 11. 29. 13. 25. Gedeonis & Sampsonis parentibus etiam Angeli apparuerant, Jud. 6. 12. 13. 3, 11. Non servat autem ordinem temporum. Nam Barac ante Gedeonem fuit, & Jephthes ante Sampsonem. Sic & 1 Sam. 12. 11. in Græco *τὸν Ἰεροβαὰλ* [*Jerobaal*] (id est, Gedeon) *καὶ τὸν Βαράκ* [*& Barac*] legerunt enim ברק [*Barac*] ubi nunc in Hebræo בדן [*Badan.*] Scribit autem Ἰεφθάε [*Jephthae*] quomodo & LXX. nempe *ε* illud ponitur pro litera ח, ut & in Νῶε [*Noe*] & vocibus aliis. De hujus voto & quomodo impletum sit, diximus sententiam nostram ad locum illum in Judicum libro. Ibidem invenies cur neque Gedeon neque Sampson credendi sint in Legem peccasse. ¶ *Δαβίδ τε καὶ Σαμουὴλ, καὶ τῶν Προφητῶν & David, & Samuel, & Prophetis*] Quibus omnibus Deus voluntatem suam significavit per afflatum, per vocem, interdum & per visa: Et illi fidem habentes res magnas gessere. *David* ante *Samuelem* nominatur, ut *Samuel* deinde meliùs connectatur cum *Prophetis* aliis.

33. *Οἳ διὰ πίστεως κατηγωνίσαντο βασιλείας, Qui per fidem vicerunt regna*] Vicere, Josue Reges multos nominatos Jos. 12. Barac Cananæos: Gedeon Madianitas: Jephtha Ammonitas: Sampson & Samuel Philistinos: David Philistinos, Amalecitas, Jebusæos, Moabitas, Idumæos, Syros: cujus Davidis fidem vivis coloribus depictam habes Psalm. 2. 18. 20. 21. Sic & nos per fidem vincere debemus Mundi hujus principem. ¶ *εἰργάσαντο δικαιοσύνην, operati sunt justitiam*] *Vitam egere honestam ac laudabilem* pro illorum temporum ratione. Ita enim sumitur *facere justitiam* Ezech. 18. 5. Sirach. 14. 17. 20. 30. Congruit hoc eximie Samueli & Josaphato. Idem nos facere debemus, sed secundùm sublimiora Euangelii præcepta. ¶ *ἐπέτυχον ἐπαγγελιῶν, adepti sunt repromissiones*] *Ingentes victorias consecuti sunt secundùm Dei promissa.* Hoc generaliter dictum specialiùs explicant sequentia. Majora promissa nos consequemur. ¶ *ἔφραξαν στόματα λεόντων. obturaverunt ora leonum*] Dicuntur id fecisse, quod à Deo obtinuere ut fieret. Respicitur historia Dan. 6. 22. ubi in Græco, *ἀπέστειλε τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἐνέφραξε τὰ στόματα λεόντων* [*misit angelum suum, & conclusit ora leonum.*] Sic & nos per fidem evadimus rictum Diaboli, qui *tanquam leo rugiens quærit nos devorare* 1 Petri 5. 8.

34. *Ἔσβεσαν δύναμιν πυρός, Extinxerunt impetum ignis*] Eadem figura: id est, *obtinuere ut ignis vim suam amitteret quasi extinctus esset*: quod evenit Ananiæ, Misaeli & Azariæ, ut videre est Dan. 3. 49, 50, 92. Sic & nos servabimur ab igne æterno. ¶ *ἔφυγον στόματα μαχαίρας, effugerunt aciem gladii*] *Effugêre enses acutos.* Id enim פי חרב [*os gladii*] Vide supra 4. 12. Sic David effugit enses Saulis: Elias & Michæas Achabi: Elisæus Jorami: Jeremias Procerum Judæorum: Esther, Mardochæus, & Judæi alii Amanis. Sic & nos iram Dei quæ gladio comparatur Jerem. 12. 12. & alibi. ¶ *ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας, convaluerunt de infirmitate*] Manuscriptus *ἐδυναμώθησαν, revaluere à morbis*, ut Job: Ezechias 2 Reg. 20. Addi potest Tobias. Et nos à malis animi convaluimus. ¶ *ἐγενήθησαν ἰσχυροὶ ἐν πολέμῳ, fortes facti sunt in bello*] Ut Jonathan 1 Sam. 13. & 14. Davidis militiæ Duces 2 Sam. 23. ¶ *παρεμβολὰς ἔκλιναν ἀλλοτρίων. castra verterunt exterorum*] Παρεμβολὴ sæpe apud interpretes Veteris Testamenti & scriptores Judaicarum historiarum Græcos non *castra*, sed *exercitus* significat, ut 1 Samuel. 4. 16. Gen. 32. 7. Sirach. 48. 21. & in Maccabaicis sæpe *κλίνειν* vox militaris, *in fugam agere*. Etiam apud Livium est *inclinatur acies*. *ἀλλότριοι* hic sunt זרים, *homines extranei à Dei cultu.* Sic nos fugare à nobis debemus cupiditates à Deo alienas.

35. *Ἔλαβον γυναῖκες ἐξ ἀναστάσεως τοὺς νεκροὺς αὐτῶν, Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*] Propiùs jam venit ad figuras & spei & patientiæ Christianorum. *Recepere fœminæ suos liberos ex morte ad vitam rursus mortalem*, 1 Reg. 17. 21. 2 Reg. 4. 34, 35. At nos recipiemus nosmetipsos in vitam immortalem. *ἐξ ἀναστάσεως* [*de resurrectione*] hic est *δι' ἀναστάσεως* [*per resurrectionem.*] Similis locutio Galat 3. 11. ¶ *ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, alii autem distenti sunt*] Τύμπανον esse *fidiculas*, per quas humana pellis ita extenditur ut bubula in tympano, diximus ad 2 Maccab. 6. 19. & firmavimus ex Aristophanis Scholiaste. Meminit & Plutarchus Dione, & in Epigrammate Græco Lucilius. Hinc *τυμπανίζειν torquere* apud Plutarchum de Adulatore. *ἀποτυμπανίζεσθαι* dicuntur, *qui ad mortem usque torquentur* Maccabaïcorum tertio, Lysiæ adversus Ageratum, Aristoteli Rhetoricorum 2. Quo sensu etiam hoc loco illud *ἐτυμπανίσθησαν* Syrus interpretatur. Non obscurè respiciuntur hic historiæ matris ac septem filiorum quæ sunt 2 Macc. 6 7. & in libro *περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ* [*de Rationis imperio,*] qui Josepho adscribi solet, & apud Thalmudicos. ¶ *οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν, non suscipientes redemptionem*] *Non acceptantes liberationem à pœnis* sibi oblatam sub conditione idololatriæ. Sic Eleazarus 2 Macc. 6. 30. *δυνάμενος ἀπολυθῆναι τοῦ θανάτου σκληρὰς ὑποφέρω κατὰ σῶμα ἀλγηδόνας* [*cum à morte possem liberari duros sustineo corpore dolores*] ¶ *ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωσιν. ut meliorem invenirent resurrectionem*] Tolerarunt ista mala hac spe, fore ut post suam mortem res Judaïcæ in meliorem statum restituerentur. Quæ figura quædam erat

ejus resurrectionis quam nos credimus, ut dictum ad Dan. 12. 2, 3. *ἀνάστασις* hic quod תקומה [*erectio*] Levit. 26. 37. Dicimur autem consequi & quod in posteris consequimur.

36. *Ἕτεροι δὲ ἐμπαιγμῶν καὶ μαστίγων πεῖραν ἔλαβον, Alii vero ludibria & verbera experti*] *Verberati*, Michæas 1 Reg. 22. 24. Jeremias 20. 2. Antiochi temporibus plurimi, Jos. Ant. 12. 7. 1 Maccab. 1. 34. 2 Maccab. 5. 24. *Irrisus* Elisæus 2. Reg. 2. 23, & alii Luc. 20. 11. *πεῖραν λαμβάνειν* est *sentire*. ¶ *ἔτι δὲ δεσμῶν καὶ φυλακῆς, insuper & vincula & carceres*] Ut Josephus & Jeremias, & illi de quibus 1 Maccab. 1. 34.

37. *Ἐλιθάσθησαν, Lapidati sunt*] Ut Nabuthes 1 Reg. 21. 13. Zacharias Sacerdos 2 Paralip. 24. 21. Alii: Vide Matth. 21. 35. 23. 37. Marci 12. 4. Luc. 13. 34. Quidam *lapidatis* accensent Jeremiam, sed incerto auctore. ¶ *ἐπρίσθησαν, ἐπειράσθησαν, secti sunt, tentati sunt*] Posterior hæc vox in textum irrepsit *ἐκ διττογραφίας* [*ex duplici scriptione.*] locum autem hîc non habet inter mortium genera. Syrus illud *ἐπειράσθησαν* [*tentati sunt*] non legit: sed nec Chrysostomus nec Theophylactus. *ἐπρίσθησαν* [*secti sunt*] verò ad Esaiam refertur, quem *serrâ sectum* à Manasse Scriptura non dicit, sed Judæorum traditio, quam sequuntur & Hieronymus & Ephiphanius. Et fuisse hoc supplicium non incognitum vicinis Judææ locis apparet Amos 1. 3. 2 Sam. 12. 31. 1 Paralip. 20. 3. ¶ *ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀπέθανον, in occisione gladii mortui sunt*] Achabi temporibus 1 Reg. 19. 10. Multi & Manassis temporibus. De utrisque agitur Matth. 23. 30. Act. 7. 52. Multi etiam temporibus Antiochi 1 Macc. 1. 32, 52, 61. 2 Macc. 5. 13. 6. 9. ¶ *περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*] Ad quos hoc pertineat explicat Clemens ad Corinthios partem verborum transcribens: *Μιμηταὶ γενώμεθα κἀκείνων, οἵτινες ἐν δέρμασιν αἰγείοις καὶ μηλωταῖς περιεπάτησαν κηρύσσοντες τὴν ἔλευσιν τοῦ Χριστοῦ λέγομεν δὲ Ἠλίαν καὶ Ἐλισσαῖον, ἔτι δὲ καὶ Ἰεζεκιὴλ καὶ τοὺς ἄλλους προφήτας* [*Imitatores simus eorum, qui in pellibus caprinis & melotis incedebant, adventum Christi prædicantes, Eliam dicimus & Elisæum, & Ezechielem, & reliquos Prophetas.*] Prophetæ vili habitu utebantur, qualis est ex *ovium* aut *caprarum pellibus*, de qua re diximus ad Matth. 3. 4 Nomen *μηλωτῶν* [*melotarum*] habes 1 Reg. 19. 13, 19. 2 Reg. 2. 8, 13, 14. *μηλωταὶ* in Glossario *pelles*. Paraphrastæ Chaldæi & Rabbini Græcam hanc vocem usurpant scribuntque מילא [*mila*] aut מילות [*milot*] aut מילותא [*milota.*] Cùm dicit *περιῆλθον* [*circuierunt*] ostendit eos *ἀστατῆσαι* [*incertis sedibus errasse*] ut Paulus loquitur 1 Cor. 4. 11. ¶ *ὑστερούμενοι, egentes*] *Rerum inopes* אביונים aut חסרים ut Deut. 15. 8. pro quo Psal. 34. 11. ponitur *ἐλαττοῦσθαι* [*minui.*] Hinc *ὑστέρημα, fortuna pauper* Jud. 19. 19. Luc. 21. 4. Vide de Elia 1 Reg. 17. 4. ¶ *θλιβόμενοι, κακουχούμενοι, angustiati, afflicti*] Hæc & sequentia partim ad Prophetas pertinent, de quibus egimus, partim ad Manassis, maximè verò ad Antiochi tempora. *Magnis in periculis versati sunt, magnis vexati incommodis.*

38. *Ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος, ἐν ἐρημίαις πλανώμενοι, καὶ ὄρεσι, καὶ σπηλαίοις, καὶ ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς Quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ*] Exempla vide dicto loco 1 Reg. 17. 3. 18. 13. 2 Reg. 6. 1. 1 Macc. 1. 53. 2. 29, 30. 2 Macc. 5. 27. 10. 6. Et efficaciter dictum: illi quorum quotidiana consuetudine homines cæteri digni non erant, ex urbibus vicisque exacti receptum nullum nisi in locis inviis & asperis specubusque & cavernis invenire potuerunt. Vide & de Davide 1 Sam. 22. 1. 23. 19. 24. 2. *Specus* intellige *è saxo* נקיקי הסלעים Esaiæ 7. 19. *Cavernas sub humum.*

39. *Καὶ οὗτοι πάντες μαρτυρηθέντες διὰ τῆς πίστεως. Et hi omnes testimonio fidei probati*] Vide supra 2. 4, 5. ¶ *οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν, non acceperunt repromissionem*] Alii, de quibus dictum supra 33. *accepere promissa*; hi verò non accepere: non licuit illis in terra promissa tuto consistere: succubuere iræ hostili. *κομίζεσθαι* hic & supra 10. 36. idem quod *ἐπιτυγχάνειν* [*nancisci.*] In Manuscripto non est *τὴν ἐπαγγελίαν* [*repromissionem,*] sed *τὰς ἐπαγγελίας* [*repromissiones.*] quomodo plerumque hic scriptor loquitur, ubi de veteribus promissis agit.

40. *Τοῦ Θεοῦ περὶ ἡμῶν κρεῖττόν τι προβλεψαμένου, Deo pro nobis melius aliquid providente*] Promissum illud verè cœleste & æternum nobis demum apertè revelare decreverat. Vide supra 7. 19. 8. 6. ubi simili sensu habes vocem *κρεῖττον* [*melius.*] ¶ *ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι. ut non sine nobis consummarentur*] Erant & illi veteres illorum æternorum bonorum participes, sed ita, ut nostri sint accessio. Nobis enim non illis facta sunt illa promissa. *τελειοῦσθαι* [*consummari*] hic sume ut supra 2. 10. 5. 9. Ita Deus illis veteribus nullam fecit injuriam: præstabit enim illis majora quàm promiserat.

CAP. XII.

VALLA.

1. **I***Deoque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus & circumdans nos peccatum*] Gr. *circumpositam*, *περικείμενον*. Nec *circumdans*; sed *facilè* seu *bene circumdans*, *εὐπερίστατον*.

2. *In auctorem fidei*] Posset etiam transferri *in principem* sive *ducem ductoremve*, *ἀρχηγόν*. ¶ *Confusione contemptâ*] *Confusionem* intelligamus *pudorem* sive *ignominiam*. Quanquam nunc propter verbum præteriti temporis antecedens poterat non indecorè transferre per participium præsentis temporis, certè ad majorem sententiæ lucem, sic, *ignominiam contemnens* seu *pro nihilo ducens*, *αἰσχύνης καταφρονήσας*.

3. *Ut non fatigemini, animis vestris deficientes*] Meliùs foret *desatigemini*, h. e. *labore deficiatis*. *Animis* etiam pro *animabus* dixit, haud dubie elegantiùs, *κάμνητε ταῖς ψυχαῖς*.

5, 6, 7, 8, 9. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini*, &c.] Propter hunc locum, & si qui sint similes, moris est quibusdam *disciplinam* appellare castigationem & correctionem; quàm autem rectè ipsi viderint. Nos autem sciamus pro *disciplina*, pro *castigatione*, pro *correctione*, pro *eruditione* unum atque idem Græcè esse vocabulum, *παιδείαν*, quod propriè *eruditio* est & velut *puerorum institutio*. ¶ *Adulterini* pro *illegitimi* sive, ut quidam JCti loquuntur, pro *spurii* parùm propriè dictum est. Veteres ipso Græco *nothi* utebantur, *νόθοι*, ut Cato testatur (quemadmodum est apud Quintilianum) inquiens, *Quæ caremus domestico, utimur peregrino.* Haud scio an Intrepres nec peregrino, i. e. ipso Græco, nec hoc quo quidam Jurisconsulti & alii quidam utuntur, tanquam parùm probabili uti voluerit. Fortè nunc magis fuit transferendum *liberi* quam *filii*, quia illegitimi tamen *filii* sunt sed fortasse non *liberi* vocandi, ut etiam idem Quintilianus notat.

17. *Scitote enim*] *Scitis* legendum est: etsi ambiguum est Græcè, non tamen sensus ambiguus, *ἴστε*.

18. *Accessibilem ignem*] *Accensibilem* sive *accensum* legendum est, *κεκαυμένῳ*.

REVIUS in VALLAM.

8. **A***Dulterini*] Erasmi & Bezæ codex habebant *adulteri*. Pessimè, hoc quidem loco, Beza *νόθοι* vertit *suppositii*; quod esset *ὑποβολιμαῖοι*.

ERASMUS.

1. **I***Mpositam nubem*] Περικείμενον, *circumpositam*, sive *circumdatam*, & *undique cingentem nos*. *Nubem* autem vocat ingentem multitudinem ac turbam testium. ¶ *Pondus*] Ὄγκον, *onus*, sive *sarcinam*. ¶ *Circumstans nos*] *Nos* non est in Græcis cod. & est *εὐπερίστατον*, *quod facilè circumsistat & hæreat atque amplectatur*, *quasi nolens abjici*. Proinde nos vertimus *tenaciter inhærente peccato*. Jam an satis quadret Aquinatis interpretatio qui *circumstans peccatum* exponit *occasionem peccandi*, aliis discutiendum relinquo.

2. *Autorem fidei & consummatorem*] Ἀρχηγὸν καὶ τελειωτήν. Non explicuit Interpres vim & festivitatem Græci sermonis, qui constat ex contrariis inter se vocibus, quarum prior composita est ex *principio*, posterior deducta à *fine*; perinde quasi dicas *inceptorem & finitorem*, ut idem Christus sit autor initii simul ac finis. ¶ *Confusione contemptâ*] *Confusionem* suo more probrum atque ignominiam vocat, cùm Græcè sit *αἰσχύνη*. ¶ *Atque in dextera*] Gr. *& in dextera throni Dei*, *ἐν δεξιᾷ τε τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ*. ¶ *Sedet*] Ἐκάθισεν, *sedit*, sive *consedit*. Quanquam, ut dixi, in his præteritum pro præsenti usurpatur.

5. *Consolationis*] Παρακλήσεως. Hîc sanè magis quadrabat *adhortationis*] Imò utrumque bene habet: etiamsi Theophylactus interpretatur de *exhortatione*. ¶ *Tanquam filiis loquitur, dicens*] *Dicens* apud Græcos non est. ¶ *Neque fatigeris*, Ἐκλύου, *deficias*, sive *defatigeris*.

6. *Flagellat autem omnem filium*] Μαστιγοῖ. Quod Hieronymus in Oseam vertit *castigat*; quæ vox mutatâ literulâ videtur à Græca deducta fuisse. Nam flagris cædi apud Romanos servilius est.

lius est. Cæterùm illud *recipit* positum est pro eo quod est *approbat, & non abdicat ac rejicit*.

7. *In disciplina perseverate*] Græcus cod. secùs habet, εἰ παιδείαν ὑπομένετε, *Si castigationem sustinetis*, consentientibus & Interpretibus Græcis. Nam paulò antè quod erat παιδεύει vertit *castigat*; & ab eo deductum παιδείαν vertit *disciplinam*, quem secuti quidam *disciplinam* vocant castigationem, non satis approbante Vallâ. Quanquam *disciplinam* reperire licet apud probos autores, præcipueque Suetonium, pro *severiore institutione gubernationeque cujusmodi solet adhiberi primis annis*. Augustinus enarrans Psalmum 118. *disciplinam*, interpretatur, *cùm quis molestiis eruditur*. Cæterùm quod Græcè est προσφέρεται, & Interpres reddidit *offert se*, Augustinus libro De tempore Barbarico, cap. 6. legit, *sicut filios vos aggreditur Deus*. Hoc enim agit Paulus, nè horrescant manum castigantis Dei: Non enim, inquit, admovet vobis manum ut hostis hosti, sed ut pater filiis, emendaturus, non perditurus.

8. *Ergò adulteri*] Opinor Interpretem vertisse *adulterinos*, pro *spurius & illegitimos*: Quos Græci simulque Latini vocant νόθους, quo verbo usus est Paulus.

9. *Eruditores habuimus*] Παιδευτὰς, ab eodem verbo παιδεύειν, quod significat *veluti puerum instituere*, quòd plagis & objurgatione nonnunquam opus sit.

10. *In tempore paucorum dierum*] Πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, *ad paucos dies*. ¶ *Secundùm voluntatem suam*] Κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, *ut ipsis videbatur*, h. e. suo arbitratu: nonnunquam & præter meritum. ¶ *In recipiendo*] Εἰς τὸ μεταλαβεῖν, *ut participes fiamus*.

11. *Pacatissimum*] Εἰρηνικὸν, *pacificum*, sive *pacatum*.

13. *Et gressus rectos facite*] Τροχιάς. Quod, ut indicat Theophylactus, aut *vestigium est rotæ currûs humi impressum*, aut *ipsa terra currentium pedibus conculcata*. ¶ *Ut non claudicans quis erret*] Ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ, *nè id quod claudum aberret*, h. e. nè claudicatio abducat à via, præsertim cùm sit angusta. Certis igitur & non vacillantibus passibus opus est in hac.

15. *Contemplantes*] Ἐπισκοποῦντες, *considerantes & curam agentes*. Translatum ab exercitu longum faciente iter. Nam hîc aliquot viris cura delegari solet prospiciendi nè desit commeatus. ¶ *Nè quis desit gratiæ Dei*] Μήτις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος, *ne quis sit deficiens* (aut *destitutus*) *à gratia Dei*, h. e. qui non possit assequi, velut in via sunt qui deficiant. ¶ *Impediat*] Ἐνοχλῇ, *obstet*, sive *obturbet*. Augustinus Serm. De Verbis Apostoli 16. pro *impediat* legit *molestet*.

16. *Vendidit*] Ἀπέδοτο, *reddidit*, i. e. in alterius rei vicem dedit. Etenim qui vendit aut permutat, pro eo quod accipit reddit aliquid. ¶ *Primitiva*] Πρωτοτόκια, *primogenitalia*, ut ita docendi causâ loquamur, h. e. jus primogeniti.

17. *Scitote*] Ἴστε γὰρ, *Scitis enim*. ¶ *Hereditare*] Κληρονομῆσαι, *hereditate accipere*.

18. *Ad tractabilem montem*] *Montem* in multis Latinis cod. abest. Nec Theophylactus addit *montem*, nec Chrysostomus: ψηλαφωμένῳ ὄρει, i. e. *ad montem contactum*, sive *qui tangebatur*, at non sine pernicie tangentium. Allusit enim ad montem Sina, & illud Psalmi, *Tange montes, & fumigabunt*. ¶ *Et accessibilem ignem*] Καὶ κεκαυμένῳ πυρὶ, *accensum ignem*. Origenes Hom. in Numeros 3. nec addit *montem*, & pro *accessibilem* legit *ardentem*; *Non enim accessistis ad ardentem & tractabilem ignem*. Miror autem quid idem secutus legat, *& multitudinem Angelorum collaudantium*. Et Augustinus lib. 1. Quæstionum in Gen. quæst. 168. legit ad hunc modum, *Sed accessistis ad montem Sion, & civitatem Dei Hierusalem, & ad millia Angelorum exsultantium*, cùm tale nihil sit apud Græcos.

19. *Se excusaverunt*] Παρῃτήσαντο, *deprecati sunt*, sive *recusarunt*. ¶ *Nè eis fieret verbum*] Μὴ προστεθῆναι αὐτοῖς λόγον, *nè sibi commendaretur sermo*, aut *ne sibi adderetur sermo*. Nimirum post talia præludia exspectabant duram orationem. Quanquam Græcus sermo nonnihil habet ambiguitatis, quòd αὐτοῖς ad Homines referri potest & ad Prodigia quæ præcesserant; ut sit sensus, *nè adjungeretur sermo talibus monstris jam visis*; aut, *ne ipsis sermo committeretur*, quem acerbum exspectabant.

20. *Non enim portabant*] Οὐκ ἔφερον γὰρ, *Non ferebant enim: non tolerabant*. ¶ *Quod dicebatur*] Τὸ διαστελλόμενον, *quod distinguebatur*, pro *præcipiebatur*. Expressit enim Hebraici sermonis figuram; juxta quam dictum est & illud, *Distinxit in labiis suis*. ¶ *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur*] Hic quidam Græci cod. addunt, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται, *aut jaculo configetur*.

21. *Quod videbatur*] Τὸ φανταζόμενον. Non est simpliciter *quod videbatur*, sed *quod videri videbatur*, sicuti videntur spectra, & visa, aut somnia. ¶ *Moyses autem dixit*] Suspicor hunc esse locum de quo senserit Hieronymus cùm ait à quibusdam hanc Epistolam non asscribi Paulo, quòd nonnulla citentur in ea veluti de Vet. Instrumento quæ apud Hebræos non habeantur. Siquidem Exodi cap. 20. ubi narratur historia traditæ Legis, nihil hujusmodi dicit Moses: ac nè tertio quidem ejusdem voluminis capite cùm in rubo videt Dominum: nam torquet huc eum locum Aquinas. Idque quoniam sensit parùm esse solidum, adjecit, *dixit saltem facto*: nè huic quidem filius commento addidit, *Vel fortè Apostolus utitur aliâ literâ, quam nos non habemus*. Sed utrùm apocryphâ utitur an approbatâ? Si apocryphâ, negat alicubi Hieronymus morem esse Apostolis apocryphorum uti testimoniis. Sin approbatâ, constat nostris exemplaribus aliquid approbatæ editionis deesse.

22. *Et multorum millium Angelorum frequentiam*] Καὶ μυριάσιν ἀγγέλων πανηγύρει. Mirè conjunxit μυριάσιν & πανηγύρει, cùm *myriades* aliquoties dicamus innumerabilem turbam. Alioqui *myrias* Græcis est numerus complectens decem millia: atque ità sanè adducit Ambrosius lib. De Cain & Abel. 2. cap. 2. Et πανήγυρις dicitur quoties diebus festis aut comitiis universus populus congregatur.

23. *Et Judicem omnium Deum*] Καὶ κριτῇ Θεῷ πάντων, *ad Judicem Deum omnium*. ¶ *Et spirituum*] Καὶ πνεύμασι, *& ad spiritus*. Dictu mirum quàm hic vigilarit Aquinas, indicans hujus loci triplicem esse lectionem. Primam esse Græcorum, *& spirituum justorum perfectorum*: ut sit sensus, *Accessistis ad Spiritum sanctum, qui facit perfectos in justitia*. Alteram hujusmodi, *& spirituum justorum perfectorum*: ut sit sensus, *Accessistis ad Deum, qui est Judex omnium, sed est quasi hereditas spirituum justorum perfectorum*. Tertiam, *& spiritus justorum perfectorum*, ut accipiamus nobis fore societatem cum spiritibus sanctorum qui sunt perfecti. Sed primam approbat, quòd sit, ut ait ille, *planior*, deinde quòd Græcorum: cùm ultima cum Græcis consentiat, juxta quam Chrysostomus interpretatur *animas piorum*. Nullus indignatur Thomæ, qui cùm Græcè nescierit, tamen indicat variam lectionem, idque nullius autoritate fultus: In me destomachantur, qui tot rebus ad hoc negotium instructus, indicem non quid ego somniem, sed quid legerint veteres ac probati utriusque linguæ scriptores.

24. *Et sanguinis aspersionem*] Καὶ αἵματι ῥαντισμοῦ, *& sanguinem aspersionis*, sanguinem qui aspergitur, Hebræorum more. ¶ *Melius loquentem quam Abel*] Κρείττονα λαλοῦντι παρὰ τὸ Ἄβελ, *meliora loquentem quàm sanguis Abel*: nam id palàm postulat articulus τό. Sanguis enim Abel dicitur loqui de terra, & efflagitare vindictam: at Christi sanguis loquitur expiationem. Ità non modò Græci, verùm etiam Thomas. Hoc incommodum vitare poterat si vertisset *Abelis*.

25. *Loquebatur*] Χρηματίζοντα *oracula reddebat*. Nec enim est simpliciter *loqui*, sed *ex oraculo respondere*.

26. *Adhuc semel & ego*] *Et* redundat. Porrò testimonium adductum est ex Aggæi cap. 2. Hebræa sic reddidit Hieronymus non dissentientibus LXX. *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram*. ¶ *Movebo*, Σείω, *concutio*, præsentis temporis.

27. *Mobilium*] Τῶν σαλευομένων, *eorum quæ fluctuant*, sive *concutiuntur*.

28. *Habemus gratiam*] Theophylactus legit ἔχωμεν, *habeamus*. Verùm in hujusmodi facillimus est lapsus.

VATABLUS.

1. **I**Mpositam] *Circumpositam*: i. e. cùm tantam copiam testium beatæ fidei, sive spei, habeamus. ¶ *Circumstans nos*] *Tenaciter inhærens nobis*. ¶ *Propositum nobis certamen*] Vel, *cursu nobis proposito*.

2. *Autorem*] *Ducem*: i. e. Christum ducem imitari debemus qui multa tulit, & vitam æternam est consecutus, quia credidit Deum esse veracem, & promissorum servantem. Græca vox significat, *inceptorem*. ¶ *Confusione*] *Probro*, vel, *ignominiâ*. ¶ *Sedet*] *Sedit*, Vet. vel *consedit*.

5. *Consolationis*] *Exhortationis*. ¶ *Disciplinam*] *Correptionem*. ¶ *Fatigeris*] *Deficias*.

7. *In disciplina perseverate: tanquam filiis*] *Si castigationem sustinetis, veluti filiis*.

8. *Extra disciplinam estis*] Vel, *alieni estis à castigatione*. ¶ *Adulteri*] *Spurii*, vel, *adulterini*: sic fortasse scripserat Interpres.

9. *Deinde patres quidem carnis nostra eruditores habuimus, & reverebamur eos: num,* &c.] *Itaque cùm carnis nostra patres habuerimus castigatores, & reveriti simus illos: an non,* &c ¶ *Obtemperabimus*] *Subjiciemur.* ¶ *Et*] *Et* pro *ut*, Heb.

10. *Et illi quidem in tempore paucorum dierum*] *Atque illi quidem ad paucos dies.* ¶ *Erudiebant*] Vel potiùs *castigabant*: ut referatur ad superiora. ¶ *In recipiendo sanctificationem ejus*] *In hoc ut participes simus sanctimonia ejus.*

11. *Pacatissimum*] *Tranquillum.* ¶ *Reddet*] *Reddit*: præs. temp. Vet.

13. *Ut non claudicans quis erret*] *Nè id quod claudum aberret*: i. e. nè claudicatio abducat à via, præsertim cùm sit angusta.

14, 15. *Deum: Contemplantes nè quis desit gratia Dei*] *Dominum: Curam agentes ne quis sit qui deficiat a gratia Dei.*

17. *Scitote*] *Scitis.* ¶ *Hereditare*] *Hereditate accipere.*

18. *Tractabilem*] *Contactum* (*qui tangebatur*, sub. *ad perniciem tangentium*: aut, *contactum montem*, per antiphrasin, quem nemo contingere audebat.] ¶ *Accessibilem*] *Accensum.* Vetera legunt, *accensibilem.* ¶ *Procellam*] *Tenebras.*

19. *Audierunt*] *Audierant*, Vet. ¶ *Excusarunt se, nè iis fieret verbum*] *Deprecati sunt* (vel, *recusarunt*) *ne sibi adderetur sermo.*

20. *Portabant quod dicebatur: Et si*] *Ferebant quod edicebatur: Etiam si,* &c. i. e. præcipiebatur. ¶ *Lapidabitur* *] * *Aut jaculo configetur.*

21. *Ita*] *Adeo.* ¶ *Quod videbatur, Moses dixit*] *Quod videri videbatur, ut Moses dixerit.*

22, 23. *Et multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum*] *Et ad innumerabilium angelorum cœtum, & congregationem primitivorum qui,* &c. ¶ *Spirituum*] *Spiritûs*, Vet.

24. *Mediatorem*] *Conciliatorem*, vel, *intercessorem.* ¶ *Sanguinis aspersionem*] *Sanguinem aspersionis*: i.e. quo aspergimur, Heb. ¶ *Abel*] *Abelis*: sub *sanguis.*

25. *Recusetis*] *Aspernemini.* ¶ *Loquentem*] Sub. *Christum.* ¶ *Recusantes*] *Rejicientes.* ¶ *Loquebatur*] *Oracula reddebat*: sive, *Dei voluntatem annunciabat.* ¶ *Qui de cælis loquentem nobis, avertimus*] *Si eum qui de cælis est, aversamur.*

26. *Repromittit*] *Promulgavit*] *Movebo.* ¶ *Concutio.*

27. *Mobilium translationem tanquam factorum*] *Eorum qua concutiuntur translationem*: i. e. ea quæ facta sunt. ¶ *Sunt immobilia*] *Non concutiuntur.*

28. *Immobile*] *Quod concuti non possit.*

CASTALIO.

1. D*Eposito omni onere, ambitiosoque peccato*] Mallem *nos ambiente*, & quasi tu dicas *circundante*, sicut arbores ambit hedera.

17. *Neque pœnitentia locum invenisse*] Nihil ei profuisse pœnitentiam.

18. *Non enim accessistis ad palpandum montem*] Tam densis tenebris obductum ut tactu non visu adeundus esset.

28. *Habeamus gratiam*] Scilicet Deo.

29. *Est enim Deus noster ignis edax*] Ideoque religiosè & solicitè colendus.

CLARIUS.

1. D*Eponentes omne pondus*] Solicitudinem scilicet rerum hujus vitæ, quæ animum deprimit suo pondere atque inertem facit.

7. *Tanquam filiis vobis offert se Deus*] Castigatio, inquit, tum demum vobis prodest, *si eam toleratis*, & agnoscitis etiam hoc *Divina* erga vos esse *dilectionis* indicium, qui *tanquam filiis se vobis offert.* Nam mos iste veri patris est, castigare filium *Quod si correptionem respuitis*, quam nemo unquam vir bonus effugit, vos ipsos ostenditis quasi *adulterinos, & non legitimos filios.*

9. *Patri spirituum*] Ad differentiam eorum quos *patres carnis* appellavit. Obtemperastis, inquit, iis parentibus qui tantùm cùm generaremini carnis ministerium suppeditarunt, qui nullum præstandæ vitæ jus habebant; quantò magis ei obtemperandum qui totos vos creavit, & vitam hanc dedit, & futuram etiam est largiturus?

10. *Et illi quidem ad paucos dies*] Præterea *genitores carnis paucis diebus* filios erudiunt; nam aut parentum mors, aut ætas filiorum sistit correptionem: *Et erudiunt illi ut eis videtur*, neque semper assequuntur id quod in primis sit *utile.* At hic nunquam vobis deest, atque utilitati duntaxat vestræ studet.

15. *Neque radix amaritudinis*] Hebraismus est, pro *radix amara.* Simile est quod alibi dicit, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.*

16. *Nequis fornicator, aut profanus, ut Esau*] *Fornicator* non refertur ad *Esau*; sed illud respicit quod admonuit, ut *sanctimoniam sectarentur.* *Profanum* autem vocat Esau, ut ventri deditum & gulæ.

17. *Non enim invenit pœnitentiæ locum*] Serò eum pœnituit, aut certè simulatâ pœnituit mente.

18. *Non enim accessistis*] Hoc ad superiora referas, sic. Idcirco moneo vos puram ac cœlestem agere vitam quæ respondeat tantæ Legi, tantoque Pontifici, *quia non accessistis*, ut majores olim vestri sub Mose, *ad Sina contrectabilem montem*, in quo apparuit *ignis, & turbo, & caligo*, & cætera, quæ, cùm daret Deus Legem, præsentiam Dei declarabant; quæ omnia umbræ erant; quæ tamen *perterruerunt & Mosen*; *atque ità erant terrifica ut ne bestiis* quidem *liceret montem tangere.* Quid faciendum est vobis, quàm vigilandum, quàm accuratè agendum, qui *accessistis ad cælestem Jerusalem, atque ad celebritatem millium Angelorum, & ad cœtum primogenitorum*, h. e. fidelium, quorum nomina in libro Vitæ sunt, qui non, ut Esau, primogenituræ jus amiserunt?

24. *Melius loquentem quàm Abel*] Dixerat *Abel mortuum adhuc loqui*: at Christi vox majorem habet majestatem & gloriam. Præterea sanguis Abel clamabat è terra adversus homicidam: at sanguis Christi pro nobis loquitur ad Patrem verba pacis & salutis.

25. *Qui super terram loquebatur*] Videbatur enim Deus descendisse in montem Sina. De cœlo autem loquitur Christus etiam adhuc: Vel quia, postquam ascendit in cœlum, misit Spiritum sanctum qui *legem dedit in cordibus nostris.*

26. *Cujus vox movit terram tunc*] Cum daretur Lex in monte Sina, tunc è terra, & per Mosen locutus est; nunc è cœlo, & per seipsum. *Et factus est*, inquit, *repente de cælo sonus.* Et mota est etiam terra ad novam Evangelii prædicationem. ¶ *Adhuc semel ego moveo*] Sunt qui intelligant de secundo Adventu, qui futurus est in gloria, cum *virtutes cælorum movebuntur*: tanquam dicat, Post hanc extremam commotionem quies erit perpetua. Sed non videtur congruere cum eo quod mox sequitur; quare de primo magis Adventu est intelligendum.

27. *Quod autem, Adhuc semel, dicit*] *Declarat*, inquit, per hæc verba, *faciendam esse translationem eorum qua concutiuntur*, ut Templi & Legalium ceremoniarum.

ZEGERUS.

1. N*Ubem testium*] Non *multitudinem testium* dixit, sed *nubem.* Nam cùm & Apostolus & ii quibus scribebat pressuratum æstu premerentur, sicuti manifestum fit ex fine capitis 10. ideo refocillabit nos, inquit, hæc *testium* memoria, veluti *nubecula* quædam æstuantibus circumfusa. ¶ *Curramus ad propositum nobis certamen*] Accommodatior est sermo Græcus citra particulam *ad*, ut dicatur, *curramus*, i. e. cursu expleamus, *propositum nobis agonem*: alioqui *ad certamen currere* est. Necdum certantem ad certamen properare. Deprehendimus quoque nec Latinis quibusdam explanatoribus lectum τὸ *ad* fuisse, nominatim Primasio & Anselmo: quare & superfluum id arbitror. Testantur hoc & vetusta exemplaria.

2. *Qui proposito sibi gaudio*] h. e. Cùm licuerit illi nil pati si voluisset.

3. *Recogitate enim*] *Enim* dixit pro *autem* ut aliàs non uno in loco.

5. *Noli negligere*] Μὴ ὀλιγώρει, i. e. *nè parvipendas. Negligere* tamen etiam est contemnere & non curare.

7. *In disciplina perseverate: tanquam filiis vobis offert se Deus*] In Græcis legendum non *εἰ*, sed εἰς παιδείαν ὑπομένετε· ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεός. Quorum loco Augustinus De tempore Barbarico, cap. 6. legit, *Disciplinam ejus sustinete: sicut filios, ità vos aggreditur Deus*; & Chrysostomi Interpres, *In disciplina*, inquit, *perseverate.*

8. *Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergò adulteri & non filii estis*] *Si*, ait, pressuræ & paternæ *correptionis estis expertes, cujus participes sunt omnes* veri ac legitimi filii, consequitur vos *haudquaquam* germanos *esse filios, sed adulterinos* ac nothos. *Adulteri* vocabulo Interpres abusus est pro *eo qui ex adulterio natus est*: nisi fortè *adulteri* depravatum sit ex *adulterini.*

10. *Hic autem ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus*] Græca nonnihil apertiora sunt: nam nostra ad Græcam expressa phrasim obscuritatem adferunt simplici lectori. Sic illa habent, ὁ δὲ ἐπὶ τὸ συμφέρον, εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ.

αὐτοῦ. quorum sensus ità reddi potest, *Hic autem ad militatem erudit, in hoc ut sanctitas ipsius recipiatur.*

12. *Propter quod remissas manus & soluta genua erigite*] Alludit ad verba Jesaiæ 35. 3. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Monet autem his verbis ut *manus* in bonis operibus *per inertiam torpentes excutiant* & ad pia opera exercenda strenuas reddant; *collapsa* quoque seu *inclinata*, idque sive per impatientiam sive per torpedinem, *genua* ad ambulandam viam Domini *surrigant* atque consolident.

13. *Gressus rectos facite*] Quod ad vocis significantiam attinet, videtur Interpres *gressus* hic posuisse pro *viis*, h. e. pro terra pedibus gradientium calcata; quemadmodum *itineris* & *viæ* vocabula interim actum eundi, interim terræ spatium per quod itur designant. Quod ut sentiam facit vox τροχιὰ hoc loco posita, quam Theophylactus aut ipsius interpres indicat significare *curruis impressum humi vestigium*, vel *tellurem ipsam cursorum pedibus conculcatam:* qui etiam explanando ità prosequitur, *Sint velim viæ vestræ leniores & plana, h. e. nihil quod durum tristeve sit & tortuosum animis vestris insideat, sed leni gradu & neminem offendente decurrite.*

15. *Contemplantes nè quis desit gratia Dei*] Ἐπισκοποῦντες μή τις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, i. e. *observantes*, vel *superintendentes, ne quis destituatur à gratia Dei.* ¶ *Nequa radix amaritudinis*] *Radicem amaritudinis*, sive *amaram*, pravam Voluntatem, Incredulitatem, Hæresim, aut Peccatum accipere possumus.

16. *Profanus*] i. e. Impurus, impius, & à sacris alienus.

17. *Non enim invenit pœnitentiæ locum*] h. e. Fructum in pœnitentia adsecutus non est.

18. *Non enim accessistis ad tractabilem montem accessibilem ignem*] Pro sermonis consequentia advertendum quòd Apostolus ab exordio hujus capitis ubi ait, *Tantam habentes impositam nubem testium*, in multis tacitè allusit ad ea quæ acta sunt in egressu Israelitici populi ex Ægypto. Et quod hactenus occultiùs ac tenuiùs fecit, nunc manifestiùs & profundiùs aggreditur, comparationem faciens legis Euangelicæ cum lege Mosaica, & eorum quæ circa Sinai montem acciderunt in latione Legis mediante Mose cum iis quæ per Christum peracta sunt in latione Legis novæ: & manifestat Euangelicam legem longè illâ præstantiorem, mansuetiorem, accessibiliorem, atque in nullo formidabilem: quò videlicet Hebræorum animos accendat ut hanc amplectantur atque in ipsa servanda persistant. Dicit ergò, Haudquaquam exterrentia ac formidanda signa Legislator noster Christus præmittere voluit promulgandæ legi Euangelicæ; sicut præmissa sunt in lege illa Mosaica promulganda; cujusmodi fuere *ignis* ille *palpabilis*, corporalis, visibilis & accensivus, *turbo*, *caligo*, *tubæ sonitus*, & id genus reliqua. Accessistis quidem ad ignem cum Christi excepistis prædicationem; (quippe *Deus noster ignis consumens est* v. 29.) at longè diversus est hic ab illo. Ille corporalis sensibusque corporeis perceptibilis, hic spiritualis est, non nisi spiritualibus tractabilis. Cæterum illud *accensibilem*, quod alias legitur, activè accipiendum est pro *ad accendendum & exurendum aptum.* Nam id res ipsa postulare videtur; & ità nonnullæ hoc genus voces usurpari solent, ut *risibilis* apud Dialecticos & *incredibilis* in literis arcanis. Etiamsi non ignorem κεκαυμένῳ à recentioribus verti *accensum.* Illud palàm arguunt vetustiorum ferè omnium commentaria & codices nostri vetusti, nec Græcis nec Latinis legendum *montis* vocabulum. De verbo autem *accessibilis* conjicere tantùm possum ex communi Græcorum lectione ab Interprete nostro *accensibilem* scriptum fuisse; id quod propiùs ad κεκαυμένῳ accedit, quod *accensum* propriè declarat; ità tamen ut *accensibilem* activè positum intelligamus, quemadmodum & *incredibilis* non rarò in Scriptura, & *risibilis* apud Dialecticos usurpatur. Ut apud Ecclesiasticum c. 2. 15. *Qui timent Deum, non erunt incredibiles verbo illius:* & in Epist. ad Titum 1. 16. juxta veterem scripturam, *cùm sint abominati & incredibiles.* In Commentario Chrysostomi titulum præferenti, Latinitate donato, *accessibilem* lego. Tandem in codice Gembiacensi *accessibilem* inveni.

20. *Non enim portabant*] Ferre haud poterant. ¶ *Lapidabitur*] Quod hic adjicitur, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται, scito in vetustioribus exempl. non haberi, nec in ed. Compl. ut probabile sit à studioso quopiam ex Exod. 19. prius ad marginem adnotatum, postea scribarum imprudenti diligentiâ textui insertum esse.

21. *Et ità terribile erat quod videbatur, Moyses dixit, Exterritus sum & tremebundus*] Hoc pacto compingi poterit oratio, *Ità terribile erat quod videbatur ut ipse etiam Moses diceret quod exterritus esset & tremebundus effectus.* Nec est quòd magnopere nos torqueat, hoc testimonium nusquàm reperiri in libris Veteris T. canonicis; cùm sufficere nobis debeat, undeunde sumptum sit, tam Apostoli hoc proferentis, quàm Ecclesiæ hanc Epistolam approbantis autoritas.

22. *Sed accessistis ad Sion*] Pendent hæc à superioribus ubi scriptum est, *Non enim accessistis ad tractabilem*, &c.

23. *Et spiritus justorum perfectorum*] Sub. *accessistis.* Tunc autem *acceditur ad spiritus*, h. e. animos *justorum perfectorum*que quando quis illorum imitatur conversationem.

24. *Et sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel*] Scito hic *Abel* esse paterni casûs, & referri debere ad *sanguinis aspersionem*; ut sit sensus, *Accessistis ad sanguinis Christi aspersionem* (vel, ut Græcè est inverso verborum ordine, *ad sanguinem aspersionis*) *melius loquentem quàm sanguis loquatur Abelis.* Sed quo pacto, inquies, utriusque horum Sanguis *loqui* intelligendus est? *Loquebatur Abel*, quando *vox sanguinis ejus*, teste Scripturâ Genes. 4. *clamabat ad Dominum e terra.* *Loquebatur sanguis Christi*, & *melius* vel, ut Græcè est, *meliora loquebatur*, quando è cruce & pro sanguinis effusoribus precabatur, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, Luc. 23. Sanguis Abel mortem & vindictam loquebatur; sanguis Christi vitam & misericordiam nobis omnibus precatur atque exorat.

H. STEPHANUS.

1. Τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν] *Peccatum quod nos facilè circumsistit:* vel *circumvenit:* ut incommoda dicuntur *aliquem circumvenire.*

5. Μὴ ὀλιγώρει παιδείας] *Nè contemnito castigationem.*

7. Ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται] *Erga vos se gerit tanquam erga filios.*

9. Εἶτα τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας εἴχομεν παιδευτὰς, καὶ ἐνετρεπόμεθα· οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑποταγησόμεθα τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων] *Itane cùm corporum nostrorum patres habuerimus castigatores, & reveriti eos simus, non multò magis nos subjiciemus Patri spirituum?*

12. Τὰς παρειμένας χεῖρας καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα] *Remissas manus & soluta genua:* vel, *languescentia.*

17. Μετανοίας τόπον οὐχ εὗρε] Id est, Efficere non potuit ut patrem Isaacum pœniteret.

20. Τὸ διαστελλόμενον] *Quod imperabatur.*

21. Οὕτω φοβερὸν ἦν τὸ φανταζόμενον] *Adeò terribilis erat illa species.*

23. Πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ] *Ad conventum & concionem.*

25. Μὴ παραιτήσησθε] *Ne aversemini.* ¶ Οἱ τὸν ἀπ' οὐρανῶν ἀποστρεφόμενοι] *Qui è cælis loquentem aversamur.*

DRUSIUS.

1. *NUbes testium*] *Nubes* Ebraicè עב dicitur à *densitate.* Igitur *nubes testium*, i. e. densitas, frequentia, multitudo. Syrus habet, interprete Tremellio, *omnes isti testes, qui veluti nubes circumpositi sunt nobis.* Livius, *peditum equitumque nubes.* Epiphanius, *nubes muscarum.* Hieronymus, *nubes locustarum*, i. e. multitudo. Statius 4. Thebaidos, *armorum nubes.* Virgilius 10. Æneid. *belli nubes.*

7. *Quis enim est filius quem non corripit pater?*] Filius qui verè filius est à patre castigatur: unde Salomo, *Filius sapiens, castigatio patris*, Prov. 13. 1. Et Ebræi dictitant, *Si videbis filium sapientem, pro certo habeto quòd eum pater castigaverit. Virga enim & castigatio sapientiam conciliant*, ut idem Sophos ait. Aliter judicabis si videbis filium non sapientem; nam talem pater in pueritia non castigavit. Si castigasset, evasisset sapiens. *Non filiis*, qui nunc est *spurius*; aut, ut cum Ben Sira loquar, *filius non filius:* quem ad triremes damnandum censet: hoc enim sonant verba illa, *Sine ut in aqua superficie remiget.*

9. *Patri spirituum*] i. e. Animarum. Nam animæ à Deo, qui propterea earum *Pater* dicitur. Opinio Ebræorum est, *Ad creationem Hominis tres concurrere, Deum, patrem, & matrem.* Quò accommodant illud, *Acquisivi virum cum DOMINO.* Ut hic *Pater spirituum*, sic Num. 16. 22. vocatur *Deus spiritûs omnis carnis*, i. e. omnium hominum: ubi Jonathan, *Deus qui ponit spiritum animæ in corporibus hominum:* & Jerosolymitana, *qui dominatur in animam omnis carnis.* Deus certè animam infundit, quæ potior & honoratior pars est Hominis. Vide 2 Corinth. 5. 6. & librum παιδείας· item Theodorum Phil. 1. 23. *Spiritus* pro *anima* sumitur etiam Cohel 12. 7. *spiritus redit ad Deum qui dedit ipsum.* Alibi ab *anima* distinguitur.

10. *Ad id quod utile est*] Deus aliter castigat bonos, & aliter malos. Bonos castigat ipsorum bono: nam amat eos. Unde tales

tales castigationes vocantur ab Ebræis יסורי אהבה *castigationes amoris*: de quibus alias. *Videntur* quidem *esse castigationes tristitiæ* (nam tristitiam adferunt iis qui castigantur) cùm revera sint *castigationes gaudii*, quia in gaudium desinunt, & *fructum tranquillum justitiæ reddunt iis qui per eas fuerint exercitati.*

16. *Propter unam escam*] *Unico edulio*, vel, si mavis, *pulmento ruso*: unde *Edom* appellatus fuit, i. e. Rufus.

18. *Et turbinem*] Καὶ γνόφῳ magis sonat *& caliginem*. Sed Interpretes usi videntur pro *turbine*: Nam Job. 9. 17. בשערה interpretantur γνόφῳ & Job. 27. 20. *turbo* iisdem γνόφος. Lex. V. Γνόφος, *nimbus*.

22. *Multorum millium*] *Decem millium*, i. e. multorum. *Decem* pro *multis*, h. e. numerus certus pro incerto. Nam est *summa numeri*, ut ait Abenezra, imò *finis omnis numeri*, ut R. David, *quia unitates omnes desinunt in Decem*. Cæterùm Interpres noster videtur legisse μυριάδων, quod cum sequentibus construxit, pro eo quod in libris Græcorum μυριάσιν ἀγγέλων, *myriadas Angelorum*.

CASAUBONUS.

5. **M**Ηδὲ ἐκλύου] Beza, *remissus esto*. Aliud sonat vox Hebraica quâ usus est hic, רפה.

7. Προσφέρεται ὁ Θεὸς] Non significat *offert se*, sed *versari cum aliquo*, & *se talem tuum ei præbere*.

CAMERON.

1. **K**Αὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν] In Complut. Editione est ἀπερίστατον. Voces sunt prorsus contrariæ, at significationis tamen non sunt contrariæ: nam εὐπερίστατον vertunt *quod nos adeò facilè circumsistit*, ἀπερίστατον verò *quod evitari non potest*: nam περιΐστασθαι Apostolo *evitare* est. Res utrobique pene eadem est.

JAC. CAPPELLUS.

1. **P**Roinde nos quoque] Hactenus didascalica pars hujus Epistolæ. Sequitur παραινετική. Non defuerunt quidem priori parti suæ cohortationes, nec deerunt huic sua documenta: sed denominatio fit à majori parte. Hactenus igitur in docendo potissimùm occupatus Apostolus, deinceps in cohortando potissimùm occupabitur. Hortatur autem I. ad tolerantiam, v. 1. II. ad sanctimoniam, v. 14. Ad tolerantiam, inquam, crucis, quòd ea sit vel martyrium honorificum, (idque ab exemplo *Martyrum* c. 11. commemoratorum, v. 1. & ab exemplo *Christi*, v. 2.) vel *castigatio* salutaris ac paterna, v. 5. ¶ *Cum habeamus circumstantem*] Περικείμενον. V. Interpres, *impositam*, quasi legerit ἐπικείμενον· minùs propriè. Nam quæ epitheta sunt communia, ea minùs sunt emphatica. Cuivis nubi convenit ἐπικεῖσθαι, ut quæ nobis sit altior: sed cuivis nubi non convenit περικεῖσθαι. vixque consideratur quàm sit alta nubes sed quàm lata, quàm apta ad nos circumquaque tegendos: unde & nomen accepit. Syrus & Arabs legerunt περικείμενον, ut & omnes, ni fallor, Græci cod. Syrus, inquam, & Arabs vertunt, *Cum habeamus omnes illos testes, qui nos circumstant velut nubes*. ¶ *Tantam nubem*] Apostolus respicit avium simul volantium multitudinem, quæ nubis instar terras obumbrat. ¶ *Martyrum*] i. e. *Testium*. Ea vox latè sumpta designat eos omnes qui suam in Deum fiduciam præclaro quopiam facinore vel constanti perpessione testati sunt, etiamsi non ad mortem usque progressa sit illa testificatio. Hoc modo *martyres* dici possunt omnes quos c. 11. celebravit Apostolus. Angustiore vel, si mavis, augustiore sensu sumptum *martyrum* vocabulum eos tantùm designat qui cruentâ morte Divinæ veritati testimonium perhibuerunt: quo sensu licèt paucos Martyres nobis describat Scriptura, certum est tamen Ecclesiam habuisse multos Martyres etiam ante Christi nativitatem. Sed perpessiones eorum plerasque silentio tegi voluit Dei providentia, nè præconiorum obtentu idololatriæ januam aperiret præposterus hominum zelus: quod vitium tantò fuit inter Christianos frequentius quò fuerat inter Israëlitas rarius. ¶ *Abjecto*] Cursor à viatore differt. Viator enim non tantùm vestes, utut talares, sed & onera quædam gestat ut plurimùm: Neutrum pati potest cursor expeditus; neutrum certè patiebantur qui stadium decurrebant. Utrumque igitur impedimenti genus à nobis removeri vult Apostolus ne quid cursum nostrum remoretur. Impedimento nobis nihil esse potest præter Peccatum, idque duplex: Vel enim habitus vel actiones respicit. ¶ *Omni pondere*] Vel potiùs *onere*, i. e. quovis habitu vitioso, qui nobis est instar oneris Ætnâ gravioris. Is autem duûm potissimùm est generum: Vel enim plus quàm par sit optamus, vel plus quàm par sit nobis arrogamus. Hæc onera duo lumbis quibusvis ac humeris prægravandis sunt plùs quàm sufficientia. ¶ *Et peccato*] *Peccatum* latè sumptum complectitur etiam habitus vitiosos: Angustiùs tamen sumptum aliquando distinguitur ab habitu quantumvis vitioso; ac tum ab Augustino definitur, *quodvis factum, dictum, cogitatum contra Dei legem*. Cùm autem 1 Joh. 3. 4. *peccatum* definitur ἀνομία, tum sumitur significatione quàm latissimâ. ¶ *Quod nos facilè circumstat*] i. e. Involvit & implicat multò faciliùs quàm ulla toga pedes & crura currentis, ad remorandum illius cursum. Notat quidem Robertus Stephanus unum exemplar quod legit ἀπερίστατον· quam sanè lectionem secutus est codex Complutensis, & ex eo Plantinus A. D. MDLXX. Sed V. Interpres, Syrus, Arabs, Chrysostomus, Oecumenius, & plerique Græci cod. habent εὐπερίστατον, quod & Apostoli scopo multò convenientius est Allegoriæ quam hic instituit. Ut igitur habitus vitiosi sunt instar onerum nos obruentium, sic subindè recurrentes actiones vitiosæ sunt instar vestis pedes nostros implicantis, nè possimus ad cursum propositum idonei esse. ¶ *Patienter decurramus*] Ἐυπερισφαλές. Nam patientiæ proprium est exspectare, currentis properare. Sed videlicet nulla similitudo à corporeis rebus petita rem incorpoream potest exæquare. Quamobrem variis opus est similitudinibus, iisque quandoque contrariis aut valde disparatis. Duo sunt imprimis vitia à quibus nobis est cavendum. 1. Nè simus præcipites: id efficit Patientia. 2. Nè simus otiosi: id efficit Diligentia. Utrumque nobis hic commendatur.

2. *Respicientes in Jesum*] Hactenus Martyrum; sequitur exemplum Christi. Conjicere quidem debemus oculos in Martyrum exempla, sed imprimis in Christum, qui nobis est non tantùm exemplum sed & Redemptor. ¶ *Principium & consummatorem fidei nostræ*] Qui nobis tum initia tum complementum fidei nostræ largitur. Cùm autem etiam Ethnici dicant, *Huc omne principium, huc refer exitum*, non est exspectandum ut id à quoquam qui se Christianum dicat disertè negetur. Sed is demum sincerè solideque veritatem hanc agnoscit qui profitetur Deum non tantùm paratum esse ad danda quibusvis fidei veræ tum initia tum incrementa, modò velint; sed iis qui fide mortui sunt, à Deo tum mentem tum voluntatem illorum ità sanatam ut ingenitam illorum ad resistendum Deo proclivitatem ac contumaciam perdomuerit, ac ex nolentibus volentes, ex infidelibus credentes ità reddiderit ut nè potuerint quidem obstare quò minùs in illis suum beneplacitum perficeret Deus, sive cùm id inchoare, sive cùm id instaurare, sive cùm id ad perfectionem suam perducere dignatus est. ¶ *Propositum nobis stadium*] Ἀγῶνα· quam vocem Syri suam fecerunt, ut & Chaldæi voces κῆρυξ, *cithara*, *psalterium*, *symphonia*, Dan. 3. 5, 7. quòd harum rerum usus, aut de rebus istis certamina fuerint à Græcis primùm inventa. *Agon* verò dicitur in genere totum certamen, sive palæstrâ, sive musicâ, sive curru, sive cursu fiat. Sed AGON Antonomasticè *cursum* designat, quod qui cursu vicerat, ab eo denominationem accipiebat Olympias quâ celebrata fuerant ista certamina: quod præmiorum omnium illustrissimum esse censebatur. V. g. Olympias LXXXVI. est ἐν ᾗ στάδιον ἐνίκα Θεόπομπος, teste Diodoro. Ab his stadiis petitæ translationes adeò frequentes sunt ut, Harpocratione teste, ἀπολελοιπότες dicantur οἱ νενικηκότες. Horatius,

——— *Mihi turpe relinqui est*,

i. e. vinci. ¶ *Qui pro gaudio* & honore *sibi proposito*] Hic ἀντὶ *pro* non significat *propter*. Nec enim opus habebat Dei Filius exinanitione ut postea compleretur tantò majore gloriâ; nec descensu, ut postea conscenderet in fastigium tantò sublimius; neque verò sibi proposuit hanc exinanitionis suæ finem, sed salutem nostram: nostrâ non suâ causâ subiit ærumnosum crucis jugum. Igitur hic ἀντὶ *pro* significat *loco*: q. d. Cùm his ærumnis carere posset, tamen eas ultro subiit. ¶ *Sustinuit crucem*] Cùm Judæorum molitiones & cogitationes omnes notissimas haberet, ærumnosam crucem subire non est dedignatus, ut vitam æternam nobis suâ morte repræsentaret. ¶ *Contempto probro*] Contemptis etiam doloribus & laboribus quos sibi videbat exantlandos, qui longè graviores fuerunt quàm foris paterent, cùm illi sanguineos sudoris grumos excusserint, quos nulli mortalium expressit labor ullus, dolor ullus. ¶ *Et ad dexteram throni Dei sedit*] i. e. Insedit thronum qui est ad dexteram Patris. Cumque fuerit hic Christi laborum exitus, nos quoque sperare debemus gloriosum nobis & salutarem fore laborum nostrorum exitum.

3. *Igitur*] Vel, *Enimvero*: quidnam enim cod. legunt γὰρ, plerique

plerique γάρ. ¶ *Revocate in memoriam illum*] Ἀναλογίσασθε τὸν, *cogitate* qualis quantuſque ſit, ¶ *Qui ſuſtinuit à ſceleratis tantam adverſus ſe contradictionem*: q.d. Reputate, 1. quam ſcelerati fuerint hoſtes Chriſti; 2. quantâ contentione Chriſto contradixerint; 3. quantâ conſtantiâ ſuſtinuerit illorum impe tus; 4. quiſnam fuerit hujus contradictionis exitus; 5. quam Chriſto facile ſit nunc quoque ſuos adverſarios eodem debellare. ¶ *Nè defetiſcatis animum deſpondentes*] Etiam electos alloquitur Paulus, adeoque potiſſimum electos. Ergone contingere poteſt ut defetiſcant, animumve deſpondeant? Poteſt ſanè, ſi ſpectes eorum fragilem naturam. Quo modo poterant oſſa Chriſti frangi, ſi ſpectes eorum naturam: Sed contingere non poterat ut frangerentur oſſa Chriſti, ſi ſpectes Dei ſuper ea re decretum & oraculum. Sic & contingere non poteſt ut totaliter ac finaliter deficiant electi, Matth. 24 24. ſi ſpectes immutabilitatem propoſiti quod eſt ſecundum electionem: quod ut effectum reddat Deus, varia adhibet media, ſed imprimis commi-nationes & cohortationes, ut hic & paſſim alias.

4. *Nondum ad ſanguinem uſque reſtitiſtis*] Occupatio. q.d. Multum quidem decertaſtis, ut & ſupra dixit 10 32, 33, 34. ſed *nondum ad ſanguinem uſque.* Dici verò poſſunt *ad ſanguinem uſque certare* qui ſunt in eo grege ex quo jam multi ad ſanguinem uſque certarunt, cùm reliquis idem indies impendeat. His igitur verbis innuit Apoſtolus gregem Hieroſolymitanum, ad quem ſcribit [multis quidem modis jam fuiſſe vexatum, ſed nondum ad necem uſque. Sane reſtiterant ad ſanguinem uſque Stephanus & Jacobus: ſed qui præterea? Et erant hi Paſtores; gregi verò ſcribit Apoſtolus. ¶ *Adverſus peccatum decertantes*] Poteſt hîc *peccatum* ſumi pro *peccatoribus* & *ſceleratis.* Sed & nobis eſt certamen, non tantùm adverſùs ſceleratos foris bellum indicentes, ſed & adverſùs Peccatum ipſum noſtris viſceribus inhærens.

5. *Et obliti eſtis*] Hactenus hortatus eſt Apoſtolus ad tolerantiam crucis, ut honorificæ; nunc hortatur ad tolerantiam crucis, ut paternæ caſtigationis Docet igitur eſſe ferendam, I. quòd à Patre, v. 5. II. quòd à tali Patre nobis immittatur, v. 9 Primam rationem ut validiorem reddat, eam auctoritate Scripturæ communit. Poſſunt autem hæc verba cum Interro gationis nota, vel ſimpliciter enunciari. Si notam Interrogationis addas, tantò vehementior erit cohortatio; ſin minus, reprehenſionem admixtam in ſe continebit iſta cohortatio. ¶ *Exhortationis*] V. Interpres, *conſolationis.* Sanè παράκλησις etiam *conſolationem* ſignificat. Nec conſolatione carent verba Scripturæ quæ laudantur ab Apoſtolo ex Prov. 3 11, 12. propriè tamen & directè pertinent ad exhortationem. Παρακαλεῖν tæ pius *exhortari* quam *conſolari* ſignificat. Harpocration, Παράκλησις, προτροπή. ¶ *Quæ vos ut filios alloquitur, dicens*] In hunc locum Fr. Ribera, *Tacitè reprehendit eos, quod in illa afflictione non adcurrant* (videtur ſcribere voluiſſe *recurrant*) *ad Scripturam, unde opem petere poſſunt adverſus omnes calamitates, ſicut* 15 4 Utinam ſic ſemper loquerentur Jeſuitæ! Sed meminerit Ribera Paulum alloqui gregem potiùs quam Paſtores, ac proinde non minùs Laicis quam Clericis commendandam Scripturæ lectionem; proſpiciendum ut beneficio verſionum eam legere poſſint non minùs Laici quàm Clerici; adeoque proſpiciendum ut qui legere neſciunt, ejus lectionem audiant cum fructu in S. Synaxibus; ut audiant, inquam, non paſtorum tantùm in Scripturam homilias; ſed Deum ipſum in Scriptura loquentem. At verò quid horum ſit in Eccleſia Romana? ¶ *Mi fili, noli negligere caſtigationem Domini*] Sæpe quidem מוסר, παιδεία, *diſciplina*, ſignificant *ſcientiam* vel *prudentiam*; ſed Metonymice: propriè verò *caſtigationem* ſignificant. ¶ *Neque deſpondeas animum cum redargueris ab illo*] Redarguit autem nos Deus cùm nos caſtigat. Hebr. ואל תקץ *neque te tædeat.*

6. *Dominus enim caſtigat quem diligit*] Fidelium igitur afflictiones non ſunt vindictæ quibus iræ ſuæ ſatisfacit Deus ob violatam juſtitiam ſuam, ſed ſunt paternæ correctiones, aut probationes honorificæ, quibus nos abjectioni Filii ſui conformes facit, ut ejuſdem gloriæ nos conformes faciat. ¶ *Et flagellat omnem filium quem ſuſcipit*] Cùm vox *omnem* nullo modo ſit in Hebræo, non eſt quod vim ejus nimis urgeas: ſed etiam ita capere poſſumus ac ſi dixiſſet Apoſtolus, *Et charißimum quemque filium flagellat.* Sed ſupereſt major difficultas; ut Hebræis conciliientur Græca. Hebræa Salomonis verba ſunt, וכאב את בן ירצה, VCEAB, &c. *& tanquam pater filium* quem *benevolentia proſequitur.* Interpres verò LXX-viralis ita locum hunc accepit, ac ſi כאב ſit CIEB, præteritum conjugationis Piel verbi כאב CAAB, quod ſignificat *dolere*: unde מכאב *dolor.* Sed nuſquam uſurpatur כאב activè pro *dolorem infligere.* Utut ſit, licèt ab Hebræo aliquantulùm diſcrepet hæc verſio, Paulus tamen eam, ut quæ ſola tum eſſet in uſu, non dubitat uſurpare, quia, rem ipſam quod attinet, utrobique ſenſus eſt idem.

7. *Si caſtigationem ſuſtinetis*] V. Interpres, *In diſciplina perſeverate.* Syrus & Arabs eodem ferè modo, niſi quod addunt particulam illativam *igitur.* Hinc colligit Fr. Ribera legendum, Εἰς παιδείαν ὑπομένετε· ſed non patitur id Helleniſmus. Quamobrem Chryſoſtomus, Oecumenius hodiernique Græci cod. conſtanter legunt, Εἰ παιδείαν ὑπομένετε· quod eſt concinnius ad ſermonis Apoſtolici connexionem. ¶ *Deus vobiſcum agit ut cum filiis*] q.d. Hoc ipſo quod Deus vos caſtigat, colligere debetis Deum non infenſo ſed paterno animo vobiſcum agere. ¶ *Quis eſt enim filius quem non caſtigat pater?*] Sapiens videlicet, cùm videt eum correctione indigere. Sed & correctionis variæ ſunt ſpecies, varii gradus, pro modo culpæ vel indolis filiorum, vel etiam pro modulo ſeveritatis aut indulgentiæ parentum.

8. *Quodſi caſtigationis eſſetis expertes, cujus participes ſunt omnes*] Nempe filii: cui ſunt, inquam, omnes obnoxii, & quam prudentiſſimus quiſque pater chariſſimis quibuſque filiis ſuis impertit, quoties id neceſſarium aut utile putat eſſe. ¶ *Certe ſpurii eſſetis, non autem* genuini *filii*] q. d. Tantum abeſt ut caſtigatio quam experimini vos adducere debeat ad dubitandum an Deus vos pro filiis habeat, ut contra dubitationibus iſtis futurus eſſet locus ſi veſtri curam abjiceret, neque dignaretur vos caſtigare.

9. *Præterea*] Hactenus nos hortatus eſt Apoſtolus ad tolerantiam Caſtigationis quòd immittatur à Patre, prout monuimus in v 5. Nunc ad eam nos hortatur quòd immittatur à tali Patre. Ferendum autem caſtigationem immiſſam à tali Patre probat, I. quòd is ſolus ſit *Pater*, i.e. creator, *animarum*, v. 9. II. quòd non niſi ſapienter ac *utiliter* nos caſtiget; III. quòd eximius ſit caſtigationis illius fructus, v. 10. ¶ *Si carnis hujus*] i.e. Corporis ſolius. ¶ *Patres caſtigatores habuimus, & reveriti ſumus*] h. e. Si quos, cum pueri eſſemus, *habuimus caſtigatores*, eos *reveriti ſumus* quòd eſſent noſtri *parentes*, licèt *corporis* ſolius reſpectu nomen iſtud obtineant, utpote qui ſolam corporis materiam ſubminiſtrent; ¶ *Annon multo magis ſubjiciemur Patri ſpirituum, & vivemus?*] h.e. Ut vivamus. q. d. Quantò magis reverenter cum omni ſubmiſſione patientiàque tolerare debemus caſtigationes immiſſas ab eo qui Pater eſt non ſolius corporis ſed etiam animæ? qui ſolus animam creat & infundit corpori, eoque ſolus nuncupatur *Pater ſpirituum*, ut hic, & *Deus ſpirituum omnis carnis*, Num. 16. 22. h.e. omnium hominum, ut Deut 5 26. Eſa. 40 5, 6 & 66. 16, 23, 24. Sic dicitur *pulvis in terram ſuam reverti, qualis prius erat; ſpiritus autem ad Deum reverti; qui dedit ipſum*, Eccleſ. 12. 7. Sic Eſa 57. 16. *Spiritus à me profectus induit carnem, & animas ego facio.* Solus videlicet per creationem Deus facit animas, dat ſpiritum, ejuſque *Pater* eſt ac *Deus* κατ' ἐξαίρετον. ¶ Animas ex traduce non eſſe docent tum ea quæ laudavimus Scripturæ loca, tum recta ratio; quod immateriales cum ſint, nè diduci quidem ac multiplicari poſſunt. Licèt autem ſolum corpus à parentibus proſeminetur, non deſinunt tamen hominem generare; adeoque non deſinit propagari peccatum, quòd hæc primigenia lex ſtatim initio conſtituta ſit ab Auctore naturæ, ut talem materiam tali modo coagmentatam ſubiret talis forma cœlitus immiſſa, & unumquodque animal gigneret ſibi ſimile. Ità vi legis hujus ut Homo generat Hominem, ſic peccator peccatorum, Rom. 5. 12.

10. *Nam illi quidem ad paucos dies* nos *caſtigabant*] Perpetua quidem eſt patrum, quamdiu vivunt, in liberos ſuos auctoritas & poteſtas, ſed non eadem perpetuo: Caſtigatoriam enim illam juriſdictionem non perpetuam obtinent, ſed *ad paucos dies*, i. e. annos. Pater verò cœleſtis cùm æternum vivat, æternam etiam in nos habet poteſtatem: Caſtigatoriam verò diſciplinam exercet in filios, non quidem in æternum poſt hanc vitam, ſed certè quamdiu vitam hanc mortalem degimus; tamdiu enim pueri ſumus. Reprobos autem manent æterna ſupplicia; at ea ſunt non paternæ caſtigationes in filios, ſed judicis ſeveri punitiones in adverſarios. ¶ *Prout ipſis videbatur*] Non autem ſemper prout æquum erat; cùm aliquando ſint indulgentiores, aliquando ſeveriores juſto, prout hic in hanc, alter in alteram partem potiùs peccat aut inclinat: adeoque pater idem non ſemper eſt idem, ſed eum invadit modò mollis indulgentia, modò præceps ira, ut etiam in liberorum caſtigationibus, nonnunquam etiam in propitiis parentibus, locum habeat affectus potius quàm ratio. ¶ *Hic autem*] Pater cœleſtis. ¶ *Ad commodum noſtrum*] Nunquam patitur ſe tranſverſum in iram abripi; filios ſuos nunquam niſi prout ipſis expedit caſtigat. ¶ *Ut ſanctitatis ipſius participes fiamus*] Pater corporis ad filium

filium hereditatem terrenam aliquando transmittit, dotes suas internas transmittere non potest: Pater verò spirituum non modò cœlestem illam hereditatem, sed imprimis internam sanctimoniam cum filiis suis communicat, & ad eam rem paternis suis castigationibus utitur.

11. *Omnis autem castigatio*] Occupatio: q. d. Quomodo potest esse salutare quod tam amarum est, adeoque tam sævum? Fatetur Apostolus amaram esse crucem, sed eo modo quo pharmaca quoque vel omnia vel pleraque sunt amara, cùm contra mellita pleraque sint insalubria. ¶ *In præsens quidem*] Si præsentis tantùm temporis habeatur ratio. ¶ *Videtur esse non gaudii, sed tristitiæ*] Videtur nihil habere mellis, sed merum fel; nihil quod lætitiam afferre possit, sed solam tristitiam. Et certè non jocatur Deus cùm castigat; neque nos inter castigandum jocari debemus, aut iis qui castigantur illudere, prout Judæi Christo, Romani cruciariis, quos inter se vel cum bestiis pugnare jubebant ut ex illorum supplicio risum ac voluptatem captarent: sed rem seriam agere debemus quàm maximè seriò, ut tantò sit utilior vel ei qui castigatur, vel aliis quibus esse jubetur exemplo. ¶ *At postea*] Post aliquot dies annosve; certè post hanc vitam, si fortè calamitates ad tumulum usque nos urgeant. ¶ *Producit*] non suapte virtute, sed ejus qui bono nostro nos castigare dignatur. *Producere* dicitur autem etiam id quod antecedentis rationem habet, non efficientis causæ, 2 Cor. 4. 17. ¶ *Pacificum justitiæ fructum*) Potest quidem hic *justitia* dici quæ

——Συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν,

ut *fructus justitiæ pacifici* sint opera pietatis & sanctimoniæ: Sed quia pertinent hæc ad consolationem potiùs quàm ad cohortationem generalem, ideo *justitiam* malim accipere pro *beneficentia Dei*, quæ corda nostra voluptate perfundit ac tranquillat. ¶ *In quo sunt exercitati per illam*] q. d. Quemadmodum agones gymnici quibus exercentur athletæ reddunt eorum corpora robustiora, sic hæc afflictionum palæstra, in qua Deus nos exercere dignatur, reddit nos multò quàm pridem validiores & invictos. In hoc vel maximè præstant Divinæ castigationes humanis: Humanæ sæpius spectatoribus utiles sunt quam iis qui castigantur; Deus verò filios adultos cùm castigat efficit ut iis potissimùm salutares sint castigationes suæ, nunquam inutiles, nedum noxiæ.

12. *Quapropter*] Conclusio cohortationis inchoatæ statim initio capitis hujus, vel etiam capitis 10. 24. Conclusionem hanc, ut eò plus habeat ponderis, verbis Propheticis instituit Apostolus, jubens Hebræos, & in eorum persona nosquoque, eà firmitate mentis afflictiones tolerare, & in vera fide perseverare, ut etiam aliis firmandis, erigendis, à lapsu cohibendis idonei simus. ¶ *Surrigite manus solutas & genua labantia*] Sunt hæc ex Esa. 35. 3. petita, quem locum versio LXX-viralis incommodè vertit, Ἰσχύσατε χεῖρες ἀνειμέναι, καὶ γόνατα παραλελυμένα παρακαλέσατε. Meliùs Hieronymus, *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Pro duobus verbis Apostolus unicum, sed significantissimum, posuit, ἀνορθώσατε, Firmantur *manus* ut *sursum erigantur*; & *genua labantia*, dum firmantur, etiam *surriguntur*. Apostolus igitur ità Græcæ versionis voces aliquot retinuit ut quod in illis vitiosum erat emendaret. Cùm autem Isaias jubeat nos ità stare ut etiam alios statuminare possimus, eodem referri possunt etiam Apostoli verba. Et certè quemadmodum in turba nemo ità cadit quin alterum in se trahat, & dum stamus etiam circumstantibus stabilimento sumus, idem usu venit etiam in hac vita. Nam etiamsi plus possint exempla mala quàm bona, tamen etiam bonis exemplis Deus nonnunquam ità benedicit ut multis sint documento.

13. *Et rectas orbitas facite pedibus vestris*] Ut alios firmare possis, tu ipse firmus sis necesse est: ut aliis rectam viam commonstres, primus eam ineas oportet.

Primus jussa subi.

Πείθουσιν οἱ τρόποι λέγοντος, ὁ λόγος. Usurpat autem Apostolus appositè verba versionis LXX-viralis ex Prov. 4. 26. ¶ *Ne quod claudum est*] Quod incipit claudicare. ¶ *Planè pervertatur*) Ac penitus immutetur à sua legitima forma. Siquidem τρέπειν est *mutare*, *ἐκτρέπειν prorsus immutare*. Utitur hoc verbo versio LXX-viralis Amosi 5. 8. *ἐκτρέπων εἰς πρωῒ σκιὰν θανάτου.* ¶ *Sed sanetur potius*] Nos enim non decet esse similes *fatuo idolorum pastori*, qui *confractam* ovem *non sanat*, Zach. 11. 15, 16. sed Deo potius *claudicantem colligenti, & depulsam suscipienti*, Mich. 4. 6.

14. *Pacem sectamini*] Hactenus ad Perseverantiam in fide sive Tolerantiam afflictionum hortatus est Apostolus. Deinceps hortatur nos, I. ad Pacem, II. ad Sanctimoniam, v. 14. III. ad varias officii nostri partes cap. 13. 1. Pacem quod attinet, quia videtur ea nos fugere, ideo jubemur eam *sectari*, Psal. 34. 14. ¶ *Cum omnibus*] Etiam cum malis, adeoque modis omnibus *pacem sectari* debemus, etiamsi nobis sint aut videantur esse damnosi, modò fiat id sine dispendio Divinæ veritatis & sine cujusquam injuria. Licet enim tibi de tuo largiri pacem ut redimas, de alieno largiri tibi non licet nedum de Dei jure. Ideo jubemur quidem *pacem colere cum omnibus*, sed additur *εἰ δυνατόν*, h. e. quantum id salvâ conscientiâ fieri potest Rom. 12. 18. ¶ *Et sanctimoniam*] Hujus νουθεσίας duæ sunt partes, 1. hortatio, 2. hortationis fundamenta. Hortatur, inquam, nos Apostolus ad vitæ *sanctimoniam*, quæ potest quidem Vitio cuivis opponi, sed imprimis Libidinis impuritati *Potes autem sanctus evadere, sive celebs sis sive conjugatus*, ut rectè notat Chrysostomus. Est enim utrique vitæ generi sua castitas, sua sanctimonia. Horatius,

Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

Castam autem matronam etiam *sanctam* dicebant Ethnici, ut & virum à præpostera & volgivaga Venere abhorrentem & ab aliis hujusmodi flagitiis aut sceleribus. Multò magis Christianos ità loqui par est, quoties castitas oritur ab earum quæ Deo displicent sordium odio, studioque probandi eitam nostram non tantùm hominibus sed & Deo. Hujusmodi certè castitas *sanctimoniæ* nomine dignissima est. ¶ *Sine qua nemo Deum videbit*] Admittetur enim ad cœlestem Hierusalem nemo nisi sanctimoniæ pacique studuerit ex animo, Matth. 5. 8, 9. Apoc. 21. 27. & 22. 15. Cæterùm si propriè loqui velimus, *Deum nemo vidit*, Joh. 1. 18. siquidem *visus* de corpore propriè dicitur. Sed comparatè figurateque diceris ea *videre*; 1. quæ melius nosti quam alius; putà, si pictum hominem videas, melius ejus formam concipis quàm si verbis multis ea tibi describatur; 2. Meliùs adhuc, si videas eum in speculo: 3. *Κυριώτερον* adhuc diceris aliquem *videre* si videas eum sine speculo, utut ambulantem à tergo; 4. Multò magis, si faciem ejus in bono lumine collocatam oculo sano contempleris. Hic est perfectissimus aut maximè proprius cognoscendi modus. Eadem analogia potest in variis notitiæ Dei speciebus observari, & ità quidem ut cùm assecuti sumus supremum notitiæ Dei gradum cujus creatura mera, ψιλὸς ἄνθρωπος, capax est, tum demum dicamur *Deum videre facie ad faciem*, 1 Cor. 13. 8. Sic Israëlitæ cum quovis alio populo comparati dicuntur *Deum vidisse facie ad faciem*, Deut. 5. 4. Num. 14. 14. & Moses cum quovis alio viatore comparatus, Num. 12. 6. Deut. 34 10. cùm tamen ei disertè dicatur Exod. 33. 20, 23. *Non poteris videre faciem meam.*

15. *Prospicite nè quis excidat à gratia Dei*] Ἐπισκοποῦντες μή τις ὑστερῶν, h. e. Ἐπισκοπεῖτε μή τις ᾖ ὑστερῶν, vel ὑστερήσῃ. Jubet igitur nos non tantùm nostrâ sed & fratrum causâ solicitos esse. At vetat nos ἀλλοτριοεπισκοπεῖν, *aliena curare, eaque quæ nihil ad nos attinent*, ut loquitur Terentius. Sed inspectionis in alios ut finis sic modus est duplex: vel enim fit animo maligno, ut carpas, ut labantem subvertas, ut denique noceas; vel fit animo benevolo, ut lapsum prævenias, vel ut jacentem erigas, ut denique prosis. Prior illa ratio tam vitiosa est quàm posterior hæc laudi digna. Ὑστερεῖν autem *excidere* dicitur à meta etiam is qui metam non attigit. ¶ *Ne qua radix amara suppullulans obturbet*] Usurpat Apostolus Mosis verba Deut. 29 18. nisi quòd Moses duobus verbis amaritudinem exprimit, לענה ראש, *fel & absinthium*. LXX. ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ. Paulo suffecit vox πικρία. Rursus pro פרה LXX. ἄνω φύουσα ἐστιν. Paulus, ἄνω φύουσα ἐνοχλῇ appositè. Lolium aut venenum dum latet à nemine timetur; ubi sursum attollitur, tum incipit timeri, eoque negotium facessit. Hic enim amaritudo designatur quæ non palato tantùm ingrata est, sed & cordi noxia, qualis est venenorum amaritudo. ¶ *Et per hanc inquinantur multi*] Prout ferè fit ut *paulum fermenti totam massam fermentet*, 1 Cor. 5. 6. Juvenalis,

——Veluti grex totus in agris
Unius scabie cadit & porrigine porci.

16. *Ne quis sit scortator*) Id eò magis urget Apostolus quòd videbat apud Ethnicos Scortationem inter ἀδιάφορα recenseri, non inter flagitia. Eodem pertinet canon synodicus Actor. 15. 28, 29. ¶ *Aut profanus*] Βέβηλος. Ea vox aliter Locis, aliter Personis tribuitur: Locus βέβηλος est is quem adire cuivis licet; homo βέβηλος est μιαρός, ἀκάθαρτος. ¶ *Ut Esau*] Sumus quidem omnes naturâ *profani*; sed nemini Scriptura tribuit hoc elogium qui seriò renunciarit impietati suæ. Sic sumus

quidem

quidem *omnes ira filii naturâ nostrâ*; sed neminem ἀπλῶς Deus odisse dicitur cujus odium mutaverit in benevolentiam. Fit enim denominatio non à transvolante sed à permanente qualitate, ut Matth. 25. 34, 41. Cum igitur Deus dicatur *Esavum odisse*, Mal. 1. 2. Rom. 9. 13. cùm Scriptura vocet hîc eum *profanum*, quid obtendere possumus quò minùs eum inter reprobos relegemus? ¶ *Qui uno edulio*] Eoque vilissimo. Sic Judas minimâ mercede inductus est ad maximum nefas. Sed etiamsi merces proposita nobis videatur esse quantivis pretii, nobis tamen nullius pretii debet esse sic comparetur cum æterna retributione. ¶ *Vendidit suum jus primogenituræ*] Id verò, teste Targum Hierosolymitano in Gen. 49. 3. complectebatur non tantùm Primatum & Duplicem portionem, quæ civilia videri possunt, sed & jus Sacerdotii: eoque sacrosanctum filiis debebat esse jus illud; nec à patre nisi θεοπνεύστως fiebat juris illius translatio. Sed sive transferret pater jus illud, sive conferret illud suo primogenito, non fiebat id sine solenni quapiam benedictione, tum maximè cùm sibi mortem instare putabat pater. Postquam Leviticæ Tribui fuit alligatum Sacerdotium, ex illo jus Primogenituræ minoris fuit venerationis & momenti.

17. *Scitis enim eum quoque postea fuisse reprobatum*] Quemadmodum Dei donum, *suum Primogenituræ jus*, *sprevit & pro nihilo duxit Esau*, Gen. 25. ult. sic & ipse quoque spretus à Deo fuit & *reprobatus*, Gen. 27. 37. Judæi notant, Esavum hoc primogenituræ suæ contemptu testatum se non credere Resurrectionem mortuorum, ut R. Levi testatur apud Rabbam in Gen. §. 63. ¶ *Quantumvis cuperet* primariæ *benedictionis heres esse*, vix secundariam, eamque merè terrenam, impetrare potuit, Gen. 27. 39. ¶ *Non enim reperit pœnitentiæ locum*] Non dicitur Esau *quæsivisse quâ ratione posset resipiscere, eamque rationem invenire non potuisse.* Eam enim quisquis seriò quærit, etiam invenit. Studium illud nonnisi cœlitus illabitur in corda nostra; & cui dat Deus ut quærat, dat etiam ut inveniat. Sed Esau quæsivit, & quidem seriò, rationem quâ posset inducere patrem *ad pœnitentiam*, h. e. ad sententiæ mutationem, quòd scilicet fraude maloque dolo benedictionem sibi surripuisset Jacobus; sed impetrare non potuit ut sibi restitueret Isaac ereptam Jacobo benedictionem. ¶ *Licet cum lacrymis exquisivisset illam*] Μετάνοιαν, *pœnitentiam* patris. Nam de sua solicitus non erat: sed multis lacrymis, eoque vehementer, expetebat ut semel latam sententiam revocaret Isaac. Hoc illud est quod nunquam impetrare potuit, idque merito. Sed etsi pronomen *illam* referas ad remotius antecedens, h. e. ad εὐλογίαν *benedictionem*, insolens id videri non debebit, cum similia passim occurrant exempla: imprimis 2 Thess. 2. 8, 9. De porta salutis loquens Christus Lucæ 13. 24. *Multi quærent*, inquit, eam, *ut intrent*, *sed* intrare *non poterunt.* Videlicet quia quærunt illam ut beneficium, ut gaudium, ut thesaurum tantùm. Faxit verò Deus ut eam insuper quæramus ut officium, ut sanctimoniam, ut modum placendi ac serviendi Deo. Ita si quæramus, etiam inveniemus, & aditum consequemur.

18. *Enimvero*] Hactenus hortatus est Apostolus ad Sanctimoniam: deinceps hortationem suam hoc firmamento fulcit: Jubet enim nos perpendere quantò præstantius sit beneficium ad quod vocamur eo beneficio quod Judæi magno fastu prædicabant & ostentabant: qui præcipuus est scopus & argumentum hujus Epistolæ. ¶ *Non accessistis*] Non credidistis accessuri: q. d. Israelitæ, cùm ad Orebum montem terrenum accesserunt Legem audituri, prius jussi sunt toto triduo sese sanctificare, in casto esse, lotionibus & id genus aliis purificationibus operam dare, ut quàm sanctissimi post triduum accederent ad montem Orebum, ut habetur Exod. 19. quantò magis danda nobis est opera ut evadamus quàm sanctissimi, cum longè præstantiora sint ea quæ nobis offeruntur iis quæ passim ostentantur à Judæis? ¶ *Ad montem*] Mons Oreb hic à multis adjunctis describitur: ea verò revocari possunt ad duo genera, 1. quòd sit terrenus, 2. quòd sit tremendus. Vocem tamen hanc omittunt Chrysostomus, Syrus, Arabs. Sed habet eam V. Interpres, & Oecumenius, & plerique omnes Græci codices. ¶ *Contrectabilem*] Eoque materialem ac terrenum. ¶ *Et accensum ignem*] Tremendum montem reddebant tria potissimùm, quòd scilicet 1. flammarum undantibus globis esset circumseptus, 2. fumosis vorticibus inhorresceret, 3. tonitruum fragore circumstreperet. ¶ *Et turbinem, & caliginem, & procellam*] Erat quidem veluti perpetuus *turbo*, *procella* continua, sed modò *flammeos*, modò fumosæ *caliginis* vortices eructans: nisi fortè velimus pro locorum potius quàm temporum varietate distinguendas istas diversitates, ut montis ejus aliqua pars *flammis* æstuaret, altera tenebris inhorresceret. Utrumvis admittas, hæc erant typi pœnarum quæ manent Legis Divinæ, quæ tum promulgabatur, contemptores. Si quid *flammâ* penetrantius & καυστικώτερον, si quid tenebris horribilius est, id undique premet & obruet impios, Psal. 11. 6. Chrysostomus & Oecumenius apposité notant caliginem fuisse typum illius obscuritatis quâ tum involvebatur V. Testamentum. δηλοῖ δὲ καὶ ἀόρατον τῦ Θεῦ.

19. *Tubæque sonitum, & vocem verborum*] His verbis describitur fragor tremendus tum inarticulati tum articulati soni. Uterque sonus terribilior erat quàm ut eum diutiùs ferre possent aures humanæ, maximè verò populi multis infirmis constantis. ¶ *Quam qui audierunt, deprecati sunt, nè amplius sibi fieret sermo*] Exod. 20. 19. Deut. 5. 23, 24. Justam fuisse timoris hujus causam patet ex eo quod deprecationem istam non improbavit Deus, Deut. 5. 28, 29. Videlicet sentiebant illi Deum nec à se nec ab hominibus ullis adiri audirive posse sine Mediatore.

20. *Non enim ferebant*] Ferre poterant. ¶ *Quod imperabatur*] Exod. 19. 13. ¶ *Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur*] Tremendum quidem erat quòd Hominibus, si cancellos præscriptos transgrederentur, denunciabatur tam præsens & capitale supplicium; quia tamen Homines rationis & legum sunt capaces, videri poterat id utcunque ferendum: quòd verò nè *bestiam* quidem ullam impunè laturam sancitur *si montem attigerit*, id videbatur supra modum terribile. Ergone leges etiam Bestiis feruntur? Minimè vero. Feruntur Hominibus, quorum interest nè bestiæ ruant in exitium. Ità nunc quoque leges humanæ sanciuntur, *Si quadrupes pauperiem fecerit. Si bos cornupeta quempiam occiderit aut læserit:* ut videlicet earum bestiarum domini prospiciant nè quod ab iis cuiquam inferatur damnum. ¶ *Aut jaculo configetur*] Particulam hanc non habet V. Interpres, nec Arabs, nec Syrus, nec Chrysostomus. Sed habent eam hodierni codd. Græci plerique, ut & Oecumenius, eaque constanter in omnibus cod. exstat, Exod. 19. 13.

21. *Quin etiam (adeò terribile erat quod videndum se præbebat) Moses* ipse *dixit*, *Expavefactus sum & tremebundus*] h. e. Territus est ac expavefactus ipse Moses. Ad quod verò tempus referendus hic Mosis pavor? Non ad id quo totus populus contremiscebat: tum enim Moses mediatorem agebat, & trementem populum confirmabat: *Ne timeatis*, inquit Exod. 20. 20. Quamobrem ex quo Moses in Ægyptum reversus cœpit apud homines mediatorio munere defungi, nusquam timidus, semper intrepidus nobis describitur. Antequam verò cœpisset sequester esse, typicus ille quidem, sed sequester tamen, tum aliquando timore percellebatur. Ut cùm vidit innotuisse quod Ægyptium occiderat, Exod. 2. 14. Imprimis autem ubi primùm in oculos illius incurrit visio quæ montem Orebum terribilem reddebat, *abscondit Moses faciem suam, quia verebatur intueri Deum*, Exod. 3. 6. licèt ea visio tum minùs esset terribilis quàm postea. Sed & Elias, licèt illi minùs tremenda quàm Mosi offerretur visio, tamen præ timore *faciem obvolvit pallio*, 1 Reg. 19. 13.

22. *Sed accessistis*] Hactenus ea de quibus gloriabantur Judæi, in quibus illi nihil considerabant præter apparatum Fœderis Legalis, adeoque corticem externum illius apparatûs. Sequuntur ea de quibus gloriari potest Ecclesia Christiana tum ratione gloriæ quam exspectat in cœlis, tum ratione gratiæ quâ jam fruitur in terris, beneficio Fœderis Euangelici, quod hactenus sub Fœderis Legalis typo velatum tum demum incipiebat plenè revelari & Orbe toto promulgari. ¶ *Ad montem Sionis*] Is opponitur hic Orebo monti. Uterque quidem est *contrectabilis*, si propriè sumatur: Sed *Sion* hic figuratè sumitur, & designat id cujus erat typus, Ecclesiam videlicet: Oreb autem hic consideratur simpliciter ut typus, aut corporeus; quia Judæi plerique nihil amplius in illo spectabant. Rursus, quia Sion ab illis ostentabatur ut mons sibi peculiariter datus, Apostolus κατ' ἀντανάκλασιν docet esse quidem magni pretii montem illum, sed eum esse proprium verorum Christi membrorum, non hostium ejus, ut ex Psal. 2. 6. Esa. 2. 3. colligitur. Sed & si *Sion* consideretur ut typus, Orebo tamen præstantior est, quod Oreb propriè sit sedes & typus Fœderis Legalis, Sion autem sedes Propitiatorii, eoque Fœderis Euangelici typus. ¶ *Civitatem Dei*] Ecclesia tum militans tum triumphans vocatur modò *domus Dei*, Joh. 14. 1. 1 Tim 3. 15. Heb. 3 6. modò *civitas Dei*, *Sanctuarium Excelsi*, Psal. 46. 4. & 87. 3. ¶ *Viventis*] Sic & 1 Tim. 3. 15. q. d. Nos sumus cives illius qui nec ipse moriturus est unquam, nec passurus suos in umbra mortis jacere. ¶ *Hierusalem cœlestem*] Epitheton hoc est διακριτικὸν, ut opponatur terrenæ, quæ tum erat maximâ certè sui parte potius inimica quam pars Ecclesiæ, & ut *Agar serviebat cum suis*, Gal. 4. 25. *Hierusalem* autem Antonomasticè dicta complectitur tantùm eos qui *vere liberi sunt*, *in libertatem à Filio vindicati*, Joh. 8. 36. Ea verò dicitur *cœlestis*, ut hic; *superna*, Gal. 4. 26. *descendens è*

cælo, Apoc. 3. 12. Et hoc quidem elogium perfectè convenit Ecclesiæ triumphanti, Apoc. 20. 9. & 21. 10. Sed etiam in terris militans Ecclesia *cœlestis* vocatur, 1. ob originem, 2. ob spem, 3. ob finem in quem collimat. ¶ *Et myriadas Angelorum*] Ad has propriè quidem accedit Ecclesia triumphans, ut quæ fruatur Angelorum visione, consortio, felicitate: tum enim erimus *æquales Angelis*, Luc. 20. 36. Nunc verò non *ad Angelos accedimus*, sed ad nos accedunt Angeli quoties ità Deo videtur, Heb. 1. ult. 2 Reg. 6. 17. Dici tamen possumus *ad Angelos accedere* quatenus viam inimus tendentem ad beatam illam cum Angelis consociationem.

23. *Panegyrim & Ecclesiam*] Athenienses aliique Græciæ populi, qui licèt Imperatoribus parerent tamen pristinæ libertatis umbram & democratiæ speciem aliquam retinebant, de maximis quibusque rebus deliberabant in Senatu, decernebant apud populum, cujus conventus *ἐκκλησία* dicebatur. Cùm autem, ut in Panathenaicis, invitabatur populus ad spectaculum aliquod solenne, tum conventus ille dicebatur πανήγυρις· & si qua tum habebatur oratio, ea dicebatur πανηγυρικὸς λόγος. Ecclesia suum in cœlis habet Imperatorem; in terris autem ejus regimen erat sub Apostolis democratio non absimile: Eò lubentiùs usurpat Apostolus eas voces quarum usus erat in iis populis quorum regimen erat Democraticum. *Ecclesia* verò vocabulo bifariam utuntur Apostoli. Cùm enim agitur de nostris erga Dei populum officiis, tum *Ecclesia* vocabulo designant eos omnes qui se credere profitentur in Christum, ut 1 Tim. 3. 15. Cùm autem agitur de Dei paternis erga suos beneficiis, ut hic, tum *Ecclesia* vocabulo designant eos solos qui verè credunt in Christum, solos, inquam, electos. Ii verò considerari possunt ut de rebus maximis ad salutem pertinentibus agentes, & sic propriè dicuntur *Ecclesia*; vel ut ad spectaculum multò illustrissimum invitati vel admissi, & sic propriè dicuntur *panegyris*. ¶ *Primogenitorum*] i. e. Electorum, ut qui supra reliquos homines eas habent prærogativas quas olim primogeniti supra reliquos fratres, nempe 1. Potiorem partem hereditatis, 2. Principatum, 3. Sacerdotium. ¶ *Cœlis inscriptorum*] h. e. Quorum *nomina scripta sunt in cœlis*, Luc. 10. 20. *in libro vitæ*, Phil. 4. 3. Apoc. 13. 8. ¶ *Et ad Deum omnium Judicem*] Appositè subnectitur hoc elogium superiori, nè Democratici regiminis obtentu libertatem in licentiam transformemus, sed meminerimus nos in omnibus Deo subesse. Enimvero sive consideremur in athletæ, spectatoresve certaminis alicujus illustris, is est noster ἀγωνοθέτης· sive consideremur ut de rebus maximis agentes, is est Princeps Senatûs, &, ut ità dicam, Tribunus plebis: sive consideremur ut militantes, is est Imperator noster, *omnium* denique, πάντων καὶ ἐν πᾶσι, *Judex*, πάντως ἐν πᾶσι πρωτεύων· sed ità tamen ut nobis futurus sit non minùs gratus illius aspectus quàm supremum & absolutum illius Imperium. ¶ *Et spiritus justorum consecratorum*] Τετελειωμένων, *ad perfectionem suam perductorum*: quod vix fidelibus tribuitur in hac vita. Dicuntur quidem hic τέλειοι *perfecti* 1 Cor. 2. 6. Phil. 3. 15. Col. 1. 28. & 4. 12. Heb. 5. 14. comparati videlicet cum filiis hujus mundi, vel etiam cum iis qui sunt quidem vel fuerunt Ecclesiæ cives, iique veri, sed cognitionis respectu velut infantes si cum adultioribus comparentur. Τετελειωμένοι verò tum demum dicuntur cum metam attigerunt, comparati videlicet cum iis qui sunt adhuc in stadio: quamquam re verà post resurrectionem demum erimus ἁπλῶς τετελειωμένοι *consummati*.

24 *Et ad Jesum Mediatorem*, eumque verissimum, non typicum, *novi fœderis*] h. e. Euangelici, quod certè novum est, Jer. 31. 31. si comparetur cum Legali cumque toto Ceremonialium umbrarum apparatu, cujus *mediator*, h. e. sequester ac nuncius, erat Moses; & hoc ipso typus erat Christi, qui Fœderis Euangelici non tantum nuncius sed & auctor est, conciliator, consummator. ¶ *Et ad sanguinem aspersionis*] Αἵματι ῥαντισμοῦ, h. e. quo primum terra fuit aspersa, dein etiam nunc asperguntur corda nostra. Vulgata versio, Syrus, Arabs, *aspersionem sanguinis*, i. e. sanctificationem quæ fit sanguine Christi. Neque propterea necesse est illos legisse ῥαντισμῷ αἵματος, cum alterum ex altero consequatur, etiam intactâ vulgatâ lectione Græcâ. ¶ *Meliora*] i. e. Gratiora, κρείττονα. Chrysostomus κρεῖττον, ut & Oecumenius. ¶ *Pronunciantem quam Abel*] Παρὰ τὸν Ἄβελ. Syrus & Arabs, *quam sanguis Abelis*. Sic quoque Chrysostomus, Oecumenius, & alii plerique. Adeoque bis Oecumenius legit παρὰ τὸν Ἄβελ. Neque propterea necesse est reliquos legisse παρὰ τὸ (αἷμα) Ἄβελ. Nam Abel post necem nihil aliud locutus legitur quam quod sanguis ejus postulasse vindictam dicitur, Gen. 4. 10. Cùm autem jam Lex plus satis vindictam postularet adversùs nos, nihil erat opus ut eam flagitaret effusus Christi sanguis. Unicus igitur Christi pro nobis sanguinem suum fundentis finis fuit, ut nos mortis æternæ reos Deo reconciliaret. Sic *Filius hominis venit, non ut judicaret*, i. e. condemnaret, *mundum, sed ut servaretur mundus per eum*, Joh. 3. 17. Nam nisi venisset Filius, servari non poterat mundus: etiam si Filius non venisset, plus satis reus erat mundus.

25. *Videte* igitur *nè respuatis eum vos alloquentem. Nam si illi* qui Mosem audiebant in deserto *non effugerunt* Dei vindictam, *cùm respuerunt eum in terris loquentem*] Adeoque dura suis auditoribus imponentem onera. *Respuerunt* autem *Mosem* Israelitæ quoties rebellarunt, quoties murmurarunt, quoties in castris tumultuati sunt: quòd cùm illis frequenter acciderit, Act 7 39. impunè nunquam ab illis factum est. ¶ *Multò magis nos* non effugiemus iram Dei, sed gravissimas luemus pœnas, *si Christum qui de cœlo* loquitur *aversemur*] *Loquitur* autem *de cœlo* tum quia pro nobis apud Patrem intercedit, & *pronunciat multò gratiora quam Abel*, tum quia suum Euangelium promulgandum curat, idque per Spiritum sanctum cordibus nostris obsignat; & sic pronunciat multò gratiora quàm Moses, eoque tantò digniora quæ reverenter excipiantur ab omnibus.

26. *Cujus vox terram concussit tunc*] Occupatio. Quid nobis minaris, dixerit aliquis, si respuamus eum qui nihil habet metuendum? Resp. Etiamsi non ideo venerit Christus ut suos electos exterreat aut perdat, sed ut eos soletur ac servet, non desinit tamen præditus esse potestate meritò metuendâ, cum qua nihil comparandum habet Moses. Nam etiam cum Lex est promulgata, tremefecit terram non Moses, non Angelus aliquis, sed Dei Filius. *Terram* verò tum σαλευθῆναι, *concussam* sive *commotam fuisse*, patet non tantùm ex hoc loco, sed etiam ex Psal. 68. 8, 16. & 104. 4, 6. Externus ille terræ motus designabat aliam commotionem, eamque majoris momenti, quâ repudiatis reliquis terræ populis unum Israelem sibi vindicavit & adoptavit Deus, Deut. 32. 8. 9. ¶ *Nunc autem pollicitus est, dicens*] h. e. Respiciens autem ad ea quæ nunc fiunt, & propediem fient, per Aggæum 2. 6. pollicetur, dicens, ¶ *Adhuc semel*] Aggæi Vetus Interpres, *Adhuc unum modicum est*, admodum obscurè. Clariùs verteris, *Adhuc semel*, idque *brevi*. Ubi τὸ *idque brevi* non exprimitur ab Apostolo, quòd hic necessarium non sit, sed omitti non debuerat ab Interprete LXX-virali, quod ad intelligentiam Prophetæ multum faciat. ¶ *Ego concutiam non solum terram, sed etiam cœlum*] Aggæus, *Et commovebo cœlum & terram, mare & aridam. Quin etiam commovebo* (vel *concutiam*) *gentes omnes, & adveniet desiderium omnium gentium*, i. e. Christus: q d. Modicum intra tempus, si comparetur cum seculis Aggæi Prophetiam antegressis, adveniet Messias gentium omnium amore longè dignissimus, ad cujus adventum adhuc semel concussurus sum cœlum & terram non minùs mirabiliter, adeoque mirabiliùs, quam sub Mose. Quoties quidem exoriuntur aliqua signa, tum in cœlo, tum in terra, toties dici potest *commoveri cœlum & terra*; sed innuit Deus ante totius hujus Universi conflagrationem nobis observandos duos motus qui κατ᾽ ἐξαίρετον dici possunt *commovisse cœlum & terram*. Quid ergò? dixerit aliquis, Diluvium nonne dici potest *cœlum & terram commovisse* terribilius quàm unquam postea? Potest: sed nec recurrendum est ad rerum humanarum usque primordia. Sufficit si recurramus ad Judaicæ vel Abrahameæ gentis initia. Post natum igitur Isaacum ante mortuorum resurrectionem videndum quinam sint duo præcipui motus reliquis omnibus notabiliores aut etiam mirabiliores. Ii certè sunt quos hic notat Apostolus, 1. sub Mose, 2. sub adventum Christi primum, qui potest complecti totum illud spatium quod fluxit ab *adventu Christi in carnem*, i. e. ab incarnatione, ad *adventum in Regnum*, de quo Matth. 16. 28. Spatium istud est octoginta circiter annorum, intra quos Deus *commovit cœlum & terram*; 1. Quia re verà multa tum contigerunt valde terribilia A. D. XVII, XXXVII, LXIX, LXX, LXXX. 2. Quia multa præterea contigerunt quæ non terræ tantum sed & cœlorum incolas in admirationem rapuerunt majorem quàm unquam antea. 3. Quia tum rejectus est à Deo tam populus ille qui fuerat hactenus Dei populus, isque solus; quàm Dei cultus qui fuerat ab ipso Deo cœlitus institutus, nempe tota lex Ceremonialis: quæ certè duo dici meritò possunt *commovisse cœlum & terram*. Ità σαλευομένην *terram* dicimus terram & gentem Israëlis, quæ cum quavis alia comparata dici poterat *terra viventium*, sed typica. Post excidium verò Templi nè typicè quidem debuit hoc elogium illi tribui. Σαλευομένους *cœlos* dicimus ritus Mosaicos, qui *cœlum* quidem, adeoque *Regnum cœlorum* dici poterant, sed typicè. Ἀσάλευτον *terram* dicimus cœtum Christianorum, fidelium, electorum, cujus typus erat Israël secundum carnem. Ἀσάλευτοι verò dicuntur quòd ex quo Christus eos per regenerationem ac veram fidem fecit corporis

poris sui membra, deinceps ab eo non possunt finaliter adeoque nè totaliter quidem avelli. Ἀσάλευτον *cælum* est cultus spiritualis, Rom. 14. 17.

27. *Porrò illud* ADHUC SEMEL *declarat earum rerum quæ concutiuntur translationem*] Τῶν σαλευομένων μετάθεσιν, h. e. τῶν σαλευτῶν ἀθέτησιν. Vide supra 7. 12, 18. & 12. 18. ¶ *Utpote quæ facta sint, ut maneant ea quæ non concutiuntur*] q. d. Cùm Deus dicit *adhuc semel*, indicat exorituram quidem mutationem insignem, sed unam tantum; se res quæ videbantur immutabiles ita commutaturum ut tantò majorem indat firmitatem iis quæ non concutiuntur. Quamobrem cum Esa. 43. 19. testetur Deus *se facturum omnia nova*, adeoque se *creaturum novos cælos & novam terram*, Esa. 65. 17. testatur Apostolus 2 Cor. 5. 17. *facta jam omnia nova.* Nè verò quis deinceps alias subinde consimiles novitates exspectaret aut moliretur, *novis* istis *cælis* & *novæ terræ perpetuitatem immutabilem* pollicetur Deus Esa. 66. 22 ad consummationem videlicet usque seculorum, quæ nobis κυριώτερον novos cœlos, novam terram est datura. Ea siquidem simpliciter ἀσαλεύτως æternum permansura sunt.

28. *Quapropter*] Conclusio cohortationis ad Sanctimoniam inchoatæ v. 14. ¶ *Assumentes*] Amplectentes fide, vel cùm acceperimus, cùm habeamus, cùm obtineamus. ¶ *Regnum*] Viam ad Regnum cœlorum, adeoque jus ad Regnum illud per adoptionem. ¶ *Quod concuti non potest*] Quæ via mutationem nullam est expertura, quo modo nec jus ad Regnum illud mutationem ullam experitur. Abolita quidem est illa via quam instituerat Moses; via verò quam instituit Christus nunquam est abolenda. ¶ *Teneamus* arctè firmiterque *gratiam* illam] Nam ea certè tantum est Dei beneficium ut κατ᾽ ἐξαίρετον dicatur *gratia & veritas* Joh. 1. 17. ¶ *Per quam exhibeamus cultum placentem Deo*] Cultus ceremonialis, licèt Deo gratus esset quatenus institutus ab ipso, tamen cum spirituali comparatus etiam à Prophetis negatur placere Deo, Esaiæ 1. 11. Psal. 40. 6 & 50. 7. & seqq. Cultus autem spiritualis ità semper Deo placuit & placiturus est ut κατ᾽ ἐξαίρετον dicatur *placens Deo* Rom. 12. 1. & 14. 18. ¶ *Cum pudore & timore*] Dei Majestas jubet nos *cum pudore* sive *reverentia* ad eum accedere: Dei potestas etiam *timorem* à nobis exigit, non servilem quidem illum qui solam pœnam respicit, sed filialem, qui Patri displicere, Patrem offendere metuit.

29. *Etenim Deus noster ignis* est *devorans*) (Nec tamen absumens, quin potiùs nè prorsus absumantur impediens) eos qui timoris expertes cum Deo temere se gerunt, aut ejus manum effugere putant. Ii verò qui *timoris & reverentiæ* plenâ fide ad Deum accedunt, Deum experiuntur non *ignem devorantem*, sed lucem sanctificantem ac vivificantem. Quod ut experiamur faxis ille ipse Deus Opt. Max. pro sua in Christo misericordia. AMEN.

LUD. CAPPELLUS.

1. NΈφος μαρτύρων] Metaphora est ducta ab Avibus magnâ multitudine volantibus, quæ alis suis umbram instar nubis faciunt. Cujus locutionis exemplum exstat Esa. 60. 8. ubi Propheta prævidens animo magnam Gentium multitudinem, quæ ad Euangelii prædicationem ingressura erat in Ecclesiam, comparat eos nubi columbarum volantium ad columbarium, *Quinam sunt illi*, inquit, *qui instar nubis volant, & sicut columbæ ad foramina sua?* h. e. sicut nubes columbarum volantium ad nidos suos: ubi est ἓν διὰ δυοῖν, *instar nubis & sicut columbæ* pro *sicut nubes columbarum.* ¶ Ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα, &c.] Apostolus hic per ὄγκον & ἁμαρτίαν idem intelligit, nativam nempe corruptionem nostram, atque indè promanantes pravos & carnales affectus, qui nos in spirituali hoc stadio remorantur. Ὄγκος primò & propriè significat *crassam & corpoream molem* seu *materiam*, qualis est ceræ veluti seu argillæ massa, ex qua variæ desumuntur particulæ ut ex iis varia effingantur atque efformentur. Sic à Luciano usurpatur hæc vox in Halcyone, τὰ παιδάρια τὰ παρ᾽ ἡμῖν τὸ πλάττειν ἐπιστάμενα, πηλὸν ἢ κηρὸν ὅταν λάβῃ, ῥᾳδίως ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολλάκις ὄγκου μετασχηματίζει πολλὰς ἰδέων φύσεις. Est igitur nativa nostra corruptio, atque indè promanantes carnales & mundani affectus, velut crassa quædam & gravis moles quâ anima nostra veluti gravatur & retardatur, nè tam pernici cursu ad scopum propositum feratur: nihil enim motûs velocitati tam est contrarium quàm pondus. Cumque affectus illi carnales & mundani sese conspiciendos & agnoscendos maximè præbeant in hac corporis seu carnis nostræ mole atque massa, cui sunt veluti insiti atque congeniti & inhærentes: ideo non abs re videntur dicti ab Apostolo ὄγκοι, tum ob eorum effectum, quod gravis molis & pondens instar animam prægravent nostram, tum etiam ob eorum sedem, quæ est corporis hujus moles & massa. ¶ Eandem Apostolus vocat εὐπερίστατον vel, ut alii legunt, ἀπερίστατον, Metaphorà ductà à laciniosis & talaribus vestibus, quæ currentibus in stadio non sunt aptæ, proptereaque deponuntur ante cursum: currentis enim cruribus & tibiis περιΐστανται *circumplicantur*, eaque involventes currentem remorantur. Ἁμαρτία ergo εὐπερίστατος dicitur, quod nos *facili negotio undiquaque circumcingat*, & in virtutis veræque pietatis stadio currentes, instar laciniosæ vestis cruribus nostris veluti sese circumponentis, multum nos remoretur. Quod si ἀπερίστατος cum aliis legatur, sensus eodem redibit. Hoc nempe volet Apostolus, laciniosam & fluxam illam peccati vestem non posse nisi difficulter admodum cohiberi ac veluti substringi nè diffluat, sed ejusmodi esse ut nullâ arte contineri possit quin continuo rursus defluat, sicque nobis perpetuo impedimento sit in spirituali nostro cursu. Itaque censet Apostolus deponendam esse nobis in stadio decursuris tum gravem illam massam atque molem, tum laciniosam & fluxam atque sinuosam Peccati vestem, quæ nonnisi remorari & prægravare nos in hoc spirituali cursu possunt.

21. *Adeo terribile erat* τὸ φανταζόμενον *id quod videbatur*, &c.] Agnoscunt interpretes & commentatores in hunc locum, nihil in libris Mosis, aut alibi in Scriptura, exstare de hoc Mosis metu, & quidem vere. At aliquid ea de re exstat in veterum Judæorum libris. Nam in מדרשות sive רבות, h. e. *mysticis expositionibus Pentateuchi Mosaici*, in רבה במדבר, h. e. *expositione mystica libri Numerorum*, §. 12. ad c. 7. v. 1. libri Numerorum, adferunt explicationem Psal. 91. (quem totum intelligunt de Mose & exstructione Tabernaculi Mosaici) in qua explicatione, ad verba illa Psalmi, v. 2. *Qui dicit Domino, Refugium est meum & arx mea, confidam ego in eum*, sic commentatur aut nugatur potiùs R. quidam פרחיא F. Nahicha, nomine R. Juda F. R. Simeon, שיר זה של פגעים *hoc est Canticum Cacodæmonum* (h. e. quod cantari solet ad avertendos Cacodæmonum insultus) *Dixit Moses quâ horâ ascendit in montem* שהיה מתירא כן המזיקין *quia terrebatur* (seu *metuebat sibi*) *à Dæmonibus. Quid illud est quod dixit?* hoc nempe, *Qui dicit Domino* מחסי *Refugium meum*, h. e. מגני *protectio mea*, מצודתי *arx mea*, h. e. קסטרא דידי *castra mea*, *Deus meus, confidam in eum*, h. e. *in nomine ejus fugabo* המזיקין בשמו *Cacodæmonas* ומלאכי חבלה *& Angelos corruptionis*; h. e. Diabolos, qui omnia perdendi & corrumpendi studio flagrant. Agnoscunt hîc Judæi, Mosen, cum conscendendus esset illi terribilis ille mons, territum fuisse, & adversùs pavorem illum suum communisse sese his verbis ex Psal. 91. desumptis, *Dominus est refugium meum, arx mea, Deus meus, confidam in eum*: id quod videntur habuisse ex traditione πατροπαραδότῳ, ad quam Apostolus hîc fortè respexit.

GROTIUS.

1. TΟιγαροῦν καὶ ἡμεῖς τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων, *Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium*] *Cùm habeamus tantum agmen testium* de fidei utilitate. Sic Virgilius, quod dixerat,

Factâ nube premunt, ——

mox explicat, *densis catervis.* Sic apud Livium est, *Rex contra peditum equitumque nubes jactat. Armorum nubes* est apud Statium. Solent nubes longo tractu aliæ alias sequi. Par similitudo apud Esaiam 60. 8. Et Hebræi עב quod *nubem* significat, dictum volunt à עבה quod est *densare.* ¶ ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα. *deponentes omne pondus*] A stadio sumpta similitudo. Ibi qui cursuri sunt, omnia quæ oneri esse possunt deponunt: sic & nos amorem hujus seculi, imò & nostri, Matth. 16. 24. ὄγκος, *pondus*, ut hîc sumpsit Syrus. Sic ὄγκους μείζους [*majora pondera*] de grandine dixit Aristoteles. ¶ καὶ τὴν ἀπερίστατον ἁμαρτίαν, *& peccatum non circumstans*] εὐπερίστατον [*facile circumstans*] habent plurimi codices, & sic legerunt Syrus & Latinus. καὶ [&] hic ut alibi sæpe est ἐξηγητικόν [*explicativum præcedentis.*] Explicat enim quid in hac re per *onus* intelligat, nempe *peccatum, quo ita circumdamur* ut currere non possimus. Respicit fortè locum Lam. 1. 14. ubi peccata comparantur *jugi loris* implicantibus hominem ac sæpe dejicientibus. Videtur enim εὐπερίστατος [*facilè circumstans*] respondere Hebræo ישתרגו [*implicabuntur*] ubi in Græco συνεπλάκησαν [*complicata sunt.*] ¶ δι᾽ ὑπομονῆς; *per patientiam*] *Constanter.* ¶ τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. *curramus propositum nobis certamen*] Ἀγὼν [*Certamen*] nomen generis, sub quo & cursus comprehenditur. Et pulchrè dictum *currere* ἀγῶνα [*certamen*,] sicut *decurre laborem* apud Ciceronem. Non dissimilia, *cursum currere, certare certamen.*

2. Ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν, *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum*] Qui nobis exemplo suo hunc cursum præiit, idemque ejus erit βραβευτὴς [*remunerator.*] Ἀρχηγοῦ [*auctoris*] vocem de Christo habuimus & supra 2. 10. τελειωτὴν [*consummatorem*] hic sume quomodo fine præcedentis capitis τελειοῦσθαι [*consummari*] ¶ ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε τὸν σταυρὸν, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*] Ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, id est, *ob gaudium quod ipsi animo obversabatur.* ἀντὶ [*pro*] pro ἕνεκα [*propter.*] Sic quod Matth. 19. 5. est ἕνεκα τούτου [*propter hoc*] idipsum est ἀντὶ τούτου [*pro hoc*] Ephes. 5. 31. De voce προκειμένης [*proposito*] vide quæ dicta supra 6. 18. χαρὰ [*gaudium*] hic est vita immortalis, & summa potestas, præmium passionem Christi, Joh. 12. 28. 17. 1, 2, 3, 4. Philipp. 2. 9. Hanc videtur Christo vividè in animum revocasse Angelus ille, Lucæ 22. 43. ¶ αἰσχύνης καταφρονήσας, *confusione contempta*] Duo mala toleravit: dolores, qui sub *crucis* nomine intelliguntur, & *ignominiam* tali supplicio conjunctam. καταφρονήσας [*contemnens*] hic comparatè sumendum: *non tanti faciens eam ignominiam ut ei se vellet subducere.* ¶ ἐν δεξιᾷ τε τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ ἐκάθισεν. *atque in dextera sedis Dei sedit*] Vide supra 8. 1.

3. Ἀναλογίσασθε γὰρ, *Recogitate enim*] Ἀναλογίζεσθαι [*recogitare*] etiam Xenophonti est *expendere animo.* Idem quod λογίζεσθαι supra 11. 19. ¶ τὸν τοιαύτην ὑπομεμενηκότα ὑπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς αὐτὸν ἀντιλογίαν, *eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem*] Ἀντιλογίαν [*contradictionem*] ריב. Nam sicut εὐλογεῖν [*benedicere*] est etiam *benefacere*, ita ἀντιλέγειν [*contradicere*] etiam est *malè cuiquam facere*, de quo diximus ad Luc. 2. 34. & vox τοιαύτην [*talem*] totam passionis Christi historiam comprehendit. ¶ ἵνα μὴ κάμητε ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν ἐκλυόμενοι. *ut ne fatigemini animis vestris deficientes*] Κάμνειν hic est *tædio laboris affici.* נקטה Job. 10. 1. ἐκλύεσθαι verò est עיף *lassari.* Jud. 8. 15. 1 Sam. 14. 26. 2 Sam. 16. 2, 14. 17. 29. 21. 16. Esaiæ 46. 2. Lassitudo adfert tædium.

4. Οὔπω μέχρις αἵματος ἀντικατέστητε, *Nondum usque ad sanguinem restitistis*] Pudeat vos defatigari levioribus malis. Illi Prophetæ, deinde & alii Maccabaicorum temporum, quorum supra meminimus, partim ad capitalia supplicia, partim ad tormenta rapti fuere. Christus ipse mortem & quidem crucis perpessus est. Vos libertatis tantùm & facultatum damna aut pericula incurristis. Vide supra 10. 33, 34. ¶ πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ἀνταγωνιζόμενοι. *adversus peccatum repugnantes*] Ἁμαρτίαν [*peccatum*] hic intellige κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] *defectionem ab Evangelio*, quo sensu ἁμαρτάνειν [*peccare*] habuimus supra 3. 17. 10. 26.

5. Καὶ ἐκλέλησθε τῆς παρακλήσεως ἥτις ὑμῖν ὡς υἱοῖς διαλέγεται; *Et obliti estis consolationis quæ vobis tanquam filiis loquitur?*] Legenda hæc interrogativè. Et egregiè monitum illud quod est Prov. 3. 11. προσωποποιεῖ [*cum personam fingit loquentem.*] Simile vide Eph. 5. 14.

6. Υἱέ μου, μὴ ὀλιγώρει παιδείας Κυρίου, μηδ᾽ ἐκλύου ὑπ᾽ αὐτοῦ ἐλεγχόμενος. Ὃν γὰρ ἀγαπᾷ Κύριος, παιδεύει. μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit*] Sic est & in Græca versione Proverbiorum, nisi quod pro παιδεύει [*castigat*] in quibusdam codicibus est ἐλέγχει [*objurgat.*] Apparet interpretes pro וכאב quod est *& tanquam pater*, legisse יכאב quod est *& dolore afficiet.* ἀλγεῖν ποιεῖ [*dolore facit,*] ut Job. 5. 18. Pro μὴ ὀλιγώρει [*noli negligere*] Aquila posuit μὴ ἀποδοκίμαζε [*noli reprobare,*] alii μὴ ἀπαθῆς אל תמאס [*ne spernas.*] Pro μηδ᾽ ἐκλύου [*neque fatigeris*] Theodotion μηδὲ ἐγκακήσῃς אל תקץ [*neque fastidias.*] Quidam in adversis recalcitrant, alii animum despondent; neutrum faciendum Christianis, quibus eximiè competit nomen *filiorum Dei.* Nam si verè sunt Christiani, adversa talia illis non evenient nisi ex decreto quodam Dei, & quidem in ipsos benevoli, nempe ut si quid sordis adhæret excoquatur, aut ut ipsi per patientiæ exercitia reddantur meliores. Tales *castigationes* vocantur ab Hebræis יסורי אהבה *amoris*, ut notatum eruditis. παιδεία [*disciplina*] מוסר à יסר [*castigare,*] quo verbo significari solet *institutio quæ factis fit*, puta vinculis, legibus, pœnis. ἐλέγχειν הוכיח est *objurgare*; sed solent, ut jam modò diximus, ea quæ de verbis propriè dicuntur ad facta quoque transferri. Sic & verbum μαστιγοῦν [*flagellare*] à specie transfertur ad genus. De nomine μαστίγων [*plagarum*] diximus ad Marcum 3. 10. ὃν παραδέχεται [*quem recipit,*] in Hebræo ירצה subaudito אשר *quem diligit.* Παραδέχεσθαι est propriè *pro suo agnoscere.* Abdicatos ἀποκηρυχθέντας parentes curare non solent. Illud δὲ [*autem*] post μαστιγοῖ [*flagellat*] est copula ἐξηγητικὴ [*explicativa,*] quomodo accepit Syrus & alii.

7. Εἰ παιδείαν ὑπομένετε, *Si in disciplina perseveratis*] Si adversa vobis eveniunt. Nam ὑπομένειν interdum nihil aliud est quàm *perpeti*, ut Jac. 1. 12. Sic ὑπομένειν κρίσεις, *causam dicere.* ¶ ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεός *tanquam filiis vobis offert se Deus*] Deus vos in hoc ipso paternè tractabit. Sic προσφέρονται τραχέως αὐτοῖς, *asperè eos tractant* apud Plutarchum Lycurgo. Hanc vocem, ut multas alias, scriptor noster hausit è Græcis purioribus. ¶ τίς γάρ ἐστιν υἱὸς, ὃν οὐ παιδεύει πατήρ; *quis enim filius quem non corripit pater?*] Responsio ad tacitam objectionem; Atqui sinit nos pati tam dura. Sic interpretantur Hebræi sententiam quæ est Prov. 13. 1.

8. Εἰ δὲ χωρίς ἐστε παιδείας, ἧς μέτοχοι γεγόνασι πάντες, ἄρα νόθοι ἐστὲ καὶ οὐχ υἱοί. *Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filii estis*] Πάντες [*omnes*] intellige, illi de quibus actum capite præcedenti. νόθους autem non sume natos ex matre impare, sed eos quos mater ex adulterio genuit, & marito vult obtrudere, ille autem rejicit. Philo libro de Confusione linguarum locutus de iis qui finem vitæ faciunt voluptatem, adjicit: τῶν ἐκ πόρνης ἀποκυηθέντων οὐδὲν ὡς οἶμαι διαφέροντες [*ipsi non absimiles, opinor, natis è scorto.*]

9. Εἶτα, *Deinde*] *Tum verò.* ¶ τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας εἴχομεν παιδευτὰς καὶ ἐνετρεπόμεθα. *patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reverebamur eos*] Nempe in primis annis. Ἐντρέπεσθαι est *revereri* Matth. 21. 37. Marci 12. 6. Lucæ 20. 13. Sap. 2. 10. & alibi. Πατέρας τῆς σαρκὸς [*Patres carnis,*] id est, qui nos mortales ipsi ad vitam mortalem generaverant. καὶ ἐνετρεπόμεθα [*& reverebamur eos,*] id est, *ut eos hoc magis revereremur.* Hebraismus, qualis alter sequetur. ¶ οὐ πολλῷ μᾶλλον, *num multo magis*] Multò justiùs. ¶ ὑποταγησόμεθα, *subjiciemur*] Niphal pro Hithpael, id est, *subjiciemus nos ipsos*, nimirum ad ferenda adversa, ipso ita volente. ¶ τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, *Patri spirituum*] Et quì Christiano cuique dat Spiritus dona, ita ut nos certos faciat vitæ futuræ, quæ erit planè πνευματικὴ [*spiritualis*] 1 Cor. 15. 46. Hebræorum locutione utitur. Nam ii opponunt אב הגוף [*Patrem corporalem*] & אב הרוחני [*Patrem spiritualem.*] Alioqui si per *spiritus* hominum animos intelligas, Deus tam carnis quàm horum est opifex Num. 16. 23. ubi in Græco Θεὸς, Θεὸς τῶν πνευμάτων καὶ πάσης σαρκὸς [*Deus, Deus Spirituum & universæ carnis.*] ¶ καὶ ζήσομεν; *& vivemus?*] Id est, *ut vivamus*, nempe in perpetuum. Est Hebraismus qualem jam jam observavimus.

10. Οἱ μὲν γὰρ πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, *Et illi quidem ad paucos dies*] *Ad tempus exiguum*, puerilis ætatis, ut jam diximus. Potestas illorum & cura non est nisi temporaria. ימים [*dies*] pro *tempore* usitatum Hebræis, ut Lucæ 1. 5, 7. & alibi sæpe. ¶ κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, ἐπαίδευον. *secundum voluntatem suam erudiebant nos*] *Pro arbitratu*, sæpe ex errore, interdum etiam sua vitia pro virtutibus instillantes, ut avaritiam, ut ambitionem: de qualibus parentibus agit Horatius 1 Sat. 6. & Juvenalis 5. 14. ¶ ὁ δὲ ἐπὶ τὸ συμφέρον, *hic autem ad id quod utile est*] *Ad nostros usus*; nam nec errat, nec pravis affectibus abripitur. Eadem locutio 1 Cor. 7. 35. ¶ εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ. *in recipiendo sanctificationem ejus*] Ut in dies sanctiores fiamus ad ipsius exemplum. Sumptum ex Levitico 11. 44. 19. 2. unde & Petrus sumpsit 1 Epist. 1. 16. Id autem fit præcipuè per Spiritus dona, quorum jam facta mentio.

11. Πᾶσα δὲ παιδεία πρὸς μὲν τὸ παρὸν οὐ δοκεῖ χαρᾶς εἶναι, ἀλλὰ λύπης· *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris*] Radices amaræ, fructus dulces; videlicet si sensus externos, & inde nascentes ὑπολήψεις [*opiniones*] consulimus. ¶ ὕστερον δὲ καρπὸν εἰρηνικὸν τοῖς δι᾽ αὐτῆς γεγυμνασμένοις ἀποδίδωσι δικαιοσύνης. *postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ*] Nam ἄσκησις [*exercitatio*] firmat τὴν ἕξιν [*habitum,*] eique incrementa adjicit. Δικαιοσύνη [*Justitia*] hic latiùs sumitur, non ut initium est ἁγιωσύνης [*sanctificationis,*] sed ita ut omnes officii nostri partes complectatur. Vide quæ dicta 11. 33. καρπὸν εἰρηνικὸν [*fructum pacatissimum,*] id est, *gratum*: opponitur enim hoc λύπῃ [*mœroris*] Hoc sensu εἰρηνικὸν habemus Deut. 2. 26. Jerem. 12. 6. Michææ 7. 3. Et meritò *gratus* est *fructus* qui tranquillitatem adfert conscientiæ Rom. 5. 1. Verbum γυμνάζειν [*exercere*] habes & 1 Tim 4. 7. & supra 5. 14.

12. Διὸ τὰς παρειμένας χεῖρας καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε. *Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite*] Viri sancti populum aut Ecclesiam alloquentes modò ad optimos, modò ad eos qui multum ab optimis distant, se vertunt. Et hujus generis multi erant inter illos Hebræos, ut jam

vidimus

vidimus. *Manuum* similitudo sumpta à laborantibus, *genuum* à currentibus. Christiani vita & labor est & cursus. Sumpta autem locutio de Esaia 35. 3. ubi Græci habent *ἰσχύσατε χεῖρες ἀνειμέναι καὶ γόνατα παραλελυμένα* [*roborate manus remissas & genua dissoluta.*] Sed Hebræa rectè verti possunt ut hic habemus, *ἀνορθώσατε τὰς χεῖρας παρειμένας καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα* [*erigite manus remissas & genua dissoluta.*] Nam חזק *roborare*, sæpe accusativum regit, ut Jud. 9. 24. 16. 29. Ezech. 30. 25. 34. 4, 16. Dan. 10. 18. *Ne remittantur manus vestræ*, habes & 2 Par. 15. 6. *οὐαὶ καρδίαις δειλαῖς καὶ χερσὶ παρειμέναις* [*væ cordibus timidis & manibus remissis*] Sirach. 2. 14. *ὑπόλυσις γονάτων* [*dissolutio genuum*] est apud Nahumum. 2. 10.

13. *Καὶ τροχιὰς ὀρθὰς ποιήσατε τοῖς ποσὶν ὑμῶν, Et gressus rectos facite pedibus vestris*] Ex Græco Prov. 4. circa finem. *τροχιὰν* pro *via* habes in eodem Proverbiorum libro 2. 15. 4. 11. 5. 6, 21. *Facite complanari vobis vias per quas ituri estis*, סלו, ut Matth. 3. 3. id est, auferte omnia pietatis impedimenta. Vide dicta ad illum Matthæi locum. ¶ *ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ, ne id quod claudum erret*] Τὸ *χωλὸν* [*claudum*] hic vocat membrum corporis, *ubi nervi aliquid de vigore suo perdidere*, צלע Gen. 32. 31. Mich. 4. 6. qualia membra, si iter fiat per loca inæqualia, facilè loco suo *excidunt* sive *luxantur*, quod hîc est *ἐκτρέπεσθαι*. Et ita accepit Syrus. ¶ *ἰαθῇ δὲ μᾶλλον. magis autem sanetur*] Quod fit interdum ipsa ambulatione commoda per quam calor nervis redit. Sic illi ad quos hæc Epistola scribitur vitare debebant vias inæquales, id est, doctrinas ex Judaismo & Christianismo mixtas, ne animus fatigari incipiens planè deficiat.

14. *Εἰρήνην διώκετε μετὰ πάντων, Pacem sequimini cum omnibus*] Emollitio prioris dicti. Debetis quidem vobis à Judaismo cavere: attamen non odisse Judæos, sed omnia illis exhibere humanitatis officia. Vide Rom. 12. 18. 14. 19. 1 Petri 3. 11. ¶ *καὶ τὸν ἁγιασμόν, & sanctimoniam*] *Vitam per omnia sanctam.* Vide Ephes. 5. 26. Hoc ideò, ne quia à Lege Mosis eos absolverat, ideò laxiùs vivendi licentiam sibi fieri crederent, cùm contra multò sanctior Lege sit Christi disciplina. Libertas in Christo non fecit innocentiæ injuriam. *Manet Lex tota pietatis, sanctitatis, humanitatis, veritatis, castitatis, justitiæ, misericordiæ, benevolentiæ, prudentiæ*, ait Tertullianus de Pudicitia, qui & mox, *Legem ergo evacuamus per fidem? Absit, sed Legem sistimus, scilicet in his quæ etsi nunc Novo Testamento interdicta, etiam cumulatiore præcepto prohibentur:* quod & multis exemplis ibidem explicat. ¶ *οὗ χωρὶς οὐδεὶς ὄψεται τὸν Κύριον. sine qua nemo videbit Dominum*] Id est, Christum, locutione propriâ Novi Testamenti. *Christum* autem *videre* præsupponit eò venire ubi Christus est, id est, cœlum summum, nempè post judicium ipsum 1 Joh. 3. 2. Bene observent hunc locum qui putant sufficere nobis ad salutem, quòd Christus pro nobis sanctus fuit.

15. *Ἐπισκοποῦντες μή τις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*] Supple ᾖ quales particulæ sæpe subticentur, & jam nunc reticebitur 16. *Ne quis sit cui aliquid desit quò minus gratiam* (id est, vitam æternam Rom. 6. 23.) *consequi possit.* De significatu verbi *ὑστερεῖν* חסר [*deesse*] diximus supra 4. 1. Ἐπισκοπεῖν hic est *diligentes attendere*, ut & 1 Petri 5. 2. Sic & Esther 2. 11. Utuntur sic & Isocrates & Xenophon. ¶ *μή τις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα ἐνοχλῇ, καὶ διὰ ταύτης μιανθῶσι πολλοί. ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi*] Apparet ex Deut. 29. 18. legendum hic non *ἐνοχλῇ* [*impediat,*] sed *ἐν χολῇ* [*in felle,*] & oportet subaudire ut in antecedente & sequente membro ᾖ [*sit,*] & ad *φύουσα* [*germinans*] subaudire *καρπόν* [*fructum.*] Sic & *χολὴν πικρίας* [*fel amaritudinis*] habemus Actor. 8. 23. Mos est Hebræis omne venenum *fel* vocare ראש, & *amarum* omne quod malum est. *Ne mala radix producat venenum, quo multi lepram aut morbum alium contrahant.* Id enim est *μιαίνεσθαι* [*inquinari*] Levit. 13. Sic ferme *σπιλοῦν* [*maculare*] sumitur Jacobi 3. 6. Sensus, *Ne mala cogitatio producat fœda opera* (ita enim illum Deuteronomii locum Chaldæus explicat) *quorum exemplo corrumpantur multi*, quod in dicto Deuteronomii loco proverbialiter sic explicatur, *Ut addat ebrium sitienti*; de quo proverbio ibidem diximus. Intelligit autem hic Scriptor præcipuè noxia quædam Judæorum dogmata. Antiochus 1 Macc. 1. 11. vocatur *ῥίζα ἁμαρτωλὸς* [*radix peccatrix,*] quia pessimas de suo ingenio actiones protulit. *Amaritia* nomen specialiter de ira usurpat Hermas 2. 5. In Manuscripto hoc loco est *μιανθῶσιν* [*contaminentur,*] *οἱ πολλοὶ*, id est, *plebs*, quæ à doctoribus facilè corrumpitur. Vide Gal. 5. 9.

16. *Μή τις πόρνος, Ne quis fornicator*] Supple ᾖ [*sit.*] Solent sancti Scriptores generalibus monita addere specialia, quæ locus & tempus exigebant: & iis quos surgere videbant morbis occurrere. Judæorum Magistrorum multi non putabant delinqui si quis Judæus cum fœmina non Israëlitide rem haberet: quia Lex Mosis tantùm Israëlitidas prostare vetat. Πόρνος [*fornicatoris*] voce apud nostros scriptores significari *eum qui Venere extra conjugium utatur* ostendimus ad 1 Cor. 5. 9, 10, 11. 6. 9 Ephes. 5. 5. 1 Tim. 1. 10. Manifestum id & hìc infra 13. 4. ¶ *ἢ βέβηλος, ὡς Ἠσαῦ, ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ. aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua*] In quo jure primogenituræ comprehendebatur & jus sacerdotii. Tangit eos qui damni vitandi causâ conventus Christianos deserebant, in quibus Christiani tanquam Sacerdotes preces Deo offerunt. Vide supra 10. 25. Etiam *permutatio* dicitur *ἀπόδοσις* [*venditio.*]

17. *Ἴστε γὰρ ὅτι καὶ μετέπειτα θέλων κληρονομῆσαι τὴν εὐλογίαν, Scitis enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem*] Nempe illam potiorem de terra promissa Patribus. *κληρονομῆσαι, obtinere jure mancipii.* *Ἴστε, scitis*; nota vobis historia. ¶ *ἀπεδοκιμάσθη· reprobatus est*] *Rejectus fuit à patre* Genes. 27. 35, 37, 40. *ἀποδοκιμάζεσθαι* [*reprobari*, est *non obtinere quod volumus.* Utitur sic epistola ad Romanos, quæ dicitur Ignatii. ¶ *μετανοίας γὰρ τόπον οὐχ εὗρε, non enim invenit pænitentiæ locum*] Hebræis dicitur *pænitentiæ locum invenire* is qui id consequitur aut certè consequi potest quò tendit pœnitentia. Apparet id Job. 24. 23. in Latino, Sap. 12. 10. Collatis quæ ibidem 19. 20. Sic & Jurisconsulti Romani dicunt non esse locum pœnitentiæ ubi non ampliùs in nostra potestate est id quod actum est rescindere. Sensum mysticum in Allegoriis aperit Philo, *Πολλαῖς γὰρ ψυχαῖς μετανοίᾳ χρῆσθαι βουληθείσαις οὐκ ἐπέτρεψεν ὁ Θεός, ἀλλ' ὥσπερ ὑπὸ παλιρροίας εἰς τοὔμπαλιν ἀνεχώρησαν* (*Multis, cùm vellent pænitentia uti, Deus non permisit, qui tanquam adverso fluctu rejecti retrò recesserunt*] ¶ *καίπερ μετὰ δακρύων ἐκζητήσας αὐτήν. quanquam cum lacrymis inquisisset eam*] Αὐτὴν μετάνοιαν [*ipsam pænitentiam,*] id est, effectum ejus, *μετωνυμικῶς* [*per Transnominationem.*] Vide Genes. 27. 39.

18. *Οὐ γὰρ προσεληλύθατε ψηλαφωμένῳ ὄρει, Non enim accessistis ad tractabilem montem*] Repetit admonitionem, quam & supra habuimus 2. 2. Quantò enim Lex Euangelica cum suis promissis præstat Legi Mosis, tantò damnabilior est ejus contemptus. *ὄρος ψηλαφώμενον* [*tractabilis mons*] hic est *ὄρος αἰσθητὸν* [*mons sensibilis*] quod opponitur *ὄρει νοητῷ* [*monti intelligibili*] sive *ἐπουρανίῳ* [*cælesti,*] ut mox sequetur. Vide quæ diximus ad Matth. 26. 29. Accesserunt Hebræi ad montem corporeum corpore, nos ad spiritualem spiritu. *ψηλαφωμένῳ* pro *ψηλαφητῷ* [*tractabili*] more Hebræorum. Vide Galat. 2. 11.

19. *Καὶ κεκαυμένῳ πυρὶ, καὶ γνόφῳ, καὶ σκότῳ, καὶ θυέλλῃ, καὶ σάλπιγγος ἤχῳ, καὶ φωνῇ ῥημάτων, Et accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum*] Ex loco Exodi 19. ubi habes in Græco *ἀστραπὰς* [*fulgura*] quæ hic *θύελλη* [*procella*] & *νεφέλην γνοφώδη* [*nubem caliginosam,*] & deinde *καπνὸν* [*fumum,*] quæ hic *γνόφος καὶ σκότος* [*turbo & caligo,*] & *φωνὴν σάλπιγγος* [*sonum tubæ,*] & *πῦρ* [*ignem*] quod hic *πῦρ κεκαυμένον* [*ignis accensibilis.*] deinde *ἐλάλησε Κύριος* [*loquutus est Dominus*] pro quo hic *φωνὴ ῥημάτων* [*vox verborum.*] ut & Deut. 4. 11. ubi & *πῦρ* [*ignis*] dicitur fuisse *ἕως τοῦ οὐρανοῦ* (*ad cælum usque,*] & ibidem est *θύελλα* [*procella*] ut & Deut. 5. 22. pro quo *ἀστραπαὶ* [*fulgura*] in Exodo. Magnæ tempestates, quæ *θύελλαι* [*procellæ*] dicuntur, non sunt sine fulgure. Vide descriptiones tempestatum apud Poëtas; ut apud Virgilium,

——Crebris micat ignibus æther.

In Manuscripto pro *σκότῳ* [*caliginem*] est *ζόφῳ* [*tenebras*] sensu eodem. ¶ *ἧς οἱ ἀκούσαντες παρῃτήσαντο μὴ προστεθῆναι αὐτοῖς λόγον. quam qui audierunt, excusaverunt se, ne adderetur eis verbum*] In Manuscripto *μὴ προσθεῖναι*. *Orabant ne ultra verbum Deus adderet*, id est, ne posthac eos tam terribili sono alloqueretur, Exodi 20. 19. & Deut. 5. 25, 26, 27, Sic & Latini,

——Verbum non amplius addam.

παραιτεῖσθαι hic est *deprecari*: mox aliter sumitur.

20. *Οὐκ ἔφερον γὰρ τὸ διαστελλόμενον Non enim portabant quod dicebatur*] צוה, nam צוה *διαστέλλειν* vertitur & significat *districtè severeque præcipere.* ¶ *Κἂν θηρίον θίγῃ τοῦ ὄρους, λιθοβοληθήσεται, Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur*] Exod. 19. 13. *πᾶς ὁ ἁψάμενος τοῦ ὄρους θανάτῳ τελευτήσει. οὐχ ἅψεται αὐτοῦ χείρ· ἐν γὰρ λίθοις λιθοβοληθήσεται, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται, ἐάν τε κτῆνος, ἐάν τε ἄνθρωπος, οὐ ζήσεται* [*Omnis qui tetigerit montem, morte morietur; Non tanget eum manus; lapidibus enim lapidabitur aut jaculo*

culo confodietur, sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet.] ubi notandum, illud λιθοβοληθήσεται [*lapidabitur*] per πρόζευγμα [*Zeugma à parte priore*] etiam ad κτῆνος [*jumentum*] referri. Solebant enim & muta animantia lapidari: nam Levit. 20. 16. ubi est de muliere & animanti, *Sanguis eorum super eos*, ex interpretatione Sapientum lapidatio intelligitur Et nota ubi hic est θηρίον [*bestia*] in LXX. κτῆνος [*jumentum*,] in Hebræo esse בהמה quo nomine comprehenduntur omnia animantia super terram gradientia. Non erat hæc sola Israelitis metus causa, sed ingens sanè ex tanta severitate quæ nec bestiis parceret.

21. Καὶ οὕτω φοβερὸν ἦν τὸ φανταζόμενον, *Et ita terribile erat quod videbatur*] Τὸ φανταζόμενον, etiam Platoni, est *species rerum objecta animo.* ¶ Μωϋσῆς εἶπεν. Ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος. *Moyses dixit, Exterritus sum & tremebundus*] Credibile est ipsum Mosem dixisse similia qualia dixit Job. 4. 14. ubi in Græco, φρίκη μοὶ συνήντησε καὶ τρόμος [*horror mihi occurrit & tremor.*]

22. Ἀλλὰ προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει καὶ πόλει Θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, *Sed accessistis ad Sion montem & civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem*] Animo præsentem habetis civitatem illam supercœlestem, cujus Jerusalem & in ea mons Sion figuram gessere. Vide quæ dicta supra 11. 15. & infra 13. 14. Apoc. 3. 12. 21. 2, 10. Et rectè *Jerusalem* nominans addidit *urbem Dei viventis:* nam & Jerusalem sic vocari solebat. Per Sionem intelligendi loci eminentissimi in cœlesti illa urbe. Vide Joh. 14. 2. & ibi dicta. ¶ καὶ μυριάσιν ἀγγέλων πανηγύρει, *& multorum millium Angelorum frequentiam*] Est πρόσθεσις [*appositio*,] qualis Luc. 2. 14. Πανήγυρις dicitur *conventus* populi Israelitici ad Deum laudandum Oseæ 2. 11. 9. 5. Amos 5. 21. Ezech. 46. 12. At quantò augustior illa πανήγυρις toties millenorum Angelorum Deum laudantium Dan. 7. 10. Apoc. 7. 11. 19. 1, 3, 4, 6?

23. Καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων, *Et Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cælis*] Fide uniti estis cum Apostolis, qui rectè hic πρωτότοκοι [*primogeniti*] dicuntur, sicut ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες [*primitias Spiritûs habentes*] Roman. 8. 23. nempe quia illi primi per Christum regeniti sunt. Horum autem nomina, etiam cùm viverent, erant in summo cœlo scripta Luc. 10. 20. id est, jam tum Deus illos habebat pro civibus cœlestibus, jure, etsi nondum possessione. Vide quæ diximus ad Luc. 10. 20. & Philipp. 3. 20. Primogeniti Israelitarum scripti erant in matricula terrestri Num. 3. 40. Hi verò in Albo cœlesti. Nam ἀπογράφεσθαι [*conscribi*] vox est censualis, ut videmus Luc. 2. 1. ἀπογεγραμμένοι [*conscripti*] hic idem quod נקבו [*nuncupati sunt*,] ἀνακληθέντες ἐξ ὀνόματος] *evocati ex nomine*] Num. 1. 17. & פקדים Num. 2. 9, 16. οἱ ἐπεσκεμμένοι [*recensiti.*] Et rectè vocantur ἐκκλησία [*Ecclesia*,] id est, קהל [*congregatio*] non quòd loco juncti essent, sicut illa vox in Veteri Testamento solet accipi; sed quòd animo, quod multò majus & dignum Novo Testamento. ¶ καὶ κριτῇ Θεῷ πάντων, *& judicem omnium Deum*] Id est, qui non actus tantùm, sed & cogitationes & novit & judicat; non Judæorum tantùm, sed Gentium omnium, ut quas pari jam cura complectitur. ¶ καὶ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων. *& spiritus justorum perfectorum*] Τετελειῶσθαι [*Perfici*,] cùm de præmiis agitur & ad hominem totum ea vox refertur, significat vitam illam quæ nobis post sæculi finem continget, at hic restringitur ad *spiritus*, nempe à corpore separatos, quomodo ea vox sumitur Lucæ 24. 39. Actor. 7. 59. hoc scilicet sensu, ut indicetur status optimus ad quem spiritus à corpore separati pervenire possunt. Et hoc vult, Christianos veros conjunctos esse fide & dilectione non modò cum Apostolis qui vivunt; verùm etiam cum Apostolis eorumque adjutoribus hac vita functis, quales erant Jacobus Zebedaïdes, Stephanus, & illi de quibus agit infra 13. 7. Statum illum optimum Hebræi vocabant, *poni sub solio gloriæ*, eumque putabant spiritibus contingere citiùs aut tardiùs, quò magis minusve purgati ex hac vita abiissent. Et ad illum gradum perductos spiritus vocabant ἁγίους τετελειωμένους [*sanctos perfectos.*] Habes id in Midrasch Aneoholam in sectione Bereschith, in Gemara Hagigæ, apud Mosem Barschemtob in libro Anima Sapientiæ, ubi ipsas voces habes *justorum* τετελειωμένων [*perfectorum*,] & apud Mosem Maimonidem pluribus in locis. Credibile est autem, sicut vocem עדן [*Eden*] sive Παράδεισος [*Paradisus*] Christo, ita has voces ἁγίων τετελειωμένων, קדושים גמורים [*Sanctorum perfectorum*] ab hoc scriptore usurpatas eo sensu quo ab Hebræis intelligi solebant. De spiritibus defunctorum hîc agi intellexere & Græci Patres. ¶ Καὶ διαθήκης νέας μεσίτῃ Ἰησοῦ, *Et Testamenti Novi, Mediatorem Jesum*] Διαθήκης νέας [*Testamenti Novi*,] id est, αἰωνίου [*æterni*,] cùm Moses temporarii tantùm pacti μεσίτης [*Mediator*] fuerit. Vide supra 8. 6. 9. 15. ¶ καὶ αἵματι ῥαντισμοῦ κρεῖττον λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ. *& sanguinem aspersionis melius loquentem quàm Abel*] Legendum est παρὰ τὸ Ἄβελ [*quàm ille Abelis*,] quomodo legerunt Græci veteres & Syrus. Sic παρὰ Κάϊν [*quàm Cain*] pro παρὰ τὴν Κάϊν [*quàm illa Caïnis erat*] habuimus supra 11. 4. & ibi quidem subauditur θυσίαν [*hostiam*,] hic verò αἷμα [*sanguinem*.] Vide Genes. 4. 10. & supra 11. 4. *Sanguis Abelis* vindictam poscebat: *Sanguis* verò *Christi*, id est, mors ejus, per quam intravit ad vitam æternam, dat nobis quoque vitæ æternæ & æternorum bonorum participationem. Hoc est quod præsignificat Ezechiel 18. 32. 33. 11. Vocatur autem Christi sanguis αἷμα ῥαντισμοῦ [*sanguis aspersionis*,] quia sicut veteres illi victimarum sanguine aspergebantur ad carnalem sanctitatem, nempe ut ingredi possent in sanctuarium terrestre, Num. 19. supra 9. 13, 19, 21. Ita nos sanguine Christi, id est, imitatione perpessionum ipsius perducimur ad vitam æternam. Vide quæ dicenda 1 Pet. 1. 2.

25. Βλέπετε, μὴ παραιτήσησθε τὸν λαλοῦντα. *Videte ne recusetis loquentem*] παραιτεῖν est *aversari*, ut 1 Timoth. 4. 7. & alibi, quod jam jam dicet ἀποστρέφεσθαι. τὸν λαλοῦντα [*loquentem*] Deum nempe, qui Christo nos obedire jussit, ut jam dicet. Λαλοῦντα [*loquentem*] pro λαλήσαντα [*loquutum*] frequenti locutione. ¶ Εἰ γὰρ ἐκεῖνοι οὐκ ἔφυγον, *Si enim illi non fugerunt*] In Manuscripto ἐξέφυγον [*effugerunt*] ut Luc. 21. 36. Roman. 2. 3. 1 Thess. 5. 3. Nempe *pœnam*, ἔνδικον μισθαποδοσίαν [*justam mercedis retributionem*] Hebr. 2. 2. ubi par sensus. ¶ τὸν ἐπὶ τῆς παραιτησάμενοι χρηματίζοντα, *recusantes eum qui super terram loquebatur*] In Manuscripto ἐπὶ γῆς παραιτησάμενοι τὸν χρηματίζοντα [*super terram recusantes eum qui loquebatur.*] Utrovis modo legas, τὸν quod hic ponitur & quod sequitur, non distinguit eum cui parendum est, sed modum quo is se revelavit. Et sic sæpe de uno diversis modis considerato tanquam de duobus loquimur, ut

— — *quantum mutatus ab illo.*
Hectore. — —

Et χρηματίζοντα [*loquentem*] pro χρηματίσαντα [*loquutum*] præsens pro præterito. *Illi qui aversati sunt Deum de terris loquentem*, id est, de monte Sinai, per Angelum nempe Actor. 7. 38. Deuter. 33. 2. De verbo παραιτεῖσθαι [*aversari*] jam diximus. Respiciuntur historiæ quæ sunt Exodi 32. Num. 14. 2. Actor. 7. 39. supra 3. 16. ¶ πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς, *multò magis nos*] Supple οὐκ ἐκφευξόμεθα [*non effugiemus*,] quomodo supra 2. 3. οἱ τὸν ἀπ' οὐρανῶν ἀποστρεφόμενοι, *qui de cælo loquentem nobis aversamur*] Τὸν ἀπ' οὐρανῶν [*de cælo*] nempe χρηματίζοντα *loquentem*] pro χρηματίσαντα *loquutum.*] *Si aversamur eundem Deum, qui de Cælo nobis oracula dedit*, Filio suo pareri volens, Matth. 3. 17. Marci 1. 11. Matth. 17. 5. Marci 9. 7. Lucæ 9. 35. Joh. 12. 28. *Ex cælo*, nempe summo: nam & ideo aperta est regio cœli inferior.

26. Οὗ ἡ φωνὴ τὴν γῆν ἐσάλευσε τότε, *Cujus vox movit terram tunc*] Nempe cùm in monte Sinai Lex daretur, Ps. 114. 7. ¶ νῦν δὲ ἐπήγγελται, λέγων· *nunc autem repromittit dicens*] Promisit de nostris temporibus apud Aggæum 2. 7. quæ ad Christum directè pertinere ibi diximus. ¶ Ἔτι ἅπαξ, ἐγὼ σείω οὐ μόνον τὴν γῆν, ἀλλὰ καὶ τὸν οὐρανόν, *Adhuc semel, ego moveo non solùm terram, sed & cælum*] In Manuscripto σείσω [*movebo*,] bene. In Græca versione Aggæi, Ἔτι ἅπαξ ἐγὼ σείσω τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν [*Adhuc semel ego movebo cælum & terram & mare & aridam.*] Nihil sensui deperit. Nam θάλασσα [*mare*] & ξηρὰ [*arida*] nihil aliud sunt quàm distributiones vocis γῆς [*terræ*,] id est, *orbis terrestris*, in suas partes, quæ Christi adventu in terras aliquatenus impleta diximus ad Aggæum: multò autem perfectiùs implebuntur in adventu ejusdem Christi ad judicium. Illud autem ἅπαξ [*semel*] non ad cœlum speciatim refertur, sed ad rem totam. Magnas antehac feci rerum mutationes. Sed restat longè major. ¶ Τὸ δὲ, ἔτι ἅπαξ, *Quod autem, Adhuc semel*] In Hebræo est אחת מעט [*semel pusillum*,] sed videntur Græci legisse אחת מעתה, *semel posthac.* Solemus ita loqui cùm magnum aliquid & antehac inauditum molimur. ¶ δηλοῖ τῶν σαλευομένων τὴν μετάθεσιν, *declarat mobilium translationem*] Non concussionem qualemcunque, ut in Sinai, sed *eversionem mutationemque omnimodam*, de qua 2 Petri 3. 13. Vide de voce μετατίθεσθαι [*transferri*] supra 7. 12. ¶ ὡς πεποιημένων, ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα. *tanquam factorum ut maneant ea quæ sunt immobilia*] Non mirum hoc, inquit: Nam in id facta est hæc quam videmus machina, ut olim alteri meliori & non immutandæ locum faciat. Vide dictum locum 2 Petri 3. 13. & Apoc. 21. 1. Cùm autem pii homines futuri tunc sint in illa regione, in qua nunc

sunt

sunt Angeli, cui bono *novum cælum*, id est, æther & aër nova terra servitura sint, difficile est dictu: sed aliquid fortè conjici potest ex Apoc. 2. 22. & similibus locis.

28. *Διὸ βασιλείαν ἀσάλευτον παραλαμβάνοντες, Itaque regnum immobile suscipientes*] Id est, *παραληψόμενοι* [*suscepturi.*] *βασιλεία ἀσάλευτος* [*regnum immobile*] est quæ *βασιλεία αἰώνιος* [*regnum æternum*] 2 Petri 1. 11. ¶ *ἔχωμεν χάριν, habeamus gratiam*] *Retineamus gratiam.* *ἔχωμεν* [*habeamus*] pro *κατέχωμεν* [*retineamus.*] Et ita accepit Syrus, quomodo *ἔχωμεν* [*habeamus*] sumitur etiam Rom. 15. 4. ¶ *δι' ἧς λατρεύωμεν εὐαρέστως τῷ Θεῷ, per quam serviamus placentes Deo*] *Per quam gratiam*, id est, dona Spiritûs Sancti ex gratia nobis data, *servire possimus Deo, ita ut ipsi placeamus.* In Glossario, *εὐαρέστως, complacuò*, legendum *complacitò.* Adverbia à nominibus adjectivis venientia regunt casum quem regere solet adjectivum. ¶ *μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας cum verecundia & reverentia*] *Αἰδὼς* [*verecundia*] hic *reverentiam* Dei significat: (nam *αἰδεῖσθαι* [*affici verecundia*] sic sumunt Græci. Et ita *ἐντρέπεσθαι* habuimus supra 9.) *εὐλάβεια* [*reverentia*] verò insuper *pœnæ metum*, ut ostendunt sequentia. In Manuscripto est *μετὰ εὐλαβείας καὶ δέους* [*cum reverentia & metu,*] Psal. 2. 12. וגילו ברעדה Græcè *ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ* [*in timore & tremore.*] Hoc est quod vult Michæas 6. 8.

29. *Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον. Etenim Deus noster ignis consumens est*] Sumptum apparet ex Græco Deut. 4. 24. Sensus est, Deum non minus graviter Christianis peccantibus irasci, quàm olim Israëlitis peccantibus iratus fuit: facillimumque ei esse, non minùs quàm igni flagrantissimo, eos quos arripuit, pessimè perdere. Confer quod habuimus supra 10. 27. Adde Deut. 9. 3. & 32. 22.

CAP. XIII.

VALLA.

2. PEr *hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis*] *Latuerunt* legendum est; sive *Per hanc latuit quosdam quod Angelos in hospitium accepissent*, *ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους.*

3 *Et laborantium, tanquam ipsi in corpore morantes*] Gr. *tanquam estis in corpore*, supple *laborantium*, Intellige tamen *laborantium*, i. e. *ærumnas patientium*, *τῶν κακουχουμένων ὡς αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι.*

4 *Et thorus immaculatus*] Gr. *concubitus*, *κοίτη*, quemadmodum transtulit Interpres in Epistola ad Romanos 9. 10. ubi de Isaac & Rebecca Paulus loquitur, *κοίτην.*

22. *Etenim perpaucis scripsi vobis*] *Per pauca* legendum est, ut non sit unum nomen compositum, sed duæ dictiones, *διὰ βραχέων.*

REVIUS in VALLAM.

1. L*Atuit quosdam*] Hoc nonnihil vellicat & corrigit Erasmus.

3. *Intellige*] Sic in prioribus editionibus, & respondet præcedenti *supple.* Incautè postrema mutarat in *intelligit.* Cæterùm Laurentii nota hæc Erasmo neutiquam probatur: *sentire* enim Apostolum ait *de corpore cujusque similibus obnoxio malis.* Id ego & verissimum & simplicissimum arbitror; nec tamen rejiciendam explicationem Vallæ, quam longè alium sensum habere mihi persuadeo quam fortasse Erasmus intellexit: eundem videlicet quem indicavit doctissimus Interpres Bezæ laudatus, qui ad Ecclesiæ corpus refert, ut, sit sensus, *Quandoquidem estis ejusdem corporis membra, communiter vos affici decet alios aliorum malis.* *Eam verò*, inquit Beza, *interpretationem minime repudio, utpote quæ universæ hujus doctrinæ fontem aperiat.* Et meo quidem judicio præferenda est ei quam Beza sequitur, qui *in corpore* explicat *in persona*: quod nullum sensum parit nisi aliquid adjiciatur, videlicet *κακουχούμενοι.* Sed dura & coacta mihi videtur ea Ellipsis: judicent eruditi.

ERASMUS.

1. C*Haritas fraternitatis*] Ἡ φιλαδελφία, *fraterna charitas*, h. e. charitas Christianorum inter ipsos mutua. ¶ *In vobis*] Apud Græcos non additur, nec in codice Donatiani. Item copula *&*, quæ sequitur, non est apud illos.

2. *Placuerunt quidam*, &c.] Ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους, *latuerunt quidam accipientes hospitio Angelos:* sic enim ad verbum verti poterat. Porrò sensus hic est, *quidam imprudentes* (sive *inscientes*) *acceperunt Angelos hospitio.* Interpres male secutus est Græcam figuram, quam Latinitas non admittit. Cæterùm quod in nostris cod. *placuerunt* habetur scriptum, id verisimillimum est librariorum errore inductum, qui cum non intelligerent *latuerunt* (nam is sermo nihil significat Latinis) mutatâ scripturâ fecerunt *placuerunt.* Id probabilius facit quod in priscis scriptoribus Christianis videmus in sermone Græcam figuram frequenter usurpatam, velut in Irenæo, sive hujus interprete, & Tertulliano, veluti pro eo quod Latinè diceretur, *Insciens præterii domum*, illi loquuntur, *Latui præteriens domum.* Mihi non usquequaque satisfacit quod hoc loco vertit Laurentius, *per hanc latuit quosdam quod Angelos in hospitium accepissent*: neque enim id sentit Paulus, Hoc Hospitalitati tribuendum quòd ignorarint quos exceperant, sed quod acceperint Angelos cum se putarent homines accipere. At multò minùs quod in hunc locum commentatur Jacobus Faber Stapulensis, qui putat idem esse *latuisse* quod *occultatum & non visum fuisse*, scribens in hunc modum, *Dicendum* latuerunt, *non* placuerunt. *Etenim Lot & familia ejus latuit, Angelis hospitio susceptis, cùm Sodomitæ vellent eum impetere & perfringere fores continuò percussi cæcitate ab Angelis.* Verùm secùs interpretantur Chrysostomus ac Theophylactus, Græcam enim figuram interpretantes, quæ tamen vel mediocriter Græcè peritis incognita non est. Et Theophylactus hanc laudem accommodat ad Abraham & Lot communiter: Chrysostomus adeo tribuit Abrahæ ut dubitet num & Lot oporteat esse communem. In eundem sensum refert idem Chrysostomus Serm. de Lazaro 2. In hoc enim est eminentia laudis quod ignarus Angelos esse tantam hospitibus præbuit humanitatem: Nihil enim magni erat hoc præstare Angelis agnitis. Augustinus in Quæst. super Genesim lib. 1. citans hoc testimonium, *Per hanc enim*, inquit, *quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.* Et de Lot dubium non est quin nesciens receperit Angelos, existimans homines esse: Cæterùm de Abraham nonnihil addubitari poterat, quod adorarit & *Dominum* apellarit, cùm tres conspiceret. Rursum cum cibum offert & pedum lotionem, velut ex itinere fessis, videtur homines credere. Tho. Tenediâ bipenni itâ nodum dissecat, ut dicat Abraham primùm eos habuisse pro viris probis, & ob id exhibuisse humanitatis officia, licèt adoravit adoratione δουλείας, mox agnovisse Angelos, in quibus loqueretur Deus. Idem admonet geminæ lectionis. Nam præter hanc quam vulgò habemus, legi, *per hanc quidem nescientes receperunt Angelos:* & tamen non dignatur hujus lectionis ullum nobis autorem indicare. Jam cùm tot argumenta pro nobis faciant, cùm tantus sit Græcorum omnium consensus, cùm orthodoxi scriptores indicent etiam Græcam locutionem, cùm apud Augustinum reperiatur vera lectio, cum ipsa res rejiciat verbum *placuerunt*, tamen quidam magnis clamoribus defendit *placuerunt*, non aliâ ratione quàm quod hoc à scribis inductum est in vulgatos codices. Quid istis facias qui nec discere volunt nec docere possunt?

3. *Laborantium*] Κακουχουμένων, *afflictorum.* ¶ *Tanquam & ipsi in corpore morantes*] Ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες, *tanquam & ipsi sitis in corpore.* Laurentius putat subaudiendum *ipsorum*; *tanquam ipsi sitis in corpore afflictorum*: quod mihi nequaquam probatur. Sentit enim de corpore cujusque similibus obnoxio malis. Itâ & Theophylactus.

4. *Honorabile connubium in omnibus*] Ἐν πᾶσι· quod variè exponit Theophylactus: *in omnibus*, ut subaudias *modis*; aut *in omnibus ætatibus*, aut *in omni tempore*, denique *inter omnes*: quod quidem postremum mihi maximè probatur; quandoquidem & apud Ethnicos honos habitus est matrimoniis ob favorem publici commodi. Etiamsi non hæc prædicantur in laudem Matrimonii, sed præcipiuntur; ut subaudias *esto.* Videtur enim habere vile Matrimonium qui id adulteriis conspurcat. Cæterùm quod hic vertit *thorus* Græcè est *κοίτη.* Eam vocem in Epistola ad Romanos vertit *concubitum*, agens de Isaac & Rebecca: tametsi *κοίτη* non significet propriè *concubitum*, sed *cubile.*

5. *Non te deseram nec relinquam*] Ἀνῶ, ἐγκαταλείπω, *relinquo*, ac *desero*, præsentis temporis. Locus est Jos. 1. Etiamsi Hieronymus vertit, *Non dimittam, nec derelinquam te.*

9. *Nolite abduci*] Μὴ περιφέρεσθε, *ne circumferamini.* Interpres legisse videtur παραφέρεσθε· & utrumque verbum satis quadrabat. ¶ *Optimum est enim*] Καλὸν γὰρ, *bonum enim.*

16. *Promeretur Deus*] Εὐαρεστεῖται, *conciliatur Deus*, sive *placetur Deo.* Quanquam Interpres *promeretur* dixit, pro *demeretur* & *conciliatur.*

17. *Et subjacete eis*] Ὑπείκετε, *concedite ac deferte.* Et

eis redundat. ¶ *Pervigilant*] Ἀγρυπνοῦσι, *vigilant*. ¶ *Quasi rationem reddituri*] Ὡς λόγον ἀποδώσοντες, *tanquam rationem reddituri*. ¶ *Hoc enim non expedit*] Ἀλυσιτελὲς γὰρ, *inutile enim*.

21. *Aptet vos*] Καταρτίσαι, *perficiat*. Et *in omni opere bono* legunt Græci.

22. *Verbum solatii*] Παρακλήσεως. Cur non potiùs *exhortationis* hoc loco? ¶ *Perpaucis scripsi*] Διὰ βραχέων, *per pauca*, sive *paucis*. Sunt enim Græcè duæ dictiones.

23. *Cognoscite fratrem nostrum*] Γινώσκετε, anceps est. Potest enim accipi *nostis*; & ad sensum haud multùm interest.

24. *De Italia fratres*] Οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, i.e. *Itali*. Neque *fratres* est apud Græcos. Optime lector, nihilo minoris velim esse tibi hanc Epistolam quòd à multis dubitatum sit Pauli esset an alterius. Certè cujuscunque est multis nominibus digna est quæ legatur à Christianis. Et ut à stilo Pauli, quod ad phrasim attinet, longè lateque discrepat, ità ad spiritum ac pectus Paulinum vehementer accedit. Verùm ut non potest doceri certis argumentis cujus sit, quod nullius habeat inscriptionem, ità compluribus indiciis colligi potest, si non certis, certè probabilibus, ab alio quopiam quàm à Paulo scriptam fuisse. Primùm, quòd sola omnium PAULI nomen non præferat: tametsi non me fugit, hoc utcunque dilui ab Hieronymo, sed ità ut magis retundat adversarii telum quàm astruat quod defendit: *Si ideo*, inquit, *Pauli non est quod Pauli nomen non præferat, igitur nullius erit, cùm nullius præferat titulum.* Sed audi ex adverso: Si ideo quisque liber hujus aut illius credi debet quòd ejus titulum præferat, igitur & Euangelium Petri apocryphum Petro tribui debet quòd præferat PETRI nomen. Deinde, quod tot annis, nempe usque ad ætatem Hieronymi, non recepta fuerit à Latinis, quemadmodum ipse testatur in Epistolis suis. Ad hanc conjecturam facit quod Ambrosius, cùm omnes Paulinas Epistolas sit interpretatus, in hanc unam nihil scripserit. Præterea, quod enarrans Esaiæ caput 6. recensuit Hieronymus quod in hac quædam testimonia citentur ex V. Testamento quæ non reperiantur in Hebræorum voluminibus: de quibus nonnihil attigimus cap. 12. Adde huc, quod cùm nemo Scripturarum testimonia disertius aptiusque citet quàm Paulus, tamen locum ex Psalmo 8. refert in contrarium sensum, illinc colligens Christum dejectum, cùm totus Psalmus attollat dignitatem Humanæ conditionis. Ut nè dicam interim, inesse locos aliquot qui quorundam hæreticorum dogmatibus primâ fronte patrocinari videantur, velut illa; quòd velum separans Sancta sanctorum interpretatur Cœlum; ac multò magis quod palàm adimere videatur spem à Baptismo relapsis in peccatum, idque non uno in loco, cùm Paulus & eum receperit in communionem sanctorum qui dormierat cum uxore patris. Adde huc, quòd D. Hieronymus cum aliis aliquot locis ità citat hujus Epistolæ testimonia ut de autore videatur ambigere, tum edisserens caput Jeremiæ 31. *Hoc*, inquit, *testimonio Paulus Apostolus, sive quis alius scripsit Epistolam, usus est ad Hebræos.* Rursum in Esaiæ 50. *Dicitur & in Epistola quæ fertur ad Hebræos*: aliisque locis penè innumeris, alicubi negans referre cujus sit modò salubria doceat. Item capite 6. *Unde & Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos, quam Latina consuetudo non recipit.* Rursus enarrans Esaiæ c. 8. citans hujus in Epistolæ testimonium dicit, *Epistola quæ Ad Hebræos inscribitur docet, licet eam Latina consuetudo inter canonicas Scripturas non recipiat.* Item enarrans Matthæi c. 26. *Licet*, inquit, *de ea Latinorum multi dubitent.* Item in Zach. 8. citans addit, *Si tamen in suscipienda Epistola Græcorum autoritatem Latina lingua non respuit.* Item in Epist. ad Paulinum, *Octava enim ad Hebræos à plerisque extra numerum ponitur.* Idem in Catalogo refert Gaium in hac fuisse sententia, ut tredecim duntaxat Epistolas asscriberet Paulo, quæ est ad Hebræos negaret illius esse. Deinde subjicit suo nomine Hieronymus, *sed & apud Romanos usque hodie quasi Pauli non habetur.* Consimilem ad modum Origenes Hom. 26. in Matth. cùm adducat hujus Epistolæ testimonium, non audet tamen ab adversario flagitare ut Pauli videatur, ac remittit penè ut sit eo loco quo liber qui inscribitur, SECRETA ESAIÆ. Et Augustinus citaturus hujus Epistolæ testimonium De civit. Dei l. 16. c. 22. præfatur hunc in modum, *De quo in Epistola quæ inscribitur Ad Hebræos, quam plures Apostoli Pauli esse dicunt, quidam vero negant, multa & magna conscripta sunt.* Quin idem alias frequenter adducens hujus Epistolæ testimonium, *Scriptum est*, inquit, *in Epistola ad Hebræos*, omisso *Pauli* nomine; *Sic intellectum est in Epistola ad Hebræos*; &, *De illo etiam in Epistola legitur quæ inscribitur Ad Hebræos.* Hæc atque hujusmodi cum plus centies occurrant, nusquam, quod sanè meminerim, citat *Pauli* nomine, cum in cæteris citationibus *Pauli* titulum libenter sit solitus addere. Ambrosius licet in hanc unam non ediderit commentarios, tamen ejus testimoniis non infrequenter utitur, & videtur eam Paulo tribuere. Quin Origenes apud Eusebium testatur à plerisque dubitatum an hæc Epistola esset germana Pauli, præsertim ob stili dissonantiam, quanquam ipse Paulo fortiter asserit. Locus est Eccles. hist. lib. 6. cap. 17. Rursus ejusdem libri cap. 15. narrat, apud Latinos hanc Epistolam non fuisse tributam Paulo Apostolo. Restat jam argumentum illud quo non aliud certius, stilus ipse & orationis character qui nihil habet affinitatis cum phrasi Paulina. Nam quod asserunt hic quidam, *Paulum ipsum Hebraice scripsisse, cæterùm Lucam argumentum Epistolæ, quam memoriâ tenebat, suis explicuisse verbis*, quantum valeat viderint alii. Neque enim in verbis solùm aut figuris discrimen est, sed omnibus notis dissidet. Et ut Paulus Græcè scribens multum ex idiomate sermonis Hebraici retulit, ità & in hac, quam, ut volunt isti, scripsit Hebraicè, nonnulla sermonis illius vestigia residerent. Quid quod nè Lucas quidem ipse in Actis Apostolorum, h.e. in argumento quod facilè recipit orationis ornamenta, parùm abest ab hujus Epistolæ eloquentia. Equidem haud interponam hoc loco meam sententiam. Cæterùm admodum probabile est quod subindicavit D. Hieronymus in Catalogo Scriptorum illustrium, Clementem Romanum, Pontificem à Petro quartum, autorem hujus Epistolæ fuisse. Clementis enim meminit Paulus, & hic Timothei facit mentionem. Sed præstat, opinor, ipsa Hieronymi verba super hac re asscribere, *Scripsit*, inquit, nempe Clemens, *sub persona Romanæ Ecclesiæ, ad Ecclesiam Corinthiorum valde utilem Epistolam, quæ in nonnullis locis publicè legitur, quæ mihi videtur characteri Epistolæ quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur convenire. Sed & multis de eadem Epistola non solùm sensibus sed juxta verborum quoque ordinem abutitur. Omnino grandis in utraque similitudo est.* Hactenus D. Hieronymus, satis civiliter indicans prudenti doctoque lectori quid ipse suspicetur. Idem in Epist. ad Dardanum testatur hanc à Latinis non fuisse receptam, sed à plerisque Græcis scriptoribus hactenus receptam ut crederent esse *viri Ecclesiastici*, Pauli tamen esse negarent, sed Barnabæ potius aut Clementi tribuerent, aut juxta nonnullos Lucæ. Quod idem diligenter annotavit Hieronymus in Pauli Catalogo. Ex his dilucidum est ætate Hieronymi Romanam Ecclesiam nondum recepisse autoritatem hujus Epistolæ, & Græcos qui recipiebant judicasse non esse Pauli: denique Hieronymus ad Dardanum negat referre cujus sit, cum sit *Ecclesiastici viri*. Et tamen hodie sunt qui plusquam hæreticum esse putant si quis dubitet de autore Epistolæ, non ob aliud nisi quòd in templis additur Pauli titulus. Si Ecclesia certò definit esse Pauli, captivo libens intellectum meum in obsequium fidei: Quod ad sensum meum attinet, non videtur illius esse, ob causas quas hic reticuisse præstiterit. Et si certò scirem non esse Pauli, res indigna est digladiatione. Nec hac de re tantum verborum facerem nisi quidam ex re nihili tantos excitarent tumultus.

VATABLUS.

1. *Charitas fraternitatis*] Heb. fraterna charitas.

2. *Placuerunt*] *Latuerunt*, Vet. i.e. quidam imprudentes, sive inscientes, acceperunt angelos hospitio.

3. *Laborantium*] *Afflictorum*. ¶ *In corpore morantes*] *Sitis in corpore.*

4. *Enim*] *Autem.*

5. *Deseram, neque derelinquam*] *Desero, neque derelinquo.*

8. *Heri & hodie: ipse & in secula*] i.e. Heri fuit, hodie est, & erit etiam in secula. Videtur hic per enallagen poni Christus pro Doctrina & Religione Christiana.

9. *Abduci. Optimum est*] *Circumferri. Bonum est.* ¶ *Gratiâ*] i.e. Favore Dei in homines. ¶ *Stabilire*] *Stabiliri*, Vet. ¶ *Ambulantibus in iis*] i.e. Quæ non profuerunt iis qui earum delectum habuerunt.

12. *Suum*] *Proprium.*

16. *Promeretur Deus*] *Acquiescit Deus*: i.e. oblectatur: q.d. tales victimæ illi placent. Alii legunt, *conciliatur*, vel, *placatur.*

17. *Subjacete.*] *Concedite*, vel, *deferte.* ¶ *Pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*] *Vigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri.* ¶ *Non expedit*] *Inutile.*

20. *Pastorem* *] * *Illum.*

21. *Aptet vos*] *Absolutos vos reddat.* ¶ *Omni* *] * *Opere.* ¶ *Faciens in vobis quod placeat*] Vel, *faciens ut id quod agitis acceptum sit.*

22. *Solatii*] *Exhortationis.*

23. *Cogno-*

23. *Cognoscite*] *Scitis.* ¶ *Vestrum*] *Nostrum*, Vet. ¶ *Dimissum*] *Solutum esse.*

24. *De Italia*] *Itali.*

CASTALIO.

3. **U**T *qui sitis ipsi quoque in corpore*] Quòd vobis eadem possunt usu venire.

7. *Quorum intuentes eventum morum*] Quales efficiantur eorum mores quorum causa sit fides.

8. *Jesus Christus & heri, & hodie, & idem est in sempiternum*] Ut Christus idem perpetuò manet, ità debetis eandem doctrinam perpetuò tenere.

9. *Gratiarum actione*] Χάριτι dixit pro εὐχαριςίᾳ, quam mox vocat *laudationis sacrificium.*

15. *Libemus assiduum laudationis sacrificium*] Ἀναφέρωμεν scriptum cum ω magno rectè legit Vetus. Est enim cohortatio, ut indicat orationis tenor.

CLARIUS.

2. **P**Er *hanc enim*] *Per hanc*, inquit, *hospitalitatem quidam nescientes exceperunt hospitio Angelos*, qui homines esse existimabantur: quod Abrahæ accidit & Lot.

8. *JESUS CHRISTUS heri, & hodie*] Hoc dicit, *Jesus Christus & fuit, & est, & erit*: neque unquam desiturus est ipse, neque ejus doctrina: Cui uni inhærentes, *nolite variis circumferri doctrinis*, ut sunt Judaicæ Ciborum observationes. Hoc enim innuit cùm ait *bonum esse gratiâ stabilire cor, non escis.*

10. *Habemus altare*] Abstineant ipsi juxta suas superstitiones, & quærant purificationes suas typicis illis moribus ac sacrificiis: *nos habemus altare* multò sacratius, *cujus participes esse non possunt ii qui Tabernaculo* & illis Legis umbris *serviunt.* Dum enim figuram tenent, à veritate se faciunt alienos. Illi purificationem suam expetunt cùm *immolantur illa animalia quorum sanguis pro peccato infertur in Sancta per Pontificem, & corpora comburuntur extra castra*, ceu polluta, *quibus vesci minime liceat*: At nos *sanguis Christi mundat*, qui ut se signatum in illis sacrificiis declararet, *extra portam*, tanquam extra castra *passus est.* Cujus nos exemplum imitamur, si sublatâ cruce nostâ *portamus ejus opprobria.* Cùm ergò in *nostro altari* immolatus sit Christus, cujus figura erant *illa animalia quorum corpora extra castra comburebantur*, *de quibus vesci non poterant qui Tabernaculo serviebant*, sequitur ut hi hujus Victimæ nostræ, qui est Christus, non possint esse participes, cùm ab ea tanquam impura abstineant dum suæ umbræ inserviunt.

14. *Non enim habemus*] Refertur ad illud quod dixerat, *Exeamus ad illum extra castra*, h. e. extra mundum ac terrena omnia, ut simus parati etiam mori si opus sit. *Non enim hæ civitates nostra sunt, sed futuram inquirimus permanentem.*

18. *Confidimus enim*] Quamvis, inquit, plerique censeant nos defectionem à Lege prædicare, tamen *bono animo simus, quia bonam conscientiam habemus*, dum non defectionem prædicamus, sed conamur ab umbra ad veritatem homines transferre.

20. *In sanguine testamenti æterni*] *Eduxit è mortuis Pastorem magnum*, ut esset nobis *sanguis* ejus *in testamentum æternum*; h.e. significavit per illam suscitationem, vivere in æternum *Pastorem* nostrum, & idcirco *sanguinem* ejus esse nobis *testamentum æternum.* Nec huic dissimile est quod alibi dicitur, *& resurrexit propter justificationem nostri.*

ZEGERUS.

2. **L***Atuerunt quidam Angelis hospitio receptis*] h. e. Quod Augustinus l. 1. Quæstionum super Genesin, & Eucherius in Gen. 19. apertius hoc pacto efferunt, *quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.* Est autem Græca phrasis etiam à priscis illis scriptoribus Irenæo, sive hujus interprete, & Tertulliano usurpata, veluti pro eo quod Latinè diceretur, *Nesciens præteriit domum*, illi loquuntur, *Latuit præteriens domum.* Altera lectio manifesta est, nisi quòd subaudiri potest quod vetusti quidam codices interponant *Deo*, *placuerunt quidam Deo.* Aut dicendum, *placuerunt Angelis ipsis.* Cùm Græcè sit ἔλαθον, admodum sanè probabile est *latuerunt* scriptum prius fuisse, idque mutatum esse in *placuerunt*, quod hoc videretur rectiùs quadrare, cùm *latuerunt* absurdum faciat sensum. Sed rursus, cum nec Valla, nec Erasmus, nec ulli correctores indicent se usquam *latuerunt* invenisse, sicuti nec ego hactenus in ullis quivi invenire exemplaribus quamvis vetustis, videtur ipsemet Interpres vel ad dictam absurditatem tollendam, vel quod is sit verus sed occultus Apostoli sensus, vel quod aliud quid legerit, ita voluisse transferre. Alioqui si scripsit *latuerunt*, mirum cur consequenter non verterit ξενίσαντες ἀγγέλους *recipientes hospitio Angelos*, juxta phrasin illam priscam quâ dicebant, *Latuit prætereuns domum*, pro *Insciens præteriit domum.* Nam, *latuerunt quidam hospitio recipientes Angelos*, magis accedit ad phrasin prædictam, & ad id quod veteres quidam hujus loco scribunt, *quidam nescientes hospitio receperunt Angelos*, quam *latuerunt Angelis hospitio receptis.* Certè apud B. Gregorium hom. in Euang. 23. secutum haud dubiè lectionem Ecclesiæ vulgatam, *placuerunt* lego, etiam in cod. vetustis manu descriptis. Quapropter non arbitror scripturam hanc tanto librorum consensu, tam diuturno usu tritam prorsus explodendam, donec sanè prehendero certiora.

4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*] Quia & in præcedentibus pariter & sequentibus modo Imperandi loquitur, dicens, *Memores estote*, &c. *Mementote præpositorum vestrorum*, necesse est & hic Imperandi particulam subintelligi, *sit* vel *esto.* *Honorabile*, ergò inquit, *vobis sit conjugium, & lectus item impollutus*, i. e. nullo adulterio nullâque indecenti libidine contaminatus.

8. *Jesus Christus heri & hodie: ipse & in secula*] Tanquam si dicat, ut ex superioribus nonnihil repetam, [v. 7.] Non est quod despondeatis animum, quasi vobis non sit adfuturum Divinum in rebus necessariis auxilium: Quin potiùs *imitatores vos esse* condecet constantissimæ *fiducia illorum qui vobis Dei verbum locuti sunt*, *illorumque meminisse* tam felicis in optima *conversatione exitûs*: Quos si fueritis æmulati, haud dubie qui illis adfuit *Christus Jesus* & vobis quoque adfuturus est. Idem ille semper permanet; nunquam suæ benignitatis obliviscitur, eandem omnibus opem præstare paratus. Chrysostomus tamen & hunc suo more secutus Theophylactus existimat *quosdam extitisse qui asseruerint*, quemadmodum & hodie Judæi dicunt, *alium quempiam, non Christum ipsum, venturum*, & contra hos intendisse Apostolum.

11, 12. *Quorum enim animalium infertur sanguis*, &c] Adverte quo pacto sermonis contextus sibi cohæreat. Præmiserat *Altare nos habere* offerendis sacrificiis, nimirum Christum ipsum, designans altare simul & hostiam, cujus fas non esset veteris legis Sacerdotibus esse participes quamdiu *Tabernaculi illius ritibus essent addicti.* Jam hoc ipsum declarat duplici figurâ præsignatum esse, primò per hostiam quandam Legis, secundò per sacrificium Christi, quod juxta prioris illius similitudinem peractum est. Nam quod quorundam *animalium* carnes non comederentur sed *cremarentur extra castra*, *quorum* tamen *sanguis* tanti habebatur ut *pro expiando peccato per Pontificem inferretur in Sancta* Templi, præsignat quod quicunque non exeunt extra Judaicos veteris Legis ac sacrificiorum ritus, nequaquam altaris sacrificii Christi participes fieri possint, sed alieni & expertes sint tanti corporis, cujus sanguis pro totius mundi peccatis in spirituali Templo oblatus est. Ad idem etiam demonstrandum, videlicet *non esse participes Altaris qui Tabernaculo inserviunt*, ad similitudinem illius sacrificii de quo modo diximus, *Christus Jesus*, *quo sanguine suo* à peccatorum sordibus *sanctos* nos & puros *redderet*, *extra portam*, extra Tabernaculum, extra Sanctam civitatem *passus est.* Necesse igitur est, si sanguinis hujus oblationisque volumus esse participes, ut Legales ceremonias cæteraque veteris legis crassiora instituta deserentes ad Christum transeamus. Ideoque subjungit, dicens, *Exeamus igitur ad eum extra castra*, *improperium ejus portantes.*

18. *Confidimus enim quod bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari*] Quanquam hæc Græci codices commate tantùm separent ab eo quod præcessit, *Orate pro nobis*, tamen ipse orationis tenor palàm indicat, illud *confidimus enim* exigere novum orationis caput. Purgat autem sese Apostolus his verbis adversùs obtrectatores, qui æstimabant eum malè affectum Hebræis eò quod crassiora Mosaicæ Legis instituta abroganda doceret, & Gentilibus novæ Legis libertatem annunciaret. *Confidimus autem*, inquit, *hoc*, *quod bonam conscientiam* sinceramque voluntatem *habeamus erga omnes & pro omnibus* sive Judæis sive Gentilibus *cupientes semper piè ac honestè conversari*, tametsi id secùs quibusdam videatur.

19. *Deprecor vos hoc facere*] Nempe ut nos precibus apud Deum juvetis, quò celeriùs restituar vobis.

21. *Aptet vos in omni bono*] Καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, *in omni opere bono præparet*, *absolutos reddat*, coagmentet, *componatque.*

22. *Ut sufferatis verbum solatii*] Tale quid est quale nos dicere solemus, *Boni consulite nostram exhortationem.* Cùm

 autem

autem Græcè sit παρακλήσεως, potest esse & *solatii & exhortationis.*

24. *Salutant vos de Italia fratres*] Sedulius & exempl. vetustiora & editio Græca non habent vocabulum *fratres*: unde conjicio à castigatore adjectum esse, quod hujusmodi aliquid subaudiatur; ut, *salutant vos qui de Italia sunt*, vel *de Italia fideles*, vel *Itali ipsi.*

LUCAS BRUG.

1. CHaritas fraternitatis maneat in vobis [*nobis* o.] Pleraque Latina exemplaria, cum impressa tum scripta, cum Latinis enarratoribus, Haymone & posterioribus, ac Syricis libris, legunt *in vobis*: pro quo Hebraica editio habet בקרבכם *in visceribus vestris.* Porrò quatuor nostrorum Latinorum scriptorum, Brug. Leod. Mal. ma. T. & Parisiensium unum, Ge. l. cum Græcis codicibus, Græcisque Interpretibus, Chrysostomo, Theophylacto & Oecumenio, auferunt illud. Quinque alia nostra MSS. (E. Pl. m. I. Atr. f. Pl. lon.) alio loco habent, *In vobis maneat*; ita ut verisimile fiat glossema esse, nostro textui à scribis aut lectoribus additum (nam Syrus ipse non rarò hujusmodi adjicit) quod si dematur, clarior est genuinus Apostoli sensus, monentis, non ut se mutuo tanquam fratres diligant, id quod Haymo aliique intelligunt; sed, quod Græci observarunt, ut in ea dilectione perseverent (*fraternitatis* enim dixit Interpres pro *fraterna*, extremum fortè Græcæ vocis Φιλαδελφία imitatus) nè fortè ob frequentes tribulationibus flaccescerent: quemadmodum mox non hortatur in hospitales fiant, sed ut consuetæ hospitalitatis, etiam facultatibus spoliati, non obliviscantur.

2. *Et hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim placuerunt quidam* *, [* *Deo* o.] *angelis hospitio receptis*] Pro *placuerunt*: quod est in Latinis libris plerisque omnibus, legiturque à Latinis enarratoribus, Haymone ac posterioribus, Græci tum codices tum Interpretes ἔλαθον constanter legunt, quod est *latuerunt*; διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους· ad verbum reddas, *Per hanc etiam latuerunt quidam hospitantes angelos*: cujus sensum ea dat lectio quæ apud Augustinum, cùm alibi, tum c. 41. Quæstionum super Gen. reperitur; *Per hanc enim quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.* Græcorum enim est phrasis, quà dicunt, *latui cadens in foveam*, pro *nesciens in foveam cecidi*, priscis etiam Latinis usurpata, Tertulliano & Irenæi Interpreti. Augustinianæ lectionis meminerunt Autor Glossæ, Lombardus, Carenses, & D. Thomas. Censent igitur nostræ ætatis scriptores complures, Magdalius, Catharinus, & alii, non *placuerunt*, sed *latuerunt*, vertisse Vulgatæ editionis Interpretem; non sine verisimilitudine. Facilè enim quis adducatur ut credat librarios, cum non intelligerent quid sibi vellet *latuerunt*, emendandum judicasse *placuerunt*, voce perquam vicinâ, & commodam claramque sententiam reddente. Sunt impressi codices aliquot qui *latuerunt* habeant, nominatim Quentelianus: sed ex eorum qui editionibus præfuerunt arbitrio correcti. Parisienses unum manuscriptum signant in quo hoc idem sit *latuerunt*; Germani latum: sed nisi hic liber de industria compluribus locis sit emendatus, miror equidem. Unus ex nostris scriptis, V literâ signatus, *platuerunt* habet: itaque & alterum antiquitate præstantem, Malmundarii majorem, habuisse vestigia *t* literæ testantur. Verumenimvero, etsi in nullis *latuerunt* reperias exemplaribus, non est à vero alienum antiquo errore mutatum esse jam indè ab editionis infantia. Hugo Cardinalis Carensis, recitatâ Augustini lectione, *Cui litera*, inquit, *consentit qui taliter literam habet, Per hanc enim latuit quosdam hospitantes Angelos.* Nicolaus Zegerus arbitratur retinendum *placuerunt*, quod consequenter Interpres non transtulerit *angelos hospitio recipientes*, sed *angelis hospitio receptis.* Atqui id facilè fieri potuit, quod participii aoristum ξενίσαντες Latino participio præteriti temporis exprimere voluerit. Neque aliud eum Græcè legisse pro ἔλαθον vicinitas Latinarum vocum, *placuerunt* & *latuerunt*, quæ Græcarum non est, facilè admittit. Porrò quem vox *placuerunt* dat sensum, continetur is latenter etsi, *latuerunt* legas: sed plus hàc significatur, nimirum, Per hospitalitatis officia tam gratos quosdam fuisse Deo, tantique evasisse meriti, ut subindè, cùm homines se excipere existimarent, angelis hospitibus fuerint honorati. Utrumque expresserunt Syri, hunc in modum, *Per hanc enim digni fuerunt quidam, qui, cùm non sentirent, exciperent angelos. Deo* subaudiendum est, quod ferè Glossematici nostri subaudiunt (tametsi & *angelis* possis) si *placuerunt* legas; non addendum, quamvis in nonnullis sit libris. Quidam dativorum loco jungunt *angelis hospitio receptis* τῷ *placuerunt*; nimirum à prototypo recedentes. Possis, quod diximus, *angelis* subaudire: sed qui sequuntur, ablativi sunt absolutè positi; aut certè longè aliter Interpres Græca legisse debuit quàm nos cum Veterum compluribus legamus.

H. STEPHANUS.

2. ΔΙὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους] *Per hanc enim factum est ut quidam inscii exceperint Angelos.*

5. Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος] *Sint mores ab avaritia alieni.*

7. Τῶν ἡγουμένων ὑμῶν.] *Ductorum vestrorum.*

9. Μὴ περιφέρεσθε] *Nè agitemini.*

16. Εὐαρεστεῖται] *Delectatur.*

21. Καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ] *Vos bene compositos ad omne opus bonum reddat.* Vel, *absolutos reddat in omni opere bono.*

23. Γινώσκετε ἀπολελυμένον] *Scitis esse dimissum*: vel *scitote.*

DRUSIUS.

2. QUidam] Abram & Lot. Abram putabat esse Arabes, & non fallunt nos Ebræi. Liber Musar, 5. 2. *Quis major Abrahamo patre nostro, qui ministravit Angelis, licet haberet plurimos famulos & plurimas ancillas, & viderentur ei esse Arabes?* Vide sis librum illum loco citato De Hospitalitate.

3. *In corpore*] Quod *corpus mortis* vocatur Rom. 7. 24. dicente Apostolo, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Vocatur ita eò quòd vitiis, ac morbis, & perturbationibus, nec non morti subjaceat. Hieronymus Adv. Ruffinum lib. 1. c. 6. Cùm igitur omnes qui in corpore sunt adversis premantur, par est ut memores eorum sint qui malis afficiuntur, quos Apostolus κακουχουμένους hic appellat.

4. *Honorabile conjugium*, &c.] Conjunctionem viri cum uxore sanctam & puram esse multis argumentis docet R. Juda compositor libri Musar. Vide illum, si placet, cap. 6. fol. 78. pag. 2.

15. *Id est, fructum labiorum*] Respexit fortè ad locum Hos. 14. 3. qui in Græcorum Bibliis ità legitur, ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν, *reddemus fructum labiorum nostrorum.* Ubi tamen in fonte פרים *juvencos*, non פרי *fructum.*

CASAUBONUS.

13. TOίνυν ἐξερχώμεθα] *Nusquam alibi memini legere hanc particulam ità positam ut orationem inchoaret*, ait hic Beza. Ego verò memini. Justinus p. 263. & Arethas in Apocalypsin p. 941. Τοίνυν καὶ ὁ Εὐαγγελιστὴς τὴν γνῶσιν τὴν παρ᾽ αὐτῷ ἐγγινομένην διὰ καλάμου δόσεώς φησι χρηματίσαι, cap. 11. 1. Eustratius in Præfatione in lib. 6. Nicomach. & in expositione ejusdem libri non semel. Apud LXX. passim. In Esaia non procul initio, Τοίνυν αἰχμάλωτος ὁ λαός μου ἐγενήθη. Sextus Philosophus lib. contra Mathemat. 2. Τοίνυν οὐ κατὰ τέχνην εἰσί τινες ῥήτορες· & apud Epiphanium passim, ut 461. & Proclum in Euclidem, p. 36. apud Galenum tom. 5. pag. 2. Max. Tyrium, p. 6. aliosque.

CAMERON.

8. XΘὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτός, &c.] Hoc non ità potest intelligi ut cùm *Christus* dicitur fuisse *heri*, intelligamus Christum fuisse priusquam Apostolus scriberet hanc Epistolam: hoc enim frigidum esset. Neque sic intelligi potest ut hoc Apostolus tantùm voluerit innuere, Christum fuisse prædestinatum: nam hoc Christo cum multis commune est. At Apostolus singulare aliquid tribuit Christo: deinde, fideles quidem dicuntur *electi ante jacta mundi fundamenta*, at nusquam dicuntur *fuisse ante jacta mundi fundamenta*: denique non cohærent ista, *Christus fuit heri hodie, & in æternum*, si horum primum intelligendum est de Prædestinatione. Nec simpliciter ista de Deitate Christi intelligenda sunt, quanquam hinc colligitur Christum esse Deum; & quidem necessario. Nam consequentia arguunt hæc spectare eò ut certi simus in Christo semper omnia subsidia ad salutem fuisse reposita: sequitur enim continuò, *Doctrinis variis & peregrinis nè circumferamini. Bonum enim est gratiâ constabiliri cor, non cibis, ex quibus nullam consecuti sunt utilitatem qui in iis ambularunt. Habemus nos altare*, &c. Unde liquet studuisse Apostolum avocare Hebræorum animos à studio Rituum & Ceremoniarum ad Christum solum, hoc pacto, *Etsi veteres Judæi in iis ritibus se exercuerunt, non indè tamen ullum fructum, sed à Christo salutem consecuti sunt. Christus*

enim

enim est idem heri, hodie & in æternum, h. e. Nunc Servator non est ità ut olim non fuerit, atque ut non sit futurus in æternum Servator.

17. Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε] Hinc exsculpere volunt Pontificii Conciliorum Infallibilitatem, sed inepte. Nam primò, hæc dicuntur de Pastoribus separatim, non coactis in Concilium. Secundò, subintelligitur conditio, Si nil jubeant & præscribant quod sit contra Christi præceptum & præscriptum: ut cùm præscribitur S. literis ut Regi, ut parentibus, pareamus, non indè colligitur hoc esse absolutè faciendum, quod necesse esset colligere si hoc pacto Regibus aut Parentibus indultum esset privilegium Infallibilitatis.

JAC. CAPPELLUS.

HActenus ad Perseverantiam, Pacem & Sanctimoniam cohortatus Apostolus, nunc ad varias officii nostri partes nos cohortatur in Hebræorum persona.

1. *Amor quo fratres prosequimini*] Ἡ φιλαδελφία. *Fratres* autem ii speciatim dicuntur qui veram in Christum fidem profitentur, ut Rom. 14. 10, 13, 15, 21. 1 Corinth. 5. 11. & 6. 8. & 7. 12, 15. Hos considerare debemus ut nobiscum adoptionis in Christo participes, eoque *fratres* nostros. ¶ *Sit constans*] Μενέτω. q. d. Vos quidem eos qui veniunt ad veritatis cognitionem humanè excipitis ut fratres, sed videte nè roris instar sit benignitas vestra, quin potiùs in ea dilectione constanter perseverate.

2. *Hospitalitatis nolite oblivisci*] Apud Lucanos erat δίκη κακοξενίας, Æliano teste lib. 4. c. 1. Inter Charitatis officia commendatur Hospitalitas maxime, Deuter. 10. 19. Esa. 58. 7. Matth. 25. 35. & 26. 7. Luc. 14. 13. Rom. 12. 13. 1 Petr. 4. 9. Jac. 1. 27. Homerus Odyss. ξ´ Eumæum, quamvis servum & subulcum, ità loquentem inducit,

> Ξεῖν', οὔ μοι θέμις ἐστ', οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι,
> Ξεῖνον ἀτιμῆσαι· πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
> Ξεῖνοί τε πτωχοί τε. δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε
> Γίνεται ἡμετέρη.

Et Odyss. ι´ Ulyssem ità loquentem facit,

> Ζεὺς ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε.

Imprimis autem in Episcopo requiritur *hospitalitas* 1 Timoth. 3. 2. Tit. 1. 8. ¶ *Per hanc enim quidam nescientes Angelos exceperunt*] Ἔλαθον ξενίσαντες ἀγγέλους. Chrysostomus, οὐκ εἰδότες ἐξένισαν. OEcumenius, ἀγνοοῦντες ὅτι ἄγγελοι εἰσιν, ἐξένισαν αὐτοὺς φιλοφρόνως. Vulgata versio, *Placuerunt Angelis hospitio receptis.* Agnoscit verò Fr. Ribera mendum hoc esse, legendumque *latuerunt*. Mendi causa fuit obscuritas orationis. Aliquantò clariùs vertere potuisset, *Per hanc enim cùm Angelos hospitio excepissent, latuerunt*; h. e. id nesciebant, nec ipsi, nec alii. Nam utroque modo sumitur λανθάνω cùm suppletur accusativus. Suppletur, inquam, vox *alios*, Matth. 8. 14. Luc. 8. 47. Sic λάθε βιώσας· suppletur verò vox *ipse*; ut cùm Aristophanes ait, δουλεύων λέληθας. *Serviens lates* temetipsum, h. e. non animadvertis te servum esse. Dixeris, hodie nobis Angelos nullos occurrere. At offert se Christus ipse, sibi factum deputans si quid ex charitate facimus in fratrum gratiam, Matth. 25. 40. Scriptura passim Hospitalitatis exempla nobis proponit in Abrahamo, Gen. 18. 3. Lotho, Gen. 19. 2. Labane, Gen. 24. 31. Raguele, Exod. 2. 20. Rahaba, Jos. 2. 1. Jac. 2. 25. Ephraimita sene, Jud. 19. 20. vidua Sareptana, 1 Reg. 17. 10. Sunamitide, 2 Reg. 4. 8. Jobo, Job. 31. 32. Martha, Luc. 10. 38. Zacchæo, Luc. 19. 6. Lydia, Actor. 16. 15. Publio, Actor. 28. 7.

3. *Memores estote vinctorum*] Non aliorum tantùm sed & suâ causâ sic loquitur, ut qui passim & suorum vinculorum meminerit, & se piorum precibus commendaret, adeoque subsidia fratrum in agone quem exantlabat non contemneret. Videlicet ità demum testaris quàm sis fratris tui memor, cùm ei vel precibus vel operâ beneficentiâve tuâ pro viribus opitularis. ¶ *Tanquam unà cum illis vincti*] Sunt sanè sua cuique vincula.

> *Quisque suos patimur manes.*——

Quæ cogitatio debet animos nostros subire quoties animum titillat superbia, si fortè beatiùs aliquantò nobiscum quàm cum aliis agatur. Sed Apostolus hic non tam id agit nè spernamus vinctos quasi furciferos, quàm nè deseramus ipsos. Vult, inquam, hic non tam ad humilitatem quàm ad humanitatem & misericordiam nos cohortari, eoque vult ità nos agere ac si vinctorum personam sustineremus nosmetipsi. ¶ Καὶ τῶν κακουχουμένων, ὡς αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι] h. e. Ἐν τῷ αὐτῷ σώματι. Frequens est enim hujus generis ellipsis, h. e. *Et eorum qui malis premuntur* mementote, *ut qui sitis ipsi in* eodem *corpore*. Si qui vehuntur in eadem navi, sociorum pericula sua reputant; quantò magis nostra reputare debemus fratrum nostrorum vincula, cùm simus non tantùm in eadem cymba sed etiam in eodem corpore? Syrus & Arabs, *Ut qui sitis homines induti carne*, eoque calamitatibus iisdem obnoxii. Quo modo Dido dicit Æneid. 1.

> *Non ignara mali miseris succurrere disco.*

4. *Conjugium est honorabile*] Fr. Ribera mavult ut subintelligamus vocem *esto*: quod non inviti concedimus tum hoc loco tum in multis aliis huic consimilibus; quòd perinde sit in plerisque utrum subintelligas: quanquam in plerisque subintelligitur potiùs *est* quàm *esto*. Sed & intelligamus imperativum *esto*, nihil profecerint ii qui cœlibatum exigunt à Clero; quòd Apostoli mens sit, *conjugium* & *honorabile esse*, & *ab omnibus* habendum pro tali: quod ii certè minimè faciunt qui concubinatum & quidvis aliud in Clericis tolerant potiùs quàm conjugium. ¶ Ἐν πᾶσι] V. Interpres, ut & Syrus, *in omnibus*. Clariùs Arabs, *inter omnes*. Agnovit enim Hebraismum esse, adeoque tam Græcis quàm Hebræis familiarem phrasim, quâ ב, ἐν, *in*, ponitur pro בין, μεταξὺ, *inter*. Non vult autem Apostolus quemvis cum quavis posse copulari; sed neminem esse, modò verè vir sit, qui non aliquam fœminam invenire possit cum qua possit honestè legitimeque copulari, cujuscunque tandem sit conditionis & ordinis, putà sive viduus sit sive virgo, sive Clericus sive Laicus. Sed etsi dicas *in omnibus*, idque neutro genere, quod hodie Pontificii volunt, nihil tamen profecerint. Nam si nihil est in conjugio quod non sit honorabile, si γάμος ὅλος δι' ὅλου πᾶσι τρόποις τίμιός ἐστι, ut OEcumenii verbis utar, quâ fronte potest Roma Conjugium damnare, quasi nulli sacræ personæ, nulli sacro muneri conveniens? ¶ *Et torus immaculatus*] His verbis docet Apostolus Conjugii non tantùm contractum sed & usum in quovis hominum genere legitimum, honestum, immaculatum esse. Quodsi quis etiam in conjugio usuque conjugii sit impurus ac turpis, is multò turpior ac impurior erit in cœlibatu: quod perspicuè docet Lerna turpitudinum prioribus seculis inauditarum quibus scatent libri Confessionum ex quo cœpit à Clericis omnibus exigi cœlibatus. ¶ *Scortatores autem & adulteros*] h. e. Quantò magis adulteros. ¶ *Judicabit*, i. e. condemnabit, *Deus*] Sic Joh. 3. 17, 18. 1 Cor. 11. 29. & alibi passim. Connexionis hujus hæc vis est; Quemadmodum in quocunque tandem hominum ordine conditioneve detestatur Deus adulterium, adeoque scortationem, sic in quocunque tandem hominum ordine conditioneve gratum & ratum habet Deus & conjugium & usum conjugii. Quam conjugii commendationem passim inculcat Paulus, in iis præsertim literis quas scripsit post primam ad Corinthios, nè quis abuteretur consilio quod iis qui dono continentiæ prædìti sunt dederat 1 Cor. 7. Vide 1 Tim. 2. 15. & 3. 2, 4. & 4. 1, 2, 3. & 5. 14. Tit. 1. 6. Rom. 7. 3.

5. *Sint mores alieni ab avaritia*] Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος. Propriè quidem φιλαργυρία est *amor pecuniæ*: Sed eo nomine comprehenditur rei cujusvis immoderata cupiditas; ideoque dicitur *malorum omnium radix* 1 Tim. 6. 10.

> Ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης,

inquit Phocylides, dominoque suo non minùs, imò multò magis, quàm aliis noxia; idque vel hoc maximè nomine quòd

> *Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.*
> *Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*

Hujusmodi sexcenta reperias non tantùm apud Sacros sed etiam apud exoticos scriptores. Quodsi notata sunt hæc etiam ab Ethnicis, quantò magis à nobis notari debent & caveri? ¶ *Contenti sitis præsentibus*] His verbis excludit Apostolus non sedulam industriam, non providam sagacitatem, sed solicitam diffidentiam, cupiditatem inexpletam, μεμψιμοιρίαν, semperque querulum fastidium rerum præsentium aut tædium. Sunt qui metu futurorum præsentibus quantumvis bonis frui non possunt. His dicitur Matth. 6. 34. *Dies cuique sufficit afflictio sua.* Sunt quibus semper sordent præsentia, sive quòd illis nihil placeat, ut senibus; sive quòd illis nihil est satis, ut avaris & ambitiosis. Sunt & quibus quævis alia conditio placet potiùs quàm sua; de quo vitio videsis Horatium lib. 2. Sat. 2. ¶ *Ipse enim* Deus *dixit*] Jos. 1. 5. Ex pluribus vitiis quæ peccant

cant in Apostolicum præceptum hic potissimum spectatur meticulosa Diffidentia. ¶ *Non deseram te, nec te relinquam*] Non usurpavit hic Apostolus Versionis LXX-viralis verba, tum ut aptiora substitueret, tum ut doceret, Versionum, etiam ubi vitiosum nihil habent, verbis non ità mordicus adhærendum ac si non liceat ab eis vel earum una quapiam latum unguem discedere. At quo jure possum tanquam mihi dictum usurpare quod olim Josuæ speciatim dixit Deus? Quia dixit hoc Deus Josuæ non tantùm ut Duci Principive populi sed ut fideli servo filioque suo. Ità quisquis sentit in Deum se credere, Deum à se diligi, concludere potest à Deo se quoque diligi, sibi Deum esse patrem, eoque se nunquam à Deo desertum iri, suis necessitatibus à Deo prospectum iri, potissimum quidem in iis quæ salutem animæ spectant, sed & in iis quæ corpus spectant, quantum quidem expedire noverit Deus, & conferre tum gloriæ suæ, tum saluti nostræ. Cùm autem filios suos passim ità compellet Deus, sunt hæc totidem validissima pro Perseverantia Sanctorum argumenta.

6. *Adeò ut animo confidenti dicamus*] Quàm damnanda, quàm nocens est præfidentia, tam necessaria nobis est confidentia fiduciam in Deum reponens, & nos armans ac constantiâ muniens adversùs Satanæ, Mundi, Carnis insultus. ¶ *Dominus est auxiliator mihi*] Vel, *præsidium meum.* Dicit quidem ista David de se Ps. 118. 6. & quidem Spiritu Prophetico, S. Spiritûs impulsu, sed eà mente ut sint typus ac exemplum fiduciæ quâ munire se debent non soli Prophetæ sed & omnes fideles. Est hic verus Fidei stylus, & ità quidem ut nec fidelis unquam deponere debeat hanc fiduciam, nec eam habeat quisquam nisi verà fide præditus. Enimvero proprius hic est Fidei genius ut generales promissiones applicet sibi; quo modo Conscientiæ proprium est applicare sibi minas Legis, quasi dicendo, *Tu fecisti quod Lex vetat, Patieris igitur ea quæ Lex comminatur.* Vicissim Fides fideive sensus ità tecum agit, *Credis in Deum, sincerâque fiduciâ recumbis in illum: Deus ergò vicissim erit tibi præsidio.* ¶ *Et* (h. e. ideoque) *non timebo quid facturus mihi sit homo*] Fiduciam hanc habere non potest qui nescit sitne Dei filius an Diaboli. Nam qui adhuc Diaboli filius est & iræ, quales naturâ nostrâ sumus omnes, huic non modò multa possunt esse noxia, sed huic omnia sunt noxia. Illi demum qui Dei filius est Gratia præstat antidotum, ἀλεξίφαρμακον, præsidium idoneum ad avertendos omnes conatus & incursus hostiles. Neque propterea securos nos esse par est. Supervenit enim Gratia non ut foveat sed ut sanet vitia nostra, securitatem imprimis ac licentiam carnis. Passim autem ità loquitur David, ut Psal. 3. 6, 7. & 27. 1. & 91. 5, 6. Cùm autem verax sit oratio Fidei, hæc quoque totidem sunt argumenta pro Perseverantia Sanctorum.

7. *Memores estote ductorum vestrorum*] Apostolos imprimis intelligit & Martyres Novi Test. quomodo cap. 11. Veteris Test. Martyres & antecessores imitandos nobis proposuerat. *Qui locuti sunt vobis verbum Dei*] i. e. Qui doctrinam Evangelii vobis prædicarunt. Hæc enim doctrina κατ' ἐξοχὴν vocatur *Dei verbum*, etiam à Prophetis, ut Esa. 2. 3. *Quorum conversationis exitum considerantes imitamini fidem*] Hæc demum est vera piaque Martyrum & Apostolorum recordatio quam nobis commendat Apostolus, non ut illis altaria, templa, statuas, festa consecremus, non ut illos invocemus, sed ut *eorum fidem* ac pietatem *imitemur.* Ecquem verò præter Deum invocarunt Apostoli? Quas statuas ulli Prophetæ consecrarunt? Cui nisi Deo dies festos & templa dedicarunt? Non igitur Pontificii sed nos Apostolorum & Prophetarum *imitatores* & *memores* sumus; eo videlicet modo quo memores eorum esse debemus.

8. *Jesus Christus heri & hodie idem est, & in secula*] Hæc propositio tam ad antecedentia quàm ad consequentia confirmanda potest adhiberi. Ad antecedentia; 1. Quia Christus semper fuit ac erit *idem*, eadem quoque debet esse fides nostra quæ nostrorum antecessorum. 2. Cùm Christus sit semper *idem*, eâdem benevolentiâ quin & eâdem efficaciâ nobis erit auxiliator quâ Davidi fuit & Josuæ. Ad consequentium quoque confirmationem ità potest pertinere; Cùm Christus sit semper *idem*, Christi discipulos non decet *variis circumferri doctrinis.* Hæc ipsa series docet non sumi vocem *heri* pro *nuper*, ut vult Enjedinus Arianus: & eò quoque propendet, licèt non eodem animo, Emanuel Sa. Quisquis enim dicit aliquem *heri* natum, χθὲς καὶ πρώην, pro *non ità pridem*, illius oratio pertinet ad elevandam ejus de quo loquitur dignitatem; cùm oratio Pauli pertineat ad commendandam nobis Christi dignitatem, potestatem & constantiam. Igitur Pauli mens eadem est quæ Johannis cùm de Christo dicit, ὁ ἦν, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, quibus verbis totam æternitatem comprehensam voluit Johannes Apoc. 1. 4. Τὸ χθὲς, inquam, *heri*, non minus quàm ὁ ἦν *qui fuit*, designat ab æterno fuisse Christum, non autem aliquot antequam Johannes & Paulus scriberent annis natum; quo modo τὸ, ὁ ἐρχόμενος, *qui erit*, aut *venit*, non significat *qui dies aliquot annosve duraturus est*, sed *qui duraturus est in æternum*; quod & disertim exprimit hic Paulus, cujus oratio Johannis orationem insuper eo superat, quòd Johannes quidem Æternitatem Christi nobis describit, Paulus verò cum Æternitate designat etiam Immutabilitatem: quæ certè sunt συνακόλουθα· sed nobis expediebat utrumque à scriptoribus θεοπνεύστοις exprimi, ut Jac. 1. 17. Num. 23. 19. Mal. 3. 6. Jam æternitatem & immutabilitatem essentiæ consequitur etiam officii, potestatis & virtutis immutabilitas. Itaque licèt in circumstantiis alia fuerit olim alia nunc Divini Fœderis œconomia, tamen eadem fuit substantia, cùm idem semper Servator fuerit, eadem salus, eadem quoque ratio salutis obtinendæ, nempe per & propter Mediatorem apprehensum fide. Quamobrem nos quoque decet eundem animum præstare, nec tyrannorum aut vicissitudinum hujus vitæ metus, nec impostorum fraudes nos à recto tramite veràque fide dimoveant.

9. *Doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini*] Multiplex est Mendacium, Vitium, Obliquitas; Veritas autem una.

Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

Medium istud unum est. A puncto ad punctum dari possunt obliquæ lineæ infinitæ, unica verò recta. Veritas autem Evangelica potissimum est Dei filia, mater & nutrix fidelium. Huic igitur contrarius error *peregrinus* sit necesse est. Vide Ephes. 4. 14. Quamvis autem generale sit hoc præceptum, tamen eum potissimum errorem hic respicit Apostolus quem in hac Epistola profligavit, quo videlicet antiquitatis obtentu novitas introducebatur, nova videlicet necessitas subeundi, & aliorum, licèt Gentilium, cervicibus imponendi, jugi Ceremonialis. ¶ *Bonum est enim firmari cor gratiâ, non cibis*] Ceremoniarum patroni volebant earum observationem ad ingenerandam cordi firmitatem ac fiduciam pertinere: Paulus autem vult eam petendam à firmitate Fœderis Evangelici, quod passim *gratiæ* nomine κατ' ἐξοχὴν designatur, ut Joh. 1. 17. non à *ciborum* distinctione, nec ab aliarum hujusmodi Ceremoniarum observatione. Sic Rom. 14. 17. *Regnum Dei non est cibus neque potus*, h. e. non est situm in Ceremoniarum externarum observatione. ¶ *Qui non profuerunt iis qui versati sunt in iis*] q. d. Qui plurimùm addicti fuerunt distinctioni ciborum aliisque ceremoniis hujusmodi, ii minimum fructûs indè perceperunt; sed quò tenaciùs externis istis crepundiis addicti fuerunt, eò minùs efficax in illis fuit Fœderis Evangelici veritas. Potest autem hic esse λιτότης, lenitate verborum mitigans diritatem pœnæ quam experti sunt apostatæ qui Ceremoniarum Mosaicarum obtentu defecerant à Christo; quomodo Christiani quoque quidam Cœnam Dominicam irreverenter accipientes experti fuerant iram Dei, prout docetur 1 Cor. 11. 30.

10. *Habemus altare*] i. e. Crucem Christi. *Sub hoc altari vidit* Johannes *Martyrum animas* Apoc. 6. 9. vidit, inquam, Martyres acquiescentes meritio crucis Christi, sub eoque placidè recumbentes. Eidem altari Christus imponit *suffitus, id est preces sanctorum*, Apoc. 8. 3. Non sunt enim acceptæ preces nostræ nisi merito mortis Christi. ¶ *De quo comedendi potestatem non habent*] i. e. Cujus participes esse non possunt, ¶ *Qui serviunt Tabernaculo*] Literam si spectes, *servire Tabernaculo* propriè dicebantur Levitæ, Num. 8. 15, 24. Sacerdotes verò dicebantur *altari servire, & altaris participes esse*, 1 Corinth. 9. 13. Fideles autem omnes sunt *Regale Sacerdotium*, 1 Pet. 2. 9. *Reges & Sacerdotes*, Apoc. 1. 6. eoque sunt *Altaris ministri*: quibus opponuntur *ministri Tabernaculi*, h. e. quotquot propugnabant Ceremonias Mosaicas ut ad salutem & pietatem necessarias. Fuerant quidem illæ quondam necessariæ necessitate præcepti, quia Deus eas imperaverat ut essent typi rerum implendarum à Christo: At ex quo Christus eas implevit, retineri non potuerunt typi, quasi si tam necessarii quàm pridem, sine contumelia Christi, quasi nondum exhibiti, nondum Redemptoris officio perfuncti. Contumeliâ verò qui Christum afficiunt, utut ejus Sacramenta percipiant, ipsius Christi participes esse non possunt.

11. *Quorum enim animalium pro peccato sacrificatorum sanguis infertur in Sancta* sanctorum *à summo Sacerdote*] Huic videlicet uni patebat aditus in intimum illud Sanctuarium, & quidem uno die quotannis, nempe die Propitiationum, Tisri decimo. Vide quæ suprà diximus in c. 9. 11, 12, 24. Duorum autem animalium sanguis in intimum Sacrarium inferebatur: Ea sunt *Vitulus peccati* & *Hircus peccati*, ut dicitur Levit. 16. 27. h. e. vitulus pro peccato, hircus pro peccato mactatus. ¶ *Horum corpora comburuntur extra castra*] Apostolus cùm dicit *comburuntur*

runtur rationem habet tam sui temporis quàm antecedentium: Cùm autem ait *extra castra* non suum seculum propriè respicit, sed Mosaicum, quo populus in deserto more militantium castra metabatur. Erant verò tres παρεμβολαί. 1. Interior erat παρεμβολὴ Tabernaculi, quæ dicebatur מחנה שכינה, i.e. *castra Divinitatis*. 2. Levitarum. 3. Populi, reliquas duas ambitu suo complectens; cui respondebat Hierosolyma.

12. *Quapropter & Jesus passus est extra castra*] i.e. Extra Civitatem. Factum id more reliquorum qui de sententia Judicum morte plectebantur, ut violator Sabbati, Num. 15. 35. blasphemus, Levit. 24. 14. Achan, Jos. 7. 24, 25. Sic Stephanus, quasi blasphemus, à Judæis extra Hierosolyma properanter extruditur ut lapidibus obruatur, Actor. 7. 58. Vide quoque Luc. 4. 29. Sic idololatras Deus *educi* jubet, Deut. 17. 5. *ad portas*, h.e. extra portas civitatis. Quamobrem ut Christus sic & duo latrones simul extra Civitatem educti sunt, quòd ritus hic reis omnibus esset communis. Videlicet eo ritu declarabantur alieni à communione mundorum, ut leprosi, Levit. 13. 46. h.e. à communione justorum sive sanctorum, sive populo Dei. Christus contra prodiens extra Civitatem, tacitè significabat à se relinqui civitatem illam, ut sanguinariam, & cortici Ceremoniarum addictam adeoque mancipatam ut harum obtentu relinqueret & infenso persequeretur animo Principem salutis, cum quo comparati ritus omnes illi erant umbrarum instar. ¶ *Ut proprio sanguine sanctificare populum*] Suum videlicet, h. e. cœtum electorum, cujus typus fuerat populus Israeliticus, adeoque Jerusalem. Tum verò Jerusalem, adeoque Judaica gens, erat typus infidelium & hostium Dei; quibus relictis testatus est Christus se sanguinis sui, quem profusum ibat, meritum aliis destinare, iis videlicet qui verè, propriè κατ᾽ ἐξοχὴν sunt *populus Dei*, *populus Christi*, *oves Christi pro quibus animam suam posuit*, Joh. 10. 15.

13. *Quamobrem*] Præter probationem doctrinæ v. 10. comprehensæ Paulus aliam insuper ex præmissis v. 11, & 12. conclusionem elicit, Nos videlicet semper debere paratos esse ad subeundum quodvis probrum, quamvis crucem, pro Christo & cum Christo, quoties ità Deo placuerit. ¶ *Exeamus ad ipsum extra castra*] Affectu videlicet, ex animo renunciantes iis omnibus quæ possent nos ab eo divellere; renunciantes, inquam, iis omnibus quorum typus erat Israelitarum in deserto castrametatio. Ea verò figurabat 1. totam multitudinem eorum qui Mosaico Tabernaculo serviunt, ac in externis illius ritibus salutem quærunt; 2. eos qui salutem quærunt in ritibus externis quibusvis, utut humanitus [*st.* Divinitus] inventis, ac in iis pietatis proram ac puppim collocant; 3. mundum hunc rebus corporeis ac umbratilibus addictum; 4. corpus nostrum, quod & ipsum σκηνώματος nomine designatur 2 Pet. 1. 14. & σκήνους 2 Cor. 5. 4. ¶ *Opprobrium ejus portantes*] Non figentes nobis crucem à nobis ipsis confictam, ut Monachi, sed parati ad subeundas quasvis ignominias & ærumnas quas Deus nos ferre voluerit, ut simus imitatores Christi, meritorumque crucis illius participes.

14. *Non habemus hìc civitatem permanentem*] Ut cap. 10. 10. *habentem fundamenta*. q. d. Nihil in hac vita possidemus quod dicere possimus futurum diu nostrum. Quæ nobis videmur firmissimè tenere, ea, quoties Deo libuit, temporis momento nobis è manibus effluunt. Omnia nos relinquunt, vel à nobis relinquuntur: Job. 1. 21. Horatius,

> *Linquenda tellus, & domus, & placens*
> *Uxor: neque harum quas colis arborum*
> *Ulla brevem dominum sequetur.*
> Γῆς ἐπέβην γυμνός, γυμνὸς θ᾽ ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι·
> Καὶ τί μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος;

¶ *Sed futuram inquirimus*] i.e. Sed ea civitas, ea conditio, quam in futura vita possidebimus, ea demum est verè stabilis ac æternùm permansura: quamobrem ea quoque nobis est sedulò requirenda.

15. *Per ipsum igitur*] q. d. Cùm Christus unus passus sit ut nos sanctificaret, unus suâ morte nos sanctificaverit, unus nos reconciliaverit Deo, unus æternæ vitæ jus nobis acquisiverit *per ipsum* unum *offerre* debemus *sacrificia nostra*. ¶ *Offeramus Deo sacrificium laudis*] Uni videlicet Deo sacrificandum: nec ulla nobis supersunt sacrificia præter Eucharistica. Ea verò sunt Preces, de quibus hoc versu; & Eleemosynæ, de quibus v. 16. ¶ *Jugiter*] i. e. Nè putemus unquam nos ità perfunctos hoc officio ut deinceps non teneamur ampliùs eo fungi. Sic jubemur *semper orare* 1 Thess. 5. 17. ¶ *Hoc est, fructum labiorum*] Alludit Apostolus Hoseæ verba cap. 14. 2. quo loco veritasquidem Hebraica habet *& rependemus vitulos*, שפתינו, i. *labia nostra*; sive *vitulos labiorum nostrorum*. Siquidem absoluta forma sæpe ponitur pro syntactica. Sed LXX-viralis Interpres, sive legerit פרי *fructum* pro פרים *vitulos*, sive sensum exprimere satis habuerit, Metaphoram, quæ forsan ipsi durior videbatur, emolliens, vertit καρπὸν χειλέων· quam phrasim Apostolus quoque maluit usurpare, ut notiorem iis quibus scribebat, Hellenistis videlicet. ¶ *Confitentium ejus nomini*] i.e. Deum celebrantium. Nam ἐξομολογεῖσθαι Θεῷ passim significat *laudare Deum*, ut Matth. 11. 25. Rom. 14. 11. *Nomen* quoque *Dei* passim sumitur pro *Deo*. Habes utrumque Rom. 15. 9. Sed & Christus dicitur *confessurus nomen nostrum*, i. e. nos pro suis agniturus & celebraturus.

16. *Beneficentiæ & communicationis*] i. e. Beneficentiæ ex sanctorum communione proficiscentis. ἓν διὰ δυοῖν. ¶ *Nè obliviscimini*] Sic suprà v. 2. q. d. Ità vacate sacrificiis Laudis sive Pietatis operibus ut tamen opera Charitatis non omittatis. Quippe Deus ipse testatur Hos. 6. 6. *se misericordiam malle quàm sacrificium*, adeoque *sacrificium* vocat ipsam Misericordiam, quatenus egenis benefacimus ut obsequamur Deo, qui nobis eos commendavit ut filios suos. Invocatio verò cùm sit non Misericordiæ sed Pietatis sacrificium Deo debitum, non potest cum ulla creatura communicari sine contemptu Dei, jubentis ut uni sibi sacrificetur. ¶ *Talibus enim hostiis delectatur Deus*] q.d. Grata quidem Deo sunt Laudis sacrificia, sed & gratissima sunt ipsi Charitatis officia, eaque pro victimis longè pretiosissimis ac sibi charissimis habet. Hæc videlicet est vis Divinæ erga nos benevolentiæ ut apud Deum magno sint in pretio quæ, si velit ad Legis amussim, κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον revocare, nullius essent pretii. Facit igitur hic locus ad commendandam Dei bonitatem erga nos, non ad asserenda hominum erga Deum merita, quicquid obtendant in hunc locum Emanuel Sa &c, quem laudat, Bellarminus. Petenda sunt enim argumenta non ex rivulis Versionum sed ex ipso Fonte. Quis indolis bonæ filius dixerit se toties apud patrem *mereri* quoties ipsi gratus est? aut omnes suas quibus delectatur pater actiones totidem esse *merita*? Quantò minùs id nobis licet dicere de Patre cœlesti, inter quem & nos nulla est proportio? Sed nè Vetus quidem Interpres favet Merito propriè dicto, cùm vertit, *talibus hostiis promeretur Deus*. Est enim hæc impropria barbaraque locutio, nihil aliud significans quàm quod Græcè dicit Apostolus εὐαρεστεῖται *delectatur*. Sic impropriè *meritum* usurpant plerique veteres pro quovis opere quod Deo placet, etiamsi propriè loquendo tanti pretii non sit ut possit Deum placare, Deo satisfacere, vitam æternam mereri; nisi quatenus *mereri* sumitur in genere pro *consequi*: quod & ipsum non est infrequens.

17. *Ductoribus vestris*] i. e. Pastoribus, ut quibus data sit auctoritas ἡγεμονική, non potestas δεσποτική, & ducendi non cogendi jus. Sanè Principes dicuntur, & plerumque dici malunt etiam ipsi *ductores* ἡγεμόνες quàm δεσπόται *domini*: sed Pastoribus, non Principibus, interdicitur dominatu, Matth. 20. 25, 26. Mar. 10. 42, 43. ¶ *Credite & obsequimini*] Πείθεσθε καὶ ὑπείκετε. Et πείθεσθαι quidem significat ut plurimùm *obedire*: sed cùm id quoque significet ὑπείκειν, & πείθω significet *persuadere*, rationi consentaneum videtur ut harum duarum vocum prior hìc *fidem*, altera significet *obedientiam*. Neutra verò debet esse cæca, sed habere Spiritum S. pro duce, Dei verbum pro cynosura: quam si sequantur Pastores, nos quoque debemus illos sequi: alioqui si desciscant ipsi à verbo Dei, jam impostores sunt non *Pastores*, & seductores non *ductores*. Ac tum jubemur ab eorum *fermento cavere*, Matth. 16. 6. Marc. 8. 15. Luc. 12. 1. Obedimus autem non tantùm imperiis, sed & monitionibus ac consiliis. ¶ *Pro vestris enim animabus vigilant illi*] i. e. Vigilare debent, adeoque vigilant reapse si modò verè sint *ductores*. Ità rationem simul & modum hìc habemus antecendentis præcepti: q. d. Cur debemus illis *fidem* & *obsequium præstare*? Quia non sibi sed nobis serunt, & salutem nostram non lucrum suum quærunt. Rursus, quando nam iis *fidem accommodare*, *morem gerere* debemus? Tum videlicet cùm *pro nostris animabus vigilant*, non lucro, non terrenis opibus inhiantes, animabus nostris utilia non damnosa dantes documenta. ¶ *Tanquam rationem reddituri*] Hæc est ἀνθυποφορὰ simul, & ad Pastores exhortatio. Est hæc, inquam, occupatio. Dixeris enim, Eccur verò *pro nostris animabus vigilant*? Nempe quia sciunt *se rationem reddituros*. Rursus, nè Pastores gregi soli putent hic officium præscribi, monet hic Apostolus quàm sedulò *pro* sui gregis *animabus vigilare* debeant, *ut qui sint rationem reddituri*. Nempe nisi vitiosos sedulò monuerint ut ad sanam mentem redeant, repetentur à Pastoribus ovium errantium animæ, ut disertè contestatur Ezekiel 3. 18. ¶ *Ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes*] q d. Ità vos erga Pastores vestros gerere debetis ut id sit illis incitamento ad peragendum alacriter munus suum, non autem gravatim ac veluti coacte. In his verbis latet

etiam

etiam cohortatio ad Pastores ipsos, ut non inviti sed quantâ maximâ possunt alacritate & sedulitate muneri suo incumbant. ¶ *Id enim vobis esset inutile*] Adeoque damnosum. Est enim hæc λιτότης, tam Græcis quàm Latinis familiaris. Seneca De beneficiis lib. 2. c. 10. *inutiliter verecundus*. Respicit Apostolus id quod legitur Ps. 106 16. *Irritaverunt Mosem in castris, & Aaronem sanctum Domini*. At iidem in deserto miserè perierunt. Perinde est ac si dicat Apostolus, Cavete nè vestrâ contumaciâ Pastoribus vestris subindè gemendi necessitatem imponatis, ut olim Israëlitæ Mosi; nè Deus, ut in illos, sic etiam in vos edat tremenda vindictæ suæ documenta. Id autem ab Apostolo non temere dictum experti sunt quotquot Israëlitarum adversùs Mosem pervicaciam imitati sunt, quorum numerus fuit multò maximus.

18. *Orate pro nobis*] Et hic & sequentes ad finem usque versus sunt veluti totidem characteres styli Paulini. Certè passim ità loquitur Paulus ut hic; nempe Col. 4. 3. 1 Thess. 5. 25. 2 Thess. 3. 1. Videlicet quàm sedulò pro suis gregibus orabat, 1 Corinth. 1. 4. Ephes. 1. 16. Phil. 1. 4. Col. 1. 3. 1 Thess. 1. 2. tam seriò se gregum suorum precibus commendabat, ut qui non magis se constituerit intercessorem gregis sui quàm gregi suo partes intercessoris daret. Sunt hæc conservorum in terris degentium adeoque συμμετόχων mutua charitatis officia, præceptis & exemplis à Scriptura petitis fulta, quibus si demas mutuum istud debitum, istud Scripturæ fulcrum, rei naturam prorsus immutat. Cùm ergò jam sancti nec se precibus nostris commendent nec precibus nostris indigeant, non possumus illos mediatores nostros facere sine contumelia veri Mediatoris nostri, maximè cùm nec præceptum nec exemplum ullum à Scriptura petitum habeant hujusmodi preces. ¶ *Cum enim in omnibus honestè versari studeamus*] Et quidem ex animo sinceraque voluntate, ¶ *Confidimus nos bonam conscientiam habere*] q. d. Quæcunque sint illa crimina quæ adversùs nos à sycophantis congeruntur, certi sumus nos à vobis *bonâ conscientiâ* postulare posse ut pro nobis oretis. Fœderis Legalis rigorem si spectemus, nemo suis operibus justificari potest coram Deo. Psal. 143. 2. Rom. 3. 28. & 11. 6. Gal. 2. 16. Quod si Mundi vel Satanæ calumnias spectemus, tum licet nobis iis opponere testimonium *bonæ conscientiæ*. Sic passim Paulus Actor. 23. 1. & 24. 16. Utrumque verò facit Apostolus 2 Corinth. 4. 4.

19. *Amplius autem obsecro vos ut id faciatis, ut citius restituar vobis*] q. d. Præcipua cur me precibus vestris commendem causa est, ut quamprimùm vobis restituar: quod & optimæ conscientiæ & sinceræ benevolentiæ est argumentum. Hæc autem verba vel maximè docent Paulinam esse Epistolam hanc. Ecquem enim Apostolum Apostolicumve virum legimus ab Hebræis avulsum, *Hebræis restitutum*, præter Paulum? Ecquâ verò, dixeris, ratione possunt hæc aptari Paulo? Percommode. Hierosolyma delatus, fuit indè per vim avulsus, quasi *docens defectionem à Mose*, Actor. 21. 21. quasi *pestilens & seditiones adversus omnes Judæos Orbe toto commovens*, Actor. 21. 28. & 24. 5. *Restitutus* autem fuit *Hebræis*, h. e. Judæis, si non Hierosolymitanis, saltem iis cum quibus Hierosolyma profectus fuerat, & quibus toties prædicaverat, *Asiaticis* videlicet, accusatoribus suis, de quibus Actor. 21. 27. & 24. 18. quibus forsan ut sisteretur illi data fuit A. D. LXII. libertas, vel potiùs imposita necessitas, (quæ tamen Paulo longè gratissima fuit) si non in Judæam usque, saltem in Asiam Minorem proficiscendi: quod ut hic, & v. 23. sic & ad Philem. v. 22. & ad Philippenses 2. 24. à se sperari testatur, & id se consecutum 2 Timoth. 4. 13, 20. non obscurè docet.

20. *Deus autem pacis*] Sic Rom. 15. 23. & 16. 20. Infensos sibi Judæorum animos placare studens Apostolus meritò selegit inter elogia Dei potissimùm illud quo docemur quàm illi grata sit Pax & Concordia. Sed & omnibus Novi T. præconibus convenit hoc elogium, cùm sub Vetere diceretur potiùs *Deus exercituum*, quia Vetus T. ad terrorem erat comparatum, Novum ad consolationem. ¶ *Qui Dominum nostrum Jesum eduxit è mortuis*] Quia Christi mors Judæis erat scandalo, meritò gloriosam ejus resurrectionem tum initio tum sub finem Epistolæ suæ commemorat Apostolus. Ἀναγαγεῖν autem, i. e. ἀνάγειν, *sursum evocare* sive *revocare*, dicitur qui mortuos excitat; quomodo mortui dicuntur καταβαίνειν εἰς ᾅδου, non utriusque partis, sed alterius, adeoque totius, nempe personæ, respectu. Licèt enim imminutionem quam morte patimur abunde compenset in nobis Deus, tamen mors ipsa, quatenus mors, imminutionem aliquam adfert; quæ licèt sit caudæ potiùs quàm capitis minutio, minutio tamen est, olim abolenda cum immenso lucro totius nostri corporis in meliorem statum restitutione. ¶ *Magnum*, inquam, *illum ovium Pastorem*] Cùm veluti suas oves nos pascat, regat & protegat Christus, nos quoque dociles & pacis amantes ovium instar esse par est. Cumque Christus sit κατ᾽ ἐξαίρετον ὁ ποιμὴν ὁ μέγας, רעה הגדול, *pastorum omnium longe maximus*, nec Mosis nec cujusquam alterius obtentu potest impunè repudiari. Christus autem excitavit quidem semetipsum à mortuis, Joh. 2. 19. & 10. 18. actio tamen hæc passim tribuitur Patri, nè quis ex Christi quasi à Patre deserti morte, vel ex Ceremoniarum abolitione quam Paulus prædicabat, dissensionem aliquam inter Patrem & Filium subesse colligeret. ¶ *In sanguine fœderis æterni*] Vox hæc *in* referri potest ad verbum *eduxit*, q. d. *eduxit, perfusum sanguine*; vel ad vocem *magnum*, q. d. Qui quàm *magnus* quàm fidus sit *Pastor* docuit effusione sui *sanguinis* pro suis *ovibus*, quâ suum *Fœdus* sancire dignatus est, eique vim *æternam* affundere, quò *reconciliationem ac redemptionem æternam nobis acquireret*, ut dicitur Heb. 9. 12. Nam & ideo dicitur *æternum* quia quos reconciliat eos æternum Deo conciliat: quod certè verum non esset si Fœderis hujus sanguis omnes ἅπαξ ἁπλῶς homines Deo reconciliasset: quod qui volunt, dilatandæ virtutis illius obtentu, re verà præcipuum illius robur succidunt, efficaciæ scilicet in suos omnes fœderatos æternitatem.

21. *Reddat vos aptos ad omne bonum opus*] Καταρτίζειν est *id quod non est ἄρτιον, integrum, aptum, ἄρτιον* reddere: ut Retia, Matth. 4. 21. Marc. 1. 19. & Errantem, ut 2 Cor. 13. 11. Gal. 6. 1. Καταρτίζειν τὰ ὑστερήματα, 1 Thess. 3. 10. est *id quod nobis deest supplendo perficere & instaurare*. Hinc κατάρτισις *instauratio*, 2 Cor. 13. 9. Discimus hinc 1. Naturâ nostrâ nos *ineptos* esse *ad quodvis bonum opus*; 2. Totius *aptitudinis perfectionisve* nostræ tam initia quam progressus in solidum Deo deberi; ne quid Homo sibi tribuat præter innumera debita, quibus solvendis est prorsus impar. ¶ *Ut faciatis ipsius voluntatem*] Perfectio nostra non consistit in iis faciendis quæ sibi confinxit humanæ mentis ἐθελοθρησκεία, sed in iis præstandis quæ Deus nobis imperavit. Hâc perfectione qui contentus non est, nunquam contendet ad veram perfectionem, eam certè nunquam assequetur. ¶ *Faciens in vobis quod in conspectu suo acceptum est*] i. e. Quod sibi re verâ gratum est. Id videlicet Deo verè *gratum* est quod nobis ipse præscripsit, non quod nos ipsi Deo obtrudimus ex commento nostro. Id autem Deus *in nobis* ità *facit* ut id nos quoque faciamus, quia facit id per nos *præstans in nobis & velle & perficere pro suo beneplacito*, ut docetur Phil. 2. 13. ¶ *Per Jesum Christum*] Proxima causa quæ velut immediatè nos instaurat est Spiritus S. Sed *Christo* Paulus omnia tribuit, quia videbat sibi rem esse cum hominibus qui nihil vel quàm minimum Christo tribuebant, quique paulò post Christi nomen erant ejuraturi. ¶ *Cui sit gloria in secula seculorum*] Hæc est solennis δοξολογία vero Deo tribui solita: quam cum Christo tribuit Apostolus, docet, eum, à quo deficere cogitabant Hebræi, ipsissimum esse verumque Deum.

22. *Hortor autem*, adeoque precor *vos*, *fratres*] Quò infensiores sibi Judæos esse sentit, eò blandiùs eos compellat, si fortè possit suæ benevolentiæ testimoniis ab iis mutuam benevolentiam extorquere. ¶ *Sufferte sermonem hujus exhortationis*] Videbat Judæos adeò non amplectentes veritatem Euangelicam ut eam nè ferre quidem possent; ideoque monet ut ferant saltem & patiantur vera tum sibi tum aliis dici. ¶ *Brevibus enim scripsi vobis*] q. d. Eò breviùs ad vos scripsi ut tantò facilius possitis exhortationem nostram admittere, ferre, concoquere. *Brevem* autem dicit Apostolus Epistolam suam, non tam aliarum quas scripsit respectu, quanquam scripsit quasdam sed paucas istâ longiores, quàm respectu dogmatum de quibus agit, de quibus multò plura dici poterant.

23. *Scitis*] Vel, *Scitote*. Græca vox enim γινώσκετε utrumque significat. ¶ *Fratrem nostrum Timotheum*] i. e. Qui tam vos quàm me fraterno diligit amore. Sic autem ad Philemonem v. 1. Timotheum *fratrem suum* vocat. ¶ *Dimissum*] A me. Quippe Phil. 2. 19. pollicitus est *se quàm primùm eum* in Orientem *remissurum*. Id nunc dicit à se factum. Emanuel Sa vult quidem hæc à Paulo dici; sed *dimissum* Athenis, non Romæ, vult Timotheum; multos laudans auctores suæ sententiæ, Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium, Anselmum, Thomam. Sed certè series historiæ Paulinæ refellit hanc interpretationem, adeoque cum verbis Pauli non satis convenit. Ut enim DIMISSUM interpreteris *dimissum à me*, id cujusvis linguæ proprietas admittere potest. Cùm autem *Athenarum* in hac Epistola nullo modo meminerit Paulus, quo jure vocem *Athenis*, potiùs quàm aliam quamvis urbem in qua modò commoratus fuerit Timotheus, subintelligendam censebimus? ¶ *Cum quo, si celeriter venerit*] Τάχιον est quidem comparativi gradûs, sed comparativum pro positivo non rarò sumi norunt Græcæ linguæ periti. ¶ *Veniam ad vos*] Cum illo.

24. *Salutate*

24. *Salutate vestros omnes ductores*] i.e. Pastores. Qui non poterant non esse magno numero, cùm Judæi toto ferè orbe Romano diffusi essent, & hæc Epistola sit encyclica, eâ mente scripta ut simul ac Hierosolymis lecta fuerit quàm primum ejus exemplaria quàm plurima circumferrentur ad Judæos quoquoversus dispersos, imprimis autem ad Judæos Asiam Minorem incolentes; quod ab iis primum profecta fuisset accusatio quæ Paulum in vincula conjecit, à quibus ante mortem liberatum nusquam legimus. ¶ *Et omnes sanctos*] i.e. Fideles, qui veram de Christo doctrinam profitentur & sine scandalo vivunt. Nos enim ultrà pertendere nec possumus nec debemus. ¶ *Salutant vos qui sunt ab Italia*] Nempe *sancti*; quod ex proximè præcedente membro supplere promptum est. Alii plerique supplent vocem *fratres*, quod eodem recidit. Fideles enim tum duobus potissimum istis elogiis ornabantur, ut dicerentur *sancti* vel *fratres*. Cum autem memorat non solum Romanos, sed etiam *eos qui sunt ex Italia*, docet sibi curæ fuisse non solos pios qui Romæ tum erant, sed & eos qui usquam erant in Italia, imprimis autem Judæos. Nam in eorum potissimum gratiam ista scribebat, ut quos ad exitium ruere prævidebat hos quantâ maximâ poterat sedulitate retineret in officio.

25. *Gratia sit cum omnibus vobis. AMEN.*] Paulus 2 Thess. 3. 17. *Salutatio meâ manu Pauli, quod est signum in omnibus* meis *epistolis. Ità scribo.* His verbis innuit sibi quidem per catenas non licuisse totas suas Epistolas suâ manu scribere, sed salutationem saltem suam sub finem Epistolæ suâ manu se scribere solitum. Id in hâc Epistola factum non dubitamus, ut qui vitandæ statim initio offensionis ergò non præfixerat suum nomen, quod sciebat Judæis admodum odiosum esse, saltem apponeret id quod volebat instar characteris esse quo suæ literæ discernerentur ab aliis. Notior enim erat manûs Paulinæ character quàm ut tum de eo posset dubitari. Hinc factum ut omissio nominis non obliteraverit memoriam ejus à quo scripta fuit hæc tam præstans Epistola: Hinc, inquam, factum ut plerique omnes summo consensu receperint hanc Epistolam ut Paulinam, ut θεόπνευστον, ut verè canonicam: De qua si quæ primò dubitarunt Ecclesiæ, facilè dubitationem illarum pervicit reliquarum consensus; cui nunc adversari nemo sine sacrilegio potest.

LUD. CAPPELLUS.

16. Εὐαρεστεῖται ὁ Θεός] Ἀρέσκω est *placeo*, non vero *placo*. Unde ἀρεστός est *is qui placet*, qui *gratus & acceptus est*. εὐαρεστέω indè, *gratus & acceptus sum* vel *fio*, *placeo*. Hic εὐαρεστεῖσθαι non passivè sed intransitivè usurpatur pro *delectari*, *gratum & acceptum habere*. Estque hæc Apostoli phrasis Hebraica, רצה יהוה. Psal. 51. 16. עולה לא תרצה *holocaustum non est tibi gratum & acceptum*: & Mich. 6. 7. הירצה יהוה באלפי אילים *An gratis sunt & accepti Domino mille arietes?* Et fortè ab Hebræo רצה fit Græcum ἀρεστός. Sanè & Hebraicè & Rabbinicè רצוי idem est quod Græcum ἀρεστόν. Esth. 10. 3. Mardochæus dicitur fuisse רצוי לרב אחיו *gratus & acceptus* (ἀρεστός) *plerisque fratrum suorum.*

GROTIUS.

1. Ἡ Φιλαδελφία μενέτω. *Charitas fraternitatis maneat*] Rom. 12. 10. 1 Thessal. 4. 9. 1 Petri 1. 22. 2 Petri 1. 7. Nunquam à vobis discedat ea dilectio quæ Christianorum inter se propria est, & quam ostendistis antehac. Vide supra 5. 10. Ne vos inde distrahat, aut quòd quidam sint alienigenæ, aut alia causa.

2. Τῆς Φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε, *Et hospitalitatem nolite oblivisci*] In Pirke Aboth. יהי ביתך פתוח לרוחה. *Pateant fores tuæ plateam versùs.* Vide Rom. 12. 13. 1 Petr. 4. 9. ¶ διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. *per hanc enim quidam exceperunt insciì angelos hospitio*] Respiciuntur historiæ Genes. 18. & 19. ubi & illos Homeri versus attulimus,

> *Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι*
> *Παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας,*
> *Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.*
> *[Sæpe etiam similes errantibus hospitibus di*
> *Sub variis formis hac atque illa oppida visunt,*
> *Aspiciuntque hominum tam non bona quàm bona facta.]*

Refertur autem hoc ut appareat quanta sint apud Deum præmia Φιλοξενίας [*hospitalitatis.*] Et nota locutionem bene Græcam ἔλαθον ξενίσαντες, *excepere inscii*: nam sic & Aristophanes loquitur & Plato & Xenophon, subaudito ἑαυτοὺς, quod interdum exprimitur. Et Abraham & Loth cùm primum exciperent Angelos, Arabes eos putarunt, quos quanquam ignotos multo cum honore exceperunt: Postea ex nuncio quem adferebant cognoverunt esse Angelos. Adde quæ dicta 1 Tim. 3. 2.

3. Μιμνήσκεσθε τῶν δεσμίων ὡς συνδεδεμένοι· *Mementote vinctorum tanquam simul vincti*] Non leviter eos curate, sed ita quasi ipsi eadem mala sentiretis:

> *Ἴσως νομίζων ἴδιον εἶναι τὸ γεγονός·*
> *[Quasi tute tibi accidisse quod accidit putes,]*

ait Menander. Vide supra 10. 34. ¶ τῶν κακουχουμένων, ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι. *& laborantium tanquam & ipsi in corpore morantes*] *In corpore* iisdem malis obnoxio.

> *Homo sum, humani nihil à me alienum puto.*

¶ ἐν σώματι [*in corpore*] nempe θνητῷ [*mortali*] quod additur Roman. 8. 11. ἐπιγείῳ [*terrestri*] 1 Cor. 15. 40. Φθαρτῷ [*corruptibili*] 1 Cor. 15. 53. Participium κακουχούμενοι habuimus & supra 11. 37.

4. Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος· *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*] Id est, *apud omnes gentes moratas honos est conjugio, ac ne Deo quidem is thorus displicet.* Ἀμίαντον est *quod vitio caret*, Sap. 3. 13. 4. 2. supra 7. 26. Jac. 1. 27. Tractatur hoc in libro Musar satis bene. Et Esseni multi abstinebant à matrimonio, attamen τὸν γάμον καὶ τὴν ἐξ αὐτοῦ διαδοχὴν οὐκ ἀναιροῦντες [*ita ut nec nuptias nec proli operam dari improbarent.*] ¶ πόρνους δὲ καὶ μοιχοὺς κρινεῖ ὁ Θεός. *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus*] Non adulteros tantùm, qui si deprehendantur etiam humanis legibus puniri solent, puniet Deus, sed & πόρνους [*fornicatores,*] id est, *Venere utentes extra conjugium.* Opponit hoc Judæorum illorum sententiæ, de quibus egimus supra 12. 16. κρίνειν [*judicare*] pro κατακρίνειν [*condemnare*] sæpe habuimus Epistolâ ad Romanos. κατακρίνειν [*condemnare*] autem per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] est *punire*, ut Marci 16. 16. 1 Cor. 11. 32. & alibi. Et sic κρίνειν [*judicare*] *punire*, Joh. 3. 17. Et rectè Dei judicio reservat illa flagitia, quæ solent hominibus aliis esse abscondita.

5. Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος· *Mores sine avaritia*] Subauditur & hic ἔστω [*sint*] ut supra 12. 15, 16. *Mores vestri absint à studio pecuniæ quærendæ.* τρόπον in numero singulari dicere pro eo quod Latinè pluraliter *mores* dicimus frequens Platoni & Demostheni. Sic χρηστὸς τρόπος [*boni mores,*] τρόπος δίκαιος [*justi mores,*] τρόπος βέλτιστος [*optimi mores*] etiam apud Aristophanem & Plutarchum. Quid sit Φιλαργυρία [*avaritia*] vide 1 Tim. 6. 10. Polycarpus quoque Epistolâ ad Philippenses, μακρὰν ὄντες πάσης Φιλαργυρίας [*ab omni avaritia alieni.*] ¶ ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν· *contenti præsentibus*] Supple ἦτε [*sitis,*] id est, *habentes in præsens quæ natura sunt necessaria, iis contenti estote.* Vide 2 Corinth. 9. 8. Philipp. 4. 11, 12. 1 Timoth. 6. 6, 8. Nolite anxii esse de futuro. Vide Matth. 6. 34. & ibi dicta. ¶ αὐτὸς γὰρ εἴρηκεν· *ipse enim dixit*] Deus scilicet. Sic הוא [*ipse*] habemus aliquoties apud Prophetas. ¶ Οὐ μή σε ἀνῶ, οὐδ᾽ οὐ μή σε ἐγκαταλίπω. *Non te deseram, neque derelinquam*] Josue 1. 5. לא ארפך ולא אעזבך [*non dimittam te nec derelinquam te*] ubi Græci, οὐκ ἐγκαταλείψω σε οὐδ᾽ ὑπερόψομαί σε [*non derelinquam te nec despiciam te.*] Utitur autem scriptor noster modo potentiali, quasi dicat, *fieri non potest, ut te abjiciam planè, aut etiam ad tempus deseram.* Quod Josuæ dictum fuit, dictum ei fuit populi totius causâ: Populus autem iste populi Christiani figura. Est hic in posteriore membro triplex negatio, quæ apud Græcos vehementer negat. Similis sententia Esa. 41. 13.

6. Ὥστε θαῤῥοῦντας ἡμᾶς λέγειν· *Ita ut confidenter dicamus*] Θαῤῥοῦντας בטחים [*confidentes*] *cum fiducia in Deum.* LXX. ubi in Hebræo est אל תירא, *ne time*, solent ponere θάῤῥει [*confide*] ut Genes. 35. 17. Exod. 14. 13. 20. 20. 1 Reg. 17. 13. Joel. 2. 21, 22. Soph. 3. 17. Agg. 2. 6. Zach. 8. 13, 15. Vide & Matth. 9. 2, 22. 14. 27. Marci 6. 50. 10. 49. Luc. 8. 48. Joh. 16. 33. Actor. 23. 11. 2 Cor. 6. 8. 7. 16. 10. 1, 2. ¶ Κύριος ἐμοὶ βοηθὸς, καὶ οὐ Φοβηθήσομαι τί ποιήσει μοι ἄνθρωπος. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*] Est ex LXX. in Psalmo qui Hebræis 118. 6. in Hebræo est יהוה לי ad verbum *Dominus mihi*, id est, pro me. Sensum addito vocabulo βοηθὸς [*adjutor*] optimè expressere LXX. Par sententia Psalm. 56. 5. ubi pro *homine* dicitur *caro*, ut meliùs significetur ejus infirmitas. Nec longè abit id quod habemus Psalm. 27. 1. Bene autem hoc aptat scriptor noster Hebræis illis Christianis, qui

qui ob religionem sæpe ab improbis exuebantur suis facultatibus, supra 1. 34. ἄνθρωπος [*homo*] hic ἀνθρώπων τις [*hominum quisquam.*]

7. Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, *Mementote Præpositorum vestrorum*] Ἡγούμενοι נגידים in Veteri Testamento sunt *populorum* aut *exercituum Duces atque Principes*, quod nomen hic optimo jure aptatur iis qui apud Christianos κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] tum προεστῶτες [*Præsides*] tum ἐπίσκοποι [*Episcopi*] dicuntur, quorum munus est non tantùm præesse presbyterio, sed & κοπιᾶν ἐν τῷ λόγῳ [*laborare in verbo*] 1 Timoth. 5. 17. quale apud Judæos fuit & nunc est munus τῶν ἀρχισυναγώγων [*Principum Synagogæ.*] Sic & in Epistola Clementis ad Corinthios bis ponuntur ἡγούμενοι [*Præpositi*,] deinde πρεσβύτεροι [*Seniores.*] Loquitur autem de iis qui jam obierant, ut ostendunt sequentia. ¶ οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ· *qui vobis locuti sunt verbum Dei*] Nempe in diversis oppidis; fortè etiam diversis temporibus, cùm mortuis alii successissent. ¶ ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς, μιμεῖσθε τὴν πίστιν. *quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem*] *In animum vobis revocate ipsorum* ἀναστροφὴν, id est, *vivendi rationem ac modum.* Habes hanc vocem Gal. 1. 13. Ephes. 4. 22. 1 Tim. 4. 12. Jac. 3. 13. & in Petri Epistolis sæpe. Sanctitatem in omni vita exhibuerunt, & in ea persliterunt ad mortem usque, quæ est vitæ hujus ἔκβασις sive καταστροφὴ, & Latinis *excessus* dicitur, Hebræis אחרית דרכיהם [*viarum ipsorum finis.*] Hanc sanctitatem per fidem acceperant atque servaverant: quare videte eandem fidem retineatis, ut par sit & vester exitus.

8. Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας *Jesus Christus heri, & hodie, ipse & in secula*] *Idem est*, id est, sibi similis, sicut dicimus

Rex Juppiter omnibus idem.

Qualis *heri*, id est, tempore illorum Præpositorum vestrorum, talis & nunc est, & erit semper. Nam *heri* præteritum tempus significat, ut Exodi 5. 7, 14. Esaiæ 30. 33. Sir. 38. 22. Sicut illos ad mortem usque Spiritu suo fulsit, sic & vos fulciet, si faciatis quod vestrûm est.

9. Διδαχαῖς ποικίλαις καὶ ξέναις μὴ περιφέρεσθε. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci*] Περιφέρεσθαι est *agitari*, ut Ephes. 4. 14. Judæ 12. Proverb. 10. 25. Ecclesiastæ 7. 8. ὅτι ἡ συκοφαντία περιφέρει σοφὸν [*quoniam calumnia agitat sapientem.*] Hesychius περιφορὰ, πλάνη, id est, *oberratio.* At Manuscriptus μὴ παραφέρεσθε, id est, *ne insanite*, quomodo ea vox sumitur, 1 Sam. 21. 13. Platoni παραφέρεσθαι est *errare*, *verum prætervehi.* Et ita videtur legisse Latinus cum vertit *abduci*, ut & Syrus. Tangit Judaïcas doctrinas, quæ erant primùm *variæ* à Saimea & Hillele, non concordes, quales illæ Apostolorum: deinde *peregrinæ*, id est, novæ, nuper repertæ, non ex ipsis verbis Legis aut perpetuo usu. Vide Matth. 15. 9. & ibi dicta. Sic ξένα δαιμόνια [*peregrina dæmonia*] Act. 17. 18. *nova, antehac incognita.* ¶ καλὸν γὰρ χάριτι βεβαιοῦσθαι τὴν καρδίαν, οὐ βρώμασιν, *optimum est enim gratiâ stabiliri cor, non escis*] Commendat, ut supra, τὴν αὐτάρκειαν [*virtutem quâ quis suâ sorte contentus est.*] Nam multi a Christianismo abducebantur, eò quòd res angustas ferre nequirent. Epulæ, quæ ex divitiarum affluentia facile nascuntur, dicuntur *cor fulcire*, id est, vires corporis, Gen. 18. 5. in Hebræo Psalm. 105. 16. ubi in Græco στήριγμα ἄρτου [*fulcimentum panis.*] Sic & Ezech. 4. 16. 5. 16. 14. 13. At verò *gratia*, id est, dona Spiritûs per Dei bonitatem data, ea est quæ *fulcit cor*, id est, animum contra tentationes 1 Corinth. 1. 6, 8. 2 Cor. 1. 21. Coloss. 2. 7. Rom. 1. 11. 16. 25. 1 Thess. 3. 2, 13. 2 Thess. 2. 17. 3. 3. 2 Petr. 1. 12. ¶ ἐν οἷς οὐκ ὠφελήθησαν οἱ περιπατήσαντες. *quæ non profuerunt iis qui ambulaverunt in eis*] In Manuscripto περιπατοῦντες [*qui ambulant*,] ita ut ὠφελήθησαν [*profuerunt*] sit ἀόριστος [*Aoristus*] pro præsenti tempore positus. Nunquam ad pietatem proficiunt, qui necessariis non contenti, epulis & similibus deliciis student. Notat illos Judaïsmi Magistros quos ipsa opera prodebant, Rom. 16. 18. Philipp. 3. 19. Tit. 1. 12.

10. Ἔχομεν θυσιαστήριον ἐξ οὗ φαγεῖν οὐκ ἔχουσιν ἐξουσίαν οἱ τῇ σκηνῇ λατρεύοντες. *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*] Egregiè dictum. *Servimus nos quoque Tabernaculo*, id est, Ecclesiæ per Tabernaculum figuratæ. Sed illi qui veteri Tabernaculo serviebant *edebant*, id est, opipare epulabantur *de Altari*, sive de victimis Levit. 7. Noster cultus nobis tales epulas & delicias non suppeditat. *Edere* sæpe significat usum rerum talium supra necessitatem, ut 1 Cor. 10. 7. 15. 32. Licet & Christianis Pastoribus vivere ex Euangelio 1 Corinth. 9. 14. Sed *vivere*, non deliciari. Vide 1 Tim. 6. 8. θυσιαστηρίῳ [*altaris*] voce μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] cultus significatur. Vide 1 Cor. 9. 13. Erat enim in cultu Judaïco præcipua pars illa quæ circa Altare victimarum versabatur.

11. Ὧν γὰρ εἰσφέρεται ζώων τὸ αἷμα περὶ ἁμαρτίας εἰς τὰ ἅγια διὰ τοῦ ἀρχιερέως, τούτων τὰ σώματα κατακαίεται ἔξω τῆς παρεμβολῆς. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra*] Hoc, ait, quod dico, figuratum fuit in die illo solemni τοῦ καθαρισμοῦ [*purificationis*] in quo summus Sacerdos eximiè personam gessit Christi, ut supra fuit ostensum. Nam de victimis illo die oblatis, id est, vitulo & hirco, nemo epulabatur: *corpora enim illarum victimarum portabantur extra castra, & ibi urebantur.* Duo hinc infert μυστικῶς [*sensu recondito*:] non mirari debere Christianos non modò si rerum affluentiâ careant: verùm etiam si rebus necessariis ad tempus aliquod destituantur: quod Apostolis non rarò evenit, ut videre est 1 Cor. 4. 11. 2 Cor. 11. 27. Deinde si interdum etiam expellantur ex urbibus, quod itidem Apostolis evenit Actor. 16. 37. 13. 50. & alibi, cùm tamen Apostoli verius peccata expiarent, quàm hircus ille & vitulus. Hæc valde apta sunt ad solandos Christianos Hebræos in malis quæ tum ferebant. Περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*] intellige populi: quanquam ne quid omittam, absunt hæ voces in Manuscripto. Et τὰ ἅγια [*sancta*] intellige per breviloquentiam τὰ ἅγια τῶν ἁγίων [*sancta sanctorum.*] *Castra* olim erant pro urbe, & quicquid tunc non licebat fieri intra castra, id postea non licuit intra urbem. Sic Moses Maimonides. Confer Levit. 24. 14. Jos. 7. 24. cum Actor. 7. 58.

12. Διὸ καὶ Ἰησοῦς, ἵνα ἁγιάσῃ διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος τὸν λαὸν, ἔξω τῆς πύλης ἔπαθε. *Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est*] Sicut vos ex urbibus ejicimini, sic & ipse, priusquam mortem obiret, ex urbe ejectus est. Habetis etiam in hoc malo illum ἀρχηγὸν [*Ducem.*] ἁγιάζειν [*sanctificare*,] hic sumitur, ut supra 10 29. ἔξω πύλης [*extra portam*,] id est, *extra civitatem*, quomodo rectè quoad sensum explicat Tertullianus adversùs Judæos.

13. Τοίνυν ἐξερχώμεθα πρὸς αὐτὸν ἔξω τῆς παρεμβολῆς, *Exeamus igitur ad eum extra castra*] Ne nos pudeat ex urbibus ejici. Dixit autem παρεμβολῆς [*castra*,] quia Mosis tempore, cùm illud sacrum solemne institutum est, castra erant urbis vice, imò urbs temporaria. Et multæ nunc quoque urbes à castris cœpere, & *castrorum* habent nomen. ¶ τὸν ὀνειδισμὸν αὐτοῦ φέροντες· *improperium ejus portantes*] *Libenter ferentes has contumelias, quas ad ipsius exemplum ferimus.* Similem locutionem habuimus supra 11. 26. nisi quod ibi de figura rei futuræ, hic de imitatione rei exactæ agitur.

14. Οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, *Non enim habemus hic manentem civitatem*] Si hoc Veteres illi Patriarchæ dixere supra 11. 13. multò magis hoc nobis convenit, quibus nihil certi est. Semper ἀστατοῦμεν [*jactamur*] 1 Cor. 4. 11. ¶ ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν. *sed futuram inquirimus*] Non terrenam Jerusalem, ut illi, sed supercœlestem quæ per terrenam significabatur Hebr. 11. 15. 12. 22. Philip. 3. 20.

15. Δι' αὐτοῦ οὖν ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως διαπαντὸς τῷ Θεῷ, *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo*] Δι' αὐτοῦ [*per ipsum*,] id est, *secundùm Christi præcepta*, ut infra 21. θυσία αἰνέσεως תודה [*hostia laudis*] Levit 7. 12, 13, 15. 2 Paralip. 29. 31. 33 16. Esdr. 10. 11. Nehem. 12. 31, 39, 45. Psal. 50. 15, 23. Omne quod Deo offertur θυσία [*hostia*] rectè dicitur, ut Levit. 2. videre est. ἀναφέρειν est הגיש [*offerre*,] unde מנחה [*oblatio.*] ¶ τουτέστι καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. *id est fructum labiorum confitentium nomini ejus*] Ex Græco Oseæ 14. 3. ubi interpretes פרים sumpsere à פרי [*fructus*] non à פר [*vitulus*,] ut ad Oseam notavimus. Offerebant verba gratias agentia etiam Israëlitæ in Tabernaculo & Templo. At Israëlitæ illi deportati a Thiglathpelassaro in loca longinqua, cùm victimas offerre non possent, offerebant sola verba, ideoque potiùs quàm olim cum victimis. Id non figura tantùm, sed & præparatio quædam fuit ad Euangelium. Vide Dan. 9. 27. Mich. 6. 7, 8. Joh. 4. 24. 1 Petri 2. 5. Rom. 12. 1. Et bene ὁμολογούντων [*confitentium*,] nam ידה non minùs ἐξομολογεῖν [*confiteri*] transfertur quam αἰνεῖν [*laudare*:] & תודה non minùs ἐξομολόγησις [*confessio*] quàm αἴνεσις [*laudatio.*] Vide supra 13. 15. Matth. 11. 25. Luc. 10. 21. Rom. 14. 11. 15 9. Philipp. 2. 11. Apoc. 3. 5.

16. Τῆς δὲ εὐποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε· *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci*] Μὴ ἐπιλανθάνεσθε [*nolite oblivisci*] ut supra 2. εὐποιΐας [*beneficentiæ*] hic ad facta refertur. In Glossario, εὐποιΐα, *meritum beneficium.* Pollux vocem esse dicit minùs usitatam. Sed bene respondet Rabbinico [illegible]. Κοινωνίας [*Communionis*] refertur ad pecunias & ea

quæ pecuniis comparantur. Vide Actor. 2. 42. Rom. 15. 26. 2 Cor. 8. 4. 9. 13. Quæ hîc nominat dilectionis officia respiciunt Hebræorum victimas *σωτηρίας* שלמים [*pacificas.*] ¶ *τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός· talibus enim hostiis promeretur Deus*] *Per ejusmodi victimas* (magis nempe quam per illas legales) *Deo placetur.* In Activo dicitur *εὐαρεστεῖν τῷ Θεῷ* [*placere Deo,*] ut supra 11. 5. Gen. 5. 24. 39. 4. Sed Græcorum mos est passiva formare & cum nominativo construere, non minus ab activis dativum quàm accusativum regentibus. Non malè Latinus *promeretur Deus.* Nam primùm quod barbarum hoc esse ajunt homines delicati, miror. Estne Plinius barbarus qui dixit, *quæ Cannis corona merita?* 7. 28. Nec ulla fermè sunt verba quæ vocantur Deponentia, quæ non & in sensu *παθητικῷ* [*passivo*] & usurpari possint, & usurpata sint à probis scriptoribus. Deinde quòd *falsam* ajunt hanc interpretationem, in eo egregiè falluntur. Oblatio Christi in hoc facta est, ut nos acciperemus & cognitionem & spiritum per quem offeramus Deo pia facta ad ipsius exemplum. Honos ad auctorem redit.

17. *Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε. Obedite Præpositis vestris & obsecundate*] Qui sint *ἡγούμενοι* [*Præpositi*] jamjam vidimus supra 7. His & *obediendum* dicit & *concedendum*, id est, honorem exhibendum qualem minores majoribus exhibent. Nam & hoc per *ὑπείκειν* sæpe significant Græci. *Obediendum* autem intellige, non tantùm in iis quæ sunt doctrinæ Euangelicæ, sed etiam in iis quæ sunt regiminis, nempe ut onus tam grave læto animo sustineant, ut sequitur. ¶ *αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες· ipsi enim pervigilant pro animabus vestris quasi rationem reddituri*] In Manuscripto non malè, *Αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὡς λόγον ἀποδώσοντες ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν* [*Ipsi enim pervigilant quasi rationem redditur pro animabus vestris.*] Hæc per *παρένθεσιν* [*Interpositionem*] legenda. Nam quæ sequuntur directè cum antecedentibus cohærent. Æquum est illis pareri & honorem haberi. Nocte enim dieque solliciti sunt vestri causâ, *ut qui Deo rationem reddere debeant*, si quid vos per ipsorum negligentiam peccetis. Vide Jer. 13. 20. Ezech. 3. 17. & sequentibus. 33. 2. & sequentibus. *Ἀποδιδόναι λόγον* [*rationem reddere*] habemus & infra 1 Petri 4. 5. Significat autem ea locutio, aut præmium referre aut pœnam, prout quis se gesserit. Obediunt milites Ducibus suis, quia Duces pro militum temporaria salute solliciti sunt. Quantò justiùs eis parebitur qui pro æterna nostra salute excubant? ¶ *ἵνα μετὰ χαρᾶς τοῦτο ποιῶσι καὶ μὴ στενάζοντες· ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes*] Mulcete eum laborem omnibus officiis & obsequiis, ut cum alacritate potiùs, quàm cum dolore fungantur munere satis gravi, etiamsi à vobis nihil triste accedat. Per *μετωνυμίαν* [*Transnominationem*] *gaudium* intellige alacritatem quæ ex gaudio oritur. *στενάζειν* [*gemere*] verò dolorem, qui per gemitum indicari solet, significat. Vide de verbo *στενάζειν* [*gemere*] Rom. 8. 23. 2 Cor. 5. 2, 4. Doloris talis exempla habemus 2 Cor. 2. 3. & 12. 21. ¶ *ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο. hoc enim non expedit vobis*] Neque enim tam bene obeunt munus suum qui mœsto, ut qui læto sunt animo. Et si illi rationem suæ negligentiæ debent Deo, etiam vos ingrati in ipsos animi.

18. *Προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν, Orate pro nobis*] & Coloss. 1. 3. 4. 3. ¶ *πεποίθαμεν γὰρ, ὅτι καλὴν συνείδησιν ἔχομεν, ἐν πᾶσι καλῶς θέλοντες ἀναστρέφεσθαι· confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari*] Similem similis petitionis causam reddit Paulus 2 Cor. 1. 11, 12. Merentur aliorum precibus adjuvari, qui nihil non faciunt, ut aliis prosint. *ἐν πᾶσι* [*omnibus*] nempe *πράγμασι* [*actionibus,*] quomodo interpretatur Syrus. Pro *πεποίθαμεν* [*confidimus*] in Manuscripto est *πειθόμεθα* [*persuademur,*] pari sensu. Constat, inquit, hoc vobis. Paria Paulus de se prædicat Actor. 24. 19.

19. *Περισσοτέρως δὲ παρακαλῶ τοῦτο ποιῆσαι, ἵνα τάχιον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quò celerius restituar vobis*] Et hoc Lucæ bene convenit, qui Syrus erat patriâ, unde facilis in Judæam excursus. Eò autem reverti cogitabat ubi per Italiam jecisset sementem Euangelii. *περισσοτέρως παρακαλῶ, hoc magis ad vos precor.*

20. *Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης, Deus autem pacis*] *Qui pacem amat.* Sic Rom. 15. 33. 1 Cor. 14. 33. 2 Cor. 13. 11. Philipp. 4. 9. 1 Thess. 5. 23. Hoc ideo addit quia videbat nasci inter eos discordiæ semina. ¶ *ὁ ἀναγαγὼν ἐκ τῶν νεκρῶν τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν, ἐν αἵματι τῆς διαθήκης αἰωνίου, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum*] Sæpe cùm magni aliquid à Deo optatur, fit mentio *è mortuis excitati*, ut eò magis ejus potentiæ confidamus. Sed obiter, cùm Christianos *oves* vocat *unius pastoris*, commendat gregis concordiam. Est autem Christus *pastor* noster ut Joh. 10. 11. & in mystico sensu, Ezech. 34. 23. aut ut hic, *magnus pastor* 1 Petri 5. 4. tum aliis rebus, tum eò, quòd *sanguinem* pro nobis fudit, Joh. 10. 15. Et hoc est quod hîc dicitur *ἐν αἵματι* [*in sanguine:*] pavit nos tanto affectu, ut & sanguinem funderet, quod factum est ut sanciretur fœdus non temporale, sed *æternum*, semper duraturum, quomodo & *sacerdotium* ejus & *redemptionem æternam* supra dixit. Cùm autem dicitur hic *à Deo suscitatus*, simul intelligitur & evectus in summam potentiam, per quam suos tueri potest, & in hac quoque parte *pastoris* officio fungi.

21. *Καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ; Perficiat vos in omni opere bono*] In Manuscripto, *ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ* [*in omni verbo & opere bono.*] *Aptos vos reddat ad omnem sermonem bonum & opus bonum*, in quo genere præcipuum est concordia, ad quam & participium *κατηρτισμένος* [*perfectum*] refertur 1 Cor. 1. 10. *ἐν* [*in*] pro *ad*, quomodo ל Hebræum sumitur. *καταρτίσαι* [*perficere*] habes pari sensu 1 Petri 5. 10. Respondet Hebræo כון. ¶ *εἰς τὸ ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ, ut faciatis ejus voluntatem*] Vide Ephes. 6. 6. 1 Joh. 2. 17. Est explicatio ejus quod præcedit. ¶ *ποιῶν ἐν ὑμῖν τὸ εὐάρεστον ἐνώπιον αὐτοῦ, faciens in vobis quod placeat coram se*] *Deus dicitur in nobis operari velle & perficere* Philipp. 2. 13. Facit autem hoc tum notitiam nobis dando promissionum suarum, tum Spiritu nos excitando & roborando. Facere enim rectè & is dicitur, qui faciendi causas dat. Et honos omnis effectuum redit *εἰς τὸ πρῶτον αἴτιον* [*ad causam primam.*] Est autem idem *εὐάρεστον ἐνώπιον αὐτοῦ* [*gratum coram se*] quod breviùs *εὐάρεστον τῷ Θεῷ* [*gratum Deo*] Rom. 12. 1. 14. 18. Ephes. 5. 10. Philipp. 4. 18. Et *ποιῶν* [*faciens*] construitur cum *καταρτίσαι* [*perficere.*] ¶ *διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, per Jesum Christum*] Rectè hoc construitur cum illo *εὐάρεστον* [*gratum.*] Ea enim demum nunc Deo placent quæ fiunt secundum Christi præcepta. Sic *διὰ* [*per*] usurpat & Petrus 1. 2. 5. ¶ *ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· Ἀμήν. cui est gloria in secula seculorum. Amen*] Talis *δοξολογία* [*laudatio*] aliis locis ad Deum Patrem Christi, sed hic ad Christum ipsum referenda videtur, ut Apoc. v. 12. Hîc finita fuit Epistola. *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*, עד עולם עולמים [*in secula seculorum.*] Locutio Hebræa, quam habes & Philipp. 4. 20. 1 Tim. 1. 17. 2 Tim. 4. 18. *ἀμήν* [*Amen.*] Vide Rom. 16. 27.

22. *Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, Rogo autem vos, Fratres*] Quæ sequuntur Epistolæ jam finitæ subtexta sunt, ut apud Paulum sæpe; *παρακαλῶ* hic est *rogo*, ut Rom. 12. 1. & alibi. ¶ *ἀνέχεσθε τοῦ λόγου τῆς παρακλήσεως, ut sufferatis verbum solatii*] *Boni consulite monita*, quæ huic Epistolæ adjeci capitibus 10, 11, 12, 13. *ἀνέχεσθε* כלו [*sufferte.*] ¶ *καὶ γὰρ διὰ βραχέων ἐπέστειλα ὑμῖν. etenim perpaucis scripsi vobis*] *Præcepi vobis*, ut Actor. 15. 20. Larga se dabat materia, sed ego, quo minùs gravis vobis essem, quæ multis dici poterant, in pauca contraxi. *Διὰ βραχέων* [*perpaucis*] est bene Græca locutio, etiam apud Lucianum exstans. Subauditur *ῥημάτων* [*verbis*] quod adjicit Demosthenes.

23. *Γινώσκετε τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον ἀπολελυμένον, Cognoscite fratrem Timotheum dimissum*] Qui cum Paulo Romæ fuerat, & eo digresso remanserat in Italia, datusque in vincula, ac deinde liberatus iter aliquò instituerat, in Galliam fortè, inde redire in Italiam cogitans. In Manuscripto erant literæ aliquæ detritæ: videbaturque scriptum fuisse *ἀδελφὸν ἡμῶν* [*fratrem nostrum,*] quomodo fuit & in exemplaribus quibus usi sunt Syrus & Latinus. ¶ *μεθ᾽ οὗ, ἐὰν τάχιον ἔρχηται, ὄψομαι ὑμᾶς. cum quo, si celerius venerit, videbo vos*] *Si cito ab itinere suo redierit.*

24. *Ἀσπάσασθε πάντας τοὺς ἡγουμένους ὑμῶν, Salutate omnes Præpositos vestros*] Nempe eos qui in singulis oppidis Ecclesiarum erant Principes, ut diximus supra 7. & 17. ¶ *καὶ πάντας τοὺς ἁγίους, & omnes sanctos*] Ut Rom. 16. 15. ¶ *Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας. Salutant vos de Italia fratres*] Erant enim non Romæ tantùm, sed & Puteolis & per omnem Italiam multi jam Christiani, partim ab illis temporibus in quibus Acta desinunt, partim ex labore adjutorum Pauli, Lucæ, Timothei, Titi, Crescentis, Tychici, Onesimi, Epaphroditi.

25. *Ἡ χάρις μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν. Gratia cum omnibus vobis. Amen*] Et hoc ad exemplum Pauli Ephes. 6. 24. Col. 4. 18. 1 Tim. 4. 21. 2 Tim. 4. 22. Tit. 3. 15. Qui alibi explicat quæ sit illa gratia, nempe *Christi.*

F I N I S.